



Bibbia Vulgata Clementina na 1598

Clementine Vulgate 1598



Contents

INCIPIT LIBER BERESIT ID EST GENESIS	1
INCIPIT LIBER ELLESMOTH ID EST EXODUS	132
INCIPIT LIBER VAIECRA ID EST LEVITICUS	257
INCIPIT LIBER VAIEDABBER ID EST NUMERI	344
INCIPIT LIBER HELLEADDABARIM ID EST DEUTERONOMIUM	428
INCIPIT LIBER IOSUE BENNUN ID EST IESU NAVE	507
INCIPIT LIBER SOPTHIM ID EST IUDICUM	541
INCIPIT LIBER RUTH	573
INCIPIT LIBER I SAMUHELIS ID EST REGUM PRIMUS	581
INCIPIT LIBER II SAMUHELIS ID EST REGUM SECUNDIS	630
INCIPIT LIBER MALACHIM ID EST REGUM TERTIUS ET QUARTUS	669
INCIPIT LIBER MALACHIM ID EST REGUM QUARTUS	722
INCIPIT LIBER DABREIAMIN ID EST VERBA DEIRUM QUI GRÆCE DICITUR PARALIPOMENON	766
LIBER SECUNDUS PARALIPOMENON	806
INCIPIT LIBER ESDRÆ	861
II ESDRÆ ID EST LIBER NEHEMIÆ	886
INCIPIT LIBER HESTER	909
INCIPIT LIBER JOB	926
INCIPIT LIBER PSALMORUM IUXTA HEBRAICUM TRANSLATUS	1016
INCIPIT LIBER PROVERBIORUM SALOMONIS	1268
INCIPIT LIBER ECCLESIASTES	1315
INCIPIT LIBER CANTICUM CANTICORUM	1329
INCIPIT LIBER ISALÆ PROPHETÆ	1365
INCIPIT LIBER JEREMLÆ PROPHETÆ	1472
LAMENTATIONES	1565
INCIPIT LIBER HIEZECHIELIS PROPHETÆ	1570
INCIPIT LIBER DANIHELIS PROPHETÆ	1618
INCIPIT OSEE PROPHETA	1638
INCIPIT JOËL PROPHETA	1645
INCIPIT AMOS PROPHETA	1648
INCIPIT ABDIAS PROPHETA	1654
INCIPIT JONAS PROPHETA	1655
INCIPIT MICHA PROPHETA	1657
INCIPIT NAHUM PROPHETA	1661
INCIPIT HABACUC PROPHETA	1663
INCIPIT SOFONIAS PROPHETA	1665
INCIPIT AGGÆI PROPHETÆ	1667
INCIPIT ZACCHARIAS PROPHETA	1669
INCIPIT MALACHI PROPHETA	1677
INCIPIT LIBER TOBIÆ	1680
INCIPIT LIBER IUDITH	1694
INCIPIT LIBER SAPIENTIÆ SOLOMONIS	1712

INCIPIT LIBER IESU FILII SIRACH	1739
INCIPIT LIBER BARUCH	1813
INCIPIT LIBER PRIMUS MACCHABEORUM	1820
MACCHABEORUM INCIPIT LIBER SECUNDUS	1850
INCIPIT EVANGELIUM SECUNDUM MATTHEUM	1871
INCIPIT SECUNDUM MARCUM	1987
INCIPIT SECUNDUM LUCAM	2053
INCIPIT SECUNDUM IOHANNEM	2168
INCIPIT LIBER ACTUUM APOSTOLORUM	2245
INCIPIT EPISTULA AD ROMANOS	2309
INCIPIT AD CORINTHIOS I	2358
INCIPIT AD CORINTHIOS II	2393
INCIPIT AD GALATAS	2415
INCIPIT AD EPHESIOS	2433
INCIPIT AD PHILIPPENSES	2447
INCIPIT AD COLOSSENES	2456
INCIPIT AD THESSALONICENSES I	2464
INCIPIT AD THESSALONICENSES II	2470
INCIPIT AD TIMOTHEUM I	2475
INCIPIT AD TIMOTHEUM II	2485
INCIPIT AD TITUM	2492
INCIPIT AD PHILEMONEM	2496
INCIPIT AD HEBRÆOS	2498
INCIPIT EPISTULA IACOBI	2528
INCIPIT EPISTULA PETRI I	2538
INCIPIT EPISTULA PETRI II	2548
INCIPIT EPISTULA IOHANNIS I	2554
INCIPIT EPISTULA IOHANNIS II	2565
INCIPIT EPISTULA IOHANNIS III	2567
INCIPIT EPISTULA IUDÆ	2569
INCIPIT APOCALYPSIS IOHANNIS APOSTOLI	2572

Bibbia Vulgata Clementina na 1598

Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria Migne edition 1880 in Latin

Language: Latine (Latin)

Provided by: Jerome

This print-on-demand edition of Scripture is produced and provided at cost by the Digital Bible Society in partnership with the Bible League of Canada, Open Doors International, and other missions and translation agencies. To order additional copies of this or other Bibles, please visit www.dbs.org (USA), www.bibleleague.ca (Canada), and www.opendoors.org (Europe).

Copyright and Permission to Copy

Copyright © 1598, 1880

This translation is in the Public Domain.

PDF, ePub, and MOBI Bible covers and design are copyrighted 2017 by the Digital Bible Society (www.dbs.org).

PDF generated on 2017-08-24 from source files dated 2017-08-24.

7c4d9a80-6744-5aea-8739-66563b83ed21

ISBN: 978-1-5313-0374-7

INCIPIT LIBER BERESIT ID EST GENESIS

1 In principio creavit Deus cælum et terram.* ²Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi: et spiritus Dei ferebatur super aquas.† ³Dix-

*1.1 *In principio creavit*, etc. Non dicit: In principio dicit Deus, Fiat cælum et terra. Sed dixit: *Fiat lux, et facta est lux*, quoniam universaliter nomine cœli et terræ comprehendendum erat quiddam fecit Deus, deinde per partes explicandum quomodo fecit. Unde sequitur: *Dixit Deus, Fiat*, id est, per verbum suum fecit. Vel quia cum primum fiebat informis materia spiritualis, vel corporalis, non erat dicendum: *Dixit Deus, Fiat*; incongruum enim erat a Deo dici, *fiat*, quia formam verbi non imitatur imperfectio, nisi cum generis sui conversione ad creatorem sit perfecta creatura; ut cum dicitur: *Dixit Deus, Fiat*, intelligamus eum ad se imperfectionem creaturæ revocare. Cum ergo dicitur: *In principio fecit Deus cælum et terram*, commemoratio Filii fit, quia principium est; sed cum dicitur: *Dixit Deus, Fiat*, commemoratur quia Verbum est. Per principium notat exordium creaturæ existentis ab illo; per Verbum, perfectionem creaturæ ab illo ad ipsum revocatæ, ut formetur imitando formam Verbi incommutabilem. Non enim habet vitam informem Verbum Dei, cui est idem esse quod vivere; imo idem vivere quod beate vivere. Creatura vero spiritualis habet informem vitam, cui non est hoc esse quod vivere; nec vivere quod beate vivere: quia, aversa a sapientia Dei, stulte et misere vivit. *In principio*, etc. BEDA, Hexæm. lib. 1, tom. 2, col. 13a. Creationem mundi insinuans Scriptura, primo verbo æternitatem et omnipotentiam Dei ostendit: quem enim in principio temporum mundum creasse perhibet, eundem ante tempora æternaliter significat existisse. Et quem in conditionis initio cælum et terram creasse narrat, tanta celeritate operationis omnipotentem esse declarat, cui voluisse, facere est. Bene ergo dicitur: *In principio creavit*, etc. Utrumque scilicet, simul, quamvis utrumque simul ab homine non dicatur. Unde propheta terram in initio factam ostendit dicens, Psal. 101: *Initio tu, Domine, terram fundasti*, etc. *In principio*, etc. Cælum non visibile firmamentum, sed empyreum, id est, igneum vel intellectuale, quod non ab ardore, sed a splendore dicitur, quod statim repletum est angelis. Unde in Job 38: *Ubi eras cum me laudarent astra matutina*, etc. Et nota tria hic commemorari elementa. Nomine cœli, ærem intelligimus. Nomine terræ, ipsam et ignem qui in ea latet. Quarti, id est, aquæ in sequentibus fit mentio. ALCUIN. in Gen. tom. 1 *In principio*. Filio, quo humanato patuit qui essent cœlestes, qui terreni. Cælum, creatura spiritualis, ab exordio perfecta et beata. Terra, corporalis materies adhuc imperfecta. Cælum, informem materiam spiritualis vitæ, sicut in se potest existere non conversa ad Creatorem in quo formatur. Terram, corporalem, sine omni qualitate quæ apparet in materia formata. BEDA in Gen., tom. 2, col. 191 Scriptura ait: *Qui fecisti mundum de materia informi Sap. 11*. Materia facta est de nihilo. Species mundi de materia informi. Proinde duas res fecit Deus ante omne tempus, angelicam creaturam et materiam informem. Quamvis enim Salomon dicat: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* Eccli. 18, secundum originem tamen informis materies antecedit formatam speciem. Itaque mundum, et angelos, et animam de nihilo fecit Deus: hominem et creaturas cæteras de aliquo. Ibid., col. 192 Septem sunt cœli, quorum hæc sunt nomina, ær, æther, olympus, spatium vel igneum, firmamentum, cælum angelorum, et Trinitatis. Hieronymus autem dicit cælum Trinitatis primum, secundum angelorum, tertium firmamentum. Mystice. *In principio creavit Deus cælum*. Eos scilicet qui cœlestis imaginem portaverunt. *Et terram*, id est eos qui postea superbiendo, terram, id est terreni hominis imaginem, portantes, se recerunt deformes. *Terra autem erat inanis*, quia deposuerat formam bonam. *Et vacua*, boni operis fructu. *Et tenebræ erant*, veri scilicet luminis privatio; *super faciem abyssi*, corda scilicet superborum.

†1.2 *Terra autem erat inanis*, etc. BEDA, Hexæm. tom. 2 Quod vel quale cælum in principio cum terra factum est, ostendit. Hoc enim de terra subdit, quod de cœlo intelligi noluit. Hoc enim superius cælum quod a volubilitate mundi secretum est, mox ut creatum est, sanctis angelis est impletum: quos in principio cum cœlo et terra conditos testatur Dominus dicens Job 38: *Ubi eras cum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?* Astra matutina eosdem angelos et filios Dei vocat. De cœlo enim in quo posita sunt luminaria, quomodo vel quando factum sit postea dicit. STRAB. *Inanis et vacua*. Inutilis scilicet, et infructuosa, et incomposita. Omnia enim elementa commixta, confusa, et totum hoc æris spatium aquis plenum; non quales nunc sunt. sed sicut nebulae tenues erant. quales adhuc supercœlestes

itque Deus: Fiat lux. Et facta est lux.[‡] ⁴ Et vidit Deus lucem quod esset bona: et di-
 visit lucem a tenebris.[¶] ⁵ Appellavitque lucem Diem, et tenebras Noctem: factumque
 est vespere et mane, dies unus.[§] ⁶ Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio

[‡]1.3 **Dixitque Deus: Fiat lux.** AUG., de Gen. ad litt., lib. 1, c. 17, tom. 3 Lux primo die facta spiritualis vel corporalis intelligitur, etc., usque ad mane futuri inchoatio. BEDA, Hexæm. Si autem primo die corporalis lux facta est, congrue mundi ornatus a luce inchoatur, unde cætera, quæ creanda erant, videbantur. Si autem quæritur, ubi est facta, cum abyssus omnem terræ altitudinem tegeret? patet quod in illis partibus, quas nunc illustrat solis diurna lux. Nec mirum lucem in aquis posse lucere, cum etiam nautarum operatione sæpius illustrentur, qui in profundo mersi, misso ex ore oleo, aquas sibi illustrant: quæ tunc multo rariores quam sint modo, fuere in principio, quia nondum congregatæ in uno loco. **Dixitque Deus: Fiat lux.** AUG. ibid., c. 2 Non temporaliter: si enim temporaliter, et mutabiliter; si mutabiliter, et per subjectam creaturam, non est lux prima creatura. Sed forsitan, etc., usque ad ut sit et ut maneat. **Fiat lux.** AUG. ibid., c. 4, 5, 9 Ea conditione scilicet qua cuncta subsistunt intemporaliter in Dei sapientia, priusquam in seipsis. **Et facta est lux,** id est angelica et cœlestis substantia, in se temporaliter; sicut erat in sapientia, quantum ad ejus incommutabilitatem, æternaliter. Vel notatur hujus creaturæ informitas scilicet et imperfectio antequam formaretur in amore Conditoris: formatur enim cum convertitur ad incommutabile lumen Verbi. **Fiat lux.** AUG. ibid., c. 10, 11, 16 Si corporaliter lux facta est, etc., usque ad nondum enim erant animalia quibus hæc vicissitudo exhiberetur.

[¶]1.4 **Et vidit Deus lucem,** etc. STRAB. Lucem et tenebras fecit Deus, unde Dan. 3. **Benedicite, lux et tenebræ, Domino,** cum omnis creatura ad benedicendum invitatur. ISID., in Gen., c. 2 Habet quisque in operibus et recta vita, distinctos sex dies, post quos requiem speret: primo die, lucem fidei, quoniam primo invisibilibus credit propter quam fidem Dominus apparere dignatus est. **Factumque est vespere.** AUG., de Gen. contra Manich., l. 1, c. 4; BEDA, in Hexæm. Occidente luce paulatim, et post spatium divinæ longitudinis inferiores partes subeunte, factum est vespere, sicut nunc usitato circummitu solis solet fieri. Factum est autem mane eadem super terram redeunte, et alium diem inchoante, et dies expletus est unus viginti quatuor horarum. Notandum vero quod nox in illo triduo omnino tenebrosa fuit, quæ post creata sidera aliqua luce claruit: decebat etiam ut dies a luce inciperent, et in mane sequentis diei tenderent, ut opera Dei a luce inchoata et in lucem completa esse significarentur.

[§]1.5 **Factumque est vespere,** etc. GREG., l. VIII Moral., c. 6, tom. 1 Nequaquam in hac vita per exercitationem justitiæ peccatum deseritur, ut in ipsa inconcusse maneatur: quia si culpam rectitudo eliminat, cogitationis nostræ foribus assidens, ut sibi aperiatur, pulsat. Unde ait Moyses: **Facta est lux;** et paulo post: **Factum est vespere.** Creator enim, humanæ culpæ præsciens, tunc expressit in tempore quod nunc versatur in mente. Lumen namque rectitudinis sequitur umbra tentationis. Sed quia electorum lux tentatione non exstinguitur, non nox, sed vespera facta memoratur, quia tentatio lumen justitiæ abscondit, non interimit. AUG., de Gen. ad litt., l. 4, c. 22, 23, tom. 3, col. 311, 312 Notandum, quod cæteræ creaturæ, etc., usque ad ut illud scilicet ad diem pertineat, hoc ad vesperam.

aquarum: et dividat aquas ab aquis. **⁷ Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. ††⁸ Vocavitque Deus firmamentum, Cælum: et factum est vespere et mane, dies secundus. ††⁹ Dixit vero Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum:

**1.6 *Fiat firmamentum*, etc. GREG., l. XXVII Moral., c. 24 Angelicæ virtutes, quæ in Dei amore perstiterunt, hoc in retributione acceperunt, ut in contemplatione Conditoris perenni felicitate maneant, et in hoc quod conditæ sunt æternaliter subsistant. Unde apud Moysen cælum factum dicitur, et idem postea firmamentum vocatur, quia angelica natura prius subtilis est in superioribus condita, et post, ne unquam cadere possit, mirabilius confirmata. *Fiat firmamentum*, etc. AUG., l. II de Gen. ad litt., c. 2, col. 264 Quæritur utrum illud cælum nunc fiat quod excedit æris spatia, etc., usque ad quia intervallum ejus dividit inter quosdam vapores aquarum et aquas quæ sunt in terris. *Fiat firmamentum*, etc. AUG., ibid., c. 4 Notandum quod firmamentum non propter stationem, etc., usque ad sed quoquomodo ibi sint, ibi esse non dubitamus. *Fiat firmamentum in medio*. BEDA, in Hexæm., t. 2 Cœli, in quo fixa sunt sidera, etc., usque ad Quales autem, et ad quid utiles, novit qui condidit.

††1.7 *Et fecit Deus firmamentum*, etc. AUG., l. II de Gen. ad litt., c. 8, col. 269 Quæritur quare cum dixisset: *Fiat firmamentum et factum est ita*, postea addit: *Et fecit Deus firmamentum*, etc., usque ad dicens: *Dixitque Deus fiat*, etc. Ibid., c. 1, 3, 5 Super ærem purus ignis, etc., usque ad Facit ergo frigidam aquarum super-cœlestium vicinitas. Ibid. Notandum vero quod prima die cum facta est lux, dictum est tantum: *Fiat lux*, et hoc in verbo, et *facta est lux*, in opere, statimque adhæsit increatæ luci lux creata, ut vicinior et omni creatura capaxior. In secunda die quædam mora est, et verborum multiplicatio, *fiat*, et *fecit Deus*, et *factum est ita*: ut intelligamus istas naturas ad deficiendum pronas, et ad obediendum minus aptas. HIERON., l. I contra Jovin., t. 2, col. 211 Notandum etiam quod hujus diei secundi opera secundum Hebræos non dicuntur bona, cum bona sint sicut cætera: quod fit propter binarium principem alternitatis, qui primus ab unitate discedit: et in figura bigamiæ ponitur et multorum reprehensibilium; unde quæ bina ingrediuntur in arcam immunda sunt, impar numerus mundus. Vel ideo bona non dicuntur, quia in hoc opere distinctio aquæ non fit perfecta, quæ in proximo fit, ubi dicit: *Congregentur aquæ*, ut ibi dicetur. AUG., ubi supra, c. 9 Quæri solet cujus figuræ sit cælum: sed Spiritus sanctus, quamvis auctores nostri scierint, per eos docere noluit, nisi quod prosit saluti. Quæritur etiam si stet an moveatur cælum? Si moveatur, inquirunt, quomodo est firmamentum? Si stat, quomodo sidera in eo fixa circumveant? Sed firmamentum non propter stationem, sed propter firmitatem, aut terminum aquarum intransgressibilem dici potest. Si autem stat, nihil impedit moveri et circumire sidera. Secundo die factum est tanquam firmamentum disciplinæ, quod discernit inter carnalia et spiritualia, sicut inter inferiores et superiores aquas. ISID., in Gen. c. 2, tom. 5, col. 213 Die secunda posuit firmamentum, sanctas scilicet Scripturas in Ecclesia. De quibus dicitur Isa. 34: *Cælum sicut liber plicabitur*. Hoc firmamento discernit aquas superiores, id est populum angelorum, quibus non est necesse ut in lectione audiant Dei verbum. Sed illud firmamentum posuit super infirmitatem inferiorum populorum, ut suspicientes in eo cognoscant qualiter discernat inter carnalia et spiritualia, quasi inter aquas superiores et inferiores. *Divisitque aquas quæ erant*, etc. AMBR., l. II Hexæm., c. 3, tom. 1, col. 148 Cum hæc audis, quid miraris si supra firmamentum potuit unda suspendi? etc., usque ad Jordanis quodque reflexo amne in suum fontem revertitur.

††1.8 *Et factum est vespere*, etc. ISID., ubi supra. Incipit mane secundæ diei a Noë, etc., usque ad quia nec pueritia apta est generationi.

et appareat arida. Et factum est ita.^{¶¶} ¹⁰ Et vocavit Deus aridam Terram, congregationesque aquarum appellavit Maria. Et vidit Deus quod esset bonum.^{§§} ¹¹ Et ait: Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.* ¹² Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem

^{¶¶}1.9 *Dixit vero Deus,* etc. AUG., lib. II de Gen. ad litt., c. 11, tom. 3 In hoc die factum videtur, etc., usque ad Unde aqua congregatur, terra apparet; aqua enim labilis et fluxa, terra stabilis et fixa. *Congregentur aquæ?* BEDA, in Hexam. Quæ inter cælum et terram universa compleverant, in unum locum congregantur, ut lux, quæ præterito biduo aquas clara luce lustraverat, in puro ære clarior fulgeat; et appareat terra, quæ latebat; et quæ aquis limosa erat, fiat arida et germinibus apta. Si quaeratur ubi congregatæ sunt aquæ, quæ omnes partes terræ usque ad cælum texerant, potuit fieri ut terra subsidens concavas partes præberet, quibus fluitantes aquas reciperet: potest etiam credi, primarias aquas rariores fuisse, quæ sicut nebula tegerent terras, sed congregatione esse spissatas.

^{§§}1.10 *Et vocavit Deus aridam terram.* BEDA, ibid. Prius ad distinctionem aquarum totam solidiorem mundi partem terram appellavit dicens: *In principio creavit Deus cælum et terram.* Postquam mundus jam formari incipit, et terræ facies apparet, recedentibus aquis, ad distinctionem partis quæ adhuc premebatur aquis, portio quam aridam esse licebat, terræ nomen accepit, eo quod pedibus teratur. *Congregationesque aquarum appellavit maria.* Sic enim appellantur apud Hebræos omnes congregationes aquarum, sive salsæ, sive dulces. Et quia per continuationem omnium aquarum, quæ in terris sunt, dixit eas congregatas in unum locum, nunc vocat pluraliter congregationes aquarum, propter multifidos sinus earum. Cum multa constat esse maria, in unum tamen locum dicit aquas congregatas, quia cuncta magno mari junguntur. Si qui lacus in semetipsis stricti videntur, occultis tamen meatibus in mare revolvuntur: fossores quoque puteorum hoc probant, quia omnis tellus per invisibiles venas aquis repleta est, quibus ex mari principium est.

*1.11 *Et ait: Germinet terra,* etc. AUG., l. II de Gen. ad litt., c. 12 Advertendum est moderamen ordinatoris: quamvis distincta est creatura herbarum atque lignorum a specie terrarum et aquarum, ut in elementis numerari non possint: quia tamen fixa radicibus terræ nectuntur, ad eundem diem voluit pertinere. BEDA, ubi supra. Patet in his verbis quod verno tempore mundus perfectus est et ornatus, in quo solent herbæ virentes apparere, et ligna pomis onusta. Simulque notandum quod non prima herbarum germina vel arborum genera de semine prodierunt, sed de terra: quia ad unam jussionem Conditoris apparuit arida herbis compta nemoribusque vestita, quæ sui generis ex se poma produxerunt et semina. Oportebat enim ut forma rerum Dei imperio primo perfecta prodiret: quomodo homo, propter quem omnia, juvenili ætate plasmatus est. AUG., ibid. l. 3, c. 18 Quæritur etiam de spinis, et tribulis, et quibusdam lignis infructuosus, cur vel quando creata sint? cum Deus dixerit: *Germinet terra herbam,* etc. Sed fructus nomine quædam utilitas signatur: multæ autem utilitates sunt manifestæ, vel occultæ, omnium quæ terra radicitus alit. Possumus autem absolute respondere spinas et tribulos post peccatum terram homini ad laborem peperisse: non quod alibi antea nascerentur, et post in agris quos homo coleret: sed prius et postea in eisdem locis, prius tamen non homini, sed post. Unde *pariet tibi,* id est, ut tibi nasci incipiant ad laborem, quæ ad pastum tantummodo aliis animalibus ante nascebantur. *Facientem semen.* BEDA, ibid. Omnia creata sunt perfecta, et homo perfectus ætate erat, et arbores cum foliis et fructu: unde dicitur hoc *lignum pomiferum.*

suam. Et vidit Deus quod esset bonum.^{† 13} Et factum est vespere et mane, dies tertius.^{‡ 14} Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos:^{¶ 15} ut luceant in firmamento cæli, et illuminent terram. Et factum est ita.^{§ 16} Fecitque Deus duo luminaria magna:

[†]1.12 *Et protulit terra herbam*, etc. GREG., l. XIX Moral., c. 12; l. 6, c. 16, tom. 1 Quod testatur historia, sic est veraciter factum, ut significaret aliud faciendum. Terra enim est Ecclesia, quæ verbi pabulo nos reficit, et patrocinii umbraculo custodit: loquendo pascit, opitulando protegit; ut non solum herbam refectionis proferat, sed etiam arborem protectionis. *Lignumque*. Lignum secundum speciem suam semen produxit, cum mens nostra ex sui consideratione quod in alterum faciat colligit, et recti operis germen parit. Hinc quidam sapiens ait: *Quod tibi non vis fieri, alii non feceris Tob. 4*. Et alibi: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem illis facite Matth. 7*. Quasi speciem vestram alterutrum respicite, et ex vobismetipsis cognoscite quid oporteat vos aliis exhibere. *Sementem*. STRAB., RAB. Sementis, frugum et arborum; semen, hominum, et animalium. Seminium vel sementum, cuiusque rei exordium. Tertio die, quo mentem suam ad serendos bonorum operum fructus præparat homo: separata labe, ac fluctibus carnalium tentationum, tanquam aridam habet terram tentationibus separatis, ut dicere possit: *Mente servio legi Dei*, etc. Rom. 7.

[‡]1.13 *Et factum est vespere et mane*. ISID. in Gen., tom. 5, col. 207 Mane tertii diei incipit ab Abraham, etc., usque ad Vespera in peccatis populi quibus divina mandata præteribant usque ad Saulis malitiam. ISID., ibid. Die tertia congregavit aquas inferiores et salsas, infideles scilicet, concupiscentiarum et tentationum fluctibus sese quatientes: et segregavit ab eis aridam, id est, fideles fontem fidei sitientes. Infideles vero cœrcuit, ne iniquitatis suæ fluctibus aridam, id est, animam sitientem Deum, conturbent, sed liceat ei germinare fructus bonorum operum, et diligere proximum, ut habeat in se semen secundum similitudinem suam; ut scilicet ex sua infirmitate compatiatur alii indigenti, et producat lignum forte fructiferum, id est, beneficium, eripiendo oppressum, et præbendo ei protectionis umbraculum.

[¶]1.14 *Dixit autem Deus: Fiant luminaria*, etc. AUG., de Gen. ad litt., lib. 2, c. 13, 14 Quia visibili mundo constituendo duo dies sunt attributi, supremæ scilicet et infimæ parti mundi: visibilibus, et mobilibus mundi partibus, quæ intra mundum creantur, tres reliqui deputati sunt, etc., usque ad inchoationem, seu principatum noctis, quod fit cum plena est. Et dividant diem. BEDA, in Hexæm. Ea scilicet divisione, ut sol diem, luna noctem illuminet. Hoc enim factis sideribus ad augmentum primariæ lucis accessit, ut etiam nox prodiret luminosa, lunæ vel stellarum splendore radiata, quæ hactenus tantum tenebras noverat. Et si enim nox tenebrosa videtur obscurato ære, qui terris proximus est, superiora tamen æris spatia semper siderum fulgore sunt lucida. AUG., lib. II de Gen. ad litt., c. 18 Solet quæri utrum hæc luminaria corpora sola sint, aut habeant rectores spiritus, et ab eis vitaliter inspirentur, sicut per animas animalium carnes animantur. Sed de tam obscura re nihil temere credendum. *Et sint in signa*, etc. BEDA, ibid. Quia priusquam sidera fierent, ordo temporum nullis notabatur indicibus, vel meridiana hora, vel quælibet alia. Sunt ergo luminaria *in signa*, etc.; non quod a conditione horum tempora cœperint, vel dies vel anni; sed quia per ortus eorum, vel transitus, temporum, dierum annorumque signatur ordo.

[§]1.15 *Ut luceant*, etc. BEDA, ibid. Semper luminaria in firmamento lucent, sed opportunis temporibus terram illuminant. Aliquoties enim nebulosus ær obsistit: ortus etiam sol majori lumine lunam stellasque ne terram illuminent, impedit. Unde sic vocatur, quia solus obtusa luna, stellisque cæteris, per diem fulgeat terris.

luminare majus, ut præset diei: et luminare minus, ut præset nocti: et stellas.**

¹⁷ Et posuit eas in firmamento cæli, ut lucerent super terram,†† ¹⁸ et præset diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum. ¹⁹ Et factum est vespere et mane, dies quartus.‡‡ ²⁰ Dixit etiam Deus: Producant aquæ rep-

** 1.16 *Fecit Deus duo luminaria.* BEDA, *ibid.* Luminaria magna possumus accipere, non tam aliorum comparatione quam per se; ut cælum dicitur magnum, et magnum mare. Sol enim magnus dicitur, quia complet orbem terræ suo calore: sicut luna suo lumine, quæ in quacunque parte cœli fuerint, totam terram illuminant, et a cunctis videntur. Magnitudinis eorum magnum est argumentum, quod omnibus hominibus idem orbis eorum videtur: nam si longe positus minor et prope major, exiguitatis indicium esset. *Luminare majus*, etc. BEDA, *ibid.* Solem, scilicet non solum corporis forma, sed luminis magnitudine, quia luminare minus et stellas illustrat. Major est etiam in calore, quia mundum calefacit, cum præteritis ante ejus creationem diebus nihil caloris habuisset. Quod autem æqualis uniusque magnitudinis luna cum sole cernitur, hinc esse aiunt quod multo longinquior a terris atque altior quam luna incedit, ideoque magnitudo ejus a nobis non posset dignosci. Omnia enim longius posita videntur breviora. *Et luminare minus*, etc. Et si lunam et stellas majores in die aliquando videri contingat, non tamen diei, sed nocti lucis solatium eas afferre constat. AUG., de Gen. ad litt. lib. 2, c. 15, tom. 3 Tunc enim in noctis exordio videtur luna, cum plena est, alias non: et per diem incipit videri ante plenitudinem, et in progressu noctis.

††1.17 *Ut lucerent*, etc. Hæc de magnis luminariis intelligi possunt et stellis; ut quod dictum est, *ut præset diei*, ad solem specialiter, quod subjunctum est, *et nocti*, ad lunam et stellas pertineat; quod vero additur, *dividerent lucem ac tenebras*, omnibus æque conveniat; quæ quocunque incedunt, lucem circumferunt; unde cum absunt, tenebrosa cuncta relinquunt. Si quærat quæ potuit esse lumen diurnum ante creationem siderum, respondemus quæ videmus solis ortu proximante, necdum apparente: quando scilicet lucet obtusis radiis stellarum dies, sed minime sol ortus refulget. ISID., in Gen., tom. 5, col. 207 Die quarta micuerunt luminaria in firmamento cœli, etc., usque ad quia post bona opera venit illuminatio, qua videtur species supernæ veritatis. AUG., de Gen. contra Manich., lib. 1, c. 24, tom. 3, col. 194 Quarto die, quo in illo firmamento disciplinæ mens spirituales intelligentias operatur atque distinguit, videt quæ sit incommutabilis veritas, quæ sicut sol fulgeat in anima; et quomodo anima ipsius particeps fiat, et corpori ordinem et pulchritudinem tribuat, tanquam luna illuminans noctem. Et quomodo stellæ omnes, id est intelligentiæ spirituales, in hujus vitæ obscuritate tanquam in nocte fulgeant.

‡‡1.19 *Et factum est vespere et mane*, etc. BEDA, in Hexæm., tom. 2, col. 13 In hac vespera populus Dei in Ægypto agnum obtulit, etc., usque ad spem atque fidem donaret. *Et factum est vespere*, etc. ISID., ubi supra. Mane quartæ diei regnum David. Hæc ætas similis est juventuti, quæ inter omnes regnat ætates, et firmum est omnium ætatum firmamentum: unde comparatur quarto diei, quo facta sunt sidera in firmamento cœli. Splendor siquidem solis regni figurat excellentiam, plebem obtemperantem regi lunæ splendor ostendit, tanquam Synagogam. Stellæ vero principes ejus sunt, et omnia fundata in regni stabilitate, tanquam in firmamento.

tile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cæli.^{¶1} 21 Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum.^{§§} 22 Benedixitque eis, dicens: Crescite, et multiplicamini, et re-

^{¶1}1.20 *Dixit etiam Deus*, etc. BEDA, ubi supra. Post ornatam quarto die cæli faciem luminaribus, ornantur suis animalibus die quinto inferiores mundi partes, aqua scilicet et ær. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile*, etc. AUG., lib. II de Gen. ad litt., ex c. 1, 2, 3, 4, 5 et 6, tom. 3 Oportebat in creandis habitatoribus inferioris partis, etc., usque ad Quod intelligendum non est nisi in aquarum naturam pinguioris æris qualitate conversos. *Animæ viventis*. AUG., ibid., c. 8 Id est, quæ sunt in animabus vivis, sicut dicitur: Ignobilia hominum, id est, qui sunt in hominibus ignobiles. Quod quidam propter tarditatem sensus putant dictum esse vel quia pisces nullius sint memoriæ; sed certissimum est eos habere memoriã. AUG., ubi supra, c. 3, 4 De conversione elementorum quæstio est. Alii dicunt omnia posse converti in omnia, etc., usque ad quod enim tactu aquas, ventosque sentimus; hinc est quod solida terra omnibus elementis miscetur, sed in his crassioribus sentitur amplius. *Sub firmamento*, etc. Etsi immenso interjacente spatio, volant tamen aves sub sidereo cælo, quæ super terram volant: sicut homines qui in terra sunt, sub cælo esse dicuntur. Alia translatio: *Secus firmamentum cæli*, quia vicina sunt ætheri spatia hujus æris qui aves subvehit. AUG., de Gen. ad litt., l. 3, c. 9, 10, tom. 3, col. 284 Notandum quosdam philosophos ita sua cuilibet elemento distribuisse animalia, etc., usque ad caliginosa tamen æris loca tenere tantum permissi sunt, qui eis quasi carcer sit usque ad tempus iudicii.

^{§§}1.21 *Creavitque Deus cete grandia*, etc. THEOD. q. 18 in Gen. Pueri tum terculamentis, tum loris etiam et virgis indigent: per illa ipsos terremus, per hæc autem erudimus: Cum igitur animadvertit et nos Deus ad ignaviam proclives, bestias condidit, veluti lora quædam et terriculamenta, ut per ea nos terrens ad se traheret, atque ejus auxilium implorarem. At sicut qui perfecti sunt terriculamenta hujusmodi, et lora contemnunt; sic qui in virtute educati sunt, bestiarum incursus non formidant. Siquidem Adæ, priusquam peccasset, assistebant bestiæ, obsequium profitentes. Et rursus ipsum Nœ ingredientem arcam, leo, pardus et bestiarum atrocissimæ quæque, ovium more, sequebantur. Et Danieli aderant leones, qui alioqui famelici, accedere tamen ad eum non audebant, eo quod in illo characteres divinam imaginem præferentes conspicerent. Itidem vipera, quæ dentes iniecerat in manum Apostoli, cum nihil peccato tenerum aut molle in eo reperisset, mox resiliit, et in ignem se coniecit, supplicium de seipsa quodammodo sumens, quod corpus sibi nullatenus conveniens adorta esset. Nos autem ideo bestias formidamus, quia virtutem negligimus. Præterea et ad alia bestiæ non sunt nobis inutiles: nam ex eis medici pharmaca non pauca componunt ad morbos pellendos: ne quis igitur bestias considerans de Creatore conqueratur, sed utilitatem investiget. *Et omnem animam*, etc. Ad differentiam hominis, qui faciendus ad imaginem Dei, et si præcepta servaret, perpetua immutabilitate maneret. Cætera vero animalia sic facta sunt, ut alia aliis in alimoniam cederent vel senio deficerent.

plete aquas maris: avesque multiplicentur super terram.*²³ Et factum est vespere et mane, dies quintus.†²⁴ Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Factumque

*1.22 *Benedixitque illis*, etc. AUG., lib. de Gen. imp., c. 15, tom. 3 Benedictionem ad fecunditatem valere voluit, quæ in successione prolis apparet, ut ea benedictione qua infirma et mortalia creata sunt, genus suum nascendo custodiant. CHRYSOST., hom. 7 in Gen., tom. 4, col. 66 Ipsa ergo benedictio est, in magno numero, et multitudine augeri, et multiplicari. Nam quia animatæ creaturæ erant animalia, volebantque perpetuo esse, ideo subdidit: *Crescite*. Verbum enim illud usque in præsentem diem illa conservat. *Crescite et multiplicamini*, etc. BEDA, in Hexæm. Ad utrumque genus animantium de aquis factorum, id est pisces et aves, pertinet. Quia sicut omnes pisces non nisi aquis vivere possunt, ita plurimæ aves; quæ si in terris aliquando requiescunt, fetusque faciunt, non tamen de terra, sed de mari vivunt, et libentius mari quam terra utuntur. Mystice. ISID. et AUG., ubi supra. Die quinta facta sunt in aquis reptilia animarum vivarum, id est, homines in vitam renovati per sacramentum baptismi. Facta sunt volatilia, id est, animæ volantes ad superna. Incipit provecta mens quinto die in actionibus turbulenti sæculi, tanquam in aquis maris operari, propter utilitatem fraternæ societatis, et de corporalibus agnitionibus quæ ad mare, id est hanc vitam, pertinent, producere animarum vivarum reptilia, id est opera quæ prosunt animis vivis; et cetos magnos, id est fortissimas agnitiones, quibus fluctus sæculi dirumpuntur et contemuntur; et volatilia cœli, id est, voces cœlestia prædicantes.

†1.23 *Et factum est vespere et mane*, etc. AUG., de Gen. contra Manich., lib. 2, c. 23, tom. 3 Mystice, mane transmigratio in Babyloniam, cum ea captivitate populus leviter in peregrino otio est collocatus, etc., usque ad quia sic excæcati sunt ut nec possent Christum cognoscere.

est ita.‡ 25 Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta, et omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum,¶ 26 et ait: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram: et præsit piscibus maris, et volatilibus cæli,

‡1.24 *Dixit quoque Deus: Producat terra,* etc. BEDA, in Hexæm., tom. 3, col. 13 Post cælum repletum sideribus et ærem volatilibus qui propter viciniam cælum nominatur, etc., usque ad nomine quadrupedum omnia comprehensa sunt præter bestias et reptilia, sive domita, sive fera et agrestia. *Producat terra,* etc. AUG., lib. III in Gen., c. 11, tom. 3 Consequens erat ut terram jam ornaret suis animalibus. Ter dicendo, juxta genus suum, etc., usque ad Et nomine pecorum et bestiarum omne irrationale animal solet comprehendî. *In genere suo.* AUG., ibid. c. 12, Hæc forsitan secundum genus dicuntur, quia ita orta ut ex eis nascantur alia, et originis formam successione conservent. De homine autem hoc dictum non est, quia unus fiebat, de quo et femina facta. Non enim multa genera hominum facta sunt, sicut herbarum et lignorum; ut dicatur, secundum genus suum, ac si diceretur generatim, ut inter similia, atque in unam originem seminis pertinentia distinguerentur a cæteris. AUG., ibid. c. 14 De quibusdam minutis animalibus quæstio est, etc., usque ad nisi quod potentialiter in ipsis, et materialiter erant præseminata. AUG., ibid. c. 15, 16 De venenosis et perniciosis quæritur, etc., usque ad quæ cuncta merito considerata laudantur. AUG., ibid., c. 17 Illud etiam movet, etc., usque ad sed piæ fortitudinis numeros ad omnia præparare non dubitent. THEOD., quæst. 18 in Gen. Ne bestias, velut ab his, prorsus illæsi, contemnamus, quasi nullarum sint virium. Nonnunquam permittit Deus duos aut tres e multis millibus vel a scorpionibus pungi, vel a serpentibus morderi; ut nos veriti ne quid simile patiamur, Deum creatorem in auxilium invocemus. AUG. in Gen., l. 3, c. 13 Quæritur quare hic non sit additum, quod dictum est de animalibus aquarum: *Benedixitque eis Deus dicens: Crescite et multiplicamini,* etc. Forte quod de prima creatura animæ viventis dictum erat, de secunda subintelligendum reliquit, maxime quia in hujus diei operibus alia plura dicturus. Herbas autem atque ligna quia non habent generandi affectum, hujus benedictionis forsitan indigna judicavit. Quod necessario repetitum est in homine, ne quis putet in officio gignendi filios esse peccatum, sicut in fornicatione sine conjugio.

¶1.25 *Et fecit Deus bestias terræ,* etc. BEDA in Hexæm. Ordinis est mutatio. Nec curandum in nostra loquela quid prius creaturarum ordine nominemus, cum Deus creaverit omnia simul. ISID., in Gen., tom. 5, col. 207 Sexta die producit terra animam vivam, quando caro nostra ab operibus mortuis abstinens, viva virtutum germina parit, secundum genus suum, id est, vitam imitando sanctorum. Unde I Cor. 4: *Imitatores mei estote,* etc. Secundum genus nostrum vivimus, quando sanctos quasi proximos imitamur. Producit terra bestias, id est, homines ferocitate superbientes. Et pecora, id est, simpliciter viventes. Et serpentes, astutos scilicet et bonum a malo discernentes, et quasi reptando scrutantes terrena, per quæ intelligant cœlestia.

et bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.^{§ 27} Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos.^{** 28} Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cæli, et universis animantibus, quæ moventur super terram.^{†† 29} Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam:^{‡‡ 30} et cunctis animantibus terræ, omnique volucris cæli, et universis quæ moventur in terra, et in quibus est

§1.26 **Faciamus hominem.** AUG., ibid., c. 19 Insinuatur pluralitas personarum Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et statim unitas deitatis, cum dicitur: **Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei**, non Pater ad imaginem tantum Filii. Non enim vere diceretur ad imaginem nostram; sed ita dictum est: **Fecit Deus hominem ad imaginem Dei**, ac si diceretur **ad imaginem suam**. Cum autem dicitur **ad imaginem Dei**, cum superius dictum sit, **ad imaginem nostram**, significatur quod non agit pluralitas personarum, ut plures deos credamus, sed ut Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unum Deum accipiamus. **Faciamus hominem.** BEDA, in Hexæm. Apparet quare dictum sit ut cætera fierent, etc., usque ad sed ut veram post mortem se carnem recepisse monstraret. **Et præsit**, etc. AUG., lib. III de Gen. c. 20 Notandum etiam quia cum dixisset **ad imaginem nostram**, continuo subjunxit: **Et præsit piscibus maris et volatilibus cæli**. Ut scilicet intelligamus in hoc factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationabilibus antecellit. Id autem est ratio, vel mens, vel intelligentia, vel si alio nomine commodius vocetur, in quo scilicet contemplandæ veritati inhæret.

1.27 **Et creavit Deus hominem ad imaginem, etc. BEDA, in Gen., c. 1 Qui non quemlibet sanctorum imitando, sed ipsam veritatem intuendo, operatur justitiam, ut ipsam veritatem intelligat et sequatur: hic accepit potestatem super omnia, quia spiritualis quisque effectus, et Deo similis, omnia judicat, et ipse a nemine judicatur. **Et creavit Deus**, etc. AUG., ubi supra, cap. 20, 21, 22 Notandum quod sicut in creanda luce dicitur: **Fiat lux**, et statim sequitur, **et facta est lux**; sic cum dicitur: **Faciamus hominem**, infertur, **et fecit Deus hominem ad imaginem Dei**: quia ista natura intellectualis est, sicut illa lux: et hoc est ei fieri, quod agnoscere Verbum, per quod fit. etc., usque ad sed materialiter præseminata. **Masculum et feminam creavit eos**, etc. BEDA, in Hexæm. Postea plenius et unde et quomodo homines facti sunt exponitur, etc., usque ad etsi virginitas præferatur. BEDA, ISID., ut supra. Post hæc **fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam**, virum scilicet perfectum, etc., usque ad unde Paulus: **Seminavimus spiritualia vobis, magnum est si carnalia vestra metamus I Cor. 9.**

††1.28 **Et dominamini piscibus**, etc. Quod prius quasi consulendo dixerat de eis, nunc dicit imperans, ut habet scilicet dominium omnium creaturarum in inferiore parte mundi. Quod per singula exsequitur. **Et dominamini piscibus maris.** BEDA, in Hexæm. Quæritur qua utilitate homo dominatum inter cætera animantia percepit, etc., usque ad et rictus bestiarum et serpentum venenum cessisse.

‡‡1.29 **Dixitque Deus: Ecce dedi**, etc. BED., ibid. Patet quod ante peccatum hominis terra nihil noxium protulit, non herbam venenatam, non arborem sterilem. Omnis enim herba et ligna data sunt hominibus, et volatilibus, et animantibus terræ in escam. Unde patet quod tunc animalia animalium esu non vivebant, sed concorditer herbis et fructibus vescebantur.

anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita.[¶] 31 Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Et factum est vespere et mane, dies sextus.^{§§}

2 Igitur perfecti sunt cæli et terra, et omnis ornatus eorum.* 2 Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: et requievit die septimo ab universo opere

[¶]1.30 *Et factum est ita.* AUG., de Gen. ad lit. lib. 3, c. 13 Notandum quod ubi datur potestas homini herbas et fructus edendi, subinfertur, *et factum est ita:* in quo significatur quod hoc dicente Deo, hæc sibi in esum concessa cognovit homo, non quod statim ederit. Si enim ad omnia supradicta referimus quod ait *et factum est ita*, consequens erit ut dicamus eos jam multiplicatos sexta die, quod post multos factum est annos.

^{§§}1.31 *Viditque Deus,* etc. AUG., ibid. Quæritur, cum singillatim cætera bona dicantur, cur homo ad imaginem Dei factus cum cæteris hoc dicatur? Sed forte præsciebat Deus eum peccaturum, nec in perfectione imaginis mansurum. Qui enim singillatim bonus est, magis cum omnibus, sed non convertitur. Cautum est ergo ut diceretur, quod in præsentem verum esset, et præscientiam futuri significaret. Deus autem omnia ordinavit, ut si qua singillatim fuerint delinquendo deformia, semper tamen cum eis universitas sit formosa. *Et factum est vespere et mane,* etc. ISID., in Gen., tom. 5, col. 207 Mane sexti diei fit prædicatio Evangelii per Christum, etc., usque ad qui vesperam non habet. Moraliter. AUG., de Gen. contra Manich., lib. I in fine. Sexto die producit terra animam vivam, id est, homo de stabilitate suæ mentis, ubi habet fructus spirituales, id est, bonas cogitationes; omnes motus animi sui regit, ut sit in illo anima viva, id est, rationi et justitiæ serviens, non terrenitati et peccato. Ita fit homo ad imaginem et similitudinem Dei, masculus et femina; id est, intellectus et actio: quorum copulatione spiritualis fetus terram impleat, id est, carnem subjiciat, et cætera quæ jam in hominis perfectione dicta sunt. In istis namque diebus vespera est ipsa perfectio singulorum operum, et mane inchoatio sequentium.

*2.1 *Igitur perfecti sunt cæli et terra,* etc. ALCUIN., in Gen. tom. 1, col. 517 Nullo modo dici potest quomodo fecit Deus cælum et terram. Sed hæc expositio per ordinem dierum indicat tanquam historiam factarum rerum, sed maxime observat prædicationem futurorum, etc., usque ad quem Dominus utiliter latere monstravit. *Igitur perfecti sunt cæli, et terra, et omnis ornatus eorum.* AUG., de Gen. contra Manich., lib. 1, c. ult. Allegorice. Post illorum quasi sex dierum opera valde bona speret homo requiem perpetuam, et intelligat quid sit, et requievit Deus die septimo ab operibus suis: quia et ipse in nobis hæc bona operatur, qui jubet ut operemur. Et recte quiescere dicitur: quia post hæc omnia opera requiem nobis præstabit, quomodo paterfamilias domum ædificat, cum servientibus facere imperat; et post ab operibus requiescere, cum, perfecta fabrica, jubet quiescere. AUG., ibid. Habet unusquisque nostrum in suis operibus et recta vita tanquam distinctos istos sex dies, post quos debeat quietem sperare: primo die lucem fidei, quando primum visibilibus credit, propter quam fidem Dominus visibiliter apparere dignatus est. Secundo die factum est tanquam firmamentum disciplinæ, quod discernit inter carnalia et spiritalia opera, sicut firmamentum inter inferiores aquas et superiores. Tertio die quo mentem suam ad proferendos bonorum operum fructus præparat, et erigit, separata labe et fluctibus tentationum carnalium, tanquam aridam habet mentem a perturbationibus maris, ut jam possit dicere: *Mente servio legi Dei,* etc. Rom. 7.

quod patrarat.[†] ³ Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso ces-

[†]2.2 **Complevitque Deus,** etc. BEDA, in Hexæm. Alia translatio: **Consummavit Deus die sexto opera quæ fecit,** quæ nihil quæstionis affert, quia manifesta sunt quæ in eo facta sunt, etc., usque ad aliquid enim operis fecit Salomon cum templum dedicavit. HIER., Quæst. Hebr. in Gen., tom. 3, col. 935 In Hebræo habetur **die septima.** Arctabimus ergo Judæos, qui de otio sabbati gloriantur, quia jam tunc in principio sabbatum solutum est, dum Deus operatur in sabbato, complens opera sua in eo. **Complevitque Deus,** etc. AUG., lib. IV de Gen. ad litt., c. 4, tom. 3 Quæritur utrum, etc., usque ad secundum eum perfecta non fierent. **Et requievit Deus,** etc. BEDA, in Hexæm. Non quasi operando lassus, sed ab universo opere quievit, quia novam creaturam facere cessavit. Requiescere enim cessare dicitur, ut in Apocalypsis 4: **Requiem non habebant, dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus,** id est, dicere non cessabant. BEDA, ibid. Altius quoque intelligitur requievisse ab universo opere suo, etc., usque ad sed creaturis rationalibus in se requiem dedit. **Et requievit Deus,** etc. AUG., ubi supra, c. 8 Non laboravit Deus in operando qui solo verbo fecit, dicendo: **Fiat.** Nec homo dicendo, **Fiat,** laborat. Sed forte dicitur laborasse cogitando quid fieret. A qua cura, perfectis rebus, quievisse dicitur. Sed hoc sapere desipere est. Deum ergo requievisse, est creaturæ rationali in se requiem præstitisse; ut illic scilicet desiderio feramur, quo requiescamus, id est nihil amplius requiramus. Sicut enim facere dicitur, quod ipso in nobis operante facimus, et cognoscere cum cognoscimus, sic requiescere, cum ejus munere requiescimus. Ibid., c. 11 Non est mirum si diem quo Christus erat in sepulcro quieturus hoc modo prænuntians dixit: **Die septimo requievit,** deinceps operaturus ordines sæculorum. Ibid., c. 12 Potest autem intelligi Deum requievisse a faciendis generibus creaturæ, etc., usque ad et gubernare non cesset. Ibid., c. 14 Deus autem nec creando defessus, nec cessando refectus est: sed per Scripturam suam ad quietis desiderium nos hortatur, dicendo se diem sanctificasse in quo requievit. Cæteros enim dies operis sui non legitur sanctificasse, tanquam apud ipsum plus quies quam operatio valeat. Ibid., c. 15 Vitium quoque animæ est ita suis operibus delectari, etc., usque ad ea requie a qua nunquam recessit. Ibid. Si autem diceretur requievisse a faciendis, etc., usque ad sed ipso benedicti sumus. Ibid. In se autem requievit Deus semper: in diebus vero quibus rerum consummatio narratur, in septimo tantum requievit, qui rerum sequitur perfectionem; a perfectis enim requiescit, qui perfectis non eget ut beator sit. Ibid., c. 17 Opera ejus videmus bona: quietem vero ejus post bona opera nostra videbimus. Ob quam significandam, unam diem sabbati præcepit observari: quod in tempore gratiæ sublatam est, in qua perpetuum observat sabbatum, qui spe futuri omnia bona operatur, nec in bonis operibus suis, quasi non acceperit, gloriatur. Ibid., c. 18 Apud illum quieti ejus nec mane nec vespera est, quia nec aperitur initio, nec clauditur fine. In perfectis autem operibus mane habet, et non vesperam; quia perfecta creatura incipit converti ad quietem Creatoris, sed illa non habet finem suæ perfectionis, et sic requies Dei non ipsi Deo, sed rerum perfectioni inchoatur, et habet in eo mane quod ab ipso perficitur: sed in suo genere tanquam vespera terminatur, quod in Deo vesperam non habet, quia nihil erit perfectius ipsa perfectione. Ibid. In illis autem diebus, etc., usque ad qui conditi ante luminaria memorantur. Ibid., c. 20 Quæritur quomodo dicatur in septimo, etc., usque ad nisi illa quæ prius condita et dies vocata. Ibid., c. 21 Sed quomodo circumire poterat lux, etc., usque ad et reliqua. Ibid. Sed facilius est ut nos ignorare fateamur, etc., usque ad falsumque erit eum sexta die consummasse omnia opera sua. Ibid., c. 22 Sed quoniam lux corporalis, etc., usque ad et illa qua creatura in seipsa noscitur recte vespera dicitur. Ibid., c. 25 Quia vero angeli creaturam in seipsa sic sciunt, etc., usque ad Ideo septima die nulla vespera accessit. Ibid., c. 28 Nec putet quis, etc., usque ad et verius mane? Ibid., c. 35 Dies ergo ille primus, etc., usque ad et sanctificari ob hoc meruit. BEDA, in Hexæm., tom. 2, col. 13 Allegorice. Unde dicitur Exod. 20: **Memento ut diem sabbati sanctifices.** Hæc autem benedictio et sanctificatio majorem benedictionem et sanctificationem significat, etc., usque ad Ideo hæc dies vesperam habere non scribitur.

saverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret. ⁴Istæ sunt generationes cæli et terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum et terram,[‡] ⁵et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terram:[¶] ⁶sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ.[§] ⁷Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in

[‡]2.4 *Istæ sunt generationes.* RAB. Eos tangit qui mundum sine initio dicunt semper fuisse, vel qui a Deo factum putant, sed ex materia quam non fecerit, sed coæterna ei. *In die quo fecit,* etc. Diem ponit pro omni tempore, quo primordialis creatura formata est, etc., usque ad sine pluvia et opere humano. *Istæ sunt generationes cæli,* etc. ISID., in Gen., t. 5 Numerati sunt sex dies quibus universitas sæculi a capite usque ad finem, etc., usque ad si non peccasset. *Antequam oriretur in terra.* Id est, priusquam peccaret, id est terrenis cupiditatibus se subderet. Unde sequitur: *Non enim pluerat Deus super terram,* hoc est, nondum propheticis vel evangelicis nubibus, imbre verbi emisso, animam vivere fecerat, et *homo non erat qui operaretur terram,* quia post peccatum homo laborare cœpit in terra, necessarias habuit nubes illas, unde virgultum, id est anima virebat. Irrigabat eam fons vitæ, id est, inundatio veritatis, loquens in intellectu ejus, ut pluvia de nubibus non egeret antequam peccaret. Hic erat status hominis ante peccatum. AUG., l. 5, de Genes. ad lit., c. 1, tom. 3 Alia translatio habet: *Hic est liber creaturæ cæli et terræ,* etc., usque ad magnos veritate, parvulos nutrit affabilitate. AUG., ibid., l. 6, c. 10 In prima mundi conditione, etc., usque ad semen ex herba.

[¶]2.5 *Et omne virgultum,* etc. AUG., ibid., l. 5, c. 4 Intelligitur terra causaliter produxisse herbam et lignum, id est producendi virtutem accepisse. In ea enim tanquam in radicibus facta erant quæ per tempora futura erant. Fecit ergo antequam essent super terram secundum formabilitatem materiæ, quæ formanda erant verbo ejus, præcedens formationem non tempore sed origine. *Non enim pluerat Dominus,* etc. AUG., ibid., c. 5 Quasi non fecit Deus sic tunc sicut nunc, etc., usque ad nec creatura moveri posset.

[§]2.6 *Sed fons,* etc. RAB. Hujus fontis qualiscunque irrigatione jam terra herbis et lignis vestita supervenit. Fons unus ascendisse dicitur pro aliqua in terræ finibus unitate; vel singularis positus est pro plurali. *Sed fons,* etc. BEDA, in Gen., c. 2 Hic intimare videtur quæ fiant secundum temporum intervalla, etc., usque ad post per hæc quæ nota sunt utcunque noscenda.

faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. **⁸ Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat. ††⁹ Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et

**2.7 *Formavit*, etc. AUG. Mystice. Latior de homine figurate explicatur narratio, etc., usque ad ut nec contemnat quod est, nec arroget quod non est. *Formavit igitur Dominus Deus hominem*, etc. AUG., de Gen. lib. 3, cap. 20 et 25 Prius de limo terræ formatum est corpus animale, etc., usque ad habet enim necessitatem moriendi. Ibid. c. 27 Stola prima aut justitia est, de qua lapsus est: vel si corporalem immortalitatem signat, hanc amisit, cum peccando ad eam pervenire non potuit. Sic ergo Adam corpus animale habuit, non modo ante paradisum, sed et in paradiso quamvis in interiori homine fuit spirituale quod amisit peccando, et meruit corporis mortem, qui non peccando mereretur in corpus spirituale mutationem. *Formavit*, etc. AUG., l. VI de Gen. ad litt., c. 1, tom. 3 Videndum est utrum recapitulatio sit, ut dicatur quomodo homo factus sit, quem sexta die factum legimus. An tunc cum fecit omnia simul, et hominem in his fecit, ut accessu temporis etiam hoc modo fieret, quo in hac perspicua forma vitam gerit? sicut fenum factum antequam exoriretur, accedente tempore, et fontis irrigatione, exortum est, ut super terram esset. AUG., ibid. c. 2, 3 Secundum recapitulationem prius videamus, etc., usque ad tunc autem invisibiliter, potentialiter et causaliter quomodo fiunt futura, non facta. *Formavit*, etc. BEDA, in Hexæm. Factura hominis, etc., usque ad in qua viveret, creavit. AUG., de Gen. ad litt., l. 6, c. 13 et 17 Quæritur utrum Deus repente hominem in ætate virili fecerit, etc., usque ad et ideo necessario futurum erat. Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. AUG., ibid., l. 7, c. 3, 5, 7 Sine dubitatione, *flavit, vel sufflavit*, dicendum est, etc., usque ad poenam si contemneret? Ibid., c. 26 Dicendum est, etc., usque ad dubitare fas non est. Ibid., c. 27 Quæri solet utrum, si nolit incorporari, compellatur, etc., usque ad fecit eos. Ibid., l. 6, c. 7 Sed forte animæ sexta die factæ, ubi imago Dei relucet, etc., usque ad quæ præponenda est in hujusmodi. IRENÆUS. Aliud est habitus vitæ qui animalem efficit hominem, aliud Spiritus vivificans, qui spirituales hominem operatur. Unde Isaias: Qui dedit flatum populis super terram, et spiritum calcantibus eam; ut Deus flatum quidem omni populo qui est super terram dederit; spiritum vero his tantum qui terrena desideria calcant: ut flatus ad tempus sit, spiritus vero æternus, ut pote qui proprie Dei donum sit.

††2.8 *Plantaverat autem*, etc. BEDA, in Hexæm., tom. 3 Ab illo principio plantavit paradisum, etc., usque ad et quia de ligno vitæ et scientiæ boni et mali erat specialiter dicturus. *Plantavit Dominus paradisum in Eden ad Orientem*, etc. AUG., de Gen. ad litt., lib. 8, c. 1 Tres generales sententiæ de paradiso sunt. Una eorum qui corporaliter tantum intelligi volunt, alia eorum qui spiritualiter tantum, tertia vero eorum qui utroque modo paradisum accipiunt. Tertiam mihi placere fateor: ut homo factus ex limo, quod corpus humanum est, in paradiso corporali locatus intelligatur. Adam, etsi aliud significat, quia est forma futuri, in natura propria homo accipitur. Ibid. *Plantavit autem Dominus paradisum in Eden*. Id est in deliciis. Deinde hoc recapitulat ut ostendat quomodo paradisum Deus plantavit. *Et ejecit Deus de terra omne lignum*, etc. Jam enim tunc produxerat terra omne lignum, die scilicet tertio. Sed cum ex his generibus sint ligna instituta in paradiso, produxit in manifesto, et in tempore suo, quæ jam causaliter tertio die terra produxerat. STRAB. Quidam codices habent: *Eden ad Ortum*. Ex quo possumus conjicere paradisum in Oriente situm. Ubiunque autem sit, scimus eum terrenum esse, et interjecto Oceano, et montibus oppositis, remotissimum a nostro orbe, in alto situm, pertingentem usque ad lunarem circulum; unde aquæ diluvii illuc minime pervenerunt. *In quo posuit*. AUG., ubi supra, cap. 5 Si quis putat animas corpore exutas locis corporalibus contineri, etc., usque ad cujus una collyride Deus hominem a fame quadraginta diebus liberavit.

ad vescendum suave lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali.‡¹⁰ Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradysum, qui inde dividitur in quatuor capita.¶¹¹ Nomen uni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum: ¹² et aurum terræ illius optimum est; ibi invenitur bdellium, et lapis onychinus. ¹³ Et nomen fluvii secundi Gehon; ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ. ¹⁴ Nomen vero fluminis tertii, Tigris: ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates. ¹⁵ Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret il-

‡2.9 *Produxitque Dominus lignum etiam vitæ.* AUG., Ibid., c. 4 De sapientia dicitur: *Lignum vitæ his est qui apprehenderint eam.* Sed est Hierusalem æterna in coelis, etc., usque ad quæ res suis temporibus gestas narravit. *Lignum etiam vitæ*, etc. BEDA, in Hexæm., tom. 3, col. 13 In altero hominis signum obedientiæ quam debebat: in altero sacramentum vitæ æternæ, quam obediendo mereretur. Lignum vitæ dictum, quia divinitus accepit, ut qui ex eo manducaret, corpus ejus stabili sanitate firmaretur, nec ulla infirmitate vel ætate in deterius vel in occasum laberetur. STRAB. *Historice.* Lignum vitæ hanc naturaliter virtutem habebat, ut qui ex ejus fructu comederet, perpetua soliditate vestiretur, nulla infirmitate, vel anxietate, vel senii lassitudine, vel imbecillitate fatigandus. *Lignumque scientiæ boni et mali.* AUG. ubi supra, c. 6 Erat corporale sicut aliæ arbores, nec cibo noxium, etc., usque ad quæ transgressionem secuta est. *Lignum scientiæ boni et mali.* AUG., lib. II de Gen. contra Manich., c. 10 Animæ medietas et ordinata integritas signatur, quod in medio paradisi plantatum, et scientiæ boni et mali dictum: quia anima, quæ debet in Deum extendi, si Deo deserto ad se conversa fuerit, et potentia sua sine Deo frui voluerit, pœna sequente experiendo discit quid sit inter bonum quod deseruit, et malum quo cecidit: et hoc erit ei gustasse de ligno scientiæ boni et mali.

¶2.10 *Et fluvius egrediebatur.* BED., ubi supra. Ad irrigandum paradysum, etc., usque ad et paulo post emergentia solitum agere cursum. AUG., ubi supra, c. 7 Alia translatio: *Fons exiit de Eden, qui irrigat paradysum,* etc. Hæc flumina gentibus, etc., usque ad ligna scilicet pulchra et fructuosa. ISID., AUG. Mystice. Fluvius de paradiso egrediens, affluentia est æternæ jucunditatis, etc., usque ad adversa tolerando. GREG. *Moraliter.* Quatuor fluminibus de paradiso egredientibus terra irrigatur. Solidum rationis nostræ ædificium, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia, continent: quia his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. Quatuor flumina paradysum irrigant, quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur. *Evilath.* Regio Indiæ quæ post diluvium possessa est ab Evila filio Jectan, filii Heber, patriarchæ Hebræorum. Evilath interpretatur *parturiens*, quia aliquis loquens veritatem, magis parturit quam pariat. Plinius dicit regiones Indiæ præ cæteris, venis aureis abundare. *Bdellium.* Secundum Plinium arbor est aromatica magnitudine oleagina, cujus lacryma lucida, gustu amara, boni odoris, sed odoratior infusione vini. *Onyx.* Est lapis pretiosus, sic dicitur quia permistum habet candorem ad humani similitudinem unguis, quia unguis Græce dicitur. Antiqua translatio habet *carbunculum et prasium.* Carbunculus est ignei coloris, et dicitur illustrare tenebras noctis. Prasium est viridis, unde Græce a porro, quod dicitur, nomen accepit.

lum:§§ 16 præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradisi comede;* 17 de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.† 18 Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: fa-

§§2.15 *Tulit ergo Dominus Deus*, etc. AUG., ubi supra, c. 8 Hominem in paradiso positum jam dixit. Nunc recapitulat ad quid positus est, *ut operaretur*, etc. Non est enim credibile quod Deus eum ante peccatum ad laborem damnaverit, etc., usque ad unde Eccli. 10: *initium enim superbiæ hominis est apostatare a Deo. Tulit ergo Dominus Deus hominem*, etc. GREG., lib. XIX Moral., cap. 17, tom. 1 Pensandum est quia bona prodesse nequeunt, si mala non caventur quæ subrepunt, etc., usque ad sed sub ipsis superbiendo succumbunt. *Et sumpsit Dominus Deus*, etc. HIERON. Quæst. Hebr. in Gen., tom. 3 Pro *voluptate* in Hebræo habetur *Eden*. Ipsi ergo LXX nunc *Eden* interpretati sunt, nunc *voluptatem*. Symmachus vero, qui paradysum florentem ante transtulerat, hic *amœnitatem*, vel *delicias* posuit. *Et posuit eum*, etc. ISID. Mystice. Ex eo quod additum est, et custodiret, innuitur qualis operatio esset: quia in tranquillitate beatæ vitæ, ubi mors non est, omnis operatio est custodire quod tenes. Datum est enim præceptum, ut de omni ligno paradisi sumerent, sed non de ligno scientiæ boni et mali: id est non sic eo fruerentur, ut integritatem naturæ suæ usurpando vetitum violarent.

*2.16 *Præcipitque ei*, etc. AUG., ubi supra, c. 13 A ligno prohibitus est, etc., usque ad quid sit inter bonum obedientiæ et malum inobediendiæ. AUG., ubi supra, c. 17 Quæritur si viro soli, vel etiam feminæ, etc., usque ad *domi viros suos interro-gent*. PROCOP. in Gen. Dicunt aliqui: Si immortalitate nos amicare voluit, quid opus erat præcepto, propter quod peccaturi eramus et deinde iudicii ejus sentire severos aculeos? Respondeo: Cum sit benignus et mansuetus, et vellet in incorruptibilem et immortalem conditionem asserere humanum genus: ne suæ vel propriæ virtuti beneficium id accepto ferrent, in hunc modum egit, voluit ut gratias ei haberent, his etiam destinavit præsentem vitam, ut palæstram et quasi doctrinam futuræ vitæ. Deinde inferens mortem ob peccatum, voluit ut agnosceremus nostram infirmitatem, et deinde nos ipsi magis appeteremus futurum donum. *Præcepitque ei dicens: Ex omni*, etc. AUG. de Gen. ad litt., l. 8, 28, tom. 3 Si quæritur quomodo ista locutus sit, non proprie a nobis potest comprehendi. Certum est enim aut per suam substantiam loqui, etc., usque ad sed per subditam sibi creaturam. Quæritur quomodo loqui potuerunt, vel loquentem intelligere, qui non didicerant inter loquentes crescendo, vel magisterio? Sed eos Deus tales fecerat qui possent loqui, et discere ab aliis si essent. AUG., ubi supra, c. 14 De Christo dicitur, Isa. 7: *Priusquam sciat puer bonum aut malum, contemnet malitiam, ut eligat bonum*. Quomodo quod nescit aut contemnit, aut eligit? etc., usque ad quod amittere non debebat.

†2.17 *De ligno autem*, etc. AUG., ubi supra, c. 15 Lignum ex eo, etc., usque ad id est, quod amabant non amissuri. SEVERIANUS. Tres arborum differentiæ erant in paradiso. Una quidem data illi erat ut viveret, altera ut bene viveret, tertia ut semper viveret. *In quocumque enim die*, etc. Non ait, Si comederis, mortalis eris, sed *morte morieris*. Mortuus est enim homo in anima cum peccavit, quia recessit ab illo Deus, qui est vita animæ: quam secuta est mors corporis, discedente ab illo anima, quæ est vita corporis; quæ Adæ evenit, cum præsentem vitam finivit. Potest ita intelligi quod quando peccaverunt, statim morte illa puniti sunt, de qua dicitur Rom. septimo: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* et ibidem octavo: *Corpus mortuum est propter peccatum*; non ait mortale, sed *mortuum*, quamvis mortale, quia moriturum. Non credendum est ante peccatum ita fuisse illa corpora, sed animalia nondum spiritualia, non tamen mortua, quæ scilicet necesse esset mori, quod in die prævaricationis factum est. *Morte morieris*. Duplex mors significatur: animæ, Domino discedente, qui est ejus vita; vel corporis, quam in fine vitæ accepit. Sed statim necessitatem moriendi incurrit.

ciamus ei adiutorium simile sibi.[‡] 19 Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.[¶] 20 Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia cæli, et omnes bestias terræ: Adæ vero non inveniebatur adiutor similis ejus.[§] 21 Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea.^{**} 22 Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: et adduxit eam ad Adam.^{††} 23 Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. 24 Quam ob rem relinquet homo patrem suum, et matrem, et ad-

[‡]2.18 *Dixit quoque Dominus*, etc. AUG., l. IX de Gen., c. 8 Qui sentiunt ad gignendos filios in paradiso misceri non licere, etc., usque ad anima ex anima, sive alio modo fiat anima.

[¶]2.19 *Adduxit ea*, etc. AUG., l. IX de Gen. ad litt., c. 14, tom. 3 Non sicut venatores, vel aucupes; nec jussionis vox de nube facta est, quam rationales animæ intelligere solent; hanc enim naturaliter non intelligunt bestiæ, vel aves, etc., usque ad terra esse creata intelliguntur. HIERON. Videtur primam linguam humano generi fuisse Hebræam, quia nomina quæ usque ad divisionem linguarum in Genesi legimus, constat esse illius.

[§]2.20 *Appellavitque*, etc. AUG. Mystice. Significans gentes quæ salvæ fierent in Ecclesia per Christum, nomen Christi accepturas, quod prius non habebant; unde, Isa. LXV: *Vocabo servos meos nomine alio. Adæ vero non inveniebatur*, etc. AUG., lib. IX de Gen. ad litt., cap. 15 et seq. Videndum est quomodo facta sit mulieris formatio, quæ mystice dicitur ædificatio, etc., usque ad ut intelligamus per illam extasim Adam divinitus hæc dixisse. *Adæ vero non inveniebatur adiutor*. Nullus fidelis justus Christo æquari potest. Psalm. 44: *Speciosus enim forma præ filiis hominum*. Nemo enim poterat genus humanum liberare nisi ipse. Unde Apocalypsis 5: *Nemo inventus est dignus aperire librum et solvere signacula ejus*, etc. *Adæ vero non inveniebatur*, etc. AUG., de Gen. contra Manich., l. 2, c. 13 Facta est mulier in adiutorium viri, etc., usque ad et dominio rationis cooperante gratia subjugare.

^{**}2.21 *Immisit ergo Dominus*, etc. ISID. ex Aug., ut supra, c. 13, 14 Mystice. Non possunt hæc corporeis oculis videri. Sed quanto quis a visibilibus ad secreta intelligentiæ quasi obdormiendo secesserit, melius et sincerius videt, etc., usque ad et Ecclesiæ referenda. AUG., lib. X de Gen. ad litt., c. 1 Qui putant animam ex anima, etc., usque ad quam de viro fuerat dictum. AUG., ibid., c. 19, 20 Si quærat unde accepit animam Christus, mallet audire meliores et doctiores; etc., usque ad quibus quid responderi possit, nondum mihi occurrit. *Immisit ergo Dominus soporem*, etc. GREG., Moral., l. 30, tom. 2 Culmen contemplationis non attingimus, si non ab exterioris curæ oppressionem cessemus: nec nos ipsos intuemur, ut sciamus in nobis aliud esse rationale quod regit, aliud animale quod regitur, nisi ad secretum silentii recurrentes, ab exteriori perturbatione sopiamur. Quod bene Adam dormiens figuravit, de cujus mox latere mulier processit. Qui enim ad interiora intelligenda rapitur, a rebus visibilibus oculis claudit, et tunc intelligit in seipso aliud esse quod regere debeat, tanquam vir; aliud quod regatur, tanquam femina.

^{††}2.22 *Et ædificavit Quamobrem relinquet*, etc. ISID., in Gen., t. 5 Quod per historiam completum est in Adam, etc., usque ad Serpens enim hæreticorum venena præsignat.

hærebit uxori suæ: et erunt duo in carne una. ²⁵ Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus: et non erubescabant.‡‡

3 Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de

‡‡2.25 *Erat autem uterque nudus.* AUG. Si Dei verbis vel cujuslibet prophetæ aliquid dicitur, quod ad litteram absurdum videtur et ideo figurate dictum, ob significationem tamen dictum esse non est dubitandum. Corpora vero duorum hominum in paradiso nuda erant, nec erubescabant, quia nullam legem in membris senserant legi mentis repugnantem, quæ inobedientiam secuta est. Nihil putabant velandum, quia nihil senserant refrenandum. AUG., de Civ. Dei, l. 14, c. 17, tom. 7, col. 425 Merito libidinis maxime pudet, etc., usque ad reddiditque confusos. RUPERT. Non erat hoc ignominia, sed honoris, quod nudi erant: non erat insipientia, sed securitatis, quod nuditatem suam non erubescabant. Quid enim? nunquid hoc a factore suo accepit, quod confusibilis et verenda est factura Dei? Aut nunquid confusionem hujusmodi natura, et non potius conscientia facit? Est quidem quasi in naturam versus hoc tormentum confusionis: verumtamen non ex conditione primæva, sed ex juniore culpa origo ejus pullulavit. Etenim idcirco nuditatem nostram erubescimus, quia conscii nobis sumus quantam infirmitatem, imo quantam adversum nos rebellionem carnis nostræ portamus. At vero tunc sana erat cordis conscientia, quippe quam nulla sollicitabat oculorum concupiscentia; siquidem concupiscentia carnis pœna est peccati, qua præcedens punitur superbia mentis. Deus, inquit Scriptura, fecit hominem rectum. Rectitudo autem hominis in eo est ut carni spiritus, ut pote inferiori superior, præsit et imperet: medius namque inter Deum et carnem suam rationalis spiritus hominis positus est, ut Deo pareret et carni imperaret. Quem ordinem quia prior ille turbavit et rupit, abjiciendo præceptum Dei: subditus est, qui erat superior, spiritus infimæ carni, ut justa pœna inferiori subiaceat, qui superiori recte subesse contempsit. Hinc illa confusio faciei de conscientia secretis ad publicos oculos prorumpens, et sub misera velamentorum solatia pœnalem ignominiam ire compellens. Hæc, inquam, infirmitas vel rebellio carnis nondum erat: bene igitur nudus erat uterque et non erubescabant, quia quod erubescerent non habebant. Illa nuditatis securitate perdita, nos ingemiscimus, eo quod gloria et honore spoliati et panniculis obvoluti simus. Nam ita vestiti vere incedimus nudi, etiamsi, quod impossibile est, sic vestiamur sicut vestiuntur lilia agri. Etenim nec Salomon in omni gloria sua vestitus est sicut unum ex his. Si, inquam, vestiri possimus sicut hæc vestiuntur, sic quoque spoliati et nudi sumus. Unde Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Nunquid enim quando fulgebunt justi sicut sol in regno Patris sui, tunicis operientur et palliis? Non utique, sed ad gloriam factoris sui, quæcunque illis fuerint vasa misericordiae, mutuis cum gloriæ aspectibus patebunt, foris fulgidi, et intus jucundi; corpore integri, et animo læti; corpore, inquam, simul et anima beati. *Erat autem uterque nudus,* etc. ISID., in Gen., ex Aug. de Gen. contra Manich., lib. 2, c. 15 Quod nudi erant et erubescabant, etc., usque ad quia in consensu rea tenetur conscientia.

omni ligno paradisi?^{¶¶} ²Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur: ³de fructu vero ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. ⁴Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. ⁵Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.^{§§} ⁶Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, et comedit: deditque

^{¶¶}3.1 *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus*, etc. AUG., lib. II de Gen. ad litt. c. 2, 3, tom. 3 Alii, *prudentissimus*, translative dictum. Quidam codices habent *sapientissimus*, non proprie, sicut in bono solet accipi sapientia Dei, vel angelorum, vel animæ rationalis, etc., usque ad sed potestas a Deo. *Sed serpens*, etc. STRAB. Sic diabolus loquebatur per serpentem ignorantem, sicut per energumenos vel fanaticos: quemcunque enim arripit, intellectum et rationem tollit. Spiritus vero bonus quoscunque gratia repleverit, videntes et intelligentes facit, unde spiritus prophetarum subjectus est prophetis. *Qui dixit ad mulierem*. AUG., lib. II de Gen. ad litt., c. 30, et ex capp. 7, 8, 6, 10, passim. Inexcusabilis est prævaricatio mulieris, quia memor erat præcepti Dei. Oblivio tamen, etc., *usque ad hæc* c. 10: Providet bonos et malos futuros, et creat: seipsum ad fruendum præstans bonis, multa etiam largiens malis. *Cur præcepit*, etc. STRAB. Ideo callidus hostis interrogat hoc, et mandatum Dei memorat, ne cum peccaverit, excusationem habeat quasi oblita. *Cur præcepit*, etc. GREG. Moral., l. 23, tom. 2 Idem quotidie agit hostis humani generis: verba Dei de cordibus hominum molitur evellere, et minas levare, et ad credendum quod falso promittit, invitat enim ad temporalia, ut levet quod Deus minetur æterna supplicia. Spondens siquidem gloriam præsentis vitæ, dicit: *Gustate, et eritis sicut dii*, et temporalem concupiscentiam tangite, et in hoc mundo sublimes apparete; et cum timorem divinæ sententiæ conatur amovere, quodammodo dicit: *Cur præcepit vobis Deus?* AUG., lib. II de Gen. ad litt., c. 4, tom. 3 Quæritur cur Deus hominem tentari permiserit, etc., usque ad sive terrenum, ut hominis anima. Ibid., c. 5 Nec putandum quod homo dejiceretur, nisi præcessisset in eo quædam elatio comprimenda, ut per humilitatem peccati sciret quod falso de se præsumpserit, et quod non bene se habet facta natura, si a faciente recesserit. Commendatur enim quale bonum Deus sit, quando nulli bene est ab ipso recedere. Ibid., c. 18 Hæc quæstio de beata vita, etc., usque ad minus quam in vita sanctorum angelorum. Ibid., c. 16 Non frustra putari potest ab initio temporis diabolus cecidisse, etc., usque ad quibus non dedit Deus præscientiam de seipsis? Ibid., c. 14 Quomodo autem beati esse possint, quibus est incerta sua beatitudo? etc., usque ad mihi autem unde asserant, non occurrit. Ibid., c. 21 Sed non frustra putandum est ab ipso creaturæ exordio, etc., usque ad prævidens quanta de illo sua bonitate esset facturus. Ibid., c. 22 *Initium autem figmenti* dicitur, etc., usque ad ut homines malos. Ibid., c. 23 Quod ergo putatur diabolus nunquam in veritate stetisse, etc., usque ad plura in corpus ejus conveniunt. GREG., hom. 16, in Evang., tom. 2 Primum parentem diabolus tribus modis tentavit, etc., usque ad delectatione vincimur, consensu ligamur.

^{§§}3.5 *Eritis sicut dii*, etc. STRAB. Mystice. Artificiali dolo verba componit, ut si per inobedienciæ contemptum subvertere nequiverit, saltem in hoc quod fidem corruperit, et idololatriam suaserit, victorem se gloriatur: si autem per inobedienciæ contemptum seduxerit, in utroque victor existat. AUG., de Gen. contra Manich., l. 2, c. 15, tom. 3 Interrogata mulier respondit, etc., usque ad nullo enim regente per suam potestatem solus Deus beatus est.

viro suo, qui comedit.* ⁷ Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata. ⁸ Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi.† ⁹ Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es?‡ ¹⁰ Qui ait: Vocem tuam audivi in paradiso, et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me.¶ ¹¹ Cui dixit: Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? ¹² Dix-

*3.6 **Vidit igitur**, etc. ISID. ex Aug. ubi supra. Quomodo videbant si clausi erant oculi? Sed dictum est ut intelligamus eos oculos apertos fuisse, postquam de fructu comederunt, quibus se nudos videbant, et displicebant: id est, oculos astutiæ, quibus simplicitas displicet. Cum quis enim ceciderit ab intima luce veritatis, nihil est unde superbia placere velit, nisi fraudulentis simulationibus. Hinc enim hypocricis nascitur, in qua multum videntur cordati, qui decipere potuerunt quem voluerunt. **Vidit igitur**, etc. GREG., lib. XXI Moral., cap. 2 Ne in lubrica cogitatione versemur, non debemus intueri quod non licet concupisci, etc., usque ad exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est. **Deditque viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum**, etc. ISID. ex Aug. ubi supra, c. 16, 17 De quibus dictum est: **Tunc viderunt quod nudi essent**, oculis scilicet perversis, quibus nuditas, scilicet simplicitas, erubescenda videbatur. etc., usque ad **Ad meipsum turbata est anima mea**. Psal. 41 **Qui comedit**, etc. AUG., de Gen., lib. 11, c. 3, tom. 3, col. 429 Ad concupiscendum scilicet invicem, etc., usque ad quæ convinceret peccatorem facto, et doceret scripto lectorem. **Consuerunt folia ficus**. ALCUIN., in Gen. t. 1 Quia gloriam simplicis castitatis amiserunt, ad duplicem libidinis prurimum confugerunt; unde Joan. 1: **Cum esses sub ficus vidi te, et descendi**, subaudi **liberare te**.

†3.8 **Et cum audissent**, etc. AUG., l. II de Gen. ad litt., c. 33 Ea enim hora tales conveniebat visitari, quia defecerant a luce veritatis, etc., usque ad corporalibus sensibus locali et temporali motu apparuisse credatur. **Abscondit se**, etc. AUG., ibid. Cum Deus avertit intrinsecus faciem et homo turbatur, fiunt similia amentiae, nimio timore ac pudore, occulto quoque instinctu non quiescente: ut nescientes facerent quæ aliquid posteris significarent, propter quos hæc scripta sunt. **Ad auram post meridiem**. Unde hora nona Christus spiritum emisit Matth. 27. Qui sexta hora fuit crucifixus, ut eadem hora restitueretur homo qua de paradiso est ejectus. **In medio ligni paradisi**. Abscondit se, qui aversus a præcepto Creatoris, erroris sui et arbitrii voluntate vivit.

‡3.9 **Vocavitque Dominus Deus Adam**. AUG., ubi supra, c. 34 Increpando, scilicet non ignorando, etc., usque ad nunc autem non significata referimus, sed gesta defendimus.

¶3.10 **Qui ait: Vocem tuam audivi**, etc. AUG., ubi supra, c. 34 **Historice**. Probabile est per congruam creaturam solere humanam formam hominibus primis apparere, etc., usque ad et secutum est quod puderet. **Vocem tuam**, etc. ISID., in Gen. tom. 5 Mystice. Respondet, voce ejus audita se occultasse, etc., usque ad et præcepto Dei non obedire. **Vocavitque Deus Adam**, etc. GREG. Quia vidit in culpa lapsus jam sub peccato, velut a veritatis oculis absconditum, quia tenebras erroris ejus non approbat, quasi ubi sit peccator ignorat, eumque vocat ac requirit dicens: **Adam, ubi es?** Dum vocat, significat quia ad poenitentiam revocat; dum requirit, insinuat quia peccatores jure damnatos ignorat.

itque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.^{§ 13} Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, et comedi.^{** 14} Et ait Dominus Deus ad serpentem: [Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, et bestias terræ: super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.^{†† 15} Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo

§3.12 *Dixitque Adam: Mulier quam dedisti,* etc. AUG. Non dicit, Peccavi: superbia enim habet confusionis deformitatem, non confessionis humilitatem. Ad hoc autem scriptum est, et interrogationes ad hoc factæ, ut veraciter et utiliter scriberentur, ut sciamus quanto morbo superbiæ laborent hodie conantes malum in Creatorem referre, et si quid boni faciunt, sibi tribuere. *Mulier quam dedisti,* etc. Quasi ad hoc data sit, ut non ipsa obediret viro, et ambo Deo. *Mulier quam dedisti,* etc. GREG., lib. IV Mor., c. 27, tom. 1, col. 661 Quatuor modis peccatum perpetratur in corde, etc., usque ad ad extremum falsæ spei seductione, vel obstinatione miseræ desperationis nutritur.

**3.13 *Et dixit Dominus Deus ad mulierem,* etc. AUG. Nec ista confitetur peccatum, sed refert in alterum, in impari sexu, pari fastu. Ex his tamen natus David dicit usque in finem sæculi: *Ego dixi: Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi Psal. 40.* Hoc ab istis dicendum fuit: sed nondum peccatorum cervices considerat Deus: restabant labores et dolores mortis, et contritio sæculi, et gratia Dei, quæ in tempore subvenit, docens afflictos non de se præsumere. *Serpens decepit,* etc. Quasi cujuslibet persuasio prævaleat Dei præcepto. *Serpens decepit me,* etc. AUG., ibid., lib. 2, c. 30 Quomodo his verbis, etc., usque ad cum eo cibo non videret eam mortuam esse. AUG., ibid., c. 28 Notandum quod non diabolus est permissus feminam tentare, etc., usque ad sed ex hac homini invidisse ratio ostendit. ALC. Peccatum angeli tacitum, hominis patefactum quia illud incurabile, hoc curatum. *Vidit igitur,* etc. STRAB. Aperte inexcusabilis ostenditur, cui licuit sub tali deliberatione dolos inimici advertere.

††3.14 *Et ait Dominus Deus,* etc. AUG., ubi supra, c. 36 Tota hæc sententia figurata est. Ubi credendum tamen omnia dicta esse. Serpens non interrogatur quare fecerit, quia non ipse propria voluntate et natura fecit, sed de illo diabolus, et per illum, et in illo: qui jam pro impietate et superbia æterno igni destinatus fuerat. Ad ipsum ergo refertur quod serpenti dicitur, et qualis humano generi futurus sit ostenditur. Mystice. *Et ait Dominus Deus ad serpentem,* etc. AUG., de Gen. cont. Manich., lib. 2, c. 17 Serpens non interrogatus prior excipit poenam, etc., usque ad ut ipsum initium suggestionis malæ excludat. *Super pectus tuum,* etc. HIERON. *Ventrem LXX* addiderunt, sed in Hebræo habetur *pectusa* tantum, ut calliditatem et versutiam cogitationum ejus aperiret, id est quod omnis gressus ejus nequitiae est et fraudis. *Pectore et ventre repes.* GREG., lib. XXI Mor., c. 2 Malum luxuriæ aut cogitatione perpetratur aut opere. Hostis enim cum ab effectu operis expellitur, secreta cogitationis polluere molitur. Ventre repit, dum lubricus per membra humana sibi subdita, luxuriam exercet in opere. Serpit pectore, dum polluit in cogitatione. Sed quia per cogitationem ad opera venit, prius pectore et post ventre describitur repere.

ejus.]^{¶¶} 16 Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.^{¶¶} 17 Adæ vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.^{§§} 18 Spinæ et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ.¹⁹ In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es et in pulverem reverteris.* 20 Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva: eo quod mater esset cunctorum viventium.[†] 21 Fecit quoque Dominus Deus

^{¶¶}3.15 *Inimicitias ponam inter te et mulierem. Ipsa conteret caput tuum*, etc. GREG. l. I Mor., c. 38 Caput serpentis conterere, est initia suggestionis manu sollicitæ considerationis a cordis aditu extirpare; qui cum ab initio deprehenditur, percutere calcaneo molitur, quia quem prima tentatione non percutit, decipere in fine tendit. Si autem cor in tentatione corrumpitur, sequentis actionis medietas et terminus ab hoste possidetur, quia totam sibi arborem fructus ferre conspiciit, quam veneni dente in radice vitaviit. HIERON. *Ipsa servabit calcaneum tuum, et tu conteres ejus calcaneum*. Melius in Hebræo habetur: *Ipsa conteret caput tuum, et tu conteres calcaneum ejus*, quia et nostri gressus præpediuntur a colubro, et Dominus conteret Satan sub pedibus ejus.

^{¶¶}3.16 *Mulieri quoque*, etc. AUG., ubi supra, c. 37 Hæc figurate et prophetice melius intelliguntur, etc., usque ad depravabitur natura, et augebitur culpa. *Multiplicabo ærumnas*, etc. AUG., de Gen. contra Manich., l. 2, c. 19 Manifestum est multiplicatos esse dolores mulieris, etc., usque ad sed prius reluctatum est cum dolore consuetudini malæ.

^{§§}3.17 *Maledicta terra*, etc. AUG. ibid., c. 38 Hos esse labores humani generis in terra nemo ignorat, et quod non esset, si felicitas quæ erat in paradiso teneretur indubitanter constat. STRAB. Terra maledicitur, non Adam, ut cuncti propter quos hæc scripta sunt terreterentur, ne similia facientes, simili poena plecterentur. Ipse vero Cain, quia primæ prævaricationi fratricidium addidit, maledicitur cum dicitur: *Maledictus eris super terram*, etc. AUG. Terræ maledixit, non aquis, quia homo de fructu terræ contra vetitum manducavit, non de aquis bibit, et in aquis erat peccatum abluendum de fructu terræ contractum. Animalia quoque terrestria plus maledictionis habent quam aquatilia, quia plus vivunt de maledicta terra. Inde Christus post resurrectionem de pisce manducavit, non de terrestri animali. *Maledicta terra in opere tuo*. GREG., Moral. lib. 4, c. 5, 6 Deus maledicit homini peccanti, etc., usque ad et duos quinquagenarios flamma combussit. *In laboribus*, etc. RAB. Spinæ antea erant, sed non ut laborem homini inferrent: cui post peccatum fuerunt ad laborem et afflictionem, sicut serpentes et quæcunque noxia, ante innoxia. Et notandum quod Adæ extrinseca poena imponitur: *Maledicta terra in opere tuo*; mulieri vero intrinseca, cum dicitur: *Multiplicabo ærumnas tuas*, etc., quia seducta seduxit virum.

*3.19 *Pulvis es*, etc. GREG., ubi supra. Homo ita conditus fuit, etc., usque ad senectus transit ad mortem.

†3.20 *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva*, etc. AUG., ubi supra. Verba primi hominis hæc fuerunt, quoniam hæc est mater omnium viventium, tanquam reddat causam nominis a se impositi, cur scilicet Evam vocaverit. Mystice. AUG., de Gen. contra Manich., l. 2, c. 21 Post peccatum et iudicis sententiam vocavit Adam uxorem suam Evam, etc., usque ad in pellibus exprimitur quæ mortuis corporibus detrahuntur.

Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos:[‡] 22 et ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum: nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum.[¶] 23 Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est.[§]

[‡]3.21 *Fecit quoque*, etc. AUG., de Gen. lib. 11, c. 39 Hoc quoque significationis causa factum est, et in factis quæritur quid factum sit, et quid significet, et in dictis quid dictum sit, quidve significet. STRAB. Ipsi fecerunt sibi perizomata, ut peccatum suum absconderent: Deus vero tunicas pelliceas, quibus totum eorum corpus induit, quia et in corpore et in anima eos juste damnavit. Stulta vero questio est qualiter vel quo operante pelles ab animalibus deductæ sint, quærere: qui enim de nihilo omnia condidit, quomodo et qualiter voluit, hæc fecit.

[¶]3.22 *Et ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis*, etc. AUG., ibid., c. 41 Propter trinitatem pluralis numerus ponitur, etc., usque ad sicut in Ecclesia solent homines a sacramentis visibilibus Ecclesiæ disciplina removeri. AUG., ubi supra, c. 42 Mirum est si Adam spiritualis erat mente, etc., usque ad quæ falsum verum esse putavit. *Quasi unus ex nobis*. AUG., de Gen. contra Manich., lib. 2, c. 21 Dupliciter intelligi potest, *quasi unus ex nobis*, id est Deus, etc., usque ad donec Dei misericordia reviviscat qui mortuus fuerat. RUPERT. Ne comedat de ligno vitæ, et hoc facto talis, tam miser factus Adam, vivat in æternum. Quid enim si cum talis factus sit vivat in æternum? utique nil nisi malum æternum. Jam enim miser factus, si æternus quoque sit, quid nisi miseriam æternam habebit? Parcamus illi, ne hoc modo male sit *quasi unus ex nobis*; ne sicut quisque nostrum æternus est æternus enim Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus, sic et ille æternus sit, et ob hoc veracem se esse rideat oculus nequam diaboli, qui Dei similitudinem ei repromisit. Etenim malum quidem illi est temporalem esse, sed pessimum esset æternum esse. Mala nimis et falsa est hæc similitudo Dei. Multo melius illi est esse omnino dissimilem Dei. Quomodo? Videlicet, ut, quia miser est, sit etiam temporalis, hoc est esse omnino dissimilem Dei. Deus enim et æternus est, et felix, et est ejus æterna felicitas, felix æternitas. Horum alterum, id est felicitatem, perdidit diabolus, æternitatem vero non amisit; et est ejus æterna infelicitas, infelix æternitas. Parcamus, inquam, homini; et quia felicitatem perdidit, æternitatem quoque præcipiamus infelici, ut in neutro sit *quasi unus ex nobis*; nobis est æterna felicitas, felix æternitas; sit illi temporalis miseria, vel misera temporalitas; ut tunc illi commodus reformetur æternitas, cum fuerit recuperata felicitas. In magna ergo ira, magnæ misericordiæ Dominus recordatus est, hoc ipso quod lignum vitæ non concessit misero homini: quippe quem voluit sic esse dissimilem sibi, ut non esset utrobique similis diabolo, id est ne viveret homo, æque ut diabolus, usque ad ultimum iudicium, et æque ut ille, absque temporali morte, transiret ad æternum iudicium.

[§]3.23 *Et emisit eum*, etc. AUG., de Gen. contra Manich., l. 2, c. 22 In locum sibi congruum; sicut plerumque malus, cum inter bonos vivere cœperit, si in melius mutari noluerit, de bonorum congregatione pellitur pondere pravæ consuetudinis suæ.

²⁴ Ejecitque Adam: et collocavit ante paradisum voluptatis cherubim, et flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. ^{**}

4 Adam vero cognovit uxorem suam Hevam, quæ concepit et peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum. ^{††} ² Rursumque peperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola. ^{‡‡} ³ Factum est autem post multos dies ut

^{**}3.24 *Ejecitque Adam.* HIERON. Quæst. Hebr., tom. 3 LXX: *Et ejecit, et habitare fecit contra paradisum voluptatis, et statuit cherubin, et flammeam rhompheam, quæ vertitur ad custodiendam ligni vitæ viam.* Alius sensus est in Hebræo; ait enim, *et ejecit Dominus, Adam scilicet, et habitare fecit ante paradisum voluptatis cherubin, et flammeum gladium.* Non quod Adam habitare fecerit contra paradisum voluptatis, sed, illo ejecto, ante fores paradisi cherubin et flammeum posuit gladium, ne quis posset intrare. *Et collocavit,* etc. AUG., ut supra. Hoc per cœlestes potestates etiam in paradiso visibili factum esse credendum est, ut per angelicum ministerium ibi esset quædam ignea custodia, non tamen frustra, sed quia aliquid de paradiso significat spirituali. *Collocavit,* etc. STRAB. Hoc est per ministerium angelorum igneam custodiam constituit. Flammeus gladius tribulationes, dolores et labores hujus vitæ, quibus nos exercemur; vel sententia justæ damnationis, quæ homini est data, qui ita damnatus est ut Christi passione redimi posset. Unde gladius versatilis dicitur, quia potest removeri. Remotus est enim Enoch et Eliæ, et quotidie removetur fidelibus, de hac vita ad supernam beatitudinem transeuntibus. Nec dicit flammam et gladium, sed *flammeum gladium:* qui enim ad paradisum redeunt, necesse est ut igne Spiritus sancti omnes concupiscentias hujus vitæ exurant, et gladio verbi Dei omnia noxia præcidant. *Et collocavit,* etc. ISID., in Gen., tom. 5 Cherubin plenitudo scientiæ, hæc est charitas quæ plenitudo legis est divinæ. Gladius flammeus, pœnæ temporales, quæ versatiles sunt, quoniam tempora volubilia sunt. Ad arborem igitur vitæ non reditur, nisi per cherubin, id est plenitudinem scientiæ, id est charitatem: et per gladium versatilem, id est tolerantiam temporalem. ^{††}4.1 *Adam vero,* etc. AUG., lib. IX de Gen. ad litt., c. 4. In paradiso virginitas, extra nuptiæ, etc., usque ad sed post in exilio generata. *Concepit et peperit,* etc. Cain et Abel de una matre geniti, figura sunt omnium hominum qui de radice peccati in hanc vitam propagantur; et alii terrenam civitatem et mortiferas delicias sunt amaturi, et quantum in se est ambitione possessuri; quos significat Cain, qui interpretatur *possessio.* Alii futuram civitatem quæsitura, et de hujus habitationis miseriis lugentes, ad futuram gloriam toto desiderio transituri, quos significat Abel, qui interpretatur *luctus,* et est posterior: quia non prius est quod spirituale est, sed quod animale. Hinc Cain dicitur *agricola,* id est, terrenis operibus incumbens; Abel vero *pastor ovium,* simplicitatem scilicet et innocentiam diligens. Allegorice. ISID., in Gen. Duo filii Adæ duos populos expriment, Judaicum scilicet natu majorem, etc., usque ad quasi non permittat ratio motum pravum ad effectum venire, sed studeat subjugare. ^{‡‡}4.2 *Fuit autem Abel,* etc. In quo significatur qui de terrena inhabitatione lugent. Abel namque *luctus* interpretatur, vel *vapor,* quia luctus fuit parentibus vel tanquam vapor cito disparuit.

offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.[¶] ⁴ Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum: et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. ⁵ Ad Cain vero, et ad munera illius non respexit: iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus.^{§§} ⁶ Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? et cur concidit facies tua? ⁷ nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. ⁸ Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum.* ⁹ Et ait Dominus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio: num custos fratris mei sum ego?† ¹⁰ Dixitque ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.‡ ¹¹ Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.¶ ¹² Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos:

[¶]4.3 *Factum est autem*, etc. *Abel quoque obtulit*, etc. Quia justus in omnibus quæ agit per fidem et charitatem de quibus cæteræ virtutes oriuntur, et sine quibus nihil prosunt Deo placere contendit, quod significatur in adipibus oblati; unde psal. LXII: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea*. Sine charitate macilenta est anima et languida, et in nullo Deo placitura. *Et respexit Dominus ad Abel*, etc. HIER., Quæst. Hebr. in Gen., tom. 3 Unde hoc potuit scire Cain, nisi vera esset interpretatio Theodotionis: *Et inflammavit Dominus super Abel, et super sacrificium ejus, super Cain, et sacrificium suum non inflammavit?* Ignem autem de cælo venire solitum ad sacrificium devorandum, ut in dedicatione templi sub Salomone, legimus, et quando Elias in monte Carmeli construxit altare. ISID., ut supra. Si recte offeras, et non recte divides, peccasti: quia etsi antea Judæi recte illa offerebant, in eo rei sunt quia Novum Testamentum a veteri non distinxerunt.

^{§§}4.5 *In foribus*. ALC. Id est, intrantem te et exeuntem peccatum comitabitur, nec Dominus custodiet introitum tuum et exitum tuum.

*4.8 *Dixitque Cain*, etc. ISID., Quæst. in Gen., tom. 5 Non acquiescit Domino dicenti, Quiesce, etc., usque ad occiditur ergo Christus junioris populi caput, a majore natu.

†4.9 *Et ait Dominus ad Cain*. ISID., ubi supra. Interrogat Dominus Cain, non ignarus ut discat, sed judex ut puniat. Usque hodie Judæi, cum per Scripturas eos interrogamus de Christo, respondent se nescire quæ dicimus. Mendax Cain ignorantio, Judæorum est falsa negatio: essent vero Christi custodes, si corde crederent et ore faterentur.

‡4.10 *Vox sanguinis*, etc. Magna virtus justitiæ, quæ vindictam expetit pro sanguine innocentis.

¶4.11 *Nunc igitur maledictus eris*, etc. RAB. Notandum quod in peccato Adæ terra maledicitur. Cain vero maledicitur, quia sciens damnationem primæ prævaricationis, fratricidium addidit. *Nunc igitur maledictus eris*, etc. Per locum quæ in loco sunt significantur; quasi maledictus eris ab his qui sunt super terram, qui aperuerunt os suum in confessione peccatorum, accipere sanguinem, qui effusus in remissionem eorum de manu persecutoris, qui noluit esse sub gratia, sed sub lege, ut esset maledictus ab Ecclesia: quæ intelligit et ostendit esse maledictum: qui enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.

vagus et profugus eris super terram.^{§ 13} Dixitque Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.^{**} ¹⁴ Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me.^{††} ¹⁵ Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum.^{‡‡} ¹⁶ Egressusque Cain a facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden. ¹⁷ Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit, et peperit Henocho: et ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine

§4.12 *Cum operatus*, etc. Ad vocem, non ad intellectum fit relatio, quia aliter hic terra, aliter supra accipitur: ibi pro Ecclesia, hic pro operatione terrena quam adhuc Judæus exercet; id est carnalis circumcisio, pascha, sabbatum, et similia quæ habent occultam virtutem intelligendæ gratiæ Dei, sed non dant Judæis fructum nolentibus transire ad Christum. Potest in terra caro Christi intelligi, in qua salutem nostram Judæi crucifigendo sunt operati. *Mortuus est enim propter dilicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram*: quem quia negaverunt, justificati non sunt. *Vagus et profugus*, etc. ISID. Dispersus in gentibus, profugus a Hierusalem. LXX: *gemens et tremens*. Gemens, dolore amissi regni; tremens, multitudine Christiani populi, ne occidaris. *Major est iniquitas mea*, etc. Culpam exaggerat, sed superbe confitetur, nec veniam flagitat.

** 4.13 *Major est iniquitas mea*. ISID. Peccata peccatis adjiciens desperat, nec credit se veniam posse adipisci, quod est blasphemia in Spiritum sanctum, quæ non remittitur in hoc sæculo nec in futuro: quia putat Deum aut nolle dimittere, aut non posse, tanquam aut omnia non possit, aut invideat saluti. Non Deum sibi iratum grave putat, sed timet ne inveniatur et occidatur.

†† 4.14 *Omnis igitur qui invenerit me*, etc. STRAB. Quia ex tremore corporis et agitatione furiosæ mentis, quicunque invenerit me, cognoscat me reum mortis.

‡‡ 4.15 *Nequaquam ita fiet*. Id est, non morieris cito sicut tu vis, pro remedio tui cruciatu, sed punietur impersonaliter: id est, punitio fiet de te septuplum, quia vives in cruciatu usque ad septimam generationem, in qua a Lamech occideris; ergo omnis qui occiderit, subaudi, liberabit te ab illo cruciatu malæ conscientiæ. Hic sensus evidentiùs patet. Secundum 70. *Omnis qui occiderit Cain septem vindictas exsolvet*, id est, quicunque te in septima generatione occiderit, exsolvet te a cruciatu per mortem, qui usque ad tempus illud reservandus es in vita, tantum ad pœnam, quæ pœna cito finiretur, si cito interfectus esses. Ita qui Judæos visibili morte puniret, septem vindictas ab eis auferret, quibus obligati sunt propter reatum occisi Christi, quia miserias et dispersiones eorum levaret quas patiuntur. *Omnis qui occiderit Cain*, etc. LXX: *Septem vindictas exsolvet*. Aquila, *septempliciter*; Symmachus, *septuplum*; Theodotion, *per hebdomadem* interpretantur, in quo significatur quia diu et perfecte punietur, ne quis homicidium audeat iterare. *Qui occiderit Cain*, etc. HIERON., epist. ad Damas. Si quis te interfecerit *septuplum punietur*, id est, gravissima ultione punietur: non debuit homo occidere eum cui Deus reservavit vitam, vel ad pœnam ipsius, vel ad correctionem aliorum. *Sed omnis qui occiderit Cain*. ISID., ubi supra. Per eclipsim legendum, etc., usque ad et impletur illud: *Disperge illos in virtute tua Psal. 53*. HIER., ubi supra. Quod Aquila posuit *septempliciter*, etc., usque ad et absolvi mereretur. *Posuitque Dominus Cain signum*, etc. ISID., Quæst. in Gen., tom. 5 Cum omnes gentes a Romanis subjugatæ transierunt in ritus eorum, gens Judæa, sive sub gentibus sive sub Christianis regibus, non reliquit signum circumcisionis, et carnalis observantiæ, etc., usque ad ubi plantatus est paradisus. *Habitavit in terra ad orientalem plagam Eden*. HIER., ubi supra. LXX: *Habitavit in terra Naid*, in Hebræo nod dicitur, id est, instabilis et fluctuans, et incertæ sedis. Non est terra Naid, ut vulgus nostrum putat, sed expletur sententia Domini, dum huc atque illuc profugus aberrat.

filiis suis, Henoch.^{¶¶} 18 Porro Henoch genuit Irad, et Irad genuit Maviaël, et Maviaël genuit Mathusaël, et Mathusaël genuit Lamech.^{§§} 19 Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, et nomen alteri Sella.^{*} 20 Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum.[†] 21 Et nomen fratris ejus Jubal: ipse fuit pater canentium cithara et organo.[‡] 22 Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera æris et ferri. Soror vero Tubalcain, Noëma.[¶] 23 Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ et Sellæ: [Audite vocem meam, uxores Lamech; auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum.][§] 24 Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies

^{¶¶}4.17 *Cognovit autem Cain uxorem suam.* ISID., ibid. Figurate progenies impiorum, in ipsa mundi origine fundamentum quærens, in hac vita civitatem extruxit quam vocavit Henoch, quod interpretatur *dedicatio*, quia in primordiis dedicant, dum in hac vita quæ ante est, radicem cordis plantant, ut hic ad votum floreat, et a futura gloria arescant. Abraham vero in casulis habitabat, quia sancti hospites et peregrinos se esse cognoscunt, exspectantes civitatem habentem fundamentum cuius artifex Deus est. *Et ædificavit civitatem*, etc. AUG., lib. XV de Civitate, cap. 8, tom. 7 Quæritur quibus adiutoribus eam ædificaverit, si plures homines non fuerint quam Scriptura dicit. Sed sciendum est multo plures fuisse tunc, quia diu vivendo plures poterant generare. Nec mirum, cum filii Israël per quadringentos annos sic multiplicati leguntur, ut non possit numerari exercitus.

^{§§}4.18 *Porro Enoch*, etc. HIERON. Non de omnibus his certa mysteria exsculpuntur, nec invenirentur, nisi prius quædam radices historiæ jacerentur; nec de ramis arborum fructus legeres, nisi truncos antea plantasses.

^{*}4.19 *Qui accepit duas uxores*, etc. ISID., ut supra. Notandum quod generationes ab Adam per Cain undenario terminantur, in quo transgressio signatur. Lamech namque septimus est, cui tres filii et una filia adduntur, ut undenarius impleatur, per quem peccatum significatur: nam et a femina clauditur generatio, quæ initium peccati fuit, per quod voluptas carnis, quæ resistit spiritui. Unde Noëma vocatur, id est, *voluptas*. In hac progenie Lamech primus contra morem, contra naturam, per bigamiam adulterium commisit.

[†]4.20 *Genuitque Ada Jabel*, etc. HIER. in quæst. Hebr. De bigamia nascitur Jabel habitans in tentoriis, quæ mutabilia instabilitatem eorum figurant, qui circumferuntur omni vento doctrinæ. Nascitur et Tubal, qui inventor musicæ, etc., usque ad sicut Jabel, Tubal et Tubalcain.

[‡]4.21 *Et nomen fratris ejus Jubal.* RAB. Hunc scribit Josephus musicam scripsisse in duabus columnis, una lapidea, altera latericia, quarum altera non dissolveretur diluvio, altera quæ non solveretur incendio: quæ duo judicia Adam ventura prædixerat.

[¶]4.22 *Tubalcain.* RAB. Qui secundum Josephum res bellicas exercuit, et decenter artem ferrariam docuit; quædam etiam quæ ad oculorum pertinent concupiscentiam, invenit.

[§]4.23 *Dixitque Lamech*, etc. RAB. Aiunt Hebræi Lamech diu vivendo caliginem oculorum incurrisse, et adolescentem ducem et rectorem itineris habuisse. Exercens ergo venationem, sagittam direxit quo adolescens indicavit, casuque Cain inter fruteta latentem interfecit; et hoc est quod dicit: *Occidi virum in vulnus meum*, id est vulnere quod infixi non bestiam sed hominem occidi; unde et furore accensus occidit adolescentem. *Occidi virum*, etc. STRAB. Id est Cain: *in vulnus meum*, quia pro illo vulnerabor, id est, occidar; *et adolescentulum in livorem meum*, quia pro illo quoque damnabor.

septies.]** 25 Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam: et peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.†† 26 Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos: iste cœpit invocare nomen Domini.‡‡

5 Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.¶ 2 Masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis: et vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt. 3 Vixit autem Adam centum triginta annis: et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen

4.24 *Septuplum ultio dabitur*, etc. ALC. Allegorice. Peccatum Lamech qui interpretatur humiliatus significat dejectionem humani generis quod prævaricante Adam corruit, nec per legem, vel per circumcisionem, nec per suam justitiam surgere potuit, donec post septuaginta septem generationes secundum Lucam Christus in mundum veniens, effusione sanguinis peccatum delevit; unde Matth. 18: **Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies, hoc est, Judæum recipiendum esse post septuaginta septem vindictas, si respuerit, et Christi indulgentiam quæsierit. Septenarius universitatem significat: per quem ducto undenario fit septuagenarius septimus, in quo omnimoda transgressio signatur; quæ tamen in Evangelio pœnitenti dimitti præcipitur. HIERON., epist. ad Damas. Aiunt ab Adam usque ad Christum generationes esse septuaginta septem secundum Lucam. Sicut ergo septima generatione peccatum Cain solutum est: **Non enim judicabit Deus bis in idipsum**, et qui semel recepit in vita sua, non eosdem cruciatus patietur in morte quos passus est in vita sua: ita et Lamech, id est, totius mundi peccatum, Christi solvetur adventu. Referebat mihi quidam Hebræus septuaginta septem animas exisse de Lamech, quæ omnes interiire diluvio.

††4.25 *Cognovit quoque adhuc*, etc. Per Seth, qui interpretatur *resurrectio*, signatur vita Christi ex mortuis: quod in verbis matris significatur: **Posuit mihi Dominus semen aliud**, quasi dicat Ecclesia: Quæ luctum pertuli de mortuo, gaudeo de resuscitato.

‡‡4.26 *Quem vocavit Enos*, etc. Enos interpretatur *homo*: qui *cœpit invocare nomen Domini*, quia per mortem Christi, quam significavit Abel, et per resurrectionem, quam significat Seth, fit homo confitens Dominum conditorem, et vitæ perditæ reparatorem. HIERON. *Quem vocavit Enos*. Enos interpretatur *homo*, qui *cœpit invocare nomen Domini*: sicut Adam *homo* interpretatur, ita etiam Enos juxta Hebraicam veritatem *homo*, vel *vir*; et pulchre, quia hoc vocabulum habuit, dictum est quia initium fuit tunc invocandi nomen Domini: licet plerique Hebræorum arbitrantur quod tunc primum in nomine Domini et in similitudine ejus fabricata sunt idola.

¶5.1 *Hic est liber generationis Adam*. Ad similitudinem Dei factus est. Alii, ad similitudinem Adæ. Est quasi conclusio a superioribus cum recapitulatione. **In die qua creavit Deus hominem**. In die etenim creatus est, quia in claritate divinæ contemplationis constitutus. **Ad similitudinem Dei**. Quia rationem ei dedit, qua intelligendo bona et mala discerneret, intellecta diligeret, et dilecta oblivioni non traderet, et in hoc Dei similitudinem retineret. Sed postquam per inobedientiam hanc similitudinem delevit, factus terrenus terrenos generavit. Unde qualis terrenus, tales et terreni. CHRYSOST., hom. 21 in Gen., tom. 4 Considera quomodo iisdem verbis usus fuerit quibus et initio, ut doceret nos quod generationes illas, quasi reprobas factas, neque memoria post hac dignetur; sed ex Seth, qui nunc illis natus est, genealogiam orditur, ut ex hoc discas quantam Deus humani generis rationem habeat, et quomodo illos aversetur quibus sanguinaria mens est.

ejus Seth.⁸⁸ ⁴ Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni: genuitque filios et filias. ⁵ Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est. ⁶ Vixit quoque Seth centum quinque annis, et genuit Enos. ⁷ Vixitque Seth, postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios et filias. ⁸ Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, et mortuus est. ⁹ Vixit vero Enos nonaginta annis, et genuit Cainan. ¹⁰ Post cujus ortum vixit octingentis quindecim annis, et genuit filios et filias. ¹¹ Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, et mortuus est. ¹² Vixit quoque Cainan septuaginta annis, et genuit Malaleel. ¹³ Et vixit Cainan, postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios et filias. ¹⁴ Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, et mortuus est. ¹⁵ Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, et genuit Jared. ¹⁶ Et vixit Malaleel, postquam genuit Jared, octingentis triginta annis, et genuit filios et filias. ¹⁷ Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, et mortuus est. ¹⁸ Vixitque Jared centum sexaginta duobus annis, et genuit Henoch. ¹⁹ Et vixit Jared, postquam genuit Henoch, octingentis annis, et genuit filios et filias. ²⁰ Et facti sunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, et mortuus est. ²¹ Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Mathusalam. ²² Et ambulavit Henoch cum Deo: et vixit, postquam genuit Mathusalam,

§§5.3 **Vixit autem Adam**, etc. HIERON., in Quæst. Hebr.. Sciendum quod usque ad diluuium, ubi in nostris codicibus *ducentorum* et quod excurrit annorum genuisse quis dicitur, in Hebræo habeat *centum annos* et reliquos qui sequuntur. **Et genuit**, etc. Quasi et iste portavit imaginem terreni qui pro Abel justo repositus est, et interpretatione nominis *Christum* significat. Sed omnes prius portant imaginem terreni hominis quam cœlestis, licet multi ad adventum Christi per fidem eandem gratiam habuerunt qua salvantur Christiani. STRAB. Ferunt post mortem Abel vovisse Adam se uxorem non ultra cogniturum nec filium generaturum. Sed Deo iubente fregit votum, ut Dei Filius de eo nasceretur, et homo redimeretur; stirpe enim Cain nasci non debuit. Unde ante Seth nullum legitur genuisse, post eum vero dicitur; quia **genuit filios et filias**. Hæc computatio genealogiarum, quasi ramos spargit historiarum, de quibus suis locis colliguntur fructus mysteriorum. Et notandum quia in generatione Seth nulla femina ponitur nominatim, sicut in generatione Cain: justorum enim est omnia viriliter agere, nihil femineum, nihil fragile usurpare. Procedit etiam hæc generatio per denarium usque ad Noë, in quo præceptorum signatur impletio, sicut per undenarium in generatione Cain transgressio. In generatione injustorum primus Enoch ponitur, qui *dedicatio* interpretatur, quia reprobi in præsentī vita spei suæ radicem figunt, et ab amore immarcescibilis hæreditatis arescunt. De quibus dicitur Joan. 5: **Vidit stultum firma radice, et maledixit pulchritudini ejus statim**. In generatione justorum Enoch ab Adam septimus ponitur, quia hic manentem civitatem non quærunt, sed expectationem usque in finem temporis extendunt, quod septenaria revolutione terminatur, cum æternitas octava successerit. Unde iste Enoch qui ponitur septimus, et translatus est quia Deo placuit, septimam requiem significat, ad quam post hanc vitam, qui Deo perseveranter adhæret, sine dilatione transfertur. Interpretatio quoque nominum hujus generationis idem signat: Adam interpretatur *homo* vel *rubra terra*; Seth, *positio* vel *resurrectio*; Enos, *homo*; Cainan, *lamentatio*; Malalehel, *laudans Deum*; Jared, *roboratus*; Enoch, *dedicatio*; Mathusalam, *mortis emissio*; Lamech, *humiliatus*; Noë, *requies*. Procedens ergo homo de terra, resurgens a peccatis, erit homo invocans Deum et deflens peccata pristina: sicque laudans Deum, roboratus Spiritu Dei, dedicatur in vitam æternam. Atque victor mortis Deo subjectus, requiem possidet sempiternam, quam significat Noë qui *requies* interpretatur, et decimo loco numeratur, quia per impletionem mandatorum possidetur regnum celorum.

trecentis annis, et genuit filios et filias. ²³ Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. ²⁴ Ambulavitque cum Deo, et non apparuit: quia tulit eum Deus. ²⁵ Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, et genuit Lamech. [†] ²⁶ Et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, et genuit filios et filias. ²⁷ Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni, et mortuus est. ²⁸ Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium: ²⁹ vocavitque nomen ejus Noë, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus. ³⁰ Vixitque Lamech, postquam genuit Noë, quingentis nonaginta quinque annis, et genuit filios et filias. ³¹ Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni, et mortuus est. Noë vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Japheth. [‡]

6 ² Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, et filias procreassent, [†] ² videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. [§] ³ Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum. ^{**} ⁴ Gigantes

^{*}5.24 *Ambulavitque cum Deo*, etc. ISID., in Gen. Enoch septimus ab Adam placens Deo, etc., usque ad nam ter quaterni ipsum faciunt. ALCUIN. Enoch tanto tempore servatur a morte, in quo ostenditur quia homo semper viveret si non peccasset.

[†]5.25 *Vixit quoque Mathusala*, etc. AUG. Quæritur quomodo Mathusala secundum annorum computationem post diluvium vivere potuerit, cum omnes, præter eos qui in arcam ingressi sunt, perierunt. Sed hanc quæstionem codicum mendositas peperit: non solum enim in Hebræis aliter invenitur, verum etiam in LXX interpretatione, paucis codicibus septem annis ante diluvium Mathusala defunctus reperitur. Quod Mathusala juxta LXX ultra diluvium numerantur anni, inde est quia significat Christum, cujus vita nullam sentit ætatem, ut in majoribus quoque non sensisse diluvium videretur.

[‡]5.31 *Et facti sunt omnes dies*, etc. HIERON., in Quæst. Hebr., tom. 3 *Et fuerunt omnes dies Mathusalæ quos vixit anni nongenti sexaginta novem, et mortuus est*. Juxta diligentem supputationem quatuordecim annis post diluvium vixit se refertur, etc., usque ad eo anno scilicet quo cœpit esse diluvium. *Nœ vero cum quingentorum esset annorum*, etc. Ibid. Nœ interpretatur *requies*, quia sub illo omnia retro opera per diluvium quieverunt.

[†]6.1 *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram*. HIER., in Quæst. Hebr. Verbum Hebraicum Elohîm utriusque numeri est: *Deum* enim et *deos* significat: ideo Aquila *filios deorum* dicere ausus est, deos sanctos vel angelos intelligens, quem sequens Symmachus ait: *Videntes filii potentum filias hominum*.

[§]6.2 *Videntes filii Dei*, etc. STRAB. Filii Seth religiosi intelliguntur per filios Dei, qui victi concupiscentia, ex filiabus hominum, id est ex stirpe Cain, uxores acceperunt, et viros potentes genuerunt, immensos scilicet corporibus, superbos viribus, inconditos moribus, qui gigantes appellantur. Non est incredibile ab hominibus, non ab angelis, vel quibusdam dæmonibus qui mulieribus sunt improbi, ejusmodi homines esse procreatos, quia et post diluvium corpora non solum virorum, sed et mulierum incredibili magnitudine exstiterunt.

^{**}6.3 *Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus*, etc. HIER., ibid. Hebr. *loiadon*. *Non judicabit spiritus meus homines in sempiternum, quoniam caro sunt*. Hoc est, quia fragilis est hominum conditio, etc., usque ad sed eorum quos erat diluvio deleturus. *Eruntque dies illius*, etc. STRAB. Ante diluvium, scilicet ad agendam pœnitentiam. Sed quia in malitia perseveraverunt ante præfixum terminum, centesimo anno deleti sunt.

autem erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a sæculo viri famosi. ⁵ Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, ^{††} ⁶ pœnituit eum quod hominum fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, ^{‡‡} ⁷ Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cæli: pœnitent enim me fecisse eos. ⁸ Noë vero invenit gratiam coram Domino. ⁹ Hæ sunt generationes Noë: Noë vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis; cum Deo ambulavit. ^{¶¶} ¹⁰ Et genuit tres filios, Sem, Cham et Japheth. ¹¹ Corrupta est autem terra coram Deo, et repleta est iniquitate. ¹² Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruerat viam suam super terram), ¹³ dixit ad Noë: Finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra. ^{§§} ¹⁴ Fac tibi arcam de lignis lævigatis; mansiunculas in arca facies, et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus. ^{*} ¹⁵ Et sic facies eam: tre-

^{††}6.5 *Videns autem Dominus*, etc. Non in Deum pœnitentia cadit, aut dolor cordis, cui est de omnibus tam fixa sententia quam certa præscientia: sed utitur Scriptura usitatis verbis, coaptans se nostræ parvitati, ut ex cognitis incognita cognoscamus. Nam ira Dei non est perturbatio animi, sed iudicium quod irrogatur peccatori: cogitatio vero cordis ejus, mutandarum rerum immutabilis ratio.

^{‡‡}6.6 *Pœnituit eum quia*, etc. GREG., Moral. lib. 5. Plerumque in sacro eloquio sapientes Dei consilium trahunt a sapientibus sæculi. Sic nunc, pro utilitate hominis, vocem in se passionis humanæ ipse conditor hominum sumit, cum constet quia qui cuncta, priusquam venerint, conspicit, nihil fecerit quod pœnitendo respiscat. Ut ergo mirum non est, si spirituales plerumque utantur verbis carnalium, sic neque mirandum si ipse creator omnium, ut carnem pertrahat ad intellectum suum, in seipso carnis sermonem servet vel sumat.

^{¶¶}6.9 *Noë vir justus*. Hic per actus suos significat Christum, qui ait Matth. 11: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*. Solus justus invenitur, cui propter justitiam suam septem homines donantur. Justus quoque Christus et perfectus, cui septem Ecclesiæ septiformi Spiritu illuminatæ in unam Ecclesia condonantur. Noë per aquam et lignum liberatur, et familia ejus; sic familia Christi per baptismum et crucem. *In generationibus suis*. Quasi non consummatæ justitiæ, sed juxta generationem suam.

^{§§}6.13 *Disperdam eos cum*, etc. Tradunt doctores terræ virorem et fecunditatem longe esse inferiorem post diluvium; et ideo hominibus esum carniū concessum, cum antea tantum terræ fructibus victitarent.

^{*}6.14 *Fac tibi arcam de lignis*. Scilicet fortibus et insolubilibus, et bene coarctatis; quæ alia translatio dicit *quadrata*, ut nec vi ventorum nec inundatione solvetur. *Mansiunculas*, etc. STRAB, LXX: *Bicamerata et tricamerata in arca facies: bicamerata in inferioribus, tricamerata in superioribus*. Quinque ergo mansionibus distincta sunt: prima, id est inferior, fuit stercoraria, quo stercora defluebant, ne qui erant in arca fetore læderentur; secunda, apothecaria; tertia, immitium animalium et serpentium; quarta, mansuetorum; quinta, id est suprema, hominum et avium. Ostium, ubi bicamerata et tricamerata jungebantur, id est, inter apothecariam et bestiarum habitationem. AUG. In prima habitatione in inferioribus semel camerata erat arca, in secunda super inferiorem habitationem bicamerata. In tertia vero super secundam tricamerata. Dicunt alii in inferioribus duas fuisse mansiunculas, et sic arcam fuisse bicameratam. Harum inferior stercora suscipiebat, secunda escas, quæ apothecaria dicebatur; in superioribus tricamerata erat, ubi homines et animalia congrua distinctione continebantur. ISID. in Gen., tom. 5 Arcam construxit Noë de lignis impu-tribilibus, etc., usque ad in quinque prophetizatus, in sexta evangelizatus.

centorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius.[†] ¹⁶ Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem ejus: ostium autem arcæ pones ex latere; deorsum, cœnacula et tristega facies in ea.[‡] ¹⁷ Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cælum: universa quæ in terra sunt, consumerentur. ¹⁸ Ponamque fœdus meum tecum: et ingredieris arcam tu et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum tecum. ¹⁹ Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum: masculini sexus et feminini.[¶] ²⁰ De volucris juxta genus suum, et de jumentis in genere suo, et ex omni reptili terræ secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere. ²¹ Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, et comportabis apud te: et erunt tibi, quam illis in cibum.[§] ²² Fecit igitur Noë omnia quæ præceperat illi Deus.

[†]6.15 *Trecentorum cubitorum*, etc. ISID., ibid. Potest in trecentis cubitis lignum crucis ostendi, etc., usque ad quia unus Deus ex quo omnia, et una fides, et unum baptisma. GREG. hom. XVI in Ezech. Arca quæ trecentis cubitis fieri in longitudine jussa est, quinquaginta in latitudine, triginta in altitudine, etc., usque ad et per quem omnes proficiunt qui se peccatores noverunt.

[‡]6.16 *In cubito consummabis summitatem ejus*. Sic Ecclesia in unitate collecta sublimatur atque perficitur; unde Matth. 11: *Qui non colligit mecum, dispergit*. Ostium autem arcæ, etc. Nemo enim intrat in Ecclesiam, nisi per sacramentum remissionis peccatorum, quod de latere aperto emanavit. *Cœnacula et tristega*, etc. LXX: *Bicamerata et tricamerata*. Ex omnibus enim gentibus vel bipertitam multitudinem congregat Ecclesia, ex circumcisione et præputio; vel tripartitam, ex tribus filiis Noë, quorum progenie repletur orbis. Inferiora autem arcæ distincta sunt, quia in hac vita terrena est diversitas gentium: in summo autem omnes consummantur in unum, quia omnia et in omnibus Christus. ALCUIN. Congrua arca in summo, velut tecto quodam angusto, cacuminata est, ut imbrium minas diffunderet, et ima in aquis stabilitate quadrata consistens, nec impulsu ventorum, nec impetu fluctuum, nec inquietudine animalium quæ intus erant inclinari posset aut mergi. GREG. in Moral. Arca in inferioribus ampla, in superioribus angusta, etc., usque ad grandes acervi palearum, quæ ignibus comburuntur. GREG. Moraliter autem, qui se ab amore mundi convertit, in corde ædificat arcam salutis, habens in se longitudinem, id est, Trinitatis fidem, ac longitudinem vitæ et immortalitatis; latitudinem in charitate, qua potest bene facere etiam inimicis; altitudinem in spe, qua se erigat ad cœlestia et summam actuum suorum ad unum referat.

[¶]6.19 *Et ex cunctis*, etc. AUG. l. XV de Civit. Dei, c. ult., t. 7 Quæritur de minutissimis, sic in Ecclesiæ sacramentis versantur boni et mali.

[§]6.21 *Tolles igitur*, etc. Solet quæri de animalibus quæ tantum putantur vesci carnibus, utrum præter numerum ibi fuerint sine transgressione mandati, quæ aliorum alendorum necessitas cœgisset includi; vel, quod magis credendum est, præter carnes alimenta esse potuerunt quæ omnibus convenirent. Multa enim animalia, quibus caro cibus, fructibus pomisque vescuntur, maxime fico et castaneis. Potuit ergo vir justus et sapiens, et divinitus admonitus, quæ cuique congrueret, alimoniam, præter carnes reperire et condere. Et omnibus vesci cogit fames, et nihil est quod Deus suave et salubre facere non possit, qui etiam ut sine cibo viverent divina facultate donaret.

7 Dixitque Dominus ad eum: Ingredere tu et omnis domus tua in arcam: te enim vidi justum coram me in generatione hac.^{**} ²Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam: de animantibus vero immundis duo et duo, masculum et feminam. ³Sed et de volatilibus cæli septena et septena, masculum et feminam: ut salvetur semen super faciem universæ terræ. ⁴Adhuc enim, et post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus: et delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ.^{††} ⁵Fecit ergo Noë omnia quæ mandaverat ei Dominus.^{‡‡} ⁶Eratque sexcentorum annorum quando diluvii aquæ inundaverat super terram. ⁷Et ingressus est Noë et filii ejus, uxor ejus et uxores filiorum ejus cum eo in arcam propter aquas diluvii.^{¶¶} ⁸De animantibus quoque mundis et immundis, et de volucribus, et ex omni quod movetur super terram, ⁹duo et duo ingressa sunt ad Noë in arcam, masculus et femina, sicut præceperat Dominus Noë. ¹⁰Cumque transissent septem dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram.^{§§} ¹¹Anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, septimodecimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cæli

^{**}7.1 *Dixitque Dominus*, etc. *Ex omnibus animantibus mundis tolles septena et septena*, etc. RAB. Non geminatum septenarium, id est quatuordecim, sed tantum septem debemus accipere. Similiter duo et duo, non quatuor, sed tantum duo, masculum et feminam. Et notandum quod munda animalia impari numero, id est septenario introducuntur, immunda vero pari; quia impar numerus virtutis speciem portendit, par vero infirmitatem. Plura sunt munda, ut egressus Noë de arca haberet quid immolaret et manducaret. ISID. in Gen. *Ex omnibus animantibus*, etc. Non quod plures sint boni quam mali, etc., usque ad qui dies a passione tertius in numero dierum qui per omne tempus voluntur, et primus, et octavus. AUG. in Gen. Quæritur utrum tam magna arca centum annis potuit fabricari a quatuor hominibus, id est, Noë et filiis ejus tribus? Sed si non potuit, non erat magnum alios fabros adhibere, quamvis, operis sui mercede adepta, non curaverunt utrum Noë sapienter an inaniter faceret, et in eam non intraverunt, quia non crediderunt quod ille credidit.

^{††}7.4 *Ego pluam*, etc. ISID. Quæst. in Gen., c. 7 Quia omnis reatus contra decalogum committitur per universum orbem, qui partibus quatuor dividitur: quater vero decem quadraginta fiunt; sive reatus contrahatur ex prosperitate, quod pertinet ad dies; sive ex adversitate, quod ad noctes, in baptismo abluitur.

^{‡‡}7.5 *Fecit ergo Noë omnia*, etc. *Eratque sexcentorum annorum*, etc. ISID., Ibid. Quingentorum annorum erat Noë cum præcepit ei Dominus ut arcam faceret, etc., usque ad qui est ternarius quadratus.

^{¶¶}7.7 *Ingressus est Noë et filii ejus, uxor*, etc. RAB. Notandum quod seorsum ingreditur in arcam Noë cum filiis suis, et uxores eorum seorsum. Ideo distincte dicitur: *Ingressus est Noë et filii ejus*, et distincte additur, *uxor ejus et uxores filiorum ejus*. Mixtim autem viri cum mulieribus egressi sunt, sic enim scriptum est: *Egressus est Noë et uxor ejus. Tempus enim amplectendi et tempus abstinendi Eccli. 3.*

^{§§}7.10 *Cumque transissent*, etc. ISID. Quia in spe futuræ quietis, quam significat septimus dies, baptizamur, omnis caro extra arcam diluvio consumpta est; quia extra Ecclesiam aqua baptismi, quamvis eadem sit, non valet ad salutem, sed ad perniciem.

apertæ sunt: * 12 et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus. 13 In articulo diei illius ingressus est Noë, et Sem, et Cham, et Japheth filii ejus; uxor illius, et tres uxores filiorum ejus cum eis in arcam: 14 ipsi et omne animal secundum genus suum, universaque jumenta in genere suo, et omne quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, universæ aves, omnesque volucres, 15 ingressæ sunt ad Noë in arcam, bina et bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ. † 16 Et quæ ingressa sunt, masculus et femina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus: et inclusit eum Dominus deforis. 17 Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram: et multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime a terra. ‡ 18 Vehementer enim inundaverunt, et omnia repleverunt in superficie terræ: porro arca ferebatur super aquas. 19 Et aquæ prævaluerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cælo. 20 Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. ¶ 21 Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram: universi homines, 22 et cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. 23 Et delevit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quam

*7.11 **Anno sexcentesimo**, etc. Allegorice. Notandum quod sexcentesimo anno inundaverunt aquæ diluvii, quia sexta ætate mundi primo commendatum est sacramentum baptismi, et hoc septima decima die secundi mensis, quia denarius decalogum significat. Septenarius propter Sabbatum septimam requiem significat, et quia in decalogo renuntiatio vitiorum videtur, quicumque in baptismo initiatur, propter æternam requiem, omnibus vitiis se abrenunciare profitetur. **Cataractæ**. Fenestræ, nubes scilicet, quæ sunt apertæ, ut inde insolitæ et majores pluvie funderentur. Cataractæ vero proprie sunt ostia Nili, sed abusive pro omnibus fenestris ponuntur. RAB. De arca solet quæri utrum tanta capacitate, quanta describitur, animalia omnia quæ ingressa dicuntur, et escas eorum ferre potuerit? Quod cubito geometrico solvit Origenes, asserens non frustra dictum esse Moysen in omni sapientia Ægyptiorum fuisse eruditum, qui geometriam dilexerunt, et cubitum geometricum quantum sex nostros continere.

†7.15 **Bina et bina**, etc. AUG. ubi supra. Præcepit superius septena et septena de mundis, duo et duo tolli de immundis. Quomodo ergo nunc dicit duo et duo intrasse, sive de mundis, sive de immundis? Sed hoc refertur non ad numerum mundorum et immundorum, sed ad masculum et feminam. In omnibus enim duo sunt, masculus et femina. Notandum vero quod dicitur: **In qua erat spiritus vitæ**, non solum de hominibus, sed et de pecoribus dictum: quia quidam de Spiritu sancto volunt intelligi quod scriptum est, **insufflavit in faciem ejus spiritum vitæ**; sed quidam codices habent melius, **flatum vitæ**.

‡7.17 **Quadraginta diebus**, etc. ALC. Quadragenario numero pluvia inundavit, qui tribulationem pœnitentiæ ostendit. Post quadraginta dies Noë fenestram aperuit, significans jejunantibus cœlum aperiri. Unde Moyses, Elias, et ipse Salvator, quadragenario numero jejunia consecravit, tanquam tribus temporibus necessaria, ante legem, sub lege, sub gratia.

¶7.20 **Quindecim cubitis altior**, etc. AUG. in Gen. Si terra Olympi montis ut tradit historia potuit invadere spatium tranquilli æris, etc., usque ad ad tenendam quietem et fidem resurrectionis. **Quindecim**. Sunt qui putant nec terræ qualitatem, nec altitudinem montium tantam ante diluvium fuisse qualis et quanta est hodie.

volucres cæli: et deleta sunt de terra. Remansit autem solus Noë, et qui cum eo erant in arca.^{§ 24} Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.

8 Recordatus autem Deus Noë, cunctorumque animantium, et omnium jumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ.^{** 2} Et clausi sunt fontes abyssi, et cataractæ cæli: et prohibitæ sunt pluvix de cælo.³ Reversæque sunt aquæ de terra euntes et redeuntes: et cœperunt minui post centum quinquaginta dies.⁴ Requievitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Armeniæ.^{†† 5} At vero aquæ ibant et decrescebant usque ad decimum mensem: decimo enim mense, primo die mensis, apparuerunt cacumina montium.^{‡‡ 6} Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noë fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit corvum,⁷ qui egrediebatur, et non revertebatur, donec siccar-entur aquæ super terram.^{¶¶ 8} Emisit quoque columbam post eum, ut videret si jam

§7.23 *Deleta sunt de terra.* ALC. Ideo magis terrena animalia quam aquatilia perierunt, quia de maledicta terra vivunt.

**8.1 *Recordatus est autem Deus Noë,* etc. *Adduxit spiritum super terram,* etc. ALCUIN., quæst. in Gen. De illo spiritu intelligi potest de quo dictum est, *Spiritus Dei ferebatur super aquas:* tunc ferebatur, ut, congregatis in suum locum, terra appareat: nunc adducitur, ut, ablati aquis diluvii, faciem terræ revelaret. Potest per spiritum ventus intelligi, juxta illud psalmi CVI: *Et stetit spiritus procellæ,* cujus scilicet flatibus aqua recederet.

††8.4 *Requievitque arca mense septimo,* etc. ISID. Septenariam requiem significat, et quia perfecti requiescunt ibi, supradictæ quoque quadraturæ numerus iteratur. Nam vigesima septima die secundi mensis commendatur sacramentum, et rursus vigesima septima die septimi mensis confirmatur, cum arca requievit: quod enim promittitur in spe, exhibetur in re. AUG. Quæritur utrum post centum quinquaginta dies hæc facta sunt, an per recapitulationem omnia rememorata quæ post quadraginta dies pluvix cœperunt fieri, ut hoc solum *centum quinquaginta dies* pertineat, quod usque ad ipsos montes aqua est exaltata, aut de fontibus abyssi jam cessante pluvia, aut quia mansit in altitudine nullo spiritu siccante. Cætera vero quæ dicta sunt non post centum quinquaginta dies omnia facta sunt, sed commemorata: quæ ex fine quadraginta dierum fieri cœperunt.

‡‡8.5 *Decimo enim mense.* Notandum quod decimo mense apparuerunt cacumina montium, quæ quindecim cubitis excesserant aquæ diluvii, quia sacramenta æternæ quietis et gloriam resurrectionis quam nescivit sapientia superborum intellexit eminentia sanctorum per impletionem præceptorum; unde Psalmi CXVIII: *A mandatis tuis intellexi.* Et alibi, Luc 10: *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.*

¶¶8.7 *Qui egrediebatur,* etc. ISID. Quod post quadraginta dies corvus non rediit, aut aquis interceptus, aut cadavere natante illectus, figurat immunditia cupiditatis teterrimos: et ideo his quæ foris sunt in mundo nimis intentos, aut rebaptizari, aut ab his quos præter arcam, id est Ecclesiam, baptismus occidit, seduci et teneri. AUG. Quæritur utrum corvus mortuus sit, an aliquo modo vivere potuerit? Si enim fuit terra ubi requiesceret, similiter columba requiem invenisset. Unde conjicitur quod cadaveri potuit corvus insidere, quod naturaliter refugit columba.

cessassent aquæ super faciem terræ. §§⁹ Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam: aquæ enim erant super universam terram: extenditque manum, et apprehensam intulit in arcam.*¹⁰ Expectatis autem ultra septem diebus aliis, rursus dimisit columbam ex arca. †¹¹ At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo: intellexit ergo Noë quod cessassent aquæ super terram. ‡¹² Expectavitque nihilominus septem alios dies: et emisit columbam, quæ non est reversa ultra ad eum. †¹³ Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super terram: et aperiens Noë tectum arcæ, aspexit, viditque quod exsiccata esset superficies terræ. §¹⁴ Mense

§§8.8 *Emisit quoque.* ISID. Emissa columba, nec inventa requie reversa, significat per novum Testamentum requiem sanctis in hoc mundo non esse promissam: post quadraginta enim dies emissa est, quo numero vita quæ in mundo agitur designatur. STRAB. Arca continet corvum et columbam, et Ecclesia bonos et malos. Corvus emissus non revertitur, quia reprobi illecebris sæculi inhærentes pereunt. Columba rediit, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo, quia sancti, simplicitate gaudentes, munus pacis in ore portant, dicentes: Psal. 19 *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis,* etc.

*8.9 *Reversa est.* AUG. Quæstio est quomodo columba non invenerit ubi resideret, cum jam nudata essent cacumina montium, secundum narrationis ordinem? Quod recapitulatione potest solvi, ut posterius narrata intelligantur quæ facta sunt prius, aut potius nondum siccata fuerunt.

†8.10 *Expectatis,* etc. Post septem dies alios, dimissa columba propter septenariam operationem spiritualem, olivæ fructuosum surculum retulit, signans multos extra Ecclesiam baptizatos, si pinguedo charitatis non defuerit, posteriore tempore in ore columbæ, tanquam in osculo pacis, ad unitatis societatem reduci.

‡8.11 *Portans ramum.* ALC. Columba ramum olivæ, expulso teterrimo alite, ad Noë post diluvium portat, quia columba Spiritus sancti, ad Christum post baptismum veniens, ramo refectionis et luminis pacem annuntiat.

†8.12 *Expectavitque nihilominus septem alios dies,* etc. ISID. in Gen. Post alios septem dies dimissa columba, nec reversa, significat finem sæculi, quando requies sanctorum erit, non in sacramento spei, quo nunc Ecclesia consociatur, quandiu bibitur quod de latere Christi manavit, sed in perfectione salutis, cum tradetur regnum Deo et Patri, ut in illa conspicua contemplatione veritatis nullis egeamus mysteriis.

§8.13 *Sexcentesimo primo anno,* etc. Ibid. Vitæ Noë, id est, peractis sexcentis annis aperitur arcæ tectum, etc., usque ad uno addito, propter unitatis vinculum.

secundo, septimo et vigesimo die mensis arefacta est terra.** 15 Locutus est autem Deus ad Noë, dicens:†† 16 Egredere de arca, tu et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum tecum. 17 Cuncta animantia, quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus quam in bestiis et universis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum, et ingredimini super terram: crescite et multiplicamini super eam. 18 Egressus est ergo Noë, et filii ejus: uxor illius, et uxores filiorum ejus cum eo. 19 Sed et omnia animantia, jumenta, et reptilia quæ reptant super terram, secundum genus suum, egressa sunt de arca. 20 Ædificavit autem Noë altare Domino: et tollens de cunctis pecoribus et volucris mundis, obtulit holocausta super altare.‡‡ 21 Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur ultra percutiam omnem animam viventem sicut feci.¶¶ 22 Cunctis diebus terræ, sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies non requiescent.

8.14 **Mense secundo. STRAB. *Historice.* Id est, Maio, Noë annum fecit in arca, et ipsa die qua ingressus fuerat, egressus est. Ingressus es enim vicesima septima die mensis secundi; num dicit quia egressus est septima et vicesima die ejusdem mensis. Sed sciendum est quia si præsentis diei addantur undecim, qualis luna hodie est, talis erit post annum ipsa die. Quando ergo Noë ingressus est, decima septima luna, vel septima decima dies mensis secundi fuit. Ideo post annum undecim additis, fuit vicesima septima dies et decima septima luna. **Mense secundo,** etc. Mystice. Sicut supra dictum est, decima septima die sexcentissimi anni aquis diluvii terra madefacta est, sed vigesima septima die secundi mensis arefacta est, quando præceptum est ut de arca egredierentur, et pactum acciperent, ne ultra aquis diluvii perirent. In quo intelligi potest quia per decem et septem sicut supra status inchoantium significari potest, quando vitiis abrenuntiat; per viginti septem promotio perfectorum in consummatione virtutum. Si enim decem et septem decem addas, fiunt viginti septem. Si enim decem præceptis quibus peccatis renuntiat, evangelicam perfectionem adjicias qua præcipitur non solum non irasci, sed etiam inimicos diligere, et similia, ad illam ætatem perfectionis pervenisti, in qua nec sacramentis prædictis egeas; et de arca exiens, id est, de spe ad speciem perveniens, requiem in sacramentis promissam invenies.

††8.15 **Egredere de arca,** etc. ISID. Juncti exeunt, qui disjuncti intraverunt, quia, **nunc caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.** Sed in resurrectione justorum perfecta pace spiritui corpus adhærebit, nulla mutabilitatis indigentia vel concupiscentia resistente.

‡‡8.20 **Et tollens,** etc. AUG. Ingressa sunt in arcam munda et immunda animalia, sed post egressum non offeruntur Deo nisi munda. Quod vero ait: **Non percutiam omnem animam viventem sicut feci,** et addidit quæ largitate bonitas donat indignis, forte Novi Testamenti indulgentia figurata est, ut præterita ultio ad legis pertineat severitatem, hoc ad gratiæ bonitatem.

¶¶8.21 **Sensus enim,** etc. GREG., Moral. libr. 38 Nemo sibi attribuat, si cogitationes vicerit: quia corruptionis malum, quod quisque ab ortu carnalium desideriorum sumpsit, exercet in provectu ætatis: et nisi hoc citius divinæ fortitudinis reprimat manus, omne bonum naturæ culpa vorat in profundum; **Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus I Cor. 3.**

9 Benedixitque Deus Noë et filiis ejus. Et dixit ad eos: Crescite, et multiplicamini, et replete terram.^{§§} ² Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cæli, cum universis quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.* ³ Et omne, quod movetur et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. ⁴ Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis.† ⁵ Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: et de manu hominis, de manu viri, et fratris ejus requiram animam hominis. ⁶ Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo. ⁷ Vos autem crescite et multiplicamini, et ingredimini super terram, et implete eam. ⁸ Hæc quoque dixit Deus ad Noë, et ad filios ejus cum eo: ⁹ Ecce ego statuum pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos:‡ ¹⁰ et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, tam in volucris quam in jumentis et pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, et universis bestiis terræ. ¹¹ Statuum pactum meum vobiscum, et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram. ¹² Dixitque Deus: Hoc signum foederis quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas: ¹³ arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me et inter terram.¶ ¹⁴ Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus: ¹⁵ et recordabor foederis mei vobiscum, et cum omni anima vivente quæ carnem vegetat: et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendum universam carnem. ¹⁶ Eritque arcus in nubibus, et

§§9.1 *Benedixitque Deus Noë et filiis; etc. Crescite et multiplicamini.* Homo in terrore cæteris animalibus præponitur, in solatium transactæ vindictæ, et ne pauci homines a pluribus bestiis opprimantur, et sciant se irrationabilibus, sed non rationabilibus dominari.

*9.2 *Et terror vester,* etc. GREG. libr. II Moral. c. 11 Potentibus viris magna est virtus humilitatis, etc., usque ad quo non suam gloriam, sed subditorum quærunt utilitatem.

†9.4 *Carnem cum sanguine.* ISID. Dantur eis cuncta animalia in escam, quia in vocatione gentium ad fidem nulla distantia est, quod in disco Petri figuratur. Sanguinem manducare prohibentur, ne vita pristina quasi suffocata in conscientia teneatur, sed effundatur per confessionem. Esus carniū concessus videtur post diluvium, propter infecunditatem terræ et hominis fragilitatem.

‡9.9 *Ecce ego statuum pactum,* etc. Testamentum posuit Deus inter se et homines et omnem animam vivam, ne perdat eam diluvio, arcum scilicet, qui apparet in nubibus, qui nunquam nisi de sole resplendet. Illi enim non pereunt diluvio separati ab Ecclesia, qui in prophetis et in omnibus sanctis Scripturis, tanquam in Dei nubibus, agnoscunt gloriam Christi, non suam quærunt. Sed ne adoratores hujus solis intumescant, sciant ita Christum significari per solem sicut per leonem, per agnum, per lapidem, similitudinis causa, non proprietatis substantia.

¶9.13 *Arcum meum ponam,* etc. ALC. in Gen. Arcum dedit Deus in signum securitatis, ne homines formidolosi timerent altero diluvio deleri, pluviarum inundationes sæpe cernentes. Hic in cælo positus est, ut ab omnibus videri possit, et pro quacunque tribulatione ad eum attollamus oculos cordis, qui habitat in cælis. Quia vero arcus non est nisi ex radiis solis et humida nube, videtur quod ante diluvium non fuissent pluviae. Poterat autem ex rore et fontium inundatione terra fecundari. STRAB. Arcus duos habet colores, cæruleum et igneum, qui duo judicia expriment: unum aquæ quod præteriit; aliud ignis, quod venturum creditur in fine sæculi: unde cæruleus color extrinsecus, igneus vero intrinsecus.

videbo illum, et recordabor fœderis sempiterni quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem universæ carnis quæ est super terram. ¹⁷ Dixitque Deus ad Noë: Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me et omnem carnem super terram. ¹⁸ Erant ergo filii Noë, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham et Japheth: porro Cham ipse est pater Chanaan. ¹⁹ Tres isti filii sunt Noë: et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram. ²⁰ Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, et plantavit vineam. ²¹ Bibensque vinum inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo. ²² Quod cum vidisset Cham, pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras. ²³ At vero Sem et Japheth pallium imposuerunt humeris suis, et incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui: faciesque eorum aversæ erant, et patris virilia non viderunt. ²⁴ Evigilans autem Noë ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ²⁵ ait: [Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.] ²⁶ Dixitque: [Benedictus Dominus

§9.18 *Erant igitur filii Noë*, etc. HIER. in Q. Hebr. Sæpe LXX non valentes *heth* litteram, quia duplicem aspirationem sonat, in Græcum vertere, *chi* Græcam addiderunt, docentes in hujusmodi vocabulis esse aspirandum. Unde *Cham* transtulerunt pro eo quod est *Ham*, a quo Ægyptus usque hodie lingua Ægyptiorum dicitur Ham.

**9.21 *Bibensque vinum*, etc. Christus quoque inebriatus, dum passus; nudatus, dum crucifixus. *In tabernaculo suo*, id est, inter domesticos sanguinis sui, tunc nudata est mortalitas carnis. *Judæis scandalum, gentibus stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis et gentibus*, quasi Sem et Japheth, *Dei virtus, et Dei sapientia: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*. ALCUIN. Post diluvium Noë inebriatus est, quia forte nesciebat vino posse inebriari. Nec enim ante diluvium leguntur homines vino usi. Ideo de Noë specialiter dicitur quod plantaverit vineam. Nudatio femoris sequitur ebrietatem sicut libido satietatem.

††9.22 *Quod cum vidisset*, etc. PROCOP. in Gen. Ex his circumstantiis Chami peccatum amplificatur. Despectui habet parentem, effutit quam turpiter jacuerit pater, nec uni ex fratribus nuntiat, sed utrisque: si plures præsto fuissent, facinus detexisset omnibus: ridiculum ei visum est facinus cui minime debebat; dignum erat id factum pudore et cautela, ne ad cæteros ejus infamia dimanaret: nec his qui domestici erant id annuntiat, sed externis. ISID. Judæi, Christi mortem videntes, subsannaverunt. Sem vero et Japheth, duo populi ex præputio et circumcissione credentes, aversi operuerunt, etc., usque ad *tanquam in pacem anguli concurrentes*.

‡‡9.23 *At vero Sem*, etc. GREG. in Moral. Aversari dicimur quod reprobamus. Quid est ergo quod filii verenda patris superjectis dorso palliis aversi veniendo operuerunt, nisi quia bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicent, ut ab aliis nota occultent: operimentum aversi deferunt, quia dijudicantes factum, et venerantes magistrum, nolunt videre quod tegunt.

¶¶9.24 *Maledictus Chanaan puer*, etc. Ibid. Non prætermittit Deus inulta peccata, sed ita iudicium in nostra correctione incipit, ut in reproborum damnatione quiescat. Incipit enim iudicium a domo Dei. Quis ergo finis eorum qui non crediderunt, qui temporalia flagella non sentiunt? Quia in æternum peribunt; quorum nequitia Cham peccante figurata est. Cui dicitur: *Maledictus Chanaan puer*, etc. Patre peccante, filius sententiam accepit, quia reproborum nequitia hic diu proficit, sed perit in posterum.

Deus Sem, sit Chanaan servus ejus.^{§§ 27} Dilatet Deus Japheth, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus.]^{* 28} Vixit autem Noë post diluvium trecentis quinquaginta annis.²⁹ Et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum: et mortuus est.

10 Hæ sunt generationes filiorum Noë, Sem, Cham et Japheth: natiq̄ue sunt eis filii post diluvium.^{† 2} Filii Japheth: Gomer, et Magog, et Madai, et Javan, et Thubal, et Mosoch, et Thiras.^{‡ 3} Porro filii Gomer: Ascenez et Riphath et Thogorma.⁴ Filii autem Javan: Elisa et Tharsis, Cethim et Dodanim.⁵ Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam et familias suas in nationibus suis.⁶ Filii autem Cham: Chus, et Mesraim, et Phuth, et Chanaan.⁷ Filii Chus: Saba, et Hevila, et Sabatha, et Regma, et Sabatacha. Filii Regma: Saba et Dadan.⁸ Porro Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra,^{¶ 9} et erat robustus venator coram Domino. Ob hoc exivit proverbium: Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.^{§ 10} Fuit autem principium regni ejus Babylon, et Arach et Achad, et Chalanne, in terra Sennaar.^{** 11} De terra illa egressus est Assur, et ædifi-

§§9.26 **Benedictus Dominus Deus Sem.** Cum sit Deus omnium gentium, quasi proprio vocabulo etiam in ipsis gentibus dicitur Deus Israël, quod est ex benedictione Japheth, quia in populo gentium orbem terræ occupavit Ecclesia, quod prænuntiabatur cum diceretur: **Dilatet Deus Japheth. Chanaan.** STRAB. A quo Chananæi, qui hac maledictione prophetantur, expellendi de loco habitationis.

*9.27 **Dilatet Deus Japheth,** etc. HIERON. De Sem Hebræi, de Japheth gentiles. Quia igitur lata est multitudo credentium, a latitudine, quæ Japheth dicitur, latitudo nominatur. Quod autem ait: **Et habitet in tabernaculis Sem,** de nobis prophetatur qui in eruditione et scientia Scripturarum, ejecto Israël, versamur. **Dilatet Deus Japheth,** etc. ISID. Sem major natu, ipse est Judaicus populus, ex quo patriarchæ, et prophetæ, et apostoli, etc., usque ad id est opus eorum.

†10.1 **Hæ sunt generationes,** etc. Benedictus duobus filiis Noë, et medio maledicto, generationes eorum texuntur, ex quibus septuaginta duæ generationes sunt ortæ: quindecim de Japheth, triginta de Cham, viginti septem de Sem. Ad quas misit Dominus septuaginta duos discipulos. **Sem** ALC. Sem, ut æstimant, Asiam; Cham Africam, Japheth Europam sortitus est. **Japheth.** Minoris filii, de quo nati sunt septem filii, qui tenuerunt septentrionalem regionem a Tauro et Amano, montibus Ciliciæ et Syriæ, usque ad fluvium Tanaim, in Europa vero usque ad Gadira. Nomina vero locis et gentibus relinquentes, ex quibus plurima mutata, cætera permanent.

‡10.2 **Gomer.** Hi sunt Galatæ, secundum Josephum, qui Latine Gallogræci dicuntur. **Thubal.** Iberes qui et Hispani, a quibus Celtiberia, licet quidam Italicos suspicentur. **Chanaan.** Hic obtinuit terram quam Judæi postea possederunt, ejectis Chananæis.

¶10.8 **Regma et Saba,** etc. HIERON. Paulatim antiqua nomina perdiderunt, et quæ nunc pro veteribus habeant, ignoratur. **Saba.** Alia quam superior, et differunt in scriptura: illa enim per **samech,** hæc per **schin** scribitur; ubi enim dicimus: Reges Arabum et Saba dona adducent, in Hebræo habetur **scheba** et **seba.** **Nemrod.** Qui ultra naturam cælum penetrare voluit. Significat diabolus, qui ait: **Ascendam super astra cæli.** Nemrod, secundum Josephum, nova regni cupiditate tyrannidem arripuit, et fuit auctor ædificandæ turris quæ tangeret cælum. **Ipse cœpit esse potens,** vel **gigas,** secundum alios. Sed antea gigantes natos Scriptura commemorat. Sed forte post diluvium novitas generis humani reparandi memoratur, **quia ipse cœpit esse gigas super terram.**

§10.9 **Robustus venator.** ALC. Id est, hominum oppressor et exstinctor, quos allexit ut turrem contra Deum construerent.

10.10 **Babylon. Est confusio, quia ibi facta est linguarum divisio.

cavit Niniven, et plateas civitatis, et Chale.^{††} ¹² Resen quoque inter Niniven et Chale: hæc est civitas magna. ¹³ At vero Mesraim genuit Ludim, et Anamim et Laabim, Nephthuim,^{‡‡} ¹⁴ et Phetrusim, et Chasluim: de quibus egressi sunt Philisthiim et Caphtorim. ¹⁵ Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum. Hethæum, ¹⁶ et Jebusæum, et Amorrhæum, Gergesæum, ¹⁷ Hevæum, et Aracæum: Sinæum, ¹⁸ et Aradium, Samaræum, et Amathæum: et post hæc disseminati sunt populi Chananæorum. ¹⁹ Factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam et Gomorrham, et Adamam, et Seboim usque Lesa. ²⁰ Hi sunt filii Cham in cognationibus, et linguis, et generationibus, terrisque et gentibus suis. ²¹ De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Japheth majore.^{¶¶} ²² Filii Sem: Ælam, et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram.^{§§} ²³ Filii Aram: Us, et Hul, et Gether, et Mes. ²⁴ At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber. ²⁵ Natique sunt Heber filii duo: nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus divisa sit terra: et nomen fratris ejus Jectan.* ²⁶ Qui Jectan genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, Jare, ²⁷ et Aduram, et Uzal, et Decla, ²⁸ et Ebal, et Abimaël, Saba, ²⁹ et Ophir, et Hevila, et Jobab: omnes isti, filii Jectan. ³⁰ Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem orientalem. ³¹ Isti filii Sem secundum cognationes, et linguas, et regiones in gentibus suis. ³² Hæc familiæ Noë juxta populos et nationes suas. Ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium.

11 Erat autem terra labii unius, et sermonum eorumdem.[†] ² Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et habitaverunt in

^{††}10.11 **Assur.** Imperium Assyriorum, quod primum fuit sub Nino, qui ædificavit Ninivem, quæ propter pœnitentiam *pulchra* appellatur.

^{‡‡}10.13 **At vero Mesraim,** etc. HIERON. Exceptis Laabin, a quibus Libyes postea nominati sunt, qui prius Phutæi vocabantur; et Chasluim, qui postea Philistiim dicti sunt, quos nos corrupte *Palæstinos* dicimus, cæteræ sex gentes nobis ignotæ sunt, quia bello Æthiopico subversæ. Possederunt autem terram a Gaza usque ad extremos fines Ægypti. **Ludim et Anamim. Laabim, Nephthuim,** etc. Hæc omnia ignorantur, vel quia deletæ sunt gentes bello Æthiopico, vel quia ignoratur quæ nomina nunc habeant.

^{¶¶}10.21 **De Sem.** De hoc novissime loquitur, quia ejus generationem, et generationis lineam prosequitur. **Heber.** Qui tamen quintus a filio Noë Sem. Utrum quia Hebræi dicuntur ex illo appellati, vel quia per illum generatio ad Abraham transit? Quid ergo probabilius sit Hebræos dici tanquam Heberæos, vel tanquam Abraeos, merito quæritur.

^{§§}10.22 **Assur.** Qui ædificavit Ninivem.

*10.25 **Natique sunt Heber filii,** etc. Heber, *transitor*, a quo Hebræi, id est, *transitores.* Veri Hebræi sunt, qui de præsentibus ad futura, de caducis ad mansura transeunt. Hæc gentes a fluvio Cono possederunt omnem regionem quæ vocatur Geria.

[†]11.1 **Erat autem terra labii unius,** etc. AUG., in Gen. Dictum est superius quod filii Noë, vel filiorum ejus, distributi sunt per terras secundum linguas suas. Sed hoc per recapitulationem postea commemorat quod prius erat. Sed obscuritatem facit, quod eo genere locutionis ita contextit, quasi de his narratio quæ postea facta sunt consequatur.

eo.[‡] ³ Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento:[¶] ⁴ et dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cælum: et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras. ⁵ Descendit autem Dominus ut videret civitatem et turrim, quam ædificabant filii Adam, ⁶ et dixit: Ecce, unus est populus, et unum labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. ⁷ Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.[§] ⁸ Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessaverunt ædificare civitatem.^{**} ⁹ Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ: et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum. ¹⁰ Hæ sunt generationes Sem: Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium.^{††} ¹¹ Vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: et genuit filios et filias. ¹² Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, et genuit Sale. ¹³ Vixitque Arphaxad, postquam genuit Sale, trecentis tribus annis: et genuit filios et filias. ¹⁴ Sale quoque vixit triginta annis, et genuit Heber. ¹⁵ Vixitque Sale, postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis: et genuit fil-

[‡]11.2 *Cumque proficiscerentur.* CHRYSOST., in Gen. Vide quomodo humanum genus non potest subsistere intra suos limites, sed amplius concupiscens, majora semper appetit. Atque hoc est quod humanum genus perdit, quia non vult naturæ suæ mensuram agnoscere, sed semper majora desiderat. Quoniam *viderunt, inquit, campum in terra Sennaar,* migrantes, et relicto priori loco illic habitaverunt.

[¶]11.3 *Venite.* Timebant iterum diluvium; ideo auctore Nemrod voluerunt sibi constituere turrem, in qua diluvium non timerent. Stulta et impia audacia, unde secuta vindicta est et linguarum divisio. ISID. in Gen. Turris, mundi superbia, vel hæreticorum dogmata, etc., usque ad unitas confessionis et fidei.

[§]11.7 *Venite igitur,* etc. Ad angelos dixisse intelligitur; vel secundum illud: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Nam singulari numero subjunctum est: *et divisit eos,* etc., sicut ibi: *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam.* GREG. Moral. lib. 2, c. 5 *Venite,* etc. Dicitur his qui Deo adhærent, *Venite,* quia a divina contemplatione nunquam decrescere, sed semper accrescere, et nunquam corde recedere, stabili motu est semper venire. Ascendunt angeli Creatorem conspiciendo, descendunt creaturam illicite se erigentem examine distractionis prempendo. Dicere ergo, *Descendamus, et confundamus linguam eorum,* est in semetipso quod recte agatur ostendere, et per vim internæ visionis eorum mentibus exhibenda judicia occultis motibus inspirare.

^{**}11.8 *Divisit eos.* ALC. In hac divisione linguarum nihil novum fecit Deus, sed dicendi modos et formas loquularum diversis gentibus divisit. Unde easdem syllabas et ejusdem potestatis litteras aliter conjunctas in diversis linguis invenimus, et sæpe eadem nomina vel verba aliud significantia; unde ubi dicitur psalmo 2: *In virga ferrea,* in Græco habetur, *in raudo sidera.* Igitur in Latino *sidera* non *ferrea* significat, sicut in Græco, sed *astra.* AUG. lib. XVI de Civit. c. 4 Merito malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus. Genus vero pœnæ quale fuit? Quoniam enim dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere ut obediret jubenti Deo.

^{††}11.10 *Sem centum erat annorum.* BEDA, Hexæm., lib. 3, t. 2, col. 131 Magna quæstio nobis nascitur secundum litteram, quomodo Sem biennio post diluvium centum esse annorum dicatur, cum supra quingentesimo anno Noë natus asseratur, et sexcentesimo anno ejusdem Noë diluvium venisse legatur, etc., usque ad *quia tulit eum Deus.*

ios et filias. ¹⁶ Vixit autem Heber triginta quatuor annis, et genuit Phaleg. ¹⁷ Et vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis: et genuit filios et filias. ¹⁸ Vixit quoque Phaleg triginta annis, et genuit Reu. ¹⁹ Vixitque Phaleg, postquam genuit Reu, ducentis novem annis: et genuit filios et filias. ²⁰ Vixit autem Reu triginta duobus annis, et genuit Sarug. ²¹ Vixit quoque Reu, postquam genuit Sarug, ducentis septem annis: et genuit filios et filias. ²² Vixit vero Sarug triginta annis, et genuit Nachor. ²³ Vixitque Sarug, postquam genuit Nachor, ducentis annis: et genuit filios et filias. ²⁴ Vixit autem Nachor viginti novem annis, et genuit Thare. ²⁵ Vixitque Nachor, postquam genuit Thare, centum decem et novem annis: et genuit filios et filias. ²⁶ Vixitque Thare septuaginta annis, et genuit Abram, et Nachor, et Aran. ²⁷ Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor et Aran. Porro Aran genuit Lot. ²⁸ Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra nativitatissuæ, in Ur Chaldæorum. ²⁹ Duxerunt autem Abram et Nachor uxores: nomen uxoris Abram, Sarai: et nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ, et patris Jeschæ. ³⁰ Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos. ³¹ Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Lot filium Aran, filium filii sui, et Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, et eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan: veneruntque usque Haran, et habitaverunt ibi. ³² Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran.

12 Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi. ² Faciamque

²⁷11.26 *Thare genuit Abram et Nachor.* AUG. quæst. 25 in Gen. Non simul, sed suis temporibus, ex quo gignere cœpit. Nec attendendus est in his ordo nativitatiss, sed significatio futuræ dignitatis, in qua excellit Abram.

²⁸11.31 *In Ur Chaldæorum.* HIERON. In Hebræo *in Ur Chesdim* id est, *in igne Chaldæorum.* Hic fabulantur Hebræi quod Abram in ignem sit missus, quia ignem noluit adorare, quem Chaldæi colunt, et Dei auxilio liberatus, de idololatriæ igne effugerit. Unde ad eum dicitur: *Ego sum qui eduxi te de Ur Chaldæorum. Aram patris Melchæ.* Ibid. Idem pater utriusque. Aram filius Thare, frater Abræ et Nachor, duas filias genuit, Melcham et Sarai, cognomento Jescham. Melcham duxit Nachor, et Sarai Abram. Nondum enim inter patruos et neptes nuptiæ fuerant prohibitæ, quæ in principio etiam inter fratres et sorores sunt celebratæ. *Tulit itaque Thare Abram,* etc., usque, facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran. AUG. Prius dicitur, *quod cum esset Thare septuaginta annorum genuit Abram, et postea cum omnibus suis mansit in Charan, et mortuus est.* Et dictum est Abræ ut exiret de Charan, et exivit cum esset septuaginta quinque annorum. Sed per recapitulationem ostenditur vivo patre Dominum præcepisse, etc., usque ad a quo Judæi dicti propter regiam tribum.

²⁸12.1 *Egredere de terra,* etc. AUG. ubi supra. Consideranda est narratio Stephani de hac re, etc., usque ad sic igitur locatus est in terra illa Abram, quando ibi vixit usque ad nativitatem Jacob. STRAB. Notandum quod jam egressus fuerat de terra sua, sed tunc egressus fuerat corpore, non mente et voluntate; habebat enim animum forsitan revertendi, quando dictum est ei: *Egredere,* etc. ISID. Reliquit terram Christus et cognationem Judæorum, et magnificatus est in populis gentium. Nobis quoque exeundum est de terra nostra, id est, de facultatibus et opibus terrenis, et cognatione, id est conversatione vitiorum, quæ, nobis a nativitate cohærentia, quasi affinitates consanguinitatis sunt conjuncta; et *de domo patris,* id est de memoria mundi, ut ei renuntiantes possimus cum populo Dei dilatari, et in terram promissionis cœlestis, cum tempus venerit, introduci.

te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.*³ Benedicam benedicientibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ.⁴ Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus, et ivit cum eo Lot: septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran.[†]⁵ Tulitque Sarai uxorem suam, et Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et animas quas fecerant in Haran: et egressi sunt ut irent in terram Chanaan. Cumque venissent in eam,⁶ pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem: Chanaanus autem tunc erat in terra.⁷ Apparuit autem Dominus Abram, et dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.⁸ Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, et ab oriente Hai: ædificavit quoque ibi altare Domino, et invocavit nomen ejus.[‡]⁹ Perrexitque Abram vadens, et ultra progrediens ad meridiem.¹⁰ Facta est autem fames in terra: descenditque Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra.¹¹ Cumque prope esset ut ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai uxori suæ: Novi quod pulchra sis mulier:¹² et quod cum viderint te Ægyptii, dicturi sunt: Uxor ipsius est: et interficient me, et te reservabunt.¹³ Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis: ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui.[¶]¹⁴ Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem quod esset pulchra nimis.¹⁵ Et nuntiaverunt principes Pharaoni, et laudaverunt eam apud illum: et sublata est mulier in domum Pharaonis.[§]¹⁶ Abram vero bene usi sunt propter illam: fueruntque ei oves et boves et asini, et servi et famulæ, et asinæ et cameli.¹⁷ Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, et domum ejus, propter Sarai uxorem Abram.¹⁸ Vocavitque Pharaon

*12.2 *Faciamque te in gentem magnam*, etc. ISID. Duo promittuntur Abræ, quod scilicet terram Chanaan semen ejus possidebit, cum dicitur: *Et veni in terram quam monstrabo tibi*. Aliud autem longe præstantius, non de carnali, sed de spirituali semine, quo pater futurus est, non tantum gentis Judaicæ, sed omnium gentium fidem suam sequentium; quod ita promittitur: *Et benedicentur in te omnes gentes terræ*.

†12.4 *Septuaginta quinque annorum*. HIERON. in Q. Hebr. Si Thare pater Abræ in regione Chaldæa, etc., usque ad et ibi diutius moratus sit.

‡12.8 *Bethel*. RAB. Interpretatur *domus Dei*, quæ post Bethaven vocata est, id est *domus idoli Hai*. Mystice. Hai *oculus* vel *fons* interpretatur. Patriarcha ergo tendens ad terram promissionis, tetendit tabernaculum inter Bethel et Hai, quia sancti fonte baptismi regenerati, in cursu hujus vitæ circumspecti, ad Dei tabernaculum, id est, cœlestem properant civitatem.

¶12.13 *Dic ergo, obsecro*, etc. AUG. lib. XVI de Civ., c. 19 Quæritur cur patriarcha voluit mentiri, etc., usque ad et vitam suam et uxoris pudicitiam.

§12.15 *Sublata est mulier*. RAB. Excusatur Sarai, quæ in domum Pharaonis transfertur invita, non solum in hoc quod non inquinatur corpus nec anima nisi mentis consensu, sed etiam in hoc quod conveniente et permittente viro suo factum est. AUG. Quæst. in Gen. Apud Pharaonem tandiu potuit esse intacta, quia in Esther legitur quod puellæ non statim ad reges introducebantur, sed uno anno custodiebantur, et sex mensibus oleo myrrhino ungebantur, et aliis sex mensibus in diversis odoramentis erant. Potuit ergo per has inducias temporis intacta manere. Et interim bene usi sunt Abram Ægyptii, donec Pharaon a Deo flagellatus, et cognoscens quod esset uxor ejus, redderet intactam.

Abram, et dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi? quare non indicasti quod uxor tua esset? ¹⁹ quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce conjux tua, accipe eam, et vade. ²⁰ Præcepitque Pharao super Abram viris: et deduxerunt eum, et uxorem illius, et omnia quæ habebat.

13 Ascendit ergo Abram de Ægypto, ipse et uxor ejus, et omnia quæ habebat, et Lot cum eo, ad australem plagam. ^{**} ² Erat autem dives valde in possessione auri et argenti. ³ Reversusque est per iter, quo venerat, a meridie in Bethel, usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel et Hai, ^{††} ⁴ in loco altaris quod fecerat prius: et invocavit ibi nomen Domini. ⁵ Sed et Lot qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, et armenta, et tabernacula. ⁶ Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa, et nequibant habitare communiter. ^{**} ⁷ Unde et facta est rixa inter pastores gregum Abram et Lot. Eo autem tempore Chananæus et Pherezæus habitabant in terra illa. ⁸ Dixit ergo Abram ad Lot: Ne quæso sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos: fratres enim sumus. ⁹ Ecce universa terra coram te est: recede a me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. ¹⁰ Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ

^{**} 13.1 *Ascendit ergo Abram*, etc. HIERON. in Q. Hebr. De Ægypto liberatus bene ascendisse legitur, sed quomodo potuit dives esse valde? Sed in Hebraica veritate habetur *gravis vehementer*: Ægypti enim pondere gravabatur. Et licet videantur esse divitiæ auri et argenti, si autem Ægyptiæ sunt, sancto viro graves sunt; nec, ut in LXX legitur, *Abiit unde venerat in desertum usque Bethel*, sed, secundum Hebræum, *Abiit in itinere suo per austrum usque Bethel*. De Ægypto enim profectus est, non ut desertum peteret, quod in Ægypto reliquerat, sed ut per austrum, qui aquiloni contrarius est, veniret ad domum Dei, ubi erat tabernaculum ejus inter Bethel et Hai.

^{††} 13.3 *In Bethel*, etc. Est autem Bethel civitatula in duodecimo lapide ab Helia ad dexteram euntibus Neapolim: quæ prius Luza, id est Amygdalus, vocabatur, in tribu Benjamin: Hai vero in tribu Juda separata sacerdotibus; Bethel, *domus Dei*; Hai, *oculus* vel *fons*: bene ergo tabernaculum inter Bethel et Hai figens, altare Domino ædificavit, quia sancti a mundi principe et sæculi voluptatibus recedentes, abluti sancto fonte baptismi, cursum præsentis vitæ considerate ducentes, et hostiam laudis et boni operis super altare fidei Deo exhibentes, ad domum Dei, id est ad cœlestem Hierusalem, feliciter tendunt.

^{**} 13.6 *Erat quippe substantia eorum multa*, etc. *Ne quæso sit*, etc. Nos quoque nihil concordia et charitati præponamus, sed per dexteram prosperitatis, vel sinistram adversitatis, in pace et dilectione perseveremus. Rixa inter pastores Lot et pastores Abræ controversiam significat inter pastores catholicos et subversores hæreticos. Unde et Lot hæresiarchas significat, qui *declinans* interpretatur; et circa Jordanem, id est *descensum*, regionem sibi elegit. Pastores ejus, hæreticos et schismaticos, qui pulchra et declivia petunt, nec in montem cum Mose ascendunt ad Dominum, pacem et unitatem continentem; et optionem quo volunt eundi accipiunt; et gratiam fugientes, libero arbitrio se committunt. Pastores vero Abræ catholicos doctores significant, qui hæreticos etiam localiter fugiunt, secundum illud ad Titum 3: *Hæreticum hominem post primam et secundam correctionem devita*: et hoc inter gentes Chananæi et Pheresæi, in terra scilicet promissionis, quia inter catholicos et hæreticos, quorum sit regnum cœlorum, solet esse contentio. *Fratres enim sumus*. Tribus modis dicuntur fratres in sancta Scriptura: natura, ut Jacob et Esau; cognatione, ut Abram et Lot; gente, sicut omnes Judæi. Unde si attenuatus fuerit frater tuus et vendiderit se tibi, etc.

universa irrigabatur antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham, sicut paradus Domini, et sicut Ægyptus venientibus in Segor.^{¶¶} ¹¹ Elegitque sibi Lot regionem circa Jordanem, et recessit ab oriente: divisique sunt alterutrum a fratre suo. ¹² Abram habitavit in terra Chanaan; Lot vero moratus est in oppidis, quæ erant circa Jordanem, et habitavit in Sodomis. ¹³ Homines autem Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis.^{§§} ¹⁴ Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo Lot: Leva oculos tuos et vide a loco, in quo nunc es, ad aquilonem et meridiem, ad orientem et occidentem. ^{*} ¹⁵ Omnem terram, quam conspicias, tibi dabo, et semini tuo usque in sempiternum. [†] ¹⁶ Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ: si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit. ¹⁷ Surge, et perambula terram in longitudine et in latitudine sua: quia tibi daturus sum eam. ¹⁸ Movens igitur tabernaculum suum Abram, venit, et habitavit juxta convallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificavitque ibi altare Domino.[‡]

14 Factum est autem in illo tempore, ut Amraphel rex Sennaar, et Arioch rex Ponti, et Chodorlahomor rex Elamitarum, et Thadal rex gentium^{¶¶} ² inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, et contra Bersa regem Gomorrhæ, et contra Sennaab regem Adamæ, et contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balæ,

^{¶¶}13.10 *Sicut paradus*, etc. Hinc discimus esse paradus terrenum, cui comparatur terrena irrigatio. Hæc enim regio plana erat et campestris, et irrigata Jordane fluente, sicut Ægyptus Nilo.

^{§§}13.13 *Coram Domino*. Cui crimen puniendum committitur: nam et hominibus manifestum crimen, sed non puniendum.

^{*}13.14 *Leva oculos*, etc. Quasi aspice per quatuor climata orbis; possessio Palestinæ promittitur ei et semini ejus. Quod in quibusdam codicibus, *mare* pro *occidente* ponitur, ideo fit quia Palæstina mare habet ab occidente.

[†]13.15 *Omnem terram*, etc. Non hoc solum promissum est. Non enim dictum est, Tantum terræ tibi dabo quantum vides; sed, Tibi dabo terram quam vides. Cum enim et ulterior undique dabatur, hæc præcipue dabatur quæ videbatur. Unde et addidit: *Surge et perambula terram*, etc., ut perambulando scilicet perveniat ad eam quam in uno loco stans videre non poterat. Significatur autem ea terra quam acceperat Israël semen Abræ secundum carnem, non secundum fidem: quod futurum erat sicut arena maris, quia numerari non possit. *Tibi dabo*. Christo promittitur hæreditas omnium gentium, qui Ecclesiam suam per totum mundum diffudit, cui Pater dicit: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam Psal. 2*. Et psalmo LXXI: *Et dominabitur a mari usque ad mare*.

[‡]13.18 *In Hebron*. Civitas est in tribu Juda, quæ et Cariatharbe dicitur, id est, *civitas quatuor*; CHARIAT enim Hebraice *civitas, arbe quatuor*. Ibi enim situs est Adam maximus et Abram, Isaac et Jacob.

^{¶¶}14.1 *Amraphel*. Interpretatur *dixit ut caderet*, et est rex Sennaar, quæ *excussio dentium* vel *fetor eorum* interpretatur. Hic significat hæreticos, qui ad casum tendunt, et verbis dolosis fetidum sensum evomunt. *Arioch*. *Ebrius* vel *ebrietas* interpretatur: stultitiam gentilium significat, qui iniquitate ebrii creaturam pro Creatore colunt, et sæculi illecebris volvuntur. *Chodorlahomor*. *Decorus manipulus* interpretatur, qui est rex Elam, id est, *hujus sæculi*: hypocrisim significat, quæ licet vana sit et pernicioosa, tamen decora in superficie videtur, sed in futuro quid fuerit apparebit. *Thadal*. *Sciens jugum* vel *explorator*, qui est rex gentium; avaritiam significat, quæ sagax et versuta multos sibi subjugat. *Amraphel*, etc. Hi quatuor reges figurant quatuor principalia vitia, quatuor virtutibus principalibus contraria; quæ quinque sensus per quinque reges significatos subjugare nituntur, per concupiscentiam carnis, per concupiscentiam oculorum, per ambitionem sæculi.

ipsa est Segor.[§] ³ Omnes hi convenerunt in vallem Silvestrem, quæ nunc est mare salis. ⁴ Duodecim enim annis servierunt Chodorlahomor, et tertio decimo anno recesserunt ab eo. ^{**} ⁵ Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, et reges qui erant cum eo: percusseruntque Raphaim in Astarothcarnaim, et Zuzim cum eis, et Emim in Save Cariathaim, ⁶ et Chorræos in montibus Seir, usque ad Campestria Pharan, quæ est in solitudine. ⁷ Reversique sunt, et venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades: et percusserunt omnem regionem Amalecitarum, et Amorrhæum, qui habitabat in Asasonthamar. ^{††} ⁸ Et egressi sunt rex Sodomorum, et rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, et rex Seboim, necnon et rex Balæ, quæ est Segor: et direxerunt aciem contra eos in valle Silvestri: ⁹ scilicet adversus Chodorlahomor regem Elamitarum, et Thadal regem Gentium, et Amraphel regem Sennaar, et Arioch regem Ponti: quatuor reges adversus quinque. ¹⁰ Vallis autem Silvestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum, et Gomorrhæ, terga verterunt, cecideruntque ibi: et qui remanserant, fugerunt ad montem. ¹¹ Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum et Gomorrhæ, et universa quæ ad cibum pertinent, et abierunt: ¹² necnon et Lot, et substantiam ejus, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis. ¹³ Et ecce unus, qui evaserat, nuntiavit Abram Hebræo, qui habitabat in convalle Mambre Amorrhæi, fratris Escol, et fratris Aner: hi enim pepigerant foedus cum Abram. ^{‡‡} ¹⁴ Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernacu-

§14.2 **Balæ.** HIERON. Hebraice *devoratio* dicitur. Tradunt Hebræi hanc alibi *Salis-sam* dici, et *vitulam consternantem*, quod tertio terræ motu absorpta sit. Et ex eo tempore quo Sodoma et Gomorrhæ, Adame et Seboim divino igne sunt subversa, illa *parvula* nuncupetur. Segor enim transfertur in parvam, quæ Syra lingua *Zoara* dicitur. Vallis autem Salinarum, in qua fuerunt putei bituminis, post Dei iram et sulphuris pluviam, in mare Mortuum versa est. quod a Græcis stagnum Asphalti, id est bituminis, dicitur. Mystice. Quatuor reges quinque superant, dum contrariæ potestates quinque sensibus corporis abutentes vitiis illaqueant et captivant. Allegorice. Tales reges superant primum Bara, qui interpretatur *malitia* vel *creatura*, et est rex Sodomorum, id est *cæcitatatis*, vel *pecudis silentis*, cum eis qui in vetusta malitia perseverant, more pecudum cæcitatem libidinis sequi persuadent. Vincunt et Bersa, id est *in angustia constitutum*, regem Gomorrhæ, id est populi tumentis et seditiosi, cum eos qui curis sæculi angustiantur ac nefas rapinæ agere non formidant, obruunt et prosternunt. Vincunt quoque Sennaab regem Adamæ, id est *terrenæ*, cum eos qui terrena tantum sapiunt in luxuria permanere hortantur, ut dicant: *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur I Cor. 15.* Vincunt Semeber, qui interpretatur *ibi perditio*, et est rex Seboim, id est *cinguli mæroris*, cum per iracundiam et invidiam incautos decipiunt; unde Job 5: *Stultum interficit iracundia, parvulum occidit invidia.* Regem quoque Bale vincunt, cum pusillanimes in desperationem mittunt; Bale namque interpretatur *præcipitatio* vel *absorptio*: ad hoc maxime diabolus certat ut post lapsum peccati in desperationem mittat.

14.4 **Duodecim, etc. Duodenarius superfluous est numerus. In qua superfluitate serviunt quinque sensus nostri vanæ superstitioni, quam significat Chodorlahomor, et quatuor vitiis sibi adjacentibus; et recedere volentes gravem persecutionem patiuntur, et sæpe superantur.

††14.7 **Percusseruntque.** HIERON. Alia editio habet, etc., usque ad quia ibi populum Deus iudicavit. *Raphaim in Astaroch*, etc. Nomina locorum et gentium significant carnaliter viventes, quos facile vitia vincunt.

‡‡14.13 **Hebræo.** LXX, *transfluviali*; quia scilicet de Mesopotamia veniens transito fluvio Euphrate, sedem posuit in terra Chanaan. Unde Jesus Nave: *Quid vultis servire diis patrum vestrorum qui sunt trans flumen?*

los suos trecentos decem et octo: et persecutus est usque Dan.^{¶¶} 15 Et divisis sociis, irrui super eos nocte: percussitque eos, et persecutus est eos usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci. 16 Reduxitque omnem substantiam, et Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque et populum. 17 Egressus est autem rex Sodomorum in occursum ejus postquam reversus est a cæde Chodorlahomor, et regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis regis. 18 At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi,^{§§} 19 benedixit ei, et ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cælum et terram: 20 et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.* 21 Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cetera tolle tibi. 22 Qui respondit ei: Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli et terræ, 23 quod a filo subtegminis usque ad corigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditavi Abram: 24 exceptis his, quæ comederunt juvenes, et partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Escol et Mambre: isti accipient partes suas.†

^{¶¶}14.14 *Quod cum audisset Abram*, etc. ISID. Mystice. Similiter fides nostra cum firmata est Spiritu principali, quinque sensus corporis quasi quinque reges subjicit, verbo Dei triumphans de homine exteriori. Ille in trecentis decem et octo adversarios debellavit, quia nos in sacramento crucis, quam *tau* littera significat, quæ trecenta significat, quinque sensus carnales, nos antea variis vitiis captivantes, superamus. Decem et octo, ex ternario et senario multiplicatus, fidem Trinitatis et perfectionem significat operis quibus virtutum contra vitia plena victoria perficitur. STRAB. Allegorice. Bellum Abræ cum quatuor regibus significat bellum virtutum et vitiorum. Pater ergo fidei, et prima via credendi, pro fratre suo Lot dimicavit et vicit, non in multitudine exercitus, sed in trecentis decem et octo expeditis vernaculis. Sic quisque pro anima sua contra spirituales nequitas bellum gerat cum trecentis decem et octo vernaculis, id est, cum auxilio sanctæ crucis: *tau* enim littera, quæ habet figuram crucis, trecenta exprimit. Dan autem unus est de fontibus Jordanis; alter enim Jor vocatur, quod interpretatur *rivus*; duobus ergo fontibus, qui non procul a se distant, in unum rivulum foederatis, Jordanis appellatur.

^{§§}14.18 *At vero Melchisedech*, etc. HIER. Nunc aiunt Hebræi esse Sem filium Noë, et computatione annorum ostendunt eum usque ad Isaac vixisse: et omnes primogenitos a Noë usque ad Aaron pontifices fuisse. Salem vero postea dicta est Hierusalem; Apostolus memorans Melchisedech, *sine patre et matre*, refert ad Christum, et per eum ad Ecclesiam gentium, quia gloria capitis ad membra refertur. Quoniam benedixit Abræ circumciso, et in eo Levi, et sic Aaron, de quo postea sacerdotium. Ex quo vult colligere sacerdotium Ecclesiæ habentis præputium benedixisse circumciso sacerdotio Synagogæ. Quia autem ait: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, ministerium nostrum veri ordinis signatur, non per Aaron irrationalibus victimis immolandis, sed oblato pane et vino, id est, corpore Domini et sanguine consecrari. STRAB. Melchisedech, qui interpretatur *rex justitiæ*, et dicitur *rex pacis*, Christum significat, per quem reconciliati sumus, et qui in fine sæculi iuste iudicaturus est.

*14.20 *Dedit ei decimas*. ISID. Sciens ergo patriarcha, etc., usque ad partim stipendia legitime pugnantibus debita non abnegans.

†14.24 *Qui venerunt*, etc. Utitur enim aliquando fides testimoniis infidelium; unde Apostolus ad Titum 1: *Malæ bestię, pigri ventres*, sed ad utilitatem fidelium.

15 His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: [‡] Noli timere, Abram: ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.[‡] ² Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis, et filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer.[¶] ³ Addiditque Abram: Mihi autem non dedisti semen, et ecce vernaculus meus, hæres meus erit. ⁴ Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem. ⁵ Eduxitque eum foras, et ait illi: Suspice cælum, et numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum.[§] ⁶ Credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad justitiam. ⁷ Dixitque ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum ut darem tibi terram istam, et possideres eam. ⁸ At ille ait: Domine Deus, unde scire possum quod possessurus sim eam? ⁹ Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam.^{**} ¹⁰ Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium, et utrasque partes contra se altrinsecus posuit; aves autem non divisit. ¹¹ Descenderuntque volucres super cadavera, et abigebat eas Abram.^{††} ¹² Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, et horror magnus et tenebrosus invasit eum.^{‡‡} ¹³ Dictumque est ad eum: Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis.^{¶¶} ¹⁴ Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego iudicabo: et post hæc egredientur cum magna substantia. ¹⁵ Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. ¹⁶ Generatione autem quarta revertentur huc: necdum enim

[‡]15.1 *His itaque transactis*, etc., *Noli timere*. Triumphata multitudine vitiorum, confortatur spes cujusque fidelis a Domino ne titubet, sed mercedem exspectet.

[¶]15.2 *Dixitque Abram*. HIERON. in Q. Hebr. *Ego vado sine liberis*, etc. usque ad ab hoc aiunt Damascus et nominatam, et conditam.

[§]15.5 *Suspice cælum*, etc. Superius dixit: *Erit semen tuum sicut arena maris*, quia in illa plebe quidam erant carnales et terreni, qui arenæ comparantur, quia aridi, et a bonis operibus infecundi; alii quasi stellæ fulgentes. RAB. Duplex significatio promissi seminis datur. Ostensis stellis dicitur ei: *Sic faciam semen tuum*, id est, gentem Christianam, cujus tu pater futurus es, in fide, scilicet resurrectionis lumine coruscare. Ostensa vero arena dicitur: *Sic erit semen tuum*, etc., id est, copiosa erit gens Judæorum, sed arida et infecunda.

^{**}15.9 *Sume, inquit, mihi*, etc. ISID. in Gen., tom. 5 Vacca triennis, plebs Judaica posita sub iugo legis, etc., usque ad quando per ignem separabuntur boni a malis. *Vaccam triennem, et capram trimam*, etc. Quia ab Adam usque ad Noë, et inde usque ad Abram, deinde usque ad David, populus adolevit.

^{††}15.11 *Descenderuntque volucres*, etc. GREG., lib. XVI Moral., c. 20 *Tropologicæ*. In ipso orationis sacrificio ingerunt se importunæ cogitationes, rapere vel violare cupientes: sed manu sanctæ discretionis debemus custodire quod foris offerimus, ne maligni spiritus et perversæ cogitationes rapiant.

^{‡‡}15.12 *Pavor irruit*, etc. AUG. in Quæst. Hebr. Tractanda est ista quæstio propter eos qui contendunt istas perturbationes non cadere in animum sapientis, etc., usque ad non dicendam perturbationem.

^{¶¶}15.13 *Scito prænoscens*, etc. ISID. Populus Israël in Ægypto serviturus prophetatur: non quod Ægyptiis annis quadringentis servierit, sed quia hic numerus in illa afflictione completus est, quia ab illo tempore computatur quod ista Abrahæ promittuntur. *Scito prænoscens*, etc. AUG. de Civ. lib. 16, c. 24 Non sic accipiendum est, tanquam in illa durissima servitute quadringentos annos populus Dei fuerit, etc., usque ad populus Dei in Ægypto dura servitute afflictus est.

completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.^{§§} ¹⁷ Cum ergo occubisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones illas. ¹⁸ In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphraten, ¹⁹ Cinæos, et Cenezæos, Cedmonæos, ²⁰ et Hethæos, et Pherezæos, Raphaim quoque, ²¹ et Amorrhæos, et Chananæos, et Gergesæos, et Jebusæos.

16 Igitur Sarai, uxor Abram, non genuerat liberos: sed habens ancillam ægyptiam nomine Agar, ^{*} ² dixit marito suo: Ecce, conclusit me Dominus, ne parerem. Ingrederè ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret deprecanti, [†] ³ tulit Agar ægyptiam ancillam suam post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan: et dedit eam viro suo uxorem. ⁴ Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam. ⁵ Dixitque Sarai ad Abram: Inique agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet: iudicet Dominus inter me et te. ⁶ Cui respondens Abram: Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit. ⁷ Cumque invenisset eam angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine, qui est in via Sur in deserto, ⁸ dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, unde venis? et quo vadis? Quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. ⁹ Dixitque ei angelus Domini: Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius. ¹⁰ Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudinem. ¹¹ Ac deinceps: Ecce, ait, concepisti, et paries filium: vocabisque nomen ejus Ismaël, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam. ¹² Hic erit ferus homo: manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum: et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula. [‡] ¹³ Vocavit autem nomen Domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim: Profecto hic

^{§§}15.16 *Generatione autem*, etc. HIERON. epist. ad Damas. Moses vero alibi dicit, etc., usque ad et ad Salomon perveniunt.

^{*}16.1 *Igitur Sarai uxor Abram*, etc. RAB. Non est adulter Abram si, vivente uxore, ancillæ jungitur, quia nondum promulgata erat lex Evangelii unius uxoris: et genus suum multiplicandum audierat, sed per quam mulierem nesciebat, quia Saram sterilem noverat. Non fuit in coitu libidinosa voluptas, sed prolis habendæ pia charitas: uxor quoque hoc voluit et cœgit, quæ filios habere non poterat; ideo ex alia suscipere cupiebat quem in locum proprii adoptaret.

[†]16.2 *Ingrederè ad ancillam*, etc. HIERON. Nota diligenter quod procreatio filiorum in Hebræo *œdificatio* dicta est, etc., usque ad tanquam per angelum lata in gratiam redeat et se subjiciat. RAB. Hæ duæ mulieres sunt duo Testamenta: Agar, Vetus, quod in Synagoga Judaicum populum servituti nutriebat obnoxium; Sara, Novum, quod populum Christianum in libertatem fidei generavit. Multiplicati sunt ancillæ filii, ut non numerarentur præ multitudinem, qui supra arenæ comparantur. Ipse ergo populus ferocitate sua æmulus, et omnibus bonis contrarius, et maxime cum Christianum populum toto orbe invidia stimulante persequitur, et longe lateque dispersus, vagando et negotiando omnibus est onerosus.

[‡]16.12 *Hic erit ferus homo*. Vel *rusticus*, secundum alios. HIERON. In Hebræo habetur *phara* quod interpretatur *onager*. Significat semen ejus habitaturum in deserto, id est, Saracenos vagos, incertisque sedibus, qui omnes gentes quibus desertum ex latere jungitur incursantes, impugnantur ab omnibus.

vidi posteriora videntis me.[¶] 14 Propterea appellavit puteum illum Puteum viventis et videntis me. Ipse est inter Cades et Barad.[§] 15 Peperitque Agar Abræ filium: qui vocavit nomen ejus Ismaël. 16 Octoginta et sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismaëlem.

17 Postquam vero nonaginta et novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coram me, et esto perfectus.^{**} 2 Ponamque fœdus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis. 3 Cecidit Abram pronus in faciem. 4 Dixitque ei Deus: Ego sum, et pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. 5 Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te.^{††} 6 Faciamque te crescere vehementissime, et ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur. 7 Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, et seminis tui post te. 8 Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum.^{‡‡} 9 Dixit iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis. 10 Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum:^{¶¶} 11 et circumcidetis carnem præputii vestri, ut

[¶]16.13 *Vocavit autem Agar.* Recte nomen ejus ita vocavit, quia gratuito consulit miseris et humiles consolatur. Unde: *Tu laborem et dolorem consideras, et tibi derelictus est pauper,* etc. *Profecto hic vidi posteriora videntis me.* Tale est illud: *Videbis posteriora mea, nam facies non apparebit tibi. Non enim homo videbit faciem meam et vivet* Exod. 33. Illam enim manifestationem sapientiæ Dei nemo potest videre et vivere. Ipsa est species ad quam suspirat qui Deum diligit toto corde, tota anima, tota mente: ad quam contemplandam, etiam proximum diligendo sicut seipsum, quantum potest, ædificat. Posteriora vero ejus, id est, incarnationem ejus, quam assumpsit postremis temporibus, nunc per fidem et dilectionem desiderando contemplamur, et in futuro æterna contemplatione fruemur.

[§]16.14 *Propterea appellavit puteum illum,* etc. HIERON. Usque hodie puteus Agar demonstratur in deserto Arabiæ, inter Cades et Barad, quod significat veteris legis et novæ Scripturam, quam conditor noster, vita viventium, spes morientium, intuitu piæ miserationis mortalibus dedit, ut edocti et a vitiis correcti, Dei visione perpetuo digni esse mereantur.

^{**}17.1 *Ponamque fœdus,* etc. In Hebræo *berith* quod non testamentum, sed fœdus, sive pactum significat.

^{††}17.5 *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram.* HIERON. Dicunt Hebræi quod Deus ex nomine suo, quod apud illos tetragrammaton est, *h* litteram Abrahæ, et Saræ addiderit. Dicebatur autem Abram, quod est *pater excelsus*; postea dictus est Abraham, quod est *pater multarum,* nam *gentium* in nomine non habetur, sed subauditur. Nec mirandum quod cum apud Græcos et nos *a* littera videatur addita, *h* littera addita dicatur: idioma enim Hebrææ linguæ *h* consuevit scribere et *a* legere: sicut econtrario, *h* pronuntiare et *a* scribere.

^{‡‡}17.8 *Daboque tibi et semini tuo.*

^{¶¶}17.10 *Circumcidetur ex vobis masculinum,* etc. STRAB. Tribus de causis hoc præcipitur Abrahæ. Primo ut per obedientiam mandati placeat, per cujus prævaricationem Adam displicuerat; secundo, ut hoc signo a cæteris nationibus discerneretur; tertio, ut in eo membro circumcisus quo libido solet dominari, castitatem sibi servandam et impudicitiam rescindendam cognosceret.

sit in signum fœderis inter me et vos.^{§§} ¹²Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestra: ¹³eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. ¹⁴Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* ¹⁵Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.† ¹⁶Et benedicam ei, et ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum: eritque in nationes, et reges populorum orientur ex eo. ¹⁷Cecidit Abraham in faciem suam, et risit, dicens in corde suo: Putasne centenarius nascetur filius? et Sara nonagenaria pariet?‡ ¹⁸Dixitque ad Deum: Utinam Ismaël vivat coram te. ¹⁹Et ait Deus ad Abraham:

§§17.11 *Carnem præputii.* RAB. STRAR. Circumcisio facta in uno membro significat circumcisionem spiritualem, quæ in corde et in omnibus sensibus exhibenda est. Circumcidendum est cor, ne noxia cogitemus; oculi, ne vanitatem videamus; aures circumcidendæ sunt, id est obturandæ, ne audiant sanguinem: et sic in omnibus sensibus celebranda est circumcisio. ALCUIN. in Gen., tom. 1 Ideo autem Abrahæ circumcisio commendata est, etc., usque ad unde olim prævaricatores generaverunt ad mortem. Allegorice. Jam tunc propter futuram peregrinationem, ne misceretur semen ejus gentibus, circumcisionis pactum datur in signum: quia significat naturam renovatam per baptismum, post spoliationem veteris hominis per Christum, qui resurrexit post baptismum. Servos vero vernaculos, emptitios etiam, circumcidi præcepit, ut doceret ad omnes pertinere redemptionis gratiam. Ibi et parentum mutantur nomina, ut omnia resonent novitatem. Abram, *pater excelsus*; Abraham, *pater multarum gentium.*

†17.14 *Masculus cujus præputii caro,* etc. ISID. Quæritur quomodo pueri circumcisi qui pactum Dei irritum non fecerunt, sed qui eos circumcidere neglexerunt perire debeant? Sed pactum Dei non secundum opus, sed secundum originem in primo homine irritum fecerunt, in quo omnes peccaverunt. Nascuntur enim omnes, non proprie sed originaliter, peccatores. Ideo pereunt omnes qui per regenerationem non liberantur.

†17.15 *Sarai uxorem tuam,* etc. ISID. Declaratur promissio de vocatione gentium in Isaac filio promissionis, id est gratiæ, non naturæ, quia de sene patre et sterili matre: et quia hoc non per generationem, sicut Ismaël, sed per regenerationem futurum erat, imperata est circumcisio, quando Saræ filius promittitur in typo Ecclesiæ, non quando Ismaël, qui typus Judæorum. HIERON.-ISID. Errant qui putant primum Saram per unum *r* scriptum fuisse, et postea additum esse alterum *r*. Et quia *r* apud Græcos *centum* significat, multas super hoc nomine suspicantur ineptias, cum et utcumque velint vocabulum commutatum, non Græcam, sed Hebraicam debet habere rationem. Hebræum est enim. Nemo enim altera lingua quemlibet vocans, etymologiam vocabuli sumit ex altera. Sarai ergo primum vocata est per *scin*, *res*, *iod*. Sublata ergo *iod* addita est *he* littera, quæ pro *a* legitur, et vocata est *Sara*. Antea enim dicebatur *princeps mea*, quia quasi unius familiæ mater: postea absolute *princeps*, omnium scilicet gentium princeps futura. Quidam pessime suspicantur eam prius *lepram* fuisse vocatam, et postea *principem*, cum lepra *sarai* dicatur, quod in nostra lingua videtur habere aliquam similitudinem, sed Hebræo penitus est diversa. Scribitur enim per *zadich* et *ain* et *res* et *tau*; quod a tribus superioribus, id est, *schin*, *res* et *he*, quibus scribitur *Sara*, manifeste distat.

‡17.17 *Cecidit Abraham in faciem suam, et risit in corde suo.* HIERON. Post paulum sequitur: *Et vocabis nomen ejus Isaac:* qui risus interpretatur de risu Abrahæ, non de risu Saræ. Postquam enim ex risu Abrahæ vocatus est filius ejus Isaac, legitur Saram risisse. *Nomen ejus Isaac.* Sciendum quod quatuor in Veteri Testamento nominibus suis aperte, antequam nascerentur, vocati sunt: Ismaël, Isaac, Samsom et Josias. Lege Scripturas.

Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac, et constituam pactum meum illi in foedus sempiternum, et semini ejus post eum.[¶] 20 Super Ismaël quoque exaudivi te: ecce, benedicam ei, et augebo, et multiplicabo eum valde: duodecim duces generabit, et faciam illum in gentem magnam.[§] 21 Pactum vero meum statuum ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.^{**} 22 Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ab Abraham.^{††} 23 Tulit autem Abraham Ismaël filium suum, et omnes vernaculos domus suæ, universosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ: et circumcidit carnem præputii eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus.^{‡‡} 24 Abraham nonaginta et novem erat annorum quando circumcidit carnem præputii sui. 25 Et Ismaël filius tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suæ. 26 Eadem die circumcisis est Abraham et Ismaël filius ejus: 27 et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quam emptitii et alienigenæ pariter circumcisi sunt.

[¶]17.19 *Constituam pactum meum*, etc. Pactum vero Domini cum Isaac, populo scilicet fideli, quem mater Ecclesia per fidem et baptismum generavit. *Et foedus sempiternum*, quia æternæ vitæ possessio ei soli promittitur, qui cum capite suo Christo regnum cœli semper possidebit.

[§]17.20 *Super Ismaël*, etc. *Historice*. Ismaël populum Judæorum significat, qui multiplicatus est valde; duodecim duces generavit, cum multitudine carnalium Judæorum ex duodecim patriarchis genita, in duodecim tribus est divisa.

^{**}17.21 *In anno altero*. Annus alter, quo Sara genuit Isaac, tempora sunt regenerationis, quibus fusus est sanguis Christi et genus humanum ad vitam restauratum.

^{††}17.22 *Ascendit Deus ad Abraham*, etc. Glossa Græca. Ergo, ut ita dicam, descendit, et humilem se, circumcisionis legem statuens, præbuerat.

^{‡‡}17.23 *Tulit autem Abraham*, etc. Non intendebat Deus ut tantum præputium carnis Abrahæ et sobolis ejus circumcideretur, sed ei, quem a cunctis elegerat, æterni Testamenti munera conferebat; unde Paulus Phil. 3: *Nos sumus enim circumcisio, qui spiritu Deo servimus*. Et alibi, Rom. 2: *Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio*. Circumcidamus ergo Dei verbo aures, labia, cor, præputium et omnia membra carnis. De circumcisione aurium dicitur Luc. 8: *Qui habet aures audiendi, audiat*; incircumcisis auribus verba sapientiæ et veritatis non possumus audire. Circumcidamus labia, ne aliquid turpe, vel malum, vel otiosum loquamur. Circumcidit carnem præputii, qui sola causa posteritatis, certis et legitimis temporibus, conjugio utitur: qui aliter agit, non circumcidit. Ecclesia vero, gratia Christi pro se crucifixi roborata, non solum se ab illicitis temperat, sed etiam a concessis, et tanquam virgo sponsa Christi pudicis virginibus floret, in quibus vera circumcisio præputii servatur in carne. Qui autem non obscœnis desideriis, vel sensibus hæreticis, et blasphemis assertionibus, mœchatur, sed fidei puritatem in conscientia custodit, corde circumcisis est: et de eo dici potest: *Beati mundo corde Matth. 5*, etc. Circumcidantur manus, ne mala faciant, pedes, ne in malum currant: visus, ne illicita concupiscat; gustus, ut ad gloriam Dei manducet et bibat; odoratus, ut Christi odorem capiat, et operibus misericordiæ odorem suavitatis spargat. Singula quoque membra, si in officiis Deo serviant, circumcisa sunt. Si ultra præscriptam legem luxurient, incircumcisa. HIERON.-STRAB. Quæri solet quomodo feminæ salvabantur, quæ non circumcidebantur? Fide scilicet et hostiarum oblatione, sicut ante circumcisionem viri sancti mundabantur unde: *Fide purificans corda eorum*.

18 Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei.^{¶1} ²Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram.^{§§} ³Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum: ⁴sed afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore.* ⁵Ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum: postea transibitis: idcirco enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt: Fac ut locutus es. ⁶Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes.[†] ⁷Ipse vero ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum, deditque puero: qui festi-

^{¶1}18.1 *Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre.* ISID. in Gen. Abraham triplicem figuram gerit: primam, Salvatoris, qui relicta cognatione venit in mundum; alteram, Patris, quia Filium unicum immolavit; tertiam quæ in hoc loco apparet, sanctorum qui adventum Christi cum gaudio susceperunt. Tabernaculum Abraham Hierusalem significat, ubi pro tempore prophetæ et apostoli habitaverunt, et Christus adveniens a credentibus exceptus, ab incredulis in ligno suspensus est.

^{§§}18.2 *Tres viri.* Tres viri Christi pronuntiant adventum, quem duo angeli comitantur, Moses secundum quosdam, et Elias; unus legislator, qui in lege adventum Domini indicavit: alter, qui in fine venturus est, secundum adventum Christi nuntiaturus, et Evangelium ejus prædicaturus. Unde transfigurato Domino in monte cum eo videntur. *Tres vidit, et unum adoravit,* Salvatorem scilicet ostendens, cujus adventum præstolabatur. Unde: *Abraham vidit diem meum et gavisus est Joan. 8.* Prævidit enim mysterium futuri sacramenti. Unde pedes eorum lavit, ut in fine mundi purificationem lavacri futuram monstraret; pedes enim novissima significant. *Quos cum vidisset.* GREG., lib. IX Moral., c. 51 Moraliter. Abraham tribus angelis occurrit, quia vir et dominus domus, scilicet spiritualis intellectus, debet in cognitione Trinitatis claustra carnis excedere, et quasi habitationis infimæ januam exire. Cura carnis, quam Sara significat, foris ad jactantiam non appareat, sed post tergum viri, id est, sub discretionem spiritus, solis necessariis intenta, nesciat proaciter vegili, sed verecunde moderari. Ibid., lib. 28, c. 4. Abraham non potuisset angelos videre, hospitio suscipere et cibos adhibere, nisi corpus ex ære assumpsissent: non enim apparerent, non cibos sumerent, nisi solidum corpus ex cœlesti elemento haberent. Nec mirum quod modo angeli, modo Dominus vocantur, quia angeli vocantur, qui exteriori ministrant, et Dominus ostenditur, qui eis interiori imperat.

^{*}18.4 *Sed afferam.* Ad hospitalitatis officia revertitur, quæ etiam angelis exhiberi possunt, cum ex elementis corpoream formam assumunt: quod Abraham intelligens, deitatem in unitate adorabat, et dispensationi angelicæ in forma visibili ministrabat.

[†]18.6 *Tria sata.* Hæc in typum Ecclesiæ dicuntur, quæ de tribus mundi partibus in unitatem fidei congregata est, et quasi panis sine fermento igne Spiritus sancti decocta est. STRAB. Satum genus est mensuræ. Tria sata tres filios Noë significant, ex quibus omne genus hominum disseminatum est. Significatur ergo Ecclesia, vel evangelica doctrina per totum mundum disseminanda, et in tribus mundi partibus, Asia, Africa et Europa, multiplicanda. *Tria sata,* de quibus Sara subcinericios panes facit, tres filios significant Noë, ex quibus omne genus hominum natum est: qui divinæ Trinitati credentes aqua baptismatis per Saram, id est Ecclesiam, conspersi sunt, et in unum panem corporis Christi redacti. Hæc sunt tria sata farinæ, quæ mulier in Evangelio fermentavit: azymi sunt panes, quia sine fermento malitiæ, et angore [*AL.*, rancore] nequitiae, et fervore perversæ doctrinæ, oportet esse credentium unitatem. *Subcinericios.* Subcinericii sunt, ut per pœnitentiam delictorum Spiritus sancti vapore decocti, esca Deo acceptabilis efficiantur.

navit et coxit illum.[‡] ⁸ Tulit quoque butyrum et lac, et vitulum quem coxerat, et posuit coram eis: ipse vero stabat juxta eos sub arbore.[¶] ⁹ Cumque comedissent, dixerunt ad eum: Ubi est Sara uxor tua? Ille respondit: Ecce in tabernaculo est.[§] ¹⁰ Cui dixit: Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, et habebit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi.^{**} ¹¹ Erant autem ambo senes, provectæque ætatis, et desierant Saræ fieri muliebria.^{††} ¹² Quæ risit occulte dicens: Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?^{‡‡} ¹³ Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens: Num vere paritura sum anus? ¹⁴ Numquid Deo quidquam est difficile? juxta conductum revertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, et habebit Sara filium. ¹⁵ Negavit Sara, dicens: Non risi, timore perterrita. Dominus autem: Non est, inquit, ita: sed risisti.^{¶¶} ¹⁶ Cum

[‡]18.7 *Vitulum tenerrimum.* Vitulus tener et saginatus Christi corpus est, quod pro salute mundi ad arborem crucis immolatum est. Hic est vitulus qui prodigo filio occiditur.

[¶]18.8 *Butyrum et lac* cum carne vituli apposuit, quia lac veterem legem signat; unde I Cor. 3: *Lac potum dedi vobis, non escam,* etc. Tradiderat enim illis legis mandatum, quasi lac de duarum tabularum expressum uberibus, hoc est testamentum fidei, quia nondum poterant evangelicæ doctrinæ solidam escam sumere. Butyrum uberimum et pinguisimum evangelicum est testimonium, quod velut oleum fidelibus in signum datur. Vitulum cum lacte et butyro apposuit, quia nec corpus Domini sine lacte legis, nec hoc sine Evangelio esse potest. Sub arbore autem sederunt in Dominicæ passionis signum, cujus prædicatores sunt.

[§]18.9 *Ecce in tabernaculo est,* etc. STRAB. Abraham foris cum angelis, Sara in tabernaculo est: quia fortium et doctorum est aperte prædicare, exemplis instruere: infirmorum et insipientium, discere et subditos esse.

^{**}18.10 *Et habebit filium,* etc. Promittit Deus Saræ sterili filium, dicens: Circa hoc tempus veniam; non tempus, sed qualitatem sui adventus significat, quoniam per filium repromissum fidelis populus erat nasciturus. Unde Isa. LIV et Gal. 4: *Lætare sterilis, quæ non parturis,* etc. *Quo audito,* etc. AUG. Quæst in Gen. Arguitur Sara quia risit, et non Abraham, cum similiter riserit; quia illius risus admirationis fuit, hujus dubitationis, quod dijudicare potuit qui corda novit. Negat Sara se risisse cum Deum non possit latere, sed forte homines putabat. Abraham vero Deum intelligebat, sed humanitatis officia præbendo, quæ tantum infirmæ carni necessaria sunt; mirum est: nisi homines prius arbitratus est, sed in quibus Deum loqui intelligeret, quibusdam signis divinæ majestatis apparentibus: sicut in hominibus Deum apparuisse sæpe Scriptura testatur, sed postea angelos fuisse cognoverunt.

^{††}18.11 *Erant autem,* etc. Seniorum ætas minor est quam senum, etsi senes appellentur seniores. Unde, secundum medicos, senior vir de muliere seniore filios facere non potest, etiamsi adhuc muliebria fluant. Secundum hoc Abraham miratur Dei potentiam de promissione filii, et hoc miraculum posuisse Apostolum accipere possumus. Emortuum enim corpus non omnino ad generationem erat, si mulier juvenilis ætatis fuisset: sed de provecta ætate generare non poterat: de Cethura enim postea generavit, quia juvenula fuit. Tradunt enim medici quia senex de femina provectoris ætatis etsi muliebria contingant ei generare non possit, de juvenula autem possit. Rursus mulier provectæ ætatis, etsi adhuc muliebria contingant ei, de seniore parere non potest, de juvene potest. Miraculum ergo fuit, quia uterque senex et provecta ætatis, et desierant muliebria Saræ.

^{‡‡}18.12 *Voluptati operam dabo?* etc. GREG. lib. IX Moral., c. 51 Cura carnis, etc., usque ad quid mens nostra aliud quam gaudium parit?

^{¶¶}18.15 *Non risi,* etc. AMBR. Vel ideo negavit se risisse, quia ignoravit; ideo risit, quia prophetavit.

ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam: et Abraham simul gradiebatur, deducens eos. ¹⁷ Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum: ^{§§} ¹⁸ cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, et benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? ¹⁹ Scio enim quod præceptor sit filii suis, et domui suæ post se ut custodiant viam Domini, et faciant iudicium et iustitiam: ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum. ²⁰ Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. * ²¹ Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint; an non est ita, ut sciam. † ²² Converteruntque se inde, et abierunt Sodomam: Abraham vero adhuc stabat coram Domino. ²³ Et appropinquans ait: Numquid perdes justum cum impio? ²⁴ si fuerint quinquaginta iusti in civitate, peribunt simul? et non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo? ‡ ²⁵ Absit a te ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram, nequaquam facies ju-

§§18.17 *Num celare potero Abraham quæ gessurus sum.* Bene Dominus Abraham secreta sua committit, quem voluntatis suæ et secretorum fidelem exsecutorem cognovit; de quo ipse carne nasciturus erat *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi II Cor. 2.* Promittit quoque Abraham non solum præmia, sed obedientiæ filiorum ejus justitiam, et circa eos promissa compleri. Rursumque promittitur Isaac, *in gentem magnam futurus,* et quod *in eo benedicentur omnes gentes terræ.* Quibus verbis duo illi promittuntur: gens Judæorum secundum carnem, et omnes gentes per fidem.

†18.20 *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ,* etc. AUG. Q. in Gen. Si hæc verba non dubitantis, sed irascentis et minantis accipiamus, nulla est quæstio. Humano enim more ad homines loquitur Deus, et ira ejus sine perturbatione est, quia immutabilis est. Sæpe autem sic minando dicimus: Videamus si non tibi facio, et si non potero tibi facere; vel sciam, id est experiar utrum non possim. Sed perturbatio non cadit in Deum. Mos autem humanæ locutionis est, cui Deus se coaptat, ut humanæ infirmitati conveniat. GREG. lib. V Moral., cap. 7 Peccatum vero cum voce, culpa est in actione. Peccatum vero cum clamore, culpa cum libertate.

†18.21 *Descendam et videbo,* etc. GREG., Moral., c. 33 Mala hominum non ante credamus quam probemus. Et ecce per angelos ad cognoscenda mala descendit, et tanto crimine involutos inveniens, quasi patientiam prætermisit, et eos igne iudicii ante iudicii diem prævenit: qui cum tranquillitate iudicat, ut majora crimina tarde credantur, et veraciter agnita citius puniantur. GREG., lib. I Reg., c. 178, tom. 1 Quo descenderet Deus, ut quæ essent facta cognosceret? Aut quod non is, qui ubique est, sciret? Sed ut nostræ ignorantiae exemplum discretionis daret, quatenus debeamus mala gravia audita non credere, ipse se dicit ad cognoscendum descendere, de quo omnibus liquet quia et non descendens omnia sciret. HILAR., lib. 9, de Trin. Habemus nescientem Deum, quod tamen non nesciat. Nam cum peccata magna valde sciat esse, rursus descendit ut videat an consummati sunt; et si nondum consummati sunt, ut sciat: intelligimus eum non ea tunc scire, quia prius nesciat; sed tunc scire, quia tempus ad agendum sit. Nescire ergo Deum, non est ignorantiae diminutio, sed temporis plenitudo.

‡18.24 *Si fuerint quinquaginta iusti,* etc. ISID. Quinquagenarius numerus, a quo usque ad decem descendit, poenitentiam significat. Unde et quinquagesimus psalmus poenitentialis est. Si ergo converterentur, salvarentur. Sed cum Deus aspicit delinquentes nolle ad poenitentiam converti, illico ardorem immoderatæ luxuriæ igne gehennæ compescit. Usque ad decem justos non perire Sodomam dixit, quia si in quolibet per decem præceptorum custodiam Christi nomen inveniatur, non per ibit. Denarii enim numeri figura et crucem Christi significat.

dicium hoc. ²⁶ Dixitque Dominus ad eum: Si invenero Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos. ²⁷ Respondensque Abraham, ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.[†] ²⁸ Quid si minus quinquaginta justis quinque fuerint? delebis, propter quadraginta quinque, universam urbem? Et ait: Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque.[§] ²⁹ Rursumque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta. ³⁰ Ne quæso, inquit, indigneris, Domine, si loquar: quid si ibi inventi fuerint triginta? Respondit: Non faciam, si invenero ibi triginta. ³¹ Quia semel, ait, cœpi loquar ad Dominum meum: quid si ibi inventi fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter viginti. ³² Obsecro, inquit, ne irascaris, Domine, si loquar adhuc semel: quid si inventi fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem. ³³ Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham: et ille reversus est in locum suum.

19 Veneruntque duo angeli Sodomam vespere, et sedente Lot in foribus civitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, et ivit obviam eis: adoravitque pronus in ter-

[†]18.27 *Loquar ad Dominum*, etc. GREG. lib. XVIII Moral., c. 33 Mystice. Sancti quanto magis divinitatis interna prospiciunt, tanto magis se nihil esse conspiciunt. Nusquam legitur Abraham se cinerem et pulverem professum esse, nisi cum meruit Dei locutionem habere. Et ait: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis*, etc. Fortasse enim aliquid se esse crederet, si veram essentiam, quæ super ipsum est, non sensisset. Unde et David exclamat: *Memento, Domine, quoniam pulvis sum Psal. 10*, etc. Moraliter. Quosdam per tumorem sensus non elevat, sed per misericordiæ opera; quidam dum se terrenis abundare conspiciunt, veras divitias non requirunt, et æternum regnum non amant, quia temporalia sufficere putant. Non est ergo sensus in crimine, sed affectus. Cuncta enim quæ Deus condidit bona sunt. Sed qui bonis male utitur, hic agit ut per edacitatis ingluviem eo, quo vivere debuit, pane moriatur. Pauper ad requiem Lazarus venerat, superbum divitem cruciabant tormenta Luc. 16: dives tamen Abraham fuerat, qui Lazarum in sinu tenebat. Ait tamen: *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis*, etc. Quid divitias suas æstimabat, qui seipsum pulverem cineremque putabat? Aperte cernimus in quo loco se posuerat, qui se pulverem et cinerem, etiam cum Deo loqueretur, æstimabat. Qua ergo pœna feriendi sunt, qui ad summa non proficiunt et de minimis se extollunt?

[§]18.28 *Quinque fuerint*. Quinque civitates igneis imbribus combustæ. Omnes enim qui quinque corporis sensus libidinose tractaverunt, futuro incendio sunt cremandi. *Quid si inventi*, etc. ALC. Non necesse est hoc de omni loco accipere. De Sodomis autem potuit dici, quia sciebat Deus nec decem esse ibi, et ideo sic respondebatur Abrahæ ad exaggerationem iniquitatis Sodomorum *Decem*. Denarius crucem Christi designat quia X littera, qua denarius exprimitur, in figura crucis formatur. *Dixit*. Sciebat enim nec unum ibi esse præter Lot; ad exaggerandam iniquitatem hoc dicitur, sicut apud Jeremiam: *Videte si inveniatis hominem facientem justitiam* Jer. 5; quasi: Invenite vel unum, et parco eis.

ram,** 2 et dixit: Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, et manete ibi: lavate pedes vestros, et mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt: Minime, sed in platea manebimus.†† 3 Compulit illos oppido ut diverterent ad eum: ingressisque domum illius fecit convivium, et coxit azyma, et comederunt.‡‡ 4 Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum a puero usque ad senem, omnis populus simul. 5 Vocaveruntque Lot, et dixerunt ei: Ubi sunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, ut cognoscamus eos. 6 Egressus ad eos Lot, post tergum occultans ostium, ait: 7 Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere. 8 Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos, et abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei.¶¶ 9 At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursus: Ingressus es, inquit, ut advena; numquid ut iudices? te ergo ipsum magis quam hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementissime: jamque prope erat ut effringerent fores. 10 Et ecce miserunt manum viri, et introduxerunt ad se Lot, clausuruntque ostium:§§ 11 et eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate a minimo usque ad

**19.1 *Veneruntque duo angeli*, etc. Notandum quod tres angeli numero impari Abrahamæ apparent, quia numero impari Deus gaudet. Sodomam venerunt pari numero, id est duo, qui numerus primus ab unitate recedit, et princeps est alteritatis, quasi femineam figurans mollitiem. Venerunt in *vespere*, quia jam Sodomitis incubuerat sol justitiæ. *Qui cum vidisset*, etc. Dum occurrit Lot et adorat, angelos videtur intelligere; dum ad refectionem corporis invitat, homines videtur putare. Sic de his et de illis qui Abrahamæ apparuerunt idem intelligendum est. Ex hoc autem loco Scripturæ et multis aliis commendatur virtus hospitalitatis. Unde Paulus Heb. 13: *Hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim placuerunt quidam Deo, angelis hospitio receptis*. Glossa Græca. Notandum ubi beneficia Dei explicantur, Deum adesse; ubi vero supplicia exercentur, angelos mitti; ut sciamus Deo benefacere, jucundum et placitum Deo proprie esse ulcisci vero Deo ingratum esse.

††19.2 *Lavate*. Quod hospitibus solet fieri, ut affectus terreno pulvere sordidati, et acedia, et pusillanimitate, tanquam pulverulentis squaloribus, emundentur. Unde in monasteriis pro venientibus de via oratio celebratur.

‡‡19.3 *Compulit illos*. ALC. Angeli quasi coacti domum Lot ingrediuntur, ut charitas ipsius tentata et probata remuneraretur, et ut ostenderetur quantum esset hospitalitatis bonum. Hospitalem domum ingressi sunt, et hospitem liberaverunt; clausas hospitibus domos ignis ingressus peccatores perdidit.

¶¶19.8 *Habeo duas filias*. AUG., Q. in Gen. Utrum admittenda sit compensatio flagitiorum, vel quorumlibet peccatorum, ut faciamus mala, ne fiant graviora: an perturbationi Lot, non sit consilio tribuendum, merito quæritur? et nimirum periculosissime hæc compensatio admittitur. Si autem perturbatio mentis fuerit, nullo modo est imitanda.

§§19.10 *Et introduxerunt ad se Lot*. GREG., l. VI Moral., cap. 16 Malis adversantibus intra domum Lot reducit et munitur: quia quisque justus pravorum insidias sustinens, ad mentem revertitur, et manet interritus. Sodomitæ in domo Lot ostium invenire nequeunt: quia corruptores mentium contra vitam justi nullum reprehensionis aditum inveniunt. Percussi cæcitate quasi domum circumeunt, quia invidentes facta et dicta perscrutantur. Sed quia de vita justii, fortis et laudabilis actio ubique obviat, errantes parietem palpant.

maximum, ita ut ostium invenire non possent.* ¹²Dixerunt autem ad Lot: Habes hic quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de urbe hac: ¹³delebimus enim locum istum, eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut perdamus illos. ¹⁴Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos qui accepturi erant filias ejus, et dixit: Surgite, egredimini de loco isto: quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.† ¹⁵Cumque esset mane, cogeabant eum angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias quas habes: ne et tu pariter pereas in scelere civitatis.‡ ¹⁶Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, et manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eo quod parceret Dominus illi. ¹⁷Eduxeruntque eum, et posuerunt extra civitatem: ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salva animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione: sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas.§ ¹⁸Dixitque Lot ad eos: Quæso, domine mi, ¹⁹quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum, ut salvares animam meam, nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, et moriar: ²⁰est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea: numquid non mod-

*19.11 *Percusseruntque cæcitate.* AUG. ubi supra. Græce, id est, *avidentia*, si possit dici, quæ faciat non videri, non omnia, sed quod non est opus. Quomodo enim deficerent quærendo ostium, si cæcitate percussî essent, ut nihil viderent? sua enim calamitate turbati, nihil ulterius requirerent. Hac percussî erant, qui Eliseum quærebant, et qui Christum post resurrectionem cum ipso ambulantes non cognoscebant.

†19.14 *Egressus,* etc. HIER., in Q. Hebr. In sequentibus filiæ Lot virgines fuisse leguntur; et ipse ad Sodomitas dixit: *Ecce duæ filiæ meæ quæ non cognoverunt virum,* etc. Nunc autem dicitur habuisse generos. Sed quidam arbitrantur eas quæ viros habuerunt in Sodomis perisse, et quæ virgines erant cum patre exisse. Sed Hebraica veritas habet. *Egressus est Lot, et locutus est ad sponso qui accepturi erant filias ejus:* virgines ergo filiæ necdum fuerant matrimonio copulatæ.

‡19.15 *Cumque esset mane,* etc. ISID. Mystice. Lot frater Abraham, justus et hospitalis in Sodomis, significat corpus Christi, quod in omnibus sanctis inter impios gemit, quorum factis non consentit, et a quorum permixtione liberabitur in fine sæculi, illis damnatis supplicio-ignis æterni

§19.17 *In monte.* STRAB. Moraliter. Mons altitudinem virtutum significat, ad quam angelus hortatur, secundum illud Marci 19. *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes,* etc. Qui vero viderit se non posse conscendere, melius est ut in Segor, id est in parvula remaneat, contentus laicali et communi vita, quam montem virtutis arripiat et ad sæcularia redeat. Virginitas altus mons est ad quam angelus hortatur: si quis videt se non posse conscendere, maneat in Segor, id est in legitimo conjugio, quia melius est mediocri bono uti, quam per abrupta libidinis præcipitari. Unde I Cor. 7: *Propter fornicationem unusquisque uxorem habeat. Nec possum in monte:* scilicet perturbatus non credebat Domino, quem in angelis agno scebat, sicut perturbatus filias prostituabat.

ica est, et vivet anima mea?[§] 21 Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es.^{**} 22 Festina, et salvare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen urbis illius Segor. 23 Sol egressus est super terram, et Lot ingressus est Segor. 24 Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrhham sulphur et ignem a Domino de cælo:^{††} 25 et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia.^{‡‡} 26 Respiiciensque uxor ejus post se, versa est in statuum salis.^{¶¶} 27 Abraham autem consurgens mane, ubi steterat prius cum Domino, 28 intuitus est Sodomam et Gomorrhham, et universam terram regionis illius: viditque ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum. 29 Cum enim subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberavit Lot de subversione urbium in

§19.20 *Est civitas*, etc. ISID. Allegorice. Sodoma interpretatur *cæcitas*, et exprimit mundana desideria: altitudo montium, speculatio perfectorum. Sed quia multi mundi illecebras fugiunt, tamen in actione positi contemplationis apicem subire nequeunt, exivit Lot a Sodomis, sed ad montana non pervenit. Unde Lot ait: *Est civitas hæc juxta*, etc. *Juxta* dicitur, et tamen ad salutem tuta, quia activa vita nec a mundi curis ex toto discreta, nec a gaudio æternæ salutis est aliena. *Ad quam possum*, etc. Qui ad contemplativam ascendere non sufficiunt, ad activam vitam confugiunt, in qua salvantur. GREG., Past. 3, 28 *Moral.* Ardentem Sodomam fugere, etc., *uque ad* unde ad Lot dicitur:

**19.21 *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas*, quia cum Deo oratio funditur, talis vita conjugii non damnatur; unde I Cor. 7: *Nolite fraudare invicem*, etc.

††19.24 *Igitur Dominus pluit super Sodomam*, etc. GREG. Sulphur, fetor carnis, ignis, ardor carnalis desiderii; cum Dominus carnis scelera punire decrevisset, qualitate ultionis innotuit macula criminis. Sulphur enim fetet, ignis ardet; qui ergo ad perversa desideria carnis fetore arserant, jure sulphure et igne perierunt, ut ex justa pœna discerent quod injusto desiderio fecissent. STRAB. Notandum quia primos peccatores aqua diluvii exterminavit, qui similiter offenderant Deum concupiscentia carnis. Sodomitæ vero graviore supplicio, ignis scilicet et sulphuris diluvio, perierunt. Licet enim illi mensuram excederent, quasi naturaliter peccabant; isti vero contra naturam: ideo gravissimi supplicii exemplo damnati sunt.

‡‡19.25 *Universos habitatores*. ALC. Infantes cum parentibus in Sodomis cremati sunt, ne posset adverti impiissimum facinus Sodomitarum, si de origine eorum aliquod remaneret vestigium. Et provisum est illis, ne diu viventes sequerentur exempla patrum et gravius punirentur. Parentes quoque tam pro se quam pro eis rei sunt. Mors enim filiorum crimen est parentum. Ideo futuri sunt accusatores eorum. Est etiam qualecunque beneficium, non reum esse, qui gloriosus non est; prodest enim pauperem non esse, qui rex esse non potest.

¶¶19.26 *Respiiciensque uxor ejus*. ISID. Mystice. Uxor, eorum genus figurat qui gratia vocati retro aspiciunt, et ad ea quæ reliquerant redire contendunt; de quibus dicitur Luc. 9: *Nemo ponens manum in aratro, et respiciens retro, aptus est regno Dei*. Ideo prohibetur illis retro aspicere. In quo ostenditur non esse redeundum ad veterem vitam, his qui per gratiam sunt regenerati, si ultimum cupiunt evadere incendium; uxor retrospectiva in salem versa est, exemplum facta scilicet, et condimentum unde alii saliantur. Unde Christus ait Luc. 17: *Mementote uxoris Lot*, ut nos scilicet tanquam sale condiret, ne negligentes essemus, sed prudenter caveremus.

quibus habitaverat.^{§§ 30} Ascenditque Lot de Segor, et mansit in monte, duæ quoque filiaë ejus cum eo (timuerat enim manere in Segor) et mansit in spelunca ipse, et duæ filiaë ejus cum eo.*³¹ Dixitque major ad minorem: Pater noster senex est, et nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos juxta morem universæ terræ.[†]³² Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen.[‡]³³ Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est major, dormivitque cum patre; at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.[¶]³⁴ Altera quoque die dixit major ad minorem: Ecce dormivi heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, et dormies cum eo, ut salvemus semen de patre nostro.³⁵ Dederunt etiam et illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia, dormivit cum eo: et ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit.³⁶ Conceperunt ergo duæ filiaë Lot de patre suo.[§]³⁷ Peperitque major filium, et vocavit nomen ejus Moab: ipse est pater

^{§§}19.29 *Cum enim subverteret*, etc. Innuit Scriptura magis meritis Abrahæ Deum liberasse Lot, ut intelligamus justum esse dictum, quodammodo, maxime quia colebat unum verumque Deum, et comparatione Sodomorum, inter quos vivens ad simile scelus flecti non potuit. *Recordatus est Abrahæ*. Patet meritis Abrahæ Lot fuisse liberatum, quem Scriptura appellat justum. Et sciendum quia justus erat, non sicut Abraham, sed comparatione Sodomitarum.

*19.30 *Ascenditque*, etc. Sic conjugati de humilitate activæ vitæ aliquando ascendunt ad altitudinem contemplativæ. *Ascenditque Lot de Segor*, etc. HIER. in Q. Hebr., tom. 3 Quæritur cur cum primum montis fugæ Segor prætulerit, etc., usque ad ambigere non debuit.

†19.31 *Dixitque major ad minorem*, etc. Quod pro excusatione dicitur filiarum, quia genus humanum defecisse putaverunt, ideoque cum patre accubuerunt. Non autem excusat patrem quod sequitur, *et nescivit quod dormissent cum eo*; appungunt enim desuper Hebræi obelo, quasi superfluum, quasi incredibile sit, quia rerum natura non capiat coire quempiam nescientem. STRAB. Lot inexcusabilis est, primo quia angelo non credidit; deinde quia inebriatus est, et fuit peccatum causa peccati. HIERON. Sic prava suggestio et delectatio, ut incestæ mulieres, insidiantur continentibus, ut accepta occasione, torpentes vino fallaciæ imbuant, et a statu rectitudinis quasi ignorantes dejiciant.

‡19.32 *Veni, inebriemus*, etc. ALC. Didicerant duæ filiaë Lot consummationem mundi futuram per ignem: sed, tanquam puellæ non perfectæ, neque sciebant quod, Sodomitis igne vastatis, multum spatium integrum remaneret; et suspicatae sunt tale aliquid factum, quale in temporibus Noë audierant, et ad reparandum genus humanum superstites se esse cum patre. Et quamvis grande crimen concubitus patris, gravior videbatur impietas, si servata castitate spem posteritatis delerent. Ideo consilium ineunt, et patris mœstítiam vel rigorem vino molliunt, et singulis singulæ noctibus suscipiunt ab ignorante conceptum, nec repetunt.

¶19.33 *Dederunt*, etc. ISID. Lot in hoc loco legem significat, quia quidam ex illa procreati, et sub illa positi, male intelligendo quodam modo se inebriant; eamque non legitime utendo, infidelitatis opera pariunt. Bona est enim lex, si quis ea legitime utatur.

§19.36 *Conceperunt ergo*, etc. HIER. Moab interpretatur *ex patre*, et totum nomen etymologiam habet. Ammon vero, cujus quasi causa nominis redditur, *filius generis mei*, sive, ut melius est in Hebræo, *benammi* id est *filius populi mei*, sic derivatur, ut ex parte sensus nominis, ex parte ipse sit sermo. Ammon enim, a quo Ammonitæ, vocatur *populus meus*.

Moabitarum usque in præsentem diem.** 38 Minor quoque peperit filium, et vocavit nomen ejus Ammon, id est, Filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum usque hodie.

20 Profectus inde Abraham in terram australem, habitavit inter Cades et Sur: et peregrinatus est in Geraris.†† 2 Dixitque de Sara uxore suo: Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, et tulit eam.‡‡ 3 Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, et ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum. 4 Abimelech vero non tetigerat eam, et ait: Domine, num gentem ignorantem et justam interficies? 5 nonne ipse dixit mihi: Soror mea est: et ipsa ait: Frater meus est? In simplicitate cordis mei, et munditia manuum mearum feci hoc. 6 Dixitque ad eum Deus: Et ego scio quod simplici corde feceris: et ideo custodivi te ne peccares in me, et non dimisi ut tangeres eam. 7 Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia propheta est: et orabit pro te, et vives: si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu, et omnia quæ tua sunt.¶¶ 8 Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocavit omnes servos suos: et locutus est universa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde. 9 Vocavit autem Abimelech etiam Abraham, et dixit ei: Quid fecisti nobis? quid peccavimus in te, quia induxisti super me et super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis. 10 Rursumque exostulans, ait: Quid vidisti, ut hoc faceres? 11 Respondit Abraham: Cogitavi mecum, dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto: et interficient me propter uxorem meam: 12 alias autem et vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meæ, et duxi eam in uxorem.§§ 13 Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc misericordiam facies mecum: in omni loco, ad quem ingrediemur, dices

**19.37 *Vocavit nomen ejus Moab*, etc. THEOD. Videtur hæc impudentior, quæ suum incestum ad posteros quoque transmittere voluit. Moab enim *de patre* significat: altera verecundior, quæ filio nomen indidit, Benammi, id est *filius populi mei*.

††20.1 *Profectus inde*, etc. Cades, *fons judicii*; Sur, *angustia*; quibus figuratur patientia.

‡‡20.2 *Dixitque de Sara*, etc. AUG. Quæri solet quomodo in illa ætate Abraham pro Saræ pulchritudine periclitari timuerit: sed formæ illius vis miranda est, quæ adhuc amari poterat. *Dixitque de Sara*, etc. ISID., in Gen., tom. 6 Tacuit uxorem, dixit sororem, ne ipse occideretur, et illa captiva ab alienigenis possideretur, certus quod a Deo inviolata servaretur, sicut apud Pharaonem, etc., usque ad *Nolite vocare patrem super terram, unus est enim Pater vester qui in cælis est. Dixitque*, etc. AUG. Quod dicitur Abimelech pro Sara, *Et peperi tibi ne peccares in me*, advertendum est Deum fecisse, quando admonuit uxorem esse Abrahæ, quam putabat sororem. Et notandum quod in Deum peccatur, cum talia committuntur quæ putant homines vel non esse peccata, vel levia haberi tanquam in carne peccata.

¶¶20.7 *Orabit pro te*, etc. CHRYSOST., hom. 45 in Gen. Scias autem quod illius preces tibi vitam præbebunt.

§§20.12 *Alias autem*, etc. HIERON. Quoniam in Hebræo habetur *vegam* id est, etiam vere *soror mea est, filia patris mei, sed non filia matris meæ*, et sonat magis quod soror Abrahæ fuerit. In excusationem dicimus nondum tales nuptias lege prohibitas. *Filia patris*. Alia translatio, apertius, *a patre, et non ex matre*; erat enim filia Aran fratris Abrahæ, soror Lot.

quod frater tuus sim.* ¹⁴Tulit igitur Abimelech oves et boves, et servos et ancillas, et dedit Abraham: reddiditque illi Saram uxorem suam,[†] ¹⁵et ait: Terra coram vobis est, ubicumque tibi placuerit habita.[‡] ¹⁶Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, et quocumque perrexeris: mementoque te deprehensam.[¶] ¹⁷Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech et uxorem, ancillasque ejus, et pepererunt:[§] ¹⁸concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ.

21 Visitavit autem Dominus Saram, sicut promiserat: et implevit quæ locutus est.^{**} ²Concepitque et peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. ³Vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac: ⁴et circumcidit eum octavo die, sicut præceperat ei Deus,^{††} ⁵cum centum esset annorum: hac quippe ætate patris, natus est Isaac. ⁶Dixitque Sara: Risum fecit mihi Deus: quicumque audierit, corridebit mihi. ⁷Rursumque ait: Quis auditurus crederet Abraham quod Sara lactaret filium, quem peperit ei jam seni? ⁸Crevit igitur puer,

*20.13 *Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam,* etc. Postquam sermo Dei repulsus est a Judæa, omnes fideles sunt Christi fratres et sorores; unde Matth. 12: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse frater meus, et soror, et mater.*

†20.14 *Tulit igitur.* Allegorice Abraham significat Christum, Sara Ecclesiam. Abraham honoratur propter Saræ pulchritudinem, et Christus propter Ecclesiam; unde psal. LXVII: *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Habebat Sara virum, sed latebat; habet Ecclesia Christum qui in sæculo non videtur, in cælo receptus.

‡20.15 *Ubicumque tibi,* etc. Qui aliquando terrore principum credere distulerant, eisdem jubentibus ad Ecclesiam, quæ Christi soror et uxor est, sese contulerunt, et per omnes mundi partes gloriam Christi et Ecclesiæ dilataverunt.

¶20.16 *Mille argenteos,* etc. Quasi jocando loquitur: quia illa dixit fratrem suum esse qui maritus erat, et hortatur ut in posterum hoc meminere, ne deinceps simile improprium deprehensa incurrat. Mille argentei dantur Christo, cum eloquentes doctores mundi de gentili conversatione ad fidem Christi tenendam et prædicandam assumuntur. Millenarius enim ex denario quadratus, stabilem et solidam designat evangelicæ prædicationis doctrinam.

§20.17 *Orante autem.* Orante Filio Patrem, sanatur infecunditas mundanorum, et principum, et subditorum populorum.

**21.1 *Visitavit autem Deus Saram,* etc. Circumcisionis figura multiformis est. Signaculum enim est secundum Apostolum justitiæ fidei, Abrahæ et semini ejus, et judicium castigandi eos qui ad hoc semen et fidem pertinerent; et prophetia nascitur de hoc semine Salvatoris, qui nos in præsentem per baptismum ab omni peccato mundaret, et in futuro post resurrectionem ab omni mortis corruptione liberaret. Octonarius autem resurrectionis gloriæ convenit: Dominus enim octavo die, id est post septimam sabbati resurrexit; et nos post sex ætates hujus sæculi, et septimam sabbati, id est, quietem animarum, quæ interim in alia vita geritur, quasi octavo tempore resurgemus, ab omnibus carnalibus concupiscentiæ corruptionibus et vitiiis in quibus luxuria maxime regnat exspoliati.

††21.4 *Circumcidit* etc. STRAB. Circumcisio cum ob multas causas præcepta sit, specialiter figuram Christi prætendit, qui nos per baptismum veteri homine exuit, et in futuro post resurrectionem circumcidet omnem mortalitatem et corruptionem. Quod autem octavo die circumcisus est Isaac, designatur octava sæculi ætas, quando generaliter resurrectio sanctorum celebrabitur.

et ablactatus est: fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus.^{‡‡}
⁹Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham:^{¶¶} ¹⁰Ejice ancillam hanc, et filium ejus: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.^{§§} ¹¹Dure accepit hoc Abraham pro filio suo.^{*} ¹²Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, et super ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus: quia in Isaac vocabitur tibi semen. ¹³Sed et filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.[†] ¹⁴Surrexit itaque Abraham mane, et tollens panem et utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum, et dimisit

^{‡‡}21.8 *Crevit igitur puer,* etc. Crescit, qui ascensiones in corde disponens, ad solidum doctrinæ cibum pervenit. Unde cresce, et manducabis me. *Crevit,* etc. AUG. Nec in die nativitatis, nec in die circumcisionis filii sui, sed in die ablactationis convivium fecit: quia debet magnum esse gaudium spiritualis ætatis, quando talis factus est homo qui pascatur solido cibo, eis simile quibus dicitur I Cor. 3: *Lac vobis potum dedi, non escam.*

^{¶¶}21.9 *Cumque vidisset Sara.* etc. HIER. Dupliciter hoc exponitur: vel quod idolis ludos fecerit, juxta illud Exod. 32: *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Vel quod adversum Isaac, quasi majoris ætatis loco, sibi primogenita vindicaverit; quod Sara audiens non tulit.

^{§§}21.10 *Ejice ancillam hanc,* etc. BED., c. 21; ISID., c. 17, in Gen. Quæritur cur antea Sara voluit de ancilla filium suscipere, aut cur cum matre eum nunc jubet expelli? Quod non facit zelo accensa, sed prophetiæ mysterio compulsa. Agar enim, secundum Apostolum, in servitute genuit carnalem populum; Sara vero spiritualem et liberum, qua libertate Christus nos liberavit. Significabatur ergo hoc mysterio, priorem populum in servitute generatum non manere in domo Saræ, id est Ecclesiæ, in æternum, nec esse hæredem vel consortem Christianorum, nec cum filio nobili, id est populo fidei, regnum gloriæ possidere.

^{*}21.11 *Dure accepit,* etc. AUG. Quæritur quare contristatus sit Abraham, cum hæc prophetia fuerit, quam ipse magis quam Sara noscere debuit: sed ex revelatione hoc dixit Sara, quod sibi prius fuerat revelatum. Ille vero paterno affectu commotus est, cui Dominus postea revelavit. Vel forte ambo prius nescierunt quid esset, et per Saram nescientem prophetizatum est cum muliebri animo mota est propter ancillæ superbiam.

[†]21.13 *Quia semen tuum.* AUG. Notandum quod et Ismæl a Deo semen Abraham dictus est, quod Apostolus ait Rom. 9: *Non filii carnis, sed filii promissionis æstimabuntur in semine.* Sed hoc proprie ad Isaac pertinet, qui non filius carnis, sed promissionis, et semen spirituale ex promissione est, non ex carne.

eam. Quæ cum abiisset, errabat in solitudine Bersabee.‡¹⁵ Cumque consumpta esset aqua in utre, abiecit puerum subter unam arborum, quæ ibi erant.¶¹⁶ Et abiit, seditque e regione procul quantum potest arcus jacere: dixit enim: Non videbo morientem puerum: et sedens contra, levavit vocem suam et flevit.¹⁷ Exaudivit autem Deus vocem pueri: vocavitque angelus Dei Agar de cælo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo est.§¹⁸ Surge, tolle puerum, et tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum.¹⁹ Aperuitque oculus ejus Deus: quæ videns puteum aquæ, abiit, et implevit utrem, deditque puero bibere.²⁰ Et fuit cum eo: qui crevit, et moratus est in solitudine, factusque est juvenis sagittarius.²¹ Habitavitque in deserto Pharan, et accepit illi mater sua uxorem de terra Ægypti.²² Eodem tempore dixit Abimelech, et Phicol princeps exercitus

‡21.14 *Tollens panem.* etc. ALC. EX BEDA, c. 21 Cum ergo Abraham ejeceret Agar, tollens panem, ideo humeris imposuit, etc. usque ad quia quidam de populo sub umbra ligni crucis refugium petitura sunt. *Sumpsit panem et utrem aquæ.* AUG. Q. in Gen. tom. 3 Quæritur quomodo imposuit in humeris puerum tam grandem? Nam qui fuerat antequam esset natus Isaac, tredecim annorum circumciscus, cum esset Abraham nonaginta novem, et natus sit Isaac centenario patre; ludebat autem Ismæl cum Isaac quando Sara commota est, utique cum puero grandiusculo, qui jam fuerat ablactatus: profecto plus quam sedecim annorum fuit quando cum matre expulsus est. Sed ut hoc quod cum parvulo lusit, per recapitulationem dictum accipiamus, antequam ablactaretur Isaac; etiam sic amplius quam tredecim annorum puer humeris matris non potuit imponi; sed subaudiendum est, dedit puerum suum, etc. *Imposuit scapulæ ejus.* HIER. in Q. Hebr. Quando Isaac natus est, tredecim annorum erat Ismæl, et post ablactationem ejus cum matre expellitur. Apud Hebræos varia opinio est, aliis asserentibus quinto anno ablactationis tempus ejus statutum, aliis duodecimo. Nos igitur, ut breviorum eligamus ætatem, post decem et octo annos supputamus Ismælem ejectum cum matre, nec convenire jam adolescentem matris sedisse cervicibus. Verum est autem illud Hebrææ linguæ idioma, quod omnis filius ad comparationem parentum infans vocetur et parvulus. Romæ quoque usque hodie omnes filii infantes vocantur.

¶21.15 *Abiecit puerum.* etc. HIER. Quod sequitur: *Et projecit puerum subter unam abietem, et abiens sedit contra longe quasi jactus sagittæ.* Dixit enim: Non videbo mortem parvuli mei, et sedit contra eum; et statim jungitur. Exclamavitque puer et flevit; et audivit Dominus vocem pueri de cælo, ubi erat, et dixit angelus ad Agar: Nullum moveat. In Hebræo enim prius hoc scriptum est: *Non videbo mortem pueri mei.* Ita consequenter legitur, quod Agar sederit contra puerum, et levaverit vocem, et fleverit, et exaudierit Deus vocem parvuli. Flente enim matre et mortem filii præstolante, Deus exaudivit puerum, quem pollicitus erat futurum in gentem magnam. Mater enim non suam mortem, sed filii deplorat. AUG. Q. in Gen., tom. 3 Quæritur quomodo mater, etc., usque ad sicut sæpe faciunt cujuslibet ætatis ambulantes.

§21.17 *Exaudivit autem.* BED. et ISID. ubi supra. Puer exclamat plorans, et Deus exaudivit; et monstrante angelo, illa fontem aspicit, et pro illis dicitur qui ad Christum convertuntur, et deflentes peccata exaudiuntur, apertis oculis cordis vident fontem aquæ, id est, Christum, qui ait Joan. VII *Qui sitit, veniat ad me et bibat.* Angelus Eliam significat, per quem populus crediturus est. Unde Malach. 4: *Ecce ego mittam vobis Eliam, qui convertat corda patrum in filios. Angelus Domini.* ISID. Quod eum qui loquitur ad Agar, prius angelum, postea Dominum Scriptura pronuntiat, Filium Dei fuisse credendum est, qui per legem et prophetas locutus est, qui per obedientiam paternæ voluntatis angelus vocatur, secundum naturam Deus.

ejus, ad Abraham: Deus tecum est in universis quæ agis.** 23 Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, et posteris meis, stirpique meæ: sed juxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi, et terræ in qua versatus es advena.†† 24 Dixitque Abraham: Ego jurabo. 25 Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ quem vi abstulerunt servi ejus. 26 Responditque Abimelech: Nescivi quis fecerit hanc rem: sed et tu non indicasti mihi, et ego non audivi præter hodie. 27 Tulit itaque Abraham oves et boves, et dedit Abimelech: percusseruntque ambo fœdus. 28 Et statuit Abraham septem agnas grevis seorsum. 29 Cui dixit Abimelech: Quid sibi voluit septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum? 30 At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea: ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum. 31 Idcirco vocatus est locus ille Bersabee: quia ibi uterque juravit.‡‡ 32 Et inierunt fœdus pro puteo juramenti. 33 Surrexit autem Abimelech, et Phicol princeps exercitus ejus, reversique sunt in terram Palæstinorum. Abraham vero plantavit nemus in Bersabee, et invocavit ibi nomen Domini Dei æterni.¶¶ 34 Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

22 Quæ postquam gesta sunt, tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum.§§ 2 Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in

**21.22 *Eodem tempore.* AUG. ubi supra. Quæri potest quando cum Abimelech pactum fecit Abraham, etc., usque ad quem illa nesciret.

††21.23 *Jura ergo,* etc. Sæpe qui foris sunt, fidelium conversatione inducti eisdem desiderant sociari, et eorum exemplis ad melius informari, ut et sibi consulant et proximorum saluti.

‡‡21.31 *Idcirco vocatus est,* etc. Duplex causa est cur appellatus sit in Hebræo *Bersabee*: vel quia septem agnas accepit Abimelech de manu Abraham. Septem enim dicuntur *sabee*, vel quia ibi juraverunt, *sabaa* enim significat *juramentum*. Si autem hanc causam supra hoc nomen legimus, per prolepsim dictum est; sicut Bethel, et Galgala, quæ, antequam haberent hæc vocabula, aliter vocabantur. Notandum ex prioribus et præsentis loco quod Isaac non sit natus ad quercum Mambre. *Alon* Hebraice Latine quercus ut in Hebræo habetur, sed in Geraris, ubi Bersabee usque hodie oppidum est, quæ provincia ante non grande tempus ex divisione præsidum Palæstinæ *Salutaris* dicta est. Unde habitavit Abraham in terra Palæstinorum diebus multis.

¶¶21.33 *Abraham vero,* etc. AUG. Abraham sicut Stephanus dicit non acceperat hæreditatem ibi, nec spatium pedis. Sed intelligenda est hæreditas, quam Deus gratis daturus erat, non pretio empta. Intelligitur autem spatium circa puteum ad illud emptionis spatium quo fuerant septem agnæ datæ, quando Abimelech et Abraham sibi juraverunt.

§§22.1 *Quæ postquam,* etc. AUG., Quæst. in Gen., tom. 3 Jacobus dicit quod neminem tentat Deus; sed usualiter, tentare, pro eo quod est pro are, dicimus. Jacobus autem dicit de ea tentatione, qua quisque peccato [*AL.*, peccator] implicatur. Unde I Thess. 1: *Ne forte tentaverit vos is qui tentat.* Alibi enim scriptum est Deut. 13: *Tentat vos Deus vester, ut sciat si diligatis eum, id est, vos scire faciat.* Vires enim dilectionis suæ homo ignorat, nisi experimento cognoscat.

holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.* ³ Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes, et Isaac filium suum: cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus.† ⁴ Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul:‡ ⁵ dixitque ad pueros suos: Expectate hic cum asino: ego et puer illuc usque properantes, postquam ado-

*22.2 *Tolle filium*, etc. ALC. in Gen., tom. 1 Non statim jussus est Abraham filium occidere, sed triduo ad immolandum ducere, ut longitudine temporis tentatio augetur. Per triduum enim, crescentibus curis, paterna viscera cruciantur, et prolixo spatio pater filium intuetur, cibum cum eo sumit, tot noctibus pendet puer in amplexu patris, cubat in gremio, et per singula momenta in paterno affectu dolor occidendi filii cumulatur. *Quem diligis*, etc. BEDA in Gen., c. 22 De charitatis admonitione et nominis recordatione tentatio cumulatur, et paternus affectus movetur in memoria promissionis, quia dictum est: *In Isaac vocabitur tibi semen*, tanquam si ille occideretur, tota spes promissionis frustraretur. *Vade in terram*. HIER. Q. Hebr., tom. 3 Aiunt Hebræi hunc montem esse in quo postea templum ædificatum est in area ornæ Jebusæi. Unde 2, Par. 3: *Cœperunt ædificare templum mense secundo, secunda die mensis, in monte Moria*, qui idcirco *illuminans* interpretatur et *lucens*, quia ibi est *debir* id est oraculum Dei, et spiritus qui homines docet veritatem et prophetias inspirat.

†22.3 *Asinum suum ducens*, etc. ISID. in Gen., c. 18 Asinus insensatam stultitiam Judæorum significat, quæ portabat omnia sacramenta et nesciebat.

‡22.4 *Die autem tertio*. HIER. ubi supra. Notandum quia de Geraris usque ad montem Moria, id est sedem templi, iter trium dierum sit: et Abraham illuc die tertio pervenisse dicitur. Male ergo putant Abraham illo tempore habitasse apud quercum Mambre, cum ad montem Moria vix unius diei plenum iter sit. Triduum quo venerunt ad locum sacrificii, tres ætates significat, ante legem, ab Abraham usque ad Mosen; sub lege, a Mose usque ad Joannem; inde usque ad Dominum; et quidquid restat, tertius dies est gratiæ, in qua tertia ætate sacrificium completum est Christi.

raverimus, revertemur ad vos.⁶ Tulit quoque ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum: ipse vero portabat in manibus ignem et gladium. Cumque duo pergerent simul,⁷ dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid vis, fili? Ecce, inquit, ignis et ligna: ubi est victima holocausti?⁸ Dixit autem Abraham: Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter.⁹ Et venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, et desuper ligna composuit; cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.⁸
¹⁰ Extenditque manum, et arripuit gladium, ut immolaret filium suum.¹¹ Et ecce angelus Domini de cælo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum.
¹² Dixitque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam:

⁶22.5 *Expectate hic*, etc. ISID. ubi supra. Audi Apostolum: *Cæcitas ex parte contingit in Israël*, hoc est, *cum asino*, ut *plenitudo gentium intraret*, hoc est, *postquam adoraverimus*. Ubi sacrificium crucis per gentes fuerit prædicatum, hoc est, *ubi plenitudo gentium intraverit, revertemur ad vos*, hoc est, *et sic omnis Israël salvus fiet*. Duo servi dimissi, nec perducti ad locum sacrificii, Judæi sunt qui, serviliter viventes et carnaliter sapientes, non intellexerunt humilitatem et passionem Christi. Duo quidem, quia in duas partes dividendi, quod factum est peccante Salomone, quando divisus est populus loco regni, non errore impietatis, quibus dicitur Jer. 3: *adversatrix Israël, et prævaricatrix Juda. Ego et puer*, etc. ALC. Indubitanti animo mactare filium volebat. Laudandus in constantia offerendi et in fide suscitandi. Sciebat enim certissime Deum fallere non posse, et licet puer occideretur, promissionem tamen Dei salvam permanere. Unde Apostolus Hebr. 11: *Fide Abraham non hæ sitavit, cum unicum offerret, in quo acceperat repromissionem, credens quia et a mortuis potens est suscitare Deus. Dixit Abraham*. ISID. ubi supra. Abraham, unicum filium ducens ad immolandum, Deum Patrem significat. Abraham senex filium suscepit, Deus autem non senescit, sed promissio de Christo quodammodo senuerat, quando natus est. Inchoavit ab Adam, quando dictum est: *Erunt duo in carne una* Gen. 2; et completa est sexta ætate sæculi. Senectus Saræ in plebe Dei, hoc est, in multitudine prophetarum, hoc idem significat quia in fine temporum ex plebe sanctarum animarum natus est Christus. Sterilitas ejus significat quod in hoc sæculo spe salvi facti sumus, et in Christo, tanquam in Isaac, omnes nati sumus, quem partum Ecclesiæ [*AL*, Ecclesia] in fine temporum non natura, sed gratia procreavit. Abraham ergo Deum Patrem significat, Isaac Christum. Sicut enim Abraham unicum et dilectum filium victimam Deo obtulit, sic Deus Pater unigenitum Filium pro nobis tradidit. Et sicut Isaac ligna portabat, quibus imponendus erat, sic Christus crucem, in qua figendus erat.

⁸22.9 *Cumque alligasset*, etc. ISID. ubi supra. Isaac ligatis pedibus altari superponitur, et Christus cruci affigitur. Sed quod figuratum est per Isaac, translatum est ad arietem, quia Christus ovis. Ipse enim filius, quia natus; aries, quia immolatus. In vepribus hæret aries, crux cornua habet. Si enim duo ligna compingantur, crucis species redditur. Unde Habac. 3: *Cornua in manibus ejus*. Cornibus ergo hærens aries, Christus crucifixus est. Vepres autem spinæ: spinæ iniquæ, quæ Dominum suspenderunt. Inter spinas enim peccatorum suspensus est. Unde Jer.: *Spinis peccatorum suorum circumdedit me populus hic Jer. 38* Alii hunc arietem in vepribus ligatum, Christum ante immolationem spinis coronatum intelligunt.

nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me.**

¹³ Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.^{††} ¹⁴ Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt. Unde usque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.^{‡‡}

¹⁵ Vocavit autem angelus Domini Abraham secundo de cælo, dicens: ¹⁶ Per memetipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me: ¹⁷ benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, et velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, ¹⁸ et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. ¹⁹ Reversus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabee simul, et habitavit ibi. ²⁰ His ita gestis, nuntiatum est Abrahæ quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo:^{¶¶} ²¹ Hus primogenitum, et Buz fratrem ejus, et Camuel patrem Syrorum, ²² et Cased, et Azau, Pheldas quoque et Jedlaph, ²³ ac Bathuel, de quo nata est Rebecca: octo istos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahæ. ²⁴ Concubina vero illius, nomine Roma, peperit Tabee, et Gaham, et Thahas, et Maacha.

23 Vixit autem Sara centum viginti septem annis.^{§§} ² Et mortua est in civitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaan: venitque Abraham ut plangeret et fleret eam. ³ Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens: ⁴ Advena sum et peregrinus apud vos: date mihi jus sepulchri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum. ⁵ Responderunt filii Heth, dicentes: ⁶ Audi nos, domine: princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit quin in monumento ejus sepelias mortuum tuum. ⁷ Surrexit Abraham, et adoravit populum terræ, filios videlicet Heth:^{*} ⁸ dixitque ad eos: Si placet animæ vestræ ut sepeliam mortuum meum, audite me, et intercedite pro me apud Ephron

**22.12 *Non pepercit*, etc. AUG. ubi supra. Nunquid non pepercit Abraham filio suo propter angelum? Sed in angelo figuratus est Dominus, qui Deus est et magni consilii angelus. Erat enim in angelo Deus, et ex ejus persona loquebatur. Hoc magis in sequentibus apparebit, cum dicitur: *Et vocavit angelus Domini Abraham secundo de cælo, dicens: Per memetipsum juravi, dicit Dominus.* Non enim facile invenitur Christum Patrem dicere tanquam Dominum, præsertim ante incarnationem. Nam secundum carnem hoc congrue dicitur, secundum quam in psalmo II dicitur: *Dominus dixit ad me*, etc. Quod autem dictum est ibidem, c. 9: *Dixit Dominus Domino meo*, etc., ad prophetam hoc refertur qui loquitur; sicut illud: *Pluit Dominus a Domino*, id est, Dominus noster, scilicet Filius, a Domino nostro, Patre scilicet.

††22.13 *Arietem*. ALC. *Historice*. Aries qui pro Isaac immolatus est, non putavimus, sed verus est. Ideo magis putatur angelum eum aliunde attulisse, quam ibi de terra post sex dierum opera Dominum procreasse. *Arietem inter vepres*, etc. HIER. in Quæst. Hebr. Aquila *veprem* vel *spinetum*, posuit, etc., usque ad quod ita Hebraice dicitur.

‡‡22.14 *Appellavitque nomen*, etc. HIER. ubi supra. Pro eo quod hic habetur, etc., usque ad per incarnationem scilicet.

¶¶22.20 *Melcha*. HIER. ubi supra. De Melcha uxore Nachor, etc., usque ad et in ipso nomine legitur in Isaia.

§§23.1 *Vixit autem Sara*, etc. *Et mortua est in civitate Arbee*, etc. HIER. in Quæst. Hebr. Quæ est in valle: hoc in authenticis libris non habetur, etc., usque ad sicut in libro Josue aperte demonstratur.

*23.7 *Surrexit Abraham*, etc. AUG., Quæst. in Gen. Quæritur quomodo Abraham adoravit populum terræ, etc., usque ad et ideo adorator corrigendus erat.

filium Seor: ⁹ ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri. ¹⁰ Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Responditque Ephron ad Abraham, cunctis audientibus qui ingrediebantur portam civitatis illius, dicens: ¹¹ Nequaquam ita fiat, domine mi, sed tu magis ausculta quod loquor. Agrum trado tibi, et speluncam quæ in eo est, præsentibus filiis populi mei; sepeli mortuum tuum. ¹² Adoravit Abraham coram populo terræ. ¹³ Et locutus est ad Ephron circumstante plebe: Quæso ut audias me: dabo pecuniam pro agro: suscipe eam, et sic sepeliam mortuum meum in eo. ¹⁴ Responditque Ephron: ¹⁵ Domine mi, audi me: terra, quam postulas, quadringentis siclis argenti valet: istud est pretium inter me et te: sed quantum est hoc? sepeli mortuum tuum. ¹⁶ Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.† ¹⁷ Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre, tam ipse, quam spelunca, et omnes arbores ejus in cunctis terminis ejus per circuitum,‡ ¹⁸ Abrahæ in possessionem, videntibus filiis Heth, et cunctis qui intrabant portam civitatis illius. ¹⁹ Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre. Hæc est Hebron in terra Chanaan. ²⁰ Et confirmatus est ager, et antrum quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti a filiis Heth.

24 Erat autem Abraham senex, dierumque multorum: et Dominus in cunctis benedixerat ei.† ² Dixitque ad servum seniore[m] domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, ³ ut adjurem te per Dominum Deum cæli et terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito:§ ⁴ sed ad terram et cognationem meam proficiscaris et inde accipias uxorem filio meo Isaac. ⁵ Respondit servus: Si noluerit mulier

†23.16 *Quod cum audisset*, etc. HIER., de locis Hebr. In Hebræo, sicut posuimus, etc., usque ad cum etiam reprehendatur, qui invitus acceperit.

‡23.17 *Confirmatusque est ager*, etc. GREG., lib. VI Moral., c. 25 Innuit sepulcrum duplex, etc., usque ad vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. *Spelunca*. Et circa eam ager arborosus ad sepeliendam Saram quadringentis siclis argenti per patriarcham a dominis terræ emitur: quia ad vacandum sapientiæ et studendum actioni, sub foliis mysticorum verborum, tanquam sub fructuosis arboribus, non aliter prædicatoribus quietus locus acquiritur, nisi per evangelicam doctrinam, argenti nitore fulgentem, terrenis potestatibus ab ipsis æterna beatitudo suadeatur. Quæ bene centenario quater ducto figuratur, quia a læva in dextram transfertur.

†24.1 *Erat autem Abraham senex. Dixitque ad servum seniore[m]: Pone manum*, etc. GREG. Manum sub femore jubet ponere, et per Deum cæli jurare, quia illius caro per illud membrum descensura erat, qui filius Abrahæ esset ex humanitate, et divinus ex divinitate; quasi dicat: Tange Filium meum, et jura per Deum meum. Verumtamen non super femur, sed sub femore manum ponere jubet, quia inde descensus erat, qui homo, sed super homines esset; unde dignum non fuit ut manum super femur poneret, quia nulla caro super illam est.

§24.3 *Ut non accipias*. GREG. Allegorice. Isaac de filiabus Chananæorum uxor prohibetur, quia Christo nullæ reproborum animæ junguntur. De cognatione uxor duci præcipitur, quia sola electorum Ecclesia Christo copulanda erat, quam ipse Unigenitus ex prædestinatione et præscientia jam extraneam non habebat. Puer qui ad uxorem deducendam mittitur, prophetarum et apostolorum, omniumque doctorum ordo est; qui dum verbum prædicationis faciunt, cujusque animæ quasi jungendæ unigenito Filio provisors fiunt.

venire mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo egressus es? ⁶Dixitque Abraham: Cave nequando reducas filium meum illuc. ⁷Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, et de terra nativitatis meæ, qui locutus est mihi, et juravit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet angelum suum coram te, et accipies inde uxorem filio meo: ⁸sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis juramento: filium meum tantum ne reducas illuc. ⁹Posuit ergo servus manum sub femore Abraham domini sui, et juravit illi super sermone hoc.** ¹⁰Tulitque decem camelos de grege domini sui, et abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum, profectusque perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor.†† ¹¹Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum juxta puteum aquæ vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit:‡‡ ¹²Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, et fac misericordiam cum domino meo Abraham. ¹³Ecce ego sto prope fontem aquæ, et filiaë habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam. ¹⁴Igitur puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam ut bibam: et illa responderit: Bibe, quin et camelis tuis dabo potum: ipsa est quam præparasti servo tuo Isaac: et per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum domino meo.¶¶ ¹⁵Necdum intra se verba compleverat, et ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filii Melchæ uxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua: ¹⁶puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro: descenderat autem ad fontem, et impleverat hydriam, ac revertebatur. ¹⁷Occurritque ei servus, et ait: Pauxillum aquæ mihi ad

**24.9 *Posuit ergo*, etc. HIER. in Quæst. Hebr. Tradunt Hebræi quia in sanctificatione ejus, etc., usque ad et pondus tribulationis fortiter ferant, quod cameli significant.

††24.10 *Ex omnibus bonis ejus*, etc. GREG. Quia his quæ de Domino loquuntur, in semetipsis virtutum divitias ostendunt, ut tanto citius ad sequendum Deum invitent, quanto suis auditoribus in seipsis monstrant quæ narrant.

‡‡24.11 *Juxta puteum*. GREG. Juxta fontem stetit, et ex præfixa sententia, quæ esset eligenda proposuit, quia sancti prædicatores verba fluentia considerant. Unde colligunt quem vel quibus auditoribus fiduciam certitudinis assument.

¶¶24.14 *Igitur puella*, etc. AUG., Q. in Gen. Quærendum est quid differant illicitæ augurationes a petitione hac, etc., usque ad quo tentare Deum prohibetur. *Inclina hydriam tuam*. Humilia sæcularem facundiam ad hauriendum propheticum sermonem, ut voluntatem tuam persuasioni meæ inclinem.

bibendum præbe de hydria tua.^{§§ 18} Quæ respondit: Bibe, domine mi: celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, et dedit ei potum.¹⁹ Cumque ille bibisset, adiecit: Quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.²⁰ Effundensque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum ut hauriret aquam: et haustam omnibus camelis dedit.²¹ Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens utrum prosperum iter suum fecisset Dominus, an non.²² Postquam autem biberunt cameli, protulit vir in aures aureas, appendentes siclos duos, et armillas totidem pondo siclorum decem.*²³ Dixitque ad eam: Cujus es filia? indica mihi, est in domo patris tui locus ad manendum? ²⁴ Quæ respondit: Filia sum Bathuelis, filii Melchæ, quem peperit ipsi Nachor.²⁵ Et addidit, dicens: Palearum quoque et fœni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum.†²⁶ Inclinavit se homo, et adoravit Dominum,²⁷ dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam et veritatem suam a domino meo, et recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei.²⁸ Cucurrit itaque puella, et nuntiavit in domum matris suæ omnia quæ audierat.²⁹ Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus

§§24.17 *Occurritque ei servus, et ait: Pauxillum,* etc. GREG. Allegorice. Omnis prædicator animam auditoris sicit, ideo servus petit, Rebecca potum tribuit: quia electorum Ecclesia desiderio prædicatorum ex virtute suæ fidei satisfacit. Quæ enim Deum, quem audit, confitetur, prædicatori aquam refectionis et refrigerii offert. Et notandum quod hydriam ab humero inclinans posuit, quia illa confessio placida est quæ a bono opere procedit. Vel aquam præbuit, quia in eo quod credidit, vacua non remansit. Mox enim prædicavit quod audivit, et dicendo multos ex se prædicatores protulit. Aqua enim in hydria, scientia prædicationis in mensura. Studet enim non plus sapere quam oportet sapere. Hydria in ulna, mensura prædicationis in opere. Nec solum omnibus comitibus ejus, sed et camelis potum præbet, quia verbum vitæ non solum prudentibus, sed etiam stultis prædicatur. Rom. 1: *Sapientibus et insipientibus debitor sum.* Vel aqua etiam jumentis datur, cum cura carnis quomodo sit habenda disponitur, ut ex voluptate non impendatur, et ex necessitate non negetur; unde Rom. 13: *Carnis curam ne feceritis in desideriis;* et Ephes. 5: *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit.*

*24.22 *Protulit vir,* etc. HIER. *Beka,* quod hic pro didrachmate ponitur, semiuncia est: *Schekel* vero, qui Latine, sed corrupte, *siclus* dicitur, uncia. GREG. Quia prædicato: auditum Ecclesiæ per obedientiam, et manus per operationem exornat. In aures duorum siclorum sunt, armillæ decem, quia prima virtus obedientiæ in charitate est, quæ dilectio Dei et proximi est; et bonum opus decalogi completionem perficitur, ut cum bona agi cœperint, mala nulla agantur.

†24.25 *Palearum quoque.* Quia Ecclesia recipiens spiritualia, reddit prædicatoribus terrena stipendia; unde I Cor. 9: *Si vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus. Locus spatiosus.* A priore populo naturæ legem se Ecclesia novisse monstravit, et prædicationem amplo charitatis gremio suscepit: doctori enim spatiosa mansio est, in corde auditoris latitudo charitatis; unde secundæ Corinth. sexto: *Non angustiamini in nobis, sed in visceribus vestris;* quasi suscipiendæ doctrinæ locum mentis dilatate, ad cogitanda carnalia coarctate.

est ad hominem, ubi erat fons.[‡] ³⁰ Cumque vidisset inaures et armillas in manibus sororis suæ, et audisset cuncta verba referentis: Hæc locutus est mihi homo: venit ad virum qui stabat juxta camelos, et prope fontem aquæ: ³¹ dixitque ad eum: Ingredere, benedicte Domini: cur foris stas? præparavi domum, et locum camelis. ³² Et introduxit eum in hospitium: ac destravit camelos, deditque paleas et fœnum, et aquam ad lavandos pedes ejus, et virorum qui venerant cum eo. ³³ Et appositus est in conspectu ejus panis. Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit ei: Loquere.[†] ³⁴ At ille: Servus, inquit, Abraham sum: ³⁵ et Dominus benedixit domino meo valde, magnificatusque est: et dedit ei oves et boves, argentum et aurum, servos et ancillas, camelos et asinos. ³⁶ Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat. ³⁷ Et adjuravit me dominus meus, dicens: Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito:[§] ³⁸ sed ad domum patris mei perges, et de cognatione mea accipies uxorem filio meo. ³⁹ Ego vero respondi domino meo: Quid si noluerit venire mecum mulier? ⁴⁰ Dominus, ait, in cujus conspectu ambulo, mittet angelum suum tecum, et diriget viam tuam: accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea, et de domo patris mei. ⁴¹ Innocens eris a maledictione mea, cum veneris ad propinquos meos, et non dederint tibi. ⁴² Veni ergo hodie ad fontem aquæ, et dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo,^{**} ⁴³ ecce sto juxta fontem aquæ, et virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit a me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua: ⁴⁴ et dixerit mihi: Et tu bibe, et camelis tuis hauriam: ipsa est mulier, quam præparavit Dominus filio domini mei. ⁴⁵ Dumque hæc tacitus mecum volverem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula: descenditque ad fontem, et hausit aquam. Et aio ad eam: Da mihi paululum bibere. ⁴⁶ Quæ festinans deposuit hydriam de humero, et dixit mihi: Et tu bibe, et camelis tuis tribuam potum. Bibi, et adaquavit camelos.

[‡]24.29 *Habebat*, etc. Quia carnales fidelibus conjuncti, dum spiritualia dona concipiunt, admiratione suspensi, si non usque ad opera, tamen usque ad fidem suscipiendam prædicationem admittunt: dum enim bonos miraculis fulgere considerant, quæ de æternitate audiunt non recusant, quamvis Ecclesiam moribus non sequentes, in carnali operatione remaneant. *Habebat autem*. Quia sunt carnales fidelibus conjuncti, quorum familiaritate aliquando ad audiendum verbum prodeunt, et videntes dona Dei collata fidelibus mirantur, et verbum corde percipiunt, quod bonis moribus implere non satagunt.

[†]24.33 *Non comedam*. Quia sunt qui doctores ex temporalibus stipendiis retinere parati sunt: sed illi nisi prius obtineant æterna, recipere nolunt. Si enim in animabus fructum non inveniunt, sumere stipendia corporibus contemnunt; pedes non lavant, quia laboris desideria nulla consolatione relevant.

[§]24.37 *Et adjuravit*, etc. AUG. ubi supra. Sententia est eadem, verba non omnia, vel ipsa, vel ita dicta sunt; quod propter eos dicendum, qui evangelistas calumniantur quod in aliquibus verbis non omnino conveniunt, cum res et sententia eadem; hunc enim librum unus scripsit, qui ea quæ supra dixit, cum mandaret Abraham, vel reliqua ponere potuit, si ad rem pertinere judicaret: cum veritas narrationis non exigit, nisi ut rerum sententiarumque veritas sit, quibus voluntas propter quam intemdamam verba fiunt satis appareat.

^{**}24.42 *Veni ergo hodie*, etc. HIERON. In Hebræo scriptum est, etc., usque ad ostendant igitur Judæi alicubi positum *alma*, ubi adolescentulam et non virginem sonet.

⁴⁷ Interrogavique eam, et dixi: Cujus es filia? Quæ respondit: Filia Bathuelis sum, filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspensi itaque in aures ad ornandam faciem ejus, et armillas posui in manibus ejus. ⁴⁸ Pronusque adoravi Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio ejus. ⁴⁹ Quam ob rem si facitis misericordiam et veritatem cum domino meo, indicate mihi: sin autem aliud placet, et hoc dicite mihi, ut vadam ad dextram, sive ad sinistram. ⁵⁰ Responderuntque Laban et Bathuel: A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum. ⁵¹ En Rebecca coram te est, tolle eam, et proficiscere, et sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus. ⁵² Quod cum audisset puer Abraham, procidens adoravit in terram Dominum. ⁵³ Prolatisque vasis argenteis, et aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere: fratribus quoque ejus et matri dona obtulit. ^{††} ⁵⁴ Inito convivio, vescentes pariter et bibentes manserunt ibi. Surgens autem mane, locutus est puer: Dimitte me, ut vadam ad dominum meum. ⁵⁵ Responderuntque fratres ejus et mater: Maneat puella saltem decem dies apud nos, et postea proficiscetur. ⁵⁶ Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam: dimittite me ut pergam ad dominum meum. ⁵⁷ Et dixerunt: Vocemus puellam, et quæramus ipsius voluntatem. ⁵⁸ Cumque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam. ⁵⁹ Dimiserunt ergo eam, et nutricem illius, servumque Abraham, et comites ejus, ^{‡‡} ⁶⁰ imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum. ⁶¹ Igitur Rebecca et puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum: qui festinus revertebatur ad dominum suum. ^{¶¶} ⁶² Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad puteum, cujus nomen est Viventis et videntis: habitabat enim in terra australi: ^{§§} ⁶³ et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die: cumque elevasset

^{††}24.53 *Prolatisque*, etc. GREG. ubi supra. Postquam conjugii causam puer obtinuit, etc., usque ad *Dedit ea Rebeccæ*. Rebecca non ornatur auro Bathuelis, quia non sunt digna ornamenta barbari et imperiti. De domo Abrahæ accipit ornamenta, quia patientia de domo sapientiæ ornatur; a puero Abrahæ suscipit in aures, id est, aurea in auribus verba; et brachilia, id est, aurea in manibus opera, et alia ornamenta; quibus figurantur diversa virtutum genera.

^{‡‡}24.59 *Et nutricem illius*. Honestum erat ut ad nuptias absque parentibus virgo proficiscens, nutricis solatio foveretur.

^{¶¶}24.61 *Igitur Rebecca*, etc. GREG. Quia Ecclesia habet secum minoris meriti animas, quæ ipsam moribus sequuntur: sed ad contemplationis thorum non provehantur. Pueros quoque quosdam habuit in comitatu, quia cum prophetis fuerunt qui bene viverent, etsi prophetiæ spiritum non haberent: et cum apostolis et doctoribus, qui vitam eorum tenerent, et tamen non prædicarent. *Qui festinus*, etc. Festinus puer ad dominum redit, quia prædicatores cum auditorum vitam obtinent, Deo, de cujus munere hoc habent, non sibi præbent.

^{§§}24.62 *Eo tempore Isaac*, etc. GREG. ubi supra. Vivens et videns Dominus est, etc., usque ad modo spineam coronam, modo crucem sustinuit. *Habitabat*, etc. PATERIUS in *Gen.* ex dictis GREG. Isaac, Rebecca veniente, habitabat in terra australi, quia Christus, veniente ad se Ecclesia, in illorum mentibus mansit quos non corporis frigus, sed fervor charitatis tenuit: qualis erat Anna, Simeon, et aliqui de populo Judæorum.

oculos, vidit camelos venientes procul.*⁶⁴ Rebecca quoque, conspecto Isaac, descendit de camelo,[†]⁶⁵ et ait ad puerum: Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei: Ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium, operuit se.[‡]⁶⁶ Servus autem cuncta, quæ gesserat, narravit Isaac.⁶⁷ Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, et accepit eam uxorem: et in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.[¶]

*24.63 *Et egressus fuerat*, etc. HIER. Per terram australem, Geraram significat, unde ad immolandum adductus fuerat. Egressus est, ut exercebatur in campo. In Hebræo legitur: *Egressus est Isaac, ut loqueretur in agrum, inclinata jam vespera*; ubi significatur quod Dominus solus orabat in monte, et Isaac, qui typus Domini fuit, ad orationem quasi virum justum a domo egressum nona hora, vel ante solis occasum, spirituales victimas Deo obtulisse. GREG. ubi supra. Ager mundus est, quo Christus egressus est, quia visibiliter apparere dignatus est. Unde Habac. 3: *Egressus es in salutem populi tui*. Isaac ad meditandum in agro exiit, quia Christus formam humilitatis præbens, exercitium longanimitatis, passionis, et patientiæ exempla monstravit, sicut solent juvenes exercitati armorum usu meditari. Armorum meditatio est passionis frequentatio. Qui enim verbera, sputa, lanceam crucemque pertulit, passionem usque ad mortem in se frequentari permisit. Passiones arma dicimus, quia per ipsas ab adversariis liberamur; unde Luc. 21: *In patientia vestra possidebitis animas vestras. Inclinata, etc. Quia passionum exercitia juxta finem mundi suscepit; unde psal. CXL: Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*.

†24.64 *Descendit de camelo*, etc. GREG., lib. 1, Moral., c. 14 Rebecca ad Isaac in camelo deducitur, etc., usque ad super tortuosa camelorum dorsa divitias portant.

‡24.65 *Quis est ille homo*, etc. GREG. apud Paterium. Rebecca viso Isaac, quis sit, requisito puero, cognoscit: quia Ecclesia per prophetarum et apostolorum dicta, quid de Christo credere debeat, intelligit. Quæ se mox pallio cooperuit, quia quanto Christi mysteria penetrat, tanto de antea vita confunditur. Unde infirmitatem suam pallio operire nititur; et quæ prius in camelo libere gestatur, descendens verecundia tegitur, cui quasi verecundius dicitur: Quem enim fructum habuisti tunc in illis in quibus nunc erubescis? *At illa*, etc. HIERON. Alia editio, *teristrum*, quod etiam nunc genus est Arabici vestimenti quo mulieres provinciæ illius velantur.

¶24.67 *Qui introduxit eam*, etc. GREG. ut supra. Hanc Isaac in tabernaculo matris suæ introduxit, et uxorem accepit, quia in loco Synagogæ, de qua natus est Christus, Ecclesiam diligit: ut quæ cognatione, id est prædestinatione, proxima fuerat, amore conjuncta uxor fiat. *Et intantum dilexit eam*, etc. GREG. ut supra. Quia ex lucro Ecclesiæ Christus tristitiam ex perditione Synagogæ detersit, quia dum Ecclesia ex gentilitate veniens usque ad thorum contemplationis perducitur, Judæa pro nihilo habetur. Isaac quoque *risus*, Rebecca vero *patientia* dicitur: risus vero ex lætitia, patientia ex tribulatione. Et quamvis Ecclesia jam sit cœlestis gaudii contemplatione suspensa, habet tamen in se quod de carnis pondere doleat. Isaac vero et Rebecca junguntur, id est, risus et patientia, secundum illud Rom. 12: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*, ut prospera lætificent de contemplatione, adversa de tribulatione perturbent.

25 Abraham vero aliam duxit uxorem nomine Ceturam:^{§ 2} quæ peperit ei Zamaran et Jecsan, et Madan, et Madian, et Jesboc, et Sue. ³ Jecsan quoque genuit Saba et Dadan. Filii Dadan fuerunt Assurim, et Latusim, et Loomin.^{** 4} At vero ex Madian ortus est Epha, et Opher, et Henoch, et Abida, et Eldaa: omnes hi filii Ceturæ. ⁵ Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac:^{†† 6} filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret, ad plagam orientalem. ⁷ Fuerunt autem dies vitæ Abrahamæ, centum septuaginta quinque anni. ⁸ Et deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis et plenus dierum: congregatusque est ad populum suum.^{‡‡ 9} Et sepelierunt eum Isaac et Ismaël filii sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filii Seor Hethæi, e regione Mambre, ¹⁰ quem emerat a filiis Heth: ibi sepultus est ipse, et Sara uxor ejus. ¹¹ Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio ejus, qui habitabat juxta puteum nomine Viventis et videntis. ¹² Hæ sunt generationes Ismaël filii Abrahamæ, quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ: et^{¶¶ 13} hæc nomina filiorum ejus in vocabulis et generationibus suis. Primogenitus Ismaëlis Nabaioth, deinde Cedar, et Adbeel,

§25.1 *Abraham vero aliam duxit uxorem*, etc. ISID. Allegorice. Mortua Sara duxit Abraham Ceturam. Non propter incontinentiam, quia jam grandævus: nec propter filiorum procuracionem, quia illi semen quasi stellæ cœli ex Isaac promissum erat. Sed sicut Agar et Ismæl figuraverunt carnales Veteris Testamenti, sic Cetura et filii ejus hæreticos, qui se ad Testamentum Novum existimant pertinere. Sed utraque concubina, sola Sara uxor; unde Cant. 6: *Una est columba mea*, etc. Allegorice. Post assumptionem Ecclesiæ adhæserunt Christo multæ animæ hæretica pravitare deceptæ, quæ non catholicos, sed schismaticos genuerunt, qui unitatem Ecclesiæ diviserunt: quos significant filii Ceturæ, qui inferius numerantur. HIER., in Q. Hebr. Cetura, Hebraice, *copulata*, etc., usque ad quanto enim quis est carne fessus, tanto spiritu robustus et sapientiæ complexibus aptus.

**25.3 *Filii Dadan fuerunt Assurim, et Lathusim, et Laomim. At vero ex Madian ortus est Epha et Opher et Henoc et Abida.* HIER. Assurim in *negotiatores* transferri putant, etc., usque ad et a plerisque filiis Abrahamæ ex Cetura occupatas Indiæ regiones.

††25.5 *Deditque Abraham*, etc. ISID. Quia dantur munera filiis concubinarum, id est carnalium; sed non perveniunt ad regnum promissum hæretici, vel Judæi, quia carnalia lucra sequuntur; solus Isaac est hæres, quia non filii carnis existimantur in semine, sed promissionis.

‡‡25.8 *Et deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, et plenus dierum, congregatusque est ad populum suum. Et sepelierunt eum*, etc. HIERON. male in LXX additum est: *Deficiens mortuus est Abraham*, quia non convenit Abrahamæ deficere vel minui. Illud quoque quod posuimus *in senectute bona senex* et plenius in Græcis codicibus ponitur, *plenus dierum*; quod cum sensum videatur exponere, eo quod luce et diei operibus plenus occubuerit, magis tamen ad anagogen facit, si simpliciter ponatur *plenus*. Glossa Græca. Ecce Moses vitam venturi sæculi novit, nemo enim his qui non sunt, apponi potest.

¶¶25.12 *Hæ sunt generationes*, etc. Hi populi ante filios Isaac computantur, qui cum sint de semine Abrahamæ, non tamen computantur in semine, quia prius est quod animæ est, deinde quod spirituale. Unde post computationem carnalium, ponitur genealogia Isaac, de quo facta est promissio, et electorum propaganda successio.

et Mabsam,^{§§ 14} Masma quoque, et Duma, et Massa, ¹⁵ Hadar, et Thema, et Jethur, et Naphis, et Cedma. ¹⁶ Isti sunt filii Ismaëlis: et hæc nomina per castella et oppida eorum, duodecim principes tribuum suarum. * ¹⁷ Et facti sunt anni vitæ Ismaëlis centum triginta septem, deficiensque mortuus est, et appositus ad populum suum. ¹⁸ Habitavit autem ab Hevila usque Sur, quæ respicit Ægyptum introëntibus Assyrios; coram cunctis fratribus suis obiit. † ¹⁹ Hæ quoque sunt generationes Isaac filii Abraham: Abraham genuit Isaac: ²⁰ qui cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban. ‡ ²¹ Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ. ¶ ²² Sed collidebantur in utero ejus parvuli; quæ ait: Si sic

§§25.13 *Et hæc nomina filiorum ejus in vocabulis et generationibus suis. Primogenitus Ismaëlis Nabajoth, deinde Cedar, et Abel,* etc. HIERON. Duodecim filii nascuntur Ismaëli, primogenitus Nabajoth, a quo omnis regio ab Euphrate usque ad mare Rubrum Nabathea dicitur, quæ pars Arabiæ est. Nam familiæ ipsorum oppida, pagi et tribus, horum appellatione celebrantur. Ab uno ex his, Cedar in deserto, et Duma alia regio, et Thema ad austrum, et Chedma, alias Chethma, ad orientalem plagam dicitur. Quod in extremo capituli juxta LXX legimus, *contra faciem omnium fratrum suorum habitabat,* verius est quod posuimus, *coram omnibus fratribus suis occubuit,* id est, in manibus filiorum suorum mortuus est, superstitibus adhuc liberis. Fratres enim filii appellantur; unde Jacob: *Ponatur coram fratribus meis, et fratribus tuis, et dijudicent inter nos.* Non enim credendum est quod Jacob, exceptis liberis suis, aliquos fratres secum habuerit.

*25.16 *Duodecim principes tribuum suarum. Et facti sunt anni vitæ Ismael,* etc. Duodenarius, sicut sacratus est in apostolis et in apostolicis viris, sic execrabilis est in reprobis contra fidem Trinitatis et Evangelium per quatuor mundi partes dilatatis.

†25.18 *Habitavit autem ab Hevila usque Sur, quæ respicit Ægyptum,* etc. Regio quam circumvixit Phison ab Hevila, nepote Noë, sic vocata est, et est solitudo contra faciem Ægypti. Sur quoque est solitudo inter Cades et Barad, extendens desertum usque ad mare Rubrum et Ægypti confinia.

‡25.20 *De Mesopotamia sororem Laban.* Regio sterilis, quæ sic Græce vocatur quia media inter duo flumina Tigrim et Euphratem. Nam *medius, fluvius* dicitur; hinc hippopotamus id est, fluvialis equus.

¶25.21 *Deprecatusque sed collidebantur in utero parvuli,* etc. HIER. Promotione vel collisione LXX posuerunt, *ludabant* vel *recalcitrabant*: Aquila, *confligebant filii in utero ejus.* Symmachus, *in similitudine navis in superficie ferebantur.* GREG., Dial. 1, 8 Quæ sancti orando efficiunt, etc., usque ad is enim, in quo Deus multiplicare semen Abraham prædestinaverat, oratione obtinuit ut filios haberet. *Qui exaudivit eam.* CHRYSOST. Ne putes et vestigio et protinus assecutum esse quod optabat: nam viginti annis mansit orans et deprecans Deum. Nam sicut docuit nos quot annos habuit quando duxit Rebeccam nempe quadraginta, ita assignavit nobis quot annorum fuerit Isaac, quando nati sunt ei filii. *Sexagenarius, inquit, erat quando nati sunt parvuli. Perrexitque,* etc., AUG., *Quæst. in Gen.*, tom. 3 Quæritur quo ierit, cum nondum essent prophetæ vel sacerdotes tabernaculi aut templi Domini? Forsitan ad locum ubi aram constituit Abraham. Sed quomodo ibi responsa darentur, tacet Scriptura; an per aliquem sacerdotem? quem mirum est, si erat, non fuisse nominatum, et nullam sacerdotum factam mentionem esse. Forsitan ibi, cum orando allegasset desideria sua, dormiebant, ut per somnum monerentur: vel adhuc vivebat Melchisedech, cujus tanta fuit excellentia, ut dubitaretur utrum homo an angelus fuerit. Vel forte etiam illo tempore erant homines Dei, in quibus Deus posset interrogari. Quidquid horum, vel forte aliud fuerit. Rebecca tamen secundum Scripturam Dominum interrogavit, et responsum ejus meruit.

mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? perrexitque ut consuleret Dominum. ²³ Qui respondens ait: [Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividuntur, populusque populum superabit, et major serviet minori.] [§] ²⁴ Jam tempus pariendi advenerat, et ecce gemini in utero ejus reperti sunt. ^{**} ²⁵ Qui prior egressus est, rufus erat, et totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen ejus Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: et idcirco appellavit eum Jacob. ²⁶ Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei parvuli. ²⁷ Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, et homo agricola: Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. ^{††} ²⁸ Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur: et Rebecca diligebat Jacob. ²⁹ Coxit autem Jacob pulmentum: ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ^{‡‡} ³⁰ ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen ejus Edom. ³¹ Cui dixit Jacob: Vende mihi primogenita tua. ^{¶¶} ³² Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita?

§25.23 *Qui respondens ait: Duæ gentes,* etc. AUG. Historica proprietate responsum invenitur completum, cum propter Israël, id est, Jacob, minor filius superavit Idumæos, id est gentem quam propagavit Esau, eosque per David tributarios fecit; quod diu fuerunt usque ad regem Joram IV Reg. 8. Tunc enim Idumæi rebellaverunt, et jugum de cervice excusserunt, sicut prophetizavit Isaac, quando minorem pro majore benedixit, et hoc idem dixit majori, cum ipsum postea benedixit.

**25.24 *Jam tempus,* etc. HIER. Ubi nos *pilosum* posuimus, in Hebræo habetur *seyr*; unde Esau, sicut alibi legimus, *seyr*, id est pilosus dictus est. *Protinus alter,* etc. ISID. Hoc figuratim factum etiam Judæis non creditibus notum est: qualiter populus Ecclesiæ populum Synagogæ superavit, et plebs Judæorum, tempore major, servivit minori populo Christianorum. BED. in hoc cap., tom. 2 In singulis quoque hoc dici potest. *Duæ gentes et duo populi* intra nos, sunt, scilicet vitiorum et virtutum; iste minor, ille major: plures enim sunt mali quam boni, et vitia plura virtutibus. Sed tamen populus populum superat, *et major serviet minori*, caro scilicet spiritui, et vitia virtutibus. Præcedit Esau, rufus, et totus ut pellis hispidus: deinde exit Jacob tenens plantam fratris; prior enim populus, prophetarum et Christi sanguine pollutus, peccati et nequitiae squalore circumdatus: cujus minor plantam tenuit, quia majorem populum minor superavit.

††25.27 *Factus est Esau,* etc. GREG. Eorum vitam significat, qui exterioribus voluptatibus fusi carnem sequuntur. Agricola quoque dicitur, quia amatores sæculi tanto colunt exteriora quanto interiora sua inculta relinquunt. *Simplex.* GREG. Quia curis exterioribus spargi refugiunt simplices, cogitatione et conscientiae habitatione consistunt. Habitat enim in tabernaculis, qui se intra mentis secreta constringit, ne dum ad multa foris inhiat, a seipso cogitatione alienatus recedat.

‡‡25.29 *Coxit autem Jacob,* etc. HIERON. *Rubeum* vel *fulvum*: Hebraice *Edom* dicitur: ab eo autem quod rubeo cibo Esau primogenita vendidit, fulvi, id est *Edom* nomen accepit.

¶¶25.31 *Cui dixit Jacob,* etc. ISID. Quod Esau primogenita propter escam fratri minori vendidit, et postea paterna benedictione sibi promissa privatus est, Judaicum populum significat: qui in Exodo primogenitus Dei filius appellatur, et propter sæculi lucra non solum primatus sui honorem amisit, sed et cœlestis regni præmium præparatum adipisci non meruit. Unde per exprobrationem dicitur Matth. 12: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur gentibus,* etc. Primogenitura autem vestis erat sacerdotalis, qua induti majores natu cum benedictione patris victimas Deo, velut pontifices, offerebant: hoc dono, terreni amoris desiderio, caruerunt Judæi, cum gloria futuri regni.

³³ Ait Jacob: Jura ergo mihi. Juravit ei Esau et vendidit primogenita.^{§§} ³⁴ Et sic, accepto pane et lentis edulio, comedit et bibit, et abiit, parvipendens quod primogenita vendidisset.

26 Orta autem fame super terram post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara. * ² Apparuitque ei Dominus, et ait: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi, ³ et peregrinare in ea: eroque tecum, et benedicam tibi: tibi enim et semini tuo dabo universas regiones has, complens juramentum quod sponondi Abraham patri tuo. ⁴ Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli: daboque posteris tuis universas regiones has: et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, ⁵ eo quod obedierit Abraham voci meæ, et custodierit præcepta et mandata mea, et cæremonias legesque servaverit. ⁶ Mansit itaque Isaac in Geraris. ⁷ Qui cum interrogaretur a viris loci illius super uxore sua, respondit: Soror mea est: timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata conjugio, reputans ne forte interficerent eum propter illius pulchritudinem. ⁸ Cumque pertransissent dies plurimi, et ibidem moraretur, prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum jocantem cum Rebecca uxore sua. [†] ⁹ Et accersito eo, ait: Perspicuum est quod uxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? Respondit: Timui ne morerer propter eam. ¹⁰ Dixitque Abimelech: Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, et induxeras super nos grande peccatum. Præcepitque omni populo, dicens: ¹¹ Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur. ¹² Sevit autem Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum: benedixitque ei Dominus. [‡] ¹³ Et locupletatus est homo, et ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est: ¹⁴ habuit quoque possessiones ovium et armentorum, et familiæ plurimum. Ob

§§25.33 *Juravit Esau*, etc. GREG., lib. 30, Moral., c. 13 Sciendum autem quod nos quinque modis gulæ vitium tentat, etc., usque ad et non quæ edendi libido suggerit.

*26.1 *Orta autem fame super terram*, etc. AUG., Quæst. in Gen., tom. 3 Quæritur quando hoc factum fuerit, quod Isaac abiit in Gerara, etc., usque ad ut intelligamus temporalia nec dari posse, nec prosperari debere, nisi ab uno Deo.

†26.8 *Cumque pertransissent*, etc. ISID. A tempore Christi usque ad Constantini tempora non in conventu populorum, sed tanquam per latebras prædicabatur fides, in secreto congregabantur Christiani: tandem videntes Christiani principes sæculi per miracula Christi majestatem contemperatam humanæ infirmitati, ut possint sociari, et esse *duo in carne una*, jam in manifesto Christi et Ecclesiæ sacramentum prædicari permiserunt, et diu fuisse absconditum doluerunt. *Vidit eum jocantem*, etc. AUG. Quid sibi velit, in sacramento Christi et Ecclesiæ, etc., usque ad *ut habitaret in nobis*.

‡26.12 *Seminavit autem Isaac in terra illa*, etc. HIERON. Licet in aliena terra seminaverit Isaac, non puto quod tanta ei hordei fertilitas fuerit. Unde melius arbitror quod habetur in Hebræo, et quod Aquila transtulit: *Invenit in illo anno centuplum æstimatum*. Tacens autem Scriptura genus frugum quod centuplicaverit, videtur cunctarum in illo ostendisse virtutum multiplicationem.

hoc invidentes ei Palæstini,[¶] 15 omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo: 16 in tantum, ut ipse Abimelech diceret ad Isaac: Recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es valde. 17 Et ille discedens, ut veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi,[§] 18 rursum fodit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham, et quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philistiim: appellavitque eos eisdem nominibus quibus ante pater vocaverat.** 19 Foderuntque in torrente, et reppererunt aquam vivam. 20 Sed et ibi iurgium fuit pastorum Geraræ adversus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua, quam ob rem nomen putei ex eo, quod acciderat, vocavit Calumniam.†† 21 Foderunt autem et alium: et pro illo quoque rixati sunt, appellavitque eum Inimicitias. 22 Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocavit nomen ejus Latitudo, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus, et fecit crescere super terram.‡‡ 23 Ascendit autem ex illo loco in Bersabee, 24 ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui: noli timere, quia ego tecum sum: benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham. 25 Itaque ædificavit ibi altare: et invocato nomine Domini, extendit tabernaculum, præcepitque servis suis ut foderent puteum. 26 Ad quem locum cum venissent de Geraris Abimelech, et

[¶]26.14 *Ob hæc invidentes*, etc. ISID. Isaac, Christus, qui primum vult fodere puteos, etc., usque ad *ibimus. Puteos et obstruxerunt*, etc. GREG. Moraliter. Sæpe cum verbis divinis intendimus, dæmonum insidias gravius toleramus; quæ menti nostræ terrenarum cogitationum pulverem aspergunt, ut intentionis oculos a luce intimæ visionis obscurant. Nos enim puteos fodimus, cum Scripturæ alta penetramus, quos occulte Allophyli replent: quia terrenas cogitationes ingerunt et divinæ scientiæ aquam tollunt, unde psal. CXVIII: *Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Domini*.

[§]26.17 *Et ille discedens*, etc. HIERON. Et abiit inde Isaac, et venit in Geraram vallem, et habitavit ibi. Pro *valle, torrentem* habent in Hebræo. Nunquam enim Isaac, postquam magnus factus est, habitare potuit in valle, sed in torrente. De quo scriptum est psal. CIX: *De torrente in via bibet*. De quo Elias in tempore famis bibit; sed quia non erat perfectus ut Christus, torrens ei aruit. Christus vero etiam in torrente traditus est, dedicans regenerationem nostram et baptismi sacramentum.

**26.18 *Fodit alio puteos*, etc. ISID. ex Greg. Isaac apud alienigenam gentem puteos fodit: in quo monemur ut in hac peregrinatione cogitationum profunda penetremus, et quosque veræ intelligentiæ aqua redeat, inquisitionis manus ad exhaurienda cordis terrena non torpescat. Allophyli insidiantes puteos replent, quia immundi spiritus, cum nos studiose fodere conspiciunt, molestias tentationum cogitationibus ingerunt.

††26.20 *Adversus pastores*, etc. HIERON. Aquila et Symmachus, *adversum et contrarium*, transtulerunt, sed in Hebræo habetur *Satana*; unde patet Satanam *contrarium* interpretari.

‡‡26.22 *Latitudo*. In Hebræo *Rehobot, latitudines*. Unde probatur illud quod supra cap. X dictum est: *Ipse ædificavit Niniven et raboath*, id est, plateas ejus. *Nunc dilatavit*, etc. Dilatatus est Isaac, et replevit omnem terram scientia Trinitatis: et in toto orbe latitudinem Ecclesiæ collocavit, prius tamen in Judæa notus, et in Israël nominatus: postea *in omnem terram exivit sonus eorum Psal. 18*, id est apostolorum, qui per universum orbem foderunt puteos, et aqua omnibus ostenderunt baptizantes omnes gentes in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti Matth. 18. Puteos Abraham, quos aperuit, sic vocavit sicut pater ejus: Moses enim et prophetæ apud nos suis nominibus appellantur, nec horum mutantur vocabula puteorum.

Ochozath amicus illius, et Phicol dux militum,[¶] 27 locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me, hominem quem odistis, et expulistis a vobis? 28 Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum, et idcirco nos diximus: Sit juramentum inter nos, et ineamus fœdus, 29 ut non facias nobis quidquam mali, sicut et nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet: sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini. 30 Fecit ergo eis convivium, et post cibum et potum 31 surgentes mane, juraverunt sibi mutuo: dimisitque eos Isaac pacifice in locum suum. 32 Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac annuntiantes ei de puteo, quem foderant, atque dicentes: Invenimus aquam.^{§§} 33 Unde appellavit eum Abundantiam: et nomen urbi impositum est Bersabee, usque in præsentem diem. 34 Esau vero quadragenarius duxit uxores, Judith filiam Beeri Hethæi, et Basemath filiam Elon ejusdem loci: 35 quæ ambæ offenderant animum Isaac et Rebeccæ.

27 Senuit autem Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat: vocavitque Esau filium suum majorem, et dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum.*

[¶]26.26 *Ad quem locum*, etc. HIERON. Abimelech non semper pacem habet cum Isaac, etc., usque ad et alia plura sunt in quibus nobiscum philosophi dissident, vel concordant. Pro *Ochozath, pronubo*, in Hebræo habetur *collegium amicorum ejus*, ut tam hominem significet quam amicorum turbam, quæ cum rege venerat: in quibus fuit Phicol, princeps exercitus illius. *Abimelech, et Ochozath*, etc. ISID. in Gen., tom. 5 Duo cum Abimelech venerunt: Ochozath, gener ejus, etc., usque ad sapientibus et insipientibus debitor est.

^{§§}26.32 *Ecce autem venerunt*. HIER. Nescio quomodo in LXX *et venerunt pueri Isaac nuntiantes ei de puteo quem foderunt, et dixerunt ei: Non invenimus aquam. Et vocavit nomen ejus Juramentum*. Quæ enim etymologia est propterea vocari Juramentum, etc., usque ad non congruit ut Isaac aquam non inveniret.

^{*}27.1 *Senuit autem Isaac*, etc. HIPPOCRATES, mart., ex Hieron., epist. ad Damasum, tom. 1 Mystice. Isaac portat imaginem Dei Patris, Rebecca Spiritus sancti, Esau populi prioris et zabuli, Jacob Ecclesiæ et Christi. Senectus Isaac, consummationem mundi; oculi caligantes periisse fidem de mundo, et religionis lumen neglectum esse, significant. Quia filius major vocatur, acceptio est legis Judæorum. Quia escas ejus et capturam dilexit pater: homines sunt ab errore salvati, quos per doctrinam justus quisque venatur. Sermo Dei, repromissionis benedictio, et spes regni futuri, in quo cum Christo sunt regnaturi, et verum sabbatum celebraturi. Rebecca plena Spiritu sancto, sciens quod audisset antequam pareret, quia *major serviet minori*: hæc formam gerit Spiritus sancti, quæ quod futurum esse noverat in Christo, ante meditabatur in Jacob, loquitur ad filium minorem. *Vade ad gregem et affer mihi duos hædos optimos*; præfigurans carneum Salvatoris adventum, in quo eos liberaret qui peccatis tenebantur obnoxii. Hædi enim ubique peccatores significant. Duo afferri jubentur, ut duorum populorum assumptio significetur. Teneri scilicet et humani, docibiles scilicet et innocentis animæ. Stola Esau est fides, id est Scripturæ Hebræorum quæ illis primo datæ sunt quibus populus gentilium postea indutus; pelles circumdatæ brachiis ejus, peccata utriusque populi, quæ Christus in extensione manuum cruci secum affixit: ipse enim in corpore suo, non sua, sed aliena peccata portabat.

²Cui pater: Vides, inquit, quod senuerim, et ignorem diem mortis meae.[†] ³Sume arma tua, pharetram, et arcum, et egredere foras: cumque venatu aliquid apprehenderis,[‡] ⁴fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, et affer ut comedam: et benedicat tibi anima mea antequam moriar. ⁵Quod cum audisset Rebecca, et ille abiisset in agrum ut jussionem patris impleret, ⁶dixit filio suo Jacob: Audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, et dicentem ei:[¶] ⁷Affer mihi de venatione tua, et fac cibos ut comedam, et benedicam tibi coram Domino antequam moriar. ⁸Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis: ⁹et pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, ut facias ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: ¹⁰quas cum intuleris, et comederit, benedicat tibi priusquam moriatur. ¹¹Cui ille respondit: Nosti quod Esau frater meus homo pilosus sit, et ego lenis: ¹²si atrectaverit me pater meus, et senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, et inducam super me maledictionem pro benedictione. ¹³Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, et pergens, affer quæ dixi. ¹⁴Abiit, et attulit, dedique matri. Paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius.[§] ¹⁵Et vestibus Esau

[†]27.2 **Vocavitque Esau.** ISID. in Gen., tom. 5 Esau venator, et agricola Jacob vero simplex habitabat in tabernaculis. Esau populum Hebraicum, Jacob gentilem populum significat. Isaac vero Deum, qui utrumque populum, illum per legem, istum per fidem, sibi filios fecit. Esau agricola erat, quia Judæus pro terrenis Deo serviebat, cui non est dictum, ut esset pauper spiritu, mitis, pacificus, misericors, persecutionem patiens, ut copiosam mercedem haberet in cœlis; sed: ***Si custodieritis mandata mea, dabo vobis pluvias temporibus suis,*** etc., quæ pertinent ad carnis delicias. Fuit etiam venator, quia per effusionem sanguinis arietum et vitulorum, et hircorum, Deum placabat. ***Jacob simplex habitabat in tabernaculis,*** quia electi de gentibus fide et voluntate Deo placere studuerunt. Per tabernacula, diversas per orbem Ecclesias vel diversos ordines intelligimus

[‡]27.3 **Sume arma,** etc. Isaac diligebat Esau, quia de venatione ejus vescebatur. Rebecca diligebat Jacob, Isaac Deum; Rebecca autem præscientiam Dei figurat, quia diligebat Deus populum Judæorum, eo quod assidue eorum oblationibus placabatur. Sed præsciens populum gentium multo meliorem futurum, per præscientiæ suæ gratiam amplius diligebat. Esau in venatione morante, ut de agrestibus animalibus cibos patri exhiberet et benediceretur, mater Jacob ad benedictionem percipiendam patri applicuit: quia adhuc Judæi in legalibus morantur, et ad fidem Christi tarde occurrunt, mater gratia gentiles fidem avidè suscipientes ad percipiendam benedictionem Judæis debitam obtulit. Qualiter autem benedictionis donum promeruerint, testantur opera Jacob, quæ pro benedictione suscipienda gessit.

[¶]27.6 **Dixit filio suo Jacob: Audivi patrem tuum loquentem,** etc. Allegorice. Per duos hædos confessionem peccatorum gentilis populi et poenitentiam possumus accipere. Hædi optimi, quia confessio peccatorum et poenitentia valde est Deo acceptabilis. Unde Luc. 15: ***Gaudium erit in cœlo super uno peccatore poenitentiam agente,*** etc. **Historice.** Per unum peccatorem populum gentium, per nonaginta novem justos, Judæos intelligit qui sibi videbantur justi in observantia legis. Unde Luc. 16: ***Ut quid justificatis vos coram hominibus,*** etc.; qui imperfecto numero ponuntur, quia nullum ad perfectum adduxit lex.

[§]27.14 **Paravit illa cibos,** etc. ISID. Mystice. Per delectabiles escas quæ de hædis præparantur Isaac, intelligimus poenitentiae opera, etc., usque ad peccata præterita ante oculos mentis sæpe producit.

valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum:** 16 pelliculasque hædorum circumdedit manibus, et colli nuda protexit: 17 deditque pulmentum, et panes, quos coxerat, tradidit. 18 Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu, fili mi? 19 Dixitque Jacob: Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, et comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. 20 Rursumque Isaac ad filium suum: Quomodo, inquit, tam cito invenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit ut cito occurreret mihi quod volebam.†† 21 Dixitque Isaac: Accede huc, ut tangam te, fili mi, et probem utrum tu sis filius meus Esau, an non. 22 Accessit ille ad patrem, et palpato eo, dixit Isaac: Vox quidem, vox Jacob est: sed manus, manus sunt Esau. 23 Et non cognovit eum, quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant. Benedicens ergo illi, 24 ait: Tu es filius meus Esau? Respondit: Ego sum. 25 At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum. Quo hausto,‡‡ 26 dixit ad eum: Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi. 27 Accessit, et osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: [Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Domi-

**27.15 *Et vestibus Esau*, etc. HIER. In hoc loco tradunt Hebræi primogenitos functos officio sacerdotum, et habuisse vestimentum sacerdotale, quo induti victimas offerebant, antequam Aaron in sacerdotium eligeretur.

††27.20 *Quomodo, inquit, tam cito invenire potuisti, fili mi?* HIPPOLYT. Quærit Isaac a Jacob cur tam cito venerit, admiratus scilicet velocem credentium fidem. Cibi delectabiles offeruntur, quia hostia Deo placens, salus peccatorum. Quia post esum sequitur benedictio, et ejus odore perfruitur, virtutem resurrectionis et regni aperte pronuntiat. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* Hæc est benedictio. Odore nominis Christi, sicut ager, mundus impletur. Benedictio est de rore cœli, id est pluvia divini verbi; et de pinguedine terræ, id est congregatione populorum; multitudine frumenti et vini, hæc est multitudo, quam colligit de sacramento corporis et sanguinis sui. Illi serviunt populi, id est gentiles conversi. Ipsum adorant tribus populi, per circumcisionem conversi credentes. Ipse est Dominus fratrum suorum, id est Judæorum. Ipsum adorant filii matris ejus, quia secundum carnem natus est ex ea: ipsum qui maledixerit, maledicetur; et qui benedixerit, benedicetur. Christus ex ore populi Patrem ignorantis benedicetur, id est, veraciter dicitur, sed a Judæis alius benedici putatur, qui ab errantibus exspectatur.

‡‡27.25 *Quos cum oblatos comedisset*, etc. Mystice. Postquam Isaac cibum sumpsit, Jacob obtulit ei vinum: sic per cibum activæ vitæ opera designantur; per vinum, quod mentes alienat, contemplativa accipitur, quæ ab amore sæculi mentes electorum alienas facit. Post cibum et potum. Jacob benedicitur, quia illi benedictionem cœlestem a Deo percipiunt qui eum usque in finem bonis operibus placare student.

nus.[¶] 28 Det tibi Deus de rore cæli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini.^{§§} 29 Et serviant tibi populi, et adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ: qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.]³⁰ Vix Isaac sermonem impleverat, et egresso Jacob foras, venit Esau,^{*} 31 coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge, pater mi, et comede de venatione filii tui, ut benedicat mihi anima tua.³² Dixitque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau.³³ Expavit Isaac stupore vehementi: et ultra quam credi potest admirans, ait: Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi, et comedi ex om-

[¶]27.27 *Benedicens, ait*, etc. GREG., hom. 6 in Ezech. Alter ad venandum mittitur, etc., usque ad quæ major foras exiens reliquit intus. GREG., ibid. Isaac, caligantibus oculis, Jacob filium nesciens benedixit; quæ ventura erant prævidit, et qui præsens assisteret, nescivit. Constat enim quia Judæi, qui plene legem didicerunt, adventum Christi cognoverunt. Unde Matth. 2, Herodes a principibus sacerdotum inquirat ubi Christus nasceretur; cui protinus responderunt, *In Bethlehem*. Prius ergo noverant quem passionis tempore cum despicerent, ignorabant; quorum notitia prior, et ignorantia posterior, Isaac caligante signatur; qui dum Jacob benediceret, quid in futuro ei eveniret prævidebat, sed quod præsens assisteret nesciebat. Sic Judæorum populus prophetiæ mysteria accepit, sed cæcos oculos in contemplatione tenuit, quia præsentem non vidit, de quo multa in futuro prævidit. Ante se enim positum cernere non valuit, cujus adventus potentiam longe ante nuntiavit. GREG., hom. 10 in Ezech., tom. 2 Isaac filium nescit, quem benedixit, etc., usque ad et quia per quosdam in contemplationem surgit, per quosdam in activæ vitæ opera pinguescit. Sequitur:

^{§§}27.28 *Det tibi Deus de rore cæli*, etc. Ros desuper et subtiliter cadit, et toties de rore cæli accipimus, quoties per infusionem contemplationis intimæ de supernis aliquid tenuiter videmus. Cum vero bona opera per corpus agimus, de terræ pinguedine ditamur. *Abundantiam frumenti*, etc. ISID. Hæc est multitudo quam colligit de sacramento corporis et sanguinis sui.

^{*}27.30 *Venit Esau*, etc. Sero Esau ad patrem revertitur, quia prior populus in fine convertetur. Unde psal. LVIII: *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circumibunt civitatem*. Et alibi: *Aperuerunt ora sua, sicut comedens in abscondito*.

nibus priusquam tu venires; benedixique ei, et erit benedictus?[†] ³⁴ Auditis Esau sermonibus patris, irrugit clamore magno: et consternatus, ait: Benedic etiam et mihi, pater mi. ³⁵ Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, et accepit benedictionem tuam. ³⁶ At ille subjunxit: Juste vocatum est nomen ejus Jacob: supplantavit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit, et nunc secundo surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem: Numquid non reservasti, ait, et mihi benedictionem?[‡] ³⁷ Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi; frumento et vino stabilivi eum: et tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam? ³⁸ Cui Esau: Num unam, inquit, tantum benedictionem habes, pater? mihi quoque obsecro ut benedicas. Cumque ejulatu magno fleret, ³⁹ motus Isaac, dixit ad eum: [In pinguedine terræ, et in rore cæli desuper, ⁴⁰ erit benedictio tua. Vives in gladio, et fratri tuo servies: tempusque veniet, cum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis.][¶] ⁴¹ Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixitque in corde suo: Venient dies luctus patris mei, et

[†]27.33 *Expavit Isaac.* Benedictionem repromissam repetente majore filio, expavit Isaac, et alium pro alio se benedixisse cognovit; nec indignatur cognito sacramento, sed confirmabat benedictionem dicens: *Et benedixi eum, et benedictus est.* Hæc est prima benedictio Isaac minori populo Christianorum data. Sed nec major filius omnino despectus, quia, cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israël salvus erit. Cujus secundæ benedictionis propheta est. *In pinguedine terræ, et in rore cæli desuper erit benedictio tua. In pinguedine terræ,* id est, in fecunditate rerum, et potentia regni, quæ in illo populo fuit; *et in rore cæli,* eloquiis Dei. Ipsi enim eloquia Dei credita sunt, et legis testamenta. *Vives in gladio:* quia sanguini populus ille deditus, necem in Christo et prophetis exercuit, *Et servies fratri tuo minori,* id est, populo Christiano. *Tempusque veniet, cum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis;* cum scilicet per cognitionem fidei et gratiam Christi conversus, deposueris onus legis; quando jam tunc non servies minori, sed per fidem frater vocaberis. *Expavit Isaac,* etc. Ut quædam mentis alienatio sequeretur, quæ exstasis dicitur, quæ in magnarum rerum revelationibus fieri solet. Unde intelligendum est spiritualiter admonitum esse Isaac, ut confirmaret benedictionem in Jacob, cui potius irascendum fuit, quia patrem fefellit. In Adam quoque exstasis processit, antequam diceret: *Erunt duo in carne una* Gen. 2, quod est *magnum sacramentum in Christo et in Ecclesia. Benedixique ei,* etc. ALC. Si justus viri voluntas bona est, quid est quod Isaac non Esau quem voluit, sed Jacob quem noluit, benedixit? Justus hominis, quantum ad conscientiam, voluntas bona est: Deus vero solus de futuris judicat. Isaac humano more filium majorem benedicendum putavit: sed Deus, qui occultorum est cognitor, minorem dignum benedictione ostendit, ut non hominis ostenderet esse benedictionem, sed Dei: ideo in Numeris ad Mosen et Aaron sacerdotes dicitur: *Ponite nomen meum super filios Israël. Ego Dominus benedicam eos Num. 6.* Sacerdotis est benedicere, Dei effectum tribuere. Ut autem intellexit Isaac per spiritum prophetiæ benedictionem minori destinam, ait, *Benedixi, et erit benedictus.*

[‡]27.36 *Juste vocatum est nomen ejus Jacob: Supplantavit enim me,* etc. HIER. Jacob *supplantator* interpretatur. Ab eo igitur quod fratrem ante deceperit, allusit ad nomen, qui ideo ante Jacob vocatus est, quod in ortu plantam fratris apprehendit.

[¶]27.40 *Et fratri tuo servies,* etc. Quia Idumæi tributarii fuerunt Israël, qui Jacob vocatur. *Tempusque veniet, cum excutias et solvas jugum ejus.,* etc. Hoc impletum est quando rebellaverunt Idumæi ne essent sub Juda. *Tempusque veniet,* etc. Quasi: Judaicus populus a servitute peccati in fine liberabitur, ut cum *plenitudo gentium intraverit, omnis Israël salvus fiet Rom. 11.*

occidam Jacob fratrem meum.^{§ 42} Nuntiata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens et vocans Jacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te.^{**} ⁴³Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, et consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran: ⁴⁴habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, ⁴⁵et cesset indignatio ejus, obliviscaturque eorum quæ fecisti in eum: postea mittam, et adducam te inde huc: cur utroque orbabor filio in uno die? ⁴⁶Dixitque Rebecca ad Isaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere.

28 Vocavit itaque Isaac Jacob, et benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli accipere conjugem de genere Chanaan.^{††} ²sed vade, et proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui. ³Deus autem omnipotens benedicat tibi, et crescere te faciat, atque multiplicet, ut sis in turbas populorum. ⁴Et det tibi benedictiones Abrahamæ, et semini tuo post te: ut possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est avo tuo. ⁵Cumque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ. ⁶Videns autem Esau quod benedixisset pater suus Jacob, et misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, ut inde uxorem duceret; et quod post benedictionem præcepisset ei, dicens: Non accipies uxorem de filiabus Chanaan: ⁷quodque obediens Jacob parentibus suis isset in Syriam: ⁸probans quoque quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus: ⁹ivit ad Ismaëlem, et duxit uxorem absque iis, quas prius

[§]27.41 *Dixitque in corde suo.* Cum Scriptura dicat, Esau in corde suo de morte fratris tractasse, quomodo vel a quo sunt hæc nuntiata Rebeccæ? Sed datur intelligi quod ei divinitus omnia revelabantur. Propter insanabile odium Judæorum, per spiritum consilii præceptum est apostolis ut, relicta Judæa, transirent ad gentes. *Venient dies luctus,* etc. Nolebat enim hoc facere vivente patre, ne incurreret odium ejus, et malediceretur ab eo. DIOD. Quod autem scriptum est, *dixit Esau in corde suo,* significat Esau mortem fratris non subita ira, sed perfecto mentis consensu exoptasse.

^{**}27.42 *Nuntiata sunt hæc Rebeccæ,* etc. Hic consequenter ponitur matris obviatio, cum dicitur, *Nuntiata sunt hæc.* Ex quo patet quod Esau prædictam machinationem non sic celavit in corde suo, quin appareret exterius in signis et verbis. *Quæ mittens et vocans Jacob,* etc. Ut induceret eum ad dandum locum iræ et recedendum ad tempus. Sequitur: *Cur utroque orbabor filio?* etc. Ac si diceret: Si invadat te, poterit esse quod ambo eritis interfecti; vel si unus remaneat, oportebit quod sit fugitivus a me. *Dixit quoque Rebecca,* etc. Quia Jacob non poterat convenienter recedere sine scitu patris, ideo Rebecca convertit se ad inducendum Isaac ut mitteret Jacob filium suum ad Laban, ut ibi acciperet uxorem dicens. *Tædet me,* etc. Id est propter uxores Esau: non autem dixit ipsi Isaac aliam causam, scilicet de machinatione Esau in mortem Jacob, ne in senectute sua nimis affligeretur. *Si acceperit Jacob uxorem,* etc. Ac si diceret: Si diligis vitam meam, mitte eum ad domum fratris mei, ut ibi accipiat uxorem.

^{††}28.1 *Vocavit itaque Isaac,* etc. AUG., Q. in Gen. Quod habent Latini codices: *Vade in Mesopotamiam in domum Bathuel,* etc., Græci habent: *Fuge in Mesopotamiam,* etc., ut intelligatur etiam Isaac intellexisse quod Esau de morte fratris cogitavit. *Profectus vero.* ISID. Jacob fugiens dolos fratris, relicta domo patria, et parentibus, vadit in regionem longinquam, ut accipiat uxorem. Similiter Christus, relictis parentibus secundum carnem, id est Judæis, et patria, id est Hierosolyma, et omnibus Judææ regionibus, abiit in gentes, ut acciperet sibi Ecclesiam, secundum illud Oseæ 2: *Vocabo non plebem meam,* etc.

habebat, Maheleth filiam Ismaël filii Abraham, sororem Nabaioth. ¹⁰ Igitur egressus Jacob de Bersabee, pergebat Haran. ¹¹ Cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, et supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. ¹² Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cælum: angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, ¹³ et Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo. ¹⁴ Eritque semen tuum quasi pulvis terræ: dilataberis ad occidentem, et orientem, et septentrionem, et meridiem: et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ. ¹⁵ Et ero custos tuus quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc: nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi. ¹⁶ Cumque evigilasset Jacob de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. ¹⁷ Pavensque,

††28.10 *Igitur egressus Jacob*, etc. GREG., lib. V Moral., c. 11, tom. 1 In itinere dormire, etc., usque ad *quoniam suavis est Dominus*.

††28.11 *Tulit de lapidibus*, etc. ISID. Dormitio Jacob in itinere, mors Christi in cruce. Lapis capiti suppositus, Christus est secundum humanitatem, quem Jacob unxit, ut Christus signaretur, enim Grece, *unctus* Latine. Caput autem Christus Deus. Lapis ergo capiti Jacob suppositus, signat humanitatem Christi conjunctam Deo assumenti. *Caput enim viri Christus*, caput Christi Deus I Cor. 11

§§28.12 *Viditque in somnis*, etc. GREG., Regist. l. 1, ep. 24 Jacob prædicatores signat qui non solum caput Ecclesiæ, id est Christum contemplando appetunt, sed ad membra illius miserando descendunt: quod angeli ascendentes descendentesque demonstrant. Hinc Moses crebro tabernaculum intrat, et exit; et qui intus ad contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur; intus arcana considerat, foris onera carnalium portat. Qui de dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti arca Dominum consulit, exemplum rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem quasi ad tabernaculum redeant, et velut coram testamenti arca Dominum consulant, de quibus dubitant, apud se intus sacri eloqui paginas requirentes. Moraliter. In itinere dormire est in via hujus sæculi ab impedimento actionum sæcularium quiescere. Jacob dormiens angelos vidit: quia illi divina conspiciunt, qui ab appetitu temporalium rerum oculos claudunt: quos bene clausos diabolus aperuit dicens: *In quacunque die comederitis, aperientur oculi vestri*. Gen. 3 *Vidit in somnis*, etc. ISID. Angeli per scalam ascendentes et descendentes, evangelistæ sunt et prædicatores Christi, ascendentes ad intelligendam Divinitatem; omnem creaturam excedentes, ut inveniant in principio Verbum apud Deum, per quem omnia facta sunt. Descendentes ut inveniant eum, *factum ex muliere, factum sub lege*, etc. In illa etiam scala a terra usque ad cælum, a carne usque ad spiritum: quia in illa carnales proficiendo, quasi ascendendo spirituales fiunt. Ad quos lacte nutriendos spirituales descendunt, quia non possunt eis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Ipse est sursum in capite, ipse deorsum in corpore suo, id est Ecclesia; ipse scala, qui ait Joan. 14: *Ego sum via*, etc. Ad ipsum ascenditur, ut in excelsis intelligatur: et descenditur, ut in membris parvulis nutriatur; per illum se erigunt, ut sublimem exspectent: et humiliant, ut eum sublimiter et temperanter annuntient.

*28.13 *Ego sum Dominus Deus Abraham*, etc. Mystice designat mandatum divinitatis ad humanitatem Christi directum, cui terra, id est, Ecclesia, promittitur; et semini illius, id est Christiano populo. Unde psalm. 2: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*.

†28.16 *Cumque evigilasset*, etc. Quisquis post torporem inertiae evigilaverit, et per exercitium boni operis vere exsurrexerit, in Ecclesia supereminentem gratiam Dei et introitum regni cœlestis intelliget.

Quam terribilis est, inquit, locus iste ! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cæli. ¹⁸ Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper. ¹⁹ Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. ²⁰ Vovit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, ²¹ reversusque fuero prospere ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, ²² et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. [§]

29 Profectus ergo Jacob venit in terram orientalem. ^{**} ² Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes juxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, et os ejus grandi lapide claudebatur. ³ Morisque erat ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem, et refectis gregibus rursus super os putei ponerent. ⁴ Dixitque ad pastores: Fratres, unde estis? Qui responderunt: De Haran. ⁵ Quos interrogans, Numquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: Novimus. ⁶ Sanusne est? inquit. Valet, inquiunt: et ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo. ⁷ Dixitque Jacob: Adhuc multum diei superest, nec est tempus ut reducantur ad caulas greges: date ante potum ovibus, et sic eas ad pastum reducite. ⁸ Qui responderunt: Non possumus, donec omnia pecora congregentur, et amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges. ⁹ Adhuc loquebantur, et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat. ¹⁰ Quam cum vidisset Jacob, et sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui, amovit lapidem quo puteus claudebatur. ¹¹ Et

[‡]28.18 *Surgens ergo*, etc. AUG., Q. in Gen., tom. 3 Quod *erexit* Jacob, *lapidem quem capiti supposuerat* in titulum, et superfudit oleum, nihil fecit idolol triæ simile: quia non vel tunc vel postea frequentavit lapidem adorando aut ei sacrificando; sed signum fuit et prophetia pertinens ad unctionem, unde Christus dicitur.

[†]28.19 *Appellavitque nomen urbis Bethel.*, etc. HIER., de locis Hebraicis. Ab eo quod dictum est, *quam terribilis est locus iste*, etc., loco nomen imponit Bethel, id est *domum Dei*, qui ante Luza vocabatur, id est, *nux* vel *amygdalum*. Unde ridicule quidam verbum Hebraicum *ulam*, nomen urbis esse putant: cum *ulam* interpretetur *prius*. Ordo ergo iste est lectionis: Vocavit nomen illius loci Bethel, et prius Luza vocabulum civitatis. Antiquæ vero scripturæ verbo *ulam* vel *olam* plenæ sunt, quod nihil significat nisi *prius* vel *ante vestibulum*, vel *superliminare*, vel *postes*, etc.

[§]28.22 *Et lapis iste, vocabitur domus Dei*, etc. Prophetia est domus Dei ibi futuræ, ibi et ipse rediens Deo sacrificavit.

^{**}29.1 *Profectus ergo Jacob*, etc. *Vidit puteum in agro*, etc. Aqua putei scientia Veteris Testamenti: quam lapis claudebat, quia littera legis spiritualem sensum in eo celabat; sed veniente Christo lapis remotus est, cum per prædicationem Novi Testamenti umbra legis exclusa et veritas Evangelii patefacta est. Allegorice. Per puteum baptismus, per agrum mundus exprimitur: per tres greges juxta puteum accubantes, signantur illi qui ad fidem Trinitatis capiendam pertinent, in humilitate expetentes baptismi gratiam. *Lapidem*. Durtia infidelitatis, qua abjecta, percipitur baptismus vitæ. Pastores autem sunt prælati Ecclesiæ, qui, amoto lapide, per Jacob adaquare greges cupiunt: quia Christo auferente infidelitatem ab eorum cordibus quos prædestinavit ad sacramentum baptismi, abluuntur unda purificationis.

adaquato grege, osculatus est eam: et elevata voce flevit,^{††} 12 et indicavit ei quod frater esset patris sui, et filius Rebeckæ: at illa festinans nuntiavit patri suo. 13 Qui cum audisset venisse Jacob filium sororis suæ, cucurrit obviam ei: complexusque eum, et in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris, 14 respondit: Os meum es, et caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis unius, 15 dixit ei: Num quia frater meus es, gratis servies mihi? dic quid mercedis accipias. 16 Habebat vero duas filias: nomen majoris Lia, minor vero appellabatur Rachel.^{‡‡} 17 Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, et venusto aspectu. 18 Quam diligens Jacob, ait: Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis. 19 Respondit Laban: Melius est ut tibi eam dem quam alteri viro: mane apud me. 20 Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis: et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.^{¶¶} 21 Dixitque ad Laban: Da mihi uxorem meam: quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam. 22 Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias. 23 Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum, 24 dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Jacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam: 25 et dixit ad socerum suum: Quid est quod facere voluisti? nonne pro Rachel

^{††}29.11 *Osculatus est eam.* AUG. Consuetudinis fuit maxime in illa simplicitate antiquorum, ut propinqui propinquos oscularentur, et hodie fit in multis locis. Sed quæri potest quomodo illa ab ignoto osculum acceperit, si postea indicavit Jacob propinquitatem? Ergo intelligendum est: aut illum, qui propinquitatem noverat, fidenter in osculum irruisse, aut postea Scripturam narrasse per recapitulationem, cum primum Jacob indicaverit quis esset.

^{‡‡}29.16 *Nomen majoris Lia,* etc. Victorinus martyr Rachel et Liam in similitudinem Ecclesiæ et Synagogæ interpretatus est. Liam majorem natu Synagogam significare existimat, quia prior populum Dei genuit: quæ oculis lippa dicitur, quia lex per Moysen data cooperata est et signata. Rachel minor et pulchra, prius sterilis, post fecunda, Ecclesiam signat, quæ tempore posterior, sed sancta corpore et spiritu. Oculi ejus decori, quia Evangelium videre meruerunt. Sed diu sterilis dum Synagoga populum generavit. Pro Rachel Jacob servivit, et supponitur ei Lia: quia Christus ut Ecclesiam sibi assumeret, prius sibi Synagogam conjunxit.

^{¶¶}29.20 *Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis.* Servitus Jacob septem annorum pro duabus uxoribus, præsentis vitæ tempus signat, quod septem diebus volvitur; in quo Dominus formam servi accepit, obediens Patri usque ad mortem. Jacob servivit, quia *filius hominis non venit ministrari, sed ministrare Matth. 20:* Ille oves pavit, et Christus dixit Joan. 10: *Ego sum pastor bonus.* Ille pro mercede varium pecus sibi abstulit: Christus diversarum gentium varietatem sibi congregavit. Ille tres virgas amputatis corticibus in alveis aquarum posuit, ut earum contemplatione multiplicarentur oves: et Dominus noster in aqua baptismatis trium personarum nomina Patris, et Filii, et Spiritus sancti, populo fidei proposuit, ut qui hoc pleno corde prospexerit, efficiatur ovis Dei. *Et videbantur illi pauci dies,* etc. Quomodo hoc dictum sit quærendum est, cum et breve tempus longum videatur amantibus? Dictum est ergo propter laborem servitutis, quem facilem faciebat amor. AUG., lib. XXII contra Faustum. Pro ingenti crimine objiciuntur Jacob quatuor uxores. Sed quoniam tunc mos erat, crimen non erat; nunc autem crimen est, quia mos non est, etc., usque ad nisi concupiscentiæ carnalis flagrantia. ISID., in Gen., tom. 5 Duæ sunt ergo uxores Jacob liberæ, ambæ enim filiæ remissionis peccatorum, etc., usque ad et vidit in principio Verbum apud Deum, et vult parere, et non potest, quia *generationem ejus quis enarrabit?* Act. 8 ISID. Duæ liberæ uxores Jacob, quia duæ vitæ nobis in corpore Jesu Christi prædicantur, etc., usque ad Sed hoc non potest in terra morientium, quod his verbis significatur.

servivi tibi? quare imposuisti mihi? ²⁶ Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias.^{§§} ²⁷ Imple hebdomadam dierum hujus copulæ: et hanc quoque dabo tibi pro opere quo serviturus es mihi septem annis aliis. ²⁸ Acquievit placito: et hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem: ²⁹ cui pater servam Balam tradiderat. ³⁰ Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, serviens apud eum septem annis aliis. ³¹ Videns autem Dominus quod despiceret Liam, aperuit vulvam ejus, sorore sterili permanente. ³² Quæ conceptum genuit filium, vocavitque nomen ejus Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam: nunc amabit me vir meus. ³³ Rursumque concepit et peperit filium, et ait: Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi; vocavitque nomen ejus Simeon. ³⁴ Concepitque tertio, et genuit alium filium: dixitque: Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus: eo quod pepererim ei tres filios: et idcirco appellavit nomen ejus Levi. ³⁵ Quarto concepit, et peperit filium, et ait: Modo confitebor Domino, et ob hoc vocavit eum Judam: cessavitque parere.

30 Cernens autem Rachel quod infecunda esset, invidit sorori suæ, et ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar. ² Cui iratus respondit Jacob: Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui? ³ At illa: Habeo, inquit, famulam Balam: ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, et habeam ex illa filios. ⁴ Deditque illi Balam in conjugium: quæ, ⁵ ingresso ad se viro, concepit, et peperit filium. ⁶ Dixitque Rachel: Judicavit mihi Dominus, et exaudivit vocem meam, dans mihi filium, et idcirco appellavit nomen ejus Dan. ⁷ Rursumque Bala concipiens, peperit alterum, ⁸ pro quo ait Rachel: Comparavit me Deus cum sorore mea, et invalui: vocavitque eum Nephthali. ⁹ Sentiens Lia quod parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit. ¹⁰ Qua post conceptum edente filium, ¹¹ dixit: Feliciter, et idcirco vocavit nomen ejus Gad. ¹² Peperit quoque Zelpha alterum. ¹³ Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent mulieres: propterea appellavit eum Aser. ¹⁴ Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras, quas matri Liæ detulit. Dixitque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filii tui. ¹⁵ Illa respondit: Parumne tibi videtur quod præripueris maritum mihi, nisi

§§29.26 *Non est in loco nostro consuetudinis*, etc. ID., ibid. Major appellatur quæ tempore prior est, etc., usque ad ad unum ergo tendendum, sed propter hoc multa ferenda. ID., ibid. Proinde vita quæ studio contemplationis competit, etc., usque ad unde infra 30: *Zelabat Rachel sororem suam*. ID., ibid. Proinde quia purus intellectus de illa divina substantia, etc., usque ad non quia numen.

*30.14 *Egressus autem Ruben*, etc. AUG., lib. XXII contra Faustum. Quare rem gestam Scriptura non tacuit, etc., usque ad et quidquid de hac pie et sapienter dicitur, sine phantasmate carnalis cogitationis salubriter vel ex parte capiatur. *Egressus autem Ruben, etc.* AUG. *Historice*. De hoc autem genere opinari quosdam scio quod acceptum in escam sterilibus feminis fecunditatem pariat, et ideo instituisse Rachel ut hoc acciperet, quod ego non arbitrator, nec sic tunc concepisset. Nunc vero cum post duos Liæ alios ab illa nocte partus, Dominus eam prole donaverit, nihil est quod de mandragora tale aliquid suspicemur, quale in nulla femina experti sumus. Cum enim mala hæc ipse vidissem, et propter hunc sacræ lectionis locum mihi obtigisse gratularer rara enim res est, naturam eorum quantum potui perscrutatus sum, non aliqua a communi sensu remotiore scientia, quæ docet virtutes radicum et potestates herbarum, sed quantum renuntiat visus, olfactus et gustus, rem comperi pulchram, suave olentem, sapore autem insipido. Cur ergo eam mulier tantopere cupierit nescio, nisi forte propter pomi raritatem et odoris jucunditatem.

etiam mandragoras filii mei tuleris? Ait Rachel: Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui. ¹⁶ Redeuntique ad vesperam Jacob de agro, egressa est in occursum ejus Lia, et Ad me, inquit, intrabis: quia mercede conduxisti te pro mandragoris filii mei. Dormivitque cum ea nocte illa. ¹⁷ Et exaudivit Deus preces ejus, concepitque et peperit filium quintum, ¹⁸ et ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo: appellavitque nomen ejus Issachar. ¹⁹ Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium, ²⁰ et ait: Dotavit me Deus dote bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios: et idcirco appellavit nomen ejus Zabulon. ²¹ Post quem peperit filiam, nomine Dinam. ²² Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam, et aperuit vulvam ejus. ²³ Quæ concepit, et peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum. ²⁴ Et vocavit nomen ejus Joseph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum. ²⁵ Nato autem Joseph, dixit Jacob socero suo: Dimitte me ut revertar in patriam, et ad terram meam. ²⁶ Da mihi uxores, et liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam: tu nosti servitutem qua servivi tibi. ²⁷ Ait illi Laban: Inveniam gratiam in conspectu tuo, experimento didici, quia benedixit mihi Deus propter te: ²⁸ constitue mercedem tuam quam dem tibi. ²⁹ At ille respondit: Tu nosti quomodo servierim tibi, et quanta in manibus meis fuerit possessio tua. ³⁰ Modicum habuisti antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es: benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Justum est igitur ut aliquando provideam etiam domui meæ. ³¹ Dixitque Laban: Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo: sed si feceris quod postulo, iterum pascam, et custodiam pecora tua. ³² Gyra omnes greges tuos, et separa cunctas oves varias, et sparso vellere; quodcumque furvum, et maculosum, variumque fuerit, tam in ovibus quam in capris, erit merces mea. [†] ³³ Respondebitque mihi cras justitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te: et omnia quæ non fuerint varia, et maculosa, et furva, tam in ovibus quam in capris, furti me arguent. ³⁴ Dixitque Laban: Gratum habeo quod petis. ³⁵ Et separavit in die illa capras, et oves, et hircos, et arietes varios, atque maculosos: cunctum autem gregem unicolore, id est albi et nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum. ³⁶ Et posuit spatium itineris trium dierum inter se et generum, qui pascebat reliquos greges ejus. ³⁷ Tollens ergo Jacob virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis, ex parte decorticavit eas: detractisque corticibus, in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa vero quæ integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius. ³⁸ Posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua: ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, et in aspectu earum conciperent. ³⁹ Factumque est ut in ipso calore coitus, oves intuerentur virgas, et parent maculosa, et varia, et diverso colore respersa. ⁴⁰ Divisitque gregem Jacob, et posuit virgas in canalibus ante oculos arietum: erant autem alba et nigra quæque, Laban; cetera vero, Jacob, separatis inter se gregibus. ⁴¹ Igitur quando primo tempore ascendebantur oves, ponebat Jacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum et ovium, ut in earum contemplatione conciperent: ⁴² quando vero serotina admissura erat, et conceptus extremus, non ponebat eas. Factaque sunt ea quæ erant

[†]30.32 *Gyra omnes greges tuos*, etc. HIER., in Quæst. Hebr. Multum apud Septuaginta confusus est sensus, etc., usque ad vicinus est finis. ALC. Cur Jacob fraudis in hoc loco non arguitur, hoc sine dubio ut propheta fecit, nec credendum est eum fecisse sine spirituali revelatione.

serotina, Laban: et quæ primi temporis, Jacob. ⁴³ Ditusque est homo ultra modum, et habuit greges multos, ancillas et servos, camelos et asinos.

31 Postquam autem audivit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Jacob omnia quæ fuerunt patris nostri, et de illius facultate ditatus, factus est inclytus:[‡] ² animadvertit quoque faciem Laban, quod non esset erga se sicut heri et nudiustertius, ³ maxime dicente sibi Domino: Revertere in terram patrum tuorum, et ad generationem tuam, eroque tecum. ⁴ Misit, et vocavit Rachel et Liam in agrum, ubi pascebat greges, ⁵ dixitque eis: Video faciem patris vestri quod non sit erga me sicut heri et nudiustertius: Deus autem patris mei fuit mecum. ⁶ Et ipsæ nostis quod totis viribus meis servierim patri vestro. ⁷ Sed et pater vester circumvenit me et mutavit mercedem meam decem vicibus: et tamen non dimisit eum Deus ut noceret mihi. ⁸ Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ: pariebant omnes oves varios foetus; quando vero e contrario, ait: Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt. ⁹ Tulitque Deus substantiam patris vestri, et dedit mihi. ¹⁰ Postquam enim conceptus ovium tempus advenerat, levavi oculos meos, et vidi in somnis ascendentes mares super feminas, varios et maculosos, et diversorum colorum. ¹¹ Dixitque angelus Dei ad me in somnis: Jacob? Et ego respondi: Adsum. ¹² Qui ait: Leva oculos tuos, et vide universos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. [¶] ¹³ Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi. Nunc ergo surge, et egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ. [§] ¹⁴ Responderuntque Rachel et Lia: Numquid habemus residui quidquam in facultatibus et hæreditate domus patris nostri? ¹⁵ nonne quasi alienas reputavit nos, et vendidit, comeditque pretium nostrum? ¹⁶ Sed Deus tulit opes patris nostri, et eas tradidit nobis, ac filiis nostris: unde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac. ¹⁷ Surrexit itaque Jacob, et impositis liberis ac conjugibus suis super camelos, abiit. ¹⁸ Tulitque omnem substantiam suam, et greges, et quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram

[‡]31.1 *Postquam autem audivit*, etc. *Mutavit mercedem*, etc. HIERON. in Quæst. Hebr. Pro eo quod posuimus, *mutavit mercedem meam decem vicibus*, Septuaginta posuerunt *decem annis*: cum verbum Hebraicum *monim* numerum magis quam annos sonat; et ex sequentibus is sensus probatur, quod per singulos fetus super Laban conditionem mutaverit. Si videbat varium nasci pecus, dicebat: Volo ut in futuro nascantur mihi varia; tunc Jacob virgas in canalibus non ponebat, ut fetus unicolor nasceretur: quo facto Laban ea pecora suæ parti fieri debere dicebat; sic usque ad decem vices mutata est conditio: et quodcunque proposuerat Laban ut sibi nasceretur, in contrarium colorem vertebatur. Nunc autem in sex annis decem pariendi vices incredibiles viderentur; sed lege Virgilium, in quo dicitur: *Bis gravidæ pecudes*. Natura autem Italicarum ovium et Mesopotamiæ eadem esse dicitur.

[¶]31.12 *Vidi enim omnia*, etc. Ex hoc discimus quod Jacob nullo malo dolo fecit, sed divina dispositione, vel quia omnia in figura gerebantur. Unde angelica visione meruit confortari.

[§]31.13 *Nunc ergo surge*. GREG., Moral. 30, 16 Post longam servitutem præcepit Dominus Jacob ut reverteretur in patriam: tunc, ignorante socero, cum uxoribus et comitatu properabat. Laban autem consecutus est eum in monte Galaad cum furore idola requirens, nec reperit. Laban autem in hoc loco diaboli typum gerit. Interpretatur enim *dealbatio*. Diabolus vero, cum tenebrosus sit, *transfigurat se in angelum lucis*. Huic servivit Jacob, id est, Judaicus populus ex parte reproborum, de quo natus est Christus secundum carnem.

Chanaan. ¹⁹ Eo tempore ierat Laban ad tondendas oves, et Rachel furata est idola patris sui. ²⁰ Noluitque Jacob confiteri socero suo quod fugeret. ²¹ Cumque abiisset tam ipse quam omnia quæ juris sui erant, et amne transmissio pergeret contra montem Galaad, ²² nuntiatum est Laban die tertio quod fugeret Jacob. ²³ Qui, assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem: et comprehendit eum in monte Galaad. ²⁴ Viditque in somnis dicentem sibi Deum: Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob. ²⁵ Jamque Jacob extenderat in monte tabernaculum: cumque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium. ²⁶ Et dixit ad Jacob: Quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas quasi captivas gladio? ²⁷ cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequeretur te cum gaudio, et canticis, et tympanis, et citharis? ²⁸ Non es passus ut oscularer filios meos et filias: stulte operatus es: et nunc quidem ²⁹ valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius. ³⁰ Esto, ad tuos ire cupiebas, et desiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos? ³¹ Respondit Jacob: Quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas. ³² Quod autem furti me arguis: apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris: scrutare, quidquid tuorum apud me inveneris, et aufer. Hæc dicens, ignorabat quod Rachel furata esset idola. ^{** 33} Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob, et Liæ, et utriusque famulæ, non invenit. Cumque intrasset tentorium Rachelis, ³⁴ illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, et sedit desuper: scrutantique omne tentorium, et nihil inveniendi, ³⁵ ait: Ne irascatur dominus meus quod coram te assurgere nequeo: quia juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi: sic delusa sollicitudo quærentis est. ³⁶ Tu-

^{** 31.32} *Ignorabat quod Rachel furata esset idola.* HIERON. Ubi nos *idola* legimus, in Hebræo *theraphim* scriptum est; quod Aquila *figuras*, vel *imagines* interpretatur. Hoc autem ideo dico ut sciamus quid in Judicum libro *theraphim* sonet. *Contra montem Galaad*, etc. Non quod eo tempore mons Galaad diceretur, sed per anticipationem illo nomine vocatur, quo postea nuncupatus est. *Qui, assumptis fratribus suis, persecutus*, etc. GREG. *Historice.* Potest per Laban mundus exprimi: qui cum furore Jacob sequitur, quia electos, qui sunt membra Christi, opprimere conatur. Filium mundi vel diaboli Jacob abstulit, cum sibi Christus Ecclesiam ex gentibus conjunxit, cui per prophetam dicitur psal. 44: *Obliviscere populum tuum*, etc. In idolis avaritia signatur, quæ est idolorum servitus. Laban veniens apud Jacob idolum non reperit, quia, ostensis mundi divitiis Redemptori nostro, diabolus vestigia concupiscentiæ non reperit. Sed quæ Jacob non habuit, Rachel sedendo operuit, quæ interpretatur *ovis*, et Ecclesiam significat. Sedere autem est humilitatem pœnitentiæ appetere. Unde psal. CXXVI: *Surgite postquam sederitis.* Rachel idola sedendo operit, quia Ecclesia Christum sequens vitium terrenæ concupiscentiæ per humilitatem pœnitentiæ cooperuit. Unde psal. 13: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Nos igitur Rachel significat, qui idola sedendo premitimus, si culpas avaritiæ pœnitendo damnamus; quæ avaritiæ immunditia non viriliter currentes impedit, sed effeminate gradientes per blandimenta sæculi resolvuntur, quod his verbis significatur: *Juxta consuetudinem feminarum accidit mihi.* Quasi enim muliebria pati se innotuit. *Ut oscularer filios meos ac filias.* More Scripturæ filios ac filias Jacob suos appellat, quæ filios vel fratres cognatos appellat; unde in sequentibus: *Dixitque Jacob fratribus suis: Afferte lapides.* In Evangelio quoque filii Mariæ, materteræ Domini, fratres ejus vocantur Matthæi 12. *Timui ne violenter auferres filias tuas, quod autem furti me arguis*, etc. Quasi ideo non tibi manifestavi, ne acerbitate persecutionis superares animas infirmas, noviter tibi ereptas.

mensque Jacob, cum jurgio ait: Quam ob culpam meam, et ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, ³⁷ et scrutatus es omnem supellectilem meam? quid invenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis, et fratribus tuis, et judicet inter me et te. ³⁸ Idcirco viginti annis fui tecum? oves tuæ et capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi: ³⁹ nec captum a bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, a me exigebas: ⁴⁰ die noctuque æstu urebar, et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.†† ⁴¹ Sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi, quatuordecim pro filiabus, et sex pro gregibus tuis: immutasti quoque mercedem meam decem vicibus. ⁴² Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses: afflictionem meam et laborem manuum mearum respexit Deus, et arguit te heri. ⁴³ Respondit ei Laban: Filiæ meæ et filii, et greges tui, et omnia quæ cernis, mea sunt: quid possum facere filiis et nepotibus meis? ⁴⁴ Veni ergo, et ineamus fœdus, ut sit in testimonium inter me et te. ⁴⁵ Tulit itaque Jacob lapidem, et erexit illum in titulum: ⁴⁶ dixitque fratribus suis: Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum:‡‡ ⁴⁷ quem vocavit Laban Tumulum testis: et Jacob, Acervum testimonii, uterque juxta proprietatem linguæ suæ. ⁴⁸ Dixitque Laban: Tumulus iste erit testis inter me et te hodie, et idcirco appellatum est nomen ejus Galaad, id est, Tumulus testis. ⁴⁹ Intueatur et judicet Dominus inter nos quando recesserimus a nobis, ⁵⁰ si afflixeris filias meas, et si introduxeris alias uxores super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit. ⁵¹ Dixitque rursus ad Jacob: En tumulus hic, et lapis quem erexi inter me et te, ⁵² testis erit: tumulus, inquam, iste et lapis sint in testimonium, si aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans. ⁵³ Deus Abraham, et Deus Nachor, judicet inter nos, Deus patris eorum. Juravit ergo Jacob per timorem patris sui Isaac:¶¶ ⁵⁴ immolatisque victimis in monte, vocavit fratres suos ut ederent panem. Qui cum comedissent, manserunt ibi: ⁵⁵ Laban vero de nocte consurgens, osculatus est filios, et filias suas, et benedixit illis: reversusque est in locum suum.§§

32 Jacob quoque abiit itinere quo cœperat: fueruntque ei obviam angeli Dei. ² Quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc: et appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est, Castra. * ³ Misit autem et nuntios ante se ad Esau fratrem

††31.40 *Die noctuque æstu urebar, et gelu. Fugiebat somnus ab oculis meis.* Unus effectus est caloris et frigoris.

‡‡31.46 *Afferte lapides,* etc. HIERON. de Loc. Hebr. Acervus lingua Hebræa, etc., usque ad in qua habitabat sermone mutaverat. ISID. Mystice. Inter fideles, tam Judæos quam gentiles, testis est lapis eminens in similitudinem Christi; et acervus lapidum, qui est multitudo credentium.

¶¶31.53 *Juravit Jacob,* etc. Per timorem scilicet quo timebat Deum, quem commendavit supra, dicens, *Et timor,* etc.

§§31.55 *Laban vero de nocte, etc.* Quia Laban et Jacob trans fluvium perrexerunt, significare potest duos populos per baptismum ad Ecclesiam venientes. Sed Jacob ultra progrediente, Laban reversus est, quia, filiis lucis in profectu virtutum post baptismum meantibus, reprobi de percepta dignitate post Satanam in apostasiam redeunt.

*32.2 *Castra Dei sunt hæc.* Ubi *castra* posita sunt, in Hebræo *mahanaim*; ut sciamus, si quando interpretatum in alio loco ponitur, quem locum significet. Et pulchre ad fratrem inimicum iturus, angelorum comitantium eum choris excipitur.

suum in terram Seir, in regionem Edom: ⁴præcepitque eis, dicens: Sic loquimini domino meo Esau: Hæc dicit frater tuus Jacob: Apud Laban peregrinatus sum, et fui usque in præsentem diem. ⁵Habeo boves, et asinos, et oves, et servos, et ancillas: mittoque nunc legationem ad dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo. ⁶Reversique sunt nuntii ad Jacob, dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum, et ecce properat tibi in occursum cum quadringentis viris. ⁷Timuit Jacob valde: et perterritus divisit populum qui secum erat, greges quoque et oves, et camelos, in duas turmas, [†] ⁸dicens: Si venerit Esau ad unam turmam, et percusserit eam, alia turma, quæ relicta est, salvabitur. ⁹Dixitque Jacob: Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac: Domine qui dixisti mihi: Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ, et benefaciam tibi: ¹⁰minor sum cunctis miserationibus tuis, et veritate tua quam explevisti servo tuo. In baculo meo transivi Jordanem istum: et nunc cum duabus turmis regredior. [‡] ¹¹Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne forte veniens percutiat matrem cum filiis. [¶] ¹²Tu locutus es quod benefaceres mihi, et dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest. ¹³Cumque dormisset ibi nocte illa, separavit de his quæ habebat, munera Esau fratri suo, ¹⁴capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, et arietes viginti, ¹⁵camelos fœtas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, et tauros viginti, asinas viginti et pullos earum decem. ¹⁶Et misit per manus servorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris suis: Antecedite me, et sit spatium inter gregem et gregem. ¹⁷Et præcepit priori, dicens: Si obvium habueris fratrem meum Esau, et interrogaverit te: Cujus es? aut, Quo vadis? aut, Cujus sunt ista quæ sequeris? ¹⁸respondebis: Servi tui Jacob, munera misit domino meo Esau, ipse quoque post nos venit. ¹⁹Similiter dedit mandata secundo, et tertio, et cunctis qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Esau cum inveneritis eum. ²⁰Et addetis: Ipse quoque servus tuus Jacob iter nostrum insequitur. Dixit enim: Placabo illum muneribus quæ præcedunt, et postea videbo illum: forsitan propitiabitur mihi. [§] ²¹Præcesserunt itaque munera ante eum, ipse vero mansit nocte illa in castris. ²²Cumque mature surrexisset, tulit duas uxores suas, et totidem famulas cum undecim filiis, et transivit vadum Jaboc. ²³Traductisque omnibus

[†]32.7 *Timuit Jacob*, etc. AUG., Quæst. in Gen. Quæri potest quomodo fidem habuit promissis Dei, quod hoc dixit. Sed fieri potuit ut everteret castra ejus Esau, et tunc post illam afflictionem adesset, et quem promisit, impleret. Et admonemur hoc exemplo, ut quamvis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda sunt in salutis præsidium. Verba quoque Jacob consideranda sunt, dicentis: *Deus patris mei Abraham*, etc., quia in his verbis et humana infirmitas et fides pietatis apparet.

[‡]32.10 *Transivi Jordanem*, etc. Per baptismum conjunctus est paries de gentibus, ei qui ex Judæis: primitivæ tamen Ecclesiæ non deest timor Judæorum, quod significat Esau.

[¶]32.11 *Erue me de manu*, etc. Sic orat ut spem timore moderetur, et timorem spe consoletur, significans ut vitæ nostræ et domesticorum ratione consulamus, et tamen Dei auxilium invocemus.

[§]32.20 *Placabo illum*, etc. Hæc interposita sunt a scriptore. Non est enim prudentis artem suam detegere, et sic eis cum quibus agitur suspectum se facere. GREG. hom. 14, in Evang., tom. 2 Mystice. Jacob cum ad parentes proprios redit, etc., usque ad ut suavitate intima Deum apprehendamus. *Et ecce vir*, etc. ISID. in Gen., tom. 5 In hoc principaliter sacramenti Dominici imago figurata est, etc., usque ad ne ultra jam generare possit.

quæ ad se pertinebant, ²⁴ mansit solus: et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. ²⁵ Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit. ²⁶ Dixitque ad eum: Dimitte me: jam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. ²⁷ Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respondit: Jacob. ²⁸ At ille: Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israël: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? ²⁹ Interrogavit eum Jacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit: Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco. ³⁰ Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. ^{††} ³¹ Ortusque est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel: ipse vero claudicabat pede. ³² Quam ob causam non comedunt nervum filii Israël, qui emarcuit in femore Jacob, usque in præsentem diem: eo quod tetigerit nervum femoris ejus, et obstupuerit.

33 Elevans autem Jacob oculos suos, vidit venientem Esau, et cum eo quadringentos viros: divisitque filios Liæ et Rachel, ambarumque famularum: ^{‡‡} ² et posuit utramque ancillam, et liberos earum, in principio: Liam vero, et filios ejus, in secundo loco: Rachel autem et Joseph novissimos. ³ Et ipse progrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus. ⁴ Currens itaque Esau obviam fratri suo, amplexatus est eum: stringensque collum ejus, et osculans flevit. ⁵ Levatisque oculis, vidit mulieres et parvulos earum, et ait: Quid tibi volunt isti? et si ad te pertinent? Respondit: Parvuli sunt quos donavit mihi Deus servo tuo. ⁶ Et appropinquantes ancillæ et filii earum, incurvati sunt. ⁷ Accessit quoque Lia cum pueris suis: et cum similiter adorassent, extremi Joseph et Rachel adoraverunt. ⁸ Dixitque Esau: Quænam sunt istæ turmæ quas obviam habui? Respondit: Ut invenirem gratiam coram domino meo. ⁹ At ille ait: Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi. ¹⁰ Dixitque Jacob: Noli ita, obsecro: sed si inveni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis. Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei: esto mihi propitius, ^{¶¶} ¹¹ et suscipe benedictionem quam attuli tibi, et quam donavit mihi Deus tribuens omnia. Vix fratre compellente, suscipiens, ¹² ait: Gradiamur simul, eroque socius itineris tui. ¹³ Dixitque Jacob: Nosti, domine mi, quod

^{**}32.28 *Nequaquam, inquit Jacob, appellabitur nomen tuum, sed,* etc. HIERON. in Q. Hebr. Josephus in libro primo Antiquitatum, etc., usque ad nos magis Scripturæ, et angeli, vel Dei, qui Israël ipsum vocavit, auctoritate ducimur, quam cujuslibet eloquentiæ sæcularis.

^{††}32.30 *Vocavitque Jacob,* etc. Illud quoque quod sequitur, *et benedixit eum, vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens,* etc. In Hebræo dicitur *Phanuel*, ut sciamus ipsum esse locum qui in cæteris Scripturæ voluminibus secundum Hebræos, *Phanuel* legitur. GREG., lib. IV Moral., cap. 6 Quæritur, cum Veritas dicat: *Nemo videbit faciem meam;* Et: *Deum nemo vidit unquam,* quomodo testatur Jacob: *Vidi Dominum facie ad faciem?* Humanæ enim mentes oculo interiori purgato, etc., usque ad unde I Cor. 13: *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum.*

^{‡‡}33.1 *Elevans autem Jacob oculos divisitque filios Liæ et Rachel,* etc. Aquila *dimidiavit,* ut unum cuneum faceret ancillarum cum parvulis suis, et alterum liberarum cum filiis suis; primasque mitteret ancillas, secundas liberas: ipse ante omnes fratrem adoraturus occurreret.

^{¶¶}33.10 *Sic enim vidi,* etc. AUG., Q. in Gen. tom. 3 Utrum paventis et perturbati animi verba, etc., usque ad qui Græcum audire et intelligere solent.

parvulos habeam teneros, et oves, et boves foetas mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges. ¹⁴ Præcedat dominus meus ante servum suum: et ego sequar paulatim vestigia ejus, sicut videro parvulos meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir. ^{§§ 15} Respondit Esau: Oro te, ut de populo qui mecum est, saltem socii remaneant viæ tuæ. Non est, inquit, necesse: hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo, domine mi. ¹⁶ Reversus est itaque illo die Esau itinere quo venerat in Seir. ¹⁷ Et Jacob venit in Socoth: ubi ædificata domo et fixis tentoriis appellavit nomen loci illius Socoth, id est, Tabernacula. ¹⁸ Transivitque in Salem urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ: et habitavit juxta oppidum. * ¹⁹ Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem centum agnis. ²⁰ Et erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israël.

34 Egressa est autem Dina filia Liæ ut videret mulieres regionis illius. ^{† 2} Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit eam:

§§33.14 *Et ego sequar*, etc. AUG. Quæritur si mendacium fratri promiserit. Hoc enim, sicut Scriptura narrat, non fecit; sed eo perrexit itinere quod dirigebat ad suos. An forte veraci animo promisit, sed aliud postea cogitando delegit? *Socoth*. HIERON. Ubi nos *tabernacula* habemus, in Hebræo legitur *Socoth* Est autem usque hodie civitas trans Jordanem hoc vocabulo, in parte Scytopoleos de qua in libro Locorum scripsimus.

*33.18 *Transivitque in Salem*, etc. HIERON. Quæstio oboritur quomodo Salem Sichen civitas appelletur, cum Hierusalem, in qua regnavit Melchisedech, Salem ante dicta sit. Aut igitur unius utraque urbs nominis est, quod de pluribus Judææ locis invenimus, ut idem urbs et loci nomen in alia et alia tribu sit. Aut ista Salem, quæ pro Sichem nunc nominatur, dicemus interpretari *consummatam* atque *perfectam*: et illam quæ postea Hierusalem dicta est, *pacificam*. Utrumque accentu paululum declinato, hoc vocabulum sonat. Tradunt Hebræi quod femur claudicantis Jacob ibi sanatum sit: ideoque civitatem *curati* atque *perfecti* vocabulum consecutam.

†34.1 *Egressa est autem Dina*, etc. GREG. in Pastor., c. 30 Dina, ut mulieres extraneæ regionis videat, egreditur, cum mens sua studia negligens, actiones alienas curans, extra ordinem proprium evagatur. Quam Sichem, princeps terræ, opprimit, quia inventam in curis exterioribus diabolus corrumpit. Et conglutinata est anima ejus cum ea, quia unitam sibi per iniquitatem respicit. Et quia mens a culpa respiscens afficitur, et admissum flere conatur: corruptor spem ac securitatem vacuam ante oculos vocat, quatenus utilitatem tristitiæ subtrahat. Unde additur: *Tristemque blanditus delinivit*. Modo enim, aliorum facta graviora; modo nihil esse quod factum est; modo misericordem Deum loquitur, et tempus ad poenitentiam pollicetur: ut dum per hæc decepta mens ducitur, poenitentia differatur, ut tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala contristant: et tunc plenius absorbeatur suppliciiis, quæ nunc gaudet in deliciis.

et rapuit, et dormivit cum illa, vi opprimens virginem.[‡] ³ Et conglutinata est anima ejus cum ea, tristemque delinivit blanditiis. ⁴ Et pergens ad Hemor patrem suum: Accipe, inquit, mihi puellam hanc conjugem. ⁵ Quod cum audisset Jacob absentibus filiis, et in pastu pecorum occupatis, siluit donec redirent. ⁶ Egresso autem Hemor patre Sichem ut loqueretur ad Jacob, ⁷ ecce filii ejus veniebant de agro: auditoque quod acciderat, irati sunt valde, eo quod foedam rem operatus esset in Israël et, violata filia Jacob, rem illicitam perpetrasset. ⁸ Locutus est itaque Hemor ad eos: Sichem filii mei adhæsit anima filiæ vestræ: date eam illi uxorem: ⁹ et jungamus vicissim connubia: filias vestras tradite nobis, et filias nostras accipite, ¹⁰ et habitate nobiscum: terra in potestate vestra est: exercete, negotiamini, et possidete eam. ¹¹ Sed et Sichem ad patrem et ad fratres ejus ait: Inveniam gratiam coram vobis: et quæcumque statueritis, dabo: ¹² augete dotem, et munera postulate, et libenter tribuam quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc uxorem. ¹³ Responderunt filii Jacob Sichem et patri ejus in dolo, sævientes ob stuprum sororis: ¹⁴ Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso: quod illicitum et nefarium est apud nos. ¹⁵ Sed in hoc valebimus foederari, si volueritis esse similes nostri, et circumcidatur in vobis omne masculini sexus; ¹⁶ tunc dabimus et accipiemus mutuo filias vestras ac nostras: et habitabimus vobiscum, erimusque unus populus. ¹⁷ Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam nostram, et recedemus. ¹⁸ Placuit oblatio eorum Hemor, et Sichem filio ejus, ¹⁹ nec distulit adolescens quin statim quod petebatur expleret: amabat enim puellam valde, et ipse erat inclytus in omni domo patris sui. ²⁰ Ingressique portam urbis, locuti sunt ad populum: ²¹ Viri isti pacifici sunt, et volunt habitare nobiscum: negotientur in terra, et exercent eam, quæ spatiosa et lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus uxores, et nostras illis dabimus. ²² Unum est quo differtur tantum bonum: si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes. ²³ Et substantia eorum, et pecora, et cuncta quæ possident, nostra erunt: tantum in hoc acquiescamus, et habitantes simul, unum efficiemus populum. ²⁴ Assensique sunt omnes, circumcisis cunctis maribus. ²⁵ Et ecce, die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est: arreptis duo filii Jacob,

[‡]34.2 *Quam cum vidisset Sichemet dormivit cum illa*, etc. AUG. Quæst. in Gen., tom. 3 Et intendit animæ Dinæ filiæ Jacob et adamavit virginem, et locutus est secundum sensum virginis. Quomodo virgo dicitur, si jam dormivit cum ea? nisi forte virgo nomen ætatis est secundum Hebræum eloquium, an potius per recapitulationem post commemoratur quod ante factum est. Prius enim potuit intendere animæ ipsius, et amare virginem, et loqui secundum sensum virginis, deinde dormire cum illa. *Pacifici*. Ubi Septuaginta interpretati sunt *pacificos*, Aquila transtulit *consummatus, atque perfectos* pro quo in Hebræo legitur: *Selemim*. Ex quo apparet illud esse verum quod supra de Salem diximus. *Assensi*, etc. AUG. Paulo ante Jacob loquens cum Esau, filios suos infantes esse significat, etc., usque ad sed filii ejus in hoc facto nominantur quasi principes et auctores. *Arreptis*, etc. STRAB. Sic pastores Ecclesiæ peccatum carnis vel animæ ulcisci debent gladio spiritus, qui est verbum Dei: parati ulcisci omnem inobedientiam. *Nos pauci sumus*, etc. AUG. Hoc dicit, quia plurimum bella poterant surgere, non quod multo minus haberet quam possent expugnationi civitatis sufficere. *Nunquid ut scorto*, etc. AUG. Zelus filiorum Jacob in ultionem sororis moraliter commonet pastores fidelium, curam habere animarum sibi commissarum, ne violenter corporali delicto, aut fornicatione spirituali succumbant. *Paratique sint ulcisci omnem inobedientiam*, et excommunicationis gladio feriant stupratorem, ne impunitus evadat.

Simeon et Levi fratres Dinæ, gladiis, ingressi sunt urbem confidenter: interfectisque omnibus masculis, ²⁶ Hemor et Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. ²⁷ Quibus egressis, irruerunt super occisos ceteri filii Jacob: et depopulati sunt urbem in ultionem stupri. ²⁸ Oves eorum, et armenta, et asinos, cunctaque vastantes quæ in domibus et in agris erant, ²⁹ parvulos quoque eorum et uxores duxerunt captivas. ³⁰ Quibus patratu audacter, Jacob dixit ad Simeon et Levi: Turbastis me, et odiosum fecistis me Chananæis, et Pherezæis habitatoribus terræ hujus: nos pauci sumus; illi congregati percucient me, et delebor ego, et domus mea. ³¹ Responderunt: Numquid ut scorto abuti debuere sorore nostra?

35 Interea locutus est Deus ad Jacob: Surge, et ascende Bethel, et habita ibi, facque altare Deo qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum. ² Jacob vero convocata omni domo sua, ait: Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra. ³ Surgite, et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo: qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei. ⁴ Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, et in aures quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem. ⁵ Cumque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes. ⁶ Venit igitur Jacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel: ipse et omnis populus cum eo. ⁷ Ædificavitque ibi altare, et appellavit nomen loci illius, Domus Dei: ibi enim apparuit ei Deus cum fugeret fratrem suum. ⁸ Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, et sepulta est ad radices Bethel subter quercum: vocatumque est nomen loci illius, Quercus fletus. ⁹ Apparuit autem iterum Deus Jacob postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitque ei ¹⁰ dicens: Non vocaberis ultra Jacob, sed Israël erit nomen tuum. Et appellavit eum Israël, ¹¹ dixitque ei: Ego Deus omnipotens: cresce, et multiplicare: gentes et populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis

[†]35.4 *Dederunt ergo ei*, etc. HIER. Q. in Gen., tom. 3 Plane hoc ordine et his profectibus ascendendum est in Bethel, id est, in domum Dei, quæ est Ecclesia Christi. Primum est, pristinos abdicare errores, et unius veri Dei profiteri fidem, quod est auferre deos alienos: deinde baptizari, quod est mundari; ac deinceps in novitate vitæ ambulare, quod est vestimenta mutare. Significant autem in aures falsæ doctrinæ phaleras, sermone nitidas, sed sensu veritatis vacuas. *Et in aures*, etc. AUG. Quæritur quale in aures, quæ ornamenta erant ad idololatriam non pertinentia? sed intelligendum est phylacteria fuisse deorum alienorum.

[§]35.6 *Venit igitur Jacob Suzam*, etc. AUG. Notandum est tria nomina hujus civitatis esse commemorata, etc., usque ad multis de causis adduntur nomina vel mutantur. HIERON. Ecce manifestissime comprobatur Bethel non Ulam, ut supra dictum est, sed Luzan, id est, *amygdalum*, antea esse vocatam.

^{**}35.10 *Non vocaberis ultra*, etc. AUG. Quæritur cum semel dictum sit, *Non vocaberis ultra Jacob*, etc., cur legatur postea Jacob vocatus? Sed hoc nomen ad illam pertinet promissionem, in qua videtur Deus quomodo non est antea patribus visus, ubi non erit nomen vetus: quia nihil remanebit hic in ipso corpore vetustatis, et visio Dei summum præmium erit. HIERON. *Non vocaberis ultra Jacob*, etc. Nondum enim ab angelo nomen ei imponitur, sed imponendum a Deo prædicatur. Quod igitur illuc futurum promittitur, hic expletum docetur.

egredientur,^{††} ¹² terramque quam dedi Abraham et Isaac, dabo tibi et semini tuo post te. ¹³ Et recessit ab eo. ¹⁴ Ille vero erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, et effundens oleum:^{‡‡} ¹⁵ vocansque nomen loci illius Bethel. ¹⁶ Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam: in qua cum parturiret Rachel,^{¶¶} ¹⁷ ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix: Noli timere, quia et hunc habebis filium. ¹⁸ Egrediente autem anima præ dolore, et imminente jam morte, vocavit nomen filii sui Benomi, id est, Filius doloris mei: pater vero appellavit eum Benjamin, id est, Filius dextræ.^{§§} ¹⁹ Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. ²⁰ Erexitque Jacob titulum super sepulchrum ejus: hic est titulus monumenti Rachel, usque in præsentem diem. ²¹ Egressus inde, fixit tabernaculum trans Turrem gregis.^{*} ²² Cumque habitaret in illa regione, abiit Ruben, et dormivit cum Bala concubina patris sui: quod illum minime latuit. Erant autem filii Jacob duodecim.[†] ²³ Filii Liæ: primogenitus Ruben, et Simeon, et Levi, et Judas, et Issachar, et Zabul-

^{††}35.11 *Cresce et multiplicare*. Moraliter. Hæc promissio ad spirituale semen Jacob pertinet, sicut jam ante de Abraham dictum est. Omnes enim qui supplantant vitia, et veterem hominem cum actibus suis deponunt, et mentis oculos ad Deum intendunt, recte ad Jacob pertinent, cujus fidem et actus imitantur. *Regesque de lumbis ejus egredientur*, id est, sancti qui secundum voluntatem Dei se et subditos vere regunt: de cujus semine spirituali, id est imitatione fidei, in bonis operibus fecundantur.

^{‡‡}35.14 *Ille vero erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat*, etc. AUG. Factum est iterum hoc in loco quod antea factum fuerat; vel memoratum hic quod ante fuerat factum. Sed quodlibet horum sit, super lapidem libavit Jacob, non lapidi. Non ergo sicut idololatræ solent aras ante lapidem constituere, et tanquam Deo lapidi libare.

^{¶¶}35.16 *Ephratam*. HIERON. Ephrata et Bethleem unius urbis vocabulum est, sub interpretatione consimili. Interpretatur enim *frugifera* et *domus panis*, propter panem qui de cœlo descendit.

^{§§}35.18 *Egrediente autem*, etc. ISID. Quid sibi vult quod eundem Bennoni Rachel, cum pareret, vocavit *filium doloris mei*? Nisi futurum ex ea tribu Paulum, qui affligeret filios Ecclesiæ tempore persecutionis suæ? Aliter per Benjamin terrestris Hierusalem figuratur, quæ est in tribu Benjamin: cujus populus gravi dolore matrem afficit fundendo sanguinem prophetarum, et in necem Christi clamando: *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* Matth. 27. *Et factum est cum dimitteret animam*. HIERON. Siquidem moriebatur, *vocavit nomen ejus, filius doloris mei: pater vero ejus vocavit nomen ejus Benjamin*. In Hebræo similitudo nominis resonat, *filius enim doloris mei*, quod nomen moriens mater imposuit, dicitur *Bennoni*. *Filius vero dextræ*, id est virtutis, quod Jacob mutavit, dicitur *Benjamin*. Unde errant qui putant Benjamin *filium dierum* interpretari: dextera enim dicitur *iamin*, et finitur in *n*; dies vero appellatur *iamim*, et terminatur in *m*.

^{*}35.21 *Egressus inde*, etc. HIERON. Hunc locum volunt esse Hebræi, etc., usque ad vel quod verius est quodam vaticinio futurum jam tunc mysterium monstrabatur.

[†]35.22 *Abiit Ruben*, etc. ISID. Allegorice. Hoc crimen non scriberetur, nisi futura populi perversitas pronuntiaretur: quamvis in illo esset flagitium, in Scripturis est prophetia futurorum, quia per Ruben primogenitus populus Israël figuratur: qui thorum concubinæ polluit, id est legem Veteris Testamenti prævaricando maculavit. Quod autem concubina Vetus Testamentum significaverit, Paulus ostendit dicens, Gal. 4: *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et alterum de libera*, etc. *Erant autem*, etc. AUG. Quæritur quomodo hoc verum sit, etc., usque ad quam ut per synecdochen accipiatur.

lon. ²⁴Filii Rachel: Joseph et Benjamin. ²⁵Filii Balæ ancillæ Rachelis: Dan et Nephthali. ²⁶Filii Zephæ ancillæ Liæ: Gad et Aser: hi sunt filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ. ²⁷Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, civitatem Arbee, hæc est Hebron, in qua peregrinatus est Abraham et Isaac. ²⁸Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. ²⁹Consumptusque ætate mortuus est: et appositus est populo suo senex et plenus dierum: et sepelierunt eum Esau et Jacob filii sui.

36 Hæ sunt autem generationes Esau, ipse est Edom. ²Esau accepit uxores de filiabus Chanaan: Ada filiam Elon Hethæi, et Oolibama filiam Anæ filiæ Sebeon Hevæi: ³Basemath quoque filiam Ismaël sororem Nabaiioth. ⁴Peperit autem Ada Eliphaz: Basemath genuit Rahuel: ⁵Oolibama genuit Jehus et Ihelon et Core. Hi filii Esau qui nati sunt ei in terra Chanaan. ⁶Tulit autem Esau uxores suas et filios et filias, et omnem animam domus suæ, et substantiam, et pecora, et cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan: et abiit in alteram regionem, recessitque a fratre suo Jacob. ⁷Divites enim erant valde, et simul habitare non poterant: nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. ⁸Habitavitque Esau in monte Seir, ipse est Edom. ⁹Hæ autem sunt generationes Esau patris Edom in monte Seir, ¹⁰et hæc nomina filiorum ejus: Eliphaz filius Ada uxoris Esau: Rahuel quoque filius Basemath uxoris ejus. ¹¹Fueruntque Eliphaz filii: Theman, Omar, Sepho, et Gatham, et Cenez. ¹²Erat autem Thamna concubina Eliphaz filii Esau: quæ peperit ei Amalech. Hi sunt filii Ada uxoris Esau. ¹³Filii autem Rahuel: Nahath et Zara, Samma et Meza: hi filii Basemath uxoris Esau. ¹⁴Isti quoque erant filii Oolibama filiæ Anæ filiæ Sebeon, uxoris Esau, quos genuit ei, Jehus et Ihelon et Core. ¹⁵Hi duces filiorum Esau: filii Eliphaz primogeniti Esau: dux Theman, dux Omra, dux Sepho, dux Cenez, ¹⁶dux Core, dux Gathan, dux Amalech. Hi filii Eliphaz in terra Edom, et hi filii Ada. ¹⁷Hi quoque filii Rahuel filii Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza: hi autem duces Rahuel in terra Edom: isti filii Basemath uxoris Esau. ¹⁸Hi autem filii Oolibama uxoris Esau: dux Jehus, dux Ihelon, dux Core: hi duces Oolibama filiæ Anæ uxoris Esau. ¹⁹Isti sunt filii Esau, et hi duces eorum: ipse est Edom. ²⁰Isti sunt filii Seir Horræi, habitatores terræ: Lotan, et Sobal, et Sebeon, et Ana, ²¹et Dison, et Eser, et Disan: hi duces Horræi, filii Seir in terra Edom.

‡35.27 *Civitatem Arbee.* HIERON. Pro *Arbee* in LXX *campum* habetur, cum Hebron in monte sit. Eadem autem civitas antiquitus Mambre ab amico Abrahæ dicta est. *Civitatem Arbee,* etc. Angelorum vel sanctarum animarum, quibus est appositus, nulla remanente sollicitudine tentationum, vel periculo peccatorum.

‡36.6 *Abiit in alteram regionem.* STRAB Quæri potest cur Esau post mortem patris dicatur abiisse in Seir, et recessisse a fratre, cum jam quando venit Jacob, in Seir dicatur habitasse? Sed fieri potuit ut Jacob fugiente in Mesopotamiam, Esau, dolore præreptæ benedictionis, a parente recesserit, et habitaverit in Seir viginti annis quibus Jacob abfuit. Cui reverso conciliatus, rursus de Seir reversus, cum fratre suo, donec pater viveret habitavit: quo mortuo, a fratre recessit, quia divites erant, et simul habitare non poterant.

§36.20 *Isti filii Seir,* etc. HIERON. in Q. Hebr. tom. 3 Postquam enumeravit filios Esau, altius repetit qui ante Esau in terra Edom principes exstiterunt ex genere Horræorum, qui *liberi* interpretantur. In Deuteronomio manifestus scribitur quomodo venerunt filii Esau, et interfectis Horræis terram eorum hæreditaverunt. *Filii Seir,* etc. STRAB. Id est *liberi* qui, sicut in Paralipomenis legitur, primo habitaverunt in monte Seir; quibus expulsis. Idumæi habitaverunt pro illis.

²² Facti sunt autem filii Lotan: Hori et Heman. Erat autem soror Lotan, Thamna.**
²³ Et isti filii Sobal: Alvan et Manahat et Ebal, et Sepho et Onam. ²⁴ Et hi filii Sebeon: Aja et Ana. Iste est Ana qui invenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon patris sui:†† ²⁵ habuitque filium Dison, et filiam Oolibama. ²⁶ Et isti filii Dison: Hamdan, et Eseban, et Jethram, et Charan. ²⁷ Hi quoque filii Eser: Balaan, et Zavan, et Acan. ²⁸ Habuit autem filios Disan: Hus et Aram. ²⁹ Hi duces Horræorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana,‡‡ ³⁰ dux Dison, dux Eser, dux Disan: isti duces Horræorum qui imperaverunt in terra Seir. ³¹ Reges autem qui regnaverunt in terra Edom antequam haberent regem filii Israël, fuerunt hi:¶¶ ³² Bela filius Beor, nomenque urbis ejus Denaba. ³³ Mortuus est autem Bela, et regnavit pro eo Jobab filius Zaræ de Bosra. ³⁴ Cumque mortuus esset Jobab, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum. ³⁵ Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab: et nomen urbis ejus Avith. ³⁶ Cumque mortuus esset Adad, regnavit pro eo Semla de Masreca. ³⁷ Hoc quoque mortuo regnavit pro eo Saul de fluvio Rohoboth. ³⁸ Cumque et hic obiisset, successit in regnum Balanan filius Achobor. ³⁹ Isto quoque mortuo regnavit pro eo Adar, nomenque urbis ejus Phau: et appellabatur uxor ejus Meetabel, filia Matred filiæ Mezaab. ⁴⁰ Hæc ergo nomina ducum Esau in cognationibus, et locis, et vocabulis suis: dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth, ⁴¹ dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, ⁴² dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, ⁴³ dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperii sui, ipse est Esau pater Idumæorum.

37 Habitavit autem Jacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est. ² Et hæ sunt generationes ejus: Joseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer: et erat cum filiis Balæ et Zelp hæ uxore

**36.22 *Erat autem soror*, etc. HIER. Hæc est Thamna, de qua supra dictum est: Et Thamna erat concubina Eliphaz, primogeniti Esau, etc. Ideo Horræorum recordatur, quia primogenitus filiorum Esau ex filiabus eorum accepit concubinam. Quia autem dicitur Theman, et Cenez, et Amalec, et reliqua, sciamus postea regionibus et gentibus Idumæorum ex his vocabula imposita.

††36.24 *Iste est Ana*. etc. STRAB. Quidam simpliciter aquas calidas hunc in deserto reperisse dicunt, quas vocamus thermas. *Iste est Ana*, etc. HIERON. Varia apud Hebræos de hoc capitulo disputantur, etc., usque ad ut muli contra naturam nascerentur.

‡‡36.29 *Isti duces*. De præcedentibus ait, qui de Seir; non de his quos incipit numerare, qui de Esau sunt.

¶¶36.31 *Reges autem*. Sciendum quod non omnes reges commemorat qui fuerunt antequam haberent reges filii Ismael, quorum primus Saul, sed hos omnes tantum qui regnaverunt antequam moreretur Moses. *Reges autem*. Secundum tempus quo vivebat scriptor commemorat, cum autem Seir, qui istos genuit, ibi habitaret, nondum veniente Esau in terram illam, ab eo vocabatur terra Edom. AUG., Q. in Gen., t. 3 Non mirum quod numerantibus ab Abraham per Esau patrem gentis Edom, etc., usque ad in illo enim ordine ubi plures numerantur, citius mortui sunt, quam hic ubi pauciores. *Husan*. HIER. Quem quidam suspicantur esse Job, ut in fine voluminis ipsius additum est; sed Hebræi asserunt eum de stirpe Nachor generatum, ut jam supra dictum est.

rum patris sui: accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.^{§§} ³Israël autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum: fecitque ei tunicam polymitam.* ⁴Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.[†] ⁵Accidit quoque ut visum somnium referret fratribus suis: quæ causa majoris odii seminarium fuit. ⁶Dixitque ad eos: Audite somnium meum quod vidi: ⁷putabam nos ligare manipulos in agro: et quasi consurgere manipulum meum, et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. ⁸Responderunt fratres ejus: Numquid rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, invidiæ et odii fomitem ministravit. ⁹Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per somnium, quasi solem, et lunam, et stellas undecim adorare me. ¹⁰Quod cum patri suo, et fratribus retulisset, increpavit eum pater suus, et dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego et mater tua, et fratres tui adorabimus te super terram?‡ ¹¹Invidebant ei igitur fratres sui: pater vero rem tacitus considerabat. ¹²Cumque fratres illius in pascendis

§§37.2 *Joseph cum sedecim esset annorum,* etc., AUG. in Q. super Genesin. *Historice.* Quomodo poterit mors Isaac, etc., usque ad vivo tamen Isaac decem et septem annorum cœpit esse Joseph. *Et erat cum filiis Balæ,* etc. Joseph unus ex duodecim filiis Jacob, præ cæteris patri dilectus, Christum significavit, quem Deus Pater secundum carnem natum cæteris fratribus ex Abrahæ stirpe progenitis prætulit. Unde amabat eum Jacob, *eo quod in senectute genuisset eum.* Senescente enim mundo, Filius Dei de Virgine natus fuit, tanquam filius senectutis. *Et erat cum,* etc. In primitiva Ecclesia nec abjiciebat sibi adhærentes per prædicationem pseudoapostolorum, quos significant ancillæ Jacob, quos et noluit prohibere, cum in nomine ejus miracula facerent.

*37.3 *Fecitque ei tunicam polymitam.* HIER. Pro *tunica varia* Aquila interpretatus est, id est *talarem*, Symmachus *manicatam*, sive quod ad talos usque descenderet et manibus artificis mira esset varietate distincta, sive quod haberet manicas: antiqui enim magis colobiis, id est vestibus sine manicis utebantur. GREG., hom. XXV in Evang. Quia Joseph inter fratres usque ad finem vitæ justus perseverasse describitur, solus talarum tunicam habuisse perhibetur. Quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talum corporis operuit, cum bona actio ante oculos Dei usque ad terminos vitæ nos regit. Unde Moyses caudam hostiæ offerri præcepit, ut opus bonum quod incipimus perseveranti fine compleamus.

†37.4 *Videntes autem fratres ejus,* etc. Fratres Christi secundum carnem Judæi, de quorum cognatione carnem suscepit. Sed quia videbant quod gratia virtutum in eo fiebat, quod testabatur Patris præcipuam dilectionem, invidebant, nec poterant ei quidquam pacifice loqui, et sæpius insidias tentabant, et Patremfamilias in Beelzebub principe dæmoniorum dæmonia ejicere blasphemabant. ISID. Hoc spiritualiter in Christo impletum est, etc., usque ad in stellarum figura.

‡37.10 *Num ego,* etc. Quæri potest secundum litteram quando a patre adoratus sit, qui per solem; et a matre, quæ per lunam designatur. Neque enim Jacob, quando descendit in Ægyptum, legitur adorasse eum: mater vero jam defuncta erat: sed ad allegoriam recurramus, quæ in Christo impletur.

gregibus patris morarentur in Sichem,[¶] ¹³ dixit ad eum Israël: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente, ¹⁴ Præsto sum, ait ei: Vade, et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, et pecora: et renuntia mihi quid agatur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem: ¹⁵ invenitque eum vir errantem in agro, et interrogavit quid quæreret. ¹⁶ At ille respondit: Fratres meos quæro: indica mihi ubi pascant greges. ¹⁷ Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto: audivi autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergo Joseph post fratres suos, et invenit eos in Dothain. ¹⁸ Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere: ¹⁹ et mutuo loquebantur: Ecce somniator venit: ²⁰ venite, occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem: dicemusque: Fera pessima devoravit eum: et tunc apparebit quid illi prosint somnia sua. ²¹ Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, et dicebat: ²² Non interficiatis animam ejus, nec effundatis sanguinem: sed projicite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusque vestras servate innoxias: hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, et reddere patri suo. ²³ Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari et polymita:[§] ²⁴ miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam. ²⁵ Et sedentes ut comederent panem, viderunt Ismaëlitas viatores venire de Galaad, et camelos eorum portantes aromata, et resinam, et stacten in Ægyptum.^{**} ²⁶ Dixit ergo Judas fratribus suis: Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, et celaverimus sanguinem ipsius? ²⁷ melius est ut venundetur Ismaëlitis, et manus nostræ non polluantur: frater enim et caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus illius. ²⁸ Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaëlitis, viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum.^{††} ²⁹ Reversusque Ruben ad cisternam, non invenit puerum: ³⁰ et scissis vestibibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet,

[¶]37.12 *Cumque fratres illius, etc., in pascendis gregibus, usque Renuntia mihi, etc.* ISID. Jacob mittit filium ut de fratribus curam gereret; et Deus Pater Filium unigenitum, ut genus humanum peccatis languidum visitaret. Unde Galat. capite quarto: **Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.** Missus est Joseph ut videret si cuncta prospera essent erga oves: et Christus ait Matthæi decimo quinto: **Non veni nisi ad oves quæ perierant domus Israël. In Dothaim. Defectionem.** In grandi enim defectione erant, qui de fratricidio cogitabant. **Ruben.** Prævidens hoc sermo propheticus, quem Ruben significat qui interpretatur visio filii, propheticis comminationibus deterrebat, ut innocentes se servarent a sanguine Christi, fratris sui secundum carnem.

[§]37.23 **Nudaverunt eum,** etc. ISID. Mystice. Et Judæi Christum per mortem exspoliaverunt tunica corporali et polimyta, id est, decorata omnium virtutum diversitate. Resperserunt autem tunicam sanguine hædi: quia falsis testimoniis eum accusantes, in invidiam peccati duxerunt. Joseph mittitur in cisternam, id est in lacum: et Christus exspolitus carne humana descendit ad infernum.

^{**}37.25 **Viderunt viatores Ismaëlitas.** AUG. Quæritur quare Ismaëlitas Scriptura, etc., usque ad qui dicunt Agar et Ceturam unam fuisse?

^{††}37.28 **Extrahentes.** ISID. Allegorice. Joseph de cisterna levatus Ismaëlitis venditis venditur: et Christus ab inferno regressus ab omnibus gentibus fidei commercio comparatur. Ille per Judæ consilium triginta argenteis distrahitur, et hic per consilium Judæ Iscariotæ numero eodem venundatur. **Vendiderunt.** HIERON. Hebraica veritas habet **argenteis.** neque enim viliori metallo Dominus vendi debuit quam Joseph.

et ego quo ibo? ³¹ Tulerunt autem tunicam ejus, et in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt: ³² mittentes qui ferrent ad patrem, et dicerent: Hanc invenimus: vide utrum tunica filii tui sit, an non. ³³ Quam cum agnovisset pater, ait: Tunica filii mei est: fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph. ³⁴ Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. ³⁵ Congregatis autem cunctis liberis ejus ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseverante in fletu, [¶] ³⁶ Madianitæ vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis, magistro militum.

38 Eodem tempore, descendens Judas a fratribus suis, divertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram. ^{§§ 2} Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sue: et accepta uxore, ingressus est ad eam. ³ Quæ concepit, et peperit filium, et vocavit nomen ejus Her. ^{*} ⁴ Rursumque concepto fœtu, natum filium vocavit Onan.

^{¶¶}37.34 *Scissisque vestibus*, etc. ISID. Jacob, posteritatis suæ plorans spem, quasi pater filium lugebat amissum, et quasi propheta interitum Judæorum Matth. 26. Scidit vestimentum: quod in passione Domini fecit princeps sacerdotum Luc. 23. Sed et velum templi scissum est, ut prophetaret nudatum populum suum, et divisum ostenderet regnum.

^{¶¶}37.35 *Descendam ad filium meum*. etc. Quæritur quomodo hoc intelligatur, utrum mali tantum, an etiam boni in infernum descendant? Si tantum mali, quomodo iste ad filium suum dicit se lugentem descendere velle? Non enim in pœnis inferni credibile est eum esse. An perturbati, et dolentis verba sunt, mala sua etiam hic exaggerantis? an credibile est apud infernum quædam loca secreta, et minus pœnalia ante passionem Domini fuisse, ad quæ etiam sancti descendebant? quia nullus paradisi ingredi poterat, donec Christus rhomphæam igneam amoveret. HIERON. Madianei autem vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphari eunucho, Pharaonis archimagiro. Plerumque sb, id est, coquorum principes, pro magistris exercitus Scriptura ponit; enim Græce est *coquus*, et dicitur, quod est *occidere*: eo quod coqui occidant coquendas pecudes. Venditus est igitur Joseph principi laniorum, non Petefre, ut in Latino scriptum est, sed Putiphari eunucho. Ubi quæritur quomodo postea uxorem habere dicitur? Tradunt Hebræi emptum ab hoc Joseph ob nimiam pulchritudinem in turpe ministerium, et a domino, virilibus ejus arefactis, postea electum esse juxta morem hierophantarum, id est, sacra loquentium in pontificatu Heliopoleos: et hujus filiam esse Aseneth, quam postea Joseph acceperit uxorem.

^{§§}38.1 *Eodem tempore*, etc. AUG., Q. in Gen. Quæritur quomodo ista fieri potuerunt? Si enim posteaquam Joseph venit in Ægyptum, etc., usque ad incidisse eum in amorem ejus, quam duxit uxorem, nondum vendito Joseph. *Judas*, etc. Hic, sicut cæteri patriarchæ, Christum significat, qui descendit ab baptismum Joannis. Hiras enim interpretatur *videns Deum*: Odollamites, *testimonium in aqua*, quia Joannes videns Christum venientem ad baptismum, ait: *Ecce Agnus Dei*, etc. Joan. 1 Ad hoc testimonium adhæsit Christo Synagoga, quam significat Sue, filia Chananæi, quia ei danda erat terra *humilis professionis*, quod interpretatur Chanaan. Hæc ergo Synagoga primo adhæsit Christo, quando Petrus et Andreas, et cæteri Joannis discipuli facti sunt discipuli Christi. Quo ordine hæc completa sunt sequens significat historia, narrans quomodo Judas intravit ad Thamar, quæ idem significat quod Sue.

^{*}38.3 *Quæ concepit*, etc. Genuit Synagoga principes, qui ei tanquam mariti præfuerunt: quorum alii fuerunt nocentes, quos significat Her, qui interpretatur *pelliceus* pellis enim mortem significat, quia primi parentes pellibus induti addicti sunt morti; alii inutiles, quos significat Onan, qui interpretatur *mæror eorum*, quibus scilicet non prosunt.

⁵Tertium quoque peperit: quem appellavit Sela; quo nato, parere ultra cessavit.[†]
⁶Dedit autem Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. ⁷Fuit quoque Her primogenitus Judæ nequam in conspectu Domini: et ab eo occisus est. ⁸Dixit ergo Judas ad Onan filium suum: Ingrederere uxorem fratris tui, et sociare illi, ut suscites semen fratri tuo. ⁹Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. ¹⁰Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret. ¹¹Quam ob rem dixit Judas Thamar nurui suæ: Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus: timebat enim ne et ipse moreretur, sicut fratres ejus. Quæ abiit, et habitavit in domo patris sui. ¹²Evolutis autem multis diebus, mortua est filia Sue uxor Judæ: qui, post luctum consolatione suscepta, ascendebat ad tonsores ovium suarum, ipse et Hiras opilio gregis Odollamites, in Thannas. ¹³Nuntiatumque est Thamar quod socer illius ascenderet in Thannas ad tondendas oves.[‡] ¹⁴Quæ, depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum: et mutato habitu, sedit in bivio itineris, quod ducit Thannam: eo quod crevisset Sela, et non eum accepisset maritum.[¶] ¹⁵Quam cum vidisset Judas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur. ¹⁶Ingrediensque ad eam, ait: Dimitte me ut coëam tecum: nesciebat enim quod nurus sua esset. Qua respondente: Quid dabis mihi ut fruaris concubitu meo? ¹⁷dixit: Mittam tibi hædum de gregibus. Rursumque illa dicente: Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris. ¹⁸Ait Judas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum, et armillam, et baculum quem manu tenes. Ad unum igitur coitum mulier concepit, ¹⁹et surgens abiit: deposi-

[†]38.5 *Tertium quoque peperit*, etc. ISID. in Gen., tom. 5 Tertius filius qui Thamar non jungitur, etc., usque ad et ideo tanquam Odollamites perhibuit testimonium in aqua. *Judas*, etc. De Juda regia tribus processit, quæ diu præfuit Judaicæ plebi, quam significat Thamar, quæ interpretatur *amaritudo*, quia amaram se in passione exhibuit Christo. ISID. Plebs Judaica, cui de tribu Juda reges, etc., usque ad Deus tamen utrosque occidit, quia regnum a talibus tollit.

[‡]38.13 *Ad tondendas oves*. STRAB. Allegorice. Venit Dominus ad oves tondendas, id est peccatis exonerandas, de quibus dicitur: *Dentes tui sicut greges tonsarum*. Thamar habitum mutat: nam et *commutans* interpretatur; mutat habitum et nomen, ut sit de Synagoga Ecclesia. Sed nomen amaritudinis manet: non in qua fel Domino ministravit, sed in qua Petrus amare flevit. Nam et Judas *Confessio* dicitur, Confessione ergo amaritudo misceatur, ut vera pœnitentia præsignetur. Hæc pœnitentia fecundatur, in omnibus gentibus Ecclesia constituta. Oportebat enim pati Christum, et resurgere, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes. Habitus quoque meretricis confessio peccatorum est: Thamar quippe Ecclesiam de gentibus vocatam significat; sedens cum hoc habitu ad portam Enaiim, quod interpretatur *fons*: quia currebat velut cervus ad fontes aquarum, pervenire ad semen Abrahamæ. Illo non cognoscente fecundatur, secundum illud Psalmi 17. *Populus, quem non cognovi, servivit mihi*. Accepit in occulto annulum, monile, et virgam, quia vocatione signatur, justificatione decoratur, glorificatione exaltatur. *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit Rom. 8*; sed in occulto, ubi conceptio sanctæ ubertatis fit.

[¶]38.14 *Quæ depositis viduitatis vestibus*, etc. Notandum etiam in temporibus patriarcharum certa fuisse vestimenta viduarum, nec qualia conjugatarum. *Sedit in bivio*. HIERON. *Et sedit ad portam Enaiim, quæ est in transitu Thanna*. Sermo Hebraicus, Enaiim, transfertur in *oculos*. Non est igitur nomen loci, et est sensus, *Sedit in bivio*, sive in compito, ubi diligentius debet viator aspicere quo gradiatur.

toque habitu quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. ²⁰Misit autem Judas hædum per pastorem suum Odollamitem, ut reciperet pignus quod dederat mulieri: qui cum non invenisset eam, [§]²¹ interrogavit homines loci illius: Ubi est mulier quæ sedebat in bivio? Respondentibus cunctis: Non fuit in loco ista meretrix. ²²Reversus est ad Judam, et dixit ei: Non inveni eam: sed et homines loci illius dixerunt mihi, numquam sedisse ibi scortum. ²³Ait Judas: Habeat sibi, certe mendacii arguere nos non potest, ego misi hædum quem promiseram: et tu non invenisti eam. ²⁴Ecce autem post tres menses nuntiaverunt Judæ, dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua, et videtur uterus illius intumescere. Dixitque Judas: Producite eam ut comburatur. ²⁵Quæ cum duceretur ad pœnam, misit ad socerum suum, dicens: De viro, cujus hæc sunt, concepi: cognosce cujus sit annulus, et armilla, et baculus.** ²⁶Qui, agnitis muneribus, ait: Justior me est: quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen ultra non cognovit eam.†† ²⁷Instante autem partu, apparuerunt gemini in utero: atque in ipsa effusione infantium unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens:‡‡ ²⁸Iste egredietur prior. ²⁹Illo vero retrahente manum, egressus est alter: dixitque mulier: Quare divisa est propter te maceria? et ob hanc causam, vocavit nomen ejus Phares.¶¶ ³⁰Postea egressus est frater ejus, in cujus manu erat coccinum: quem appellavit Zara.

39 Igitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir ægyptius, de manu Ismaëliitarum, a quibus

§38.20 *Misit autem Judas.* Mittitur promissus hædus tanquam meretrici, id est exprobratio peccati, per Odollamitem, tanquam increpantem, *genimina viperarum*, etc. Sed eam non invenit peccati exprobratio, quam mutavit confessionis amaritudo. In hoc facto Judæ non justitiæ cernitur sinceritas, sed promissionis fidelitas. Si enim servaret justitiam servando castitatem, non introisset, ut opinabatur, ad meretricem; sed quod promisit, fideliter per pastorem transmisit.

**38.25 *Quæ cum duceretur, etc.* ISID. Postea vero publicis signis annuli, monilis et virgæ, vicit temere judicantes Judæos, quos jam Judas significabat; qui hodie quoque dicunt non hunc esse populum Christi, nec Abrahæ semen, sed prolatis documentis nostræ vocationis, justificationis, et glorificationis, confunduntur, et nos magis quam se justificatos esse confitebuntur. Pignora enim se habere refert Ecclesia, quæ accusatur a Judæis quasi adultera legis: sed ostendit virgam signum passionis, et monile legitima legis, et annulum pignus immortalitatis.

††38.26 *Qui agnitis, etc.* HIERON. *Cognovit autem Judas, etc.* In Hebræo habetur: *justificata est ex me;* non quod justa fuerit, sed quod comparatione illius minus male fecerit, non vaga turpitudine, sed requirendo filios.

‡‡38.27 *Instante autem, etc.* Quod primus, qui dicitur Zara, manum emisit, et obstetrix coccinum ligavit et ipso manu retrahente, posterior, qui vocatur Phares, manum porrexit, et nascendo præcessit, significavit quod Israël in opere legis manum extenderet, et prophetarum et ipsius Christi cruore pollutam contraheret: populus vero gentium postea prorumperet, ut essent *primi novissimi, et novissimi primi.*

¶¶38.29 *Quare divisa, etc.* HIERON. Pro *maceria* Aquila et Symmachus *divisionem* transtulerunt, quod Hebraice dicitur *Phares*. Ab eo igitur quod diviserit membranam secundinarum *divisionis* nomen accepit. Unde et Pharisæi, qui se quasi justos a populo separaverant, Pharisæi, id est *divisi* dicebantur. Zara interpretatur *oriens*. Quia primus apparuit, vel quia plurimi justi ex eo nati sunt, sicut dicitur in Paralipomenis.

perductus erat.^{§§} ²Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens: habitavitque in domo domini sui, ³qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia, quæ gerebat, ab eo dirigi in manu illius. ⁴Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei: a quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, et universa quæ ei tradita fuerant: ⁵benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in ædibus quam in agris cunctam ejus substantiam: ⁶nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu. ⁷Post multos itaque dies injecit domina sua oculos suos in Joseph, et ait: Dormi mecum.* ⁸Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: ⁹nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum? ¹⁰Hujuscemodi verbis per singulos dies, et mulier molesta erat adolescenti: et ille recusabat stuprum. ¹¹Accidit autem quadam die ut intraret Joseph domum, et operis quippiam absque arbitris faceret: ¹²et illa, apprehensa lacinia vestimenti ejus, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu ejus pallio fugit, et egressus est foras.† ¹³Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, et se esse contemptam, ¹⁴vocavit ad se homines domus suæ, et ait ad eos: En introduxit virum hebræum, ut illuderet nobis: ingressus est ad me, ut coiret mecum: cumque ego succlamassem, ¹⁵et audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras. ¹⁶In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum, ¹⁷et ait: Ingressus est ad me servus hebræus quem adduxisti, ut illuderet mihi: ¹⁸cumque audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras. ¹⁹His auditis dominus, et nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde: ²⁰tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, et erat ibi clausus. ²¹Fuit autem Dominus cum Joseph, et misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. ²²Qui tradidit in manu illius universos vinctos qui in custodia tenebantur: et quidquid fiebat, sub ipso erat. ²³Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis: Dominus enim erat cum illo, et omnia opera ejus dirigebat.

§§39.1 ***Igitur Joseph ductus est in Ægyptum***, etc. AUG. in Gen. Ad ordinem tendit Scriptura unde recesserat, ut illa narret quæ supra gesta sunt. ***Fuitque***, etc. GREG., lib. VI Moral., c. 11 seq. Multi humana sapientia inflati, dum desideriis suis divina judicia contrarie aspiciunt, etc., usque ad ejusque pondera leviat, quæ volens portat.

*39.7 ***Post multos itaque dies injecit domina***, etc. GREG. lib. XXX Moral., cap. 19 Qui mundi successibus elevatus, etc., usque ad quia enim voluptas ex prosperitate nascitur, ejusdem consideratione feriat. ***Injecit domina sua***, etc. ISID. Hæc figura est Synagogæ, etc., usque ad ubi enim veluti puniendus descenderat, inde alios liberavit.

†39.12 ***Qui, relicto in manu ejus pallio***, etc. Sic nos tentant carnis illecebræ, et succutiunt vestem carneam: sed vir castus mavult omnia vincula dirumpere, quam se turpitudini subjugare. Qui relicto, etc. GREG. Allegorice. Quia dum Synagoga Christum, purum hominem credens, adulterino complexu constringere voluit, ipse tegmen litteræ oculis ejus objecit, et ad cognoscendam divinitatis potentiam conspicuum se gentibus præbuit. Unde usque hodie dum legitur Moses, velamen est super oculos cordis eorum, quia scilicet adultera pallium retinuit, et quem male tenebat nudum amisit.

40 His ita gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, et pistor, domino suo.[‡] ² Iratusque contra eos Pharaon (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus), ³ misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus et Joseph. ⁴ At custos carceris tradidit eos Joseph, qui et ministrabat eis: aliquantulum temporis fluxerat, et illi in custodia tenebantur. ⁵ Videruntque ambo somnium nocte una, juxta interpretationem congruam sibi: ⁶ ad quos cum introisset Joseph mane, et vidisset eos tristes, ⁷ sciscitatus est eos, dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra? ⁸ Qui responderunt: Somnium vidimus, et non est qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Joseph: Numquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis. ⁹ Narravit prior, præpositus pincernarum, somnium suum: Videbam coram me vitem,[¶] ¹⁰ in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, et post flores uvas maturescere: ¹¹ calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, et expressi in calicem quem tenebam, et tradidi poculum Pharaoni. ¹² Respondit Joseph: Hæc est interpretatio somnii: tres propagines, tres adhuc dies sunt: ¹³ post quos recordabitur Pharaon ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem juxta officium tuum, sicut ante facere consueveras. ¹⁴ Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, et facias mecum misericordiam: ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere: ¹⁵ quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, et hic innocens in lacum missus sum. ¹⁶ Videns pistorum magister quod prudenter somnium dissolvisset, ait: Et ego vidi somnium: quod tria canistra farinæ haberem super caput meum:[§] ¹⁷ et in uno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo. ¹⁸ Respondit Joseph: Hæc est interpretatio somnii: tria canistra, tres adhuc dies sunt: ¹⁹ post quos auferet Pharaon caput tuum, ac suspendet te in cruce, et lacerabunt volucres carnes tuas. ²⁰ Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande convivium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, et pistorum principis.^{**} ²¹ Restituitque alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum: ²² alterum suspendit in patibulo, ut conjectoris veritas probaretur. ²³ Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.

41 Post duos annos vidit Pharaon somnium. Putabat se stare super fluvium,^{††} ² de quo ascendebant septem boves, pulchræ et crassæ nimis: et pascebantur in

[‡]40.1 *His ita gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi*, etc. ISID. in Gen., tom. 5 Invenit Joseph duos eunuchos in carcere, etc., usque ad transgressionis ligno suspenditur. *Pincerna regis Ægypti, et pistor, domino suo*, etc. HIERON. Ubi nos posuimus *principem vinariorum* in Hebræo habetur *masqueh*, illud verbum quod in nomine servi Abrahæ dudum legimus, quem nos possumus more vulgi vocare *pincernam*, et usque hodie apud barbaros maximæ dignitatis est, regi poculum porrexisse.

[¶]40.9 *Videbam coram me vitem*, etc. HIERON. *Et ecce vitis in conspectu meo, et in vite tres fundi, et ipsa germinans tres fundos*. Tria flagella, tres ramos, sive propagines, Hebræus sermo significat, quæ ab illis vocantur *Sarigim*.

[§]40.16 *Tria canistra*. AUG. Quæst. in Gen. Ubi in Latinis codicibus *tria canistra farinæ* scriptum est, etc., usque ad et ex omni genere pistorii operis in eodem scilicet canistro superiore.

^{**}40.20 *Natalitius Pharaonis*. Pharaon et Herodes diem nativitatis celebraverunt, quia ex hora nativitatis se reges fuisse putaverunt.

^{††}41.1 *Post duos annos vidit Pharaon somnium. Putabat se stare*, etc. AUG. Q. in Gen., tom. 3 Sicut servus Abrahæ dixit, etc., usque ad ubi habitant terrena animalia.

locis palustribus.^{‡‡} ³ Aliæ quoque septem emergebant de flumine, foedæ confectæque macie: et pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus: ⁴ devoraveruntque eas, quarum mira species et habitudo corporum erat. Expergefactus Pharaos, ⁵ rursum dormivit, et vidit alterum somnium: septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formosæ: ⁶ aliæ quoque totidem spicæ tenues, et percussæ uredine oriebantur, ⁷ devorantes omnium priorum pulchritudinem. Evigilans Pharaos post quietem, ⁸ et facto mane, pavore perterritus, misit ad omnes conjectores Ægypti, cunctosque sapientes, et accersitis narravit somnium, nec erat qui interpretaretur. ⁹ Tunc demum reminiscens pincernarum magister, ait: Confiteor peccatum meum:^{¶¶} ¹⁰ iratus rex servis suis, me et magistrum pistorum retrudi jussit in carcerem principis militum: ¹¹ ubi una nocte uterque vidimus somnium præ sagum futurorum. ¹² Erat ibi puer hebræus, ejusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnia, ¹³ audivimus quidquid postea rei probavit eventus; ego enim redditus sum officio meo, et ille suspensus est in cruce. ¹⁴ Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt: ac veste mutata obtulerunt ei. ¹⁵ Cui ille ait: Vidi somnia, nec est qui edisserat: quæ audivi te sapientissime conjicere. ¹⁶ Respondit Joseph: Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni. ¹⁷ Narravit ergo Pharaos quod viderat: Putabam me stare super ripam fluminis,^{§§} ¹⁸ et septem boves de amne conscendere, pulchras nimis, et obesitas carnibus: quæ in pastu paludis virecta carpebant. ¹⁹ Et ecce, has sequebantur aliæ septem boves, in tantum deformes et macilentæ, ut numquam tales in terra Ægypti viderim: ²⁰ quæ, devoratis et consumptis prioribus, ²¹ nullum saturitatis dedere vestigium: sed simili macie et squalore torpebant. Evigilans, rursus sopore depressus, ²² vidi somnium. Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque pulcherrimæ. ²³ Aliæ quoque septem tenues et percussæ uredine, oriebantur e stipula: ²⁴ quæ priorum pulchritudinem devoraverunt. Narravi conjectoribus somnium, et nemo est qui edisserat. ²⁵ Respondit Joseph: Somnium regis unum est: quæ facturum est Deus, ostendit Pharaoni. ²⁶ Septem boves pulchræ, et septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt: eademque vim somnii comprehendunt. ²⁷ Septem quoque boves tenues atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, et septem spicæ tenues, et vento urente percussæ, septem anni venturæ sunt famis. ²⁸ Qui hoc ordine complebuntur: ²⁹ ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in universa terra Ægypti, ³⁰ quos sequentur septem anni alii tantæ sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia: consumptura est enim fames omnem terram, ³¹ et ubertatis magnitudinem perditura est inopiæ magnitudo. ³² Quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium: firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei, et velocius impleatur. ³³ Nunc

^{‡‡}41.2 *De quo ascendebant septem boves*, etc. HIERON. Q. Hebr. Ecce de fluvio ascendebant septem boves speciosæ ad videndum, etc., usque ad Græcam copulaverunt.

^{¶¶}41.9 *Tunc demum reminiscens pincernarum magister*, etc. Quia gentilis populus tandem per exhibitionem præteritorum se intulit in spem futurorum.

^{§§}41.17 *Putabam me stare*, etc. Septem anni, qui septem spicis plenis, vel septem vaccis pinguibus ostenduntur, spiritualia dona significant, quibus ubertas fidei larga pietate redundat. Septem vero steriles et jejuni, veritalis et justitiæ famem in novissimo tempore.

ergo provideat rex virum sapientem et industrium, et præficiat eum terræ Ægypti.*
³⁴ qui constituat præpositos per cunctas regiones: et quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis,† ³⁵ qui jam nunc futuri sunt, congreget in horrea: et omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serveturque in urbibus. ³⁶ Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum, et non consumetur terra inopia. ³⁷ Placuit Pharaoni consilium et cunctis ministris ejus: ³⁸ locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?‡ ³⁹ Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid sapientiore et consimilem tui invenire poterō? ⁴⁰ Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te præcedam. ⁴¹ Dixitque rursus Pharao ad Joseph: Ecce, constitui te super universam terram Ægypti.†
⁴² Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus: vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. ⁴³ Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, et

*41.33 **Nunc ergo**, etc. Hoc tempore gratiæ videmus impletum: quia abundante doctrina apostolica, septiformi Spiritu ministrata, divina dispositione per singulas urbes episcopi et doctores ordinati sunt, qui abundantia doctrinæ divinitus sibi collatæ libros sanctos scripserunt, quibus abundante fame verbi, et deficientibus doctoribus, indigentiam nostram reficeremus.

†41.34 **Et quintam partem fructuum**, etc. Notandum Ægyptii quod quintam partem frugum in horrea regis congregant: quia filii tenebrarum, quinque sensibus dediti, celestia non curant: sed veri Israëliti decimas dant, quia cœlestem patriam, cujus decima pars corrui, reformare laborant. ISID. Congregavit Joseph per septem annos omnem frugum abundantiam: id est, frumenta fidei sanctorum horreis condens, per septem charismata, quasi per septem annos, ut cum septem anni inopiæ cœperint, id est, cum iniquitas occurrerit septem capitalium criminum sub Antichristo, quando fames fidei fuerit et salutis, tunc habeant copiosam justitiæ frugem, ne fides eorum inopia sermonis deficiat.

‡41.38 **Qui Spiritus Dei plenus sit**, etc. AUG. Q. in Gen. Tertio, nisi fallor, insinuatur nobis in hoc libro Spiritus sanctus. Primo ubi dictum est supra cap. 1: **Spiritus ferebatur super aquas**, secundo ubi dicit Deus supra cap. 6: **Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis**, etc. Tertio cum dicit Pharao in Joseph esse Spiritum Dei: nondum tamen legimus Spiritum sanctum.

*41.41 **Dixitque rursus Pharao**, etc. ISID. Allegorice. Joseph, qui typum Christi gerebat, currum meruit, et præco præconavit ante eum, et constituit eum Pharao super universam terram Ægypti: et Dominus noster, postquam distractus est a Juda, sicut Joseph a fratribus et de inferni carcere surrexit, ascendit currum cœlestis regni, de quo dicitur psalmo LXVII: **Currus Dei decem millibus multiplex**; et accepit potestatem prædicandi et judicandi a Patre. Unde Phil. 2: **Dedit ei nomen quod est super omne nomen**, etc. Accepit quoque annulum, id est, pontificatum fidei, quo credentium animæ salutis signo signantur, frontibusque et cordibus nostris per signum crucis figura æterni regis imprimitur. Induitur stola byssina, id est, carne sancta bysso splendidiore, et stola immortalitatis. Accepit quoque torquem auream, id est, intellectum bonum. Præco antecedit eum, id est, Joannes Baptista, qui ait Matth. 3: **Parate viam Domini**. Habebit et alium præconem, quia veniet in tuba angeli. **Ecce constitui te super universam terram Ægypti**, etc. Joseph de carcere eductus, super Ægyptum constituitur; et Christus resurgens accepit **nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur Philipp. 2.**

præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti.^{§ 44} Dixit quoque rex ad Joseph: Ego sum Pharaos: absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.⁴⁵ Vertitque nomen ejus, et vocavit eum, lingua ægyptiaca, Salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Aseneth filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Ægypti^{** 46} (triginta autem annorum erat quando stetit in conspectu regis Pharaonis), et circumvit omnes regiones Ægypti.⁴⁷ Venitque fertilitas septem annorum: et in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti.⁴⁸ Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est.⁴⁹ Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, et copia mensuram excederet.⁵⁰ Nati sunt autem Joseph filii duo antequam veniret fames: quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos.^{†† 51} Vocavitque nomen primogeniti Manasses, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei.⁵² Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.⁵³ Igitur transactis septem ubertatis annis, qui fuerant in Ægypto,⁵⁴ cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Joseph: et in universo orbe fames prævaluit, in cuncta autem terra Ægypti panis erat.⁵⁵ Qua esuriente, clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Joseph: et quidquid ipse vobis dixerit, facite.⁵⁶ Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitque Joseph universa horrea, et vendebat Ægyptiis: nam et illos oppresserat fames.^{‡‡ 57} Omnesque provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, et malum inopiæ temperarent.

§41.43 *Clamante præcone*, etc. HIER. in Quæst. Hebr. *et clamavit ante eum præco, et constituit eum super omnem terram Ægypti*. Pro quo Aquila transtulit: *Et clamavit in conspectu ejus ad geniculationem*. Symmachus, etc., usque ad quod juxta prudentiam omnium pater fuit, sed juxta ætatem tenerrimus adolescens et puer.

**41.45 *Et vocavit*, etc. HIER., ibid. Et vocavit Pharaos nomen Joseph, etc., usque ad ut vera illa Hebræorum super eo quod ante diximus suspicio comprobetur. *Deditque illi uxorem*, etc. AUG., ubi supra. Quæri solet cujus Putipharis, alias Petefre, ut plerique habent et corrupte, ut supra dictum est, etc., usque ad non est fidei periculosum, nec contrarium veritati Scripturarum.

††41.50 *Nati sunt autem Joseph filii duo*, etc. HIERON. Observa propter quæstionem quæ post de filiis Joseph proponenda est, quod ante famis tempus, quo Jacob intravit in Ægyptum, duos tantum filios Joseph habuit, Manassem et Ephraim.

‡‡41.56 *Aperuitque Joseph universa horrea*, etc. Allegorice. Joseph a penuria frumenti salvat Ægyptum, et Christus a fame verbi liberat mundum. Aperuit horrea sua Christus in orbem terrarum, et erogatione frumenti sui omnia subjugavit. Nisi fratres Joseph vendidissent, defecerat Ægyptus: nisi Judæi Christum crucifixissent, perierat mundus. Joseph interpretatur *augmentatio* sive *ampliatio*: sed in illo Joseph ampliatio non habuit nisi sola Ægyptus; in nostro vero, universus mundus. Ille erogavit triticum; noster Dei verbum. *In omnem terram exivit sonus eorum Psal. 18.*

42 Audiens autem Jacob quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Quare negligitis?[¶] ²audiui quod triticum venundetur in Ægypto: descendite, et emite nobis necessaria, ut possimus vivere, et non consumamur inopia. ³Descendentes igitur fratres Joseph decem, ut emerent frumenta in Ægypto, ⁴Benjamin domi retento a Jacob, qui dixerat fratribus ejus: Ne forte in itinere quidquam patiatur mali: ⁵ingressi sunt terram Ægypti cum aliis qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terra Chanaan. ⁶Et Joseph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui, ⁷et agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos: Unde venistis? Qui responderunt: De terra Chanaan, ut emamus victui necessaria. ⁸Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis. ⁹Recordatusque somniorum, quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores estis: ut videatis infirmiora terræ venistis. ¹⁰Qui dixerunt: Non est ita, domine, sed servi tui venerunt ut emerent cibos. ¹¹Omnes filii unius viri sumus: pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali. ¹²Quibus ille respondit: Aliter est: immunita terræ hujus considerare venistis. ¹³At illi: Duodecim, inquit, servi tui, fratres sumus, filii viri unius in terra Chanaan: minimus cum patre nostro est, alius non est super. ¹⁴Hoc est, ait, quod locutus sum: exploratores estis. ¹⁵Jam nunc experimentum vestri capiam: per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. ¹⁶Mittite ex vobis unum, et adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis utrum vera an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis.^{§§} ¹⁷Tradidit ergo illos custodiae tribus diebus. ¹⁸Die autem tertio eductis de carcere, ait: Facite quæ dixi, et vivetis: Deum enim timeo. ¹⁹Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere: vos autem abite, et ferte frumenta quæ emistis, in domos vestras, ²⁰et fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones, et non moriamini. Fecerunt ut dixerat, ²¹et locuti sunt ad invicem: Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. ²²E quibus unus Ruben, ait: Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: et non audistis me? en sanguis ejus exquiritur.* ²³Nesciebant autem quod intelligeret Joseph, eo quod per interpretem loqueretur ad eos. ²⁴Avertitque se parumper, et flevit: et reversus locutus est ad eos. ²⁵Tollensque Simeon, et ligans illis præsentibus, jussit ministris ut implerent eorum saccos tritico, et reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam: qui fecerunt ita. ²⁶At illi portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt. ²⁷Apertoque

[¶]42.1 *Audiens autem Jacob quod alimenta venderentur in Ægypto*, etc. ISID. in Gen., tom. 5 Est frumentum in Ægypto: dicit et Deus Pater, Osee 11: *Ex Ægypto vocavi Filium meum*. Descendunt decem proveciores, id est Judæi, sub decalogo constituti; quos ipse cognoscens, non est agnitus ab eis; cognoscuntur Hebræi a Christo, et ipsi non agnoscunt eum; dederunt illi pecuniam; sed Joseph, id est Christus, triticum dedit, et argentum reddidit, quia non pecunia emitur Christus, sed gratia.

^{§§}42.16 *Mittite ex vobis unum. alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis*. AUG. Quæst. in Gen. Quid est quod Joseph, vir sapiens, etc., usque ad erit Deus, non enim erit, sed habebitur

*42.22 *Nesciebant autem*, etc. Aug., ibid. Quid est quod cum inter se pœnitentes loquerentur de Joseph, etc., usque ad sicut ipsum in exteras provincias vendiderant.

unus sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi,[†] ²⁸ dixit fratribus suis: Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatique, mutuo dixerunt: Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus? ²⁹ Veneruntque ad Jacob patrem suum in terram Chanaan, et narraverunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes: ³⁰ Locutus est nobis dominus terræ dure, et putavit nos exploratores esse provinciæ. ³¹ Cui respondimus: Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias. ³² Duodecim fratres uno patre geniti sumus: unus non est super, minimum cum patre nostro est in terra Chanaan. ³³ Qui ait nobis: Sic probabo quod pacifici sitis: fratrem vestrum unum dimittite apud me, et cibaria domibus vestris necessaria sumite, et abite, ³⁴ fratremque vestrum minimum adducite ad me, ut sciam quod non sitis exploratores: et istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam. ³⁵ His dictis, cum frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias, exterritisque simul omnibus,[‡] ³⁶ dixit pater Jacob: Absque liberis me esse fecistis: Joseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, et Benjamin auferetis: in me hæc omnia mala reciderunt. ³⁷ Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, et ego eum tibi restituum.[¶] ³⁸ At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: frater ejus mortuus est, et ipse solus remansit: si quid ei adversi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.[§]

43 Interim fames omnem terram vehementer premebat. ² Consumptisque cibis quos ex Ægypto detulerant, dixit Jacob ad filios suos: Revertimini, et emite nobis pauxillum escarum. ³ Respondit Judas: Denuntiavit nobis vir ille sub attestazione jurisjurandi, dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum. ⁴ Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, et ememus tibi necessaria: ⁵ sin autem non vis, non ibimus: vir enim, ut sæpe diximus, denuntiavit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo. ⁶ Dixit eis Israël: In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei et alium habere vos fratrem. ⁷ At illi responderunt: Interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem: si pater viveret: si haberemus fratrem: et nos respondimus ei consequenter juxta id quod fuerat sciscitatus: numquid scire poteramus quod dicturus esset: Adducite fratrem vestrum vobiscum? ⁸ Judas quoque dixit patri suo: Mitte puerum mecum, ut proficiscamur, et possimus vivere: ne moriamur nos et parvuli nostri.

[†]42.27 *Apertoque*, etc. Fratres Joseph dant argentum, quia Judæi conversi dimittunt litteram occidentem, et accipiunt spiritum vivificantem: reperitur tamen argentum in ore saccorum, quia propter fructum spiritualis intelligentiæ non deseritur nitor eloquentiæ.

[‡]42.35 *Singuli repererunt*, etc. Fratres Joseph dederunt pecuniam in emptione frumenti, sed eam accepto frumento receperunt, quia noster Joseph non quærit nostra, sed nos. Gratis enim dat sua munera, et in nostra emptione nos ditiores facit.

[¶]42.37 *Cui respondit Ruben*, etc. STRAB. Ruben ait: *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi*, etc., nec tamen obtinuit. At Judas dicens: *Reus ero peccati in patrem omni tempore*, impetravit, quia ei commissus est Benjamin. Plus est ergo reum esse peccati, quam corporaliter occidi.

[§]42.38 *Deducetis canos meos*, etc. AUG. Quæritur utrum ideo ad infernum, quia cum tristitia, an etiam si abesset tristitia, tanquam ad infernum moriendo descensus hæc loquatur? De inferno enim magna quæstio est, et quid inde Scriptura sentiat, ubicunque hoc memoratum fuerit, observandum est.

⁹Ego suscipio puerum: de manu mea require illum: nisi reduxero, et reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. ¹⁰Si non intercessisset dilatio, jam vice alter venissemus. ¹¹Igitur Israël pater eorum dixit ad eos: Si sic necesse est, facite quod vultis: sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, et deferte viro munera, modicum resinæ, et mellis, et storacis, stactes, et terebinthi, et amygdalarum. ^{**} ¹²Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum: et illam, quam invenistis in sacculis, reportate, ne forte errore factum sit: ¹³sed et fratrem vestrum tollite, et ite ad virum. ¹⁴Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem: et remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet, et hunc Benjamin: ego autem quasi orbatus absque liberis ero. ¹⁵Tulerunt ergo viri munera, et pecuniam duplicem, et Benjamin: descenderuntque in Ægyptum, et steterunt coram Joseph. ¹⁶Quos cum ille vidisset et Benjamin simul, præcepit dispensatori domus suæ, dicens: Introduc viros domum, et occide victimas, et instrue convivium: quoniam mecum sunt comesturi meridie. ¹⁷Fecit ille quod sibi fuerat imperatum, et introduxit viros domum. ¹⁸Ibique exterriti, dixerunt mutuo: Propter pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus: ut devolvat in nos calumniam, et violenter subjiciat servituti et nos, et asinos nostros. ¹⁹Quam ob rem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem domus, ²⁰locuti sunt: Oramus, domine, ut audias nos. Jam ante descendimus ut emeremus escas: ²¹quibus emptis, cum venissemus ad diversorium, aperuimus saccos nostros, et invenimus pecuniam in ore saccorum: quam nunc eodem pondere reportavimus. ²²Sed et aliud attulimus argentum, ut emamus quæ nobis necessaria sunt: non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupiis nostris. ²³At ille respondit: Pax vobiscum, nolite timere: Deus vester, et Deus patris vestri, dedit vobis thesauros in saccis vestris: nam pecuniam, quam dedistis mihi, probatam ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon. ^{††} ²⁴Et introductis domum, attulit aquam, et laverunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum. ²⁵Illi vero parabant munera, donec ingrederetur Joseph meridie: audierant enim quod ibi comesturi essent panem. ²⁶Igitur ingressus est Joseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis: et adoraverunt proni in terram. ²⁷At ille, clementer resalutatis eis, interrogavit eos, dicens: Salvusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? adhuc vivit? ²⁸Qui responderunt: Sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit. Et incurvati, adoraverunt eum. ²⁹Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, et ait: Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum: Deus,

^{**}43.11 *Modicum resinæ et mellis et storacis*, etc. HIER. Quæst. Hebr., tom. 3 Aliquid resinæ, et mellis, etc., usque ad eo quod in illo sunt aromata diversa condita.

^{††}43.23 *Deus vester et Deus patris vestri dedit vobis thesauros*, etc. AUG. Mendacium videtur, sed aliquid significare credendum est. Argentum enim, quod datur et non minuitur, quod et probatum appellatum est, illud forte est de quo dicitur psalmo 11: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*, id est probatum perfecte.

inquit, misereatur tui, fili mi.³⁰ Festinavitque, quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo, et erumpebant lacrimæ: et introiens cubiculum flevit.³¹ Rursumque lota facie egressus, continuit se, et ait: Ponite panes.³² Quibus appositis, seorsum Joseph, et seorsum fratribus, Ægyptiis quoque qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebræis, et profanum putant hujuscemodi convivium)³³ sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, et minimus juxta ætatem suam. Et mirabantur nimis,³⁴ sumptis partibus quas ab eo acceperant: majorque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet. Biberuntque et inebriati sunt cum eo.^{§§}

44 Præcepit autem Joseph dispensatori domus suæ, dicens: Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere: et pone pecuniam singulorum in summitate sacci.² Scyphum autem meum argenteum, et pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci junioris. Factumque est ita.³ Et orto mane, dimissi sunt cum asinis suis.⁴ Jamque urbem exierant, et processerant paululum: tunc Joseph accersito dispensatore domus, Surge, inquit, et persequere viros: et apprehensis dicito: Quare reddidistis malum pro bono? ⁵scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet: pessimam rem fecistis.* ⁶Fecit ille ut jusserat: et apprehensis per ordinem locutus est.⁷ Qui responderunt: Quare sic loquitur dominus noster, ut servi tui tantum flagitii commiserint? ⁸pecuniam, quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan: et quomodo consequens est ut furati simus de domo domini tui aurum vel argentum? ⁹apud quemcumque fuerit inventum servorum tuorum quod quæris, moriatur, et nos erimus servi domini nostri.¹⁰ Qui dixit eis: Fiat juxta vestram sententiam: apud quemcumque fuerit in-

³⁰43.29 *Attollens autem Joseph oculos vidit Benjamin*, etc. ISID. Act. IX Paulum quasi lux circumfulsit, qui parvulus, quia nondum maturam fidei ætatem gerebat. Unde etiam adolescens legitur, dum lapidantium Stephanum vestimenta servabat. Flevit Joseph; cæcitas Pauli fletus est Christi; lavit faciem Christus, cum baptizatur Paulus, per quem a plurimis videndus est Christus. AUG. Affectus boni animi semper proclivis est ad pietatem. Unde in Joseph virtutum possumus considerare copiam. Castus erat, cum sprevit impudicitiam dominæ; sapiens, cum diligenti investigatione fratrum animos explorabat, qualiter sentirent de fratre suo uterino; justus erat in adhibitione disciplinæ delinquentibus; pius, in conversione pœnitentium.

³¹43.32 *Quibus appositis*, etc. Seorsum appositi sunt cibi Joseph quasi advenæ, et scorsum fratribus, quasi exteris natione: Ægyptiis quoque seorsum, quasi indigenis, qui putabant profanum esse cum peregrinis convivium.

³⁴43.34 *Biberuntque et inebriati sunt*, etc. AUG. Solent ebriosi hoc testimonium adhibere sibi in patrocinium propter Joseph, qui valde sapiens commendatur. Sed hoc verbum pro saturitate ponitur in Scripturis, unde psalmo LXIV: *Visitasti terram et inebriasti eam*, quia in laude benedictionis hoc positum est, et donum Dei commemoratur; apparet hanc ebrietatem saturitatem significare: nam ita inebriari ut inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ utile est; quoniam majore humore quam sufficit, corrumpitur; sicut vita ebriosi, qui non satietate se replet, sed mergit diluvio.

*44.5 *Scyphus quem furati estis*, etc. ISID. Quid sibi vult quod inventus est scyphus Joseph in sacco Benjamin, nisi quia in corde Pauli cœlestis doctrinæ jam præfulgebant eloquium, dum esset eruditus in lege? Sed quia subjectus non erat Deo, intra saccum erat scyphus, doctrina intra legem, lucerna intra modium. Missus tamen Ananias manum imposuit, marsupium solvit, et argentum resplenduit, et decidens squamis, quasi vinculis, soluto sacco, id est deposito legis velamine, adeptus est gratiæ libertatem, et revelata facie sermonis Evangelium prædicat.

ventus, ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii. ¹¹ Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. ¹² Quos scrutatus, incipiens a majore usque ad minimum, invenit scyphum in sacco Benjamin. ¹³ At illi, scissis vestibus, oneratisque rursum asinis, reversi sunt in oppidum. ¹⁴ Primusque Judas cum fratribus ingressus est ad Joseph (necdum enim de loco abierat) omnesque ante eum pariter in terram corruerunt. ¹⁵ Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis? an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?† ¹⁶ Cui Judas: Quid respondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut juste poterimus obtendere? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum: en omnes servi sumus domini mei, et nos, et apud quem inventus est scyphus.‡ ¹⁷ Respondit Joseph: Absit a me ut sic agam: qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus: vos autem abite liberi ad patrem vestrum. ¹⁸ Accedens autem propius Judas, confidenter ait: Oro, domini mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo: tu es enim post Pharaonem ¹⁹ dominus meus. Interrogasti prius servos tuos: Habetis patrem aut fratrem? ²⁰ et nos respondimus tibi domino meo: Est nobis pater senex, et puer parvulus, qui in senectute illius natus est: cujus uterinus frater mortuus est: et ipsum solum habet mater sua, pater vero tenere diligit eum. ²¹ Dixistisque servis tuis: Adducite eum ad me, et ponam oculos meos super illum. ²² Suggestimus domino meo: Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit, morietur. ²³ Et dixisti servis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam. ²⁴ Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narravimus ei omnia quæ locutus est dominus meus. ²⁵ Et dixit pater noster: Revertimini, et emite nobis parum tritici. ²⁶ Cui diximus: Ire non possumus: si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul: alioquin illo absente, non audemus videre faciem viri. ²⁷ Ad quæ ille respondit: Vos scitis quod duos genuerit mihi uxor mea. ²⁸ Egressus est unus, et dixistis: Bestia devoravit eum: et hucusque non comparet. ²⁹ Si tuleritis et istum, et aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. ³⁰ Igitur si intravero ad servum tuum patrem nostrum, et puer defuerit (cum anima illius ex hujus anima pendeat), ³¹ videritque eum non esse nobiscum, morietur, et deducet famuli tui canos ejus cum dolore ad inferos. ³² Ego proprie servus tuus sim qui in meam hunc recepi fidem, et sponendi dicens: Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. ³³ Manebo itaque servus tuus pro puero in ministerio domini mei, et puer ascendat cum fratribus suis. ³⁴ Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero: ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

45 Non se poterat ultra cohibere Joseph multis coram astantibus: unde præcepit ut egredierentur cuncti foras, et nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. ² Elevavitque vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis. ³ Et dixit fratribus suis: Ego sum Joseph: adhuc pater meus vivit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. ⁴ Ad quos ille clementer: Accedite, inquit,

†44.15 *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* AUG. Quæst. in Gen., tom. 3 Quid hoc sibi velit quæri solet. An quia non serio sed joco dictum est, etc., usque ad cognito fratre, quem a se perditum existimabant.

‡44.16 *Cui Judas*, etc. AUG., ubi supra. Multa in narratione Judæ aliter dicta sunt quam cum illis egerat Joseph, etc., usque ad sed qui noverat eum scire, ut eum flecteret ad misericordiam narrationi inserebat.

ad me. Et cum accessissent prope: Ego sum, ait, Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. ⁵ Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. ⁶ Biennium est enim quod cœpit fames esse in terra: et adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti. ⁷ Præmisitque me Deus ut reservemini super terram, et escas ad vivendum habere possitis. ⁸ Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missum sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, et dominum universæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti. ⁹ Festinate, et ascendite ad patrem meum, et dicetis ei: Hæc mandat filius tuus Joseph: Deus fecit me dominum universæ terræ Ægypti: descende ad me, ne moreris, ¹⁰ et habitabis in terra Gessen: erisque juxta me tu, et filii tui, et filii filiorum tuorum, oves tuæ, et armenta tua, et universa quæ possides: ¹¹ ibique te pascam (adhuc enim quinque anni residui sunt famis) ne et tu pereas, et domus tua, et omnia quæ possides. ¹² En oculi vestri, et oculi fratris mei Benjamin, vident quod os meum loquatur ad vos. ¹³ Nuntiate patri meo universam gloriam meam, et cuncta quæ vidistis in Ægypto: festinate, et adducite eum ad me. ¹⁴ Cumque amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit: illo quoque similiter flente super collum ejus. ¹⁵ Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum. ¹⁶ Auditumque est, et celebri sermone vulgatum in aula regis: Venerunt fratres Joseph: et gavisus est Pharao, atque omnis familia ejus. ¹⁷ Dixitque ad Joseph ut imperaret fratribus suis, dicens: Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan, ¹⁸ et tollite inde patrem vestrum et cognationem, et venite ad me: et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. ¹⁹ Præcipe etiam ut tollant plaustra de terra Ægypti, ad subvectionem parvulorum suorum ac conjugum: et dicito: Tollite patrem vestrum, et properate quantocius venientes. ²⁰ Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra: quia omnes opes Ægypti vestræ erunt. ²¹ Feceruntque filii Israël ut eis mandatum fuerat. Quibus dedit Joseph plaustra, secundum Pharaonis imperium, et cibaria in itinere. ²² Singulis quoque proferri jussit binas stolas: Benjamin vero dedit trecentos

⁴45.7 *Misit me Deus*, etc. AUG. Quæst. in Gen., tom. 3 Quid est quod juxta alia exemplaria ita legitur: *Misit enim me Deus ante vos, remanere reliquias vestras super terram, et enutrire semen reliquiarum vestrarum magnum?* Hoc enim non usquequaque consonat, etc., usque ad *et sic omnis Israël salvus fiet*.

⁸45.10 *Habitabis in terra Gessen*, etc. HIERON. In Hebræo habetur *Gosen*. Unde error increvit quod terra Gessen in Arabia sit. Porro, sicut in nostris codicibus est, per extremum *m* scribitur Gessem, quod mihi nequaquam placet terram significare complutam. Gessem enim in *imbrem* vertitur, ubi et in plerisque Gessem reperitur.

^{**}45.16 *Et gavisus est Pharao*, etc. Hæc verba Pharaonis quæ ad Joseph de Jacob et filiis ejus locutus est, significant gaudia gentilis populi de conversione Judæorum. Magna enim devotio est Ecclesiæ gentium quod Isræliticus populus ad fidem veniat, quibus, si convertantur et fidei participes exstiterint, promittit spirituales opes virtutum, et gratiam Spiritus sancti, quam qui accipit, indigentia boni non laborabit.

argenteos cum quinque stolis optimis:†† 23 tantumdem pecuniæ et vestium mittens patri suo, addens et asinos decem, qui subveherent ex omnibus divitiis Ægypti, et totidem asinas, triticum in itinere, panesque portantes. 24 Dimisit ergo fratres suos, et proficiscentibus ait: Ne irascamini in via. 25 Qui ascendentes ex Ægypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Jacob. 26 Et nuntiaverunt ei, dicentes: Joseph filius tuus vivit: et ipse dominatur in omni terra Ægypti. Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis. 27 Illi e contra referebant omnem ordinem rei. Cumque vidisset plaustra et universa quæ miserat, revixit spiritus ejus, 28 et ait: Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit: vadam, et videbo illum antequam moriar.

46 Profectusque Israël cum omnibus quæ habebat, venit ad Puteum juramenti: et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, 2 audivit eum per visionem noctis vocantem se, et dicentem sibi: Jacob, Jacob. Cui respondit: Ecce adsum. 3 Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. 4 Ego descendam tecum illuc, et ego inde adducam te revertentem: Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos. 5 Surrexit autem Jacob a Puteo juramenti: tuleruntque eum filii cum parvulis et uxoribus suis in plaustris quæ miserat Pharao ad portandum senem, 6 et omnia quæ possederat in terra Chanaan: venitque in Ægyptum cum omni semine suo, 7 filii ejus, et nepotes, filiæ, et cuncta simul progenies. 8 Hæc sunt autem nomina filiorum Israël, qui ingressi sunt in Ægyptum, ipse cum liberis suis. Primogenitus Ruben. 9 Filii Ruben: Henoch et Phallu et Hesron et Charmi. 10 Filii Simeon: Jamuel et Jamin et Ahod, et Jachin et Sohar, et Saul filius Chanaanitidis. 11 Filii Levi: Gerson et Caath et Merari. 12 Filii Juda: Her et Onan et Sela et Phares et Zara; mortui sunt autem Her et Onan in terra Chanaan. Natique sunt filii Phares: Hesron et Hamul. 13 Filii Issachar: Thola et Phua et Job et Semron. 14 Filii Zabulon: Sared et Elon et Jafelel. 15 Hi filii Liæ quos genuit in Mesopotamia Syriæ cum Dina filia sua: omnes animæ filiorum ejus et filiarum, triginta tres. 16 Filii Gad: Sephion et Haggi et Suni et Esebon et Heri et Arodi et Areli.

††45.22 *Benjamin vero dedit*, etc. Trecenti argentei dantur Benjamin, quos a Christo accepit qui prædicat Trinitatem, vel Christi crucem. Unde Paulus ait I ad Corinth. 2: **Non judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum.** Quinque stolas accepit, id est sapientiam omnium sensuum. Præcellit ergo Paulus abundantia meritorum: sed et fratres, id est alii prædicatores, habent gratiam suam, id est binas stolas, ut confiteantur Christum Deum et hominem. Unde Prov. 31: **Omnes domestici ejus vestiti duplicibus,** id est mystica et morali intelligentia. Mittuntur et patri munera, et Christus promissis muneribus invitat populum suum. Munera portant asini, id est gentiles, inutiles et laboriosi: nunc autem portant utiles in typo Christi munera, in Evangelio munerum largitore. ISID. Expavit Jacob, id est plebs incredula: sed postquam gesta Christi cognovit, revixit spiritus ejus, et qui mortuus videbatur, fide resurrectionis Christi vivificatur. Vocatur ergo a filiis suis, id est, a Petro, Paulo et Joanne, populus Judæorum ad gratiam. Occurrit illi Judas, qui interpretatur **confessio**, quia præcedit confessio quos ante perfidia possidebat: et sic Joseph, id est Christus, occurrit, qui senem jam ætate suscipiat ultimo tempore populum Judæorum, non secundum merita, sed secundum electionem gratiæ, et imponat manum super oculos ejus, et cæcitatem auferat; quod distulit, ut postremus crederet, qui ante non putavit esse credendum. Unde ad Romanos undecimo capite: **Quia cæcitas ex parte in Israël facta est, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israël salvus fiet.**

¹⁷ Filii Aser: Jamne et Jesua et Jessui et Beria, Sara quoque soror eorum. Filii Beria: Heber et Melchiel. ¹⁸ Hi filii Zelfhæ, quam dedit Laban Liæ filiæ suæ: et hos genuit Jacob sedecim animas. ¹⁹ Filii Rachel uxoris Jacob: Joseph et Benjamin. ²⁰ Natique sunt Joseph filii in terra Ægypti, quos genuit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos: Manasses et Ephraim. ²¹ Filii Benjamin: Bela et Bechor et Asbel et Gera et Naaman et Echi et Ros et Mophim et Ophim et Ared. ²² Hi filii Rachel quos genuit Jacob: omnes animæ, quatuordecim. ²³ Filii Dan: Husim. ²⁴ Filii Nephthali: Jasiel et Guni et Jeser et Sallem. ²⁵ Hi filii Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ suæ: et hos genuit Jacob: omnes animæ, septem. ²⁶ Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, et egressæ sunt de femore illius, absque uxoris filiorum ejus, sexaginta sex. ²⁷ Filii autem Joseph, qui nati sunt ei in terra Ægypti, animæ duæ. Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta. ²⁸ Misit autem Judam ante se ad Joseph, ut nuntiaret ei, et occurreret in Gessen. ²⁹ Quo cum pervenisset, juncto Joseph curro suo, ascendit obviam patri suo ad eundem locum: vidensque eum, irruit super collum ejus, et inter amplexus flevit. ³⁰ Dixitque pater ad Joseph: Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo. ³¹ At ille locutus est ad fratres suos, et ad omnem domum patris sui: Ascendam, et nuntiabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei, et domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me: ³² et sunt viri pastores ovium, curamque habent alendorum gregum: pecora sua, et armenta, et omnia quæ habere potuerunt, adduxerunt secum. ³³ Cumque vocaverit vos, et dixerit: Quod est opus vestrum? ³⁴ respondebitis: Viri pastores sumus servi tui, ab infantia nostra usque in præsens, et nos et patres nostri. Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in terra Gessen: quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium.

47 Ingressus ergo Joseph nuntiavit Pharaoni, dicens: Pater meus et fratres, oves eorum et armenta, et cuncta quæ possident, venerunt de terra Chanaan: et ecce consistunt in terra Gessen. ² Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege: ³ quos ille interrogavit: Quid habetis operis? Responderunt: Pastores ovium sumus servi tui, et nos et patres nostri. ⁴ Ad peregrinandum in terra tua venimus: quoniam non est herba gregibus servorum tuorum, ingravescente fame in terra Chanaan: petimusque ut esse nos jubeas servos tuos in terra Gessen. ⁵ Dixit itaque rex ad Joseph: Pater tuus et fratres tui venerunt ad te. ⁶ Terra Ægypti in con-

‡‡46.26 *Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum*, etc. AUG. Videndum est quid respondeatur eis qui hoc testimonio confirmant a parentibus animas cum corporibus propagari: animas enim dictas pro hominibus, a parte totum figurata locutione, nullus ambigit. Sed quomodo ipsam partem, id est animam cuius nomine totus homo significatus est, alienamus ab eo quod dictum est, *exierunt de femoribus ejus*, ut carnes ex illo tantum natas quamvis solæ animæ nominentur accipiamus, quærendi sunt modi locutionum in Scripturis.

¶46.27 *Filii autem Joseph*, etc. HIERON. Quæst. Hebr., tom. 3 Omnes animæ domus Jacob, etc., usque ad licet plerique tradant Lucam, ut proselytum, Hebræas litteras ignorasse.

§§46.28 *Misit autem Judam*, etc. HIER., ibid. Judam vero misit ante se ad Joseph, etc., usque ad pagum Arsenoyten sic olim vocatum autumant.

*46.32 *Et sunt viri pastores*, etc. AUG. Q. in Gen., tom. 3 Commendatur in patriarchis, quod pecorum nutritores erant a pueritia sua, etc., usque ad in fine habituri ordinatissimam et sempiternam felicitatem.

spectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, et trade eis terram Gessen. Quod si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum. ⁷ Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad regem, et statuit eum coram eo: qui benedicens illi, ⁸ et interrogatus ab eo: Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? ⁹ respondit: Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt.† ¹⁰ Et benedicto rege, egressus est foras. ¹¹ Joseph vero patri et fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco, Ramesses, ut præceperat Pharao.‡ ¹² Et alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis.¶ ¹³ In toto enim orbe panis deerat, et oppresserat fames terram, maxime Ægypti et Chanaan. ¹⁴ E quibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, et intulit eam in ærarium regis. ¹⁵ Cumque defecisset emptoribus pretium, venit cuncta Ægyptus ad Joseph, dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te, deficiente pecunia? ¹⁶ Quibus ille respondit: Adducite pecora vestra, et dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis.§ ¹⁷ Quæ cum adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, et ovibus, et bobus, et asinis: sustentavitque eos illo anno pro commutatione pecorum. ¹⁸ Venerunt quoque anno secundo, et dixerunt ei: Non celabimus dominum nostrum quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt: nec clam te est, quod absque corporibus et terra nihil habeamus. ¹⁹ Cur ergo moriemur te vidente? et nos et terra nostra tui erimus: eme nos in servitutem regiam, et præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem. ²⁰ Emit igitur Joseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis

†47.9 *Dies peregrinationis*, etc. AUG. Q. in Gen., tom. 3 Quid est quod dicit Jacob Pharaoni, etc., usque ad non manent in domo in æternum.

‡47.11 *Joseph vero patri et fratribus suis Ramesse*. Quærendum est utrum terra Ramesses ipsa sit Gessen: hanc enim petierant, et Pharao præceperat dari. ISID. Allegorice. Tradidit Joseph patri et fratribus optimam terram Gessen, præbens eis cibaria, quia fames terram oppresserat: sic et Dominus parentibus, id est patriarchis et prophetis, ex quibus est secundum carnem, sive omnibus sanctis, de quibus in Evangelio dicit Matth. 2: *Hi sunt fratres mei, qui faciunt voluntatem Patris mei*, his dat terram optimam, de qua dicitur psal. 26: *Credo videre bona Domini in terra viventium*.

¶47.12 *Præbens cibaria, singulis*, etc. Metiebatur triticum patri suo Joseph, nec tamen eum pater quando vidit, nec quando triticum accepit, adoravit: quomodo ergo somnium impletum putamus, nisi majoris rei contineat prophetiam.

§47.16 *Adducite pecora vestra, et dabo vobis*, etc. Quæritur, eum Joseph frumenta colligeret, unde homines viverent, pecora unde vivebant, cum tanta fames invaluisset, et fratres Joseph Pharaoni dixerunt: *Non sunt pascua pecoribus puerorum tuorum*, etc. Si ergo ea fame pascua defecerant in terra Chanaan, cur in Ægypto non defecerant, cum eadem fames esset ubique? An, sicut perhibetur ab eis qui loca sciunt, in multis Ægypti paludibus poterant pascua non deesse, etiam cum fames esset frumentorum, quæ solent Nili inundatione provenire: dicuntur illæ paludes feracius pascua gignere, quando aqua Nili minus excrescit.

possessiones suas præ magnitudine famis. Subjecitque eam Pharaoni,^{** 21} et cunctos populos ejus a novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus,²² præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis: quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas.^{†† 23} Dixit ergo Joseph ad populos: En ut cernitis, et vos et terram vestram Pharao possidet: accipite semina, et serite agros,²⁴ ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabit: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, et in cibum familiis et liberis vestris.²⁵ Qui responderunt: Salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantum dominus noster, et læti serviemus regi.²⁶ Ex eo tempore usque in præsentem diem, in universa terra Ægypti regibus quinta pars solvitur, et factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.²⁷ Habitavit ergo Israël in Ægypto, id est, in terra Gessen, et possedit eam: auctusque est, et multiplicatus nimis.²⁸ Et vixit in ea decem et septem annis: factique sunt omnes dies vitæ illius, centum quadraginta septem annorum.²⁹ Cumque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocavit filium suum Joseph, et dixit ad eum: Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo: et facies mihi misericordiam et veritatem, ut non sepelias me in Ægypto:^{‡‡ 30} sed dormiam cum patribus meis, et auferas me de terra hac, condasque in sepulchro majorum meorum. Cui

^{**}47.20 *Emit igitur*, etc. Non injustitiæ vel iniquitatis arguitur Joseph, cum etiam fidelitas ejus inde commendetur, quia nullius personæ gratiam suscepit, sed juxta emptoris pretium æquo libramine repensavit. Mystice autem significat omnes qui in spiritali Ægypto sunt et ejus opes ambiunt, servos esse. Nullus est enim liber Ægyptius, qui carnalis est, et venundatus sub peccato: Pharaon enim eos subjecit; unde fortasse dicitur Exod. 20: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Ægypto, de domo servitutis*. Unde Rom. 6: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*. etc. Et ibidem: *Servi estis ejus cui obedistis, sive peccati in mortem, sive obeditionis ad justitiam*. Ægyptii autem violenter in servitum redacti sunt, Hebræi vero violenter in servitium. Vendiderunt autem Ægyptii semetipsos, nec dispensatoris culpa est, ubi digna repensantur pro meritis. Hoc et Paulus fecit, cum illum qui indignus numero sanctorum vel consortio fuit, Satanæ tradit I Cor. 5. Nemo ergo dicat Paulum durius egisse, qui hominem de Ecclesia ejecit, ut expulsus disceret non blasphemare: hominis enim voluntas est iniqua, cum amans terrena despicit cœlestia, et propter avaritiam se subjecit diabolo. Dei autem permissio est justa, cum eum qui spernens meliora, elegit pejora, dimittit arbitrio suo ut cadat. *Emit igitur*, etc. Allegorice emptio Joseph, qui frugibus emit terram Ægypti, significat Christum doctrina et sanguinis pretio redimere mundum. Quod autem dicit: *Accipite semina, et serite agros ut fruges habere possitis*, etc., semen est verbum Dei, agri corpora quæ vomere evangelico exarata, et semine spiritali seminata, fructum virtutum germinant. Quinta pars, quæ regi dabatur, quinque sensuum census, qui Christo regi solvendus. Quatuor reliquæ in sementem et cibos possessoribus permittuntur, quia actualis vitæ usus unicuique conceditur, ut seminet virtutum opera, et fructus justitiæ metat in vitam æternam, qui a Christo nobis tribuitur. Unde Joseph dicitur: *Salus nostra in manu tua est*, quia salus mundi in potestate Christi.

^{††}47.22 *Præter terram sacerdotum*, etc. Hoc significat, Ecclesiæ terram, in qua veri sunt sacerdotes, liberam esse a censu mundano, quæ verbo divino indesinenter pascitur, nec damnus panis spiritualis sustinebit.

^{‡‡}47.29 *Cumque appropinquare cerneret diem mortis suæ*, etc. AUG., Quæst. in Gen., tom. 3 Ea filium juratione constringit, etc., usque ad qui in baptismo apparuit fere trigésimo anno.

respondit Joseph: Ego faciam quod jussisti. ³¹ Et ille: Jura ergo, inquit, mihi. Quo jurante, adoravit Israël Deum, conversus ad lectuli caput. ^{¶¶}

48 His ita transactis, nuntiatum est Joseph quod ægrotaret pater suus: qui, assumptis duobus filiis Manasse et Ephraim, ire perrexit. ^{§§ 2} Dictumque est seni: Ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. ^{*} ³ Et ingresso ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan: benedixitque mihi, ⁴ et ait: Ego te augebo et multiplicabo, et faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, et semini tuo post te in possessionem sempiternam. ⁵ Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim et Manasses, sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi. [†] ⁶ Reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. ⁷ Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratque verum tempus: et ingrediebar Ephratam, et sepelivi eam juxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. [‡] ⁸ Videns autem filios ejus dixit ad eum: Qui sunt isti? ⁹ Respondit: Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, ut benedicam illis. ¹⁰ Oculi enim Israël caligabant præ nimia senectute, et clare videre non poterat. Applicitosque ad se, deosculatus et circumplexus eos, ¹¹ dixit ad filium suum: Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum.

^{¶¶}47.31 *Quo jurante.* AUG., ubi supra. Quod habent Latini codices, *Adoravit super caput virgæ ejus*, nonnulli emendatius habent: *Adoravit super caput virgæ suæ*, vel *in capite virgæ suæ*, vel *in cacumine*, vel super cacumen virgæ suæ. Et ideo merito quæritur quid sit quod dictum est, etc., usque ad ubi figura rei futuræ præsignabatur. HIERON. *Et adoravit Israël contra summitatem virgæ ejus.* Hoc etiam in loco quidam frustra simulant adorasse Jacob summitatem sceptri Joseph: quod scilicet honorans filium potestatem illius adoraverit, cum in Hebræo multo aliter legatur: *Et adoravit Israël ad caput lectuli*; quia postquam juravit ei filius, securus de petitione, adoravit Deum conversus ad caput lectuli. Sanctus enim vir et Deo deditus senectute oppressus, sic habebat lectulum positum, ut ipse jacentis habitus absque ulla difficultate ad orationem esset paratus.

^{§§}48.1 *His ita transactis assumptis duobus filiis Manasse et Ephraim.* HIERON. Et tulit duos filios secum, Manassen et Ephraim. Ex hoc apparet quod supra diximus, quia Joseph ad id locorum duos tantum filios habuit, Ephraim et Manassen. Si autem post multos annos moriente Jacob duos tantum duxit ad benedictionem, illo utique tempore cum filii ejus generare nequiverant, parvuli atque lactentes, in ingressu patris et fratrum, nepotes ex his habere non potuit.

^{*}48.2 *Qui confortatus,* etc. HIERON. Et confortatus Israël sedit super lectulum. Cur LXX idem verbum aliter atque aliter ediderint nescio, sed audacter dico quod idem verbum *mittha*, quod hic *lectulum* transtulerunt, supra ubi dixit adorasse Jacob, *virgam* nominaverunt.

[†]48.5 *Duo igitur filii qui nati,* etc. HIERON., Quæst in Gen. Patet quod septuaginta animæ ingressæ sunt in Ægyptum, etc., usque ad sed in tribus Ephraim et Manasse quasi appendices miscdebuntur.

[‡]48.7 *Mihi enim quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel et sepelivi eam,* etc. Joseph quasi nescienti indicat ubi et quando matrem sepelierit, forte propheticæ commemorans ibi sepultam esse matrem ejus, ubi erat Christus nasciturus.

¹²Cumque tulisset eos Joseph de gremio patris, adoravit pronus in terram.[¶] ¹³Et posuit Ephraim ad dexteram suam, id est, ad sinistram Israël: Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum. ¹⁴Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse qui major natu erat, commutans manus. ¹⁵Benedixitque Jacob filiis Joseph, et ait: Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham, et Isaac; Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem: ¹⁶angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac, et crescant in multitudinem super terram.[§] ¹⁷Videns autem Joseph quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit: et apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, et transferre super caput Manasse. ¹⁸Dixitque ad patrem: Non ita convenit, pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput ejus. ¹⁹Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio: et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur: sed frater ejus minor, major erit illo: et semen illius crescat in gentes. ²⁰Benedixitque eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israël, atque dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim, et sicut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassen. ²¹Et ait ad Joseph filium suum: En ego morior, et erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum. ²²Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo.^{**}

49 Vocavit autem Jacob filios suos, et ait eis: Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.^{††} ²[Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israël patrem vestrum: ³Ruben, primogenitus meus, tu fortitudo mea,

[¶]48.12 *Cumque tulisset eos Joseph de gremio patris*, etc. ISID. in Gen., tom. 5 Sicut factum est in Esau et Jacob, dicente Domino: **Major serviet minori**, ita et in filiis Joseph, etc., usque ad et juniorem de sinistro dextrum.

[§]48.16 *Invocetur super eos nomen meum*. AUG. Notandum ex hoc loco non solum exauditionem, sed invocationem etiam dici, quæ non Dei, sed hominum sunt.

^{**}48.22 *Do tibi partem unam*, etc. HIERON. in Gen., tom. 3 **Ego dedi tibi Sichimam præcipuam super fratres tuos, quam accepi de manibus Amorrhæorum in gladio meo et sagitta**. Sichima juxta Græcam et Latinam consuetudinem declinata est, etc., usque ad et Mausoleum ejus ibi usque hodie cernitur. AUG. Quod Sichimam dicit Jacob præcipuam se dare filio suo Joseph, et addidit quod possederit eam in gladio et arcu, quæritur quomodo ad litteram conveniat Gen. 34. Emit enim centum agnis possessionem illam, non cepit jure belli. An quia Salem civitatem Sichimorum filii ejus expugnaverant, et jure belli potuit ejus fieri, ut justum bellum cum eis videatur, qui priores fecerunt injuriam, contaminando ejus filiam? Cur ergo non dedit eam majoribus filiis suis, qui hoc fecerunt? Deinde si modo de victoria glorians dat eam Joseph, cur ei tunc displicuerunt filii qui hoc commiserunt? Cur denique cum eos benediceret, id exprobrando memoravit? Latet ergo hic propheticum sacramentum, quia Joseph quadam præcipua significatione Christum significavit: et ei datur illa terra ubi obruit Jacob deos alienos Gen. 35, ut Christus intelligatur possessurus gentes diis patrum suorum renuntiantes et in Christum credentes.

^{††}49.1 ALBIN. In benedictionibus Jacob historia tenenda, et allegoria investiganda: historia de divisione terræ promissionis, allegoria de Christo et Ecclesia, quæ in novissimis temporibus revelanda; prius tamen historiæ fundamenta sunt jacienda.

et principium doloris mei; prior in donis, major in imperio.‡‡ 4 Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus. 5 Simeon et Levi fratres vasa iniquitatis bellantia.¶¶ 6 In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. 7 Maledictus furor eorum, quia pertinax: et indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israël. 8 Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui.‡‡ 9 Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, et quasi læna: quis suscitabit eum? * 10 Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.† 11 Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam, lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvæ pallium suum.‡ 12 Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores.¶ 13 Zabulon in littore maris habit-

‡‡49.3 *Ruben primogenitus meus*, etc. HIERON., Quæst. in Gen. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea*, et principium filiorum meorum, etc., usque ad primogeniti ordinem perdidisti.

¶¶49.5 *Simeon et Levi*, etc. HIERON., ubi supra. LXX: *Simeon et Levi fratres consummaverunt iniquitatem adinventionis suæ*, etc., usque ad *in consilium eorum non veniat anima mea*.

‡‡49.8 *Juda, te laudabunt*, etc. HIERON., ubi supra. Quia *Juda confessio* vel *laus* interpretatur, etc., usque ad juxta eumdem sensum aliis verbis Ecclesia monstratur, de qua dicitur Matth. 5: *Non potest civitas abscondi super montem posita*.

*49.9 *Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo*, etc. ISID. Vel catulus leonis in somno requievit, quia non necessitate, sed potestate. Unde: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et nemo tollit eam a me, sed ego pono eam Joan. 10*. Quod vero addit, *et ut catulus leonis*, inde enim mortuus unde natus. Aiunt physici quod catulus leonis, cum fuerit natus, tribus diebus dormit et tribus noctibus. Deinde patris fremitu tremefactus cubilis locus excitat dormientem: Christus quoque in cubili sepulcri tribus noctibus jacens, somnium mortis implevit. Bene ergo Christus ut leo requievit, qui non solum mortis acerbitatem, sed et imperium vicit, et ut catulus leonis, quia die tertia resurrexit. Unde additur. *Quis suscitabit eum?* etc. Nullus, subaudi, nisi ipse qui ait Joan. 2: *Solvite templum hoc et in triduo resuscitabo illud*.

†49.10 *Non auferetur sceptrum de Juda*, etc. Tandiu enim ex semine Judæ reges apud Judæos fuerunt, donec Christus ex Virgine nasceretur. Primus enim in gente Judæorum rex alienigena fuit. Herodes, quando jam Christus natus est. Qui ergo negat venisse Christum, ostendat regem de tribu Juda in gente Judæorum.

‡49.11 *Ligans ad vineam pullum suum*, etc. Gentes quas sibi subjunxit. Unde Ezech. 18: *Vivo ego, dicit Dominus, nisi hos homines induam sicut vestimentum*. Nos enim Christus in sanguine uvæ mundavit quando sicut botrus in ligno crucis pependit, et ex latere ejus aqua in ablutionem, et sanguis exivit in redemptionem.

¶49.12 *Pulchriores oculi*, etc. ISID. Quia doctrina eorum austeritatem veteris legis exsuperat, et evangelica præcepta clariora sunt quam legis mandata. *Lacte*, id est doctrina legis, quæ carnalem populum vel parvulum lacte alebat: sed *candidiores*, Ecclesiæ doctores, qui fortem et validum verbi cibum manducant, et distribuunt. Unde Hebr. 5: *Perfactorum est solidus cibus*, qui bene *candidiores lacte* dicuntur, quia candidi, puri et ab omni macula liberi.

abit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem.[§] 14 Issachar asinus fortis accubans inter terminos.^{**} 15 Vidit requiem, quod esset bona et terram, quod optima: et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens. 16 Dan iudicabit populum suum sicut et alia tribus in Israël.^{††} 17 Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. 18 Salutare tuum expectabo, Domine. 19 Gad, accinctus præliabatur ante eum: et ipse accingetur retrorsum.^{‡‡} 20 Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus. 21 Nephthali, cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis.^{¶¶} 22 Filius accrescens Joseph, filius accrescens et decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum.^{§§} 23 Sed exasperaverunt eum et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. 24 Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius per manus potentis Jacob: inde pastor egressus est, lapis Israël. 25 Deus patris tui erit adjutor tuus, et omnipotens benedicit tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ. 26 Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æterno-

§49.13 *Zabulon in littore*, etc. Ut credentibus refugium et periclitantibus demonstraret fidei portum. Contra omnes terminos sæculi solidata exspectat naufragium Judæorum et procellas hæreticorum: qui circumferuntur omni vento doctrinæ, inde etiam apostoli aliqui assumpti: ibi sæpe Dominus docuit. Pertingit autem usque ad Sidonem, id est, usque ad gentes pervenit. Unde Isa. 9: *Terra Zabulon, et terra Nephthali, via maris trans Jordanem*, etc. Sidon, *venatio*: et ex eis locis sumpti sunt venatores, de quibus dicitur Jer. 16: *Mittam venatores multos, et venabuntur vos in omni monte*.

**49.14 *Issachar*. HIERON. Quæst. Hebr. Bonum desideravit requiescens inter medios clericos, etc., usque ad et ideo ei omnes tribus serviant, quasi magistro dona portantes. *Accubans inter terminos*, etc. Accubare, est exspectato mundi fine quiescere, nihilque de mundanis quærere, sed ultima desiderare. Fortis asinus requiem vidit, et terram optimam: cum simplex gentilitas ad robur operis se erexit, quia ad vitæ patriam tendit.

††49.16 *Dan iudicabit populum suum*, etc. ISID. in Gen., tom. 5 Alii per hæc verba putant prædici Antichristum de tribu Dan futurum, etc., usque ad et post beneficia fictæ dulcedinis exercet cornua potestatis. *Dan iudicabit populum suum sicut unum de sceptris Israël. Fiat Dan coluber in via, regulus in semita, mordens ungulas equi, et cadat ascensor ejus retrorsum. Salvatorem tuum exspectabo, Domine*. HIERON., ubi supra. Samson iudex Israël de tribu Dan fuit, etc., usque ad et ipse erit exspectatio gentium.

‡‡49.19 *Gad*. HIERON. Latrunculus latrocinabitur ante eum, etc., usque ad et victis hostibus fortiter dimicavit. *Gad accinctus præliabitur ante eum*. ISID. Christus ante et retro præliabitur contra Antichristum: ante, oculo adventu humilitatis; post, manifestata gloria majestatis. Unde Moyses Deut. 33: *Benedictus in latitudine Gad, quasi leo requievit: cepitque brachium et verticem, et vidit principatum suum*. Christus enim in sepulcro quievit, verticem et superbiam excelsorum humiliavit, et ei datus est principatus, et honor, et regnum.

¶¶49.21 *Nephthali*. HIERON. Allegorice. Virgultum dissolutum, dans nationi pulchritudinem, etc., usque ad quia ibi vel maxime docuit, ut in Evangelio quoque scriptum est. *Nephthali cervus emissus*, etc. ISID. Apostoli enim et prædicatores, velociter exsistentes, sicut cervi, transcendunt impedimenta sæculi, et excelsa meditantem, dant eloquia pulchritudinis, id est prædicant doctrinam Salvatoris.

§§49.22 *Filius accrescens Joseph*, etc. HIERON., ubi supra. *Filius accrescens super fontem*, etc., usque ad imperans quoque decem tribubus Israël.

rum: fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos. ²⁷ Benjamin lupus rapax, mane comedat prædam, et vespere dividet spolia.] ^{*} ²⁸ Omnes hi in tribubus Israëli duodecim: hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis benedictionibus propriis. [†] ²⁹ Et præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum: sepeliteme cum patribus meis in spelunca duplici quæ est in agro Ephron Hethæi, ³⁰ contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri. ³¹ Ibi sepelierunt eum, et Saram uxorem ejus: ibi sepultus est Isaac cum Rebecca conjugæ suæ: ibi et Lia condita jacet. ³² Finitisque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et obiit: appositusque est ad populum suum. [‡]

^{*}49.27 *Benjamin lupus rapax*, etc. HIERON., ibid. **Mane comedet prædam et ad vesperam dividet escam.** Quanquam de Paulo manifestissime prophetia sit, quod in adolescentia sua persecutus Ecclesiam, in senectute prædicator Evangelii fuerit, etc., usque ad super sacerdotibus qui, servientes altari, vivant de altari I Cor. 9. **Benjamin lupus rapax**, etc. ISID. Quidam doctorum hoc ad Hierusalem retulit, etc., usque ad tunc dividet escam, intelligens a spiritu litteram esse dividendam, quia **littera occidit, spiritus autem vivificat II Cor. 3.**

[†]49.28 *Omnes hi in tribubus*, etc. Quæritur cur Jacob omnes quos de liberis et ancillis genuit, æquali honore filios et hæredes constituerit? quia sicut Christus omnibus qui per fidem corpori ejus conciliantur, pari honore et gloria cœlestia præmia largitur. **Non est enim ibi discretio an Judæus sit an Græcus, Barbarus an Scythæ, servus an liber: quia per omnia et in omnibus** Christus, qui formam servi induit, et pro libero et pro servo servivit, ut omnibus æquale donum largiatur. Quicumque enim fidem Domini promeretur, nullis maculis carnalis natiuitatis offuscatur. Unde Joel. 2: **Effundam de spiritu meo super omnem carnem.**

[‡]49.32 *Appositusque*, etc. STRAB. Quærendum de quo populo dicatur? Nam de patribus nulla quæstio est. Notum est enim quod ad Abraham et Isaac appositus est, sed populus multitudo est. Illi autem tam pauci non poterant populus dici. Intelligendum ergo hoc etiam de angelis dici, ad quorum societatem, de mundo transeuntes, apponuntur sancti. Unde Hebr. 12: **Accessistis ad montem Sion, et ad Hierusalem cœlestem, et ad frequentiam angelorum,** etc.

50 Quod cernens Joseph, ruit super faciem patris, flens et deosculans eum.¹
²Præcepitque servis suis medicis ut aromatibus condirent patrem. ³Quibus
jussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadaverum con-
ditorum: flevitque eum Ægyptus septuaginta diebus. ⁴Et expleto planctus tempore,
locutus est Joseph ad familiam Pharaonis: Si inveni gratiam in conspectu vestro,

¹50.1 *Quod cernens Joseph, ruit transierunt quadraginta dies.* STRAB. Qui numerus pœnitentiæ et humilitati convenit. Unde in lege et in Evangelio a prophetis et ab ipso Domino observatus est. AUG. Quadraginta dies sepulturæ, quos memorat Scriptura, forte pœnitentiam significant, qua sepeliuntur peccata. Non enim frustra quadraginta dies jejuniorum sunt constituti, quibus Moyses, et Elias, et ipse Dominus jejunavit, et Ecclesia præcipuam observationem jejuniorum Quadragesimam vocat. Unde et apud Jonam de Ninivitis scriptum est: **Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur** Jon. 3, ut per tot dies, accommodatos scilicet humiliationi pœnitentium, intelligantur in jejuniis sua flevisse peccata, et impetrasse misericordiam. Nec tantum luctui pœnitentium hic numerus convenit. Quadraginta enim dies post resurrectionem fuit Dominus cum discipulis suis intrans et exiens, manducans et bibens, qui dies lætitiæ fuerunt. Nec septuaginta Interpretes errasse credendi sunt qui dixerunt: **Triduum, et Ninive subvertetur**: majore enim auctoritate præditi quam interpretum officium est, prophético spiritu quo etiam ore uno in suis interpretationibus, quod magnum miraculum fuit, consontuisse firmantur **triduum**, posuerunt, quamvis non ignorarent quod **quadraginta dies** in Hebræo legerentur; ut in Christi clarificatione intelligerentur dissolvi et aboleri peccata, **qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram**. Clarificatio autem Domini in resurrectione et ascensione cognoscitur. Unde hic quamvis unum et eundem spiritum dedit: primo postquam resurrexit, secundo postquam ascendit; et quia post triduum resurrexit, post quadraginta autem dies ascendit: unum horum, quod posterius factum est, per numerum quadraginta dierum Hebræi significant; alterum vero de triduo, quod ad eandem rem pertinet, Septuaginta memorant, non interpretationis servitute, sed prophetiæ auctoritate. Non ergo dicamus unum horum falsum esse, et pro aliis interpretibus contra alios litigemus; cum illi qui ex Hebræo interpretantur, probent scriptum esse quod interpretantur; et Septuaginta auctoritas, quæ tanto divinitus facto miraculo commendatur, tanta in Ecclesiis veltustate firmetur. **Septuaginta diebus.** STRAB. Ethnici novem diebus mortuos suos flebant. Unde et novendialis nona dies vocabatur, quando sepeliebantur. Dei cultores septem diebus exsequias celebrabant. Unde Eccli. 22: **Luctus mortui septem dies: luctus autem fatui omne tempus vitæ ejus.** Septenarius enim requiem significat. Unde septima dies sabbatum, id est **requies** dicitur. Celebrant ergo septimam diem mortuorum, optantes illos cum Domino requiescere a laboribus præsentis vitæ. Hinc ergo dicitur: **Flevit eum Ægyptus septuaginta diebus**, qui est decuplatus septenarius. Septies enim deni, septuaginta sunt. Potest etiam dici quia sicut tertia dies mortui agitur a fidelibus, ut anima, quæ est triplicis naturæ, requiescat; ita septimus dies celebratur, ut anima corpori reconcilietur, quæ carne illicente peccavit. In septenario etiam tria sunt et quatuor; ternarius pertinet ad animam, quæ irascibilis, et concupiscibilis, et rationalis est; quaternarius ad corpus, qui quatuor constat elementis.

loquimini in auribus Pharaonis:⁵ eo quod pater meus adjuraverit me dicens: En morior: in sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur, et sepeliam patrem meum, ac revertar.⁶ Dixitque ei Pharao: Ascende, et sepeli patrem tuum sicut adjuratus es.⁷ Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique majores natu terræ Ægypti:⁸ domus Joseph cum fratribus suis, absque parvulis, et gregibus atque armentis, quæ dereliquerant in terra Gessen.⁹ Habuit quoque in comitatu currus et equites: et facta est turba non modica.¹⁰ Veneruntque ad Aream Atad, quæ sita est trans Jordanem: ubi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleverunt septem dies.^{** 11} Quod cum vidissent habitatores terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus est iste Ægyptiis. Et idcirco vocatum est nomen loci illius, Planctus Ægypti.¹² Fecerunt ergo filii Jacob sicut præceperat eis:¹³ et portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo, contra faciem Mambre.¹⁴ Reversusque est Joseph in Ægyptum cum fratribus suis, et omni comitatu, sepulto patre.¹⁵ Quo mortuo, timentes fratres ejus, et mutuo colloquentes: Ne forte memor sit injuriæ quam passus est, et reddat nobis omne malum quod fecimus,¹⁶ mandaverunt ei dicentes: Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur,¹⁷ ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te: nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Joseph.¹⁸ Veneruntque ad eum fratres sui: et proni adorantes in terram, dixerunt: Servi tui sumus.¹⁹ Quibus ille respondit: Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?²⁰ Vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos.²¹ Nolite timere: ego pascam vos et parvulos vestros: consolatusque est eos, et blande ac leniter est locutus.²² Et habitavit in Ægypto cum omni domo patris sui: vixitque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir

§50.4 *Et expleto planctus tempore,* etc. AUG. Quod mandavit Joseph potentibus Ægypti, ut dicerent Pharaoni nomine ejus: *Pater meus adjuravit me dicens: In monumento quod ego feci mihi in terra Chanaan, ibi me sepelies;* quæritur quomodo verum sit, cum hæc verba patris ejus, cum de sepultura mandaret, non legantur. Sed ad sententiam verba sunt referenda, sicut supra alia similiter iterata. Voluntati enim enuntiandæ et in notitiam perferendæ, oportet verba servire. Fodisse autem sibi Jacob sepulcrum nusquam superius legitur, sed certe, nisi fodisset, non modo diceretur.

**50.10 *Veneruntque ad aream Atad,* etc. Hic locus trans Jordanem est, et distat ab Hebron septuaginta passuum millibus. Prætergressi sunt ergo locum in quo debebant sepelire eum, et postea transito Jordane redierunt ad locum duplicis speluncæ. Unde quæri potest quare hoc fecerint. Si dicit aliquis quia bella timebant, sicut filii Israël circumducti per desertum quadraginta annis, donec transmissio Jordane venerunt ad terram promissionis. Sed majoris significantiæ causa factum est hoc. In loco enim quæ area Arad dicitur, postea multitudo filiorum Israël murmurans contra Dominum, divino igne consumpta est. Tanto ergo luctu non tam mors Jacob, quam ruina populi futura lugebatur.

fili Manasse nati sunt in genibus Joseph.†† 23 Quibus transactis, locutus est fratribus suis: Post mortem meam Deus visitabit vos, et ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam juravit Abraham, Isaac et Jacob. 24 Cumque adjurasset eos atque dixisset: Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto:‡‡ 25 mortuus est, expletis centum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto.¶¶

††50.22 *Vixitque centum decem annis.* AUG., in Gen., tom. 3 Cum hos filios filiorum vel nepotes filiorum dicat Scriptura Joseph vivendo vidisse, quomodo jungit eos sexaginta quinque animabus cum quibus Jacob Ægyptum dicit intrasse, etc., usque ad quæ illo vivo propagabatur, per quem factum est ut ingrederetur.

‡‡50.24 *Asportate ossa,* etc. STRAB. Joseph, sicut pater ejus, terram promissionis tota mente desiderabat, et incolatum Ægypti detestabatur. Nos quosque moraliter instruit, ut quandiu sumus in hoc mundo, terram promissionis, id est viventium, semper desideremus, et ibi requiescere optemus: quod bene fit, si numerum annorum Joseph moribus imitemur. Centum enim et decem vitæ annis expletis mortuus est: nos quoque studeamus per decalogi observantiam ad æternam beatitudinem quam centenarius significat, pervenire.

¶¶50.25 *Conditus aromatibus.* STRAB. Felix est anima quæ, aromatibus virtutum condita in loculo corporis degens, quotidie proficiendo perenni vitæ reservatur. Siquidem in fide, spe et charitate custodita fuerit, per gratiam Christi pervenire merebitur ad speciem divinæ contemplationis, cujus adoptio perfecta est lætitia; unde psal. 15: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.*

INCIPIT LIBER ELLESMOTH ID EST EXODUS

1 Hæc sunt nomina filiorum Israël qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob: singuli cum domibus suis introierunt:§§ ²Ruben, Simeon, Levi, Judas, ³Issachar, Zabulon et Benjamin, ⁴Dan et Nephthali, Gad et Aser. ⁵Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta: Joseph autem in Ægypto erat.* ⁶Quo mortuo, et universis fratribus ejus, omnique cognatione illa,† ⁷filii Israël creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleverunt ter-

§§1.1 **Prothemata** Hebraice VEELLE SEMOTH id est, HÆC SUNT NOMINA; Græce id est, EXITUS.RAB. In Pentateucho excellit Exodus, in quo pene omnia sacramenta quibus Ecclesia instruitur, figuraliter exprimuntur. Per corporalem enim exitum filiorum Israël de Ægypto corporalis noster exitus de Ægypto spirituali signatur. Per mare Rubrum, et Pharaonis submersionem atque Ægyptiorum, baptismi mysterium et spiritualium hostium interitus. Per typici agni immolationem, et Hebræorum liberationum, veri Agni passio et nostra redemptio. De cælo datur manna, et aqua de petra. **Hic est panis qui de cælo descendit** Joan. 6. et doctrina Christi. In monte dantur præcepta atque judicia populo Dei, ut supernis subjiciamur disciplinis. Tabernaculum, et vasa ejus construuntur, cultus et sacrificia imperantur, quibus Ecclesiæ ornatus et spiritualia sacrificia significantur. Mystica unctio et thymiamata conficiuntur, quibus sanctificatio spiritus et orationis odoramenta commendantur. Hinc Paulus ait: **Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritualem biberunt**, etc. I Cor. 10. Hinc quoque Joannes: **Facta sunt hæc, inquit, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo** Joan. 19.. BED. **Veelle Semoth** Græce: exodus, exitus vel egressus Latine.

*1.5 **Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta**, etc. Septuaginta animæ, id est, septuaginta discipuli, cum Jacob, id est, Christo, ingrediuntur in Ægyptum, id est, mundum, missi scilicet ad prædicandum. Aliter, septuaginta animæ Ægyptum ingressæ, mystice in numero remissionis accipiuntur, ut huic scilicet sæculo, quod per Ægyptum figuratur, post tanta peccata detur remissio peccatorum.

†1.6 **Quo mortuo**, etc. ISID. in Exod. Sic postquam verus Joseph pro omnibus gustavit mortem, et destruxit eum qui mortis imperium habebat, multiplicatus est populus fidelium. Nisi enim in terra granum mortuum fuisset, solum mansisset. ORIG., hom. 1, in Exod. Si moriatur in te Joseph, id est, mortificationem Christi in te suscipias, et mortifices membra tua peccato, multiplicantur in te filii Israël, sensus scilicet boni et spirituales. Si enim sensus carnis mortificentur, sensus animæ crescunt, et morientibus in te vitiis, virtutes augentur, et terra et multiplicat in operibus bonis, quæ per officium corporis ministrantur. Paulum multiplicaverat terra, qui dicebat: **Permanere autem in carne magis necessarium est propter vos**. Dum enim manet in terra, id est in carne sua, multiplicatur credendo Ecclesia, acquirendo populum Deo, et ab Hierusalem usque ad Illyricum Evangelium prædicando.

ram. ⁸Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph. ⁹Et ait ad populum suum: Ecce, populus filiorum Israël multus, et fortior nobis est. ¹⁰Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur: et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra. ¹¹Præposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus: ædificaveruntque

[†]1.8 *Surrexit interea rex novus super Ægyptum*, etc. ORIG. Allegorice. Hic est diabolus, qui *dixit in corde suo: Non est Deus*; qui genti suæ, id est apostatis angelis, dicit: *Ecce populus filiorum Israël*, eorum scilicet qui possunt mente Deum videre, potentior est nobis: *Venite, opprimamus eum sapienter*. Sentit diabolus quia magnus sit populus Israël, et fortior ipso, quia sæpe congressus est, sæpe superatur. Scit Jacob luctatum esse, et adiutorio angeli obtinuisse contra adversarium, et invaluisse cum Deo. Aliorum quoque sanctorum luctas sensit, spiritualia certamina pertulit: timet ne quando eveniat bellum, et consentiant adversariis ejus, et divictis eis [devicto eo] discedant de terra sua. Videtur mihi ex his quæ patriarchis et prophetis de adventu Christi indicata fuerant, quia sentit venturum qui exuat principatus ejus et potestates, cum fiducia triumphet eos et affligat in ligno crucis. RAB. in Exod., tom. 2. In Chronicis Eusebii et Hieronymi legimus, etc., usque ad et in mari Rubro periit, multi Pharaones fuerunt. ORIG. homil. 1. Moraliter. Primum requirere volo quis est rex in Ægypto qui scit Joseph, et qui nescit. Dum enim ille regnaret qui sciebat Joseph, non dicuntur afflictii filii Israël, neque in luto et latere consumpti; neque masculi eorum necati, et feminae vivificatæ; sed cum cœpit regnare, qui non noverat Joseph. Si Dominus regit nos, et sensus mentis vel animæ nostræ illuminatur a Deo, memorans Christum resurrexisse a mortuis, in Ægypto, id est in carne nostra, spiritus noster regnum cum justitia tenet, et filios Israël, id est sensus rationabiles vel virtutes, in luto et latere non consumit, nec curis terrenis atterit. Si horum memoriam sensus noster perdiderit, Christum nescierit: tunc sapientia carnis, quæ est inimica Deo, succedit in regnum; alloquitur gentem suam, id est corporeas voluptates, et vitiorum ducibus ad consilium vocatis, deliberat contra filios Israël, quomodo circumveniantur, opprimantur luto, et latere affligantur; mares exponant, feminas alant, ædificent civitates Ægyptii et civitates munitas. Nec putandum est divinos libros Ægyptiorum gesta narrare sine causa: sed quæ *scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt* Rom. 15., ut qui hæc audis, si forsitan baptizatus es et annumeratus inter filios Israël, et suscepisti in te Dominum regem, et post hæc volueris declinare et opera sæculi agere, actus terræ et lutea explere ministeria: scias quia surrexit in te rex alius, qui nescit Joseph, rex Ægypti; ipse te cogit ad opera sua, et laterem operari et lutum; ipse, superappositis magistris et compulsoribus, ad opera terrena flagellis agit, ut ædifices illi civitates; per sæculum discurrere facit maris, et terræ elementa pro cupiditate turbare: forum litibus pulsare et pro exiguo terræ cespite propinquos jurgiis fatigare; castitati insidiari, decipere innocentiam, domi fœda, foris crudelia, intra concientiam flagitiosa committere; in hujusmodi scito te regi Ægypti militare, quod est mundi hujus spiritu agi.

urbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom et Ramesses.^{¶ 12} Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, et crescebant: ¹³ oderantque filios Israël Ægyptii, et affligebant illudentes eis, ¹⁴ atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur. ¹⁵ Dixit autem rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, quarum una vo-

[¶]1.11 *Præposuit itaque eis*, etc. ORIG. Diabolus, convocata gente sua, opprimere cupit rationabilem sensum, qui nunc figuraliter dicitur Israël: præficit magistros operum, qui cogant eos discere opera carnis, secundum illud psalmi CV: **Commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum.** Docet ædificare civitates Pharaoni. Phitom, quæ significat **os defectionis**, vel **abyssi**; et Ramesses, quæ est **commotio tineæ**, et On, id est Heliopolis, quæ dicitur civitas solis. Deficit os, cum mendacium loquitur a veritate et probationibus. Ille ab initio mendax fuit, et ideo tales civitates vult sibi ædificari: **os abyssi**, quia abyssus perditionis ejus est locus; alia ejus civitas est **commotio tineæ**: qui enim eum sequitur, ibi thesaurizat ubi tinea demolitur, et fures effodiunt et furantur Matth. 6.. Civitatem quoque Solis ædificat, falso nomine **transfigurans sein angelum lucis**. In his occupat mentes, quæ factæ sunt ut videant Deum. Prospicit tamen imminere sibi bella et maturum gentis suæ exitium; ideo dicit, Gens Israël valet super nos, utinam et nos sentiat valere super se: ut scilicet cogitationes, et concupiscentias malas, quas immittit, non suscipiam sed jacula ignita scuto fidei repellam, et in omnibus quæ suggererit, dicam: **Vade retro, Satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies** Matth. 4.. Sed et hoc quod dicit, Ne forte accidat nobis bellum, et consentiant hi cum adversariis nostris, ex propheticis vocibus prævidet sibi venturum bellum, et derelinquendum se a filiis Israël, et quod consentiant adversario ejus, et adjiciantur ad Dominum. Hoc est quod Jeremias ait cap. 17.. **Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit, fecit divitias, et non in iudicio: in dimidio dierum ejus derelinquent eum, et in novissimis suis erit stultus.** Intelligit ergo perdicem se, quæ non peperit, congregasse; et quod hi, quos sine iudicio congregavit, relinquent eum, et sequentur Christum, qui genuit. Ipse stultus remanebit, cum ad factorem suum et parentem universa creatura confugerit; ideo indignatur, dicens: Ne expugnantes nos exeant de terra nostra. Non vult nos exire de terra sua, ut semper portemus imaginem terreni: ne eo relicto fugiamus ad eum qui præparavit regnum cælorum, relinquentes imaginem terreni, et suscipientes imaginem cælestis. Ideo statuit magistros operum, qui artes suas doceant, et nos artifices malitiæ faciant. Et quia sunt multi magistri malitiæ, quos præfecit Pharaon, qui imperant, exigunt, extorquent terrena opera: ideo Christo veniente fecit alios doctores contra illos pugnantes, qui subjicientes omnes principatus eorum, et potestates, et virtutes, defendant a violentia filios Israël, et doceant Israëlita opera, et mente videre Deum; relinquere opera Pharaonis, exire de terra Ægypti, Ægyptios mores et totum veterem hominem cum actibus suis exuere, et induere novum, qui secundum Deum creatus est. ISID. Israël populum Christianum, Pharaon diabolum significat: qui luti et lateris imponit gravissimum jugum, servitutem scilicet terreni et lutulenti operis; admistis paleis, id est, levibus et irrationabilibus factis: ut omnibus onere peccatorum oppressis, nemo sit qui regnum ejus disperdat aut vincat.

cabatur Sephora, altera Phua,^{§ 16} præcipiens eis: Quando obstetricabitis Hebræas, et partus tempus advenerit: si masculus fuerit, interficite eum: si femina, reser-

§1.15 *Dixit autem rex Ægypti obstetricibus*, etc. ORIG., hom. 2. Hæc non solum in mundo, qui Ægyptus spiritualiter dicitur, sed in unoquoque nostrum deprehendimus: princeps hujus mundi non vult vivificari masculos, sed feminas; in femina caro et affectus carnis designatur: vir autem rationabilis est sensus, et intellectualis est spiritus, qui potest cœlestia capere, Deum intelligere, quæ sursum sunt quærere. Hunc odit princeps Ægypti et necari cupit; cupit autem quæ carnis sunt, vivere, et quæ ad materiam pertinent corporalem, hæc non solum vivere, sed augeri et excoli: vult enim ut omnes carnalia sapiant, temporalia et quæ sunt super terram quærant; nemo levet ad cœlum oculos; nemo requirat unde huc venerit; nemo patriam paradisum recordetur. Cum ergo videris homines in voluptatibus vitam ducere, luxu fluitare, conviviis et impudicitii operam dare, scito quia in his rex Ægypti masculos necat, et vivificat feminas. Si vero unum de mille ad Deum converti, oculos sursum erigere, æterna quærere, odisse delicias et luxuriam, amare continentiam: istum quasi masculum necari cupit Pharaos, persequitur, mille machinis oppugnat; odit tales, vivere in Ægypto non sinit. Inde est quod in hoc mundo servi Dei habentur contemptui, expositi contumeliis; inde in eos odia et persecutiones concitantur. *Obstetricibus*. ORIG., ibid. Iste etiam obstetrices corrumpere nititur. *Quarum una vocabatur Sephora*, id est, *passer*; *altera Phua*, scilicet *rubens* vel *verecunda*; per has necari mares et vivificari feminas quærunt: sed et timebant obstetrices Deum, et non sicut præcepit eis, fecerunt. Obstetrices docuerunt ante nos quamdam rationabilis eruditionis formam tenere. Obstetrices enim medicæ sunt, et tam masculos nascentes quam feminas fovent. Eruditio ergo communis est rationabilis scientia, et ad omnem pene pervenit sensum, omnes instruit et fovet. Si quis in ea virilis animi fuerit, qui velit cœlestia quærere, divina sectari, velut medicatus et fortis, per has eruditiones ad divorum intelligentiam paratior veniret. Est enim una, velut *passer*, quæ celsiora docet, et rationabilis doctrinæ pennis in altum provocat; *altera, rubens* vel *verecunda*, moralis est, mores componit, verecundiam docet et honestatem. Mihi tamen quia dicit Scriptura de his quod timuerunt Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti videntur utriusque Testamenti figuram servare, et Sephora, quæ *passer* interpretatur, legi, quæ spiritualis est, convenire: Phua vero, quæ *rubens* vel *verecunda*, indicare Evangelia, quæ Christi sanguine rubent, et per universum mundum passionis cruore rutilant. Ab his ergo animæ quæ nascuntur in Ecclesia, velut obstetricibus medicantur, quia de Scripturis cuncta eruditionis medicamina conferuntur. Tentat tamen Pharaos per has necare masculos, cum studiosis in divinis Scripturis hæreses et prava dogmata suggerit. Sed stat immobile fundamentum Dei. Timent enim obstetrices Deum, id est, timorem Dei docent, qui est initium sapientiæ. Sic competentius aptatur quod sequitur, quia timebant obstetrices Deum, fecerunt sibi domos. Quod secundum litteram, nullam consequentiam habet: non enim propterea domus fit, quia timetur Deus. Si autem videas quomodo Scripturæ Novi et Veteris Testamenti timorem Dei docentes domos Ecclesiæ faciant, et totum orbem domibus orationis impleant, rationabiliter scriptum videbitur. Sic ergo istæ obstetrices, quia timent Deum, id est, timorem Dei docent, non faciunt præceptum regis Ægypti, sed vivificant masculos, nec tamen dicitur quia paruerunt feminas vivificantes. Ego autem confidenter dico, non vivificant feminas. Neque enim vitia aut luxuria in Ecclesia docentur, aut peccata nutriuntur, quod vult Pharaos quia vivificari feminas jubet, sed sola virtus excolitur et nutritur. Verum hæc ad unumquemque referamus. Si times Deum, non facias præceptum regis Ægypti: ille enim præcipit ut in deliciis vivas, præsentia concupiscas; tu, si times Deum, et exhibes officium obstetricis, animæ tuæ si conferre cupis, vivificas masculos, id est, interiorem hominem, qui in te est, medicaris et foves, et per actus et intellectus bonos vitam acquiris æternam.

vate.** 17 Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt iuxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares. 18 Quibus ad se accersitis, rex ait: Quidnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros servaretis? 19 Quæ responderunt: Non sunt Hebrææ sicut ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas, pariunt.†† 20 Bene ergo fecit Deus obstetricibus: et crevit populus, confortatusque est nimis. 21 Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos. 22 Præcepit ergo Pharaos omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite: quidquid feminini, reservate.‡‡

2 Egressus est post hæc vir de domo Levi: et accepit uxorem stirpis suæ.¶¶ 2 Quæ concepit, et peperit filium: et videns eum elegantem, abscondit tribus mensi-

** 1.16 *Si masculus fuerit*, etc. ISID. Allegorice. Jubet Pharaos masculos occidi, feminas vivere: sic diabolus, ne possit robur fidei prævalere, interfectis virtutibus, vult vitia vivere, fortesque et viriles animi sensus, quibus divina sapimus, id est, rationem, prudentiam, constantiam, innocentiamque, et fidem nititur occidere; et quod femineum, imbecillum, fragile et pronum est ad vitia, cupit superesse, id est, ambitionem, violentiam, libidinem, iracundiam, et his similia, quæ feminarum figura sunt.

†† 1.19 *Quæ responderunt*, etc. AUG. in Gen., tom. 3. Quæritur utrum talia mendacia approbata sint auctoritate divina, etc., usque ad quorum autem jam conversatio in cœlis est, non eos æstimare linguæ modum circa veritatem falsitatemque exemplo obstetricum debere informare. GREG., Moral., lib. 38, cap. 2, 3. Summopere cavendum est mendacium, etc., usque ad parcendo enim conatæ sunt infantium vitam tegere, mentiendo, suam. AUG., in lib. de Locutionibus in Exod., tom. 3. Et quia timuerunt obstetrices Deum, etc., usque ad ut ad ipsam domum faciendam pertinere videatur, quod consequenter a Laban merces statuenda proponitur.

‡‡ 1.22 *Præcepit ergo Pharaos*, etc. ORIG., homil. 2. Ægyptii, quibus hic præcepit Pharaos ut feminas tantum vivificent, oderant masculos. Oderunt enim virtutes, vitia nutrierunt. Nunc quoque insidiantur Ægyptii, si nascatur masculus Hebræis, ut statim interficiant, nisi caveant, observent et occultent. Refert Scriptura quod de tribu Levi aliquis genuit masculum, et vidit infantem esse elegantem et occultavit eum. Ne ergo justitiam nostram faciamus coram hominibus, sed clauso ostio oremus Patrem nostrum in occulto, et nesciat sinistra quid faciat dextera, ne diripiatur ab Ægyptiis, invadatur, fluctibus submergatur. Si facio eleemosynam quia est opus Dei, masculum genero; sed si laudem ab hominibus quæro, et non occulto, rapitur ab Ægyptiis, in flumen mergitur, et tanto labore tantoque studio Ægyptiis masculum genui. *Quidquid feminini* HIERON., in Ecclesiasten., c. 3. Ubicunque in Scripturis femina legitur et sexus fragilior, ad materiæ intelligentiam transferamus. Unde et Pharaos non vult masculos nasci, sed feminas, quæ materiæ sunt vicinæ, et contrario nullus sanctorum nisi perraro feminas genuisse narratur. Solusque Salphaat, qui in peccatis mortuus est, omnes filias genuit: Jacob unius filiarum pater est, et ob ipsam periclitatur.

¶¶ 2.1 *Egressus est*, etc. RAB. in Exod., tom. 2. Hinc Josephus ait: Metuens autem Amram ne captus regiæ iræ succumberet, etc., usque ad sive educere, ut est Moses de flumine eductus. *Alleg.* Parentes Mosi, quorum fidem et opera lex naturalis decorabat ID., ibid., usque ad ipsa quoque docetur erubescere idola colere. *Vir de domo*, etc. DIOD. Non sine œconomia pater Moseos prætermittitur: nam et Christus, cujus typum gerebat Moses, sine patre est.

bus.^{§§} ³ Cumque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam bitumine ac pice: posuitque intus infantulum, et exposuit eum in carecto ripæ fluminis, ⁴ stante procul sorore ejus, et considerante eventum rei. ⁵ Ecce autem descendebat filia Pharaonis ut lavaretur in flumine: et puellæ ejus gradiebantur per crepidinem alvei. Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione, misit unam e famulabus suis: et allatam ⁶ aperiens, cernensque in ea parvulum vagientem, miserta ejus, ait: De infantibus Hebræorum est hic.* ⁷ Cui soror pueri: Vis, inquit, ut vadam, et vocem tibi mulierem hebræam, quæ nutrire possit infantulum? ⁸ Respondit: Vade. Perrexit puella et vocavit matrem suam. ⁹ Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum istum, et nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier,

§§2.2 *Et videns*, etc. CHRYSOST., hom. 54 in Act. apost.. Mirabile est quod non per ea quæ videntur securitatis esse, sed plane per contraria, omnia pro nobis fiunt. Justit Pharaon in flumen projici pueros; nisi projecti fuissent pueri, non fuisset servatus Moses: quando servabatur, non erat in honore; quando expositus est, tunc factus in honore est. Minatus est illi Judæus, dicens: *Nunquid me occidere tu vis?* et hoc illi profuit ut philosopharetur in solitudine ac secure viveret. ORIG., hom. 2. Allegorice. Pharaonis filia est Ecclesia de gentibus congregata, cui per prophetam dicitur: *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui, quia concupivit rex speciem tuam* Psal. 44.. Hæc est ergo quæ exivit de domo patris, et venit ad aquas, ut lavaretur a peccatis quæ contraxerat in domo patris: et statim viscera misericordiæ suscepit, et miserta est infantis; hæc veniens in paludem, invenit Mosen jacentem expositum a suis, et fecit eum nutriri. Nutritur apud suos, ibi agit infantiam; fortior factus ducitur ad eam, adoptatur in filium. Moses legem significat. Veniens ergo Ecclesia ad aquas baptismi, suscepit legem intra tibi conclusam, et bitumine linitam. Tibi ergo est tegminis genus ex papyro contextum, et virgis vel ex cortice arborum formatum. Jacebat ergo lex clausa intra hujusmodi tegmina, pice et bitumine linita, vilibus scilicet et tetrus Judæorum sensibus; sordebat oblita usque quo Ecclesia veniret ex gentibus, et assumeret eam de luteis et palustribus locis, intra sapientiæ aulas et regalia tecta. Infantiam tamen apud suos transigit: apud illos enim qui eam spiritualiter non intelligunt, parvula est, et infans, et lactantium habens cibos: cum ad Ecclesiam venit, fortior est Moses et validior; amoto enim velamine litteræ, perfectus in lectione ejus cibus invenitur. Mercedem nutrimentorum accipit a filia Pharaonis, apud quam lex nascitur et nutritur. Sed quid est quod Synagoga accipit ab Ecclesia? Puto illud quod Moses dicit: *Ego in non gentem in æmulationem vos inducam: in gentem insipientem, in iram vos concitabo*. Synagoga ergo de Ecclesia hanc mercedem accipit ut ultra idola non colat: videns enim gentiles ita ad Deum conversos, ut ultra idola nesciant, erubescit ultra idola colere. Nos quoque, si Pharaonem habuimus patrem, si nos in operibus malis genuit, cum venerimus ad aquas, assumamus legem Dei: non nobis sordeant litteræ velut tegmen obscurum; quæ parva ejus sunt et lactantia comedamus; quæ perfecta sumamus, et intra cordis tecta regalia collecemus. Grandem et validum habemus Mosen: nihil de eo parvum, nihil vile sentiamus, sed totum magnificum, totum egregium, totum elegans: totum enim magnum est, quod spirituale est, et sublimis intelligentiæ.

*2.6 *Cernensque in ea parvulum*, etc. THEOD. Mystice. Hoc illi potissimum circumcisio prodere potuit, nondum enim Ægyptii tale mysterium admiserant, licet succedente tempore ad Hebræorum imitationem circumcisionis legem observaverint. Unde Jeremias: *Considerabo omnes præputium circumsecantes, Ægyptios et filios Edom*. Jer. 9.. ISID. Moses, id est Christus, ad flumen lavacri et aquam baptismi a fidelibus invenitur, etc., usque ad et eum religiosa observatione suscipientes tuentur.

et nutrit puerum: adultumque tradidit filiæ Pharaonis.†¹⁰ Quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum. ¹¹ In diebus illis postquam creverat Moyses, egressus est ad fratres suos: viditque afflictionem eorum, et virum ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis. ¹² Cumque circumspexisset huc atque illuc, et nullum adesse vidisset, percussit Ægyptium abscondit sabulo.‡¹³ Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes: dixitque ei qui faciebat injuriam: Quare percutis proximum tuum?¶¹⁴ Qui respondit: Quis te constituit principem et judicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses, et ait: Quomodo palam factum est verbum istud?§¹⁵ Audivitque Pharaon sermonem hunc, et quærebat occidere Moysen: qui fugiens de conspectu ejus, moratus est in terra Madian, et sedit juxta puteum. ¹⁶ Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam: et impletis canalibus adquare cupiebant greges patris sui. ¹⁷ Supervenerunt pastores, et ejecerunt eas: surrexitque Moyses, et defensis puellis, adquare oves earum. ¹⁸ Quæ cum revertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad eas: Cur velocius venistis solito? ¹⁹ Responderunt: Vir ægyptius liberavit nos de manu pastorum: in-

†2.9 *Adultumque tradidit*, etc. RAB. Refert Josephus quod filia Pharaonis adultum Mosen ad patrem suum adduxit, cui ille coronam suam imposuit, quam statim Moses projecit, quoniam ibi sculptum simulacrum vidit. Unde sacerdos qui ibi aderat, voluit interficere eum, dicens quia Ægyptus esset subvertenda per ipsum sicut ex oraculo dæmonum acceperat. Sed Pharaonis filia liberavit eum. Cum autem perfectæ esset ætatis, missus est a Pharaone contra Æthiopes. Cumque sciret per desertam serpentibus plena se profecturum, tulit ibides, id est ciconias Ægyptiacas, castraque metatus proferebat eas, ut serpentes devorarent et fugarent: sicque exercitus securus transigebat noctem. Cum ergo venisset ad civitatem quam expugnaturus erat, adamavit eum Æthiopiæ regina, et secundum conductum, civitatem ei tradidit, et nupsit: inde est quod Aaron et Maria jurgati sunt adversus Mosen propter Æthiopissam uxorem.

‡2.12 *Cumque circumspexisset huc atque illuc*. Aug. Quæst. in Exod. De hoc facto Mosi satis disputavimus in illo opere, quod de vita patriarcharum adversus Faustum scripsimus, utrum indoles in eo laudabilis fuerit, qua hoc peccatum admiserit, sicut uber terra ante utilia semina quadam herbarum inutilium ferocitate laudatur: an ipsum factum justificandum sit? Quod ideo non videtur, quia nullam adhuc legitimam potestatem gerebat, nec divinitus acceptam, nec humana societate ordinatam: et tamen, sicut Stephanus ait in Actibus apostolorum, putabat intelligere fratres suos, quod per eum Deus daret salutem illis, ut per hoc testimonium videatur Moses jam divinitus admonitus quod Scriptura eo loco tacet hoc audere potuisse. ISID. Allegorice. Moses, id est Christus, Ægyptium, id est diabolum nobis in hac peregrinatione injuriosum, nos defendendo occidit, et in arena obruit occisum. Latet enim in eis qui stabile non habent fundamentum. Ecclesiam vero in petra ædificat, et eos qui verbum ejus audiunt et faciunt prudenti viro comparat, qui ædificavit domum suam supra firmam petram. Alios vero stulto comparat, qui supra arenam ædificat.

¶2.13 *Et egressus die altero*, etc. In hoc Moses figuram Christi gessit, qui duorum populorum discordiam in se angulari lapide pacificare studuit. Qui injuriam fecit et reconciliatorem contempsit, Judaicus est, qui prædicationem Christi reconcilians repulit, et credentis populi hostis perstitit. Unde Joan. 9: *Tu discipulus illius sis, nos discipuli Mosi*.

§2.14 *Timuit Moses*, etc. AUG. Si sic divulgatum est verbum hoc. Duo sunt in hac locutione attendenda, quia pendet scilicet sententia et sic dimissa est, deinde quia verbum pro facto posuit.

super et hausit aquam nobiscum, potumque dedit ovibus. ²⁰ At ille: Ubi est? inquit: quare dimisistis hominem? vocate eum ut comedat panem. ²¹ Juravit ergo Moyses quod habitaret cum eo. Accepitque Sephoram filiam ejus uxorem: ²² quæ peperit ei filium, quem vocavit Gersam, dicens: Advena fui in terra aliena. Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis. ^{**} ²³ Post multum vero tempore mortuus est rex Ægypti: et ingemiscientes filii Israël, propter opera vociferati sunt: ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus. ^{††} ²⁴ Et audivit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis quod pepigit cum Abraham, Isaac et Jacob. ²⁵ Et respexit Dominus filios Israël et cognovit eos.

3 Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian: cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. ² Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: et videbat quod rubus arderet, et non combureretur. ^{‡‡} ³ Dixit ergo Moyses: Vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. ⁴ Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vo-

^{**}2.22 *Quæ peperit*, etc. Allegorice. Christus Ecclesiam de gentibus sibi copulavit, quæ munere Spiritus septiformis una est in fide catholica. Unde: *Una est columba mea*; quæ gignit filium, qui vocatur *advena*, et alterum qui *Dei adjutorium*: advenæ enim sunt sancti super terram, sed Dei adjutorio nunquam carent.

^{††}2.23 *Post multum vero temporis*, etc. Postquam Moses in terra Madian duxit uxorem, mortuus est rex Ægypti: quia cum Christus in orbe terrarum gentes ad fidem convertit, destructus est principatus diaboli. *Ingemiscentes*. Nisi moriatur in te rex Ægypti, non cognoscis te opprimi servitute Ægypti, et operibus luti et lateris; nec corde ingemiscis, nec vociferaris ad Dominum ut liberet te.

^{‡‡}3.2 *Apparuitque ei*. ISID. Allegorice. Erat flamma in rubro, et non cremabatur. Rubus, spinæ peccatorum Judæorum: flamma in rubo, verbum Dei, id est lex data illi populo. Sed et flamma rubum non comburit, quia lex data peccata eorum non consumit. Alii in rubo flammante Ecclesiam intelligunt, quæ persecutionibus inflammatur, quæ loquente ad se Domino non crematur. Quod Dominus Mosi in rubo apparuit, ostendit quia in Ecclesia apparet fidelibus, nec alibi. Aiunt Hebræi ideo in rubo Deum apparuisse Mosi, ne possent sibi inde idolum sculperere Judæi. Semper enim Deus idololatriæ occasionem recidit. GREG. lib. XXII Moral., cap. 20. Moses admixto Ægyptiis quasi vigilabat mundo, ideo vocem Domini non audiebat: sed extincto Ægyptio, postquam in desertum fugit, dum illic quadraginta annis degit, a terrenis tumultibus obdormivit, et ideo divinam vocem percepit. Cum enim mens ab exterioribus sopitur, verbum Dei penetrat veracius. Aurem quippe cordis turba terrenarum cogitationum perstrepens claudit. Non enim perfecte homo sufficit ad utraque divisus, quia si exterius auditum aperit, interius obsurdescit.

cavit eum de medio rubi, et ait: Moyses, Moyses. Qui respondit: Adsum.^{¶¶} ⁵ At ille: Ne appropies, inquit, huc: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.^{§§} ⁶ Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.* ⁷ Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præsunt operibus:† ⁸ et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, et educam de terra illa in terram bonam, et spatiosam, in terram quæ fluit lacte et melle, ad loca Chananaei et Het-

^{¶¶}3.4 *Cernens autem Dominus*, etc. GREG., præf. in Moral., c. 2. Angelus qui Mosi apparuisse describitur, modo Dominus, modo angelus memoratur: angelus, quia exterius loquendo servit; Dominus, quia interius præsidens loquendi efficaciam tribuit. Cum enim loquens ab interiore regitur, et per obsequium angelus, et per inspirationem Dominus memoratur. *Vocavit eum de medio*, etc. GREG. lib. XXVIII Moral., c. 5. Sæpe simul et terrenis et cœlestibus substantiis per angelos loquitur Deus: sicut hic cum ignem rubumque sociavit, atque aliud superius, aliud inferius junxit. Quod tunc solum agitur, cum aliquod magnum ex conjunctione signatur. Nam per succensum rubum Mosen alloquens, ostendit quia doctor populi fieret, qui et legis flammam perciperet, et peccati spinam non vitaret: ut quod ex illo populo exiret, qui igne deitatis carnis nostræ peccata quasi rubi spinam acciperet, et inconsumptam humanitatis substantiam in ipsa divinitatis flamma servaret.

^{§§}3.5 *Solve calceamentum*, etc. THEOD. Duas ob res jubet calceamenta solve: primo, ut ipsum magis ac magis religiosum ac reverentem reddat, ut cum tremore mandata ejus accipiat; tum etiam eruditur qua ratione sacerdotes in tabernaculo Dei ministrent: nudis enim pedibus sacerdotale munus obibant. ISID. Quia nullus scilicet digne consistere, vel Deum videre potest, nisi cuncta terrena et mortalia deponat. Aliter, veterum consuetudo erat ut si sponsus sponsam repudiaret, in signum repudii discalcearetur. Ideo Moses discalceari jubetur, nec ad Ecclesiam, quæ in rubo significatur, quasi sponsus accedat calceatus; hoc enim Christo servandum, qui verus est sponsus. De quo Joannes ait: *Cujus non sum dignus solve corrigiam calceamenti Joan. 1.*

*3.6 *Ego sum Deus*, etc. HILAR. lib. IV de Trinitate. Non aliter loquendum de Deo est quam ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est. Angelus Dei est, qui in igne de rubo apparuit: et de rubo in igne Deus loquitur; habes dispensationem in angelo, quia in angelo officium est, non natura; habes in naturæ nomine Deum, quia angelus Dei Deus est.

†3.7 *Vidi afflictionem*, etc. GREG., Moral. Sparsis foris mentibus ad seipsum redire cuique difficile est: quia prava itinera semel captos tanto delectabiliter tenent, quanto quod libuerit, non licet. Quia cum disciplinæ munus non obviat, nulla retributionis prospicitur poena quæ terreat. Sed clausis oculis cordis præcipitatur anima, et tanto securius mala temporalia penetrat, quanto durius bona æterna desperat. Sed ista reproborum nequitia electorum vitam, quasi grana a paleis, separat, et dum affligit, expedit: quia dum violenta ingerit, festinare ad superna compellit; quod in Israelitico populo, Mose vocante et Pharaone sæviante, signatur. Moses enim ad vocandum missus est, cum Pharao duris operibus urgeret ut alius vocando traheret, alius sæviendo impelleret, ut plebs in servitio turpiter fixa, vel vocata, vel impulsa moveretur; hoc quotidie agitur dum prædicatis cœlestibus præmiis sævire in electos reprobi permittuntur: ut quos Ægyptus, id est vita præsens, oppressit blandiens, adjuvet premens; ut dum Deus provocat, cruciatus impellat.

hæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi.[‡] ⁹ Clamor ergo filiorum Israël venit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. ¹⁰ Sed veni, et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israël, de Ægypto. ¹¹ Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israël de Ægypto? ¹² Qui dixit ei: Ego ero tecum: et hoc habebis signum, quod miserim te: cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum. ¹³ Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël, et dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen ejus? quid dicam eis? ¹⁴ Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos.[¶] ¹⁵ Dixitque iterum Deus ad Moysen: Hæc dices filiis Israël: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem. ¹⁶ Vade, et congrega seniores Israël, et dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, dicens: Visitans visitavi vos: et vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto. ¹⁷ Et dixi ut educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi, ad terram fluentem lacte et melle.[§] ¹⁸ Et audient vocem tuam: ingredierisque tu, et seniores Israël, ad regem Ægypti, et dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocavit nos: ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro. ¹⁹ Sed ego scio quod non dimittet vos rex Ægypti ut eatis nisi per manum validam. ²⁰ Extendam enim manum meam, et percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum: post hæc dimittet vos. ²¹ Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis: et cum

[‡]3.8 *Et educam de terra*, etc. GREG., homil. 32. Rudi populo de præsentī vita aliquid promittendum fuit, ut posset in futuro robustius solidari. Si enim parva non acciperet, magna non crederet. Deus ergo largiendo terrena suadet et coelestia, ut percipiens quod videbat, speraret quod non videbat. *In terram bonam et spatiosam, in terra quæ fluit lacte*, etc. Ibid. Præsens prosperitas aliquando datur, ut ad meliorem vitam provocet, aliquando ut in æternum plenius damnet. Hinc Israhelitis terra Chanaan promittitur, ut quandoque ad æterna speranda provocentur: quia rudis populus promissionibus non crederet, nisi a promissore aliquid in vicino perciperet. Non ergo solum spe ad res, sed rebus quandoque ad spem trahitur. Unde psal. CIV: *Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, et legem requirant.*

[¶]3.14 *Qui est, misit me ad vos*, etc. Mittitur Moses ad Pharaonem puniendum et tandem occidendum: missa est lex ad diabolum destruendum. Hieronymus, scribens ad Marcellam de decem nominibus Dei, sexto loco ponit nomen *ehieh*, quod in Exodo legitur: *Qui est, misit me ad vos*. Deus enim solus, qui exordium non habet, veræ essentiæ nomen tenet: quod per angelum dictum est Mosi nomen ejus quærenti, quia in ejus comparatione qui vere est, quia incommutabilis est, quasi non sunt quæ mutabilia sunt; quod enim dicitur, fuit, non est: et quod dicitur, erit, nondum est. Deus autem tantum est, qui non novit fuisse, vel futurum esse. Solus autem Pater cum Filio et Spiritu sancto vere est. Cujus essentiæ comparatum nostrum esse, non est; unde et dicimus: Vivit Deus, quia essentiæ divina vita vivit, quam mors non habet.

[§]3.17 *Ad terram fluentem lacte et melle*, etc. AUG., Quæst. 4 in Exod. Utrum hoc spiritualiter accipere debemus, quia secundum proprietatem non hæc erat terra quæ data est Hebræis? An modus locutionis est, qua ubertas et suavitas terræ laudatur?

egrediemini, non exhibitis vacui:** 22 sed postulabit mulier a vicina sua et ab hospita sua, vasa argentea et aurea, ac vestes: ponetisque eas super filios et filias vestras, et spoliabitis Ægyptum.††

4 Respondens Moyses ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus. 2 Dixit ergo ad eum: Quid est quod tenes in manu tua? Respondit: Virga.‡‡ 3 Dixitque Dominus: Projice eam in terram. Projecit, et versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. 4 Dixitque Dominus: Extende manum tuam, et apprehende caudam ejus. Extendit, et tenuit, versaque est in virgam. 5 Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob. 6 Dixitque Dominus rursus: Mitte manum tuam in

**3.21 *Non exhibitis*, etc. AUG., ibid. Quod mandavit Dominus Hebræis ut acciperent ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, et vestem, atque addidit, *et prædabimini eos*, mandati hujus non potest esse injustum iudicium. Mandatum enim Dei est, de quo non judicandum, sed obtemperandum fuit. Ipse enim novit quam juste mandaverit, ad servum pertinet obedienter facere quod mandavit.

††3.22 *Vasa argentea*. Argentum et aurum ab Ægyptiis petimus, unde tabernaculum Deo fabricemur, cum poetas et philosophos legimus, ut divinam Scripturam sapientius et facundius exponamus.

‡‡4.2 *Quid est quod*, etc. GREG. Moses, Judaicus populus; virga, Divinitatis potestas; serpens, Christi mortalitas: quia enim per serpentem mors, per serpentem mortalitas signatur. Vel quia scriptum est Matth. 10: *Estote prudentes sicut serpentes*; et quia summa prudentia, id est Dei sapientia, incarnata est: recte ejus mortalitas in serpente figuratur. Unde Joan. 4: *Sicut exaltavit Moses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*. Moses virgam tenuit: quia Judaicus populus ante Redemptoris adventum in Dei potestate confisus est; in terram projecit, quia per patriarchas et prophetas Deum incarnandum nuntiavit; virga in colubrum vertitur, quia Christus Deus in se permanens, mortalis est in homine factus. Sed et Moses colubrum conspiciens pertimuit, et fugit, quia Judaicus populus dum Christum mortalem vidit, Deum credere expavit. Cui jubetur ut caudam teneat, quia populus qui modo credere recusat, in extrema corporis Dominici parte, id est, posteriore tempore Ecclesiæ, scilicet in fine mundi, sese ad fidem colliget; colubri caudam tenens, quia eum quem mortalem ante despexerat, in ultima parte Ecclesiæ Redemptorem suum confitebitur. Mox serpens in virgam redit, quia ut Judaicus populus in Christum crediderit, mox ad iudicium in potestate divinitatis suæ apparebit: ut jam serpens virga sit: quia qui in terra homo despectus est, de coelo veniens super angelos videbitur Deus. ISID. Serpens persuasit homini mortem. Mors ergo a serpente; virga in serpente, Christus in morte. Expavit Moses et fugit: mortuo enim Christo expaverunt discipuli a spe in qua fuerunt recedentes. Apprehendit caudam, id est posteriora, et factus est virga: quia primo occisus, postea patrat omnibus, ad id quod fuerat resurgendo reversus est, ubi per vitam morte consumpta, nihil in eo serpentis apparuit. Vel cauda serpentis, finis sæculi, quia sic mortalitas Ecclesiæ per lubrica tempora volvitur; alii eunt, alii veniunt per mortem, tanquam per serpentem, per quem mors seminata est: sed in fine sæculi, tanquam cauda, redimus ad manum Dei, et apprehensi reparabimur, et novissima inimica morte destructa, resurgentes in dextera Dei virga regni erimus.

sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis.[¶] ⁷ Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, et protulit iterum, et erat similis carni reliquæ. ⁸ Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. ⁹ Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam: sume aquam fluminis, et effunde eam super aridam, et quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem.^{§§} ¹⁰ Ait Moyses: Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudius tertius: et ex quo locutus es ad

[¶]4.6 *Mitte manum tuam*, etc. PROCOP. Quidam asserunt illud portentum contigisse ut ostenderetur justo non esse legem positam. Licet deinde leges sanciat, quo pacto morbus lepræ sit examinandus, et immundus pronuntiandus, tamen pleræque leges ita feruntur, quasi stultis et infantibus dentur. Adeo nostræ infirmitati se accommodat Deus! ISID. Manus alba, id est immunda, albor enim in cute lepra est, non candor. Ipsa enim hæreditas Dei, id est populus, foras ab eo missus factus est immundus. Unde psal. LXXIII: *Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam*, etc. Sed revocata est manus in sinum, et reversa est ad colorem suum: sic plebs Judaica, alienata a sinu Dei, foras immunda remansit; sed revocata, redibit ad pristinum colorem, cum agnoverit Salvatorem. *Cæcitas enim ex parte contigit in Israël* Rom. 11..
^{§§}4.9 *Sume aquam*, etc. ISID. Aqua populum significat; unde Apoc. 17: *Aquas, quas vidisti, populi sunt et gentes*. Populus ergo vertitur in sanguinem, id est, in sanguinis Christi fidem.

servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum.*¹¹ Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et cæcum?

*4.10 *Obsecro, Domine,* etc. AUG. Quæst. in Exod. Quod ait Moses ad Dominum: *Precor, Domine, non sum eloquens ante hesternum neque ante nudiustertianum diem, neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo,* intelligitur credere posse fieri Dei voluntate subito eloquentem, cum dicit: *neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo,* tanquam ostendens fieri potuisse ut qui ante hesternum et nudiustertianum diem eloquens non fuisset, repente fieret ex quo cum illo Dominus loqui cœpit. ORIG. homil. 3 in Exod. Dum esset Moses in Ægypto, et erudiretur omni sapientia Ægyptiorum, non erat gracili voce, nec tardus lingua, nec profitebatur se ineloquentem. Erat enim, quantum ad Ægyptios, sonoræ vocis et eloquentiæ incomparabilis. Ubi autem Dei vocem audivit, et eloquia Domini suscepit, sentit vocem suam gracilem, et exilem tardamque, et impeditam linguam, et se pronuntiat mutum, cum incipit cognoscere verum Verbum, quod erat in principio apud. Deum Joan. 1.: mutis enim animalibus quamvis indoctus homo comparetur, eloquens videbitur; si vero eruditus et eloquentibus, stultus et mutus. At si quis Dei verbum et divinam respiciat sapientiam multo amplius quam apud nos pendens, apud Deum mutum se animal profitebitur. Unde psal. LXXII: *Ut jumentum actus sum apud te.* Quia igitur in id intelligentiæ profecit, ut se cognosceret, quod est magna pars sapientiæ, remuneravit eum divina dignatio dicens: *Aperiam os tuum,* etc. Beati quorum os Deus aperit ut loquantur. Unde psal. LXXX: *Dilata os tuum, et ego implebo illud.* Similiter Paulus dicit ad Ephes. 6: *Ut detur mihi sermo in apertione oris mei.* Eorum ergo qui vera loquuntur, os Deus aperit: eorum qui loquuntur mendacium, falsum testimonium, scurrilitates, turpitudines, susurronum quoque et detractorum, et eorum qui otiosa loquuntur, diabolus aperit os. De Juda refertur Joan. 13, *quia introivit in illum Satanus, et misit in cor ejus ut traderet eum.* Os ergo ejus aperuit, ut loqueretur cum Pharisæis, quomodo eum traderet accepta pecunia. Non est autem parvæ gratiæ discernere os quod aperit Deus, et quod aperit diabolus. Aperit etiam Deus aures sanctorum ad audienda verba divina; unde: Dominus aperiet mihi aurem. Aperit oculos, sicut aperuit oculos Agar, et vidit puteum aquæ vivæ; unde Eliseus: *Aperi, Domine, oculos pueri tui, ut videat, quia plures sunt nobiscum* IV Reg. 6.. Auris vero quæ per eruditionem Domini aperitur, aliquando aperta est, aliquando clausa; unde: Ne recipias auditum vanum Eccli. 45.. Si dicuntur vana, profana, turpia, qui novit eruditionem Domini, claudit aurem et dicit: *Ego autem sicut mutus, qui non aperuit os suum, et sicut surdus non audiebam* Psal. 37.. Si vero ad utilitatem animæ pertinent quæ dicuntur, si de Deo sermo est, si mores docet, ad virtutes invitat, vitia resecat, aures pateant et tota animæ janua. Notandum autem quia summa moderatione usa est lex ut diceret: *Non recipies auditum vanum;* non dixit, Non audies; sed, *Non recipies.* Nam vana sæpe audimus: Marcion enim et Valentinus, et omnes contra Creatorem disputantes, vana loquuntur; frequenter tamen audimus ut contradicamus, sed non recipimus, quia illorum os diabolus aperit. Dignetur Dominus aperire os nostrum, ut possimus contradicentem revincere, et obturare os quod diabolus aperit.

nonne ego?† 12 Perge, igitur, et ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris.‡
 13 At ille: Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es. 14 Iratus Dominus in Moysen, ait: Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit: ecce ipse egreditur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde.¶ 15 Loquere ad eum, et pone verba mea in ore ejus: et ego ero in ore tuo, et in ore illius, et ostendam vobis quid agere debeatis.§ 16 Ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent. 17 Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. 18 Abiit Moyses, et reversus est ad Jethro socerum suum, dixitque ei: Vadam et revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam si adhuc vivant. Cui ait Jethro: Vade in pace. 19 Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian: Vade, et revertere in Ægyptum, mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam.** 20 Tulit ergo Moyses uxorem suam, et filios suos, et imposuit eos super asinum: reversusque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua.†† 21 Dixitque ei Dominus revertenti in Ægyptum: Vide ut omnia ostenta quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone: ego

†4.11 *Quis fecit os hominis?* etc. AUG., Quæst. 8. Sunt qui Deo calumniantur, vel potius Scripturæ Veteris Testamenti quia dixit Deus quod fecerit mutum. Quid ergo dicunt de Christo aperte dicente Joan. 10: **Ego veni, ut qui non vident videant; et qui vident, cæci fiant.** Quis autem nisi insciens crediderit aliquid homini secundum vitia corporalia posse accidere quod Deus nolit? Sed eum juste totum velle nemo ambigit.

‡4.12 *Perge igitur,* etc. AUG. Allegorice. Quod dicit Dominus ad Mosen: **Sed nunc vade tu, et ego aperiam os tuum et instruam te quæ locuturus es,** apparet non tantum instructionem oris, sed etiam ipsam apertionem ad Dei gratiam pertinere. Non enim ait, Aperi os tuum, et ego instruam te; sed utrumque promittit, aperiam, et instruam. In psalmo autem LXXX: **Dilata os tuum, et ego adimplebo illud.** Ubi significat in homine voluntatem accipiendi quod Deus donat volenti, ut ad voluntatis exordium pertineat, **Dilata os tuum,** ad Dei autem gratiam, **et implebo illud.**

¶4.14 *Iratus Dominus in Moysen, ait,* etc. AUG. Quæst. 10 in Exod. Videtur tanquam diffidenti non dedisse plenissimam facultatem, etc., usque ad cujus figuram gerat velut medius Moses inter Deum et Aaron, et Aaron inter Mosen et populum.

§4.15 *Et ego ero in ore tuo et in ore illius,* etc. ORIG. Non solum Mosi promittitur aperiri os a Domino, sed et Aaron. Dicitur enim: Ego aperiam os tuum et os illius, et instruam vos quæ faciatis.

4.19 *Dixit ergo Dominus,* etc. AUG., Locut. in Gen., tom. 3. Post dies autem multos mortuus est rex Ægypti. Dixit autem Dominus ad Mosen in Madian: **Vade, perge in Ægyptum, etc. Multa in his verbis notanda sunt genera locutionis. Primo enim inquit: **Vade, perge in Ægyptum,** tanquam non sufficeret alterum, deinde, **mortui sunt omnes qui quærebant animam tuam,** cum solum regem Ægypti Scriptura mortuum dixerit: de quo solo antea dictum fuerat quod Mosen quærebat occidere: an ipse post alios inimicos ultimus mortuus est? Quod si ita est, non locutio, sed sensus est.

††4.20 *Tulit ergo Moyses,* etc. AUG., Quæst. 12 in Exod. Quod dictum est, quia Moses uxorem et infantes suos imposuit super vehiculum, ut in Ægyptum iret: postea vero Jethro socer ejus illic cum eis occurrit, cum eduxisset populum de Ægypto; intelligendum est, post illam, quæ ab angelo futura erat, interfectionem, Mosi vel infantis uxorem reversam fuisse cum parvulis. Nam quidam putaverunt propter hoc angelum terruisse, ne ad impedimentum ministerii divinitus impositi femineus sexus comitaretur.

indurabo cor ejus, et non dimittet populum.^{‡‡} 22 Dicesque ad eum: Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israël. 23 Dixi tibi: Dimitte filium meum ut serviat mihi; et noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. 24 Cumque esset in itinere, in diversorio occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum.[¶] 25 Tulit idcirco Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, et ait: Sponsus sanguinum tu mihi es.^{§§} 26 Et dimisit eum postquam dixerat: Sponsus sanguinum ob circumcisionem. 27 Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obviam ei in montem Dei, et osculatus est eum.* 28 Narravitque Moyses Aaron omnia verba Domini quibus miserat eum, et signa quæ mandaverat. 29 Veneruntque simul, et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israël. 30 Locutusque est Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysen: et fecit signa coram populo, 31 et credidit populus. Audieruntque quod visitasset Dominus filios Israël, et respexisset afflictionem illorum: et proni adoraverunt.

^{‡‡}4.21 *Ego indurabo cor ejus.* AUG., Serm. 88. Quid est, *ego indurabo cor ejus*, nisi cum abfuerit gratia mea, obduret illum nequitia sua? Sicut quoties nimio frigore constringitur aqua, solis calore superveniente resolvitur; et discedente sole iterum obduratur: ita peccatorum frigore refrigescit charitas multorum, et velut glacies obdurantur; et cum calor divinæ misericordiæ supervenerit, resolvuntur. Hoc in Pharaone cognoscimus, a quo quoties flagella remota sunt, se contra Deum obduratus erexit; quoties afflictus est, supplicavit. Non est ergo iniquitas in Deo. Unde non tam potentia quam patientia Dei Pharaonem fecit obdurari. Quam rem etiam circa vernaculos nostros solemus exercere, quibus frequenter peccantibus indulgemus, dicentes: Ego talem te feci, ego tibi parcendo proterviam tuam negligentiamque nutrivi.

[¶]4.24 *Occurrit ei Dominus,* etc. AUG., Quæst. 11 in Exod. Alia littera: *Et factum est in via ad refectionem, obviam ei angelus, et quærebat eum occidere: et assumpto Sephora calculo circumcidit præputium filii sui, et procidit ad pedes ejus et dixit: Stetit sanguis circumcisionis infantis mei, et recessit ab eo propter hoc quod dixit: Stetit sanguis circumcisionis.* Primum quæritur quem volebat angelus interficere, etc., usque ad magno nisi fallor sacramento.

^{§§}4.25 *Sponsus sanguinum tu,* etc. Secundum historiam, mater gentilis admirans novitatem rei, potuit dicere Mosi: *Sponsus sanguinum tu mihi es;* quasi, ritus tuæ gentis cogit me fundere sanguinem filii mei, quod aliis gentibus non est moris. Mystice autem Sephora Ecclesiam de gentibus significat, quæ præputium filii sui, id est gentilis populi, acutissima petra, id est Spiritus sancti doctrina, vel illa petra de qua dicitur II Cor. 10: *Petra autem erat Christus,* exspoliat, ut mundetur ab omni inquinamento carnis et spiritus: *Et exuat veterem hominem cum actibus suis* Col. 3.. Stat enim sanguis circumcisionis quando corruptibile hoc induet incorruptionem.

* 4.27 *Dixitque Dominus,* etc. ORIG., hom. 32. Occurrit Aaron Moysi, et exivit de Ægypto. Sed interest ubi occurrat Mosi, cujus os aperiendum est a Domino: occurrit autem in montem Dei. Merito os ejus aperitur, qui occurrit in montem Dei. Petrus, Jacobus et Joannes in monte et transfiguratum Dominum Jesum videre meruerunt, et Mosen et Eliam cum ipso in gloria. Tu quoque, nisi ascenderis montem Dei, et ibi occurreris Mosi, id est nisi excelsum legis ascensum ascenderis, nisi spiritualis intelligentiæ cacumen invaseris, non est ostium apertum a Domino. Si in humili loco litteræ steteris, non occurreris Mosi in montem Dei; non os tuum aperuit Deus, neque instruxit quæ te oporteat loqui; nisi Aaron Moysi in monte occurrisset, nisi ejus sensum vidisset arduum, non ei loqueretur verba Dei, neque virtutem signorum tradidisset, neque participem tanti mysterii concivisset.

5 Post hæc ingressi sunt Moyses et Aaron, et dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto.[†] ² At ille respondit: Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israël? nescio Dominum, et Israël non dimittam.[‡] ³ Dixeruntque: Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro:

[†]5.1 *Dimitte populum meum.* ORIG., hom. 3 in Exod. Non vult Moses ut populus in Ægypto positus serviat Deo, sed ut exeat in desertum, et ibi serviat. Dum enim quis in tenebrosis sæculi actibus manet, et in negotiorum obscuritate versatur, non potest servire Deo. **Non enim potestis servire Deo et mammonæ** Matth. 6.. Exeundum est ergo de Ægypto: reunquenqus est mundus, non loco, sed animo, si volumus servire Domino. Inde Joannes ait: **Filioli, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt** I Joan. 2..

[‡]5.2 *Qui est Dominus?* Superbiam diaboli exprimit, qui subdi Deo contemnens, ait: **Similis ero Altissimo** Isa. 14.; et quasi de Domini nativitate dubitans, dicit: **Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant** Matth. 4.. Postea vero quasi coacte dæmones clamaverunt: **Quid venisti ante tempus torquere nos? Scimus quia es Filius Dei** Matth. 8.. Post tormenta sciunt, quæ ante scire noluerant. Pharao quoque verberatus pro se supplicari ad Dominum rogat. **Quis est dominus, ut audiam vocem ejus?** etc. Vides quid agit cruda superbia; videbitis paulo post quantum proficit in flagellis: quantum melior verberatus efficitur; qui modo dicit, Nescio Dominum, verberatus dicturus est: Orate pro me Dominum. Nemo ergo ita ineruditus sit divinæ disciplinæ, ut flagella divina perniciem putet et pœnalem interitum. Ecce etiam Pharao durissimus proficit verberatus: ante enim verbera Dominum nescit, verberatusque pro se rogat supplicari; et proficiens in pœnis, scit agnoscere cur puniatur. **Nescio**, ait, **Dominum.** In Evangelio verberatus emendat hanc vocem, quia dæmones clamaverunt: **Scimus te quis sis: tu es Filius Dei vivi.** Post flagella etiam Israël dimittet, et etiam urgebit exire. **Nulla enim societas luci ad tenebras, nulla pars fidei cum infidei** II Cor. 6..

ne forte accidat nobis pestis aut gladius.^{¶ 4} Ait ad eos rex Ægypti: Quare Moyses et Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra.^{§ 5} Dixitque Pharaon:

[¶]5.3 *Deus Hebræorum vocavit nos*, etc. AUG. in Exod. Quæritur quomodo populo dicatur, etc., usque ad ut justum iudicium consequatur. ORIG. Moraliter. Iter tridui de Ægypto proficiscimur, si ita nos ab omni inquinamento animæ, et corporis, ac spiritus conservemus, ut integer spiritus noster, et anima, et corpus, in diem Christi servetur. ORIG. Tridui iter proficiscimur de Ægypto, si rationabilem, moralem, naturalem sapientiam, de rebus mundialibus auferentes, ad instituta divina convertimus. Tridui iter de Ægypto proficiscimur, si purificantes in nobis dicta, facta vel cogitata tria sunt enim hæc per quæ homines peccare possunt, efficiamur mundi corde, ut Deum videre possimus. Princeps vero Ægypti ubi videt se vehementius urgeri ut dimittat populum Dei, secundo loco cupit impetrare ut non longius abeat, ne totum triduum proficiscantur, dicens: *Ne longe abeat*. Non vult longe a se fieri populum Dei. Vult enim, si non in facto, vel in sermone peccent; si non in sermone, vel in cogitatione. Non vult ut totum triduum a se proficiscantur. Vult in nobis vel unum diem, videlicet, in aliis duos, in aliis totum triduum possidere. Beati illi qui ab eo totum triduum recedunt. *Viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Deo*, etc. ISID. Viam trium dierum ambulamus exeuntes de Ægypto, ut ad locum perveniamus ubi immolare debemus Domino. Hæc via Christus est, qui ait Joan. 14: *Ego sum via, veritas et vita*. Qui enim confessus fuerit Christum ore, et crediderit corde quod Deus illum suscitavit tertia die, salvus erit, perveniens ad locum in quo immoletur sacrificium laudis. STRAB. *Viam trium dierum*, etc. Tertia mansione, postquam transierunt mare Rubrum, pervenerunt Ethan, qui locus etiam Mara vocatur, propter amaras aquas. Vel trium dierum, id est, trium mensium, quia tertio mense postquam de Ægypto exierunt, pervenerunt Sina, ubi sacrificaverunt, et legem acceperunt, ubi erectum est et tabernaculum. ORIG., hom. 3 in Exod. Nunc quoque Moses, quem habemus nobiscum habemus enim Mosen et prophetas, id est, lex Dei vult te educere de Ægypto, si audias eam; vult te longe facere a Pharaone, eruere de opere luti et palearum: si tamen audias, et spiritualiter intelligas; non vult te in carnis et tenebrarum actibus permanere, sed exire ad eremum, ad locum scilicet perturbationibus et fluctibus sæculi vacuum, et ad quietem silentii. Verba enim sapientiæ in silentio et quiete discuntur. In hoc loco poteris Domino immolare legem Dei, et virtutem divinæ vocis agnoscere. Ideo cupit Moses te ejicere de fluctibus negotiorum et strepitu populorum, et de Ægypto, id est de tenebris ignorantiae, ut legem Dei audias et lucem scientiæ capias.

[§]5.4 *Quare, Moses et Aaron, sollicitatis*, etc. ORIG., ibid. Dum secum est populus, et lutum aut laterem operatur, dum in paleis occupatur, non putat esse perversum, sed recte incedere. Si vero dicat, Volo ire dierum trium viam, et servire Domino, perverti populum dicit per Mosen et Aaron. Hodie quoque si Moses et Aaron, id est propheticus et sacerdotalis sermo animam sollicitet ad servitutem Dei, exire de sæculo, renuntiare omnibus quæ possidet, attendere legi et verbo Dei: continuo audies unanimes et amicos Pharaonis dicentes: Videte quomodo seducuntur homines, et pervertuntur adolescentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid quod prosit, relictis rebus necessariis ineptias sectantur et otium. Quid est servire Deo? Laborare nolunt et otii occasiones quærunt: hæc erant tunc verba Pharaonis, hæc et nunc amici ejus loquuntur, nec solum verbis, sed et verberibus persequuntur. Flagellari jubet scribas Hebræorum, paleas non dari, opus exigi; hæc passi sunt patres, et nunc Dei populus patitur. Qui se ex integro principi hujus mundi tradiderunt, prospere agunt; omnia, ut putant, feliciter eveniunt: servis autem Dei etiam victus parvus et humilis non succedit. Hæc sunt enim paleæ quæ dabantur a Pharaone; unde quidam fatigati dicunt ad Pharaonem: Quid tu affligis populum tuum? Superati enim verberibus a fide cadunt, et confitentur se esse Pharaonis populum, non enim omnes qui ex Israël, hi sunt Israhelitæ.

Multus est populus terræ: videtis quod turba succreverit: quanto magis si dederitis eis requiem ab operibus? ⁶ Præcepit ergo in die illo præfectis operum et exactoribus populi, dicens: ⁷ Nequaquam ultra dabitur paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius: sed ipsi vadant, et colligant stipulas. ⁸ Et mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quidquam: vacant enim, et idcirco vociferantur, dicentes: Eamus, et sacrificemus Deo nostro. ⁹ Opprimantur operibus, et expleant ea: ut non acquiescant verbis mendacibus.** ¹⁰ Igitur egressi præfecti operum et exactores ad populum, dixerunt: Sic dicit Pharaos: Non do vobis paleas: ¹¹ ite, et colligite sicubi invenire poteritis, nec minuetur quidquam de opere vestro. ¹² Dispersusque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. ¹³ Præfecti quoque operum instabant, dicentes: Complete opus vestrum quotidie, ut prius facere solebatis quando dabantur vobis paleæ. ¹⁴ Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israël, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus: Quare non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri, nec hodie?†† ¹⁵ Veneruntque præpositi filiorum Israël, et vociferati sunt ad Pharaonem dicentes: Cur ita agis contra servos tuos? ¹⁶ paleæ non dantur nobis, et lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, et injuste agitur contra populum tuum. ¹⁷ Qui ait: Vacatis otio, et idcirco dicitis: Eamus, et sacrificemus Domino. ¹⁸ Ite ergo, et operamini: paleæ non dabuntur vobis, et reddetis consuetum numerum laterum. ¹⁹ Videbantque se præpositi filiorum Israël in malo, eo quod diceretur eis: Non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies. ²⁰ Occurreruntque Moysi et Aaron, qui stabant ex adverso, egredientibus a Pharaone: ²¹ et dixerunt ad eos: Videat Dominus et judicet, quoniam foetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuitis ei gladium, ut oc-

**5.9 *Opprimantur operibus et expleantea*, etc. Mystice. Ex quo loqui cœpit Moses ad Pharaonem magis affligitur populus Dei: ex quo in animam sermo Dei pervenit, diabolus acrius insurgit, et majora vitia immittit. Prius enim quam sermo Dei veniret, qui argueret vitia, in pace durabant, at ubi venit, turbatio magna consurgit.

††5.14 *Flagellatique sunt qui*, etc. Filii Israël gravius attriti sunt, postquam de Ægypto egredi statuerunt; quia qui mundo et pravis operibus renuntiare volunt, sævioribus tentationibus a diabolo impugnantur.

cideret nos.†† 22 Reversusque est Moyses ad Dominum, et ait: Domine, cur afflixisti populum istum? quare misisti me?††† 23 ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum: et non liberasti eos.

6 Dixitque Dominus ad Moysen: Nunc videbis quæ facturus sim Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, et in manu robusta ejiciet illos de terra sua. 2 Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Ego Dominus 3 qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente: et nomen meum Adonai non indicavi eis. §§ 4 Pepigique foedus cum eis, ut darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt advenæ. 5 Ego audiivi gemitum filiorum Israël, quo Ægyptii oppruserunt eos: et recordatus sum pacti mei. 6 Ideo dic filiis Israël: Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, et eruam de servitute, ac redimam in brachio excelso et judiciis magnis. 7 Et assumam vos mihi in populum, et ero vester Deus: et scietis quod ego sum Dominus Deus vester qui eduxerim vos de ergastulo

††5.21 *Videat Dominus*, etc. GREG. l. 29, Moral., cap. 14. Cum lux divina cor humanum illustrat, usque ad quasi fetere se in oculis Pharaonis dolet. *Quoniam fetere*, etc. ORIG. Hom. 3. Allegorice. Verum dicunt, quamvis nesciant, sicut Caiphias, qui ait: *Expedit ut unus moriatur pro populo* Joan. 18.; quid diceret nesciebat. Sicut enim Apostolus ait: *Christi bonus odor sumus, aliis in vitam, aliis in mortem*, ita propheticus sermo suavis odor est credentibus; dubiis vero et incredulis, et qui fatentur se populum Pharaonis, odor execrabilis efficitur. Ipse quoque Moses dicit Domino: Ex quo locutus sum cum Pharaone, afflixisti populum tuum; quia antequam sermo Dei audiatur, non est tribulatio, vel tentatio: sed ubi signum belli tuba prædicationis ostenderit, tribulationum pugna consurgit. Ex quo ergo loqui cœpit Moses et Aaron ad Pharaonem, affligitur populus Dei. Ex quo in animam tuam sermo Dei prolatus est, certamen intra te virtutibus contra vitia suscitatur, quæ prius intra te in pace durabant. Sed ubi facere cœpit sermo Dei cujusque discrimen, turbatio magna consurgit, et sine foedere nascitur bellum: quia injustitia justitiæ non convenit, nec sobrietati ebrietas, vel veritati mendacium. Ideo non turbemur si videatur odor execrabilis Pharaoni. Exsecratio enim vitii dicitur virtus. Sed sicut stetit Moses ante Pharaonem, stemus et nos; non flectamur, *succincti lumbos in veritate, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis* Ephes. 6.. Stamus autem confidenter, Dominum deprecamur, ut statuatur pedes nostros supra firmam petram, ne moveantur pedes nostri. Stemus autem, id est, obsistamus, secundum illud I Petr. 5: *Cui resistite fortes in fide: ut cito conteratur Satanus sub pedibus nostris*. Quanto enim nos constanter et fortiter stamus, tanto Pharaon infirmius. Si autem infirmi vel dubii esse cœperimus, validior fiet. Cum enim elevaret Moses manus, vincebatur Amalec; cum quasi lassas dejiceret, invalescebat. Nos ergo in virtute crucis Christi extollamus brachia, et levemus in oratione sanctas manus, ut Dei auxilium mereamur. Hinc Jacobus ait: *Resistite diabolo et fugiet a vobis* Jac. 3.. Agamus ergo ut non solum fugiat, sed conteratur sub pedibus nostris exstinctus in profundo abyssi. Nos autem si recedamus de Ægypto vitiorum, fluctus sæculi tanquam iter solidum evadimus per Jesum Christum.

†††5.22 *Domine, cur afflixisti populum istum?* AUG. Non sunt hæc verba contumaciæ vel indignationis, sed inquisitionis et orationis, sicut ex his apparet quæ Dominus respondit. Non enim arguit infidelitatem ejus, sed quid sit facturus aperuit. §§6.3 *Et nomen meum Adonai non indicavi eis*. Sicut tibi. Per successiones enim ætatum crevit divini cognitionis augmentum. Apparuit Dominus Abraham; locutus est facie ad faciem cum Mose; David vero ait psalm. CXVIII: *Super senes intellexi*, etc. Apostoli Dei Filium præsentem cernebant, et quidquid volebant, interrogabant, quibus etiam dicitur Lucae 2: *Multi reges et prophetæ*, etc.

Ægyptiorum,*⁸ et induxerim in terram, super quam levavi manum meam ut darem eam Abraham, Isaac et Jacob: daboque illam vobis possidendam. Ego Dominus.⁹ Narravit ergo Moyses omnia filiis Israël: qui non acquieverunt ei propter angustiam spiritus, et opus durissimum.[†]¹⁰ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:¹¹ Ingredere, et loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ut dimittat filios Israël de terra sua.¹² Respondit Moyses coram Domino: Ecce filii Israël non audiunt me: et quomodo audiet Pharaon, præsertim cum incircumcisus sim labiis?[‡]¹³ Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, et dedit mandatum ad filios Israël, et ad Pharaonem regem Ægypti ut educerent filios Israël de terra Ægypti.¹⁴ Isti sunt principes domorum per familias suas. Filii Ruben primogeniti Israël: Henoah et Phallu, Hesron et Charmi.[¶]¹⁵ hæ cognationes Ruben. Filii Simeon: Jamuel, et Jamin, et Ahod, et Jachin, et Soar, et Saul filius Chananitidis: hæ progenies Simeon.¹⁶ Et hæ nomina filiorum Levi per cognationes suas: Gerson, et Caath, et Merari. Anni autem vitæ Levi fuerunt centum triginta septem.¹⁷ Filii Gerson: Lobni et Semei, per cognationes suas.¹⁸ Filii Caath: Amram, et Isaar, et Hebron, et Oziel; anni quoque vitæ Caath, centum triginta tres.¹⁹ Filii Merari: Moholi et Musi: hæ cognationes Levi per familias suas.²⁰ Accepit autem Amram uxorem Jochabed patruelem suam: quæ peperit ei Aaron et Moysen. Fueruntque anni vitæ Amram, centum triginta septem.[§]²¹ Filii quoque Isaar: Core, et Nepheg, et Zechri.^{**}²² Filii quoque Oziel: Misaël, et Elisaphan, et Sethri.²³ Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth filiam Aminadab, sororem Nahason, quæ peperit ei Nadab, et Abiu, et Eleazar, et Ithamar.²⁴ Filii quoque Core: Aser, et Elcana, et Abiasaph: hæ sunt cognationes Coritarum.²⁵ At vero Eleazar filius Aaron accepit uxorem de filiabus Phutiel: quæ peperit ei Phinees. Hi sunt principes familiarum Leviticarum per cognationes suas.²⁶ Iste est Aaron et Moyses,

*6.7 *De ergastulo Ægyptiorum.* Ergastulum et ergasterium, id est operatorium: scilicet ubi rei ad opera faciendâ religabantur.

†6.9 *Non acquieverunt ei,* etc. Nota Dei clementiam: non creditur a filiis Israël, et tamen monere non cessat. Contemnitur a Pharaone, et longanimitèr exspectat.

‡6.12 *Ecce filii,* etc. AUG. Quæst. 16 in Exod. 70. *Ecce ego gracili voce sum et quomodo exaudiet me Pharaon.* Non videtur tamen propter multitudinem populi excusare se de vocis gracilitate, sed etiam propter unum hominem: mirum si tam gracilis vocis fuit, ut nec ab uno posset audiri. An forte regius fastus non permittebat eos de proximo loqui.

¶6.14 *Isti sunt principes,* etc. AUG. Quæst. 15. Volens Scriptura originem Moysi demonstrare, quod ejus actio expetebat, a primogenito Jacob, id est Ruben, cœpit; inde ad Simeon, inde ad Levi: ultra progressum non est, quia ex Levi Moses. Hi autem commemorantur, qui jam memorati fuerant in illis septuaginta quinque in quibus Israël intraverat in Ægyptum. Non enim primam, vel secundam, sed tertiam tribum, id est Leviticam, voluit Deus esse sacerdotalem.

§6.20 *Accepit autem Amram uxorem Jochabed,* etc. STRAB. Amram interpretatur *pater excelsus*, qui significat Christum; Jochabed, *Dei gratia*, quæ significat Ecclesiam: Ex Christo et Ecclesia nascitur Moses, id est lex spiritualis, et Aaron, scilicet verum sacerdotium. *Accepit autem,* etc. Hæc de tribu Juda fuit, soror Naason, qui fuit princeps tribus Judæ in deserto: nondum enim præceptum erat ut quisque, de tribu sua uxorem acciperet. Ideo autem hæc tribus, id est Levitica et regalis, jam tunc conjungebantur, ut intelligeretur Christus rex et sacerdos futurus ex eis.

**6.21 *Filii quoque Isaar,* etc. STRAB. Quæritur cur Core, quem pro iniquitate terra vivum absorbit, in genealogia justorum scriptus sit? Sed hæreticos cum catholicis in Ecclesia significat futuros

quibus præcepit Dominus ut educerent filios Israël de terra Ægypti per turmas suas. ²⁷ Hi sunt, qui loquuntur ad Pharaonem regem Ægypti, ut educant filios Israël de Ægypto: iste est Moyses et Aaron, ^{†† 28} in die qua locutus est Dominus ad Moysen, in terra Ægypti. ²⁹ Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Ego Dominus: loquere ad Pharaonem regem Ægypti, omnia quæ ego loquor tibi. ³⁰ Et ait Moyses coram Domino: En incircumciscus labiis sum, quomodo audiet me Pharaos?

7 Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis: et Aaron frater tuus erit propheta tuus. ^{‡‡ 2} Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi: et ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israël de terra sua. ³ Sed ego indurabo cor ejus, et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti, ⁴ et non audiet vos: immittamque manum meam super Ægyptum, et educam exercitum et populum meum filios Israël de terra Ægypti per iudicia maxima. ⁵ Et scient Ægyptii quia ego sum Dominus qui extenderim manum meam super Ægyptum, et eduxerim filios Israël de medio eorum. ⁶ Fecit itaque Moyses et Aaron sicut præceperat Dominus: ita egerunt. ⁷ Erat autem Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem. ^{¶¶ 8} Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron: ⁹ Cum dixerit vobis Pharaos, Ostendite signa: dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, et projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum. ¹⁰ Ingressi itaque Moyses et Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus: tulitque Aaron virgam coram Pharaone et servis ejus,

^{††}6.27 **Iste Moyses.** STRAB. Hoc ex suo addit Esdras, qui omnem bibliothecam post captivitatem Babylonicam, cunctis libris a Nabuchodonosor succensis reparavit; vel ipse Moses de se tanquam de alio loquitur.

^{‡‡}7.1 **Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce constitui te dominum,** etc. AUG. Quæst. 17 in Exod., tom 3. Notandum quod cum ad populi mitteretur, non ei dictum est: Ecce dedi te Deum populo, et frater tuus erit tuus propheta; sed, frater tuus loquetur tibi ad populum. Dictum est etiam **erit os tuum, et tu illi in his quæ ad Deum;** non dictum est, **tu illi Deus.** Pharaoni autem dicitur Moses datus deus, et secundum analogiam propheta Mosi est datus Aaron, sed ad Pharaonem. Hic insinuat nobis ea loqui prophetas Dei quæ audiunt ab eo; nihilque aliud esse prophetam Dei, nisi enuntiatorem verborum Dei hominibus, qui Deum vel non possunt, vel non merentur audire. GREG. hom. 8 super Ezech. Aliquando Deus nuncupative, aliquando essentialiter dicitur. Nuncupative, ut hic: **Constitui te deum Pharaonis.** Et alibi: **Applica illum ad deos.** Et alibi: **Deus stetit in synagoga deorum,** etc. Essentialiter sicut hic: **Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob,** quod volens Paulus discernere ait: **Ex quibus Christus secundum carnem natus est, qui est Deus benedictus in sæcula.** Nuncupative enim dicitur Deus inter omnia, essentialiter autem super omnia; ut ergo ostenderet Christum naturaliter Deum, non tantum Deum, sed Deum super omnia esse memoravit. Justus enim quilibet Deus est, sed inter omnia, quia nuncupative: Christus autem super omnia, quia naturaliter Deus. AUG. Quæst. 18 in Exod. Assidue dicit Deus, etc. **usque ad indurabo,** id est, quam durum sit demonstrabo.

^{¶¶}7.7 **Erat autem Moses octoginta annorum,** etc. STRAB. Propter circumcisionem scilicet, quæ octava die celebrari jussa est: eandem enim significationem habet octogenarius quam et octonarius infra eum minor. **Erat autem Moses octoginta annorum.** Quando Moses et Aaron locuti sunt ad Pharaonem, Moses erat octogenarius, Aaron vero octoginta trium annorum: quia lex per prædicatores ad gentes oblata circumcisionem spiritualem docuit, et ipsi perfecte mundari studebant, et sic fidem sanctæ Trinitatis prædicabant. Vers. 9

quæ versa est in colubrum.^{§§} ¹¹ Vocavit autem Pharaeo sapientes et maleficos: et fecerunt etiam ipsi per incantationes ægyptiacas et arcana quædam similiter.* ¹² Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed devoravit virga Aaron virgas eorum.[†] ¹³ Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus.[‡] ¹⁴ Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingravatum est cor Pharaonis: non vult dimittere populum. ¹⁵ Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas: et stabis in occursum ejus super ripam fluminis: et virgam quæ conversa est in draconem, tolles in manu tua.[¶] ¹⁶ Dicesque ad eum: Dominus Deus Hebræo-

§§7.10 *Tulitque Aaron*, etc. ISID. in Gen., tom. 5. Tulitque virgam coram Pharaone, etc., *usque ad: Ero mors tua, o mors*, etc. *Quæ versa est in colubrum*. Lex Mosi quasi insipida erat ut virga, sed versa in colubrum, id est in spiritualem intelligentiam, potabilis effecta est et delectabilis.

*7.11 *Vocavit autem Pharaeo sapientes*, etc. Sciendum quia vel diabolicis figmentis spectantium oculos deludebant, ut res in sua natura manentes aliud viderentur; vel, secundum Augustinum, dæmones, quamvis mali naturam suam non amiserunt: ideo dum per incantationem eorum malefici aliquid efficere conantur, discurrunt per mundum, et subito semina eorum, de quibus hoc agitur, afferunt. Sicque ex illis, permittente Deo, novas rerum species producunt. *Similiter*. In prima plaga dicit cum aqua vertitur in sanguinem; et in secunda, cum ranæ ebulliunt; et in tertia cum ciniphos ingruunt; in quarta, cum cynomyia educitur; in quinta, cum manus Domini fit super pecora Ægyptiorum, dicuntur similia.

†7.12 *Dracones*. Apo tou dicuntur, id est videre, quia vident acutius cæteris animalibus. *Sed devoravit*, etc. AUG. Quæst. 21. Si dictum esset, Absorbuit draco Aaron virgas eorum, intelligeretur verus draco Aaron phantastica figmenta non absorbuisset, sed virgas, etc., usque ad Deum vero solus creator est verus, qui causas ipsas et rationes seminarias rebus inseruit.

‡7.13 *Induratumque*, etc. Induravit Deus cor Pharaonis, quia diabolum ita induravit post peccatum, ut poenitentiae compunctione nunquam emolliatur, sicut in Job XLI dicitur: *Cor ejus indurabitur quasi lapis*.

¶7.15 *Vade ad eum mane, ecce egredietur*, etc. ORIG. hom. 4. Primo quidem non intrat Moses ad Pharaonem, sed occurrit ei exeunti ad aquas; postea vero intrat; post hæc nec intrat, sed accersitus accedit: quia sive nobis in verbo Dei et assertionem religionis certamen est cum Pharaone, sive obsessas ab eo animas eripere conamur, et est in nobis in disputatione luctamen, non prima fronte ingredi debemus ad ultima quæstionum loca, sed occurrendum est nobis adversario, et ad aquas suas, id est, auctoritates gentium philosophorum, ut ipsos primo arguamus et errasse doceamus; deinde ingrediendum ad interiora certaminis. Dicit enim Dominus: *Nisi quis prius alligaverit fortem, non potest intrare in domum ejus et vasa ejus diripere* Marc. 12.. Prius ergo ligandus est fortis et quæstionum vinculis constringendus, et ita introeundum ad diripienda vasa. et liberandas animas quas deceptione et fraude possederat. Quod cum sæpius fecerimus, et steterimus contra ipsum, succincti scilicet lumbos in veritate, et stantes in Domino, et viriliter agentes, artifex antiquus et callidus victum se simulabit et cedere, ut negligentiores nos faciat ad certamen. Poenitentiam quoque simulabit, deprecabitur nos discedere, sed non longe: vult nos aliqua parte sibi esse vicinos. Sed nisi ab eo longius recedamus, et mare transeamus, et dicamus cogitatione, locutione, et opere: Quantum distat ortus ab occidente, tantum fecit a nobis iniquitates nostras, salvi esse non possumus. Oremus ergo misericordiam Dei, ut et nos eripiat de terra Ægypti, de potestate tenebrarum, et Pharaonem cum exercitu suo tanquam plumbum demergat in aqua vehementissima. Nos autem liberati cum gaudio et exultatione hymnum cantemus Domino. Gloriose enim honorificatus est, etc. ISID. Plagæ in Ægypto corporaliter gestæ sunt, sed in nobis spiritualiter geruntur. Ægyptus enim sæculi forma est.

rum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto: et usque ad præsens audire noluisti. ¹⁷ Hæc igitur dicit Dominus: In hoc scies quod sim Dominus: ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, et vertetur in sanguinem. [§] ¹⁸ Pisces quoque, qui sunt in fluvio, morientur, et computrescent aquæ, et affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis. ¹⁹ Dixit quoque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquas Ægypti, et super fluvios eorum, et rivos ac paludes, et omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem: et sit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vasis quam in saxeis. ²⁰ Feceruntque Moyses et Aaron sicut præceperat Dominus: et elevans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone et servis ejus: quæ versa est in sanguinem. ^{**} ²¹ Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt: computruitque fluvius, et non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis, et fuit sanguis in tota terra Ægypti. ²² Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis: et induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos, sicut præceperat Dominus. ^{††} ²³ Avertitque se, et ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice. ²⁴ Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam ut biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis. ^{‡‡} ²⁵ Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium.

8 Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, et dices ad eum: **Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi: ² sin autem**

§7.17 *Aquam fluminis*, etc. STRAB. Aqua in sanguinem versa mundanam sapientiam significat, in qua omnis qui manserit necatur, sicut in sanguine piscis. Mundana enim sapientia stultum putat Deum pro hominibus mori; huic ergo quicunque adhæserit vivere non poterit. ORIG. Aqua fluminis vertitur in sanguinem, cui Hebræorum pueros tradiderant necandos, ut auctoribus sceleris poculum redderet sanguinis: et cruorem polluti gurgitis, quem parricidali cæde maculaverant, potando sentirent. Allegorice quoque aquæ Ægypti erratica et lubrica philosophorum dogmata sunt, quos parvulus sensu et intelligentia deceperunt: at ubi crux Christi lumen veritatis ostendit, necis suorum in pœnas et reatum sanguinis exiguntur. Unde: *Omnis sanguis qui effusus est super terram, requiretur a generatione hac* Matth. 23..

**7.20 *Quæ versa est in sanguinem*, etc. RAB. Primum præceptum de colendo uno Deo: Non erunt tibi dii alii præter me: prima plaga, aqua in sanguinem versa. Compara primum præceptum primæ plagæ: aqua, de qua generantur omnia, significat unum Deum, ex quo omnia; sanguis, carnem mortalem. Aqua ergo versa est in sanguinem, quia *commutaverunt gloriam Dei incorruptibilis in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, et hæc quidem commutatio fit in corde impiorum. *In sanguinem*, etc. Quia qui in rerum causis carnaliter sentiunt, hujusmodi correptionibus arguuntur, ut ex qualitate pœnarum agnoscant suum errorem.

††7.22 *Et induratum est cor Pharaonis*. AUG. Quæst. 22. Videtur propterea cor Pharaonis induratum fuisse, quia incantatores Ægyptiorum similia fecerunt. Sed sequentia docent quanta fuerit illa obduratio, etiam cum incantatores defecerunt.

‡‡7.24 *Foderunt autem*, etc. Quia gentilitas confusa de meditatione sæcularis philosophiæ, cum videt nihil vitale nec salubre esse in illa, studet investigando circumquaque quærens haustum sapientiæ, nec invenit, donec perveniat ad eum qui ait: Qui sitit, veniat ad me et bibat Joan. 7..

nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis,[¶] ³ et ebulliet fluvius ranas: quæ ascendent, et ingredientur domum tuam, et cubiculum lectuli tui, et super stratum tuum, et in domos servorum tuorum, et in populum tuum, et in furnos tuos, et in reliquias ciborum tuorum: ⁴ et ad te, et ad populum tuum, et ad omnes servos tuos intrabunt ranæ. ⁵ Dixitque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Extende manum tuam super fluvios ac super rivos et paludes, et educ ranas super terram Ægypti. ⁶ Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, et ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti. ⁷ Fecerunt autem et malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Ægypti.^{§§} ⁸ Vocavit autem Pharaos Moysen et Aaron, et dixit eis: Orate Dominum ut auferat ranas a me et a populo meo, et dimittam populum tuum ut sacrificet Domino. ⁹ Dixitque Moyses ad Pharaonem: Constitue mihi quando deprecer pro te, et pro servis tuis, et pro populo tuo, ut abigantur ranæ a te, et a domo tua, et a servis tuis, et a populo tuo: et tantum in flumine remaneant. ¹⁰ Qui respondit: Cras. At ille: Juxta, inquit, verbum tuum faciam: ut scias quoniam non est sicut Dominus Deus noster.* ¹¹ Et recedent ranæ a te, et a domo tua, et a servis tuis, et a populo tuo: et tantum in flumine remanebunt. ¹² Egressique sunt Moyses et Aaron a Pharaone: et clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni. ¹³ Fecitque Dominus juxta verbum Moysi: et mortuæ sunt ranæ de domibus, et de villis, et de agris. ¹⁴ Congregaveruntque eas in immensos aggeres, et computruit terra. ¹⁵ Videns autem Pharaos quod data esset requies, ingravit cor

[¶]8.2 *Ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis*, etc. STRAB. Tria sunt genera ranarum: unum fluviale et vocale, alterum ejus quæ calamita dicitur, de qua fertur quod si in os latrantis canis projicitur, statim obmutescit; tertium ejus quæ rubeta dicitur, eo quod in vepribus agat. ORIG. Ranæ significant carmina poetarum, quæ inani et inflata modulatione, velut ranarum sonis et cantibus, mundo deceptionis fabulas intulerunt: ad nihil enim animal illud utile est, nisi quod sonum vocis improbis et importunis clamoribus reddit. RAB. Secundum præceptum: **Non accipies nomen Dei tui in vanum**. Nomen Dei veritas est: ipse enim ait: *Ego sum veritas*. Qui loquitur veritatem, de Deo loquitur; **qui enim loquitur mendacium, de suo loquitur**. Veritatem enim loqui est rationabiliter loqui: vanitatem loqui, strepere est. Secundum ergo præceptum est de dilectione veritatis, cui contraria est dilectio iniquitatis. Loquitur veritas, perstrepat vanitas. Huic contraria est secunda plaga, ranarum abundantia, quarum loquacitas vanitatem significat. Amatores veritatis non accipiunt nomen Dei in vanum, quia a veritate in vanitatem non recedunt. Qui autem veritati contradicunt, et vanitate decepti decipiunt, ranæ sunt, tædium inferentes auribus, non cibum mentibus. Audi homines rationabiliter loquentes psal. 18: **Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces eorum**. Audi ranas: **Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum**, etc.

^{§§}8.7 *Fecerunt autem malefici*, etc. AUG., quæst. 23. Quæritur unde, si jam ubique factum erat. Sed similis quæstio est, unde aquam in sanguinem verterint, si jam tota aqua Ægypti in sanguinem versa fuerat? Sed intelligendum est regionem ubi filii Israël habitabant, talibus plagis non fuisse percussam, et inde potuerunt incantatores haurire aquam, quam in sanguinem verterent, vel ranas educere ad ostentationem magicæ potentiæ; quanquam potuerunt etiam, postquam illa compressa sunt, facere: sed Scriptura narrando conjunxit quod postea fieri potuit.

*8.10 *Qui respondit: Cras*. THEOD. Pharaos cum scire vellet an Moysi et Aaron preces aliquid apud Deum valeret illos enim per noctem quiescere existimabat, ait: **Cras**, ut ipsemet ad fluvium profectus, videret an ranæ cessassent. Quamobrem Deus, ut Mosi crederetur, non tantum eo ipso tempore quo Moses constituerat, ranas cessare fecit, sed et eas quæ in terra erant interire jussit, ut ne easdem rediisse existimarent.

suum, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus.† 16 Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, et percute pulverem terræ: et sint sciniphes in universa terra Ægypti.‡ 17 Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens: percussitque pulverem terræ, et facti sunt sciniphes in hominibus, et in jumentis: omnis pulvis terræ versus est in sciniphes per totam terram Ægypti. 18 Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent sciniphes, et non potuerunt: erantque sciniphes tam in hominibus quam in jumentis.¶ 19 Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic; induratumque est cor Pharaonis, et non

†8.15 *Videns autem Pharaos*, etc. AUG. Quæst. 24. Hic apparet non ideo tantum Pharaonem obduratum quod incantatores similia fecerunt, etc., usque ad non dixit munera, vel præmia, sed judicia tua.

‡8.16 *Extende virgam*, etc. Mystice. Moses virga castigans Ægyptum legem significat, quæ mundum decem plagis mandatorum corripit. Virga quoque per quam Ægyptus corrigitur, et Pharaos superatur, crux Christi est, per quam mundus vincitur et diabolus superatur vel triumphatur. Virga projecta fit serpens, qui sapientiam significat, secundum illud Matth. 10: *Estote prudentes sicut serpentes*, etc. Virga serpentes magorum devoravit, et crux Christi, cujus prædicatio videtur stultitia, omnem sapientiam mundi superat. Unde: *De me enim ille scripsit* Joan. 5.. Virga in terram projecta versa est in serpentem, quia cum mysterium crucis ad fidem hominum venit, sapientiam mundi stultam fecit. *Et sint sciniphes*, etc. ORIG. Hoc animal pennis suspenditur per æra volitans, sed ita subtile et minutum, ut oculi visum, nisi acute cernentis, effugiat. Corpus tamen cum insederit, acerbissimo terebrat stimulo, ut quem volantem videre quis non valet, sentiat stimulantem. Hoc ergo animal arti dialecticæ comparatur, quæ minutis et subtilibus verbis stimulis animas terebrat, et tanta calliditate circum venit, ut deceptus nec videat nec intelligat unde decipiatur. RAB. Moraliter. Tertium præceptum: *Memento diem sabbati sanctificare*. Quo insinuat vacatio et tranquillitas mentis, quam bona conscientia facit. Ibi sanctificatio, quia ibi Spiritus Dei. Unde: *Super quem requiescet Spiritus meus nisi super humilem et quietum?* etc. Isa. 66.. Inquieti ergo a Spiritu sancto resiliunt, provocatores rixarum, amatores calumniarum, nec admittunt quietem sabbati spiritualis. Esto ergo mansuetus, non sit tumultus in corde tuo, volitantibus per corruptionem phantasmatis et pungentibus te. Audi Deum dicentem psal. 45: *Vacate et videte quoniam ego sum Deus*. Tu per inquietudinem vacare non vis, et cæcatus exigis videre quod non potes. Attende enim contrariam plagam: sciniphes nati sunt in terra Ægypti de limo, muscæ scilicet minutissimæ inquietissimæ, inordinate volantes, in oculos ruentes, et negantes hominibus requiem; dum abiguntur, redeunt; sic phantasmata inquietorum. Præceptum tene, plagam cave.

¶8.18 *Erantque sciniphes*. Sanguis est doctrina philosophorum: ranæ, figmenta pœtarum; sciniphes, sophismata dialecticorum: quæ omnia mundum deceperunt.

audivit eos sicut præceperat Dominus.^{§ 20} Dixit quoque Dominus ad Moysen: Consurge diluculo, et sta coram Pharaone: egredietur enim ad aquas: et dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi.^{** 21} Quod si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, et in servos tuos, et in populum tuum, et in domos tuas, omne genus muscarum: et implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis, et universa terra in qua fuerint.^{†† 22} Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ: et scias quoniam ego Dominus in medio terræ.^{‡‡ 23} Ponamque divisionem inter populum meum

§8.19 *Digitus Dei est hic*, etc. ISID. ex Aug. ep. 119. In tertio signo magi deficiunt, dicentes: *Digitus Dei est*: qui typum hæreticorum et animositatem habuerunt. Unde: *Sicut Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem*, etc. II Tim. 3.. Hi autem qui per mentis corruptionem inquieti fuerunt, in tertio signo defecerunt, fatentes sibi adversum Spiritum sanctum, qui erat in Mose. Tertio enim ponitur loco Spiritus, qui est digitus Dei: qui sicut placatus requiem præstat mitibus et humilibus corde, ita iratus immites et superbos per inquietudinem exagitat, quam muscæ gravissimæ significaverunt, sub quibus magi defecerunt, dicentes: *Digitus Dei est hic*, ne intelligant unde decipiantur. STRAB. Notandum quia tertio signo victi sunt magi, quia omnis perfidia et mundana sapientia, vel philosophia, fide Trinitatis vincitur. Cum enim philosophiam invenerint, et de machina totius mundi disputaverint, ad cognitionem Trinitatis pervenire nequiverunt. Per digitum Spiritus sanctus intelligitur, non quod minor sit Patre et Filio, sed quia in digito plurimæ divisiones sunt, et per Spiritum sanctum datur divisio gratiarum. AUG., quæst. 25 in Exod., tom. 3. Quod dixerunt magi ad Pharaonem, etc., *usque ad*, quamvis de Filio non tacuerunt.

**8.20 *Hæc dicit Dominus*, etc. RAB. Quartum præceptum: *Honora patrem tuum et matrem tuam*. Huic contraria est quarta plaga, scilicet cynomyia, id est, canina musca: caninum est parentes non agnoscere; unde catuli eorum cæci nascuntur.

††8.21 *Omne genus muscarum*. ISID. Mystice. Quarto loco Ægyptus muscis percutitur. Musca autem insolens et inquietum animal est, in qua insolentes curæ carnalium desideriorum figurantur. Ægyptus vero muscis percutitur, quia corda eorum qui sæculum diligunt, desideriorum inquietudinibus feriuntur. LXX: *cynomyiam*, id est, muscam caninam, posuerunt: per quam canini mores significantur, in quibus humanæ mentis voluptas, et libido carnis arguitur. Potest etiam forensis eloquentia hominum significari per muscam caninam, qui velut canes alterutrum se lacerant. PROCOP. Deus non magnis belluis utitur in expugnanda Ægypto, sed contemptissimarum bestiarum et insectorum ministerium accersit: ne scilicet illarum potentia ascriberetur effectus. Abjectis illis et infirmis bestiis tribuit vires inexpugnabiles, adeo ut desperet Ægyptus se posse illis bestiis resistere, et clamitet: *Digitus Dei hic est*: Nam manum Dei non feret universus mundus conglobatus. ORIG. Cynomyia hæreticorum [AL., Cynicorum] secta, qui ad reliquas deceptionis suæ improbitates, voluptatem et libidinem summum prædicant bonum. Quoniam igitur per hæc singula prius deceptus est mundus, merito adveniens sermo et lex Dei huiusmodi correptionibus arguit, ut ex qualitate pœnarum qualitates proprii cognoscant erroris.

‡‡8.22 *Faciamque mirabilem*, etc. AUG., quæst. 26. Hoc in prioribus signis intelligendum est factum esse, ut terra in qua habitabat populus Dei nullis talibus plagis vexaretur. Opportunum autem fuit ut ibi hoc aperte poneretur; unde jam incipiunt signa, quibus magi similia non conati sunt facere. Pro certo est enim quia ubique fuerant sciniphes in regno Pharaonis, non autem fuerant in terra Gessen vel Gesen: ibi conati sunt magi similia facere, nec potuerunt: quousque ergo deficerent, nihil de illius terræ separatione dictum est, sed ex quo cœperunt ea fieri quæ illi nec auderent conari.

et populum tuum: cras erit signum istud. ²⁴Fecitque Dominus ita. Et venit musca gravissima in domos Pharaonis et servorum ejus, et in omnem terram Ægypti: corruptaque est terra ab hujuscemodi muscis. ¶²⁵ Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et ait eis: Ite et sacrificate Deo vestro in terra hac. ²⁶Et ait Moyses: Non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro: quod si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent. §§ ²⁷Viam trium dierum pergemus in solitudinem: et sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis. ²⁸Dixitque Pharao: Ego dimittam vos ut sacrificetis Domino Deo vestro in deserto. ²⁹Dixitque Pharao: Egressus a te, orabo Dominum: et recedet musca a Pharaone, et a servis suis, et a populo ejus cras: verumtamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum sacrificare Domino. ³⁰Egressusque Moyses a Pharaone, oravit Dominum. ³¹Qui fecit juxta verbum illius, et abstulit muscas a Pharaone, et a servis suis, et a populo ejus: non superfuit ne una quidem. ³²Et ingravatum est cor Pharaonis, ita ut nec hac quidem vice dimitteret populum.*

9 Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, et loquere ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum ut sacrificet

¶8.24 *Et venit musca gravissima*, etc. AUG., ibid. Musca pro multitudine muscarum posita. Nescio enim quomodo per loquendi consuetudinem imbutis sensibus hominum: sæpe plus videtur quod singulariter, quam quod pluraliter, dicitur; verbi gratia: Est illic miles, quam sunt milites illic; est illic piscis, plus significat quam sunt illic pisces.

§§8.26 *Abominationes*. Perversi abominantur bona Ægyptii, id est, cives hujus sæculi abominantur oves, id est, simplicitatem bonorum. Sicut enim boni abominantur mala, ita mali bona. Unde abominantur boni virum impium, et impii eos qui in recta sunt via. AUG. Quæst. 28. In eremum dicebat Moyses se velle ire ubi Ægyptii non viderent abominationes suas. Hoc autem intelligendum est mystice significari, quod de pastoribus diximus, qui erant Ægyptiis abominabiles: et ideo separatam terram Israelitæ receperunt in Ægypto. Sic enim sacrificia Israelitarum abominationes sunt Ægyptiis, sicut iniquis vita justorum. STRAB. *Historice*. Ægyptii abominantur oves et eas adorant propter Jovem Ammonem, qui cum capite arietino pingitur. Item: bovem colunt Ægyptii, qui consecratus est Api, sicut vacca Isidi. Apis enim erat maximum numen Ægyptiorum, qui semel in anno certo tempore apparebat sacerdotibus eorum. Illi vero cum hymnis et laudibus eum prosequentes, quasi lymphatici prophetabant. GREG., lib. XVIII Moral., c. 28, tom. 2. Ægyptus muscis percutitur, etc., *usque ad Vacate et videte, quoniam ego sum Deus*.

*8.32 *Et ingravatum est*, etc. AUG., quæst. 29. Cum ablata esset locusta, dictum est de Pharaone: *Ingravavit Pharao cor suum etiam in hoc tempore, et noluit dimittere populum*. Certe nunc non dictum est, Ingravatum est cor Pharaonis, sed *ingravavit Pharao cor suum*. Sic utique in omnibus plagis. A voluntate hominis est origo vitiorum. Moventur autem causis corda hominum, alia sic, alia vero sic, etiam non diversis causis, sæpe diverso modo, secundum proprias qualitates, quæ ex voluntatibus veniunt.

mihi.[†] ²Quod si adhuc renuis, et retines eos, ³ecce manus mea erit super agros tuos, et super equos, et asinos, et camelos, et boves, et oves, pestis valde gravis. ⁴Et faciet Dominus mirabile inter possessiones Israëel et possessiones Ægyptiorum, ut nihil omnino pereat ex eis quæ pertinent ad filios Israëel. ⁵Constituitque Dominus tempus, dicens: Cras faciet Dominus verbum istud in terra. ⁶Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die: mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum; de animalibus vero filiorum Israëel, nihil omnino periit. ⁷Et misit Pharaos ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israëel. Ingravatumque est cor Pharaonis, et non dimisit populum.[‡] ⁸Et dixit Dominus ad Moysen et Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, et spargat illum Moyses in cælum coram Pharaone.[¶] ⁹Sitque pulvis super omnem terram Ægypti: erunt enim in hominibus et jumentis ulcera, et vesicæ turgentes in universa terra Ægypti.[§] ¹⁰Tuleruntque cinerem de camino, et steterunt coram Pharaone, et sparsit illum Moyses in cælum: factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus et jumentis: ¹¹nec poterant malefici stare coram Moyse propter ulcera quæ in illis erant, et in omni terra Ægypti. ¹²In-

[†]9.1 *Dixit autem Dominus ad Moysen*, etc. PROCOP. Primi inter jumenta computantur equi, qui sunt mendaces seu falsi ad salutem. Deinde jumenta immunda, quæ nec ungulas findunt, nec ruminant, curru tamen junguntur. Deinceps cameli, qui quamvis propter rumptionem quasi mundi reputentur, tamen quia eorum ungula non sulcatur, censentur immundi. Verumtamen partim mundæ partim immundæ conditionis cameli perhibentur. Cæterum quia hæc plaga, ut parum noxia propter vilitatem immundorum animalium credebatur, transit ad boves, dehinc ad placidissimum animalium, ovem. ORIG., hom. 4. Quinto loco animalium nece vel pecudum Ægyptus verberatur. In quo vecordia vel stultitia mortalium arguitur, qui tanquam irrationabilia pecora cultum et vocabulum Dei imposuerunt figuris, non solum hominum sed pecudum ligno et lapidibus impressis: Ammonem Jovem in ariete venerantes, Anubim in cane, Apim in tauro, et cætera portenta deorum, quæ Ægyptus miratur, ut quibus cultum credebant esse divinum, in his viderent miserandum supplicium. RAB. in Exod., tom. 2. Quintum præceptum est: **Non mæchaberis**, etc., usque ad attende plagam: si pecus es, saltem mori time.

[‡]9.7 *Ingravatumque est*, etc. AUG., quæst. 30. Si pecora Israhelitarum morerentur, videretur causa competens quare cor ejus gravaretur ad contemptum Dei, tanquam si magi ejus pecora Israhelitarum occidissent; sed unde debuit ad timendum vel credendum moveri, ingravatum est, et illa ingravatio etiam hucusque progressa est.

[¶]9.8 *Tollite plenas*, etc. AUG., quæst. 31. Alia littera: **Sumite plenas manus vobis favillæ de fornace, et asperget Moyses**, etc. Superiora signa virga fiebant, quam non Moyses, sed Aaron extendebat super aquam, vel ad terram percutiebat. Nunc vero interpositis duobus signis, de cynomyia scilicet et mortibus pecorum, ubi nec Aaron nec Moyses aliquid manu operantur, dicitur ut Moyses favillam spargat in cælum; ambo jubentur sumere, sed ille spargere non in terram sed in cælum: tanquam Aaron qui datus erat ad populum terram percutere deberet, vel in aquam sive in terram manum extendere; Moyses vero, qui erat in his quæ ad Dominum, favillam jubetur spargere. Quid duo illa superiora signa, ubi nec Moyses nec Aaron aliquid manu operantur? Quid sibi vult ipsa diversitas? Neque enim nihil. RAB. Sextum præceptum: **Non occides**; sexta plaga, pustulæ in corpore, vesicæ bullientes et scattentes, incendia vulnerum et favillæ fornacis. Ardent enim homicidæ ira, insania. Si posses videre animas homicidarum, plus plangeres eas quam putrescentia corpora ulceratorum.

[§]9.9 ORIG., ibid. **Vulnera et vesicæ** cum fervore in sexto verbere producuntur. In ulceribus dolosa purulentaque malitia arguitur; in vesicis tumens et inflata superbia: in fervore, ira et furoris insania.

duravitque Dominus cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut locutus est Dominus ad Moysen. ¹³ Dixitque Dominus ad Moysen: Mane consurge, et sta coram Pharaone, et dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. ^{** 14} Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, et super servos tuos, et super populum tuum: ut scias quod non sit similis mei in omni terra. ¹⁵ Nunc enim extendens manum percutiam te, et populum tuum peste, peribisque de terra. ¹⁶ Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra. ^{†† 17} Adhuc retines populum meum, et non vis dimittere eum? ¹⁸ En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto a die qua fundata est, usque in præsens tempus. ^{‡‡ 19} Mitte ergo jam nunc, et congrega jumenta tua, et omnia quæ habes in agro: homines enim, et jumenta, et universa quæ inventa fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque

^{** 9.13} *Induravitque Dominus cor,* etc. ORIG., ibid. Nota quia in sexta plaga non dicitur, Induratum est cor Pharaonis, sed aliquid terribilius additur; scriptum est enim *quia induravit Dominus cor Pharaonis,* etc. Rursus in septima cum grando et ignis Ægyptum vastat, induratur quidem cor Pharaonis, sed non a Domino. In octava vero, ubi locusta producit, dicitur Dominus indurare cor Pharaonis. Et in nona cum tenebræ palpabiles fiunt, tandem vero cum, extinctis primogenitis, Israëlita discessissent, ita dicitur: *Et induravit Dominus cor Pharaonis regis Ægypti et servorum ejus, et insecutus est eos.* Sed et cum Moyses de terra Madian ad Ægyptum mittitur et præcipitur ei facere prodigia, additur: *Facies ea in conspectu Pharaonis: Ego autem indurabo cor Pharaonis,* etc. Hinc primum dictum est a Domino: *Ego indurabo cor Pharaonis,* etc. Secundo quoque, enumeratis principibus, Israël dicitur: *Ego indurabo cor Pharaonis,* etc. Non frustra facta est ista varietas, ut nunc dicatur Dominus indurasse cor Pharaonis, nunc sponte esse induratum. Video Paulum tanquam intelligentem quid differat, induratum esse cor Pharaonis, et indurasse Dominum cor Pharaonis dicere Rom. 2: *An divitiis bonitatis ejus, et patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit,* etc. Hic sine dubio eum qui sponte induratus est, culpat. Alibi vero, velut quæstionem super hoc proponens, dicit: *Ergo cui vult miseretur, et quem vult indurat,* etc. Addit etiam his: *O homo, tu qui es qui respondeas Deo* Rom. 9.. Per quod de eo qui a Domino dicitur induratus, non tam quæstionis solutione, quam apostolica auctoritate respondit, pro incapacitate auditorum, sicut alibi ait II Cor. 12.: *Et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Unde in sequentibus eum qui non tam studiorum merito quam sciendi cupiditate secretioribus se quæstionibus curiosius [curiosus] immergit, deterret dicens Rom. 9: *O homo, quis es qui respondeas Deo.* RAB. Septimum præceptum: *Non furaberis;* septima plaga, grando in fructibus. Nemo enim habet injustum lucrum sine justo damno. Dum furaris, acquiris vestem, amittis fidem: lucrum visibile, damnum invisibile: lucrum de tua cæcitate, damnum de Domini nube. Qui enim malo desiderio forinsecus furantur, de judicio intrinsecus grandinantur, et ager cordis eorum devastatur.

^{†† 9.16} *Idcirco autem posui te,* etc. AUG., quæst. 32. Hæc verba Apostolus posuit, etc., usque ad ad eorum utilitatem ergo Pharaon est servatus.

^{‡‡ 9.18} *En pluam cras,* etc. ORIG. Hucusque per errorum suorum figuras mundo supplicia temperantur: post hæc veniunt verbera de supernis.

super ea grando, morientur.[¶] ²⁰ Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, facit confugere servos suos et jumenta in domos: ²¹ qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos et jumenta in agris. ²² Et dixit Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum, ut fiat grando in universa terra Ægypti super homines, et super jumenta, et super omnem herbam agri in terra Ægypti.^{§§} ²³ Extenditque Moyses virgam in cælum, et Dominus dedit tonitrua, et grandinem, ac discurr-

[¶]9.19 *Mitte ergo jam nunc*, etc. AUG., quæst. 35 in Exod., tom. 3. Hoc non tam indignanter quam misericorditer præmonere videtur Deus, etc., usque ad quoniam mortem pecorum minatus est Deus, quamvis id Scriptura tacuerit. PROCOP. Cæterum providentia divina factum est ne jumenta interirent omnia. Nam opus erat jumentis quæ traherent currus quibus Pharaon postmodum insecuturus erat fugientes, ut eos in solitudine trucidaret. Verum divina providentia aliter totum gubernavit negotium.

^{§§}9.22 *Extende manum*, etc. PROCOP. Admonendus est hoc loco lector, Mosem non juberi omnia miranda facere virga, sed saltem quædam: quædam quoque prædicere, ut culices et jumentorum interitum: quædam manuum ministerio peragere, ut dum accipit fuliginem de camino et grandinem concitat. Sed quæ horum est causa? Ne vulgus opinetur magica superstitione virgam esse factam, et ipsi mirificos illos effectus assignarent.

tia fulgura super terram: pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti.*²⁴ Et grando et ignis mista pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta ante numquam apparuit in universa terra Ægypti ex quo gens illa condita est.²⁵ Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque

*9.23 *Extenditque Moyses virgam*, etc. ORIG., ubi supra. Illud quoque notandum, quod quædam verba inferre dicitur Aaron Pharaoni vel Ægypto, quædam Moses, quædam vero ipse Dominus. In prima enim plaga, ubi aquas vertit in sanguinem, elevat Aaron virgam et percussit aquam. In secunda percussit aquas et educit ranas. In tertia extendit manum et percussit virga pulverem terræ et fiunt sciniphes. In quarta dicitur Dominus fecisse, ut veniret cynomyia. In quinta quoque cum exstinguuntur pecora, dicitur fecisse verbum hoc. In sexta vero Moses aspergit favillam, et fiunt ulcera et vesicæ. In septima elevat manum in cælum et fiunt voces et grando scilicet, etc. In octava similiter extendit manus in cælum, et Dominus inducit ventum, et adducit locustas. Sed et in nona extendit manum in cælum, et fiunt tenebræ et caligo. In decima vero finis et perfectio totius operis ministratur a Domino. Sicut enim dicitur: *Et Dominus percussit omne primogenitum in terra Ægypti*. IDEM. Est alia observanda differentia: in prima enim plaga cum aqua vertitur in sanguinem, nondum dicitur Mosi ut intraret ad Pharaonem, sed, *vade in occursum ejus*, etc. In secunda vero, constanter et fideliter ministrata prima, dicitur ad eum: *Intra ad Pharaonem*, etc. In tertia vero sciniphes inferuntur, magi cedunt confitentes, quia *digitus Dei est hic*. In quarta vero vigilare jubetur Moses mane, et stare contra Pharaonem procedentem ad aquas, cum cynomyia replentur Ægyptiorum domus. In quinta cum pecora delentur, ad Pharaonem intrare jubetur. In sexta contemnitur Pharao, nec dicitur quod intraverint Moses et Aaron ad eum, quia facta sunt ulcera et vesicæ cum fervore etiam super maleficos, et non poterant resistere Mosi. In septima vigilare jubetur valde mane, et stare contra Pharaonem, cum grandinem et ignem producit et voces. In octava intrare præcipitur ad eum cum locusta producit. In nona rursus contemnitur Pharao, et Mosi [Moses] præcipitur ad cælum extendere manus, ut fiant tenebræ palpabiles: nec intrat, sed vocatur ad Pharaonem. Similiter in decima, cum primitiva delentur, et cogitur cum festinatione exire de Ægypto. *Et Dominus dedit tonitrua*, etc. ID., homil., 4. Vide temperamentum divinæ correctionis: non cum silentio verberat, sed dat voces, et doctrinam cœlitus mittit, per quam possit mundus castigatus culpam suam agnoscere. Dat grandinem per quam tenera vastantur adhuc nascentia vitiolorum. Dat et ignem, sciens esse spinas et tribulos quos debebat depasci, de quo dicit Dominus Luc. 12: *Ignem veni mittere in terra* Luc. 12.. Per hunc ignem incentiva voluptatis et libidinis consumuntur. IDEM. Sunt alia multa observanda, in quibus divina indicatur sapientia. Primo enim non flectitur Pharao cum aqua in sanguinem vertitur. In secundo parum molliri videtur: *Vocavit enim Moysen et Aaron, dicens: Orate pro me Dominum*, etc. In tertio magi cedunt, dicentes: *Digitus Dei est hic*, etc. In quarto per cynomyiam verberatus, dicit: *Euntes immolate Domino Deo*, etc. In quinto, ubi neces pecudum esse dicuntur, non cedit, sed amplius induravit. Similiter in sexto super plaga ulcerum. In septimo vero, cum grandine vastatur et ignibus, *vocavit Moysen et Aaron, dicens: Peccavi etiam nunc, Dominus justus, ego autem et populi mei iniqui*, etc. In octavo cum locustis urgeretur, festinanter vocavit Moysen et Aaron dicens: *Peccavi ante Dominum Deum vestrum et in vos. Suscipite peccatum meum, etiam nunc orate ad Dominum Deum vestrum*. In nono, cum tenebris suffunditur, vocat Moysen et Aaron, dicens: *Ite et servite Domino Deo vestro*. In decimo, cum primitiva exstinguuntur, vocat eos nocte et dicit: *Surgite, exite de populo meo, vos et filii Israël*, etc. Et adjungit: *Benedicite autem et me*. Non possunt hæc explicari nisi eodem spiritu quo gesta sunt, quia, secundum Apostolum I Cor. 14., spiritus prophetarum prophetis subjectus est; non ergo quibuscunque ad explanandum dicta prophetarum, sed prophetis dicuntur esse subjecta.

ad jumentum: cunctamque herbam agri percussit grando, et omne lignum regionis confregit. ²⁶Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israël, grando non cecidit. ²⁷Misitque Pharao, et vocavit Moysen et Aaron, dicens ad eos: Peccavi etiam nunc: Dominus justus; ego et populus meus, impii. ²⁸Orate Dominum ut desinant tonitrua Dei, et grando: ut dimittam vos, et nequaquam hic ultra maneatis. ²⁹Ait Moyses: Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, et cessabunt tonitrua, et grando non erit, ut scias quia Domini est terra: ³⁰novi autem quod et tu et servi tui necdum timeatis Dominum Deum.† ³¹Linum ergo et hordeum læsum est, eo quod hordeum esset virens, et linum jam folliculos germinaret: ³²triticum autem et far non sunt læsa, quia serotina erant. ³³Egressusque Moyses a Pharaone ex urbe, tetendit manus ad Dominum: et cessaverunt tonitrua et grando, nec ultra stillavit pluvia super terram. ³⁴Videns autem Pharao quod cessasset pluvia, et grando, et tonitrua, auxit peccatum: ³⁵et ingravatam est cor ejus, et servorum illius, et induratum nimis: nec dimisit filios Israël, sicut præceperat Dominus per manum Moysi.

†9.30 *Novi autem quod*, etc. AUG., quæst. 35 in Exod. De fragore coeli et grandine exterritus erat Pharao. Unde rogabat Mosen ut oraret pro eo, confitens iniquitatem suam et populi sui. Sed Moses alium timorem quærebat. Facile enim est pœnam timere: sed non est hoc Deum timere, illo scilicet pietatis timore, de quo Jacob dicit: *Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac adfuisset mihi, nunc me inanem dimisisses* Gen. 31..

10 Et dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem: ego enim induravi cor ejus, et servorum illius, ut faciam signa mea hæc in eo:² et narres in auribus filii tui, et nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, et signa mea fecerim in eis: et sciatis quia ego Dominus.³ Introierunt ergo Moyses et Aaron ad Pharaonem, et dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Usquequo non vis

²10.1 *Ego enim induravi cor ejus*, etc. AUG., quæst. 36 in Exod. Hæc non ita dixit tanquam opus habeat Deus cujusquam malitia, sed sic intelligendum est ac si diceret: Ego patiens fui super eum et servos ejus, ut non eos auferrem, ut ordine superveniant signa mea super eos; quia enim patientia Dei obstinatior fiebat malus animus, pro eo quod patiens in eo fui, dicitur, *ingravavi cor ejus*. Plagæ Ægyptiorum eruditio est filiorum Israël, ne similiter indurentur, et similia patiantur. Multato pestilente sapientior erit parvulus. ORIG. Possunt decem plagæ quibus Ægyptus per Isrælitas verberatur, Romani regni comparari temporibus, quia hæc in figura nostri facta sunt. Christianus et Isræliticus populus unius Dei est, una utriusque causa subdita fuit, Synagoga Ægyptiis, Ecclesia Romanis. Persecuti sunt Ægyptii, persecuti sunt et Romani. Ibi decies contradicitur Mosi, hic decem edicta contra Christum. Diversæ ibi plagæ Ægyptiorum, diversæ hic calamitates Romanorum. Ibi primum sanguis de puteis et fluminibus manat, hic prima sub Nerone plaga, ut ubique morientium sanguis esset, vel morbis in Urbe corruptus, vel bellis in orbe profusus. Ibi secunda plaga, ranæ in penetralibus, inedia pene habitatores extinxit: hic sub Domitiano satellites effrenati, jussu cruenti principis, et inopia pene omnes Romanos cives dispersit. Ibi tertia plaga sciniphes, musculæ sævissimæ, quæ media ætate per loca squalida gregatim volant, capillisque hominum setisque pecudum urente morsu inferuntur: hic tertia plaga sub Trajano Judæos excitavit, qui cum ante dispersi, quasi non essent, quiescerent, repentino calore permoti, grassati sunt. Præterea multæ urbes iisdem temporibus corrueverunt terræ motu. Ibi quarta plaga, muscæ caninæ, alumnæ putredinis, vermium matres; hic sub Marco Antonio lues multis infusa provinciis, Italiam et urbem Romam, exercitumque Romanorum per diversa hiberna dispersum, morte dissolutum, putredini et vermibus dedit. Ibi quinta plaga, pecorum et jumentorum: hic sub Severo persecutore civilibus bellis propria viscera et adjumenta reipublicæ, id est, plebes provinciarum et legiones militum, comminutæ sunt. Ibi sexta plaga, vesicæ turgentes ulceraque manantia: hic plaga quæ post Maximini persecutionem fuit, qui specialiter episcopos et clericos, omissa turba populari, Ecclesiarum primates cruciari imperaverat, intumescens crebro ira et perfidia non per vulgi cædem, sed per vulnera morientium principum et potentium exaltata est. Ibi septima plaga, coacta in ære grando, quæ hominibus et jumentis fuit exitio: hic sub Gallo et Volusiano, qui Decio persecutori successerunt, pestis infusa est per omnia spatia Romani regni, et omne prope genus humanum dedit neci. Ibi octava correctio, excitatæ undique locustæ: hic excitatæ undique gentes Romanum orbem cædibus et incendiis vastaverunt. Ibi nona plaga, tenebræ tractabiles, plus periculi comminantes quam facientes: hic Aureliano persecutore decernente, diris turbinibus terribile fulmen sub ipsius pedibus ruit, ostendens quid faceret tantus ultor, nisi patiens esset; quanquam intra sex menses tres interfecti sunt imperatores, Aurelianus, Tacitus et Florianus. Ibi decima et ultima plaga, primogenitorum interfectio: hic omnium perditio idolorum, quæ primitus facta in primis amabant. Ibi rex potentiam Dei probavit, et sensit, et timuit, et populum Dei liberum dimisit: hic quoque hæc omnia fecit, et etiam credidit. IDEM. Ibi populus Dei non est ad servitutem retractus, nec hic postea ad idololatriam coactus. Ibi Ægyptiorum vasa pretiosa Hebræis tradita sunt: hic Ecclesiæ Christianorum pretiosa paganorum templa cesserunt. IDEM. Ægyptiis post decem plagas dimissos Hebræos persecuentibus maris irruit interitus: nos quoque peregrinantes persecutio gentilium manet, donec mare Rubrum, id est ignem judicii, Christo duce et iudice transeamus. Qui vero Christianos persequuntur, cum rege suo Antichristo, in stagno ignis æterni submergentur.

subjici mihi? dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. ⁴Sin autem resistis, et non vis dimittere eum: ecce ego inducam cras locustam in fines tuos: ⁵quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat, sed comedatur quod residuum fuerit grandini: corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris. ⁶Et implebunt domos tuas, et servorum tuorum, et omnium Ægyptiorum, quantam non viderunt patres tui, et avi, ex quo orti sunt super terram, usque in præsentem diem. Avertitque se, et egressus est a Pharaone. ⁷Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum: Usquequo patiemur hoc scandalum? dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo; nonne vides quod perierit Ægyptus? ⁸Revocaveruntque Moysen et Aaron ad Pharaonem: qui dixit eis: Ite, sacrificate Domino Deo vestro: quinam sunt qui ituri sunt? ⁹Ait Moyses: Cum parvulis nostris, et senioribus pergemus, cum filiis et filiabus, cum ovibus et armentis: est enim solemnitas Domini Dei nostri. ¹⁰Et respondit Pharao: Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, et parvulos vestros, cui dubium est quod pessime cogitatis? ¹¹non fiet ita, sed ite tantum viri, et sacrificate Domino: hoc enim et ipsi petistis. Statimque ejecti sunt de conspectu Pharaonis. ¹²Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam, et devoret omnem herbam quæ residua fuerit grandini. ¹³Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti: et Dominus induxit ventum urentem tota die illa et nocte: et mane facto, ventus urens levavit locustas. ¹⁴Quæ ascenderunt super universam terram Ægypti: et sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt. ¹⁵Operueruntque universam superficiem terræ, vastantes omnia. Devorata est igitur herba terræ, et quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat: nihilque omnino virens relictum est in lignis et in herbis terræ, in cuncta Ægypto. ¹⁶Quam ob rem festinus Pharao vocavit Moysen et Aaron, et dixit eis: Peccavi in Dominum Deum vestrum, et in vos. ¹⁷Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam. ¹⁸Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, oravit Dominum. ¹⁹Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, et arreptam locustam projecit in mare Rubrum:

^{10.4} *Ecce ego inducam cras locustam,* etc. RAB. Octavum præceptum: **Falsum testimonium non dices:** octava plaga, locusta, animal scilicet dente noxium. Falsus enim testis nocet mordendo et consumit mentiendo. Unde: **Si mordetiset consumitis, videte ne ab invicem consumamini** Gal. 5.. ORIG. hom. 4 in Exod. Puto per hoc genus plagæ dissidentis semper, a se et discordantis humani generis inconstantiam confutari. Locusta enim, cum regem non habeat, secundum Scripturam, ordinatum ducit exercitum: homines vero, cum rationales facti sunt, neque se regere ordinate potuerunt, neque Dei regentis patienter moderamina pertulerunt. STRAB. Per locustam, quæ regem non habet, significatur temeritas illorum qui, licet diversis poënis multati, semper in duritia sua manent, tanquam nullum habeant rectorem. **Locustam.** ISID. Locustæ pro mobilitate levitatis accipiuntur tanquam vagæ et salientes animæ pro voluptate sæculi.

^{10.13} *Et extendit Moses virgam.* RAB. Quædam prodigia fiunt per Moysen, quædam per Aaron, quædam vero per ipsum Dominum; ut cognoscamus in quibusdam per sacrificia sacerdotum et obsecrationes pontificum nos esse purgandos, quos Aaron persona designat: in quibusdam per scientiam legis emendandos, quod Mosi designat officium. In difficilioribus autem ipsius Domini virtute egemus. GREG., lib. 31, Moral., cap. 20. Exhibitæ cœlitus Ægypti plagæ, etc., usque ad cum vanis laudibus quorundam jam quasi fortium opera enervant.

non remansit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti.** 20 Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israël. 21 Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum: et sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ, ut palpari queant.†† 22 Extenditque Moyses manum in cælum: et factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus. 23 Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat: ubicumque autem habitabant filii Israël, lux erat. 24 Vocavitque Pharaon Moysen et Aaron, et dixit eis: Ite, sacrificate Domino: oves tantum vestræ et armenta remaneant, parvuli vestri eant vobiscum.‡‡ 25 Ait Moyses: Hostias quoque et holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro. 26 Cuncti greges pergent nobiscum; non remanebit ex eis ungula: quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri: præsertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus. 27 Induravit autem Dominus cor Pharaonis, et noluit dimittere eos. 28 Dixitque Pharaon ad Moysen: Recede a me, et cave ne ultra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris. 29 Respondit Moyses: Ita fiet ut locutus es: non videbo ultra faciem tuam.

11 Et dixit Dominus ad Moysen: Adhuc una plaga tangam Pharaonem et Ægyptum, et post hæc dimittet vos, et exire compellet. 2 Dices ergo omni plebi ut postulet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua, vasa argentea et aurea.¶¶ 3 Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis. Fuitque Moyses vir magnus

**10.19 *Non remansit ne una quidem*, etc. AUG. Beneficium certe Dei commemoravit Scriptura, quod abstulit locustas, et prosecuta dixit indurasse Dominum cor Pharaonis, beneficio scilicet suo et patientia, qua ille fiebat obstinatio dum ei parceretur: sicut omnia mala corda hominum patientia Dei male utendo durescunt.

††10.21 *Extende manum*, etc. AUG. Tertio dicitur ad Moysen: *Extende manum tuam in cælum*, ut fieret etiam plaga tenebrarum. Nunquam autem dictum est ad Aaron ut extenderet manus in cælum. Quod ergo dictum est ad Moysen: *Extende manum tuam super terram Ægypti, et ascendat locusta super terram*, credo id significari, etiam minus posse qui plus potest; non autem continuo cui minora conceduntur, posse majora. ORIG. Nona plaga tenebræ sunt, ut mentis eorum cæcitas arguatur, vel ut intelligant divinæ dispensationis et providentiæ obscurissimas esse rationes. *Posuit enim Deus tenebras latibulum suum* Psal. 17.: quas illi audacter et temere perscrutantes, et alia ex aliis asserentes, in crassas et palpabiles errorum tenebras devoluti sunt. STRAB. Per tenebras insipientia eorum [Judæorum] ostenditur, qui affligebantur et ignorabant ad quem finem eorum pœnæ devenirent. Etiam vel per tenebras arcanum divini iudicii significatur, quo justos misericorditer salvat, impios juste condemnat.

‡‡10.24 *Oves tantum*, etc. AUG. in Locutionibus in Exod., l. 52. Græcus habet, *præter oves et boves relinquit*, et est inusitata locutio, nisi post distinctionem inseratur, *relinquit*; et subaudiatur, ista, ut sit sensus: Ite præter oves et boves, et relinquit ista. Solet enim talis eclipsis fieri crebro in locutionibus Scripturarum. RAB. Nonum præceptum: *Non concupisces uxorem proximi tui*: nona plaga, densæ tenebræ. Est enim quædam mœchia etiam in appetendo uxorem alienam quando cuius non sufficit sua, etiam alienam tentare. Vere densæ sunt tenebræ; nihil enim tam dolet patiens, nihil tam nolit pati faciens: qui hoc facit vere cæcatur furore horribili.

¶¶11.2 *Dices ergo omni plebi*, etc. AUG., quæst. 94 in Exod., tom. 3. Non debet hinc quisque exemplum sumere, etc., usque ad ut nec isto damno ferirentur, qui aliis plagis percussi non erant. *Ut postulet vir*, etc. GREG., lib. XXVIII Moral., cap. 17. Mentis usui vitæ carnalis inhærentes, etc., usque ad major fortitudo spiritus nuntiatur.

valde in terra Ægypti coram servis Pharaonis et omni populo.^{§§ 4} Et ait: Hęc dicit Dominus: Media nocte egrediar in Ægyptum: ⁵ et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam, et omnia primogenita jumentorum.* ⁶ Eritque clamor magnus in universa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est.

§§11.3 *Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis*, etc. Qui scilicet habitabant cum Hebræis in terra Gessen, et pro ipsis novem plagis læsi non erant, ideoque eos diligebant: decima plaga afflicti sunt, cum discessissent Hebræi ab eis.

*11.5 *Et morietur omne primogenitum*, etc. ORIG. hom. 4 Ad ultimum primitivorum infertur interitus, in quo fortassis est aliquid supra nostram intelligentiam, quod commissum ab Ægyptiis videatur in Ecclesiam primitivorum, quæ ascripta est in cœlis. Unde etiam exterminator angelus ad hoc ministerium mittitur, qui parcit illis tantum qui utrosque postes agni sanguine signatos habuerunt. Delentur iterum primogenita Ægyptiorum: sive eos principatus et potestates, et mundi hujus rectores tenebrarum dicamus, quos adventu suo Christus traduxit, id est captivos duxit et captivavit, cum in ligno crucis triumphavit: sive auctores et inventores falsarum religionum, quas Christi veritas cum suis exstinxit auctoribus. Principatus, et potestates, et rectores tenebrarum harum, primogenita sunt Ægyptiorum quod [AL., qui] in ultima plaga, cum scilicet finis mundi advenerit cum separabit oves ab hædis, grana a paleis, damnabuntur, amissa vagandi et tentandi licentia. ORIG. Moraliter. Anima, dum in hoc mundo in erroribus vivit, ignorantia veritatis, in Ægypto posita est: si appropinquare cœpit lex Dei, aquas in sanguinem convertit, id est fluidam et lubricam juventutis vitam convertit ad sanguinem Veteris vel Novi Testamenti. Deinde educit lex ex ea vanam et inanem loquacitatem adversum Dei providentiam, ranarum querelæ similem. Purgat etiam malignas cogitationes ejus, et sciniphum mordacitati similes calliditatis aculeos discutit. Libidinum quoque morsus cynomyiæ spiculis similes depellit: stultitiamque et intellectum pecudibus similem per quam *homo, cum in honore esset, non intellexit, sed comparatus est jumentis insipientibus*, etc. Psal. 48. Arguit ulcera peccatorum, arrogantiae tumorem, et fervorem furoris exstinguit. Adhibet post hæc voces filiorum tonitruï, id est evangelicas et apostolicas doctrinas, et castigationem grandinis, ut luxuriam voluptatesque coerceat; et simul ignem poenitentiae, ut dicat: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis* Luc. 24.? Nec non locustarum ab ea subducit exempla, quibus depascantur omnes inquieti et turbidi motus ejus, ut discat omnia secundum ordinem facere. Ubi vero sufficienter fuerit castigata pro moribus, cum auctorem verberum senserit, confitens quia *digitus Dei est*, et parum agnitionis acceperit: tunc præcipue gestorum suorum tenebras videt et errorum caliginem, et tunc merebitur ut exstinguantur in ea primogenita Ægypti. Omnis enim anima cum ad supplementum ætatis venerit, et velut naturalis lex cœperit in ea jura sua defendere, primos motus secundum desiderium carnis producit, quos ex concupiscentiæ vel iræ fomite vis incentiva commoverit. Unde quasi privilegium singulare de Christo propheta dicit: *Butyrum et mel manducabit; priusquam faciat aut proferat maligna, eliget bonum* Isa. 7.; quoniam priusquam sciat puer bonum aut malum, resistet malitiæ, ut eligat quod bonum est. David autem de se dicit: *Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris* Psal. 24.. Quia ergo hi primi animæ motus secundum carnem prolati in peccatum ruunt, merito in morali loco primogenita Ægyptiorum primitiva ponuntur, quia exstinguuntur si reliquæ vitæ conversatio emendatiorem dirigat cursum. Sic ergo in anima, quam lex divina ab erroribus susceptam castigat, primogenita Ægyptiorum delentur, nisi post hæc omnia in infidelitate perdurans, nolit jungi Israëlitiæ plebi, ut exeat de profundo et evadat incolumis, sed in iniquitate permaneat, et descendat tanquam plumbum in aquam validissimam. Iniquitas enim, secundum Zachariam ZAC. 5., sedet super talentum plumbi: et ideo qui permanet in iniquitate, tanquam plumbum demergitur in profundum.

⁷ Apud omnes autem filios Israël non mutiet canis ab homine usque ad pecus: ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios et Israël.[†] ⁸ Descendentque omnes servi tui isti ad me, et adorabunt me, dicentes: Egredere tu, et omnis populus qui subjectus est tibi: post hæc egrediemur. ⁹ Et exivit a Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moysen: Non audiet vos Pharaon ut multa signa fiant in terra Ægypti.[‡] ¹⁰ Moyses autem et Aaron fecerunt omnia ostenta, quæ scripta sunt, coram Pharaone. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israël de terra sua.

12 Dixit quoque Dominus ad Moysen et Aaron in terra Ægypti: ² Mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.[¶] ³ Loquimini ad universum cœtum filiorum Israël, et dicite eis: Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. ⁴ Sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni. ⁵ Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis et hædum.[§] ⁶ Et servabitis eum usque ad quartamdecimam diem mensis hujus: immobilabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam. ⁷ Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in

[†]11.7 *Apud omnes*, etc. AUG. in libro Locutionum. Elegantissima locutio est: per canem quippe extremum significavit, vel hominum, vel pecorum: ita commendavit quanta in Hebræis quies futura esset, Ægyptiis acerba orbitate clamantibus.

[‡]11.9 *Non audiet vos Pharaon*, etc. AUG., quæst. 40 in Exod. Tanquam opus fuerit Pharaonis inobedientia ut signa illa multiplicarentur: quæ utiliter fiebant ad terrendum populum Dei, atque ipsa discretionem ad pietatem informandum. Sed hoc Dei fuit, malitia illius cordis bene utentis, non Pharaonis Dei patientia male abutentis.

[¶]12.2 *Mensis iste*, etc. RAB. Hic est Aprilis, qui apud Hebræos Nisam, apud Macedones dicitur, et dicitur Aprilis quasi aperilis, quia tunc aperitur terra proferendis virgultis herbis ac floribus: vel Aprilis a Venere, quasi Aphroditis; Venus enim Græce *Aphrodite* dicitur. Hunc Hebræi primum habent, quia XV Kalendarum ejus prima dies sæculi fuit: quarta decima vero, dies secunda; tertia decima, tertia: duodecima, quarta: qua sol et luna condita sunt, et tunc primum æquinotium fuit; sol enim in oriente, luna in occidente, spheram mundi ex æquo dividebant. STRAB. Hic est Nisan, secundum Hebræos, in quo factus est mundus, cujus plenilunium post æquinotium vernale semper est attendendum: in quo populus Israël a servitute Ægypti liberatur, et genus humanum sanguine Christi a potestate diaboli eripitur. Decima die mensis tollitur agnus, quarto decimo immolatur: quia in lege passio Christi figuratur, Evangelii gratia coruscante impletur; denarius enim, propter decalogum, legem significat; quaternarius vero, quatuor evangelia.

[§]12.5 *Erit autem*, etc. AUG., quæst. 42 in Exod., tom. 3. Movere potest illa locutio, etc., usque ad quid illo præcepto figuratum sit. *Juxta quem ritum*, etc. Allegorice. Quia de justis et peccatoribus Christus carnem assumpsit, ut nemo de venia desperaret. Vel quia Christus Judæis hædus erat, dicentibus: *Hic homo peccator est* Joan. 9., nobis autem agnus absque macula. Vel quia *in similitudine carnis peccati* apparuit et *pro peccato mortuus est, cum peccatum non haberet* I Petr. 2.. STRAB. Decima die Aprilis Hierosolymam venit, sequenti vero die exceptus est a turbis cum ramis palmarum et divinis laudibus. Tribus reliquis custoditus est a Judæis usque ad quartam decimam diem, id est, usque ad quintam feriam, qua cum apostolis cœnavit, et post traditus est.

quibus comedent illum. ** 8 Et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus. †† 9 Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni: caput cum pedibus ejus et intestinis vorabit. ‡‡ 10 Nec remanebit quidquam ex eo usque mane; si quid residuum fuerit, igne comburentis. 11 Sic autem comedetis illum: renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter: est enim Phase (id est, transitus) Domini. 12 Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus: et in cunctis diis Ægypti faciam judicia. Ego Dominus. ¶¶ 13 Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis: et video sanguinem, et transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero terram Ægypti. 14 Habebitis autem hunc diem in monumentum: et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. §§ 15 Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël, a primo die

**12.7 *Et sument de sanguine ejus*, etc. GREG., homil. 22 in Evang., tom. 2. Sanguis ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur, etc., usque ad quia crucem passionis ejus in fronte portamus.

††12.8 *Et edent carnes*, etc. GREG., ibid. Nocte agnum comedimus, etc., usque ad fermentum enim laudem immolat, qui Deo sacrificium de rapina parat. *Cum lactucis*, etc. GREG., ibid. Lactucae agrestes valde amaræ sunt, etc., usque ad ut dispensari omnia per Spiritus sancti potentiam sciat.

‡‡12.9 *Caput cum pedibus*, etc. GREG., ibid. *Caput Christi Deus* I Cor. 11.. Caput ergo agni vorare, etc., usque ad nemo in hujus vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat. GREG. NYSS., de Vita Mosis. Illis rerum involucris monet ut per hæc ænigmata considerare et intelligere velimus transitum quemdam esse hanc vitam nostram. Nam postea quam ingressi ad eam sumus, necessitate quadam ad exitum semper compellimur, ad quem paratos nos esse vult manibus et pedibus reliquoque ad iter apparatu. Ne igitur spinis in hoc arduo vivendi itinere pedes lædantur, non nudis pedibus, sed durioribus calceis communiti itinerare debemus. Spinæ autem, quæ pedibus infixæ non solum retinent retardantque, verum etiam enecant, peccata sunt, a quibus durities calceorum defendit, continens videlicet, tenuis ac dura vita, quæ debilitat atque frangit spinarum acumina, quibus a parvo tenuique principio ad anteriora, usque peccata sic ingrediuntur, ut pœnitus occidant. Ad hanc vitam faciendam talaris vestis et effusa, id est voluptuosa et vitiosa vivendi ratio, quæ latissime patet, impedimento est: quare cingulo quodam trahenda est et coarctanda, ne huc atque illuc circumfluat. Cingulus vero modestia est et diligens vivendi ratio, quæ nos monet ad necessitatem, non ad voluptatem, rebus uti. Baculus quo feras repellimus, et nonnunquam sustentamur, spes est. Ex igne autem solum cibus nobis propositus est, quoniam fides, quæ per cibum illum significatur, ardentissima esse debet, nihil humidum aut labile possidens. *Phase*. Hebraice est *Pesach*, Græce, id est, *transitus*; quia a filiis Israël ex Ægypto migrantibus primum celebratum est: nobis quoque migrandum est de transitoriis ad æterna, de terrenis ad cœlestia.

¶¶12.12 *In cunctis diis*, etc. Ferunt Hebræi quia omnia idola Ægypti confrica sunt nocte illa et templa, vel motu terræ, vel fluminis Nili inundatione. Allegorice vero nobis egredientibus ex Ægypto errorum idola corruunt, et omnis perversorum dogmatum cultura quatitur.

§§12.14 *Habebitis autem hanc diem*, etc. AUG., in Exod. quæst. 43, tom. 3. *Et facietis diem hunc in progenies vestras legitimum, æternum vel æternalem*; quod Græce dicitur, non sic accipiendum est, etc., usque ad omni tempore præsentis vitæ simplicitas servanda, malitia cavenda.

usque ad diem septimum. ¹⁶Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent. ¹⁷Et observabitis azyma: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, et custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. ¹⁸Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam.* ¹⁹Septem diebus fermentum non inveniatur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israël, tam de advenis quam de indigenis terræ. ²⁰Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edetis azyma. ²¹Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israël, et dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias vestras, et immolate Phase.† ²²Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare, et utrumque postem: nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane.‡ ²³Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, tran-

*12.18 *Primo mense quarta decima*, etc. RAB. Mystice. Vespera quarti decimi diei primi mensis, in quo Pascha celebratur, et agni immolatio perficitur, depositionem veteris hominis significat, et initium novi, qui in baptismo Christi mortem figurante inchoatur. Unde: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus*, etc. Gal. 3.. A vespera ergo quarti decimi diei primi mensis usque ad vesperam vicesimi primi integram, scilicet septimanam, azyma jubemur [jubentur] comedere, quia a perceptione baptismi usque ad finem vitæ simpliciter et sine dolo debemus vivere. Unde Petrus: *Deponentes omnem malitiam et omnem dolum et simulationem, sicut modo geniti infantes*, etc. I Petr. 2..

†12.21 *Seniores*. Nota quod non pueris, non juvenibus, mandata Dei primo communicat, sed senioribus, quia in senibus est sapientia, et in multo tempore prudentia.

‡12.22 *Fasciculumque hyssopi*, etc. STRAB. Hyssopus herba est humilis, nascens in petris, purgans pectus et pulmonem: et significat veram humilitatem, cujus exemplum Christus nobis in semetipso præbuit. Fasciculum ergo hyssopi sanguine tingimus, quando, memores humilitatis Christi, eum imitari studemus. *Tingite in sanguine*, etc. AUG., quæst. 46 in Exod. Quæritur quem sanguinem dicat juxta ostium, cum illius agni sanguinem velit intelligi, cujus immolatione Pascha fit. An præcipit eo modo consequenter fieri, quamvis hoc tacuerit, ut idem agnus juxta ostium occidatur? An, quod est credibilius, ideo dixit *ex sanguine qui est juxta ostium*, quia ille qui liniturus est, vas ipsum in quo sanguinem excepit, juxta ostium positurus est, ut ad manum habeat dum tingit.

scendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras et lædere.[¶]
²⁴ Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in æternum. ²⁵ Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis ut pollicitus est, observabitis cæremonias istas. ²⁶ Et cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? ²⁷ Dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios, et domos nostras liberans. Incurvatusque populus adoravit. ²⁸ Et egressi filii Israël fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi et Aaron. ²⁹ Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, usque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum. ³⁰ Surrexitque Pharaon nocte, et omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus: et ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus.[§] ³¹ Vocatisque Pharaon Moysen et Aaron nocte, ait: Surgite et egredimini a populo meo, vos et filii Israël: ite, immolate Domino sicut dicitis. ³² Oves vestras et armenta assumite ut petieratis, et abeuntes benedicite mihi. ³³ Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur. ³⁴ Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur: et ligans in palliis, posuit super humeros suos.^{**} ³⁵ Feceruntque filii Israël sicut præceperat Moyses: et petierunt ab Ægyptiis vasa argen-

[¶]12.23 *Et non sinet percussorem*, etc. STRAB. Utrum percussor bonus angelus an malus fuerit, non necesse est inquiri: quicumque enim fuit, præcepto Domini obedi- vit. Sciendum tamen quod tales pestes mali angeli facere solent, permissione Dei. Decimum præceptum est: **Non concupisces rem proximi tui**, etc. Huic contraria est decima plaga, mors primogenitorum. Alio præcepto furtum prohibetur, quo et rapina damnatur: pejus enim est eripere violenter quam latenter. Auferre ergo volens aperte vel occulte præceptum suum habet: concupiscere autem rem proximi, eti- amsi justa successione quæras, non licet. Qui enim volunt res alienas tanquam juste possidere, et hæredes quærunt morientibus illis esse. Cum laudas rem relictam quasi jure possidentem, Deus damnat injuste cupientem. Qui enim quæris ab aliquo hæres fieri, non vis ut habeat hæredes, in quibus nihil charius primogenitis est. Jure ergo in primogenitis tuis puniris, qui cupiendo res alienas, quasi juris umbram perquiris, et, quæ meliora sunt, cordis primogenita perdis. Primogenita quidem fides est. Nemo enim bona facit, in quo fides non præcessit. Omnia opera bona sunt filii spirituales, sed inter hos primogenita fides. Quisquis ergo rem occulte cupis alienam, interius fidem perdis. Servis enim non charitate, sed fraude, velut amans eum quem mori desideras, ut succedas.

[§]12.30 *Neque enim erat domus*, etc. AUG., quæst. 44 in Exod. Cum primogeniti tan- tum morerentur, quomodo nulla erat domus in qua non esset mortuus? An et hoc di- vinitus fuerat procuratum, ut in omnibus domibus essent primogeniti, in quibus per- cuterentur Ægyptii, etiam qui habitabant in terra Gessen? Hominum quippe erant hic, vel animalium, non terræ; id est, homines et animalia primogenita moriebantur, occulto et angelico percussu: non aliquid in terra vel in cælo factum erat, sicut rana, vel locusta, vel tenebræ. A talibus enim plagis cum terra Gessen fuisset aliena, perveniebat beneficium ad Ægyptios qui in ea cum Hebræis morabantur: hac vero omnes percussi sunt.

^{**}12.34 *Consersam farinam*, etc. AUG. Mystice. Sine fermento proficiscuntur filii Israël de Ægypto; ut exeuntes de hoc sæculo abjiciamus fermentum malitiæ et nequitiae, et epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.

tea et aurea, vestemque plurimam.†† 36 Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commodarent eis: et spoliaverunt Ægyptios. 37 Profectique sunt filii Israëli de Ramesse in Socoth, sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis.‡‡ 38 Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves et armenta et animantia diversi generis multa nimis. 39 Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant: et fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, et nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quidquam occurrerat præparare. 40 Habitatio autem filiorum Israëli qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. 41 Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti. 42 Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti: hanc observare debent omnes filii Israëli in generationibus suis. 43 Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron: Hæc est religio Phase: omnis alienigena non comedet ex eo. 44 Omnis autem servus emptitius circumcidetur, et sic comedet. 45 Advena et mercenarius non edent ex eo. 46 In una

††12.35 *Et petierunt*, etc. AUG., quæst. 45. Hoc jam factum fuerat ante mortes primogenitorum. Sed nunc per recapitulationem repetitur, nam narratum est quando factum est. Modo enim quomodo posset fieri ut in tanto luctu ista accommodarentur: nisi forte quis dicat etiam ista plaga non fuisse percussos Ægyptios qui cum Hebræis habitabant. *Vasa aurea*, etc. Hæc doctrinas significant, quæ ex ipsa consuetudine gentium non inutili studio discuntur; vel animas pretiosas ex gentibus, tanquam vasa aurea et argentea; cum vestibus, id est, corporibus: quæ se adiungunt populo Dei, ut semel de hoc sæculo tanquam de Ægypto liberentur.

‡‡12.37 *Profectique sunt*, etc. ORIG. hom. 5 in Exod.. Qui de Ægypto parat proficisci, qui cupit obscuro mundi actus et errorum tenebras relinquere, primo ei ex Ramesse proficiscendum est, quæ interpretatur *commotio tineæ*. Si vis venire in hoc ut Deus sit tibi dux, et sequatur petra, quæ escam spiritalem et potum tribuat, exi de Ramesse, ne thesaurizes ubi tinea exterminat, et fures effodiunt, etc. *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni, sequere me* Matth. 6., hoc est proficisci de Ramesse, et sequi Christum. *De Ramesse in Socoth*, etc. ORIG. ibid. Videamus quis sit castrorum locus ad quem venit. De Ramesse venerunt in Socoth, quod interpretatur *tabernacula*. Cum ergo, relinquens Ægyptum, discussis tineas totius corruptelæ, et vitiorum incitamenta rejeceris, habitabis in tabernaculis, quibus scilicet nolumus exspoliari sed supervestiri. Habitatio autem tabernaculorum expeditum indicat esse eum qui festinat ad Deum. Sed nec in hoc standum est: movenda sunt etiam castra de Socoth, et festinandum est in Othon, quod interpretatur *signa eis*, quia hic scilicet audies quod Deus antecedit eos per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis; non hoc in Ramesse, nec in Socoth, quæ secunda sunt castra. Tertia sunt in quibus fiunt signa divina: hoc erat triduum ad quod festinabant Moses et Aaron, et contradicebat Pharaon dicens: *Non eatis longius*. Nolebat ad locum signorum pervenire filios Israëli, ut possent tertii diei frui mysteriis. Unde Ose. 6: *Resuscitabit nos Deus post biduum, et in die tertia resurgemus, et vivemus in conspectu ejus*. Prima dies nobis Christi passio; secunda, qua in infernum descendit; tertia, qua resurrexit: ideo in tertia die antecedebat eos per diem in columna nubis; per noctem vero, in columna ignis. *Necessarium est ergo ut qui baptizantur in Christo, in morte ipsius baptizentur, et cum ipso sepeliantur, et die tertia resurgant, quos scilicet secum suscitavit et fecit consedere in cælestibus* Rom. 6.. *Sexcenta fere millia*, etc. AUG., quæst. 47. Quæritur utrum ad tantum numerum pervenerunt Hebræi per eos annos in Ægypto, etc., usque ad id est, post mortem Joseph dura servitute oppressi sunt.

domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis.[¶]
⁴⁷ Omnis cœtus filiorum Israëli faciet illud. ⁴⁸ Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit: eritque sicut indigena terræ: si quis autem circumciscus non fuerit, non vescetur ex eo. ⁴⁹ Eadem lex erit indigenæ et colono qui peregrinatur apud vos. ⁵⁰ Feceruntque omnes filii Israëli sicut præceperat Dominus Moysi et Aaron. ⁵¹ Et eadem die eduxit Dominus filios Israëli de terra Ægypti per turmas suas.

13 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ² Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israëli, tam de hominibus quam de jumentis: mea sunt enim omnia.^{§§} ³ Et ait Moyses ad populum: Mementote diei hujus in qua egressi estis de Ægypto et de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto: ut non comedatis fermentatum panem. ⁴ Hodie egredimini mense novarum frugum. ⁵ Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Hevæi, et Jebusæi, quam juravit patribus tuis ut daret tibi, terram fluentem lacte et melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto. ⁶ Septem diebus vesceris azymis: et in die septimo erit solemnitas Domini. ⁷ Azyma comedetis septem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. ⁸ Narrabisque filio tuo in die illo, dicens: Hoc est quod fecit mihi Dominus quando egressus sum de Ægypto. ⁹ Et erit quasi signum in manu tua, et quasi monumentum ante oculos tuos: et ut lex Domini semper sit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto.* ¹⁰ Custodies hujuscemodi cultum statuto tempore a diebus in dies. ¹¹ Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, sicut juravit tibi et patribus tuis, et dederit tibi eam: ¹² separabis omne quod aperit vulvam Domino, et quod primitivum est in pecoribus tuis: quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino. ¹³ Primogenitum asini mutabis ove: quod si non rede-meris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes.[†]
¹⁴ Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc? respondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti, de domo servitutis. ¹⁵ Nam cum induratus esset Pharaos, et nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum

[¶]12.46 *Nec illius*, etc. Os Christi in cruce non est confractum, quia videntes eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: vel robur divinitatis in carne per blasphemiam non corrumpitur, quia non est purus homo, sed verus Deus.

^{§§}13.2 *Sanctifica mihi omne primogenitum*, etc. Quia occidi omnia primogenita Ægyptiorum in liberatione vestra.

*13.9 *Et erit quasi signum*, etc. AUG., quæst. 48 in Exod.. Quid est quod ait cum de pascha præcipit, etc., usque ad alioquin gratia jam non esset gratia.

[†]13.13 *Omne autem primogenitum hominis*, etc. CYRILL. Primogenita hominum redimi jubet, ut homicidium vetet: qui omnia ut incorruptibilia essent, creavit. GREG., lib. XXVII Moral., cap. 1. Asinus immunditiam, ovis innocentiam significat. Asini ergo primogenitum ove mutare, est immundæ vitæ primordia innocentiae simplicitate convertere, ut postquam peccator illa egit quæ ut immunda Dominus respuit, ea jam agendo proferat quæ Dei sacrificio imponat. Omnes enim in peccato nati sumus, et ex carnis delectatione concepti, culpam originalem nobis contraximus. Unde etiam voluntate nostra peccatis implicamur. Sed et qui post malitiam carnis ad innocentiam convertitur cordis, primogenitum asini mutat ove, malitiam scilicet prioris vitæ. Qui enim qualis prius fuit desinit esse, et apprehensa carnis munditia innocentiam custodit, in oblationem Dei primogenitum asini ove mutavit.

in terra Ægypti, a primogenito hominis usque ad primogenitum jumentorum: idcirco immolo Domino omne quod aperit vulvam masculini sexus, et omnia primogenita filiorum meorum redimo. ¹⁶ Erit igitur quasi signum in manu tua, et quasi appensum quid, ob recordationem, inter oculos tuos: eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto. ¹⁷ Igitur cum emisisset Pharaon populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim quæ vicina est: reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum. ¹⁸ Sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare Rubrum: et armati ascenderunt filii Israël de terra Ægypti. ¹⁹ Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum: eo quod adjurasset filios Israël, dicens: Visitabit vos Deus; efferte ossa mea hinc vobiscum. ²⁰ Profectique de Socoth castrametati sunt in Etham, in extremis finibus solitudinis. ²¹ Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in

‡13.16 *Et quasi appensum.* Hoc male intelligentes Judæi, pictatia vel phylacteria capitibus circumligabant, in quibus decem verba scripta ante oculos habebant.

¶13.17 *Igitur cum emisisset,* etc. GREG. lib. XXIV Moral. cap. 13. Sæpe conversi in ipso aditu suæ conversionis tranquillitatem carnis, dona prophetiæ, prædicamenta doctrinæ, signorum miracula vel gratiam curationum accipiunt. Postea duris tentationum probationibus fatigantur, a quibus liberos se esse credebant: quia si in principio tentationum amaritudo pulsaret, facile ad vitia redirent, a quibus non longe recesserunt. De Ægypto ergo exeuntibus e vicino bella subtrahuntur: quia relinquuntibus sæculum quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa teneritudine et inchoatione turbati, ad hoc quod reliquerant, redeant: prius ergo suavitatem securitatis sentiunt, prius pacis quiete nutriuntur; post cognitam vero dulcedinem tanto tolerabilius tentationum certamina sustinent quanto in Deo altius cognoverunt quæ ament.

§13.18 *Non eos duxit Deus,* etc. AUG., quæst. 49. Hic ostenditur omnia fieri debere quæ consilio recte fieri possunt, ad evitanda ea quæ adversa sunt, etiam cum Deus apertissime adiutor est Epist. ad Dam., tom. 1.. *Et armati ascenderunt filii,* etc. HIERON. Aquila, qui non contentiosus, ut putant, sed studiosus verbum interpretatur ad verbum, ubi LXX posuerunt, *quinta autem generatione ascenderunt filii Israël de terra Ægypti,* transtulit, *et armati ascenderunt filii Israël de terra Ægypti,* licet pro eo quod nos *armati* diximus, secundum Græci sermonis ambiguitatem *instructi* vel *muniti* propter supellectilem quo Ægyptios exspoliaverunt, possit intelligi. Sed ubi LXX, *quinta generatione* posuerunt, qui Hebræorum libros diligenter inspexerunt, non quinta, sed quinque, scriptum afferunt, ut sit sensus: quinque autem ascenderunt filii Israël de terra Ægypti; quod quia minus videbatur intelligi, adjuncta generatio est. Aquila vero, et in cæteris, et in hoc præcipue loco, proprie transtulisse dicitur, sicut synagogarum consonant universa subsellia. AUG., quæst. 53. *Quinta autem progenie,* etc. Utrum progeniem in centum annis vult computare, etc., usque ad Naason genuit Salmon.

columna ignis: ut dux esset itineris utroque tempore. ** 22 Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.

14 Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: ²Loquere filiis Israël: Reversi castrametentur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum et mare

**13.21 *Dominus autem præcedebat eos*, etc. ORIG. Cum a te tertiæ diei mysterium fuerit receptum, incipiet te deducere Deus et viam salutis ostendere. GREG. In igne terror, in nube visionis lene blandimentum. Dies, vita justis; nox, peccatoris. Unde Ephes. 5: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, etc. In die per nubem columna monstrata est, et in nocte per ignem; quia omnipotens Deus et blandus justis, et terribilis apparebit impiis. Hos ad iudicium veniens, per lenitatis mansuetudinem mulcet, illos per justitiæ distriktionem terret. Aliter columna nubis in eremo populum præibat, et splendore ignis non in die, sed in nocte radiabat: quia Christus conversationis suæ exemplo ducatum sequentibus præstans, de justitia sua confidentibus nulla luce claruit; peccatorum vero tenebras agnoscentibus, igne sui amoris infulsit. Christus nubes et columna, quia rectus, et firmus, et fulciens infirmitatem nostram; quia nocte lucens, per diem non lucens, *ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* Joan. 9.. Christi quoque sacramentum tanquam in die manifestum est in carne velut in nube: in iudicio vero tanquam in terrore nocturno; quia tunc erit magna tribulatio, tanquam ignis lucebit justis, et ardebit injustis.

contra Beelsephon: in conspectu ejus castra ponetis super mare.^{†† 3} Dicturusque est Pharaon super filiis Israël: Coarctati sunt in terra; conclusit eos desertum.⁴ Et indurabo cor ejus, ac persequetur vos: et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus; scientque Ægyptii quia ego sum Dominus. Feceruntque ita.⁵ Et nuntiatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus: immutatumque est cor Pharaonis et servorum ejus super populo, et dixerunt: Quid volumus facere ut dimitteremus Israël, ne serviret nobis?⁶ Junxit ergo currum, et omnem populum suum assumpsit secum.⁷ Tulitque sexcentos currus electos, et quidquid in Ægypto curruum fuit: et duces totius exercitus.⁸ Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, et persecutus est filios Israël: at illi egressi sunt in manu excelsa.⁹ Cumque persequerentur Ægyptii vestigia præcedentium, repperunt eos in castris super mare: omnis equitatus et currus Pharaonis, et universus exercitus, erant in Pihahiroth contra Beelsephon.¹⁰ Cumque appropinquasset Pharaon, levantes filii Israël oculos, viderunt Ægyptios post se, et timuerunt valde: clamaveruntque ad Dominum,¹¹ et dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos ut moreremur in solitudine:

^{††}14.2 *Pihahiroth, quæ est inter Magdalum*, etc. ORIG., hom. 5 in Exod. Videamus quæ via præcipitur eligenda. De Othon, inquit, conversi, iter facite inter Epauleum et Magdalum, quod est contra Beelsephon, etc. Epauleum *ascensio tortuosa*, Magdalum *turris*, Beelsephon *ascensio speculæ*, vel *habens speculam*, interpretatur. Credebat forsitan quod ostenderet Deus planum iter et molle, sed ascensio est et tortuosa. Non enim proclive iter est quo tenditur ad virtutes, sed ascenditur anguste et difficulter. Unde Matth. 7: *Arcta est enim et angusta via quæ ducit ad vitam*. Est ergo iter quo inceditur *ascensio tortuosa*, et *ascensio speculæ* vel *habens speculam*. Ascensio ad actus pertinet, specula ad fidem; ostenditur ergo quia et in actibus et in fide multa est difficultas, multus labor: multæ enim tentationes nobis occurrunt, multa offendicula, volentibus agere quæ Dei sunt. Deinde in fide multa invenies tortuosa, plurimas quæstiones, objectiones hæreticorum, contradictiones infidelium: hoc ergo iter agendum est sequentibus Dominum. Sed et turris est in hoc itinere, de qua dicitur Luc 14: *Quis vestrum volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, si habet unde perficiat?* Ista est ergo turris ex his ardua et excelsa virtutibus; quod videns Pharaon dicit: Errant isti. Apud Pharaonem, qui Deum sequitur errare dicitur, quia iter sapientiæ tortuosum, multas habens difficultates et anfractus. Si confitearis unum Patrem invisibilem, et unum unigenitum ejus Jesum Christum, et unum Spiritum sanctum, tortuosum, difficile et incredibile videtur hoc in infidelibus. Si dicis Deum majestatis crucifixum filium hominis esse, qui de cælo descendit: tortuosa videntur hæc et difficilia; qui audit nisi eum fide audiat, dicit quia errant isti. Sed tu fixus esto in hac fide, sciens quia Deus ostendit tibi hanc viam fidei, qui ait: Tollentes de Othon castra, collocate inter Epauleum et Magdalum. *Fuisset*. ORIG. Fugiens Ægyptum venis ad ascensionem operis et fidei, et ad ædificium turris: venis ad mare, et occurrunt tibi fluctus tentationum. Unde II Tim. 3: *Qui enim volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur*, quia tentatio vita nostra est super terram. Sed si Moysen, id est legem Dei, sequeris, Ægyptus te insectatur. Sed vide quid fiet: *Levavit, inquit, angelus Domini, qui antecedebat castra Israel, et abiit post illos. Elevavit et columnam nubis a facie eorum, et stetit post illos, et intravit inter castra Ægyptiorum et Israel*. Hæc columna nubis populo Dei efficitur murus: Ægyptiis imponit tenebras; non transfertur columna ignis ad Ægyptios, ut videant lucem: sed nubis, ut in tenebris maneant, quia dilexerunt tenebras, non lucem. Et tu ergo si ab Ægyptiis recedas, si de potestate dæmonum fugias, vide quanta tibi præparantur auxilia, dummodo in fide fortis permanear: nec Ægyptiorum equitatus et quadrigæ perterreant, nec reclames contra Dei legem, id est Moysen, dicens: *Tanquam non essent sepulchra in Ægypto, ita eduxisti nos*.

quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto?^{‡‡} 12 nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes: Recede a nobis, ut serviamus Ægyptiis? multo enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine. 13 Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: state, et videte magnalia Domini quæ facturus est hodie: Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum.^{¶¶} 14 Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. 15 Dixitque Dominus ad Moysen:

^{‡‡}14.11 *Forsitan non erant sepulcra*, etc? ORIG., homil. 5 in Exod. Hæc fatiscensis in tentatione animi verba sunt: beatus est qui sic tentationes excipit ut nulla ei cogitatio ambiguitatis obrepat. Petro etiam dicitur Matth. 13: **Modicæ fidei, quare dubitasti?** Tentationis et fragilitatis hæc verba sunt. Alioquin falsum est, melius est enim in eremo mori quam Ægyptiis servire. Qui enim in eremo moritur, hoc ipso quod separatus est ab Ægyptiis, id est rectoribus tenebrarum et e potestate Satanæ, habuit aliquem profectum, etiamsi ad integrum non potuit pervenire. Melius est enim perfectam vitam quærenti in itinere mori, quam nec proficisci. Unde eorum videtur falli opinio, qui dum arduum et periculosum iter virtutis exponunt, nec incipiendum judicant. Melius est enim in itinere mori, quam inter Ægyptios necari et falsis atque amaris fluctibus obrui.

^{¶¶}14.13 *Ægyptios enim quos nunc*, etc. AUG. quæst. 5 in Exod. **Sicut enim vidistis Ægyptios hodie, non apponetis amplius videre eos in æternum tempus.** Quomodo autem sunt accipienda hæc verberba, cum viderint postea Isrælitæ Ægyptios? An quia isti qui tunc videbant, non eos ulterius viderunt, quia et illi mortui sunt qui sequebantur, et isti omnes quisque die mortis suæ? Nam posteri eorum viderunt posteros illorum. An, non eos videbitis sicut hodie, intelligendum est, non sicut hodie persequentes et inimicos, ut nulla sit quæstio nec de æterno tempore quod hic posuit, quia etsi videbunt se utriusque tempore resurrectionis, non sic ut hodie.

Quid clamas ad me? loquere filiis Israël ut proficiscantur.^{§§ 16} Tu autem eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud: ut gradiantur filii Israël in medio mari per siccum.¹⁷ Ego autem indurabo cor Ægyptiorum ut persequantur vos: et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus, et in curribus et in equitibus illius.¹⁸ Et scient Ægyptii quia ego sum Dominus cum glorificatus fuero in Pharaone, et in curribus atque in equitibus ejus.¹⁹ Tollensque se angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos: et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post

§§14.15 *Quid clamas ad me?* etc. GREG. Voces apud aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam enim vitam si ore petimus, nec corde desideramus, clamantes tacemus: si vero corde desideramus, ore tacemus, tacentes clamamus. Unde in eremo cum populus vocibus perstreperet, et Moses a strepitu verborum taceret, silens auditur, et dicitur ei: *Quid clamas ad me?* In desiderio enim clamor secretus non pervenit ad aures humanas, divinas replet. ORIG., ut supra. Nulla vox Moysi auditur, et Dominus dicit: *Quid clamas ad me?* Velim scire quomodo sancti clamant sine voce ad Deum. Apostolus ad Gal. 4, dicit: *Quia dabit Deus Spiritum Filii sui in cordibus nostris clamantem: Abba, Pater.* Et addit: *ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et iterum Rom. 8: *Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus.* Sic ergo postulante Spiritu sancto per silentium clamor sanctorum auditur. Jubetur Moses virga percutere mare, ut ingredienti populo Dei cedat, et aquæ quæ timebantur, dextra lævaque murus effectæ, non solum perniciem nesciant, sed etiam munimen exhibeant. Soliditatem recipit liquor, et solum maris arescit in pulverem: bonitatem Creatoris intellige, si voluntati ejus obtemperes, si legem ejus sequaris, elementa tibi contra naturam servire compellit. Audivi a majoribus traditum quod singulis tribubus singulæ aquarum divisiones factæ sunt, et propria unicuique via. Idque ostenditur ex eo quod dicitur psalmo CXXXV: *Qui divisit mare Rubrum in divisiones,* etc. Et alibi, psal. LXVII: *Ibi Benjamin minor in stupore. Principes Juda, duces eorum, principes Zabulon et principes Nephthali:* proprius unicuique tribui enumerari videtur ingressus. Apostolus baptismum in Mose consummatum dicit in nube et in mari, ut qui baptizaris in Christo, in aqua et in Spiritu, scias te insectari Ægyptios et ad servitium revocare, rectores scilicet mundi, et spirituales nequitias, quibus ante servisti. Sed tu descendis in aquam, et evadis incolumis et novus ascendis peccatorum sordibus ablutus, paratus ad cantandum novum canticum. Ægyptii insequentes merguntur in abyssum, et si rogare videntur Jesum ne eos iterum mergat in abyssum. ID. Aliter, si Ægyptum fugias, id est ignorantia tenebras, si sequaris Mosen, id est Dei legem, occurrat autem mare, id est, contradicentium fluctus, percutite et tu obluctantes undas virga, id est, verbo legis et vigilantia Scripturarum; iter tibi disputando per adversarios pande, et cedent undæ victori, mirantibusque et stupore defixis qui ante contradicentibus, legitimis disputationum lineis rectum fidei iter secabis, et in tantum doctrinæ verbo proficies, ut auditores tui, quos tu in verba legis erudisti, jam contra Ægyptios, velut fluctus maris, insurgent, nec solum impugnent, sed et superent et exstinguant. Exstinguit enim Ægyptum, qui non agit opera tenebrarum, qui non carnaliter, sed spiritualiter vivit; qui cogitationes sordidas vel corde expellit, vel omnino non recipit, secundum illud Eph. 6: Assumentes scutum fidei, ut possitis omnia maligni ignita jacula exstinguere. Hoc ergo modo possumus etiam Ægyptios hodie videre mortuos, et ipsum Pharaonem, si tanta fide vivamus, ut Deus conterat Satanam sub pedibus nostris velociter per Jesum Christum.

tergum* ²⁰ stetit, inter castra Ægyptiorum et castra Israëli: et erat nubes tenebrosa, et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. ²¹ Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi et urente tota nocte, et vertit in siccum: divisaque est aqua.† ²² Et ingressi sunt filii Israëli per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus a dextra eorum et læva. ²³ Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos, et omnis equitatus Pharaonis, currus ejus et equites per medium maris. ²⁴ Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum, ²⁵ et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptii: Fugiamus Israëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. ²⁶ Et ait Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus et equites eorum. ²⁷ Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, et involvit eos Dominus in mediis fluctibus. ²⁸ Reversæque sunt aquæ, et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec unus quidem superfuit ex eis. ²⁹ Filii autem Israëli perrexerunt per medium sicci maris, et aquæ eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris: ³⁰ liberavitque Dominus in die illa Israëli de manu Ægyptiorum. ³¹ Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, et manum magnam quam exeruerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, et crediderunt Domino, et Moysi servo ejus.

15 Tunc cecinit Moyses et filii Israëli carmen hoc Domino, et dixerunt: [Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit

*14.19 *Tollensque se angelus Dei*, etc. STRAB. Angelus, qui *nuntius* interpretatur, significat doctores, qui nobis præcepta vitæ annuntiant, et cum nube, id est scientia Scripturarum castra Israël, id est Ecclesiam præcedunt, quia cum scientia Scripturarum præsentant. Supervenientibus Ægyptiis retrorsum abibit, quia tempore persecutionis opponunt se pro subjectis. Nubes vero tenebrosa erat Ægyptiis, lucida Hebræis.

†14.21 *Tota nocte*, etc. Quia toto tempore hujus vitæ, quam nox significat, Spiritus sancti gratia aquas baptismi fidelibus meabiles facit, ut de spirituali Ægypto in terram promissionis transeant: hostium vero suffocat exercitum. ISID. Mare Rubrum baptismum Christi sanguine consecratum significat; hostes a tergo sequentes cum rege moriuntur, quia peccata præterita in baptismo delentur, et diabolus suffocatur: premunt Ægyptii usque ad mare, et peccata usque ad baptismum. Post transitum maris Rubri cantat populus submersis hostibus infidelibus, et fideles de lavacro ascendentes, extinctis peccatis, hymnum decantant dicentes: *Cantemus Domino, gloriose enim*, etc.

in mare.[‡] ² Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem: iste Deus meus, et glorificabo eum: Deus patris mei, et exaltabo eum.[¶] ³ Dominus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen ejus,[§] ⁴ currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare: electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro. ⁵ Abyssi operuerunt eos;

[‡]15.1 **Tunc cecinit Moyses**, etc. ORIG., homil. 6 n Exod. Multa cantica legimus in Scripturis, sed hoc primum omnium est quod, Ægyptiis et Pharaone submerso, post victoriam cantatur. Mos enim sanctorum est, ubi adversarius vincitur quia sciunt non sua virtute, sed Dei gratia victoriam factam, hymnum Deo glorificationis offerre. Accipiunt tamen canentes tympana in manibus, sicut de Maria et Aaron refertur. Et tu ergo, si mare Rubrum transieris, si Ægyptios submergi videris, et Pharaonem præcipitari in abyssum, potes hymnum Deo gratanter canere, et dicere: **Cantemus Domino gloriose**, etc. Dignius autem hoc dices, si habueris in manu tympanum, id est, si carnem tuam crucifixeris cum vitiis et concupiscentiis. **Gloriose enim**, etc. ORIG. Non sufficit, **glorificatus est**; aliud est enim glorificari, aliud gloriose glorificari. Cum enim Christus carnem pro nobis suscepit, glorificatus est, qui venit quærere quod perierat, non tamen gloriose, quia non habebat speciem neque decorem; glorificatus est cum venit ad crucem, et pertulit mortem; unde Joan. 17: **Pater, venit hora, glorifica Filium tuum**, etc. Erat ergo et gloria passio crucis, ubi et glorificatus, non gloriose quidem, sed humiliter; unde Phil. 2: **Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis**. Et Sap. 2: **Morte turpissima condemnemus eum**. In his ergo glorificatus est de se humiliter, non gloriose; unde Lucæ 24: **Quia oportebat pati Christum, et sic intrare in gloriam suam**. Cum venerit in gloria Patris, et angelorum judicare terram, et verum Pharaonem, id est diabolum, interficiet spiritu oris sui, cum refulgebit in majestate Patris: tunc gloriose glorificabitur, cum omnes honorificabunt Filium sicut honorificant Patrem. **Magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare**, etc. In signis Ægypti. Sed gloriose magnificatus est, quia Pharaonem et exercitum ejus submersit. Vel magnificatus est, miracula ante passionem faciendo, prædicando, in cruce moriendo: sed gloriose magnificatus est, cum resurrexit victor victo diabolo, spoliato inferno. **Equum**, etc. ORIG. Homines qui nos insequuntur equi sunt; et omnes qui in carne nati sunt, figuraliter equi sunt, et habent ascensores suos. Sunt quos Dominus ascendit, et circumeunt omnem terram; de quibus dicitur Habac. 3: **Equitatus tuus salus**. Alios ascendit diabolus et angeli ejus. Judas equus erat, et cum ascensorem habuit Dominum, de equitatu salutis erat: cum cæteris enim apostolis missus ægrotis salutem et languentibus præstitit sanitatem; ubi diabolo se substravit, qui post buccellam in eum intravit, equus Satanæ factus, et illius habenis ductus contra Dominum equitavit. Omnes ergo persecutores equi sunt hinnientes, sed habent angelos malos, quibus aguntur ascensores, et ideo feroces sunt. Si videris persecutorem tuum nimis sævientem, scito quia ab ascensore pungitur, et ideo sævus est et truculentus.

[¶]15.2 **Iste Deus meus**, etc. ORIG. Hic ergo et Deus erit meus et Deus patris mei. Pater noster qui nos fecit et genuit, Christus est, qui dixit Joan. 16: **Vado ad Patrem meum**, etc. Si ergo agnoscam quod Deus meus sit, glorificabo eum; si etiam quod patris mei, exaltabo eum: altior enim intellectus est quomodo Christus, ut unius Dei constringat et uniat veritatem, Deum suum dicit, quem natura Patrem novit.

[§]15.3 **Dominus quasi vir pugnator**, etc. ORIG. Alia littera: **Dominus conteret bella**. Amos 9: **Dominus nomen est illi**. Non modo pugnas visibiles conterit, sed eas etiam quæ nobis sunt adversus principatus, et potestates, et rectores tenebrarum harum

descenderunt in profundum quasi lapis.^{**} ⁶ Dexteram tuam, Domine, magnificata est in fortitudine: dextera tua, Domine, percussit inimicum. ⁷ Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos: misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam.^{††} ⁸ Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: stetit unda fluens, congregata sunt abyssi in medio mari. ⁹ Dixit inimicus: Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea: evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. ¹⁰ Flavuit spiritus tuus, et operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. ¹¹ Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?^{‡‡} ¹² Extendisti manum tuam,

^{**} 15.5 *Descenderunt in profundum quasi lapis.* ORIG. Quia scilicet tales non erant lapides de quibus suscitarentur filii Abrahæ, sed qui amarent profundum et liquidum elementum, id est amaram et fluxam præsentium voluptatem. Unde de ipsis dicitur: *Demersi sunt quasi plumbum in aqua validissima.* Peccatores graves sunt, et iniquitas super talentum plumbi legitur sedere: inde mihi merguntur in profundum quasi plumbum, sancti vero ambulant super aquas, quia leves sunt, et peccati pondere non gravantur. Christus super aquas ambulavit, qui vere peccatum non fecit: ambulavit et Petrus, sed paululum dubitavit; habuit enim aliquid plumbi, propter quod dicitur ei Matth. 14: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Omnes ergo per ignem salvantur, ut si forte de specie plumbi quidquam fuerit admissum, ignis decoquat et resolvat, ut efficiantur omnes aurum optimum, quia aurum terræ illius optimum quam habitari sunt sancti; et sicut fornax probat aurum, ita homines justos tribulatio. Veniendum est ergo omnibus ad conflatorium. Sedet enim Deus et conflatur, et purgat filios Juda. Si quis multa opera bona et parum iniquitatis attulerit, illud parum tanquam igne resolvitur et purgatur, et totum remanet aurum purum. Si quis plus plumbi attulerit, plus exurit, ut amplius decoquatur; ut et si parum, tamen aliquid auri purgati resideat; qui vero totus plumbeus venit, demergitur *quasi plumbum in aqua validissima.*

^{††} 15.7 *Misisti iram tuam,* etc. AUG. quæst. 55 in Exod. Alia littera: *Misisti spiritum tuum et cooperuit eos mare,* etc. Ecce jam quinto commemoratur Spiritus Dei, etc., usque ad Scriptura tantummodo jubens sine adjutorio gratiæ.

^{‡‡} 15.11 *Quis similis tui,* etc. ORIG., ut supra. Non simulacris gentium comparat Deum, nec dæmonibus qui sibi falso nomen deorum asciscunt, sed dicit illos deos qui per gratiam et participationem Dei appellantur, secundum illud psal. LXXXI: *Ego dixi: Dii estis.* Et ibid.: *Deus stetit in synagoga deorum.* Sed hi quamvis capaces sint Dei, et hoc nomine per gratiam donari videantur, nullus ei similis in potentia vel natura; quod autem dicitur, *similes ei erimus,* similitudo hæc non ad naturam, sed ad gratiam revocatur, sicut pictura est similis ei cujus imago in ipsa exprimitur, quantum ad gratiam, sed longe dissimilis quantum ad substantiam. Illa enim species carnis est, et decor vivi corporis; ista colorum fucus, et cera tabulis sensu carentibus superposita. Nullus ergo in diis similis Domino, invisibilis scilicet, incorporeus, incommutabilis, sine initio et sine fine. Nullus creator omnium nisi Pater creans omnia per Filium, et in Spiritu sancto omnia sanctificans.

et devoravit eos terra.[¶] 13 Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti: et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum. 14 Ascenderunt populi, et irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.^{§§} 15 Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habita-

[¶]15.12 *Extendisti*, etc. ORIG. Monet me quod ait: *Extendisti dexteram tuam et devoravit eos terra*, quasi ut devorarentur a terra, causa fuerit quod dexteram extendit. Si consideres quomodo exaltatus Dominus in cruce tota die extendit manum ad populum non credentem, sed contradicentem, et quomodo infidelem populum qui clamavit: *Crucifige, crucifige eum* Joan. 19., mors iniquitatis oppressit, invenies quomodo *extendit dexteram, et devoravit eos terra*. Non tamen omnino desperandum. Si enim qui devoratus est, respiscat, potest evomi sicut Jonas. Omnes nos aliquando terra devorabat et in inferni penetralibus retinebat: ideo Christus descendit non solum ad terras, sed etiam ad inferiora terræ: et ibi invenit nos devoratos, et sedentes in umbra mortis; inde educens nos non solum terræ, ne iterum devoremur, sed regnum præparat cœlorum. ORIG. Impios etiam hodie terra devorat, qui semper de terra cogitant, terrena faciunt, de terra loquuntur, litigant, terram desiderant, in ea spem suam ponunt, ad cœlum non respiciunt, futura non cogitant, iudicium Dei non metuunt, nec promissa ejus desiderant; talem cum videris, dicite quia devoravit eum terra: et si quem videris luxuriæ et voluptatibus corporis deditum, in quo nil animus valet, sed totum libido possidet, dicito quia devoravit eum terra.

^{§§}15.14 *Ascenderunt*, etc. ORIG. Audierunt gentes et iratæ sunt, dolores apprehenderunt habitatores Philisthiim, etc. Quantum ad historiam, nullum de his gentibus interfuisse mirabilibus constat: quomodo ergo terrore territæ vel iratæ Philisthiim, et Moabitæ, et Edom, et reliquæ quas enumerat, nationes? Sed, spiritualiter, invenies quia Philisthiim, id est *cadentes poculo*; et Edom, scilicet *terrenus*, trepidant: et eorum principes cursitant et pavent constricti doloribus, cum vident regna sua, quæ in inferno sunt, penetrata ab eo qui descendit in inferiora terræ, ut eriperet eos qui possidebantur a morte. Hinc timent et tremunt, quia senserunt magnitudinem brachii ejus; hinc etiam tabuerunt habitatores Chanaan, id est *mutabiles et mobiles*, cum viderunt moveri regna sua, et alligari fortem. Veniat ergo super eos timor, et tremor: tremunt et timent dæmones crucem Christi, in qua triumphati sunt, et exuti principatus eorum et potestate. Timor ergo et tremor cadent super eos, cum in nobis signum crucis fideliter fixum viderint, et magnitudinem brachii quod Dominus expandit in cruce, sicut dicit Isa. LXV: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem*, etc. Non te aliter timebunt, nec tremor tuus irruet super eos, nisi viderint in te crucem Christi, ut dicas: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* Gal. 6..

tores Chanaan.* ¹⁶ Irruat super eos formido et pavor, in magnitudine brachii tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti. ¹⁷ Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, Domine: sanctuarium

*15.15 ***Fiant immobiles quasi lapis,*** etc. ORIG. Fieri tanquam lapidem non est natura esse lapidem. Non enim fieret nisi quod non erat. Hoc propter illos diximus qui malæ naturæ Pharaonem vel Ægyptios dicunt fuisse, nec ex libertate arbitrii in hoc esse deductos; et qui creatorem Deum accusant, tanquam sævum, qui homines vertat in lapides: non dixit: Fiant tanquam lapides et tacuit, sed tempus statuit et mensuram dominationis, scilicet ***donec pertranseat populus tuus.*** Prior populus qui fuit ante nos, factus est tanquam lapis durus et incredulus, non ut lapidis natura maneat, sed donec pertranseat populus quem Dominus acquisivit. Unde Rom. 11: ***Cæcitas enim ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, et tunc Israël salvus fiet;*** qui per incredulitatem factus est tanquam lapis, unde Matth. 3: ***Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*** Sed cum creator sit omnium, quomodo acquisisse dicitur quod suum esse dubium non est? Dicitur enim in cantico Deuteronomii: ***Nonne hic ipse Dominus Deus tuus, qui fecit et creavit te, et acquisivit te?*** Deut. 32. Videtur enim unusquisque illud acquirere quod non fuit suum. Unde hæretici de Salvatore dicunt quia non erant sui quos acquisivit: dato enim pretio mercatus est homines quos Creator fecerat, et certum esse aiunt unumquemque emere quod suum non est. Apostolus enim ait I Cor. 7: ***Pretio empti estis.*** Sed audi Prophetam: ***Peccatis vestris venundati estis, et pro iniquitatibus vestris dimisi matrem vestram*** Isa. 50.. Dei ergo creaturæ omnes sumus, sed peccatis suis quisque venditur, et a Creatore discedit. Dei ergo sumus, secundum quod ab eo creati sumus: effecti vero servi diaboli, secundum quod peccatis nostris venundati sumus. Veniens autem Christus redemit nos servientes diabolo, cui nos peccando vendidimus, et ita videtur suos recepisse, quos creavit; et alienos acquisisse, qui alienum dominum peccando acquisierant. Sed recte nos redemisse dicitur, qui pro pretio nostro sanguinem suum dedit. Sed quid tale ut nos mercaretur diabolus dedit? Homicidium pecunia diaboli est, ille enim ab initio homicida est: fecisti homicidium, diaboli pecuniam accepisti. Idem dicendum est de adulterio, sacrilegio, furto, falso testimonio et hujusmodi: hac pecunia enim emit et efficit sibi servos omnes qui de hujusmodi censu ejus quantumcunque susceperint.

tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ.† 18 Dominus regnabit in æternum et ultra.‡ 19 Ingressus est enim eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare: et reduxit super eos Dominus aquas maris: filii autem Israël ambulaverunt per siccum in medio ejus.]¶ 20 Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum

†15.17 *Introduces eos et plantabis*, etc. ORIG. Non vult nos Dominus in Ægypto plantare, nec in dejectis et humilibus locis, sed in monte hæreditatis suæ. De hac plantatione Propheta dicit psal. LXXIX: *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes et plantasti eam: dux itineris fuisti in conspectu ejus, et plantasti radices ejus, et replevit terram. Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei.* Advertis quomodo plantat Deus et ubi? Non plantat in vallibus, sed in montibus, in excelsis et in sublimibus locis. Quos enim educit de Ægypto, id est sæculo ad fidem, non vult iterum in humilibus locare, sed conversationem eorum sublimem esse, et in montibus habitare et in excelsis, non per terram repere. Non ultra vult vineam suam in humili dejectos habere fructus, sed palmites sursum duci, in alto locari, traduces fieri: et traduces non in humilibus arboribus, sed in excelsis et in altissimis cedris Dei, prophetis scilicet et apostolis: quibus si nos adjungamur, vitis quam transtulit Deus de Ægypto, et per ramos eorum nostri palmites diffundantur, et ipsis innexi traduces efficiamur charitatis ad invicem vinculis nexi, fructum plurimum afferemus. *Nam omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* Matth. 3. *Firmissimo habitaculo tuo*, etc. ORIG. In præparata habitatione quam præparasti, Domine. Vide clementis bonitatem Domini: non vult te inducere ad laborem, non vult ut ipse facias tibi habitaculum; jam te ad præparatam inducet habitationem. Unde Joan. 4: *Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. Sanctuarium tuum*, etc. ORIG. *Sanctimonium tuum, Domine*, etc. Sanctimonium dicitur tabernaculum Dei, vel templum, eo quod sanctificat accedentes. Hebr. IX hoc non dicitur manu hominum factum, sed manu Dei: propter te ergo Deus et plantat et ædificat; agricola efficitur et structor, ne tibi aliquid desit. Unde Apostolus I Cor. 3: *Dei agricultura, Dei ædificatio estis.* Quid est ergo hoc sanctimonium non manu hominum, sed Dei præparatum. Prov. 9: *Sapientia ædificavit sibi domum*, id est, carnem Christi, non manu hominis, id est, non opere humano: templum carnis ædificatur in Virgine, sed lapis sine manibus excisus crevit, et factus est mons magnus Dan. 2.: hoc est sanctimonium carnis assumptæ, et sine manibus et sine opere hominum de monte humanæ naturæ et substantia carnis excisum.

‡15.18 *Dominus regnabit*, etc. ORIG. *Domine, qui regnas in sæculum et in sæculum et adhuc.* Quoties dicitur *in sæculum*, longitudo quidem temporis, sed esse aliquis finis indicatur; et si in aliud sæculum dicitur, aliquid longius indicatur, sed tamen finis ponitur: et quoties sæcula sæculorum nominantur, fortasse, licet ignotus nobis, tamen a Deo statutus aliquis terminus indicatur. Quod vero hic addidit *et adhuc*, nullum sensum termini alicujus aut finem relinquit: quodcunque enim cogitaveris, in quo finem putes consistere, semper dicit tibi sermo propheticus, *et adhuc*; velut si tibi dicat, Putas in sæculum sæculi Dominum regnaturum, et adhuc putas in sæcula sæculorum: et adhuc, et quodcunque dixeris de regni ejus spatiis, semper dicit tibi propheta, *et adhuc.*

¶15.19 *Filii autem Israël*, etc. ORIG. Et tu si *filius es Israël, potes ambulare per siccum in medio maris.* Si fueris in medio nationis pravæ et perversæ, sicut lumen solis in medio peccatorum incedens, non te infundet humor peccati, et per hunc mundum transeuntem nulla libidinis unda resperget, nullus cupiditatis æstus verberabit. Qui Ægyptus est, et sequitur Pharaonem, vitorum fluctibus mergitur. Qui vero sequitur Christum, et sicut ille ambulavit, ambulat, aqua ei fit murus dextra lævaque. Ipse autem media via incedit, per siccum non declinat ad dexteram neque ad sinistram, usquequo exeat ad libertatem, et hymnum victoriæ Domino canat dicens: *Cantemus Domino*, etc.

in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris,[§]
²¹ quibus præcinebat, dicens: [Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est:
 equum et ascensorem ejus dejecit in mare.] ²² Tulit autem Moyses Israël de mari
 Rubro, et egressi sunt in desertum Sur: ambulaveruntque tribus diebus per soli-
 tudinem, et non inveniebant aquam. ^{**} ²³ Et venerunt in Mara, nec poterant bibere
 aquas de Mara, eo quod essent amaræ: unde et congruum loco nomen imposuit,
 vocans illum Mara, id est, amaritudinem. ^{††} ²⁴ Et murmuravit populus contra Moy-
 sen, dicens: Quid bibemus? ²⁵ At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum:
 quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt: ibi constituit ei præcepta,

§15.20 *Tympanum.* STRAB. Secundum Hieronymum est genus tubæ in summo
 habens stipulam vel fistulam; per quam vocem reddit sonoram. Chorus, secun-
 dum eundem, pellis simplex cum duabus cicutis; per alteram inspiratur, per al-
 teram sonum reddit: per utrumque ergo angusta intelligentia veteris legis desig-
 natur. Quam enim breve sit et minimum inde ostenditur, quia manu mulieris por-
 tatur. Secundum Cassiodorum tympanum est pellis extensa inter duo ligna: per quod
 maceratio carnis designatur. Chorus autem est multitudo simul canentium et dicitur
 chorus quasi coævorum cantus. Quod ergo in choro æqualiter omnes voces resonant,
 per eum charitas significatur, qua omnes in Christo unum sumus. Quicumque ergo
 Deo in jubilum laudes reddit, in choro, hoc est in charitate, hoc agat, et in tympano,
 id est in mortificatione carnis. Unde psal. CL: *Laudate eum in tympano et choro,*
 etc.

**15.22 *Tulit autem Moses Israel,* etc. Baptizati per mundum quasi per desertum
 post transitum maris Rubri ducuntur, nondum habentes promissam patriam, sed
 sperantes et exspectantes per patientiam, dum laboriosa et periculosa tentatione
 fatigantur. Sed ne revertantur corde in Ægyptum, nec ibi Christus deserit: nam et
 illa columna non recedit.

††15.23 *Et venerunt,* etc. ORIG., hom. 6 in Exod. Post transitum maris Rubri, post
 choros et tympana, post triumphales hymnos, venit ad Mara, *aquam* scilicet *ama-
 ram,* quam populus bibere non poterat; venit ad periculum sitis. Sed clamavit
 Moses ad Dominum, et ostendit ei lignum, quo dulcis facta est aqua, et ibi posuit
 Deus illi justitias et iudicium; ubi scilicet amaritudo, ubi sitis, et, quod gravius est,
 in abundantia aquarum, alius non erat locus dignior et aptior. Præterea quod dicit,
ostendit illi lignum Deus, et misit illud in aquam, et facta est dulcis, quasi non
 posset sine ligno aquam facere dulcere Deus, aut Moses lignum nesciret. Sed si lex
 secundum litteram accipiatur, amara est et ipsa Mara. Quid enim tam amarum quam
 ut puer octavo die circumcisionis vulnus accipiat, et rigorem ferri tenera patiat
 infantia? Amarum est enim poculum legis, populus Dei, non qui in Mose baptizatus
 est in nube et in mari, sed qui in spiritu et aqua non possit bibere et gustare, nec hos-
 tiarum ferre amaritudinem, nec sabbati observantiam. Sed si Deus ostendat lignum
 quod mittatur in hanc amaritudinem, dulcis fit aqua legis et potabilis. Prov. 3: *Sapi-
 entia lignum vitæ est in omnibus amplectentibus eam.* Si ergo lignum sapientiæ
 Christi missum fuerit in lege, ostendens quomodo debeat intelligi circumcisio, sab-
 batum, lex lepræ et hujusmodi, amaritudo legis vertitur in dulcedinem intelligentiæ
 spiritualis, ut populus bibere possit qui idola reliquit et ad Deum confugit. Si audiat
 legem de sacrificiis docentem, continuo refugit et bibere non potest. In hanc ergo
 amaritudinem, id est litteram legis, posuit Deus justitias et testimonia, velut scilicet
 in vasculo quodam sapientiæ suæ et scientiæ thesaurus concludit [condidit]. Unde:
Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus II Cor. 3.. Ut ergo possit hæc aqua
 bibi, ostendit Deus lignum quod mittatur in eam, ut qui biberit non moriatur, non
 sentiat amaritudinem. Si quis ergo sine ligno vitæ, id est, sine mysterio crucis, sine
 fide Christi, sine intelligentia spirituali biberit, amaritudine morietur. Unde: *Littera
 occidit,* id est, aqua Mara, si bibatur non mutata et in dulcedinem versa.

atque iudicia, et ibi tentavit eum,^{††} 26 dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, et quod rectum est coram eo feceris, et obedieris mandatis ejus, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te: ego enim Dominus sanator tuus. 27 Venerunt autem in Elim filii Israël, ubi erant duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmæ: et castrametati sunt juxta aquas.

16 Perfectique sunt de Elim, et venit omnis multitudo filiorum Israël in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai, quintodecimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti. 2 Et murmuravit omnis congregatio filiorum

^{††}15.25 *Qui ostendit ei*, etc. AUG., Quæst. 57 in Exod. Genus ligni erat istam habens vim: an quolibet ligno facere poterat Deus, qui tanta mirabilia faciebat? Videtur tamen significare quod dictum est, *ostendit ei*, tanquam jam tale esset; nisi forte locus erat ubi ligna omnino non inveniebantur, ut hoc ipsum esset divini adjutorii, quod ei Dominus lignum ostendit, ubi nullum erat, et per lignum aquas dulces fecit, præfigurans gloriam et gratiam crucis. Sed in tali etiam ligno quis nisi creator et demonstrator laudandus est. *Ibi constituit ei præcepta*. ORIG., hom. 7 in Exod. Quare addidit: Postquam *posuit illi Deus justitias et iudicia, ibi tentabat eum dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui*. Videtur exponere quare justificationes et iudicia dedit, ut scilicet tentaret eos si audirent vocem Domini Dei, et mandata ejus custodirent. Nam quantum ad priorem populum, quid eis boni aut perfecti murmurantibus et contradicentibus mandaretur, qui paulo post, mirabilium Dei obliti, ad idola convertuntur? Dantur ergo præcepta in quibus tententur; unde: *Dedi vobis præcepta et justificationes non bonas in quibus non vivent* Ezech. 20.. Tentati enim in præceptis non inveniuntur fideles, ideo inventum est eis mandatum esse ad mortem quod erat ad vitam. Idem enim, si servetur, vitam; si non servetur, mortem generat. Non servantibus ergo dicuntur mandata non bona, et in quibus non vivant. Sed admisto ligno crucis, in dulcedinem versa, et spiritualiter intellecta, et servata sunt mandata vitæ. *Cunctum languorem quem posui in Ægypto, non inducam super te*. Videtur dicere quod si quis servet mandata nullam ægritudinem patiat, id est nec febres, nec alios dolores corporeos. Sed omnino Job justissimus, et omni pietate plenus, a capite usque ad pedes repletur ulcere pessimo. Sed justus non habent illas infirmitates quas Ægyptii. Ægyptus est mundus: diligere ergo mundum et quæ in mundo sunt, Ægyptius languor est; observare menses, tempora, stellarum cursibus adhærere, servire carni, luxuriæ operam dare et deliciis vacare, Ægyptius languor est. *Venerunt autem*, etc. ORIG., ibid. Non ante in Elim ducitur populus, ubi erant duodecim fontes aquarum, quibus nil inerat amaritudinis, sed amœnitas plurima ex densitate palmarum: sed prius ductus est ad aquas salsas et amaras, quibus per lignum a Domino monstratum dulcoratis, venit ad fontes. Si historiam solam sequamur, non multum nos ædificat scire ad quem locum primo venerint, ad quem secundo. Primo autem ducitur populus ad litteram legis, a qua dum permanet in amaritudine sua, recedere non potest. Cum ergo per lignum vitæ fuerit indulcorata, et spiritualiter intellecta, de Veteri Testamento transit ad Novum, et ad duodecim apostolicos fontes, ubi reperiuntur arbores septuaginta palmarum. Non enim soli duodecim apostoli fidem Christi prædicaverunt, sed et alii septuaginta, per quos palmas victoriæ Christi mundus agnovit. Non sufficit ergo populo Dei aquam Mara bibere, quamvis indulcoratam per lignum vitæ; solum Vetus Testamentum non sufficit ad bibendum, veniendum est enim ad Novum, de quo sine scrupulo et difficultate potatur. Judæi etiam nunc apud Mara sunt, id est ad aquas amaras: nondum enim ostendit eis Deus lignum de quo dulcescunt, quia *nisi crediderint, non intelligent* Isa. 7..

Israël contra Moysen et Aaron in solitudine.^{¶¶} ³Dixeruntque filii Israël ad eos: Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carniū, et comedebamus panem in saturitate: cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?^{§§} ⁴Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce ego plumam vobis panes de cælo: egrediatur populus, et colligat quæ suffi-

^{¶¶}16.2 *Et murmuravit omnis congregatio Israël,* etc. ORIG., homil. 7 in Exod. O ingratus populus! desiderat Ægyptum, qui Ægyptios vidit exstinctos; et carnes Ægypti, qui Ægyptiorum carnes videt et piscibus datas et volatilibus! Murmurat adversus Moysen, imo Deum; sed primo ignoscitur, et secundo et fortassis tertio: sed si non desinant, sed persistent, audi quid sequitur, in libro Numerorum refertur Num. 21., et idem Apostolus retexit dicens I Cor. 10.: *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et a serpentibus perierunt. Scripta sunt hæc propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt.* Sed si non desinimus murmurare et conqueri contra Deum, incurremus simile offensionis periculum vel exemplum. Cum enim de cœlesti intemperie, fructuum infecunditate, imbrum raritate, et de prosperitate aliorum et aliorum improsperitate causamur, contra Deum murmuramus. Sed hæc primo ignoscuntur, in persistentes graviter vindicantur, quia mittentur in eos serpentes, id est, immundis et veneficis spiritibus tradentur, qui occultis morsibus penetralia cordis depascantur. ORIG. Propter correctionem legentium indicatur populi peccatum: quia murmuraverit et ingratus fuerit beneficiis divinis, cum cœleste manna susceperit. Secundo mense, quinta decima die mensis, quod non sine ratione scriptum est. Recordare de legibus paschæ quæ dicta sunt Num. 9., et invenies ibi hoc esse tempus quod statuitur ad secundum pascha faciendum his qui immundi in anima fuerint, vel occupati negotiis peregrinis. Qui non fuerant immundi anima, vel non longe peregrinabantur, quarta decima die primi mensis fecerunt pascha; longe vero peregrini, et immundi, secundum pascha in hoc tempore faciunt, in quo manna de cœlo descendit. In die quo primum pascha fit, non descendit manna, sed in quo secundum: primum pascha populi Judaici est; secundum, nostrum. Nos enim fuimus in anima immundi, qui *colebamus idola; et peregrini, et longinqui fuimus, hospites et peregrini testamentorum Dei,* etc. Eph. 2. Sed datur manna de cœlo, non in die quo primum pascha fit, sed quo secundum: *Panis enim qui de cœlo descendit* Joan. 6. non venit ad illos qui primam solemnitatem celebrabant, sed ad nos, qui suscepimus secundam. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus, qui verus homo panis de cœlo descendit* I Cor. 5. Videamus interim quid in hac die gestum monstretur: Quarta decima die mensis secundi murmuravit populus, etc.

^{§§}16.3 *Sedebamus super ollas,* etc. Greges ovium habebant et armenta boum, de quibus comedere poterant; sed desiderio piscium et avium, quibus Ægyptus abundat, æstuabant.

ciunt per singulos dies: ut tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non.* ⁵ Die autem sexto parent quod inferant: et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies.† ⁶ Dixeruntque Moyses et Aaron ad omnes filios Israël: Vespere scietis quod

*16.4 *Ecce pluam*, etc. ORIG., homil. 8 in Exod. Vellem primo super hanc scripturam cum Judæis habere sermonem, quibus credita sunt eloquia Dei, quid illis videatur de eo quod dicit: *Sex diebus continuis colligetis, die autem sexta duplum*. Apparet ergo sextum diem nominari qui ante sabbatum ponitur; sabbatum autem septimus dies est. Quæro ergo qua die cœpit manna dari? et volo comparare Dominicam nostram cum sabbato Judæorum. Ex Scriptura enim apparet quia die Dominica primum datur manna, sex diebus continuis collectum; septima, quæ est sabbatum, cessatur. Quia ergo in die Dominica pluit Deus manna, et non in sabbato, intelligant Judæi jam tunc prælatam esse Dominicam nostram suo sabbato; et indicatum est quod non in ipso Dei gratia ad eos descenderit de cœlo, et panis cœlestis, qui est sermo Dei, ad eos non pervenerit; unde Ose. 3: *Diebus multis sedebunt filii Israël sine rege, sine principe, sine hostia, sine sacrificio, sine sacerdote*. In nostra autem Dominica semper Dominus pluit manna, id est cœlestia verba quæ nobis læta sunt. Illi infelices suspirant etiam manna sicut patres eorum, et non merentur accipere; non enim possunt manducare quod est minutum sicut semen coriandri, et candidum sicut pruina. Nihil enim in verbo Dei minutum, subtile et spirituale sentiunt, sed totum pingue et crassum. *Incrassatum est enim cor populi hujus*. Interpretatio quoque nominis hujus hoc sonat. Manna enim interpretatur *Quid est hoc?* Ipsa vis nominis ad descendendum invitat, ut cum audis legem Dei recitari, inquiras semper et dicas doctoribus, *Quid est hoc?* Tu ergo si vis manducare manna, et suscipere verbum Dei, scito minutum esse et valde subtile, sicut semen coriandri: habet enim aliquid oleris quo nutrire et recreare possit infirmos. *Infirmus enim olus manducatur* Rom. 14.. Habet enim aliquid et rigoris, et ideo ut pruina; candoris autem et dulcedinis plurimum. Quid est candidum, splendidius eruditione divina? quid dulcius, suavius eloquiis Dei, quæ sunt super mel et favum? *Panes*. Manna scilicet: locutio est qua panis pro alimento ponitur; amat autem Scriptura pluraliter magis *panes* quam singulariter dicere *panem*. *Ut tentem*. Tentatio ista probatio est, non ad peccatum seductio; nec ideo probantur, ut Deus non noverit: sed ipsos ipsi ostendit quo humiliores fiant ad petendum adjutorium et ad noscendam Dei gratiam.

†16.5 *Die autem sexto*, etc. ORIG., hom. 7. In die sexto duplum colligatur in repositione, quantum sufficiat etiam sabbato. Sexta dies, hæc vita in qua nunc sumus, unde in sex diebus fecit Deus hunc mundum; in hac ergo die tantum reponere debemus, quantum sufficiat in futuro. Si quid enim hic boni operis acquiras, si quid justitiæ, misericordiæ et pietatis recommendas, hoc tibi in futuro erit cibus. Qui enim acquirit hic decem talenta Luc. 19., ibi accipiet decem civitates, et *quæ seminaverit homo, hæc et metet* Gal. 6.. Divites hujus sæculi ea recondunt quæ in hoc sæculo, imo cum hoc sæculo corrumpuntur: bona autem recondita permanent usque in crastinum. Scriptum est autem. *Qui infideles fuerunt, servaverunt de manna, et ebullierunt ex eo vermes et computruit*; quod autem pro die sabbati reponeretur, permansit integrum. Et tu ergo si propter præsentem vitam et amorem sæculi thesaurizas, continuo vermes ebulliunt, de quibus dicitur Isa. LXVI: *Vermis eorum non moritur*; hos generat avaritia et divitiarum cæca cupiditas his qui habent pecuniam, et videntes in necessitate fratres suos, claudunt viscera sua ab eis. Unde Apostolus I Tim. 6. præcipit *divitibus non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum*, etc.; nec aliunde fiunt vermes in nobis, nisi ex manna, id est verbo Dei. Unde Joan. 15: *Nisi venissem et locutus eis fuissem*, etc. Post susceptum ergo verbum Dei si quis peccat, efficitur ipsum verbum vermis, qui ejus conscientiam semper fodiat et arcana pectoris rodatur.

Dominus eduxerit vos de terra Ægypti,[‡] 7 et mane videbitis gloriam Domini: audivit enim murmur vestrum contra Dominum: nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos?[¶] 8 Et ait Moyses: Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, et mane panes in saturitate: eo quod audierit murmurationes vestras quibus murmurati estis contra eum: nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. 9 Dixit quoque Moyses ad Aaron: Dic universæ congregationi filiorum Israël: Accedite coram Domino: audivit enim murmur vestrum. 10 Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israël, respexerunt ad solitudinem: et ecce gloria Domini apparuit in nube. 11 Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: 12 Audivi murmurationes filiorum Israël. Loquere ad eos: Vespere comedetis carnes, et mane

[‡]16.6 ORIG. *Vespere scietis*, etc. *Ad vesperam scietis quia ego Dominus; mane autem videbitis majestatem Domini.* Respondeant mihi Judæi quomodo ad vesperam cognoscitur Dominus, et mane videatur majestas ejus? Ubi agnitus est ad vesperam, et ejus majestas visa est mane? Sed non intelligitur hoc nisi in Evangelio Matth. 28., in quo vespere sabbati qui *lucescit in prima sabbati venit Maria Magdalene et altera Maria ad sepulcrum, et invenerunt lapidem revolutum a monumento, terræ motum factum*, et monumenta aperta esse, et centurionem et custodes sepulcri dicentes: *Vere hic Filius Dei erat.* Agnitus est in hac vespera Dominus, quia ipse Dominus erat: agnitus est in virtute resurrectionis, et mane gloria ejus visa est. Cum venissent aliæ mulieres prima sabbati valde mane, invenerunt angelos cum ingenti claritate sedentes ad sepulcrum, et dicentes: *Non est hic, sed surrexit a mortuis. Venite et videte locum*, etc. Luc. 24. Visa est ergo majestas ejus mane, quia et per angelos resurrectio nuntiata est.

[¶]16.7 *Nos vero quid sumus*, etc. AUG., quæst. 59 in Exod., tom. 3. Non tantum se valere quantum Deum voluerunt, etc., usque ad Spiritum sanctum Deum esse monstravit subjungens, Act. 5: *Non hominibus mentitus es, sed Deo.*

saturabimini panibus: scietisque quod ego sum Dominus Deus vester.^{§ 13} Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix, cooperuit castra: mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum.¹⁴ Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, et quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram.^{** 15} Quod cum vidissent filii Israël, dixerunt ad invicem: Manhu? quod significat: Quid est hoc? ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis quem Dominus dedit vo-

§16.12 *Vespere comedetis carnes* ORIG., ut supra. Moraliter intelligere possumus quod unicuique nostrum mane est et initium diei, tempus quo primum illuminamur et ad lucem fidei accendimur. In hoc tempore carnes verbi non possumus edere, id est, perfectæ doctrinæ capaces nondum sumus; sed post longa exercitia, post profectum plurimum, cum jam proximi sumus ad vesperam, id est perfectionis fidem, tunc solidioris cibi capaces efficitur. Festinemus ergo manna suscipere, quod prout vult quisque saporem reddit in ore. Unde Matth. 9: *Fiat tibi secundum fidem tuam*. Et tu ergo, si verbum Dei quod in Ecclesia prædicatur, tota fide et devotione suscipias, fiat tibi quodcumque desideras. Si tribularis, consolatur te, dicens: *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit* Psal. 50.; si lætaris pro spe futura, cumulat tibi gaudia, dicens: *Lætamini in Domino et exsultate, justi* Psal. 31.; si iracundus es, dicit: *Desine ab ira, et derelinque indignationem* Psal. 36.; si in doloribus sis, sanat te, dicens: *Dominus sanat languores tuos omnes* Matth. 4.; si paupertate consumeris, consolando dicit: *Dominus allevat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem* Psal. 112.. Si quis tamen infideliter suscipit, nec comedit, sed abscondit, vermes ex eo ebulliunt. Nec turberis si ad hoc ducitur verbum Dei, ut putetur fieri vermis; ipse enim ait: *Ego sum vermis, et non homo* Psal. 21.. Sicut enim ipse est qui fit aliis in ruinam, aliis autem in resurrectionem Luc. 2.; ita et ipse est qui in manna fidelibus dulcedo mellis, infidelibus vermis efficitur. Ipse est enim sermo Dei qui iniquorum mentes arguit et correctionum spiculis conscientiam terebrat. Ipse est enim qui efficitur eis quibus aperit Scripturas ignis, qui dicunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* etc. Luc. 24. Aliis ignis est, quibus cremat spinas de terra mala, id est, malas cogitationes in corde consumit; et ideo peccatoribus neque vermis arguens unquam moritur, neque ignis exurens exstinguitur: justis autem et fidelibus permanet dulcis et suavis. Unde dicitur psal. 33: *Gustate et videte*, etc. ORIG., ubi supra. Alia littera: *Vespere manducabitis carnes, et mane replebimini panibus*. Dicant Judæi quæ consequentia sit, ut vespere carnes sine panibus comedant, aut mane panes sine pulmento? quid in hoc divini muneris, quid temperamenti gratiæ coelestis ostenditur? Hoc est, in quo agnoscere Deum possunt, qui carnes in vespera sine panibus comedunt, et majestatem Dei apparere dicunt, si rursus panes sine carnibus comedantur? servant sibi ista, his qui acquiescentes vobis, in coturnicibus putant agnosci Deum; nos autem, quibus in fine ad vesperam mundi Verbum est caro factum, in illa tantum carne agnosci dicimus Deum, quem suscepit ex Virgine: has enim Verbi Dei carnes neque mane neque meridie quis manducavit, sed ad vesperam: adventus enim Domini in carne ad vesperam factus est, sicut et Joannes dicit: *Pueri, novissima hora est* I Joan. 2.

**16.14 *In similitudinem pruinæ super terram*. Pruina Christum significat: manna enim Dominica die primum datum est, et Christus Dominica die resurrexit. *Tusum*. Id est mundissimum. Sicut enim frumentum, vel milium, vel aliud tale in mortariolo pilo teritur et folliculis exuitur, sic corpus Christi per tribulationem passionis et pilo crucis mortalitate exutum est. Vel minutum manna subtilitas coelestis doctrinæ, quæ pilo tunditur ut litteralis sensus exuatur.

bis ad vescendum.^{††} 16 Hic est sermo, quem præcepit Dominus: Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum: gomor per singula capita, juxta numerum animarum vestrarum quæ habitant in tabernaculo sic tolletis.^{‡‡} 17 Feceruntque ita filii Israël: et collegerunt, alius plus, alius minus. 18 Et mensi sunt ad mensuram gomor: nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus praverat, reperit minus: sed singuli juxta id quod edere poterant, congregaverunt.^{¶¶} 19 Dixitque Moyses ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane. 20 Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis usque mane, et scateræ cœpit vermibus, atque computruit: et iratus est contra eos Moyses.^{§§} 21 Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum: cumque incaluisset sol, liquefiebat.* 22 In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est, duo gomor per singulos homines: venerunt autem omnes principes multitudinis, et narraverunt Moysi.[†] 23 Qui ait eis: Hoc est quod locutus est Dominus: Requies sabbati sanctificata est Domino cras: quodcumque operandum est, facite, et quæ coquenda sunt coquite: quidquid autem reliquum fuerit, reponite usque in mane.[‡] 24 Feceruntque ita ut præceperat Moyses, et non computruit, neque vermis inventus est in eo. 25 Dixitque Moyses: Comedite illud hodie, quia sabbatum est Domini: non invenietur hodie in agro. 26 Sex diebus colligite: in die autem septimo sabbatum est Domini, idcirco non invenietur. 27 Venitque septima dies: et egressi de

^{††}16.15 *Man hu*. GREG., lib. XXVII Moral., cap. 7. Quid per manna filiis Israël desuper datum, nisi admiratio supernæ dulcedinis designatur? Dulcis enim cibus, qui de supernis accipitur; *man hu* vocatur, quod interpretatur *Quid est hoc?* quod dicimus quando cernimus quod nescientes admiramur. Supernum igitur manna anima percipit, cum per vocem compunctionis elevata novam speciem æternæ refectiois obstupescit, ut divina dulcedine repleta jure respondeat *Quid est hoc?* quia dum ab infima cogitatione suspenditur, ea quæ de supernis conspicit et insolite miratur. Et cum per hanc vocem torporis nostri surditas rumpitur, vetustæ vitæ usus mutatur, ut anima, superno spiritu afflata, et in supremis appetat quod contempserat, et contemnat in infimis quod appetebat.

^{‡‡}16.16 *Juxta numerum animarum vestrarum*, etc. AUG., locutio 78. Sæpe Scriptura homines animas appellat, a parte totum: non facile autem carnes pro hominibus, sed carnes; sicut psal. LV: *Non timebo quid faciat caro*; quod apertius in psalmo eodem ait, *quid faciat mihi homo*. Non autem diceret, secundum numerum carniarum vestrarum, sicut dixit, *secundum numerum animarum vestrarum*.

^{¶¶}16.18 *Juxta id quod edere poterant*, etc. Quia in præsentī vita quilibet debet discere quantum potest, ne quid indiscussum relinquat, ne cum non possit, discere incipiat.

^{§§}16.20 *Sed dimiserunt quidam ex eis usque mane*, etc. Principium alterius vitæ, in qua non licebit vacare doctrinæ, sed manna computrescet, et vermibus scatebit, id est, pœnam eis æternam generabit.

*16.21 *Cumque incaluisset sol, liquefiebat*. Quia tunc omnis Scripturæ intellectus patebit, quia *nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem videbimus facie ad faciem* I Cor. 13..

[†]16.22 *Cibos duplices*. Necessaria scilicet animæ et corpori. Nam in septima, quæ mortuorum ætas intelligitur, scilicet nullus erit operandi locus.

[‡]16.23 *Requies sabbati*, etc. Audiendo verbum Dei et faciendo, vel bene vivendo et aliis misericordiam præstando. Quod reponebatur pro sabbato non corruppebatur, quia bona pro futura requie facta, in futura vita manent integra. Alioquin ebulliebant vermes et computrescebat quod servabatur: qui enim propter præsentem vitam et amorem sæculi thesaurizant, illis ebullit vermis qui non morietur.

populo ut colligerent, non invenerunt. ²⁸ Dixit autem Dominus ad Moysen: Usquequo non vultis custodire mandata mea et legem meam? ²⁹ videte quod Dominus dederit vobis sabbatum, et propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices: maneat unusquisque apud semetipsum; nullus egrediatur de loco suo die septimo. ³⁰ Et sabbatizavit populus die septimo. ³¹ Appellavitque domus Israël nomen ejus Man: quod erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi similæ cum melle. ³² Dixit autem Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, et custodiatur in futuras retro generationes: ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti. ³³ Dixitque Moyses ad Aaron: Sume vas unum, et mitte ibi man, quantum potest capere gomor, et repone coram Domino ad servandum in generationes vestras, [†] ³⁴ sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum. ³⁵ Filii autem Israël comederunt man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terræ Chanaan. [§] ³⁶ Gomor autem decima pars est ephi.

17 Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israël de deserto Sin per mansiones suas, juxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, ubi non erat

[†]16.33 *Et repone coram*, etc. AUG. quæst. 61 in Exod. Quæri potest ubi Aaron reponeret ante Dominum, quando nec ullum tabernaculum fuit, nec arca testamenti jam fuerat constituta. An forte de futuro, ideo dixit *repone*, ut intelligatur tunc ante Dominum posse reponi, quando futura arca erat? An potius ante Dominum dictum est, quod fit ipsa devotione offerendi, in quocunque loco poneretur? Ubi enim non est Deus? Sed quod adjungit: *Et reposuit Aaron ante tabernaculum ad reservandum*, priorem magis sensum asserit. Hoc enim modo Scriptura dixit per prolepsim, quod post factum est cum esse cœpit tabernaculum testimonii.

[§]16.35 *Filii autem Israël comederunt manna quadraginta annis*, etc. AUG., ibid., quæst. 62. Alia littera: *Filii autem Israël ederunt manna quadraginta annis*, etc., usque ad noverat enim Deus quid desiderarent et ex quo genere carnis satiaret eos. *Comederunt manna quadraginta annis*. Corpus Christi, scilicet Verbum Dei, quod percipimus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem I Cor. 13. *Donec venirent in terram habitabilem*, etc. AUG., quæst. 63 in Exod., tom. 3. Alia littera: *Quousque venirent in partem Phœnicis*. Per repetitionem exponit quam terram dixit habitari, etc., usque ad multarum enim terrarum, locorum, fluminum et urbium nomina certis causis mutavit antiquitas.

aqua ad bibendum populo.** ²Qui jurgatus contra Moysen, ait: Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses: Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? ³Sitivit ergo ibi populus præ aquæ penuria, et murmuravit contra Moysen, dicens: Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, et liberos nostros, ac jumenta siti?†† ⁴Clamavit autem Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc paululum, et lapidabit me. ⁵Et ait Dominus ad Moysen: Antecede populum, et sume tecum de senioribus Israël: et virgam qua percussisti fluvium, tolle in

**17.1 *Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israël*, etc. ORIG., hom. 11 in Exod. Omnes qui volunt pie vivere in Christo persecutionem patiuntur, ab hostibus impugnantur: agensque iter hujus vitæ semper debet esse paratus et stare in castris. Unde profecta est omnis synagoga filiorum Israël de deserto Sin secundum castra sua per verbum Dei. Est una quidem Synagoga Domini. sed in quatuor castris dividitur, qui describuntur in Numeris circa tabernaculum Domini postia. Armatus ergo in castris Domini militans ne implicet te sæcularibus negotiis, et in castris Domini semper excubias agas, ut de te dicatur quia profectus es per verbum Domini de deserto Sin, et venis in Raphidim. Sin autem *tentatio* interpretatur; Raphidim *sanitas iudicii*: qui bene exit de tentatione, venit ad sanitatem iudicii. In die enim iudicii sanus erit. Unde Apoc. 2: *Qui vicerit, dabo ei de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei*. Venit ergo ad sanitatem iudicii qui bene disponit sermones suos in iudicio. *Sin*. Hic specialiter Sin una mansio accipitur ex his quinque quæ fuerunt a mari Rubro usque ad montem Sina, quas Josephus nominatim describit. Generaliter enim omne desertum illud Sin vocatur sicut et Raphidim. *Castrametati sunt in Raphidim*. HIERON. de Loc. Hebr., tom. 3. Est locus in deserto juxta montem Horeb. Sciendum est autem quod omnis eremus usque ad montem Sinai Sin vocatur, et ex tota provincia etiam locus unius mansionis nomen accepit, sicut et Moab tam urbis quam provinciae nomen est. In hac solitudine quinque sunt mansiones, Zuph, et eremus Sin, Alus, Depheca, Raphidim. Unde bene dicitur quia *profecta est omnis multitudo filiorum Israël de eremo Sin per mansiones suas juxta os Domini, et venerunt in Raphidim*. Unde patet plures mansiones unius regionis vocabulo demonstrari.

††17.3 *Sitivit ergo ibi populus*, etc. ORIG., ubi supra. Alia littera: *Sitivit*, inquit, *populus aquam, et murmurabat adversus Moysen*. Sufficit dicere quia *sitivit*, quid opus fuit addere *aquam*? Non est superflua adjectio. Sunt ergo diversæ sites, et quisque habet propriam. Qui boni sunt, esuriunt et sitiunt justitiam Matth. 5.. Alii quoque dicunt: *Sitivit anima mea ad te, Deus* Psal. 41.. Qui vero sunt peccatores patiuntur non sitim aquæ, non famem panis, sed audiendi verbum Dei. Sitivit ergo populus aquam, qui debuit sitire justitiam. Sed Deus eruditor infantium, magister insipientium, corrigit culpas et emendat errores, dicens ad Moysen ut sumat virgam, et percutiat petram, et educat aquas. Vult enim eos jam de petra bibere et proficere, et ad interiora mysteria venire. Murmuraverunt enim adversus Moysen, ideo jubet Dominus ut ostendat eis petram de qua bibant. Si quis enim est qui legens Moysen, murmurat adversus eum, et displicet ei lex secundum litteram, quia in multis non videtur habere consequentiam, ostendit ei Moyses petram, quæ est Christus, ut inde bibat et sitim reficiat. Sed hæc petra non dat aquas nisi percussa, percussa vero fontes producit: percussus enim Christus, et in cruce mactatus, Novi Testamenti fontes produxit. Unde Zach. 8: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis*. Nisi enim fuisset percussus, et exisset sanguis et aqua de latere ejus, omnes sitim verbi Dei pateremur. Unde: *Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra: petra autem erat Christus* I Cor. 10.. ISID. Sitiens populus pro aqua murmuravit contra Moysen: ideo jubet Deus ut ostendat eis petrum ex qua bibant. Si quis autem legens Moysen murmurat adversus eum, et displicet ei littera legis, ostendit ei Moyses petram, quæ est Christus, et ducit ad ipsam, unde bibat et sitim reficiat.

manu tua, et vade.‡ 6 En ego stabo ibi coram te, supra petram Horeb: percutiesque petram, et exhibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecit Moyses ita coram senioribus Israël:¶ 7 et vocavit nomen loci illius, Tentatio, propter jurgium filiorum Israël, et quia tentaverunt Dominum, dicentes: Estne Dominus in nobis, an non? 8 Venit autem Amalec, et pugnabat contra Israël in Raphidim.‡§ 9 Dixitque Moyses ad Josue: Elige viros: et egressus, pugna contra Amalec: cras ego stabo in vertice collis,

‡17.5 *Antecede populum*, etc. Non solum Moyses ducit populum ad aquas, sed et seniores populi. Non enim sola lex Christum annuntiat, sed et prophetæ et patriarchæ et omnes majores natu. *Et virgam*, etc. AUG., quæst. 64 in Exod. Aaron, non Moyses, legitur flumen virga percussisse. Moyses enim eadem virga mare divisit, non flumen. Quid ergo sibi vult: *Accipe virgam in qua percussisti flumen?* An forte mare appellavit flumen? et quærendum est exemplum hujus locutionis? An quod Aaron fecit, Moysi potius attributum est, quia per Moysen jubebat Deus quæ faceret Aaron, et in hoc auctoritas, in illo ministerium? Unde: *Erit tibi ad populum, tu autem illi in his quæ ad Deum.*

¶17.6 *Percutiesque petram.* Christum, qui in cruce a Judæis percussus est: cui accessit virga, id est, lignum passionis, ut fidelibus remaneret aqua.

‡§17.8 *Venit autem Amalec*, etc. STRAB. Amalec fuit filius Ismæel, a quo Amalecitatæ, qui et Ismælitæ sunt: ipsi sunt Saraceni. Interpretatur autem *bibens* vel *lambens sanguinem*, et significat diabolum, qui sanctos de Ægypto exeuntes, et ad terram promissionis tendentes, semper impugnat, et animarum sanguinem bibere desiderat. ORIG., hom. II in Exod. Describitur bellum cum Amalecitis factum. Antequam manducaret panem de cælo, et biberet aquam de petra, non dicitur pugnasse populus; sed dicitur ad eum: *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* Est ergo quando Dominus pugnat pro nobis, nec permittit tentari supra id quod possumus, nec impares viribus sinit ad fortem venire congressum. Job quoque certamen tentationis suæ jam perfectus implevit; et tu ergo cum coeperis manducare manna, panem cælestem verbi Dei, et bibere aquam de petra, cumque ad interiora doctrinæ spiritualis accesseris, expecta pugnam, præpara te ad bellum.

habens virgam Dei in manu mea.*¹⁰ Fecit Josue ut locutus erat Moyses, et pugnavit contra Amalec: Moyses autem et Aaron et Hur ascenderunt super verticem collis.¹¹ Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.[†]¹² Manus autem Moysi erant graves: sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum est ut manus illius non lassarentur usque ad occasum solis.[‡]¹³ Fugavitque Josue Amalec, et populum ejus in ore gladii.¹⁴ Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum in libro, et trade auribus Josue: delebo enim

*17.9 *Dixitque Moyses ad Josue*, etc. ORIG., ibid. Alia littera: *Dixit Moyses ad Jesum: Elige tibi viros*, etc. Hucusque beati nominis Jesu nunquam facta est mentio. Hic primum vocavit Moyses Jesum, et dixit ei: *Elige viros tibi ipsi*. Moyses vocat Jesum, lex invocavit Christum, ut eligat sibi viros potentes de plebe: non poterat Moyses eligere, sed solus Jesus, qui ait Joan. 15: *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi* Matth. 12.. Ipse est electorum dux et potentium princeps. Ipse confligit cum Amalec. Ipse enim intrat in domum fortis, et alligat fortem, et vasa ejus diripit. *Ego stabo in vertice collis*. ORIG., ubi supra. Ascendit, inquit, Moyses non in verticem montis, sed in verticem collis. Servabatur enim ei tunc ascendere in verticem montis cum ascensus erat Jesus, et cum ipso Moyses et Elias, et ibi transformandus in gloria. Nunc ergo velut nondum glorificatus de transformatione Jesu, non ascendit in verticem montis, sed in verticem collis. Et cum elevaret Moyses manus, superabat Israël. Moyses elevat manus, non extendit; Jesus, qui totum mundum, exaltatus in cruce, complexus est, dicit: *Extendi manus ad populum non credentem* Isa. 65.. Elevare manus, hoc est actus levare ad Deum, ut non habeat actus dejectos et humi jacentes, sed Deo placitos et ad cœlum erectos. Elevat ergo manus qui thesaurizat in cœlo. Ubi enim thesaurus, ibi oculus, ibi manus. Elevat manus qui dicit: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* Psal. 140.. Si ergo eleventur actus nostri, vincitur Amalec: unde Isa. 35: *Remissas manus et genua debilia erigite*. Si servat populus legem, elevat Moyses manus, et adversarius vincitur. Si non servat legem, invalescit Amalec. Quia igitur nobis pugna est adversus principes et potestates mundi hujus rectores tenebrarum, si vis vincere, eleva manus, id est, actus, conversatio tua non sit in terris, sed in cœlis. Eleva et tu manus in cœlum ad Deum, imple mandatum Apostoli: *Sine intermissione orate* I Thess. 5.; et tunc fiet quod scriptum est, quia sicut ablingit vitulus in campis herbam virentem, ita ablinget populus hic populum qui super terram est; ubi inducitur quia populus Dei non tam anum et armis quam voce et lingua pugnabat, et oratione inimicos prosternebat. Eleva ergo actus, insta orationi: hæc Christiani pugna est, quæ superat inimicum. Puto autem per hanc figuram duos populos significari, quorum unus ex gentibus elevat manus Moysi, et in sublimem tollit ea quæ scripsit et intelligentiam eorum, ut sic vincat; alius vero, id est, Judaicus populus, non elevat manus Moysi a terra, nec altum aliquid nec sublime in eo intelligit, et sic ab adversariis vincitur. *Habens virgam Dei*, etc. AUG., quæst. 65. Nunc virga Dei dicitur, quæ primum dicta est Aaron, postea dicitur Moysi. Sicut dicitur spiritus Eliæ qui est Spiritus Dei, cujus particeps Elias dicitur; et Dei justitia, quæ nostra est. Unde: ignorantes Dei justitiam, volentes suam statuere Rom. 10., id est, tanquam a se sibi præparatam.

[†]17.11 *Cumque levaret Moyses manus*, etc. STRAB. Quia cum lex mystice intelligitur, passio Christi spiritualiter pensatur, diabolus vincitur et fugatur. Cum autem remittuntur manus, id est, præcepta legis minus studiose exercentur, hostis victor insequitur.

[‡]17.12 *Sumentes igitur lapidem*, etc. GREG., homil. 33 in Evang. Moyses sedit in lapide, etc., usque ad quos etiam juste illa damnat, ipse misericorditer liberat.

memoriam Amalec sub cælo.^{¶15} Ædificavitque Moyses altare: et vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea, dicens:^{§16} Quia manus solii Domini, et bellum Domini erit contra Amalec, a generatione in generationem.

18 Cumque audisset Jethro, sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat Deus Moysi, et Israëli populo suo, et quod eduxisset Dominus Israël de Ægypto,^{**2} tulit Sephoram uxorem Moysi quam remiserat,³ et duos filios ejus: quorum unus vocabatur Gersam, dicente patre: Advena fui in terra aliena;⁴ alter vero Eliezer: Deus enim, ait, patris mei adjutor meus, et eruit me de gladio Pharaonis.⁵ Venit ergo Jethro cognatus Moysi, et filii ejus, et uxor ejus ad Moysen in desertum, ubi erat castrametatus juxta montem Dei.^{††6} Et mandavit Moysi, dicens: Ego Jethro cognatus tuus venio ad te, et uxor tua, et duo filii cum ea.⁷ Qui egressus in occursum cognati sui, adoravit, et osculatus est eum: salutaveruntque se mutuo verbis pacificis. Cumque intrasset tabernaculum,⁸ narravit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni et Ægyptiis propter Israël: universumque laborem, qui accidisset eis in itinere, et quod liberaverat eos Dominus.⁹ Lætatusque est Jethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israëli, eo quod eruisset eum de manu Ægyptiorum.¹⁰ Et ait: Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Ægyptiorum, et de manu Pharaonis; qui eruit populum suum de manu Ægypti.¹¹ Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes deos: eo quod superbe egerint contra illos.¹² Obltulit ergo Jethro cognatus Moysi holocausta et hostias Deo: veneruntque Aaron et

[¶]17.14 *Delebo enim*, etc. RAB. In hoc significat quod omnipotens Deus per legem quam significat Moyses, et de Christo pronuntiat delet memoriam spiritualium hostium. Unde psal. 19: *Periit memoria eorum cum sonitu*.

[§]17.15 *Ædificavitque Moyses altare*, etc. Omnes diaboli victores in cordibus suis debent aras fidei ædificare, in qua spirituales hostias offerant.

^{**}18.1 *Cumque audisset Jethro*, etc. Quod Moyses liberaturus filios Israël dimisit uxorem et filios, quos postea in deserto recepit, significat quia prædicatores cum mittuntur ad opus prædicationis, debent se a sollicitudine temporalis exonustare: cum vero postea ad episcopatum vel ad aliam dignitatem assumuntur, tunc pro sibi subjectis sollicitudinem tam in spiritualibus quam temporalibus gerere debent.

^{††}18.5 *Venit ergo Jethro*, etc. ORIG., hom. 11 in Exod. Alia littera: *Post hæc venit ad montem Dei Moyses, et Jethro sibi occurrenti exiit obviam de castris, nec duxit eum ad montem Dei, sed ad tabernaculum suum*. Non enim poterat sacerdos Madian ascendere in montem Dei, sed nec in Ægyptum descendere, nec uxor Moysi, sed nunc ad eum venit cum filiis. Non enim poterat descendere in Ægyptum, et subire agones Ægyptiorum, nisi athleta probabilis, et qui in agone contendens ab omnibus se abstinere. Moyses, quia magnus et potens athleta, descendit in Ægyptum ad agones et exercitia virtutum; Abraham et Jacob quoque, qui ipso nomine athleta est, cum descendisset in Ægyptum, factus est sicut stellæ cæli in multitudine. Aliis in contrarium cedit descendisse in Ægyptum. Scio Hieroboam fugientem a Salomone descendisse in Ægyptum, et scidisse et corrupisse populum Dei; quia descendens in Ægyptum accepit a Susachim rege uxorem Tethimenem uxoris ejus sororem.

omnes seniores Israëli, ut comederent panem cum eo coram Deo.^{‡‡} 13 Altera autem die sedit Moyses ut iudicaret populum, qui assistebat Moysi a mane usque ad vespem. 14 Quod cum vidisset cognatus ejus, omnia scilicet quæ agebat in populo, ait: Quid est hoc quod facis in plebe? cur solus sedes, et omnis populus præstolatur de mane usque ad vespem? 15 Cui respondit Moyses: Venit ad me populus quærens sententiam Dei: 16 cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me ut iudicem inter eos, et ostendam præcepta Dei, et leges ejus.^{¶¶} 17 At ille: Non bonam, inquit, rem facis. 18 Stulto labore consumeris et tu, et populus iste qui tecum est: ultra vires tuas est negotium; solus illud non poteris sustinere. 19 Sed audi verba mea atque consilia, et erit Deus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum:^{§§} 20 ostendasque populo cæremonias et ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, et opus quod facere debeant. 21 Provide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios,

^{‡‡}18.12 *Obtulit ergo Jethro*, etc. AUG. in Locutionibus, locut. 85. *Et sumpsit Jethro socer Moysi holocausta*, etc. *Sumpsit pro obtulit*, posuit: an forte sensus est, non locutio, ut ea sumpsisse intelligatur obtulisse; quamvis Moyses non legatur sacrificasse, nec Aaron, nec quisquam Hebræorum qui educti sunt de terra Ægypti: sed tamen superius dictum est quod altare constituit Moyses. Jethro autem legimus sacerdotem fuisse Madian, id est gentis Madian. Mirum est autem si ad ejus adventum cœpit sacrificare Moyses, et non potius ipse qui sacerdos erat. *Veneruntque*, etc. ORIG., ubi supra. Alia littera: *Venerunt*, inquit, *presbyteri Aaron, et omnis Israel manducare panem cum socero Moysi in conspectu Dei*. Non omnes manducant panem in conspectu Dei, sed qui presbyteri sunt, qui seniores, id est, qui perfecti sunt, in meritis probati, qui sive manducant, sive bibunt, ad gloriam Dei faciunt. Omne ergo quod faciunt sancti, in conspectu Dei faciunt: peccator a conspectu Dei fugit. Adam postquam peccavit, fugit a conspectu Domini, et interrogatus respondit: *Audivi, Domine, vocem tuam, et abscondi me, quia eram nudus* Gen. 3.. Cain exivit a facie Domini, quia indignus erat conspectu Domini. Propterea qui plenior scientiam Dei accipiunt, si malum faciunt, coram Deo faciunt. Unde psal. 1: *Tibi soli peccavi*, etc. Qui malum coram Deo facit, continuo pœnitet, et dicit, *Peccavi*. Qui discedit a conspectu Dei, nescit converti et peccatum pœnitendo purgare. Hoc ergo interest inter malum coram Deo facere, et a conspectu Dei discedere. ORIG. Non frustra venit Jethro ad Moysen, nec frustra manducavit panem cum senioribus populi in conspectu Dei; dat Moysi consilium probabile et utile, ut eligat viros, et constituat principes populi Deum colentes, potentes et odientes superbiam. Tales enim oportet esse qui superbi non sint, et superbiam oderint; id est, ut non solum ipsi absque vitio sint, sed in malis oderint vitia: non homines dico, sed vitia. *Coram Deo*, etc. AUG., quæst. 66. Quæritur ubi, quandoquidem nec tabernaculum fuit, nec arca testamenti, quæ postea sunt instituta? neque hoc de futuro dictum accipere possumus, sicut dictum est de manna, quod positum est in vase, scilicet aureo. Ergo id ante Deum debemus accipere factum, quod in honorem Domini factum est.

^{¶¶}18.16 *Ostendam præcepta*, etc. ID., quæst. 67. Quæri potest quomodo hic Moyses dixit, etc., usque ad juste iudicare non posset.

^{§§}18.19 *Sed audi verba mea*, etc. ID., quæst. 68. Prima quæstio est cur Deus famulum suum, etc., usque ad quo fit tanto plenior quanto in superna et æterna liberius extenditur. *Esto tu populo*, etc. ID., quæst. 69. Quod vero adjungit, etc., usque ad sed unde hoc probari possit ignoro.

et decanos,*²² qui judicent populum omni tempore: quidquid autem majus fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantummodo judicent: leviusque sit tibi, partito in alios onere.²³ Si hoc feceris, implebis imperium Dei, et præcepta ejus poteris sustentare: et omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace.²⁴ Quibus auditis, Moyses

*18.21 **Provide autem**, etc. Ad custodiam humilitatis ab alienigena instruitur, ne, qui tot arcana Dei ab ipso Deo discebat, extolleretur, et putaret se humano consilio non egere. Præfigurabatur etiam quod doctrina gentium Judæorum scientiam et superbiam superaret; et quæ in lege deerant, fideles ex gentibus complenda suggererent, et spiritualem intellectum ad legem Dei afferrent. Sciebat quoque Moyses quia hunc populum lex audiret, et faceret quæcunque diceret, legis quoque diminutio suggerente Evangelio fieret. **Et constitue**, etc. ORIG., hom. 11. Ordinabis, inquit, eos tribunos et centuriones, et indicabunt populum omni hora, verumtamen, quod gravius fuerit referent ad te. Audient principes populi et presbyteri plebis, qui debent omni hora populum judicare, semper et sine intermissione sedere in iudicio, dirimere lites, et reconciliare dissidentes, in gratiam revocare discordes. Discat unusquisque ex Scripturis sanctis officium suum. Moyses, inquit, ut sit in his quæ ad Deum sunt, et verbum Dei edisserat populis. Cæteri vero principes, quos appellavit tribunos, quia tribui præsumt, vel centuriones, vel quinquagenarii qui præsumt minoribus judiciis, quæ ad singulos pertinent dirimentes. Quam figuram etiam in futuro sæculo servandam puto. Unde Matth. 19: **Cum sederit filius hominis super thronum majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim**, etc. Vides ergo quia non solum Dominus judicat, cui omne iudicium dedit Pater Joan. 5., sed constituit principes qui judicent de minoribus causis; verbum autem quod gravius fuerit, referant ad ipsum. Ideo dicit Dominus de quodam, Matth. 5: **Quia reus erit concilii**; de alio autem, Matth. 12: **Reus erit gehennæ ignis**. Sed et de omni verbo otioso dicuntur reddere rationem. Et ideo non dixit quia Deo præstabimus rationem, sicut de perjurio. **Reddes autem Domino juramenta tua**. Matth. 12: **Regina quoque austri surget in iudicio cum viris generationis hujus, et condemnet eam**. Ecce aliud genus iudicii, Matth. 13: **Qui habet aures audiendi, audiat**: hæc enim omnia umbra sunt cœlestium et imago futurorum. IDEM. Sicut scriptum est Eccle. 1: **Non satiabitur oculus visu, nec auris auditu**, nec nos satiari possumus considerando quæ scripta sunt, quibus nos ædificet, quantis nos modis instruat. Cum enim conspicio quod Moyses propheta Deo plenus, cui Deus facie ad faciem loquebatur Exod. 33., consilium accepit a Jethro socero sacerdote Madian, admiratione nimia obstupesco. Audivit enim Moyses vocem soceri sui, et fecit quæcunque dixit ei. Non dixit, Quia Deus mihi loquitur quid agere debeam, quomodo ab homine consilium accipiam, et ab homine gentili, alieno a populo Dei? et non quis dicat, sed quid dicatur auscultat. Nos ergo si invenimus aliquid sapienter a gentilibus dictum, non cum auctoris nomine spernamus et dicta; nec quia legem Dei tenemus, convenit nobis tumere superbia et spernere prudentium verba; sed omnia probantes, quod bonum est tenemus. Qui autem hodie populis præsumt, non dico si jam eis aliqua a Deo revelata sunt: sed si in scientia legis aliquid meriti habent, consilium dedignantur inferioris, etiam sacerdotis, nedum laici, nedum gentilis: sed Moyses, qui erat mansuetus super omnes homines Num. 12., accepti consilium inferioris, ut principibus daret formam humilitatis, et signaret imaginem futuri sacramenti. Sciebat quandoque futurum ut gentiles bonum consilium proferrent, apud Moysen bonum et spiritualem intellectum afferentes ad legem, et audiret eos lex faciens omnia quæ dicerent. Non enim potest facere lex sicut Judæi dicunt, quia infirmatur lex in carne, id est in littera, et nihil potest secundum litteram. Nihil enim ad perfectum adduxit lex Hebr. 7.. Secundum hoc autem consilium quod nos afferimus ad legem, possunt omnia spiritualiter fieri, et sacrificia offerri, quæ modo carnaliter non possunt; potest lex lepræ spiritualiter servari. Sicut ergo intelligimus, sentimus et consilium damus, omnia facit lex: secundum litteram vero non omnia, sed pauca.

fecit omnia quæ ille suggesserat.[†] ²⁵ Et electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos principes populi, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos. ²⁶ Qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes.[‡] ²⁷ Dimisitque cognatum suum: qui reversus abiit in terram suam.

19 Mense tertio egressionis Israël de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai.[¶] ² Nam profecti de Raphidim, et pervenientes usque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israël fixit tentoria e regione montis. ³ Moyses autem ascendit ad Deum: vocavitque eum Dominus de monte, et ait: Hæc dices domui Jacob, et annuntiabis filiis Israël:[§] ⁴ Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi. ^{**} ⁵ Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra: ⁶ et vos eritis mihi in regnum sacerdo-

[†]18.24 *Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat*, etc. Vir Deo familiaris, sapientissimus, non crubescens a minori et gentili doceri, formam doctoribus præbuit, ne a quibuslibet erubescant erudiri.

[‡]18.26 *Quidquid autem gravius erat*, etc. AUG., loc. 88. Alii: *Verbum autem grave referebant super Moysen*: sic enim habet Græcus sermo, quod Latini interpretati sunt, *ad Moysen*. Illa sane locutione ipsa etiam cura figuratur, qua dictum est *super Moysen*, velut onus significatur ei impositum. *Verbum* autem *grave* dictum est pro quæstione gravi.

[¶]19.1 *Mense tertio*, etc. ORIG. Alia littera: *Mensis autem tertii exitus filiorum Israël de terra Ægypti: hac die venerunt in eremum Sina, et profecti sunt ex Raphidim, et venerunt in eremum Sina, et applicuit ibi Israël contra montem. Et Moyses ascendit in montem Dei, et vocavit eum Dominus de monte dicens: Hæc dices domui Jacob, et nuntiabis filiis Israël*, etc. Et paulo post: *Descende et contestare populo, et purificabis illos hodie et cras, et lavent vestimenta sua, et sint parati in diem tertiam. Tertia enim die descendet Dominus in montem Sina coram omni populo*. Hoc die reperitur dari lex, quæ in tabulis lapideis scripta est digito Dei, sicut sequentia docent. Dies autem iste tertius apparet tertii mensis ab exitu filiorum Israël de Ægypto; ex quo die pascha fecerunt, id est, agnum immolaverunt et ederunt, qui fuit quartus decimus primi mensis, usque ad istum quo lex datur, dies quinquaginta numerantur, septemdecim scilicet primi mensis, reliqui ab ipso quarto decimo. Deinde omnes triginta secundi mensis, qui fiunt quadraginta septem et tertius tertii mensis qui a solemnitatem occisi agni quinquagesimus est; ac per hoc in ista umbra futuri secundum agni immolati diem festum; quia quinquagesimo die lex data est, scripta digito Dei. Ita in ipsa veritate Novi Testamenti a festivitate immolati Agni Jesu Christi quinquaginta dies numerantur, ubi Spiritus sanctus de altissimis datus sit, qui est digitus Dei. *In die hac*, etc. Quadragesima scilicet septima die postquam egressi sunt de Ægypto, prima die, scilicet Junii, pervenerunt ad montem Sina, ibique peractis duobus diebus quibus sanctificati sunt, tertio, id est quinquagesimo, legem acceperunt: et hæc est Pentecostes. RAB. In Sina una mansio fuit, sed inter omnes maxima. Ibi enim lex accepta, tabernaculum erectum. Ibi Exodus et maxima pars Levitici omnesque libri legis pene conscripti sunt.

[§]19.3 *Moyses autem*, etc. GREG., lib. VI Moral., cap. 27. Alia littera: *Moyses autem ascendit in montem, et Dominus descendit ad eum*. Mons altitudo contemplationis est, in quem ascendimus, ut ad ea quæ ultra infirmitatem nostram sunt intuendo sublevemur. Sed Dominus descendit, quia, sanctis multum proficientibus, parvum aliquid de se aperit.

^{**}19.4 *Alas aquilarum*. Vocat doctrinas duorum Testamentorum, quæ nos ab infimis ad cœlestia portant.

tale, et gens sancta. Hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israël.†† 7 Venit Moyses: et convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandaverat Dominus.‡‡ 8 Responditque omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumque retulisset Moyses verba populi ad Dominum, 9 ait ei Dominus: Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum. Nuntiavit ergo Moyses verba populi ad Dominum. 10 Qui dixit ei: Vade ad populum, et sanctifica illos hodie, et cras, laventque vestimenta sua.¶¶ 11 Et sint parati in diem tertium: in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai.§§ 12 Constituesque terminos populo per circuitum, et dices ad eos: Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis

††19.6 *Eritis mihi in regnum sacerdotale*, etc. Membra scilicet summi sacerdotis in regnum cælorum venturi.

‡‡19.7 *Exposuit omnes sermones*, etc. GREG. Notandum quod lex non incautis vel nescientibus ingeritur: sed expositis præmiis quæ debentur servantibus, et beneficiis præteritis quæ jam experti sunt, et mirabilibus cum sponte se legi servandæ devoteant, lex petentibus datur: ut secundum promissionem suam, quasi voti rei, qui violaverint, iudicentur, nec de violentia sibi illata caesentur.

¶¶19.10 *Vade ad populum*, etc. ORIG. *Descende et protestare populum, et purifica illum hodie et cras, et lavent vestimenta sua, et sint parati in diem tertium*, etc. Qui vult venire ad verbum Dei, audiat quod præcipit Dominus: Sanctificatus venire debet et lotis vestibus. Si enim sordida attuleris vestimenta, dicitur tibi Matth. 22: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Nemo ergo potest audire verbum Dei, nisi prius sanctificatus, id est sanctus corpore et spiritu et lotis vestibus: ingressurus est enim paulo post ad cœnam nuptialem, manducaturus de carnibus agni, et potaturus poculum salutis. Nemo intrat ad cœnam hanc sordidis vestibus; unde Eccle. 9: *In omni tempore sint vestimenta tua munda.* Lota sunt enim semel vestimenta tua gratia baptismatis. II Cor. 7: *Purificatus es corpore, mundatus ab omni inquinamento carnis et spiritus.* Act. 11: *Quæ ergo Deus mundavit, tu immunda ne feceris.* Audi sanctificationis genus: ne accesseris, inquit, ad mulierem hodie et crastino, ut die tertio audias verbum Dei; hoc est quod ait Apostolus I Cor. 7: *Bonum est homini mulierem non tangere*, salvo tamen infirmis remedio nuptiali. I Cor. 7: *Sed quia tempus breve est, superest ut qui habent uxores, sint tanquam non habentes. Sanctifica illos*, etc. RAB. Qui ad conspectum Dei desiderat venire, sanctificet se fide et conversatione, et lavet vestimenta, id est opera hodie et cras, in præsentii scilicet et in futuro, ut ad gloriam resurrectionis perveniat, quam tertius dies insinuat.

§§19.11 *In die enim tertia*, etc. Hac die data est lex in tabulis lapideis scripta digito Dei, hic est tertius dies tertii mensis ab exitu filiorum Israël de Ægypto. A die ergo quo pascha fecerunt, id est quarto decimo primi mensis, usquequo lex data est, quinquaginta dies numerantur, decem et septem scilicet primi mensis, reliqui a quarto decimo, et omnes triginta secundi, qui sunt quadraginta septem, et tertius tertii mensis, qui est ab occisione agni quinquagesimus: sicut a passione Christi, usquequo datur Spiritus sanctus, quinquaginta dies numerantur. digitus enim Dei Spiritum sanctum significat. ISID., Quæst. in Exod., cap. 28, tom. 5. Quinquagesimo die post pascha lex Moysi data est etc., usque ad vel quia veritatem legis infidelibus per caliginem dixit, *ut videntes non videant, et audientes nos intelligant* Isa. 6..

qui tetigerit montem, morte morietur.* ¹³ Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis: sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet: cum cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem.† ¹⁴ Descenditque Moyses de monte ad populum, et sanctificavit eum. Cumque lavissent vestimenta sua,‡ ¹⁵ ait ad eos: Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris. ¹⁶ Jamque advenerat tertius dies, et mane inclaruerat: et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, et nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat: et timuit populus qui erat in castris. ¹⁷ Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. ¹⁸ Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne: et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace, eratque omnis mons terribilis.¶ ¹⁹ Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus, et prolixius tendebatur: Moyses loquebatur, et Deus respondebat ei. ²⁰ Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, et vocavit Moysen in cacumen ejus. Quo cum ascendisset,§ ²¹ dixit ad eum: Descende, et contestare populum: ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo. ²² Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. ²³ Dixitque Moyses ad Dominum: Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai: tu enim testificatus es, et jussisti, dicens: Pone terminos circa montem, et sanctifica illum. ²⁴ Cui ait Dominus: Vade, descende: ascendesque tu, et Aaron tecum: sacerdotes autem et populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos. ²⁵ Descenditque Moyses ad populum, et omnia narravit eis.

*19.12 *Cavete*, etc. RAB. Prius prohibet populum in montem ascendere, mortemque minatur: nunc jubet ut clangente buccina ascendant in montem, humanam scilicet compescens audaciam, et ad obediendum invitans: quia ad prædicationis vocem debemus nos ad superna erigere, nec sacramentorum investigatione sponte præsumere, sed Dei vocationem sequi.

†19.13 *Buccina*. Quasi vocina: a voce, vel a vocando, vel a bucca

‡19.14 *Cumque lavissent vestimenta sua*, etc. Non sufficit ad virtutem contemplationis emundare opera poenitentiae lacrymis, nisi sequatur castitas mentis et corporis. Unde Matth. 5: *Beati mundo corde*, etc. Et Sap. 1: *In malevolam animam non introibit sapientia*.

¶19.18 *Totus autem mons Sinai fumabat*, etc. GREG. lib. VI Moral., cap. 27. Legem daturus Dominus in igne fumoque descendit, etc., usque ad vincunt quod sunt. ID., lib. II Moral., cap. 2. Sacra eloquia in exordio narrationum qualitates exprimunt, terminosque causarum aliquando a positione loci, aliquando a positione corporis, aliquando a qualitate æris, etc., usque ad punituri autem Sodomam vespere venisse memorantur.

§19.20 *Descenditque Dominus*, etc. ID., lib. V Moral., cap. 26. Moyses ascendit, etc., usque ad eum aliquatenus balbutiendo resonamus.

20 Locutusque est Dominus cunctos sermones hos: ²Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.** ³Non habebis deos

**20.2 *Ego sum Dominus Deus tuus.* ORIG., hom. 8 in Exod. Qui contemnit præsens sæculum, scilicet Ægyptum, et per verbum Dei translatus non invenitur quia ad futurum sæculum festinet, de eo dicit Deus: *Ego sum Dominus Deus tuus*, etc. Non ad illos tantum qui de Ægypto profecti sunt, sed ad eos qui ultra Ægyptiis non serviunt, de Ægypto educti de domo servitutis Psal. 80.. Negotia sæculi, actus carnis, domus servitutis est: sicut relinquere sæcularia, et secundum Deum vivere, domus libertatis est. Unde Joan. 8: *Si permanseritis in sermone meo, agnoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Ergo Ægyptus est domus servitutis; Judæa et Hierusalem, domus liberalitatis. Unde Gal. 4: *Quæ sursum est Hierusalem, libera est.* Sicut ergo terrena Ægyptus filiis Israël domus dicitur servitutis ad comparationem Judææ et Hierusalem, quæ eis est domus libertatis: ita ad comparationem cœlestis Hierusalem, quæ est mater libertatis, totus mundus et quæ in eo sunt, domus dicitur servitutis: et quia de paradiso libertatis per peccatum ventum est ad servitutem mundi, primus sermo decalogi de libertate est: *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te terra Ægypti*, etc.; hanc vocem in Ægypto audire non poteris. Et si tibi injungatur ut facias pascha, accingas lumbos, accipias sandalia in pedibus, virgam teneas in manu, et azyma cum amaritudine comedas. Sed nec in prima mansione, nec in secunda, nec in tertia, nec cum transieris mare Rubrum, etiamsi ad mare veneris, et fuerit tibi amaritudo in dulcedinem versa, nec in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum et septuaginta arbores palmarum, etiamsi Raphidim præterieris cæterosque profectus ascenderis, nondum idoneus judicaris, sed cum veneris ad montem Sina. Vix ergo mereberis aliquando suscipere præcepta libertatis, et audire: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.* Hic tamen non est sermo mandati, sed quis sit qui mandat ostendit. Primum mandatum ergo est: *Non erunt tibi dii alii præter me.* AUG. quæst. in Exod. Quæritur quomodo decem præcepta legis dividenda sint? etc., *usque* nisi ad id quod dictum est: *Non erunt tibi dii alii præter me?* ISID. Dat Deus Moysi legem innocentiae nostræ, et agnitionis suæ, quæ in decem verbis consistit, scripta in tabulis lapideis digito Dei. Tria sunt quæ pertinent ad dilectionem et cognitionem Trinitatis, septem ad dilectionem proximi, quibus humana societas non læditur. Primum pertinet ad Deum Patrem: *Dominus Deus tuus Deus unus est*, ut hoc audiens unum Deum colas Patrem, et in multos fictos deos fornicationem non effundas. Secundum ad Filium: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*; id est, non putes creaturam esse Christum Dei Filium, quia omnis creatura vanitati subjecta est, sed æqualem Patri, Deum de Deo, lumen de lumine.

alienos coram me.^{††} ⁴Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est

^{††}20.3 *Non habebis deos alienos*, etc. ORIG. Primum mandatum est: *Non erunt tibi dii alii præter me*; et sequitur: *Non facies tibi idolum, neque ullam similitudinem*, etc. Hæc omnia quidam simul putant esse unum mandatum: quod si ita computetur, non complebitur numerus decem mandatorum. Est ergo primum mandatum: *Non erunt tibi dii alii præter me*, etc. Secundum, *Non facies tibi idolum, neque ullam similitudinem*, etc. Incipiamus ergo a primo mandato: *Non erunt tibi dii alii præter me*. Si dixisset, Non sunt, absolutior sermo videretur; sed quia dicit, *Non erunt*, non negavit quia sint, sed ne illi sint, cui hæc præcepta dantur, inhibuit. Hinc Paulum sumpsisse puto I Cor. 8: *Si quidem sunt qui dicuntur dii sive in cælo, sive in terra*. In aliisque locis invenies deos nominari sicut ibi: *Rex magnus super omnes deos*, et *Deus Deo locutus est*, etc. De dominis idem Apostolus dicit: *Sive throni, sive dominationes*, etc. Col. 1. Dominationes vero non aliud sunt quam ordo quidam dominorum et multitudo. In quo videtur sensum legis aperire Apostolus; ac si dicat: Licet sint domini multi, qui aliis gentibus dominantur, et dii multi qui ab aliis colantur: sed tamen unus Deus est nobis, et unus est Dominus. Unde Deut. 32: *Cum divideret Excelsus gentes et separabat filios Adam, statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei*. Angelos ergo, quibus gentes commisit Excelsus, dominos vel deos appellat Scriptura: deos quasi a Deo datos, et dominos a Domino potestatem sortitos. Unde eis dicitur psal. LXXXI: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis*; imitantes scilicet diabolus, qui princeps omnium factus est ad ruinam. Unde constat quod execrabiles fecit eos prævaricatio, non natura. Tibi ergo, o Israël, qui pars Dei et funiculus ejus es, *non erunt*, inquit, *tibi dii alii præter me*: quia vere Deus, unus est Deus, et vere Dominus, unus est Dominus; cæteris vero ab ipso creatis contulit hoc nomen non natura, sed gratia. Non hæc tantum dicuntur ad Israël secundum carnem, imo ad te qui Israël effectus es mente Deum videndo, et circumcisis corde, non carne; si tamen ita agas ut dignus sis esse pars Dei, et in funiculo hæreditatis ejus metiri: alioquin exemplo tibi sint qui ad hoc vocati fuerant ut essent pars Dei, et exigentibus peccatis dispersi sunt per omnes gentes, et educti de domo servitutis jam non Ægyptiis solis, sed omnibus gentibus serviunt. *Qui enim peccat, servus est peccati* Joan. 5..

in cælo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra.‡‡

⁵ Non adorabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt

‡‡20.4 *Non facies*, etc. ORIG. *Non facies tibi ipsi idolum, neque omnem similitudinem*, etc. Aliud sunt idola, aliud dii. De diis enim dicit Apostolus, I Cor. 8: *Si quidem sunt dii multi, et domini multi*, etc. De idolis vero, *quia nil est idolum in mundo*; de similitudinibus autem non addidit, quia nil sunt. Hic autem dicitur: *Non facies tibi idolum, neque similitudinem omnem*. Aliud est ergo facere idolum, aliud similitudinem. Verbi causa, si quis in auro et argento, ligno vel lapide, faciat speciem quadrupedis, vel serpentis, vel avis, et statuatur adorandum, non idolum sed similitudinem facit. Qui vero facit quod non est, speciem scilicet quam oculus non vidit, sed animus sibi fingit; ut si quis humanis membris caput canis aut arietis formet, vel in uno hominis habitu duas facies, aut humano pectori postremas partes equi aut piscis; qui hoc facit, non similitudinem, sed idolum facit: facit enim quod non est, nec habet aliquid simile sui. Ideo dicit Apostolus *quia idolum nihil est in mundo* I Cor. 8.. Non enim aliqua ex rebus constantibus assumitur species, sed quod mens otiosa et curiosa reperit. Similitudo vero est cum aliquid ex his quæ sunt vel in cælo, vel in terra, vel in aquis formatur: sed non sicut de his quæ in terra sunt vel in mari similitudinibus promptum est pronuntiare: ita etiam de cœlestibus; nisi quæ dicat de sole, et luna, et stellis hoc posse sentiri, quorum formas exprimit gentilitas. Sed Moses eruditus omni sapientia Ægyptiorum etiam quæ apud illos erant in occultis prohibere cupiebat, sicut Hecatem aliaque dæmonum formas, quæ Apostolus *spiritualia nequitiae in cœlestibus* vocat Ephes. VI; de quibus forte dicitur: *Inebriatus est gladius meus in cælo* Isa. 34.. His enim formis et similitudinibus invocabant dæmonia ad repellenda vel vitanda mala. Sciendum tamen quia cum decreveris hoc servare mandatum, et habere unum tantum Deum et Dominum, hoc est bellum denuntiare omnibus aliis, quibus in baptismo renuntiasti, solum Deum confitens Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Sed hoc confitentes nisi toto corde diligamus Dominum Deum nostrum, tota anima, tota virtute ei adhærentes, non sumus effecti pars Domini, sed in confinio positi illos patimur offensos quos fugimus, et ad quem fugimus, propitium non effecimus. Quibus propheta dicit: *Væ duplici animo* Eccli. 2.. Et iterum: *Usquequo claudicatis utroque pede?* III Reg. 18. Ab illis ergo quasi fugaces cædimur, et a Domino nostro quasi instabiles non defendimur, unde Jer. 4: *Amatores tui inimici facti sunt tibi*. Multi sunt animæ amatores, capti decore ejus, cum quibus meretricata est, dicens. *Post amatores meos ibo qui dant mihi vinum meum*, etc. Ose. 2.: hos offendit reversa ad virum priorem. Nisi ergo tota fide permaneam cum viro tuo, pro sceleribus quæ commisisti suspectus es; omnes motus tuos, aspectus et incessus notat; nil ultra in te lascivum videre, nihil dissolutum vel prodigum potest. Si ergo acceptam gratiam negligis, et implicas te sæcularibus negotiis, continuo immundus spiritus redit cum septem nequioribus Matth. 12., ne iterum expelli possit, et fiunt novissima pejora prioribus. Nulla ergo societas templo Dei cum idolis. Si Dei sumus, tales esse debemus in quibus habitet et inambulet Deus; unde Isa. LII: *Qui portatis vasa Domini, exite et immundum nolite tangere, et ego recipiam vos*, etc. Dicit ergo: *Non erunt tibi dii alii præter me*.

me: ^{¶¶} 6 et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta

^{¶¶}20.5 **Non adorabis**, etc. Aliud est colere, aliud adorare. Potest quis invitus adorare, vel adulando regibus idololatris, vel tormentis victus, cum sciat quia idolum nil est. Colere vero est toto his affectu et studio mancipari. Utrumque ergo resecat, ut nec affectu colas, nec specie adores. **Ego sum Dominus**, etc. Vide benignitatem Dei: ut nos doceat et perfectos faciat, fragilitatem humanorum affectuum non recusat; omnia agit et patitur propter nos, notis et usitatis nobis loquitur affectibus. ORIG., ubi supra. Omnis mulier aut sub viro est, et subjecta est legibus viri Eph. 5., aut meretrix est, et utitur libertate peccandi. Qui ingreditur ad meretricem, scit quod ad prostitutam et cunctis patenter ingressus est, ideo de aliis indignari non potest. Qui legitimo utitur matrimonio, non patitur uxorem peccare, sed accenditur zelo ad servandam castitatem matrimonii, ut possit legitimus fieri pater. Sic omnis anima aut prostituta est cum dæmonibus, et habet plures amatores ut intrent ad eam, modo spiritus fornicationis, modo avaritia, post hunc venit spiritus superbiam et alii plurimi; alter tamen alteri non invidet, nec zelotypia movetur, sed sese invicem invitant; unde, **adducit secum alios septem spiritus nequiores se**, etc. Luc. 11. Sic nullam zelotypiam amatorum suorum patitur anima quæ dæmonibus est prostituta; si vero conjuncta fuerit viro legitimo, id est Christo, etiamsi aliquando fuerit peccatrix, ultra eam peccare non patitur, nec ferre potest ut alludat adulteris; excitatur super eam zelus ejus, et defendit conjugii castitatem; si autem viderit eam temerantem conjugii jura, et occasionem quaerere peccandi, dat ei libellum repudii; unde Isa. 50: **Propter iniquitates vestras dimisit matrem vestram**; hæc qui loquitur et zelans est et zelo commotus hoc dicit. Est etiam novum genus hoc bonitatis ejus, ut etiam post adulterium revertentem et toto corde poenitentem suscipiat. Unde: **Nunquid mulier si exierit a viro, et dormierit cum alio viro, revertens revertetur ad virum suum?** etc. Et alibi: **Et postquam fornicata es in his omnibus, dixi: Revertere**, etc. Jer. 3. Hic ergo Deus zelans si requirit et desiderat animam tuam sibi adhærere, si servat, corripit et indignatur, velut zelotypia quadam erga te usus, spem tibi esse salutis agnosce. Si vero correptionem contemnis, discedit a te zelus ejus, secundum illud: **Propterea discedit zelus meus a te**, etc. Ezech. 16. Vide misericordiam et pietatem Dei; quando vult misereri, indignari se dicit et irasci, sicut per Jeremiam dicit: **Dolore et flagello castigaberis, Hierusalem, ut non abscedat anima mea a te** Jer. 6.. **Flagellat enim omnem filium quem recipit** Hebr. 12.. Hoc autem terribile, hoc extremum, si non corripimur pro peccatis: cum enim modum peccandi excedimus, auferetur a nobis etiam zelus Dei, nec ultra irascitur. **Visitans iniquitatem**, etc. ORIG. Reddens peccata patrum in filios, etc. Aiunt hæretici quod non boni Dei sermo sit, qui pro peccatis alterius alterum dicat plecti; Deum tamen legis justum dicunt, nec possunt ostendere quomodo injustus sit, si alium alio peccante punit. Sed interior homo noster aut dicitur habere Deum Patrem, si secundum Deum vivit; aut diabolus, si voluntatem illius facit; unde Joan. 8: **Vos de patre diabolo estis, et desideria patris vestri facere vultis**. Sicut ergo semen Dei in nobis est, cum verbum Dei servantes non peccamus, secundum illud I Joan. 3, **Qui ex Deo est, non peccat, quia semen Dei manet in eo**; ita cum a diabolo suademur ad peccandum, semen ejus suscipimus; cum facimus quod suadet, jam genuit nos, nascimur enim ejus filii per peccatum. Sed quia fere sine adjutorio non peccamus, sicut adulterium nemo solus committit, necesse est adulteram consortem fieri, et si non plures, necesse est aliquem vel aliquam ministerio sceleris adjungi: qui omnes, velut unus ex altero, secundum persuasionis ordinem, generati, ex diabolo progeniem ducunt; velut in traditione Domini diabolus intravit in cor Judæ, et primum filium peccati genuit, qui solus hoc facere non potuit; abiit ergo ad Scribas et Pharisæos et pontifices; nascitur ergo ex Juda generatio tertia, et quarta peccati. Videamus ergo quomodo peccata patrum reddit Deus in filios in tertiam et quartam progeniem, et non in ipso. De patribus enim nihil dicitur. Diabolus ergo, quia jam peccandi modum excessit, tanquam vestimentum concretum in sanguine non erit mundus in hoc sæculo; non flagellatur pro peccato; omnia enim ei servantur in futurum. unde Matth. 8.: **Quid venisti ante tempus torquere nos?** Redduntur autem peccata in filios quos genuit per peccatum, qui in carne positi flagellantur.

mea. §87 Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. ⁸ Memento ut diem sabbati sanctifices. ⁹ Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. ¹⁰ Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. ¹¹ Sex enim diebus fecit Dominus cælum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum. ¹² Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super

§§20.5 ***Non vult Deus mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat*** Ezech. 33.. Misericors ergo reddit peccata patrum in filios, quia diabolus et angeli ejus, qui etiam peccati patres efficiuntur, indigni sunt quod in præsentem corripiantur: filii eorum, et qui per ipsos ad societatem peccati asciti sunt, recipiunt in præsentem quod gesserunt, ut, purgati, diabolo in pœna socii non efficiantur. Unde psalmo 88: ***Visitabo in virga iniquitates eorum, etc., misericordiam autem meam non auferam ab eis.*** Deus enim zelans est, et animam quam sibi despondet in fide non vult in contaminatione peccati permanere, sed cito purgari. Si autem noluerit purgari, in interitu eorum ridebit, dicens eis Matth. 25: ***Discedite a me, maledicti, in ignem æternum,*** etc. Sciamus ergo nos in præsentem corripitur, ut in futuro quiescamus. Unde: ***Cum castigamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.*** ID. In hoc sermone solent nos hæretici suggillare, quod non sit boni Dei sermo, qui pro peccatis alterius alium judicat. Sed qui Deum legis mandantem hæc dicent non bonum, justum tamen dicunt: nec ipsi quidem possunt ostendere quomodo justitiæ videatur convenire si alio peccante alius puniatur. ISID. Primum mandatum prohibet subreptionem; secundum, errorem; tertium interficit sæculi amorem; quartum, impietatem; quintum, crudelitatem; sextum, fornicationem; septimum, rapacitatem; octavum perimit falsitatem; nonum, mundi cupiditatem; decimum, adulterii cogitationem. Et notandum quod sicut decem plagis percutiuntur Ægyptii, sic decem præceptis scribuntur tabulæ, quibus populus Dei regatur et dæmones occidantur. In duabus enim tabulis scripta est lex propter duo Testamenta significanda: vel quia sunt præcepta duo dilectionis Dei et proximi, ***in quibus tota lex pendet et prophetæ*** Matth. 22.. In una enim tria præcepta, quæ ad dilectionem Dei pertinent; in altera vero septem, quæ ad societatem proximi. Lapideæ vero fuerunt tabulæ, quia cor Judæorum erat lapideum et insensibile, durum et stolidum; unde Ezech. 36: ***Auferam cor lapideum, et dabo eis cor carneum.*** Et Apostolus ait II Cor. 3.: ***Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus,*** quæ sentiant scilicet et intelligant.

terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* ¹³ Non occides.† ¹⁴ Non mœchaberis.‡
¹⁵ Non furtum facies.¶ ¹⁶ Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.§
¹⁷ Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum,
 non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. ¹⁸ Cunctus autem
 populus videbat voces et lampades, et sonitum buccinæ, montemque fumantem: et
 perterriti ac pavore concussi, steterunt procul,** ¹⁹ dicentes Moysi: Loquere tu nobis,
 et audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.†† ²⁰ Et ait Moyses ad
 populum: Nolite timere: ut enim probaret vos venit Deus, et ut terror illius esset in
 vobis, et non peccaretis.‡‡ ²¹ Stetitque populus de longe. Moyses autem accessit ad
 caliginem in qua erat Deus.¶¶ ²² Dixit præterea Dominus ad Moysen: Hæc dices filiis

*20.12 *Honora patrem*, etc. Hoc est primum septem mandatorum quæ pertinent ad proximum. Bene autem septem sunt. Septenarius enim ex ternario constat et quaternario. Ternarius vero animæ congruit, quæ est irascibilis, concupiscibilis et rationalis. Quaternarius corpori.

†20.13 *Non occides*, etc. AUG., quæst. 61 in Exod. Et quod dictum est: *non occides*, non putandum est fieri contra hoc præceptum quod lex occidit, vel occidi aliquem Deus jubet: ille enim facit, qui jubet quod ministrum negare non licet.

‡20.14 *Non mœchaberis*. ISID. Quæritur quoque quomodo differat *non mœchaberis* ab eo quod paulo post dicitur: *Non concupisces uxorem proximi tui?* In eo enim quod dictum est, *non mœchaberis*, poterat et illud intelligi; nisi forte in illis duobus præceptis non mœchandi, et non furandi, ipsa opera notata sint, in his vero extremis concupiscentia ipsa: quæ tantum differunt, ut aliquando mœchetur qui non concupiscit uxorem proximi, cum aliqua alia causa ipsi miscetur. Aliquando vero concupiscat, nec ei misceatur pœnam timens: et hoc fortasse lex ostendere voluit, quod utraque peccata sunt. ID. Item quæri solet utrum nomine mœchiæ etiam fornicatio teneatur, etc., usque ad atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.

¶20.15 *Non furtum facies*, etc. AUG., quæst. 71 in Exod. Sed rursum quæritur quomodo differat, *non furtum facias*, ab eo quod paulo post dicitur de non concupiscendis rebus proximi? Non quod omnis qui concupiscit rem proximi, furatur; sed omnis qui furatur, rem proximi concupiscit. Poterat illa generalitate, ubi de non concupiscenda re proximi præcipitur, etiam illud quod ad furtum pertinet contineri.

§20.16 *Non loqueris contra proximum*, etc. AUG., ubi supra, In eo etiam quod dictum est, etc., usque ad et hujusmodi.

**20.18 *Cunctus autem populus videbat voces*, etc. AUG., quæst. 72 in Exod. Solet quæri quomodo populus videbat vocem, cum vox non ad visum, sed ad auditum pertinere videatur, etc., usque ad audi quid luceat, non solemus dicere.

††20.19 *Loquere tu nobis*, etc. AUG., quæst. 73. Significatur ad vetus testamentum timorem potius pertinere, sicut ad novum dilectionem; quamvis in veteri novum lateat, et in novo vetus pateat. Quomodo autem tali populo tribuatur videre vocem Dei, si hoc accipiendum est intelligere, cum sibi loqui Deum timeant ne moriantur, non satis elucet.

‡‡20.20 *Nolite timere*, etc. AUG., quæst. 74. Sic illi cohibendi erant a peccatis, timendo scilicet ne pœnas sensibiles paterentur; quia nondum poterant amare justitiam, et tentabantur a Domino, ut appareret cujusmodi essent; non ut Deo noti fierent qualescunque essent, quem non latebat, sed ut inter se et sibimetipsis.

¶¶20.21 *Stetitque populus*, etc. GREG., homil. 6. In quibusdam locis Scripturæ historia servanda est, etc., usque ad Moses accessit ad caliginem, in qua erat Deus. *Non facietis deos*, etc. AUG., quæst. 76. Repetitur quod in primo præcepto dictum est; et per argentea et aurea, omnia simulacra intelliguntur, sicut in psalmo CXIII: *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manum hominum*.

Israël: Vos vidistis quod de cælo locutus sim vobis. ²³ Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. ²⁴ Altare de terra facietis mihi, et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra, oves vestras et boves in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei: veniam ad te, et benedicam tibi.^{§§} ²⁵ Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim levaveris cultrum super eo, polluetur.* ²⁶ Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudine tua.

21 Hæc sunt iudicia quæ propones eis.[†] ² Si emeris servum hebræum, sex annis serviet tibi: in septimo egredietur liber gratis. ³ Cum quali veste intraverit, cum tali exeat: si habens uxorem, et uxor egredietur simul. ⁴ Sin autem dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios et filias: mulier et liberi ejus erunt domini sui, ipse vero exibat cum vestitu suo. ⁵ Quod si dixerit servus: Diligo dominum meum et uxorem ac liberos; non egrediar liber: ⁶ offeret eum dominus diis, et applicabitur ad ostium et postes, perforabitque aurem ejus subula: et erit ei servus in sæculum. ⁷ Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt.[‡] ⁸ Si displicuerit oculis domini sui cui tradita fuerat, dimittet eam: populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreverit eam. ⁹ Sin autem filio suo desponderit eam, juxta morem filiarum faciet illi. ¹⁰ Quod si alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias, et vestimenta, et pretium pudicitiae non negabit. ¹¹ Si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecunia. ¹² Qui percusserit hominem volens

§§20.24 *Altare de terra*, etc. Ostendit ideo, interdictis simulacris, altare de terrena materia concedi, ut uni Deo hostia et sacrificia in eo offerantur. GREG., lib. III Moral., cap. 20. Altare de terra Deo facere, est incarnationem Christi sperare. Tunc enim a Deo nostrum munus accipitur, cum in hoc altari nostra humilitas, id est super Dominicæ incarnationis fidem posuerit quidquid operatur. In altari ergo de terra oblatum munus ponimus, si actus nostros Dominicæ incarnationis fide solidamus.

*20.25 *De sectis lapidibus*. ISID. Secti lapides sunt qui unitatem scindunt, et seipsos dividunt a societate fratrum: hos in corpore suo non recipit Christus, cujus corporis figuram altaris constructio significat. Lapidem non secti ex quibus altare construi jubetur, sunt qui per fidem in unitate solidantur; de quibus dicitur I Petri 2: **Vos estis lapides vivi, coædificati in domos spirituales**. His non est injectum ferrum, quia incorrupti sunt, et jacula maligni ignita non receperunt: omnes unum altare faciunt in unitate fidei et concordia charitatis

†21.1 *Hæc sunt iudicia*, etc. AUG., loc. 91 in Exod. Distinctius amodo explicantur ea quæ ad proximum pertinent; notanda locutio cum dictum sit Moysi: **Hæc sunt iudicia quæ propones eis**; cætera ad populum dicuntur. **Si emeris servum Hebræum**, etc. AUG., quæst. 77 in Exod. Ne Christiani hic flagitent a dominis suis, apostolus jubet dominis servos esse subditos I Petr. 2., ne nomen Domini et doctrina blasphemetur: illud enim inde constat in mysterio esse præceptum, quia pertundi subula ejus aurem ad postem præcepit Deus, qui libertatem recusasset. GREG., hom. 3 in Ezech., tom. 2. Sciendum quia cum activa et contemplativa vita ex Dei gratia sint, etc., usque ad quia illa quies intima in ænigmate videtur. **Sex annis**. ISID. In sex ætatibus hujus sæculi servientes, septimo die, id est æterno sabbato, liberabimur, si tamen voluerimus esse liberi dum in hoc sæculo servimus peccato. Si autem noluerimus, perforabitur auricula in testimonium inobedientiae, et cum uxore et filiis nostris, quos prætulimus libertati, id est cum carne et operibus ejus, peccato serviemus in æternum.

‡21.7 *Si quis vendiderit filiam*, etc. AUG., quæst. 78 in Exod. **Non abibit ita ut recedunt ancillæ**, etc., usque ad intelligitur quod cum eo gratis exibat, non a marito separata.

occidere, morte moriatur. ¹³ Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum in quem fugere debeat. [¶] ¹⁴ Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias: ab altari meo evelles eum, ut moriatur. ¹⁵ Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur. ¹⁶ Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur. ¹⁷ Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. ¹⁸ Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo: [§] ¹⁹ si surrexerit, et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit, ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat. ²⁰ Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. ²¹ Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius

[¶]21.13 *Qui autem non est insidiatus*, etc. RAB., in Exod., tom. 2. Homicidis non spontaneis, etc., usque ad Christi posuerit, salvus erit. AUG., quæst. 79 in Exod. *Si autem nolens, sed Deus tradiderit in manus ejus*, etc. Ita hoc dicitur, etc., usque ad et Judas ideo juste tradidit.

[§]21.18 *Si rixati fuerint*, etc. RAB. Idem est, si quis cum proximo contendens duritia mentis, vel parcite, spernendo scilicet vel non consulendo, exasperavit; et ille infirmatus tristitia, a fervore dilectionis languerit, reus per confessionem, operam pœnitentiæ et impensam promissæ emendationis in medicos, id est doctores, impendat, qui infirmum baculo consolationis erigant, et fomentis prædicationum in pristinum dilectionis statum restituant. In correctione necessaria est discretio, ne qui corrigere debet, occidat, vel in desperationem vel odium mittat.

est. ** 22 Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem prægnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subjacebit damno quantum maritus mulieris ex-

**21.22 *Si rixati fuerint*. ID. Si quis alicujus animam, post conceptum verbi, per incuriam vel fraudem læserit, ut vitale germen boni operis sanum proferre non possit: etiam si ipsa adhuc in fide vivens perstiterit, ut damnum illatum per pœnitentiam restituat, secundum Evangelii ministerium necesse habebit. Si autem ipsa anima per errorem necata, post prolatum abortivum, hoc est opus mortiferum, in infidelitate perseveraverit, sine dubio seductor illius, quasi verus homicida, æterna morte reus erit. AUG., quæst. 80 in Exod. Quod non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, etc., usque ad et ideo nondum sensibus prædita. ORIG., hom. 10 in Exod. *Quod si litigabunt duo viri, et percusserint mulierem prægnantem, et exierit infans ejus nondum formatus, detrimentum patietur, quantum indixerit vir mulieris, et dabit pro anima sua. Quod si formatus fuerit, dabit animam pro anima, oculum pro oculo*, etc. Primum videamus de eo qui nondum formatus exierit, quomodo jubetur damno pecuniæ percuti unus ex litigantibus, cum duo dicantur. Quid etiam hoc quod vir mulieris imponit ei, et non eis; et dabit, et non potius dabunt. Quod si infans jam formatus exierit, animam dare pro anima facile intelligimus: morte scilicet vindicetur peccatum. Quæ autem sequuntur, operæ pretium est explicare. Nec enim videtur etiam infans formatus calce litigantis percussus, oculum in ventre perdidisse, dentes vero omnino non habuit. Si enim hoc ad matrem referamus, quomodo abortiens mulier oculum perdit, aut dentes dolet? Sed esto aut in oculo aut in dente percussa abortivit, livorem vel vulnus accepit, quid etiam combustum dicimus pro combustura? Nunquid litigantibus viris assistens mulier comburi potuit, ut combustura pro combustura solvatur? In Deuteronomio quoque hæc facile explicari non queunt. In Scripturis tamen iisdem vocabulis et officiis membra animæ nominantur, quibus utuntur vel appellantur membra corporis. Unde Matth. 7: *Vides festucam in oculo fratris tui, et trabem quæ in oculo tuo est non vides*. Et Matth. 13: *Qui habet aures audiendi audiat*. Et Rom. 10: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem!* Ne nos ergo vocabulorum similitudo conturbet. Sunt ergo duo litigantes, duo disputantes et dogmatibus vel quæstionibus legis, et rixantes circa verborum pugnas; unde Apostolus, II Tim. 2: *Nolite contendere verbis*, etc. Et ibidem: *Quæstiones legis devita, sciens quod generant lites*. Qui ergo istis in quæstionibus litigant ad subversionem audientium, percutiunt mulierem prægnantem, et ejiciunt infantem formatum vel adhuc informem. Mulier prægnans dicitur anima, quæ nuper concepit verbum Dei; unde: *A timore tuo, Domine, in utero concepimus et peperimus* Isa. 26.. Qui ergo concipiunt, et statim pariunt, non mulieres existimandæ sunt, sed viri et perfecti; unde alibi: *Si peperit terra in una die, et nata est gens die una simul* Isa. 66.. Ista est ergo generatio perfectorum, quæ in die eadem concipitur et nascitur. Pariunt autem viri secundum illud Gal. 4: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus*. Perfecti ergo et viri statim pariunt, id est, conceptum fidei verbum in opera perducunt: anima autem quæ concipit, et in ventre retinet et non parit, mulier dicitur. Unde Isa. 37: *Dolores partus advenērunt ei: et virtus pariendi non est in ea*. Hæc ergo, inter se duobus litigantibus et scandalosa proferentibus, percutitur et scandalizatur: ut verbum fidei quod tenuiter conceperat nondum formatum abjiciat. Est enim in aliquibus formatum verbum, in aliquibus non formatum; unde: *Donec formetur in vobis Christus* Gal. 4.; Christus enim est Verbum Dei. Damnum ergo patietur, qui excussit. De damnis ergo doctorem dicit Apostolus I Cor. 3:

petierit, et arbitri judicaverint.†† 23 Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, 24 oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, 25 adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. 26 Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, et luscus eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. 27 Dentem quoque si excusserit servo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos. 28 Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur: et non comedentur carnes ejus, dominus quoque bovis innocens erit. 29 Quod si bos cornupeta fuerit ab heri et nudiuertius, et contestati sunt dominum ejus, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem: et

††21.22 *Si cujus opus arserit damnum patietur*, etc. Et ipse Dominus in Evangelio, Matth. 16: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animam autem suam perdat?* Unde videtur ostendi quod quædam peccata ad damnum pertinent, non tamen ad interitum, quia qui damnum passus fuerit, salvari dicitur, licet per ignem: unde Joannes dicit quædam peccata esse ad mortem, quædam non I Joan. 5.. Quæ autem sint ad mortem, non facile discerni potest, *Delicta enim quis intel- ligit?* Psal. 18. Sed cum referuntur super quinque mnas acquisitæ aliæ quinque, et super duas duæ Luc. 19., qui mercedem hujus acquisitionis perdit, damno dicitur percuti, sicut qui causam scandali infirmiori et muliebri animæ præbuit. Dabit autem secundum quod indixerit vir ejus, et dabit cum honore animæ discentis. Vir magister est Christus, vel qui pro Christo animarum doctor est. Patietur ergo damnum qui contendit ad subversionem audientium, pro anima quæ nondum habuit infantem formatum: quod potest de scandalo catechumeni accipi. Potest etiam fieri ut qui læsit, instruat et reparat animæ quæ perdidit, et cum honore, cum modestia scilicet, cum mansuetudine, non cum lite, sicut cum scandalum intulit. Sed cum formatus infans fuerit, dabit animam pro anima. Formatus infans potest videri sermo Dei in corde animæ quæ suscepit gratiam baptismatis, vel qui evidentius et clarius verbum Dei suscepit. Reddet ergo qui percussit, animam pro anima in die judicii, scilicet apud eum judicem qui potest animam et corpus perdere in gehennam. Vel ut qui sibi conscius fuerit tanti scandali, ponat animam suam pro anima scandalizati, et usque ad mortem det operam quomodo ad fidem restituatur. Ponat oculum pro oculo: si oculum animæ læsit, id est, intellectum ejus turbavit, auferatur oculus ejus ab eo qui præest Ecclesiæ, id est intellectus. Si dentem læsit, qui suscipiens cibum verbi Dei comminere vel molaribus terere solebat, ut subtilem ad ventrem animæ transmitteret sensum: si hunc dentem ille vexaverit et evulserit, ut contritione ejus non possit anima subtiliter et spiritualiter suscipere verbum Dei, auferetur dens ejus, qui non bene cibos verbi comminuit et dividit. Propter hoc enim fortasse de Domino dicitur: *Dentes peccatorum contrivisti* Psal. 3.. Et alibi: *Molas leonum confringet Dominus* Psal. 57.. Sic ergo per membra dicitur lædi anima et percuti. Manum quoque pro manu, et pedem pro pede deposcit. Manus animæ, virtus qua tenere aliquid et cor stringere potest, ut actus ejus et fortitudo; et pes quo incedit ad bona vel ad mala. Quia ergo scandalizata anima non solum in fide sed etiam in actibus dejicitur, qui per manus significantur, manus auferuntur illius, quibus non bene operatur, et pedes, quibus non bene incedit. Recipiet etiam combusturam, quia combussit et gehennæ tradidit animam. Per singula hæc ostenditur, ut percussor, truncatis omnibus membris, a corpore Ecclesiæ excidatur, ut cæteri videntes timorem habeant, et non similiter faciant. Ideo Apostolus cum doctorem describit Ecclesiæ, inter cætera præcipit, *non percussorem* I Tim. 3.: ne percutiens prægnantes mulieres, id est animas insipientes, ponat animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, etc. De qualibus dicitur Matth. 24: *Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus, in quibus scandalizabuntur, si fieri potest, etiam electi.* Sciendum tamen quod non est perfectorum scandalizari, sed mulierum aut parvulorum; unde Matth. 18: *Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis*, etc.

bos lapidibus obruetur, et dominum ejus occidet.†† 30 Quod si pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus. 31 Filium quoque et filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subjacebit. 32 Si servum ancillamque invaserit, triginta siclos argenti domino dabit, bos vero lapidibus opprimetur. 33 Si quis aperuerit cisternam, et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam, 34 reddet dominus cisternæ pretium jumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit. 35 Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit: vendent bovem vivum, et dividunt pretium, cadaver autem mortui inter se disperit. 36 Sin autem sciebat quod bos cornupeta esset ab heri et nudiuertius, et non custodivit eum dominus suus: reddet bovem pro bove, et cadaver integrum accipiet.

22 Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, et occiderit vel venderit: quinque boves pro uno bove restituat, et quatuor oves pro una ove.¶¶ 2 Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.§§ 3 Quod si orto sole fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur. 4 Si inventum fuerit apud eum quod furatus est, vivens: sive bos, sive asinus, sive ovis, duplum restituet. 5 Si læserit quispiam agrum vel vineam, et dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. 6 Si egressus ignis invenerit spinas, et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit. * 7 Si

††21.29 *Quod si bos cornupeta*, etc. RAB. Hoc est, si superbum motum animi dominus, id est spiritus, non constringit, et animabus interitum, vel corporibus ingerit incommodum, reatus redundat in custodem. Unde Proverbiorum decimo sexto capitulo: *Cor hominis erudiet os ejus, et labiis illius addet gratiam. Triginta siclos.* Hoc est secundum legis mandata, per fidem et spem et charitatem emendabit. *Argenti.* Nitorem divini verbi, quo in fide Trinitatis et scientia decalogi instructi erant, compensabit. *Si quis aperuerit*, etc. GREG., lib. XVII Moral., cap. 13. Cisternam aperire est valido intellectu Scripturæ sacræ arcana penetrare, etc., usque ad inde infirmitas auditorum ad ima dilabatur. *Si bos alienus*, etc. AUG. Non hoc in solo bove servandum est, sed in omni pecore; a parte enim totum intelligitur. Sed hoc de carnibus occisi pecoris fieri non potest, quo non vescuntur.

¶¶22.1 *Si quis furatus fuerit*, etc. STRAB. Secundum litteram quinque boves pro uno bove, et quatuor oves pro uno bove redduntur: quia bos quinque utilitates habet, ovis quatuor. Bos enim immolatur, arat, pascit, lactat, et corium diversis usibus ministrat; ovis vero immolatur, et pascit, lac et lanam tribuit. Allegorice vero per bovem Judæus quilibet intelligitur, quem si quis Judæus vendiderit, pœnæ legis subjacebit, quæ continetur in quinque libris Moysi. Per ovem Christianus, qui Christum imitatur, de quo dicitur: *Sicut ovis ad occisionem ductus est* Isa. 53.. Si quis hanc vendiderit, quatuor oves reddat, id est secundum institutionem quatuor Evangeliorum pœnitentiam agat.

§§22.2 *Si effringens fur domum, sive suffodiens*, etc. AUG., quæst. 84 in Exod. Si perfodiens inventus fuerit fur et percussus mortuus fuerit, etc., usque ad jam enim plus est quam fur.

*22.6 *Si egressus ignis*, etc. RAB. Ignem succendimus, cum correctionem subditis præparamus, ut spinas vitiorum consumamus. Sed videndum est ne cum vitia persequimur, virtutes lædamus, et eis qui fructum bonorum operum proferre cœperant, ante maturitatem noceamus. Qui hoc ergo commiserit, dignam pœnitentiam gerat, et quod per inertiam læsit, studiose restituat. *Spicas.* Teneros auditores nondum ad maturitatem fructus pertingentes: quorum vitia qui acerbe et indiscrete reprehendit, quasi ignem in spicas immittit, nec ad maturitatem pervenire sinit.

quis commendaverit amico pecuniam aut vas in custodiam, et ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint: si invenitur fur, duplum reddet: ⁸ si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, et jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui, ⁹ ad perpetranda fraudem, tam in bove quam in asino, et ove ac vestimento, et quidquid damnum inferre potest: ad deos utriusque causa perveniet, et si illi judicaverit, duplum restituet proximo suo. ¹⁰ Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, et omne jumentum ad custodiam, et mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit: ¹¹ jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui: suscipietque dominus juramentum, et ille reddere non cogetur. ¹² Quod si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino; ¹³ si comestum a bestia, deferat ad eum quod occisum est, et non restituet. ¹⁴ Qui a proximo suo quidquam horum mutuo postulaverit, et debilitatum aut mortuum fuerit domino non præsente, reddere compelletur.† ¹⁵ Quod si impræsentiarius dominus fuerit, non restituet, maxime si conductum venerat pro mercede operis sui. ¹⁶ Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, et habebit eam uxorem. ¹⁷ Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.‡ ¹⁸ Maleficos non patieris vivere.¶ ¹⁹ Qui coierit cum jumento, morte moriatur. ²⁰ Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli. ²¹ Advenam non contristabis, neque affliges eum: advenæ enim et ipsi fuistis in terra Ægypti.§ ²² Viduæ et pupillo non nocebitis.** ²³ Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum: ²⁴ et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli. ²⁵ Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urge-

†22.14 **Qui a proximo**, etc. A proximo mutuum postulamus, cum pro æterna remuneratione curam Domini gregis suscipimus. Sed si timorem Dei, quasi pecuniam exigentis, semper ante oculos cordis ponimus, quasi in præsentia ejus semper sumus. Unde II Cor. 5: **Scientes timorem Domini, hominibus suademus.** Et alibi, II Cor. 12: **Quasi coram Deo, in Christo loquimur.** Mors ergo aut debilitas pecoris pastori non imputatur, si ejus curam strenue gessit, et quasi Deo præsente; aliter damnum reddere compellitur. Unde Matth. 5: **Non exibit inde, donec reddat novissimum quadrantem.**

‡22.17 **Si pater virginis**, etc. RAB. Sensus sententiæ historicus, de qua nascitur oratio. Si ergo historicus sensus regnum charitatis ædificat, cupiditatis dissipat, non est necesse allegorice exponi. Lector tamen sententiam dote rectæ fidei honorare debet et intactam sua expositione relinquere.

¶22.18 **Maleficos non patieris vivere.** Qui præstigiis magicæ artis et diabolicis figmentis agunt, hæreticos intellige, qui a consortio fidelium qui vere vivunt, excommunicandi sunt, donec maleficium erroris in eis moriatur

§22.21 **Advenam non contristabis.** RAB. Dilectionem proximi per misericordiæ compassionem commendat, ne furoris aut avaritiæ stimulo commoti, jus naturæ negligamus. Sed quæ volumus ut faciant nobis homines eadem illis faciamus, et quæ nolumus fieri, non faciamus.

22.22 **Viduæ et pupillo non nocebitis. RAB. In vidua, sancta Ecclesia, quæ in die iudicii exspectat Christum, quem modo non habet præsentem in pupillo, Christianus populus, cui mortuus est mundus pater, et Babylonia mater, accipi potest: quam prohibet contristari per persecutionem vel fastum mundanum, ne forte talis insectatio ad perniciem eorum spiritualem perveniat qui eos frustra odiis et contumeliis molestant.

bis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.^{††} 26 Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei.^{‡‡} 27 Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat: si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. 28 Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices.^{¶¶} 29 Decimas tuas et primitias tuas non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.^{§§} 30 De bobus quoque, et ovibus similiter facies: septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi. 31 Viri sancti eritis mihi: carnem, quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus.

23 Non suscipies vocem mendacii, nec junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium. 2 Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies. 3 Pauperis quoque non misereberis in iudicio.^{*} 4 Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.[†] 5 Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. 6 Non declinabis in iudicium pauperis. 7 Mendacium fugies. Insontem et justum non occides: quia aversor impium.[‡] 8 Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum. 9 Peregrino molestus non eris. Scitis enim advenarum animas: quia et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. 10 Sex annis seminabis terram tuam, et congregabis fruges ejus:[¶] 11 anno autem septimo dimittes eam, et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui: et quidquid reliquum fuerit, edant bestię agri: ita facies in vinea et in oliveto tuo. 12 Sex diebus operaberis: septimo die cessabis, ut requiescat bos et asinus tuus, et refrigeretur filius ancillæ tuæ, et advena. 13 Omnia quæ dixi vobis, custodite. Et per nomen externo-

^{††}22.25 *Si pecunia mutuum*, etc. RAB. Prædicatores Evangelii monet ne superfluitatem appetant, sed habentes victum et vestitum, his contenti sint, secundum illud Matth. 10: *Gratis accepistis, gratis date*.

^{‡‡}22.26 *Si pignus*, etc. AUG., loc. 99. Genus pro specie posuit: sic enim dictum est ac si de omni veste pignus dederit, cum de illo se specialiter dicere ex consequentibus Scriptura testatur, qui non habet nisi eam vestem unde nocte operiatur. GREG., lib. XVI Moral., cap. 2. *Pignus*, peccati confessio. Proximus enim debitor noster efficitur, etc., usque ad a nobis mox relaxatum sentiat quod deliquit.

^{¶¶}22.28 *Diis non detrahes*, etc. AUG., quæst. 86 in Exod. Quæritur quos dixerit deos, etc., usque ad vel latriæ obsequiis honorari.

^{§§}22.29 *Decimas tuas*, etc. ISID. in Gen., tom. 5. Per primitias frugum vel primogenitorum primitiva bonorum operum ostenduntur, etc., usque ad et perfectionis donatur effectus.

^{*}23.3 *Pauperis quoque non misereberis in iudicio*. AUG. Ne scilicet contra justitiam pauperi faveas causa misericordiæ. Bona est misericordia, sed non debet esse contra iudicium. Iudicium autem dicit Scriptura, quod justum est. Ne quis autem propter hanc sententiam Deum putet prohibere misericordiam, opportune sequitur:

[†]23.4 *Si occurreris bovi inimici tui*, etc. Quasi fac misericordiam etiam erga inimicos tuos, cum potestas est a iudicando libera; non enim cum reducis errantem bovem inimici et reddis, inter aliquos iudex resides.

[‡]23.7 *Mendacium fugies*. RAB. Veritatem et iudicium amat Dominus: et ad hæc exsequenda populum suum hortatur, quia non est personarum acceptor.

[¶]23.10 *Sex annis seminabis terram tuam*. AUG. Quæritur quid colligant pauperes, si in septimo anno ita parciatur terræ, etc., usque ad sex annos cum colliguntur quæ seminantur. RAB. In senario perfectio operum, etc., *usque ad qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus et metet*.

rum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.^{§ 14} Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis.^{** 15} Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum, quando egressus es de Ægypto: non apparebis in conspectu meo vacuus.¹⁶ Et solemnitatem mensis primitivorum operis tui, quæcumque seminaveris in agro: solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.¹⁷ Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.¹⁸ Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps solemnitatis meæ usque mane.¹⁹ Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. Non coques hædum in lacte matris suæ.^{†† 20} Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi.^{‡‡ 21} Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo.²² Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia quæ loquor, inimi-

§23.13 *Et per nomen externorum deorum*, etc. Per nomen suum jurare permittit, non quod bonum sit jurare; sed quia sciebat homines pronos ad jurandum esse, non vult ut jurent per nomina exteriorum deorum, ne frequenti juramento inducantur ad cultum eorum. Sic et hostias non approbat Deus, mavult tamen sacrificari sibi quam idolis.

**23.14 *Tribus vicibus per singulos a mos*, etc. Fidem scilicet sanctæ Trinitatis hic exigit Deus: in Pascha enim immolatur Filius, in Pentecoste datur Spiritus sanctus, in Scenopegia paternæ majestatis potentia declaratur. *Tribus vicibus per singulos annos*, etc. RAB. Hoc est omni tempore præsentis vitæ et in sanctæ Trinitatis confessione, per fidem et spem et charitatem bonorum operum obsequia Deo creatori vestro exhibebitis. Pascha enim celebramus mense novorum, cum per sanguinem Agni immaculati ab Ægyptia servitute liberati, per spirituales aquas de veteri homine in novum transimus, non in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus, quo in terram promissionis per gratiam Christi pervenimus. Solemnitatem vero mensis primitivorum celebramus, cum operum nostrorum, voluntatum, et sermonum primitias Domino consecramus; solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregatis frugibus, id est virtutum fructibus, ad finem vitæ et introitum regni cœlestis pervenire contendimus; in tabernaculis septem diebus commemorantes, quia per omne tempus vitæ præsentis peregrinos nos esse agnoscimus, nec requiem hic, sed in futuro requirimus, sedulo curantes ne in conspectu Dei vacui appareamus. *Solemnitatem quoque*, etc. RAB. Maturis scilicet, frugibus, quando fructus totius anni collecti sunt, in septembri scilicet quem Hebræi Chaldaico vocabulo thisri, Macedones vocant. In cujus principio Judæi feriantes amplius tuba canunt quam in cæteris mensibus, et plura offerunt, in quo dies expiationum, et dies scenopegie quinto decimo die, qui est solemnitas Tabernaculorum.

††23.19 *Non coques hædum*, etc. AUG., quæst. 90 in Exod. Quomodo intelligatur, ad verborum proprietatem nescio utrum possit reperiri, etc., usque ad postea vero passi sunt non agni in lacte, sed arietes in grege. STRAB. Moraliter. Hædus, id est peccator, non est in lacte matris coquendus, id est blanditiis dissolvendus, sed aspere increpandus et redarguendus.

‡‡23.20 *Ecce ego mittam angelum*, etc. RAB. Josue significat ducem populi, qui ideo angelus dicitur, quia ad voluntatem Domini annuntiandam mittitur; enim Græce, *nuntius* dicitur.

cus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te.^{¶¶} 23 Præcedetque te angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, Chananæumque, et Hevæum, et Jebusæum, quos ego conteram.^{§§} 24 Non adorabis deos eorum, nec coles eos: non facies opera eorum, sed destrues eos, et confringes statuas eorum. 25 Servetisque Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis et aquis, et auferam infirmitatem de medio tui.* 26 Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua: numerum dierum tuorum implebo. 27 Terrorem meum mittam in præcursum tuum, et occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam: 28 emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, et Chananæum, et Hethæum, antequam introëas.† 29 Non ejciam eos a facie tua anno uno: ne terra

^{¶¶}23.22 *Inimicus ero*, etc. GREG. Radix cuncti mali superbia est, de qua dicitur Eccli. 10: *Initium omnis peccati superbia*. Sunt autem ejus soboles septem principalia vitia, inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Et quia his septem superbiæ vitiis nos captos doluit Redemptor noster, ad spirituale liberationis prælium Spiritu septiformis gratiæ plenus venit.

^{§§}23.23 *Præcedetque te angelus*. RAB. Josue populum Isræliticum in terram promissionis induxit, septem gentes ejiciens, idolaque et aras eorum destruens. Mystice verus Jesus has gentes cum simulacris suis exterminat, cum septem principalia vitia et omne idolum inimici de cordibus nostris expellit, ut naturæ nostræ terram secure possideamus. *Quos ego conteram*. CHRYSOST. Habet unumquodque vitium in corde nostro propriam mansionem, quam sibi vindicans, in animæ nostræ recessu exterminat Isrælem, id est rerum summarum contemplationem, et adversari non desinit: non enim possunt virtutes cum vitiis morari. Sed cum ab Isrælitis, id est a virtutibus, fuerint vitia superata, locum quem concupiscentiæ vel fornicationis spiritus possidebat, castitas obtinebit: quem furor ceperat, patientia vindicabit; quem tristitia mortem operans occupaverat, salutaris et plena gaudio lætitia possidebit; quem acedia vastavit, excolet fortitudo; quem superbia conculcabat, humilitas honestabit. Itaque singulis vitiis expulsis, eorum loca, id est affectus, virtutes contrariæ possidebunt: quæ filii Isrælis, id est animæ Deum videntis nuncupantur: qui cum universas cordis expulerint passiones, non tam alienas possessiones rapuisse quam proprias recuperasse credendi sunt; quia secundum veterem traditionem, terram Chananæorum filii Sem in divisione orbis sortiti sunt, quam Chananæi violenter possederunt: unde justo, judicio Dei expulsi sunt. Voluntas quoque Domini possessionem cordis nostri non vitiis sed virtutibus deputavit, quæ post prævaricationem Adæ insolescentibus vitiis, quasi Chananæis, a propria regione depulsæ sunt. Cum vero per Dei gratiam diligentia nostra et labore nostro restituuntur, non tam alienam terram occupant quam recipiunt propriam.

*23.25 *Benedicam panibus tuis*, etc. AUG. Alia littera: *Benedicam panem et vinum tuum*, etc. Quamvis hæ promissiones possint et spiritualiter intelligi, etc., usque ad quæ impii non accipiunt.

†23.28 *Emittens crabrones*. AUG., quæst. 93. Emittam vespas, etc. Hoc promittit Deus, etc., usque ad si aliquid a Christo dicitur. Alia littera. *Emittam vespas ante te, et ejiciet Amorrhæos*, etc. A plurali ad singularem numerum se convertit. Inteligitur autem *ejiciet Amorrhæos*, vespa, scilicet sicut locusta, sicut rana, non quod una sit, sed per singularem intelligitur pluralis.

in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestiae.[‡] ³⁰ Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, et possideas terram. ³¹ Ponam autem terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Palæstinarum, et a deserto usque ad fluvium: tradam in manibus vestris habitatores terræ, et ejiciam eos de conspectu vestro. ³² Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum. ³³ Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, si servieris diis eorum: quod tibi certe erit in scandalum.

24 Moysi quoque dixit: Ascende ad Dominum tu, et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta senes ex Israël, et adorabitis procul.[¶] ² Solusque Moyses ascendet ad Dominum, et illi non appropinquabunt: nec populus ascendet cum eo.[§] ³ Venit ergo Moyses et narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia: responditque omnis populus una voce: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus.^{**} ⁴ Scripsit autem Moyses universos sermones Domini: et mane consurgens, ædificavit altare ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israël. ⁵ Misitque juvenes de filiis Israël, et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. ⁶ Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare.^{††} ⁷ Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. ⁸ Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait: Hic est

[‡]23.29 *Non ejiciam eos a facie*, etc. STRAB. Gentes istæ vitia significant, quæ nec simul, nec uno tempore in sanctis exstinguuntur, ne monstra terræ multiplicentur, id est ne in superbiam erigantur et vanam gloriam et hujusmodi. Nam cum sancti contra majora vitia pugnant et vincunt, relinquunt minora, et permittuntur dominari, ne per elationem gravius corruant. Unde Paulo datus est stimulus carnis ad custodiam humilitatis I Cor. 22..

[¶]24.1 *Moysi quoque dixit: Ascende ad Dominum, tu et Aaron*, etc. AUG., quæst. 85 in Exod., tom. 3. Usque ad hunc locum Scripturæ justificationes intelliguntur, etc., usque ad justificationes vero Latini eas esse dicunt quæ Græci dicunt. *Tu et Aaron*, etc. STRAB. Moyses et Aaron et Nadab et Abiu. Per hos quatuor viri evangelici significantur, qui scilicet evangelica præcepta sequuntur. Per septuaginta vero qui constat ex septenario decies scilicet ducto, vel ex denario septies multiplicato significantur illi qui Spiritus sancti gratia adjuti, adimplentes denarium legis, tendunt ad contemplationem Conditoris. Vel ad litteram de quibus dicitur Num. 11: *Assume tibi septuaginta viros*, etc., de quibus Heldad et Meldad fuerunt.

[§]24.2 *Solusque Moyses ascendet ad Dominum*. RAB. Prius præcipitur ut Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta seniores, ascendant ad Dominum. Et statim subjungitur quod solus Moyses ascendat ad Dominum, cæteri non appropinquent, sed adorent procul. Ubi moraliter instruimur vires nostras perpendere, nec ultra posse nostrum arcem contemplationis attingere, sed quantum divina clementia vocat, et regula Scripturæ provocat. GREG. Moyses ut sublimia Dei præcepta perciperet, alta conscendit; et ut interna penetret, ab externis tumultibus occultatur: quia viri sancti qui exterioribus officiis deservire necessitate coguntur, studiose semper ad cordis secreta confugiunt, ibique cogitationis intimæ cacumen ascendunt, et legem quasi in monte percipiunt, dum, postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suæ vertice supernæ voluntatis sententiam perscrutantur.

^{**}24.3 *Faciemus* AUG., quæst. 95. Notandum quod iterum populus, etc., usque ad apprehenderunt justitiam.

^{††}24.6 *Tulit itaque*, etc. ID., quæst. 98. Notandum est nunc primum sacrificasse Mosem, etc., usque ad nam decalogum in tabulis lapideis fuisse scriptum postea patet. *Crateras*. Cratera, sive crater, dicitur XXX quod est *capere*, eo quod sit multi vini capax.

sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. ⁹ Ascenderuntque Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta de senioribus Israël: ¹⁰ et viderunt Deum Israël: et sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi caelum, cum serenum est. ¹¹ Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israël, misit manum suam, videruntque Deum, et comederunt, ac biberunt. ¹² Dixit autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, et esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, et legem, ac mandata quæ scripsi: ut doceas eos. ¹³ Surrexerunt Moyses et Josue minister ejus: ascendensque Moyses in montem Dei, ¹⁴ senioribus ait: Expectate hic donec revertamur ad vos. Habetis Aaron et Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. ¹⁵ Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, ¹⁶ et habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die vocavit eum de medio caliginis. ¹⁷ Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israël. ¹⁸ Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem: et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. ^f

^{‡‡}24.10 *Sub pedibus.* Deus non loco continetur, nec situ corporis membra ponit, sicut est nostri corporis sedere, et jacere, stare, et hujusmodi, quæ tantum corporis sunt. Deus autem spiritus est. Quod ergo se ostendit specie corporali, vel signis corporaliter expressis, non substantia ejus apparet, quæ est quod ipse est, sed assumptio formarum visibilium ejus omni potentia subiacet.

^{¶¶}24.12 *Ascende ad me,* etc. BED., lib. I de Tabernac., cap. 11, tom. 2. Locuturi de figura tabernaculi, etc., usque ad ut Ecclesia per orbem cunctarum gentium linguis locutura designaretur. *Daboque tibi.* ID. Huic simile est illud: *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis* Matth. 28.. Non ergo Moyses, non apostoli, vel quilibet, alia debet docere quam quæ Dominus docuit, et consilii decreto observanda præscripsit, in quibus vitam æternam nos habere voluit, sicut de his præteriri quidquam non oportet: sed omnia quæ mandavit, auditoribus committere necesse est.

^{§§}24.13 *Surrexerunt Moyses et Josue.* AUG., quæst. 103 in Exod. Josue non commemoratus in illis quatuor subito cum Moysen apparet, etc., usque ad quod modo memoratur nondum vocabatur Jesus, sed quando scriptum est. BED. Josue Christum nomine et actione significat; qui minister Moysi dicitur, quia Christus *non venit legem solvere, sed adimplere* Matth. 5.. Moysi vestigia in omnibus sequitur, quia in cunctis quæ scripsit Moyses, typice designatur, quasi comes individuus, si bene quæritur, invenitur. Unde Joan. 5: *Si crederetis Moysi, forsitan crederetis et mihi.* BED., de Tabernac., lib. 1, cap. 1, tom. 2. Aaron *mons fortitudinis, Hur ignis vel lumen,* etc., usque ad et ad dilectionem Conditoris animus inardescit.

^{*}24.15 *Cumque ascendisset Moyses,* BEDA., ibid. Sicut mons altitudinem perfectionis, etc., usque ad cœlesti benedictione protegit.

[†]24.16 *Et habitavit gloria Domini.* ID., ibid. Non modo sublimitas, sed et nomen montis, etc., usque ad in septimo quiescere jubemur. *Tegens illum nube.* ID., ibid. Sex diebus nube et gloria Domini tegitur, etc., usque ad ut ad sublimiora divinæ visionis et collocutionis dona perveniret.

[‡]24.17 *Erat autem species,* etc. ID., ibid. Quasi ignis ardens species gloriæ Domini apparuit, etc., usque ad tametsi plene illos sequi non valeant.

[¶]24.18 *Ingressusque Moyses,* etc. ID., ibid. Moyses medium nebulæ ingressus ascendit in montem, etc., usque ad ut per eorum observantiam ad salutem veniant æternam.

25 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ²Loquere filiis Israël, ut tollant mihi primitias: ab omni homine qui offeret ultroneus, accipietis eas.[§] ³Hæc sunt autem quæ accipere debeatis: aurum, et argentum, et æs,^{**} ⁴hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum, pilos caprarum, ⁵et pelles arietum rubricatas, pellesque janthinas, et ligna setim: ⁶oleum ad luminaria concinnanda: aromata in unguentum, et thymiamata boni odoris: ⁷lapides onychinos, et gemmas ad ornandum ephod, ac rationale.^{††} ⁸Facientque mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum:^{‡‡} ⁹juxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi, et omnium vasorum in cultum ejus. Sicque facietis illud:^{¶¶} ¹⁰arcam de lignis setim compingite, cujus longitudo habeat duos et semis cubitos: latitudo, cubitum et dimidium: altitudo, cubitum similiter ac semissem. ¹¹Et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris: faciesque supra, coronam auream per circuitum: ¹²et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos: duo circuli sint in latere uno, et duo in altero.^{§§} ¹³Facies quoque vectes de lignis setim, et operies eos auro. ¹⁴Inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis: ¹⁵qui semper erunt in circulis, nec umquam extrahentur ab eis. ¹⁶Ponesque in arca testificationem quam dabo tibi.* ¹⁷Facies et propitiatorium de auro mundissimo: duos cubitos et dimidium

§25.2 *Loquere filiis Israël ut tollant mihi primitias*, etc. BED., de Tabernac., lib. 1, cap. 3, tom. 2. Primitias bonorum Deo offerimus, cum bonum quod agimus, totum divinæ gratiæ tribuentes, et toto corde profitentes quod nec initium bonæ actionis vel cogitationis nisi a Domino possumus habere; mala vero semper a nobis diabolo instigante et cœpta et consummata, nec nisi Domino donante laxanda.

**25.3 *Hæc sunt autem quæ accipere debetis*, etc. ID., ibid. Cuncta quæ sibi Dominus ad faciendum sanctuarium materialiter offerri præcepit, nos quoque, qui spirituales filii Israël, id est imitatores Deum videntis populi esse cupimus, spiritualiter offerre debemus: ut per has oblationes voluntarias ipsi sanctuarium in nobis faciamus, ut ipse habitare in nostro corde et sibi mansionem consecrare dignetur.

††25.7 *Lapides onychinos*, etc. ID., ibid. Hæc offerimus, etc., usque ad addita bonis operibus martyrii merita signantur.

‡‡25.8 *Facientque mihi sanctuarium*. ID., ibid. Ostendit Dominus Moysi tabernaculum in monte, etc., usque ad præclaram multitudinem sanctarum animarum recepit.

¶¶25.9 *Juxta omnem similitudinem*, etc. ID., ibid. Imitari debemus angelos diligendo Deum et proximum, etc., usque ad et post hanc vitam in illud tabernaculum, quod imitaris, introducat. *Omnium vasorum*. BED. Vasa tabernaculi, singulæ personæ angelorum, ex quibus Jerusalem, mater omnium nostrum, in vera pace et unitate consistit. *Sicque facietis illud. Arcam*, etc. ID., ibid., cap. 4. Arca fieri præcipitur, etc., usque ad sed in similitudine carnis peccati venit. *Cujus longitudo* ID. Quæritur cujus quantitas sit iste cubitus, etc., usque ad unde patet quia illum designat cubitum quem duo palmi faciunt. *Latitudo*. ID., ibid. Unius cubiti latitudo pro dispensatione Dominicæ charitatis, etc., usque ad ubi eum toto corde diligamus, intremus. ID. Mystice. Longitudo arcæ longanimitatem Christi, etc., usque ad quia tarditatem discipulorum longanimiter ferebat. *Altitudo, cubitum*, etc. ID., ibid. Habet arca cubitum in altitudine, etc., et usque ad hoc tantillum non nisi ab illo habemus.

§§25.12 *Et quatuor circulos*, etc. GREG. Past., cap. 11, tom. 3. Arca, Ecclesia, etc., usque ad quæ in vobis est, etc. *Duo circuli*. BEDA, ut supra. Quia in figura quatuor animalium, etc., usque ad quæ ad futuræ vitæ gloriam pertinent expresserunt.

*25.16 *Testificationem quam dabo*. ID., ibid. De qua Apostolus, etc., usque ad judicem omnium docuit sæculorum.

tenebit longitudo ejus, et cubitum ac semissem latitudo.[†] 18 Duos quoque cherubim aureos et productiles facies, ex utraque parte oraculi.[‡] 19 Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero. 20 Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, et operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca, 21 in qua pones testimonium quod dabo tibi. 22 Inde præcipiam, et loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israël.[¶] 23 Facies et mensam de lignis setim, habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum, et in altitudine cubitum et semissem.[§] 24 Et inaurabis eam auro purissimo: faciesque illi labium aureum per circuitum,^{**} 25 et ipsi labio coronam intrasilem altam quatuor digitis: et super illam, alteram coronam aureolam. 26 Quatuor quoque circulos aureos præparabis, et pones eis in quatuor angulis ejusdem mensæ per singulos pedes.^{††} 27 Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, et possit mensa portari.^{‡‡} 28 Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, et circumdabis auro ad subvehendam mensam. 29 Parabis et acetabula, ac phialas, thuribula,

[†]25.17 *Propitiatorium*. ID. Propitiatorium tabula erat aurea ejusdem mensuræ cujus arca; sic dicta quia ibi Deus Moysi apparens, et cum eo loquens, propitiabatur populo, et misericordiam significat, unde bene super arcam erat, quia misericordia ejus super omnia opera ejus.

[‡]25.18 *Duos quoque cherubim*, etc. ID. Propter societatem angelicæ pacis, quæ minus quam inter duos haberi non potest. Cherubim autem angelicam militiam significat: angeli vero summa concordia et quiete Christum contemplantur; unde versis ad invicem vultibus propitiatorium respiciunt, quia illam beatitudinem se habere Dei gratia intelligunt. GREG., hom. 6 in Ezech. Duo cherubim, qui *plenitudo scientiæ* dicuntur, etc., usque ad si aliud promitteret quod aliud negaret. BEDA, ibid. Numero singulari *cherub*, plurali autem *cherubim* dicitur, etc., usque ad bene expansis alis ad volandum aptatis designantur.

[¶]25.22 *Inde præcipiam*, etc., *super propitiatorium*. ID., ibid. Super propitiatorio, etc., usque ad unde Habacuc ait: *In medio duorum animalium innotesces* Habac. 3.. BED., ibid. Potest in arca Ecclesia figurari, etc., usque ad quo ipsa in fundamento summæ veritatis stabilita consistunt. BED., ibid. Mensa de lignis Setim, etc., usque ad unde Cant. 2: *Introduxit me rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem*.

[§]25.23 *In altitudine cubitum*, etc. BED., ibid. Quod altitudo cubitum et semissem habet, etc., usque ad non per plenum cubitum figuratur. *Faciesque illi labium*, etc. BED., ibid. Labium aureum fit in mensa per circuitum etc., usque ad pro diversitate meritorum, gloria singulorum.

^{**}25.24 *Coronam*, etc., et *super illam alteram coronam*. BED., ibid. Corona aurea additur, cum per Evangelium his qui mandata custodiunt, etc., usque ad quod ei sublimior gloria in receptione corporum servetur.

^{††}25.26 *Per singulos*, etc. BED., ibid. Mensa tabernaculi quatuor pedes habet, etc., usque ad intrent in regnum cœlorum.

^{‡‡}25.27 *Ut mittantur vectes per eos*. ID., ibid. Per circulos mittuntur vectes ad subvehendam mensam, etc., usque ad Domini mensam cum panibus et vasis in quatuor circulis portant.

et cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo.^{¶¶ 30} Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.^{§§ 31} Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus, et calamos, scyphos, et sphæras, ac lilia ex ipso procedentia. * ³² Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, et tres ex altero. † ³³ Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphæraque simul, et lilium: et tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphæraque simul et lilium. Hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili:‡ ³⁴ in

^{¶¶}25.29 *Parabis et acetabula ac phialas.* ID., ibid. Varia vasa quæ fiunt ad offerenda libamina, etc., usque ad unde: *Quis putas est fidelis dispensator et prudens* Luc. 12.? *Parabis acetabula,* etc. GREG., hom. 6 in Evang., tom. 2. Quid per phialas et cyathos nisi mensura prædicationis accipitur? etc., usque ad sed etiam parva et subtilia, quæ quasi per gustum notitiam præsent. IDEM. Alius doctrina veritatis plenus auditores inebriat, et quasi phialam porrigit: Alius explorare quod sentit non valet, sed etiam quia utcumque denuntiat, per cyathum gustum præbet. Qui ergo per doctrinam sapientiæ ministrare phialas non possunt, quantum pro divina largitate sufficiunt, propinent proximis cyathos verbi.

^{§§}25.30 *Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Josephus dicit duodecim panes ex simila fieri, singulos ex duabus decimis, qui Sabbato super mensam sex hinc et sex inde ponebantur: super quemque patena aurea cum pugillo thuris, et sic servabantur usque ad aliud Sabbatum, in quo thus cremabatur; panes vero sacerdotes comedebant calidos cum thure reponentes. *Et pones super mensam,* etc. BED. ubi supra. Bene panes propositionis vocantur, quia semper debet patere sermo salutis cunctis fidelibus, nec unquam deesse oportet in ecclesia verbum solatii: quod Dominus per præcones veritatis mundo proponens in conspectu suo apparere, et usque in finem his qui esuriunt et sitiunt justitiam incessanter abundare voluit.

*25.31 *Facies et candelabrum,* etc. GREG., hom. 6 in Ezech. Candelabrum Christus est in quo natura humanitatis fulsit lumine deitatis, etc., usque ad scyphi ergo et sphæra ad laborem pertinent, lilia ad retributionem. *Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo.* BEDA, ibid. Candelabrum tabernaculi, etc., usque ad et claritatem verbi omnibus prædicando et faciendo ostendit. *Et calamos, scyphos et sphæras.* ID., ibid. Scilicet prædicatores de hastili procedentes, etc., usque ad quæ animabus sanctis, id est, floribus vernat æternis.

†25.32 *Sex calami,* etc. ID., ibid. Senarius in quo factus est mundus, etc., usque ad unde Paulus: *Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus, sit semper cum omnibus vobis. Tres ex uno.* ID., ibid. Tres calami ex uno latere, etc., usque ad visionem ejus fruetur. ID., ubi supra. Fiunt scyphi in candelabro ad nucis modum, etc., usque ad quia continentes illius temporis tres ordines sanctorum eadem distinctione temporum habuerunt.

‡25.33 *In nucis.* ID. Nux Ecclesiam significat, unde: *Descendit in hortum nucum.* Nux enim dulcem fructum habet intus, qui nisi fracta testa non ostenditur foris: sic sanctorum vita suavitatem gratiæ in corde conservat, quæ non cognoscitur exterius nisi, soluto carnis domicilio animæ, in cœlesti luce sese conspiciant. ID. Tertius similiter calamus tres scyphos et sphæras, et tria habet lilia: quia multi conjugati ante legem, sub lege et sub prophetis erant, qui verbum Domini audire, et viam ejus currere et bonorum operum præmia exspectare gauderent. ID. Item ex alio latere primus calamus, secundus et tertius, tres scyphos et sphæras; tria quoque habebat lilia: quia in utroque Testamento in doctoribus, in continentibus, et in conjugatis Deo devotis tres fuerunt ordines temporum distantia. In primitiva scilicet ecclesia de Israël, in nostra electione de gentibus, in ultima collectione reliquiarum Israël, qui omnes suo tempore verbo vitæ inebriati, in via pacis properare, candorem perpetuæ lucis videre desiderant.

ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, et lilia.^{¶ 35} Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt procedentes de hastili uno.^{§ 36} Et sphærulæ igitur et calami ex ipso erunt, universa ductilia de auro purissimo.^{** 37} Facies et lucernas septem, et pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso.^{†† 38} Emunctoria quoque, et ubi quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo.^{‡‡ 39} Omne pondus candelabri cum universis vasis suis habebit talentum auri purissimi.^{¶¶ 40} Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.^{§§}

26 Tabernaculum vero ita facies: decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies.*² Longitudo cortinæ unius habebit viginti octo cubitos: latitudo, quatuor cubitorum erit. Unius

[¶]25.34 *In ipso autem candelabro*, etc. ID., ubi supra. Diximus ipsum candelabrum, etc., usque ad sed innovata per spiritum corda capiunt.

[§]25.35 *Sphærulæque per singulos et lilia. Sphærulæ sub duobus calamis*, etc. ID., ibid. Sunt per singulos scyphos sphærulæ simul et lilia, etc., usque ad unde: *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me*. ID., ibid. Scyphi, sphærulæ et lilia sub duobus calamis sunt, etc., *usque ad omnis plenitudo divinitatis corporaliter*.

^{**}25.36 *Et sphærulæ igitur et calami*. ID., ibid. Omne opus candelabri, etc., usque ad unde: *In tribulatione dilatasti mihi*, etc.

^{††}25.37 *Facies*. ID. Lucernæ septem, septem sunt dona Spiritus sancti, qui in Christo semper manserunt, et fidelibus secundum voluntatem ejus distributa sunt: hæ super candelabrum ponuntur, quia requievit super eum Spiritus sapientiæ et intellectus Isai. 11.. *Ut luceant*, etc. ID., ibid. Lucernæ candelabri ex adverso tabernaculum illustrabant, cum Christus plenus gratia et veritate omnibus tribuebat de sua plenitudine; mansuetis et pauperibus verbum Evangelii committens; pœnitentibus medelam indulgentiæ conferens. Nunc tempus esse parcendi in futuro universalis judicii tempus affirmans.

^{‡‡}25.38 *Emunctoria quoque, et ubi quæ*. ID., ibid. Divina verba, quibus manifeste signatur in plurimis non legis litteram, sed spirituale sensum esse servandum: unde: *Si circumcidimini, Christus nihil vobis proderit*. ID., ibid. Emunctorium, et vasa, ubi quæ emuncta sunt extinguuntur, etc., usque ad dicens: *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt*, etc. *Emunctoria quoque*, etc. ID., ibid. Sunt quædam in Scripturis præcepta, etc., usque ad et alibi: *Ecce nova facio omnia*.

^{¶¶}25.39 *Omne*. ID., ibid. Hoc est corpus Christi cum ipso capite, scilicet omnes electi, etc., usque ad quia merito scelerum in abyssum gravantis pœnæ decidunt.

^{§§}25.40 *Inspice*. ID., ibid. Ostensum est Mosi in monte exemplar candelabri quod faceret, etc., usque ad exemplar auditoribus executione operis et verbo doctrinæ ostendit.

^{*}26.1 *Tabernaculum vero ita et fiet*, etc. BED., lib. II de Tabernac., cap. 3, tom. 2. Tabernaculum, quod fecit Moyses in solitudine, et templum quod fecit Salomon in Jerusalem, etc., usque ad et copula divinæ et propriæ dilectionis jungantur. ID., ubi supra. Potest figura utriusque sanctuarii ita distingui, etc., usque ad mirabili figurarum varietate depingit. *De bysso retorta et hyacintho ac purpura coccoque bis tincto variatas*. ID., ubi supra, cap. 2. In his quatuor cortinarum coloribus, etc., usque ad purpura sanguinei coloris et de conchyliorum sanguine tincta devota Deo corda figurat, et pro Deo mori parata.

mensuræ fient universa tentoria.† 3 Quinque cortinæ sibi jungentur mutuo, et aliæ quinque nexu simili cohærebunt. 4 Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari.‡ 5 Quinquagenas ansulas cortina habebit in utraque parte, ita insertas ut ansa contra ansam veniat, et altera alteri possit aptari.¶ 6 Facies et quinquaginta circulos aureos quibus cortinarum vela jungenda sunt, ut unum tabernaculum fiat. 7 Facies et saga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi.§ 8 Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos, et latitudo, quatuor: æqua erit mensura sagorum omnium.** 9 E quibus quinque junges seorsum,

†26.2 *Longitudo cortinæ unius habebit viginti octo cubitos, latitudo quatuor*, etc. ID., ibid. Si ab uno usque ad septem omnes in ordine numeros pleno ordine numeraveris, usque ad ut per fidem et opera bona ad requiem tendat. *Unius mensuræ*, etc. ID., ibid. Etsi variante pictura cortinæ differebant, una tamen erant omnes longitudinis et latitudinis mensura temperatæ, quia etsi donationes habent electi differentes, unus tamen Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium. ID., ubi supra. Narrat Josephus, etc., usque ad quasi una decem cortinarum connexionem tabernaculum decoratur.

‡26.4 *Ansulas hyacinthinas in lateribus*, etc. ID., ibid. Ansulis hyacinthinis cortinæ invicem copulantur, etc., usque ad et in ea se perpetuo mansuros confidunt. BEDA, ibid. Præceptum est quoque fieri fimbrias per angulos palliorum, etc., usque ad a quatuor ventis collecti, indivisibili societate conjungemur.

¶26.5 *Quinquagenas*, etc. ID., ibid. In quinquagesimo anno, etc., usque ad et in cujus perceptione veraciter quiescitur et gaudetur, recte figuratur. ID., ibid. Quinquaginta ansulas habent cortinæ, quia dono Spiritu sancti agitur, ut in societate pacis, quæ est vinculum perfectionis, sibi invicem copulentur electi: futuræ quoque spes et memoria societatis et pacis, quæ in hac vita habetur, temporibus vel locis discretos una facit pietate concordēs. ID., ibid. Cortinæ in utraque parte habent ansas, etc., usque ad cum justis concordii virtutum qualitate fœderantur. *Facies et quinquaginta circulos*. ID., ibid. Hoc plenus explicatur, cum dicitur, etc., usque ad imo ex omnibus electis Christi Ecclesia perficiatur.

§26.7 *Facies et saga*, etc. ID., ibid. Hoc in sequentibus ita reperitur: *Fecit et saga undecim de pilis caprarum*, etc. Saga, quibus operitur tabernaculum, etc., usque ad dum quasi saga foris tempestates tolerant. Saga cilicina grossas hominum mentes significant, quæ occulto Dei judicio quamvis dure præferuntur, quia servire curis temporalibus non timent, ut tentationum ventos et pluvias portent. *Facies et saga*, etc. ID., ibid. Cilicium poenitentium est, etc., usque ad quorum tamen corda quantæ sint perfectionis declaratur, cum dicitur: *Longitudo sagi unius*, etc. ID., ibid. Saga cilicina, vel de pilis caprarum, etc., usque ad nec apostolicam gratiam percipiant. AUG., quæst. 108 in Exod. Undecim sunt vela capillacea, etc., *usque ad et quorum tecta sunt peccata. Ad operiendum*, scilicet ne interiora tenera clara qualibet adversitate turbentur, alioquin nec byssus fulget, nec coccus coruscat, nec hyacinthus cæruleo colore decoratur: non debent ergo qui in Ecclesiæ sinu proficiunt præpositos despiciere, si vacare eos rebus exterioribus vident.

**26.8 *Longitudo sagi unius*. BEDA, lib. II de Tabernac., cap. 3, tom. 2. Longitudo habet denarium numerum, etc., usque ad qui tamen secundum humanæ perfectionis modum inter homines sublimantur. *Æqua erit mensura*. ID., ibid. Quia una est fides in qua tota salvatur Ecclesia, etc., usque ad ubi solida parietis firmitas aberat. ID., ibid. Intuere etiam mensuram cortinarum, etc., usque ad Hæc de cortinis. ID., ibid. Saga tricenos habet cubitos longitudinis, etc., usque ad eo quod sint duces sequentium domini regum.

et sex sibi mutuo copulabis, ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices.†† 10 Facies et quinquaginta ansas in ora sagi unius, ut conjungi cum altero queat, et quinquaginta ansas in ora sagi alterius, ut cum altero copuletur.‡‡ 11 Facies et quinquaginta fibulas æneas quibus jungantur ansæ, ut unum ex omnibus operimentum fiat.¶¶ 12 Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi.§§ 13 Et cubitus ex una parte pendebit, et alter ex altera qui plus est in sagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens.* 14 Facies et operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: et super hoc rursus aliud operimentum de ianthinis pellibus.† 15 Facies et tabulas stantes tabernaculi de lignis setim,‡ 16 quæ singulæ denos cubitos in lon-

††26.9 *Sextum sagum in fronte.* Mystice vero in fronte tecti sextum sagum duplicatur, cum omnes, qui sanctam intrant Ecclesiam, ita fide et sacramento Dominicæ passionis initiantur, ut hujus quoque imitatione semper sibi vivendum esse intelligant. Quasi enim in ingressu sextum sagum duplicatur, ut Dominicæ passionis sacramenta consequamur et exemplis instruamur. De sacramentis ait Petrus: *Qui regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* Dicit et de imitatione passionis: *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.*

‡‡26.10 *Facies et quinquaginta ansas in ora sagi unius.* BEDA, ibid. Ut hæc supra in cortinis exposuimus, etc., usque ad tanto auxilium proximi, quo confortetur, inquirat.

¶¶26.11 *Æneas quibus jungantur ansæ, ut unum ex omnibus operimentum,* etc. ID. Bene autem fibulæ sunt æneæ, de vocali, scilicet metallo factæ, quia magnam vocem habet apud Deum humilis conscientia justorum. Unde pauper Davidicus, cum anxiatu esset et non in auribus hominum, sed in conspectu Dei orationem suam effunderet: *Domine,* inquit *exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.*

§§26.12 *Quod autem superfuerit,* etc. ID., ibid. Hæc ut plenius intelligantur, etc., usque ad decem rursus descensionis juxta orientalis parietis tabulas.

*26.13 *Et cubitus.* Quia cortinas uno cubito transibant saga ab australi latere domus, altero a septentrionali, ideoque ad terram perveniebant, quia hæc triginta cubitos longitudinis, illæ duos minus habebant.

†26.14 *Facies et operimentum.* STRAB. Primum erat operimentum cortinarum ex bysso, purpura et cocco; secundum sagorum undecim; tertium ex rubricatis pellibus arietum; postremum erat hyacinthinarum pellium. Cortinæ autem ita operiebant, ut ad latera descenderent, ad terram tamen non pertingerent; saga autem tectum et latera operiebant, et ad terram pertingebant. Pelles vero rubricatæ vel ianthinæ, tectum tantum operiebant, nec ad altera declinabant. *De pellibus,* etc. BED., ibid., cap. 4. Arietes sunt doctores, gregis Domini ducem. Unde: *Afferte Domino, filii Dei, afferte,* etc. Quasi, o angeli, huic officio mancipati, afferte Domino in caelos imitatores apostolorum. Hinc quoque sexta mansio populi de Ægypto egressi helin, id est arietes, nominatur, in qua erant duodecim fontes et septuaginta palmæ, ut scilicet nomine et specie figuram apostolorum teneret. *Rubricatis.* ID., ibid. Rubricantur pelles arietum ad operiendum tectum tabernaculi, etc., usque ad ne inter pressuras deficiant, muniunt *De ianthinis pellibus.* ID., ibid. Hyacinthus cœlestis est coloris, etc., usque ad id est cœli vitam imitantes.

‡26.15 *De lignis setim.* ID., ibid. Hæc tabulæ apostolos et successores, per quorum sermonem Ecclesia dilatata est, significant, etc., usque ad nec translatus est nomen Hebræum, quia vix apud alios invenitur hoc lignum.

gitudine habeant, et in latitudine singulos ac semissem.^{¶ 17} In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur: atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur.^{§ 18} Quarum viginti erunt in latere meridiano quod vergit ad austrum.^{** 19} Quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur.^{†† 20} In latere quoque secundo tabernaculi quod vergit ad aquilonem, viginti tabulæ erunt,^{** 21} quadraginta habentes bases ar-

[¶]26.16 *Singulæ denos cubitos habent in longitudine, in latitudine cubitum ac semissem.* BEDA, ibid. Longitudo tabularum altitudo est quæ decem cubitos habebat, etc., *usque ad: et ostendam illi salutare meum* Psal. 90..

[§]26.17 *In lateribus.* ID., ibid. Incastratur in lateribus tabularum, etc., usque ad sinu amoris suscipimus, et nos ab illis suscipi credimus.

^{**}26.18 *Quarum viginti erunt in latere meridiano.* ID., ubi supra, cap. 6. Quanta fuerit longitudo tabernaculi, etc., usque ad ne quis sibi virtutes sine opere putet sufficere.

^{††}26.19 *Quibus quadraginta bases argenteas,* etc. ID., ibid. Bases, quibus tabulæ sustentabantur, verba sunt et libri legis et prophetarum, quibus Apostoli et evangelistæ, quæ scribere et prædicare volebant, vera esse et divina probabant. Unde: *Tunc adimpletum est quod dictum est per prophetas.* Et alibi: *Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturæ prophetarum* Matth. 21.. Et Petrus ait: *Habemus firmiorem propheticum sermonem* II Petr. 1.. BED., GREG. Per tabularum bases argenteas ordo prophetarum significatur: qui dum primi de Domini incarnatione locuti sunt, quasi bases a fundamento surrexerunt, et superpositæ fabricæ pondera sustinuerunt, et tabulas, id est apostolicam prædicationem in mundo dilatatam, quasi firmi et fusiles sustinent: quia apostolorum vita prædicatione eorum instruitur, et auctoritate solidatur. Unde bases binæ conjunctæ singulis tabulis supponuntur: quia dum prophetæ in verbis suis de Christi incarnatione concordant, sequentes prædicatores ædificant, ut quo a semetipsis non discrepant, illos robustius figant. Ex argento fundi jubentur. Argenti enim claritas ex usu servatur, sine usu in nigredinem vertitur; prophetarum vero dicta ante Christi adventum in usu spiritualis intelligentiæ non erant, dum conspici per obscuritatem non poterant, et ideo quasi nigra permanebant: sed postquam Christus veniens ea ante oculos nostros incarnationis manu tersit, quidquid lucis in eis latebat claruit, sensusque patrum præcedentium in usum dedit, quia verba rebus exposuit. BEDA. Bene singulis tabulis binæ bases supponuntur, ut consensus propheticæ attestationis, in omnibus quæ Apostoli dixere, monstretur. Vel binæ per duos angulos subjiciuntur, ut bene suffultis angulis tota recte possit consistere tabula, quia omnis apostolici et evangelici sermonis in prophetis libris initium præsignatur, et finis omnis apostolorum et successorum vita ab initio fidei usque ad finem vitæ præsentis mysticis veteris testamenti inserta est tabulis.

^{**}26.20 *In latere quoque secundo.* Latus meridianum, quod vergit ad austrum, antiquam Dei plebem significat, quæ dudum lucem scientiæ legis accipiens, amore Dei fervebat. Latus secundum quod vergit ad Aquilonem, gentes significat, quæ usque ad tempus incarnationis tenebris et frigore infidelitatis torpebant, de quarum vocatione dicitur: *Dicam Aquiloni, Da: et Austro, Noli prohibere* Isa. 43.. Quasi, dicam populo gentium diu sine fide argenti: De filiis tuis veniant ad fidem meæ confessionis et amoris. Quin et plebi Israëliticæ quæ jam meæ cognitionis lumine fruitur: Noli prohibere gentes in sortem electionis recipi. *Viginti tabulæ.* BEDA. Unius autem numeri, et mensurarum, et facturæ, tabula utrumque latus habuit: quia una et eadem fides, spes et charitas, utriusque populo per apostolos prædicatur, et ad terram uterque regni cœlestis promissam vocatur. De utroque generale præceptum accipiunt: *Euntes in mundum universum prædicare Evangelium omni creaturæ* Marc. 16., id est præputio et circumcisioni. Et absque ulla differentia subinfertur: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.*

gentes, binæ bases singulis tabulis supponentur.^{¶¶} 22 Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies sex tabulas,^{§§} 23 et rursum alias duas quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi.* 24 Eruntque conjunctæ a deorsum usque sursum, et una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ sunt, similis junctura servabitur.[†] 25 Et erunt simul tabulæ octo, bases earum argenteæ sedecim, duabus basibus per unam tabulam supputatis. 26 Facies et vectes de lignis setim quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi, 27 et quinque alios in altero, et ejusdem numeri ad occidentalem plagam: 28 qui mittentur per medias tabulas a summo usque ad summum. 29 Ipsas quoque tabulas deaurabis, et fundes in eis annulos aureos per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis.[‡] 30 Et eriges tabernaculum juxta exemplar quod tibi in monte monstratum est.[¶] 31 Facies et velum de hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere

^{¶¶}26.21 *Binæ bases.* Basis est fundamentum a Græco, id est fundo. Per bases prophetæ significantur, quorum auctoritati apostoli et omnes doctores innituntur. Binæ autem dicuntur propter concordiam prophetarum, qui omnes unum senserunt. ^{§§}26.22 *Ad occidentalem,* etc. BEDA, ibid. Occidentalis plaga, etc., usque ad usque ad finem sæculi sunt in Ecclesia permansuri. *Ad occidentalem vero plagam,* etc. ID., ibid. Bene in occidentali plaga tabernaculum consummatur, etc., usque ad sed etiam pro malis a quibus liberavit. ID. Bene plaga occidentalis, quæ mare respicere dicta est, sex tabulis constat: quia in senario boni operis consummatio notatur: quia in illo mundi ornatum Dominus consummavit; in illo hominem in principio creavit; in illo genus humanum sua passione restauravit. Vel quia sunt sex ætates sæculi, quibus oportet nos bonis operibus perfici, ut ad æternam et resurrectionis gloriam perveniamus.

^{*}26.23 *Et rursum alias duas.* ID. Quia rursum aliæ duæ tabulæ, exceptis sex primis, in angulum jubentur erigi post tergum tabernaculi, quæ venientem ab orientali plaga parietem excipiunt, et occidentalis plagæ parieti conjunguntur, ad remunerationem futuræ vitæ pertinet, quæ post labores et tempora unius vitæ secunda vel securata est, divisa in sabbatismum, id est, requiem animarum post absolutionem corporum, et gloriam resurrectionis utriusque populo communis nullo fine terminandam.

[†]26.24 *Eruntque sibi conjunctæ.* ID., ibid. Quia omnis electorum vita una fide et charitate ad cœlestia tendit, et in unum finem visionis divinæ pervenit, et in una voce recti dogmatis omnis sanctorum prædicatorum sermo convenit. Recederet enim ab invicem compago tabularum si quod unus propheta aut Apostolus dixisset, alius negaret *Duabus quoque tabulis,* etc. BEDA, ibid. Angulares tabulæ tabulis parietum per omnia sunt conjunctæ, etc., usque ad prophetæ consona voce futura esse prædixerunt. ID., ibid. Hic non dicitur mensura basium, etc., usque ad sed immobile secunda quiete servaretur. *Facies et vectes de lignis,* etc. ID., ibid., cap. 7. Quinque vectes qui tabulas tabernaculi continent, etc., usque ad nec alia quam legis mandata subdidit.

[‡]26.29 *Ipsas quoque tabulas deaurabis* ID., ibid. Tabulæ deauratæ tabernaculi præfulgent, etc., usque ad sed etiam supernæ retributionis lucem legunt. *Quos operies laminis.* ID., ibid. Laminis aureis vectes operiuntur, etc., usque ad cum spiritualis intelligentia mysteriis plena ostenditur.

[¶]26.30 *Eriges tabernaculum.* ID., ibid. Exemplum tabernaculi, etc., usque ad opus animumque componunt.

plumario et pulchra varietate contextum:^{§ 32} quod appendes ante quatuor columnas de lignis setim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, et habebunt capita aurea, sed bases argenteas.^{** 33} Insetur autem velum per circulos, intra quod pones arcam testimonii, quo et sanctuarium, et sanctuarii sanctuaria dividuntur.^{†† 34} Pones et propitiatorium super arcam testimonii in Sancto sanctorum,³⁵ mensamque extra velum, et contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte aquilonis.^{‡‡ 36} Facies et tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumarii.^{¶¶ 37} Et quinque columnas deaurabis lignorum setim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea, et bases æneæ.^{§§}

27 Facies et altare de lignis setim, quod habebit quinque cubitus in longitudine, et totidem in latitudine, id est, quadrum, et tres cubitos in altitudine.*² Cor-

§26.31 *Facies et velum.* ID., ibid., cap. 8. Etiam juxta litteram pulchritudini cœlestis visionis hoc congruit. Si enim decorem flammæ astrorum, multifariam nubium speciem et ipsam irim consideras, mille trahentem et varios averso sole colores, multo plures et pulchriores quam in velo tabernaculi in cœlo picturas notabis. *Facies et velum,* etc. ID., ibid. Velum hoc, usque ad ut appareat vultui Dei pro nobis. *Facies et velum de hyacintho et purpura coccoque bis tincto.* ID., ibid. Hactenus de pariete meridiano, etc., usque ad averso sole colores.

**26.32 *Quod appendes ante quatuor,* etc. ID., ibid. Quatuor autem columnæ, etc., usque ad hoc ibi non erit ubi nihil omnino mali. *Quæ ipsæ quidem deauratæ.* ID., ibid. Deauratæ sunt columnæ ante quas appenditur velum, quia positæ intra velum cœli virtutes angelorum summæ claritatis gratia vestitæ sunt. Capita habent aurea, quia mentem, qua reguntur, præsentia divinæ cognitionis et visionis habent illustratam. ID., ibid. Habent columnæ bases argenteas, etc., usque ad argento verborum nitor ostenditur. GREG., Moral. lib. 28, cap. 6. Quatuor columnarum bases jubet esse argenteas, etc., usque ad evangelistarum dicta ore et opere portant.

††26.33 *Insetur autem velum,* etc. BED., ubi supra. Quia in æterno consilio Divinitatis erat, etc., *usque ad: in die judicii. Intra quod pones arcam testimonii,* etc. Intra hoc velum posita est arca testamenti, quia Christus paternorum arcanorum conscius, post passionem et resurrectionem cœlos cœlorum ascendens, sedet ad dexteram Patris. *Dividuntur.* Quia Ecclesia, quæ ex angelis et hominibus constat, partim peregrinatur in infimis, partim regnat in supernis, adhuc cives suos, dirimente velo cœli, habet ab invicem segregatos.

‡‡26.35 *Mensamque extra velum,* etc. ID. ibid. Mensa et candelabrum tabernaculi temporalia Dei beneficia significant, etc., usque ad testimonium perhibens ei.

¶¶26.36 *Facies et tentorium,* etc. ID., ibid., cap. 9. Exposita narratione de velo, etc., usque ad quia continentia carnis et animi gaudebat. ID. Erat ad litteram tabernaculum domus Deo consecrata, etc., usque ad latitudinis quinquaginta.

§§26.37 *Et quinque columnas.* ID., ibid. Columnæ quibus tentorium suspenditur, etc., usque ad nondum patefacta evangelica Scriptura. *Lignorum setim.* ID., ibid. Columnæ de lignis, etc., *usque ad: sed Jesum Christum. Quarum erunt capita aurea,* etc., ID., ibid. Aurea capita Christum significant, etc., usque ad electorum animabus corruptione carentibus ædificatur.

*27.1 *Facies et altare de lignis.* BED., de Tabernac., lib. 2, cap. 11, tom. 2. Scilicet quia munda et incorrupta decet esse corda in quibus Spiritus sanctus habitat. *Et tres cubitos.* ID., ibid. Tanta fere est statura hominis, etc., usque ad ad altare non pertinet.

nua autem per quatuor angulos ex ipso erunt: et operies illud ære.^{† 3} Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, et forcipes atque fuscinulas, et ignium receptacula; omnia vasa ex ære fabricabis.^{‡ 4} Craticulamque in modum retis æneam: per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei.^{¶ 5} Quos pones subter arulam altaris: eritque craticula usque ad altaris medium.^{§ 6} Facies et vectes altaris de lignis setim duos, quos operies laminis æneis:^{** 7} et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum.⁸ Non solidum, sed inane et cavum intrinsecus facies illud, sicut tibi in monte monstratum est.^{†† 9} Facies et atrium tabernaculi, in cujus australi plaga contra meridiem erunt tentoria de bysso retorta: centum cubitos unum latus tenebit in longitudine.^{‡‡ 10} Et columnas viginti cum basibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea.^{¶¶ 11} Similiter et in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, et bases æneæ ejusdem numeri, et capita earum cum cælaturis suis argentea.^{§§ 12} In

[†]27.2 *Cornua autem*, etc. ID., Ibid. Quatuor angulos habet altare holocausti, etc., usque ad inviolabilis, imo fortior, persistit.

[‡]27.3 *Faciesque in usus ejus lebetes*. ID., ibid. Vasa altaris diversa, etc., usque ad charitas nunquam exstinguenda flagrabit. *Forcipes atque*. ID., Ibid. Forcipes sunt prædicatores, etc., usque ad et lucere præcipiunt. *Atque fuscinulas, et ignium*, etc. ID., ibid. Fuscinulæ, quæ Græce vocantur, etc., usque ad nostræ vero capacitatis mensuram transcendunt. *Ignium receptacula*. Ad hoc deputata sunt, ut per hæc ignis sanctus ab altari holocausti ad altare thymiamatis vespere et mane, ad incensum ponendum, deferretur; quia doctores tanquam ignem de altari holocaustorum ad altare thymiamatis deferunt, cum auditores de virtute in virtutem provehunt docendo, et meritis crescentibus, ad altiora et divinæ visionis arcana interiora. Qui etiam ferventia pietate corda proximorum imitantur, receptacula ignium fiunt, quia flammam cœlestis sacrificii, quam in fraternis mentibus conspiciunt, in suis accendere satagunt.

[¶]27.4 *Craticulumque in modum*, etc. BED., ubi supra, cap. 18. Altare totum concavum fieri præceptum est, etc., usque ad a Judæorum doctoribus didicisse putamus.

[§]27.5 *Subter arulam*, etc. ID., ibid. Habet altare arulam, etc., usque ad et ad finem perfectionis perducantur. ID. Si quem movet juxta litteram, etc., usque ad tanto mundius inveniatur.

^{**}27.6 *Facies et vectes*. Doctores scilicet qui Judæam et Gentilitatem in unam fidei gratiam consono ore et opere vocent. Vel ex utroque latere altaris ad portandum erunt vectes, cum prædicatores mentes fidelium in prosperis et in adversis constantiam virtutum tenere docebunt.

^{††}27.8 *Sicut tibi in monte*. BEDA, ibid. Omnia quæ nobis mystice, etc., usque ad semper agere jubemur.

^{‡‡}27.9 *Facies et atrium*. ID., ubi supra, cap. 13. Sicut Sancta sanctorum, etc., usque ad sed ejus memoria ab intimo corde eradicatur. *Centum cubitos*. ID., ibid. Constat centenarium, etc., usque ad et continentia temporalis assumant.

^{¶¶}27.10 *Et columnas viginti*. ID., ibid. Columnæ quibus tentoria suspenduntur, etc., usque ad quia non aliud quam verbum Dei sonant. *Cum basibus*, etc. ID., ibid. Basibus columnarum, etc., usque ad nunquam fructu mercedis carebunt. *Argentea*. ID. Capita non argentata, sed tota argentea: quia doctores totos se divinæ Scripturæ subjiciunt, verba divina meditando et prædicando mancipant animam et corpus. Sicut enim membra sine capite vivere nequeunt, sic illi eloquia divina vitam suam existimantes hæc nunquam obediendo portare, et se humiliando exaltare desistunt.

^{§§}27.11 *Similiter et in latere*. ID., ibid. Eadem de latere Aquilonis repetuntur, etc., usque ad in uno tabernaculi latere fieri præcipiuntur.

latitudine vero atrii, quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, et columnæ decem, basesque totidem.*¹³ In ea quoque atrii latitudine, quæ respicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt.[†]¹⁴ In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnæque tres et bases totidem:[‡]¹⁵ et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, et bases totidem.[¶]¹⁶ In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumarii: columnas habebit quatuor, cum basibus totidem.^{¶¶}¹⁷ Omnes columnæ atrii per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, et basibus æneis.[§]¹⁸ In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit: fietque de bysso retorta, et habebit bases æneas.^{**}¹⁹ Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus et cæremonias, tam paxillos ejus quam atrii, ex ære facies.^{††}²⁰ Præcipe filiis Israël ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum, ut ardeat lucerna semper:^{‡‡}²¹ in tabernaculo testimonii, extra velum quod oppansum est testimonio. Et collocabunt eam Aaron et filii ejus, ut usque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum a filiis Israël.^{¶¶¶}

*27.12 *In latitudine vero*, etc. ID., ibid. Latitudo atrii quod respicit ad occasum solis, usque ad decem columnæ sublevantes extollunt.

†27.13 *In ea quoque atrii*. ID., ibid. Latitudo atrii orientem respiciens, etc., *usque ad: et vitam futuri sæculi. Quinquaginta cubiti erunt*. ID. Quinquaginta cubitis plagæ orientalis generaliter initia credentium signantur, quia in remissione peccatorum, et spe futuræ beatitudinis celebrantur, quorum specialis distinctio subinfertur, quæ ad eundem finem bene considerata refertur. Sequitur enim.

‡27.14 *In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur columnæque tres*, etc. ID., ibid. Quindecim namque, etc., usque ad et corpus sine querela in diem Domini custodire.

¶27.16 *Columnasque habebit*, etc. ID., ibid. In introitu atrii quatuor sunt columnæ, etc., usque ad omnes corporis sensus in obedientia charitatis expendunt. *Ex hyacintho*, etc. ID., ibid. Recte in hoc introitu atrii tentorium, etc., usque ad tentorium decorant pulchra colorum varietate contextum.

§27.17 *Omnes columnæ*, etc. ID. Quæ dixerat, diligentius inculcat, ut sedulo lectorem admoneat, neminem inter doctores veritatis, columnas scilicet atrii cœlestis, posse computari, qui non instar æris invincibilem inter adversa patientiam habere didicerit, nisi sese cœlestium observantia et annuntiatione verborum, velut argenti laminis undique muniendo exornaverit, nisi se omni subjectione præceptis divinis, quasi argenteo capiti, supposuerit, et timore Dei velut ænea basi stabilierit.

**27.18 *In longitudine*, etc. ID. Centum cubitos longitudinis, etc., usque ad fietque de bysso retorta, etc.

††27.19 *Cuncta vasa*, etc. ID., ibid. Hæc vasa homines sunt in Ecclesia, etc., *usque ad atria Domini*.

‡‡27.20 *Præcipe filiis Israël*. ID., lib. III de Tabern., cap. 1, tom. 2. Disposito omni ornatu tabernaculi, etc., usque ad lumen bonæ actionis ostendat. *De arboribus olivarum*. ID., ibid. Notandum quod filii Israël jubentur offerre oleum, etc., usque ad ad incendenda thymiamata orationum.

¶¶27.21 *Et collocabunt*. ID., ibid. Non est enim omnium sacramenta fidei populo prædicare, etc., usque ad qualibus Jacobus dicit. *Nolite plures magistri fieri, fratres mei*, etc. Jac. 3.. *Perpetuus erit*, etc. ID., ibid. Hæc clausula, sicut quæ tabernaculo, etc., usque ad cum sit Deus omnia in omnibus.

28 Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israël, ut sacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, et Abiu, Eleazar, et Ithamar.^{§§} ² Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem. ^{*} ³ Et loqueris cunctis sapientibus corde quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi. ⁴ Hæc autem erunt vestimenta quæ faciet: rationale et superhumerales, tunicam et lineam strictam, cidarim et balteum. Facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron et filiis ejus, ut sacerdotio fungantur mihi. [†] ⁵ Accipientque aurum, et hyacinthum, et purpuram, coccoque bis tinctum, et byssum. ⁶ Facient autem superhumerales de auro et hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere polymito.[‡] ⁷ Duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant.[¶] ⁸ Ipsa quoque textura et cuncta operis varietas erit ex auro et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta.[§] ⁹ Sumesque duos lapides onychinos, et sculpes in eis nomina filiorum Israël:^{**} ¹⁰ sex nomina in lapide uno, et sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum. ¹¹ Opere sculptoris et cælatura gemmarii, sculpes eos nominibus filiorum Israël, inclusos auro atque circumdatos:^{††} ¹² et pones in utroque latere superhumeralis, memoriale filiis Israël. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino su-

§§28.1 *Applica quoque ad te*, etc. BEDA, lib. III de Tabernac., cap. 1, tom. 2. Quomodo tabernaculum, etc., usque ad et cunctos Ecclesiæ magistros. ID. *Applica quoque*, etc. Descripta factura tabernaculi, etc., usque ad igne supernæ ultionis absumuntur.

*28.2 *Faciesque vestem sanctam*. ID., ibid. Vestes sanctæ Aaron, etc., usque ad et Dei verbi dispensatorem.

†28.4 *Hæc autem*. ID., ibid. Quomodo hæc singula facta sint, etc., usque ad præclara et interni arbitri conspectui oportet esse gloriosa. GREG. Past., lib. 2, cap. 3, tom. 3. Jubetur sacerdos in utroque humero, etc., usque ad quasi in diversa superhumeralis specie byssus torta candescit.

‡28.6 *Facient autem superhumerales*. BED., lib. III de Tabernac., cap. 4. Quia in humeris onera portamus, etc., usque ad cum per abstinentiam caro fatigatur. *Coccoque bis tincto et bysso retorta, opere polymito*. ID., ibid. Coccus ignis specie refulget, etc., usque ad in suo habitu coccum demonstrans.

¶28.7 *Duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant*. ID., ibid. De hoc in sequentibus dicitur, etc., usque ad quam vitæ invisibilis præmia requirimus.

§28.8 *Ipsa quoque textura et cuncta operis varietas erit ex auro et hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta. Sumesque*. ID., ibid. Non in una parte aurum, etc., usque ad sacerdos debet esse nitidus.

**28.9 *Duos lapides*, etc. Ut sacerdos fidem et vitam patriarcharum imitetur et duodecim tribuum in sacrificiis et orationibus memor sit et populus intuens non aberret a patriarcharum meritis.

††28.11 *Inclusos auro*, etc. BED., ibid. Apte lapides includi auro atque circumdari jubentur, etc., usque ad custodia mentis valeant prolabi.

per utrumque humerum, ob recordationem.†† 13 Facies et uncinos ex auro,¶¶ 14 et duas catenulas ex auro purissimo sibi invicem cohærentes, quas inseres uncinis. 15 Rationale quoque iudicii facies opere polymito juxta texturam superhumeralis, ex auro, hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta. §§ 16 Quadrangulum erit et duplex: mensuram palmi habebit tam in longitudine quam in latitudine.* 17 Ponesque in eo quatuor ordines lapidum: in primo versu erit lapis sardius, et topazius, et smaragdus:† 18 in secundo carbunculus, sapphirus, et jaspis: 19 in tertio ligurius, achates, et amethystus:‡ 20 in quarto chrysolithus, onychinus, et beryllus. Inclusi auro erunt per ordines suos. 21 Habebuntque nomina filiorum Israël: duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus. 22 Facies in rationali catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo,¶¶ 23 et duos annulos aureos, quos pones in utraque rationalis summitate: 24 catenasque aureas junges annulis, qui sunt in marginibus ejus, 25 et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis quod rationale respicit. 26 Facies et duos annulos aureos, quos pones in summitatibus rationalis, in oris, quæ e regione sunt superhumeralis, et posteriora ejus aspiciunt. 27 Necnon et alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem juncturæ inferioris, ut aptari possit cum superhumerali, 28 et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, ut maneat junctura fabrefacta, et a se invicem rationale et superhumera-

††28.12 *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum ob recordationem.* Quia sacerdos diligenter omni hora præcedentium sanctorum vitam perpendens in adversis et prosperis virtutum ornamento debet muniri, ut per arma justitiæ a dextris et a sinistris gradens in nullo delectationis infimæ latere flectatur. BED. *ibid.* Tribus causis Aaron nomina, etc., usque ad sive patrum exemplum quæ sequantur proponat.

¶¶28.13 *Facies et uncinos ex auro, et duas catenulas auri purissimi sibi invicem cohærentes quas inseres uncinis.* ID., *ibid.* Uncini isti in supremis erant angulis, etc., usque ad per charitatem et bonam intentionem sunt nectenda. GREG., *Past.*, part. 2, cap. 2, tom. 3. Præcipitur ut in pectore Aaron rationale iudicii vittis ligantibus imprimatur, etc., usque ad non sine magno timore regantur subjecti.

§§28.15 *Rationale quoque iudicii facies opere,* etc. BED., ubi supra, cap. 5. Sicut in superhumerali operum perfectio, etc., usque ad congruant studiose cogitare.

*28.16 *Duplex.* ID., *ibid.* Factum est rationale, etc., usque ad ut comprehendat bravium supernæ vocationis Dei.

†28.17 *Ponesque in eo.* ID., *ibid.* Hæc positio diversarum gemmarum in rationali, etc., usque ad ut et illi membra summi sacerdotis mereantur effici. ID. Possumus in vario decore lapidum, etc., usque ad nihil illi prodest.

‡28.19 *Onychinus.* ID. Recte autem duo lapides onychini, etc., usque ad ipse ad meliora proficiat.

¶¶28.22 *Facies in rationali,* etc. ID. Ordo operis, etc., usque ad et a se invicem moverentur. ID., *ibid.* Superhumerales consummationem bonorum operum, etc., usque ad si non eum accelerans bonæ actionis uncinis contineat. ID. Quod superhumerales strictum erat balteo, etc., usque ad per virtutum operationem.

nequeant separari.[§] ²⁹ Portabitque Aaron nomina filiorum Israël in rationali iudicii super pectus suum, quando ingreditur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum.^{**} ³⁰ Pones autem in rationali iudicii Doctrinam et Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingreditur coram Domino: et gestabit iudicium filiorum Israël in pectore suo, in conspectu Domini semper.^{††} ³¹ Facies et tunicam superhumeralis totam hyacinthinam,^{‡‡} ³² in cuius medio supra erit capitium, et ora per gyrum

§28.28 *Vitta hyacinthina*, etc. ID., ibid. Vittæ hyacinthinæ quibus uterque sacerdotis habitus copulatur, ligaturæ sunt desiderii cœlestis, quæ annulis aureis innexæ superhumerali cum rationali stringunt, cum agnita luce perennis patriæ in illam gloriam suspiramus, et ut intrare mereamur concordia fide, et vita, et opere, et professione, in tabernaculo præsentis ecclesiæ servire studemus.

**28.29 *Portabitque Aaron nomina filiorum Israël in rationali iudicii super*, etc. Nomina filiorum Israël Aaron super pectus memoriale coram Domino portat in æternum, quando præsul nunquam subditorum curam intermittit, sed vitam eorum consolando, increpando, exhortando, confortat, et tutandam Domino crebris orationibus satagit commendare. GREG., lib. XXVIII Moral., cap. 9. Sacerdos quando tabernaculum ingreditur, duodecim lapides in pectore portare iubetur sculptos nominibus filiorum Israël: hic est redemptor noster, qui semetipsum pro nobis sacrificium offerens, dum fortes in exordio prædicatores habuit, duodecim lapides sub capite in prima sui corporis parte portavit. Oportet sacerdotem memoriam patrum ferre in pectore, maxime cum ministrat altari, ut in quo sacratius est ministerium, solertius se toto studio, tota industria mentis, exornet, et corporis, exempla sanctorum respiciens, ut eorum sedulus imitator aptum se divinis præsentet aspectibus.

††28.30 *Pones autem in rationali iudicii*, etc. BED., ubi supra. Ut scilicet meminerit sacerdos, etc., usque ad in eo quod divina vice dispensat. *Pones autem in rationali*, etc. AUG., Quæst. 117 in Exod. In quali re vel metallo ponatur demonstratio et veritas super rationale, etc., usque ad impositam super.

‡‡28.31 *Facies et tunicam*, etc. BED., ubi supra. Tunica talari tota hyacinthina vestitur sacerdos, etc., usque ad recte additur:

ejus textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facile rumpatur.^{¶¶ 33} Deorsum vero, ad pedes ejusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica facies, ex hyacintho, et purpura, et cocco bis tincto, mistis in medio tintinnabulis,^{§§ 34} ita ut tintinnabulum sit aureum et malum punicum: rursumque tintinnabulum aliud aureum et malum punicum.³⁵ Et vestiatur ea Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonitus quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur.*³⁶ Facies et laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino.^{† 37} Ligabisque eam vitta hyacinthina, et erit super tiaram,^{‡ 38} imminens fronti pontificis. Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt et

^{¶¶}28.32 *In cujus medio supra erit capitium et ora per gyrum ejus textilis: sicut fieri*, etc. Capitium tunica hyacinthina firmissimum habet, et oram ex sese textam, ne facile rumpatur, cum primordium boni operis forti radice timoris Domini subnixum et contra omnes insidias antiqui hostis probatur esse munitum. Talis ora collum sacerdotis per gyrum vestit et ornat, quando rectori fiduciam prædicandi cœlestia præbet: hoc quod non solum in vitæ cursu recte vixerit, sed exordium quoque a rectitudine cœperit, sicut Samuel, Jeremias, Joannes, qui ab ipsa infantia spirituali gratia repleti, et in doctorum ordine sunt separati. Quia enim vox in collo est, per collum recte loquendi usus exprimitur, *sicut fieri solet in extremis vestium partibus*: sicut vestibus opera, ita extremis vestium partibus operum consummatio figuratur. Vel extremæ vestium partes, ultimæ sunt nostræ sollicitudines, quibus fideles, cum finire vitam coguntur, intentius ab omni labe malorum se expurgare contendunt, cum metu et pavore curantes, ne ante districtum judicem producti pro sordido vitiatorum habitu expellantur in tenebras exteriores, sed appareant induti, sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, modestiam, patientiam et charitatem, quod est vinculum perfectionis Coloss. 3.. Tunica ergo hyacinthina habet oram in capitis textilem, sicut in extremis vestium partibus solet fieri: cum doctor egregius a tanta perfectione opus virtutum inchoat, ad quantam alius longo labore vix aliquando per veniat; et cum tanto timore famulatus omni hora cum Deo suo ambulat, quantum alius vix moriturus, et ad judicium ultimum ingressurus habere sufficiat; sed quia tota perfectio sacerdotis in operibus et doctrina veritatis consistit, secundum illud: *Cœpisti Jesus facere et docere* Act. 1., recte subjungitur: *Deorsum vero ad pedes ejusdem tunicæ* Exod. 28.. *Facies et tunicam*, etc. BEDA, ut supra. Tunica superhumeralis dicitur, etc., usque ad a capite usque ad pedes gratia virtutum contacta esse debere.

^{§§}28.33 *Deorsum vero*, etc. GREG., lib. I Regist., c. 29. Cum rector se ad loquendum præparat, etc., usque ad unitatem fidei cauta observatione teneatis. BEDA, ut supra. Deorsum ad pedes tunicæ fiunt, etc., usque ad discreto sermonis sonitu produnt. ID. Possumus in duodenario gemmarum rationalis intelligere, etc., usque ad De eodem anno et David dicit: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ* Psal. 64.. ID. Vel sicut supra dictum est, etc., usque ad in variarum splendore virtutum.

*28.35 *Ut audiatur*, etc. GREG., ubi supra. Sacerdos ingrediens vel regrediens, etc., usque ad ipsa quoque opera sacerdotis clament. BED., ubi supra. Quod si Josephi verbis intendere volumus, etc., usque ad quadrati orbis partibus prædicaretur.

†28.36 *Facies et laminam*, etc. ID., ibid., c. 7. Lamina aurea in fronte pontificis, etc., usque ad ut eamdem resurrexisse fateamur. *Sanctum Domino*, etc. ID. Quod in lamina sculpi jubetur, etc., usque ad quam reparavit sua passione. ID. Sanctum Domini auro sculptum in fronte portamus, etc., usque ad qui omnibus debent exemplum virtutis ostendere.

‡28.37 *Ligabisque eam*. Ligatur lamina, quæ sanctum Domini continet, vitta hyacinthina cum tiara pontificis, cum spe cœlestium præmiorum, quam hyacinthus significat, in fide confortamur, et eo arctius sacramenta nostræ redemptionis, vel imaginem ac similitudinem conditoris ac redemptoris nostri intemeratam servamus, quo nullum aliud esse salutis iter cognovimus. De tiara suo loco dicitur.

sanctificaverunt filii Israël, in cunctis muneribus et donariis suis. Erit autem lamina semper in fronte ejus, ut placatus sit eis Dominus.^{¶ 39} Stringesque tunicam bysso, et tiaram byssinam facies, et balteum opere plumarii.^{§ 40} Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis et balteos ac tiaras in gloriam et decorem:^{** 41} vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum et filios ejus cum eo. Et cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos, ut sacerdotio fungantur mihi.^{†† 42} Facies et feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ, a renibus usque ad femora:⁴³ et utentur eis Aaron et filii ejus quando ingredientur tabernaculum testimonii, vel quando appropinquant ad altare ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum sempernum erit Aaron, et semini ejus post eum.

29 Sed et hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento, et arietes duos immaculatos,^{‡‡ 2} panesque azymos, et crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de simila

[¶]28.38 *Portabitque Aaron.* Portat scilicet sacerdos iniquitates in muneribus et donariis quæ obtulerunt Domino, et sanctificaverunt filii Israël: cum pro fructibus dignæ poenitentiae, id est elemosynis, cæterisque operibus justitiæ, quæ faciunt poenitentes, a reatu scelerum absolvit. Hæc quidem ita gerenda institutio divina in habitu pontificis figuravit et verbis manifeste docuit. Proh dolor! autem, quidam donaria accipiunt, imo exigunt, et iniquitates populi non asportant nec castigant, cum ob hoc solum debeant sumere carnalia, quia ministrant spiritualia. Sed quia pro subditis potest efficaciter laborare, prædicare, et Domino supplicare cujus animus divini nominis memoria semper est præditus, apte subjungitur: Erit autem lamina semper in fronte ejus, etc. *Erit autem lamina*, etc. BED., ubi supra, cap. 8. Si lamina nomine Dei scripta semper fuerit in fronte Aaron, etc., usque ad promereri festinant.

[§]28.39 *Stringesque tunicam.* ID., ibid. Quare linea dicta sit stricta, etc., usque ad cum dicitur: *Et tiaram byssinam facies*, etc. BED., ibid. Qualiter hæc facta sit, etc., usque ad auditoribus asperum reddat et durum. *Et tiaram*, etc. ID., ibid. Tiara quæ cidaris et mitra vocatur, etc., usque ad timore Dei perficeret. ID. De factura baltei, etc., usque ad et cætera indumenta, cum dicitur:

^{**}28.40 *Porro filiis Aaron tunicas parabis lineas*, etc. Ibid. Dicendum est autem de balteo pontificis, etc., usque ad et fides cinctorium renium ejus. *Tunicas parabis*, etc. ID., ibid. Tunicas habent sacerdotes lineas, etc., usque ad et olfactus digne Deo custodiantur.

^{††}28.41 *Vestiesque his*, etc. ID., ibid., cap. 9. Omnibus his vestiendus erat Aaron et filii ejus, sed distincte, ut ipse quidem omnibus his uteretur; filii autem ultimis tribus, quæ eis proprie ascripta sunt, cum dicitur: *Porro filiis Aaron tunicas parabis lineas*, etc. ID. Feminalia quæ ad operiendam corporis vel carnis turpitudinem fiunt, etc., usque ad feminalibus, scilicet linea stricta, cingulo, et tiara.

^{‡‡}29.1 *Sed et hoc facies*, etc. BEDA, ubi supra. Hactenus Aaron et filiorum ejus habitus qualis esse debeat, etc., usque ad figurate demonstrant. *Tolle vitulum.* STRAB. Quisquis pontifex vel sacerdos taurum debet offerre, id est, passionem Christi firmiter credere et imitari; et duos arietes, ut credat eundem Christum ex corpore et anima constare; et panes azymos, id est, munditiam vitæ; et oleo conspersos, ut inter omnes virtutes non negligat opera misericordiæ vel, non a se, sed a dono gratiæ se credat habere.

triticea cuncta facies.[¶] ³ Et posita in canistro offeres: vitulum autem et duos arietes. ⁴ Et Aaron ac filios ejus applicabis ad ostium tabernaculi testimonii. Cumque laveris patrem cum filiis suis aqua, ⁵ indues Aaron vestimentis suis, id est, linea et tunica, et superhumerali et rationali, quod constringes balteo.^{§§} ⁶ Et pones tiaram in capite ejus, et laminam sanctam super tiaram, ⁷ et oleum unctionis fundes super caput ejus: atque hoc ritu consecrabitur. ⁸ Filios quoque illius applicabis, et indues tunicis lineis, cingesque balteo, ⁹ Aaron scilicet et liberos ejus, et impones eis mitras: eruntque sacerdotes mihi religione perpetua. Postquam initiaveris manus eorum, ^{*} ¹⁰ applicabis et vitulum coram tabernaculo testimonii. Imponentque Aaron et filii ejus manus super caput illius, [†] ¹¹ et mactabis eum in conspectu Domini, juxta ostium tabernaculi testimonii. ¹² Sumptumque de sanguine vituli, pones super cornua altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fundes juxta basim ejus. ¹³ Sumes et adipem totum qui operit intestina, et reticulum jecoris, ac duos renes, et adipem qui super eos est, et offeres incensum super altare: ¹⁴ carnes vero vituli et corium et fimum combures foris extra castra, eo quod pro peccato sit. ¹⁵ Unum quoque arietem sumes, super cujus caput ponent Aaron et filii ejus manus. ¹⁶ Quem cum mactaveris, tolles de sanguine ejus, et fundes circa altare. ¹⁷ Ipsum autem arietem secabis in frustra: lotaque intestina ejus ac pedes, pones super concisas carnes, et super caput illius. ¹⁸ Et offeres totum arietem in incensum super altare: oblatio est Domino, odor suavissimus victimæ Domini.[‡] ¹⁹ Tolles quoque arietem alterum, super cujus caput Aaron et filii ejus ponent manus. ²⁰ Quem cum immolaveris, sumes de sanguine ejus, et pones super extremum auriculæ dextræ Aaron et filiorum ejus, et super pollices manus eorum ac pedis dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum. ²¹ Cumque tuleris de sanguine qui est super altare, et de oleo unctionis, asperges Aaron et vestes ejus, filios et vestimenta eorum. Consecratisque ipsis et vestibus, ²² tolles adipem de ariete, et caudam et arvinam, quæ operit vitalia, ac reticulum jecoris, et duos renes, atque

[¶]29.2 *Et crustulam.* BEDA, ubi supra. Crustulam oleo conspersam ad consecrationem nostram Domino offerimus, cum omnia, quæ facimus, per internam Spiritus gratiam in cordis devotione pinguescunt. Lagana oleo lita, cum foris spiritualia esse, quæ agimus, indubitanter in exemplum vivendi ostendimus; quibus oblationibus consecratio nostra perficitur, dum per bona opera et cogitationes puras meritum nobis sanctimoniam, Deo donante, acquirimus. *Cumque laveris patrem*, etc. ID. Prius lavari jubentur, deinde ornari vestibus, quia quicumque sacerdotii officium assumit, unda lacrymarum se abluere debet, ut ad ministerium divinum dignus approximet. BEDA. Posset in hoc lavacro baptismi sacri intelligi, si consequeretur ut quis in sacerdotium electus, tunc primum aqua baptismatis in remissionem peccatorum ablueretur, et non contradiceret Apostolus dicens: *Non neophytum in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli* I Tim. 3..

^{§§}29.5 *Indues Aaron*, etc. ID. Notandum quod cum in Exodo Aaron octo vestibus induendus asseveretur, etc., usque ad quia venit in nomine Patris dicens: *Ego in patre et pater in me est: et qui videt me, videt et patrem* Joan. 4..

^{*}29.9 *Postquam*, etc. AUG., quæst. 25 in Exod. Alia littera, etc., usque ad sanctificari a Moysse.

[†]29.10 *Applicabis*, etc. AUG., quæst. 126. Alia littera, etc., usque ad super vitulum immolandum.

[‡]29.18 *Oblatio est Domino.* AUG. Odor suavitatis Domino, etc., usque ad odorem corporeis naribus ducit.

adipem, qui super eos est, armumque dextrum, eo quod sit aries consecrationis:^f
²³ tortamque panis unius, crustulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu Domini: ²⁴ ponesque omnia super manus Aaron et filiorum ejus, et sanctificabis eos elevans coram Domino. ²⁵ Suscipiesque universa de manibus eorum: et incendes super altare in holocaustum, odorem suavissimum in conspectu Domini, quia oblatio ejus est. ²⁶ Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud elevatum coram Domino, et cedit in partem tuam. ²⁷ Sanctificabisque et pectusculum consecratum, et armum quem de ariete separasti, ²⁸ quo initiatus est Aaron et filii ejus, cedentque in partem Aaron et filiorum ejus jure perpetuo a filiis Israël: quia primitiva sunt et initia de victimis eorum pacificis quæ offerunt Domino. ²⁹ Vestem autem sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, et consecrantur manus eorum. ³⁰ Septem diebus utetur illa qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus, et qui ingredietur tabernaculum testimonii ut ministret in sanctuario.[§] ³¹ Arietem autem consecrationis tolles, et coques carnes ejus in loco sancto: ³² quibus vescetur Aaron et filii ejus. Panes quoque, qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonii comedent, ³³ ut sit placabile sacrificium, et sanctificentur offerentium manus. Alienigena non vescetur ex eis, quia sancti sunt. ³⁴ Quod si remanserit de carnibus consecratis, sive de panibus usque mane, combures reliquias igni: non comedentur, quia sanctificata sunt. ³⁵ Omnia, quæ præcepi tibi, facies super Aaron et filiis ejus. Septem diebus consecrabis manus eorum: ³⁶ et vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum. Mundabisque altare cum immolaveris expiationis hostiam, et unges illud in sanctificationem. ³⁷ Septem diebus expiabis altare, et sanctificabis, et erit Sanctum sanctorum: omnis, qui tetigerit illud, sanctificabitur. ³⁸ Hoc est quod facies in altari: agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, ³⁹ unum agnum mane, et alterum vespere, ⁴⁰ decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, et vinum ad libandum ejusdem mensuræ in agno uno. ⁴¹ Alterum vero agnum offeres ad vesperam juxta ritum matutinæ oblationis, et juxta ea quæ diximus, in odorem suavitatis: ⁴² sacrificium est Domino, oblatione perpetua in generationes vestras, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ubi constituam ut loquar ad te. ⁴³ Ibique præcipiam filiis Israël, et sanctificabitur altare in gloria mea. ⁴⁴ Sanctificabo et tabernaculum testimonii cum altari, et Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi. ⁴⁵ Et habitabo in medio filiorum Israël, eroque eis Deus, ⁴⁶ et scient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, ut manerem inter illos, ego Dominus Deus ipsorum.

^f29.22 *Armumque dextrum.* GREG., Past., part. 2, c. 3. Sacerdos divina lege, etc., usque ad ad sublimia armo operis invitet.

[§]29.30 *Et qui ingredietur.* AUG., quæst. 129. Quomodo ergo proprium dicit hujus unius esse, etc., usque ad et utrobique servaretur quod scriptum est: *Superexaltat misericordia iudicium* Jac. 2..

30 Facies quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis setim,** ² habens cubitum longitudinis, et alterum latitudinis, id est, quadrangulum, et duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent.†† ³ Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam ejus, quam parietes per circuitum, et cornua. Faciesque ei coronam aureolam per gyrum,** ⁴ et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mitantur in eos vectes, et altare portetur.¶¶ ⁵ Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, et inaurabis. ⁶ Ponesque altare contra velum, quod ante arcum pendet testimonii coram propitiatorio quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi. ⁷ Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane. Quando componet lucernas, incendet illud:§§ ⁸ et quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras. ⁹ Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem, et victimam, nec libabitis libamina.* ¹⁰ Et deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato, et placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit Domino.† ¹¹ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:‡ ¹² Quando tuleris summam filiorum Israël juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, et non erit plaga in

**30.1 *Facies quoque altare*, etc. BEDA, ubi supra, cap. 11. Expletis mandatis consecrationis, etc., usque ad etiam in corpore appropinquant. *Altare*. ID., ibid. Apte etiam altare thymiamatis quantum metalli fulgore præcellat, tanto quantitate minus erat: quanto enim sanctiores, tanto pauciores. *De lignis setim*. ID., ibid. Apte de lignis setim albæ spinæ similibus et incorruptibilibus, etc., usque ad varia donationum gratia vivificat.

††30.2 *Habens cubitum*. ID., ibid. Unius cubiti est longitudo altaris et latitudo, etc., usque ad officium pietatis impendat. *Quadrangulum*. ID., ibid. Recte altare thymiamatis, etc., usque ad lætitia sempiterna erit eis. *Cornua*. ID., ibid. Cornua eminentiam fidei et virtutis significant, etc., usque ad speciem pietatis habentes, virtutem ejus negat.

‡‡30.3 *Vestiesque illud*, etc. ID., ibid. Apte vero illud ære, etc., usque ad quanta dulcedine Dei in abscondito vultus reficiantur. *Tam craticulam*, etc. ID., ibid. Bene craticula altaris, etc., usque ad recte subditur: *Facies quoque ei coronam*, etc. ID., ibid. Altare incensi coronam habet per gyrum: in his qui minores sunt meritis, nec palam protestari audent boni certaminis et servitutis et fidei sibi repositam esse mercedem: cuncta tamen agunt intentione bene placendi Deo, sed spe percipiendæ mercedis.

¶¶30.4 *Et duos annulos*, etc. ID., ibid. Possunt in his annulis quatuor Evangelii libri accipi, etc., usque ad sequentia demonstrant: *Ponesque altare*, etc.

§§30.7 *Et adolebit incensum*, etc. ID., ibid., cap. 12. Incensum vel thymiama, etc., usque ad gratias reddamus. ID. *Et adolebit incensum*, etc. Mane orto sole clare omnia, etc., usque ad in caliginoso loco. *Mane quando componet*. ID., ibid. Mane Aaron incensum, etc., usque ad et precibus vacare delectantur.

*30.9 *Non offeretis*. ID., ibid. In sequentibus, etc., usque ad stratum suum per singulas noctes irrigant. ID. Possumus hæc altaria interpretari, etc., *uque ad* potest accipi.

†30.10 *Et deprecabitur*, etc. ID., ibid. Quia Christus sacerdos noster, etc., usque ad recte subjungit: *Et placabit*, etc. ID. Placat Aaron super altare incensi, etc., usque ad Isaac et Israël, etc.

‡30.11 *Locutusque*, etc. Descripto altari incensi, restat descriptio labii ænei, in quo lavarent manus et pedes ingressuri tabernaculum sacerdotes, sed unum mandatum præmittitur.

eis, cum fuerint recensiti.^{¶ 13} Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli juxta mensuram templi (siclus viginti obolos habet); media pars sicli offerretur Domino.^{§ 14} Qui habetur in numero, a viginti annis et supra, dabit pretium.^{**}
¹⁵ Dives non addet ad medium sicli, et pauper nihil minuet.^{†† 16} Susceptamque pecuniam, quæ collata est a filiis Israël, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monumentum eorum coram Domino, et propitietur animabus eorum.^{** 17} Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:^{¶ 18} Facies et labrum æneum cum basi sua ad lavandum: ponisque illud inter tabernaculum testimonii et altare. Et missa aqua,^{§§ 19} lavabunt in ea Aaron et filii ejus manus suas ac pedes,²⁰ quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiana Domino,²¹ ne forte moriantur; legitimum sempiternum erit ipsi, et semini ejus per successiones.^{*} ²² Locutusque est Dominus ad Moysen,²³ dicens: Sume tibi aromata, primæ myrrhæ et electæ quingentos siclos, et cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta,^{† 24} casiæ autem quingentos siclos, in pondere sanctuarii, olei de olivetis mensuram hin:²⁵ faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii,²⁶ et unges ex eo tabernaculum testimonii, et arcam testamenti,²⁷ mensamque cum vasis suis, et candelabrum, et utensilia ejus, altaria thymiamatis,²⁸ et holocausti, et universam supel-

[¶]30.12 *Quando tuleris.* BEDA, ubi supra, cap. 13. Hujus præcepti oblitus est David, etc., usque ad propriæ divitiæ suæ.

[§]30.13 *Dimidium sicli.* ID., ibid. Id est decem obolos, etc., usque ad nulla potest infidelium perturbatione corrumpi.

^{**}30.14 *Qui habetur in numero,* etc. ID., ibid. Vicenarius, etc., usque ad exspectat in cælis.

^{††}30.15 *Dives non addet,* etc. ID., ibid. Quia sive magnus est quis meritis et perfectus, seu parvus, et in propectu virtutum positus, cunctis æque lex decalogi, qua Deum et proximum diligant, imponitur

^{**}30.16 *Susceptamque pecuniam,* etc. ID., ibid. Hoc fit cum quidquid agimus boni, etc., usque ad plaga districtæ ultionis ferietur.

[¶]30.17 *Locutusque est Dominus,* etc. ID., ibid., cap. 14. Potest in hoc labio vel labro, etc., usque ad quæ excubabant ad ingressum tabernaculi.

^{§§}30.18 *Cum basi sua.* ID., ibid. Basis in qua labrum erat positum, etc., *usque ad:* ut exhibeatis corpora vestra, etc. Rom. 12.. *Lavandum,* etc. Christus quoque hujus labri aqua est lotus, priusquam ad altare oblaturus intraret, et thymiana sacri corporis pro salute nostra in ara crucis incenderet: pro nostro enim amore lacrymas fudit, sicut in resurrectione Lazari.

^{*}30.21 *Ne forte moriantur.* BED., ibid. Mors enim timenda est æterna, etc., *usque ad: si* manducat et bibit, etc. I Cor. 11.

[†]30.23 *Sume tibi* STRAB. Græce, Latine dicitur myrrha, qui est arbor in Arabia quinque cubitorum, cujus virgulta Arabes exurunt, ut melius pullulent et fructificent. Ex quorum nidore incurabiles morbos contraherent, nisi fumo storacis occurrerent. Hujus arboris gummi proprie stacte vocatur, abusive etiam myrrha. *Calami.* Cinnamomi est virgultum, et in India vel Æthiopia nascitur duorum tantum cubitorum. Dicitur autem cinnamomum, quia in modum cannæ subtiles et replicatos habet calamos, cinerei vel nigri coloris; qui fracti visibile spiramentum reddunt, et subtile quidem charum; grossum vero, vile et despectum. Calamus aromatica species juxta Libanum. Myrrhæ, cinnamomi, calami, cassiæ. Hæ quatuor species significant quatuor principales virtutes, quibus oleo unctionis, id est gratia misericordiæ, Dei Ecclesia dedicanda est et sanctificanda.

lectilem quæ ad cultum eorum pertinet. ²⁹ Sanctificabisque omnia, et erunt Sancta sanctorum; qui tetigerit ea, sanctificabitur. ³⁰ Aaron et filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi. ³¹ Filiis quoque Israël dices: Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. ³² Caro hominis non ungetur ex eo, et juxta compositionem ejus non facietis aliud, quia sanctificatum est, et sanctum erit vobis. ³³ Homo quicumque tale composuerit, et dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo. ³⁴ Dixitque Dominus ad Moysen: Sume tibi aromata, stacten et onycha, galbanum boni odoris, et thus lucidissimum; æqualis ponderis erunt omnia: ³⁵ faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mistum diligenter, et purum, et sanctificatione dignissimum. ³⁶ Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama. ³⁷ Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino. ³⁸ Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.

31 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ² Ecce, vocavi ex nomine Beseleel filium Uri filii Hur de tribu Juda, ³ et implevi spiritu Dei, sapientia,

^{30.29} *Et erunt*, etc. AUG., quæst 135 in Exod. Cum scilicet uncta fuerint. Quid ergo distabit jam inter illa interiora quæ velo teguntur? *Qui tetigerit*. Similiter de altari sacrificiorum superius dictum est, quod sic intelligendum est, ut liceat populo tangere tabernaculum, quando offerebant hostias, vel quælibet dona, et tangendo sanctificabantur, propter illud oleum quo cuncta peruncta sunt: non sicut sacerdotes, qui etiam, ut æterno sacerdotio fungerentur, ungebantur ex illo.

^{30.34} *Onychen*. Onyche ostreola fertur esse parvula suave redolens, magnitudine humani unguis: unde et onyche Græce dicitur, quia, onyx, Græce dicitur unguis. *Galbanum*. Galbanum succus ferulæ esse dicitur, et nascitur in Syria optimum: cartilagosum est, et minus lignosum, cujus odore fugantur serpentes. *Et thus*. Thus Græce, libanum Latine dicitur, a Libano monte Arabiæ: alius enim Libanus est Phœnicis, in quo sunt cedri. *Thus* optimum, scilicet quod masculinum dicitur, quia in modum humani testis rotundum, cujus arbor nascitur in Arabia ad æris qualitatem perplexo et in torto vimine. Mystice autem hæc quatuor species significant sanctarum virtutum species.

^{30.35} *Faciesque thymiama*, etc. GREG., lib. I Moral., cap. 39, tom. 1. Thymiama ex aromatibus compositum facimus, etc., usque ad odorem de se subtilius non aspergit. ISID. Incensum, quod ex quatuor odoratissimis generibus in maximam subtilitatem comminutis, id est, stacte, onycha, galbano, et thure componitur; orationes fidelium significat, quamvis quatuor elementa hæc quatuor videant significare: ut thus, quod lucidum est, æri comparetur, stactes aquis, galbanus et onyx terræ et igni, ut per hæc omnium quæ in cœlo et infra cœlum, et in terra, et in aquis, sunt placitum Deo incensum sit *Opere*, etc. AUG., quæst. 136. Non debemus putare unguentum fieri, sed thymiama vel incensum, quod apponitur illi altari incensi ubi non licebat sacrificari, et erat intra sancta sanctorum.

^{30.37} *Talem*, etc. RAB. Qui scilicet precibus et laudibus divinis non debemus uti in adulationibus humanis. Soli enim Deo ita serviendum est, unde supra prohibetur, ne caro hominis ungetur ex eo.

^{31.2} *Beseleel*, etc., qui interpretatur *in umbra Dei*. q. d. *Dominus illuminatio mea et salus mea quem* Psal. 62.. Ab hoc dicitur David duxisse originem, et polymitarii nomen, quia Beseleel opere polymito tabernaculum construxit.

et intelligentia et scientia in omni opere,^{‡‡ 4} ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, et argento, et ære,⁵ marmore, et gemmis, et diversitate lignorum.⁶ Deditque ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam: ut faciant cuncta quæ præcepi tibi,^{¶¶ 7} tabernaculum fœderis, et arcam testimonii, et propitiatorium, quod super eam est, et cuncta vasa tabernaculi,⁸ mensamque et vasa ejus, candelabrum purissimum cum vasis suis, et altaris thymiamatis,⁹ et holocausti, et omnia vasa eorum, labrum cum basi sua,¹⁰ vestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti, et filii ejus, ut fungantur officio suo in sacris: ¹¹ oleum unctionis, et thymiana aromatum in sanctuario, omnia quæ præcepi tibi, facient. ¹² Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: ¹³ Loquere filiis Israël, et dices ad eos: Videte ut sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me et vos in generationibus vestris: ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos.^{§§ 14} Custodite sabbatum meum, sanctum est enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur; qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui. ¹⁵ Sex diebus facietis opus: in die septimo sabbatum est, requies sancta Domino; omnis qui fecerit opus in hac die, morietur. ¹⁶ Custodiant filii Israël sabbatum, et celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum ¹⁷ inter me et filios Israël, signumque perpetuum; sex enim diebus fecit Dominus cælum et terram, et in septimo ab opere cessavit. ¹⁸ Deditque Dominus Moysi, completis hujusmodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.*

32 Videns autem populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron, dixit: Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant:

^{‡‡}31.3 *Et implevi* AUG., quæst. 128. Utrum Spiritus sancti dono opera ista tribuenda sunt, quæ pertinere videntur ad opificium? an hoc etiam significative dictum est, ut ea pertineant ad divinum Spiritum sapientiæ et intellectus et scientiæ, quæ his rebus significantur? Tum etiam hic cum Spiritu repletus dicatur, iste divino sapientiæ et scientiæ, nondum legitur Spiritus sanctus.

^{¶¶}31.6 *Oliab*, qui interpretatur *protectio mea*, tanquam nomine dicat, *Dominus protector vitæ meæ; a quo trepidabo* Psal. 26.? Bene autem tabernaculum construunt, qui tam constanter in Domino confidunt. STRAB. Notandum quod in constructione tabernaculi mysterium Trinitatis ostenditur, sicut in baptismo et in transfiguratione. In baptismo enim in voce sonuit Pater: et Filius baptizatus est; in specie columbæ Spiritus apparuit. Ooliab quoque, qui interpretatur *protectio mea pater*, Patris personam: Beseleel quoque, qui *in umbra Dei* significat, personam Spiritus sancti: de quo dicitur. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Virtus enim Altissimi Spiritus sanctus intelligitur. Unde Dominus dicit: *Ego novi virtutem de me exisse* Luc. 8.. Jussio autem, id est verbum, quo tabernaculum fieri jussum est, Filius est, per quem Pater in virtute Spiritus sancti omnia operatur.

^{§§}31.13 *Videte*, etc. Frustra gloriantur Judæi de legali observatione. Aperte enim dicitur quia signum est futuræ, scilicet quietis, et beatitudinis; vel quietis sanctorum in præsentī, quia quiescunt a tumultu mundalium operum et vitiorum.

*31.18 *Duas tabulas* AUG., quæst. 140. Cum multa locutus sit Deus, duæ tantum tabulæ dantur Mosi lapideæ, quæ dicuntur tabulæ testimonii; quia cætera omnia, quæ præcepit Deus, ex illis decem præceptis, quæ in duabus scripta sunt tabulis, pendere intelliguntur, si diligenter quærantur, et bene intelligantur; sicut ipsa decem ex duobus, dilectione, scilicet, Dei et proximi: in quibus scilicet *tota lex pendet et prophetæ* Matth. 22..

Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.[†]
²Dixitque ad eos Aaron: Tollite in aures aureas de uxorum, filiorumque et filiarum
 vestrarum auribus, et afferte ad me.[‡] ³Fecitque populus quæ iusserat, deferens in aures
 ad Aaron. ⁴Quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, et fecit ex eis vitulum
 conflatilem: dixeruntque: Hi sunt dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.
⁵Quod cum vidisset Aaron, ædificavit altare coram eo, et præconis voce clamavit
 dicens: Cras solemnitas Domini est. ⁶Surgentesque mane, obtulerunt holocausta,
 et hostias pacificas, et sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere.[¶]
⁷Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: Vade, descende: peccavit populus
 tuus, quem eduxisti de terra Ægypti. ⁸Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis:
 feceruntque sibi vitulum conflatilem, et adoraverunt, atque immolantes ei hostias,
 dixerunt: Isti sunt dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.[§] ⁹Rursumque ait
 Dominus ad Moysen: Cerno quod populus iste duræ cervicis sit: ¹⁰dimitte me, ut
 irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam.^{**}
¹¹Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur, Domine, irascitur furor
 tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna,
 et in manu robusta? ¹²Ne quæso dicant Ægyptii: Callide eduxit eos, ut interficeret
 in montibus, et deleret e terra: quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia
 populi tui. ¹³Recordare Abraham, Isaac, et Israël servorum tuorum, quibus jurasti
 per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli; et universam
 terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper.^{††}
¹⁴Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversus popu-

[†]32.1 *Fac nobis*, etc. Deos pluraliter, cum unus tantum vitulus factus sit, ad similitudinem scilicet bovis Apis, quem in Ægypto coluerunt; sed qui idololatriam colit, omnibus vitiis subjicit se, et quasi tot diis et dæmonibus quot vitiis servit.

[‡]32.2 *Dixitque ad*, etc. AUG., quæst. 141 in Exod. Intelligitur Aaron difficilia præcipere, ut hoc modo eos ab illa intentione revocaret. Factum est tamen illud ipsum difficile, ut esset aurum ad faciendum idolum: quod propter eos notandum putavi qui contristantur si quid tale propter vitam æternam divinitus fieri, vel æquo animo tolerare jubeantur.

[¶]32.6 *Et sedit populus comedere*, etc. Esus potusque ad lusum impulit, lusum ad idololatriam: quia si vanitatis culpa non caute compescitur, ab iniquitate mens incauta devoratur. Unde: *Qui modica spernit, paulatim decedit*. Si enim curare parva negligimus insensibiliter seducti, etiam majora audenter perpetramus.

[§]32.8 *Isti sunt dii tui*. AUG., quæst. 142. Dominus indicans Moysi quid fecerit populus de vitulo et de idolo quod ex auro suo fecerant, dicit eos dixisse: Hi sunt dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Quod eos dixisse non legitur; sed animus eorum hunc fuisse Deus ostendit, horum quippe gerebant verborum in corde sententiam, quæ Deum latere non poterat.

^{**}32.10 *Dimitte me*, etc. GREG., lib. IX Moral., cap. 11. Quid est servo dicere, etc., usque ad iram Dei non valuit pro seipso temperare. ID., lib. XX Moral., cap. 6. Ædificare lectorem juxta historiam potest, etc., usque ad nec misericordia disciplinæ.

^{††}32.13 *Recordare Abraham, Isaac*, etc. Patres, qui diliguntur, inducit pro filiis, qui offendunt, nec merentur audiri; quia bona sanctorum patrum sæpe subveniunt filiis.

lum suum.^{‡‡} 15 Et reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonii in manu sua, scriptas ex utraque parte,¹⁶ et factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.¹⁷ Audiens autem Josue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen: Ululatus pugnae auditur in castris.¹⁸ Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio.¹⁹ Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, et choros: iratusque valde, projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis:^{¶¶} 20 arripiensque vitulum quem fecerant, combussit, et contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israël.^{§§} 21 Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? 22 Cui ille respondit: Ne indignetur dominus meus: tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum: 23 dixerunt mihi: Fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos eduxit de terra Ægypti, nescimus quid acciderit. 24 Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? Tulerunt, et dederunt mihi: et projecit illud in ignem, egressusque est hic vitulus.* 25 Videns ergo Moyses populum quod esset nudatus (spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, et inter hostes nudum constituerat),[†] 26 et stans in porta castrorum, ait: Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi: 27 quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ponat vir gladium super femur suum: ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum.[‡] 28 Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti

^{‡‡}32.14 *Placatusque est Dominus ne faceret malum.* AUG. Malitiam hic pœnam intelligi voluit, sicut est illud: Æstimata est malitia exitus illorum. Secundum hoc dicitur et bonum et malum esse a Deo, non secundum malitiam qua homines mali sunt. Malus enim Deus non esse: sed malis ingerit mala, quia justus est.

^{¶¶}32.19 *Iratusque valde.* ID., quæst. 144. Iratus Moyses, tabulas testimonii digito Dei scriptas fregisse videtur. Magno tamen mysterio figurata est iteratio Testamenti Novi, quia vetus fuerat abolendum, et Novum constituendum. Notandum sane quanta pro populo ad Deum supplicatione laboraverit, qui tam severus in eos vindicando fuit.

^{§§}32.20 *Arripiensque vitulum quem fecerant.* ISID. in Exod., tom. 5. Diaboli corpus significatur in vitulo, etc., usque ad absorptus est. *Et dedit ex eo potum filiis Israël.* Tradunt Hebræi quod filii Israël bibentes aquam vituli pulvere infectam, qui commiserant idololatriam in barbibus pulverem auri præferebant, quo etiam signo rei vel immunes sceleris apparebant, et rei interficiebantur.

^{*}32.24 *Et dederunt mihi,* etc. AUG., quæst. 145. Compendiose locutus est, etc., usque ad non redarguit.

[†]32.25 *Spoliaverat enim eum Aaron in ignominiam sordis et inter hostes,* etc. Notandum, quod populus fecit, ipsi Aaron tribuitur, quia consensit ad faciendum quod male petiverat. Magis enim dictum est, nudavit eos Aaron, quia cessit eis, quam nudaverunt se ipsi, qui tantum malum flagitaverunt. Ornamentis quibus fabricatum fuerat idolum, vel quia malam voluntatem prius latentem ostenderat, vel auxilium et protectionem Dei perdiderat.

[‡]32.27 *Ponat vir gladium,* etc. GREG., Past. p. 3, c. 26. Gladium, etc., usque ad Unde subditur: *Occidat unusquisque fratrem suum,* etc. Hos interfecit, quos puniendos invenit ab increpationis gladio, nec eis quos per cognationem carnis diligit, parcit. Si ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo divini amoris excitatur, profecto esse se Dei negat, qui quantum sufficit, vitam carnalium increpare recusat.

tria millia hominum.[¶] ²⁹ Et ait Moyses: Consecratis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, et in fratre suo, ut detur vobis benedictio. ³⁰ Facto autem altero die, locutus est Moyses ad populum: Peccastis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quomodo quivero eum deprecari pro scelere vestro. ³¹ Reversusque ad Dominum, ait: Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam,[§] ³² aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. ³³ Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo: ³⁴ tu autem vade, et duc populum istum quo locutus sum tibi: angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum. ³⁵ Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.**

33 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Vade, ascende de loco isto tu, et populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham, Isaac et Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam:^{††} ² et mittam præcursorem tui angelum, ut ejiciam Chananæum, et Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum,^{‡‡} ³ et intres in terram fluentem lacte et melle. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es: ne forte disperdam te in via. ⁴ Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit: et nullus ex more indutus est cultu suo.^{¶¶} ⁵ Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israël: Populus duræ cervicis es: semel ascendam in medio tui, et delebo te. Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi. ⁶ Deposuerunt ergo filii Israël ornatum suum a monte Horeb. ⁷ Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis, extra castra.^{§§} ⁸ Cumque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, et stabat unusquisque in ostio papilionis

[¶]32.28 *Feceruntque*, etc. AUG. in Locutionibus, locut. 124. Plurale pro singulari posuit, etc., usque ad certisque regulis istæ locutiones interponuntur.

[§]32.31 *Aut dimitte eis*, etc. AUG., quæst. 147 in Exod. Securum quidem hoc dicit, etc., usque ad ut pro eis illa verba Deo funderet.

^{**}32.35 *Quem fecit Aaron*. AUG. quæst. 148. Quæritur cum superius populum nudasse dictus sit Aaron, etc., usque ad quod Apostolus dicit exclamans: *Quam inscrutabilia enim sunt judicia ejus*: etc. Rom. 11..

^{††}33.1 *Locutusque*, etc. AUG., quæst. 149 in Exod. Deus iratus, etc., usque ad voce terrebat. *Vade*, etc. ID., quæst. 150. Continuo tanquam ad ipsum Mosen, etc., usque ad a facie Domini.

^{‡‡}33.2 *Mittam præcursorem*. AUG., quæst. 150. Deus cum justis est visitando, miserando, et confortando: cum impiis vero, ulciscendo et puniendo. Et est sensus: Cum his non possum esse propter te, ut vindicem et puniam; nec propter eos, ut visitem et confortem: mittam angelum meum saltem.

^{¶¶}33.4 *Audiens populus*. RAB. Pessimum sermonem dicit audivisse populum, hoc est, crudelissimum atque mœstissimum. Quod enim majus alicui præstari potest beneficium, quam Dei gratiam habere præsentem, ac conditorem suum agnoscere sibi esse propitium; aut quod majus est discrimen, quam auctoris sufferre iram? Nihil habet boni, qui creatoris sui carebit gratia atque præsentia.

^{§§}33.7 *Tollens tabernaculum*, etc. Hoc per prolepsim accipiendum, si de illo tabernaculo accipitur, quod Moysi in monte monstratum est, et fabricatum, præcipiente Domino, a Beseleel et Ooliab. Vel aliud tabernaculum fuit, ad quod jam conveniebant ad judicandum.

sui, aspiciabantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium. * ⁹ Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, et stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse, ¹⁰ cernentibus universis quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi, et adorabant per fores tabernaculorum suorum. ¹¹ Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Cumque ille reverteretur in castra, minister ejus Josue filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo. ¹² Dixit autem Moyses ad Dominum: Præcipis ut educam populum istum: et non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cum dixeris: Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me. ¹³ Si ergo inveniam gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuum gentem hanc. ¹⁴ Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te, et requiem dabo tibi. ¹⁵ Et ait Moyses: Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. ¹⁶ In quo enim scire poterimus ego et populus tuus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut glorificemur ab omnibus populis qui habitant super terram? ¹⁷ Dixit autem Dominus ad Moysen: Et verbum istud, quod locutus es, faciam: invenisti enim gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine. † ¹⁸ Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam. ¹⁹ Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabo in nomine Domini coram te: et miserebor cui voluero,

*33.8 *Cumque egrederetur*, etc. GREG., hom. 13 in Ezech. Hebræus populus de Ægyptiaca servitute liberatus, etc., usque ad progredi conantur. *Aspiciabantque*, etc. STRAB. Moyses tenet figuram legis. Moysi ergo tergum populus Judaicus aspiciabat, quia nihil mysticum, nihil spirituale in lege voluit intelligere, sed superficiem tantum litteræ. Ideo ejus facies abscondita erat, id est, vera et mera cognitio. Ingresso illo tabernaculum, descendebat columna nubis, et stabat ad ostium. Alia translatio dicit quod Moysi volenti ingredi tabernaculum, opponebat se nubes ante et prohibebat eum. Hic autem dicitur, quod illo ingresso loquebatur nubes ante ostium cum eo. Sciendum ergo quod aliquam quam partem ingrediebatur, atrium scilicet, et tunc antequam intraret in tabernaculum, opponebat se nubes: hoc ergo loco significat eos qui minus perfecti scientia et opere, nec valent intima scripturarum penetrare. Alibi autem quando medium nebulae ingressus est, perfectorum figuram tenuit, scilicet qui mysticorum sensuum arcana investigant. *Loquebatur autem Dominus*. Secundum opinionem populi loquitur Scriptura, qui putabat Moysen ore ad os loqui cum Deo, cum per subjectam creaturam, id est per angelum et nubem ei loqueretur et appareret. Nam ejus substantiam nec hominum nec angelorum sicut est quisquam videre potuit, unde: *Regi autem sæculorum immortalis, invisibili*, etc. Et alibi: *Lucem habitat inaccessibilem*, etc. I Tim. 1, 6.. GREG., in I Reg., cap. 10. *Facies Dei* cognitio ejus est. Cognoscitur autem Deus per speculum, cognoscitur per seipsum. Per speculum hic, per semetipsum in cœlo. Speculum vero est illa lux quam habitat Deus: ipse autem lux illa quæ ipse est. *Si ergo inveniam gratiam*, etc. AUG., quæst. 151. His verbis ostendit Moyses, etc., usque ad ut se mundos et inviolatos custodiant et proficiant.

†33.17 *Et te ipsum novi*, etc. AUG., quæst. 153. *Quoniam scio te præ omnibus*, etc. Nunquid Deus plus aliqua scit et aliqua minus? etc., usque ad sed diligentius requirendum est in prioribus Scripturæ partibus an vere sit ita.

et clemens ero in quem mihi placuerit.[‡] ²⁰ Rursumque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo et vivet.[†] ²¹ Et iterum: Ecce, inquit, est locus apud me, et stabis supra petram.[§] ²² Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam dextera mea, donec transeam:^{**} ²³ tollamque manum meam, et videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.

34 Ac deinceps: Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti. ² Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis. ³ Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem: boves quoque et oves non pascantur e contra. ⁴ Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant: et de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut præceperat ei Dominus, portans secum tabulas. ⁵ Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, invocans nomen Domini. ⁶ Quo transeunte coram eo, ait: Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax, ⁷ qui custodis misericordiam in millia; qui auferis iniquitatem, et scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est; qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus in tertiam et quartam progeniem.^{††} ⁸ Festinusque Moyses, curvatus est pronus in terram, et adorans ⁹ ait: Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum (populus enim duræ cervicis est) et auferas iniquitates

[‡]33.19 *Ego ostendam.* AUG., quæst. 154. Cum dixisset Moyses ad Dominum, etc., usque ad vocatur Dominus Christus in omnibus gentibus. *Et vocabo.* AUG., quæst. 154. *Vocabo* autem dixit, non vocabor, activum verbum pro passivo ponens, genere locutionis inusitato, in quo forte significare voluit seipsum hoc facere, id est, gratia sua fieri, ut vocetur Dominus in omnibus gentibus. *Et miserebor,* etc. AUG., ubi supra. Quod addidit, etc., usque ad sic Deus pronuntiavit misericordiam se esse facturum. AUG., lib. de Prædestinatione et Gratia, cap. 10. A Deo homines nullis præcedentibus meritis vocari, etc., usque ad si deserat qui vocavit. *Non poteris,* etc. AUG., quæst. 154. Post misericordiæ suæ commendationem, etc., usque ad huic vitæ moriendum est.

[†]33.20 *Non enim,* etc. GREG., lib. XVIII Moral., cap. 37, tom. 1. Joannes quoque ait: etc., usque ad quia satiety ex desiderio semper accenditur.

[§]33.21 *Ecce, inquit, locus est apud me, et stabis supra,* etc. AUG., quæst. 154. Item interposito articulo dicente Scriptura, etc., usque ad stetit populus fidelis supra petram. GREG., lib. XXV Moral., cap. 16. *Est locus apud me,* etc. Locus Ecclesia. Petra Dominus, Moyses Judaica plebs, quæ Domino prædicante in terra non credidit. Ipsa ergo in petra stetit terga Domini transeuntis aspiciens, quia, scilicet post passionem ascensionemque Domini intra Ecclesiam deducta per fidem Christum percipere meruit, et cujus præsentiam non vidit, ejus posteriora cognovit. GREG. ibid. *Est locus apud me,* etc. Ecclesia scilicet, etc., usque ad De qua soliditate dicitur: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam.*

^{**}33.22 *Cumque transibit gloria mea,* etc. EUCHERIUS, lib. de Form. spirit. Sed et transire dicitur Deus, cum de cordibus quorundam hominum, in quibus ante per fidem credebatur, postea surrepente perfidia vel quolibet delicto, ab eis recedit et ad alios transit, quemadmodum de Judæis ad gentes, de hæreticis ad catholicos, et de quibuslibet irreligiosis ad religiosos. *Et protegam* AUG., ubi supra. *et tegam manu mea super te,* etc., usque ad deinde contexit quid Dominus postea dicat: *Excide tibi duas tabulas lapideas,* etc.

^{††}34.7 *Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus iu tertiam et quartam,* etc., GREG., lib. XV Moral., cap. 22. Cum scriptum sit, etc., usque ad qui viderunt quod male sequerentur.

nostras atque peccata, nosque possideas. ¹⁰ Respondit Dominus: Ego inibo pactum videntibus cunctis: signa faciam quæ numquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus, ut cernat populus iste, in cujus es medio, opus Domini terribile quod facturus sum. ¹¹ Observa cuncta quæ hodie mando tibi: ego ipse ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum, et Chananæum, et Hethæum, Pherezæum quoque, et Hevæum, et Jebusæum. ¹² Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam: ¹³ sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide: ¹⁴ noli adorare deum alienum. Dominus zelotes nomen ejus; Deus est æmulator. ¹⁵ Ne in eas pactum cum hominibus illarum regionum: ne, cum fornicati fuerint cum diis suis, et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam ut comedas de immolatis. ¹⁶ Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne, postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant et filios tuos in deos suos. ¹⁷ Deos conflatile non facies tibi. ¹⁸ Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus vesceris azymis, sicut præcepi tibi, in tempore mensis novorum: mense enim verni temporis egressus es de Ægypto. ¹⁹ Omne quod aperit vulvam generis masculini, meum erit. De cunctis animantibus, tam de bobus, quam de ovibus, meum erit. ²⁰ Primogenitum asini redimes ove: sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conspectu meo vacuus. ²¹ Sex diebus operaberis; die septimo cessabis arare et metere. ²² Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ, et solemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. ²³ Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israël. ²⁴ Cum enim tulero gentes a facie tua, et dilatavero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, et apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno. ²⁵ Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ: neque residebit mane de victima solemnitatis Phase. ²⁶ Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. Non

‡‡34.14 *Dominus zelotes.* AUG., quæst. 158 in Exod. Dominus Deus enim zelans, etc., usque ad et perdit omnem qui fornicatur a se.

¶¶34.20 *Primogenitum asini,* etc. ISID. Per asinum immunditia, per ovem innocentia designatur. Asini ergo primogenita ove mutare, est immundæ vitæ primordia ad innocentiam simplicitatem convertere, ut postquam illa peccator egit, quæ ut immunda Dominus respuit, ea jam agendo proferat, quæ Dei sacrificio munda imponat.

§§34.21 *Die septimo.* AUG., quæst. 160. Cum de Sabbato præciperet, etc., usque ad omni tempore sabbato debere cessari.

*34.24 *Nullus insidiabitur* AUG., quæst. 161. Quod dixit, etc., usque ad ubi tabernaculum vel templum Deus fuerat habiturus.

†34.25 *Non immolabis,* etc. AUG., quæst. 162 et 163. Quid est quod ait: Non occides super fermentum sanguinem immolatorum meorum? An illa hoc loco dicit immolata sua, quæ per pascha occiduntur, et præcipit ne tunc sit in domo fermentum, quando sunt dies azymorum?

coques hædum in lacte matris suæ.[‡] 27 Dixitque Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus et tecum et cum Israël pepigi fœdus. 28 Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes: panem non comedit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba fœderis decem.[†] 29 Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, et ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.[§] 30 Videntes autem Aaron et filii Israël cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere.^{**} 31 Vocatione ab eo, reversi sunt tam Aaron, quam principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos, 32 venerunt ad eum etiam omnes filii Israël: quibus præcepit cuncta quæ audierat a Domino in monte Sinai. 33 Impletisque sermonibus, posuit velamen super faciem suam. 34 Quod ingressus ad Dominum, et loquens cum eo, auferebat donec exiret, et tunc loquebatur ad filios Israël omnia quæ sibi fuerant imperata.^{††} 35 Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat ille rursus faciem suam, siquando loquebatur ad eos.

35 Igitur congregata omni turba filiorum Israël, dixit ad eos: Hæc sunt quæ iussit Dominus fieri. 2 Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum, et requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidetur. 3 Non succenditis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati. 4 Et ait Moyses ad omnem catervam filiorum Israël: Iste est sermo quem præcepit Dominus, dicens: 5 Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius et prono animo offerat eas Domino: aurum et argentum, et æs,^{‡‡} 6 hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, et

[‡]34.26 *Non coques hædum in lacte.* AUG., ubi supra. Non coques agnum in lacte matris suæ, etc., usque ad sed historica narratio est. ISID. Moyses quadraginta diebus jejunavit, et Elias, et ipse Dominus. Præcipitur enim nobis ex lege, ex prophetis et Evangelio. Quod testimonium ex his habet. Unde in monte inter utramque personam medius Salvator effulsit, ut ab omnibus mundi illecebris aviditatem nostram tanquam jejunio temperantiæ refrenemus, quandiu perfectio Decalogi per quatuor ejusdem mundi partes, id est toti orbi prædicatur, ut decem quater dueta quadragenarium numerum signent.

[†]34.28 *Et scripsit in tabulis,* etc. AUG., quæst. 166. De Moysen dictum est quod ipse scripsit, etc., usque ad sed per gratiam Dei.

[§]34.29 *Cumque descenderet.* ISID. in Exod., tom. 5. Ascendit Moyses denuo in montem, etc., usque ad cujus imago fuit in tabulis. ISID. ibid. Descendente Moysen cum tabulis, etc., usque ad unde: *Revela oculos meos et considerabo mirabilia de lege tua* Psal. 118..

^{**}34.30 *Videns autem Aaron,* etc. ORIG., hom. 12 in Exod. Scriptum est quia vidit Aaron et omnes filii Israël Moysen, etc., usque ad habent enim gloriam eam quæ loquitur, sed tegitur et occultatur, et omnis gloria ejus intrinsecus. ORIG. ibid. Illud quoque intueri quod in lege vultus Moysi glorificatur, licet velamine contegatur, etc., usque ad de servitute sæculi liberati libertatem scientiæ requiramus.

^{††}34.34 *Et tunc loquebatur ad filios Isael omnia quæ sibi fuerant,* etc. AUG., quæst. 172 in Exod. Postquam descendit Moyses de monte, etc., usque ad ut hoc nomen acciperent.

^{‡‡}35.5 *Separate.* ORIG., hom. 13 in Exod. Alia littera: Sumite a vobis ipsis redemptionem Domino, etc., usque ad et argentum tuum, id est sermo tuus, probatum. ID. Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, etc., usque ad hæc omnia quæ in nobis sunt faciunt. *Omnis.* ID. Alia littera: Unusquisque vestrum, inquit, etc., usque ad ita si veniens dominus inveniat aliquid tuum in tabernaculo suo, sibi te defendit, et suum dicit. *Æs.* ID. Pro fortitudine poni videtur, etc., usque ad Omnia ergo offerantur Deo, sensus, sermo et vox.

byssum, pilos caprarum,[¶] 7 pellesque arietum rubricatas, et janthinas, ligna setim,⁸ et oleum ad luminaria concinnanda, et ut conficiatur unguentum, et thymiana suavissimum,⁹ lapides onychinos, et gemmas ad ornatum superhumeralis et rationalis.¹⁰ Quisque vestrum sapiens est, veniat, et faciat quod Dominus imperavit:¹¹ tabernaculum scilicet, et tectum ejus, atque operimentum, annulos, et tabulata cum vectibus, paxillos, et bases:¹² arcam et vectes, propitiatorium, et velum, quod ante illud oppanditur:¹³ mensam cum vectibus et vasis, et propositionis panibus:¹⁴ candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius et lucernas, et oleum ad nutrimenta ignium:¹⁵ altare thymiamatis, et vectes, et oleum unctionis et thymiana ex aromatibus: tentorium ad ostium tabernaculi:¹⁶ altare holocausti, et craticulam ejus æneam cum vectibus et vasis suis: labrum et basim ejus:¹⁷ cortinas atrii cum columnis et basibus, tentorium in foribus vestibuli,¹⁸ paxillos tabernaculi et atrii cum funiculis suis:¹⁹ vestimenta, quorum usus est in ministerio sanctuarii, vestes Aaron pontificis ac filiorum ejus, ut sacerdotio fungantur mihi.²⁰ Egressaque omnis multitudo filiorum Israël de conspectu Moysi,²¹ obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonii. Quidquid ad cultum et ad vestes sanctas necessarium erat,^{§§} 22 viri cum mulieribus præbuerunt, armillas et inaures, annulos et dextralia: omne vas aureum in donaria Domini separatum est.²³ Si quis habebat hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, byssum et pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, et janthinas,²⁴ argenti, ærisque metalla, obtulerunt Domino, lignaque setim in varios usus.²⁵ Sed et mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpuram, et vermiculum, ac byssum,²⁶ et pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes.²⁷ Principes vero obtulerunt lapides onychinos, et gemmas ad superhumera et rationale,*²⁸ aromataque et oleum ad luminaria concinnanda, et ad præparandum unguentum, ac thymiana odoris suavissimi componendum.²⁹ Omnes viri et mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filii Israël voluntaria Domino dedicaverunt.³⁰ Dixitque Moyses ad filios Israël: Ecce, vocavit Dominus ex nomine Beseleel filium Uri, filii Hur de tribu Juda,[†] 31 implevitque eum spiritu Dei, sapientia et intelligentia, et scientia et omni doctrina,³² ad excogitandum, et facien-

¶35.6 *Hyacinthum*. ID. Videamus cætera, hyacinthum, etc., usque ad et offeretis primitias Domino. *Coccumque bis tinctum*. ID. homil. 13 in Exod. Videamus quare coccus duplicatur, etc., usque ad ut cum scientiæ lumine igniculum severitatis admisceat. ID. Si quis digne intelligat exitum Hebræorum de Ægypto, etc., usque ad et nobiliora designat indumenta: *Induite vos Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in deliciis* Rom. 13.. GREG., ubi supra. In constructione tabernaculi, etc., usque ad quasi sine luce sonitum dederunt. ORIG., ubi supra. Post hæc viri acceperunt a mulieribus suis, etc., usque ad unde: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est* Matth. 19.. *Pilosque caprarum*. ORIG. hom. 19. Pili caprarum offeruntur, etc., usque ad qui Domino offert pelles arietum.

§§35.21 *Quidquid ad cultum*, etc. GREG., ubi supra. In ornamento tabernaculi viri cum mulieribus dona offerunt, etc., usque ad prout ipse dederit, proferuntur.

*35.27 *Principes vero obtulerunt lapides*, etc. ORIG., ubi supra. Principes obtulerunt dona sua, etc., usque ad ut præesse populis mereantur. ORIG. hom. 9 in Exod. Offerunt etiam principes oleum lucernis et chrismati profuturum, etc., usque ad cum te Dominus in loco viridi collocaverit super aquam refectionis.

†35.30 *Beseleel*. RAB. in Exod., tom. 2. Umbra dicitur, etc., usque ad in justitia et judicio fratres suos exhortando roborant.

dum opus in auro, et argento, et ære, ³³sculpendisque lapidibus, et opere carpentario, quidquid fabre adinveniri potest, ³⁴dedit in corde ejus: Ooliab quoque filium Achisamech de tribu Dan: ³⁵ambos eruditiv sapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii, ac plumarii, de hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, et bysso, et texant omnia, ac nova quæque reperiant.

36 Fecit ergo Beseleel, et Ooliab, et omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam et intellectum, ut scirent fabre operari quæ in usus sanctuarii necessaria sunt, et quæ præcepit Dominus. † ²Cumque vocasset eos Moyses et omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, et qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus, † ³tradidit eis universa donaria filiorum Israël. Qui cum instarent operi, quotidie mane populus offerebat. ⁴Unde artifices venire compulsi, † ⁵dixerunt Moysi: Plus offert populus quam necessarium est. ⁶Jussit ergo Moyses præconis voce cantari: Nec vir, nec mulier quidquam offerat ultra in opere sanctuarii. Sicque cessatum est a muneribus offerendis, ⁷eo quod oblata sufficerent et superabundarent. ⁸Feceruntque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de bysso retorta, et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, opere vario, et arte polymita: ⁹quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos, et in latitudine quatuor; una mensura erat omnium cortinarum. ¹⁰Conjuxitque cortinas quinque, alteram alteri, et alias quinque sibi invicem copulavit. ¹¹Fecit et ansas hyacinthinas in ora cortinæ unius ex utroque latere, et in ora cortinæ alterius similiter, ¹²ut contra se invicem venirent ansæ, et mutuo jungerentur. ¹³Unde et quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, et fieret unum tabernaculum. ¹⁴Fecit et saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi: ¹⁵unum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, et in latitudine cubitos quatuor: unius mensuræ erant omnia saga: ¹⁶quorum quinque junxit seorsum, et sex alia separatim. ¹⁷Fecitque ansas quinquaginta in ora sagi unius, et quinquaginta in ora sagi alterius, ut sibi invicem jungerentur. ¹⁸Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus sagis fieret. ¹⁹Fecit et opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliudque desuper velamentum de pellibus janthinis. ²⁰Fecit et tabulas tabernaculi de lignis setim stantes. ²¹Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius: et unum ac semis cubitum latitudo retinebat. ²²Binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, ut altera alteri jungeretur. Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis. ²³E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra austrum, ²⁴cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub una tabula ponebantur ex utraque parte angulorum, ubi incastraturæ laterum in angulis terminantur. ²⁵Ad plagam quoque tabernaculi, quæ respicit ad

†36.1 *Fecit ergo Beseleel*, etc. RAB., in Exod. Notandum quod non solum de tribu regali, etc., usque ad ad corporis sui unitatem voluit pertinere.

†36.2 *Cumque vocasset eos*, etc. ORIG., ubi supra. Et postquam obtulit populus, vocavit, inquit Moyses, etc., usque ad et in suo loco aptare debeas et proferre? *Et qui sponte*, etc. AUG., quæst. 170 in Exod. *Et omnes qui sponte vellent ire ad opera, ut consummarent ea*, etc. Commemoravit Moyses quosdam, etc., usque ad sed liberaliter et sponte devotus.

§36.4 *Unde artifices*, etc. AUG., quæst. 171. Nota quia sapientes effectores operum sancti etiam moribus erant: poterant autem, si vellent, multa auferre; sed modestia prohibuit, vel religio terruit.

aquilonem, fecit viginti tabulas, ²⁶ cum quadraginta basibus argenteis, duas bases per singulas tabulas. ²⁷ Contra occidentem vero, id est, ad eam partem tabernaculi quæ mare respicit, fecit sex tabulas, ²⁸ et duas alias per singulos angulos tabernaculi retro: ²⁹ quæ junctæ erant a deorsum usque sursum, et in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex utraque parte per angulos: ³⁰ ut octo essent simul tabulæ, et haberent bases argenteas sedecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis. ³¹ Fecit et vectes de lignis setim, quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi, ³² et quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas: et extra hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare. ³³ Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret. ³⁴ Ipsa autem tabulata deauravit, fuis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci possent: quos et ipsos laminis aureis operuit. ³⁵ Fecit et velum de hyacintho, et purpura, vermiculo, ac bysso retorta, opere polymitario, varium atque distinctum: ³⁶ et quatuor columnas de lignis setim, quas cum capitibus deauravit, fuis basibus earum argenteis. ³⁷ Fecit et tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byssoque retorta, opere plumarii: ³⁸ et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.

37 Fecit autem Beseleel et arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos in longitudine, et cubitum ac semissem in latitudine, altitudo quoque unius cubiti fuit et dimidii: vestivitque eam auro purissimo intus ac foris. ^{** 2} Et fecit illi coronam auream per gyrum, ^{†† 3} conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos ejus: duos annulos in latere uno, et duos in altero. ⁴ Vectes quoque fecit de lignis setim, quos vestivit auro, ^{‡‡ 5} et quos misit in annulos, qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam. ⁶ Fecit et propitiatorium, id est, oraculum, de auro mundissimo, duorum cubitorum et dimidii in longitudine, et cubiti ac semis in latitudine. ^{¶¶ 7} Duos etiam cherubim ex auro ductili, quos posuit ex utraque parte propitiatorii: ⁸ cherub unum in summitate unius partis, et cherub alterum in summitate partis alterius: duos cherubim in singulis summitatibus propitiatorii, ⁹ extendentes alas, et tegentes propitiatorium, seque mutuo et illud respicientes. ¹⁰ Fecit et mensam de lignis setim in longitudine duorum cubitorum, et in latitudine unius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum ac semissem. ¹¹ Circumdeditque eam auro mundissimo, et fecit illi labium aureum per gyrum, ¹² ipsique labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, et super eandem, alteram coronam auream. ¹³ Fudit et quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis per singulos pedes mensæ ¹⁴ contra coronam: misitque in eos vectes, ut possit mensa portari. ¹⁵ Ipsos quoque vectes fecit

^{**}37.1 *Fecit autem Beseleel arcam.* ISID. in Exod., tom. 5. In arca testamenti fuit urna aurea, etc., usque ad immortalis memoriæ semper viriditate florentem.

^{††}37.2 *Coronam auream,* etc. Quia in eo quod Ecclesia per quatuor mundi partes dilatatur, quatuor sancti Evangelii libris accincta prædicatur, quæ tamen intra unius coronæ ambitum, id est intra ejusdem fidei firmitatem, id est unitatem, concluditur.

^{‡‡}37.4 *Vectes quoque.* ISID., ibid. Quia fortes perseverantesque doctores velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, Ecclesiæ unitatem denuntiant, et quasi intromissis circulis arcam portant; qui auro quoque jubentur operiri, ut cum sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ splendore fulgescant.

^{¶¶}37.6 *Fecit et propitiatorium,* etc. ISID., ibid. Propitiatorium super arcam testamenti, etc., usque ad quia Christus est Ecclesiæ caput.

de lignis setim, et circumdedit eos auro. ¹⁶ Et vasa ad diversos usus mensæ, acetabula, phialas, et cyathos, et thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina. ¹⁷ Fecit et candelabrum ductile de auro mundissimo, de cujus vecte calami, scyphi, sphærulæque, ac lilia procedebant:^{§§} ¹⁸ sex in utroque latere, tres calami ex parte una, et tres ex altera: ¹⁹ tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul et lilia: et tres scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæque simul et lilia. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri. ²⁰ In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos simul et lilia: ²¹ et sphærulæ sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami procedentes de vecte uno. ²² Et sphærulæ igitur, et calami ex ipso erant, universa ductilia ex auro purissimo. ²³ Fecit et lucernas septem cum emunctoriis suis, et vasa ubi ea, quæ emuncta sunt, extinguantur, de auro mundissimo.* ²⁴ Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis. ²⁵ Fecit et altare thymiamatis de lignis setim, per quadrum singulos habens cubitos, et in altitudine duos: e cujus angulis procedebant cornua. ²⁶ Vestivitque illud auro purissimo cum craticula ac parietibus et cornibus. ²⁷ Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, et possit altare portari. ²⁸ Ipsos autem vectes fecit de lignis setim, et operuit laminis aureis. ²⁹ Composuit et oleum ad sanctificationis unguentum, et thymiana de aromatibus mundissimis opere pigmentarii.

38 Fecit et altare holocausti de lignis setim, quinque cubitorum per quadrum, et trium in altitudine: ² cujus cornua de angulis procedebant, operuitque illum laminis æneis. ³ Et in usus ejus paravit ex ære vasa diversa, lebetes, forcipes, fuscinulas, uncinos, et ignium receptacula. ⁴ Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, et subter eam in altaris medio arulam, ⁵ fuis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates, ad immittendos vectes ad portandum: ⁶ quos et ipsos fecit de lignis setim, et operuit laminis æneis: ⁷ induxitque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant. Ipsum autem altare non erat solidum, sed cavum ex tabulis, et intus vacuum. ⁸ Fecit et labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.† ⁹ Fecit et atrium, in cujus australi plaga erant tentoria de bysso retorta, cubitorum centum, ¹⁰ columnæ æneæ viginti cum basibus suis, capita columnarum, et tota operis cælatura, argentea. ¹¹ Æque ad septentrionalem plagam tentoria columnæ, basesque et capita columnarum ejusdem mensuræ, et operis ac metalli, erant. ¹² In ea vero plaga, quæ ad occidentem respicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum basibus suis æneæ, et capita columnarum, et tota operis cælatura, argentea. ¹³ Porro contra orientem quinquaginta cubitorum paravit tentoria: ¹⁴ e quibus, quindecim cubitos columnarum trium, cum basibus suis, unum tenebat latus: ¹⁵ et in parte altera (quia inter utraque introitum

§§37.17 *Fecitque candelabrum*, etc. Quod Spiritum sanctum significat, qui septiformi gratia illustrat Ecclesiam in unitate fidei consistentem, vel Christum portantem ecclesias septem, in quibus septiformis Spiritus splendor emicat.

*37.23 *Cum emunctoriis*. Quæ in Isaia forcipes appellantur, duo Testamenta, scilicet quibus peccata purgantur, quæque intra se sancti Spiritus unione sociantur.

†38.8 *Fecit et labrum æneum*, etc. GREG., hom. 17 in Evang. Labrum æneum Moses ponit, etc., usque ad ut per hæc proficere contendamus, per quæ profecisse cognovimus quos veneramus.

tabernaculi fecit) quindecim æque cubitorum erant tentoria, columnæque tres, et bases totidem. ¹⁶ Cuncta atrii tentoria byssus retorta texuerat. ¹⁷ Bases columnarum fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis suis argentea: sed et ipsas columnas atrii vestivit argento. ¹⁸ Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo vero quinque cubitorum erat juxta mensuram, quam cuncta atrii tentoria habebant. ¹⁹ Columnæ autem in ingressu fuere quatuor cum basibus æneis, capitaque earum et cælaturæ argenteæ. ²⁰ Paxillos quoque tabernaculi et atrii per gyrum fecit æneos. ²¹ Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonii, quæ enumerata sunt juxta præceptum Moysi in cæremoniis Levitarum per manum Ithamar filii Aaron sacerdotis: ²² quæ Beseleel filius Uri filii Hur de tribu Juda, Domino per Moysen jubente, compleverat, ²³ juncto sibi socio Ooliab filio Achisamech de tribu Dan: qui et ipse artifex lignorum egregius fuit, et polymitarius atque plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo et bysso. ²⁴ Omne aurum quod expensum est in opere sanctuarii, et quod oblatum est in donariis, viginti novem talentorum fuit, et septingentorum triginta siclorum ad mensuram sanctuarii. ²⁵ Oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum a viginti annis et supra, de sexcentis tribus millibus et quingentis quinquaginta armatorum. ²⁶ Fuerunt præterea centum talenta argenti e quibus conflatae sunt bases sanctuarii, et introitus, ubi velum pendet. ²⁷ Centum bases factæ sunt de talentis centum, singulis talentis per bases singulas supputatis. ²⁸ De mille autem septingentis et septuaginta quinque, fecit capita columnarum, quas et ipsas vestivit argento. ²⁹ Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, et quadringenti supra sicli, ³⁰ ex quibus fusæ sunt bases in introitu tabernaculi testimonii, et altare æneum cum craticula sua, omniaque vasa quæ ad usum ejus pertinent, ³¹ et bases atrii tam in circuitu quam in ingressu ejus, et paxilli tabernaculi atque atrii per gyrum.

39 De hyacintho vero et purpura, vermiculo ac bysso, fecit vestes, quibus indueretur Aaron quando ministrabat in sanctis, sicut præcepit Dominus Moysi. ² Fecit igitur superhumeralis de auro, hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, ³ opere polymitario: inciditque bracteas aureas, et extenuavit in fila, ut possent torqueri cum priorum colorum subtegmine, ⁴ duasque oras sibi invicem copulatas in utroque latere summatum, ⁵ et balteum ex eisdem coloribus, sicut præceperat Dominus Moysi. ⁶ Paravit et duos lapides onychinos, astrictos et inclusos auro, et sculptos arte gemmaria nominibus filiorum Israël: ⁷ posuitque eos in lateribus superhumeralis in monimentum filiorum Israël, sicut præceperat Dominus Moysi. ⁸ Fecit et rationale opere polymito juxta opus superhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta: ⁹ quadrangulum, duplex,

^{38.20} *Paxillos quoque.* STRAB. Paxilli secundum litteram erant in summitate columnarum fixi, quibus funes religabantur: qui cortinas a terra sublevabant, firmati superius quibusdam ansulis, inferius vero religati ad prædictos paxillos cortinas extendebant, ne rugam contraherent. Mystice vero funes significant sanctam Scripturam: de qua Salomon ait: *Funiculus triplex difficile rumpitur* Eccle. 4.: quia sancta Scriptura, historia, moralitate et allegoria constans, nullis hæreticorum dogmatibus potest disrupti. Paxilli in modum linguæ facti linguas doctorum significant qui Scripturam exponunt. Cortinas etiam a terra sublevant et extendunt: quia subjectos docent sequi, et imitari cœlestia, nullamque mali operis vel fraudis rugam contrahere Ephes. 5..

mensuræ palmi. ¹⁰ Et posuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo versu erat sardius, topazius, smaragdus. ¹¹ In secundo, carbunculus, sapphirus, et jaspis. ¹² In tertio, ligurius, achates, et amethystus. ¹³ In quarto, chrysolithus, onychinus, et beryllus, circumdati et inclusi auro per ordines suos. ¹⁴ Ipsique lapides duodecim sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israël, singuli per nomina singulorum. ¹⁵ Fecerunt in rationali et catenulas sibi invicem cohærentes, de auro purissimo: ¹⁶ et duos uncinos, totidemque annulos aureos. Porro annulos posuerunt in utroque latere rationalis, ¹⁷ e quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inseruerunt uncinis, qui in superhumeralis angulis eminebant. ¹⁸ Hæc et ante et retro ita conveiebant sibi, ut superhumeralis et rationale mutuo necerentur, ¹⁹ stricta ad balteum et annulis fortius copulata, quos jungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent, et a se invicem moverentur, sicut præcepit Dominus Moysi. ²⁰ Feceruntque quoque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, ²¹ et capitium in superiori parte contra medium, oramque per gyrum capitii textilem: ²² deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta: ²³ et tintinnabula de auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata, in extrema parte tunicæ per gyrum: ²⁴ tintinnabulum autem aureum, et malum punicum, quibus ornatus incedebat pontifex quando ministerioungebatur, sicut præceperat Dominus Moysi. ²⁵ Fecerunt et tunicas byssinas opere textili Aaron et filiis ejus: ²⁶ et mitras cum coronulis suis ex bysso: ²⁷ feminalia quoque linea, byssina: ²⁸ cingulum vero de bysso retorta, hyacintho, purpura, ac vermiculo bis tincto, arte plumaria, sicut præceperat Dominus Moysi. ²⁹ Fecerunt et laminam sacræ venerationis de auro purissimo, scripseruntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini: ³⁰ et strinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina, sicut præceperat Dominus Moysi. ³¹ Perfectum est igitur omne opus tabernaculi et tecti testimonii: feceruntque filii Israël cuncta quæ præceperat Dominus Moysi. ³² Et obtulerunt tabernaculum et tectum et universam supellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas ac bases, ³³ opertorium de pellibus arietum rubricatis, et aliud operimentum de janthinis pellibus, ³⁴ velum; arcam, vectes, propitiatorium, ³⁵ mensam cum vasis suis et propositionis panibus; ³⁶ candelabrum, lucernas, et utensilia earum cum oleo; ³⁷ altare aureum, et unguentum, et thymiana ex aromatibus, ³⁸ et tentorium in introitu tabernaculi; ³⁹ altare æneum, retiaculum, vectes, et vasa ejus omnia; labrum cum basi sua; tentoria atrii, et columnas cum basibus suis; ⁴⁰ tentorium in introitu atrii, funiculosque illius et paxillos. Nihil ex vasis defuit, quæ in ministerium tabernaculi, et in tectum fœderis jussa sunt fieri. ⁴¹ Vestes quoque, quibus sacerdotes utuntur in sanctuario, Aaron scilicet et filii ejus, ⁴² obtulerunt filii Israël, sicut præceperat Dominus. ⁴³ Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis.

40 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:¹ ²Mense primo, prima die mensis, eriges tabernaculum testimonii, ³et pones in eo arcam, dimittesque ante illam velum: ⁴et illata mensa, pones super eam quæ rite præcepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis, ⁵et altare aureum, in quo adoletur incensum, coram arca testimonii. Tentorium in introitu tabernaculi pones, ⁶et ante illud altare holocausti: ⁷labrum inter altare et tabernaculum, quod implebis aqua. ⁸Circumdabisque atrium tentorii, et ingressum ejus. ⁹Et assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur:⁸ ¹⁰altare holocausti et omnia vasa ejus, ¹¹labrum cum basi sua: omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint Sancta sanctorum. ¹²Applicabisque Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aqua^{**} ¹³indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, et unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. ¹⁴Fecitque Moyses omnia quæ præceperat Dominus. ¹⁵Igitur mense primo anni secundi, prima die mensis, collocatum est tabernaculum. ¹⁶Erexitque Moyses illud, et posuit tabulas ac bases et vectes, statuitque columnas,^{††} ¹⁷et expandit

[†]40.1 *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Mense primo*, etc. STRAB. Primus anni mensis ipse est Nisan, qui et Aprilis, in quo Judæi pascha celebrabant, et tabernaculum erectum est. Allegorice autem primus mensis signat initium gratiæ quando tabernaculum Dei, id est Ecclesia erecta est, cum Christus, scilicet crucifixus de latere suo produxit mysteria sanguinis et aquæ, quibus Ecclesia dedicatur et consecratur. Et notandum quia hic primus mensis secundi anni fuit: primus enim annus ante legem fuit, secundus annus sub gratia Evangelii, cui Dominus benedixit. Unde: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ* Psal. 64.. Annus enim benignitatis fuit, quo salus humani generis per humanitatem Christi apparuit: hoc ergo anno tabernaculum Dei erectum est, id est Ecclesia fundata et exaltata. RAB. in Exod., tom. 2. Primus annus omne tempus legis, etc., usque ad ut doctores Evangelii his utantur in confirmatione fidei.

§40.9 *Unges tabernaculum*, etc. STRAB. Tabernaculum cum vasis suis unctionis oleo consecratur; quia sancta Ecclesia quidquid agit cum virtutibus suis debet dedicare et consecrare gratiæ Spiritus sancti. Oleum quippe unctionis spirituali gratiæ comparatur, qua omnium virtutum opera Domino consecrantur.

**40.12 *Applicabisque Aaron*, etc. STRAB. Fores tabernaculi, id est, sanctæ Ecclesiæ, sunt apostoli, per quos debet aulam cœli ingredi: ad hos applicandi sunt Aaron et filii ejus, id est omnis cœtus sanctorum et maxime præpositorum, ut eos imitentur et eorum vestigia sequantur.

††40.16 *Et vectes*. Vectis non solum parietes nectit, sed et columnas introitus confirmat ne corruant, aut a recto statu deflectant, quia Dominus et utrumque populum in una fide dilectionis sociavit, et eorum doctores, ut in fide et actione et prædicatione perseverent, confortat. Nec mirum si et per capita ipsa, et per vectem capita ipsa continentem, Christus accipitur, quia cujusque electi regendo caput est, unde: *Caput viri Christus est* II Cor. 11.: et quia non solum singulos ad quærenda cœlestia erigit, sed etiam omnes continet, et ne a recto statu deflecti, nec ab invicem discordando possint separari, vinculo pacis confirmat. Cui simile est quod Dominus dicitur et agnus, et pastor, et ostium, cum pastor agnum pascat, et ambo intrent per ostium; cum proprie sit Verbum in principio Joan. 1, 10.: horum vero nullum sit proprie, sed figuraliter. Pastor, quia ducit ad pascua vitæ; ostium quia non nisi per illum pervenitur ad Patrem; Agnus, quia ab Ægypto salvat. Sic et hic per capita figuratur propter regimen, quo singulis præest, et per vectem, ob generale providentiam, quia omnes confirmat Num. IX; III Reg. 8.. BEDA. Sic anima pro diversis actionibus diversa nomina sortitur. Dum vivificat corpus, anima nominatur; dum vult, animus est; dum scit, mens est: dum recolit, memoria est; dum judicat, ratio est; dum spirat, spiritus est; dum sentit, sensus est.

tectum super tabernaculum, imposito desuper operimento, sicut Dominus imperaverat. ¹⁸ Posuit et testimonium in arca, subditis infra vectibus, et oraculum desuper. ¹⁹ Cumque intulisset arcam in tabernaculum, appendit ante eam velum ut expleret Domini jussionem. ²⁰ Posuit et mensam in tabernaculo testimonii ad plagam septentrionalem extra velum, ²¹ ordinatis coram propositionis panibus, sicut præceperat Dominus Moysi. ²² Posuit et candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ in parte australi, ²³ locatis per ordinem lucernis, juxta præceptum Domini. ²⁴ Posuit et altare aureum sub tecto testimonii contra velum, ²⁵ et adolevit super eo incensum aromatum, sicut jusserat Dominus Moysi. ²⁶ Posuit et tentorium in introitu tabernaculi testimonii, ²⁷ et altare holocausti in vestibulo testimonii, offerens in eo holocaustum, et sacrificia, ut Dominus imperaverat. ²⁸ Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonii et altare, implens illud aqua. ²⁹ Laveruntque Moyses et Aaron ac filii ejus manus suas et pedes, ³⁰ cum ingrederentur tectum fœderis, et accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Moysi. ³¹ Erexit et atrium per gyrum tabernaculi et altaris, ducto in introitu ejus tentorio. Postquam omnia perfecta sunt, ³² operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud.†† ³³ Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, et majestate Domini

††40.33 *Nec poterat Moyses*, etc. STRAB. Moyses ergo in hoc loco, sicut in aliis pluribus, figuram tenet Judaici populi. Moyses ergo, nube obstante, in tabernaculum non poterat intrare, quia Judaicus populus nunquam sacramenta Scripturæ valuit penetrare. Nubes enim Domini per diem incubabat tabernaculo, et ignis in nocte: hoc loco ignis divinorum mysteriorum scientiam significat. Scriptura enim sancta sanctis, et ignorantiam suam fatentibus, lumen est: iniquis vero, et scientiam jactantibus, nubes, quia excæcat eos. AUG., quæst. 176 in Exod. Notanda est res mirabilis multum, etc., usque ad nubes per diem, flamma per noctem. In tabernaculo autem Domini erant tabulæ, quarum annus erant infixi vectes de lignis sethim, quibus possent levari et portari de mansione ad mansionem, quæ omnia mysteriis plena sunt. Per tabernaculum intelligimus Ecclesiam præsentem, in qua sunt tabulæ, scilicet sancti humilitate pleni, quibus quinque vectes sunt affixi, id est spiritualis notitia quinque librorum Moysi, per quam se et alios sustollant ad claritatem æternæ beatitudinis. Per vectes ergo, ut diximus, quinque libros Moysi intelligimus, qui sunt Genesis, Exodus, Leviticus, liber Numerorum, et Deuteronomium: in quibus continetur principium mundi et medium et consummatio. In Genesi describitur creatio mundi, et in Exodo recreatio: in Levitico sacramentorum Ecclesiæ administratio; in libro Numerorum Evangelica prædicatio; in Deuteronomio ultima benedictio. Unde et in benedictionibus terminatur. Est itaque in Genesi ordo creationis; in Exodo mysterium recreationis; in Levitico sanctitas Ecclesiasticæ administrationis; in libro Numerorum consolatio evangelicæ prædicationis; in Deuteronomio consummatio æternæ benedictionis. Inter hos autem quinque libros Moysi excellit Exodus, quem nunc ad manus habemus.

coruscante, quia cuncta nubes operuerat. ¶³⁴ Si quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filii Israël per turmas suas: ³⁵ si pendebat desuper, manebant in eodem loco. ³⁶ Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, et ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israël per cunctas mansiones suas.

¶^{40.33} In eo enim et quæ filii Israël in figura contingebant, et mysteria plene continentur Christi et Ecclesiæ. Hic tamen primum de exitu actuali carnalium filiorum Israël, de historiali Ægypto agitur, in quo significatur spiritualis exitus spiritualium Israëlitarum de vera Ægypto, scilicet de tenebris vitiorum. Agitur etiam de transitu maris Rubri et submersione Pharaonis et exercitu ejus, et de liberatione populi Dei: in quo figuratur baptismus sanguine Christi consecratus, in quo diaboli vitia submerguntur, et animæ fidelium liberantur. Agitur etiam de pugna Israëlitarum cum Amalech, in quo victoria Christi et suorum, et confusio diaboli figuratur. Tandem catalogo mansionum descripto agitur de lege data in monte Sina; in quo nobis innuitur ut, a terrenis sublevati discamus subjici cœlestibus disciplinis. Agitur iterum de constructione tabernaculi et vasorum ejus, de vestibus sacerdotum et unctione; in quo intelligitur præsens Ecclesia, et diversæ personæ fidelium diversis officiis deputata, sicut vasa diversis usibus deputata erant, vel officiis, et sacramentorum et orationum sacratarum suavissima odoramenta. De his hactenus; nunc dicendum est quod secundum ordinem historiæ et secundum allegoriam, congrue in Pentateucho, secundus est liber iste: postquam enim in Genesi egit de creatione cœli et terræ, et de introitu filiorum Israël in Ægyptum, congruit ut consequenter de exitu eorum agat. Ecce quod juxta ordinem historiæ congruit: juxta allegoriam quoque non incongrue factum est. Nam postquam dixit de carnali generatione, qua per peccatum primi hominis nascimur filii diaboli, congruit ut statim subdat de regeneratione spirituali, qua per justificationem secundi hominis, id est, Christi renascimur filii Dei. Liber autem iste vocatur Græce, velle semoth Hebraice, exitus vel egressus Latine: ideo quia de exitu filiorum Israël de Ægypto agit. Sed quæri potest cur liber iste dicatur Exodus, quia de exitu illorum agit, cum in principio non de exitu, sed de ingressu illorum agatur. Ad quod dici potest, quia quamvis specialiter de exitu illorum agere intendat, tamen quia multum tempus profluxit inter exitum, de quo hic agit, et ingressum in quo primus liber terminatur vel terminaverat, ut competentius jungat narrationem suam breviter, prius repetit de introitu, et ita melius descendit ad exitum. Sic et nos in nostris sermonibus facta longa interpositione, dicturi alia, repetimus superiora, ut melius dicta continuemus. His consideratis, videnda est materia, quæ est corporalis exitus filiorum Israël de Ægypto, et spiritualis exitus sanctus sanctorum de mundo. Intentione admonet nos spiritualiter exire de conformitate mundi, sicut illi qui corporaliter exierunt de Ægypto, ut sicut fuimus conformes sæculo, ita simus conformes Deo. Modus talis est: breviter tangens de introitu filiorum Israël in Ægyptum, agit de eorum multiplicatione; deinde de novo rege, qui ignoravit Joseph et cœpit affligere populum; deinde de plagis-Ægypti, tandem de exitu illorum et de transitu maris Rubri et submersione Ægyptiorum. Tandem pervenit ad montem Sina, in quo lex data est, et agit de tabernaculo; et vasis ejus, et de vestibus sacerdotum et unctione, et sic terminatur. Nota quod cum eadem sit et indivisa historia, quam proposuit sibi Moyses describendam, tamen per capitula et partes sive per libros eam distinguunt, ut lectoribus fastidium auferatur, sicut viator viam, quæ est indivisa, dividit per dietas, ut labor minuatur et absit fastidium.

INCIPIT LIBER VAIECRA ID EST LEVITICUS

1 Vocavit autem Moysen, et locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens:^{§§} ²Loquere filiis Israël, et dices ad eos: Homo, qui obtulerit ex vobis

§§1.1 **Præfatio** Hebraice VAIICRA ISICHIUS in Levit. Liber iste Leviticus dicitur quia scilicet in hoc nomine totius libri argumentum manifestatur. Tribus Levi tabernaculi ministerium sortita est, in quo sacrificia, et primitias, et primogenitorum oblationes offerri præceptum est, quia omnia sacrificia ad Levitas pertinent Num. 18.. A quibus liber iste congruum sortitus est nomen, qui hæc omnia digere per ordinem. Latine **Offertorius** vel **sacrificativus** dicitur, quia de sacrificiis et cæremoniis agit. Hic bene post Exodum ponitur: in eo enim tabernaculum ordinatur, in hoc ea continentur quæ Dominus Moysi de tabernaculo loquebatur, et tabernaculi cæremoniæ. Si quis autem quærat quare libri legis divisi sunt, cum historia tempore indivisa sit, respondendum est: ut fastidium scilicet lectori auferret librorum divisio, sicut et viæ spatia dividit viator, ut tanquam divisus minuatur labor. Rabanus ab Isichio Hierosolymorum episcopo, qui Leviticum satis plene exposuit, multa collegit, et ab aliis quoque Patribus, qui ejus aliquas sententias exposuerunt, quædam operi suo apposuit, et ex confuso sententiarum ordine quemdam expositionis ordinem multorum doctorum sententias alternando composuit. ISICHIUS in Levit. Præ omnibus necesse est interpretationem legis ad anagogen trahi, et spiritualem intelligentiam in littera prescrutari. Hoc enim non contradicit legi, sed eam defendit. Spiritualem quippe intellectum diligenter esse inquirendum etiam ipse Christus ostendit, qui in parabolis suis Matth. 13. agrum, mundum; agricolam seminantem semen bonum, justos; zizania, malignos; messorum quoque, angelos; et inimicum superseminantem, diabolum appellavit. Quis ergo vetat bovem eum qui operatur justitiam, appellare; sicut ovem, simplicem; et innocentem, columbam: et turturem sublimius agentes et contemplationi vacantes? Nunquid non Ezechiel Hierusalem lænam dixit: et catulum ejus, Eliachim, qui ductus est in Ægyptum, et alium catulum Joachim in Babylonem ductum? Ezech. 19. Non solum quæ in parabolis dicta sunt, sed et quæ secundum historiam sunt, ad sublimiorem ducenda esse intellectum Paulus ostendit, dicens: **Scriptum est quoniam Abraham habuit duos filios**, etc.; post quæ addidit: **Quæ sunt secundum allegoriam dicta: hæc enim sunt duo Testamenta**, etc. Gal. 4.. Fortassis autem noxia erit littera spoliata spirituali intelligentia, et variis reprehensionibus obnoxia. Unde per Ezechielem et bonam legem, et non bonam Dominus appellat, dicens: **Dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciat homo et vivat in eis**. Et alibi: **Dedi eis mandata non bona, et judicia in quibus non vivant**. Patet ergo bona esse et non bona; et in quibus vivant et in quibus non vivant: qui enim custodit sanctum Spiritum, vivit in eis; qui autem secundum carnem, moritur, quia vitam non cognoscit in eis. Deinde legislator non semper, sed certo tempore voluit custodiri legis superficiem, ut reprimeret duram Judæorum cervicem; unde: **Scio quod populus iste duræ cervicis sit** Exod. 32.; Osee autem vocat Judæos vitulam consternantem, quæ scilicet nullo modo domatur. Et alibi: **Ephraim vitula docta diligere trituram, transivi super pulchritudinem colli ejus** Osee. 10.; in quo obedientia significatur. Jugum enim legis imposuit, ut humiliati libenter susciperent leve et suave jugum Evangelii Matth. 12.. ORIG., homil. 1, in Levit. Si secundum quosdam etiam nostrorum simplicem intellectum sequamur, et absque ulla, ut ipsi nos ridere solent, strophæ verbi et allegoriæ nubilo vocem legislatoris excipiamus, ego ecclesiasticus sub fide Christi vivens, et in medio Ecclesiæ positus, ad sacrificandum vitulos vel agnos, et ad offerendum simillam cum thure et oleo, divini præcepti auctoritate compellor: ipse ergo Dominus, ipse Spiritus sanctus deprecandus est, ut omnem nebulam peccati quæ visum cordis nostri obscurat, auferre dignetur, ut spiritualem intelligentiam intueamur, secundum illud:

hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus et ovibus offerens victimas,* ³si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento: masculum immaculatum offeret ad

*1.1 **Revela oculos meos et considerabo mirabilia**, etc. Psal. 118.. ISID. Omnis hostiarum diversitas Christi hostiam præfigurabat. Unde, **veritate oblata, cessavit umbra** I Cor. 15., verum sacrificium veri et æterni sacerdotis præfigurans. Ideo autem hostiis animalium propter emundationem oblati, una vera hostia Christi promittebatur, in qua fieret remissio peccatorum contractorum de carne et sanguine, qui regnum Dei non possidebunt: quia substantia corporalis in cœlestem mutabitur qualitatem. Christus in vitulo propter virtutem crucis offerebatur; in agno, propter innocentiam; in ariete, propter principatum; in hirco, propter similitudinem carnis peccati; in turture et columba, quia Deus et homo. Mediator enim Dei et hominum in duarum substantiarum conjunctione monstrabatur; in similaginis conspersione, credentium per aquam baptismi collectam esse Ecclesiam, id est corpus Christi, ostendebatur. Nos autem moraliter offerimus vitulum, cum carnis superbiam vincimus; agnum, cum irrationabiles motus corrigimus; hœdum, cum lasciviam superamus; columbam, dum simplices sumus; turturem, dum casti sumus, vel dum castitatem servamus; panes azymos, cum non in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis epulamur. RAB. Singula sacrificia, imo singulas pene syllabas, et vestes Aaron, et totum Leviticum ordinem cœlestia dicit spirare sacramenta. Origenes quoque ait: Quia sicut in novissimis diebus Verbum Dei ex Maria virgine carne vestitum processit in mundum; cujus caro ab omnibus videbatur, divinitas paucis et electis cognita tegebatur: sic verbum Dei per prophetas profertur ad homines, ibi carnis, hic litteræ velamine tectum. Littera tanquam caro aspicitur: spiritualis sensus tanquam divinitas sentitur. **Vocavit**, etc. ISICH. in Levit. Per conjunctionem sequentia jungit præcedentibus; initium, scilicet libri hujus cum fine præcedentis: unius enim et ejusdem diei opus in utroque continetur. Liber quoque Numeri, quia nihil habet medium inter se et Leviticum, simile sortitur præonium; hoc est: **Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai**, etc. Num. 1.. Nihil ergo post historiam Levitici ante historiam Numeri populus egit: neque enim locum mutaverat, quia necdum tabernaculum dedicaverat, nec multum temporis præterierat. In primo quippe mense secundi anni, ejusdem mensis initio agere cœperunt. In Exodo autem et Genesi, quia multum temporis medium, mortis Joseph et egressionis filiorum Israël, fluxerat, conjunctio non obtinet principium, sed opportunum dispensationi eorum dispensatur exordium: **Hæc sunt nomina filiorum Israël, qui ingressi sunt Ægyptum**. ISICH. Secundum 70. **Revocavit**. Sicut secundum eos **revocavit** Deus Beseleel ex nomine, quando præcepit fieri tabernaculum secundum figuram, quæ ostensa est in monte: ergo et nunc quamdam sacrificiorum intelligibilium imaginem describere præcepit; hæc revocatio quippe quamdam dispensationem rerum vel verborum ad superiora respicientium innuit. ORIG. hom. 1 in Levit. **Vocavit autem**, etc. In principio, etc., usque ad qui ad hæc audienda interiores aures afferunt mundas. ISICH. in Levit. Quod non diligit Deus Judæorum sacrificia, etc., usque ad et aperte hæc vocatio dispensationem verborum vel rerum respicientium ad superiora innuit. ORIG. homil. 1 Exod. Hominem quem primo posuit ad offerendum Domino, etc., usque ad sacrificium quoque duplex est quod et terrestria et cœlestia salvet. ID., ibid. Homo qui ad imaginem Dei et similitudinem factus rationabiliter vivit, etc., usque ad et collum ejus sicut turturis. ISICH. in Levit. Simplicem designat hominem, etc., usque ad jumentis etiam salus conceditur. ID. Sacrificium Deus exigit ut nobis proficiat, non sibi, etc., usque ad quæ tandem pro nobis aut contra nos testimonium dicant.

ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum:† 4 ponetque manum super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens.‡ 5 Immolabitque vitulum coram Domino, et offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi:¶ 6 detractaque pelle hostiæ, artus in frusta coincident.§ 7 Et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita: 8 et membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, et cuncta quæ adhærent jecori, 9 intestinis et pedibus lotis aqua: adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino. 10 Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret.** 11 immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem, coram Domino:

†1.3 *De armento*, etc. ISID. Primum sacrificium est vitulus, id est Christus, *de armento*, id est de patriarcharum stirpe progenitus, qui aratro suæ crucis terram carnis nostræ perdomuit, et Spiritus sancti semen virtutum fruge ditavit. ORIG., ut supra. Vitulus superbus, caro nostra, etc., usque ad oleum autem charitatis et pacis et aliarum virtutum non habuerunt. *Ad placandum*, etc. Juxta LXX autem hoc acceptum dicit offerenti, scilicet si enim acceptum nobis vere sit, et cor nostrum recte judicans, nullique adhærens passioni, munus ad suscipiendum dignum probaverit: tunc orare in conspectu Domini, id est remissionem possumus obtinere. Unde coram ipso suadebimus corda nostra, quia si reprehenderit nos cor nostrum, scimus quia major est Deus corde nostro, et cognoscit omnia, etc.

‡1.4 *Ponetque*, etc. Quod nos hostiam dicimus, Græce dicitur, in quo intelligibile holocaustum significatur. Spiritualiter enim fructificat, qui per spiritualem conversationem efficitur holocaustum: propter quod qui offert, manum in caput hostiæ ponit, quod significat initium prædictæ conversationis, quam qui offert, ipse sibi causa promissionis est. Sponte enim offert, quia donum est, et omne donum voluntarium est. Si enim promissionem suam transgressus fuerit, seipsum accusat, cum pœnas luerit. Sic autem acceptabilis erit, et ad expiationem suam proficiens, cum positione manus manifestaverit, quia sponte non necessitate obtulerit.

¶1.5 *Immolabitque*, etc. ISICH. in Levit. Non solum enim propriam conscientiam et conversationem Deo debemus offerre, etc., usque ad sicut Christus ostium appellatur, sic doctrina apostolica quam largitur. *Filii Aaron*. ORIG., ubi supra. De genere Aaron erant Anna et Caiphas, et alii qui Christum pronuntiaverunt esse reum mortis, et effuderunt sanguinem ejus ad basim altaris: ibi enim est occisus, ubi altare erat et basis ejus, unde: *Non capit prophetam perire extra Hierusalem*.

§1.6 *Detractaque*, etc. ORIG., ibid. Sacerdos pellem detrahit, etc., usque ad terrena coelestibus et divinis humana sociavit. ID Intestina cum pedibus jubet aqua dilui, in significationem baptismi. Intestina lavat, qui conscientiam purgat; pedes abluit, qui consummationem suscipit sacramenti. *Qui enim mundus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus* Joan. 15.: nec quisquam potest habere partem cum Jesu, nisi laverit pedes ejus. ISICH. in Levit. Pellis detrahitur cum divitiis et quibuscunque sæcularibus exspoliamur, etc., usque ad Christum imitantes sicut possumus. GREG. lib. I Moral., cap. 40. Pellem hostiæ detrahimus, etc., usque ad nihil lubricum in ara suæ orationis imponat.

**1.10 *Quod si*, etc. ISICH. in Levit. Paucis immutatis eadem dicit, etc., usque ad unde: Filius non portabit iniquitatem patris, etc. *Anniculum*, etc. ISID. Agnus oblatus, Christus innocens crucifixus. Unde: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Bene hædus offertur, quia per mortem Christi jugulatur diabolus auctor peccati. ISICH. Hoc de bobus non præcepit, etc., usque ad propterea holocaustum dicitur etiam sine operatione justitiæ.

sanguinem vero illius fundent super altare filii Aaron per circuitum:†† 12 dividantque membra, caput, et omnia quæ adhærent jecori, et ponent super ligna, quibus subji-
ciendus est ignis: 13 intestina vero et pedes lavabunt aqua. Et oblata omnia adolebit
sacerdos super altare in holocaustum et odorem suavissimum Domino.‡‡ 14 Si autem
de avibus, holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ,¶¶
15 offeret eam sacerdos ad altare: et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco,
decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris: 16 vesiculam vero gutturis, et
plumas projiciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi
solent, 17 confringetque ascellas ejus, et non secabit, neque ferro dividet eam, et
adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est et oblatio suavissimi
odoris Domino.

2 Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, similia erit ejus oblatio; fun-
detque super eam oleum, et ponet thus, 2 ac deferet ad filios Aaron sacerdotes:
quorum unus tollet pugillum plenum similæ et olei, ac totum thus, et ponet memo-

††1.11 *Ad latus*, id est Gentilitatem altare respicit, quia pro gentibus celebrata est passio Christi. Nos vero ad aquilonarem partem altaris sacrificium offerimus, dum memoriter passionem Christi pro gentibus factam credimus.

‡‡1.13 *Omnia adolebit*. Hæc omnia super altare offerentem ponere jubet ut omnem nostrum hominem, spiritualibus scripturis quæ de intelligibili altari Dominici corporis dictæ sunt, coaptemus, et ad imitationem ejus vivere studeamus. *Et odorem*. Quando sacrificium nostrum holocaustum fit, et offerimus omnia super intelligibile altare, tanquam imitatores Christi conversationem vitæ nostræ conformantes ei, tunc offertur Domino odor suavissimus.

¶¶1.14 *Si autem*. ISID. Turtur, caro Christi, secundum illud Salomonis: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*: Columba Spiritum sanctum significat. Unde: *Super quem videris Spiritum descendantem sicut columbam, hic est Filius meus*. Turtur ergo columba caro Christi est Spiritui sociata: hæc tria sacrificia offert homo, id est Christus, de bobus scilicet, pecoribus, et avibus. ISICH. *in Levit*. Admirabilis verborum subtilitas, etc., *usque ad*, contemplantur et sapiunt cœlestia, ubi Christus est in dextera Dei sedens.

riale super altare in odorem suavissimum Domino.^{§§ 3} Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini.*⁴ Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano: de simila, panes scilicet

§§2.2 *Anima*, etc. A meliori parte totum hominem significat: requirit enim spiritualement et perfectum auditorem, quia anima est sapientiæ capax, non caro. ISID. *Anima*, etc. Quartum sacrificium offert anima. Simila Ecclesiam significat, quæ de multis personis quasi grans est collecta, legis et Evangelii mola inter litteram et spiritum separata, per aquam baptismi adunata, chrismate peruncta et solidata spirituali igne; per humilitatem fit accepta hostia. ORIG. *hom 2 in Lev. Anima*. Quæ scilicet nec vitulum habet, etc.; usque ad oleo divinæ misericordiæ vel gratiæ. Mystice, significat, sicut ibi: *Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum*, etc. Gen. 46. Lucas autem ait: *Eramus autem omnes animæ in navi ducentæ septuaginta sex* Act. 27.. Forsitan per animam, Gentilem significat. Supra enim filiis Israël præcepit, ut sacrificia offerrent cum sanguine. Hic autem qui est sine lege, offerre præcipiens, non dicit homo, sicut supra, sed *anima*. Animalis erat Gentilis, non intelligens ea quæ sunt Dei, sed vocatur ad oblationem misericordia Dei, ut percipiat salutem; cum pro peccatis sacrificia disponit, qui nec habet ovem nec capram, turtorem vel columbam offerre præcipitur; qui nec habet illud, simulam. Non enim jam ex operibus, ut pauper virtutibus, sed sola cognitione Dei salvatur, quæ licet principium sit salutis, tamen thus et oleum, supponendum, ut gratia de eleemosynis et orationibus misceatur. Unde angelus ad Cornelium ait: *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt ad Dominum* Act. 10.. In thure interiores curantur passiones, et fumo ejus sanantur oculi ex infirmitate lacrymantibus. Oratio quippe animæ passiones sanat, oculos interiores curat ab ignorantia lacrymas ex ægritudine peccati accendentes fugat. *Filios*, ministros Ecclesiæ; quia quidquid offerimus, cum sanctis Ecclesiæ doctoribus conferre debemus. Unde Paulus cum apostolis contulit Evangelium, ne in vacuum cucurrisset Gal. 2.. *Quorum*. Unitas Ecclesiæ pugillum similiæ tollit, quia pro capacitate sensus unusquisque fidelis Scripturæ scientiam debet appetere. Unde: *Non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem. Quorum unus*, etc. Rom. 12.. Notandum quod pugillus similiæ et olei, totum vero thus offerri jubetur; quia sapientia quæ in simila, et charitas vel misericordia quæ in oleo signatur, in hac vita non possunt esse plena. Unde: *Videmus nunc per speculum in ænigmate*: et, *nunc cognosco ex parte*, etc. I Cor. 12.. Olei quoque pars offertur, quia misericordia nunquam impletur, quia etsi miserearis quantum potes, plus tamen debes velle. Charitas etiam quæ oleo figuratur, in præsentis inchoatur, in futuro perficietur. Thus autem totum crematur, quia semper orationi insistitur. *Similæ*. Scientiæ vel cognitionis Dei. Accepta enim est scientia a Deo, quam fides comprehendere potest, et sicut qui pugillo vult plus comprehendere, nihil proficit, totum quippe decurrit: sic fides est mensura scientiæ Dei. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, et quod non est ex fide, peccatum est* Heb. 11.. *Memoriale*, etc., cognitionis Dei perfectam scientiam, cujus memores erimus, quæ nunquam destruitur; et eam quæ nunc est, non ut contrariam, destruit, sed partem minimam esse per plenitudinem suam ostendit: *Cum enim venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* I Cor. 13..

*2.3 *De sacrificio*, etc. ISICH. in Lev. De illa scilicet perfecta et in cœlis abscondita, in Christoque reposita scientia, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* Col. 2.. *Aaron*, montanus interpretatur, id est, altiora de Deo intelligens; vel arcanus, quasi in se legem Dei et eloquia habens: hic sacrificium offerre potest. Sanctum sanctorum, est de oblationibus Domino: partile enim est quod reliquum est, omnes tamen scientias superans et ad perfectionem exaltans

icet absque fermento, conspersos oleo, et lagana azyma oleo lita.[†] ⁵ Si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo et absque fermento,[‡] ⁶ divides eam minutatim, et fundes super eam oleum.[¶] ⁷ Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æque simila oleo conspergetur:[§] ⁸ quam offerens Domino, trades manibus sacerdotis. ⁹ Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, et adolebit super altare in odorem suavitatis Domino: ¹⁰ quidquid autem reliquum est, erit Aaron, et filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini. ¹¹ Omnis oblatio quæ offeretur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sac-

[†]2.4 *Cum obtuleris sacrificium*, etc. ISICH., ibid. Sacrificium Christus pro nobis immolatus. *Coctum in clibano* virginis, scilicet utero. Clibanus enim panem suscipit et ignem: sic uterus virginis panem vitæ, id est, Dei verbum, et ignem Spiritus sancti de coelo suscepit. Unde: *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc. Luc. 1.. Si ergo offers munus incarnationis Christi, quæ facta est in ventre virginis, non est acceptum Deo, nisi de simila, id est, scientia vel notitia Dei fiat. De hac re siquidem locutionem ab apostolis et a prophetis suscipimus, Verba apostolorum sunt panes, lagana prophetarum. Quanto enim panes laganis, ad nutriendum aptiores, tantum præcellunt verba apostolorum verbis prophetarum. Utrique autem azymi sine fermento scientiæ sæcularis. Utraque tamen in oleo fiunt, concorditer enim ab illis de Christi miseratione scriptum est, quia apostoli et prophetæ scripserunt, sed apostoli plenius scripserunt, qui completum ostenderunt, quod illi nuntiabant futurum. *Lagana*. Panis latus et tenuis, qui prophetiam et legem significat, quantum enim distat inter soliditatem panis et tenuitatem lagani, tantum inter Evangelium et verba legis et prophetarum: hæc tamen oleo lita, quia lex et prophetia charitatem Christi prædixerunt, qua in salutem humani generis venit.

[‡]2.5 *Si oblatio tua fuerit*, etc. ISICH. in Lev. Oblatio de sartagine, etc., usque ad et ideo ab ejus scientia recessit. *Similæ conspersæ*, etc. Quia mortuus est et misertus nostri. *Absque fermento*, id est, sine macula.

[¶]2.6 *Divides eam minutatim*: ut sermonem passionum ejus, qui per partes processerunt, dividamus, alapas, scilicet colaphos, sputa et vulnera diligenter distinguamus. *Et fundes super*, etc., ut quemadmodum misericorditer pro nobis mortuus est, nos quoque pro fratribus usque ad mortem misereamur. *De sartagine*. Sicut enim sartago media inter ignem et cibum, sic quodammodo crux inter impassibilem divinitatem et humanitatem, quæ igne passionis est assata. Et sicut in sartagine mollia durescunt, dura mollescunt, sic in passione crucis lapidea corda mollita, mollia et fluxa solidata. De sartagine ergo sacrificium offerre est de mysterio crucis cum veneratione disputare.

[§]2.7 *Sin autem de*, etc. ISICH. in Lev. Sicut in sartagine crucem, etc., usque ad ex misericordia quippe mortem sustinuit, et resurrectionem dispensavit. *Sin autem*, etc. Moraliter, similam offert qui in aliquibus communis vitæ usibus bene conversari studet. Hæc oleo conspergenda est, quia omnis anima oleo eget misericordiæ, nec vitam præsentem evadere potest, nisi misericordia coelestis affuerit. Clibanus autem pondus tentationis exprimit, sartago constantiam et robur animi, craticula multiplicem impugnationem.

rificio Domino.** ¹²Primitias tantum eorum offeretis ac munera: super altare vero non imponentur in odorem suavitatis. ¹³Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo: in omni oblatione tua offeres sal.††
¹⁴Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, et confringes in morem farris, et sic offeres primitias tuas Domino, ¹⁵fundens supra oleum, et thus imponens, quia oblatio Domini est: ¹⁶de qua adolebit sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti, et olei, ac totum thus.

**2.11 *Omnis oblatio.* ORIG. homil. 2 in Lev. Dicat aliquis, etc., usque ad hoc modo verius et perfectius secundum Evangelium sacrificia offers, quæ jam secundum legem non potest offerre Israël. *Fermenti ac mellis.* Nihil voluptuosum, nihil suave placet Deo, sed quod habet aliquid mordacitatis et severitatis. Unde pascha cum amaritudinibus manducatur. *Ac mellis.* Gentilis eloquentiæ, quæ voce suavis est, non re. Unde: *Favus distillans labia meretricis* Prov. 5.. Quod autem dicitur in Canticis: *Mel et lac sub lingua tua* Cant. 4., præsentibus non contradicit. Sub lingua enim dicitur, non in lingua, ut ostendatur paganorum sapientia, et Judæorum littera linguæ Ecclesiæ, id est doctrinæ subjecta esse. Horum non vult integram doctrinam offerre. Unde ait: *Non adolebitur in sacrificium,* id est, holocaustum: *primitias tantum eorum offeretis.* Primitias enim illius sapientiæ offerimus, non totam, sicut Paulus ad Athenienses, inquit: *Sicut vester poeta dixit: hujus et genus sumus.* Quod enim invenit congruum scientiæ Dei, non respuit: non tamen ultra testimonia multiplicavit, quia placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes; unde Moyses ait: *Super altare vero non imponentur,* et cum liceret dici non ponentur, dicit: *Non imponentur in odorem suavitatis:* significans, quia si tentaverimus de exterioribus divinitatis adipisci notitiam, tale sacrificium ad altare non ascendit, sed deprimitur in terrenis, quia de terra est. BEDA. in Lev., tom. 2.. Quod mel in Dei sacrificium non offerretur, etc., usque ad imperfecta quæque omittimus.

††2.13 *Sale condies nec auferes sal fœderis.* Apostolica sapientia. Unde: *Vos estis sal terræ,* etc. Matth. 5.. Sicut omnis cibus sale conditur, ita apostolica doctrina sermo prædicationis. Ideo præcipitur sal in omni sacrificio offerri, ut secundum Apostolicam doctrinam et institutionem et imitationem operis vivamus. Unde Paulus, ait: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* I Cor. 4.. Et alibi: *Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* Eph. 2.. Unde et legislator non dixit simpliciter sal: sed, *sal fœderis Dei tui.* Sicut enim fœdus rationale, sic etiam sal rationale. Testamenti ergo Evangelici et salis Apostolici nos commonere voluit. Oleum in sacrificium offertur, si cum hilaritate offeramus, non ex tristitia aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus II Cor. 9.. Sal qui stypticam vim habet, et contrarius est melli, jubetur addi sacrificiis: sal symbolum est prudentiæ, quæ restringit et exsiccat voluptatem. *In omni oblatione,* etc. Placere enim Deo non poterit quod non ad normam voluntatis ejus correctum fuerit. Nam si in rebus humanis tanta cautela agendum admonuit quidam de mundi hujus sapientibus, ut diceret: *Omnis actio temeritate et negligentia vacare debet: quid de Dei rebus æstimandum est? Si autem obtuleris,* etc. ORIG., lib. I in Levit. Secundo in loco primitiarum, etc., usque ad quia littera separabatur a spiritu. ISICH. *Confringes in morem,* etc. Non modo præcepit eos Dei notitiam, etc., usque ad per eleemosynam quippe et orationem scientia divina nobis perficitur.

3 Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, et de bobus voluerit offerre, marem sive feminam, immaculata offeret coram Domino. [¶] ² Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron sacerdotes sanguinem per altaris circuitum. ³ Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino, adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis est intrinsecus: [¶] ⁴ duos renes cum adipe quo teguntur ilia, et reticulum jecoris cum renunculis. ^{§§} ⁵ Adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito, in oblationem suavissimi odoris Domino. ⁶ Si vero de ovibus fuerit ejus oblatio et pacificorum hostia, sive masculum obtulerit, sive feminam, immaculata erunt. ^{*} ⁷ Si agnus obtulerit coram Domino, ⁸ ponet manum suam super caput victimæ suæ: quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonii: fundentque filii Aaron sanguinem ejus per circuitum altaris. ⁹ Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino: adipem et caudam totam [†] ¹⁰ cum renibus, et pinguedinem quæ operit ventrem atque universa vitalia, et utrumque renunculum cum adipe qui est juxta ilia, reticulumque jecoris cum renunculis. ¹¹ Et adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis et oblationis Domini. ¹² Si capra fuerit ejus oblatio, et obtulerit eam Domino, ¹³ ponet manum suam super caput ejus: immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonii, et fundent filii Aaron sanguinem ejus per altaris cir-

[¶]3.1 **Quod si hostia**, etc. ORIG. homil. 3 in Levit. Transmissis cæteris, de salutaribus sacrificiis dicit, quæ de animalibus, id est bobus et capris et ovibus offeruntur, et nihil ultra ad immolandum substituitur: nec aves quidem, quæ in offerendis muneribus substitutæ sunt superius. Qui enim salutare offert hostias salutis suæ conscius est: necesse ergo habet ut magna et perfecta offerat, unde Apostolus: **Perfectorum autem est cibus solidus** Heb. 5.. ISICH. **Quod si hostia**, etc. Sunt secundum leges diversæ hominum conversationes, etc., usque ad oportet enim eas digne conversari, ut perveniant ad salutem. **Marem sive feminam**, etc. ISICH. Superius in holocaustum tantum mares offeruntur, etc., usque ad id est infirma opera cum fortioribus.

[¶]3.3 **Adipem qui**, etc. ID. Oportet intelligibilem adipem offerri, etc., usque ad et per deliberationem massam sanctificemus. **Vitalia**. LXX: Ventrem, id est cor, cujus secundo facit mentionem juxta LXX, quia duplicem habet operationem secundum medicos, quia per unam partem alimentum trahit, quam vocant ventrem superiorem: per alteram purgationem discernit, quam vocant ventrem inferiorem. Renes sunt genitalium seminum ministeria, cum ventre et femoribus communicantes. Primum ergo adipem, qui supra ventrem est, et duos renes, et adipem qui super eos est, id est super femora, quæ renibus sunt vicina, jubet offerri: in medio enim femoris et ventris sunt positi.

^{§§}3.4 **Reticulum jecoris**: Id est, epatis, in quo delectatio vel concupiscentia. Unde juxta LXX pinna epatis cum renibus auferetur: jecur enim in renibus vim operationis ministrat.

^{*}3.6 **Si vero de ovibus fuerit**, etc. ISICH. Quem præcipiat offerre bovem, etc., usque ad in lumbis quoque operatio generationis.

[†]3.9 **Et caudam**. LXX: Lumbum sine macula integrum, ne scilicet aliud offeratur Deo, aliud adversario. Sufficit enim huic ad veniam quæ virtutis sunt non agere; sin autem mala operatur, veniam non consequitur. Unde: **Estote simplices sicut columbæ**. Columbæ enim nimiam simplicitatem habent, malitiam nullam. Qui de bobus sacrificium offert, lumbum Deo offerre non eget: quem in bonis operibus constringit et exercet. Qui de capris immolat, non habet lumbum immaculatum quem offerat, quia eum olim peccato maculavit. Qui ergo non fuit in peccatis, immaculatum lumbum offerre potest, non qui peccator fuit. Hac causa in sacrificio pacificorum capras ab agnis distinxit.

cuitum. ¹⁴Tollentque ex ea in pastum ignis dominici, adipem qui operit ventrem, et qui tegit universa vitalia: ¹⁵duos renunculos cum reticulo, quod est super eos juxta ilia, et arvinam jecoris cum renunculis: ¹⁶adolebitque ea super altare sacerdos in alimoniam ignis, et suavissimi odoris. Omnis adeps, Domini erit ¹⁷jure perpetuo in generationibus, et cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem nec adipem omnino comedetis.‡

4 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:† ²Loquere filiis Israël: Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, et de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quippiam fecerit: ³si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino:§ ⁴et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ponetque manum super caput ejus, et immolabit eum Domino. ⁵Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii.** ⁶Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum sanctuarii.†† ⁷Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii: omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in

‡3.17 *Nec adipem.* Propriam concupiscentiam, id est carnalem habere non debemus: *Quisque enim tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus.* Sanguinem prohibet comedi, ne quemquam interficiamus: sanguinem enim edere, bestiarum, id est crudelium, est. Ideo aut omnino additur: ut et proximis parcamus et nobis. Deo autem debet anima immolari, unde jussit sanguinem fundi circa basim altaris.

†4.1 *Locutusque* etc. *Anima quæ peccaverit,* etc. ORIG., hom. 2 in Levit. Recte animam dicit, etc., usque ad et spiritus dux ad virtutem, si eum sequi velit. ISICH. *Anima cum peccaverit,* etc. Nihil necessarium legislator omisit, etc., usque ad unde, *Qui nescibat peccatum, pro nobis peccatum factus est.*

§4.3 *Si sacerdos,* etc. ORIG. Observandum est quod in peccato pontificis legislator non addit quod ignorans aut nolens peccaverit: neque enim ignorantia in eum cadere potest, qui ut doceret cæteros proventus est. ID. *Si sacerdos,* etc. Terror simul et misericordia, etc., usque ad qui conscientia infirmitatis mordetur. ID. *Si sacerdos,* etc. Pontifex, sensus pietatis et religionis, etc., usque ad Christi morte reparatur. *Vitulum immaculatum Domino,* etc. ID. Secundo invenimus offerri a pontifice vitulum in holocaustum, etc. usque ad in quo passus est Christus.

**4.5 *Hauriet quoque de sanguine,* etc. Sanguinem vituli in tabernaculum, id est, in cælum intulit: cum post resurrectionem cælos conscendens, vultui Patris astitit, quasi offerens sanguinem passionis, interpellans pro nobis.

††4.6 *Septies:* pro dimissione, scilicet peccatorum et sub ministratione spiritualium donorum. Sanguis autem passionem significat, secundum illud: *Mundus ego sum a sanguine justi hujus.* Et alibi: *Sanguis ejus super nos,* etc. De hac aspersione Petrus ait: *In obedientiam et aspersionem sanguinis Christi,* etc. *Velum,* humanitatem Christi. Nam sicut velum erat inter sancta sanctorum et exterius tabernaculum, ita caro Christi est inter nos, qui exterius tabernaculum sumus, et divinitatem, quæ per sancta sanctorum significatur. Contra velum ergo testimonii sacerdos sanguinem vituli aspersit, quia Christus carnem suam sanguinem passionis cruentavit. *Contra velum,* etc. Multis nominibus carnem Domini appellat, quia operatio ejus multa. Unde ipse Dominus seipsum, modo sacrificium Luc. 21., modo pastorem, rursus vitem, deinde panem vitæ et granum tritici, translatis vocabulis nominavit. Joan. 10, 15, 6, 12. Sic et Moyses carnem ejus velum appellavit. Unde Paulus: *Initiavit nobis viam per velamen, id est carnem suam* Heb. 10.. Velum quoque sanctuarii exhinc appellatur, quia in eo sancti sanctorum caro figuratur.

introitu tabernaculi.† 8 Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum qui vitalia operit quam omnia quæ intrinsecus sunt: 9 duos renunculos et reticulum quod est super eos juxta ilia, et adipem jecoris cum renunculis,¶ 10 sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum: et adolebit ea super altare holocausti. 11 Pellem vero et omnes carnes, cum capite et pedibus et intestinis et fimo,§§ 12 et reliquo corpore, efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent: incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur. 13 Quod si omnis turba

†4.7 *Super cornua.* Hoc altare sedem Dei, id est Seraphin significat, unde Esa: *Volavit ad me unus de Seraphin, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulit, de altari* Isa. 6.. Thymiama, secundum LXX, compositiones omnium virtutum. Ubi enim decet compositas esse virtutes, nisi in sede Dei? de coelo namque ad nos descendunt. Unde Jacobus ait: *Quæ autem desursum sapientia* Jac. 3.. Quatuor autem virtutes, sapientia, justitia, fortitudo, temperantia, quia cæterarum virtutum genera continent, nominantur cornua: has inungit Deus proprio sanguine confortans, scilicet majori et perfectiori virtute, ut possint contra adversarias potestates fortitudinesque prævalere. *Altaris,* etc. Angelicarum virtutum. Si enim homines gratum Deo odorem bonorum operum reddunt, quanto magis sancti angeli in puritate naturæ permanentes? Si autem peccatum quod Christi sanguine piaretur, non admiserunt, per sanguinem tamen ejus nobis pacificati sunt, et numerus eorum reparatus. *In basim.* Basis, pars altaris inferior, infirmos homines significat. Sanguine enim Christi non solus numerus angelorum restitutus est, sed et homo redemptus: ideo angelorum quoque redemptio Christus dicitur Col. 1.. *Altaris holocausti.* Corporis Christi. Ipse enim est sacerdos, ipse sacrificium, ipse et altare. Sicut enim multa operatur, ita convenienter multis nominibus appellatur. Unde Paulus: *Habemus altare de quo non habent potestatem edere qui tabernaculo deserviunt* Heb. 13.: hoc est, corpus Christi, de quo non licet edere Judæis; hoc altare est in introitu tabernaculi, id est cœli, quia per ipsum ingressum habemus in cœlum. *Et adipem.* Mystice, delectationes et desideria carnis; quæ tamen omnia non sunt in Christum recipienda, sicut gulæ, et coitus desiderium. Quæ autem habuerat, habuit ex nobis, ut sitim et esuriam, et hujusmodi. Hæc autem Patri obtulit, ad cuius transtulit gloriam, et nobis in exemplum protulit, ut ad Deum desideria nostra referamus.

¶4.9 *Duos renunculos et reticulum, quod est super eos juxta ilia.* ISICH. Quæ fiunt et in sacrificio pacificorum, vel salutari. Et in duo sacrificium dividit, ut sacrificium Christi liceat omnibus imitari tam his scilicet qui inferioris sunt conversationis, quibus sacrificium pacificorum convenit, quam his qui altiora sequuntur, quibus sufficit si sequentia imitantur.

§§4.11 *Pellem vero et omnes carnes cum capite et pedibus et cætera.* Hoc præcipit ut Christum non dividas, sicut quidam dividunt dicentes: Qui de Maria passus, qui de Deo passus non est; *Nobis autem unus est Deus Jesus Christus per quem omnia* I Cor. 8.. Caro enim in Domino omnis humanitas est, secundum quod dicitur: *Verbum caro factum est* Joan. 1.. Unde ait: *Carnes ejus cum capite et pedibus* vel extremis secundum alios, ut per hæc verba, eum qui pro nobis passus est, primum et novissimum esse credamus: ipse enim est ante omnia, et in ipso constant omnia. *Cum intestinis et fimo,* LXX: cum ventre et stercore. Venter autem significat mentem; eum ergo qui pro nobis passus est, mentem humanam habuisse minime dubitemus, quod quidam hæreticorum negant. Fimus, peccatum humani generis, signat quod crucifixus in se suscepit. Fimus, cum sit immundus, gerentem non polluit; neque naturæ nostræ est, quamvis in nobis sit: sic peccata nostra, quæ Dominus portavit, aliena ab illo fuerunt, nec eum polluerunt. *Intestinis et fimo,* etc. ORIG. Forte ad comparationem, etc., usque ad plenius legislator in sequentibus figurat ejus mysterium.

Israël ignoraverit, et per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, * 14 et postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium tabernaculi. 15 Et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino. Immolatoque vitulo in conspectu Domini, 16 inferet sacerdos, qui unctus est, de sanguine ejus in tabernaculum testimonii, 17 tincto digito aspergens septies contra velum. 18 Ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonii: reliquum autem sanguinem fundet juxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonii. 19 Omnemque ejus adipem tollet, et adolebit super altare: 20 sic faciens et de hoc vitulo quomodo fecit et prius: et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus. 21 Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut et priorem vitulum: quia est pro peccato multitudinis.† 22 Si peccaverit princeps, et fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur:‡ 23 et postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum.¶ 24 Ponetque manum suam super caput ejus: cumque immolaverit eum loco ubi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est,§ 25 tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, et reliquum fundens ad basim ejus.** 26 Adipem vero adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus, et dimittetur ei. 27 Quod si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quidquam de his, quæ Domini lege pro-

*4.13 **Quod si omnis turba.** ISICH. Idem præcipit in sacrificio turbæ et sacerdotis, etc., usque ad pro ipsis enim crucifixoribus oravit: **Pater, ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.**

†4.21 **Vitulum efferet extra castra** ID. Sufficit nobis conclusio legis ad manifestanda præsentia, nihil enim præcipitur hic mutari pro peccato multitudinis. Manifestum est quod idem peccatum plebis et sacerdotis intelligit, ideo in utroque idem sacrificium ordinavit.

‡4.22 **Si peccaverit princeps et fecerit.** ID. Sicut in spontaneis sacrificiis, etc., usque ad sabbatum enim ad otium malorum datum est. ORIG. Princeps iste potest dici vis rationis, quæ intra nos est, quæ si peccet, ut aliquid stultum agamus, sententiam illam timeamus: **Vos estis sal terræ. Si vero sal infatuatum fuerit, ad nihilum valet nisi projiciatur foras, et conculcetur ab hominibus.** Matth. 5.

¶4.23 **Hircum de capris.** Non capram, facilem scilicet vel mediocrem, sed difficilem et asperam pœnitentiam. Quanto enim quis intellectu præeminet, tanto, si peccat, pro majori culpa majorem pœnam sustinet.

§4.24 **Ponet manum,** etc., per semetipsum peccatum manifestans, et offerens confessionem suam. Ipse autem juxta LXX, non occidit, sed alii; quia illi est necessarium aliorum auxilium, ut pœnitentia suscipiatur, nec sacerdos occidere præcipitur, ait enim: **Cumque immolaverit,** etc., nec addidit, quis immolare debeat, licet enim in sacrificio pœnitentiæ alterius uti adjutorii: unde Jac.: **Orate pro invicem, ut salvemini. Ubi solet mactari,** etc. Quia similiter placent Deo digna peccatorum pœnitentia et fortia justorum opera.

4.25 **Cornua altaris, etc. Super crucem offeruntur primitiæ sanguinis qui pro peccato offertur, quia opus crucis et effectus peccatorum nostrorum perfecta remissio est. **Et reliquum fundens.** Omnem scilicet pœnitentiam evangelicæ prædicationi tribuens cujus intentio est ut se corrigat et salvetur qui pœnitet. Unde in principio Evangelii Dominus inquit providenter: **Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum.** Matth. 3.

hibentur, atque delinquat,†† 28 et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam. 29 Ponetque manum super caput hostiæ quæ pro peccato est, et immolabit eam in loco holocausti. 30 Tolletque sacerdos de sanguine in digito suo: et tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus. 31 Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino: rogabitque pro eo, et dimittetur ei. 32 Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam: 33 ponet manum super caput ejus, et immolabit eam in loco ubi solent cædi holocaustorum hostiæ. 34 Sumetque sacerdos de sanguine ejus digito suo, et tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus. 35 Omnem quoque adipem auferens, sicut auferri solet adeps arietis, qui immolatur pro pacificis, cremabit super altare in incensum Domini: rogabitque pro eo, et pro peccato ejus, et dimittetur ei.

5 Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.‡‡ 2 Anima quæ tetigerit aliquid immundum, sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile: et oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, et deliquit:¶¶ 3 et si tetigerit quidquam de immunditia hominis juxta omnem impuritatem, qua polui solet, oblitaque cognoverit postea, subjacebit delicto. 4 Anima, quæ juraverit, et protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene, et idipsum juramento et sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum,§§ 5 agat pœnitentiam pro peccato, 6 et offerat de gregibus agnam sive capram, orabitque pro ea sacerdos et pro peccato ejus. 7 Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato, et alterum in holocaustum, * 8 dabitque eos sacerdoti: qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput

††4.27 *Quod si peccaverit*, etc. ORIG. hom. 2. in Levit. Faciens unum ab omnibus mandatis Domini, etc., usque ad cum agnoscit immolare sacrificium laudis. *De populo*, etc. ORIG. Ad distinctionem ejus, etc. usque ad propter nos necessarium ducit. *Si autem de pecoribus*. ISICH. Oblationi capræ quam offerunt qui de populo sunt, etc., usque ad de capra et ove similia præcipit.

‡‡5.1 *Si peccaverit anima*, etc. AUG. quæst. 1 in Levit. Videtur dicere peccare hominem, etc., usque ad sed statim subjunxit: *Anima quæ tetigerit aliquid immundum*, etc. ISICH. *Si peccaverit*, etc. Non repetit quæ superius dixit, etc., usque ad quia alterius peccatis vel errori non debemus consentire, sed arguere.

¶¶5.2 *Anima qui tetigerit*. ISICH. Non corporis, etc., usque ad sed potest dicere cum David: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium* Psal. 123.. GREG. lib. XXXII Moral., cap. 4 tom. 2. Juramentum proferre est voto nos divinæ servitutis alligare, etc., usque ad igni doloris ardemus.

§§5.4 *Anima quæ juraverit*, etc. AUG., quæst. 2 in Levit. Quid est quod pro tacito perjurio, vel tacto morticino, vel aliquo immundo nullum sacrificium præcipitur? Pro eo vero quod quisque falsum nesciens jurat, agnam vel capram offerri decernit? an pro omnibus supradictis hoc sacrificium oportet intelligi? Omnibus enim enuntiat is intulit sacrificium expiationis. *Intellexerit delictum*. ISICH. Notandum quod delictum, etc., usque ad sicut sequentia ostendunt.

*5.7 *Sin autem non potuerit*, etc. ID. Hoc adjiciamus, ut si quid horum princeps peccaverit, hircum offerat de capris, condignam scilicet pœnitentiam sibi, qui nec peccare debuit, nec communicare aliis, nec subditos ad peccandum provocare. Quod ergo evenire non debuit, indiscussum reliquit. *Sin autem*, etc. ID. Qui non potest affligere se continue, etc., usque ad quia seipsum plenissime Deo sacrificat.

ejus ad pennulas, ita ut collo hæreat, et non penitus abrumpatur.^{† 9} Et asperget de sanguine ejus parietem altaris; quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum ejus, quia pro peccato est.^{‡ 10} Alterum vero adolebit in holocaustum, ut fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos et pro peccato ejus, et dimittetur ei.¹¹ Quod si non quiverit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam: non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.^{¶ 12} Tradetque eam sacerdoti: qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare in monumentum ejus qui obtulerit,^{§ 13} rogans pro illo et expians: reliquam vero partem ipse habebit in munere.^{** 14} Lo-

[†]5.8 *Retorquebit caput* GREG., hom. in Ezech. Mors Christi ad conjunctionem sui corporis, etc., usque ad omnes nos sibi verius in ipsam mortem suam conjunxit. GREG. *Retorquebit*, etc. In sacrificio Dei turtur esse debemus, ut caput nostrum ad pennulas retorqueatur, id est, sensus ad virtutes. Per caput, mentem intelligimus, quia sicut caput corpus, ita mens actiones regit. Sed caput collo inhæret, nec funditus abscinditur, quia mens nostra a carnis delectatione est separanda, non a carnis necessaria cura, nec curam carnis faciamus in desideriis Rom. 13.. Caput ergo turturis partim abscindatur, et partim collo inhæreat. *Abrumpatur*, etc. Vult nos non servire corpori, sed abrumpi vel retorqueri, ne lex peccati regnet in membris nostris. Quia vero corpus nostrum non debemus odio habere, nec diaboli facturam secundum hæreticos existimare, sed menti supponere, non præcipit separari corpus a collo, utrumque enim unius ejusdemque creatura est.

[‡]5.9 *Fundamentum*, etc. LXX, basim, quod est Evangelium, quia, secundum intentionem sacrificii Christi et Evangelii, debet sacrificium pro peccatis offerri. Unde addit: *Quia pro peccato est*, nihil enim sic a peccato eripit, quemadmodum imitatio Christi et obedientia Evangelicæ prædicationis. *Quod si non quiverit*. Quia non omne tempus ad poenitentiam facile, quando scilicet ipsa poenitentia abutimur, et fructum ejus, ad peccatum redeuntes, abolemus, legislator innuit dicens: *Quod si non quiverit manus ejus*, etc. AUG. quæst. 8 in Levit., tom. 3. Quæritur utrum ubique accipiendum sit quod dictum est, etc., usque ad ut cætera omnia ab istis ad illam generalitatem pertinerent.

[¶]5.11 *Ephi*. ISICH. Mensura est trium mensurarum, etc., usque ad non perire eos qui sub manu ejus fuerint. *Non mittet in eum*, etc. Quasi: non est hæc perfecta poenitentia, ideo oleum non habet, id est, spiritualem lætitiarum hilaritatis, nec thus, quia nec confidendum est ei in orationibus: sed tradat, qui offert oblationem, sacerdoti, id est, spem salutis committat divinæ pietati. *Qui pro peccato*. Quia nescit utrum boni odor sit oratio ejus qui frequenter prævaricatur. Unde: *Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem* Joan. 3.? Non sinit ergo desperare nec tamen præsumere, ne iterum negligentes sint.

[§]5.12 *Pugillum*. In pugillo Scriptura significatur, quo scribitur. Scriptum est autem: *Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies* Matth. 28.. Per pugillum ergo innuit Deum exorandum esse, ut meminerit scriptæ misericordiæ suæ, ut eam nobis donet: sicut fratribus donari jubet; hoc enim orantem mundabit sacerdos magnus.

^{**}5.13 *Anima si prævaricans*, etc. ISICH. Ab omni peccato abstinendum est, sed maxime ab eo quod contra sancta committitur: quantum autem sit horrendum oblatio testatur. Nusquam enim a principio historiæ, nisi hoc in loco, aries offerri jubetur, in quo necessitas et utilitas sacrificii perhibetur: non offertur hic hircus, non capra, non ovis, non par turturum, aut duo pulli columbarum. *Cæremonias per*, etc. ORIG. Multæ species sanctificationis sunt. Est oleum, quo ungitur solum tabernaculum; et thymiana, de quo dicitur: *Quicunque talem compositionem fecerit, peribit de populis suis*: panes quoque propositionis soli mares comedunt, qui sunt de stirpe Aaron. Mystice autem in his quæ sanctificata sunt, peccat, qui in sacro loco aliquid irreverenter usurpat, vel res divinas indigne tractat.

cutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ¹⁵ Anima si prævaricans cæremonias, per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus sanctuarii:†† ¹⁶ ipsumque quod intulit damni restituet, et quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, et dimittetur ei.‡‡ ¹⁷ Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, et peccati rea intellexerit iniquitatem suam,¶¶ ¹⁸ offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: et dimittetur ei,§§ ¹⁹ quia per errorem deliquit in Dominum.

6 Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:† ² Anima quæ peccaverit, et contempto Domino, negaverit proximo suo depositum quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, ³ sive rem perditam invenerit, et inficians insuper pejeraverit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, ⁴ convicta delicti, ⁵ reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra, et quintam insuper partem domino cui damnum intulerat.† ⁶ Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, et dabit eum sacerdoti, juxta æs-

††5.15 *Duobus siclis.* Duo sicli, duo præcepta charitatis sunt, quibus peccator emit sibi confidentiam remissionis. Nihil enim valet pœnitentia sine gratia remissionis; unde juxta LXX aries quinquaginta siclis emitur, quia per pœnitentiam et geminæ charitatis observantiam perfecta requies acquiritur, quando remissio peccatorum datur. LXX, *argenti quinquaginta siclis, siclo sancto.* Nemo enim acquirit Domini sacrificium nisi per Spiritum sanctum, quia *nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto* I Cor. 12.. Quinquaginta vero Spiritus sancti adventum significat, quia die Pentecostes, id est, quinquagesima ad apostolos venit. LXX: *siclo sancto.* In siclo sancto, Spiritus sancti virtutem et operationem significavit. *Siculus 20 obolorum est,* vicenarius obnoxius peccati non est: unde qui de Ægypto exierunt, cum essent viginti annorum, peccati populi pœnam non susceperunt Num. 14.; mundus quippe est ab omni peccato spiritualis homo.

‡‡5.16 *Et quintam partem,* etc. ISICH. Qui vase sancto vel cibo, etc., usque ad sic enim pro peccato nostro deprecabitur.

¶¶5.17 *Anima si peccaverit,* etc. ID.. Videtur oblitus quod præceperat: pro quibus enim peccatis capram vel ovem offerri præcepit, nunc arietem offerri præcipere videtur; sed nec oblitus est anteriora, nec contraria præcepit: ibi enim per animam, Gentilem significavit: hic autem eum qui per ignorantiam transgreditur mandata legis. AUG. quæst. 7 in Levit. Quæritur quomodo discernitur hoc delictum ab eis quæ generaliter complexus est, etc., usque ad vel aliqua in sacris servitiis.

§§5.18 *Offeret arietem,* etc. Superius præcepit ut pœnitens capram offerret, hic arietem immolari jubet, quia nihil prodest asperitatem pœnitentiæ immolare, nisi statueris in Christi immolatione plenam confidentiam habere.

*6.1 *Locutus est,* etc. *Anima quæ peccaverit,* etc. ISICH. Idem peccatum est quod in sancta, etc., usque ad simile est rapinæ. ORIG. hom. 4 in Levit. *Anima quæ peccaverit,* etc. Ego puto quod animam nostram, etc., *usque ad: Nemo enim mittit vinum novum in utres veteres. Rem perditam,* etc. ORIG. LXX: *perditionem.* Laborant hæretici in Scripturis perditionem invenire, unde possint errorem astruere: sed forte ecclesiastica verba audientes respiscunt, et quod invenerant, perditionem esse intelligunt et reddunt, id est, auctori suo dimittunt.

†6.5 *Et quintam insuper partem,* etc. Linguam, scilicet in qua unus de quinque sensibus: hæc offertur, ut de cætero non peccet, quia per ipsam unumquodque prædictorum commissum est. ORIG. LXX: non *quintam partem,* sed *quintas,* ut bis quinque, etc., usque ad unum Deum referamus.

tionem mensuramque delicti: ⁷ qui rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccavit. ⁸ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ⁹ Præcipe Aaron et filiis ejus: Hæc est lex holocausti: cremabitur in altari tota nocte usque mane: ignis ex eodem altari erit. ¹⁰ Vestietur tunica sacerdos et feminalibus lineis: tolletque cineres, quos vorans ignis exussit, et ponens juxta altare, ¹¹ spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis, efferret eos extra castra, et in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet. ¹² Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutrit sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, et imposito holocausto, desuper adolebit adipem pacificorum. ¹³ Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficit in altari. ¹⁴ Hæc est lex sacrificii et libamentorum, quæ offerret filii Aaron coram Domino, et coram altari. ¹⁵ Tollit sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, et totum thus, quod super similam positum est: adolebitque illud in altari in monumentum odoris suavissimi Domino: ¹⁶ reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis, absque fermento: et comedet in loco sancto atrii

^{6.8} *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens.* ISICH. Hic de jugi sacrificio loquitur, etc., usque ad et totam vitam suam ad perfectionem componat.

^{6.10} *Lineis,* non laneis, tunicam et feminalia linea vult esse, non lanea Exod. 28.. Vestis enim linea habilis et mollis est, et adhærens corpori; lanea autem aspera, quia habiles multumque cohærentes sunt animæ justitia et castitas. Linea quoque vestis facile potest haberi, sic et virtutes, si quis voluerit eas consequi. *Tolletque cineres,* etc. Cinis consummatio boni operis. Cineres extra castra efferret Aaron, qui post hanc vitam bona opera per Christum pontificem magnum Deo Patri præsentant. Et ibi in favillam rediguntur, dum assistit vultui Dei pro nobis. Castra enim sunt præsens vita, in qua semper contra spirituales nequitias pugnamus Heb. 9.. Juxta altare ponuntur, dum consummatio bonorum operum in arca cordis reconditur. Altare enim in hoc loco cor significat. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ,* etc. Eph. ult.

^{6.11} *Indutusque aliis.* ORIG. Observandum quod aliis indumentis titur sacerdos in sacrificiorum mysterio, et aliis quando procedit ad populum. Unde: *Sapientiam loquimur inter perfectos* II Cor. 1.. Et alibi: longe inferiori stola indutus, *nihil judicavi,* inquit, *me scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* II Cor. 1..

^{6.12} *Ignis in.* AUG. quæst. 12 in Levit. Non vult ignem prorsus exstingui, sed cum usque mane arserit holocaustum, ablatis reliquis iterum renovati, quo ardeant alia quæ imponuntur. *Quem nutrit sacer.* Allegorice. Mane judicatus est Christus, vespere crucifixus. Ignis ergo mane et vespere subjicitur: quia charitas Dei in nobis nutritur, dum Christum mane judicatum, vespere crucifixum, recolimus. GREG. lib. XXV Moral., cap. 7. Altare Dei cor nostrum est, etc., usque ad ut quo magis videtur Deus, magis diligatur. *Et imposito holocausto desuper adolebit,* etc. AUG., quæst. 13 in Levit. Videndum est utrum nullus dies prætermitteretur, etc., usque ad quod mirum est si taceret, nec admoneret talia vespere offerri.

^{6.14} *Hæc est.* Videtur legislator iterare quæ dixit, memoriam renovans repetitione mandati, et ostendens utilitatem et necessitatem legis. Interponit tamen aliquid novi in quo mandatum necessarium et inexcusabile innuit. Sicut ergo de holocaustis sacrificia iteravit, permiscens eis assiduitatem, ut est illud: *Ignis in altari semper ardeat et nunquam deficiat:* sic in sacrificio similæ, id est theologiæ addit, quia oportet in loco tantum sancto, et a masculo comedi. *Et coram.* Secundum quod Christus revelaverit, qui est verum altare. In his ergo theologiam constituamus quæ nobis tradidit Christus incarnatus, ut Patrem in eo, et ipsum in Patre cogitemus, et quia Spiritus est Filii et a Patre procedit.

tabernaculi.† 17 Ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto.¶ 18 Mares tantum stirpis Aaron comedent illud. Legitimum ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificiis Domini: omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur.‡ 19 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 20 Hæc est oblatio Aaron, et filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium ejus mane, et medium ejus vespere: 21 quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suavissi-

‡6.16 *Reliquam*, etc., ut non ex toto a theologia cessemus, quia summa scientiæ in futurum conversatur. *In loco*. Ecclesia, quæ est introitus et vestibulum cœli, in ea oportet de divinitate loqui, unde psal. LXVII: *In ecclesiis benedicite Deo*, est quisque sibi domestica ecclesia, dum a terrenis negotiis cessat: hic sibi de Deo loqui et theologiam exercere potest. Tales sunt quibus pars sacrificii datur, de Deo, scilicet, meditari et loqui.

¶6.17 *Sicut pro peccato*. Simile innuit hoc sacrificium ei, quod et pro peccato et pro delicto: sermo enim de Deo maxime ad expiationem et ad emundationem animæ habetur, quando oleo et thuri, id est, eleemosynæ et orationi, sacrificium verbi Dei, id est, theologiæ, conjunguntur.

‡6.18 *Mares tantum*. Non omnium est de Deo disputare, sed eorum qui nihil femineum, nihil fluxum in cogitationibus vel operibus habent. *Legitimum ac sempiternum est*. De Deo enim disputare præsumere non debemus, dum per sæculares phantasias a masculorum dignitate declinamus. *Omnis qui tetigerit*. ISICH. Hoc ad litteram stare non potest: nunquid enim si tetigerit homicida aut profanus sanctificabitur? nullus enim excipitur. Sed Christus, in cujus typo hæc præcesserunt, immolatur: hujus carnem qui tetigerit, id est, qui fidei corde totam spem salutis in passione ejus et resurrectione posuerit, continuo sanctificabitur. ID. *Omnis qui*, etc. Omnis commemoratio Dei sanctificationem præstat. Unde: *Sanctificatur autem per verbum Dei et orationem*. Sed cum dicit, tangentem sanctificari, plane ostendit quia disputando de Deo, id est, theologizando, sufficit nobis tantum tangere: qui enim vult calefieri, si manum in ignem miserit, pro calefactione adustionem sustinebit. *Hæc est oblatio*. AUG., quæst. 14 in Levit. Alia sunt sacrificia quæ commemoravit in Exod., quibus per septem dies sanctificantur sacerdotes, ut fungantur sacerdotio. Aliud est quod commemorat, quod offerat summus sacerdos, quando constituitur, id est quando ungitur: unde addit: *In die qua unxerit eum*, non eos, cum etiam secundos sacerdotes ungi præcipiat; hoc sacrificium est sempiternum per successionem, scilicet sacerdotum. Vel quia quod signat est sempiternum. *Hæc est*, etc. Aaron mons fortitudinis, id est, Christus; filii ejus omnes fideles; dies unctionis, tempus incarnationis, quo unctus est oleo lætitiæ præ participibus suis. *Ephi*. Christi humanitatem. Ephi quidem tres modios capiens significat Trinitatem, si tamen ephi Domini caro est, ut demonstretur divinitatis eminentia, et Dominicæ carnis cum ea inseparabilitas, nihilominus sacrificium perpetuum est. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos: unde et *salvare in perpetuum potest. In sacrificio*. ORIG. Lex Moysi sacrificium est sacerdotis, etc., usque ad in quo nihil sit remissum, nihil luxuriosum Matth. 16.. *Mane*. Mane cœpit passio Domini ex quo in atrio Caiphæ alapis cæsus est, et usque ad vesperum protelata est, tenebris enim eam interpolantibus, a sexta hora usque ad horam nonam in mane et vespere dividitur.

mum Domino* 22 sacerdos, qui jure patri successerit, et tota cremabitur in altari.†
 23 Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex
 eo.‡ 24 Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: 25 Loquere Aaron et filiis
 ejus: Ista est lex hostiæ pro peccato: in loco ubi offertur holocaustum, immolabitur
 coram Domino. Sanctum sanctorum est. 26 Sacerdos, qui offert, comedet eam in loco
 sancto, in atrio tabernaculi. 27 Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Si de
 sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto.¶ 28 Vas autem fictile,
 in quo cocta est, confringetur; quod si vas æneum fuerit, defricabitur, et lavabitur
 aqua.§ 29 Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia Sanctum
 sanctorum est.** 30 Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis infertur
 in tabernaculum testimonii ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed com-
 buretur igni.††

*6.21 *Quæ in sartagine.* GREG. hom. 12 in Ezech. Nullum Deo tale sacrificium est, etc., usque ad holocaustum Deo deputatur.

†6.22 *Sacerdos.* LXX: *Sacerdos unctus pro eo ex filiis ejus faciet ea.* Christus enim *pro* Aaron est, non in loco ejus, quia transtulit in se sacerdotium, et abstulit Aaron. *Ex filiis ejus*, quia de Jacob per Mariam descendit et ex eadem tribu. *Qui patri.* Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia Rom. 11.. Dominus enim gloriæ crucifixus est, et incarnati Verbi passio est, quæ fuit in carne Christi: *Qui semetipsum totum exinanivit, formam servi accipiens et obediens patri usque ad mortem crucis.*

‡6.23 *Omne enim.* Quæcunque in sacrificio pacificorum in hoc quoque jubet fieri. *Nec quisquam.* Quod comeditur comminuit: sacrificium Christi comminuit, qui pro peccatis mortuum dicit, cum peccatum non fecerit. ORIG. *Nec quisquam comedet.* Sacrificium in hoc loco Verbum accipiendum est, et doctrina, de qua nullus edit, id est, disputat vel retractat; sed holocaustum est. Quidquid enim dixit, quidquid statuit, æterna consecratione perdurat. *Sacerdos qui,* etc. AUG. quæst. 18 in Levit. Non quod imponit, etc., usque ad hoc et modo breviter commemorat. ORIG. homil. 5 in Levit. Quædam hostiarum sunt solius Dei, etc., usque ad melius ista igni reservamus.

¶6.27 *Quidquid tetigerit.* Quamvis oblatio sit alterius, id est pœnitentis, sanctificabitur etsi non pœniteat. Similiter si parvulus baptizatus fuerit, qui per se nondum peccavit, mundatur ab originali *Si de sanguine,* id est, si substantia carnis peccatis fuerit maculata. Unde: *Vestimentum mistum sanguine erit in combustione, et cibus ignis* Isa. 9. infernalis, scilicet lavabitur in loco sancto, id est spem habebit in baptismo, qui non solum præterita abluit, sed instruit ut de futuris pœnitere possit.

§6.28 *Vas autem fictile,* etc. Infirmus: scilicet, imbecillus, qui peracta pœnitentia relabatur ad peccata, his confringendus est terrore judicii.

**6.29 *Omnis masculus,* etc. Sacerdos integrum sacrificium offerens et comedens, Christus est, qui nostram pœnitentiam offert, et comedit peccatorum salutem. Carnes autem sacrificii, quia pertinent ad pœnitentiam, omnis masculus de sacerdotibus comedit, fortis, scilicet et strenuus, cui dicitur: *Viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum* Psal. 26..

††6.30 *Non comedetur,* etc. Quia ad Christum pertinet, qui propria auctoritate, et propria divinitatis virtute remissionem tribuit. Ejus enim passio, per quam nobis procuratur remissio, non fuit hominis puri, sed Dei incarnati. Ideo non editur ab hominibus, sed igne consumitur, quia remissionem dare Dei solius est, qui per ignem significatur, *Deus enim noster ignis consumens est* Deut. 4..

7 Hæc quoque lex hostiæ pro delicto, Sancta sanctorum est:‡² idcirco ubi immobilitur holocaustum, mactabitur et victima pro delicto: sanguis ejus per gyrum altaris fundetur.¶³ Offerent ex ea caudam et adipem qui operit vitalia: ⁴ duos renunculos, et pinguedinem quæ juxta ilia est, reticulumque jecoris cum renunculis. ⁵ Et adolebit ea sacerdos super altare: incensum est Domini pro delicto. ⁶ Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia Sanctum sanctorum est. ⁷ Sicut pro peccato offertur hostia, ita et pro delicto: utriusque hostiæ lex una erit: ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit.§§⁸ Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus. ⁹ Et omne sacrificium similæ, quod coquitur in clibano, et quidquid in craticula, vel in sartagine præparatur, ejus erit sacerdotis a quo offertur: * ¹⁰ sive oleo conspersa, sive arida fuerint, cunctis filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur.† ¹¹ Hæc est lex hostiæ pacificorum quæ offertur Domino. ¹² Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo, et lagana azyma uncta oleo, coctamque similam, et collyridas olei

‡7.1 **Delicto.** ISICH. Delictum aliquando dicit, etc., usque ad oblatio autem renum et pinnulæ epatis et femorum sanctimonia est. ORIG. quæst. 5 in Levit. Quidam dicunt esse delictum cum non facimus quod debemus: peccatum vero cum non facimus quod non debemus, sed non ubique hoc observatur.

¶7.2 **Sanguis ejus,** etc. ISICH. Quæcunque fiunt in sacrificio pacificorum, in hoc quoque jubet fieri.

§§7.7 **Sicut pro peccato,** etc. AUG., quæst. 20 in Levit. Peccatum est perpetratio mali, delictum desertio boni. Sicut enim aliud est declinare a malo, aliudque facere bonum, ita et aliud abstinere a bono, et aliud facere malum, et illud delictum hoc peccatum sit. Vel delictum est quod ignoranter, peccatum quod scienter committitur. ORIG., ubi supra. **Sicut pro peccato,** etc. Similiter jubentur adipem arietis, usque ad id est, quod a via peccati peccatorem convertunt. **Ad sacerdotem,** etc. Christum, qui pro nobis propitiatio factus est. In ipso ergo omne sacrificium ministratur, et agitur, et quod ex pœnitentia consequitur, ad eum refertur. Ipse enim, ut nos salvaret, venit dicens: **Non veni vocare justos, sed peccatores** Matth. 9.. **Holocausti victimam.** ISICH. Non bonum scilicet aut ovium, etc., usque ad cujus respectu patientiam habemus in passionibus.

*7.9 **Habebit pellem.** Circumstantiam divitiarum, quas debent offerre vero sacerdoti, qui volunt holocaustum fieri. Sathan circumstantia divitiarum pellem nominavit, dicens: **Pellem pro pelle, et omnia quæ habet homo, dabit pro anima sua** Job 2.. Hanc dedit Job ut pellem, id est patientiam retineret, quæ pellis dicitur ex qua fiunt multa utilia. **Et quidquid in craticula,** etc. Quia hæc theologiæ incarnationis proxima sunt, necessario offerentis sacerdotis sunt, id est Christi nati, passi, et qui resurrexit.

†7.10 **Sive oleo conspersa,** etc. ORIG. hom. 5 in Levit. Sacrificium jubetur fieri in oleo etc., usque ad alter in sartagine, tertius in craticula. ISICH. Consersum oleo sacrificium de simila dicit, etc., usque ad filiis Aaron deputavit.

admistione conspersas:[‡] 13 panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis: 14 ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, et erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem,[¶] 15 cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane.[§] 16 Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die: sed et si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est:^{**} 17 quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumet.^{††} 18 Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potius quæcumque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit. 19 Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni: qui fuerit mundus, vescetur ex ea.^{‡‡} 20 Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. 21 Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel jumentum, sive omnis rei quæ polluere potest, et comederit de

[‡]7.12 *Si pro gratiarum actione fuerit oblatio.* Ad litteram pro gratiarum actione fit oblatio, cum quis de magna tribulatione liberatus gratias agit, sicut Moyses post transitum maris Rubri Exod. 15..Mystice quoque, qui majora crimina non commiserit, Dei misericordiæ laudes persolvit, qui se immunem ab horrendis criminibus custodivit. *Et lagana azyma uncta oleo.* Panem, scilicet tenuem et latum, qui scientiam prophetarum significat. Quantum autem distat inter soliditatem panis et teneritudinem lagani, tantum inter scientiam veteris et Novi Testamenti; panes ergo sparguntur oleo, lagana ununtur, quia majus est lumen et gratia Novi Testamenti quam veteris. *Coctamque simulam, et collyridas olei,* etc. Divinam scilicet sapientiam, quæ coquitur igne charitatis. Nam Christus Dei sapientia propter nimiam charitatem se tradidit morti.

[¶]7.14 *Offeretur Domino, et erit sacerdotis,* etc. LXX: *Et offeret de omnibus muneribus suis laudationem Dei sacerdoti profundenti sanguinem salutaris illi erit. Non enim volentis neque currentis, sed Dei miserentis est* Rom. 9.. Christo autem ministranti et perficienti sacrificium primitiæ offerendæ sunt.

[§]7.15 *Cujus carnes eadem comedentur die,* etc. ORIG., ubi supra. Alius animæ cibus est lactis, etc., *usque ad: Sint,* inquit, *nova et vetera. Usque mane.* Futurum sæculum, ubi erit verus dies qui nocti hujus sæculi succedit, non vult nostram vitam imperfectam relinqui per quam nos oportet salvari: in futuro enim non licebit operari.

^{**}7.16 *Si voto vel sponte,* etc. Omne sacrificium pacificorum, vel salutare spontaneum est, unde inter dona superius positum est. Sed gratiarum actionis vel laudis sacrificium, quamvis species ejus sit, quia rationabile est, voluntarium non dicitur: quia, cum rationales sumus, debitum quodammodo præcipuum Creatori debemus rationabile sacrificium. *Eadem similiter.* Quia quidam post hujus vitæ finem aliam talem descripserunt, introducentes quoddam sæculum mille annorum in quo Jerusalem ædificatur et templum ejus, et sancta sanctorum restaurabuntur, et sacrificia offerentur. Sed si quis hoc credit, et quodammodo in mente comedit, sperans se eo tempore comedere, quod est impossibile, oblatio ejus non suscipitur, quia polluta, peccatum quoque contrahit, unde ait: *Quæcunque anima tali se edulio contaminaverit,* etc. *Sed et si quid,* etc. ORIG., ubi supra. Duos dies, quibus licet vesci carnibus sacrificii, etc., usque ad non ergo assumam nobis cunctorum scientiam.

^{††}7.17 *Tertius invenerit dies.* Futurum sæculum in quo generalis resurrectio, quam Christi resurrectio significavit. Mane facto tertii diei, tunc quod reliquum est igne consumetur: quodcunque enim salutare imperfectum reliquerimus, aut malum fecerimus, tanquam ligna, fenum, aut stipula, igne consumetur: nos autem detrimentum patiemur I Cor. 3..

^{‡‡}7.19 *Caro quæ,* etc. ORIG., hom. 5 in Levit. Carnes sanctæ divina verba intelliguntur, usque ad et aliena immunditia pollutus est.

hujuscemodi carnibus, interibit de populis suis. ¶[¶] 22 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ²³ Loquere filiis Israël: Adipem ovis, et bovis, et capræ non comedetis. ^{§§} ²⁴ Adipem cadaveris morticini, et ejus animalis, quod a bestia captum est, habebitis in varios usus. * ²⁵ Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo. † ²⁶ Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus. ²⁷ Omnis anima, quæ ederet sanguinem, peribit de populis suis. ²⁸ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ²⁹ Loquere filiis Israël, dicens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul et sacrificium, id est, libamenta ejus. ‡ ³⁰ Tenebit manibus adipem hostiæ, et pectusculum: cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet sacerdoti, ¶ [¶] ³¹ qui adolebit adipem super altare, pectusculum autem erit Aaron et filiorum ejus. ³² Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias sacerdotis. § [§] ³³ Qui obtulerit sanguinem et adipem

¶[¶]7.21 **Vel jumenti.** Jumenta immunda sunt qui immundis et terrenis actionibus intenti sunt, unde fornicatores *equi emissarii* dicti sunt.

§§7.23 **Adipem ovis,** etc. Idest nec fortis, nec innocentis, nec poenitentis, bona intentio vel desiderium sinistra interpretatione depravandum tanquam per hypocrisim sit factum, ne quis velit meritum alterius exterminare, et quasi comedendo imminuere. AUG., quæst. 21 in Levit. tom. 3. Dixit superius, etc., usque ad sibi elegerunt mortem peccati.

*7.24 **In varios usus.** Non solum bonorum imitando opera, sed etiam malorum nobis in exemplum trahendo. Legimus enim Herodem natalis sui diem celebrasse, et epulas sanguine foedasse Matth. 14.: tale desiderium in usum habemus ut caveamus, sed econtrario nostri natalis diem quo in paradiso fuimus, cum luctu et afflictione memoremus. Pharisæus superbiens ait: *Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines,* etc. Luc. 18. Nos econtrario dicamus: *Deus, miserere mei, quia non sum similis servis tuis,* qui angelicam ducunt vitam in terris.

†7.25 **Si quis adipem,** etc. ORIG. Quasi: nemo scandalizet unum ex his minimis, qui in me credunt, etc. Sanguis comedi prohibetur, quasi, *ne glories adversus fractos ramos, ne tu excidaris, et illi, si non permanserint in incredulitate, inserantur* Rom. 11.. Sanguis autem Judæorum populus recte intelligitur: non enim ex fide neque ex spiritu Abrahæ, sed tantum de sanguine ejus descendit.

‡7.29 **Qui offert victimam.** ORIG. hom. 5 in Levit. Alia littera, etc., usque ad et salutis suæ conscius gratias Domino refert. ID., ibid. Sacrificium quod dicitur salutare, etc., usque ad qui portant vasa Domini.

¶7.30 **Tenebit manibus,** etc. HIERON., epist. ad Fabiolam, tom. 1. De victimis salutaribus adipem offerunt sacerdotes, etc., usque ad ut discat contemnere quæ se videt in secessum projicere. LXX: *Offerens sacrificium salutare Domino, offeret munus suum Domino de sacrificio salutari ejus.* Quod exponens adjungit: *Tenebit manibus adipem hostiæ.* Vel juxta LXX: *manus ejus offerent ex ea Domino:* Ipsum enim oportet quæ ad salutem suam pertinent operari: *quia justitia justi super eum erit, et impietas impij erit super eum* Ezech. 18.. *Pectusculum autem erit,* etc. ISID. Pectus datur sacerdoti, ut cogitationem mundam et doctrinæ habeat notitiam. Brachium dextrum, ut bona opera habeat, et ad pugnam contra diabolum armata manu procedat, et quod corde conceperit, operum exemplo perficiat. Datur et de privato maxilla, ut eloquentia polleat: datur et venter, ut luxuriam extinguat, et gulam contemnat.

§7.32 **Sacerdotis.** AUG. Christi, in sacerdote figurati. Unde solus sacerdos potest sacrificium hoc perficere. Incipere enim bonum nostrum est: perficere et ad finem ducere, divinæ gratiæ est. *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis dirigere actiones:* unde et brachium Dei nominatur. Unde recte armum vel, juxta LXX: brachium accepit.

filiorum Aaron, ipse habebit et armum dextrum in portione sua.** 34 Pectusculum enim elevationis, et armum separationis, tuli a filiis Israël de hostiis eorum pacificis, et dedi Aaron sacerdoti, et filiis ejus, lege perpetua, ab omni populo Israël. 35 Hæc est unctio Aaron et filiorum ejus in cæremoniis Domini die qua obtulit eos Moyses, ut sacerdotio fungerentur,†† 36 et quæ præcepit eis dari Dominus a filiis Israël religione perpetua in generationibus suis. 37 Ista est lex holocausti, et sacrificii pro peccato atque delicto, et pro consecratione et pacificorum victimis,‡‡ 38 quam constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandabit filiis Israël ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai.¶¶

8 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, et unctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum

**7.33 *Qui obtulerit sanguinem*, etc. Christus est, qui verum sanguinem pacificorum et adipem, animas scilicet et desideria salutarium offert, qui est de filiis Aaron sacerdos scilicet singularis et in omnibus præcipuus, cui cedit armus dexter in portionem, id est, omnis actio bona et perfecta.

††7.35 *Hæc est unctio*. ISICH. Videntur ergo hæc ad unctionem sacerdotum pertinere, etc., usque ad quid autem per prædictam unctionem intellexerit in sequentibus ostendit.

‡‡7.37 *Ista est lex holocausti*, etc. ORIG., hom. 5. Cum proposuerit legislator, etc., usque ad in qua figurarum veritas conservatur. *Ista est lex*, etc. ISICH. Vides differentes conversationes quæ Deo conjungunt, honorem scilicet, sapientiæ perfectum, qui significatur per holocaustum; vel justitiam mediocrem, quæ operatur ea quæ sunt ad salutem. Sacrificia enim pacificorum vel per holocaustum vel per oblationem recte esse utilia ad sacerdotalem dignitatem lex intellexit. Unde in die qua legem unctionis mandavit, subdidit ea quæ sunt de sacrificiis simulque omnia breviter memoravit.

¶¶7.38 *In monte Sinai*. Qui rubus vel tentatio interpretatur: similis est autem rubo tentatio: asperum enim virgultum est et difficile capitur: sic corona bonæ vitæ in tentationibus et tribulationibus vix habetur. Unde: *Beatus vir qui sustinet tentationem, quia, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ* Jac., 2..

azymis:§§³ et congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi.*⁴ Fecit Moyses ut Dominus imperaverat. Congregataque omni turba ante fores tabernaculi,⁵ ait: Iste est sermo, quem jussit Dominus fieri.⁶ Statimque obtulit Aaron et filios ejus. Cumque lavisset eos,[†]⁷ vestivit pontificem subucula linea, accingens eum balteo, et induens

§§8.2 *Duos arietes.* Christi passio significatur, qui est dux populi. Bene autem duo arietes immolantur, quia Christus bis nobis mysteria suæ passionis commisit: primum quando agnum mysticum in cœna comedit, secundo quando eadem mysteria in panis et vini consecratione constituit.

*8.3 *Et congregabis.* Convocavit Moyses omnem synagogam, quamvis Dominus elegisset et præcepisset, convocatur tamen synagoga: requiritur enim in ordinando sacerdote præsentia populi, ut sciant omnes et certi sint quia qui præstantior est ex omni populo, doctior, sanctior et virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium. Lavit ergo eum et induit. Quali indumento? tunica, et præcinxit eum zona. Et iterum: *Vestivit eum tunicam talarem* Eccli. 45., vel, ut alibi legimus, *interiorem* II Reg. 15.. Video autem duabus tunicis indutum pontificem. Jesus autem prohibet apostolos duabus tunicis indui, cum Moyses et Jesus, id est lex et Evangelium convenire debeant Matth. 10.. Dicunt alii quod Jesus præcepit duas tunicas non habere, non esse contrarium legi, sed perfectius lege: sicut et cum lex homicidium vetat Exod. 20., Jesus vero iracundiam resecat Matth. 5.; et cum lex prohibet adulterium, Jesus vero concupiscentiam abscidit. Ego non intra hujus intelligentiæ angustiam, pontificalia sacramenta concludo: amplius mihi aliquid ex ista forma videtur ostendi. Sciebat pontifex ille, quem tunc ordinabat Moses, quia circumcisio esset spiritualis: servabat tamen et circumcisionem carnis, quia incircumcisus esse non poterat, habebat ergo duas tunicas, unam carnalis mysterii, aliam intelligentiæ spiritualis. Non enim poterat esse pontifex eorum qui tunc erant, nisi carnalia sacrificia offerret, quamvis spiritualia esse debere sciret. Convenienter ergo habebat duas tunicas. Apostoli vero qui dicturi erant: *Si circumcidimini, Christus nihil vobis proderit* Gal. 5., et litteralem observantiam penitus reprobaturi, merito duas tunicas habere prohibentur; sufficit eis una, et hæc interior, eam vero quæ foris est legis tunicam nolunt, quia unam Jesus et ipsam interiorem habere permittit.

†8.6 *Cumque lavisset.* HIERON., ubi supra. Jam tunc purgationem mundi, etc., usque ad ut quod mente concipimus, opere perpetremus. ORIG., hom. 6 in Levit. Lavet te Moyses, etc., usque ad quali ordine pontifex constituatur.

eum tunica hyacinthina, et desuper humerale imposuit,[‡] 8 quod astringens cingulo

‡8.7 *Vestivit.* HIERON., ibid. Discamus prius communes sacerdotum vestes, etc., usque ad quia in tela non potest fieri hujusmodi opus. ID. Secunda est ex lino poderis, id est talaris duplici syndone, quam Josephus vocat byssinam, hæc adhæret corpori ita arcta et strictis manicis, ut nulla in veste ruga sit, et usque ad crura descendat. Tales solent habere milites lineas quas camisias vocant, aptas membris et astrictas, ut ad omnia expediti sint. Hac sacerdotes utuntur tunica, habentes vestitorum pulchritudinem, et nudorum celeritatem, quæ dicitur linea. Tertium cingulum, serpentis pelli quam in æstate exuit simillimum, ut longum marsupium in rotundum textum, sub tegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, et byssi: propter decorem et fortitudinem, ita polymite distinctum, ut diversos flores et gemmas artificis manu non intextas, sed additas putes. Hoc balteo inter umbilicum et pectus linea tunica stringitur, qui quatuor digitorum habens latitudinem et magna ex parte ad crura descendens, cum expeditione ad sacrificia opus est, in lævum humerum retorquetur. HIERON. Quartum est rotundum, etc., usque ad statim moriturus. ID. Sextum Hebraice, etc., usque ad in humeris portet. ID. Septimum parvulum est, etc., usque ad et una textura videntibus putaretur. ID. Octava est lamina aurea, etc., usque ad totamque pontificis pulchritudinem Dei nomen coronet et protegat. Mala autem Punica et tintinnabula in inferioribus posita fulgura demonstrant et tonitrua, vel terram et aquam et omnia elementa inter se consonantia, et sic sibi perplexa, ut sint in singulis omnia. HIERON. Hebræi quatuor colores, etc., usque ad providentia penetrat universa. ORIG., hom. 6 in Levit. In Exodo, ubi de sacerdotalibus mandatur vestibus, etc., usque ad ne sanctum detur canibus et margaritæ ponantur ante porcos Marc. 7.. *Et inducens,* etc. LXX: *Induit tunicam et præcinxit zonam et vestivit eum epomidem.* Incarnationem Christi exsequitur. Totum enim hominem suscepit, corpus scilicet et animam; *tunicam* terrenum appellavit, quia de terra est; epomidem cœlestem, quia poderis est. Et *hyacinthina,* qui est color cœlestis: utrumque enim suscepit, et utrumque salvavit. HIERON. In tunica hyacinthina, mala Punica, et tintinnabula: quia tanta debet esse pontificis scientia, ut gressus ejus et motus et omnia vocalia sint, et veritatem, quam mente concepit, habitu resonet; quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit. Sine tintinnabulis, coloribus diversis, gemmis, floribusque virtutum nec in Ecclesiam ingreditur, nec pontifex est. *Humerale,* etc. ORIG. Imposuit Moyses pontifici, superhumerale, quod est humerorum ex circumductione vestis ornatus: humeri autem laboris et operis indicta sunt. Vult ergo pontificem in operibus esse ornatum: non enim sufficit sola scientia, *sed qui fecerit et docuerit hic magnus vocabitur* I Tim. III; Matth. 5.. *Superhumerale.* HIER. Superhumerale et duos lapides smaragdinos vel onychinos, qui desuper humeros tegunt, interpretantur duo hemisphæria, quorum aliud super terram, aliud sub terra; vel solem et lunam qui desuper rutilant. ID. Duo lapides in superhumerali Christus et Ecclesia, duodecim apostolorum qui ad prædicationem missi sunt nomina continentes, vel littera et spiritus in quibus omnia legis mysteria; a dextris spiritus, a sinistris littera II Cor. 3.. Per litteras ad verba, per verba venimus ad sensum. Pulcher ordo ipso habitu sacramenta significans: in humeris opera, in pectore ratio, unde et pectusculum comedunt sacerdotes.

aptavit rationali, in quo erat Doctrina et Veritas.[¶] ⁹ Cidari quoque textit caput: et super eam, contra frontem, posuit laminam auream consecratam in sanctificatione, sicut præceperat ei Dominus. ¹⁰ Tulit et unctionis oleum, quo linivit tabernaculum cum omni supellectili sua.[§] ¹¹ Cumque sanctificans aspersionem altare septem vicibus, unxit illud, et omnia vasa ejus, labrumque cum basi sua sanctificavit oleo.^{**} ¹² Quod fundens super caput Aaron, unxit eum, et consecravit:^{††} ¹³ filios quoque ejus oblatos vestivit tunicis lineis, et cinxit balteis, imposuitque mitras, ut jusserat Dominus.^{‡‡} ¹⁴ Obtulit et vitulum pro peccato: cumque super caput ejus posuisset Aaron et filii

[¶]8.8 **Quod astringens.** ORIG., ubi supra. Cinxit eum secundum facturam humeralis, etc., usque ad quia secundum opera sua cingulo virtutis utitur. **Aptavit rationali**, etc. HIERON. Rationale in medio positum, terram indicat, quæ instar puncti, cum omnia in se habeat, cunctis vallatur elementis. ORIG., ubi supra. Imposuit super eum logion, etc., usque ad nihil enim post hæc adjicitur capiti pontificis. HIERON., ubi supra. Rationale duplex, apertum et absconditum, etc., usque ad et his præcedentibus doctrina et veritas sequatur. ID. Duodecim lapides, etc., usque ad nobis scientiam demonstrante. **Posuit laminam.** ID. Nihil prodest omnium eruditio, nisi Dei scientia coronetur, quæ semper est ei cum Patre: unde laminam super cidarim imposuit. ID. Imperfecta sunt omnia nisi currui quærat auriga, et super creaturas Creator insistens regat ipse, qui candidit. Quod olim in lamina, nunc in signo crucis ostenditur: pretiosior est sanguis evangelii auro legis; tunc juxta Ezechielem signum gementibus figebatur in fronte thau Ezech. 8.: nunc portantes crucem dicimus: **Signatum est super nos lumen vultus, Domine,** etc. Psal. 4. Auri lamina in fronte pontificis, et nomen Dei inscriptum; omnia quæ super terram sunt Dei arbitrio gubernari significant. Justum enim erat ut pontifex Dei, creaturarum omnium typum portans in vestibus suis, indicaret cuncta Dei misericordia indigere, et cum sacrificaret, expiaretur conditio universalis: ubi non pro liberis, parentibus, et propinquis, sed pro omni creatura voce et habitu precaretur.

[§]8.10 **Tulit**, etc. Ipse est Filius Dei, qui ungit et qui ungitur: ungens verbo divinitatis, secundum quod cum Patre et Spiritu sancto habet omnia communia. A Patre ungitur secundum illud: **Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ,** etc. Psal. 44.. Unxit eum Spiritus sanctus secundum Isaiam: **Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me** Isa. 61.. Quæ autem Pater et Spiritus sanctus, hæc eadem facit et Filius. Ungit ergo secundum divinitatem, ungitur secundum humanitatem. Unde et Daniel oblatum illum videt, offerentem non videt, quia semetipsum offert. Unxit ergo Moyses et offert, Christi figuram gerens.

^{**}8.11 **Sanctificant.** ORIG. Significat supernam creaturam sanctificatione nostra ditatam: id est, per carnem Dominicam ex nobis sumptam. Unde: **ut notum fieret principibus et potestatibus per ecclesiam,** etc.

^{††}8.12 **Fundens**, etc. Caput Christi divinitas. Sicut enim caput a pedibus non dividitur, sic nec divinitas Christi ab humanitate post unctionem I Cor. 11.. Unde ait: **Unxit te, Deus Deus tuus,** etc. Psal. 54. Sic enim Deus ungitur et sanctificatur.

^{‡‡}8.13 **Filios**, etc. ORIG., ubi supra. Attende differentiam minorum sacerdotum ad majores etc., usque ad etiamsi primi nomen acceperit. **Vestivitque**, etc. Filiis Aaron similes tunicæ et zonæ vel baltei et cidares vel mitræ imponuntur, ipsum enim induunt, ipso cinguntur, ipsum portant in capite; lumbi enim præcinguntur veritate, quæ est Christus, et induuntur lorica justitiæ: Christus autem justitia est sicut et galea salutis, ipse enim est salutare Dei.

ejus manus suas,[¶] 15 immolavit eum, hauriens sanguinem, et tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum: quo expiato et sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta ejus. 16 Adipem vero qui erat super vitalia, et reticulum jecoris, duosque renuculos, cum arvinulis suis, adolevit super altare: 17 vitulum cum pelle, et carnibus, et fimo, cremans extra castra, sicut præceperat Dominus. 18 Obtulit et arietem in holocaustum: super cujus caput cum imposuissent Aaron et filii ejus manus suas, 19 immolavit eum, et fudit sanguinem ejus per circuitum altaris. 20 Ipsumque arietem in frusta incidens, caput ejus, et artus, et adipem adolevit igni, 21 lotis prius intestinis et pedibus: totumque simul arietem incendit super altare, eo quod esset holocaustum suavissimi odoris Domino, sicut præceperat ei. 22 Obtulit et arietem secundum in consecratione sacerdotum, posueruntque super caput ejus Aaron et filii ejus manus suas: 23 quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine ejus, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, et pollicem manus ejus dextræ, similiter et pedis. 24 Obtulit et filios Aaron: cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, et pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum:^{§§} 25 adipem vero, et caudam, omnemque pinguedinem quæ operit intestina, reticulumque jecoris, et duos renes cum adipibus suis et armo dextro separavit. 26 Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento, et collyridam conspersam oleo, laganumque, posuit super adipem,

[¶]8.14 *Obtulit*, etc. ISICH. Quæ sit hujus legis virtus, etc., usque ad necessario autem filii Aaron tanquam communicantes ei sacrificio manus imponunt. AUG., quæst. 23 in Levit. Cum sacrificia pro peccatis memoraret, etc., usque ad et sanguinem fustum ad basim altaris sacrificiorum. *Obtulit*, etc. ISICH. Lex sacerdotem in multis Christum figurantem, etc., usque ad ovis præcepit. *Obtulit*, etc. Mysteriorum traditionem, et pascha mysticum, quod Christus celebravit cum discipulis suis Matth. 26., significat *aries: secundus* nominatur, quia post agnum in cœna immolatum, seipsum obtulit; unde Aaron super caput arietis manus imposuit cum filiis suis, quia communem cœnam cum discipulis suis Christus celebravit; sed Moyses specialiter hoc sacrificium obtulit, quia plus aliis figuram Christi expressit, qui maxime sacrificium suum fecit.

^{§§}8.24 *Tetigit extremum auriculæ*, etc. Si per Aaron Christum accipimus, extremum auriculæ ejus sanguine tactum fuit, quia Patri usque ad mortem obedivit. Si sacerdotes Ecclesiæ aures eorum tangendæ sunt, pollicesque manuum et pedum, ut eminentiam actionum et gressuum Domino consecrent. *Tetigit extremum*, etc. Quis sit hujus sacrificii effectus unctio aurium et manuum pedumque demonstrat: propter obedientiam quippe nostram actionesque bonas, et conversationem celebratur, ut inobedientia Adæ carentes Unigeniti obedientiam consequamur. *Manus ejus*, etc. Ut in bona actione confortemur. Confortantur enim quæ unguuntur, destruuntur quæ non unguuntur. Ubi enim unctio non fuit sanguinis immolati, percutiebatur Ægyptus. Sed prius sacerdos, et postea filii ejus ungebantur sanguine, quia Christus primus sanguinem accepit in cœna, deinde discipulis dedit. *Fudit super altare*. Cum enim bibit, et apostolis dedit bibere, intelligibilem sanguinem super altare, id est, corpus suum fudit. Ecclesia autem corpus Christi; unde Marcus: *Et sumens, gratias agens dedit eis, et biberunt ex eo omnes, et dixit eis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur* Marc. 14.. *Adipem vero*. Quid hæc significant, in salutari sacrificio, vel pacificorum dictum est. LXX vero pro cauda, lumbum; pro intestinis, ventriculum; et pro reticulo jecoris, pinnam epatis ediderunt: non frustra autem etiam nunc in ariete commemorantur.

et armum dextrum, * 27 tradens simul omnia Aaron et filiis ejus. Qui postquam leverunt ea coram Domino, 28 rursus suscepta de manibus eorum, adolevit super altare holocausti, eo quod consecrationis esset oblatio, in odorem suavitatis, sacrificii Domino. 29 Tulitque pectusculum, elevans illud coram Domino, de ariete consecrationis in partem suam, sicut præceperat ei Dominus.† 30 Assumensque unguentum, et sanguinem qui erat in altari, aspersit super Aaron et vestimenta ejus, et super filios illius ac vestes eorum.‡ 31 Cumque sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis, dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, et ibi comedite eas; panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus, dicens: Aaron et filii ejus comedent eos:¶ 32 quidquid autem reliquum fuerit de carne et panibus, ignis absumet.§ 33 De ostio quoque tabernaculi non exhibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ; septem enim

*8.26 **Canistro.** LXX, canistrum: consummationis, quæ est lingua Domini, quæ præcipuam perfectamque doctrinam introduxit. Non enim venit solvere legem, sed adimplere Matth. 13.. Hæc bene canistrum dicitur propter textum doctrinæ ejus, cum multa in parabolis dixerat. Erat autem et ferculum et mensa totius doctrinæ. Recte ergo de canistro consummationis mysticum panem proponit. **Panem.** Apostolicam doctrinam, legalemque, et propheticam. Lex enim, et prophetæ, et apostoli memoriam ejus faciunt. Lex enim dicit: **Hic est panis quem dedit vobis Dominus** Exod. 26.. Propheta autem: **Panis ejus dabitur,** etc. Isa. 33. Prophetica autem et legalis doctrina minus nutriunt quam apostolica. Unde Paulus: **Posuit Deus in ecclesia primum apostolos, deinde prophetas** I Cor. 12.. Apostoli autem legis et prophetarum ducunt testimonia, per quæ eis collyrida et lagana sunt subjecta. **Et armum** GREG. lib. I Regist., ep. 24. Sacerdos ex præcepto legis armum dextrum, etc., usque ad et in sequentibus Moyses dicit.

†8.29 **Tulit pectusculum.** AUG., quæst. 23 in Levit. Superius quia generaliter præcipiebat, etc., usque ad a principio enim dicitur: **Ipse tibi quæ ad populum, tu illi quæ ad Deum.**

‡8.30 **Assumesque unguentum.** ID., quæst. 24. Quæritur post mortem Mosi quis ungebat sacerdotem, etc., usque ad obsequendo non excellendo. **Aspersit,** etc. Quæcunque in nobis sunt bona ad eum tanquam caput nostrum reducenda sunt; unde: **Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.** Aperte igitur, **sanctificationem,** passionem suam dixit, quæ sanctificatio datur nobis. **Et super filios** AUG. Non apparebat quis filiorum summo sacerdoti succederet. Non enim primogenitum vel majorem definit Scriptura, nisi in aliquo divino judicio fiebat, quamvis ex contentione venisse videatur, ut postea plures fierent sacerdotes summi, quia contententibus excellentioribus litis finiendæ causa pluribus honor ipse tribuebatur.

¶8.31 **Panes quoque.** Carnes cum panibus comedi præcepit, ut intelligamus corpus Christi, qui caro est, et panis qui de cœlo descendit Joan. 6., et hoc in ecclesia tantum debet celebrari.

§8.32 **Quidquid autem.** Hoc videmus in Ecclesia fieri, et quæ inconsumpta remanserint ignibus tradi. Non dicit autem, quotquot diebus inconsumpta remanserint, ut semper, si remanserint, tradantur igni: innuens, ut si a comestione sacrificii deficiamus, nec perscrutari valemus, utrum ea quæ videmus, ipsum corpus Domini sint, non tamen relinquamus, sed igni tradamus, ut comedat Spiritus sanctus quod non possumus. Comedit autem, cum cogitamus ei possibile esse quæ non possumus.

diebus finitur consecratio:** 34 sicut et impræsentiarum factum est, ut ritus sacrificii compleretur. 35 Die ac nocte manebitis in tabernaculo observantes custodias Domini, ne moriamini: sic enim mihi præceptum est. 36 Feceruntque Aaron et filii ejus cuncta quæ locutus est Dominus per manum Moysi.††

9 Facto autem octavo die, vocavit Moyses Aaron, et filios ejus, ac majores natu Israël, dixitque ad Aaron:** 2 Tolle de armento vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum, utrumque immaculatum, et offer illos coram Domino.¶ 3 Et ad filios Israël loqueris: Tollite hircum pro peccato, et vitulum, atque agnum, anniculos, et sine macula in holocaustum, 4 bovem et arietem pro pacificis: et immolate eos coram Domino, in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes: hodie enim Dominus apparebit vobis. 5 Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moyses ad ostium tabernaculi: ubi cum omnis multitudo astaret, 6 ait Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: facite, et apparebit vobis gloria ejus.§§ 7 Et dixit ad Aaron: Accede ad altare, et immola pro peccato tuo: offer holocaustum, et deprecare pro

**8.33 *De ostio.* Significat quia toto tempore præsentis vitæ non est de tabernaculo recedendum, sed Dei servitio insistendum. AUG., quæst. 24 in Levit. Ad ostium tabernaculi testimonii, etc., usque ad habitatio quippe hoc nomen accepit. *Septem enim*, etc. ISICH.. Quinquagesima septenario in se multiplicato, etc., usque ad observantes custodias Domini, etc.

††8.36 *Feceruntque*, etc. Aaron conjungitur filiis, nec exit de janua tabernaculi. Ipse enim erat prædicandus, et in eis prædicaturus, sicut ipse consecrat et in membris consecratur.

‡‡9.1 *Octava die*, etc. Octava dies post dedicationem significat diem Pentecostes, quo Spiritus sanctus advenit Act. 2.. Septem vero a dedicatione dies innuunt septies septem dies, qui fuerunt a resurrectione usque ad Pentecosten, scilicet 49, addito quasi octavo ipso die Pentecostes. Pentecoste quæ contigit die resurrectionis, gerit figuram futuri, et consummationis sæculi præsentis, quia septem volvitur diebus. Oportebat enim ut eadem die adveniret Spiritus, qua resurrexit Christus. Tunc ait vocari Aaron et filios ejus, et majores natu: tunc enim convocatum est Ecclesiæ spectaculum, in qua est Aaron, id est, Christus et filii ejus qui altæ sunt conversationis, et ideo sacerdotii ministri, et majores natu, id est, presbyteri: ex his enim corpus Ecclesiæ consistit.

¶9.2 *Tolle de*, etc. Accipit Aaron vitulum in holocaustum et arietem, et offert Domino. Tunc enim Christus sacrificium suum notificavit, cum Spiritus adveniens Parthos, Medos, Elamitas, et omnium gentium primitias ad apostolorum cœnaculum colligit Act. 2.. Vitulum offert Aaron et arietem, quando doctores Ecclesiæ mysteria passionis annuntiant, et pro salute humani generis celebrata insinuant. *Tollite.* Hircum obtulerunt apostoli die Pentecostes quando Petrus pœnitentiam annuntians inquit: *Convertimini et agite pœnitentiam.* AUG., quæst. 26 in Levit. Accipite hircum ex capris unum, etc., usque ad ubi autem universi, ibi et singuli, sed non convertitur.

§§9.6 *Iste sermo*, etc. Sermonem, scilicet rem imperatam. *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22.. Sermonem autem dicit, quia plus in sermone consideratur vel constitit hujus dispensatio mysterii, et maxime Dominico verbo ea quæ apparent in aliud majus et intelligibile tranferente. Unde et de manna ait: *Hic est panis quem dedit vobis Dominus ad comedendum, hic est sermo quem constituit Dominus* Exod. 16.. In his ergo significat quia sanctum mysterium illis agentibus et Dominicam cœnam celebrantibus advenit Spiritus sanctus. Erat enim hic Dominicus, in quo oportebat apostolos sacra celebrare mysteria: quorum sequentes traditiones Dominicam diem divinis conventibus deputamus. Similiter et Christum post resurrectionem per mysticam cœnam et panis fractionem invenimus manifestum.

te et pro populo: cumque mactaveris hostiam populi, ora pro eo, sicut præcepit Dominus.*⁸ Statimque Aaron accedens ad altare, immolavit vitulum pro peccato suo:[†]⁹ cujus sanguinem obtulerunt ei filii sui: in quo tingens digitum, tetigit cornua altaris, et fudit residuum ad basim ejus.¹⁰ Adipemque, et renunculos, ac reticulum jecoris, quæ sunt pro peccato, adolevit super altare, sicut præceperat Dominus Moysi:¹¹ carnes vero et pellem ejus extra castra combussit igni.¹² Immolavit et holocausti victimam: obtuleruntque ei filii sui sanguinem ejus, quem fudit per altaris circuitum.¹³ Ipsam etiam hostiam in frusta concisam, cum capite et membris singulis obtulerunt; quæ omnia super altare cremavit igni,¹⁴ lotis aqua prius intestinis et pedibus.¹⁵ Et pro peccato populi offerens, mactavit hircum: expiatoque altari,[‡]¹⁶ fecit holocaustum,¹⁷ addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, et adolens ea super altare, absque cæremoniis holocausti matutini.¹⁸ Immolavit et bovem atque arietem, hostias pacificas populi: obtuleruntque ei filii sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum.¹⁹ Adipem autem bovis, et caudam arietis, renunculosque cum adipibus suis, et reticulum jecoris,²⁰ posuerunt super pectora: cumque cremati essent adipēs super altare,²¹ pectora eorum, et armos dextros separavit Aaron, elevans coram Domino, sicut præceperat Moyses.²² Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Sicque completis hostiis pro peccato, et holocaustis, et pacificis, descendit.[¶]²³ Ingressi autem Moyses et Aaron in tabernaculum testimonii, et deinceps egressi, benedixerunt populo. Apparuitque gloria Domini omni multitu-

*9.7 *Et immola pro peccato*, etc. AUG., quæst. 27 in Levit.. Alia littera, etc., usque ad non est necesse super holocaustum imponi. *Offer holocaustum*, etc. Non dicit holocaustum consummationis, ut supra, quando oblatum est ut sanctificatione consummaretur, ut sacerdotio fungeretur, quoungebatur. Notandum sane cum pro populo offeruntur sacrificia et pro peccato sacrificia esse jussa offerri, et holocaustum et sacrificium salutaris. Pro sacerdote vero oblatum fuisse pro peccato, et holocaustum consummationis, non salutaris. Sed consummationis oblatum est, quando sanctificati sunt sacerdotes. Et hæc obtulit Moyses pro Aaron et filiis suis, postea vero Aaron jam sacerdotio fungens præcipitur pro se offerre vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum non consummationis; tunc enim offerebatur ut sanctificatione consummaretur, et sacerdotio fungi posset, quo cumungebatur, non erat necesse iterum consummare.

†9.8 *Statimque*, etc. ISICH. Qua causa hæc etiam hic sacrificia peragantur superius diximus, etc. usque ad unde in persona sacerdotis utrumque perspicimus oblatum. AUG., ubi supra. Movet etiam quod cum faceret Aaron dona populi quæ supra memorantur, etc. usque ad utrumque ex utroque animante, quasi pectuscula dixerit.

‡9.15 *Et pro peccato*, etc. ISICH. Cujus hæc figuram habeant, etc., usque ad et quæ docerent Ecclesiam meditari non cessabant. *Extendens manum*, etc. AUG., Quæst. 28 in Levit. Ad altare stans deserviebat, etc., usque ad qui ibi gradus prohibuit esse.

¶9.22 *Sicque completis et cætera*. ISICH. Evidenter omnem figuram Ecclesiæ vult exponere, etc., usque ad sequentia demonstrant.

dini:[§] 24 et ecce egressus ignis a Domino, devoravit holocaustum, et adipēs qui erant super altare. Quod cum vidissent turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas.

10 Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. ^{**} 2 Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, et mortui sunt coram Domino. ³ Dixitque Moyses ad Aaron: Hoc est quod locutus est Dominus: Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron. ⁴ Vocatis autem Moyses Misaële et Elisaphan filiis Oziel, patris Aaron, ait ad eos: Ite, et tollite fratres vestros de conspectu sanctuarii, et asportate extra castra. ^{††} 5 Confestimque pergentes, tulerunt eos sicut jacebant, vestitos lineis tunicis, et ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum. ⁶ Locutusque est Moyses ad Aaron, et ad Eleazar, et Ithamar, filios ejus: Capita vestra nolite nudare, et

§9.23 *Ingressi autem Moyses et Aaron tabernaculum testimonii*, etc. ID. Quia de intelligibili tabernaculo, etc., usque ad idoneus est ut præstet benedictionem. *Ingressi autem*. Præmisit *ingressi*, et subdit *egressi*, quia sacerdos ingreditur tabernaculum, quando pro se vel pro populo orat, vel divinæ contemplationi vacat; egreditur cum docet, vel benedicit populo, vel cum ad conscientiam redit perscrutando se, ne forte in prædicatione offendat. *Apparuitque gloria Domini*. In specie ignis, sicut in die Pentecostes, unde subdit: *Et egressus est ignis a Domino*. Unde et Lucas: *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis. Omni multitudini*, etc. Cui simile Lucas ait: *Facta autem hac voce convenit multitudo, et mente confusa est* Act. 2.; non solum convenit, sed expavit. Unde hic sequitur: Obstupebant autem et mirabantur, etc. *Qui erant super altare*. Invenit quia necesse sit prædicta sacrificia, et eorum expositiones superponere intelligibili altari corporis Christi, ut illuc suspiret nostra intentio, et tunc nutrimenta intelligibilis ignis, id est Spiritus sancti, aderunt, de quo dictum est: *Dominus Deus noster ignis consumens est* Deut. 4.

^{**}10.1 *Arreptisque Nadab*. AUG. quæst. 31 in Levit., tom. 3. Exeunte a Domino igne mortui sunt filii Aaron, etc., usque ad tormenta patientur. *Arreptisque*, etc. ISID., quæst. in Levit., tom. 5. Alienum ignem offerunt, etc., usque ad ne vitiis flagremus. ISICH. Hic eos qui aliena docent, etc., usque ad unde vitam poterant promereri. AUG., ubi supra. Alia littera, etc., usque ad per quos nobis Scripturam dedit.

^{††}10.4 *Vocatis autem Moysi, Misæle et Elisaphan*. Misæl, *Dei attractatio*. Elisaphan, sive Elzaphan, *Dei illuminatio*, vel *Dei speculum*. His jure præcipitur ut tollant Nadab et Abiu extra castra. Hi enim sanctos significant, qui a Deo illuminati ipsam manibus fidei attractant, et Deum perfecta fide contemplantur. Unde bene filii Oziel dicuntur, qui significat *Evangelium*: unde patruelis Aaron fuisse dicitur, quia magna cognatio est Evangelii et Legis. Evangelium namque expositio est Legis: filii autem Evangelii hæreticos vere mortuos a castris Ecclesiæ detrudunt. Vel Misadai et Elisaphan primus *attractatio Dei*, id est Misadai; Elisaphan interpretatur *specula Dei mei*. Quicumque scit attractare Deum, et speculari Christi scilicet carnem et divinitatem, sicut Thomas qui manu contrectans carnem dicebat: *Deus meus et Dominus meus* Joan. 20., potest ignem alienæ doctrinæ auferre a facie sanctorum, id est sacerdotum. Tunicæ sacerdotum, conversatio et vita qua sacerdotii induuntur habitu. Abjiciuntur ergo cum sacerdotio a consortio sacerdotum et etiam populi. Unde addit, *extra tabernaculum*, id est, ecclesiam populi, filii patris Aaron hæc faciunt. *Aaron*, id est David, per quem prophetiæ intelliguntur, quæ Christum manifestum faciunt, et quodammodo ignorantibus pariunt. Frater autem prophetiæ Evangelium est; quæ enim in Evangeliiis facta sunt, a prophetis prædicta sunt. Filii ergo fratris patris Aaron, id est Evangelii, tales ejiciunt. Unde: *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum* II Joan..

vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, et super omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres vestri, et omnis domus Israël, plangent incendium quod Dominus suscitavit:‡‡ 7 vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis: oleum quippe sanctæ unctionis est super vos. Qui fecerunt omnia juxta præceptum Moysi. 8 Dixit quoque Dominus ad Aaron: 9 Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras:¶¶ 10 et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum;§§ 11 doceatisque filios Israël omnia legitima mea quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi. 12 Locutusque est Moyses ad Aaron, et ad Eleazar, et Ithamar, filios ejus, qui erant residui: Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, et comedite illud absque fermento juxta altare, quia Sanctum sanctorum est.* 13 Comeditis autem in loco sancto: quod datum est tibi et filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi. 14 Pectusculum quoque quod oblatum est, et armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu et filii tui, et filiæ tuæ tecum: tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israël:† 15 eo quod armum et pectus, et adipēs qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, et pertineant ad te, et ad filios tuos, lege perpetua, sicut præcepit Dominus. 16 Inter hæc, hircum, qui oblatum fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum reperit: iratusque contra

‡‡10.6 *Capita*, etc. Ad litteram. Quia nuper fuerant Deo consecrati, præcipit ut sancta vestimenta non deponant, sed parati servire Deo assistant. Allegorice autem, ne in Christo divisionem personarum faciant. Caput enim Christi Deus est, Christus autem ex divinitate constat et humanitate; capitis enim, id est divinitatis tiara humanitas est, qua tecta fuit velut pileo divinitas; hæc non est auferenda, nec divisio personarum in Christo prædicanda, sed duarum substantiarum una persona. *Capita vestra*, etc. AUG., quæst. 32 in Lev. Ne scilicet cidares deponant, etc., usque ad unde addit: *Fratres vestri et omnis domus Israël plangent incendium*. ISICH. Non ignoramus quid cidares significant, etc., usque ad de qua: *Unctio ejus docet vos de omnibus*.

¶¶10.9 *Vinum et omne quod inebriare*. ID. Usque nunc hanc legem Ecclesia custodit, etc., usque ad id est spiritualiter inspirasse. *Vinum et omne quod*, etc. Ab iis quæ statum mentis dejiciunt vel evertunt abstinere jubentur, quando tabernaculum ingrediuntur. Nos autem nunquam inebriemur, sed semper mente et corpore sobrii simus. *Quando intrabitis*. AUG., quæst. 33. Quando ergo eis licebat bibere, etc., usque ad ut hoc sit officium sacerdotum legitimum æternum in progenies eorum.

§§10.10 *Ut habeatis scientiam discernendi*. AUG. Hoc et ambigue positum est, etc., usque ad an potius ad utrumque referendum est?

*10.12 *Tollite sacrificium*, etc. ISICH. Quod pectusculum confidentiam, etc., usque ad quæ autem ad pacifica et salutaria pertinent, totius populi sunt. *Tollite*, etc. Arcana, scilicet et profunda Scripturæ sacramenta, quæ vulgus non capit, retinenda ac comedenda sunt perfectis; *juxta altare*, id est juxta Dominicæ passionis fidem et auctoritatem.

†10.14 *Pectusculum*, etc. AUG., quæst. 34. *Pectusculum*. Quamvis singulis singula nomina data sint, etc., usque ad de pectusculo imponebatur altari.

Eleazar et Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait:[‡] 17 Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ Sancta sanctorum est, et data vobis ut portetis iniquitatem multitudinis, et rogetis pro ea in conspectu Domini, 18 præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta, et comedere debueritis eam in Sanctuario, sicut præceptum est mihi? 19 Respondit Aaron: Oblata est hodie victima pro peccato, et holocaustum coram Domino: mihi autem accidit quod vides; quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis mente lugubri?[¶] 20 Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem.

11 Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:[§] 2 Dicite filiis Israël: Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus

[‡]10.16 *Inter hæc.* ISICH. Quia omne peccatum per pœnitentiam deletur, et qui prædictum peccatum alterius doctrinæ et blasphemix commiserunt, salvati non sunt, causam mortis eorum legislator exponit. *Inter hæc hircum,* scilicet quia non comederunt filii Aaron quod pro peccato erat in loco sancto, id est pœnitentiam peccati commissi in ecclesia peragi non fecerunt. Quibus hoc præceptum est, quos Christus in Ecclesia vicarios suos constituit. Ipse enim oblationis suæ sanguinem, quæ pro nostro sanguine oblata est, in sanctum, id est in cœlum, in conspectu Patris obtulit. Debet autem comedi hoc sacrificium in loco sancto, id est ecclesia, in propitiationem peccatorum, unde addit: *Quemadmodum præceptum est mihi,* id est sicut præcepi. Moyses enim gerit personam Christi. Exustum reperit, quia in Spiritum sanctum peccaverant, ab intelligibili igne Spiritus sancti oblatio pro pœnitentia ablata est. *Voluntarie enim peccantibus non relinquitur hostia pro peccato* Heb. 10.. Nam sicut vera pœnitentia veniam promeretur, ita simulata Deum irrat: *quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum* Sap. 1.. Hoc autem sancti Patres irremissibile peccatum, et blasphemiam in Spiritum sanctum dixerunt, in sceleribus usque ad finem vitæ perseverare, de salute sua desperare, de potentia et misericordia Redemptoris diffidere. ADAMANT. Non peccare solius Dei est, etc., usque ad nisi verum et sincerum. AUG., quæst. 36 in Levit. Sane quoniam sex pecora præcipiuntur offerri pro populo, etc., usque ad quæ omnia fuerant pro peccato.

[¶]10.19 *Respondit Aaron,* etc. In persona Ecclesiæ, cujus figuram gerit, sicut et Christi, videtur Aaron dicere hoc. Quasi, quia post adventum Salvatoris deputati sunt ministare, et pro pœnitentia offerre, et propheticam vitam exponere. Aliter: Docentes perierunt et in eis hæc Ecclesiæ acciderunt, ut sacerdotum et magistrorum lugeret mortem, unde comedere hodie pro peccato non potuit, nec orare: Domino autem displicebat. AUG. *Respondit Aaron,* etc. Si hodie obtulerunt quæ pro peccato illorum sunt, etc., usque ad Hoc autem quare sit factum, respondit Aaron, et placuit Mosi. *Hodie.* Quasi dicat: si ante remissionem Salvatoris hoc peccassent, forsitan ignosceretur, cum nondum mundo scientia manifestaretur: unde, *Si non venissem, et locutus eis fuisset, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo* Joan. 15..

[§]11.1 *Locutus est Dominus.* ISICH. Quidquid a Deo factum ipsa institutionis auctoritate mundum est. In animalibus igitur mores pinguntur hominum, et actus, et voluntates, ex quibus fiunt mundi vel immundi. ID. Dixit Dominus ad Noë: *Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum* Gen. 9., etc. In Genesi quoque dictum est: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* Gen. 1.. Hic autem quædam prohibentur, velut mala, et immunda decernuntur. Non sunt tamen ista contraria sibi: nam et Judæorum gastrimargiam ad modicum Dominus reprimat, et spiritualis præceptorum expositio quales debeant esse instruit. Lex enim nutrimentum est animæ rationalis rationabiliter intellecta. Sicut autem in superioribus per oblationes figuravit offerentes, sic nunc per ea quæ comeduntur exprimit comedentes.

terræ: ³ omne quod habet divisam ungulam, et ruminat in pecoribus, comedetis.**
⁴ Quidquid autem ruminat quidem, et habet ungulam, sed non dividit eam, sicut camelus et cetera, non comedetis illud, et inter immunda reputabitur. ⁵ Chærogyllus qui ruminat, ungulamque non dividit, immundus est. ⁶ Lepus quoque: nam et ipse ruminat, sed ungulam non dividit. ⁷ Et sus: qui cum ungulam dividat, non ruminat. ⁸ Horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis, quia immunda sunt vobis. ⁹ Hæc sunt quæ gignuntur in aquis, et vesci licitum est: omne quod habet pinnulas et squamas, tam in mari quam in fluminibus et stagnis, comedetis. ¹⁰ Quidquid autem pinnulas et squamas non habet, eorum quæ in aquis moventur et vivunt, abominabile vobis,†† ¹¹ execrandumque erit: carnes eorum non comedetis, et morticina vitabitur.‡‡ ¹² Cuncta quæ non habent pinnulas et squamas in aquis, polluta erunt. ¹³ Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis, et vitanda sunt vobis: aquilam, et gryphem, et haliaëtum,¶¶ ¹⁴ et milvum ac vulturem juxta genus suum,§§ ¹⁵ et omne corvini generis in similitudinem suam, ¹⁶ struthionem, et noc-

** 11.3 *Omne quod habet*, etc. ISID. In piscibus quidquid pinnulas et squamas non habet, abominabile est: aspera pro mundis habentur. Hispidi enim et hirsuti, firmi, et graves hominum mores approbantur. Qui sine his sunt, immundi dicuntur, quibus leves et lubrici, infirmi et effeminati mores adjiciuntur. Pinnulas quoque conjungit et squamas; quicumque enim pisces pinnati sunt et squamosi. Si quibus ignorantia solubilis est, his et cognitio sublimis et vita cœlestis: qui autem tales non sunt, cum his nec cibum sumere. Moraliter. GREG. Pisces qui pinnulas habent et squamas, dare saltus super aquas solent. In pinnatis ergo piscibus electæ animæ figurantur, quæ solæ in cœlestis Ecclesiæ corpus transeunt; quæ pinnulis virtutum fultæ per cœleste desiderium saliunt ad contemplationem, quamvis in se relabantur per carnis fragilitatem. Soli ergo in electorum corpus quasi cibus electus transeunt, qui dum imis serviunt, mentis saltibus superna conscendunt, ne semper in profundis curarum lateant, ubi nullam amoris summi, quasi liberi æris, curam habent. Qui ergo rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, cum sollicitè ad interiora refugiunt, nec perturbationis strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt.

†† 11.10 *Quidquid pinnulas*, etc. Sunt etiam pisces testam pro pelle habentes, quorum squama auferri non potest, quia nec verbo Dei squamas ignorantiae deponunt, nec cultrum spiritus suscipiunt: et quamvis in mari baptismi inveniantur, vel in pœnitentiæ fluminibus, abominabiles sunt tamen in his quæ moventur et vivunt in aquis, quia regenerationem et vitam, quam in baptismo acceperunt, vivendo male corrumpunt.

‡‡ 11.11 *Carnes*. RAB. in Levit. Cum suem prohibet, etc., usque ad quærentes tenebras noctis.

¶¶ 11.13 *Hæc sunt quæ de avibus*, etc. ISICH. Quæ ad contemplativorum vitam pertinent, adjungit, etc., *usque ad mulierculas peccatis oneratas*.

§§ 11.14 *Vulturem juxta genus suum*. ID. Qui bellis gaudet. Unde sequitur exercitum, expectans cadavera mortuorum: non debet enim alieno luctu pasci, qui dat operam contemplationi.

tuam, et larum, et accipitrem juxta genus suum:^{*} ¹⁷ bubonem, et mergulum, et ibin, ¹⁸ et cygnum, et onocrotalum, et porphyrionem, ¹⁹ herodionem, et charadrion juxta genus suum, upupam quoque, et vesperilionem.[†] ²⁰ Omne de volucris quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis.[‡] ²¹ Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit super terram,[¶] ²² comedere debetis, ut est bruchus in genere suo, et attacus atque ophiomachus, ac locusta, singula juxta genus suum.[§] ²³ Quidquid autem ex volucris quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis:²⁴ et quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, et erit immundus usque ad vesperum:²⁵ et si necesse fuerit ut portet quippiam horum mortuum, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad occasum solis.^{**} ²⁶ Omne animal quod habet quidem ungulam, sed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit: et qui tetigerit illud, contaminabitur.^{††} ²⁷ Quod ambulat super manus

^{*}11.16 *Struthionem*. Struthio avis est, sed volare non potest, et semper circa terram est, sicut quidam Deo militantes et sæcularibus negotiis se implicantes Job XXXIX; II Tim. 2.. *Noctuam*. Hanc aiunt in nocte acute videre, et parum in die. Tales sunt qui Legis gloriantur contemplatione, et Evangelii lucem capere non valent. *Nycticorax*. In nocte tantum rapit. Tales sunt gentes noctis operibus inhiantes, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia Gal. 5.. *Larum*. Larus est animal tam in aqua quam in terra habitans: volat enim et natat. Huic assimilantur qui circumcisionem et baptismum venerantur. *Accipitrem*. Accipiter inter rapaces est aves, sed mansuescit, et rapinam cum hominibus operatur. Hunc imitantur qui mansueti videntur, sed cum potentibus et avaris atque rapacibus rapere nituntur. *Mergulum et ibin*. Hæc longi colli sunt, et cibum ex profunditate terræ vel aquæ ut dicitur trahunt, nec imitanda sunt. Qui enim contemplationi vacat ad superiora debet tendere, nec de inferioribus sollicitus esse.

[†]11.19 *Upupam*. Hæc lugubris est et luctum amans. Sæculi autem tristitia mortem operatur. Qui autem Deum diligit, debet gaudere, sine intermissione orare, in omnibus gratias agere I Thess. 5.. *Vesperilio*. Quæ circa terram volat, pennis pro pedibus utitur: quod alienum est ab eis qui contemplantur, ne contemplatio eorum in terrenis occupetur.

[‡]11.20 *Omne de volucris quod graditur super quatuor pedes*, etc. Qui contemplativis videntur esse similes, sed tanquam reptilia terrenis inhiant concupiscentiis, etiamsi in quatuor pedibus ambulent, id est si evangelicam prædicationem simulent, quæ vocat ad pœnitentiam; quia non vere socialem amplectuntur vitam, voluptatibus servientes, abominabiles sunt.

[¶]11.21 *Quidquid autem ambulat*, etc. Quia cum sint in carne, non secundum carnem ambulant II Cor. 10., sed a sordidis actionibus exsiliunt, et terrenis hominibus permiscetur, ut instruant et doceant: sicut Dominus cum peccatoribus et publicanis Matth. 9.. Habere nos oportet crura sublimiora pedibus, ne claudicemus utroque pede, sicut Judæi in lege et prophetis; sed crura habeamus recta, sicut Cherubin, de quibus dicitur: *Crura eorum recta, et pennati pedes eorum* Ezech. 1..

[§]11.22 *Brucus*. Qui exsilit, sed minus quam attacus, vel locusta, quæ magis exsiliunt. Tales sunt, qui cum peccatoribus conversantur, ad conversationem, non ad consensum vel imitationem. *Ophiomachus*. Qui pugnat cum serpentibus, nobis autem pugna est cum antiquo serpente et angelis ejus Apoc. 12..

^{**}11.25 *Ut portet*. Sicut qui dicit malum bonum, et amarum dulce Isa. 5.: laudando enim malum a quo prohibere debuerat, suum facit et portat.

^{††}11.26 *Omne animal quod*. ISICH. Nullum peccatum præterit lex; quæcumque in Evangelio prohibentur Legis ænigmatibus exprimuntur, *ut in ore duorum testium stet omne verbum* Matth. 18., et in utraque lege laudes Deum, et, sicut prohibet, fugias malum.

ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit morticina eorum, polluetur usque ad vesperum.^{‡‡} 28 Et qui portaverit hujusmodi cadavera, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum: quia omnia hæc immunda sunt vobis.[¶] 29 Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his quæ moventur in terra, mustela et mus et crocodilus, singula juxta genus suum,^{§§} 30 mygale, et chamæleon, et stellio, et lacerta, et talpa.* 31 Omnia hæc immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperum.[†] 32 et super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur, tam vas ligneum et vestimentum, quam pelles et cilicia: et in quocumque fit opus, tingentur aqua, et polluta erunt usque ad vesperum, et sic postea mundabuntur.[‡] 33 Vas autem fictile, in quod horum quidquam intro cecidit, polluetur, et idcirco frangendum est. 34 Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit: et omne liquens quod bibitur de universo vase, immundum erit.[¶] 35 Et quidquid de morticinis hujusmodi ceciderit super illud, immundum erit: sive clibani, sive chytropodes, destruentur, et immundi erunt.[§] 36 Fontes vero et cisternæ, et omnis aquarum congregatio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur. 37 Si ceciderit super sementem, non

^{‡‡}11.27 *Quod ambulat super manus*, etc. Qui evangelicam conversationem migrat, sed manibus ambulat, turpis, scilicet, lucrî causa manus imponens I Tim. 4., hic recte omnibus bestiis comparatur, ut vel adulterum dicas, vel avarum, homicidam et similia: omnibus enim per pravam manus impositionem communicat.

[¶]11.28 *Qui portaverit hujusmodi cadavera*. Falsa dicendo testimonia. dignum dicendo indignum, et mundum immundum.

^{§§}11.29 *Mustela*. Ingluviem. Mus enim pro ventris ingluvie nulla vitat pericula. *Crocodilus*. Qui duræ cutis et malitiosus luto pascitur.

*11.30 *Chamelæon*. Miserescit, et præ infirmitate mansuetum se fingit, cum crudele sit. *Talpa*. Animal cæcum de terra genitum. Creatur enim, ut aiunt, de terra compluta et lutulenta, sed prius corrupta.

[†]11.31 *Qui tetigerit*, etc. Si naturaliter essent immunda, immundus esset viventia etiam qui tangeret. Morticina talium actiones sunt, id est, dolus, furtum, duplicitas, et hujusmodi in quibus mors animæ.

[‡]11.32 *Et super quod*, etc. ISICH. Admirabili divisione utitur legislator, etc., usque ad tam vas ligneum quam vestimentum.

[¶]11.34 *Omnis cibus*, etc. Cibum et potum opera bona intelligit, ideo dixit: *Cibus quem comedetis, et liquens quod bibitur*, etc. Quia malarum actionum et cibus et potus prohibetur, ne quis participet. Si ergo bonis actionibus, quæ sunt in omni vase, id est in omni homine, quodlibet morticinum inciderit, necessario immunda actio erit. Si enim bonæ actioni, superbia, dolus, hypocrisis vel quodlibet morticinum, id est, participanti mortem inferens inciderit, et hic immundus erit: bonam enim actionem mala incidens intentio polluit. *Si fusa fuerit super eum aqua*. AUG., quæst. 37 in Levit. De vase, scilicet quod factum est immundum de morticinis immundis si forte aquam habuit. *Aqua*. Baptismi: est enim sermo de baptizatis; de infidelibus autem mentionem non facit. Unde Paulus: *Scripti vobis non commisceri fornicariis* I Cor. 3., non utique fornicariis hujus mundi, etc.

[§]11.35 *Sive clibani*. Per hoc magistri designantur, in quibus cibi sacræ doctrinæ coquuntur operatione et igne Spiritus sancti. Nec mirum: Moab enim lebes appellatur: *Moab olla spei meæ* Rom. 2.. *Chytropodes*, etc. Quia qui docent non furari, furantur; et qui prædicant non mœchari, mœchantur: doctrina tamen munda est. Unde fontes et cætera.

polluet eam.^{** 38} Si autem quispiam aqua sementem perfuderit, et postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur.³⁹ Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit usque ad vesperum:^{†† 40} et qui comederit ex eo quippiam, sive portaverit, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum.^{‡‡ 41} Omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum.^{¶¶ 42} Quidquid super pectus quadrupes graditur, et multos habet pedes, sive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est.⁴³ Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis.⁴⁴ Ego enim sum Dominus Deus vester: sancti estote, super terra. Ne polluatis animas vestras in omni reptili quod movetur super terram.⁴⁵ Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum.⁴⁶ Ista est lex animantium ac volucrum, et omnis animæ viventis, quæ movetur in aqua, et reptat in terra,⁴⁷ ut differentias noveritis mundi et immundi, et sciatis quid comedere et quid respuere debeatis.^{§§}

12 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:² Loquere filiis Israël, et dices ad eos: Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ.^{* 3} Et die octavo circumcidetur infantulus:⁴ ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis

^{**}11.37 *Si ceciderit.* ISICH. Nihil indiscussum relinquit, etc., usque ad si quodlibet morticinum super eos ceciderit, fiunt immundi.

^{††}11.39 *Qui cadaver ejus tetigerit, immundus.* ISICH. Iniquorum vitam debemus abominari, justorum imitari. Qui enim vitam malorum tetigerit, immundus erit, donec pœnituerit.

^{‡‡}11.40 *Qui comederit.* Id est, quasi advocatus defenderit, et in se auxiliando transtulerit, lavet vestimenta sua, id est actiones pravas, donec pœnituerit.

^{¶¶}11.41 *Omne quod reptat super terram.* Hoc superius legislator exposuit, sed ad frequentationem meditandæ legis monendo auditorem, repetit.

^{§§}11.47 *Et sciatis quid comedere.* Non hi cibi nos mundant vel polluunt, sed nos ipsi: vivificamus enim quæ comeduntur, et quemadmodum omnis cibus bonus I Petr. 2., et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sic ea quæ comeduntur, id est quæ nutriunt animam, bonas scilicet actiones, nos vivificamus, si bene utimur: si male, mortificamus. Qui enim ex rapina facit eleemosynam mortificat eam, et aufert ei potentiam; et qui abstinent a cibis, fratribus vero detrahunt, mortificant abstinentiam.

^{*}12.2 *Mulier si suscepto semine.* ISID., quæst. in Levit., tom. 5. Septimana est præsens vita, etc., usque ad nec in futuro purgabitur. *Immunda erit.* ISICH. Quia scilicet sator immundus, ut hæres Adæ, qui per transgressionem immundus, et ita uxori mistus. Postquam enim exiit de paradiso cognovit uxorem suam, et ita propagatur humanum genus. *Septem diebus.* ID. Quia Adam, etc., usque ad quando Adam separatus a paradiso in hanc miseriam decedit. *Die octavo,* etc. ID. Dies octavus, etc., usque ad Inobedientia autem immunditiam nobis sordemque contraxit.

suæ.[†] ⁵ Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menstrui, et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. ⁶ Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti,[‡] ⁷ qui offeret illa coram Domino, et orabit pro ea, et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui: ista est lex parientis masculum aut feminam.[¶] ⁸ Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato: orabitque pro ea sacerdos, et sic mundabitur.

13 Locutusque est Dominus ad Moysen, et Aaron, dicens:[§] ² Homo, in cujus cute et carne ortus fuerit diversus color, sive pustula, aut quasi lucens quippiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum

[†]12.4 *Triginta tribus diebus*, etc. ID. septem additis, etc., usque ad incertum est enim an feminam, an marem pariant. AUG., quæst. 40 in Levit. Quæ differentia est inter septem dies, etc., usque ad in feminæ octoginta. *Omne sanctum non tanget*. Quid sanctuarium vult intelligere cum tabernaculum nonnisi sacerdotes debeant ingredi, et usque ad velum secundi: ultra velum autem, ubi erat arca, summus tantum sacerdos introibat? Forte ante tabernaculum, ubi altare sacrificiorum est, potuit dici sanctuarium. Nam sæpe sanctus locus appellatur etiam atrium, cum dicitur: *In loco sancto edent ea*. Illuc forsitan intrabant mulieres dona sua offerentes, quæ altari imponerent.

[‡]12.6 *Cumque expleti fuerint*. Intentionem aperit, quia scilicet, pollutionem naturales motus non faciunt, sed peccatum, de quo dicit David: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus* Psal. 50., etc., Matrem naturam appellans, et immunditiam peccati Adæ et Evæ in totum genus humanum descendisse significans. Ideo Moyses, completis diebus purificationis holocaustum, et pro peccato præcepit immolari; evidenter ostendens quia imago Dei perfectionem tribuit generi nostro. Nam formationem dies mundationis ostendunt, perfectionem holocaustum. AUG., ubi supra. Nunquid peperisse peccatum est? etc., usque ad non ut dicerent super filio aut super filia, sed pro filio aut filia. Notandum autem quam pauper Dominus nasci voluerit, ut non pro illo offerretur agnus et pullus columbinus aut turtur, sed par turturum aut duo pulli columbarum secundum Evangelium, quod scriptura Levitici tunc jussit offerri, si non habuit agnum manus offerentis, quod satis est magnum. BEDA, in Lev., tom. 2. Dominus noster non solum homo, etc., usque ad et post in cœlestem Jerusalem bonorum operum victimis Domino commendata perveniet.

[¶]12.7 *A profluvio*, etc. Tanquam aliquis quærat, unde mundabitur quæ legitime generavit? ait, a *profluvio sanguinis sui*, hoc est inobedientia, unde immunditia et pœna profluxit, per meditationem et contemplationem legis, cujus negligentia hominibus immunditiam invexit.

[§]13.1 *Locutusque est Dominus*. ISID. Semel loquitur Deus, et duo audiuntur: Spiritum audit Moyses, ut sublimior; litteram, Aaron, ut inferior, qui litteram nuntiat populo. Unde *ipse loquetur ad populum, et erit os tuum, tu autem eris in his quæ ad Deum pertinent* Exod. 4..

ejus.** ³ Qui cum viderit lepram in cute, et pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute et carne reliqua: plaga lepræ est, et ad arbitrium ejus separabitur.†† ⁴ Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, et pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus:‡‡ ⁵ et considerabit die septimo: et si quidem lepra ultra non creverit, nec transierit in cute priores terminos, rursum recludet eum septem diebus aliis. ⁶ Et die septimo contemplabitur: si obscurior fuerit lepra, et non creverit in cute, mundabit eum, quia scabies est: lavabitque homo vestimenta sua, et mundus erit.¶¶ ⁷ Quod si postquam a sacerdote visus est, et redditus munditiæ, iterum lepra creverit: adducetur ad eum, ⁸ et immunditiæ condemnabitur. ⁹ Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem, ¹⁰ et videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, et capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit:§§ ¹¹ lepra vetustissima judicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, et non recludet, quia perspicuæ immunditiæ est. ¹² Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute, et operuerit omnem cutem

13.2 **Homo. ID. Aliquando excellenter accipitur, qui Dei imaginem et naturæ servat dignitatem. Aliquando peccator, in quo dignitas deformatur, sicut hic. **In cujus carne,** etc. In carne et cute lepram portat, qui carnalia vel exteriora suadere certat, ut Corinthiani, qui putabant resurrectionem futuram in voluptate carnis: et in fide manentibus, quamvis carnaliter vivant, non imputari peccata. **Aut quasi lucens.** Lepra alia nimis vel moderate obscura, nondum effervente passione, quæ nimia indiget deliberatione. Alia nimis clara et perspicua, cujus aperta cognitio. **Plaga lepræ.** ISID. Lepra falsa doctrina; leprosi hæretici, qui unitatem veræ fidei non habentes, varios doctrinæ profitentur errores, vera falsis admiscentes et Ecclesiam, sicut lepra corpora, irradiando commaculant. In corpore lepram gerit, qui Ecclesiæ detrahit, sicut Carpocratiani, qui negant resurrectionem carnis, et Novatiani, qui nuptias damnant, et peccantibus auferunt pœnitentiam. **Vel ad unum quemlibet filiorum ejus,** etc. Cognatorum secundum spiritum, a quo habet sacerdotium, quibus inest perfecta et plena prophetia, ut discernere possint subtilia et animæ motus absconditos.

††13.3 **Pilos.** Cogitationes, quibus anima ornatur, mensque contegitur, a qua generantur, sicut caput capillos generat, quibus ornatur et tegitur. Unde **capilli capitis vestri omnes numerati sunt** Matth. 10.. Inde Nazaræi caput non tondent Num. 6., quia superfluas cogitationes non habent, sanctas autem deponere sanctum, damnum est. **Humilior carne,** etc. Humilior seipso: unde recte veniam non meretur. Vinci enim ab alio majori, portabile est; bonum autem a Deo præceptum non operari dividit enim Dominus prout vult, ut seipso quispiam deterior fiat, hoc importabile est.

‡‡13.4 **Recludet eum.** Secundo recluditur, ut studiose inspiciatur, et duplici probatione transacta districtum judicium fiat. Manifestum enim erat peccatum sacerdoti, sed animum consentire passioni nesciebat, sed conjiciebat: ideo iterum inspiciebat. Hinc Dominus post negationem, animum Petri quomodo se habeat tertio interrogat Joan. 11., ut non cito judicemus, sed frequenter inquiramus. Septem diebus recluditur. Septenarius enim præsentis vitæ plenitudinem signat, quæ septem diebus agitur, quo impleto, peccatum et servitium cessabit. Unde septima in divinis Scripturis requies nominatur.

¶¶13.6 **Mundabit eum, quia scabies est.** Sic Paulus eum qui in Corintho fornicatus est quia manifesta erat passio sanctorum tabernaculo removit, et Satanæ tradidit; quem cum inspexisset secundo, et pœnitere vidisset, suscipi jussit I Cor. 5..

§§13.10 **Cumque color albus in cute fuerit.** Manifesta transgressio litteræ legis, quæ propria Judæis sicut in sacrificiis et purgationibus et in hujusmodi. Est enim et communis gentibus de adulterio, rapina, avaritia, et similibus.

a capite usque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit,* 13 considerabit eum sacerdos, et teneri lepra mundissima iudicabit: eo quod omnis in candorem versa sit, et idcirco homo mundus erit. 14 Quando vero caro vivens in eo apparuerit,† 15 tunc sacerdotis iudicio polluetur, et inter immundos reputabitur: caro enim viva, si lepra aspergitur, immunda est. 16 Quod si rursus versa fuerit in alborem, et totum hominem operuerit, 17 considerabit eum sacerdos, et mundum esse decernet. 18 Caro autem et cutis in qua ulcus natum est, et sanatum,‡ 19 et in loco ulceris cicatrix alba apparuerit, sive subrufa, adducetur homo ad sacerdotem.¶ 20 Qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, et pilos versos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta est in ulcere.§ 21 Quod si pilus coloris est pristini, et cicatrix subobscura, et vicina carne non est humilior, recludet eum septem diebus: 22 et si quidem creverit, adjudicabit eum lepræ; 23 sin autem steterit in loco suo, ulceris est cicatrix, et homo mundus erit. 24 Caro autem et cutis, quam ignis exusserit, et sanata albam sive rufam habuerit cicatricem, 25 considerabit eam sacerdos: et ecce versa est in alborem, et locus ejus reliqua cute est humilior, contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est.** 26 Quod si pilorum color non fuerit immu-

*13.12 *Sin autem effloruerit.* ISICH. Ostendit Judaicum populum partim leprosum, ut in parte transgressorem legis: unde eum sacerdos expellit tanquam immundum. Sed toto corpore leprosum Gentilem, qui totam transgreditur legem, non expellit; sed eum mundum iudicat, quia legis jugo subjectus non erat. HIERON. *Sin autem effloruerit,* etc. In hac lepra quasi florente et alba, diversa crimina designat. Quia cum mundialis vitæ voluptas quasi candida aestimatur et florens, tunc grave vitiorum contagium grassatur in corpore. Nam aut avaritiæ aut libidinis patescunt maculæ. Sed avaritiæ crimen facile potest resecari, unde: *Date eleemosynam et omnia munda erunt vobis.* Libido quoque jejuniis et abstinentia mundatur. Sed omnibus per sacerdotem medela adhibetur. Alia enim sacrificiorum oblationibus mundatur; alia est, quæ facilius; alia, quæ extra castra posita mundatur; alia, quæ omnino non mundatur.

†13.14 *Caro vivens,* etc. ISICH. Judaicum mandatum, quod vivere dicitur quantum ad mandatum, vel quia bene intellectum affert vitam.

‡13.18 *Caro enim,* etc. ISID. In carne viva lepram gestat, qui de anima, quæ vita carnis est, aliquid falsum existimat. Sicut Luciferiani qui dicunt animam de carnis substantia propagatam; et Arabici qui animam cum corpore mori putant.

¶13.19 *Cicatrix,* etc. ID. In cicatrice sanati vulneris lepram portant, qui post agnitionem fidei et medicinam Dei quam in Christo suscipiunt, rursus aliquod indicium erroris aut perfidiæ veteris dogmatis ostendunt. *Alba.* Quia ex vulnere legalis transgressionis; lex enim alba et a sole justitiæ non calefacta Act. 15.. *Subrufa.* Quia de prævaricatione evangelica, sicut idolothyum sanguinem, vel suffocatum comedere; utrumque autem fit contra Christum, cujus est Lex et Evangelium.

§13.20 *Contaminabit.* Quia in habitu est peccatum, et animæ mala depastio per ulcus incubuit. Unde lepram ex vulnere efflorentem vocavit. *Caro et cutis quam ignis exusserat,* etc. ISICH. Supradicta videtur repetere, sed partim eadem dicit, partim adjicit, alteram quippe passionem, sed eandem ponit indicationem. Egit enim de ulcere quod aliqua ægritudine neglectæ carnis generatur et proficit. Ulcus ergo carnis nostræ est voluptas, ebrietas, gastrimargia et hujusmodi, quæ luxuriante corpore et in semetipso pruriente proveniunt. Nunc autem de plaga majori, id est exustione ignis. De quo dicitur: *Ignis adversarios consumet* Isa. 74..

**13.25 *Quia plaga,* etc. In cicatrice exustionis lepram habent Manichæi, qui in abstinentiæ cruciatu corpora sua exurunt, et per infidelitatem, non munditiam inde, sed lepram gignunt.

tatus, nec humilior plaga carne reliqua, et ipsa lepræ species fuerit subobscura, recludet eum septem diebus,²⁷ et die septimo contemplabitur: si creverit in cute lepra, contaminabit eum.²⁸ Sin autem in loco suo candor steterit non satis clarus, plaga combustionis est, et idcirco mundabitur, quia cicatrix est combusturæ.²⁹ Vir, sive mulier, in cujus capite vel barba germinaverit lepra, videbit eos sacerdos.^{†† 30} Et si quidem humilior fuerit locus carne reliqua, et capillus flavus, solitoque subtilior, contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ est.³¹ Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, et capillum nigrum: recludet eum septem diebus,^{‡‡ 32} et die septimo intuebitur. Si non creverit macula, et capillus sui coloris est, et locus plagæ carni reliquæ æqualis:³³ radetur homo absque loco maculæ, et includetur septem diebus aliis.³⁴ Si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum: lotisque vestibus suis, mundus erit.^{¶¶ 35} Sin autem post emundationem rursus creverit macula in cute,³⁶ non quæret amplius utrum capillus in flavum colorem sit immutatus, quia aperte immundus est.³⁷ Porro si steterit macula, et capilli nigri fuerint, noverit hominem sanatum esse, et confidenter eum pronuntiet mundum.^{§§ 38} Vir, sive mulier, in cujus cute candor apparuerit,^{*} ³⁹ intuebitur eos sacerdos. Si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, et hominem mundum.⁴⁰ Vir, de cujus capite capilli fluunt, calvus et mundus est:^{† 41} et si a fronte ceciderint pili, recalvaster et mundus est.⁴² Sin autem in calvitio sive in recalvatione albus vel rufus color fuerit exortus,⁴³ et hoc sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubiæ lepræ, quæ orta est in calvitio.⁴⁴ Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, et separatus est ad arbitrium sacerdotis,^{‡ 45} habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contactum, con-

††13.29 *Vir sive mulier.* Qui scilicet in divinitate errat, sicut hæretici, qui non solum Patrem factorem mundi negant, sed etiam actorem malorum affirmant, ut Manichæus. *Vel barba,* etc. ISID. In barba lepram gerunt qui de apostolis et discipulis Christi perverse sentiunt, et falsa prædicare confingunt. Barba enim est ornamentum viri, et apostoli doctores corporis Christi. ISICH. Sex species lepræ invenimus legislatorem posuisse, etc., usque ad quia erroris sui perfidiam aperta pravitate defendunt. ID. Diversos colores lepræ supponit, etc., usque ad linguam mendacem significat et imbecillitatem.

‡‡13.31 *Recludet eum septem diebus, et die,* etc., non tam pro pœna quam districtæ probationis causa; tempus enim in omnibus servandum, districtius in his quorum lingua circa divinitatem se effrenat.

¶¶13.34 *Si die septimo.* Quia verbum in quo delinquitur, si semel negat qui peccavit, dijudicari non oportet. Quis enim reum judicat per quod confessus est lingua, voluntate se protulisse negat? *Lotisque vestibus mundus erit,* etc. HIERON. Alia ante baptismum commissa, etc., usque ad de quo dicitur: *Qui peccat in Spiritum sanctum, non remittetur ei,* etc.

§§13.37 *Capilli nigri,* id est, si luxerit impietatem suam, et veram egerit pœnitentiam. Lugentes enim et pœnitentes nigro habitu deformantur.

*13.38 *Vir sive mulier,* etc. ISICH. In prævaricatione divini dogmatis, etc., *usque ad: quibus non vivant.*

†13.40 *Calvus ac mundus est.* Simplex, non stultis; nemo enim est cui saltem pauci non remaneant capilli.

‡13.44 *Quicumque ergo maculatus,* etc. ISID. Hæretici ab Ecclesia ejiciuntur donec purgentur. Dissutis tunicis, id est, manifestatis secretis sedere jubentur. Capite nudato, ut nuditas eorum a cunctis videatur. Ore clauso, ne ulterius impia loquantur.

taminatum ac sordidum se clamabit. ⁴⁶Omni tempore quo leprosus est et immundus, solus habitabit extra castra. [¶] ⁴⁷Vestis lanea sive linea, quæ lepram habuerit, [§] ⁴⁸in stamine atque subtegmine, aut certe pellis, vel quidquid ex pelle confectum est, ^{**} ⁴⁹si alba vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, ostendeturque sacerdoti: ^{††} ⁵⁰qui consideratam recludet septem diebus: ⁵¹et die septimo rursus aspiciens, si deprehenderit crevisse, lepra perseverans est: pollutum judicabitur vestimentum, et omne in quo fuerit inventa: ⁵²et idcirco comburetur flammis. ⁵³Quod si eam viderit non crevisse, ⁵⁴præcipiet, et lavabunt id in quo lepra est, recludetque illud septem diebus aliis. ⁵⁵Et cum viderit faciem quidem pristinam non reversam, nec tamen crevisse lepram, immundum judicabit, et igne comburet, eo quod infusa sit in superficie vestimenti, vel per totum, lepra. ⁵⁶Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, postquam vestis est lota, abrumpet eum, et a solido dividet. ^{‡‡} ⁵⁷Quod si ultra apparuerit in his locis, quæ prius immacolata erant, lepra volatilis et vaga, debet igne comburi. ^{¶¶} ⁵⁸Si cessaverit, lavabit aqua ea, quæ pura sunt, secundo, et munda erunt. ⁵⁹Ista est lex lepræ vestimenti lanei et linei, staminis, atque subtegmis, omnisque supellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

14 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ^{§§} ²Hic est ritus leprosi, quando mundandus est. Adducetur ad sacerdotem: ³qui egressus de castris, cum invenerit lepram esse mundatam, ⁴præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos passeris vivos pro se, quibus vesci licitum est, et lignum cedrinum, vermiculumque

[¶]13.46 *Habitabit extra castra.* Sic Joannes intelligibilem leprosum ab intelligibili habitaculo excludit: *Qui hanc doctrinam non affert, non recipiatis eum in domum, et ave ei non dixeritis* II Joan. 10. ISICH. Ridicula sunt hæc secundum litteram interpretata, etc., usque ad ne dicatur ei, *Qui prædicas non furandum, furaris; peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas?* Rom. 2.

[§]13.47 *Vestis lanea,* etc. ID. Lanea, pretiosa et animum calefacientia, etc., usque ad scilicet et bona opera.

^{**}13.48 *In stamine,* etc. HIERON. Stamen anima est: quæ cum tentationis fuso in filiorum tenuitatem torquetur, firmioris virtutis soliditate constringitur. Stat ergo anima, ut tamen erecta, corporis sensus subjacet ut trama; alia autem sunt corporis, alia animæ peccata. ISICH. Qui solam litteram attendunt, etc., usque ad sed et de ea quæ circa virtutes evenire consuevit. ID. Lepra, in veste linea, etc., usque ad in conversatione hujus vitæ. *Pellis vel quidquid,* etc. ID. Tentatio tribulationis, etc., usque ad nec sicut munda temere suscipiat.

^{††}13.49 *Si alba,* etc. ID. LXX: *Viridans atque flavescens,* id est, superbia, quæ ad modicum floret: unde, *Sicut olera herbarum cito decident* Psal. 36., aut cenodoxia. Vult enim Christus virtutes esse sine vana gloria.

^{‡‡}13.56 *Abrumpet eum.* Per poenitentiam abscondet passionem; superbia abrumpitur, admota humilitate; vana gloria, amota adulatione, et vana laude.

^{¶¶}13.57 *Lepra volatilis.* GREG., hom. X in Ezech. Aliquando nos mala egisse cognoscimus et vitamus, etc., usque ad per immoderatam continentiam ad iracundiæ vitium transit.

^{§§}14.1 *Locutusque est.* ISICH. Quia maculas, etc., usque ad ipse enim omne peccatum curavit.

et hyssopum.* ⁵ Et unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes:† ⁶ alium autem vivum cum ligno cedrino, et cocco et hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati,‡ ⁷ quo asperget illum, qui mundandus est, septies, ut jure purgetur: et dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet.¶ ⁸ Cumque laverit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, et lavabitur aqua: purificatusque ingrediatur castra, ita dumtaxat ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus,§ ⁹ et die septimo radet capillos capitis, barbamque et supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus et corpore,** ¹⁰ die octavo assumet duos agnos immaculatos, et ovem anniculam absque macula, et tres decimas similæ in sacrificium,

*14.4 *Duos passeres*. ID. Divinitatem, scilicet et humanitatem Christi. *Quæ munda*, quia peccatum non habuit; *et viva*, quia ex peccato non fuit obnoxia mortis. *Quos vesci*, etc. Quia, *Verbum caro factum est*, et *nisi manducaverimus carnem Filii hominis, non habebimus vitam in nobis*. *Lignum cedri*. ISICH. Crucem, quæ contra omnia fortis, sicut cedrus fortis et imputribilis. *Vermiculum*. LXX: Coccinum tortum passionem, scilicet quia coccinum rubeum est, tortum passibilitate, et impassibilitate contextum. *Hyssopum*. Gratiam Spiritus sancti, quæ nostræ emundationi cooperatur. Unde: *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor*, etc. Psal. L.

†14.5 *Super aquas*, etc. Baptismatis. *Quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus* Rom. 6..

‡14.6 *Tinget in sanguine*, etc. Quia comprehenduntur omnia in virtute baptismi. Vivens passer in sanguine occisi passeris tingitur, quia non in hominis passione tantum, sed Dei et hominis baptizamur.

¶14.7 *Septies ut jure purgetur*. Pro septiformi Spiritu, in quo omnis mundatio et remissio; vel ut purgetur anima a septem dæmonibus. *Et dimittet passerem*. Quia quodammodo tenetur sub contemplatione humani intellectus.

§14.8 *Vestimenta sua*. Opera et si quas virtutes habuerit, quia et has peccatum polluit. *Purificatusque*, vere. Superius tamen dictum est lepram mundatam, sed sic intelligendum est, mundari aptam. *Extra tabernaculum*. Consortium sanctorum, a quo excluduntur peccatores. Unde *cum hujusmodi nec cibum sumere* I Cor. 5.

**14.9 *Capillos*. Cogitationes quæ ornatum homini ut rationali, et multa disceptanti præbent: sicut capilli capitis. *Et supercilia*. Quæ hominem contemplativum de sublimibus et diviniorebus constituunt, quod supercilia in altioribus sita significant. *Totius corporis*. Etiam verendarum partium, ut nulla remaneat veterem cogitationum, ut totus novus et quasi modo genitus veterem hominem exuat, novum induat. Quomodo enim rasis pilis succedunt novi, si novæ cogitationes ad meliora pullulant veteribus abrasis.

quæ conspersa sit oleo, et seorsum olei sextarium.†† 11 Cumque sacerdos purificans hominem, statuerit eum, et hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii, 12 tollet agnum et offeret eum pro delicto, oleique sextarium: et oblati ante Dominum omnibus, 13 immolabit agnum, ubi solet immolari hostia pro peccato, et holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita et pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia: Sancta sanctorum est. 14 Assumensque sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, et super pollices manus dextræ et pedis:‡‡ 15 et de olei sextario mittet in manum suam sinistram, 16 tingetque digitum dextrum in eo, et asperget coram Domino septies.¶¶ 17 Quod autem reliquum est olei in læva manu, fundet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, et super pollices manus ac pedis dextri, et super sanguinem qui effusus est pro delicto,§§ 18 et super caput ejus. 19 Rogabitque pro eo coram Domino, et faciet sacrificium pro peccato: tunc immolabit

††14.10 *Die octavo.* Quo Dominus surrexit, quo leprosus ingreditur castra, quæ patriarcha Jacob vidit occurrentibus sibi angelis: unde locum castra Dei appellavit Gen. 32.. *Postquam.* Prima die, qua egreditur sacerdos, extra castra immolari ad immun-dationem leprosi præcepit, octava die alia sacrificia substituit. Hæc enim eamdem vim habent quam prima: quia omne tempus in hebdomadibus terminatur. Octava ergo et prima est quæ subsequitur. Et notandum quod lepram, id est peccatum sum-mopere vitandum ostendit, quod tam diligenter purgari præcepit. *Agnos immaculatos,* etc. Omnia hæc figurant sacrificium Salvatoris, qui pro nobis hostia fuit. Ex utroque sexu sacrificium fit, quia utrumque sexum salvavit. *HIER.* In duobus agnis duo adventus Christi, quibus credendum est a lepra peccatorum mundari, primo enim venit et passus est: secundo in gloria venturus est. *Anniculam.* Anniculum jubet esse sacrificium tanquam perfectum: perfecta enim in prædictis animalibus annicula sunt: unde et tunc generationi apta sunt. *Et tres decimas.* Qui enim mundatur sacrificio Unigeniti, debet fide sanctæ Trinitatis signari, tres decimas similæ, id est Trinitatem, Patrem et Filium, et Spiritum sanctum habentem in unaquaque per-sona perfectionem: denarius enim perfectus est. *Similæ.* Unigeniti. Quamvis enim Unigeniti passio fuerit, opus tamen est totius Trinitatis: unde in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti baptizamur, dum in mortem Christi baptizamur. *ISID.* Est lepra peccati, etc., usque ad et consequi veniam. *Olei sextarium.* Quia fide intelligitur et agitur unumquodque prædictorum. Sextarius namque mensura est, nec plus nec minus capientis: quod enim plus est, effunditur, si minus est, non est sextarius. Sic fides ad mentis nostræ mensuram datur, nec capit plus aut minus quam a Deo distribuitur: quod enim plus est aut minus, extra fidem est. Olei sextarium, pinguem Dei misericordiam et gratiam: et si clarissimam sanctimoniam faciem præferre non valuit, lucernam fidei non exstinguat.

‡‡14.14 *Supra extremum.* Ut auditum muniat, et cautum reddat: ne amplius vocem serpentis audiat. *Et pedis.* Ut in conspectu Dei motio nostra et via dirigatur. His enim supradictis custoditis per sanguinem agni et fidem ejus, quæ nobis per misericordiam et compassionem ipsius donatur, intelligibilis lepra fugatur.

¶¶14.16 *Et asperget,* etc. Præsumit enim talis sacerdos apud Deum, quoniam mundare et dimittere peccata potuerit: unde septies aspergit, quia numerus est remissionis et gratiæ.

§§14.17 *Quod autem,* etc. Ut fides sacerdotis in operibus ostendatur. Non enim aliter vim suam exerit, nisi manu assumpta, id est, actione confirmata et signata. Mittit autem oleum in sinistram manum, et intingit digitum dextrum in oleo, ut per arma justitiæ a dextris et sinistris conversetur, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam.

holocaustum,* ²⁰ et ponet illud in altari cum libamentis suis, et homo rite mundabitur.† ²¹ Quod si pauper est, et non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt pro delicto, assumet agnum ad oblationem, ut roget pro eo sacerdos, decimamque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, et olei sextarium,‡ ²² duosque turtures sive duos pullos columbæ, quorum unus sit pro peccato, et alter in holocaustum: ²³ offeretque ea die octavo purificationis suæ sacerdoti, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino. ²⁴ Qui suscipiens agnum pro delicto et sextarium olei, levabit simul: ²⁵ immolatoque agno, de sanguine ejus ponet super extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, et super pollices manus ejus ac pedis dextri: ²⁶ olei vero partem mittet in manum suam sinistram, ²⁷ in quo tingens digitum dextræ manus asperget septies coram Domino: ²⁸ tangetque extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur, et pollices manus ac pedis dextri, in loco sanguinis qui effusus est pro delicto: ²⁹ reliquam autem partem olei, quæ est in sinistra manu, mittet super caput purificati, ut placet pro eo Dominum: ³⁰ et turturem sive pullum columbæ offeret, ³¹ unum pro delicto, et alterum in holocaustum cum libamentis suis. ³² Hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui. ³³ Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens: ³⁴ Cum ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus,¶ ³⁵ ibit cujus est domus, nuntians sacerdoti, et dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea. ³⁶ At ille præcipiet ut efferant universa de domo, priusquam ingrediatur eam, et videat utrum leprosa sit, ne immunda fiant omnia quæ in domo

*14.19 *Et faciet sacrificium*, etc. Per ea quæ dicta sunt de delictis, possunt ea, quæ pro peccato sunt, conjici: vicina enim sunt et communia tanquam in communi materia. *Holocaustum*, etc. Christi sacrificium prius nos a delictis et peccatis mundat, et tunc nostrum conficitur holocaustum. Cum enim intelligibili emundatione corpus nostrum et animam sanctificantes facti sumus spirituales, tunc digni ad ascensionem altaris efficimur: tunc enim plenam emundationem accipimus, nec alia indigemus. Sunt namque emundationum profectus, quædam enim a pollutione lepræ liberat; alia inducit in castra; alia plenissime mundatos ad altare præsentat.

†14.20 *Ponet super extremum auriculæ dextræ illius qui*, etc. ORIG., hom. 8 in Levit. Vides quomodo ultimæ et summæ purificationis, etc., usque ad et per omnia Patris Filius reparatur.

‡14.21 *Quod si pauper est et non potest manus ejus*, etc. HIERON. Hoc est, si divitias cœlestium charismatum non habet, verbi gratia, si virginitatem servare non valuit, thorum custodiat immaculatum; si martyrii non potuit reportare tropæum, se saltem servet invictum. *Quod si pauper est*, etc. Mirabiliter condescendit et veniam tribuens paupertati, congrua pauperi sacrificia præcipit, ne obstupescat si majora viribus sacrificia exigantur. Qui tamen non habet panem aut pecuniam, unde emat agnum aut columbam aut turturem? Ad spiritualia ergo horum occasione vocamur, ut lepram, malitiam; poenitentiam, emundationem intelligamus. Poenitentia sunt opera necessaria, quæ valeant delere peccata. Unde: *Facite ergo fructus dignos poenitentia* Luc. 3. Sunt autem plures qui non possunt solvere quod exigit districtio poenitentia. Exigit enim orationem assiduam, eleemosynam, vigiliis, sacrum jejunium, et ut possit dicere: *Factæ sunt lacrymæ meæ panes die ac nocte*; et, *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis*, etc. Psal. 14. Et, *Quia cinerem tanquam panem manducabam*, etc. Psal. Cl. Ignoscit his qui volunt, sed non possunt aliam viam poenitentia, id est, alia sacrificiorum genera exquirat.

¶14.34 *Chanaan*. ISICH. Terra Chananæorum Abrahamæ promissa est, etc., usque ad quod ibi patet *Salutate Nypham et domesticam ejus ecclesiam* Col. 4..

sunt. Intrabitque postea ut consideret lepram domus: ³⁷ et cum viderit in parietibus illius quasi valliculas pallore sive rubore deformes, et humiliores superficie reliqua, ³⁸ egredietur ostium domus, et statim claudet illam septem diebus. ³⁹ Reversusque die septimo, considerabit eam: si invenerit crevisse lepram, ⁴⁰ jubebit erui lapides in quibus lepra est, et projici eos extra civitatem in locum immundum:[§] ⁴¹ domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, et spargi pulverem rasuræ extra urbem in locum immundum, ⁴² lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint, et luto alio liniri domum.** ⁴³ Sin autem postquam eruti sunt lapides, et pulvis erasus, et alia terra lita, ⁴⁴ ingressus sacerdos viderit reversam lepram, et parietes respersos maculis, lepra est perseverans, et immunda domus:†† ⁴⁵ quam statim destruent, et lapides ejus ac ligna, atque universum pulverem projicient extra oppidum in locum immundum. ⁴⁶ Qui intraverit domum quando clausa est, immundus erit usque ad vesperum: ⁴⁷ et qui dormierit in ea, et comederit quippiam, lavabit vestimenta sua. ⁴⁸ Quod si introiens sacerdos viderit lepram non crevisse in domo, postquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita sanitate:‡‡ ⁴⁹ et in purificationem ejus sumet duos passerres, lignumque cedrinum, et vermiculum atque hyssopum: ⁵⁰ et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas, ⁵¹ tollet lignum cedrinum, et hyssopum, et coccum, et passerem vivum, et tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, et asperget domum septies, ⁵² purificabitque eam tam in sanguine passeris quam in aquis viventibus, et in passere vivo, lignoque cedrino et hyssopo atque vermiculo. ⁵³ Cumque dimiserit passerem avolare in agrum libere, orabit pro domo, et jure mundabitur. ⁵⁴ Ista est lex omnis lepræ et percussuræ,¶¶ ⁵⁵ lepræ vestium et domorum, ⁵⁶ cicatricis et erumpentium papularum, lucentis maculæ, et in varias species, coloribus immutatis, ⁵⁷ ut possit sciri quo tempore mundum quid, vel immundum sit.

§14.40 *Extra civitatem.* Non tantum extra domum, quia de universali Ecclesia sunt ejiciendi, quæ est civitas Dei vivi.

**14.42 *Lapidesque alios.* Dogmata veritatis, de quibus dicitur: *Lapides vivi volvuntur super terram* Zach. 9.; et alibi: *Quicumque ædificaverit super fundamentum aurum et argentum,* etc. I Cor. 3..

††14.44 *Reversam lepram et parietes,* etc. Id est, si, ejectis pravis dogmatibus, expositione subtili rursus impietatis doctrina inveniatur aspersa.

‡‡14.48 *Quod si introiens,* etc. Memento quæ legeris in mundatione leprosi. Manifeste enim apparet quia ecclesiam hæreticorum exprimit; qui contra dispensationem incarnationis Christi agit: et ideo ad domum mundandum talia sacrificia adjicit, in quibus mysteria carnis et passionis Christi possint exprimi, et peccata in se commissa sanari.

¶¶14.54 *Ista est lex.* Quia late leges lepræ exposuit, necessario recapitulavit, prius genus, deinde partes exponit. *Lepræ.* Impiæ doctrinæ, quæ contingit etiam laicis, ideo additum est: *Vir aut mulier in quo fuerit plaga lepræ et eat.* Si enim sacerdotes tantum intellexisset, mulierem non addidisset. Post hæc lepram, quæ est in virtutibus, posuit, hæc enim sunt animæ vestimenta. Inde quæ est in Ecclesiæ doctoribus, qui sunt parietes domus. Tandem cicatricis et erumpentium papularum memoriam facit: lepram veram describens, eam scilicet quæ est in peccatis vel in dubiis vel manifestis.

15 Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:§§ ² Loquimini filiis Israël, et dicite eis: Vir, qui patitur fluxum seminis, immundus erit. * ³ Et tunc iudicabitur huic vitio subjacere, cum per singula momenta adhæserit carni ejus, atque concreverit fœdus humor. ⁴ Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, et ubicumque sederit. ⁵ Si quis hominum tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua, et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. ⁶ Si sederit ubi ille sederat, et ipse lavabit vestimenta sua: et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. ⁷ Qui tetigerit carnem ejus, lavabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. ⁸ Si salivam hujuscemodi homo jecerit super eum qui mundus est, lavabit vestimenta sua: et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. ⁹ Sagma, super quo sederit, immundum erit:† ¹⁰ et quidquid sub eo fuerit, qui fluxum seminis patitur, pollutum erit usque ad vesperum. Qui portaverit horum aliquid, lavabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. ¹¹ Omnis, quem tetigerit qui talis est, non lotis ante manibus, lavabit vestimenta sua, et lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. ¹² Vas fictile quod tetigerit confringetur: vas autem ligneum lavabitur aqua. ¹³ Si sanatus fuerit qui hujuscemodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, et lotis vestibus et toto corpore in aquis viventibus, erit mundus.‡ ¹⁴ Die autem octavo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, et veniet in conspectum Domini ad ostium tabernaculi testimonii, dabitque eos sacerdoti:¶ ¹⁵ qui faciet unum pro peccato et alterum in holocaustum: rogabitque pro eo coram Domino, ut emundetur a fluxu seminis sui.§ ¹⁶ Vir de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum: et immundus erit usque ad vesperum.** ¹⁷ Vestem et pellem, quam habuerit, lavabit aqua, et immunda erit usque ad vesperum.†† ¹⁸ Mulier, cum qua coierit, lavabitur aqua, et immunda erit usque ad vesperum. ¹⁹ Mulier, quæ redeunte

§§15.1 ISICH. LXX sic, etc., usque ad in virum perfectum, etc.

*15.2 GREG., lib. XXXIII Moral., cap. 15, tom. 2. *Vir qui patitur*, etc. Quid est sermo nisi semen? etc., usque ad quam perpetuæ mercedis fructum. ISICH. Quia multæ species sunt pravæ doctrinæ, etc., usque ad si particeps fuerit doctrinæ ejus sequens discipulos ipsius.

†15.9 *Sagma super quo*, etc. ISICH. LXX, id est, stragulum asini. Per quod negligentior discipulus et molli corde commutandus intelligitur. Sigmata enim mollia sunt.

‡15.13 *Numerabit septem dies*. ID. Quia per septiformem Spiritum datur remissio peccatorum, cujus septem donis indigent qui perfecte mundari debent.

¶15.14 *Duos turtures*. ID. Dignum doctoribus sacrificium. Turtur siquidem meditationem, columba frequenter generans et simplex, Spiritum sanctum designat. Oportet enim doctorem spiritualiter generare: digne ergo hoc sacrificium sacerdotibus et magistris dedicavit.

§15.15 *Coram Domino ut emundetur*. Secundum voluntatem et legem Dei, super quæ peccavit, emundatur poenitendo, sacrificia orationum offerendo, et deinceps recte vivendo et perfecte sapiendo.

**15.16 *Vir de quo egreditur*, etc. ISICH. *Nisi quis*, etc., usque ad mundavit genus humanum. ID. Quia multi, etc., usque ad doctorum suorum traditionibus.

††15.17 *Vestem et pellem*. Miseriam exprimit originalis peccati, quo genus humanum pollutum etiam insensata polluit. Mulieres exprimit quæ libidinis causa miscetur viris ad temporalem usum, quem præstant, et vestimentum, pelles quoque veteratæ projiciuntur, et muliebris consuetudo veterascente amicitia respuitur.

mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.^{‡‡} ²⁰ Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperum: ²¹ et in quo dormierit vel sederit diebus separationis suæ, polluetur. ²² Qui tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. ²³ Omne vas, super quo illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua, pollutus erit usque ad vesperum. ²⁴ Si coierit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus: et omne stratum, in quo dormierit, polluetur. ²⁵ Mulier, quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quamdiu subjacet huic passioni, immunda erit quasi sit in tempore menstruo.^{¶¶} ²⁶ Omne stratum, in quo dormierit, et vas in quo sederit, pollutum erit. ²⁷ Quicumque tetigerit ea, lavabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperam. ²⁸ Si steterit sanguis, et fluere cessaverit, numerabit septem dies purificationis suæ: ²⁹ et die octavo offeret pro se sacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum, ad ostium tabernaculi testimonii:^{§§} ³⁰ qui unum faciet pro peccato, et alterum in holocaustum, rogabitque pro ea coram Domino, et pro fluxu immunditiæ ejus. ³¹ Docebitis ergo filios Israël ut caveant immunditiam, et non moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum quod est inter eos.* ³² Ista est lex ejus, qui patitur fluxum seminis, et qui polluitur coitu,[†] ³³ et quæ menstruis temporibus separatur, vel quæ jugi fluit sanguine, et hominis qui dormierit cum ea.

^{‡‡}15.19 **Mulier**, etc. Per menstrua pravæ cogitationes designantur. Quæ enim menstrua patitur, alienam carnem non tangit, et propria se polluit. Sic iniquæ cogitationes et voluntates, quamvis opere non compleantur, apud Deum pro factis habentur et puniuntur. **Mulier quæ redeunte**. ISICH. Intendit tam mulieres, etc., usque ad quæ corruptio humani generis est. **Septem diebus**, etc. Universalitatem temporum significat, usque ad completionem, qua declaratum est Evangelium: separati enim erant homines a Deo usquequo conjungeret eos evangelica prædicatio. **Qui tetigerit vestimentum ejus, lavabit**, etc. Sic oportet ab idololatria abstinere: ut nec idololatrias nec eorum discipulos vel fautores, quibus quasi lectis vel vasis utuntur, contingamus, nec communionem cum eis habeamus.

^{¶¶}15.25 **Mulier quæ**, etc. Quia fluxum seminis patientem, obscena et corrupentia docentem diximus; et Judaica utentem doctrina de quo semen coitus egreditur; restant qui Gentilium doctrinam spargunt, quæ opportune fluxus sanguinis dicitur, quasi seductio idololatriæ: gaudent enim dæmones sanguine.

^{§§}15.29 **Offeret**. Superius fluxum sanguinis patientem sumere duos turtures, aut columbas in sacrificium præcepit, quia magistri locum occupavit; et hic quoque eum qui patitur fluxum sanguinis quia et idololatriæ magister fuit.

^{*}15.31 **Docebitis**. Hoc neque de leprosis, neque his qui tangunt morticina, sancivit. **Immunditias**. Omne peccatum immunditia est animæ, sed idololatria maxime. **Tabernaculum**. Interiorem hominem, in quo imago Dei. **Verbum quoque caro factum est, et habitabit in nobis**.

[†]15.32 **Ista**. Quæ sibi coherent, et communem intentionem habent, nectere consuevit, ut ostendat quomodo debeant intelligi, et quæ cum quibus cognatione intellectus conjungantur. **Et qui**, etc. Qui præcepta Judaica docet, et male docet bona, immundus est, dum quæ ad litteram pertinent, extra tempus profert, sicut mundis utitur immundis, unde: **Omnia munda mundis**, etc. **Et quæ**, etc. Hi sunt qui impietatem docent, cum genus humanum errore idololatriæ sit detentum in menstruis, id est, in separatione malitiæ.

16 Locutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti sunt:[‡] ² et præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum),[¶] ³ nisi hæc ante fecerit: vitulum pro peccato offeret, et arietem in holocaustum.[§] ⁴ Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti: hæc enim vestimenta sunt sancta: quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur.^{**} ⁵ Suscipietque ab universa multitudine filiorum Israël duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum.^{††} ⁶ Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se et pro domo sua, ⁷ duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii:^{‡‡} ⁸ mittensque super utrumque sortem, unam Domino, alteram capro emissario: ⁹ cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato: ¹⁰ cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, et emittat eum in solitudinem.^{¶¶} ¹¹ His rite cel-

[‡]16.1 *Locutusque est Dominus*, etc. ISICH. Unum corpus legis facit, etc., usque ad unde post mortem eorum Dominus hæc ad Moysen loquitur.

[¶]16.2 *Loquere ad Aaron*, etc. ID. Quantum parcat nobis Deus, etc., usque ad quod præsentibus cavetur verbis. *Coram propitiatorio*. ISICH. LXX: Coram facie propitiatorii, etc., usque ad vel quam ex carne Dominica percipimus.

[§]16.3 *Vitulum pro peccato offeret*. ISICH. Mirandus ordo. Cum enim dixisset, quia non est semper ingrediendum in sancta, ne temere et incircumspecte accedere præsumamus, quando et quomodo ingrediamur, ostendit. *Vitulum offeret pro peccato*. Initium prædicationis divinæ Christus est, et passio ejus, si hæc non fuisset et ab errore tam Gentili quam Judaico homines non liberasset, de divinitate Patris loqui non posset. *Nemo enim novit Patrem nisi Filius et cui voluerit revelare* Matth. 11..

^{**}16.4 *Tunica linea vestietur*, etc. Qui de Deo locuturus est, et ipsum secundum possibilitatem visurus, omnibus armetur virtutibus, quarum quatuor generales sunt, justitia, castitas, fortitudo, sapientia. *Feminalibus*. HIERON. epist. ad Fabiolam, tom. 1. Ubi refertur quomodo Moyses Aaron fratrem suum induerit, etc., usque ad morte moriamur. ID. Secundum Hebræos, etc., usque ad ideo lineis feminalibus femina vel femora velantur. *Cum lotus fuerit*. ISICH. Aqua baptismi, etc., usque ad sed dispensationem Christi intelligere cupiens.

^{††}16.5 *Suscipietque ab universa multitudine*, etc. ID. Christus pro nobis immolatus est, etc., usque ad unde Paulus: *Mortificati estis per corpus Christi* Rom. 8..

^{‡‡}16.7 *Duos hircos*, etc. ISICH. Quia tam pro peccatoribus quam pro justis, etc., usque ad dicens: *Non erunt tibi alieni* Exod. 20.. AUG., quæst. 55 in Levit., tom. 3. *Duos hircos*, Hircus immolandus, etc., usque ad allegorica significatio. ISICH. *Duos hircos stare faciet*. Quia Christus Deus et homo, etc., usque ad et alteram capro emissario Christo.

^{¶¶}16.10 *In solitudinem*. Id est in sinum Patris, quo nullus accedit nisi ipse et Spiritus sanctus. Abiit ergo, id est, operandi virtutem cohibuit, et portavit iniquitates nostras, non ut haberet, sed ut consumeret. *Deus enim ignis consumens est*. In solitudinem, de qua dicitur: *In terra deserta in via et in aquosa*, etc. Psal. 62. Ibi hostis locum non habet, ubi Deus manet. In cælum enim divinitas tempore passionis abiisse dicitur; non locum mutans, sed quodammodo virtutem cohibens, ut possent impii consummare passionem.

ebratis, offeret vitulum, et rogans pro se, et pro domo sua, immolabit eum:§§ 12 assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, et hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in sancta: * 13 ut, positis super ignem aromatibus, nebula eorum et vapor operiat oraculum quod est supra testimonium, et non moriatur. † 14 Tollet quoque de sanguine vituli, et asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem. ‡ 15 Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat e regione oraculi, ¶ 16 et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israël, et a prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Juxta hunc ritum faciet tabernaculo

§§16.11 **Vitulum.** Quando Christus pro Judaicæ plebis liberatione offertur, vitulus dicitur: quia legis justificationem observabat. Unde ait: **Non veni legem solvere, sed adimplere** Matth. 5.; **qui factus est ex muliere, ut eos qui sub lege erant, redimeret** Gal. 4.. Recte ergo dicitur vitulus, quasi mandatis legis subjugatus. ISICH. Sacrificium Christi esse quidem carnis per virtutem divinitatis, et in beneplacito Patris, et propitiationem pro peccatis nostris: et ad subministrationem spiritus peragi legislator manifestat.

*16.12 **De prunis altaris,** etc. Spiritualibus verbis, quæ Joannes, egresso Juda, in cœna scripsit, quibus exponit quomodo ipse, cum sit in Patre et Pater in ipso Spiritum mittat; quomodo Pater agricola, ipse vitis, palmites apostoli, et alia multa, quæ ad pietatem accendunt tanquam carbones ignis Joan. 18.. **Hauriens manu.** 70. Implebit manus suas thymiamate, compositionis subtilis, subtilia scilicet spiritualia orans, non terrena. **Thymiama** orationem. Unde: **Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.** Oravit enim Christus pro discipulis.

†16.13 **Ut positis,** etc. Aaron pro dignitate sacerdotii, Christum et alios sacerdotes significat. Christus **super ignem,** id est doctrinam, ponit aromata, id est, orationem; et **vapor nebulae,** id est, virtus orationis, operit oraculum, id est carnem, ex qua nobis propitiatio peccatorum in Christo, qui est et testimonium. Ponit autem et quisque sacerdos de Christo loquens, in igne doctrinæ spiritualis, aromata orationis, cujus virtus operit oraculum, quod est super testimonium, nec permittit eum quærere de passione Christi, quæ sunt supra virtutem quærentis, et non morietur immoderatis, scilicet quæstionibus. **Et non morietur.** Caro ejus non vidit corruptionem, quia vapore aromatum operiebatur virtute, scilicet orationis, de qua dicitur. **Non dabis sanctum tuum videre corruptionem** Psal. 15..

‡16.14 **Contra propitiationem.** Quia ad propitiationem nostram et illuminationem Christus passus est, qui propitiatorium dicitur, et oriens. Unde: Ecce vir, oriens, etc. Psal. 15. Et alibi: et **visitavit nos oriens,** etc. Zachar. 6.. Vel contra propitiatorium, id est, in conspectu Patris, septies, quia remissionem peccatorum et Spiritum sanctum nobis donavit.

¶16.15 **Cumque mactaverint,** etc. Quia de communi massa hominum factus est Christus, recte hircus vocatur, quia hoc animal pilis asperum et hirsutum, et pro peccato genus humanum. Unde convenienter ait: **Cumque mactaverit hircum pro peccato populi** Ose. 1., id est humani generis: quod quondam non populus, nunc autem populus, ex quo ejus primitias assumpsit Christus. Ut ergo monstraret de Judæis principaliter, sed et omnis naturæ, quæ in peccato est, primitias Christum portare, vitulum simul et hircum assumpsit, et quia unum sacrificium, et unus effectus, necessario communia in hircu aguntur et vitulo. Cernis enim quia hircus occiditur ante Deum, id est Patrem: et sanguis infertur in interiora velaminis, id est, ad eundem Patrem. Et expiatur sanctuarium, massa, scilicet, humani generis, quæ ab initio sancta fuit, et tabernaculum Spiritus sancti.

testimonii, quod fixum est inter eos, in medio sordium habitationis eorum.^{§ 17} Nullus hominum sit in tabernaculo, quando pontifex sanctuarium ingreditur, ut roget pro se, et pro domo sua, et pro universo cœtu Israël, donec egrediatur.^{** 18} Cum autem exierit ad altare quod coram Domino est, oret pro se, et sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua ejus per gyrum:^{†† 19} aspergensque digito septies, expiet, et sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israël.^{‡‡ 20} Postquam emundaverit sanctuarium, et tabernaculum, et altare, tunc offerat hircum viventem:^{¶¶ 21} et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, et universa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum, in desertum.^{§§ 22} Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto, ²³ revertetur Aaron

[§]16.16 *Tabernaculo testimonii*, etc. Quod superius sanctuarium, hic tabernaculum testimonii vocat. Eadem enim ratione et sancta et tabernaculum testimonii, dicitur massa humani generis. Sic enim tabernaculum testimonii cœlum est, recte sancta nominatur: cœlestis est homo noster de quo Paulus ait: *Sicut portavimus imaginem terræ*, etc. I Cor. 15.. Hic recte sancta nominatur qui est in medio immunditiarum, quia passionibus carnis oppugnatur Christus. *Sanctuarium. Genus humanum*, carnem assumendo, ut in proprio sanctuario carnis rogaret per crucem.

^{**}16.17 *Donec egrediatur*. Humano scilicet more spiritum emittens, et carnem in sepulcro relinquens.

^{††}16.18 *Et sumptum sanguinem*. Quia passione sua cornua altaris, id est quatuor principales virtutes sanctificavit.

^{‡‡}16.19 *Expriet*. Christi sacrificio expiantur. Unde, *ipsa autem caelestia majoribus hostiis expiantur* Heb. 2., quam istis. *Ab immunditiis*. Quantum ad cœlorum virtutes non indigent expiari, quæ sunt in sanctificatione perenni. Sed quia frequenter peccatorum nostrorum fumus ascendit, de quo dicitur: *Ascendit fumus in ira ejus* Psal. 17.; et de Ninive, *Malitia ejus ascendit coram me* Jonæ 1., recte ab immunditiis nostris expiat supernos choros, ut abominabilem auferat odorem. Ideo non simpliciter aspergit, sed septies, quia venia peccatorum nostrorum caelestia mundantur.

^{¶¶}16.20 *Postquam*. AMBR. epist ad Simplicianum. Sicut duo sunt in agro, etc., usque ad quæ facit animi tranquillitatem.

^{§§}16.21 *Et posita utraque manu*, etc. Manus impositio benedictionem ministrat in sacrificio, aut remissionem peccatorum, aut Spiritum sanctum; quæ esse non possunt in eo super quem cadit fors diaboli. Multæ quoque circumstantiæ sunt quæ illi sententiæ contradicunt. *Et posita*. Ut ostendatur quia verbum Dei impassibile, immortale, in carne pro nobis sufficiens sacrificium suscepit: huic recte omnia peccata imponuntur, quia peccata nostra pertulit in corpore suo. LXX: *Imponet ea super caput hædi vivi*. In quo significatur spinea corona capiti ejus impressa, in spinis enim significantur peccata. *Per hominem*, etc. Christum qui est omnia, sui sacrificii sacerdos, sacrificium, cultus, et altare. Paratus secundum illud: *Ego autem non contradico, vestrorsum non abii: corpus meum dedi percutientibus*, etc. Isai. 50.. Christus ergo seipsum per hædum vivum immolans, ipse se per hominem paratum, id est propriam virtutem, mittit hircum viventem in solitudinem, immortalem scilicet, impassibilemque divinitatem ad invia nobis loca, et omni malitia deserta. Unde: *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit* Joan. 13.. ORIG. in *homil. super Leviticum* hircum qui Domino immolatur, dicit significare eos qui ad fortem Domini destinantur, sicut Lazarus ille, qui in sinum Abrahamæ deportatur angelis Luc. 16.. Hircum vero qui dimittitur in eremum, reprobos significare, vel Judaicum populum, qui a facie Domini pro peccatis suis abjiciuntur, sicut dives purpuratus in inferno sepultus. Hominem vero paratum, Christum vel angelos ejus, unde recipit unusquisque quod meretur.

in tabernaculum testimonii, et depositis vestibus, quibus prius indutus erat, cum intraret sanctuarium, relictisque ibi, ²⁴ lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestibus suis. Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum, ac plebis, rogabit tam pro se quam pro populo: ²⁵ et adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare. ²⁶ Ille vero, qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua, et corpus aqua, et sic ingredietur in castra. ²⁷ Vitulum autem, et hircum, qui pro peccato fuerant immolati, et quorum sanguis illatus est in sanctuarium, ut expiatio completeret, asportabunt foras castra, et comburent igni tam pelles quam carnes eorum, ac fimum: ²⁸ et quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua et carnem aqua, et sic ingredietur in castra. ²⁹ Eritque vobis hoc legitimum sempiternum: mense septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras, nullumque opus facietis, sive indigena, sive advena qui peregrinatur inter vos. [†] ³⁰ In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini. ³¹ Sabbatum enim requietionis est, et affligetis animas vestras religione perpetua. ³² Expiabit autem sacerdos, qui unctus fuerit, et cujus manus initiatae sunt ut sacerdotio fungatur pro patre suo: indueturque stola linea et vestibus sanctis, ³³ et expiabit sanctuarium et tabernaculum testimonii atque altare, sacerdotes quoque et universum populum. ³⁴ Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israël, et pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur sicut præceperat Dominus Moysi.

17 Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: [‡] ² Loquere Aaron et filiis ejus, et cunctis filiis Israël, dicens ad eos: Iste est sermo quem mandavit Dominus, dicens: ³ Homo quilibet de domo Israël, si occiderit bovem aut ovem, sive capram, in castris vel extra castra, [¶] ⁴ et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit: quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui. ⁵ Ideo sacerdoti offerre debent filii Israël hostias suas, quas occident in agro, ut sanctificentur Domino ante ostium tabernaculi testimonii, et immolent eas hostias pacificas Domino. ⁶ Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi

*16.26 *Illi vero qui dimiserint.* ORIG., hom. 9 in Lev. Ascendit in cor tuum concupiscentia? etc., usque ad et hic in lavandis vestibus potest eadem figura servari.

†16.29 *Mense autem septimo.* ORIG., *ubi supra.* In qua solemnitas repropitiationis, etc., usque ad id est abjectus et refutatus.

‡17.1 *Et locutus est,* etc. Præsenti lege demonstratur quia non tantum Moysi, sed omnibus communiter loquitur Dominus. Omnes scire cupit quod omnibus expedit, legem scilicet temporalem esse, et expleto suo tempore, observari supervacue. Expletio vero temporis perfecta, destructio loci in quo sacrificia præcepit offerri, intimidando eum qui extra castra, sive foris, tantum extra tabernaculum testimonii sacrificaverit, interire de populis suis, ut scilicet, destructo tabernaculo et loco, sacrificia finem habeant. Sanctas vero actiones et quæ ædificant humanam mentem, ut patrem et matrem honorare, et proximos diligere, et similia, loco non circumscripsit, quia semper prosunt, et cum Evangelio conveniunt. Quicumque ergo nunc figuras agunt destructi loci, sanguinem effundunt, et communem conversationem maculant, in communi peccant; sicut qui sanguinem fundunt, eorum quoque sanguinem fundunt, quos exemplo suo in errorem mittunt.

¶17.3 *Homo quilibet,* etc. Quasi figuræ legis temporales sunt, et in loco certo sunt, quo destructo non possunt manere. *Si occiderit ovem.* AUG., quæst. 56 in Levit. Non de his dicit, etc., usque ad quidquid in hac re fecit, contra legem esse non potuit, quia dator est legis.

testimonii, et adolebit adipem in odorem suavitatis Domino: ⁷ et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt. Legitimum semipiternum erit illis et posteris eorum.⁸ ⁸ Et ad ipsos dices: Homo de domo Israël, et de advenis qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum sive victimam,^{** 9} et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo.¹⁰ Homo quilibet de domo Israël et de advenis qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo,^{†† 11} quia anima carnis in sanguine est: et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit.^{‡‡ 12} Idcirco dixi filiis Israël: Omnis anima ex vobis non comedit sanguinem, nec ex advenis qui peregrinantur apud vos.¹³ Homo quicumque de filiis Israël, et de advenis qui peregrinantur apud vos, si venatione atque aucupio ceperit feram, vel

§17.7 *Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus,* etc. Cum a Domino dictum sit Exod. 20.: *Non facies tibi idolum nec omnem similitudinem eorum quæ in cælo sunt sursum, et in terra deorsum, et quæcunque subtus terram;* conflatilem vitulum fecerunt, et ei sacrificium obtulerunt, abligurire cupientes sacrificium. Lex ergo, quasi pædagogus eorum, præcipit Deo sacrificare Exod. 32., ut in hoc occupati abstinerent se a sacrificio idololatriæ. Talia tamen sancivit sacrificia, quibus mysteria significantur futura. *Cum quibus fornicati sunt.* Idololatriam fornicationem vocat, quia Deus despondit sibi animas nostras. Dicitur ergo fornicatio ab illo discessio. Terret etiam eos qui in carne fornicantur, cum peccatum fornicationis comparat idolorum cultui et dæmonum oblationi.

**17.8 *Homo de domo Israël,* etc. AUG., ubi supra. Si idem repetitur mandatum, etc., usque ad frustra se Israëlitas vel Judæos jactant.

††17.10 *De advenis.* Gentilibus, qui non sunt conjuncti Judæis, sed apud nos. Apud eos quippe fuimus, ut legem eorum et prophetas, et promissam hæreditatem habentes, non tamen ipsis sed Deo adhærentes: propterea juxta LXX, *homo homo dixit,* ut ostendat tam eos qui in circumcissione, quam qui in præputio adhærent Deo, hoc debere mandatum servare. *Si comederit sanguinem,* etc. Sanguinem, homicidium intelligimus; fratris odium, homicidium est: *Qui enim odit fratrem suum, homicida est* I Joan. 3.. Abstinendum est igitur ab omni odio fratrum, quia super talem animam quæ talem comedit sanguinem secundum illud: *Qui devorant plebem meam sicut escam panis* Psal. 13. obfirmat faciem suam Deus, Christum, scilicet qui est imago Patris. *Qui enim videt Filium, videt et Patrem* Joan. 14.. Ipse enim judex est de quo dicitur: *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* Psal. 33.. Ipse autem comedentem sanguinem perdit de populo suo, de communi scilicet hominum genere: quia sicut immisericordem et impium cum malignis spiritibus mittit in ignem æternum, *qui præparatus est diabolo et angelis ejus* Matth. 25.. Ut autem ostenderet quantum debeamus esse invicem misericordes, quantum diligentes, ostendit quia pro expiatione nostra sanguinem suum fuderit dicens: *Ego dedi illum vobis,* sanguinem scilicet Christi.

‡‡17.11 *Anima carnis.* AUG., quæst. 57 in Lev. Aliquid vitale est in sanguine, etc., usque ad cui tantum meritum acquirabat.

avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, et operiat illum terra.^{¶14} Anima enim omnis carnis in sanguine est: unde dixi filiis Israël: Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: et quicumque comederit illum, interibit.¹⁵ Anima, quæ comederit morticinum, vel captum a bestia, tam de indigenis, quam de advenis, lavabit vestimenta sua et semetipsum aqua, et contaminatus erit usque ad vesperum: et hoc ordine mundus fiet.^{§§16} Quod si non laverit vestimenta sua et corpus, portabit iniquitatem suam.

18 Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: ²Loquere filiis Israël, et dices ad eos: Ego Dominus Deus vester.* ³juxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis: et juxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducitur sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis.^{†4} Facietis judicia mea, et præcepta mea servabitis, et ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester.⁵ Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Ego Dominus.^{‡6} Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego

^{¶17.13} *Homo quicumque.* ISICH. Multa Deo cura est de nobis, ne alteri noceamus: propterea percipienti maxillam jubet alteram dare; et auferenti pallium, tunicam dimittere; et non in judicio contendere, ne ex contentione velimus etiam nocere Matth. 5., sed patiendi ipsum corrigere. Ideo legislator sanguinis mandatum recapitulat, ut fraudes et astutias nocendi varias auferat, dicens: *Sive venatione sive aucupio*, etc. *Venatione.* Fraude, quæ ad sanguinem vitamque pertinet. Unde: *Captabant in animam justî, et sanguinem innocentem condemnabant* Psal. 43.. Et rursus: *Anima nostra sicut passer, erepta est de laqueo venantium* Psal. 123.. Hoc est, si peccantem viderit eum, qui venationi et dolo ex infirmitate vel simplicitate expositus est. *Vel ovem*, etc. Eum scilicet qui a terrenis se removet, quibus vesci licitum est: tales enim violenti et avari comedunt. Unde: *Si invicem comeditis, videte ne ab invicem consumamini* Gal. 5.. Vel quoniam prius erant justî, recte inter munda computantur. *Operiat illum terra*, etc. Peccata confitentium terra operit, tanquam inferius remanentia et per poenitentiam mortificata: quorum prohibitus est clamor ad cœlos ascendere, quo ascendebat clamor Sodomorum, qui nolebant poenitere Gen. 18..

^{§§17.15} *Anima quæ comederit*, etc. Superius dictum est: Quæ tetigerit morticina a bestiis capta, id est, qui in talibus communicaverit: hic autem dicitur: *Anima quæ comederit*; totum scilicet peccatum suum fecerit, et ex eo voluntatem suam expleverit.

*^{18.2} *Ego Dominus.* Quasi dicat, Cognoscite vestrum creatorem; diligenter servate ejus præcepta.

^{†18.3} *Juxta consuetudinem*, etc. Intentionem totius legis aperit, ut a malis scilicet abstineamus et bona teneamus. *Neque in legitimis eorum*, etc. Non enim solum a fornicatione, avaritia et superbia, sed etiam a divinationibus, et auguriis, et omnium gentium superstitionibus præcipit abstinere.

^{‡18.5} *Vivet in eis. Ego Dominus.* Quia in ipsis vera vita in Christum credentibus: *quia qui videt Filium, et credit in eum, habet vitam æternam* Joan. 6.. Hoc in prioribus judiciis et præceptis non addidit: lex enim non vivificat, nisi evangelium superveniat.

Dominus.[¶] ⁷ Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est: non revelabis turpitudinem ejus. ⁸ Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpitudinem enim patris tui est. ⁹ Turpitudinem sororis tuæ ex patre sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis.[§] ¹⁰ Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex filia non revelabis: quia turpitudinem tua est. ¹¹ Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis.^{**} ¹² Turpitudinem sororis patris tui non discooperies: quia caro est patris tui. ¹³ Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro sit matris tuæ. ¹⁴ Turpitudinem patru tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur.^{††} ¹⁵ Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est: nec discooperies ignominiam ejus. ¹⁶ Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis: quia turpitudinem fratris tui est.^{‡‡} ¹⁷ Turpitudinem uxoris tuæ et filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, et filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus: quia caro illius sunt, et talis coitus incestus est.^{¶¶} ¹⁸ Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non

[¶]18.6 *Omnis homo ad proximam*, etc. Prohibet ne astute ad peccantes in lege, cognationis occasione, accedamus, ut tandem turpia facta eorum cognoscentes prodamus; unde subdit: *Ego Dominus. Omnis homo. LXX: Homo ad omnem domesticam carnis ipsius non accedet*, etc. Quemadmodum enim homo duplex, sic duplicia præcepta, interioriorem et exterioriorem hominem docentia. Lex exterior sanguineis misceri prohibet, sicut gentes, quarum hæreditatem accepturus erat Israël, qui adeo dissolutus et deditus carnis voluptatibus, ut unus multas uxores acciperet, ut sic saltem ab alienigenis abstinerent. Generationes ergo legislator exsequitur per ordinem, a quibus continere debent, ne confundantur generationes et dispereant hæreditates. Taliū conjunctionem turpitudinem appellat, ut abominandam horrendamque ostendat. Notandumque quod cum in principio hujus legis dixisset: *Ego Dominus Deus vester*, iteravit *Ego Dominus*, significans quia nobis carne conjunctus est, et nostræ cognationis particeps: tantam ergo cognationem offendere damnabile est. *Ego Dominus*. Non manifestans peccata hominum, sed delens et tegens quod fuerit confessione deletum vel detectum. *Turpitudinem*, etc. AUG., quæst. 58 in Lev. Prohibet cum matre concumbere, etc., usque ad in charitate enim peccat, quæ plenitudo legis est Rom. 13..

[§]18.9 *Foris genita est*. ID., quæst. 59. Ex matre, si de priori viro, etc., usque ad quod superius dixit obscure.

^{**}18.11 *Filiæ uxoris*, etc. AUG., ubi supra. Non cum filia novercæ ex priori viro videatur prohibere concubium, cum ei cui prohibetur, soror non sit, vel ex patre vel ex matre, addidit quod ex eodem patre.

^{††}18.14 *Turpitudinem fratris patris*, etc. AUG., quæst. 61. Quæritur utrum hoc, etc., usque ad posset enim aliquis putare quod talem liceret sibi ducere et adulterium non timere. *Nec accedes*, etc. LXX: *Et ad uxorem ejus non introibis*. Proinde hanc enim turpitudinem dicunt patris fratris ejus, id est patrui pudenda, scilicet, uxoris.

^{‡‡}18.16 *Turpitudinem uxoris fratris*, etc. In matre concupiscentia, actio intelligitur in filia, in nepte mors. *Concupiscentia enim parit peccatum, peccatum mortem* Jac. 1., vel aliud peccatum; sicut David ex concupiscentia adulteravit, et pro adulterio occidit.

^{¶¶}18.17 *Ut reveles ignominiam ejus*. Quasi familiare et cognatum est nobis peccatum. Unde invicem debemus condolare, et onera nostra portare, ut adimpleamus legem Christi, qui peccata nostra portavit.

accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente.^{§§ 19} Ad mulierem quæ patitur menstrua non accedes, nec revelabis foeditatem ejus.*²⁰ Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commistione maculaberis.^{† 21} De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.^{‡ 22} Cum masculo non commiscearis coitu femineo, quia abominatio est.²³ Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei, quia scelus est.^{¶ 24} Nec polluamini in omnibus his quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum,^{§ 25} et quibus polluta est terra: cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos.²⁶ Custodite legitima mea atque judicia, et non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena quam colonæ qui peregrinantur apud vos.²⁷ Omnes enim excretiones istas fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos, et polluerunt eam.²⁸ Cavete ergo ne et vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos.²⁹ Omnis an-

§§18.18 *Sororem uxoris tuæ*, etc. AUG., quæst. in Lev. Non prohibet, etc., usque ad ne faceret eam mœchari. *In pellicatum illius non accipies nec revelabis*, etc. LXX: *In zelum illius*, quasi hoc esset zelus inter sorores, quasi non sit et inter non sorores. An potius ne hoc animo fiat, ut in zelum sororis soror superducatur? *In pace nos vocavit Deus, pacem cum omnibus habeamus* Rom. 12., maxime cum proximis. In Judaica quoque conversatione non decet ecclesiasticam suscipere, nec typicum pascha cum vero celebrare, nec circumcisionem cum baptisate. Unde Paulus: *Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit* Gal. 5.. Mortificata ergo Judaica conversatione Ecclesiæ debet conjungi, quæ est soror legis, eosdem habet doctores, eosdem prophetas. Sed Judaica conversatio æmulatur, quia ad Ecclesiam transierit divitiæ ejus. Unde Paulus ait: *Æmulantur vos non bene, sed excludere vos*, etc. Gal. 4.. Uxor namque prior zelat, quia subintrat secunda. Unde Lia ait: *Parumne tibi videtur quod præripueris maritum mihi?* Gen. 30.

*18.19 *Ad mulierem*, etc. AUG., quæst. 64 in Lev. Cum hoc superius sufficienter prohibuisset, etc., usque ad sed concipiendæ proli noxium prohibetur.

†18.20 *Cum uxore*, etc. ISICH. Hic prohibetur rursus adulterium, quod etiam in decalogo prohibetur: unde apparet illa ita esse prohibita, ut etiam mortuis viris non ducant uxores, quarum prohibet turpitudinem revelari.

‡18.21 *De semine*, etc. ID. Convenienter hæc subjunguntur, etc., usque ad nec in errore gentilium miscemur. *Nec pollues*, etc. Non solum luxuriando, vel idolis immolando, sed et gentilium philosophiam in Ecclesiam introducendo. Quis enim consensus templo Dei cum idolis?

¶18.23 *Mulier non*, etc. Non solum viris, sed etiam mulieribus lex posita est II Cor. 9.. Unde: *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov. 13. Sicut enim masculus animam fortem et constantem in virtutibus significat, sic mulier dignitatem suam custodientem designat: facta est enim in adjutorium viri Gen. 2.: quæ vero talis est, non debet jumentorum coitu maculari.

§18.24 *Nec polluamini in omnibus his*, etc. ISICH. Quanta pollutio sit in prædictis, poena pollutorum ostendit. Nec incaute prætereundum, quia ea quæ invicem sibi conjuncta sunt, in unum colligit, ut ostendat quia qui in uno pollutus fuerit, in omnibus offendit Jac. 2.. *Contaminatæ sunt universæ gentes*, etc. Dæmones, qui propter multitudinem dicuntur gentes universæ. Qui cum omni peccato gaudeant, præcipue tamen fornicatione et idololatria, quia in his et corpus et anima maculatur, et totus homo, qui terra dicitur. Sed visitavit Deus terram, id est hominum genus.

ima, quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui.**

³⁰ Custodite mandata mea. Nolite facere quæ fecerunt hi qui fuerunt ante vos, et ne polluamini in eis. Ego Dominus Deus vester.††

19 Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:‡‡ ² Loquere ad omnem cœtum filiorum Israël, et dices ad eos: Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. ³ Unusquisque patrem suum, et matrem suam timeat. Sabbata mea custodite. Ego Dominus Deus vester.¶¶ ⁴ Nolite converti ad idola, nec deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester. ⁵ Si immolaveritis hostiam pacificorum Domino, ut sit placabilis,§§ ⁶ eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, et die altero: quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis. ⁷ Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, et impietatis reus: ⁸ portabitque iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit, et peribit anima illa de populo suo. ⁹ Cumque messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, nec

**18.29 *Omnis anima*, etc. Qui enim post evangelicam prædicationem talia committunt, aliam mali medicinam non inveniunt; nec in sorte hominum, sed dæmonum erunt.

††18.30 *Custodite mandata mea*. Quasi: Mea sunt mandata, non hominis; ad cuius imaginem facti estis; quam polluere non debetis: *quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* I Cor. 3..

‡‡19.1 *Locutus est Dominus... Sancti estote*. ORIG., hom. 12 in Lev. Quid significet hoc nomen quod est sanctum, etc., usque ad ut scilicet in sæculo conversationem habeatis.

¶¶19.3 *Unusquisque*. Super fundamentum ædificat: quasi, estote sancti, ut sanctus habitet in vobis; et naturæ benignitatem impendite honorando patrem et matrem. *Sabbata mea custodite*. ISICH. Mandata legis volens recapitulare, id est, *Non occides, Non furaberis*, etc., etc., inquit: *Sabbata mea custodite*. Verum enim sabbatum est ab omni malo cessare. Unde Moyses: *Omne opus servile non facietis in eo* Exod. 31.. *Sabbata mea custodite*. Volens nos Deus de intelligibili requie docere, et de mundi consummatione, quando impossibile est cibum parare vel operari, nec circa aliquid corporale occupari, ait per Moysen: *Sabbata hodie Domino, non invenietis illud in agro* Exod. 16., etc. Nota quia non ait, sabbatum, sed *sabbata*, quia intelligibilis requies non ab uno, sed ab omnibus carnalibus quietata est et absoluta: ideo in hoc loco prius sabbatorum nomen in divina Scriptura positum est, ut scias quia sabbatum plena et perfecta quies.

§§19.5 *Si immolaveritis*, etc. Omnia fere legis capitula reiterat, ut eorum memoriam auditoribus infigat; sed maxime necessaria, sicut hoc mandatum quod superius proposuit, cum de sacrificiis ageret. Sacrificium salutare accepit, in quo quæ ad salutem pertinent necesse est operari, ut autem sit acceptabile, oportet immolari pietatem et pudicitiam. Hoc enim secundum Apostolum bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, *qui vult omnes homines salvos fieri* I Tim. 2.. Comedere autem in die immolationis et altero, est in vita præsentis quæcunque ad salutem pertinent operari: hodie enim et cras pro præsentis sæculo accipiuntur; unde Jacobus: *Qui dicitis: Hodie et crastino ibimus in civitatem*, etc. Jac. 4.. Dies tertia, quia in ipsa Dominus a mortuis resurrexit, figuram gerit futuri sæculi et resurrectionis, in quo non licebit operari, sed operum suscipere retributionem. Qui ergo hic vivit tanquam illic operaturus sit, tanquam die tertia sacrificium manducaturus, a legislatore hoc facere prohibetur, quia virtutem imperfectam relinquit, tanquam ibi perficere possit.

remanentes spicas colliges,* ¹⁰ neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis: sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester. †
¹¹ Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. ‡
¹² Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. ¶ ¹³ Non facies calumniam proximo tuo nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. § ¹⁴ Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus. ** ¹⁵ Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis,

*19.9 *Cum messueris*, etc. Ut dilectionem adinvicem habeamus, ut amatores et misericordes in pauperes simus, præsentī capitulo præcipitur. Debemus enim egen-
 tibus dare, nec debita violenter exigere, et reliquias bonorum nostrorum concedere, imitando Deum datorem omnium. Propterea metentes vel vindemiantes vult aliquid derelinquere pauperi et proselyto, ne datori omnium videatur ingratus, qui aliis divitias dedit, alios de aliorum reliquiis vivere voluit; ut sic probaret dispensationem divitum, et patientiam pauperum. Pauperes enim et proselytos non abjicit, quibus etiam sic victum providit. Unde subdit: **Ego Dominus Deus vester**, scilicet qui divites facio, qui pro vobis pauper fio, qui propter miseriam inopum et gemitum pauperum aliquando exsurgam. *Cum messueris*, etc. Aperte ostendit quia doctores Judæorum totius legis interpretationem non capiunt, sed quædam pauperi et proselyto derelinquunt, gentibus scilicet, quibus dicitur: **Beati pauperes**, etc. Matth. 5.. Qui et proselyti sunt, quia cognationi Abrahæ se ingerunt. Quod ergo dicitur: **Non occides, Non mæchaberis**, metant Judæorum doctores; quæ autem spirituales habent interpretationem, sicut emundationes, sacrificia et similia, cedant Ecclesiæ doctoribus, et quæ illis metentibus decidunt, id est quæ ipsi non intelligunt.

†19.10 **Neque in vinea**. ISICH. Vinea Domini sabaoth, etc., usque ad ut experimento divinum eloquium comprobetur.

‡19.11 **Non facietis furtum**, etc. AUG., quæst. 86 in Levit. Hoc in Decalogo positum est, etc., usque ad et detestanda talem sequuntur errorem. **Non mentiemini**. Cognationem peccatorum ostendit. Multa putamus parva, quæ sunt maxima, ut mendacium, perjurium; quæ furto sunt conjuncta, et recte, quia hæc furto cooperantur.

¶19.12 **Non perjurabis**, etc. LXX: **Non levabitis**, etc., usque ad talia juramenta non debent fieri, vel si fiant, custodiri. **Nec pollues**, etc. Maledicendo, quia jusjurandum transgredi non potes. Deus enim, per quem juras, in tantum vult bona, ut si mala minetur, non tamen inferat, si pœnitentes videat, ut pietatem impendat.

§19.13 **Non facies calumniam**. AUG., ubi supra. Omnia quæ prohibentur non committi in proximum, ad hoc unum referenda sunt quod dictum est: **Non nocebis proximo**. Nam quod sequitur: **Non rapies**, nisi ad hoc referatur, ne rapiendo noceatur, evenit ut non rapiendo quis noceat, nam gladius insanienti rapiendus est. **Nec vi opprimes**, etc. Paulatim auditorem erudit, et quæ videntur parva, magnis conjungit: ut qui definita malorum pœna terrentur, abstineant a minoribus. Qui enim sociantur in mandato, et in pœna. Qui enim in uno offenderit, omnium reus est Jac. 2.. Ideo vim calumniæ conjungit. Nec differt quomodo quis res suas perdat, vel fraude, vel potentia, vel quolibet alio modo. **Non morabitur**, etc. Merces, scilicet qua forsitan vivit cum uxore et filiis et parentibus. Si differtur, deficit victus; etiamsi in crastino recipiat, vim et calumniam pertulit, quia interim unde viveret non habuit. **Opus mercenarii**, etc. Merces prædicatoris ex verbo est prædicationis: quod non debet apud nos morari, id est otiosum esse, usque mane, in futurum scilicet sæculum, qui huic nocti succedit, in quo est lux inextinguibilis. Ex proventu enim discipuli crescit merces magistri.

19.14 **Non maledices surdo. Surdo maledicere est absenti et non audienti derogare. Coram cæco offendiculum ponere, est discretam quidem rem agere, sed ei qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbere.

nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo.^{††} 16 Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus.^{‡‡} 17 Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. 18 Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego Dominus.^{¶¶} 19 Leges meas custodite. Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non seres diverso semine. Veste, quæ ex duobus texta est, non indueris.^{§§} 20 Homo, si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis, et tamen pretio non redempta, nec libertate donata: vapulabunt ambo, et non morientur, quia non fuit libera.* 21 Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonii arietem: 22 orabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus coram Domino, et repropitiabitur ei, dimitteturque peccatum. 23 Quando ingressi fueritis terram, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma, quæ germinant, immunda erunt

^{††}19.15 *Non facies*, etc. ISICH. Summam et perfectam justitiam, etc., usque ad et surdum ac cæcum irridere divitum et potentum sunt.

^{‡‡}19.16 *Non eris criminator*. ISICH. LXX: *Non ambulabis in domo*, etc., usque ad qui tanto crimini est conjunctus. *Non stabis contra*. Quasi non te conjunges his qui proximis insidiantur, sicut multi, aliis sociati, faciunt quod per se non possunt.

^{¶¶}19.18 *Non quæras ultionem*. Id est, ne ulciscendi libidine rapiaris dum arguis, ut lætari vel consolari velis de alieno malo, sed potius consulere illi quem arguis. Unde secundum LXX sequitur: *Non irasceris filiis populi tui*, etc. Sic enim recte ira definita est, quæ sit ulciscendi libido.

^{§§}19.19 *Jumenta tua*, etc. Hæc ad litteram videntur esse ridicula, nec a prophetis et spiritualibus viris sunt observata. Unde David dicit: *Ponite filium meum Salomonem in mulam meam* Eccli. 19.. Oportebit autem, secundum litteram ea quæ ex tali commistione nascebantur, abominari. Unde: *Mulier quoque fortis inveniet lanam et linum, et operata est utile manibus suis* Prov. 31..

^{*}19.20 *Homo si dormierit*, etc. ISICH. Cum prohiberet jumenta misceri cum jumentis alterius generis, eos scilicet qui sunt sub jugo Christi suscipere jugum legis: opportune hoc subdidit ostendens quia et ante adventum Christi quicumque exterius miscebatur Judæis, indigebat sacrificio veri arietis. Nota quanta differentia libertatis et servitutis. In libera enim desponsata mors adulterii pœna est, in ancilla autem nubili, et, secundum LXX, *custodita homini*, id est desponsata, sacrificium jubetur offerri, non mortem inferri. Spiritualiter tamen hæc intelligenda sunt. *Nubilis*. LXX: *Custodita homini*, id est Synagoga custodita legi, quæ Christo non poterat desponderi, priusquam moreretur littera legis. Unde: *Mortui estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius* Rom. 7.. Ancilla est Synagoga, secundum illud: *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera* Gal. 4.. *Vapulabunt ambo*. LXX: *Visitatio erit eis*, id est liberabuntur a servitute legis, secundum quod filiis Israël de Ægypto liberandis dicitur: *Visitans visitavi vos. Et non morientur*. Quamvis enim secundum litteram agerent, non secundum spiritum, quia legislatoris intentionem ignorabant, facilius tamen assequabantur veniam.

vobis, nec edetis ex eis.[†] ²⁴ Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur, laudabilis Domino. ²⁵ Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma, quæ proferunt. Ego Dominus Deus vester. ²⁶ Non comedetis cum sanguine. Non augurabimini, nec observabitis somnia.[‡] ²⁷ Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.[¶] ²⁸ Et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuratas aliquas aut stigmata facietis vobis. Ego Dominus.[§] ²⁹ Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra et impleatur piaculo.^{**} ³⁰ Sabbata mea custodite, et sanctuar-

[†]19.23 *Quando ingressi*, etc. Permanet in proposito, ostendens fructum bonum ante Christi adventum non habuisse Judæos, cum dicit fructum non esse edendum in triennio, nec mundum, sed quarto anno mundandum, nec dicitur quæ sit mundatio. Spiritualiter ergo intelligendum est quod dicitur. *Quando ingressi fueritis terram*. Terram vocat divinam Scripturam, quam primo Judæi susceperunt. Unde plantare ligna pomifera præcepti sunt. Lignorum autem plantatio, meditatio legis est et prædicatio, secundum quod dicitur: *Ego plantavi, Apollo rigavit*, etc. I Cor. 3.. Bona quidem mandata erant tanquam ligna pomifera, sed illi quod debebant non faciebant, tantum sequentes litteram. Fructus ergo, id est operatio legis, triennio erat immunda, ab Abraham usque ad David, a David usque ad transmigrationem Babylonis; inde usque ad Christum, sicut Matthæus distinxit Matth. 1.. Quarto anno fructum legis sanctum commendat et laudabilem, non tamen adhuc esse Judæis esibilem. Fructus enim legis in quarto anno, id est in adventu Christi, sanctus et laudabilis, quem Sanctum sanctorum faciebat, cujus opera laudabilia et gloriosa. Unde et in paralytico grabatum portante glorificabant Deum Matth. 8., qui dedit talem potestatem hominibus: sed nondum edehat Judæus, quia non conversus. In quinto vero anno, id est prædicantibus apostolis, fructum ejus ederunt quicumque crederunt. *Et plantaveritis*, etc. GREG., lib. VIII Moral., cap. 35. Ligna pomifera, etc., usque ad in præsentis vitæ nocte gaudere.

[‡]19.26 *Non comedetis*, etc. Totum Judæorum et gentilium radit fermentum. Unde nunc prohibet a legis servitute, nunc a gentilium errore. AUG. Non comedere super montes, est superbis cogitationibus non pasci, de quibus Isaias: *Omnis mons et collis humiliabitur* Isa. 40.. Non augurari volucris, non attendere quæ rapiunt semen pietatis. Comam in rotundum tondere, est cogitationes dæmonibus consecrare. Barbam radere, est virtutis perfectionem corrumpere, fecte operando. Carnem non incidere, est delectationes non suscipere, quæ et animæ nocent et corpus corumpunt. Stigmata, prava doctrina, quæ animæ infigitur et difficulter aboletur. *Non augurabimini*, etc. Per partem totum significat, omnes hujusmodi superstitiones condemnans. Qui enim talia curat observare, Deum videtur infamare, tanquam plus scientiæ avibus quam hominibus contulerit.

[¶]19.27 *Neque in rotundum attondebitis comam*, etc. Sicut barbari faciunt: debet quisque esse contentus naturalibus ornamentis, ne Creatorem videatur accusare, tanquam impotentem opus suum perficere, nec in honore dæmonum cicinnos nutrire et fovere, sicut student pagani puerorum capita dæmonibus offerre, quod maxime hic videtur prohibere.

[§]19.28 *Stigmata*. Legislator etiam curam nostri decoris gerit, ne carne abutamur in his etiam quæ corpus deturpant.

^{**}19.29 *Ne prostituas filiam tuam*. Carnalem, vel animam. Unde Psal. 21: *Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis Unicam meam*. Hæc recedendo a Deo torncantur cum dæmonibus.

ium meum metuite. Ego Dominus.†† 31 Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester.‡‡ 32 Coram cano capite consurge, et honora personam senis: et time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus.¶¶ 33 Si habitaverit advena in terra vestra, et moratus fuerit inter vos, non exprobetis ei:§§ 34 sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmetipsos: fuistis enim et vos advenæ in terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. 35 Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura.* 36 Statera justa, et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti.† 37 Custodite omnia præcepta mea, et universa iudicia, et facite ea. Ego Dominus.

††19.30 *Sabbata mea custodite.* Ab uno sabbato omne legitimum otium sabbatum appellatur. Sic ab una generali abstinencia studet legislator per singula currere, præcipiens nos ab omni malo abstinere. Unde addit: *Et sanctuarium meum metuite.* Sicut enim qui digne accedunt, sanctificant, sic qui inique præsumunt, et immundi accedunt, quantum est in se, polluunt, sicut Nadab et Abiu. Unde Apostolus: *Inter vos multi infirmi et imbecilles,* etc. I Cor. 40. Inde additur: *Ego Dominus,* sanctus, scilicet, et etiam in sanctis habitans et sanctorum vindicans injuriam.

‡‡19.31 *Ad magos.* LXX: *Ventriloquas, id est* pythones, vel falsos prophetas, qui de ventre cordis sui fabulas quasdam et fetentes doctrinas proferunt. *Neque ab ariolis,* etc. LXX: *Veneficis,* qui dæmonum scilicet nomina invocant, et aliquando corpus curant, ut animam interficiant.

¶¶19.32 *Coram cano capite, etc. In senibus est sapientia, et in multo tempore prudentia* Job 12.. Hinc Paulus ait: *Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina* I Tim. 5..

§§19.33 *Si habitaverit advena,* etc. Terra a Deo nobis data, est virtutum scilicet cultura, et bona doctrina. Si quis ergo ad fidem nostram converti voluerit, et civis terræ nostræ ascribi, non affligamus eum, nec imponamus grave jugum, sicut Pharisæi, de quibus dicitur: *Alligant onera gravia et importabilia, digito autem suo nolunt ea movere* Matth. 23.. Sit nobis sicut indigena, qui scilicet nutritus est in fide, et crevit in pietate. Hinc Petrus ad eos qui credentes de gentibus circumcidere volebant, ait: *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum?* Act. 15.

*19.35 *Nolite facere,* etc. In præcedentibus præcipit in iudicio justitiam servari, hic in ponderibus et mensuris, et ne abutamur ad injustitiam justitiæ terminis: hæc enim termini sunt vendentibus et ementibus, sicut leges iudicibus; ut ab omni injustitia contra proximum caveatur. Quod enim diviti agrorum possessiones et pecuniæ thesauri, hoc pauperi mensura vini et tritici, et hujusmodi. ISICH. *Nolite facere,* etc. In iudicio mentis non debemus injuste agere, nec mensuras naturalis justitiæ corrumpere, aliter nostra, aliter proximi peccata judicantes. *In quo enim iudicio iudicaverimus, iudicabitur et de nobis; et in qua mensura mensi fuerimus, remetietur nobis* Matth. 7..

†19.36 *Statera justa,* etc. ID. Stateras quoque divinas, et mensuras divinas justas habeamus; id est, leges divinæ Scripturæ sancte et juste custodiamus: nihil nostrum inferentes, nihil suum auferentes, ne nobis istud dicatur: *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Matth. 15..

20 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:[‡] ²Hæc loqueris filiis Israël: Homo de filiis Israël, et de advenis qui habitant in Israël, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur: populus terræ lapidabit eum. ³Et ego ponam faciem meam contra illum: succidamque eum de medio populi sui, eo quod dederit de semine suo Moloch, et contaminaverit sanctuarium meum, ac polluerit nomen sanctum meum. ⁴Quod si negligens populus terræ, et quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere:[†] ⁵ponam faciem meam super hominem illum, et super cognationem eum, succidamque et ipsum, et omnes qui consenserunt ei ut fornicarentur cum Moloch, de medio populi sui. ⁶Anima, quæ declinaverit ad magos et ariolos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui.[§] ⁷Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester. ⁸Custodite præcepta mea, et facite ea: ego Dominus qui sanctifico vos. ⁹Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: patri matrique maledixit: sanguis ejus sit super eum.^{**} ¹⁰Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et mœchus et adultera.^{††} ¹¹Qui dormierit cum noverca sua, et revelaverit ignominiam patris sui, morte mori-

[‡]20.1 *Locutus est Dominus*, etc. Frequenter lex eadem repetit, ut eorum memoriam infigat legenti: quædam tamen nova interserit, ne superfluere videatur. Sed nova inquirendo jam dicta studiosius inquirantur. Unde superius quædam prohibendo pœnam tacuit, ut quærentes quæ vel qualis sit, in sequentibus diligenter investigemus. Cum enim superius Moloch prohiberet sacrificari, idipsum pœnam addendo repetit: *populus scilicet terræ lapidabit eum*, non solum principes. Nec his contentus addit: *Ego ponam faciem meam contra illum*, etc.

[†]20.4 *Quod si negligens*, etc. Provocat alios contra illum, et terret, si neglexerint pœnam tam studiose præceptam, Deo ipso irascente et ferente sententiam. *Nec voluerit*, etc. ISICH. Malum est permittere etiam eos qui foris sunt, fornicari a Deo et adhærere diabolo: sed multo magis de medio populi, hoc est enim totum gregem lupo concedere. Consentientes autem, qui scilicet possunt accusare, vel arguere, vel monere, et non faciunt, non effugient iudicium. Ponit Deus faciem super illum, de quo dicitur: *Vultus autem Domini super facientes mala*, etc. Psal. 38..

[§]20.6 *Anima quæ declinaverit ad magos*, etc. Grande peccatum est ad magos et ariolos declinare: hoc est enim a Deo recedere. Sunt autem magi intelligibiles, qui in nomine Domini falsa prophetant; sunt arioli deceptores et adultores, qui veneficis verbis auditus multorum contrumpunt et a veritate avertunt.

^{**}20.9 *Qui maledixerit patri suo*, etc. ORIG., hom. 11 in Lev. De his superius præcepta dedit, etc., usque ad ne puniat contemptorem servum. ID. Nomen patris vel matris, etc., usque ad aliquam terrenam civitatem invertunt sensibus depravatis? *Sanguis ejus*, etc. Quia ipse est sibi causa mortis. Si sic punitur, qui carnali patri maledixerit, quomodo punitur qui Christum blasphemaverit, nec obaudivit dicenti: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, etc. Joan. 3., morte scilicet morietur, alienatus a regno cœlorum reus est: nihil enim grave, nec operosum, aut laboriosum ei præceptum est.

^{††}20.10 *Si mœchatus quis*, etc. AUG., quæst. 73 in Lev. Hic aliquid voluit distare, etc., usque ad quam homo homini. *Si mœchatus*, etc. ISICH. Adulterium corporate malum est, etc., usque ad qui ei commisit hanc curam.

antur ambo: sanguis eorum sit super eos.^{‡‡} ¹² Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt: sanguis eorum sit super eos. ¹³ Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas: morte moriantur: sit sanguis eorum super eos.^{¶¶} ¹⁴ Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est: vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.^{§§} ¹⁵ Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite.* ¹⁶ Mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo: sanguis eorum sit super eos. ¹⁷ Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt: occidentur in conspectu populi sui, eo quod turpitudinem suam mutuo

^{‡‡}20.11 *Qui dormierit*, etc. Hæc superius dicta et exposita sunt, ubi dictum est: **Non revelabis turpitudinem patris tui**, etc. Sed hic aperte tan git eum qui idem quod proximus agit, nec peccati societate erubescens, prodit; in quo mortis pœnam legislator sanxit. Novercæ autem virum conjunxit, quia quod in patrem a filio delinquitur, hoc in filium a patre committitur, et similis utrobique impietas. ORIG., ubi supra. Supra dictum est, etc., usque ad non solum pro qualitate, sed etiam pro quantitate.

^{¶¶}20.13 *Qui dormierit cum masculo*, etc. Hoc peccatum injuria naturæ est: unde et morte mulctari decretum est. Spiritualiter autem eum qui fortis est animo et masculus vir enim in divina Scriptura, perfectus in virtutibus nominatur verbis pravis vel actionibus effeminare caveamus, ne cum ipso dissolvamur et simul moriamur.

^{§§}20.14 *Qui supra uxorem*, etc. Sævam huic delicto pœnam decernit. Qui enim ex matre sunt geniti, his quos filia genuit, cum unus pater sit, incertum est utrum fratres sint an avunculi. Caveatur ergo tam incerta commistio. Sed quia omnis peccati concupiscentia mater est, si qua nobis concupiscentia sit, actionem non jungamus ei. Qui enim hoc facit, igne incenditur, et concupiscentia et actio ejus. **Si enim facta carnis spiritu mortificaverimus, vivemus** Rom. 8..

*20.15 *Qui cum jumento*, etc. Nimia contra eos exercetur districtio, qui in tantum iniqui et libidini dediti, ut inaudita scelera concupiscerent: unde viris vel mulieribus commistis quadrupedibus, mortis pœnam indixit. Fidelibus quoque non erit hæc lex superflua, si quadrupedia voluntates pravas ad terram pronas intelligamus: quæ manus sicut homines non habent, quia omni humana actione carent, unde cognitiones nobiscum non habent. Vir ergo vel mulier, quæ non languore naturæ, sed deliberatione eis cohæserit vel coierit, reus est mortis. Ipsi quoque mori dicuntur illis mortuis, neque enim per se subsistunt, nec ulla peccati substantia est, sed in peccatoribus operatur. AUG. *Qui cum jumento*, etc. Quæritur quomodo pecus reum sit, cum nec rationale nec legis capax sit? an quemadmodum transferuntur verba metaphorica ab animali ad animale; sicut dicitur ventus improbus, vel iratum mare, ita et hic translatum a rationali ad irrationale? Nam inde pecora jussa sunt interfici, quia tali flagitio contaminata indignam refricant memoriam facti.

revelaverint, et portabunt iniquitatem suam.[†] ¹⁸ Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. ¹⁹ Turpitudinem materteræ et amitæ tuæ non discooperies: qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudavit; portabunt ambo iniquitatem suam. ²⁰ Qui coierit cum uxore patris vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum: absque liberis morientur.[‡] ²¹ Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam: turpitudinem fratris sui revelavit: absque liberis erunt. ²² Custodite leges meas, atque judicia, et facite ea: ne et vos evomat terra quam intraturi estis et habitaturi.[¶] ²³ Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, et abominatus sum eas.[§] ²⁴ Vobis autem loquor. Possidete terram eorum, quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem lacte et melle. Ego Dominus Deus vester,

[†]20.17 *Qui acceperit sororem suam*, etc. ISICH. Hoc tolerabile videbatur, quia Abraham de Sara dicit: Soror mea est ex patre, et non ex matre: sed eos qui de Thare patre Abraham geniti sunt Moyses enumerans, nusquam Saræ fecit mentionem. Quod si sorori suæ Abraham nupsit, ante tamen hoc quam Deum cognosceret, fecit. Bene ergo lex talem conjunctionem prohibuit. *Qui acceperit*, etc. Tropologice turpitudinem sororis ex patre et non ex matre videt et accipit, qui turpem actionem a patre vel a matre in qua scilicet deliquerunt admiratur, et imitatur: non solum perscrutans quæ non oportuit, sed conjungens se parentum pravitati quæ soror ejus dicitur, quasi ab eisdem genita parentibus. Quia vero filii publicant parentum peccata faciendo similia, recte in conspectu populi infligitur pœna; vel juxta LXX: *In conspectu filiorum generis sui*, eorum scilicet qui talia cogitant imitari: ut unius afflictio, multorum sit correctio. *Viderit turpitudinem*, etc. AUG., quæst. 75. Id est, concumbendo cognoverit, sicut ibi: *Cognovit Adam uxorem suam* Gen. 4., id est, ei mistus est. Quod autem ait: *Portabunt iniquitatem suam*, id est, ipsum peccatum pœna erat.

[‡]20.20 *Qui coierit*, etc. Intendit legislator continentiam suadere, ne more pecorum cum mulieribus continue misceamur, sed velut coacti, ad usum continendi paulatim veniamus. Mirum autem quod nunc tales de populo suo disperdi præcipit, cum superius eisdem legem purgationis indixerit. Contemblemur ergo menstruatam gentilium sapientiam a Deo remotam, de volatu avium, et cursu siderum, et mensuris cœli disputantem. Cum hac dormire, id est delectari, vel revelare et palam turpitudinem ejus proferre, fontemque totius erroris exponentem audire, impium est. Ideo talis interficietur de medio populi sui, ne nommetur homo qui imaginem Dei et seipsum ignorando Creatorem a se alienavit. Ipsa quoque interficietur, ne sapientia nominetur, quia sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum I Cor. 3.. *Turpitudinem*, etc. Sororibus parentum filios misceri prohibet, ut generationes non confundantur, et parentibus reverentia exhibeatur. Secundum spiritum vero et parentum peccata debemus velare, et eorum qui eis sociati sunt, quasi fratres et sorores, quibus nudatis parentes latere non possunt. Unde addit: *Ignominiam carnis suæ nudabit*. LXX: *Sine filiis morietur*, id est, sine virtutibus, quæ est pessima sterilitas. *Qui coierit*, etc. ISICH. Ostendit quia causa filiorum, etc., usque ad superioribus similis est. AUG., quæst. 76. in Lev. *Qui coierit cum uxore patris*, etc. Quicumque dormierit cum cognata sua, etc., usque ad id est nullo jure succedant parentibus.

[¶]20.22 *Custodite leges*, etc. Non sufficit partem legis custodire, necesse habemus observare omnia præcepta et judicia.

[§]20.23 *Nolite ambulare*, etc. Non solum Judæis, sed omnibus gentibus hæc observanda sunt, si Deo servire volunt.

qui separavi vos a ceteris populis.** 25 Separate ergo et vos jumentum mundum ab immundo, et avem mundam ab immunda: ne polluatis animas vestras in pecore, et avibus, et cunctis quæ moventur in terra, et quæ vobis ostendi esse polluta. 26 Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a ceteris populis, ut essetis mei.†† 27 Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur: lapidibus obruent eos: sanguis eorum sit super illos.

21 Dixit quoque Dominus ad Moysen: Loquere ad sacerdotes filios Aaron, et dices ad eos: Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum,‡‡ 2 nisi tantum in consanguineis, ac propinquis, id est, super patre et matre, et filio, et filia, fratre quoque,¶¶ 3 et sorore virgine quæ non est nupta viro: 4 sed nec in principe populi sui contaminabitur. 5 Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras.§§ 6 Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus: incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. 7 Scortum et vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata est a marito: quia con-

**20.24 *Lacte*. Delicias beatitudinis, quibus nihil suavius, nihil dulcius, et sine omni labore et dolore erunt, sicut mel et lac, quæ sine nostro labore præparantur.

††20.26 *Ego Dominus. Ne cogitetis dicentes: Quid comedemus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt* Matth. 6.. Qui autem sublimiorem conversationem et retributionem sequuntur, separari debent a cæteris gentibus. *Separate*, etc. Jumenta vel pecora, populares: volatilia, contemplatores lex appellat. Omnis popularis mundus propter simplicitatem a pluribus judicatur. Similiter contemplativus, sed non ita est: popularis enim debet esse prudens in bono, simplex in malo, hic enim solus mundus est. Contemplativus quoque conscientiam debet habere mundam, et fidem non fictam. Qui hæc non habent, ad vaniloquia convertuntur, *non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* I Tim. 1.. Diligenter ergo mundi separandi sunt ab immundis, ut mundos sequamur, immundos fugiamus. Notandum vero quam discrete in quadrupedibus et volatilibus hic legislator distinguit, et non in reptilibus terræ. Cuncta enim quæ moventur in terra immunda sunt, terrena autem sapiunt, quibus *Deus venter est* ipsorum Philip. 3.. *Et quæ*, etc. AUG., quæst. 76 in Lev. Videtur dicere quod non sunt hæc natura immunda, sed pro aliquo sacramenti signo, quia dicit quia ostendit eis immunda, tanquam immunda eis non essent nisi ostensa fuissent. *Lapidibus*. Quia vanis erroribus simplicem populum seducunt; unde ventrem nutriunt, et auditoribus placere cupiunt: quales hodie in Ecclesia multi sunt, de quibus Paulus ait: *Hi enim non servant Christo, sed suo ventri, et per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium* Rom. 16..

‡‡21.1 *Dixit quoque Dominus ad Moysen Ne contaminetur*, etc. ISICH. Id est nihil omittat ex his quæ expediat sacerdotem docere, etc., usque ad cohabitantium enim non poterit ignorare peccatum.

¶¶21.2 *Nisi tantum in consanguineis*. Hieron., epist. ad Fabiolam, tom. 1. Super omnem animam quæ mortua est, etc., usque ad minoribus vero aliquid indulgetur.

§§21.5 *Non radent caput*. ID., ibid. Summus autem pontifex, etc., usque ad quibus Christus donavit ut lumen sint. *Non radent caput*, etc. ISICH. Nimis ægre dolere sacerdotes de mortuis prohibet lex, etc., usque ad ut possit exhortari, arguere, increpare. *Non polluent nomen*, etc. ID. Quod est magnum in gentibus. Vos autem, dicit Malachias, *polluistis illud in eo quod dicitis: Mensa Domini deserta est* Malach. 1.. In peccato enim sacrificii nomen Dei polluunt sacerdotes.

secrati sunt Deo suo,*⁸ et panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos.[†]⁹ Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, et violaverit nomen patris sui, flammis exuretur.[‡]¹⁰ Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fustum est unctionis oleum, et cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet.[¶]¹¹ et ad omnem mortuum non ingreditur omnino: super patre quoque suo et matre non contaminabitur.[§]¹² Nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus.^{**}¹³ Virginem ducet uxorem:^{††}¹⁴ viduam autem et repudiatam, et sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo

*21.7 *Scortum*, etc. Sacerdos quilibet, nam de summo postea dicit, quod non nisi virginem ducat uxorem. *Quæ repudiata est*, etc. Quia culpabilis invenitur, hanc non debet ducere sacerdos uxorem, nec prædicere ejus observantiam litteralem.

†21.8 *Sint ergo sancti*, etc. Si sacerdotes datam jam sibi a Deo sanctificationem custodiunt, sanctificant ipsum Deum: qui cum in natura sanctus sit, a participibus gloriæ suæ voluit sanctificari.

‡21.9 *Sacerdotis filia*, etc. Grave est cujuslibet filiam fornicari, sed maxime sacerdotis, qui debet habere filios subditos in omni castitate. *Sacerdotis filia*. Synagoga non solum uxor, sed et Dei filia appellatur; sed utrumque depravans, aliena facta est. Unde: *Relinquetur filia Sion sicut umbraculum vineæ*, etc. Isa. 1.. Et alibi: *Fornicata est mater eorum* Ose. 2.: quod igne sit exusta, incendii monstrant vestigia.

¶21.10 *Pontifex*, etc. Christus *magnus Dominus noster, et magna virtus ejus*, qui pro nobis factus est sacerdos et hostia. *Consecratæ sunt*. Alii sacerdotes in sanguine vituli et arietis consecrabant, vel consummabant, scilicet, manus suas: ipse vero proprio sanguine, crucifixis manibus. *Vestimenta non scindet*, etc. ISICH. Ex quo enim Verbum caro factum est, etc., usque ad hæc vere sancta sunt indumenta.

§21.11 *Ad omnem mortuum*, etc. ISICH. LXX: *Animam mortuam. Anima quæ peccaverit ipsa morietur* Ezech. XVIII; Isa. 53.. Hac morte maxime gentes perierunt, quæ nec legem nec doctrinam habuerunt; sed Christus peccata omnium tulit, et tamen impollutus mansit. AUG. quæst. 81 in Lev. *Ad omnem mortuum*, etc. LXX: *Super omnem animam mortuam non introibit*. Quomodo dicat animam mortuam, etc., usque ad quod secundum non prohibuit.

**21.12 ID., quæst. 82. *De sanctis non exhibit*. Dum scilicet eorum funera celebrantur, de sanctis prohibitus est exire, etc., usque ad quod nonnullis diebus non imponebatur incensum. *Super patre*. ORIG., hom. 14 in Lev. Omnis homo in patre et matre pollutus est, etc., usque ad vel cœlestis matris libertatem indigna peccati servitute maculant. AUG., quæst. 85 in Levit. Quæri potest, etc., usque ad sicut de ipso Aaron Scriptura testatur. *Ego Dominus*. AUG. quæst. 84. De Moyse etiam dictum est, etc., usque ad nec superflua judicata est visibilis sanctificatio, quia invisibilis præcessit.

††21.13 *Virginem ducet uxorem*. HIERON., epist. ad Fabiolam. Vidua est cuius maritus, etc., usque ad unde: *Despondi enim vos uni viro virginem castam*, etc. Nolo discipulam conjugemque pontificis quidquam habere veteris hominis. *Si consurreximus cum Christo, quæ sursum sunt sapiamus*, præteritorum obliti, futurorum avidi. Infelix Simon qui post baptismum de antiquo matrimonio cogitavit, nec ad virginalem venerat puritatem, Petri consortio indignus fuit.

suo:^{‡‡} 15 ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ: quia ego Dominus, qui sanctifico eum. 16 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 17 Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo,^{¶¶} 18 nec accedet ad ministerium ejus: si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi, vel torto naso,^{§§} 19 si fracto pede, si manu,* 20 si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus.† 21 Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino,

^{‡‡}21.14 *Viduum autem et repudiatam*, etc. ORIG., hom. 12 in Levit. Qui peccat, abjectus est; etiam si episcopus tacet, vel ignorantia, vel negligentia, non prodest hujusmodi gratia; animam abjectam Christus non ducit uxorem, nec pollutam, quæ scilicet tantum peccatum voluit et optavit, quia magnus pontifex omnino puram requirit animam, quam sibi jungat et unum spiritum efficiat. Qui peccat ad mortem, abjectus est; qui venialiter, pollutus est. *Sordidam*, etc. Quæ vadit post amatores, scilicet dæmones, qui animam pulchram, id est, ad imaginem Dei factam, adulterare cupiunt.

^{¶¶}21.17 *Homo de semine*. ISICH. Hæc secundum litteram tantum, etc., usque ad valde per contumeliam refragatur.

^{§§}21.18 *Si cæcus* ISICH. Lumen contemplationis ignorans, præsentis vitæ tenebris pressus, qui dum venturam lucem diligenter non conspicit, nescit quo porrigat operis gressum. *Si claudus*. ID. Qui scilicet videt quo pergere debeat, sed infirmitate mentis non potest facere quod desiderat. *Si parvo, vel grandi, vel torto naso*. ID. Parvo naso est, qui ad tenendum mensuram discretionis idoneus non est: naso enim odores fetoresque dis cernimus. Nasus grandis et tortus, est discretionis immoderata subtilitas, quæ plus quam oportet vel decet excrescens, actionis confundit rectitudinem.

*21.19 *Si fracto pede*. ISICH. Qui viam Dei pergere non potest, et boni operis exsors est, non ut claudus, qui saltem cum infirmitate tenebat

†21.20 *Si gibbus*. ID. Terrena sollicitudine pressus ad superna non respiciens, inferiora tantum inspiciens. *Si lippus*. Lippus, cujus ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed operatio carnalis obscurat. In lippis enim pupillæ sanæ sunt, sed humore defluente palpebræ grossescunt, cujus crebra infusione acies etiam pupillæ vitiatur. *Si albuginem*. ID. Albuginem habet qui veritatis lucem videre non sinitur, quia arrogantia sapientiæ vel justitiæ cæcatur. Pupilla enim nigra videt, alba non videt: quia sensus humanæ cogitationis si stultum se vel peccatorem intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit: si candorem justitiæ vel sapientiæ sibi attribuit, a superna cognitione se excludit. *Si jugem scabiem*. ID. Cui scilicet petulantia carnis sine cessatione dominatur in mente. In scabie namque fervor viscerum ad cutem trahitur, in quo luxuria signatur, quia similiter cordis tentatio ad operationem prosilit. *Si impetiginem in corpore*. GREG. Past., part. 1, cap. 11. Impetiginem habet in corpore, etc., usque ad quia per omnia vitia animum supplantat. *Radix enim omnium malorum est cupiditas* I Tim. 6.. *Vel herniosus*. Alii, *ponderosus*, quia scilicet turpitudinem non exercet in opere, sed adhuc continua cogitatione gravatur in mente: qui totis cogitationibus ad lasciviam defluit, tanquam in corde gestans pondus turpitudinis.

nec panes Deo suo:[‡] 22 vescetur tamen panibus qui offeruntur in sanctuario, 23 ita dumtaxat, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, et contaminare non debet sanctuarium meum. Ego Dominus qui sanctifico eos. 24 Locutus est ergo Moyses ad Aaron, et ad filios ejus, et ad omnem Israël cuncta quæ fuerant sibi imperata.[¶]

22 Locutus quoque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Loquere ad Aaron et ad filios ejus, ut caveant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israël, et non contaminent nomen sanctificationum mihi, quæ ipsi offerunt. Ego Dominus.[§] 3 Dic ad eos, et ad posteros eorum: Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus.^{**} 4 Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. Qui tetigerit immundum super mortuo, et ex quo egreditur semen quasi coitus,^{††} 5 et qui tangit reptile, et quodlibet immundum cujus tactus est sordidus, 6 immundus erit usque ad vesperum, et non vescetur his quæ sanctificata sunt: sed cum laverit carnem suam aqua, 7 et occubuerit sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis, quia cibus illius est. 8 Morticinum et captum a bestia non comedent, nec polluentur in eis. Ego sum Dominus. 9 Custodiant præcepta mea, ut non subiaceant peccato, et moriantur in sanctuario, cum polluerint illud. Ego Dominus qui sanctifico

[‡]21.21 *Omnis qui habuerit maculam* Quisquis cuilibet horum vitiorum subicitur, panes Domino offerre prohibetur, ne aliena delicta diluere non valeat, quem adhuc propria delicta devastant. AUG., quæst. 35 in Lev. Ablata est omnis dubitatio, etc., usque ad a quo incensum necesse erat imponi. Oportet sacerdotem esse animo et conversatione immaculatum, quem sicut Moses duodecim maculis juxta LXX mundum esse præcepit: sic Paulus duodecim conservare eum monuit dicens: *Non superbum, non iracundum, non vinolentum*, etc. I Tim. 2. Est enim Dei dispensator, qui subjectis debet virtutibus præcellere. Hoc quoque in Ecclesia fit si quis maculatus fuerit, et poenitendo cessaverit, sanctis communicare non prohibetur: ministrare autem, vel ad velum accedere et ad altare non licet. Velum enim et altare corpus Christi est, unde Paulus: *Habemus altare de quo comedere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt* Hebr. 13.. Et alibi: *Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est carnem ejus* Hebr. 10.. *Et contaminare non debet*, etc. Inordinate agendo populum scandalizent, putantes superfluum esse Dei ministerium, et justitiam et iudicium.

[¶]21.24 *Locutus est Moyses*, etc. Moysi dignitatem commendat: aliis enim pauca, ipsi vero loquitur Deus omnia, quia justus est et imago Christi est. Nos quoque monet majoribus et perfectioribus attendere, qui continue fruuntur æterna visione.

[§]22.2 *Quæ ipsi offerunt*, etc. Quæ obtulerunt scilicet sacerdotibus, per eos Domino offerenda. Nota sanctificationis genus quod fit voto et devotione offerentis; sed utrum homines eodem modo seipsum sanctificare dicantur, cum in aliqua re seipsum vovent, observandum est.

^{**}22.3 *Omnis homo qui accesserit*, etc. Quasi, non solum a ministerio et mystico officio absteineat, sed nec tangat quæ oblata sunt, mundus enim ad munda debet accedere.

^{††}22.4 *Qui fuerit leprosus*, etc. Non sensibilem leprosum abominatur, qui invitatus patitur, sed spiritualem: quod ibi exponit: *Qui tetigerit immundum super mortuo*, sive, juxta LXX: *Omnem immunditiam animæ*, id est peccatum. *Ex quo*, etc. HIERON., epist. ad Fabiolam. Si quis sacerdotum semine fluxerit, usque ad nullius alterius more teneatur.

eos.^{‡‡} ¹⁰ Omnis alienigena non comedet de sanctificatis; inquilinus sacerdotis et mercenarius non vescetur ex eis.^{¶¶} ¹¹ Quem autem sacerdos emerit, et qui vernaculus domus ejus fuerit, his comedent ex eis. ¹² Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata sunt, et de primitiis non vescetur.^{§§} ¹³ Sin autem vidua, vel repudiata, et absque liberis reversa fuerit ad domum patris sui: sicut puella consueverat, aletur cibis patris sui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem. ¹⁴ Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo quod comedit, et dabit sacerdoti in sanctuarium.* ¹⁵ Nec contaminabunt sanctificata filiorum Israël, quæ offerunt Domino:† ¹⁶ ne forte sustineant iniquitatem delicti sui, cum sanctificata comederint. Ego Dominus qui sanctifico eos. ¹⁷ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:‡ ¹⁸ Loquere ad Aaron et filios ejus, et ad omnes filios Israël, dicesque ad eos: Homo de domo Israël, et de advenis qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota solvens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini,¶ ¹⁹ ut offeratur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus, et ovibus, et ex capris: ²⁰ si maculam habuerit, non offeretis, neque erit ac-

‡‡22.9 *Custodiant*, etc. Præcepta Domini custodientibus ea causa sunt justificationis et salutis; transgredientibus vero, peccati et mortis, et præcipue in perceptione sanctorum. *Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit*, etc. I Cor. 11.

¶¶22.10 *Inquilinus sacerdotis*, etc. ISICH. Qui non pure nec diligenter in Ecclesia versatur, tanquam migraturus, scilicet gloriæ aut quæstus causa, tanquam mercenarius memoratur: qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ Joan. 10..

§§22.12 *Cuilibet ex populo nupta*. ID. Non sufficit in fide Christi nutriri: permanere et crescere in ea debemus; nec alienigenarum cuilibet, id est alienæ a Deo doctrinæ, vel legi vel actioni commisceri: nec quia de patribus sumus fidelibus, ideo de sanctis præsumamus, sed ubi et ipsi fideles persistamus.

*22.14 *Qui comederit de sanctificatis*, etc. ISICH. Sancta sanctorum, etc., usque ad Unde Salomon: *Cum sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ posita sunt ante te* Prov. 23.. *Addet quintam*, etc. LXX: *Super ipsum*. Quinta ergo non aliunde, sed de ipso et cum ipso, vel super ipsum addi jubetur: hic est sermo prolatus ab ipso Christo super Dominicum mysterium. Ipse nos ab ignorantia removet, nec carnale vel terrenum aliquis putet. Hic bene quinta dicitur, quia spiritus et sermo quem tradit quinque sensus nostros componit; nec solum gustum producit ad mysterium, sed auditum et visum, tactumque et odoratum, ut nihil terrenum de his quæ superna sunt suspicemur. *Et dabit sacerdoti in sanctuarium*. ISICH. Sanctificationem mystici sacrificii, et a sensibilibus ad intelligibilia translationem vero sacerdoti oportet dari: quia per ejus virtutem et sermonem sanctificata sunt quæ videntur, ut omnes excedant sensus.

†22.15 *Filiorum Israël*. Fidelem populum significat, qui per hoc mysterium Deum videt: et quicumque Deo consecrat in Dominicum sacrificium, sancta sanctorum sunt, quia ex eis conficitur corpus Christi. Ipse enim est primitiæ nostræ conspersio: ideo recte ex nostris subsistit primitiis.

‡22.17 *Locutus est Dominus*, etc. ISICH. Non solum sacerdotes, etc., usque ad aliter enim non suscipietur.

¶22.18 *Homo de domo Israël*, etc. Ad litteram quoque, si offeras bovem vel ovem aut capram, aut aliquid hujusmodi, sacerdotibus primitias dando, vel pauperes pascendo, vel divina ædificia constituendo, vel aliquid quod pertineat ad ipsum Deum faciendo ideo enim holocaustum dicitur, impolluta sit hæc oblatio; non tamen pollutionem nominat, ut spiritualemente intelligamus pollutionem quæ est ex rapina, injustitia, avaritia, et hujusmodi.

ceptabile. ²¹ Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus quam de ovibus, immaculatum offeret ut acceptabile sit: omnis macula non erit in eo.[§] ²² Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem: non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini.^{**} ²³ Bovem et ovem, aure et cauda amputatis, voluntarie offerre potes, votum autem ex eis solvi non potest. ²⁴ Omne animal, quod vel contritis, vel tusis, vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Domino, et in terra vestra hoc omnino ne faciatis. ²⁵ De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, et quidquid aliud dare voluerit, quia corrupta, et maculata sunt omnia: non suscipietis ea. ²⁶ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ²⁷ Bos, ovis et capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ: die autem octavo, et deinceps, offerri poterunt Domino.^{††} ²⁸ Sive illa bos, sive ovis, non immolabuntur una die cum foetibus suis.^{‡‡} ²⁹ Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione Domino, ut possit esse placabilis, ³⁰ eodem die comedetis eam: non remanebit quidquam in mane alterius diei. Ego Dominus. ³¹ Custodite mandata mea, et facite ea. Ego Dominus. ³² Ne polluatis nomen meum sanctum, ut sanctificer in medio filiorum Israël. Ego

§22.21 *Homo qui obtulerit*, etc. Præcepit oblationem populi mundam esse: adjungit quales ministri debeant esse et offerre. *Pacificorum*, etc. Quæ valeant ad salutem et pacem: etsi non possit perfecte philosophari, sicut qui omnia reliquit, qui studet virginitati et hujusmodi. *Stella enim differt a stella in claritate* I Cor. 15..

**22.22 *Si cæcum fuerit*, etc. Qui Deum ignorat et ejus ministerium, nec aliis potest exponere; unde circa se et circa alios, et circa ministerium, negligenter agit. Unde: *Videte quoniam omnes nesciverunt, universi canes muti, non valentes latrare* Isa. 56.. *Si fractum*. Pede vel manu: cujus actio scilicet vel voluntas debilis est vel distorta, non est dignus salute et sacrīs altaribus. *Si cicatricem*. Detractorem notat: pessimus enim hic moribus et asperrimum vulnus non facile mitigatur. *Si papulas*. LXX: *linguam incisam*: qui scilicet propter sordidam vitam perdidit docendi fiduciam; unde David: *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas?* etc. Psal. XLIX. *Scabiem vel impetiginem*. Fornicator significatur, qui maculat corpus suum. *Qui enim fornicatur, in corpus suum peccat* I Cor. 6.. *Non offeretis ea Domino*. LXX: *Non offerent hæc Domino*: tales enim ministerio altaris non sunt offerendi. Sacrificium pacificorum non addit sicut superius, ut de ministris altaris hoc dici intelligamus qui holocaustum debent esse, et vitam perfectam et consummatam agere. *Aure et cauda amputatis*, etc. Aure amputatus est, qui inobediens est, qui verbis turpibus delectatur, bona aversatur. *Voluntarie*, etc. Talis enim vel mandata operatur, et dicitur bos; vel simplex est, et ovis appellatur. Ideo non omnino adversamur, aut in parte inimici deputamus, sed docemus et exhortamur. *Vel tusis*, etc. Qui illatis tentationibus cedit, et animæ fortitudinem perdit. Non enim oportet hæc pati, nec cedere hosti affligenti. Unde: *Utquid tristis incedo, dum affligit me inimicus* Psal. 41.? *Ablatisque*. Qui una actione prava quasi cultro seipsum abscindit a conjunctione Dei, privatus prole virtutis et signis virilitatis: alter enim est qui paulatim conteritur.

††22.27 *Bos ovis et capra*. ISICH. Mater omnium natura est, etc., usque ad unde Salomon: *Ante mortem non laudes hominem* Eccli. 11..

‡‡22.28 *Non immolabuntur*. ISICH. Legale pascha significat, quia hæc Moyses in die paschatis tradidit immolanda Judæis, dicens: *Immolabis pascha Domino Deo tuo; oves*, etc. Deut. 16.: hoc pascha celebrare non possunt qui verum susceperunt. *Una die*, etc. ID. Quia vetus pascha tempus suum habuit, etc., *usque ad*: In crastino Christum crucifixerunt.

Dominus qui sanctifico vos, ³³ et eduxi de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Ego Dominus.

23 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:[¶] ² Loquere filiis Israël, et dices ad eos: Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas. ³ Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus: omne opus non facietis in eo: sabbatum Domini est in cunctis habitationibus vestris. ⁴ Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis.^{§§} ⁵ Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est: ⁶ et quintadecima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis.[†] ⁷ Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque: omne opus servile non facietis in eo,[‡] ⁸ sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior et sanctior: nullumque servile opus facietis in eo.[¶] ⁹ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ¹⁰ Loquere filiis Israël, et dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem: ¹¹ qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis, altero die sabbati, et sanctificabit illum.[§] ¹² Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini.^{**} ¹³ Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ

[¶]23.1 *Hæ sunt feriæ Domini.* ISICH. Si subtiliter attendas præsentia, etc., usque ad requiescit sabbato intelligibili.

^{§§}23.4 *Hæ sunt ergo.* Non Domino, sicut aliæ omnes, sed Domini proprie, quibus hoste devicto genus humanum salvavit, et a captivitate reduxit Exod. 2..

^{*}23.5 *Quartadecima die,* etc. ISICH. Interrogemus Judæos, etc., usque ad in qua pascha nostrum immolatus est Christus, etc. *Phase Domini est.* Quia passus est Dominus, non mox tempora finivit, sed reliquias novissimæ horæ et vespertinæ reliquit, ut in omnem terram exeat sonus eorum Psal. 18., scilicet apostolorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Ad vesperum quoque, vel in vespere medio, pascha proprium præveniens crucem suam celebravit, quia super mysticum, verum pascha discipulis tradidit. Nox ergo erat jam quando Judas, accepta buccella, ad prodendum exivit: sequenti die pascha complevit. Unde quinta decima die legislator hanc festivitatem constituit, et solemnitatem azymorum prædicavit.

[†]23.6 *Septem diebus,* etc. Si vere pascha celebrare volumus, septem diebus, id est semper, ab omni malitia azymi esse debemus, et maxime a Judaico errore. Unde ait Apostolus: *Non in fermento veteri neque in fermento malitiæ et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis* I Cor. 5..

[‡]23.7 *Omne opus,* etc. *Qui facit peccatum servus est peccati* Joan. 8.. Non debemus servire peccato, cum pascha celebramus, in quo a peccato nos liberavit Christus. *Servile,* etc. Non permittit agere servilia, aliis diebus quibus nos prohibuit, unde subdit: sed offeretis sacrificium in igne Domino.

[¶]23.8 *Sacrificium,* etc. LXX: *holocaustomata,* ubi innuitur quod ab omnibus cessare jubet servilibus; præterea non solum primam, sed et septimam nominavit, ut totam comprehenderet vitam humanam, quia initium, hæc finis, in quo omnia possunt comprehendi.

[§]23.11 *Altero die.* Potuit dicere secunda azymorum: sed ne ad sequentem diem nostram duceret intentionem, scilicet in crastinum primæ, dixit, altera die significans resurrectionem quæ successit passioni, sicut dies diei.

^{**}23.12 *Atque in eodem die.* Resurrectionis, id est, elevationis manipuli, id est, quando resurrectionem celebramus, Dominici sacrificii oblivisci non debemus, ex quo oblatus est manipulus.

oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum: liba quoque vini, quarta pars hin.^{††} 14 Panem, et polentam, et pulres non comedetis ex segete, usque ad diem qua offeretis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus, cunctisque habitaculis vestris.^{‡‡} 15 Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, 16 usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: et sic offeretis sacrificium novum Domino^{¶¶} 17 ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.^{§§} 18 Offeretis que cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, et vitulum de armento unum, et arietes duos, et erunt in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suavissimum Domini.* 19 Facietis et hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias

^{††}23.13 *Duæ decimæ.* Oportet enim perfectam humanitatem et perfectam divinitatem in unum convenire: in oleo, id est, per eam quam circa nos habuit misericordiam; sic enim sacrificium odor suavitatis Domino invenitur, si quæ de eo digna sunt intelligimus. *Liba quoque.* Ecce intelligibilis oblatio Melchisedech, quæ in pane et vino perficitur Gen. 14.; inde quarta pars hinc offertur, ut per quartam partem evangelica doctrina significetur; per libationem vero sermo Dominicus, quo ait: *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* Matth. 26..

^{‡‡}23.14 *Panem.* Oblatio præsentium donorum, quæ est Christi mysterium, reconciliavit nos Deo, et cibum præparavit novum. *Polentam.* LXX.; id est sata nova tosta non manducabitis, vel manibus contrita et emundata: sic enim, chidra, alii interpretantur, quia Christi præcepta actionem et correctionem quærunt Matth. 11..

^{¶¶}23.16 *Quinquaginta dies, et sic,* etc. Hæc dies Dominica est, in qua Pentecostes festivitatem celebramus, quam Judæi nec secundum litteram, nec secundum spiritum celebrant, qui nec dies secundum legem numerant. *Offeretis novum sacrificium,* novum non vetus, non sæculare. Adveniens siquidem Spiritus totam vitam humanam renovavit, quia Christi institutionem confirmavit, et vitæ confirmationem in illis perfecit: unde, *De meo accipiet, et annuntiabit vobis* Joan. 16.. Ideo non in alia die advenit, sed in qua resurrectio fuit, et oblatus manipulus intelligibilis, ut ostendat quia nova conversatio resurrectione Christi et adventu Spiritus sancti perfecta est.

^{§§}23.17 *Habitaculis vestris,* etc. Quia est habitaculum præcipuum, de quo dicitur: *Beati qui habitant in domo tua, Domine* Psal. 82.. Et alibi: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem,* etc. Psal. 26.. *Panes primitiarum.* Primus enim Dominus Evangelium cum lege perfecit et docuit. *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: Ego autem dico vobis: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio* Matth. 5.: hinc enim legem conjunxit Evangelio. Hinc Lucas ait: *Quæ cæpit Jesus facere et docere,* etc. Act. 1.. *De duabus decimis,* etc. De doctrina scilicet, quæ perfectam divinitatem et perfectam humanitatem docet, nec aliter possunt coqui nisi per talem doctrinam.

*23.18 *Septem agnos.* Pro septem donis Spiritus sancti, quæ vocat agnos, quia Spiritus sanctus unum est cum Christo, de quo scriptum est: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, ideo nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* Joan. I; I Cor. 12.. *Et arietes duos.* Quibus inimicus ventilatur. Hæc sunt superiora mandata, et virtutes, quas aliæ sequuntur ut oves, verbi gratia: *Vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus* Matth. 9.. *Cum libamentis,* etc. Quæ sunt scientia et correctio; unde: *Deo autem gratias, qui odorem scientiæ suæ manifestat per nos, quia Christi bonus odor sumus,* etc. II Cor. 2..

pacificorum.[†] 20 Cumque elevaverit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus.[‡] 21 Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque sanctissimum: omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, et generationibus vestris.[¶] 22 Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, nec secabitis eam usque ad solum, nec remanentes spicas colligetis: sed pauperibus et peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester.[§] 23 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 24 Loquere filiis Israël: Mense septimo, prima die mensis, erit vobis sabbatum, memoriale, clangentibus tubis, et vocabitur sanctum:^{**} 25 omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino.^{††} 26 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 27 Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus: affligetisque animas ves-

[†]23.19 *Duosque agnos*, etc. Mandata pacis et sanctimoniam, unde: *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam*, etc. Heb. 12.. Hæc quia apostolico sermone dicta sunt, præcipit offerri cum panibus primitiarum, qui doctrinam Christi significant. Unde in sequentibus: *Cumque elevaverit eos sacerdos cum panibus primitiarum* Joan. 10..

[‡]23.20 *Cedent in usum*, etc. In usum ejus sacerdotis, id est, Christi, qui est sacerdos noster et Dominus noster: ipsius sunt panes primitiarum et agni mandatorum, ipse in Paulo loquebatur, ipse omnia quæ dicta sunt obtulit; primus pacem discipulis annuntiavit, et sanctimoniam custodivit, sicut Sanctus sanctorum.

[¶]23.21 *Celeberrimum*. In quo gentium vocatio non modo prædicta est, sed impleta: quando Parti et Medi et Elamitæ, et cæteræ gentes audierunt apostolos loquentes variis linguis magnalia Dei Act. 2..

[§]23.22 *Postquam*, etc. Eadem superius dixisse videtur, sed ibi: *Non complebitis missionem vestram*; hic autem ait: *Non secabitis eam usque ad solum*, et differentiam innuit ipsa mutatio verborum. *Segetem terræ*, etc. Conversationis, cujus messio post resurrectionem Christi, et adventum Spiritus sancti, non tamen omnem scientiam, quam in futuro sumus habituri, tradit verbum prædicationis. Sunt enim quæ nunc non possunt nobis revelari Matth. 8., unde in prædictis festivitatibus hanc legem interposuit. *Pauperibus et peregrinis*. LXX: *pauperi et proselyto*, id est Christo, qui non habuit ubi caput reclinaret, et *in propria venit, et sui eum non receperunt*. Hic solos intelligit qui remanent; unde: *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Rom. 11.

^{**}23.24 *Mense septimo prima die mensis*. Septenarius consummationem vel specialem vel generalem significat. Hinc Deus die septimo requievit Gen. 2.; et sua requie nostram significavit; unde: *Qui ingressus est in illam requiem, requievit ab operibus suis, sicut Deus a suis* Heb. 4.. Initium vero consummationis temporum, adventus Domini est, unde: *Filioli, novissima hora est* I Joan. 2.. Hoc tempus appellat primam septimi mensis, sicut principium consummationis nobis etiam requies est, quos ab operibus malis cessare fecit, et a jugo gravi liberavit; unde: *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis*, etc., *et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* Matth. 11.. *Clangentibus tubis*. Quia prædicat Salvatoris resurrectionem, quæ memoriale est generalis resurrectionis, quæ secundum Apostolum erit in voce archangeli, et in tuba Dei, etc.

^{††}23.25 *Omne opus servile non facietis in eo*. Quasi [sicut] non est opus servilia agendi: ante fecistis, *sed sicut exhibuistis membra vestra iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete servire justitiæ in sanctificationem* Rom. 6.: hoc est enim verum holocaustum.

tras in eo, et offeretis holocaustum Domino.‡ 28 Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus: quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester.¶ 29 Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis: 30 et quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo. 31 Nihil ergo operis facietis in eo: legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus, et habitationibus vestris.§§ 32 Sabbatum requietionis est, et affligetis animas vestras die nono mensis: a vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra. * 33 Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 34 Loquere filiis Israël: A quintodecimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino.† 35 Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus: omne opus servile non facietis in eo. 36 Et septem diebus offeretis holocausta Domino. Dies quoque octavus erit celeberrimus, atque sanctissimus, et offeretis holocaustum Domino: est enim cœtus atque collectæ: omne opus servile non facietis in eo.‡ 37 Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas, offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta et libamenta juxta ritum uniuscujusque diei:¶ 38 exceptis sabbatis Domini, donisque vestris, et quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino. 39 A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus: die primo et die octavo erit sabbatum, id est, requies.§ 40 Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabimini

‡23.27 *Decimo die*, etc. ISICH. Propitiationem et a peccatis liberationem acquiri in humilitate et afflictione animæ ex his intelligimus. Hanc debemus agere a vespere, id est a pœnitentia incipere quam fecit Christus initium prædicationis suæ Matth. 4.: pœnitentiæ superædificanda est vita bona et virtutibus consummata. Unde adjecit: **Et offeretis holocaustum Domino.**

¶23.28 *Dies propitiationis*. ISICH. Duo significat, quia in hoc tempore propitiationem suscipiemus, et ideo in illo ab omni malo abstinere debemus.

§§23.31 *Nihil ergo*. Semper a malis et superfluis significat esse cessandum. Unde et Dominus nec causam dicere concedit, nec cogitare quid comedatur, aut quid bibatur, aut induatur, verum enim et sabbatum sabbatorum annuntiavit.

*23.32 *Affligetis*. Recapitulatio est humilitatis, quæ est fundamentum et basis virtutum. Unde Dominus ait: **Quicumque se humiliaverit sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum** Matth. 18.

†23.34 *A quintodecimo die*. ISICH. Hoc numero inchoatur festivitas, etc., **usque ad ædificatio non manufacta in cœlis habetur** II Cor. 5..

‡23.36 *Dies quoque*. ID. Nota eadem de primo et de octavo dici, quia scilicet resurrectionis dies secunda est, et initium futuri sæculi. Primus, in Christo est conversationis principium et futurorum exordium; octavus vero præsentem succedit sæculo, quod significat in septenario. Præterea sancti habent requiem et vitam futuram in hac vita. Unde apostolis dictum est: **Regnum Dei intra vos est**, etc. **Cœtus**. LXX: egressus, quia hinc exitus, ibi habitatio, unde: **Cupio dissolvi et esse cum Christo** Philipp. 1..

¶23.37 *Hæ sunt feriæ Domini*, etc. ID. Legislatori consonat Paulus, etc., usque ad vel in periculis, vel voluntarie promittimus.

§23.39 *A quinto decimo*, etc. Quintusdecimus ex septem et octo compositus, Evangelicam prædicationem significat, quæ consistit ex præsentem vita et futura, hanc componit, illam præparat. **Die primo et die octavo**. ID. Qui est octavus, etc., usque ad quia fidelibus legem facientibus requies in futuro servatur.

coram Domino Deo vestro.^{** 41} Celebrabitisque solemnitatem ejus septem diebus per annum: legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis,⁴² et habitabitis in umbraculis septem diebus: omnis, qui de genere est Israël, manebit in tabernaculis,⁴³ ut discant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israël, cum educerem eos de terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester.⁴⁴ Locutusque est Moyses super solemnitatibus Domini ad filios Israël.

24 Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:² Præcipe filiis Israël, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter,^{†† 3} extra velum testimonii in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron a vespere usque ad mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus vestris.^{‡‡ 4} Super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini.^{¶¶ 5} Accipies quoque simlam, et coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas:^{§§ 6} quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues:⁷ et pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monumentum oblationis Domini.⁸ Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti a filiis Israël fœdere sempiterno:⁹ eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto: quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo.¹⁰ Ecce autem egressus filius mulieris Israëlitis, quem pepererat de viro ægyptio

^{**}23.40 *Die prima fructus.* ID. Fructus est Christus, etc., usque ad in tempore suo. *Spatulasque palmarum,* etc. Juvenescencia justitiæ germina, quia *justus ut palma florebit;* quia vero de palma nihil respuitur, nec de his qui juste vivunt, addit, *et ramos ligni densarum frondium. Et ramos ligni.* Omnes scilicet virtutum fructus, sed maxime misericordiam, quam oportet esse continuum et permanentem. Unde: *Oleum de capite tuo non deficiet* Eccle. 9.. *De torrente,* etc. De præsentem scilicet vita, quæ fluit tanquam torrens, tentationibus et tribulationibus ebulliens, unde: *De torrente in via bibet, propterea et exaltabit caput* Psal. 109., in cruce, scilicet, pendens.

^{††}24.2 *Præcipe filiis Israël.* ISICH. Candelabrum evangelica vita, etc., usque ad ubi misericordes abscondunt thesauros.

^{‡‡}24.3 *Usque in mane,* futuri sæculi: scilicet tunc enim non erit tempus orandi, vel eleemosynam dandi, unde: *Ne dicas amico tuo, Vade et revertere, et cras tibi dabo: nescitis enim quid pariat superventura dies* Prov. 3, 27..

^{¶¶}24.4 *Super candelabrum,* etc. Christus, qui est lumen verum *et illuminat omnem hominem venientem.* Et *peccatum non fecit, nec inventus est dolus,* etc. Isa. 53.. Super hunc ardet lucerna, id est Spiritus sanctus, qui in igneis linguis super discipulos apparuit: huic purissimum oleum, id est mundam vitam debemus offerre, scientes quia non omnes possunt incendere illum scilicet ignem, sed solus Christus et filii ejus, qui plenus Spiritu ait, *Spiritus Domini super me* Isa. 61.. Qui etiam ait, *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Luc. 12. Hunc insufflans, quasi incendens ait: *Accipe Spiritum sanctum,* etc. Joan. 20.. Hæc autem lucerna non accenditur, nisi per vitam et conversationem mundam, vel accensa cito exstinguitur, unde: *Spiritum nolite exstinguere,* etc. I Thes. 5..

^{§§}24.5 *Accipies quoque.* BEDA, lib. I de Tabernac., cap. 7, tom. 2. Duodecim panes in mensa tabernaculi, etc., usque ad ut per labores et opera bona vitæ temporalis ad eam properemus. *Coques ex ea duodecim.* ORIG., hom. 13 in Exod. Sermo Domini panis est, sed multiformis, etc., usque ad panis super mensam ponitur mundam, scilicet super mentem sanctam et puram.

inter filios Israël, jurgatus est in castris cum viro Israëlita.* ¹¹ Cumque blasphemasset nomen, et maledixisset ei, adductus est ad Moysen. (Vocabatur autem mater ejus Salumith, filia Dabri de tribu Dan.) ¹² Miseruntque eum in carcerem, donec nossent quid juberet Dominus.† ¹³ Qui locutus est ad Moysen, ¹⁴ dicens: Educ blasphemum extra castra, et ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, et lapidet eum populus universus. ¹⁵ Et ad filios Israël loqueris: Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum;‡ ¹⁶ et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. ¹⁷ Qui percusserit, et occiderit hominem, morte moriatur.¶ ¹⁸ Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animam pro anima. ¹⁹ Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit, sic fiet ei: ²⁰ fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet: qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.§ ²¹ Qui percusserit jumentum, reddet aliud. Qui percusserit hominem, punietur.** ²² Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit: quia ego sum Dominus Deus vester. ²³ Locutusque est Moyses ad filios Israël: et eduxerunt eum, qui blasphemaverat, extra

*24.10 *Ecce autem*, etc. ISICH. Mulier Israëlitis, etc., usque ad qui in Christo blasphematur. *Ecce autem*. ORIG., hom. 14 in Lev. Duo litigant: unus ex integro Israëlita, etc., usque ad interdura enim qui foras mittitur, intus est; et qui foras est, intus videtur retineri.

†24.12 *Miseruntque eum*, etc. Moyses non ex auctoritate sua sententiam profert contra blasphemantem, sed Dei præcepto reservans, mittit in carcerem: lex enim odit eum qui blasphemat, contra quem frequenter Trinitatem prædicat, sed non manifeste sicut Evangelium; ideo illum ad judicium Evangelii reservavit. *Qui non credit in Filium, jam judicatus est* Joan. 31., et hujusmodi.

‡24.15 *Homo qui*, etc. Locutio est tanquam dicatur: homo ille aut ille, id est quicumque homo. Non sicut quidam putant, homo homo ita dici, tanquam laudabiliter, quasi homo; sed homo homo, id est qualiscunque, velut etiam similis pecori, sed qui vere sit homo, quem sensum non esse verum, sed locutionis hoc esse Scripturarum aperte hic ostenditur, cum in eo dicitur qui culpatur, non qui laudatur. *Homo*, etc. AUG., quæst. 87 in Lev. *Si maledixerit Deum suum, peccatum accipiet. Nominans autem nomen Domini morte moriatur*; quasi aliud sit maledicere Deum suum, etc., usque ad notandum est locutionis genus. ISICH. LXX: *Homo homo*, etc., usque ad sicut filius Israëlitis nominavit et blasphemavit Josue 7..

¶24.17 *Qui percusserit et occiderit hominem*. LXX: *Qui percusserit animam hominis*, etc., id est qui ad iniquitatem traxerit. Animam vero, animale hominem intelligit, qui non percipit quæ sunt Spiritus Dei. AUG., quæst. 88 in Lev. *Qui percusserit animam hominis et mortuus fuerit*, etc. Non ait, etc., usque ad hoc est enim animam hominis esse percussam.

§24.20 *Fracturam*, etc. LXX: *Contritionem pro contritione*, id est, si docendo, suadendo, scandalizando, aliquam virtutem proximi contriverit. *Dentem pro dente*. Virtutem loquendi. Dentes enim pro verbis accipiuntur, unde: *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ*, etc. Psal. 59.. Et *pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores* Gen. 49.. Clariora enim et apertiora sunt verba Evangelii lacte legis.

**24.21 *Qui percusserit*, etc. Hæc secundum litteram Judæis erant necessaria, qui non poterant capere: *Si quis percusserit te in dexteram maxillam, præbe illi et alteram* Matth. 5.. Sed cum essent malevoli, mala inferre volebant, et non pati. Ideo metu alternæ pœnæ erant a scelere revocandi.

castra, ac lapidibus oppresserunt. Feceruntque filii Israël sicut præceperat Dominus Moysi.^{††}

25 Locutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai, dicens:^{‡‡} ² Loquere filiis Israël, et dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, sabbatizes sabbatum Domino. ³ Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus:^{¶¶} ⁴ septimo autem anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini: agrum non seres, et vineam non putabis. ⁵ Quæ sponte gignet humus, non metes: et uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam: annus enim requietionis terræ est:^{§§} ⁶ sed erunt vobis in cibum, tibi et servo tuo, ancillæ et mercenario tuo, et advenæ qui peregrinantur apud te:^{*} ⁷ jumentis tuis et pecoribus, omnia quæ nascuntur præbebunt cibum. ⁸ Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem:[†] ⁹ et clanges buccina mense septimo, decima die mensis,

^{††}24.23 *Et eduxerunt*, etc. Experimento ipso egem confirmatam ostendit, ut et tu blasphemare imeres, et peccatum fugeres, quod non solum princeps, sed tota multitudo vindicat. Omnes enim communiter blasphemos debent punire, qui omnium auctori non metuerunt detrahere, et omnes ab eo separare.

^{‡‡}25.1 *Locutusque est Dominus*, etc. *Quando ingressi*, etc. ISICH. Terra, conversatio bona, de qua dicitur: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram*, etc. Psal. 142..

^{¶¶}25.3 *Sex annis*, etc. Dum sumus in hac vita, et in visibili creatura sumus, quam significat senarius. Sex enim diebus creata sunt omnia quæ videntur: septimo autem anno sabbatum erit terræ Domini. Cum enim post præsens tempus sabbatum venerit, de quo Paulus ait: Relinquitur sabbatismus populo Dei, quem dies septima significat, in qua requievit Deus ab omnibus operibus suis, scilicet visibilibus Hebr. 4., jam non erit operandi tempus. *Seres agrum*, etc. Per agrum et vineam, cum illum seminari, et illam amputari prohibuit, omne genus agri intelligendum est: neque enim in oliveto vel quolibet alterius generis agro aliquid operandum est.

^{§§}25.5 *Quæ sponte*, etc. Eorum scilicet quæ hic facimus, in futuro fructum manducabimus; unde: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit* Psal. 127..

^{*}25.6 *Sed erunt*, etc. Non prohibet Dominum vesci eis quæ sponte sunt, sed reponere in usum proprium.

[†]25.8 *Numerabis quoque*. Interrogemus Judæos, si septimum diem ut aiunt legislator honoravit, et ab operibus vacare præcepit, quare quinquagesimum annum celebrari præcepit: septem enim hebdomadæ annos quadraginta novem faciunt. Non ergo quinquagesimo vacare oporteret, nisi mysterium lex significaret, quod Judæorum infirmitas non caperet. Duplex enim a Deo visibilium omnium significatur consummatio; una cujusque singularis, altera omnium communis, quando tempus operandi non erit; in superioribus primam, in his insinuat secundam. *Septem*. In hebdomada dierum humanum sæculum dividitur. Cum igitur hic numerus multiplicatus in semetipso fuerit, et tota completa ætas sæculi, et tempus devolutum ad finem pervenerit, succedit quinquagesimus quasi quadragesimo nono anno, in quo erit resurrectio, unde subdit: *Et clangens buccina mense septimo*, etc. Unde Apostolus: *In tuba Dei descendent de cælo, et mortui qui in Christo sunt resurgent incorrupti* Thes. 4.. Oportet enim suscitantem præcedere tubam: ideo in quadragesimo et nono anno, in quo communis est consummatio, tuba canere præcepit.

propitiationis tempore, in universa terra vestra.‡ 10 Sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque rediet ad familiam pristinam:¶ 11 quia jubilæus est, et quinquagesimus annus. Non seretis neque metetis sponte in agro nascentia, et primitias vindemiæ non colligetis, 12 ob sanctificationem jubilæi: sed statim oblata comedetis. 13 Anno jubilæi, redient omnes ad possessiones suas. 14 Quando vendas quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum jubilæi emes ab eo,§ 15 et juxta supputationem frugum vendet tibi. 16 Quanto plures anni remanserint post jubilæum, tanto crescet et pretium: et quanto minus temporis numeraveris, tanto minoris et emptio constabit: tempus enim frugum vendet tibi.** 17 Nolite affligere contribules vestros, sed timeat unusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus vester. 18 Facite præcepta mea, et judicia custodite, et implete ea: ut habitare possitis in terra absque ullo pavore,†† 19 et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usque ad saturitatem, nullius impetum formidantes. 20 Quod si dixeritis: Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras? 21 dabo benedic-

‡25.9 *Mense septimo.* Quia quasi septimo mense ætatis mundi Christus venit; primus mensis, qui in paradiso fuit; secundus usque ad diluvium; tertius usque ad Abraham; quartus usquequo descensum est in Ægyptum; quintus usque ad transmigrationem, sextus usque ad adventum Christi; septimus ipse adventus.

*25.10 *Sanctificabisque annum.* Quasi in sanctimonia exspectetur et cogitetur, *pacem enim debemus sequi et sanctimoniam* Hebr. 12., *sine qua* nemo videbit Deum. *Unusquisque.* Patriarcharum et prophetarum est quædam familia hospitalis, cui præest Abraham. Est et alia castitatis, cui præest Joseph. Est et alia mansuetudinis, cui præest Moyses Gen. 18, XXXIX; Num. 12..

§25.14 *Quando vendas,* etc. Quisque vendere potest vel emere. Unde Paulus: *Omnia vestra sumus sicut et vos nostra* I Cor. 3.. Hoc secundum litteram moraliter informat, ut in contractibus proximis compatiatur, ne quis nimium molestus de pauperum necessitatibus negotietur, ne studeat possessiones aliorum acquirere, sed indigentibus commodare, et commodata paulatim de fructibus agrorum recipere. *Juxta numerum* ISICH.. Id est secundum virtutem cujusque. Anni enim ætatem significant, in qua manifestatur quid possit quisque secundum corpus.

**25.16 *Quanto plures* ID.. Id est, si potest multum operari, multum fructum exiget; si multum non potest, parum rependet; feret enim hic trigesimum, iste sexagesimum, ille centesimum fructum Matth. 13..

††25.18 *Facite præcepta.* Ne quis audita moderatione vendendi et emendi senior fieret, et condensio ipsa noceret, caute adjungit: *Facite præcepta,* etc. Neminem siquidem vult vacare, sed secundum virtutem fructificare. Virtutem quoque conscientia cujusque examinat. *Et judicia,* etc. ID. Non corruptentes intentionem vel operationem eorum; velut si quis eleemosynam tribuit, non alii noceat ut alii prosit: præceptum enim quod eleemosynam fieri jussit, justam esse voluit. *Quod si dixeritis,* etc. ID. Quia per duos annos terram vacare præceperat, ne conturbarentur tanquam solliciti quid comederent aut quid biberent, ait: *Dabo benedictionem meam,* etc. Matth. 6.. Et notandum quia cum Christus dicat: *Nolite cogitare de crastino,* lex jubet ne cogitent de tribus annis.

tionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum:‡ 22 seretisque anno octavo, et comedetis veteres fruges usque ad nonum annum: donec nova nascantur, edetis vetera. 23 Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, et vos advenæ et coloni mei estis:¶ 24 unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. 25 Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, et voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat. §§ 26 Sin autem non habuerit proximum, et ipse pretium ad redimendum potuerit invenire, 27 computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit: et quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam. 28 Quod si non invenerit manus ejus ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat, usque ad annum jubilæum. In ipso enim omnisi venditio redibit ad dominum et ad possessorem pristinum.* 29 Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus.† 30 Si non redemerit, et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, et posteri ejus in perpetuum, et redimi non poterit, etiam in jubilæo. 31 Sin autem in villa domus, quæ muros non habet, agrorum jure vendetur: si ante redempta non fuerit, in jubilæo revertetur ad dominum.‡ 32 Ædes Levitarum quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi:¶ 33 si redemptæ non fuerint, in jubilæo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israël.

‡25.21 *Dabo benedictionem.* ID. Christum. Unde *benediximus vobis in nomine Domini*, id est, Christo, qui est nomen Patris. Qui Patrem nobis nominavit, et manifestavit; hic in sexto anno venit, id est, in perfectione, quam significat senarius; et ut hominem reformaret, quem formaverat die sexto, quod ibi sextus dies, hic sextus annus dicitur, quia inter formationem nostram et reformationem multa tempora defluerunt.

¶25.23 *Terra quoque.* AUG., Quæst. 90 in Lev. Alii codices habent, etc., usque ad quisquis habet, uti debet.

§§25.25 *Si attenuatus.* ISICH. Quæ sit nostra substantia, etc., usque ad docet quomodo restituat. *Potest redimere.* ISICH. Secundum illud, etc., usque ad ut quodammodo communis sit.

*25.28 *Usque ad annum* Annus, quia omnes horas in se habet, et dies et menses, et circuitus omnes, perfectionem significat. Peccatum aut perfectum et diuturnum non nisi perfecta poenitentia emendatur, in qua jejunium, oratio, cilicium, eleemosyna, et lacrymæ peraguntur: per hæc enim plena remissio acquiritur.

†25.29 *Qui vendiderit domum.* ID. Non exprimitur venditor, nec proximus, nec propinquus dicitur. Non enim unus est, sed totus populus: nec de cognatione Judæorum, sed Sodomæ et Gomorrhæ. *Qui vendiderit domum,* etc. In superiori capitulo spiritualem cujusque conversationem exposuit, hic generaliter de synagoga vel Ecclesia tractare intendit, quia Ecclesia gentium libertatem accipit, synagoga in perpetuum servit, exceptis Levitis, id est apostolis, et qui adhærent eis. ORIG., hom. 15 in Lev. *Qui vendiderit domum,* etc. De Jacob scriptum est, etc., usque ad semper poenitentiam recipiunt, et semper redimuntur.

‡25.31 *Agrorum jure.* ISICH. Quia in Evangelio proximi sunt, non legi. Ideo semper possunt redimi, et ex quo Christus venit usque ad secundum adventum per partes redimuntur. LXX: *Ad agrum terræ æstimabuntur,* de quo scilicet dicitur: *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro,* id est Evangelio, in quo thesaurus est mysterium Christi.

¶25.32 *Ædes Levitarum.* ORIG., hom. 15 in Lev. Si sacerdotalis fuerit domus vel Levitica, etc., usque ad satisfactionem scilicet desiderii.

³⁴ Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est.[§] ³⁵ Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum,^{**} ³⁶ ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti: time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. ³⁷ Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges. ³⁸ Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Chanaan, et essem vester Deus. ³⁹ Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum,^{††} ⁴⁰ sed quasi mercenarius et colonus erit: usque ad annum jubilæum operabitur apud te,^{‡‡} ⁴¹ et postea egredietur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem, ad possessionem patrum suorum. ⁴² Mei enim servi sunt, et ego eduxi eos de terra Ægypti: non veneant conditione servorum: ⁴³ ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum.^{¶¶} ⁴⁴ Servus et ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt:^{§§} ⁴⁵ et de advenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos:[†] ⁴⁶ et hæreditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum: fratres autem vestros filios Israël ne opprimatis per potentiam. [†] ⁴⁷ Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini,

[§]25.34 **Suburbana.** ISICH. Alii agri, id est conversationes virtutum, et doctrinæ. Hæ separatæ sunt a civitatibus eorum quæ per ipsos consistunt, et salvantur, et non venduntur, quia gratis accipiuntur, gratis dantur.

^{**}25.35 **Si attenuatus fuerit.** ID. Mirare legislatoris sapientiam et pietatem; in humilibus enim sublimia exponit, secundum litteram vero dat regulam pietatis. **Qui eduxi.** Quasi dicat: Sicut de dominio Ægyptiorum vos liberavi, et abjectis peccatoribus in terram Chananæorum jam mandatam induxi, ita nolo vos sub dominio peccatorum teneri, neque peccatorum societatem amplecti, sed cum pœnitere voluerint, et cohabitatione et facultatis largitione sustentetis.

^{††}25.39 **Si paupertate.** Multa pietate littera plena est, sed spiritualis intellectus plenior.

^{‡‡}25.40 **Sed quasi mercenarius.** Uterque subditus est, sed tamen hic liber est: sic qui per vos conversus est, subjectus quidem est, sed dignitate gratiæ divinæ frater est.

^{¶¶}25.43 **Ne affligas,** etc., quia in quo judicas, judicaberis: et eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis Matth. 17..

^{§§}25.44 **Servus et ancilla.** ISICH. Ostendit quid distet inter eos, quos ex infidelibus Deo salvamus, quosque jam fideles, et nobis similes vocationis et conversationis dignitate pro tempore virtutibus attenuatos corrigimus: hi enim usque ad jubilæum apud nos operantur, illi autem servi sunt perpetui.

[†]25.45 **Qui ex his.** ISICH. Judæorum cognati hæretici, qui eadem nobiscum prædicant mysteria, quasi sint in terra nostra: sed non recte et perfecte credunt. **Hos habebitis.** ID. Quos de gentibus aut de Judæis aut de hæreticis convertimus, quasi servos et ancillas in perpetuum acquirimus: quia pro eis doctrinæ pecuniam expendimus, et filiis nostris, id est discipulis docendos tradere possumus, sicut Paulus Tito Cretenses, Timotheo Ephesios docendos commisit.

[†]25.46 **Fratres autem.** Quasi non eadem dignitate apud vos erunt, quos de impiis convertistis, et quos lapsos reparastis.

et attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe ejus:[‡] 48 post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum, 49 et patruus, et patruelis, et consanguineus, et affinis. Sin autem et ipse potuerit, redimet se,[†] 50 supputatis dumtaxat annis a tempore venditionis suæ usque ad annum jubilæum: et pecunia, qua venditus fuerat, juxta annorum numerum, et rationem mercenarii supputata.[§] 51 Si plures fuerint anni qui remanent usque ad jubilæum, secundum hos reddet et pretium:^{**} 52 si pauci, ponet rationem cum eo juxta annorum numerum, et reddet emptori quod reliquum est annorum, 53 quibus ante servivit mercedibus imputatis: non affliget eum violenter in conspectu tuo. 54 Quod si per hæc redimi non potuerit, anno jubilæo egredietur cum liberis suis. 55 Mei enim sunt servi filii Israël, quos eduxi de terra Ægypti.

26 Ego Dominus Deus vester: non facietis vobis idolum, et sculptile, nec titulos erigitis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester.^{††} 2 Custodite sabbata mea, et pavete ad sanctuarium meum. Ego Dominus.^{**} 3 Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea

[‡]25.47 *Si invaluert.* ID. Id est, si noviter fidei vestræ conjunctus, Gentilis, vel Judæus, vel hæreticus, virtutibus claruerit, ut possit arguere et exhortari. *Si invaluert,* etc. Secundum litteram quantum diligit libertatem ostendit. Ideo enim Israëlitam alienis non permittit servire, sed præcipit redimi. *Qui voluerit.* Turpe est hominem in fide ab infantia nutritum, talium subire magisterium, qui repente magistri facti sunt, unde Hieronymus: Heri in foro, hodie in altari; heri socius histri-
onum, hodie consecrator virginum.

[†]25.49 *Patruus,* etc. ID.. Patruales sunt, qui nos in fide genuerunt, fratres eorum consimiles prædicatores, filii fratrum discipuli consimilium. *Consanguineus.* ID. Qui remotior patruo vel patrueli, sed propinquior affini. *Qui enim suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem abnegavit* I Tim. 5.. *Affinis.* ID. In cognatione fidei incarnationis Christi, qui de carne ejus et ossibus sumus. *Sin autem.* ID. Pro libertate nostra et gloria Spiritus sanctus agit, et quemcunque servum peccati virtutibus redimi præcipit. *Et ipse.* ID. Qui pauper factus est in peccato, cum prius virtute et doctrina dives esset, recte seipsum liberat dum exhortando, consulendo ad virtutem revocat.

[§]25.50 *Supputatis.* ID. Id est tractando apud se qua virtute, etc., usque ad ideo Dominus ait illi: *Hodie salus huic domui facta est.*

^{**}25.51 *Reddet.* ID. Secundum ea quæ peccavit, oportet pretium reddere. Quod gula peccavit, jejunium corrigat; quod garrulitas admisit, silentium deleat, et similiter contrariis curantur contraria.

^{††}26.1 *Non facietis.* Cultum idolorum tam visibilium quam invisibilium prohibet. *Sculptile.* ISICH. In ædificiis domorum et possessionibus agrorum aliquam vestri memoriam sculperere cupientes. *Nec insignem.* ID. Cumulum auri et argenti aut pretiosorum lapidum in quibus seducuntur avari, sic ut Gentiles in idolis.

^{**}26.2 *Custodite.* ISICH. Ab omni malo abstinendo, et omni bono vacando: hoc est enim verum sabbatum.

custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis,^{¶ 4} et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur.^{§§ 5} Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem: et comedetis panem vestrum in saturitate, et absque pavore habitabitis in terra vestra. * ⁶ Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, et gladius non transibit terminos vestros.^{† 7} Persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis.[‡] ⁸ Persequentur quinque de vestris centum alienos, et centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro.^{¶ 9} Respiciam vos, et crescere fa-

[¶]26.3 *Si in præceptis* Quid fieri, quid vitari deberet, prædixit. In fine quæ observantibus præmia, quæ prævaricantibus supplicia debeantur enumerat. *Si in præceptis*. ID. Hæc ad litteram stare non possunt, etc., usque ad quæ in hoc capite significantur. ORIG., hom. 16 in Lev. Si lex carnalis est, etc., *usque ad, Joannes venit in spiritu et in virtute Eliæ. Mandata mea.* Quale est illud: *Qui sabbatum non custodit ab omni synagoga lapidetur*, et hujusmodi. *Dabo vobis pluvias*, etc. Et dabo, *et* superfluum est, consuetudine locutionis nostræ, sed more scripturarum additum. *Temporibus*. ORIG. Tempore opportuno, non ebrio, non in aliis occupato: prudenter ergo conjiciat doctor cui ministret pluviam, et tritici mensuram, et cui debet lac dare, non det escam

^{§§}26.4 *Terra gignet*. LXX: *Ligna campi dabunt fructum suum*. ID. Motus animæ, qui altiores sunt motibus terræ, id est, carnis nostræ, quorum fructus sunt charitas, justitia, mansuetudo et similia. *Pomis arbores*. ORIG. *Non potest arbor*, etc., usque ad de qua dicitur: *Lignum vitæ est his qui apprehenderunt eam*.

*26.5 *Apprehendet messium tritura*. ORIG. Anima quæ germinat ex verbo Dei, etc., usque ad cum conservis in tempore dispensandum remaneat. *Apprehendet. Panis enim cor hominis confirmat, vinum lætificat* Psal. 103.. Quæ de continentia, de observantiis et de custodiis mandatorum dicuntur, frumentum videntur, ex quo conficitur panis qui corda confortat. Ea vero quæ ad scientiam pertinent et occultorum exploratione lætificant mentem, vino et vindemiæ comparantur. Cor enim lætatur cum obscura [occulta] explanantur. *Vindemiam*. Fructum animæ. Vindemia enim arbor est. Hæc autem simul habere, id est corpore et anima fructificare, magnæ benedictionis est. ISICH. Congregans enim anima virtutes suas mox desiderat alias. Unde: *Quæ retro sunt obliviscens, ad priora me extendo* Philip. 3.. *Vindemia*. ORIG. Quasi dicamus, etc., usque ad ut de spiritu metamus vitam æternam. *Panem vestrum*. Scilicet qui de cælo descendit, et dat vitam mundo; non qui plus abundat malis quam bonis. *Absque pavore*. Si corpus stabile fuerit, et anima fructificaverit, securi erimus in terra nostra, *quia caro non concupiscet adversus spiritum* Galat. 4..

[†]26.6 *Et gladius non*. ISICH. Quia pax erit in finibus vestris; modo ex concupiscentiis sunt bella et lites.

[‡]26.7 *Inimicos*. ID. Occisi jejunio, oratione, et similibus; unde: *Hoc genus non ejicitur nisi cum oratione et jejunio* Matth. 17.. *Corruent*. LXX: *In conspectu vestro morte vestra*, scilicet mortificatis membris vestris, quæ sunt super terram, id est, fornicatione, immunditia, et hujusmodi Col. 3..

[¶]26.8 *Persequentur*. ORIG. Sicut quinquarius sapientes indicat et insipientes, etc., usque ad ne credentes decipiant. ISICH. LXX, etc., usque ad persequi potest et vincere. *Et centum*. Qui non tantum subtilem scientiam, sed et vitam perfectam habent, qui spiritualiter deculpantur, et ideo centum dicuntur, scilicet qui centenos afferunt fructus.

ciam: multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum.^{§ 10} Comeditis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus projicietis.^{** 11} Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea.^{†† 12} Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus.^{‡‡ 13} Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis: et qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti.¹⁴ Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea,^{¶¶ 15} si spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quæ a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum:¹⁶ ego quoque hæc faciam vobis: visitabo vos velociter in egestate, et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur.^{§§ 17} Ponam faciem meam contra vos, et corruetis coram hostibus vestris, et subjiemini his qui oderunt vos: fugietis, nemine persequente.^{* 18} Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra,^{† 19} et conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboque vobis cælum desuper sicut ferrum, et terram æneam.^{‡ 20} Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.²¹ Si ambulaveritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras in septuplum propter peccata vestra:²² immittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos, et pecora vestra, et ad paucitatem

§26.9 **Respiciam.** Cujus respectus, salus. Respexit Dominus Petrum, et flevit amare. Si sol segetem non respiciat, manet infructuosa. Segetem cordis nostri respicit Deus, et radiis verbi sui nos illuminat, auget et multiplicat ut magni efficiamur; sicut magnus factus est Isaac, et magnus Moses, et magnus Joannes. **Crescere.** In operibus bonis, ut parva magna. Unde: **Quod uni ex minimis meis fecistis,** etc. Matth. 25. **Multiplicabimini.** Ut pauca fiant magna vel multa. Unde: **Si quod est aliud mandatum in hoc verbo restauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum** Rom. 13..

26.10 **Comeditis. ORIG. Vetus lex et prophetæ, etc., usque ad et induimus novum.

††26.11 **Ponam.** Si prædicta habemus, abjecto veteri homine innovatum est cor nostrum: **Venit ad nos Deus et habitat in nobis** Col. 3. **Non abjiciet,** etc. ORIG. Audeo et dico quia anima Dei Christus est, sicut et verbum Dei sapientia Dei et virtus Dei I Cor. 1.. Tale est ergo ac si dicat: non abjiciet vos Filius meus. **Anima.** AUG., quæst. 93 in Lev. Animam suam Deus vocat, etc., usque ad qui dicunt animam non habuisse Jesum.

‡‡26.12 **Ambulabo.** ISICH. Homo factus. Unde: **Hic est Deus noster, et non reputabitur alius ad eum; post hæc in terra visus est, et cum hominibus conversatus est** Baruc. 3..

¶¶26.14 **Quod si.** ISICH. Obedientium bona præcedenti capitulo expressit: quæ autem sint prævaricatorum mala, præsentī capitulo ostendit, quorum quædam ad litteram Judæi passi sunt: omnia vero secundum spiritum.

§§26.16 **In egestate.** ID. Verbi Dei. Unde: **Durus est hic sermo, quis potest eum audire?** Joan. 6. Quia intellectum legis transgrediebantur, ut evangelicum testamentum irritum facerent, obscure loquebatur eis, ne intelligerent.

*26.17 **Fugietis, nemine.** ID. Quia gentiles non persequentur ad expellendum, sed festinantes salutem eorum, secundum illud: **Sequor autem, si quomodo comprehendam** Philip. 3.. **Sin autem.** ID. Hujusmodi distinctionibus frequenter utitur, etc., usque ad plenam et integram vindictam significat.

†26.18 **Addam correptionem.** LXX: **Et apponam castigare vos septies,** etc. Etiam hic superfluum est. Septies autem pro omni numero est accipiendum.

‡26.19 **Et conteram superbiam duritiæ vestræ.** Quia dicitis: **Semen Abraham sumus, et nemini servivimus unquam** Joan. 3.: ideo gentibus servietis.

cuncta redigant, desertæque fiant viæ vestræ. ²³ Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi: [¶] ²⁴ ego quoque contra vos adversus incedam, et percutiam vos septies propter peccata vestra, ²⁵ inducamque super vos gladium ultorem fœderis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medio vestri, et trademini in manibus hostium, ²⁶ postquam confregero baculum panis vestri: ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, et reddant eos ad pondus: et comedetis, et non saturabimini. [§] ²⁷ Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaveritis contra me: ^{**} ²⁸ et ego incedam adversus vos in furore contrario, et corripiam vos septem plagis propter peccata vestra: ²⁹ ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum et filiarum vestrarum. ^{††} ³⁰ Destruam excelsa vestra, et simulacra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, et abominabitur vos anima mea, ^{‡‡} ³¹ in tantum ut urbes vestras redigam in solitudinem, et deserta faciam sanctuaria vestra, nec recipiam ultra odorem suavissimum. ^{¶¶} ³² Disperdamque terram vestram, et stupebunt super ea inimici vestri, cum habitatores illius fuerint. ³³ Vos autem dispergam in gentes, et evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, et civitates vestræ dirutæ. ³⁴ Tunc placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ: quando fueritis ^{§§} ³⁵ in terra hostili, sabbatizabit, et requiescet in sabbatis solitudinis suæ, eo quod non requieverit in sabbatis vestris quando habitabatis in ea. ³⁶ Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium: cadent, nullo persequente, ^{*} ³⁷ et corruent singuli super fratres suos, quasi bella fugientes, nemo vestrum inimicis audebit resistere. [†] ³⁸ Peribitis inter gentes, et hostilis vos terra consumet. ³⁹ Quod si et de iis aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum, et propter peccata patrum suorum et sua affligentur: ⁴⁰ donec confiteantur iniquitates suas, et majorum suorum, quibus prævaricati sunt in me, et

[¶]26.23 *Gladium*, spiritus, quod est verbum Dei, quod per prædicatores Judæos convincit, ne Vetus Testamentum habere cum Evangelio contradicant. *In urbes mittam*. Prophetas in quibus fideles munitiones et salutem inveniunt, inimici fugientes capiuntur, illic moriuntur apertis de Christo prophetis resistere non valentes.

[§]26.26 *Ita ut decem*, etc. ISICH. Panem doctrinæ non habent, etc., usque ad ideo non satiantur qui his panibus nutriuntur.

^{**}26.27 *Sin autem*, etc. ID. Non solum legislator est Moyses, etc., usque ad et auctorem legis blasphemaverunt.

^{††}26.29 *Carnes filiorum*. Id est discipulos, quos vobis assumitis in filios, ad eandem doctrinam verbis validis, et animam corruptentibus inducatis.

^{‡‡}26.30 *Cadetis inter ruinas*. Cadit enim populus cum Pharisæis spiritualiter cadentibus, quos quasi idola admirabatur populus traditionibus eorum intentus.

^{¶¶}26.31 *Urbes vestras*. Ad litteram vel libros prophetarum, in quibus sanctitatis fructum non inveniunt.

^{§§}26.34 *Tunc placebunt terræ sabbata*, id est requies, scilicet vobis feriantibus et a lege remotis, cum in lege et prophetis voluntatem vestram non inveniatis.

^{*}26.36 *Terrebit eos*. Sicut folium fructum, sic littera abscondit spiritum: aufer folium, accipe fructum. *Sonitus folii volantis*. Hyperbole: quia etiam levissima quæque formidabunt. *Cadent nullo persequente*. Non enim persequimur eos, sed sequimur ut revocemus.

[†]26.37 *Corruent*. Disputantibus nobis cum eis, diversa proferunt testimonia alternatim: sed alternis conturbabuntur verbis, alter alterum conturbat dum subvenire videtur.

ambulaverunt ex adverso mihi. ⁴¹ Ambulabo igitur et ego contra eos, et inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum: tunc orabunt pro impietatibus suis. ⁴² Et recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Jacob, et Isaac, et Abraham. Terræ quoque memor ero: ⁴³ quæ cum relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbatis suis, patiens solitudinem propter illos. Ipsi vero rogabunt pro peccatis suis, eo quod abjecerint judicia mea, et leges meas despexerint. ⁴⁴ Et tamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus abjeci eos, neque sic desepxi ut consumerentur, et irritum facerent pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum, [§] ⁴⁵ et recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra Ægypti in conspectu gentium, ut essem Deus eorum. Ego Dominus. Hæc sunt judicia atque præcepta et leges quas dedit Dominus inter se et filios Israël in monte Sinai per manum Moysi. ^{**}

27 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ² Loquere filiis Israël, et dices ad eos: Homo qui votum fecerit, et sponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium. ^{††} ³ Si fuerit masculus a vigesimo anno usque ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram sanctuarii: ⁴ si mulier, triginta. ⁵ A quinto autem anno usque ad vigesimum, masculus dabit viginti siclos: femina, decem. ^{‡‡} ⁶ Ab uno mense usque ad annum quintum, pro masculo dabuntur

[‡]26.41 *incircumcisa mens eorum.* Quia incircumcisi corde, vitiorum poliiuti præputio, *non enim quæ in carne est circumcisio* Rom. 2.. *Tunc orabunt pro impietatibus suis.* LXX: *Peccata sua placita habebunt*, poenas scilicet quas pro peccatis patientur.

[†]26.42 *Quod pepigi cum Jacob.* ISICH. Nota quod temporis et generis ordinem mutavit, etc., usque ad conjunguntur vero tanquam cognata et convenientia. *Terræ quoque memor ero.* ISICH. Scripturæ scilicet, quam mandabo ejectis Judæis, qui eam prævaricati sunt vel prævaricabantur, et prave interpretabantur.

[§]26.44 *Attamen etiam cum essent in terra hostili.* Bene in fine capituli blanditur, et quos minis terruerat promissis consolatur. *Non penitus. Cæcitas ex parte contingit in Israël, donec plenitudo gentium subintraret; et cætera* I Tim. 2.. *Nec sic desepxi.* Qui salutem omnium volo: ideo post tantas iniquitates, etiam Judæorum reliquias salvo.

^{**}26.45 *Hæc sunt.* ISICH. Usque ad certum tempus, etc., usque ad non solvendo, sed implendo. *In monte Sinai.* Non in Sion. Unde: *Videbitur Deus deorum in Sion* Psal. 83.. Et alibi-*Ex Sion species decoris ejus. Deus manifeste veniet* Psal. 49.. Et in Malachia: *Subito veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis* Malac. 3..

^{††}27.2 *Homo qui.* ISICH. Plena sunt hæc verba prudentia: quæ oporteat agi, vel minime, superius præcepit; nunc vel ex toto, vel ex parte agentium dignitatem exponit, quid perfecta vita, quid mediocris, quid incipiens cognitionis Dei habeat differentias quoque ætatum describit. *Animam.* ISICH. Aquila et Theodotio, *admirabile.* Symmachus, *si se separaverit.* LXX: *honorem animæ suæ. A vigesimo.* ID. Quando pubes, fortis, etc., usque ad de qua dicitur: *Estote perfecti sicut et Pater vester perfectus est* Matth. 5.. *Siclos.* ISICH. Vel didrachmas, sexagenarium fructum, etc., usque ad unde: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum* I Tim. 5..

^{‡‡}27.5 *A quinto.* ID. Qui sensatus est, et proficere incœpit, sed conversatione jejunii non potest ornari. *Usque.* ID. Qui proficere cœpit sensibus quinque: proventus enim hic est ad virtutem, et perfectionem. Viginti enim annorum fortes sunt atque valentes. *Masculus dabit viginti siclos.* ID. Vel didrachmas, id est quadraginta drachmas; id est obolos quadringentos. Quadragenarius vero jejunii et orationum proventus significat. Tot enim diebus jejunavit Moses Exod. 34., et Elias III Reg. 19., et ipse Christus, et post a diabolo est tentatus Matth. 4..

quinque sicli: pro femina, tres. ⁷ Sexagenarius et ultra masculus dabit quindecim siclos: femina, decem. [¶] ⁸ Si pauper fuerit, et aestimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote: et quantum ille aestimaverit, et viderit eum posse reddere, tantum dabit. ^{§§} ⁹ Animal autem, quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit, ^{*} ¹⁰ et mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec pejus bono: quod si mutaverit, et ipsum quod mutatum est, et illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino. [†] ¹¹ Animal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis voverit, adducetur ante sacerdotem: [‡] ¹² qui iudicans utrum bonum an malum sit, statuatur pretium. ¹³ Quod si dare voluerit is qui offert, addet supra aestimationem quintam partem. [¶] ¹⁴ Homo si voverit domum suam, et sanctificaverit Domino, considerabit eam sacerdos utrum bona an mala sit, et iuxta pretium, quod ab eo fuerit consti-

[¶]27.7 **Femina decem.** ID. Vel didrachmas, id est viginti drachmas vel ducentos obolos, custodiam scilicet decem mandatorum, quæ duplicantur secundum litteram et spiritum, in quibus non est præceptum jejunium, quia provectos decet necdum perfectos. **Ab uno.** Unius mensis est, qui nunc in fide genitus est, quibus dicitur: **Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo, lac concupiscite,** etc. I Petr. 2.. **Quinque.** Vel didrachmæ, scilicet ut masculus duplēs sensus habeat, et quæ sensibilibiter audit, intelligibiliter suscipiat. Sic enim ad perfectionem ducitur, propter quod centum obolorum est pretium ejus: centenarius autem perfectus est. **Pro femina.** ID. Pro femina tres didrachmæ, etc., usque ad quasi jam participes evangelicæ conversationis. **Sexagenarius.** Qui excellentiam conversationis promisit, sicut virginitatem, vel mundi abrenuntiationem, sed infirmatus est. **Dabit quindecim.** Vel didrachmas, quæ sunt triginta drachmæ. Tres enim fructus bona terra reddidit Matth. 13.: centenarium, id est virginem esse vel mundo abrenuntiare; sexagenarium, scilicet continentiam; tricenarium, id est casti conjugii conversationem.

^{§§}27.8 **Si pauper.** Qui multum peccavit, ideo interpretatus est Aquila, si **excessit. Stabit.** Si enim quemlibet nobis subditum Dei servitio obtulerimus, in ministerium nostrum recipere non debemus, promittentes pro eo vel meliorem, vel minus bonum. **Quantum ille aestimaverit.** Id est quantum viderit eum posse satisfactionis imponet: sed si locuples est, ut distribuat pecuniam, si sanus jejundet, oret, laboret.

^{*}27.9 **Animal.** Quia differentias oblationum quæ ex nobis ipsis sunt et gradus exposuit: jam eorum quæ nobis tanquam pecora subditi sunt, quando sit oblatio sancta exponit. **Sanctum erit.** Secundum legem immaculatum et mundum: veluti si filium, discipulum, servum, vel quemlibet nobis subditum Deo obtulerimus.

[†]27.10 **Quod.** Ut sit duplex oblatio, et inimicus erubescat, qui oblationem mutare suggerebat.

[‡]27.11 **Animal immundum.** ISICH. Quæ non simul, etc., usque ad ut possit Domino offerri. Sciendum est quod aliud est sanctificari, aliud est sanctum esse, aliud Deo offerri, aliud Dei esse. Quod enim sanctificatur et offertur sanctum incipit esse, quod non erat, et paulatim augmentatur. Quod sanctum est et Dei est, non eget augmento, quia perfectum est. Bonum est ergo aliorum doctrina et auxilio sanctificari, sed melius est talem esse, qui seipsum, et alios possit sanctificare, quod paucorum est. Sanctificat ergo domum Domino, qui familiam suam, et cognationem tam sensibilem quam intelligibilem pure, et sancte vult conversari, ut sit Ecclesia Dei. Si autem per se non est idoneus hoc facere, sacerdos debet considerare utrum bona an mala sit. Ex diversis enim constat personis, et secundum quod possunt, debet injungere eis.

[¶]27.13 **Quintam partem.** Mentem, scilicet, quæ regit quinque sensus, sine qua virgines fatuæ ad nuptias non suscipiuntur Matth. 25..

tutum, venundabitur:§ 15 sin autem ille qui voverat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, et habebit domum.** 16 Quod si agrum possessionis suæ voverit, et consecraverit Domino, juxta mensuram sementis æstimabitur pretium: si triginta modiis hordei seritur terra, quinquaginta siclis venundetur argenti.†† 17 Si statim ab anno incipientis jubilæi voverit agrum, quanto valere potest, tanto æstimabitur.‡‡ 18 Sin autem post aliquantum temporis, supputabit sacerdos pecuniam juxta annorum, qui reliqui sunt, numerum usque ad jubilæum, et detrahetur ex pretio. 19 Quod si voluerit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, et possidebit eum.¶¶ 20 Sin autem noluerit redimere, sed alteri cui libet fuerit venundatus, ultra eum qui voverat redimere non poterit. §§ 21 Quia cum jubilæi venerit dies, sanctificatus erit Domino, et possessio consecrata ad jus pertinet sacerdotum. 22 Si ager emptus est, et non de possessione majorum sanctificatus fuerit Domino,* 23 supputabit sacerdos juxta annorum numerum usque ad jubilæum, pretium: et dabit ille qui voverat eum, Domino.† 24 In jubilæo autem revertetur ad priorem dominum, qui vendiderat eum, et habuerat in sorte possessionis

§27.14 **Homo si voverit.** ISICH. In sequentibus dicit: Omne quod Domino consecratur, sive homo, sive animal, sive ager, redimi non poterit; hic autem domum et agrum redimi præcipit. Sed forsitan hoc secundum diversas intentiones offerentium decernit, tanquam ibi non habeat voluntatem ulterius habendi, quod penitus consecravit.

27.15 **Sin autem ille, etc. ISICH. Redimere, est per doctrinam et formulam vitæ familiam liberare, et quidquid sanctimoniam obviat diluere. Adjiciet vero admonitioni et ædificationi sacerdotis intelligentiam, et frequentem commemorationem.

††27.16 **Quod si agrum.** Id est, Scripturam divinam, cujus vitis Christus, Pater agricola Joan. 14.. In hoc absconditur thesaurus, id est, salutaris prædicatio: in hoc diversa est cujusque possessio, modus scilicet sciendi, quem sibi quisque obtinere potuit. **Si triginta modiis,** etc. ID. In triginta modiis hordei Vetus Testamentum. In quinquaginta siclis vel didrachmis juxta LXX spirituale et perfectam doctrinam intellige. Sed quando hæc regula, vel perfecte danda, vel minuenda sit, per sequentia intellige: **Si statim ab anno incipientis jubilæi,** etc.

‡‡27.17 **Si statim ab anno.** ID. Id est, si gratiæ viam, etc., usque ad offerens sacerdoti, ab ipso possidebitur.

¶¶27.19 **Addet quintam partem.** Doctrinæ sacerdotis proprium intellectum: doctrina enim et instructione sacerdotis prius gubernamur, sed postea proficere, et intellectum nostrum adjicere debemus.

§§27.20 **Sin autem,** etc. ID. Ille consecrat agrum et redimit agrum, etc., usque ad ejus enim lucrum est qui continue gubernat.

*27.22 **Et non de possessione.** Quia neque de custodia majorum suorum, neque ipsius emptoris fuerat

†27.23 **Supputabit sacerdos.** Recte sacerdos cum eo qui fratrem ad pœnitentiam monuit, veram redemptionem supputat, qualiter scilicet pœnitere debeat. Ille enim districte ejus actionem et conversationem novit, qui correat: hic autem ut sacerdos perfectam redemptionem. **Juxta annorum numerum.** Ex his scilicet quæ de pœnitentia prædicat Scriptura: ipsa enim æstimatio est jubilæi vel remissionis. **Et dabit ille qui voverat eum Domino.** Non dicit dabunt, sed dabit. Etsi enim communi consilio sacerdotis et ejus qui ad pœnitentiam monuit, æstimationis definitio datur, ille tamen offeret eum qui ad pœnitendum excitavit: huic enim obediet, qui et ipse pœnitenti obligatur, ut quod cœpit perficiat.

suæ.[‡] 25 Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur. Siclus viginti obolos habet.[¶]
 26 Primogenita, quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit et vovere: sive bos, sive ovis fuerit, Domini sunt.[§] 27 Quod si immundum est animal, redimet qui obtulit, juxta æstimationem tuam, et addet quintam partem pretii: si redimere noluerit, vendetur alteri quancumque a te fuerit æstimatum.^{**} 28 Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum sanctorum erit Domino.^{††} 29 et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.
 30 Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, et illi sanctificantur.^{‡‡} 31 Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum.^{¶¶} 32 Omnium decimarum bovis et ovis et capræ, quæ sub pastoris

[‡]27.24 *In jubilæo autem revertetur ad priorem Dominum*, etc. Quia non statim, cum poenitentia datur, vel definitur, penitus mundatur, sed ea peracta; ideo recte ait: *In jubilæo autem*, etc., peracta enim poenitentia et remissione suscepta, conversationis suæ agrum suscipiet.

[¶]27.25 *Omnis æstimatio siclo sanctuarii pondera*. Ut omnis definitio sanctis fiat ponderibus, id est de sacra Scriptura venientibus, exteriora enim pondera, ut philosophorum, vel hæreticorum, quibus veritates et perfectiones hominum pensant, nec sancta, nec justa sunt. *Siclus viginti*. Id est decem mandata secundum litteram et secundum spiritum intellecta. Quicumque autem aut legem aut Evangelium renuit, non habet didrachma, nec ejus pondera sunt sancta.

[§]27.26 *Primogenita quæ*. ISICH. Primogenita tanquam pecora nostra, sunt qui nobis obediunt, filii, servi, et discipuli. Sed horum primogenita sunt, qui sic obediunt, ut aliis præbeant exemplum et magisterium, de quibus alibi dicitur: *Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur* Lucæ 2.. Aperit enim vulvam generatorum filiorum, qui secundum Deum incipit obedire. Unde Paulus de Timotheo ait: *Qui est filius meus dilectus in Domino, ipse vos commonefaciet vias meas*, etc. I Cor. 4.. *Nemo sanctificare poterit et vovere*. Non quia sanctificatione indigna sunt, sed quia sancta sunt, nec egent sanctificari, ut filius, qui sic patrem et matrem honorat, ut etiam exemplum aliis fiat, tanquam Deo offerens honorem, qui hoc præcepit Exod. 20.. Servus quoque qui etiam dominis carnalibus in simplicitate cordis non ad oculum servit, ipsi Deo servitatem impendit Eph. 6..

^{**}27.27 *Quod si immundum*. ISICH. Peccator, qui nec legem sicut oportet meditatur, nec distinguere conatur. Quicumque ergo vehementer obediens est patri, domino aut magistro: nec tamen legem meditatur aut distinguit, primogenitus quidem in pecoribus est, sed immundus est. *Et addet quintam partem pretii*. Doctrinam ei cum intellectu offerens, et sapienter regens. Insensati enim patris, domini aut magistri est, obedientiam eos, qui ad se pertinent, subditos non docere, et eorum vitam ut operentur secundum legem non disponere. Addat igitur subjectioni et doctrinæ intellectum: ipse enim solus in præsentem mundus est. Ideo ait: *Addet quintam partem pretii*. Habet enim obedientia pretium: ideo non dixit: æstimabit eum sacerdos, sicut supra.

^{††}27.28 *Omne quod Domino consecratur, sive homo*. ISICH. Aliud est anathematizare, etc., usque ad id est, conversatio nostræ sortis. *Quidquid semel fuerit consecratum*. ID. Jure belli acquisitum non potest aliquis inimicum exspoliare, etc., usque ad nec augmentum, nec profectum suscipiunt.

^{‡‡}27.30 *Domini*. ID. Ejus scilicet qui mandata legis operatur, etc., usque ad quia quam retributionem expectare debeat nescit.

^{¶¶}27.31 *Si quis*. ID. Secundum litteram multa obscura et insolubilia legislator interposuit, etc., usque ad et poma arborum secundum tempus suum.

virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.^{§§ 33} Non eligitur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur, si quis mutaverit: et quod mutatum est, et pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, et non redimetur.*
³⁴ Hæc sunt præcepta, quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israël in monte Sinai.[†]

^{§§}27.32 *Sub pastoris virga.* ID. Virga crucis, etc., usque ad et ab illo solo, qui sanctos discernit, cognoscuntur.

*27.33 *Non eligitur nec,* etc. Quia nullus est qui respui possit, et quod magis eligendum sit, non est vestræ discretionis. *Si quis mutaverit,* etc. ISICH. Paulus et Barnabas aliquando dissenserunt, etc., usque ad scribens ad Timotheum ait: *Assumens Marcum, deduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium* II Tim. 4.. *Sanctificabitur Domino,* etc. ID. Cum omnium cursus divinus sit, et altus, et supernæ conversationi proximus, frustra conatis hunc subducere, illum inducere, et Deo quasi meliorem consecrare.

[†]27.34 *Hæc sunt præcepta quæ mandavit,* etc. ID. Discipuli nostri quando sunt perfecti, nihil nostri egent magisterii: ideo ait immundorum primogenita esse redimenda, mundorum vero nequaquam, sed nec Domino consecrata, nec ea quæ novissime sunt dicta: perfecta enim demonstrata sunt, quia intentionem divinam celestemque gerunt.

INCIPIIT LIBER VAIEDABBER

ID EST NUMERI

1 Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto, dicens: ²Tollite summam universæ congregationis filiorum Israël per cognationes et domos suas, et nomina singulorum, quidquid sexus est masculini ³a vigesimo anno et supra, omnium virorum fortium ex Israël, et numerabitis eos per turmas suas, tu et Aaron. ⁴Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis, ⁵quorum ista sunt nomina: de Ruben, Elisur, filius Sedeur; ⁶de Simeon, Salamiel filius Surisaddai; ⁷de Juda, Nahasson filius Aminadab; ⁸de Issachar, Nathanaël filius Suar; ⁹de Zabulon, Eliab filius Helon; ¹⁰filiorum autem Joseph, de Ephraim,

[‡]1.3 *Omnium virorum.* ORIG., hom. 1 in Num. Alias LXX: *Omnis qui procedit in virtute Israël,* etc. Qui ergo procedit, etc., usque ad per fidem evangelicam et apostolicam traditur.

[¶]1.4 *Principes tribuum,* etc. AUG., quæst. 1 in Num. Quid est quod singulos de singulis tribubus eligi jubet principes, etc., usque ad ut vocentur.

[§]1.5 *De tribu Ruben.* RAB. in Num., tom. 2. Moraliter Ruben primogenitus Israël, etc., usque ad cor unum et anima una. RAB., ibid. Princeps tribus Ruben eos generaliter significat, etc., usque ad continentium, virginum, et utriusque sexus curam gerens.

^{**}1.6 *De tribu Simeon.* RAB. Simeon generaliter omnes obedientes, etc., usque ad dicentes: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis* Psal. 122..

^{††}1.7 *De tribu Juda.* ID. Possunt significari in Juda omnes qui recte invocant nomen Domini, nec sensu nec verbo dissentientes a norma fidei: quorum merito Naasson princeps est, qui scilicet non solum alios prædicando instruit, sed etiam virulenta vitiorum jacula corpus suum castigando in semetipso interficit, secundum illud: *Castigo corpus meum et in servitatem redigo,* etc. I Cor. 9.. Allegorice, Juda, de quo reges, qui interpretatur *confessio* vel *laudatio*, hic populum significat Ecclesiæ, cuius caput est leo de tribu Juda, id est, Christus. Vere enim fidei laudatio vel confessio, id est, recta prædicatio, tantum in Ecclesia est. Naasson ergo, id est *serpentinus*, vel *augurium*, filius Aminadab, scilicet *spontanei populi*, Salvator intelligitur de patriarchis, Deo devotis famulis, genitus, qui per mortem suam destruxit diabolium. In serpente enim, unde primum mortis causa, id est peccatum, processit, mors figuratur. Unde: *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis,* etc. Joan. 3..

^{‡‡}1.8 *De tribu Issachar.* ID. Issachar monachos non incongrue exprimit, qui, omnibus mundi negotiis spretis, dono Dei, id est Spiritu sancto protegente, præmium æternum districta vita, voluptate mortificata, quærunt, et pompam mundi calcantes, humilia amplectentes, soli Deo placere eupiunt. *Nathanaël filius Suar.* Qui pie exercent se ut mercedem in cœlis accipiant, eorum princeps est Nathanaël, id est *Deus meus* vel *donum Dei, Filius Suar,* id est pusilli Christi, scilicet qui inter homines pusillus apparuit: ipse enim dux et ipse merces.

^{¶¶}1.9 *De tribu Zabulon.* ID. Zabulon patientes figurat, etc., usque ad contra hæreticos scilicet et schismaticos.

Elisama filius Ammiud; de Manasse, Gamaliel filius Phadassur;^{§§ 11} de Benjamin, Abidan filius Gedeonis;^{* 12} de Dan, Ahiezer filius Ammisaddai;^{† 13} de Aser, Phegiel filius Ochran;^{‡ 14} de Gad, Eliasaph filius Duel;^{¶ 15} de Nephthali, Ahira filius Enan.^{§ 16} Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus et cognationes suas, et capita exercitus Israël,^{** 17} quos tulerunt Moyses et Aaron cum omni vulgi multitudine:¹⁸ et congregaverunt primo die mensis secundi, recensentes eos per cognationes, et domos, ac familias, et capita, et nomina singulorum a vigesimo anno et supra,^{†† 19} sicut

^{§§}1.10 **Joseph.** Idem Joseph, pater duarum tribuum, Christum significat, Patrem populorum duorum et lapidem angularem. Ephraim minor, Manasse primogenito praelatus, gentilem populum Judaico praelatum. Unde: **Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël** Matth. 8.. **Elisama.** Elisama Christum significat, de quo dicitur: **Factus est obediens Patri usque ad mortem**, etc. Philip. 2.. Qui de se ait: **Quæ audiui ab eo hæc loquor in mundo** Joan. 8.. Hic est filius Ammiud, id est **populi inclyti**, de stirpe scilicet regum, patriarcharum et prophetarum. RAB. Elisama princeps in tribu Ephraim, significat eos qui attente verbum Dei audiunt corde bono et optimo, et fructum afferunt in patientia. **Manasses**, etc. **Obliviosus**, ea scilicet **quæ retro sunt obliviscens et in anteriora se extendens: ut acci piat coronam vitæ, quam retribuet Deus diligentibus se** Philip. III; Jac. 1.. **Gamaliel.** Gamaliel, **reddidit mihi Deus**, filius Phadassur, id est **redemptionis validæ**, princeps est in tribu Manasse, qui interpretatur **oblitus**, vel **obliviosus**: cum Christus quem ad vocandum populum Judaicum Pater in mundum misit in regno suo gentem obliviosam invenit. Oblitus est enim Israël creatoris sui. Non tamen omnes perierunt, sed cum **plenitudo gentium intraverit, omnis Israël salvus fiet** Rom. 11..

^{*}1.11 **De tribu Benjamin.** Benjamin Jerusalem significat, quæ est in tribu sua: cujus populus, secundum prophetiam Rachel, Bennoni, id est **filius doloris** fuit, quia gravi dolore matrem affecit. Sanguinem enim prophetarum fudit, et in Christi necem conspirans ait: **Sanguis ejus super nos et super filios nostros** Matth. 27.. In credentibus vero, juxta patris prophetiam, **filius dextræ**. Benjamin quoque gentilem populum potest significare, qui filius doloris fuit Christianos persequendo. Filius etiam dextræ potest dici, quia in judicio ad dexteram Dei erit, vel quia dextera, id est bona opera, facit. Hujus populi Abidan, id est **pater meus**, judex, filius Gedeonis, qui interpretatur **tentatio iniquitatis** vel **humilitatis**; princeps est: quia Christus quem humilem Judæus sprevit et diabolus inique tentavit caput est credentium, et judex venturus vivorum et mortuorum. Moraliter, Benjamin, **filius dextræ**, significat eos qui fortiter pugnant contra inimicos, et fortiter premunt tentationis stimulos, nec femineum aliquid vel molle in se dominari permittunt.

[†]1.12 **De tribu Dan.** Dan **judicium**, vel **judicans**. Hi sunt qui omnia discrete agunt, qui Abiezer, id est **fratrem adiutorem**, sibi principem constituunt: quia secundum Patrum regulam omnia faciunt, vel omnia bona sua Deo tribuunt. RAB., ubi supra. Dan, etc., usque ad ad societatem spiritualis gratiæ hortantur.

[‡]1.13 **De tribu Aser.** ID. Aser, etc., usque ad retribuetur enim eis in resurrectione justorum.

[¶]1.14 **De tribu Gad.** ID. Allegorice, etc., usque ad unde: **Gallus succinctus lumbos et aries, nec est rex qui resistat ei** Prov. 30..

[§]1.15 **De tribu Nephthali.** Nephthali, etc., usque ad unde: **Jam non dicam vos servos, sed amieos**, etc. Joan. 15..

^{**}1.16 **Per cognationes.** AUG., quæst. 2 in Num. Merito quæritur quare, etc., usque ad et novum quatuor Evangelii.

^{††}1.18 **A vicesimo.** ISID. A vicesimo anno numerantur, qui ad bellum eliguntur, quia ab hac ætate contra unumquemque vitiorum bella nascuntur. Ideoque ad pugnam eliguntur, ut pugnent contra libidinem, ne luxuria superentur.

præceperat Dominus Moysi. Numeratique sunt in deserto Sinai. ²⁰ De Ruben primogenito Israël per generationes et familias ac domos suas, et nomina capitum singulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno et supra, procedentium ad bellum, ²¹ quadraginta sex millia quingenti. ²² De filiis Simeon per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina et capita singulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno et supra, procedentium ad bellum, ²³ quinquaginta novem millia trecenti. ²⁴ De filiis Gad per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra, omnes qui ad bella procederent, ²⁵ quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta. ²⁶ De filiis Juda per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, ²⁷ recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti. ²⁸ De filiis Issachar, per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui ad bella procederent, ²⁹ recensiti sunt quinquaginta quatuor millia quadringenti. ³⁰ De filiis Zabulon per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, ³¹ quinquaginta septem millia quadringenti. ³² De filiis Joseph, filiorum Ephraim per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, ³³ quadraginta millia quingenti. ³⁴ Porro filiorum Manasse per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, ³⁵ triginta duo millia ducenti. ³⁶ De filiis Benjamin per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, ³⁷ triginta quinque millia quadringenti. ³⁸ De filiis Dan per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, ³⁹ sexaginta duo millia septingenti. ⁴⁰ De filiis Aser per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, ⁴¹ quadraginta millia et mille quingenti. ⁴² De filiis Nephthali per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere, ⁴³ quinquaginta tria millia quadringenti. ⁴⁴ Hi sunt, quos numeraverunt Moyses et Aaron, et duodecim principes Israël, singulos per domos cognationum suarum. ⁴⁵ Fueruntque omnis numerus filiorum Israël per domos et familias suas a vigesimo anno et supra, qui poterant ad bella procedere, ⁴⁶ sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta. ⁴⁷ Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis. ⁴⁸ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ⁴⁹ Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israël: ⁵⁰ sed constitue eos super tabernaculum testimonii et cuncta vasa ejus, et quidquid ad cæremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum et omnia utensilia ejus: et erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. ⁵¹ Cum proficiscendum fuerit, deponent Lev-

‡‡1.37 *Triginta quinque millia.* Boni conjugati, quia ad significandum tricenarium index et pollex blando osculo continguntur. Unde aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud vero centesimum.

itæ tabernaculum; cum castrametandum, erigent. Quisquis externorum accesserit, occidetur.^{¶¶} 52 Metabuntur autem castra filii Israël unusquisque per turmas et cuneos atque exercitum suum.^{§§} 53 Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israël, et excubabunt in custodiis tabernaculi testimonii. 54 Fecerunt ergo filii Israël juxta omnia quæ præceperat Dominus Moysi.*

2 Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:[†] 2 Singuli per turmas, signa, atque vexilla, et domos cognationum suarum, castrametabuntur filii Israël, per gyrum tabernaculi fœderis.[‡] 3 Ad orientem Judas figet tentoria per turmas exercitus sui: eritque princeps filiorum ejus Nahasson filius Aminadab. 4 Et omnis de stirpe ejus summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcenti. 5 Juxta eum castrametati sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanaël filius Suar. 6 Et omnis numerus pugnatorum ejus quinquaginta quatuor millia quadringenti. 7 In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon. 8 Omnis de stirpe ejus exercitus pugnatorum, quinquaginta septem millia quadringenti. 9 Universi qui in castris Judæ enumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti: et per turmas suas primi egredientur.[¶] 10 In castris filiorum Ruben ad meridianam plagam erit princeps Elisur filius Seder.[§] 11 Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti. 12 Juxta eum castrametati sunt de tribu Simeon: quorum princeps fuit Salamiel filius Surisaddai. 13 Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quinquaginta novem millia trecenti. 14 In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel. 15 Et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta. 16 Omnes qui

^{¶¶}1.51 *Cumque proficiscendum*, etc. Id est, sermone et exemplo disponent, quomodo quisque humiliatus in profectu virtutum gradiatur. *Quisquis externorum*, etc. AUG., quæst. 3. *Alienigena qui accesserit, moriatur*. Hic alienigena intelligendus est etiam de illis filiis Israël, etc., usque ad ut allophyli appellentur quasi aliarum tribuum homines. Allegorice. Qui ad sacrum ministerium indignus accedit, pœnam præsumptionis non evadit: *Nemo enim debet sibi sumere honorem, nisi qui vocatur a Deo, tanquam Aaron* Hebr. 5.. Unde Ozias, qui sacerdotium usurpavit, lepra percussus est.

^{§§}1.52 *Unusquisque per turmas*, etc. ORIG., hom. 2 in Num. Unusquisque secundum signa sua, etc., usque ad si nihil inquietum, nihil inordinatum, nihil inhonestum inveniatur in nobis.

*1.54 *Septingenti*. Spiritualibus donis proveci, et ad dexteram Dei locandi. Centenarius enim numerus primus in dexteram computatur, pollice et indice in coronam flexis; unde: *Jam dextera computat annos*. RAB. in Num., tom. 2. In tribu Levi, etc., usque ad quasi humeris laboris et patientiæ Ecclesiam portant.

[†]2.1 *Locutusque est Dominus*. ORIG., hom. 2 in Num. *Homo secundum ordinem suum*, etc., usque ad et nihil secundum ordinem gerere. ID. Unusquisque nostrum, etc., usque ad ne propter eum nomen Dei blasphemetur. ID. *Secundum sua signa*, etc. Quibus scilicet cujusque proprietas designatur, etc., usque ad quanto magis reliqui homines propria signa in motibus animorum et animæ virtutibus gerunt?

[‡]2.2 *Per gyrum tabernaculi*, etc. RAB. in Num. Circa tabernaculum, etc., usque ad quorum precibus et doctrina munitur Ecclesia.

[¶]2.9 *Universi qui in castris Judæ*. His tribubus Judas præsidet, scilicet regalis tribus, de qua ortus est Christus, humani generis rex et salvator.

[§]2.10 *Meridianam plagam erit princeps*. Hæc significat antiquam Dei plebem, quæ lucem Evangelii, vel legis suscipiens, amore Conditoris fervebat.

recensiti sunt in castris Ruben, centum quinquaginta millia et mille quadringenti quinquaginta per turmas suas: in secundo loco proficiscentur. ¹⁷ Levabitur autem tabernaculum testimonii per officia Levitarum, et turmas eorum: quomodo erigetur, ita et deponetur. Singuli per loca et ordines suos proficiscentur. ^{**} ¹⁸ Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud. ^{††} ¹⁹ Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, quadraginta millia quingenti. ²⁰ Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadassur. ²¹ Cunctusque exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, triginta duo millia ducenti. ²² In tribu filiorum Benjamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis. ²³ Et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui recensiti sunt, triginta quinque millia quadringenti. ²⁴ Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim, centum octo millia centum per turmas suas: tertii proficiscentur. ²⁵ Ad aquilonis partem castrametati sunt filii Dan: quorum princeps fuit Ahiezer filius Ammisadai. ^{‡‡} ²⁶ Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, sexaginta duo millia septingenti. ²⁷ Juxta eum fixere tentoria de tribu Aser: quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran. ²⁸ Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, quadraginta millia et mille quingenti. ²⁹ De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan. ³⁰ Cunctus exercitus pugnatorum ejus, quinquaginta tria millia quadringenti. ³¹ Omnes qui numerati sunt in castris Dan, fuerunt centum quinquaginta septem millia sexcenti: et novissimi proficiscentur. ³² Hic numerus filiorum Israël, per domos cognationum suarum et turmas divisi exercitus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. ³³ Levitæ autem non sunt numerati inter filios Israël: sic enim præceperat Dominus Moysi. ³⁴ Feceruntque filii Israël juxta omnia quæ mandaverat Dominus. Castrametati sunt per turmas suas, et profecti per familias ac domos patrum suorum.

3 Hæ sunt generationes Aaron et Moysi in die qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai. ² Et hæc nomina filiorum Aaron: primogenitus ejus Nadab, deinde Abiu, et Eleazar, et Ithamar. ³ Hæc nomina filiorum Aaron sacerdotum qui uncti sunt, et quorum repletæ et consecratæ manus ut sacerdotio fungerentur. ^{¶¶} ⁴ Mortui sunt enim Nadab et Abiu cum offerrent ignem alienum in conspectu Domini in deserto Sinai, absque liberis: functique sunt sacerdotio Eleazar et Ithamar coram Aaron patre suo. ⁵ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ⁶ Applica tribum Levi,

^{**}2.17 *Levabitur autem tabernaculum testimonii*, etc. Tabernaculi erectio vel depositio Ecclesiæ situm significat, quæ in credentibus erigitur, in negantibus deponitur, in quibusdam ordinibus sacris sublimatur, in aliis judicio sacerdotum excommunicatione humiliatur. *Ad occidentalem plagam erunt*, etc. RAB. in Num., tom. 2. Dicamus adhuc aliquid quod adjuvet lectorem, etc., usque ad ut secure possint divinum implere officium.

^{††}2.18 *Occidentalem*. Hæc plaga utrumque parietem tabernaculi in se recipiens, in se jungendo consummat, et consummationem Ecclesiæ in fine mundi significat, quando in fructu bonorum operum probabuntur electi, in oblivionem mortis tradentur impii, ad dexteram Dei locabuntur justi.

^{‡‡}2.25 *Ad aquilonis partem castrametati sunt filii Dan*. Hæc plaga significat multitudinem gentium usque ad Christum frigore infidelitatis torpentem, sed repulsis Judæis judicio Dei in Ecclesia dilatata æternam beatitudinem exspectat.

^{¶¶}3.3 *Sacerdotum qui uncti sunt*, etc. RAB. in Num., tom. 2. Quatuor filii Aaron, etc., usque ad igne divinæ ultionis consumuntur.

et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis ut ministrent ei, et excubent,^{§§ 7} et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii,⁸ et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus.⁹ Dabisque dono Levitas¹⁰ Aaron et filiis ejus, quibus traditi sunt a filiis Israël. Aaron autem et filios ejus constituit super cultum sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.*¹¹ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:¹² Ego tuli Levitas a filiis Israël pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israël, eruntque Levitæ mei.^{† 13} Meum est enim omne primogenitum: ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti, sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israël: ab homine usque ad pecus, mei sunt. Ego Dominus.¹⁴ Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, dicens:¹⁵ Numeram filios Levi per domos patrum suorum et familias, omnem masculum ab uno mense et supra.^{‡ 16} Numeravit Moyses, ut præceperat Dominus,¹⁷ et inventi sunt

§§3.6 **Applica tributum.** AUG., quæst. 4 in Num. **Accipe tributum Levi,** etc., usque ad in aliis circumquaque castris filiorum Israël.

*3.10 **Externus.** ID. **Alienigena qui tetigerit, morietur.** Quærendum quomodo dixerit, etc., usque ad hinc enim loquebatur.

†3.12 **Ego tuli Levitas.** ID., quæst. 6. Quid est quod Levitas, etc., usque ad nec pro his computari posteros Levitarum vel pecorum eorum. ORIG. hom. 3 in Num. **Ego assumpsit Levitas de medio filiorum Israël pro omni primogenito,** etc. Levitæ assumuntur pro primogenitis, etc., usque ad ut sit plus pro primogenito assumi, quam primogenitum nasci. LXX: **Ex medio filiorum Israël,** etc. Tertius est Levi inter filios Israël, de quo ergo medio assumuntur Levitæ? Invenio Sunamitem fiducialiter regi Israël respondentem: **In medio populi mei ego habito** IV Reg. 4.. Et de Christo Joannem dicentem: **Medius vestrum stat, quem vos nescitis.** Puto ergo eum qui nunquam declinaverit ad dexteram vel ad sinistram, dici posse medium stare, **qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus** Isa. 53.. Et quia semper stat, medius stare dicitur. Qui vero imitator ejus est, sicut Sunamitis, stare quidem non dicitur, quia aliquando aut ad dexteram inclinatur, aut ad sinistram, **Nemo enim mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus** Job 15.: habitare tamen dicitur in medio populi. Levitæ ergo assumuntur de medio filiorum Israël. Levitæ enim sunt, qui non cognoverunt dexteram et sinistram suam, sed sequentes Mosen, id est, legem Dei, non pepercerunt patri vel matri. Et tu ergo si, veniente tentatione et ira peccati, nec inclineris ad dexteram vel ad sinistram, non prævariceris legem Dei, sed stes medius fixus et stabilis, nec curves genua tua peccato, nec pecudis caput, scilicet, stultitiæ sequaris imaginem: assumeris de medio filiorum Israël, et in primitivorum numero collocaberis. **Aperit.** Non quicumque aperuit vulvam, primatu dignus est, unde: **Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa** Psal. 57.. Quomodo enim quis errare potuit a via Dei, statim ut de ventre matris exivit? Aut quomodo potuit falsa loqui nuper editus puer? Necessarium est ergo ventrem et vulvam talem requirere cui possit convenire, **Alicnati sunt peccatores a vulva,** etc. Et illa erit vulva, quam aperit omnis primitivus qui sanctificatur Domino. Aperuit Dominus vulvam Liæ quæ erat clausa, et peperit patriarchas; similiter et Rachel ut pareret etiam ipsa cujus visus erat perspicax et decorus aspectus Gen. 29, 30.. In multis vero Scripturæ locis invenies aperiri vulvas, quarum si singulas pro locis consideres, invenies quomodo errant peccatores a vulva, et alii aperientes vulvam sanctificantur in ordine primitivorum. **Ex quo.** ORIG. Quia non prius sanctificati sunt primogeniti Israël, etc., usque ad et in primitivorum ordine collocaret.

‡3.15 **Numeram filios Levi.** ID. Recenseamus attentius, etc., usque ad excubiisque perpetuis divina ministeria celebrant.

fili Levi per nomina sua, Gerson et Caath et Merari.^{¶ 18} Filii Gerson: Lebni et Semei.¹⁹ Filii Caath: Amram et Jesaar, Hebron et Oziel.²⁰ Filii Merari: Moholi et Musi.²¹ De Gerson fuere familiæ duæ, Lebnitica, et Semeitica: ²² quarum numeratus est populus sexus masculini ab uno mense et supra, septem millia quingenti. ²³ Hi post tabernaculum metabuntur ad occidentem,^{§ 24} sub principe Eliasaph filio Laël. ^{** 25} Et habebunt excubias in tabernaculo foederis, ²⁶ ipsum tabernaculum et operimentum ejus, tentorium quod trahitur ante fores tecti foederis, et cortinas atrii: tentorium quoque quod appenditur in introitu atrii tabernaculi, et quiddam ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi et omnia utensilia ejus. ²⁷ Cognatio Caath habebit populos Amramitas et Jesaaritas et Hebronitas et Ozielitas. Hæ sunt familiæ Caathitarum recensitæ per nomina sua. ²⁸ Omnes generis masculini ab uno mense et supra, octo millia sexcenti habebunt excubias sanctuarii, ²⁹ et castrametabuntur ad meridianam plagam.^{†† 30} Princepsque eorum erit Elisaphan filius Oziel: ³¹ et custodient arcam, mensamque et candelabrum, altaria et vasa sanctuarii, in quibus ministratur, et velum, cunctamque hujuscemodi supellectilem. ³² Princeps autem principum Levitarum Eleazar filius Aaron sacerdotis, erit super excubitores custodiae sanctuarii. ³³ At vero de Merari erunt populi Moholitæ et Musitæ recensiti per nomina sua: ³⁴ omnes generis masculini ab uno mense et supra, sex millia ducenti. ³⁵ Princeps

[¶]3.17 *Levi per nomina sua.* Levi additus vel assumptus. Hic est ordo doctorum, qui per gratiam Dei de mundo electus ad servitium divinum cœtibus angelorum unitur. Unde: *Ego vos elegi de mundo* Joan. 15.. Et alibi: *Sed sunt sicut angeli Dei in cœlo* Matth. 22.. *Gerson et Caath et Merari.* Tres filii Levi significant prædicatores sanctæ Trinitatis, confessione insignes, fide, spe et charitate mirabiles. Nec huic expositioni eorum nominum interpretatio aliquo modo repugnat, sed valde concordat. Interpretatur enim Gerson advena, Caath patientia, vel molares dentes. Merari amara, vel amaritudo; minister enim Dei advenam se et peregrinum in mundo cognoscit, et patiens est. Verbum Dei dente discretionis molit, secundum auditorum capacitates; et sæculum sibi amarum ostendens, alios a voluptatibus revocat. Hi ab uno mense numerantur, quia initium vitæ Deo debent consecrare, ne post multa scelera promoti faciant blasphemare nomen Dei, unde: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse,* etc. I Tim. 3.

[§]3.23 *Hi post tabernaculum metabuntur.* Filiorum Levi ordo conveniens ostenditur, ubi scilicet qui primi sunt in ordine, orientis plagam observent Moyses et Aaron cum filiis suis habentes custodiam sanctuarii in medio filiorum Israël. Caathitæ, unde Moyses et Aaron orti sunt, meridianam plagam obtineant, sub cura Eleazari sacerdotis, qui major est filiis Aaron. Post hos Gersonitæ ad occidentalem plagam sub cura Eliasaph. Novissimi Meraritæ ad septentrionalem plagam, sub custodia Ithamar filii Aaron minoris. In his vero moraliter exprimitur quod ministri ecclesiæ debent diligenter ordinem suum servare, nec majora appetere quam proprius locus exposcit.

^{**}3.24 *Ad occidentem sub principe Eliasaph filio Laël.* Ubi dies clauditur, astræ occidunt. In his significatur, quod ministri tabernaculi debent concupiscentiam fugere, carnalia desideria Dei adjutorio mortificare, diem ultimum et finem laboris expectare ut mortui mundo et viventes Deo dicere possint illud: *Mihi autem absit gloria nisi in cruce Domini nostri Jesus Christi* Gal. 6..

^{††}3.29 *Ad meridianam.* Hæc significat post lucem scientiæ perceptam, prædicatorem verbum patientiæ et solatii debere cum discretionem proximis impendere. Sub Eleazaro, id est Dei adjutorio, secundum illud: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.*

eorum Suriel filius Abihaiel: in plaga septentrionali castrametabuntur.³⁶ Erunt sub custodia eorum tabulæ tabernaculi et vectes, et columnæ ac bases earum, et omnia quæ ad cultum hujuscemodi pertinent: ³⁷columnæque atrii per circuitum cum basibus suis, et paxilli cum funibus. ³⁸Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id est, ad orientalem plagam, Moyses et Aaron cum filiis suis, habentes custodiam sanctuarii in medio filiorum Israël. Quisquis alienus accesserit, morietur.^{¶¶}
³⁹Omnes Levitæ, quos numeraverunt Moyses et Aaron juxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino a mense uno et supra, fuerunt viginti duo millia.^{§§}
⁴⁰Et ait Dominus ad Moysen: Numera primogenitos sexus masculini de filiis Israël ab uno mense et supra, et habebis summam eorum. ⁴¹Tollesque Levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israël: ego sum Dominus: et pecora eorum pro universis primogenitis pecorum filiorum Israël. ⁴²Recensuit Moyses, sicut præceperat Dominus, primogenitos filiorum Israël: ⁴³et fuerunt masculi per nomina sua, a mense uno et supra, viginti duo millia ducenti septuaginta tres. ⁴⁴Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ⁴⁵Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israël, et pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitæ mei. Ego sum Dominus. ⁴⁶In pretio autem ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Levitarum de primogenitis filiorum Israël, ⁴⁷accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram sanctuarii (siclus habet viginti obolos):^{*} ⁴⁸dabisque pecuniam Aaron et filiis ejus pretium eorum qui supra sunt. ⁴⁹Tulit igitur Moyses pecuniam eorum, qui fuerant amplius, et quos redemerant a Levitis, ⁵⁰pro primogenitis filiorum Israël, mille tre-

^{¶¶}3.35 *In plaga.* Extremi Meraritæ sub Ithamar qui interpretatur amarus, vel ubi palma plagam aquilonis sortiti sunt, ubi glacialis horror perdurat. In quo monentur Ecclesiæ ministri, ne securitate torpeant; quia licet per januam fidei jam in Ecclesiam intraverint, lumen scientiæ perceperint, desideria carnis mortificaverint, nondum tamen ad perfectam suavitatem, id est, ad æternam beatitudinem, pervenerunt. Restat aliquid amarum; cum illo certandum est, qui ad aquilonem dirigit solum suum, cujus durtitiam molliri impossibile est; unde: *Cor ejus indurabitur quasi lapis*, etc. Isa. XIV; Job 21.. Cum autem superabitur, adepta palma exsultandum est et lætandum.

^{¶¶}3.38 *Ad orientalem plagam.* Orientalis plaga ortum fidei significat, ubi Moyses, qui interpretatur assumptus de aqua, et Aaron mons fortitudinis, cum filiis suis castrametantur. Qui enim in Ecclesia præsent, quibus claves regni cœlestis commissæ sunt Matth. 6., debent introitus ordinem cognoscere, et aliis prædicare. Quia oportet quemque in lucem fidei per portam confessionis ad aquam baptismi intrare, ut de aqua assumptus sit filius adoptionis; et robore constantiæ gignens filios boni operis, introitum fidei, per quem in Ecclesiam ingressus est, diligenter custodiat, ne otiosus et inutilis abjiciatur.

^{§§}3.39 *Viginti duo millia.* Apte numero viginti duorum Levitæ intitulantur. Hoc enim numero comprehenduntur Hebræa elementa: et, secundum quosdam, libri Veteris Testamenti. Ministri Dei hac præscriptione monentur, secundum legem Dei vivere et docere, nec ullo modo excedere. ORIG., hom. 4 in Num. Multæ sunt numerorum differentiæ, etc. usque ad etiam mysterium humanæ generationis exponitur.

^{*}3.47 *Quinque siclos.* Mystice, quisquis initium conversationis et voluntatis vult Deo consecrare, quinque sensus corporis debet diligenter custodire, ne per lasciviam in errorem aut immunda desideria defluat. Sed juxta siclum sanctuarii, qui est oboli 20, id est secundum decalogi doctrinam, quæ in duobus præceptis charitatis consistit, omnia opera sua referat in domum summi sacerdotis et filiorum ejus.

centorum sexaginta quinque siclorum iuxta pondus sanctuarii: ⁵¹ et dedit eam Aaron et filiis ejus iuxta verbum quod præceperat sibi Dominus.

4 Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens: ² Tolle summam filiorum Caath de medio Levitarum per domos et familias suas, ^{† 3} a trigesimo anno et supra, usque ad quinquagesimum annum, omnium qui ingrediuntur ut stent et ministrent in tabernaculo fœderis. ^{‡ 4} Hic est cultus filiorum Caath: tabernaculum fœderis, et Sanctum sanctorum ⁵ ingredientur Aaron et filii ejus, quando movenda sunt castra, et deponent velum quod pendet ante fores, involventque eo arcam testimonii, ⁶ et operient rursus velamine janthinarum pellium, extendentque desuper pallium totum hyacinthinum, et inducent vectes. ⁷ Mensam quoque propositionis involvent hyacinthino pallio, et ponent cum ea thuribula et mortariola, cyathos et crateras ad liba fundenda: panes semper in ea erunt. ⁸ ⁸ extendentque desuper pallium coccineum, quod rursus operient velamento janthinarum pellium, et inducent vectes. ⁹ Sument et pallium hyacinthinum, quo operient candelabrum cum lucernis et forcipibus suis et emunctoriis et cunctis vasis olei, quæ ad concinnandas lucernas necessaria sunt: ¹⁰ et super omnia ponent operimentum janthinarum pellium, et inducent vectes. ¹¹ Necnon et altare aureum involvent hyacinthino vestimento, et extendent desuper operimentum janthinarum pellium, inducentque vectes. ^{** 12} Omnia vasa, quibus ministratur in sanctuario, involvent hyacinthino pallio, et extendent desuper operimentum janthinarum pellium, inducentque vectes. ¹³ Sed et altare

[†]4.2 *Tolle summam.* ORIG. Cum in tres ordines dividantur filii Levi, etc., usque ad et purioribus sensibus et liberis a sæcularibus indicamus. ID. Alia littera, etc., usque ad ut faciat opera in tabernaculo testimonii.

[‡]4.3 *In taber.* ID. Tabernaculum testimonii, etc., usque ad non ab Isrælitis sed a Levitis. *Involventque eo arcam.* Ne forte aliqui videant nudam et moriantur. Exterminatur enim qui ineffabilia sacramenta contingit, nisi meritis et scientia in sacerdotii gradum promotus fuerit. ORIG., hom. 4 in Num. Septem quædam species numerantur, etc., usque ad alii autem hæc operata videant, imo velata in humeris portant.

⁷4.6 *Et operient.* Filii Aaron sacerdotes, quibus omnia nuda et aperta videre concessum est.

⁸4.7 *Panes semper.* AUG., quæst. 7 in Num. *Et panes qui semper super eam erunt.* Non utique iidem semper, sed similes eorum, quia illi auferebantur, et recentes quotidie ponebantur, dum tamen sine panibus mensa non relinqueretur. Ideo dixit, qui semper super eam erunt, id est, quia semper panes, non quia illi semper.

^{**}4.11 *Nec non et altare.* Alia littera: *et super altare aureum adoperient vestimentum hyacinthinum: et adoperient illud operimento pelliceo ianthino.* Posset ista locutio videri, quam velut absurdam et non integram Latini interpretes transferre voluerunt, id est super altare aureum adoperient vestimentum hyacinthinum, tanquam debuerit dici, et altare aureum adoperient vestimento hyacinthino: non adoperient vestimentum hyacinthinum. Hoc videtur significare quod ipsum vestimentum hyacinthinum aliunde adoperiretur. Sed mihi videtur non tam genus locutionis esse, quam subobscurus sensus; hoc enim intelligi potest: super altare aureum adoperient vestimentum hyacinthinum, ut ipsum vestimentum hyacinthinum alia re operiendum præceperit, quod vestimentum jam super altare esset, ac si breviter utrumque complecteretur, ut vestimento hyacinthino altare operiendum, et vestimentum hyacinthinum alio tegmine operiendum. Subjunctum denique unde operiri vellet vestimentum hyacinthinum, cum adjecit: et adoperient illud operimento pelliceo ianthino.

mundabunt cinere, et involvent illud purpureo vestimento, ¹⁴ ponentque cum eo omnia vasa, quibus in ministerio ejus utuntur, id est, ignium receptacula, fuscinculas ac tridentes, uncinos et batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine janthinarum pellium, et inducent vectes. ¹⁵ Cumque involverint Aaron et filii ejus sanctuarium et omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath ut portent involuta: et non tangent vasa sanctuarii, ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis:†† ¹⁶ super quos erit Eleazar filius Aaron sacerdotis, ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, et compositionis incensum, et sacrificium, quod semper offertur, et oleum unctionis, et quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vasorum, quæ in sanctuario sunt. ¹⁷ Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens: ¹⁸ Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum:‡‡ ¹⁹ sed hoc facite eis, ut vivant, et non moriantur, si tetigerint Sancta sanctorum. Aaron et filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, et dividunt quid portare quis debeat. ²⁰ Alii nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario priusquam involvantur, alioquin morientur.¶¶ ²¹ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ²² Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos ac familias et cognationes suas, ²³ a triginta annis et supra, usque ad annos quinquaginta. Numera omnes qui ingrediuntur et ministrant in tabernaculo fœderis.§§ ²⁴ Hoc est officium familiæ Gersonitarum, ²⁵ ut portent cortinas tabernaculi et tectum fœderis, operimentum aliud, et super omnia velamen janthinum tentoriumque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis, ²⁶ cortinas atrii, et velum in introitu quod est ante tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos, et vasa ministerii, ²⁷ jubente Aaron et filiis ejus, portabunt filii Gerson: et scient singuli cui debeant oneri mancipari. ²⁸ Hic est cultus familiæ Gersonitarum in tabernaculo fœderis, eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. ²⁹ Filios quoque Merari per familias et domos patrum suorum recensebis, ³⁰ a triginta annis et supra, usque ad annos quinquaginta, omnes qui ingrediuntur ad officium ministerii sui et cultum fœderis testimonii. ³¹ Hæc sunt onera eorum: portabunt tabulas tabernaculi et vectes ejus, columnas ac bases earum, ³² columnas quoque atrii per circuitum cum basibus et paxillis et funibus suis. Omnia vasa et supellectilem ad numerum accipiet, sicque portabunt.

††4.15 **Tunc intrabunt filii Caath.** ORIG., hom. 4. Qui licet non sint sacerdotes, etc., usque ad cujus hæreditatem præstabit nobis Dominus noster Jesus Christus.

‡‡4.18 **Nolite perdere.** ORIG. **Nolite exterminare plebem Caath,** etc. Intellige prius collocationem tabernaculi, etc., usque ad humeri autem opera significant.

¶¶4.20 **Alii nulla,** etc. ORIG. In Ecclesiasticis quoque observationibus, etc., usque ad et in opus proferri ratio poposcerit.

§§4.23 **A triginta.** Tricenarius, qui denario ter multiplicato componitur, integritatem fidei et perfectionem operis significat, sine quibus nemo accedere debet ad divina ministeria. Joseph tricenarius Ægypti suscepit gubernacula Gen. 11., et David regnum, quod septuagenarius, id est, perpetua quiete dignus complevit III Reg. 2.. Et Ezechiel prophetiæ dona promeruit Ezech. 1.. Et quia per fidem adversa debent longanimiter ferri, et præmia sublimiter sperari arcæ vel templi altitudo, et tabernaculi longitudo triginta cubitis mensurantur. **Quinquaginta,** etc. ORIG. In hoc quoque libro de hostium spoliis, etc., usque ad et tradere filiis Caath portanda humeris, et manibus vehenda. **Omnes qui ingrediuntur,** etc. ORIG., hom. 5 in Num. Dicitur de Levitis, etc., usque ad qui omni ex parte multiplicatis et purificatis sensibus inveniuntur perfectus.

³³Hoc est officium familiæ Meraritarum et ministerium in tabernaculo fœderis: eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. ³⁴Recensuerunt igitur Moyses et Aaron et principes synagogæ filios Caath per cognationes et domos patrum suorum, ³⁵a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad ministerium tabernaculi fœderis.* ³⁶et inventi sunt duo millia septingenti quinquaginta. ³⁷Hic est numerus populi Caath qui intrant tabernaculum fœderis: hos numeravit Moyses et Aaron juxta sermonem Domini per manum Moysi. ³⁸Numerati sunt et filii Gerson per cognationes et domos patrum suorum, ³⁹a triginta annos et supra, usque ad quinquagesimum annum, omnes qui ingrediuntur ut ministrent in tabernaculo fœderis: ⁴⁰et inventi sunt duo millia sexcenti triginta. ⁴¹Hic est populus Gersonitarum, quos numeraverunt Moyses et Aaron juxta verbum Domini. ⁴²Numerati sunt et filii Merari per cognationes et domos patrum suorum, ⁴³a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis: ⁴⁴et inventi sunt tria millia ducenti. ⁴⁵Hic est numerus filiorum Merari, quos recensuerunt Moyses et Aaron juxta imperium Domini per manum Moysi. ⁴⁶Omnes qui recensiti sunt de Levitis, et quos recenseri fecit ad nomen Moyses et Aaron, et principes Israël per cognationes et domos patrum suorum, ⁴⁷a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, ingredienti ad ministerium tabernaculi, et onera portanda, ⁴⁸fuerunt simul octo millia quingenti octoginta. ⁴⁹Juxta verbum Domini recensuit eos Moyses, unumquemque juxta officium et onera sua, sicut præceperat ei Dominus.

5 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ²Præcipe filiis Israël, ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit, pollutusque est super mortuo:† ³tam masculum quam feminam ejicite de castris, ne contaminent ea cum habitaverint vobiscum. ⁴Feceruntque ita filii Israël, et ejecerunt eos extra castra, sicut locutus erat Dominus Moysi. ⁵Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ⁶Loquere ad filios Israël: Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint,‡ ⁷confitebuntur peccatum suum, et reddent ipsum caput, quintamque partem desuper, ei in quem peccaverint.¶ ⁸Sin autem non fuerit qui

*4.35 *Ad annum quinquagesimum.* ORIG. Quinquagesimus autem annus remissionem et indulgentiam significat, etc., usque ad si addatur unius decadæ consummatio, fiunt quingenti.

†5.2 *Omnem leprosum.* Leprosi sunt hæretici variis errorum maculis polluti, non habentes uniformem colorem doctrinæ vel fidei: nec abscondunt imperitiam, sed ostendunt. Nulla vero falsa doctrina est quæ non aliqua vera aliquando admisceat. Vera ergo falsis permista in aliqua disputatione vel narratione cujuslibet, tanquam in unius corporis colore apparentia, significant lepram, tanquam veris falsisque colorum locis, humana corpora variantem.

‡5.6 *Vir sive mulier.* RAB. in Num. Hoc capitulo admonemur, ut si quid per negligentiam delinquimus, per confessionem et poenitentiam diluamus et damnum restituamus. Si autem proximo damnum intulimus, coram illo poeniteamus, et damnum restituamus. Si vero non superest, confitendo, poenitendo et eleemosynas largiendo, Domino satisfaciamus. AUG., etc., quæst. 9 in Num. Alia littera usque ad quæ per delictum ablata est.

¶5.7 *Reddent ipsum.* AUG., quæst. 10 in Num. Quæritur quomodo in Exodo legitur, etc., usque ad quo furem comprehensum vel convictum plecti oporteret.

recipiat, dabunt Domino, et erit sacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, ut sit placabilis hostia.^{§ 9} Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israël, ad sacerdotem pertinent:^{** 10} et quidquid in sanctuarium offertur a singulis, et traditur manibus sacerdotis, ipsius erit.¹¹ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:¹² Loquere ad filios Israël, et dices ad eos: Vir cujus uxor erraverit, maritumque contemnens¹³ dormierit cum altero viro, et hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, et testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro:¹⁴ si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur:¹⁵ adducet eam ad sacerdotem, et offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium zelotypiæ est, et oblatio investigans adulterium.^{†† 16} Offeret igitur eam sacerdos, et statuet coram Domino,¹⁷ assumetque aquam sanctam in vase fictili, et pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam.^{‡‡ 18} Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput ejus, et ponet super manus illius sacrificium recordationis, et oblationem zelotypiæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congescit.¹⁹ Adjurabitque eam, et dicet: Si non dormivit vir alienus tecum, et si non polluta es deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congesi.²⁰ Sin autem declinasti a viro tuo, atque polluta es, et concubuisti cum altero viro:²¹ his maledictionibus subjacebis: det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus disrumpatur.²² Ingreddantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, et utero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier: Amen, amen.²³ Scribetque sacerdos in libello ista maledicta, et delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congescit,^{¶¶ 24} et dabit ei bibere.

[§]5.8 *Exceptio ariete.* Arietis oblatio Christi passionem significat, in qua maxime confidimus, quia sine eo nihil possumus. Ipse est sacerdos qui nos Patri per oblationem carnis suæ reconciliat Job 15.: ideo illi munera nostra offerimus, quo intercedente veniam mereamur.

^{**}5.9 *Ad sacerdotem.* Christum scilicet, cui dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* Psal. 109.. Ejus scilicet iudicio cuncta reservans, ne forte iudicet rem incertam, unde: *Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus*, etc. RAB. in Num. Farina hordeacea scientiam veteris legis significat, etc., usque ad damnanda aut liberanda reservatur.

^{††}5.15 *Non fundet.* Non decet oleo adulationis vel indiscretæ misericordiæ, nec thure superfluæ laudis vel inordinatæ orationis, impœnitentes liniri, sed zelo justitiæ secundum præceptum Domini vitium instanter et ordinate persequi.

^{‡‡}5.17 *Aquam sanctam.* ID. Huic aquæ miscet sacerdos pauxillum terræ de pavimento tabernaculi, cum Christi decreto, commemoratio patriarcharum, prophetarum et apostolorum intromissa reperitur.

^{¶¶}5.23 *Scribetque sacerdos in libello*, etc. Quia scilicet pœna peccatorum in Scriptura sancta explanatur. Quicunque autem eam pie et fideliter hauserit, supplicia peccatorum, quæ in ea narrantur, pertimescens et abstinens a peccatis, fiet ei aqua amarissima in salutem. Qui autem contempserit, inflato ventre, computrescet femur ejus, et erit in maledictionem et in exemplum, quia justo Dei iudicio punietur, et erunt ei in opprobrium desideria sua et actus.

Quas cum exhausserit,^{§§ 25} tollet sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ, et elevabit illud coram Domino, imponetque illud super altare, ita dumtaxat ut prius:²⁶ pugillum sacrificii tollat de eo, quod offertur, et incendat super altare: et sic potum det mulieri aquas amarissimas.²⁷ Quas cum biberit, si polluta est, et contempto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, et inflato ventre, computrescet femur: eritque mulier in maledictionem, et in exemplum omni populo.²⁸ Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, et faciet liberos.²⁹ Ista est lex zelotypiæ. Si declinaverit mulier a viro suo, et si polluta fuerit,³⁰ maritusque zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini, et fecerit ei sacerdos iuxta omnia quæ scripta sunt:³¹ maritus absque culpa erit, et illa recipiet iniquitatem suam.

6 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:² Loquere ad filios Israël, et dices ad eos: Vir, sive mulier, cum fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare:³ a vino, et omni quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, et ex qualibet alia potione, et quidquid de uva exprimitur, non bibent: uvæ recentes siccassque non comedent⁴ cunctis diebus quibus ex voto Domino consecrantur: quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum non comedent.⁵ Omni tempore separationis suæ novacula non transibit per caput ejus usque ad completum diem, quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus.^{† 6} Omni tempore consecrationis suæ, super mortuum non ingreditur,^{‡ 7} nec super patris quidem et matris et fratris sororisque funere contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput ejus est.^{¶ 8} Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino.^{§ 9} Sin autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus: quod radet illico in eadem die purgationis suæ, et rursus septima.^{**}
¹⁰ In octava autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ sacerdoti in

§§5.24 **Dabit ei bibere**, ut manifestetur peccatum illius, vel hic ad correctionem, vel in futuro ad damnationem. **Nihil enim occultum, quod non reveletur** Matt. 10.. Hinc Dominus ait: **Sermo quem locutus sum vobis, ille vos judicabit in novissimo die** Joan 12..

*6.3 **A vino et omni quod inebriare potest**, RAB. in Num. In duodecima mansione, etc., usque ad et corruptione veteris nequitiae delectantur.

†6.5 **Novacula non transibit**. ID. Id est, nec dolum, nec malitiam in mente retinebit, ne polluatur, scilicet, cæsaries capitis, id est, cogitatio mentis. Sed innocentiam teneat usque ad finem vitæ. Aliter enim non erit votum acceptabile. **Qui autem perseveraverit, salvus erit** Matth. 10..

‡6.6 **Super mortuum non ingreditur**. ID. Id est, mortuum in peccatis non imitabitur, nec iniquitatis ejus vitam ingreditur, ne perdat laborem suum. **Non enim qui inchoat, sed qui consummat, coronabitur** II Tim. 2..

¶6.7 **Nec super patris** ID. Id est, nullus carnalis eum retrahat affectus, omnis persona, omnis dignitas, omnis consanguinitas Christi servitio postponenda est. **Consecratio Dei**. ID. Id est, Spiritus sancti gratia in corde ejus diffusa est, unde: **Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis omnes** Ephes. 4..

§6.8 **Omnes dies separationis**. Id est, usque in finem perseveret sine contaminatione peccati atque delicti.

6.9 **Sin autem mortuus fuerit. ID. Id est, si mortali peccato pollutum imitari voluerit, et usque ad consensum descenderit, sciat necesse est ejus continentiam esse pollutam, et caput radendum, id est, mentem purgandam a prava cogitatione et noxia delectatione. **Radet illico**. ID. Tempore scilicet compunctionis, quo cognoscit se deliquisse, statim se emendare studeat et semper similem ruinam timeat.

introitu fœderis testimonii.^{††} ¹¹ Facietque sacerdos unum pro peccato, et alterum in holocaustum, et deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo: sanctificabitque caput ejus in die illo:^{‡‡} ¹² et consecrabit Domino dies separationis illius, offerens agnum anniculum pro peccato: ita tamen ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus.^{¶¶} ¹³ Ista est lex consecrationis. Cum dies, quos ex voto decreverat, complebuntur, adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis, ¹⁴ et offeret oblationes ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, et ovem anniculam immaculatam pro peccato, et arietem immaculatum, hostiam pacificam,^{§§} ¹⁵ canistrum quoque panum azymorum qui conspersi sint oleo, et lagana absque fermento uncta oleo, ac libamina singulorum.* ¹⁶ quæ offeret sacerdos coram Domino, et faciet tam pro peccato, quam in holocaustum.[†] ¹⁷ Arietem vero immolabit hostiam pacificam Domino, offerens simul canistrum azymorum, et libamenta quæ ex more

^{††}6.10 *Duos turtures.* ID. Turtures castitatem, pulli columbarum simplicitatem significant. Qui ergo vult ad resurrectionem bonorum pervenire, offerat vero sacerdoti, id est, Christo, castitatem mentis et corporis, et simplicitatem in fide catholica, per quam in Ecclesiam intrat, ut per tanti pontificis opitulationem expietur.

^{‡‡}6.11 *Et deprecabitur.* ID. Unde: *Advocatus noster apud Patrem* Joan. 1. Vel quia faciet nos deprecari secundum illud: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* Rom. 8..

^{¶¶}6.12 *Ut dies priores.* Nihil de pristina conversatione præsumat, sed in sola Dei gratia confidat, cujus dono percipit veniam et requiem sempiternam. *Polluta est sanctificatio,* unde: *Cum conversus fuerit justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur* Ezech. 18.. *Ista est lex consecrationis.* Postquam legislator Nazaræum instruxit quomodo mundetur, si ejus consecratio super mortuo polluat, addit quomodo post completum votum se præsentet Domino, cum oblatione gratias redditurus, mystice innuens continentis vitam cum oblatione operis et munditia cordis in fine bono Domino placituram.

^{§§}6.14 *Agnum anniculum.* Hunc offert, qui totam spem suam in ejus immolatione ponit, de quo dicitur: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* Joan. 1. Hunc in holocaustum offert, cum pro ejus amore carnes mortificando totam vitam suam ardore charitatis incensam Domino consecrat. AUG., quæst. 12 in Num. Alia littera, etc., usque ad et hoc sacrificium salutaris, quod prius dixerat, in salutare. RAB. Agnum offert in holocaustum, qui Deo exhibet simplicitatem cordis, cum devotione charitatis; ovem, quæ innocentiae exemplum ostendit; arietem vero pacificam hostiam, cum se in via Dei bene regit, et carnem rebellem animæ imperio subjicit. *Et ovem.* Ovem offert pro peccato, qui Christum innocentem pro peccato humani generis fideliter credit oblatum. *Et arietem.* Hoc fit cum ipsum esse confidit, qui per dispensationem carnis cœlestia et terrestria pacificavit, evacuans omnem principatum et potestatem; quem Deus exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, etc.

*6.15 *Et lagana:* veterem legem a Spiritu sancto dictatam et temperatam ad utilitatem humanam. *Absque fermento:* quia spiritualis gratia in lege et in Evangelio recte intelligentibus patet.

[†]6.16 *Quæ offeret.* Meritum et laborem, cujusque meditationem, et observationem legis in conspectu Dei remunerando præsentans, scilicet, ad ingressum vitæ cœlestis, peracto boni operis certamine, perducit.

debentur.[‡] 18 Tunc radetur nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ: tolletque capillos ejus, et ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum: 19 et armum coctum arietis, tortamque absque fermento unam de canistro, et laganum azymum unum, et tradet in manus nazaræi, postquam rasum fuerit caput ejus.[¶] 20 Susceptaque rursus ab eo, elevabit in conspectu Domini: et sanctificata sacerdotis erunt, sicut pectusculum, quod separari jussum est, et femur. Post hæc, potest bibere nazaræus vinum.[§] 21 Ista est lex nazaræi, cum venerit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, exceptis his, quæ invenerit manus ejus: juxta quod mente devoverat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ. 22 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:^{**} 23 Loquere Aaron et filiis ejus: Sic benedicetis filiis Israël, et dicetis eis: 24 Benedicat tibi Dominus, et custodiat te.^{††} 25 Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui.^{‡‡} 26 Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem.^{¶¶} 27 Invocabuntque nomen meum super filios Israël, et ego benedicam eis.^{§§}

[‡]6.17 **Arietem vero:** dignum scilicet ostendens mercede quietis perpetuæ, tanquam principem sui vel aliorum; et ducem optimum, qui se bene rexit, et duxit in semita mandatorum Dei, secundum doctrinam Scripturarum et gratiam spiritualium charismatum. GREG., lib. 2, Moral., cap. 39. Quid est quod Nazaræi capillos nutriunt? etc., usque ad devotionis perfectione consumat.

[¶]6.19 **Et armum coctum arietis, tortamque.** Fortitudinem scilicet operis, coctam et probatam igne tribulationis, facit summus sacerdos sanctum suum offerre Deo Patri. **Et laganum,** scientiam scilicet legis, dono Spiritus sancti juvans in opere consummare.

[§]6.20 **Elevabit:** bona scilicet, quæ continens operatur, Patri præsentabit, et perpetua mercede faciet remunerari. **Sacerdotis,** quia ad ejus gloriam pertinet quidquid Nazaræus bene voluit et opere consummavit: **Ipse enim est qui operatur in nobis et velle et perficere** Philip. 2.. **Post hæc,** id est, post rectam intentionem, discretam promissionem, operis perfectionem, et mercedis retributionem. **Bibere:** plene et libere haurire spirituale donum, unde: **Torrente voluptatis tuæ potabis eos** Psal. 35..

^{**}6.22 **Locutusque est.** Moses legem, Aaron sacerdotium, et filii ejus ordinem Ecclesiæ significant. Docet ergo Dominus per legem sacerdotum ordinem, quomodo populum prædicatione ædificent, frequenti oratione et benedictione confirmet. RAB., ubi supra. Moses multiplicem habet significationem, etc., usque ad dum tabernaculum complet, erigit et ungit.

^{††}6.24 **Benedicat.** ID. Notandum quia in hac benedictione nomen Domini tertio inducitur, ut sancta Trinitas intelligatur a quo et per quem et in quo omnia bona sunt petenda et impetranda, quia ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. **Et custodiat.** ID. Benedictionem quam percepisti, sua conservet gratia: **Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam** Psal. 126..

^{‡‡}6.25 **Ostendat.** Ostensio vultus Dei propitiatio est, et veræ salutis ostensio; unde: **Ostende faciem tuam, et salvi erimus** Psal. 77..

^{¶¶}6.26 **Convertat,** etc. Conversio vultus significat misericordiam, aversio iram; unde: **Respice in me et miserere mei** Psal. 118.. Et alibi: **Quare avertis faciem tuam, et oblivisceris inopiam nostram?** Psal. 43. Rogandum est ergo ut cujus auxilium avertimus a nobis peccando, per pietatem suam vultum suum super nos illuminare dignetur, ut nos ab inimicis eruens, tribuat perpetuam pacem.

^{§§}6.27 **Invocabunt.** ID. Sacerdotum est nomen Domini invocare: Domini autem, quod petitur, perficere. Nemo ergo sibi tribuat quod sola Trinitas cui vult præstat.

7 Factum est autem in die qua complevit Moyses tabernaculum, et erexit illud, unxitque et sanctificavit cum omnibus vasis suis, altare similiter et omnia vasa ejus: ² obtulerunt principes Israël et capita familiarum, qui erant per singulas tribus, præfectique eorum, qui numerati fuerant, [†] ³ munera coram Domino sex plaustra tecta cum duodecim bobus. Unum plaustrum obtulere duo duces, et unum bovem singuli, obtuleruntque ea in conspectu tabernaculi. [‡] ⁴ Ait autem Dominus ad Moysen: ⁵ Suscipe ab eis ut serviant in ministerio tabernaculi, et trades ea Levitis juxta ordinem ministerii sui. ⁶ Itaque cum suscepisset Moyses plaustra et boves, tradidit eos Levitis. ⁷ Duo plaustra et quatuor boves dedit filiis Gerson, juxta id quod habebant necessarium. ⁸ Quatuor alia plaustra et octo boves dedit filiis Merari secundum officia et cultum suum, sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. ⁹ Filiis autem Caath non dedit plaustra et boves: quia in sanctuario serviunt, et onera propriis portant humeris. [¶] ¹⁰ Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die qua unctum est, oblationem suam ante altare. [§] ¹¹ Dixitque Dominus ad Moysen: Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris. ^{**} ¹² Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab de tribu Juda: ¹³ fueruntque in ea acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos, juxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in

^{*7.1} *Factum est autem*, etc., *tabernaculum*. RAB. in Num., tom. 2. Ecclesiam vel perfectos, in quibus aromata virtutum et orationum adolentur, vel humanitatem Christi: in qua hostiam nostræ redemptionis Patri exhibuit. Ipse enim sacerdos, ipse hostia, et altare; quia in potestate mortem tenens propria voluntate suscepit. Unde: *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam, et iterum sumo eam* Joan. 10..

^{†7.2} *Principes Israël et capita*, etc. RAB. in Num. Patriarchæ, prophetæ et apostoli, etc., *usque ad fiet illis a Patre meo*.

^{‡7.3} *Sex plaustra*. RAB. Plaustra quæ filii Israël Levitis ad subvectionem tabernaculi obtulerunt, temporalia solatia significant, quæ devoti populi prædicatoribus compensant, ut sine cura et impedimento divino vacent obsequio. Ut et qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant: *Si enim seminant spiritualia, non est magnum si metunt temporalia* I Cor. 9.. Plaustra recte fide et misericordiæ affectu ornata ut Deo sint accepta, duodecim sunt boves: qui enim in obsequio sanctorum laborant sub jugo apostolicæ doctrinæ omnia honeste et ordinate faciunt. Vel boves, doctores accipimus, qui in agro Domini digne operantur. De quibus dicitur: *Non alligabis os bovis triturantis* Deut. XXV; I Tim. 5.. Qui enim apostolicam normam vivendo et prædicando conservant dupli honore honorandi sunt. *Unum bovem*, etc. ID. Quia unitas fidei, etc., usque ad tabernaculum Dei cum debito obsequio preparare debere.

^{¶7.9} *Filiis aut. Cat.* RAB. Superius scriptum est, etc., usque ad nec ipsi qui habere aliquid exercitii et eruditionis videntur.

^{§7.10} *Obtulerunt duces in dedicationem altaris die qua*. Unusquisque pro posse suo, fidem, doctrinam, et operationem bonam ad profectum et honorem Ecclesie debet offerre. *Unctum est, oblationem suam ante altare*. Tempore incarnationis, quando post resurrectionem et ascensionem susceperunt discipuli Spiritus sancti effusionem Act. 2..

^{**7.11} *Duces per singulos dies offerant munera*. Prædicatores recti itineris duces, qui licet eandem fidei doctrinam, et boni operis eadem exempla offerant, pro diversitate tamen loci et temporis oblationes distribuunt.

sacrificium:†† 14 mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso: 15 bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum: 16 hircumque pro peccato: 17 et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc est oblatio Nahasson filii Aminadab. 18 Secundo die obtulit Nathanaël filius Suar, dux de tribu Issachar, 19 acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, iuxta pondus sanctuarii, utrumque plenum similia conspersa oleo in sacrificium:‡‡ 20 mortariolum aureum habens decem siclos plenum incenso:¶¶ 21 bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:§§ 22 hircumque pro peccato: 23 et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Nathanaël filii Suar. 24 Tertio die princeps filiorum Zabulon, Eliab filius Helon, 25 obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum similia conspersa oleo in sacrificium: 26 mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 27 bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum: 28 hircumque pro peccato: 29 et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc est oblatio Eliab filii Helon. 30 Die quarto princeps filiorum Ruben, Elisur filius Sedeur, 31 obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum similia conspersa oleo in sacrificium: 32 mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 33 bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum:

††7.13 *Acetabulum argenteum*. Hæc habent os angustum, et angustiam litteræ legis, et obscuritatem prophetarum significant. Varia vasa ad offerenda libamina facta, variæ sunt distinctiones verbi pro varia capacitate auditorum. Aliter enim sapientes, aliter insipientes; aliter divites, aliter pauperes; aliter sani, aliter infirmi docendi sunt; aliter rudis populus Judæorum sub umbra legis, aliter Christianus in veritate Evangelii legis mysteria explanata conspiciens, in virum perfectum nutriendus est.

‡‡7.19 *Phialam argenteam habens septuaginta siclos*, etc. Spiritualis scientia in lege et in Evangelio est, quæ spirituali gratia ministrante ad salutem hominum scripta et prolata est, hinc rite sacrificium fit, quia nihil tam acceptum Deo, quam meditatio legis cum executione operis. RAB., in Num., tom. 2. Phiala prius de vitro facta, etc., usque ad in Novo Testamento manifestius datus est.

¶¶7.20 *Mortariolum*. RAB. Cor electorum divina sapientia plenum, continens aromata virtutum, unde dicitur: *Quia multitudinis credentium erat cor unum et anima una* Act. 4.. *Ex decem siclis*, etc. ID. Quia cum impletionem decem mandatorum odorem doctrinæ et orationis emittunt, ut denarium æternæ vitæ accipere mereantur.

§§7.21 *Bovem de armento*, etc. ID. Hæc diversas personas, etc., usque ad nostram vitam semper in meliora reformare certaremus. Bovem offert, qui utilem in Ecclesia Dei proximis laborem impendit; arietem, qui se et alios in via justitiæ dirigit; agnum anniculum, qui simplex est et innocens. Hæc omnia in holocaustum pro solius Dei amore et desiderio æternæ vitæ. Hircum pro peccato offert, qui pro peccatis suis poenitere et orare non desistit. In sacrificio pacificorum offert duos boves, qui cum bonis operibus implet duo præcepta charitatis, Dei scilicet dilectionem, custodiendo mandata ejus; et proximi consulendo necessitatibus, in quibus tota lex pendet et prophetæ. Offert autem arietes quinque hircos quinque, agnos anniculos quinque, quia quinque sensus corporis in via veritatis fortiter ducit, et a peccatis compescit, et simplicitatis exemplar proponit.

³⁴ hircumque pro peccato: ³⁵ et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Elisur filii Sedeur. ³⁶ Die quinto princeps filiorum Simeon, Salamiel filius Surisaddai, ³⁷ obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificum: ³⁸ mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: ³⁹ bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum: ⁴⁰ hircumque pro peccato: ⁴¹ et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Salamiel filii Surisaddai. ⁴² Die sexto princeps filiorum Gad, Eliasaph filius Duel, ⁴³ obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificum: ⁴⁴ mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: ⁴⁵ bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum: ⁴⁶ hircumque pro peccato: ⁴⁷ et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Eliasaph filii Duel. ⁴⁸ Die septimo princeps filiorum Ephraim, Elisama filius Ammiud, ⁴⁹ obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificum: ⁵⁰ mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: ⁵¹ bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum: ⁵² hircumque pro peccato: ⁵³ et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Elisama filii Ammiud. ⁵⁴ Die octavo, princeps filiorum Manasse, Gamaliel filius Phadassur, ⁵⁵ obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificum: ⁵⁶ mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: ⁵⁷ bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum: ⁵⁸ hircumque pro peccato: ⁵⁹ et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Gamaliel filii Phadassur. ⁶⁰ Die nono princeps filiorum Benjamin, Abidan filius Gedeonis, ⁶¹ obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificum: ⁶² et mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: ⁶³ bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum: ⁶⁴ hircumque pro peccato: ⁶⁵ et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Abidan filii Gedeonis. ⁶⁶ Die decimo princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Ammisaddai, ⁶⁷ obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificum: ⁶⁸ mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: ⁶⁹ bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum: ⁷⁰ hircumque pro peccato: ⁷¹ et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Ahiezer filii Ammisaddai. ⁷² Die undecimo princeps filiorum Aser, Phegiel filius Ochran, ⁷³ obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificum: ⁷⁴ mor-

tariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: ⁷⁵ bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum: ⁷⁶ hircumque pro peccato: ⁷⁷ et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Phegiel filii Ochran. ⁷⁸ Die duodecimo princeps filiorum Nephthali, Ahira filius Enan, ⁷⁹ obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila oleo conspersa in sacrificum: ⁸⁰ mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: ⁸¹ bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum: ⁸² hircumque pro peccato: ⁸³ et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Ahira filii Enan. ⁸⁴ Hæc in dedicatione altaris oblata sunt a principibus Israël, in die qua consecratum est: acetabula argentea duodecim: phialæ argenteæ duodecim: mortariola aurea duodecim: ⁸⁵ ita ut centum triginta siclos argenti haberet unum acetabulum, et septuaginta siclos haberet una phiala: id est, in commune vasorum omnium ex argento sicli duo millia quadringenti, pondere sanctuarii: ^{*} ⁸⁶ mortariola aurea duodecim plena incenso, denos siclos appendentia pondere sanctuarii: id est, simul auri sicli centum viginti: [†] ⁸⁷ boves de armento in holocaustum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, et libamenta eorum: hirci duodecim pro peccato. [‡] ⁸⁸ In hostias pacificorum, boves viginti quatuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt in dedicatione altaris, quando unctum est. [¶] ⁸⁹ Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, ut consuleret

^{*}7.85 *Duo millia*, etc. RAB. In vasis argenteis, etc., usque ad illuc non pervenitur.

[†]7.86 *Mortariola aurea duodecim*. ID. Quorum singula denos siclos habent, et simul omnia auri centum viginti siclos, corda electorum significant scientiam legis in omnibus servare secundum apostolicam doctrinam. Duodecies enim deni centum viginti faciunt, quo numero primitiva Ecclesia in Jerusalem Spiritum paracletum accipit Act. 2.. Unde subditur: *Pondere*, etc. ID. Sanctuarium enim Ecclesia est, cujus regulam fidei et intelligentiæ sequentes, omnia quæ in lege et prophetis scripta sunt nobis salubria esse credimus. Quidquid autem extra Ecclesiæ unitatem sentitur et intelligitur aut servatur, animæ damnationem parit.

[‡]7.87 *Boves*, etc. ID. Boves, arietes et agni duodenario numero comprehensi, illos significant, qui vel in officio doctoris, vel in principatu alicujus honoris, vel simpliciter viventes, omnia secundum doctrinam apostolicam et propheticam agere student. *Hirci*, etc. ID. Hi sunt qui pœnitentiam student secundum regulam apostolicæ fidei perficere.

[¶]7.88 *Boves*, etc. ID. In his spiritualis scientia cum bonorum operum perfectione significatur, quia viginti quatuor horis cursus diei peragitur: lumen scientiæ et fidei omni Christiano necessarium esse significant. *Sexaginta*. Sexagenarius, id est, sexties denarius perfectionem mandatorum monstrat. Necesse est enim ut prælati, subditi, et pœnitentes omnia secundum Ecclesiæ doctrinam faciant, quatenus oblatio eorum ritum et ordinem teneat pacificorum, ut Dei gratiam mereantur, non offensam.

oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio quod erat super arcam testimonii inter duos cherubim, unde et loquebatur ei.[§]

8 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ²Loquere Aaron, et dices ad eum: Cum posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe ut lucernæ contra boream e regione respiciant ad mensam panum propositionis, contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt.**

³Fecitque Aaron, et imposuit lucernas super candelabrum, ut præceperat Dominus Moysi.^{††} ⁴Hæc autem erat factura candelabri, ex auro ductili, tam medius stipes, quam cuncta quæ ex utroque calamorum latere nascebantur: juxta exemplum quod ostendit Dominus Moysi, ita operatus est candelabrum.^{‡‡} ⁵Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: ⁶Tolle Levitas de medio filiorum Israël, et purificabis eos^{¶¶} ⁷juxta hunc ritum: aspergantur aqua lustrationis, et radant omnes pilos carnis suæ. Cumque laverint vestimenta sua, et mundati fuerint,^{§§} ⁸tollent bovem de armentis, et libamentum ejus similam oleo conspersam: bovem autem alterum de armento tu accip-

§7.89 *Cumque*, etc. GREG., lib. XXXIII Moral., cap. 21, tom. 2. Quid est quod Moyses, etc., usque ad et quomodo benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. **De propitiatorio.** Quia per gratiam divinæ propitiationis post culpam prævaricationis aperuit nobis Deus viam veritatis. **Inter duos cherubim.** Quia per angelicam visionem, non in sua substantia apparuit Deus Moysi; unde: **Lex ordinata per angelos in manu mediatoris** Gal. 3.. Vel quia per utrumque Testamentum consona voce ad fidem veritatis nos erudit; vel, quia per Filium, qui in medio duorum Testamentorum in carne apparuit, locutus est Pater humano generi.

**8.2 *Septem lucernas.* Septem dona Spiritus sancti, quæ in Christo semper manserunt, et in membris pro voluntate ejus distributa sunt. BEDA, in Num. Mensa et candelabrum, etc., usque ad prohibens ei testimonium.

††8.3 *Super candelabrum.* Christum, scilicet, primogenitum de radice Jesse, **super quem requievit spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis** Isa. 11..

‡‡8.4 *Ex auro.* Quia Christus specialiter immunis a peccato, et operibus justitiæ præclarus, et membra ejus innocentiam et justitiam, quantum valent imitantur, in futuro perficientur. **Ductili.** Quia Christus ex conceptione et nativitate perfectus Deus et homo exstitit, passionum dolores pertulit II Tim. 3., et sic ad resurrectionis gloriam pervenit, et omnes qui pie volunt vivere in ipso quasi metallum feriendo dilatatum per passionis contumelias ad immortalitatis gratiam perveniunt. **Stipes.** Christus scilicet, de quo procedunt calami, quia ab ipso accipiunt justii quidquid habent boni; unde: **Sine me nihil potestis facere** Joan. 15..

¶¶8.6 *Tolle Levitas de me.* Allegorice. Ordinem ecclesiasticum instruit, quomodo rite provehatur ad dignitatem sacerdotii.

§§8.7 *Pilos carnis suæ.* GREG., lib. V Moral., cap. 23. Pili carnis sunt quælibet superflua humanæ carnis, etc., usque ad cum speculationis alta penetramus. **Laverint.** Mundaverint, scilicet opera, ut in conspectu Dei sit eorum conversatio munda, et coram hominibus irreprehensibilis.

ies pro peccato.*⁹ et applicabis Levitas coram tabernaculo foederis, convocata omni multitudine filiorum Israël.[†]¹⁰ Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israël manus suas super eos.[‡]¹¹ Et offeret Aaron Levitas, munus in conspectu Domini a filiis Israël, ut serviant in ministerio ejus.[¶]¹² Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum, e quibus unum facies pro peccato, et alterum in holocaustum Domini, ut depreceris pro eis.[§]¹³ Statuesque Levitas in conspectu Aaron et filiorum ejus, et consecrabis oblatos Domino,¹⁴ ac separabis de medio filiorum Israël, ut sint mei.^{**}¹⁵ Et postea ingredientur tabernaculum foederis, ut serviant mihi. Sicque purificabis et consecrabis eos in oblationem Domini: quoniam dono donati sunt mihi a filiis Israël.¹⁶ Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vulvam in Israël, accepi eos.¹⁷ Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israël, tam ex hominibus quam ex jumentis. Ex die quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi eos mihi:^{††}¹⁸ et tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israël,¹⁹ tradidique eos dono Aaron et filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi pro Israël in tabernaculo foederis, et orent pro eis ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad sanctuarium.^{‡‡}²⁰ Feceruntque Moyses et Aaron et omnis multitudo filiorum Israël super Levitas quæ præceperat Dominus Moysi:²¹ purificatique sunt, et laverunt vestimenta

*8.8 **Bovem.** Mediatorem Dei et hominum: cujus immolatione peccata nostra deleta sunt. In utroque bove incarnatio ejus significatur. Una est enim passio Christi, sed duo nobis impetravit, expiationem scilicet a peccatis et sanctificationem, ut nos offerret Deo **Mortificatos, quidem carne, vivificatos autem spiritu.** Unde Paulus: **Sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Jesu** I Cor. 6.. Possunt autem per hos duos boves, quorum unus pro peccato, alter offertur in holocaustum, duæ actionum species exprimi, quarum una quæ male gessimus, per poenitentiae lamentum abluimus; altera bonorum operum et virtutum fructibus gratiam Dei et præmium beatitudinis promeremur. **Libamentum.** Sacramentum passionis, quod spiritali scientia intellectum atque tractatum, fidelibus saluberrimum et Deo gratissimum est. Si tamen talibus mysteriis percipiendis minister Domini intus forisque se mundum et dignum præbuerit.

†8.9 **Et applicabis.** Applicantur Levitæ coram tabernaculo foederis, cum electi ad officium altaris secundum apostolicam doctrinam perducuntur: qua in verum tabernaculum intratur I Tim. 3., si juxta doctrinam et exempla sanctorum bene incoeperint, et usque ad finem perseveraverint.

‡8.10 **Ponent filii.** Quia assensum devotionis suæ electioni debent præbere, et ad imperium eorum bonis operibus instare.

¶8.11 **A filiis Israel.** BED. Sub multorum scilicet testimonio et cognitione facienda est electio, ut examinatio digna celebretur, ut nemo reprehendere possit. Debent enim testimonium habere bonum etiam ab his qui foris sunt.

§8.12 **Levitæ quoque,** etc. Quia ministri Domini proprio labore initia bonorum operum Domino consecrare festinant, ut sive poenitentia si agenda, sive studia virtutum exercenda, efficaciter perficiant.

8.14 **Separabis. Non debet minister Domini contentus esse populari disciplina: moribus et doctrina separatus et spectabilis debet esse.

††8.17 **Omne primogenitum in terra.** RAB. Primogenita Ægyptiorum, etc., usque ad et divinis mysteriis verus Levita digne possit aptari.

‡‡8.19 **Ut serviant.** Videant ministri Domini quam necessarium sit eis officii sui jura custodire; nec terrenis lucris vel voluptatibus inhiare, quibus proprium est tabernaculo deservire, et pro populo orare, ne sit in eo plaga disperdens: alioquin et se et populum in perditionem præcipitant, et dicitur eis: **Munus non suscipiam de manu vestra.** Malach. 1..

sua. Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini, et oravit pro eis, ²² ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron et filiis ejus. Sicut præceperat Dominus Moysi de Levitis, ita factum est. ²³ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ²⁴ Hæc est lex Levitarum: a viginti quinque annis et supra, ingre-
dientur ut ministrent in tabernaculo fœderis. ¶ ²⁵ Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt, ²⁶ eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerunt commendata: opera autem ipsa non faciant. Sic dispones Levitis in custodiis suis.

9 Locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai anno secundo, postquam egressi sunt de terra Ægypti, mense primo, dicens: ² Faciant filii Israël Phase in tempore suo, ³ quartadecima die mensis hujus ad vesperam, juxta omnes cæremonias et justificationes ejus. ⁴ Præcepitque Moyses filiis Israël ut facerent Phase. ⁵ Qui fecerunt tempore suo, quartadecima die mensis ad vesperam, in monte Sinai. Juxta omnia quæ mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israël. ⁶ Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo, accedentes ad Moysen et Aaron, ⁷ dixerunt eis: Immundi sumus super anima hominis: quare fraudamur ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israël? ⁸ Quibus respondit Moyses: State ut consulam quid præcipiat Dominus de vobis. ⁹ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ¹⁰ Loquere filiis Israël: Homo, qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino ¹¹ in mense secundo, quartadecima die mensis ad vesperam. Cum azymis et

¶8.24 **A viginti quinque.** ISID., quæst. in Num. tom. 5. A vigesimo et quinto anno mandantur Levitæ, etc., usque ad in illis omnimodo exstinguitur, ne subsistant.

§§9.2 **Faciant filii Israël phase in tempore suo, quartadecima die mensis hujus, etc.** RAB.-BED. Cum in veteri Testamento, etc., usque ad Et: **Ecce nova facio omnia** Apoc. 21. BED. Deinde tertiam septimanam, etc., usque ad extrema charismate spiritali per seipsum illustravit. ID. Ipsa quoque lunæ conversio, etc., usque ad præcepit eos dispensationis suæ testes esse usque ad ultimum terræ Act. 1.. ID. Bene autem luna, etc., usque ad merito quintadecima paschali gaudio adaptatur. ID. His quidem paschæ vel phase a lege assumptis indiciis, hæredes Novi Testamenti etiam diem Dominicam annectimus, quia et conditione primitivæ lucis excellit, et triumpho Dominicæ resurrectionis. ID. Septem quoque dies lunæ, usque ad quasi: **Quod uni dico, omnibus dico** Marc. 13.. ID. In nomine quoque paschæ, etc., usque ad per singulos gradus spiritalis transitus largitori illius vicem tendamus. ID. Vel in crescente ad homines luna, etc., usque ad convenienter intelligi.

*9.6 **Ecce autem quidam immundi super anima hominis, etc.** AUG., quæst. 15 in Num. Cumque paschæ tempore quidam immundi essent super anima hominis, etc., usque ad aut forte si pascha non egissent, ad culpam non pertineret.

†9.8 **State ut consulam.** GREG., lib. XXXIII Moral., cap. 21, tom. 2. Moyses crebro de rebus dubiis ad tabernaculum recurrit relictis turbis, etc., usque ad dum in meditatione mentis a carnalibus sensibus abstrahuntur.

‡9.10 **Homo qui fuerit immundus super anima, etc.** ISID. Præcipitur ut qui longius habitabant, vel immundi in anima fuerant, in secundo mense pascha faciant, quia Gentiles cum omnibus dæmonibus fornicati, immundi erant et a Deo remoti. Sed salubri confessione mundati ad Christi nativitatem quasi ad secundum mensem transire præcipiuntur. RAB. Immundus est in anima, etc., usque ad ad vesperam mundi cum azymis et lactucis agrestibus agnum comedit.

lactucis agrestibus comedent illud:[¶] 12 non relinquent ex eo quippiam usque mane, et os ejus non confringent: omnem ritum Phase observabunt.[§] 13 Si quis autem et mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo: peccatum suum ipse portabit.^{**} 14 Peregrinus quoque et advena si fuerint apud vos, facient Phase Domino juxta cæremonias et justificationes ejus. Præceptum idem erit apud vos tam advenæ quam indigenæ.^{††} 15 Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque mane.^{‡‡} 16 Sic fiebat jugiter: per diem operiebat illud nubes, et per noctem quasi species ignis. 17 Cumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israël: et in loco ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur. 18 Ad imperium Domini proficiscebantur, et ad imperium illius figebant tabernaculum. Cunctis diebus quibus stabat nubes super tabernaculum, manebant in eodem loco: 19 et si evenisset ut multo tempore maneret super illud, erant filii Israël in excubiis Domini, et non proficiscebantur 20 quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, et ad imperium illius deponebant. 21 Si fuisset nubes a vespere usque mane, et statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur: et si post diem et noctem recessisset, dissipabant tentoria. 22 Si vero biduo aut uno mense vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filii Israël in eodem loco, et non proficiscebantur: statim autem ut recessisset, movebant cas-

[¶]9.11 **Azymis.** RAB. Azyma comedit, qui recta, opera sine corruptione vanæ gloriæ facit, et mandata misericordiæ sine peccati admixtione. **Agrestibus.** Quia cum corpus Christi accipimus pro peccatis compungi debemus, ut amaritudo pœnitentiæ abstergat amorem perversæ vitæ.

[§]9.12 **Omnem ritum.** Quidquid in lege historialiter præceptum est, in celebratione paschæ Ecclesia spiritaliter observat. **Observabunt.** Quia ejus dicta sollicitè sunt discutienda, ut in præsentī vita intelligendo et operando penetrentur.

^{**}9.13 **Exterminabitur.** Eos qui sub lege erant, comminando instruit, ne tempus paschæ observare negligant. Nos quoque admonet, ut spirituale pascha suo tempore faciamus, de quo Paulus ait: **Ecce nunc tempus acceptabile,** etc. II Cor. 6. Quia quisquis redemptionem humani generis, quæ veri agni immolatione facta est, fide digna non celebraverit, et vitam suam in meliora non converterit, et a vitiis ad virtutes non transierit tempore hujus mortalitatis: ad resurrectionis gloriam in fine veris cultoribus Christi tribuendam non pertinebit, sed exterminabitur a consortio sanctorum.

^{††}9.14 **Peregrinus quoque et advena si fuerint apud vos,** etc. RAB. Ostendit nullam distantiam esse personarum apud Deum. Quicumque enim ad fidem catholicam conversus, et Christi baptismate ablutus, Ecclesiæ unitatem intraverit, ecclesiasticis poterit communicari mysteriis.

^{‡‡}9.15 **Nubes.** ISID. Christus est columna, qui rectus et firmus, qui fulciens infirmitatem nostram, per noctem lucens, per diem non lucens, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. Christi quoque sacramentum tanquam in die manifestum est, in carne, velut in nube: in judicio vero tanquam in terrore nocturno. Quia tunc erit tribulatio magna tanquam ignis, et lucebit justis, et ardebit injustis Exod. 12. **Mystice,** incarnatio Christi, cujus clementia tabernaculum Ecclesiæ protegit, bonitas statum disponit, prudentia in via hujus sæculi transitum dirigit. GREG., hom. 21 in Evang., tom. 3. In igne terror, etc., usque ad peccatorum suorum tenebras agnoscentibus igne sui amoris infulsit.

tra. ²³ Per verbum Domini figebant tentoria, et per verbum illius proficiscebantur: erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moysi. ¶

10 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ² Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem quando movenda sunt castra. §§ ³ Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis. ⁴ Si semel clangueris, venient ad te principes, et capita multitudinis Israël. * ⁵ Si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, movebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam. † ⁶ In secundo autem sonitu et pari ululatu tubæ, levabunt tentoria qui habitant ad meridiem; et juxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem. ⁷ Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, et non concise ululabunt. ‡ ⁸ Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. ¶ ⁹ Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. ¹⁰ Si quando habebitis epulum, et dies festos, et calendas, canetis tubis super holocaustis, et pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri. Ego Dominus Deus vester. § ¹¹ Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis, elevata est nubes de tabernaculo fœderis: ** ¹² profectique sunt filii Israël per turmas suas de deserto Sinai, et recubuit nubes in solitudine Pharan. ¹³ Moveruntque castra primi juxta imperium Domini in manu Moysi. ¹⁴ Filii

¶9.23 *Per verbum Domini figebant tentoria.* Significatione nubis, quæ erat signum divinæ voluntatis, sicut vox loquentis.

§§10.2 *Fac tibi duas tubas argenteas,* etc. ISID., in Num. Per duas tubas exercitus ducitur, etc., usque ad auditorum mentes ad tentationum certamina ardentius excitantur.

*10.4 *Si semel clangueris.* RAB., in Num. Semel tubis clangere, etc., usque ad et id ipsum dicant omnes in eodem sensu et in eadem scientia.

†10.5 *Primi.* Quia scilicet lux fidei primum infulsit. Ordinatis ergo Evangelii prædicatoribus, primum eis dicitur: *In viam gentium ne abieritis, sed ite ad oves quæ perierunt domus Israël* Matth. 10.: quibus ipse Christus scilicet præsentia liter Evangelium prædicavit. Post resurrectionem vero discipulis apparens ait: *Euntes docete omnes gentes,* etc. Matth. 18.. Tribus ergo Juda cum cæteris quæ secum ad orientem habitabant, primum castra movebat: deinde cæteræ secundum ordinem suum. Quia primum in Judæa oportuit primitivam Ecclesiam construi, post de cunctis orbis nationibus gentes ad fidem convocari.

‡10.7 *Quando autem congregandus.* RAB. In convocatione populi, etc., usque ad nihil enim quærimus, nisi ut pateat quod clausum est.

¶10.8 *Filii autem.* Prædicatores, scilicet verbum Dei prædicant, et viam justitiæ auditoribus demonstrant, ut in semita mandatorum Dei boni operis gressum ponant, et iter impiorum fugiant. *Clangent tubis.* Subditos, scilicet ad pœnitentiam et ad compunctionem lacrymarum excitando, et corda auditorum ad Dei misericordiam implorandam provocando.

§10.10 *Si quando habebitis epulum.* RAB. Nota quia in adversis, etc., usque ad et alibi: *Prædica verbum, insta opportune importune,* etc. I Tim. 4..

**10.11 *Anno secundo.* HIERON., epist. ad Fabiolam, tom. 1. Duodecima mansione venerunt filii Israël in desertum Sinai, etc., usque ad intus autem plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. GREG., Pastoralis parte 3, admon. 18. Plerumque suadere elatis utilia melius possemus, etc., usque ad inde se verbis exnortantis inclinaret.

Juda per turmas suas: quorum princeps erat Nahasson filius Aminadab. ¹⁵ In tribu filiorum Issachar fuit princeps Nathanaël filius Suar. ¹⁶ In tribu Zabulon erat princeps Eliab filius Helon. ¹⁷ Depositumque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filii Gerson et Merari. ¹⁸ Profectique sunt et filii Ruben, per turmas et ordinem suum: quorum princeps erat Helisur filius Sedeur. ¹⁹ In tribu autem filiorum Simeon, princeps fuit Salamiel filius Surisaddai. ²⁰ Porro in tribu Gad erat princeps Eliasaph filius Duel. ²¹ Profectique sunt et Caathitæ portantes sanctuarium. Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum. ²² Moverunt castra et filii Ephraim per turmas suas, in quorum exercitu princeps erat Elisama filius Ammiud. ²³ In tribu autem filiorum Manasse princeps fuit Gamaliel filius Phadassur.†† ²⁴ Et in tribu Benjamin erat dux Abidan filius Gedeonis. ²⁵ Novissimi castrorum omnium profecti sunt filii Dan per turmas suas, in quorum exercitu princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai. ²⁶ In tribu autem filiorum Aser erat princeps Phegiel filius Ochran. ²⁷ Et in tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan. ²⁸ Hæc sunt castra, et profectioes filiorum Israël per turmas suas quando egrediebantur. ²⁹ Dixitque Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ, cognato suo: Proficiscimur ad locum quem Dominus daturus est nobis: veni nobiscum, ut beneficiamus tibi, quia Dominus bona promisit Israël. ³⁰ Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed revertar in terram meam, in qua natus sum. ³¹ Et ille: Noli, inquit, nos relinquere: tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster. ³² Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi. ³³ Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres providens castrorum locum. ³⁴ Nubes quoque Domini super eos erat per diem cum incederent.‡‡ ³⁵ Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses: Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te, a facie tua.¶¶ ³⁶ Cum autem deponeretur, aiebat: Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israël.

11 Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini, devoravit extremam castrorum partem. §§ ² Cumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum, et absorptus est ignis. ³ Vocavitque nomen loci illius, Incensio: eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini. ⁴ Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens et flens, junctis sibi pariter filiis Israël, et ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? ⁵ recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres,

††10.23 *Arcaque fœderis*. RAB. Arca fœderis Domini, etc., usque ad callem veritatis et justitiæ sequentibus demonstrat.

‡‡10.34 *Nubes quoque*. Protectio divina, quæ Spiritus sancti gratia electos ab initio mundi defendit, et ad futuram quietem custodit.

¶¶10.35 *Cumque elevaretur*. Exemplo Mosis rectores plebis provocantur, ut semper solliciti commissum sibi gregem in principio operis, et in consummatione, Domino commendent, ut proprias oves protegat et inimicos depellat.

§§11.1 *Interea ortum est murmur*. RAB., in Num., tom. 2. Murmurantem populum ignis Domini accensus devorat, etc., usque ad tam in anima quam in corpore uretur poena perpetua.

et pepones, porrique, et cæpe, et allia.* ⁶ Anima nostra arida est: nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man. ⁷ Erat autem man quasi semen coriandri, coloris bdellii. ⁸ Circuibatque populus, et colligens illud, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. ⁹ Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter et man. ¹⁰ Audivit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est furor Domini valde: sed et Moysi intoleranda res visa est, ¹¹ et ait ad Dominum: Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? ¹² Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram, pro qua jurasti patribus eorum? ¹³ Unde mihi carnes ut dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes ut comedamus. ¹⁴ Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi. ¹⁵ Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. ¹⁶ Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri: et duces eos ad ostium tabernaculi foederis, faciesque ibi stare tecum,† ¹⁷ ut descendam et loquar tibi: et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris.‡ ¹⁸ Populo quoque dices: Sanctificamini (cras comedetis carnes: ego enim audivi vos dicere: Quis dabit nobis escas carniū? bene nobis erat in Ægypto), ut det vobis Dominus carnes, et comedatis: ¹⁹ non uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem, ²⁰ sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, et vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, et fleveritis coram eo, dicentes: Quare egressi sumus ex Ægypto? ²¹ Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum hujus populi sunt: et tu dicis: Dabo eis esum carniū mense integro?¶ ²² numquid ovium et boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient? ²³ Cui respondit Dominus: Numquid manus Domini invalida est? jam nunc videbis utrum meus sermo opere compleatur. ²⁴ Venit igitur Moyses, et narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israël, quos stare fecit circa tabernaculum.§ ²⁵ Descenditque Dominus per nubem, et locutus est ad eum, auferens de spiritu qui erat in Moysē, et dans septuaginta viris. Cumque requievis-

*11.5 *Pepones porrique.* GREG., lib. XX Moral., cap. 19. Carnalium mentes pro amore sæculi, etc., usque ad ubi carnaliter gemant.

†11.16 *Congrega mihi septuaginta.* GREG., lib. XXIX Moral., cap. 13. Sicut plerumque juvenes dicuntur, etc., usque ad patet quia senectus mentis, non corporis, eligatur.

‡11.17 *Ut descendam.* ISID. In tredecima mansione, etc., usque ad quod quondam fuerat in Moysē et prophetis. *Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis ut sustentent,* etc. AUG., quæst. 18 in Num. Alia littera, etc., usque ad non ut ideo Moyses minus haberet.

¶11.21 *Sexcenta millia peditum hujus populi sunt.* AUG., quæst. 19. Quæritur utrum hoc Moses diffidendo dixerit an quærendo? etc., usque ad quando sententia Dei secuta non est quæ vindicaret, sed potius quæ doceret.

§11.24 *Venit igitur Moyses, et narravit populo verba Domini, congregans.* ORIG., Hom. 6 in Num. Alia littera: Exiit, inquit, Moyses, etc., usque ad et similia, etc.

set in eis spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt.** 26 Remanserat autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, et alter Medad, super quos requievit spiritus. Nam et ipsi descripti fuerant, et non exierant ad tabernaculum.†† 27 Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, et nuntiavit Moysi, dicens: Eldad et Medad prophetant in castris. 28 Statim Josue filius Nun, minister Moysi, et electus e pluribus, ait: Domine mi Moyses, prohibe eos. 29 At ille: Quid, inquit æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum?‡‡ 30 Reversusque est Moyses, et majores natu Israël in castra. 31 Ventus autem egrediens a Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, et demisit in castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aëre duobus cubitis altitudine super terram. 32 Surgens ergo populus toto die illo, et nocte, ac die altero, congregavit coturnicum: qui parum, decem coros: et siccaverunt eas per gyrum castrorum. 33 Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujusemodi cibus: et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. 34 Vocatusque est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum qui desideraverat. Egressi autem de Sepulchris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, et manserunt ibi.¶¶

12 Locutaque est Maria et Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopsam,§§ 2 et dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne et nobis similiter est locutus? Quod cum audisset Dominus 3 (erat enim Moyses vir

** 11.25 *Auferens de spiritu.* ID. Non intelligendum est, etc., usque ad et origo ipsius nihil damni ex derivatione accepit. *Requievisset.* ID. *Et requievit super eos spiritus, et prophetaverunt omnes,* etc. Non legitur requievisse spiritus, etc., usque ad laudem vitæ eorum et virtutes exposuit. ORIG. *Et requievit in eis spiritus, et prophetaverunt,* etc. Continuo operatur spiritus, etc., usque ad neque decet Spiritus sancti adesse præsentiam.

†† 11.26 *Remanserant autem in castris.* Non negligentia præcepit Domini, sed devotione humilitatis indignos se judicantes perceptione tanti muneris: ideo iudex cordium Deus dignos eos judicavit, et ostendit.

‡‡ 11.29 *Quid, inquit, æmularis.* GREG., lib. XXIII Moral., cap. 24. Pia mens pastorum, etc., usque ad qui bonum quod habuit non invidit. *Coturnicum multitudinem, qui parum,* etc. RAB. in Num. Carnalis populus Judæorum, etc., *usque ad Nostra autem conversatio in cælis est* II Cor. 10.

¶¶ 11.34 *Sepulchra concupiscentiæ.* ISID., in Num., tom. 5. Tertia decima mansio est in sepulchris concupiscentiæ, etc., usque ad intus plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. *Venerunt,* etc. HIERON., epist. ad Fabiolam. Quarta decima mansio, etc., usque ad qui ait per prophetam: *Nunquid qui cadit non adjiciat ut resurgat?* Jer. 8. ISID. Quarta decima mansio, etc., usque ad ad veniam reduxerit eam.

§§ 12.1 *Locutaque est Maria,* etc. ORIG., hom. 7 in Num. Maria, plebs Judaica; Moyses lex Domini est, etc., usque ad cum fiet unus grex et unus pastor Joan. 10.. ID. Quia detraxerunt Aaron et Maria Moysi, correpti sunt, etc., usque ad lepra enim consequitur detrectantes et cacologos. ID. Omnis etiam qui scripta Moysi male intelligit, et spiritalem legem carnaliter suscipit, detrahit ei, quia de verbis spiritus carnaliter sentit. Mystice, non solum Judæi hæretici, qui non recipiunt legem et prophetas, detrahunt Moysi. Qui impingunt etiam ei quod homicida fuit, quia Ægyptium interfecit, et alia multa etiam in alios prophetas blasphemio ore concinnant: ideo sunt in anima leprosi, et ejiciuntur ab ecclesia Dei. Vel, hæretici, qui detrahunt proximis. *Æthiopissam.* AUG., quæ est. 20. De uxore Moysi etc., usque ad sicut solent locorum et gentium nomina plerumque vetustate mutari.

mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra), ⁴ statim locutus est ad eum, et ad Aaron et Mariam: Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuissent egressi, ⁵ descendit Dominus in columna nubis, et stetit in introitu tabernaculi, vocans Aaron et Mariam. Qui cum issent, ⁶ dixit ad eos: Audite sermones meos: si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. * ⁷ At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ⁸ ore enim ad os loquor ei: et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi?† ⁹ Iratusque contra eos, abiit: ¹⁰ nubes quoque recessit quæ erat super tabernaculum: et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, et vidisset perfusam lepra,‡ ¹¹ ait ad Moysen: Obsecro, domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod stulte commisimus, ¹² ne fiat hæc quasi mortua, et ut abortivum quod projicitur de vulva matris suæ: ecce jam medium carnis ejus devoratum est a lepra.¶ ¹³ Clamavitque Moyses ad Dominum, dicens: Deus, obsecro, sana eam. ¹⁴ Cui respondit Dominus: Si pater ejus spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? separetur septem diebus extra castra, et postea re-

*12.6 *Si quis.* ORIG., ubi supra. Audite quantum beneficii conferunt obtrectantes, etc., usque ad vel ad ipsum Deus non loquitur in ænigmate, sed in specie.

†12.8 *Dominum.* ID. Alia littera: *Et gloriam Domini videt.* Vidit Moyses gloriam Domini, quando transformatus est Dominus in monte, et aderat ei Moyses cum Elia, et colloquebatur Luc. 9.. Ideo recte addit: *Quare igitur.* ID. Quod ad eos dicitur, etc., usque ad sed pro magnitudine sensuum eum glorificemus.

‡12.10 *Nubes quoque recessit.* ID. *Et nubes recessit de tabernaculo,* etc. Prius recessit nubes, etc., usque ad et appareat in nobis lepra peccati. *Cumque respexisset.* ORIG., ubi supra. Alia littera: *Et respexit Aaron ad Mariam, et ecce Maria erat leprosa.* Vult in hoc ostendere, etc., usque ad ad perfectæ nativitatis instituta revocat Apostolus: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis,* etc. Gal. 4.

¶12.12 *Clamavitque Moyses ad Dominum dicens: Deus, obsecro, sana eam. Cui respondit Dominus.* ID. Alia littera: *Et proclamavit Moyses ad Dominum dicens: Domine, precor te, sana eam,* etc. Quem oportebat orare pro sanitate populi sui, nisi Moyses? Forte hoc erat quod cum Domino loquebatur in monte transformato Matth. 17., petens ut cum plenitudo gentium introisset omnis Israël salvus fieret Rom. 11..

vocabitur.^{§ 15} Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus: et populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria.

13 ² Profectusque est populus de Haseroth, fixis tentoriis in deserto Pharan. ³ Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israël, singulos de singulis tribubus, ex principibus. ⁴ Fecit Moyses quod Dominus imperaverat, de deserto Pharan mitens principes viros, quorum ista sunt nomina. ^{** 5} De tribu Ruben, Sammua filium Zechur. ⁶ De tribu Simeon, Saphat filium Huri. ⁷ De tribu Juda, Caleb filium Jephone. ⁸ De tribu Issachar, Igal filium Joseph. ⁹ De tribu Ephraim, Osee filium Nun. ¹⁰ De tribu Benjamin, Phalti filium Raphu. ¹¹ De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi. ¹² De tribu Joseph, sceptri Manasse, Gaddi filium Susi. ¹³ De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli. ¹⁴ De tribu Aser, Sthur filium Michaël. ¹⁵ De tribu Nephthali, Nahabi filium Vapsi. ¹⁶ De tribu Gad, Guel filium Machi. ¹⁷ Hæc sunt nomina virorum, quos misit Moyses ad considerandam terram: vocavitque Osee filium Nun, Josue. ¹⁸ Misit ergo eos Moyses ad considerandam terram Chanaan, et dixit ad eos: Ascendite per meridianam plagam. Cumque veneritis ad montes, ^{†† 19} considerate terram, qualis sit: et populum qui habitator est ejus, utrum fortis sit an infirmus: si pauci numero an plures: ²⁰ ipsa terra, bona an mala: urbes quales, muratæ an absque muris: ²¹ humus, pinguis an sterilis, nemorosa an absque arboribus. Confortamini, et afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus quando jam præcoquæ uvæ vesci

§12.14 *Spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem*, etc. Signum repudii est in faciem conspu. Unde proximus qui repudiat conjugium, discalciatus in faciem conspuitur. Hinc Isaias: *Omnes gentes sicut gutta situlæ, et sicut sputum reputatæ sunt* Isa. 40, secundum 70.. Ostenditur ergo quod etiam ille populus, sicut cæteræ gentes, quæ ut sputum reputantur, abjectus est. Si enim consideres priorem honorem, pontificalem ordinem, insignia sacerdotum, Levitica ministeria, majestatem templi, et eos cum cœlestibus in terris habere consortia, qui fuit ille honor, quæ gloria? Rom. 5. Nunc autem multo dedecore horrescunt sine templo, sine altari, sine sacrificio, sine propheta, sine sacerdote, et sine cœlesti visitatione. Unde patet quod pater conspuens perdidit vultus eorum ignominia. Septem ergo diebus separantur extra castra, id est per septimam hujus mundi; in septimana autem dierum totius creaturæ visibilis videntur productæ esse substantiæ; tunc enim quæ non erant, facta sunt. In septimanam totius mundi quædam secreta et Deo soli cognita dispensatione quæ tunc producta sunt, explicantur: in hac septimana quia sequestrata est Maria non moventur castra filiorum Israël, sed stant in uno conclusi, et nullus ex eis profectus est, donec mundaretur Maria a lepra sua. *Septem diebus: et populus non est motus de loco illo*. ORIG. Maria quidem interveniente Aaron pontifice septimo die curatur. Nos autem obtrectantes usque ad finem septimanæ mundi, id est usque ad resurrectionem permanebimus leprosi, nisi, dum pœnitendi tempus est, corrigamur conversi ad Jesum et per pœnitentiam supplicantes ei.

**13.4 *Pharan*. RAB. in Num. Notandum quod Pharan non est speciale nomen mansionis, etc., usque ad usque ad tricesimam secundam hæc continentur. Pharan interpretatur *os visibile*, in quo potest intelligi quod *Verbum caro factum est*; et invisibilis visibilis effectus. Et potest ex hoc significari, quod postquam finis et perfectio omnium, quæ erga illum populum gerenda erant, venit, tunc transiit, et venit ad eum quem Verbum carnem factum ante non credidit. *Mitte viros qui*, etc. RAB. Duodecim exploratores mittuntur ad sanctam terram, etc., usque ad et cinis ejus piacularis aspersio est.

††13.18 *Ascendite ad meridianam plagam*. AUG., quæst. 21. Alia littera, etc., usque ad et ibi erat quidam depressior locus, de qua valle botrus ablatu est.

possunt. ²² Cumque ascendissent, exploraverunt terram a deserto Sin, usque Rohob intransitibus Emath. ²³ Ascenderuntque ad meridiem, et venerunt in Hebron, ubi erant Achiman et Sisai et Tholmai filii Enac: nam Hebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est. ²⁴ Pergentesque usque ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis et de ficis loci illius tulerunt:^{‡‡} ²⁵ qui appellatus est Nehelescol, id est Torrens botri, eo quod botrum portasset inde filii Israël. ²⁶ Reversique exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuita,^{¶¶} ²⁷ venerunt ad Moysen et Aaron et ad omnem cœtum filiorum Israël in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutique eis et omni multitudini ostenderunt fructus terræ:^{§§} ²⁸ et narraverunt, dicentes: Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci potest: ²⁹ sed cultores fortissimos habet, et urbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi. ³⁰ Amalec habitat in meridie, Hethæus et Jebusæus et Amorrhæus in montanis: Chananæus vero moratur juxta mare et circa fluentia Jordanis. ³¹ Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus, et possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. ³² Alii vero, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. ³³ Detraxeruntque terræ, quam inspexerant, apud filios Israël, dicentes: Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. ³⁴ Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur.

14 Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa, ² et murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israël, dicentes: ³ Utinam mortui essemus in Ægypto: et in hac vasta solitudine utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, et uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Nonne melius est reverti in Ægyptum? ⁴ Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum. ⁵ Quo audito, Moyses et Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israël. ⁶ At vero Josue filius Nun et Caleb filius Jephone, qui et ipsi lustraverant terram, sciderunt vestimenta sua, ⁷ et ad omnem multitudinem filiorum Israël locuti sunt: Terra, quam circuivimus, valde bona est. ⁸ Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem. ⁹ Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem ita eos possumus devorare. Recessit ab eis omne præ-

^{‡‡}13.24 *Quem portaverunt*, etc. ISID. in Num., tom. 5. Botrum in ligno de terra promissionis duo advehunt, etc., usque ad quia nec Christus sine lege, nec lex sine Christo esse potest. *De malis quoque granatis et de ficis*, etc. Quæ legem significant, quia nec Christus sine lege, nec lex sine Christo.

^{¶¶}13.26 *Exploratores terræ post quadraginta dies*, etc. ISID., ibid. Exploratores qui ad terram uberem missi terruerunt populum, etc., usque ad et pepones vitiorum et libidinum corruptione marcentes.

^{§§}13.27 *In desertum Pharan, quod est in Cades*. RAB. Solitudo Pharan decem et octo mansiones continet, etc., usque ad et prohibentur transire Jordanem.

^{*}14.7 *Terra*, etc. ORIG., hom. 7 in Num. Quæ est terra ista, sancta quidem et bona, sed ab impiis habitata? etc., usque ad nobis ingredientibus illi pellantur, et ascendentibus cadant.

sidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere.[†] ¹⁰ Cumque clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum foederis cunctis filiis Israël. ¹¹ Et dixit Dominus ad Moysen: Usquequo detrahet mihi populus iste? quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ feci coram eis? ¹² Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam: te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem quam hæc est.[‡] ¹³ Et ait Moyses ad Dominum: Ut audiant Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum, ¹⁴ et habitatores terræ hujus, qui audierunt quod tu, Domine, in populo isto sis, et facie videaris ad faciem, et nubes tua protegat illos, et in columna nubis præcedas eos per diem, et in columna ignis per noctem: ¹⁵ quod occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, et dicant: ¹⁶ Non poterat introducere populum in terram pro qua juraverat: idcirco occidit eos in solitudine? ¹⁷ Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut jurasti, dicens: ¹⁸ Dominus patiens et multæ misericordiæ, auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem. ¹⁹ Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum. ²⁰ Dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum. ²¹ Vivo ego: et implebitur gloria Domini universa terra. ²² Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, ²³ non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. ²⁴ Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circumvit; et semen ejus possidebit eam. ²⁵ Quoniam Amalecites et Chananæus habitant in vallibus. Cras movete castra, et revertimini in solitudinem per viam maris Rubri. ²⁶ Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens: ²⁷ Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israël audivi. ²⁸ Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dominus: sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. ²⁹ In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Omnes qui numerati estis a viginti annis et supra, et murmurastis contra me, ³⁰ non intrabitis terram, super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, et Josue filium Nun. ³¹ Parvulos autem vestros, de quibus dixistis quod prædæ hostibus forent, introducam, ut videant terram, quæ vobis displicuit.[¶] ³² Vestra cadavera jacebunt in solitudine. ³³ Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, et portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto, ³⁴ juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram: annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recip-

[†]14.9 *Neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem ita possumus.* AUG., quæst. 23 in Num. Caleb et Jesus Nave loquentes ad populum, etc., usque ad isti Dominum temporum creatorem, et ordinatorem, et omnium dispensatorem.

[‡]14.12 *Feriam igitur eos.* ORIG., hom. 8 in Num. Comminatio hæc non est iracunda, sed prophetica, etc., usque ad ideo pluribus exorat pro populo illo. ID. *Feriam igitur.* Fit comminatio hæc a Domino, etc., usque ad quod alium populum hoc abjecto resuscitet.

[¶]14.31 *Parvulos* ORIG., hom. 8. *Sed filii ipsorum qui sunt hic mecum, quicumque ignorant bonum vel malum,* etc. Patres nostri fuerunt populus ille prior, etc., *usque ad si vermanseris in bonitate,* etc.

ietis iniquitates vestras, et scietis ultionem meam:^{§ 35} quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit adversum me: in solitudine hac deficiet, et morietur.³⁶ Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplan-
dam terram, et qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ quod esset mala,³⁷ mortui sunt atque percussi in conspectu Domini.³⁸ Josue autem filius Nun, et Caleb filius Jephone, vixerunt ex omnibus qui perrexerant ad considerandam terram.³⁹ Locutusque est Moyses universa verba hæc ad omnes filios Israëli, et luxit populus nimis.⁴⁰ Et ecce mane primo surgentes ascenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est: quia peccavimus.^{** 41} Quibus Moyses: Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedit in prosperum? ⁴² nolite ascendere: non enim est Dominus vobiscum: ne corruiatis coram inimicis vestris.⁴³ Amalecites et Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruiatis, eo quod nolueritis acquiescere Domino: nec erit Dominus vobiscum.⁴⁴ At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini et Moyses non recesserunt de castris.⁴⁵ Descenditque Amalecites et Chananæus, qui habitabat in monte: et percutiens eos atque concidens, persecutus est eos usque Horma.

15 Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: ² Loquere ad filios Israëli, et dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis,³ et feceritis oblationem Domino in holocaustum, aut victimam, vota solventes, vel sponte offerentes munera, aut in solemnitatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino, de bobus sive de ovibus: ⁴ offeret quicumque immolaverit victimam, sacrificium similæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin:^{†† 5} et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum sive in victimam. Per agnos singulos ⁶ et arietes erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin:^{‡‡ 7} et vinum ad libamentum tertiæ partis ejusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis Domino. ⁸ Quando vero de

§14.34 *Annus pro die.* ID. Quasi pro die per annum, etc., usque ad nisi cui Pater omne iudicium tradidit Joan. 5.. ID. Neget quis fortasse bonitati Dei convenire, etc., usque ad sed ultra non sinit animam peccato vulnerari. ID. Aliud adjiciam, etc., usque ad ut multo magis confidamus quod advocatus noster Jesus veniam nobis impetrabit a Patre.

**14.40 *Parati sumus.* RAB., in Num. O mira protervitas humanæ mentis, etc., usque ad sic patriæ cœlestis gaudia quæ nobis promissa sunt percipiemus.

††15.4 *Sacrificium,* etc. Fidem incarnationis Christi, quæ in lege plenissime commendatur, vel observantiam Decalogi. RAB., in Num. Lex præcipit in privatis publicisque sacrificiis, etc., usque ad quia sexta pars est conglis. ID. Jubetur ergo per singulas species animalium, etc., usque ad omnis stultitia et versutia Deo abominabilis est.

‡‡15.6 *Et arietes.* ID. In oblatione arietis duæ decimæ similæ offeruntur; olei et vini, tertia pars hin. Quia aries rectorum ordinem signat, bene cum duabus decimis offertur, cum quilibet Decalogum legis intellectu et operatione tenens, rectoris officio delegatur: olei vero atque vini tertia pars hin exhibetur, quando ab eo charitas et misericordia, et gratia spiritualis doctrinæ circa subjectos impenditur.

bobus feceris holocaustum aut hostiam, ut impleas votum vel pacificas victimas,[¶] 9 dabis per singulos boves similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin: 10 et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domino. 11 Sic facies 12 per singulos boves et arietis et agnos et hædos. 13 Tam indigenæ quam peregrini 14 eodem ritu offerent sacrificia. 15 Unum præceptum erit atque iudicium tam vobis quam advenis terræ. 16 Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 17 Loquere filiis Israël, et dices ad eos: 18 Cum veneritis in terram, quam dabo vobis, 19 et comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino 20 de cibis vestris. Sicut de areis primitias separatis, 21 ita et de pulmentis dabitis primitiva Domino. 22 Quod si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus ad Moysen,^{§§} 23 et mandavit per eum ad vos, a die qua cœpit jubere et ultra, 24 oblitaque fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, et sacrificum ejus ac liba, ut cæremonia postulant, hircumque pro peccato: 25 et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israël, et dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt, nihilominus offerentes incensum Domino pro se et pro peccato atque errore suo: 26 et dimittetur universæ plebi filiorum Israël, et advenis qui peregrinantur inter eos: quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam. 27 Quod si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo: 28 et deprecabitur pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino: impetrabitque ei veniam, et dimittetur illi.† 29 Tam indigenis quam advenis una lex erit omnium, qui peccaverint ignorantes. 30 Anima vero, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus (quoniam adversus Dominum rebellis fuit), peribit de populo suo:‡ 31 verbum enim Domini contempsit, et præceptum illius fecit irritum: idcirco delebitur, et portabit iniquitatem suam. 32 Factum est autem, cum essent filii Israël in solitudine, et invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati, 33 obtulerunt eum Moysi et Aaron et universæ multitudini. 34 Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. 35 Dixitque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste: obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. 36 Cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, et mortuus est, sicut præceperat Dominus. 37 Dixit quoque Dominus ad Moysen: 38 Loquere filiis Israël, et dices ad eos ut faciant sibi

[¶]15.8 *Quando vero de bobus feceris holocaustum*, etc. ID. In bovis oblatione tres decimæ similæ et medietas hin in oleo vel vino, etc., usque ad in cœlesti beatitudine per Dei gratiam in se perficiendum sperent. *Cum veneritis in terram*, etc. RAB. Cum quilibet præsentem Ecclesiam per fidem intrat, etc., usque ad a quo speratur perfectionis supplementum.

^{§§}15.22 *Quod si per*. AUG., quæst. 24. Quod præcipitur quomodo peccata expiuntur, etc., usque ad quæ discernuntur a peccatis volentium.

*15.24 *Vitulum offeret*. RAB. Filii Israël vitulum de armento offerunt in holocaustum, etc., usque ad exauditus est pro sua reverentia.

†15.28 *Sacerdos*. Christus, qui per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa Hebr. 5..

‡15.30 *Anima vero*, etc. AUG., quæst. 25 in Num. Alia littera: *Anima quæcumque peccaverit*, etc., usque ad unde nunc longum est disputare. ISID., in Num., tom. 5. Calumniatur impij quod tam atrociter jussu Dei ab omni populo trucidatur, qui ligna collegit in sabbato, etc., usque ad quia a spiritualibus judicatur.

fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas:¹ ³⁹ quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas et oculos per res varias fornicantes, ⁴⁰ sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo. ⁴¹ Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem Deus vester.

16 Ecce autem Core filius Isaac, filii Caath, filii Levi, et Dathan atque Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben, ² surrexerunt contra Moysen, alique filiorum Israël ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, et qui tempore concilii per nomina vocabantur. ³ Cumque stetissent adversum Moysen et Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus: cur elevamini super populum Domini? ⁴ Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem: ⁵ locutusque ad Core et ad omnem multitudinem: Mane, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi: et quos elegerit, appropinquabunt ei. ⁶ Hoc igitur facite: tollat unusquisque thuribula sua, tu Core, et omne concilium tuum: ⁷ et hausto cras igne, ponite desuper thymiana coram Domino: et quemcumque elegerit, ipse erit sanctus: multum erigimini filii Levi. ⁸ Dixitque rursum ad Core: Audite, filii Levi: ⁹ num parum vobis est quod separavit vos Deus Israël ab omni populo, et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et staretis coram frequentia populi, et ministraretis ei? ¹⁰ idcirco ad se fecit accedere te et omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vindicetis, ¹¹ et omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron ut murmuretis contra eum? ¹² Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan et Abiron filios Eliab. Qui responderunt: Non venimus.[§] ¹³ Numquid parum est tibi quod eduxisti nos de terra, quæ lacte et melle manabat, ut occideres in deserto, nisi et dominatus fueris nostri? ¹⁴ Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis et mellis, et dedisti nobis possessiones agrorum et vinearum: an et oculos nostros vis eruere? non venimus. ¹⁵ Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum: tu scis quod ne asellum quidem umquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. ¹⁶ Dixitque ad Core: Tu, et omnis congregatio tua, state seorsum coram Domino, et Aaron die crastino separatim. ¹⁷ Tollite singuli thuribula vestra, et ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum suum. ¹⁸ Quod cum fecissent, stantibus Moyses et Aaron, ¹⁹ et coacerassent adversum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini. ²⁰ Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron, ait: ²¹ Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. ²² Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? ²³ Et ait Dominus ad Moysen: ²⁴ Præcipe universo populo ut separetur a tabernaculis Core et Dathan et Abiron. ²⁵ Surrexitque Moyses, et abiit ad Dathan et Abiron: et sequentibus eum senioribus Israël, ²⁶ dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent,

¹15.38 *Fimbrias*. ID., ibid. Jubentur filii Israël in quatuor angulis, etc., *usque ad omnia in gloriam Dei faciamus*.

[§]16.12 *Vocaret Dathan?* AUG., quæst. 26 in Num. Quid est quod Dathan et Abiron in seditione vocati a Moyse, etc., usque ad ut non dicerent non ascendemus, sed non ascendimus, quodam locutionis genere.

ne involvamini in peccatis eorum.** 27 Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan et Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum cum uxoribus et liberis, omnique frequentia. 28 Et ait Moyses: In hoc scietis quod Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim: 29 si consueta hominum morte interierint, et visitaverit eos plaga, qua et ceteri visitari solent, non misit me Dominus: 30 sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum. 31 Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum: 32 et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia eorum, 33 descenderuntque vivi in infernum operati humo, et perierunt de medio multitudinis. 34 At vero omnis Israël, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne forte et nos terra deglutiat. 35 Sed et ignis egressus a Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. 36 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 37 Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, et ignem huc illucque dispergat: quoniam sanctificata sunt†† 38 in mortibus peccatorum: producatque ea in laminas, et affigat altari, eo quod oblatum sit in eis incensum Domino, et sanctificata sint, ut cernant ea pro signo et monumento filii Israël.‡‡ 39 Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit, et produxit ea in laminas, affigens altari:¶¶ 40 ut haberent postea filii Israël, quibus commonerentur ne quis accedat alienigena, et qui non est de semine Aaron ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, et omnis congregatio ejus, loquente Domino ad Moysen.§§ 41 Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israël sequenti die contra Moysen et Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. 42 Cumque oriretur seditio, et tumultus increceret, 43 Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, et

**16.26 *Recedite a tabernaculis.* AUG., quæst. 27. Alia littera, etc., usque ad justi fulgeant sicut sol in regno Patris sui Matth. 13.. ISID. *in Num.*, tom. 5. Per Dathan, et Abiron, et Core, etc., usque ad in æterno igne præparata ultione peribunt. *Descenderuntque.* AUG., quæst. 29. Alia littera, etc., usque ad tanquam carceribus inferi puniendos reservari.

††16.37 *Præcipe Eleazaro.* ID., quæst. 30. Alia littera, etc., *usque, ad* quia per eos exemplum datum est cæteris, quid timerent. *Tollat thuribula.* ORIG., hom. 9 in Num. Core figuram tenet eorum qui contra ecclesiasticam fidem et doctrinam veritatis insurgunt, etc., *usque ad:* sanctificata enim sunt et Domino oblata. ID. Potest et alio modo intelligi, etc., usque ad non enim tam magnifice in eis virtus animi claruisset, nisi reliquorum ignaviæ formido patuisset.

‡‡16.38 *Eo quod.* AUG., quæst. 30 in Num. Circumpositionem vero altari, etc., usque ad qui minus diligenter intendunt, eodem facta ordine quo narrantur.

¶¶16.39 *Tulit.* ORIG., hom. 9 in Num. Apud Deum nihil est otiosum, etc., usque ad cum universorum cineribus disperirent?

§§16.40 *Sicut passus est.* ID. Posteris quoque datur exemplum, ne quis præsumptione superbi spiritus non sibi a Deo datum munus pontificatus invaderet; sed illi cedat quem non ambitio humana, non favor corruptus, nec largitio damnanda asciverit.

apparuit gloria Domini.* ⁴⁴ Dixitque Dominus ad Moysen: ⁴⁵ Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terra,† ⁴⁶ dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis: jam enim egressa est ira a Domino, et plaga desævit. ⁴⁷ Quod cum fecisset Aaron, et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama: ⁴⁸ et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit.‡ ⁴⁹ Fuerunt autem qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum, et septingenti, absque his qui perierant in seditione Core. ⁵⁰ Reversusque est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi fœderis postquam quievit interitus.

17 Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:¶ ² Loquere ad filios Israël, et accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, et uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ. ³ Nomen autem Aaron erit in tribu Levi, et una virga cunctas seorsum familias continebit: ⁴ ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te. ⁵ Quem ex his elegero, germinabit virga ejus: et cohibebo a me querimonias filiorum Israël, quibus contra vos murmurant.§ ⁶ Locutusque est Moyses ad filios Israël: et dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron. ⁷ Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii, ⁸ sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi: et turgentibus gemmis

*16.43 *Moyses et Aaron.* ID. In Sodomis quidem, etc., usque ad per quos interitum possumus evadere. *Operuit nubes.* ID. Non enim legimus antea quod obtexerit nubes tabernaculum, etc., usque ad et pericula maris ac fluminum, etc. II Cor. 11..

†16.45 *Recedite.* ID. Jubentur ergo Moyses et Aaron, etc., usque ad sunt enim mortui qui in ignem æternum mittuntur, vivi autem qui mittuntur ad regnum.

‡16.48 *Et stans inter.* GREG. Aaron, ut iram Dei placaret, thuribulum sumpsit atque inter viventes et mortuos stetit, quia sacerdotis est negotium Deo orationem fundere, et pro justis ne cadant et pro peccatoribus ut resurgant, unde: *Intret oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* Psal. 87.. ISID. Aaron thuribulum accipiens occurrit quassationi, et stans in medio vivorum et mortuorum, lethalem plagam objectu suo quasi quidam murus excludit. Iste sacerdos Christus qui ruinam mortis in mundo aspiciens occurrit a summo cœlo, venitque obvius quasi gigas ad currendam viam, stetitque inter vivos et mortuos, quia natus et mortuus est, sicque thuribulum passionis accipiens, et in odorem suavitatis prætendens, suspendit ignis æterni perniciem, et inimicam pertulit mortem. *Et plaga cessavit.* ORIG. Alia littera, etc., usque ad luteus enim et terrenus sensus non capit mysteria. Dicitur etiam corpus nostrum vas fictile vel littera legis, in eo quod Apostolus ait: *Habentes thesaurum istum in vasis fictilibus* II Cor. 4.: quia in corpore positus thesaurus gratiæ per Spiritum sanctum Dominus largitur; et in sermonibus legis qui contemnuntur, quia nulla arte grammatica expositi videntur, reconditus sit thesaurus sapientiæ et scientiæ Dei.

¶17.1 *A cunctis principibus.* Omnis princeps habet virgam, quia sine ea populum regere non potest. Unde Paulus, quia princeps populi erat, dicebat. *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate?* I Cor. 4. ORIG. Omnes principes tribuum necesse est ut habeant virgas, etc., usque ad et cum nucibus sacerdotalium pomorum copiam invenisse.

§17.5 *Germinabit virga.* ORIG., ubi supra. Unum fructum promisit Deus in virga et dedit plura, etc., usque ad sed quæ in sola sapientia continentur.

eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.^{**} ⁹Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israël: videruntque, et receperunt singuli virgas suas. ¹⁰Dixitque Dominus ad Moysen: Refer virgam Aaron in tabernaculo testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israël, et quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur. ¹¹Fecitque Moyses sicut præceperat Dominus. ¹²Dixerunt autem filii Israël ad Moysen: Ecce consumpti sumus, omnes perivimus. ¹³Quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. Num usque ad interneccionem cuncti delendi sumus?

18 Dixitque Dominus ad Aaron: Tu, et filii tui, et domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem sanctuarii: et tu et filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri.^{††} ²Sed et fratres tuos de tribu Levi, et sceptrum patris tui sume tecum, præstoque sint, et ministrent tibi: tu autem et filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii.^{‡‡} ³Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua, et ad cuncta opera tabernaculi: ita dumtaxat ut ad vasa sanctuarii et ad altare non accedant, ne et illi moriantur, et vos pereatis simul. ⁴Sint autem tecum, et excubent in custodiis tabernaculi, et in omnibus cæremoniis ejus. Alienigena non miscebitur vobis. ⁵Excubate in custodia sanctuarii, et in ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios Israël. ⁶Ego dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum Israël, et tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus. ⁷Tu autem et filii tui custodite sacerdotium vestrum: et omnia quæ ad cultum altaris pertinent, et intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur: si quis externus accesserit, occidetur.^{¶¶} ⁸Locutusque est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum

^{**}17.8 *Invenit germinasse virgam*, etc. ORIG., ubi supra. Cum sacerdotium Aaron, etc., *usque ad*, sed nostra adhuc corpora usque in finem mundi differunt a gloria resurrectionis. ID. Virga arida germinat, etc., usque ad corporis in resurrectione germinat. *Virgam*, GREG., lib. IV Moral., cap. 29. Carnem Christi, quæ de radice Jesse succisa et mortificata, etc., usque ad corona martyrum, gratia continentium. *Turgentibus*, etc. ORIG. Hac vero ratione, etc., usque ad sed secundum Scripturam in mille generationes. ORIG., ubi supra. Possumus etiam sic intelligere eorum, etc., usque ad qui sunt charitas, gaudium, pax et cæteræ virtutes Gal. 5..

^{††}18.1 RAB., in Num., tom. 2. *Tu et Filii*, etc. Alia littera, etc., usque ad et pertinere dicit ad sacerdotem. ORIG. hom. 10 in Num. Alia littera, etc., usque ad remissionem peccatorum significari. ID. Jesus pontifex noster, etc., usque ad scit nos Deus idoneos non esse martyrio. ID. Quærendum est quomodo aliqui sancti dicantur, etc., usque ad sanctus enim est, qui peccatum suum per pontificem curat.

^{‡‡}18.2 *Jure perpetuo*. Quomodo potest æternum esse quod visibile est? *Quæ enim videntur temporalia sunt* I Cor. 5., primitiæ autem quæ offeruntur Aaron, visibiles sunt; circumcisionem quoque et azyma et pascha visibile, necesse est æternum non esse, sed temporale. Invisibilis ergo circumcisio, quæ in occulto est, æterna est, et azyma sinceritatis et veritatis Rom. 2.. Sic et hæc ei, qui non in manifesto, sed in occulto Judæus, qui spiritu, non littera legem custodit, secundum interiorem hominem legitima æterna dicuntur II Cor. 4..

^{¶¶}18.7 *Tu autem et filii*. ID., hom. 16. Alia littera, etc., usque ad quæ si bene excolamus fructum vitæ afferent nobis. *Tu autem et filii tui*. Allegorice. Perfectiores scilicet in Ecclesia, sancti doctores, quorum officium est sacramenta divina manibus contrectare, vasa sancta, id est Scripturæ mystica verba ventilare et ad intellectum perducere II Par. 26.. Cætera autem turba meditetur diligenter quæ capere potest, et quæ magistrorum discretio jubet. *Si quis externus*, etc. Non de tribu Levi. Ozias enim de tribu Juda, quia usurpavit sacerdotium, lepra percussus est.

mearum. Omnia quæ sanctificantur a filiis Israël, tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna.^{§§ 9} Hæc ergo accipies de his, quæ sanctificantur et oblata sunt Domino. Omnis oblatio, et sacrificium, et quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, et cedit in Sancta sanctorum, tuum erit, et filiorum tuorum.*
¹⁰ In sanctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo, quia consecratum est tibi.
¹¹ Primitias autem, quas voverint et obtulerint filii Israël, tibi dedi, et filiis tuis, ac

§§18.8 *Locutus est Dominus*, etc. RAB., in Num., tom. 2. Alia littera, etc., usque ad qui cum semper comedatur semper permanet, imo augetur. *Primitiarum*. Primitiæ litterales consumuntur, spirituales custodiuntur. Quanto enim verbum Dei amplius sumpseris, tanto abundabit. *Omnia quæ sanctificantur a filiis Israël*. ORIG., hom. 11. Alia littera, etc., usque ad non sanctificatur, nec inter primitias recipitur. ORIG. Videtur autem secundum litteram proselytos excludere, etc., usque ad qui faciunt patres in Ecclesiam introire. ID. Ter etiam in anno apparere iubetur omne masculinum, non femininum Exod. 23.. *A filiis*, non a filiabus. Non enim otiose alibi nominat cum filiis etiam filias, alibi filiarum non facit mentionem. Quæ tamen specialiter non ad sexum, sed ad discretionem animarum referenda sunt. ID. Difficile invenies sanctos, quibus Deus eximium præbeat testimonium filias genuisse, Abraham et Isaac non genuerunt filias. Solus Jacob unam filiam genuit, et ipsa fratribus et parentibus opprobrium fuit, et vindictæ furorem fratribus incitavit.

*18.9 *Et hoc sit vobis ex his quæ sanctificantur sanctis de sacrificiis*, etc. ID. Spiritus sanctus ita sanctus est, etc., usque ad tertio autem loco ex hoc fructu diligere debeo etiam inimicos meos. ID., hom. 11. Primitias omnium frugum sacerdotibus lex mandat offerri, etc., usque ad invenies apud Mosen legis titulo signari. ID. Ubi vero dicit: *Non occides, Non adulterabis*, et hujusmodi, legis titulum non præmisit. Hæc enim mandata sunt, et ideo non exinaniuntur apud discipulos Evangelii, sed implentur. Non enim mandatum, sed lux umbram habere futurorum dicitur bonorum ID. Notandum vero quod lex dupliciter dicitur. Generaliter enim omnia hæc, mandatum, justificationes, præcepta, testimonia, judicia lex dicuntur. Specialiter autem aliqua pars eorum quæ in lege scripta sunt, ut supra dicta. Generaliter vero lex significatur, cum dicitur: *Non veni solvere legem, sed adimplere* Matth. 5.. Et alibi: *Plenitudo legis est dilectio* Rom. 13.. Omnia enim quæ in lege scripta sunt legem nominavit. ID. Alibi quoque: *Juste*, inquit, *sectare quod justum est* Deut. 16.. Et quid opus est etiam in his allegoriam quærere, cum ædificet littera? ID. Quæro quoque si aliqua, etc., usque ad adjecit tamen Apostolus: *Hæc autem sunt allegorica* Gal. 4.. *Omnis oblatio*, etc. ID. Est autem sapientis scribæ et docti de regno Dei, ut sciat de his thesauris proferre nova et vetera, et quomodo penitus litteram occidentem abjiciat et spiritum vivificantem requirat Matth. XIII; I Cor. 3., aut confirmet utilem et necessariam litteræ doctrinam, aut manente historia etiam mysticum sensum introducat, sicut in præsentem loco. ID. Utile est enim sacerdotibus Evangelii offerre primitias, etc., usque ad discipulis autem dicitur: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio* Matth. 5.. ID. Christus nos redemit de maledicto legis, non de maledicto mandati vel testimonii, vel iudiciorum, ne scilicet subjecti essemus circumcisioni carnis et sabbatorum observationi, et hujusmodi quæ continentur in lege, non in mandatis Galat. 3.. Abundat ergo justitia nostra, plus quam scribarum et Phariseorum Matth. 5.; et illi de fructibus terræ gustare non audent, priusquam primitias sacerdotibus offerant, et Levitis decimas separent: ego autem nihil horum faciens, fructibus terræ ita abutar, ut sacerdos et Levita et Dei altare non sentiat. ID. Petrus quoque et Paulus, etc., usque ad et singularum Ecclesiarum eligit et offert primitias. ID. Quisquis etiam doctor, quia docet, prædicat et instruit auditores, agrum Ecclesiæ suæ, id est, credentium corda videtur excolere. Habet quoque culturæ suæ fructum, et in fructu electum aliquem et præcipuum, quem quasi primitias offerat, et alium pro primogenitis, alium pro decimis. ID. Habet forte aliquis primogenitos et inferiores, quos neque pro primitiis, neque pro primogenitis, sed pro decimis possit offerre.

filiabus tuis, jure perpetuo: qui mundus est in domo tua, vescetur eis. ¹² Omnem medullam olei, et vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi. [†] ¹³ Universa frugum initia, quas gignit humus, et Domino deportantur, cedent in usus tuos: qui mundus est in domo tua, vescetur eis. [‡] ¹⁴ Omne quod ex voto rediderint filii Israëli, tuum erit. ¹⁵ Quidquid primum erumpit e vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit: ita dumtaxat ut pro hominis primogenito pretium accipias, et omne animal quod immundum est redimi facias, [¶] ¹⁶ cujus redemptio erit post unum mensem, siclis argenti quinque, pondere sanctuarii. Siclus viginti obolos habet. ¹⁷ Primogenitum autem bovis, et ovis, et capræ, non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino. Sanguinem tantum eorum fundes super altare, et adipem adolebis in suavissimum odorem Domino. ¹⁸ Carnes vero in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, et armus dexter: tua erunt. ¹⁹ Omnes primitias sanctuarii, quas offerunt filii Israëli Domino, tibi dedi, et filiis, ac filiabus tuis, jure perpetuo. Pactum salis est

[†]18.12 *Omnem medullam*, etc. ORIG. Ostendimus mandatum de primitiis frugum, etc., usque ad unde per angelum videtur quasi primitiæ Deo oblatas. Christus est primitiæ primitiarum. Cornelius primitiæ gentium. Alii primitiæ Ecclesiarum, sicut quidam primitiæ Asiæ, alii Achaïæ. ORIG. Aderit unusquisque angelorum, etc., usque ad quæ non angeli vel principis, sed Dei portio est. ID. Offerunt ergo angeli ex nobis primitias, etc., usque ad ut quærant quæ sursum sunt, non quæ super terram. ID. Offerunt angeli primitias, etc., usque ad alius princeps multorum esse ponitur, alius principatui subjectus. ID. Agri angelorum corda nostra sunt, quisque eorum ex agro quem colit offert primitias Domino. ID. Sicut Christus Rex regum, etc., usque ad sufficeret nobis hæc gratia.

[‡]18.13 *Universa frugum*. AUG., quæst. 32 in Num. Primogenita omnia, etc., usque ad quæ primitus sumebantur.

[¶]18.15 *Quidquid primum*. ORIG. Possunt forte illi primogeniti dici, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, vel etiam martyres; primitia quoque Ecclesiæ possunt dici virgines Apoc. 14; decimæ vero, qui post conjugium continentis sunt. *Omne*. RAB. In utroque testamento ministris altaris oblationes et decimæ ad necessaria tribuuntur, nec terrenis possessionibus audeant inhiare, nec lucrum de ministerio quærere: unde, *Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam* Matth. 10.. Mystice autem decimæ observantiam legis significant, vel sinceritatem integritatis fidei, vel perfectionem boni operis, quæ maxime habere debent qui ministerio divino se exhibent. In denario enim numero creaturæ et creatoris cognitio comprehenditur, quia septenarium respicit ad humanam naturam, tribus scilicet vim animæ ostendentibus; unde, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua* Deut. 6.. Corpus autem ex quatuor constat elementis. Septenarium autem, si ternario numero fidem et confessionem Trinitatis exprimentis adjunxeris, denarium complebis.

sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis.[§] ²⁰ Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israël. ²¹ Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israël in possessionem, pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis: ²² ut non accedant ultra filii Israël ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum, ²³ solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus, et portantibus peccata populi. Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Nihil aliud possidebunt, ²⁴ decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi. ²⁵ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ²⁶ Præcipe Levitis, atque denuntia: Cum acceperitis a filiis Israël decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ, ²⁷ ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis quam de torcularibus: ²⁸ et universis quorum accipitis primitias, offerte Domino, et date Aaron sacerdoti. ²⁹ Omnia quæ offeretis ex decimis, et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt. ³⁰ Dicesque ad eos: Si præclara et meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area, et torculari dederitis primitias: ³¹ et comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quam familiæ vestræ: quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonii. ³² Et non peccabitis super hoc, egregia vobis et pingua reservantes, ne polluat oblationes filiorum Israël, et moriamini.

19 Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens: ^{**} ² Ista est religio victimæ, quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israël, ut adducant ad te vac-

§18.19 *Pactum salis*. RAB. Pactum salis nominat oblationum universitatem, quæ ad ministerium vel ad jus sacerdotum pertinet, unde in Levitico: *Quidquid obtuleris sacrificii sale condies*, etc. Levit. 2.. Mystice ostenditur sapientiam convenire sacerdotibus et prædicatoribus divinæ legis, non sæcularem, sed apostolicam, de qua Paulus dicit: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam non hujus sæculi* I Cor. 2.. De qua apostolis dicitur: *Vos estis sal terræ* Matth. 5.. Sicut enim omnis cibus sale conditur, sic omnis sermo apostolica sapientia. Aaron ergo et filiis ejus pactum est salis sempiternum, quia non solum episcopis necessaria est sapientia, sed etiam presbyteris, diaconis et omnibus ordinibus: et hoc coram Deo, id est, ut pura et simplex sine versutia, et malitia Deo placeat. *Sapientia enim hujus mundi inimica est Deo* Rom. 8..

**19.1 *Locutusque est Dominus*. AUG., quæst. 33 in Num. Alia littera, etc., usque ad et observationes legis profanabat. RAB. Per masculinum fortitudo, per feminam infirmitas significatur: per vaccam ergo infirmitas Dominicæ incarnationis ad sacrificium assumpta figuratur. *Mortuus est enim Christus ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* II Cor. ult.. Vaccam rufam, rubram scilicet sanguine passionis, unde: *Dilectus meus candidus et rubicundus* Cant. 5.: candidus scilicet ex divinitate, rubicundus ex sanguine, candidus etiam per justitiam vitæ. GREG., lib. VI Moral., tom. 1. Vaccam rufam mactamus, cum carnem a lascivia voluptatis extinguimus: quam cum hysopo, ligno cedrino et cocco offerimus, quia cum maceratione corporis sacrificium fidei spei et charitatis adolemus.

cam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum:†† 3 tradetisque eam Eleazaro sacerdote, qui eductam extra castra, immolabit in conspectu omnium:‡‡ 4 et tingens digitum in sanguine ejus, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus,¶¶ 5 comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle et carnibus

††19.2 *Nulla sit macula.* AUG., quæst. 33. Sine vitio. Hanc enim carnem cætera hostiæ significabant, etc., usque ad quæ non habuit in se vitium? *Nec portaverit.* Omnis qui peccat, servus est peccati: quia ergo Christus nunquam peccavit, jugum non portavit. AUG. Alia littera. *Et non est super eam superpositum jugum,* etc. Non enim subjugata est iniquitati, cui subjugatos inveniens liberavit, et vincula eorum dirupit. Unde: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis,* etc. Super illius enim carnem non est positum jugum, qui potestatem habuit ponendi animam suam, et iterum sumendi eam.

‡‡19.3 *Tradetisque.* Vacca ad immolandum sacerdoti traditur, quia Dominus incarnatus pro redemptione nostra sacrificium semetipsum fecit, datus manibus Judaici populi. AUG. Alia littera. *Et dabis eam ad Eleazarum sacerdotem,* etc. Cur non ad Aaron? Forte præfiguratum est, non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros hujus sacerdotii, passionem Domini perventuram. *Qui ejectionem extra castra.* ID. Quia extra portam passus est Christus, ut nos a conversatione præsentis vitæ quasi a civitate educeret Heb. 13.. ID. *Et ejectionem extra castra.* Sic ejectionem est Dominus passurus extra civitatem Joan. 19.. ID. *In locum mundum,* quia non habuit causam malam: *Et occidet eam in conspectu ejus,* sic occisa est caro Christi in conspectu eorum qui futuri erant in novo testamento Domini sacerdotes. *Immolabit.* ISID. Vaccam rufam cujus cinis est expiatio populi immolare non poterit, nisi qui terrena opera non fecerit, jugumque delicti non traxerit, et vinculis peccatorum ligatus non fuerit. *In conspectu omnium.* RAB. Quia Christus in conspectu omnium quasi extinctus est: in conspectu Patris immolatus, quia quod ante oculos hominum poena, hoc ante oculos Patris sacrificium fuit.

¶¶19.4 *Et tingens digitum in sanguine ejus.* AUG. Alia littera. *Et accipiet Eleazar sanguinem ejus, et asperget contra faciem testimonii a sanguine ejus septies.* Quia Christus secundum Scripturas fudit sanguinem in remissionem peccatorum, ideo contra faciem tabernaculi testimonii, quia non aliter declaratum est, quam fuerat divino testimonio prænuntiatum. Et ideo septies, quia ipse numerus ad emundationem pertinet spiritalem. RAB. In digito discretio operationis signatur: in sanguine vaccæ digitum tingere est in passione Domini nostra opera consecrari, ut passionem ejus, quam cognoscimus, imitemur: *Passus est enim nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus* I Petr. 2.. ID. Eleazar sacerdos immolat, et in sanguine digitum tingit, quia plebs Judæa ex reproborum parte humilitatem Domini usque ad passionem persecuta est. In electis vero operationem humilitatis ejus imitata *Asperget contra fores tabernaculi.* Tabernaculum synagogam significat. Qui ergo tinxerit digitum, contra fores tabernaculi aspergat, id est, quisquis passionis ejus vias imitatur, synagogæ non credenti et resistenti per exempla bona et prædicationem rectam signum bene vivendi præbeat. ID. *Asperget,* id est, resistenti plebi per prædicationem rectam et opera, passionis Christi exempla monstrabit. *Septem vicibus.* Quia septem sunt dona Spiritus sancti, quæ per Christi sanguinem super Ecclesiæ populos distribuuntur, in quo ab omni delicto purgantur. GREG., lib. VI Moral., cap. 27. *Septem vicibus,* etc. In septenario perfectio significatur vel accipitur, unde et septem diebus universum tempus impletur, et Spiritus sanctus septiformis vocatur. Septem ergo vicibus in sanguine digitum intingere est perfecta operatione mysterium passionis imitari. Et septem vicibus contra synagogam aspergere est perfecta prædicatione passionem infidelibus nuntiare.

ejus quam sanguine et fimo flammæ traditis.^{§§ 6} Lignum quoque cedrinum, et hyssopum, coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat.*

§§19.5 **Comburetque eam cunctis videntibus.** ID. Per pellem et carnem et sanguinem et fimum, sacrificia in veteri testamento habita, quæ infirmitatem Domini nuntiabant, significantur. Quia omnia postmodum spiritaliter a patribus intellecta juxta exterius mysterium stercora sunt vocata, unde Paulus: **Omnia arbitratur ut stercora** Philip. 3., quæ flammæ traduntur. Quamvis enim primum carnaliter sint exhibita, postmodum per Spiritum sanctum intelligentiæ igne consumpta sunt. AUG. **Et cremabunt eam in conspectu ejus.** Puto quia crematio ad signum pertinet resurrectionis. Natura enim est ignis ut in superna moveatur, et in ipsum convertatur quod crematur. Nam et ipsum cremare de Græco in Latinum ductum verbum est a suspensione. Quod vero additum est in conspectu ejus, id est, in conspectu sacerdotis, significare videtur, quia illis apparuit resurrectio Christi, qui futuri erant regale sacerdotium. **Tam pelle et carnibus ejus,** etc. ID. Quod vero sequitur: **pellis ejus et carnes et sanguis ejus cum stercore ejus comburentur:** id expositum est quomodo cremabitur, et significatum est quod non solum substantia mortalis corporis Christi, quæ commemoratione pellis et carniem et sanguinis intimata est, sed etiam contumelia et abjectio plebis quæ in stercore significaretur, converteretur in gloriam quam combustionis flamma significat. RAB. Per pellem et carnem exterior Christi operatio significatur: per sanguinem subtilis et interna virtus exteriora facta vivificans; per fimum lassitudo, sitis, esuries, et timor mortis, et quæcunque ex humanitate pati voluit. Quidquid enim defectu mortalitatis habuit, quasi fimus in eo abjiciendum fuit; quæ omnia igni cremanda sunt, id est, juxta veritatem Spiritus sancti intelligenda, ut quæ ab eo corporaliter gesta sunt per incorporeum divinitatis Spiritum disposita sentiantur.

*19.6 **Lignum quoque cedrinum, et hyssopum, coccumque bis tinctum.** APOLLI. De morte igitur sacrorum cecinit vates: **Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me,** etc. Psal. 50., et cui patefactum erat tale mysterium expiationis, quæ per sanguinem Christi futura erat, proposuit: **Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestati mihi.** RAB. Cedrus lignum altum et imputribile est. Hyssopus herba valde humilis, quæ tamen inflationem amovet pulmonis. Per cedrum ergo altam, perseverans contemplatio; per hyssopum mansueti cordis humilitas signatur. Qui enim contemplatione ad superna tollitur, per humilitatis compassionem debet descendere inferioribus, nec se ex eo quod habet erigat, sed his, qui illud non habent, prædicando libenter impendat. AUG. Alia littera, etc., usque ad ut cum illo sit abscondita vita nostra. RAB. Potest intelligi per cedrum spes, etc., usque ad sola in nobis charitas ad ultimum multiplicatur. GREG., Moral. lib. 6, cap. 17. Mittatur in flammam, usque ad ut in ipsa discat opera recta quæ faciat **Hyssopum** ISID. Baptismum, quia hyssopo tincto sanguine agni spargebantur Exod. 12.. **Coccumque bis tinctum.** ID. Coccus bis tinctus, sanguis Christi quo mente et corpore abluimur. Hæc tria purgant peccata, cedrus, id est fides crucis; hyssopus, baptismus vel martyrium; coccus, sanguinis Dominici sacramentum. RAB. In cocco bis tincto virtus charitatis exprimitur, quæ flamma sancti amoris succensa, duobus præceptis exhiberi jubetur, dilectione scilicet Dei et proximi. Bis tinctus ergo coccus est charitas duplici præcepto formata, ut sic diligatur Deus ne deseratur proximus, et sic proximus, ne contemnatur Deus. **Sacerdos.** ID. Omnes qui in Christo credimus sacerdotes sumus, unde: **Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium,** etc. I Petr. 2.. Alta ergo quæ per contemplationem sentimus, et quod ex mansuetudine humilitatis agimus, quod per ignem charitatis exhibemus, passionis Christi sanguine tingere debemus, ut omne quod in nobis est, illum imitetur a quo est, quia extra imitationem passionis non tam virtus quam vitium est. ID. Potest iste sacerdos, qui vaccæ carnes, pellem, sanguinem, fimumque comburit, ordinem Judaici sacerdotii cum plebe supposita in necem Domini consentientis significare, unde sequitur: **Et tunc demum lotis vestibus et corpore suo.**

⁷Et tunc demum, lotis vestibus et corpore suo, ingrediatur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum.[†] ⁸Sed et ille qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua et corpus, et immundus erit usque ad vesperum.[‡] ⁹Colliget autem vir mundus cineres vaccae, et effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam, et in aquam aspersionis: quia pro peccato vacca combusta est.[¶] ¹⁰Cumque laverit qui vaccae portaverat cineres vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filii Israël, et advenae qui habitant inter eos, sanctum jure perpetuo.[§] ¹¹Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus,^{**} ¹²aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari.^{††} ¹³Omnis qui tetigerit humanae animae morticinum, et aspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculum Domini et peribit ex Israël: quia aqua expiationis non

[†]19.7 *Et tunc demum lotis vestibus.* ID. Potest intelligi, etc., usque ad recte, *Colliget autem cineres vaccae vir mundus,* etc. AUG. Lavabit vestimenta sua sacerdos, etc., usque ad resurrectioni eam velut cremationi mandantes.

[‡]19.8 *Usque ad vesperam.* ID. Ad vesperam sacerdos intrat, quia infidelis populus, qui usque ad vesperam, id est, finem mundi, extra mandata vitae, velut extra castra positus est, pravis operibus commaculatus, aqua baptismi et poenitentia lotus ad cognitionem in fine mundi quasi in castra revertitur.

[¶]19.9 *Colliget autem.* AUG. Et congregabit homo, etc., usque ad quia extra celebrationem Judaicæ consuetudinis evangelicus honor claruit. GREG., lib. VI Moral., cap. 17. Vaccam sacerdos comburit, cineres vir mundus colligit, quia infirmitatem Domini Judæus mactavit, subtilia ejus mysteria Gentilis intelligit. Mundi sunt qui passionem Christi gentibus prædicant. *Effundet eos.* Quia Gentilis sacramenta quæ agnovit, prædicare non cessat, sed nescientibus manifestat. RAB. Vir mundus in loco purissimo vaccae cineres fundit, dum quilibet doctus ex gentilitate assumptus, munda per humilitatem gentilium corda requirit, et mysteria eis Redemptoris tradere non desistit. Quod cum agitur, fides gentium multiplicatur, divina virtus agnoscitur, disciplina præceptorum tenetur. Unde subdit, *ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam:* Israël enim interpretatur vir videns Deum; et bene conversa Gentilitas Israël dicitur, quæ Deum jam fide contemplatur. *Extra castra.* Quia omnis Gentilitas extra legem, extra sacrificium, extra synagogam. *Purissimo.* Quia pravis ac pollutis mentibus non sunt secreta Dominicæ incarnationis tradenda, sed his qui ad fidem venientes cor mundaverunt. *Multitudini filiorum* AUG., ubi supra. Alia littera etc., usque ad ut ablutus etiam extrinsecus lavaret quodammodo vestimenta sua. *In custodiam.* Quia subtiliora sacramenta mundis Gentilium cordibus tradita in mentis munitionem vertuntur Quia dum secreta et subtilia operationis illius per imitationem attendimus, per hoc nobis immunditiam providemus, propter operationem, in custodiam nostram fiant cineres, propter baptismum vero in aquam aspersionis. Tunc cineres in nostram custodiam provide custodimus, cum Redemptorem nostrum pro iniquitatibus nostris passum consideramus sollicitate. Perpendimus enim quid retribuatur bonis, qui voluit mori pro malis, quid ad justitiam fidei adducti ejus gratiæ debeamus, qui in iniquitate positi intercessionem mortis ejus accepimus. [§]19.10 *Habebunt hoc.* AUG., quæst. 33. Alia littera, etc., usque ad quod significat vespera.

^{**}19.11 *Qui tetigerit ea.* AUG. *Qui tetigerit morticinum,* etc. Incipit dicere quomodo immundi facti homines, etc., usque ad secundum hoc dictum arbitror per prophetam: *In tribus et quatuor iniquitatibus non adversabor.*

^{††}19.12 *Si die tertio,* etc. ID. Si autem purificatus non fuerit die tertio, etc., usque ad adhuc, id est, etiam post mortem.

est aspersus, immundus erit, et manebit spurcitia ejus super eum.^{‡‡} ¹⁴ Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo: omnes qui ingrediuntur tentorium illius, et universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus. ¹⁵ Vas, quod non habuerit operculum nec ligaturam desuper, immundum erit.^{¶¶} ¹⁶ Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulchrum, immundus erit septem diebus.^{§§} ¹⁷ Tollentque de cineribus combustionis atque peccati, et mittent aquas vivas super eos in vas: ¹⁸ in quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, et cunctam supellectilem, et homines hujuscemodi contagione pollutos: ¹⁹ atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio et septimo die: expiatusque die septimo, lavabit et se et vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum.^{*} ²⁰ Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio ecclesie: quia sanctuarium Domini polluit, et non est aqua lustrationis aspersus. ²¹ Erit hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum. ²² Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: et anima, quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.

20 Veneruntque filii Israël et omnis multitudo in desertum Sin, mense primo, et mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria, et sepulta in eodem loco.[†] ² Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversum Moysen et Aaron: ³ et versi in seditionem, dixerunt: Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino. ⁴ Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem, ut et nos et nostra jumenta moriamur? ⁵ quare nos fecistis ascendere de Ægypto, et adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper et aquam non habet ad bibendum? ⁶ Ingressusque Moyses et Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus, audi clamorem hujus populi, et aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. ⁷ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ⁸ Tolle virgam, et congrega populum, tu et Aaron frater tuus, et loquimini ad petram coram

^{‡‡}19.13 *Polluet tabernaculum*, quantum in se est, secundum illud: *Spiritum nolite extinguere* I Thess. 5., cum exstingui ille non possit. Nam si ex hoc tabernaculum immundum factum vellet intelligi, mundari juberet.

^{¶¶}19.15 *Vas quod*, etc. RAB. Tegmen operculi vel ligatura, est censura disciplinæ, qua quisquis non premitur, quasi vas immundum pollutumque reprobatur. Quasi enim vas sine operculo vel ligatura polluitur, qui per studium ostentationis patens nullo velamine taciturnitatis operitur.

^{§§}19.16 AUG., quæst. 34. *Si quis in agro*. Alia littera, etc., usque ad id est vulnere peremptum aut mortuum sine vulnere.

^{*}19.19 *Lavabit et se*, etc. ID. Alia littera, etc., usque ad immunda erit usque ad vesperam.

[†]20.1 *Veneruntque filii*, etc. ISID., in Num., tom. 5. Tricesima tertia mansio est in deserto Sin: hæc est Cades. Sin autem interpretatur sancta, per antiphrasin: sicut dicitur lucus cum minime luceat; vel bellum, cum sit horridum. In hac mansione Maria moritur et sepelitur, quæ significat prophetiam mortuam, sicut Moyses et Aaron legis et sacerdotii finem, qui non valent ad terram promissionis pervenire, nec populum de solitudine hujus mundi educere, quod facit solus Jesus, id est, Salvator Dei filius. *Percutiens virga*. AUG., quæst. 35. Quia de petra aquaeducta est, etc., usque ad duo enim ligna sunt crux.

eis, et illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo et iumenta ejus. ⁹Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, ¹⁰congregata multitudo ante petram: dixitque eis: Audite, rebelles et increduli: num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? ¹¹Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet et iumenta. ¹²Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron: Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. ¹³Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israël contra Dominum, et sanctificatus est in eis. ¹⁴Misit interea nuntios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israël: Nosti omnem laborem qui apprehendit nos, ¹⁵quomodo descenderint patres nostri in Ægyptum, et habitaverimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Ægyptii, et patres nostros: ¹⁶et quomodo clamaverimus ad Dominum, et exaudierit nos, miseritque angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi, ¹⁷obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas; non bibemus aquas de puteis tuis: sed gradiemur via publica, nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos. ¹⁸Cui respondit Edom: Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi. ¹⁹Dixeruntque filii Israël: Per tritam gradiemur viam: et si biberimus aquas tuas, nos et pecora nostra, dabimus quod justum est: nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus. ²⁰At ille respondit: Non transibis. Statimque egressus est obvius, cum infinita multitudo, et manu forti, ²¹nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos. Quam ob rem divertit ab eo Israël. ²²Cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom: ²³ubi locutus est Dominus ad Moysen: ²⁴Pergat, inquit, Aaron ad populos suos: non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israël, eo quod incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis. ²⁵Tolle Aaron et filium ejus cum eo, et duces eos in montem Hor. ²⁶Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus: Aaron colligetur, et morietur ibi. ²⁷Fecit Moyses ut præceperat Dominus: et ascenderunt in montem Hor coram omni multitudo. ²⁸Cumque Aaron spoliasset vestibibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus. ²⁹Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro. ³⁰Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas. ^{**}

21 Quod cum audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israël per exploratorum viam, pugnavit contra illum, et victor exis-

[‡]20.12 *Quia non credidistis.* ISID., in Num. Hic Moyses Dominum offendit, etc., usque ad *Christus Dei virtus et Dei sapientia est.*

[†]20.13 *Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati filii,* etc. AUG. Quod de aqua illa dictum est, etc., usque ad de ipso enim dicitur: *In signum cui contradicetur,* etc. Luc. 2..

[§]20.22 *In montem Hor, qui est in finibus.* RAB. Tricesima quarta mansio est, etc., usque ad ad paradisum ascensus.

^{**}20.30 *Omnis autem multitudo.* BED. Aaron plangitur, Jesus non plangitur, quia in lege descensus ad inferum, in Evangelio ad paradisum transmigratio. Flevit populus triginta diebus, quia ante legem et sub lege et sub gratia synagoga non recipit spirituale gaudium, sed super occidentem litteram mœsta incumbit.

tens, duxit ex eo prædam.^{††} ²At Israël voto se Domino obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus. ³Exaudivitque Dominus preces Israël, et tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus: et vocavit nomen loci illius Horma, id est, anathema.^{‡‡} ⁴Profecti sunt autem et de monte Hor, per viam quæ ducit ad mare Rubrum, ut circumirent terram Edom. Et tædere cœpit populum itineris ac laboris:^{¶¶} ⁵locutusque contra Deum et Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. ⁶Quam ob rem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum, ⁷venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum et te: ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo, ⁸et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet.^{§§} ⁹Fecit ergo Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur. ¹⁰Profectique filii Israël castrametati sunt in Oboth.* ¹¹Unde egressi fixere tentoria in Jeabarim, in solitudine quæ respicit Moab contra orientalem plagam.[†] ¹²Et inde moventes, venerunt ad torrentem Zared.[‡] ¹³Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, et prominet in finibus Amorrhæi. Siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhæos. ¹⁴Unde dicitur in libro bellorum Domini: [Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon.[¶] ¹⁵Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar, et recumberent in finibus Moabitarum.] ¹⁶Ex eo loco apparuit puteus, su-

^{††}21.1 *Quod cum audisset.* Audivit Chananæus quod venisset Israël in locum exploratorum, ubi quondam offendit populus, inivit prælium, et captivum duxit Israël. Rursumque in eodem loco pugnatur, ex voto victor vincitur, victi superant. In quo intelligitur, ut cum nos Dei auxilio destitutos invaserint hostes et captivaverint, non desperemus: potest enim fieri ut vincamus ubi victi sumus.

^{‡‡}21.3 *Anathema.* AUG., quæst. 40 in Num. Alia littera etc., usque ad idem est quod devoveo, detestor.

^{¶¶}21.4 *Profecti sunt,* etc. HIERON., epist. ad Fabiolam. Tricesima quinta mansio, etc., usque ad ore autem confessio ad salutem Rom. 10..

^{§§}21.8 *Fac serpentem* ISID. in Num., tom. 5. Morsus serpentum exaltato et inspecto æneo serpente sanabantur, etc., usque ad vivit per Divinitatem quasi æneus.

*21.10 *Profectique filii Israël castrametati,* etc. Tricesima septima mansio est in Oboth, quæ vertitur in magos vel pythones. Quia post imaginem Dei, quæ in cordis ratione monstratur, et confessione fidei, quæ ore profertur, consurgunt serpentes et maleficæ artes; nos autem omni custodia servantes cor nostrum, obturemus aures, ne audiamus voces incantantium et carmina sirenarum.

[†]21.11 *Unde egressi.* HIERON., ubi supra. In Jeabarim, etc., usque ad hoc autem eorum proprie est qui solis justitiæ ortum considerant.

[‡]21.12 *Venerunt ad torrentem Zareth,* etc. RAB. Tricesima nona mansio fuit in Dibongad, etc., usque ad sed propositam nobis solitudinem timeamus.

[¶]21.14 *In libro bellorum.* AUG., quæst. 42. Non dixit in quo libro scriptum sit, etc., usque ad scriberetur in aliquo eorum libro bellum Domini.

per quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, et dabo ei aquam.[§]

§21.16 *Ex eo loco*, etc. ORIG., hom. 12 in Num. Quid est quod magnopere præcipit Dominus, etc., usque ad quia una est substantia et natura Trinitatis. ID., ibid. Possunt et illi putei videri, etc., usque ad et terram removit, quam injecerant Philistæi. Notandum autem quia, dum viveret Abraham, non sunt ausi Philistæi replere puteos aut injicere terram, sed eo mortuo invaluerunt et insidiati sunt puteis ejus, sed reparantur per Isaac. Puer quoque Abrahæ ad puteos invenit Rebeccam, quæ interpretatur Patientia: hæc efficitur uxor Isaac, sed apud puteos Gen. 24, 29.; similiter Jacob cum ad Mesopotamiam venit habens præceptum patris, ne alienigenam duceret uxorem, apud puteos invenit Rachel; et Moyses Sephoram Exod. 2.. Si ergo intellexisti quæ et quales sint sanctorum uxores, si vis patientiam in conjugium sumere, vel sapientiam et alias animi virtutes, et dicere quod de sapientia dictum est: *Hanc quæsi mihi ducere uxorem* Sap. 8., esto assidue circa puteos istos, et ibi reperies hujusmodi conjugem, quia apud viventis verbi fluentia certum est habitare virtutes. Sunt ergo multi putei intra animam, et alii plurimi in singulis Scripturarum sermonibus et sensibus: est tamen hic eminentior *quem foderunt*, non quicumque homines, sed *principes*, et horum sublimiores, quos appellavit reges. Ideo in hymnis canitur Deo apud hunc puteum, et scriptum est quoniam hic est puteus super quo locutus est Dominus Moysi: *Congrega populum et dabo ei aquam de puteo. Congrega populum et dabo*. Lex convocat te ad puteum, Christum, scilicet Dei Filium, propria quidem substantia subsistentem, uno tamen cum Patre et Spiritu Deitatis fonte nominatum. Ad hunc ergo puteum, id est ad Christi fidem convocat te lex. Inde ipse dicit: quia *Moyses de me scripsit* Joan. 4.. Vocat autem ut bibamus aquas, et cantemus ei canticum, id est, *cordè credamus ad justitiam et ore confiteamur ad salutem* Rom. 10.. *Foderunt illum principes et excuderunt reges*. Principes ergo foderunt, reges excuderunt, quod ab excudendo, non excidendo dictum est. Excudi enim dicitur, quod in saxo cæditur vel formatur. Principes ergo tanquam inferiores foderunt, id est quasi in terræ mollitiam altitudinem quamdam demerserunt: hi vero quos reges appellat, quasi fortiores, non solum terræ profundum, sed saxi durtiam penetrant, ut perveniant ad profundiores aquas, et ipsas abyssi venas perscrutentur, scientes judicia Dei esse abyssum multam. Hi sunt apostoli, quorum aliquis dicit: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur etiam alta Dei* 1 Cor. 2.. Qui ergo per Spiritum sanctum possunt alta scrutari et penetrare profunda mysteria putei, reges esse dicuntur, qui puteum in petra excuderunt, quia dura et difficilia scientiæ penetrarunt secreta. Foderunt ergo puteum istum principes, et excuderunt reges gentium, id est, Apostoli, qui gentes congregaverunt ad obediendum fidei, et omnibus patefecerunt scientiam Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Impleverunt enim mandatum Dei, *docentes omnes gentes, et baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* Matth. 28.. Et per hoc excuderunt, id est, patefecerunt scientiam putei. Hæc quoque quæ in manibus habemus, nobis puteus est, et omnis Scriptura legis et prophetarum: evangelica quoque et apostolica simul unus puteus est, quem non possunt fodere vel excudere, nisi reges et principes, qui scilicet possunt auferre terram et amovere superficiem litteræ, et de inferiori petra, ubi Christus est, spiritales sensus velut aquam vivam proferre. Reges dicuntur, quia peccati regnum expulerunt, et justitiæ regnum in membris suis posuerunt. Decet enim eum docere cæteros, qui prius fecerit quæ docet, unde: *Qui fecerit et docuerit sic homines, magnus vocabitur in regno cælorum* Matth. 5.; magnum autem in regno esse, est regem esse.

¹⁷Tunc cecinit Israël carmen istud: [Ascendat puteus.] Concinebant:^{**} ¹⁸[Puteus, quem foderunt principes et paraverunt duces multitudinis in datore legis, et in baculis suis.] De solitudine, Matthana.^{††} ¹⁹De Matthana in Nahaliel: de Nahaliel in Bamoth. ²⁰De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum.^{‡‡} ²¹Misit autem Israël nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum,

^{**}21.17 **Ascendat puteus.** ORIG. Initiate illi puteum, id est initium omnium ponite puteum, quia ipse est principium et primogenitus omnis creaturæ Apoc. 3.. Vel sic, ut verba dirigantur ex persona Moysi ad populum: Date initium cordi vestro, ut incipiat intelligere quid sit puteus, de quo spirituales aquæ hauriendæ sunt, et reficiendus est populus credentium. Initiate ergo ei, id est Israëli, hunc puteum, ut sensum mysticum si quis ex corde videt, Deum de profundis possit haurire. Ad hunc puteum Moyses, id est lex congregat, ad quem videtur aliquis pervenire, sed nisi per Moysen congregetur non est Deo acceptus. Marcion videtur sibi venisse, et Basilides, et Valentinus: sed quia non venerunt per Moysen, nec acceperunt legem et prophetas, non possunt laudare Deum de fontibus Israël. Non veniunt ergo ad puteum tales, **quem foderunt principes** Gen. 14. et excuderunt reges. Est autem vallis salsa in qua sunt putei bituminis: omnis autem hæresis et omne peccatum in valle est, et in valle salsa. Peccatum enim non ascendit sursum, sed semper ad ima et inferiora descendit. Est ergo in valle positus, salsus et amarus omnis hæreticus sensus, et omnis peccati actus. Quid enim dulce, quid suave potest habere peccatum? Si autem veneris ad hæreticam sententiam et amaritudinem peccati, venisti ad puteos bituminis, quod est esca et nutrimentum ignis Si gustaveris aquam de his puteis, si hæreticum sensum et peccati amaritudinem receptoris, fomenta ignis et gehennæ incendia in te præparabis. Talibus dicitur: **Incedite in lumine ignis vestri**, etc. Isa. L.

^{††}21.18 **Principes.** Possunt iidem vocari principes et reges. Vel principes prophetas intelligamus: ipsi enim sensum et prophetiam de Christo defossam in profunditate litteræ collocaverunt, ideo de illis dicitur: **Nisi occulte audieritis, plorabit anima vestra.** Et alibi: **Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te** Psal. 30.. Reges sunt apostoli qui perscrutantur alta Dei et Ecclesias regunt, unde et Christus dicitur Rex regum. **Et paraverunt duces.** ORIG. **Excuderunt**, inquit, etc., usque ad et verbi Dei arcana perscrutantes. **Profectique sunt.** ORIG. Profecti a puteo, etc., usque ad ut affectus noster et fides probetur. Qui de hoc puteo bibit, ad hoc proficit ut habeat munera quæ Deo offerat, de quibus in lege dicitur: **Munera mea data mea.** Levit. 2.. Ex his ergo quæ Deus dedit, offertur Deo; dedit autem agnitionem sui, et homo offert ei fidem suam et affectum. Cum obtulerimus quæ ex nobis sunt, consequimur quæ ex Deo sunt. Cum enim nostram fidem et affectum obtulerimus, tunc ipse largitur diversa dona Spiritus sancti, de quo dicitur: **Omnia autem ex Deo sunt** Rom. 11..

^{‡‡}21.20 **In Bamoth.** Bamoth adventus mortis, qua scilicet commorimur, ut vivamus ei, et mortificamus membra nostra super terram. **Consepulti enim sumus illi per baptismum in morte** Rom. 6.. Qui enim ordinem salutaris viæ tenet, debet per hæc singulariter agere et post multa ad hunc locum venire. ORIG. **Et ex Bamoth**, inquit, etc., usque ad imo profectibus iter animæ paratur ad cælum.

dicens:^{¶¶} 22 Obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros et vineas; non bibemus aquas ex puteis: via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos.^{§§} 23 Qui concedere noluit ut transiret Israël per fines suos: quin potius exercitu congregato, egressus est obviam in desertum, et venit in Jasa, pugnavitque contra eum.* 24 A quo percussus est in ore gladii, et possessa est terra ejus ab Arnon usque Jeboc, et filios Ammon: quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum.† 25 Tulit ergo Israël omnes civitates ejus, et habitavit in urbibus Amorrhæi, in Hesebon scilicet, et viculis ejus.‡ 26 Urbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnavit contra regem Moab: et tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat usque Arnon.¶ 27 Idcirco dicitur in proverbio: [Venite in Hesebon: ædificetur, et construatur civitas Sehon:§ 28 ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon, et devoravit Ar Moabitarum, et habitatores excelsorum Arnon. 29 Væ tibi Moab; peristi popule Chamos. Dedit filios ejus in fugam, et filias in cap-

^{¶¶}21.21 *Misit autem.* ID. Mittit Israël legatos ad regem Amorrhæorum, etc., usque ad congregat sibi lacus confractos vel contritos. *Ad Sehon regem.* Sehon, qui interpretatur arbor infructuosa, vel elatus, hic est rex Amorrhæorum, qui interpretantur in amaritudinem adducentes vel loquentes. Hic est diabolus elatus et infructuosus, de quo dicitur: *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* Joan. 14.. Et alibi: *Ecce princeps hujus mundi mittetur foras* Joan. 12., non quia creavit mundum, sed quia in mundo peccatores sunt, et ipse peccati princeps est, secundum quod dicitur: *Quia omnis mundus in maligno positus es* Joan. 5., id est, ipse mundi princeps est.

^{§§}21.22 *Via regia.* Quæ dicit: *Ego sum via, veritas et vita* Joan. 14.. De quo dicitur: *Deus, judicium tuum regi da* Psal. 71.. Hac incedendum est, et nusquam declinandum, nec in agrum nec in vineam, id est nec ad opera, nec ad sensus diabolicos, si volumus pacifice transire per mundum. Sed hoc magis incitat principem mundi quod dicimus nos nolle manere cum eo, vel morari, vel aliquid ejus contingere: inde irascitur et movet persecutiones et pericula, et cruciatus intentat. Inde dicit: *Congregavit Sehon populum suum,* etc.

*21.23 *Exercitu:* principibus scilicet et iudicibus mundi et omnibus nequitiae ministris, qui semper impugnant populum Dei. *In Jasa.* In Jasa, Hebraice *iahtsah* quod interpretatur Mandati impletio. Si enim veniamus ad impletionem mandatorum, superamus superbum et elatum: mandatum enim complere, est diabolum et exercitum ejus superare. Nihil enim nobis poterit nocere, si veniamus in *Jasa*, id est si præcepta Domini nostri Jesu Christi servemus.

†21.24 *In ore gladii.* *Vivus est sermo Dei, efficax, et penetrabilior omni gladio, etc.* Heb. 4.. De quo dicit Apostolus: *Et gladium Spiritus quod est verbum Dei* Eph. 5.. In hujus ore cadit Sehon, id est diabolus. *Terra ejus.* Omnis terrena regio terra Sehon dicitur; sed Christus et Ecclesia ejus in omni terra Sehon dominatur. RAB. Jeboc civitas finisque regni Sehon, etc., usque ad vocatum est nomen ejus Israël.

‡21.25 *Tulit ergo.* AUG., quæst. 44 in Num. Hic possedit Israël civitates Amorrhæorum, etc., usque ad sed declinaverunt ab eis. *Israël.* ORIG., hom. 13 in Num. Qui in Christo Israël est, etc., usque ad et vult ut accendatur. ISID. In tricesima nona mansione, etc., usque ad et intellecta fortiter superatur.

¶21.26 *Sehon regis.* Sehon, id est loquentis: qui enim sub diabolo agunt, tantum loqui norunt, sed inania loquuntur, ut pote astrologi aliqui et philosophi; fidelium autem regnum, quod a Deo est, non in sermone, sed in virtute Dei I Cor. 4.. *Moab.* RAB. Moab qui interpretatur, etc., usque ad corruunt et consumuntur.

§21.27 *Idcirco dicitur.* ORIG., ubi supra. Alia littera, etc., usque ad non Amorrhæorum, sed filiorum Israël.

tivitatem regi Amorrhæorum Sehon. ** 30 Jugum ipsorum disperiit ad Hesebon usque Dibon: lassi pervenerunt in Nophe, et usque Medaba.] 31 Habitavit itaque Israël in terra Amorrhæi. 32 Misitque Moyses qui explorarent Jazer: cujus ceperunt viculos, et possederunt habitatores. †† 33 Verteruntque se, et ascenderunt per viam Basan, et occurrit eis Og, rex Basan, cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai. ‡‡ 34 Dixitque Dominus ad Moysen: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, et omnem populum ac terram ejus: faciesque illi sicut fecisti Sehon, regi Amorrhæorum habitatori Hesebon. 35 Percusserunt igitur et hunc cum filiis suis, universumque populum ejus usque ad interneccionem, et possederunt terram illius.

22 Profectique castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Jordanem Jericho sita est. 2 Videns autem Balac filius Sephor omnia quæ fecerat Israël Amorrhæo, ¶¶ 3 et quod pertimuisset eum Moabitæ, et impetum ejus ferre non possent, 4 dixit ad majores natu Madian: Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab. 5 Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, ut vocarent eum, et dicerent: Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ, sedens contra me. §§ 6 Veni igitur, et maledic populo huic, quia fortior me est: si quomodo possim percutere et ejicere eum de terra mea. Novi enim quod benedictus sit cui benedixeris, et maledictus in quem maledicta congesseris. * 7 Perrexeruntque seniores Moab, et majores natu Madian, habentes divinationis pretium in manibus. Cumque venissent

**21.29 *Væ tibi, Moab.* RAB. Chamos interpretatur, etc., usque ad contra quas dicitur: *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi* Psal. 73..

††21.32 *Jazer*, id est fortitudinem eorum. Fortissima scilicet hæreticorum dogmata dialectica arte constructa. *Et possederunt.* Ab errore convertendo et præcepta Domini docendo, ut de eorum. correctione et profectu cœlestem sibi patriam acquirerent.

‡‡21.33 *Og rex Basan.* ORIG. Ad Og regem Basan, etc., usque ad in nullo enim potest honestum esse quod turpe est.

¶¶22.2 *Videns autem.* AUG., quæst. 46. Quod dicit Scriptura, etc., non vero una gens erat, sed duæ vicinæ.

§§22.5 *Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor.* ORIG., Hom. 13. Bellum tibi imminet, rex Balac, etc., usque ad mittit ergo rex ad eum dicens: *Veni nunc, et maledic mihi populum hunc*, etc.

*22.6 *Si quo modo possim.* Videtur non ex integro confidere in Balaam fama virtutum quæ in populo Dei factæ sunt perterritus. *Novi enim quod benedictus sit.* ORIG. Non credo eum scire quod quibuscunque benedixisset Balaam, benedicti essent, sed adulandi gratia hæc dicere, ut artem ejus extollens promptiorem sibi faceret. Ars enim magica nescit benedicere, nec dæmones scit benedicere Isaac, et Jacob, et omnes sancti: impiorum nullus benedicere novit.

ad Balaam, et narrassent ei omnia verba Balac,[†] 8 ille respondit: Manete hic nocte, et respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam, venit Deus, et ait ad eum:[‡] 9 Quid sibi volunt homines isti apud te? 10 Respondit: Balac filius Sephor rex Moabitarum misit ad me, 11 dicens: Ecce populus qui egressus est de Ægypto, operuit superficiem terræ: veni, et maledic ei, si quomodo possim pugnans abigere eum. 12 Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicis populo: quia benedictus est. 13 Qui mane consurgens dixit ad principes: Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum. 14 Reversi principes dixerunt ad Balac: Noluit Balaam venire nobiscum. 15 Rursum ille multo plures et nobiliores quam ante miserat, misit. 16 Qui cum venissent ad Balaam, dixerunt: Sic dicit Balac filius Sephor: Ne cuncteris venire ad me:[¶] 17 paratus sum honorare te, et quidquid volueris, dabo tibi: veni, et maledic populo isti. 18 Respondit Balaam: Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar.[§] 19 Obsecro ut hic maneatis etiam hac nocte, et scire queam quid mihi rursus respondeat Dominus. 20 Venit ergo Deus ad Balaam nocte, et ait ei: Si vocare te venerunt homines isti, surge, et vade cum eis:

[†]22.7 *Divinationis pretium.* Alii: *Divinacula in artibus*, quas curiositas humana composuit. Sunt quædam quæ Scriptura divinacula nominavit. Gentilis autem consuetudo vel tripodas vel cortinas, vel hujusmodi vocabulis appellat, quæ quasi ad hoc consecrata, moveri ab eis et contrectari solent. Sed divina Scriptura Ephod vernaculo sermone nominat in prophetis, quod tradunt esse indumentum prophetantium I Reg. 30.. Aliud tamen in divina Scriptura prophetia, aliud divinatio. Ait enim: *Non erit auguratio in Jacob, neque divinatio in Israël.* Abdicatur ergo penitus divinatio, opere enim et ministerio dæmonum impletur. Igitur Balaam acceptis divinaculis, cum solerent ad se dæmones venire, fugatos videt et Deum adesse: quem ideo dicit se interrogare, quia consuetos sibi apparere non videt. Venit ergo Deus ad Balaam, non quia sit dignus, sed ut fugentur illi qui ad maledicendum et malefaciendum adesse consueverant: hinc enim providebat Deus populo suo.

[‡]22.8 *Venit Deus,* etc. Non dicitur utrum in somnis hoc factum sit, quamvis per noctem factum esse constet. Postea enim dicit Scriptura: *Exsurgens Balaam mane,* etc. Nemo gloriatur, si sibi Deus loquitur. Novit enim quomodo loquendum sit cum talibus, cum loquatur etiam cum reprobis: qui et cum per angelos loquitur, ipse loquitur. ORIG., Hom. 13. *Venit Deus, et ait ad eum,* etc. Potest objici: Licet invocet Balaam dæmones, etc., usque ad et ad magnæ fidei argumentum parvum puerum quasi magnum regem venerati sunt.

[¶]22.16 *Sic dicit Balac filius Sephor,* etc. Balac exclusio vel devoratio: in quo significatur mundi hujus aliqua contraria potestas, quæ excludere et devorare cupit Israël spiritualem, nec utitur ministris nisi pontificibus et scribis et Phariseis. Ipsos invitat, mercedem promittit; illi vero sicut Balaam cuncta simulant se ad Dominum referre, et zelo Dei agere. Dicunt enim: *Scrutare Scripturas et vide quia propheta a Galilæa non surgit.* Et: *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit* Joan. 7, 19..

[§]22.18 *Si dederit mihi Balac,* etc. AUG., quæst. 48. Quod ait Balam iterum ad se missis honoratoribus nuntiis, etc., usque ad unde *Secuti viam Balaam filii Beor, qui mercedem iniquitatis dilexit.*

ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero, facias.** 21 Surrexit Balaam mane, et strata asina sua profectus est cum eis. 22 Et iratus est Deus. Stetitque angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, et duos pueros habebat secum.†† 23 Cernens asina angelum stantem in via, evaginato gladio, avertit se de itinere, et ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, et vellet ad semitam reducere,‡‡ 24 stetit angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. 25 Quem videns asina, junxit se parieti, et attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam:¶¶ 26 et nihilominus angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram, nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit.§§ 27 Cumque vidisset asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis: qui iratus, vehementius cædebat fuste latera ejus.* 28 Aperuitque Dominus os asinæ, et locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me ecce jam tertio?† 29 Respondit Balaam: Quia commeruisti, et illusisti mihi: utinam haberem gladium, ut te percuterem! ‡ 30 Dixit asina: Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? dic quid simile umquam fecerim tibi. At ille ait: Numquam. 31 Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in via, evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram. 32 Cui angelus: Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam? ego veni ut adversarer tibi, quia

**22.20 *Venit ergo Deus.* Molestus est Deo Balaam, et prope extorquet permitti sibi, ut eat maledicere filiis Israël, et invocet dæmones ad quem jam venerat Deus. ORIG., Hom. 13. Difficile est in explanatione historiæ, etc., usque ad quia apud Deum otiosa non sunt nec malorum nec bonorum opera. *Si vocare.* RAB. Balaam divinus erat, etc., usque ad non tam corde et sensu, quam ore et sermone. ORIG. Si videas contrariam potestatem, etc., usque ad scilicet ex gentibus credentes.

††22.22 *Stetitque angelus Domini.* Qui aderat scilicet filiis Israël, de quo scriptum est: *Angelus meus ibit tecum* Exod. 32..

‡‡22.23 *Cernens asina angelum stantem.* Magus dæmones videt, asina angelum non quod sit digna videre, sicut nec loqui, sed ut confutetur Balaam, unde mutum animal arguit prophetæ dementiam. GREG., Past., part. 3, adm. 13. Balaam pervenire ad propositum tendit, etc., usque ad quia ad maledicendum pergens vocem, non mentem, mutavit.

¶¶22.25 *Parieti.* Id est, maceriæ illius vineæ, in qua non erat angelus, quoniam ab alia parte erat in sulcis vinearum, juxta Septuaginta.

§§22.26 *Ad locum.* Non jam in sulcis vinearum, sed inter ipsas macerias, id est in via obstitit, ut non posset ad dexteram neque ad sinistram ire.

*22.27 *Concidit sub,* etc. Quia cæsa non ivit retro, in partem non declinavit, quia non ab altera parte terrebatur, sed in media via in angusto erat angelus.

†22.28 *Aperuitque.* Ut arguatur per eam Balaam, et mutæ pecudis vocibus confutetur, qui divinus videbatur et sapiens. *Et locuta est.* ISID. Asina cui Balaam sedet, angelum videt, et loquitur; id est bruta Gentilitas, quam quondam Balaam, id est, seductor idololatriæ, quasi brutum animal et nulla ratione renitens, quo voluit errore substravit; sed ista angelum vidit quem homo videre non potuit, et vidit, et detulit, et locuta est; ut agnosceremus sub adventu magni angeli, illam gentilem plebem mutata duritie stoliditatisque natura solutis Deo linguis locuturam. ORIG. hom. 14. Asina cui Balaam sedebat, etc., usque ad major autem his charitas, quæ sola nunquam cadit.

‡22.29 *Respondit.* Nimirum tanta cupiditate plenus ferebatur, ut nec tanti monstri miraculo terreretur, et responderit quasi ad hominem loquens; cum Deus non asinæ animam, in rationalem naturam vertisset; sed quod illi placuerat ex illa sonare fecisset ad illius vesaniam cohibendam; illud forte præfigurans: *Quia stulta mundi elegit Deus, ut confunderet sapientes,* pro spirituali et vero Israël.

perversa est via tua, mihi que contraria: ³³ et nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidisset, et illa viveret. ³⁴ Dixit Balaam: Peccavi, nesciens quod tu stares contra me: et nunc si displicet tibi ut vadam, revertar. ³⁵ Ait angelus: Vade cum istis, et cave ne aliud quam præcepero tibi loquaris. Ivit igitur cum principibus. ³⁶ Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum ejus in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon. ³⁷ Dixitque ad Balaam: Misi nuntios ut vocarent te: cur non statim venisti ad me? an quia mercedem adventui tuo reddere nequeo? ³⁸ Cui ille respondit: Ecce adsum: numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo? ³⁹ Perrexerunt ergo simul, et venerunt in urbem, quæ in extremis regni ejus finibus erat. ⁴⁰ Cumque occidisset Balac boves et oves, misit ad Balaam, et principes qui cum eo erant, munera. ⁴¹ Mane autem facta, duxit eum ad excelsa Baal, et intuitus est extremam partem populi.

23 Dixitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes. ² Cumque fecisset juxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum et arietem super aram. ³ Dixitque Balaam ad Balac: Sta paulisper juxta holocaustum tuum, donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus, et quodcumque imperaverit, loquar tibi. ⁴ Cumque abiisset velociter, occurrit illi Deus. Locutusque ad eum Balaam: Septem, inquit, aras erexi, et imposui vitulum et arietem desuper. ⁵ Dominus autem posuit verbum in ore ejus, et ait: Revertere ad Balac, et hæc loqueris. ⁶ Reversus invenit stantem Balac juxta holocaustum suum, et omnes principes Moabitarum: ⁷ assumptaque parabola sua, dixit: [De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus orientis: Veni, inquit, et maledic Jacob; propera, et detestare Israël. ⁸ Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? qua ratione detester, quem Dominus non detestatur? ⁹ De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, et inter gentes non

[†]22.38 *Ecce adsum: Nunquid aliud loqui potero nisi quod Deus,* etc. ORIG., hom. 15. Balaam in Scripturis nunc vituperabilis, nunc laudabilis ponitur, etc., usque ad Balaam, illuminatus ab illo Lucifero de quo dicitur: *Et quomodo cecidit Lucifer qui mane oriebatur?* Isa. 14.

[§]23.7 *Veni,* inquit, *et maledic mihi Jacob.* ORIG. hom. 15. In Latinis sermonibus, etc., usque ad ideoque dicit verbum Dei positum *in ore ejus.*

^{**}23.8 *Quomodo maledicam.* ID. Alia littera, etc., usque ad et pronuntiandi auctoritas perimatur. *Cui non maledixerit Deus.* Qui tantum meritum designat ejus cui maledicatur, et sententiam promittit, quem non qualitas peccati, nec fallit affectus peccantis: homo autem neutrum novit, et sæpe conviciis aut injuriis provocatus maledicit. Ideo dicit Apostolus: *Benedicite et nolite maledicere* Rom. 12., ut conviciandi vitium resecetur.

reputabitur.†† 10 Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpis Israël? Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.]‡‡ 11 Dixitque Balac ad Balaam: Quid est hoc quod agis? ut malediceres inimicis meis vocavi te, et tu e contrario benedicis eis.¶¶ 12 Cui ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus? 13 Dixit ergo Balac: Veni mecum in alterum locum unde partem Israël videas, et totum videre non possis: inde maledicto ei. §§ 14 Cumque duxisset eum in locum sublimem, super verticem montis Phasga, ædificavit Balaam septem aras, et impositis supra vitulo atque ariete, * 15 dixit ad Balac: Sta hic juxta holocaustum tuum, donec ego obvius pergam.† 16 Cui cum Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore ejus, ait: Revertere ad Balac, et hæc loqueris ei. 17 Reversus invenit eum stantem juxta holocaustum suum, et principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus est Dominus? 18 At ille, assumpta parabola sua, ait: [Sta, Balac, et ausculta; audi, fili Sephor: 19 non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet?

††23.9 *De summis*, etc. Quasi, ideo non debet maledici, quia alta et cœlestis ejus vita. Nemo intelligit eam, nisi ad eminentem scientiam ascenderit. ORIG. Alia littera, etc., usque ad consurgentes cum Christo exercuerint super terram. *Vide*, etc. Actus Jacob, id est activorum, videntur: contemplatio Israël, id est contemplativorum, tantum intelligitur. Vel, in futura resurrectione Jacob, videbitur, id est corpus Israël intelligitur, id est, resurgentium anima et spiritus. *Populus solus*. Quia non est permistus cæteris hominibus, nec inter cæteras gentes reputatus, certis nobilitatis privilegiis, observationibus et legitimis suis, sicut tribus Levi non est permista cæteris. *Populus solus habitabit*, etc. ORIG. Spiritualis Jacob et Israël, etc., usque ad inter gentes ultra reputabitur. *Quis numerare*. ID. Alia littera, etc., usque ad et patitur illa quæ in secundo libro Regum sunt scripta.

‡‡23.10 *Moriatur anima mea*. ID. De se prophetare videtur: sed secundum litteram nec in Balaam, nec in illo Israël factum est, nec fieri potuit, nec enim intra ipsos, sed ab ipsis mortuus est. ID. Moriatur anima mea morte justorum, etc., *usque ad: sed fides quæ per dilectionem operatur* Gal. 5.. GREG., lib. XXXIII Moral., cap. 27. *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum*, etc. Multi intra Ecclesiam, etc., usque ad unde, *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati* I Reg. 1.. *Et fiant novissima mea horum*, etc. ORIG. Hoc in Magis, qui de Oriente primi venerunt adorare Christum Matth. 2., potest intelligi, qui de genere Balaam erant per generis successionem, et per disciplinæ traditionem. Constat enim eos agnovisse stellam quam prædixerat Balaam in Israël orituram

¶¶23.11 *Quid est hoc?* Balac contra spem benedictiones pro maledictionibus audiens, et ultra non ferens, prophetantis verba interruptit. ID. Non vult amarus rex benedictionem, sed maledicta quærit: est enim de cognatione illius cui dicitur: *Maledictus tu ab omnibus bestiis terræ* Gen. 3.. *Dixit ergo Balac*. Putat eum perterritum Israël's multitudine, et ideo non ausum maledicere, et mutationem loci sibi prodesse.

§§23.13 *Videre non possis*. Demens putavit Israhëlicam gratiam loci abjectione celari, nesciens quia *non potest abscondi civitas supra montem posita*.

*23.14 *Ædificavit*. Res profanis sacrificiis agebatur, et divinatio arte magica quærebatur. Volens tamen Deus abundare gratiam ubi abundavit delictum Rom. 5., adesse dignabatur, non sacrificiis, sed in occursum venienti. Et ibi dat verbum suum et mysteria, et futura pronuntiat, ubi maxime fides et admiratio Gentilium pendet: ut qui nostris nolunt credere prophetis, credant divinis suis.

†23.15 *Sta hic juxta*. Ad holocaustum suum stabat in idololatria sua positus, ideo magis cadebat: surgere ergo videtur, qui magis ceciderat, cum idololatria stare videretur. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur*. ORIG., hom. 16. Alia littera, etc., usque ad ne perveniat ad eum vindicta malorum suorum.

locutus est, et non implebit?[‡] ²⁰ Ad benedicendum adductus sum: benedictionem prohibere non valeo. ²¹ Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israël. Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriae regis in illo.[¶] ²² Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis.[§] ²³ Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israël: temporibus suis dicetur Jacob et Israël quid operatus sit Deus.^{**} ²⁴ Ecce populus ut læna consurget, et quasi leo erigetur: non accubabit donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat.]^{††} ²⁵ Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas. ²⁶ Et ille ait: Nonne dixi tibi quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem? ²⁷ Et ait Balac ad eum: Veni, et ducam te ad alium locum: si forte placeat Deo ut inde maledicas eis. ²⁸ Cumque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem, ²⁹ dixit ei Balaam: Ædifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes. ³⁰ Fecit Balac ut Balaam dixerat: imposuitque vitulos et arietes per singulas aras.

24 Cumque vidisset Balaam quod placeret Domino ut benediceret Israël, nequaquam abiit ut ante perrexerat, ut augurium quæreret: sed dirigens

[‡]23.19 *Dixit ergo*, etc. ORIG. Alia littera, etc., usque ad hæc vero a perfectioribus secretius advertenda sunt?

[¶]23.21 *Non est idolum in Jacob*. Alia translatio: *Non erit labor in Jacob, neque videbitur dolor in Israël*, in futuro scilicet sæculo. ORIG. *Non erit labor in Jacob, neque videbitur dolor in Israël*, etc. II Cor. 11.. Futuræ vitæ status denuntiatur, etc., usque ad et prophetas audiant illos. *Dominus Deus*, etc. ORIG. Alia littera, etc., usque ad qui luctatus est et vicit accipiet. *Et clangor victoriae regis in illo*. Admonitio prædicationis, qua in nobis rex, id est Christus, diabolus triumphat.

[§]23.22 *Deus eduxit eum*. ID. Alia littera, usque ad transformabit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. *Cujus fortitudo*. Cujus? Christi. Cujus quidquid est, unum cornu est, id est unum regnum, cujus gloria est spiritualis Israël. Ipse enim ait: *Pater, da illis ut sicut ego et tu unum sumus, ita in nobis unum sint* Joan. 17..

^{**}23.23 *Non est augurium in Jacob*. ORIG., hom. 16 in Num. Alia littera, etc., usque ad neque divinatio in Israël. Sequitur: *In tempore dicetur Jacob, et Israël quod perficiet Deus*: id est cum oportet, cum expedit, etc., usque ad quæ Moyses his credo de causis vocavit immunda. *In Israël*. Qui per fidei puritatem et munditiam mentis videt Deum, nec ipsum Balaam reciperet, sed verbum quod Deum posuit in ore ejus respuere non audet. Nisi enim verbum a Deo esset, non illud famulo suo Moysi procul absenti, cum Balaam hæc diceret, revelasset.

^{††}23.24 *Ecce populus*, etc. Alii: *Ecce sicut catulus leonis exsurget, et sicut leo exsultabit*. Catulus enim est, cum nuper geniti infantes rationabiles sine dolo lac accipiunt: leo autem exsultans, cum vir perfectus deponit quæ erant parvuli. ORIG. Alia littera, etc., usque ad dedit in se credentibus nomen leonis, et catuli leonis. *Erigetur*. Erigendum dicit populum futurum, de eo enim quæ videbat, dixisset, erectus est. *Non accubabit*. ORIG. Alia littera, etc., usque ad et ut leo exsultans. *Cumque duxisset*. ORIG. Et assumpsit Balac, etc., usque ad et deserta sunt Deo negotia. *Ædifica mihi hic*. ID. Quæ sacrificant gentes, etc., usque ad qui fidem Christi non recipiunt.

contra desertum vultum suum,^{‡‡ 2} et elevans oculos, vidit Israëġ in tentoriis comorantem per tribus suas: et irruente in se spiritu Dei,^{¶¶ 3} assumpta parabola, ait: [Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus est oculus:^{§§ 4} dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus: ⁵ Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israëġ !^{* 6} ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.^{† 7} Fluēt aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag, rex ejus, et auferetur regnum illius. ⁸ Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, et perforabunt sagittis.^{‡ 9} Accubans dormivit ut leo, et quasi læana, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit et ipse

^{‡‡}24.1 *Cumque*, etc. ORIG. Cum nullum dæmonum, etc., usque ad et unumquemque in ordine suo resurrectionis gloriam adepturum. *Nequaquam abiit*. Id est non stultis sensibus, sicut solebat in multis animalibus et pecudibus, Dei considerabit voluntatem: sed agnoscet quia neque de bobus cura est Deo, neque de ovibus, neque de avibus, aliisque animalibus I Cor. IX; Rom. 15., sed quæ de eis scripta sunt, propter homines intelligit scripta.

^{¶¶}24.2 *Irruente in se*. AUG., quæst. 51 in Num. *Et factus est spiritus Dei super illum*, id est super Balaam, etc., usque ad et multa similia.

^{§§}24.3 *Dixit Balaam*. ORIG., hom. 17. *Dixit Balaam filius Beor*, etc., usque ad et ideo dicit revelatos oculos ejus esse, quia potuit videre quod vidit. *Cujus obturatus*, etc. RAB. Quia in somnis clausis corporeis oculis angelico ministerio hæc vidit. Oculos vero mentis partim habet apertos, partim clausos, qui mysteria futura agnoscit, sed errorem non corrigit. Sic iniqui aliud scientia, aliud moribus agunt: aliud ore, aliud opere ostendunt.

^{*}24.5 *Quam pulchra*. ORIG., hom. 17. Alia littera, etc., usque ad ut nemora umbrantia, ut paradisi super flumina, etc.

[†]24.6 *Ut valles nemorosæ*. ORIG. Alii, etc., usque ad et in doctrina eorum quasi incedentes per opaca nemorum delectantur. *Ut horti juxta fluvios irrigui*. ID. Alia littera, etc., usque ad in tabernaculo merito dicitur habitare. *Cedri*. Dei scilicet, quæ suscipiunt palmites vitis de Ægypto translatae: in quibus requiescit ille fructus, cujus umbra operuit montes. ORIG. Alia littera, etc., usque ad et novissimum inimicum destruat mortem.

[‡]24.8 *Eduxit illum de*. Deus eduxit eum ex Ægypto post mortem scilicet Herodis, unde: *Ex Ægypto vocavi Filium* Osee. 11.. Quod ex hoc loco videtur assumptum et Evangelio insertum vel de Osee propheta. Post mortem Herodis, vel, de sæculo, eduxit illum Pater ad semetipsum, ut viam faceret eis qui de hoc mundo ascensuri erant ad Deum. *Cujus fortitudo similis*, etc. Omnia enim dæmonum regna dejiciens, unum suum regnum quasi vere unicornis fundavit in gloria: cornu enim regnum significat. *Devorabunt gentes*, etc. ORIG., ubi supra. *Edet gentes inimicorum suorum, et crassitudines illorum medullabit*, etc. Gentes scilicet, etc., usque ad qui intelligibilis et sanctus est, et unus et multiplex dicitur et subtilis. *Et perforabunt sagittis*. LXX: *Et jaculis suis sagittabunt inimicum*. Christus enim verbis suis vicit diabolum Matth. 4., et omnes contradicentes superat et confringit: omnis enim qui peccat, inimicus ejus est, dum peccat; si autem verbis Dei confixus peccata sua agnoscens compungatur, et ad pœnitentiam conversus, jaculis ejus confixus dicitur.

benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.][¶] 10 Iratusque Balac contra Balaam, complosis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus e contrario tertio benedixisti: 11 revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te, sed Dominus privavit te honore disposito.[§] 12 Respondit Balaam ad Balac: Nonne nuntiis tuis, quos misisti ad me, dixi: 13 Si dederit mihi Balac ple-nam domum suam argenti et auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo: sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar?^{**} 14 verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.^{††} 15 Sumpta igitur parabola, rursum ait: [Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus est oculus:^{‡‡} 16 dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones Omnipotentis videt, qui

[¶]24.9 *Accubans dormivit ut leo*, etc. Si intellexisti quantam requiem habeat iter sapientiæ, quantum gratiæ, quantumque dulcedinis, noli dissimulare, noli negligere, aggredere iter, nec eremi solitudinem perhorrescas; habitanti enim in hujusmodi tabernaculis occurrit manna cœlestis, et angelorum panem manducabis Exod. 16.. Incipe tantum cito, in consortium tuum venient angeli, quos significant cedri. *Quam suscitare nullus audebit*; LXX: *Quis suscitabit eum?* Nunc enim a Patre suscitatus dicitur; nunc ipse templum corporis sui suscitare se dicit Joan. 2., ideo quasi percontantis significatur affectus. *Qui benedixerit*. Qui benedicunt, Christo benedicunt in communionem paternæ benedictionis assumpti. Qui autem maledicunt maledicti sunt. Judæi qui maledixerunt Christo, lacrymabiliter maledicti sunt. Quid enim posset illis evenire qui maledicunt sapientiæ, et veritati et vitæ, nisi ut ab his omnibus exsules jaceant? Hæc enim omnia Christus est Joan. 9. *Qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur: Iratusque Balac contra*. ORIG. Ego puto quod non solum maledicit Christo, qui sermonem adversus eum profert maledictum; sed etiam qui sub nomine Christiani male agit turpiter vivit, et inhonestis verbis aut factis nomen ejus facit blasphemari. Sicut non solum Deum benedicunt, qui sermonibus solis, sed et qui actibus, vita et moribus facit nomen Dei benedici.

[§]24.11 *Dominus privavit te honore disposito*. Ostendit Dominus quia etiam Balac intellexit non jam dæmonum ministerio decipi Balaam, sed Dei virtute ad meliora transferri.

^{**}24.13 *Non potero præterire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni*. Sciens Balaam quod non sibi per ministros solitos responsa deferrentur, sed ab eo qui habet omnium potestatem, recte videtur protestatus se non posse præterire verbum Domini, vel proferre aliquid boni vel mali ex ore suo. Qui enim loquitur, non potest sacrificiis vel muneribus permutari, apud quem non est transmutatio, et ideo non potest sacerdos mercede mutari, ubi Deus muneribus non movetur. Discessurus tamen Balam incipit iterum prophetare. Et dicit: *Consilium do tibi*, etc.

^{††}24.14 *Dabo tibi consilium* ORIG., hom. 18. *Veni, consilium do tibi*, etc., usque ad tanquam qui vere videns sit et vere audierit.

^{‡‡}24.15 *Dixit Balaam*. ID. *Balaam filius Beor*, etc., usque ad quæ pro utilitate concessa sunt. GREG., lib. XV Moral., cap. 22. *Dixit homo cujus obturatus est oculus*. Nescit impius mala quæ facit, nisi cum pro eis puniri cœperit. Consilium Balaam contra Isrælitas præbuit, sed post in pœna vidit quid prius ex culpa commiserit. Electi autem quia ne peccare debeant, prævident: oculi eorum ante casum patent. Iniquus vero post casum oculos aperit, quia post culpam jam in pœna conspicit, quia malum debuit vitare quod fecit.

cadens apertos habet oculos:[¶] 17 Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israël: et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.^{§§} 18 Et erit Idumæa possessio ejus: hæreditas Seir cedet inimicis suis: Israël vero fortiter aget.* 19 De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis.] 20 Cumque vidisset Amalec, assumens parabolam, ait: [Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur.][†] 21 Vidit quoque Cinæum: et assumpta parabola, ait: [Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum,[‡] 22 et fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Assur enim capiet te.][¶] 23 Assumptaque parabola iterum locutus est: [Heu ! quis vic-

[¶]24.16 *Qui cadens apertos habet oculos.* Sæpe malus æterna judicia admiratur, prædicationem cœlestis patriæ cum audit, diligit, et opera divinæ dispositionis obstupescit. Jacens ergo miracula considerat, quia Dei potentiam sciendo pensat, sed vivendo non amat.

^{§§}24.17 *Videbo eum, sed non modo.* Alia littera: *Ostendam ei, et non modo. Beaticifico et non appropinquat.* Hæc ad illos quorum personam gerit referuntur. Quia doctores legis et scribæ ostendunt Christum in lege et prophetis promissum, sed non modo; id est quando venit, sed cum plenitudo gentium introierit, tunc ostendent, tunc beatificabunt, modo blasphemant. Sed tempus quo hæc futura sunt, longe est et in fine sæculi. Ideo ait: *Ostendam illi*, id est populo, qui tunc salvabitur, *sed non modo. Non modo*, cum ista loquor: Quia *ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum* Gal. 4.. *Orietur stella ex Jacob.* ORIG. De hac stella, etc., usque ad ut utrumque eviderent prophetatum appareat. *Et percutiet duces, principatus et potestates affigens cruce* Col. 2.. Aliter non potest salvare Moabitas, nisi prius vastasset duces impietatis. *Vastabitque omnes.* ORIG. *Et prædabitur omnes filios Seth.* Iste est Seth filius Adam, etc., usque ad de morte revocavit ad vitam. *Et erit Idumæa possessio ejus.* ID. *Et erit Edom hæreditas ei, Esau inimicus ejus*, etc. Edom idem est qui Esau, etc., usque ad per obedientiam spiritus consors futuræ hæreditatis existet.

^{*}24.18 *Israel vero fortiter aget.* ID. *Et Israel fecit in virtute.* Quia scilicet tunc Edom, etc., usque ad qui potest animam et corpus perdere in gehennam. *Et perdat reliquias civitatis.* ID. Perdet liberatum de civitate, etc., usque ad cui si commorimur, etiam convivemus II Tim. 2..

[†]24.20 *Principium.* Non hoc ad historiam Amalec referri potest: non enim primus erat antiquitate; sed ad spiritalem, qui declinando populos a Deo et faciendo gentiles ex Dei cultoribus, Amalec nominatur. Et initium gentium dicitur, quia initium dedit, ut homines fierent gentiles mutando gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis: ut enim in populo Dei Christus est initium, sic in populo qui declinat a Deo, et gentilis efficitur Amalec. ORIG. Initium gentium Amalec, etc., usque ad et omnis secta quæ a Deo populum declinat, exponatur.

[‡]24.21 *Vidit quoque*, etc. ID. Alia littera, etc., usque ad et discant non blasphemare. Non videtur Cinæum valde culpabiliter nominare, cui dixit Saul: *Discede de medio Amalec et non percutiam te, quia fecisti misericordiam Israel*, etc. I Reg. 15. Hujus robustum est habitaculum, si ponat in petra, quæ est Christus, nidum suum. RAB. Cinæus, etc., usque ad et omne quod præterit cordis volatu transcendunt.

[¶]24.22 *Electus.* Electi de numero sapientum, veritatis inquisitores vita vivunt perpetua; unde: *elucidant me, vitam æternam habebunt* Eccli. 24.. *Assur.* Diabolus scilicet, cui hæretici traduntur dirigendi et corrigendi.

turus est, quando ista faciet Deus?^{§ 24} Venient in trieribus de Italia: superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, et ad extremum etiam ipsi peribunt.]^{** 25} Surrexitque Balaam, et reversus est in locum suum: Balac quoque via, qua venerat, rediit.^{††}

25 Morabatur autem eo tempore Israël in Settim, et fornicatus est populus cum filiabus Moab,^{‡‡ 2} quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At ille comederunt et adoraverunt deos earum.^{¶¶ 3} Initiatusque est Israël Beelphegor: et iratus Dominus,^{§§ 4} ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israël. ⁵ Dixitque Moyses ad iudices Israël: Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. ⁶ Et ecce unus de filiis Israël intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moysse, et omni turba filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi. ⁷ Quod cum vidis-

[§]24.23 *Parabola.* Sæpe parabolice loqui dicitur, ne quid in his non quasi parabolam, sed secundum litteram accipiamus. *Quis.* Tam felix, qui hæc videat, sentiat, intelligat, et credat, quod hæc ita fecerit Deus. *Quando ista.* Cum scilicet *oriatur stella ex Jacob, surget homo ex Israël, et delebit Amalec, et semen peribit.* Id est, cum veniet Christus et cultum idolorum destruet, et dæmonum potestatem subjiciet.

^{**}24.24 *Venient.* Videtur significare quod juxta incarnationem Domini veniant Romani, Assyrios, Hebræos et omnes orientales superaturi, et tandem regnum perdituri, secundum statuam Danielis Dan., 2.; vel quod in adventu Christi in fine temporum, quod pars occidentalis significat, omnia regna mundi gladio spiritus, id est, verbo Dei superentur, et in tempore Antichristi cesset prædicatio Evangelii. ORIG. Alia littera, etc., usque ad ei super omnem virtutem inimici. *Hebræos.* Hebræus est qui de Ægypto transit ad terram promissionis, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam: sed non sine magno certamine potest obtinere; affligit ergo et affligitur, cædit adversarium et cæditur. Affligunt ergo Assyrii Hebræos, id est, populum Dei, sicut affliguntur ab eis. *Etiam ipsi peribunt.* ID. *Et ipsi pariter peribunt.* Non cum Hebræis scilicet, sed pariter, etc., usque ad quos deceptio diaboli deduxit in mortem.

^{††}24.25 *Surrexitque.* ID., hom. 20. Quia Balaam Dei virtute constrictus, etc., usque ad rex vero Balac continuo consilio paruit.

^{‡‡}25.1 *Orabatur,* etc., *in Setim.* Interpretatione Hebraicorum nominum, Sittim invenimus in lingua nostra responzionem vel refutationem dici. Applicuit ergo Israël ad responzionem vel refutationem, non bene applicuit. ORIG., hom. 20 in Num. Ipsa historia nos ædificat, etc., usque ad mendacio et omnibus malis, cum quibus unum corpus efficitur.

^{¶¶}25.2 *Comederunt.* Quasi, etiam de his quæ immolata sunt idolis comedunt, quæ execrabilia sunt apud Deum. Quis enim consensus templo Dei cum idolis? ORIG. Ait Apostolus, etc., usque ad et qui eum recipit, idolis immolata manducat. *Et adoraverunt deos earum.* Nota ordinem: malos servos primo concupiscentia decipit, inde ingluvies, postremo captivat impietas, cujus merces exsolvitur fornicatio. ORIG. Salomon cum esset sapientissimus, etc., *usque ad, Adolescentularum non est numerus, una tamen est columba mea.*

^{§§}25.3 *Initiatus est Israël,* etc. Consecratus est, scilicet mysteriis idoli, quod apud Madianitas præcipue a mulieribus colitur, et est species turpitudinis, sed scriptum vix reperitur quæ, vel qualis sit, vel cujus formæ, forte ne auditorem polluat. Cum ergo multæ sint turpitudinis species, una Beelphegor dicitur. Omnis ergo qui turpe aliquid committit, in aliqua turpitudinis specie Beelphegor consecratur. ORIG. *Et initiatus est Beelphegor,* etc. Per omnia peccata quæ committimus, etc., usque ad prædicens quia vincula et carceres maneant eum ibi. ORIG. Fortassis referuntur hæc ad angelos, etc., *usque ad rationem reddituri pro animabus vestris.* ID. Populus peccat, etc., usque ad ante quem nihil potest abscondi, nihil obscurari. AUG., quæst. 52 in Num. Et dixit Dominus, etc., usque ad prudentium fidei satis evidenter ostendit.

set Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, et arrepto pugione, ^{*} ⁸ ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, et perfodit ambos simul, virum scilicet et mulierem in locis genitalibus. Cessavitque plaga a filiis Israël: ⁹ et occisi sunt viginti quatuor millia hominum. [†] ¹⁰ Dixitque Dominus ad Moysen: ¹¹ Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis avertit iram meam a filiis Israël: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israël in zelo meo. ¹² Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, ¹³ et erit tam ipsi quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum: quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israël. [‡] ¹⁴ Erat autem nomen viri Israëlitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione et tribu Simeonis. ¹⁵ Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum. ¹⁶ Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ¹⁷ Hostes vos sentiant Madianitæ, et percutite eos: ¹⁸ quia et ipsi hostiliter egerunt contra vos, et decepere insidiis per idolum Phogor, et Cozbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor.

26 Postquam noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen et Eleazarum filium Aaron sacerdotem: [¶] ² Numerate omnem summam filiorum Israël a viginti annis et supra, per domos et cognationes suas, cunctos qui possunt ad bella procedere. [§] ³ Locuti sunt itaque Moyses et Eleazar sacerdos, in campestribus Moab super Jordanem contra Jericho, ad eos qui erant ⁴ a viginti annis et supra, sicut Dominus imperaverat, quorum iste est numerus. ⁵ Ruben primogenitus Israël: hujus filius, Henoah, a quo familia Henoahitarum: et Phallu, a quo familia Phalluitarum: ⁶ et Hesron, a quo familia Hesronitarum: et Charmi, a quo familia Charmitarum.

^{*}25.7 *Quod cum*, etc. ORIG. Hæc ædificaverunt priorem populum, etc., usque ad et propitius nobis fiat Deus per verum Phineem Dominum nostrum Jesum Christum. *Arrepto pugione*. Significat per crucem Christi non solum idololatriam, sed et omnem carnis affectum vel concupiscentiam perimi, et sic Deum placari.

[†]25.9 *Occisi sunt viginti quatuor millia*. Quia lumen veritatis et justitiæ relinquentes, cæcitatem idololatriæ et fornicationis amaverunt, solis æterni lumine privati, mortis tenebras incurrunt. Visibilis enim sol viginti quatuor horis orbem illustrat, et suo ambitu noctis tenebras fugat; sic et Christus ad fugandas peccati tenebras per apostolos et prophetas mundum illustrat.

[‡]25.13 *Pactum*. Quisquis zelo Dei compunctus carnis stimulos contemnit, comprimit; vel subjectos, ne lasciviant, corrigit, sempiternum sacerdotium acquirit, pertinens ad eundem, de quo dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* Psal. 109., cum quo æternum regnum possidebit. Interpretatur autem Phinees ore parcens, vel ore requievit, vel oris augurium: Eleazar, Deus meus adjutor, vel Dei adjutorium; Aaron mons fortitudinis, vel mons fortis. Quæ nomina congrue prædictum sensum exprimunt: qui enim se ore continet ne prava loquatur, et mysteria cœlestia exponit auditoribus, per Dei adjutorium pium laborem explens, ad montem fortitudinis, id est Christum, feliciter ascendit. *Erat autem*, etc. RAB. in Num. Israëlitæ qui fornicatus est cum Madianitide, etc., usque ad ubi cruciatur die ac nocte usque ad novissimum quadrantem.

[¶]26.1 *Postquam noxiorum*, etc. ORIG., hom. 21 in Num. Quia illi qui primo asciti fuerant pro peccato ceciderunt, etc., usque ad his autem cuncta quæ promittuntur impleta sunt.

[§]26.2 *Numerate omnem*. Iterum populus numeratur et Levitæ, ut interfectis primis carnalibus, novus populus Dei censeatur, qui per Jordanis baptismum transeat, et cœlestis hæreditatis repromissionem accipiat.

⁷ Hæ sunt familiæ de stirpe Ruben: quarum numerus inventus est quadraginta tria millia, et septingenti triginta. ⁸ Filius Phallu, Eliab: ⁹ hujus filii, Namuel et Dathan et Abiron: isti sunt Dathan et Abiron principes populi, qui surrexerunt contra Moysen et Aaron in seditione Core, quando adversus Dominum rebellaverunt: ¹⁰ et aperiens terra os suum devoravit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum est grande miraculum, ¹¹ ut, Core pereunte, filii illius non perirent. ¹² Filii Simeon per cognationes suas: Namuel, ab hoc familia Namuelitarum: Jamin, ab hoc familia Jaminitarum: Jachin, ab hoc familia Jachinitarum: ¹³ Zare, ab hoc familia Zareitarum: Saul, ab hoc familia Saulitarum. ¹⁴ Hæ sunt familiæ de stirpe Simeon, quarum omnis numerus fuit viginti duo millia ducenti. ¹⁵ Filii Gad per cognationes suas: Sephon, ab hoc familia Sephonitarum: Aggi, ab hoc familia Aggitarum: Suni, ab hoc familia Sunitarum: ¹⁶ Ozni, ab hoc familia Oznitarum: Her, ab hoc familia Heritarum: ¹⁷ Arod, ab hoc familia Aroditarum: Ariel, ab hoc familia Arielitarum. ¹⁸ Istæ sunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit quadraginta millia quingenti. ¹⁹ Filii Juda, Her et Onan, qui ambo mortui sunt in terra Chanaan. ²⁰ Fueruntque filii Juda per cognationes suas: Sela, a quo familia Selaitarum: Phares, a quo familia Pharesitarum: Zare, a quo familia Zareitarum. ²¹ Porro filii Phares: Hesron, a quo familia Hesronitarum: et Hamul, a quo familia Hamulitarum. ²² Istæ sunt familiæ Juda, quarum omnis numerus fuit septuaginta sex millia quingenti. ²³ Filii Issachar per cognationes suas: Thola, a quo familia Tholaitarum: Phua, a quo familia Phuaitarum: ²⁴ Jasub, a quo familia Jasubitarum: Semran, a quo familia Semranitarum. ²⁵ Hæ sunt cognationes Issachar, quarum numerus fuit sexaginta quatuor millia trecenti. ²⁶ Filii Zabulon per cognationes suas: Sared, a quo familia Sareditarum: Elon, a quo familia Elonitarum: Jalel, a quo familia Jalelitarum. ²⁷ Hæ sunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit sexaginta millia quingenti. ²⁸ Filii Joseph per cognationes suas, Manasse et Ephraim. ²⁹ De Manasse ortus est Machir, a quo familia Machiritarum. Machir genuit Galaad, a quo familia Galaaditarum. ³⁰ Galaad habuit filios: Jezer, a quo familia Jezeritarum: et Helec, a quo familia Helecitarum: ³¹ et Asriel, a quo familia Asrielitarum: et Sechem, a quo familia Sechemitarum: ³² et Semida, a quo familia Semidaitarum: et Hepher, a quo familia Hepheritarum. ³³ Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantum filias: quarum ista sunt nomina: Maala, et Noa, et Hegla, et Melcha, et Thersa. ³⁴ Hæ sunt familiæ Manasse, et numerus earum quinquaginta duo millia septingenti. ³⁵ Filii autem Ephraim per cognationes suas fuerunt hi: Suthala, a quo familia Suthalaitarum: Becher, a quo familia Becheritarum: Thehen, a quo familia Thehenitarum. ³⁶ Porro filius Suthala fuit Heran, a quo familia Heranitarum. ³⁷ Hæ sunt cognationes filiorum Ephraim: quarum numerus fuit triginta duo millia quingenti. ³⁸ Isti sunt filii Joseph per familias suas. Filii Benjamin in cognationibus suis: Bela, a quo familia Belaitarum: Asbel, a quo familia Asbelitarum: Ahiram, a quo familia Ahiramitarum: ³⁹ Supham, a quo familia Suphamitarum: Hupham, a quo familia Huphamitarum. ⁴⁰ Filii Bela: Hered, et Noëman. De Hered, familia Hereditarum: de Noëman, familia Noëmanitarum. ⁴¹ Hi sunt filii Benjamin per cognationes suas: quorum numerus fuit quadraginta quinque millia sexcenti. ⁴² Filii Dan per cognationes suas: Suham, a quo familia Suhamitarum. Hæ sunt cognationes Dan per familias suas. ⁴³ Omnes fuere Suhamitæ, quorum numerus erat sexaginta quatuor millia quadringenti. ⁴⁴ Filii Aser per cognationes suas: Jemna, a quo familia Jemnaitarum: Jessui, a quo familia Jes-

suitarum: Brie, a quo familia Briearum. ⁴⁵ Filii Brie: Heber, a quo familia Heberitarum: et Melchiel, a quo familia Melchielitarum. ⁴⁶ Nomen autem filiae Aser fuit Sara. ⁴⁷ Hæ cognationes filiorum Aser, et numerus eorum quinquaginta tria millia quadringenti. ⁴⁸ Filii Nephthali per cognationes suas: Jesiel, a quo familia Jesielitarum: Guni, a quo familia Gunitarum: ⁴⁹ Jeser, a quo familia Jeseritarum: Sellem, a quo familia Sellemitarum. ⁵⁰ Hæ sunt cognationes filiorum Nephthali per familias suas: quorum numerus quadraginta quinque millia quadringenti. ⁵¹ Ista est summa filiorum Israël, qui recensiti sunt, sexcenta millia, et mille septingenti triginta. ⁵² Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ⁵³ Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum in possessiones suas. ⁵⁴ Pluribus majorem partem dabis, et paucioribus minorem: singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio: ⁵⁵ ita dumtaxat ut sors terram tribus dividat et familiis. ⁵⁶ Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores. ⁵⁷ Hic quoque est numerus filiorum Levi per familias suas: Gerson, a quo familia Gersonitarum: Caath, a quo familia Caathitarum: Merari, a quo familia Meraritarum. ⁵⁸ Hæ sunt familiae Levi: familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core. At vero Caath genuit Amram: ⁵⁹ qui habuit uxorem Jochabed filiam Levi, quæ nata est ei in Ægypto. Hæc genuit Amram viro suo filios, Aaron, et Moysen, et Mariam sororem eorum. ⁶⁰ De Aaron orti sunt Nadab et Abiu, et Eleazar et Ithamar: ⁶¹ quorum Nadab et Abiu mortui sunt, cum obtulissent ignem alienum coram Domino. ⁶² Fueruntque omnes qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini ab uno mense et supra: quia non sunt re-

**26.53 *Istis dividetur terra.* ORIG., ubi supra. Reprobatur prior populus qui est in circumcissione, etc., usque ad et meræ divinitatis capaces per puritatem effecti. ID. Terræ hujus divisio, etc., usque ad sed illius quæ urbibus contigua est.

††26.54 *Pluribus majorem.* Ut scilicet numerosior tribus majora spatia terræ sortiatur; quæ minor autem fuerit, hominum numero minorem. Unus justus, secundum quod Deo acceptus, pro pluribus habetur; unde: *Per unum sapientem habitabitur civitas, tribus autem iniquorum desolabitur; et unus justus pro toto mundo. Iniqui autem, etsi multi sint, exigui et pro nihilo ducuntur apud Deum* Eccli. 16.. Est ergo multitudo laudabilis; unde Abraham quem eduxit foras, ait: *Respice cœlum si potes dinumerare stellas, ita erit semen tuum,* etc. Gen. 15.. In quo notandum quia justus in interioribus semper consistit, quia in abscondito orat Patrem, et omnis gloria filiae regis, id est, regalis animæ, intrinsecus est: sed Deus educit eum foras, cum res postulat et rerum visibilibus ratio.

‡‡26.55 *Ut sors terram.* Per sortem præcipitur dividi hæreditas, sed video ipsummet Moysen cui ista mandantur, non sorte dividere hæreditatem Ruben, Gad, et dimidiæ tribui Manasse Josue 15.: Jesus quoque Nave, extra sortem dat hæreditatem tribui Judæ et Caleb et tribui Ephraim, et dimidiæ tribui Manasse. In cæteris sors mittitur: unde puto, quod in cœlesti hæreditate aliqui non venient ad sortem, neque cum cæteris quamvis sancti sint numerabuntur, sed erit egregia eorum hæreditas, sicut fuit Caleb, et tribui Judæ, et Jesu filio Nave. Sicut enim cum adepta victoria dividuntur spolia, egregii bellatores cum cæteris non ducuntur ad sortem, sed optima quæque virtutum merito percipiunt, cæteri sorte utuntur jure victoriae: ita videtur mihi Christus Dominus meus facturus. Illis enim præcipuos et sublimes decernet honores, quorum facta magnifica et sublimes cognoscit virtutes, unde ait: *Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic et isti mecum sint.* Joan. 17.. Et alibi, *Sedebitis et vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus,* etc. Matth. 19.. Et alibi, *Sicut tu in me, Pater, et ego in te, ita et isti in nobis unum sint* Joan. 17.. Hæc omnia non sorte descendunt, sed dilectionis prærogativa.

censiti inter filios Israë̄l, nec eis cum ceteris data possessio est. ⁶³Hic est numerus filiorum Israë̄l, qui descripti sunt a Moyse et Eleazaro sacerdote, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho: ⁶⁴inter quos, nullus fuit eorum qui ante numerati sunt a Moyse et Aaron in deserto Sinai: ⁶⁵prædixerat enim Dominus quod omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Jephone, et Josue filius Nun.[¶]

27 Accesserunt autem filiæ Salphaad, filii Hepher, filii Galaad, filii Machir, filii Manasse, qui fuit filius Joseph: quarum sunt nomina, Maala, et Noa, et Hegla, et Melcha, et Thersa. ²Steteruntque coram Moyse et Eleazaro sacerdote et cunctis principibus populi ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixerunt: ³Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ concitata est contra Dominum sub Core, sed in peccato suo mortuus est: hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium? date nobis possessionem inter cognatos patris nostri. ⁴Retulitque Moyses causam earum ad iudicium Domini. ⁵Qui dixit ad eum: ⁶Justam rem postulant filiæ Salphaad: da eis possessionem inter cognatos patris sui, et ei in hæreditatem succedant.^{§§} ⁷Ad filios autem Israë̄l loqueris hæc: ⁸Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas.* ⁹Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. ¹⁰Quod si et fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus. ¹¹Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his qui ei proximi sunt. Eritque hoc filiis Israë̄l sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi. ¹²Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ascende in montem istum Abarim, et contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israë̄l.† ¹³Cumque videris eam, ibis et tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron: ¹⁴quia offendistis me in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas. Hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti

[¶]26.65 *Nisi Caleb filius Jephone, et Josue filius Nun.* ISID. Sexcenta millia armorum de Ægypto dicuntur egressa, et duo tantum in terram promissionis ingressi. Multi enim per baptismum ad fidem transeunt, sed ad cœlestem patriam paucissimi perveniunt, secundum illud: **Multi enim sunt vocati, pauci vero electi** Matth. 20.. Duo tantum ingrediuntur, propter eos qui ex utroque populo cœleste regnum adipiscuntur, vel qui per actionem et contemplationem ad æternam beatitudinem prædestinantur.

^{§§}27.6 *Da eis.* ORIG., hom. 22 in Num. **Dabis ei possessionem,** etc. Hæc secundum historiam etc., usque ad recte ergo locutæ sunt filiæ Saphaad.

*27.8 *Homo cum mortuus fuerit absque filio,* etc. ID. Supponitur lex de successione, etc., usque ad non perdet mercedem suam.

†27.12 *Ascende in montem,* etc. ID., hom. 22. Vide quomodo qui perfectus et beatus est, etc., usque ad Ille ergo solus debet requiri, qui peccatum non fecit. ID. Mors Moysi finis legis, etc., usque ad id est, sub velamento Patris et Filii et Spiritus sancti requiescet anima nostra.

Sin.[‡] 15 Cui respondit Moyses: 16 Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc:[¶] 17 et possit exire et intrare ante eos, et educere eos vel introducere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore. 18 Dixitque Dominus ad eum: Tolle Josue filium Nun, virum in quo est spiritus, et pone manum tuam super eum. 19 Qui stabit coram Eleazaro sacerdote et omni multitudine: 20 et dabis ei praecepta cunctis videntibus, et partem gloriae tuae, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israël.[§] 21 Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulat Dominum. Ad verbum ejus egredietur et ingredietur ipse, et omnes filii Israël cum eo, et cetera multitudo.^{**} 22 Fecit Moyses ut praeceperat Dominus: cumque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote et omni frequentia populi. 23 Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit quae mandaverat Dominus.

[‡]27.14 *Quia offendistis*, etc. AUG., quæst. 53 in Num. Eam causam mortis Moysi dicit Dominus, quam et fratris ejus, quia scilicet non sanctificaverunt eum coram populo ad aquam contradictionis, id est quia dubitaverunt quod dono ejus posset aqua de petra profluere. Mystice autem significatur, quia nec vetus sacerdotium, cujus personam Aaron gerebat, nec ipsa lex, cujus personam gerebat Moyses, introducunt populum Dei in terram æternæ hæreditatis: sed Jesus, in quo significatur Christus, id est gratia per fidem. Et Aaron quidem ante defunctus est quam Israël in aliquam partem terræ promissionis intraret: Moyses autem adhuc vivente capta est terra Amorrhæorum et possessa, sed Jordanem cum eis non transiit. Ex aliqua enim parte lex observatur in fide Christiana. Ibi enim sunt etiam praecepta quæ usque hodie Christiani observare jubentur. Sacerdotium vero illud et sacrificium nullam partem tenent hodie fidei Christianæ, nisi quod in umbris futurorum acta et transacta. Cum vero ambobus fratribus, ut apponantur ad populum suum dicitur, manifestum est non esse in illis iram Dei, quæ separat a pace æternæ societatis. Unde patet non solum officia, sed et mortes eorum signa fuisse futurorum, non supplicia indignationis Dei. *Provideat*. Nota, non elegit filios, non nepotes, nec rogat ut constituentur duces: Dei iudicio electionem committit.

[¶]27.16 *Provideat Dominus Deus*. ORIG. Recessurus de sæculo, etc., usque ad ut possint eum audire filii Israël. *Spiritus*. Sanctus scilicet. Non enim de spiritu hominis hoc diceret, quem nullus erat qui non haberet. Jubetur tamen manus ei imponere, ne quisquam quantalibet pollens gratia sacramenta consecrationis audeat recusare.

[§]27.20 *Et dabis*. ISID. in Num. Jesus succedit Moysi, etc., usque ad et remissionem peccatorum, etc. *Et partem gloriae*. Quasi, facies eum socium gloriae tuae: non enim res hujusmodi quasi partiliter divisæ minuuntur, sed totæ sunt omnibus, totæ singulis, qui earum habent societatem. *Ut audiat*, etc. ORIG., hom. 22 Si sacrificia et instituta legalia usque in præsens mansissent, Evangelii fidem exclusissent. Erat enim in illis magnitudo et reverentiæ plena religio, quæ primo aspectu stupefaceret intuentem. Quis enim videns sanctuarium, altare, sacerdotes sacrificium consummantes, et omnem illius rei ordinem, non putaret plenissimum hunc esse ritum quo Deus coleretur creator omnium? Sed gratias adventui Christi, qui illa destruit quæ magna videbantur in terris, et cultu Dei a visibilibus ad invisibilia transtulit, et a temporalibus ad æterna. Sed ipse Christus aures requirit quæ hæc audiant, et oculos qui hæc videant.

^{**}27.21 *Pro hoc*, etc. Moraliter instruimur, ut quisquis accipiat potestatem in populo secundum magisterium divinæ legis quæ in sacerdotis officio maxime commendatur vitam suam et subditorum ordinet atque regat.

28 Dixit quoque Dominus ad Moysen:^{††} ²Præcipe filiis Israël, et dices ad eos: Oblationem meam et panes, et incensum odoris suavissimi offerite per tempora sua. ³Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum:^{‡‡} ⁴unum offeretis mane, et alterum ad vesperum: ⁵decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, et habeat quartam partem hin. ⁶Holocaustum jure est quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini. ⁷Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in sanctuario Domini. ⁸Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam juxta omnem ritum sacrificii matutini, et libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino. ⁹Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, et duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, et liba:^{¶¶} ¹⁰quæ rite funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum. ¹¹In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos,^{§§} ¹²et tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos: et duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes:^{*} ¹³et decimam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos: holocaustum suavissimi odoris atque incensi est Domino.[†] ¹⁴Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum. Hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt. ¹⁵Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holo-

^{††}28.1 *Dixit quoque.* ORIG., hom. 23 in Num. Alia littera, etc., usque ad qui putat aliquid se Deo præstare velut indigenti. ID. *In diebus festis meis.* Habet Deus dies festos suos, etc., usque ad ubi adhuc nulla sunt peccata, dies festos meos dicit.

^{‡‡}28.3 *Hæc sunt sacrificia.* Quæramus ergo diligenter, etc., usque ad sed sunt alii dies festi his qui non possunt indesinenter immolare sacrificium castitatis.

^{¶¶}28.9 *Die autem Sabbati.* RAB. in Num. Secunda ergo festivitas est, etc., usque ad qui sacerdos est in æternum secundum ordinem Melchisedech Hebr. 5.. *Et duas decimas similæ oleo conspersæ.* RAB. Hæc offert qui spirituali gratia repletus scientiam duorum testamentorum, docente Spiritu sancto, verbis et exemplis docet auditores suos, non pro temporali lucro, sed pro vitæ æternæ præmio.

^{§§}28.11 *In Kalendis.* Id est in neomeniis, cum Ecclesia vel quælibet anima soli justitiæ sic propinquat, ut unus spiritus cum eo fiat, et per ipsum innovata veterem hominem abjiciat. ID. Tertia festivitas neomeniæ dies, etc., usque ad innovata jugulat. *Vitulos de armento.* Potest in duobus vitulis jucunditas boni operis in anima vel in corpore signari: quæ secundum duo Testamenta offertur Domino in duobus præceptis charitatis. *Arietem unum.* In ariete regimen disciplinæ forte et immobile secundum unitatem fidei catholicæ. *Agnos anniculos septem.* Simplicitatem et mansuetudinem morum pro cœlesti requie per gratiam septiformis Spiritus.

^{*}28.12 *Et tres decimas similæ.* Hæc offert qui scientiam spiritualem in sanctæ Trinitatis fide, oleo lætitiæ illuminatus exhibet cum bono opere. *Et duas decimas.* Hoc facit, qui decalogum legis in duobus præceptis charitatis ad suam et proximorum utilitatem studet convertere, et sic totam vitam suam in suavem odorem Domino dedicare.

[†]28.13 *Et decimam decimæ,* etc., *per agnos singulos.* Hoc fit cum simplicitas morum secundum Scripturarum regulam gratia Spiritus sancti cooperante instituitur et ornatur. Bene autem hæc omnia in holocaustum Domino jubentur offerri, quia hæc agere debemus, non ut humanam laudem, vel præsentem retributionem quæramus, sed omnium bonorum datori Deo per omnia placeamus, et æternæ vitæ retributionem mereamur.

caustum sempiternum cum libamentis suis. ¹⁶ Mense autem primo, quartadecima die mensis, Phase Domini erit, [‡] ¹⁷ et quintadecima die solemnitas: septem diebus vescentur azymis. [¶] ¹⁸ Quarum dies prima venerabilis et sancta erit: omne opus servile non facietis in ea. ¹⁹ Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem: ²⁰ et sacrificia singulorum ex similia quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, et duas decimas per arietem, ²¹ et decimam decimæ per agnos singulos, id est, per septem agnos. ²² Et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis, ²³ præter holocaustum matutinum, quod semper offeretis. ²⁴ Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, et in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto, et de libationibus singulorum. ²⁵ Dies quoque septimus celeberrimus et sanctus erit vobis: omne opus servile non facietis in eo. ²⁶ Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis et sancta erit: omne opus servile non facietis in ea. [§] ²⁷ Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem: ²⁸ atque in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas, ²⁹ per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem. Hircum quoque, ³⁰ qui mactatur pro expiatione: præter holocaustum sempiternum et liba ejus. ³¹ Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

29 Mensis etiam septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis. Omne opus servile non facietis in ea, quia dies clangoris est et tubarum. ^{**} ² Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem: ³ et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, ⁴ unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem: ⁵ et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi, ⁶ præter holocaustum calendarum cum sacrificiis suis, et holocaustum sempiternum cum libationibus solitis: eisdem cæremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino. ⁷ Decima quoque dies mensis hujus septimi erit vobis sancta atque venerabilis, et affligetis animas vestras: omne opus servile non facietis in ea. ⁸ Offeretisque holocaustum Domino in odorem suavissimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem: ⁹ et in sacrificiis eorum similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, ¹⁰ decimam decimæ per agnos singulos, qui sunt simul agni septem: ¹¹ et hircum pro peccato, absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem, et holocaustum sempiternum, cum sacrificio et libaminibus eorum. ¹² Quintadec-

[‡]28.16 *Mense*. ORIG., hom. 23 in Num. Quarto loco ponitur inter festivitates, etc., usque ad et diem festum agit cum Deo et angelis ejus.

[¶]28.17 *Quintadecima die*. ID. Sequitur huic continua festivitas, etc., usque ad efficitur nequior et deterior. ID. Omnes qui imbuendi sunt altioribus disciplinis, etc., usque ad sacrificiis spiritalibus in purificatione mentis oblatis.

[§]28.26 *Dies etiam primitivorum quando offeretis novas fruges*, etc. ORIG. Sexta festivitas dicitur novorum, etc., usque ad bonitatem, mansuetudinem et similia.

^{**}29.1 *Mensis etiam septimi*. ORIG., hom. 23 in Num. Sequitur festivitas septimorum, etc., usque ad quem posuit Deus propitiatorem in sanguine suo, per fidem. ORIG. Ultimus dies festus, etc., *usque ad, Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* I Cor. 13..

ima vero die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis, omne opus servile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus. ¹³ Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ¹⁴ et in libamentis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt simul vituli tredecim, et duas decimas arieti uno, id est, simul arietibus duobus, ¹⁵ et decimam decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim: ¹⁶ et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, et sacrificio, et libamine ejus. ¹⁷ In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ¹⁸ sacrificiaque et libamina singulorum, per vitulos, et arietes, et agnos rite celebrabitis: ¹⁹ et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque et libamine ejus. ²⁰ Die tertio offeretis vitulos undecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ²¹ sacrificiaque et libamina singulorum, per vitulos, et arietes, et agnos rite celebrabitis: ²² et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque et libamine ejus. ²³ Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ²⁴ sacrificiaque et libamina singulorum, per vitulos, et arietes, et agnos rite celebrabitis: ²⁵ et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. ²⁶ Die quinto offeretis vitulos novem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ²⁷ sacrificiaque et libamina singulorum, per vitulos, et arietes, et agnos rite celebrabitis: ²⁸ et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. ²⁹ Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ³⁰ sacrificiaque et libamina singulorum, per vitulos, et arietes, et agnos rite celebrabitis: ³¹ et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. ³² Die septimo offeretis vitulos septem, et arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ³³ sacrificiaque et libamina singulorum, per vitulos, et arietes, et agnos rite celebrabitis: ³⁴ et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. ³⁵ Die octavo, qui est celeberrimus, omne opus servile non facietis, ³⁶ offerentes holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem: ³⁷ sacrificiaque et libamina singulorum, per vitulos, et arietes, et agnos rite celebrabitis: ³⁸ et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. ³⁹ Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris: præter vota et oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, et in hostiis pacificis.

30 Narravitque Moyses filiis Israël omnia quæ ei Dominus imperarat. ² Et locutus est ad principes tribuum filiorum Israël: Iste est sermo quem præcepit Dominus: ³ Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit. ^{††} ⁴ Mulier si quippiam voverit, et se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, et in ætate adhuc

^{††}30.3 *Si quis.* Animæ quæ in perfectum virum occurrit, nemo dominatur in votis, sed libertatem suam habet in illis. ORIG., hom. 24 in Num. Votorum lex ponitur, etc., usque ad ut facias tantum quod pertinet ad divinum cultum. ID. Animarum, quæ in Ecclesia Dei sunt, etc., usque ad nec necesse sit nobis sub tutoribus et procuratoribus derelinqui a Patre. *Juramento constrinxerit,* etc. AUG., quæst. 56 in Num. Non hoc ad omnem, etc., usque ad sed per votum ipse sibi efficit non licere.

puellari: si cognoverit pater votum quod pollicita est, et juramentum quo obligavit animam suam, et tacuerit, voti rea erit:‡⁵ quidquid pollicita est, et juravit, opere complebit. ⁶ Sin autem statim ut audierit, contradixerit pater: et vota et juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater.¶⁷ Si maritum habuerit, et voverit aliquid, et semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento:§§⁸ quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat. ⁹ Sin autem audiens statim contradixerit, et irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque quibus obstrinxerat animam suam, propitius erit ei Dominus. ¹⁰ Vidua et repudiata quidquid voverint, reddent. ¹¹ Uxor in domo viri cum se voto constrinxerit et juramento,*¹² si audierit vir, et tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat. ¹³ Sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit, et Dominus ei propitius erit. ¹⁴ Si voverit, et juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel ceterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat. ¹⁵ Quod si audiens vir tacuerit, et in alteram diem distulerit sententiam, quidquid voverat atque promiserat, reddet: quia statim ut audivit, tacuit. ¹⁶ Sin autem contradixerit postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus. ¹⁷ Istæ sunt leges, quas constituit Dominus Moysi inter virum et uxorem, inter patrem et filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis domo.

31 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ²Ulciscere prius filios Israël de Madianitis, et sic colligeris ad populum tuum.†³ Statimque Moyses: Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madi-

‡30.4 *Mulier si*, etc. Id est, si femina, et adhuc tenera fuerit anima, cui vir, vel pater dominatur in votis: non semper in ipsa est culpa, sed interdum redit ad viros vel parentes. *Et juramentum*; LXX: *Et definitiones quas definivit adversus animam suam*. Non quod talibus votis noceant animæ suæ: sed adversus animam, dicitur adversus animale delectationem, sicut ibi: *Affligetis animas vestras*. AUG., quæst. 57 Merito quæritur in hoc loco etiam de voto virginitatis: mulieres enim, etiam virgines, in Scriptura solent appellari; et videtur Apostolus de patre loqui, cum dicit: *Servet virginem suam, et det virginem suam*, etc. I Cor. 7.. Hoc modo, *nuptum* ubi nonnulli intellexerunt virginem suam, id est virginitatem suam: nulla tamen hoc simili Scripturarum locutione demonstrant, cum sit inusitatissima.

¶30.6 *Nec obnoxia tenebitur*. LXX: *Dominus mundabit eam, quia abnuvit pater ejus*. Id est mundam habebit, et judicabit, sicut dicitur: *Mundabit eum sacerdos, et mundatione non mundabis reum* Levit. 13.. Id est non dices mundum eum qui immundus est.

§§30.7 *Si maritum*. Id est, si adulta et viripotens fuerit ad concipiendum semen verbi Dei, et doctrinæ spiritalis capienda secreta; unde: *Volo autem omnes vos uni viro virginem castam exhibere Christo* II Cor. 11.. AUG. quæst. 59 Quia Dominus mandavit, etc., usque ad cum ipse Deus hoc præceperit, et hoc voluerit.

*30.11 *Uxor in domo*. AUG. De illa prius dixit, quæ in domo patris sui vovit, etc., usque ad sic tamen, ut non nisi rationi motio illa consentiat.

†31.2 *Ulciscere prius*. ORIG. Scandala filiis Israël Madianitarum tergiversatione acciderant, etc., usque ad ubi recte ambulanti deceptio ad peccandum subjicitur. *Et sic colligeris. Novissime inquit: Apponeris ad populum tuum*, etc. Hoc contra Samaritas, qui negant resurrectionem mortuorum, nec fidem futuri sæculi recipiunt. Nemo enim apponitur ad eos qui non sunt: constat ergo esse aliquem populum cui Moysen dicit esse apponendum.

anitis. ⁴ Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israëli qui mittantur ad bellum. ⁵ Dederuntque millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam: ⁶ quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasa quoque sancta, et tubas ad clangendum tradidit ei. ⁷ Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt, ⁸ et reges eorum, Evi, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe, quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. ⁹ Ceperuntque mulieres eorum, et parvulos, omniaque pecora, et cunctam supellectilem: quidquid habere potuerant depopulati sunt: ¹⁰ tam urbes quam viculos et castella flamma consumpsit. ¹¹ Et tulerunt prædam, et universa quæ ceperant tam ex hominibus quam ex jumentis, ¹² et adduxerunt ad Moysen, et Eleazarum sacerdotem, et ad omnem multitudinem filiorum Israëli: reliqua autem utensilia portaverunt ad castra in campes tribus Moab juxta Jordanem contra Jericho. ¹³ Egressi sunt autem Moyses et Eleazar sacerdos, et omnes principes synagogæ, in occursum eorum extra castra. ¹⁴ Iratusque Moyses principibus exercitus, tribunis, et centurionibus qui venerant de bello, ¹⁵ ait: Cur feminas reservastis? ¹⁶ nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israëli ad suggestionem Balaam, et prævaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, unde et percussus est populus? ¹⁷ ergo cunctos interficite quidquid est generis masculinis, etiam in parvulis: et mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate: ¹⁸ puellas autem et omnes feminas virgines servate vobis: ¹⁹ et manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio et septimo. ²⁰ Et de omni præda, sive vestimentum fuerit, sive vas, et aliquid in utensilia præparatum, de caprarum pellibus, et pilis, et ligno, expiabitur. ²¹ Eleazar quoque sacerdos ad viros exercitus, qui pugnaverunt, sic locutus est: Hoc est præceptum legis, quod mandavit Dominus Moysi: ²² aurum, et

³31.4 *Mille viri de singulis*, etc. RAB. in Num., tom. 2. Adverte divinæ virtutis magnificentiam, etc., usque ad talibus enim armis instructi diabolica castra fugabimus.

⁴31.8 *Et reges eorum*, etc. ORIG., hom. 25 in Num. Interficiuntur reges Madianitarum, etc., usque ad factus est nobis a Deo justitia, et pax, et redemptio. **Balaam quoque.** Patet consilio Balaam subornatas esse mulieres Madianitarum quæ deciperant Israël; unde hic velut auctor sceleris interficitur. ORIG. Dictum est superius, quod Balaam rediit *in locum suum*. Sed forte reversus est, quamvis Scriptura non dixerit: vel forte *in locum suum* rediit ab eo loco ubi sacrificia faciebat, in eum scilicet locum, ubi tanquam peregrinus habebat hospitium; non enim dictum est in domum suam, aut in patriam suam. De Balac autem dictum est, *ad semetipsum*. Id est, ubi tanquam dominus habitabat. *Cur feminas.* RAB. Mystice feminam in prædam de bello revertens servat, etc., *usque ad*, ut quæ Deo placita sunt desideremus, et perficere studeamus.

⁵31.16 *Ad suggestionem.* Hic evidentius ostenditur ipsius Balaam suggestionem mulieres subornatas fuisse. ISID. Non dubitavit Balaam, oblata copia feminarum, fornicationis ruina Israelitas collapsuros, quia concupiscibiles animæ eorum partes sciebat esse corruptas: ita dæmones unumquemque pertentant, illis affectibus animæ laqueos tradentes quibus nos senserint ærotare.

⁶31.21 *Eleazar.* Nota quod Eleazar non ad omnem populum, sed ad viros virtutis loquitur, qui revertebantur de prælio: viri autem virtutis sunt, qui ad bellum procedunt, qui in agone contendunt, et ab omnibus se abstinent; alii vero non viri sunt virtutis.

argentum, et æs, et ferrum, et plumbum, et stannum,^{†† 23} et omne, quod potest transire per flammam, igne purgabitur: quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur:²⁴ et lavabitis vestimenta vestra die septimo, et purificati postea castra intrabitis.²⁵ Dixit quoque Dominus ad Moysen:²⁶ Tollite summam eorum quæ capta sunt, ab homine usque ad pecus, tu et Eleazar sacerdos et principes vulgi:²⁷ dividesque ex æquo prædam inter eos qui pugnauerunt egressique sunt ad bellum, et inter omnem reliquam multitudinem.^{‡‡ 28} Et separabis partem Domino ab his qui pugnauerunt et fuerunt in bello, unam animam de quingentis, tam ex hominibus quam ex bobus et asinis et ovibus,²⁹ et dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt.³⁰ Ex media quoque parte filiorum Israël accipies quinquagesimum caput hominum, et boum, et asinorum, et ovium, cunctorum animantium, et dabis ea Levitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Domini.³¹ Feceruntque Moyses et Eleazar sicut præceperat Dominus.³² Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque millia,³³ boum septuaginta duo millia,³⁴ asinorum sexaginta millia et mille:³⁵ animæ hominum sexus femine, quæ non cognoverant viros, triginta duo millia.³⁶ Dataque est media pars his qui in prælio fuerant, ovium trecenta triginta septem millia quingentæ:³⁷ e quibus in partem Domini supputatæ sunt oves sexcentæ septuaginta quinque:³⁸ et de bobus triginta sex millibus, boves septuaginta et duo:³⁹ de asinis triginta millibus quingentis, asini sexaginta unus:⁴⁰ de animabus hominum sedecim millibus, cesserunt in partem Domini triginta duæ animæ.⁴¹ Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum,⁴² ex media parte filiorum Israël, quam separaverat his qui in prælio fuerant.⁴³ De media vero parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, id est, de ovibus trecentis triginta septem millibus quingentis,⁴⁴ et de bobus triginta sex millibus,⁴⁵ et de asinis triginta millibus quingentis,⁴⁶ et de hominibus sedecim millibus,⁴⁷ tulit Moyses quinquagesimum caput, et dedit Levitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus.⁴⁸ Cumque accessissent principes exercitus ad Moysen, et tribuni, centurionesque, dixerunt:⁴⁹ Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra: et ne unus quidem defuit.⁵⁰ Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli quod in præda auri potuimus invenire, periscelides et armillas, annulos et dextralia,

^{††}31.22 **Aurum.** Tempus belli est in hoc mundo contra nequitias spirituales et concupiscentias carnales. Spectat nos angelorum chorus, et virtutum cœlestium pia erga nos pendet expectatio, quando vel quomodo de prælio revertamur, quis plus afferat auri vel argenti, quis lapides pretiosos curiose intuetur. Requiritur etiam qui deferunt æs, qui ferrum, qui plumbum, vel vas ligneum, vel fictile aut aliquid hujusmodi magnæ domus usibus necessarium. Secundum ergo ea quæ quisque detulerit, mansionis ei meritum deputabitur. Probantur tamen hæc omnia, alia per ignem, alia per aquam uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. **Et lavabitis,** etc. ORIG., ubi supra. Vides quomodo purgatione indiget omnis qui exit de prælio hujus vitæ, etc., usque ad ut mundus ingrediatur civitatem Dei.

^{‡‡}31.27 **Qui pugnauerunt.** ORIG., hom. 26 in Num. Sunt quidam in populo Dei, etc., usque ad tanto præstantior est numerus quingentorum quam quinquaginta. ORIG. Differentias esse profectus et meritorum in populo fidelium, etc., usque ad Catenulæ vero verbi et doctrinæ connexiones significant.

ac murænulas, ut deprecæris pro nobis Dominum.^{¶¶} ⁵¹ Susceperuntque Moyses et Eleazar sacerdos omne aurum in diversis speciebus,^{§§} ⁵² pondo sedecim millia septingentos quinquaginta siclos, a tribunis et centurionibus. ⁵³ Unusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat. ⁵⁴ Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonii, in monimentum filiorum Israël coram Domino.

32 Filii autem Ruben et Gad habebant pecora multa, et erat illis in jumentis infinita substantia. Cumque vidissent Jazer et Galaad aptas animalibus alendis terras, ^{*} ² venerunt ad Moysen, et ad Eleazarum sacerdotem, et principes multitudinis, atque dixerunt: ³ Ataroth, et Dibon, et Jazer, et Nemra, Hesebon, et Eleale, et Saban, et Nebo, et Beon, ⁴ terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israël, regio uberrima est ad pastum animalium: et nos servi tui habemus jumenta plurima,[†] ⁵ precamurque si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem. ⁶ Quibus respondit Moyses: Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, et vos hic sedebitis? ⁷ cur subvertitis mentes filiorum Israël, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus? ⁸ Nonne ita egerunt patres vestri, quando misi de Cadesbarne ad explorandam terram? ⁹ cumque venissent usque ad Vallem botri, lustrata omni regione, subverterunt cor filiorum Israël, ut non intrarent fines, quos eis Dominus dedit. ¹⁰ Qui iratus juravit, dicens: ¹¹ Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto a viginti annis et supra, terram, quam sub juramento pollicitus sum Abraham, Isaac, et Jacob: et noluerunt sequi me, ¹² præter Caleb filium Jephone Cenezæum, et Josue filium Nun: isti impleverunt voluntatem meam. ¹³ Iratusque Dominus adversum Israël, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum in conspectu ejus. ¹⁴ Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa et alumni hominum peccatorum, ut augetis furorem Domini contra Israël. ¹⁵ Quod si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet, et vos causa eritis necis omnium. ¹⁶ At illi prope accedentes, dixerunt: Caulas ovium fabricabimus, et stabula jumentorum, parvulis quoque nostris urbes munitas: ¹⁷ nos autem ipsi armati et accincti pergemus ad prælium ante filios Israël, donec introducamus eos ad loca sua. Parvuli nostri, et quidquid habere possumus, erunt in urbibus muratis, propter habitatorum insidias. ¹⁸ Non revertemur in domos nostras, usque dum possideant filii Israël hæreditatem suam: ¹⁹ nec quidquam quæremus trans Jor-

^{¶¶}31.50 *Deprecæris*. ORIG. Ad propitiandum Deum pro nobis, etc., usque ad pro quibus solis decet eum propitiari.

^{§§}31.51 *Susceperuntque*. Alia littera: *Et accepit Moyses et Eleazar sacerdos aurum ab omnibus tribunis et centurionibus, et intulit illud in tabernaculum testimonii memoriale filiis Israël coram Domino*. Nota quia quæ dicuntur, non ad conspectum visibilem, sed ad mentis memoriam referuntur. Beatus enim est qui recordatur se aliquid boni operis fecisse coram Domino et obtulisse munera beneplacita Deo, virtutes scilicet animi et ornamenta pietatis.

^{*}32.1 *Filii autem Ruben*, etc. ORIG., hom. 26 in Num. Omnia quæ dicuntur non solum ex sermone, qui dicitur, pensanda sunt, sed ex persona dicentis, etc., usque ad sed per Moysen hæreditatem extra Jordanem accipiunt.

[†]32.4 *Terra quam percussit Dominus*. GREG., lib. XXVII Moral., cap. 10. Sunt multi in Ecclesia qui parvuli esse despiciunt, etc., usque ad dum transitorii excæcantur. *Jumenta plurima*. ORIG. *Jumenta et pecora multa sunt*, etc. Prior populus, etc., usque ad qui est terra promissionis intrare.

danem, quia jam habemus nostram possessionem in orientali ejus plaga. ²⁰ Quibus Moyses ait: Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam: ²¹ et omnis vir bellator armatus Jordanem transeat, donec subvertat Dominus inimicos suos, ²² et subjiciatur ei omnis terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum et apud Israël, et obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino. ²³ Sin autem quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est quin peccetis in Deum: et scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos. ²⁴ Ædificate ergo urbes parvulis vestris, et caulas, et stabula ovibus ac jumentis: et quod polliciti estis, implete. ²⁵ Dixeruntque filii Gad et Ruben ad Moysen: Servi tui sumus: faciemus quod jubet dominus noster. ²⁶ Parvulos nostros, et mulieres, et pecora, ac jumenta relinquemus in urbibus Galaad: ²⁷ nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu, domine, loqueris. ²⁸ Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, et Josue filio Nun, et principibus familiarum per tribus Israël, et dixit ad eos: ²⁹ Si transierint filii Gad et filii Ruben vobiscum Jordanem omnes armati ad bellum coram Domino, et vobis fuerit terra subjecta, date eis Galaad in possessionem. ³⁰ Sin autem noluerint transire armati vobiscum in terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca. ³¹ Responderuntque filii Gad et filii Ruben: Sicut locutus est Dominus servis suis, ita faciemus: ³² ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, et possessionem jam suscepisse nos confitemur trans Jordanem. ³³ Dedit itaque Moyses filiis Gad et Ruben, et dimidiæ tribui Manasse filii Joseph, regnum Sehon regis Amorrhæi, et regnum Og regis Basan, et terram eorum cum urbibus suis per circuitum. ³⁴ Igitur exstruxerunt filii Gad, Dibon, et Ataroth, et Aroër, ³⁵ et Etroth, et Sophan, et Jazer, et Jegbaa, ³⁶ et Bethnemra, et Betharan, urbes munitas, et caulas pecoribus suis. ³⁷ Filii vero Ruben ædificaverunt Hesebon, et Eleale, et Cariathaim, ³⁸ et Nabo, et Baalmeon versis nominibus, Sabama quoque: imponentes vocabula urbibus, quas exstruxerunt. ³⁹ Porro filii Machir filii Manasse, perrexerunt in Galaad, et vastaverunt eam interfecto Amorrhæo habitatore ejus. ⁴⁰ Dedit ergo Moyses terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitavit in ea. ⁴¹ Jair autem filius Manasse abiit, et occupavit vicos ejus, quos appellavit Havoth Jair, id est, Villas Jair. ⁴² Nobe quoque perrexit, et apprehendit Chanath cum viculis suis: vocavitque eam ex nomine suo Nobe.

33 Hæ sunt mansiones filiorum Israël, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi et Aaron, ¹ ² quas descripsit Moyses juxta castrorum loca,

^{32.29} *Si transierint filii Gad et filii Ruben*, etc. ORIG., hom. 26. Alia littera, etc., usque ad sed quæ sursum est, et libera, et mater omnium nostrum est.

^{33.1} *Hæ sunt mansiones*, etc. ORIG., hom. 27 in Num. Diversas creavit Deus ciborum differentias, etc., usque ad aliam vero, qua post resurrectionem ascensura ad celos, non subito nec importune descendit, sed per multas mansiones, in quibus singulis lumine sapientiæ illustrata ad ipsum patrem luminum perveniat. *Per turmas suas*. Septuaginta sic: *Cum virtute sua*, Christo, scilicet, qui est Dei virtus et Dei potentia. Cum ipso ergo ascenditur, qui ad nos descendit ut ascenderemus. *Qui enim descendit, ipse est qui ascendit*, etc. Ephes. 4.. Unde: *Tecum descendam in Ægyptum*, etc. Genes. 46.. Ideo, *non erat in tribus eorum infirmus. In manu Moysi et Aaron quas descripsit*, etc. ORIG., ibid. Non enim tantum scientiam legis et fidei, etc., usque ad unum enim opus utriusque manus est, et una perfectionis expletio.

quæ Domini jussione mutabant. §³ Profecti igitur de Ramesse mense primo, quin-
tadecima die mensis primi, altera die Phase, filii Israël in manu excelsa, viden-
tibus cunctis Ægyptiis,**⁴ et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Domi-
nus (nam et in diis eorum exercuerat ultionem),††⁵ castrametati sunt in Soccoth.‡‡

§33.2 *Moses juxta castrorum loca, quæ Domini jussione*, etc. Et scripsit Moses profectio-
nes eorum et mansiones per verbum Domini, ut scilicet legentes quantæ
nobis immineant profectioes et mansiones, præparemus nos ad hanc viam, nec seg-
niter tempus nostrum consumamus: ne dum vanitatibus immoramur, et singulis quæ
ad visum, auditum, tactum, odoratum, gustumque veniunt, delectamur, prætereat
tempus, nec spatium viæ expleamus, sed in medio deficiamus quasi in deserto. Id-
circo enim venimus in hunc mundum, ut transeamus de virtute in virtutem, neque
permaneamus pro terrenis in terra, sicut ille qui dicebat: **Anima, habes multa bona:
manduca, bibe et lætare** Luc. 12.. Ait enim illi Dominus: **Stulte, auferetur a te
hac nocte anima tua** Ibid.. Non dixit in hac nocte, nec in hac die, sed hac nocte:
nocte enim perimitur, sicut primogenita Ægyptiorum, quia dilexit mundum et tene-
bras ejus, socius rectorum mundi hujus, tenebrarum harum. Tenebræ autem et nox
mundus iste dicitur, pro his qui in ignorantia vivunt, nec lumen veritatis recipiunt,
et ideo de Ramesse ad Soccoth non transeunt.

**33.3 *Profecti igitur*, etc. Filii Israël adhuc in Ægypto positi quartadecima die fe-
cerunt pascha, et initium quoddam festivitatis. Sequenti ergo die, qui est primus
azymorum, quinto decimo, scilicet primi mensis, profiscuntur de Ramesse, et veni-
unt in Soccoth, ut ibi faciant festivitates azymorum, vel diem. Quis hæc intelligat?
Quis vel ex parte cognoscat? sicut Apostolus dicit: **Ex parte scimus, et ex parte
prophetamus** I Cor. 13.. Quis enim intelligit quomodo ex parte dies festos agimus,
ut **nemo nos judicet in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbati?** Coloss. 2. Om-
nis enim dies festus, qui hic agitur, in parte geritur, non in integro: sed cum exieris
de Ægypto, tunc erit tibi perfecta festivitas. Scito tamen quia post illud pascha, quod
in Ægypto factum est semel, invenitur in deserto aliud celebratum cum lex data est:
et post hæc nusquam geri nisi in terra promissionis. ORIG. Hic ordo et distinctio
mansionum valde necessaria est, etc., usque ad proficiscitur ex Soccoth, et applicat
in Ethan. **Manu excelsa**. Ubi non est humanum opus, neque terrenum, sed divinum,
ibi excelsa manus nominatur: per manum enim opus intelligitur.

††33.4 *Et in diis eorum. Omnes dii gentium dæmonia*. In quibus faciet Dominus
vindictam in die judicii. Facit et nunc, cum qui ab illis deceptus fuerat, ut idola col-
eret, per verbum Domini conversus Deum colit; vel cum fornicator ad pudicitiam
convertitur, et se errasse deplorat, ipsius poenitentia lacrymis uritur dæmon; vel
de superbia ad humilitatem, de luxuria ad parcimoniam. Quantis eos putas agi tor-
mentis, si quem videant vendere omnia sua, et dare pauperibus, et tollere crucem
suam, et sequi Christum: vel cum viderint fraudis suæ nebulas per agnitionem divinæ
legis reserari? Non enim sine ipsis consummatur peccatum. Nobis ergo summopere
agendum est, ne Ægyptiorum primogenita, vel deos eorum, quos Dominus exstinxit,
resuscitemus in nobis, si dederimus eis locum operandi in nobis quæ Dominus odit.
Sic enim Dominus punit deos Ægyptiorum de emendatione nostra et conversatione.

‡‡33.5 *In Soccoth*. In tabernaculis. Dum enim peregrinamur in corpore, in taber-
naculis habitamus. Cum exierimus de Ægypto, id est, de sæculo, primum taber-
nacula figimus, scientes quia ad ulteriora, et ad terram sanctam, coelestem scilicet,
properamus.

⁶Et de Soccoth venerunt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis.^{¶¶} ⁷Inde egressi venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon, et castrametati sunt ante Magdalum. ⁸Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem: et ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in Mara.^{§§} ⁹Profectique de Mara, venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, et palmæ septuaginta: ibique castrametati sunt.* ¹⁰Sed et inde egressi, fixerunt tentoria super mare Rubrum. Profectique de mari Rubro,[†] ¹¹castrametati

^{¶¶}33.6 *De Soccoth*. ORIG., *hom.* 27. Proficiscuntur ex Soccoth, etc., usque ad ut non ibi moretur, sed ut victoriam consequatur. *In Etham*. Etham sana fortitudo, vel professio, in qua fortitudinem et robur assumimus, ne in via deficiamus. HIERON., epist. ad Fabiolam. Quarta mansio est Phihahiroth, etc., usque ad falso sibi assumens vocabulum virtutis et dexteræ, cum totus sit in sinistra.

^{§§}33.8 *In Mara*, etc. ID., *ibid.* Quinta mansio est Mara, etc., usque ad ne refugias ergo applicare ad amaritudinem.

*33.9 *In Elim ubi erant*. Profectique de amaritudine venerunt in Elim, ubi sunt duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmæ erant. Vides post amaritudines et tentationum asperitates quam amœna te suscipiant loca! Non venisses ad palmas, nisi tentationum amaritudines pertulisses; nec ad dulcedinem fontium, nisi tristia et aspera superasses. Non quod in his sit finis itineris et perfectio cunctorum, sed dispensator animarum Deus interserit laboribus quædam refrigeria, quibus recreata anima promptior reddatur ad aliquos labores. Elim interpretatur arietes: arietes sunt duces gregis, hi sunt apostoli duces gregis Christi, qui sunt etiam duodecim fontes. Sed quia non solum illos elegit Christus, sed et alios septuaginta, ideo septuaginta arbores scribuntur esse palmarum, et ipsi enim apostoli nominantur; unde Paulus: *Deinde apostolis omnibus*. Hæc te amœnitas post amaritudinem, hæc requies post laborem, hæc gratia suscipiat tentationem.

[†]33.10 *Sed et inde egressi*, etc., *super mare Rubrum*. Quia post apostolicam doctrinam et dulces fructus triumphorum, interdum apparent præterita discrimina. Profectique de Elim applicuerunt juxta mare Rubrum. Nota quia jam non intrant in mare, sufficit semel intrasse; sed applicant juxta, et mare quidem vident et undas, sed motus ejus et impetus non timent. *Mari Rubro*, etc. HIERON., ubi supra. Hebraice etc., usque ad postquam egressi sunt de Ramesse.

sunt in deserto Sin.[‡] 12 Unde egressi, venerunt in Daphca.[¶] 13 Profectique de Daphca, castrametati sunt in Alus. 14 Egressique de Alus, in Raphidim fixere tentoria, ubi populo defuit aqua ad bibendum.[§] 15 Profectique de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai.^{**} 16 Sed et de solitudine Sinai egressi, venerunt ad sepulchra concupiscentiæ.^{††} 17 Profectique de sepulchris concupiscentiæ, castrametati sunt in

[‡]33.11 *In deserto Sin.* HIERON., ibid. Profectique de mari Rubro castrametati sunt in deserto Sin, etc., usque ad quia plures desertæ filii, quam ejus quæ habet virum. *Profectique de mari Rubro applicaverunt in desertum Sin.* Sin, rubus interpretatur vel tentatio: ibi jam incipit arridere bonorum spes, ubi de rubo apparuit Dominus, et responsa dedit Moysi, et initium visitationis filiis Israël. Solet enim in visionibus esse tentatio; solet enim angelus iniquitatis transfigurare se in angelum lucis, et ideo sollicitè agendum est ut discernas visiones. Unde Jesus Nave, cum visiones videret, interrogat eum qui apparuit, *Noster es, an adversariorum?* Ita ergo proficiscens anima cum invenerit discretionem visionum probabitur spiritalis esse. Est enim inter dona Spiritus sancti discretio spirituum.

[¶]33.12 *In Daphca.* Hebraice *Daphquah*, id est pulsatio. Post responsa Domini, post octavum numerum resurrectionis Christi, incipimus sacramenta pulsare. ORIG. Profecti de deserto Sin, venerunt in Daphca, quæ interpretatur sanitas. Nota ordinem profectuum. Ubi spiritalis efficitur anima, et discretionem habet visionum, pervenit ad sanitatem, ut merito dicat: *Benedic, anima mea, Domino, qui sanat omnes languores tuos.* Multi sunt languores animæ, avaritia scilicet, superbia, jactantia, formido, inconstantia et similia. *Castrametati sunt.* HIERON., ibid. Decima mansio in Exodo non habetur, etc., usque ad et impleri Scripturam: *Panem angelorum manducabit homo* Psal. 77.. Profectique de Daphca veniunt in Alus, id est, labores. Nec mireris si sanitatem sequuntur labores, quia ideo sanatur anima, ut delectabiliter laboret, et dicatur ei: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit* Psal. 127..

[§]33.14 *Raphidim.* HIERON., ibid. Castrametati sunt in Raphidim, etc., usque ad solent dæmonum tentamenta consurgere. ORIG. Post hæc veniunt in Raphidim, quæ interpretatur laus judicii. Bene laus sequitur post labores, sed laus judicii: fit ergo digna laude anima, quæ recte judicat et discernit, quæ scilicet spiritualiter dijudicat omnia, et a nemine dijudicatur.

^{**}33.15 *In deserto Sinai.* HIER. Sinai duodecima mansio. Statim tibi veniat in mentem apostolorum numerus. Una de pluribus, sed major omnibus, non separatur in ordine, præcellit in merito. Ad hanc quadragesima septima die perveniunt dicente Scriptura: *Mense tertio egressionis filiorum Israël de Ægypto, in hac die transierunt in solitudinem Sinai* Exod. 19., post pervenitur in desertum Sina. Sina quidem locus deserti est, quæ supra Sin nominavit: sed hic magis locus montis, qui in ipso deserto est, appellatur, qui ex vocabulo deserti Sina dicitur. Postquam ergo laudabilis judicii facta est anima, et rectum cœpit habere iudicium, datur ei lex a Deo, quia capax est divinatorum secretorum, et cœlestium visionum.

^{††}33.16 *Ad sepulchra concupiscentiæ,* etc. HIERON. Tertia decima mansio sepulchra concupiscentiæ. Est autem sensus ille de Evangelio, quod Dominus Jesus baptizatus, statim a Spiritu deductus est in desertum, et tentabatur a diabolo Matth. 4.. Itaque Israël post familiarem cum Deo sermonem, postquam juxta montem Sinai commoratus est, anno uno et diebus quatuor, mira dispositione castrorum egressus est in solitudinem Pharan, quæ interpretatur onager, vel feritas; ibique succumbit malæ bestiæ fastidians cœlestem panem. ORIG. Profecti de Sina, veniunt ad sepulchra concupiscentiæ, ubi scilicet sepultæ sunt et obrutæ concupiscentiæ, et extincta omnis cupiditas, ne ultra concupiscat caro adversus spiritum, mortificata scilicet morte Christi.

Haseroth.‡ 18 Et de Haseroth venerunt in Rethma.¶ 19 Profectique de Rethma, castrametati sunt in Remmomphares.§§ 20 Unde egressi venerunt in Lebna. * 21 De Lebna castrametati sunt in Ressa.† 22 Egressique de Ressa, venerunt in Ceelatha. 23 Unde profecti, castrametati sunt in monte Sepher.‡ 24 Egressi de monte Sepher, venerunt

‡33.17 *In Haseroth.* HIERON. Quarta decima mansio in Haseroth, quæ interpretatur atria. Ibi Aaron et Maria propter Æthiopissam contra Moysen murmurant, et in typum murmurantis contra Ecclesiam de gentibus congregatam populus Judæorum lepra perfunditur, nec redit ad tabernaculum cum pristina sanitate, donec statutum plenitudinis gentium tempus compleatur. ORIG. Post hæc venit in Haseroth, quod interpretatur atria perfecta vel beatitudo. Intuere, viator, diligentius quis sit ordo profectuum: postquam sepelieris et mortificaveris concupiscentias carnis, venies ad amplitudines atriorum, et venies ad beatitudinem. Beata est enim anima quæ jam nullis vitiis carnis urgetur.

¶33.18 *In Rethma.* HIERON., ubi supra. Castrametati sunt in Rethma, etc., usque ad et claro sonitu Evangelium prædicemus. ORIG. Inde venit in Rethma sive Pharan. Rethma visio consummata interpretatur; Pharan vero os visibile. Quid, nisi ita crescat anima, ut cum desierit molestiis carnis urgeri, visiones habeat consummatas, et rerum perfectam capiat intelligentiam? causas scilicet incarnationis verbi Dei, et rationes dispensationum ejus altius cognoscens.

§§33.19 *In Remmomphares.* HIERON. Mali Punici divisio, in quo significatur Ecclesia quasi multa grana uno cortice contegi: dum omnem turbam credentium in fidei unitatem concludit. Vel varietas et consonantia virtutum, unde: **Multitudinis credentium erat cor unum et anima una** Act. 4.; sicque divisi sunt singuli gradus, ut omnes eadem compage teneantur. ORIG. Inde venit in Remmomphares, ubi scilicet divitiarum et celestium rerum a terrenis et infimis discretio fit, crescente enim intellectu animæ, notitia ei excelsorum præbetur, et judicium datur quo sciat a temporalibus æterna, et a perpetuis caduca separare.

*33.20 *In Lebna,* etc. Laterem scilicet. In hoc enim transitu nunc crescimus, nunc decrescimus, et post multos profectus sæpe ad laterem, id est carnalia opera redimus. Post hæc venit in Lebna, quod interpretatur dealbatio. Scio in aliis dealbationem culpabiliter poni, ut cum dicitur paries dealbatus, et monumenta dealbata. Hic autem dealbatio est de qua dicitur: **Lavabis me et super nivem dealbabor** Psal. 50.; et, **si fuerint peccata vestra sicut Phœnicium, ut nivem dealbabo.** Et alibi, **Nive dealbabuntur in Selmon.** Et vetusti dierum capilli dicuntur esse candidi, id est, albi sicut lana. Hæc igitur dealbatio ex splendore veræ lucis intelligitur provenire, et ex visionum celestium claritate descendere.

†33.21 *In Ressa.* Frena scilicet. Si enim ad lutulenta opera descendimus, infrenandi sumus, et cursu vagi atque præcipientes Scripturarum retinaculis dirigendi. ORIG. Post hæc fit mansio in Ressa, etc., usque ad ergo est visibilis vel laudabilis tentatio.

‡33.23 *In monte Sepher.* HIERON. Pulchritudinis. Mons autem pulchritudinis est Christus. Vicesima mansio in monte pulchritudinis constituta est, de qua dicitur: **Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?** etc. Psal. 14.. Vides quid prosint frena: a vitiis nos retrahunt, ad virtutum choros introducunt, et in Christo monte pulcherrimo habitare faciunt. ORIG. Alia littera. **Inde venit in montem Sepher,** quod tubicinatio dicitur. Tuba signum belli est, ubi enim se tantis ac talibus virtutibus armatam sentit anima, necessario procedit ad bellum, quod est contra principatus et potestates, et hujus mundi rectores. Vel tuba canit in verbo Dei doctrinæ scilicet et prædicationis: ut qui audierit tubam, præparare se possit ad bellum.

in Arada.[¶] ²⁵ Inde proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth.[§] ²⁶ Profectique de Maceloth, venerunt in Thahath.^{**} ²⁷ De Thahath, castrametati sunt in Thare.^{††} ²⁸ Unde egressi, fixere tentoria in Methca.^{‡‡} ²⁹ Et de Methca, castrametati sunt in

[¶]33.24 *In Arada*. HIERON. Miraculum. Et nota ordinem, post frenos in Ecclesiam intromittimur, inde ad montem Christi ascendimus, in quo positi miramur quæ nec oculus vidit, nec auris audivit. ORIG. De monte Sepher venerunt in Arada, quod interpretatur idoneus effectus, ut scilicet dicat: *Idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti* I Cor. 2..

[§]33.25 *Maceloth*. Coetus; hæc est Ecclesia de qua dicitur: *Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare, fratres, in unum* I Cor. 3.. Vel consonantia omnium virtutum. ORIG. Inde venit ad Maceloth, quod interpretatur ab initio. Contemplatur enim qui ad perfectionem tendit initium rerum, imo cuncta ad eum refert qui erat in principio apud Deum, nec ab isto unquam recedit initio. HIER. Ex hac venit in Maceloth, quod est principatus vel virgæ, utroque potestas indicatur, et quod anima eousque profecerit, ut dominetur corpori quasi tenens virgam potestatis, imo toti mundo, cum dicit: *Mihi mundus crucifixus est*, etc. Gal. 6..

^{**}33.26 *Thahath*. Pavor, qui est custos beatitudinis, ut qui tantum ascendit, non superbiat; quasi: Venisti ad ecclesiam, ascendisti ad montem pulcherrimum, stupore et miraculo tuo Christi magnitudinem confiteris. Vides ibi multos virtutis socios: *Noli altum sapere, sed sapere ad sobrietatem* Rom. XII. Timor virtutum custos, securitas labilis, unde: *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* Psal. 12.. Hoc est dum tormenta formido, gratiam acceptam servo. Orig. Post hæc fit mansio in Thahath, quod est confirmatio vel patientia. Necesse est enim eum qui vult aliis prodesse, multa pati, et cuncta patienter ferre; unde: *Ego enim ostendam ei quanta oporteat eum pati pro nomine meo* Act. 9..

^{††}33.27 *Castrametati sunt in Thare*. HIERON. Id est malitia, etc., usque ad et Elias a corvis pascitur. ORIG. Inde venit ad Thare, quod est contemplatio stuporis, id est extasis cum alicujus magnæ rei stupescit animus admiratione. HIERON. Thare malitia vel pastura, quod ad præpositos Ecclesiæ, vel ad custodiam animæ refertur, ut sollicitus sit qui pascit, ne diabolus in caulas ovium, id est ecclesias aliquo vitiorum foramine se ingerat.

^{‡‡}33.28 *Methcha*. ID. Dulcedo. Quasi: ascendisti in excelsum montem patris, et miratus es virtutum choros, timuisti ruinam, abjecisti insidiatores, ideo dulcis te fructus laboris insequitur, ut dicat Psalmista: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua* Psal. 118.! Samson, qui abegerat a fructibus suis aves, et vulpes quæ exterminant vineas colligaverat, leonem quoque interfecerat rugientem, favum invenit in ore mortui. Post hæc venerunt ad Methcha, quod interpretatur mors nova: mors autem nova est, quando Christo commorimur et consepelimur, ut convivamus ei.

Hesmona.^{¶¶ 30} Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth.^{§§ 31} Et de Moseroth, castrametati sunt in Benejaacan. ³² Profectique de Benejaacan, venerunt in montem Gadgad.* ³³ Unde profecti, castrametati sunt in Jetebatha. ³⁴ Et de Jetebatha

^{¶¶}33.29 **Hesmona.** Quæ interpretatur festinatio, quia post dulces fructus laboris non debemus esse otiosi, sed obliti præteritorum in futura nos extendamus. ORIG. Inde ad Seman venit, quod os, vel ossa significare dicitur, in quo virtus et robur patientiæ declaratur.

^{§§}33.30 **Moseroth.** HIERON. Vincula, vel disciplina. Ut magistrorum teramus limina; et præcepta virtutum, ac mysteria Scripturarum, vincula putemus esse æterna contra diaboli potestatem et vincula: quibus diruptis vicit hostes Samson. De quibus dicitur: **Dirupisti vincula mea** Psal. 115.. Qui vinculo Christi fuerit ligatus, dicit: **Sinistra ejus sub capite meo et dextera ejus amplexabitur me** Cantic. 2.. ORIG. Inde ad Moseroth, quod est excludens, ut jam excludat suggestiones contrarii spiritus de cogitationibus suis; unde: **Si spiritus potestatem habenti ascenderit super te, locum tuum ne dimittas** Eccli. 10.. Tenendus est ergo locus, et excludendus adversarius, ne inveniatur locus in corde nostro, unde: **Nolite locum dare diabolo** Ephes. 4..

^{*}33.32 **Benejaacan venerunt,** etc. HIERON. Filii necessitatis vel stridoris vicesima octava mansio. Nota numerum, quia si ab uno incipias, et paulatim addens ad septimum usque pervenias, vicesimus octavus efficitur. ID. Benejaacan interpretatur filii necessitatis vel stridoris. De his filiis dicitur: **Afferte Domino filios arietum** Psal. 28.. Cum autem divinis Scripturis fueris eruditus, et leges earum et testimonia scieris esse vincula charitatis, et contendens cum adversariis ligabis eos, et vinctos duces in captivitatem, et de hostibus et captivis efficies liberos Dei; et filii stridoris timore supplicii, ubi est fletus et stridor dentium, deserentes vincula diaboli, Christo colla submittent. ORIG. Post hæc venit ad Benejaacan, quod significat fontes vel excolationes, ubi scilicet divinorum verborum fontes haurit, usquequo excolet eos bibendo, ut nec minimum quidem mandatum prætereat, imo nec unum iota, aut unus apex de verbo Dei in intellectu ejus habeatur otiosus. **Montem.** HIERON. Gadgad vel Galgath, interpretatur nuntius, vel actio, vel concisio. Non enim possumus facere filios necessitatis, nisi præceptores eorum interfecerimus, nec parcat manus nostra armum aut extremum auriculæ extrahere de ore leonis, et nuntiaverimus præmia futura, et accinctos esse in rebellando docuerimus; unde: **Maledictus qui facit opus Dei negligenter et prohibet gladium suum a sanguine** Jerem. 48.. Et David: **In matutino interficiebam omnes peccatores terræ** Psal. 100.. ORIG. Post hæc venit in Gadgad, quod interpretatur tentamentum, vel constipatio. Fortitudo quædam in Deo et munimen, est animæ tentamentum. Ita enim virtutibus admiscetur, ut videantur usque eo nec decoræ esse nec plenæ, et ideo proficiscentibus ad virtutem variæ et frequentes mansiones in tentationibus fiunt. Quas cum transieris, applicabis in Jetebatha: Jetebatha interpretatur bona; ad bonum ergo non nisi post tentationum experimenta venit. **Jetebathæ.** HIERON. Bonitas, quæ est Christus: ut cum venerimus ad perfectum virum, sacerdotalem gradum, et ætatem plenitudinis Christi, in qua Ezechiel erat juxta fluvium Chobar Ezech. 1., possimus cum David in psalmo canere: **Domine, in te speravi non confundar in æternum** Psal. 30.. **Pastor enim, bonus ponit animam suam pro ovibus suis.** Joan. 10.

venerunt in Hebrona.† 35 Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Asiongaber.‡
 36 Inde profecti, venerunt in desertum Sin, hæc est Cades.¶ 37 Egressique de Cades,
 castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus terræ Edom. 38 Ascenditque
 Aaron sacerdos in montem Hor jubente Domino: et ibi mortuus est anno quadrages-
 imo egressionis filiorum Israël ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis,§ 39 cum
 esset annorum centum viginti trium. 40 Audivitque Chananæus rex Arad, qui habit-
 abat ad meridiem, in terram Chanaan venisse filios Israël.** 41 Et profecti de monte

†33.34 *Hebrona*. ID. Transitus, id est mundus. *Præterit enim figura hujus mundi*, in quem venientes sancti cupiunt ad meliora transire. Ad hanc mansionem venit verus Hebræus, id est transitor, qui dicere potest: *Transiens, videbo visionem hanc magnam* Exod. 3.; unde: *Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos*. Psal. CXXVIII. ORIG. Inde applicuerunt in Hebrona, quod est transitus: transeunda enim sunt omnia, quod etiam si ad bona venias, oportet te ad meliora transire, usquequo ad illud bonum venias, in quo semper debeas permanere.

‡33.35 *In Asiongaber*. HIER. Asiongaber ligna viri. Quia scilicet saltuum et omnium arborum genera possunt multitudinem gentium figurare. Hucusque solitudo Pharan decimas octavas continet mansiones, quæ descriptæ in catalogo in superiori itinere non ponuntur. ORIG. Post hæc venit ad Asiongaber, quod interpretatur consilia viri. Si quis desiit puer esse sensibus, pervenit ad consilia viri, sicut ille qui dicebat: *Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli* I Cor. 13.. Sunt ergo magna consilia viri; unde: *Aqua alta consilium in corde viri*. Prov. 20.

¶33.36 *In desertum*, etc. HIERON.. Quæritur, etc., usque ad de hac mansione dicitur: *Commovebit Dominus desertum Cades*. ORIG. Hinc iterum Sin, id est tentatio, quia nec aliter expedit hoc iter agere. Aurifex enim vas necessarium facere volens frequenter admovet igni, subdit malleis, rasoriis perstringit, ut purgatus fiat, et ad speciem, quam prospicit artifex, perveniat. ID. Post hæc venerunt ad Pharan Cades, etc., usque ad Alius enim in valle, alius in campis, alius moritur in monte, alius in monte montis. ID. Inde applicatur in monte Hor, quod interpretatur montanus. Venit enim ad montem Dei, ut fiat mons uber, mons coagulatus. Vel ab eo quod semper in monte Dei habitet, dicatur montanus.

§33.38 *Aaron sacerdos in*, etc. ISID. Eodem anno mortuus est Aaron, quo novus populus terram promissionis intraturus erat. Et quanquam in monte, Eleazaro sacerdotium dereliquerit, et lex eos qui eam impleverint perducat ad summum; tamen ipsa sublimitas non est trans fluenta Jordanis, sed in extremis terrenorum operum finibus. Et plangit eum populus triginta diebus: Aaron, plangitur, Jesus non plangitur; in lege, descensus ad inferos; in Evangelio, ad paradysum ascensio.

**33.40 *Audivitque*. ISID. Audivit quoque Chananæus quod venisset Israël, et in loco exploratorum, ubi quondam populum offendisse noverat, iniit prælium et captivum duxit Israël. Rursum in eodem loco expugnatur, ex voto victor vincitur, superant victi. Per quod intelligimus, ut cum nos auxilio Dei destitutos hostes captivarint, non desperemus salutem, sed iterum pugnemus. Potest fieri ut vincamus, ubi victi sumus. Appellaturque nomen loci illius Horma, id est anathema.

Hor, castrametati sunt in Salmona.^{†† 42} Unde egressi, venerunt in Phunon.^{‡‡ 43} Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth.^{¶¶ 44} Et de Oboth venerunt in Ijeabarim, quæ est in finibus Moabitarum.^{§§ 45} Profectique de Ijeabarim, fixere tentoria in Dibongad.⁴⁶ Unde egressi, castrametati sunt in Helmondeblathaim.^{* 47} Egressique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo.^{† 48} Profectique de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, supra Jordanem, contra Jericho.^{‡ 49} Ibi que castrametati sunt de Bethsimoth usque ad Abelsatim in planioribus

^{††}33.41 *In salmona.* HIERON. Castrametati sunt in Salmona, etc., usque ad manna fastidiunt, a serpentibus vulnerantur. ORIG. Sequitur, etc., usque ad Christus est, et Spiritus sanctus. HIERON. Salmona imaguncula, quia ibi expressa est imago Salvatoris per serpentem æneum qui in ligno pependit.

^{‡‡}33.42 *Phunon.* Os, quia cum passionem Filii Dei cognoscimus, quod corde credimus, ore pronuntiamus, secundum illud: *Corde creditur ad justitiam*, etc. Rom. 10. ORIG. Hinc venit ad Phunon, quod putamus esse oris parcimoniam; qui enim potuerit mysterium Christi, et Spiritus sancti intueri, et viderit vel audierit quæ non licet homini loqui, necessario habebit oris parcimoniam, sciens quibus, quando vel quomodo de mysteriis divinis oporteat loqui.

^{¶¶}33.43 *Oboth.* HIERON. Magi vel pythones, quia post imaginem Dei quæ in corde ratione monstratur, et confessionem fidei quæ ore profertur, consurgunt serpentes, et maleficæ artes ad bella nos provocant. Sed omni custodia servantes cor nostrum, obturemus aures nostras ne audiamus voces incantantium et carmina sirenarum. ORIG. Post hoc venit in Oboth. Cujus nominis quamvis non invenerimus interpretationem, non dubitamus sicut in cæteris, et in hoc consequentiam profectuum conservari.

^{§§}33.44 *In finibus.* Significat secundum litteram, quod hucusque fuerunt in finibus Idumæorum, et nunc veniunt ad terminos Moab. ORIG. Sequitur post hæc mansio Gai, id est Chaos: appropriat enim per hoc profectus ad sinum Abrahamæ, qui ait: *Inter nos et vos magnum chaos firmatum est* Luc. 16., ut cum Lazaro requiescat. *In Dibongad.* HIERON. Dibongad, etc., usque ad sed econtrario solitudinem nobis propositam noverimus. ORIG. Inde venit iterum ad Dibongad, etc., usque ad quam perfecte et pie de Deo sentiat cognoscatur.

^{*}33.46 *Helmondeblathaim.* HIERON. Quod interpretatur, etc., usque ad vix populi precibus liberatum. ORIG. Post hæc venit in Helmondeblathaim, quod interpretatur contemptus ficuum, id est ubi contemnuntur penitus terrena: nisi enim contempta fuerint, quæ delectare videntur in terris, ad coelestia transire non possumus.

[†]33.47 *Venerunt ad montem Abarim contra Nabo,* etc. HIERON. Quadragesima prima mansio vertitur in montes transeuntium, et est contra faciem montis Nabo. ORIG. Sequitur mansio Abarim, quod est transitus contra Nabab, quod est abscessio. Ubi enim per has omnes virtutes anima transierit, et ad summum perfectionis ascenderit, transit jam de sæculo, et abscedit sicut Henoch, qui non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. Quod si videatur adhuc in sæculo esse, et in carne habitare, tamen non invenitur in ullo sæculari actu, quia transtulit illum Deus in regionem virtutum. HIERON. Hic moritur Moyses, terra promissionis ante conspecta. Nabo interpretatur conclusio, in qua finitur lex, et non invenitur ejus memoria, sed gratia Evangelii sine fine perseverat. Et notandum quod mansio transeuntium in montibus sita est, et adhuc profectu indiget: post montana enim ad campestria Moab et Jordanis fluentia descendimus, qui interpretatur descensio. Nihil enim tam periculosum quam gloriæ cupiditas et jactantia, et animus conscientia virtutum tumidus.

[‡]33.48 *Ad campestria Moab.* ID. In quadragesima secunda mansione, etc., usque ad et spinas quæ suffocaverunt sementem verbi Dei de quibus dicitur: *Versatus sum in miseria, dum mihi configitur spina* Psal. 31.. ORIG. Ultima mansio est, etc., usque ad profectum mentis indicant et incrementa virtutum.

locis Moabitarum. ⁵⁰ Ubi locutus est Dominus ad Moysen: ⁵¹ Præcipe filiis Israël, et dic ad eos: Quando transieritis Jordanem, intrantes terram Chanaan, [†] ⁵² disperdite cunctos habitatores terræ illius: confringite titulos, et statuas comminuete, atque omnia excelsa vastate, [§] ⁵³ mundantes terram, et habitantes in ea. Ego enim dedi vobis illam in possessionem, ⁵⁴ quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitur latiore, et paucis angustiore. Singulis in sors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. Per tribus et familias possessio dividetur. ^{**} ⁵⁵ Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ: qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ: ⁵⁶ et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.

34 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ^{††} ² Præcipe filiis Israël, et dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram Chanaan, et in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur. ³ Pars meridiana incipiet a solitudine Sin, quæ est juxta Edom: et habebit terminos contra orientem mare salsissimum. ⁴ Qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna, et perveniant a meridie usque ad Cadesbarne, unde egredientur confinia ad villam nomine Adar, et tendent usque ad Asemona. ⁵ Ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad torrentem Ægypti, et maris magni littore finietur. ⁶ Plaga autem occidentalis a mari magno incipiet, et ipso fine claudetur. ⁷ Porro ad septentrionalem plagam a mari magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum, ^{**} ⁸ a quo venient in Emath usque ad terminos Sedada: ⁹ ibuntque confinia usque ad Zephrona,

[†]33.51 *Transieritis Jordanem*, id est cum baptizati fueritis, quasi, cum deposito veteri homine cum actibus suis, indueritis novum Col. 3., qui renovatur in agnitione Dei.

[§]33.52 *Disperdite cunctos*. Cum terram sanctam repromissionis per fidem ingredimur, simul cum idololatria etiam omnia vitia extinguamus. *Habitatores*. Malignos spiritus, phantasmata vitiorum, cum suggestionibus suis; unde: *Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram* Psal. 136..

^{**}33.54 *Pluribus dabitur latiore*. Quia qui habent copiam virtutum, latitudinem sperant præmiorum: qui autem paucitate virtutum contenti sunt, secundum meritum suum retributionem percipiunt; unde: *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus*, etc. II Cor. 9..

^{††}34.1 *Locutusque est Dominus*, etc. ORIG., homil. 1 in Num. Divinis numeris non omnes digni sunt, etc., usque ad tanquam de capite apostolorum procedebant. *Locutus est ergo Dominus ad Moysen* in deserto Sina: illa scilicet quæ superius breviter comprehendimus, ubi præcipitur numerari a viginti annis et supra *omnis qui procedit in virtute Israël*, etc. Si quis ergo procedit in virtute, ille numeratur: nec in qualicumque virtute vel Ægyptiorum, vel Assyriorum, vel Græcorum; sed in virtute Israël, quæ a Deo per Scripturas docetur, et per fidem apostolicam et evangelicam traditur. ORIG. Ratio quoque tribuum distinctio ordinum, etc., usque ad ut possit ad Isræliticum numerum pertinere.

^{**}34.7 *Ad septentrionalem*, etc. Dicunt Hebræi septentrionalem plagam incipere a mari magno quod Palæstinæ, Phœnicis et Syriæ quæ appellatur Cœle Ciliciæque prætendit littoribus, et per Ægyptum tendit ad Libyam. Quod autem dicitur, pervenientes usque ad montem altissimum, autumant significari montem Armanum, vel Taurum, quod verius videtur.

et villam Enan. Hi erunt termini in parte aquilonis.^{¶¶} ¹⁰ Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan usque Sephama, ¹¹ et de Sephama descendunt termini in Rebla contra fontem Daphnim: inde perveniunt contra orientem ad mare Cenereth, ¹² et tendunt usque ad Jordanem, et ad ultimum salsissimo clauduntur mari. Hanc habebitis terram per fines suos in circuitu. ¹³ Præcepitque Moyses filiis Israël, dicens: Hæc erit terra, quam possidebitis sorte, et quam jussit Dominus dari novem tribubus, et dimidiæ tribui.^{§§} ¹⁴ Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, et tribus filiorum Gad juxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse, ¹⁵ id est, duæ semis tribus, acceperunt partem suam trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagam. ¹⁶ Et ait Dominus ad Moysen: ¹⁷ Hæc sunt nomina virorum qui terram vobis dividunt, Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, ¹⁸ et singuli principes de tribubus singulis, ¹⁹ quorum ista sunt vocabula. De tribu Juda, Caleb filius Jephone. ²⁰ De tribu Simeon, Samuel filius Ammiud. ²¹ De tribu Benjamin, Elidad filius Chaselon. ²² De tribu filiorum Dan, Bocci filius Jogli. ²³ Filiorum Joseph de tribu Manasse, Hanniel filius Ephod. ²⁴ De tribu Ephraim, Camuel filius Sephthan. ²⁵ De tribu Zabulon, Elisaphan filius Pharnach. ²⁶ De tribu Issachar, dux Phaltiel filius Ozan. ²⁷ De tribu Aser, Ahiud filius Salomi. ²⁸ De tribu Nephthali, Phedaël filius Ammiud. ²⁹ Hi sunt, quibus præcepit Dominus ut dividerent filiis Israël terram Chanaan.

35 Hæc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campos tribus Moab supra Jordanem, contra Jericho: ² Præcipe filiis Israël ut dent Levitis de possessionibus suis ³ urbes ad habitandum, et suburbana earum per circuitum: ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus ac jumentis: ⁴ quæ a muris civitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatio tenduntur. ⁵ Contra orientem duo millia erunt cubiti, et contra meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque, quod respicit ad occidentem, eadem mensura erit, et septentrionalis plaga æquali termino finietur, eruntque urbes in medio, et foris suburbana. ⁶ De ipsis autem oppidis, quæ Levitis dabitur, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem: et exceptis his, alia quadraginta duo oppida, ⁷ id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis. ⁸ Ipsæque urbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israël, ab his qui plus habent, plures auferentur: et qui minus, pauciores: singuli juxta mensuram hæreditatis suæ dabunt oppida Levitis. ⁹ Ait Dominus ad Moysen: ¹⁰ Loquere filiis Israël, et dices ad eos: Quando transgressi fueritis Jordanem in terram Chanaan, ¹¹ decernite quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum, qui nolentes

^{¶¶}34.9 *Ibuntque confinia*, etc. A fine septentrionalis plagæ, id est atrio Hena, tendunt fines usque ad Sephama, quam Hebræi Aphamiam vocant, et de Aphamia descendunt in Reblatha, quæ est Antiochia Syriæ. Unde addit, *contra fontem*, quem perspicuum est esse Danem, de quo Antiochia abundantissimis fruitur aquis.

^{§§}34.13 *Hæc erit terra*, etc. ORIG. In priori divisione trans Jordanem per Moysen duabus tribubus Ruben et Gad, et dimidiæ tribu Manasse terra divisa est, etc., usque ad et ipsis moenibus juncta segregantur. ID. Videtur quoque quibusdam, etc., usque ad Hi sunt vere sacris numeris apud Deum numerati, imo quorum omnes numerati sunt capilli Matth. 10..

sanguinem fuderint:* ¹² in quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, et causa illius iudicetur. ¹³ De ipsis autem urbibus, quæ ad fugitivorum subsidia separantur, ¹⁴ tres erunt trans Jordanem, et tres in terra Chanaan, ¹⁵ tam filiis Israël quam advenis atque peregrinis, ut confugiat ad eas qui nolens sanguinem fuderit. ¹⁶ Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit qui percussus est, reus erit homicidii, et ipse morietur.† ¹⁷ Si lapidem jecerit, et ictus occubuerit, similiter punietur. ¹⁸ Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur. ¹⁹ Propinquus occisi, homicidam interficiet: statim ut apprehenderit eum, interficiet. ²⁰ Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippam in eum per insidias: ²¹ aut cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit: percussor homicidii reus erit: cognatus occisi statim ut invenerit eum, jugulabit. ²² Quod si fortuitu, et absque odio ²³ et inimicitiiis quidquam horum fecerit, ²⁴ et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem et propinquum sanguinis quæstio ventilata: ²⁵ liberabitur innocens de ultoris manu, et reductetur per sententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur. ²⁶ Si interfector extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ sunt, ²⁷ fuerit inventus, et percussus ab eo qui ultor est sanguinis: absque noxa erit qui eum occiderit. ²⁸ Debuerat enim profugus usque ad mortem pontificis in urbe residere. Postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam.‡ ²⁹ Hæc sempiterna erunt, et legitima in cunctis habitationibus vestris. ³⁰ Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur. ³¹ Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis, statim et ipse morietur. ³² Exules et profugi ante mortem pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt, ³³ ne polluantis terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore maculatur: nec aliter expiari potest, nisi per ejus sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit. ³⁴ Atque ita emundabitur vestra possessio me commorante vobiscum. Ego enim sum Dominus qui habito inter filios Israël.

36 Accesserunt autem et principes familiarum Galaad filii Machir filii Manasse, de stirpe filiorum Joseph: locutique sunt Moysi coram principibus Israël, atque dixerunt: ² Tibi domino nostro præcepit Dominus ut terram sorte divideres filiis Israël, et ut filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri: ³ quas si alterius tribus homines uxores acceperint, sequetur possessio sua, et translata ad aliam tribum, de nostra hæreditate minuetur. ⁴ Atque ita fiet, ut cum jubilæus, id est, quinquagesimus annus remissionis advenerit, confundatur sortium

*35.11 *Decernite quæ urbes.* AUG., quæst. 64 in Num. Quid est quod ait, etc., usque ad si manifestum factum fuerit in iudicio, quod nolens occiderit. RAB. in Num. Si forte pro conscientia peccatorum civitates terræ promissionis, etc., usque ad quia Sicheim ab alienigenis comparata est centum agnis.

†35.16 *Reus*, id est æternæ morti obnoxius; unde, *Si quis scandalizaverit unum ex pusillis istis qui in me credunt*, etc. Matth. 18.. Et alibi: *Omnis qui oderit fratrem suum, homicida est, nec habet vitam æternam* I Joan. 3. Hic secundum Exodum ab altari jubetur avelli Exod. 21., quia indignus sacramentis Dominicis a participatione sacri altaris movetur, nec revocatur ad veniam nisi per condignam pœnitentiam.

‡35.28 *Postquam autem ille obierit.* GREG., homil. 6 in Ezech. Post mortem summi pontificis, homicida jubetur reverti in terram suam, quia humanum genus peccando sibi mortem intulit post mortem veri sacerdotis, id est Christi, absolutionem reatus accipit.

distributio, et aliorum possessio ad alios transeat. ⁵ Respondit Moyses filiis Israël, et Domino præcipiente ait: Recte tribus filiorum Joseph locuta est. ⁶ Et hæc lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est: nubant quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus: ⁷ ne commisceatur possessio filiorum Israël de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione sua: ⁸ et cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient: ut hæreditas permaneat in familiis, ⁹ nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant ¹⁰ ut a Domino separatæ sunt. Feceruntque filiæ Salphaad ut fuerat imperatum: ¹¹ et nupserunt Maala, et Thersa, et Hegla, et Melcha, et Noa, filiis patruï sui ¹² de familia Manasse, qui fuit filius Joseph: et possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit in tribu et familia patris earum. ¹³ Hæc sunt mandata atque judicia, quæ mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israël, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho.

INCIPIT LIBER HELLEADDABARIM ID EST DEUTERONOMIUM

1 Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israël trans Jordanem in solitudine campestri,[¶]

[¶]1.1 *Præfatio* Hebraice ELLEH HADDEBARIM id est, HÆC SUNT VERBA *Fasciculus myrrhæ delectus mihi*. Myrrha, arbor aromatica, quinque cubitis tantum in altum excrescit, cujus cortex et radix et folia et omnia amara sunt. Myrrha amara est et cadaveribus apponitur, ut arceat putredinem vermium. Hæc est lex vetus in quinque libris comprehensa; amara, id est, nemini parcens, unde et Marath designata est; apposita cadaveribus, id est inventa pro peccatoribus, ut corruptionem criminum ab eis arceret. Hujus fasciculus est Deuteronomius, id est ramusculorum plurium in unum collectio. Terminata enim lege in quatuor voluminibus, iste quintus additus est, diffuse dicta in unum breviter colligens, quædam etiam prætermissa supplens. Additus autem est illis ut numero legali satisfaceret. Quinarius enim numerus est legis, quaternarius Evangelii. Unde et refectio quinque millium hominum in Evangelio ad patres Veteris Testamenti spectat: refectio quatuor millium ad patres novi; illis enim promissa sunt et data terrena, quæ quinque sensibus subsunt: illis quadrata, id est, soliditas terræ viventium. Deservit etiam liber iste Evangelio in nomine, in explanationis serie, in sui dignitate. Dicitur enim Hebraice *Elleh Haddebarim*, id est, hæc verba, Græce, quod est Latine secunda lex: Non ut quidam dixerunt, altera post prædictam, unde in prædictis dicebatur: *Locutus est Dominus*; hic autem, *Locutus est Moyses*; sed secunda, id est secundo iterata, hoc nomine Evangelium præfigurans, quod successit legi, cui nullum succedet. Cum etiam multa breviter colligit et supplet quædam, formam Evangelii præfiguratur: hoc est enim abbreviatum verbum quod fecit Dominus super terram, et supplet imperfecta legis; unde: *Non veni solvere legem, sed adimplere* Matth. 5.. Cum autem dicitur hoc opus adeo dignum, quod manibus regis gestari jubeatur, dignitatem Evangelii aperit, quod ordinatum est in manu Mediatoris. Cum ergo sic serviat Evangelio, merito est fasciculus dilectus Christo, non tantum pro se, quantum quia ostendit rotam in medio rotæ. Intentio est recapitulare prædicta triplici fine, ut arctius memoriæ commendetur, ut utilitas prædictorum inculcetur. Quod enim utile est, sæpe dicere, nec pigrum esse debet, ut ait Apostolus Phil. 3., nec molestum audire, et ut duritia Judæorum condemnetur, qui toties dicta non intellexerunt. Modus agendi: Præmittit quasi prologum, quo ostendit quis scripserit, et quid, etc. Post memorat grave delictum pro quo perierunt in deserto, ut hoc timore excitet ad audiendum. Post separat civitates refugii. Post recapitulat dicta et facta bona et mala supplet. Post jubet hunc librum poni in arca, et septimo anno legi omni Israël in scenophegia. Post subdit canticum:

contra mare Rubrum, inter Pharan et Tophel et Laban et Haseroth, ubi auri est plurimum:⁸

§1.1 **Audite**, etc., in memoriam murmuris eorum et poenæ, obedientiæ et præmii. Et post benedictiones tribuum. Ultimo de morte Moysi. **Hæc sunt verba**, etc. Præmittit legislator titulum quasi prologum, in quo ostendit nomen auctoris, et quid fecerit, et ubi, et quando. Sicut paulo post in glossa distinguetur, et terminatur ut quibusdam videtur, ibi: **Quadragesimo**, etc., vel inferius, ibi: **Deus noster**, etc. Sed ad eorum evidentiam quæ in prologo, et eorum quæ sequuntur, tangenda est aliquantulum veritas historiæ. Ab exitu filiorum Israël de Ægypto usque quo pervenerunt ad campestria Moab supra Jordanem: fluxerunt quadraginta duo anni, in quibus diversis temporibus quadraginta duas mansiones fecerunt. Quando nubes levabatur, castra movebantur, et cum stabat, figebantur et manebant in eodem loco quousque iterum levabatur nubes. Prima mansio fuit in Ramesse, ultima in campestribus Moab. A Ramesse usque ad montem Sina, spatio quadraginta septem dierum duodecim mansiones fecerunt et hoc primo anno, et ibi fere totum annum steterunt. Ibi lex data est, ibi Genesis scriptus, Exodus, Numeri scripti sunt, et magna pars hujus. Inde pedem moventes anno secundo pervenerunt in Cadesbarne et in spatio illo fecerunt viginti mansiones; de Cadesbarne miserunt exploratores, qui revertentes nuntiaverunt terram bonam, sed robustos et gigantes homines invenerunt, et territi volentes redire in terram Ægypti, unde iratus Dominus. Abierunt retro et lustraverunt montem Seir per triginta octo annos, ibi mortui et prostrati sunt murmurantes. In quadagesimo anno pervenerunt ad Cadesbarne, unde retro abierunt per desertum, et in illo spatio novem mansiones iterum fecerunt. Undecim vero dies Moyses antequam veniret ad Cadesbarne, legem solo verbo recapitulavit, et de Cadesbarne usque ad campestria Moab, et illo spatio undecim dierum scripto voluit commendare. Ecce de primo anno duodecim, de secundo una et viginti, de reliquis novem, et ita quadraginta duæ mansiones. Hæc fuit causa hujus libri, ut scilicet quæ facta fuerant, breviter collecta, arctius tenerentur in memoria, facile enim retinentur quæ breviter dicuntur. RAB. in Deut. **Hæc sunt verba**, etc. Principium Deuteronomii titulus esse videtur totius operis, quia personam indicat auctoris, et quid fecerit, et locum, et tempus. Nomen quoque libri gratiam demonstrat Novi Testamenti. Deuteronomium namque secunda lex interpretatur, et Evangelium significat, quod Veteris Testamenti sacramenta spiritualiter explanat. Sicut liber Deuteronomii repetitio est quatuor librorum legis: illi enim proprias continent in se causas, iste replicat universa, habet et ipse propria sacramenta. ID. **Hæc sunt verba**. Hoc de se tanquam de alio, etc., usque ad ut nemo possit dubitare Moysen ista scripsisse. **Locutus est**. Moyses lex vetus est, quæ trans Jordanem, id est ante baptismum, Israëliticum docuit populum. In Jordane enim significatur baptismus in quo baptizatus est Christus: in solitudine campestri, id est in sterilitate carnalis populi, qui fructum virtutum non attulit. **In solitudine**, sterilitate plebis, cui dicitur: **Relinquetur vobis domus vestra deserta** Matth. XXXI; Luc. 13.. **Contra mare**. Quia generatio prava et perversa abluionem peccatorum in sanguine Christi credere noluit. **Inter Pharan**. Pharan auctus; Tophel, insulstas; Laban, dealbatio; Haseroth, atria. Auctus est enim populus numero hominum, doctrina legis et prophetarum; sed insulsus fuit, quia sal sapientiæ non habuit, dealbatus vero legis cæremoniis variisque munditiis, quas ex littera legis se habere credidit. Qui bene per atria significatur, tanquam per divinas Scripturas ad introitum fidei paratus, unde multi in adventu Christi facilius susceperunt, quem ante prædictum agnoverunt, unde Philippus: **Quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth** Joan. 1.. Quatuor hi montes, quatuor Evangelia significant, quibus Ecclesia circumdatur.

² undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne. ^{** 3} Quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis, locutus est Moyses ad filios Israël omnia quæ præceperat illi Dominus, ut diceret eis, ^{†† 4} postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon, et Og regem Basan, qui mansit in Astaroth, et in Edrai, ^{‡‡ 5} trans Jordanem in terra Moab. Cœpitque Moyses explanare legem, et dicere: ^{¶¶ 6} Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis quod in hoc monte mansistis: ^{§§ 7} revertimini, et venite ad montem Amorrhæorum, et ad cetera quæ ei proxima sunt campestria atque montana et humiliora loca contra meridiem, et juxta littus maris, terram Chananæorum, et Libani usque ad flumen magnum Euphraten. ⁸ En, inquit, tradidi vobis: ingredimini et possidete eam, super qua juravit Dominus patribus vestris Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret illam

^{**}1.2 *Undecim diebus.* Lex per Moysen undecim diebus explanata, Judaicæ plebis transgressionem in mandato Decalogi significat: Undecim dies sunt undecim apostoli per quos Juda reprobo Evangelium Christi prædicatum est in mundo. *De Horeb.* Qui Hebraice *Choreb*; incipiens per Seir, id est pilosum et sordidum vitis populum transiens venit ad Cadesbarne: qui commutatus vel electus vel nobilis interpretatur, significans litteralem legis sensum in spiritalem per Evangelium commutatum. *Omnia enim in figura continebant illis, scripta ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt* I Cor. 10.. Lex enim non est soluta, sed adimpleta, *nec unum iota aut unus apex præteribit donec omnia fiant* Matth. 5..

^{††}1.3 *Quadragesimo anno, undecimo mense, prima,* etc. ISID., in Deut., tom. 5. Quadraginta anni, etc., usque ad sine corruptione manebunt. Quadragenarius ex denario et quaternario constat, et legis Evangelii impletionem significat, quæ fit in Ecclesia, decem namque ad legem pertinent, quatuor vero ad Evangelium. *Undecimo mense,* etc. Sicut in undecima expressa est legis transgressio, sic in prima die pervigil ad docendum legislatoris intentio; qui ex quo inobediens populus legem transgredi non timuit, statim, prædicando et corrigendo, voluntatem Domini insinuare studuit, et eos ad meliora trahere vel provocare verbis et exemplis non cessavit.

^{‡‡}1.4 *Postquam percussit Sehon,* etc. Notandum quod, interfectis duobus Amorrhæorum regibus, lex recapitulatur et populus instruitur, quia, remotis scandalis et superatis vitiorum turmis, competenter doctrinæ insistitur et fidei lumen digne desiderantibus aperitur. Debemus prius in nobis vitia occidere et sic mandata divina populis tradere. *Sehon regem Amorrhæorum qui habitavit in Hesebon,* etc. ISID. In his regibus, etc., usque ad sed foris manentes semper operibus insistant pravis.

^{¶¶}1.5 *In terra Moab.* Exlex siquidem populus fuit, qui legem spiritalem non habuit.

^{§§}1.6 *Dominus Deus noster.* In libro Numerorum de profectioe filiorum Israël de deserto Sinai narratur, sed præceptum Domini ad Moysen de eodem transitu non dicitur; sed de nube quæ tabernaculum tegebat, et quando proficiscendum erat recedebat: et ad locum figendum castrorum præcedebat. Sic enim scriptum est: *Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis, elevata est nubes de tabernaculo fœderis, et recubuit in solitudine Pharan* Num. 10.. Sed manifestum est transitum illum Dei præcepto esse dispositum, licet ibi non sit commemoratum. Unde alibi in libro Numeri ad imperium Domini figebant tentoria, et ad imperium illius deponebant Num. 9.. *Sufficit vobis,* etc. Præcipitur Moysi ut recedat a monte in quo legem acceperat, quia doctor non semper debet instare contemplationi, sed aliquando descendat ut sui et proximorum curam gerat, unde, *Sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis.*

eis, et semini eorum post eos. ⁹ Dixique vobis illo in tempore: * ¹⁰ Non possum solus sustinere vos: quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellæ cæli, plurimi. ¹¹ (Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, et benedicat vobis sicut locutus est.) † ¹² Non valeo solus negotia vestra sustinere, et pondus ac jurgia. ¹³ Date ex vobis viros sapientes et gñaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. ‡ ¹⁴ Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere. ¹⁵ Tulique de tribubus vestris viros sapientes et nobiles, et constitui eos principes, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula. ¹⁶ Præcepique eis, dicens: Audite illos, et quod justum est judicate: sive civis sit ille, sive peregrinus. ¹⁷ Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei iudicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam. ¶ ¹⁸ Præcepique omnia quæ facere deberetis. ¹⁹ Profecti autem de Horeb, transivimus per eremum terribilem et maximam, quam vidistis, per viam montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cumque venissemus

*1.9 *Dixique vobis in illo tempore*, etc. De hac divisione potestatum in Exodo antequam venirent ad montem Sinai, scriptum est quod Jethro sacerdos Madian cognatus Moysi hoc ipsi suggesserit Exod. 18.. Unde merito quæritur quomodo hæc sibi modo, et illo tempore conveniant? Sed quod hic dicitur dixisse Moyses in illo tempore: **Non possum solus sustinere vos**, etc., non illud tempus significat, quo de Horeb proficiscebantur, sed totum tempus quo profecti de Ægypto in solitudine morabantur, et Moyses non ex suo cognati sui consilio hoc populo suo persuasit. *Illo tempore*. Omnia faciunt sancti in tempore opportuno, sic Deus quoque ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum Gal. 4..

†1.11 *Dominus Deus patrum vestrorum addat*, etc. Docet doctores de profectu subditorum gaudere, gratias agere et semper meliora optare. *Ad hunc numerum*, etc. Diffinitum apud Deum. *Novit qui sunt ejus qui numerat multitudinem stellarum* II Tim. 2.. RAB. Vide quam observandum sit quod alibi Scriptura dicit: *Fili, ne in multis sint actus tui* Eccli. 11.. Verba quoque Jethro consilium dantis considera, ait enim: *Audi me, et consilium dabo tibi, et erit Deus tecum* Exod. 18.. Videtur significari nimis intentum animum actionibus humanis, Deo quodammodo vacuari, quo tanto fit plenior, quanto in superna et æterna liberius extenditur.

‡1.13 *Date ex vobis*. Date vos, non ego; quasi, nolo vobis imperare, sed obedire. *Ponam eos*. Nota, subditis electionem tribuit, positionem sibi retinuit, ne plebs contemnat aut oderit, si non licuit habere quem voluit. *Tribunos*. Millenarios, Græce, qui de spe scilicet æterni præmii docent subjectos. *Et centuriones*. Centuriones, Græce: qui cœlestia mandata perfectis tradunt. Jure præponuntur, qui centenario numero, id est, perfectione præditi: quasi centum regunt, dum ad perfectionem perducunt. *Et quinquagenarios*. Græce: qui opera pœnitentiæ annuntiant. *Decanos*,: qui denarii perfectione vineæ denarium expectantes, ejusdem denarii multos præparant participes.

¶1.17 *Quia Dei iudicium est*; non hominum, quia iudicando Dei vicarii estis, qui personam non accipit. *Quod si difficile*. Majora quæque et difficilia discernere et iudicare debent majores, parva et facilia minores.

in Cadesbarne, § 20 dixi vobis: Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus

§1.19 *Cumque venissemus in Cadesbarne*, etc. Quod secundo anno egressionis suæ populus in deserto Pharan, quod est Cades, venerit; ubi reversis exploratoribus cum fructibus terræ, et quæ viderant nuntiantibus, murmuraverunt contra Moysen et Aaron, et ideo longi itineris tædio et mortalitate affecti interierint: hic locus manifestum dabit indicium. Ubi notandum quod quadraginta duæ mansiones, quas ab Ægypto usque ad Jordanem habuerunt, trium tantum congruere videntur curriculis annorum: primi scilicet, secundi, et quadragesimi egressionis de Ægypto. Primus certa distinctione continet duodecim, primam Ramesse, quintodecimo die primi mensis ingressam, ultimam solitudinem Sinai, prima die tertii mensis additam; et per undecim continuos menses construendi tabernaculi, et docendæ legis gratia, minime relictam. Quarum duodecim mansionum novem tantum in Exodo exprimuntur nominatim, tres in vocabulo deserti Sin quod dicitur esse inter Elim et Sinai indistincte significantur. Secundus annus complectitur mansiones viginti et unam. Quibus in ordine historiæ cunctis indifferenter sub nomine solitudinis Pharan comprehensis, prima tantum et secunda, et ultima, id est, Sepulcra concupiscentiæ, Haseroth, et Cades, distinguuntur nomine. Sed in catalogo mansionum pariter omnes quot in numero fiunt, vel quo nomine dictæ ostenditur. Prima mansio, id est, Sepulcra concupiscentiæ, secundo mense ejusdem secundi anni secunda vicesima die mensis introita est. Anno enim secundo ut Scriptura dicit mense secundo vicesima die mensis moverunt castra de deserto Sinai, et recubuit in solitudine Pharan nubes, profectique sunt de monte Domini viam trium dierum, donec venirent ad locum mansionis, quæ merito populi carnes concupiscentis sepulcrorum concupiscentiæ nomen accepit. Ultimam harum, id est, Cades, quoto die vel mense ejusdem anni ingressi sunt, non dicitur: quæ tamen in solitudine Pharan sita est, quia eodem anno adita fuerit, non tacetur. Scriptum est enim: **Populus non est motus de illo loco donec revocata est Maria. Profectusque est de Haseroth fixis tentoriis in deserto Pharan, ubi locutus est Dominus ad Moysen dicens: Mitte viros qui considerent terram Chanaan** Num. 12, 13.. Quod ne proxima post Haseroth mansione jussum factumque putetur, sed in ultima eorum, quæ sub nomine Pharan continetur, impletum, infra scriptum est: **Reversique exploratores terræ post quadraginta dies omni regione circumita, venerunt ad Moysen in Pharan, quod est Cades.** In Deuteronomio quoque dicit Moyses populo:

noster daturus est nobis:** 21 vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi: ascende et posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis: noli timere, nec quidquam paveas. 22 Et accessistis ad me omnes, atque dixistis: Mittamus viros qui considerent terram: et renuntient per quod iter debeamus ascendere, et ad quas pergere civitates.†† 23 Cumque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis.‡‡ 24 Qui cum perrexissent, et ascendissent in montana, venerunt usque ad Vallem botri: et considerata terra, 25 sumentes de fructibus ejus, ut ostenderent ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. 26 Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri, 27 murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos Dominus, et idcirco eduxit nos de terra Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. 28 Quo ascendemus? nuntii terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est, et nobis statura procerior; urbes magnæ, et ad cælum usque munitæ: filios Enacim vidimus ibi. 29 Et dixi vobis: Nolite metuere, nec timeatis eos:

**1.19 *Cum venissetis in Cadesbarne, dixi vobis: Venistis ad montem Amorrhæi, etc., et dixistis: Mitte viros qui considerent terram, etc.* Deut. 1.. Quod autem eandem mansionem secundo anno egressionis adierunt, a quo tamen peccato murmurationis reverti, et diu per desertum errare, et passim cadere meruerunt, testatur Moyses in sequentibus, dicens: *Sedistis in Cadesbarne multo tempore, profectique inde venimus in solitudinem quæ ducit ad mare Rubrum, sicut dixerat mihi Dominus, et circumivimus montem Seir longo tempore, et intra tempus quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad torrentem Zareth* octavo tricesimo anno fuit, donec consumeretur omnis generatio bellatorum. Zareth autem non est nomen alicujus mansionis de quadraginta duabus, sed torrentis ad quem sicut in libro Numerorum legitur transgressa octava decima mansionem nomine Jeabarim venerunt, quem relinquentes, inquit, castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, et prominet in finibus Amorrhæi, quod quadragesimo anno gestum fuisse non latet, qui ultimus per desertum longissimæ viæ mansiones continet decem: quarum prima magno labore repetita, eadem scilicet ipsa Cades deserti Sin, quam ante annos octo et triginta culpa exigente post se reversi reliquerunt, de qua scriptum est: *Venerunt filii Israël in desertum Sin mense primo, et mansit populus in Cades, et mortua est ibi Maria et sepulta in eodem loco. Cumque indigeret aqua populus, coierunt adversum Moysen et Aaron, etc., usque ad hoc, Hæc est aqua contradictionis, etc.* Num. 20.. Notandum quod eadem Cades, et in deserto Pharan, et in deserto Sin facta est, sicut Scriptura refert, unde conjicimus partem deserti Pharan ubi Cades est, specialiter Sin appellari: sin autem non est ipsa Cades, quam mox transgresso mari Rubro inter Elim et Sinai pertransierunt, sed alia prorsus, et aliis apud Hebræos scripta litteris. Secunda vero ejusdem quadragesimi anni mansio est mons Hor, in quo occubuit Aaron primo die quinti mensis: ultima, campestris Moab super Jordanem contra Jericho, ubi Deuteronomium meditates, manserunt, donec mortuo Moyse, Josue duce, primo die decimi mensis Jordanem transierunt. Fiunt ergo mansiones primi anni duodecim, secundi viginti et una, ultimi et ipsa vicesima prima quæ est Cades, et aliæ novem, simul scilicet omnes quadraginta duæ.

††1.22 *Et accessistis ad me.* In libro Numeri scriptum est, Dominum dixisse Moysi, ut mitteret viros, qui considerarent terram: hic vero populus dixisse legitur: *Mittamus viros qui considerent terram, sed populus hoc prius Moysi suggessit, Moyses ad Dominum retulit, secundum cujus præceptum postea exploratores misit.*

‡‡1.23 *Misi ex vobis.* ISID. Duodecim exploratores missi ad explorandam uberem terram, etc., usque ad quia nec Christus sine lege, nec lex sine Christo. *Duodecim.* Hi doctores Ecclesiæ significant, quorum alii prava docendo populum pervertunt: alii recta prædicando proficiunt.

³⁰ Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus. ³¹ Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. ³² Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro, ³³ qui præcessit vos in via, et metatus est locum in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, et die per columnam nubis. ¶³⁴ Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus juravit, et ait: §§³⁵ Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ terram bonam, quam sub juramento pollicitus sum patribus vestris, *³⁶ præter Caleb filium Jephone: ipse enim videbit eam, et ipsi dabo terram, quam calcavit, et filiis ejus, quia secutus est Dominum. ³⁷ Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc: †³⁸ sed Josue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te. Hunc exhortare et roborare, et ipse sorte terram dividet Israël. ³⁹ Parvuli vestri, de quibus dixistis quod captivi ducerentur, et filii qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur: et ipsis dabo terram, et possidebunt eam. ⁴⁰ Vos autem revertimini, et abite in solitudinem per viam maris Rubri. ⁴¹ Et respondistis mihi: Peccavimus Domino: ascendemus et pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus nos-

¶1.33 **Nocte ostendens.** Nox peccatoris, dies vita justi. In columna ignis malorum damnatio, quibus terribilis apparebit Dominus in iudicio: in columna nubis levis et blanda visio, qua consolabuntur electi. **Die per columnam.** In æstu hujus sæculi obumbrans, et sustentans fortitudine, et propitiatione suæ carnis.

§§1.34 **Juravit.** Non est Deus passibilis, nec vitio iracundiæ subjectus. Sed per hæc charitas Moysi erga populum manifestatur, et Dei bonitas, quæ omnem sensum superat.

*1.35 **Non videbit quispiam.** Simile dicitur de illis, qui invitati ad cœnam excusaverunt se: **Nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabit cœnam meam** Luc. 14.. Pessima generatio non possidet terram bonam, quia Christi non credit incarnationem.

†1.37 **Nec miranda.** Hic dicit Moyses, propter populum, iratum sibi Dominum dixisse, quod in terram promissionis non ingrederetur, cum in libro Numeri legatur: **Dixit Dominus ad Moysen et Aaron: Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.** Sed sententia sequens videtur solvere quæstionem: **Hæc est,** inquit, **aqua contradictio-nis, ubi jurgati sunt filii Israël contra Dominum,** etc. Num. 20.. Jurgium enim et rebellio populi causa fuit iræ et vindictæ, tam in populum quam in Moysen et Aaron. **Nec tu ingredieris.** ISID. Videtur in Maria, etc., usque ad cum tanquam montis eminentia Christus excelsus agnoscitur.

ter. Cumque instructi armis pergeretis in montem,[‡] 42 ait mihi Dominus: Dic ad eos: Nolite ascendere, neque pugnetis: non enim sum vobiscum: ne cadatis coram inimicis vestris. 43 Locutus sum, et non audistis: sed adversantes imperio Domini, et tumentes superbia, ascendistis in montem. 44 Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, et obviam veniens, persecutus est vos, sicut solent apes persequi: et cecidit de Seir usque Horma. 45 Cumque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. 46 Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore.

2 Profectique inde, venimus in solitudinem, quæ ducit ad mare Rubrum, sicut mihi dixerat Dominus: et circuivimus montem Seir longo tempore.[¶] 2 Dixitque Dominus ad me: 3 Sufficit vobis circuire montem istum: ite contra aquilonem: 4 et populo præcipe, dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, et timebunt vos. 5 Videte ergo diligenter ne moveamini contra eos. Neque enim dabo vobis de terra eorum quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir. 6 Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis: aquam emptam haurietis, et bibetis. 7 Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: novit iter tuum, quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, et nihil tibi defuit. 8 Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrum de Elath, et de Asiongaber, venimus ad iter quod ducit in desertum Moab. 9 Dixitque Dominus ad me: Non pugnes contra Moabitas, nec in eas adversus eos prælium: non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Loth

[‡]1.41 *Cumque instructi.* Hæc sententia humanam percutit superbiam, quæ de suis viribus præsumit, nec in Dei confidit potentia. Amorrhæi enim, id est, amaricantes, hostes sunt spirituales, qui habitant in montibus superbiæ, et præsumptuosos necant, de Seir usque Horma, id est a squalore vitiorum usque ad damnationem pœnarum: Seir namque pilosus, Horma interpretatur anathema. Quisquis enim vitiorum sordibus non metuit pollui, hunc necesse est, pro meritis, ignibus gehennæ tradi. Dæmones namque volunt nos implicare cupiditatibus terrenis, et si perseveramus in peccatis, et in montem superbiæ ascendere non desistimus, ignitis jaculis concidunt et perducunt ad anathema perpetuum. Ideo non secundum Pelagianistas de nostra præsumamus potentia, sed infirmitatem nostram considerantes, Domino per omnia obsequamur, ut superatis hostibus, cœlestis patriæ gaudia promissa consequamur. Cavendum est ne murmurantes contra Dominum ascendamus in montem superbiæ, putantes nos propriis viribus salvari posse, ne continuo tradamur Amorrhæis, id est dæmonibus.

[¶]2.1 *Et circuivimus montem Seir,* etc. Seir est mons in terra Edom, in quo habitavit Esau in regione Gabalena, ubi habitavit antea Chorræus quem interfecit Chodorlahomor; qui ab Esau piloso et hispido, Seir, id est pilosi, nomen accepit. Chorræi sicut cæteræ gentes, quas superaverunt, qui de patriarcharum semine descenderunt, malignos spiritus vel vitia exprimunt, quæ illi exsuperare possunt, qui sanctorum Patrum vestigiis et doctrinis insistent, et spiritalem militiam sub rege Christo agunt, de qua dicitur: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates,* etc. Ephes. 6..

tradidi Ar in possessionem.[§] ¹⁰ Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, et validus, et tam excelsus ut de Enacim stirpe, ¹¹ quasi gigantes crederentur, et essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim. ¹² In Seir autem prius habitaverunt Horrhæi: quibus expulsis atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israël in terra possessionis suæ, quam dedit illi Dominus. ¹³ Surgentes ergo ut transiremus torrentem Zared, venimus ad eum. ¹⁴ Tempus autem, quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad transitum torrentis Zared, triginta et octo annorum fuit: donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat Dominus:^{**} ¹⁵ cujus manus fuit adversum eos, ut interirent de castrorum medio. ¹⁶ Postquam autem universi ceciderunt pugnatores, ¹⁷ locutus est Dominus ad me, dicens: ¹⁸ Tu transibis hodie terminos Moab, urbem nomine Ar: ¹⁹ et accedens in vicina filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in possessionem. ²⁰ Terra gigantum reputata est: et in ipsa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, ²¹ populus magnus, et multus, et proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos delevit Dominus a facie eorum: et fecit illos habitare pro eis, ²² sicut fecerat filiis Esau, qui habitant in Seir, delens Horrhæos, et terram eorum illis tradens, quam possident usque in præsens. ²³ Hevæos quoque, qui habitabant in Haserim usque Gazan, Cappadoces expulerunt: qui egressi de Cappadocia deleverunt eos, et habitaverunt pro illis. ²⁴ Surgite, et transite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum, et terram ejus incipe possidere, et committe adversus eum prælium. ²⁵ Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo: ut audito nomine tuo paveant, et in morem parturientium contremiscant, et dolore teneantur. ²⁶ Misi ergo nuntios de solitudine Cademoth ad Sehon regem Hesebon verbis

§2.9 *Filiis Loth tradidi.* Ar metropolis est Moabitarum, super ripam torrentis Arnon: olim possessa a gente veterrima Emim, postea retenta a filiis Loth, id est Moabitis, subversis accolis. Hæc ostenditur hodie in vertice montis, torrens vero per abrupta descendens, in mare Mortuum fluit. *Ar* interpretatur *suscitavit; Emim*, id est terribiles: hi sunt dæmones, qui lites suscitant, et contentiones, et tela nequitiae parant contra fideles. *Enacim* quoque de stirpe *Enac* procreati, et gigantibus proceritate æquati, secundum nomen suum significant dæmones, nam monile collo sublimes interpretantur. Superbiæ enim fastu elati omnem militiæ suæ paraturam ascribunt propriæ virtuti, et ideo illis facile cedunt, qui in virtute Dei confidunt, et cum Psalmista dicunt: *Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem* Psal. 117..

**2.14 *De Cadesbarne.* HIERON., epist. ad Fabiolam. Cadesbarne est locus in deserto, qui conjungitur civitati Petræ in Arabia: ubi occubuit Maria, et Moyses rupe percussa aquam sitienti populo dedit. Monstratur etiam usque hodie ibidem sepulcrum Mariæ, sed et principes Amalec ibi cæsi sunt a Chodorlahomor.

pacificis, dicens:†† 27 Transibimus per terram tuam: publica gradiemur via; non declinabimus neque ad dexteram, neque ad sinistram. 28 Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur: aquam pecunia tribue, et sic bibemus. Tantum est ut nobis concedas transitum, 29 sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir, et Moabitæ, qui morantur in Ar: donec veniamus ad Jordanem, et transeamus ad terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. 30 Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum: quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus, et obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vides.‡‡ 31 Dixitque Dominus ad me: Ecce cœpi tibi tradere Sehon, et terram ejus: incipe possidere eam. 32 Egressusque est Sehon obviam nobis cum omni populo suo ad prælium in Jasa. 33 Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis: percussimusque eum cum filiis suis et omni populo

††2.26 *Misi ergo nuntios*, etc. Sehon diabolus significat, quod est germen inutile, vel arbor infructuosa, vel elatus. Israël populum Christianum, qui per viam mundi hujus cupit transire, et ad cœlestia regna pervenire. Hic mittit ad Sehon verbis pacificis, promittens se non habitaturum in terra ejus, sed tantum transiturum, et regali via incessurum. Hoc quisque promisit, cum primum ad aquam baptismi pervenit, et prima fidei signacula suscepit. Abrenuntiavit enim diabolo et pompis ejus, et operibus ejus, et omni servitio, et voluptatibus ejus. Hoc est quod dicitur: *Quia Israël non declinabit in agrum ejus, vel in vineam ejus, et aquam de lacu ejus non potabit* Num. 21., id est, disciplinam vel astrologicæ vel magicæ, vel cujuslibet doctrinæ, quæ contra pietatem est, amplius non sumet: sed bibet de fontibus Salvatoris, non derelinquet fontem aquæ vivæ, ut bibat de fonte Sehon, sed incedet via regia, quæ est Christus, qui dicit: *Ego sum via, veritas, et vita* Joan. 14., et rex, secundum illud, *Deus, judicium tuum regi da* Psal. 71.. Non declinabit in agrum, neque in vineam ejus, ad opera scilicet, vel ad pravos sensus ejus. Amorrhæi loquentes interpretantur, vel amaricantes, quia Deum ad amaritudinem provocant, et in verbis tantum confidunt, ut poætæ, astrologi, philosophi, qui inania loquuntur; regnum autem Dei non est in sermone, sed virtute. Volunt fideles cum pace transire, et pacifici esse etiam cum inimicis pacis: sed eo magis principem mundi offendunt, quo se cum illo nolle morari dicunt, nec aliquid ejus contingere. Inde exacerbatus magis persequitur, pericula suscitât, cruciatus intentat, congregat populum suum, exit conflare adversum Israël: populus ejus sunt principes, et iudices mundi, cunctique nequitiae ministri, qui persequuntur populum Dei: sed et ipse venit in Jasa, quod interpretatur mandati impletio. Qui enim ad expletionem mandatorum Dei venerit, Sehon vel exercitum ejus sævientem non timebit. Mandata enim Dei complere, est diabolus, et exercitum ejus superare. Sic enim conterit Deus Satan sub pedibus nostris, et dat nobis potentiam calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici.

‡‡2.30 *Quia induraverat*. Longa patientia, non corrigendo, unde in Exodo: *Ego induravi cor Pharaonis* Exod. 10.; et Psalmista: *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus* Psal. 104.. Causa vero indurationis additur, *ut traderetur in manus tuas*, id est ut contereretur a te; quod non fieret nisi resisteret, nec resisteret nisi induratus esset. Hujus rei justitiam si quæsierimus, inscrutabilia sunt judicia ejus, sed iniquitas non est apud Deum.

suo.^{¶¶} ³⁴Cunctasque urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus et parvulis: non reliquimus in eis quidquam, ³⁵absque jumentis, quæ in partem venere prædantium: et spoliis urbium, quas cepimus ³⁶ab Aroër, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido quod in valle situm est, usque Galaad. Non fuit vicus et civitas, quæ nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis, ³⁷absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus: et cunctis quæ adjacent torrenti Jeboc, et urbibus montanis, universisque locis, a quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

3 Itaque conversi ascendimus per iter Basan: egressusque est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edrai.^{§§} ²Dixitque Dominus ad me: Ne timeas eum: quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua: faciesque ei sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon. ³Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan, et universum populum ejus: percussimusque eos usque ad interneconem, ⁴vastantes cunctas civitates illius uno tempore. Non fuit oppidum, quod nos effugeret: sexaginta

^{¶¶}2.33 *Percussimusque eum.* Qui sunt veri Isrælitæ, non carne Judæi, sed spiritu, habitant in omnibus civitatibus Amorrhæorum, cum in omni orbe terrarum Christi Ecclesiæ propagantur, et unusquisque nostrum civitas fuit regis Sehon: quia regnabat in nobis stultitia, superbia, impietas, et omnia quæ diabolus suggerit. Sed ubi victus est fortis, et vasa ejus direpta, facti sumus civitates Isræel, hæreditas sanctorum, excisa prius arbore infructuosa, et dejecto elato rege, et regnante in nobis mansueto, qui dicit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,* etc. Matth. 11.. Nomina quoque locorum conveniunt: Aroër namque sublevans interpretatur; Arnon, acervus tristitiæ; Galaad, acervus testimonii. Ab Aroër ergo, *quæ est super ripam torrentis Arnon,* etc. Quia omnis persona cujuslibet dignitatis fastu superbiæ vel pompa confidens mundana, cum persecutoribus qui variis tribulationibus Christianos angustiant; usque ad hæreticorum conciliabula, qui testimoniis Scripturarum depravatis contra Ecclesiam pugnant, sed resistere non valent, traduntur victi in manus sanctorum cum habitaculis suis.

^{§§}3.1 *Itaque conversi.* Ad Og, qui est rex Basan, nec legatos dignantur mittere, nec transitum per terram ejus petere: continuo confligunt cum eo, superantes eum et populum suum. Basan interpretatur turpitudine: merito ergo nec legati mittuntur ad gentem istam, nec transitus petitur; nullus enim transitus debet nobis esse, vel ascensus ad turpitudinem, quæ statim expugnanda, et omnino cavenda est. Og autem interpretatur conclusio; carnalia significat, quorum desiderio anima excluditur, et separatur a Deo. Adversus hæc sic est bellandum, ut nullum relinquatur vitium. Nullum enim oportet relinqui in regno turpitudinis; debent enim turpia resecari, ut honesta et religiosa possint ædificari. In regno Sehon vel Moab non hoc præcipitur. Forte enim ex illis aliquid nobis opus est, quo multiplex præsentis vitæ usus eget: alioquin deberemus exire de hoc mundo. De Basan vero, id est de turpitudine, nihil reliquimus, quia nihilo indigemus. Honestum etiam esse non potest, quod turpe est.

urbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan.* ⁵ Cunctæ urbes erant munitæ muris altissimis, portisque et vectibus, absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros. ⁶ Et delevimus eos, sicut feceramus Sehon regi Hesebon, disperdentes omnem civitatem, virosque ac mulieres et parvulos: ⁷ jumenta autem et spolia urbium diripuimus. ⁸ Tulimusque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem: a torrente Arnon usque ad montem Herson, ⁹ quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhæi Sanir: ¹⁰ omnes civitates, quæ sitæ sunt in planitie, et universam terram Galaad et Basan usque ad Selcha, et Edrai civitates regni Og in Basan. ¹¹ Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus. ¹² Terramque possedimus tempore illo ab Aroër, quæ est super ripam torrentis Arnon, usque ad mediam partem montis Galaad: et civitates illius dedi Ruben et Gad.† ¹³ Reliquam autem partem Galaad, et omnem Basan regni Og, tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob: cunctaque Basan vocatur Terra gigantum. ¹⁴ Jair filius Manasse possedit omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri et Machati. Vocavitque ex nomine suo Basan, Havoth Jair, id est, Villas Jair, usque in præsentem diem. ¹⁵ Machir quoque dedi Galaad. ¹⁶ Et tribubus Ruben et Gad dedi de terra Galaad usque ad torrentem Arnon medium torrentis, et confinium usque ad torrentem Jeboc, qui est terminus filiorum Ammon: ¹⁷ et planitiem solitudinis, atque Jordanem, et terminos Cenereth usque ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra orientem. ¹⁸ Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in hæreditatem: expediti præcedite fratres vestros filios Israël omnes viri robusti, ¹⁹ absque uxoribus, et parvulis, atque jumentis. Novi enim quod plura habeatis pecora, et in urbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis, ²⁰ donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit: et possideant ipsi etiam terram, quam daturus est eis trans Jordanem: tunc revertetur unusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis. ²¹ Josue quoque in tempore illo præcepi, dicens: Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus: sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es. ²² Ne timeas eos: Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis. ²³ Precatusque sum Dominum in tempore illo, dicens: ²⁴ Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam: neque enim est alius deus vel in cælo, vel in terra, qui possit facere

*3.4 *Sexaginta*. Superiorem sensum confirmat. Sexagenarius quippe numerus, sicut senarius, perfectionem significat. Bene autem sexaginta urbes memorat vastatas in regione Og regis Basan, id est diaboli, qui est rex turpitudinis; quia perfecte omnium vitiolorum delectationem destruendam esse significat. Argob, id est maledicta sublimitas, terrenam superbiam significat, quæ in filiis iræ regnat: destructis urbibus, viros ac mulieres ac parvulos dicit interfectos, jumenta et spolia direpta, quia, munitione diaboli superata, quidquid in carne nostra rebelle, quidquid lascivum senserimus cum parvulis cogitationibus, zelo Dei est conterendum; quidquid autem in simplicitate puri sensus, vel membrorum ornatu, servitio Dei aptum inveniemus, reservare debemus.

†3.12 *Terramque*. GREG., lib. XXVII Moral., cap. 10. Sunt multi in Ecclesia, etc., usque ad vana scilicet desideria et irrationabiles animi motus. *Ruben et Gad*. RAB. Ruben primogenitus Jacob, etc., usque ad sed cum ipsis mulieribus et infantibus contendunt transire et ad patriam pervenire.

opera tua, et comparari fortitudini tuæ. ²⁵ Transibo igitur, et videbo terram hanc optimam trans Jordanem, et montem istum egregium, et Libanum. ²⁶ Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, sed dixit mihi: Sufficit tibi: nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. ²⁷ Ascende cacumen Phasgæ, et oculos tuos circumfer ad occidentem, et ad aquilonem, austrumque et orientem, et aspice; nec enim transibis Jordanem istum. ²⁸ Præcipe Josue, et corrobora eum atque conforta: quia ipse præcedet populum istum, et dividet eis terram quam visurus es.[‡] ²⁹ Mansimusque in valle contra fanum Phogor.

4 Et nunc, Israël, audi præcepta et judicia, quæ ego doceo te: ut faciens ea, vivas, et ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis.[¶] ² Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. ³ Oculi vestri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriverit omnes cultores ejus de medio vestri. ⁴ Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in præsentem diem. ⁵ Scitis quod docuerim vos præcepta atque justitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra, quam possessuri estis: ⁶ et observabitis et implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia, et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna. ⁷ Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.[§] ⁸ Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros? ⁹ Custodi igitur temetipsum, et animam tuam sollicite. Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos,^{**} ¹⁰ a die in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi, dicens: Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos, et discant timere me omni tempore quo vivunt in terra, doceantque filios suos. ¹¹ Et accessistis ad radices montis, qui ardebat usque ad cælum: erantque in eo tenebræ, et nubes, et caligo. ¹² Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis. ¹³ Et ostendit vobis pactum suum,

[‡]3.28 *Præcipe Josue*, etc. Magna dispensatione Dei factum est, ne Moses, qui est typus legis, introduceret populum in terram promissionis, quia lex neminem ad perfectum adduxit; Josue autem typus Christi, qui salvator interpretatur. Christus enim populum suum salvavit, convenienter dux et princeps in terram promissionis introduxit

[¶]4.1 *Et nunc, Israël, audi præcepta et judicia. Non addetis.* Docet normam æquitatis, et omnem hæresim percutit. Vetat enim rectæ doctrinæ aliquid prævæ intentionis addere, vel aliquid veritatis subtrahere: via enim regia incedendum est, non ad dexteram vel ad sinistram; unde: *Quia rectæ viæ Domini, et justī ambulabunt in eis* Ose. 14.. Similiter ait Joannes: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto; si quis diminuerit, auferet Deus partem ejus de libro vitæ* Apoc. 22..

[§]4.7 *Nec est alia*, etc. Non est alia natio tam grandis, dignitate, scilicet donorum, non multitudine populorum. Nec enim gens Judæorum numero vincebat alias gentes aut potentia, sed patrum prærogativa et dignatione divina.

^{**}4.9 *Quæ viderunt.* Visus inter omnes sensus obtinet principatum: ideo pro omni sensu ponitur.

quod præcepit ut faceretis, et decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. ¹⁴ Mihique mandavit in illo tempore ut docerem vos cæremonias et judicia, quæ facere deberetis in terra, quam possessuri estis. ¹⁵ Custodite igitur sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ¹⁶ ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ:†† ¹⁷ similitudinem omnium jumentorum, quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium, ¹⁸ atque reptilium, quæ moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis:‡‡ ¹⁹ ne forte elevatis oculis ad cælum, videas solem et lunam, et omnia astra cæli, et errore deceptus adores ea, et colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.¶¶ ²⁰ Vos autem tulit Dominus, et eduxit de fornace ferrea Ægypti, ut haberet populum hæreditarium, sicut est in præsentī die. ²¹ Iratusque est Dominus contra me propter sermones vestros, et juravit ut non transirem Jordanem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus est vobis. ²² Ecce morior in hac humo; non transibo Jordanem: vos transibitis, et possidebitis terram egregiam. ²³ Cave nequando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum, et facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit:§§ ²⁴ quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. ²⁵ Si genueritis filios ac nepotes, et morati fueritis in terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem, patrans malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis: ²⁶ testes invoco hodie cælum et terram, cito perituros vos esse de terra, quam transito Jordane possessuri estis: non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus,* ²⁷ atque disperget in omnes gentes, et remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus. ²⁸ Ibi que servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno et lapidi qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur. ²⁹ Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ. ³⁰ Postquam te invenerint omnia quæ prædicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, et audies vocem ejus.† ³¹ Quia Deus misericors Dominus Deus tuus est: non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti, in quo juravit patribus tuis. ³² Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die quo creavit Deus hominem super terram, a summo cælo usque ad summum ejus, si facta est aliquando hujuscemodi res, aut umquam cognitum est,‡ ³³ ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, et vixisti: ³⁴ si fecit

††4.16 *Sculptam similitudinem.* AUG., quæst. 4 in Deut. Forsitan his duobus vocabulis unam rem significavit, etc., usque ad quod de hominibus usitatum est.

‡‡4.18 *Qui sub.* AUG., quæst. 5. An aquam terram intelligi voluit, etc., usque ad et animalia terrena habere non posset.

¶¶4.19 *Quæ creavit.* AUG., quæst. 6. Non ita dictum est, etc., usque ad sed non cultum quem habent aliæ gentes.

§§4.23 *Sculptam similitudinem.* AUG., q. 7. Hic generaliter loquens similitudinem posuit, imaginem tacuit, quia si sit nulla similitudo, nec imago.

*4.26 *Testes invoco hodie cælum,* etc. per id quod continet id quod continetur significat.

†4.30 *Novissimo autem.* Conversionem Israël ad fidem Christi prænuntiat, ut postquam plenitudo gentium intraverit, omnis Israël salvus fiat.

‡4.32 *A summo cælo.* AUG., quæst. 8. Cur non dixerit similiter a summo terræ, etc., usque ad cum hoc de novissima electorum congregatione dicatur.

Deus ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa atque portenta, per pugnam et robustam manum, extentumque brachium, et horribiles visiones iuxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis: ³⁵ ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius præter eum. ³⁶ De cælo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, et in terra ostendit tibi ignem suum maximum, et audisti verba illius de medio ignis: ³⁷ quia dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos. Eduxitque te præcedens in virtute sua magna ex Ægypto, ³⁸ ut deleret nationes maximas et fortiores te in introitu tuo: et introduceret te, daretque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in præsentī die. ³⁹ Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo quod Dominus ipse sit Deus in cælo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius. ⁴⁰ Custodi præcepta ejus atque mandata, quæ ego præcipio tibi: ut bene sit tibi, et filiis tuis post te, et permanes multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. ⁴¹ Tunc separavit Moyses tres civitates trans Jordanem ad orientalem plagam, ⁴² ut confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum et alterum diem, et ad harum aliquam urbium possit evadere: ⁴³ Bosor in solitudine, quæ sita est in terra campestri de tribu Ruben: et Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad: et Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse. ⁴⁴ Ista est lex, quam proposuit Moyses coram filiis Israël: ⁴⁵ et hæc testimonia et cæremoniæ atque judicia, quæ locutus est ad filios Israël, quando egressi sunt de Ægypto, ⁴⁶ trans Jordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitavit in Hesebon, quem percussit Moyses. Filii quoque Israël egressi ex Ægypto ⁴⁷ possederunt terram ejus, et terram Og regis Basan, duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem ad solis ortum: ⁴⁸ ab Aroër, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, usque ad montem Sion, qui est et Hermon, ⁴⁹ omnem planitiem trans Jordanem ad orientalem plagam, usque ad mare solitudinis, et usque ad radices montis Phasga.

5 Vocavitque Moyses omnem Israël, et dixit ad eum: Audi, Israël, cæremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, et opere complete. ¹ ² Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. ³ Non cum patribus nostris iniiit pactum, sed nobiscum qui in præsentiarum sumus, et vivimus. ⁴ Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. ⁵ ⁵ Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus: timuistis enim ignem, et non ascendistis in montem. Et ait: ⁶ ⁶ Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. ⁷ Non habebis deos alienos in conspectu meo. ⁸ Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in cælo sunt desuper, et quæ in terra deorsum, et quæ versantur in aquis sub terra. ⁹ Non adorabis ea, et non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt

¹5.1 **Audi, Israël**, etc. AUG., quæst. 9 in Deut. An ideo dictum est, etc., usque ad et videre, et audire, et memoria retinere?

⁵5.4 **Facie ad faciem**, etc. AUG. Paulo ante admonere curavit, etc., usque ad quamvis aliqui hoc speraverint.

^{**}5.5 **Inter vos et Deum**. ID., quæst. 10. Tanquam Dominus esset in loco, etc., usque ad audiens de medio ignis vocem Dei dicentis decalogum legis.

me:†† 10 et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, et custodientibus præcepta mea. 11 Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra: quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumpserit.‡‡ 12 Observa diem sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. 13 Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. 14 Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, et filius tuus, et filia, servus et ancilla, et bos, et asinus, et omne jumentum tuum, et peregrinus qui est intra portas tuas: ut requiescat servus tuus, et ancilla tua, sicut et tu. 15 Memento quod et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, et brachio extento. Idcirco præcepit tibi ut observares diem sabbati. 16 Honora patrem tuum et matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.¶¶ 17 Non occides, 18 neque mœchaberis,

††5.9 *Reddens iniquitatem*, etc. ISID. Sunt qui ita edisserant, etc., usque ad sed sententiam diu differat. *His qui oderunt me, et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me*, etc. His scilicet, qui hæreditaria impietate Dominum oderunt. Perversum est enim peccata patrum filiis non peccantibus imputari, cum per Ezechielem dictum sit: *Filius non portabit iniquitatem*, etc. Ezech. 18..

‡‡5.11 *Non usurpabis nomen Domini Dei frustra*, etc. Primum mandatum ad Patrem pertinet quod dicitur in sequentibus: *Audi, Israël, Dominus Deus tuus unus est* Deut. 6.; ut hoc scilicet audiens, unum Deum Patrem colas, non multos deos suscipias. Secundum pertinet ad Filium, de quo hic dicitur: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, id est, non æstimes creaturam esse Dei Filium. Omnis enim creatura subjecta est vanitati, sed credas eum æqualem Patri, Deum deorum, Deum apud Deum, per quem omnia facta sunt. Tertium ad Spiritum, cujus dono requies æterna promittitur: quia enim Spiritus sanctus dicitur septiformis, ideo septimum diem sanctificavit Deus. In aliis enim diebus operum sanctificatio non nominatur, nisi in sabbato, in quo requievit Deus. Recte ergo hoc mandatum pertinet ad Spiritum: tum propter sanctificationis nomen; tum propter æternam requiem, ad donum sancti Spiritus pertinentem. Dicitur enim sic: *Memento ut diem sabbati sanctifices: sex diebus operaberis*, etc. In opere sex dierum, etc., videtur sex millium annorum operatio signari, in septimo tempus æternæ quietis, in quo post bona opera quies æterna promittitur. Quidquid ergo agimus, si propter futuram requiem facimus, sabbatum observamus.

¶¶5.16 *Honora patrem tuum et matrem, sicut præcepit tibi*. Post tria præcepta succedunt septem quæ ad proximum pertinent. Inter septem primum, sed in ordine omnium quartum est: *Honora patrem tuum*, etc. A parentibus enim homo oculos aperit, et vita hæc ab eorum dilectione exordium sumit: unde hoc mandatum, maximum et primum dicitur in altera scilicet tabula. Jubemus ergo parentes honorare, et officium pietatis et reverentiam eis exhibere; qui enim hoc parentibus non facit, quomodo faciet aliis? Quintum: *Non mœchaberis*. Id est præter legitimam uxorem nulli misceberis. Sextum: *Non occides*. Occidit etiam qui fame vel nuditate proximum mori videt, nec subvenit in quantum potest. Septimum: *Non furtum facies*. In quo omnem rapinam prohibet. Octavum: *Non falsum testimonium dices*. Crimen mendacii et falsitatis abominatur. Nonum: *Non concupisces uxorem proximi tui*. In quo etiam adulterinam cogitationem interdicit. Decimum: *Non concupisces rem proximi tui*. In quo ambitionem et concupiscentiam percutit. Primum ergo prohibet subreptionem; secundum, errorem; tertium sæculi amorem; quartum, impietatem; quintum, fornicationem; sextum, crudelitatem; septimum, rapacitatem; octavum, falsitatem; nonum, cogitationem adulterii; decimum, cupiditatem mundi. Et notandum, quod sicut decem plagis percutiuntur Ægyptii, sic decem præceptis regitur populus Dei, et dæmones occiduntur.

¹⁹furtumque non facies: ²⁰nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. ²¹Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt. ²²Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis et nubis, et caliginis, voce magna, nihil addens amplius: et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi. ²³Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, et montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum et majores natu, atque dixistis: ²⁴Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem et magnitudinem suam: vocem ejus audivimus de medio ignis, et probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine, vixerit homo. ²⁵Cur ergo moriemur, et devorabit nos ignis hic maximus? si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur. ²⁶Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur sicut nos audivimus, et possit vivere? ²⁷Tu magis accede: et audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea. ²⁸Quod cum audisset Dominus, ait ad me: Audivi vocem verborum populi hujus quæ locuti sunt tibi: bene omnia sunt locuti. ²⁹Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis et filiis eorum in sempiternum? ³⁰Vade et dic eis: Revertimini in tentoria vestra. ³¹Tu vero hic sta mecum, et loquar tibi omnia mandata mea, et cæremonias atque judicia: quæ docebis eos, ut faciant ea in terra, quam dabo illis in possessionem. ³²Custodite igitur et facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram: ³³sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, et bene sit vobis, et protelentur dies in terra possessionis vestræ.

6 Hæc sunt præcepta, et cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos, et faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam: ²ut timeas Dominum Deum tuum, et custodias omnia mandata et præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, et filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui. ³Audi, Israël, et observa ut facias quæ præcepit tibi Dominus, et bene sit tibi, et multipliceris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte et melle manantem. ⁴Audi, Israël: Dominus Deus noster, Dominus unus est. ⁵Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.† ⁶Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi

§§5.22 *In duabus tabulis lapideis quas tradidit mihi.* ISID. Duo Testamenta, etc., usque ad sensibile scilicet et intelligibile.

*5.29 *Quis det talem eos habere mentem?* Vult Deus intelligi gratia sua hoc beneficium concedi, ut in omnibus sit justitia Dei ex fide, non quasi propria ex lege, unde: *Auferam eis cor lapideum, et dabo cor carneum* Ezech. 36., id est, sensatum, caro enim sensum habet, lapis vero non habet; et alibi: *Idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non littera sed spiritu.*

†6.5 *Diliges Dominum.* AUG., lib. I de Doctrina Christiana, c. 26, 27, 28. Charitas non auferetur, etc., usque ad qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitate magis nobis conjuncti sunt. GREG., lib. VII Moral., cap. 10. *Diliges Dominum Deum tuum,* etc. Per amorem Dei gignitur amor proximi, etc., usque ad in bonis enim non agnoscitur amicus, et in malis non absconditur inimicus. Triplicis naturæ est anima: ideo jubetur diligere tripliciter. Non vult Deus amorem suum paritari, ut simul diligamus Deum, et aurum, vel uxorem, vel filios. *Nemo potest duobus dominis servire* Matth. 6., ipse super omnia diligendus, ejus dilectio præponitur.

hodie, in corde tuo: ⁷ et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. ⁸ Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, ⁹ scribesque ea in limine, et ostiis domus tuæ. ¹⁰ Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua juravit patribus tuis Abraham, Isaac, et Jacob, et dederit tibi civitates magnas et optimas, quas non ædificasti, ¹¹ domos plenas cunctarum opum, quas non exstruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta et oliveta, quæ non plantasti, ¹² et comederis, et saturatus fueris: ¹³ cave diligenter ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. ¹⁴ Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt: ¹⁵ quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui: nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat te de superficie terræ. ¹⁶ Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. ¹⁷ Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia et cæremonias, quas præcepit tibi: ¹⁸ et fac quod placitum est et bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi: et ingressus possideas terram optimam, de qua juravit Dominus patribus tuis, ¹⁹ ut deleteret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est. ²⁰ Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc, et cæremonia, atque judicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis? ²¹ dices ei: Servi eramus Pharaonis in Ægypto, et eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti: ²² fecitque signa atque prodigia magna et pessima in Ægypto contra Pharaonem, et omnem domum illius in conspectu nostro, ²³ et eduxit nos inde, ut introductis daret terram, super qua juravit patribus nostris. ²⁴ Præcepitque nobis Dominus ut faciamus omnia legitima hæc, et timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie. ²⁵ Eritque nostri misericors, si custodierimus et fecerimus omnia præcepta ejus coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.

7 Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingredieris, et deleverit gentes multas coram te, Hethæum, et Gergezæum, et Amorrhæum, Chananæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, septem gentes multo ma-

[†]6.8 *Et ligabis ea quasi signum.* Hoc Pharisæi male interpretantes, in membranulis decalogum id est, decem verba scribebant, et ligata in fronte portabant. Quod usque hodie faciunt Babylonii, ut putentur religiosi. Unde: *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias* Matth. 23..

[¶]6.13 *Per nomen illius jurabis.* AUG., quæst. 12. Permittuntur jurare per nomen Dei, etc., usque ad qui autem omnino non jurat, longe a perjurio est.

[§]6.16 *Non tentabis Dominum Deum.* Deum tentat, qui habens quod faciat, sine ratione se committit periculo, experiens utrum possit liberari a Deo.

joris numeri quam tu es, et robustiores te:** 2 tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas usque ad internecionem. Non inibis cum eis foedus, nec misereberis earum, 3 neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo: 4 quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis: irasceturque furor Domini, et delebit te cito. 5 Quin potius hæc facietis eis: aras eorum subvertite, et confringite statuas, lucosque succidite, et sculptilia comburite: 6 quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. 7 Non quia vincas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus, et elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores: 8 sed quia dilexit vos Dominus, et custodivit juramentum, quod juravit patribus vestris: eduxitque vos in manu forti, et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti. 9 Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus in mille generationes: 10 et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur. 11 Custodi ergo præcepta et cæremonias atque judicia, quæ ego mando tibi hodie ut facias. 12 Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea, et feceris, custodiet et Dominus Deus tuus pactum tibi, et misericordiam quam

**7.1 *Gentes multas.* Septem gentes sunt septem principalia vitia, quæ per Dei gratiam spiritualis miles exsuperans exterminare jubetur. Majoris numeri dicuntur, quia plura sunt vitia quam virtutes. In catalogo dicuntur septem nationes, in expugnatione sine numero ponuntur; sed, *cum deleverit gentes multas coram te.* Numerosior enim est, quam Israël, populus carnalium passionum, qui multiplicatur de septenario fomite vitiorum. De gastrimargia, comessatio, ebrietas; de fornicatione, turpiloquia, scurrilitas, ludicra, et stultiloquia; de philargyria, mendacium, fraus, furta, perjuria, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentia, inhumanitas, et rapacitas; de ira homicidium, clamor et indignatio; de tristitia, rancor, pusillanimitas, amaritudo, et desperatio, et pigritia; de acedia, otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo mentis et corporis, instabilitas, verboritas, et curiositas; de cenodoxia, contentiones, hæreses, jactantia, et præsumptio novitatum; de superbia, contemptus, invidia, inobedientia, blasphemia, murmuratio, detractio, et alia plura. Hæc cum majoris numeri sint quam virtutes, devictis tamen principalibus omnes quiescunt, et perpetua nece delentur. Quod autem hæ pestes robustiores sint, in tentatione sentimus: fortius enim militat in membris nostris carnalium delectatio passionum, quam studia virtutum, quæ summa cordis et corporis contritione acquiruntur. Harum gentium regiones possidemus, cum Israël exercitu, id est virtutibus vitia superamus. Ut in corde nostro locum fornicationis castitas obtineat; locum furoris, patientia; locum tristitiæ, salutaris lætitia; acediæ locum incolat fortitudo; locum superbiæ, humilitas, sic singulis vitiis expulsis loco eorum regnent filii Israël, id est, animæ Deum videntes. Cum vero Abraham de futuris loqueretur Deus, non septem sed decem gentes numerasse legitur, quorum terra semini ejus promittitur, abjectis scilicet idololatriis gentium, blasphemia Judæorum, errore hæreticorum, quibus ante notitiam Dei et gratiam baptismi, in spirituali Ægypto commorantur, subjecti sunt. Sed qui inde egreditur, et per gratiam Dei ad eremum spiritualem pervenit, ab impugnatione trium gentium liberatur, contra septem congregitur. *Hæthæum et Gergezæum*, etc. HIERON. de Nom. Hebr., tom. 3. Hethæum, etc., usque ad id est, calcatum sive præsepe eorum. *Septem gentes.* Abraham permissum est quod decem delerentur: tunc enim decem erant, sed cum filii Israël transirent ad Jordanem, jam tres deletæ erant. Filii enim Loth deleverunt gigantes; filii Esau Horræos; Cappadocesve partem Hevæorum. *Et robustiores.* Spirituales nequitie subtiliores sunt, et plus valent ad decipiendum, quam infirmitas hominum ad sustinendum.

juravit patribus tuis: ¹³et diliget te, ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, et armentis, gregibus ovium tuarum super terram, pro qua juravit patribus tuis ut daret eam tibi. ¹⁴Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis.†† ¹⁵Auferet Dominus a te omnem languorem: et infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis. ¹⁶Devorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parceret eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tui. ¹⁷Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes istæ quam ego: quomodo potero delere eas? ¹⁸noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, et cunctis Ægyptiis, ¹⁹plagas maximas, quas viderunt oculi tui, et signa atque portenta, manumque robustam, et extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus: sic faciet cunctis populis, quos metuis. ²⁰Insuper et crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat qui te fugerint, et latere potuerint.‡‡ ²¹Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus et terribilis: ²²ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne forte multiplicentur contra te bestię terræ.¶¶ ²³Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: et interficiet illos, donec penitus deleantur. ²⁴Tradetque reges eorum in manus tuas, et disperdes nomina eorum sub cælo: nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos. ²⁵Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum et aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini tui: ²⁶nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est. Quasi spurcitiā detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.§§

8 Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter ut facias, ut possitis vivere, et multiplicemini, ingressique possideatis terram, pro qua ju-

††7.14 *Sterilis*. Quædam steriles apud Judæos fuerunt, sed adeo pauca, ut ad comparisonem fecundarum viderentur nullæ.

‡‡7.20 *Insuper et crabrones*, etc. Non legitur alicubi in historia, quod crabrones vel vespas in hostes eorum Deus præmiserit. Sed per animalia aculeata timoris compunctiones designat, quibus hostes territos fugabat.

¶¶7.22 *Non poteris*, etc. Cavendum esse ostendit, ne forte, expulsis peccatis a carne nostra, insurgat spiritalis bestia, id est jactantia, superbia, vel vana gloria, quæ difficiliter extirpantur quam carnalia vitia. Loth enim, qui in Sodomis continuit, in monte fornicatione pollutus est Gen. 19.. Expulso vitio statim virtus plantetur ne immundus spiritus redeat, et domum vacantem inveniat. Matth. 12.. RAB., GREG. Quibusdam majora bona Deus dat, nec minora concedit, ut semper animus eorum habeat unde se reprehendat, et dum perfecti esse appetunt nec possunt, minime se extollant in his quæ habent, qui per se parva non habere valent. Hinc est quod fortes et potentes adversarios exstinxit Philisthæos; et Chananæos diu reservavit, ut in eis erudiretur Israël habens contra quos pugnaret, ne de majoribus devictis sese extolleret. Eadem ergo mens pollet ex virtute, lassescit ex infirmitate, ut dum quærit quod habere non valet, quod habet humiliter servet. Superna quoque regio in civibus suis ex parte damna pertulit, ex parte fortiter stetit: ut electi angeli dum alios per superbiam cecidisse conspicerent, tanto robustius quanto humiliter starent. Sic in unaquaque anima agitur, ut maxima lucra conferant, aliquando minima damnant.

§§7.26 *Anathema*, id est, a sursum ponendo, vel suspendendo, sicut donaria in templis suspendebantur, et ab eis qui dabant alienabantur.

ravit Dominus patribus vestris. ²Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret, et nota fierent quæ in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non. ³Afflixit te penuria, et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui: ut ostenderet tibi quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. ⁴Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, et pes tuus non est subtritus, en quadagesimus annus est: ⁵ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudit te, ⁶ut custodias mandata Domini Dei tui, et ambules in viis ejus, et timeas eum. ⁷Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarumque et fontium, in cujus campis et montibus erumpunt fluviorum abyssi: ⁸terram frumenti, hordei ac vinearum, in qua ficus, et malogranata, et oliveta nascuntur: terram olei ac mellis, ⁹ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, et rerum omnium abundantia perfrueris: cujus lapides ferrum sunt, et de montibus ejus æris metalla fodiuntur: ¹⁰ut cum comederis, et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi. ¹¹Observe, et cave nequando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata ejus atque judicia et cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie: ¹²ne postquam comederis et satiatus fueris, domos pulchras ædificaveris, et habitaveris in eis, ¹³habuerisque armenta boum, et ovium greges, argenti et auri, cunctarumque rerum copiam, ¹⁴elevator cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis, ¹⁵et ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, ac dipsas, et nullæ omnino

*8.2 **Quadraginta annis.** Ideo enim per quadraginta annos permisit eos affligi, ut cognoscerent quantæ fragilitatis essent. **Ut affligeret te.** AUG., quæst. 13. Hic apertius dictum est, etc., usque ad quod si dixisset, intelligendum erat, cognita faceret.

†8.3 **Manna.** Carnem Christi, qua refecti ad veram promissionis terram veniamus. Quadraginta annis manna comedimus, id est, toto tempore nostro, quod quatuor vicissitudinibus volvitur, Dominici corporis sacramento pascimur. **Non in solo pane vivit homo, sed in omni,** etc. Spiritualis cibus commendatur, unde animæ in æternam victuræ satiantur. Manna de cælo datum carnem Christi significat, qui ait: **Ego sum panis vitæ, hic est panis qui de cælo descendit** Joan. 6., quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. **Qui manducat hanc carnem, habet vitam æternam. Non in solo pane,** etc. Significat geminam naturæ nostræ substantiam. Homo enim ex anima et corpore constat: corpus, quod ex terra est, terreno alitur cibo; anima vero vivit de verbo Dei; spiritum vero hominis vivificat spiritus Dei, si tamen homo est in corpore Ecclesiæ, id est Christi, et in fide Filii Dei. Ideo addit: **Vestimentum ejus vetustate non deficere;** quia novi hominis conversatio in novitate vitæ debet permanere, cujus pes non est subtritus, quia gressus operum ejus servatur illæsus: **Quia novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit** Psal. 1..

*8.11 **Judicia.** Quæ per Moysen post legem datam diversis temporibus populo præcepta sunt, quæ in Exodo justificationes appellantur. **Et cæremonias.** Circumcisionem, ritus sacrificiorum. Unde Ambrosius super Epistolam ad Romanos: Triplex inquit lex est, prima pars de sacramento divinitatis; secunda congruit legi naturali, quæ peccatum interdicit; tertia festorum legis, id est, sabbata, neomeniæ, et circumcisio.

aquæ: qui eduxit rivos de petra durissima,^f 16 et cibavit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probavit, ad extremum misertus est tui, 17 ne dices in corde tuo: Fortitudo mea, et robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt: 18 sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, super quo juravit patribus tuis, sicut præsens indicat dies. 19 Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, coluerisque illos et adoraveris: ecce nunc prædico tibi quod omnino dispereas. 20 Sicut gentes, quas delevit Dominus in introitu tuo, ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

9 Audi, Israël: tu transgredieris hodie Jordanem, ut possideas nationes maximas et fortiores te, civitates ingentes, et ad cælum usque muratas, 2 populum magnum atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti et audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere. 3 Scies ergo hodie quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens, qui conterat eos, et deleat atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi: 4 ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter justitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. 5 Neque enim propter justitias tuas, et æquitatem cordis tui ingredieris, ut possideas terras earum: sed quia illæ egerunt impie, introëunte te deletæ sunt: et ut compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob.[§] 6 Scito ergo quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus. 7 Memento, et ne obliviscaris, quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo egressus es ex Ægypto usque ad locum istum, semper adversum Dominum contendisti. 8 Nam et in Horeb provocasti eum, et iratus delere te voluit, 9 quando ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiscum Dominus: et perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens. 10 Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, et continentem omnia verba quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est.** 11 Cumque transissent quadraginta dies, et totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis, 12 dixitque mihi: Surge, et descende hinc cito: quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis, feceruntque sibi conflatile. 13 Rursumque ait Dominus ad me: Cerno quod populus iste duræ cervicis sit: 14 dimitte me ut conteram eum, et deleam nomen ejus de sub cælo, et constituam te super gentem, quæ hac major et fortior sit. 15 Cumque de monte ardente descenderem, et duas tabulas fœderis

^f8.15 *Ac dipsas*. Genus aspidis quæ Latine dicitur situla, quemcunque momorderit, siti perit; adeo parva ut cum calcatur non videatur. Cujus venenum ante exstinguit, quam sentiatur, nec tristitiam sentit moriturus. Mystice. Varii serpentes hæreses sunt inter se quidem diversæ, sed omnes mortiferæ.

[§]9.5 *Neque enim*, etc. AUG., quæst. 14. Isti sunt qui non meruerunt perire in deserto, etc., usque ad ubi illi exacerbaverunt Dominum, qui merito suo in terram promissionis introducti non sunt.

**9.10 *Deditque*, etc. AUG., quæst. 15. In Exodo legitur quod tabulas Moysi Dominus dederit, etc., usque ad durat in sæculum.

utraque tenerem manu, ¹⁶vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, et fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam ejus, quam vobis ostenderat: ¹⁷projeci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro. ¹⁸Et procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus et noctibus panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis: ¹⁹timui enim indignationem et iram illius, qua adversum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hac vice. ²⁰Adversum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum contere, et pro illo similiter deprecatus sum. ²¹Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est, vitulum, arripiens, igne combussi, et in frustra comminuens, omninoque in pulverem redigens, projecit in torrentem, qui de monte descendit. ²²In incendio quoque, et in tentatione, et in Sepulchris concupiscentiæ provocastis Dominum: ²³et quando misit vos de Cadesbarne, dicens: Ascendite, et possidete terram, quam dedi vobis, et contempsistis imperium Domini Dei vestri, et non credidistis ei, neque vocem ejus audire voluistis: ²⁴sed semper fuistis rebelles a die qua nosse vos cœpi. ²⁵Et jacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos ut fuerat comminatus: ²⁶et orans dixi: Domine Deus, ne disperdas populum tuum, et hæreditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti. ²⁷Recordare servorum tuorum Abraham, Isaac, et Jacob: ne aspicias duritiam populi hujus, et impietatem atque peccatum: ²⁸ne forte dicant habitatores terræ, de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est eis, et oderat illos: idcirco eduxit, ut interficeret eos in solitudine: ²⁹qui sunt populus tuus et hæreditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento.

10 In tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, et ascende ad me in montem: faciesque arcam ligneam, ²et scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his qui ante confregisti: ponesque eas in arca. ³Feci igitur arcam de lignis setim. Cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus. ⁴Scriptisque in tabulis, juxta id quod prius scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est: et dedit eas mihi. ^{††}⁵Reversusque de monte, descendi, et posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus. ⁶Filii autem Israël moverunt castra ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, ubi Aaron mortuus ac sepultus est, pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius ejus. ^{‡‡}⁷Inde venerunt in Gadgad: de quo loco profecti, castrametati sunt in Jetebatha, in terra aquarum atque torrentium. ⁸Eo tempore separavit tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, et staret coram eo in ministerio, ac

^{††}10.4 *Scriptisque in.* AUG. quæst. 14 in Deut. In Exodo Moyses, etc., usque ad ipse autem adjuvat bonæ voluntatis arbitrium.

^{‡‡}10.6 *In Mosera,* etc. In libro Numeri in monte Hor mortuus scribitur, sed forsitan locus est binomius. Beroth enim filiorum Jacan locus est in deserto, sicut Mosera, ubi obiit Aaron, sicut in libris locorum legitur. Et ostenditur usque hodie in decimo lapide urbis Petræ in montis vertice

benediceret in nomine illius usque in præsentem diem.^{¶9} Quam ob rem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis: quia ipse Dominus possessio ejus est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus. ¹⁰Ego autem steti in monte, sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus: exaudivitque me Dominus etiam hac vice, et te perdere noluit. ¹¹Dixitque mihi: Vade, et præcede populum, ut ingrediatur, et possideat terram, quam juravi patribus eorum ut traderem eis. ¹²Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua: ¹³custodiasque mandata Domini, et cæremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi? ¹⁴En Domini Dei tui cælum est, et cælum cæli, terra, et omnia quæ in ea sunt.^{§§} ¹⁵et tamen patribus tuis conglutinatorum est Dominus, et amavit eos, elegitque semen eorum post eos, id est, vos, de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur. ¹⁶Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius:^{*} ¹⁷quia Dominus Deus vester ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus, et potens, et terribilis, qui personam non accipit, nec munera. ¹⁸Facit judicium pupillo et viduæ; amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum. ¹⁹Et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti. ²⁰Dominum Deum tuum timebis, et ei soli servies: ipsi adhærebis, jurabisque in nomine illius. ²¹Ipse est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magna et terribilia, quæ viderunt oculi tui. ²²In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum, et ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra cæli.[†]

11 Ama itaque Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus et cæremonias, judicia atque mandata, omni tempore. ²Cognoscite hodie quæ ignorant filii

[¶]10.8 *Tribum Levi*. Nisi per hanc significaretur omne regale sacerdotium, quod pertinet ad Novum Testamentum, non auferretur homo dicere, qui de ea tribu non erat: *Pars mea Dominus* Psal. 72.; et alibi: *Dominus pars hæreditatis meæ*, etc. Ibid., 15.

^{§§}10.14 *Cælum cæli*, etc. Quidam dicunt tres esse cælos, æreum, æthereum, et sidereum. Nonnulli septem, primum æreum, secundum æthereum, tertium olympium, quartum igneum, quintum firmamentum, sextum aqueum, septimum angelorum.

^{*}10.16 *Circumcidite*, etc. Spiritalem circumcisionem significat, id est mentis custodiam, et veram abstinentiam. Quasi, cum luxuriam carnis extinxeritis, etiam mentis superflua resecato. Circumcidendi sunt omnes sensus. Unde Moyses se incircumcisum labiis conqueritur; et Stephanus Judæis: *Incircumcisi*, inquit, *corde et auribus*, etc. Act. 7.. Vere ergo circumciscus est, qui *obturat aures ne audiat sanguinem, et claudit oculos, ne videat malum*; qui non delinquit in lingua, cujus cor non gravatur crapula et ebrietate, qui lavat inter innocentes manus suas, et ab omni via mala prohibet pedes suos; qui castigat corpus suum et servituti subjicit, et omni custodia servat cor suum. Bina quoque circumcisione indigemus, ne ex his quæramus vanam gloriam, ne foris mundi, et intus immundi simus, et simulatæ sanctitatis penas sustineamus, sicut Sichimitæ qui patriarcharum circumcisionem imitati sunt, non Dei amore, sed ob causam luxuriæ: ideo nihil mercedis acquisiverunt, sed die tertia intra civitatis suæ ruinas perierunt. Tales enim in tempore resurrectionis evacuatis, quibus confidebant, virtutibus, in æternum moriuntur.

[†]10.22 *Descenderunt patres tui in Ægyptum*. Descenditur in Ægyptum: *Facilis est descensus Averni*. In Jerusalem ascenditur, quia arcta est via quæ ducit ad vitam, et tendit in ardua virtus

vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus et robustam manum, extentumque brachium, ³ signa et opera quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi, et universæ terræ ejus, ⁴ omnique exercitui Ægyptiorum, et equis ac curribus: quomodo operuerint eos aquæ maris Rubri, cum vos persequerentur, et deleverit eos Dominus usque in præsentem diem: ⁵ vobisque quæ fecerit in solitudine donec veniretis ad hunc locum: ⁶ et Dathan atque Abiron filiis Eliab, qui fuit filius Ruben: quos aperto ore suo terra absorbuit, cum domibus et tabernaculis, et universa substantia eorum, quam habebant in medio Israël. ⁷ Oculi vestri viderunt opera Domini magna quæ fecit, ⁸ ut custodiatis universa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis, et possitis introire, et possidere terram, ad quam ingredimini, ⁹ multoque in ea vivatis tempore: quam sub juramento pollicitus est Dominus patribus vestris, et semini eorum, lacte et melle manantem. ¹⁰ Terra enim, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: ¹¹ sed montuosa est et campestris, de cælo expectans pluvias, ¹² quam Dominus Deus tuus semper invisit, et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus. ¹³ Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et serviatis ei in toto corde vestro, et in tota anima vestra: ¹⁴ dabit pluviam terræ vestræ temporaneam et serotinam, ut colligatis frumentum, et vinum, et oleum, ¹⁵ fœnumque ex agris ad pascenda jumenta, et ut ipsi comedatis ac saturemini. ¹⁶ Cavete ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino, serviatisque diis alienis, et adoretis eos: ¹⁷ iratusque Dominus claudat cælum, et pluviæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatisque velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis. ¹⁸ Ponite hæc verba mea in cordibus et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocare. ¹⁹ Docete filios vestros ut illa meditentur: quando sederis in domo tua, et ambulaveris in via, et accubueris atque surrexeris. ²⁰ Scribes ea super postes et januas domus tuæ, ²¹ ut multiplicentur dies tui, et filiorum tuorum in terra, quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret eis quamdiu cælum imminet terræ. ²² Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, et feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, adherentes ei, ²³ disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, et possidebitis eas, quæ majores et fortiores vobis sunt. ²⁴ Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, et a Libano, a flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri. ²⁵ Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum

^{11.10} *De qua existi.* Mente, duce Moyse, id est docente lege terrenas voluptates despiciere, et terram promissionis duce Jesu intrare. *In hortorum.* Quia carnales qui que præsentem felicitatem et copiam rerum temporalium appetunt sibi multiplicare.

^{11.12} *A principio anni.* Ab initio scilicet bonæ voluntatis usque ad perfectionem boni operis cursum vitæ dirigit. *Deus enim est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate* Philip. 2..

^{11.14} *Temporaneam,* etc. Quia electis suis priore tempore legis intellectum contulit; serotinam pluviam tribuit, quia ultimo tempore incarnationis suæ mysterium patefecit nobis. *Et serotinam,* etc. Quia novissima hora est, cum prædicatio ejus ad nos pervenit, qui dicit: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* Psal. 140..

^{11.20} *Scribes ea super postes.* AUG., quæst. 17. Hoc secundum litteram an hyperbolica commendatio est, sicut multa dicuntur?

et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis. ²⁶ En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem: ²⁷ benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis: ²⁸ maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis. ²⁹ Cum vero introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal:†† ³⁰ qui sunt trans Jordanem, post viam quæ vergit ad solis occubitum in terra Chananæi, qui habitat in campestribus contra Galgalam, quæ est juxta vallem tendentem et intrantem procul. ³¹ Vos enim transibitis Jordanem, ut possideatis terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut habeatis et possideatis illam. ³² Videte ergo ut impleatis cæremonias atque judicia, quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

12 Hæc sunt præcepta atque judicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus, quibus super humum gradieris. ² Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, et colles, et subter omne lignum frondosum. ³ Dissipate aras eorum, et confringite statuas: lucos igne comburite, et idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis. ⁴ Non facietis ita Domino Deo vestro: ⁵ sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, et habitet in eo, venietis: ⁶ et offeretis in loco illo holocausta et victimas vestras, decimas et primitias manuum vestrarum, et vota atque donaria, primogenita boum et ovium.‡‡ ⁷ Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum vos et domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester. ⁸ Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur: ⁹ neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem, et possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis. ¹⁰ Transibitis Jordanem, et habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus per circuitum: et absque ullo timore habitetis ¹¹ in loco, quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo: illuc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta, et hostias, ac decimas, et primitias manuum vestrarum: et quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vovebitis Domino. ¹² Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos et filii ac filiæ vestræ, famuli et famulæ, atque Levites qui in urbibus vestris commoratur: neque enim habet aliam partem et possessionem inter vos. ¹³ Cave ne offeras holocausta tua in omni

††11.29 *Montem Garizim.* Garizim interpretatur Divisio vel Advena; Hebal, Vorago vetus interpretatur. Qui enim a vitis se separant, et se advenas et peregrinos in hoc mundo judicant, etiam æternam merentur benedictionem. Qui vero in voraginem veteris vitæ se præcipitant, carnalibus desideriis servientes, æternæ maledictioni subjacebunt

‡‡12.6 *Decimas et primitias,* etc. AUG., quæst. 18. Quærendum est quomodo jubeat decimationes omnium fructuum et primitiva omnium pecorum non manducari, nisi in civitate ubi templum erat, cum eas Levitis dari in lege præceperit.

loco, quem videris:[¶] 14 sed in eo, quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum offeres hostias, et facies quæcumque præcipio tibi. 15 Sin autem comedere volueris, et te esus carniū delectaverit, occide, comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in urbibus tuis: sive immundum fuerit, hoc est, maculatum et debile: sive mundum, hoc est, integrum et sine macula, quod offerri licet, sicut capream et cervum, comedes: 16 absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes.^{§§} 17 Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, et vini, et olei tui, primogenita armentorum et pecorum, et omnia quæ voveris, et sponte offerre volueris, et primitias manuum tuarum.* 18 sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, tu et filius tuus, et filia tua, et servus et famula, atque Levites qui manet in urbibus tuis: et lætaberis et reficieris coram Domino Deo tuo in cunctis ad quæ extenderis manum tuam. 19 Cave ne derelinquas Levitem in omni tempore quo versaris in terra. 20 Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, et volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua: 21 locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus ut sit nomen ejus ibi, si procul fuerit, occides de armentis et pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, et comedes in oppidis tuis, ut tibi placet. 22 Sicut comeditur caprea et cervus, ita vesceris eis: et mundus et immundus in commune vescentur. 23 Hoc solum cave, ne sanguinem comedas: sanguis enim eorum pro anima est, et idcirco non debes animam comedere cum carnibus:† 24 sed super terram fundes quasi aquam, 25 ut bene sit tibi et filiis tuis post te, cum feceris quod placet in conspectu Domini. 26 Quæ autem sanctificaveris, et voveris Domino, tolles, et venies ad locum, quem elegerit Dominus: 27 et offeres oblationes tuas carnem et sanguinem super altare Domini Dei tui: sanguinem hostiarum fundes in altari; carnibus autem ipse vesceris. 28 Observa et audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi et filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris quod bonum est et placitum in conspectu Domini Dei tui. 29 Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, et possederis eas, atque habitaveris in terra earum: 30 cave ne imiteris eas, postquam te fuerint introëunte subversæ, et requiras cæremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita et ego colam. 31 Non facies

[¶]12.13 *Cave ne offeras.* Occasionem amputat idolis sacrificandi. Ideo enim præcipit in templo et ad altare Domini hostias offerri, ut ubi integra est religio, ibi cultus congruus exhibeatur. Mystice autem innuit nullum munus acceptabile esse Deo extra catholicam Ecclesiam, hic enim est locus quem Deus elegit, ut poneret nomen suum ibi, et habitet in eo.

^{§§}12.16 *Absque esu.* Homicidium prohibet. Sanguis pro anima ponitur, quia sedes animæ, id est humanæ vitæ, in sanguine est.

*12.17 *In oppidis.* Id est, meritis tuis non assignabis, quæ divina largitate perceperis, non viribus tuis, sed Deo, cuius munere hoc habueris Gal. 6..

†12.23 *Hoc solum cave.* Ad litteram apostoli hoc præceperunt: Et in sanguine prohibetur homicidium, et odium fratrum. Qui enim odit fratrem suum homicida est I Joan. 3.. *Sanguis enim eorum.* Quia aliquod vitale est in sanguine, et per ipsum maxime in hac carne vivitur, qui per omnes venas diffunditur: ipsum animam vocat, id est, corporis vitam, quæ morte finitur. Mystice autem innuitur, ut carnales homines a pristina conversatione discedentes, in unitate fidei et bonorum operum sociantes, eorum errores in usum nostrum non convertamus; sed effundamus, id est, per confessionem prolatos terrenæ fragilitati deputemus, et quasi indignos viris spiritualibus abjiciamus.

similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni. ³²Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.

13 Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum,[‡] ² et venerit quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus, et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis: ³ non audies verba prophetæ illius aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non, in toto corde, et in tota anima vestra. ⁴ Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus: ipsi servietis, et ipsi adhærebitis. ⁵ Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, et redemit vos de domo servitutis: ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: et auferes malum de medio tui. ⁶ Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus, et serviamus diis alienis, quos ignoras tu, et patres tui, ⁷ cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ, ⁸ non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis et occultes eum, ⁹ sed statim interficies: sit primum manus tua super eum, et postea omnis populus mittat manum. ¹⁰ Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis: ¹¹ ut omnis Israël audiens timeat, et nequaquam ultra faciat quippiam hujus rei simile. ¹² Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: ¹³ Egressi sunt filii Belial de medio tui, et averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt: Eamus, et serviamus diis alienis quos ignoratis: ¹⁴ quare sollicite et diligenter, rei veritate perspecta, si inveneris certum esse quod dicitur, et abominationem hanc opere perpetrata, ¹⁵ statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, et delebis eam ac omnia quæ in illa sunt, usque ad pecora. ¹⁶ Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, et cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, et sit tumultus sempiternus. Non ædificabitur amplius, ¹⁷ et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua: ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, et misereatur tui, multiplicetque te sicut juravit patribus tuis, ¹⁸ quando audieris vocem Domini Dei tui custodiens omnia præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

14 Filii estote Domini Dei vestri: non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo:[†] ² quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo, et te elegit ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ sunt super terram. ³ Ne

[‡]13.1 *Si surrexerit.* Vult intelligi, ea quæ a divinis non secundum Deum dicuntur, etiamsi evererint, non esse sic accipienda, ut fiant quæ ab eis prædicuntur, nec præter potestatem suam ostendit esse, quæ ita contingunt. Sed quare permittat supponit, ad cognoscendum scilicet quantum diligant Deum servientes ipsis, non illi qui omnia novit.

[†]14.1 *Non vos incidetis.* Usque hodie multæ gentes incidunt se in funeribus mortuorum. Unde: *Non vos contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent.* Hæc autem facere, eorum est qui desperant de resurrectione. *Nec facietis. Capilli capitis vestri numerati sunt* Matth. 10., id est cogitationes, quas non oportet ab honestate capitis auferre et diabolo offerre, sicut quidam corporales capillos diabolo offerunt.

comedatis quæ immunda sunt.[§] ⁴ Hoc est animal quod comedere debetis: bovem, et ovem, et capram, ⁵ cervum et capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum.^{**} ⁶ Omne animal, quod in duas partes findit ungulam, et ruminat, comedetis.^{††} ⁷ De his autem, quæ ruminant, et ungulam non findunt, comedere non debetis, ut camelum, leporem, chœrogyllum: hæc, quia ruminant et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis.^{‡‡} ⁸ Sus quoque, quoniam dividat ungulam et non ruminat, immunda erit. Carnibus eorum non vescemini, et cadavera non tangetis. ⁹ Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis: quæ habent pinnulas et squamas, comedite:^{¶¶} ¹⁰ quæ absque pinnulis et squamis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt. ¹¹ Omnes aves mundas comedite. ¹² Immundas ne comedatis: aquilam scilicet, et gryphem, et haliaëtum,^{§§} ¹³ ixion et vulturem ac milvum juxta genus suum: ¹⁴ et omne corvini generis, ¹⁵ et struthionem, ac noctuam, et larum, atque accipitrem juxta genus suum:^{*} ¹⁶ herodium ac cygnum, et ibin,[†] ¹⁷ ac mergulum, porphyrionem, et nycticoracem,[‡] ¹⁸ onocrotalum, et charadrium, singula in

§14.3 **Ne comedatis.** Animalia immunda sunt, sed quæ significando expriment, mores, scilicet hominum, et actus, et voluntates.

14.5 **Camelopardalum. Qui albis maculis respersus, capite camelo similis, collo equino, pedibus bubalo, per cætera pardus: in Æthiopia nascitur. **Omne animal quod in duas.** Illos recipit Ecclesia et membris suis incorporat, qui ungulam findunt, qui discretionem boni et mali habere sciunt, et qui ruminant, id est meditantur in lege die ac nocte.

††14.6 **Quod in duas partes.** Qui scilicet duo testamenta suscipiens firmo gradu justitiæ et innocentiae sese constituit

‡‡14.7 **Camelum.** Judæum qui liquat culicem, et glutit camelum, qui litteram ruminat, sed non habet fissam ungulam, quia a spiritu litteram non dividit, hi sunt scribæ et Pharisæi. **Leporem.** Per chœrogyllum et leporem multitudinem significat Judæorum, utrumque enim animal debile et infirmum. **Quia ruminant.** Ruminant Judæi verba legis, sed ungulam non dividunt, quia in Patrem et Filium non credunt, nec duo testamenta recipiunt. Quidam autem hæretici ungulam findunt, sed doctrinam veritatis in ore non ruminant Levit. 11..

¶¶14.9 **Hæc comedetis ex omnibus quæ moventur in aquis.** Per hæc gentiles intelliguntur, qui in aquis baptismi renascuntur. **Quæ habent pinnulas.** Meditantes legem vitæ sublimis et cœlestis; quia ignorantia divinæ legis diu in gentibus fuerat, pinnulas et squamas adjungit: sicut enim pisces squamati sunt et pinnati, sic quibus est ignorantia temporalis, cito additur cognitio sublimis et vitæ cœlestis.

§§14.12 **Et gryphem.** Quæ est quadrupes, capite et alis aquilæ similis, reliquo corpore leoni, et abundat in Hyperboreis montibus, equis maxime infensa et hominibus.

*14.15 **Struthionem.** Qui a terra non levatur, sed sæcularibus negotiis implicatur. **Noctuam.** Quæ in nocte acute videt, et non in die. Sicut qui scientia legis gloriantur, et lucem Evangelii non capiunt. **Larum.** Qui ut avis volat, ut aquatile natat, qui scilicet circumcisionem veneratur et baptisma. Talibus Paulus ait: **Si circumciderimini, Christus vobis non prodest** Gal. 5.. **Accipitrem,** etc. Qui mansueti videntur, sed potentibus et avaris sociantur.

†14.16 **Cygnum et ibin.** Hæ longi colli esse, et cibum de profundo terræ trahere dicuntur: nos autem debemus quærere panem qui de cœlo descendit, nec esse solliciti quid manducemus Joan. VI Matth. 6.

‡14.17 **Nycticoracem.** Quæ nocte repit et operatur, significans eos qui noctis operibus dedicantur, quæ sunt fornicatio, immunditia, idolorum cultus et similia.

genere suo: upupam quoque et vespertilionem.[¶] 19 Et omne quod reptat et pennulas habet, immundum erit, et non comedetur. 20 Omne quod mundum est, comedite. 21 Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei: quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. Non coques hædum in lacte matris suæ.[§] 22 Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos,^{**} 23 et comedes in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti tui, et vini, et olei, et primogenita de armentis et ovibus tuis: ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore.^{††} 24 Cum autem longior fuerit via, et locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibi que benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare,^{‡‡} 25 vendes omnia, et in pretium rediges, portabisque manu tua, et proficisceris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus: 26 et emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque et siceram, et omne quod desiderat anima tua: et comedes coram Domino Deo tuo, et epulaberis tu et domus tua:^{¶¶} 27 et Levites qui intra portas tuas est, cave ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua. 28 Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore, et repones intra januas tuas.^{§§} 29 Venietque Levites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus ac pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent et saturabuntur: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.*

[¶]14.18 *Upupam*. Quæ luctum amat. Sæculi autem tristitia mortem operatur: **Nos vero debemus in Domino gaudere, in omnibus gratias agere** II Cor. VII; I Thes. 5.. *Vespertilionem*, etc. Quæ circa terram volat, et pennis ambulat. Nostra autem conversatio in cœlis debet esse Phil. 3..

[§]14.21 *Quidquid autem*. Mystice præcipitur ecclesiastico viro, ut se in sanctitate servet, et omnem peccati immunditiam devitet, peregrinum, id est, gentilem in suis sordibus remanere permittat. **Peregrino qui intra portas tuas est**. Quasi paganis et hæreticis immunda relinque. Hinc dæmones in Evangelio permittuntur ire in gregem porcorum Matth. 8., et dicitur: **Sine mortuos sepelire mortuos suos** Luc. 9.. **In lacte**, mediocribus disciplinis, sed austerioribus, ut restaurarent amara quæ perdiderunt dulcia.

^{**}14.22 *Decimam*. Quasi, bona quæ facis secundum divinæ legis præcepta facias, et Domino separes, ut ad ejus laudem omnia facias.

^{††}14.23 *Primogenita*. Id est boni operis initia, quæ decimanda sunt, id est, Domino consecranda.

^{‡‡}14.24 *Portare*. Quasi, qui longe sunt a perfectione sanctorum, nec possunt ascendere culmen virtutum, nec contemplationi vacare: quod possunt, agant humiliter, et devote, et faciant sibi amicos de mammona iniquitatis, et thesauros in cœlis, ut recipiantur in æterna tabernacula, ubi epulandum et lætandum cum amicis, id est sanctis et electis Dei.

^{¶¶}14.26 *Et emes ex eadem pecunia*, etc. Spiritualiter præcipitur, ut semper bonis operibus insistamus, quatenus post hanc vitam ad domum nostram, id est ad cœlestem patriam revertamur.

^{§§}14.28 *Aliam decimam*. Extra illam, scilicet quam manducas cum tuis et Levitis, in loco quem elegerit Dominus.

^{*}14.29 *Venietque Levites*. Manifeste ostendit hanc decimam non esse ei qui offert communicandam, sed tantum illis quibus præcepit erogari, in quibus præcipue Levitem posuit.

15 Septimo anno facies remissionem,^{† 2} quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.³ A peregrino et advena exiges: civem et propinquum repetendi non habebis potestatem.^{‡ 4} Et omnino indigens et mendicus non erit inter vos: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem.⁵ Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris universa quæ jussit, et quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est.⁶ Fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, et tui nemo dominabitur.^{¶ 7} Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahas manum,⁸ sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.⁹ Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis: et avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum.^{§ 10} Sed dabis ei: nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis ad quæ manum miseris.¹¹ Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra.¹² Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus aut Hebræa, et sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum

[†]15.1 *Septimo anno.* In hoc capite pietas et dilectio commendatur, ut proximis misereamur, et præmium a Domino exspectemus. Tempore enim suo metemus non deficientes, si, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei I Tim. 5.; unde: *Dimittite et dimittetur vobis, date et dabitur vobis* Luc. 6.. *Septimo anno.* Quia in septiformi Spiritu remissio est. Omnes pene legis solemnitates in septenario numero sunt: sabbatum enim in die septima est; et Pentecoste finitis septem hebdomadibus; septimus quoque annus celebratur; et jubilæus septies septem annis succedit.

[‡]15.3 *A peregrino.* Licet sint omnes proximi nostri, maxime tamen illis misericordia impendenda est, qui Christi sunt nobiscum membra. *Qui enim habet substantiam mundi, et fratri indigenti non impendit, quomodo manet in eo charitas Dei?* I Joan. 3.

[¶]15.6 *Fœnerabis.* Quasi: ditior eris omnibus gentibus. Ecclesia quoque abundat spiritalibus divitiis: ipsa docet, nec habet necesse doceri.

[§]15.9 *Cave.* AUG., quæst. 21. LXX: *Attende tibi ipsi, ne fiat verbum occultum,* etc., usque ad si crudeliter cogitat illo tempore dandum non esse, quo dandum est?

liberum:** 13 et quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris: 14 sed dabis viaticum de gregibus, et de area, et torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi. 15 Memento quod et ipse servieris in terra Ægypti, et liberaverit te Dominus Deus tuus, et idcirco ego nunc præcipio tibi. 16 Sin autem dixerit: Nolo egredi: eo quod diligat te, et domum tuam, et bene sibi apud te esse sentiat:†† 17 assumes subulam, et perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, et serviet tibi usque in æternum. Ancillæ quoque similiter facies. 18 Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos, quoniam juxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis. 19 De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, et in ovibus tuis, quicquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium.‡‡ 20 In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos in loco quem elegerit Dominus, tu et domus tua. 21 Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo: 22 sed intra portas urbis tuæ comedes illud: tam mundus quam immundus similiter vescentur eis, quasi caprea et cervo. 23 Hoc solum observabis, ut sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.

16 Observa mensem novarum frugum, et verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de

**15.12 *Cum tibi venditus*, etc. ISID. Si Hebræus puer in servitutem devenerit, etc., usque ad scilicet peccatis in æternum serviemus. *Cum tibi venditus*, etc. Hebræus transitor qui ad æternam scilicet patriam tendit, et de vitiis ad virtutes, de terrenis ad cœlestia transit; si talis se tibi vendiderit, id est magisterio tuo se addixerit, docebis eum, ut in præsentī vita studeat operari, ut ad requiem pervenire possit. Hoc est, sex annis serviet tibi, septimo dimittes eum liberum, nec vacuum abire patieris; quasi: æterna præmia et veram libertatem promittes ei in alia vita. Si autem dixerit, Nolo egredi, eo quod diligat te et domum tuam, id est si bona quæ fecit non pro æterna mercede, sed pro humana laude, quasi diligens præsentem vitam fecerit, perforabis aurem ejus subula, id est mentem ejus terrore judicii; compunges in janua domus, quia judicium erit in hujus vitæ egressu et alterius ingressu, et serviet tibi usque in æternum, id est docebis eum si sæculum plus amaverit quam Deum, æternis suppliciiis mancipandum. GREG., hom. 3 in Ezech. Cum activa vita et contemplativa sit nobis ex Dei gratia, etc., usque ad ubi subula recusantis libertatem aurem perfodi præcipitur.

††15.16 *Sin autem habuerit*. Sunt quædam opera quæ licet minus placeant Deo, prosunt tamen proximo; et si Deo offerri non possunt, comedi possunt. Cum enim Deo minus placeant pro fuscata intentione quam Deus intuetur, proximis tamen exemplo opitulantur. *Quasi caprea et cervo*. Caprea saltatim incedit, cervus inimicus est serpenti, et aspera et spinosa transiliens, montana transcendit, et ideo in bonam partem accipiuntur.

‡‡15.19 *De primogenitis*. AUG., quæst. 23. Primogenita dicit, etc., usque ad quia solus de substantia Patris, et æqualis et coæternus. *Sanctificabis Domino Deo tuo*. Non tibi, sed omnium largitori: *Quia omne datum optimum desursum est* Jac. 1.. Quod autem leve in nostra cogitatione, vel maculosum in nostra conversatione, vel claudum in operum progressionem, vel cæcum ignorantia mentis aut aliqua parte deforme vel debile, non debemus Deo immolare, id est, imputare, sed nobis. *Non operaberis*. GREG., lib. VIII Moral., cap. 34. In primogenito bovis arare, etc., usque ad deceptus animus non deprehendat quæ in eis sunt mala.

Ægypto nocte.[¶] ² Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, et de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.^{§§} ³ Non comedes in eo panem fermentatum: septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto: ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ. * ⁴ Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, et non remanebit de carnibus ejus, quod immolatum est vespere in die primo, usque mane. † ⁵ Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi, ‡ ⁶ sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi: immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto. ¶ ⁷ Et coques, et comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque consurgens vades in tabernacula tua. § ⁸ Sex diebus comedes azyma: et in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus. ** ⁹ Septem heb-

[¶]16.1 *Observe mensem novarum frugum.* Quia in eo manipuli spicarum, id est primitiæ, per sacerdotem offerebantur Domino. Mensem primum, scilicet Hebræorum qui apud eos nisan apud Græcos quoque, apud Latinos Aprilis dicitur, in quo agnus paschalis occidebatur. *Eduxit te.* Allegorice. Nos quoque de Ægypto hujus mundi liberati, novum hominem induti, in novitate vitæ ambulemus, primitias bonorum operum consecrantes, et phase, id est, transitum bonum celebrantes, ut, relicta Ægypto, ad terram promissionis veniamus.

^{§§}16.2 *Et de bobus in loco.* AUG., quæst. 24. Boves addit, cum de ove tantum præceperit, quam jussit accipi ex ovibus et hædis vel capris, vel propter Christum, qui secundum carnem ex justis fuit et peccatoribus. Non enim ait ex ovibus vel capris, sed ex ovibus et capris, licet proprie non intelligatur ovis ex capris, ne Judæi dicerent subaudiendum esse caprum. Quare ergo additi sunt boves? an propter alia sacrificia, quæ diebus azymorum sunt immolanda?

*16.3 *Panem fermentatum.* Corruptam doctrinam vel veterem conversationem, unde: *Epulemur in azymis, non in fermento veteri,* etc. I Cor. 5.. *Septem.* Toto tempore præsentis vitæ. Sicut illi septem diebus azyma comedebant, sic nos pure et simpliciter septem diebus hujus vitæ conversemur, quibus quotidie agnus occiditur, et pascha celebratur, si innovati nihil ex veteri corruptione retinemus. Quid enim est aliud fermentum, quam naturæ corruptio? Fermentatum enim recedit a naturali dulcedine, et corrumpitur adulterino rancore.

†16.4 *Non apparebit. Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiae,* etc. I Cor. 5., quasi: relinquitte veterem hominem, et induite novum. *Non remanebit.* In hac vita omnia sacramenta Dominicæ incarnationis perscrutanda, et cuncta præcepta ejus implenda sunt Ephes. 4., antequam mane, id est finis sæculi, adveniat.

‡16.5 *Non poteris.* In una domo agnus paschalis editur, et in uno loco phase immolatur, id est in catholica Ecclesia: extra illam non recte pascha celebratur. Vetat celebrare mysteria Christi in conventiculis hæreticorum.

¶16.6 *Vespere ad solis.* Novissima ætate mundi, quando verus Sol in passione occubuit, et Ægyptiacam captivitatem solvit, cum pascha nostrum immolatus est Christus.

§16.7 *Vades in tabernacula.* Peracto servitio Domini mane resurrectionis transibimus in æterna tabernacula, ut quiescamus ab omni labore, lætantes de percepta retributione.

**16.8 *Die septima.* Æterna requie, quam septenarius significat: propter sabbatum ubi nullus labor, nulla operandi ratio.

domadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris.†† 10 Et celebraris diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui: 11 et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, et Levites qui est intra portas tuas, advena ac pupillus et vidua, qui morantur vobiscum: in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. 12 Et recordaberis quoniam servus fueris in Ægypto: custodiesque ac facies quæ præcepta sunt. 13 Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area et torculari fruges tuas:‡‡ 14 et epulaberis in festivitate tua, tu, filius tuus et filia, servus tuus et ancilla, Levites quoque et advena, pupillus et vidua qui intra portas tuas sunt. 15 Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis in loco quem elegerit Dominus: benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, et in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitia. 16 Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit: in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus:¶¶ 17 sed offeret unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. 18 Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dedit tibi, per singulas tribus tuas: ut judicent populum justo judicio, 19 nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum.§§ 20 Juste quod justum est persequeris: ut vivas,

††16.9 *Septem hebdomadas.* In Levitico plenius. *Numerabis ergo ab altero die sabbati septem hebdomadas plenas ad alteram diem explorationis hebdomadæ septimæ.* AUG., quæst. 25. *Septem hebdomadas,* etc. Si ab universo populo hæc Pentecoste jussa est observari, nunquid omnes credendum est uno die falcem jussos mittere in messem? Si autem sibi quisque observat istam quinquagesimam, dinumerans ab illo die quo falcem mittit, non una est universo populo. Illa vero una est quæ computatur ab immolatione paschæ usque in diem datæ legis in Sina. Nos quoque celebramus Pentecosten, id est, adventum Spiritus sancti, qui est digitus Dei, quo scripta est lex in tabulis.

‡‡16.13 *Solemnitatem.* Qui ut tabernaculo, præsentī mundo utitur, festivitatem agere, et lætari in eo potest, propter futuri exspectationem: *Quia si terrena domus hujus habitationis dissolvatur, habebit domum non manufactam in cælis* I Cor. 5.. *Quando.* Consummata perfectione omnium bonorum et multarum collectione virtutum, lætandum et exultandum esse cum amicis significat. Cum exsultabit quisque de percepta retributione qui hic largus fuerit in munere, tunc vere tabernaculorum solemnitas agetur, non mutabilium scilicet, sed æternorum, unde: *Ut recipiant vos in æterna tabernacula* Luc. 16..

¶¶16.16 *Masculinum.* Non femineum; nihil enim molle, fragile et infirmum in nostra conversatione debet esse: fortia quæque a nobis exigit Deus Exod. 23, XXXIV; Eccli. 35.. Si autem in fide Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti æternæ mercedis respectu tempore præsentis vitæ bonis operibus insudamus, masculum in conspectu Domini statuimus. *In omnibus.* Ut advenientes undique statim in introitu, paratos inveniant, a quibus justa judicia accipiant.

§§16.19 *Oculos sapientum.* Apud homines, non apud Deum, quibus dicitur: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris* Isa. 5..

et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.* ²¹ Non plantabis lucum, et omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.[†] ²² Nec facies tibi, neque constitues statuum: quæ odit Dominus Deus tuus.

17 Non immolabis Domino Deo tuo ovem, et bovem, in quo est macula, aut quippiam vitii: quia abominatio est Domino Deo tuo. ² Cum reperti fuerint apud te intra unam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, et transgrediantur pactum illius;[‡] ³ ut vadant et servant diis alienis, et adorent eos, solem et lunam, et omnem militiam cæli, quæ non præcepi: ⁴ et hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inquisieris diligenter et verum esse repereris, et abominatio facta est in Israël: ⁵ educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, et lapidibus obruentur. ⁶ In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium.[¶] ⁷ Manus testium prima interficiet eum, et manus reliqui populi extrema mittetur: ut auferas malum de medio tui. ⁸ Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram: et iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.[§] ⁹ Veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. ¹⁰ Et facies quodcumque dixerint qui præsumunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te ¹¹ juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.^{**} ¹² Qui autem superberit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo,

*16.20 *Juste*. GREG., lib. X Moral., cap. 19. Injuste quod justum est exsequitur, qui ad defensionem justitiæ non virtutis æmulatione, sed amore præmii temporalis excutatur, et justitiam quam præterdit, vendere non veretur. Juste ergo justum exsequi est in assertione justitiæ ipsam justitiam quærere: *Sunt viæ quæ videntur hominibus justæ*, etc. Prov. 14.. Et: *Væ qui justificatis vos coram hominibus* Luc. 16..

†16.21 *Non plantabis*. Occasionem idololatriæ amputat. Solebant enim gentes immolare, et in delubris statuas adorare. *Lucum*. ISID. Nemus, frondentes arbores infructuosæ, etc., usque ad nec permittit fictionem falsitatis vel erroris veritati catholicæ sociare.

‡17.2 *Cumque reperti fuerint*. Lex errorem et idololatriam maxime detestatur: maximum enim scelus est honorem Creatoris impendere creaturæ; quod faciunt gentiles, vel mali catholici, qui, licet ab Ecclesia non recedant, tamen magis inveniuntur per diversa vitia servire diabolo, quam per bona opera militare Deo. Hos lapidibus jubet obrui quos irrevocabilis sententia damnandos esse prævidit.

¶17.6 *In ore duorum aut trium testium*. Attestatione scilicet legis prophetarum et Evangelii, secundum illud: *Sermo quem locutus est, ipse judicabit eum in novissimo die* Joan. 12.. In titulo quoque crucis tres linguæ testantur Christum esse regem Judæorum: Hebraica, Græca et Latina Joan. 19.. *Nemo occidatur*. Tanta concordia est Veteris ac Novi Testamenti, ut neutrum sine altero sit. In humano iudicio primum divinæ Scripturæ auctoritas requirenda est.

§17.8 *Si difficile*. Sacerdotes Ecclesiæ Dei instruit, ut iudicia ecclesiastica secundum potestatem sibi a Deo datam reverenter agant, et juste decernant, non ad libitum suum, sed secundum legis decretum, ne suscipiendo personam mutant sententiam.

**17.11 *Juxta*. Nota, non dicitur tibi, ut obedias, nisi juxta legem docuerint, unde: *Supra cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi* Matth. 23..

et decreto iudicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israël:†† 13 cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. 14 Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes:‡‡ 15 eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. 16 Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus, præsertim cum Dominus præceperit vobis ut nequaquam amplius per eandem viam revertamini. 17 Non habebit uxores plurimas, quæ alluciant animum ejus, neque argenti et auri immensa pondera.¶¶ 18 Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, 19 et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. §§ 20 Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse et filii ejus super Israël.*

18 Non habebunt sacerdotes et Levitæ, et omnes qui de eadem tribu sunt, partem et hæreditatem cum reliquo Israël, quia sacrificia Domini, et oblationes ejus comedent,† 2 et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis.‡ 3 Hoc erit iudicium sacerdotum

††17.12 **Sacerdotis imperio.** Christi qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui vicarios sibi substituit, quibus ait: **Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit,** etc. Luc. 10.. Jure ergo damnationis sustinet sententiam, qui contemnit divinitatis potentiam.

‡‡17.14 **Cum ingressus fueris terram,** etc. AUG., quæst. 26. Quæri potest cur displicuit populus Deo, cum regem desideravit, cum hic inveniatur esse permissus? Sed intelligendum est merito non fuisse secundum voluntatem Dei, quia hoc fieri non præcepit, sed desiderantibus permisit. Verumtamen præcepit ne fieret alienus, sed frater ex eodem populo indigena non alienigena. Quod autem ait: **Non poteris:** intelligendum est, non debes. **Constituam super.** Habitatores terræ constituunt sibi regem contra Dei sententiam.

¶¶17.17 **Non habebit,** etc. AUG., quæst. 27. Manifestum est Salomonem hoc præceptum transisse, etc., usque ad perveniat ad alienigenas. **Neque argenti. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra** Matth. 6..

§§17.19 **Legetque.** Nota quanta assiduitate legere debent sacerdotes, cum assidue legant reges. Lectio ipsa lux est et vita, unde: **Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus et vita sunt** Joan. 6..

*17.20 **Superbiam.** Quasi, sciat se esse fratrem. Unum patrem Deum omnes habemus, cui dicimus: **Pater noster, qui es in cœlis,** etc. Luc. 11.. **Superbiam.** Benedictio est regnare super Israël, scilicet regnando facere Israël, scilicet Deum videntes.

†18.1 **Non habebunt.** Et in Veteri et in Novo Testamento ministris altaris præceptum est de oblationibus et decimis vivere, nec terrenis possessionibus acquirendis concessum est inhiare: Unde: **Nolite possidere aurum neque argentum,** etc. Matth. 10.; et post pauca: **Dignus est enim operarius cibo suo** I Cor. 9. Et alibi: **Qui altario serviunt cum altario participant** Num. 18.. Non enim oportet, ut qui semper astare debet officio divino, inhiat terreno lucro, cui Deus hæreditas est. Quid ergo deesse potest illi qui omnia habentem habet.

‡18.2 **Hæreditas.** Pro operatione bona, ut quod mente conceperit, opere probet, unde: **Cæpit Jesus facere et docere** Act. 1..

a populo, et ab his qui offerunt victimas: sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum ac ventriculum:[¶] ⁴ primitias frumenti, vini, et olei, et lanarum partem ex ovium tonsione.[§] ⁵ Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribus tuis, ut stet, et ministret nomini Domini, ipse, et filii ejus in sempiternum. ⁶ Si exierit Levites ex una urbium tuarum ex omni Israëli in qua habitat, et voluerit venire, desiderans locum quem elegerit Dominus, ^{**} ⁷ ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ, qui stabunt eo tempore coram Domino. ⁸ Partem ciborum eandem accipiet, quam et ceteri: excepto eo, quod in urbe sua ex paterna ei successione debetur.^{††} ⁹ Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominaciones illarum gentium.^{‡‡} ¹⁰ Nec inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus,^{¶¶} ¹¹ nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem.^{§§} ¹² Omnia enim hæc abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. ¹³ Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo. ¹⁴ Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt: tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es. ¹⁵ Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, ^{*} ¹⁶ ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. ¹⁷ Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. ¹⁸ Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. ¹⁹ Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.

[¶]18.3 **Dabunt.** Quia in corporalibus solatiis et spiritualibus emolumentis devote doctoribus nostris communicare debemus, unde: **Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omni opere bono** Gal. 6. **Ventriculum.** Venter receptaculum ciborum, omnes hominum labores, et momentanea gulæ blandimenta sunt, quorum finem condemnat: et mentibus Deo sacratis ostendit totum quod voramus in successum projici, unde: **Esca ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et hanc destruet.**

§18.4 **Primitias.** Primitias frugum laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere.

18.6 **Si exierit. Quasi urbem et domum deserit, qui gratis Deo servit, et sine sumptu Evangelium ponit.

††18.8 **Excepto.** AUG., quæst. 38. Quod LXX, etc., usque ad eum servari oportet quod parentibus exhibitum est.

‡‡18.9 **Quando ingressus.** AUG., quæst. 29. Quoniam portentorum inspectores interduntur, etc., usque ad sic illæ inspectiones prodigorum a significationibus miraculorum discernendæ sunt.

¶¶18.10 **Ariolos.** Qui circumeunt aras nefandis precibus, et divinationem in extis animalium quærunt. **Auguria.** Quasi avigeria, quæ in vocibus avium gerantur. Vel avigaria, ab avium garritu.

§§18.11 **Pythones.** Ventriloquos, de quorum ventre dæmones loquuntur, a Pythone sic dictos, id est Apolline, licet deum divinationis credebant esse.

*18.15 **Prophetam de.** Licet historialiter de prophetis accipi possit, qui post Moysen in populo Israëli repleti sunt Spiritu Dei, melius tamen de Domino prophetarum accipitur, de quo turbæ ab ipso satiata dixerunt: **Hic est vere propheta qui venturus est in mundum** Joan. 6.. Et alibi: **Propheta magnus surrexit in nobis** Luc. 7..

²⁰ Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. ²¹ Quod si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? ²² hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit: hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit: et idcirco non timebis eum.

19 Cum disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, et possederis eam, habitaverisque in urbibus ejus et in ædibus: ² tres civitates separabis tibi in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem, [†] ³ sternens diligenter viam: et in tres æqualiter partes totam terræ tuæ provinciam divides: ut habeat e vicino qui propter homicidium profugus est, quo possit evadere. [‡] ⁴ Hæc erit lex homicidæ fugientis, cujus vita servanda est: qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudius tertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur: ⁵ sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, et in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, et occiderit: hic ad unam supradictarum urbium confugiet, et vivet: ⁶ ne forsitan proximus ejus, cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur, et apprehendat eum si longior via fuerit, et percutiat animam ejus, qui non est reus mortis: quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur. ⁷ Idcirco præcipio tibi, ut tres civitates æqualis inter se spatii divides. ⁸ Cum autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut juravit patribus tuis, et dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est ⁹ (si tamen custodieris mandata ejus, et feceris, quæ hodie præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus omni tempore), addes tibi tres alias civitates, et supradictarum trium urbium numerum duplicabis: [¶] ¹⁰ ut non effundatur sanguis innoxius in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis

[†]19.2 *Tres*. Fidem, spem et charitatem, ad quas omnes pœnitentes debent confugere. Tres civitates refugii ultra Jordanem constituit Moyses homicidis qui non sponte homicidium commiserunt, alias tres circa Jordanem jubet separari Num. XXXV; Josue. 20., mystice insinuans quod ante perceptionem baptismi, qui vult a peccato salvari et ab hostibus spiritualibus liberari, sanctæ Trinitatis fidem debet sincera mente confiteri, et post baptismum in fide, spe et charitate viriliter operari. Sicque religiose coversans in mundo, qui senario conditus est numero, post perfectionem bonorum operum requiem æternam exspectat in sabbatismo.

[‡]19.3 *In tres*. Ut qui salvandus est facilius evadat. Prædicatores quoque verbo et exemplo debent peccatoribus consulere et æqualiter in tota terra Ecclesiæ fidem Trinitatis omnibus insinuare, ut viam veritatis et portam fidei agnoscant patere sibi, et se merito damnandos si intrare noluerint. *Sed abiisse*. Exemplo enim ostendit qualis homicida salvandus sit. GREG., Past. part. 2, cap. 10, tom. 3. Ad silvam cum amico imus, etc., usque ad quæ non malitiose perpetratur. AMBR., lib. de Fuga sæculi, cap. 2. Congruè provisum liquet, etc., usque ad percussus Levitico gladio moriatur sensus carnis, ut vivat anima vestra.

[¶]19.9 *Addes tibi*. In libro Jesu Nave, sex civitates refugii decernuntur talibus homicidis Josue 20.. Cades in Galilæa montis Nephthali, Sichem in monte Ephraim, et Cariatharbe, quæ est Hebron, in monte Juda. Et trans Jordanem Bosor de tribu Ruben, et Ramoth in Galaad de tribu Gad, et Gaulon in Basan, de tribu Manasse. AMBR., ubi supra. Sex autem civitatum refugia sunt, etc., usque ad vel interdictorum declinatione veneremur.

reus. ¹¹ Si quis autem, odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus, [§] ¹² mittent seniores civitatis illius, et arripiant eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, et morietur. ¹³ Non miseraberis ejus, et auferes innoxium sanguinem de Israël, ut bene sit tibi. ¹⁴ Non assumes, et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra quam acceperis possidendam. ^{**} ¹⁵ Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati, et facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. ^{††} ¹⁶ Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, ¹⁷ stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et judicum qui fuerint in diebus illis. ¹⁸ Cumque diligentissime perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, ¹⁹ reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui: ²⁰ ut audientes ceteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere. ²¹ Non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. ^{‡‡}

20 Si exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus et currus, et majorem quam tu habeas adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. ^{¶¶} ² Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdos ante aciem, et sic loquetur ad populum: ³ Audi, Israël: vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis: non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidatis eos: ⁴ quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. ⁵ Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: Quis

§19.11 *Si quis autem odio habens proximum.* Qui malitia aliquem percutit, et in mortem animæ ducit, reus est æternæ mortis, unde: *Si quis scandalizaverit unum de pusillis qui in me credunt,* etc. Et alibi: *Qui odit fratrem homicida est, et non habebit vitam æternam* Matth. XVIII; I Joan. 3.. Hic ab altari divellitur, tanquam sacramentis Dominicis indignus, nec veniam nisi per condignam pœnitentiam promeretur. Qui autem non sponte occidit, habet urbes refugii, Ecclesiam scilicet catholicam, ubi se angustia pœnitentiæ cœrens, per omne tempus præsentis vitæ bonis operibus studeat, et si spem in morte summi pontificis, scilicet Redemptoris sui, posuerit, tandem merebitur salvari. Qui fraternum odium retinet in corde, non potest fructuosam pœnitentiam agere, nec Deum sibi placare.

**19.14 *Non assumes et transferes terminos,* etc. Unde: *Ne transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui* Prov. 22., id est, præcedentium patrum regulas et definitiones vivendi.

††19.15 *Non stabit testis unus.* Hoc etiam historialiter servare debemus. Et contra impios vel hæreticos, cum testimoniis Scripturarum indigemus, duos testes, id est, Vetus et Novum Testamentum adhibemus, vel tres, id est, Evangelium, prophetas, apostolum, et sic stat verbum.

‡‡19.21 *Animam pro anima.* Qui enim animam errare fecit, venia dignus non est. *Dentem pro dente* Exod. XXI; Lev. XXIV; Matth. 5.. Verborum virtutem. Dentes enim verba significant secundum illud: *Filii hominum, dentes eorum arma* Psal. 56.. Et alibi: *Dentes ejus lacte,* id est lege, *candidiores* Gen. 29.. *Manum,* etc. Operationem, ut ea, scilicet. sunt ei utilia aut nociva quæ in alio pervertit.

¶¶20.1 *Quia Dominus.* Mystice. AUG., quæst. 30. LXX: *Quoniam Dominus,* etc., usque ad ut etiam ipsos acturos ostenderet.

est homo qui ædificavit domum novam, et non dedicavit eam? vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet eam.^{§§ 6} Quis est homo qui plantavit vineam, et necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo ejus fungatur officio.⁷ Quis est homo, qui despondit uxorem, et non accepit eam? vadat, et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo accipiat eam.⁸ His dictis addent reliqua, et loquentur ad populum: Quis est homo formidolosus, et corde pavido? vadat, et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.⁹ Cumque siluerint duces exercitus, et finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit.¹⁰ Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem.¹¹ Si receperit, et aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, et serviet tibi sub tributo.¹² Sin autem fœdus inire noluerit, et cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.¹³ Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percutes omne quod in ea generis masculini est, in ore gladii,¹⁴ absque mulieribus et infantibus, jumentis et ceteris quæ in civitate sunt. Omnem prædam exercitui divides, et comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.¹⁵ Sic facies cunctis civitatibus, quæ a te procul valde sunt, et non sunt de his urbibus, quas in possessionem accepturus es.¹⁶ De his autem civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere:^{*} ¹⁷ sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet, et Amorrhæum, et Chananæum, Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus:¹⁸ ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis, et peccetis in Dominum Deum vestrum.¹⁹ Quando obsederis civitatem multo tempore, et munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem: quoniam lignum est, et non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.²⁰ Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, et in ceteros apta usus, succide, et instrue machinas, donec capias civitatem, quæ contra te dimicat.

§§20.5 **Quis est homo.** ID., quæst. 31. Non est melior in bello qui jam ædificia dedicavit, etc., usque ad sed hæc instituta sunt propter virorum animos explorandos. **Quis est homo.** ISID. Docet non posse quemquam professionem contemplationis vel militiæ spiritualis arripere, etc., **usque ad: ut ei placeat cui se probavit** II Tim. 2.. Melius est professionem vel persecutionem devitare, quam in ea succumbere. Ad disputationem quoque contra hæreticos venire non debet, nisi doctus et perfectus, ne scandalizet alios superatus.

^{*}20.16 **Nullum omnino permittes.** Nulli vitio in nostra conversatione parcendum, ne coram oculis Domini voluptatibus corrupti et abominabiles appareamus, et exultantes inimici de ruina nostra dicant: **Euge, euge animæ nostræ, devorabimus eum** Psal. 34..

21 Quando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver occisi, et ignorabitur cædis reus,[†] ² egredientur majores natu, et iudices tui, et metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum: ³ et quam viciniorem ceteris esse perspexerint, seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum, nec terram scidit vomere, ⁴ et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ numquam arata est, nec sementem recepit: et cædent in ea cervices vitulæ:[‡] ⁵ accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, et benedicant in nomine ejus, et ad verbum eorum omne negotium, et quidquid mundum, vel immundum est, judicetur. ⁶ Et venient majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est,[¶] ⁷ et dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt: ⁸ propitius esto populo tuo Israël, quem redemisti, Domine, et ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israël. Et auferetur ab eis reatus sanguinis:[§] ⁹ tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris quod præcepit Dominus. ¹⁰ Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris,^{**} ¹¹ et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et

[†]21.1 *Quando inventum*, etc. Cadaver, corpus sine anima, et anima sine Deo, qui est ejus vita. *In terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi*, hoc est in Ecclesia. *Cædis reus*, actor seditionis; *Majores natu*, vita et sapientia majores. *Judices*, id est sacerdotes, quorum officium est de singulis judicare, id est, discernere. *Metientur a loco cadaveris*, id est, cum summa discretione investigabunt actorem seditionis. *Tollent vitulam de armento*, id est, carnem Christi, quam de patribus sumpsit. *Quæ non traxit jugum*, quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. *Nec terram scidit vomere* I Petr. 2., nullam scilicet seditionis maculam admisit. *Et ignorabitur cædis reus*. Diabolus qui invisibilis, et ideo ignorari dicitur, scitur enim quia misit in cor, ut traderet eum Judas Joan. 13.. *Majores natu*, etc. Apostoli et doctores qui Scripturæ attestacione perceperunt nullam nationem sic promptam ad cædem ut Judæorum gentem, qui et prophetarum et Domini sanguinem fuderunt.

[‡]21.4 *Et ducent eam ad vallem asperam*, etc. Mortem scilicet despectam et turpissimam, unde: *Morte turpissima condemnemus eum*. *Quæ nunquam arata est* Sap. 2., quia mors Christi absque culpa fuit. Nec *sementem recepit* Matth. 13., id est, zizania peccati, quæ inimicus homo superseminavit. Possumus per vallem asperam gentilitatem accipere, quæ aspera erat; saxosa, quia saxa adorabat; in qua cæsa est cervix vitulæ, quia pro salute gentium mors Christi celebrata est. Cervix robor carnis quod in morte deposuit. *Lavabunt manus super vitulam*, id est, purgabunt opera per passionis Christi confidentiam.

[¶]21.6 *Lavabuntque manus suas*, etc. Id est, opera sua in passione Christi demonstrabunt esse munda. Licet enim ejusdem passionis sacramenta quotidie iterentur, ab omni tamen fraude Judæorum corda et opera habent mundissima.

[§]21.8 *Propitius esto*. Pro officio suo benedicunt populo, ut non reddatur vindicta pro scelere, sed salus pro redemptione.

^{**}21.10 *Si egressus fuerit ad pugnam*. ISID. Dicant Judæi, quomodo hæc servent? quid causæ sit mulierem decalvari et ungues circumcidi? quid si sine capillis et unguibus inventa fuerit?

adamaveris eam, voluerisque habere uxorem,^{††} 12 introduces eam in domum tuam: quæ radet cæsariem, et circumcidet unguis, 13 et deponet vestem, in qua capta est: sedensque in domo tua, flebit patrem et matrem suam uno mense: et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, et erit uxor tua.^{‡‡} 14 Si autem postea non sederit animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per potentiam: quia humiliasti eam. 15 Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosæ primogenitus,^{¶¶} 16 volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, et præferre filio odiosæ:^{§§} 17 sed filium odiosæ agnoscat primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum ejus, et huic debentur primogenita.* 18 Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coërcitus obedire contempserit:[†] 19 apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam iudicii, 20 dicentque ad eos: Filius noster iste protervus et contumax est: monita nostra audire contemnit, comessionibus vacat, et luxuriæ atque conviviis: 21 lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israël audiens pertimescat. 22 Quando peccaverit homo quod

^{††}21.11 *Mulierem pulchram.* Sicut Paulus qui de Menandro sumpsit: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala* I Cor. 15.. Et de Arato: *In ipso vivimus, movemur, et sumus: ipsius enim et genus sumus* Act. 17.. Alii putant hanc mulierem specie decoram significare rationabilem disciplinam apud Gentiles inventam: ab ea enim oportet recidi omnem superstitionis immunditiam, ut ad studium veritatis assumatur. Nihil enim mundum habent disciplinæ gentilium, quia nulla apud eos disciplina est, cui non sit aliquid immunditiæ vel superstitionis admistum.

^{‡‡}21.13 *Uno mense,* id est, triginta diebus, ut post fidem Trinitatis et opus legis, mereatur Ecclesiæ sociari; ter enim decem triginta efficiunt. *Et postea.* Cum nec in capite, id est sensibus, nec in manibus, id est operibus, aliquid superfluum aut immundum erit.

^{¶¶}21.15 *Si habuerit homo uxores duas,* etc. Christus sibi duas uxores, populum scilicet Judæorum et gentium, conjugii copulavit nomine. Odiosa est synagoga, semper contentiosa, dura cervice, incircumcisa corde; dilecta gentilis Ecclesia. Sed non potest filium dilectæ præferre filio odiosæ, id est Ecclesiam de gentibus et filios ejus præferre apostolis et aliis primitivis, qui sunt filii synagogæ. Agnoscit odiosæ primogenitum, dat ei duplicia, quia primitivis synagogæ filius dedit legem et prophetas, et notitiam nominis sui, et primo eis Evangelium prædicavit. Hic enim est primogenitus liberorum ejus. *Unam dilectam.* Animalitatem, quæ dulcis videtur et delectabilis: omnia voluptuosa cupit et nullo mœrore afficit. *Alteram odiosam.* Rationalitatem, quæ non indulget corpori, nec servit voluptati, sed abdicat occulta dedecoris.

^{§§}21.16 *Primogenitum.* Apostoli et apostolici viri, qui locum primogeniti obtinent, quorum Ecclesia sequitur auctoritatem.

[†]21.17 *Sed filium.* Hoc ad litteram faciendum est, ne sequatur quis animi sui motum, vel amorem, vel odium, sed naturam. *Cuncta duplicia.* Apostoli cuncta duplicia susceperunt, qui doctrina et operatione præditi sunt. Alii dabit ut vivat, non ut abundet, sicut Abraham filium ancillæ super nationes præfecit: filio Saræ, non solum temporalia, sed spiritualia accumulavit Gen. 12..

[†]21.18 *Si genuerit. Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare,* etc. I Reg. 15. Inobedientem ergo filium et vitiosum Moyses jubet obrui lapidibus: Evangelium quoque duris increpationibus, quasi lapidibus tales arguit: *Genimina viperarum, quis docebit vos fugere a ventura ira* Luc. 3.?

morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo:[‡] 23 non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno: et nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.[†]

22 Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis: sed reduces fratri tuo,[§] 2 etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, et erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, et recipiat. 3 Similiter facies de asino, et de vestimento, et de omni re fratris tui, quæ perierit: si inveneris eam, ne negligas quasi alienam.^{**} 4 Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo. 5 Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc.^{††} 6 Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum avis inveneris, et matrem pullis vel ovis desuper incubantem: non tenebis eam cum filiis, 7 sed abire patieris, captos tenens filios: ut bene sit tibi, et longo vivas tempore. 8 Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus labente

[‡]21.22 **Appensus.** Cruciatum ejus vidente populo, unde: *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant* II Tim. 5..

[†]21.23 **Non permanebit.** Hoc est non debet relinqui in eadem damnatione, sed revocari doctorum exhortatione, ut nulli, dum vivit, reconciliatio negetur. **Non permanebit.** Non est de die in diem differenda poenitentia, sed statim agenda, ut per poenitentiam infructuosam ab oculis Dei abscondantur delicta, unde: *Beati quorum tecta sunt peccata* Psal. 31.. **Maledictus a Deo.** AUG., lib. XIV contra Faustum. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum Gal. 3.. Adam namque in ligno prævaricationis corrui: ideo sibi et posteris suis maledictionem meruit, de qua dicit: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Maledictam namque, id est, execrabilem et turpissimam mortem suscepit. ID., ubi supra, cap. 3, 4. **Maledictus a Deo est qui pendet,** etc. Quidam hæretici ad calumniam passionis Christi hanc sententiam transferunt, etc., usque ad bene ergo maledictum dicitur, quod odit Deus, hoc pependit in ligno. **Contaminabis.** Poenitiæ lacrymis fetorem peccatorum abluere debemus, ne aliis scandalum et nobis germinet cruciatum.

[§]22.1 **Non videbis.** Moraliter. Frater tuus doctor Ecclesiæ, cujus discipulum vel doctum, qui significatur per bovem, vel indoctum, qui significatur per ovem, si videris errare, noli negligere, sed exhortare ut fratri, id est, magistro possis reconciliare. **Duc in domum tuam** I Cor. 11., id est, adhibe curam. Et **si non est propinquus,** id est Ecclesiæ tuæ, sed alterius doctor.

^{**}22.3 **Similiter.** Gentili, scilicet, cujus utilitatem et immunditiam non debemus despiciere. **Vestimento.** Plebe qua ornatur doctor. Ad litteram quoque omnia hæc et similia servanda sunt.

^{††}22.5 **Non induetur mulier,** etc. AUG., quæst. 32. Alia editio, etc., usque ad non debet aliquid femineum vel molle in doctrina sua habere. **Mulier.** Cujus naturaliter diversus color, motus incestus, vires, cui non permittitur docere, nec dominari in virum, nec usurpet officium prædicandi I Cor. 13.. Contra naturam est virum muliebria facere, comam crispare, torquere capillos, unde Apostolus: **Vir, si comam nutrierit, ignominia est illi.** Mulieri autem capilli pro velamine dati sunt; non ergo induetur vir veste feminea, operatione scilicet fluxa et dissoluta. RAB. Per viam imus, etc., usque ad sed ex ea allegoricum sensum in mente retinemus.

alio, et in præceps ruente.†† 9 Non seres vineam tuam altero semine: ne et sementis quam sevisti, et quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur.¶¶ 10 Non arabis in bove simul et asino.§§ 11 Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est. 12 Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris.* 13 Si duxerit vir uxorem, et postea odio habuerit eam,† 14 quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, obiciens ei nomen pessimum, et dixerit: Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem: 15 tollent eam pater et mater ejus, et ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis qui in porta sunt:‡ 16 et dicit pater: Filiam meam dedi huic uxorem: quam quia odit, 17 imponit ei nomen pessimum, ut dicat: Non inveni filiam tuam virginem: et ecce hæc sunt signa virginitatis filiae meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis: 18 apprehendentque senes urbis illius virum, et verberabunt illum,¶¶ 19 condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israël: habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ.§ 20 Quod si verum est quod objicit, et non est in puella inventa virginitas, 21 eicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur: quoniam fecit nefas in Israël, ut fornicaretur in domo patris sui: et auferes

††22.8 *Domum novam*, id est Ecclesiam. *Murum tecti*, id est virtutum custodiam. *Ne effundatur sanguis in domo tua*, hoc est ne alio peccante reus tenearis. GREG., lib. VIII Moral., cap. 39. *Ne effundatur*. Per incuriam atque desidiam. Unde qui virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat.

¶¶22.9 *Vineam*, doctrinam, vel plebem doctoribus commissam, ubi vinum spiritualis gratiæ abundare debet. *Altero semine*, id est hæretico. Semen bonum verbum Dei; semen nequam quod inimicus seminavit Matth. 13.: cavendum ergo ne immisceatur aliquid erroris, et corrumpatur semen Dei.

§§22.10 *Non arabis*. ISID. In bove et asino arat, qui recipit Evangelia cum Judæorum observantia, quæ præcessit in umbra. In bove quoque bene operantium vita, in asino stultorum socordia: quasi, fatuum sapienti in prædicatione non socies, ne per eum qui rem implere non valet ei obsistas qui prævalet. Stultus vero et sapiens bene conjunguntur, ut unus præcipiat et alter obediat, non ut æquali potestate verbum Dei annuntient. Allegorice lineis vestibus lanam vel purpuram miscet, qui inordinate vivit, et profectionibus diversi generis, ut si sanctimonialis habeat ornamenta uxoris, vel uxor gerat speciem virginis. Hoc autem figurabatur in vestibus, quod nunc declaratur in moribus.

*22.12 *Funiculos*. Ad differentiam scilicet, sicut signum circumcisionis Israëlitas separat a cæteris. Superstitiosi vero magistri captantes auram populi, et luca ex mulierculis, dilatabant fimbrias et eis alligabant spinas, ut vel ambulantes vel sedentes pungerentur, et sic ad serviendum Deo monerentur, unde: *Dilatant phylacteria sua et magnificam fimbrias*.

†22.13 *Si duxerit*. AUG., quæst. 33. Apparet quomodo subditas viris feminas, etc., usque ad qua fuerat alter plectendus.

‡22.15 *Pater et mater ejus*. Doctores Ecclesiæ qui quasi pater et mater fovent plebem: patres auctoritate, matres pietate.

¶¶22.18 *Et verberabunt*. Non mirum, si vir, qui falso accusat, jubetur cædi, et multam reddere; puella vero, si culpabilis sit, lapidari: quia per feminam initium peccati, quæ virum seduxit et dupliciter peccavit, prius in Deum, postea in virum, vir tantum in Deum

§22.19 *Centum siclis*, etc. Perfectione doctrinæ et sollicitudinis, quam impendat subjectæ plebi, vel pœnitentiæ. Centenarius enim perfectus est, quinquagenarius pœnitentiæ consecratus.

malum de medio tui. ²² Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter et adultera: et auferes malum de Israël. ²³ Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum ea, ^{**} ²⁴ educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit, cum esset in civitate: vir, quia humiliavit uxorem proximi sui: et auferes malum de medio tui. ²⁵ Sin autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, et apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus: ²⁶ puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus, ita et puella perpressa est. ^{††} ²⁷ Sola erat in agro: clamavit, et nullus affuit qui liberaret eam. ²⁸ Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illa, et res ad iudicium venerit: ²⁹ dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. ^{‡‡} ³⁰ Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus. ^{¶¶}

23 Non intravit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis et abscisso veretro, ecclesiam Domini. ^{§§} ² Non ingredietur mamzer, hoc est, de scorto natus, in ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem. ³ Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini in æternum: ^{*} ⁴ quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via quando egressi estis de Ægypto: et quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ,

^{**}22.23 *Si puellam virginem desponderit.* In hoc capitulo, sicut in duobus præcedentibus et duobus succedentibus, corporalem condemnat fornicationem.

^{††}22.26 *Nihil patietur.* Sed ad inceptam fidem revocabitur per gratiam baptismi liberata ab hostibus.

^{‡‡}22.29 *Non poterit.* AUG., quæst. 34. Merito quæritur utrum ista poena sit, ut non eam possit dimittere per omne tempus, quam inordinate et illicite violavit; si enim intelligimus eam non posse, id est non debere dimitti per omne tempus, quia uxor effecta est, occurrit quod Moyses permisit dare libellum repudii et dimittere. In his autem quæ illicite vitiant noluit licere, ne videatur ad ludibrium fecisse, et potius finxisse quod eam duxerit. Hoc quoque de illa iussit, cui vir calumniatus fuerit de virginalibus non inventis.

^{¶¶}22.30 *Non.* Pater noster Christus est, cujus Ecclesia uxor est; non licet homini dignitatem istius sponsi transferre in se, nec sponsam ejus violare, ut amorem ejus commutet in se, ex dono virtutum vel ex prædicatione laudem suam quærendo non Dei; cui dicere convenit: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* Psal. 103..

^{§§}23.1 *Non intrabit.* Omnes qui molliter vivunt, nec virile opus perficiunt, non possunt permanere in congregatione sanctorum nec digni sunt introitu regni cælorum, quod violentiam patitur, et violenti diripiunt illud. *Mamzer.* Degener sensu vel moribus; vel quem hæreticorum pravitas in perceptione sacramentorum degenerem fecit; vel ritus gentilitatis aut Judaismi maculavit. Is in Ecclesiam recipietur, cum integra fide decalogum legis secundum Evangelii institutionem servaverit, et carnalem conversationem Spiritu sancto roboratus abdicaverit; unde: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* Matth. 19.. Et alibi: *Ego sum ostium: per me si quis intrat, salvabitur* Joan. 10..

^{*}23.3 *Ammonites et Moabites.* AUG., quæst. 33. Alia editio, etc., usque ad feminis imputaverunt, quas conservare maluerunt. *Moabites.* Hæreticos semper ab Ecclesia esse pellendos significat, quasi, *Hæreticum hominem post unam et alteram correctionem devita.*

ut malediceret tibi:† 5 et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eo quod diligeret te.‡ 6 Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum. 7 Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est: nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus.¶ 8 Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in ecclesiam Domini. 9 Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala.§ 10 Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, 11 et non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua: et post solis occasum regredietur in castra. 12 Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ,** 13 gerens paxillum in balteo: cumque sederis, fodies per circui-

†23.4 **Quia noluerunt nobis occurrere cum,** etc. Tradunt Hebræi quod hæ gentes propinquæ sibi exeuntibus de Ægypto occurrerunt cum pane tantum, cum scirent nos in deserto maxime siti laborare, et ideo huic maledictioni subjecti sunt. Mystice designant hæreticos, qui fugientibus de Ægypto hujus mundi ad veram terram promissionis offerunt panem pollutum, non aqua sapientiæ dulcoratum, et ideo ab Ecclesia alienati sunt.

‡23.5 **Vertitque.** Quia sæpe persecutio causa majoris prosperitatis est. **Quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum** Rom. 8..

¶23.7 **Non abominaberis Idumæum.** Idumæus sanguineus vel terrenus carnem cuius est terrena materia significat: Ægyptius, id est tenebrosus, corpus morbidum. Carnem nostram non debemus abominari, sed fovere et necessaria illi præbere, curam tamen ejus in desideriis non facere: Frater, inquit, tuus est, quia ex carne sumus et anima. Ægyptium, id est corpus non abominemur, in cujus terra advenæ fuimus; anima enim, quæ cœlestem habet originem, quasi advena moratur in corpore, unde Apostolus: **Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino** II Cor. 5.. **Qui nati fuerint ex eis,** etc., id est paulatim fient spirituales. Per Idumæum et Ægyptium significatur præsens vita, cui quamvis renuntiantes Ægyptiam terram, id est conversationem pristinam et concupiscentiam mundi declinemus; dum tamen hujus mundi necessitatibus subdimur, non omnino Ægyptiam nationem exstinguimus: sed quodammodo separati, quotidiano victu et vestitu contenti sumus; tertia generatione in Ecclesiam intrabunt, quia sæcularis potest sanctis Dei conjungi, cum perfecte in Patrem et Filium et Spiritum sanctum crediderit, vel cum spe, fide, et charitate ornatus fuerit.

§23.9 **Quando.** Spiritales Christi milites instruit, quibus alibi dicitur: **Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet** I Cor. 9.. **Si.** AUG., lib. de bono conjugali, cap. 20. Multa ponit lex in sacramentis et umbris futurorum, etc., usque ad non quia corpus mortuum peccatum est, sed significat peccatum animæ a justitia desertæ. Mystice GREG., lib. IX Moral., cap. 40. **Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus,** etc. Nocturnum somnium tentatio occulta, etc., usque ad et ad fidelium merita repararetur præsumenda.

23.12 **Habebis. Corporalem enim munditiam diligit Deus: ideo præcepit nihil fœdum remanere in castris. Mystice. GREG., lib. XXXI Mor., cap. 32. **Habebis locum,** etc. Naturæ corruptibilis pondere gravatæ a nostræ mentis utero quædam cogitationum superflua quasi ventris gravamen erumpunt. Sed portare sub balteo paxillum debemus, ut ad reprehendendos nosmetipsos semper accincti acutum circa nos stimulum compunctionis habeamus, quod terram nostræ mentis pœnitentiæ dolore confodiat, et quod a nobis fetidum erumpit, abscondat.

tum, et egesta humo operies^{††} 14 quo revelatus es: Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat tibi inimicos tuos: et sint castra tua sancta, et nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. 15 Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit.^{‡‡} 16 Habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, et in una urbium tuarum requiescet: ne contristes eum. 17 Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël.^{¶¶} 18 Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voveris: quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum. 19 Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem:^{§§} 20 sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id quo indiget, commodabis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris possidendam.* 21 Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.† 22 Si nolueris polliceri, absque peccato eris. 23 Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es. 24 Ingressus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas

^{††}23.13 *In balteo.* Balteo enim renes accinguntur, ideo per balteum, malæ voluntatis contritio designatur, unde Job: *Balteum regum dissolvit, et præcinxit fune renes eorum* Job. 2.. *Humo operies.* Terrena fragilitate considerata, sordes debemus operire.

^{‡‡}23.15 *Non trades servum* AUG., quæst. 36. LXX: *Non trades puerum domino suo qui appositus est tibi a domino suo.* Non quod dominus eum apposuerit, etc., usque ad hoc explanat dicens: *In vobis habitabit in omni loco ubi placuerit ei* I Reg. 27..

^{¶¶}23.17 *Non erit meretrix.* AUG., quæst. 37. LXX: *Non erit meretrix,* etc., usque ad unde quid nobis videretur, ibi tractavimus. *Non offeres mercedem prostibuli.* AUG. quæst. 38. LXX: *Non offeres,* etc., usque ad dicendum fuit, quod Domino abominatio sit. *Pretium canis,* rapacis. Dona iniquorum non probat Altissimus. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris* Eccli. 34..

^{§§}23.19 *Non fœnerabis fratri tuo.* Usuram et avaritiam removet, et charitatem impendere jubet. Et pecunia, quæ ad usuram dari prohibetur, quia vitium cupiditatis est exigere velle, quod cognoscis te non commodasse. Hanc Dominus habuit, et inde pauperibus erogandam tradidit, et nos ad liberalitatem largitatis invitavit. Altera est quam ad usuram dare debemus; unde: *Nonne oportuit te pecuniam committere nummulariis ut ego veniens exigerem quod meum est cum usura?* Matth. 25..

*23.20 *Sed alieno.* Infideli vel iniquo cui pecuniam damus ad usuram, cum pro verbo prædicationis exigimus fidem, poenitentiam et operationem bonam.

†23.21 *Non tardabis reddere.* Unde Salomon: *Ruina est homini post vota tractare vel tardare* Proverb. 10..

tecum.‡ 25 Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres: falce autem non metes.¶

24 Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua.§ 2 Cumque egressa alterum maritum duxerit, 3 et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit: 4 non poterit prior maritus recipere eam in uxorem: quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino: ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam.** 5 Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis injungetur publicæ, sed vacabit absque culpa domi suæ, et ut uno anno lætetur cum uxore sua.†† 6 Non accipies loco pignoris inferiorem, et superiorem molam: quia animam suam opposuit tibi. 7 Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israël, et vendito eo acceperit pretium, interficietur, et auferes malum de medio tui.‡‡ 8 Observa diligenter ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcumque docuerint te sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi eis, et imple sollicitate.¶¶ 9 Memen-

‡23.24 *Ingressus vineam proximi.* In ecclesia alterius episcopi, potest alter aliquos corrigere vel confirmare, totam plebem non licet ei regere, vel magna negotia tractare. *Foras.* Extra ecclesiam hanc gratiam efferre non licet, quia in una domo carnes agni jubentur.

¶23.25 *Si intraveris.* Sunt quædam loca Scripturæ quæ historialiter fidem imbuunt, quædam moraliter sanctam conversationem instruunt: quædam non secundum historiam, sed secundum allegoriam veneranda mysteria ostendunt. Cautè ergo in segete proximi intrandum est, ut discernendo carpas cibum, non præcipitandum succisæ messis incurras judicium.

§24.1 *Si acceperit.* RAB. in Deut., tom. 2. Homo uxorem accepit, etc., usque ad tanquam indigna et errore polluta abominabilis permansit; unde: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam,* etc. Act. 13. AUG., lib. I de sermone Domini in monte. Multæ erant in lege causæ dimittendi uxores, etc., usque ad ut qui habent uxores, sint quasi non habentes I Cor. 7.. *Scribet.* Ad duritiam cordis vestri scripsit Moyses præceptum istud, malens scilicet indulgere dissidium, quam committi homicidium.

**24.4 *Ne peccare.* Polluit terram suam, qui concupiscentiis carnalibus inquinat corpus suum. Ideo necesse est ambitionem præsentis vitæ citius domari, ne valeat dominari. Et cum terrena actio semel fuerit repulsa, non est repetenda: ne post tergum respiciat, qui in aratro manum posuerat.

††24.5 *Cum acceperit.* Quasi, quicumque carnalibus desideriis se obligat ad regimen Ecclesiæ, et ad spiritalem militiam se non habilem esse cognoscat: Quia *nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis, ut ei placeat cui se probavit* II Tim. 2.; unde: *Nemini cito manum imposueris.* ISID. Tollit molam superiorem qui peccatum flenti dicit: Non habebis veniam de commissis. Tollit inferiorem qui peccatum palpando dicit: Age mala quantum vis, Deus pius est et ad veniam paratus; utiliter utraque mola habetur, si spes sit cum emendante formidine, et formido cum spe. GREG., lib. XXXIII Moral., cap. 16. *Non accipies loco pignoris inferiorem,* etc. Accipere aliquando offerre dicimus, etc., usque ad et incassum metuit qui non confidit.

‡‡24.7 *Auferes.* AUG., quæst. 39. Assidue hoc Scriptura dicit, etc., usque ad quod exponens ait: *Qui furabatur jam non furetur* Ephes. 4..

¶¶24.8 *Plagam lepræ.* Nota propter peccatum hanc infirmitatem hominibus accidere, sicut Ozis quæ sacerdotium usurpavit.

tote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ in via cum egrederemini de Ægypto. ¹⁰ Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas: ^{§§ 11} sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit. ¹² Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, ¹³ sed statim reddes ei ante solis occasum: ut dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo. ¹⁴ Non negabis mercedem indigentis, et pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est: ¹⁵ sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. ¹⁶ Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur. ^{*} ¹⁷ Non pervertes iudicium advenæ et pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. [†] ¹⁸ Memento quod servieris in Ægypto, et eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem. ¹⁹ Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris, ut tollas illum: sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. [‡] ²⁰ Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas: sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ. [¶] ²¹ Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos: sed cedent in usus advenæ, pupilli, ac viduæ. ²² Memento quod et tu servieris in Ægypto, et idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.

25 Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint iudices: quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis. ^{§ 2} Sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis: prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus: ³ ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant: ne foede laceratus ante oculos tuos

§§24.10 *Cum repetes.* AUG., quæst. 41. Ad opus misericordiæ pertinet ut pignorat in domum non intret, etc., usque ad non habens ubi dormiat. *Nonne. Qui Evangelium annuntiat, de Evangelio vivat* I Cor. 9.. *Dignus est enim operarius mercede sua* Luc. 10..

*24.16 *Non occidentur.* AUG., quæst. 42. Etiam lex dicit, etc., usque ad non tres vel quatuor intelligi voluit.

†24.17 *Non pervertes.* AUG., quæst. 43. LXX: *Non declinabis iudicium advenæ et orphani et viduæ. Non pignorabis vestimentum viduæ.* Cur non ait, etc., usque ad continentia in eis laudatur, non desolatio commendatur. *Viduæ.* Vidua anima ante diabolo juncta, cui conversæ fidei vestimentum non est auferendum.

‡24.19 *Non reverteris.* Invidendo gentibus, qui sunt advenæ testamentorum Dei.

¶24.20 *Si fruges collegeris.* Etsi superbi colligant et improbi, ille misericordiam facit qui hoc animo dimittit, ut egentes habeant. Præterea cum hæc populo præcipiuntur; qui non indigent, admonentur ne ista quærant. Si autem quæsierunt, tanquam prædones pauperum iudicandi sunt. *Vineam tuam.* Vineam de qua colligitur vinum, quod lætificat cor hominis Psal. 103..

§25.1 *Si fuerit causa.* AUG., quæst. 45. LXX: *Si autem fuerit altercatio inter homines,* etc., usque ad sic et peccata quæ non in Deum, sed in hominem videntur admitti, quædam sunt digna morte, quædam verberare.

abeat frater tuus.** 4 Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas.†† 5 Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui:‡‡ 6 et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israël. 7 Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, et interpellabit majores natu, dicetque: Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israël, nec me in conjugem sumere. 8 Statimque accersiri eum facient, et interrogabunt. Si responderit: Nolo eam uxorem accipere: 9 accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, et dicit: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui.¶¶ 10 Et vocabitur nomen illius in Israël, Domus discalceati. 11 Si habuerint inter se jurgium viri duo, et unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum, et apprehenderit verenda ejus:§§ 12 abscedes manum illius, nec flecteris super eam ulla misericordia. 13 Non

**25.3 *Quadragenarium.* Quadragenarius denario quater ducto perficitur. Nos vero de quatuor elementis secundum corpus consistimus: præcepta decalogi per denarium accipiuntur. Jubet ergo iudicium vel vindictam, in qua carnis peccatum plectitur, secundum præcepta ordinari, et omnia præcepta in decalogo vult intelligi. ISID. In quadragenario hoc tempus figuratur, etc., usque ad illic sine peccato invenimur.

††25.4 *Os bovis triturantis.* ISID. In bove vita operantium exprimitur, de quo dicitur: *Dignus est enim operarius mercede sua* Luc. 10.. Vult ergo Scriptura præstari carnalia iis a quibus accipimus spiritualia, qui occupati in doctrina non possunt sibi providere necessaria.

‡‡25.5 *Quando.* AUG., quæst. 46. LXX *Si ante habitaverunt fratres,* etc., usque ad aut adoptio fecit alterum patrem quem posset habere Joseph. *Mortuus fuerit.* Passus est et ascendit in cœlum adhuc synagoga sterili permanente. *Sed accipiet,* etc. Qui regere valet, cui nolenti in faciem mulier exspuit. Qui enim donis spiritualibus non curat prodesse aliis, hujus etiam bonis Ecclesia exprobrans quasi in faciem jactat salivam.

¶¶25.9 *Calceamentum.* De quo dicitur: *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis* Ezech. 6.. Si ut nostram, sic curam proximi gerimus, utrumque pedem calceamento munimus; qui vero suam cogitans utilitatem proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. *De pede,* id est mercede prædicationis privatum ostendet. Doctorum enim pedes calceati sunt, quia exemplis præcedentium patrum muniti gressus prædicationis eorum imitati sunt. Utroque pede calceatus est, qui sibi et aliis prodest.

§§25.11 *Et unus contra alterum.* Catholicus hæreticusque quorum perpetua contentio, quia dispar intentio: alter enim falsitatem, alter defendit veritatem, et resistere oportet errori, ne sibi stultus sapiens videatur. *Miseritque.* Per falsam ignominiam vel actionem abominandam voluerit catholici conversationem maculare vel doctrinam diffamare. *Verenda.* Infirmiora membra Ecclesiæ, scilicet volent blandiendo decipere vel insultando deridere.

habebis in sacco diversa pondera, majus et minus:^{*} ¹⁴ nec erit in domo tua modius major, et minor. ¹⁵ Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi: ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. ¹⁶ Abominatur enim Dominus tuus eum qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam. ¹⁷ Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto:[†] ¹⁸ quomodo occurrerit tibi, et extremos agminis tui, qui lassii residebant, ceciderit, quando tu eras fame et labore confectus: et non timuerit Deum. ¹⁹ Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, et subjecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est: delebis nomen ejus sub cælo. Cave ne obliviscaris.

26 Cumque intraveris terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, et obtinueris eam, atque habitaveris in ea:[‡] ² tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus: ³ accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis. ⁴ Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui: ⁵ et loqueris in conspectu Domini Dei tui: Syrus persequabatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, et ibi peregrinatus est in paucissimo numero: crevitque in gen-

^{*}25.13 *Non habebis in sacco.* In Levitico idem interdicitur. Salomon quoque ait: *Pondus magnum et pusillum, et mensuræ duplices, immundæ sunt apud Deum* Prov. 20.. ISID. *Non habebis in sacco.* Spiritualiter quoque studendum est, ne diversa pondera in corde habeamus, id est, districtiois regulam nobis mollientes, eos quibus verbum Dei prædicamus districtioribus præceptis quasi gravioribus ponderibus obruamus. Quod cum facimus, diverso pondere præceptorum Domini mercedem frugemque appendimus, unde: *Abominatio est Domino pondus duplex* Prov. 20..

[†]25.17 *Memento quæ.* Tradunt Hebræi quod leprosos et semine fluentes, et alios extra castra positos interfecerit Amalec, et hos dicunt esse extremos agminis Domini. Amalec lingens sanguinem. Hi sunt dæmones qui nobis per baptismum de spiritali Ægypto exeuntibus adversantur, et in virtutibus extremos, et in itinere hujus vitæ lassatos peccata suggerendo student occidere. Hos cum Dominus facultatem dederit, omnino debemus subvertere et suggestiones eorum omni modo ejicere atque delere, ne si aliquas reliquias, sicut Saul, servaverimus, quasi inobedientes cum eis subvertamur.

[‡]26.1 *Cumque intraveris,* etc. Sicut Israëlita in terra promissionis suas primitias jubentur offerre pro gratiarum actione, quia erepti sunt de Ægypto sic nos per spiritalem Jordanem, id est baptismum, terram Ecclesiæ intrantes ponamus in cartallo conversationis nostræ primitias operationis bonæ, et offeramus Deo in altari fidei catholice, ut sacerdos noster Christus suscipiat, ibique confiteamur Domino dicentes quod Syrus, qui interpretatur sublimis, vel humectans, id est diabolus, persequabatur patrem nostrum, id est protoplastum, ut deceptum per superbiam, gulam et avaritiam, paradisi possessione privaret, unde exsul in Ægypto hujus mundi peregrinatus est in parvo numero, quia multi idololatriam secuti sunt, et pauci fideles remanserunt. Sed postquam lege data plures surrexerunt, scientiam et fidem unius Dei accipientes, afflixerunt eos Ægyptii, id est dæmones, onera peccatorum gravissima imponentes. Sed respexit Deus humani generis afflictionem et laborem, et misit Filium suum, qui manus ejus et brachium dicitur, ut eriperet de potestate tenebrarum, et transferret in regnum lucis. Sic tradidit nobis terram lacte et melle manantem, id est, potentem Ecclesiam, ubi lac innocentie et favus doctrinae, unde nutriantur parvuli, et mel dulcis et multiplicis sapientie, unde satientur perfecti.

tem magnam ac robustam et infinitæ multitudinis. ⁶ Affligeruntque nos Ægyptii, et persecuti sunt, imponentes onera gravissima: ⁷ et clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum: qui exaudivit nos, et respexit humilitatem nostram, et laborem, atque angustiam: ⁸ et eduxit nos de Ægypto in manu forti, et brachio extento, in ingenti pavore, in signis atque portentis: ⁹ et introduxit ad locum istum, et tradidit nobis terram lacte et melle manantem. ¹⁰ Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui, et adorato Domino Deo tuo.[¶] ¹¹ Et epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi et domui tuæ, tu et Levites, et advena qui tecum est.[§] ¹² Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Levitæ, et advenæ, et pupillo et viduæ, ut comedant intra portas tuas, et saturentur:^{**} ¹³ loquerisque in conspectu Domini Deo tui: Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, et dedi illud Levitæ et advenæ, et pupillo ac viduæ, sicut jussisti mihi: non præterivi mandata tua, nec sum oblitus imperii tui. ¹⁴ Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia sicut præcepisti mihi. ¹⁵ Respice de sanctuario tuo, et de excelso cælorum habitaculo, et benedic populo tuo Israël, et terræ, quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris, terræ lacte et melle mananti. ¹⁶ Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi ut facias mandata hæc atque judicia: et custodias et impleas ex toto corde tuo, et ex tota anima tua. ¹⁷ Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias cæremonias illius, et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio. ¹⁸ Et Dominus elegit te hodie ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius: ¹⁹ et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit, in laudem, et nomen, et gloriam suam: ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.

27 Præcepit autem Moyses et seniores Israël populo, dicentes: Custodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie. ² Cumque transieritis Jordanem in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, et calce lævigabis eos,^{††} ³ ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus, Jordane transmissio: ut introëas terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte et melle manantem, sicut juravit patribus tuis. ⁴ Quando ergo transieritis Jordanem, erigite lapides,

[¶]26.10 *Quam Dominus Deus dedit*, etc. Quasi non offero nisi quod dedit: omne enim bonum a Deo est. *Domini Dei tui*. Qui quasi sub oculis servabit, et reddet in illa die justus iudex.

[§]26.11 *Epulaberis*, spiritali convivio, de quo dicitur: *Comedite, amici, et inebriamini, charissimi* Cantic. 5.. *Et Levites*, verus Dei minister assumptus ex hominibus, et constitutus pro hominibus in his quæ ad Deum sunt.

^{**}26.12 *Quando compleveris*: hoc legis implese Tobiam, sed qui longe erant a templo tertio anno collectas trium annorum decimas dabant pauperibus et Levitis qui secum morabantur.

^{††}27.2 *Lapides*. Doctores debent omnem asperitatem deponere, et ideo splendidi apparere habentes legem scriptam in cordibus suis.

quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, et lævigabis eos calce:‡‡ 5 et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit, 6 et de saxis informibus et impolitis: et offeres super eo holocausta Domino Deo tuo, 7 et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo. 8 Et scribes super lapides omnia verba legis hujus plane et lucide. 9 Dixeruntque Moyses et sacerdotes Levitici generis ad omnem Israëlem: Attende, et audi, Israël: hodie factus es populus Domini Dei tui: 10 audies vocem ejus, et facies mandata atque justitias, quas ego præcipio tibi. 11 Præcepitque Moyses populo in die illo, dicens: 12 Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, Jordane transmissio: Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph, et Benjamin. 13 Et e regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad, et Aser, et Zabulon, Dan, et Nephthali.¶¶ 14 Et pronuntiabunt Levitæ, dicentque ad omnes viros Israël excelsa voce: 15 Maledictus homo qui facit sculptile et conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito: et respondebit omnis populus, et dicet: Amen. 16 Maledictus qui non honorat patrem suum, et matrem: et dicet omnis populus: Amen. §§ 17 Maledictus qui transfert terminos proximi sui: et dicet omnis populus: Amen. * 18 Maledictus qui errare facit cæcum in itinere: et dicet omnis populus: Amen. 19 Maledictus qui pervertit iudicium advenæ, pupilli et viduæ: et dicet omnis populus: Amen. 20 Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, et revelat oper-

‡‡27.4 **Quando ergo.** ISID. Quomodo hoc factum fuerit, etc., usque ad qui altaris constructione digni sunt. Qui juxta montem Garizim incedunt electi ad benedicendum, figurant eos qui non metu pœnæ, sed cœlestis promissionis amore succensi, veniunt ad salutem. Qui juxta montem Hebal incedunt, in quo maledictiones prolatae sunt; hi sunt qui non amore benedictionum vel promissionum, sed suppliciorum timore, legis præcepta faciunt. Omnes autem circa arcam incedunt, quia ab Ecclesiæ sinu non recedunt. Sed nobiliores, qui ex charitate, quam qui pœnæ timore serviunt. Solus vero Jesus potest hujusmodi mentes cognoscere, et alios in monte Garizim ad benedicendum, alios in monte Hebal ad maledicendum statuere, non ut maledictionem accipiant, sed ut maledictiones scriptas et peccatoribus constitutas caveant, et timore supplicii pœniteant.

¶¶27.13 **Et pronuntiabunt.** Quia sacerdos verbum instanter et valenter populis prædicare debet, ut sciant, si mandata Dei præterierint, quæ pericula maneant; si obedierint, quæ sequantur beneficia, scilicet in præsentī vita solatium, et in futura præmium æternum. Maledictiones autem et benedictiones historialiter pertinent ad eos qui felicitatem terrenam amant vel infelicitatem formidant. Sed maxime Christianis cavendum, ne per inobedientiam spiritualium patiantur penuriam; perfectis enim viris terrenorum sæpe contingit indigentia, cum semper adsit virtutum copia, unde: *Usque in hanc horam esurimus et sitimus et nudi sumus*, etc. I Cor. 4. **Maledictus.** Non solum idololatria simulacrorum prohibetur, sed omnis hæreticorum error. Hi enim artifices vanitatis et superstitiosi dogmatis, qui de corde suo, quos volunt, fingunt sibi deos.

§§27.16 **Omnis populus.** Omnes debent laudare bona, et detestari mala, tam prælati quam subditi.

*27.17 **Maledictus qui transfert terminos.** Hic est qui non contentus fide catholica et doctrina, superstitiones et sectas inducit.

imentum lectuli ejus: et dicet omnis populus: Amen.[†] ²¹ Maledictus qui dormit cum omni jumento: et dicet omnis populus: Amen.[‡] ²² Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ: et dicet omnis populus: Amen.[¶] ²³ Maledictus qui dormit cum socru sua: et dicet omnis populus: Amen.[§] ²⁴ Maledictus qui clam percusserit proximum suum: et dicet omnis populus: Amen.^{**} ²⁵ Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis: et dicet omnis populus: Amen. ²⁶ Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit: et dicet omnis populus: Amen.^{††}

28 Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra.^{‡‡} ² Venientque super te universæ benedictiones istæ, et apprehendent te: si tamen præcepta ejus audieris. ³ Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro. ⁴ Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulæ ovium tuarum.^{¶¶} ⁵ Benedicta horrea tua, et benedictæ reliquiæ tuæ.^{§§} ⁶ Benedictus eris tu ingrediens et egrediens.^{*} ⁷ Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum

[†]27.20 *Maledictus qui dormit cum.* Omnis incestus abominatio est, sed specialiter hæreticos atque schismaticos percutit, qui sponsam Christi qui omnium pater et creator est errore corrumpunt. Tropologice vero prohibet ne quis actionem pravam patris sui imitando diffamet, et ignominiam ejus revelet.

[‡]27.21 *Maledictus.* Maledictus est, qui gentilium stultitiam sequitur. Vir aut mulier, non per fragilitatem, sed perseveranter tali commistione inhærens, reus est mortis.

[¶]27.22 *Dormit,* id est maculat, prave docendo, aut prava exempla demonstrando, alterius animam. Pater enim noster unus est Deus, et mater Ecclesia, nos autem omnes fratres aut sorores sumus.

[§]27.23 *Cum socru sua.* Socrus, pravæ actionis concupiscentia, quia omnis peccati concupiscentia mater est. Diligenter ergo attendamus ut concupiscentiæ resistamus, ne cupita impleamus.

^{**}27.24 *Maledictus.* Quocumque modo hominem occidere peccatum est. Mirum ergo videtur quare maledictum tantum dixit, qui clam percusserit. Sed forte clam percuteretur est corde odisse, unde: *Qui odit fratrem suum, homicida est* Joan. 3.. Et alibi: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo* Lev. 19..

^{††}27.26 *Maledictus qui non permanet.* Hæc sententia generaliter et præterita et præsentia et dicenda legis mandata complectitur, tanto gravior quanto generalior. Quis enim potest sine transgressione omnibus sermonibus legis permanere, cum et Paulus dicat: *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt?* Galat. 3. Nemo hanc maledictionem evadere potuit, nec legislator, nisi Christus, unde: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum,* etc.

^{‡‡}28.1 *Si autem audieris.* Sicut inobedientibus prædicat maledictiones et supplicia, sic obedientibus promittit benedictiones et præmia.

^{¶¶}28.4 *Fructus ventris.* Diversos ordines notat subditorum. Alii enim doctoribus corporalia præbent adjumenta; alii laborare possunt quod sibi fuerit præceptum; alii simplicitate contenti per innocentiam vitæ student Deo placere: unusquisque proprium donum habet ex Deo.

^{§§}28.5 *Benedictæ reliquiæ.* Bonæ intentionis præmium, etsi voluntas non habeat effectum, quia *pax hominibus bonæ voluntatis,* etc. Luc. 2.

^{*}28.6 *Ingrediens.* Ingreditur ille per ostium, qui per fidem catholicam quam juxta voluntatem Dei intus meditatur et tractat: egreditur quando idem coram hominibus ad laudem Dei manifestat.

te, corruentes in conspectu tuo: per unam viam venient contra te, et per septem fugient a facie tua.[†] ⁸Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum: benedicetque tibi in terra, quam acceperis.[‡] ⁹Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi: si custodieris mandata Domini Dei tui, et ambulaveris in viis ejus. ¹⁰Videbuntque omnes terrarum populi quod nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te. ¹¹Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam juravit Dominus patribus tuis ut daret tibi. ¹²Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo: benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et foenerabis gentibus multis, et ipse a nullo foenus accipies. ¹³Constituet te Dominus in caput, et non in caudam: et eris semper supra, et non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui quæ ego præcipio tibi hodie, et custodieris et feceris, ¹⁴ac non declinaveris ab eis nec ad dexteram, nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos.[¶] ¹⁵Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, et facias omnia mandata ejus et cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te.[§] ¹⁶Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. ¹⁷Maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ. ¹⁸Maledictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum. ¹⁹Maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens. ²⁰Mittet Dominus super te famem et esuriam, et increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te, et perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas in quibus reliquisti me. ²¹Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra ad quam ingredieris possidendam. ²²Percutiat te Dominus egestate, febri et frigore, ardore

[†]28.7 *In conspectu tuo.* Ut gaudeas: *Lætabitur justus cum viderit vindictam* Psal. 57..

[‡]28.8 *Benedicetque.* Bonis operibus tribuens incrementum et felicem successum. *Cælum.* Prophetas et apostolos, de quibus dicitur, *Cæli enarrant gloriam Dei*: quos Dominus aperit, cum per eos doctrinæ abundantiam tribuit, ut carnalium corda hoc imbre irrigata proferant germina bonorum operum. *Foenerabis.* Id est tanta erit abundantia tibi, quod poteris dare pecuniam gentibus, illis vero non tanta. Vel, doctrina ecclesiastica intelligitur. *Foenerabis gentibus.* Foenerat Ecclesia gentibus multis, quando divina charismata expendit nationibus. Nec foenus accipit, quia non præsentem remunerationem, sed futuram inquirat. Excellit enim omnibus, et caput est orbis, non cauda. Semper supra est, et non infra; quia licet pressuras et persecutiones malorum in mundo patiat, fortior tamen adversariis est, fide et virtute præeminet universis. Unde, *constituet te Dominus in caput*, etc.

[¶]28.14 *Non æctinaveris.* AUG., quæst., 48. LXX: *Non præteribis ab omnibus verbis*, etc., usque ad nec propter ista colendi sunt.

[§]28.15 *Quod si audire nolueris.* Sicut custodientibus mandata promisit benedictionem, sic negligentibus pronuntiat maledictionem.

et æstu, et aëre corrupto ac rubigine, et persequatur donec pereas. ** 23 Sit cælum, quod supra te est, æneum: et terra, quam calcas, ferrea. †† 24 Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, et de cælo descendat super te cinis, donec conteraris. ‡‡ 25 Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos: per unam viam egrediaris contra eos, et per septem fugias, et dispergaris per omnia regna terræ, ¶¶ 26 sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cæli, et bestiis terræ, et non sit qui abigat. 27 Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, et partem corporis, per quam stercora egerunt, scabie quoque et prurigne: ita ut curari nequeas. §§ 28 Percutiat te Dominus amentia et cæcitate ac furore mentis, 29 et palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, et non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas, et opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te. * 30 Uxorem accipias, et alius dormiat cum ea. Domum ædifices, et non habites in ea. Plantas vineam, et non vindemies

**28.22 *Percutiat te Dominus.* AUG. in Enchirid., cap. 98. Quis tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Sed cum facit, per misericordiam facit: Cum non facit, per iudicium non facit, *qui cui vult miseretur, et quem vult obdurat. Et ære corrupto.* Vita polluta ex carnali immunditia. Carnalis vita polluta ex carnali immunditia. Carnalis vita per ærem exprimitur, quia æris spiramine humanum corpus vivificatur.

††28.23 *Sit cælum.* Elementa, quibus fructus nutriuntur, comparat durissimis metallis, quia peccata hominum commutant ordinem rerum, et quæ ad solatium condita sunt humano generi, unde: *Pugnavit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Cælum est æneum prævaricatoribus legis, cum nullam a sanctis doctoribus mererent clementiam, sed durissimam disciplinam, quoniam ipsi non cor carneum et mollem animum, sed lapideum habent et ferreum. Sicut duro populo lex in lapide dabatur, ut ex munere acceptor figuraretur.

‡‡28.24 *Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem:* quasi, sicut pulvis et cinis non faciunt fructum, sic doctrina tibi infusa non excitet germina virtutum, sed æternum prænuntiet interitum. Pulvis enim bonorum operum sterilitatem, cinis designat combustionem; quia paleæ peccatorum comburentur igni inexstinguibili.

¶¶28.25 *Et dispergaris.* Sicut Judæi captivati per latitudinem orbis dispersi sunt quia contra Deum collecti sunt, sic generatio malorum a spiritibus immundis dispersa per pœnarum genera perturbatur, unde: *Inimici tui peribunt et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem* Psal. 91..

§§28.27 *Percutiat te Dominus ulcere Ægypti.* Ulcera dolorosa et purulenta malitia. Vesicæ, inflata superbia. Scabies et prurigo, ira fervida et furoris insania. Hæc in præsentem congrua pœna peccatis infligitur: post hanc vitam quod signatur in posterioribus fetorem scelerum in æternis cruciatibus sustinebunt. *Percutiat te Dominus.* Hæretici et schismatici clarescente Evangelio in toto orbe erroris cæcitate involuti, amentiam suam exercentes catholicæ fidei contradicunt. Ideo Ecclesiæ calumniam sustinent et a veritate opprimuntur. Amentes et cæci fuerunt, cum Christi miracula videntes, in Beelzebub ea fieri dicebant, et Christum Deum esse negabant Matth. 7., nec veritatem videbant, id est intelligebant.

*28.29 *Et palpes.* Tenebræ factæ sunt cum crucifigeretur Jesus usque in horam nonam, sicut tenebræ erant in cordibus Judæorum. *Non dirigas:* nec Christo prædicante crediderunt, nec per penitentiam dirigi voluerunt.

eam.[†] ³¹ Bos tuus imoletur coram te, et non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, et non reddatur tibi. Oves tuæ dentur inimicis tuis, et non sit qui te adjuvet. ³² Filii tui et filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, et deficientibus ad conspectum eorum tota die, et non sit fortitudo in manu tua. ³³ Fructus terræ tuæ, et omnes labores tuos, comedat populus quem ignoras: et sis semper calumniam sustinens, et oppressus cunctis diebus,[‡] ³⁴ et stupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi tui. ³⁵ Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus et in suris, sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum.[¶] ³⁶ Ducet te Dominus, et regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras tu et patres tui: et servies ibi diis alienis, ligno et lapidi.[§] ³⁷ Et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus. ³⁸ Sementem multam jacies in terram, et modicum congregabis: quia locustæ devorabunt omnia.** ³⁹ Vineam plantabis, et fodies: et vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vastabitur vermibus. ⁴⁰ Olivas habebis in omnibus terminis tuis, et non ungeris oleo: quia defluent, et peribunt. ⁴¹ Filios generabis et filias, et non frueris eis: quoniam ducentur in captivitatem. ⁴² Omnes arbores tuas et fruges terræ tuæ rubigo consumet. ⁴³ Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, et eris inferior.^{††} ⁴⁴ Ipse foenerabit tibi, et tu non foenerabis ei. Ipse erit in caput, et tu eris in caudam. ⁴⁵ Et venient super te omnes maledictiones istæ, et persequentes apprehendent te, donec intereas: quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servasti mandata ejus et cæremonias, quas præcepit tibi. ⁴⁶ Et erunt in te signa atque prodigia, et in semine tuo usque in sempiternum: ⁴⁷ eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam. ⁴⁸ Servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, et siti,

[†]28.30 *Uxorem accipias, et alius*, etc. In uxore plebs hæreticis sociata accipitur, cum qua diabolus fornicatur, dum in errorem seducitur. Animalia hæreticis rapiuntur, cum subjecti ab eis liberantur: cum ipsi vita et doctrina privantur. Substantiam quoque, quam Judæi sibi docendo et scribendo singulariter præparaverunt, Ecclesia sibi convertit in usum.

[‡]28.33 *Fructus terræ tuæ*. Tota cæremoniarum utilitas ad Ecclesiam translata est. Hæc abundantia fruitur, Judæi egestate pereunt, unde per Isaiam dicitur: *Servi mei comedent, et vos esuriatis* Isai. 65..

[¶]28.35 *In genibus et in suris*. Fortitudinem, scilicet et stabilitatem auferat. Vel in genibus percutiatur, cujus novissima opera damnantur. *A planta pedis*. Sicut ab initio pravæ voluntatis usque ad perfectionem operis malitiam exercuisti, unde *a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas* Isai. 1.. Hoc in ultima captivitate completum est.

[§]28.36 *Ducetque te*. Hæretici vel mali catholici, qui contemnunt præcepta Dei, a dæmonibus et vitiis variis captivantur. Sicut servus, ita et dominus, et rex sicut populus, magister sicut discipulus. *Et regem*. Osee regem Samariæ Salmanasar rex Assyriorum cum decem tribubus duxit in captivitatem: Nabuchodonosor, Joachin, et Sedeciam regem Juda cum populo captivavit.

**28.38 *Sementem*, etc. Nobis quoque cavendum est, ne perdamus panem qui confirmat cor hominis, et vinum quod lætificat, et oleum quod exhilarat faciem.

^{††}28.43 *Advena*. Aperte significatur abjectio Judæorum et electio gentium, unde: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus*, et alibi: *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi*. RAB. in Deut., tom. 2. *Advena qui tecum versatur*, etc. Creator omnium per incarnationis suæ mysterium, etc., usque ad et sanguinem testamenti pollutum duxerit.

et nuditate, et omni penuria: et ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. ⁴⁹ Adducet Dominus super te gentem de longinquo, et de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non possis: ⁵⁰ gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli, ⁵¹ et devoret fructum jumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ: donec intereas, et non relinquat tibi triticum, vinum, et oleum, armenta bouum, et greges ovium: donec te disperdat, ⁵² et conterat in cunctis urbibus tuis, et destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus: ⁵³ et comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum et filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia et vastitate qua opprimet te hostis tuus. ⁵⁴ Homo delicatus in te, et luxuriosus valde, invidabit fratri suo, et uxori, quæ cubat in sinu suo, ⁵⁵ ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet: eo quod nihil aliud habeat in obsidione et penuria, qua vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas. ⁵⁶ Tenera mulier et delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem et teneritudinem nimiam, invidabit viro suo, qui cubat in sinu ejus, super filii et filiæ carnis, ⁵⁷ et illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum ejus, et super liberis qui eadem hora nati sunt. Comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione et vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas. ⁵⁸ Nisi custodieris et feceris omnia verba legis hujus, quæ scripta sunt in hoc volumine, et timueris nomen ejus gloriosum et terribile, hoc est, Dominum Deum tuum: ⁵⁹ augebit Dominus plagas tuas, et plagas seminis tui, plagas magnas et perseverantes, infirmitates pessimas et perpetuas: ⁶⁰ et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, et adhærebunt tibi. ⁶¹ Insuper et universos languores, et plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat: ⁶² et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. ⁶³ Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam. ⁶⁴ Disperget te Dominus in omnes populos, a summitate terræ usque ad terminos ejus: et servies ibi diis alienis, quos et tu ignoras et patres tui, lignis et lapidibus. ⁶⁵ In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore: ⁶⁶ et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ. ⁶⁷ Mane dices: Quis mihi det vesperum? et vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, et propter ea, quæ tuis videbis oculis. ⁶⁸ Reducet te Dominus classibus in Ægyptum per viam de qua dixit tibi ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos et ancillas, et non erit qui emat.

‡‡28.66 *Et erit vita.* Nihil pejus inter maledicta, quæ Judæis merito superbiæ acciderunt, quam videre vitam suam, id est Filium Dei pendentem, et non credere ei. Maledicta autem cum ex prophetia dicuntur: non de malo voto sunt, sed prædicuntur. Potuit autem sic sonare Judæis: Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ, id est inter minas et dolos hostium vitam tuam videbis pendere ex incerto.

29 Hæc sunt verba fœderis quod præcepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israël in terra Moab: præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb.[¶]
²Vocavitque Moyses omnem Israël, et dixit ad eos: Vos vidistis universa, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, ³tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaque ingentia,^{§§} ⁴et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem. ⁵Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. ⁶Panem non comedistis, vinum et siceram non bibistis: ut sciretis quia ego sum Dominus Deus vester.* ⁷Et venistis ad hunc locum: egressusque est Sehon rex Hesebon, et Og rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percussimus eos, ⁸et tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Ruben et Gad, et dimidiâ tribui Manasse. ⁹Custodite ergo verba pacti hujus, et implete ea: ut intelligatis universa quæ facitis. ¹⁰Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri, et tribus, ac majores natu, atque doctores, omnis populus Israël, ¹¹liberi et uxores vestræ, et advena qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, et his qui comportant aquas: ¹²ut transeas in fœdere Domini Dei tui, et in jurejurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum: ¹³ut suscitet te sibi in populum, et ipse sit Deus tuus sicut locutus est tibi, et sicut juravit patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob. ¹⁴Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, et hæc juramenta confirmo, ¹⁵sed cunctis præsentibus et absentibus. ¹⁶Vos enim nos-
tis quomodo habitaverimus in terra Ægypti, et quomodo transierimus per medium nationum, quas transeuntes ¹⁷vidistis abominationes et sordes, id est, idola eorum, lignum et lapidem, argentum et aurum, quæ colebant. ¹⁸Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie a Domino Deo nostro, ut vadat et serviat diis illarum gentium: et sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem.† ¹⁹Cumque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens: Pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei: et absumat ebria sitientem,‡ ²⁰et Dominus non ignoscat ei: sed tunc quam maxime furor ejus fumet, et zelus contra hominem illum, et sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine: et deleat Dominus nomen ejus sub cælo, ²¹et consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israël, juxta maledictiones, quæ in libro legis hujus ac fœderis continentur. ²²Dicetque sequens generatio, et filii qui nascentur deinceps, et peregrini qui de longe venerint, videntes plagas terræ illius, et infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus, ²³sulphure, et salis ardore comburens, ita ut ultra non seratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum subversionis Sodomæ

¶29.1 *Hæc sunt verba*, etc. AUG., quæst. 49 in Deut. LXX: *Hæc sunt verba testamenti*, etc., usque ad ad Abraham de circumcissione vel ad Noë.

§§29.3 *Tentationes magnas*, etc. AUG., quæst. 50. *Et non dedit Dominus Deus vobis cor scire*, etc., usque ad quoniam judicia Dei quamvis occulta, tamen justa sunt.

*29.6 *Panem non comedistis*, etc. AUG. Hinc apparet Israëlitas, etc., usque ad principium belli, sed principium vini.

†29.18 *Ne forte sit*. AUG., quæst. 52. LXX: *Nunquid aliquis est inter vos*, etc., usque ad non conjugem sibi concupiverat alienam.

‡29.19 *Ebria sitientem, et Dominus*, etc. Id est, ne quis plenus malitia et idololatria seducat eum qui sitit discere et scire veritatem, sicuti faciunt hæretici.

et Gomorrhæ, Adamæ et Seboim, quas subvertit Dominus in ira et furore suo. ²⁴ Et dicent omnes gentes: Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris ejus immensa? ²⁵ Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra Ægypti: ²⁶ et servierunt diis alienis, et adoraverunt eos, quos nesciebant, et quibus non fuerant attributi: ²⁷ idcirco iratus est furor Domini contra terram istam, ut induceret super eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine scripta sunt: ²⁸ et ejecit eos de terra sua in ira et in furore, et in indignatione maxima, projecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur. ²⁹ Abscondita, Domino Deo nostro; quæ manifesta sunt, nobis et filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus.

30 Cum ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo: et ductus poenitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, ² et reversus fueris ad eum, et obedieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, et in tota anima tua: ³ reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui, et rursus congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit. ⁴ Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, ⁵ et assumet, atque introducet in terram, quam possederunt patres tui, et obtinebis eam: et benedicens tibi, majoris numeri te esse faciat quam fuerunt patres tui. ⁶ Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut possis vivere. ⁷ Omnes autem maledictiones has convertet super inimicos tuos, et eos qui oderunt te et persequuntur. ⁸ Tu autem reverteris, et audies vocem Domini Dei tui, faciesque universa mandata quæ ego præcipio tibi hodie: ⁹ et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in sobole uteri tui, et in fructu jumentorum tuorum, in ubertate terræ tuæ, et in rerum omnium largitate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis: ¹⁰ si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris præcepta ejus et cæremonias, quæ in hac lege conscripta sunt: et revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua. ¹¹ Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, ¹² nec in cælo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus? ¹³ neque trans mare positum: ut causeris, et dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod præceptum est? ¹⁴ sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. ¹⁵ Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo, vitam et bonum, et e contrario mortem et malum: ¹⁶ ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius ac cæremonias atque judicia: et vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in terra, ad quam ingredieris possidendam. ¹⁷ Si autem aversum fuerit cor tuum, et audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris deos alienos, et servieris eis:

^{130.11} *Mandatum hoc, quod ego*, etc. AUG., quæst. 54. LXX: *Quia mandatum hoc*, etc., usque ad sine qua si foris manibus fiant, et in corde non fiant, præcepta Dei non implentur.

^{130.14} *Juxta te est sermo*, etc. Id est mandata Dei moderata et contemperata sunt humanis viribus. Potest hoc de incarnatione Christi accipi, qui assumpta humanitate super terram visus est, et inter homines conversatus.

¹⁸ prædico tibi hodie quod pereas, et parvo tempore moreris in terra, ad quam, Jordane transmisso, ingredieris possidendam. ¹⁹ Testes invoco hodie cælum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum: ²⁰ et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas (ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum), ut habitēs in terra, pro qua juravit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret eam illis.

31 Abiit itaque Moyses, et locutus est omnia verba hæc ad universum Israël, ² et dixit ad eos: Centum viginti annorum sum hodie; non possum ultra egredi et ingredi, præsertim cum et Dominus dixerit mihi: Non transibis Jordanem istum. ³ Dominus ergo Deus tuus transibit ante te: ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, et possidebis eas: et Josue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus. ⁴ Facietque Dominus eis sicut fecit Sehon et Og regibus Amorrhæorum, et terræ eorum, delebitque eos. ⁵ Cum ergo et hos tradiderit vobis, similiter facietis eis, sicut præcepi vobis. ⁶ Viriliter agite, et confortamini: nolite timere, nec paveatis ad conspectum eorum: quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, et non dimittet, nec derelinquet te. ⁷ Vocavitque Moyses Josue, et dixit ei coram omni Israël: Confortare, et esto robustus: tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se patribus eorum juravit Dominus, et tu eam sorte divides.** ⁸ Et Dominus qui ductor est vester, ipse erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere, nec paveas. ⁹ Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israël. ¹⁰ Præcepitque eis, dicens: Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum, †† ¹¹ convenientibus cunctis ex Israël, ut appareant in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israël, audientibus eis, ¹² et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis, et advenis, qui sunt intra portas tuas: ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus. ¹³ Filii quoque eorum qui nunc ignorant, ut audire possint, et timeant Dominum Deum suum cunctis diebus quibus versantur in terra, ad quam vos, Jordane transmisso, pergitis obtinendam. ¹⁴ Et ait Dominus ad Moysen: Ecce prope sunt dies mortis tuæ: voca Josue, et state in tabernaculo testimonii, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses et Josue, et steterunt in tabernaculo testimonii: ¹⁵ apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi. ¹⁶ Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra, ad quam ingreditur ut habitet in ea: ibi derelinquet me, et irritum faciet fœdus, quod pepigi

**31.7 *Vocavitque.* Verba Moysi ad Josue significant quod Christus terram viventium singulis secundum propria distribuit merita, et omnia promissa Dei impleat. Ipse enim introducit populum in terram promissam. Eo namque duce cœlestem ingredimur patriam, qui ait: *Nemo venit ad Patrem nisi per me* Joan. 14.. Et: *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo* Joan. 3.; qui enim unitur et per ipsum ascendit.

††31.10 *Post septem annos.* In quibus præsens vita signatur, quæ septenario numero volvitur; vel tempus veteris legis propter sabbatum. Post septem ergo annos in anno remissionis lex in conventu legi præcipitur: quia completa legis observantia, lex spiritualis succedit. Unde: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere,* etc. Ephes. 4..

cum eo. ¹⁷ Et irascetur furor meus contra eum in die illo: et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem: invenient eum omnia mala et afflictiones, ita ut dicat in illo die: Vere quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala. ¹⁸ Ego autem abscondam, et celabo faciem meam in die illo propter omnia mala, quæ fecit, quia secutus est deos alienos. ¹⁹ Nunc itaque scribite vobis canticum istud, et docete filios Israël: ut memoriter teneant, et ore decantent, et sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israël. ²⁰ Introducam enim eum in terram, pro qua juravi patribus ejus, lacte et melle manantem. Cumque comederint, et saturati, crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, et servient eis: detrahentque mihi, et irritum facient pactum meum. ²¹ Postquam invenerint eum mala multa et afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis sui. Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum. ²² Scripsit ergo Moyses canticum, et docuit filios Israël. ²³ Præcepitque Dominus Josue filio Nun, et ait: Confortare, et esto robustus: tu enim introduces filios Israël in terram, quam pollicitus sum, et ego ero tecum. ²⁴ Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit, [†] ²⁵ præcepit Levitis, qui portabant arcam foederis Domini, dicens: ²⁶ Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ foederis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium. ²⁷ Ego enim scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum: quanto magis cum mortuus fuero? ²⁸ Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras, atque doctores, et loquar audientibus eis sermones istos, et invocabo contra eos cælum et terram. ²⁹ Novi enim quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis cito de via, quam præcepi vobis: et occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuumstrarum. ³⁰ Locutus est ergo Moyses, audiente universo cœtu Israël, verba carminis hujus, et ad finem usque complevit. ^{¶¶}

[†]31.24 *Postquam ergo scripsit Moyses.* Deuteronomium commendatur Levitis, quia Evangelium Christi per verorum sacerdotum ministerium in memoria reconditur Ecclesiæ, quæ est arca Domini, ubi cœlestes thesauri reconduntur. Ibi duæ tabulæ testamenti, libri scilicet legis et Evangelii. Ibi urna quæ continet manna, id est caro Christi, in qua cibus vitæ æternæ; ibi virga Aaron, quæ fronderat, quia ibi sacerdotium Christi, quod manet in æternum, vel, in perpetuum, ut sit ibi contra te in testimonium. Verba legis custodientibus sunt ad salutem, contemptoribus in testimonium contumaciæ et inobedienciæ: unde: *Est qui accusat vos, Moyses, in quo speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis et mihi forsitan: de me enim ille scripsit* Joan. 5.; et alibi: *Sermo quem ego locutus sum, ipse judicabit* Joan 12..

^{¶¶}31.30 *Locutus est ergo Moyses.* Verba Moysi non simpliciter sunt accipienda, quia secundum historiam Israëlitis largitori Deo ingratis exprobrat perfidiam, et allegorice sanctam instruit Ecclesiam, et ad morum honestatem provocat per tropologiam. Servanda est ergo in historia veritas, in allegoria mysteria, in tropologia disciplinæ utilitas, ut sic ad cœlestem theoriam provehamur. Notandum quoque quod dicitur: *Locutus est Moyses verba carminis hujus,* etc., ut qui Deum ore laudat, opere non contradicat. *Non est speciosa laus in ore peccatoris* Eccli. 13..

32 [Audite, cæli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei. §§ 2 Concresecat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.* 3 Quia nomen Domini invocabo: date magnificentiam Deo nostro.] † 4 [Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus. 5 Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus: generatio prava atque perversa. ‡ 6 Hæcine reddis Domino, popule stulte et insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? ¶ 7 Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi: majores tuos, et dicent tibi. § 8 Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël. ** 9 Pars autem Domini, populus ejus: Jacob funiculus hæreditatis ejus. ††

§§32.1 **Audite, cæli.** In principio maxima elementa in testimonium vocat, ut si mandata neglexerint, eorum testimonio convictos puniat. Hebraice *samaïm* id est cæli, quod est plurale et masculini generis, sed voluit singulariter intelligi, sicut singulas civitates Thebas et Athenas dicimus. **Audite, cæli.** RAB. Audiant cæli allegoriam, terra historiam. **Audite, cæli,** etc. Quidam cælum et terram quasi animata ad audiendum provocari putant, secundum illud: **Qui respicit terram et facit eam tremere** Psal. 103., cum hoc Dei potestatis sit, non eorum intelligentiæ.

*32.2 **Concresecat.** Doctrinam legis pluviam et rori comparat, quia a fidelium cordibus germina spiritualis fructus exigit. Hæc enim sunt ager et vinea Dei. Tale est illud Isaia: **Quomodo descendit imber, et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, irrigat faciem ejus, et germinare eam facit** Isa. 55..

†32.3 **Nomen.** Demonstrat quæ sit pluvia. Nomen enim Domini invocare, est Evangelium prædicare: quod qui audit et facit, fructum vitæ possidebit. **Dei.** Unde: **Perfecti sunt cæli, et terra, et omnis ornatus eorum: complevitque Deus die septimo opus suum** Gen. 2., quod est redemptio humani generis, quam ostendit nobis quando, perficiens spirituale sabbatum, in sepulcro requievit.

‡32.5 **Peccaverunt ei,** etc. AUG., quæst. 55. LXX: **Peccaverunt non ei filii vituperabiles.** Qui enim peccat, etc., usque ad secundum id quod non ei nocuerunt peccato suo, sed sibi. **Et non.** Quia non ex fide. **Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.** In fidelibus autem dicitur: **Vos ex patre diabolo estis. Generatio prava.** De qua in Evangelio: **Generatio prava atque perversa signum quærit** Matth. 12.. Et alibi: **Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira** Luc. 3.?

¶32.6 **Nunquid non,** etc. Qui omnium creator et conditor unus Deus a quo ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Præposterus ordo. Primo enim creavit Deus disponendo ut esset, secundo fecit formando, tertio dominando possedit. **Creavit.** Creavit, dum materiam unde formari possit, condidit. Stultus ergo et insipiens, quia Creatorem et factorem suum digna veneratione non colit: immemor ejus beneficii, quo eum Deus de manu inimicorum eruit et possedit, per mare Rubrum duxit, manna de cælo dedit, ipse ingratus idola coluit dicens: **Hi sunt dii tui, Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti** Exod. 32..

§32.7 **Patrem.** Doctorem legis et prædicatorem Evangelii, cujus doctrina et exemplo scilicet instruaris.

32.8 **Quando dividebat, etc. Quasi, cum multitudo hominum innumerabilis sit, filios tantum Israël hæreditatem suam Dominus elegit, quibus potentiam suam et secreta sua per legem et prophetarum manifestabat indicia. **Constituit.** GREG., hom. 4 in Evang. Alia editio, etc., usque ad et in eorum sortem per conversationis similitudinem ascendunt.

††32.9 **Pars autem Domini populus ejus.** Cum Deus universas gentes creavit, solos Israëlitas elegit, quos sua cognitione signis et miraculis glorificavit.

¹⁰Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis: circumduxit eum, et docuit: et custodivit quasi pupillam oculi sui.^{‡‡} ¹¹Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.^{¶¶} ¹²Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo deus alienus.^{§§} ¹³constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum: ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo;* ¹⁴butyrum de armento, et lac de ovibus cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan: et hircos cum medulla tritici, et sanguinem uvæ biberet meracissimum.][†] ¹⁵[Incrassatus est dilectus, et recalcitavit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.[‡] ¹⁶Provocaverunt eum in diis alienis, et in

^{‡‡}32.10 *Invenit.* Quia in Sina pactum cum eo iniit, manna dedit, et aquam de petra produxit, coturnices ministravit; et in eremo quadraginta annis eos circumducendo præcepta sua docuit. *Circumduxit.* Ecclesiam per orbem terrarum dilatando, in viam mandatorum suorum dirigendo. *Custodivit.* Multi in deserto prostrati sunt, sed postquam mandata Dei transgressi sunt.

^{¶¶}32.11 *Sicut aquila.* Aquila, secundum physicos, ab acumine oculorum vocata, tam acute videt, ut cum super maria immobili penna fertur, nec humanis visibus patet, pisciculos in mari natate videat, et tormenti instar descendens raptam pennis prædam ad littus pertrahat. Pullos quoque plumescentes alis verberat et ad volandum provocat. Sic Christus nos dictis et exemplis exhortans, ad alta provehit, ut sequamur quo præcessit; unde: *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ* Matth. 24.. Super cælos quoque exaltatus, et humanis substractus aspectibus, in mari hujus mundi natantes oculis misericordiæ videt, et pennis amoris pertrahit ad littus æternæ securitatis. Unde: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* Joan. 12.. *Sicut aquila,* etc. Aquila, ut aiunt, cum plumescere pullos suos videt, ad solem convertit, et illum nutrit qui irreverberata acie aspicit radios solis, et si lumina deflectit, quasi degenerem negligit; pullosque ad volandum provocat, et lassos alis sustentat: sic Deus ad verum Solem nos invitat, infirmitatibus nostris compatitur, et alis gratiæ sustentat. *Provocans.* Ad terram Chanaan possidendam Dominus populum suum provocavit, adjuvit, et ab inimicis protexit.

^{§§}32.12 *Dominus.* Pater et Filius et Spiritus sanctus unus est Deus. Non dicit solus Pater, ne excludat Filium vel Spiritum sanctum, sed Dominus solus, id est Deus. *Dominus.* Hæreticorum tot domini sunt, quot errores colunt.

*32.13 *Excelsam.* Palæstinam, quæ montuosa; Ægyptus plana et depressa. Ecclesiam, quæ virtute et scientia sublimis. In qua comeditur fructus agrorum, quia ibi germinat semen bonum, id est Dei verbum. Ibi fructus tricesimus, sexagesimus et centesimus, ut quisque pro capacitate sua sufficienter comedat. *Et sugeret.* GREG., hom. 26 in Evang. *Ut sugeret mel de petra, et oleum de firma petra.* Hoc juxta historiam factum nusquam legitur, etc., usque ad donatio diaboli per unctionem Spiritus sancti. Mel quidem, ad litteram, omnium rerum copiam significat.

[†]32.14 *Filiorum.* Basan regio est quæ pecoribus abundat propter pascua: unde Rubenitis et Gaditis et dimidiæ tribui Manasse tradita est, quia pecora multa habebant. *Et hircos.* Qui pœnitentes significant, quia pro peccato offerebantur. Non satis est fidelibus dona virtutum percipere, nisi studeant pro commissis pœnitere. Unde: *Amplius lava me ab iniquitate mea* Psal. 50.. Hircos vocat qui exemplo suo aliis ministrant pœnitentiæ opera, quamvis non commiserint gravia: deflent enim cogitationum peccata tanquam facta. *Cum medulla tritici.* Corporis Christi; unde: *Nisi granum frumenti cadens in terram,* etc. Joan. 12..

[‡]32.15 *Incrassatus est dilectus,* etc. Sicut Judæi incrassati beneficiis, idololatræ facti sunt: sic quidam Christiani acceptum mysterium corporis et sanguinis Domini in perditionem sibi convertunt.

abominationibus ad iracundiam concitaverunt.[¶] 17 Immolaverunt dæmoniis et non Deo, diis quos ignorabant: novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum:[§] 18 Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.] 19 [Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est: quia provocaverunt eum filii sui et filia. 20 Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum: generatio enim perversa est, et infideles filii.** 21 Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis: et ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos. 22 Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima: devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet.†† 23 Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis. 24 Consumuntur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.‡‡ 25 Foris vastabit eos gladius, et intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.]¶¶ 26 [Dixi: Ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.§§ 27 Sed propter iram inimicorum distuli: ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent: Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia.* 28 Gens ab-

[¶]32.16 *Provocaverunt.* Alii fiunt hæretici, alii idololatræ, qui de corde idola et abominationes sibi fingunt.

[§]32.17 *Novi recentesque.* Recedentes a cultura Dei, invenerunt sibi deos quos patres eorum coluerunt.

**32.20 *Et ait: Abscondam,* etc. Nihil gravius est quam visione Dei privari; unde: *Ne projicias me a facie tua* Psal. 50.. Item: *Ne avertas faciem tuam,* etc. Psal. 88. *Ipsi me provocaverunt,* etc. Quasi: sicut irritaverunt me multitudinem falsorum deorum colendo, et me reprobando, sic irritabo eos in multitudinem gentium assumendo illos et reprobando. *Et ego provocabo,* etc. Tradendo eos gentibus, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei. Similiter Christiani, qui deserta veritate ad errores declinant, malignis spiritibus traduntur, qui dignitatem angelicam perdididerunt. Qui bene gens stulta dicuntur, justitiam odientes, iniquitatem amantes.

††32.22 *Ignis succensus est,* etc. GREG. lib. XVIII Moral., cap. 12. De his quos damnant flagella, et non liberant, scriptum est: *Percussisti eos nec doluerunt,* etc. His flagella in hac vita inchoant, et in æternum permanebunt; unde Moyses: *Ignis exarsit ab ira sua, et ardebit usque ad inferos et deorsum.* De præsentī enim percussione dicitur: *Ignis exarsit ab ira mea* Jer. 15.; de æterna sequitur: *Et ardebit usque ad inferos et deorsum* Psal. 88.. Non tamen judicat Deus bis in idipsum: unum est enim flagellum quod temporaliter incipit, et in æternis suppliciis consummatur. *Devorabitque terram.* Alii: *comedent terram et nascentia ejus,* id est carnem, propter opera libidinis, terna flamma comburet; nascentia enim carnis, opera concupiscentiæ carnalis, quæ sunt fornicatio, immunditia et hujusmodi.

‡‡32.24 *Aves morsu,* Quæ juxta viam commedere sementem. *Dentes bestiarum,* etc. Trahunt bestia et serpentes dentibus furiosis reprobos super terram, quando quod prius blandiendo carnalibus persuaserunt ut seducerent, furiose a peccatoribus expetunt ut crucient.

¶¶32.25 *Foris.* Corpus ignis æterni torquebit exustio, et mentem angustia magnitudo; unde: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* Isa. 56.. *Juvenem.* Nulli scilicet ætati parceret, quia omnes idololatria maculavit.

§§32.26 *Cessare faciam ex hominibus.* A terra sua ejecti et per totum orbem dispersi sunt. Generaliter vero peccatores tollentur de terra sanctorum, et memoria eorum; unde: *Propterea Deus tuus destruet te in finem, evellet, et educet te de terra viventium,* etc. Psal. 51.

*32.27 *Distuli.* Ne blasphemarent nomen meum nec tamen abstuli vindictam.

sque consilio est, et sine prudentia. ²⁹ Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent. ³⁰ Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia? nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos?† ³¹ Non enim est Deus noster ut dii eorum: et inimici nostri sunt iudices.‡ ³² De vinea Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum, uva fellis, et botri amarissimi.¶ ³³ Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.§ ³⁴ Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? ³⁵ Mea est ultio, et ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum: juxta est dies perditionis, et adesce festinant tempora.** ³⁶ Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis miserebitur: videbit quod infirmata sit manus, et clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.]†† ³⁷ [Et dicet: Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?‡‡ ³⁸ de quorum victimis comedebant adipem, et bibebant vinum libaminum: surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant. ³⁹ Videte quod ego sim solus, et non sit alius deus præter me: ego occidam, et ego vivere faciam: percutiam, et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere.¶¶ ⁴⁰ Levabo ad cælum manum meam, et dicam: Vivo ego

†32.30 **Quomodo.** Tantum ostendit timorem Judaicæ gentis, postquam Domino peccaverunt, ut unus hostium mille de eis, et duo fugarent decem millia, hoc est pauci plurimos.

‡32.31 **Judices.** Approbatores; etiam qui idola colunt, unum Deum esse intelligunt, qui fecit cælum et terram.

¶32.32 **De vinea,** etc. Hæreticorum nequitiam significat, qui a sanctis doctoribus spiritalem doctrinam puram acceperunt, sed a veneno suo corruerunt, et in fellis et absinthii amaritudinem perverterunt. Sæpe Jerusalem Sodomæ et Gomorrhæ comparatur; unde: **Audite verbum Domini, principes Sodomorum Gomorrhæ** Isa. 1. **Botri amarissimi.** Fructus scilicet opera amarissima sunt, vinum enim cum felle mistum obtulerunt

§32.33 **Fel draconum.** Quasi intra se retinent venenum malitiæ, ne salutis et correctionis medicinam suscipiant. Hæretici sicut serpentes amaritudinem et venenum occultant, ut incautos lædant.

32.35 **Mea est ultio, etc, Paulus de hoc loco sumpsit: **Mihi vindictam, et ego retribuam** Rom. 12. secundum merita. **In tempore.** Quasi, **cum accepero tempus, ego justitias judicabo** Psal. 74.. Hinc Moysi pro populo oranti dixit: **In die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum** Exod. 32. **Juxta est dies perditionis.** Unicuique. Quidquid enim finitur, brevissimum est, si æternitati comparatur. Secundum historiam Judæorum vindicta festinat, quia locum et gentem et omnem prosperitatem in brevi perdiderunt, quia prophetas et Salvatorem occiderunt.

††32.36 **Judicabit.** Discernendo a malis, secundum illud: **Judica me, Deus, et discerne causam meam** Psal. 42.. **Videbit quod infirmata sit manus. Quodcunque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia est apud inferos** Eccle. 9..

‡‡32.37 **Ubi sunt dii.** Quasi, nihil prosunt idola in quibus confidebant, vel opes vel honores vel sæculi voluptates, nihil enim secum ferunt de universo labore.

¶¶32.39 **Videte quod ego sim solus,** etc. Generalis admonitio, quasi relicta idololatria vel hæresi et omnibus spretis immunditiis, ad verum Deum convertimini. **Ego occidam.** GREG., lib. VII Moral., cap. 18. Occidit ut vivificet, percutit ut sanet, etc., usque ad et sensibiles per ardorem charitatis facit.

in æternum.^{§§} ⁴¹ Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea: reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam. ⁴² Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes; de cruore occisorum et de captivitate, nudati inimicorum capitis. * ⁴³ Laudate, gentes, populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur: et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terræ populi sui.]† ⁴⁴ Venit ergo Moyses, et locutus est omnia verba cantici hujus in auribus populi, ipse et Josue filius Nun. ⁴⁵ Complevitque omnes sermones istos, loquens ad universum Israël, ⁴⁶ et dixit ad eos: Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testifcor vobis hodie: ut mandetis ea filiis vestris custodire et facere, et implere universa quæ scripta sunt legis hujus: ⁴⁷ quia non incassum præcepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent: quæ facientes longo perseveretis tempore in terra, ad quam, Jordane transmissio, ingredimini possidendam. ⁴⁸ Locutusque est Dominus ad Moysen in eadem die, dicens: ⁴⁹ Ascende in montem istum Abarim, id est, transitum, in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jericho: et vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israël obtinendam, et morere in monte. ‡ ⁵⁰ Quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et appositus populis suis: ⁵¹ quia prævaricati estis contra me in medio filiorum Israël ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin: et non sanctificastis me inter filios Israël. ⁵² E contra videbis terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israël.

§§32.40 *Levabo.* Alia editio: *Tollam in cælum manum meam, et jurabo pre dexteram meam, et dicam: Vivo ego in æternum.* In cælum manum Dei levare, vel attollere, est potentiam æternitatis suæ super omnia excellentem ostendere. Jurare per dexteram, id est per Filium, qui est dextera Patris, est promissa ipsius in conspectu hominum confirmare et æternitatem suam credentibus sibi per Evangelium revelare, quia *potestas ejus, potestas æterna* Dan. 7..

*32.42 *Sagittas.* Dæmones, de quibus ait Job: *Sagittæ Domini in me sunt* Job, 6., quasi tantam exercebo vindictam, quæ dæmonibus quoque posset sufficere. *Et de captivitate.* Captivorum capita radebantur, qui distrahebantur, et sub corona vendi dicebantur. *De captivitate.* Caput inimicorum nudatur, quando consilium iniquæ mentis vanum esse probatur, quo se impune peccare arbitrabatur. Capita quoque inimicorum sunt magistri, in quos ultio novissima redundabit; unde: *Exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum* Apoc. 14., id est ultio tormentorum usque ad rectores populorum.

†32.43 *Quia sanguinem.* In iudicio populus Dei laudabitur, cum apparebit gloriosus, et inimici justa retributione punientur.

‡32.49 *Ascende in montem.* Abarim interpretatur *transitus*; Nebo *in conclusione.* Dicitur Nebo mons esse in terra Moab contra Jericho, supra Jordanem, in supercilio Phasga, juxta montem Phogor, a quo circa eum regio usque nunc Phasga appellatur. Moses ergo in Abarim et in monte Nebo contra Jericho ultra Jordanem moritur: quia lex et circumcisio usque ad Christum et baptismi sacramentum processit, ibique conclusa est, quia finis legis Christus. Vidit Moses terram promissionis, sed non ingressus est, quia in spiritu prævidit, et in lege prædixit Christi gratiam futuram, sed præsentem non vidit eum. Unde: *Multi justi et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* Matth. 13..

33 Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israël ante mortem suam.[¶] ² Et ait: [Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex.[§] ³ Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt: et qui appropinquant pedibus ejus, accip-

[¶]33.1 *Hæc est benedictio.* Bene in fine Deuteronomii benedictionem posuit, quia Christus post completionem Evangelii ascensurus in cœlum, elevatis manibus discipulos suos benedixit. Benedictio qua filiis Israël in Deuteronomio quod est secunda lex benedixit, ad gratiam pertinet Novi Testamenti, in quo prisca legis mysteria reserantur, et veri Israëlita benedictionem, per Moysen hominem Dei prædictam, per hominem Christum consequuntur. Bene autem imminente morte Moysi benedictio datur, quia, legis umbra moriente, cœlestium donorum veritas aperitur. Prævidens ergo Moyses Salvatoris adventum et gratiam Novi Testamenti quasi præteritam explicans, voce primitivæ Ecclesiæ lætabundus exultat, dicens: *Dominus de Sina venit*, etc. AUG., quæst. 36. Alia littera, etc., usque ad unde: *Lætamini, gentes, cum populo ejus. Quia cæcitas contigit ex parte in Israël, donec plenitudo*, etc. Rom. 11. *Moses homo.* Moyses significat legem, quæ ante mortem, id est, antequam in ipso finiretur, prædixit Ecclesiam in Christo benedicendam.

[§]33.2 *Dominus de Sinai venit.* Sinai interpretatur *amphora mea* vel *mensura mea* vel *mandatum*. Seir *pilosus* vel *hispidus*. Pharan *ferocitas eorum* vel *frugifer*. Sina igitur figurat Vetus Testamentum, quia certam mensuram mandatorum juxta decalogi decretum tenens, prohibere novit, non juvare: nec spiritu dilectionis liberat, sed timore pœnæ subditos ligat. Unde: *Unum quidem in monte Sina in servitute generans*, etc. Gal. 4. Dominus ergo venit de Sina, id est ex lege et prophetis creditibus innotuit. Inde enim venit, cum ibi legenti et intelligenti innotescit. Unde: *Ipse incipiens a Moysè et omnibus prophetis* Luc. 24., discipulis exponebat, ad quorum corda venire cupiebat. De Seir ortus secundum carnem, scilicet de Judæis malitiæ et perfidiæ spineto asperrimis, novæ lucis ortu tanquam verus sol justitiæ fideles illuminavit. Unde: *Nobis oriatur sol justitiæ* Mal. 4.. Et alibi: *Orietur stella ex Jacob, et consurget homo de Israël* Num. 24.. *Dominus*, etc. Sina interpretatur *tentatio*. Dominus ergo de Sina venit, quia carnem nostram, in qua tentaretur, accepit. *Et de Seir*, etc. Qui et Edom vel Esau. Hic est populus Judæorum, qui gulæ desiderio quasi pro lentis edulio primatus gloriam perdidit, et benedictionis gratiam fide junioris populi supplantatus amisit. *De Seir ortus est nobis*, etc. Hunc montem longo tempore circumierunt, et in eo aliqua præcepta acceperunt. Seir, id est *hispidus* vel *pilosus*, gentilitatem significat, quæ peccatis erat horrenda; de qua ortus est Dominus qui in fine de Ecclesia gentium Judæis prædicabit, quia reliquiæ salvæ fient. *Apparuit de monte Pharan*, etc. Qui *frugifer* interpretatur, quia de Ecclesia gentium virtutibus frugifera fides Christi prædicabatur Judæis. Christus ergo de Pharan apparuit; quia quanto contra eum ferocitas infidelium exarsit, tanto per divinitatis ejus notitia crevit. Quanto enim inter passionis contumelias latuit, tanto per virtutem resurrectionis effulsit; et qui prius incredulitatis ferocitate persecuti sunt, postmodum ei charitatis ardore adhæserunt; de quibus additur: *Et cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex.* Tabulæ scilicet, in quibus lex, quæ purgat et urit peccata. Dextera quoque Patris est Filius, qui attulit legem charitatis dicens: *Ignem veni mittere in terram*, etc. Luc. 12. *In dextera ejus ignea lex.* Dextera, Evangelium, per quod beatitudo æterna promittitur; quæ dextera dicitur, non temporalis, sicut in lege, quæ dicitur læva. Unde: *Dextera illius amplebitur me.* In hac dextera lex ignea, id est, charitas a Spiritu sancto in electorum cordibus inflammata. Unde dicit: *Plenitudo legis dilectio* Rom. 13.. Et alibi: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* Joan. 13.. Hæc igneis linguis Spiritus sancti apostolis infusa, omnem legis plenitudinem tanquam digito Dei descripsit, et spiritu ferventes et operatione lucentes fecit. Sed quia non uni populo, ut lex Moysi, sed omnibus data est, adjungit: *Dilexit populos.*

ient de doctrina illius.** ⁴ Legem præcepit nobis Moyses, hæreditatem multitudinis Jacob.†† ⁵ Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribus Israël.‡‡ ⁶ Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus in numero.]¶¶ ⁷ Hæc est Judæ benedictio: [Audi, Domine, vocem Judæ, et ad populum suum introduc eum: manus ejus pugnabunt pro eo, et adjutor illius contra adversarios ejus erit.]§§ ⁸ Levi quoque

**33.3 *Dilexit.* Unde: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat,* etc. Joan. 15.. *Omnes.* Sine personæ acceptance; unde: *Qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi* Act. 10.. *Omnes sancti.* Sanctificati scilicet in nomine ejus qui audierunt: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum,* etc. Lev. 19.. *In manu.* Id est potentia, qua proteguntur. Unde: *Non rapiet quisquam de manu mea,* etc. Joan. 10.. Hi per charitatem sunt unum regnum in manu Domini; unde Isaias: *Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui* Isa. 62.. *Et qui appropinquant,* etc. Quasi: Non contristentur qui Christum in carne docentem non audierunt, quasi ab hominibus decipiantur. Per os sanctorum loquitur Christus, per pedes doctrina capitis auditur; unde: *Qui vos audit, me audit,* etc. Luc. 10. Vel illi appropinquant pedibus ejus ad capiendam doctrinam, qui spirituali desiderio flagrantes, evangelicis et apostolicis Scripturis die noctuque invigilant. Sed quia hæc de Novo Testamento dicta sunt, sequitur quorum voce Moyses loquitur de veteri lege dicens: *Legem præcepit nobis,* etc.

††33.4 *Hæreditatem.* Quia hæc est utilitas legis, hæreditas Abrahæ promissa: *Si volueritis et audieritis, me bona terræ comedetis. Erit apud rectissimum,* etc. Jacob, ab angelo benedictus, Israël vocatus est, id est *rectus Dei*; et Judæus ad fidem conversus ab eo post resurrectionem benedictus, cui in passione prævaluit, ob justitiæ professionem rectissimus appellatur. Unde: *Audi, Jacob, serve meus, et rectissime, quem elegi,* etc. Isa. 49.

‡‡33.5 *Rex.* Christus. Ego autem constitutus sum rex ab eo, ut scilicet faciat regnum et potestatem, qui est rex et potestas prima. *Cum tribus Israël.* De quibus primitiva Ecclesia. Bene prius principes, deinde tribus congregandæ dicuntur, quia primi apostoli, et per eos crediderunt alii.

¶¶33.6 *Vivat Ruben.* Prædicta salute primitivæ Ecclesiæ, singulis tribus proprias benedictiones tribuit; veros Israëlitas de utroque populo prænuntians, nunc de Christo, nunc de apostolis, nunc de primitiva, nunc de tota Ecclesia vaticinatur. *Vivat Ruben.* Quasi: Licet Ruben cubile patris violaverit, et primogeniti dignitatem amiserit, vivat tamen, et agens pœnitentiam non moriatur. Filii Ruben, id est, Judæi per Ruben significati, lectum Patris violaverunt, id est Christum Filium ejus sputis immundis polluerunt: tamen ad pœnitentiam reservantur, sed pauci numero ad comparationem Ecclesiæ gentium. *Ruben.* Visionis filius, quia mater ait Gen. 29.: Vidit Deus humilitatem meam. Hic est primogenitus, significans electos ex Judæis, qui Christum negando et crucifigendo mortui, prædicatione apostolorum conversi, ex fide Christi sunt vivificati: hi visionis filii, quia respectu divinæ misericordiæ salvi.

§§33.7 *Hæc est Judæ.* Judas, qui interpretatur *confessio*, universalem significat Ecclesiam, in qua laudis divinæ confessio et gratiarum actio. De quo mater ait: *Modo confitebor Domino* Gen. 29.. Hæc est vera sponsa Christi quæ virtutum monilibus adornata, non superbit, sed gratias agit, pro hac orat ut audiatur. *Audi, Domine, vocem Judæ.* Regum scilicet qui de Juda, qui Christum desiderabant; et ipsius Christi, qui ait: *Confitebor tibi, Pater, rex cæli et terræ,* etc. Luc. 10. *Manus.* Oravit Dominum pro Juda, cui nunc Domini promittit auxilia, quasi non præsumat de viribus suis Judas, sed in illo confidat qui ait: *Confidite, ego vici mundum* Joan. 16.; cujus manus in cruce contra spiritalis nequitiæ pugnaverunt, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium. *Adjutor.* Ut vincat et dicat: *Super excelsa mea deducet me victor* Habac. 3.: ipse enim in nobis vincit, et pro victoria sua coronat nos in misericordia et miserationibus.

ait: [Perfectio tua, et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, et iudicasti ad aquas contradictionis.*⁹ Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos: et fratribus suis: Ignoro vos: et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt.[†]¹⁰ Judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israël: ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum.[‡]¹¹ Benedic, Domine, fortitudini ejus: et opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum ejus: et qui oderunt eum, non consurgant.][¶]¹² Et Benjamin ait: [Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requi-

*33.8 **Perfectio.** Quasi, quam sis perfectus, et quam sancta doctrina tua per Moysen declarasti. Vel a sancto viro tuo, id est Levitis, est perfectio tua et doctrina tua. Illi enim debent legem custodire, facere et docere. **Perfectio tua.** Choro angelorum et martyrum et omnium perfectorum ista dicuntur, qui perfectionem charitatis moriendo pro Domino impleverunt; et mundo renuntiantes, culmen ecclesiasticæ doctrinæ assecuti sunt, tanquam veri Levitæ in terra partem non habentes, sed cum Propheta dicentes: **Dominus pars hæreditatis meæ,** etc. Psal. 15.; secundum illud: **Si quis vult venire post me, abneget se,** etc. Luc. 9. **Qui perdidit animam suam propter me,** etc. Matth. 10. Christus autem verus Levi, qui hæc omnia fecit et docuit. Ipsi Levitæ adhærent imitantes illum usque ad sanguinem, de cujus passione subditur: **Quem probasti in tentatione,** etc. **Ad aquas.** Locus est ubi Moysi et Aaron ingressum terræ promissionis contradixit. **Ad aquas.** Legem significat, quæ male viventibus introitum regni cœlestis contradixit. Aquæ, populi, qui contradicentes clamaverunt: **Crucifige eum. Sanguis ejus super nos, et super filios nostros** Matth. 27.. Ad cumulum perfectionis Levi adjungit:

†33.9 **Qui dixit patri suo.** Quando fecerunt vitulum aureum, jubente Moysen, Levitæ, accincti gladiis, a porta usque ad portam idololatras interfecerunt. In ultione idololatriæ quasi suos non cognoscebant, quia sine differentia occidebant. Unde: **Nisi quis reliquerit patrem et matrem et uxorem et filios propter me, non est meus discipulus** Luc. 18.. **Qui dixit patri suo et matri,** etc. Debemus et temporaliter his cum quibus vicinius conjungimur, plus prodesse. Debemus copulam terrenæ cognitionis agnoscere; sed si cursum mentis præpedit, ignorare, ut affectus mentis viscera repleat, sed a spiritali proposito non avertat. Hæc bene vaccæ innuunt, quæ sub arca Domini ad montana tendentes, affectu et rigido sensu gradiuntur: pro vitulis pergentes mugiebant sed accepto, itinere gressus non deflectebant.

‡33.10 **Ponent thymiama.** Sicut Aaron stans inter mortuos et vivos pro populo deprecatus est. **Ponent thymiama.** Sanctorum oratio suavissimum incensum est Domino: quo peccante populo Domini furor mitigatur, quia ab omni terrena sorde defæcata, cœlesti desiderio ignita, quasi thymiama in conspectu Dei flagrat, et quasi holocaustum ab ara pli cordis flamma devotionis in cœlum subvolat. Hoc præcipue apostolis et martyribus congruit, de quibus dicitur: **Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit** Sap. 3..

¶33.11 **Suscipe.** Quasi grata, ut remuneres. Dantur nunc singulis albæ stolæ, scilicet animarum lætitia; et in iudicio secundum corpus, recepta immortalitate, **fulgebunt sicut sol et tanquam scintillæ in arundinetis discurrent,** exurendo scilicet vacuos et infructuosos adversarios; de quorum pœna subditur: **Percute dorsa.** Quasi: videbantur sibi impune martyrum sanguinem fundere, sed quasi post dorsum pœna improvisa parabatur, id est æterna damnatio, in quam ruentes surgere non valebunt. Unde: **Virga in dorso imprudentium** Prov. 26..

escet.]^{§ 13} Joseph quoque ait: [De benedictione Domini terra ejus, de pomis cæli, et rore, atque abyssu subjacente.]^{** 14} De pomis fructuum solis ac lunæ,^{†† 15} de vertice

§33.12 *Et Benjamin.* Videtur historiæ alludere, quia Benjamin patriarcha et propheta Jacob spiritu plenus unice amabat, et dispensatione Dei, locus divino cultui mancipatus, ejus tribui custodiendus decernitur; unde addit: *Quasi in thalamo tota die*, etc. *Amantissimus.* Christus est amantissimus Dei Patris, qui de seipso ait: *Hic est Filius meus dilectus* Matth. 17.. Hic habitat in dextera Patris confidenter, cui dicitur: *Sede a dextris meis* Psal. 109.. Aliter: Benjamin, de filio doloris *filius dextræ* dictus, exprimit Paulum de persecutore apostolum et vas electionis factum: ipse enim de hac tribu fuit; dignum autem erat ut sicut Domini præcursor prophetali oraculo prædictus est, ita magister gentium universo mundo profuturus, inter magna Ecclesiæ mysteria prædicaretur. In cujus mente Christus fiducialiter habitavit, cum inter innumera pericula coram gentibus et regibus eum constanter prædicavit. De cujus anima dicitur: *Quasi thalamo tota die morabitur.* Vel maritali connubio mira oblectatione perfruens, et virtutum prole fecundans, nulliusque vitii inquietudine secretum placidissimi pectoris derelinquens; vel in ea quasi in thalamo residens, tanquam sponsus speciosus, virgineas credentium mentes per prædicationem ejus suis jungit amplexibus. Unde: *Adducentur regi virgines post eam* Psal. 43.. Ipse quoque ait: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* II Cor. 11.. Divinitas quoque in humanitate Christi habitat confidenter. *In thalamo morabitur*, significat quod in utero Virginis cœlesti sponso juncta est Ecclesia, quæ in fortitudine potentiæ Christi et in operibus fiducialiter requiescit. *Et inter humeros illius requiescet.* Humeris onera portantur, ideo in eis robusta patientia designatur. Tanto autem libentius Christus in illo requievit, quanto pro ipso durissimos labores toleravit: tanto arctius amplexus est, quanto ab illius amplexu nullo terrore avulsus est. Unde ait: *Quis nos separabit a charitate Christi?* Rom. 8.

**33.13 *Joseph quoque ait.* Joseph *auctus* interpretatur. Hic est Christus, qui a Judæis fratribus suis abjectus, in Ægypto hujus sæculi princeps factus est, et genus humanum a famis inopia evangelici frumenti dispensatione liberavit: qui est vere Salvator mundi. *De benedictione Domini terra ejus.* Ad litteram, fertilitatem significat, quam duæ tribus ex Joseph, id est Ephraim et Manasses, habuerunt in ubertate frugum, pomorum et pastu pecorum. Hæc est Basan, fertilissima regio, unde *pinguedo* interpretatur. Temperie cœli, et rore fructus, et fontium et fluminum abundantia, homine delectantur, quæ in abyssu significantur. *Benedixisti, Domine, terram tuam*, Ecclesiam scilicet, quæ non propria virtute, sed virtutum benedictione divinitus impletur. Unde: *Benedictus Deus qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus Christo* Ephes. 1.. *Cœli.* Cœlum dicuntur propter unitatem fidei et doctrinæ apostoli et evangelistæ, de quibus alibi pluraliter dicitur: *Cœli enarrant gloriam*, etc. Psal. 18. In ipsis enim vita et contemplatione fulgentibus tanquam in cœlo habitat Deus, intonans terrorem, pluens consolationem, et coruscans miraculis. *Rore.* Cœlesti prædicatione, quæ miræ subtilitatis et gratiæ, qua contra æstum tentationis corda rigantur, et ut semper vireant virtutibus; unde: *Det tibi Deus de rore cœli*, etc. Gen. 27. *Abyssu*, ut scilicet pinguior fiat, de fonte ascendente irrorata quasi paradisu Dei. Unde: *Fons ascendebat de terra irrigans superficiem terræ* Gen. 2.. A mari abundavit sensus ejus, et cogitatus illius de abyssu magna. Frustra enim exterius irrigat sermo doctoris, nisi riget interius gratia conditoris. Unde subdit: *De pomis collium*, etc.

††33.14 *Solis.* Christi, qui est sol justitiæ, qui ait: *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* Matth. 13., quia similes ei erimus. *Ac lunæ.* Ecclesiæ, quæ accipit hos fructus a sole, id est a Christo: semper igitur solem plena devotione respiciat, ne aliquando aversa lumen perdat.

antiquorum montium, de pomis collium æternorum:‡‡ 16 et de frugibus terræ, et de plenitudine ejus. Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem nazaræi inter fratres suos.¶¶ 17 Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos

‡‡33.15 *De pomis collium æternorum.* Colles æterni fideles Veteris Testamenti qui humiles filii immobili firmitate in fide prophetarum et patriarcharum fundati unde: **Mons domus Domini elevabitur super colles** Isa. II quorum pomis terra Joseph benedicatur, cum Ecclesia Christi doctrina prophetiæ, exemplo virtutis, in fide fructificat. Et notandum, quia supra in pomis et rore cœli doctrina evangelica, hic in vertice antiquorum montium et pomis collium æternorum, legalis et prophetica signatur, et utrisque terra Joseph locupletatur; quia sancta Ecclesia utriusque Testamenti paginis, et novorum et veterum Patrum exemplis informat; unde: **Omnia poma, dilecte mi,** id est, **nova et vetera servavi tibi** Cant. 7. et: **Omnis scriba docet profert de thesauro suo nova et vetera** Matth. 13.. Manichæi ergo et Judæi quia illi Vetus, isti Novum Testamentum non recipiunt in hac terra opulenta hæreditare nequeunt.

¶¶33.16 *Et de frugibus.* Ecclesia in toto orbe justitiæ fruge fecunda et charismatum largitate, de plenitudine sui Joseph accepit; unde sequitur: **Benedictio illius qui apparuit.** Totus Joseph, id est, caput et corpus benedictione plenus, sed benedictionis plenitudo præcipue in capite; unde: **Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam Aaron,** etc. Psal. 32. Hic privilegio gratiæ, fratribus, id est, fidelibus præeminens, septiformi spiritu tanquam verus Samson ex utero virginis Nazaræus, id est Deo consecratus, quasi septem crinibus intactis effulsit. **Super caput Joseph,** Christi, qui est caput Ecclesiæ, in quo benedicuntur omnes gentes, de cujus passione et resurrectione subditur: **Quasi primogeniti tauri,** etc. **Quasi.** AUG., quæst. 56. Primogenitus tauri pulchritudo ejus. Non est ita legendum ut dicatur primogenitus tauri: sed cum sit primogenitus, pulchritudo ejus pulchritudo tauri est, propter cornua crucis. Christus vitulus saginatus, quem de armento patrum primogenitum regresso Filio Pater immolavit, qui die tertia suscitatus gloriosus apparuit, qui est primogenitus mortuorum et princeps regum terræ, post resurrectionis gloriam de virtute passionis adjungit cornua.

terræ. Hæ sunt multitudines Ephraim: et hæc millia Manasse.]^{§§ 18} Et Zabulon ait: [Lætare, Zabulon, in exitu tuo, et Issachar in tabernaculis tuis.* ¹⁹ Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas iustitiæ. Qui inundationem maris quasi lac

§§33.17 **Cornua.** Joseph comparat cornibus rhinocerotis, significans Ephraim habiturum principatum inter decem tribus, in quibus regnavit Jeroboam de tribu Ephraim in tempore Roboam filii Salomonis. **Cornua rhinocerotis.** Cornua crucis significat, de quibus ait Habacuc: **Ibi abscondita est fortitudo ejus** Habac. 3.. Per infirmitatem namque carnis quasi aries illusorum spinis coronatur, his cornibus hæsit, sed passionis incomparabili fortitudine unicornis exstitit mortis victor, et ejus qui habebat mortis imperium, unde: **Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus** I Cor. 1. **Ventilabit.** Prædicatione crucis discernens paleas a frumento: verbum enim crucis pereuntibus stultitia. **Gentes. Postula a me, et dabo tibi gentes,** etc. Psal. 2. De hæreditate enim veri Joseph quæ est terra inclyta hæc omnia dicuntur, de cujus cultoribus ex utroque populo congregatis, sequitur: **Hæ sunt multitudines Ephraim.** Hæ duæ tribus ex Joseph, non in se, sed in parente benedicuntur. Filios significant utriusque populi, qui in Christo benedicuntur secundum illud: **In semine tuo benedicentur omnes gentes** Gen. 22.. Hos patriarcha Jacob Ephraim et Manassen cancellatis manibus in modum crucis benedicens, et primogenito minorem præferens, in fide crucis Christi benedicendos esse signavit, in minore ex gentibus fidelem populum in Christi gratia tempore minorem, sed fide majorem: ad quem Isrælitici populi gratia transivit, de cujus inæstimabili multitudine dicitur: **Hæ sunt multitudines,** etc., unde: **Multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum** Isa. 54.. Manasses primogeniti honore privatus, et tamen benedictus, est Judaicus populus, qui ex majore sui parte pro infidelitate reprobatus, in reliquis tamen benedictionem consecutus, unde: **Cæcitas contingit ex parte in Isræel,** etc. Rom. 2.

*33.18 **Et Zabulon.** Zabulon et Issachar in Galilæa passionem acceperunt, ubi Christus maxime docuit, unde apostolos elegit. Per eos ergo apostoli designantur, et eis in exitu lætitia promittitur, quia exeuntes de finibus suis populum gentium Christo subjugaverunt, et in tabernaculis pro conversione Judæorum, de quibus et ipsi electi sunt. Pro utroque ergo populo, præsens eis lætitia promittitur, et futura: quia in præsenti de conversione eorum gavisi sunt, et in cœlestibus æterna lætitia remunerati. **In tabernaculis,** Judæorum, unde: **Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem** Gen. 9.: quia in ecclesiis de Judæis habitat latitudo minoris populi per unitatem fidei.

sugent, et thesauros absconditos arenarum.][†] 20 Et Gad ait: [Benedictus in latitudine Gad: quasi leo requievit, cepitque brachium et verticem.][‡] 21 Et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus: qui fuit cum principibus populi, et

[†]33.19 *Ad montem.* Sion scilicet vel Jerusalem, vel contemplationem et virtutum altitudinem. *Vocabunt.* Justitiam tantum in fide Christi esse docentes. *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti* Rom. 10.. In monte immolant victimas justitiæ, dum omnes qui ad Christum veniunt in quo construitur Ecclesia non ex operibus legis sed ex fide Christi justificari docent, secundum illud *Justus autem ex fide vivit* Habac. 1.. Sunt ergo veri Christiani victimæ justitiæ, quæ ab apostolis immolantur, dum terrena desideria mortificare docentur, ut spiritualia vivificentur; unde: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* Rom. 8.. *Ibi immolabunt.* Non est locus veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam, quæ supra hunc montem posita est. *Qui inundationem.* Hæ tribus negotiationibus vacaverunt, de transmariinis regionibus mercimonia reportantes, et thesauros absconditos, argentum, scilicet aurum vel gemmas *quasi lac sugent*, id est, facile accipient. *Qui inundationem maris.* Gentium vocationem significat. Mare enim universum genus hominum significat; unde: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mari, et ex omni genere piscium congreganti* Matth. 13.. Mare, mundus, sagenæ, doctrina, omne genus piscium, omnis sexus, ætas et conditio intelligitur. Maris ergo inundationem apostoli quasi lac suxerunt, quia confluentes ad doctrinam Evangelii turbas populorum in augmentum corporis Christi traxerunt. *Absconditos. Novit Dominus qui sunt ejus* I Tim. 2.. *Multi enim sunt vocati, pauci,* etc. Matth. 20. Arenæ, infidelium multitudo; thesauri, pretiosæ electorum animæ. Sic ergo suxerunt, ut ex auditoribus Evangelii alii quasi vasa in honorem thesauris regis transferrentur, alii quasi arenæ steriles et inutiles vacui remanerent.

[‡]33.20 *Et Gad ait.* In benedictione Gad videtur prædicere potentiam virorum fortium vel judicium, qui de illa tribu fuerunt, sicut Jephthe, et alii multi. *In latitudine.* Quia omnis plenitudo benedictionis supra Christum requievit, et suos benedixit. *Gad.* Id est, accinctus, Christum significat, qui contra spirituales nequitas pugnaturus, in infirmitate carnis virtute divinitatis præcinctus apparuit, secundum illud: *Indutus est Dominus fortitudinem et præcinxit se* Psal. 112.. Et alibi: *Dominus fortis et potens in prælio,* etc. Hic in latitudine benedictus est, quia non in solis Judæis, sed in omnibus gentibus amplissimum regnum accepit. Inde Prophetia ait: *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.* Sed quia per humilitatem passionis ad hanc gloriam pervenit, de morte ejus subjungit: *Quasi leo requievit. Potestatem habeo ponendi animam meam* Joan. 10.. Potestas mortis, non necessitas exprimitur; unde: *Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam.* Ibid. *Quasi leo fremuit.* Quidquid enim dixit, potenter implevit. *Cepitque brachium et verticem.* Cum resurgens a mortuis fortitudinem inimicorum sibi subjugavit. Cepit quoque verticem, id est, mundani imperii sublimitatem ad suscipiendam fidem inclinavit; unde: *Et adorabunt eum omnes reges; omnes gentes servient ei* Psal. 71.. Sequitur de novo statu regni ejus.

fecit justitias Domini, et iudicium suum cum Israël.][¶] 22 Dan quoque ait: [Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan.][§] 23 Et Nephthali dixit: [Nephthali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini: mare et meridiem possidebit.]²⁴ Aser quoque ait: [Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, et tingat in

[¶]33.21 *Et vidit principatum suum, quod in parte sua.* Subjectis sibi regnis et gentibus, potentia ejus apparuit, non armorum terrore, sed virtute doctrinæ. **Repositus.** Occultus, dum scribit leges suas in cordibus fidelium; unde ait: **Vos unctionem habetis a sancto, et non necesse habetis ut aliquis doceat vos; unctio ejus docet vos de omnibus** Joan. 2.. Vel, **Repositus**, quia in lege et prophetis in figuris latebat, et docebat absconditus, quæ manifeste in Evangelio declaravit; unde: **Incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis** Luc. 24.. **Qui fuit cum principibus populi.** Adjutor, unde: **Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis** Marc. 16., quia ait: **Sine me nihil potestis facere** Joan. 15.. **Fecit justitias.** Id est justificans in se credentes, et tandem secundum merita iudicabit cum Israël, id est cum populo suo ad visionem Dei electo. **Justitias.** Justificationes credentium. Ipse enim justificat impium ex fide. Neque enim ex operibus legis justificabitur omnis caro.

[§]33.22 *Dan quoque.* Alii per Dan Antichristum signari putant, quem de hac tribu nasciturum æstimant: ipse est catulus leonis, id est diaboli, qui largiter fluet de Basan, quia plenus confusione; Basan quippe confusio, vel pinguedo, vel bruchus interpretatur. Dan quoque iudicium, Basan ignominiam. Dan vero Christum significat, qui ait: **In iudicium ego in hunc mundum veni** Joan. 9.. Catulus leonis propter fortitudinem, et quia parvulus fieri dignatus est; sed suscipiens infirmitatem nostram, non amisit virtutem suam, **quod enim infirmum est Dei, fortius est hominibus** I Cor. 1.. De ipso dicitur: **Vicit leo de tribu Juda**, etc. Apoc. 5. Ignominiam quidem crucis a Judæis sustinuit, putantibus nomen ejus per mortem deleri: sed qui per infirmitatem ejus carnis, in passione catulus fuit, per divinitatis potentiam leo invictus in resurrectione apparuit; unde Apostolus: **Et si crucifixus est ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei** II Cor. 13.. Quasi ergo ex Basan largiter fluxit, cum per ignominiam mortis perveniens ad gloriam immortalitatis, fluentis Evangelii totum orbem irrigavit; unde Isaias: **Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientis** Isa. 2.. **Dan catulus leonis.** Hoc propter Samsonem dicit, qui de tribu Dan fuit, et quasi leo fortis, cujus possessio usque Basan. Antichristus vero fluet largiter de Basan, quia satiabitur pinguedine luxuriæ et omnium vitiorum. **Mare et meridiem possidebit.** Quia possessio ejus ab australi parte in occidentem usque ad mare Tyrrenum pertingit. **Mare et meridiem possidebit.** Per apostolos enim ex Judæis et gentibus Ecclesia acquiritur Christo. Per mare enim occidentale quod hic intelligitur Judæi figurantur, qui umbræ et exemplari deserviunt, nec habent lucem scientiæ et veritatis, et quia eis sol justitiæ occubuit, perpetuis remanserunt in tenebris. Hunc occidentem apostoli possederunt, cum ex eis plurimos gratia fidei illuminatos Christo subjecerunt, ut qui fuerunt aliquando tenebræ, lux essent in Domino. In meridie intelligitur Ecclesia de gentibus collecta, quæ, ablato legis velamine, Evangelii luce perfruitur, et cubans cum sponso in meridie, revelata facie gloriam Domini contempletur.

oleo pedem suum:** 25 ferrum et æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua.†† 26 Non est deus alius ut Deus rectissimi, ascensor cæli, auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes,‡‡ 27 habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna ejiciet a facie tua inimicum, dicetque: Conterere.¶¶ 28 Habitabit Israël confidenter, et solus. Oculus Jacob in terra frumenti et vini, cælique caliga-

33.24 *Aser quoque ait: Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis.* Aser beatus, Christus scilicet nostræ beatitudinis spes, cujus primitias nobis ostendit resurgens a mortuis. Hic est benedictus in filiis, quia credentes, per ejus gratiam renascentes, totum orbem ejus similitudine repleverunt, quibus dicitur: **Credite in lucem, filii ut lucis sitis Joan. 12.. Ipsi afferunt fructum lucis in omni bonitate et justitia et veritate. Hoc autem factum est, quia fratribus suis, id est apostolis, quos de Judæa elegit, vera charitate complacuit, ut spretis figuris gauderent de veritate Evangelii, et quia **digni essent pro nomine Jesu contumeliam pati.** Et unde eis tanta charitatis abundantia, supponit, **tingat in oleo pedem,** etc. **Et tingat in oleo pedem suum.** Christus caput nostrum ascendens in cœlum, apostolos, scilicet pedes suos mundum prædicando circumituros in terra adhuc consistentes, oleo Spiritus sancti copiosissime unxit, ut nullo labore deficerent, sed immarcessibilis gaudii claritate pollerent. Incorruptibile quoque præbuit calceamenti munimentum de quo subditur: **Ferrum et æs cal.** GREG., lib. XXXIV Moral., cap. 5. Hoc de Ecclesia, etc., usque ad his calceamentis verum pascha celebrandum.

††33.25 *Sicut dies juventutis.* Significat hanc tribum prosperitate et deliciis abundasse usque ad senectutem captivitatis. *Sicut.* Promittitur Ecclesiæ cruda viridisque senectus: ut sicut fortiter in principio omnes impetus eicit, ita eminente fine Antichristi furorem evincat, unde: **Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi** Matth. 28.. Et alibi: **Senectus mea in misericordia uberi** Psalmus 91..

‡‡33.26 *Non est Deus.* Supradicta admirans in laude Christi, qui hæc omnia fecit lætabundus erumpit. **Ascensor cæli.** Propria virtute ascendit, et quotidie Ecclesiam ad se trahit. **Trahe me post te, curre in odorem unguentorum tuorum** Cant. 1.. **Nubes.** Apostoli, qui pluunt verbis, coruscant miraculis: quos ascendens in cœlum misit ad prædicandum; unde: **Vocem dederunt nubes** Psal. 76., quæ scilicet nullo remorante discurrunt, non sua, sed Christi virtute signa et prodigia facientes, et quasi coruscationibus corda mortalium terrentes, unde: **Bonum certamen certavi, cursum consummavi** II Tim. 4..

¶¶33.27 *Habitaculum ejus sursum,* etc. Corpus a mortuis suscitatum in Patris dextera collocatum, de quo dicitur: Solvite templum hoc Joan. 2.. **Brachia.** Virtus scilicet passionis, quæ omnes defendit, quam in cruce extensis brachiis accepit. **Subter brachia.** Scilicet hæc brachia contra verum Amalec dimicantes defendunt: nec sicut Moysi lassitudine gravantur, sed indefessa virtute sublevant, donec veram consequantur victoriam. Veneremur ergo in supernis primitias nostræ resurrectionis, in infimis sacramentum nostræ redemptionis, ut et ipsi, debellato adversario, immortalitatis gloriam consequamur, de quo vero Israël promittitur: **Ejiciet a facie tua inimicum. Et solus.** Suo scilicet more et suis legibus vivens, unde Balaam: **Populus solus habitabit et inter gentes non reputabitur** Num. 23..

bunt rore.^{§§} 29 Beatus es tu, Israël: quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino? Scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis.]*

34 Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Jericho: ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan,[†] 2 et universum Nephthali, terramque Ephraim et Manasse, et omnem terram Juda usque ad mare novissimum,[‡] 3 et australem partem, et latitudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor. 4 Dixitque Dominus ad eum: Hæc est terra, pro qua juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam. 5 Mortuusque est ibi Moyses servus

§§33.28 *Oculus Jacob.* Qui hic vitiis supplantandis desudabat, ibi se levissimo mentis intuitu gloriam Christi, qui propter nos terram veræ carnis accepit, indesinenter contemplabitur: ut cujus hic corpore et sanguine per sacramentum frumenti et vini pascebatur, ibi divinitatis ejus perpetua visione saginetur, unde: *Satiabor cum apparuerit gloria tua* Psal. 16.. Et alibi: *Manifestabo ei meipsum* Joan. 14.. Tunc Jacob in perfectum Israël conversus, facie ad faciem Deum videbit, tam larga, tam subtili, tam delectabili Dei cognitione, quasi levissimo rore repletus, ut prædicatorum scientia qua in præsentem instruimur caligare videatur; unde: *Sive scientia destruetur* I Cor. 13.. Et alibi: *Tenebrosa aqua in nubibus æris, præ fulgorem in conspectu ejus* Psal. 17., ad quam cum perventum fuerit, omnis hæc doctrina cessabit, *et erunt omnes docibiles Dei* Joan. 6.; unde merito adjungit: *Beatus es, Israël, etc Cælique caligabunt*, quasi tam abundanter terræ fecundandæ ros infundetur, ut hominum tenebrescat obtuitus. In quo significatur, quia Judæi cum terrenam opulentiam ultra modum diligerent, caligaverunt, et Christum cognoscere non potuerunt; unde: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*, etc.

*33.29 *Quis similis tui, popule?* Quasi, ideo beatus, ideo tibi similis nullus, quia non de tua virtute, sed de Christi gratia salutem speras, qui salvum facit populum suum a peccatis eorum. *Et gladius gloriæ.* In futuro adversarios irrevocabili severitate percutiens, quando sanguinem servorum ulciscetur. Gladius modo hic in humilitate patientium occultatur, in gloria resurgentium revelabitur, ideo *gladius gloriæ* Israël dicitur. Christus ergo quasi scutum protegit præliantem, et quasi gladius gloriæ ulciscetur triumphantem. Ad eum quasi ad caput, in fine vaticinii refertur gloria corporis, cum dicitur: *Negabunt.* Abominabuntur et odient, sicut Balac, qui rogavit Balaam, ut Israëlitas maledicendo repelleret. *Calcabis.* Subjiciendo eos Ecclesiæ, quam abominantur et persequuntur. Notandum undecim tantum esse benedictiones. Simeon namque in his benedictionibus non reperitur, in quo Judas ab apostolis excluditur, undecim tantum remanentibus. Inde quoque undecim mansionibus filii Israël de Horeb pervenerunt ad locum in quo Deuteronomium acceperunt.

†34.1 *Ascendit ergo.* Tam Moyses quam cæteri patres Veteris Testamenti per spiritum in altitudinem contemplationis levati, prævidere potuerunt gratiam Novi Testamenti, quæ in Christo data est, et virtutum collatione et cœlestis regni perceptione: sed eam in carne expectare non potuerunt, in fide autem et spe mortui sunt, ad inferos deducti, ubi expectabant Redemptoris adventum, qui per sanguinem suæ redemptionis inde eos liberaret. *Ostenditque ei.* Terram promissionis vidit Moyses, nec intravit, quia lex adventum Christi et doctrinam Evangelii verbis et figuris præsignavit, sed neminem ad perfectum duxit.

‡34.2 *Omnem terram.* Partem omnis terræ, quam ex altissimo monte potuit videre. Vel omnem terram ostendit ei in spiritu.

Domini, in terra Moab, jubente Domino:^f 6 et sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor: et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem.[§] 7 Moyses centum et viginti annorum erat quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.^{**} 8 Fleveruntque eum filii Israël in campestribus Moab triginta diebus: et completi sunt dies plactus lugentium Moysen.^{††} 9 Josue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israël, feceruntque sicut præcepit Dominus Moysi.^{‡‡} 10 Et non surrexit ultra propheta in Israël sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad

^f34.5 *Mortuusque est ibi*, etc. Nulli electorum parcit, et minima quoque peccata ulciscitur Deus etiam in amicis; unde: *Moyses et Aaron sacerdotibus ejus*, et addidit: *Propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum*. Lege scilicet finita, quæ servivit Domino in tempore suo, urbs destructa et altare, nusquam sacrificia, nusquam libamina, nusquam sacerdos vel pontifex.

[§]34.6 *In valle*. In monte mortuus est, in valle sepultus est, quia lex tempore suo gloriosa fuit: sed comparata Evangelio abscondita videtur et humilis; unde: *Dedi eis præcepta non bona. Et non cognovit homo*. Judæi autumant hoc factum, ne Judæi semper ad idololatriam proni mortuum colerent tanquam Deum; sed secundum allegoriam tempus et modum finiendi legis in sola Dei præscientia significat esse abscondita, nec profunditatem sapientiæ Dei, vel secretum consilii alicui patere, quia incomprehensibilia judicia ejus, et investigabiles viæ ejus.

^{**}34.7 *Moyses centum et viginti annorum*. Si ab uno per naturalem ordinem usque ad quindecim singulorum numerorum summas conjunxeris, unum scilicet et duo et tria, et deinceps, centum et viginti fiunt. Quindenarius vero ex septem et octo conficitur, septem ad sabbatum refertur, octo ad circumcisionem, quia octava die circumcidebatur puer. Si vero ad Novum Testamentum respicias, habes septem dona Spiritus sancti, et in octavo resurrectionem Christi, centum et viginti ergo eos significant qui vel in Veteri Testamento Legis et Evangelii præcepta implere student. *Moyses centum et viginti annorum*. Hoc significat tam eum quam cæteros patres Veteris Testamenti post perfectionem mandatorum Dei, quæ est in duobus præceptis charitatis, per gratiam Christi et sanguinis redemptionem, æternæ quieti et futuræ vitæ aptos esse; quorum *oculus non caligavit*, piæ scilicet intentionis intuitus nullo non fuit obscuratus, nec *dentes malitiæ moti*, quia non est perturbatus tempestate vitiorum, ordo discretionis eorum centum et viginti sunt anni legislatoris quo numero confirmata est altitudo Salomonici templi. Primitiva quoque Ecclesia post passionem et resurrectionem, Dominique ascensionem hoc numero virorum gratiam Spiritus sancti accepit. Quindecim namque qui ex septem et octo constant, futuram vitam significant quæ nunc geritur in sabbato animarum et perficietur in resurrectione corporum. In trigonum quoque quindenarius ductus, id est cum partibus suis adnumeratus, efficit centum et viginti. Apte ergo centenario et vicenario electorum beatitudo in futura vita signatur, et tertium domus Dei cœnaculum consummatur, quia post fidelium labores, post requiem animarum plena Ecclesiæ felicitas in resurrectionis gloria complebitur.

^{††}34.8 *Fleveruntque*. Quia regnavit mors etiam in eos qui non peccaverunt ab Adam usque ad Moysen: ideo lacrymæ prosequuntur ad inferos descendentem. HIERON., epist. ad Paulam. Non mirum si Moysi et Aaron, etc., usque ad sed intrinsecus esse, id est voluntati Domini ministrare. *Et completi*. Hinc videtur orta consuetudo, ut fidelibus mortuis triginta diebus pietatis officia persolvantur.

^{‡‡}34.9 *Posuit super eum*. In Scripturis suis testimonium ei perhibuit dicens: *Prophetam Deus suscitabit*, etc. Deut. 18., unde: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi* Joan. 5..

faciem,^{¶¶} 11 in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, 12 et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israël.

^{¶¶}34.10 *Et non surrexit*, etc. Hoc ut fertur Esdras de suo adjecit, qui bibliothecam a Chaldæis exustam divino sensu reparavit, et litteras quibus Judæi nunc utuntur invenit, unde et *velox scriba* appellatus est. *Et non surrexit propheta*. Quia Moyses omnibus prophetis Veteris Testamenti præstantior: unde Judæi arroganter dicunt: *Nos Moysi discipuli sumus* Joan. 9.. Sed postquam Dominus prophetarum incarnatus venit in mundum, omnis illa prior dignitas et umbra futurorum cessavit: quia *lex et figura per Mosen data est: gratia et veritas per Jesum Christum, qui est finis legis ad justitiam omni credenti* Hebr. X; Joan. I; Rom. 10.. *Et sepelivit eum in valle*. Scilicet Dominus. Et per hoc significatur quod amoto impedimento naturæ per Christum anima munda separata ascendit ad Deum: et corpus quod sepelitur in terra remanet usque ad judicium. Ecclesiastes 12: Donec pulvis revertatur in pulverem unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Quem reditum prosperum nobis concedat, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. *Amen*.

INCIPIT LIBER IOSUE BENNUN ID EST IESU NAVE

1 Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi, et diceret ei:^{§§} ² Moyses servus meus mortuus est: surge, et transi Jordanem istum tu, et omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israël.* ³ Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi.[†] ⁴ A deserto et Libano usque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester.[‡] ⁵ Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ: sicut fui cum Moyse, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te. ⁶ Confortare, et esto robustus: tu enim sorte divides populo huic terram, pro qua juravi patribus suis, ut traderem eam illis. ⁷ Confortare igitur, et esto robustus valde, ut custodias, et facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus: ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. ⁸ Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. ⁹ Ecce præ-

§§1.1 **Præfatio** Hebraice JEHOSUA PROTHEMATA IN LIBRUM JOSUEHIERON., Div. Biblioth., tom. 8, col. 461. Tandem finito Pentateucho Moysi, velut grandi fœnore liberati, ad Jesum filium Nave manum mittimus, etc. ADAMANTIUS, hom. 1 in Josue. Donavit Deus nomen *quod est super omne nomen* Jesu Christo: hoc autem est *Jesus*. Ideo *in nomine Jesu omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium et infernorum*. Et quia hoc est nomen super omne nomen, idcirco nullis retro generationibus nominatum est. In Genesi justos multos legimus, et nullus eorum nominatus est Jesus. In Exodo hoc primum invenio Exod. 17., etc., usque ad dum peccamus, et regnant in nobis vitia passionum, quamvis relictis idolis ab Ægypto exisse videamur, opprobrium tamen Ægypti non est ablatum a nobis. Si vero secundo fueris circumcisus, absideris a te omne vitium, iræ, superbiæ, invidiæ, libidinis et hujusmodi, abstergentur opprobria Ægypti, et translatus in terram promissionis, cœlestem hæreditatem accipies per Jesum Christum Dominum nostrum.

*1.2 **Moses servus** ADAMANT., hom. 2 in Josue. *Moses famulus meus mortuus est*. Adverte quomodo regnat Jesus, etc., usque ad spiritualis Moses est qui vivit in spiritu. *Surge et transi*, etc. Nunc ergo exurgens, transi Jordanem istum, etc. Vide quomodo minister fuerit Mosi Jesus Filius Dei. *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* Gal. 4., quia factus sub lege Mosi, factus est minister Mosi. Et factus est Christi minister circumcisionis ad confirmandas promissiones Patrum.

†1.3 **Omnem locum**, etc. Orig., hom. 2 in Jos. Littera legis humi posita est, et deorsum jacet, etc., usque ad ut non solum efficiaris hæres Dei, sed cohæres Christi.

‡1.4 **A deserto et Libano**, etc. ORIG., ibid. Eremum et Antilibanum. Non dixit *Libanum*, sed *Antilibanum*, etc., usque ad Ecclesia ex gentibus congregata per Jesum Christum. AUG., quæst. 1 in Josue, tom. 3. Ex hoc testimonio et aliis probatur Moses defunctus, ut Dei famulus et Deo placens, quamvis in eo illa vindicta completa sit, ne terram promissionis intraret. Ex quo datur intelligi Deum etiam in bonis servis suis aliqua corporaliter vel temporaliter vindicare, et tamen eos inter vasa honesta et utilia habere. **Præcepitque Josue**. AUG., quæst. 2. Quæritur quomodo hoc præcepit, postquam Dominus exhortatus est eum, etc., usque ad dispositio ejus Jethro suggerente divinitus mutatur. **Rubenitis quoque**. ADAMAN., hom. 3 in Josue. Consideremus quam formam teneant duæ et semis tribus, etc., usque ad qui terram fluentem lac et mel in amaritudine malitiæ detinent.

cipio tibi: confortare, et esto robustus. Noli metuere, et noli timere: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quaecumque perrexeris. ¹⁰ Præcepitque Josue principibus populi, dicens: Transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicite: ¹¹ Præparate vobis cibaria: quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis. ¹² Rubenitis quoque et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse, ait: ¹³ Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens: Dominus Deus vester dedit vobis requiem, et omnem terram. ¹⁴ Uxores vestræ, et filii, ac jumenta manebunt in terra, quam tradidit vobis Moyses trans Jordanem: vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, et pugnate pro eis, ¹⁵ donec det Dominus requiem fratribus vestris sicut et vobis dedit, et possideant ipsi quoque terram quam Dominus Deus vester daturus est eis: et sic revertimini in terram possessionis vestræ, et habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyses famulus Domini trans Jordanem contra solis ortum. ¹⁶ Responderuntque ad Josue, atque dixerunt: Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus: et quocumque miseris, ibimus. ¹⁷ Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi: tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse. ¹⁸ Qui contradixerit ori tuo, et non obedierit cunctis sermonibus, quos præceperis ei, moriatur. Tu tantum confortare, et viriliter age.

2 Misit igitur Josue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito: et dixit eis: Ite, et considerate terram, urbemque Jericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, et quieverunt apud eam. ¹ ² Nuntiatumque est regi Jericho, et dictum: Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israël, ut explorarent terram. ³ Misitque rex Jericho ad Rahab, dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, et ingressi sunt domum tuam: exploratores quippe sunt, et omnem terram considerare venerunt. ⁴ Tollensque mulier viros, abscondit, et ait: Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent: ⁵ cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt; nescio quo abierunt: persequimini cito, et comprehenditis eos. ⁶ Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipula lini, quæ ibi erat. ⁷ Hi autem, qui missi fuerant, secuti sunt eos per viam, quæ ducit ad vadum Jordanis: illisque egressis statim porta clausa est. ⁸ Necdum obdormierant qui latebant, et ecce mulier ascendit ad eos, et ait: ⁹ Novi quod Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terræ. ¹⁰ Audivimus quod siccaverit Dominus aquas maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto: et quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Jordanem, Sehon et Og, quos interfecistis. ¹¹ Et hæc audientes pertinuimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum: Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cælo sursum et in terra deorsum. ¹² Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita et vos faciatis cum domo patris mei: detisque mihi verum signum, ¹³ ut salvetis patrem meum et matrem, et fratres ac sorores meas, et om-

¹2.1 *Misit ergo*, etc. BEDA in Josue. Jericho civitas mundus est, ad quem Dominus Christus ad perscrutandos mores hominum duo Testamenta direxit. Nam in eo ut credentium fidem aut rebellium pervicaciam plenius comprobaret, ante adventum iudicii sui, quasi exploratores duos, Legem et Evangelium destinavit. ADAM., hom. 3. Mittuntur a Jesu exploratores in Jericho, etc., usque ad si in misericordia Domini sui intellexerit bonitatem.

nia quæ illorum sunt, et eruatis animas nostras a morte. ¹⁴ Qui responderunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos: cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam et veritatem. ¹⁵ Demisit ergo eos per funem de fenestra: domus enim ejus hærebat muro. ¹⁶ Dixitque ad eos: Ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes: ibique latitate tribus diebus, donec redeant, et sic ibitis per viam vestram.[§] ¹⁷ Qui dixerunt ad eam: Innoxii erimus a juramento hoc, quo adjurasti nos: ¹⁸ si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos: et patrem tuum ac matrem, fratresque et omnem cognationem tuam congregaveris in domum tuam. ¹⁹ Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus, et nos erimus alieni. Cunctorum autem sanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit. ²⁰ Quod si nos prodere volueris, et sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento, quo adjurasti nos. ²¹ Et illa respondit: Sicut locuti estis, ita fiat: dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra. ²² Illi vero ambulantes pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant persecuti: quærentes enim per omnem viam, non reppererunt eos. ²³ Quibus urbem ingressis, reversi sunt, et descenderunt exploratores de monte: et, transmisso Jordane, venerunt ad Josue filium Nun, narraveruntque ei omnia quæ acciderant sibi, ²⁴ atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, et timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus.

3 Igitur Josue de nocte consurgens movit castra: egredientesque de Setim, venerunt ad Jordanem ipse et omnes filii Israël, et morati sunt ibi tres dies. ² Quibus evolutis transierunt præcones per castrorum medium, ³ et clamare cœperunt: Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, et sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite, et sequimini præcedentes:^{**} ⁴ sitque inter vos et arcam spatium cubitorum duum millium: ut procul videre possitis, et nosse per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulastis per eam: et cavete ne appropinquetis ad arcam. ⁵ Dixitque Josue ad populum: Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. ⁶ Et ait ad sacerdotes: Tollite arcam fœderis, et præcedite populum. Qui jussa complentes, tulerunt, et ambulaverunt ante eos. ⁷ Dixitque Dominus ad Josue: Hodie incipiam exaltare te coram omni Israël: ut

§2.16 *Ad montana conscendite*, etc. ADAM., hom. 3. Dat sapiens meretrix consilium mysticum et cœleste, etc., usque ad quæ aliquando meretrix erat, mundata est in aqua et Spiritu sancto et in sanguine Christi.

**3.3 *Cum videritis arcam testimonii Dei nostri, et sacerdotes, et Levitas portantes eam*, etc. AUG., quæst. 3 in Josue. Longe jussum est arcam præcedere, etc., usque ad nube subtracta, tanquam velamine ablato. *Præcedite populum*. ORIG., hom. 4. Per sacerdotes deducitur populus, et iter agit ad terram repromissionis magisterio sacerdotum. *Et infra*: Ipsi enim sunt qui edocent populum exire de Ægypto, de erroribus scilicet mundi, et transire per eremum vastam, id est, tentationum genera diversa transcurrere.

sciant quod sicut cum Moyse fui, ita et tecum sim.^{††} ⁸Tu autem præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, et dic eis: Cum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea. ⁹Dixitque Josue ad filios Israël: Accedite huc, et audite verbum Domini Dei vestri.^{‡‡} ¹⁰Et rursum: In hoc, inquit, scietis quod Dominus Deus vivens in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chananæum et Hethæum, Hevæum et Pherezæum, Gergesæum quoque et Jebusæum, et Amorrhæum.^{¶¶} ¹¹Ecce arca fœderis Domini omnis terræ antecedit vos per Jordanem. ¹²Parate duodecim viros de tribubus Israël, singulos per singulas tribus. ¹³Et cum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes qui portant arcam Domini Dei universæ terræ in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient: quæ autem desuper veniunt, in una mole consistent. ¹⁴Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Jordanem: et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. ¹⁵Ingressisque eis Jordanem, et pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat),^{§§} ¹⁶steterunt aquæ descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant procul, ab urbe quæ vocatur Adom usque ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant, in mare Solitudinis (quod nunc vocatur Mortuum) descenderunt, usquequo omnino deficerent.* ¹⁷Populus autem incedebat contra Jericho: et sacerdotes qui portabant arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti, omnisque populus per arentem alveum transibat.

4 Quibus transgressis, dixit Dominus ad Josue: ²Elige duodecim viros singulos per singulas tribus: ³et præcipe eis ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria. ⁴Vocavitque Josue duodecim viros, quos elegerat de filiis Israël, singulos de singulis tribubus, ⁵et ait ad eos: Ite ante arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, et portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israël, ⁶ut sit signum inter vos: et quando interro-

^{††}3.7 *Hodie incipiam exaltare te*, etc. ID., ubi supra. Multa prodigia in eremo gesta sunt, et nusquam dicitur exaltatus Jesus. Ubi vero transitur Jordanes, dicitur ad eum: *Hodie incipiam exaltare te*, etc. Exaltatio enim Jesu in conspectu populi a baptismo sumit exordium. Qui enim baptizantur, in morte ipsius baptizantur, cujus mors in crucis exaltatione completur. Merito ergo cuique fidelium tunc primum Jesus exaltatur, cum ad mysterium baptismi pervenit. Unde: *Exaltavit illum Deus, et donavit illi nomen quod est super omne nomen*, etc.

^{‡‡}3.9 *Domini Dei vestri*, etc. ADAM., hom. 4 in Jos. Peccatori omnis creatura hostis est, etc., *usque ad: qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes*, etc.

^{¶¶}3.10 *Chananæus*, possidens, vel possessio, vel negotiatores, vel motabilis. *Hethæus*, formidans sive stupens. *Hevæus*, lapides colligans. *Pherezæus*, separans, sive disseminans. *Gergesæus*, colonum applica, vel colonum ejiciens, sive advena appropinquans. *Amorrhæus*, amarus vel loquens. *Jebusæus*, calcantes, vel præsepe eorum.

^{§§}3.15 *Messis impleverat*. LXX: *Sicut in diebus messis tritici*. Hoc incredibile videtur regionibus nostris, ibi autem sicut perhibent qui noverunt in initio veris est messis tritici: tunc autem ille fluvius redundat et impletur amplius quam per hiemem.

*3.16 *Steterunt aquæ descendentes*, etc. ADAM., hom. 4. Non absque mysterii ratione arbitror scriptum, etc., usque ad et unus Spiritus quo omnes purificantur in baptismo, et unus Deus Pater omnium.

gaverint vos filii vestri cras, dicentes: Quid sibi volunt isti lapides? ⁷ respondebitis eis: Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini, cum transiret eum: idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israël usque in æternum. [†] ⁸ Fecerunt ergo filii Israël sicut præcepit eis Josue, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperarat, juxta numerum filiorum Israël, usque ad locum in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos. ⁹ Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes qui portabant arcam fœderis: et sunt ibi usque in præsentem diem. ¹⁰ Sacerdotes autem qui portabant arcam, stabant in Jordanis medio, donec omnia complerentur, quæ Josue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, et dixerat ei Moyses. Festinavitque populus, et transiit. [‡] ¹¹ Cumque transissent omnes, transivit et arca Domini, sacerdotesque pergebant ante populum. ¹² Filii quoque Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse, armati præcedebant filios Israël, sicut eis præceperat Moyses: ¹³ et quadraginta pugnatorum millia per turmas, et cuneos, incedebant per plana atque campestria urbis Jericho. ¹⁴ In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israël, ut timerent eum, sicut timuerant Moysen, dum adviveret. [¶] ¹⁵ Dixitque ad eum: ¹⁶ Præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, ut ascendant de Jordane. [§] ¹⁷ Qui præcepit eis, dicens: Ascendite de Jordane. ¹⁸ Cumque ascendissent portantes arcam fœderis Domini, et siccam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum, et fluebant sicut ante consueverant. ¹⁹ Populus autem ascendit de Jordane decimo die mensis primi, et castrametati sunt in Galgalis contra orientalem plagam urbis Jericho. ²⁰ Duodecim quoque lapides, quos de Jordanis alveo sumpserant, posuit Josue in Galgalis, ²¹ et dixit ad filios Israël: Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, et dixerint eis: Quid sibi volunt lapides isti? ²² docebitis eos, atque dicetis: Per arentem alveum transivit Israël Jordanem istum, ²³ siccante Domino Deo vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis, ²⁴ sicut fecerat prius in mari

[†]4.7 *In æternum.* AUG. Quomodo in æternum, cum cœlum et terra transeant? An quoniam æternum aliquid significat, cum ipsi æterni esse non possint? Quamvis possit quod in Græco est Latine dici usque in sæculum.

[‡]4.10 *Festinavitque populus et transiit,* etc. ADAM., hom. 2. Qui mare Rubrum transierunt, baptizati sunt in Moyse, etc., usque ad cum jam non sit qui exterreat filios Israël.

[¶]4.14 *In die illo,* etc. Semper exaltatus est Jesus apud Patrem; sed opus est ut in conspectu nostro exaltet illum Deus, id est, ut altitudinem divinitatis ejus cognoscamus. Hoc autem fit, si Jordanem transierimus, et variis sacramentorum munimentis ad futura bella armemur.

[§]4.16 *Præcipe sacerdotibus.* AUG., in Josue. Manda sacerdotibus portantibus arcam testamenti, etc., usque ad quia in rei venturæ testimonium datum fuit Vetus Testamentum. *Populus autem.* ADAMANT., hom. 2. Non sine causa signatur quando veniunt ad Jordanem, etc., usque ad ut multas perfectiones ad unum diem pendere significant *Duodecim quoque,* scilicet mysterium agni in Ægypto præceptum est, quia eodem die quo errores mundi fugimus, terram promissionis ingredimur. Tota enim vita præsens una dies est: hodie ergo, id est, dum vivimus, ad perfectionem festinemus, nec in crastinum differamus. *Duodecim quoque.* ISID. Transeuntes filii Israël Jordanem sustulerunt de medio fluminis duodecim lapides quos pro testimonio posuerunt in loco secundæ circumcisionis, ad signandum nobis, ut dum de lavacro consurgimus, apostolicæ vitæ exempla firmissima nobiscum portare debeamus, quorum semper testimonium ad imitamenta virtutum intueamur.

Rubro, quod siccavit donec transiremus: ²⁵ ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, ut et vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore.

5 Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam, et cuncti reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluentia Jordanis coram filiis Israëel donec transirent, dissolutum est cor eorum, et non remansit in eis spiritus, timentium introitum filiorum Israëel. ² Eo tempore ait Dominus ad Josue: Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israëel. ^{**} ³ Fecit quod jusserat Dominus, et circumcidit filios Israëel in colle præputiorum. ⁴ Hæc autem causa est secundæ circumcisionis: omnis populus, qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus, ⁵ qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto, ^{††} ⁶ per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircumcisi sunt: donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, et quibus ante juraverat ut non ostenderet eis terram lacte et melle manantem. ⁷ Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt a Josue: quia sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat. ⁸ Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum

^{**}5.2 *Circumcide secundo Israel.* AUG., quæst. 6. in Job. Quæritur cur dixerit, *Iterum*, etc., usque ad aut ab aliquibus hæreticis ab Israelitarum societate segregatis? *Fac tibi cultros lapideos*, etc. ISID. in Job. Dicant Judæi quomodo potest quis secundo circumcidi circumcisione carnali? etc., usque ad quia per unum membrum macula in omne corpus diffunditur.

^{††}5.5 *Populus autem.* ADAM., hom. 6. Qui non obediens fuerant mandatis Domini, incircumcisi dicuntur. Ex quo intelligitur illos appellari incircumcisos qui non obediunt mandatis Dei; quia vero omnem animam diligit Deus, misit Jesum Filium Dei, qui et dignos et indignos circumcideret, non filium Nave, qui non vere et perfecte circumcidit populum, sed Jesum Filium Dei, qui vere corpus et animam purgavit ab omni inquinamento peccati.

loco, donec sanarentur.^{‡‡} ⁹Dixitque Dominus ad Josue: Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis. Vocatumque est nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem. ¹⁰Manseruntque filii Israël in Galgalis, et fecerunt Phase quartadecima die mensis ad vesperum in campestribus Jericho: ¹¹et comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, et polentam ejusdem anni.^{¶¶} ¹²Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israël, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan. ¹³Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium: perrexitque ad eum, et ait: Noster es, an adversariorum? ¹⁴Qui respondit: Nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio. ¹⁵Cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait: Quid dominus meus loquitur ad servum suum?^{§§} ¹⁶Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, sanctus est. Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum.

^{‡‡}5.8 *Postquam autem.* Circumcisi vero filii Israël requieverunt in eodem loco, sedentes in castris, usque dum sanarentur. Non sufficit circumcidi; necesse est post circumcisionem sanari, et cicatricem in vulnere obduci. Circumcidi ergo per Jesum est vitia et consuetudines pravas, et pessima instituta deponere, et quidquid ab honestatis regula discordat abscindere. Sed hoc facientes, quadam difficultate constringimur, cum quodam dolore animi consuetudinis culpam novella institutione vitamus: hoc ergo tempore velut in dolore circumcisionis nostræ dicimur residere, usquequo cicatrice obducta sanemur, id est nova instituta absque difficultate impleamus, et in usum vertatur quod prius insolitum et difficile videbatur; et tunc merito dicitur nobis: **Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobisEt fecerunt.** Postquam ablatum est opprobrium Ægypti, fecerunt filii Israël pascha quarta decima die mensis. Nec enim ante circumcisionem, nec post, antequam sanarentur, poterant carnes agni comedere: vides ergo quia nemo immundus facit pascha, nemo incircumciscus. Unde: **Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque festum celebremus diem, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis** I Cr. 16.. **Et fecerunt.** ISID. in Jos. Post Evangelii circumcisionem, statim in loco revelationis pascha celebratur, et Agnus immolatur, qui tollit peccata mundi; et deficiente manna typicæ legis, primum comedit populus panem corporis Christi, quem incorrupta repromissionis terra, id est virgo Maria, protulit, cujus granum in terra cadens fructum plurimum attulit. Nota ordinem: postquam Jesu Christo duce, per lavacri fluentia transimus, et per fidem spirituali circumcisione signamur, tunc demum pascha celebramus, id est immolatum Christum credimus pro salute mundi, et credentes statim pane Dominici corporis pascimur.

^{¶¶}5.11 **Et comederunt,** etc. ADAM., hom. 6. Quando vero exiit populus de terra Ægypti, etc., usque ad Quomodo enim putatur meliore cibo cessante deteriorem successisse. JUSTIN., Dialog. Deus in principio, ante omnes creaturas, ex seipso genuit potentiam quamdam rationalem, quæ et Gloria Domini vocatur, interdum etiam Filius Sapientia, Angelus, Sermo, Deus, Dominus. Aliquando etiam Magistrum militiæ se dicit, quando humana specie apparuit Jesu Nave filio. **Et vidit virum.** ADAM., hom. 6 in Josue. Factum est cum esset Jesus in Jericho, etc., usque ad qui accepto regno regressus est.

^{§§}5.15 **Cecidit Josue pronus,** etc. Quæri potest utrum angelo se prostraverit, eumque Dominum dixerit, an potius quia intellexit Deum esse, intelligens a quo missus fuerit, ipsum Dominum dixerit, eique se prostraverit. ORIG., hom. 6 in Josue. In Jericho est Jesus, etc., usque ad continuo libenter adhæret nobis et assistit Deus.

6 Jericho autem clausa erat atque munita, timore filiorum Israël, et nullus egredi audebat aut ingredi.* ² Dixitque Dominus ad Josue: Ecce dedi in manu tua Jericho, et regem ejus, omnesque fortes viros. ³ Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus. ⁴ Septimo autem die, sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in jubilæo, et præcedant arcam fœderis: septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis. ⁵ Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint. ⁶ Vocavit ergo Josue filius Nun sacerdotes, et dixit ad eos: Tollite arcam fœderis: et septem alii sacerdotes tollant septem jubilæorum buccinas, et incedant ante arcam Domini. ⁷ Ad populum quoque ait: Ite, et circuite civitatem, armati, præcedentes arcam Domini. ⁸ Cumque Josue verba finisset, et septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini,† ⁹ omnisque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia concrepabant. ¹⁰ Præceperat autem Josue populo, dicens: Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur, donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate, et vociferamini. ¹¹ Circuivit ergo arca Domini civitatem semel per diem, et reversa in castra mansit ibi. ¹² Igitur Josue de nocte consurgente, tulerunt sacerdotes arcam Domini, ¹³ et septem ex eis septem buccinas, quarum in jubilæo usus est: præcedebantque arcam Domini ambulantes atque clangentes: et armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum sequebatur arcam, et buccinis personabat. ¹⁴ Circuieruntque civitatem secundo die semel, et reversi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus. ¹⁵ Dies autem septimo, diluculo consurgentes, circuierunt urbem, sicut dispositum erat, septies. ¹⁶ Cumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Josue ad omnem Israël: Vociferamini: tradidit enim vobis Dominus civitatem. ¹⁷ Sitque civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt, Domino: sola Rahab meretrix vivat, cum universis qui cum ea in domo sunt: abscondit enim nuntios quos direximus.‡ ¹⁸ Vos autem cavete ne de his, quæ præcepta sunt, quippiam contingatis, et sitis prævaricationis rei, et omnia castra Israël sub peccato sint atque turbentur. ¹⁹ Quidquid autem auri et argenti fuerit, et vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus. ²⁰ Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt: et ascendit unusquisque per locum

*6.1 *Jericho autem*, etc. ISID., in Jos., cap. 7. Jericho *luna* interpretatur, etc., usque ad id est, extra Ecclesiam nemo salvatur.

†6.8 *Cumque Josue*. ADAMAN., hom. 5 in Jos. Jericho tubis sacerdotum subruitur, etc., usque ad et philosophorum dogmata.

‡6.17 *Sitque civitas* ADAM., hom. 7. Custodite vos ab anathemate, etc., usque ad et populum Dei vinci faciunt.

qui contra se erat: ceperuntque civitatem,^f 21 et interfecerunt omnia quæ erant in ea, a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque et oves et asinos in ore gladii percusserunt. 22 Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Josue: Ingreddimini domum mulieris meretricis, et producite eam, et omnia quæ illius sunt, sicut illi juramento firmastis. 23 Ingressique juvenes eduxerunt Rahab, et parentes ejus, fratres quoque, et cunctam supellectilem ac cognationem illius, et extra castra Israël manere fecerunt.[§] 24 Urbem autem, et omnia quæ erant in ea, succenderunt, absque auro et argento, et vasis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrarunt. 25 Rahab vero meretricem, et domum patris ejus, et omnia quæ habebat, fecit Josue vivere, et habitaverunt in medio Israël, usque in præsentem diem: eo quod absconderit nuntios, quos miserat ut explorarent Jericho. In tempore illo, imprecatus est Josue, dicens: 26 Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciatur, et in novissimo liberorum ponat portas ejus. 27 Fuit ergo Dominus cum Josue, et nomen ejus vulgatum est in omni terra.

7 Filii autem Israël prævaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathemate. Nam Achan filius Charmi filii Zabdi filii Zare de tribu Juda tulit aliquid de anathemate: iratusque est Dominus contra filios Israël.^{**} 2 Cumque mitteret Josue de Jericho viros contra Hai, quæ est juxta Bethaven, ad orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis: Ascendite, et explore terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Hai. 3 Et reversi dixerunt ei: Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia

^f6.20 **Igitur.** ID. Omnis populus dicitur ululasse ululatu magno, etc., usque ad homines sæculi nitebantur. **Et clangentibus.** Unusquisque nostrum debet hæc in semetipso complere. Habes in te Jesum ducem per fidem. Fac tibi tubas ductiles ex Scripturis sanctis, inde duc sensus, inde sermones; ideo enim tubæ ductiles dicuntur. In ipsis cane, id est in psalmis, in hymnis, in canticis spiritualibus. Si in talibus cecineris tubis, et septies arcam testamenti circumtuleris, id est si legis mystica præcepta ab Evangelicis non separet tubis, sic etiam jubilationis consensum de temetipso exigas, id est si cogitationum et sensuum tuorum populus concordem semper et consonam proferat vocem; et si non aliquando verum dicas, aliquando adulando mentiaris, si non modo blandus remissionem, modo truculentus iracundia; et si non intra te caro concupiscat adversus spiritum et spiritus adversus carnem, vocem jubilationis emitte, quia tibi victus est mundus. Hinc Paulus dicebat: **Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo** Gal. 5.. **Muri illico.** In adventu Jesu muri Jericho subversi sunt, in adventu Christi vincitur mundus. Unde Paulus: **Quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci, et exuens principatus et potestates traduxit libere triumphans eos in ligno crucis** Col. 2. Ex his verbis intelligo quod videntes pugnam Jesu, cœlestes virtutes, principatus et potestates, alligatum fortem, et vasa ejus diripi, increpauerunt cœlestibus tubis, quia, alligato principe mundi, victus est mundus, et vocem jubilationis, in triumpho Christi, cœlestis exercitus dedit Matth. 12.. Vere ergo liberatus est populus gentium qui hanc jubilationem novit, et mysteria agnoscit et credit.

[§]6.23 **Ingressique juvenes eduxerunt ADAM. Rahab meretricem, et omnem domum patris ejus vivificavit Jesus,** etc., usque ad et qui erant primi facti sunt novissimi.

^{**}7.1 **Iratusque est Dominus,** etc. ADAM., hom. 7. Non otiose transcurrendum est, etc., usque ad quam mecum ire in gehennam. AUG., quæst. 8 in Josue. Quæri solet quomodo juste pro peccatis alterius in alios vindicetur, etc., usque ad quod in suo judicio facit ipse, quo potestas humana non aspirat.

virorum pergant, et deleant civitatem: quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos? ⁴ Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui statim terga vertentes, ⁵ percussi sunt a viris urbis Hai, et corruerunt ex eis triginta sex homines: persecutique sunt eos adversarii de porta usque ad Sabarim, et ceciderunt per prona fugientes: pertimuitque cor populi, et instar aquæ liquefactum est. ⁶ Josue vero scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israël: miseruntque pulverem super capita sua, ⁷ et dixit Josue: Heu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, et perderes? utinam ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem. ⁸ Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israël hostibus suis terga vertentem? ⁹ Audient Chananæi, et omnes habitatores terræ, et pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra: et quid facies magno nomini tuo? ¹⁰ Dixitque Dominus ad Josue: Surge: cur jaces pronus in terra? ¹¹ Peccavit Israël, et prævaricatus est pactum meum: tuleruntque de anathemate, et furati sunt atque mentiti, et absconderunt inter vasa sua. ¹² Nec poterit Israël stare ante hostes suos, eosque fugiet: quia pollutus est anathemate. Non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est. ¹³ Surge, sanctifica populum, et dic eis: Sanctificamini in crastinum: hæc enim dicit Dominus Deus Israël: Anathema in medio tui est, Israël: non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere. ¹⁴ Acceditisque mane singuli per tribus vestras: et quamcumque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, et cognatio per domos, domusque per viros. ¹⁵ Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua: quoniam prævaricatus est pactum Domini, et fecit nefas in Israël. ¹⁶ Surgens itaque Josue mane, applicuit Israël per tribus suas, et inventa est tribus Juda. ¹⁷ Quæ cum juxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi: ¹⁸ cujus domum in singulos dividens viros, invenit Achan filium Charmi filii Zabdi filii Zare de tribu Juda. ¹⁹ Et ait Josue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. ²⁰ Responditque Achan Josue, et dixit ei: Vere ego peccavi Domino Deo Israël, et sic et sic feci. ²¹ Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum: et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui. ^{††} ²² Misit ergo Josue min-

^{††}7.21 *Regulamque*. ADAM., hom. 7. Furatus est autem linguam auream, etc., usque ad quod furanti exstitit causa peccati. *Regulamque*. LXX: *Linguam*, hæreticorum scilicet dogmata, vel superstitiosa sæcularium litterarum studia. Hæc enim est lingua aurea, luculento sermone aptata. Hanc furati sunt hæretici de Jericho, quasi auream regulam, qui philosophorum sectam conati sunt inducere in Ecclesiam: quorum anathemate multi perduntur, et quasi acervo lapidum multitudine peccatorum extinguuntur: quorum ductor diabolus, qui per illorum impietatem fidelium quosdam vicerat, rursus superatus vincitur, et a populo Dei suspensus, crucis virtute necatur. ISID., in Jos. Jericho mundum significat: de anathemate ejus in tabernaculo suo abscondit, qui sæculares mores Ecclesiæ secretis inserit; qui sub cultu Dei manens, solemnitates sæculi vel spectacula diligit; qui sortilegos aruspices et augures inquirat, vel cætera facit quæ in Jericho, id est in sæculo habebantur. *Lapidavitque eum*. AUG., quæst. in Jos. Quæritur eum Dominus eum qui furtum fecerat, etc., usque ad peccato suo secum consumptis mori.

istros: qui currentes ad tabernaculum illius, reppererunt cuncta abscondita in eodem loco, et argentum simul. ²³ Auferentesque de tentorio, tulerunt ea ad Josue, et ad omnes filios Israël, projeceruntque ante Dominum. ²⁴ Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque et pallium, et auream regulam, filios quoque et filias ejus, boves et asinos et oves, ipsumque tabernaculum, et cunctam supellectilem (et omnis Israël cum eo), duxerunt eos ad vallem Achor: ²⁵ ubi dixit Josue: Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israël: et cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt. ²⁶ Congregaveruntque super eum acervum magnum lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius, vallis Achor, usque hodie.

8 Dixit autem Dominus ad Josue: Ne timeas, neque formides: tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, et consurgens ascende in oppidum Hai. Ecce tradidi in manu tua regem ejus et populum, urbemque et terram.^{‡‡} ² Faciesque urbi Hai, et regi ejus, sicut fecisti Jericho, et regi illius: prædam vero, et omnia animantia diripietis vobis: pone insidias urbi post eam. ³ Surrexitque Josue, et omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Hai: et electa triginta millia virorum fortium misit nocte, ⁴ præcepitque eis, dicens: Ponite insidias post civitatem, nec longius recedatis: et eritis omnes parati. ⁵ Ego autem, et reliqua multitudo, quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cumque exierint contra nos, sicut ante fecimus, fugiemus, et terga vertemus, ⁶ donec persequentes ab urbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere sicut prius. ⁷ Nobis ergo fugientibus, et illis persequentibus, consurgetis de insidiis, et vastabitis civitatem: tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras. ⁸ Cumque ceperitis, succendite eam, et sic omnia facietis, ut jussi. ⁹ Dimisitque eos, et perrexerunt ad locum insidiarum, sederuntque inter Bethel et Hai, ad occidentalem plagam urbis Hai: Josue autem nocte illa in medio mansit populi, ¹⁰ surgensque diluculo recensuit socios, et ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. ¹¹ Cumque venissent et ascendissent ex adverso civitatis, steterunt ad septentrionalem urbis plagam, inter quam et eos erat vallis media. ¹² Quinque autem millia viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Bethel et Hai ex occidentali parte ejusdem civitatis: ¹³ omnis vero reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josue nocte illa, et stetit in vallis medio. ¹⁴ Quod cum vidisset rex Hai, festinavit mane, et egressus est cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorans quod post tergum laterent insidiæ. ¹⁵ Josue vero et omnis Israël cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes per solitudinis viam.^{¶¶} ¹⁶ At illi vociferantes pariter, et se mutuo cohortantes, persecuti sunt eos. Cumque recessissent a civitate, ¹⁷ et ne unus quidem in urbe Hai

^{‡‡}8.1 *Dixit autem Dominus*, etc. ADAM., hom. 8. Primo propter peccata victi sumus, etc. usque ad qui sequuntur Jesum, ab onere legis. AUG., quæst. 10 in Jos. Cum quis justum bellum susceperit, etc., usque ad non tam auctor belli quam minister judicandus est. ID., quæst. 11. Quærendum est utrum omnis fallendi voluntas pro mendacio putanda sit, et si ita est, utrum possit esse justum mendacium, quo ille fallitur qui dignus est falli. Et si non hoc quidem justum reperitur, restat ut secundum aliquam significationem hoc quod de insidiis factum est, ad veritatem referatur.

^{¶¶}8.15 *Et fugientes*. ADAM., ibid. Quid, putas, Jesus fugiens significet? etc., usque ad qui fugiunt fornicationem, dolum, mendacium et hujusmodi.

et Bethel remansisset qui non persequeretur Israël (sicut eruperant aperta oppida relinquentes),¹⁸ dixit Dominus ad Josue: Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam.¹⁹ Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim: et pergentes ad civitatem, ceperunt, et succenderunt eam.²⁰ Viri autem civitatis, qui persequerentur Josue, respicientes et videntes fumum urbis ad cælum usque conscendere, non potuerunt ultra huc illucque diffugere: præsertim cum hi qui simulaverant fugam, et tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissime restitissent.²¹ Vidensque Josue et omnis Israël quod capta esset civitas, et fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Hai.²² Siquidem et illi qui ceperant et succenderant civitatem, egressi ex urbe contra suos, medios hostium ferire cœperunt. Cum ergo ex utraque parte adversarii cæderentur, ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur,²³ regem quoque urbis Hai apprehenderunt viventem, et obtulerunt Josue.²⁴ Igitur omnibus interfectis, qui Israël ad deserta tendentem fuerant persecuti, et in eodem loco gladio corruentibus, reversi filii Israël percusserunt civitatem.^{§§ 25} Erant autem qui in eodem die conciderant a viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Hai.²⁶ Josue vero non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum donec interficerentur omnes habitatores Hai.²⁷ Jumenta autem et prædam civitatis dividerunt sibi filii Israël, sicut præceperat Dominus Josue.²⁸ Qui succendit urbem, et fecit eam tumulum sempiternum:²⁹ regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vesperam et solis occasum. Præcepitque Josue, et deposuerunt cadaver ejus de cruce: projeceruntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in præsentem diem.*³⁰ Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israël in monte Hebal,^{† 31} sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israël, et scriptum est in volumine legis Moysi: altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit: et obtulit super eo holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas.³² Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israël.³³ Omnis autem populus, et majores natu, ducesque ac iudices, stabant ex utraque parte arcæ, in conspectu sacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena, ita et indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, et media juxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Israël.^{‡ 34} Post hæc legit omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta quæ scripta erant in legis volumine.³⁵ Nihil ex his quæ Moyses jusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coram

§§8.24 **Igitur omnibus interfectis.** ADAM., ibid.. Percusserunt eos in ore gladii, etc., usque ad pro palma victoriæ et virtutis merito coronari?

*8.29 **Regem.** ID., homil. 8. Rex Hai in ligno gemino suspenditur, etc., usque ad de diabolo autem ait: **Novissimus inimicus destruetur mors,** etc. I Cor. 15. ID. LXX: **In gemino ligno,** hoc est lignum scientiæ boni et mali, etc., usque ad Ipse est novissimus Adam in spiritu vivificante.

†8.30 **Tunc ædificavit,** etc. ADAM., hom. 9. Ædificavit Jesus altare Domino Deo Israël, etc., usque ad qui ad altaris constructionem digni sunt.

‡8.33 **Omnis autem.** ORIG., hom. 9. Et omnis Israël et presbyteri, etc., usque ad implendo scilicet opere quæ scripta sunt in lege. **Ut advena.** ID., ibid. Sed et proselytus et indigena simul, etc., usque ad et poenas peccatoribus constitutas, caveant incurrere eas. **Post hæc legit.** ADAM., ibid. Refertur, etc., **usque ad: ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis** II Cor. 2..

omni multitudine Israëli, mulieribus ac parvulis, et advenis qui inter eos morabantur.[¶]

9 Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis et campestribus, in maritimis ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Hethæus et Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, et Hevæus, et Jebusæus,[§] ² congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue et Israëli uno animo, eademque sententia. ³ At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Josue Jericho, et Hai,^{**} ⁴ et callide cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinus imponentes, et utres vinarios scissos atque consutos, ⁵ calceamenta quoque perantiqua quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis: panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, et in frustra comminuti: ⁶ perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgalæ, et dixerunt ei, atque simul omni Israëli: De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri Israëli ad eos, atque dixerunt: ⁷ Ne forte in terra, quæ nobis sorte debetur, habitetis, et non possimus fœdus inire vobiscum. ⁸ At illi ad Josue: Servi, inquit, tui sumus. Quibus Josue ait: Quinam estis vos? et unde venistis? ⁹ Responderunt: De terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiae ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto, ¹⁰ et duobus regibus Amorrhæorum qui fuerunt trans Jordanem, Sehon regi Hesebon, et Og regi Basan, qui erat in Astaroth: ¹¹ dixeruntque nobis seniores, et omnes habitatores terræ nostræ: Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, et occurrite eis, et dicite: Servi vestri sumus: fœdus inite nobiscum. ¹² En panes quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus; nunc sicci facti sunt, et vetustate nimia comminuti. ¹³ Utres vini novos implevimus; nunc rupti sunt et soluti. Vestes et calceamenta quibus induimur, et quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt, et pene consumpta. ¹⁴ Susceperunt igitur de cibariis eorum, et os Domini non interrogaverunt. ¹⁵ Fecitque Josue cum eis pacem, et inito fœdere pollicitus est quod non occiderentur: principes quoque multitudinis juraverunt eis. ¹⁶ Post dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, et inter eos futuri essent. ¹⁷ Moveruntque castra filii Israëli, et venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula sunt: Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Cariathiarim. ¹⁸ Et non percusserunt eos, eo quod jurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israëli. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes. ¹⁹ Qui responderunt eis: Juravimus illis in nomine Domini Dei Israëli, et id-

[¶]8.35 *Nihil ex his.* ID. Non erat sermo ex his quæ mandavit Moses, etc., usque ad vel qui jam sociari fidelibus student.

[§]9.1 *Congregati,* etc. ADAM., hom. 9 in Jos. Ex his quæ gesta sunt, etc., usque ad conteretur Satanæ sub pedibus servorum ejus Rom. 16..

^{**}9.3 *At hi qui,* etc. ID., hom. 10. In domo Patris mei mansiones multæ sunt Joan. 14., etc. usque ad libertatem pristinam revocantis verba non audias, fias peccati servus in æternum.

circo non possumus eos contingere.^{††} ²⁰ Sed hoc faciemus eis: reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus: ²¹ sed sic vivant, ut in usus universæ multitudinis ligna cædant, aquasque comportent. Quibus hæc loquentibus, ²² vocavit Gabaonitas Josue, et dixit eis: Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis: Procul valde habitamus a vobis, cum in medio nostri sitis? ²³ itaque sub maledictione eritis, et non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei. ²⁴ Qui responderunt: Nuntiatum est nobis servis tuis, quod promisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo ut traderet vobis omnem terram, et disperderet cunctos habitatores ejus. Timuimus igitur valde, et providimus animabus nostris, vestro terrore compulsi, et hoc consilium inivimus. ²⁵ Nunc autem in manu tua sumus: quod tibi bonum et rectum videtur, fac nobis. ²⁶ Fecit ergo Josue ut dixerat, et liberavit eos de manu filiorum Israël, ut non occiderentur. ²⁷ Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi, et altaris Domini, cædentes ligna, et aquas comportantes, usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegerat.

10 Quæ cum audisset Adonisedec rex Jerusalem, quod scilicet cepisset Josue Hai, et subvertisset eam (sicut enim fecerat Jericho et regi ejus, sic fecit Hai et regi illius), et quod transfugissent Gabaonitæ ad Israël, et essent fœderati eorum, ² timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, et una civitatum regalium, et major oppido Hai, omnesque bellatores ejus fortissimi. ³ Misit ergo Adonisedec rex Jerusalem ad Oham regem Hebron, et ad Pharam regem Jerimoth, ad Japhia quoque regem Lachis, et ad Dabir regem Eglon, dicens: ⁴ Ad me ascendite, et ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Josue, et ad filios Israël.^{‡‡} ⁵ Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum: rex Jerusalem, rex Hebron, rex Jerimoth, rex Lachis, rex Eglon, simul cum exercitibus suis: et castrametati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam. ⁶ Habitatores autem Gabaon urbis obsessæ miserunt ad Josue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, et dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum: ascende cito, et libera nos, ferque præsidium: convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis. ⁷ Ascenditque Josue de Galgalis, et omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortissimi.^{¶¶} ⁸ Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi resistere poterit. ⁹ Irruit itaque Josue super eos repente,

^{††}9.19 *Juravimus.* AUG., quæst. 13 in Jos. Quæritur quomodo jurationem hanc servandam crediderunt Hebræi Gabaonitis, etc., usque ad si quod ira perturbatus juraverat, non fecisset, quam si perfecisset. ISID. in Jos. Gabaonitæ significant eos qui credunt, et erga servos Dei devoti vel Ecclesiæ cultum videntur habere, nihil tamen emendationis vel devotionis vel innovationis habent in moribus, tales tantummodo quoddam signum salutis intra Ecclesiam temporaliter præferunt. Inter spirituales autem, id est inter sanctos Dei, regnum æternum vel libertatem non consequuntur.

^{‡‡}10.4 *Ascendite ad.* ORIG., hom. 11 in Josue. Cum se anima verbo Dei sociat, etc., usque ad et discutit adventum noctis. *Congregati igitur,* etc. AUG., quæst. 15 in Jos. Quæritur quomodo rex Hierusalem, etc., usque ad et tamen universa terra illa originaliter terra Chanaan vocatur.

^{¶¶}10.7 *Ascenditque Josue,* etc. AUG. quæst. 14. Cum obsessi Gabaonitæ a regibus Amorrhæorum misissent ad Jesum, etc., usque ad et hanc eorum fidem quoddammodo remuneravit. *Fugerant enim quinque reges,* etc. ADAM., hom 11 in Josue. Quid est quod dicit, etc., usque ad hoc est enim Hierusalem aliquando fuisse sub rege Adonisedec, vel alias civitates sub aliis. ADAM., ibid. Jesus interficit inimicos non credulitatem docens, etc., usque ad solus in te regnet Jesus Christus.

tota nocte ascendens de Galgalis. ¹⁰ Et conturbavit eos Dominus a facie Israël: contrivitque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam ascensus Bethoron, et percussit usque Azeca et Maceda. ¹¹ Cumque fugerent filios Israël, et essent in descensu Bethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de cælo usque ad Azeca: et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israël. ¹² Tunc locutus est Josue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israël, dixitque coram eis: [Sol, contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Ajalon. ¹³ Steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.] Nonne scriptum est hoc in libro justorum? Stetit itaque sol in medio cæli, et non festinavit occumbere spatio unius diei. ¹⁴ Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israël. ¹⁵ Reversusque est Josue cum omni Israël in castra Galgalæ. ¹⁶ Fugerant enim quinque reges et se absconderant in spelunca urbis Maceda. ¹⁷ Nuntiatumque est Josue quod inventi essent quinque reges latentes in spelunca urbis Maceda. ¹⁸ Qui præcepit sociis, et ait: Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, et ponite viros industrios, qui clausos custodiant: ¹⁹ vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, et extremos quosque fugientium cædite: nec dimittatis eos urbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras. ²⁰ Cæsis ergo adversariis plaga magna, et usque ad interneccionem pene consumptis, hi qui Israël effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas. ²¹ Reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani et integro numero: nullusque contra filios Israël mutire ausus est. ²² Præcepitque Josue, dicens: Aperite os speluncæ, et producite ad me quinque reges, qui in ea latitant. ²³ Feceruntque ministri ut sibi fuerat imperatum: et eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, regem Jerusalem, regem Hebron, regem Jerimoth, regem Lachis, regem Eglon. ²⁴ Cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israël, et ait ad principes exercitus qui secum erant: Ite, et ponite pedes super colla regum istorum. Qui cum perrexissent, et subjectorum colla pedibus calcarent, ²⁵ rursum ait ad eos: Nolite timere, nec paveatis: confortamini, et estote robusti: sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis. ²⁶ Percussitque Josue, et interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites: fueruntque suspensi usque ad vesperum. ²⁷ Cumque occumberet sol, præcepit sociis ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos projecerunt in speluncam in qua latuerant, et posuerunt super os ejus saxa ingentia, quæ permanent usque in præsens. ²⁸ Eodem quoque die, Macedam cepit Josue, et percussit eam in ore gladii, regemque illius interfecit, et omnes habitatores ejus: non dimisit in ea saltem parvas reliquias. Fecitque regi Maceda sicut fecerat regi Jericho. ²⁹ Transivit autem cum omni Israël de Maceda in Lebna, et pugnabat contra eam: ³⁰ quam tradidit Dominus cum rege suo in manus Israël: percusseruntque urbem in ore gladii, et omnes habitatores ejus: non dimiserunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi Lebna sicut fecerant regi Jericho. ³¹ De Lebna transivit in Lachis cum omni Israël: et exercitu per gyrum disposito, oppugnabat eam. ³² Tradiditque Dominus Lachis in manus Israël, et cepit eam die altero, atque

§§10.19 **Vos autem nolite stare.** ADAM., hom. 12. Bella Jesu et regum atque hostium strages, etc., **usque ad: quia Dominus Deus tradidit vobis omnes inimicos in manus.** ADAM., hom. 13. Omnia hæc in figura contingebant illis. Scripta sunt autem propter nos, etc., usque ad in hæreditatem terræ sanctæ in parte Israelitica extinctis hostibus nostris Ephes. 2..

percussit in ore gladii, omnemque animam quæ fuerat in ea, sicut fecerat Lebna. ³³ Eo tempore ascendit Horam rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis: quem percussit Josue cum omni populo ejus usque ad interneccionem. ³⁴ Transivitque de Lachis in Eglon, et circumdedit, ³⁵ atque expugnavit eam eadem die: percussitque in ore gladii omnes animas quæ erant in ea, juxta omnia quæ fecerat Lachis. ³⁶ Ascendit quoque cum omni Israël de Eglon in Hebron, et pugnavit contra eam: ³⁷ cepit eam, et percussit in ore gladii, regem quoque ejus, et omnia oppida regionis illius, universasque animas quæ in ea fuerant commoratae: non reliquit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Eglon, sic fecit et Hebron, cuncta quæ in ea reperit consumens gladio. ³⁸ Inde reversus in Dabir, ³⁹ cepit eam atque vastavit: regem quoque ejus atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladii: non dimisit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Hebron et Lebna et regibus earum, sic fecit Dabir et regi illius. ⁴⁰ Percussit itaque Josue omnem terram montanam et meridianam atque campestem, et Aseboth, cum regibus suis: non dimisit in ea ullas reliquias, sed omne quod spirare poterat interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israël, ⁴¹ a Cadesbarne usque Gazam. Omnem terram Gosen usque Gabaon, ⁴² universosque reges, et regiones eorum uno impetu cepit atque vastavit: Dominus enim Deus Israël pugnavit pro eo. ⁴³ Reversusque est cum omni Israël ad locum castrorum in Galgala.

11 Quæ cum audisset Jabin rex Asor, misit ad Jobab regem Madon, et ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph: ² ad reges quoque aquilonis, qui habitabant in montanis et in planitie contra meridiem Ceneroth, in campestribus quoque et in regionibus Dor juxta mare: ³ Chananæum quoque ab oriente et occidente, et Amorrhæum atque Hethæum ac Pherezæum et Jebusæum in montanis: Hevæum quoque qui habitabat ad radices Hermon in terra Maspha. ⁴ Egressique sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis sicut arena quæ est in littore maris, equi quoque et currus immensæ multitudinis. ⁵ Conveneruntque omnes reges isti in unum ad aquas Merom, ut pugnarent contra Israël. ⁶ Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israël: equos eorum subnervabis, et currus igne combures. ⁷ Venitque Josue, et omnis exercitus cum eo, adversus illos ad aquas Merom subito, et irruerunt super eos, ⁸ tradiditque illos Dominus in manus Israël. Qui percusserunt eos, et persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, et aquas Maserephoth, campumque Masphe, qui est ad orientalem illius partem. Ita percussit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias: ⁹ fecitque sicut præceperat ei Dominus: equos eorum subnervavit, currusque combussit igni. ¹⁰ Reversusque statim cepit Asor, et regem ejus percussit gladio. Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. ¹¹ Percussitque omnes animas quæ ibidem morabantur: non dimisit in ea ullas reliquias, sed usque ad in-

*11.1 *Quæ cum audisset Jabin*, etc. ADAMANT., hom. 24 in Jos. Has scripturas ante adventum Christi cum legeret Israël secundum carnem etc., usque ad ut expugnent nos, qui sequimur Jesum Salvatorem nostrum, sed Dominus ait: *Ne verearis a facie eorum*, etc.

ternecionem universa vastavit, ipsamque urbem peremit incendio.[†] ¹² Et omnes per circuitum civitates, regesque earum, cepit, percussit atque delevit, sicut præceperat ei Moyses famulus Domini.[‡] ¹³ Absque urbibus, quæ erant in collibus et in tumulis sitæ, ceteras succendit Israël: unam tantum Asor munitissimam flamma consumpsit. ¹⁴ Omnemque prædam istarum urbium ac jumenta diviserunt sibi filii Israël, cunctis hominibus interfectis. ¹⁵ Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Josue, et ille universa complevit: non præterit de universis mandatis, nec unum quidem verbum quod jusserat Dominus Moysi.[¶] ¹⁶ Cepit itaque Josue omnem terram montanam et meridianam, terramque Gosen, et planitiem, et occidentalem plagam, montemque Israël, et campestria ejus, ¹⁷ et partem montis, quæ ascendit Seir usque Baalgad, per planitiem Libani subter montem Hermon: omnes reges eorum cepit, percussit, et occidit. ¹⁸ Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos. ¹⁹ Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israël, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit.[§] ²⁰ Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israël, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi. ²¹ In illo tempore venit

[†]11.11 *Cras enim eadem hora.* ADAMAN., hom. 14 in Jos. Video quod hodie omnes illos non possumus opprimere, nec cunctos interficere: in crastino perimentur, id est post consummationem mundi, cum dicetur eis: *Ite in ignem æternum quem præparavit Deus diabolo et angelis ejus* Matth. 25.. Tunc enim si vicerimus sequentes Jesum ducem, percipiemus regnum quod præparavit Deus sanctis suis per Jesum Christum. ID., hom. 15. Nisi hæc bella figuram spiritualium gereret, etc., usque ad fecit ergo Jesus sicut præceperat ei Dominus. ORIG. Hoc ergo secundum mandatum Dei Jesus implevit, etc., usque ad quæ est Christus, et ipso jubente jugulandæ, ut nihil in nobis resideat quod respiret.

[‡]11.12 *Et omnes,* etc. ADAM. In omnibus nobis regnavit peccatum et fuit in omnibus, etc., usque ad nec imple præceptum quod dedit Dominus Jesus. *Sicut præceperat ei Moses,* etc. Hic est sermo legis secundum illud: *Habent Mosen et prophetas, audiant illos* Luc. 16.. Lex ergo præcepit nobis omnes reges peccati interficere, qui nos provocant ad peccatum. Sic fecit Jesus, nec quidquam transgressus est. Ipse est enim qui perimit vitia in nobis et regna peccati. Ipse etiam Christus omnia quæ præcepit Moses in lege fecit, unde: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* Gal. 4., etc. Omnia enim, quæ lex mandavit, implevit, ut nos redimeret a maledicto legis, qui ait: *Non veni solvere legem, sed adimplere* Matth. 5..

[¶]11.15 *Sicut præceperat Dominus Mosi servo suo, ita præcepit Moses.* AUG., quæst. 16 in Jos. Non putanda est crudelitas, quod nullum vivum in civitatibus sibi traditis dimisit Jesus, quia Deus hæc jusserat. Qui autem hic existimant ipsum Deum fuisse crudelem, et ideo Veteris Testamenti verum Deum fuisse auctorem credere nolunt, tam per verse de operibus Dei quam de peccatis hominum judicant, nescientes quo quisque dignus sit, et magnum putantes malum, cum casuri dejiciuntur et nortales moriuntur.

[§]11.19 *Non fuit.* AUG., quæst. 17. Quæritur quomodo hoc verum sit, cum nec postea a tempore judicum nec regum omnes omnino illarum septem gentium civitates capere potuerint Hebræi? Sed aut sic intelligendum est quod ad nullam civitatem bellando accessit Jesus quam non ceperit, aut certe nulla earum capta, sed earum quæ in regionibus supra memoratis fuerunt. Enumeratæ sunt enim regiones in quibus fuerunt civitates de quibus facta est ista conclusio, et omnes cepit bello. ADAM., hom. 15. Et accepit Jesus omnes in bello qui exierant ad bellum, etc., usque ad cum opera eorum non facimus. AUG., quæst. 18 in Jos. Quia per Dominum factum est confortari cor eorum, etc., usque ad partim pugnando caperent.

Josue, et interfecit Enacim de montanis, Hebron, et Dabir, et Anab, et de omni monte Juda et Israël, urbesque eorum delevit. ²² Non reliquit ullum de stirpe Enacim, in terra filiorum Israël: absque civitatibus Gaza, et Geth, et Azoto, in quibus solis relictus sunt. ²³ Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, et tradidit eam in possessionem filiis Israël secundum partes et tribus suas: quievitque terra a præliis.**

12 Hi sunt reges, quos percusserunt filii Israël, et possederunt terram eorum trans Jordanem ad solis ortum, a torrente Arnon usque ad montem Hermon, et omnem orientalem plagam, quæ respicit solitudinem.†† ² Sehon rex Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon, dominatus est ab Aroër, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, et mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad, usque ad torrentem Jaboc, qui est terminus filiorum Ammon. ³ Et a solitudine usque ad mare Ceneroth contra orientem, et usque ad mare deserti, quod est mare salsissimum, ad orientalem plagam per viam quæ ducit Bethsimoth: et ab australi parte, quæ subjacet Asedoth, Phasga. ⁴ Terminus Og regis Basan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, et in Edrai, et dominatus est in monte Hermon, et in Salecha, atque in universa Basan, usque ad terminos ⁵ Gessuri, et Machati, et dimidiæ partis Galaad: terminos Sehon regis Hesebon. ⁶ Moyses famulus Domini et filii Israël percusserunt eos, tradiditque terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis, et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse. ⁷ Hi sunt reges terræ, quos percussit Josue et filii Israël trans Jordanem ad occidentalem plagam, a Baalgad in campo Libani, usque ad montem cujus pars ascendit in Seir: tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israël, singulis partes suas, ⁸ tam in montanis quam in planis atque campestribus. In Asedoth, et in solitudine, ac in meridie, Hethæus fuit et Amorrhæus, Chananæus, et Pherezæus, Hevæus et Jebusæus. ⁹ Rex Jericho unus: rex Hai, quæ est ex latere Bethel, unus: ¹⁰ rex Jerusalem unus, rex Hebron unus, ¹¹ rex Jerimoth unus, rex Lachis unus, ¹² rex Eglon unus, rex Gazer unus, ¹³ rex Dabir unus, rex Gader unus, ¹⁴ rex Herma unus, rex Hered unus, ¹⁵ rex Lebna unus, rex Odullam unus, ¹⁶ rex Maceda unus, rex Bethel unus, ¹⁷ rex Taphua unus, rex Opher unus, ¹⁸ rex Aphec unus, rex Saron unus, ¹⁹ rex

** 11.23 *Quievitque.* ORIG., homil. 15. Non sub Jesu filio Nave, sub quo nunquam fere cessavit a bellis, sed sub Jesu Christo. Venisti enim ad Jesum, et in baptismo peccatorum remissionem consecutus es; jam in te non pugnat caro adversus spiritum et spiritus adversus carnem Galat. 5.. Cessavit ergo terra tua a bellis, si tam mortem Jesu in corpore tuo circumferas, ut cessantibus omnibus in te præliis, verus pacificus efficiaris, et voceris filius Dei. Sed hoc fiet cum bella transegeris, et adversarios subegeris: tunc requiesces sub vite tua, quæ est Christus, et sub ficu tua, quæ est Spiritus sanctus.

†† 12.1 HIER., de Loc. Hebr. Astaroth Carnaim, terra gigantum, quondam, in supercilio Sodomorum quos interfecit Chodorlaomor. Sunt hodieque duo castella in Batanea hoc vocabulo, novem inter se milliariis separata. Edrai, ubi interfectus est Og rex Basan, gigas. Nunc autem est Adara, insignis civitas Arabiæ, vigesimo quarto lapide ab Osdra. Esebon civitas Sehon regis Amorrhæorum, in terra Galaad: quæ cum fuisset ante Moabitarum, ab Amorrhæis belli jure possessa est. Salecha civitas regis Og, in regione Basanitide. Machati urbs Amorrhæorum super Jordanem, juxta montem Ermon. Jarimuth civitas quam subvertit Jesus, in tribu Juda, quarto distans ab Eleutheropoli lapide, juxta villam Eschaol. Lachis in tribu Juda. Meminit hujus Isaias et Jeremias, et nunc est villa in septimo milliario ab Eleutheropoli. Erma fuit in sorte Simeon, sive Juda, etc.

Madon unus, rex Asor unus, ²⁰rex Semeron unus, rex Achsaph unus, ²¹rex Thenac unus, rex Mageddo unus, ²²rex Cades unus, rex Jachanan Carmeli unus, ²³rex Dor et provinciæ Dor unus, rex gentium Galgal unus, ²⁴rex Thersa unus: omnes reges triginta unus.

13 Josue senex provectæque ætatis erat, et dixit Dominus ad eum: Senuisti, et longævus es, terraque latissima derelicta est, quæ necdum sorte divisa est: ^{‡‡} ²omnis videlicet Galilæa, Philistiim, et universa Gessuri. ³A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron contra aquilonem: terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philistiim dividitur, Gazæos, et Azotios, Ascalonitas, Gethæos, et Accaronitas. ⁴Ad meridiem vero sunt Hevæi, omnis terra Chanaan, et Maara Sidoniorum, usque Apeha et terminos Amorrhæi, ⁵ejusque confinia. Libani quoque regio contra orientem, a Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath; ⁶omnium qui habitant in monte a Libano usque ad aquas Maserephoth, universique Sidonii. Ego sum qui delebo eos a facie filiorum Israël. Veniat ergo in partem hæreditatis Israël, sicut præcepi tibi. ^{¶¶} ⁷Et nunc divide terram in possessionem novem tribubus, et dimidiæ tribui Manasse, ^{§§} ⁸cum qua Ruben et Gad possederunt terram, quam tradidit eis Moyses famulus Domini trans fluentia Jordanis, ad orientalem

^{‡‡}13.1 ADAMAN., hom. 16 in Jos. Presbyteri et seniores non pro longæva vita dicuntur, etc., usque ad sicut in omnibus princeps est, quia caput omnium est. **Terraque.** ID. Alia littera: **Et terra relicta est multa valde.** Superius dictum est, etc., usque ad qui vero ex necessitate subjicietur, cum novissimus inimicus destruetur mors, non erit in gratia.

^{¶¶}13.6 **Universique.** ADAM., hom. 16. Cum plurimas gentes enumerasset Jesus, de solis Sidoniis dixit: **Et omnes Sidonios ego exterminabo a facie filiorum Israël.** Sidonii vero interpretantur venatores. Hi sunt dæmones de quibus dicit Propheta: **Laqueos paraverunt pedibus meis** Psal. 56.. Istos exterminat Dominus, ut non sit qui laqueos tendat et retia ad decipiendas animas: et requiescat unusquisque sub vite sua et sub ficu sua.

^{§§}13.7 **Et nunc.** Post hoc autem legitur quia Moses dedit hæreditatem quibusdam, et postea Jesus secundum præceptum Domini distribuit hæreditatem. Per Mosen, legem intellige: qui secundum legem vixerunt, primi hæreditatem receperunt, sed extra terram promissionis. Cumque eam accepissent, non eam possident, neque dividunt inter se; sed exspectant usquequo eis per Jesum distribuatur in sortem. Hinc Apostolus ait: **Hi omnes testimonium habentes per fidem nondum consecuti sunt promissiones, Deo pro nobis aliquid melius providente, ne sine nobis consummarentur** Hebr. 11.. Habent igitur jam promissionem suam et requieverunt, digni iudicati per Mosen capere hæreditatem suam, sed adhuc pugnant pro his qui sub Jesu militant. Omnes enim Patres qui ante nos dormierunt, pugnant nobiscum et orationibus adjuvant, unde: **Abtinget synagoga illa hanc synagogam, sicut ablingit vitulus herbam viridem de campo.** Synagoga enim Domini quæ nos præcessit, ore et lingua consumet omnem contrariam synagogam, id est, orationibus consumet adversarios nostros. Orationibus ergo et verbi Dei meditatione et opere et sensu recto pugnandum est. ADAM., hom. 17. Sicut umbræ exemplari deserviunt cœlestium, etc., usque ad per Jesum accipiunt hæreditatem. **Tribui.** Levitis autem neque Moses dedit hæreditatem, neque Jesus. **Quia ipse Deus est hæreditas eorum.** Hi sunt forte qui in Ecclesia, virtute animi et meritorum gratia alios præcedunt. Hi sunt forte, qui in populo salvandorum sapientiæ et scientiæ operam tribuunt et mentem suam puram custodiunt, et omnibus præclaris virtutibus excolunt et simpliciores docent quomodo veniant ad salutem: horum hæreditas ipse Dominus est, qui est sapientia, quam præ cæteris omnibus dilexerunt.

plagam. ⁹ Ab Aroër, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in vallis medio, univ-
 saque campestria Medaba, usque Dibon, ¹⁰ et cunctas civitates Sehon regis Amor-
 rhæi, qui regnavit in Hesebon, usque ad terminos filiorum Ammon, ¹¹ et Galaad,
 ac terminum Gessuri et Machati, et omnem montem Hermon, et universam Basan,
 usque ad Salecha, ¹² omne regnum Og in Basan, qui regnavit in Astaroth et Edrai,
 ipse fuit de reliquiis Raphaim: percussitque eos Moyses, atque delevit. ¹³ Noluerun-
 tque disperdere filii Israël Gessuri et Machati: et habitaverunt in medio Israël usque
 in præsentem diem. ¹⁴ Tribui autem Levi non dedit possessionem: sed sacrificia et
 victimæ Domini Dei Israël, ipsa est ejus hæreditas, sicut locutus est illi. ¹⁵ Dedit
 ergo Moyses possessionem tribui filiorum Ruben juxta cognationes suas. ^{*} ¹⁶ Fuitque
 terminus eorum ab Aroër, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, et in valle ejusdem
 torrentis media: universam planitiem, quæ ducit Medaba, ¹⁷ et Hesebon, cunctosque
 viculos earum, qui sunt in campestribus: Dibon quoque et Bamothbaal, et oppidum
 Baalmaon, ¹⁸ et Jassa, et Cedimoth, et Mephaath, ¹⁹ et Cariathaim, et Sabama, et
 Sarathasar in monte convallis. ²⁰ Bethphogor et Asedoth, Phasga et Bethiesimoth,
²¹ et omnes urbes campestris, universaque regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit
 in Hesebon, quem percussit Moyses cum principibus Madian: Hevæum, et Recem,
 et Sur, et Hur, et Rebe duces Sehon habitatores terræ. ²² Et Balaam filium Beor ari-
 olum occiderunt filii Israël gladio cum ceteris interfectis. ²³ Factusque est terminus
 filiorum Ruben Jordanis fluvius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes
 suas urbium et viculorum. ²⁴ Deditque Moyses tribui Gad et filiis ejus per cogna-
 tiones suas possessionem, cujus hæc divisio est. ²⁵ Terminus Jaser, et omnes civitates
 Galaad, et dimidiam partem terræ filiorum Ammon, usque ad Aroër, quæ est contra
 Rabba, ²⁶ et ab Hesebon usque Ramoth, Masphe et Betonim: et a Manaim usque ad
 terminos Dabir. ²⁷ In valle quoque Betharan, et Bethnemra, et Socoth, et Saphon reli-
 quam partem regni Sehon regis Hesebon: hujus quoque finis, Jordanis est, usque ad
 extremam partem maris Cenereth trans Jordanem ad orientalem plagam. ²⁸ Hæc est
 possessio filiorum Gad per familias suas, civitates et villæ earum. ²⁹ Dedit et dimidiæ
 tribui Manasse, filiisque ejus juxta cognationes suas, possessionem, ³⁰ cujus hoc prin-
 cipium est: a Manaim universam Basan, et cuncta regna Og regis Basan, omnesque
 vicos Jair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida: ³¹ et dimidiam partem Galaad, et
 Astaroth, et Edrai, urbes regni Og in Basan: filiis Machir, filii Manasse, dimidiæ
 parti filiorum Machir juxta cognationes suas. ³² Hanc possessionem divisit Moyses in
 campestribus Moab trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagam. [†] ³³ Tribui
 autem Levi non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israël ipse est possessio
 ejus, ut locutus est illi.

14 Hoc est quod possederunt filii Israël in terra Chanaan, quam dederunt eis
 Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, et principes familiarum per tribus Is-
 raël: ² sorte omnia dividentes, sicut præceperat Dominus in manu Moysi, novem

^{*}13.15 *Tribui filiorum Ruben*, etc. ID. Invenio tamen aliquam differentiam in his
 quæ Moyses distribuit, etc., *usque ad: Cæcus cæco ducatum præbens in foveam
 cadet cum eo.*

[†]13.32 *Hanc*. ADAM., hom. 18 in Jos. Discamus ex lege, etc., *usque ad: Jesus et
 Eleazar simul ad dividendam terram.*

tribubus, et dimidiæ tribui.[‡] ³ Duabus enim tribubus, et dimidiæ, dederat Moyses trans Jordanem possessionem: absque Levitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos:[¶] ⁴ sed in eorum successerunt locum filii Joseph in duas divisi tribus, Manasse et Ephraim: nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta et pecora sua.[§] ⁵ Sicut præceperat Dominus Moysi, ita fecerunt filii Israëli, et diviserunt terram. ⁶ Accesserunt itaque filii Juda ad Josue in Galgala, locutusque est ad eum Caleb filius Jephone Cenezæus: Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me et te in Cadesbarne.^{**} ⁷ Quadraginta annorum eram quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem terram, nuntiavique ei quod mihi verum videbatur. ⁸ Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi: et nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum. ⁹ Juravitque Moyses in die illo, dicens: Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, et filiorum tuorum in æternum: quia secutus es Dominum Deum meum. ¹⁰ Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est, usque in præsentem diem. Quadraginta et quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israëli per solitudinem: hodie octoginta quinque annorum sum, ¹¹ sic valens ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quam ad gradiendum.^{††} ¹² Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, et urbes magnæ atque munitæ: si forte sit Dominus mecum, et potuero delere eos, sicut promisit mihi.^{‡‡} ¹³ Benedixitque ei Josue, et tradidit ei Hebron in possessionem: ¹⁴ atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezæo usque in præsentem diem, quia secutus

[‡]14.2 *Sorte omnia dividentes*, etc. ISID. Deletis gentibus, Josue sorte dividit populis terram promissionis: Christus quoque a facie fidelium suorum, gentes, id est gentilium errorum spiritus, ejecit, et sorte divisit terram, unicuique propria dona tribuens.

[¶]14.3 *Duabus*. ID. Moses trans Jordanem duabus tantum tribubus, usque ad perfectio ergo et summa omnium bonorum, in Spiritu sancto est. *Absque*. ID. Levitæ non accipiunt hæreditatem terræ, etc., usque ad ut possint dicere: *Dominus pars hæreditatis*, etc. Psal. 15.

[§]14.4 *Nec acceperunt*. ID. Habitacula Levitis, etc., usque ad qui dispensatione omnium vivunt.

^{**}14.6 *Locutus*. ADAM., hom. 18. Caleb primum hæreditatem accepit a Jesu, usque ad ipse enim omnia edocuit et aperuit; ipse revelavit Paulo, quia lex spiritualis esset. *Nosti*. ID. Hoc est quod dixit Dominus, etc., usque ad quia omnia sapienter scripsit.

^{††}14.11 *Sic valens*. Sanctus enim similiter valet, et in præsentibus, et in præteritis; et in novis, et in veteribus; in Evangeliiis et in lege. Hoc ergo est quod dicit valere se sub Jesu, sicut tunc cum Moyse, quia in utriusque Testamenti mysteriis cor vigilans valet.

^{‡‡}14.12 *Da ergo*. Nihil humile, nihil dejectum sanctus requirit, sed montem excelsum, in quo sunt civitates magnæ et munitæ, quia civitates munitas occupat sapiens, et destruit munitiones, in quibus confidunt impii. *In quo*. ADAM., hom. 18. Civitates et muri, sunt impiorum dogmata, etc., usque ad sicut effectus est Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, in Christo Jesu.

est Dominum Deum Israël. ¹⁵Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est: et terra cessavit a præliis.^{¶¶}

15 Igitur sors filiorum Judæ per cognationes suas ista fuit: a termino Edom, desertum Sin, contra meridiem, et usque ad extremam partem australis plagæ.^{§§}

² Initium ejus a summitate maris salsissimi, et a lingua ejus, quæ respicit meridiem.

³ Egrediturque contra ascensum Scorpionis, et pertransit in Sina: ascenditque in

¶¶14.15 *Et terra cessavit*, etc. ADAM., homil. 19 in Jos. Non est hoc scriptum in distributione Moysi, sed in distributione Jesu. Si ergo vis dignus effici, qui hæreditatem consequaris a Jesu, oportet te prius omnia bella finire et in pace consistere, ut de carnis tuæ terra dicatur: *quia cessavit terra a bellis*.

§§15.1 *Igitur sors filiorum Judæ*, etc. Cum consuetudo sit sanctæ Scripturæ quatuor partes orbis, quas axes vel plagas nominant, appellare, in descriptione finium tribus Judæ, duæ tantum nominantur. *Et facti sunt, inquit, fines filiorum tribus Juda secundum plebes eorum a finibus Idumææ, a deserto Sin ad occidentem*. Et cum descripsisset fines ab occidente, ait, *et ab oriente mare salsum*, septentrionem vero et meridiem reticuit. Fines ergo Judææ proximi sunt Idumææ finibus, quæ terrena interpretatur: post terrena enim statim sequuntur fines Judææ, sed a *deserto, inquit, Sin*, id est tentationum. Post tentationes ergo sequuntur fines hæreditatis Judæ. Oriens et Occidens nominantur vicina loca, quæ supra diximus, id est, confinia. Vallis quoque Ægypti vicina occidentalibus partibus designatur, quæ a deserto est ad occidentem. Ab oriente vero cinguntur fines mari salso. Post hæc a collibus, inquit, qui tendunt ad occidentem, et inde ascenditur ab occidente usque ad Cadesbarne, et sic protenditur ab occidente ad Cades. Hi sunt fines eorum ab Africa, et inde perrexit usque ad vallem Ægypti. Vide quomodo in occidentis partibus Africum Ægyptum et occasum nominat, ut sciat sibi quisque hæc esse transeunda, et ita demum ad tribum regiam pervenire, de qua ortus est Dominus noster. A finibus autem Idumææ est desertum Sin; ideo necesse est nos transire eremum tentationum, ut possimus pervenire in hæreditatem filiorum Juda. Ascendere quoque oportet ascensum collium Accabin, quod interpretatur scorpiones, quia transeundi sunt a nobis et calcandi scorpiones, de quibus scribit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones*, etc. Luc. 10. Qui ergo vult ingredi in hæreditatem tribus Judæ, ascendat istas ascensiones, calcet et evadat hos scorpiones. Forte hoc iter agenti Ezechieli dicebat Dominus, *Fili hominis, in medio scorpionum tu habitas* Ezech. 2.. Et sunt, inquit, fines usque ad Cadesbarne. Cades interpretatur sanctum vel sanctificatio. Fines ergo Judæ usque ad sanctificationem perveniunt. Dicitur etiam ab orientis partibus Judæ esse mare salsum, et post hæc in parte ejus nominatur fons solis, et civitas solis, et in eadem tribu est etiam civitas litterarum. Oportet ergo omnem qui vult introire in partem filiorum Juda, transire prius mare salsum, id est, mundi hujus undas et turbines superare, et omnia hujus mundi evadere quæ pro sui incerto et lubrico, marinis fluctibus comparantur, ut possit ad Judææ terram pervenire, et ad fontem solis justitiæ, qui est *fons aquæ salientis in vitam æternam*, et postea civitatem solis justitiæ invenire. Est et in Ægypto civitas solis, sed illa hujus solis nomen accepit quem Pater cœlestis oriri jubet super bonos et malos Matth. 5.. Illa vero quæ est in Judæa, sanctorum tantum efficitur, quia civitas Dei est, et fons ille supra dictus, fluvius effectus, lætificat civitatem Dei Psal. 45.. Tu quoque si undique munitus sis, et continentia muro circumdatus, patientiæ et magnanimitatis turribus confirmatus, efficiaris civitas Dei. Si vero ad hoc lumen scientiæ Dei tibi addideris, et te sol justitiæ irradiaverit, efficiaris civitas solis, vel civitatem solis sorte hæreditabis. Si autem in lege Dei die ac nocte studueris, et de manu tua liber legis non recesserit, efficietur hæreditas tua civitas litterarum. ADAM., hom. 20 in Jos. Non parum utilitatis confertur animæ, etc., usque ad sed cum transierit dies una et altera et tertia, suo tempore per occultos meatus, relata ad visum, cibi vel poculi virtus paulatim purgat aspectum.

Cadesbarne, et pervenit in Ebron, ascendens ad Addar, et circuiens Carcaa, ⁴ atque inde pertransiens in Asemona, et perveniens ad torrentem Ægypti: eruntque termini ejus mare magnum. Hic erit finis meridianæ plagæ. ⁵ Ab oriente vero erit initium, mare salsissimum usque ad extrema Jordanis: et ea quæ respiciunt ad aquilonem, a lingua maris usque ad eundem Jordanis fluvium. ⁶ Ascenditque terminus in Beth Hagla, et transit ab aquilone in Beth Araba, ascendens ad lapidem Boën filii Ruben: ⁷ et tendens usque ad terminos Debera de valle Achor, contra aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso ascensionis Adommim, ab australi parte torrentis: transitque aquas, quæ vocantur fons solis: et erunt exitus ejus ad fontem Rogel. ⁸ Ascenditque per convallē filii Ennom ex latere Jebusæi ad meridiem, hæc est Jerusalem: et inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom ad occidentem in summitate vallis Raphaim contra aquilonem: ⁹ pertransitque a vertice montis usque ad fontem aquæ Nephthoa: et pervenit usque ad vicos montis Ephron: inclinaturque in Baala, quæ est Cariathiarim, id est, urbs silvarum. ¹⁰ Et circuit de Baala contra occidentem, usque ad montem Seir: transitque juxta latus montis Jarim ad aquilonem in Cheslon: et descendit in Bethsames, transitque in Thamna. ¹¹ Et pervenit contra aquilonem partis Accaron ex latere: inclinaturque Sechrona, et transit montem Baala: pervenitque in Jebneel, et magni maris contra occidentem fine concluditur. ¹² Hi sunt termini filiorum Juda per circuitum in cognationibus suis. ¹³ Caleb vero filio Jephone dedit partem in medio filiorum Juda, sicut præceperat ei Dominus: Cariath Arbe patris Enac, ipsa est Hebron. ¹⁴ Delevitque ex ea Caleb tres filios Enac, Sesai et Ahiman et Tholmai de stirpe Enac. ¹⁵ Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id est, civitas litterarum. ¹⁶ Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, et ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. ¹⁷ Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb junior: deditque ei Axam filiam suam uxorem. ¹⁸ Quæ, cum pergerent simul, suasa est a viro suo ut peteret a patre suo agrum. Suspiravitque ut sedebat in asino: cui Caleb: Quid habes? inquit. ¹⁹ At illa respondit: Da mihi benedictionem: terram australem et arentem dedisti mihi; junge et irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius et inferius. ²⁰ Hæc est possessio tribus filiorum Juda per cognationes suas. ²¹ Erantque civitates ab extremis partibus filiorum Juda juxta terminos Edom a meridie: Cabseel et Eder et Jagur, ²² et Cyna et Dimona et Adada, ²³ et Cades et Asor et Jethnam, ²⁴ Ziph et Telem et Baloth, ²⁵ Asor nova et Carioth, Hesron, hæc est Asor; ²⁶ Amam, Sama, et Molada, ²⁷ et Asergadda et Hassemon et Bethphelet, ²⁸ et Hasersual et Bersabee et Baziothia, ²⁹ et Baala et Jim et Esem, ³⁰ et Eltholad et Cesil et Harma, ³¹ et Siceleg et Medemena et Sensenna, ³² Lebaoth et Selim et Aën et Remon. Omnes civitates viginti novem, et villæ earum. ³³ In campestribus vero: Estaol et Sarea et Asena, ³⁴ et Zanoë et Ængannim et Taphua et Enaim, ³⁵ et Jerimoth et Adullam, Socho et Azeca, ³⁶ et Saraim et Adithaim et Gedera et Gederothaim: urbes quatuordecim, et villæ earum. ³⁷ Sanan et Hadassa et Magdalgad, ³⁸ Delean et Masepha et Jecthel, ³⁹ Lachis et Bascath et Eglon, ⁴⁰ Chebbon et Leheman et Cethlis, ⁴¹ et Gideroth et Bethdagon

*15.13 *Caleb vero*. ADAM., hom. 20. Initium distributionis Jesu, etc., usque ad Nota quod Caleb dicitur filius Jephone, et Othoniel filius Cenez, qui est Caleb junior, id est consanguineus.

†15.18 *Sedens in asino. Cui*. GREG., lib. III Dialog., c. 34. Axa super asinum sedet, etc., usque ad ut prius irriguum superius, et post inferius poneretur.

et Naama et Maceda: civitates sedecim, et villæ earum. ⁴²Labana et Ether et Asan, ⁴³Jephtha et Esna et Nesib, ⁴⁴et Ceila et Achzib et Maresa: civitates novem, et villæ earum. ⁴⁵Accaron cum vicis et villulis suis. ⁴⁶Ab Accaron usque ad mare: omnia quæ vergunt ad Azotum et viculos ejus. ⁴⁷Azotus cum vicis et villulis suis. Gaza cum vicis et villulis suis, usque ad torrentem Ægypti, et mare magnum terminus ejus. ⁴⁸Et in monte: Samir et Jether et Socoth ⁴⁹et Danna et Cariathsenna, hæc est Dabir: ⁵⁰Anab et Istemo et Anim, ⁵¹Gosen et Olon et Gilo: civitates undecim et villæ earum. ⁵²Arab et Ruma et Esaan, ⁵³et Janum et Beththaphua et Apeca, ⁵⁴Athmatha, et Cariath Arbe, hæc est Hebron, et Sior: civitates novem, et villæ earum. ⁵⁵Maon et Carmel et Ziph et Jota, ⁵⁶Jezraël et Jucadam et Zanoë, ⁵⁷Accain, Gabaa et Thamna: civitates decem et villæ earum. ⁵⁸Halhul, et Besur, et Gedor, ⁵⁹Mareth, et Bethanoth, et Eltecon: civitates sex et villæ earum. ⁶⁰Cariathbaal, hæc est Cariathiarim urbs silvarum, et Arebba: civitates duæ, et villæ earum. ⁶¹In deserto Betharaba, Meddin, et Sachacha, ⁶²et Nebsan, et civitas salis, et Engaddi: civitates sex, et villæ earum. ⁶³Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere: habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.‡

16 Cecidit quoque sors filiorum Joseph ab Jordane contra Jericho et aquas ejus ab oriente: solitudo quæ ascendit de Jericho ad montem Bethel:¶ ² et egreditur de Bethel Luza: transitque terminum Archi, Ataroth: ³ et descendit ad occidentem juxta terminum Jephleti, usque ad terminos Beth-horon inferioris, et Gazer: finiunturque regiones ejus mari magno: ⁴ possederuntque filii Joseph, Manasses et Ephraim. ⁵ Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas: et possessio eorum contra orientem Ataroth Addar usque Beth-horon superiorem. ⁶ Egrediunturque confinia in mare: Machmethath vero aquilonem respicit, et circuit terminos contra orientem in Thanathselo: et pertransit ab oriente Janoë. ⁷ Descenditque de Janoë in Ataroth et Naaratha: et pervenit in Jericho, egrediturque ad Jordanem. ⁸ De Taphua pertransit contra mare in vallem arundineti, suntque egressus ejus in mare salsissimum. Hæc est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas. ⁹ Urbesque separatæ sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, et villæ earum. ¹⁰ Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitavitque Chananæus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarius.§

‡15.63 *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere.* ADAM., hom. 11 in Jos. Intelligimus spiritualiter habitasse Jebusæum cum Judæis in Jerusalem usque in præsentem diem secundum parabolam Evangelii, etc., usque ad hos non potuerunt ejicere filii Juda de Jerusalem usque in præsentem diem. *Jebusæum*, id est conculcationem, scandalum scilicet in Ecclesia facientes, et qui percepta mysteriorum notitia, verbi Dei margaritas impugnando conculcant. ORIG. ubi supra. *Jerusalem* Visio pacis interpretatur, etc., usque ad sed non omnes simul ejici possunt. *In præsentem diem*, id est sæculi æternitatem, more Scripturæ. Sed hoc ad litteram stare non potest: quomodo enim Jebusæus habitat cum filiis Juda in Jerusalem, quandiu durat hoc sæculum, cum nec filii Juda habitent ibi in sæculum? ¶16.1 *Cecidit*, etc. AUG., quæst. 19 in Jos. Sequitur.

§16.10 *Habitavitque Chananæus.* Et habitabat Chananæus in Ephrem, etc., usque ad Unde apparet a LXX interpositum, qui factum esse noverant. GREG., lib. IV Moral., c. 22. Chananæus, gentilis scilicet populus etc., usque ad quod ex se majora non subigit. ADAM., hom. 21 in Jos. Ephrem interpretatur *fructificatio*, etc., usque ad Subjecit Chananæos filiis Ephrem.

17 Cecidit autem sors tribui Manasse (ipse enim est primogenitus Joseph): Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque possessionem Galaad et Basan: ²et reliquis filiorum Manasse juxta familias suas, filiis Abiezer, et filiis Helec, et filiis Esriel, et filiis Sechem, et filiis Hopher, et filiis Semida. Isti sunt filii Manasse filii Joseph, mares, per cognationes suas. ³Salphaad vero filio Hopher filii Galaad filii Machir filii Manasse non erant filii, sed solæ filiæ: quarum ista sunt nomina: Maala et Noa et Hegla et Melcha et Thersa. ⁴Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis, et Josue filii Nun, et principum, dicentes: Dominus præcepit per manum Moysi, ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Deditque eis juxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum. ⁵Et ceciderunt funiculi Manasse, decem, absque terra Galaad et Basan trans Jordanem. ⁶Filiæ enim Manasse possederunt hæreditatem in medio filiorum ejus. Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse qui reliqui erant. ⁷Fuitque terminus Manasse ab Aser, Machmethath quæ respicit Sichem: et egreditur ad dexteram juxta habitatores fontis Taphuæ. ⁸Etenim in sorte Manasse ceciderat terra Taphuæ, quæ est juxta terminos Manasse filiorum Ephraim. ⁹Descenditque terminus vallis arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio sunt urbium Manasse: terminus Manasse ab aquilone torrentis, et exitus ejus pergit ad mare: ¹⁰ita ut possessio Ephraim sit ab austro, et ab aquilone Manasse, et utramque claudat mare, et jungantur sibi in tribu Aser ab aquilone, et in tribu Issachar ab oriente. ¹¹Fuitque hæreditas Manasse in Issachar et in Aser, Bethsan et viculi ejus, et Jeblaam cum viculis suis, et habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores quoque Endor cum viculis suis: similiterque habitatores Thenac cum viculis suis, et habitatores Mageddo cum viculis suis, et tertia pars urbis Nopheth. ¹²Nec potuerunt filii Manasse has civitates subvertere, sed cœpit Chananæus habitare in terra sua.** ¹³Postquam autem convalescerunt filii Israël, subjecerunt Chananæos, et fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos. ¹⁴Locutique sunt filii Joseph ad Josue, et dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius, cum sim tantæ multitudinis, et benedixerit mihi Dominus?†† ¹⁵Ad quos Josue ait: Si populus multus es, ascende in silvam, et succide tibi spatia in terra Pherezæi et Raphaim: quia angusta est tibi possessio montis Ephraim. ¹⁶Cui responderunt filii Joseph: Non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in terra campestri, in qua sitæ sunt Bethsan cum viculis suis, et Jezraël mediam possidens vallem. ¹⁷Dixitque Josue ad domum Joseph, Ephraim et Manasse: Populus multus es, et magnæ fortitudinis: non habebis sortem unam, ¹⁸sed transibis ad montem, et succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia: et poteris ultra procedere cum subverteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, et esse fortissimum.

18 Congregatique sunt omnes filii Israël in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonii, et fuit eis terra subjecta. ²Remanserant autem filiorum Israël septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas. ³Ad quos Josue ait:

**17.12 *Nec potuerunt.* ADAM., hom. 22 in Jos. Chananæi tertio dicuntur esse in filiis Ephrem, etc., usque ad exterminari a nobis dicitur Chananæus. ADAM., nom. 22. Illud quoque prætereundum est, etc., usque ad in dotem transcribit.

††17.14 *Locutique sunt.* ORIG., hom. 22. Post hæc videndum est, etc., usque ad ut naturalis vigor ingenitæ virtutis effulgeat. *Non poterimus ad montana.* ADAM., ibid. Non sufficit nobis mons, etc., usque ad de Israëlitis faciant Chananæos.

Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis? ⁴ Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, et pergant atque circumeant terram, et describant eam juxta numerum uniuscujusque multitudinis: referantque ad me quod descripserint. ⁵ Dividite vobis terram in septem partes: Judas sit in terminis suis ab australi plaga, et domus Joseph ab aquilone. ⁶ Mediam inter hos terram in septem partes describe: et huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem:†† ⁷ quia non est inter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini est eorum hæreditas. Gad autem et Ruben, et dimidia tribus Manasse, jam acceperant possessiones suas trans Jordanem ad orientalem plagam, quas dedit eis Moyses famulus Domini. ⁸ Cumque surrexissent viri, ut pergerent ad describendam terram, præcepit eis Josue, dicens: Circuite terram, et describe eam, ac revertimini ad me: ut hic coram Domino, in Silo, mittam vobis sortem. ⁹ Itaque perrexerunt: et lustrantes eam, in septem partes dividerunt, scribentes in volumine. Reversique sunt ad Josue in castra Silo. ¹⁰ Qui misit sortes coram Domino in Silo, divisitque terram filiis Israël in septem partes. ¹¹ Et ascendit sors prima filiorum Benjamin per familias suas, ut possiderent terram inter filios Juda et filios Joseph. ¹² Fuitque terminus eorum contra aquilonem a Jordane: pergens juxta latus Jericho septentrionalis plagæ, et inde contra occidentem ad montana conscendens et perveniens ad solitudinem Bethaven, ¹³ atque pertransiens juxta Luzam ad meridiem, ipsa est Bethel: descenditque in Ataroth Ad-dar, in montem qui est ad meridiem Beth-horon inferioris: ¹⁴ et inclinatur circuiens contra mare ad meridiem montis qui respicit Beth-horon contra Africum: suntque exitus ejus in Cariath-baal, quæ vocatur et Cariathiarim, urbem filiorum Juda. Hæc est plaga contra mare, ad occidentem. ¹⁵ A meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, et pervenit usque ad fontem aquarum Nephtoa. ¹⁶ Descenditque in partem montis, qui respicit vallem filiorum Ennom: et est contra septentrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim. Descenditque in Geennom (id est, vallem Ennom) juxta latus Jebusæi ad austrum: et pervenit ad fontem Rogel, ¹⁷ transiens ad aquilonem, et egrediens ad Ensemes, id est, fontem solis: ¹⁸ et pertransit usque ad tumulos, qui sunt e regione ascensus Adommim: descenditque ad Abenboën, id est, lapidem Boën filii Ruben: et pertransit ex latere aquilonis ad campestria: descenditque in planitiem, ¹⁹ et prætergreditur contra aquilonem Beth Hagla: suntque exitus ejus contra linguam maris salsissimi ab aquilone in fine Jordanis ad australem plagam: ²⁰ qui est terminus illius ab oriente. Hæc est possessio filiorum Benjamin per terminos suos in circuitu, et familias suas. ²¹ Fueruntque civitates ejus, Jericho et Beth Hagla et vallis Casis, ²² Beth Araba et Samaraim et Bethel ²³ et Avim et Aphara et Ophera, ²⁴ villa Emona et Ophni et Gabee: civitates duodecim, et villæ earum. ²⁵ Gabaon et Rama et Beroth, ²⁶ et Mesphe et Caphara, et Amosa ²⁷ et Recem, Jarephel et Tharela, ²⁸ et Sela, Eleph, et Jebus, quæ est Jerusalem, Gabaath et Cariath: civitates quatuordecim, et villæ earum. Hæc est possessio filiorum Benjamin juxta familias suas.

††18.6 *Mittam vobis.* ADAM., hom. 23 in Jos. In consuetudine hominum, etc., usque ad ut non alii daretur terrestri, quæ est figura cœlestis ID., hom. 23. Bethlehem quoque non sine certa ratione in fontem Judæ discernitur, etc., usque ad Unde Timotheo ait: *Memor esto verborum quæ commendo fidelibus hominibus, et his qui idonei sunt alios docere* II Tim. 2..

19 Et egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas: fuitque hæreditas[¶] ²eorum in medio possessionis filiorum Juda: Bersabee et Sabee et Molada ³et Hasersual, Bala et Asem ⁴et Eltholad, Bethul et Harma ⁵et Siceleg et Bethmarchaboth et Hasersusa ⁶et Bethlebaoth et Sarohen: civitates tredecim, et villæ earum. ⁷Ain et Remmon et Athar et Asan: civitates quatuor, et villæ earum: ⁸omnes viculi per circuitum urbium istarum usque ad Baalath Beer Ramath contra australem plagam. Hæc est hæreditas filiorum Simeon juxta cognationes suas, ⁹in possessione et funiculo filiorum Juda: quia major erat, et idcirco filii Simeon possederunt in medio hæreditatis eorum. ¹⁰Ceciditque sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas: factus est terminus possessionis eorum usque Sarid. ¹¹Ascenditque de mari et Merala, et pervenit in Debbaseth, usque ad torrentem qui est contra Jeconam. ¹²Et revertitur de Sared contra orientem in fines Ceseleththabor: et egreditur ad Dabereth, ascenditque contra Japhie. ¹³Et inde pertransit usque ad orientalem plagam Gethepher et Thacasin: et egreditur in Remmon, Amthar et Noa. ¹⁴Et circuit ad aquilonem Hanathon: suntque egressus ejus vallis Jephthaël, ¹⁵et Cateth et Naalol et Semeron et Jerala et Bethlehem: civitates duodecim, et villæ earum. ¹⁶Hæc est hæreditas tribus filiorum Zabulon per cognationes suas, urbes et viculi earum. ¹⁷Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas: ¹⁸fuitque ejus hæreditas Jezraël et Casaloth et Sunem ¹⁹et Hapharaim et Seon, et Anaharath ²⁰et Rabboth et Cesion, Abes, ²¹et Rameth, et Engannim, et Enhadda et Bethpesses. ²²Et pervenit terminus ejus usque Thabor et Sehesima et Bethsames, eruntque exitus ejus Jordanis: civitates sedecim, et villæ earum. ²³Hæc est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes et viculi earum. ²⁴Ceciditque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas: ²⁵fuitque terminus eorum Halcath et Chali et Beten et Axaph ²⁶et Elmelech et Amaad et Messal: et pervenit usque ad Carmelum maris et Sihor et Labanath, ²⁷ac revertitur contra orientem Bethdagon: et pertransit usque Zabulon et vallem Jephthaël contra aquilonem in Bethemec et Nehiel. Egrediturque ad lævam Cabul, ²⁸et Abran et Rohob et Hamon et Cana, usque ad Sidonem magnam. ²⁹Revertiturque in Horma usque ad civitatem munitissimam Tyrum, et usque Hosa: eruntque exitus ejus in mare de funiculo Achziba: ³⁰et Amma et Aphec et Rohob: civitates viginti duæ, et villæ earum. ³¹Hæc est possessio filiorum Aser per cognationes suas, urbesque et viculi earum. ³²Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per familias suas: ³³et cœpit terminus de Heleph et Elon in Saananim, et Adami, quæ est Neceb, et Jebnaël usque Lecum: et egressus eorum usque ad Jordanem: ³⁴revertiturque terminus contra occidentem in Azanotthabor, atque inde egreditur in Hucuca, et pertransit in Zabulon contra meridiem, et in Aser contra occidentem, et in Juda ad Jordanem contra ortum solis: ³⁵civitates munitissimæ, Assedim, Ser, et Emath, et Reccath et Genereth, ³⁶et Edema et Arama, Asor ³⁷et Cedes et Edrai, Enhasor, ³⁸et Jeron et Magdalel, Horem et Bethanath et Bethsames: civitates decem et novem, et villæ earum. ³⁹Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas, urbes et viculi earum. ⁴⁰Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima: ⁴¹et fuit terminus possessionis ejus Sara et Esthaol, et

[¶]19.1 *Filiorum.* AUG., quæst. 20 in Jos. Et Amorrhæus permansit ut habitaret in Elon, etc., usque ad quod ille non faceret. ADAM., hom. 24 in Jos. Juxta LXX mansit Amorrhæus habitare in Elon et in Sannanim, etc., usque ad Et abierunt filii Ephrem peragrarè terram secundum fines suos.

Hirsema, id est, civitas solis. ⁴²Selebin et Ajalon et Jethela, ⁴³Elon et Themna et Acron, ⁴⁴Elthece, Gebbethon et Balaath, ⁴⁵et Jud et Bane et Barach et Gethremmon: ⁴⁶et Mejarcon et Arecon, cum termino qui respicit Joppen, ⁴⁷et ipso fine concluditur. Ascenderuntque filii Dan, et pugnaverunt contra Lesem, ceperuntque eam: et percusserunt eam in ore gladii, et possederunt, et habitaverunt in ea, vocantes nomen ejus Lesem Dan, ex nomine Dan patris sui. ⁴⁸Hæc est possessio tribus filiorum Dan, per cognationes suas, urbes et viculi earum. ⁴⁹Cumque complisset sorte dividere terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israël possessionem Josue filio Nun in medio sui, ^{§§ 50}juxta præceptum Domini, urbem quam postulavit Thamnath Saraa in monte Ephraim: et ædificavit civitatem, habitavitque in ea. ⁵¹Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt Eleazar sacerdos, et Josue filius Nun, et principes familiarum ac tribuum filiorum Israël in Silo, coram Domino ad ostium tabernaculi testimonii: partitque sunt terram.

20 Et locutus est Dominus ad Josue, dicens: Loquere filiis Israël, et dic eis: ²Separate urbes fugitivorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi: ^{*}³ ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius, et possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis: ⁴cum ad unam harum confugerit civitatum, stabit ante portam civitatis, et loquetur senioribus urbis illius ea quæ se comprobent innocentem: sicque suscipient eum, et dabunt ei locum ad habitandum. ⁵Cumque ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus ejus: quia ignorans percussit proximum ejus, nec ante biduum triduumve ejus probatur inimicus. ⁶Et habitabit in civitate illa, donec stet ante iudicium, causam reddens facti sui, et moriatur sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc revertetur homicida, et ingrediatur civitatem et domum suam de qua fugerat. ⁷Decreveruntque Cedec in Galilæa montis Nephthali, et Sichem in monte Ephraim, et Cariatharbe, ipsa est Hebron in monte Juda. ⁸Et trans Jordanem contra orientalem plagam Jericho, statuerunt Bosor, quæ sita est in campestri solitudine de tribu Ruben, et Ramoth in Galaad de tribu Gad, et Gaulon in Basan de tribu Manasse. ⁹Hæ civitates constitutæ sunt cunctis filiis Israël, et advenis qui habitabant inter eos, ut fugeret ad eas qui animam nescius percussisset, et non moreretur in manu proximi, effusum sanguinem vindicare cupientis, donec staret ante populum expositurus causam suam.

21 Accesseruntque principes familiarum Levi ad Eleazarum sacerdotem, et Josue filium Nun, et ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israël: [†]²locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus præcepit

§§19.49 *Cumque*. ADAM., hom. 24. Vide mansuetudinem et humilitatem Jesu, etc., usque ad ut liberet Dominus Jesus introeat cordis nostri hospitium.

*20.2 *Separate urbes fugitivorum*, etc. ORIG., hom. 34 in Num. Ad civitates refugii confugiunt non omnes homicidæ, sed qui ignoranter homicidium commiserunt. Sunt enim aliqua peccata, quæ si proposito ac voluntate committimus, homicidas nos faciunt, et sunt alia quæ nos, si ignoranter admittimus, decernitur nobis, credo, et præparatur ex præcepto Dei aliquis locus, ubi ad certum tempus habitare debeamus, si qui non voluntaria peccata commisimus, si tamen mundi inveniamur ab his peccatis quæ voluntaria commissa sunt. Et ob hoc secernuntur quædam civitates refugii.

†21.1 *Accesserunt*. ADAM., hom. 25 in Jos. Omnes filii Israël acceperunt sortes suas in terra, etc., usque ad et recumbet cum Abraham, cum Isaac et Jacob in regno cælorum. ADAMANT. hom. 26. Supra dictum est, etc., usque ad orbem terræ implevit, et dona spiritalia credentibus tribuit.

per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta. ³ Dederuntque filii Israël de possessionibus suis juxta imperium Domini, civitates et suburbana earum. ⁴ Egressaque est sors in familiam Caath filiorum Aaron sacerdotis, de tribubus Juda, et Simeon, et Benjamin, civitates tredecim: ⁵ et reliquis filiorum Caath, id est Levitis, qui superfuert, de tribubus Ephraim, et Dan, et dimidia tribu Manasse, civitates decem. ⁶ Porro filii Gerson egressa est sors, ut acciperent de tribubus Issachar et Aser et Nephthali, dimidiaque tribu Manasse in Basan, civitates numero tredecim. ⁷ Et filiis Merari per cognationes suas de tribubus Ruben et Gad et Zabulon urbes duodecim. ⁸ Dederuntque filii Israël Levitis civitates et suburbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi, singulis sorte tribuentes. ⁹ De tribubus filiorum Juda et Simeon dedit Josue civitates, quarum ista sunt nomina, ¹⁰ filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim sors illis egressa est), ¹¹ Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Juda, et suburbana ejus per circuitum. ¹² Agros vero et villas ejus dederat Caleb filio Jephone ad possidendum. ¹³ Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugii civitatem, ac suburbana ejus: et Lobnam cum suburbanis suis: ¹⁴ et Jether, et Esthemo, ¹⁵ et Holon, et Dabir, ¹⁶ et Ain, et Jeta, et Bethsames, cum suburbanis suis: civitates novem de tribubus, ut dictum est, duabus. ¹⁷ De tribu autem filiorum Benjamin, Gabaon, et Gabæ, ¹⁸ et Anathoth et Almon, cum suburbanis suis: civitates quatuor. ¹⁹ Omnes simul civitates filiorum Aaron sacerdotis, tredecim, cum suburbanis suis. ²⁰ Reliquis vero per familias filiorum Caath Levitici generis, hæc est data possessio. ²¹ De tribu Ephraim urbes confugii, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gazer ²² et Cibsaim et Beth-horon, cum suburbanis suis, civitates quatuor. ²³ De tribu quoque Dan, Eltheco et Gabathon, ²⁴ et Ajalon et Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates quatuor. ²⁵ Porro de dimidia tribu Manasse, Thanach et Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates duæ. ²⁶ Omnes civitates decem, et suburbana earum, datæ sunt filiis Caath inferioris gradus. ²⁷ Filiis quoque Gerson Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugii civitates, Gaulon in Basan, et Bosram, cum suburbanis suis, civitates duas. ²⁸ Porro de tribu Issachar, Cesion, et Dabereh, ²⁹ et Jaramoth, et Engannim, cum suburbanis suis, civitates quatuor. ³⁰ De tribu autem Aser, Masal et Abdon, ³¹ et Helcath, et Rohob, cum suburbanis suis, civitates quatuor. ³² De tribu quoque Nephthali civitates confugii, Cedes in Galilæa, et Hammoth Dor, et Carthan, cum suburbanis suis, civitates tres. ³³ Omnes urbes familiarum Gerson, tredecim, cum suburbanis suis. ³⁴ Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias suas data est de tribu Zabulon, Jecnam, et Cartha ³⁵ et Damna et Naalol, civitates quatuor cum suburbanis suis. ³⁶ De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor et Jaser et Jethson et Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis. ³⁷ De tribu Gad civitates confugii, Ramoth in Galaad, et Manaim et Hesebon et Jazer, civitates quatuor cum suburbanis suis. ³⁸ Omnes urbes filiorum Merari per familias et cognationes suas, duodecim. ³⁹ Itaque civitates universæ Levitarum in medio possessionis filiorum Israël fuerunt quadraginta octo[‡] ⁴⁰ cum suburbanis suis, singulæ per familias

[‡]21.39 *Itaque*. ISID. Quod quadraginta duæ urbes accipiunt Levitæ, prædicatio significatur sanctorum. Ipsi enim possident doctrinam, quæ constat ex decalogo legis, et quadrifario numero Evangelii, quasi quaterdenas urbes habentes: quibus etiam adduntur duæ; quia cuncta quæ prædicant, morali et mystico sensu annuntiant.

distributæ. ⁴¹ Deditque Dominus Deus Israëli omnem terram, quam traditurum se patribus eorum juraverat: et possederunt illam, atque habitaverunt in ea. [¶] ⁴² Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes: nullusque eis hostium resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt. [§] ⁴³ Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.

22 Eodem tempore vocavit Josue Rubenitas, et Gaditas, et dimidiam tribum Manasse, ^{**} ² dixitque ad eos: Fecistis omnia quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis, ³ nec reliquistis fratres vestros longo tempore, usque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri. ⁴ Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem et pacem, sicut pollicitus est: revertimini, et ite in tabernacula vestra, et in terram possessionis, quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem: ⁵ ita dumtaxat ut custodiatis attente, et opere compleatis mandatum et legem quam præcepit vobis Moyses famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, et observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis in omni corde, et in omni anima vestra. ⁶ Benedixitque eis Josue, et dimisit eos. Qui reversi sunt in tabernacula sua. ⁷ Dimidiæ autem tribui Manasse possessionem Moyses dederat in Basan: et idcirco mediæ, quæ superfuit, dedit Josue sortem inter ceteros fratres suos trans Jordanem ad occidentalem plagam. Cumque dimitteret eos in tabernacula sua, et benedixisset eis, ⁸ dixit ad eos: In multa substantia atque divitiis revertimini ad sedes vestras, cum argento et auro, ære ac ferro, et veste multiplici: dividite prædam hostium cum fratribus vestris. ⁹ Reversique sunt, et abierunt filii Ruben, et filii Gad, et dimidia tribus Manasse, a filiis Israëli de Silo, quæ sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad terram possessionis suæ, quam obtinuerant juxta imperium Domini in manu Moysi. ¹⁰ Cumque venissent ad tumulos Jordanis in terram Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis. ^{††} ¹¹ Quod cum audissent filii Israëli, et ad eos certi nuntii detulissent, ædificasse filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, altare in terra Chanaan, super Jordanis tumulos, contra filios Israëli: ¹² convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent, et dimicaret contra eos. ¹³ Et interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotis, ¹⁴ et decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus. ¹⁵ Qui venerunt ad filios Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse in terram Galaad, dixeruntque ad eos: ¹⁶ Hæc mandat omnis populus Domini: Quæ est ista transgressio? cur reliquistis Dominum Deum Israëli, ædificantes altare sacrilegum, et a cultu illius recedentes? ¹⁷ an parum vobis est quod peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem

[¶]21.41 *Deditque Dominus.* AUG., quæst. 21. Quæritur cum Israël non solum usque ad diem mortis Jesu, etc., usque ad jam data fuerat in quamdam exercitationis utilitatem.

[§]21.42 *Nullusque eis.* ID., quæst. 22. Quod ait, etc., usque ad antequam singulis tribus sua loca defendenda dividerentur.

^{**}22.1 *Eodem tempore.* ADAMAN., hom. 26 in Job. Congregat Jesus filios Ruben et Gad, etc., usque ad omni impugnatione cessante.

^{††}22.10 *Cumque.* ADAMANT., hom. 26. Filii Ruben et Gad et dimidia tribus Manasse, etc., usque ad fit ergo unus grex, et unus pastor: illi justi, et isti justi Christiani.

macula hujus sceleris in nobis permanet, multique de populo corruerunt?^{††} 18 Et vos hodie reliquistis Dominum, et cras in universum Israël ira ejus desæviet. 19 Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram, in qua tabernaculum Domini est, et habitate inter nos: tantum ut a Domino et a nostro consortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei nostri. 20 Nonne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini, et super omnem populum Israël ira ejus incubuit? et ille erat unus homo, atque utinam solum periisset in scelere suo. 21 Responderuntque filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse, principibus legationis Israël: 22 Fortissimus Deus Dominus, fortissimus Deus Dominus, ipse novit, et Israël simul intelliget: si prævaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsentia: 23 et si ea mente fecimus ut holocausta, et sacrificium, et pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quærat et judicet: 24 et non ea magis cogitatione atque tractatu, ut diceremus: Cras dicent filii vestri filiis nostris: Quid vobis et Domino Deo Israël? 25 terminum posuit Dominus inter nos et vos, o filii Ruben, et filii Gad, Jordanem fluvium, et idcirco partem non habetis in Domino: et per hanc occasionem avertent filii vestri filios nostros a timore Domini. Putavimus itaque melius, 26 et diximus: Exstruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas, 27 sed in testimonium inter nos et vos, et sobolem nostram vestramque progeniem, ut serviamus Domino, et juris nostri sit offerre et holocausta, et victimas, et pacificas hostias: et nequaquam dicant cras filii vestri filiis nostris: Non est vobis pars in Domino. 28 Quod si voluerint dicere, respondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri, non in holocausta, neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum ac vestrum. 29 Absit a nobis hoc scelus, ut recedamus a Domino, et ejus vestigia relinquamus, exstructo altari ad holocausta, et sacrificia, et victimas offerendas, præter altare Domini Dei nostri, quod exstructum est ante tabernaculum ejus.[¶] 30 Quibus auditis, Phinees sacerdos, et principes legationis Israël, qui erant cum eo, placati sunt: et verba filiorum Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, libentissime susceperunt. 31 Dixitque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos: Nunc scimus quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis a prævaricatione hac, et liberastis filios Israël de manu Domini. 32 Reversusque est cum principibus a filiis Ruben et Gad de terra Galaad, finium Chanaan, ad filios Israël, et retulit eis. 33 Placuitque sermo cunctis audientibus. Et laudaverunt Deum filii Israël, et nequaquam ultra dixerunt, ut ascenderent contra eos, atque pugnarent, et delerent terram possessionis eorum. 34 Vocaveruntque filii Ruben, et filii Gad, altare quod exstruxerant, Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus.

23 Evoluto autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israël, subjectis in gyro nationibus universis, et Josue jam longævo, et persenilis ætatis, 2 vocavit Josue omnem Israël, majoresque natu, et principes ac duces, et magistros, dixitque ad eos: Ego senui, et progressioris ætatis sum: 3 vosque cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipse pugnaverit: 4 et nunc quia vobis sorte divisit omnem terram, ab orientali parte Jordanis usque ad mare magnum, multæque adhuc supersunt nationes:

^{††}22.17 **Multi.** ADAM. Cadebat ergo aliquando populus in deserto et moriebatur, etc., usque ad et ubi est verus Israël in Christo Jesu Domino nostro.

[¶]22.29 **Exstructo.** AUG., quæst. 32 in Jos. *Et in sacrificiis salutarium nostrorum.* Quia pluraliter dicta sunt sacrificia, etc., usque ad Solus enim Salvator est ipse

⁵ Dominus Deus vester disperdet eas et auferet a facie vestra, et possidebitis terram, sicut vobis pollicitus est. ⁶ Tantum confortamini, et estote solliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi: et non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad sinistram: ⁷ ne postquam intraveritis ad gentes quæ inter vos futuræ sunt, juretis in nomine deorum earum, et serviatis eis, et adoretis illos: ⁸ sed adhæreatis Domino Deo vestro: quod fecistis usque in diem hanc. ⁹ Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas et robustissimas, et nullus vobis resistere poterit. ¹⁰ Unus e vobis persequetur hostium mille viros: quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est. ¹¹ Hoc tantum diligentissime præcavete: ut diligatis Dominum Deum vestrum. ¹² Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, et cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare: ¹³ jam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis. ¹⁴ En ego hodie ingredior viam universæ terræ, et toto animo cognoscetis quod de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum.^{§§} ¹⁵ Sicut ergo implevit opere quod promisit, et prospera cuncta venerunt: sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis, ¹⁶ eo quod præterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, et servieritis diis alienis, ad adoraveritis eos: cito atque velociter consurget in vos furor Domini, et auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis.

24 Congregavitque Josue omnes tribus Israël in Sichem, et vocavit majores natu, ac principes, et judices, et magistros: steteruntque in conspectu Domini, ² et ad populum sic locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor: servieruntque diis alienis. ³ Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, et adduxi eum in terram Chanaan, multiplicavique semen ejus, ^{*} ⁴ et dedi ei Isaac: illique rursum dedi Jacob et Esau. E quibus, Esau dedi montem Seir ad possidendum: Jacob vero et filii ejus descenderunt in Ægyptum. ⁵ Misique Moysen et Aaron, et percussi Ægyptum multis signis atque portentis. ⁶ Eduxique vos et patres vestros de Ægypto, et venistis ad mare: persecutique sunt Ægyptii patres vestros cum curribus et equitatu, usque ad mare Rubrum. ⁷ Clamaverunt autem ad Dominum filii Israël: qui posuit tenebras inter vos et Ægyptios, et adduxit super eos mare, et operuit eos. Viderunt oculi vestri cuncta quæ in Ægypto fecerim, et habitastis in solitudine multo tempore: ⁸ et introduxi vos in terram Amorrhæi, qui habitabat trans Jordanem. Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras, et possedistis terram eorum, atque interfecistis eos. ⁹ Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, et pugnavit contra Israël. Misitque et vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis: ¹⁰ et ego nolui audire eum, sed e contrario per illum benedixi vobis, et liberavi vos de manu ejus. ¹¹ Transistisque Jordanem, et venistis ad Jericho. Pugnaveruntque contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus et Pherezæus, et Chananæus, et Hethæus,

§§23.14 *En ego hodie ingrediar.* AUG., quæst. 24. Quod autem dicit Jesus, etc., usque ad ideo et hic ita hoc verbum interpretatum est.

*24.3 *Tuli ergo patrem vestrum.* AUG. Quod LXX habent, etc., usque ad quod est verum semen Abrahæ.

et Gergezæus, et Hevæus, et Jebusæus: et tradidi illos in manus vestras.[†] ¹² Misique ante vos crabrones: et ejeci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo.[‡] ¹³ Dedique vobis terram, in qua non laborastis, et urbes quas non ædificastis, ut habitaretis in eis: vineas, et oliveta, quæ non plantastis. ¹⁴ Nunc ergo timete Dominum, et servite ei perfecto corde atque verissimo: et auferte deos quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia et in Ægypto, ac servite Domino. ¹⁵ Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis: utrum diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: ego autem et domus mea serviemus Domino. ¹⁶ Responditque populus, et ait: Absit a nobis ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis. ¹⁷ Dominus Deus noster, ipse eduxit nos et patres nostros de terra Ægypti, de domo servitutis: fecitque videntibus nobis signa ingentia, et custodivit nos in omni via per quam ambulavimus, et in cunctis populis per quos transivimus. ¹⁸ Et ejecit universas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster. ¹⁹ Dixitque Josue ad populum: Non poteritis servire Domino: Deus enim sanctus et fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis.[¶] ²⁰ Si dimiseritis Dominum, et servieritis diis alienis, convertet se, et affliget vos atque subvertet, postquam vobis præstiterit bona. ²¹ Dixitque populus ad Josue: Nequaquam ita ut loqueris erit, sed Domino serviemus. ²² Et Josue ad populum: Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum ut serviatis ei. Responderuntque: Testes. ²³ Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio vestri, et inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israël.[§] ²⁴ Dixitque populus ad Josue: Domino Deo nostro serviemus, et obedientes erimus præceptis ejus. ²⁵ Percussit ergo Josue in die illo fœdus, et proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem. ²⁶ Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: et tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini: ²⁷ et dixit ad omnem populum: En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini, quæ locutus est vobis: ne forte postea negare velitis, et mentiri Domino Deo vestro. ²⁸ Dimisitque populum, singulos in possessionem suam. ²⁹ Et post hæc mortuus est Josue filius Nun servus Domini, centum et decem annorum: ³⁰ sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare, quæ est sita in monte Ephraim, a septentrionali parte montis Gaas. ³¹ Servivitque Israël Domino cunctis diebus Josue et seniorum, qui longo vixerunt tempore post Josue, et qui noverunt omnia opera Domini quæ fecerat in Israël. ³² Ossa quoque Joseph, quæ tulerant filii Israël de Ægypto, sepelierunt in

[†]24.11 *Pugnaverunt.* AUG., quæst. 26 in Jos. Clausis portis se murorum ambitu tuebantur, etc., usque ad armata defensio.

[‡]24.12 *Crabrones.* AUG., quæst. 27. LXX: *Vespas.* Id est forte translative acerrimos timoris aculeos, quibus quodammodo timoribus pungebantur fugerent, aut æreos occultos spiritus, quod in Psalmis dicitur, *per angelos malos*, nisi quis dicat, non omnia quæ facta sunt esse scripta, et velit veras vespas intelligi.

[¶]24.19 *Non poteritis.* AUG., quæst. 28 in Jos. Non poteritis servire Domino, etc., usque ad et postea superabundaret gratia per Jesum Christum, qui est finis legis.

[§]24.23 *Auferte.* AUG., quæst. 29 in Jos. Quid est quod ait, etc., *usque ad: facie ad faciem cognoscamus eum* I Cor. 13.. AUG., quæst. 30 in Jos. *Et disposuit Jesus testamentum*, etc. Hæc verba qui altius perscrutantur, etc., *usque ad: sed omnes me dereliquerunt, quod non illis imputetur* II Tim. 4..

Sichem, in parte agri quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem, centum novellis ovibus, et fuit in possessionem filiorum Joseph. ³³ Eleazar quoque filius Aaron mortuus est: et sepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus, quæ data est ei in monte Ephraim.

INCIPIIT LIBER SOPHIM ID EST IUDICUM

1 Post mortem Josue, consuluerunt filii Israël Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananæum, et erit dux belli? ^{**} **2** Dixitque Dominus: Judas ascendet: ecce tradidi terram in manus ejus. ^{††} **3** Et ait Judas Simeoni fratri suo: Ascende mecum in sortem meam, et pugna contra Chananæum, ut et ego pergam tecum in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon. **4** Ascenditque Judas, et tradidit Dominus Chananæum ac Pherézæum in manus eorum: et percusserunt in Bezec decem millia virorum. **5** Inveneruntque Adonibezec in Bezec, et pugnaverunt contra eum, ac percusserunt Chananæum et Pherézæum. **6** Fugit autem Adonibezec: quem persecuti comprehenderunt, cæsis summatibus manuum ejus ac pedum. **7** Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Jerusalem, et ibi mortuus est. **8** Oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem, ceperunt eam, et percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem. **9** Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, et ad meridiem, et in campestribus. **10** Pergensque Judas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron (cujus nomen fuit antiquitus Cariath Arbe), percussit Sesai, et Ahiman, et Tholmai: **11** atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cujus nomen vetus erat Cariath Sepher, id est, civitas litterarum. **12** Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, et vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. ^{‡‡} **13** Cumque cepisset eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor, dedit ei Axam

^{**}1.1 *Præfatio* Hebraice SOPHETIMATHANAS., in Synopsi. Vocatur hic liber Judicum, propterea quod post mortem Jesu Nave, populum suum Deus a relictis Chananæorum gentibus pressum, per iudices servavit; quorum hoc volumine singulorum facta et vitæ tempus continentur, etc. Fuerunt autem numero tredecim: et anni illorum fuerunt quadringenti et undecim. ISID., in lib. Judic., cap. 1. Historia libri Judicum non parva mysteriorum indicat sacramenta. Post Josue enim succedunt Iudices, sicut post Christum apostoli et ecclesiarum rectores ad regendos fideles, quos ipse ad spem promissionis æternæ perducit. Per omnia autem in hoc volumine Judaici populi delicta, et servitus clamorque eorum et miseratio Dei continentur. Multis enim annis pro peccatis suis servierunt, et conversi liberati sunt: quia peccata nostra vires hostibus præbent; et quando malum facimus in conspectu Domini, confortantur adversarii nostri, id est dæmones. Cum autem convertimur, suscitatur Deus iudices et salvatores, id est principes et doctores quos mittit in auxilium eorum qui toto corde clamant ad Deum. AUG., quæst. 1 in lib. Judic. In fine libri Jesu Nave breviter narratur porrexit historiam quousque filii Israël ad colendos deos alienos declinaverunt. In hoc autem libro ad ordinem reditur, quomodo consequentia gesta fuerint post mortem Jesu Nave. Non ergo ab illo tempore incipit liber, quo populus ad colenda simulacra defluxit: sed a prioribus, interpositis temporibus, quibus ea gesta sunt, postquam ad illa pervenit.

^{††}1.2 *Dixitque Dominus: Judas ascendet*, etc. ID., quæst. 2. Quæritur utrum aliquis homo Judas vocabatur, an ipsam tribum de more sic appellavit, etc., usque ad tunc assumpta etiam tribus Simeon ad pugnandum.

^{‡‡}1.12 *Dixitque*, etc. AUG., quæst. 3. *Quicumque percusserit civitatem litterarum et ceperit eam, dabo ei filiam meam in uxorem*. Hoc in libro Jesu memoratum est, etc., usque ad nec tamen hic frustra arbitror hoc de filia Caleb data in victoris præmium bis Scripturam memorasse.

filiam suam conjugem. ¹⁴ Quam pergentem in itinere monuit vir suus ut peteret a patre suo agrum. Quæ cum suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleb: Quid habes? ¹⁵ At illa respondit: Da mihi benedictionem, quia terram arenam dedisti mihi: da et irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, et irriguum inferius. ¹⁶ Filii autem Cinæi cognati Moysi ascenderunt de civitate palmarum cum filiis Juda, in desertum sortis ejus, quod est ad meridiem Arad, et habitaverunt cum eo. ¹⁷ Abiit autem Judas cum Simeone fratre suo, et percusserunt simul Chananæum qui habitabat in Sephaath, et interfecerunt eum. Vocatumque est nomen urbis, Horma, id est, anathema. ¹⁸ Cepitque Judas Gazam cum finibus suis, et Ascalonem, atque Accaron cum terminis suis. ¹⁹ Fuitque Dominus cum Juda, et montana possedit: nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. [¶] ²⁰ Dederuntque Caleb Hebron, sicut dixerat Moyses, qui delevit ex ea tres filios Enac. ²¹ Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Benjamin: habitavitque Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem, usque in præsentem diem. ^{§§} ²² Domus quoque Joseph ascendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis. ²³ Nam cum obsiderent urbem, quæ prius Luza vocabatur, ²⁴ viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum: Ostende nobis introitum civitatis, et faciemus tecum misericordiam. ²⁵ Qui cum ostendisset eis, percusserunt urbem in ore gladii: hominem autem illum, et omnem cognationem ejus, dimiserunt. ²⁶ Qui dimissus, abiit in terram Hetthim, et ædificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam: quæ ita appellatur usque in præsentem diem. ²⁷ Manasses quoque non delevit Bethsan, et Thanac cum viculis suis, et habitatores Dor, et Jeblaam, et Mageddo cum viculis suis, cœpitque Chananæus habitare cum eis. ^{*} ²⁸ Postquam autem confortatus est Israël, fecit eos tributarios, et delere noluit. ²⁹ Ephraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo. ³⁰ Zabulon non delevit habitatores Cetron, et Naalol: sed habitavit Chananæus in medio ejus, factusque est ei tributarius. ³¹ Aser quoque non delevit habitatores Accho, et Sidonis, Ahalab, et Achazib, et Helba, et Aphec, et Rohob: ³² habitavitque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum. ³³ Nephthali quoque non delevit habitatores Bethsames, et Bethanath: et habitavit inter Chananæum habitatorem terræ, fueruntque ei Bethsamitæ et Bethanitæ tributarii. ³⁴ Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent: [†] ³⁵ habitavitque in monte Hares, quod interpretatur testaceo, in Ajalon et Salebim. Et aggravata est manus domus Joseph, factusque est ei tributarius. ³⁶ Fuit autem terminus Amorrhæi ab ascensu Scorpionis, petra, et superiora loca.

2 Ascenditque angelus Domini de Galgalis ad Locum flentium, et ait: Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris: et pollicitus sum

[¶]1.19 *Nec potuit.* ID., quæst. 5 in Jud. In hoc ipso fuit Dominus, etc., usque ad dum dicit Apostolus: *Ne magnitudinem revelationum extollat*, etc II Cor. 12..

^{§§}1.21 *Jebusæum.* AUG., quæst. 7 in Jud. Superius legitur eadem civitas, etc., usque ad non sine illo tenuerunt terram quam possidebant.

^{*}1.27 *Manasses.* AUG., quæst. 8. Et non hæreditavit Manasses Bethsan, etc., usque ad universam pene Asiam Scythas aliquando tenuisse.

[†]1.34 *Arctavitque.* AUG., quæst. 11 in Jud. *Et contribulavit Amorrhæos filios Dan in monte, quoniam non permisit eos descendere*, etc. Hoc autem in libro Jesu Nave præoccupando memoratum est; hic autem recapitulando.

ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum,[‡] 2 ita dumtaxat ut non feriretis foedus cum habitatoribus terræ hujus, sed aras eorum subverteretis: et nolulistis audire vocem meam: cur hoc fecistis? 3 Quam ob rem nolui delere eos a facie vestra: ut habeatis hostes, et dii eorum sint vobis in ruinam.[¶] 4 Cumque loqueretur angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israël, elevaverunt ipsi vocem suam, et fleverunt. 5 Et vocatum est nomen loci illius, Locus flentium, sive lacrimarum: immolaveruntque ibi hostias Domini. 6 Dimisit ergo Josue populum, et abierunt filii Israël unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam: 7 servieruntque Domino cunctis diebus ejus, et seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore, et noverant omnia opera Domini quæ fecerat cum Israël.[§] 8 Mortuus est autem Josue filius Nun, famulus Domini, centum et decem annorum,^{**} 9 et sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare in monte Ephraim, a septentrionali plaga montis Gaas. 10 Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos: et surrexerunt alii, qui non noverant Dominum, et opera quæ fecerat cum Israël. 11 Feceruntque filii Israël malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim. 12 Ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti, et secuti sunt deos alienos, deosque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, et adoraverunt eos: et ad iracundiam concitaverunt Dominum, 13 dimittentes eum, et servientes Baal et Astartoth.^{††} 14 Iratusque Dominus contra Israël, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus qui habitabant per gyrum: nec potuerunt resistere adversariis suis,^{‡‡} 15 sed quocumque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, et juravit eis, et vehementer afflicti sunt. 16 Suscitavitque Dominus iudices, qui liberarent eos de vastantium manibus: sed nec eos audire voluerunt, 17 fornicantes cum diis alienis, et adorantes eos. Cito deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum: et audientes mandata Domini, omnia fecere contraria. 18 Cumque Dominus iudices suscicaret, in diebus eorum flectebatur

[‡]2.1 *Ascenditque angelus.* AUG., quæst. 12 in Jud. Et ascendit angelus Domini, etc., usque ad quod ibi præoccupando memoravit.

[¶]2.3 *Quamobrem nolui delere.* AUG., quæst. 13 in Jud. Hinc intelligimus quædam ex ira Dei venire peccata. Ut enim dii gentium, inter quas non exterminatas Israëlita habitare voluerunt, essent eis in scandalum, id est, facerent eos scandalizari in Deo suo, eoque offenso vivere, indignans comminatus est Deus, quod manifestum est, magnum esse peccatum. *Dimisit ergo Josue.* AUG. Hoc per recapitulationem iteratur. Nam et mors Jesu Nave in hoc libro memoratur, ut tanquam ab exordio breviter cuncta insinuentur, ex quo dedit eis Dominus terram, et quomodo sub iudicibus vixerint, vel quæ perpessi sint; et iterum, reditur ad iudicum ordinem, ab eo qui primus est constitutus.

[§]2.7 *Et seniorunt.* ADAMAN., hom. 1 in Jud. Seniores qui cum Jesu vel post Jesum fuerunt, etc., usque ad dies vero seniorum sanctorum longævi sunt et prolixi.

^{**}2.8 *Mortuus est.* ID., hom. 2. In Paulo vivit Jesus, etc., usque ad et surrexit generatio altera, quæ nesciebat Jesum, etc. ADAMAN., hom. 2. Servieruntque Baalim, etc., usque ad tota anima et totis viribus diligimus; idola adoramus.

^{††}2.13 AUG., quæst. 16 in lib. Judic. *Et servierunt Baal et Astartibus.* Dicitur Baal esse nomen Jovis apud illas gentes, etc., usque ad Junonem pluraliter memorari voluisse. AUG., quæst. 17. Sed et in psalmo, etc., usque ad non pretio pecuniario fuerant redimendi.

^{‡‡}2.14 *Iratusque Dominus.* ORIG., hom. 2 in Jud. Cum quis Deo servit, etc., usque ad ne diabolo tradamur.

misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium. ¹⁹Postquam autem mortuus esset iudex, revertebantur, et multo faciebant pejora quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis, et adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas, et viam durissimam per quam ambulare consueverunt. ²⁰Iratusque est furor Domini in Israël, et ait: Quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, et vocem meam audire contempsit: ²¹et ego non delebo gentes, quas dimisit Josue, et mortuus est: ²²ut in ipsis experiat Israël, utrum custodiant viam Domini, et ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non. ²³Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, et cito subvertere noluit, nec tradidit in manus Josue.

3 Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israël, et omnes qui non noverant bella Chananæorum: ²ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem præliandi: ³quinque satrapas Philisthinorum, omnemque Chananæum, et Sidonium, atque Hevæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath. ⁴Dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israël, utrum audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non. ⁵Itaque filii Israël habitaverunt in medio Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi:^{¶¶} ⁶et duxerunt uxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, et servierunt diis eorum. ⁷Feceruntque malum in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui, servientes Baalim et Astaroth. ⁸Iratusque contra Israël Dominus, tradidit eos in manus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, servieruntque ei octo annis.^{§§} ⁹Et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Caleb minorem: ¹⁰fuitque in eo spiritus Domini, et iudicavit Israël. Egressusque est ad pugnam, et tradidit Dominus in manus ejus Chusan Rasathaim

^{¶¶}3.5 *In medio*. AUG., quæst. 17 in Jud. In Exodo dicit Deus, etc., usque ad eorum multitudo terras unde adversarii exterminarentur desertas esse non sineret. Quod autem ait: *Ne multiplicentur in te bestiae feræ*; mirum si non bestiales cupiditates et libidines intelligi voluit... non enim Deus homines exterminare poterat, et bestias non poterat.

^{§§}3.8 ADAM., hom. 3. *Et tradidit eos Dominus*, etc., usque ad odor teterrimus superbiæ renidet. ORIG., hom. 3 in Jud. Vide benignum Dominum, etc., usque ad qui per Othoniel vel Aioth disignantur.

regem Syriae, et oppressit eum.* ¹¹ Quievitque terra quadraginta annis, et mortuus est Othoniel filius Cenez. ¹² Addiderunt autem filii Israël facere malum in conspectu Domini: qui confortavit adversum eos Eglon regem Moab, quia fecerunt malum in conspectu ejus. ¹³ Et copulavit ei filios Ammon, et Amalec: abiitque et percussit Israël, atque possedit urbem palmarum. ¹⁴ Servieruntque filii Israël Eglon regi Moab decem et octo annis. ¹⁵ Et postea clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod, filium Gera, filii Jemini, qui utraque manu pro dextera utebatur. Miseruntque filii Israël per illum munera Eglon regi Moab.† ¹⁶ Qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, et accinctus est eo subter sagum in dextro femore. ¹⁷ Obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon crassus nimis. ¹⁸ Cumque obtulisset ei munera, persecutus est socios, qui cum eo venerant. ¹⁹ Et reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad regem: Verbum secretum habeo ad te, o rex. Et ille imperavit silentium: egressisque omnibus qui circa eum erant, ²⁰ ingressus est Aod ad eum: sedebat autem in æstivo cœnaculo solus: dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno.‡ ²¹ Extenditque Aod sinistram manum, et tulit sicam de dextro femore suo, infixitque eam in ventre ejus ²² tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat, reliquit in corpore: statimque per secreta naturæ alvi stercora proruperunt.¶ ²³ Aod autem clausis diligentissime ostiis cœnaculi, et obfirmatis sera, ²⁴ per posticum egressus est. Servique regis ingressi viderunt clausas fores cœnaculi, atque dixerunt: Forsitan purgat alvum in æstivo cubiculo. ²⁵ Expectantesque diu donec erubescerent, et

*3.10 *Fuit in eo Spiritus Domini*, etc. Magna laus est primi iudicis, quod Spiritus Domini factus est super eum: et per Spiritum Dei iudicavit populum, quod de alia dictum non valde memini. Sunt hodie ecclesiarum iudices, quibus datum est etiam iudicium animarum: sed nescio, si quis dignus sit Spiritu Dei repleri. *Fuitque in ADAM*. Postquam, scilicet, clamaverunt ad Dominum. Quis in nobis tam validum, tam justum clamorem emittit ad Dominum, ut mereatur populus accipere iudicem quem repleat Spiritus Dei, ut posset rectum tenere iudicium? Unde liber iste Iudicum dicitur, qui, scilicet, iudicaverunt populum Israël, viros, scilicet, mirabiles, sicut Josue fuit. Sicut et liber Regum, in quo dicitur quomodo quisque regum regnaverit, et quid egerit etiam malum: ut Ecclesiæ scilicet principes, vel iudices bona eorum imitentur, mala caveant. *Servieruntque Israël*. ADAM., ubi supra. Post decem et octo annos, etc., usque ad quibus dicitur: *Discedite a me, operarii iniquitatis, nescio vos: ite in ignem æternum*, etc. Luc. 13.. ID. Etiam mensuras pœnæ indicat divina Scriptura supra octo annis: hic decem et octo dicit. Certum est autem, quia secundum modum peccati, et conversionis moram, etiam castigationis tempora terminantur. Transierunt enim et isti decem et octo anni servitutis, et non dicitur quia clamaverunt ad Dominum vel conversi sunt a malitia sua: sed post.

†3.15 *Salvatorem*. ID., hom. 3. Salvatores vel iudices, etc., usque ad quæ dicit: *Ego sum via, veritas et vita* Joan. 14.. *Qui utraque manu pro dextera utebatur*. Secundum spiritualem intelligentiam, omnes sancti ambidextri dicuntur, diabolus et principes ejus, ambisinistri. Totum enim quod agunt, sinistrum est et perversum, æterno igni cum his, qui a sinistris sunt, deputatum.

‡3.20 *Ingressus est Aod*, etc. ADAM., hom. 4. Aod interpretatur *laus*. Arte enim callida, et laudabili usus deceptione, etc., usque ad cui dicitur a Domino: *Euge, serve bone*, etc.

¶3.22 *Pinguissimo*. AUG., quæst. 21. Merito quæritur, etc., usque ad ita invenimus. *Erat autem Eglon crassus nimis*.

videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem: et aperientes invenerunt dominum suum in terra jacentem mortuum.^{§ 26} Aod autem, dum illi turbarentur, effugit, et pertransiit locum idolorum, unde reversus fuerat. Venitque in Seirath: ²⁷ et statim insonuit buccina in monte Ephraim, descenderuntque cum eo filii Israël, ipso in fronte gradiente. ²⁸ Qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras. Descenderuntque post eum, et occupaverunt vada Jordanis quæ transmittunt in Moab: et non dimiserunt transire quemquam: ²⁹ sed percusserunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robustos et fortes viros. Nullus eorum evadere potuit. ³⁰ Humiliatusque est Moab in die illo sub manu Israël: et quievit terra octoginta annis. ³¹ Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de Philistiim sexcentos viros vomere: et ipse quoque defendit Israël.**

4 Addideruntque filii Israël facere malum in conspectu Domini post mortem Aod,†† ² et tradidit illos Dominus in manus Jabin regis Chanaan, qui regnavit in Asor: habuitque ducem exercitus sui nomine Sisaram, ipse autem habitabat in Haroseth gentium.‡‡ ³ Clamaveruntque filii Israël ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, et per viginti annos vehementer oppresserat eos. ⁴ Erat autem Debbora prophetis uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore.¶¶ ⁵ Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama et Bethel in monte Ephraim: as-

§3.25 *Tulerunt.* ID., quæst. 23. Quomodo pueri regis Eglon clavi aperuerunt, quod Aod clavi non clauserat? Aut si ille clavi clauserat, quomodo eam secum non tulerat, ut nec isti clavi aperire possent? Proinde aut alia clavis allata est, aut tale genus clausuræ fuit, quod sine clavi posset claudi, nec sine clavi aperiri. Nam sunt quædam talia, sicut ea quæ verudata [MSS., veruclata] dicuntur.

**3.31 *Post hunc.* ADAM., hom. 4. 70. Semgar, id est ibi advena. Omnes enim homines Dei advenæ sunt in hoc mundo; sicut ille, qui dicebat: *Advena ego sum, in terra apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei.* Hunc ergo Semgar Spiritus sanctus ibi advenam dicit, id est hic: quod enim Spiritui sancto, qui in cœlis est, ibi est, nobis hic est. *Post hunc.* AUG., quæst. 25. Quæritur quomodo post Aod pugnaverit Semgar pro Israël et eum salvasse dictus sit. Non enim fuerat captivatus vel jugo servitutis innexus. Sed ita salvavit, non quia hostis nocuerit; sed ne permetteretur nocere: quem credendum est bello cœpisse tentare, et hujus victoria fuisse repulsum. *Qui percussit.* ADAM., hom. 4. Semgar percussit Allophylos in sexcentis viris, etc., usque ad ut confidenter dicas: *Mihi autem absit gloriari,* etc.

††4.1 *Addideruntque filii* ORIG., hom. 4 in Jud. Quasi pro peccatis populi dux bonus obiit, etc., usque ad et Jabin principi Chananæorum.

‡‡4.2 *In manus Jabin regis Chanaan.* ADAM., hom. 4 in Jud. Princeps militiæ Jabin, etc., usque ad vel ecclesiæ populus gubernetur, vel cujusque animæ sensus.

¶¶4.4 *Erat.* ADAM., hom. 5. Secundum Apostolum, etc., usque ad quia confert hanc gratiam mentis puritas, non sexus diversitas. *Debbora.* Apis vel loquela, quæ prophetam significat; quæ suaves cœlestis doctrinæ favos, et dulcia divini eloquii mella componit. Unde: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel et favum ori meo!* Psal. CXVIII. Et alibi: *Judicia Domini, dicit propheta, pretiosa esse super aurum et lapidem pretiosum nimis, et dulciora super mel et favum.* Ibid. 10.

cendebantque ad eam filii Israëli in omne iudicium.⁸⁸ ⁶ Quæ misit et vocavit Barac filium Abinoëm de Cedès Nephthali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Israëli: Vade, et duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, et de filiis Zabulon: ⁷ ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison, Sisaram principem exercitus Jabin, et currus ejus, atque omnem multitudinem, et tradam eos in manu tua. ⁸ Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam.* ⁹ Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaque Debbora, et perrexit cum Barac in Cedès. ¹⁰ Qui, accitis Zabulon et Nephthali, ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo. ¹¹ Haber autem Cinæus recesserat quondam a ceteris Cinæis fratribus suis, filiis Hobab cognati Moysi: et tetenderat tabernacula usque ad vallem, quæ vocatur Sennim, et erat juxta Cedès. ¹² Nuntiatumque est Sisaræ quod ascendisset Barac filius Abinoëm in montem Thabor: ¹³ et congregavit nongentos falcatos currus, et omnem exercitum de Haroseth gentium ad torrentem Cison. ¹⁴ Dixitque Debbora ad Barac: Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas: en ipse ductor est tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, et decem millia pugnatorum cum eo. ¹⁵ Perterruitque Dominus Sisaram, et omnes currus ejus, universamque multitudinem in ore gladii ad conspectum Barac: in tantum, ut Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret, ¹⁶ et Barac persequeretur fugientes currus, et exercitum usque ad Haroseth gentium, et omnis hostium multitudo usque ad interneccionem caderet. ¹⁷ Sisara autem fugiens pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Jabin regem Asor, et domum Haber Cinæi. ¹⁸ Egressa igitur Jahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me, domine mi: intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum ejus, et opertus ab ea pallio,† ¹⁹ dixit ad eam: Da mihi, obsecro, paululum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, et dedit ei bibere, et operuit illum.‡ ²⁰ Dixitque Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi: et cum venerit aliquis interrogans te, et dicens: Numquid hic est aliquis? respondebis: Nullus est. ²¹ Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter et malleum: et ingressa abscondite et cum silentio, posuit supra tempus capitum ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad ter-

§§4.5 *Et sedebat sub palma*, etc. ADAM. Vide in quibus locis sedet prophetia, inter excelsa, scilicet, et domum Dei. Nihil humile, nihil vile erga prophetiæ sedem reperiri potest. Sicut Salomon dicit: quod in altis, scilicet portis civitatum, assistat, vel in murorum mœnibus habitet, vel in altis turribus libere agat. Inter domum Dei ergo et excelsa dicitur habitare. Non enim docet quæ super terram sunt quærere, sed quæ in cœlis, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Illuc nos hortatur ascendere: illuc discipulos suos molitur movere prophetia.

*4.8 *Si venis* AUG., quæst. 29 in Jud. Quid est quod respondens Barac Debboræ ait, etc., *usque ad*: id est, facit mecum prospera per angelum? ADAM., hom. 5. *Non ascendam, nisi tu ascenderit mecum*. Vides quomodo illis prioribus prophetia detulit eloquia Dei, etc., *usque ad*, cui nomen Jahel, traditur Sisara.

†4.18 *Egressa igitur* ADAM., hom. 5. Jahel mulier alienigena Ecclesiam significat, etc., usque ad æterno tradidit somno.

‡4.19 *Quæ aperuit* ADAM., hom. 5. Unaquæque anima hoc lacte evangelico et apostolico Sisaram in se sopiat et extinguat, etc., usque ad sed unum primis et novissimis victoriæ præmium dabitur.

ram: qui soporem morti consocians defecit, et mortuus est. ²² Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat: egressaque Jahel in occursum ejus, dixit ei: Veni, et ostendam tibi virum quem quæris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram jacentem mortuum, et clavum infixum in tempore ejus. [†] ²³ Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan coram filiis Israël: ²⁴ qui crescebant quotidie, et forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.

5 Cecineruntque Debhora et Barac filius Abinoëm in illo die, dicentes: [§] ² [Qui sponte obtulistis de Israël animas vestras ad periculum, benedicite Domino. ³ Audite, reges; auribus percipite, principes: ego sum, ego sum, quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israël. ⁴ Domine, cum exires de Seir, et transires per regiones Edom, terra mota est, cælique ac nubes distillaverunt aquis. ⁵ Montes fluxerunt a facie Domini, et Sinai a facie Domini Dei Israël. ⁶ In diebus Samgar filii Anath, in diebus Jahel quieverunt semitæ: et qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios. ^{**} ⁷ Cessaverunt fortes in Israël, et quieverunt: donec surgeret Debhora, surgeret mater in Israël. ⁸ Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit: clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israël.] ⁹ [Cor meum diligit principes Israël: qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino. ^{††} ¹⁰ Qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in iudicio, et ambulatis in via, loquimini. ^{**} ¹¹ Ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur justitiæ Domini, et clementia in fortes Israël: tunc descendit populus Do-

[†]4.22 *Egressaque*, etc. ADAM., hom. 5 in Jud. Occurrit Jahel, etc., usque ad fideli tactu prior consequitur sanitatem.

[§]5.1 *Cecineruntque Debhora et Barac*, etc. ADAM., hom. 6 in Jud. Si meminerimus quæ in superioribus dicta sunt, etc., usque ad vel culpa quæ per nostram venit ignaviam. *Audite*, etc. *Montes fluxerunt a facie Domini*. ADAM. Auribus percipite, omnes satrapæ. Sicut inferiores sunt regibus satrapæ, etc., usque ad digne ut rex ad audienda verba divina vocaberis.

^{**}5.6 *In*. Quievisse dicuntur semitæ, quæ in diebus Samgar ducis Israël præoccupatæ erant ab hostibus et non audebant in domum Domini ad orationem ascendere; a quibus non scribitur Samgar plene liberasse.

^{††}5.9 *Cor meum diligit*. ADAM., hom. 6. Cor meum ad ea quæ disposita sunt huic Israël. Quasi cor meum, animus meus, sensus meus, et tota mens mea ad illud tendit, illud prospicit quod dispositum est et præparatum Israël. Unde: *Omnia quæ in mundo sunt reputo ut stercora, ut Christum lucrifaciam*, etc. Phil. 3..

^{**}5.10 *Qui propria voluntate*. De quibus dicitur, *qui sponte obtulistis animas vestras ad periculum*, etc., quia legi Dei et servituti ejus se subdiderunt, die ac nocte in lege ejus meditantes. *Qui ascenditis super nitentes asinos*. ADAM. *Potentis populi, benedicite Dominum, quia ascenditis super jumenta*, etc. Corpus nostrum jumentum est: ad adjumentum enim et ad ministerium animæ datum est. Interiori homini dicitur: *Qui ascendit super jumentum*, id est, corpus suum, et superior factus est corporalibus desideriis, et motus corporis moderatur freno rationis, ut benedicat Dominum.

mini ad portas, et obtinuit principatum.^{¶¶} ¹² Surge, surge Debbora; surge, surge, et loquere canticum: surge Barac, et apprehende captivos tuos, fili Abinoëm.^{§§} ¹³ Salvatæ sunt reliquiæ populi: Dominus in fortibus dimicavit. ¹⁴ Ex Ephraim delevit eos in Amalec, et post eum ex Benjamin in populos tuos, o Amalec: de Machir principes descenderunt, et de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum. ¹⁵ Duces Issachar fuere cum Debbora, et Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit: diviso contra se Ruben, magnanimatorum reperta est contentio.* ¹⁶ Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? diviso contra se Ruben, magnanimatorum reperta est contentio. ¹⁷ Galaad trans Jordanem quiescebat, et Dan vacabat navibus: Aser habitabat in littore maris, et in portibus morabatur. ¹⁸ Zabulon vero et Nephthali obtulerunt animas suas morti in regione Merome.] ¹⁹ [Venerunt reges et pugnauerunt: pugnauerunt reges Chanaan in Thanach iuxta aquas Mageddo, et tamen nihil tulere prædantes. ²⁰ De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnauerunt. ²¹ Torrens Cison traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison: conculca, anima mea, robustos.† ²² Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, et per præceps ruentibus fortissimis hostium. ²³ Maledicite terræ Meroz, dixit angelus Domini: maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortissimorum ejus.] ²⁴ [Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, et benedicatur in tabernaculo suo. ²⁵ Aquam petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum. ²⁶ Sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos. Percussitque Sisaram quærens in capite vulneri locum, et tempus valide perforans: ²⁷ inter pedes ejus ruit; defecit, et mortuus est: volvebatur ante pedes ejus, et jacebat exanimis et miserabilis. ²⁸ Per fenestram respiciens, ululabat mater ejus: et de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus ejus? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius? ²⁹ Una sapientior ceteris uxoribus ejus, hæc socru verba respondit: ³⁰ Forsitan nunc dividit spolia, et pulcherrima feminarum eligitur

^{¶¶}5.11 *Collisi sunt.* Quasi dicat, quamvis semper et ubique laudandus sit Deus, nonne hic potius laudandus et benedicendus est, qui subvertit inimicos nostros, sicut subvertit Ægyptios in mari Rubro? *Ibi narrentur.* ADAM. LXX: Justi confortati sunt in Israël. In aliis gentibus, qui corporis robore fortiores sunt, potentes dicuntur in prælio: in Israël vero, qui justiores; quia justitia, etiam viribus infirma, vincit. Injustitia vero, etsi multos habet bellatores validos, superatur. Ergo in nostra gente aut per justitiam superamus, aut per injustitiam vincimur.

^{§§}5.12 *Surge, surge.* In Hebræo non habetur: *sed expergiscere spiritu*, scilicet prophetiæ, perfecti enim doctores Debboram provocant, ut expergiscatur spiritu prophetiæ et laudis.

*5.15 *Diviso.* Vox Debboræ increpantis Ruben qui imperio Domini non obtemperavit cum fratribus suis, ut debellaret inimicos, sed perterritus, et verbis Domini incredulus, divisit se ab eis; et ideo magnanimus, superbus repertus est. Unde in spiritu prophetiæ increpatur sic: *Quare habitas inter duos terminos?* etc. In Hebræo autem non habetur duos.

†5.21 *Traxit cadavera eorum,* etc. In mare Rubrum, quod est Cadumim, quod interpretatur antiquorum: eo quod antiqua miracula ibi sunt facta transeuntibus filiis Israël, et pereuntibus Ægyptiis: ut pro cadaveribus Ægyptiorum, habeant pisces et bestiæ maris Rubri, cadavera Chananæorum. ADAM., hom. 7 in Jud. Non dicuntur invaluisse super populum Dei dum præcepta custodiunt, etc., usque ad cum a gratia Dei deserimur.

ei: vestes diversorum Sisaræ traduntur in prædam, et supellex varia ad ornanda colla congeritur. ³¹ Sic pereant omnes inimici tui, Domine: qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.] ³² Quievitque terra per quadraginta annos.

6 Fecerunt autem filii Israël malum in conspectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian septem annis, ² et oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra et speluncas in montibus, et munitissima ad repugnandum loca. ³ Cumque sevisset Israël, ascendebat Madian et Amalec, ceterique orientalium nationum: ⁴ et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant usque ad introitum Gazæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israël, non oves, non boves, non asinos. ⁵ Ipsi enim et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum et camelorum, quidquid tetigerant devastantes. ⁶ Humiliatusque est Israël valde in conspectu Madian. ⁷ Et clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas. ⁸ Qui misit ad eos virum prophetam, et locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego vos feci conscendere de Ægypto, et eduxi vos de domo servitutis, ⁹ et liberavi de manu Ægyptiorum, et omnium inimicorum qui affligebant vos: ejecique eos ad introitum vestrum, et tradidi vobis terram eorum. ¹⁰ Et dixi: Ego Dominus Deus vester: ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et nolulistis audire vocem meam. ¹¹ Venit autem angelus Domini, et sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, et pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, ¹² apparuit ei angelus Domini, et ait: Dominus tecum, virorum fortissime. ¹³ Dixitque ei Gedeon: Obsecro, mi domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? nunc autem dereliquit nos Dominus, et tradidit in manu Madian. ¹⁴ Respexitque ad eum Dominus, et ait: Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israël de manu Madian: scito quod miserim te. ¹⁵ Qui respondens ait: Obsecro, mi domine, in quo liberabo Israël? ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei. ¹⁶ Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum: et percuties Madian quasi unum virum. ¹⁷ Et ille: Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me: ¹⁸ nec recedas hinc, donec revertar ad te, portans sacrificium, et offerens tibi. Qui respondit: Ego præstolabor adventum tuum. ¹⁹ Ingressus est itaque Gedeon, et

³6.3 *Cumque sevisset.* ID., hom. 7. Hæc patiebatur Israël, etc., usque ad morte sua clarificatam, sanguine lotam.

⁴6.8 *Qui misit ad eos prophetam, locutus est: Hæc dicit,* etc. AUG., quæst. 31 in Jud. Cur non dicatur nomen hujus prophetæ, etc., *usque ad:* cur non possit angelus propheta dici? ISID., in Jud., tom. 5. Gedeon Christum significat: qui sub umbra sacræ crucis prædestinato incarnationis futuræ mysterio constitutus, rectitudine iudicii quasi virga electionem sanctorum a vitiorum paleis sequestrabat.

⁵6.17 *Da mihi signum.* ADAM., hom. 8. Vir eruditus, et habens Jesu prædecessoris exemplum, cautius agit. Sciebat enim posse angelos tenebrarum transfigurare se in angelos lucis: ideo examinat spiritum, si a Deo sit. Spiritualis enim omnia examinat. Sic prædecessor ejus Jesu Nave cum principem cœlestis militiæ vidisset, inquit: *si noster es, an adversariorum?* Ideo Gedeon discutit angelicam visionem, diversitate et mutatione signorum.

^{**}6.18 *Portans.* AUG., quæst. 35 in Jud. Advertendum est, etc., usque ad velut adjuvandus præsentia sanctitatis ejus.

coxit hædum, et de farinae modio azymos panes: carnesque ponens in canistro, et jus carnum mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, et obtulit ei.^{††} ²⁰ Cui dixit angelus Domini: Tolle carnes et azymos panes, et pone supra petram illam, et jus desuper funde. Cumque fecisset ita, ²¹ extendit angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, et tetigit carnes et panes azymos: ascenditque ignis de petra, et carnes azymosque panes consumpsit: angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus. ²² Vidensque Gedeon quod esset angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus: quia vidi angelum Domini facie ad faciem. ²³ Dixitque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris. ²⁴ Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, usque in præsentem diem. Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri, ²⁵ nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, et alterum taurum annorum septem, destruesque aram Baal, quæ est patris tui, et nemus, quod circa aram est, succide. ²⁶ Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo in summitate petræ hujus, super quam ante sacrificium posuisti: tollesque taurum secundum, et offeres holocaustum super struem lignorum, quæ de nemore succideris. ²⁷ Assumptis ergo Gedeon decem viris de servis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, et homines illius civitatis, per diem noluit id facere, sed omnia nocte complevit. ²⁸ Cumque surrexissent viri oppidi ejus mane, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, et taurum alterum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat. ²⁹ Dixeruntque ad invicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est: Gedeon filius Joas fecit hæc omnia. ³⁰ Et dixerunt ad Joas: Produc filium tuum huc, ut moriatur: quia destruxit aram Baal, et succidit nemus. ³¹ Quibus ille respondit: Numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adversarius est ejus, moriatur antequam lux crastina veniat: si deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus. ³² Ex illo die vocatus est Gedeon Jerobaal, eo quod dixisset Joas: Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram ejus. ³³ Igitur omnis Madian, et Amalec, et orientales populi, congregati sunt simul: et transeuntes Jordanem, castrametati sunt in valle Jezraël.^{‡‡} ³⁴ Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut sequeretur se. ³⁵ Misitque nuntios in universum Manassen, qui et ipse secutus est eum: et alios nuntios in Aser et Zabulon et Nephthali, qui occurrerunt ei. ³⁶ Dixitque Gedeon ad Deum: Si salvum facis per manum meam Israël, sicut locutus es,^{¶¶} ³⁷ ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut

^{††}6.19 **Ingressus.** Greg., lib. III Moral., cap. 17. Gedeon cum a paleis frumenta excuteret, etc., usque ad sed omne etiam quod in se per cogitationes turpiter ligatur, tergat. ISID. Quem pater dolis deputavit, hunc Gedeon occidit, et alium septennem immolavit Deo; in quo ostendit, post adventum Christi, omnia Gentilitatis sacrificia abolenda, solumque jam sacrificium passionis Christi pro redemptione populi Deo offerendum. Ipse enim est vitulus septennis, plenus scilicet spiritu septiformi.

^{‡‡}6.33 **Igitur.** ADAM. Convenerunt adversum Isræl Madianitæ, etc., usque ad expugnant populum Dei, cum paganis scilicet et Judæis. **In valle Jezraël.** ID. Quæ interpretatur semen Dei. Non enim audent adversarii illuc ire, etc., usque ad quia constitutus est in vertice intelligentiæ spiritualis.

^{¶¶}6.36 **Si salvum facis.** ADAM., homil. 8 in Jud. Cum multa sint et innumera signa, etc., usque ad quas nullus humor divini verbi infundebat.

locutus es, liberabis Israël.^{§§ 38} Factumque est ita. Et de nocte consurgens expresso vellere, concham rore implevit.³⁹ Dixitque rursus ad Deum: Ne irascatur furor tuus contra me si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens.*⁴⁰ Fecitque Deus nocte illa ut postulaverat: et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra.

7 Igitur Jerobaal qui et Gedeon, de nocte consurgens, et omnis populus cum eo, venit ad fontem qui vocatur Harad. Erant autem castra Madian in valle ad septentrionalem plagam colliis excelsi.² Dixitque Dominus ad Gedeon: Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus: ne glorietur contra me Israël, et dicat: Meis viribus liberatus sum.³ Loquere ad populum, et cunctis audientibus prædica: Qui formidolosus et timidus est, revertatur. Recesseruntque de monte Galaad, et reversi sunt de populo viginti duo millia virorum, et tantum decem millia remanserunt.^{† 4} Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est: duc eos ad aquas et ibi probabo illos: et de quo dixerō tibi ut tecum vadat, ipse pergat; quem ire prohibuero, revertatur.^{‡ 5} Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt.^{¶ 6} Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os projiciente lambuerunt aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.^{§ 7} Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum.⁸ Sumptis itaque pro numero cibariis et tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua: et ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem Madian erant subter

^{§§}6.37 *In area.* Orig., homil. 8. Non ubicunque, non in campo, nec in saltu, sed in area ubi messis est, etc., usque ad mundo corde recumbamus in convivio sponsi Jesu Christi. *Si ros in solo vellere,* etc. AUG. In tentatione Gedeonis quod prænuntiare Dominus volebat, ostendit in compluto scilicet vellere et area tota circumquaque sicca figurare primum populum Israël, ubi erant sancti cum gratia cœlesti tanquam pluvia spirituali, et postea compluta area, siccato vellere figurare Ecclesiam Dei toto orbe diffusam, habentem non in vellere tanquam in velamine, sed in aperto cœlestem gratiam, priore populo velut ab ejusdem gratiæ rore alienato atque siccato.

*6.39 *Oro,* etc. ADAM., homil. 8. In secundi quoque signi ratione, etc., usque ad universa terra divini roris gratia infunditur.

†7.3 *Qui formidolosus,* etc. ADAM., hom. 9. Idem hodie clamat Jesus, etc., usque ad sic inter ingentia et nefanda crimina, timoris et formidinis crimen ponitur. LXX: Formidolosus est, qui quasi adolescente vitio antequam videat mala, sola cogitatione terretur, gelidam per membra formidinem volvens, ut non tam conspectu malorum quam auditu et exspectatione solvatur. Ideo, juxta LXX, formidolosus corde dicitur, in corde enim et in interioribus animi defixum manet hoc vitium. Timidus autem est qui primo aspectu ad congressum trepidat, non tamen toto corde terretur, sed reparari et animari denuo potest.

‡7.4 *Adhuc populus.* ADAM., hom. 9. Ut video, qui primum reprobati sunt, etc., usque ad nec propter peccati sitim sternitur pronus.

¶7.5 *Qui manu et lingua.* ADAM., homil. 9. Manu et lingua dicit eos aquam lambere, etc., usque ad et perfecte trinitatis numerum ferunt.

§7.6 *Fuit itaque numerus eorum,* etc. AUG., quæst. 47 in Jud. *Et factus est numerus eorum qui lambuerunt manu sua, lingua sua, trecenti viri.* Plerique Latini codices non habent *manu sua*, sed tantum *lingua sua*, etc., usque ad David quoque tanquam contemptibilem se canem appellat.

in valle. ⁹ Eadem nocte dixit Dominus ad eum: Surge, et descende in castra: quia tradidi eos in manu tua. ¹⁰ Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus. ¹¹ Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, et securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse et Phara puer ejus in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ. ¹² Madian autem et Amalec, et omnes orientales populi, fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena quæ jacet in littore maris. ¹³ Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium suo: et in hunc modum referebat quod viderat: Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere: cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, et terræ funditus cœquavit. ¹⁴ Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filii Joas viri Israëlitæ: tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, et omnia castra ejus. ¹⁵ Cumque audisset Gedeon somnium, et interpretationem ejus, adoravit: et reversus est ad castra Israël, et ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian. ¹⁶ Divisitque trecentos viros in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum. ¹⁷ Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, et quod fecero, sectamini. ¹⁸ Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite, et conclamate: Domino et Gedeoni. ¹⁹ Ingressusque est Gedeon, et trecenti viri qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ: et custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere, et complodere inter se lagenas. ²⁰ Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque: Gladius Domini et Gedeonis: ²¹ stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, et vociferantes ululantesque fugerunt: ²² et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. Immisitque Dominus gladium omnibus castris, et mutua se cæde truncabant, ²³ fugientes usque ad Bethsetta, et crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Israël de Nephthali, et Aser, et omni Manasse, persequabantur Madian. ²⁴ Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens: Descendite in occursum Madian, et occupate aquas usque Bethbera atque Jordanem. Clamavitque omnis Ephraim, et præoccupavit aquas atque Jordanem usque Bethbera. ²⁵ Apprehensosque duos viros Madian, Oreb et Zeb, interfecit Oreb in petra Oreb, Zeb vero in torculari Zeb. Et persecuti sunt Madian, capita Oreb et Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis.

8 Dixeruntque ad eum viri Ephraim: Quid est hoc quod facere voluisti, ut nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? jurgantes fortiter, et prope vim inferentes. ² Quibus ille respondit: Quod enim tale facere potui, quale vos fecistis? nonne melior est racemus Ephraim, vindemiis Abiezer? ³ In manus vestras Dominus tradidit principes Madian, Oreb et Zeb: quid tale facere potui, quale

**7.13 *Percussit illud atque subvertit.* Greg., lib. XXX Moral., cap. 25. De hoc bello per prophetam, etc., usque ad quod ferrum hostium crucis ligno superetur.

††7.16 *Divisitque.* ID., Ibid. Ducti sunt ad fluvium, etc., usque ad in sinistra tubam, in dextera tenet lagenam.

‡‡7.20 *Et hydrias confregissent.* ADAM., hom. 9. Hydrias portant, etc., usque ad ut ab ipso victoriam consequi mereamur.

vos fecistis? Quod cum locutus esset, requievit spiritus eorum, quo tumebant contra eum. ⁴ Cumque venisset Gedeon ad Jordanem, transivit eum cum trecentis viris, qui secum erant: et præ lassitudine, fugientes persequi non poterant. ⁵ Dixitque ad viros Soccoth: Date, obsecro, panes populo qui mecum est, quia valde defecerunt: ut possimus persequi Zebee et Salmana reges Madian. ⁶ Responderunt principes Soccoth: Forsitan palmæ manuum Zebee et Salmana in manu tua sunt, et idcirco postulas ut demus exercitui tuo panes. ⁷ Quibus ille ait: Cum ergo tradiderit Dominus Zebee et Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti. ⁸ Et inde conscendens, venit in Phanuel: locutusque est ad viros loci illius similia. Cui et illi responderunt, sicut responderant viri Soccoth. ⁹ Dixit itaque et eis: Cum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc. ¹⁰ Zebee autem et Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim millia viri remanserant ex omnibus turmis orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bellatorum educantium gladium. ¹¹ Ascendensque Gedeon per viam eorum, qui in tabernaculis morabantur, ad orientalem partem Nobe et Jegbaa, percussit castra hostium, qui securi erant, et nihil adversi suspicabantur. ¹² Fugeruntque Zebee et Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum. ¹³ Revertensque de bello ante solis ortum, ¹⁴ apprehendit puerum de viris Soccoth: interrogavitque eum nomina principum et seniorum Soccoth, et descripsit septuaginta septem viros. ¹⁵ Venitque ad Soccoth, et dixit eis: En Zebee et Salmana, super quibus exprobrastis mihi, dicentes: Forsitan manus Zebee et Salmana in manibus tuis sunt, et idcirco postulas ut demus viris, qui lassi sunt et defecerunt, panes. ¹⁶ Tulit ergo seniores civitatis et spinas deserti ac tribulos, et contrivit cum eis atque comminuit viros Soccoth. ¹⁷ Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis. ¹⁸ Dixitque ad Zebee et Salmana: Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor? Qui responderunt: Similes tui, et unus ex eis quasi filius regis. ¹⁹ Quibus ille respondit: Fratres mei fuerunt, filii matris meæ. Vivit Dominus, quia si servassetis eos, non vos occiderem. ²⁰ Dixitque Jether primogenito suo: Surge, et interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim, quia adhuc puer erat. ²¹ Dixeruntque Zebee et Salmana: Tu surge, et irrue in nos: quia iuxta ætatem robur est hominis. Surrexit Gedeon, et interfecit Zebee et Salmana: et tulit ornamenta ac bullas quibus colla regalium camelorum decorari solent. ²² Dixeruntque omnes viri Israël ad Gedeon: Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui: quia liberasti nos de manu Madian. ²³ Quibus ille ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus. ²⁴ Dixitque ad eos: Unam petitionem postulo a vobis: date mihi inares ex præda vestra. Inares enim aureas Ismaëlitæ habere consueverant. ²⁵ Qui responderunt: Libentissime dabimus. Expandentesque super terram pallium, projecerunt in eo inares de præda: ²⁶ et fuit pondus postularum inaurium, mille septingenti auri sicli, absque ornamentis, et monilibus, et veste purpurea, quibus reges Madian uti soliti erant, et præter torques aureas camelorum. ²⁷ Fecitque ex eo Gedeon ephod, et posuit illud in civitate sua Ephra. Fornicatusque est omnis Israël in eo, et factum

est Gedeoni et omni domui ejus in ruinam.[¶] 28 Humiliatus est autem Madian coram filiis Israëli, nec potuerunt ultra cervices elevare: sed quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit. 29 Abiit itaque Jerobaal filius Joas, et habitavit in domo sua: 30 habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de femore ejus: eo quod plures haberet uxores. 31 Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech. 32 Mortuusque est Gedeon filius Joas in senectute bona, et sepultus est in sepulchro Joas patris sui in Ephra de familia Ezri. 33 Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israëli, et fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal foedus, ut esset eis in deum: 34 nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum: 35 nec fecerunt misericordiam cum domo Jerobaal Gedeon, juxta omnia bona quæ fecerat Israëli.

9 Abiit autem Abimelech filius Jerobaal in Sichem ad fratres matris suæ, et locutus est ad eos, et ad omnem cognationem domus patris matris suæ, dicens: 2 Loquimini ad omnes viros Sichem: Quid vobis est melius, ut dominantur vestri septuaginta viri omnes filii Jerobaal, an ut dominetur unus vir? simulque considerate quod os vestrum et caro vestra sum. 3 Locutique sunt fratres matris ejus de eo ad omnes viros Sichem universos sermones istos, et inclinaverunt cor eorum post Abimelech, dicentes: Frater noster est. 4 Dederuntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baalberit. Qui conduxit sibi ex eo viros inopes et vagos, secutique sunt eum. 5 Et venit in domum patris sui in Ephra, et occidit fratres suos filios Jerobaal, septuaginta viros super lapidem unum: remansitque Joatham filius Jerobaal minimus, et absconditus est.^{§§} 6 Congregati sunt autem omnes viri Sichem, et universæ familiæ urbis Mello: abieruntque et constituerunt regem Abimelech, juxta quercum quæ sta-

[¶]8.27 *Fecitque ex eo Gedeon ephod*, etc., AUG., quæst. 41 in Jud. Quæritur quid sit Ephod vel Ephot, etc., usque ad ut sic interiret filiorum proles numerosa, sicut postea testatur Scriptura. AUG. Intelligendum est per prolepsim dictum esse quod fecerit Gedeon Ephod contra legem Dei ex auro quod devictis hostibus erat ablatum, ut simul diceretur unde erat aurum et quid de illo sit factum. Factum est enim hoc peccatum in fine dierum Gedeon: quando consecuta sunt mala quæ annectit Scriptura, postquam dixit quot annis in diebus Gedeon terra quievit. *Postquam*. ID., quæst. 43. *Et factum est cum mortuus esset Gedeon, et aversi sunt filii Israel, fornicati sunt post Baalim, et posuerunt ipsi sibi Baalberith testamentum ut esset eis in Deum*, etc. Et Baalim, et Baalberith idola intelligenda sunt. Major ergo transgressio et fornicatio est a populo post mortem Gedeon, quam illo vivo propter Ephod. Quod et si illicite factum erat, tamen de sacramentis tabernaculi erat: hæc vero idololatria non habet falsam paternæ religionis defensionem. Unde etiam si non in fine temporis Gedeon Ephod factum est, sed ante factum est, ita Deus patienter tulit, ut pax in terra perseveraret, quia licet factum erat quod prohibuerat, non tamen longe recessum erat ab illo qui tale aliquid in tabernaculo suo in honorem suum fieri jusserat. Nunc vero graviora commissa, et apertam post idola fornicationem populi noluit esse impunitam.

^{§§}9.5 *Remansitque Joatham*. ISID. Filius junior, qui fugitando gladium inimici evadit, significat reliquias Israel in extremo tempore credituras, et Antichristi gladium evasuras, hic ascendit in verticem montis Garizim: quia nec prophetare nec persecutionem Antichristi potest quilibet evadere, nisi prius in montem benedictionis, id est in sublimitatem fidei ac virtutum ascenderit: hic est enim mons Garizim qui a Moyse in benedictionem deputatur. ISID., in Jud. tom. 5. Si hoc factum mysticum non esset, etc., usque ad inducet persecutionem ut omnes sanctos interficiat.

bat in Sichem. ⁷ Quod cum nuntiatum esset Joatham, ivit, et stetit in vertice montis Garizim: elevataque voce, clamavit, et dixit: Audite me, viri Sichem; ita audiat vos Deus. ⁸ Ierunt ligna, ut ungerent super se regem: dixeruntque olivæ: Impera nobis. ⁹ Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear? ¹⁰ Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, et super nos regnum accipe.* ¹¹ Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire ut inter cetera ligna promovear? ¹² Locutaque sunt ligna ad vitem: Veni, et impera nobis. ¹³ Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cetera promoveri? ¹⁴ Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, et impera super nos. ¹⁵ Quæ respondit eis: Si vere me regem vobis constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani. ¹⁶ Nunc igitur, si recte et absque peccato constituistis super vos regem Abimelech, et bene egistis cum Jerobaal, et cum domo ejus, et reddidistis vicem beneficiis ejus, qui pugnavit pro vobis, ¹⁷ et animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian, ¹⁸ qui nunc surrexistis contra domum patris mei, et interfecistis filios ejus septuaginta viros super unum lapidem, et constituistis regem Abimelech filium ancillæ ejus super habitatores Sichem, eo quod frater vester sit: ¹⁹ si ergo recte et absque vitio egistis cum Jerobaal et domo ejus, hodie lætamini in Abimelech, et ille lætetur in vobis. ²⁰ Sin autem perverse: egrediatur ignis ex eo, et consumat habitatores Sichem, et oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, et de oppido Mello, et devoret Abimelech. ²¹ Quæ cum dixisset, fugit, et abiit in Bera: habitavitque ibi ob metum Abimelech fratris sui. ²² Regnavit itaque Abimelech super Israël tribus annis. ²³ Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech et habitatores Sichem: qui cœperunt eum detestari,† ²⁴ et scelus interfectionis septuaginta filiorum Jerobaal, et effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum, et in ceteros Sichimorum principes, qui eum adjuverant. ²⁵ Posueruntque insidias adversus eum in summitate montium: et dum illius præstolabantur adventum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus: nuntiatumque est Abimelech. ²⁶ Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, et transivit in Sichimam. Ad cujus adventum erecti habitatores Sichem, ²⁷ egressi sunt in agros, vastantes vineas, uvasque calcantes: et factis cantantium choris, ingressi sunt fanum dei sui, et inter epulas et pocula maledicebant Abimelech, ²⁸ clamante Gaal filio Obed: Quis est Abimelech, et quæ est Sichem, ut serviamus ei? numquid non est

*9.10 *Dixeruntque.* ID., ibid. Ligna silvæ sunt homines infructuosi, etc., usque ad et suavissimam pinguedinem Christi cum gloria et honore perduxit. ID., ibid. Vitis autem Christus est qui dixit: *Ego sum vitis vera* Joan. 15.. Quia ergo populus qui Antichristo servit in reprobum sensum datur ut credat mendacio, id est, Antichristo, qui veritati, id est Christo credere noluit, a regno vitis, id est Christi; et ab oliva, id est Spiritus sancti gratia et a ficu, id est divinæ legis dulcedine reprobatur. *Dixeruntque.* ID. Rhamnus est genus rubi, quem vulgo senticem ursinam appellant, asperum nimis et spinosum, per quod Antichristus significatur cum omni asperitate et feritate humanum genus vastaturus: *et exiet ignis de rhamno*, id est, iniquitas de Antichristo, et omnes qui in illo confidunt pariter cum illo devorabit.

†9.23 *Misitque.* AUG., quæst. 45 in Jud. *Et misit Deus Spiritum malignum inter Abimelech et viros Sichimorum.* Hoc verbum, etc., usque ad etiam *immisit* interpretati sunt.

filius Jerobaal, et constituit principem Zebul servum suum super viros Emor patris Sichem? cur ergo serviemus ei? ²⁹ utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech. Dictumque est Abimelech: Congrega exercitus multitudinem, et veni. ³⁰ Zebul enim princeps civitatis, auditis sermonibus Gaal filii Obed, iratus est valde, ³¹ et misit clam ad Abimelech nuntios, dicens: Ecce Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, et oppugnat adversum te civitatem. ³² Surge itaque nocte cum populo qui tecum est, et latita in agro: ³³ et primo mane, oriente sole, irruere super civitatem. Illo autem egrediente adversum te cum populo suo, fac ei quod potueris. ³⁴ Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte, et tetendit insidias juxta Sichimam in quatuor locis. ³⁵ Egressusque est Gaal filius Obed, et stetit in introitu portæ civitatis. Surrexit autem Abimelech, et omnis exercitus cum eo, de insidiarum loco. ³⁶ Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit: Umbras montium vides quasi capita hominum, et hoc errore deciperis. ³⁷ Rursumque Gaal ait: Ecce populus de umbilico terræ descendit, et unus cuneus venit per viam quæ respicit quercum. ³⁸ Cui dixit Zebul: Ubi est nunc os tuum, quo loquebaris: Quis est Abimelech ut serviamus ei? nonne hic populus est, quem despiciebas? egredere, et pugna contra eum. ³⁹ Abiit ergo Gaal, spectante Sichimorum populo, et pugnavit contra Abimelech, ⁴⁰ qui persecutus est eum fugientem, et in urbem compulit: cecideruntque ex parte ejus plurimi, usque ad portam civitatis. ⁴¹ Et Abimelech sedit in Ruma: Zebul autem Gaal et socios ejus expulit de urbe, nec in ea passus est commorari. ⁴² Sequenti ergo die, egressus est populus in campum. Quod cum nuntiatum esset Abimelech, ⁴³ tulit exercitum suum, et divisit in tres turmas, tendens insidias in agris. Vidensque quod egrederetur populus de civitate, surrexit, et irruit in eos ⁴⁴ cum cuneo suo, oppugnans et obsidens civitatem: duæ autem turmæ palantes per campum adversarios persequabantur. ⁴⁵ Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem: quam cepit, interfectis habitatoribus ejus, ipsaque destructa, ita ut sal in ea dispergeret. ⁴⁶ Quod cum audissent qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum dei sui Berith, ubi fœdus cum eo pepigerant, et ex eo locus nomen acceperat: qui erat munitus valde. ⁴⁷ Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, ⁴⁸ ascendit in montem Selmon cum omni populo suo: et arrepta securi, præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videtis facere, cito facite. ⁴⁹ Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem. Qui circumdantes præsidium, succenderunt: atque ita factum est, ut fumo et igne mille homines necarentur, viri pariter et mulieres, habitatorum turris Sichem. ⁵⁰ Abimelech autem inde proficiscens venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obsidebat exercitu. ⁵¹ Erat autem turris excelsa in media civitate, ad quam confugerant simul viri ac mulieres, et omnes principes civitatis, clausa firmissime janua, et super turris tectum stantes per propugnacula. ⁵² Accedensque Abimelech juxta turrim, pugnavat fortiter: et appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur: ⁵³ et ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum ejus. ⁵⁴ Qui vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum: Evagina gladium tuum, et percute me, ne forte dicatur quod a femina interfectus sim. Qui

³²9.32 *Surge*. ID., quæst. 46. *Et nunc surge nocte tu et populus tuus tecum, et insidiare*. Quidam Latini habent *maturabis*, etc., usque ad Deus quarto die conderet solem.

jussa perficiens, interfecit eum.⁵⁵ Illoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Israël, reversi sunt in sedes suas:⁵⁶ et reddidit Deus malum quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis.⁵⁷ Sichimitis quoque quod operati erant, retributum est, et venit super eos maledictio Joatham filii Jerobaal.

10 Post Abimelech surrexit dux in Israël Thola filius Phua patrum Abimelech, vir de Issachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim:¹ ² et iudicavit Israël viginti et tribus annis, mortuusque est, ac sepultus in Samir.³ Huic successit Jair Galaadites, qui iudicavit Israël per viginti et duos annos,⁴ habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, et principes triginta civitatum, quæ ex nomine ejus sunt appellatæ Havoth Jair, id est, oppida Jair, usque in præsentem diem, in terra Galaad.⁵ Mortuusque est Jair, ac sepultus in loco cui est vocabulum Camon.⁶ Filii autem Israël peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini, et servierunt idolis, Baalim et Astaroth, et diis Syriæ ac Sidonis et Moab et filiorum Ammon et Philistiim: dimiseruntque Dominum, et non coluerunt eum.⁷ Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philistiim et filiorum Ammon.⁸ Afflictique sunt, et vehementer oppressi per annos decem et octo, omnes qui habitabant trans Jordanem in terra Amorrhæi, qui est in Galaad:⁹ in tantum ut filii Ammon, Jordane transmissio, vastarent Judam et Benjamin et Ephraim: afflictusque est Israël nimis.¹⁰ Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, et servivimus Baalim.¹¹ Quibus locutus est Dominus: Numquid non Ægyptii et Amorrhæi, filiique Ammon et Philistiim,¹² Sidonii quoque et Amalec et Chanaan oppresserunt vos, et clamastis ad me, et erui vos de manu eorum?¹³ Et tamen reliquistis me, et coluistis deos alienos: idcirco non addam ut ultra vos liberem:¹⁴ ite, et invocate deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiarum.¹⁵ Dixeruntque filii Israël ad Dominum: Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet: tantum nunc libera nos.¹⁶ Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola projecerunt, et servierunt Domino Deo: qui doluit super miseriis eorum.¹⁷ Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria, contra quos congregati filii Israël in Maspha castrametati sunt.¹⁸ Dixeruntque principes Galaad singuli ad proximos suos: Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

11 Fuit illo tempore Jephthe Galaadites vir fortissimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus est de Galaad.^{§2} Habuit autem Galaad uxorem, de qua suscepit filios: qui postquam creverant, ejecerunt Jephthe, dicentes: Hæres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es.³ Quos ille fugiens atque devitans, habitavit in terra Tob: congregatique sunt ad eum viri inopes, et

¹10.1 *Post Abimelech.* AUG., quæst. 47 in Jud. Quomodo fuit patruus Abimelech vir de tribu Issachar, etc., usque ad ut Domini caro non solum de regia, sed etiam de sacerdotali stirpe propagaretur.

[§]11.1 AUG., quæst. 49 in Jud. Jephthe interpretatur *aperiens*, etc., usque ad quia legis præcepta non servant et tanquam viro non exhibent fidem.

latrocinantes, et quasi principem sequebantur.** ⁴ In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Israël. ⁵ Quibus acriter instantibus perrexerunt maiores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Jephthe de terra Tob: ⁶ dixeruntque ad eum: Veni et esto princeps noster, et pugna contra filios Ammon. ⁷ Quibus ille respondit: Nonne vos estis, qui odistis me, et eiecistis de domo patris mei? et nunc venistis ad me necessitate compulsi. ⁸ Dixeruntque principes Galaad ad Jephthe: Ob hanc igitur causam nunc ad te venimus, ut proficiscaris nobiscum, et pugnes contra filios Ammon, sisque dux omnium qui habitant in Galaad.†† ⁹ Jephthe quoque dixit eis: Si vere venistis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero vester princeps?‡‡ ¹⁰ Qui responderunt ei: Dominus, qui hæc audit, ipse mediator ac testis est quod nostra promissa faciemus. ¹¹ Abiit itaque Jephthe cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem sui. Locutusque est Jephthe omnes sermones suos coram Domino in Maspha. ¹² Et misit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent: Quid mihi et tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam? ¹³ Quibus ille respondit: Quia tulit Israël terram meam, quando ascendit de Ægypto, a finibus Arnon usque Jaboc atque Jordanem: nunc ergo cum pace redde mihi eam. ¹⁴ Per quos rursum mandavit Jephthe, et imperavit eis ut dicerent regi Ammon: ¹⁵ Hæc dicit Jephthe: Non tulit Israël terram Moab, nec terram filiorum Ammon: ¹⁶ sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulavit per solitudinem usque ad mare Rubrum, et venit in Cades. ¹⁷ Misitque nuntios ad regem Edom, dicens: Dimitte me ut transeam per terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus ejus. Misit quoque ad regem Moab, qui et ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in Cades, ¹⁸ et circumivit ex latere terram Edom et terram Moab: venitque contra orientalem plagam terræ Moab, et castrametatus est trans Arnon: nec voluit intrare terminos Moab. (Arnon quippe confinium est terræ Moab.) ¹⁹ Misit itaque Israël nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesbon, et dixerunt ei: Dimitte ut transeam per terram tuam usque ad fluvium. ²⁰ Qui

**11.3 *Habitavit in terra Tob.* ID., ibid. In terra scilicet bona vel potius optima. Quod enim Græce, hoc Latine *optimum* dicitur. Id autem interpretatur Tob, ubi videtur intelligenda resurrectio. Quæ enim magis terra optima quam terrenum corpus excellentia immortalitatis et incorruptionis indutum. ID., ibid. Ante passionem cum publicanis et peccatoribus manducavit, etc., usque ad ut justificentur et discant vias ejus. *In illis diebus.* ID., ibid. Qui abjecerant Christum, etc., usque ad ut per ætatem senilem novissima tempora significantur.

††11.8 *Dixeruntque principes.* AUG., ibid. Tale quid figuratum est in Joseph, etc., usque ad in qua regni ejus non erit finis. *Et pugnes.* AUG. Quod contra filios Ammon dux quæritur Jephthe, quibus victis liberentur qui eo duce bellare cupiebant: quia Ammon interpretatur filius populi mei, vel populus mœroris; aut illi significantur inimici qui ex ipsa gente in infidelitate permanserunt; aut omnes gehennæ prædestinati: *ubi erit fletus et stridor dentium*, tanquam populo mœroris. Quamquam populus mœroris diabolus et angeli ejus convenienter intelliguntur: vel quia æternam miseriam eis quos decipiunt, acquirunt, vel quia ipsi æternæ miseriam deputati sunt.

‡‡11.9 *Ego ero vester.* ID., ibid. Id est, rex quem nondum habebat gens illa tempore iudicum, etc., usque ad sed Jephthe illum significabat qui verus est rex. ID. Rex scilicet sicut in titulo crucis scriptum est, etc., usque ad sicut hi qui in Regnorum voluminibus continentur. *Nonne ea quæ possidet*, etc. Nonne quæcunque hæreditavit tibi Chamos?

et ipse Israëel verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos suos: sed infinita multitudine congregata, egressus est contra eum in Jasa, et fortiter resistebat. ²¹ Tradiditque eum Dominus in manus Israëel cum omni exercitu suo: qui percussit eum, et possedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius, ²² et universos fines ejus, de Arnon usque Jaboc, et de solitudine usque ad Jordanem. ²³ Dominus ergo Deus Israëel subvertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo Israëel, et tu nunc vis possidere terram ejus? ²⁴ nonne ea quæ possidet Chamos deus tuus, tibi jure debentur? quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem: ²⁵ nisi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab; aut docere potes, quod jurgatus sit contra Israëel, et pugnaverit contra eum, ²⁶ quando habitavit in Hesebon et viculis ejus, et in Aroër et villis illius, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem, per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis? ²⁷ Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non justa. Judicet Dominus arbiter hujus diei inter Israëel, et inter filios Ammon. ²⁸ Noluitque acquiescere rex filiorum Ammon verbis Jephthe, quæ per nuntios mandaverat. ²⁹ Factus est ergo super Jephthe spiritus Domini, et circuiens Galaad et Manasse, Maspha quoque Galaad, et inde transiens ad filios Ammon, [¶] ³⁰ votum vovit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, ^{§§} ³¹ quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. ³² Transivitque Jephthe ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus ejus. ³³ Percussitque ab Aroër usque dum venias in Mennith, viginti civitates, et usque ad Abel, quæ est vineis consita, plaga magna nimis: humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israëel. ³⁴ Revertente autem Jephthe in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis et choris: non enim habebat alios liberos. ³⁵ Qua visa, scidit ves-

[¶]11.29 *Et circumiens Galaad.* AUG., quæst. 49 in Jud. Galaad interpretatur *abjiciens*, etc., usque ad quod significat dicendo et *a specula Galaad transeundi et transiens ad filios Ammon.*

^{§§}11.30 *Si tradideris filios Ammon.* AUG., ibid. Quemlibet cogitaverit Jephthe, non videtur filiam cogitasse; non enim diceret: *heu me! filia mi impedisti me*, etc. In icat enim se impeditum, ne illud quod cogitaverat impleret. Quem autem potuit cogitare qui filios non habebat? An conjugem cogitavit et ut hoc fieret Deus noluit et ut hoc non relinqueret impunitum; ne quis postea id auderet: et ut magna providentia ex hoc quod accidit magnum sacramentum Ecclesiæ figuraretur. Ex utroque ergo prophetia adaptata est? quod scilicet vovens cogitavit, et quod nolenti contingit. Si enim conjugem cogitavit, conjux Christi Ecclesia est. Sed quia hujus Jephthe conjux virgo esse non potuit, in eo quod filia potius occurrit, inulta non remansit voti temeritas, et virginitas Ecclesiæ figurata est, cui dicitur: *Filia, fides tua te salvam fecit, vade in pace* Luc. 7.. AUG., quæst. 49. De Jephthe filia solet esse magna quæstio, etc., usque ad ut omnia quæ post facta sunt tanquam opera Spiritus Domini qui super eum factus est, intelligenda videantur. ID. Sed inter laudabiles viros, etc., usque ad ut omnino evitetur, sed tantum ut differatur, laborat. ISID., in Jud., tom. 5. Jephthe Christum significat, quia a facie fratrum suorum, id est Judæorum abscedens, in gentibus principatum accepit, quia omnia humanæ salutis sacramenta quasi juratus explevit: et carnem propriam quasi filiam pro salute Israël obtulit. Juravit autem patri et vovit secundum illud: *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob*, quod scilicet sacramentum religionis in carnis suæ passione pro salute humani generis expleret. Hæc ergo ita per Christum acta sunt ut videantur pro religione juramenti esse completa.

timenta sua, et ait: Heu me, filia mea ! decepisti me, et ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero. ³⁶ Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis. ³⁷ Dixitque ad patrem: Hoc solum mihi præsta quod deprecor: dimitte me ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.* ³⁸ Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiisset cum sociis ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus. ³⁹ Expletisque duobus mensibus, reversa est ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat, quæ ignorabat virum. Exinde mos increbruit in Israël, et consuetudo servata est, ⁴⁰ ut post anni circulum convenient in unum filiæ Israël, et plangent filiam Jephthe Galaaditæ diebus quatuor.

12 Ecce autem in Ephraim orta est seditio: nam transeuntes contra aquilonem, dixerunt ad Jephthe: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? igitur incendemus domum tuam. ² Quibus ille respondit: Disceptatio erat mihi et populo meo contra filios Ammon vehemens: vocavique vos, ut præberetis mihi auxilium, et facere noluistis. ³ Quod cernens, posui animam meam in manibus meis, transivique ad filios Ammon, et tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adversum me consurgatis in prælium? ⁴ Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim: percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitivus est Galaad de Ephraim, et habitat in medio Ephraim et Manasse. ⁵ Occupaveruntque Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero, fugiens, atque dixisset: Obsecro ut me transire permittatis: dicebant ei Galaaditæ: Numquid Ephrathæus es? quo dicente: Non sum: ⁶ interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur Spica. Qui respondebat: Sibboleth: eadem littera spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum jugulabant in ipso Jordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia. ⁷ Judicavit itaque Jephthe Galaadites Israël sex annis: et mortuus est, ac sepultus in civitate sua Galaad.† ⁸ Post hunc judicavit Israël Abesan de Bethlehem: ⁹ qui habuit triginta filios, et totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, et ejusdem numeri filiis suis accepit uxores, introducens in domum suam. Qui septem annis judicavit Israël: ¹⁰ mortuusque est, ac sepultus in Bethlehem. ¹¹ Cui successit Ahialon Zabulonites: et judicavit Israël decem annis: ¹² mortuusque est, ac sepultus in Zabulon. ¹³ Post hunc judicavit Is-

*11.37 *Et plangam*, etc. *Et fecit ei*, etc. AUG. Virgo casta, id est, Ecclesia, etc., usque ad propter quos etiam duo testamenta dicuntur. *Exinde mos increvit*. AUG., quæst. 49. Quod vero factum est ex præcepto in Israël, ex diebus in dies conveniebant lamentari filiam Jephthe, quatuor dies in anno, non puto significare aliquid post impletum holocaustum, quod erit in vita æterna, sed præterita tempora Ecclesiæ, in quibus erant beati lugentes. Quatriduo figurata est ejus universitas: propter quatuor partes orbis per quas longe lateque diffusa est. Ad historiæ autem proprietatem non arbitror hoc decrevisse Israëlitas, nisi quia intelligebant in ea iudicium Dei magis ad percipiendum patrem fuisse ostensum, ne quis deinceps voveret tale sacrificium. Quare enim lamentatio decreta est, si votum illud lætitiæ est?

†12.7 *Judicavit itaque Jephthe*, etc. AUG. Sicut illi duo menses propter septuaginta dies senarium numerum sex ætatum significant, ita hic sexies septenarius ductus hoc idem figurat, quantum ad sex sæculi ætates pertinet; sexies enim septem quadraginta duo sunt, nec frustra ipse Jephthe sex annis populum judicavit.

raël Abdon filius Illel Pharathonites: ¹⁴ qui habuit quadraginta filios, et triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum. Et iudicavit Israël octo annis: ¹⁵ mortuusque est, ac sepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalec.

13 Rursumque filii Israël fecerunt malum in conspectu Domini: qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis. ² Erat autem quidam vir de Saraa, et de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem. ³ Cui apparuit angelus Domini, et dixit ad eam: Sterilis es et absque liberis: sed concipies, et paries filium. ⁴ Cave ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quidquam comedas: ⁵ quia concipies, et paries filium, cuius non tanget caput novacula: erit enim nazaræus Dei ab infantia sua et ex matris utero, et ipse incipiet liberare Israël de manu Philisthinorum. ⁶ Quæ cum venisset ad maritum suum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cum interrogassem quis esset, et unde venisset, et quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere: ⁷ sed hoc respondit: Ecce concipies et paries filium: cave ne vinum bibas, nec siceram, et ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer nazaræus Dei ab infantia sua, ex utero matris suæ usque ad diem mortis suæ. ⁸ Oravit itaque Manue Dominum, et ait: Obsecro, Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum, et doceat nos quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est. ⁹ Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, et apparuit rursum angelus Dei uxori ejus sedenti in agro: Manue autem maritus ejus non erat cum ea. Quæ cum vidisset angelum, ¹⁰ festinavit, et cucurrit ad virum suum: nuntiavitque ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem ante videram. ¹¹ Qui surrexit, et secutus est uxorem suam: veniensque ad virum, dixit ei: Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit: Ego sum. ¹² Cui Manue: Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer? aut a quo se observare debebit? ¹³ Dixitque angelus Domini ad Manue: Ab omnibus, quæ locutus sum uxori tuæ, abtineat se, ¹⁴ et quidquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum et siceram non bibat; nullo vescatur immundo: et quod ei præcepi, impleat atque custodiat. ¹⁵ Dixitque Manue ad angelum Domini: Obsecro te ut acquiescas precibus meis, et faciamus tibi hædum de capris. ¹⁶ Cui respondit angelus: Si me cogis, non comedam panes tuos: si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue quod angelus Domini esset. ¹⁷ Dixitque ad eum: Quod est tibi nomen, ut, si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te? ¹⁸ Cui ille respondit: Cur quæris nomen meum, quod est mirabile? ¹⁹ Tulit itaque Manue hædum de capris, et libamenta, et posuit super petram, offerens Domino, qui facit mirabilia: ipse autem et uxor ejus intuebantur. ²⁰ Cumque ascenderet flamma altaris in cælum, angelus Domini pariter in flamma

[‡]13.2 *Sed concipies*, etc. ISID., in Jud. Samson habet quædam in typum Christi, etc., usque ad et de Christo dictum et per prophetam: *Orietur vobis sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus*.

[¶]13.3 *Nec immundum*. AUG., quæst. 50. Immundum est dissolutio disciplinæ quæ esse cœperat in Israël, et jam ad ea manducanda eos labefecerat, quæ Deus in animalibus prohibuerat: jam enim etiam ad cultum transibant idolorum. AUG., quæst. 52 in Jud. Quod ait mulier dictum sibi ab angelo, etc., usque ad Nazaræi certis diebus observabant voventes votumque reddentes.

[§]13.19 *Tulit itaque*. AUG., quæst. 53. Quod dicit Scriptura ignorasse Manue, quod angelus Domini esset, etc., usque ad ut traderetur inimicis per quadraginta annos.

ascendit. Quod cum vidissent Manue et uxor ejus, proni ceciderunt in terram, ** 21 et ultra eis non apparuit angelus Domini. Statimque intellexit Manue angelum Domini esse, 22 et dixit ad uxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Deum. 23 Cui respondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea quæ sunt ventura dixisset. 24 Peperit itaque filium, et vocavit nomen ejus Samson. Crevitque puer, et benedixit ei Dominus. 25 Cœpitque spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa et Esthaol.

14 Descendit ergo Samson in Thamnatha: vidensque ibi mulierem de filiabus Philisthiim, 2 ascendit, et nuntiavit patri suo et matri suæ, dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum: quam quæso ut mihi accipiat uxorem. 3 Cui dixerunt pater et mater sua: Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, et in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum: Hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis. 4 Parentes autem ejus nesciebant quod res a Domino fieret, et quæreret occasionem contra Philisthiim: eo enim tempore Philisthiim dominabantur Israël. 5 Descendit itaque Samson cum patre suo et matre in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sævus, et rugiens, et occurrit ei.†† 6 Irruit autem spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem, quasi hædum in frustra discerpens, nihil omnino habens in manu: et hoc patri et matri noluit indicare. 7 Descenditque, et locutus est mulieri quæ placuerat oculis ejus. 8 Et post aliquot dies revertens ut acciperet eam, declinavit ut videret cadaver leonis, et ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis. 9 Quem cum sumpsisset in manibus comedebat in via: veniensque ad patrem suum et matrem, dedit eis partem, qui et ipsi comederunt: nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumpserat. 10 Descendit itaque pater ejus ad mulierem, et fecit filio suo Samson convivium: sic enim juvenes facere consueverant. 11 Cum ergo cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta ut essent cum eo. 12 Quibus locutus est Samson: Proponam vobis problema: quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones, et totidem tunicas: 13 sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones, et ejusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei: Propone problema, ut audiamus. 14 Dixitque eis: [De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo.] Nec potuerunt per tres dies propositionem solvere. 15 Cumque adesset

** 13.20 *Quod*. GREG., lib. V Moral., cap. 23. Quid est quod ad visionem angeli vir est timidus, mulier audax, nisi quando cœlestia nobis monstrantur, spiritus quidem pavore se concutit, sed tamen spes præsumit. Inde enim spes ad majora audenda se erigit, unde turbatur spiritus qui ea quæ superna sunt prior videt, quia cum altiora secretorum cœlestium sic levata mens conspicit, cuncta humanarum virium soliditas contremiscit. AUG., quæst. 54 in Jud. Quid est quod postquam manifestatus est Manue et uxori ejus angelus, etc., usque ad non accepturum sacrificium, sed ipsum sacrificium futurum.

†† 14.5 *Descendit itaque Samson*, etc. ISID., in Jud. tom. 5, cap. 8. Samson cum ad alienigenas tenderet causa petendæ uxoris, leonem occidit: et Christus Ecclesiam vocaturus de gentibus diabolum vicit qui ait: *Gaudete quia ego vici mundum* Joan. 16.. Ex ore leonis occisi favus extrahitur, quia ut conspicimus reges terreni regni, qui contra Christum ante fremuerunt, jam perempta feritate dulcedinem Evangelii prædicant, et munimenta præbent.

dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson: Blandire viro tuo et suade ei ut indicet tibi quid significet problema: quod si facere nolueris, incendemus te, et domum patris tui: an idcirco vocastis nos ad nuptias ut spoliaretis? ¹⁶ Quæ fundebat apud Samson lacrimas, et quærebatur, dicens: Odisti me, et non diligis: idcirco problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit: Patri meo et matri nolui dicere: et tibi indicare potero? ¹⁷ Septem igitur diebus convivii flebat ante eum: tandemque die septimo cum ei esset molesta, exposuit. Quæ statim indicavit civibus suis. ¹⁸ Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum: [Quid dulcius melle, et quid fortius leone?] Qui ait ad eos: [Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam.] ¹⁹ Irruit itaque in eum spiritus Domini, descenditque Ascalonem, et percussit ibi triginta viros: quorum ablatas vestes dedit iis qui problema solverant. Iratusque nimis ascendit in domum patris sui: ²⁰ uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis ejus et pronubis.

15 Post aliquantulum autem temporis, cum dies triticeæ messis instarent, venit Samson, invisere volens uxorem suam, et attulit ei hædum de capris. Cumque cubiculum ejus solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens: ² Putavi quod odisses eam, et ideo tradidi illam amico tuo: sed habet sororem, quæ junior et pulchrior illa est: sit tibi pro ea uxor. ³ Cui Samson respondit: Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthæos: faciam enim vobis mala. ⁴ Perrexitque et cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, et faces ligavit in medio: ⁵ quas igne succendens, dimisit ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum. Quibus succensis, et comportatæ jam fruges, et adhuc stantes in stipula, concrematæ sunt, in tantum ut vineas quoque et oliveta flamma consumeret. ⁶ Dixeruntque Philisthiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Samson gener Thamnathæi: quia tulit uxorem ejus, et alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderuntque Philisthiim, et combusserunt tam mulierem quam patrem ejus. ⁷ Quibus ait Samson: Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, et tunc quiescam. ⁸ Percussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent. Et descendens habitavit in spelunca petræ Etam. ⁹ Igitur ascendentes Philisthiim in terram Juda, castrametati sunt in loco, qui postea vocatus est Lechi, id est, Maxilla, ubi eorum effusus est exercitus. ¹⁰ Dixeruntque ad eos de tribu Juda: Cur ascendistis adversum nos? Qui responderunt: Ut ligemus Samson venimus, et reddamus ei quæ in nos operatus est. ¹¹ Descenderunt ergo tria millia virorum de Juda ad specum silicis Etam, dixeruntque ad Samson: Nescis quod Philisthiim imperent nobis? quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, sic feci eis. ¹² Ligare, inquiunt, te venimus, et tradere in manus Philistinorum. Quibus Samson: Jurate, ait, et spondete mihi quod non occidatis me. ¹³ Dixerunt: Non te occidemus, sed vinculum trademus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus, et tulerunt eum de petra Etam. ¹⁴ Qui cum venisset ad locum Maxillæ, et Philisthiim vociferantes occurrissent ei, irruit spiritus Domini in eum: et sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt et soluta. ¹⁵ Inventamque maxillam,

‡15.8 *Percussitque eos*, etc. AUG., quæst. 55 in Jud. LXX: Percussit alienigenas Samson ad tibiam super femur, id est, tam mirabiliter, ut stupentes tibiam unius pedis super femur alterius ponerent.

¶15.12 *Jurate*. AUG., quæst. 56 in Jud. Quid est quod ait Samson viris Juda, etc., usque ad nisi audiendo vel legendo discantur, ita nec modi locutionum.

id est, mandibulam asini, quæ jacebat, arripiens interfecit in ea mille viros, ¹⁶ et ait: [In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, delevi eos, et percussi mille viros.]^{§§} ¹⁷ Cumque hæc verba canens complesset, projecit mandibulam de manu, et vocavit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur, Elevatio maxillæ. ¹⁸ Sitiensque valde, clamavit ad Dominum, et ait: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam: en siti morior, incidamque in manus incircumciso- rum. ¹⁹ Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, et vires recepit. Idcirco appella- tum est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, usque in præsentem diem. ²⁰ Judicavitque Israël in diebus Philisthiim viginti annis.

16 Abiit quoque in Gazam, et vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam.* ² Quod cum audissent Philisthiim, et percrebruisset apud eos in- trasse urbem Samson, circumdederunt eum, positis in porta civitatis custodibus: et ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut facto mane exeuntem occiderent. ³ Dormivit autem Samson usque ad medium noctem: et inde consurgens, apprehen- dit ambas portæ fores cum postibus suis et sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron. ⁴ Post hæc amavit mulierem, quæ habitabat in valle Sorec, et vocabatur Dalila. ⁵ Veneruntque ad eam principes Philisthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, et disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, et quomodo eam superare valeamus, et vinctum affligere: quod si feceris, dabimus tibi singuli mille et centum argenteos. ⁶ Locuta est ergo Dalila ad Samson: Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, et quid sit quo ligatus erumpere nequeas? ⁷ Cui respondit Samson: Si septem nervicis funibus necdum siccis, et adhuc humen- tibus, ligatus fuero, infirmus ero ut ceteri homines. ⁸ Attuleruntque ad eam satrapæ Philisthinorum septem funes, ut dixerat: quibus vinxit eam, ⁹ latentibus apud se insidiis, et in cubiculo finem rei expectantibus: clamavitque ad eum: Philisthiim su- per te, Samson. Qui rupit vincula, quomodo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit: et non est cognitum in quo esset fortitudo ejus. ¹⁰ Dixitque ad eum Dalila: Ecce illusisti mihi, et falsum locutus es: saltem nunc indica mihi quo ligari debeas. ¹¹ Cui ille respondit: Si ligatus fuero novis funibus, qui numquam fuerunt in opere, infirmus ero, et aliorum hominum similis. ¹² Quibus rursus Dalila vinxit eum, et clamavit: Philisthiim super te, Samson: in cubiculo in- sidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum. ¹³ Dixitque Dalila rursus ad eum: Usquequo decipis me, et falsum loqueris? ostende quo vinciri debeas. Cui respondit Samson: Si septem crines capitis mei cum licio plexeris, et clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. ¹⁴ Quod cum fecisset Dalila, dixit ad eum: Philisthiim super te, Samson. Qui consurgens de somno extraxit clavum cum crinibus et licio. ¹⁵ Dixitque ad eum Dalila: Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, et noluisti dicere in quo sit max-

§§15.16 *In maxilla.* GREG., lib. XIII Moral., cap. 6. Maxilla asini prædicatores signi- ficat. Redemptor enim noster simplicitatem et patientiam prædicantium, suæ manu virtutis tenens, a vitis carnalis interfecit, et maxilla in terram projecta, postmodum aquas fudit: quia tradita morti prædicatorum corpora magna populis monstravere miracula.

*16.1 *Abiit quoque,* etc. GREG., Homil. 21 in Evang. Quem in hoc facto Samson, etc., usque ad et ascendendo regna cælorum penetravit.

ima fortitudo tua. ¹⁶ Cumque molesta esset ei, et per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est. ¹⁷ Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum numquam ascendit super caput meum, quia nazaræus, id est, consecratus Deo, sum de utero matris meæ: si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque sicut ceteri homines. ¹⁸ Vidensque illa quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philisthinorum ac mandavit: Ascende adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui ascenderunt assumpta pecunia, quam promiserant. ¹⁹ At illa dormire eum fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem, et rasis septem crines ejus, et cœpit abigere eum, et a se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit.† ²⁰ Dixitque: Philisthiim super te, Samson. Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar sicut ante feci, et me excutiam: nesciens quod recessisset ab eo Dominus. ²¹ Quem cum apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos ejus, et duxerunt Gazam vinctum catenis, et clausum in carcere molere fecerunt. ²² Jamque capilli ejus renasci cœperunt. ²³ Principes Philisthinorum convenerunt in unum ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo, et epularentur, dicentes: Tradidit deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras. ²⁴ Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eademque dicebat: Tradidit deus noster adversarium nostrum in manus nostras, qui delevit terram nostram, et occidit plurimos. ²⁵ Lætantesque per convivia, sumptis jam epulis, præceperunt ut vocaretur Samson, et ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas. ²⁶ Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, et recliner super eas, et paululum requiescam. ²⁷ Domus autem erat plena virorum ac mulierum, et erant ibi omnes principes Philisthinorum, ac de tecto et solario circiter tria millia utriusque sexus spectantes ludentem Samson. ²⁸ At ille invocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. ²⁹ Et apprehendens ambas columnas quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera et alteram læva tenens, ³⁰ ait: Moriatur anima mea cum Philisthiim. Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, et ceteram multitudinem quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat.‡ ³¹ Descendentes autem fratres ejus et universa cognatio, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt inter Saraa et Esthaol in sepulchro patris sui Manue: judicavitque Israël viginti annis.

17 Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, ² qui dixit matri suæ: Mille et centum argenteos, quos separaveras tibi, et super quibus me audiente juraveras, ecce ego habeo, et apud me sunt. Cui illa respondit: Benedictus filius meus Domino. ³ Reddidit ergo eos matri suæ, quæ dixerat ei: Consecravi et vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, et faciat sculp-

†16.19 *Vocavitque tonsorem.* ISID., in Jud., tom. 5, cap. 6. Quod mulier subdola caput Samsonis rasis, etc., usque ad et parato certamine in finem fortissime dæmones triumphabit. GREG., lib. XXVII Moral., cap. 13. Samson amissis oculis ab Allophylis ad molam deputatur, etc., usque ad foris in circuitum laboris mittunt.

‡16.30 *Multoque.* GREG., lib. XXIX Moral., cap. 7. In hoc loco per Samson Christus significatur, etc., usque ad simul omnes moriendo prostravit.

tile atque conflatile: et nunc trado illud tibi. ⁴Reddidit igitur eos matri suæ: quæ tulit ducentos argenteos, et dedit eos argentario, ut faceret ex eis sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ. ⁵Qui ædiculam quoque in ea deo separavit, et fecit ephod, et theraphim, id est, vestem sacerdotalem, et idola: implevitque unius filiorum suorum manum, et factus est ei sacerdos.[¶] ⁶In diebus illis non erat rex in Israël, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. ⁷Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Juda, ex cognatione ejus: eratque ipse Levites, et habitabat ibi. ⁸Egressusque de civitate Bethlehem, peregrinari voluit ubicunque sibi commodum reperisset. Cumque venisset in montem Ephraim, iter faciens, et declinasset parumper in domum Michæ, ⁹interrogatus est ab eo unde venisset. Qui respondit: Levita sum de Bethlehem Juda, et vado ut habitem ubi potuero, et utile mihi esse perspexero. ¹⁰Dixitque Michas: Mane apud me, et esto mihi parens ac sacerdos: daboque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem, et quæ ad victum sunt necessaria. ¹¹Acquievit, et mansit apud hominem, fuitque illi quasi unus de filiis. ¹²Implevitque Michas manum ejus, et habuit puerum sacerdotem apud se: ¹³Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis sacerdotem.

18 In diebus illis non erat rex in Israël, et tribus Dan quærebat possessionem sibi, ut habitaret in ea: usque ad illum enim diem inter ceteras tribus sortem non acceperat. ²Miserunt ergo filii Dan stirpis et familiæ suæ quinque viros fortissimos de Saraa et Esthaol, ut explorarent terram, et diligenter inspicerent: dixeruntque eis: Ite, et considerate terram. Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim, et intrassent domum Michæ, requieverunt ibi: ³et agnoscentes vocem adolescentis Levitæ, utentesque illius diversorio, dixerunt ad eum: Quis te huc adducit? quid hic agis? quam ob causam huc venire voluisti? ⁴Qui respondit eis: Hæc et hæc præstitit mihi Michas, et me mercede conduxit, ut sim ei sacerdos. ⁵Rogaverunt autem eum ut consuleret Dominum ut scire possent an prospero itinere pergerent, et res haberet effectum. ⁶Qui respondit eis: Ite in pace: Dominus respicit viam vestram, et iter quo pergitis. ⁷Euntes igitur quinque viri venerunt Lais: videruntque populum habitantem in ea absque ullo timore, juxta consuetudinem Sidoniorum, securum et quietum, nullo ei penitus resistente, magnarumque opum, et procul a Sidone atque a cunctis hominibus separatum.[§] ⁸Reversique ad fratres suos in Saraa et Esthaol, et quid egissent sciscitantibus responderunt: ⁹Surgite, ascendamus ad eos: vidimus enim terram valde opulentam et uberem. Nolite negligere, nolite cessare: eamus, et possideamus eam: nullus erit labor. ¹⁰Intrabimus ad securos, in regionem latissimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria eorum quæ gignuntur in terra. ¹¹Profecti igitur sunt de cognatione Dan, id est, de Saraa et Esthaol, sexcenti viri accincti armis bellicis, ¹²ascendentesque manserunt in Cariathiarim Judæ: qui locus ex eo tempore Castrorum Dan nomen accepit, et est post tergum Cariathiarim. ¹³Inde transierunt in montem Ephraim. Cumque venissent ad domum Michæ, ¹⁴dixerunt quinque viri, qui prius missi fuerant ad considerandam terram Lais, ceteris fratribus suis: Nostis quod in domibus istis sit ephod, et theraphim,

[¶]17.5 *Et fecit ephod et theraphim*, etc. HIERON., epist. 130, tom. 1. In volumine Judicum, etc., usque ad per theraphim fecisse monstratur.

[§]18.7 *Venerunt Lais*, etc. HIERON., lib. de loc. Hebr. Laisan filii Dan, etc., usque ad juxta Esthaol.

et sculptile, atque conflatile: videte quid vobis placeat. ¹⁵ Et cum paululum declinassent, ingressi sunt domum adolescentis Levitæ, qui erat in domo Michæ: salvaveruntque eum verbis pacificis. ¹⁶ Sexcenti autem viri ita ut erant armati, stabant ante ostium. ¹⁷ At illi, qui ingressi fuerant domum juvenis, sculptile, et ephod, et theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, et sacerdos stabat ante ostium, sexcentis viris fortissimis haud procul expectantibus. ¹⁸ Tulerunt igitur qui intraverant sculptile, ephod, et idola, atque conflatile. Quibus dixit sacerdos: Quid facitis? ¹⁹ Cui responderunt: Tace et pone digitum super os tuum: venique nobiscum, ut habeamus te patrem, ac sacerdotem. Quid tibi melius est, ut sis sacerdos in domo unius viri, an in una tribu et familia in Israël? ²⁰ Quod cum audisset, acquievit sermonibus eorum, et tulit ephod, et idola, ac sculptile, et profectus est cum eis. ²¹ Qui cum pergerent, et ante se ire fecissent parvulos ac jumenta, et omne quod erat pretiosum, ²² et jam a domo Michæ essent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ conclamantes secuti sunt, ²³ et post tergum clamare cœperunt. Qui cum respexissent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? cur clamas? ²⁴ Qui respondit: Deos meos, quos mihi feci, tulistis, et sacerdotem, et omnia quæ habeo, et dicitis: Quid tibi est? ²⁵ Dixeruntque ei filii Dan: Cave ne ultra loquaris ad nos, et veniant ad te viri animo concitati, et ipse cum omni domo tua pereas. ²⁶ Et sic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas quod fortiores se essent, reversus est in domum suam. ²⁷ Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem, et quæ supra diximus: veneruntque in Lais ad populum quiescentem atque securum, et percusserunt eos in ore gladii: urbemque incendio tradiderunt, ²⁸ nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul habitarent a Sidone, et cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac negotii. Erat autem civitas sita in regione Rohob: quam rursus extruentes habitaverunt in ea, ²⁹ vocato nomine civitatis Dan, juxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israël, quæ prius Lais dicebatur. ³⁰ Posueruntque sibi sculptile, et Jonathan filium Gersam filii Moysi ac filios ejus sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ. ³¹ Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Israël.

19 Fuit quidam vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Juda: ² quæ reliquit eum, et reversa est in domum patris sui in Bethlehem, mansitque apud eum quatuor mensibus. ³ Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei, atque blandiri, et secum reducere, habens in comitatu puerum et duos asinos: quæ suscepit eum, et introduxit in domum patris sui. Quod cum audisset socer ejus, eumque vidisset, occurrit ei lætus, ⁴ et amplexatus est hominem. Mansitque gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo et bibens familiariter. ⁵ Die autem quarto de nocte consurgens, proficisci voluit: quem tenuit socer, et ait ad eum: Gusta prius paucillum panis, et conforta stomachum, et sic proficisceris. ⁶ Sederuntque simul, ac comederunt et biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum suum: Quæso te ut hodie hic maneat, pariterque lætemur. ⁷ At ille consurgens, cœpit velle proficisci. Et nihilominus obnixè eum socer tenuit, et apud se fecit manere. ⁸ Mane autem facto, parabat Levites iter. Cui socer rursus: Oro te, inquit, ut paululum cibi capias, et assumptis viribus donec increseat dies, postea proficiscaris. Comederunt ergo simul. ⁹ Surrexitque adolescens, ut pergeret cum uxore sua et puero. Cui rursus locutus est socer: Considera quod dies ad occasum declivior sit, et propinquat ad vesperum: mane apud me etiam hodie, et duc

lætum diem, et cras proficisceris ut vadas in domum tuam. ¹⁰ Noluit gener acquiescere sermonibus ejus: sed statim perrexit, et venit contra Jebus, quæ altero nomine vocatur Jerusalem, ducens secum duos asinos onustos, et concubinam. ¹¹ Jamque erant juxta Jebus, et dies mutabatur in noctem: dixitque puer ad dominum suum: Veni, obsecro: declinemus ad urbem Jebusæorum, et maneamus in ea. ¹² Cui respondit dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israël: sed transibo usque Gabaa, ¹³ et cum illuc pervenero, manebimus in ea, aut certe in urbe Rama. ¹⁴ Transierunt ergo Jebus, et cœptum carpebant iter, occubuitque eis sol juxta Gabaa, quæ est in tribu Benjamin: ¹⁵ diverteruntque ad eam, ut manerent ibi. Quo cum intrassent, sedebant in platea civitatis, et nullus eos recipere voluit hospitio. ¹⁶ Et ecce, apparuit homo senex, revertens de agro et de opere suo vesperi, qui et ipse de monte erat Ephraim, et peregrinus habitabat in Gabaa: homines autem regionis illius erant filii Jemini. ¹⁷ Elevatisque oculis, vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea civitatis, et dixit ad eum: Unde venis? et quo vadis? ¹⁸ Qui respondit ei: Profecti sumus de Bethlehem Juda, et pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem: et nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub tectum suum nos vult recipere, ¹⁹ habentes paleas et fœnum in asinorum pabulum, et panem ac vinum in meos et ancillæ tuæ usus, et pueri qui mecum est: nulla re indigemus nisi hospitio. ²⁰ Cui respondit senex: Pax tecum sit, ego præbebo omnia quæ necessaria sunt: tantum, quæso, ne in platea maneas. ²¹ Introduxitque eum in domum suam, et pabulum asinis præbuit: ac postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convivium. ²² Illis epulantibus, et post laborem itineris cibo et potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius, filii Belial (id est, absque jugo), et circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus atque dicentes: Educ virum, qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo. ²³ Egressusque est ad eos senex, et ait: Nolite, fratres, nolite facere malum hoc, quia ingressus est homo hospitium meum: et cessate ab hac stultitia. ²⁴ Habeo filiam virginem, et hic homo habet concubinam: educam eas ad vos, ut humilietis eas, et vestram libidinem compleatis: tantum, obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum. ²⁵ Nolebant acquiescere sermonibus illius: quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam, et eis tradidit illudendam: qua cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane. ²⁶ At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus, ubi manebat dominus suus, et ibi corruit. ²⁷ Mane facto, surrexit homo, et aperuit ostium, ut cœptam expleret viam: et ecce concubina ejus jacebat ante ostium sparsis in limine manibus. ²⁸ Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur: Surge, et ambulemus. Qua nihil respondente, intelligens quod erat mortua, tulit eam, et imposuit asino, reversusque est in domum suam. ²⁹ Quam cum esset ingressus, arripuit gladium, et cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frustra concidens, misit in omnes terminos Israël. ³⁰ Quod cum vidissent singuli, conclamabant: Numquam res talis facta est in Israël, ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto usque in præsens tempus: ferte sententiam, et in commune decernite quid facto opus sit.

**19.25 *Eduxit ad eos concubinam suam*, etc. AUG. de Civ., cap. 34. Concubina interdum pro uxore usurpatur. Agar enim, et Cethura, et uxores et concubinæ Abraham vocantur.

20 Egressi itaque sunt omnes filii Israël, et pariter congregati, quasi vir unus, de Dan usque Bersabee, et terra Galaad, ad Dominum in Maspha. ² Omnesque anguli populorum, et cunctæ tribus Israël in ecclesiam populi Dei convenerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum. ³ (Nec latuit filios Benjamin quod ascendissent filii Israël in Maspha.) Interrogatusque Levita, maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset, ⁴ respondit: Veni in Gabaa Benjamin cum uxore mea, illucque diverti: ⁵ et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum in qua manebam, volentes me occidere, et uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est. ⁶ Quam arreptam, in frustra concidi, misique partes in omnes terminos possessionis vestræ: quia numquam tantum nefas, et tam grande piaculum, factum est in Israël. ⁷ Adestis, omnes filii Israël: decernite quid facere debeatis. ⁸ Stansque omnis populus, quasi unius hominis sermone respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum: ⁹ sed hoc contra Gabaa in commune faciamus. ¹⁰ Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israël, et centum de mille, et mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, et possimus pugnare contra Gabaa Benjamin, et reddere ei pro scelere, quod meretur. ¹¹ Convenitque universus Israël ad civitatem, quasi homo unus eadem mente, unoque consilio. ¹² Et miserunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum est? ¹³ Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, et auferatur malum de Israël. Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israël audire mandatum: ¹⁴ sed ex cunctis urbibus, quæ sortis suæ erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, et contra universum populum Israël dimicarent. ¹⁵ Inventique sunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa, ¹⁶ qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra ut dextra præliantes: et sic fundis lapides ad certum jacentes, ut capillum quoque possent percutere, et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. ¹⁷ Virorum quoque Israël, absque filiis Benjamin, inventa sunt quadringenta millia educentium gladium, et paratorum ad pugnam. ¹⁸ Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo: consulueruntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus: Judas sit dux vester.†† ¹⁹ Statimque filii Israël surgentes mane, castrametati sunt juxta Gabaa: ²⁰ et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, urbem oppugnare cœperunt. ²¹ Egressique filii Benjamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israël die illo viginti duo millia virorum. ²² Rursum filii Israël et fortitudine et numero confidentes, in eodem loco in quo prius certaverant, aciem direxerunt: ²³ ita tamen ut prius ascenderent et flerent coram Domino usque ad noctem, consulerentque eum, et dicerent: Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit: Ascendite ad eos, et inite certamen. ²⁴ Cumque filii Israël altera die contra filios Benjamin ad prælium processissent, ²⁵ eruperunt filii Benjamin de portis Gabaa: et occurrentes eis tanta in illos cæde bacchati sunt, ut decem et octo millia virorum educentium gladium prosternerent. ²⁶ Quam ob rem omnes filii Israël venerunt in domum Dei, et sedentes flebant coram Domino: jejunaveruntque die illo usque ad vesperam,

††20.18 *Consuluerunt.* GREG., lib. 24 Moral., cap. 13. Qui semetipsum non iudicat, etc., usque ad sed contra se rigida, bonis vero omnibus sit submissa.

et obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas, ²⁷ et super statu suo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei, ²⁸ et Phinees filius Eleazari filii Aaron præpositus domus. Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite: cras enim tradam eos in manus vestras. ²⁹ Posueruntque filii Israël insidias per circuitum urbis Gabaa: ³⁰ et tertia vice, sicut semel et bis, contra Benjamin exercitum produxerunt. ³¹ Sed et filii Benjamin audacter eruperunt de civitate, et fugientes adversarios longius persecuti sunt, ita ut vulnerarent ex eis sicut primo die et secundo, et cæderent per duas semitas vertentes terga, quarum una ferebatur in Bethel et altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros: ³² putaverunt enim solito eos more cedere. Qui fugam arte simulantes inierunt consilium ut abstraherent eos de civitate, et quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent. ³³ Omnes itaque filii Israël surgentes de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco qui vocatur Baalthamar. Insidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paulatim se aperire cœperunt, ³⁴ et ab occidentali urbis parte procedere. Sed et alia decem millia virorum de universo Israël, habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatumque est bellum contra filios Benjamin: et non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus. ³⁵ Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israël, et interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia, et centum viros, omnes bellatores et educentes gladium. ³⁶ Filii autem Benjamin cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere. Quod cernentes filii Israël, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad præparatas insidias devenirent, quas juxta urbem posuerant. ³⁷ Qui cum repente de latibulis surrexissent, et Benjamin terga cædentibus daret, ingressi sunt civitatem, et percusserunt eam in ore gladii. ³⁸ Signum autem dederant filii Israël his quos in insidiis collocaverant, ut postquam urbem cepissent, ignem accenderent: ut ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent. ³⁹ Quod cum cernerent filii Israël in ipso certamine positi (putaverunt enim filii Benjamin eos fugere, et instantius persequerentur, cæsis de exercitu eorum triginta viris), ⁴⁰ et viderent quasi columnam fumi de civitate conscendere: Benjamin quoque aspiciens retro, cum captam cerneret civitatem, et flammam in sublime ferri: ⁴¹ qui prius simulaverant fugam, versa facie fortius resistebant. Quod cum vidissent filii Benjamin, in fugam versi sunt, ⁴² et ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos adversariis persequentibus: sed et hi qui urbem succenderant, occurrerunt eis. ⁴³ Atque ita factum est, ut ex utraque parte ab hostibus cæderentur, nec erat ulla requies morientium. Ceciderunt, atque prostrati sunt ad orientalem plagam urbis Gabaa. ⁴⁴ Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt, decem et octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatōres. ⁴⁵ Quod cum vidissent qui remanserant de Benjamin, fugerunt in solitudinem: et pergebant ad petram, cujus vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, et in diversa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum ultra tenderent, persecuti sunt eos, et interfecerunt etiam alia duo millia. ⁴⁶ Et sic factum est, ut omnes qui ceciderant de Benjamin in diversis locis essent viginti quinque millia pugnatōres ad bella promptissimi. ⁴⁷ Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere et fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri: sederuntque in petra Remmon mensibus quatuor. ⁴⁸ Regressi autem filii Israël, omnes reliquias civitatis a viris usque ad jumenta gladio percusserunt, cunctasque urbes et viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.

21 Juraverunt quoque filii Israël in Maspha, et dixerunt: Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem.†† 2 Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, et in conspectu ejus sedentes usque ad vesperam, levaverunt vocem, et magno ululatu cœperunt flere, dicentes: 3 Quare, Domine Deus Israël, factum est hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis? 4 Altera autem die diluculo consurgentes, exstruxerunt altare: obtuleruntque ibi holocausta, et pacificas victimas, et dixerunt: 5 Quis non ascendit in exercitu Domini de universis tribubus Israël? grandi enim juramento se constrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent. 6 Ductique pœnitentia filii Israël super fratre suo Benjamin, cœperunt dicere: Ablata est tribus una de Israël: 7 unde uxores accipient? omnes enim in commune juravimus, non duros nos his filias nostras. 8 Idcirco dixerunt: Quis est de universis tribubus Israël, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inventi sunt habitatores Jabes Galaad in illo exercitu non fuisse. 9 (Eo quoque tempore cum essent in Silo, nullus ex eis ibi repertus est.) 10 Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, et præceperunt eis: Ite, et percutite habitatores Jabes Galaad in ore gladii, tam uxores quam parvulos eorum. 11 Et hoc erit quod observare debebitis: omne generis masculini, et mulieres quæ cognoverunt viros, interficite; virgines autem servate. 12 Inventæque sunt de Jabes Galaad quadringentæ virgines, quæ nescierunt viri thorum: et adduxerunt eas ad castra in Silo, in terram Chanaan. 13 Miseruntque nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon, et præceperunt eis, ut eos susciperent in pace. 14 Veneruntque filii Benjamin in illo tempore, et datæ sunt eis uxores de filiabus Jabes Galaad: alias autem non repererunt, quas simili modo traderent. 15 Universusque Israël valde doluit, et egit pœnitentiam super interfectione unius tribus ex Israël. 16 Dixeruntque majores natu: Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt uxores? omnes in Benjamin feminæ conciderunt, 17 et magna nobis cura, ingentique studio providendum est, ne una tribus deleatur ex Israël. 18 Filias enim nostras eis dare non possumus, constricti juramento et maledictione qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin. 19 Ceperuntque consilium, atque dixerunt: Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quæ sita est ad septentrionem urbis Bethel, et ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, et ad meridiem oppidi Lebona. 20 Præceperuntque filiis Benjamin, atque dixerunt: Ite, ad latitatem vineis. 21 Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente de vineis, et rapite ex eis singuli uxores singulas, et pergite in terram Benjamin. 22 Cumque venerint patres earum, ac fratres, et adversum vos queri cœperint atque jurgari, dicemus eis: Miseremini eorum: non enim rapuerunt eas jure bellantium atque victorum: sed rogantibus ut acciperent, non dedistis, et a vestra parte peccatum est. 23 Feceruntque filii Benjamin ut sibi fuerat imperatum: et juxta numerum suum, rapuerunt sibi de his quæ ducebant choros, uxores singulas: abieruntque in possessionem suam ædificantes urbes, et habitantes in eis. 24 Filii quoque Israël reversi sunt per tribus et familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israël: sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

††21.1 *Juraverunt quoque filii Israël in Maspha, etc.*

INCIPIT LIBER RUTH

1 In diebus unius iudicis, quando iudices præerant, facta est fames in terra. Abiitque homo de Bethlehem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabitude cum uxore sua ac duobus liberis.[¶] ² Ipse vocabatur Elimelech, et uxor ejus Noëmi: et duo filii, alter Mahalon, et alter Chelion, Ephrathæi de Bethlehem Juda. Ingressique regionem Moabitudem, morabantur ibi.^{§§} ³ Et mortuus est Elimelech maritus Noëmi: remansitque ipsa cum filiis. ⁴ Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, altera vero Ruth. Manseruntque ibi decem annis,^{*} ⁵ et ambo mortui sunt, Mahalon videlicet et Chelion: remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito.[†] ⁶ Et surrexit ut in patriam pergeret cum utraque nuru sua de regione Moabitude: audierat enim quod respexisset Dominus populum suum, et dedisset eis escas. ⁷ Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ, cum utraque nuru: et jam in via revertendi posita in terram Juda,[‡] ⁸ dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ: fa-

[¶]1.1 *Facta est.* Propter paucitatem spiritualium doctorum quibus iudicandi datur auctoritas, facta est fames verbi Dei, quando lex etiam per Judaicas traditiones corrupta est. *Abiitque homo,* RAB. Christus, scilicet, in Bethleem Juda natus peregrinationem hujus mundi visitavit, cum uxore sua, id est, Ecclesia, et cum duobus liberis, duobus scilicet ordinibus prophetarum et apostolorum qui sanguine Christi a peccati servitute sunt liberati. *Abiit homo.* RAB. Quem quidam Decalogum legis intelligunt, et uxorem ejus synagogam, et duos filios, regalem honorem et sacerdotalem: qui non solum in gente Judæorum, sed et proselytorum copulam sibi acquirebant, sicut in tempore David, et Salomonis et aliorum factum est.

^{§§}1.2 *Mahalon.* Qui de fenestra vel a principio. Hic est chorus prophetarum per quos de fenestra primum fidei lumen in orbem processit: qui etiam veri luminis, id est Christi, primi prædicatores fuerunt. *Chelion,* consummatio. Hi sunt apostoli qui ænigmata prophetarum ad consummationem pleni intellectus perduxerunt. Hi merito Ephrathæi et de Bethlehem Juda orti sunt: qui cœlesti pane satiati per prædicationem Evangelii fructum prædicationis collegerunt. Ephrathæus enim frugifer, Bethlehem domus panis, Juda confessio interpretatur, unde: *Vos date illis manum.* Item, *Euntes prædicate Evangelium regni Dei.* Et alibi: *Elegi vos de mundo ut eatis, et fructum faciatis* Marc. 6, XVI; Joan. 16..

^{*}1.4 *Ruth.* Videns vel festinans, vel deficiens interpretatur: in qua obedientia et credulitas gentium designatur, de quibus dicitur: *Populus quem non cognovi, servivit mihi,* etc. Et alibi: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo* Psal. 66.. Vocabantur ergo duo populi per sanctos prædicatores ad consortium fidei et electorum Dei, ut ex diversis gregibus fieret unum ovile.

[†]1.5 *Mortui sunt.* Post perfectionem pii laboris, scilicet de exilio hujus mundi ad cœlestia regna migraverunt, ut expleto mandato Decalogi acciperent denarium beatitudinis.

[‡]1.7 *Egressa est,* etc., *utraque.* Studiose satagit Ecclesia, ut plebes quas Apostoli et prophetæ tempore suo instruxerunt, perducatur ad unitatem fidei et societatem Christianæ religionis: quæ Scriptura referente didicit, quia justus non derelinquetur, nec semen ejus quærens panem, qui de cœlo descendit Psal. 36..

ciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis, et mecum.^{¶ 9} Det vobis invenire requiem in domibus virorum quos sortituræ estis. Et osculata est eas. Quæ elevata voce flere cœperunt,¹⁰ et dicere: Tecum pergemus ad populum tuum.¹¹ Quibus illa respondit: Revertimini, filiæ meæ, cur venitis mecum? num ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis?^{§ 8 12} Revertimini, filiæ meæ, et abite: jam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo conjugali: etiamsi possem hac nocte concipere, et parere filios,¹³ si eos expectare velitis donec crescant, et annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ quam nubatis. Nolite, quæso, filiæ meæ: quia vestra angustia magis me premit, et egressa est manus Domini contra me.¹⁴ Elevata igitur voce, rursus flere cœperunt: Orpha osculata est socrum, ac reversa est; Ruth adhæsit socru suæ:^{** 15} cui dixit Noëmi: En reversa est cognata tua ad populum suum, et ad deos suos, vade cum ea.¹⁶ Quæ respondit: Ne adverseris mihi ut relinquam te et abeam: quocumque enim perrexeris, pergam, et ubi morata fueris, et ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus.^{†† 17} Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar: ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, et hæc addat, si non sola mors me et te separaverit.¹⁸ Videns ergo Noëmi quod obstinato animo Ruth decrevisset secum pergere, adversari noluit, nec ad suos ultra reditum persuadere:^{‡‡ 19} profectæque sunt simul, et venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebruit: dicebantque mulieres: Hæc est illa Noëmi.²⁰ Quibus ait: Ne vocetis me Noëmi (id est, pulchram), sed vocate me Mara (id est, amaram), quia amaritudine valde re-

[¶]1.8 *Ite in domum.* Ecclesia non indiscrete agit, nec indiscrete quemquam recipit, unde: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt* I Joan. 4.. Possunt hæc synagogæ convenire, quæ retrahit ad fidem Christi venientes, et maxime illud, ut superata a veritate infirmam se cognoscit effoetandi: *Revertimini, filiæ meæ.*

[§]1.11 *Num ultra.* RAB. Vox synagogæ veritatem confitentis et supervenientem culpam non tacentis quæ a viro, id est, David relicta: et a filiis, id est, regibus et principibus privata, sterilem se esse et infirmam ad concipiendum filios Deo confitetur post adventum Christi.

^{**}1.14 *Elevata.* Per has mulieres, quarum una dolens et lugens a socru recedit, altera obstinato animo adhæret, credentes significantur: quorum alii percepta gratia baptismi et societate fieri, ad errores pristinos relabuntur, quos significat Orpha: quæ ad Deos suos reversa est; alii vero definito consilio, perceptam gratiam consequuntur, quos significat Ruth.

^{††}1.16 *Quocunque.* Sic Ecclesia de gentibus vocata, relicta patria, id est idololatria omissa, carnali conversatione et desideriis, profitetur Deum suum esse in quem crediderunt sancti, et ituram quo caro Christi ascendit, et pro ejus nomine in hoc sæculo pati usque ad mortem, et cum populo sanctorum et prophetarum et patriarcharum; unde: *Lætamini gentes cum plebe ejus* Rom. 15..

^{‡‡}1.18 *Videns.* Gentilis populus obstinato animo prædicatores sequitur in terram sanctam, et in civitatem Dei Bethlehem, ubi præparatur ad suscipiendum sponsum de stirpe Abrahamæ natum, in quo benedicentur omnes gentes vel tribus terræ.

plevit me Omnipotens.[¶] 21 Egressa sum plena, et vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noëmi, quam Dominus humiliavit, et afflixit Omnipotens? 22 Venit ergo Noëmi cum Ruth Moabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ: ac reversa est in Bethlehem, quando primum hordea metebantur.

2 Erat autem viro Elimelech consanguineus, homo potens, et magnarum opum, nomine Booz. 2 Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam: Si jubes, vadam in agrum, et colligam spicas quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa respondit: Vade, filia mea. 3 Abiit itaque et colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem ut ager ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech.^{§§} 4 Et ecce, ipse veniebat de Bethlehem, dixitque messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus. 5 Dixitque Booz juveni, qui messoribus præerat: Cujus est hæc puella? 6 Cui respondit: Hæc est Moabitis, quæ venit cum Noëmi, de regione Moabitide, 7 et rogavit ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia: et de mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est.* 8 Et ait Booz ad Ruth: Audi, filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: sed jungere puellis meis,[†] 9 et ubi messuerint, sequere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi: sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas, et bibe aquas, de quibus et pueri bibunt. 10 Quæ cadens in faciem suam et adorans super terram, dixit ad eum: Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos,

[¶]1.20 **Ne vocetis.** Agnoscit synagoga calamitatem suam, quam post adventum Christi merito patitur: et refugit pulchra vocari, quia tempora prosperitatis suæ finiri conspicit. **Quando primum.** Id est quando lex incarnationis suæ ordinem ad mysterium passionis Christi convertit. Messis enim hordeacea tempus Dominicæ passionis exprimit, quæ mense novorum, id est, primo mense contigit. Bene ergo tempore illo ad Bethlehem veniunt, quando lex Christum quem docet in Bethlehem natum, in pascha, id est in mense novorum, prædicat occisum. Sancta quoque Ecclesia toto conatu laborat, ut quas ad fidem convocat, incarnationis, passionis, resurrectionis merito imbuat. Messis hordeacea Judæorum exprimit credulitatem: qui peracto sacramento passionis, prædicantibus apostolis, primum ad fidem veniunt. Qui alibi quinque panibus hordeaceis pasti a Domino leguntur.

^{§§}2.3 **Accidit.** Quia sancta Ecclesia ad Christum pertinet, cujus sponsa et corpus est. De quo dicitur: **Fortitudo mea et laus mea Dominus** Psal. 117.. Et alibi **Dominus fortis et potens. Dominus potens in prælio** Psal. 23.. Ipse est cognatus Elimelech, qui de Bethlehem et de stirpe David natus, testimonium habet a lege et prophetis. Hic verba salutis et pacis familiæ suæ attulit, in cujus nativitate cecinerunt angeli, **Gloria in excelsis Deo, et in terra,** etc. Luc. 2.. Cui venienti in Jerusalem obvia turba clamavit, dicens: **Benedictus qui venit in nomine Domini** Matth. 21..

*2.7 **Et rogavit.** Quia sancta Ecclesia perseverat in agro divinæ lectionis post messorum et prædicatores, mysteria Scripturarum colligens, ut in sinu mentis suæ testimonia et exempla virtutum recordat. Vel ager ille est coelestis studii disciplina messis intelligentia spiritualis; messorum, prædicatores; spicæ remanentes, sententiæ Scripturarum, quæ multum per mysterium occultatæ, quasi pleniores remanent ad exercitium meditantis. Plebs ergo gentilis ecclesiasticam disciplinam ardentem appetit, ut ad meditationem divinæ legis et sanctorum societatem admittatur, et sanctorum documentis vel exemplis reficiatur.

†2.8 **Ne vadas.** Quasi dicat: Ne recedas a statu fidei, ne sequaris errores hæreticorum vel schismaticorum: sed magis jungere animabus sanctis, ut metas Scripturas sanctas, meditando, et opere implendo; et haustum divinæ sapientiæ de libris duorum Testamentorum unde pueri, id est, sancti bibunt, et ipsa bibas.

et nosse me dignareris peregrinam mulierem?[‡] ¹¹ Cui ille respondit: Nuntiata sunt mihi omnia quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui: et quod reliqueris parentes tuos, et terram in qua nata es, et veneris ad populum, quem antea nesciebas. ¹² Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israël, ad quem venisti, et sub cuius confugisti alas. ¹³ Quæ ait: Inveni gratiam apud oculos tuos, domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum.[¶] ¹⁴ Dixitque ad eam Booz: Quando hora vescendi fuerit, veni huc, et comede panem, et intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, et concessit polentam sibi, comeditque et saturata est, et tulit reliquias.[§] ¹⁵ Atque inde surrexit, ut spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis, dicens: Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam: ¹⁶ et de vestris quoque manipulis projicite de industria, et remanere permitte, ut absque rubore colligat, et colligentem nemo corripiat.^{**} ¹⁷ Collegit ergo in agro usque ad vesperam: et quæ collegerat virga cædens et excutens, invenit hordei quasi ephi mensuram, id est, tres modios.^{††} ¹⁸ Quos portans reversa est in civitatem, et ostendit socrui suæ: insuper protulit, et dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat.^{‡‡} ¹⁹ Dixitque ei socrus sua: Ubi hodie collegisti, et ubi fecisti opus? sit benedictus qui misertus est tui. Indicavitque ei apud quem fuisset operata: et nomen dixit viri, quod Booz vocaretur. ²⁰ Cui respondit Noëmi: Benedictus sit a Domino:

[‡]2.10 *Quæ cadens in faciem.* Gratias refert Ecclesiæ gentium Salvatori, qui eam respicere dignatus est. Cui ille respondit: placere sibi, quod mortuo viro suo, id est, diabolo, parentes idololatrias reliquit, et terram nativitatis, id est, carnalia desideria, et populo sanctorum se sociavit, qui sibi antea ignotus fuit cum sequeretur cupiditatem veteris hominis.

[¶]2.13 *Inveniam,* etc. Nota humilitatem gentilis Ecclesiæ, quæ se cognoscit imparem tantæ gratiæ, nec audet se æquiparare primitivæ Ecclesiæ; unde dicit: *Nam et catelli edunt de micis,* etc. Et alibi: *Domine, non sum dignus ut intres sul tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus* Matth. 8..

[§]2.14 *Quando hora.* Hora vescendi fuit quando dictum est apostolis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* Matth. 16.. A Domino enim dictum est: *In viam gentium ne abieritis* Matth. 10.. *Intinge buccellam.* Lege, scilicet quæ diu meditata perseverans in priorem populum Pharisæorum conditionibus vel traditionibus corrupta nativum saporem perdidit. In hac tingit Ecclesia buccellam, id est, mysterium incarnationis Christi dicit esse in Testamento Veteri, et ideo firmitus credit, quia ante longe præfiguratum cognoscit.

^{**}2.16 *De vestris.* Nota humilitatem patrisfamilias, qui non solum spicas relictas testimoniorum colligi permittit, sed etiam manipulos scientiæ ultronea largitate impertitur. *De vestris manibus projicite,* etc. Quia gentilis populi infirmitatem non despicit, nec pristinos errores improperat, sed studii sagacitate ad ædificationem perducit.

^{††}2.17 *Quasi ephi.* Cum in lectione per sanctæ Trinitatis confessionem discit catholicam fidem. In ephi mensura, quæ tres modios continet, signatur una divinitatis substantia, et trium personarum proprietas.

^{‡‡}2.18 *Quos portans.* Quia fidem suam matri Ecclesiæ ostendit. Vel Ecclesia synagogæ gratiam quam sponsi sui munere percepit, ostendit, ut eam provocaret ad fidem. *Dedit ei.* Eructavit cor meum verbum bonum, scilicet de plenitudine cordis cibum prædicationis. *Benedictus.* Synagoga, prædicante Ecclesia gentium, bonitatem et potentiam Domini cognoscit, et fortitudinem sui protectoris: et tandem veritate cogente nomen Domini benedicit, quod servavit gratiam mortuis quam præbuit vivis.

quoniam eandem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit et mortuis. Rursumque ait: Propinquus noster est homo.[¶] 21 Et ait Ruth: Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tamdiu messoribus ejus jungerer, donec omnes segetes meterentur.^{§§} 22 Cui dixit socrus: Melius est, filia mea, ut cum puellis ejus exeat ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi. 23 Juncta est itaque puellis Booz: et tamdiu cum eis mesuit, donec hordea et triticum in horreis conderentur.*

3 Postquam autem reversa est ad socrum suam, audivit ab ea: Filia mea, quæram tibi requiem, et providebo ut bene sit tibi. 2 Booz iste, cujus puellis in agro juncta es, propinquus noster est, et hac nocte aream hordei ventilat.[†] 3 Lavare igitur, et ungere, et induere cultioribus vestimentis, et descende in aream: non te videat homo, donec esum potumque finierit.[‡] 4 Quando autem irerit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat: veniesque et discooperies pallium, quo operitur a parte pedum, et projicies te, et ibi jacebis: ipse autem dicet quid agere debeas.[¶] 5 Quæ respondit: Quidquid præceperis, faciam. 6 Descenditque in aream, et fecit omnia quæ sibi imperaverat socrus. 7 Cumque comedisset Booz, et bibisset, et factus esset hilarior, issetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum, venit abscondite, et discooperto pallio, a pedibus ejus se projecit.[§] 8 Et ecce, nocte jam media expavit homo, et conturbatus est: viditque mulierem jacentem ad pedes suos, 9 et ait illi: Quæ es? Illaque respondit: Ego sum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. 10 Et ille: Benedicta, inquit, es a Domino, filia, et priorem misericordiam posteriore superasti: quia non est secuta juvenes, pauperes sive divites. 11 Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit

[¶]2.20 **Propinquus.** Cognoscit propinquum mater Ecclesia per gratuita beneficia populo gentium collata, et audito nomine recordatur beneficiorum antiquorum; unde: *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis* Psal. 142..

^{§§}2.21 **Præcepit mihi.** Quia Christus omnibus ad se venientibus præcipit, ut magis cum fidelibus suis jungantur ad messem spiritualis segetis, quam cum alienis, cui persuasioni consentit socrus, dicens: *Melius est filia;* hoc ut bonum et utile non potest negare Synagoga.

*2.23 **Donec triticum.** Hoc est, tandiu adhæret doctoribus in meditatione Scripturarum, donec Veteris et Novi Testamenti notitiam in cella cordis reconderet: unde pastum animæ sufficientem haberet.

[†]3.2 **Aream.** Synagogam Judæorum ubi legis hordeum conditum est: hanc Christus ventilat, quando in area Evangelium prædicans, singulorum consilia et voluntates erga se triturat; unde: *Jesus autem non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et non erat opus ei ut quis testimonium perhiberet de homine* Joan. 2..

[‡]3.3 **Non te.** Quia fides gentium Ecclesiæ non ante apparuit, quam Christus mysterium incarnationis suæ implevit, quando corporaliter inter homines vivens cibo ac potu usus est, et tandem cœnans cum discipulis suis corporis et sanguinis sui sacramenta communicavit eis. Impleto autem mysterio dispensationis, Christi Ecclesia de gentibus ad fidem fiducialiter accessit.

[¶]3.4 **Discooperies,** etc. Quod dicit: Agnosce Christum pro te passum, et veni devota mente, discute operimentum litteræ Veteris Testamenti in quo tegitur sacramentum incarnationis Christi; et cum cognoveris inde tibi salutem promissam, humiliter ad auxilium ejus confuge, ut ibi permanas omni tempore.

[§]3.7 **Acervum.** Testimonia Scripturarum; unde: *Filius hominis vadit sicut scriptum est de illo* Matth. 26.. Vel juxta turmas fidelium animarum quas morte sua ab inferis revocavit. Ad hunc lectum properavit Ecclesia et discooperto pallio, etc.

enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis. ¹²Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior. ^{** 13}Quiesce hac nocte: et facto mane, si te voluerit propinquitatis jure retinere, bene res acta est: sin autem ille noluerit, ego te absque ulla dubitatione suscipiam, vivit Dominus. Dormi usque mane. ¹⁴Dormivit itaque ad pedes ejus, usque ad noctis abscessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuo, et dixit Booz: Cave ne quis noverit quod huc veneris. ^{†† 15}Et rursum: Expande, inquit, pallium tuum, quo operiris, et tene utraque manu. Quæ extendente, et tenente, mensus est sex modios hordei, et posuit super eam. Quæ portans ingressa est civitatem, ¹⁶et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei: Quid egisti, filia? Narravitque ei omnia, quæ sibi fecisset homo. ¹⁷Et ait: Ecce sex modios hordei dedit mihi, et ait: Nolo vacuam te reverti ad socrum tuam. ¹⁸Dixitque Noëmi: Expecta, filia, donec videamus quem res exitum habeat: neque enim cessabit homo, nisi compleverit quod locutus est.

4 Ascendit ergo Booz ad portam, et sedit ibi. Cumque vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum: Declina paulisper, et sede hic: vocans eum nomine suo. Qui divertit, et sedit. ^{‡‡ 2}Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis, dixit ad eos: Sedete hic. ³Quibus sedentibus, locutus est ad propinquum: Partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noëmi, quæ reversa est de regione Moabitude: ⁴quod audire te volui, et tibi dicere coram cunctis sedentibus, et majoribus natu de populo meo. Si vis possidere jure propinquitatis, eme, et posside: sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, ut sciam quid facere debeam: nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es, et me, qui secundus sum. At ille respondit: Ego agrum emam. ⁵Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitudem, quæ uxor defuncti fuit, debes accipere: ut

^{**}3.12 *Sed est alius me propinquior.* Joannes Baptista qui Christus putabatur, sed sponsi nomen non usurpavit, sed Christo reservavit, dicens: *Qui habet sponsam sponsus est*, etc. Hic propinquior, quia in mundo prior natus. Vel iste propinquus, est legis decalogus qui propinquior Synagogæ quam Evangelium videbatur, quia specialiter illi populo datus et tempore prior est.

^{††}3.14 *Surrexit itaque antequam.* Quia antequam Judæi doctrina legis imbuti naturæ suæ jura cognoscerent, Ecclesia gentium inertiae suæ somnium excutiens diluculo nascentis fidei resurrexit, et ad Christi gratiam properavit.

^{‡‡}4.1 *Declina.* Quia Christus Judæis vidit legem constitutam temporaliter: et ad se declinare jussit: quia eam ad dispensationis suæ mysterium testificandum inclinavit. Aliter: vidit propinquum præterire, cum præcursoris sui adventum quem more humanæ vitæ properare conspexit, et ad officium præcursoris misericorditer convertit. *Locutus.* Convenienter legisperitis partem agri Nœmi ad emendum obtulit, cum partem plebis quæ apparente jam gratia remansit, ad salvandum, magistris Synagogæ ostendit, ut infirmitatem suam agnoscerent, et quod ipsi nequirent, vero medico faciendum committerent, unde leprosis dicitur: *Ite, ostendite vos sacerdotibus* Luc. 17., et cum irent mundati sunt.

suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua.[¶] ⁶ Qui respondit: Cedo juri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo: tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor. ⁷ Hic autem erat mos antiquitus in Israël inter propinquos, ut siquando alter alteri suo juri cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, et dabat proximo suo: hoc erat testimonium cessionis in Israël. ⁸ Dixit ergo propinquo suo Booz: Tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo.^{§§} ⁹ At ille majoribus natu, et universo populo: Testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnis quæ fuerunt Elimelech, et Chelion, et Mahalon, tradente Noëmi;* ¹⁰ et Ruth Moabitidem, uxorem Mahalon, in conjugium sumpserim, ut suscitem nomen defuncti in hæreditate sua, ne vocabulum ejus de familia sua ac fratribus et populo deleatur. Vos, inquam, hujus rei testes estis. ¹¹ Respondit omnis populus, qui erat in porta, et majores natu: Nos testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quæ ædificaverunt domum Israël: ut sit exemplum virtutis in Ephratha, et habeat celebre nomen in Bethlehem:† ¹² fiatque domus tua sicut domus Phares, quem Tamar

[¶]4.5 *Ut suscite.* Significat non aliam possessionem plebis quam copulationem Ecclesiæ in conjugium Christi, qui suscitavit antiquum nomen filii Dei quod in initio habuerunt sancti; unde: **Videntes filii Dei**, etc., et Lucas dicit: Adam filium Dei, quem etiam in Ecclesia gentium per gratiam Dei suscitavit; unde: **Dedit eis potestatem filios Dei fieri**, etc. Hoc nomen in nationibus, legis decalogus suscitare non potuit. Si autem hoc ad Joannem Baptistam retuleris, invenies eum cedentem juri propinquitatis, et dicentem: **Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit quem vos nescitis: cujus non sum dignus solvere corrigia calceamenti ejus.** Et alibi: **Ego non sum Christus: sed missus sum ante eum. Qui habet sponsam, sponsus est.** Cedit quoque lex Evangelio: **Lex enim subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia.** Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus: introductio vero melioris spei per quam proximamus ad Deum fit per Jesum Christum.

^{§§}4.8 *Solvere.* Calceamentum velamen est mysteriorum. Lex vero de pede suo calceamentum solvit, et Christo dedit, quia sacramenta per magistros populi manifestare non potuit, sed Christo hoc faciendum reservavit. Joannes ergo non sibi, sed Christo calceamentum vindicavit, quia soli Christo sponsam competere intellexit; unde ait: **Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus**

*4.9 *Testes.* Sic Christus ex utroque Testamento testes habet sufficientes, quod populum gentium quem decalogus jam finitus spiritualiter fecundare non potuit, ipse semine verbi Dei fecundavit omnia possidens, quæ priores et posteriores habuerunt sancti.

†4.11 *Et majores.* ISID. Decem majorum natu benedictio ostendit in nomine Jesu omnes gentes esse benedicendas. Iota enim apud Græcos decem significat, quæ in nomine Jesu prima littera est. **Faciat Dominus hanc.** Imprecatur prospera Ecclesiæ gentium, ut gratiam fecunditatis, quam habuerunt Isræliitarum primi parentes, percipiat. **Rachel.** Spe internæ contemplationis habens internam intelligentiam veritatis. Unde, Rachel bona facie, et pulchra specie, quam amat omnis pie studiosus, et propter hanc servit Laban, qui interpretatur dealbatio, quam comparat gratiæ Dei qui dicit: **Quod si fuerunt peccata vestra sicut Phœnicium, tanquam nix dealbabuntur** Isa. 1.. **Liam.** Actio hujus vitæ in qua vivimus laboriosa est ex fide, et incerta, quo exitu perveniat ad utilitatem eorum quibus consulere volumus. Ipsa est Lia prior uxor Jacob, quæ infirmis oculis fuisse memoratur.

peperit Judæ, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella.‡ 13 Tulit itaque Booz Ruth, et accepit uxorem: ingressusque est ad eam, et dedit illi Dominus ut conciperet, et pareret filium.¶ 14 Dixeruntque mulieres ad Noëmi: Benedictus Dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocaretur nomen ejus in Israël: 15 et habeas qui consoletur animam tuam, et enutriat senectutem: de nuru enim tua natus est, quæ te diligit, et multo tibi melior est, quam si septem haberes filios.§ 16 Susceptumque Noëmi puerum posuit in sinu suo, et nutricis ac gerulæ fungebatur officio.** 17 Vicinæ autem mulieris congratulantes ei, et dicentes: Natus est filius Noëmi: vocaverunt nomen ejus Obed: hic est pater Isai, patris David.†† 18 Hæ sunt generationes Phares: Phares genuit Esron,‡‡ 19 Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, 20 Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon, 21 Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, 22 Obed genuit Isai, Isai genuit David.

‡4.12 *Phares*, etc. Qui gentilis populi gratiam tenuit, et in partu fratrem qui prior manum emiserat præcessit, Israël enim in opere legis prius manum emisit, et eam prophetarum et ipsius Christi cruore pollutam retraxit. Postea vero populus gentium prorupit, ut essent *primi novissimi, et novissimi primi* Matth. 20.. Thamar quoque commutans vel amaritudo interpretatur. Ecclesia enim gentium et nomine et habitu, quæ fuit in idololatria fœda et amara, in pœnitentia fit dulcis et pulchra

¶4.13 *Ut conciperet et pareret*. Semper Ecclesia Spiritus sancti munere fecundatur, et aliis ad lucem perpetuam decedentibus alii succedent, ut Christianum nomen in æternum maneat et mater sanctissima de nova progenie in senectute sua consolationem habeat. Decedentibus quoque patriarchis et prophetis successerunt evangelistæ et apostoli, unde: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*.

§4.15 *De nuru enim*. Nurus synagogæ gentilis Ecclesia est quæ nupsit Christo de synagoga nato. Quem scilicet per legem gignere non potuit per prophetiæ mysterium susceptum, sub velamine figuratum portabat occultum, et nutricis fungebatur officio, quia matris carebat privilegio. *Multo tibi melior*, etc. Multitudinem scilicet eorum qui in veteri testamento legis doctrinam nutriebant, qui scilicet non crediderunt verbo Domini et immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis, et tandem Christum occiderunt et apostolos persecuti sunt.

**4.16 *Et nutricis*. Spiritualis prosapia generationis demonstratur. Obed enim Servilis interpretatur. Isai, in sole sacrificium vel incensum; David, manu fortis vel desiderabilis. Qui enim strenue Deo servit, sacrificium illi gratum et suavissimum odoris incensum per opera virtutum et orationis studium impendit. Sicque roboratus fide et devotione desiderabilis est, et Deo placet.

††4.17 *Vicinæ*. Cœlorum virtutes, qui gaudent in fecunditate Ecclesiæ, et vocant nomen ejus Obed, id est, serviens, quem superno regi secum servire desiderant.

‡‡4.18 *Hæ sunt*. Decem sunt generationes filii Judæ usque ad David. Unde cognoscitur quia totius divinæ legis intentio ad Christum tendit, qui natus est de semine David, ut illius adventum prædicet et legis perfectionem in eo manifestet: *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti* Rom. 10.. Ante legem ergo Jacob de incarnatione Christi ait: *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*. Ad David autem, quia Christus de semine Juda, dictum est: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Patet ergo etiam prophetarum et patriarcharum oraculum pertinere ad dispensationem Domini nostri Jesu Christi.

INCIPIT LIBER I SAMUHELIS ID EST REGUM PRIMUS

1 Fuit vir unus de Ramathaimsophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, filius Jeroham, filii Eliu, filii Thohu, filii Suph, Ephrathæus:[¶] ² et habuit duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filii: Annæ autem non erant liberi. ³ Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus, ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni et Phinees, sacerdotes Domini.^{§§} ⁴ Venit ergo dies, et immolavit Elcana, deditque Phenennæ uxori suæ, et cunctis filiis ejus et filiabus, partes:^{*} ⁵ Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluderat vul-

[¶]1.1 *Ramathaim Sophim, de monte*, etc. ORIG., hom. de Elcana. Sive *Armathaim*, quod in aliis codicibus habetur, etc., usque ad in quo nobilitas omnium virtutum fructificare dignoscitur. ID. Hic habuit duas uxores, etc., usque ad hanc sobolem ex imitatione Annæ sicut et ipsa oremus. RAB., in lib. Reg. Pius historicæ prophetiæ generatio dicenda, etc., usque ad cum soror ejus gauderet numerositate prolis. HIERON., lib. de Nom. Heb. Elcana allegorice possessio Dei qui est filius Dei, dicens: *Dominus possedit me*: qui bene vir unus, non numero, sed quia nunquam mutatur, nec a se aliter efficitur Deus. Armathaim Sophim excelsa vel specula, hæc est superna Jerusalem; de qua veniens, speculationem docuit, et morte sua possidere fecit. *Jeroham*, misericors. *Eliu*, Deus meus. *Thohu*, signatus. *Suph*, effundens, quia per misericordiam ad nos veniens signatus in passione ait: *Deus meus, Deus meus* Matth. 27., ubi semetipsum exinaniens effudit, unde: *Unguentum effusum nomen tuum* Cant. 1., effusum a suis invisibilibus ad nostra visibilia. *Ephrathæus*, frugifer, quia donis Spiritus sancti abundat. Ephrathæus ab Ephrata uxore Caleb, vel Ephrata civitate, quæ post dicta est Bethlehem, vel ab Ephraim ut nonnulli aiunt, quia fuit a de Ramatha civitate Ephraim, quæ sita est in monte Sophim, qui mons est in tribu Ephraim GREG., in lib. Reg. Phenenna est synagoga, quæ secunda primum filios Deo per legem generabat, sed jam propter infidelitatem infecunda manet. Anna sterilis Ecclesia gentium quæ olim sterilis a prole spirituali, nunc gratia Christi redempta. Anna enim, quæ interpretatur gratia, Deo filios per baptismum et Spiritum sanctum gignit. *Silo*. Est in nonagesimo milliario Neapoleos in regione Athabitanæ.

^{§§}1.3 *Sacerdotes Domini* GREG., ibid.. Quomodo sacerdotes Domini, qui inferius filii Belial dicuntur? Eo tempore sacerdotes Domini dicti sunt, quando simulacrorum sacerdotes ex falsorum deorum nominibus censebantur, ut hoc insigni ab illis discernantur. His enim verbis eorum fides, non vita, prædicatur, quia et pravitatem exercebant operis, sed non errant in fide conditoris. *Ophni*, discalceatus, sive insaniam conversionis. *Phinees*. ORIG., hom. de Elcana. Os mutum, scribas et Pharisæos significat, etc., usque ad merito ergo dimissi sunt et Deo derelicti.

^{*}1.4 *Venit ergo dies et immolavit Elcana deditque Phenennæ*, etc. HIER., l. de tradit. Heb. Hæ partes, vestes intelliguntur, quæ in tribus festivitibus Paschæ videlicet, et Pentecostes, et Tabernaculorum, juxta morem illius gentis, uxoribus, et liberis, ac famulis dabantur *Annæ autem dedit partem unam tristis*, quia non habebat filios quibus amplius daret. *Phenennæ*, id est synagogæ, *et filiis dedit partes*, id est, temporalia bona, juxta illud: *Dedit eis regiones gentium* Psal. 104.. Et quia primum credita sunt illis eloquia Dei, *Annæ*, id est, Ecclesiæ gentium *dedit partem unam*, scilicet ingenium. Bene ait. *Tristis*, quia *concluderat Dominus vulvam ejus* nondum enim advenerat tempus miserendi ejus, ut spirituali gratia fecundaretur. Sicut Phenenna Annam, ita synagoga gentilitatem despiciebat. Multi ex gentilibus Redemptoris adventum, ut in Job reperimus, exspectaverunt, et quia in prece perseveraverunt, tandem redemptor flenti et non capienti cibum Annæ, consolationem adhibuit, dicens:

vam ejus. ⁶ Affligebat quoque eam æmula ejus, et vehementer angebat, in tantum ut exprobraret quod Dominus conclusisset vulvam ejus: ⁷ sicque faciebat per singulos annos: cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini, et sic provocabat eam: porro illa flebat, et non capiebat cibum. ⁸ Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna, cur fles? et quare non comedis? et quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii?† ⁹ Surrexit autem Anna postquam comederat et biberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini, ¹⁰ cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, ¹¹ et votum vovit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, et novacula non ascendet super caput ejus. ¹² Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus. ¹³ Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. Æstimavit ergo eam Heli temulentam, ¹⁴ dixitque ei: Usquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades.‡ ¹⁵ Respondens Anna: Nequaquam, inquit, domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum: vinumque et omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. ¹⁶ Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris et mœroris mei locuta sum usque in præsens. ¹⁷ Tunc Heli ait ei: Vade in pace: et Deus Israël det tibi petitionem tuam quam rogasti eum.¶ ¹⁸ Et illa dixit: Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati.§ ¹⁹ Et surrexerunt mane, et adoraverunt coram Domino: reversique sunt, et venerunt in domum suam Ramatha. Cognovit autem Elcana Annam uxorem suam: et recordatus est ejus Domi-

†1.8 *Anna, cur fles?* Melior est Ecclesiæ vir suus, id est Christus, quam decem filii quos de synagoga edebat, qui Christum plus nonnunquam diligit, id est gratiam ejus, quam illos quos carnaliter pariebat.

‡1.14 *Dixitque ei. Septuaginta., Usquequo ebria eris?* Homo videt in facie, Deus in corde. Heli æstimabat ebriam qui tantum os intuebatur: Dominus autem respexit ad orationem ejus, qui videbat cor ejus. Hic autem traditur nobis forma orandi ut non in multiloquio, sed in compunctione cordis et effusione lacrymarum oremus: quia *sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum*, etc.

¶1.17 *Heli ait, Vade in pace*, etc. *Et abiit mulier*, etc. Vides mulieris fidem? Priusquam acciperet quod postulaverat, perinde confisa est, quasi jam accepisset. In causa erat, quod orasset multo cum fervore, citra ullam hæsitationem. Abiit pacato animo, quasi totum impetrasset. Insuper Deus totam anxietatem jam illi excussit ex animo, largiturus quod petebat. Hanc feminam imitemur, et in omnibus afflictionibus ad Deum confugiamus. Si nobis non fuerint liberi, ab illo postulemus, quos si acceperimus, multa cura educamus, etc.

§1.18 *Vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati.* RAB. in lib. Reg. Alia translatio: *Facies non concidit amplius*, quia certissime se credidit exauditam. ID. Nequaquam enim Ecclesia a fide et dilectione Redemptoris in diversa declinando mutata est.

nus.^{**} 20 Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, et peperit filium: vocavitque nomen ejus Samuel, eo quod a Domino postulasset eum.^{††} 21 Ascendit autem vir ejus Elcana, et omnis domus ejus, ut immolaret Domino hostiam solemnem, et votum suum. 22 Et Anna non ascendit: dixit enim viro suo: Non vadam donec ablactetur infans, et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi jugiter. 23 Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, et mane donec lactes eum: precorque ut impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, et lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte.^{**} 24 Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, et tribus modiis farinae, et amphora vini, et adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus: 25 et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli. 26 Et ait Anna: Obsecro mi domine, vivit anima tua, domine: ego sum illa mulier, quæ steti coram te hic orans Dominum. 27 Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam quam postulavi eum. 28 Idcirco et ego commodavi eum Domino cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino. Et adoraverunt ibi Dominum. Et oravit Anna, et ait:

2 [Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo; dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo.^{¶¶}
 2 Non est sanctus, ut est Dominus, neque enim est alius extra te, et non est fortis si-

^{**}1.19 *Et recordatus est ejus Dominus.* ID. Quia Anna Dominum devote postulavit, concepit et peperit. Sic Ecclesia per naturalem intellectum orans, mysterium incarnationis corde concepit, ore confessionis genuit. *Et adoraverunt.* ORIG., ubi supra. Non invenitur orare in hoc cantico, etc., usque ad si autem dimiserit, vincit Amalec inimicus Dei

^{††}1.20 *Vocavitque nomen ejus Samuel.* Id est Deus. Annæ primogenitus propheta. Quis est hic nisi Dominicus homo? RAB. Samuel postulatio Dei vel nomen ejus: actor, scilicet nativitas ejus Deus, quia sterili oranti concessit filium, qui cunctis diebus sibi in templo deserviret. ID. Ecclesia ex nationibus, etc., usque ad cum perfecta fide incarnationis junxit se primitivæ Ecclesiæ ex Judæis.

^{**}1.23 *Precorque ut impleat Dominus.* Quod vovisti, vel suum quod promisit per Heli. cum ait: *Det tibi Deus petitionem,* etc. *Mansit ergo mulier et lactavit filium suum donec amoveret eum a lacte. Et adduxit.* Non vult Anna puerum ducere ad domum Dei antequam ablactetur: quia Ecclesia nullum ad sacerdotium provehit dum lactis infantia particeps est, non solidi cibi et intelligentiæ spiritalis capax. HIERON., lib. de Trad. Hebr. in lib. Reg. In Hebræo: *Modio farinae,* sed vitio scriptorum depravatum est. Si enim cum tribus vitulis tres modios farinae obtulit contra legem fecit, in qua dicitur: Vitulum de armento unum, arietem unum, agnos agniculos immaculatos septem, in sacrificiis eorum similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, unam decimam per agnum. Hæc vero decima, pars decima ephi erat. Unde intelligitur, quod Elcana non obtulit tres modios farinae, cum tribus vitulis, sed novem decimas.

^{¶¶}2.1 *Dilatatum est.* RAB. Quia sermo Dei non est alligatus in pressuris, non in præconibus alligatus. ID. Christo, quem puerum amplectitur senex Simeon et cognoscit magnum dicens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum* Luc. 2.. Si lætatus fuero in salutari Dei, tunc dilatabitur os meum. Per meditationem scilicet verbi Dei, venit ad elevationem cordis, unde: *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est* II Cor. 5.. Ex latitudine cordis ministratur sapientia ori.

cut Deus noster.^{§§ 3} Nolite multiplicare loqui sublimia glorientes; recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes.*
⁴ Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore.^{† 5} Repleti prius, pro panibus se locaverunt: et famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos: et quæ multos habebat filios, infirmata est.^{‡ 6} Dominus mortificat et vivificat; deducit ad inferos et reducit.⁷ Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et subleuat.^{¶ 8} Suscitatur de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus,

§§2.2 **Non est sanctus.** RAB. Præter te, Domine, quia nemo fit nisi a te, et si sint, qui dicuntur dii multi, et Domini multi, nullus tamen eorum naturaliter est id quod Deus est; quia ipse est solus, qui ait: **Ego sum qui sum** Exod. 3.. Umbra enim ad comparisonem corporis non est, vel fumus ad comparisonem ignis. **Ut est Dominus.** ID. Non dicit nisi Dominus: **Sed nullus est sicut Dominus,** sanctus et sanctificans, justus et justificans.

*2.3 **Nolite.** Redarguit Judæos et sapientes sæculi, extollentes se contra scientiam Dei. Salomon: **Altiora te ne quæsieris,** et alibi: **Deus in cælo, et tu super terram: sint pauci sermones tui. Vetera,** etc. Quæ ad veterem hominem, id est, carnalem conversationem pertinent, scientiam inquire, quæ non est nisi a Deo: quia ipse est scientiarum Dominus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ. **Ipsi præparantur.** Quia aufert se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, vel ipsi præparantur cogitationes, id est manifestantur. Unde: **Dominus novit cogitationes hominum. Deus scientiarum.** RAB., ubi supra. Ipse vos scit, etc., usque ad et ab illo non sunt a quo homines sunt.

†2.4 RAB. Id est, intentio eorum, qui sibi potentes esse videntur, ut sine Dei auxilio divina possint implere mandata. **Et infirmi.** RAB. Qui in Dei pietate confidunt, dicunt: **Miserere mei, Deus, quoniam infirmus sum** Psal. 6.. Infirmus erat gentilis populus, quando a testamento Dei alienus, nunc autem præcinctus robore, cum indutus scuto fidei et galea salutis, et gladio spiritus, poterit ignea tela diaboli extinguere.

‡2.5 **Saturati prius pro panibus.** Repleti prius Judæi, scilicet mysteriis eloquiorum pro panibus se locaverunt, id est, separaverunt a Deo: vel a propriis sedibus evulserunt, ne reciperent Evangelium agens de pane qui de cælo descendit. Repleti iidem, qui et potentes, id est Israëlitarum quibus credita sunt eloquia Dei, sed ancillæ filii, minorati sunt, qui se subtraxerunt, nec in Salvatorem crediderunt, et in ipsis panibus, id est divinis eloquiis tantum terrena senserunt. Gentes autem quibus non est data lex, postquam per Novum Testamentum ad illa eloquia venerunt, multum esuriendo terram transierunt, quia in eis non terrena, sed cælestia sapuerunt. In Græco ita: **Pleni panibus minorati sunt, et esurientes transierunt terram. Et famelici.** Id est, gentiles prius egentes, panem verbi Dei jam gustant, quoniam suavis est. Tandiu pasti sunt scientia Dei. **Sterilis peperit.** In septenario universitas Ecclesiæ designatur, unde et Joannes scribit septem ecclesiis, ad unius plenitudinem se scribere ostendens; unde: **Sapientia ædificavit sibi domum, et suffulsi columnas septem** Prov. 9.. Sterilis erat in gentibus Ecclesia, antequam iste fetus quem cernimus oriretur. Cernimus etiam terrenam Jerusalem fecundam, nunc infirmatam: quia quicumque in ea filii liberi erant virtutis ejus: nunc vero ibi quoniam littera est, spiritus non est: amissa virtute infirmata est. RAB. **Plurimos** in Hebræo et in LXX habetur **septem.** Judæi dicunt, quod nato Samuele, mortuus est primogenitus filius Phenennæ: et singulis Annæ nascentibus filiis, singuli Phenennæ sunt mortui. Sed Phenenna habuit septem: Anna vero quinque. Sed Hebræi duos filios Samuelis annumerant Annæ filios. ID. Sterilem, etc., usque ad hac ejus paupertate ditati sumus.

¶2.7 **Pauperem,** etc. Jesum, qui propter nos pauper factus est, et ditat eumdem gloria resurrectionis.

et solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem.[§]
⁹ Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir.¹⁰ Dominum formidabunt adversarii ejus: et super ipsos in cælis tonabit. Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu christi sui.]**¹¹ Et abiit Elcana Ramatha, in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis.¹² Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum,^{††}¹³ neque officium sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua,¹⁴ et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum: et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi: sic faciebant universo Israëli venientium in Silo.¹⁵ Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, et dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti: non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam.

§2.8 *De pulvere.* De corruptione Christum, unde: **Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem** Psal. 15.. *De stercore.* RAB., ubi supra. Judaico populo, in quo cum se dixisset Apostolus Ecclesiam persecutum, **quæ mihi, inquit, fuerunt lucra, propter Christum aestimavi stercora [detrimenta]** Philip. 3. *Principibus.* ID. Quibus dicitur: **Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël** Matth. 25.. *Solium gloriæ.* In æquitate Patris sedendo, et quia **Pater omne iudicium dedit Filio, et quia regni ejus non erit finis** Joan. 5.. *Cardines terræ.* Quatuor scilicet plagæ mundi, in quibus dilatavit orbem Ecclesiæ, quæ **a solis ortu usque ad occasum laudant nomen Domini** Psal. 112.. Mystice, prædicatores, super quos orbis, id est, Ecclesia, fide eorum stabilitatur, de quibus dicitur: **Sub quo curvantur, qui portant orbem** Job. 9..

2.10 *Dominum formidabunt.* Quia infirmum faciet adversarium ejus. Potest ex ambiguo Græco intelligi, et adversarium suum. Cum enim Dominus possidere nos incipit, adversarius noster ipsius fit; et vincitur a nobis, non viribus nostris, quia non in virtute propria potens est vir. **Dominum formidabunt. Adversarii Judæi, super quos in cælis, id est apostolis Dominus tonavit, quando eos terruit, gehennam minando, minas signis firmando: unde multi conversi sunt. Vel formidabunt in iudicio, quem hic adversantes contempserunt, super quos tonabit, dicens: **Itē in ignem æternum** Matth. 25.. Quod ne omnibus contingat Dominus quotidie in cælis, id est, Scripturis et doctoribus, tonat. **In cælis.** RAB. Quia justa retributio futura est in die iudicii, sed interim tonat de nubibus suis, quas Spiritu sancto implevit postquam cælos ascendit. **Fines.** Extrema hominis: quia non iudicabuntur, quæ in melius vel deterius medio tempore commutantur, sed extrema in quibus fuerit inventus. **Et dabit.** Id est, Christo **Imperium.** Id est Ecclesiam, unde: **Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.** Vel imperium, id est potestatem iudicandi, quia **omne iudicium dedit Filio. Regi.** RAB. Christiano populo cui dat virtutem regendi carnem, ut in eo vincat mundum, qui propter eum fudit sanguinem suum. **Christi sui.** RAB., in lib. Reg. Christiani populi, chrysmate uncti: totum tamen corpus cum capite suo unus est Christus. Hæc Anna prophetavit mater Samuelis, in quo tunc figurata est mutatio veteris sacerdotii, et nunc impleta, quando infirmata est fecunda, ut novum haberet sterilis in Christo sacerdotium.

††2.12 *Heli.* ID. Interpretatur extraneus, a Deo enim alienus est, qui subditos non corrigit. Ophni infamia conversionis, merito autem sic vocatur, qui differt converti in melius. Phinees oris obduratio, vel ori parcens. Duos Phinees sacerdotes legimus: alterum justum Eleazari filium, alterum injustum, filium Heli. Sacerdotes, qui custodiunt os suum, ne exeat inde aliquod pravum, in filio Eleazari signantur. Qui autem os habent obturatum, vel imperitia, vel peccatorum conscientia, filio Heli figurantur. RAB. Refert Josephus, etc., usque ad et subditorum culpa illis imputabitur.

¹⁶ Dicebatque illi immolans: Incendatur primum juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi. ¹⁷ Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines a sacrificio Domini. ¹⁸ Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo. ¹⁹ Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem.^{‡‡} ²⁰ Et benedixit Heli Elcanæ et uxori ejus: dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum. ²¹ Visitavit ergo Dominus Annam, et concepit, et peperit tres filios, et duas filias: et magnificatus est puer Samuel apud Dominum. ²² Heli autem erat senex valde, et audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israël, et quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi: ²³ et dixit eis: Quare facitis res hujusmodi quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? ²⁴ Nolite, filii mei: non enim est bona fama quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. ²⁵ Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.[¶] ²⁶ Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, et placebat tam Domino quam hominibus. ²⁷ Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis?^{§§} ²⁸ Et elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me: et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël. ²⁹ Quare calce abjecistis victimam meam, et munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo: et magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israël populi mei? ³⁰ Propterea ait Dominus Deus Israël: Loquens locutus sum, ut domus tua, et domus patris tui, ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me: sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. ³¹ Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. ³² Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis

^{‡‡}2.19 *Tunicam.* Tunica quam faciebat Anna, id est gratia, et puero tradebat; inceptiva doctrina est, qua fideles prima rudimenta accipiunt, unde: **Lac vobis potum dedi, non escam** I Cor. 3.. Superhumerali vero lineum, castitatem et continentiam cum bonis operibus signat. Qui enim Domino ministrare desiderat, necesse est ut caste et continenter vivat, et bonis operibus se exerceat.

[¶]2.25 *Si peccaverit.* HIERON., ubi supra. Non eo modo peccatur in virum, quo peccatur in Deum, quia peccare in virum, id est contra proximum, levius est et venialius. In Deum vero peccare, id est a cultu ejus recedere: impietatis peccatum est, quod difficilius punitur, et tardius remittitur. Et cum quis in virum peccat, placat viro facit sibi Deum placabilem. Sed cum quis in Deum peccat, quis orabit pro eo? id est, per quem sibi Deum faciet propitium? Non quod nulla speranda sit venia eis qui in divino peccant officio: sed major est pœna, et tardior venia his qui in rebus Deo sacratis offendunt, quam si verbo vel facto læserint proximum, quia quanto major gloria, tanto gravior offensa

^{§§}2.27 *Patris tui,* etc. Aaron, scilicet. Quis enim alius fuit in Ægyptiaca servitute, qui post liberationem electus sit in sacerdotem? Quicumque enim ex ejus genere est, cum videt sacerdotium Christianorum pollere per mundum, sibi autem esse subtractum, dolore et mœrore tabescit.

Israël: et non erit senex in domo tua omnibus diebus.* ³³ Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua: et pars magna domus tuæ morietur cum ad virilem ætatem venerit.† ³⁴ Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni et Phinees: in die uno morientur ambo. ³⁵ Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum et animam meam faciet: et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram christo meo cunctis diebus.‡ ³⁶ Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo, et offerat nummum argenteum, et tortam panis, dicatque: Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.¶

3 Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis: non erat visio manifesta.§ ² Factum est ergo in die quadam, Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre: ³ lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei.** ⁴ Et vocavit Dominus Samuel. Qui respondens, ait: Ecce ego. ⁵ Et cucurrit ad Heli, et dixit: Ecce ego: vocasti enim me. Qui dixit: Non vocavi: revertere, et dormi. Et abiit, et dormivit. ⁶ Et adjecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel, abiit ad Heli, et dixit: Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit: Non vocavi te, fili mi: revertere et dormi. ⁷ Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini. ⁸ Et adjecit Dominus, et vocavit adhuc Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli, ⁹ et ait: Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum: et ait ad Samuelem: Vade, et dormi: et si deinceps vocaverit te, dices: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel, et dormivit in loco suo. ¹⁰ Et venit Dominus, et stetit: et vocavit, sicut vocaverat se-

*2.32 **Æmulum.** RAB. Æmulus domus Heli fuit, Sadoch sacerdos, qui, abjecto Abiathar a Salomone sacerdotium, suscepit. Unde: **Projecit Salomon Abiathar ne esset sacerdos Domini, ut impleretur verbum Domini, quod locutus est super domum Heli** III Reg. 2..

†2.33 **Ut deficiant.** RAB. Ut semper scilicet sit de domo Heli in domo Domini, qui in dignitate sacerdotii videns alium substitutum, et se destitutum, deficiat animo et tabescat. Hæc autem mutatio sacerdotii, in Christo plene completa est, quæ a Samuele figurata: post Samuelem enim sacerdotes fuerunt de genere Aaron, Sodoch, et Abiathar, et alii usque ad tempus Christi.

‡2.35 **Et animam.** ID. Non habet Deus animam, sed tropice dicitur animam habere, etc., usque ad unde: **Et requievit domus Israël post Dominum** I Reg. 7..

¶2.36 **Futurum est.** ID. Non proprie de domo Heli hoc dicitur, sed de domo Aaron, de cujus genere usque hodie veniunt et convertuntur. **Buccellam.** RAB. **Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita** Joan. 6.. Quia dixerat se dedisse cibos domui Aaron de victimis veteris testamenti, quæ fuerunt sacrificia Judæorum, dicit esse postulandam buccellam panis ad comedendum, quod est sacrificium Christianorum et pabulum animarum.

§3.1 RAB., in lib. Reg. Unde in diebus illis non erat visio manifesta. Propter peccata enim populi et prælatorum non apparebat Dominus per visiones vel per angelicas responsiones, sicut patribus apparuit.

3.3 **Lucerna. ID. Quæ ardebat in tabernaculo ante lucem diei. Sub luce enim diei exstinguebatur, lucebat autem usque in mane; vel hoc significat, quod Heli in cæcitate permaneret, donec funditus cum prole sua exstingueretur, id est moreretur. Mystice autem cæcitas Heli significat cæcitatem Judæorum, qui præsentem Salvatorem non agnoverunt, nec fulgorem miraculorum ejus, nec doctrinam, donec sacerdotium cum populo et templo everteretur.

cundo: Samuel, Samuel. Et ait Samuel: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. ¹¹ Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israël, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.^{††} ¹² In die illa suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus: incipiam, et complebo. ¹³ Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos. ¹⁴ Idcirco juravi domui Heli quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in æternum. ¹⁵ Dormivit autem Samuel usque mane, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli. ¹⁶ Vocavit ergo Heli Samuelem, et dixit: Samuel fili mi? Qui respondens ait: Præsto sum. ¹⁷ Et interrogavit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? oro te ne celaveris me: hæc faciat tibi Deus, et hæc addat, si absconderis a me sermonem ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi.^{‡‡} ¹⁸ Indicavit itaque ei Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat.^{¶¶} ¹⁹ Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. ²⁰ Et cognovit universus Israël, a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini.^{§§} ²¹ Et addidit Dominus ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo juxta verbum Domini. Et evenit sermo Samuelis universo Israël.

4 Et factum est in diebus illis, convenerunt Philisthiim in pugnam: et egressus est Israël obviam Philisthiim in prælium, et castrametatus est juxta lapidem Adju-

^{††}3.11 *Tinnient.* RAB. Comminatio Dei est super Heli et super domum ejus, quia scilicet pro peccato filiorum Heli privabatur sacerdotio domus Domini, unde aures audientium tinnient stupore vehementi.

^{‡‡}3.17 *Hæc.* Proverbium erat apud Hebræos. Et est sensus: Si absconderis mihi malum quod locutus est tibi Dominus de me, veniat super caput tuum.

^{¶¶}3.18 *Et non.* RAB., in lib. Reg. Quia nihil ex his quæ locutus est Dominus, etc., usque ad certa causa utilitatis eorum hoc faciebat.

^{§§}3.20 *A Dan.* ID. Per terminos Judææ universitatem plebis comprehendit. Dan viculus est in quarto a Paneade milliario, qui usque hodie sic vocatur: terminus Judææ provinciæ contra Septentrionem, de quo Jordanis erumpens a loco sortitus est nomen. Jor quippe fluvium vel rivum Hebræi vocant. Dan interpretatur *Judic um* vel judicans. *Bersabee.* In tribu Juda vel Simeonis est vicus grandis in vicesimo ab Hebron milliario, vergens ad Austrum: in quo Romanorum positum est præsidium: a quo insipientes termini Judææ tenduntur usque ad Dan. Nec mirari debet quispiam, si civitates Judæ in tribu Simeonis vel Benjamin reperiat. Tribus enim Juda fortis et bellicosa sæpe adversarios superans, in omnibus tribubus tenuit principatum, ideo aliarum tribuum sortes in ejus funiculo computantur, alioquin in medio tribus Judæ habitasse Simeonem Scriptura manifestat.

torii. Porro Philistiim venerunt in Aphec,^{*} ² et instruxerunt aciem contra Israël. Inito autem certamine, terga vertit Israël Philisthæis: et cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum. ³ Et reversus est populus ad castra: dixeruntque majores natu de Israël: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philistiim? afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. ⁴ Misit ergo populus in Silo, et tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super cherubim: erantque duo filii Heli cum arca fœderis Dei, Ophni et Phinees.[†] ⁵ Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israël clamore grandi, et personuit terra.[‡] ⁶ Et audierunt Philistiim vocem clamoris, dixeruntque: Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognoverunt quod arca Domini venisset in castra. ⁷ Timueruntque Philistiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes: ⁸ Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri et nudiustertius: væ nobis. Quis nos salvabit de manu deorum sublimium istorum? hi sunt dii, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto.[¶] ⁹ Confortamini, et estote viri, Philistiim, ne servatis Hebræis, sicut et illi servierunt vobis: confortamini, et bellate. ¹⁰ Pugnauerunt ergo Philistiim, et cæsus est Israël, et fugit unusquisque in tabernaculum suum: et facta est plaga magna nimis, et ceciderunt de Israël triginta millia peditum. ¹¹ Et arca Dei capta est: duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees.[§] ¹² Currens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, et conspersus pulvere caput. ¹³ Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor ejus pavens pro arca Dei. Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiavit urbi: et ululavit omnis civitas.^{**} ¹⁴ Et audivit Heli sonitum clamoris,

^{*}4.1 *Et factum. Israël*, Vir videns Deum, vel fortis cum Deo, hi sunt credentes. Philistiim cadentes poculo, scilicet dæmones, qui poculo superbiæ inebriati et ipsi ceciderunt, et homines pervertere festinant. Contra quos Israël, id est fideles ne cedant, sed superent, castrametantur juxta lapidem adjutorii, id est legem Christi, ubi lapis, id est Christus, invenitur, de quo: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes*. Sed dum fideles in lege Domini meditantur, ut Deum inveniant adiutorem, *Philistiim venerunt in Aphec*, id est furorem novum, tunc quia fideles immundi Spiritus divinis legibus amplius insistere conspiciunt, ideoque acriora ac nova certamina construunt, unde in suis viribus confidentes et in humana sapientia gloriantes, ac per hoc gratiam Evangelii contemnentes, quasi quatuor millia, immundi spiritus facile prosternunt. *Juxta lapidem*. Lapis adjutorii quem postea Samuel posuit in signum, quando primum auxiliatus est ei Dominus. *Aphec*. RAB. Locus est juxta vicum Esron civitatis Israël, ubi dimicavit Saul in sorte Aser, et interpretatur furor novus vel apprehendens; qui enim iram Domini meruerunt, ab hostibus comprehensi sunt.

[†]4.4 *Et tulerunt*. Filii Israël tulerunt arcam ubi capta est. Et fideles ex Judæis duo testamenta ad gentes transtulerunt. *Sedentis super*. Tabula enim erat super arcam quam protegebant Cherubin alis, ubi apparebat Dominus per angelum et loquebatur. Cherubin plenitudo scientiæ, quæ in Christo et in duobus testamentis invenitur.

[‡]4.5 *Clamore*. Clamor grandis vox prædicatorum roborata miraculis ex duobus prolata testamentis. *Et personuit*. A voce prædicationis sapientes sæculi, dæmones quoque ingemuerunt, credentes se superari.

[¶]4.8 *De manu*. Judæi unum Deum colunt, sed gentes suo more loquuntur.

[§]4.11 *Et arca*. Arca ab alienigenis capta testamentum ad gentes transiturum significat.

^{**}4.13 *Cumque*. RAB. Hæc Josephus ita refert, etc., usque ad ex domo Eleazari denuo receperunt.

dixitque: Quis est hic sonitus tumultus hujus? At ille festinavit, et venit, et nuntiavit Heli. ¹⁵Heli autem erat nonaginta et octo annorum, et oculi ejus caligaverant, et videre non poterat. ¹⁶Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio, et ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est, fili mi? ¹⁷Respondens autem ille qui nuntiabat: Fugit, inquit, Israël coram Philistiim, et ruina magna facta est in populo: insuper et duo filii tui mortui sunt, Ophni et Phinees, et arca Dei capta est. ¹⁸Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est. Senex enim erat vir et grandævus: et ipse judicavit Israël quadraginta annis.†† ¹⁹Nurus autem ejus, uxor Phinees, prægnans erat, vicinæque partui: et audito nuntio quod capta esset arca Dei, et mortuus esset socer suus et vir suus, incurvavit se et peperit: irruerant enim in eam dolores subiti.‡‡ ²⁰In ipso autem momento mortis ejus, dixerunt ei quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animadvertit.¶¶ ²¹Et vocabit puerum Ichabod, dicens: Translata est gloria de Israël, quia capta est arca Dei, et pro socero suo et pro viro suo;§§ ²²et ait: Translata est gloria ab Israël, eo quod capta esset arca Dei.

5 Philistiim autem tulerunt arcam Dei, et asportaverunt eam a lapide Adjutorii in Azotum.* ²Tuleruntque Philistiim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam juxta Dagon. ³Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini: et tulerunt Dagon, et restituerunt eum in locum suum. ⁴Rursumque mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, et duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen:† ⁵porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, et omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azoto,

††4.18 **Cecidit.** Et ruente Heli de sella pontificis sedes remanet vacua, et gloria sacerdotum est exstincta. **Mortuus.** Moritur Heli, moriuntur et filii, quia deficit pontificatus cum sacerdotio veteri.

‡‡4.19 **Uxor.** Uxor sacerdotis non ante interiit, quam virum peperit; nec synagoga ex toto interiit antequam primitivo ecclesia quæ ex ipsa erat credidit.

¶¶4.20 **In ipso.** Evidenti signo figuratur, quia exstincto carnali sacerdotio Judæorum, exstinguitur carnalis synagoga quæ ei carnaliter adhærebat. **Ne timeas.** Credentes synagogam consolantur, sed desperans minime animadvertit, nec sobolem novam deputat gloriæ, sed ignominia. Unde sequitur:

§§4.21 **Et vocavit.** Cabhod, gloria; Icabhod, cecidit gloria. Translata est enim gloria capta arca, unde: **Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.**

†5.1 RAB., ubi supra. Quæ et Asdor, una de quinque urbibus Palæstinorum, decreta quidem tribui Judæ, sed non retenta, quia non potuit indigenas expellere. Interpretatur autem **ignis patris** vel incendium. Bene autem sic vocatur locus ubi erat idolum Dagon, quia adventus arcæ in Azotum erat incendium diaboli, patris omnium inimicorum vel iniquorum. Dagon, qui interpretatur **piscis tristitiæ**, significat diabolum qui in mari hujus sæculi devorat peccatores, qui et in Job Leviathan et Beemoth nuncupatur Job. 40.. **Azotum.** Locus est in quo posuit Samuel lapidem I Reg. 7., sicut in sequentibus demonstratur.

†5.4 **Caput.** Superbia diaboli, qui est initium omnis peccati Eccle. 10.. **Super.** RAB. Finem præfinitum significat, in quo cessaret idololatria. Limen enim finis est itineris.

usque in hodiernum diem.[‡] ⁶ Aggravata est autem manus Domini super Azotios, et demolitus est eos: et percussit in secretiori parte natium Azotum, et fines ejus. Et ebullierunt villæ et agri in medio regionis illius, et nati sunt mures et facta est confusio mortis magnæ in civitate. ⁷ Videntes autem viri Azotii hujusmodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei Israël apud nos: quoniam dura est manus ejus super nos, et super Dagon deum nostrum.[¶] ⁸ Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum ad se, et dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Israël? Responderuntque Gethæi: Circumducatur arca Dei Israël. Et circumdixerunt arcam Dei Israël.[§] ⁹ Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis: et percutiebat viros uniuscujusque urbis, a parvo usque ad majorem, et computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium, et fecerunt sibi sedes pelliceas. ¹⁰ Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad nos arcam Dei Israël ut interficiat nos et populum nostrum. ¹¹ Miserunt itaque et congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum: qui dixerunt: Dimittite arcam Dei Israël, et revertatur in locum suum, et non interficiat nos cum populo nostro. ¹² Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, et gravissima valde manus Dei. Viri quoque qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: et ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cælum.

6 Fuit ergo arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus. ² Et vocaverunt Philistiim sacerdotes et divinos, dicentes: Quid faciemus de arca Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt: ³ Si remittitis arcam Dei Israël, nolite dimittere eam vacuum, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, et tunc curabimini: et scietis quare non recedat manus ejus a vobis. ⁴ Qui dixerunt: Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntque illi: ⁵ Juxta numerum provinciarum Philisthinorum quinque anos aureos facietis, et quinque mures aureos: quia plaga una fuit omnibus vobis, et satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum, et similitudines murium, qui demoliti sunt terram: et dabitis Deo Israël gloriam, si forte relevet manum suam a vobis, et a diis vestris, et a terra vestra.^{**} ⁶ Quare aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus et Pharaon cor suum? nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, et abierunt? ⁷ Nunc ergo arripite et facite plaustrum novum unum: et duas vaccas foetas, quibus

[‡]5.5 *Truncus*. Dorsum tantum invenerunt fractis omnibus membris, quod idololatriæ fugam exprimit. Qui enim fugit, dorsum dat fuganti, unde: *Quoniam pones eos dorsum* Psal. 20..

[¶]5.7 *Et per*. Qui testamentum Dei suscipiunt et posteriora hujus vitæ diligunt, ex ipsis juste in posteriora cruciabuntur, quæ debent æstimare sicut stercora. Qui enim testamentum Dei assumunt, et in posteriora respicientes, veteri se vanitate non exuunt, similes sunt eis qui arcam testamenti juxta idola sua posuerunt. Et vetera quidem illis etiam nolentibus cadunt, quia *omnis caro fenum*. Arca autem manet in æternum, securum scilicet testamentum regni cœlorum, ubi est verbum Dei in æternum.

[§]5.8 *Circumducatur*. Ut si quocumque eat, percussio comitetur, sciamus esse plagam a Deo quod voluntate Dei consilio eorum actum est, ut plaga communis esset, quoniam culpa communis erat.

^{**}6.5 *Quinque anos aureos*, etc. RAB. Quinque ani aurei, etc., usque ad est tristitia vera et sterilitas perpetua.

non est impositum jugum, jungite in plastro, et recludite vitulos earum domi.^{††}
⁸ Tolleisque arcam Domini, et ponetis in plastro, et vasa aurea quæ exsolvistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus ejus: et dimittite eam ut vadat. ⁹ Et aspicietis: et si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem, minime: sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit. ¹⁰ Fecerunt ergo illi hoc modo: et tollentes duas vaccas quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plastrum, vitulosque earum concluserunt domi. ¹¹ Et posuerunt arcam Dei super plastrum, et capsellam quæ habebat mures aureos et similitudines anorum. ¹² Ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes: et non declinabant neque ad dextram neque ad sinistram: sed et satrapæ Philisthiim sequebantur usque ad terminos Bethsames.^{‡‡} ¹³ Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle: et elevantes oculos suos, viderunt arcam, et gavisii sunt cum vidissent.^{¶¶} ¹⁴ Et plastrum venit in agrum Josue Bethsamitæ, et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, et conciderunt ligna plastrum, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino. ¹⁵ Levitæ autem deposuerunt arcam Dei, et capsellam quæ erat juxta eam, in qua erant vasa aurea, et posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, et immolaverunt victimas in die illa Domino. ¹⁶ Et quinque satrapæ Philistinorum viderunt, et reversi sunt in Accaron in die illa. ¹⁷ Hi sunt autem ani aurei quos reddiderunt Philisthiim pro delicto, Domino: Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, Accaron unum:^{§§} ¹⁸ et mures aureos secundum numerum urbium Philisthiim, quinque provinciarum, ab urbe murata usque ad villam quæ erat absque muro, et usque ad Abelmagnum, super quem posuerunt arcam Domini, quæ erat usque in illum diem in agro Josue Bethsamitis.* ¹⁹ Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini: et percussit

^{††}6.7 *Plastrum*. Crux Christi, arca sacra Scriptura. *Duas vaccas*. ISID. Vaccæ arcam gestantes sanctos significant, qui sæculo renuntiant, qui nullum delicti traxerunt jugum. Sicut enim vaccæ vitulorum affectu a recto itinere non deviant, sic sancti patres tali affectu a bono proposito non exorbitant.

^{‡‡}6.12 *Quæ ducit*, etc. RAB. Via scilicet regia euntes Bethsames, id est, in domum solis, cœlestem scilicet Jerusalem, ubi semper lucet sol justitiæ. *Bethsames*. ID. Civitas est sacerdotalis in tribu Benjamin, quæ usque hodie monstratur de Eleutheropoli pergentibus Nicopolim, in 10 milliaria contra Orientem: altera Bethsames est in tribu Nephthali, in qua permansere cultores antiqui.

^{¶¶}6.13 *Et non* ID.. Id est, nec extollebantur prosperis, etc., usque ad sit in fletu remissa. *Bethsames*. Domus solis. Hæc est Ecclesia a sole justitiæ illustrata. Bethsamitis in valle frumenta metere, est doctores Ecclesiæ annonam verbi Dei in humilitate tractare. Lapis in agro Josue, Christus in Ecclesia sua. Ligna plastrum, crux Christi. Vaccas super lapidem immolare, est conversos a sæculo in Christi imitatione mortificare.

^{§§}6.17 *Azotus unum*. HIERON., ubi supra. Quinque anos et quinque mures, quinque civitates dederunt. Reliquæ autem civitates provinciarum et villæ quæ erant absque muro, mures tantum, unde: *Ab urbe murata usque ad villam quæ erat absque muro*, etc.

^{*}6.18 *Abel*. Civitas est in termino Israël, quæ ante Bethsames vocata, nunc vocatur Abel: vel propter luctum super viris Bethsamitibus ibi factum, vel propter distinctionem civitatis a Bethmaca, de qua exclamavit mulier sapiens ad Joab: *Qui interrogant, interrogent in Abela* II Reg. 20..

de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna.[†] ²⁰ Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? et ad quem ascendet a nobis? ²¹ Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philistiim arcam Domini: descendite, et reducite eam ad vos.[‡]

7 Venerunt ergo viri Cariathiarim, et reduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa; Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini.[¶] ² Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe jam annus vigesimus), et requievit omnis domus Israël post Dominum.[§] ³ Ait autem Samuel ad universam domum Israël, dicens: Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth: et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philistiim. ⁴ Abstulerunt ergo filii Israël Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli. ⁵ Dixit autem Samuel: Congregate universum Israël in Masphath, ut orem pro vobis Dominum. ⁶ Et convenerunt in Masphath: hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini: et jejunaverunt in die illa atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. Judicavitque Samuel filios Israël in Masphath.^{**} ⁷ Et audierunt Philistiim quod congregati essent filii Israël in Masphath, et ascen-

[†]6.19 *Percussit*, etc. Qui cum non essent Levitæ, ausi sunt videre arcam. Hoc ne pateretur, in Exodo populus longe stabat, solus Moyses ascendit ad Dominum. *Percussit*, etc. HIERON. In Hebræo habetur: *Et percussit de populo septuaginta viros: et quinquaginta millia viros*, septuaginta viros, judices. SEPTUAG. Hebræi dicunt, nulli licebat detectam videre arcam nisi pontifici: percussi ergo sunt, eo quod indigni essent, vel indigne accessissent, vel non custodissent arcam.

[‡]6.21 *Miseruntque*. RAB. Significatur translatio testamenti Domini a Judæis ad gentes, quia cum illi carnali observantia atque Pharisæorum superstitionibus legem fœdarent, Christi et discipulorum ejus doctrinam recusaverunt; unde: *Vobis Oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia indignos vos judicastis, ecce convertimur ad gentes* Act. 15.. *Cariathiarim*. ID. Interpretatur villa silvarum, de qua dicitur: *Donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ* Psal. 131.. Locus enim Domini est tabernaculum pectoris Christiani populi. Civitas enim silvarum, id est conventus gentium, est locus aptus ad suscipiendam arcam. In domo Aminadab, qui interpretatur: pater meus spontaneus, et dicere potest voluntarie scilicet tibi. ID. Cariathiarim, civitas est saltuum, una de urbibus Gabaonitarum pertinens ad tribum Judæ, nono milliario euntibus ab Elia Diospolim: de hac fuit Urias propheta quem interfecit Joachim in Jerusalem, sicut scribit Jeremias.

[¶]7.1 *Gabaa*. RAB. Collis animæ humilium, unde: *Suscipiant montes pacem populo*, etc., id est montes majores animæ colles minores. Seu etiam Gabaa interpretatur sublimitas, ubi Eleazar sacerdos constituitur. *Eleazarum*. ID. Dei adjutorium. Bene autem qui hoc nomine vocatur, ad arcam Domini custodiendam eligitur, quia sancti viri quidquid habent boni, Deo attribuunt, non sibi. Unde: *Sufficiencia nostra ex Deo est, qui idoneos fecit nos ministros Novi Testamenti* II Cor. 3..

[§]7.2 *Annus vicesimus* erat, quando septimo anno regni Saul allata est in castra de Cariathiarim. *Annus vice*. RAB. Non ita intelligendum est, etc., usque ad quia nulla societas lucis ad tenebras.

^{**}7.6 *Masphath*. Civitas est in tribu Juda juxta Cariathiarim. RAB. *Masphath*. Speculatio, vel contemplatio, etc., usque ad et ad amorem patriæ cœlestis intentos esse perspexerit. *Hauseruntque aquam*, etc. Ut sicut aqua effusa non redit, sic nec ipsi redirent ad idololatriam.

derunt satrapæ Philisthinorum ad Israël. Quod cum audissent filii Israël, timuerunt a facie Philisthinorum. ⁸ Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum. ⁹ Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino: et clamavit Samuel ad Dominum pro Israël, et exaudivit eum Dominus. ^{††} ¹⁰ Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philistiim iniere prælium contra Israël: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philistiim, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israël. ¹¹ Egressique viri Israël de Maphath, persecuti sunt Philisthæos, et percusserunt eos usque ad locum qui erat subter Bethchar. ^{‡‡} ¹² Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Maphath et inter Sen: et vocavit nomen loci illius, Lapis adjutorii. Dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus. ^{¶¶} ¹³ Et humiliati sunt Philistiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israël. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis. ¹⁴ Et redditæ sunt urbes quas tulerant Philistiim ab Israël, Israël, ab Accaron usque Geth, et terminos suos: liberavitque Israël de manu Philisthinorum, eratque pax inter Israël et Amorrhæum. ^{§§} ¹⁵ Judicabat quoque Samuel Israël cunctis diebus vitæ suæ: ¹⁶ et ibat per singulos annos circuiens Bethel et Galgala et Maphath, et judicabat

^{††}7.9 *Agnum lactantem.* Agnus oblatus pro populo Dei victoriam præstat, et per passionem Christi dæmonibus superatis, pax data est fidelibus. RAB. Innocentem vitam igne charitatis accensam. RAB. Cum per prædicatores Evangelii Dominus intonat, spirituales hostes in fugam convertuntur coram Israël, id est populo Dei, et persequuntur eos usque in domum agnitionis: usquequo, scilicet omnis error expurgetur, et Deus vere cognoscatur.

^{‡‡}7.11 *Bethchar.* ID. Domus agnitionis, vel domus agni.

^{¶¶}7.12 *Et posuit eum.* Alia editio: *inter Maphath novam et veterem et vocavit nomen ejus Abenezzer,* vel *Abongener, id est lapis adjutorii.* Hæc est medietas Salvatoris, per quam transeundum est a Maphath veteri ad novam, id est ab intentione qua expectatur in carnali regno beatitudo falsa, ad intentionem qua per Novum Testamentum expectatur in regno cælorum beatitudo vera, qua quoniam nihil est melius hucusque adjuvat Deus. Maphath intentio sedentium. Lapis inter hæc, Christus inter intentionem Veteris Testamenti, et Evangelii prædicationem positus: ipse lapis propter firmitatem adjutorii, quia suos contra dæmones adjuvat dimicantes. *Hucusque auxiliatus.* Quia qui hos terminos transcendunt, ut hæretici, auxilium Dei non merentur.

^{§§}7.14 *Eratque.* Christus est nostra pax, qui fecit utraque unum, per quem facti sunt prope qui erant longe.

Israëlem in supradictis locis.* ¹⁷ Revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus, et ibi judicabat Israëlem: ædificavit etiam ibi altare Domino.†

8 ² Factum est autem cum senisset Samuel, posuit filios suos judices Israëli.‡ ³ Fuitque nomen filii ejus primogeniti Joël: et nomen secundi Abia, judicum in Bersabee.¶ ⁴ Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus: sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt iudicium.§ ⁵ Congregati ergo universi majores natu Israëli, venerunt ad Samuelem in Ramatha.¶ ⁶ Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes.¶ ⁷ Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem, ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum. ⁸ Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. ⁹ Juxta omnia opera sua quæ fecerunt, a die qua eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. ¹⁰ Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, et prædic eis jus regis, qui regnaturus est super eos. ¹¹ Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se regem. ¹² Et ait: Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, et ponet in curribus suis: facietque sibi equites et præcursores quadrigarum suarum, ¹³ et constituet sibi tribunos, et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messorum segetum, et fabros armorum et curruum suorum. ¹⁴ Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, et focarias, et panificas. ¹⁵ Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis. ¹⁶ Sed et segetes vestras et vinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis suis. ¹⁷ Servos etiam vestros, et ancillas, et juvenes optimos, et asinos, auferet, et ponet in opere suo. ¹⁸ Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. ¹⁹ Et clamabitis in die illa a facie regis vestri, quem elegistis vobis: et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem. ²⁰ Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam:

*7.16 *Galgala*. Civitas est ubi Josue populum secundo circumcidit, et Pascha celebravit, et deficiente manna, Israël usus est panibus triticeis, ubi et lapides sunt translati de alveo Jordanis, ubi tabernaculum testimonii multo tempore fuit. Hæc cecidit in sortem Judæ: et usque hodie ostenditur locus in secundo a Jericho milliario hominibus illius regionis venerandus. Sed juxta Bethel quidam aliam Galgalam suspicantur. Galgala interpretatur volutatio vel revelatio. Bene ergo propheta in Bethel et in Galgala, et Maspeth judicavit Israël, et revertens in Ramatha in domum suam judicavit ibi Israël; et ædificavit ibi altare Domino, exemplum tribuens iudicium esse faciendum in domo Dei, non indiscrete vel malivola mente, sed secundum quod Scriptura revelaverit, et intentione bona et amore fraterno, et sic esse revertendum in Ramatha in domum nostram, id est, ad interna pectoris, ut vacemus contemplationi, et in altari fidei gratas hostias operis et veritatis offeramus.

†7.17 *Ædificavit etiam ibi*, etc. Lex præcepit, non ædificari altare, nisi ubi Dominus elegerit; sed ne immolarent diis construxit altare, in quo non reprehenditur.

‡8.1 *Factum est*, etc., *posuit filios*. RAB., in lib. Reg., tom. 2. Quia secundum Josephum alterum in Bethlehem, alterum in Bersabee posuit.

¶8.2 *Abia*. ID. Pater dominus, vel pater fuit. Bene ergo qui in inchoata justitia non permanserunt, et paternitatem Domini neglexerunt. Fuit Deus vel Pater fuit, nominati sunt, ut significantur paternitate Dei indigni.

§8.3 *Et non ambulaverunt*. Quia pro munere opprimebant justitiam, ad epulas pretiosaque convivia declinantes.

rex enim erit super nos, ²⁰ et erimus nos quoque sicut omnes gentes: et iudicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis. ²¹ Et audivit Samuel omnia verba populi, et locutus est ea in auribus Domini. ²² Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, et constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israël: Vadat unusquisque in civitatem suam.

9 Et erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore. ² Et erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus: et non erat vir de filiis Israël melior illo: ab humero et sursum eminebat super omnem populum. ^{** 3} Perierant autem asinae Cis patris Saul: et dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum unum de pueris, et consurgens vade, et quære asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim ⁴ et per terram Salisa, et non invenissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erant: sed et per terram Jemini, et minime repperunt. ⁵ Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum qui erat cum eo: Veni et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et sollicitus sit pro nobis. ⁶ Qui ait ei: Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus. ⁷ Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarciis nostris, et sportulam non habemus ut demus homini Dei, nec quidquam aliud. ^{†† 8} Rursum puer respondit Sauli, et ait: Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti: demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram. ⁹ (Olim in Israël sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite, et eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.) ^{‡‡ 10} Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in civitatem in qua erat vir Dei. ¹¹ Cumque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, et dixerunt eis: Num hic est videns? ^{¶¶ 12} Quæ respondentem, dixerunt illis: Hic est: ecce ante te, festina nunc: hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso. ¹³ Inredientes urbem, statim invenietis eum antequam ascendat excelsum ad vescendum, neque enim comesurus est populus donec ille veniat: quia ipse benedicit hostiæ, et deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis

^{**}9.2 **Vocabulo Saul.** RAB., in lib. Reg., tom. 2. Saul qui offenso Deo factus est rex super Israël, etc., usque ad et de placito turbulentus factus est. ID. Quia Saul asinas patris sui quærens venit ad prophetam a quo unctus est, significat quod Judæi stultitiam carnalis sensus sequentes, per errores devios luxum mundi perquirunt; asinus enim brutum et luxuriosum animal est. Et ad prophetam venientes, id est, Mosen, audiunt asinas esse inventas, id est, bona terræ sibi esse debita, a quo etiam unctionis oleum et regni gubernaculum promittitur, in quibus ad tempus fratres suos de manu hostium eriperent. ID. Secundum præsentis vitæ justitiam. ID. Hoc magis ad Christum pertinet, de quo dicitur: *Ecce puer meus electus quem elegi* Isa. 44.. Et alibi: *Quis similis Deo in filiis Dei* Psal. 86.? **Stateris.** Stater siclus est qui habet viginti obolos, id est, denarios decem.

^{††}9.7 **Demus homini.** Quamvis dare decreverint, non legimus quod Samuel acceperit, si tamen accepisset, non reputaretur in divinationis præmium, sed in prophetæ stipendium.

^{‡‡}9.9 **Olim in Israël.** Ut ait Beda, non historiographi, sed Esdræ verba sunt. **Videns.** Dicitur propheta, quia per Spiritum prænoscit futura.

^{¶¶}9.11 **Clivum,** etc., **egredientes ad hauriendam aquam.** Clivus ascensus montis flexuosus.

eum. ¹⁴Et ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum. ¹⁵Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem quam veniret Saul, dicens: ¹⁶Hac ipsa hora quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, et unges eum ducem super populum meum Israël: et salvabit populum meum de manu Philistinorum, quia respexi populum meum: venit enim clamor eorum ad me. ^{§§} ¹⁷Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi: iste dominabitur populo meo. ¹⁸Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, et ait: Indica, oro, mihi, ubi est domus videntis. ¹⁹Et respondit Samuel Sauli, dicens: Ego sum videns: ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, et dimittam te mane: et omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi. * ²⁰Et de asinis quas nudius tertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt. Et cujus erunt optima quæque Israël? nonne tibi et omni domui patris tui? ²¹Respondens autem Saul, ait: Numquid non filius Jemini ego sum de minima tribu Israël, et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus est mihi sermonem istum? ²²Assumens itaque Samuel Saulem et puerum ejus, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati: erant enim quasi triginta viri. [†] ²³Dixitque Samuel coco: Da partem quam dedi tibi, et præcepi ut reponeres seorsum apud te. ²⁴Levavit autem cocus armum, et posuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit: pone ante te, et comede, quia de industria servatum est tibi quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa. [‡] ²⁵Et descenderunt de excelso in oppidum, et locutus est cum Saule in solario: stravitque Saul in solario, et dormivit. ²⁶Cumque mane surrexissent, et jam elucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario, dicens: Surge, et dimittam te. Et surrexit Saul: egressique sunt ambo, ipse videlicet, et Samuel. ²⁷Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero ut antecedit nos et transeat: tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini. [¶]

10 Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus: et deosculatus est eum, et ait: Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus qui in circuitu ejus sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem. [§] ²Cum abieris hodie a me, inve-

§§9.16 *Et unges eum ducem.* Saul unctus Christum significat, qui et ipse Christus appellatus est; unde, *Quare non timuisti mittere manum in Christum Domini* II Reg. 1.?

*9.19 *Omnia quæ.* RAB. Tradunt Hebræi fuisse in corde Saul, quia rex esset futurus, cum vidisset per visum se in vertice arboris palmæ collocari, quod est signum regnaturi.

†9.22 *Assumens ita.* Quod Samuel Saulem in excelsum duxit, refectionem tribuit, significat prophetas populum Hebræorum doctrina sua ad altiora provocantes, ut scientia spirituali refectus, in culmine virtutum consistat, nec relabatur ad vitia. *Triclinium.* Coenaculum, a tribus lectulis discumbentium.

‡9.24 *De industria,* id est, de Providentia, datur intelligi, quod jam comederat, licet non plene, quia revelante Domino quod veniret Saul, convivium dilatatum est.

¶9.27 *Cumque descenderent.* Descenderunt de excelso, ut in aliquo secretiori loqueretur de regno et ungeret eum.

§10.1 *Tulit autem.* Lenticula vas fictile quadrangulum, in latere habens foramen per quod fragilitas regni designatur.

nies duos viros juxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin, in meridie: dicentque tibi: Inventæ sunt asinæ ad quas ieras perquirendas: et intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis, et dicit: Quid faciam de filio meo? ³ Cumque abieris inde, et ultra transieris, et veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hædos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini. ⁴ Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, et accipies de manu eorum. ⁵ Post hæc venies in collem Dei, ubi est statio Philisthinorum: et cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium, et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes. ⁶ Et insiliet in te spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alium. ^{** 7} Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est. ^{†† 8} Et descendes ante me in Galgala (ego quippe descendam ad te), ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, et ostendam tibi quid facias. ^{‡‡ 9} Itaque cum avertisset humerum suum ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, et venerunt omnia signa hæc in die illa. ¹⁰ Veneruntque ad prædictum collem, et ecce cuneus prophetarum obvius ei: et insiluit super eum spiritus Domini, et prophetavit in medio eorum. ^{¶¶ 11} Videntes autem omnes qui noverant eum heri et nudiustertius quod esset cum prophetis, et prophetaret, dixerunt ad invicem: Quænam res accidit filio Cis? num et Saul inter prophetas? ¹² Responditque alius ad alterum, dicens: Et quis pater eorum? Propterea versum est in proverbium: Num et Saul inter prophetas? ^{§§ 13} Cessavit autem prophetare, et venit ad excelsum. ¹⁴ Dixitque patruus Saul ad eum, et ad puerum ejus: Quo abistis? Qui responderunt: Quærere asinas: quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem. ¹⁵ Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel. ¹⁶ Et ait Saul ad patruum suum:

^{**}10.6 *Et prophetabis cum eis.* Judæi tradunt eum prophetasse de futuro sæculo, de Gog et Magog, de præmiis justorum et pœnis malorum.

^{††}10.7 *Quando ergo.* Quasi his signis nosse poteris quod Deus te regem fore voluit. Ideo in omnibus regaliter age, quia Dominus tecum est.

^{‡‡}10.8 *Septem diebus,* subauditur in consecratione regni tui, sicut in consecratione sacerdotum septem diebus offerebantur victimæ.

^{¶¶}10.10 *Et venerunt.* Significat quod Judæis omnia quæ Moyses et prophetæ prædixerant, evenerunt. Ipsi vero libros legis et prophetarum tenentes, divinare videntur, cum futura mysteria de Christo et Ecclesia in eis scripta pronuntiare noscuntur.

^{§§}10.12 *Et quis.* Quasi quis major illo in dignitate et sapientia? Potest ergo tanquam pater et magister inter prophetas versari. *Et quis pater eorum* id est prophetarum, subauditur nisi Deus. Mystice, seniores Israël, reprobato Samuele, regem sibi petierunt, et Scribæ cum Pharisæis, repulso Christo vero sacerdote, clamaverunt: *Non habemus regem nisi Cæsarem* Joan. 19., unde *Samuel* interpretatur: nomen ejus Deus; Saul, petitus sive petitio, qui a populo est postulatus, Barabbas intelligitur. Cis durus vel vomens; Abiel, pater meus Deus, Judæi enim duri et vomentes Deum Patrem confitendo, Filium negant; sed qui negat Filium, negat et Patrem qui misit eum I Joan. 2.. Saul asinas patris quærens, in regno assumptus est. Salvator a Patre missus ad oves quæ perierant domus Israël, super cunctum populum in regem constitutus est. Tot enim sunt asinæ quot oves. Saul accepit armum, et Christus principatum Matth. 15.. Saul a Samuele est unctus, et Unigenitus a patre spirituali unctione delibutus. Ab numero Saul supereminebat, quia caput nostrum super nos est Christus I Cor. 11..

Indicavit nobis quia inventæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicavit ei quem locutus fuerat ei Samuel. ¹⁷ Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha: ¹⁸ et ait ad filios Israël: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego eduxi Israël de Ægypto, et erui vos de manu Ægyptiorum, et de manu omnium regum qui affligebant vos. ¹⁹ Vos autem hodie projecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris: et dixistis: Nequaquam: sed regem constituere super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, et per familias. ²⁰ Et applicuit Samuel omnes tribus Israël, et cecidit sors tribus Benjamin. ²¹ Et applicuit tribum Benjamin et cognationes ejus, et cecidit cognatio Metri: et pervenit usque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, et non est inventus. ²² Et consuluerunt post hæc Dominum utrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus: Ecce absconditus est domi. ²³ Cucurrerunt itaque et tulerunt eum inde: stetitque in medio populi, et altior fuit universo populo ab humero et sursum. ²⁴ Et ait Samuel ad omnem populum: Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, et ait: Vivat rex. ²⁵ Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro, et reposuit coram Domino: et dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam. ²⁶ Sed et Saul abiit in domum suam in Gabaa: et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. ²⁷ Filii vero Belial dixerunt: Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum, et non attulerunt ei munera: ille vero dissimulabat se audire.

11 Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, et pugnare cœpit adversum Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi. ^{*} ² Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israël. [†] ³ Et dixerunt ad eum seniores Jabes: Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad universos terminos Israël, et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. ⁴ Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis: et locuti sunt verba hæc, audiente populo: et levavit omnis populus vocem suam, et flevit. ⁵ Et ecce Saul veniebat, sequens boves de agro, et ait: Quid habet populus quod plorat? Et narraverunt ei verba virorum Jabes. ⁶ Et insilivit spiritus Domini in Saul cum audisset verba hæc, et iratus est furor ejus nimis. ⁷ Et assumens utrumque bovem, concidit in frustra, misitque in omnes terminos Israël per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, et secutus fuerit Saul et Samuel, sic fiet bobus ejus. Invasit ergo timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus. ⁸ Et recensuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Israël trecenta millia, virorum autem Juda triginta

^{*}11.1 RAB. Jabes sensus: Galaad acervus testimonii. Naas, id est serpens, scilicet diabolus ascendit contra sensum testimonii Scripturæ eruditum.

[†]11.2 *Et respondit.* Bellum Naas, bellum hæreticorum contra Ecclesiam significat. Naas interpretatur serpens, Ammon comprimens vel coangustans, vel populus mœroris. Jabes exsiccata; Galaad acervus testimonii; Naas ergo significat serpentem antiquum, qui est princeps Ammonitarum, id est hæreticorum. Hic est enim populus mœroris, qui non habet gaudium Spiritus sancti, qui disponit fœdus cum populo Ecclesiæ, ut eruat oculos dextros, visum scilicet sanæ orthodoxæ fidei. Sinistrum relinquit oculum, ut scilicet prava tantum sentiat. Sed mens fidelium exsiccata a sorde vitiorum, acervum testimonii, id est, scientias sanctæ Scripturæ congerit, quibus viriliter resistat hosti.

millia.[‡] ⁹ Et dixerunt nuntiis qui venerant: Sic dicetis viris qui sunt in Jabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntii, et annuntiaverunt viris Jabes: qui lætati sunt. ¹⁰ Et dixerunt: Mane exhibimus ad vos: et facietis nobis omne quod placuerit vobis. ¹¹ Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes: et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum incalerescit dies: reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter.[¶] ¹² Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, et interficiemus eos. ¹³ Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israël. ¹⁴ Dixit autem Samuel ad populum: Venite, et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. ¹⁵ Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, et immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, et cuncti viri Israël nimis.

12 Dixit autem Samuel ad universum Israël: Ecce audivi vocem vestram juxta omnia quæ locuti estis ad me, et constitui super vos regem. ² Et nunc rex graditur ante vos: ego autem senui, et incanui: porro filii mei vobiscum sunt: itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce præsto sum. ³ Loquimini de me coram Domino, et coram christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi: et contemnam illud hodie, restituamque vobis. ⁴ Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam. ⁵ Dixitque ad eos: Testis est Dominus adversum vos, et testis christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis. ⁶ Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moysen et Aaron, et eduxit patres nostros de terra Ægypti. ⁷ Nunc ergo state, ut iudicio contendam adversum vos coram Domino de omnibus misericordiis Domini quas fecit vobiscum et cum patribus vestris: ⁸ quomodo Jacob ingressus est in Ægyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum: et misit Dominus Moysen et Aaron, et eduxit patres vestros de Ægypto, et collocavit eos in loco hoc. ⁹ Qui obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, et in manu Philisthinorum, et in manu regis Moab: et pugnaverunt adversum eos. ¹⁰ Postea autem clamaverunt ad Dominum, et dixerunt: Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, et servivimus Baalim et As-taroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, et serviemus tibi. ¹¹ Et misit Dominus Jerobaal, et Badan, et Jephthe, et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter. ¹² Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. ¹³ Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis et petistis: ecce dedit vobis Dominus regem. ¹⁴ Si timueritis Dominum, et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini, eritis et vos, et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum: ¹⁵ si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit

[‡]11.8 *In Bezech*. RAB., in lib., Reg., tom. 2. Urbe, scilicet Adonibezec, etc., usque ad per totum orbem Ecclesia diffundat.

[¶]11.11 *Dispersi sunt*. Quia congregatio pravorum, charitatis et fidei unitate non jungitur, abinvicem dissensione separatur; unde: *Inimici tui, Domine, peribunt et dispergentur* Psal. 91..

manus Domini super vos, et super patres vestros. ¹⁶ Sed et nunc state, et videte rem istam grandem quam facturus est Dominus in conspectu vestro. ¹⁷ Numquid non messis tritici est hodie? invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias: et scietis, et videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. ¹⁸ Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces et pluvias in illa die. ¹⁹ Et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem, et dixit universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur: addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem. ²⁰ Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere: vos fecistis universum malum hoc, verumtamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro. ²¹ Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. ²² Et non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum: quia juravit Dominus facere vos sibi populum. ²³ Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, et docebo vos viam bonam et rectam. ²⁴ Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro: vidistis enim magnifica quæ in vobis gesserit. ²⁵ Quod si perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis.

13 Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset: duobus autem annis regnavit super Israël. ^{**} ² Et elegit sibi Saul tria millia de Israël: et erant cum Saul duo millia in Machmas, et in monte Bethel: mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin: porro ceterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua. ^{††} ³ Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philisthiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi. ⁴ Et universus Israël audivit hujuscemodi famam: Percussit Saul stationem Philisthinorum, et erexit se Israël adversus Philisthiim. Clamavit ergo populus post Saul in Galgala. ⁵ Et Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israël, triginta millia curruum, et sex millia equitum, et reliquum vulgus, sicut arena quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethaven. ⁶ Quod cum vidissent viri Israël se in arcto positos (afflictus enim erat populus), absconderunt se in speluncis, et in abditis, in petris quoque, et in antris, et in cisternis. ^{‡‡} ⁷ Hebræi autem transierunt Jordanem in terram Gad et Galaad. Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est qui sequebatur eum. ⁸ Et expectavit septem diebus juxta placitum Samuelis, et non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo. ⁹ Ait ergo Saul: Afferte mihi holocaustum et pacifica. Et obtulit holocaustum. ¹⁰ Cumque complexisset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat: et egressus est Saul obviam ei ut salutaret eum. ¹¹ Locutusque est ad eum Samuel: Quid fecisti? Respondit Saul: Quia vidi quod populus dilaberetur a me, et tu non veneras juxta placitos dies, porro Philisthiim congregati fuerant

§12.17 *Messis tritici*. RAB. Collectio scilicet gentilis populi ad fidem. **Voces**. Id est, tonitrua et pluvias. Non est consuetudo Judææ in tempore æstatis pluere.

**13.1 *Filius unius anni*, etc. RAB. Per anticipationem dicit de Isboeth filio Saul, etc., usque ad et non toto tempore vitæ suæ populum judicaverat ut alii.

††13.2 *Gabaa*. ID. Urbs est Phinees filii Eleazari, etc., usque ad viri cum Saul remanentes catholici Christo firmiter adhærentes.

‡‡13.6 *Absconderunt se in speluncis*. ID. Absconsis scilicet, etc., usque ad sociaverunt se cum suis in prælio.

in Machmas, ¹² dixi: Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, et faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus, obtuli holocaustum. ¹³ Dixitque Samuel ad Saul: Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum: ^{¶¶} ¹⁴ sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum: et præcepit ei Dominus ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus. ^{§§} ¹⁵ Surrexit autem Samuel, et ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin. Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Benjamin. Et recensuit Saul populum qui inventi fuerant cum eo, quasi sexcentos viros. ¹⁶ Et Saul et Jonathas filius ejus, populusque qui inventus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin: porro Philisthiim conserderant in Machmas. ¹⁷ Et egressi sunt ad prædandum de castris Philisthinorum tres cunei. Unus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Sual: ¹⁸ porro alius ingrediebatur per viam Beth-horon: tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum. ¹⁹ Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israël: caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. ²⁰ Descendebat ergo omnis Israël ad Philisthiim, ut excueret unusquisque vomerem suum, et ligonem, et securim, et sarculum. ²¹ Retusæ itaque erant acies vomerum, et ligonum, et tridentum, et securium, usque ad stimulum corrigendum. ²² Cumque venisset dies prælii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi qui erat cum Saule et Jonatha, excepto Saul et Jonatha filio ejus. ²³ Egressa est autem statio Philisthiim, ut transcenderet in Machmas.

14 Et accidit quadam die ut diceret Jonathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum: Veni, et transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est

^{¶¶}13.13 *Stulte egisti, nec.* ID. Videtur quibusdam Saul inculpabiliter sacrificasse, etc., usque ad et ideo merito culpatur et stultitiæ arguitur. *Quod si non fecisses.* EUCH. in lib. Reg. ex Aug. Non sic accipiendum est quasi Dominus Saulem in æternum paraverit regnaturum, et hoc noluerit servare peccanti: sciebat enim peccatum. Sed præparaverat regnum ejus, in quo esset figura regni æterni, unde addidit: *Et nunc regnum tuum non stabit tibi.* Stetit ergo et stabit quod in illo significatum est; sed non huic stabit, quia non fuerat regnaturus in æternum; nec progenies ejus; ut saltem per posteros, alter alteri succedentes, videretur impleri quod dictum est in æternum.

^{§§}13.14 *Sed nequaquam.* Reprobatio Saulis, ablatio regni Judæorum. David ei superstes, Christus populo Judæorum successurus. *Quæsivit sibi.* Non quasi ubi sit nesciens, sed per hominem more hominum loquitur, quia et sic loquendo nos quærit. Non solum enim Deo Patri, sed ipsi quoque Unigenito, qui venit quærere quod perierat, sic jam non eramus ut in ipso essemus electi ante mundi constitutionem. Quæret ergo sibi, dixit: suum habebit, unde in Latina lingua hoc verbum accipit præpositionem, et acquirit dicitur; quod satis apertum est. Sine præpositione etiam quærere intelligitur acquirere, ex quo lucra vocantur quæstus. *Virum juxta cor.* David significat, vel ipsum mediatorem Novi Testamenti, qui figurabatur in chrismate in quo unctus est David, et progenies ejus. RAB. Diabolus quoque per paganos, etc., usque ad sed futuram inquirimus.

trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicavit.* ²Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa sub malogranato, quæ erat in Magron: et erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum. ³Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo, portabat ephod. Sed et populus ignorabat quo isset Jonathas. ⁴Erant autem inter ascensus per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philistinorum, eminentes petræ ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli hinc et inde prærupti: nomen uni Boses, et nomen alteri Sene: ⁵unus scopulus prominens ad aquilonem ex adverso Machmas, et alter ad meridiem contra Gabaa. ⁶Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis. ⁷Dixitque ei armiger suus: Fac omnia quæ placent animo tuo: perge quo cupis, et ero tecum ubicumque volueris. ⁸Et ait Jonathas: Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis, ⁹si taliter locuti fuerint ad nos: Manete donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. ¹⁰Si autem dixerint: Ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: hoc erit nobis signum. ¹¹Apparuit igitur uterque stationi Philistinorum: dixeruntque Philistiim: En Hebræi egrediuntur de cavernis in quibus absconditi fuerant. ¹²Et locuti sunt viri de statione ad Jonathan et ad armigerum ejus, dixeruntque: Ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem. Et ait Jonathas ad armigerum suum: Ascendamus: sequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Israël. ¹³Ascendit autem Jonathas manibus et pedibus reptans, et armiger ejus post eum. Itaque alii cadebant ante Jonathan, alios armiger ejus interficiebat sequens eum. ¹⁴Et facta est plaga prima qua percussit Jonathas et armiger ejus, quasi viginti virorum in media parte jugeri quam par boum in die arare consuevit. ¹⁵Et factum est miraculum in castris per agros: sed et omnis populus stationis eorum qui ierant ad prædandum, obstupuit, et conturbata est terra: et accidit quasi miraculum a Deo. ¹⁶Et respexerunt speculatores Saul qui erant in Gabaa Benjamin, et ecce multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens. ¹⁷Et ait Saul populo qui erat cum eo: Requirit, et videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Jonathan et armigerum ejus. ¹⁸Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei. (Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israël.) ¹⁹Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philistinorum: crescebatque paulatim, et clarius resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem: Contrahe manum tuam. ²⁰Conclamavit ergo Saul, et omnis populus qui erat cum eo, et venerunt usque ad locum certaminis: et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, et cædes magna nimis. ²¹Sed et Hebræi qui fuerant cum Philistiim heri et nudius tertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt ut essent cum Israël qui erant cum Saul et Jonatha. ²²Omnes quoque Is-

*14.1 *Jonathas*. Columbæ donum. Hi sunt qui dono Spiritus sancti replentur, per quos Dominus hæreticorum conventus dissipat, atque in fugam vertit. Armiger ejus spiritualium discipuli, qui non per plana, sed ardua iter arripiunt: quia sacerdotes hostibus contraire nequeunt, si non per arctam viam gradientes, inter utrumque Testamentum, et inter prospera et adversa, quasi duos scopulos dextra lævaque, incedunt, et ad alta contemplationis toto animi nisu conscendunt. Jonathas non nisi provocatus ad hostes transit: quia catholici adversus hæreticos non contentionem commovent, nisi prius ad certamen provocentur. Jonathas ergo in agro culturæ hostes prosternit: et doctores in meditatione Scripturæ hæreticos vincunt.

raëlitæ qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philisthæi, sociaverunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saul quasi decem millia virorum. ²³ Et salvavit Dominus in die illa Israël: pugna autem pervenit usque ad Bethaven. ²⁴ Et viri Israël sociati sunt sibi in die illa: adjuravit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. Et non manducavit universus populus panem: ²⁵ omneque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. ²⁶ Ingressus est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus juramentum. ²⁷ Porro Jonathas non audierat cum adjuraret pater ejus populum: extenditque summitatem virgæ quam habebat in manu, et intinxit in favum mellis: et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus.† ²⁸ Respondensque unus de populo, ait: Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir qui comederit panem hodie. (Defecerat autem populus.) ²⁹ Dixitque Jonathas: Turbavit pater meus terram: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto: ³⁰ quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? nonne major plaga facta fuisset in Philisthiim? ³¹ Percusserunt ergo in die illa Philisthæos a Machmis usque in Ajalon. Defatigatus est autem populus nimis: ³² et versus ad prædam tulit oves, et boves, et vitulos, et mactaverunt in terra: comeditque populus cum sanguine. ³³ Nuntiaverunt autem Sauli dicentes quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Prævaricati estis: volvite ad me jam nunc saxum grande.‡ ³⁴ Et dixit Saul: Dispergimini in vulgus, et dicite eis ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem, et occidite super istud, et vescimini, et non peccabitis Domino comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem: et occiderunt ibi.¶ ³⁵ Ædificavit autem Saul altare Domino, tuncque primum cœpit ædificare altare Domino.§ ³⁶ Et dixit Saul: Irruamus super Philisthæos nocte, et vastemus eos usque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum.

†14.27 **Porro Jonathas.** Columbæ donum. Hic eos significat qui, accepta Spiritus sancti gratia, mundi parant spernere illecebras. Non enim potest contra allophylos spirituales, id est dæmones, viriliter pugnare, qui mundi dulcedinem nescit declinare. **Illuminati sunt.** RAB. ex Euch. Non ad videndum, etc., usque ad et fraternis orationibus indigere.

‡14.33 **Populus peccasset Domino comedens.** RAB. Peccasse Domino, etc., usque ad et cum sanguine comedisse.

¶14.34 **Occidite super istud,** etc. Ut fluat sanguis ad terram. Vel comedit cum sanguine, quia ante sacrificium vespertinum comederunt, quod post stragem usus erat fieri ante cibum. Vel in hoc peccaverunt ut placet quibusdam quod ad ostium tabernaculi victimas suas non duxerunt. **Et occiderunt.** Occisio animalium est baptisma, in quo vetus homo moritur. Ingens saxum, super quod fiebat occisio, fides est, sine qua non moritur vetus homo. Mactatio in terra, hæreticorum baptisma. Cujus sanguinem comedunt, quando absque purificatione peccatorum sibi lotos aggregant. Hæc animalia de Philisthæis capta significant aut de hæreticis reductos, aut de gentilitate conversos: illos imperiti rebaptizant; istos, aliter quam Ecclesia tradit, baptizant. Quos Christus velut Saul in fide sua quasi super saxum grande occidendos boves et oves, id est indifferentias hominum baptizari præcepit.

§14.35 **Tunc primum cœpit ædificare altare Domino,** etc. Quia obedenter et recte. Superius vero cum increpatus est a Samuele, non dicitur ædificasse Domino, quia inobedenter ædificavit.

Dixitque populus: Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos: Accedamus huc ad Deum.³⁷ Et consuluit Saul Dominum: Num persequar Philistiim? si trades eos in manus Israël? Et non respondit ei in die illa.³⁸ Dixitque Saul: Applicate huc universos angulos populi: et scitote, et videte per quem acciderit peccatum hoc hodie.^{**}³⁹ Vivit Dominus salvator Israël, quia si per Jonathan filium meum factum est, absque retractione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.⁴⁰ Et ait ad universum Israël: Separamini vos in partem unam, et ego cum Jonathan filio meo ero in parte altera. Responditque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac.⁴¹ Et dixit Saul ad Dominum Deum Israël: Domine Deus Israël, da indicium: quid est quod non responderis servo tuo hodie? si in me, aut in Jonatha filio meo, est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Jonathas et Saul: populus autem exivit.⁴² Et ait Saul: Mittite sortem inter me et inter Jonathan filium meum. Et captus est Jonathas.⁴³ Dixit autem Saul ad Jonathan: Indica mihi quid feceris. Et indicavit ei Jonathas, et ait: Gustans gustavi in summitate virgæ quæ erat in manu mea, paululum mellis, et ecce ego morior.⁴⁴ Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia morte morieris, Jonatha.^{††}⁴⁵ Dixitque populus ad Saul: Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israël? hoc nefas est: vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Jonathan, ut non moreretur.^{‡‡}⁴⁶ Recessitque Saul, nec persecutus est Philistiim: porro Philistiim abierunt in loca sua.⁴⁷ Et Saul, confirmato regno super Israël, pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos ejus, contra Moab, et filios Ammon, et Edom, et reges Soba, et Philisthæos: et quocumque se verterat, superabat.⁴⁸ Congregatoque exercitu, percussit Amalec, et eruit Israël de manu vastatorum ejus.⁴⁹ Fuerunt autem filii Saul, Jonathas, et Jessui, et Melchisua: et nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitæ Merob, et nomen minoris Michol.⁵⁰ Et nomen uxoris Saul Achinoam filia Achimaas: et nomen principis militiæ ejus Abner filius Ner, patruelis Saul.⁵¹ Porro Cis fuit pater Saul, et Ner pater Abner, filius Abiel.⁵² Erat autem bellum potens adversum Philisthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, et aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

15 Et dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus ut ungerem te in regem super populum ejus Israël: nunc ergo audi vocem Domini.^{¶¶}² Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israël: quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto.³ Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus: non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum.⁴ Præcepit itaque Saul populo, et recensuit eos quasi agnos: ducenta millia

^{**}14.38 *Applicate huc universos angulos populi* Angulos populi principes vocat, quibus hinc inde populi tanquam angulis parietes adhærebant.

^{††}14.44 *Hæc faciat*. Juramentum Hebræorum, quod per contrarium intelligitur, quasi diceret: Malum quod tibi debetur, mihi imputetur, si te non interfecero.

^{‡‡}14.45 *Qui fecit*. Multum prosunt transacta bona. Nisi enim Jonathan præterita bona juvissent, imminetia mala non evasisset. Non enim injustus Deus ut obliviscatur bonorum.

^{¶¶}15.1 *Et dixit*, etc. *Bovem*, etc. RAB. in lib. Reg., tom. 2. Ideo jubet Dominus demoliri jumenta Amalec, etc., usque ad subsannationem Dei in cælum projecerunt.

peditum, et decem millia virorum Juda. ⁵ Cumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente. ⁶ Dixitque Saul Cinæo: Abite, recedite, atque descendite ab Amalec, ne forte involvam te cum eo: tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israël, cum ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec.^{§§} ⁷ Percussitque Saul Amalec ab Hevila donec venias ad Sur, quæ est e regione Ægypti. ⁸ Et apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladii. ⁹ Et pepercit Saul et populus Agag, et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus et arietibus, et universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt. ¹⁰ Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens: ¹¹ Pœnitet me quod constituerim Saul regem: quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte.* ¹² Cumque de nocte surrexisset Samuel ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli eo quod venisset Saul in Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem, et reversus transisset, descendissetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, et Saul offerebat holocaustum Domino de initiis prædarum quæ attulerat ex Amalec. ¹³ Et cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul: Benedictus tu Domino: implevi verbum Domini. ¹⁴ Dixitque Samuel: Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, et armentorum, quam ego audio? ¹⁵ Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis ut immolarentur Domino Deo tuo, reliqua vero occidimus. ¹⁶ Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, et indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere. ¹⁷ Et ait Samuel: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribus Israël factus es? unxitque te Dominus in regem super Israël,† ¹⁸ et misit te Dominus in viam, et ait: Vade, et interfice peccatores Amalec, et pugnabis contra eos usque ad interneccionem eorum? ¹⁹ Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini? ²⁰ Et ait Saul ad Samuelem: Immo audivi vocem Domini, et ambulavi in via per quam misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalec, et Amalec interfeci. ²¹ Tulit autem de præda populus oves et boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis. ²² Et ait Samuel: Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? melior est enim obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum.‡ ²³ Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis rex. ²⁴ Dixitque Saul ad Samuelem: Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini et verba tua, timens populum, et obediens voci eorum. ²⁵ Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, et revertere mecum, ut adorem

§§15.6 *Dixit Saul Cinæo.* ID. Cinæus ipse est Jethro cognatus Mosi, etc., usque ad multitudinem populi.

*15.11 *Pœnitet me.* GREG. in lib. Reg. Hac increpatione superbia regis abjicitur, etc., usque ad ut ad majora et semper ex humilitate ascendamus.

†15.17 *Nonne cum.* GREG., lib. XXXIV Moral., et apud Euch. Parvulus est in oculis suis, etc., usque ad unde: *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto quasi unus ex illis.*

‡15.22 *Melior est,* etc. RAB. in lib. Reg. Quia per victimas aliena caro, etc., usque ad Paulus autem audacter dicit: *Ego non solum ligari in Jerusalem, sed etiam mori paratus sum* Act. 21..

Dominum. ²⁶ Et ait Samuel ad Saul: Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus ne sis rex super Israël. [¶] ²⁷ Et conversus est Samuel ut abiret: ille autem apprehendit summitatem pallii ejus, quæ et scissa est. [§] ²⁸ Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israël a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te. ^{**} ²⁹ Porro triumphator in Israël non parcat, et pœnitudine non flectetur: neque enim homo est ut agat pœnitentiam. ³⁰ At ille ait: Peccavi: sed nunc honora me coram senioribus populi mei et coram Israël, et revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum. ³¹ Reversus ergo Samuel secutus est Saulem: et adoravit Saul Dominum. ³² Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatu est ei Agag, pinguis et tremens. Et dixit Agag: Siccine separat amara mors? ³³ Et ait Samuel: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frustra concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis. ^{††} ³⁴ Abiit autem Samuel in Ramatha: Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa. ³⁵ Et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suæ: verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset eum regem super Israël.

16 Dixitque Dominus ad Samuelem: Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum ne regnet super Israël? Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem. ² Et ait Samuel: Quomodo vadam? audiet enim Saul, et interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices: Ad immolandum Domino veni. ³ Et vocabis Isai ad victimam, et ego ostendam tibi quid facias, et unges quemcumque monstraveri tibi. ⁴ Fecit ergo Samuel sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem, et admirati sunt seniores civitatis occurrentes ei: dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus? ⁵ Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni: sanctificamini, et venite mecum ut immolem. Sanctificavit ergo Isai et filios ejus, et vocavit eos ad sacrificium. ⁶ Cumque ingressi essent, vidit Eliab, et ait: Num coram Domino est christus ejus? ⁷ Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego ju-

[¶]15.26 *Non revertar.* ID. Alia editio, etc., usque ad hic minatur et non permanet.

[§]15.27 *Ille autem.* Sicut in passione Domini pontifex vestimentum scidit, ita et Saul vestem prophetæ. Per utramque enim potestatem, regalem scilicet et sacerdotalem, scissio facta monstrat regnum Judæorum et sacerdotium stare non posse, quia verum regem et sacerdotem, id est Christum, noluerant recipere. RAB. ex Aug. Iste cui dixit, etc., usque ad non secundum humani generis unam eandemque naturam.

^{**}15.28 *Scidit.* Quamvis postea regnaverit quadraginta annis, sed tunc promeruit ut a stirpe sua scinderetur, et traderetur meliori, id est, David, et a Saul, id est, Judæis aufertur regnum, et traditur Christo. Corrigit regem de inobedientia, quia mandatum Domini non implevit, et prædicat amissionem regni. Merito autem regnum perdit, qui tenere nescit. Ille autem bene regit, qui superiori obedit et inferioribus auctoritatem suam antepōnit.

^{††}15.33 *Et in frusta.* Cum legunt quidam in Scripturis, quod sancti nulli hostium parcant, dicunt eos crudeles, nec intelligunt in his verbis obumbrata mysteria: ut pugnantes, scilicet, adversus vitia nullum penitus relinquamus. Si enim pepercerimus reputabitur nobis in culpam, sicut Sauli, qui regem Amalec vivum reservavit. Sancti vero, sicut Samuel, nullum peccatum dimittunt impunitum.

dico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.^{‡‡} ⁸ Et vocavit Isai Abinadab, et adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus. ⁹ Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus. ¹⁰ Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele: et ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis. ¹¹ Dixitque Samuel ad Isai: Numquid jam completi sunt filii? Qui respondit: Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, et adduc eum: nec enim discumbemus priusquam huc ille veniat.^{¶¶} ¹² Misit ergo, et adduxit eum. Erat autem rufus, et pulcher aspectu, decoraque facie: et ait Dominus: Surge, unge eum: ipse est enim. ¹³ Tulit ergo Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum ejus: et directus est spiritus Domini a die illa in David, et deinceps. Surgensque Samuel abiit in Ramatha. ¹⁴ Spiritus autem Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino. ¹⁵ Dixeruntque servi Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te. ¹⁶ Jubeat dominus noster, et servi tui qui coram te sunt quærent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, et levius feras.^{§§} ¹⁷ Et ait Saul ad servos suos: Providete ergo mihi aliquem bene psallentem, et adducite eum ad me. ¹⁸ Et respondens unus de pueris, ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, et fortissimum robore, et virum bellicosum, et prudentem in verbis, et virum pulchrum: et Dominus est cum eo. ¹⁹ Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens: Mitte ad me David filium tuum, qui est in pascuis. ²⁰ Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, et lagenam vini, et hædum de capris unum, et misit per manum David filii sui Sauli. ²¹ Et venit David ad Saul, et stetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, et factus est ejus armiger. ²² Misitque Saul ad Isai, dicens: Stet David in conspectu meo: invenit enim gratiam in oculis meis. ²³ Igitur quodcumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.*

17 Congregantes autem Philisthiim agmina sua in prælium, convenerunt in Socho Judæ: et castrametati sunt inter Socho et Azeca in finibus Dommim.[†]
² Porro Saul et filii Israël congregati venerunt in Vallem terebinthi, et direxerunt

^{‡‡}16.7 *Ne respicias.* Reprobatis majoribus filiis Isai minimus ad regnum eligitur, quia spreto Judaico sacerdotio, et regno prioris populi, Christus caput minoris populi, rex et sacerdos factus est.

^{¶¶}16.11 *Parvulus.* De officio pecorum factus est David rex hominum: Christus autem ab ovili Judaicæ plebis ad regnum gentium translatus est. GREG., lib. I Moral., cap. 6; lib. 18, cap. 6. Diabolus, licet afflictionem justorum semper appetat, etc., usque ad potestas nisi a Deo non est.

^{§§}16.16 *Scientem psallere,* etc. RAB. ex Euch. Erat David canticis musicæ eruditus, etc., usque ad quasi dulcedine citharæ locutionis nostræ tranquillitate revocetur.

*16.23 *Refocillabatur Saul.* Ante enim vexabatur a dæmonio usque ad suffocationem. Refert Boëtius philosophum quemdam tactu citharæ dæmonium ab obsesso corpore pepulisse.

[†]17.1 *Congregantes.* RAB. in lib. Reg. *Azeca.* Civitas est Chananæorum in tribu Juda ad quam usque persecutus est Josue quinque reges, et hodie villa vocatur Azeca inter Eleutheropolim et Heliam, quæ interpretatur *fortitudo et decipula. Dommim.* Vicus est in tribu Juda in finibus Eleutheropolis, distans ab ea septem et viginti milliariibus. Dommim interpretatur *silentium* vel *gaudium.*

aciem ad pugnandum contra Philistiim.[‡] ³ Et Philistiim stabant super montem ex parte hac, et Israël stabat supra montem ex altera parte: vallisque erat inter eos. ⁴ Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum et palmi:[¶] ⁵ et cassis ærea super caput ejus, et lorica squamata induebatur. Porro pondus loricæ ejus, quinque millia siclorum æris erat: ⁶ et ocreas æreas habebat in cruribus, et clypeus æreus tegebat humeros ejus. ⁷ Hastile autem hastæ ejus erat quasi liciatorium textentium: ipsum autem ferrum hastæ ejus sexcentos siclos habebat ferri: et armiger ejus antecedebat eum. ⁸ Stansque clamabat adversum phalangas Israël, et dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium? numquid ego non sum Philisthæus, et vos servi Saul? eligite ex vobis virum, et descendat ad singulare certamen. ⁹ Si quiverit pugnare mecum, et percusserit me, erimus vobis servi: si autem ego prævaluero, et percussero eum, vos servi eritis, et servietis nobis. ¹⁰ Et aiebat Philisthæus: Ego exprobravi agminibus Israël hodie: date mihi virum, et ineat mecum singulare certamen. ¹¹ Audiens autem Saul et omnes Israëlitæ sermones Philisthæi hujuscemodi, stupebant, et metuebant nimis. ¹² David autem erat filius viri Ephrathæi, de quo supra dictum est, de Bethlehem Juda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, et erat vir in diebus Saul senex, et grandævus inter viros.[§] ¹³ Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prælium: et nomina trium filiorum ejus qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, et secundus Abinadab, tertiusque Samma. ¹⁴ David autem erat minimus. Tribus ergo majoribus secutis Saulem,^{**} ¹⁵ abiit David, et reversus est a Saul ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem. ¹⁶ Procedebat vero Philisthæus mane et vespere, et stabat quadraginta diebus. ¹⁷ Dixit autem Isai ad David filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, et decem panes istos, et curre in castra ad fratres tuos, ¹⁸ et decem formellas casei has deferes ad tribunal: et fratres tuos visitabis, si recte agant: et cum quibus ordinati sunt, disce. ¹⁹ Saul autem, et illi, et omnes filii Israël, in Valle terebinthi pugnabant adversum Philistiim. ²⁰ Surrexit itaque David mane, et commendavit gregem custodi: et onustus abiit, sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, et ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine. ²¹ Direxerat

[‡]17.2 *Terebinthi*. Terebinthus est in Sichimis, sub qua abscondit Jacob idola juxta Neapolim.

[¶]17.4 *Spurius*. Quia ignobili patre, matre vero nobili natus erat.

[§]17.12 *Octo filios*. HIERON., quæst. Hebr., tom. 3. In Paralipomenon tantum septem dicuntur, etc., usque ad Nathan quoque prophetam dicit Isidorus de Gabaonitis fuisse.

^{**}17.14 *David*. Et octavus qui in regno eligitur, hic est Christus, qui *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* Philip. 2., quia et per gloriam resurrectionis regnum in gentibus adeptus est.

enim aciem Israëli, sed et Philisthiim ex adverso fuerant præparati.†† 22 Derelinquens ergo David vasa quæ attulerat sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, et interrogabat si omnia recte agerentur erga fratres suos. 23 Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine, Philisthæus de Geth, de castris Philisthinorum: et loquente eo hæc eadem verba audivit David. 24 Omnes autem Israëlitæ, cum vidissent virum, fugerunt a facie ejus, timentes eum valde. 25 Et dixit unus quispiam de Israëli: Num vidistis virum hunc, qui ascendit? ad exprobrandum enim Israëli ascendit. Virum ergo qui percusserit eum, ditabitur rex divitiis magnis, et filiam suam dabit ei, et domum patris ejus faciet absque tributo in Israëli. 26 Et ait David ad viros qui stabant secum, dicens: Quid dabatur viro qui percusserit Philisthæum hunc, et tulerit opprobrium de Israëli? quis enim est hic Philisthæus incircumciscus, qui exprobravit acies Dei viventis? 27 Referebat autem ei populus eundem sermonem, dicens: Hæc dabuntur viro qui percusserit eum. 28 Quod cum audisset Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis, iratus est contra David, et ait: Quare venisti, et quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? Ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui: quia ut videres prælium,

††17.21 *Direxerat enim aciem Israël, sed Philisthiim.* Pugna Philisthinorum contra Israël, pugna dæmonum contra Ecclesiam accipi potest. Goliath vero superbiam diaboli significat: quam David, id est Christus, singulari certamine prostravit et populum Dei eripuit. Qui leonem et ursum necavit, diabolum scilicet et Antichristum, alterum nunc latenter insidiantem, alterum postea manifeste sævientem. Provocavit superbia humilitatem, diabolus Christum. Accepit arma bellica David quæ pro ætate et parva statura portare non potuit, et abjecit. Accepit quinque lapides de flumine et posuit in vase pastorali: his armatus vicit. Sic Christus tempore revelationis Novi Testamenti insinuandæ et commendandæ gratiæ, deposuit corporalia sacramenta legis, quæ non sunt imposita gentibus, quæ in veteri lege legimus et non observamus, sed ad aliquam significationem præmissa et posita intelligimus: hæc deposuit tanquam onera legis, et ipsam legem accepit. Quinque enim lapides, quinque libros Mosi significant. Tulit quinque lapides de flumine, id est de hoc sæculo. Labitur enim mortale sæculum. Erant tanquam in flumine lapides in primo populo. Illic vacabant, et nihil proderant. Transibat supra fluvius. Sed David accepit gratiam, ut lex esset utilis quæ sine gratia impleri non potest. *Plenitudo enim legis charitas est* Rom. 13.. Quia ergo legem gratia facit impleri, significatur enim gratia lacte, hoc est enim in carne gratuitum; ubi vero mater non quærit accipere, sed dare, gratis dat, et contristatur si desit qui accipiat. Ostendit David legem sine gratia operari non posse; cum illos quinque lapides, quibus significatur lex in quinque libris, conjungere volens gratiæ, posuit in vase pastorali, quo lac solebat mulgeri. His armatus processit contra superbum. Tulit lapidem unum, et dejecit unum, in fronte percussit et cecidit ex eo loco corporis ubi signum Christi non habuit. Quinque accepit, unum misit. Quinque libri electi sunt, sed unitas vincit. *Plenitudo ergo legis charitas*, ut ait Apostolus. *Sufferentes invicem in dilectione, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis* Eph. 4.. Illo dejecto, gladium abstulit, caput illi abscidit. Christus diabolum de suis membris occidit, quando crediderunt magi, quos ille in manu habebat, et de quibus alios trucidabat, convertentes linguas suas contra diabolum, et sic Goliæ gladio suo caput abscinditur.

descendisti.‡ 29 Et dixit David: Quid feci? numquid non verbum est?¶ 30 Et declinavit paululum ab eo ad alium: dixitque eundem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut prius. 31 Audita sunt autem verba quæ locutus est David, et annuntiata in conspectu Saul. 32 Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei: Non concidat cor cuiusquam in eo: ego servus tuus vadam, et pugnabo adversus Philisthæum. 33 Et ait Saul ad David: Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare adversus eum, quia puer es: hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. 34 Dixitque David ad Saul: Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis: 35 et persequerbar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum: et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos. 36 Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus: erit igitur et Philisthæus hic incircumciscus quasi unus ex eis. Nunc vadam, et auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumciscus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis? 37 Et ait David: Dominus qui eripuit me de manu leonis, et de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philisthæi hujus. Dixit autem Saul ad David: Vade, et Dominus tecum sit. 38 Et induit Saul David vestimentis suis, et imposuit galeam æream super caput ejus, et vestivit eum lorica. 39 Accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul: Non possum sic incedere, quia non usum habeo. Et deposuit ea, 40 et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus: et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastoralem quam habebat secum, et fundam manu tulit: et processit adversum Philisthæum. 41 Ibat autem Philisthæus incedens, et appropinquans adversum David, et armiger ejus ante eum.‡ 42 Cumque inspexisset Philisthæus, et vidisset David, despexit eum. Erat enim adolescens, rufus, et pulcher aspectu. 43 Et dixit Philisthæus ad David: Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus David in diis suis: 44 dixitque ad David: Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cæli et bestiis terræ. 45 Dixit autem David ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël quibus exprobrasti 46 hodie, et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te: et dabo cadavera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cæli, et bestiis terræ, ut sciat omnis terra quia est Deus in Israël, 47 et noverit universa ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus: ipsius enim est bellum, et tradet vos in manus nostras. 48 Cum ergo surrexisset Philisthæus, et veniret, et appropinquaret

‡17.28 *Novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui, quia.* RAB. Putabat in eo tumorem propter Samuelis unctionem, quasi ex ea audaciam sumpsisset, et timebat ne si congrediretur cum Philisthæo interficeretur. Unde subdit, *ut videres prælium descendisti*, id est, in hoc superbus appares, quod cum non habeas consuetudinem præliandi, actus prælii quasi miles sciscitaris.

¶17.29 *Nunquid non verbum?* ID. Quasi diceret, est, quia non est voluntas præliandi, sed ut scirem quod nesciebam. Audaciam tamen ex eo sumpserat, quod Spiritum sanctum acceperat; expertus auxilium Dei in leone et urso, et ideo audacter se obtulit ad singulare certamen, non tam victoriæ cupidus, quam ultor blasphemiarum Dei et injuriarum populi.

§§17.41 *Ibat autem.* RAB. in lib. Reg. Allegorice, Philisthæi dæmones, etc., usque ad quasi elatum Goliath gladio suo detruncant.

contra David, festinavit David et cucurrit ad pugnam ex adverso Philisthæi. ⁴⁹ Et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda jecit, et circumducens percussit Philisthæum in fronte: et infixus est lapis in fronte ejus, et cecidit in faciem suam super terram. ⁵⁰ Prævaluitque David adversum Philisthæum in funda et lapide, percussumque Philisthæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu David, ⁵¹ cucurrit, et stetit super Philisthæum, et tulit gladium ejus, et eduxit eum de vagina sua: et interfecit eum, præciditque caput ejus. Videntes autem Philisthiim quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.* ⁵² Et consurgentes viri Israël et Juda vociferati sunt, et persecuti sunt Philisthæos usque dum venirent in vallem, et usque ad portas Accaron: cecideruntque vulnerati de Philisthiim in via Saraim, et usque ad Geth, et usque ad Accaron. ⁵³ Et revertentes filii Israël postquam persecuti fuerant Philisthæos, invaserunt castra eorum. ⁵⁴ Assumens autem David caput Philisthæi, attulit illud in Jerusalem: arma vero ejus posuit in tabernaculo suo. ⁵⁵ Eo autem tempore quo viderat Saul David egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Abner: Vivit anima tua, rex, si novi.† ⁵⁶ Et ait rex: Interroga tu, cujus filius sit iste puer. ⁵⁷ Cumque regressus esset David, percusso Philisthæo, tulit eum Abner, et introduxit coram Saule, caput Philisthæi habentem in manu. ⁵⁸ Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, o adolescens? Dixitque David: Filius servi tui Isai Bethlehemitæ ego sum.

18 Et factum est cum complesses loqui ad Saul, anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam.‡ ² Tulitque eum Saul in die illa, et non concessit ei ut reverteretur in domum patris sui. ³ Inierunt autem David et Jonathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam. ⁴ Nam expoliavit se Jonathas tunica qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua, usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum. ⁵ Egrediebatur quoque David ad omnia quæcumque misisset eum Saul, et prudenter se agebat: posuitque eum Saul super viros belli, et acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul. ⁶ Porro cum reverteretur percusso Philisthæo David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israël, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, et in sistris. ⁷ Et

*17.51 *Et tulit.* RAB. ex Greg. Vir quoque catholicus colligit testimonium Scripturæ, etc., usque ad hæreticos suis sententiis vincimus. *Caput.* David caput Philisthæi tulit in Jerusalem, ut terreret eos, murorum firmitate et altitudine insuperabiles se esse fidentes, ut non discrederent se ab illo vincendos esse.

†17.55 *De qua.* AUG. Quod Saul et Abner ignorant David apud eos diutius comoratum, fecit barba, quæ adolescenti creverat dum absens fuerat. *Vivit.* RAB. Huic simile est illud: *Benedixit Naboth Deo et regi. Quia non vivat anima tua, rex, si novi,* vel videam mortem tuam si novi. *Si* quoque conjunctio aliquando pro *non* ponitur, secundum illud: *Si introibunt in requiem meam* Psal. 92., id est, non introibunt, unde patet sic exponi: *Si novi,* id est, non novi.

‡18.1 *Et factum est,* etc., *et dilexit,* etc. RAB. in lib. Reg. Jonathas dilexit David: vir videlicet bellicosus juvenem aptum pugnæ. Jonathas significat eos qui de Judæis in Christum crediderunt et, percepta gratia Spiritus sancti, pro Christo relictis omnibus ipsum secuti sunt. Unde Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* Matth. 19.. Sic enim Jonathas dedit David vestimenta sua a tunica usque ad balteum, cum credentes omnia quæ habuerant, in Christi servitium contulerunt.

præcinebant mulieres, ludentes, atque dicentes: [Percussit Saul mille, et David decem millia.][¶] ⁸ Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis ejus sermo iste: dixitque: Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum? ⁹ Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David a die illa et deinceps. ¹⁰ Post diem autem alteram, invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ: David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies. Tenebatque Saul lanceam,[§] ¹¹ et misit eam, putans quod configere posset David cum pariete: et declinavit David a facie ejus secundo. ¹² Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset. ¹³ Amovit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribunum super mille viros: et egrediebatur, et intrabat in conspectu populi. ¹⁴ In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo. ¹⁵ Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, et cœpit cavere eum. ¹⁶ Omnis autem Israël et Juda diligebat David: ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos. ¹⁷ Dixitque Saul ad David: Ecce filia mea major Merob: ipsam dabo tibi uxorem: tantummodo esto vir fortis, et præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philistinorum.^{**} ¹⁸ Ait autem David ad Saul: Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israël, ut fiam gener regis? ¹⁹ Factum est autem tempus cum deberet dari Merob filia Saul David, data est Hadrieli Molathitæ uxor. ²⁰ Dilexit autem David Michol filia Saul altera. Et nuntiatum est Saul, et placuit ei. ²¹ Dixitque Saul: Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, et sit super eum manus Philistinorum. Dixitque Saul ad David: In duabus rebus gener meus eris hodie. ²² Et mandavit Saul servis suis: Loquimini ad David clam me, dicentes: Ecce places regi, et omnes servi ejus diligunt te: nunc ergo esto gener regis. ²³ Et locuti sunt servi Saul in auribus David omnia verba hæc. Et ait David: Num parum videtur vobis, generum esse regis? ego autem sum vir pauper et tenuis. ²⁴ Et renuntiaverunt servi Saul dicentes: Hujusmodi verba locutus est David. ²⁵ Dixit autem Saul: Sic loquimini ad David: Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saul cogitabat tradere David in manus Philistinorum. ²⁶ Cumque renuntiassent servi ejus David verba quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis David, ut fieret gener regis. ²⁷ Et post paucos dies surgens David, abiit cum viris qui sub eo erant. Et percussit ex Philistiim ducentos viros, et attulit eorum præputia et annumeravit ea regi, ut esset gener ejus. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam uxorem.^{††} ²⁸ Et vidit Saul, et intellexit quod Dominus esset cum David. Michol autem filia Saul diligebat eum. ²⁹ Et Saul magis cœpit timere David: factusque est Saul inimicus David cunctis diebus. ³⁰ Et egressi sunt principes

[¶]18.7 *Percussit Saul*, etc. Hoc fuit seminarium odii contra David. Sic Judæi audientes Christum quem crucifixerant, in ecclesiis prædicari, et victoriam qua hostem antiquum vicit et credentes in laude ejus gratulari, graviter tulerunt. *Saul mille*. Scilicet eos qui fugientes occisi sunt. *David decem millia*. Scilicet Philisthæum qui, uno dejecto, omnes in fugam misit.

[§]18.10 *Tenebatque*. Sic prædicante Christo Evangelium, Judæi conabantur mortem inferre. Sed dum ille ad salutem gentium secedit, tantum nocuere seipsos.

^{**}18.17 *Dixitque*. ISID. in lib. Reg., tom. 5, cap. 11. Saul callidus simulator studuit alligare David Michol filiæ suæ, etc., usque ad locutionis tranquillitate revocetur.

^{††}18.27 *Percussit*, etc., *et attulit*, etc. RAB. Sic Christus prius in gentibus clarificatus est, quando Synagogam sibi copularet, et prius in gentibus immunditiam resecurit. *Cum enim plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israël salvus fiet* Rom. 11..

Philisthinorum. A principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat David quam omnes servi Saul, et celebre factum est nomen ejus nimis.

19 Locutus est autem Saul ad Jonathan filium suum, et ad omnes servos suos, ut occiderent David. Porro Jonathas filius Saul diligebat David valde: ² et indicavit Jonathas David, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter observa te, quæso, mane: et manebis clam, et absconderis. ³ Ego autem egrediens stabo juxta patrem meum in agro, ubicumque fueris: et ego loquar de te ad patrem meum, et quodcumque videro, nuntiabo tibi. ⁴ Locutus est ergo Jonathas de David bona ad Saul patrem suum: dixitque ad eum: Ne pecces rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde. ⁵ Et posuit animam suam in manu sua, et percussit Philisthæum, et fecit Dominus salutem magnam universo Israël: vidisti, et lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa? ⁶ Quod cum audisset Saul, placatus voce Jonathæ, juravit: Vivit Dominus, quia non occidetur. ⁷ Vocavit itaque Jonathas David, et indicavit ei omnia verba hæc: et introduxit Jonathas David ad Saul, et fuit ante eum sicut fuerat heri et nudiustertius. ⁸ Motum est autem rursum bellum: et egressus David, pugnavit adversum Philistiim: percussitque eos plaga magna, et fugerunt a facie ejus. ⁹ Et factus est spiritus Domini malus in Saul: sedebat autem in domo sua, et tenebat lanceam: porro David psallebat manu sua. ¹⁰ Nisusque est Saul configere David lancea in pariete, et declinavit David a facie Saul: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, et David fugit, et salvatus est nocte illa. ¹¹ Misit ergo Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, et interficeretur mane. Quod cum annuntiasset David Michol uxor sua, dicens: Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris: ¹² deposuit eum per fenestram. Porro ille abiit et aufugit, atque salvatus est. ¹³ Tulit autem Michol statuam, et posuit eam super lectum, et pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, et operuit eam vestimentis. ¹⁴ Misit autem Saul apparitores, qui raperent David: et responsum est quod ægrotaret. ¹⁵ Rursumque misit Saul nuntios ut viderent David, dicens: Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur. ¹⁶ Cumque venissent nuntii, inventum est simulacrum super lectum, et pellis caprarum ad caput ejus. ¹⁷ Dixitque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, et dimisisti inimicum meum ut fugeret? Et respondit Michol ad Saul: Quia ipse locutus est mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te. ¹⁸ David autem fugiens salvatus est, et venit ad Samuel in Ramatha, et nuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saul: et abierunt ipse et Samuel, et morati sunt in Najoth. ¹⁹ Nuntiatum est autem Sauli a dicentibus: Ecce David in Najoth in Ramatha. ²⁰ Misit ergo Saul lictores, ut raperent David: qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, et Samuelem stantem super eos,

⁴19.3 *In agro*, etc. Quo consolandi causa venire consueverat, ubi occidi David conductum fuerat.

¹¹19.11 *Misit ergo*. RAB. Hoc non ad crucem Christi, sed ad passionem pertinet, etc., usque ad quasi peccatorem persequuntur.

¹³19.13 *Pellem*. Inde pulvillus consutus fuit qui, intonsis pilis, caput involuti hominis in lecto mentiretur.

¹⁸19.18 *In Ramatha*. Civitas Saulis est in tribu Benjamin in sexto milliario ab Helia ad septentrionalem plagam contra Bethel, alia Ramatha est in tribu Aser. Bene conveniunt hæc nomina rebus gestis ipsis, quia prophetarum dicta et celsitudinem habent scientiæ et venustatem eloquentiæ.

factus est etiam spiritus Domini in illis, et prophetare cœperunt etiam ipsi. ²¹ Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit et alios nuntios: prophetaverunt autem et illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios: qui et ipsi prophetaverunt. Et iratus iracundia Saul, [†] ²² abiit etiam ipse in Ramatha, et venit usque ad cisternam magnam quæ est in Socho, et interrogavit, et dixit: In quo loco sunt Samuel et David? Dictumque est ei: Ecce in Najoth sunt in Ramatha. ²³ Et abiit in Najoth in Ramatha, et factus est etiam super eum spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat usque dum veniret in Najoth in Ramatha. ²⁴ Et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis, et prophetavit cum ceteris coram Samuele, et cecidit nudus tota die illa et nocte. Unde et exivit proverbium: Num et Saul inter prophetas?[‡]

20 Fugit autem David de Najoth, quæ est in Ramatha, veniensque locutus est coram Jonatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, et quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam? ² Qui dixit ei: Absit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum, nisi prius indicaverit mihi: hunc ergo celavit me pater meus sermonem tantummodo? nequaquam erit istud. ³ Et juravit rursum Davidi. Et ille ait: Scit profecto pater tuus quia inveni gratiam in oculis tuis, et dicet: Nesciat hoc Jonathas, ne forte tristetur. Quinimmo vivit Dominus, et vivit anima tua, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu ego morsque dividimur. ⁴ Et ait Jonathas ad David: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi. ⁵ Dixit autem David ad Jonathan: Ecce calendæ sunt crastino, et ego ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum: dimitte ergo me ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ. ⁶ Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogavit me David ut iret celeriter in Bethlehem civitatem suam, quia victimæ solemnes ibi sunt universis contribulibus suis. ⁷ Si dixerit: Bene: pax erit servo tuo. Si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia ejus. ⁸ Fac ergo misericordiam in servum tuum, quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti: si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, et ad patrem tuum ne introducas me. ⁹ Et ait Jonathas: Absit hoc a te: neque enim fieri potest, ut si certe cognovero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi. ¹⁰ Responditque David ad Jonathan: Quis renuntiabit mihi, si quid forte responderit tibi pater tuus dure de me? ¹¹ Et ait Jonathas ad David: Veni, et egrediamur foras in agrum. Cumque exissent ambo in agrum, ¹² ait Jonathas ad David: Domine Deus Israël, si investigavero sententiam patris mei crastino vel perendie, et aliquid boni fuerit super David, et non

[†]19.21 *Misit tertios*, etc. *Abiit*, etc. RAB. Saul quoque et nuntii ejus Judæos significant, qui dum adversari Christo cupiunt, habent in ore sacramenta legis, et prophetarum ad Christi testimonium, et cum Ecclesia quasi cum prophetis de Scripturis disputant, sicut illi cum prophetis prophetabant.

[‡]19.24 *Prophetavit*. Isti prophetæ religiosi viri erant, dicti Nazareni, qui non bibebant vinum, et vacabant semper canentes hymnos et psalmos. *Nudus*. Et Judæi fide atque sacerdotio et regno nudati, legem et prophetas in ore habent. *Num et Saul*. Proverbium dicitur, quod in ore loquentium sæpe versatur. Mira enim res videbatur, hominem tam profanum prophetare. Et nos cum inscios videmus docere, recte dicimus, *Num et Saul inter prophetas?* RAB. Magna quæstio hic oritur, etc., usque ad sed regalibus tantum intelligendum est. ID. Item quæritur, etc., usque ad quanto illis donis non bene usi sunt.

⁴20.3 *Uno tantum*. RAB. Gradum vocat parietem, quo medio inter se et hostes, per domus fenestram evasit, ubi erant obsidentes.

statim misero ad te, et notum tibi fecero, ¹³ hęc faciat Dominus Jonathę, et hęc addat. Si autem perseveraverit patris mei malitia adversum te, revelabo aures tuas, et dimittam te, ut vadas in pace, et sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo. ¹⁴ Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini: si vero mortuus fuero, ¹⁵ non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum, quando eradicaverit Dominus inimicos David, unumquemque de terra: auferat Jonathan de domo sua, et requirat Dominus de manu inimicorum David. ¹⁶ Pepigit ergo Jonathas fędus cum domo David: et requisivit Dominus de manu inimicorum David. ¹⁷ Et addidit Jonathas dejerare David, eo quod diligeret illum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum. ^{**}

¹⁸ Dixitque ad eum Jonathas: Cras calendę sunt, et requireris: ¹⁹ requiretur enim sessio tua usque perendie. Descendes ergo festinus, et venies in locum ubi celandus es in die qua operari licet, et sedebis juxta lapidem cui nomen est Ezel. ²⁰ Et ego tres sagittas mittam juxta eum, et jaciam quasi exercens me ad signum. ²¹ Mittam quoque et puerum, dicens ei: Vade, et affer mihi sagittas. ²² Si dixerit puero: Ecce sagittę intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, et nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittę ultra te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus. ²³ De verbo autem quod locuti sumus ego et tu, sit Dominus inter me et te usque in sempiternum. ²⁴ Absconditus est ergo David in agro, et venerunt calendę, et sedit rex ad comedendum panem. ²⁵ Cumque sedisset rex super cathedram suam (secundum consuetudinem) quę erat juxta parietem, surrexit Jonathas, et sedit Abner ex latere Saul: vacuusque apparuit locus David. ²⁶ Et non est locutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim quod forte evenisset ei, ut non esset mundus, nec purificatus. ²⁷ Cumque illuxisset dies secunda post calendaras, rursus apparuit vacuus locus David. Dixitque Saul ad Jonathan filium suum: Cur non venit filius Isai nec heri nec hodie ad vescendum? ²⁸ Responditque Jonathas Sauli: Rogavit me obnixę ut iret in Bethlehem, ²⁹ et ait: Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in civitate, unus de fratribus meis accersivit me: nunc ergo si inveni gratiam in oculis tuis, vadam cito, et videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis. ³⁰ Iratus autem Saul adversum Jonathan, dixit ei: Fili mulieris virum ultro rapięntis, numquid ignoro quia diligis filium Isai in confusionem tuam, et in confusionem ignominiosę matris tuę? ³¹ Omnibus enim diebus quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque jam nunc mitte, et adduc eum ad me: quia filius mortis est. ³² Respondens autem Jonathas Sauli patri suo, ait: Quare morietur? quid fecit? ³³ Et arripuit Saul lanceam ut percuteret eum. Et intellexit Jonathas quod definitum esset a patre suo, ut interficeret David. ³⁴ Surrexit ergo Jonathas a mensa in ira furoris, et non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super David, eo quod confudisset eum pater

§20.16 *Et requisivit.* ID. Prolepsis est, id est, anticipatio, etc., usque ad sed Domino pro illo vindicante.

**20.17 *Et addidit.* ID. Ut a perditione inimicorum David ostenderetur immunis, quia diligebat eum secundum legem Dei. Qui etsi morte pręventus regnum terrenum cum eo sicut sperabat habere non potuit, absque ulla dubitatione regni cęlestis consortium cum eo quem pro virtutibus diligebat, cum esset et ipse vir, virtutum accepit. *Nunquid:* quasi dicat, Amas inimicum meum adversans mihi, in quo ostendis adulterino te conceptum concubitu. Nam legitime nati arctius amant patres. RAB. Quid est quod Jonathas volens servare David, etc., usque ad sed quem Moses et prophetę prędixerant ignorabat.

suus. ³⁵ Cumque illuxisset mane, venit Jonathas in agrum juxta placitum David, et puer parvulus cum eo. ³⁶ Et ait ad puerum suum: Vade, et affer mihi sagittas quas ego jacio. Cumque puer cucurrisset, jecit aliam sagittam trans puerum. ³⁷ Venit itaque puer ad locum jaculi quod miserat Jonathas: et clamavit Jonathas post tergum pueri, et ait: Ecce ibi est sagitta porro ultra te. ³⁸ Clamavitque iterum Jonathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Jonathæ sagittas, et attulit ad dominum suum: ³⁹ et quid ageretur, penitus ignorabat, tantummodo enim Jonathas et David rem noverant. ⁴⁰ Dedit ergo Jonathas arma sua puero, et dixit ei: Vade, et defer in civitatem. ⁴¹ Cumque abiisset puer, surrexit David de loco qui vergebat ad austrum, et cadens pronus in terram, adoravit tertio: et osculantes se alterutrum, fleverunt pariter, David autem amplius. ⁴² Dixit ergo Jonathas ad David: Vade in pace: quæcumque juravimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me et te, et inter semen meum et semen tuum usque in sempiternum. ⁴³ Et surrexit David, et abiit: sed et Jonathas ingressus est civitatem.

21 Venit autem David in Nobæ ad Achimelech sacerdotem: et obstupuit Achimelech, eo quod venisset David. Et dixit ei: Quare tu solus, et nullus est tecum?†† ² Et ait David ad Achimelech sacerdotem: Rex præcepit mihi sermonem, et dixit: Nemo sciat rem propter quam missus es a me, et cujusmodi præcepta tibi dederim: nam et pueris condixi in illum et illum locum. ³ Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris. ⁴ Et respondens sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus? ⁵ Et respondit David sacerdoti, et dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri et nudius tertius quando egrediebamur, et fuerunt vasa puerorum sancta. Porro via hæc polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis.‡‡ ⁶ Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem: neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublatis fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi.¶¶ ⁷ Erat autem ibi vir quidam de servis Saul in die illa, intus in tabernaculo Domini: et nomen ejus Doëg Idumæus, potentissimus pastorum Saul. §§ ⁸ Dixit autem David ad Achimelech: Si habes hic ad manum hastam aut gladium? quia gladium meum et arma mea non tuli mecum: sermo enim regis urgebat. ⁹ Et dixit sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in Valle terebinthi: est involutus pallio post ephod: si istum vis tollere, tolle: neque enim hic est alius absque eo. Et ait David: Non est huic alter similis: da mihi eum. ¹⁰ Surrexit itaque David, et fugit in die illa a facie Saul: et venit ad Achis regem Geth. ¹¹ Dixeruntque servi Achis ad eum cum vidissent David: Numquid non iste est David

††21.1 *Achimelech*. RAB. Id est, *frater meus rex*, etc., usque ad apostoli a contagione Judæorum fide sanctificati sunt.

‡‡21.5 *Via*. ID. In Hebræo, etc., usque ad et periculo vitæ urgente non vesceretur eis.

¶¶21.6 *Dedit ergo*. ID. Quantum ad prophetiam pertinet, etc., usque ad unde: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* Joan. 15..

§§21.7 *In tabernaculo Domini*. RAB. In Heb. *obligatus in conspectu Domini*, forte enim voverat, quia aliquot diebus in tabernaculo Domini moraretur et vacaret orationibus. *Doëg Idumæus*. ID. Qui camelorum, id est, infructuosi gregis et tortuosi custos erat, etc., usque ad quia nemo potest nocere Christo sacerdotum principi, *qui victor cælos ascendit*. RAB. ex Isid. Achis interpretatur, etc., usque ad intus divina virtus, tanquam barba latebat.

rex terræ? nonne huic cantabant per choros, dicentes: [Percussit Saul mille, et David decem millia?] ¹² Posuit autem David sermones istos in corde suo, et extimuit valde a facie Achis regis Geth. ¹³ Et immutavit os suum coram eis, et collabebatur inter manus eorum: et impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam. ¹⁴ Et ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? ¹⁵ an desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, ut fureret me præsentem? hiccine ingredietur domum meam?

22 Abiit ergo David inde, et fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres ejus, et omnis domus patris ejus, descenderunt ad eum illum. ^{*} ² Et convenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo: et factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri. [†] ³ Et profectus est David inde in Maspha, quæ est Moab: et dixit ad regem Moab: Maneat, oro, pater meus et mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus. ⁴ Et reliquit eos ante faciem regis Moab: manseruntque apud eum cunctis diebus quibus David fuit in præsidio. ⁵ Dixitque Gad propheta ad David: Noli manere in præsidio: proficiscere, et vade in terram Juda. Et profectus est David, et venit in saltum Haret. [‡] ⁶ Et audivit Saul quod apparuisset David, et viri qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, et esset in nemore quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique servi ejus circumstarent eum, ⁷ ait ad servos suos qui assistebant ei: Audite nunc, filii Jemini: numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros et vineas, et universos vos faciet tribunos et centuriones? ⁸ quoniam conjurastis omnes adversum me, et non est qui mihi renuntiet, maxime cum et filius meus foedus inierit cum filio Isai. Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi: eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me, insidiantem mihi usque hodie. ⁹ Respondens autem Doëg Idumæus, qui assistebat, et erat primus inter servos Saul: Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimelech filium Achitob sacerdotem. ¹⁰ Qui consuluit pro eo Dominum, et cibaria dedit ei: sed et gladium Goliath Philisthæi dedit illi. ¹¹ Misit ergo rex ad accersendum Achimelech sacerdotem filium Achitob, et omnem domum patris ejus, sacerdotum qui erant in Nobe, qui universi venerunt ad regem. ¹² Et ait Saul ad Achimelech: Audi, fili Achitob. Qui respondit: Præsto sum, domine. ¹³ Dixitque ad eum Saul: Quare conjurastis

^{*}22.1 *Quod cum.* RAB. Significavit quod Redemptor noster, peracta passione et redemptione humani generis, de Israëlita plebe in Judæa primum Ecclesiam collocavit, de qua et carnem sumpsit. Ubi fratres ejus, id est, apostoli et domus patris ejus, id est, qui crediderunt ex Judæis, venerunt ad illum, et convenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti, etc. Quibus scilicet, ait: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* Matth. 11..

[†]22.2 *Ære alieno.* ID. Censu scilicet peccatorum quem diabolo persolvunt, dum exhibent membra servire iniquitati ad iniquitatem; necesse est ut tales in amaritudine animi poenitentiam agant, et ad David veniant, id est, ad Christum cunctis gentibus desideratum, ut fiat eorum princeps. *Ipse est enim iudex vivorum et mortuorum, et princeps pacis, cujus regni non erit finis.*

[‡]22.5 *Dixitque Gad.* ID. De improvviso Gad inducitur. Nulla enim fit mentio ejus in præcedentibus, sicut et Elias, ubi dicitur: *Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad* III Reg. 17.. Ex ore igitur Domini Gad propheta dixit ad David, ut non moraretur inter gentes in terra polluta, sed in terram Judæa redeat, ubi juxta voluntatem Domini persecutionem sustineat.

adversum me, tu et filius Isai, et dedisti ei panes et gladium, et consuluisti pro eo Deum, ut consurgeret adversum me, insidiator usque hodie permanens? ¹⁴ Respondensque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus servis tuis sicut David, fidelis, et gener regis, et pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tua? ¹⁵ num hodie cœpi pro eo consulere Deum? absit hoc a me: ne suspicetur rex adversum servum suum rem hujuscemodi, in universa domo patris mei: non enim scivit servus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum vel grande. ¹⁶ Dixitque rex: Morte morieris Achimelech, tu et omnis domus patris tui. ¹⁷ Et ait rex emissariis qui circumstant eum: Convertimini, et interficite sacerdotes Domini, nam manus eorum cum David est: scientes quod fugisset, et non indicaverunt mihi. Noluerunt autem servi regis extendere manus suas in sacerdotes Domini. ¹⁸ Et ait rex ad Doëg: Convertere tu, et irruere in sacerdotes. Conversusque Doëg Idumæus, irruit in sacerdotes, et trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo. ¹⁹ Nobe autem civitatem sacerdotum percussit in ore gladii, viros et mulieres, et parvulos et lactentes, bovemque, et asinum, et ovem in ore gladii. ²⁰ Evadens autem unus filius Achimelech filii Achitob, cujus nomen erat Abiathar, fugit ad David, ²¹ et annuntiavit ei quod occidisset Saul sacerdotes Domini. ²² Et ait David ad Abiathar: Sciebam in die illa quod cum ibi esset Doëg Idumæus, procul dubio annuntiaret Sauli: ego sum reus omnium animarum patris tui. ²³ Mane mecum: ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret et animam tuam, mecumque servaberis.

23 Et annuntiaverunt David, dicentes: Ecce Philistiim oppugnant Ceilam et diripiunt areas. ² Consuluit ergo David Dominum, dicens: Num vadam, et percutiam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad David: Vade, et percuties Philisthæos, et Ceilam salvabis. ³ Et dixerunt viri qui erant cum David ad eum: Ecce nos hic in Judæa consistentes timemus: quanto magis si ierimus in Ceilam adversum agmina Philistinorum? ⁴ Rursum ergo David consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge, et vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthæos in manu tua. ⁵ Abiit ergo David et viri ejus in Ceilam, et pugnavit adversum Philisthæos: et abegit jumenta eorum, et percussit eos plaga magna: et salvavit David habitatores Ceilæ. ⁶ Porro eo tempore quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad David in Ceilam, ephod secum habens descenderat. ⁷ Nuntiatum est autem Sauli quod venisset David in Ceilam: et ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est introgressus urbem, in qua portæ et seræ sunt. ⁸ Et præcepit Saul omni populo ut ad pugnam descenderet in Ceilam, et obsideret David et viros ejus. ⁹ Quod cum David rescisset quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica ephod. ¹⁰ Et ait David: Domine Deus Israël, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me: ¹¹ si tradent me viri Ceilæ in manus ejus? et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israël, indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet. ¹² Dixitque David: Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent. ¹³ Surrexit ergo David

[¶]23.11 *Descendet.* RAB. Si hic steteris descendet Saul, et tradent te viri Ceilæ in manus ejus: ergo voluntatem eorum indicavit. Viri autem Ceilæ ingrati beneficiis David, quos de manibus Philistinorum liberavit, Judæorum infidelitatem significant et inconstantiam qui Redemptori suo ingrati apud sæculi potestates insidiantur. Ceila autem interpretatur *ad fundam jacta*, vel *excellens sibimet*. *In circuitu impij ambulant* Psal. 11.. Et, *Stultus ut luna mutatur* Eccli. 27..

et viri ejus quasi sexcenti, et egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nuntiatumque est Sauli quod fugisset David de Ceila, et salvatus esset: quam ob rem dissimulavit exire. ¹⁴ Morabatur autem David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus, et non tradidit eum Deus in manus ejus.[§] ¹⁵ Et vidit David quod egressus esset Saul ut quæreret animam ejus. Porro David erat in deserto Ziph in silva. ¹⁶ Et surrexit Jonathas filius Saul, et abiit ad David in silvam, et confortavit manus ejus in Deo: dixitque ei: ¹⁷ Ne timeas: neque enim inveniet te manus Saul patris mei, et tu regnabis super Israël, et ego ero tibi secundus: sed et Saul pater meus scit hoc. ¹⁸ Percussit ergo uterque fœdus coram Domino: mansitque David in silva, Jonathas autem reversus est in domum suam. ¹⁹ Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce David latitat apud nos in locis tutissimis silvæ, in colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti? ²⁰ Nunc ergo, sicut desideravit anima tua ut descenderes, descende: nostrum autem erit ut tradamus eum in manus regis. ²¹ Dixitque Saul: Benedicti vos a Domino, quia doluistis vicem meam. ²² Abite ergo, oro, et diligentius præparate, et curiosius agite, et considerate locum ubi sit pes ejus, vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quod callide insidiet ei. ²³ Considerate, et videte omnia latibula ejus in quibus absconditur: et revertimini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum. Quod si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Juda. ²⁴ At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: David autem et viri ejus erant in deserto Maon, in campestribus ad dexteram Jesimon. ²⁵ Ivit ergo Saul et socii ejus ad quærendum eum. Et nuntiatum est David: statimque descendit ad petram, et versabatur in deserto Maon: quod cum audisset Saul, persecutus est David in deserto Maon. ²⁶ Et ibat Saul ad latus montis ex parte una: David autem et viri ejus erant in latere montis ex parte altera. Porro David desperabat se posse evadere a facie Saul: itaque Saul et viri ejus in modum coronæ cingebant David et viros ejus, ut caperent eos. ²⁷ Et nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, et veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram. ²⁸ Reversus est ergo Saul desistens persequi David, et perrexit in occursum Philisthinorum: propter hoc vocaverunt locum illum, Petram dividentem.

24 Ascendit ergo David inde: et habitavit in locis tutissimis Engaddi. ² Cumque reversus esset Saul, postquam persecutus est Philisthæos, nuntiaverunt ei, dicentes: Ecce David in deserto est Engaddi. ³ Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israël, perrexit ad investigandum David et viros ejus, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus perviæ sunt. ⁴ Et venit ad caulas ovium, quæ se offerebant vianti: eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul ut purgaret ven-

§23.14 *Ziph*. RAB. Apud se latitantem David Sauli prodiderunt, et cum eo de morte ejus tractaverunt. Ziphæi autem *florentes* vel *germinantes* interpretantur, et significant eos Judæos, qui florem terreni regni appetentes, cum principibus suis de nece Christi tractaverunt, quomodo eum per discipulum suum perditum apprehenderent, et præsi ad interficiendum traderent; et florentes sæculi Christum in membris, potestates scilicet hujus mundi produunt.

trem: porro David et viri ejus in interiore parte speluncae latebant.** ⁵ Et dixerunt servi David ad eum: Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, et praecidit oram chlamydis Saul silenter. ⁶ Post haec percussit cor suum David, eo quod abscondisset oram chlamydis Saul. ⁷ Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo Domini, ut mittam manum meam in eum: quia christus Domini est. ⁸ Et confregit David viros suos sermonibus, et non permisit eos ut consurgerent in Saul: porro Saul exurgens de spelunca, pergebat coepto itinere. ⁹ Surrexit autem et David post eum: et egressus de spelunca, clamavit post tergum Saul, dicens: Domine mi rex. Et respexit Saul post se: et inclinans se David pronus in terram adoravit, ¹⁰ dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium: David quaerit malum adversum te? ¹¹ Ecce hodie viderunt oculi tui quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: et cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus: dixi enim: Non extendam manum meam in dominum meum, quia christus Domini est. ¹² Quin potius pater mi, vide, et cognosce oram chlamydis tuae in manu mea: quoniam cum praescinderem summitatem chlamydis tuae, nolui extendere manum meam in te: animadvertite, et vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te: tu autem insidiaris animae meae ut auferas eam. ¹³ Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te. ¹⁴ Sicut et in proverbio antiquo dicitur: Ab impiis egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te. ¹⁵ Quem persequeris, rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, et pulicem unum. ¹⁶ Sit Dominus iudex, et judicet inter me et te: et videat, et judicet causam meam, et eruat me de manu tua. ¹⁷ Cum autem complisset David loquens sermones hujusmodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox haec tua est, fili mi David? Et levavit Saul vocem suam, et flevit: ¹⁸ dixitque ad David: Justior tu es quam ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. ¹⁹ Et tu indicasti hodie quae feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, et non occideris me. ²⁰ Quis enim cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo quod hodie operatus es in me. ²¹ Et nunc quia scio quod certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua regnum Israel: ²² jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. ²³ Et juravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam: et David et viri ejus ascenderunt ad tutiora loca.

25 Mortuus est autem Samuel, et congregatus est universus Israel, et planxerunt eum, et sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgensque David de-

**24.4 *Eratque ibi*, etc. RAB. ex Euch. Rex ex improvisis exceptus insidiis, etc., usque ad ait Samuel: *Dirupit Dominus regnum Israel de manu tua*. GREG., Moral., tom. 2. Quid per Saul, nisi mali rectores? etc., usque ad unde Moyses cum contra se et Aaron populum conqueri cognovisset, ait: *Nos enim quid sumus* Exod. 16.? *Vivit*, etc. Defectiva litterae Josephus supplet: qui erant cum eo redarguebant eum. Servabat enim inimicum qui volebat delere eum, et sedavit eos, dicens: *Vivit Dominus*, etc.

scendit in desertum Pharan.^{††} ²Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, et possessio ejus in Carmelo, et homo ille magnus nimis: erantque ei oves tria millia, et mille capræ: et accidit ut tonderetur grex ejus in Carmelo. ³Nomen autem viri illius erat Nabal. Et nomen uxoris ejus Abigail: eratque mulier illa prudentissima, et speciosa: porro vir ejus durus, et pessimus, et malitiosus: erat autem de genere Caleb.^{‡‡} ⁴Cum ergo audisset David in deserto quod tonderet Nabal gregem suum, ⁵misit decem juvenes, et dixit eis: Ascendite in Carmelum, et venietis ad Nabal, et salutabitis eum ex nomine meo pacifice. ⁶Et dicetis: Sit fratribus meis et tibi pax, et domui tuæ pax, et omnibus, quæcumque habes, sit pax. ⁷Audivi quod tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto: numquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo. ⁸Interroga pueros tuos, et indicabunt tibi. Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus: quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis, et filio tuo David. ⁹Cumque venissent pueri David, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine David: et siluerunt. ¹⁰Respondens autem Nabal pueris David, ait: Quis est David? et quis est filius Isai? hodie increverunt servi qui fugiunt dominos suos. ¹¹Tollam ergo panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum quæ occidi tonsoribus meis, et dabo viris quos nescio unde sint? ¹²Regressi sunt itaque pueri David per viam suam, et reversi venerunt, et nuntiaverunt ei omnia verba quæ dixerat. ¹³Tunc ait David pueris suis: Accingatur unusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est et David ense suo: et secuti sunt David quasi quadringenti viri: porro ducenti remanserunt ad sarcinas. ¹⁴Abigail autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris suis, dicens: Ecce David misit nuntios de deserto, ut benedicerent domino nostro: et aversatus est eos. ¹⁵Homines isti boni satis fuerant nobis, et non molesti: nec quidquam aliquando periit omni tempore quo fuimus conversati cum eis in deserto: ¹⁶pro muro erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus quibus pavimus apud eos greges. ¹⁷Quam ob rem considera, et recogita quid facias: quoniam completa est malitia adversum virum tuum, et adversum domum tuam, et ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui. ¹⁸Festinavit igitur Abigail, et tulit ducentos panes, et duos utres vini, et quinque arietes coctos, et quinque sata polentæ, et centum ligaturas uvæ passæ, et ducentas massas caricarum, et posuit super asinos:^{¶¶} ¹⁹dixitque pueris suis: Præcedite me: ecce ego post tergum sequar vos: viro autem suo Nabal non indicavit. ²⁰Cum ergo ascendisset asinum, et descenderet ad radices montis, David et viri ejus descendebant in occursum ejus: quibus et illa occurrit. ²¹Et ait David: Vere frustra servavi omnia quæ hujus erant in deserto, et non periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant:

^{††}25.1 *Pharan*. RAB. in lib. Reg., tom. 2. Oppidum est in Arabia vicinum Saracenis, qui in solitudine erant: per hoc transierunt filii Israël, cum de monte Sinai castra movissent. Est autem contra australem plagam, et distat ab Haila contra Orientem itinere dierum trium. In deserto Pharan memorat Scriptura habitasse Ismælem, a quo Ismælitæ, qui nunc Saraceni dicuntur. Legimus et Chodorlaomor percussisse eos qui erant in deserto Pharan.

^{‡‡}25.3 *Nabal*, etc. RAB., ibid. Vir durus et pessimus, etc., usque ad unde: *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente* Luc. 15..

^{¶¶}25.18 *Sata*. Satum est genus mensuræ continens modium et semis Polenta est accuratissima farina. Uva passa dicitur quæ priusquam maturescat ad solem diu exsiccat, et sic servatur. Massas caricarum, id est, ligaturas de fructibus ficorum.

et reddidit mihi malum pro bono. ²² Hæc faciat Deus inimicis David, et hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent usque mane mingentem ad parietem. ²³ Cum autem vidisset Abigail David, festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram, ²⁴ et cecidit ad pedes ejus, et dixit: In me sit, domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, et audi verba famulæ tuæ. ²⁵ Ne ponat, oro, dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quoniam secundum nomen suum stultus est, et stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti. ²⁶ Nunc ergo, domine mi, vivit Dominus, et vivit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, et salvavit manum tuam tibi: et nunc fiant sicut Nabal inimici tui, et qui quærent domino meo malum. ²⁷ Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo, et da pueris qui sequuntur te dominum meum. ²⁸ Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris: malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. ²⁹ Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, et quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum: porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu et circulo fundæ. ^{§§} ³⁰ Cum ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia quæ locutus est bona de te, et constituerit te ducem super Israël, ³¹ non erit tibi hoc in singultum, et in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innocium, aut ipse te ultus fueris: et cum benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ. ³² Et ait David ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit hodie te in occursum meum, et benedictum eloquium tuum, ³³ et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea. ³⁴ Alioquin vivit Dominus Deus Israël, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam mingens ad parietem. ³⁵ Suscepit ergo David de manu ejus omnia quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacifice in domum tuam: ecce audivi vocem tuam, et honoravi faciem tuam. ³⁶ Venit autem Abigail ad Nabal: et ecce erat ei convivium in domo ejus quasi convivium regis, et cor Nabal jucundum: erat enim ebrius nimis: et non indicavit ei verbum pusillum aut grande usque mane. ³⁷ Diluculo autem cum digessisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba hæc: et emortuum est cor ejus intrinsecus, et factus est quasi lapis.* ³⁸ Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, et mortuus est. ³⁹ Quod cum audisset David mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui judicavit causam opprobrii mei de manu Nabal, et servum suum custodivit a malo, et malitiam Nabal reddidit Dominus in caput ejus. Misit ergo David, et locutus est ad Abigail, ut sumeret eam sibi in uxorem. ⁴⁰ Et venerunt pueri David ad Abigail in Carmelum, et locuti sunt ad eam, dicentes: David misit nos

§§25.29 *Erit anima*, etc. RAB., ex Euch. Pulcherrima comparatione, etc., usque ad vel de rebus humanis ablati sunt.

*25.37 *Cum digessisset*. GREG. Iracundos melius corrigimus, si in ipsa iræ commotione declinamus; perturbati enim, quid audiant, ignorant. Sed cum a se redeunt, tanto libentius exhortationis verba recipiunt, quanto se tranquillius tolerari erubescunt. Menti autem furore ebriæ omne rectum quod dicitur, perversum videtur: unde et Nabal ebrio culpam suam Abigail laudabiliter tacuit, quam digesto vino laudabiliter dixit. Malum enim quod fecerat nocere potuit, quia ebrius non audivit.

ad te, ut accipiat te sibi in uxorem. ⁴¹ Quæ consurgens, adoravit prona in terram, et ait: Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei. ⁴² Et festinavit, et surrexit Abigail, et ascendit super asinum, et quinque puellæ ierunt cum ea, pedissequæ ejus, et secuta est nuntios David: et facta est illi uxor. ⁴³ Sed et Achinoam accepit David de Jezraël: et fuit utraque uxor ejus. ⁴⁴ Saul autem dedit Michol filiam suam, uxorem David, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.†

26 Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce David absconditus est in colle Hachila, quæ est ex adverso solitudinis.‡ ² Et surrexit Saul, et descendit in deserto Ziph, et cum eo tria millia virorum de electis Israël, ut quæreret David in deserto Ziph. ³ Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachila, quæ erat ex adverso solitudinis in via: David autem habitabat in deserto. Videns autem quod venisset Saul post se in desertum, ⁴ misit exploratores, et didicit quod illuc venisset certissime. ⁵ Et surrexit David clam, et venit ad locum ubi erat Saul: cumque vidisset locum in quo dormiebat Saul, et Abner filius Ner, princeps militiæ ejus, et Saulem dormientem in tentorio, et reliquum vulgus per circuitum ejus, ⁶ ait David ad Achimelech Hethæum, et Abisai filium Sarviæ fratrem Joab, dicens: Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixitque Abisai: Ego descendam tecum. ⁷ Venerunt ergo David et Abisai ad populum nocte, et invenerunt Saul jacentem et dormientem in tentorio, et hastam fixam in terra ad caput ejus: Abner autem et populum dormientes in circuitu ejus. ⁸ Dixitque Abisai ad David: Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit. ⁹ Et dixit David ad Abisai: Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit? ¹⁰ Et dixit David: Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit: ¹¹ propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in christum Domini. Nunc igitur tolle hastam quæ est ad caput ejus, et scyphum aquæ, et abeamus. ¹² Tulit igitur David hastam, et scyphum aquæ qui erat ad caput Saul, et abierunt: et non erat quisquam qui videret, et intelligeret, et evigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos. ¹³ Cumque transisset David ex adverso, et stetisset in vertice montis de longe, et esset grande intervallum inter eos, ¹⁴ clamavit David ad populum, et ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondebis, Abner? Et respondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, et inquietas regem? ¹⁵ Et ait David ad Abner: Numquid non vir tu es? et quis alius similis tui in Israël? quare ergo non custodisti dominum tuum regem? ingressus est enim unus de turba ut interficeret regem dominum tuum. ¹⁶ Non est bonum hoc, quod fecisti: vivit Dominus, quoniam filii mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum, christum Domini: nunc ergo vide ubi sit hasta regis, et ubi sit scyphus aquæ qui erat ad caput ejus. ¹⁷ Cog-

†25.44 *Phalti filio*. RAB. Sicut tradunt Hebræi, non cognovit eam Phalti, quia si cognovisset, David postea non recepisset eam, quia in lege prohibetur. Phalti enim de Gallim erat, id est de mundatione, id est de lege. Legis enim doctor erat de Baurim, id est de electis, quando Michol ei datur. Phalti enim vadens dicitur. quando aufertur; Phaltiel, id est evadens a Deo dicitur: quia custodivit eum ne tangeret eam, ne fieret transgressor legis: tamen secutus est eam plorans usque Baurim præ gaudio, quia non tetigerat eam.

‡26.1 *Et venerunt Ziphæi*, etc., *Dormientem*, etc. RAB. in lib. Reg., tom. 2. Persequuntur Judæi Christum, etc., usque ad altitudinem cœli conscendit.

novit autem Saul vocem David, et dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi David? Et ait David: Vox mea, domine mi rex. ¹⁸ Et ait: Quam ob causam dominus meus persecuitur servum suum? quid feci? aut quod est malum in manu mea? ¹⁹ Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba servi tui: si Dominus incitat te adversum me, odoratur sacrificium: si autem filii hominum, maledicti sunt in conspectu Domini qui ejecerunt me hodie ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, servi diis alienis. ²⁰ Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino: quia egressus est rex Israël ut quærat pulicem unum, sicut persequitur perdx in montibus. ²¹ Et ait Saul: Peccavi: revertere, fili mi David: nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod stulte egerim, et ignoraverim multa nimis. ²² Et respondens David, ait: Ecce hasta regis: transeat unus de pueris regis, et tollat eam. ²³ Dominus autem retribuet unicuique secundum justitiam suam et fidem: tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, et nolui extendere manum meam in christum Domini. ²⁴ Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, et liberet me de omni angustia. ²⁵ Ait ergo Saul ad David: Benedictus tu, fili mi David: et quidem faciens facies, et potens poteris. Abiit autem David in viam suam, et Saul reversus est in locum suum.

27 Et ait David in corde suo: Aliquando incidam una die in manus Saul: nonne melius est ut fugiam, et salver in terra Philistinorum, ut desperet Saul, cersetque me quærere in cunctis finibus Israël? fugiam ergo manus ejus. ² Et surrexit David, et abiit ipse, et sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth. ³ Et habitavit David cum Achis in Geth, ipse et viri ejus: vir et domus ejus: et David, et duæ uxores ejus, Achinoam Jezrahelitis, et Abigail uxor Nabal Carmeli. ⁴ Et nuntiatum est Sauli quod fugisset David in Geth, et non addidit ultra quærere eum. ⁵ Dixit autem David ad Achis: Si inveni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in una urbium regionis hujus, ut habitem ibi: cur enim manet servus tuus in civitate regis tecum? ⁶ Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam causam facta est Siceleg regum Juda usque in diem hanc. ⁷ Fuit autem numerus dierum quibus habitavit David in regione Philistinorum, quatuor mensium. ⁸ Et ascendit David et viri ejus, et agebant prædas de Gessuri, et de Gerzi, et de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur usque ad terram Ægypti. ⁹ Et percutiebat David omnem terram, nec relinquebat viventem virum et mulierem: tollensque oves, et boves, et asinos, et camelos, et vestes, revertebatur, et veniebat ad Achis. ¹⁰ Dicebat autem ei Achis: In quem irruisti hodie? Respondebat David: Contra meridiem Judæ, et contra meridiem Jerameel, et contra meridiem Ceni. ¹¹ Virum et mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth, dicens: Ne forte loquantur adversum nos: Hæc fecit David: et hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitavit in regione Philistinorum. ¹² Credidit ergo Achis David, dicens: Multa mala operatus est contra populum suum Israël: erit igitur mihi servus sempiternus.

28 Factum est autem in diebus illis, congregaverunt Philistiim agmina sua, ut præpararentur ad bellum contra Israël: dixitque Achis ad David: Sciens nunc scito quoniam mecum egredieris in castris, tu et viri tui. ² Dixitque David ad Achis:

¹27.8 *Agebant prædas de Gessuri, et de Gerzi*, etc. HIERON., quæst. Hebr. in Reg. Hi pagi non erant sub potestate Achis. Habitati in terra antiquitus dicuntur, quia quieti et securi habitati fuerant, et nullius hostis deprecationes perpassi.

Nunc scies quæ facturus est servus tuus. Et ait Achis ad David: Et ego custodem capitatis mei ponam te cunctis diebus. ³ Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israël, et sepelierunt eum in Ramatha urbe sua. Et Saul abstulit magos et hariolos de terra. ⁴ Congregatique sunt Philisthiim, et venerunt, et castrametati sunt in Sunam: congregavit autem et Saul universum Israël, et venit in Gelboë. ⁵ Et vidit Saul castra Philisthiim, et timuit, et expavit cor ejus nimis. ⁶ Consuluitque Dominum, et non respondit ei neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. ^{**7} Dixitque Saul servis suis: Quærite mihi mulierem habentem pythonem, et vadam ad eam, et sciscitabor per illam. Et dixerunt servi ejus ad eum: Est mulier pythonem habens in Endor. ⁸ Mutavit ergo habitum suum, vestitusque est aliis vestimentis, et abiit ipse, et duo viri cum eo: veneruntque ad mulierem nocte, et ait illi: Divina mihi in pythone, et suscita mihi quem dixeris tibi. ⁹ Et ait mulier ad eum: Ecce, tu nosti quanta fecerit Saul, et quomodo eraserit magos et hariolos de terra: quare ergo insidiaris animæ meæ, ut occidar? ^{††10} Et juravit ei Saul in Domino, dicens: Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem. ¹¹ Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita. ^{‡‡12} Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, et dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? tu es enim Saul. ¹³ Dixitque ei rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra. ¹⁴ Dixitque ei: Qualis est forma ejus? Quæ ait: Vir senex ascendit, et ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul quod Samuel esset, et inclinavit se super faciem suam in terra, et adoravit. ¹⁵ Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me ut suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philisthiim pugnant adversum me, et Deus recessit a me, et exaudire me noluit neque in manu prophetarum, neque per somnia: vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam. ¹⁶ Et ait Samuel: Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te, et transierit ad æmulum tuum? ¹⁷ Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, et scindet regnum tuum de manu tua et dabit illud proximo tuo David: ¹⁸ quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris ejus in Amalec: idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. ¹⁹ Et dabit Dominus etiam Israël tecum in manus Philisthiim: cras autem tu et filii tui mecum eritis: sed et castra Israël tradet Dominus in manus Philisthiim.

§28.3 **Samuel autem.** RAB. in lib. Reg., tom. 2. Samuel superius mortuus legitur: sed causa resurrectionis ejus repetitur, ad damnationem Saulis, qui relicto Deo, contra legem, pythonem consulebat.

28.6 **Consuluitque Dominum. RAB. Sicut Hebræi tradunt, jejunando et orando a Deo petebatur oraculum: et Deus illis per somnia revelabat futura, quod Saul fecisse non legitur. **Neque per sacerdotes.** ID. In Hebr. **Neque perurim,** id est doctrinam, neque per ephod, scilicet quod sacerdos gerebat in pectore, in quo scriptum erat: doctrina et veritas.

††28.9 **Magos.** Magi utuntur sanguine humano, et contactu mortuorum in maleficiis et divinationibus arioli solis verbis, id est incantationibus divinant. Pythius dicitur Apollo harum artium cultor, a quo Pythonissæ, id est divini: hos Saul quasi zelo legis delevit, quia, ut aiunt, a dæmonibus coacti David regem esse futurum præconabantur.

‡‡28.11 **Quem suscitabo.** AUG., epist. ad Simplicianum, tom. 2. Quæris utrum potuerit malignus spiritus excitare animam justī, etc., usque ad ut ad parem conditionem mortis referatur, quod uterque homo fuerit et mori potuerit, jam mortuus mortem vivo prænuntiavit.

²⁰ Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa. ²¹ Ingressa est itaque mulier illa ad Saul (conturbatus enim erat valde), dixitque ad eum: Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, et posui animam meam in manu mea: et audivi sermones tuos, quos locutus es ad me. ²² Nunc igitur audi et tu vocem ancillæ tuæ, et ponam coram te buccellam panis, ut comedens convalescas, et possis iter agere. ²³ Qui renuit, et ait: Non comedam. Coëgerunt autem eum servi sui et mulier, et tandem audita voce eorum surrexit de terra, et sedit super lectum. ²⁴ Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, et festinavit, et occidit eum: tollensque farinam, miscuit eam, et coxit azyma, ²⁵ et posuit ante Saul et ante servos ejus. Qui cum comedissent, surrexerunt, et ambulaverunt per totam noctem illam.

29 Congregata sunt ergo Philistiim universa agmina in Aphec: sed et Israël castrametatus est super fontem qui erat in Jezrahel. ² Et satrapæ quidem Philistiim incedebant in centuriis et millibus: David autem et viri ejus erant in novissimo agmine cum Achis. ³ Dixeruntque principes Philistiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philistiim: Num ignoratis David, qui fuit servus Saul regis Israël, et est apud me multis diebus, vel annis, et non inveni in eo quidquam ex die qua transfugit ad me usque ad diem hanc? ⁴ Irati sunt autem adversus eum principes Philistiim, et dixerunt ei: Revertatur vir iste, et sedeat in loco suo in quo constituisti eum, et non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis adversarius, cum præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris? ⁵ Nonne iste est David, cui cantabant in choris, dicentes: [Percussit Saul in millibus suis, et David in decem millibus suis?]^{¶¶} ⁶ Vocavit ergo Achis David, et ait ei: Vivit Dominus, quia rectus es tu, et bonus in conspectu meo: et exitus tuus, et introitus tuus mecum est in castris: et non inveni in te quidquam mali ex die qua venisti ad me usque in diem hanc: sed satrapis non places. ⁷ Revertere ergo, et vade in pace, et non offendas oculos satraparum Philistiim. ⁸ Dixitque David ad Achis: Quid enim feci, et quid invenisti in me servo tuo, a die qua fui in conspectu tuo usque in diem hanc, ut non veniam et pugnem contra inimicos domini mei regis? ⁹ Respondens autem Achis, locutus est ad David: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei: sed principes Philistinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prælium. ¹⁰ Igitur consurge mane tu, et servi domini tui qui venerunt tecum: et cum de nocte surrexeritis, et cœperit diluescere, pergite. ¹¹ Surrexit itaque de nocte David, ipse et viri ejus, ut proficiscerentur mane, et reverterentur ad terram Philistiim: Philistiim autem ascenderunt in Jezrahel.

30 Cumque venissent David et viri ejus in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, et percusserant Siceleg, et succenderant eam igni.^{§§} ² Et captivas duxerant mulieres ex ea, a minimo usque ad magnum: et non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, et pergebant itinere suo. ³ Cum

^{¶¶}29.5 *Percussit Saul.* Invidentes gloriæ David aiunt eum pugnasse tantum in decem millibus quasi minoris potentiæ, Saul autem in millibus quasi innumerabilibus, nec addunt quot percussit invidentes illorum laudi, vel ne suos terrerent. In vetustissimis libris non habetur millibus: sed tanquam *mille*, et *decem millia* tantum.

^{§§}30.1 *Cumque Amalecitæ.* GREG., lib. XXIX Moral. Considerandum est quid sit quod Amalecitæ Siceleg invadunt et prædam capiunt, etc., usque ad quos communiter mundus habere despexit.

ergo venissent David et viri ejus ad civitatem, et invenissent eam succensam igni, et uxores suas, et filios suos et filias, ductas esse captivas, ⁴levaverunt David et populus qui erat cum eo voces suas, et planxerunt donec deficerent in eis lacrimæ. ⁵Siquidem et duæ uxores David captivæ ductæ fuerant, Achinoam Jezrahelites, et Abigail uxor Nabal Carmeli. ⁶Et contristatus est David valde: volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima uniuscujusque viri super filiis suis et filiabus: confortatus est autem David in Domino Deo suo. ⁷Et ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimelech: Applica ad me ephod. Et applicavit Abiathar ephod ad David. ⁸Et consuluit David Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, et comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, et excuties prædam. ⁹Abiit ergo David, ipse et sexcenti viri qui erant cum eo, et venerunt usque ad torrentem Besor: et lassi quidam substiterunt. ¹⁰Persecutus est autem David ipse, et quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant torrentem Besor. ¹¹Et invenerunt virum ægyptium in agro, et adduxerunt eum ad David: dederuntque ei panem ut comederet, et biberet aquam, ¹²sed et fragmen massæ caricarum, et duas ligaturas uvæ passæ. Quæ cum comedisset, reversus est spiritus ejus, et refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus et tribus noctibus. ¹³Dixit itaque ei David: Cujus es tu? vel unde? et quo pergis? Qui ait: Puer ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius. ¹⁴Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, et contra Judam, et ad meridiem Caleb, et Siceleg succendimus igni. ¹⁵Dixitque ei David: Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait: Jura mihi per Deum quod non occidas me, et non tradas me in manus domini mei, et ego ducam te ad cuneum istum. Et juravit ei David. ¹⁶Qui cum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ comedentes et bibentes, et quasi festum celebrantes diem, pro cuncta præda et spoliis quæ ceperant de terra Philistiim et de terra Juda. ¹⁷Et percussit eos David a vespere usque ad vesperam alterius diei, et non evasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos et fugerant. ¹⁸Eruit ergo David omnia quæ tulerant Amalecitæ, et duas uxores suas eruit. ¹⁹Nec defuit quidquam a parvo usque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus, et de spoliis, et quæcumque rapuerant: omnia reduxit David. ²⁰Et tulit universos greges et armenta, et minavit ante faciem suam: dixeruntque: Hæc est præda David. ²¹Venit autem David ad ducentos viros qui lassi substiterant, nec sequi potuerant David, et residere eos jusserat in torrente Besor: qui egressi sunt obviam David et populo qui erat cum eo. Accedens autem David ad populum, salutavit eos pacifice.* ²²Respondensque omnis vir pessimus et iniquus de viris qui ierant cum David, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda quam eruimus: sed sufficiat unicuique uxor sua et filii: quos cum acceperint, recedant. ²³Dixit autem David: Non sic facietis, fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, et custodivit nos, et dedit latrunculos qui eruperant adversum nos, in manus nostras: ²⁴nec audiet vos quisquam super sermone hoc: æqua enim pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, et similiter dividet. ²⁵Et

*30.21 *Substiterant.* Ducenti lassi viri, qui cum sarcinis sunt relictī, significant infirmos Ecclesiæ, qui cum spiritualibus viris currere nequeunt in via, sed quia fidem habent et opus bonum servant, a Christo præmium beatitudinis cum perfectis præcipiunt.

factum est hoc ex die illa et deinceps, constitutum et præfinitum, et quasi lex in Israël usque in diem hanc. ²⁶ Venit ergo David in Siceleg, et misit dona de præda senioribus Juda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini: ²⁷ his qui erant in Bethel, et qui in Ramoth ad meridiem, et qui in Jether, ²⁸ et qui in Aroër, et qui in Sephamoth, et qui in Esthamo, ²⁹ et qui in Rachal, et qui in urbibus Jerameel, et qui in urbibus Ceni, ³⁰ et qui in Arama, et qui in lacu Asan, et qui in Athach, ³¹ et qui in Hebron, et reliquis qui erant in his locis in quibus commoratus fuerat David, ipse et viri ejus.

31 Philisthiim autem pugnabant adversum Israël: et fugerunt viri Israël ante faciem Philisthiim, et ceciderunt interfecti in monte Gelboë. ² Irrueruntque Philisthiim in Saul et in filios ejus, et percusserunt Jonathan, et Abinadab, et Melchisua filios Saul:† ³ totumque pondus prælii versum est in Saul, et consecuti sunt eum viri sagittarii, et vulneratus est vehementer a sagittariis. ⁴ Dixitque Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, et percute me: ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus: fuerat enim nimio terrore perterritus. Arripuit itaque Saul gladium, et irruit super eum.‡ ⁵ Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo. ⁶ Mortuus est ergo Saul, et tres filii ejus, et armiger illius, et universi viri ejus in die illa pariter. ⁷ Videntes autem viri Israël qui erant trans vallem et trans Jordanem, quod fugissent viri Israëlitæ, et quod mortuus esset Saul et filii ejus, reliquerunt civitates suas, et fugerunt: veneruntque Philisthiim, et habitaverunt ibi. ⁸ Facta autem die altera, venerunt Philisthiim ut spoliarent interfectos, et invenerunt Saul et tres filios ejus jacentes in monte Gelboë. ⁹ Et præciderunt caput Saul, et spoliaverunt eum armis: et miserunt in terram Philistinorum per circuitum, ut annuntiaretur in templo idolorum, et in populis. ¹⁰ Et posuerunt arma ejus in templo Astaroth, corpus vero ejus suspenderunt in muro Bethsan. ¹¹ Quod cum audissent habitatores Jabes Galaad, quæcumque fecerant Philisthiim Saul,¶ ¹² surrexerunt omnes viri fortissimi, et ambulaverunt tota nocte, et tulerunt cadaver Saul, et cadavera filiorum ejus, de muro Bethsan: veneruntque Jabes Galaad, et combusserunt ea ibi: ¹³ et tulerunt ossa eorum, et sepelierunt in nemore Jabes, et jejnaverunt septem diebus.

†31.2 *Percusserunt Jonathan*, etc. RAB. in lib. Reg. tom. 2. Jonathan, Abinadab, etc., usque ad cum filiis periret.

‡31.4 *Arripuit itaque*. Gladio quo Amalecitis contra præceptum Dei pepercit, merito seipsum occidit: sic qui potestate pro communi utilitate accepta, aut non utitur aut abutitur, suo se nimirum gladio confodit, et quo ab hoste defendi debuerat, hostem potius juvat.

¶31.11 *Habitatores*. Quos Saul ab adversariis defenderat, rependunt quod posunt. Nos quoque benefactores nostros gladio peccati peremptos, quoad possumus, a Philistinorum opprobrio eripiamus.

INCIPIIT LIBER II SAMUELIS ID EST REGUM SECUNDIS

1 Factum est autem, postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur a cæde Amalec, et maneret in Siceleg duos dies. ²In die autem tertia apparuit homo veniens de castris Saul veste conscissa, et pulvere conspersus caput: et ut venit ad David, cecidit super faciem suam, et adoravit.³ ³Dixitque ad eum David: Unde venis? Qui ait ad eum: De castris Israëli fugi. ⁴Et dixit ad eum David: Quod est verbum quod factum est? indica mihi. Qui ait: Fugit populus ex prælio, et multi corruentes e populo mortui sunt: sed et Saul et Jonathas filius ejus interierunt. ⁵Dixitque David ad adolescentem qui nuntiabat ei: Unde scis quia mortuus est Saul, et Jonathas filius ejus? ⁶Et ait adolescens qui nuntiabat ei: Casu veni in montem Gelboë, et Saul incumbabat super hastam suam: porro currus et equites appropinquabant ei, ⁷et conversus post tergum suum, vidensque me, vocavit. Cui cum respondissem: Adsum: ⁸dixit mihi: Quisnam es tu? Et aio ad eum: Amalecites ego sum. ⁹Et locutus est mihi: Sta super me, et interfice me: quoniam tenent me angustiae, et adhuc tota anima mea in me est. ¹⁰Stansque super eum, occidi illum: sciebam enim quod vivere non poterat post ruinam: et tuli diadema quod erat in capite ejus, et armillam de brachio illius, et attuli ad te dominum meum huc. ¹¹Apprehendens autem David, vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, ¹²et planxerunt, et flevērunt, et jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, et super Jonathan filium ejus, et super populum Domini, et super domum Israëli, eo quod corruissent gladio. ¹³Dixitque David ad juvenem qui nuntiaverat ei: Unde es tu? Qui respondit: Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum. ¹⁴Et ait ad eum David: Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres christum Domini? ¹⁵Vocansque David unum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, et mortuus est.^{**} ¹⁶Et ait ad eum David: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est adversum te, dicens: Ego interfeci christum Domini. ¹⁷Planxit autem David planctum hujuscemodi super Saul, et super Jonathan filium ejus ¹⁸(et præcepit ut docerent filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro justorum), et ait: [Considera, Israëli, pro his qui mortui sunt, super excelsa tua vulnerati.††] ¹⁹Inclity Israëli

§1.2 *Apparuit homo veniens de castris Saul*, etc. RAB. Hunc aiunt Hebræi filium fuisse Dæg. Amalecites enim et Idumæus unum est, quia filius primogenitus Esau Eliphan fuit, et hujus filius Amalec. Diadema autem et armillam a patre commendatam habeat.

**1.15 *Accedens*, etc. Omnis qui proximo machinatur malum, vel de ejus gaudet interitu, justæ retributionis poenam a iudice superno meretur. *Qui enim fodit foveam, incidit in eam* Prov. 26.. Et, *Os quod mentitur occidit animam* Sap. 1.: hic autem mentiebatur sese Saulem occidisse.

††1.18 *Filios*. Filii Juda filii confessionis, quos verus David vult arcu Scripturæ muniri, ne per ignorantiam in conspectu dæmonum succumbant. *Arcum*. RAB. in lib. Reg. Quia Philistiim sagittarii sunt, qua arte Saul interfecerant, eamdem belli artem vult eos discere, vel præcepit ut reges Juda docerent fortitudinem, ut fortes scilicet et intenti essent in timore Domini, ne perirent sicut Saul. *In libro*. RAB., ubi supra. *Legitur*, vel, *scriptum est*. Hunc librum nusquam reperiri asseverant, sicut librum bellorum Domini, etc., usque ad quomodo Saul recedens a timore Domini per obedientiam periit. *Considera, Israël*. ID. Qui remansisti, pro qua culpa interfecti sunt, et præcave ne et tu in scelere eorum pereas.

super montes tuos interfecti sunt: quomodo ceciderunt fortes? ²⁰ Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis: ne forte lætentur filiæ Philisthiim; ne exultent filiæ incircumcisorum.]^{‡‡} ²¹ [Montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum: quia ibi abjectus est clypeus fortium: clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.]^{¶¶} ²² [A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Jonathæ numquam rediit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inanis.]^{§§} ²³ Saul et Jonathas amabiles, et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi: aquilis velociore, leonibus fortiores.] ²⁴ [Filiæ Israë, super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.] ²⁵ [Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Jonathas in excelsis tuis occisus est? ²⁶ Doleo super te, frater mi Jonatha, decore nimis, et amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam. ²⁷ Quomodo ceciderunt robusti, et perierunt arma bellica?]

2 Igitur post hæc consuluit David Dominum, dicens: Num ascendam in unam de civitatibus Juda? Et ait Dominus ad eum: Ascende. Dixitque David: Quo ascendam? Et respondit ei: In Hebron. ^{*} ² Ascendit ergo David, et duæ uxores ejus, Achinoam Jezraëlites, et Abigail uxor Nabal Carmeli: ³ sed et viros, qui erant cum eo, duxit David singulos cum domo sua: et manserunt in oppidis Hebron. ⁴ Veneruntque viri Juda, et unxerunt ibi David ut regnaret super domum Juda. Et nuntiatum est David quod viri Jabes Galaad sepelissent Saul. [†] ⁵ Misit ergo David nuntios ad viros

‡‡1.20 *Geth*. Torcular, scilicet Hierusalem, quæ occidit prophetas Matth. 23., cui mors Domini et apostolorum in derisum fuit, et ob hoc præcepit verus David ne passio sua illis annuntietur.

¶¶1.21 *Montes Gelboë*, etc. ID. Alii excelsi, quia, scilicet, o Saul, inobedientia tua quasi idololatria in excelsis reputata est, quia scelus idololatriæ est nolle acquiescere. Montes Gelboë uberrimi ante maledictionem fuerunt, quos hactenus maledictionis subjacere ferunt, nec unquam pluere ibi testantur. Rex et propheta David, qui persecutoribus mala non reddidit, cum Saul et Jonatha bello occubuissent in lamentatione sua Gelboë montibus maledicit: *Montes Gelboë, nec ros*, etc., usque ad et divina vis sententiam maledicentis implevit. Itaque pro regiæ necis spectaculo poenam elementa solverunt. RAB. Quid deliquerunt montes? etc., usque ad qui apud se mortem regis suscipere iniquitate exigente meruissent.

§§1.22 *A sanguine interfectorum*. Sanguis et adeps robur præstant corpori, ita illi fortitudinem dabant subjectis, a quibus Saul et Jonathas interfecti sunt quasi non a rusticis. Vel ita Saul reprobatus est a Deo, et ab incircumcisis viliter interfectus, tanquam non esset unctus oleo, propter sanguinem interfectorum, scilicet septuaginta quinque sacerdotum qui Domino adipem adolebant, quos innoxios jussit Saul interfici. *Sagitta*. Jonathan et Saul bellicosos et fortissimos significat fuisse, et laudat in eis decorem formæ et constantiam animi. RAB. Allegorice. Pius propheta David figuraliter deflet Saul et Jonathan, etc., usque ad ne iterum ignominiose superati, gaudium inimicis faciant.

*2.1 *Igitur post*. RAB. Ascensio David cum duabus uxoribus in Hebron significat convocationem duorum populorum in Ecclesiam catholicam. Hebron enim interpretatur *conjugium*. Sola autem Ecclesia, cœlestis regis sponsa est. Illuc duxit David singulos viros cum domo sua, quia singuli fideles in illam societatem per Evangelii prædicationem convocantur, ubi non est distinctio Judæi et Græci.

†2.4 *Veneruntque*. ID. Quia superbis et contemptoribus gratiam Dei spernentibus, electi fama prædicationis et virtutum studio confitentur Christum regem esse in populo suo, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra.

Jabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelistis eum.[‡] ⁶ Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem: sed et ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud. ⁷ Confortentur manus vestræ, et estote filii fortitudinis: licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi. ⁸ Abner autem filius Ner, princeps exercitus Saul, tulit Isboeth filium Saul, et circumduxit eum per castra,[†] ⁹ regemque constituit super Galaad, et super Gessuri, et super Jezraël, et super Ephraim, et super Benjamin, et super Israël universum. ¹⁰ Quadraginta annorum erat Isboeth filius Saul cum regnare cœpisset super Israël, et duobus annis regnavit: sola autem domus Juda sequebatur David. ¹¹ Et fuit numerus dierum quos commoratus est David imperans in Hebron super domum Juda, septem annorum et sex mensium.[§] ¹² Egressusque est Abner filius Ner, et pueri Isboeth filii Saul, de castris in Gabaon.^{**} ¹³ Porro Joab filius Sarviæ, et pueri David, egressi sunt, et occurrerunt eis juxta piscinam Gabaon. Et cum in unum convenissent, e regione sederunt: hi ex una parte piscinæ, et illi ex altera. ¹⁴ Dixitque Abner ad Joab: Surgant pueri, et ludant coram nobis. Et respondit Joab: Surgant. ¹⁵ Surrexerunt ergo, et transierunt numero duodecim de Benjamin, ex parte Isboeth filii Saul, et duodecim de pueris David. ¹⁶ Apprehensoque unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul: vocatumque est nomen loci illius: Ager robustorum, in Gabaon. ¹⁷ Et ortum est bellum durum satis in die illa: fugatusque est Abner et viri Israël a pueris David. ¹⁸ Erant autem ibi tres filii Sarviæ, Joab, et Abisai, et Asaël: porro Asaël cursor velocissimus fuit, quasi unus de capreis quæ morantur in silvis.^{††} ¹⁹ Persequebatur autem Asaël Abner, et non declinavit ad dextram neque ad sinistram omittens persequi Abner. ²⁰ Respexit itaque Abner post tergum suum, et ait: Tune es Asaël? Qui respondit: Ego sum. ²¹ Dixitque ei Abner: Vade ad dexteram, sive ad sinistram, et apprehende unum de adolescentibus, et tolle tibi spolia ejus. Noluit autem Asaël omittere quin urgeret eum. ²² Rursumque locutus est Abner ad Asaël: Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, et levare non potero faciem meam ad Joab fratrem tuum. ²³ Qui audire contempsit, et noluit declinare: percussit ergo eum Abner aversa hasta in inguine, et transfodit, et mortuus est in

[‡]2.5 *Dixitque.* ID. Redemptori nostro multum placet, qui opera malorum qui in peccatis mortui sunt, oblivioni tradit damnando, nec ea quæ Domino displicent imitatur, sed quæ præceptum facere recordatur.

[†]2.8 *Isboeth.* ID. Qui interpretatur *filius confusionis*, Abner auxiliante qui interpretatur patris lucerna regnavit super universum Israël, et sola domus Juda sequebatur David, quia solis credentibus et vere confitentibus sequentibus Christum, in cæteris error confusionis regnavit, diabolo instigante qui *transfiguratur se in angelum lucis* II Cor. 11.. *Circumduxit.* In Heb. dicitur: *Traduxit eum in Mahanaïim* quod interpretatur *castra*, traduxit scilicet ultra Jordanem, et in castris regem constituit.

[§]2.11 *Et fuit.* RAB. in lib. Reg., tom. 2. Bene dixit, quod David septem annis et sex mensibus regnavit in Hebron, etc., usque ad condita est autem ante septem annos quam Thanis urbs Ægypti.

^{**}2.12 *Egressus.* RAB. Hunc locum Josephus ita exponit, etc., usque ad hic persequebatur Abner in neutram partem declinans.

^{††}2.18 *Porro Asaël cursor velocissimus fuit quasi unus de capreis.* ID. ex Greg. Asaël significat eos quos vehemens arripiens furor in præceps ducit, etc., usque ad quasi sine ferro moriuntur.

eodem loco: omnesque qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asaël et mortuus erat, subsistebant. ²⁴ Persequentibus autem Joab et Abisai fugientem Abner, sol occubuit: et venerunt usque ad collem aquæductus, qui est ex adverso vallis itineris deserti in Gabaon. ²⁵ Congregatique sunt filii Benjamin ad Abner: et conglobati in unum cuneum, steterunt in summitate tumuli unius. ²⁶ Et exclamavit Abner ad Joab, et ait: Num usque ad interneconem tuus mucro desæviet? an ignoras quod periculosa sit desperatio? usquequo non dicis populo ut omittat persequi fratres suos?^{‡‡} ²⁷ Et ait Joab: Vivit Dominus, si locutus fuisses, mane recessisset populus persequens fratrem suum. ²⁸ Insonuit ergo Joab buccina, et stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt ultra Israël, neque iniere certamen. ²⁹ Abner autem et viri ejus abierunt per campestria, tota nocte illa: et transierunt Jordanem, et lustrata omni Beth-horon, venerunt ad castra. ³⁰ Porro Joab reversus, omisso Abner, congregavit omnem populum: et defuerunt de pueris David decem et novem viri, excepto Asaële. ³¹ Servi autem David percusserunt de Benjamin, et de viris qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui et mortui sunt. ³² Tuleruntque Asaël, et sepelierunt eum in sepulchro patris sui in Bethlehem: et ambulaverunt tota nocte Joab et viri qui erant cum eo, et in ipso crepusculo pervenerunt in Hebron.

3 Facta est ergo longa concertatio inter domum Saul et inter domum David: David proficiscens, et semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie.^{¶¶} ² Natique sunt filii David in Hebron: fuitque primogenitus ejus Amnon, de Achinoam Jezraëlitide.^{§§} ³ Et post eum Cheleab, de Abigail uxore Nabal Carmeli: porro tertius Absalom, filius Maacha filiaë Tholmai regis Gessur. ⁴ Quartus autem Adonias, filius Haggith: et quintus Saphathia, filius Abital. ⁵ Sextus quoque Jethraam, de Eglâ uxore David: hi nati sunt David in Hebron.* ⁶ Cum ergo esset prælium inter domum Saul et domum David, Abner filius Ner regebat domum Saul. ⁷ Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aja. Dixitque Isboseth ad Abner: ⁸ Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum adversum Judam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, et super fratres et proximos ejus, et non tradidi te in manus David, et tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie? ⁹ Hæc faciat Deus Abner, et hæc addat ei, nisi quomodo juravit Dominus David, sic faciam cum eo, ¹⁰ ut transferatur regnum de domo Saul, et elevetur thronus David super Israël et super Judam, a Dan usque Bersabee. ¹¹ Et non potuit respondere ei quidquam, quia metuebat illum. ¹² Misit ergo Abner nuntios ad David pro se dicentes: Cujus est terra? et ut loquerentur: Fac mecum amicitias, et erit manus mea

^{‡‡}2.26 *An ignoras quod periculosa sit desperatio?* In Hebræo habetur: *An ignoras quod amarus erit finis, si populum delere niteris?*

^{¶¶}3.1 *Facta est ergo.* RAB. in lib. Reg. Domus David cœlestis Jerusalem, etc., usque ad et tandem secundum merita sua in profundum abyssi submergetur.

^{§§}3.2 *Natique.* Sex filii qui nati sunt David in Hebron perfectionem sanctorum significant, qui de spiritali conjugio Christi et Ecclesiæ per Spiritus sancti gratiam quotidie oriuntur.

^{*}3.5 *De Eglâ.* RAB. Hæc est Michol, quæ sola uxor dicitur, quia eam David in adolescentia sua primam sortitus est uxorem. Hæc in partu dicitur occubuisse, unde in sequentibus scriptum est: *Igitur Michol filiaë Saul non est natus filius, usque ad diem mortis suæ,* quia in ipso partu occubuit.

tecum, et reducam ad te universum Israël. ¹³ Qui ait: Optime: ego faciam tecum amicitias: sed unam rem peto a te, dicens: Non videbis faciem meam antequam adduxeris Michol filiam Saul: et sic venies, et videbis me. ¹⁴ Misit autem David nuntios ad Isboeth filium Saul, dicens: Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philistiim. ¹⁵ Misit ergo Isboeth, et tulit eam a viro suo Phaltiel filio Lais. ¹⁶ Sequebaturque eam vir suus, plorans usque Bahurim: et dixit ad eum Abner: Vade, et revertere. Qui reversus est. ¹⁷ Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israël, dicens: Tam heri quam nudiustertius quærebatis David ut regnaret super vos.† ¹⁸ Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus est ad David, dicens: In manu servi mei David salvabo populum meum Israël de manu Philistiim, et omnium inimicorum ejus. ¹⁹ Locutus est autem Abner etiam ad Benjamin. Et abiit ut loqueretur ad David in Hebron omnia quæ placuerant Israël et universo Benjamin. ²⁰ Venitque ad David in Hebron cum viginti viris: et fecit David Abner, et viris ejus qui venerant cum eo, convivium. ²¹ Et dixit Abner ad David: Surgam, ut congregem ad te dominum meum regem omnem Israël, et ineam tecum fœdus, et imperes omnibus, sicut desiderat anima tua. Cum ergo deduxisset David Abner, et ille isset in pace, ²² statim pueri David et Joab venerunt, cæsis latronibus, cum præda magna nimis: Abner autem non erat cum David in Hebron, quia jam dimiserat eum, et profectus fuerat in pace. ²³ Et Joab, et omnis exercitus qui erat cum eo, postea venerunt: nuntiatum est itaque Joab a narrantibus: Venit Abner filius Ner ad regem, et dimisit eum, et abiit in pace. ²⁴ Et ingressus est Joab ad regem, et ait: Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te: quare dimisisti eum, et abiit et recessit? ²⁵ ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te ut deciperet te, et sciret exitum tuum et introitum tuum, et nosset omnia quæ agis? ²⁶ Egressus itaque Joab a David, misit nuntios post Abner, et reduxit eum a cisterna Sira, ignorante David. ²⁷ Cumque rediisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Joab ad medium portæ ut loqueretur ei, in dolo: et percussit illum ibi in inguine, et mortuus est in ultionem sanguinis Asaël fratris ejus. ²⁸ Quod cum audisset David rem jam gestam, ait: Mundus ego sum, et regnum meum apud Dominum usque in sempiternum, a sanguine Abner filii Ner: ²⁹ et veniat super caput Joab, et super omnem domum patris ejus: nec deficiat de domo Joab fluxum seminis sustinens, et leprosus, et tenens fusum, et cadens gladio, et indigens pane.‡ ³⁰ Igitur Joab et Abisai frater ejus interfecerunt Abner, eo quod occidisset Asaël fratrem eorum in Gabaon in prælio. ³¹ Dixit autem David ad Joab, et ad omnem populum qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exequias Abner. Porro rex David sequebatur feretrum. ³² Cumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit super tumulum Abner: flevit autem et omnis populus. ³³ Plangensque rex, et lugens Abner, ait: [Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. ³⁴ Manus tuæ ligatæ non sunt, et pedes tui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coram

†3.17 *Sermonem*. ID. Abner hortatur universum Israël, etc., usque ad et fidem Christi ubique persecuti sunt.

‡3.29 *Fluxum seminis*. Juxta litteram videtur imprecari effluentiam libidinis, lepræ plagam, effeminationem, inimici subjacere gladio, mendicare. *Tenens fusum*. AUG. Per ambitum verborum notantur qui fallaciam suam defendere nituntur. *Cadens*. *Qui gladio percutit gladio peribit* Matth. 26.. Hæretici gladio oris perfodiunt, prius gladio impietatis confossi.

filiis iniquitatis, sic corruisti.] Congeminansque omnis populus flevit super eum. ³⁵Cumque venisset universa multitudo cibum capere cum David, clara adhuc die juravit David, dicens: Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quidquam. ³⁶Omnisque populus audivit, et placuerunt eis cuncta quæ fecit rex in conspectu totius populi. ³⁷Et cognovit omne vulgus et universus Israël in die illa, quoniam non actum fuisset a rege ut occideretur Abner filius Ner. ³⁸Dixit quoque rex ad servos suos: Num ignoratis quoniam princeps et maximus cecidit hodie in Israël? ³⁹Ego autem adhuc delicatus, et unctus rex: porro viri isti filii Sarviæ duri sunt mihi: retribuatur Dominus facienti malum juxta malitiam suam.[†]

4 Audivit autem Isboseth filius Saul quod cecidisset Abner in Hebron: et dissolutæ sunt manus ejus, omnisque Israël perturbatus est. ²Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen uni Baana, et nomen alteri Rechab, filii Remmon Berothitæ de filiis Benjamin: siquidem et Beroth reputata est in Benjamin.[§] ³Et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi advenæ usque ad tempus illud. ⁴Erat autem Jonathæ filio Saul filius debilis pedibus: quinquennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul et Jonathæ ex Jezrahel. Tollens itaque eum nutrix sua, fugit: cumque festinaret ut fugeret, cecidit, et claudus effectus est: habuitque vocabulum Miphiboseth. ⁵Venientes igitur filii Remmon Berothitæ, Rechab et Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth: qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum, obdormivit. ⁶Ingressi sunt autem domum latenter assumptes spicas tritici, et percusserunt eum in inguine Rechab, et Baana frater ejus, et fugerunt. ⁷Cum autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclavi, et percutientes interfecerunt eum: sublatoque capite ejus, abierunt per viam deserti tota nocte, ⁸et attulerunt caput Isboseth ad David in Hebron: dixeruntque ad regem: Ecce caput Isboseth filii Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam: et dedit Dominus domino meo regi ultionem hodie de Saul, et de semine ejus. ⁹Respondens autem David Rechab, et Baana fratri ejus, filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, ¹⁰quoniam eum qui annuntiaverat mihi, et dixerat: Mortuus est Saul: qui putabat se prospera nuntiare, tenui, et occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio. ¹¹Quanto magis nunc cum homines impij interfecerunt virum innoxium in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem ejus de manu vestra, et auferam vos de terra? ¹²Præcepit itaque David pueris suis, et interfecerunt eos: præcidentesque manus et pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron: caput autem Isboseth tulerunt, et sepelierunt in sepulchro Abner in Hebron.

[†]3.39 *Delicatus*. Antiqui delicata dicebant diis consecrata, quæ nunc dicimus dedicata.

§4.2 *Duo autem viri*. RAB. in lib. Reg., tom. 2. Hi duo viri principes erant in exercitu Isboseth, et mortuo Abner, sicut tradunt Hebræi, consiliati sunt cum Miphiboseth ut Isboseth interficerent, et ipsum regem constituerent. Sed Miphiboseth consilium prodidit; ideo sic inducitur: *Erat autem Jonathæ filius pedibus debilis*. Illi vero timore perterriti fugerunt in Gethaim, fueruntque ibi usque ad tempus illud, quo scilicet inde reversi domum Isboseth ingressi sunt. *Et ostiaria*. ID. Ostiaria triticum purgat; etc., usque ad ne eam hostes penetrent foramine neglectæ cogitationis.

5 Et venerunt universæ tribus Israël ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos os tuum et caro tua sumus.**² Sed et heri et nudiustertius cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israël: dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israël, et tu eris dux super Israël.³ Venerunt quoque et seniores Israël ad regem in Hebron, et percussit cum eis rex David foedus in Hebron coram Domino: unxeruntque David in regem super Israël.††⁴ Filius triginta annorum erat David cum regnare cœpisset, et quadraginta annis regnavit.‡‡⁵ In Hebron regnavit super Judam septem annis et sex mensibus: in Jerusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israël et Judam.¶¶⁶ Et abiit rex, et omnes viri qui erant cum eo, in Jerusalem, ad Jebusæum habitatorem terræ: dictumque est David ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos dicentes: Non ingredietur David huc.§§⁷ Cepit autem David arcem Sion: hæc est civitas David.*⁸ Proposuerat enim David in die illa præmium, qui percussisset Jebusæum, et tetigisset domatum fistulas, et abstulisset cæcos et claudos odientes animam David. Idcirco dicitur in proverbio: Cæcus et claudus non intrabunt in templum.†⁹ Habitavit autem David in arce, et vocavit eam civitatem David: et ædificavit per gyrum a Mello et intrinsecus.‡¹⁰ Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, et Dominus Deus exercituum erat cum eo.¹¹ Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, et ligna cedrina, et artifices

**5.1 *Et venerunt.* RAB. Sic omnes gentes conveniunt ad Christum, et quasi blandiendo dicunt: *Os tuum et caro tua sumus:* cum in illo incarnationem quam ex nostra natura in virginis utero suscepit, diligunt et venerantur.

††5.3 *Seniores.* ID. Prophetæ, apostoli pari fide et devotione ad Christum concurrunt. *Unxeruntque.* ID. David bis unctus dicitur, et Christus prius in Judæis, post in gentibus principatum sumpsit.

‡‡5.4 *Et quadraginta.* ID. Quæritur cur non in summa quadraginta anni et sex menses numerentur? etc., usque ad qui ex quaterdenis constat, temporum et rerum perfectionem significat.

¶¶5.5 *In Hierusalem.* Tradunt Hebræi quod Sem filius Noë, quem dicunt Melchisedech, condidit Salem. Hanc postea tenuerunt Jebusæi, e quibus sortita est nomen Jebus. Inde Hierusalem, quasi Jebus Salem, post a Salomone Jerosolyma, quasi Jerosalomoniam dicta est, quæ postea ab Ælio Adriano vocata est Ælia.

§§5.6 *Cæcos et claudos.* Qui sufficiunt contra te. Hoc dicebant fidentes muris. Aut ita: non ingredieris nisi nos auferas, quos inermes sicut cæcos et claudos arbitraris et triumphare putas.

*5.7 *Cepit autem.* RAB. Sicut Josephus ait, etc., usque ad quæ merito arx Sion, id est speculationis vocatur, ut de ea recte dicatur: *Factus est in pace locus ejus,* etc. Psal. 75.. David arcem Sion cepit, ablatis prius cæcis et claudis odientibus animam David. Sic Dominus primatum in Ecclesia gentium acquisivit, reprobatis ejus Scribis et Pharisæis, qui cæci et claudi oderunt animam Christi, id est ejus vitam auferre conati sunt.

†5.8 *Domatum.* Id est rectorum. Fistulas appellat aquæ ductus de plumbo vel regula factos per quos aqua ibat super murum per totam civitatem. *Fistulas.* Falsam scientiam seu hæreticorum dogmata figurant, quæ Dominus per Joab, id est, prædicatores destruit. Jebusæus conculcans, hæc est gentilitas, quæ ante fidem præcepta Dei conculcabat. Item Jebusæus calcatus, quia diabolus a Domino calcatur, et sub Joab calcandus subditur

‡5.9 *Et ædificavit.* A loco ita dicto, subaudi murum: et intrinsecus subaudi alium murum, hoc est, munivit urbem duplici muro.

lignorum, artificesque lapidum ad parietes: et ædificaverunt domum David.[¶] 12 Et cognovit David quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israël, et quoniam exaltasset regnum ejus super populum suum Israël. 13 Accepit ergo David adhuc concubinas et uxores de Jerusalem, postquam venerat de Hebron: natiq̄ sunt David et alii filii et filia:§ 14 et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Jerusalem: Samua, et Sobab, et Nathan, et Salomon, 15 et Jebahar, et Elisua, et Nepheg, 16 et Japhia, et Elisama, et Elioda, et Eliphaleth. 17 Audierunt ergo Philisthiim quod unxissent David in regem super Israël, et ascenderunt universi ut quærerent David: quod cum audisset David, descendit in præsidium. 18 Philisthiim autem venientes diffusi sunt in valle Raphaim. 19 Et consuluit David Dominum, dicens: Si ascendam ad Philisthiim? et si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad David: Ascende, quia tradens dabo Philisthiim in manu tua. 20 Venit ergo David in Baal Pharasim: et percussit eos ibi, et dixit: Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ. Propterea vocatum est nomen loci illius, Baal Pharasim.** 21 Et reliquerunt ibi sculptilia sua, quæ tulit David et viri ejus. 22 Et addiderunt adhuc Philisthiim ut ascenderent, et diffusi sunt in valle Raphaim. 23 Consuluit autem David Dominum: Si ascendam contra Philisthæos, et tradas eos in manus meas? Qui respondit: Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, et venies ad eos ex adverso pyrorum.†† 24 Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim. 25 Fecit itaque David sicut præceperat ei Dominus, et percussit Philisthiim de Gabaa usque dum venias Gezer.

[¶]5.11 *Misit quoque.* Hiram vivens excelse, hæc est gentilitas in Christo excelsa; nuntius mittit ad David, id est doctores ad Christum, et per eos cedrina ligna, id est incorruptos et fortes; et artifices, id est, eos quorum arte mentes sunt incorruptæ, et tanquam lapides quatuor virtutibus quadratæ, sic domus David, id est Ecclesia Christi ædificatur, et cognoscitur quod Deus nostrum David confirmavit regem super Israël, id est, videntes Deum. RAB. Hæreticorum ecclesias quæ sub Christiani nominis titulo se manere gloriantur. Sed quia propter lucra carnalia Christum sequuntur, non conjuges, sed concubinæ vocantur. Nunc vero si reges plures uxores, vel concubinas habent, peccatum est: quia figuræ transierunt, pro quibus hoc aliquando veniale fuit.

§5.13 *Natiq̄ sunt.* Si per David significatur Christus, non immerito per filios ejus intelliguntur Christiani, qui sunt ex Judæis et nationibus, quibus congruunt interpretationes neminum: Samua, audacia; Sobab, convertens; Jabahar, elegit; Elisua, Dei mei salus; Nepheg, applicans ori; Japhia, illuminat vel ostendit; Elisama, Deus meus audiens; Elioda, Deus meus scit; Eliphaleth, Deus meus salvans.

**5.20 *Baal Pharasim.* Interpretatur *inimicorum divisio*. Potest dici sic locus vocatus, quia Philisthiim reliquerunt idola sua in loco ubi divisi sunt.

††5.23 *Pyrorum.* In Hebræo *fientium*, id est, idolorum, ubi scilicet idola erant in quibus confidebant quæ fientium vocantur, quia fletu digna sunt, et cultores suos ad fletum miseriamque perducunt. *In cacumine.* RAB. Pyrus dicitur ex Greco quod est ignis. Pyri sancti: cacumen, sublimitas vitæ eorum; in qua flante Spiritu sancto intonuit prædicationis sonitus. Qui est gradientis, id est donum in carne advenientis, in cacumine pyrorum, id est super celsitudinem sanctorum, dum hic sonitus auditur a nostro David, Philisthæi intelligibiles superantur.

6 Congregavit autem rursus David omnes electos ex Israël, triginta millia.†† 2 Surrexitque David, et abiit, et universus populus qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in cherubim super eam.¶¶ 3 Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem et Ahio, filii Abinadab, minabant plaustrum novum. 4 Cumque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam. 5 David autem et omnis Israël ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, et citharis et lyris et tympanis et sistris et cymbalis. 6 Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam: quoniam calcitrabant boves, et declinaverunt eam. 7 Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.§§ 8 Contristatus est autem David, eo quod percussisset Dominus Ozam, et vocatum est nomen loci illius: Percussio Ozæ, usque in diem hanc. 9 Et extimuit David Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad me arca Domini? 10 Et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David: sed divertit eam in domum Obededom Gethæi. 11 Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus: et benedixit Dominus Obededom, et omnem domum ejus.* 12 Nuntiatumque est regi David quod benedixisset Dominus Obededom, et omnia ejus, propter arcam Dei. Abiit ergo David, et adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio: et erant cum David septem chori, et victima vituli. 13 Cumque transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bovem et arietem, 14 et David saltabat totis viribus ante Dominum: porro David erat accinctus ephod lineo.† 15 Et David et omnis domus Israël ducebant arcam testamenti Domini in jubilo, et in clangore buccinæ. 16 Cumque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul, prospiciens per fenestras

††6.1 **Congregavit.** RAB., ex Euch. David Christum, etc., usque ad qui descendentes de Judæa docebant fratres: **Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvi fieri** Act. 15..

¶¶6.2 **Sedentis.** Super arcam erat tabula quam alis duo cherubim tegebant, inter quos Dominus apparebat et loquebatur. RAB., ex Greg. In historia regis David et prophetæ qua arcam Dei adduxisse dicitur, humilitas approbata, superbia damnata, et temeritas vindicata monstratur. David enim, qui coram arca humiliter saltare non erubuit, mox promissionem Filii Dei de sua stirpe nascituri suscipere meruit, et conjux, quæ humilitatem despexit, perpetuæ sterilitatis pœnas luit. Sacerdos quoque qui arcam temerarie tetigit, reatum sui ausus immatura morte purgavit. Ubi intuendum est quantum delinquat qui ad corpus Domini reus accedit, si ille morte multatur qui arcam, Domini corporis figuram, minori quam debuit veneratione corripuit. GREG., l. V Moral., cap. 10. Sæpe quia intelligi non valent, etc., usque ad non meliorum facta vel dicta velut infirma judicarent.

§§6.7 **Qui mortuus.** RAB., ex Euch. Mortuo sacerdote non ausus est arcam divertere, etc., usque ad Aqua Gethæus populus potest appellari, qui dicit, **Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini** Gal. 6..

*6.11 **Tribus mensibus.** ID. Quibus scilicet fides, spes et charitas significantur, etc., usque ad et ovium ducatum gerunt in martyrii sanguine coronans. **In organis.** Id est, ad armum ligatis, dum manibus ferentis tanguntur. Aliud genus organi est quod cum aqua fit.

†6.14 **Ephod lineo, et David,** etc. RAB. Non pontificali, sed linea veste, causa humilitatis, etc., usque ad inter flagella triumphavit.

tram, vidit regem David subsilentem atque saltantem coram Domino: et despexit eum in corde suo.[‡] ¹⁷ Et introduxerunt arcam Domini, et imposuerunt eam in loco suo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David: et obtulit David holocausta et pacifica coram Domino. ¹⁸ Cumque compleret offerens holocausta et pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum. ¹⁹ Et partitus est universæ multitudini Israël tam viro quam mulieri singulis collyridam panis unam, et assaturam bubulæ carnis unam, et similam frixam oleo: et abiit omnis populus, unusquisque in domum suam. ²⁰ Reversusque est David ut benediceret domui suæ: et egressa Michol filia Saul in occursum David, ait: Quam gloriosus fuit hodie rex Israël discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris.[¶] ²¹ Dixitque David ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum et quam omnem domum ejus, et præcepit mihi ut essem dux super populum Domini in Israël ²² et Judam, et vilior fiam plus quam factus sum: et ero humilis in oculis meis, et cum ancillis de quibus locuta es, gloriosior apparebo. ²³ Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.

7 Factum est autem cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis, ² dixit ad Nathan prophetam: Videsne quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium? ³ Dixitque Nathan ad regem: Omne quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est.[§] ⁴ Factum est autem in illa nocte: et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens: ⁵ Vade, et loquere ad servum meum David: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?^{**} ⁶ Neque enim habitavi in domo ex die illa, qua eduxi filios Israël de terra Ægypti, usque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo, et in tentorio. ⁷ Per cuncta loca quæ transivi cum omnibus filiis Israël, numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israël, cui præcepi ut pasceret populum

‡6.16 *Cumque intrasset arcam.* ID. Cunctis exsultantibus et ad arcis cœlestis introitu hymnos resonantibus, etc., usque ad quia qui verbum Dei aure tenus percipiunt, absque boni operis proli diem perpetuæ mortis expectant.

¶6.20 *Egressa Michol filia Saul in occursum David,* etc. GREG., lib. XXVII Moral., cap. 27. Intueri libet quanta virtutum munera David perceperat, etc., usque ad tamen in se cervicem cordis valida discretionis calce deprimebat dicens: **Eroque humilis in oculis. Gloriosus.** David cum arcam in Jerusalem transferret, a Michol subsannatus est. Et Christus cum Testamentum Novum in Ecclesiam suam transferret, Judæis in cruce ludibrium fuit, nudus apparuit dum potentiam illis abscondens, carnis infirmitatem quasi ephod lineum ostendit. Ancillæ servorum personam gestant sanctorum, inter quos per crucis triumphum gloriosior effectus est: quem dum Michol irridet, gloriosior ancillis apparet, quæ in typo Synagogæ sterilis permansit. **Et nudatus.** Nudatus non omnino, sed regalibus indumentis: et quia se coram Domino humiliare non erubuit, mox promissionem Filii Dei ex sua stirpe nascituri suscipere meruit.

§7.3 *Omne quod est in corde tuo, vade et fac.* RAB. in lib. Reg., tom. 3. Patet quod prophetiæ spiritus, prophetarum mentes non semper irradiat. **Spiritus enim ubi vult spirat** Joan. 3.. Hinc Eliseus ait: **Dominus celavit a me, et non indicavit mihi** IV Reg. 4.. Quod Deus ex dispensatione pietatis disponit: quia dum prophetiæ spiritum dat et subtrahit, prophetantium mentes elevat in celsitudine, et custodit in humilitate, ut accipientes spiritum inveniant quid de Deo sint, et rursus prophetiæ spiritum non habentes cognoscant quod sint de semetipsis. GREG., lib. VII Moral., cap. 17. Mundus in se esse a vitii debet, etc., usque ad necesse est ut instituere proximorum mentes erubescat.

7.5 **Nunquid. RAB. Alia translatio, etc., usque ad ipse ædificabit mihi domum.

meum Israël, dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam? ⁸ Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israël: ⁹ et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti, et interfeci universos inimicos tuos a facie tua: fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra. ¹⁰ Et ponam locum populo meo Israël, et plantabo eum, et habitabit sub eo, et non turbabitur amplius: nec addent filii iniquitatis ut affligant eum sicut prius, ^{††} ¹¹ ex die qua constitui iudices super populum meum Israël: et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis: prædicatque tibi Dominus quod domum faciat tibi Dominus. ¹² Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. ¹³ Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. ¹⁴ Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium: qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. ¹⁵ Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. ¹⁶ Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter. ^{‡‡} ¹⁷ Secundum omnia verba hæc, et juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David. ¹⁸ Ingressus est autem rex David, et sedit coram Domino, et dixit: Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? ¹⁹ Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum: ista est enim lex Adam, Domine Deus. ²⁰ Quid ergo addere poterit adhuc David, ut loquatur ad te? tu enim scis servum tuum, Domine Deus. ²¹ Propter verbum tuum, et secundum cor tuum, fecisti omnia magna hæc, ita ut notum faceres servo tuo. ²² Idcirco magnificatus es, Domine Deus, quia non est similis tui, neque est deus extra te, in omnibus quæ audivimus auribus nostris. ²³ Quæ est autem ut populus tuus Israël gens in terra, propter quam ivit Deus ut redimeret eam sibi in populum, et poneret sibi nomen, faceretque eis magna et horribilia super terram a facie populi tui quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, et deum ejus. ^{¶¶} ²⁴ Firmasti enim tibi populum tuum Israël in populum sempiternum: et tu, Domine Deus, factus es eis in Deum. ²⁵ Nunc ergo Domine Deus, verbum quod locutus es super servum tuum, et super domum ejus, suscita in sempiternum: et fac sicut locutus es, ²⁶ ut magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, atque dicatur: Dominus exercituum, Deus super Israël. Et domus servi tui David erit stabilita coram Domino,

^{††}7.10 *Et ponam locum.* Tempus Salomonis describit, quo filii Israël pacem undique habuerunt, nec afflicti sunt sicut tempore Judicum.

^{‡‡}7.16 *Et fidelis.* RAB., ex Aug. de Civit., lib. 17, cap. 8. Hoc vere de Christo dicitur, etc., usque ad locus ergo tam pacatæ et securæ habitationis æternus est, ubi erit verus Israël, id est, videns Deum. *Et sedit coram.* Sedere coram Domino, est beneficia ejus in humilitate confiteri. *Lex Adam.* RAB. Scilicet hominis, ut tibi in simplicitate cordis et puritate serviat, et tu facias ei secundum misericordiam tuam, sicut mihi fecisti.

^{¶¶}7.23 *Quæ est.* In terra alia præter electam, propter quam venit Dei Filius in mundum velut in Ægyptum, ut commercio sanguinis redimeret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Deum autem ejusdem populi hominem Dominicum intelligimus, quem de Ægypto, id est, mundo per uterum virginis assumpsit. *Ex Ægypto.* Gente et Deo ejus vel gente et Deum ejus, gentem Israël, et Deum ejus Moysen de quo: *Constitui te Deum Pharaonis* Exod. 7..

²⁷ quia tu, Domine exercituum Deus Israëel, revelasti aurem servi tui, dicens: Domum ædificabo tibi: propterea invenit servus tuus cor suum ut oraret te oratione hac.^{§§}
²⁸ Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, et verba tua erunt vera: locutus es enim ad servum tuum bona hæc. ²⁹ Incipe ergo, et benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te: quia tu, Domine Deus, locutus es, et benedictione tua benedicetur domus servi tui in sempiternum.

8 Factum est autem post hæc, percussit David Philisthiim, et humiliavit eos, et tulit David frenum tributi de manu Philisthiim.* ² Et percussit Moab, et mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum: factusque est Moab David serviens sub tributo.[†]
³ Et percussit David Adarezer filium Rohob regem Soba, quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphraten. ⁴ Et captis David ex parte ejus mille septingentis equitibus, et viginti millibus peditum, subnervavit omnes jugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus. ⁵ Venit quoque Syria Damasci, ut præsidium ferret Adarezer regi Soba: et percussit David de Syria viginti duo millia virorum. ⁶ Et posuit David præsidium in Syria Damasci: factaque est Syria David serviens sub tributo: servavitque Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est. ⁷ Et tulit David arma aurea quæ habebant servi Adarezer, et detulit ea in Jerusalem. ⁸ Et de Bete et de Beroth, civitatibus Adarezer, tulit rex David æs multum nimis. ⁹ Audivit autem Thou rex Emath quod percussisset David omne robur Adarezer, ¹⁰ et misit Thou Joram filium suum ad regem David, ut salutaret eum congratulans, et gratias ageret: eo quod expugnasset Adarezer, et percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adarezer, et in manu ejus erant vasa aurea, et vasa argentea, et vasa ærea: ¹¹ quæ et ipsa sanctificavit rex David Domino cum argento et auro quæ sanctificav-

§§7.27 *Invenit servus.* Nihil corde fugacius, quod invenitur cum per discretionem restringitur.

*8.1 *Frenum.* Quinque civitates erant Philistinorum quæ Israëlem tributarium faciebant. Has tulit sibi David et fecit tributarias, sicut legitur: *Percussit David Philisthiim, et humiliavit eos, et tulit Geth et filias ejus de manu eorum,* etc. I Paral. 18. *Frenum.* Christus de æreis potestatibus triumphans, frenum erroris quod humano generi imposuerant confregit.

†8.2 *Coæquans.* Non enim homines in terra viventes intantum humiliabantur, ut funiculo super extenso terræ apparerent æquales: sed adeo viles et contempti, ut in nullo plus valerent, quam terra quæ nullos homines habet. Funiculum autem pro sorte posuit; quia funiculo solet mensurari, secundum illud: *et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis* Psal. 77.. Significat autem quod tam libere regiones Moabitarum, quibus vellet divideret, quam possessor agros proprios. RAB. Significat autem quia quos voluit potuit occidere, et quibus voluit potuit parcere. Quod autem Moab, qui interpretatur *ex patre,* et Syriam Damasci et cæteras regiones tributarias fecit, significat quod Christus omnes gentes sub dominatione sua tenet, et premit, et censum bonorum operum exigit. Damascus enim nobilis urbs Phœnicis eodem vocabulo quo et Maseth ancillæ Abrahæ filius dicitur, et interpretatur *sanguinis poculum.* Syria vero *sublimis* vel *humecta;* quæ enim prius humecta libidine sanguinem humanum inexplebiliter sitiēbat, nunc mundata baptismo Christi, sublimis profectu virtutum, sanguinis ejus poculum desiderat.

erat de universis gentibus quas subegerat,[‡] 12 de Syria, et Moab, et filiis Ammon, et Philistiim, et Amalec, et de manubiis Adarezer filii Rohob regis Soba. 13 Fecit quoque sibi David nomen cum reverteretur capta Syria in valle Salinarum, cæsis decem et octo millibus:[¶] 14 et posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium: et facta est universa Idumæa serviens David, et servavit Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est. 15 Et regnavit David super omnem Israël: faciebat quoque David iudicium et justitiam omni populo suo. 16 Joab autem filius Sarviæ erat super exercitum: porro Josaphat filius Ahilud erat a commentariis:[§] 17 et Sadoc filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar, erant sacerdotes: et Saraias, scriba.^{**} 18 Banaias autem filius Joadæ super Cerethi et Phelethi: filii autem David sacerdotes erant.

9 Et dixit David: Putasne est aliquis qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Jonathan?^{††} 2 Erat autem de domo Saul servus nomine Siba: quem cum vocasset rex ad se, dixit ei: Tune es Siba? Et ille respondit: Ego sum servus tuus. 3 Et ait rex: Numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei? Dixitque Siba regi: Superest filius Jonathæ, debilis pedibus. 4 Ubi, inquit, est? Et Siba ad regem: Ecce, ait, in domo est Machir filii Ammiel, in Lodabar. 5 Misit ergo rex David, et tulit eum de domo Machir filii Ammiel, de Lodabar. 6 Cum autem venisset Miphiboseth filius Jonathæ filii Saul ad David, corruit in faciem suam, et adoravit. Dixitque David: Miphiboseth? Qui respondit: Adsum servus tuus. 7 Et ait ei David: Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Jonathan patrem tuum, et restituam tibi omnes agros Saul patris tui: et tu comedes panem in mensa mea semper. 8 Qui adorans eum, dixit: Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei? 9 Vocavit itaque rex Sibam puerum Saul, et dixit ei: Omnia quæcumque fuerunt Saul, et universam domum ejus, dedi filio domini tui. 10 Operare igitur ei terram tu, et filii tui, et servi tui, et inferes filio domini tui cibos ut alatur: Miphiboseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam. Erant autem Sibæ quindecim filii, et viginti servi. 11 Dixitque Siba ad regem: Sicut jussisti, domine mi rex, servo tuo, sic faciet servus tuus: et Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi unus de

[‡]8.11 *Sanctificavit rex.* Sic Christus omnes quos de gentibus convocat, alios quasi aurum, id est, sensu spirituales facit, alios quasi argentum, id est, eloquentiæ nitore splendentes; alios quasi æs, prædicatione sonoros sanctificat Domino, ut ejus tabernaculo fideliter deserviant.

[¶]8.13 *Cæsis.* HIERON. Quod in quibusdam codicibus duodecim millia cæsa dicuntur vitio scriptorum inolitum est. Veraciter enim David in valle Salinarum decem et octo millia cecidit. Joab vero duodecim millia, sicut in titulo LVIII psalmi scribitur. Significatur autem quod Christus districtione sui examinis, in his qui de illo prava sentiunt, stultitiam immoderati laboris exstinguit.

[§]8.16 *A commentariis.* Vicem regis agebat, cujus iudicio leges scribebantur. Scriba ex ore regis verbo describebat.

^{**}8.17 *Sacerdotes.* Sacerdos quasi sacer dux. Filii autem David ducatum habebant in tribu Juda. RAB. Assidebant regi custodientes corpus ejus, et interpretantur *interficientes* et *vivificantes*, quoniam secundum iudicium eorum digni reservabantur ad vitam, alii ducebantur ad mortem.

^{††}9.1 *Et dixit David,* etc. RAB. in lib. Reg., tom. 3. Ecce David non est oblitus juramenti et fœderis quod cum Jonatha pepigit, etc., usque ad quia in admirationem populi veniunt qui nuper in mundo despecti in Ecclesia apparent gloriosi.

filiis regis. ¹²Habebat autem Miphiboseth filium parvulum nomine Micha: omnis vero cognatio domus Sibæ serviebat Miphiboseth. ¹³Porro Miphiboseth habitabat in Jerusalem, quia de mensa regis jugiter vescebatur: et erat claudus utroque pede.

10 Factum est autem post hæc ut moreretur rex filiorum Ammon, et regnavit Hanon filius ejus pro eo.^{††} ²Dixitque David: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. Misit ergo David, consolans eum per servos suos super patris interitu. Cum autem venissent servi David in terram filiorum Ammon, ³dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum: Putas quod propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores, et non ideo ut investigaret, et exploraret civitatem, et everteret eam, misit David servos suos ad te? ⁴Tulit itaque Hanon servos David, rasiisque dimidiam partem barbæ eorum et præscidit vestes eorum medias usque ad nates, et dimisit eos.^{¶¶} ⁵Quod cum nuntiatus esset David, misit in occursum eorum: erant enim viri confusi turpiter valde, et mandavit eis David: Manete in Jericho donec crescat barba vestra, et tunc revertimini. ⁶Videntes autem filii Ammon quod injuriam fecissent David, miserunt, et conduxerunt mercede Syrum Rohob, et Syrum Soba, viginti millia peditum, et a rege Maacha mille viros, et ab Istob duodecim millia virorum. ⁷Quod cum audisset David, misit Joab et omnem exercitum bellatorum. ⁸Egressi sunt ergo filii Ammon, et direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ: Syrus autem Soba, et Rohob, et Istob, et Maacha, seorsum erant in campo. ⁹Videns igitur Joab quod præparatum esset adversum se prælium et ex adverso et post tergum, elegit ex omnibus electis Israël, et instruxit aciem contra Syrum: ¹⁰reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem adversus filios Ammon. ¹¹Et ait Joab: Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adiutorium: si autem filii Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi. ¹²Esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro et civitate Dei

^{††}10.1 *Factum est autem post hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon, etc., Faciam, etc.* HIERON. Quando David fugit a facie Achis regis Geth, venit ad Naas regem Ammon, qui fecit cum eo misericordiam. De Naas itaque venit ad speluncam Odollam, ubi venerunt ad eum pater ejus et mater, et omnis domus ejus: inde pervenit ad Moab, et dimisit apud eum patrem et matrem et omnem domum suam. Quod vero dixit Achis rex Geth: *Hic ne ingredietur domum meam? Abiit inde David et fugit in speluncam Odollam* I Reg. 21., subaudiendum de domo Naas. Si quæretur cur ad Achis redierit, quem prius fugerat, intelligendum est eum ad quem rediit fuisse filium ejus quem fugit. Unde in sequentibus de Achis, cum quo descendebat David in prælium filius fuisse dicitur Maoch. Non enim a patre hoc patronymicum sed a matre sumpsit, quæ Maacha vocabatur.

^{¶¶}10.4 *Tulit itaque Hanon servos David, rasiisque barbam, etc.* RAB., ex Euch. Significant hæc bellum diaboli contra Ecclesiam. Hanon enim, id est, dolor eorum, diabolus significat, qui Ammonitarum, id est, malignorum spirituum, id est, rector populi mœroris et semper in angustia constitutus, qui comprimere vel angustiare homines desiderat. Radit ergo Hanon barbam dimidiam nuntiorum David, cum diabolus quorundam prædicatorum sermonem vel conversationem corrumpendo maculat. Præcidit tunicas usque ad inguina, cum turpia facta quæ persuadet, in oculis hominum revelat. His necesse est sedeant in Jericho donec crescat barba, ne sint opprobrium aliorum et anathema omnium, id est, donec incrementa virtutum in eis nascantur, et digni habeantur præsentari suo regi. David autem noster milites suos inultos esse non patitur, sed exercitu congregato suorum injuriam vindicat, nec solum adversarios per sanctorum suorum victoriam confundit, sed etiam in extremo judicio perpetuis ignibus tradit.

nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. ¹³Iniit itaque Joab, et populus qui erat cum eo, certamen contra Syros: qui statim fugerunt a facie ejus. ¹⁴Filii autem Ammon videntes quia fugissent Syri, fugerunt et ipsi a facie Abisai, et ingressi sunt civitatem: reversusque est Joab a filiis Ammon, et venit Jerusalem. ¹⁵Videntes igitur Syri quoniam corruissent coram Israël, congregati sunt pariter. ¹⁶Misitque Adarezer, et eduxit Syros qui erant trans fluvium, et adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magister militiæ Adarezer, erat princeps eorum. ¹⁷Quod cum nuntiatum esset David, contraxit omnem Israël, et transivit Jordanem, venitque in Helam: et direxerunt aciem Syri ex adverso David, et pugnaverunt contra eum. ¹⁸Fugeruntque Syri a facie Israël, et occidit David de Syris septingentos currus, et quadraginta millia equitum: et Sobach principem militiæ percussit, qui statim mortuus est. ¹⁹Videntes autem universi reges qui erant in præsidio Adarezer, se victos esse ab Israël, expaverunt, et fugerunt quinquaginta et octo millia coram Israël. Et fecerunt pacem cum Israël, et servierunt eis: timueruntque Syri auxilium præbere ultra filiis Ammon.

11 Factum est autem, vertente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit David Joab, et servos suos cum eo, et universum Israël, et vastaverunt filios Ammon, et obsederunt Rabba: David autem remansit in Jerusalem.^{§§}
² Dum hæc agerentur, accidit ut surgeret David de strato suo post meridiem, et deambulet in solario domus regiæ: viditque mulierem se lavantem ex adverso super

§§11.1 *Factum est autem vertente anno, eo tempore quo,* etc. RAB., ex Hieron. Id est, in vere, quando pulsa frigoris asperitate pabula reperiuntur jumentorum, etc., usque ad sed devicti sunt.

solarium suum: erat autem mulier pulchra valde.* ³ Misit ergo rex, et requisivit quæ

*11.2 *Dum hæc.* RAB. David graviter peccavit, etc., usque ad qui tam grave vulnus peccati, humilitatis confessione sanavit. *Bethsabee.* ISID. Puteus satietatis, vel puteus septimus. Ecclesia vero vocatur puteus aquæ vivæ, et huic puteo septenarii nomen numeri in Spiritus sancti significatione conjungitur, propter rationem Pentecostes, quo die de cœlo Spiritus sanctus missus est. Ad quadraginta novem, id est, septies septem unum additur, quoniam unitas commendatur. Unde: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* Eph. 4.. Dono itaque spiritali, id est, septenario facta est Ecclesia puteus satietatis, quia factus est in ea *fons aquæ salientis in vitam æternam, quam qui biberit non sitiet in æternum* Joan. 4.. GREG. Adhuc carnis corruptibilis pondere gravati non valemus sic vivere, ut nulla nos possit culpæ delectatio pulsare. Sed aliud est nolentem tangi, et aliud consentientem. Sancti autem viri tanto vigilantiori se circumspectione custodiunt, quanto se pulsari sinistris motibus vel transitorie dedignantur, ut si quid forte cor illicitum concupisceret, pressus per disciplinæ magisterium oculus videre recusaret: sicut enim sæpe tentatio per oculos trahitur, sic nonnunquam concepta intrinsecus compellit sibi extrinsecus oculus deservire. Plerumque enim quælibet res innocenti mente respicitur, sed in ipso conspectu animus concupiscentiæ gladio confunditur. Non enim David Uriæ conjugem studiose respexit, quia concupiverat, sed potius concupivit, quia incaute respexit. Justo vero retributionis examine qui exteriori negligenter utitur, interiori oculo cæcatur. Sæpe autem jam intrinsecus concupiscentia dominatur, et illecebratus animus ad usus suos sensus corporeos famulari more tyrannidis exigit, suisque voluptatibus oculos servire compellit, et fenestras luminis aperit ad tenebras cæcitatatis. Unde sancti viri cum sinistra delectatione pulsari se sentiunt, ipsa per quæ formæ species ad mentem ingreditur, disciplinæ magisterio lumina restringunt, ne pravæ cogitationi visio lenocinata famuletur: quæ si unquam subtiliter custodiri negligitur, cogitationis immunditia ad operationem transit. GREG. Sæpe res quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa; sicut aliquando culpa in facto, in scripto prophetiæ virtus. Quis enim non detestetur quod David in solarario deambulans Bethsabee Uriæ concupivit uxorem, quem tamen a prælio revertentem ire domum monet, pedes lavare? Qui protinus respondit dicens: Arca Dei sub pellibus, et ego in domo mea requiescam? Quem David ad mensam propriam suscepit eique epulas per quas mori debeat tradit. Tenet ergo David figuram ejus de quo scriptum est: *In sole posuit tabernaculum suum* Psal. 18.. Qui Bethsabee ad se jubet educere, id est legem litteræ carnali populo conjunctam spiritali sibi intellectu sociare. Bethsabee enim *puteus septem* dicitur, quia per cognitionem legis infusione specialis gratiæ perfecta nobis sapientia ministratur. Urias vero Judaicum populum significat, qui interpretatur *lux mea Dei*: Judaicus enim populus qui de accepta legis scientia extollitur, quasi Dei luce gloriatur. Sed huic David uxorem abstulit sibi conjunxit, quia manu fortis Redemptor apparens, dum de se spiritualiter legem loqui innotuit, per hoc quod juxta litteram tenebantur, hanc a Judaico populo extraneam demonstravit, sibi conjunxit, quia se per illam prædicatum declaravit. Uriam tamen ad domum monet ire, et pedes lavare, quia incarnatus Judæis præcipit, ut ad conscientiam redeant, et sordes operum fletibus tergant; ut specialiter mandata legis intelligant, et post tantam duritiam præceptorum, fontem baptismi invenientes, ad aquam post laborem currant. Sed Urias, qui arcam Domini esse sub pellibus meminit, respondet, quia domum suam intrare non possit. Quod dicit: Ego mandata Dei in sacrificiis carnalibus video, et redire ad conscientiam per spiritualem intelligentiam non requiro. Quasi enim arcam Dei esse sub pellibus dicit, quia præcepta Dei non nisi exhibendo ministerium carnalis sacrificii intelligit. Hunc tamen redire domum nolentem David ad mensam vocat, quia cum Judæi ad conscientiam reverti contemnant, Christus tamen spiritualia prædicat dicens: *Si crederetis Mosi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit* Joan. 5.. Legem enim Judæus tenet, quæ ejus divinitatem loquitur, cui credere dedignatur. Unde et Urias ad Joab cum epistolis ex quibus occidi debeat, mittitur, quia Judæus legem portat, qua convincente moriatur. Cum enim mandata legis retinens implere nititur, ipse defert iudicium unde damnetur. Quid ergo per factum istud David scelestius? Quid Uriæ mundius? Sed ad mysterium: quid David sanctius? Quid Uriæ infidelius? Quia ille per vitæ culpam prophetiæ signat innocentiam; et istæ per vitæ innocentiam in prophetia exprimit culpam. Virtus enim sacri eloquii sic transacta narrat, ut ventura exprimat: sic in

esset mulier. Nuntiatumque est ei quod ipsa esset Bethsabee filia Eliam, uxor Uriæ Hethæi. ⁴ Missis itaque David nuntiis, tulit eam: quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea: statimque sanctificata est ab immunditia sua, ⁵ et reversa est domum suam concepto fœtu. Mittensque nuntiavit David, et ait: Concepi. ⁶ Misit autem David ad Joab, dicens: Mitte ad me Uriam Hethæum. Misitque Joab Uriam ad David. ⁷ Et venit Urias ad David. Quæsivitque David quam recte ageret Joab et populus, et quomodo administraretur bellum. ⁸ Et dixit David ad Uriam: Vade in domum tuam, et lava pedes tuos. Et egressus est Urias de domo regis, secutusque est eum cibus regius. ⁹ Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis servis domini sui, et non descendit ad domum suam. ¹⁰ Nuntiatumque est David a dicentibus: Non ivit Urias in domum suam. Et ait David ad Uriam: Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam? ¹¹ Et ait Urias ad David: Arca Dei et Israël et Juda habitant in papilionibus, et dominus meus Joab et servi domini mei super faciem terræ manent: et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam, et dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc. ¹² Ait ergo David ad Uriam: Mane hic etiam hodie, et cras dimittam te. Mansit Urias in Jerusalem in die illa et altera: ¹³ et vocavit eum David ut comederet coram se et biberet, et inebriavit eum: qui egressus vespere, dormivit in strato suo cum servis domini sui, et in domum suam non descendit. ¹⁴ Factum est ergo mane, et scripsit David epistolam ad Joab: misitque per manum Uriæ, ¹⁵ scribens in epistola: Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium: et derelinquite eum, ut percussus intereat. [†] ¹⁶ Igitur cum Joab obsideret urbem, posuit Uriam in loco ubi sciebat viros esse fortissimos. ¹⁷ Egressique viri de civitate, bellabant adversum Joab, et ceciderunt de populo servorum David, et mortuus est etiam Urias Hethæus. ¹⁸ Misit itaque Joab, et nuntiavit David omnia verba prælii: ¹⁹ præcepitque nuntio, dicens: Cum compleveris universos sermones belli ad regem, ²⁰ si eum videris indignari, et dixerit: Quare accessistis ad murum, ut præliaremini? an ignorabatis quod multa desuper ex muro tela mittantur? ²¹ Quis percussit Abimelech filium Jerobaal? nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, et interfecit eum in Thebes? quare juxta murum accessistis? dices: Etiam servus tuus Urias Hethæus occubuit. ²² Abiit ergo nuntius, et venit, et narravit David omnia quæ ei præceperat Joab. ²³ Et dixit nuntius ad David: Prævaluerunt adversum nos viri, et egressi sunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu persecuti eos sumus usque ad portam civitatis. ²⁴ Et direxerunt jacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper, mortuique sunt de servis regis: quin etiam servus tuus Urias Hethæus mortuus est. ²⁵ Et dixit David ad nuntium: Hæc dices Joab: Non te frangat ista res: varius enim eventus est belli, nunc hunc, et nunc illum consumit gladius: conforta bellatores tuos adversum urbem ut destruas eam, et exhortare eos. ²⁶ Audivit autem uxor Uriæ quod mortuus esset Urias vir suus, et planxit eum. ²⁷ Transacto autem luctu, misit David, et introduxit eam in domum suam, et facta est ei uxor, peperitque ei filium: et displicuit verbum hoc quod fecerat David, coram Domino.

[†]11.15 *Ponite Uriam*, etc. GREG., lib. XXXIII Moral., cap. 10. Ad hoc in Scriptura David et Petri peccata sunt indita, ut cautela minorum sit ruina majorum, etc., usque ad secreto ergo dispensationis ordine unde sævire permittitur iniquitas diaboli, inde perficitur benignitas Dei, quia inde obtemperat nutibus supernæ gratiæ, unde exercet iram voluntatis suæ.

12 Misit ergo Dominus Nathan ad David: qui cum venisset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in civitate una, unus dives, et alter pauper. ²Dives habebat oves et boves plurimos valde. ³Pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam quam emerat et nutrierat, et quæ creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, et de calice ejus bibens, et in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia. ⁴Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens ille sumere de ovibus et de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, et præparavit cibos homini qui venerat ad se. ⁵Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. ⁶Ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, et non pepererit. ⁷Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego unxi te in regem super Israël, et ego erui te de manu Saul, ⁸et dedi tibi domum domini tui, et uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israël et Juda: et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora. ⁹Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. ¹⁰Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriæ Hethæi ut esset uxor tua. ¹¹Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo: et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus. ¹²Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, et in conspectu solis. ¹³Et dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.[‡] ¹⁴Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. ¹⁵Et reversus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus parvulum quem pepererat uxor Uriæ David, et desperatus est. ¹⁶Deprecatusque est David Dominum pro parvulo: et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsum, jacuit super terram. ¹⁷Venerunt autem seniores domus ejus, cogentes eum ut surgeret de terra: qui noluit, nec comedit cum eis cibum. ¹⁸Accidit autem die septima ut moreretur infans: timueruntque servi David nuntiare ei quod mortuus esset parvulus: dixerunt enim: Ecce cum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, et non audiebat vocem nostram: quanto magis si dixerimus: Mortuus est puer, se affliget? ¹⁹Cum ergo David vidisset servos suos mussitantes, intellexit quod mortuus esset infantulus: dixitque ad servos suos: Num mortuus est puer? Qui responderunt ei: Mortuus est. ²⁰Surrexit ergo David de terra, et lotus unctusque est: cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini: et adoravit, et venit in domum suam,

[‡]12.13 *Dixitque Nathan ad David*, etc. RAB. ex Euch. Omnia tamen, quæ pro peccato prædicta sunt ei, postmodum toleravit. Deus delictum delet, sed inultum non deserit. Aut enim homo in se poenitens punit, aut Deus hæc cum homine vindicans percutit. Non igitur peccato parcitur, quia sine vindicta non laxatur. Sic enim David audire post confessionem meruit, *Dominus transtulit peccatum tuum*, et tamen multis post cruciatibus afflictus effugiens reatum culpæ quam perpetraverat exsolvit. Sic nos salutis unda a culpa primi parentis absolvimur, sed absoluti quoque adhuc carnaliter obimus, quia delicta nostra vel per nos vel per seipsum Deus resecat etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis perpetuo non vult videre.

petivitque ut ponerent ei panem, et comedit. ²¹ Dixerunt autem ei servi sui: Quis est sermo quem fecisti? propter infantem, cum adhuc viveret, jejunasti et flebas: mortuo autem puero, surrexisti, et comedisti panem. ²² Qui ait: Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi et flevi: dicebam enim: Quis scit si forte donet eum mihi Dominus, et vivat infans? ²³ Nunc autem quia mortuus est, quare jejunem? numquid potero revocare eum amplius? ego vadam magis ad eum: ille vero non revertetur ad me. ²⁴ Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam, ingressusque ad eam dormivit cum ea: quæ genuit filium, et vocavit nomen ejus Salomon: et Dominus dilexit eum. ²⁵ Misitque in manu Nathan prophetæ, et vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus. ²⁶ Igitur pugnabat Joab contra Rabbath filiorum Ammon, et expugnabat urbem regiam. ²⁷ Misitque Joab nuntios ad David, dicens: Dimicavi adversum Rabbath, et capienda est Urbs aquarum.[†] ²⁸ Nunc igitur congrega reliquam partem populi, et obside civitatem, et cape eam: ne cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo ascribatur victoria. ²⁹ Congregavit itaque David omnem populum, et profectus est adversum Rabbath: cumque dimicasset, cepit eam. ³⁰ Et tulit diadema regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas: et impositum est super caput David. Sed et prædam civitatis asportavit multam valde:[§] ³¹ populum quoque ejus adducens serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta: divisitque cultris, et traduxit in typo laterum: sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon. Et reversus est David et omnis exercitus in Jerusalem.

13 Factum est autem post hæc ut Absalom filii David sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David, ² et deperiret eam valde, ita ut propter amorem ejus ægrotaret: quia cum esset virgo, difficile ei videbatur ut quippiam inhoneste ageret cum ea. ³ Erat autem Amnon amicus nomine Jonadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valde. ⁴ Qui dixit ad eum: Quare sic attenuaris macie, fili regis, per singulos dies? cur non indicas mihi? Dixitque ei Amnon: Thamar sororem fratris mei Absalom amo. ⁵ Cui respondit Jonadab: Cuba super lectum tuum, et languorem simula: cumque venerit pater tuus ut visitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum, et faciat pulmentum, ut comedam de manu ejus. ⁶ Accubuit itaque Amnon, et quasi ægrotare cœpit: cumque venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat, obsecro, Thamar soror mea, ut faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, et cibum capiam de manu ejus.^{**} ⁷ Misit ergo David ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Amnon fratris tui, et fac ei pulmentum. ⁸ Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui: ille autem jacebat.

[†]12.27 *Misitque Joab nuntios*, etc. RAB. Hæc victoria David quam Joab inchoavit, etc., usque ad et in Evangelio dicitur, *quia multi venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum* Matth. 8.. *Urbs aquarum*, etc. Propter abundantiam quæ ibi erat aquæ, vel, ut quidam dicunt, populorum.

[§]12.30 *Et tulit*, etc. RAB. In Paralipomenon ita legitur: *Tulit David coronam Melchon de capite ejus, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas. Fecitque sibi inde diadema* I Par. 20.. Non est enim nomen proprium Melchon, sed interpretatur *rex eorum*. Melchon, ut volunt Hæbræi, idolum est Ammonitarum, cujus diadematis aurum et gemmas David dicitur conflasse et purgasse secundum legem, et fecisse sibi diadema.

^{**}13.6 *Sorbitiunculas*. Est quod ad sorbendum aptum est.

Quæ tollens farinam commiscuit, et liquefaciens, in oculis ejus coxit sorbitiunculas. ⁹Tollensque quod coxerat, effudit, et posuit coram eo, et noluit comedere: dixitque Amnon: Ejicite universos a me. Cumque ejecissent omnes, ¹⁰dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in conclave, ut vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar sorbitiunculas quas fecerat, et intulit ad Amnon fratrem suum in conclave. ¹¹Cumque obtulisset ei cibum, apprehendit eam, et ait: Veni, cuba mecum, soror mea. ¹²Quæ respondit ei: Noli frater mi, noli opprimere me: neque enim hoc fas est in Israël: noli facere stultitiam hanc. ¹³Ego enim ferre non potero opprobrium meum, et tu eris quasi unus de insipientibus in Israël: quin potius loquere ad regem, et non negabit me tibi. ¹⁴Noluit autem acquiescere precibus ejus, sed prævalens viribus oppressit eam, et cubavit cum ea.†† ¹⁵Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis: ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat. Dixitque ei Amnon: Surge, et vade.‡‡ ¹⁶Quæ respondit ei: Majus est hoc malum quod nunc agis adversum me, quam quod ante fecisti, expellens me. Et noluit audire eam: ¹⁷sed vocato puero qui ministrabat ei, dixit: Ejice hanc a me foras, et claude ostium post eam. ¹⁸Quæ induta erat talari tunica: hujuscemodi enim filiæ regis virgines vestibus utebantur. Ejecit itaque eam minister illius foras: clausitque fores post eam. ¹⁹Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, et clamans. ²⁰Dixit autem ei Absalom frater suus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum? sed nunc soror, tace: frater tuus est: neque affligas cor tuum pro hac re. Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui. ²¹Cum autem audisset rex David verba hæc, contristatus est valde: et noluit contristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei. ²²Porro non est locutus Absalom ad Amnon nec malum nec bonum: oderat enim Absalom Amnon, eo quod violasset Thamar sororem suam. ²³Factum est autem post tempus biennii ut tonderentur oves Absalom in Baalhasor, quæ est juxta Ephraim: et vocavit Absalom omnes filios regis, ²⁴venitque ad regem, et ait ad eum: Ecce tondentur oves servi tui: veniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum. ²⁵Dixitque rex ad Absalom: Noli fili mi, noli rogare ut veniamus omnes et gravemus te. Cum autem cogeret eum, et noluisset ire, benedixit ei. ²⁶Et ait Absalom: Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex: Non est necesse ut vadat tecum. ²⁷Coëgit itaque Absalom eum, et dimisit cum eo Amnon et universos filios regis. Feceratque Absalom convivium quasi convivium regis. ²⁸Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens: Observate cum temulen-

††13.14 **Oppressit.** RAB. Incestus Amnon majoris filii David in sorore sua Thamar et parricidium Absalon in Amnon fratre, monet nos ut semper caute agamus, ne vitia in nobis dominentur; et princeps peccati qui falsam pacem periclitantibus spondet nos imparatos inveniens de improvviso trucidet. Absalon enim **pater pacis** vel **patris pax** interpretatur, Amnon **donans**, Thamar **amaritudo**. Qui enim membra sua donat libidini, et servit iniquitati ad iniquitatem, in peccati amaritudinem cadit, licet inimicus se quasi patrem pacis ostendat, et prospera pro talibus factis promittat. Necesse est enim ut cito ad pœnitentiam redeamus, ne forte diabolus per malignos spiritus in necem nostram conspiret, et morti perpetuæ tradat.

‡‡13.15 **Et exosam eam habuit,** etc. Et nos admissum facinus odio habeamus, magis quam ante perpetrationem dilexeramus, et ob hoc citius consequemur veniam, si tamen in alio vitio denuo non offendamus sicut Amnon: qui quia post incestum ebrietatem non vitavit, ob hoc mortem non evasit.

tus fuerit Amnon vino, et dixero vobis: Percutite eum, et interficite: nolite timere: ego enim sum qui præcipio vobis: roboramini, et estote viri fortes. ²⁹ Fecerunt ergo pueri Absalom adversum Amnon sicut præceperat eis Absalom. Surgentesque omnes filii regis ascenderunt singuli mulas suas, et fugerunt. ³⁰ Cumque adhuc pergerent in itinere, fama pervenit ad David, dicens: Percussit Absalom omnes filios regis, et non remansit ex eis saltem unus. ³¹ Surrexit itaque rex, et scidit vestimenta sua, et cecidit super terram: et omnes servi illius qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua. ³² Respondens autem Jonadab filius Semmaa fratris David, dixit: Ne aestimet dominus meus rex quod omnes pueri filii regis occisi sint: Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus ex die qua oppressit Thamar sororem ejus. ³³ Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens: Omnes filii regis occisi sunt: quoniam Amnon solus mortuus est. ³⁴ Fugit autem Absalom. Et elevavit puer speculator oculos suos, et aspexit: et ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis. ³⁵ Dixit autem Jonadab ad regem: Ecce filii regis adsunt: juxta verbum servi tui, sic factum est. ³⁶ Cumque cessasset loqui, apparuerunt et filii regis: et intrantes levaverunt vocem suam, et fleverunt: sed et rex et omnes servi ejus fleverunt ploratu magno nimis. ³⁷ Porro Absalom fugiens abiit ad Tholomai filium Ammiud regem Gessur. Luxit ergo David filium suum cunctis diebus. ^{¶¶} ³⁸ Absalom autem cum fugisset, et venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis. ³⁹ Cessavitque rex David persequi Absalom, eo quod consolatus esset super Amnon interitu. ^{§§}

14 Intelligens autem Joab filius Sarviæ quod cor regis versum esset ad Absalom, ² misit Thecuam, et tulit inde mulierem sapientem: dixitque ad eam: Lugere te simula, et induere veste lugubri, et ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum: ³ et ingredieris ad regem, et loqueris ad eum sermones hujuscemodi. Posuit autem Joab verba in ore ejus. ⁴ Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram, et adoravit, et dixit: Serva me, rex. ⁵ Et ait ad eam rex: Quid causæ habes? Quæ respondit: Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus. ⁶ Et ancillæ tuæ erant duo filii: qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset: et percussit alter alterum, et interfecit eum. ^{*} ⁷ Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit: Trade eum qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit, et deleamus hæredem: et quærunt extinguere scintillam meam quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, et reliquiæ super terram. ⁸ Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, et ego jubebo pro te. ⁹ Dixitque mulier Thecuitis ad regem: In me, domine mi rex, sit iniquitas, et in domum patris mei: rex

^{¶¶}13.37 *Tholomai*. Hic fuit pater Maacha matris Absalom, quam dicunt Hebræi David in prælio cepisse, et cæsarie et unguibus præcisit secundum legem in uxorem sibi sociasse, et ex ea generasse Thamar et Absalom.

^{§§}13.39 *Cessavitque*. In Hebræo, *cessavit rex exire post Absalom*. Perhibetur enim David exire voluisse post Absalom, ut revocaret eum, sed putans quia quoties eum videret, mortem Amnon ad memoriam reduceret, cessavit exire.

^{*}14.6 *Et ancillæ*, etc. HIERON. Aiunt Hebræi hanc mulierem vere duos filios habuisse, et pro hæreditate certasse, et alterum ab altero interemptum; mulier tamen se in persona David posuit: et filios in persona Amnon et Absalom: cognationem vero quæ consurgit contra filium, in persona aliorum filiorum David.

autem et thronus ejus sit innocens.[†] ¹⁰ Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, et ultra non addet ut tangat te. ¹¹ Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum, et nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram. ¹² Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait: Loquere. ¹³ Dixitque mulier: Quare cogitasti hujuscemodi rem contra populum Dei, et locutus est rex verbum istud, ut peccet, et non reducat ejectum suum? ¹⁴ Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur: nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abjectus est. ¹⁵ Nunc igitur veni, ut loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præsentem populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad regem, si quomodo faciat rex verbum ancillæ suæ. ¹⁶ Et audivit rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium qui volebant de hæreditate Dei delere me, et filium meum simul. ¹⁷ Dicat ergo ancilla tua, ut fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium. Sicut enim angelus Dei, sic est dominus meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur: unde et Dominus Deus tuus est tecum. ¹⁸ Et respondens rex, dixit ad mulierem: Ne abscondas a me verbum quod te interrogo. Dixitque ei mulier: Loquere, domine mi rex. ¹⁹ Et ait rex: Numquid manus Joab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, et ait: Per salutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est ex omnibus his quæ locutus est dominus meus rex: servus enim tuus Joab, ipse præcepit mihi, et ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. ²⁰ Ut verterem figuram sermonis hujus, servus tuus Joab præcepit istud: tu autem, domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram. ²¹ Et ait rex ad Joab: Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, et revoca puerum Absalom. ²² Cadensque Joab super faciem suam in terram, adoravit, et benedixit regi: et dixit Joab: Hodie intellexit servus tuus quia inveni gratiam in oculis tuis, domine mi rex: fecisti enim sermonem servi tui. ²³ Surrexit ergo Joab et abiit in Gessur, et adduxit Absalom in Jerusalem. ²⁴ Dixit autem rex: Revertatur in domum suam, et faciem meam non videat. Reversus est itaque Absalom in domum suam, et faciem regis non vidit. ²⁵ Porro sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israël, et decorus nimis: a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. ²⁶ Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries), ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico. ²⁷ Nati sunt autem Absalom filii tres, et filia una nomine Tamar, elegantis formæ. ²⁸ Mansitque Absalom in Jerusalem duobus annis, et faciem regis non vidit. ²⁹ Misi itaque ad Joab, ut mitteret eum ad regem: qui noluit venire ad eum. Cumque secundo misisset, et ille noluisset venire ad eum, ³⁰ dixit servis suis: Scitis agrum Joab juxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, et succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalom segetem igni. Et venientes servi Joab, scissis vestibibus suis, dixerunt: Succenderunt servi Absalom partem agri igni. ³¹ Surrexitque Joab, et venit ad Absalom in domum ejus, et dixit: Quare succenderunt servi tui segetem meam igni? ³² Et respondit Absalom ad Joab: Misi ad te obsecrans ut venires ad me, et mitterem te ad

[†]14.9 *In me, Domine mi.* ID. Quasi diceret: quia alter adversus alterum surrexit, in me sit iniquitas, si tamen esse debet; in te autem nulla sit, quia absque culpa es, et sicut ego absque culpa sum, si alter filius meus interfectus est ab altero, sic et tu si Absalom Amnon morte dignum interfecit.

regem, et dices ei: Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse: obsecro ergo ut videam faciem regis: quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me. ³³ Ingressus itaque Joab ad regem, nuntiavit ei omnia: vocatusque est Absalom, et intravit ad regem, et adoravit super faciem terræ coram eo: osculatusque est rex Absalom.

15 Igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, et equites, et quinquaginta viros qui præcederent eum.[‡] ² Et mane consurgens Absalom, stabat juxta introitum portæ, et omnem virum qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium, vocabat Absalom ad se, et dicebat: De qua civitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex una tribu Israël ego sum servus tuus. ³ Respondebatque ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni et justii, sed non est qui te audiat constitutus a rege. Dicebatque Absalom: ⁴ Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et juste judicem? ⁵ Sed et cum accederet ad eum homo ut salutaret illum, extendebat manum suam, et apprehendens osculabatur eum. ⁶ Faciebatque hoc omni Israël venienti ad judicium ut audiretur a rege, et sollicitabat corda virorum Israël. ⁷ Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad regem David: Vadam, et reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron.[¶] ⁸ Vovens enim vovit servus tuus cum esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Domino. ⁹ Dixitque ei rex David: Vade in pace. Et surrexit, et abiit in Hebron. ¹⁰ Misit autem Absalom exploratores in universas tribus Israël, dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Absalom in Hebron. ¹¹ Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Jerusalem vocati, euntes simplici corde, et causam penitus ignorantes. ¹² Accersivit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David, de civitate sua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta est conjuratio valida, populusque concurrere augebatur cum Absalom. ¹³ Venit igitur nuntius ad David, dicens: Toto corde universus Israël sequitur Absalom. ¹⁴ Et ait David servis suis qui erant cum eo in Jerusalem: Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium a facie Absalom: festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, et impellat super nos ruinam, et percutiat civitatem in ore gladii. ¹⁵ Dixeruntque servi regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit dominus noster rex, libenter exequemur servi tui. ¹⁶ Egressus est ergo rex et universa domus ejus pedibus suis: et dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. ¹⁷ Egressusque rex et omnis Israël pedibus suis, stetit procul a domo: ¹⁸ et universi servi ejus ambulabant juxta eum, et legiones Cerethi, et Phelethi, et omnes Gethæi, pugnatore validi, sexcenti viri qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem. ¹⁹ Dixit autem rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum? revertere, et habita cum rege, quia peregrinus es, et egressus es de loco tuo. ²⁰ Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi? ego autem vadam quo iturus sum: revertere, et reduc tecum fratres tuos, et Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia ostendisti gratiam et fidem. ²¹ Et respondit Ethai regi dicens: Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex,

[‡]15.1 *Igitur post.* Duobus annis mansit in Hierusalem et regem non vidit, tertio introductus est coram rege, quarto fecit sibi currus et equites: quo transacto expulsi patrem de regno. Nec pro seductione et interfectione sacerdotum ejectus est de regno, sed pro adulterio et homicidio, Nathan cuncta prædicente.

[¶]15.7 *Post quadraginta autem annos.* HIERON., quæst. in Reg., tom. 3. Quadragismus annus agebatur ex quo Saul Nobe civitatem subvertit, etc., usque ad Isaac et Jacob.

quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. ²² Et ait David Ethai: Veni, et transi. Et transivit Ethai Gethæus, et omnes viri qui cum eo erant, et reliqua multitudo. ²³ Omnesque flebant voce magna, et universus populus transibat: rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron, et cunctus populus incedebat contra viam quæ respicit ad desertum. ²⁴ Venit autem et Sadoc sacerdos, et universi Levitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei: et deposuerunt arcam Dei. Et ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus qui egressus fuerat de civitate. [§] ²⁵ Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in urbem: si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, et ostendet mihi eam, et tabernaculum suum. ^{**} ²⁶ Si autem dixerit mihi: Non places: præsto sum: faciat quod bonum est coram se. ²⁷ Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem: O videns, revertere in civitatem in pace: et Achimaas filius tuus, et Jonathas filius Abiathar, duo filii vestri, sint vobiscum. ²⁸ Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo a vobis indicans mihi. ²⁹ Reportaverunt ergo Sadoc et Abiathar arcam Dei in Jerusalem, et manserunt ibi. ³⁰ Porro David ascendebat clivum Olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens, et operto capite: sed et omnis populus qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans. ³¹ Nuntiatum est autem David quod et Achitophel esset in conjuratione cum Absalom: dixitque David: Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel. ³² Cumque ascenderet David summitatem montis in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, et terra pleno capite. ^{††} ³³ Et dixit ei David: Si veneris mecum, eris mihi oneri: ³⁴ si autem in civitatem revertaris, et dixeris Absalom: Servus tuus sum, rex: sicut fui servus patris tui, sic ero servus tuus: dissipabis consilium Achitophel. ³⁵ Habes autem tecum Sadoc et Abiathar sacerdotes: et omne verbum quodcumque audieris de domo regis, indicabis Sadoc et Abiathar sacerdotibus. ³⁶ Sunt autem cum eis duo filii eorum Achimaas filius Sadoc, et Jonathas filius Abiathar: et mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis. ³⁷ Veniente ergo Chusai amico David in civitatem, Absalom quoque ingressus est Jerusalem.

16 Cumque David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum ejus, cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, et centum alligaturis uvæ passæ, et centum massis palatharum, et utre vini. ² Et dixit rex Sibæ: Quid sibi volunt hæc? Responditque Siba: Asini, domesticis regis ut sedeant: panes et palathæ ad vescendum pueris tuis: vinum autem ut bibat siquis defecerit in deserto. ³ Et ait rex: Ubi est filius domini tui? Responditque Siba regi: Remansit in Jerusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israël regnum patris mei. ⁴ Et ait rex Sibæ: Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth. Dixitque Siba: Oro ut inveniam gratiam coram te, domine mi rex. ⁵ Venit ergo rex David usque Bahurim: et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera: procedebatque egrediens, et maledicebat, ⁶ mittebatque lapides contra

[§]15.24 *Et deposuerunt arcam*, etc. Ut ab Abiathar sacerdote consuleretur Deus, quo deberet ire David.

^{**}15.25 *Sadoc*. Justus is gestat personam sanctorum, qui tempore passionis Domini corpore quidem discesserunt, verum dilectione separati non sunt.

^{††}15.32 *Chusai*. Amicus David. Chusai interpretatur *festinans*, qui Jerusalem revertens, consilium Achitophel dissipavit, significat discipulos Domini ex Judæis occultos, Nicodemum, Joseph et similes.

David et contra universos servos regis David: omnis autem populus, et universi belatores, a dextro et a sinistro latere regis incedebant. ⁷ Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi: Egredere, egredere, vir sanguinum, et vir Belial. ⁸ Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul: quoniam invasisti regnum pro eo, et dedit Dominus regnum in manu Absalom filii tui: et ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. ⁹ Dixit autem Abisai filius Sarviæ regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam, et amputabo caput ejus. ¹⁰ Et ait rex: Quid mihi et vobis est, filii Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei ut malediceret David: et quis est qui audeat dicere quare sic fecerit? ¹¹ Et ait rex Abisai, et universis servis suis: Ecce filius meus qui egressus est de utero meo, quærit animam meam: quanto magis nunc filius Jemini? Dimittite eum ut maledicat juxta præceptum Domini: ¹² si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. ¹³ Ambulabat itaque David et socii ejus per viam cum eo. Semei autem per jugum montis ex latere contra illum gradiebatur, maledicens, et mittens lapides adversum eum, terramque spargens. ¹⁴ Venit itaque rex, et universus populus cum eo lassus, et refocillati sunt ibi. ¹⁵ Absalom autem et omnis populus ejus ingressi sunt Jerusalem, sed et Achitophel cum eo. ¹⁶ Cum autem venisset Chusai Arachites amicus David ad Absalom, locutus est ad eum: Salve rex, salve rex. ¹⁷ Ad quem Absalom: Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non ivisti cum amico tuo? ¹⁸ Responditque Chusai ad Absalom: Nequaquam: quia illius ero, quem elegit Dominus, et omnis hic populus, et universus Israël: et cum eo manebo. ¹⁹ Sed ut et hoc inferam, cui ego serviturus sum? nonne filio regis? Sicut parui patri tuo, ita parebo et tibi. ²⁰ Dixit autem Absalom ad Achitophel: Inite consilium quid agere debeamus. ²¹ Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum: ut cum audierit omnis Israël quod fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. ²² Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israël. ²³ Consilium autem Achitophel quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, et cum esset cum David, et cum esset cum Absalom.

17 Dixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, et consurgens persequar David hac nocte. ² Et irruens super eum (quippe qui lassus est, et solutis manibus), percutiam eum: cumque fugerit omnis populus

¶16.9 *Quid mihi?* Solus Abisai dixerat: *Vadam et amputabo*. Et David Abisai et Joab respondit: *Quid mihi?* Nunquid vultis interficere istum sicut interfecistis Abner? *Dimittite*. GREG. lib. XXX Moral., cap. 9. Qui verborum contumeliis pressus virtutem patientiæ servare non potest vel sufficit, etc., usque ad quarum interventu, Deo iudice, pœna gravior declinatur.

¶16.13 *Semei autem*. RAB. Hic est Nabath pater Jeroboam secundum Hebræos, qui filius Jemini dicitur, et in zelo domus Saul maledicit David. Nomen vero avi ejus Jemini fuit. Ipse Semei ex tribu Ephraim filii Joseph exstitit, unde dicit ad David: *Primus veni hodie de omni tribu Joseph*. Sed Semei, ut superius legitur, de cognatione Saul fuit. Saul vero de Benjamin. In Esdra Semei filius Cis legitur, quia et Cis et Gera vocabatur, pater ejus filius Jemini, id est Benjamin hic legitur; sed de tribu Joseph primus venisse dicitur, quia in tribu Joseph habitavit.

¶16.15 *Achitophel*. RAB. Interpretatur *ruina fratris*. Judas de ruina Christi agens, consilium dedit Judæis adversus Christum, uterque suspendio interiit.

qui cum eo est, percutiam regem desolatum. ³ Et reducam universum populum, quomodo unus homo reverti solet: unum enim virum tu quæris: et omnis populus erit in pace. ⁴ Placuitque sermo ejus Absalom, et cunctis majoribus natu Israël. ⁵ Ait autem Absalom: Vocate Chusai Arachiten, et audiamus quid etiam ipse dicat. ⁶ Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum: Hujuscemodi sermonem locutus est Achitophel: facere debemus an non? quod das consilium? ⁷ Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium quod dedit Achitophel hac vice. ⁸ Et rursum intulit Chusai: Tu nosti patrem tuum, et viros qui cum eo sunt, esse fortissimos et amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in saltu sæviat: sed et pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo. ⁹ Forsitan nunc latitat in foveis, aut in uno, quo voluerit, loco: et cum ceciderit unus quilibet in principio, audiet quicumque audierit, et dicet: Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom. ¹⁰ Et fortissimus quisque, cujus cor est quasi leonis, pavore solvetur: scit enim omnis populus Israël fortem esse patrem tuum, et robustos omnes qui cum eo sunt. ¹¹ Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium. Congregetur ad te universus Israël, a Dan usque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: et tu eris in medio eorum. ¹² Et irruemus super eum in quocumque loco inventus fuerit, et operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram: et non relinquemus de viris qui cum eo sunt, ne unum quidem. ¹³ Quod si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israël civitati illi funes, et trahemus eam in torrentem, ut non reperiat ne calculus quidem ex ea. ¹⁴ Dixitque Absalom, et omnes viri Israël: Melius est consilium Chusai Arachitæ, consilio Achitophel: Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum. ¹⁵ Et ait Chusai Sadoc et Abiathar sacerdotibus: Hoc et hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom et senioribus Israël: et ego tale et tale dedi consilium. ¹⁶ Nunc ergo mittite cito, et nuntiate David, dicentes: Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere: ne forte absorbeatur rex, et omnis populus qui cum eo est. ¹⁷ Jonathas autem et Achimaas stabant juxta fontem Rogel: abiit ancilla et nuntiavit eis. Et illi profecti sunt, ut referrent ad regem David nuntium: non enim poterant videri, aut introire civitatem. ¹⁸ Vidit autem eos quidam puer, et indicavit Absalom: illi vero concito gradu ingressi sunt domum cujusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo: et descenderunt in eum. ¹⁹ Tulit autem mulier, et expandit velamen super os putei, quasi

*17.10 *Et fortissimus.* HIERON. In Hebræo: *Fortissimus ipse cujus est cor quasi leo pavore solvetur*, subaudis non fortissimus iste David intelligitur. Unde: *Scit enim.* ISID. in lib. I Reg. Secundum allegoriam considerare oportet, etc., usque ad a cujus facie fugit Christus quando eam deseruit et ad gentes transiit.

†17.14 *Absalom.* Alii Absalom Judam traditorem accipiunt, quem Christus pertulit tanquam ejus cogitationes ignoraverit, et convivium participavit ei, in quo corporis et sanguinis figuram discipulis commendavit. In ipsa vero traditione ab ipso osculum accepit, ideo Absalom *pax pacis* dicitur, quia pacem pater habuit quam ille non habuit. *Achitophel.* RAB. Qui recedens a David, etc., usque ad sicut Achitophel in propria domo suspendio interiit, qui in aliena vitæ David insidiatus est. *Qui enim fodit foveam, incidit in eam. Et insidiis suis capiuntur iniqui* Prov. XI; 25. *Chusai.* ID. Arachites antiquus amicus David, etc., usque ad ut convertantur beneficiorum occasione. ID. Quod autem Jonathan, qui interpretatur *columbæ domum*, et Achimaas frater ejus, ad explorandum factum Absalom et David renuntiandum decreti fugientes Absalom, etc., usque ad et homines a persecutione hostis protecti liberantur.

siccans ptisanas: et sic latuit res. ²⁰ Cumque venissent servi Absalom in domum, ad mulierem dixerunt: Ubi est Achimaas et Jonathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi qui quærebant, cum non reperissent, reversi sunt in Jerusalem. ²¹ Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, et pergentes nuntiaverunt regi David, et dixerunt: Surgite, et transite cito fluvium: quoniam hujuscemodi dedit consilium contra vos Achitophel. ²² Surrexit ergo David, et omnis populus qui cum eo erat, et transierunt Jordanem, donec dilucesceret: et ne unus quidem residuus fuit, qui non transisset fluvium. ²³ Porro Achitophel videns quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque, et abiit in domum suam et in civitatem suam: et disposita domo sua, suspendio interiit, et sepultus est in sepulchro patris sui. ²⁴ David autem venit in castra, et Absalom transivit Jordanem, ipse et omnes viri Israël cum eo. ²⁵ Amasam vero constituit Absalom pro Joab super exercitum: Amasa autem erat filius viri qui vocabatur Jetra de Jezraëli, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Sarviæ, quæ fuit mater Joab. ²⁶ Et castrametatus est Israël cum Absalom in terra Galaad. ²⁷ Cumque venisset David in castra, Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, et Machir filius Ammihel de Lodabar, et Berzellai Galaadites de Rogelim, ²⁸ obtulerunt ei stratoria, et tapetia, et vasa fictilia, frumentum, et hordeum, et farinam, et polentam, et fabam, et lentem, et frixum cicer, ²⁹ et mel, et butyrum, oves, et pingues vitulos: dederuntque David, et populo qui cum eo erat, ad vescendum: suspicati enim sunt populum fame et siti fatigari in deserto.

18 Igitur considerato David populo suo, constituit super eos tribunos et centuriones, ² et dedit populi tertiam partem sub manu Joab, et tertiam partem sub manu Abisai filii Sarviæ fratris Joab, et tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth. Dixitque rex ad populum: Egrediar et ego vobiscum. ³ Et respondit populus: Non exhibis: sive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: sive media pars ceciderit e nobis, non satis curabunt, quia tu unus pro decem millibus computaris: melius est igitur ut sis nobis in urbe præsidio. ⁴ Ad quos rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex juxta portam: egrediebaturque populus per turmas suas centeni et milleni. ⁵ Et præcepit rex Joab, et Abisai, et Ethai, dicens: Servate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom. ⁶ Itaque egressus est populus in campum contra Israël, et factum est prælium in saltu Ephraim. ⁷ Et cæsus est ibi populus Israël ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa, viginti millium. ⁸ Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, et multo plures erant quos saltus consumpserat de populo, quam hi quos voraverat gladius in die illa. ⁹ Accidit autem ut occurreret Absalom servis David, sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum et magnam, adhæsit caput ejus quercui: et illo suspensus inter cælum et terram, mulus cui insederat, pertransivit. ¹⁰ Vidit autem hoc quispiam, et nuntiavit Joab, dicens: Vidi Absalom pendere de quercu. ¹¹ Et ait Joab viro qui nuntiaverat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, et ego dedissem tibi decem argenti siclos, et unum balteum? ¹² Qui dixit ad Joab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in

¹⁰18.9 *Accidit autem ut occurreret Absalom servis David sedens mulo.* RAB. Absalom mulo fugiens in quercu per cæsariem capitis suspensus est, etc., usque ad in dispersionem gentium pertranseunt, ipsi principatum pariter et populum amiserunt.

filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, et Abisai, et Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom. ¹³ Sed etsi fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, et tu stares ex adverso? ¹⁴ Et ait Joab: Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalom: cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, ¹⁵ cucurrerunt decem juvenes armigeri Joab, et percutientes interfecerunt eum. ¹⁶ Cecinit autem Joab buccina, et retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël, volens parcere multitudini. ¹⁷ Et tulerunt Absalom, et projecerunt eum in saltu, in foveam grandem, et comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis: omnis autem Israël fugit in tabernacula sua. ¹⁸ Porro Absalom exerat sibi, cum adhuc viveret, titulum qui est in Valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, et hoc erit monumentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo, et appellatur Manus Absalom, usque ad hanc diem. ¹⁹ Achimaas autem filius Sadoc, ait: Curram, et nuntiabo regi quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum ejus. ²⁰ Ad quem Joab dixit: Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia: hodie nolo te nuntiari: filius enim regis est mortuus. ²¹ Et ait Joab Chusi: Vade, et nuntia regi quæ vidisti. Adoravit Chusi Joab, et cucurrit. ²² Rursus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Joab: Quid impedit si etiam ego curram post Chusi? Dixitque ei Joab: Quid vis currere, fili mi? non eris boni nuntii bajulus. ²³ Qui respondit: Quid enim si cucurrero? Et ait ei: Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendii, transivit Chusi. ²⁴ David autem sedebat inter duas portas: speculator vero, qui erat in fastigio portæ super murum, elevans oculos, vidit hominem currentem solum. ²⁵ Et exclamans indicavit regi: dixitque rex: Si solus est, bonus est nuntius in ore ejus. Properante autem illo, et accedente propius, ²⁶ vidit speculator hominem alterum currentem, et vociferans in culmine, ait: Apparet mihi alter homo currens solus. Dixitque rex: Et iste bonus est nuntius. ²⁷ Speculator autem: Contemplor, ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filii Sadoc. Et ait rex: Vir bonus est, et nuntium portans bonum venit. ²⁸ Clamans autem Achimaas, dixit ad regem: Salve rex. Et adorans regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines qui leverunt manus suas contra dominum meum regem. ²⁹ Et ait rex: Estne pax puero Absalom? Dixitque Achimaas: Vidi tumultum magnum cum mitteret Joab servus tuus, o rex, me servum tuum: nescio aliud. ³⁰ Ad quem rex: Transi, ait, et sta hic. Cumque ille transisset, et staret, ³¹ apparuit Chusi: et veniens ait: Bonum apporto nuntium, domine mi rex: iudicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te. ³² Dixit autem rex ad Chusi: Estne pax puero Absalom? Cui respondens Chusi: Fiant, inquit, sicut puer, inimici domini mei regis, et universi qui consurgunt adversus eum in malum. ³³ Contristatus itaque rex, ascendit cœnaculum portæ, et flevit. Et sic loquebatur, vadens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?

19 Nuntiatum est autem Joab quod rex fleret et lugeret filium suum, ² et versa est victoria in luctum in die illa omni populo: audivit enim populus in die illa dici: Dolet rex super filio suo. ³ Et declinavit populus in die illa ingredi civitatem, quomodo declinare solet populus versus et fugiens de prælio. ⁴ Porro rex operuit caput suum, et clamabat voce magna: Fili mi Absalom, Absalom fili mi, fili mi. ⁵ Ingressus ergo Joab ad regem in domum, dixit: Confudisti hodie vultus omnium servorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam, et animam filiorum tuorum et filiarum

tuarum, et animam uxorum tuarum, et animam concubinarum tuarum. ⁶ Diligis odientes te, et odio habes diligentes te: et ostendisti hodie quia non curas de ducibus tuis et de servis tuis: et vere cognovi modo, quia si Absalom viveret, et omnes nos occubuissimus, tunc placeret tibi. ⁷ Nunc igitur surge, et procede, et alloquens satisfac servis tuis: juro enim tibi per Dominum quod si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac: et pejus erit hoc tibi quam omnia mala quæ venerunt super te ab adolescentia tua usque in præsens. ⁸ Surrexit ergo rex et sedit in porta: et omni populo nuntiatio est quod rex sederet in porta. Venitque universa multitudo coram rege: Israël autem fugit in tabernacula sua. ⁹ Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israël, dicens: Rex liberavit nos de manu inimicorum nostrorum; ipse salvavit nos de manu Philistinorum: et nunc fugit de terra propter Absalom. ¹⁰ Absalom autem, quem unximus super nos, mortuus est in bello: usquequo siletis, et non reducitis regem? ¹¹ Rex vero David misit ad Sadoc et Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad majores natu Juda, dicentes: Cur venitis novissimi ad reducendum regem in domum suam? (Sermo autem omnis Israël pervenerat ad regem in domo ejus.) ¹² Fratres mei vos, os meum, et caro mea vos, quare novissimi reducitis regem? ¹³ Et Amasæ dicite: Nonne os meum, et caro mea es? hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab. ¹⁴ Et inclinavit cor omnium virorum Juda quasi viri unius: miseruntque ad regem, dicentes: Revertere tu, et omnes servi tui. ¹⁵ Et reversus est rex, et venit usque ad Jordanem: et omnis Juda venit usque in Galgalam ut occurreret regi, et traduceret eum Jordanem. ¹⁶ Festinavit autem Semei filius Gera filii Jemini de Bahurim, et descendit cum viris Juda in occursum regis David, ¹⁷ cum mille viris de Benjamin, et Siba puer de domo Saul: et quindecim filii ejus, ac viginti servi erant cum eo: et irrumpentes Jordanem, ante regem ¹⁸ transierunt vada, ut traducerent domum regis, et facerent juxta jussionem ejus: Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cum jam transisset Jordanem, ¹⁹ dixit ad eum: Ne reputes mihi, domine mi, iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui in die qua egressus es, domine mi rex, de Jerusalem, neque ponas, rex, in corde tuo. ²⁰ Agnosco enim servus tuus peccatum meum: et idcirco hodie primus veni de omni domo Joseph, descendique in occursum domini mei regis. ²¹ Respondens vero Abisai filius Sarviæ, dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit christo Domini? ²² Et ait David: Quid mihi et vobis, filii Sarviæ? cur efficimini mihi hodie in satan? ergone hodie interficietur vir in Israël? an ignoro hodie me factum regem super Israël? ²³ Et ait rex Semei: Non morieris. Juravitque ei. ²⁴ Miphiboseth quoque filius Saul descendit in occursum regis, illotis pedibus et intonsa barba: vestesque suas non laverat a die qua egressus fuerat rex, usque ad diem reversionis ejus in pace. ²⁵ Cumque Jerusalem occurrisset regi, dixit ei rex: Quare non venisti mecum, Miphiboseth? ²⁶ Et respondens ait: Domine mi rex, servus meus contempsit me: dixique ei ego famulus tuus ut sterneret mihi asinum, et ascendens abirem cum rege: claudus enim sum servus tuus. ²⁷ Insuper et accusavit me servum tuum ad te dominum meum regem: tu autem, domine mi rex, sicut angelus Dei es: fac quod placitum est tibi. ²⁸ Neque enim fuit domus patris mei,

[¶]19.22 **Quid mihi.** Timebat David si interficeretur Semei, quod reliqui qui similiter regem offenderant, nollent eum sibi facere regem.

[§]19.24 **Illotis.** In Hebræo, **infectis.** Fecerat enim sibi Miphiboseth ligneos pedes secundum Hebræum quibus pro naturalibus utebatur: erat enim claudus.

nisi morti obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ: quid ergo habeo justæ querelæ? aut quid possum ultra vociferari ad regem? ²⁹ Ait ergo ei rex: Quid ultra loqueris? fixum est quod locutus sum: tu et Siba dividite possessiones. ^{** 30} Responditque Miphiboseth regi: Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est dominus meus rex pacifice in domum suam. ³¹ Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim, traduxit regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum. ³² Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est, octogenarius, et ipse præbuit alimenta regi cum moraretur in castris: fuit quippe vir dives nimis. ³³ Dixit itaque rex ad Berzellai: Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Jerusalem. ³⁴ Et ait Berzellai ad regem: Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Jerusalem? ³⁵ Octogenarius sum hodie: numquid videntur sensus mei ad discernendum suave aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus et potus? vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum? quare servus tuus sit oneri domino meo regi? ³⁶ Paululum procedam famulus tuus ab Jordane tecum: non indigeo hac vicissitudine, ³⁷ sed obsecro ut revertar servus tuus, et moriar in civitate mea, et sepeliar juxta sepulchrum patris mei et matris meæ. Est autem servus tuus Chamaam: ipse vadat tecum, domine mi rex, et fac ei quidquid tibi bonum videtur. ^{†† 38} Dixit itaque ei rex: Mecum transeat Chamaam, et ego faciam ei quidquid tibi placuerit: et omne quod petieris a me, impetrabis. ³⁹ Cumque transisset universus populus et rex Jordanem, osculatus est rex Berzellai, et benedixit ei: et ille reversus est in locum suum. ⁴⁰ Transivit ergo rex in Galgalam, et Chamaam cum eo. Omnis autem populus Juda traduxerat regem, et media tantum pars adfuerat de populo Israël. ⁴¹ Itaque omnes viri Israël concurrentes ad regem dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Juda, et traduxerunt regem et domum ejus Jordanem, omnesque viros David cum eo? ⁴² Et respondit omnis vir Juda ad viros Israël: Quia mihi propior est rex: cur irasceris super hac re? numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt? ⁴³ Et respondit vir Israël ad viros Juda, et ait: Decem partibus major ego sum apud regem, magisque ad me pertinet David quam ad te: cur fecisti mihi injuriam, et non mihi nuntiatum est priori, ut reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri Juda viris Israël.

20 Accidit quoque ut ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Jemineus: et cecinit buccina, et ait: Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai: revertere in tabernacula tua, Israël. ² Et separatus est omnis Israël a David, secutusque est Seba filium Bochri: viri autem Juda adhæserunt regi suo a Jordane usque Jerusalem. ³ Cumque venisset rex in domum suam in Jerusalem, tulit decem mulieres concubinas quas dereliquerat ad custodiendam domum, et tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens: et non est ingressus ad eas, sed erant

^{**}19.29 *Tu et siba.* HIERON., quæst. Hebr. in Reg. In Hebræo: *Dixi, Tu et Siba dividite agrum.* Quod David, immemor fœderis et juramenti, etc., usque ad verba obliquando protulit contra Altissimum.

^{††}19.37 *Est autem.* Est autem in Hebræo: *Ecce servus tuus* Hebraice legitur *Chime han Chanaan*, Chanaan interpretatur *suspirans*; quando cum patre fuit, suspirans vocatus est: postquam vero ad doctrinam David transiit, non Chanaan sed Chamaan vocatus est, id est, fidelis, etc., *usque ad: Ephraim et Manasses tanquam Ruben et Simeon erunt mihi.* Magnus itaque Moses et Josue ejus successor duplicem illis tribuerunt sortem.

clausæ usque in diem mortis suæ in viduitate viventes. ⁴ Dixit autem rex Amasæ: Convoca mihi omnes viros Juda in diem tertium, et tu adesto præsens. ⁵ Abiit ergo Amasa ut convocaret Judam, et moratus est extra placitum quod ei constituerat rex. ⁶ Ait autem David ad Abisai: Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quam Absalom: tolle igitur servos domini tui, et persequere eum, ne forte inveniat civitates munitas, et effugiat nos. ⁷ Egressi sunt ergo cum eo viri Joab, Cerethi quoque et Phelethi: et omnes robusti exierunt de Jerusalem ad persequendum Seba filium Bochri. ⁸ Cumque illi essent juxta lapidem grandem qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis. Porro Joab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, et desuper accinctus gladio dependente usque ad ilia, in vagina, qui fabricatus levi motu egredi poterat, et percutere. ⁹ Dixit itaque Joab ad Amasam: Salve mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. ¹⁰ Porro Amasa non observavit gladium quem habebat Joab: qui percussit eum in latere, et effudit intestina ejus in terram, nec secundum vulnus apposuit: et mortuus est. Joab autem, et Abisai frater ejus, persecuti sunt Seba filium Bochri. ¹¹ Interea quidam viri, cum stetissent juxta cadaver Amasæ, de sociis Joab, dixerunt: Ecce qui esse voluit pro Joab comes David. ¹² Amasa autem conspersus sanguine jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir, quod subsisteret omnis populus ad videndum eum, et amovit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum. ¹³ Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Joab ad persequendum Seba filium Bochri. ¹⁴ Porro ille transierat per omnes tribus Israël in Abela et Bethmaacha: omnesque viri electi congregati fuerant ad eum. ¹⁵ Venerunt itaque, et oppugnabant eum in Abela et in Bethmaacha, et circumdederunt munitionibus civitatem, et obsessa est urbs: omnis autem turba quæ erat cum Joab, moliebatur destruere muros. ¹⁶ Et exclamavit mulier sapiens de civitate: Audite, audite: dicite Joab: Appropinqua huc, et loquar tecum. ¹⁷ Qui cum accessisset ad eam, ait illi: Tu es Joab? Et ille respondit: Ego. Ad quem sic locuta est: Audi sermones ancillæ tuæ. Qui respondit: Audio. ¹⁸ Rursumque illa: Sermo, inquit, dicebatur in veteri proverbio: Qui interrogant, interrogent in Abela: et sic perficiebant. ¹⁹ Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israël, et tu quæris subvertere civitatem et evertere matrem in Israël? quare præcipitas hæreditatem Domini? ²⁰ Respondensque Joab, ait: Absit, absit hoc a me: non præcipito, neque demolior. ²¹ Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim, Seba filius Bochri cognomine, levavit manum suam contra regem David: tradite illum solum, et recedemus a civitate. Et ait mulier ad Joab: Ecce caput ejus mittetur ad te per murum. ²² Ingressa est ergo ad omnem populum, et locuta est eis sapienter: qui abscissum caput Seba filii Bochri projecerunt ad Joab. Et ille cecinit tuba, et recesserunt ab urbe, unusquisque in tabernacula sua: Joab autem

‡20.9 *Et tenuit*, etc. Dextera mentum tenere, est quasi ex benignitate blandiri. Sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit.

¶20.19 *Nonne*. RAB. Iste est sermo legis, in qua jubetur ut filii Israël ingressi terram Chanaan prius pacem offerant, et eos qui pacem susceperint, tributarios faciant; eos vero qui non susceperint, deleant: ideo mulier sapiens exclamasse dicitur *Nonne*. Quasi: Cur destruis hanc civitatem antequam pacem offeras secundum legem? cur non servas legem Israëlitis, quæ olim servata est alienigenis.

reversus est Jerusalem ad regem.^{§§} ²³Fuit ergo Joab super omnem exercitum Israël: Banaias autem filius Jojadæ super Cerethæos et Phelethæos: ²⁴Aduram vero super tributa: porro Josaphat filius Ahilud, a commentariis: ²⁵Siva autem, scriba: Sadoc vero et Abiathar, sacerdotes. ²⁶Ira autem Jairites erat sacerdos David.

21 Facta est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter: et consuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, et domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas.* ²Vocatis ergo Gabaonitis rex, dixit ad eos (porro Gabaonitæ non erant de filiis Israël, sed reliquiæ Amorrhæorum: filii quippe Israël juraverant eis, et voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israël et Juda), ³dixit ergo David ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? et quod erit vestri piaculum, ut benedicatis hæreditati Domini? ⁴Dixeruntque ei Gabaonitæ: Non est nobis super argento et auro quæstio, sed contra Saul, et contra domum ejus: neque volumus ut interficiatur homo de Israël. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis ut faciam vobis? ⁵Qui dixerunt regi: Virum qui attrivit nos et oppressit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe ejus in cunctis finibus Israël. ⁶Dentur nobis septem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo. ⁷Pepercitque rex Miphiboseth filio Jonathæ filii Saul, propter jusjurandum Domini quod fuerat inter David et inter Jonathan filium Saul. ⁸Tulit itaque rex duos filios Respha filia Aja quos peperit Sauli, Armoni, et Miphiboseth: et quinque filios Michol filia Saul quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi,† ⁹et dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: et ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei. ¹⁰Tollens autem Respha filia Aja cilicium, substravit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo: et non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem. ¹¹Et nuntiata sunt David quæ fecerat Respha filia Aja, concubina Saul. ¹²Et abiit David, et tulit ossa Saul, et ossa Jonathæ filii ejus, a viris Jabes Galaad, qui furati fuerant ea de platea Bethsan in qua suspenderant eos Philistiim cum interfecissent Saul in Gelboë: ¹³et asportavit inde ossa Saul, et ossa Jonathæ filii ejus: et colligentes ossa eorum qui affixi fuerant, ¹⁴sepelierunt ea cum ossibus Saul et Jonathæ filii ejus in terra Benjamin, in latere, in sepulchro Cis patris ejus: feceruntque omnia quæ præceperat rex, et repropitiatus est Deus terræ post hæc. ¹⁵Factum est autem rursum prælium Philistinorum adversum Israël, et descendit David, et servi ejus cum eo, et pugnabant contra Philistiim. Deficiente autem David, ¹⁶Jesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cujus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, et accinctus erat ense novo, nisus est percutere David. ¹⁷Præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ, et percussus Philisthæum interfecit. Tunc juraverunt viri David, dicentes: Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël. ¹⁸Secundum quoque

§§20.22 *Qui abscissum.* ID. Reditus populi ad David post interfectionem Absalon, etc., usque ad id est Christum Filium Dei rediit

*21.1 *Facta est.* RAB. Fames facta in Israël propter Gabaonitas, etc., usque ad ne vitam eorum prave suggerendo corrumpant ulterius.

†21.8 *Tulit itaque rex duos.* Qui cum Dæg Idumæo adhuc pueri sacerdotes et Gabaonitas occiderunt, Armoni scilicet et Miphiboseth *Filios Michol filia*, etc. Quos scilicet Michol, uxor David, quæ et Eglâ dicitur, adoptavit sibi inter filios, quos Merob soror ejus de filio Berzellai suscepit.

bellum fuit in Gob contra Philisthæos: tunc percussit Sobochai et Husati, Saph de stirpe Arapha de genere gigantum.[‡] ¹⁹Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum, cujus hastile hastæ erat quasi liciatorium textentium.[¶] ²⁰Quartum bellum fuit in Geth: in quo vir fuit excelsus, qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, id est, viginti quatuor: et erat de origine Arapha. ²¹Et blasphemavit Israël: percussit autem eum Jonathan filius Samaa fratris David. ²²Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, et ceciderunt in manu David et servorum ejus.

22 Locutus est autem David Domino verba carminis hujus in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul.[§] ²Et ait: [Dominus petra mea, et robur meum, et salvator meus. ³Deus fortis meus: sperabo in eum; scutum meum, et cornu salutis meæ: elevator meus, et refugium meum; salvator meus: de iniquitate liberabis me. ⁴Laudabilem invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. ⁵Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes Belial terruerunt me. ⁶Funes inferni circumdederunt me: prævenerunt me laquei mortis. ⁷In tribulatione mea invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo: et exaudiet de templo suo vocem meam, et clamor meus veniet ad aures ejus. ⁸Com-mota est et contremuit terra; fundamenta montium concussa sunt, et conquassata: quoniam iratus est eis. ⁹Ascendit fumus de naribus ejus, et ignis de ore ejus vorabit: carbones succensi sunt ab eo. ¹⁰Inclinavit cælos, et descendit: et caligo sub pedibus ejus. ¹¹Et ascendit super cherubim, et volavit: et lapsus est super pennas venti. ¹²Posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas de nubibus cælorum. ¹³Præ fulgore in conspectu ejus, succensi sunt carbones ignis. ¹⁴Tonabit de cælo Dominus, et excelsus dabit vocem suam. ¹⁵Misit sagittas et dissipavit eos; fulgur, et consumpsit eos. ¹⁶Et apparuerunt effusiones maris, et revelata sunt fundamenta orbis ab increpatione Domini, ab inspiratione spiritus furoris ejus. ¹⁷Misit de excelso, et assumpsit me, et extraxit me de aquis multis. ¹⁸Liberavit me ab inimico meo potentissimo, et ab his qui oderant me: quoniam robustiores me erant. ¹⁹Prævenit me in die afflictionis meæ, et factus est Dominus firmamentum meum. ²⁰Et eduxit me in latitudinem: liberavit me, quia complacui ei. ²¹Retribuere mihi Dominus secundum justitiam meam: et secundum munditiam manuum mearum reddet mihi. ²²Quia custodivi vias Domini, et non egi impie a Deo meo. ²³Omnia enim judicia ejus in conspectu meo, et præcepta ejus non amovi a me. ²⁴Et ero perfectus

[‡]21.18 **Gob**. Quod interpretatur **lacus**, quia sicut in lacu leonum quis mittitur, ita semetipsum misit David contra Goliath.

[¶]21.19 **Tertium**. RAB. Josephus de tertio prælio ita dicit, etc., usque ad Adeodatum appellaverit vel quemlibet alium etiam, incertum est. **Quartum**, Goliath iteratur, quod egit David primitus tempore Saulis. Nam in Paralipomenis non nisi tertio principaliter pugnasse contra Philisthæos legitur. RAB. Quatuor bella David et servorum ejus, etc., usque ad unde: **Vana salus hominum. In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum reducit tribulantes nos** Psal. 107.. **Bethlehemites**, etc. Quia Noëmi et Ruth ex quibus ortus est, tempore ubertatis reversæ sunt in Bethlehem, et quia causa panis Ruth nota est, locus ille Domus panis vocatus est. Vel quia Noëmi cum nuru illuc reversa panis abundantiam in domo Booz consecuta est.

[§]22.1 **Locutus est**, etc. RAB. Solus decimus septimus psalmus in libris Regum reperitur, etc., usque ad et cum magna exultatione divinitatis concessa munera laudantur.

cum eo, et custodiam me ab iniquitate mea. ²⁵ Et restituet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum munditiam manuum mearum in conspectu oculorum suorum. ²⁶ Cum sancto sanctus eris, et cum robusto perfectus. ²⁷ Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris. ²⁸ Et populum pauperem salvum facies: oculisque tuis excelsos humiliabis. ²⁹ Quia tu lucerna mea, Domine, et tu, Domine, illuminabis tenebras meas. ³⁰ In te enim curram accinctus: in Deo meo transiliam murum. ³¹ Deus, immaculata via ejus; eloquium Domini igne examinatum: scutum est omnium sperantium in se. ³² Quis est Deus præter Dominum, et quis fortis præter Deum nostrum? ³³ Deus qui accinxit me fortitudine, et complanavit perfectam viam meam. ³⁴ Coæquans pedes meos cervis, et super excelsa mea statuens me; ³⁵ docens manus meas ad prælium, et componens quasi arcum æreum brachia mea. ³⁶ Dedisti mihi clypeum salutis tuæ, et mansuetudo tua multiplicavit me. ³⁷ Dilatabis gressus meos subtus me, et non deficient tali mei. ³⁸ Persequar inimicos meos, et conteram, et non convertar donec consumam eos. ³⁹ Consumam eos et confringam, ut non consurgant: cadent sub pedibus meis. ⁴⁰ Accinxisti me fortitudine ad prælium: incurvasti resistentes mihi subtus me. ⁴¹ Inimicos meos dedisti mihi dorsum; odientes me, et disperdam eos. ⁴² Clamabunt, et non erit qui salvet; ad Dominum, et non exaudiet eos. ⁴³ Delebo eos ut pulverem terræ; quasi lutum platearum comminuam eos atque confringam. ⁴⁴ Salvabis me a contradictionibus populi mei; custodies me in caput gentium: populus quem ignoro serviet mihi. ⁴⁵ Filii alieni resistent mihi; auditu auris obedient mihi. ⁴⁶ Filii alieni defluerunt, et contrahentur in angustiis suis. ⁴⁷ Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, et exaltabitur Deus fortis salutis meæ. ⁴⁸ Deus qui das vindictas mihi, et dejecis populos sub me. ⁴⁹ Qui educis me ab inimicis meis, et a resistentibus mihi elevas me: a viro iniquo liberabis me. ⁵⁰ Propterea confitebor tibi, Domine, in gentibus, et nomini tuo cantabo: ⁵¹ magnificans salutes regis sui, et faciens misericordiam christo suo David, et semini ejus in sempiternum.]

23 Hæc autem sunt verba David novissima. Dixit David filius Isai: [Dixit vir, cui constitutum est de christo Dei Jacob, egregius psaltes Israël.** ² Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. ³ Dixit Deus Israël mihi, locutus est fortis Israël: Dominator hominum, justus dominator in timore Dei,†† ⁴ sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat: et sicut pluviis germinat herba de terra. ⁵ Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim salus mea, et omnis voluntas, nec est quidquam ex ea quod non germinet.‡‡ ⁶ Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi, quæ non tolluntur manibus. ⁷ Et si quis tangere voluerit

**23.1 *Hæc sunt autem.* HIERON. Novissima sunt, quia post psalterium, et cætera metra, hoc composuisse metrum dicitur, in quo ait: *Dixit David filius Isai: Dixit vir, cui constituta est scala Christo Dei Jacob.* RAB. Quia ultimam confessionis laudem significant, quam superato hoste et peracta victoria mortis sancti cantabunt in æternum. *Egregius.* Quia luculentissime de Christo Dei et de incarnatione ejus ac redemptione humani generis prophetavit.

††23.3 *In timore.* Qui in timore Dei dominationem in subditis exercet, lucis opera per solem justitiæ illuminata profert, nec in eis aliquid obscurum remanet, sed imbre coelestis gratiæ irrigatus germina virtutum in carne vivens fructificat.

‡‡23.5 *Nec est.* RAB. Qui in lege Domini meditatur die ac nocte, fit tanquam lignum quod plantatum juxta aquas dat fructum suum in tempore suo, et quæcunque faciet prosperabuntur.

eas, armabitur ferro et ligno lanceato, igneque succensæ comburentur usque ad nihilum.]^{¶¶} ⁸ Hæc nomina fortium David. Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.^{§§} ⁹ Post hunc, Eleazar filius patruī ejus Ahohites inter tres fortes, qui erant cum David quando exprobraverunt Philisthiim, et congregati sunt illuc in prælium. ¹⁰ Cumque ascendissent viri Israël, ipse stetit et percussit Philisthæos donec deficeret manus ejus, et obrigesceret cum gladio: fecitque Dominus salutem magnam in die illa: et populus qui fugerat, reversus est ad cæsorū spolia detrahenda. ¹¹ Et post hunc, Semma filius Age de Arari. Et congregati sunt Philisthiim in statione: erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fugisset populus a facie Philisthiim,^{*} ¹² stetit ille in medio agri, et tuitus est eum, percussitque Philisthæos: et fecit Dominus salutem magnam.[†] ¹³ Necnon et ante descenderant tres qui erant principes inter triginta, et venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam: castra

^{¶¶}23.7 *Et si quis.* Qui scilicet communicans peccatis alienis propter cordis sui durtiam, iniquitatum pondere premitur, et jaculis peccatorum confoditur, ejusque opera æternis ignibus digna, ad nihilum redigentur.

^{§§}23.8 *Hæc sunt nomina.* ISID. Textitur catalogus virorum fortium in figura sanctorum, qui quamvis virtutum sublimitate proficiant, tamen usque ad excellentiam divinæ Trinitatis non attingunt. Hoc est enim quod scriptum est: Usque ad tres primos non pervenit. Quis enim in nubibus æquabitur Domino in filiis Dei? *Fortium.* De his fortibus ait Josephus: Primus omnium erat Eusebius filius Achimææ, qui aciem hostium frequenter irrumpens non cessavit donec nongentos occideret. Post hunc erat Eleazar filius Dodo, qui cum rege fuerat in Sarpha. Hic Israëlitis formidantibus Philisthinorum exercitum et fugientibus solus restitit, et multos occidit, ut sanguine occisorum gladius ejus hæreret in dextera. Israëlitæ vero videntes Palæstinos in fugam conversos, descendentes de montibus persecuti sunt eos, et pervenit Israëlitis famosa victoria. Tertius fuit Semæias filius Heli, qui in loco maxillæ cum Hebræi fugerent, exercitus Palæstinorum solus portavit alios prosternens, alios in fugam convertens. *Ipse.* RAB. Virga de radice Jesse absque nuptiali opere florem protulit, qui de uno homine typum gentium præferente, uno impetu, id est sermonis imperio legionem expulit dæmonum. *Tenerrimus ligni.* ID. Virtus viri bellica et modesta significatur, etc., usque ad in interfectione octingentorum fortitudo.

^{*}23.11 *Semma filius.* Audiens. *Age de,* etc. Meditans sive loquens. *Arari.* Montanus, qui gestat personam Christi sive prædicatorum ejus.

[†]23.12 *Stetit.* RAB. Christus cum Spiritu sancto in agro Ecclesiæ stans infirmos velut hordeum tuetur, vel certe verecundiam castitatis incontinentibus quasi legentes gladio oris contra luxuriam defendit.

autem Philisthinorum erant posita in Valle gigantum.‡¹⁴ Et David erat in præsidio: porro statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem. ¹⁵ Desideravit ergo David, et ait: O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem juxta portam! ¹⁶ Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat juxta portam, et attulerunt ad David: at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino,[¶] ¹⁷ dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, et animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere. Hæc fecerunt tres robustissimi. ¹⁸ Abisai quoque frater Joab filius Sarviæ, princeps erat de tribus: ipse est qui levavit hastam suam contra trecentos, quos interfecit: nominatus in tribus, ¹⁹ et inter tres nobilior, eratque eorum princeps, sed usque ad tres primos non pervenerat.[§] ²⁰ Et Banaias filius Jojadæ viri fortissimi, magnum operum, de Cabseel. Ipse percussit duos leones Moab, et

‡23.13 *Descenderant tres.* Tres fortes supra nominati, et Jesboam filius Achamoni, quem Josephus Eusebium filium Achimeæ nominat. Et Eleazar filius Ahohi, quem dicit filium esse Dodo, et Semma filius Age, quem Semeiam filium Heli vocat. Hebræi autem tres istos arbitrantur fuisse, Abisai filium Sarviæ, et Sobochai Usathitem, et Jonathan filium Sammaa fratris David, qui supra memorati sunt in præliis Philisthinorum. Cui sententiæ congruere videtur quod sequitur: **Abisai quoque frater Joab filius Sarviæ,** etc. Hinc enim apparet quod Abisai princeps erat et nominatus inter tres sequentes. GREG. Cogitandum est, ut qui illicita commisit a quibusdam etiam licitis absteineat, ut per hoc conditori suo satisficiat, ut qui commisit prohibita, abscindat sibi etiam concessa, et se reprehendat in minimis, quem meminit peccasse in maximis. Lex Veteris Testamenti uxorem alienam concupisci prohibet: a rege vero fortia juberi militibus vel desiderare aquam, non pœnaliter vetat. David vero alienam uxorem concupivit et abstulit, cujus culpam digna verbera sunt secuta, et malum quod perpetravit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cum longe post contra hostium cuneos sedit, aquam ex eorum cisterna desideravit; cujus electi milites intra catervas hostium irrumpentes, aquam quam desideraverat, illæsi pertulerunt. Sed vir flagellis eruditus se protinus cum periculo militum aquam desiderasse reprehendit, eamque Domino fundens libavit. In sacrificium enim Domini effusa aqua conversa est, quia culpam concupiscentiæ mactavit per pœnitentiam suæ reprehensionis. Qui ergo concupiscere alienam conjugem non timuit, post etiam quia aquam concupisset, expavit.

¶23.16 *Sed libavit.* Exemplum fortitudinis et constantiæ militibus præbuit, vincens naturam ne sitiens biberet, ut exercitus sitim tolerare disceret. Mystice vero aquam non sitiebat, sed nasciturum in Bethlehem de virgine Christum prævidebat: cujus lavacrum et sanguinem sitiebat. Aquam ergo non bibit, sed fudit. Sitebat enim fontem æternum qui non periculis quæritur alienis, sed aliena pericula abluuit.

§23.19 *Tres primos.* Intelligi volunt sapientiam, humilitatem et fortitudinem, David enim sedit sapientissimus: ipse ligni vermiculus, id est, humilis octingentos interfecit velut fortis; ad has tres virtutes nemo fortium David pervenit.

ipse descendit, et percussit leonem in media cisterna in diebus nivis.**²¹ Ipse quoque interfecit virum ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam: itaque cum descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægyptii, et interfecit eum hasta sua.^{††}²² Hæc fecit Banaias filius Jojadæ.²³ Et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores: verumtamen usque ad tres non pervenerat: fecitque eum sibi David auricularium, a secreto.^{‡‡}²⁴ Asaël frater Joab inter triginta, Elehanan filius patruï ejus de Bethlehem,²⁵ Semma de Harodi, Elica de Harodi,²⁶ Hehan de Phalti, Hira filius Acces de Thecua,²⁷ Abiezer de Anathoth, Mobonnai de Husati,²⁸ Selmon Ahohites, Maharai Netophathites,²⁹ Heled filius Baana, et ipse Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin,³⁰ Banaia Pharathonites, Heddai de torrente Gaas,³¹ Abialbon Arbathites, Azmaveth de Beromi,³² Eliaba de Salaboni. Filii Jassen, Jonathan,³³ Semma de Orori, Ajam filius Sarar Arorites,³⁴ Eliphelet filius Aasbai filii Machati, Eliam filius Achitophel Gelonites,³⁵ Hesrai de Carmelo, Pharai de Arbi,³⁶ Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi,³⁷ Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger Joab filii Sarviæ,³⁸ Ira Jethrites, Gareb et ipse Jethrites,³⁹ Urias Hethæus: omnes triginta septem.^{¶¶}

****23.20 Et Bana.** Qui erat magister *de Capseel*, id est, de congregatione Dei in Cerethi et Pheleti, qui interpretantur *occidentales* et *vivificantes*. *Ipse percussit* quos Paralipomenon duos Ariel Moab nominat. Hi ergo viri fortissimi fuerunt in regno Moab, unde et leones dicuntur. Ariel enim *leo Dei* interpretatur. *In media.* Josephus hic apertius dicit quid fuerit, scilicet, cisterna nimis profunda, tempore hyemis nivis aggere cœquata. In hanc leo inscius decidit, et conclusus grandi rugitu clamavit. Banaias vero qui cum cæteris ad spectaculum venit, in cisternam desiliit, et leonem interfecit. Banaias, qui interpretatur *œdificator Dominus*, Christum significat, qui Ecclesiam œdificat. Unde Paulus: *Dei œdificatio estis*. Hic in tempore nivis et frigoris, cum scilicet gratia Christi mundo resplenduit, et frigus charitatis homines refrigeravit, leonem, id est, diabolum interfecit. Hebræus vero hunc leonem Moab intelligit, qui in medio cisternæ, id est, in domo Domini, ubi tenebat cornua altaris, occisus est. Altare vero cisterna dicitur, quia sicut aqua cisternæ abluit et mundat, ita sanctuarium Domini purgat peccata. In diebus nivis, quia per mortem expiavit peccatum. Unde: *Lavabis me*, quod impletum est in medio cisternæ; *et super nivem dealabor*, quod impletum est in eo quod ait *diebus nivis*.

††23.21 Virum Ægyptium. Imitatorem scilicet Ægyptii Deum blasphemantis, quem Moses jubente Domino interfecit, ille enim blasphemavit Deum, hic prophetam et regem. *Dignum.* Spectabatur enim ut si Jerusalem egrederetur, interficeretur. *Hastam.* Legem Dei, quam si meditatus fuisset permanendo in Jerusalem non periret, sed quia præceptum regis contempsit, Banaias in virga, id est in rectitudine justitiæ ad eum descendit, et hastam, quam non recte tenebat, extorsit.

‡‡23.23 Qui erant. Neminem moverat quod in summa non triginta, sed septem et triginta leguntur. Triginta enim et septem leguntur hoc modo. Septem scilicet, fortes hi: David, qui dicitur Adeodatus, Abisai, Sobochai, Jonathan, Eleazar, Semmaa filius Agge de Arari, et Banaias, ecce septem. Triginta autem hi sunt Asaël, Eleanam et cæteri.

¶¶23.39 Urias. Hic ultimus ponitur pro eo quod sequitur: *Et addidit furor Domini*, etc. Jam enim ultio facta fuerat in David et in domo ejus, sed non in populo qui vel non restitit David vel consensus.

24 Et addidit furor Domini irasci contra Israël, commovitque David in eis dicentem: Vade, numera Israël et Judam.^{§§} ²Dixitque rex ad Joab principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israël a Dan usque Bersabee, et numerate populum, ut sciam numerum ejus. ³Dixitque Joab regi: Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu domini mei regis: sed quid sibi dominus meus rex vult in re hujuscemodi? ⁴Obtinuit autem sermo regis verba Joab et principum exercitus: egressusque est Joab et princeps militum a facie regis, ut numerarent populum Israël. ⁵Cumque pertransissent Jordanem, venerunt in Aroër ad dexteram urbis, quæ est in valle Gad: ⁶et per Jazer transierunt in Galaad, et in terram inferiorem Hodsi, et venerunt in Dan silvestria. Circumeuntesque juxta Sidonem, ⁷transierunt prope mœnia Tyri, et omnem terram Hevæi et Chananæi, veneruntque ad meridiem Juda in Bersabee: ⁸et lustrata universa terra, affuerunt post novem menses et viginti dies in Jerusalem. ⁹Dedit ergo Joab numerum descriptionis populi regi, et inventa sunt de Israël octingenta millia virorum fortium qui educerent gladium, et de Juda quingenta millia pugnatorum. ¹⁰Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus: et dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto: sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis.* ¹¹Surrexit itaque David mane, et sermo Domini factus est ad Gad prophetam et videntem David, dicens:† ¹²Vade, et loquere ad David: Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio: elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi. ¹³Cumque venisset Gad ad David, nuntiavit ei, dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, et ille te persequentur: aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, et vide quem respondeam ei qui me misit sermonem.‡ ¹⁴Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis: sed melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quam in manus hominum. ¹⁵Immisitque Dominus pestilentiam in Israël, de mane usque ad tempus constitutum, et mortui sunt ex populo a Dan usque ad Bersabee septuaginta millia virorum. ¹⁶Cumque extendisset manum suam angelus Domini super Jerusalem ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, et ait angelo percutienti populum: Sufficit: nunc contine manum

§§24.1 GREG., lib. XXV Moral., cap. 14. Pro qualitativis subditorum, etc., usque ad ut sicut magistrorum facta displicent, ita subditorum mens a magisterii reverentia non recedat. HIERON. Notandum quia in Paralipomenis legitur: Mille millia centum millia de Israël, et de Juda quadraginta septuaginta millia quos intelligendum est Joab numerasse, sed noluisse ostendere nisi quanti in Samuelis libro scribuntur.

*24.10 *Percussit autem*, etc. AMBR., lib. de Pœn., cap. 9. Contulit se ad majorem pœnam ut posset provocare clementiam. Lenitur enim rigor justitiæ, etc., usque ad et erga populum quassatio coelitus effusa quiesceret.

†24.11 *Sermo Domini*. RAB. In Exodo scriptum est, etc., usque ad consumpta sunt septuaginta millia.

‡24.13 *Aut*. Et videtur quia qui pane verbi Dei per gratiam septiformis Spiritus non pascuntur septem annis famem sustinent, et qui in nomine Trinitatis regenerati non sunt, hostibus, id est dæmonibus resistere non valent; sed pestilentia impietatis increduli moriuntur.

tuam. Erat autem angelus Domini juxta aream Areuna Jebusæi.^{¶ 17} Dixitque David ad Dominum cum vidisset angelum cædentem populum: Ego sum qui peccavi, ego inique egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei.¹⁸ Venit autem Gad ad David in die illa, et dixit ei: Ascende, et constitue altare Domino in area Areuna Jebusæi.^{§ 19} Et ascendit David juxta sermonem Gad, quem præceperat ei Dominus.²⁰ Conspiciensque Areuna, animadvertit regem et servos ejus transire ad se:²¹ et egressus adoravit regem prono vultu in terram, et ait: Quid causæ est ut veniat dominus meus rex ad servum suum? Cui David ait: Ut emam a te aream, et ædificem altare Domino, et cesset interfectio quæ grassatur in populo.²² Et ait Areuna ad David: Accipiat, et offerat dominus meus rex sicut placet ei: habes boves in holocaustum, et plaustrum, et juga boum in usum lignorum.²³ Omnia dedit Areuna rex regi: dixitque Areuna ad regem: Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum.²⁴ Cui respondens rex, ait: Nequaquam ut vis, sed emam pretio a te, et non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo David aream, et boves, argenti siclis quinquaginta:²⁵ et ædificavit ibi David altare Domino, et obtulit holocausta et pacifica: et propitiatus est Dominus terræ, et cohibita est plaga ab Israël.^{**}

[¶]24.16 *Erat autem.* RAB. In Paralipomenis quoque scriptum est: **Porro angelus Domini stabat juxta aream Ornan Jebusæi. Levansque David oculos suos vidit angelum Domini inter cælum et terram, et evaginatum gladium in manu ejus, et versum contra Jerusalem. Et ceciderunt tam ipse quam majores natu vestiti ciliciis proni in terram, juxta aream.** Area Areuna Ecclesia est gentium in qua postquam altare fidei verus David erexit, confestim mors impietatis cessit. Hanc aream David quinquaginta siclis emit: quia Christus per septiformis Spiritus gratiam cunctis delictis omissis gentilitatem in domum sibi sempiternam sanctificavit.

[§]24.18 *Areuna.* ID. Interpretatur area: Ornan vero **lumen nobis.** Bene ergo David volens placare Dominum, altare jubetur in area Areunæ, vel Ornæ constituere, quia aliter non placatur Deus ab homine, nisi in area cordis per lumen rectæ fidei et veræ dilectionis constituat altare humilitatis in quo offerat sacrificium oblationis et laudis, unde: **Sacrificium laudis honorificabit me,** etc. Psal. 49.. **Sacrificium Deo spiritus contribulatus,** etc. Ibid. 50.. Area Areunæ vel Ornæ, ipsa est Jerusalem.

^{**}24.25 *Et obtulit holocausta.* Hinc in Paralipomenis tabernaculum quod fecerat Moyses in deserto et altare holocaustorum ea tempestate erat in excelso Gabaon, et non prævaluit David ire ad altare, ut obsecraret Dominum. Nimio enim timore fuerat perterritus, videns gladium angeli Domini. Dixitque David: **Hæc est domus Dei,** etc. In hoc loco secundum Hebræos voluit Abraham offerre filium cum aries subito apparuit: quem assumens obtulit pro filio.

INCIPIT LIBER MALACHIM ID EST REGUM TERTIUS ET QUARTUS

1 Et rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat.†† ²Dixerunt ergo ei servi sui: Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sinu suo, et calefaciat dominum nostrum regem. ³Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israël, et invenerunt Abisag Sunamitidem, et adduxerunt eam ad regem. ⁴Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, et ministrabat ei: rex vero non cognovit eam. ⁵Adonias autem filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus et equites, et quinquaginta viros qui currerent ante eum.‡‡ ⁶Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem et ipse pulcher valde, secundus natu post Absalom. ⁷Et sermo ei cum Joab filio Sarviæ, et cum Abiathar sacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ. ⁸Sadoc vero sacerdos, et Banaias filius Jojadæ, et Nathan propheta, et Semei et Rei, et robur exercitus David, non erat cum Adonia. ⁹Immolatis ergo Adonias arietibus et vitulis, et universis pinguibus, juxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocavit universos fratres suos filios regis, et omnes viros Juda servos regis. ¹⁰Nathan autem prophetam, et Banaïam, et robustos quosque, et Salomonem fratrem suum non vocavit. ¹¹Dixit itaque Nathan ad Bethsabée matrem Salomonis: Num audisti quod regnaverit Adonias filius Haggith, et dominus noster David hoc ignorat? ¹²Nunc ergo veni, accipe consilium a me, et salva animam tuam, filiique tui Salomonis. ¹³Vade, et ingredi ad regem David, et dic ei: Nonne tu, domine mi rex, jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo? quare ergo regnat Adonias? ¹⁴Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, et complebo sermones tuos. ¹⁵Ingressa est itaque Bethsabée ad regem in cubiculum: rex autem senuerat nimis, et Abisag Sunamitis ministrabat ei. ¹⁶Inclinavit se Bethsabée, et adoravit regem. Ad quam rex: Quid tibi, inquit, vis? ¹⁷Quæ respondens, ait: Domine mi, tu jurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ: Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo.

††1.1 *Et rex David senuerat.* HIERON., epist. ad Nepotianum, tom. 1. Nonne tibi videtur si occidentem sequaris litteram, figmentum esse vel atellanarum ludicra? Frigidus senex obvolvitur vestimentis, et nisi complexu adolescentulæ non tepescit. Vivebat adhuc Bethsabée, etc., usque ad et Raab meretrix in typo Ecclesiæ reticulam mysterium sanguinis continentem, ut Jericho pereunte domus ejus salvaretur, appendit, unde de sanctis dicitur: *Hi sunt qui venerunt de calore domus Rechab* I Par. 2.. Et alibi: *Ignem veni mittere in terram* Luc. 12., etc., qui scilicet in discipulorum corde succensus cobeat eos dicere: *Nonne cor nostrum ardens erat* Ibid., 24.? *Cumque operiretur,* etc. David nimium frigus pertulit, vel quia de senioribus natus est parentibus, vel quia multum in prælio sanguinem fuderat, vel potius ex quo angelum cædentem populum vidit, pavore vehementi contabuit, unde in incommoditate frigoris usque ad mortem permansit.

‡‡1.5 *Adonias autem.* Judaicum populum significat, qui major filius esse videtur, quia prior legem suscepit, et gentilem populum, qui per gratiam Dei posterior vocatus est, spernens, se solum cum Domino regnare putavit. Adonias enim *dominator dominus* interpretatur. Sed Ecclesiæ populus cum vero Salomone, id est pacifico nostro, cujus ipse corpus est, per divinam ordinationem in regnum substituitur, de quo merito perfidiæ major filius, id est prior populus, præcipitatur.

¹⁸ Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante. ¹⁹ Mactavit boves, et pingua quæque, et arietes plurimos, et vocavit omnes filios regis, Abiathar quoque sacerdotem, et Joab principem militiæ: Salomonem autem servum tuum non vocavit. ²⁰ Verumtamen, domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israël, ut indices eis quis sedere debeat in solio tuo, domine mi rex, post te. ²¹ Eritque, cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego et filius meus Salomon peccatores. ²² Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit. ²³ Et nuntiaverunt regi, dicentes: Adest Nathan propheta. Cumque introisset in conspectu regis, et adorasset eum pronus in terram, ²⁴ dixit Nathan: Domine mi rex, tu dixisti: Adonias regnet post me, et ipse sedeat super thronum meum? ²⁵ Quia descendit hodie, et immolavit boves, et pingua, et arietes plurimos, et vocavit universos filios regis et principes exercitus, Abiathar quoque sacerdotem, illisque vescentibus et bibentibus coram eo, et dicentibus: Vivat rex Adonias: ²⁶ me servum tuum, et Sadoc sacerdotem, et Banaïam filium Jojadæ, et Salomonem famulum tuum non vocavit. ²⁷ Numquid a domino meo rege exivit hoc verbum, et mihi non indicasti servo tuo quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum? ²⁸ Et respondit rex David, dicens: Vocate ad me Bethsabæe. Quæ cum fuisset ingressa coram rege, et stetisset ante eum, ²⁹ juravit rex, et ait: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, ³⁰ quia sicut juravi tibi per Dominum Deum Israël, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit super solium meum pro me: sic faciam hodie. ³¹ Summissoque Bethsabæe in terram vultu, adoravit regem, dicens: Vivat dominus meus David in æternum. ³² Dixit quoque rex David: Vocate mihi Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et Banaïam filium Jojadæ. Qui cum ingressi fuissent coram rege, ³³ dixit ad eos: Tollite vobiscum servos domini vestri, et imponite Salomonem filium meum super mulam meam, et ducite eum in Gihon. ³⁴ Et ungat eum ibi Sadoc sacerdos et Nathan propheta in regem super Israël: et canetis buccina, atque dicetis: Vivat rex Salomon. ³⁵ Et ascendetis post eum, et veniet, et sedebit super solium meum, et ipse regnabit pro me: illique præcipiam ut sit dux super Israël et super Judam. ³⁶ Et respondit Banaïas filius Jojadæ regi, dicens: Amen: sic loquatur Dominus Deus domini mei regis. ³⁷ Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, et sublimius faciat solium ejus a solio domini mei regis David. ³⁸ Descendit ergo Sadoc sacerdos, et Nathan propheta, et Banaïas filius Jojadæ, et Cerethi, et Phelethi: et imposuerunt Salomonem super mulam regis David, et adduxerunt eum in Gihon. ³⁹ Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem: et cecinerunt buccina, et dixit omnis populus: Vivat rex Salomon. ⁴⁰ Et ascendit universa multitudo post eum, et populus canentium tibiis, et lætantium gaudio magno: et insonuit terra a clamore eorum. ⁴¹ Audivit autem Adonias, et omnes qui invitati fuerant ab eo: jamque convivium finitum erat: sed et Joab, audita voce tubæ, ait: Quid sibi vult clamor civitatis tumultuantis? ⁴² Adhuc illo loquente, Jonathas filius Abiathar sacerdotis venit: cui dixit Adonias: Ingredere, quia vir fortis es, et bona nuntians. ⁴³ Responditque Jonathas Adoniæ: Nequaquam: dominus enim noster rex David regem constituit Salomonem: ⁴⁴ misitque cum eo Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et Banaïam filium Jojadæ, et Cerethi, et Phelethi, et imposuerunt eum super mulam regis. ⁴⁵ Unxeruntque eum Sadoc sacerdos et Nathan propheta regem in Gihon: et ascenderunt inde lætantes, et insonuit civitas: hæc est vox quam audistis. ⁴⁶ Sed et Salomon sedet super solium regni. ⁴⁷ Et ingressi servi regis benedixerunt

domino nostro regi David, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, et magnificet thronus ejus super thronum tuum. Et adoravit rex in lectulo suo: ⁴⁸ et locutus est: Benedictus Dominus Deus Israël, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis. ⁴⁹ Territi sunt ergo, et surrexerunt omnes qui invitati fuerant ab Adonia, et ivit unusquisque in viam suam. ⁵⁰ Adonias autem timens Salomonem, surrexit, et abiit, tenuitque cornu altaris. ⁵¹ Et nuntiaverunt Salomoni, dicentes: Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu altaris, dicens: Jurat mihi rex Salomon hodie, quod non interficiat servum suum gladio. ⁵² Dixitque Salomon: Si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus ejus in terram: sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur. ⁵³ Misit ergo rex Salomon, et eduxit eum ab altari: et ingressus adoravit regem Salomonem: dixitque ei Salomon: Vade in domum tuam.

2 Appropinquaverunt autem dies David ut moreretur: præcepitque Salomoni filio suo, dicens: ² Ego ingredior viam universæ terræ: confortare, et esto vir. ³ Et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus: ut custodias cæremonias ejus, et præcepta ejus, et judicia, et testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi: ut intelligas universa quæ facis, et quocumque te verteris: ⁴ ut confirmet Dominus sermones suos quos locutus est de me, dicens: Si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo et in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israël. ⁵ Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Joab filius Sarviæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israël, Abner filio Ner, et Amasæ filio Jether: quos occidit, et effudit sanguinem belli in pace, et posuit cruorem prælii in balteo suo qui erat circa lumbos ejus, et in calceamento suo quod erat in pedibus ejus. ¶ ⁶ Facies ergo juxta sapientiam tuam, et non deduces canitiem ejus pacifice ad inferos. ⁷ Sed et filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi quando fugiebam a facie Absalom fratris tui. ⁸ Habes quoque apud te Semei filium Gera filii Jemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima quando ibam ad castra: sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Jordanem, et juravi ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio: ⁹ tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, ut scias quæ facies ei: deducesque canos ejus cum sanguine ad inferos. ¹⁰ Dormivit igitur David cum patribus suis, et sepultus est in civitate David. ¹¹ Dies autem quibus regnavit David super Israël, quadraginta anni sunt: in Hebron regnavit septem annis; in Jerusalem, triginta tribus. ¹² Salomon autem sedit super thronum David patris sui, et firmatum est regnum ejus nimis. ¹³ Et ingressus est Adonias filius Haggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei: Pacificusne est ingressus tuus? Qui respondit: Pacificus. ¹⁴ Addiditque: Sermo mihi est ad te. Cui ait: Loquere. Et ille: ¹⁵ Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum, et me præposuerat omnis Israël sibi in regem: sed translatum est regnum, et factum est fratris mei: a Domino enim constitutum est ei. ¹⁶ Nunc ergo petitionem unam precor a te: ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum: Loquere. ¹⁷ Et ille ait: Precor ut dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam potest) ut det mihi Abisag Sunamitidem uxorem. ¹⁸ Et ait Bethsabee: Bene: ego loquar pro te regi. ¹⁹ Venit ergo

¶2.5 *Tu quoque.* David præcepit Salomoni de justa retributione eorum qui sibi solatio fuerunt, vel injuste nocuerunt, quos ipse patienter toleravit. Et prophetia indicat quid mali in futuro fieri oporteat vel boni, quod verus Salomon implebit. Interim tamen patientia Dei sæpe bonos tribulari, reprobos deliciis uti concedit.

Bethsabée ad regem Salomonem ut loqueretur ei pro Adonia: et surrexit rex in occursum ejus, adoravitque eam, et sedit super thronum suum: positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus.^{§§ 20} Dixitque ei: Petitionem unam parvulam ego deprecor a te: ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex: Pete, mater mea: neque enim fas est ut avertam faciem tuam.²¹ Quæ ait: Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor.²² Responditque rex Salomon, et dixit matri suæ: Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei et regnum: ipse est enim frater meus major me, et habet Abiathar sacerdotem, et Joab filium Sarviæ.²³ Juravit itaque rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc.²⁴ Et nunc vivit Dominus, qui firmavit me, et collocavit me super solium David patris mei, et qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur Adonias.²⁵ Misitque rex Salomon per manum Banaïæ filii Jojadæ, qui interfecit eum, et mortuus est.²⁶ Abiathar quoque sacerdoti dixit rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum: equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo, et sustinuisti laborem in omnibus in quibus laboravit pater meus.²⁷ Ejecit ergo Salomon Abiathar ut non esset sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini quem locutus est super domum Heli in Silo.²⁸ Venit autem nuntius ad Joab, quod Joab declinasset post Adoniam, et post Salomonem non declinasset: fugit ergo Joab in tabernaculum Domini, et apprehendit cornu altaris.²⁹ Nuntiatumque est regi Salomoni quod fugisset Joab in tabernaculum Domini, et esset juxta altare: misitque Salomon Banaïam filium Jojadæ, dicens: Vade, interfice eum.³⁰ Et venit Banaïas ad tabernaculum Domini, et dixit ei: Hæc dicit rex: Egredere. Qui ait: Non egrediar, sed hic moriar. Renuntiavit Banaïas regi sermonem, dicens: Hæc locutus est Joab, et hæc respondit mihi.³¹ Dixitque ei rex: Fac sicut locutus est, et interfice eum, et sepeli: et amovebis sanguinem innocentem qui effusus est a Joab, a me, et a domo patris mei.³² Et reddet Dominus sanguinem ejus super caput ejus, quia interfecit duos viros justos, melioresque se: et occidit eos gladio, patre meo David ignorante, Abner filium Ner principem militiæ Israël, et Amasam filium Jether principem exercitus Juda:³³ et revertetur sanguis illorum in caput Joab, et in caput seminis ejus in sempiternum. David autem et semini ejus, et domui, et throno illius, sit pax usque in æternum a Domino.³⁴ Ascendit itaque Banaïas filius Jojadæ, et aggressus eum interfecit: sepultusque est in domo sua in deserto.³⁵ Et constituit rex Banaïam filium Jojadæ pro eo super exercitum, et Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar.³⁶ Misit quoque rex, et vocavit Semei: dixitque ei: Ædifica tibi domum in Jerusalem, et habita ibi: et non egredieris inde huc atque illuc.*³⁷ Quacumque autem die egressus fueris, et transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum: sanguis tuus erit super caput tuum.³⁸ Dixitque Semei regi: Bonus sermo: sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet servus tuus. Habitavit itaque Semei in Jerusalem diebus multis.³⁹ Factum est autem

§§2.19 *Venit ergo Bethsabée ad regem.* RAB. Adonias Bethsabée interveniente, etc., usque ad nec lex quam Judæi sibi adjutricem apud Deum esse opinantur.

*2.36 *Et non egredieris,* etc. Præcipit nobis verus Salomon habitantibus in Jerusalem, ne unquam egrediamur. Quod si fugerint nos nobis ante subjecti, non ideo egrediamur, ut sequamur fugitivorum vestigia, ne dum volumus salvare fugientes, ipsi pereamus, quin potius mortui sepeliant mortuos, et scandalizantem oculum, manum, pedem, dum licet, eruamus et abscindamus a nobis.

post annos tres ut fugerent servi Semei ad Achis filium Maacha regem Geth: nuntiatumque est Semei quod servi ejusissent in Geth. ⁴⁰Et surrexit Semei, et stravit asinum suum, ivitque ad Achis in Geth ad requirendum servos suos, et adduxit eos de Geth. ⁴¹Nuntiatum est autem Salomoni quod isset Semei in Geth de Jerusalem, et rediisset. ⁴²Et mittens vocavit eum, dixitque illi: Nonne testificatus sum tibi per Dominum, et prædixi tibi: Quacumque die egressus ieris huc et illuc, scito te esse moriturum, et respondisti mihi: Bonus sermo, quem audivi? ⁴³quare ergo non custodisti jusjurandum Domini, et præceptum quod præceperam tibi? ⁴⁴Dixitque rex ad Semei: Tu nosti omne malum cujus tibi conscium est cor tuum, quod fecisti David patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum: ⁴⁵et rex Salomon benedictus, et thronus David erit stabilis coram Domino usque in sempiternum. ⁴⁶Jussit itaque rex Banaïæ filio Joadæ, qui egressus, percussit eum, et mortuus est.

3 Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, et affinitate conjunctus est Pharaoni regi Ægypti: accepit namque filiam ejus, et adduxit in civitatem David, donec compleret ædificans domum suam, et domum Domini, et murum Jerusalem per circuitum. ²Attamen populus immolabat in excelsis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum. ³Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, et accendebat thymiama. ⁴Abit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum: mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon.† ⁵Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis ut dem tibi. ⁶Et ait Salomon: Tu fecisti cum servo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate et justitia, et recto corde tecum: custodisti ei misericordiam tuam grandem, et dedisti ei filium sedentem super thronum ejus, sicut est hodie. ⁷Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum. ⁸Et servus tuus in medio est populi quem elegisti, populi infiniti, qui numerari et supputari non potest præ multitudinem. ⁹Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum. Quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum? ¹⁰Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset hujuscemodi rem. ¹¹Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: ¹²ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. ¹³Sed et hæc quæ non postulasti, dedi tibi: divitias scilicet, et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. ¹⁴Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea et mandata mea, sicut ambulavit pater tuus,

†3.4 *Abit itaque Salomon.* In Gabaon erat excelsum maximum, ubi erat tabernaculum, quod fecit Moses, et altare æneum, super quod Salomon offerens mille hostias divinum meruit oraculum.

longos faciam dies tuos.[‡] ¹⁵ Igitur evigilavit Salomon, et intellexit quod esset somnium: cumque venisset Jerusalem, stetit coram arca foederis Domini, et obtulit holocausta, et fecit victimas pacificas, et grande convivium universis famulis suis. ¹⁶ Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steteruntque coram eo: ¹⁷ quarum una ait: Obsecro, mi domine: ego et mulier hæc habitabamus in domo una, et peperit apud eam in cubiculo.[¶] ¹⁸ Tertia autem die postquam ego peperit, peperit et hæc: et eramus simul, nullusque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus. ¹⁹ Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte: dormiens quippe oppressit eum.[§] ²⁰ Et consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo, ancillæ tuæ dormientis, et collocavit in sinu suo: suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo.^{**} ²¹ Cumque surrexissem mane ut darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum quem genueram.^{††} ²² Responditque altera mulier: Non est ita ut dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. E contrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus vivit, et filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege. ²³ Tunc rex ait: Hæc dicit: Filius meus vivit, et filius tuus mortuus est: et ista respondit: Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. ²⁴ Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque

[‡]3.14 *Si autem ambulaveris in viis meis*, etc. Absque observatione mandatorum Dei, adipisci nemo potest longos dies, id est beatitudinem. GREG., lib. VIII Moral., cap. 17. Postquam Dominus erroris nostri tenebras luce suæ cognitionis illustrat, etc., usque ad ut ad promissæ incorruptionis substantiam reformemur. HIER., epist. 131, tom. 1. Quidam autumant super Synagogam et Ecclesiam hoc esse sentiendum, etc., usque ad notandum quoque quid dicat Ecclesia contra Synagogam.

[¶]3.17 *Ego et mulier*. Quia post resurrectionem Salvatoris una de utroque populo congregata est. Eleganter vero adjunxit: *Peperit apud eam in cubiculo*. Ecclesia enim de gentibus, quæ non habebat legem et prophetas, peperit in domo synagogæ, nec egressa est de cubiculo, sed ingressa. Unde: *Introduxit me rex in cubiculum suum* Cant. 2.. Et: *Introducam te in domum matris meæ, et in cubiculum ejus, quæ concepit me* Ibid., 3.. RAB. Si consideres Pilatum lavantem manus et dicentem: *Mundus ego sum a sanguine justi hujus* Matth. 27.: et centurionem confitentem: *Vere hic erat Filius Dei* Marc. 15., et eos, qui ante passionem per Philippum Dominum videre desiderant, non ambigis primum peperisse Ecclesiam; et post, natum populum Judæorum, pro quo Dominus precabatur: *Pater, ignosce illis*, etc., et crediderunt una die tria millia et alia quinque millia. GREG. Per matres lactantes ordo doctorum, etc., usque ad ipsi integros et viventes filios recipiunt, quando in supremo judicio ex eorum vita perfectam retributionem assequuntur.

[§]3.19 *Mortuus*. RAB. Dum enim legis sequitur observantiam et gratiam Evangelii copulat legi, tenebrarum errore cooperta est.

^{**}3.20 *Tulit filium*. Vivum, scilicet: non ut possideret, sed ut occideret. Non enim fecit hoc filii amore, sed odio æmulæ.

^{††}3.21 *Quem diligentius intuens*, etc. RAB. Longum est ostendere quomodo per Paulum et alios ecclesiasticos intellexerit Ecclesia non esse filium suum, qui timebatur in lege, et in luce cognovit quem in tenebris non videbat. Duæ mulieres, quarum una dilectione ardebat, in altera simulatio subrepebat, Ecclesiam figurant, et Synagogam sive hæreticam pravitatem, quarum utraque et suos nequiter nutriendo interimit, et alienos quousque perdat alliciendo persuadet. Inter duas mulieres Dominus, dum id quod justum est spiritu oris sui dirimit, unicuique quod debetur restituit.

attulissent gladium coram rege,‡‡ 25 Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri.¶¶ 26 Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus, ad regem (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo): Obsecro, domine, date illi infantem vivum, et nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi nec tibi sit, sed dividatur.‡‡ 27 Respondit rex, et ait: Date huic infantem vivum, et non occidatur: hæc est enim mater ejus. 28 Audivit itaque omnis Israël judicium quod judicasset rex, et timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium.

4 Erat autem rex Salomon regnans super omnem Israël: 2 et hi principes quos habebat: Azarias filius Sadoc sacerdotis: 3 Elihoreph et Ahia filii Sisa scribæ: Josaphat filius Ahilud a commentariis: 4 Banaias filius Jojadæ super exercitum: Sadoc autem et Abiathar sacerdotes: 5 Azarias filius Nathan super eos qui assistebant regi: Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis: 6 et Ahisar præpositus domus: et Adoniram filius Abda super tributa. 7 Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israël, qui præbebant annonam regi et domui ejus: per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant. 8 Et hæc nomina eorum: Benhur in monte Ephraim. 9 Bendecar in Maces, et in Salebim, et in Bethsames, et in Elon, et in Bethanan. 10 Benhesed in Aruboth: ipsius erat Socho, et omnis terra Ephraim. 11 Benabinadab, cujus omnis Nephath Dor: Tapheth filiam Salomonis habebat uxorem. 12 Bana filius Ahilud regebat Thanac et Mageddo, et universam Bethsan, quæ est juxta Sarthana subter Jezrahel, a Bethsan usque Abelmechula e regione Jecmaan. 13 Bengaber in Ramoth Galaad: habebat Avothjair filii Manasse in Galaad: ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta civitatibus magnis atque muratis quæ habebant seras æreas. 14 Ahinadab filius Addo præerat in Manaim. 15 Achimaas in Nephthali: sed et ipse habebat Basemath filiam Salomonis in conjugio. 16 Baana filius Husi in Aser, et in Baloth. 17 Josaphat filius Pharue in Issachar. 18 Semei filius Ela in Benjamin. 19 Gaber filius Uri in terra Galaad, in terra Sehon regis Amorrhæi et Og regis Basan, super omnia quæ erant in illa terra. 20 Juda et Israël innumerabiles, sicut arena maris in multitudine: comedentes, et bibentes, atque lætantes. 21 Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna a flumine terræ Philistiim usque ad terminum Ægypti: offerentium sibi munera, et servientium ei cunctis diebus vitæ ejus. 22 Erat autem cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similæ, et sexaginta cori farinæ,* 23 decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, atque bubalo-

‡‡3.24 *Dixit ergo.* RAB. Simulans ignorantiam humanos pro dispensatione carnis metitur affectus, sicut et ibi: *Ubi posuisti eum* Joan. 20.? Et alibi: *Quis me tetigit* Luc. 8.?

¶¶3.25 *Dividite.* ID. Tentat naturam naturæ Dominus, et vult secundum utriusque voluntatem, viventem filium, in legem gratiamque dividere: non quod probet, sed ad arguendam Synagogæ calumniam hoc se velle dicit.

‡‡3.26 *Dixit autem.* ID. Ecclesia, quæ scit suum esse, libenter concedit æmulæ, ut vivat saltem apud eam, ne inter legem divisus et gratiam, Christi mucrone feriatur, unde: *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si legem observatis, Christus vobis nihil proderit* Galat. 5..

*4.22 *Cibus Salomonis.* RAB. Refectio Christi, qui pascitur recta fide et operibus bonis, quæ illi quotidie offeruntur ab Ecclesia catholica.

rum, et avium altilium.[†] ²⁴ Ipse enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, a Thaphsa usque ad Gazan, et cunctos reges illarum regionum: et habebat pacem ex omni parte in circuitu. ²⁵ Habibatque Juda et Israël absque timore ullo, unusquisque sub vite sua et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis. ²⁶ Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium.[‡] ²⁷ Nutriebantque eos supradicti regis præfecti: sed et necessaria mensæ regis Salomonis cum ingenti cura præbebant in tempore suo. ²⁸ Hordeum quoque, et paleas equorum et jumentorum, deferebant in locum ubi erat rex, juxta constitutum sibi.[¶] ²⁹ Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis quasi arenam quæ est in littore maris. ³⁰ Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et Ægyptiorum, ³¹ et erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan Ezrahita, et Heman, et Chalcol, et Dorda filii Mahol: et erat nominatus in universis gentibus per circuitum. ³² Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas: et fuerunt carmina ejus quinque et mille.[§] ³³ Et disputavit super lignis a cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete: et disseruit de jumentis, et volucris, et reptilibus, et piscibus.^{**} ³⁴ Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terræ qui audiebant sapientiam ejus.

5 Misit quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem: audivit enim quod ipsum unxissent regem pro patre ejus: quia amicus fuerat Hiram David omni tempore. ² Misit autem Salomon ad Hiram, dicens: ³ Tu scis voluntatem David patris mei, et quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella im-

[†]4.23 *Viginti boves.* ID. Prædicatores Novi Testamenti, qui quasi geminatum Decalogum in se habent, cum Novum et Vetus Testamentum æqualiter prædicant pleni dilectione Dei et proximi. *Excepta venatione.* Venatione diversorum animalium sunt qui ex diversis gentibus quotidie retibus Evangelii per spirituales venatores capiuntur, et in pastum Salvatoris rediguntur.

[‡]4.26 *Quadraginta,* etc. Per quadraginta tempora priscae legis designantur, quam Moses accepturus jejunavit quadraginta diebus, et populus qui ea instruebatur, quadraginta annis in deserto fuit. *Et duodecim.* Hic numerus præsens tempus significat, in quo apostolica doctrina Novi Testamenti populum nutrit.

[¶]4.28 *Hordeum,* etc. Ne quid desit in domo regis, ordo prædicatorum scribendo et loquendo laborat, ut in mensa Domini abundet, unde nutriuntur fideles.

[§]4.32 *Et fuerunt carmina ejus.* Constat neque carmina neque disputationes Salomonis hodie esse. *Quinque millia.* Propter quinque sensus, quos, qui in diversis virtutibus bene regit, beatus est, et per eos quasi carmina quinque millia Domino canit.

^{**}4.33 *Hyssopus.* RAB. Hyssopus, herba humilis et saxo hærens, etc., usque ad tunc enim cedrum, id est, arrogantiam sæculi inclinavit usque ad humilitatem hyssopi, id est, usque ad stultitiam crucis. *Et disseruit.* ID. *Omnia enim nuda et aperta sunt Christo* Hebr. 4.. Disputat autem, cum singulorum rationem nobis proponit in Scripturis suis, manifestatque sacramenta, quæ fuerunt abscondita a sæculis et generationibus, ut consideremus beatitudinem angelorum, utilitatem hominum, astutiam dæmonum, et, reprobantes quod malum est, sectemur quod bonum est.

minentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum ejus.^{††} ⁴ Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, et non est satan, neque occursum malus. ⁵ Quam ob rem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo, dicens: Filii tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo. ⁶ Præcipe igitur ut præcidant mihi servi tui cedros de Libano, et servi mei sint cum servis tuis: mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris: scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit ligna cædere sicut Sidonii.^{‡‡} ⁷ Cum ergo audisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valde, et ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum. ⁸ Et misit Hiram ad Salomonem, dicens: Audivi quæcumque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis et abiegnis. ⁹ Servi mei deponent ea de Libano ad mare, et ego componam ea in ratibus in mari usque ad locum quem significaveris mihi: et applicabo ea ibi, et tu tolles ea: præbebisque necessaria mihi, ut detur cibus domui meæ. ¹⁰ Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, et ligna abiegna, juxta omnem voluntatem ejus.^{¶¶} ¹¹ Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui ejus, et viginti coros purissimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos. ¹² Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei: et erat pax inter Hiram et Salomonem, et percusserunt ambo fœdus. ¹³ Elegitque rex Salomon operarios de omni Israël, et erat indictio triginta millia virorum.^{§§} ¹⁴ Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis: et Adoniram erat super hujusmodi indictionem. ¹⁵ Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant,

^{††}5.3 *Et quia non potuerit ædificare domum*, etc. BEDA, quæst. in lib. Reg. Domus quam Salomon ædificavit, Ecclesiæ figura fuit, etc., usque ad in quibusdam remunerata cum angelis hominum certamina demonstret. ID., lib. de templo Salom., cap. 1. Hanc domum spiritualem etiam tabernaculum in eremo factum significat, etc., usque ad et salutem omnium gentium in Christo multis modis ostendat et figuret.

^{‡‡}5.6 *Præcipe igitur ut præcidant mihi*, etc. RAB. Servi Hiram præcidentes cedros Salomoni de Libano, etc., usque ad melius gentilium errores noverant, et ideo artificiosius expugnabant. *Scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit ligna*, etc. BEDA, ut supra. Dicendum est prius de operariis templi, qui vel unde fuerunt, et de ipsa materia, etc., usque ad triticum, scilicet, verbi Dei, oleum charitatis, unctionis et Spiritus sancti illuminationis.

^{¶¶}5.10 *Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina et ligna abiegna, juxta omnem*, etc. Tyrus, unde rex Hiram, insula est dedita negotiationi, ubi erant optimi fabricatores lignorum, qui dabant ligna pretiosa accipientes cibaria. Vivunt enim non agrum colendo, sed negotiando. Ibi est mons Libanus, de cujus lignis facta est domus Domini. Unde et Libanus dicitur ibi: *Aperi, Libane, portas tuas* Zach. 11..

^{§§}5.13 *Elegitque rex Salomon*. BEDA, ut supra, cap. 3. Non frustra operarios de omni Israël elegit, etc., usque ad in qua mens fidelium a Domino quotidiana illustratione quasi luna a sole respicitur. *Operarios de omni Israël, et erat indictio triginta millia virorum*. Hi operatores erant proselyti. Horum magistri de Judæis, quia non fecit quemquam servire de Israël.

^{*}5.14 *Adoniram erat super hujusmodi indictionem*. BEDA, ibid. Dominus meus excelsus. Hic est Christus, qui operariis templi præponitur, etc., usque ad ut orationibus et juniis superno inspectore et visitatore digna sit.

et octoginta millia latomorum in monte,^{† 16} absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium et trecentorum, præcipientium populo et his qui faciebant opus.^{‡ 17} Præcepitque rex ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, et quadrarent eos:^{¶ 18} quos dolaverunt cæmentarii Salomonis et cæmentarii Hiram: porro Giblii præparaverunt ligna et lapides ad ædificandam domum.[§]

6 Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus), regni

[†]5.15 *Fuerunt itaque Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte.* BEDA, ibid. Nec prætereundum quod septuaginta et octoginta millia portantium onera et latomorum cum præpositis suis non fuerunt Israëlità, etc., usque ad Quidam utraque virtute præditi ad opus domus Domini conveniunt; unde: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes,* etc. I Thes. 5.. *Latomorum.* BEDA, ibid.. Latomi sunt cæsores lapidum, etc., usque ad quia eruti de potestate tenebrarum ad arcem virtutum quæ est in unitate Ecclesiæ pervenimus.

[‡]5.16 *Absque præpositis.* Præpositi autem sunt sacræ Scripturæ conditores quorum magisterio crudimur inscios docere, contemptores corripere, et invicem onera nostra portare. *Trium millium.* Propter fidem Trinitatis, quam sancta eloquia prædicant. Quod in Paralipomenis tria millia sexcenti scripti sunt, ad perfectionem eorum respicit. Senarius enim, in quo mundi completus est ornatus, perfecta bonorum opera significat: et quia sancta Scriptura cum fide veritatis opera justitiæ docet habenda, recte præpositi operum templi tria millia et sexcenti fuerunt.

[¶]5.17 *Præcepitque rex ut tollerent.* BEDA, ibid. Ad ædificandum domum Domini primo ligna et lapides de monte cæduntur, etc., usque ad unde: *Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* Ephes. 2.. *Lapides grandes.* BEDA, ibid., cap. 4. Vel lapides pretiosi, grandes, quadrati, primi sunt magistri, qui ab ipso Domino audiere verbum salutis. Superpositi vero ordines lapidum vel lignorum sequentes sacerdotes vel doctores, quorum prædicatione crescit Ecclesia et ornatur virtutibus. RAB. ex Bed. Quali autem colore fuerunt lapides, etc., usque ad marmor candidum ex quo constructa est domus electorum, actionem mundam et conscientiam ab omni nævo corruptionis castigatam significat; unde: *Mundemus nos ab omni inquinamento,* etc. II Cor. 7.. *In fundamentum templi.* BEDA, ibid. Fundamentum est Christus, etc., usque ad ut abjectis verbis, factis cogitationibusque supervacuis, ad portandum onus Ecclesiæ digni fiant.

[§]5.18 *Porro Giblii præparaverunt ligna et lapides.* RAB. ex Bed., ibid. Giblos est civitas Phœnicis. etc., usque ad nec sanctuarium Domino, sed ruinam sibi ædificat, qui docere præsumit quod ipse non didicit. *Ad ædificandum domum.* ID., ibid. Post fundamentum de talibus compositum, ædificanda est domus præparatis lignis et lapidibus, et ordine collocatis, qui de suo situ vel abstracti sunt, quia post prima fidei rudimenta, post collata in nobis juxta exemplum sublimium virorum fundamenta humilitatis, addendus est in altum paries bonorum operum, et quasi superpositis sibi invicem ordinibus lapidum proficiendum de virtute in virtutem.

Salomonis super Israël, ædificari cœpit domus Domino. ** 2 Domus autem quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine. 3 Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi: et habebat

** 6.1 *Factum est igitur*. RAB. ex Bed., lib. de Templo Salom., cap. 5. Fit commemoratio egressionis de Ægypto, etc., usque ad nec Scriptura quæ gratiam Novi Testamenti intimaret in Veteri. **Anno quarto**. Quarto anno regis Salomonis cœpit ædificari domus: quia post expletam Christi incarnationis dispensationem in quatuor Evangeliiis scriptam, misso Spiritu sancto Ecclesiæ structura cœpit. **Mense Zio ipse est mensis**. BEDA, ibidem. Quod mense secundo, etc., usque ad unde patet quia mox peracto pascha cœpit ædificare domum Domini et consecratus mystica solemnitate populus misit manus ad mysticum opus. **Ædificare cœpit**. ID., ibid. Ubi ædificatum sit templum in Paralipomenis manifestatur, etc., usque ad sed internæ pacis, quam cum conditore suo haberet, compos effecta est. **Quæ præparaverat David**, etc. Paraverat enim David psallendo, paraverunt alii prophetae vaticinando locum Domino: vero scilicet Salomoni, in quo domum ædificaret, quia corda auditorum fide instituerunt, monentes ut incarnatum Dei Filium fideli devotione susciperent. Unde: **Levate oculos vestros et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem: et qui metit, mercedem accipit: et congregat fructum in vitam æternam, ut qui seminat simul gaudeat et qui metit** Joan. 4.. Quod dicit: Levate oculos vestros et videte locum qui paratus est ad ædificandam domum, et qui ædificat docendo, mercedem accipit, et congregat lapides pretiosos in vitam æternam: ut et qui parat locum ædificio simul gaudeat et qui ædificat, id est propheta venturum prædicens: et apostolus prædicans Dominum venientem, una simul mercede potiantur. **In longitudine**, etc. Longitudo domus longanimitatem Ecclesiæ significat, qua patienter adversa tolerat, donec ad patriam perveniat. Hæc est sexaginta cubitorum, quia senarius perfectionem bonorum operum significat; quia debemus per longanimitatem ita adversa tolerare, ut per bona opera promissam patriam mereamur intrare. **Viginti cubitos**. Propter geminam charitatis distantiam, qua Deum diligimus et proximum. **In latitudine**. Latitudo charitatem significat, quæ dilatato sinu mentis amicos in Deo, et inimicos diligit propter Deum donec ad pacem conversis vel funditus extinctis, cum solis amicis gaudeat in Domino. BEDA, ibid. Notandum, quia triginta cubiti altitudinis non usque ad tectum templi, sed usque ad cœnaculum inferius pertingebant. Aperte enim in Paralipomenis scriptum est quod altitudo centum viginti cubitorum erat, de cujus rei sacramentis aptius in sequenti tractabitur, ubi ad medium cœnaculum et tertium lectionis ordo pervenerit. **Triginta cubitos**. Propter fidem Trinitatis, in cujus visione cuncta desideria spei nostræ suspendantur. Singuli numeri per decem multiplicantur, quia per fidem et custodiam legis patientia salubriter exercetur: charitas viriliter ardescit, et spes sublimerit ad æterna rapitur. **In altitudine**. Altitudo significat spem retributionis futuræ, pro qua prospera vel adversa contemnit, donec videat bona Domini in terra viventium.

decem cubitos latitudinis ante faciem templi.^{†† 4} Fecitque in templo fenestras obliquas.^{‡‡ 5} Et ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi et oraculi, et fecit latera in circuitu.^{¶¶ 6} Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hæerent muris templi.^{§§ 7} Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: et malleus, et

^{††}6.3 *Porticus erat,* etc. De hac in Paralipomenis ita scriptum: *Porticum vero ante frontem quæ tendebatur in longum juxta mensuram latitudinis cubitorum viginti* II Paral. 3.. Patet ergo quia porticus ista ad orientalem templi partem facta est. Templum enim versum ad orientem erat sicut et tabernaculum: habebatque ostium ab oriente contra ostium templi, juxta Josephum, ita ut sol æquinoctialis oriens directis radorum lineis per ostia tria, porticus, scilicet, templi et oraculi, arcam testamenti perfunderet. Templum Ecclesiam figurat, porticus quæ ante templum prior lumen solis recipiebat, illam Ecclesiæ partem quæ Domini incarnationem præcessit: in qua patriarchæ et prophetæ orientem justitiæ solem primi susceperunt, et nascenti Domino in carne vivendo, prædicando, nascendo, et moriendo testimonium præbuerunt. *Viginti cubitorum longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi.* BEDA, lib. de temp. Salom., c. 6. Quia antiqui justi in patientia et longanimitate exspectabant, etc., usque ad tamen doctrinam ejus audire et sacramenta percipere nequiverunt.

^{‡‡}6.4 *Fenestras obliquas.* ID., ibid., cap. 7. Sanctos doctores quibus mente excedentibus Deo, arcana cœlestium specialius videre conceditur. Qui dum quæ in occulto vident, publice pandunt, quasi suscepto lumine solis fenestræ cuncta templi penetralia replent. Unde obliquæ, id est, intus latiores fuisse perhibentur: quia qui jubar supernæ contemplationis vel ad momentum percipit, mox sinum cordis amplius castigando dilatat, et ad majora capessenda solerti exercitatione præparat.

^{¶¶}6.5 *Et ædificavit,* etc. ID., ibid. Hæc tabulata in Evangelio ubi Dominus tentatur a diabolo, pinnacula templi vocantur, etc., usque ad quorum maximam partem uxores reliquisse completius sancti Stephani testatur historia, ubi feminas eadem religione pollentes non conjuges, sed viduas eorum appellat. *Latera.* ID., ibid. Id. est luriculas, ne quis inde facile ad inferiora decideret, etc., *usque ad Latera,* id est, muros vel cancellos, vel luriculas, doctores in tabulatis sedentes, qui ad circumstantem inferius populum concionabantur.

^{§§}6.6 *Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus.* BEDA, ibid. Domus quæ tabulata portant, etc., usque ad et tamen ex eis quæ loquendo, agendo, vel patiendo foris ostendunt, invenimus salutis auxilium. *Trabes,* etc., *forinsecus.* Tantæ longitudinis erat, ut capita earum forinsecus prominere. In infimo ordine cubitorum septem, in medio sex, in supremo quinque, ut in capitibus earum tabulata componerentur, non muris templi infixæ, sed juxta muros trabibus quæ de muris exierant, superposita.

securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur.*⁸ Ostium lateris medii in parte erat domus dextræ: et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium.[†]⁹ Et ædificavit domum, et consummavit eam: texit quoque domum laquearibus cedrinis.[‡]¹⁰ Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, et operuit domum lignis cedrinis.[¶]¹¹ Et factus est sermo Domini ad Salomonem, dicens: ¹² Domus hæc, quam ædificas, si ambulaveris in præceptis meis, et judicia mea feceris, et custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea, firmabo sermonem meum tibi, quem locutus sum ad David patrem tuum: ¹³ et habitabo in medio filiorum Israël, et non derelinquam populum meum Israël. ¹⁴ Igitur ædificavit Salomon domum, et consummavit eam. ¹⁵ Et ædificavit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis: a pavimento domus usque ad summitatem parietum, et usque ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinsecus: et texit pavimentum domus tabulis abiegnis.[§]¹⁶ Ædificavitque viginti cubitorum ad posteriorem partem

*6.7 *Domus autem*, etc. Hæc ad illam Ecclesiæ partem quæ post sæculi labores et certamina ad æterna præmia meruit introduci proprie pertinent. Nihil enim inquinatum intrabit in illam civitatem. *Et malleus et securis*. Quia hic tundimur adversitatibus et disciplina veritatis exercemur, ut illic juxta meritum locis congruis disponamur, et castigatione cessante solo amoris glutino quo ad invicem copulemur, uno impleti spiritu perfundamur. Sed quamvis dicatur: *Næ vir perfectus in generationibus suis*, et: *Beati immaculati in via*, et hujuscemodi, nullus vere perfectus et sine macula viam hujus vitæ incedere potest. Non est enim qui faciat bonum, et non peccet. Sed secundum hujus temporis modum perfecti et immaculati vocantur, qui tunc vere perficiuntur, cum nexibus corporis absoluti ad immortalem domus Domini decorem pervenerint.

†6.8 *Ostium lateris*. BEDA, ibid, cap. 8. Qui dam hunc locum male intelligentes, etc., usque ad et bene unum ostium, propter consonam in omnibus sanctis fidem et dilectionem veritatis. *Ascendebant in medium cœnaculum et a medio in tertium. Et ædificavit*. BEDA ibid. Notandum quod triginta cubiti altitudinis de quo supra legitur, etc., usque ad quia consona mente et voce omnes divinæ majestatis gloriam collaudabunt.

‡6.9 *Laquearibus*. BEDA, ibid., cap. 9. Laquearia sunt tabulata, quæ magno decore composita et ornata, ab inferiori parte trabibus affiguntur, et quia ternæ altitudinis domus Domini facta erat, terna habebat laquearia. Sanctis sublimioribus scilicet, quorum opus et doctrina cunctis in templo proposita, quasi longius in alto præeminent; quicunque intercedendo, exhortando, animas infirmorum ne deficient, protegant. *Cedrinis*. ID., ibid. Cedrus arbor imputribilis, etc., usque ad nisi diligere Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, et proximum tanquam nos ipsos.

¶6.10 *Tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis*. BEDA, ibid. Hic supremum ipsius domus tectum dicitur, etc., *usque ad in spiritu et virtute Eliæ*.

§6.15 *Et ædificavit parietes*. BED., ibid. Intrinsecus quidem domus cedro erat vestita, etc., usque ad sed non habent quos portent. *Parietes domus*. Operiuntur cum corda fidelium amore virtutum redundant. Sicut enim cedrus perfectos significat, ita locis opportunis, celsitudinem virtutum, quibus ad eandem pervenitur perfectionem. *A pavimento*. Teguntur omnia lignis, a pavimento domus usque ad summitatem parietum et usque ad laquearia, cum electi a primis fidei rudimentis usque ad perfectionem bonæ actionis, et usque ad ingressum patriæ cœlestis insulant operibus bonis, cum a primis justis usque ad ultimos in consummatione sæculi omnes virtutibus student, quarum merito dicere audeant: *Christi bonus odor sumus Deo* II Cor. 2.. *Et texit pavimentum*. BED. ibid. Hoc in Paralipomenis plenius scriptum est, etc., usque ad subjunxit: *Super omnia autem charitatem habentes*, etc. I Tim. I; Col. 3..

templi tabulata cedrina, a pavimento usque ad superiora: et fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum. ^{** 17} Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi. ^{†† 18} Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas et juncturas suas fabrefactas, et cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis vestiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete. ^{‡‡ 19} Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Domini. ^{¶¶ 20} Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, et viginti cubitos latitudinis, et viginti cubitos altitudinis: et operuit illud atque vestivit auro purissimo: sed et altare vestivit cedro. ^{§§ 21} Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, et affixit laminas clavis aureis. ^{* 22} Nihilque erat in templo quod non auro tegetetur: sed et totum altare oraculi textit auro. ^{† 23} Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis. ^{‡ 24} Quinque cubitorum ala cherub una, et quinque cubitorum ala cherub altera: id est, decem cubitos habentes, a summi-

^{**}6.16 *Ædificavit viginti.* BED., ibid., cap. 10. Quod tabulata, etc., usque ad et hoc per totam Ecclesiæ latitudinem diffusæ per orbem.

^{††}6.17 *Porro.* ID., ibid. Decem quater ducta quadraginta faciunt, etc., usque ad quadratus vero mundus in quo pro eadem acquirenda certamus. Unde: *De regionibus congregavit eos. A solis ortu et occasu, ab Aquilone et mari* Psal. 106..

^{‡‡}6.18 *Et cedro omnis.* Cedrus insuperabilem virtutum venustatem signat, quo ligno omnis domus intrinsecus vestitur, cum corda iustorum solo bonorum operum amore nitescunt. *Habens tornaturas.* BEDA, ibid., cap. 11. Habet domus in tabulis cedrinis tornaturas suas et juncturas fabrefactas, cum electi ad invicem pulcherrima charitatis copula nectuntur, ut habeant cor unum et animam unam. Tornaturæ enim quæ juncturis tabularum opponuntur, ut unum tabulatum fiat ex omnibus, officia sunt charitatis quibus sancta fraternitas copulatur, et in unam Christi domum toto orbe terrarum componitur. *Cælaturas.* Opera sanctorum manifesta expressione quales sint in exemplum aliis proferunt. Unde Paulus et factis et dictis se in exemplum proponit. *Omnia cedrinis,* etc. ID. ibid. Lapidés parietis vel pavementum, et tabulæ, et aurum, etc., *usque* et *ad* qui gratiam Evangelii perfecte susceperunt, æterna vita pariter perfruuntur.

^{¶¶}6.19 *Oraculum.* BED., ibid. Oraculum ubi erat arca, etc., usque ad qui post resurrectionem ascendens in cœlum carnem sumptam de virgine in Patris dextera collocavit.

^{§§}6.20 *Porro oraculum.* Bene autem interior domus viginti cubitis longa est, pro mysterio geminæ dilectionis, de qua jam dictum est, quæ in hac vita ex parte maxima illustrat electorum mentes, sed in patria cessantibus aliarum virtutum operibus sola regnat. *Sed et altare.* ID., ibid., cap. 12. Thymiamatis scilicet, etc., usque ad quid autem lapis, cedrus, aurumque significent, supra dictum est.

^{*}6.21 *Domum quoque ante oraculum.* BED., ibid. Domus ante oraculum auro tecta est, etc., usque ad unde: *Ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Et iterum: *Venit hora cum jam non in proverbii loquar vobis,* etc. Joan. XIV; 16.. *Clavis aureis.* ID., ibid. Clavi autem sunt præcepta charitatis, etc., usque ad qui rursus ad perfectionem veniens de clavis dilectionis ait: *Mihi autem adhærere Deo,* etc. Psal. CXVIII, 72.

[†]6.22 *Nihilque erat in templo.* ID., ibid. Hæc in Paralipomenis plenius explicantur II Par. 3., etc., *usque ad: et quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* Col. 3..

[‡]6.23 *Cherubim de lignis.* ID., ibid., cap. 13. Angelicæ dignitatis vocabulum est, et dicitur singulariter cherub, pluraliter cherubim. Per cherubim ergo angelica ministeria quæ conditori semper assistunt in cœlis, possunt intelligi

tate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem.^{¶ 25} Decem quoque cubitorum erat cherub secundus: in mensura pari, et opus unum erat in duobus cherubim,^{§ 26} id est, altitudinem habebat unus cherub decem cubitorum, et similiter cherub secundus.²⁷ Posuitque cherubim in medio templi interioris: extendebant autem alas suas cherubim, et tangebant ala una parietem, et ala cherub secundi tangebant parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant.^{** 28} Textit quoque cherubim auro.^{†† 29} Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis et torno: et fecit in eis cherubim, et palmas, et picturas varias, quasi prominentes de pariete, et egredientes.^{‡‡ 30} Sed et pavimentum domus textit auro intrinse-

[¶]6.24 *Quinque cubitorum.* ID., ibid. Alæ cum in sanctorum hominum figuram ponuntur, etc., usque ad qui promissus est vitæ cultoribus, veniunt denarium. *Ala cherub altera.* Geminas habent alas, quia testamenta æque per prospera et adversa, indefesso proposito semper ad cœlestia tetendisse et pervenisse declarant, quia hoc idem suis auditoribus faciendum esse demonstrant.

[§]6.25 *Decem quoque cubitorum.* BEDA, ibid. Alti sunt decem cubitis, quia per observantiam Decalogi Deo serviendum prædicant, quia Deo fideliter servientes æterni regni denario remunerandos esse ostendunt. ID., ibid. *Et opus.* Duo facti erant cherubim propter consortium charitatis significandum, etc., usque ad quibus post frigora et tenebras idololatriæ, lucem veritatis cognoscere datum est. ID., ibid. Posunt per duo cherubim duo Testamenta figurari, etc., usque ad sed quia major sit festivitas internæ beatitudinis de consortio adunatæ fraternitatis. *In medio templi interioris.* ID., ibid. Manifestum est ex prædictis, etc., usque ad eam dilectionis gratiam qua se alterutrum complectuntur, exprimit.

^{**}6.27 *Extendebant autem alas,* etc. ID., ibid. Extendunt autem cherubim ad utrumque parietem oraculi alas, etc., usque ad scriptores eorum jam regnantes cum Domino ipsumque laudantes curam gerunt salutis, interpellantes pro nobis.

^{††}6.28 *Textit quoque cherubim.* Circumdati sunt auro, quia præclaris scriptorum suorum operibus confirmata est auctoritas testamentorum, manifestata autem per orbem cognitio est divinarum Scripturarum, vel interna gloria cœlestium agminum. Utrumque enim cherubim et angelos, scilicet et testamenta significat.

^{‡‡}6.29 *Sculpsit variis cælaturis.* BEDA, ibid., cap. 14. Sculpuntur parietes torno, etc., usque ad longo usu virtutum exercitata didicit. *Et palmas.* ID., ibid. Palmas facit, cum memoriam æternæ remunerationis sanctorum mentibus infigit, ut eo minus ab arcæ justitiæ cadant, quo mercedem justitiæ semper ante oculos habent. *Et picturas varias.* Facit picturas varias quasi prominentes de pariete et egredientes, cum omnes multifarias virtutum operationes fidelibus tribuit, viscera scilicet misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, etc., *super omnia autem charitatem, quæ est vinculum perfectionis* Col. 3.. Hæ virtutes, cum in tantam electis consuetudinem venerint, ut naturaliter insitæ videantur, quid aliud quam quia ut picturæ domus Domini prominentes de pariete exeunt? Quia verba et opera veritatis non adhuc ab aliis extrinsecus discunt, sed sibimet infixæ radicibus parata semper ab intimis cordis, quæ sunt agenda vel docenda proferunt. Diximus autem quod pavimenti æqualitas, humilem concordiam fraternitatis significat: ubi cum sint Judæi vel gentes, barbari et Scythæ, liberi et servi, nobiles et ignobiles: cuncti se in Christo esse fratres, et eundem patrem habere in cœlis gloriantur. Concordissima enim humilitas supernorum civium nulli dubia est. Textit ergo Salomon pavimentum domus auro in oraculo intrinsecus, et in templo extrinsecus: quia Christus angelos et animas justorum in cœlis, plenario dono perfectionis implevit, et peregrinantes in sæculo cives patriæ cœlestis, signaculo dilectionis æterno, a mortalium vilitate secrevit. Unde: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* Joan. 13..

cus et extrinsecus. ³¹ Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angulorum quinque. [¶] ³² Et duo ostia de lignis olivarum: et sculpsit in eis picturam cherubim, et palmarum species, et anaglypha valde prominentia: et textit ea auro, et operuit tam cherubim quam palmas, et cetera, auro. ^{§§} ³³ Fecitque in introitu templi postes de lignis olivarum quadrangulatos, ^{*} ³⁴ et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus: et utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur. [†] ³⁵ Et sculpsit cherubim, et palmas, et cælaturas valde eminentes: operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam. [‡] ³⁶ Et ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum

[¶]6.31 *Et in ingressu oraculi*, etc. BEDA, ibid., cap. 15. Unus erat ingressus, sed duobus ostiis claudebatur, etc., usque ad imo omnes electi per arma lucis et pietatis aditum sibi patriæ coelestis aperiunt. *Duo ostiola de ligno olivarum*. ID., ibid. Duo sunt ostiola, quia Deum et proximum diligunt angeli et homines sancti, neque janua vitam nisi per geminam dilectionem possunt intrare. Vel quia utriusque populi fidelibus, Judæis, scilicet, et gentibus eadem vitæ janua reseratur. *Postesque angulorum*. Postes habent angulorum quinque, quia non solum animas electorum aula coelestis recipit, sed et corporibus immortalis gloria præditis in iudicio fores aperit, quinque enim sunt corporis sensus. Vel uterque postis oraculi altus est quinque cubitorum, quia solis illis supernæ patriæ introitus panditur, qui omnibus corporis et cordis sensibus Domino serviunt: corporis scilicet cum per eos aliquid pro illa agunt; cordis vero, cum sobrie, et juste, et pie cogitant de eis per ipsos corporis sensus agere decernunt.

^{§§}6.32 *Anaglypha*. Posset dici sculptura facta in junctura tabularum, sed large accipitur. BEDA, ibid. anaglypha Græce, Latine dicuntur cælaturæ, etc., usque ad horum intuitu continuo vestigia nostra regimus.

^{*}6.33 *Fecitque in introitu*. Sicut ingressus oraculi quo ad arcam Domini cherubimque pervenitur, introitum cœli significat, quo ad visionem Dei supernorumque civium nos introduci desideramus: ita introitus in templum, primordia nostræ conversionis ad Deum, quando in præsentem Ecclesiam intramus. Iste ingressum nostrum ad fidem, ille designat ad spem. Unde postes hujus introitus quadrangulati sunt propter quatuor Evangelii libros, quorum doctrina in fide veritatis erudimur. *Postes de lignis*. BEDA, ibid. Quadrangulos propter quatuor scilicet principales virtutes, etc., usque ad quarta post prudentiam, fortitudinem et temperantiam, justitia sequitur.

[†]6.34 *Altrinsecus*. Quia ad invicem respiciunt, ut una sine altera haberi non possit. Exterius ostium dilectio fraterna, interius divina: quia illa prior tempore, hæc sublimior dignitate: et per illam ad hanc intratur: quia in amore proximi discitur, qualiter conditor debeat amari. *Et utrumque ostium*. BEDA, ibid. Quia in utraque dilectione duo sunt principaliter observanda, etc., usque ad quia extinctis peccatis omnibus ad littus et soliditatem virtutum transeamus. BEDA ubi supra. Notandum quod in egressu oraculi duo dicuntur fuisse ostia, etc., usque ad aliud mysterii dispensationem præfigurans. *Et se invicem*. Vel ostium quod se invicem tenebat aperitur, cum per ministerium prædicatoris discernitur quid proprie ad cognitionem fidei, quid ad vivendi castitatem pertineat, quæ utraque nequeunt separari, et quod parum sit, proximorum mala tolerare, et eis bona non commodare, cum hæc certissime soleant in corde perfectorum indissolubiliter permanere.

[‡]6.35 *Et sculpsit cherubim*. Hæc supra exposita sunt, quia in parietibus domus, et in ostiis interioribus eadem picturæ vel cælaturæ factæ sunt; quia eadem arcana fidei, spei, et charitatis, quæ sublimes et perfecti sublimiter capiunt, et quæ omnes electi plene in æterna visione percipiunt, etiam catechizandis rudibus pro suo cuique captu discenda et confitenda traduntur, ut sacris initiati mysteriis, quandoque ad capienda ea quæ pie crediderunt, proveniant.

politorum, et uno ordine lignorum cedri.^{¶ 37} Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio:³⁸ et in anno undecimo, mense Bul (ipse est mensis octavus), perfecta est domus in omni opere suo, et in universis utensilibus suis: ædificavitque eam annis septem.[§]

7 Domum autem suam ædificavit Salomon tredecim annis, et ad perfectum usque perduxit.^{** 2} Ædificavit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, et quinquaginta cubitorum latitudinis, et triginta cubitorum altitudinis: et quatuor deambulacra inter columnas cedrinæ: ligna quippe cedrina exciderat in columnas.³ Et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quindecim⁴ contra se invicem positas,⁵ et e regione se respicientes, æquali spatio inter columnas, et super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia.⁶ Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, et triginta cubitorum latitudinis: et alteram porticum in facie majoris porticus: et columnas, et epistylia super columnas.⁷ Porticum quoque solii, in qua tribunal est, fecit: et texit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem.⁸ Et domuncula, in qua sedebatur ad judicandum, erat in media porticu simili opere. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis (quam uxorem duxerat Salomon) tali opere, quali et hanc porticum.⁹ Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant: a fundamento usque ad summitatem parietum, et extrinsecus usque ad atrium majus.¹⁰ Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis, decem sive octo cubitorum.¹¹ Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant, similiterque de cedro.¹² Et atrium majus rotundum trium ordinum de lapidibus sectis, et unius ordinis de dolata cedro: necnon et in atrio domus Domini interiori, et in porticu domus.¹³ Misit quoque rex Salomon, et tulit Hiram de Tyro,¹⁴ filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, patre Tyrio, artificem ærarium, et plenum sapientia, et intelli-

[¶]6.36 *Ædificavit atrium.* BEDA ubi supra, cap. 16. De interiori atrio breviter loquitur, etc., usque ad unde sequitur: *Ædificavit atrium interius tribus ordinibus* I Cor. 2.. *Et uno ordine.* Unus ordo lignorum cedri bona est operatio sine corruptione simulationis exhibita, sine cujus adjectione fides, spes, et charitas vera esse non potest. Ligna enim cedri propter odoris gratiam et imputribilem naturæ potentiam, perseverantiam, et famam piæ actionis designant. Usque ad hoc atrium universi conscendunt electi, qui fide, spe, charitate et opere, Deo placere appetunt, hoc alta meritorum gratia transcendunt perfecti, cum in tanto virtutum culmine proficiunt, ut dicere auditoribus possint: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi* I Cor. 4.; et: *Nescitis quoniam angelos judicabimus, quanto magis sæcularia* Ibid. 6..

[§]6.38 *Ipse est mensis.* BEDA ubi supra. Quæritur quomodo dicatur domus Domini in mense octavo perfecta in omni opere suo, etc., usque ad unde David Psalmum pro octava intitulavit, quem pro metu iudicii cantavit, dicens: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* Psal. 6.. *Ædificavitque eam.* Quia Ecclesia toto hujus sæculi tempore, quod septem dierum circuitu peragitur, ex electis construitur animabus: et in fine sæculi suum incrementum ad finem perducit. Vel ob significationem gratiæ spiritualis, per quam Ecclesia, solum ut sit Ecclesia, percipit: quia sine donis Spiritus, nemo fidelis effici, vel fidem servare, vel merito fidei ad coronam justitiæ potest pervenire.

^{**}7.1 *Domum autem mulieris vi.* BED., lib. de templo Salom., cap. 17. Ecclesiæ, scilicet præsentis, pro qua Christus vir suus morte gustata surrexit, etc., usque ad Æs enim est valde durable et sonorum.

gentia, et doctrina, ad faciendum omne opus ex ære. Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus ejus.^{†† 15} Et finxit duas columnas æreas, decem et octo cubitorum altitudinis columnam unam: et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque.^{‡‡ 16} Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære: quinque cubitorum altitudinis capitellum unum, et quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum:^{¶¶ 17} et quasi in modum retis, et catenarum sibi invicem miro opere contextarum. Utrumque capitellum columnarum fusile erat: septena versuum retiacula in capitello uno, et septena retiacula in capitello altero.^{§§ 18} Et perfecit columnas, et duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella quæ erant super summitatem, malogranatorum: eodem modo fecit et capitello secundo.^{* 19} Capitella autem quæ erant super capita columnarum, quasi opere liliï fabricata erant in porticu quatuor cubitorum.^{† 20} Et rursus alia capitella in summitate columnarum desuper juxta mensuram columnæ contra retiacula: mal-

^{††}7.14 *Fecit omne opus.* Quia sancti doctores dum ministerio verbi fideliter insistunt, opus Dei operantur, quia loquendo foris viam veritatis aperiunt illis, quos ipse intus illustrando ad vitam præordinavit æternam. Unde: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Dominus autem incrementum dedit* II Cor. 3..

^{‡‡}7.15 *Et finxit.* BED. ubi supra, cap. 18. Columna ante fores templi decem et octo cubitis alta est, etc., usque ad a recta via qua ad promissam patriam gradimur, ulla in parte declinemus. *Decem,* etc. Ter enim seni decem et octo faciunt: tria, scilicet ad fidem pertinent propter Trinitatem; sex ad operationem, quia sex diebus factus est mundus, tria per sex multiplicantur, cum justus ex fide vivit et cognitionem piæ fidei cumulat executione bonæ actionis. *Et linea.* BEDA, ibid. Norma apostolicæ institutionis ambit columnam utramque, cum doctor Judæis vel gentibus prædicare missus, ea tantum facere curat et docere, quæ per apostolos accepit et didicit Ecclesia. Nam qui aliter docere, vivere vel prædicare voluerit, et apostolica decreta spernere vel pro libito suo nova statuere, non est columna in templo Dei: quia dum apostolica instituta sequi contemnit, vel exilitate inertiae, vel elationis grossitudine duodecim cubitorum lineæ non convenit.

^{¶¶}7.16 *Duo,* etc. ID., ibid. Capita columnarum, etc., usque ad evangelicæ perfectionis est insita gratia.

^{§§}7.17 *Septena,* etc. ID., ibid. Hoc in Paralipomenis ita scriptum est, etc., usque ad quia patres utriusque testamenti per gratiam unius Spiritus septiformis, ut essent electi acceperunt.

^{*}7.18 *Et duos.* ID. Videntur malagranata facta esse in circuitu capitellorum a parte inferiori, et ex ipsis malisgranatis oriri retiacula: quibus capitella ex parte aliqua tegerentur, signatur quod virtutes ex virtutibus nascuntur, et quod sancti *ambulant de virtute in virtutem* Psal. 83.. ID., ibid. Duo ordines erant retiaculorum in gyro capitelli, etc., usque ad et in eis quæ intelligimus late patet. *Ut tegerent.* ID., ibid. Cum dictum sit de retiaculis, etc., usque ad apte subjungitur: *Capitella autem quæ erant super capita columnarum,* etc. *Malogranatorum.* Quæ uno foris cortice multa interius grana circumdant, etc., usque ad sed quæ intus est fidei, spei, et dilectionis, cæterorumque animi bonorum gratia non cernitur.

[†]7.19 *Quasi,* etc. ID., ibid. Per lilia, claritas supernæ patriæ et immortalitatis floribus redolens paradisi designatur amœnitas, etc., usque ad quia non nisi per Evangelium optata vox illa mundo insonuit, *Pœnitentiam agite,* etc. Matth. 3.. *In porticu.* Notandum autem in hac sententia Paralipomenis quod eadem porticus templi etiam vestibulum templi vocatur. Unde: *Inter vestibulum et altare plorabant;* id est, inter porticum et altare.

ogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi.‡ 21 Et statuit duas columnas in porticu templi: cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin: similiter erexit columnam secundam, et vocavit nomen ejus Booz. 22 Et super capita columnarum opus in modum lili posuit: perfectumque est opus columnarum. 23 Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo ejus, et resticula triginta

‡7.20 *Et rursus* BED. ubi supra. Quorum scilicet factura perennis regni sublimitatem designat, etc., usque ad sed quia illa societas utriusque populi fidelibus tribuitur, recte subjungitur: **Malogranatorum.** ID., ibid. In malogranato totam significat Ecclesiam, etc., usque ad et utriusque populi electos in una beatitudinis arce colligunt. **Columnam.** ID., ibid. Dexteram columnam doctores primitivæ Ecclesiæ significat, etc., usque ad nihil industriæ saltem ad intelligendos eorum quibus prælati sunt errores. **Fecit quoque.** ID., ibid. Hoc mare in figuram baptismi factum est, etc., usque ad cum hunc in vinea laborantibus dandum esse prædixit.

cubitorum cingebat illud per circuitum.[¶] ²⁴ Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare: duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles. ²⁵ Et stabat super duodecim boves, e quibus tres respiciebant ad aquilonem, et tres ad occidentem, et tres ad meridiem, et tres ad orientem: et mare super eos desuper

[¶]7.23 *A labio usque ad labium.* Quia a primo baptizato in nomine Jesu Christi usque ad ultimum qui in fine sæculi crediturus et baptizandus est, omnis fidelium chorus, eamdem veritatis viam ingredi, et communem debet sperare a Domino justitiæ coronam. *Quinque cubitorum.* Quia quidquid visu, auditu, gustu, odoratu, tactuque delinquimus, gratia Dei nobis per ablutioem vivifici fontis relaxat. Sed non sufficit præteritorum remissio peccatorum, nisi quis deinceps bonis studeat operibus; alioquin diabolus qui exierat de homine, si hunc a bonis operibus vacare viderit, multiplicius redit, et facit novissima illius pejora prioribus; unde subditur: *Et resticula triginta cubitorum cingebat illud.* Disciplina cœlestium præceptorum qua a voluptatibus religamur; unde: *Funiculus triplex difficile rumpitur* Eccl. 4., quia observatio mandatorum quæ in cordibus electorum fide, dilectione, spe supernæ retributionis firmata est, nullo potest obstaculo dissolvi. Resticula mare ambit, cum sacramentum baptismi quod accepimus, piis operibus munire studemus. Hæc triginta cubitorum est, quinquies enim seni triginta faciunt. Senario autem in quo Dominus hominem fecit, cum non esset, et refecit cum periisset, bona operatio nostra figuratur. Et sex per quinque multiplicantur, ut ad triginta perveniant, cum omnes corporis sensus divinis subjungantur imperiis. Aliter: ter deni faciunt triginta, et genus humanum post diluvium de progenie trium filiorum Noë latitudinem totius orbis implevit. Sem quippe Asiam, Cham Africam, Japhet soboles Europam et insulas maris obtinuit. Et quia baptismi mysterium cum executione operum et spe cœlestium cunctis erat nationibus ministrandum, resticula triginta cubitorum, mare in quo baptismus figurabatur, cingebat. Sed et hic dicendum, quod Dominus cum esset triginta annorum venit ad baptismum, qui quoniam suo baptisate quod tricenarius accepit baptismum nostrum consecravit, recte mare, quod nostrum baptismum figurabat, triginta cubitorum restis circumibat, ut significaretur dono illius qui baptismum sine peccato subiit, baptismum nobis in eum credentibus in remissionem peccatorum dedicari. *Et sculptura.* Cum prædictum sit, quod resticula triginta cubitorum mare circumierit, et nunc addatur quod sculptura hæc subter labium posita, decem cubitis ambierit, patet quia vas erat in modum phialæ expansum et diffusum, quod a triginta cubitis circuitus quos habebat in labio, usque ad decem est coactum. Sculptura autem histriata est quæ aliquas rerum historias imitatur. Unde per sculpturas histriatas quibus mare circumdatur exempla priorum temporum signantur, quæ nobis sunt intuenda, ut videamus quibus operibus ab initio sancti Deo placuerunt, qua obstinatione iniqui in sceleribus perduraverunt, quanta infelicitate reprobis perierunt. Quomodo in exordio nascentis sæculi Cain ob malitiam invidiæ damnatus, Abel justitiæ merito coronatus, Lamech ob adulterium et homicidium maledictus, Enoch ob gratiam pietatis ad paradysum reductus, Cham post diluvium ob impietatem detestatus, Sem et Japhet pro obsequio reverentiæ perpetua benedictione donati, Abraham fidei merito hæres divinæ promissionis effectus, cætera gentium multitudo pro infidelitate relicta. Adveniente quoque in carne Domino, Judæa pro perfidia repulsa, gentilitas gratia ad salutem reducta, et hujusmodi, quæ in utroque testamento solerter considerata studiosis prosunt. Ideo forsitan duo sunt ordines sculpturarum histriatarum in mari æneo, ut qui fonte baptismatis imbuti sunt, utriusque testamenti auscultent historias: ideo decem cubitorum erant in gyro, ut quoscunque in eisdem historiis deditos jussis cœlestibus obedire, et tota intentione ad superna præmia suspensos proppererint, imitari contendant.

erat: quorum posteriora universa intrinsecus latitabant.^{§ 26} Grossitudo autem luteris, trium unciarum erat: labiumque ejus quasi labium calicis, et folium repandi lilii: duo millia batos capiebat.^{** 27} Et fecit decem bases æneas, quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, et quatuor cubitorum latitudinis, et trium cubitorum altitudinis.^{†† 28} Et ipsum opus basium, interrasile erat: et sculpturæ inter juncturas.^{‡‡ 29} Et inter coronulas et plectas, leones et boves et cherubim, et in juncturis similiter desuper: et subter leones et boves, quasi lora ex ære dependentia.^{¶¶ 30} Et quatuor rotæ per bases singulas, et axes ærei: et per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles,

§7.25 *Duodecim*. BED. ubi supra. Apostolus evangelistas, imo omnes verbi ministros; unde: *Non alligabis os bovi trituranti*, etc. I Cor. 9.. Hi mare sibi superimpositum portant, cum apostoli eorumque successores, inunctum sibi Evangelii officium prompta devotione implent. *E quibus tres*. Quia in universis quadrati orbis partibus fidem prædicant Trinitatis. Hinc quoque apostoli duodecim, id est quater terni sunt electi, ut fidem et confessionem Trinitatis per quatuor mundi plagas evangelizantes, baptizarent omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quorum et successorum suorum verba, actus et passiones facile in præsentem videre et cognoscere legendo valemus. Quæ vero illos in futuro maneat gloria retributionis, nondum videre possumus.

**7.26 *Grossitudo*. BED. ubi supra. Qui lavacrum baptismi ad salutem et vitam suscipit, fidem et spem et charitatem debet habere, sine quibus nemo potest recte operari; unde subjungitur, *Grossitudo*. Quia robore fidei, spei, et charitatis munitur perceptio baptismi, neque aliter proficuum esse accipientibus ostenditur, nisi harum virtutum firma certitudo mentem accipientium et corpora confirmet. *Lilii*. ID., ibid. Liliu comitante odoris gratia candidum colorem foris, etc., usque ad unde subditur: *Duo millia batos capiebat et tria millia*, etc. ID., ibid. Batus Hebræorum mensura est, etc., usque ad ejusdem regni facit esse participes.

††7.27 ID., ibid. Mille perfectionem significat, quia denarium quadratum solidum facit. Decies enim decem, centum faciunt, quæ figura jam quadrata, sed adhuc plana. Verum ut in altitudinem surgat et solida efficiatur, multiplica centum per decem, et fiunt mille. Quo numero stabilis et velut quadrata justorum conscientia signatur. Quocumque enim infertis quadratum, stabit, sic animus electorum nulla tentatione a statu rectitudinis inclinatur. *Et fecit*. ID., ibid., cap. 20. Multifarie multisque modis eadem nostræ salutis sacramenta figurantur, etc., usque ad divino fecit amore ferverescere. ID., ibid. Quod ad portandos luteris decem bases sunt factæ, etc., usque ad sed uno eodemque nomine Deum Patrem propter unius donum Spiritus invocantes. *Quatuor cubitorum longitudinis*. ID., ibid. Quaternorum cubitorum erat longitudo et latitudo basium, quia prædicatores, sive adversa mundi, et longitudinem exsillii, et laborum præsentium foris tolerant, sive cor in dilectione Dei et proximi interna exultatione dilatent, semper virtutibus student, prudenter scilicet inter bona et mala discernentes, fortiter adversa sustinentes, cor ab appetitu voluptatum temperantes, justitiam in operatione tenentes.

‡‡7.28 *Et ipsum opus basium*. Tabulæ ex quibus bases factæ sunt, quadratæ fuerunt, in quibus formulæ rotundæ erant, quæ coronulæ sive plectæ appellantur, in quarum medio cælaturæ leonum, etc.

¶¶7.29 *Inter et coronulas et plectas, leones et boves et cherubim*. ID., ibid. Non erat plana ulla ex parte superficies basium, etc., usque ad unde hic quoque post sculpturas cherubim bene adjungitur: *Et subter leones*. Quia doctores et in severitate distractionis qua peccatores judicant, et mansuetudine lenitatis qua poenitentibus remittunt, timent judicium Dei, ne injuste ligando atque solvendo juste ligentur ab eo cujus nequit errare judicium.

contra se invicem respectantes.^{§§ 31} Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate: et quod forinsecus apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat unum cubitum et dimidium: in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant: et media intercolumnia, quadrata non rotunda.*³² Quatuor quoque rotæ quæ per quatuor angulos basis erant, cohærebant sibi subter basim: una rota habebat altitudinis cubitum et semis.³³ Tales autem rotæ erant quales solent in curru fieri: et axes earum, et radii, et canthi, et modioli, omnia fusilia.³⁴ Nam et humeruli illi quatuor per singulos angulos basis unius, ex ipsa basi fusiles et conjuncti erant.³⁵ In summitate autem basis erat quædam rotunditas dimidii cubiti, ita fabrefacta ut luter desuper posset imponi, habens cælaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsa.³⁶ Sculpsit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære, et in angulis, cherubim, et leones, et palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur.³⁷ In hunc modum fecit decem bases, fusura una, et mensura, sculpturaque consimili.^{† 38} Fecit quoque decem luteræ æneos: quadraginta batos capiebat luter unus, eratque quatuor cubitorum: singulos quoque luteræ

§§7.30 *Et quatuor rotæ.* BEDA, *ibid.* Quatuor Evangeliorum libri, etc., usque ad eos ab imis sustollunt et velut immissis rotis axes a terra basim altius sublevant. *Humeruli.* ID., *ibid.* Qui rotis antepositis ne ab axe dilabi possent obsistebant, præconia sunt prophetarum, quibus evangelica et apostolica Scriptura, ne cui legentium in dubium veniat, confirmatur; unde: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes,* etc. II Pet. 1.. Unde et Marcus ait: *Initium Evangelii Filii Dei sicut scriptum est in Isaia propheta;* et Matthæus: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur Scriptura prophetarum* Mar. I; Matth. 26.. *Contra.* ID., *ibid.* Quia omnis Scriptura prophetica sibi est consentanea, sicut uno spiritu condita. Quatuor autem fuere per bases singulas humeruli juxta scilicet numerum rotarum, non quod quatuor sint tantum libri prophetici, sed omnia quæ locuti sunt prophetæ quatuor Evangelii testimonium præbuere, ut ex consensu utriusque Testamenti una fides et dilectio Christi nostra omnium corda firmaret.

*7.31 *Unum cubitum.* ID., *ibid.* Propter perfectionem, etc., usque ad unde: *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus,* etc. I Cor. 13.. *Media.* Dicit tabulam superiorem, quæ sicut aliæ quadrata erat similiterque sculpta, et in summitate sui habebat rotunditatem unius et dimidii cubiti, in qua luter ponebatur.

†7.37 *In hunc modum fecit decem bases, fusura una, et mensura, sculpturaque,* etc. BED., *ibid.* Quare decem bases sint factæ et totidem luteræ suppositi, dictum est supra; quod vero una erat mensura sculpturaque consimilis omnium basium vel luterum, non ea significatione factum est, quod æqualia possint esse omnium merita doctorum; sed quia eis est una fides Evangelii, qua instruuntur, unum sacramentum baptismi quo abluuntur, unus idemque Spiritus quo omnes consecrantur, quamvis habeant diversas donationes in ipso Spiritu, qui dividit singulis prout vult.

per singulas, id est, decem bases, posuit.[‡] 39 Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, et quinque ad sinistram: mare autem posuit ad dexteram partem templi contra orientem ad meridiem.[¶] 40 Fecit ergo Hiram lebetes, et scutras, et hamulas, et perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini. 41 Columnas duas, et funiculos capitellorum super capitella columnarum duos: et retiacula duo, ut operirent duos funiculos qui erant super capita columnarum. 42 Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis: duos versus malogranatorum in retiaculis singulis, ad operiendos funiculos capitellorum qui erant super capita columnarum. 43 Et bases decem, et luteris decem super bases. 44 Et mare unum, et boves duodecim subter mare. 45 Et lebetes, et scutras, et hamulas, omnia vasa quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de auricalco erant. 46 In campestri regione Jordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochoth et Sarthan.[§] 47 Et posuit Salomon omnia vasa: propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris. 48 Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini: altare aureum, et mensam super quam ponerentur panes

[‡]7.38 *Quadraginta batos capiebat luter unus*, etc. ID., ibid. Quadringenta magnam perfectionem significat, quia quater deni faciunt quadringenta, decem autem sunt præcepta quibus nostra omnis operatio præfixa est in lege Dei. Quatuor vero Evangeliorum libri, in quibus per dispensationem Dominicæ incarnationis, coelestis patriæ nobis patefactus est introitus, et quia omnes qui ad mysterium baptismi pertinent, cum fide et sacramentis Evangelii, fructum debent rectæ operationis ostendere, singuli luteris in quibus holocausta lavabantur, quadringenta batos capiebant. *Eratque*. ID., ibid. Quod supradictum est: *pariterque habebat unum cubitum et dimidium*, et utrum ibi amplitudinem an altitudinem significaret, non adjecit: videtur quod fundum ipsius luteris hujus esse amplitudinis voluerit intelligi, quod ex mensura basis in qua positus erat quisque luter, facillime conjicitur, quod ita describitur: *In summitate autem basis erat quædam rotunditas unius et dimidii cubiti, ita fabrefacta ut luter superimponi posset*. Latitudo ergo fundi in luteribus unius erat cubiti et dimidii. Ipsa vero capacitas luterum quatuor habebat cubitos, sed utrum in altitudine, an in amplitudine, an in utroque, dicat qui noverit. ID., ibid. Propter quatuor Evangelia in quibus forma baptismi vel cardinales virtutes quibus baptizati debent institui, vel propter quatuor mundi plagas quibus baptismus ministratur.

[¶]7.39 *Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, et quinque ad sinistram*. ID., ibid. Sed dexteram partem templi et sinistram non intus in ipso templo, etc., usque ad et flamma divinæ charitatis aliena esse considero. *Mare autem posuit ad dexteram partem templi*, etc. ID., ibid. Et in hoc eodem atrio, etc., usque ad per quam eadem dilectio diffunditur in cordibus nostris.

[§]7.46 *Jordanis fudit ea rex in*. ID., ibid. In quo Dominus noster baptizatus est, etc., usque ad per totam mundi latitudinem implevit. *Argillosa terra*. ID., ibid., cap. 21. De qua factæ sunt formæ ad fundenda vasa Scripturæ, etc., usque ad ut ad præmia eorum bene currendo perveniamus.

propositionis, auream:^{** 49} et candelabra aurea, quinque ad dexteram, et quinque ad sinistram contra oraculum, ex auro puro: et quasi lilii flores, et lucernas desuper aureas: et forcipes aureos,^{†† 50} et hydrias, et fuscinulas, et phialas, et mortariola, et thuribula, de auro purissimo: et cardines ostiorum domus interioris Sancti sanctorum, et ostiorum domus templi, ex auro erant.^{‡‡ 51} Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, et intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum, et aurum, et vasa, reposuitque in thesauris domus Domini.^{¶¶}

8 Tunc congregati sunt omnes majores natu Israëel cum principibus tribuum, et duces familiarum filiorum Israëel, ad regem Salomonem in Jerusalem, ut deferrent arcam foederis Domini de civitate David, id est, de Sion. ²Convenitque ad

^{**}7.48 *Fecitque Salomon omnia vasa in domo*, etc. ID., ibid. Superius dixit Hiram fecisse Salomoni omnia vasa, nunc Scriptura subjungit eadem fecisse Salomonem. Salomon enim fecit dictando, Hiram operando. *Altare aureum*. ID., ibid. Corda perfectorum internæ charitatis et castitatis luce coruscant, etc., usque ad sed solummodo lacrymarum et orationis ei vota pro desiderio regni cœlestis offerunt. ID., ibid. cap. 22. Altare thymiamatis Moses fecit, etc., usque ad unde qui in vinea magni patrisfamilias laborant, denario numerantur. *Mensam*. ID., ibid. Scriptura spirituali intelligentia clara, etc., usque ad quæ quondam juxta litteram intelligenda putabatur. ID., ibid. Sicut mensæ in typo Scripturæ ponuntur, etc., usque ad ita electi in Scriptura continentur erecto ad superna sensu bona cœlestia a Domino quærunt et percipiunt.

^{††}7.49 *Quasi lilii*. ID., ibid. Hoc videtur dicere, quia suprema pars candelabrorum in modum repandi lilii erat efformata *Lucernas desuper aureas*. Per quod continetur id quod continet, id est vascula aurea in quibus oleum lucebat, designatur. *Forcipes*. BEDA., ibid. Id est, emunctoria quibus emungebantur lychni, ut reparati melius lucent.

^{‡‡}7.50 *Hydrias*. Hydriæ præcordia sanctorum signant, aqua sapientiæ et vino com-punctionis repleta. *Fuscinulas*. Fuscinulæ quibus carnes præparantur, prædicatores, qui suis auditoribus cibum intelligentiæ administrant: quorum officium est corpus et sanguinem Christi credentibus distribuere, infidelibus abnegare. *Domus interioris*. ID., ibid., cap. 22. Ostia domus interioris angelica, etc., usque ad vel quam habent in Deum charitatis.

^{¶¶}7.51 *Perfecit omne opus*. ID., ibid. Dum status sæculi geritur, facit quidem opus domus Domini, sed nondum perficit, quia corda electorum Dominus, ut bona operentur, inspirat et adjuvat; nullum tamen in hac vita commorantem absque peccato esse tribuit. Namque hoc futuræ beatitudini reservat. Perficit vero omne opus templi Salomonis et dedicationi aptum reddit, cum noster pacificus in die novissima electos resurrectionis immortalitate glorificat, et æternum perducit ad regnum. Unde templum septem annis ædificatum, octavo autem perfectum ac dedicatum est. Cui tempore convenit quod sequitur: *Et intulit quæ sanctificaverat*. ID., ibid. Sanctificaverat David pater Salomonis argentum, cum Deus Pater eloquentes gratia sui Spiritus ad loquendum verbum Dei confortat. Sanctificat aurum, cum naturali ingenio præditos ad intelligendam legem illuminat. Sanctificat etiam vasa, cum omnibus Ecclesiæ filiis Spiritus sancti gratiam largitur. Hæc sanctificata Salomon infert in templum, cum Dominus peracto judicio doctorum et cæterorum fidelium cœtum in gaudium cœlestis regni introducit. *Reposuitque in thesauris domus Domini*. ID., ibid. Quia deos suos abscondit in abdito vultus sui a conturbatione hominum. Multi sunt thesauri in una domo Domini, quia in una Ecclesia sancti meritis distant. *Et una est patria cœlestis, quamvis in ea stella a stella differat in claritate* II Cor. 15.. Quod utrumque distributor præmiorum demonstravit, cum ait: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* Joan. 15..

regem Salomonem universus Israël in mense Ethanim, in solemnī die: ipse est mensis septimus. ³Veneruntque cuncti senes de Israël, et tulerunt arcam sacerdotes, ⁴et portaverunt arcam Domini, et tabernaculum fœderis, et omnia vasa sanctuarii quæ erant in tabernaculo: et ferebant ea sacerdotes et Levitæ. ⁵Rex autem Salomon, et omnis multitudo Israël quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, et immolabant oves et boves absque æstimatione et numero. ⁶Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum, subter alas cherubim.^{§§} ⁷Siquidem cherubim expandebant alas super locum arcæ, et protegebant arcam, et vectes ejus desuper. ⁸Cumque eminentes vectes, et apparenter summitates eorum foris sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus, qui et fuerunt ibi usque in præsentem diem.* ⁹In arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israël, cum egrederentur de terra Ægypti.† ¹⁰Factum est autem cum exissent sacerdotes de sanctuario, nebula implevit domum Domini,‡ ¹¹et non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini. ¹²Tunc ait Salomon: Dominus dixit ut habitaret in nebula. ¹³Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum: firmissimum solium tuum in sempiternum. ¹⁴Convertitque rex faciem suam, et benedixit omni ecclesiæ Israël: omnia enim ecclesia Israël stabat. ¹⁵Et ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Israël, qui locutus est ore suo ad David patrem meum, et in manibus ejus perfecit, dicens: ¹⁶A die qua eduxi populum meum Israël de Ægypto, non elegi civitatem de universis tribubus Israël, ut ædificaretur domus, et esset nomen meum ibi: sed elegi David ut esset super populum meum Israël. ¹⁷Voluitque David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israël: ¹⁸et ait Dominus ad David patrem meum: Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans. ¹⁹Verumtamen tu non ædificabis mihi domum, sed filius tuus, qui

§§8.6 *In sanctum* BED., lib. de Templo Salom. Domus templi exterior peregrinantem Ecclesiam, sancta sanctorum supernæ patriæ cœlestis felicitatem designant. Illata in sancta sanctorum arca assumptam Christi humanitatem intra velum regiæ cœlestis inductam. *Subter alas*. ID. Moses fecit duos cherubim aureos, quos posuit in propitiatorio quod erat super arcam. Salomon addidit duos majores, sub quorum alis arcam nunc dicitur posuisse cum propitiatorio et duobus cherubim prioribus.

*8.8 *Cumque*. ID. Hoc manifestius, etc., usque ad si prominentes ultra ostium vectes producendis ad claudendum ostiis locum non darent. *Qui et fuerunt*. In Paralipomenis dicitur: *Fuit itaque arca ibi usque ad præsentem diem*: quod a historiographo additum est, significante usque ad tempora ætatis suæ eam ibi permansisse, quod non Esdra potest intelligi, quia jam erat incensum templum, sed de Nathan vel aliquo prophetarum, a quibus omnia gesta suorum temporum scripta esse creduntur.

†8.9 *In arca*. RAB. Erat in arca urna aurea habens manna, etc., usque ad quia soli supernæ patriæ cives gloriam ibi Redemptoris plene contemplantur.

‡8.10 *Nebula implevit domum Domini, et non poterant*. ID. Id est, synagogam implevit, quia eorum mentes infidelitatis caligo replevit, et sacerdotes propter nebulam ministrare non poterant, quia dum mysticos sensus litteræ velamine coopertos, et nativitatis Christi sacramenta investigare despiciunt, debitum fidei suæ ministerium per nebulam erroris perdiderunt, ita ut exigentibus meritis non agnoscant cultum credulitatis, quibus in nebula doctrinæ suæ Dominus de se etiam aperta narravit. Sed quia auditorum mentes infidelitatis caligo impleverat, quasi emissum solis radium nebula interjacens abscondebat.

egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit domum nomini meo. ²⁰ Confirmavit Dominus sermonem suum quem locutus est: stétique pro David patre meo, et sedi super thronum Israël, sicut locutus est Dominus: et ædificavi domum nomini Domini Dei Israël. ²¹ Et constitui ibi locum arcæ in qua fœdus Domini est, quod percussit cum patribus nostris quando egressi sunt de terra Ægypti. ²² Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israël, et expandit manus suas in cælum, ²³ et ait: Domine Deus Israël, non est similis tui deus in cælo desuper, et super terram deorsum: qui custodis pactum et misericordiam servis tuis qui ambulat coram te in toto corde suo. ²⁴ Qui custodisti servo tuo David patri meo quæ locutus es ei: ore locutus es, et manibus perfecisti, ut hæc dies probat. ²⁵ Nunc igitur Domine Deus Israël, conserva famulo tuo David patri meo quæ locutus es ei, dicens: Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israël: ita tamen si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me sicut tu ambulasti in conspectu meo. ²⁶ Et nunc Domine Deus Israël, firmentur verba tua quæ locutus es servo tuo David patri meo. ²⁷ Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? si enim cælum, et cæli cælorum, te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi? ²⁸ Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus: audi hymnum et orationem quam servus tuus orat coram te hodie: ²⁹ ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias orationem quam orat in loco isto ad te servus tuus: ³⁰ ut exaudias deprecationem servi tui et populi tui Israël, quodcumque oraverint in loco isto, et exaudies in loco habitaculi tui in cælo: et cum exaudieris, propitius eris. ³¹ Si peccaverit homo in proximum suum, et habuerit aliquod juramentum quo teneatur astrictus, et venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam, ³² tu exaudies in cælo: et facies, et judicabis servos tuos, condemnans impium, et reddens viam suam super caput ejus, justificansque justum, et retribuens ei secundum justitiam suam. ³³ Si fugerit populus tuus Israël inimicos suos (quia peccaturus est tibi), et agentes pœnitentiam, et confitentes nomini tuo, venerint, et oraverint, et deprecati te fuerint in domo hac: ³⁴ exaudi in cælo, et dimitte peccatum populi tui Israël, et reduces eos in terram quam dedisti patribus eorum. ³⁵ Si clausum fuerit cælum, et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam: ³⁶ exaudi eos in cælo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israël: et ostende eis viam bonam per quam ambulent, et da pluviam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem. ³⁷ Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aër, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, et afflixerit eum inimicus ejus portas obsidens: omnis plaga, universa infirmitas, ³⁸ cuncta devotatio, et imprecatio quæ acciderit omni homini de populo tuo Israël: si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, ³⁹ tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis, et facies ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum), ⁴⁰ ut timeant te cunctis diebus quibus vivunt super faciem terræ quam dedisti patribus nostris. ⁴¹ Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israël, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum ⁴² extentum ubique), cum venerit ergo, et oraverit in hoc loco, ⁴³ tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena: ut

discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israël, et probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc quam ædificavi. ⁴⁴ Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos per viam, quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis quam elegisti, et contra domum quam ædificavi nomini tuo, ⁴⁵ et exaudies in cælo orationes eorum et preces eorum, et facies iudicium eorum. ⁴⁶ Quod si peccaverint tibi (non est enim homo qui non peccet) et iratus tradideris eos inimicis suis, et captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, ⁴⁷ et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis, et conversi deprecati te fuerint in captivitate sua, dicentes: Peccavimus: inique egimus, impie gessimus: ⁴⁸ et reversi fuerint ad te in universo corde suo et tota anima sua in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint: et oraverint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et civitatis quam elegisti, et templi quod ædificavi nomini tuo: ⁴⁹ exaudies in cælo, in firmamento solii tui, orationes eorum et preces eorum, et facies iudicium eorum: ⁵⁰ et propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, et omnibus iniquitatibus eorum quibus prævaricati sunt in te: et dabis misericordiam coram eis qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis. ⁵¹ Populus enim tuus est, et hæreditas tua, quos eduxisti de terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ. ⁵² Ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui, et populi tui Israël, et exaudias eos in universis pro quibus invocaverint te. ⁵³ Tu enim separasti eos tibi in hæreditatem de universis populis terræ, sicut locutus es per Moysen servum tuum quando eduxisti patres nostros de Ægypto, Domine Deus. ⁵⁴ Factum est autem, cum complisset Salomon orans Dominum omnem orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini: utrumque enim genu in terram fixerat, et manus expanderat in cælum. ⁵⁵ Stetit ergo, et benedixit omni ecclesiæ Israël voce magna, dicens: ⁵⁶ Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israël, iuxta omnia quæ locutus est: non cecidit ne unus quidem sermo ex omnibus bonis quæ locutus est per Moysen servum suum. ⁵⁷ Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque projiciens. ⁵⁸ Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, et custodiamus mandata ejus, et cæremonias ejus, et iudicia quæcumque mandavit patribus nostris. ⁵⁹ Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, ut faciat iudicium servo suo, et populo suo Israël per singulos dies: ⁶⁰ ut sciant omnes populi terræ quia Dominus ipse est Deus, et non est ultra absque eo. ⁶¹ Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus, et custodiamus mandata ejus, sicut et hodie. ⁶² Igitur rex, et omnis Israël cum eo, immolabant victimas coram Domino. ⁶³ Mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, et ovium centum viginti millia: et dedicaverunt templum Domini rex et filii Israël. ⁶⁴ In die illa sanctificavit rex medium atrii quod erat ante domum Domini: fecit quippe holocaustum ibi, et sacrificium, et adipem pacificorum: quoniam altare æreum quod erat coram Domino, minus erat, et capere non poterat holocaustum, et sacrificium, et adipem

[†]8.55 *Stetit.* In Paralipomenis refertur quod hic non dicitur: *Fecerat Salomon basim æneam, et posuit in medio basilicæ, super quam stans benedixit omni Ecclesiæ Israël. Et benedixit.* RAB. Templum Domini, etc., usque ad et virtutum operibus proximis prosunt.

pacificorum.[§] ⁶⁵ Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, et omnis Israël cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Ægypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus et septem diebus, id est, quatuordecim diebus.**

⁶⁶ Et in die octava dimisit populos: qui benedicentes regi, profecti sunt in tabernacula sua lætantes, et alacri corde super omnibus bonis quæ fecerat Dominus David servo suo, et Israël populo suo.^{††}

9 Factum est autem cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, et ædificium regis, et omne quod optaverat et voluerat facere, ² apparuit ei Dominus secundo, sicut apparuerat ei in Gabaon. ³ Dixitque Dominus ad eum: Exaudivi orationem tuam et deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: sanctificavi domum hanc quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. ⁴ Tu quoque si ambulaveris coram me sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis et in æquitate, et feceris omnia quæ præcepi tibi, et legitima mea et judicia mea servaveris, ⁵ ponam thronum regni tui super Israël in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israël. ⁶ Si autem aversione aversi fueritis vos et filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea et cæremonias meas quas proposui vobis, sed abieritis et colueritis deos alienos, et adoraveritis eos: ⁷ auferam Israël de superficie terræ quam dedi eis, et templum quod sanctificavi nomini meo, projiciam a conspectu meo: eritque Israël in proverbium, et in fabulam cunctis populis. ⁸ Et domus hæc erit in exemplum: omnis qui transierit per eam, stupebit, et sibilabit, et dicet: Quare fecit Dominus sic terræ huic, et domui huic? ⁹ Et respondebunt: Quia dereliquerunt Dominum Deum suum, qui eduxit patres eorum de terra Ægypti, et secuti sunt deos alienos, et adoraverunt eos, et coluerunt eos: idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc. ¹⁰ Expletis autem annis viginti postquam ædificaverat Salomon duas domos, id est, domum Domini, et domum regis ¹¹ (Hiram rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina et abiegna, et aurum juxta omne quod opus habuerat), tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ.^{‡‡} ¹² Et egressus est Hiram de Tyro ut videret oppida quæ dederat ei Salomon, et non placuerunt ei. ¹³ Et ait: Hæccine sunt civitates quas dedisti mihi, frater? Et appellavit eas terram Chabul, usque in diem hanc. ¹⁴ Misit quoque Hiram ad regem Salomonem centum

[§]8.64 *In die.* RAB. in lib. Reg., tom. 3. Quid est quod Salomon ædificavit medium atrii offerens ibi, etc., usque ad sacrificia acceptabilia quotidie spiritualiter Deo offeruntur. *Altare.* Quod fecit Moses positum erat ante templum contra januas ejus, et quia illud angustum erat, et capere non poterat, medium atrii sub divo sanctificavit, ubi posuit illud altare maximum, quod fecerat viginti cubitorum.

**8.65 *Festivitatem.* RAB. ubi supra. In Verbis Dierum, etc., usque ad quod etiam Josephus attestatur. ID., ibid. Solemnitas quam fecit Salomon et omnis Israël, etc., usque ad quæ in Christo Pater contulit Christianis. *Ab introitu.* RAB., ibid. Per introitum Emath septentrionalem Judææ plagam, per rivum sive torrentem Ægypti designat Australem. Iste autem rivus non est Nilus, sed alius fluvius qui juxta Rivo-corulam influit in mare. Emath autem civitas Syriæ est. Nunc Epiphania vocatur ab Antiocho Epiphane.

††8.66 *Lætantes.* Decantantes cum delectatione hymnos, ita ut in ea jucunditate sine labore ad propria remearent.

‡‡9.11 *Præbente regi.* RAB. ubi supra. Multum auri et argenti, etc., usque ad quia germen cum plenitudine fructuum non afferrent.

viginti talenta auri. ¹⁵ Hæc est summa expensarum quam obtulit rex Salomon ad ædificandam domum Domini et domum suam, et Mello, et murum Jerusalem, et Hesar, et Mageddo, et Gazer. ¹⁶ Pharaon rex Ægypti ascendit, et cepit Gazar, succenditque eam igni, et Chananæum, qui habitabat in civitate, interfecit: et dedit eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis. ¹⁷ Ædificavit ergo Salomon Gazer, et Bethoron inferiorem, [¶] ¹⁸ et Balaath, et Palmiram in terra solitudinis. ^{§§} ¹⁹ Et omnes vicos qui ad se pertinebant et erant absque muro, munivit, et civitates curruum et civitates equitum, et quodcumque ei placuit ut ædificaret in Jerusalem, et in Libano, et in omni terra potestatis suæ. ²⁰ Universum populum qui remanserat de Amorrhæis, et Hethæis, et Pherezæis, et Hevæis, et Jebusæis, qui non sunt de filiis Israël: ^{*} ²¹ horum filios qui remanserant in terra, quos scilicet non potuerant filii Israël exterminare, fecit Salomon tributarios usque in diem hanc. ²² De filiis autem Israël non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, et ministri ejus, et principes, et duces, et præfecti curruum et equorum. ²³ Erant autem principes super omnia opera Salomonis præpositi quingenti quinquaginta, qui habebant subjectum populum, et statutis operibus imperabant. [†] ²⁴ Filia autem Pharaonis ascendit de civitate David in domum suam, quam ædificaverat ei Salomon: tunc ædificavit Mello. ²⁵ Offerebat quoque Salomon, tribus vicibus per annos singulos, holocausta et pacificas victimas super altare quod ædificaverat Domino, et adolebat thymiam coram Domino: perfectumque est templum. [‡] ²⁶ Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est juxta Ailath in littore maris Rubri, in terra Idumææ. [¶] ²⁷ Misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos et gnaros maris, cum servis Salomonis. ²⁸ Qui

[¶]9.17 *Ædificavit.* RAB. Urbes quas ædificasse dicitur, etc., usque ad ut hostibus spiritualibus insuperabiles existant. RAB. Civitates quas Salomon ædificavit de reliquiis Amorrhæorum fuerunt, quas non potuerunt filii Israël delere, sicut in Jesu Nave legitur Jos. 9.: has postea rex Ægypti subvertit et dedit in dotem filiæ suæ uxori Salomonis, et idcirco reædificavit eas Salomon.

^{§§}9.18 *Et Palmiram.* Inhabitabilis regio eo quod nusquam aqua inveniretur; sed illo loco ubi ædificata est civitas, fontes abundant, et palma, quæ Græce vocantur Palmira, ipsa est Emath, sive Epiphania vel Antiochia.

^{*}9.20 *Universum.* RAB. ubi supra. Qui non fuerat de filiis Israël, fecit Pacificus noster tributarios, cum eis qui non sunt in filiorum numero; sed in servili conditione utitur ad proprium servitium. Tales licet in multis adversentur, tamen frequenter usibus serviunt Ecclesiæ, cum in præsentis tempore de rebus suis solatia præbent. *De filiis.* ID., ibid. Eos qui non ancillæ filii sunt, sed liberæ, etc., usque ad et in semitas justitiæ ducant.

[†]9.23 *Quinquaginta.* ID. Quinquagesimo die post Pascha et lex in monte Sina tributa est, et Spiritus paracletus super discipulos venit. Quid ergo significat iste præpositorum numerus, nisi quod hi qui Spiritus sancti gratia legis Domini scientiam habere merentur, ipsi et se et alios bene regere possunt?

[‡]9.25 *Offerebat quoque.* ID. Offert Pacificus noster, etc., usque ad et ea quæ sunt Deo placita postulat.

[¶]9.26 *Classem.* ID. Classis est Ecclesia, etc., usque ad historiam, allegoriam, tropologiam, anagogen in duobus Testamentis.

cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem.[§]

10 Sed et regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.^{**} ² Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu et divitiis, camelis portantibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem, et locuta est ei universa quæ habebat in corde suo. ³ Et docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuerat: non fuit sermo qui regem posset latere, et non responderet ei. ⁴ Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat,^{††} ⁵ et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum, et ordines ministrantium, vestesque eorum, et pincernas, et holocausta quæ offerebat in domo Domini: non habebat ultra spiritum. ⁶ Dixitque ad regem: Verus est sermo quem audiavi in terra mea ⁷ super sermonibus tuis, et super sapientia tua: et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit: major est sapientia et opera tua, quam rumor quem audiavi. ⁸ Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.^{‡‡} ⁹ Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiisti, et posuit te super thronum Israël, eo quod dilexerit Dominus Israël in sempiternum, et constituit te regem ut faceres iudicium et justitiam. ¹⁰ Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosas: non sunt allata ultra aromata tam multa, quam ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni. ¹¹ (Sed et classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, et gemmas pretiosas.^{¶¶} ¹² Fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus Domini et domus regię, et citharas lyrasque cantoribus: non sunt allata hujusmodi ligna thyina, neque visa usque in præsentem diem.)^{§§} ¹³ Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia quæ voluit et petivit ab eo, exceptis his quæ ultro obtulerat ei munere

§9.28 *In Ophir*. ID. Ophir nomen est provinciæ in India. Ab Ophir uno de posteris Heber nominatur, quæ et terra aurea appellatur, eo quod montes aureos habeat, qui a leonibus et sævissimis bestiis incoluntur. Ad quos nullus aliter accedere audeat, nisi qui in navi stantes juxta littus, terram quam unguibus leonum effossam invenerint, in suam navem recipiunt, ut si bestię eos senserint, facile in mare recipiantur.

**10.1 Allegorice. ISID. in lib. Reg., tom. 5. Hæc regina venturam Ecclesiam de gentibus, etc., usque ad in occulto sanctorum fieri concivis optans.

††10.4 *Videns autem*. RAB. ubi supra. Regina, viso Salomone et gloria ejus, stupens super prudentia ejus, dixit: *Verus est sermo*, etc. Sic sancta Ecclesia, auditis miraculis Christi, provocata est ad quærendum eum: quo per fidem invento, consideratis sanctæ Scripturæ testimoniis, divinitatis ejus potentiam agnoscens, parum putat esse omne quod sibi antea narratum est de eo.

‡‡10.8 *Beati viri*. RAB. Regina admirando in laudem Salomonis erupit, dicens: *Beati viri*. Vere beati sunt quorum rex est Christus, et qui æterna ejus visione perfrui merentur, et gloriam quam habet cum Patre et Spiritu sancto conspiciere et sapientiam quæ mundis corde se ostendit perpetualiter percipere lætantur.

¶¶10.11 *Ligna*. ID. Conditor noster ligna pretiosa, hoc est, etc., usque ad et omnia instrumenta musicorum.

§§10.12 *Cantoribus*. ID. Hi quidquid agunt in verbo aut opere, omnia in laudem Dei faciunt: laudem inter adversa et prospera, corde, ore et opere pronuntiare non cessant, unde: *Super muros tuos, Hierusalem, constitui custodes, tota die et nocte non cessabunt laudare nomen Domini* Isa. 62..

regio. Quæ reversa est, et abiit in terram suam cum servis suis.* ¹⁴ Erat autem pondus auri quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri, ¹⁵ excepto eo quod afferebant viri qui super vectigalia erant, et negotiatores, universique scruta vendentes, et omnes reges Arabiæ, ducesque terræ. ¹⁶ Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo: sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius.† ¹⁷ Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri unam peltam vestiebant: posuitque eas rex in domo saltus Libani.‡ ¹⁸ Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem: et vestivit eum auro fulvo nimis,¶ ¹⁹ qui habebat sex gradus: et summitas throni rotunda erat in parte posteriori: et duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: et duo leones stabant iuxta manus singulas. ²⁰ Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde: non est factum tale opus in universis regnis.§ ²¹ Sed et omnia vasa quibus potabat rex Salomon, erant aurea: et universa supellex domus saltus Libani de auro purissimo: non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis,** ²² quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, et argentum, et dentes elephantorum, et simias, et pavos.†† ²³ Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ divitiis et sapientia. ²⁴ Et universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus. ²⁵ Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, vestes et arma

*10.13 *Rex autem.* ID. Et Pacificus noster Ecclesiæ suæ, omnia quæ petit, dabit, unde: **Quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.** Non solum quod petimus, imo etiam quæ humana fragilitas aut nescit, aut non præsumit petere, gratuito munere largitur.

†10.16 *Ducenta.* ID. In Paralipomenis scutis adduntur hastæ aureæ, quia lanceis et scutis utebantur duces excubantes ante ostium domus regis. Unde: **lectulum Salomonis septuaginta fortes ambiunt.** ID. Excubantes ad ostia domus regiæ, etc., usque ad et scuto fidei tela nequissimi ignea repellentes, exstinguunt.

‡10.17 *Saltus Libani.* Sylva Libani Ecclesiam gentium significat, quæ de fastu superbiæ abscissa in fabrica domus Dei aptatur. Unde: **Invenimus eam in campis sylvæ.**

¶10.18 *Thronum de ebore.* RAB. Thronus vel solium est imperialis sedes, quæ in canticis ferculum appellatur, eo quod residentes ferat, vel de loco ad locum circumferat. Ad quod per sex ascensionis gradus ascendebatur. Sub solio erat scabellum aureum, et summitas throni rotunda, tenta duabus manibus vel brachiis extrinsecus, iuxtaque stabant duo leones adjuvantes sustentare sedile.

§10.20 *Et duodecim.* Quia sex ascensionis gradus altrinsecus positi erant pro sustentaculo ascendentis gradus. ID. Solium Salomonis Ecclesia esse intelligitur, etc., usque ad munire certant. **Non est factum,** etc. Apte Ecclesiæ convenit istud, cui dicitur: **Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas** Prov. 31..

10.21 *Sed et omnia vasa,* etc. Omnia vasa quæ Pacifici nostri ministerio funguntur aurea sunt, quia omnes animæ sanctorum quæ sunt vasa Dei, ut divinæ voluntati serviant, splendore sapientiæ et dilectionis nitentes continent potum vitæ, et fit in eis **fons aquæ salientis in vitam æternam Joan. 4.. **Nec alicujus,** etc. RAB. Quia, secundum Apostolum, **Non est in sermone verbum Dei, sed in virtute et prædicatione Evangelii** I Cor. 1.. Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis consistit, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides nostra non in sapientia hominum, sed in virtute Dei sit.

††10.22 *Deferens inde aurum,* etc. ID. Quid aurum argentumve significet, etc., usque ad arma bellica prosequitur.

bellica, aromata quoque, et equos et mulos per annos singulos. ²⁶ Congregavitque Salomon currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum: et disposuit eos per civitates munitas, et cum rege in Jerusalem. ²⁷ Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta et lapidum: et cedrorum præbuit multitudinem quasi sycomoros quæ nascuntur in campestribus. ²⁸ Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, et de Coa. Negotiatores enim regis emebant de Coa, et statuto pretio perducebant. ²⁹ Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, et equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum et Syriæ equos venundabant.

11 Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, et Moabitidas, et Ammonitidas, Idumæas, et Sidonias, et Hethæas: [¶] ² de gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israël: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim avertent corda vestra ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore. ³ Fueruntque ei uxores quasi reginæ septingentæ, et concubinæ trecentæ: et averterunt mulieres cor ejus. ⁴ Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus. ⁵ Sed colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, et Moloch idolum Ammonitarum. ⁶ Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, et non adimplevit ut sequeretur Dominum sicut David pater ejus. ⁷ Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos idolo Moab in monte qui est contra Jerusalem, et Moloch idolo filiorum Ammon. ⁸ Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, et immolabant diis suis. ⁹ Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens ejus a Domino Deo Israël, qui apparuerat ei secundo, ¹⁰ et præceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos: et non custodivit quæ mandavit ei Dominus. ¹¹ Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum, et præcepta mea quæ mandavi tibi, dirumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. ¹² Verumtamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum: de manu filii tui scindam illud, ¹³ nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo propter David servum meum, et Jerusalem, quam elegi. ¹⁴ Suscitavit autem Dominus adversarium Salomoni Adad Idumæum de semine regio, qui erat in Edom. ¹⁵ Cum enim esset David in Idumæa, et ascendisset Joab princeps militiæ ad sepeliendum eos qui fuerant interfecti, et occidisset omnem masculinum in Idumæa ¹⁶ (sex enim mensibus ibi moratus est Joab, et omnis Israël, donec interimeret omne masculinum in Idumæa), ¹⁷ fugit Adad ipse, et viri Idumæi de servis patris ejus cum eo, ut ingrederetur Ægyptum: erat autem Adad puer parvulus. ¹⁸ Cumque surrexissent de Madian, venerunt in Pharan, tuleruntque secum viros de Pharan, et introierunt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti: qui dedit ei domum, et cibos constituit, et terram delegavit. ¹⁹ Et invenit

[¶]10.26 *Congregavitque Salomon*, etc. ID. De his Josephus prosequitur. Exornabantur ascensores eorum, primum decora juventute florentes, habentes magnam proceritatem, diffundentes in equorum sessione comam, purpura circumamicti, qui armati existentes circa regem arcusque ferentes equitabant ante eum, quando ad locum aliquem debebat exire.

[¶]11.1 *Rex autem*. RAB. Salomonem arguit vehementer Scriptura, etc., usque ad mala illius mala Ecclesiæ significant.

Adad gratiam coram Pharaone valde, in tantum ut daret ei uxorem sororem uxoris suæ germanam Taphnes reginæ. ²⁰ Genuitque ei soror Taphnes Genubath filium, et nutritum eum Taphnes in domo Pharaonis: eratque Genubath habitans apud Pharaonem cum filiis ejus. ²¹ Cumque audisset Adad in Ægypto dormisse David cum patribus suis, et mortuum esse Joab principem militiæ, dixit Pharaoni: Dimitte me, ut vadam in terram meam. ²² Dixitque ei Pharao: Qua enim re apud me indiges, ut quæras ire ad terram tuam? At ille respondit: Nulla: sed obsecro te ut dimittas me. ²³ Suscitavit quoque ei Deus adversarium Razon filium Eliada, qui fugerat Adazerer regem Soba dominum suum: ²⁴ et congregavit contra eum viros, et factus est princeps latronum cum interficeret eos David: abieruntque Damascus, et habitaverunt ibi, et constituerunt eum regem in Damasco: ²⁵ eratque adversarius Israëli cunctis diebus Salomonis: et hoc est malum Adad, et odium contra Israëlem: regnavitque in Syria. ²⁶ Jeroboam quoque filius Nabat, Ephrathæus, de Sareda, servus Salomonis, cujus mater erat nomine Sarva, mulier vidua, levavit manum contra regem. ²⁷ Et hæc est causa rebellionis adversus eum, quia Salomon ædificavit Mello, et cœquavit voraginem civitatis David patris sui. ^{§§} ²⁸ Erat autem Jeroboam vir fortis et potens: vidensque Salomon adolescentem bonæ indolis et industrium, constituerat eum præfectum super tributa universæ domus Joseph. ²⁹ Factum est igitur in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de Jerusalem, et inveniret eum Ahias Silonites propheta in via, opertus pallio novo: erant autem duo tantum in agro. ³⁰ Apprehendensque Ahias pallium suum novum quo coopertus erat, scidit in duodecim partes. ³¹ Et ait ad Jeroboam: Tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israëlem: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus. ³² Porro una tribus remanebit ei propter servum meum David, et Jerusalem civitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israëlem: ³³ eo quod dereliquerit me, et adoraverit Astarthen deam Sidoniorum, et Chamos deum Moab, et Moloch deum filiorum Ammon: et non ambulaverit in viis meis, ut faceret justitiam coram me, et præcepta mea et judicia, sicut David pater ejus. ³⁴ Nec auferam omne regnum de manu ejus, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ, propter David servum meum quem elegi, qui custodivit mandata mea et præcepta mea. ³⁵ Auferam autem regnum de manu filii ejus, et dabo tibi decem tribus: ³⁶ filio autem ejus dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Jerusalem civitate, quam elegi ut esset nomen meum ibi. ³⁷ Te autem assumam, et regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israëlem. ³⁸ Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, et ambulaveris in viis meis, et feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea et præcepta mea, sicut fecit David servus meus: ero tecum, et ædificabo tibi do-

§§11.27 **Voraginem.** Murus civitatis cecidit, eo quod ex uno latere præcipitio immineret. Quam voraginem cum rex vellet cœquare muris, constituit ducibus, ut hoc implerent opus; sed Jeroboam, qui erat princeps tribus Joseph, noluit obedire regi, qui constituerat eum prius super ædificia propugnaculorum, quæ faciebat in Jerosolymis, ubi laboravit ita, ut rex ei principatum militiæ super tribum Joseph conferret. Sed rebellis factus egreditur de Jerusalem: cui occurrit propheta deflectens eum in agrum, ut nullus audiret quid ei diceret. Elatusque verbis prophetæ suadebat populo, ut se regem faceret: Quod audiens Salomon quærebat eum interficere. **Erat autem.** Hoc mandatum restitutionis murorum recusavit. Sed unde tanta audacia? quia rex constituerat eum præfectum. **Tolle tibi.** RAB. Decem tribus a domo David separatæ sunt, etc., usque ad quia **unus Deus, una fides, unum baptisma.**

mum fidelem, quomodo ædificavi David domum: et tradam tibi Israël: ³⁹ et affligam semen David super hoc, verumtamen non cunctis diebus. ⁴⁰ Voluit ergo Salomon interficere Jeroboam: qui surrexit, et aufugit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti, et fuit in Ægypto usque ad mortem Salomonis. ⁴¹ Reliquum autem verborum Salomonis, et omnia quæ fecit, et sapientia ejus, ecce universa scripta sunt in libro verborum dierum Salomonis. ⁴² Dies autem quos regnavit Salomon in Jerusalem super omnem Israël, quadraginta anni sunt.* ⁴³ Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui: regnavitque Roboam filius ejus pro eo.

12 Venit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Israël ad constituendum eum regem.[†] ² At vero Jeroboam filius Nabat, cum adhuc esset in Ægypto profugus a facie regis Salomonis, audita morte ejus, reversus est de Ægypto. ³ Miseruntque et vocaverunt eum: venit ergo Jeroboam, et omnis multitudo Israël, et locuti sunt ad Roboam, dicentes: ⁴ Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, et de jugo gravissimo quod imposuit nobis, et serviemus tibi. ⁵ Qui ait eis: Ite usque ad tertium diem, et revertimini ad me. Cumque abiisset populus, ⁶ iniit consilium rex Roboam cum senioribus qui assistebant coram Salomone patre ejus cum adhuc viveret, et ait: Quod datis mihi consilium, ut respondeam populo huic? ⁷ Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, et servieris, et petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus. ⁸ Qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, et adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, et assistebant illi,[‡] ⁹ dixitque ad eos: Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic, qui dixerunt mihi: Levius fac jugum quod imposuit pater tuus super nos? ¹⁰ Et dixerunt ei juvenes qui nutriti fuerant cum eo: Sic loqueris populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes: Pater tuus aggravavit jugum nostrum: tu releva nos. Sic loqueris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. ¹¹ Et nunc pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.[¶] ¹² Venit ergo Jeroboam et omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex, dicens: Revertimini ad me die tertia. ¹³ Responditque rex populo dura, derelicto consilio seniorum quod ei dederant, ¹⁴ et locutus est eis secundum consilium juvenum, dicens: Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro: pater meus cecidit vos flagellis, ego

*11.42 **Dies autem.** Josephus dixit regnasse octoginta annis, et vixisse nonaginta quatuor. Sed divina Scriptura eos tantum annos exprimit quibus regnavit antequam prævaricaretur.

†12.1 **Venit autem. Durissimum.** Quomodo hoc verum est, cum superius dictum sit, quod Salomon non constituit quemquam servire de filiis Israël? Utique non fecit eos servire in agricultura vel alio servili opere. Verum principes ex eis constituit per singulas tribus, qui reddebant regi per vides singulis mensibus annonam, etc., quæ de expensa regis superius referuntur, quod modo durissimum jugum appellant.

‡12.8 **Adolescentes.** De quibus Aduram unus fuit qui postea lapidatus est. Juvenes Scriptura non semper juxta ætatem appellat, sed juxta instabilitatem animi. Nam Roboam quadagesimo ætatis suæ anno regnare cœpit.

¶12.11 **Scorpionibus.** Genus est flagelli, sicut et de spinis vel pomariis solent esse virgæ nodosæ. Vel etiam flagellum Saracenorum cum duabus vel tribus virgis, quod habet in summitate plumbeas glandes, alias grandines.

autem cædam vos scorpionibus. ¹⁵ Et non acquievit rex populo: quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitarerit verbum suum quod locutus fuerat in manu Ahiaë Silonitæ, ad Jeroboam filium Nabat. ¹⁶ Videns itaque populus quod noluisset eos audire rex, respondit ei dicens: Quæ nobis pars in David? vel quæ hæreditas in filio Isai? vade in tabernacula tua, Israël: nunc vide domum tuam, David. Et abiit Israël in tabernacula sua. ¹⁷ Super filios autem Israël, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam. ¹⁸ Misit ergo rex Roboam Aduram, qui erat super tributa: et lapidavit eum omnis Israël, et mortuus est. Porro rex Roboam festinus ascendit currum, et fugit in Jerusalem: ¹⁹ recessitque Israël a domo David usque in præsentem diem. ²⁰ Factum est autem cum audisset omnis Israël quod reversus esset Jeroboam, miserunt, et vocaverunt eum congregato cœtu, et constituerunt eum regem super omnem Israël: nec secutus est quisquam domum David præter tribum Juda solam. ²¹ Venit autem Roboam Jerusalem, et congregavit universam domum Juda, et tribum Benjamin, centum octoginta millia electorum virorum bellatorum, ut pugnarent contra domum Israël, et reducerent regnum Roboam filio Salomonis. ²² Factus est autem sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: ²³ Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, et ad omnem domum Juda, et Benjamin, et reliquos de populo, dicens: ²⁴ Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israël: revertatur vir in domum suam: a me enim factum est verbum hoc. Audierunt sermonem Domini, et reversi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus. ²⁵ Ædificavit autem Jeroboam Sichem in monte Ephraim, et habitavit ibi: et egressus inde ædificavit Phanuel. ²⁶ Dixitque Jeroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad domum David, ²⁷ si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem: et convertetur cor populi hujus ad dominum suum Roboam regem Juda, interficientque me, et revertentur ad eum. ²⁸ Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, et dixit eis: Nolite ultra ascendere in Jerusalem: ecce dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. ²⁹ Posuitque unum in Bethel, et alterum in Dan: ³⁰ et factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan. ³¹ Et fecit fana in excelsis, et sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi. ³² Constituitque diem solemnem in mense octavo, quintadecima die mensis, in similitudinem solemnitatis quæ celebrabatur in Juda. Et ascendens altare, similiter fecit in Bethel, ut immolaret vitulis quos fabricatus fuerat: constituitque in Bethel sacerdotes excelsorum quæ fecerat. ³³ Et ascendit super altare quod exstruxerat in Bethel, quintadecima die mensis octavi, quem finxerat de corde suo: et fecit solemnitatem filiis Israël, et ascendit super altare, ut adoleret incensum.

13 Et ecce vir Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super altare, et thus jaciente.†† ² Et exclamavit contra altare in sermone Domini, et ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui David,

§12.23 *Ad Roboam.* RAB. Roboam de domo David fuit, etc., *usque ad et cujus principes vescuntur in tempore suo.*

**12.28 *Fecit duos.* Jeroboam quare vitulus fecerit, vel quomodo Josephus sufficienter exponit.

††13.1 *Ecce vir.* Cujus nomen hic tacetur, in Paralipomenis Gaddo vocatur vel nuncupatur. Ipse est Gad qui monuit David ire in terram Juda. RAB. Propheta a Deo missus, etc., usque ad pœnitenti venia daretur.

Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt: et ossa hominum super te incendet. ³ Deditque in illa die signum, dicens: Hoc erit signum quod locutus est Dominus: ecce altare scindetur, et effundetur cinis qui in eo est. ⁴ Cumque audisset rex sermonem hominis Dei quem in clamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se. ⁵ Altare quoque scissum est, et effusus est cinis de altari, juxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini. ⁶ Et ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat. ⁷ Locutus est autem rex ad virum Dei: Veni mecum domum ut prandeas, et dabo tibi munera. ⁸ Responditque vir Dei ad regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto: ⁹ sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam qua venisti. ¹⁰ Abiit ergo per aliam viam, et non est reversus per iter quo venerat in Bethel. ¹¹ Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel: ad quem venerunt filii sui, et narraverunt ei omnia opera quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel: et verba quæ locutus fuerat ad regem, narraverunt patri suo. ¹² Et dixit eis pater eorum: Per quam viam abiit? Ostenderunt ei filii sui viam per quam abierat vir Dei, qui venerat de Juda. ¹³ Et ait filiis suis: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, ascendit, ¹⁴ et abiit post virum Dei, et invenit eum sedentem subtus terebinthum: et ait illi: Tune es vir Dei qui venisti de Juda? Respondit ille: Ego sum. ¹⁵ Dixitque ad eum: Veni mecum domum, ut comedas panem. ¹⁶ Qui ait: Non possum reverti, neque venire tecum: nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto, ¹⁷ quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini, dicens: Non comedes panem, et non bibes aquam ibi, nec reverteris per viam qua ieris. ¹⁸ Qui ait illi: Et ego propheta sum similis tui: et angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, et bibat aquam. Fefellit eum, ¹⁹ et reduxit secum: comedit ergo panem in domo ejus, et bibit aquam. ²⁰ Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam qui reduxerat eum. ²¹ Et exclamavit ad virum Dei qui venerat de Juda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini,

‡13.11 *Prophetes*. Iste pseudopropheta princeps erat sacerdotum, et valde a rege colebatur tanquam divinus; timens autem ne per sermonem viri Dei rex a cultura idolorum recederet, et se tanquam maleficum interficeret, excogitavit ut virum Dei deciperet, satis astute agens, ut dum transgrederetur præceptum Dei, illius iram incurreret, sicut postea fecit, cum magis homini quam Deo credidit. Ac per hoc monstrarentur esse falsa quæ prædixit, sicque regi persuadere possent, sicut fecit. Audiens autem rex eventum, putavit irrita quæ vir Dei dixerat, et non declinavit a via sua mala. *Omnia opera*, etc. GREG. In gestis prophetæ mira antecedunt, misera succedunt: qua in re quid colligimus? nisi quod apud se propter magnalia gloriatus ab interna mox soliditate est quassatus, et inde ei in opere culpa subrepsit, unde sibi gloria in corde subrepsit, ut a propheta falso disceret deceptus, quia nequaquam propriæ fortitudinis fuit quod prius accidisset.

et non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus,[¶] 22 et reversus es, et comedisti panem, et bibisti aquam in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in sepulchrum patrum tuorum. 23 Cumque comedisset et bibisset, stravit asinum suum prophetae quem reduxerat. 24 Qui cum abiisset, invenit eum leo in via, et occidit, et erat cadaver ejus projectum in itinere: asinus autem stabat juxta illum, et leo stabat juxta cadaver.^{§§} 25 Et ecce viri transeuntes viderunt cadaver projectum in via, et leonem stantem juxta cadaver. Et venerunt, et divulgaverunt in civitate in qua prophetae ille senex habitabat. 26 Quod cum audisset propheta ille qui reduxerat eum, ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni, et confregit eum, et occidit juxta verbum Domini quod locutus est ei. 27 Dixitque ad filios suos: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, 28 et ille abiisset, invenit cadaver ejus projectum in via, et asinum et leonem stantes juxta cadaver: non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum. 29 Tulit ergo prophetae cadaver viri Dei, et posuit illud super asinum, et reversus intulit in civitatem prophetae senis ut plangeret eum. 30 Et posuit cadaver ejus in sepulchro suo, et planxerunt eum: Heu, heu mi frater! 31 Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cum mortuus fuero, sepelite me in sepulchro in quo vir Dei sepultus est: juxta ossa ejus ponite ossa mea.* 32 Profecto enim veniet sermo quem prædixit in sermone Domini contra altare quod est in Bethel, et contra omnia fana excelsorum quæ sunt in urbibus Samariæ. 33 Post verba hæc non est reversus Jeroboam de via sua pessima, sed e contrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum: quicumque volebat, implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum. 34 Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, et eversa est, et deleta de superficie terræ.

14 In tempore illo ægrotavit Abia filius Jeroboam. 2 Dixitque Jeroboam uxori suæ: Surge, et commuta habitum, ne cognoscaris quod sis uxor Jeroboam, et vade in Silo, ubi est Ahias propheta, qui locutus est mihi quod regnaturus essem super populum hunc. 3 Tolle quoque in manu tua decem panes, et crustulam, et vas mellis, et vade ad illum: ipse enim indicabit tibi quid eventurum sit puero huic. 4 Fecit ut dixerat, uxor Jeroboam: et consurgens abiit in Silo, et venit in domum Ahia: at ille non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus præ senectute. 5 Dixit autem Dominus ad Ahiam: Ecce uxor Jeroboam ingreditur ut consulat te super filio suo qui ægrotat: hæc et hæc loqueris ei. Cum ergo illa intraret, et dissimularet se esse quæ erat, 6 audivit Ahias sonitum pedum ejus introëuntis per ostium, et ait: Ingredere, uxor Jeroboam: quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius. 7 Vade, et dic Jeroboam: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Quia exaltavi

[¶]13.21 *Hæc dicit Dominus.* ID. Bene autem ore ejus sententiam mortis accepit, cujus reductione a vitæ præceptis deviavit, ut inde poenam veraciter sumeret, unde culpam negligenter admisisset.

^{§§}13.24 *Et leo stabat,* etc. RAB. Hic ostenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipsa morte fuit laxatum, quia iste idem leo, qui viventem præsumpsit occidere, ausus contingere non est occisus. Qui enim occidendi habuit potestatem, de occisi cadavere comedendi licentiam non accepit, quia is cujus culpa in vita fuerat punita, erat jam justus ex morte.

*13.31 *Sepelite,* etc. Malus propheta sciens evenire quæ vir Dei prædixit, præcepit ut sepeliretur juxta virum Dei, ne quando ossa illius comburenda effoderentur, sed conservarentur, per sanctum prophetam, sicut inferius idem testatur liber impletum.

te de medio populi, et dedi te ducem super populum meum Israël, ⁸ et scidi regnum domus David, et dedi illud tibi, et non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo: ⁹ sed operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflavisti, ut me ad iracundiam provocares, me autem projecisti post corpus tuum: ¹⁰ idcirco ecce ego inducam mala super domum Jeroboam, et percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, et clausum, et novissimum in Israël: et mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum. ¹¹ Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli: quia Dominus locutus est. ¹² Tu igitur surge, et vade in domum tuam: et in ipso introitu pedum tuorum in urbem, morietur puer, ¹³ et planget eum omnis Israël, et sepeliet: iste enim solus inferetur de Jeroboam in sepulchrum, quia inventus est super eo sermo bonus a Domino Deo Israël in domo Jeroboam. ¹⁴ Constituet autem sibi Dominus regem super Israël, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, et in hoc tempore: ¹⁵ et percutiet Dominus Deus Israël, sicut moveri solet arundo in aqua: et evellet Israël de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, et ventilabit eos trans flumen: quia fecerunt sibi lucos, ut irritarent Dominum. ¹⁶ Et tradet Dominus Israël propter peccata Jeroboam, qui peccavit, et peccare fecit Israël. ¹⁷ Surrexit itaque uxor Jeroboam, et abiit, et venit in Thersa: cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est, ¹⁸ et sepelierunt eum. Et planxit eum omnis Israël juxta sermonem Domini, quem locutus est in manu servi sui Ahiaë prophetæ. ¹⁹ Reliqua autem verborum Jeroboam, quomodo pugnaverit, et quomodo regnaverit, ecce scripta sunt in libro verborum dierum regum Israël. ²⁰ Dies autem quibus regnavit Jeroboam, viginti duo anni sunt: et dormivit cum patribus suis, regnavitque Nadab filius ejus pro eo. ²¹ Porro Roboam filius Salomonis regnavit in Juda. Quadraginta et unius anni erat Roboam cum regnare cœpisset: decem et septem annos regnavit in Jerusalem civitate, quam elegit Dominus ut poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israël. Nomen autem matris ejus Naama Ammanitis. ²² Et fecit Judas malum coram Domino, et irritaverunt eum super omnibus quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccaverunt. ²³ Ædificaverunt enim et ipsi sibi aras, et statuas, et lucos super omnem collem excelsum, et subter omnem arborem frondosam: ²⁴ sed et effeminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israël. ²⁵ In quinto autem anno regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem, [†] ²⁶ et tulit thesauros domus Domini, et thesauros regis, et universa diripuit: scuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon: ²⁷ pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea, et tradidit ea in manum ducum scutariorum, et eorum qui excubabant ante ostium domus regis. ²⁸ Cumque ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium: et postea reportabant ad armamentarium scutariorum. ²⁹ Reliqua autem sermonum Roboam, et omnia quæ fecit, ecce scripta sunt in libro sermonum dierum regum Juda. ³⁰ Fuitque bellum inter Roboam et Jeroboam cunctis diebus. ³¹ Dormiv-

[†]14.25 *Ascendit Sesac*, etc. Sequebantur regem Ægypti currus mille et ducenti, equitum sexaginta millia, et quadraginta millia peditum, quorum plurimos habebat Lib "y", et Æthiopes. Invadens itaque Hebræorum regionem, munitissimas civitates sine dimicatione detinuit, etc.

itque Roboam cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David: nomen autem matris ejus Naama Ammanitis: et regnavit Abiam filius ejus pro eo.

15 Igitur in octavodecimo anno regni Jeroboam filii Nabat, regnavit Abiam super Judam. ²Tribus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Maacha filia Abessalom. ³Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus. ⁴Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Jerusalem, ut suscicaret filium ejus post eum, et statueret Jerusalem: ⁵eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi. ⁶Attamen bellum fuit inter Roboam et Jeroboam omni tempore vitæ ejus. ⁷Reliqua autem sermonum Abiam, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Juda? Fuitque prælium inter Abiam et inter Jeroboam. ⁸Et dormivit Abiam cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David, regnavitque Asa filius ejus pro eo. ⁹In anno ergo vigesimo Jeroboam regis Israël regnavit Asa rex Juda, ¹⁰et quadraginta et uno anno regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Maacha filia Abessalom. ¹¹Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus: ¹²et abstulit effeminatos de terra, purgavitque universas sordes idolorum quæ fecerant patres ejus. ¹³Insuper et Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, et in luco ejus quem consecraverat: subvertitque specum ejus, et confregit simulacrum turpissimum, et combussit in torrente Cedron: ¹⁴excelsa autem non abstulit. Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis: ¹⁵et intulit ea quæ sanctificaverat pater suus, et voverat, in domum Domini, argentum, et aurum, et vasa. ¹⁶Bellum autem erat inter Asa, et Baasa regem Israël cunctis diebus eorum. ¹⁷Ascendit quoque Baasa rex Israël in Judam, et ædificavit Rama, ut non posset quispiam egredi vel ingredi de parte Asa regis Juda. ¹⁸Tollens itaque Asa omne argentum et aurum quod remanserat in thesauris domus Domini, et in thesauris domus regiæ, et dedit illud in manus servorum suorum: et misit ad Benadad filium Tabremon filii Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens: ¹⁹Fœdus est inter me et te, et inter patrem meum et patrem tuum: ideo misi tibi munera, argentum et aurum: et peto ut venias, et irritum facias fœdus quod habes cum Baasa rege Israël, et recedat a me. ²⁰Acquiescens Benadad regi Asa, misit principes exercitus sui in civitates Israël, et percusserunt Ahion, et Dan, et Abeldomum Maacha, et universam Cenneroth,

‡15.6 *Attamen bellum fuit inter Abiam et Jeroboam omni*, etc. Jeroboam multo exercitu congregato, contra Abiam filium Roboam, qui in duabus tribubus patri successit, castrametatus est. Quod cum audisset Abia, obstupefactus est; verum roboratus, electo exercitu occurrit Jeroboam in locum qui vocatur Mons Amorrhæorum. Cumque orationem habuisset ad exercitum Jeroboam, tandem ait: In quo de victoria estis confidentes? An in vitulis aureis et aris, quæ vestræ sunt impietatis et non religionis indicia? An multitudo spem vobis præbuit? Sed nulla virtus illic est, ubi licet cum multis millibus licet unus pugnat injuste. Solummodo enim in justitia et pietate spes victoriæ consistit, quæ scilicet apud nos est, servantes a principio leges et verum Deum venerantes, etc. Deus autem exercitus Jeroboami audaciam dissolvit; exercitum autem Abiæ fecit excelsiorem. Nam quanta nullo bello refertur cædes fuisse commissa, neque Græcorum, neque Barbarorum, mirabilem perceperunt, Deo conferente, victoriâ. Quingenta enim millia hostium bello prostrata sunt, etc.

omnem scilicet terram Nephthali. ²¹ Quod cum audisset Baasa, intermisit ædificare Rama, et reversus est in Thersa. ²² Rex autem Asa nuntium misit in omnem Judam, dicens: Nemo sit excusatus. Et tulerunt lapides de Rama, et ligna ejus, quibus ædificaverat Baasa, et exstruxit de eis rex Asa Gabaa Benjamin, et Maspha. ²³ Reliqua autem omnium sermonum Asa, et universæ fortitudines ejus, et cuncta quæ fecit, et civitates quas exstruxit, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Juda? Verumtamen in tempore senectutis suæ doluit pedes. ²⁴ Et dormivit cum patribus suis, et sepultus est eum eis in civitate David patris sui. Regnavitque Josaphat filius ejus pro eo. ²⁵ Nadab vero filius Jeroboam regnavit super Israël anno secundo Asa regis Juda: regnavitque super Israël duobus annis. ²⁶ Et fecit quod malum est in conspectu Domini, et ambulavit in viis patris sui, et in peccatis ejus quibus peccare fecit Israël. ²⁷ Insidiatus est autem ei Baasa filius Ahiaë de domo Issachar, et percussit eum in Gebbethon, quæ est urbs Philistinorum: siquidem Nadab et omnis Israël obsidebant Gebbethon. ²⁸ Interfecit ergo illum Baasa in anno tertio Asa regis Juda, et regnavit pro eo. ²⁹ Cumque regnasset, percussit omnem domum Jeroboam: non dimisit ne unam quidem animam de semine ejus donec deleret eum, juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu servi sui Ahiaë Silonitis, ³⁰ propter peccata Jeroboam, quæ peccaverat, et quibus peccare fecerat Israël: et propter delictum quo irritaverat Dominum Deum Israël. ³¹ Reliqua autem sermonum Nadab, et omnia quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Israël? ³² Fuitque bellum inter Asa, et Baasa regem Israël, cunctis diebus eorum. ³³ Anno tertio Asa regis Juda, regnavit Baasa filius Ahiaë super omnem Israël in Thersa, viginti quatuor annis. ³⁴ Et fecit malum coram Domino, ambulavitque in via Jeroboam, et in peccatis ejus quibus peccare fecit Israël.

16 Factus est autem sermo Domini ad Jehu filium Hanani contra Baasa, dicens:^f ² Pro eo quod exaltavi te de pulvere, et posui te ducem super populum meum Israël, tu autem ambulasti in via Jeroboam, et peccare fecisti populum meum Israël, ut me irritares in peccatis eorum: ³ ecce ego demetam posteriora Baasa, et posteriora domus ejus, et faciam domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabat.[§] ⁴ Qui mortuus fuerit de Baasa in civitate, comedent eum canes: et qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cæli.^{**} ⁵ Reliqua autem sermonum Baasa, et quæcumque fecit, et prælia ejus, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Israël? ⁶ Dormivit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in

^f16.1 *Factus est autem sermo*, etc. Mentio hujus prophetæ in nullo alio loco fit, sed subito introducitur sicut alii, unde Abdias dicitur pavisse in speluncis centum prophetas. Et Elias ait: *Prophetas tuos occiderunt*. Et filii prophetarum leguntur occurrisse Elisæo, quorum alia nulla fit mentio, nulla specialis nominatio.

[§]16.3 *Ecce*. RAB. in lib. Reg., tom. 3. Demetit Dominus hujus vel cujuscunque iniqui posteriora, cum peccata post finem vitæ ulciscitur. Demetit et posteriora domus ejus, cum imitatore æternis cruciatibus damnat. Quicumque ergo usque in finem vitæ in pravis operibus perseverat, posteriora illius demetentur.

^{**}16.4 *Qui mortuus fuerit*. ID. De Baasa, id est, de corpore diaboli confusione plenissimo, etc., usque ad secum ad æternum rapiunt interitum.

Thersa: et regnavit Ela filius ejus pro eo.^{††} ⁷ Cum autem in manu Jehu filii Hanani prophetæ verbum Domini factum esset contra Baasa, et contra domum ejus, et contra omne malum quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Jeroboam: ob hanc causam occidit eum, hoc est, Jehu filium Hanani prophetam. ⁸ Anno vigesimo sexto Asa regis Juda, regnavit Ela filius Baasa super Israël in Thersa, duobus annis. ⁹ Et rebellavit contra eum servus suus Zambri, dux mediæ partis equitum: erat autem Ela in Thersa bibens, et temulentus in domo Arsa præfecti Thersa. ¹⁰ Irruens ergo Zambri, percussit et occidit eum, anno vigesimo septimo Asa regis Juda, et regnavit pro eo. ¹¹ Cumque regnasset, et sedisset super solium ejus, percussit omnem domum Baasa, et non dereliquit ex ea mingentem ad parietem: et propinquos et amicos ejus. ¹² Delevitque Zambri omnem domum Baasa, juxta verbum Domini quod locutus fuerat ad Baasa in manu Jehu prophetæ, ¹³ propter universa peccata Baasa, et peccata Ela filii ejus, qui peccaverunt, et peccare fecerunt Israël, provocantes Dominum Deum Israël in vanitatibus suis. ¹⁴ Reliqua autem sermonum Ela, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Israël? ¹⁵ Anno vigesimo septimo Asa regis Juda, regnavit Zambri septem diebus in Thersa: porro exercitus obsidebat Gebbethon urbem Philistinorum. ¹⁶ Cumque audisset rebellasse Zambri, et occidisse regem, fecit sibi regem omnis Israël Amri, qui erat princeps militiæ super Israël in die illa in castris. ¹⁷ Ascendit ergo Amri, et omnis Israël cum eo, de Gebbethon, et obsidebant Thersa. ¹⁸ Videns autem Zambri quod expugnanda esset civitas, ingressus est palatium, et succendit se cum domo regia: et mortuus est ¹⁹ in peccatis suis quæ peccaverat, faciens malum coram Domino, et ambulans in via Jeroboam, et in peccato ejus, quo fecit peccare Israël. ²⁰ Reliqua autem sermonum Zambri, et insidiarum ejus, et tyrannidis, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Israël? ²¹ Tunc divisus est populus Israël in duas partes: media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, ut constitueret eum regem: et media pars Amri. ²² Prævaluit autem populus qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth: mortuusque est Thebni, et regnavit Amri. ²³ Anno trigesimo primo Asa regis Juda, regnavit Amri super Israël, duodecim annis: in Thersa regnavit sex annis. ²⁴ Emitque montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti: et ædificavit eum, et vocavit nomen civitatis quam extruxerat, nomine Semer domini montis, Samariam. ²⁵ Fecit autem Amri malum in conspectu Domini, et operatus est nequiter, super omnes qui fuerunt ante eum. ²⁶ Ambulavitque in omni via Jeroboam filii Nabat, et in peccatis ejus quibus peccare fecerat Israël, ut irritaret Dominum Deum Israël in vanitatibus suis. ²⁷ Reliqua autem sermonum Amri, et prælia ejus quæ gessit, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Israël? ²⁸ Dormivitque Amri cum patribus suis, et sepultus est in Samaria: regnavitque Achab filius ejus pro eo. ²⁹ Achab vero filius Amri regnavit super Israël anno trigesimo octavo Asa regis Juda. Et regnavit Achab filius Amri super Israël in Samaria viginti et duobus annis. ³⁰ Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini super omnes qui fuerunt ante eum. ³¹ Nec suffecit ei ut ambularet in peccatis Jeroboam filii Nabat: insuper duxit uxorem Jezabel filiam

^{††}16.6 *In Thersa regna.* RAB. Sex annos fecit in Thersa, reliquos autem in civitate, quæ Semeron appellatur, a Græcis vero Samaria. Hic nominavit eam Semeron a Semer priore domino, et est metropolis regni, et postea omnis regio ab eo Samaria appellatur, quæ nunc Sebaste vocatur, ubi ossa beati Joannis Baptistæ quiescunt.

Ethbaal regis Sidoniorum. Et abiit, et servivit Baal, et adoravit eum. ³²Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria, ³³et plantavit lucum: et addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israël super omnes reges Israël qui fuerunt ante eum. ³⁴In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel Jericho: in Abiram primitivo suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas ejus, juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun.**

17 Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba.[¶] ²Et factum est verbum Domini ad eum, dicens: ³Recede hinc, et vade contra orientem, et abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem,^{§§} ⁴et ibi de torrente bibes: corvisque præcepi ut pascant te ibi. ⁵Abiit ergo, et fecit juxta verbum Domini: cumque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem. ⁶Corvi quoque deferebant ei panem et carnes mane, similiter panem et carnes vespere, et bibebat de torrente. ⁷Post dies autem siccatus est torrens: non enim pluerat super terram. ⁸Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens: ⁹Surge, et vade in Sarephta Sidoniorum, et manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te. ¹⁰Surrexit, et abiit in Sarephta. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ

**16.34 *Ædificavit Hiel.* RAB. Hiel, *vivens Deo*; Bethel, *domus Dei* interpretatur, destructa a Josue atque anathematizata, Jericho mœnia restauravit. Cum quis eorum, qui in Ecclesia habitum religionis assumpserant, ad agenda scelera, quæ ei Dominus Jesus in die baptismatis donaverat, redit, quasque ipse anathematizaverat diaboli pompas, luxuriose vivendo repetit, cumque errorum dogmata vel gentilium fabulas veritati ecclesiasticæ, qua imbutus est, præfert, quasi Bethel egrediens, ruinas Jericho resuscitat. Is et fundamenta fidei, a quibus bona ædificia inchoarat, et claustra bonæ actionis quibus perfici debuerat, perdit. *In Abiram.* ID. Cum conditor Jericho fundamenta poneret, primogenitus ejus nomine Abiram mortuus est. Cum portas muniret, Segub filium suum novissimum amisit, juxta imprecationem Josue.

¶17.1 *Et dixit.* RAB. Elias interpretatur *Deus meus Dominus*, vel *Deus meus*, sive *Deus fortis*, et significat Christum. Thesbites *captivans* seu *convertens* interpretatur: et de Domino est scriptum: *Converte*, Domine, *captivitatem nostram*. Sicut Melchisedech, ita Eliæ origo taceatur, cum subito ejus nomen introducit, et hoc in Salvatoris præfiguratione. *In cujus conspectu.* ID. In conspectu Domini stat justus modo, stabit et in futuro, modo, ut conditoris potentiam ad sensum reducat, et sic fideliter vivat, in futuro, ut veraciter vitæ coronam accipiat.

§§17.3 *Abscondere.* RAB. Absconditus est Elias noster etc., usque ad et obsequium quod Domino a fidelibus ex Judæis exhibitum est. *In torrente Carith.* Torrens Cyson qui et Carith interpretatur *cognitio* sive *concisio* vel *divisio*, Judaico populo convenit.

in vase ut bibam.* ¹¹ Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua. ¹² Quæ respondit: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna ut ingrediar et faciam illum mihi et filio meo, ut comedamus, et moriamur. ¹³ Ad quam Elias ait: Noli timere, sed vade, et fac sicut dixisti: verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me: tibi autem et filio tuo facies postea. ¹⁴ Hæc autem dicit Dominus Deus Israël: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuatur, usque ad diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ. ¹⁵ Quæ abiit, et fecit juxta verbum Eliæ: et comedit ipse, et illa, et domus ejus: et ex illa die ¹⁶ hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Eliæ. ¹⁷ Factum est autem post hæc, ægrotavit filius mulieris matrisfamilias, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. ¹⁸ Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi et tibi, vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum? ¹⁹ Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, et portavit in cœnaculum ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum.† ²⁰ Et clamavit ad Dominum, et dixit: Domine Deus meus, etiam ne viduam apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti ut interficeres filium ejus? ²¹ Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait: Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. ²² Et exaudivit Dominus vocem Eliæ: et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. ²³ Tulitque Elias puerum, et deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, et tradidit matri suæ, et ait illi: En vivit filius tuus. ²⁴ Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est.

18 Post dies multos factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio, dicens: ¹ Vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. ² Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria. ³ Vocavitque

*17.10 **Mulier.** ISID. Vidua quam Dominus non frumenti, sed verbi pane pascit, ea est, quæ, mortuo viro, cui vult nubat, id est, excusso servitutis jugo, subit Christi jugum suave, et onus leve. RAB. Hæc vidua gentium significat Ecclesiam, etc., usque ad non defecisse dicitur. ID. Vidua apud quam hospitabatur Elias, et cujus benedixit farinæ et oleo, synagoga est Judæorum, quæ Mosi morte viduata, filium nutrieat parvulum, hoc est carnalem populum Judæorum. Hic ad ingressum Eliæ, id est Salvatoris nostri, febre infidelitatis infirmabatur, quia in eum non credidit, sed sprexit. Unde mater Synagoga de adventu Salvatoris conqueritur, quasi ipse esset causa interfectionis populi, dicens: **Quid mihi et tibi,** etc. Hinc est quod Caiphas ait: **Expedit vobis ut unus moriatur pro populo, et non tota gens pereat** Joan. 11.. ID. Sicut propheta verbis viduæ non est exasperatus, quin potius miseretur, ita Redemptor noster non exasperatur malitia Judæorum, sed misertus sui populi tulit eum de sinu matris, cum tulit eum de carnali observantia legis, et posuit super lectulum suum, hoc est, demonstravit ei vitam habere in morte sua, expanditque se tribus vicibus, dum Trinitatis fidem insinuabat.

†17.19 **Tulitque Elias.** RAB. Tulit Elias puerum et reddidit matri suæ, cum Dominus noster populum salvans credentem, signa et miracula ostendebat incredulis, ut cognoscerent veraciter illum vivere qui credit in nomine ejus, et sic eveniet ut plebs Judaica, veritate superata, proclamet ad Christum - **Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu.**

Achab Abdiam dispensatorem domus suæ: Abdias autem timebat Dominum valde.[‡]
⁴ Nam cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et pavit eos pane et aqua.
⁵ Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum, et in cunctas valles, si forte possimus invenire herbam, et salvare equos et mulos, et non penitus jumenta intereant.
⁶ Diviseruntque sibi regiones ut circumirent eas: Achab ibat per viam unam, et Abdias per viam alteram seorsum.
⁷ Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, et ait: Num tu es, domine mi, Elias?
⁸ Cui ille respondit: Ego. Vade, et dic domino tuo: Adest Elias.
⁹ Et ille: Quid peccavi, inquit, quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me?
¹⁰ Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum quo non miserit dominus meus te requirens: et respondentibus cunctis: Non est hic: adjuravit regna singula et gentes, eo quod minime reperireris.
¹¹ Et nunc tu dicis mihi: Vade, et dic domino tuo: Adest Elias.
¹² Cumque recessero a te, spiritus Domini asportabit te in locum quem ego ignoro: et ingressus nuntiabo Achab, et non inveniens te, interficiet me: servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua.
¹³ Numquid non indicatum est tibi domino meo quid fecerim cum interficeret Jezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos et quinquagenos, in speluncis, et paverim eos pane et aqua?
¹⁴ et nunc tu dicis: Vade, et dic domino tuo: Adest Elias: ut interficiat me?
¹⁵ Et dixit Elias: Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto, quia hodie apparebo ei.
¹⁶ Abiit ergo Abdias in occursum Achab, et indicavit ei: venitque Achab in occursum Eliæ.
¹⁷ Et cum vidisset eum, ait: Tune es ille, qui conturbas Israël?
¹⁸ Et ille ait: Non ego turbavi Israël, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim.
¹⁹ Verumtamen nunc mitte, et congrega ad me universum Israël in monte Carmeli, et prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Jezabel.
²⁰ Misit Achab ad omnes filios Israël, et congregavit prophetas in monte Carmeli.
²¹ Accedens autem Elias ad omnem populum, ait: Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum.
²² Et ait rursus Elias ad populum: Ego remansi propheta Domini solus: prophetæ autem Baal quadringenti et quinquaginta viri sunt.
²³ Dentur nobis duo boves, et illi eligant sibi bovem unum, et in frusta cædentes ponant super ligna, ignem autem non supponant: et ego faciam bovem alterum, et imponam super ligna, ignem autem non supponam.
²⁴ Invocate nomina deorum vestrorum, et ego invocabo nomen Domini mei: et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait: Optima propositio.
²⁵ Dixit ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, et facite primi, quia vos plures estis: et invocate nomina deorum vestrorum, ignemque non supponatis.
²⁶ Qui cum tulissent bovem quem dederat eis, fecerunt: et invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes: Baal, exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet: transiliebantque altare quod fecerant.
²⁷ Cumque esset jam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce majore: deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.
²⁸ Clamabant ergo

[‡]18.3 *Abdias autem.* Abdias princeps exercitus Israël, cujus nomen interpretatur servus Domini, illos præfigurabat qui ex principibus Judæorum crediderunt, et erant occulti discipuli, ut Nicodemus et Joseph.

voce magna, et incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine. ²⁹ Postquam autem transiit meridies, et illis prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes, ³⁰ dixit Elias omni populo: Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit altare Domini quod destructum fuerat. [¶] ³¹ Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens: Israël erit nomen tuum. ³² Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquæductum, quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris, [§] ³³ et composuit ligna: divisitque per membra bovem, et posuit super ligna, ³⁴ et ait: Implete quatuor hydrias aqua, et fundite super holocaustum et super ligna. Rursumque dixit: Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait: Etiam tertio idipsum facite. Feceruntque tertio, ³⁵ et currebant aquæ circum altare, et fossa aquæductus repleta est. ³⁶ Cumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias propheta ait: Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israël, ostende hodie quia tu es Deus Israël, et ego servus tuus, et juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. ³⁷ Exaudi me, Domine, exaudi me: ut discat populus iste quia tu es Dominus Deus, et tu convertisti cor eorum iterum. ³⁸ Cecidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam quæ erat in aquæductu lambens. ³⁹ Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, et ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. ⁴⁰ Dixitque Elias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. ^{**} ⁴¹ Et ait Elias ad Achab: Ascende, comede, et bibe, quia sonus multæ pluvie est. ^{††} ⁴² Ascendit Achab ut comederet et biberet: Elias autem ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, ⁴³ et dixit ad puerum suum: Ascende, et prospice contra mare. Qui cum ascendisset, et contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi: Revertere septem vicibus. ⁴⁴ In septima autem vice, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait: Ascende, et dic Achab: Junge currum tuum et descende, ne occupet te pluvia. ⁴⁵ Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, et nubes, et ventus, et facta est pluvia grandis. Ascendens itaque Achab, abiit

[¶]18.30 *Curavit altare.* RAB. Et Redemptor noster contra mundi principem ac satellites ejus decertans ac superans, altare Domini quod destructum fuerat, id est fidelium corda a labe iniquitatis purgans, aram Deo dedicat, quæ ex duodecim lapidibus constructa memoratur, quia ex his qui propheticam et apostolicam fidem seu doctrinam sequuntur gratissima ara Deo construitur, in qua sacrificium laudis in odorem suavitatis offertur.

[§]18.32 *Fecitque.* ID. Ex contrito videlicet corde et humiliato, etc., usque ad in æternum gratulando canamus: *Dominus ipse est Deus.*

^{**}18.40 *Apprehendite.* RAB. Sic Redemptor noster, adveniente die judicii, mittet angelos suos et colligent omnia scandala de regno ejus et mittent eos in stagnum ignis, ubi cruciabuntur secundum duritiam et impœnitens cor eorum.

^{††}18.41 *Multæ pluvia.* ISID. Nascente Christo Dei Filio inter homines et teneritudinem carnis nostræ accipiente, postquam mortem gustavit, et victor de mundo ad cœlos ascendit, imbrem gratiæ divinæ per septiformem Spiritum de supernis ad terram misit, qui nos a peccato mundaret, et spirituales fructus gignere faceret. RAB. In virtutibus Eliæ qui potentia Dei pollebat in infirmitatibus suis, quid de se poterat agnoscebat. Ibi ostendebat quod acceperat, hic quod acceperat custodiebat. In miraculis monstrabatur, in infirmitatibus servabatur.

in Jezrahel: ⁴⁶ et manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel.

19 Nuntiavit autem Achab Jezabel omnia quæ fecerat Elias, et quomodo occidisset universos prophetas gladio. ² Misitque Jezabel nuntium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dii, et hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis. ³ Timuit ergo Elias, et surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas: venitque in Bersabee Juda, et dimisit ibi puerum suum,^{‡‡} ⁴ et perrexit in desertum, viam unius diei. Cumque venisset, et sederet subter unam juniperum, petivit animæ suæ ut moreretur, et ait: Sufficit mihi, Domine: tolle animam meam: neque enim melior sum quam patres mei. ⁵ Projecitque se, et obdormivit in umbra juniperi: et ecce angelus Domini tetigit eum, et dixit illi: Surge, et comede.[¶] ⁶ Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis, et vas aquæ: comedit ergo, et bibit, et rursus obdormivit.^{§§} ⁷ Reversusque est angelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via. ⁸ Qui cum surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb. ⁹ Cumque venisset illuc, mansit in spelunca: et ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis, Elia? ¹⁰ At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam ut auferant eam. ¹¹ Et ait ei: Egredere, et sta in monte coram Domino: et ecce Dominus transit. Et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras, ante Dominum: non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio: non in commotione Dominus.^{*} ¹² Et post commotionem ignis: non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis. ¹³ Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, et egressus stetit in ostio speluncæ. Et ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis, Elia? Et ille respondit: ¹⁴ Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus,

^{‡‡}19.3 *Timuit ergo Elias et surgens abiit*, etc. RAB. Sancti viri, sublevante spiritu ad summa rapiuntur: quandiu vero in hac vita sunt, ne superbiant, tentationibus reprimuntur. Hinc est quod Elias cum tot virtutibus processisset, Jezabel postmodum quamvis reginam tamen mulierculam fugit: et qui mortuos suscitabat, ventura prævidebat, alia quoque præclara faciebat, timore percussus de manu mulieris mortem fugit, de manu Dei mortem petit, nec accipit.

[¶]19.5 *Et ecce angelus Domini tetigit*. RAB. Angelus qui Eliam pavit, magni consilii angelum signat; cujus opera, tam in corporali quam in spirituali natura subsistimus.

^{§§}19.6 *Et ecce ad caput suum*, etc. ID. Elias bis pastus exprimit nostræ naturæ infirmitatem, quibus non sufficit simplex pastus, sed duplex, quatenus ad superna valeamus ascendere. Sicut enim corpus sine alimento corporali subsistere nequit, ita nec anima vivere potest sine verbo Dei. ID. Sic et nos dum inertiae somnum a nobis excutimus, necesse est ut divino solatio confortati, gressu bonorum operum per omne tempus vitæ præsentis summopere festinemus ascendere in montem Dei et in locum sanctum ejus, ut ibi requiem inveniamus æternam.

^{*}19.11 *Et spiritus*. ID. Spiritus ante Dominum evertit montes et petras conterit, etc., usque ad ad cognitionem veritatis incipere exire. *Non in spiritu*. Id est, non arbitreris, quod cum vento veniat Dominus, sed post spiritum commotionis, id est, turbinem et impetum venti transibit ignis, deinde sibilus auræ tenuis, post hoc transibit Dominus, ut loquatur tecum.

et quærent animam meam ut auferant eam.[†] 15 Et ait Dominus ad eum: Vade, et revertere in viam tuam per desertum in Damascum: cumque perveneris illuc, unges Hazaël regem super Syriam, 16 et Jehu filium Namsi unges regem super Israël: Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmehula, unges prophetam pro te. 17 Et erit: quicumque fugerit gladium Hazaël, occidet eum Jehu: et quicumque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliseus.[‡] 18 Et derelinquam mihi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omne os quod non adoravit eum osculans manus. 19 Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum filium Saphat, arantem in duodecim jugis boum. Et ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat: cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum.[¶] 20 Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, et ait: Osculer, oro, patrem meum, et matrem meam, et sic sequar te. Dixitque ei: Vade, et revertere: quod enim meum erat, feci tibi. 21 Reversus autem ab eo, tulit par boum, et mactavit illud, et in aratro boum coxit carnes, et dedit populo, et comederunt: consurgensque abiit, et secutus est Eliam, et ministrabat ei.[§]

20 Porro Benadad rex Syriæ congregavit omnem exercitum suum, et triginta duos reges secum, et equos, et currus: et ascendens pugnabat contra

[†]19.14 *Ego solus*, etc. RAB. Tanto prophetæ quid difficile fuit cognoscere in hoc mundo famulos remansisse Deo? Sed qui humilis etiam occulta Dei noverat, elatus etiam aperta nesciebat. Unde certum est, quod humilitatis radio se illuminat, qui aliorum bona subtiliter pensat: quia dum ea quæ ipse fecerit facta foris et ab aliis conspicit, eum qui de singularitate intus erumpere nititur superbiæ tumorem premit. Hinc est, quod voce Dei ad Eliam solum se æstimantem dicitur. *Reliqui mihi septem millia virorum*, ut dum non solum se remansisse cognosceret elationis gloriam quæ ei de singularitate surgebat, inclinaret. RAB. Non aliter nisi quod eum regem futurum prædixit. Elisæum non aliter quam pallium suum jactans super eum. Illos duos reges nec ipse per se, nec discipulis ejus Elisæus unxit, sed quidam prophetarum missus est ut ungeret Jehu.

[‡]19.17 *Quicumque*. ID. Nocentes, justitia divina alios per reges plecti facit mucrone, alios per prophetas et sacerdotes transverberat gladio linguæ.

[¶]19.19 *Profectus*. Cum Redemptor noster descendens de cælo divino judicio acquisivit populum adhuc terrenis operibus inhiantem, in quo salutem fecit, cum eum ad fidem convertit. Elias enim interpretatur Dominus Deus, Saphat judicans, Elisæus Dei mei salus. Super quem propheta pallium suum misit, cum Dominus populum fide catholica induit. Unde Apostolus: *Qui in Christo baptizati estis, Christum induistis* Gal. 3.. Relictis bobus cucurrit post Eliam: quia electorum chorus audito, *nisi quis renuntiat omnibus, non potest meus esse discipulus* Luc. 14., statim cessavit terrenis lucris inhiare, sæcularibus desideriis deservire, et sic aliis verbum vitæ prædicavit, hoc est enim osculari patrem et matrem, quoscumque potest sive de Judæis, sive de gentibus sermone velle corrigere. RAB. Populus quoque Christianus carnalia desideria mactans totum exercitum suum in opus evangelizandi convertit, unde sufficientem pastum adjutoribus suis præbere possit.

[§]19.21 *Secutus*. ID. Nostrum Eliam sequitur et ministrat ei, qui vestigia ejus sequens, hoc est mandata illius observans, ministerium et honorem condigne satagit exhibere.

Samariam, et obsidebat eam.** ²Mittensque nuntios ad Achab regem Israëel in civitatem, ³ait: Hæc dicit Benadad: Argentum tuum, et aurum tuum meum est: et uxores tuæ, et filii tui optimi, mei sunt. ⁴Responditque rex Israëel: Juxta verbum tuum, domine mi rex, tuus sum ego, et omnia mea. ⁵Revertentesque nuntii, dixerunt: Hæc dicit Benadad, qui misit nos ad te: Argentum tuum, et aurum tuum, et uxores tuas, et filios tuos, dabis mihi. ⁶Cras igitur hac eadem hora mittam servos meos ad te, et scrutabuntur domum tuam, et domum servorum tuorum: et omne quod eis placuerit, ponent in manibus suis, et auferent. ⁷Vocavit autem rex Israëel omnes seniores terræ, et ait: Animadvertite, et videte quoniam insidietur nobis: misit enim ad me pro uxoribus meis, et filiis, et pro argento et auro: et non abnuui. ⁸Dixeruntque omnes majores natu, et universus populus, ad eum: Non audias, neque acquiescas illi. ⁹Respondit itaque nuntiis Benadad: Dicite domino meo regi: Omnia propter quæ misisti ad me servum tuum in initio, faciam: hanc autem rem facere non possum. ¹⁰Reversique nuntii retulerunt ei. Qui remisit, et ait: Hæc faciant mihi dii, et hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me.†† ¹¹Et respondens rex Israëel, ait: Dicite ei: Ne gloriatur, accinctus æque ut discinctus. ¹²Factum est autem cum audisset Benadad verbum istud, bibebat ipse et reges in umbraculis: et ait servis suis: Circumdate civitatem. Et circumdederunt eam. ¹³Et ecce propheta unus accedens ad Achab regem Israëel, ait ei: Hæc dicit Dominus: Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? ecce ego tradam eam in manu tua hodie, ut scias quia ego sum Dominus. ¹⁴Et ait Achab: Per quem? Dixitque ei: Hæc dicit Dominus: Per pedissequos principum provinciarum. Et ait: Quis incipiet præliari? Et ille dixit: Tu. ¹⁵Recensuit ergo pueros principum provinciarum, et reperit numerum ducentorum triginta duorum: et recensuit post eos populum, omnes filios Israëel, septem millia. ¹⁶Et egressi sunt meridie. Benadad autem bibebat temulentus in umbraculo suo, et reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium ejus venerant. ¹⁷Egressi sunt autem pueri principum provinciarum in prima fronte. Misit itaque Benadad: qui nuntiaverunt ei, dicentes: Viri egressi sunt de Samaria. ¹⁸Et ille ait: Sive pro pace veniunt, apprehendite eos vivos: sive ut præliantur, vivos eos capite. ¹⁹Egressi sunt ergo pueri principum provinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur: ²⁰et percus-

**20.1 RAB. Benadad significat diabolum, qui diversos exercitus malignorum spirituum ad subvertendum populum Dei contrahit, sed per pueros principum Israël vincitur, id est, per bonos auditores doctorum, quia quod auribus audiunt, factis implent. Antiquus hostis in fugam vertitur, omnisque suus exercitus a militibus Christi perturbatur, qui bene ducenta millia et triginta duo esse dicuntur, quia qui utriusque Testamenti scientiam perfecte tenent, et Trinitatis fidem cum gemina charitate conservant, hi apti militiæ summi regis esse comprobantur.

††20.10 *Hæc faciant mihi.* Samaria morte civitatum habebat terram interius ipsis muris pene æqualem, quo subsidio ictibus arietis resisteret extra, murorum altitudo longe superficiem terræ transcenderat. Ait ergo rex superbus obsessos terrens, quod tantam haberet multitudinem, ut si quisque militum unum lapidem vel stipitem vel cespitem ad construendum contra urbem aggerem apportasset, agger exsurgeret qui superficiei quæ erat intra muros esse videretur æqualis, ita ut ex æquo pugnantes contra civitatem tela faces mitterent. *Ne gloriatur accinctus.* RAB. Accinctus est qui cingulo circumdatur, discinctus qui cingulum deposuit. Ait ergo rex Israël, regi Syriæ gloriantem quasi jam cepisset Samariam quam obsidere coeperat: *Ne gloriatur accinctus æque ut discinctus.* Ac si dicat: Noli gloriari quasi victor, qui adhuc in acie positus, quem victoria sequatur ignoras: quippe qui vincere credidit, victus est.

sit unusquisque virum qui contra se veniebat: fugeruntque Syri, et persecutus est eos IsraëL. Fugit quoque Benadad rex Syriæ in equo cum equitibus suis.†† 21 Nec non egressus rex IsraëL percussit equos et currus, et percussit Syriam plaga magna. 22 Accedens autem propheta ad regem IsraëL, dixit ei: Vade, et confortare, et scito, et vide quid facias: sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te. 23 Servi vero regis Syriæ dixerunt ei: Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos: sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, et obtinebimus eos. 24 Tu ergo verbum hoc fac: amove reges singulos ab exercitu tuo, et pone principes pro eis: 25 et instaure numerum militum qui ceciderunt de tuis, et equos secundum equos pristinos, et currus secundum currus quos ante habuisti: et pugnabimus contra eos in campestribus, et videbis quod obtinebimus eos. Credidit consilio eorum, et fecit ita. 26 Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, et ascendit in Aphec ut pugnaret contra IsraëL. 27 Porro filii IsraëL recensiti sunt, et acceptis cibariis profecti ex adverso, castraque metati sunt contra eos, quasi duo parvi greges caprarum: Syri autem repleverunt terram. 28 (Et accedens unus vir Dei, dixit ad regem IsraëL: Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium est Dominus, et non est Deus vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, et scietis quia ego sum Dominus.) 29 Dirigebantque septem diebus ex adverso hi atque illi acies, septima autem die commissum est bellum: percusseruntque filii IsraëL de Syris centum millia peditum in die una. 30 Fugerunt autem qui remanserant in Aphec, in civitatem: et cecidit murus super viginti septem millia hominum qui remanserant. Porro Benadad fugiens ingressus est civitatem, in cubiculum quod erat intra cubiculum. 31 Dixeruntque ei servi sui: Ecce, audivimus quod reges domus IsraëL clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, et funiculos in capitibus nostris, et egrediamur ad regem IsraëL: forsitan salvabit animas nostras. 32 Accinxerunt saccis lumbos suos, et posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad regem IsraëL, et dixerunt ei: Servus tuus Benadad dicit: Vivat, oro te, anima mea. Et ille ait: Si adhuc vivit, frater meus est. 33 Quod acceperunt viri pro omine: et festinantes rapuerunt verbum ex ore ejus, atque dixerunt: Frater tuus Benadad. Et dixit eis: Ite, et adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Benadad, et levavit eum in currum suum. 34 Qui dixit ei: Civitates quas tulit pater meus a patre tuo, reddam: et plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, et ego fœderatus recedam a te. Pepigit ergo fœdus, et dimisit eum. 35 Tunc vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere. 36 Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me, et percutiet te leo. Cumque paululum recessisset

††20.20 *Fugit quoque.* RAB. Id est, diabolus princeps iniquorum, quorum oculi sublimes sunt. Syria enim sublimis in equo suæ superbiam confidens cum equitibus scilicet omnibus superbis, quia ipse est caput super omnes filios superbiam, ab exercitu Christi superatus in fugam vertitur, et rex Israel percutit equos et currus, etc., quia rex regum nequitas spirituales obruit humani generis delendo peccata. ID. Diabolus licet a sanctis sæpius vincatur, tamen iterum instaurat prælium contra eos, et dum uno modo vincitur, alio statim vincere conatur ID. Maligni spiritus si in spiritualibus vincuntur, in corporalibus bellum parant, satagentes ut animas de supernis ad ima præcipitent, quo facilius vincant. Si viderint cœlestia desiderare, terrena ad amandum ingerunt. Si prosperitate concessa Deo gratiam agentur, student ut per adversa frangantur. Sed sicut Syri, ita dæmones ubi se superare confidebant, ibi superati sunt.

ab eo, invenit eum leo, atque percussit. ³⁷ Sed alterum inveniens virum, dixit ad eum: Percute me. Qui percussit eum, et vulneravit. ³⁸ Abiit ergo propheta, et occurrit regi in via, et mutavit aspersione pulveris os et oculos suos. ^{¶¶} ³⁹ Cumque rex transisset, clamavit ad regem, et ait: Servus tuus egressus est ad præliandum cominus: cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, et ait: Custodi virum istum: qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appendes. ^{§§} ⁴⁰ Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, subito non comparuit. Et ait rex Israël ad eum: Hoc est iudicium tuum, quod ipse decrevistis. ⁴¹ At ille statim abstersit pulverem de facie sua, et cognovit eum rex Israël, quod esset de prophetis. ⁴² Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo ejus. ⁴³ Reversus est igitur rex Israël in domum suam, audire contemnens, et furibundus venit in Samariam.*

21 Post verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Jezrahelitæ, quæ erat in Jezrahel, juxta palatium Achab regis Samariæ. [†] ² Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, et prope domum meam: daboque tibi pro ea vineam meliorem, aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. ³ Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. ⁴ Venit ergo Achab in domum suam indignans, et frendens super verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth Jezrahelites, dicens: Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. Et projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, et non comedit panem. ⁵ Ingressa est autem ad eum Jezabel uxor sua, dixitque ei: Quid est hoc, unde anima tua contristata est? et quare non comedis panem? ⁶ Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Jezrahelitæ, et dixi ei: Da mihi vineam tuam, accepta pecunia: aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi vineam meam. ⁷ Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus: Grandis auctoritatis es, et bene regis regnum Israël. Surge, et comede panem, et æquo animo esto: ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelitæ. ⁸ Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, et signavit eas annulo ejus, et misit ad majores natu, et optimates, qui erant in civitate ejus, et habitabant cum Naboth. ⁹ Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate jejunium, et sedere facite Naboth inter primos populi: ¹⁰ et submittite duos viros filios Belial contra eum, et falsum testimonium dicant: Benedixit Deum et regem: et educite eum, et lapidate, sicque moriatur. ¹¹ Fecerunt ergo cives ejus majores natu et optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Jezabel, et sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos: ¹² prædicaverunt jejunium, et sedere fecerunt Naboth inter primos populi.

^{¶¶}20.38 **Abiit ergo.** Michæas parabola usus est propter sermones quos regi erat dicturus, ut ostenderet hoc ad illum magis quam ad se pertinere.

^{§§}20.39 **Erit anima.** Providendum est servis Dei, ne secundum exemplum Achab perniciose securitate sibi blandiantur, quandiu hostis vivit, ne dum se quasi victores arbitrentur per fraudem diaboli pacem promittentis citius, elidantur: quia sicut tunc propheta regi pro inconsiderata pietate pronuntiavit affore ultionem, ita nunc propheticus sermo pronuntiat, si paciscamur cum diabolo, æternam nobis per hoc imminere pœnam.

*20.43 **Et furibundus.** Iratus Achab prophetam clausum servari jussit, et confusus verbis Michææ domum remeavit.

[†]21.1 **Post verba,** etc. RAB. **Naboth.** Interpretatur conspicuus, etc., usque ad sed per vana desideria defluebat.

¹³ Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum: at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum et regem: quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt. ¹⁴ Miseruntque ad Jezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth, et mortuus est. ¹⁵ Factum est autem, cum audisset Jezabel lapidatum Naboth et mortuum, locuta est ad Achab: Surge, et posside vineam Naboth Jezrahelitæ, qui noluit tibi acquiescere, et dare eam accepta pecunia: non enim vivit Naboth, sed mortuus est. ¹⁶ Quod cum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, et descendebat in vineam Naboth Jezrahelitæ, ut possideret eam. ¹⁷ Factum est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: ¹⁸ Surge, et descende in occursum Achab regis Israël, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam. ¹⁹ Et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, insuper et possedisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. ²⁰ Et ait Achab ad Eliam: Num invenisti me inimicum tibi? Qui dixit: Inveni, eo quod venundatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini. ²¹ Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua, et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum et ultimum in Israël. ²² Et dabo domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabat, et sicut domum Baasa filii Ahia: quia egisti ut me ad iracundiam provocares, et peccare fecisti Israël. ²³ Sed et de Jezabel locutus est Dominus, dicens: Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel. ²⁴ Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli. ²⁵ Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est ut faceret malum in conspectu Domini: concitavit enim eum Jezabel uxor sua, ²⁶ et abominabilis factus est, in tantum ut sequeretur idola quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus a facie filiorum Israël. ²⁷ Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. ²⁸ Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: ²⁹ Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus.

22 Transierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam et Israël. ² In anno autem tertio, descendit Josaphat rex Juda ad regem Israël. ³ (Dixitque rex Israël ad servos suos: Ignoratis quod nostra sit Ramoth Galaad, et negligimus tollere eam de manu regis Syriæ?) ⁴ Et ait ad Josaphat: Veniesne mecum ad præliandum in Ramoth Galaad? ⁵ Dixitque Josaphat ad regem Israël: Sicut ego sum, ita et tu: populus meus et populus tuus unum sunt: et equites mei, equites tui. Dixitque Josaphat ad regem Israël: Quære, oro te, hodie sermonem Domini. ⁶ Congregavit ergo rex Israël prophetas, quadringentos circiter viros, et ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt: Ascende, et dabit eam Dominus in manu regis. ⁷ Dixit autem Josaphat: Non est hic propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum? ⁸ Et ait rex Israël ad Josaphat: Remansit vir unus per quem possumus interrogare Dominum: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum: Michæas filius Jemla. Cui Josaphat ait: Ne loquaris ita, rex. ⁹ Vocavit ergo rex Israël eunuchum quemdam, et dixit ei: Festina adducere Michæam filium Jemla. ¹⁰ Rex autem Israël, et Josaphat rex Juda, sedebant unusquisque in solio suo, vestiti cultu regio, in area juxta ostium portæ Samariæ: et universi prophetæ

prophetabant in conspectu eorum. ¹¹ Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, et ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam. ¹² Omnesque prophetæ similiter prophetabant, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, et vade prospere, et tradet Dominus in manus regis. ¹³ Nuntius vero qui ierat ut vocaret Michæam, locutus est ad eum, dicens: Ecce sermones prophetarum ore uno regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum, et loquere bona. ¹⁴ Cui Michæas ait: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. ¹⁵ Venit itaque ad regem, et ait illi rex: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare? Cui ille respondit: Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis. ¹⁶ Dixit autem rex ad eum: Iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi nisi quod verum est, in nomine Domini. ¹⁷ Et ille ait: Vidi cunctum Israël dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem. Et ait Dominus: Non habent isti dominum: revertatur unusquisque in domum suam in pace.[‡] ¹⁸ (Dixit ergo rex Israël ad Josaphat: Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?) ¹⁹ Ille vero addens, ait: Propterea audi sermonem Domini: vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris et a sinistris:[¶] ²⁰ et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Israël, ut ascendat, et cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba hujusmodi, et alius aliter. ²¹ Egressus est autem spiritus, et stetit coram Domino, et ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? ²² Et ille ait: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, et prævalebis: egredere, et fac ita. ²³ Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, et Dominus locutus est contra te malum. ²⁴ Accessit autem Sedecias filius Chanaana, et percussit Michæam in maxillam, et dixit: Mene ergo dimisit spiritus Domini, et locutus est tibi? ²⁵ Et ait Michæas: Visurus es in die illa quando ingredieris cubiculum intra cubiculum ut abscondaris. ²⁶ Et ait rex Israël: Tollite Michæam, et maneat apud Amon principem civitatis, et apud Joas filium Amelech, ²⁷ et dicite eis: Hæc dicit rex: Mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis, et aqua angustiae, donec revertar in pace. ²⁸ Dixitque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus in me Dominus. Et ait: Audite, populi omnes. ²⁹ Ascendit itaque rex Israël, et Josaphat rex Juda, in Ramoth Galaad. ³⁰ Dixit itaque rex Israël ad Josaphat: Sume arma, et ingredere prælium, et induere vestibus tuis. Porro rex Israël mutavit habitum suum, et ingres-

[‡]22.17 **Vidi universum Israël dispersum**, etc. Per hæc autem ostendit, quod illius pravitas causa sit stragis. Nam si bonum ac pium habuisset pastorem, vi superasset hostes. Deinde ostendit etiam modum assequendæ salutis. Si Dominus est, inquit eis, in Deum, revertatur unusquisque ad locum suum in pace. Si Deo creditis, et vultis ex eo scire quid agendum, dimittite exercitum.

[¶]22.19 **Vidi Dominum**, etc. RAB. Solium Domini angelicæ potestates, quarum mentibus Deus præsidens inferius cuncta disponit. Exercitus cæli ministrantium angelorum multitudo: dextera pars angelorum electa, sinistra pars reproba. Neque enim dextera concluditur Deus, neque sinistra: qui ita est intra omnia, ut sit et extra. Sed quomodo mali de exercitu cæli? Quia quamvis ab æthereo cælo pulsus, adhuc tamen in æreo demorantur cælo; unde Paulus: **Contra spiritualia nequitiae in cælestibus** Ephes. 6.. Omnis exercitus assistit Deo, quia et voluntas electorum spirituum divinæ deseruit potestati, et reproborum sensus suæ serviens malitiæ, iudicio Omnipotentis obtemperat.

sus est bellum. ³¹ Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra minorem et majorem quempiam, nisi contra regem Israël solum. ³² Cum ergo vidissent principes curruum Josaphat, suspicati sunt quod ipse esset rex Israël, et impetu facto pugnabant contra eum: et exclamavit Josaphat. ³³ Intellexeruntque principes curruum quod non esset rex Israël, et cessaverunt ab eo. ³⁴ Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, et casu percussit regem Israël inter pulmonem et stomachum. At ille dixit aurigæ suo: Verte manum tuam, et ejice me de exercitu, quia graviter vulneratus sum. ³⁵ Commissum est ergo prælium in die illa, et rex Israël stabat in curru suo contra Syros, et mortuus est vespere: fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus, ³⁶ et præco insonuit in universo exercitu antequam sol occumberet, dicens: Unusquisque revertatur in civitatem, et in terram suam. ³⁷ Mortuus est autem rex, et perlatus est in Samariam: sepelieruntque regem in Samaria, ³⁸ et laverunt currum ejus in piscina Samariæ: et linxerunt canes sanguinem ejus, et habenas laverunt, juxta verbum Domini quod locutus fuerat. ³⁹ Reliqua autem sermonum Achab, et universa quæ fecit, et domus eburnea quam ædificavit, cunctarumque urbium quas exstruxit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israël? ⁴⁰ Dormivit ergo Achab cum patribus suis, et regnavit Ochozias filius ejus pro eo. ⁴¹ Josaphat vero filius Asa regnare cœperat super Judam anno quarto Achab regis Israël. ⁴² Triginta quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et viginti quinque annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Azuba filia Salai. ⁴³ Et ambulavit in omni via Asa patris sui, et non declinavit ex ea: fecitque quod rectum erat in conspectu Domini. ⁴⁴ Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis. ⁴⁵ Pacemque habuit Josaphat cum rege Israël. ⁴⁶ Reliqua autem verborum Josaphat, et opera ejus quæ gessit, et prælia, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Juda? ⁴⁷ Sed et reliquias effeminatorum qui remanserant in diebus Asa patris ejus, abstulit de terra. ⁴⁸ Nec erat tunc rex constitutus in Edom. ⁴⁹ Rex vero Josaphat fecerat classes in mari, quæ navigarent in Ophir propter aurum: et ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asiongaber. ⁵⁰ Tunc ait Ochozias filius Achab ad Josaphat: Vadant servi mei cum servis tuis in navibus. Et noluit Josaphat. ⁵¹ Dormivitque Josaphat cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David patris sui: regnavitque Joram filius ejus pro eo. ⁵² Ochozias autem filius Achab regnare cœperat super Israël in Samaria, anno septimodecimo Josaphat regis Juda: regnavitque super Israël duobus annis. ⁵³ Et fecit malum in conspectu Domini, et ambulavit in via patris sui et matris suæ, et in via Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israël. ⁵⁴ Servivit quoque Baal, et adoravit eum, et irritavit Dominum Deum Israël, juxta omnia quæ fecerat pater ejus.

INCIPIT LIBER MALACHIM ID EST REGUM QUARTUS

1 Prævaricatus est autem Moab in Israël, postquam mortuus est Achab. ² Ceciditque Ochozias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, et ægrotavit: misitque nuntios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac.[§] ³ Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, et ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, et dices ad eos: Numquid non est Deus in Israël, ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? ⁴ Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Et abiit Elias. ⁵ Reversique sunt nuntii ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quare reversi estis? ⁶ At illi responderunt ei: Vir occurrit nobis, et dixit ad nos: Ite, et revertimini ad regem qui misit vos, et dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid quia non erat Deus in Israël, mittis ut consulatur Beelzebub deus Accaron? idcirco de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. ⁷ Qui dixit eis: Cujus figuræ et habitus est vir ille, qui occurrit vobis, et locutus est verba hæc? ⁸ At illi dixerunt: Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est. ⁹ Misitque ad eum quinquagenarium principem, et quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum: sedentique in vertice montis, ait: Homo Dei, rex præcepit ut descendas.^{**} ¹⁰ Respondensque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cælo, et devoravit eum, et quinquaginta qui erant cum eo. ¹¹ Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, et quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Festina, descende. ¹² Respondens Elias, ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cælo, et devoravit illum, et quinquaginta ejus. ¹³ Iterum misit principem quinquagenarium tertium, et quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum venisset, curvavit genua contra Eliam, et precatus est eum, et ait: Homo Dei, noli despiciere animam meam, et animas servorum tuorum qui mecum sunt. ¹⁴ Ecce descendit ignis de cælo, et devoravit duos principes quinquagenarios primos, et quinquagenos qui cum eis erant: sed nunc obsecro ut miserearis animæ meæ. ¹⁵ Locutus est autem angelus Domini ad Eliam, dicens: Descende cum eo: ne

§1.2 RAB. *Ceciditque Ochozias*. Domus Ochoziæ est Synagoga, quæ legalibus præceptis quasi cancellis cœnaculi undique circumdata erat. Sed sicut Ochozias per cancellos quibus tueri debuit ruens, ægritudinem nimiam incurrit, ita et Judæus legis custodiam excedens, in languorem desperabilem peccatorum cecidit. Ubi quia Dei præsidium dereliquit, salutis remedium non invenit. Confugit enim sicut rex impius ad falsos deos, et ideo prophético ore corripitur, et de ejus morte vicina prædicitur. Ochozias Judæorum maxime principes significat, qui vitiis dediti veritatem persequuntur; unde: *Miserunt principes et Pharisæi ministros, ut apprehenderent Jesum*, etc. Joan. 7..

**1.9 *Misitque ad eum quinquagenarium principem, et quinquaginta viros*. RAB. Quinquagenarius, confessio pœnitentiæ est, qua declaratur remissio peccatorum. Judæi ergo nolentes Christum Deum esse, nec principem pœnitentiæ, dicunt ei: Quinquaginta annos nondum habes et Abraham vidisti? et in futuro igni incenduntur. Tertius quinquagenarius, quia conversus ad fidem Trinitatis, pœnitentiæ sacramentum cognovit, indulgentiam meruit.

timeas. Surrexit igitur, et descendit cum eo ad regem, ¹⁶ et locutus est ei: Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israël a quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. ¹⁷ Mortuus est ergo juxta sermonem Domini quem locutus est Elias, et regnavit Joram frater ejus pro eo, anno secundo Joram filii Josaphat regis Judæ: non enim habebat filium. ¹⁸ Reliqua autem verborum Ochoziæ quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israël?

2 Factum est autem cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum, ibant Elias et Eliseus de Galgalis. ² Dixitque Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel. Cui ait Eliseus: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque descendissent Bethel, ^{††} ³ egressi sunt filii prophetarum qui erant in Bethel, ad Eliseum, et dixerunt ei: Numquid nosti quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? Qui respondit: Et ego novi: silete. ⁴ Dixit autem Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me in Jericho. Et ille ait: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque venissent Jericho, ⁵ accesserunt filii prophetarum qui erant in Jericho, ad Eliseum, et dixerunt ei: Numquid nosti quia Dominus hodie tollet dominum tuum a te? Et ait: Ego novi: silete. ⁶ Dixit autem ei Elias: Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem. Qui ait: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter, ⁷ et quinquaginta viri de filiis prophetarum secuti sunt eos, qui et steterunt e contra, longe: illi autem ambo stabant super Jordanem. ⁸ Tulitque Elias pallium suum, et involvit illud, et percussit aquas: quæ divisæ sunt in utramque partem, et transierunt ambo per siccum. ⁹ Cumque transissent, Elias dixit ad Eliseum: Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Eliseus: Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus. ^{‡‡} ¹⁰ Qui respondit: Rem difficilem postulasti: attamen si videris me quando tollar a te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit. ^{¶¶} ¹¹ Cumque pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque: et ascendit Elias per turbinem in cælum. ¹² Eliseus autem videbat, et clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israël, et auriga ejus. Et non vidit eum amplius: apprehenditque vestimenta sua, et scidit illa in duas partes. ¹³ Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reversusque stetit super ripam

^{††}2.2 **Factum est.** RAB. in lib. Reg., t. 3. Turbo, id est validissimus ventus, etc., usque ad Assumptus est Dominus per coitum nec generans, nec generatus.

^{‡‡}2.9 **Fiat in.** Elias spiritu prophetali et operatione miraculorum excellenter pollebat, geminam ergo gratiam quam Elisæus in magistro vigere cognoscebat, sibi tribui rogavit. Unde patet quod non esse discipulus super magistrum postulavit. RAB. Fiducia petendi accepta a Domino Ecclesia postulat spiritum Christi, et quia remissione peccatorum indiget qua non eguit Christus, et munere virtutum quas ex plenitudine sua per Spiritum sanctum tribuit Christus, **qui ascendens in, altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus** Ephes. 4., illis videlicet qui spem suam in illo ponunt. Hinc est quod ait:

^{¶¶}2.10 **Si videris.** Id est si oculos fidei aperueris, et cum passione et resurrectione etiam ascensionem meam fideliter credideris, petitionis tuæ effectum consequeris.

Jordanis,^{§§ 14} et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, et non sunt divisæ: et dixit: Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussitque aquas, et divisæ sunt huc atque illuc, et transiit Eliseus.¹⁵ Videntes autem filii prophetarum qui erant in Jericho e contra, dixerunt: Requievit spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram,¹⁶ dixeruntque illi: Ecce cum servis tuis sunt quinquaginta viri fortes qui possunt ire, et quærere dominum tuum, ne forte tulerit eum spiritus Domini, et projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium. Qui ait: Nolite mittere.¹⁷ Coëgeruntque eum donec acquiesceret, et diceret: Mittite. Et miserunt quinquaginta viros: qui cum quæsissent tribus diebus, non invenerunt.*
¹⁸ Et reversi sunt ad eum: ad ille habitabat in Jericho, et dixit eis: Numquid non dixi vobis: Nolite mittere?¹⁹ Dixerunt quoque viri civitatis ad Eliseum: Ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut tu ipse, domine, perspicis: sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis.²⁰ At ille ait: Afferte mihi vas novum, et mittite in illud sal. Quod cum attulissent,²¹ egressus ad fontem aquarum misit in illum sal, et ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, et non erit ultra in eis mors, neque sterilitas.²² Sanatæ sunt ergo aquæ usque in diem hanc, juxta verbum Elisei quod locutus est.²³ Ascendit autem inde in Bethel: cumque ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, et illudebant ei, dicentes: Ascende calve, ascende calve.[†]²⁴ Qui cum respexisset, vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.²⁵ Abiit autem inde in montem Carmeli, et inde reversus est in Samariam.

3 Joram vero filius Achab regnavit super Israël in Samaria anno decimo octavo Josaphat regis Judæ: regnavitque duodecim annis.[‡]² Et fecit malum coram Domino, sed non sicut pater suus et mater: tulit enim statuas Baal quas fecerat pater ejus.³ Verumtamen in peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israël, adhæsit, nec recessit ab eis.⁴ Porro Mesa rex Moab nutriebat pecora multa, et solvebat regi Israël centum millia agnorum, et centum millia arietum cum velleribus suis.

§§2.13 **Pallium.** RAB. Incarnatio est per quam Lethi fluvium dirupit nobisque transitum ad vitam præparavit, hoc Elisæus post transitum Eliæ retinuit, quia fidem incarnationis Ecclesia post ascensionem Christi reservavit, per quam præsentis vitæ fluctus transire satagit; sed sicut Elisæus non nisi invocato nomine Eliæ aquas divisit, ita Ecclesia nisi per invocationem nominis Christi virtutes ullas facere non potest. Deus est enim qui operatur in nobis et velle et perficere.

*2.17 **Mittite.** ISID. Sal, id est, sapientia in vase fictili, id est, corpore humano posita aquas sanat, id est, populos dulcedine dilectionis et bonorum operum per Christi incarnationem fecundat.

†2.23 **Ascendit autem.** ISID. Elisæus salus Dei. Is est qui Salvator vocatur, qui illudunt Judæi, quia in Calvariæ loco ascensus erat in crucem; sed Christus postquam ascendit in cælos, sicut Elisæus ascendit in Bethel, id est in domum Dei quadragesimo secundo anno, immisit duos ursos de silvis gentium, Vespasianum scilicet et Titum, qui eos crudeli strage dejecerunt, ibique sanguis eorum effusus est ubi Dominum suspenderunt.

‡3.1 RAB. Tres reges contra Moab bellantes, rectores sunt fidelium, qui per Trinitatis fidem contra mundi principem et populum, id est philosophos, hæreticos, schismaticos atque omnes iniquos armis spiritualibus confligunt. Moab interpretatur de patre, illis convenit ad quos Dominus dixit: **Vos ex patre diabolo estis** Joan. 8.. Hi adversantur Ecclesiæ, minis, persecutionibus, et dolo: sed per Christum, qui caput est Christianorum, effugantur.

⁵Cumque mortuus fuisset Achab, prævaricatus est fœdus quod habebat cum rege Israël. ⁶Egressus est igitur rex Joram in die illa de Samaria, et recensuit univ-
sum Israël. ⁷Misitque ad Josaphat regem Juda, dicens: Rex Moab recessit a me:
veni mecum contra eum ad prælium. Qui respondit: Ascendam: qui meus est, tuus
est: populus meus, populus tuus, et equi mei, equi tui. ⁸Dixitque: Per quam viam
ascendemus? At ille respondit: Per desertum Idumææ. ⁹Perrexerunt igitur rex Is-
raël, et rex Juda, et rex Edom, et circuierunt per viam septem dierum, nec erat
aqua exercitui et jumentis quæ sequebantur eos. ¹⁰Dixitque rex Israël: Heu ! heu !
heu ! congregavit nos Dominus tres reges ut traderet in manus Moab. ¹¹Et ait Jos-
aphat: Estne hic propheta Domini, ut deprecemur Dominum per eum? Et respondit
unus de servis regis Israël: Est hic Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super
manus Eliæ. ¹²Et ait Josaphat: Est apud eum sermo Domini. Descenditque ad eum
rex Israël, et Josaphat rex Juda, et rex Edom. ¹³Dixit autem Eliseus ad regem Is-
raël: Quid mihi et tibi est? vade ad prophetas patris tui et matris tuæ. Et ait illi rex
Israël: Quare congregavit Dominus tres reges hos ut traderet eos in manus Moab?
¹⁴Dixitque ad eum Eliseus: Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod
si non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec
respexissem. ¹⁵Nunc autem adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta
est super eum manus Domini, et ait: ¹⁶Hæc dicit Dominus: Facite alveum torrentis
hujus fossas et fossas. ¹⁷Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque
pluviam: et alveus iste replebitur aquis, et bibetis vos, et familiæ vestræ, et ju-
menta vestra. ¹⁸Parumque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab
in manus vestras. ¹⁹Et percutietis omnem civitatem munitam, et omnem urbem
electam, et universum lignum fructiferum succiditis, cunctosque fontes aquarum
obturabitis, et omnem agrum egregium operietis lapidibus. ²⁰Factum est igitur
mane, quando sacrificium offerri solet, et ecce aquæ veniebant per viam Edom, et
repleta est terra aquis. ²¹Universi autem Moabitæ audientes quod ascendissent reges
ut pugnarent adversum eos, convocaverunt omnes qui accincti erant balteo desuper,

^{3.16} **Facite.** RAB. Propheta populo siti fatigato per miraculum consuluit, et prophetiæ dicta consilium præbent fidelibus, qualiter spiritali doctrina animum reficiant. ID. Fossam in alveo torrentis facit, qui profunda mysteria in Scripturis quærit. Quæ absque pluvia et vento aqua replentur; quia sæpe absque humano solatio sapientiam confert suis investigatoribus potentia divina. Unde Joannes dicit: **Non necesse habetis ut aliquis vos doceat, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus,** etc. I Joan. 2.. Unde: **Bibent homines et jumenta** Joan. 3., id est, doctrinam accipient, ingeniosi et simplices

^{3.18} **Parumque.** ID. Non enim sufficit servis Dei abdita mysteria scire: quin etiam debent ea aliis prædicare, et contradicentes redarguere, quibus promissa est certa de hoste victoria, ut præcutiant omnem civitatem.

^{3.19} **Civitatem.** RAB. Civitas, sæcularis est prudentia, in qua philosophi et hæretici confidunt, hæc per prædicatores subvertitur. **Lignum.** ID. Non quod facit fructum sed mortiferum quod secuturo examine succisum, pabulum fiet ignis æterni. Fontes aquarum obturantur, cum hæresiarchæ cum suis sequacibus per catholicos damnantur. Agri egregii lapidibus operiuntur, cum venustas locutionis hæreticæ et philosophicæ anathematis pondere obruitur. Remanent tantum muri fictiles, id est falsæ rationes, quæ a fundibulariis, id est sanctis prædicatoribus ad nihilum rediguntur. RAB. Ita philosophi verbum stultitiam existimantes, derident passionem Christi, et Ecclesiæ martyrium dementiam existimant.

et steterunt in terminis. ²²Primoque mane surgentes, et orto jam sole ex adverso aquarum, viderunt Moabitæ e contra aquas rubras quasi sanguinem, ²³dixeruntque: Sanguis gladii est: pugnaverunt reges contra se, et cæsi sunt mutuo: nunc perge ad prædam, Moab. ²⁴Perrexeruntque in castra Israël: porro consurgens Israël, percussit Moab: at illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant, et percusserunt Moab, ²⁵et civitates destruxerunt: et omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleverunt: et universos fontes aquarum obturaverunt: et omnia ligna fructifera succiderunt, ita ut muri tantum fictiles remanerent: et circumdata est civitas a fundibulariis, et magna ex parte percussa. ²⁶Quod cum vidisset rex Moab, prævaluisse scilicet hostes, tulit secum septingentos viros educens gladium, ut irrumperent ad regem Edom: et non potuerunt. ²⁷Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum: et facta est indignatio magna in Israël, statimque recesserunt ab eo, et reversi sunt in terram suam.

4 Mulier autem quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Eliseum, dicens: Servus tuus vir meus mortuus est, et tu nosti quia servus tuus fuit timens Dominum: et ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.††
²Cui dixit Eliseus: Quid vis ut faciam tibi? dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei quo ungar. ³Cui ait: Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, ⁴et ingredi, et claude ostium tuum cum intrinsecus fueris tu, et filii tui: et mitte inde in omnia vasa hæc, et cum plena fuerint, tolles. ⁵Ivit itaque mulier, et clausit ostium super se, et super filios suos: illi offerebant vasa, et illa infundebat. ⁶Cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo. Stetitque oleum. ⁷Venit autem illa, et indicavit homini Dei. Et ille: Vade, inquit, vende oleum, et redde creditori tuo: tu autem, et filii tui vivite de reliquo. ⁸Facta est autem quædam dies, et transibat Eliseus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum ut comederet panem: cumque frequenter inde transiret, divertebat ad eam ut comederet panem. ⁹Quæ dixit ad virum suum: Animadverto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. ¹⁰Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, et ponamus ei in eo lectulum, et mensam, et sellam, et candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. ¹¹Facta est ergo dies quædam, et veniens divertit in cœnaculum, et requievit ibi. ¹²Dixitque ad Giezi puerum suum: Voca Sunamitidem istam. Qui cum vocasset eam, et illa stetisset coram eo, ¹³dixit ad puerum suum: Loquere ad eam: Ecce, sedule in omnibus ministrasti nobis: quid vis ut faciam tibi? numquid habes negotium, et vis ut loquar regi, sive principi militiæ? Quæ respondit: In medio populi mei habito. ¹⁴Et ait: Quid ergo vult ut faciam ei? Dixitque Giezi: Ne quæras: filium enim non habet, et vir ejus senex est. ¹⁵Præcepit itaque ut vocaret eam: quæ cum vocata fuisset, et stetisset ante ostium, ¹⁶dixit ad eam: In tempore isto, et in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium. At illa respondit: Noli quæso, domine mi vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ. ¹⁷Et concepit mulier, et peperit filium in tempore, et in hora eadem, qua dixerat Eliseus. ¹⁸Crevit autem puer: et cum esset quædam dies, et egressus isset

††4.1 *Mulier*, etc. RAB. Sancta Ecclesia duorum populorum, id est Judaici et Gentilis est mater, etc., usque ad Nam Abraham et Sara tres viros suscepit et pavit.

ad patrem suum, ad messorum,^{‡‡} 19 ait patri suo: Caput meum doleo, caput meum doleo. At ille dixit puero: Tolle, et duc eum ad matrem suam. 20 Qui cum tulisset, et duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua usque ad meridiem, et mortuus est. 21 Ascendit autem, et collocavit eum super lectulum hominis Dei, et clausit ostium: et egressa, 22 vocavit virum suum, et ait: Mitte mecum, obsecro, unum de pueris, et asinam, ut excurram usque ad hominem Dei, et revertar. 23 Qui ait illi: Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt calendæ, neque sabbatum. Quæ respondit: Vadam. 24 Stravitque asinam, et præcepit puero: Mina, et propera: ne mihi moram facias in eundo: et hoc age quod præcipio tibi. 25 Perfecta est igitur, et venit ad virum Dei in montem Carmeli: cumque vidisset eam vir Dei e contra, ait ad Giezi puerum suum: Ecce Sunamitis illa. 26 Vade ergo in occursum ejus, et dic ei: Recte ne agitur circa te, et circa virum tuum, et circa filium tuum? Quæ respondit: Recte. 27 Cumque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes ejus: et accessit Giezi ut amoveret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi. 28 Quæ dixit illi: Numquid petivi filium a domino meo? numquid non dixi tibi: Ne illudas me? 29 Et ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos, et tolle baculum meum in manu tua, et vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi: et pones baculum meum super faciem pueri.^{¶¶} 30 Porro mater pueri ait: Vivit Dominus, et vivit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, et secutus est eam. 31 Giezi autem præcesserat ante eos, et posuerat baculum super faciem pueri, et non erat vox, neque sensus: reversusque est in occursum ejus, et nuntiavit ei, dicens: Non surrexit puer. 32 Ingressus est ergo Eliseus domum, et ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus: 33 ingressusque clausit ostium super se et super puerum, et oravit ad Dominum. 34 Et ascendit, et incubuit super puerum: posuitque os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus: et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri. 35 At ille reversus, deambulavit in domo, semel huc atque illuc: et ascendit, et incubuit super eum: et oscitavit puer septies, aperuitque oculos. 36 At ille vocavit Giezi, et dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum. 37 Venit illa, et corruit ad pedes ejus, et adoravit super terram: tulitque filium suum, et egressa est. 38 Et Eliseus reversus est in Galgala. Erat autem fames in terra, et filii prophetarum habitabant coram eo. Dixitque uni de pueris suis: Pone ollam grandem, et coque pulmentum filiis prophetarum.^{§§} 39 Et egressus est unus in agrum ut colligeret herbas agrestes: invenitque quasi vitem silvestrem, et collegit ex ea colocynthidas agri, et implevit pallium suum, et reversus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid

^{‡‡}4.18 *Crevit autem.* RAB. Sic populus Israëliticus postquam in Ægypto excrevit, et per Moysen in desertum eductus Domini vocem audierat, quando lumine sententiæ debuit illustrari, mox animo ad idololatriam recurrens mortuus est.

^{¶¶}4.29 *Et ille.* ID. Dum Dominus, etc., usque ad per amoris spiritum puer ad vitam rediit.

^{§§}4.38 *Filii prophetarum.* Id est prædicatorum qui ambulant in lege Domini, et scrutantur testimonia ejus, in præsentia Salvatoris semper vivunt.

esset.* ⁴⁰ Infuderunt ergo sociis ut comederent: cumque gustassent de coctione, clamaverunt, dicentes: Mors in olla, vir Dei. Et non potuerunt comedere. ⁴¹ At ille: Afferte, inquit, farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, et ait: Infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla. ⁴² Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, et frumentum novum in pera sua. At ille dixit: Da populo, ut comedat.† ⁴³ Responditque ei minister ejus: Quantum est hoc, ut apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, ut comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, et supererit. ⁴⁴ Posuit itaque coram eis: qui comederunt, et superfuit juxta verbum Domini.

5 Naaman princeps militiæ regis Syriæ erat vir magnus apud dominum suum, et honoratus: per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ: erat autem vir fortis et dives, sed leprosus.‡ ² Porro de Syria egressi fuerant latrunculi, et captivam duxerant de terra Israël puellam parvulam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman:¶ ³ quæ ait ad dominam suam: Utinam fuisset dominus meus ad prophetam qui est in Samaria, profecto curasset eum a lepra quam habet. ⁴ Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum, et nuntiavit ei, dicens: Sic et sic locuta est puella de terra Israël. ⁵ Dixitque ei rex Syriæ: Vade, et mittam litteras ad regem Israël. Qui cum profectus esset, et tulisset secum decem talenta argenti, et sex millia aureos, et decem mutatoria vestimentorum, ⁶ detulit litteras ad regem Israël in hæc verba: Cum acceperis epistolam hanc, scito quod miserim ad te Naaman servum meum, ut cures eum a lepra sua. ⁷ Cumque legisset rex Israël litteras, scidit vestimenta sua, et ait: Numquid deus ego sum, ut occidere possim et vivificare, quia iste misit ad me ut cures hominem a lepra sua? animadvertite, et videte quod occasiones quærat adversum me. ⁸ Quod

*4.39 *Concidit*. RAB. Qui litteræ legis intentus vel philosophiæ studiosus amaritudinem de lege vel mortiferum de philosophis sumens intermiscet veritati evangelicæ, et in olla cordis coquens tale pulmentum, hoc est documentum præparat auditoribus suis. Dicit enim Apostolus: *Littera occidit, spiritus autem vivificat* II Cor. 3.. Et: *Prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus, vita* Rom. 8.. Hoc sentientes fideles, mortem in olla clamant; sed farina in olla mittitur, cum scientia spiritualis in tale condimentum intromittitur, ut exclusa amaritudine, pastus fiat salubris.

†4.42 *Vir autem*. RAB. Vir cœtus est patrum: qui de Baalalisa est, quia ternarium in confessione Trinitatis servat. Baalalisa enim tertium habens interpretatur. Hic vir viro Dei panes primitiarum offert; cum Redemptori gratia ejus inspiratus offert libros de origine creaturarum compositos. Offert frumentum novum in pera; cum novum testamentum in Evangelii et apostolorum scriptis profert. Jubet Elisæus noster ministris, id est prædicatoribus ut hæc fidelibus dispensent, et de thesauro suo, proferant nova et vetera, quod mysterium in Evangelio legimus in fractione quinque et septem panum, ubi satiatis turbis collegerunt duodecim cophinos, sive septem sportas fragmentorum, quia nullus sacramenta Scripturæ per omnia capit, quando sibi satiatio supererit juxta verbum Domini.

‡5.1 *Naaman*, etc. RAB. Gentiles significat virtute bellorum principatum gerentes, ac rerum decore fruentes. Unde Naaman decus sive commotio eorum interpretatur: vir fortis et dives, sed leprosus; quia quamvis per potentiam regni ac rerum abundantiam dominari videretur: tamen per errorem idololatriæ lepra fœdus apparuit.

¶5.2 *Porro de Syria*. ID. Latrunculi de Syria, etc., usque ad sicut in Evangelio princeps sacerdotum fecit. ID. Et Dominus *quos præscivit, hos et vocavit*, etc. Veniens gentilis populus ad domum Elisæi, etc., usque ad quia baptizatos oportet Dominici corporis participatione confirmari.

cum audisset Eliseus vir Dei, scidisse videlicet regem Israëel vestimenta sua, misit ad eum, dicens: Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, et sciat esse prophetam in Israëel. ⁹ Venit ergo Naaman cum equis et curribus, et stetit ad ostium domus Elisei: ¹⁰ misitque ad eum Eliseus nuntium, dicens: Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. ¹¹ Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini Dei sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me. ¹² Numquid non meliores sunt Abana et Pharphar fluvii Damasci, omnibus aquis Israëel, ut laver in eis, et munder? Cum ergo vertisset se, et abiret indignans, ¹³ accesserunt ad eum servi sui, et locuti sunt ei: Pater, etsi rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Lavare, et mundaberis? ¹⁴ Descendit, et lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei: et restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli, et mundatus est. ¹⁵ Reversusque ad virum Dei cum universo comitatu suo, venit, et stetit coram eo, et ait: Vere scio quod non sit alius deus in universa terra, nisi tantum in Israëel. Obsecro itaque ut accipias benedictionem a servo tuo. ¹⁶ At ille respondit: Vivit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquievit. ¹⁷ Dixitque Naaman: Ut vis: sed, obsecro, concede mihi servo tuo ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino. ¹⁸ Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon ut adoret: et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. ¹⁹ Qui dixit ei: Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo terræ tempore. ²⁰ Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit dominus meus Naaman Syro isti, ut non acciperet ab eo quæ attulit: vivit Dominus, quia curram post eum, et accipiam ab eo aliquid. ²¹ Et secutus est Giezi post tergum Naaman: quem cum vidisset ille currentem ad se, desiliit de curru in occursum ejus, et ait: Rectene sunt omnia? ²² Et ille ait: Recte. Dominus meus misit me ad te dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filiis prophetarum: da eis talentum argenti, et vestes mutatorias duplices. ²³ Dixitque Naaman: Melius est ut accipias duo talenta. Et coëgit eum, ligavitque duo talenta argenti in duobus saccis, et duplicia vestimenta, et imposuit duobus pueris suis, qui et portaverunt coram eo. ²⁴ Cumque venisset jam vesperi, tulit de manu eorum, et reposuit in domo, dimisitque viros, et abierunt. ²⁵ Ipse autem ingressus, stetit coram domino suo. Et dixit Eliseus: Unde venis, Giezi? Qui respondit: Non ivit servus tuus quoquam. ²⁶ At ille ait: Nonne cor meum in præsentem erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes ut emas oliveta, et vineas, et oves, et boves, et servos, et ancillas. ²⁷ Sed et lepra Naaman adhærebit tibi, et semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.

6 Dixerunt autem filii prophetarum ad Eliseum: Ecce locus in quo habitamus coram te, angustus est nobis. ² Eamus usque ad Jordanem, et tollant singuli de silva materias singulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit:

§5.17 *Tollam onus.* ID. Partem sanctæ terræ secum tulit Naaman ut poneret in templo idolorum, et super eam consistens, Dominum cujus erat terra, adoraret, ne offenderet Dominum suum si pariter non adoraret.

**5.20 *Giezi.* ID. Præruptum, etc., usque ad hic est canis reversus ad vomitum.

Ite. ³Et ait unus ex illis: Veni ergo et tu cum servis tuis. Respondit: Ego veniam. ⁴Et abiit cum eis. Cumque venissent ad Jordanem, cædebant ligna. ⁵Accidit autem ut cum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam: exclamavitque ille, et ait: Heu ! heu ! heu ! domine mi: et hoc ipsum mutuo acceperam.†† ⁶Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergo lignum, et misit illuc: natavitque ferrum, ⁷et ait: Tolle. Qui extendit manum, et tulit illud. ⁸Rex autem Syriæ pugnabat contra Israël, consiliumque iniit cum servis suis, dicens: In loco illo et illo ponamus insidias. ⁹Misit itaque vir Dei ad regem Israël, dicens: Cave ne transeas in locum illum: quia ibi Syri in insidiis sunt. ¹⁰Misit itaque rex Israël ad locum quem dixerat ei vir Dei, et præoccupavit eum, et observavit se ibi non semel neque bis. ¹¹Conturbatumque est cor regis Syriæ pro hac re: et convocatis servis suis, ait: Quare non indicatis mihi quis proditor mei sit apud regem Israël? ¹²Dixitque unus servorum ejus: Nequaquam, domine mi rex, sed Eliseus propheta qui est in Israël, indicat regi Israël omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo. ¹³Dixitque eis: Ite, et videte ubi sit, ut mittam, et capiam eum. Annuntiaveruntque ei, dicentes: Ecce in Dothan. ¹⁴Misit ergo illuc equos et currus, et robur exercitus: qui cum venissent nocte, circumdederunt civitatem.‡‡ ¹⁵Consurgens autem diluculo minister viri Dei, egressus vidit exercitum in circuitu civitatis, et equos et currus: nuntiavitque ei, dicens: Heu ! heu ! heu ! domine mi: quid faciemus?¶¶ ¹⁶At ille respondit: Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. §§ ¹⁷Cumque oras-

††6.5 **Accidit autem.** RAB. Cum impios Judæos, per corpus operata præsentia Christi, tanquam infructuosas arbores cæderet; unde: **Ecce securis ad radicem arboris posita est.** Ab eis interveniente passione corpus ipsum deservit: profunda descendit, quod in sepultura depositum tanquam ad manubrium spiritu redeunte resurrexit. ID. Curandum valde est, ne intellectus otio torpeat, ne in exercitatione operis vitio elationis evanescat. GREG. Ferrum in manubrio, intellectus est in corde: hoc ligna cæduntur, cum prave agentes increpantur. Quod dum fluxe agitur, dum lapsus vanæ gloriæ non vitatur; ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere, intelligentia fatuatur, quæ ad hoc datur, ut dantis ante oculos ex bona actione restituatur, unde sequitur: **Hoc ipsum.** Electi vero si quando offendunt, ad cor velociter redeunt, et culpam lacrymis insequuntur, unde: **Heu, heu,** etc. Qui flentes caute inspiciunt, non solum quæ mala commiserunt, sed etiam quæ ex accepto munere reddere bona debuerunt, et hoc est: **Heu, heu, heu, et hoc mutuo acceperam;** ac si dicat: Illud per dissolutionem negligentia perdidit, quod ut per bona opera redderem, ex gratia Redemptoris accepi: sed nunquam Deus mentem deserit, quæ in peccatis se veraciter agnoscit. Unde Elisæus lignum deorsum misit, et ferrum in superficie attulit, quia Redemptor cor peccatoris humiliat, et eam quam amiserat intelligentiam reformat. Unde in alia translatione dicitur: **Quod confregit lignum et jactavit, et sic ferrum sustulit.** Lignum frangere est cor ab elatione contere, ad ima jactare, cogitatione propria infirmitatis humiliare. Illico ferrum rediit, quia ad usum exercitationis pristina intelligentia recurrit.

‡‡6.14 **Qui cum venissent.** ID. Qui in nequitia armis confidens, Christi famulis insidias præparat, nocte perfidia excæcatus, bellum contra Ecclesiam gerit.

¶¶6.15 **Heu, heu,** etc. GREG. Hic notat illos qui pusillanimitate cordis, pœnas verentur corporales.

§§6.16 **Nolite timere.** Nolite timere eos qui occidunt corpus, et post non habent quid faciant vobis. **Plures.** ID. Possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum. **Domine, aperi.** ID. Valde necesse est ut Elisæus noster aperiat oculos cordis ad considerandum, quia omnes qui confidunt in illum non confundentur.

set Eliseus, ait: Domine, aperi oculos hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, et vidit: et ecce mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisei. ¹⁸ Hostes vero descenderunt ad eum: porro Eliseus oravit ad Dominum, dicens: Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus ne viderent, juxta verbum Elisei. * ¹⁹ Dixit autem ad eos Eliseus: Non est hæc via, neque ista est civitas: sequimini me, et ostendam vobis virum quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam: ²⁰ cumque ingressi fuissent in Samariam, dixit Eliseus: Domine, aperi oculos istorum, ut videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, et viderunt se esse in medio Samariæ. ²¹ Dixitque rex Israël ad Eliseum, cum vidisset eos: Numquid percutionem eos, pater mi? ²² At ille ait: Non percutes: neque enim cepisti eos gladio et arcu tuo, ut percutas: sed pone panem et aquam coram eis, ut comedant et bibant, et vadant ad dominum suum. ²³ Appositaque est eis ciborum magna præparatio, et comederunt et biberunt, et dimisit eos, abieruntque ad dominum suum, et ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israël. ²⁴ Factum est autem post hæc, congregavit Benadad rex Syriæ universum exercitum suum, et ascendit, et obsidebat Samariam. † ²⁵ Factaque est fames magna in Samaria: et tamdiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoreis columbarum quinque argenteis. ‡ ²⁶ Cumque rex Israël transiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum, dicens: Salva me, domine mi rex. ²⁷ Qui ait: Non te salvat Dominus: unde te possum salvare? de area, vel de torculari? Dixitque ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ respondit: ²⁸ Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, et

* 6.18 **Percute.** ID. Bonum est oculum scandalizantem erui, ut intuitus superbiæ et malitiæ obturetur, et oculus sanæ fidei ac simplicitatis aperiatur. RAB.. Postquam Elisæus hostes in Samariam adduxit, non eos occidi permisit, sed refectorem illis præparans, dimisit eos in pace. Et Saulum diu contra stimulum calcitrantem, primum Dominus excæcavit, deinde scientia spirituali ditavit. Nobisque præcepit ita: **Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos** Luc. 6..

† 6.24 **Congregavit.** RAB. Benadad et exercitus, est diabolus et iniqui, scilicet pagani, Judæi et hæretici, quos contra Ecclesiam bellum gerere excitat. Per tales affligitur populus Dei, qui est positus in Samaria, id est legis custodia: fitque fames, cum non permittitur doctoribus verbum Dei prædicare. Sed Elisæo revelante, id est, Redemptore per Evangelium indicante, salus quæ a peccatoribus longe est, timentibus Deum prope esse scitur. Dicit enim Dominus: **Cras modius,** etc. Modius similæ perfecta est mensura divinæ sapientiæ quæ est in Novo Testamento. Duo modii hordei sunt scientia legis et prophetarum, qui comparantur stateri uno, hoc est fide catholica, in porta Samariæ, id est in prædicatione apostolica, per quam intratur in Ecclesiam. Cessante enim turbine persecutionis quæ fit hodie, dabit Dominus cras, id est tempore futuro, tranquillitatem, ut prædicatio perfecte compleatur.

‡ 6.25 **Factaque fames,** etc. AUG., serm. 211, de temp. Dum a cultu Dei gens iniqua discedit, horrenda fame comprimitur, et justa necessitate turbatur. Cur famem, o miserime, pateris? Cur tanta penuria laceraris? Crescit famis quotidie pœna, quia quotidie crescit et culpa. Perseverant flagella, quia in populo perseverant et delicta. Deinceps vita peccata, delicta compesce, ad Deum convertere, relinque idolum: tunc poteris hostes divino adjutorio vincere. Nec quisquam nocere poterit ulterius, si damnato scelere, divinus in te germinaverit cultus. Proh nefas! horrenda cadavera et columbarum stercora peccator populus vescitur, nec Dei cultum quærit. Inquinatas carnes et horrendas escas fames et necessitas poscit; et adhuc figmentum duritias colit. In cibum pietas vertitur, in pabulum suscepta soboles commutatur. Ante paricidium geritur, quam ad funestas epulas veniatur. Innocens sanguis effunditur, ut parentum fames rabida saginetur.

filium meum comedemus cras. ²⁹Coximus ergo filium meum, et comedimus. Dixique ei die altera: Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. ³⁰Quod cum audisset rex, scidit vestimenta sua, et transibat per murum. Veditque omnis populus cilicium quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. ³¹Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, si steterit caput Elisei filii Saphat super ipsum hodie. ³²Eliseus autem sedebat in domo sua, et senes sedebant cum eo. Præmisit itaque virum: et antequam veniret nuntius ille, dixit ad senes: Numquid scitis quod miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum? videte ergo: cum venerit nuntius, claudite ostium, et non sinatis eum introire: ecce enim sonitus pedum domini ejus post eum est. ³³Adhuc illo loquente eis, apparuit nuntius qui veniebat ad eum. Et ait: Ecce, tantum malum a Domino est: quid amplius expectabo a Domino?

7 Dixit autem Eliseus: Audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius similæ uno statere erit, et duo modii hordei statere uno, in porta Samariæ. ²Respondens unus de ducibus, super cujus manum rex incumbibat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit esse quod loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, et inde non comedes. ³Quatuor ergo viri erant leprosi juxta introitum portæ: qui dixerunt ad invicem: Quid hic esse volumus donec moriamur?^f ⁴sive ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur: sive manserimus hic, moriendum nobis est: venite ergo, et transfugiamus ad castra Syriæ: si pepercerint nobis, vivemus: si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur. ⁵Surrexerunt ergo vesperi, ut venirent ad castra Syriæ. Cumque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem repperunt. ⁶Siquidem Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ, curruum, et equorum, et exercitus plurimi: dixeruntque ad invicem: Ecce mercede conduxit adversum nos rex Israël reges Hethæorum et Ægyptiorum, et venerunt super nos. ⁷Surrexerunt ergo, et fugerunt in tenebris, et dereliquerunt tentoria sua, et equos et asinos, in castris, fugeruntque animas tantum suas salvare cupientes. ⁸Igitur cum venissent leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt unum tabernaculum, et comederunt et biberunt: tuleruntque inde argentum, et aurum, et vestes, et abierunt, et absconderunt: et rursus reversi sunt ad aliud tabernaculum, et inde similiter auferentes absconderunt. ⁹Dixeruntque ad invicem: Non recte facimus: hæc enim dies boni nuntii est. Si tacuerimus et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur: venite, eamus, et nuntiemus in aula regis. ¹⁰Cumque venissent ad portam civitatis, narraverunt eis, dicentes: Ivimus ad castra Syriæ, et nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos et asinos alligatos, et fixa tentoria. ¹¹Ierunt ergo portarii, et nuntiaverunt in palatio regis intrinsecus. ¹²Qui surrexit nocte, et ait ad servos suos: Dico vobis quid fecerint nobis Syri: sciunt quia fame laboramus, et idcirco egressi sunt de castris, et latitant in agris, dicentes: Cum egressi fuerint de civitate, capiemus eos vivos, et tunc civitatem ingredi poterimus. ¹³Respondit autem unus servorum ejus: Tollamus quinque equos qui remanserunt in urbe (quia ipsi tantum sunt in universa multitudine Israël, alii enim consumpti sunt), et mittentes, explorare poterimus. ¹⁴Adduxerunt ergo duos equos, misitque rex in castra Syrorum, dicens: Ite, et videte. ¹⁵Qui abierunt post eos usque ad Jordanem: ecce autem omnis via plena erat vestibus et vasis quæ projecerant Syri cum

^f7.3 *Quatuor*, etc. RAB. in lib. Reg., tom. 3. Leprosi sunt, etc., usque ad in quatuor mundi partibus fidei veritatem prædicent.

turbarentur: reversique nuntii indicaverunt regi. ¹⁶ Et egressus populus diripuit castra Syriae: factusque est modius similae statere uno, et duo modii hordei statere uno, juxta verbum Domini. ¹⁷ Porro rex ducem illum, in cujus manu incumbibat, constituit ad portam: quem conculcavit turba in introitu portae, et mortuus est, juxta quod locutus fuerat vir Dei, quando descenderat rex ad eum.[§] ¹⁸ Factumque est secundum sermonem viri Dei quem dixerat regi, quando ait: Duo modii hordei statere uno erunt, et modius similae statere uno, hoc eodem tempore cras in porta Samariae: ¹⁹ quando responderat dux ille viro Dei, et dixerat: Etiamsi Dominus fecerit cataractas in caelo, numquid poterit fieri quod loqueris? Et dixit ei: Videbis oculis tuis, et inde non comedes. ²⁰ Evenit ergo ei sicut praedictum fuerat, et conculcavit eum populus in porta, et mortuus est.

8 Eliseus autem locutus est ad mulierem cujus vivere fecerat filium, dicens: Surge, vade tu et domus tua, et peregrinare ubicumque repereris: vocavit enim Dominus famem, et veniet super terram septem annis. ² Quae surrexit, et fecit juxta verbum hominis Dei: et vadens cum domo sua, peregrinata est in terra Philisthiim diebus multis. ³ Cumque finiti essent anni septem, reversa est mulier de terra Philisthiim: et egressa est ut interpellaret regem pro domo sua, et pro agris suis. ⁴ Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magna quae fecit Eliseus. ⁵ Cumque ille narraret regi quomodo mortuum suscitasset, apparuit mulier cujus vivificaverat filium, clamans ad regem pro domo sua, et pro agris suis. Dixitque Giezi: Domine mi rex, haec est mulier, et hic est filius ejus quem suscitavit Eliseus. ⁶ Et interrogavit rex mulierem: quae narravit ei. Deditque ei rex eunuchum unum, dicens: Restitue ei omnia quae sua sunt, et universos redditus agrorum, a die qua reliquit terram usque ad praesens. ⁷ Venit quoque Eliseus Damascum, et Benadad rex Syriae aegrotabat: nuntiaveruntque ei, dicentes: Venit vir Dei huc.** ⁸ Et ait rex ad Hazaël: Tolle tecum munera, et vade in occursum viri Dei, et consule Dominum per eum, dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hac? ⁹ Ivit igitur Hazaël in occursum ejus, habens secum munera, et omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum. Cumque stetisset coram eo, ait: Filius tuus Benadad rex Syriae misit me ad te, dicens: Si sanari potero de infirmitate mea hac? ¹⁰ Dixitque ei Eliseus: Vade, dic ei: Sanaberis: porro ostendit mihi Dominus quia morte morietur. ¹¹ Stetique cum eo, et conturbatus est usque ad suffusionem vultus: flevitque vir Dei. ¹² Cui Hazaël ait: Quare dominus meus flet? At ille dixit: Quia scio quae facturus sis filiis Israel mala. Civitates eorum munitas igne succendes, et juvenes eorum interficies gladio, et parvulos eorum elides, et praegnantes divides. ¹³ Dixitque Hazaël: Quid enim sum servus tuus canis, ut faciam rem istam magnam? Et ait Eliseus: Ostendit mihi Dominus te regem Syriae fore. ¹⁴ Qui cum recessisset ab Eliseo, venit ad

§7.17 **Porro.** Dux typum tenet Scribarum et Pharisaeorum, ad quos Veritas ait: **Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae, qui clauditis regnum caelorum ante homines: vos enim non intratis, nec intrantes sinitis intrare** Matth. 23.. Quem conculcavit turba in porta, quia gressum ad fidem intrantium impediabat: unde merito conculcatus, id est, examine justi judicis damnatus, perpetuas mittetur in tenebras.

8.7 **Benedab, rex Syriae, etc. Syrorum rex dum venisset in Damascum, et agnovisset quia Divinitas ei et ejus exercitui timorem immisisset et fugam, et non invasione hostium fuisset factum, nimis afflictus, eo quod Deum ita haberet iratum, corruit in languorem.

dominum suum. Qui ait ei: Quid dixit tibi Eliseus? At ille respondit: Dixit mihi: Recipies sanitatem. ¹⁵ Cumque venisset dies altera, tulit stragulum, et infudit aquam, et expandit super faciem ejus: quo mortuo, regnavit Hazaël pro eo. ¹⁶ Anno quinto Joram filii Achab regis Israël, et Josaphat regis Juda, regnavit Joram filius Josaphat rex Juda. ¹⁷ Triginta duorum annorum erat cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem. ¹⁸ Ambulavitque in viis regum Israël, sicut ambulaverat domus Achab: filia enim Achab erat uxor ejus: et fecit quod malum est in conspectu Domini. ¹⁹ Noluit autem Dominus disperdere Judam, propter David servum suum, sicut promiserat ei, ut daret illi lucernam, et filiis ejus cunctis diebus. ²⁰ In diebus ejus recessit Edom ne esset sub Juda, et constituit sibi regem. ²¹ Venitque Joram Seira, et omnes currus cum eo: et surrexit nocte, percussitque Idumæos qui eum circumdederant, et principes curruum: populus autem fugit in tabernacula sua. ²² Recessit ergo Edom ne esset sub Juda, usque ad diem hanc. Tunc recessit et Lobna in tempore illo. ²³ Reliqua autem sermonum Joram, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Juda? ²⁴ Et dormivit Joram cum patribus suis, sepultusque est cum eis in civitate David, et regnavit Ochozias filius ejus pro eo. ²⁵ Anno duodecimo Joram filii Achab regis Israël regnavit Ochozias filius Joram regis Judæ. ²⁶ Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Athalia filia Amri regis Israël. ²⁷ Et ambulavit in viis domus Achab: et fecit quod malum est coram Domino, sicut domus Achab: gener enim domus Achab fuit. ²⁸ Abiit quoque cum Joram filio Achab ad præliandum contra Hazaël regem Syriæ in Ramoth Galaad, et vulneraverunt Syri Joram. ²⁹ Qui reversus est ut curaretur in Jezrahel, quia vulneraverant eum Syri in Ramoth præliantem contra Hazaël regem Syriæ. Porro Ochozias filius Joram rex Juda descendit invisere Joram filium Achab in Jezrahel, quia ægrotabat ibi.

9 Eliseus autem propheta vocavit unum de filiis prophetarum, et ait illi: Accinge lumbos tuos, et tolle lenticulam olei hanc in manu tua, et vade in Ramoth Galaad.†† ² Cumque veneris illuc, videbis Jehu filium Josaphat filii Namsi: et ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, et introduces in interius cubiculum. ³ Tenensque lenticulam olei, fundes super caput ejus, et dices: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israël. Aperiesque ostium, et fugies, et non ibi subsistes. ⁴ Abiit ergo adolescens puer prophetæ in Ramoth Galaad, ⁵ et ingressus est illuc: ecce autem principes exercitus sedebant: et ait: Verbum mihi ad te, o princeps. Dixitque Jehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te, o princeps. ⁶ Et surrexit, et ingressus est cubiculum: at ille fudit oleum super caput ejus, et ait: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Unxi te regem super populum Domini Israël, ⁷ et percuties domum Achab domini tui, et ulciscar sanguinem servorum meorum prophetarum, et sanguinem omnium servorum Domini de manu Jezabel. ⁸ Perdamque omnem domum Achab: et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum et novissimum in Israël. ⁹ Et dabo domum Achab sicut domum Jeroboam filii Nabat, et sicut domum Baasa

††9.1 **Vade.** RAB. in lib. Reg., tom. 3. Designat gentium principatum, quem Dominus destinavit ut sacrilegam civitatem, quæ prophetas et Dominum prophetarum occidit, et apostolos ejus persecuta est, ultione juxta perimeret, et sacerdotium quod post Christum inaniter habuerat, destrueret, templumque subverteret, necnon et impiam Synagogam, quæ sanguinem sanctorum semper sitiebat, de regni culmine præcipitaret, ac rectores illius interficeret.

filiu Ahia. ¹⁰ Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrahel, nec erit qui sepeliat eam. Aperuitque ostium, et fugit. ¹¹ Jehu autem egressus est ad servos domini sui: qui dixerunt ei: Rectene sunt omnia? quid venit insanus iste ad te? Qui ait eis: Nostis hominem, et quid locutus sit. ¹² At ille responderunt: Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc et hæc locutus est mihi, et ait: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israël. ¹³ Festinaverunt itaque, et unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus in similitudinem tribunalis, et cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnavit Jehu. ¹⁴ Conjuravit ergo Jehu filius Josaphat filii Namsi contra Joram: porro Joram obsederat Ramoth Galaad, ipse et omnis Israël contra Hazaël regem Syriæ: ¹⁵ et reversus fuerat ut curaretur in Jezrahel propter vulnera, quia percusserant eum Syri præliantem contra Hazaël regem Syriæ. Dixitque Jehu: Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de civitate, ne vadat, et nuntiet in Jezrahel. ¹⁶ Et ascendit, et profectus est in Jezrahel: Joram enim ægrotabat ibi, et Ochozias rex Juda descenderat ad visitandum Joram. ¹⁷ Igitur speculator qui stabat super turrim Jezrahel, vidit globum Jehu venientis, et ait: Video ego globum. Dixitque Joram: Tolle currum, et mitte in occursum eorum, et dicat vadens: Rectene sunt omnia? ¹⁸ Abiit ergo qui ascenderat currum, in occursum ejus, et ait: Hæc dicit rex: Pacatane sunt omnia? Dixitque Jehu: Quid tibi et paci? transi, et sequere me. Nuntiavit quoque speculator, dicens: Venit nuntius ad eos, et non revertitur. ¹⁹ Misit etiam currum equorum secundum: venitque ad eos, et ait: Hæc dicit rex: Numquid pax est? Et ait Jehu: Quid tibi et paci? transi, et sequere me. ²⁰ Nuntiavit autem speculator, dicens: Venit usque ad eos, et non revertitur: est autem incessus quasi incessus Jehu filii Namsi, præceps enim graditur. ²¹ Et ait Joram: Junge currum. Junxeruntque currum ejus, et egressus est Joram rex Israël, et Ochozias rex Juda, singuli in curribus suis, egressique sunt in occursum Jehu, et invenerunt eum in agro Naboth Jezrahelitæ. ²² Cumque vidisset Joram Jehu, dixit: Pax est, Jehu? At ille respondit: Quæ pax? adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ, et veneficia ejus multa, vigent. ²³ Convertit autem Joram manum suam, et fugiens ait ad Ochoziam: Insidiæ, Ochozia. ²⁴ Porro Jehu tetendit arcum manu, et percussit Joram inter scapulas: et egressa est sagitta per cor ejus, statimque corruit in curru suo. ²⁵ Dixitque Jehu ad Badacer duce[m]: Tolle, projice eum in agro Naboth Jezrahelitæ: memini enim quando ego et tu sedentes in curru sequebamur Achab patrem hujus, quod Dominus onus hoc leverit super eum, dicens: ²⁶ Si non pro sanguine Naboth, et pro sanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus. Nunc ergo tolle, et projice eum in agrum juxta verbum Domini. ²⁷ Ochozias autem rex Juda videns hoc, fugit per viam domus horti: persecutusque est eum Jehu, et ait: Etiam hunc percutite in curru suo. Et percusserunt eum in ascensu Gaver, qui est juxta Jeblaam: qui fugit in Mageddo, et mortuus est ibi. ²⁸ Et imposuerunt eum servi ejus super currum suum, et tulerunt in Jerusalem: sepelieruntque eum in sepulchro cum patribus suis in civitate David. ²⁹ Anno undecimo Joram filii Achab, regnavit Ochozias super Judam, ³⁰ venitque Jehu in Jezrahel. Porro Jezabel, introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum, et respexit per fenestram ³¹ ingredientem Jehu per portam, et ait: Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum? ³² Levavitque Jehu faciem suam ad fenestram, et ait: Quæ est

‡9.29 *Regnavitque.* RAB. Dicitur de Ochozia, etc., usque ad et uno anno regnavit.

ista? et inclinaverunt se ad eum duo vel tres eunuchi. ³³ At ille dixit eis: Præcipitate eam deorsum: et præcipitaverunt eam, aspersusque est sanguine paries, et equorum unguæ conculcaverunt eam. ³⁴ Cumque introgressus esset ut comederet biberetque, ait: Ite, et videte maledictam illam, et sepelite eam: quia filia regis est. ³⁵ Cumque issent ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam, et pedes, et summas manus. ³⁶ Reversique nuntiaverunt ei. Et ait Jehu: Sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Jezrahel comedent canes carnes Jezrahel, ³⁷ et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Jezrahel, ita ut prætereuntes dicant: Hæccine est illa Jezabel?

10 Erant autem Achab septuaginta filii in Samaria: scripsit ergo Jehu litteras, et misit in Samariam, ad optimates civitatis, et ad majores natu, et ad nutritios Achab, dicens: ² Statim ut acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, et currus, et equos, et civitates firmas, et arma, ³ eligite meliorem, et eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri, et eum ponite super solium patris sui, et pugnate pro domo domini vestri. ⁴ Timuerunt illi vehementer, et dixerunt: Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, et quomodo nos valebimus resistere? ⁵ Miserunt ergo præpositi domus, et præfecti civitatis, et majores natu, et nutritii, ad Jehu, dicentes: Servi tui sumus: quæcumque jusseris faciemus, nec constituemus nobis regem: quæcumque tibi placent, fac. ⁶ Rescripsit autem eis litteras secundo, dicens: Si mei estis, et obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, et venite ad me hac eadem hora cras in Jezrahel. Porro filii regis, septuaginta viri, apud optimates civitates nutriebantur. ⁷ Cumque venissent litteras ad eos, tulerunt filios regis, et occiderunt septuaginta viros, et posuerunt capita eorum in cophinis, et miserunt ad eum in Jezrahel. ⁸ Venit autem nuntius, et indicavit ei, dicens: Attulerunt capita filiorum regis. Qui respondit: Ponite ea ad duos acervos juxta introitum portæ usque mane. ⁹ Cumque diluxisset, egressus est, et stans dixit ad omnem populum: Justi estis: si ego conjuravi contra dominum meum et interfeci eum, quis percussit omnes hos? ¹⁰ videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super domum Achab: et Dominus fecit quod locutus est in manu servi sui Eliæ. ¹¹ Percussit igitur Jehu omnes qui reliqui erant de domo Achab in Jezrahel, et universos optimates ejus, et notos, et sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ. ¹² Et surrexit, et venit in Samariam: cumque venisset ad Cameram pastorum in via, ¹³ invenit fratres Ochoziæ regis Juda: dixitque ad eos: Quinam estis vos? Qui responderunt: Fratres Ochoziæ sumus, et descendimus ad salutandos filios regis, et filios reginæ. ¹⁴ Qui ait: Comprehendite eos vivos. Quos cum comprehendissent vivos, jugulaverunt eos in cisterna juxta Cameram, quadraginta duos viros: et non reliquit ex eis quemquam. ¹⁵ Cumque abiisset inde, invenit Jonadab filium Rechab in occursum sibi, et benedixit ei. Et ait ad eum: Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum: [¶] ¹⁶ dixitque ad eum: Veni mecum, et vide zelum meum pro Domino. Et impositum in curru suo ¹⁷ duxit in Samariam. Et percussit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria usque ad unum, juxta verbum Domini quod locutus est per Eliam. ¹⁸ Con-

[¶]10.15 *Estne cor tuum*, etc. Hinc est ergo perspicuum, quod etiam in tribus erant quidam viri pietate præditi, propter quos etiam aliorum curam gerebat Dominus.

gregavit ergo Jehu omnem populum, et dixit ad eos: Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius. ¹⁹ Nunc igitur omnes prophetas Baal, et universos servos ejus, et cunctos sacerdotes ipsius vocate ad me: nullus sit qui non veniat: sacrificium enim grande est mihi Baal: quicumque defuerit, non vivet. Porro Jehu faciebat hoc insidiose, ut disperderet cultores Baal. ²⁰ Et dixit: Sanctificate diem solemnem Baal. Vocavitque, ²¹ et misit in universos terminos Israël, et venerunt cuncti servi Baal: non fuit residuus ne unus quidem qui non veniret. Et ingressi sunt templum Baal: et repleta est domus Baal, a summo usque ad summum. ²² Dixitque his qui erant super vestes: Proferte vestimenta universis servis Baal. Et protulerunt eis vestes. ²³ Ingressusque Jehu, et Jonadab filius Rechab, templum Baal, ait cultoribus Baal: Perquirite, et videte, ne quis forte vobiscum sit de servis Domini, sed ut sint servi Baal soli. ²⁴ Ingressi sunt igitur ut facerent victimas et holocausta: Jehu autem præparaverat sibi foris octoginta viros, et dixerat eis: Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima ejus erit pro anima illius. ²⁵ Factum est autem, cum completum esset holocaustum, præcepit Jehu militibus et ducibus suis: Ingreimini, et percutite eos: nullus evadat. Percusseruntque eos in ore gladii, et projecerunt milites et duces: et ierunt in civitatem templi Baal, ²⁶ et protulerunt statuam de fano Baal, et combusserunt, ²⁷ et comminuerunt eam. Destruxerunt quoque ædem Baal, et fecerunt pro ea latrinas usque in diem hanc. ²⁸ Delevit itaque Jehu Baal de Israël: ²⁹ verumtamen a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israël, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos qui erant in Bethel et in Dan. ³⁰ Dixit autem Dominus ad Jehu: Quia studiose egisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab: filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël. ³¹ Porro Jehu non custodivit ut ambularet in lege Domini Dei Israël in toto corde suo: non enim recessit a peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israël. ³² In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israël: percussitque eos Hazaël in universis finibus Israël, ³³ a Jordane contra orientalem plagam, omnem terram Galaad, et Gad, et Ruben, et Manasse, ab Aroër, quæ est super torrentem Arnon, et Galaad, et Basan. ³⁴ Reliqua autem verborum Jehu, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Israël? ³⁵ Et dormivit Jehu cum patribus suis, sepelieruntque eum in Samaria: et regnavit Joachaz filius ejus pro eo. ³⁶ Dies autem quos regnavit Jehu super Israël, viginti et octo anni sunt in Samaria.

11 Athalia vero mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, surrexit, et interfecit omne semen regium.^{§§} ² Tollens autem Josaba filia regis Joram, soror

§§11.1 *Athalia vero*. RAB. Athalia, quæ semen David extinguere moliebatur, impietatem exprimit Synagogæ, quæ semini David, hoc est Christi, insidiatrix erat. Quæ aliquando regnare videbatur, cum legis cæremonias temporaliter observabat. Interpretatur enim Athalia temporalis Domini. Sed Josabeth strenuitate, quæ interpretatur saturitas Domini, id est, Ecclesiæ, in qua veræ sunt deliciae, servatur Joas, id est memoria Domini. Christus, scilicet, in quo est memoria nominis Domini, ne per crudelitatem sævientis hostis interimatur in cordibus electorum. Magis nutritur in domo Joiadæ, qui dilectus Domini sonat, de quo Pater: *Hic est dilectus Filius meus* Matth. 3., cujus domus sancta Ecclesia, ubi in sancta fide electorum manens quotidie facit augmentum corporis sui, donec tempore judicii sceptrum regni et potentiam adversus eos extollet, qui eum deprimere cogitabant, et interfetricem sanctorum æternis deputaverit pœnis.

Ochoziæ, Joas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis qui interficiebantur, et nutricem ejus de triclinio: et abscondit eum a facie Athaliæ ut non interficeretur. ³Eratque cum ea sex annis clam in domo Domini: porro Athalia regnavit super terram. ⁴Anno autem septimo misit Jojada, et assumens centuriones et milites, introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum eis foedus: et adjurans eos in domo Domini, ostendit eis filium regis: ⁵et præcepit illis, dicens: Iste est sermo, quem facere debetis: ⁶tertia pars vestrum introëat sabbato, et observet excubias domus regis. Tertia autem pars sit ad portam Sur, et tertia pars sit ad portam quæ est post habitaculum scutariorum: et custodietis excubias domus Messa. ⁷ Duæ vero partes e vobis, omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domus Domini circa regem. ⁸Et vallabitis eum, habentes arma in manibus vestris: si quis autem ingressus fuerit septum templi, interficiatur: eritisque cum rege introëunte et egrediente. ⁹Et fecerunt centuriones juxta omnia quæ præceperat eis Jojada sacerdos: et assumentes singuli viros suos qui ingrediebantur sabbato, cum his qui egrediebantur sabbato, venerunt ad Jojadam sacerdotem. ¹⁰Qui dedit eis hastas et arma regis David, quæ erant in domo Domini. ¹¹Et steterunt singuli habentes arma in manu sua, a parte templi dextera usque ad partem sinistram altaris et ædis, circum regem. ¹²Produxitque filium regis, et posuit super eum diadema et testimonium: feceruntque eum regem, et unxerunt: et plaudentes manu, dixerunt: Vivat rex. ¹³Auditur autem Athalia vocem populi currentis: et ingressa ad turbas in templum Domini, ¹⁴vidit regem stantem super tribunal juxta morem, et cantores, et tubas prope eum, omnemque populum terræ lætantem, et canentem tubis: et scidit vestimenta sua,

*11.4 *Anno autem septimo misit Jojada pontifex*, etc. Sortes quatuor et viginti erant sacerdotum, levitarum et janitorum, et habebant totidem pontifices, qui singuli per totidem septimanas sibi ex ordine succederent, habentes singuli sub se quatuor et viginti sacerdotes et totidem levitas, et ejusdem numeri janitores. Intrante itaque novo pontifice sabbato ad officium cum nova turma sacerdotum, levitarum, janitorum, ille pontifex cum sua turma, qui transacta septimana ministraverat, post sabbatum domum revertebatur ad uxorem, quando enim ministrabant a conjugali opere cessabant, in porticibus circa domum Domini usque ad sabbatum manentes. Sed tunc summus pontifex propter necessitatem augendi exercitus, et eos qui septimanam expleverant, retinuit, et illos qui impleturi erant suscepit. Qui et alios quoque levitas de urbibus et principes familiarum congregavit, quos filium regis educturus tali ratione distinxit, ut illi, qui impleverant sabbatum, armati circumstarent regem in interioribus atrii locis. Qui ad sabbatum venerant domum regis, id est palatium observarent, et portam scutariorum per quam de templo ad palatium descendebatur. Reliqua multitudo exteriores atriorum januas contra furorem reginæ, si quid moliretur, custodirent: postea eduxit regem de domo Domini ubi erat absconditus, veneruntque per viam portæ scutariorum in palatium, et sedit super thronum regum.

†11.6 *Ad portam*. RAB. In palatio porta Sur et domus Messa quæ cum porta scutariorum nominantur esse videntur. *Scutariorum et custodietis excubias domus*. ID. Scutarii erant tutores regis custodientes palatii vestibulum.

‡11.12 *Et posuit super eum diadema et testimonium*. ID. In libro Dierum apertius: *Et imposuerunt ei diadema dederuntque in manu ejus tenendam legem*. Et erat utique salutaris prudentiæ, ut post tyrannicæ necem reginæ, succedenti in regnum filio regis, cum ipso regni habitu disciplina legis Dei servanda committeretur: et qui se prælatum populo videret regendo, ipse se regendum divinis legibus subdi debere meminisset.

clamavitque: Conjuratio, conjuratio. ¹⁵Præcepit autem Jojada centurionibus qui erant super exercitum, et ait eis: Educite eam extra septa templi, et quicumque eam secutus fuerit, feriatur gladio. Dixerat enim sacerdos: Non occidatur in templo Domini. ¹⁶Imposueruntque ei manus, et impegerunt eam per viam introitus equorum, juxta palatium, et interfecta est ibi. ¹⁷Pepigit ergo Jojada fœdus inter Dominum, et inter regem, et inter populum, ut esset populus Domini: et inter regem et populum. ¹⁸Ingressusque est omnis populus terræ templum Baal, et destruxerunt aras ejus, et imagines contriverunt valide: Mathan quoque sacerdotem Baal occiderunt coram altari. Et posuit sacerdos custodias in domo Domini. ¹⁹Tulitque centuriones, et Cerethi et Phelethi legiones, et omnem populum terræ, deduxeruntque regem de domo Domini: et venerunt per viam portæ scutariorum in palatium, et sedit super thronum regum. ²⁰Lætatusque est omnis populus terræ, et civitas conquievit: Athalia autem occisa est gladio in domo regis. ²¹Septemque annorum erat Joas, cum regnare cœpisset.

12 Anno septimo Jehu, regnavit Joas: et quadraginta annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Sebia de Bersabee. ²Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus quibus docuit eum Jojada sacerdos. ³Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, et adolebat in excelsis incensum. ⁴Dixitque Joas ad sacerdotes: Omnem pecuniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini a prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, et quam sponte et arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini: ⁵accipiant illam sacerdotes juxta ordinem suum, et instaurent sartatecta domus, si quid necessarium viderint instauratione. ⁶Igitur usque ad vigesimum tertium annum regis Joas, non instauraverunt sacerdotes sartatecta templi. ⁷Vocavitque rex Joas Jojadam pontificem et sacerdotes, dicens eis: Quare sartatecta non instauratis templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam juxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem templi reddite

[¶]11.17 *Pepigit igitur Joiada fœdus inter Dominum*, etc. In Paralipomenis, *inter se*: quia se loco regis et Dei, cujus minister erat, posuit; unde Joiada: recognoscens Dominum vel diligens interpretatur: quia Dominum cognoscere et diligere docuit. Pepigit fœdus inter Dominum et regem et populum, ut rex et populus Domino servirent: pepigit inter regem et populum, ut populus erga regem fideliter ageret, et rex cum justitia populum regeret.

[§]12.1 RAB. Mandat rex noster ut doctores accipiant omnem pecuniam, quæ a prætereuntibus justis scientiæ spiritualis, vel bonorum exemplorum in thesaurum Domini confertur, vel prædicatorum officia ad instaurationem templi spiritualis conferantur, quatenus ibi quodcunque scissum per errorem vel vitia invenerint, restaurent, ne forte per negligentiam magistrorum deperat multitudo auditorum.

^{**}12.5 *Sartatecta*. ID. Dicit ruinas domus Domini, ut quod cadere cœperat, fulciretur. Legitur enim in Paralipomenis quod Athalia et filii ejus, id est, sacerdotes idolorum, quia legitur non habuisse filium, destruxerunt domum Domini, et de sanctificatis fecerunt Baal.

^{††}12.6 *Igitur usque*. ID. Ante adventum Christi licet doctrina legis in gente Judæa fuerit, tamen per doctorum negligentiam in multis corrumpebatur, donec veniret ipse qui legem dedit, et per sanctæ Trinitatis fidem decalogum in Mosi et prophetarum scriptis spiritualiter observandum doceret.

eam.†† 8 Prohibitique sunt sacerdotes ultra accipere pecuniam a populo, et instaurare sartatecta domus. 9 Et tulit Jojada pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper, et posuit illud juxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini: mittebantque in eo sacerdotes qui custodiebant ostia, omnem pecuniam quæ deferebatur ad templum Domini.¶¶ 10 Cumque viderent nimiam pecuniam esse in gazophylacio, ascendebat scriba regis, et pontifex, effundebantque et numerabant pecuniam quæ inveniebatur in domo Domini:§§ 11 et dabant eam juxta numerum atque mensuram in manu eorum qui præerant cæmentariis domus Domini: qui impendebant eam in fabris lignorum et in cæmentariis, iis qui operabantur in domo Domini, 12 et sartatecta faciebant: et in iis qui cædebant saxa, et ut emerent ligna, et lapides, qui excidebantur, ita ut impleretur instauratio domus Domini in universis quæ indigebant expensa ad muniendam domum. 13 Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, et fuscinulæ, et thuribula, et tubæ, et omne

††12.7 *Ad instauracionem templi reddite eam*, etc. ID. Dominus evangelicis doctoribus ait: *Prædicate Evangelium omni creaturæ, infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate; gratis accepistis, gratis date* Marc. 16..

¶¶12.9 *Et tulit*. ID. Pontifex noster, qui seipsum obtulit hostiam Deo, gazophylacium unum posuit, id est, unam catholicam Ecclesiam fecit, cui foramen desuper aperuit, quia transitum inde ad coelos paravit. *Et posuit*. ID. Altare corpus Domini, juxta quod gazophylacium est, cum Ecclesia Christo conjuncta est ad dexteram ingredientium domum. Quia qui per fidem ingrediuntur Ecclesiam, intendunt ad æternam beatitudinem, quam dextera significat, pervenire. Istuc ergo mittunt sacerdotes, qui custodiunt ostia templi, omnem pecuniam, quæ defertur ad templum, cum prædicatores, qui servant introitum fidei, offerunt vota fidelium in verbis et operibus: et in Ecclesia rite precibus commendant Deo.

§§12.10 *Scriba regis*, etc. ID. Summi sunt doctores, qui pecuniam collatam juxta numerum et mensuram illis tribuebant qui præerant fabris et cæmentariis, hoc est, dispensatoribus verbi Dei, qui evangelici tritici mensuram conservis suis, his qui operantur in domo Domini et virtutum opera in ædificio divino component, tribuebant. ID. Apostoli, quos principes in Ecclesia electio divina constituit, per discipulos verbi semina per totum orbem sparserunt, quatenus operarios voluntatis Dei idoneos auditoribus suis præficerent, quorum alii fabricabant ligna, cum se et sibi obedientes ligna fructifera in domo Domini parare studebant. Alii sartatecta templi faciebant, quando illi, quæ per hæresim et schismata rupta erant ræedificabant; alii saxa cædebant, cum duros corde et incredulos fortiter increpabant, ita ut impleretur instauratio in universis, quæ indigebant expensa ad domum Domini muniendam, juxta illud: *Unicuique autem vestrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* Ephes. 4..

vas aureum et argenteum, de pecunia quæ inferebatur in templum Domini.* ¹⁴ Iis enim qui faciebant opus, dabatur ut instauraretur templum Domini: ¹⁵ et non fiebat ratio iis hominibus qui accipiebant pecuniam ut distribuere eam artificibus, sed in fide tractabant eam.† ¹⁶ Pecuniam vero pro delicto, et pecuniam pro peccatis non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat.‡ ¹⁷ Tunc ascendit Hazaël rex Syriæ, et pugnabat contra Geth, cepitque eam: et direxit faciem suam ut ascenderet in Jerusalem. ¹⁸ Quam ob rem tulit Joas rex Juda omnia sanctificata quæ conseraverant Josaphat, et Joram, et Ochozias, patres ejus reges Juda, et quæ ipse obtulerat: et universum argentum quod inveniri potuit in thesauris templi Domini et in palatio regis: misitque Hazaëli regi Syriæ, et recessit ab Jerusalem. ¹⁹ Reliqua autem sermonum Joas, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Juda? ²⁰ Surrexerunt autem servi ejus, et conjuraverunt inter se, percusseruntque Joas in domo Mello in descensu Sella. ²¹ Josachar namque filius Semaath, et Jozabad filius Somer servi ejus, percusserunt eum, et mortuus est: et sepelierunt eum cum patribus suis in civitate David: regnavitque Amasias filius ejus pro eo.

13 Anno vigesimo tertio Joas filii Ochoziæ regis Juda, regnavit Joachaz filius Jehu super Israël in Samaria decem et septem annis. ² Et fecit malum coram Domino, secutusque est peccata Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israël, et non declinavit ab eis. ³ Iratusque est furor Domini contra Israël, et tradidit eos in manu Hazaël regis Syriæ, et in manu Benadad filii Hazaël, cunctis diebus. ⁴ Deprecatus est autem Joachaz faciem Domini, et audivit eum Dominus: vidit enim angustiam Israël, quia attriverat eos rex Syriæ: ⁵ et dedit Dominus salvatorem Israël, et liberatus est de manu regis Syriæ: habitaveruntque filii Israël in tabernaculis suis sicut heri et nudius tertius. ⁶ Verumtamen non recesserunt a peccatis domus Jeroboam,

*12.13 *Verumtamen non fiebant.* ID. Alia debet esse ratio formandorum vasorum in ministerium Domini, alia parandum lignorum et saxorum in ædificium domus, quia alia debet esse doctrina, qua rudes imbuuntur ad fidem, et alia qua jam perfecti instruuntur ad scientiæ plenitudinem. Vasa Domini sunt, qui jam apti sunt ad capienda munera divina, et habiles sunt ad ministerium Dei. *Non fiebant.* In Paralipomenis. *Cum complessent omnia opera, detulerunt coram rege et Joiada reliquam partem pecuniæ de qua facta sunt vasa templi.* Non est contrarium, quia non de eadem pecunia quæ offerebatur a populo ad instaurationem domus Domini facta fuerunt vasa in ministerium templi, sed de reliqua parte pecuniæ, quæ et in aliis donationibus fuerat collata. *Et fuscinulæ,* etc. RAB. Doctores, quorum officium est corpus et sanguinem Domini credentibus distribuere, infidelibus abnegare, necnon et spiritualem alimoniam verbi cuique prout convenit dispertiri: quia sunt in verbis Dei, quæ nostræ humilitati revelare dignatus est, sunt alia quæ nostræ capacitatis mensuram transcendunt. *Thuribula.* ID. Sunt qui mundam orationem ex conscientia pura et fide non ficta offerunt Deo et dicunt: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* Psal. 140.. *Tubæ omne vas,* etc. ID. Doctores, qui toto orbe vocem evangelicæ prædicationis emittunt, unde: *Quasi tuba exalta vocem tuam* Isa. 58..

†12.15 *Et non fiebat ratio iis omnibus,* etc. ID. Tam religiosi fuerunt, ut nullus dubitaverit qui pecuniam Dei sine fraude tractarent. Unde constat quanta discretione opus est his qui pecuniam verbi Dei dispensant conservis, de qua ratio reddenda est, ut non minus fideles inveniantur hi in spiritualibus quam illi in corporalibus.

‡12.16 *Pecuniam vero pro delicto,* etc. ID. Hic ostenditur quod confessio peccatorum et pœnitentia non proprio cujusque, sed sacerdotum iudicio peragenda est, quorum est discernere inter mundum et immundum, et lepræ maculam dijudicare.

qui peccare fecit Israël, sed in ipsis ambulaverunt: siquidem et lucus permansit in Samaria. ⁷ Et non sunt derelicti Joachaz de populo nisi quinquaginta equites, et decem currus, et decem millia peditum: interfecerat enim eos rex Syriæ, et redegerat quasi pulverem in tritura areæ. ⁸ Reliqua autem sermonum Joachaz, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israël? ⁹ Dormivitque Joachaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in Samaria: regnavitque Joas filius ejus pro eo. ¹⁰ Anno trigesimo septimo Joas regis Juda, regnavit Joas filius Joachaz super Israël in Samaria sedecim annis. ¹¹ Et fecit quod malum est in conspectu Domini: non declinavit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israël, sed in ipsis ambulavit. ¹² Reliqua autem sermonum Joas, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, quomodo pugnaverit contra Amasiam regem Juda, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israël? ¹³ Et dormivit Joas cum patribus suis: Jeroboam autem sedit super solium ejus. Porro Joas sepultus est in Samaria cum regibus Israël. ¹⁴ Eliseus autem ægrotabat infirmitate, qua et mortuus est: descenditque ad eum Joas rex Israël, et flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Israël et auriga ejus. [¶] ¹⁵ Et ait illi Eliseus: Affer arcum et sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum et sagittas, ¹⁶ dixit ad regem Israël: Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Eliseus manus suas manibus regis, [§] ¹⁷ et ait: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Eliseus: Jace sagittam. Et jecit. Et ait Eliseus: Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam: percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam. ^{**} ¹⁸ Et ait: Tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursus dixit ei: Percute jaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset, ^{††} ¹⁹ iratus est vir Dei contra eum, et ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam. ²⁰ Mortuus est ergo Eliseus, et sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. ²¹ Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulchro Eli-

[¶]13.14 *Elisæus autem.* RAB. Redemptor noster rectoribus Ecclesiæ armis spiritualibus se indui, et contra hostem antiquum præcipit præliari. Arcus sacrum est eloquium, quod ex utroque Testamento velut ex cornu et chorda constat. Per Vetus quippe Testamentum figuratur cornu propter durtiam; per Novum vero, quod incarnato Domino factum est, figuratur chorda: et dum chorda trahitur, cornu curvatur, quia cum Novum Testamentum discutitur, Vetus a rigore suo ad intellectum spiritualem flectitur. Sagittæ sunt verba quæ doctores proferunt. Nos ergo cum Scripturæ sacræ dicta pensamus, arcum intendimus; cum verba doctrinæ damus, sagittas emittimus.

[§]13.16 *Superposuit.* ID. Exemplis suis Dominus actiones doctorum dirigit et confortat.

^{**}13.17 *Aperi fenestram.* ID. Lumine scientiæ suos hortatur primum illustrari, et sic jacula verborum mittere. *Sagitta.* ID. Prædicatio sancta certissima est interfectio spiritualium hostium si perseveranter agitur, unde non debet doctor propter avaritiam negligere animarum curam, sed magis per pietatem ad æternam prætereundere requiem, quod significat Aphec: interpretatur enim: continebit vel apprehendet, unde Apostolus enumeratis vitiis subintulit: *Tu autem, homo Dei, hæc fuge, sectare vero justitiam et pietatem, et apprehende vitam æternam* I Tim. 6..

^{††}13.18 *Tolle. Qui cum.* ID. Doctoribus præcipitur jaculo prædicationis terram, etc., usque ad *Fides sine operibus mortua est.* RAB. Resurrectio cadaveris, etc., usque ad et potius ibi quam hic habere locum.

sei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos. ²² Igitur Hazaël rex Syriæ afflixit Israël cunctis diebus Joachaz: ²³ et misertus est Dominus eorum, et reversus est ad eos propter pactum suum, quod habebat cum Abraham, et Isaac, et Jacob: et noluit disperdere eos, neque projicere penitus usque in præsens tempus. ²⁴ Mortuus est autem Hazaël rex Syriæ, et regnavit Benadad filius ejus pro eo. ²⁵ Porro Joas filius Joachaz tulit urbes de manu Benadad filii Hazaël, quas tulerat de manu Joachaz patris sui jure prælii: tribus vicibus percussit eum Joas, et reddidit civitates Israël.

14 In anno secundo Joas filii Joachaz regis Israël, regnavit Amasias filius Joas regis Juda. ¹ Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset: viginti autem et novem annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Joadan de Jerusalem. ² Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater ejus. Juxta omnia quæ fecit Joas pater suus, fecit: ³ nisi hoc tantum, quod excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis. ⁴ Cumque obtinisset regnum, percussit servos suos, qui interfecerant regem patrem suum: ⁵ filios autem eorum qui occiderant, non occidit, juxta quod scriptum est in libro legis Moysi, sicut præcepit Dominus, dicens: Non morientur patres pro filiis, neque filii morientur pro patribus: sed unusquisque in peccato suo morietur. ⁶ Ipse percussit Edom in valle Salinarum decem millia, et apprehendit petram in prælio, vocavitque nomen ejus Jectehel usque in præsentem diem. ⁷ Tunc misit Amasias nuntios ad Joas filium Joachaz filii Jehu regis Israël, dicens: Veni, et videamus nos. ⁸ Remisitque Joas rex Israël ad Amasiam regem Juda, dicens: Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestię saltus quæ sunt in Libano, et conculcaverunt carduum. ⁹ Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum: contentus esto gloria, et sede in domo tua: quare provocas malum, ut cadas tu et Judas tecum? ¹⁰ Et non acquievit Amasias. Ascenditque Joas rex Israël, et viderunt se, ipse et Amasias rex Juda, in Bethsames oppido Judæ. ¹¹ Percussusque est Juda coram Israël, et fugerunt unusquisque in tabernacula sua. ¹² Amasiam vero regem Juda, filium Joas filii Ochoziæ, cepit Joas rex Israël in Bethsames, et adduxit eum in Jerusalem: et interrupit murum Jerusalem, a porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis. ¹³ Tulitque omne aurum et argentum, et universa vasa quæ inventa sunt in domo Domini et in thesauris regis, et obsides, et reversus est in Samariam. ¹⁴ Reliqua autem verborum Joas quæ fecit, et fortitudo ejus qua pugnavit contra Amasiam regem Juda, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israël? ¹⁵ Dormivitque Joas cum patribus suis,

¹14.1 *In anno secundo. Et fecit.* RAB., in lib. Reg., tom. 3. Amasias fecit bonum in conspectu Domini, sed non corde perfecto: bona quippe opera quæ placent Deo fecit, sed non corde perfecto, quia sub simulata specie coram hominibus ostendebat, et sic coram Deo accepta non erant.

⁷14.7 *In valle.* ID. Valli Salinarum erat ubi sal faciebant. Vel cœno salsuginis deciso et siccato et incenso; vel aquis puteorum salsis fervefactis, et usque ad salis firmitatem coquendo perductis; vel alio quolibet ordine quo sal fieri consuevit. *Petram.* ID. Petra civitas est Arabiæ nobilis in terra Edom, quæ in libro Numerorum Recem dicitur, et a Syris sic appellatur. Sed Josephus non civitatem dicit, sed magnam petram in Arabia constitutam. *Jectehel.* RAB. Quod Amasias victor nomen imposuit, interpretatur cœtus Dei vel auxilium Dei, agente eo fideliter ut præsentis videretur memoriæ, quod hanc vel cœtus populi Dei vel Deo adjuvante cepit.

et sepultus est in Samaria cum regibus Israël, et regnavit Jeroboam filius ejus pro eo. ¹⁷ Vixit autem Amasias filius Joas rex Juda postquam mortuus est Joas filius Joachaz regis Israël, quindecim annis. ¹⁸ Reliqua autem sermonum Amasiae, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Juda? ¹⁹ Factaque est contra eum conjuratio in Jerusalem: at ille fugit in Lachis. Miseruntque post eum in Lachis, et interfecerunt eum ibi: ²⁰ et asportaverunt in equis, sepultusque est in Jerusalem cum patribus suis in civitate David. ²¹ Tulit autem universus populus Judæ Azariam annos natum sedecim, et constituerunt eum regem pro patre ejus Amasia. ²² Ipse ædificavit Ælath, et restituit eam Judæ, postquam dormivit rex cum patribus suis. ²³ Anno quintodecimo Amasie filii Joas regis Juda, regnavit Jeroboam filius Joas regis Israël in Samaria, quadraginta et uno anno. ²⁴ Et fecit quod malum est coram Domino: non recessit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israël. ²⁵ Ipse restituit terminos Israël ab introitu Emath usque ad mare solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israël quem locutus est per servum suum Jonam filium Amathi prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher. ²⁶ Vidit enim Dominus afflictionem Israël amaram nimis, et quod consumpti essent usque ad clausos carcere et extremos, et non esset qui auxiliaretur Israël. ²⁷ Nec locutus est Dominus ut deleret nomen Israël de sub cælo, sed salvavit eos in manu Jeroboam filii Joas. ²⁸ Reliqua autem sermonum Jeroboam, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus qua præliatus est, et quomodo restituit Damascum et Emath Judæ in Israël, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israël? ²⁹ Dormivitque Jeroboam cum patribus suis regibus Israël, et regnavit Zacharias filius ejus pro eo.

15 Anno vigesimo septimo Jeroboam regis Israël, regnavit Azarias filius Amasie regis Juda. ^{*} ² Sedecim annorum erat cum regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem. ³ Fecitque quod erat placitum coram Domino, juxta omnia quæ fecit Amasias pater ejus. ⁴ Verumtamen excelsa non est demolitus: adhuc populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis. ⁵ Percussit autem Dominus regem, et fuit leprosus usque in diem mortis suæ, et habitabat in domo libera seorsum: Joatham vero filius regis gubernabat palatium, et judicabit populum terræ. ⁶ Reliqua autem sermonum Azarie, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Juda? ⁷ Et dormivit Azarias cum patribus suis: sepelieruntque eum cum majoribus suis in civitate David, et regnavit Joatham filius ejus pro eo. ⁸ Anno trigesimo octavo Azarie regis Juda, regnavit Zacharias filius Jeroboam super Israël in Samaria sex mensibus. ⁹ Et fecit quod malum est coram Domino, sicut fecerant patres ejus: non recessit a

§§14.25 *Ipse restituit terminos Israël*, etc. De Jeroboam dicit: *Ipse restituit terminos Israël, ab introitu Emath usque ad mare solitudinis*. Emath, quæ nunc Epiphania dicitur, septentrionalis erat terminus Israël. Mare autem solitudinis, mare Mortuum est, quod in latitudine per stadia quingenta octuaginta usque ad Zoaros Arabiae, in longitudine centum quinquaginta, usque ad vicinia Sodomorum progreditur. Igitur Jeroboam castrametatus contra Syros, omnem eorum provinciam sicut Jonas prophetaverat devastavit. *Quæ est in*, etc. Hepher turris erat non longe a templo, enormis magnitudinis et altitudinis: unde Hepher dicitur, id est tenebrarum, sive nubæ: eo quod usque ad nubes caput erigat, quæ in Zacharia turris nebulosa vocatur.

*15.1 *Anno vicesimo Azarias*. RAB., in lib. Reg., tom. 3. Ipse est Ozias, etc., usque ad superius porta Ephraim dicitur.

peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israël. ¹⁰ Conjuravit autem contra eum Sellum filius Jabes: percussitque eum palam, et interfecit, regnavitque pro eo. ¹¹ Reliqua autem verborum Zachariæ, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israël? ¹² Iste est sermo Domini quem locutus est ad Jehu, dicens: Filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël. Factumque est ita. ¹³ Sellum filius Jabes regnavit trigesimo novo anno Azariæ regis Juda: regnavit autem uno mense in Samaria. ¹⁴ Et ascendit Manahem filius Gadi de Thersa, venitque in Samariam, et percussit Sellum filium Jabes in Samaria, et interfecit eum: regnavitque pro eo. ¹⁵ Reliqua autem verborum Sellum, et conjuratio ejus, per quam tetendit insidias, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israël? ¹⁶ Tunc percussit Manahem Thapsam, et omnes qui erant in ea, et terminos ejus de Thersa: noluerant enim aperire ei: et interfecit omnes prægnantes ejus, et scidit eas. ¹⁷ Anno trigesimo nono Azariæ regis Juda, regnavit Manahem filius Gadi super Israël decem annis in Samaria. ¹⁸ Fecitque quod erat malum coram Domino: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israël, cunctis diebus ejus. ¹⁹ Veniebat Phul rex Assyriorum in terram, et dabat Manahem Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, et firmaret regnum ejus. ²⁰ Indixitque Manahem argentum super Israël cunctis potentibus et divitibus, ut daret regi Assyriorum quinquaginta siclos argenti per singulos: reversusque est rex Assyriorum, et non est moratus in terra. ²¹ Reliqua autem sermonum Manahem, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israël? ²² Et dormivit Manahem cum patribus suis: regnavitque Phaceia filius ejus pro eo. ²³ Anno quinquagesimo Azariæ regis Juda, regnavit Phaceia filius Manahem super Israël in Samaria biennio. ²⁴ Et fecit quod erat malum coram Domino: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israël. ²⁵ Conjuravit autem adversus eum Phacee filius Romeliæ, dux ejus, et percussit eum in Samaria in turre domus regiæ, juxta Argob et juxta Arie, et cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum: et interfecit eum, regnavitque pro eo. ²⁶ Reliqua autem sermonum Phaceia, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israël? ²⁷ Anno quinquagesimo secundo Azariæ regis Juda, regnavit Phacee filius Romeliæ super Israël in Samaria viginti annis. ²⁸ Et fecit quod erat malum coram Domino: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israël. ²⁹ In diebus Phacee regis Israël, venit Theglathphalasar rex Assur, et cepit Ajon, et Abel-Domum, Maacha et Janoë, et Cedes, et Asor, et Galaad, et Galilæam, et universam terram Nephthali: et transtulit eos in Assyrios. ³⁰ Conjuravit autem et tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, et percussit eum, et interfecit: regnavitque pro eo vigesimo anno Joatham filii Oziæ. ³¹ Reliqua autem sermonum Phacee, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israël? ³² Anno secundo Phacee filii Romeliæ regis Israël, regnavit Joatham filius Oziæ regis Juda. ³³ Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jerusa filia Sadoc. ³⁴ Fecitque quod erat placitum coram Domino: juxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, operatus est. ³⁵ Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis. Ipse ædificavit

portam domus Domini sublimissimam.[†] ³⁶ Reliqua autem sermonum Joatham, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Juda? ³⁷ In diebus illis cœpit Dominus mittere in Judam Rasin regem Syriæ, et Phacee filium Romeliæ. ³⁸ Et dormivit Joatham cum patribus suis, sepultusque est cum eis in civitate David patris sui: et regnavit Achaz filius ejus pro eo.

16 Anno decimoseptimo Phacee filii Romeliæ, regnavit Achaz filius Joatham regis Juda. ² Viginti annorum erat Achaz cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem. Non fecit quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui sicut David pater ejus, ³ sed ambulavit in via regum Israël: insuper et filium suum consecravit, transferens per ignem secundum idola gentium, quæ dissipavit Dominus coram filiis Israël.[‡] ⁴ Immolabat quoque victimas, et adolebat incensum in excelsis, et in collibus, et sub omni ligno frondoso. ⁵ Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ rex Israël, in Jerusalem ad præliandum: cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum. ⁶ In tempore illo restituit Rasin rex Syriæ, Ailam Syriæ, et ejecit Judæos de Aila: et Idumæi venerunt in Ailam, et habitaverunt ibi usque in diem hanc. ⁷ Misit autem Achaz nuntios ad Theglathphalasar regem Assyriorum, dicens: Servus tuus, et filius tuus ego sum: ascende, et salvum me fac de manu regis Syriæ, et de manu regis Israël, qui consurrexerunt adversum me. ⁸ Et cum collegisset argentum et aurum quod inveniri potuit in domo Domini et in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera. ⁹ Qui et acquievit voluntati ejus: ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, et vastavit eam, et transtulit habitatores ejus Cyrenen: Rasin autem interfecit. ¹⁰ Perrexitque rex Achaz in occursum Theglathphalasar regis Assyriorum in Damascum: cumque vidisset altare Damasci, misit rex Achaz ad Uriam sacerdotem exemplar ejus, et similitudinem juxta omne opus ejus. ¹¹ Exstruxitque Urias sacerdos altare: juxta omnia quæ præceperat rex Achaz de Damasco, ita fecit sacerdos Urias donec veniret rex Achaz de Damasco. ¹² Cumque venisset rex de Damasco, vidit altare, et veneratus est illud: ascenditque et immolavit holocausta et sacrificium suum, ¹³ et libavit libamina, et fudit sanguinem pacificorum quæ obtulerat super altare. ¹⁴ Porro altare æreum quod erat coram Domino, transtulit de facie templi, et de loco altaris, et de loco templi Domini: posuitque illud ex latere altaris ad aquilonem. ¹⁵ Præcepit quoque rex Achaz Uriæ sacerdoti, dicens: Super altare majus offer holocaustum matutinum, et sacrificium vespertinum, et holocaustum regis, et sacrificium ejus, et holocaustum universi populi terræ, et sacrificia eorum, et libamina eorum: et omnem sanguinem holocausti, et universum sanguinem victimæ super illud effundes: altare vero æreum erit paratum ad voluntatem meam. ¹⁶ Fecit igitur Urias sacerdos juxta omnia quæ præceperat rex Achaz. ¹⁷ Tulit autem rex Achaz cælatas bases, et luterem qui erat desuper: et mare deposuit de bobus æreis qui sustentabant illud, et posuit super pavimentum stratum lapide. ¹⁸ Musach quoque sabbati quod ædificaverat in templo: et ingressum regis exterius convertit

[†]15.35 *Ipsæ ædificavit.* RAB. Joatham ædificavit portam domus Domini excelsam, quæ in Actibus apostolorum Speciosa dicitur, et ab Hebræis Porta Joatham vocatur.

[‡]16.3 *Consecravit.* RAB. Beenon filii Ennon. Thophet sive Thaphet est in valle Beenon juxta Acheldemach, locus olim amœnissimus, ubi solebant sacrificare dæmonibus. Hebraice Gehennon, id est vallis Ennon; unde in Evangelio gehenna dicitur, quia sicut perierunt ibi qui idola colebant in corpore et in anima, ita peccatores qui ad infernum transeunt æterna damnatione punientur.

in templum Domini propter regem Assyriorum.[¶] ¹⁹ Reliqua autem verborum Achaz quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Juda? ²⁰ Dormivitque Achaz cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David: et regnavit Ezechias filius ejus pro eo.

17 Anno duodecimo Achaz regis Juda, regnavit Osee filius Ela in Samaria super Israël novem annis. ² Fecitque malum coram Domino, sed non sicut reges Israël qui ante eum fuerant. ³ Contra hunc ascendit Salmanasar rex Assyriorum, et factus est ei Osee servus, reddebatque illi tributa. ⁴ Cumque deprehendisset rex Assyriorum Osee, quod rebellare nitens misisset nuntios ad Sua regem Ægypti ne præstaret tributa regi Assyriorum sicut singulis annis solitus erat, obsedit eum, et vinctum misit in carcerem. ⁵ Pervagatusque est omnem terram: et ascendens Samariam, obsedit eam tribus annis. ⁶ Anno autem nono Osee, cepit rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israël in Assyrios: posuitque eos in Hala et in Habor juxta fluvium Gozan, in civitatibus Medorum. ⁷ Factum est enim, cum peccassent filii Israël Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt deos alienos. ⁸ Et ambulaverunt juxta ritum gentium quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israël et regum Israël, quia similiter fecerant. ⁹ Et offenderunt filii Israël verbis non rectis Dominum Deum suum: et ædificaverunt sibi excelsa in cunctis urbibus suis, a turre custodum usque ad civitatem munitam. ¹⁰ Feceruntque sibi statuas et lucos in omni colle sublimi, et subter omne lignum nemorosum: ¹¹ et adolebant ibi incensum super aras in morem gentium quas transtulerat Dominus a facie eorum: feceruntque verba pessima irritantes Dominum. ¹² Et coluerunt immunditias de quibus præcepit eis Dominus ne facerent verbum hoc. ¹³ Et testificatus est Dominus in Israël et in Juda per manum omnium prophetarum et videntium, dicens: Revertimini a viis vestris pessimis, et custodite præcepta mea et cæremonias, juxta omnem legem quam præcepi patribus vestris, et sicut misi ad vos in manu servorum meorum prophetarum. ¹⁴ Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo. ¹⁵ Et abjecerunt legitima ejus, et pactum quod pepigit cum patribus eorum, et testificationes quibus contestatus est eos: secutique sunt vanitates, et vane egerunt: et secuti sunt gentes quæ erant per circuitum eorum, super quibus præceperat Dominus eis ut non facerent sicut et illæ faciebant. ¹⁶ Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei sui: feceruntque sibi conflates duos vitulos, et lucos, et adoraverunt universam militiam cæli: servieruntque Baal, ¹⁷ et consecraverunt filios suos et filias suas per ignem: et divinationibus inserviebant, et auguriis: et tradiderunt se ut facerent malum coram Domino, ut irritarent eum. ¹⁸ Iratusque est Dominus vehementer Israël, et abstulit eos a conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tantummodo. ¹⁹ Sed nec ipse Juda custodivit mandata Domini Dei sui: verum ambulavit in erroribus Israël, quos operatus fuerat. ²⁰ Projecitque Dominus omne semen Israël, et afflixit eos, et tradidit

[¶]16.18 *Musach quoque*. RAB. Est ædificium positum in vestibulo templi, ubi reges quando sabbato ad templum ibant, eleemosynam mittebant; et ita Musach sabbati gazophylacium est regum, sicut corbana sacerdotum. *Musach quoque*, etc. RAB. Non ideo convertit in templum Domini, quod in eo cultui Dei serviret, sed ut cum templo profanaretur, studens placere regi Assyriorum magis quam Deo, ut cum illuc veniret illud videns concupisceret et auferret sicut alia multa Achaz sibi tribuente. quo inveniret gratiam illius.

eos in manu diripientium, donec projiceret eos a facie sua: ²¹ ex eo jam tempore quo scissus est Israël a domo David, et constituerunt sibi regem Jeroboam filium Nabat: separavit enim Jeroboam Israël a Domino, et peccare eos fecit peccatum magnum. ²² Et ambulaverunt filii Israël in universis peccatis Jeroboam quæ fecerat: et non recesserunt ab eis, ²³ usquequo Dominus auferret Israël a facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium servorum suorum prophetarum: translatusque est Israël de terra sua in Assyrios, usque in diem hanc. ²⁴ Adduxit autem rex Assyriorum de Baby-lone, et de Cutha, et de Avah, et de Emath, et de Sepharvaim: et collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israël: qui possederunt Samariam, et habitaverunt in urbibus ejus. ²⁵ Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum: et immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos. ²⁶ Nuntiatumque est regi Assyriorum, et dictum: Gentes quas transtulisti, et habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: et immisit in eos Dominus leones, et ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. ²⁷ Præcepit autem rex Assyriorum, dicens: Ducite illuc unum de sacerdotibus quos inde captivos adduxistis, et vadat, et habitet cum eis: et doceat eos legitima Dei terræ. ²⁸ Igitur cum venisset unus de sacerdotibus his qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in Bethel, et docebat eos quomodo colerent Dominum. ²⁹ Et unaquæque gens fabricata est deum suum: posueruntque eos in fanis excelsis quæ fecerant Samaritæ, gens et gens in urbibus suis, in quibus habitabat. ³⁰ Viri enim Babylonii fecerunt Sochothbenoth: viri autem Cuthæi fecerunt Nergel: et viri de Emath fecerunt Asima. ³¹ Porro Hevæi fecerunt Nebahaz et Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharvaim, comburebant filios suos igni, Adramelech et Anamelech diis Sepharvaim, ³² et nihilominus colebant Dominum. Fecerunt autem sibi de novissimis sacerdotes excelsorum, et ponebant eos in fanis sublimibus. ³³ Et cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam. ³⁴ Usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum: non timent Dominum, neque custodiunt cæremonias ejus, judicia, et legem, et mandatum, quod præceperat Dominus filiis Jacob, quem cognominavit Israël: ³⁵ et percusserat cum eis pactum, et mandaverat eis, dicens: Nolite timere deos alienos, et non adoretis eos, neque colatis eos, et non immoletis eis: ³⁶ sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de terra Ægypti in fortitudine magna

§17.27 **Adduxistis.** RAB. Rex Assyrius, id est diabolus cum suo exercitu populum ecclesiasticum obsidendo et devastando quotidie afficit, cum eos propter peccata commissa de sedibus propriis evellens defert in terram alienam. Unde: **Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus dum recordaremur Sion.**

17.29 **Et unaquæque. ID. In libro Locorum legitur, quod Benoth et Nergel fuerunt civitates quas construxerunt in Judæa qui de Babylonia transierant. Asima quoque oppidum ædificaverunt qui ad eam venerant de Emath. Nebahan et Tharthac civitates sunt quas Hevæi in Judæa condiderunt. ID. Videtur juxta consequentiam sermonis et idolorum, quibus hæ gentes prius servierant, hic posse vocabula intelligi, quia cum dictum esset: **Et unaquæque gens fabricata est Deum suum,** quasi ad expletionem sententiæ subjunctum est: **Viri enim Babylonicæ fecerunt Sochoth Benoth;** id est tabernacula: Benoth, quod est nomen idoli. In sequentibus ostenditur Adramelech et Anamelech idola fuisse urbis Sepharvaim, ita videtur consequens ut et Nergel Cuthenorum, Asima Emathæorum, Nebahath et Tharthach idola fuerunt Hevæorum.

††17.33 **Et cum.** RAB. ex Euch. Habent hæretici quædam sacramenta communia cum sancta Ecclesia, usque ad et nepotum intelligimus.

et in brachio extento, ipsum timete, et illum adorete, et ipsi immolate. ³⁷ Cæremónias quoque, et judicia, et legem, et mandatum, quod scripsit vobis, custodite ut faciatis cunctis diebus: et non timeatis deos alienos. ³⁸ Et pactum quod percussit vobiscum, nolite oblivisci: nec colatis deos alienos, ³⁹ sed Dominum Deum vestrum timete, et ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum. ⁴⁰ Illi vero non audierunt, sed juxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant. ⁴¹ Fuerunt igitur gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominus et idolis suis servientes: nam et filii eorum, et nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt usque in præsentem diem.

18 Anno tertio Osee filii Ela regis Israël, regnavit Ezechias filius Achaz regis Juda. [¶] ² Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Abi filia Zachariæ. ³ Fecitque quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus. ⁴ Ipse dissipavit excelsa, et contrivit statuas, et succidit lucos, confregitque serpentem æneum quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filii Israël adolebant ei incensum: vocavitque nomen ejus Nohestan. [¶] ⁵ In Domino Deo Israël speravit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuerunt: ⁶ et adhæsit Domino, et non recessit a vestigiis ejus, fecitque mandata ejus, quæ præceperat Dominus Moysi. ⁷ Unde et erat Dominus cum eo, et in cunctis ad quæ procedebat, sapienter se agebat. Rebellavit quoque contra regem Assyriorum, et non servivit ei. ⁸ Ipse percussit Philisthæos usque ad Gazam, et omnes terminos eorum, a turre custodum usque ad civitatem munitam. ⁹ Anno quarto regis Ezechiae, qui erat annus septimus Osee filii Ela regis Israël, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, et oppugnavit eam, ¹⁰ et cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechiae, id est nono anno Osee regis Israël, capta est Samaria: ¹¹ et transtulit rex Assyriorum Israël in Assyrios, collocavitque eos in Hala et in Habor fluviis Gozan in civitatibus Medorum: ¹² quia non audierunt vocem Domini Dei sui, sed prætergressi sunt pactum ejus: omnia quæ præceperat Moyses servus Domini non audierunt, neque fecerunt. ¹³ Anno quartodecimo regis Ezechiae, ascendit Sennacherib rex Assyriorum ad universas civitates Juda munitas, et cepit eas. ¹⁴ Tunc misit Ezechias rex Juda nuntios ad regem Assyriorum in Lachis, dicens: Peccavi: recede a me, et omne quod imposueris mihi, feram. Indixit itaque rex Assyriorum Ezechiae regi Judæ trecenta talenta argenti, et triginta talenta auri. ¹⁵ Deditque Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini et in thesauris regis. ¹⁶ In tempore illo confregit Ezechias valvas templi Domini, et laminas auri quas ipse affixerat, et dedit eas regi Assyriorum. ¹⁷ Misit autem rex Assyriorum Tharthan, et Rabsaris, et Rabsacen de Lachis ad regem Ezechiam cum manu valida Jerusalem:

¶18.1 *Anno tertio. Ezechias.* RAB. Apprehendens Dominum vel fortitudo Domini. Nam Redemptor noster Dominus fortis, Dominus potens in prælio, non solum idola gentium contrivit, et cultum idololatriæ dissipavit quatenus unius Dei notitiam haberent, ejusque cultui digne manciparentur: quin ipsam litteram legis Mosaicæ, quam ille populus legalis assidua lectione resonabat ac pro magno habebat, contrivit, ac sensum spirituales in ea intelligere eos docuit.

¶18.4 *Confregitque.* Ezechias serpentem confregit, quia in Domino Deo speravit, non in æneo serpente. *Nohestan vocavit,* etc. Quod interpretatur æs eorum, ut quem illi pro numine colebant, in dictis ejus metallum eum esse, non Deum, agnoscerent.

qui cum ascendissent, venerunt Jerusalem, et steterunt juxta aquæductum piscinæ superioris, quæ est in via Agrifullonis.^{§§ 18} Vocaveruntque regem: egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ præpositus domus, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis.*¹⁹ Dixitque ad eos Rabsaces: Loquimini Ezechia: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua niteris? ²⁰ forsitan inisti consilium, ut præpares te ad prælium. In quo confidis, ut audeas rebellare? ²¹ an speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, et perforabit eam? sic est Pharao rex Ægypti omnibus qui confidunt in se.[†] ²² Quod si dixeritis mihi: In Domino Deo nostro habemus fiduciam: nonne iste est, cujus abstulit Ezechias excelsa et altaria, et præcepit Judæ et Jerusalem: Ante altare hoc adorabitis in Jerusalem?‡ ²³ Nunc igitur transite ad dominum meum regem Assyriorum, et dabo vobis duo millia equorum, et videte an habere valeatis ascensores eorum.[¶] ²⁴ Et quomodo potestis resistere ante unum satrapam de servis domini mei minimis? an fiduciam habes in Ægypto propter currus et equites? ²⁵ Numquid sine Domini voluntate ascendi ad locum istum, ut demolirer eum? Dominus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, et demolire eam.[§] ²⁶ Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ, et Sobna, et Joahe Rabsaci: Precamur ut loquaris nobis servis tuis syriace: siquidem intelligimus hanc linguam: et non loquaris nobis judaice, audiente populo qui est super murum.** ²⁷ Responditque eis Rabsaces, dicens: Numquid ad dominum tuum, et ad te misit me dominus meus, ut loquerer sermones hos, et non potius ad viros qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, et bibant urinam suam vobiscum? ²⁸ Stetit itaque Rabsaces, et exclamavit voce magna judaice, et ait: Audite verba regis magni, regis Assyriorum. ²⁹ Hæc dicit rex:

§§18.17 **Rabsacen.** RAB. Quia Hebraice loquitur: filium Isaiaë putant qui proditor fuit cum Sobna; vel Samariten, et ideo Hebraicam linguam scivisse. Qui quasi quædam contraria fortitudo imitabatur prophetas sua arrogantia. Prophetæ dicunt: Hæc dicit Dominus. Iste dixit: **Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum.**

*18.18 **Eliacim.** RAB. De hoc Eliacim dixit Isaia: **Vocabo servum meum Eliacim** Isa. 22., qui fuit pontifex post Sobnam: quem tradunt Hebræi, Rabsacis comminationibus perterritum, prodidisse Jerusalem, et excepta arce sicut et templo, Assyrios totam urbem cepisse; quem etiam Sobnam cum Eliacim ad Rabsacen exisse quidam autumant.

†18.21 **An speras.** Nulla narrat historia quod Ezechias Pharaonis auxilium postulaverit.

‡18.22 **In Domino.** RAB. Verum est quod in Deo habuerunt fiduciam, sed falsum est Ezechiam abstulisse excelsa Dei et altaria: hoc enim non contra Deum, sed pro Deo fecit, ut destructo errore veteri juberet Deum in templo Jerusalem adorari.

¶18.23 **Dabo vobis.** ID. Rabsaces, ut paucitatem obsessorum ostenderet, duo millia equorum pollicetur, quorum ascensores Ezechias non haberet: non de imbecillitate populi venit quasi equitandi ignari, sed quia Deus præcepit ne rex Israël equos et uxores sibi multiplicaret.

§18.25 **Dominus dixit.** ID. Ad id quod dixit, si dixeritis, In Deo confidimus, callide respondet se non sua voluntate, sed Dei venisse dicentis: **Ascende.** Et est argumentum: cum multas urbes ceperim, et pars Jerusalem maneat intacta, manifestum est me Dei venisse voluntate.

18.26 **Precamur. ID. Sensus est, etc., usque ad quæ terræ Judææ similitudinem habebat, tam in situ quam in fructibus.

Non vos seducat Ezechias: non enim poterit eruere vos de manu mea:^{††} ³⁰ neque fiduciam vobis tribuat super Dominum, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, et non tradetur civitas hæc in manu regis Assyriorum. ³¹ Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum quod vobis est utile, et egredimini ad me: et comedet unusquisque de vinea sua, et de ficu sua: et bibetis aquas de cisternis vestris, ³² donec veniam, et transferam vos in terram quæ similis est terræ vestræ, in terram fructiferam, et fertilem vini, terram panis et vinearum, terram olivarum et olei ac mellis: et vivetis, et non moriemini. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos. ³³ Numquid liberaverunt dii gentium terram suam de manu regis Assyriorum? ³⁴ ubi est deus Emath, et Arphad? ubi est deus Sepharvaim, Ana, et Ava? numquid liberaverunt Samariam de manu mea? ³⁵ Quinam illi sunt in universis diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit eruere Dominus Jerusalem de manu mea? ³⁶ Tacuit itaque populus, et non respondit ei quidquam: siquidem præceptum regis acceperat ut non responderent ei. ³⁷ Venitque Eliacim filius Helciæ, præpositus domus, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis ad Ezechiam scissis vestibus, et nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

19 Quæ cum audisset Ezechias rex, scidit vestimenta sua, et opertus est sacco, ingressusque est domum Domini.^{‡‡} ² Et misit Eliacim præpositum domus, et Sobnam scribam, et senes de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam prophetam filium Amos. ³ Qui dixerunt: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, et increpationis, et blasphemiam dies iste: venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens. ⁴ Si forte audiat Dominus Deus tuus universa verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus ut exprobraret Deum viventem et argueret verbis, quæ audivit Dominus Deus tuus: et fac orationem pro reliquiis quæ repertæ sunt. ⁵ Venerunt ergo servi regis Ezechiam ad Isaiam. ⁶ Dixitque eis Isaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus: Noli timere a facie sermonum quos audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me. ⁷ Ecce ego immittam ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur in terram suam, et dejiciam eum gladio in terra sua. ⁸ Reversus est ergo Rabsaces, et invenit regem Assyriorum expugnantem Lobnam: audierat enim quod recessisset de Lachis. ⁹ Cumque audisset de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Ecce egressus est ut pugnet adversum te: et iret contra eum, misit nuntios ad Ezechiam, di-

^{††}18.29 **Non vos**, etc. Rabsacis accusatio Ezechiam testimonium est, quod captis videlicet urbibus in Domino confisus sit: et confortavit populum ut in Domino speraret. Unde Rabsaces destruere vult quæ ille construxit, et dicit ad populum: **Non seducat vos Ezechias, et non vobis tribuat fiduciam super Domino Deo vestro.** RAB. Ostendit harum civitatum sive gentium diis servisse Samaritas, etc., usque ad ut noster vertit interpres.

^{‡‡}19.1 RAB., in lib. Reg., tom. 3. Mira regis humilitas et prudentia, etc., usque ad et inimicum in sua terra esse moriturum.

cens: ¶¹⁰ Hæc dicite Ezechiaë regi Juda: Non te seducat Deus tuus in quo habes fiduciam, neque dicas: Non tradetur Jerusalem in manus regis Assyriorum. ¹¹ Tu enim ipse audisti quæ fecerunt reges Assyriorum universis terris, quomodo vastaverunt eas: num ergo solus poteris liberari? ¹² Numquid liberaverunt dii gentium singulos quos vastaverunt patres mei, Gozan videlicet, et Haran, et Reseph, et filios Eden qui erant in Thelassar? ¹³ ubi est rex Emath, et rex Arphad, et rex civitatis Sepharvaim, Ana, et Ava? ¹⁴ Itaque cum accepisset Ezechias litteras de manu nuntiorum, et legisset eas, ascendit in domum Domini, et expandit eas coram Domino, ¹⁵ et oravit in conspectu ejus, dicens: Domine Deus Israël, qui sedes super cherubim, tu es Deus solus regum omnium terræ: tu fecisti cælum et terram. ¹⁶ Inclina aurem tuam, et audi: aperi, Domine, oculos tuos, et vide: audi omnia verba Sennacherib, qui misit ut exprobraret nobis Deum viventem. ¹⁷ Vere, Domine, dissipaverunt reges Assyriorum gentes, et terras omnium. ¹⁸ Et miserunt deos eorum in ignem: non enim erant dii, sed opera manuum hominum, ex ligno et lapide: et perdidit eos. ¹⁹ Nunc igitur Domine Deus noster, salvos nos fac de manu ejus, ut sciant omnia regna terræ quia tu es Dominus Deus solus. ²⁰ Misit autem Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum, audivi. ²¹ Iste est sermo, quem locutus est Dominus de eo: [Sprevit te, et subsannavit te, virgo filia Sion: post tergum tuum caput movit, filia Jerusalem. §⁸ ²² Cui exprobrasti, et quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, et elevasti in excelsum oculos tuos? Contra Sanctum Israël. ²³ Per manum servorum tuorum exprobrasti Domino, et dixisti: In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium in summitate Libani, et succidi sublimes cedros ejus, et electas abietes illius. Et ingressus sum usque ad terminos ejus, et saltum Carmeli ejus* ²⁴ ego succidi. Et bibi aquas alienas, et siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas. † ²⁵ Numquid non audisti quid ab initio fecerim? ex diebus antiquis plasmavi illud, et

¶^{19.9} *Cumque audisset.* ID. Volente Deo Rabsaces deseruit obsidionem Jerusalem, et invenit Dominum suum vel capta vel deserta Lachis oppugnantem Lobnam. Sennacherib occurrens regi Æthiopum, misit ad Ezechiam epistolas ut quos viribus non cepit, sermone terreret. Pugnasse Sennacherib contra Ægyptios et obsedis Pelusium, jamque exstructis aggeribus urbe capienda venisse Taracham regem Æthiopum in auxilium narrat Herodotus. RAB. Prius Ezechias Domini terrore perturbatus adorare in templo non audebat vel liberis ibi fundere preces, nunc dicente Isaia: *Ne timeas a facie verborum quæ audisti* Isa. 41., audacter Dominum deprecatur.

§⁸19.21 *Virgo filia.* RAB. Quia cunctis gentibus idola adorantibus, hæc sola conservat castitatem religionis unius Dei, et quæ ne ad majorem blasphemiam concitaret, præsentem non respondit: post abeuntem movit caput ad rogandum Deum, vel certe ad deridendam arrogantiam ejus certa de ultione. Nec ipse per se, sed per servos suos, ut major esset arrogantia, Dominum blasphemavit.

*19.23 *Excelsa.* ID. Altitudo montium et juga Libani excelsæ cedri et abietes. Vel per metaphoram de cunctis gentibus accipiendum est et principibus earum. Vel de Hierusalem, quæ est Libanus, cedri et abietes, potentes et optimates.

†19.24 *Et siccavi.* ID. Vel præ multitudine exercitus omnia fluentia siccavit, ut puteos sibi fodere compulsus sit. Vel omnis populus, quos aquæ significant, suo vastatur exercitu.

nunc adduxi: eruntque in ruinam collium pugnantium civitates munitæ.‡ 26 Et qui sedent in eis, humiles manu, contremuerunt et confusi sunt: facti sunt velut fœnum agri, et virens herba tectorum, quæ arefacta est antequam veniret ad maturitatem. 27 Habitaculum tuum, et egressum tuum, et introitum tuum, et viam tuam ego præscivi, et furorem tuum contra me. 28 Insanisti in me, et superbia tua ascendit in aures meas: ponam itaque circulum in naribus tuis, et camum in labiis tuis, et reducam te in viam per quam venisti. 29 Tibi autem, Ezechia, hoc erit signum: comede hoc anno quæ repereris: in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur: porro in tertio anno seminate et metite: plantate vineas, et comedite fructum earum.¶ 30 Et quodcumque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum. 31 De Jerusalem quippe egredientur reliquiæ, et quod salvetur de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet hoc. 32 Quam ob rem hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. 33 Per viam qua venit, revertetur: et civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. 34 Protegamque urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum.]§ 35 Factum est igitur in nocte illa, venit angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum: et recedens abiit,** 36 et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, et mansit in Ninive. 37 Cumque adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech et Sarasar filii ejus percusserunt

‡19.25 *Nunquid*. ID. Hæc ex persona Domini, etc., usque ad quod tuam ferocitatem domet, et te reducat in Assyrios.

¶19.29 *Hoc erit signum*. ID. Eorum quæ prænuntio, etc., usque ad imo zelo quo adversus impios zelatus est populum suum. *Comede*. Isaias ita: *Comede hoc anno quæ sponte nascuntur, et anno secundo vescere pomis. In anno autem tertio seminate, plantate vineas et comedite fructus earum, et mittet id quod salvatum fuerit in domo Juda; et quod reliquum est radicem deorsum, et faciet fructum, quia de Hierusalem exhibunt reliquiæ, et salvatio de monte Sion. Zelus Domini exercituum faciet hoc* Isa. 37.. Omnibus ab exercitu vastatis *comede quæ iterum germinare*, sive *quæ inter ungulas equorum evadere potuerunt. In secundo anno quæ sponte nascuntur sine labore*. Vel simulatione hoc dictum est, quia putabant se fame perituros.

§19.34 *Et propter David servum*. RAB. Propter futurorum spem, præsentem excutit metum. Dicit autem, quia non suo merito, sed Dei clementia conserventur, imo et patris eorum David memoria: in quo monentur et suæ negligentiae et illius fidei et justitiæ, quia in tantum diligit Deus justitiam, ut posteros majorum virtute tueatur.

**19.35 *Factum est igitur*. RAB. Tot ab uno angelo una nocte cæduntur, et absque vulneribus mors sæva discurrit. Super quo in Paralipomenis legitur: *Et misit Dominus angelum qui percussit omnem virum robustum et bellatorem, principemque exercitus Assyriorum*. Reversusque est cum ignominia in terram suam. Qui servatus est, ut fieret testis majestatis illius quem paulo ante contempserat.

eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum: et regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo.^{††}

20 In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem: et venit ad eum Isaias filius Amos propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, et non vives.^{‡‡} ² Qui convertit faciem suam ad parietem, et oravit Dominum, dicens:^{¶¶} ³ Obsecro, Domine: memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno.^{§§} ⁴ Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum, dicens: ⁵ Revertere, et dic Ezechiaë duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, et vidi lacrimas tuas, et ecce sanavi te: die tertio ascendes templum Domini. ⁶ Et addam diebus tuis quindecim annos: sed et de manu regis Assyriorum liberabo te, et civitatem hanc: et protegam urbem istam propter me, et propter David servum meum. ⁷ Dixitque Isaias: Afferte massam ficorum. Quam cum attulissent, et posuissent super

^{††}19.37 *Cumque adoraret in templo.* RAB. Quasi victoriam de hostibus reportaret, contemptor veri Dei in fano falsi numinis trucidatur: nec angelico perit gladio quod erat commune, sed parricidio filiorum. ID. Pharao quoque in decem Ægypti servatur plagis, ut novissimus pereat. *In terram Armeniorum.* Ararath regio in Armenia campestri, per quam Araxes fluit incredibilis ubertatis ad radices Tauri montis. Ergo et arca Nœ non ad montes generaliter Armeniæ delata est, sed ad montes Tauri altissimos qui Ararath imminet campis.

^{‡‡}20.1 *In diebus illis.* RAB. in lib. Reg., tom. 3. Ne elevaretur cor Ezechiaë post incredibiles triumphos, infirmitate corporis visitatur et audit se esse moriturum, ut conversus ad Dominum, flectat sententiam. Cuncta Deus secutura præsciens ante sæcula, decrevit qualiter per sæcula disponantur. Statutum ergo est quantum in ipsa vita mortali temporaliter vivatur. Nam etsi annos quindecim Ezechiaë addidit Deus, eum tamen cum mori permisit, tunc præscivit eum esse moriturum. Cui cum mortis sententia dicta est, protinus ad ejus lacrymas vita est addita. Eo quidem tempore mori merebatur, qui elatus, Domino gratias pro inopinata victoria non reddidit, scilicet quia suæ justitiæ et meritis deputavit. Nec præfixum in præscientia Dei tempus vitæ prolongatum est, sed illud quod peccando amiserat, ex largitate Dei redditum erat. Qui cum moriturum prædixit, ante pœnitentiam illius præscivit. Convertit faciem ad parietem templi, quia ad templum ire non poterat. Parietem templi dicit juxta quod palatium erat, vel ad parietem absolute, ne lacrymas assistantibus ostentaret, ut tota mente Deum deprecaretur.

^{¶¶}20.2 *Qui convertit.* RAB. Felix conscientia, etc., usque ad verba enim singulorum Deus pensat ex corde ipsorum.

^{§§}20.3 *Flevit itaque.* ID. Flevit propter promissionem Domini, etc., usque ad et post mortem resuscitatos plurimos legimus.

ulcus ejus, curatus est.*⁸ Dixerat autem Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, et quia ascensus sum die tertia templum Domini?⁹ Cui ait Isaias: Hoc erit signum a Domino quod facturus sit Dominus sermonem quem locutus est: vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus?¹⁰ Et ait Ezechias: Facile est umbram crescere decem lineis: nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.¹¹ Invocavit itaque Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram per lineas quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.¹² In tempore illo misit Berodach Baladan, filius Baladan, rex Baby-loniorum, litteras et munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotasset Ezechias.[†]¹³ Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias, et ostendit eis domum aromatum, et aurum et argentum, et pigmenta varia, unguenta quoque, et domum vasorum suorum, et omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua.[‡]¹⁴ Venit autem Isaias propheta ad regem Ezechiam, dixitque ei: Quid dixerunt viri isti? aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone.[¶]¹⁵ At ille respondit: Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias: Omnia quæcumque sunt in domo

*20.7 *Afferte massam.* RAB. Verbum sehim sive schim ut aiunt Hebræi ulcus sonat non vulnus: hoc infligitur, illud sponte nascitur. Nam Aquila, Symmachus et Theodotio, aroc interpretati sunt, quod morbum regium intelligunt, cui contraria putantur vel sumpta in cibo, vel apposita corpori quæcumque sunt dulcia. Dei ergo potentia monstratur, dum per res noxias sanitas restituitur. Alii schim, apostema suspicantur, quando tumens corpus cocto et putrescente pure completur. Et juxta artem medicorum, omnis sanies siccioribus ficis atque contusis in cutis superficiem provocatur. RAB. Datur signum ut sol decem gradibus revertatur, etc., usque ad et ogdoade viventibus per resurrectionem Christi vitæ spatia pro vitæ spatio prote-lentur. ID. Quidam decem gradus linearum ad mysterium Christi transferunt, etc., usque ad et omnem illam umbram legis veritatis radiis illustravit.

†20.12 *In illo.* ID. Supra legitur, etc., usque ad illum adorandum plus homine crediderunt. RAB. Tradunt Hebræi, etc., usque ad ad notitiam hominum per factum pravi operis perduceretur. ID. Hypocritæ quoque post magnas virtutes decrescunt, quia celari in eisdem virtutibus nolunt: qui dum suasu malignorum spirituum jactantiæ acquiescunt, quasi ostium quo diutius congregatum amittant hostibus pandunt, unde: *Tradidit in captivitate[m] virtutem eorum.* Gloriam suam Paulus testimonium conscientia[e] suæ memorat, quia favorem alieni oris non appetit. Occultanda sunt ergo quæ agimus, ne hoc in hujus vitæ itinere incaute portantes latrocinantium spiritum incursione perdamus. ID. Tacet de quo verebatur offensam, quod ostenderat eis cuncta quæ haberet in potestate sua, inter quæ præcipua erat templi supellex.

‡20.13 *Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias.* ID. Verba Dierum de Ezechia aiunt. etc., usque ad ostenditque eis domum aromatum, etc. *Domum aromatum, et aurum et argentum.* ID. Quidam sepulcra regum opinantur, quæ aromatibus plena erant, quia corpora regum antiquitus unguentis condiebantur. Alii magis cellam aromatum in templo Domini fuisse intelligunt, ubi recondebantur odoriferæ species, ex quibus fiebat thymiana quod in templo Domini offerebatur. *Non fuit verbum quod non monstraret eis Ezechias in,* etc. quod apud Hebræos pro re frequenter accipitur *quod non ostenderit eis in domo sua, et in omni potestate sua.* Unde Dei ira justissima, quoniam non solum thesauros suos atque palatii, sed et templi ostendit, quod certe fuit potestatis ejus, de cuius valvis atrii laminas ante jam tulerat.

¶20.14 *De terra longinqua venerunt.* RAB. Quasi dicat: Quanto terra longior unde venerunt, tanto ego gloriosior propter quem venerunt. *Ad me de Babylone.* De-buerat dicere ad glorificandum Deum pro signi magnitudine.

mea, viderunt: nihil est quod non monstraverim eis in thesauris meis. ¹⁶Dixit itaque Isaias Ezechiae: Audi sermonem Domini: ¹⁷Ecce dies venient, et auferentur omnia quae sunt in domo tua, et quae condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus. ¹⁸Sed et de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. ¹⁹Dixit Ezechias ad Isaiam: Bonus sermo Domini quem locutus es: sit pax et veritas in diebus meis. ²⁰Reliqua autem sermonum Ezechiae, et omnis fortitudo ejus, et quomodo fecerit piscinam et aqueductum, et introduxerit aquas in civitatem, nonne haec scripta sunt in libro sermonum dierum regum Juda? ²¹Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et regnavit Manasses filius ejus pro eo.[§]

21 Duodecim annorum erat Manasses cum regnare coepisset, et quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Haphsiba.**
²Fecitque malum in conspectu Domini, juxta idola gentium quas delevit Dominus a facie filiorum Israël. ³Conversusque est, et aedificavit excelsa quae dissipaverat Ezechias pater ejus: et erexit aras Baal, et fecit lucos sicut fecerat Achab rex Israël, et adoravit omnem militiam caeli, et coluit eam. ⁴Exstruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus: In Jerusalem ponam nomen meum. ⁵Et exstruxit altaria universae militiae caeli in duobus atriis templi Domini. ⁶Et traduxit filium suum per ignem: et ariolatus est, et observavit auguria, et fecit pythones, et aruspices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, et irritaret eum. ⁷Posuit quoque idolum luci quem fecerat, in templo Domini, super quod locutus est Dominus ad David, et ad Salomonem filium ejus: In templo hoc, et in Jerusalem quam elegi de cunctis tribubus Israël, ponam nomen meum in sempiternum. ⁸Et ultra non faciam commoveri pedem Israël de terra quam dedi patribus eorum: si tamen custodierint opere omnia quae praecipi eis, et universam legem quam mandavit eis servus meus Moyses. ⁹Illi vero non audierunt: sed seducti sunt a Manasse, ut facerent malum super gentes quas contrivit Dominus a facie filiorum Israël. ¹⁰Locutusque est Dominus in manu servorum suorum prophetarum, dicens: ¹¹Quia fecit Manasses rex Juda abominationes istas pessimas, super omnia quae fecerunt Amorrhæi ante eum, et peccare fecit etiam Judam in immunditiis suis: ¹²propterea haec dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego inducam mala super Jerusalem et Judam, ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures ejus. ¹³Et extendam super Jerusalem funiculum Samariae, et pondus domus Achab: et delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulae: et delens vertam, et ducam crebrius stylum super faciem ejus. ¹⁴Dimittam vero reliquias haereditatis meae, et tradam eas in manus inimicorum ejus, eruntque in vastitatem, et in rapinam cunctis

[§]20.21 *Dormivitque Ezechias cum patribus*, etc. In Paralipomenis, dicitur quod sepultus est Ezechias super sepulcra regum, quia ejus sepulcrum est excelsius fabricatum causa pietatis qua coluit Deum.

21.1 RAB. Cujus tempore Isaias ut tradunt Hebraei lignea serra per medium serratus est, quia princeps Sodomorum appellavit eos, vertentes ei in crimen quod dixerat: **Vidi Dominum sedentem super solium excelsum Isa. 6.. Deo dicente: **Non videbit me homo et vivet** Exod. 33.. ID. Manasses ad idola se convertit et abominationes. Locuto Deo vel Domino ad eum, attendere noluit; ideo victus ductus est in Babylonem, coangustatus oravit Dominum intente et egit poenitentiam valde, et exaudita est oratio ejus, reduxitque eum in regnum suum, et cognovit Manasses quod Dominus ipse est Deus. Ergo post commissa scelera nullus de Dei misericordia desperet, sed magis per poenitentiam spem veniae habeat.

adversariis suis: ¹⁵ eo quod fecerint malum coram me, et perseveraverint irritantes me, ex die qua egressi sunt patres eorum ex Ægypto usque ad hanc diem. ¹⁶ Insuper et sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os: absque peccatis suis quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino. ¹⁷ Reliqua autem sermonum Manasse, ut universa quæ fecit, et peccatum ejus quod peccavit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Juda? ¹⁸ Dormivitque Manasses cum patribus suis, et sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza: et regnavit Amon filius ejus pro eo. ¹⁹ Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset: duobus quoque annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Messalemeth filia Harus de Jeteba. ²⁰ Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus. ²¹ Et ambulavit in omni via per quam ambulaverat pater ejus, servivitque immunditiis quibus servierat pater ejus, et adoravit eas: ²² et dereliquit Dominum Deum patrum suorum, et non ambulavit in via Domini. ²³ Tetenderuntque ei insidias servi sui, et interfecerunt regem in domo sua. ²⁴ Percussit autem populus terræ omnes qui conjuraverant contra regem Amon, et constituerunt sibi regem Josiam filium ejus pro eo.†† ²⁵ Reliqua autem sermonum Amon quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Juda? ²⁶ Sepelieruntque eum in sepulchro suo, in horto Oza: et regnavit Josias filius ejus pro eo.

22 Octo annorum erat Josias cum regnare cœpisset: triginta et uno anno regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Idida filia Hadaia de Besecath. ² Fecitque quod placitum erat coram Domino, et ambulavit per omnes vias David patris sui: non declinavit ad dexteram, sive ad sinistram. ³ Anno autem octavodecimo regis Josiæ, misit rex Saphan filium Aslia filii Messulam scribam templi Domini, dicens ei: ⁴ Vade ad Helciam sacerdotem magnum, ut conflatur pecunia quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt janitores templi a populo: ⁵ deturque fabris per præpositos domus Domini, qui et distribuunt eam his qui operantur in templo Domini, ad instauranda sartatecta templi: ⁶ tignariis videlicet et cæmentariis, et iis qui interrupta componunt: et ut emantur ligna, et lapides de lapicidinis, ad instaurandum templum Domini. ⁷ Verumtamen non supputetur eis argentum quod accipiunt, sed in potestate habeant, et in fide. ⁸ Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan scribam: Librum legis reperi in domo Domini. Deditque Helcias volumen Saphan, qui et legit illud. ⁹ Venit quoque Saphan scriba ad regem, et renuntiavit ei quod præceperat, et ait: Conflaverunt servi tui pecuniam quæ reperta est in domo Domini, et dederunt ut distribueretur fabris a præfectis operum templi Domini. ¹⁰ Narravit quoque Saphan scriba regi, dicens: Librum dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cum legisset Saphan coram rege, ¹¹ et audisset rex verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua. ¹² Et præcepit Helciæ sacerdoti, et Ahicam filio Saphan, et Achobor filio Micha, et Saphan scribæ, et Asaiæ servo regis, dicens: ¹³ Ite et consulite Dominum super me, et super populo, et super omni Juda, de verbis voluminis istius, quod inventum est: magna enim ira Domini succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri hujus, ut facerent omne quod scriptum est nobis. ¹⁴ Ierunt itaque Helcias sacerdos, et Ahicam, et Achobor, et Sapham, et Asaia, ad Holdam prophetidem, uxorem

††21.24 *Josiam*. RAB. Josias omnem spurcitiā idolorum emendavit, et se in Dei cultu strenue exercuit, sicut de illo ante longe prædictum est per prophetam.

Sellum filii Thecuæ filii Araas custodis vestium, quæ habitabat in Jerusalem in Secunda: locutique sunt ad eam.^{‡‡} ¹⁵Et illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dicite viro qui misit vos ad me: ¹⁶Hæc dicit Dominus: Ecce ego adducam mala super locum istum, et super habitatores ejus, omnia verba legis quæ legit rex Juda: ¹⁷quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum: et succendetur indignatio mea in loco hoc, et non extinguetur. ¹⁸Regi autem Juda, qui misit vos ut consuleretis Dominum, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Pro eo quod audisti verba voluminis, ¹⁹et perterritum est cor tuum, et humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum et habitatores ejus, quod videlicet fierent in stuporem et in maledictum: et scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me, et ego audivi, ait Dominus: ²⁰idcirco colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.

23 Et renuntiaverunt regi quod dixerat. Qui misit: et congregati sunt ad eum omnes senes Juda et Jerusalem. ²Ascenditque rex templum Domini, et omnes viri Juda, universique qui habitabant in Jerusalem cum eo sacerdotes et prophetæ, et omnis populus a parvo usque ad magnum: legitque, cunctis audientibus, omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini. ³Stetitque rex super gradum: et fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, et custodirent præcepta ejus, et testimonia, et cæremonias in omni corde, et in tota anima, et suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo: acquievitque populus pacto. ⁴Et præcepit rex Helciæ pontifici, et sacerdotibus secundi ordinis, et janitoribus, ut projicerent de templo Domini omnia vasa quæ facta fuerant Baal, et in luco, et universæ militiæ cæli: et combussit ea foris Jerusalem in convalle Cedron, et tulit pulverem eorum in Bethel. ⁵Et delevit aruspices quos posuerant reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitates Juda, et in circuitu Jerusalem: et eos qui adolebant incensum Baal, et soli, et lunæ, et duodecim signis, et omni militiæ cæli. ⁶Et efferris fecit lucum de domo Domini foras Jerusalem in convalle Cedron, et combussit eum ibi, et redegit in pulverem, et projecit super sepulchra vulgi. ⁷Destruxit quoque ædiculas effeminatorum quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci. ⁸Congregavitque omnes sacerdotes de civitatibus Juda, et contaminavit excelsa ubi sacrificabant sacerdotes de Gabaa usque Bersabee, et destruxit aras portarum in introitu ostii Josue principis civitatis, quod erat ad sinistram portæ civitatis. ⁹Verumtamen non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Jerusalem: sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum. ¹⁰Contaminavit quoque Topheth, quod est in convalle filii Ennom, ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem, Moloch.^{¶¶} ¹¹Abstulit quoque equos quos deder-

^{‡‡}22.14 *In Secunda.* RAB. In Paralipomenis legitur de Ezechia, quod ædificavit omnem murum qui fuerat dissipatus, et forinsecus alterum murum; unde Sophonias: *Ululatus a Secunda.* Prophetissa ergo habitavit in Secunda, id est, in secundi muri parte.

^{¶¶}23.10 *Contaminavit.* RAB. in lib. Reg., tom. 3. Josias Thopheth vel ossa mortuorum ibi sicut in sequentibus locis fecisse legitur vel alia quælibet immunda dispergens, quatenus abominationi potius quam delectationi aptus omnibus qui aspicerent locus appareret. *In convalle.* ID. Vallis Ennom est juxta murum Jerusalem contra orientem, etc., usque ad quia Thopheth dicitur latitudo.

ant reges Juda soli in introitu templi Domini juxta exedram Nathanmelech eunuchi, qui erat in Pharurim: currus autem solis combussit igni.^{§§ 12} Altaria quoque quæ erant super tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant reges Juda, et altaria quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit rex, et cucurrit inde, et dispersit cinerem eorum in torrentem Cedron.¹³ Excelsa quoque, quæ erant in Jerusalem ad dexteram partem montis offensionis, quæ ædificaverat Salomon rex Israël Astaroth idolo Sidoniorum, et Chamos offensionis Moab, et Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit rex.*¹⁴ Et contrivit statuas, et succidit lucos: replevitque loca eorum ossibus mortuorum.¹⁵ Insuper et altare quod erat in Bethel, et excelsum quod fecerat Jeroboam filius Nabat, qui peccare fecit Israël: et altare illud, et excelsum destruxit, atque combussit, et comminuit in pulverem, succenditque etiam lucum.¹⁶ Et conversus Josias, vidit ibi sepulchra quæ erant in monte: misitque et tulit ossa de sepulchris, et combussit ea super altare, et polluit illud juxta verbum Domini quod locutus est vir Dei, qui prædixerat verba hæc.^{† 17} Et ait: Quis est titulus ille, quem video? Responderuntque ei cives urbis illius: Sepulchrum est hominis Dei, qui venit de Juda, et prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel.¹⁸ Et ait: Dimitte eum: nemo commoveat ossa ejus. Et intacta manserunt ossa illius cum ossibus prophetæ qui venerat de Samaria.¹⁹ Insuper et omnia fana excelsorum quæ erant in civitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Israël ad irritandum Dominum, abstulit Josias: et fecit eis secundum omnia opera quæ fecerat in Bethel.²⁰ Et occidit universos sacerdotes excelsorum qui erant ibi super altaria, et combussit ossa humana super ea: reversusque est Jerusalem.²¹ Et præcepit omni populo, dicens: Facite Phase Domino

§§23.11 **Abstulit.** RAB. Judæi superstitionibus gentium se mancipaverant, qui inter cætera solent pingere vel facere simulacrum solis ut puerum imberbem, quia nullum per sæcula senium incidit, quotidie novo ortu natus. Cui currus et equos tribuunt, quia curru igneo et equis igneis Elias raptus est ad cœlum, quod inter alia in pariete depictum vident, et vicinia nominis decipiuntur: Elios enim Græce sol dicitur.

*23.13 **Excelsa.** RAB. Dicit Scriptura loca in collibus posita frondentibus, in quibus vel dæmonibus immolabant; vel Domino, locorum amœnitate illecti, contra interdictum, relicto altari quod erat in templo, illuc oblaturi confluebant: unde sæpius in hoc libro dicitur de regibus minus perfectis: Verumtamen excelsa non abstulit. **Quæ ædificaverat.** ID. Hic ostenditur quod Salomon de admissio idololatriæ scelere nunquam perfecte pœnituit: si enim vere pœnituisset, satégisset ante omnia ut idola quæ ædificaverat de civitate tollerentur: et non in scandalum stultorum, quæ ipse cum esset sapientissimus erronea fecerat, quasi sapienter facta relinqueret. **Et Chamos.** RAB. Alibi legitur quod ædificavit Salomon fanum Chamos in monte, qui est contra Jerusalem. Sed non est contrarium; quia mons iste in tanta erat urbis vicinia, ut ad ipsam pertinere, ipsamque sordibus, quæ in eo congerebantur, contaminare videretur. **Offensionis Moab.** ID. Idola dicuntur offensio, quia vel illis offenditur Deus, vel offensionem et ruinam suis afferunt cultoribus.

†23.16 **Tulit ossa,** etc. Josias ossa mortuorum cremari super altare jussit, quia profana fuerunt eorum sacrificia, et per errorem idololatriæ non solum pecora dæmonibus offerebant, sed et seipos in potestatem dæmonum tradiderunt: quia justo Dei judicio simul cum altari quod idolis fabricaverant, dissipandi erant. Mystice, qui diaboli servitio mancipati, vitam sacrilegam temporaliter finiunt, æternis cruciatus consumuntur, Deo retribuente secundum merita

Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro foederis hujus.[‡] 22 Nec enim factum est Phase tale a diebus iudicum qui iudicaverunt Israël, et omnium dierum regum Israël et regum Juda, 23 sicut in octavodecimo anno regis Josiæ factum est Phase istud Domino in Jerusalem. 24 Sed et pythones, et ariolos, et figuras idolorum, et immunditias, et abominaciones, quæ fuerant in terra Juda et Jerusalem, abstulit Josias: ut statueret verba legis quæ scripta sunt in libro quem invenit Helcias sacerdos in templo Domini. 25 Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua juxta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi. 26 Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni quo iratus est furor ejus contra Judam propter irrationes quibus provocaverat eum Manasses. 27 Dixit itaque Dominus: Etiam Judam auferam a facie mea, sicut abstuli Israël: et projiciam civitatem hanc quam elegi Jerusalem, et domum de qua dixi: Erit nomen meum ibi. 28 Reliqua autem sermonum Josiæ, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Juda? 29 In diebus ejus ascendit Pharaos Nechao rex Ægypti contra regem Assyriorum ad flumen Euphraten, et abiit Josias rex in occursum ejus: et occisus est in Mageddo cum vidisset eum. 30 Et portaverunt eum servi sui mortuum de Mageddo: et pertulerunt in Jerusalem, et sepelierunt eum in sepulchro suo. Tulitque populus terræ Joachaz filium Josiæ: et unxerunt eum, et constituerunt eum regem pro patre suo.[¶] 31 Viginti trium annorum erat Joachaz cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Amital filia Jeremiæ de Lobna. 32 Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerant patres ejus. 33 Vinxitque eum Pharaos Nechao in Rebla, quæ est in terra Emath, ne regnaret in Jerusalem: et

[‡]23.21 *Facite phase.* RAB. Josias typum tenet Salvatoris, etc., *usque ad: et orietur vobis timentibus sol justitiæ. Nec enim factum est phase tale,* etc. Quia, ablatis figuris in die iudicii, transibunt sancti de morte ad vitam, sicque in conspectu conditoris sui gaudebunt, *quia videbitur Deus Deorum in Sion.* RAB. Quod Josias, ejectis idolis de terra, pythionibus, ariolis et omnibus immunditiis, Domini phase celebrasse legitur, moraliter docet ut primo purgemus terram cordis a vitiis, ut servire possimus Deo, sicque gratum Domino celebremus pascha: *Non utique in fermento malitiæ et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis* I Cor. 5.. ID. Josias vulneratus est in campo Mageddo, unde et statim mortuus est. Luxitque eum populus multum, Jeremias maxime. Tunc enim dicitur ita lamentasse: Quomodo sedet sola civitas! De hoc planctu dicitur: Et erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adremon, quod nomen est regis, qui tunc regnabat in Charchamis, in cuius auxilium Josias venerat adversus Nechao regem Ægypti. ID. Interfectio Josiæ a Pharaone Nechao, facta in Mageddo, significat persecutionem antiqui hostis adversus prædicatores, quos per invidiam neci tradere molitur, et auferre de terra Ecclesiæ conatur: quatenus facilius totam plebem dissipare possit. Pharaos dissipans, Nechao percussio, Mageddo de tentatione. Permissus quippe diabolus consurgere adversus sanctos, hic totis viribus certat, quatenus tentando gregem Domini percutiens dissipet, eosque primum auferat quorum solatio adjuti contra hostem dimicare debuerant.

[¶]23.30 *Joachaz filium Josiæ.* ID. Alio nomine Sellum dicitur, sed quia perversissimus fuit, parvo tempore regnavit, nam Nechao vinxit eum, eo quod populus contra suam voluntatem constituerat eum regem, et duxit illum in Ægyptum. ID. Joachaz retentus significat malos doctores, quos populus terræ, scilicet terrenæ cupiditati dediti, consentientes vitiis suis prælatos eligunt, quos Pharaos in Rebla vinxit, cum diabolus per multitudinem adulatorum enervans decipit corda prælatorum, sicque in spiritualis Ægypti vinctos catenis peccatorum tenebrosam mergit abyssum.

imposuit mulctam terræ centum talentis argenti, et talento auri. ³⁴ Regemque constituit Pharaon Nechao Eliacim filium Josiæ pro Josia patre ejus: vertitque nomen ejus Joakim. Porro Joachaz tulit, et duxit in Ægyptum, et mortuus est ibi. ³⁵ Argentum autem et aurum dedit Joakim Pharaoni, cum indixisset terræ per singulos, ut conferretur juxta præceptum Pharaonis: et unumquemque juxta vires suas exegit, tam argentum quam aurum, de populo terræ, ut daret Pharaoni Nechao. ³⁶ Viginti quinque annorum erat Joakim cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Zebida filia Phadaia de Ruma. ³⁷ Et fecit malum coram Domino juxta omnia quæ fecerant patres ejus.

24 In diebus ejus ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, et factus est ei Joakim servus tribus annis: et rursus rebellavit contra eum. ^{** 2} Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, et latrunculos Syriæ, et latrunculos Moab, et latrunculos filiorum Ammon: et immisit eos in Judam ut disperderent eum, juxta verbum Domini quod locutus fuerat per servos suos prophetas. ³ Factum est autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se propter peccata Manasse universa quæ fecit, ⁴ et propter sanguinem innoxium quem effudit, et implevit Jerusalem cruore innocentium: et ob hanc rem noluit Dominus propitiari. ⁵ Reliqua autem sermonum Joakim, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Juda? Et dormivit Joakim cum patribus suis: ⁶ et regnavit Joachin filius ejus pro eo. ⁷ Et ultra non addidit rex Ægypti ut egrederetur de terra sua: tulerat enim rex Babylonis, a rivo Ægypti usque ad fluvium Euphraten, omnia quæ fuerant regis Ægypti. ⁸ Decem et octo annorum erat Joachin cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Nohesta filia Elnathan de Jerusalem. ^{†† 9} Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat pater ejus. ¹⁰ In tempore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babylonis in Jerusalem, et circumdata est urbs munitioibus. ¹¹ Venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem cum servis suis ut oppugnarent eam. ¹² Egressusque est Joachin rex Juda ad regem Babylonis, ipse et mater ejus, et servi ejus, et principes ejus, et eunuchi ejus: et suscepit eum rex Babylonis anno octavo regni sui. ¹³ Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, et thesauros domus regiæ: et concidit universa vasa aurea quæ fecerat Salomon rex Israël in templo Domini juxta verbum Domini. ¹⁴ Et transtulit omnem Jerusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus, decem millia, in captivitatem, et omnem artificem et clusorem: ni-

§23.35 *Argentum autem et aurum dedit*, etc. ID. Malignus census servitii sui populo carnali expetit, ut tam sensu quam eloquio, ejus per omnia parati sint obsequio. Joachim præcepto regis census exigit, quia diabolus per sibi deditos magistros, ab unoquoque exigit secundum vires suas peccati census solvere, sicque in nequiter prælatis quotidie præparat perditionem subjectis.

**24.1 RAB. Cum semel quis quilibet se manciparit vitio, etc., usque ad et adjutorium a Deo imploret. RAB. Hunc refert Josephus a Nabuchodonosor interfectum, et ante muros Jerusalem projectum et insepultum, de quo prædictum fuerat: *Sepultura asini sepelietur* Jer. 22.. *Regnavitque Joachim*, etc. ID. Nomen Joachim aliter scribitur in designatione patris, qui et Eliacim: aliter cum filius significatur, qui et Jechonias, nam cum patrem signat per *k* et *m* scribitur: cum vero filium per *ch* et *n* scribitur.

††24.8 *Jerusalem*. BEDA in lib. Reg., quæst. 30, tom. 2. Jerusalem et terra Israël, etc., usque ad id est, scientia spiritualis ad peccatorum opera convertitur.

hilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ.^{††} ¹⁵ Transtulit quoque Joachin in Babylonem, et matrem regis, et uxores regis, et eunuchos ejus: et iudices terræ duxit in captivitatem de Jerusalem in Babylonem. ¹⁶ Et omnes viros robustos, septem millia, et artifices, et clusores mille, omnes viros fortes et bellatores: duxitque eos rex Babylonis captivos in Babylonem. ¹⁷ Et constituit Matthaniam patrum ejus pro eo: imposuitque nomen ei Sedeciam. ¹⁸ Vigesium et primum annum ætatis habebat Sedecias cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus erat Amital filia Jeremiæ de Lobna. ¹⁹ Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Joakim. ²⁰ Irascebatur enim Dominus contra Jerusalem et contra Judam, donec projiceret eos a facie sua: recessitque Sedecias a rege Babylonis.

25 Factum est autem anno nono regni ejus, mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse et omnis exercitus ejus, in Jerusalem, et circumdederunt eam: et exstruxerunt in circuitu ejus munitiones. ² Et clausa est civitas atque vallata usque ad undecimum annum regis Sedeciæ, ³ nona die mensis: prævaluitque fames in civitate, nec erat panis populo terræ. ⁴ Et interrupta est civitas: et omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ quæ est inter duplicem murum ad hortum regis. Porro Chaldæi obsidebant in circuitu civitatem. Fugit itaque Sedecias per viam quæ ducit ad campestria solitudinis.^{¶¶} ⁵ Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie Jericho: et omnes bellatores qui erant cum eo, dispersi sunt, et reliquerunt eum. ⁶ Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha: qui locutus est cum eo iudicium. ⁷ Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, et oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, et adduxit in Babylonem. ⁸ Mense quinto, septima die mensis, ipse est annus nonusdecimus regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps exercitus, servus regis

^{††}24.14 ID., ibid. *Artificem et inclusorem, nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ.* RAB. ex Bed., ibid. Quod supra populo Israël Philisthiim regnantes fecisse narrantur, cum dicitur: *Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israël, caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam ad repugnandum* I Reg. 13., ita nunc Chaldæi satagunt, ut nullus in ea remaneat artifex et inclusor, qui diruta urbis mœnia componere possit vel resarcire RAB. Mali sunt rectores, qui munere et dono divino abutuntur, et falso sibi nomen justitiæ usurpant. Matthathia vel Matthanias enim interpretatur munus sive donum: Sedecias justus Dominus. Undecim annis regnavit, quia transgressor legis fuit, quæ significatur denario, numero. Novenarius, qui minus habet denario imperfectionem legis significat, sicut undenarius transgressionem. Recte ergo Nabuchodonosor in nono anno regni Sedeciæ obsedit civitatem mense decimo, et decima die mensis: quia mali pastores, cum decalogi mandata, quæ scientia tenent, opere et doctrina perficere negligunt, necesse est ut plebem sibi commissam antiquus hostis cum suo exercitu obsidione circumdet, et munitione erroris ac vitiorum constructa claudat, vallando civitatem: sicut fames in civitate prævaleat, fames utique verbi Dei cum non expenditur panis doctrinæ populo terræ.

^{¶¶}25.4 *Et interrupta est,* etc. RAB. Interrupta quidem per tentationes varias dæmonum custodia populorum, etc., usque ad qui pravo usu et iniquitatis suæ multitudine gravatur.

Babylonis, in Jerusalem.^{§§ 9} Et succendit domum Domini, et domum regis: et domos Jerusalem, omnemque domum combussit igni. ¹⁰ Et muros Jerusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum. ¹¹ Reliquam autem populi partem quæ remanserat in civitate, et perfugas qui transfugerant ad regem Babylonis, et reliquum vulgus transtulit Nabuzardan princeps militiæ. ¹² Et de pauperibus terræ reliquit vinitores et agricolas. ¹³ Columnas autem æreas quæ erant in templo Domini, et bases, et mare æreum quod erat in domo Domini, confrugerunt Chaldæi, et transtulerunt æs omne in Babylonem.* ¹⁴ Ollas quoque æreas, et trullas, et tridentes, et scyphos, et mortariola, et omnia vasa ærea, in quibus ministrabant, tulerunt.† ¹⁵ Necnon et thuribula, et phialas: quæ aurea, aurea, et quæ argentea, argentea tulit princeps militiæ,‡ ¹⁶ id est, columnas duas, mare unum, et bases quas fecerat Salomon in templo Domini: non erat pondus æris omnium vasorum. ¹⁷ Decem et octo cubitos altitudinis habebat columna una: et capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum: et retiaculum, et malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea: similem et columna secunda habebat ornatum. ¹⁸ Tulit quoque princeps militiæ Saraïam sacerdotem primum, et Sophoniam sacerdotem

§§25.8 *Mense quinto.* RAB. Congruit temporis ordo cum ratione vindictæ. Mense quinto vastata est civitas, quæ Pentateuchum legis servare despexit, et septima die mensis, quia sabbati requiem non custodivit, et contraria præceptis Dei egit, frustra sibi blandiens de securitate pro sanctorum locorum habitatione. ID. *Venit Nabuzardan,* qui interpretatur ventilabrum, sive prophetia alieni iudicii, etc., usque ad sed spinæ magis et tribuli vitiorum excrescant.

*25.13 *Columnas autem æreas quæ,* etc. ID. Et bases intelligimus doctores, qui sonoritate prædicationis et fidei firmitate debuerunt alios sustentare. Mare æneum baptismi lavacrum, vel compunctionem lacrymarum. Hæc quidem omnia Chaldæi spirituales per inertiam magistrorum, et de domo Domini auferre nituntur, et confringere.

†25.14 *Ollas quoque.* ID. Quia diversa officia in ecclesiasticis ordinibus de Dei servitio auferentes in suum usum nequissimum verterunt.

‡25.15 *Thuribula et phialas.* Cum orationem qua divinitas placari potuit, et poculum verbi quo lassi refocillari debuerant impediendo subvertunt. ID. Quia tam sensum pretiosum, quam eloquii venustatem, hostis nequam de domo Domini auferre molitur, et secum in confusionem ducere.

secundum, et tres janitores.[¶] 19 Et de civitate eunuchum unum, qui erat præfectus super bellatores viros: et quinque viros de his qui steterant coram rege, quos reperit in civitate: et Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ: et sexaginta viros e vulgo, qui inventi fuerant in civitate. 20 Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha. 21 Percussitque eos rex Babylonis, et interfecit eos in Reblatha in terra Emath: et translatus est Juda de terra sua. 22 Populo autem qui relictus erat in terra Juda, quem dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam filii Saphan. 23 Quod cum audissent omnes duces militum, ipsi et viri qui erant cum eis, videlicet quod constituisset rex Babylonis Godoliam, venerunt ad Godoliam in Maspha, Ismahel filius Nathaniæ, et Johanan filius Caree, et Saraia filius Thanehumeth Netophathites, et Jezonias filius Maachathi, ipsi et socii eorum.[§] 24 Juravitque Godolias ipsis et sociis eorum, dicens: Nolite timere servire Chaldæis: manete in terra, et servite regi Babylonis, et bene erit vobis. 25 Factum est autem in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ filii Elisama de semine regio, et decem viri cum eo: percusseruntque Godoliam, qui et mortuus est: sed et Judæos et Chaldæos qui erant cum eo in Maspha. 26 Consurgensque omnis populus a parvo usque ad magnum, et principes militum, venerunt in Ægyptum timentes Chaldæos. 27 Factum est vero in anno trigesimo septimo transmigrationis Joachin regis Juda, mense duodecimo, vigesima septima die mensis: sublevavit Evilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachin regis Juda de carcere. 28 Et locutus est ei benigne, et posuit thronum ejus super thronum regum qui erant cum eo in Babylone. 29 Et mutavit vestes ejus quas

[¶]25.18 *Tulit quoque.* ID. Non solum populares, sed et fortes et principes in Ecclesia diabolus decipere et peccatores captivare satagit, unde in Job de ipso: *Escæ ejus electæ sunt* Job 33.. *ulit Saraïam*, qui interpretatur vinculus, *sacerdotem primum*, cum primum Ecclesiæ ordinem, qui in episcopis est, amore voluptatis terrenæ vitiorum catena constringit. Similiter *Sophoniam*, qui interpretatur absconditus, *sacerdotem secundum*, cum secundi ordinis viros, id est presbyteros qui talentum verbi in terra fodiens absconderant in suum dominium subigit. *Et tres inani*, qui ostium fidei aperire debuerant, et tenentes clavem scientiæ nec ipsi introierunt, nec alios introire permiserunt. Eunuchus significat fatuas virgines, quæ vasa oleo vacua in manibus tenebant, continentes se a coitu corporali, nec tamen oleum gratiæ et misericordiæ in pectore suo habere volebant. Qui frustra super bellatores constituuntur cum arrogantiam non præcaveant. *Quinque viros de his qui steterant coram rege* Matth. 5., id est, illos qui quinque sensibus corporis voluptati servientes, regi vitiorum semper assistebant. *Sopher principem.* ID. Interpretatur dissipans vel dividens: significans eos, qui rudes in Ecclesia, quos ad militiam Christi nutrire debuerant, pravis exemplis dissipans, a cœtu fidelium per errorem sequestrant. *Et sexaginta viros e vulgo*, id est, stultos operatores, qui merito e vulgo, quia divina consilia discere et factis implere neglexerant. *Et sexaginta viros.* ID. Hos omnes Nabuzardan duxit ad regem Babylonis, et interfecti sunt, quia diabolus prædam quam ab Ecclesia evellit, ad perpetuæ mortis interfectionem perducere ambit: quos percutit rex confusionis in Reblatha, hoc est in multitudine scelerum, et amore voluptatum. ID. Cum illi qui confessionem nominis Dei in Ecclesia videbantur habere, per scelera multiplicia de terra viventium translati in regnum confusionis et erroris abducuntur, etc., usque ad et vultum Conditoris nostri per sæcula contemplari.

[§]25.23 *Et Saraia.* Filius Saraïæ sacerdotis reservatus est, et pater occisus. Ex quo in captivitate postea natus est Jesus sacerdos magnus, qui reduxit populum cum Zorobabel.

habuerat in carcere, et comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ. ³⁰ Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ et dabatur ei a rege per singulos dies omnibus diebus vitæ suæ.

INCIPIIT LIBER DABREIAMIN

ID EST VERBA DEIRUM

QUI GRÆCE DICITUR PARALIPOMENON

1 Adam, Seth, Enos, ²Cainan, Malaleel, Jared, ³Enoch, Mathusale, Lamech, ⁴Noë, Sem, Cham, et Japheth. ^{**} ⁵Filii Japheth: Gomer, et Magog, et Madai, et Javan, Thubal, Mosoch, Thiras. ^{††} ⁶Porro filii Gomer: Ascenez, et Riphath, et Thogorma. ⁷Filii autem Javan: Elisa et Tharsis, Cethim et Dodanim. ^{‡‡} ⁸Filii Cham: Chus, et Mesraim, et Phut, et Chanaan. ^{¶¶} ⁹Filii autem Chus: Saba, et Hevila, Sabatha, et Regma, et Sabathacha. Porro filii Regma: Saba, et Dadan. ^{§§} ¹⁰Chus autem genuit Nemrod: iste cœpit esse potens in terra. ^{*} ¹¹Mesraim vero genuit Ludim, et Anamim,

^{**}1.4 **Noë.** RAB. in Paral., tom. 3. Decimus ab Adam Noë, et in Genesi et in Paralipomenis monstratur, et apte decimus, quia perfectus est. Unde, **Noë vir justus erat et perfectus in generationibus suis**, etc. Gen. 6. Hic genuit Sem, Cham et Japheth, per quos post diluvium rediviva hominum dilatatur progenies.

^{††}1.5 **Filii Japheth.** HIER. Hi possederunt terram in Asia, ab Amano et Tauro Syriae Cheles et Ciliciæ montibus usque ad flumen Thanaim. In Europa, usque ad Gadara nomina locis et gentilibus relinquentes, e quibus postea immutata sunt plurima, permanent cætera. **Thubal.** RAB. Hiberes qui et Hispani, a quibus Celtiberia, licet quidam Italos suspicentur. **Mosoch.** ID. Cappadoces, unde urbs eorum usque hodie Masacha dicitur. Septuaginta vero interpretes Gaphthorim Cappadoces arbitrantur.

^{‡‡}1.7 **Filii autem.** GREG. Ab his divisæ sunt insulæ nationum, linguæ, cognationes et gentes. De Ionibus, id est Græcis nascuntur Elisæi, qui et Æolides. Unde ista lingua Græce Æolis dicitur. **Tharsis.** RAB. Hos Josephus Cilices arbitratur, unde et metropolis eorum Tharsis dicitur, Paulo apostolo gloriosa Act. 22.. **Cethim.** ID. A quo Cithæi, alias Cithii a quibus urbs Cypri Cithia, alias Cithium dicitur usque hodie. **Dodanim.** ID. Rhodii, sic enim LXX transtulerunt. Legamus Varronis de antiquitatibus libros et Sinnii Capitonis, et Græcum Phlegonta cæterosque, et videbimus omnes pene insulas et totius orbis littora, terrasque maritimas Græcis accolis occupatas: qui ab Amano et Tauro omnia maritima usque ad oceanum possidere Britannicum.

^{¶¶}1.8 **Phut.** ID. Libyes, a quo et Mauritaniae fluvius Phut dicitur, et regio Phutensis. Multi autem scriptores tam Græci quam Latini hujus rei testes sunt. Quare autem in una climatis parte antiquum Libyæ nomen permanet, et reliqua terra dicatur Africa, non est hujus temporis disserere.

^{§§}1.9 **Saba.** ID. A quo Sabæi, interpretatur nunc **Saba Arabia**, unde in psal. LXXI ubi habemus: Reges Arabum et Saba; in Hebræo habetur: Reges Saba et Saba, primum per Schin, secundum per Samech.

^{*}1.10 **Iste cœpit esse potens in terra.** Quia insuetam tyrannidem primus arripuit. Hic fuit robustus venator coram Domino, quia homines a Dei cultura avertit. Unde Josephus: Fecit autem eos elatos ad injuriam Dei atque contemptum. Nemrod, filius Cham, filii Noë, qui, cum esset audacior et manu fortissimus, suadebat hominibus ut non Deo suam felicitatem, sed propriæ virtuti ascriberent. Sic homines a Dei timore revocabat, ut spem in propria virtute poneret. Ideoque putabant Deum interminari diluvium. Unde turrim ædificari suadebant quam aqua non posset ascendere. Multitudo autem prompta erat ut obediret Nemrod, grave putans servitium obsequi Deo. Regnavit autem Nemrod in Babylone et in Areth. Hæc est Edessa et Macha quæ est Nisibis et in Chalamne, quæ a Seleuco rege Seleucia dicta est, vel quæ nunc The-siphon dicitur.

et Laabim, et Nephtuim,[†] ¹² Phetrusim quoque, et Casluim: de quibus egressi sunt Philisthiim, et Caphthorim. ¹³ Chanaan vero genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum quoque, ¹⁴ et Jebusæum, et Amorrhæum, et Gergesæum,[‡] ¹⁵ Hevæumque et Aracæum, et Sinæum. ¹⁶ Aradium quoque, et Samaræum, et Hamathæum.[¶] ¹⁷ Filii Sem: Ælam, et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram, et Hus, et Hul, et Gether, et Mosoch.[§] ¹⁸ Arphaxad autem genuit Sale, qui et ipse genuit Heber. ¹⁹ Porro Heber nati sunt duo filii: nomen uni Phaleg, quia in diebus ejus divisa est terra; et nomen fratris ejus Jectan.^{**} ²⁰ Jectan autem genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, et Jare,^{††} ²¹ Adoram quoque, et Huzal, et Decla, ²² Hebal etiam, et Abimaël, et Saba, necnon ²³ et Ophir, et Hevila, et Jobab: omnes isti filii Jectan. ²⁴ Sem, Arphaxad, Sale,^{‡‡} ²⁵ Heber, Phaleg, Ragau, ²⁶ Serug, Nachor, Thare, ²⁷ Abram: iste est Abraham. ²⁸ Filii autem Abraham, Isaac et Ismahel. ²⁹ Et hæ generationes eorum. Primogeni-

[†]1.11 *Mesraim autem genuit.* RAB. Exceptis Laabim, a quibus Libyes nominati sunt, qui prius Phutæi, et Castium, qui post Philisthiim dicti sunt, quos nos corrupte Palæstinos dicimus. Cæteræ gentes ignoratæ sunt nobis, quia bello Æthiopico subversa in oblivionem præteritorum nominum pervenere. Possederunt autem terram a Gaza usque ad extremos fines Ægypti.

[‡]1.14 *Gergezæum, Hevæum.* Hic condidit Archas oppidum contra Tripolim in radicibus Libani, a quo haud procul alia civitas fuit nomine Sim, quæ vario eventu subversa bellorum, nomen tantum loco pristinum reservavit.

[¶]1.16 *Aradium quoque.* A quo Aradii, qui Aradum insulam possederunt angusto freto a Phœnicis littore separatam. *Et Samareum.* A quo Syriæ Cheles Samariæ civitas, nunc quoque tam a Syris quam ab Hebræis ut prius apud veteres appellatur. *Hamathæum.* RAB. A quo Emath civitas. Hanc Macedones qui post Alexandrum in Oriente regnaverunt, Epiphaniam nuncupaverunt. Alii Antiochiam ita dictam putant. Alii non vere opinionem suam verisimili vocabulo consulentes, Emaus primam ab Antiochia mansionem Edessam pergentibus appellari putant, et eandem apud veteres Emath.

[§]1.17 *Filii Sem,* etc. Hi ab Euphrate partes Asiæ usque ad Indicum oceanum tenent. Est autem Ælam a quo principes Persidis. *Hus et Hul.* Vel Us, Trachonitidis et Damasci conditor inter Palæstinam et Cælesyriam tenuit principatum, a quo terra Hus de qua Job fuit; unde, secundum LXX, vir erat in regione Ausiti de nomine Job quasi Husitide.

^{**}1.19 *Phaley.* RAB. Vaticinio quodam. Phaleg enim divisio, quia in diebus ejus, linguæ in Babylone divisæ sunt. Narrat autem Philo in libro Quæstionum super Genesim, quod ex tribus filiis Nœ, adhuc ipso vivente, nati sunt tredecim millia virorum et centum, extra mulieres et parvulos habentes super se duces. Filii Sem, Jectan duces; filii Cham, Nemroth; filii Japhet, Suphene. Post obitum vero Nœ, convenerunt duces cum agminibus suis in campum Sennaar, ut ibi turrim construerent. Cum autem ædificarent, divisit Deus linguas eorum, et mutavit effigies, et non cognovit quisque fratrem suum, nec audivit linguam proximi sui. Cum vero magistri lapides quærebant, ministri aquam afferebant, et cum illi quærebant aquam, illi afferebant stipulam. Sicque frustrata cogitatione cessaverunt ædificare et dispersi sunt super faciem terræ.

^{††}1.20 *Jectan autem.* HIERON. Harum gentium posteriora nomina invenire non potui, sed usque in præsens, quia procul a nobis sunt, vel ita vocantur ut primum, vel quæ mutata sunt ignorantur; possederunt autem a Cofene fluvio omnem Indiæ regionem quæ vocatur Hieria.

^{‡‡}1.24 *Sem, Ar.* RAB. Sicut in principio ab Adam usque ad Nœ decem generationes posuit; ita a Sem usque ad Abram, non sine sacramenti mysterio.

tus Ismahelis, Nabaioth, et Cedar, et Adbeel, et Mabsam,[¶] 30 et Masma, et Duma, Massa, Hadad, et Thema, 31 Jetur, Naphis, Cedma: hi sunt filii Ismahelis. 32 Filii autem Ceturæ concubinæ Abraham, quos genuit: Zamran, Jecsan, Madan, Madian, Jesboc, et Sue. Porro filii Jecsan: Saba, et Dadan. Filii autem Dadan: Assurim, et Latussim, et Laomim.^{§§} 33 Filii autem Madian: Epha, et Ephher, et Henoch, et Abida, et Eldaa: omnes hi filii Ceturæ. * 34 Genuit autem Abraham Isaac: cujus fuerunt filii Esau, et Israël. 35 Filii Esau: Eliphaz, Rahuel, Jehus, Ihelom, et Core. 36 Filii Eliphaz: Theman, Omar, Sephi, Gathan, Cenez, Thamna, Amalec. † 37 Filii Rahuel: Nathath, Zara, Samma, Meza. 38 Filii Seir: Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Dison, Eser, Disan. 39 Filii Lotan: Hori, Homam. Soror autem Lotan fuit Thamna. 40 Filii Sobal: Alian, et Manahath, et Ebal, Sephi et Onam. Filii Sebeon: Aja et Ana. Filii Ana: Dison.[‡] 41 Filii Dison: Hamram, et Heseban, et Jethran, et Charan. ¶ 42 Filii Eser: Balaan, et Zavan, et Jacan. Filii Disan: Hus et Aran.[§] 43 Isti sunt reges qui imperaverunt in terra Edom, antequam esset rex super filios Israël. Bale filius Beor: et nomen civi-

[¶]1.29 **Primogenitus.** HIERON., Quæst. in Paral., tom. 3. Duodecim filii nascuntur Ismæli: primogenitus Nabaioth, a quo omnis regio ab Euphrate usque ad mare Rubrum Nabaiothena dicitur: quæ pars est Arabiæ. Nam familiæ ipsorum oppidaque et pagi, ac minuta castella et tribus horum appellatione celebrantur ab una ex eis Cedar in deserto: et Duma alia regio, et Thebaram ad Austrum, et Cedema ad Orientalem plagam.

^{§§}1.32 **Ceturæ.** RAB. Quasi copulata, unde suspicantur Hebræi eam esse Agar quæ, mortua Sara, de concubina transierit in uxorem, ne senex novis arguatur nuptiis lascivisse. ID. Filii autem Ceturæ, juxta historicos Hebræorum, occupaverunt Troconitidem, alii Traconitidem et Arabiam: quæ nunc vocatur Eidormo, usque ad maris Rubri terminos. **Assurim.** Ab Assurim Syrios quidam vocatos contendunt, et a plerisque filiis Abrahæ de Cetura occupatas esse Indiæ regiones.

*1.33 **Ephher.** RAB. Hic dicitur contra Libyam exercitum duxisse, ibi victor consedissee, posterosque ex nomine ejus Africam nuncupasse.

†1.36 **Thamna.** Quæritur, cum Thamna in Genesi legatur concubina esse Eliphaz de genere Horrhæorum, qui apud Idumæos habitaverunt in terra Seir, quæ peperit ei Amalec, quomodo inter filios numeretur, cum in sequentibus legatur ipsa Thamna soror Lotam filii Seir, qui et Edom? Sed Seir Hebraice pilosus dicitur, qui fuit in modum pellis hispidus. Edom autem Hebraice rubeus vel fulvus. Ab eo igitur quod rubeo cibo vendidit primogenita sua, Edom vocatus est. Hebræi vero ita solvunt. Dicunt Thamnam concubinam fuisse Eliphaz, et generasse ei Amalec, sed tanquam filiam inter filios ab ipso fuisse educatam.

[‡]1.40 **Aliam,** qui de genere Horrhæorum est. In Genesi scribitur, Aluham, id est exaltatus. In Paralipomenis vero Alian, id est ejectus, significans quia Horrhæi exaltati sunt antequam Edom terram eorum caperet, post vero ejecti. **Sephi.** HIERON. Id est, unipes. In Genesi Sepho, id est, bipes; utrumque tamen per schin litteram. Bipes autem dicitur, quia a processu temporis multitudine sobolis majorem efficaciam habuerit quam in primis.

¶1.41 **Hamran.** In Paralipomenis Hamram, id est rubricatus, sordidus vel tumultentus. In Genesi Amdan, id est concupiscibilis; sed utraque unius hominis nomina sunt.

§1.42 **Jacan.** RAB. Jacan filius Aser de genere Horrhæorum, in Genesi Acan nominatur, id est tribulator. In Paralipomenis Jacan, id est tribulatus. Variis enim eventibus nomina commutantur, ut varia mysteria significentur.

tatis ejus, Denaba. ^{** 44} Mortuus est autem Bale, et regnavit pro eo Jobab filius Zare de Bosra. ^{†† 45} Cumque et Jobab fuisset mortuus, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum. ^{‡‡ 46} Obiit quoque et Husam, et regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in terra Moab: et nomen civitatis ejus Avith. ^{¶¶ 47} Cumque et Adad fuisset mortuus, regnavit pro eo Semla de Masreca. ⁴⁸ Sed et Semla mortuus est, et regnavit pro eo Saul de Rohoboth, quæ juxta amnem sita est. ^{§§ 49} Mortuo quoque Saul, regnavit pro eo Balanan filius Achobor. ⁵⁰ Sed et hic mortuus est, et regnavit pro eo Adad: cujus urbis nomen fuit Phau, et appellata est uxor ejus Meetabel filia Matred filia Mezaab. ^{* 51} Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse cœperunt: dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth, ^{† 52} dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, ⁵³ dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, ⁵⁴ dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom. **2** Filii autem Israël: Ruben, Simeon, Levi, Juda, Issachar, et Zabulon, ^{‡ 2} Dan, Joseph, Benjamin, Nephthali, Gad, et Aser. ³ Filii Juda: Her, Onan, et Sela: hi

^{**}1.43 **Denaba.** Civitas Hala filii Beor regis Edom, post quem regnavit Jobab. Est tamen usque hodie villa Denaba, in octavo milliario Areopoleos, pergentibus Armonem, et altera Denaba super montem Phegor, in septimo lapide Jebus. Hieronymus de Jesbii.

^{††}1.44 **Jobab filius Zaræ,** quem Job esse suspicantur. Sed Hebræi afferunt eum de stirpe Nachor esse progenitum; Philo autem, in libro Quæstionum super Genesim, narrat his temporibus eum fuisse et accepisse uxorem Dinam, filiam Jacob: et ante tentationis suæ certamen dicit eam septem filios et tres filias illi generasse, qui extincti sunt in tentatione. Sed ei sanato reddidit Dominus omnia duplicia, et item septem filios et tres filias prædictas uxor genuit, quorum nomina eadem fuerunt quæ priorum, id est, Eliphaz, Armœ, Diasath, Philasia, Dipharceluth, Thelon, filiarum vero Meru, Lizath, Zeli. **Bosra,** etc. Quæ est Bosor civitas in deserto trans Jordanem in tribu Ruben. Appellatur et alia Bosor civitas Esau in montibus Idumææ, de qua dicitur: *Fulvida vestimenta ejus ex Rosor*

^{‡‡}1.45 **Themanorum.** Theman regio a Theman filio Eliphaz sortita vocabulum. Est usque hodie villa Theman, distans ab urbe Petra quinque millibus, et ubi Romanorum militum præsidium sedit, de quo loco fuit Eliphaz rex Themanorum: unus quoque filiorum Ismæl appellabatur Theman. Sciendum autem quod omnis australis regio Hebraice Theman dicitur.

^{¶¶}1.46 **Madian,** civitas a minimo filiorum Abraham et Cethuræ sic vocata. Est autem trans Arabiam in deserto Saracenorum contra orientem maris Rubri, unde vocantur Madianæi, et Madianæa regio. Filia quoque soceri Moysi filia Madian dicuntur; sed hæc alia civitas est ononymos ejus juxta Armonem et Areopolim, cujus adhuc ruinæ monstrantur.

^{§§}1.48 **Rohoboth.** Urbs est juxta fluvium ubi erat rex Edom, et usque hodie est præsidium in regione Gabalena, et vicus grandis qui sic vocatur.

[†]1.50 **Matred filia,** etc. Duæ matres hic numerantur, ad significandum mysterium, ut aurifex genuisset dispensatricem, et dispensatrix Domini benignitatem, quia ex profunditate sensus nascitur facunda locutio quæ fidem mundam gratiam Dei promeretur gignere in cordibus auditorum.

[†]1.51 **Duces,** etc. Notandum quod prius reges dixit de Edom, postea duces cum prius fuerunt: quorum quasdam matres nominat, ut Oolibama et Thamna. **Dux Aliha.** Alva in Genesi legitur, cujus interpretatio elevatio; in Paralipomenis Aliha, id est, super eam.

[‡]2.1 **Achar qui.** HIERON., Quæst. in Paral., tom. 3. Achar qui et Achan in Josue dicitur, id est coluber insidians, Achar turbatus, etc., usque ad id est, multitudine peccatorum extincti sunt.

tres nati sunt ei de filia Sue Chananitide. Fuit autem Her primogenitus Juda malus coram Domino, et occidit eum. ⁴ Thamar autem nurus ejus peperit ei Phares et Zara: omnes ergo filii Juda, quinque. ⁵ Filii autem Phares: Hesron et Hamul. ⁶ Filii quoque Zaræ: Zamri, et Ethan, et Eman, Chalchal quoque, et Dara, simul quinque. ⁷ Filii Charmi: Achar, qui turbavit Israël, et peccavit in furto anathematis. ⁸ Filii Ethan: Azarias. ⁹ Filii autem Hesron qui nati sunt ei: Jerameel, et Ram, et Calubi. [¶] ¹⁰ Porro Ram genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Nahasson, principem filiorum Juda. ¹¹ Nahasson quoque genuit Salma, de quo ortus est Booz. ¹² Booz vero genuit Obed, qui et ipse genuit Isai. ¹³ Isai autem genuit primogenitum Eliab, secundum Abinadab, tertium Simmaa, [§] ¹⁴ quartum Nathanaël, quintum Raddai, ¹⁵ sextum Asom, septimum David. ¹⁶ Quorum sorores fuerunt Sarvia et Abigail. Filii Sarviæ: Abisai, Joab, et Asaël, tres. ¹⁷ Abigail autem genuit Amasa, cujus pater fuit Jether Ismahelites. ^{**} ¹⁸ Caleb vero filius Hesron accepit uxorem nomine Azuba, de qua genuit Jerioth: fueruntque filii ejus Jaser, et Sobab, et Ardon. ¹⁹ Cumque mortua fuisset Azuba, accepit uxorem Caleb Ephratha, quæ peperit ei Hur. ^{††} ²⁰ Porro Hur genuit Uri, et Uri genuit Bezeleel. ²¹ Post hæc ingressus est Hesron ad filiam Machir patris Galaad, et accepit eam cum esset annorum sexaginta: quæ peperit ei Segub. ²² Sed et Segub genuit Jair, et possedit viginti tres civitates in terra Galaad. ^{‡‡} ²³ Cepitque Gessur et Aram oppida Jair, et Canath, et viculos ejus sexaginta civitatum: omnes isti filii Machir patris Galaad. ²⁴ Cum autem mortuus esset Hesron, ingressus est Caleb ad Ephratha. Habuit quoque Hesron uxorem Abia, quæ peperit ei Assur patrem Thecuæ. ²⁵ Nati sunt autem filii Jerameel primogeniti Hesron, Ram primogenitus ejus, et Buna, et Aram, et Asom, et Achia. ^{¶¶} ²⁶ Duxit quoque uxorem alteram Jerameel, nomine Atara, quæ fuit mater Onam. ^{§§} ²⁷ Sed et filii Ram primogeniti Jerameel fuerunt Moos, Jamin, et Achar. ²⁸ Onam autem habuit filios Semei

[¶]2.9 **Calubi**, id est, canis meus, qui et Caleb, id est canis, unus de exploratoribus. Hesron quoque et Jephone idem est, unde Caleb filius Hesron, et aliquando filius Jephone legitur.

[§]2.13 **Isai autem genuit**. In libro Regum dicitur habere Isai octo filios, in Paralipomenis non amplius quam septem. Sed dicunt Hebræi Nathan prophetam filium Sama vel Sammaa, vel Simmaa filii Isai, quem in locum filii educavit et nutrit inter filios numeratum. Inter filios quoque Isai Nathan adductus est ad Samuelem, qui et Jonatham, qui percussit leonem. Et sciendum quod ubi propheta vocatur, Nathan scribitur, non Jonathan

^{**}2.17 **Jether**. In Regum, Jethra Israhelites; sed meritorum qualitas diversitatem nominum facit; nam Jethra residuum interpretatur, Jether vero modicum residuum, et residuo jungitur Israhelitis, modico residuo Israhelitis.

^{††}2.19 **Ephrata**. HIERON. Hæc est Maria soror Moysi, mater Hur, patris Huri, Avi Beseleel. Hur vero est qui cum Aaron sustinebat manus Moysi pugnante Josue.

^{‡‡}2.22 **Jair**. Hic judex fuit post Thola et judicavit Israhel duobus et viginti annis, habens filios triginta, principes civitatum triginta, quæ ab ipso nominatæ sunt, sicut in libro Judicum legitur.

^{¶¶}2.25 **Nati sunt**. Hactenus scriptor historiæ texuit generationem duorum filiorum Hesron, duorum posteriorum, id est, Aram et Calubi, de quibus prius narravit; quia regiam et sacerdotalem quoquomodo voluit innotescere dignitatem. Nunc autem ad primogeniti, id est Jerameel, genealogiam redit.

^{§§}2.26 **Onam**. Hic ab Onam filio Judæ nomen accepit, sed differunt, quia per Num filius Judæ, filius Jerameel per Mem scribitur

et Jada. Filii autem Semei: Nadab et Abisur. ²⁹Nomen vero uxoris Abisur, Abihail, quæ peperit ei Ahobban et Molid. ³⁰Filii autem Nadab fuerunt Saled et Apphaim. Mortuus est autem Saled absque liberis. ³¹Filius vero Apphaim, Jesi: qui Jesi genuit Sesan. Porro Sesan genuit Oholai. ³²Filii autem Jada fratris Semei: Jether, et Jonathan. Sed et Jether mortuus est absque liberis. ³³Porro Jonathan genuit Phaleth, et Ziza. Isti fuerunt filii Jerameel. ³⁴Sesan autem non habuit filios, sed filias: et servum ægyptium nomine Jeraa. ³⁵Deditque ei filiam suam uxorem: quæ peperit ei Ethei. ³⁶Ethei autem genuit Nathan, et Nathan genuit Zabad. ³⁷Zabad quoque genuit Ophlal, et Ophlal genuit Obed. ³⁸Obed genuit Jehu, Jehu genuit Azariam, ³⁹Azarias genuit Helles, et Helles genuit Elasa. ⁴⁰Elasa genuit Sisamoi, Sisamoi genuit Sellum, ⁴¹Sellum genuit Icamiam, Icamia autem genuit Elisama. ⁴²Filii autem Caleb fratris Jerameel: Mesa primogenitus ejus; ipse est pater Ziph: et filii Maresa patris Hebron. ⁴³Porro filii Hebron, Core, et Taphua, et Recem, et Samma. ⁴⁴Samma autem genuit Raham, patrem Jercaam, et Recem genuit Sammai. ⁴⁵Filius Sammai, Maon: et Maon pater Bethsur. ⁴⁶Epha autem concubina Caleb peperit Haran, et Mosa, et Gezez. Porro Haran genuit Gezez. ⁴⁷Filii autem Jahaddai, Regom, et Joathan, et Gesan, et Phalet, et Epha, et Saaph. ⁴⁸Concubina Caleb Maacha, peperit Saber, et Tharana. ⁴⁹Genuit autem Saaph pater Madmena Sue, patrem Machbena et patrem Gabaa. Filia vero Caleb fuit Achsa. ⁵⁰Hi erant filii Caleb, filii Hur primogeniti Ephratha, Sobal pater Cariathiarim. ⁵¹Salma pater Bethlehem, Hariph pater Bethgader. ⁵²Fuerunt autem filii Sobal patris Cariathiarim, qui videbat dimidium requietionum. ⁵³Et de cognatione Cariathiarim, Jethrei, et Aphuthei, et Semathei, et Maserei. Ex his egressi sunt Saraitæ, et Esthaolitæ. ⁵⁴Filii Salma, Bethlehem, et

*2.34 **Sesan**. Hunc Hebræi dicunt esse Elimelech, virum Nœmi, patrem Mahalom et Cheliom, et ideo scriptor in sequentibus innuit quod Sesan non habuerit filios, sed filias, quia duo filii ejus absque liberis mortui sunt.

†2.43 **Hebron**. Civitas in qua regnavit David septem annis antequam regnavit in Jerusalem. Significat hæc loca nomina accepisse a posteris Caleb, qui Hebron et suburbana ejus in sortem accepit.

‡2.50 **Hi erant filii**. Recapitulat generationem Caleb de Ephratha, quam ante dimisit, quando Hur de Ephratha, id est, Maria sorore Moysi genitum narravit.

¶2.52 **Cariathiarim**, quæ et Cariathabal, id est civitas saltuum, una de urbibus Gabaonitarum in nono milliaro euntibus ab Helia Diospolim in tribu Juda.

Netophathi, coronæ domus Joab, et dimidium requietionis Sarai:^{§ 55} cognationes quoque scribarum habitantium in Jabes, canentes atque resonantes, et in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab.**

3 David vero hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron: primogenitum Amnon ex Achinoam Jezrahelitide, secundum Daniel de Abigail Carmelitide,^{†† 2} tertium Absalom filium Maacha filiæ Tholmai regis Gessur, quartum Adoniam filium Aggith,

§2.54 **Bethlehem**; civitas David, in tribu Judæ, in qua Dominus natus est in septimo ab Elia milliario contra meridionalem plagam, juxta viam quæ ducit Hebron, ubi sepulcrum Jesse et David ostenditur, et mille circiter passibus procul turris Ader, id est turris gregis, in quodam vaticinio pastores Dominicæ nativitatæ conscios ante significans. **Qui dividebat dimidium requietionum** HIERON., ubi supra, id est sortes Madian juxta sepulcra patriarcharum quæ sunt in Cariatharbe accepit, et hujus filii fuerunt Jethrei, etc. Seraitæ et Esthaolitæ nomina locorum sortiti sunt, qui sunt Sarrai et Esthaol, ubi sepultus est Samson. Requietatio enim sepulcrum dicitur. Alii dimidium requietionis tempus dimidium intelligunt, quo filii Israël cœperunt terram promissionis possidere, ab eo scilicet tempore quo Moyses dedit terram Galaad ultra Jordanem, Ruben et Gad, et dimidiæ tribui Manasse, usquequo cæteræ tribus sortes suas acceperunt. In hujus temporis medietate dicunt Sobal esse mortuum, et ita dimidium requietionum vidisse, id est, ad medietatem illius temporis pervenisse. Mystice autem Sobal, id est vana vetustas, vel vectis ad portandum. Judæos significat qui antiquitus populus Dei vocabantur et legem litteræ primi acceperunt, qui libros legis et prophetarum ferebant, sed mysterium incarnationis Christi non intelligebant. Unde dimidium requietionum, id est historiam viderunt. Ille autem plenitudinem requietionum possidet, qui post opera bona valde in æterna quiete gaudet. Vel dimidium requiei videt, qui post præsentis vitæ laborem animæ quietem habet. Tunc autem perfectionem requietionum videbit, cum et anima et corpore perfruetur perfectione quietis

2.55 **Habitantium. ID. Tradunt Hebræi Jabes fuisse doctorem legis peritissimum, in cujus conspectu sedebant filii Cinæi, qui et Jobab cognati Moysi. Scribæ igitur dicuntur canentes atque resonantes, quia assidue in legis Dei locutione versabantur: in tabernaculis quoque commoratos regum narrat historia. Jabes Christum significat verum magistrum sanctorum laudes Deo canentium. Jabes enim interpretatur **exsiccans**, Christus autem fluxus carnalium cupiditatum in suis fidelibus exsiccavit. Cinæi, id est possessio vel possidentes, sunt omnes electi de quibus dicitur: Hæreditas mea Israël, et quorum possessio Dominus est. Rechab interpretatur **auriga** vel **ascendens**. Hi autem venerunt de calore patris domus Rechab, quia a patre luminum gratia Spiritus inflammati, per quadrigam virtutum in coelos ascendunt, de quibus dicitur: **Quincunque Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt** Rom. 8..

††3.1 **David vero**. Redit ad explicandam progeniem David, quam ante dimisit, cum sobolem Amram filii Hesron enumerans pervenit ad Isai et ad filios ejus, quorum David novissimus. **Jezrahelitide**. RAB. Jezrahel civitas est in qua habitavit Naboth, quem occidit Jezabel. **Daniel**. ID. Daniel qui in libro Regum Cheleab, id est, vindicans patrem, quia secundum Hebræos, disceptans cum Miphiboseth de questionibus legis, victor apparuit et patrem in eo ulcisci visus est, ne irrideretur in disputando ab homine debili vir bellicosus.

³ quintum Saphathiam ex Abital, sextum Jethraham de Egla uxore sua.^{‡‡} ⁴ Sex ergo nati sunt ei in Hebron, ubi regnavit septem annis et sex mensibus. Triginta autem et tribus annis regnavit in Jerusalem.^{¶¶} ⁵ Porro in Jerusalem nati sunt ei filii, Simmaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon, quatuor de Bethsabee filia Ammiel: ⁶ Jebaar quoque et Elisama, ⁷ et Eliphaleth, et Noge, et Nepheg, et Japhia, ⁸ necnon Elisama, et Eliada, et Elipheleth, novem: ⁹ omnes hi, filii David absque filiis concubinarum: habueruntque sororem Thamar.^{§§} ¹⁰ Filii autem Salomonis, Roboam: cujus Abia filius genuit Asa. De hoc quoque natus est Josaphat, ¹¹ pater Joram: qui Joram genuit Ochoziam, ex quo ortus est Joas: ¹² et hujus Amasias filius genuit Azariam. Porro Azariæ filius Joatham ¹³ procreavit Achaz patrem Ezechiaë, de quo natus est Manasses. ¹⁴ Sed et Manasses genuit Amon patrem Josiaë. ¹⁵ Filii autem Josiaë fuerunt: primogenitus Johanan, secundus Joakim, tertius Sedecias, quartus Sellum.* ¹⁶ De Joakim natus est Jechonias, et Sedecias. ¹⁷ Filii Jechoniaë fuerunt: Asir, Salathiel,[†] ¹⁸ Melchiram,

‡‡3.3 *De Egla uxore sua.* HIERON. Quæritur cur hæc Egla sola uxor David dicatur; sed hæc est Michol, quæ inter multas sola uxor dicitur, quia eam in adolescentia primam accepit uxorem, quæ in partu occubuisse dicitur. Egla vero interpretatur vitula, quæ significat Synagogam, quæ legis jugum suscepit, sed lasciviendo corrupit, unde, *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Hanc noster David accepit, quando eam sibi in testamento dato copulavit. In partu occubuit, quia apparente verbo Dei in carne, et Evangelium prædicante, cum per fidem bonorum operum sobolem gignere debuit, scandalizata in passione ejus sibi mortem æternam ascivit

¶¶3.4 *In Hebron ubi regnavit,* etc. Quid per regnum David in Hebron vel in Jerusalem accipiatur, librum Regum exponendo perstrinximus. Scriptum est in sequentibus: Omne tempus quo regnavit David quadraginta annis; regnavit in Hebron septem annis, in Jerusalem tribus et triginta, unde quæritur cur non in summa quadraginta anni et sex menses numerentur; Hebræi autem dicunt quia David Absalonem filium suum fugerit sex mensibus, eosque merito a summo regni ejus exclusos. Dicunt etiam quod sex mensibus in Hebron infirmitate corporis laboraverit, et ideo in regno non recte computari. Extunc enim dicunt eum regnavisse in Hebron, ex quo victis Amalecitis de spoliis eorum misit senioribus Juda, his scilicet qui erant Hebron et aliis.

§§3.9 *Omnes hi filii David,* etc. Quia omnes filii Christi æternam palmam expectant, sed excipiuntur filii concubinarum, qui nominatim inter cæteros non meruerunt numerari. Judæi enim hæretici vel schismatici hujus societatis consortium habere non possunt: cœlestis enim regni gloria filios David de nobili tantum conjugio expectat. *Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ* Gen. 21..

*3.15 *Filii autem Josiaë.* RAB. Quatuor filii Josiaë leguntur hic, etc., usque ad qui et similiter translatus est in Chaldæos.

†3.17 *Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia, Senneser,* etc. Hæc vero nomina unius hominis sunt, ut Hebræi volunt, ipse est Phadaia pater Zorobabel et Semei. Unde in Esdra et in Matthæo Zorobabel Salathiel scribitur. Et interpretatur Phadaia *redemptus Domini*, *Asir carceratus*, *Salathiel frutex Domini*; quæ omnia conveniunt doctoribus sanctis, quorum officio ecclesiasticus populus generatur, qui diversis afflictionibus castigati per gratiam Domini redempti germina virtutum tam in se quam in subditis proferunt.

Phadaia, Senneser, et Jecemia, Sama, et Nadabia.[‡] ¹⁹ De Phadaia orti sunt Zorobabel et Semei. Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam, et Salomith sororem eorum: ²⁰ Hasaban quoque, et Ohol, et Barachian, et Hasadian, Josabhesed, quinque. ²¹ Filius autem Hananiae, Phaltias pater Jeseiae, cujus filius Raphaia: hujus quoque filius, Annan, de quo natus est Obdia, cujus filius fuit Sechenias. ²² Filius Secheniae, Se-meia: cujus filii Hattus, et Jegaal, et Baria, et Naaria, et Saphat, sex numero. ²³ Filius Naariae, Elioënai, et Ezechias, et Ezricam, tres. ²⁴ Filii Elioënai, Oduia, et Eliasub, et Pheleia, et Accub, et Johanan, et Dalaia, et Anani, septem.

4 Filii Juda: Phares, Hesron, et Charmi, et Hur, et Sobal.[¶] ² Raia vero filius Sobal genuit Jahath, de quo nati sunt Ahumai, et Laad: hæ cognationes Sarathi. ³ Ista quoque stirps Etam: Jezrahel, et Jesema, et Jedebos. Nomen quoque sororis eorum, Asalephuni.[§] ⁴ Phanuel autem pater Gedor, et Ezer pater Hosa: isti sunt filii Hur primogeniti Ephratha patris Bethlehem.^{**} ⁵ Assur vero patri Thecuæ erant duæ uxores, Halaa et Naara. ⁶ Peperit autem ei Naara, Oozam, et Hepher, et Themani, et Ahasthari: isti sunt filii Naara. ⁷ Porro filii Halaa, Sereth, Isaar et Ethnan. ⁸ Cos autem genuit Anob, et Soboba, et cognationem Aharehel filii Arum. ⁹ Fuit autem Jabes inclytus præ fratribus suis, et mater ejus vocavit nomen illius Jabes, dicens: Quia peperit eum in dolore.^{††} ¹⁰ Invocavit vero Jabes Deum Israël, dicens: Si benedicens

[‡]3.18 **Senneser.** Ipse est Selbasar cui Cyrus annumeravit vasa domus Domini, sicut in Esdra dicitur. Est autem Senneser plasmatus, Sesbasar tribulatus, quæ custodibus vasorum Dei congruunt, id est sanctarum animarum quibus Christo, quem Cyrus nomine et absolute significavit, cui dicitur: *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* Psal. 2., et qui captivitatem humani generis relaxavit, sanctas animas custodiendas annumeravit, quæ sunt vasa Domini numerata, quia *novit Dominus qui sunt ejus* II Tim. 2..

[¶]4.1 **Filii Juda.** Quomodo Phares et Hesron et tres qui sequuntur filii Judæ esse dicuntur, cum alibi Phares et Zaram filios Judæ Hesron filium Phares legimus; sed Hebræi asserunt, mutatis nominibus, eosdem filios Judæ, quos Scriptura aliis nominibus alibi nominat, hic esse expressos. Aiunt enim Phares, qui interpretatur *divisio*, suum nomen proprium hic habere. Hesron autem esse Zaram, sed Hesron interpretatur *atrium*, Zaram *ortus*. Charmi quoque esse Heber, nam Charmi interpretatur *vinea mea*, Her *vigilans*. Ur autem dicunt esse Onam, sed Ur interpretatur *sinistra*, Onam *murmuratio*, Sobal vero esse Sela minimum filiorum Judæ quos peperit ei Sue. Interpretatur autem Sobal *spica*, vel *vana vetustas*. Sela *missus vel umbra ejus*.

[§]4.3 **Asalephuni.** RAB. Hanc suspicantur esse matrem Samsonis de stirpe Judæ generatam, cujus maritus Manue de tribu Dan, qui et de Sara in libro Judicum esse legitur.

^{**}4.4 **Gedor et Ezer.** ID. Loca sunt a filiis Ur possessa; sed mirum quod hic dicitur Ur pater Bethlehem, cum superius Salma dictus sit pater ejus, nisi forte patrem hic appellet parentem, quia Hur fuit pater Salma qui fuit pater Bethlehem.

^{††}4.9 **Fuit autem Jabes.** ID. Videtur ordo confusus, quia numeratis filiis Halaa et Naara, subito inducit cognationem Arahel filii Aram, et consequenter narrat de Jabes; sed Hebræi dicunt quod Assur de Halaa genuit Etam, et ille Cos. Cos autem Soboba, et Soboba Jabes, qui fuit doctor scribarum. Inter Cos et Jabes inseruntur cognationes Aharehel vel Aharahel, alias Aral, quia ipse est Obab filius Aran, id est, Jetro cognati Moysi. Et quia Jabes docebat eos; inserti sunt in ejus progenie quasi a majoribus ejus geniti. **Et mater** Synagoga de qua Christus natus est, quæ peperit eum in dolore, quia de adventu ejus propter infidelitatem doluit, unde Judæi invidentes dicebant: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* Joan. 11..

benedixeris mihi, et dilataveris terminos meos, et fuerit manus tua mecum, et feceris me a malitia non opprimi. Et præstitit Deus quæ precatus est.^{‡‡} ¹¹ Caleb autem frater Sua genuit Mahir, qui fuit pater Esthon.^{¶¶} ¹² Porro Esthon genuit Bethrapha, et Phesse, et Tehinna patrem urbis Naas: hi sunt viri Recha.^{§§} ¹³ Filii autem Cenez, Othoniel, et Saraia. Porro filii Othoniel, Hathath, et Maonathi.* ¹⁴ Maonathi genuit Ophra, Saraia autem genuit Joab patrem Vallis artificum: ibi quippe artifices erant. ¹⁵ Filii vero Caleb filii Jephone, Hir, et Ela, et Naham. Filii quoque Ela: Cenez. ¹⁶ Filii quoque Jaleleel: Ziph, et Zipha, Thiria, et Asraël. ¹⁷ Et filii Ezra, Jether, et Mered, et Epher, et Jalon, genuitque Mariam, et Sammai, et Jesba patrem Esthamo.† ¹⁸ Uxor quoque ejus Judaia, peperit Jared patrem Gedor, et Heber patrem Socho, et Icuthiel patrem Zanoë: hi autem filii Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered.‡

‡‡4.10 *Invocavit.* Hoc convenit Christo, quem Pater sanctificavit, et misit in mundum; de quo dicitur: **Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi**, etc. Joan. 1.. Hunc benedixit Deus multiplicatione filiorum, quos per aquam baptismi sacrosancta parit Ecclesia I Cor. 1.. Dilatavit terminos ejus, quia omnium gentium dedit ei hæreditatem, et possessionem ejus extendit usque ad terminos terræ. Cum quo fuit manus Domini, quia potentia deitatis per eum virtutes et miracula fecit. Ipse quoque est virtus Dei et sapientia, per quem Pater condidit omnia quæ in cœlis sunt et in terra, cui malitia Judæorum nocere non potuit, qui de se ait: **Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam.** Per eum quoque benedicuntur membra ejus, id est, Ecclesia, cui per Isaïam dicitur: **Dilata locum tentorii tui**, etc. Isa. 54.. Cum eo est manus Domini, quia in ipsa operatur Filius Dei, qui est brachium et dextera Patris. **Et portæ inferi non prævalebunt adversus eum**, nec diabolus dominabitur ei, quia **data est ei potestas super omnem virtutem inimici**

¶¶4.11 *Caleb autem frater.* RAB. Legimus supra Caleb esse filium Hesron, cujus fratres fuerunt Ram et Jerameel. Aiunt ergo Hebræi Ram Caleb fratrem Suam hic appellari. Et interpretatur Ram *excelsus*, Sua *humilis*, quod Judaico populo convenit, quia excelsus fuit in cultu unius Dei et potentia regni; sed quia Dei Filium suscipere noluit, humilis factus est atque vilis, ut fiant primi novissimi.

§§4.12 *ID. Recha.* Quidam putant Recha nomine David nuncupari. Est enim Recha tener. Unde David de se ait: **Ego sum tener et unctus rex** II Reg. 3.. Ipse quoque quasi vermiculus ligni tener esse dicitur. Ideo autem viri Recha dicuntur, quia propter exprimendam genealogiam David hic annotati sunt.

*4.13 *Saraia autem genuit.* De Saraia dicitur Joab prodisse, qui juxta nominis interpretationem pater vallis artificum dicitur, quia de filiis ejus fuerunt architecti qui ædificaverunt domum Domini. Artifices vero qui in valle habitant possunt dici doctores legis, quos *scientia non inflat, sed charitas ædificat* I Cor. 8., quos modestia et humilitas exaltat, ut Gamaliel et Paulus ejus discipulus Act. 5, 22..

†4.17 *Ezra.* RAB-HIERON.. Aiunt Hebræi Ezram, qui interpretatur *auxiliator*, esse Amram patrem Moysi et Aaron; Jether, id est, *auxilium*, esse Aaron; et Mered, *qui rebellans*, esse Moysen. Epher quoque vel Opher, id est, *pulverem*, Heldad fuisse. Jalon vero et Meldath, qui duo de septuaginta senioribus fuerunt, quos Moyses a Deo accepit ad regendi populi auxilium: tradunt enim Moysen post acceptam legem in eremo patri suasisse, ut matrem dimitteret, eo quod ipsius amica esset, fuit enim filia Levi, postquam Amram duxit aliam ex qua habuit Heldath et Meldath. **Genuitque Mariam.** ID. Sammai Moysen intelligi volunt, etc., usque ad quia populum in eremo gubernavit, et doctrina sua quotidie gubernat.

‡4.18 *Filiæ Pharaonis.* ID. Filiam Pharaonis matrem Moysi vocat, quæ etiam secundum proprietatem nominis filia Domini nuncupatur, quia bonam scilicet voluntatem in nutriendo puero habuit, et Amared, id est Moyses accepta dicitur, quia relictis idolis ad Dei cultum conversa est.

¹⁹ Et filii uxoris Odaiaë sororis Naham patris Ceila, Garmi, et Esthamo, qui fuit de Machathi. ²⁰ Filii quoque Simon, Amnon, et Rinna filius Hanan, et Thilon. Et filii Jesi, Zoheth, et Benzoheth. ²¹ Filii Sela, filii Juda: Her pater Lecha, et Laada pater Maresa, et cognationes domus operantium byssum in domo juramenti. [¶] ²² Et qui stare fecit solem, virique Mendacii, et Securus, et Incendens, qui principes fuerunt in Moab, et qui reversi sunt in Lahem: hæc autem verba vetera. [§] ²³ Hi sunt figuli habitantes in plantationibus et in sepibus, apud regem in operibus ejus: commoratique sunt ibi. ^{**} ²⁴ Filii Simeon: Namuel et Jamin, Jarib, Zara, Saul. ²⁵ Sellum filius ejus, Mapsam filius ejus, Masma filius ejus. ²⁶ Filii Masma: Hamuel filius ejus, Zachur filius ejus, Semei filius ejus. ²⁷ Filii Semei sedecim, et filiaë sex: fratres autem ejus non habuerunt filios multos, et universa cognatio non potuit adæquare summam filiorum Juda. ²⁸ Habitaverunt autem in Bersabee, et Molada, et Hasarsuhal, ^{††} ²⁹ et in Bala, et in Asom, et in Tholad, ³⁰ et in Bathuel, et in Horma, et in Siceleg, ³¹ et in Bethmarchaboth, et in Hasarsusim, et in Bethberai, et in Saarim: hæc civitates eorum usque ad regem David. ³² Villæ quoque eorum: Etam, et Aën, Remmon, et Thochen, et Asan, civitates quinque. ³³ Et universi viculi eorum per circuitum civitatum istarum usque ad Baal: hæc est habitatio eorum, et sedium distributio. ³⁴ Mosobab quoque et Jemlech, et Josa filius Amasiaë, ³⁵ et Joël, et Jehu filius Josabiaë filii Saraiaë filii Asiel, ³⁶ et Elioënai, et Jacoba, et Isuhaia, et Asaia, et Adiel, et Ismiel, et Banaia, ³⁷ Ziza quoque filius Sephei filii Allon filii Idaia filii Semri filii Samaia. ³⁸ Isti sunt nominati principes in cognationibus suis, et in domo affinita-

[¶]4.21 *Her pater.* ID. Redit ad progeniem Phares de qua ortus est David, ut progeniem Juda de qua orta est tribus regia in David terminaret. Tradunt enim hunc fuisse Elimelech virum Nœmi, in cujus tempore propter prævaricatores legis sol stetit, ut viso miraculo converterentur ad Dominum; quod quia contempserunt, invaluit fames, et qui in tribu Juda prior videbatur, inopia cogente, cum uxore et filiis patria pulsus, in peregrinatione cum filiis mortuus est.

[§]4.22 *Securus et Incendens.* ID. Mahalon et Chelion, qui hic Securus et Incendens dicuntur, fuisse in Moab, quia uxores Moabitidas duxerunt, unde in Hebræo non principes, sed mariti dicuntur, sicut illius linguæ doctores tradunt. *Qui reversi sunt in,* etc. Nœmi et Ruth, quæ reversæ sunt in Bethlehem audita panis ubertate.

^{**}4.23 *Figuli habitantes.* Figulos qui in plantationibus et sepibus laborant doctores intelligimus, qui formant et componunt vasa Domini, fingere enim componere dicimus, unde compositores luti figulos vocamus. Hi vineam Domini doctrina plantant et excolunt, exhortando et orando muniunt. Hi apud regem in operibus suis morantur, quia in fide Christi manentes quidquid dicunt, quidquid agunt, ad gloriam Dei faciunt.

^{††}4.28 *Habitaverunt in,* etc. Progenies Ruth, quæ in ipsis sepibus et plantationibus habitasse dicitur, quando ad regiam dignitatem et munimentum plebis hæc plantatio pervenit. *Commoratique sunt ibi.* In Genesi sex scribuntur, sed hic Sober prætermittitur: quia nulla de eo progenies. Sed quædam nomina mutantur suis rationibus. In Genesi enim Gemuel, id est mater Dei; hic Hamuel, id est legens cum Deo. Quidam in Genesi vocatur Echa, hic autem Jarib, id est litigans, quia de eo exivit Zambri, qui cum Madianite fornicans a Phinee sacerdote peremptus est. Jacim in Genesi, id est præparatio; hic vero nominatur Zara, id est ortus. *Et universa cognatio non,* etc. Quia Simeon non habuit tantam sobolem quantum Judas; unde in Josue dicitur: Simeon per cognationes suas accepisse hæreditatem in medio filiorum Juda. *Hæ civitates,* etc. Quia Sicelech et Bersabee, quæ Judæ fuerunt et a Simeone invasæ sunt, a David in pristinam Judæ hæreditatem redierunt.

tum suarum multiplicati sunt vehementer.³⁹ Et profecti sunt ut ingrederentur in Gador usque ad orientem vallis, et ut quærerent pascua gregibus suis.⁴⁰ Inveneruntque pascuas uberes, et valde bonas, et terram latissimam et quietam et fertilem, in qua ante habitaverant de stirpe Cham.⁴¹ Hi ergo venerunt, quos supra descripsimus nominatim, in diebus Ezechiae regis Juda: et percusserunt tabernacula eorum, et habitatores qui inventi fuerant ibi, et deleverunt eos usque in præsentem diem: habitaveruntque pro eis, quoniam uberrimas pascuas ibidem repererunt.⁴² De filiis quoque Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes Phalthiam et Naariam et Raphaïam et Oziel filios Jesi:⁴³ et percusserunt reliquias, quæ evadere potuerant, Amalecitarum, et habitaverunt ibi pro eis usque ad diem hanc.

5 Filii quoque Ruben primogeniti Israël. (Ipse quippe fuit primogenitus ejus: sed cum violasset thorum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph filii Israël, et non est ille reputatus in primogenitum.⁸⁸ Porro Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt: primogenita autem reputata sunt Joseph.)³ Filii ergo Ruben primogeniti Israël: Enoch, et Phallu, Esron, et Carmi.⁴ Filii Joël: Samia filius ejus, Gog filius ejus, Semei filius ejus,⁵ Micha filius ejus, Reia filius ejus, Baal filius ejus,⁶ Beera filius ejus, quem captivum duxit Thelgathphalnasar rex Assyriorum, et fuit princeps in tribu Ruben.⁷ Fratres autem

³⁹4.38 ***Isti sum nominati.*** Descripta stirpe Simeonis et actibus eorum, mystice signatur, quia doctores sancti, id est Ecclesiae principes gregibus Christi pascua providentes proficiscuntur in Gador vel Gader, quæ interpretatur *sepes ejus*. Hæc est Ecclesia quæ est fidelium defensio: ibi sunt pascua usque ad Orientem vallis, id est incarnationem Verbi, ***qui semetipsum exinanivit, servi formam accipiens*** Philip. 1. In eo inveniuntur pascua. Ipse enim ait: ***Per me si quis introierit, ingreditur et egredietur, et pascua inveniet*** Joan. 10., virtutes scilicet. ***In eo terra latissima et quietata***, id est, gratia Spiritus sancti copiosa; in qua ante habitaverant de stirpe Cham, significat gentium multitudinem idola reliquisse, et ad unius Dei cultum confluisse. Hi ergo venerunt quos supra descripsimus nominatim in diebus Ezechiae regis Juda, hoc est in adventu Christi. Ipse est enim Christus Dei virtus, quem Ezechias, scilicet fortitudo Domini, significat. ***Percusserunt tabernacula:*** percutit fide tabernacula impiorum et habitatores impiorum quando abnegans impietatem omnem et sæcularia desideria, per Christi baptismum a sordibus abluitur peccatorum, postea studens sobrie, juste et pie vivere in hoc sæculo, ut fiat quod scriptum est: ***Et erit in loco ubi ante dictum est: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei*** Osee. 1..

⁴³4.42 ***Viri quingenti.*** Patres Novi Testamenti qui abierunt in montem Seir, et percusserunt reliquias Amalecitarum, quia superbiam hujus mundi conculcantes, deformitatem vitiorum comprimunt; hi quatuor dicuntur, quia evangelica doctrina veraciter instructi, spirituale bellum contra dæmones convenienter gerunt; percussis reliquiis Amalecitarum, ibi habitabant, quia expulsis dæmonibus in loco vitiorum virtutes substituunt, quarum possessio hominem efficit beatum usque ad diem hunc, quod semper dici potest usque ad finem mundi, quia Ecclesia usque ad finem mundi permanet, in qua quotidie antiquus hostis triumphatur.

⁸⁸5.1 ***Sed cum violas,*** etc. RAB. Ideo ablata sunt Ruben primogenita, quia dormivit cum Bala, concubina patris sui, et data sunt Joseph filio juniore, cujus progenies multiplicatur et excedit potentiam regni inter decem tribus. Mystice autem significat ruinam prioris populi, qui ut primogenitus debebat sacerdotium et regnum accipere; sed quia maculavit stratum patris sui, id est corpus Christi, in quo erat plenitudo divinitatis, in cruce suspendit et occidit: primogeniti dignitas ad spiritualem Joseph, id est Christum et Ecclesiae populum translata est; ad quem pater: ***Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech,*** etc. Psal. CIX.

ejus, et universa cognatio ejus, quando numerabantur per familias suas, habuerunt principes Jehiel, et Zachariam. ⁸ Porro Bala filius Azaz filii Samma filii Joël, ipse habitavit in Aroër usque ad Nebo, et Beelmeon. ⁹ Contra orientalem quoque plagam habitavit usque ad introitum eremi, et flumen Euphraten. Multum quippe jumentorum numerum possidebant in terra Galaad. ¹⁰ In diebus autem Saul præliati sunt contra Agareos, et interfecerunt illos, habitaveruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga quæ respicit ad orientem Galaad.* ¹¹ Filii vero Gad e regione eorum habitaverunt in terra Basan usque Selcha: ¹² Joël in capite, et Saphan secundus: Janai autem et Saphat in Basan. ¹³ Fratres vero eorum secundum domos cognationum suarum, Michaël, et Mosollam, et Sebe, et Jorai, et Jachan, et Zie, et Heber, septem. ¹⁴ Hi filii Abihail, filii Huri, filii Jara, filii Galaad, filii Michaël, filii Jesesi, filii Jeddo, filii Buz. ¹⁵ Fratres quoque, filii Abdiel filii Guni, princeps domus in familiis suis. ¹⁶ Et habitaverunt in Galaad, et in Basan, et in viculis ejus, et in cunctis suburbanis Saron, usque ad terminos. ¹⁷ Omnes hi numerati sunt in diebus Joathan regis Juda, et in diebus Jeroboam regis Israël. ¹⁸ Filii Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, viri bellatores, scuta portantes et gladios, et tendentes arcum, eruditique ad prælia, quadraginta quatuor millia et septingenti sexaginta, procedentes ad pugnam. ¹⁹ Dimicaverunt contra Agareos: Ituræi vero, et Naphis, et Nodab ²⁰ præbuerunt eis auxilium. Traditique sunt in manus eorum Agarei, et universi qui fuerant cum eis, quia Deum invocaverunt cum præliarentur: et exaudivit eos, eo quod credidissent in eum. ²¹ Ceperuntque omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia, et ovium ducenta quinquaginta millia, et asinos duo millia, et animas hominum centum millia. ²² Vulnerati autem multi corruerunt: fuit enim bellum Domini. Habitaveruntque pro eis usque ad transmigrationem. ²³ Filii quoque dimidiæ tribus Manasse possederunt terram a finibus Basan usque Baal, Hermon, et Sanir, et montem Hermon: ingens quippe numerus erat. ²⁴ Et hi fuerunt principes domus cognationis eorum: Ephes, et Jesi, et Eliel, et Ezriel, et Jeremia, et Odoia, et Jediel, viri fortissimi et potentes, et nominati duces in familiis suis. ²⁵ Reliquerunt autem Deum patrum suorum, et fornicati sunt post deos populorum terræ, quos abstulit Deus coram eis. ²⁶ Et suscitavit Deus Israël spiritum Phul regis Assyriorum, et spiritum Thelgathphalnasar regis Assur: et transtulit Ruben, et Gad, et dimidiam

*5.10 *Contra Agarenos.* HIERON. in Paral. Verisimile est Agar fuisse Cethuram, cum in sequentibus dicat Rubenitas et Gaaditas et dimidiam tribum Manasse cum Agarenis pugnasse et præbuisse Israël auxilium Ituræos, Naphæos et Nodab filios Ismælis. Nodab autem est, ut videtur, qui in Genesi Cedma dicitur, id est antiquorum vel antecessens.

tribum Manasse, et adduxit eos in Lahela, et in Habor, et Ara, et fluvium Gozan, usque ad diem hanc.[†]

6 ³Filii Levi: Gerson, Caath, et Merari. ²Filii Caath: Amram, Isaar, Hebron, et Oziel. ³Filii Amram: Aaron, Moyses, et Maria. Filii Aaron: Nadab et Abiu, Eleazar, et Ithamar. ⁴Eleazar genuit Phinees, et Phinees genuit Abisue. ⁵Abisue vero genuit Bocci, et Bocci genuit Ozi. ⁶Ozi genuit Zariaiam, et Zariaias genuit Meraiioth.[‡] ⁷Porro Meraiioth genuit Amariam, et Amarias genuit Achitob. ⁸Achitob genuit Sadoc, et Sadoc genuit Achimaas, ⁹Achimaas genuit Azariam, Azarias genuit Johanan, ¹⁰Johanan genuit Azariaam: ipse est qui sacerdotio functus est in domo quam ædificavit Salomon in Jerusalem. ¹¹Genuit autem Azarias Amariam, et Amarias genuit Achitob, ¹²Achitob genuit Sadoc, et Sadoc genuit Sellum, ¹³Sellum genuit Helciam, et Helcias genuit Azariam, ¹⁴Azarias genuit Saraiaam, et Saraias genuit Josedec. ¹⁵Porro Josedec egressus est, quando transtulit Dominus Judam et Jerusalem per manus Nabuchodonosor.[¶] ¹⁶Filii ergo Levi: Gersom, Caath, et Merari. ¹⁷Et hæc nomina filiorum Gersom: Lobni, et Semei. ¹⁸Filii Caath: Amram, et Isaar, et Hebron, et Oziel. ¹⁹Filii Merari: Moholi et Musi. Hæ autem cognationes Levi secundum familias eorum. ²⁰Gersom: Lobni filius ejus, Jahath filius ejus, Zamma filius ejus, ²¹Joah filius ejus, Addo filius ejus, Zara filius ejus, Jethrai filius ejus. ²²Filii Caath: Aminadab filius ejus, Core filius ejus, Asir filius ejus, ²³Elcana filius ejus, Abiasaph filius ejus, Asir filius ejus, ²⁴Thahath filius ejus, Uriel filius ejus, Ozias filius ejus, Saul filius ejus. ²⁵Filii Elcana, Amasai et Achimoth ²⁶et Elcana. Filii Elcana: Sophai filius ejus, Nahath filius ejus, ²⁷Eliab filius ejus, Jeroham filius ejus, Elcana filius ejus. ²⁸Filii Samuel: primogenitus Vasseni, et Abia.[§] ²⁹Filii autem Merari, Moholi: Lobni filius ejus, Semei filius ejus, Oza filius ejus, ³⁰Sammaa filius ejus, Haggia filius

[†]5.26 *Et suscitavit.* Notandum est quod in Regum dicitur Phul regem Assyriorum a Manahem filio Gaddi rege Israël accepisse mille talenta argenti IV Reg. 15., ut eset ei auxilio et firmaret regnum ejus, non quod eum transtulerit in Assyrios, sed quod Teglatphalnasar rex Assur in diebus Phacee regis Israël cepit Ahion, et Abel domum Maacha, et Ianæ et Cedec et Asor et Galaad et Galilæam et universam terram Nephthali, et transtulit eos in Assyrios. Postremo narrat quod Salmanasar rex Assyriorum Osee filium Ela regem Israël obsidendo tribus annis Samariam cepit, et transtulit Israël in Assyrios et posuit eos in Ahila et in Abor, juxta fluvium Gozam in civitatibus Medorum. Unde quæritur: quomodo in Paralipomenis dicamus Phul et Teglatphalnasar reges Assyriorum transtulisse Ruben et Gad, et dimidiam tribum Manasse in Ahilam et Abor et Aram et fluvium Gozan; cum Malachim narret hoc Salmanasar fecisse qui transtulit Israël in Assyrios, et posuit in locis supradictis? Sed reges Assyriorum priores hoc fecisse dicuntur, quia cœperunt cum gente Assyriorum quod eadem gens in posteris perfecit. Aram quam Paralipomenon memorat, Malachim prætermittit. Autumant Hebræi esse Rages civitatem Medorum.

[‡]6.6 *Filii Levi, Gerson,* etc. *Johanan.* Prætermisiss aliis filiis Levi qui similiter sacerdotes fuerunt in domo Domini, Johanan specialiter laudatur, quia viriliter restitit Oziæ regi per se sacrificare volenti: et constantia animi et zelo legis explevit officium sacerdotis.

[¶]6.15 *Porro Josedec.* HIERON. Quæst. Hebr. in Paral. Josedec dicunt esse Esdram sacerdotem, etc., usque ad Esdram vero esse sacerdotem, virum justum et gloriosum.

[§]6.28 *Abia.* Hic, ut Hebræi tradunt, judex constitutus munera accipiebat, quod Joël, qui et Vas seni, senior ejus filius sciens, non corripuit: ideo uterque peccasse dicitur secundum Hebræum. Unde: *Factum est cum senuisset Samuel, posuit filios suos judices Israël, et cætera.*

ejus, Asaia filius ejus. ³¹ Isti sunt quos constituit David super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca: ^{**} ³² et ministrabant coram tabernaculo testimonii, canentes donec aedificaret Salomon domum Domini in Jerusalem: stabant autem juxta ordinem suum in ministerio. ³³ Hi vero sunt qui assistebant cum filiis suis, de filiis Caath, Hemam cantor filius Johel, filii Samuel, ³⁴ filii Elcana, filii Jeroham, filii Eliel, filii Thohu, ³⁵ filii Suph, filii Elcana, filii Mahath, filii Amasai, ³⁶ filii Elcana, filii Johel, filii Azariae, filii Sophoniae, ³⁷ filii Thahath, filii Asir, filii Abiasaph, filii Core, ³⁸ filii Isaar, filii Caath, filii Levi, filii Israël. ³⁹ Et frater ejus Asaph, qui stabat a dextris ejus, Asaph filius Barachiae, filii Samaa, ⁴⁰ filii Michaël, filii Basaiae, filii Melchiae, ⁴¹ filii Athanai, filii Zara, filii Adaia, ⁴² filii Ethan, filii Zamma, filii Semei, ⁴³ filii Jeth, filii Gersom, filii Levi. ⁴⁴ Filii autem Merari fratres eorum, ad sinistram, Ethan filius Cusi, filii Abdi, filii Maloch, ^{††} ⁴⁵ filii Hasabiae, filii Amasiae, filii Helciae, ⁴⁶ filii Amasai, filii Boni, filii Somer, ⁴⁷ filii Moholi, filii Musi, filii Merari, filii Levi. ⁴⁸ Fratres quoque eorum Levitae, qui ordinati sunt in cunctum ministerium tabernaculi domus Domini. ^{‡‡} ⁴⁹ Aaron vero et filii ejus adolebant incensum super altare holocausti, et super altare thymiamatis, in omne opus Sancti sanctorum: et ut precarentur pro Israël juxta omnia quae praeceperat Moyses servus Dei. ^{¶¶} ⁵⁰ Hi sunt autem filii Aaron: Eleazar filius ejus, Phinees filius ejus, Abisue filius ejus, ⁵¹ Bocci filius ejus, Ozi filius ejus, Zarahia filius ejus, ⁵² Meraioth filius ejus, Amarias filius ejus, Achitob filius ejus, ⁵³ Sadoc filius ejus, Achimaas filius ejus. ⁵⁴ Et haec habitacula eorum per vicos atque confinia, filiorum scilicet Aaron, juxta cognationes Caathitarum: ipsis enim sorte contigerant. ⁵⁵ Dederunt igitur eis Hebron in terra Juda, et suburbana ejus per circuitum: ⁵⁶ agros autem civitatis, et villas, Caleb filio Jephone. ⁵⁷ Porro filiis Aaron dederunt civitates ad confugiendum Hebron, et Lobna, et suburbana ejus, ⁵⁸ Jether quoque, et Esthemo cum suburbanis suis, sed et Helon, et Dabir cum suburbanis suis, ⁵⁹ Asan quoque, et Bethsemes, et suburbana earum. ⁶⁰ De tribu autem Benjamin, Gabee et suburbana ejus, et Almath cum suburbanis suis, Anathoth quoque cum suburbanis suis: omnes civitates, tredecim, per cognationes suas. ⁶¹ Filiis autem Caath residuis de cognatione sua dederunt ex dimidia tribu Manasse in possessionem urbes decem. ⁶² Porro filiis Gersom per cognationes

^{**}6.31 *Isti sunt quos constituit*, anticipando de officiis, cantorum David qui organis musicis laudes Domine canebant, cum eorum genealogiam narraret, praelibavit; suo autem ordine quomodo id fecissent demonstrabit.

^{††}6.44 *Ethan filius*. Ethan unus de cantoribus tribus, qui coram David in cymbalis laudem Dei concrepabant. Et notandum, quod sicut fuerunt tres filii Levi, Caath, Gerson et Merari, ita tres cantores: Eman de Caath, Asaph de Gerson; Ethan de Merari. Mystice autem significant sanctos doctores, qui sanctae Trinitatis fide imbuti, secundum dispensationem veri David praedicationem Evangelii toti mundo annuntiant.

^{‡‡}6.48 *Levitae qui*. Quia omnis ordo ecclesiasticus secundum apostolorum traditionem, et qui primatum tenent, totum ministerium agunt in Ecclesia Dei; unde: *Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quae Ecclesia Dei vivi*, etc. I Tim. 3..

^{¶¶}6.49 *Aaron*. Christus significat, filii ejus Ecclesiae populum, cui dicitur: *Vos estis genae electum, regale sacerdotium*, etc. I Petr. 2., quem summus pontifex docuit super altare fidei holocaustum bonorum operum et incensum orationis offerre; et ut precaretur pro Israël, id est pro statu Ecclesiae, secundum praecepta legis per Moysen data. Repetit autem genealogiam Aaron usque ad Achimaas, quod pro laude ejus factum videtur, quia fidelius fuit David in omnibus.

suas de tribu Issachar, et de tribu Aser, et de tribu Nephthali, et de tribu Manasse in Basan, urbes tredecim. ⁶³Filiis autem Merari per cognationes suas de tribu Ruben, et de tribu Gad, et de tribu Zabulon, dederunt sorte civitates duodecim. ⁶⁴Dederunt quoque filii Israëli Levitis civitates, et suburbana earum: ⁶⁵dederuntque per sortem, ex tribu filiorum Juda, et ex tribu filiorum Simeon, et ex tribu filiorum Benjamin urbes has, quas vocaverunt nominibus suis, ⁶⁶et his, qui erant de cognatione filiorum Caath, fueruntque civitates in terminis eorum de tribu Ephraim. ⁶⁷Dederunt ergo eis urbes ad confugiendum, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gazer cum suburbanis suis, ⁶⁸Jecmaam quoque cum suburbanis suis, et Bethoron similiter, ⁶⁹necnon et Helon cum suburbanis suis, et Gethremmon in eumdem modum. ⁷⁰Porro ex dimidia tribu Manasse, Aner et suburbana ejus, Balaam et suburbana ejus: his videlicet, qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant. ⁷¹Filiis autem Gersom de cognatione dimidiæ tribus Manasse, Gaulon in Basan, et suburbana ejus, et Astaroth cum suburbanis suis. ⁷²De tribu Issachar, Cedec et suburbanis suis, et Dabereth cum suburbanis suis, ⁷³Ramoth quoque et suburbana ejus, et Anem cum suburbanis suis. ⁷⁴De tribu vero Aser: Masal cum suburbanis suis, et Abdon similiter, ⁷⁵Hucac quoque et suburbana ejus, et Rohob cum suburbanis suis. ⁷⁶Porro de tribu Nephthali, Cedec in Galilæa et suburbana ejus, Hamon cum suburbanis suis, et Cariathaim et suburbana ejus. ⁷⁷Filiis autem Merari residuis: de tribu Zabulon, Remmono et suburbana ejus, et Thabor cum suburbanis suis: ⁷⁸trans Jordanem quoque ex adverso Jericho contra orientem Jordanis, de tribu Ruben, Bosor in solitudine cum suburbanis suis, et Jassa cum suburbanis suis, ⁷⁹Cademoth quoque et suburbana ejus, et Mephaat cum suburbanis suis. ⁸⁰Necnon et de tribu Gad, Ramoth in Galaad et suburbana ejus, et Manaim cum suburbanis suis, ⁸¹sed et Hesebon cum suburbanis suis, et Jezer cum suburbanis suis.

7 Porro filii Issachar: Thola, et Phua, Jasub, et Simeron, quatuor. ²Filii Thola: Ozi, et Raphaia, et Jeriel, et Jemai, et Jebsem, et Samuel, principes per domos cognationum suarum. De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt in diebus David, viginti duo millia sexcenti. ³Filii Ozi: Izrahia, de quo nati sunt Michaël, et Obadia, et Joël, et Jesia, quinque omnes principes. ⁴Cumque eis per familias et populos suos, accincti ad prælium, viri fortissimi, triginta sex millia: multas enim habuerunt uxores, et filios. ⁵Fratres quoque eorum per omnem cognationem Issachar robustissimi ad pugnandum, octoginta septem millia numerati sunt. ⁶Filii Benjamin: Bela, et Bechor, et Jadihel, tres. ⁷Filii Bela: Esbon, et Ozi, et Oziel, et Jerimoth, et Urai, quinque principes familiarum, et ad pugnandum robustissimi: numerus autem eorum, viginti duo millia et triginta quatuor. ⁸Porro filii Bechor: Zamira, et Joas, et Eliezer, et Elioënai, et Amri, et Jerimoth, et Abia, et Anathoth, et Almath: omnes hi filii Bechor. ⁸⁸ ⁹Numerati sunt autem per familias suas principes cognationum suarum ad bella fortissimi, viginti millia et ducenti. ¹⁰Porro filii Jadihel: Balan. Filii autem Balan: Jehus, et Benjamin, et Aod, et Chanana, et Zethan, et Tharsis, et Ahisahar: ¹¹omnes hi filii Jadihel, principes cognationum suarum viri fortissimi, decem et septem millia et ducenti ad prælium procedentes. ¹²Sephram quoque et Hapham filii Hir: et Hasim filii Aher. ¹³Filii autem Nephthali: Jaziel, et Guni, et

§§7.8 *Omnes hi, filii Bechor.* Ubicunque in lege scribitur: *Omnes hi filii* istius vel illius, aut pro meritorum excellentia est, aut pro meritorum deterioratione, ut ejus dicantur esse filii cujus fuerunt imitatores.

Jeser, et Sellum, filii Bala. ¹⁴ Porro filius Manasse, Esriel: concubinaque ejus Syra peperit Machir patrem Galaad. ^{*} ¹⁵ Machir autem accepit uxores filiis suis Happphim, et Saphan: et habuit sororem nomine Maacha: nomen autem secundi, Salphaad, natæque sunt Salphaad filiæ. [†] ¹⁶ Et peperit Maacha uxor Machir filium, vocavitque nomen ejus Phares: porro nomen fratris ejus, Sares: et filii ejus, Ulam, et Recen. ¹⁷ Filius autem Ulam, Badan: hi sunt filii Galaad, filii Machir, filii Manasse. ¹⁸ Soror autem ejus Regina peperit Virum decorum, et Abiezer, et Mohola. [‡] ¹⁹ Erant autem filii Semida, Ahin, et Sechem, et Leci, et Aniam. ²⁰ Filii autem Ephraim: Suthala, Bared filius ejus, Thahath filius ejus, Elada filius ejus, Thahath filius ejus, hujus filius Zabad, [¶] ²¹ et hujus filius Suthula, et hujus filius Ezer et Elad: occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant ut invaderent possessiones eorum. ²² Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, et venerunt fratres ejus ut consolarentur eum. ²³ Ingressusque est ad uxorem suam: quæ concepit, et peperit filium, et vocavit nomen ejus Beria, eo quod in malis domus ejus ortus esset: ²⁴ filia autem ejus fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem et superiorem, et Ozensara. ²⁵ Porro filius ejus Rapha, et Reseph, et Thale, de quo natus est Thaan, ²⁶ qui genuit Laadan: hujus quoque filius Ammiud, qui genuit Elisama, ²⁷ de quo ortus est Nun, qui habuit filium Josue. ²⁸ Possessio autem eorum et habitatio, Bethel cum filiabus suis, et contra orientem Noran, ad occidentalem plagam Gazer et filiæ ejus, Sichem quoque cum filiabus suis, usque ad Aza cum filiabus ejus. ²⁹ Juxta filios quoque Manasse, Bethsan et filias ejus, Thanach et filias ejus, Mageddo et filias ejus, Dor et filias ejus: in his habitaverunt filii Joseph, filii Israël. ³⁰ Filii Aser: Jemna, et Jesua, et Jessui, et Baria, et Sara soror eorum. ³¹ Filii autem Baria: Heber, et Melchiel: ipse est pater Barsaith. ³² Heber autem genuit Jephlat, et Somer, et Hotham, et Suaa sororem eorum. ³³ Filii Jephlat: Phosech, et Chamaal, et Asoth: hi filii Jephlat. ³⁴ Porro filii Somer: Ahi, et Roaga, et Haba, et Aram. ³⁵ Filii autem Helem fratris ejus: Supha, et Jemna, et Selles, et Amal. ³⁶ Filii Supha: Sue, Harnapher, et Sual, et Beri, et Jamra, ³⁷ Bosor, et Hod, et Samma, et Salusa, et Jethran, et Bera. ³⁸ Filii Jether: Jephone, et Phaspha, et Ara. ³⁹ Filii autem Olla: Aree, et Haniel, et Resia. ⁴⁰ Omnes hi filii Aser, principes cognationum, electi atque fortissimi duces ducum: numerus autem eorum ætatis quæ apta esset ad bellum, viginti sex millia.

^{*}7.14 *Concubinaque ejus.* Hæc dicitur fuisse filia filii Balam, quæ in Ægyptum, fame cogente, a patre venalis ducta a Manasse: qui horreis præerat cibariis patri datis, in conjugium misericorditer suscepta est.

[†]7.15 *Happphim,* etc., prioris filii Machir hæc duo nomina esse dicuntur, sed secundum esse Salphaad et eorum sororem Maachan, quam Hesron cum sexaginta esset annorum accepit uxorem, quæ peperit ei filium Segub, sicut supra dictum est.

[‡]7.18 *Soror autem ejus Reginae.* Soror Ulam filii Phares, filii Machir, ut prædictum est; hanc quidam tradunt fuisse matrem Jesu filii Nave, qui vir decorus nuncupatur, ob insigne virtutis et principatus. Alii dicunt Deborah uxorem Lapidoth prophetissam.

[¶]7.20 *Filii autem Ephraim.* Fabulantur Hebræi quod filii Ephraim, congregata multitudinem vivente patre, conati sunt ad terram promissionis reverti, et in Geth Palæstinarum occisi sunt, unde cæteræ tribus per desertum adducuntur, ne viderent ossa fratrum suorum, et in psalmo dicitur: *Filii Ephrem conversi sunt in die belli* Psal. 77..

8 Benjamin autem genuit Bale primogenitum suum, Asbel secundum, Ahara tertium, ²Nohaa quartum, et Rapha quintum. ³Fueruntque filii Bale: Addar, et Gera, et Abiud, ⁴Abisue quoque et Naaman, et Ahoë, ⁵sed et Gera, et Sephuphan, et Huram. ⁶Hi sunt filii Ahod, principes cognationum habitantium in Gabaa, qui translati sunt in Manahath.[§] ⁷Naaman autem, et Achia, et Gera, ipse transtulit eos, et genuit Osa, et Ahiud. ^{**} ⁸Porro Saharaim genuit in regione Moab, postquam dimisit Husim et Bara uxores suas. ⁹Genuit autem de Hodis uxore sua Jobab, et Sebia, et Mosa, et Molchom, ¹⁰Jehus quoque, et Sechia, et Marma: hi sunt filii ejus principes in familiis suis. ¹¹Mehusim vero genuit Abitob et Elphaal. ¹²Porro filii Elphaal: Heber, et Misaam, et Samad: hic ædificavit Ono, et Lod, et filias ejus. ¹³Baria autem et Sama principes cognationum habitantium in Ajalon: hi fugaverunt habitatores Geth. ¹⁴Et Ahio, et Sesac, et Jerimoth, ¹⁵et Zabadia, et Arod, et Heder, ¹⁶Michaël quoque, et Jespha, et Joha filii Baria. ¹⁷Et Zabadia, et Mosollam, et Hezeci, et Heber, ¹⁸et Jesamari, et Jezlia, et Jobab filii Elphaal, ¹⁹et Jacim, et Zechri, et Zabdi, ²⁰et Elioënai, et Selethai, et Eliel, ²¹et Adaia, et Baraia, et Samarath, filii Semei. ²²Et Jespham, et Heber, et Eliel, ²³et Abdon, et Zechri, et Hanan, ²⁴et Hanania, et Ælam, et Anathothia, ²⁵et Jephdaia, et Phanuel, filii Sesac. ²⁶Et Samsari, et Sohoria, et Otholia, ²⁷et Jersia, et Elia, et Zechri, filii Jeroham. ²⁸Hi patriarchæ, et cognationum principes, qui habitaverunt in Jerusalem. ²⁹In Gabaon autem habitaverunt Abigabaon, et nomen uxoris ejus Maacha: ³⁰filiusque ejus primogenitus Abdon, et Sur, et Cis, et Baal, et Nadab, ³¹Gedor quoque, et Ahio, et Zacher, et Macelloth: ³²et Macelloth genuit Samaa: habitaveruntque ex adverso fratrum suorum in Jerusalem cum fratribus suis. ³³Ner autem genuit Cis, et Cis genuit Saul. Porro Saul genuit Jonathan, et Melchisua, et Abinadab, et Esbaal. ³⁴Filius autem Jonathan, Meribbaal: et Meribbaal genuit Micha. ³⁵Filii Micha, Phithon, et Melech, et Tharaa, et Ahaz. ³⁶Et Ahaz genuit Joadaa, et Joadaa genuit Alamath, et Azmoth, et Zamri: porro Zamri genuit Mosa, ³⁷et Mosa genuit Banaa, cujus filius fuit Rapha, de quo ortus est Elasa, qui genuit Asel. ³⁸Porro Asel sex filii fuerunt his nominibus: Ezricam, Bocru, Ismahel, Saria, Obdia, et Hanan: omnes hi filii Asel. ³⁹Filii autem Esec fratris ejus, Ulam primogenitus, et Jehus secundus, et Eliphalet tertius. ⁴⁰Fueruntque filii Ulam viri robustissimi, et magno robore tendentes arcum: et multos habentes filios ac nepotes, usque ad centum quinquaginta. Omnes hi filii Benjamin.

9 Universus ergo Israël dinumeratus est, et summa eorum scripta est in libro regum Israël et Juda: translaticque sunt in Babylonem propter delictum suum. ²Qui autem habitaverunt primi in possessionibus et in urbibus suis: Israël, et sacerdotes, et Levitæ, et Nathinæi.^{††} ³Commorati sunt in Jerusalem de filiis Juda, et de filiis Benjamin, de filiis quoque Ephraim, et Manasse. ⁴Othei filius Ammiud, filii Amri, filii Omrai, filii Bonni, de filiis Phares filii Juda. ⁵Et de Siloni: Asaia primogeni-

§8.6 *Qui translati sunt in Manahath.* Quando pro scelere in uxorem Levitæ gladio corruerunt et sexcenti tantum remanserunt.

**8.7 *Naaman autem et Achia:* principes fuerunt, sed Gera se subdiderunt. Unde singulariter dicitur: *Ipse transtulit eos*, de quo exiit progenies Gera qui fuit pater Semei.

††9.2 *Nathinæi.* HIERON., Quæst. in Paral., tom. 3. Donum, vel in humilitate servientes. Hi sunt Gabaonitæ quos Josue vitæ donavit, et servitio templi deputavit, ut aquas et ligna portarent Josue 9..

tus, et filii ejus. ⁶De filiis autem Zara, Jehuel, et fratres eorum, sexcenti nonaginta. ⁷Porro de filiis Benjamin: Salo filius Mosollam, filii Oduia, filii Asana, ⁸et Jobania filius Jeroham, et Ela filius Ozi, filii Mochori, et Mosollam filius Saphatiæ, filii Rahuel, filii Jebaniæ, ⁹et fratres eorum per familias suas, nongenti quinquaginta sex. Omnes hi principes cognationum per domos patrum suorum. ¹⁰De sacerdotibus autem: Jedaia, Jojarib, et Jachin: ¹¹Azarias quoque filius Helciæ, filii Mosollam, filii Sadoc, filii Maraioth, filii Achitob, pontifex domus Dei. ¹²Porro Adaias filius Jeroham, filii Phassur, filii Melchiæ, et Maasai filius Adiel filii Jezra, filii Mosollam, filii Mosollamith, filii Emmer. ¹³Fratres quoque eorum principes per familias suas, mille septingenti sexaginta, fortissimi robore ad faciendum opus ministerii in domo Dei. ¹⁴De Levitis autem: Semeia filius Hassub filii Ezricam, filii Hasebia de filiis Merari. ¹⁵Bacbacar quoque carpentarius, et Galal, et Mathania filius Micha, filii Zechri, filii Asaph: ¹⁶et Obdia filius Semeiæ, filii Galal, filii Idithun: et Barachia filius Asa, filii Elcana, qui habitavit in atriis Netophati. ¹⁷Janitores autem: Sellum, et Accub, et Telmon, et Ahimam: et frater eorum Sellum princeps, ¹⁸usque ad illud tempus, in porta regis ad orientem, observabant per vices suas de filiis Levi. ¹⁹Sellum vero filius Core filii Abiasaph, filii Core, cum fratribus suis, et domo patris sui, hi sunt Coritæ super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi: et familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum. ²⁰Phinees autem filius Eleazari erat dux eorum coram Domino. ²¹Porro Zacharias filius Mosollamia, janitor portæ tabernaculi testimonii. ²²Omnes hi electi in ostiarios per portas, ducenti duodecim: et descripti in villis propriis, quos constituerunt David, et Samuel videns, in fide sua, ²³tam ipsos quam filios eorum, in ostiis domus Domini et in tabernaculo vicibus suis. ²⁴Per quatuor ventos erant ostiarii: id est, ad orientem, et ad occidentem, et ad aquilonem, et ad austrum. ²⁵Fratres autem eorum in viculis morabantur, et veniebant in sabbatis suis de tempore usque ad tempus. ²⁶His quatuor Levitis creditus erat omnis numerus janitorum, et erant super exedras et

‡‡9.11 *Helciæ filii Mosoliam*, etc. Hic fuit sacerdos magnus, qui Deuteronomium invenit in templo Domini in tempore Josiæ, et dicitur pater fuisse Jeremiæ prophetæ.

¶¶9.16 *Idithun*. HIERON. Cantoris David, scilicet. Observabant enim in porta regis ad orientem de filiis Levi per vices suas cantores, et vicissim ad psallendum cum David conveniebant, quia antequam templum ædificaretur in palatio, erat arca testamenti, et ibi serviebant æditui.

§§9.19 *Sellum vero filius Core*. Prior Cora per Aleph scribitur, et sonat Cora, secundus per He, et sonat Core. Cora *clamans*, Core *calvus* interpretatur. Hic est qui in Numeris seditionem movit contra Moysen Num. 16.. *Custodes vestibulorum*. HIERON. Quia custodiebant exterius ostium tabernaculi. Patres vero eorum qui subter scribuntur et qui in Psalterio titulos habent, custodiebant interius ostium et cantores erant.

*9.20 *Phinees autem*. Nepos Aaron, qui adhuc vivebat, ut tradunt Hebræi, et vices ministrorum ordinabat. Sunt autem vices viginti quatuor quas David ordinavit ad ministerium tabernaculi. Unde in Evangelio: Zacharias de vice Abia Luc. 1..

thesauros domus Domini.[†] 27 Per gyrum quoque templi Domini morabantur in custodiis suis: ut cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores. 28 De horum genere erant et super vasa ministerii: ad numerum enim et inferebantur vasa, et efferebantur.[‡] 29 De ipsis et qui credita habebant utensilia sanctuarii, præerant similæ, et vino, et oleo, et thuri, et aromatibus. 30 Filii autem sacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant. 31 Et Mathathias Levites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum quæ in sartagine frigeantur.[¶] 32 Porro de filiis Caath fratribus eorum, super panes erant propositionis, ut semper novos per singula sabbata præpararent.[§] 33 Hi sunt principes cantorum per familias Levitarum, qui in exedris morabantur, ut die ac nocte jugiter suo ministerio deservirent. 34 Capita Levitarum, per familias suas principes, manserunt in Jerusalem.^{**} 35 In Gabaon autem commorati sunt pater Gabaon Jehiel, et nomen uxoris ejus Maacha.^{††} 36 Filius primogenitus ejus Abdon, et Sur, et Cis, et Baal, et Ner, et Nadab, 37 Gedor quoque, et Ahio, et Zacharias, et Macelloth. 38 Porro Macelloth genuit Samaan: isti habitaverunt e regione fratrum suorum in Jerusalem cum fratribus suis. 39 Ner autem genuit Cis, et Cis genuit Saul, et Saul genuit Jonathan, et Melchisua, et Abinadab, et Esbaal.^{‡‡} 40 Filius autem Jonathan,

[†]9.26 *His quatuor Levitis*, etc. RAB. Qui fuerunt hi quatuor Levitæ quibus omnis numerus creditus erat janitorum demonstratur cum dicitur: *De Hosa autem, id est de filiis Merari, Semri princeps*, etc., ut habetur in cap. 26. Quatuor principes janitorum sancti doctores sunt qui quatuor Evangelii ostium fidei servantes patefaciunt credentibus et concludunt blasphemantibus, quibus cum Petro claves commissæ sunt Matth. 16.. Hi per quatuor ventos ostia custodiunt, quia per quatuor plagas mundi gentes ad fidem vocant, et Ecclesiam vigilanter servant.

[‡]9.28 *De horum genere erant et super vasa minister*. ID. Mystice de coetu sanctorum prædicatorum ordinantur, qui super vasa Domini, id est animas fidelium in quibus voluntas Dei quotidie ministratur pervigilem habent custodiam. Sub eorum custodia est simila, vinum et oleum, quibus sacramenta corporis et sanguinis Domini conficiuntur, et Spiritus sancti gratia spirituali unctione traditur. Ipsi thus orationum et aromata virtutum in Ecclesia componunt, et in conspectu Domini vinum acceptabile reddunt.

[¶]9.31 *Mathathias Levites primogenitus Sellum Coritæ præfectus erat eorum quæ in sartagine frigeantur*. Quia Christus auctor est sacramentorum cœlestium, ubi quotidie panis et vinum in memoriam passionis ejus offeruntur, et caput omnium qui carnem suam ejus exemplo crucifigunt, et passioni pro ejus nomine tradunt.

[§]9.32 *Panes erant propositionis*. Duo et duo divisim coquebantur ante sabbatum secundum Josephum, et sabbato mane super mensam ponebantur, de quibus in Levitico plenius diximus.

^{**}9.34 *Capita Levitarum per familias suas*. Dignum est, ut quanto quis prælatus est cæteris, tanto devotior sit in divinis officiis. Ille bene principatum ministerii servat, qui studet manere in Jerusalem, id est in visione pacis, ut tumultus sæculi et voluptates carnis fugiat et quietem mentis in contemplatione Dei habeat, dicens cum Psalmista: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*.

^{††}9.35 *Jahiel*, qui in Regum, Ahiel pater Cis patris Saul, et interpretatur *pater meus Deus*. Jahiel disertus Dei, forte pro meritorum distantia. Et notandum quod inter filios Jahiel Cis et Ner fratres vocantur et sunt, et in Regum ita habetur; in sequentibus vero dicitur quod Ner genuit Cis, non quod genuerit, sed quod educaverit.

^{‡‡}9.39 *Abinadab*. Hic ut in Regum cum patre occisus narratur, Abinadab vocatur et interpretatur Abinadab *pater meus votum*, Abinadab *populus meus votum*. *Esbaal*. Ignis maritus, hic est Isboseth, id est vir confusionis.

Meribbaal: et Meribbaal genuit Micha.^{¶¶} 41 Porro filii Micha, Phithon, et Melech, et Tharaa, et Ahaz. 42 Ahaz autem genuit Jara, et Jara genuit Alamath, et Azmoth, et Zamri. Zamri autem genuit Mosa. 43 Mosa vero genuit Banaa, cujus filius Raphaia, genuit Elasa, de quo ortus est Asel. 44 Porro Asel sex filios habuit, his nominibus: Ezricam, Bocru, Ismahel, Saria, Obdia, Hanan: hi sunt filii Asel.

10 Philisthiim autem pugnabant contra Israël, fugeruntque viri Israël Palæsthiinos, et ceciderunt vulnerati in monte Gelboë.^{§§} 2 Cumque appropinquassent Philisthæi, persequentes Saul et filios ejus, percusserunt Jonathan, et Abinadab, et Melchisua filios Saul.* 3 Et aggravatum est prælium contra Saul, inveneruntque eum sagittarii, et vulneraverunt jaculis. 4 Et dixit Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, et interfice me, ne forte veniant incircumcisi isti, et illudant mihi. Noluit autem armiger ejus hoc facere, timore perterritus: arripuit ergo Saul ensem, et ir-

^{¶¶}9.40 **Meribbaal.** Litigans in maritum, hic est Miphiboseth, qui interpretatur *de ore ignominia*.

^{§§}10.1 **Philisthiim,** etc. RAB. Multis omissis quæ in libro Samuelis de Samuele et Saule narrat historia, casum Saul et familiæ ejus commemorat. Mystice innuens, quia non est necesse vitam ejus describere, cujus impia conversatio finem celerem meruit accipere, et figurate regni Judæorum et sacerdotii veteris finem demonstrat. Ad David se transtulit, cujus facta et dispensationem regni contexit, qui typum tenet veri David regnum cœli et terræ possidentis. Quo imminente Philisthiim more suo pugnant contra Israël, et vincunt, quia, appropinquante gratia, gentiles, sicut ante, castitatem Israëliticæ fidei oppugnabant; nunc mala opera, nunc idololatriæ cultum ostendendo, sicut Balaam docebat Balaac mittere scandalum coram filiis Israël, edere et fornicari. **Fugeruntque viri.** Qui fortes videbantur in Dei contemplatione, dum incaute opera gentilium et doctrinam sequuntur, hæreticorum quoque perditionem non parum juvit sæcularis scientia. Unde quidam ait: Philosophi patriarchæ hæreticorum Ecclesiæ puritatem perversa maculavere doctrina.

^{*}10.2 **Cumque appropinquassent.** Irruerunt gentiles undique in regnum Judæ et filios ejus, et corruerunt sacerdotes, scribas et Pharisæos filios, scilicet et seductores illius regni hæreticos quoque, ne simpliciter gratiam Spiritus sancti prædicarent aut colerent, vetuerunt. **Abinadab.** Ne patrem qui nos sibi adoptavit spirituali dono digna confessione laudaremus, quod significat interfectio, Abinadab id est patris mei spontanei. **Melchisua.** Ne in Christi regno salutem futuram credamus. Melchisua enim interpretatur *rex meus salus*. Philosophus, qui Arium seduxit, quasi Melchisua occidit: qui Macedonium, Jonatham; qui Manichæum, Abinadab. Quia hunc veri regis Christi omnipotentiam negare, illum Spiritus sancti donis derogare, istum summi Patris bonitatem blasphemare magister corruptionis edocuit.

ruit in eum.^{† 5} Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet mortuum esse Saul, irruit etiam ipse in gladium suum, et mortuus est.^{‡ 6} Interiit ergo Saul: et tres filii ejus, et omnis domus illius pariter concidit. ⁷ Quod cum vidissent viri Israëli qui habitabant in campestribus, fugerunt: et Saul ac filii ejus mortuis, dereliquerunt urbes suas, et huc illucque dispersi sunt: veneruntque Philistiim, et habitaverunt in eis. ⁸ Die igitur altero detrahentes Philistiim spolia cæsorum, invenerunt Saul et filios ejus jacentes in monte Gelboë. ⁹ Cumque spoliassent eum, et amputassent caput, armisque nudassent, miserunt in terram suam, ut circumferretur, et ostenderetur idolorum templis, et populis: ¹⁰ arma autem ejus consecraverunt in fano dei sui, et caput affixerunt in templo Dagon.^{¶ 11} Hoc cum audissent viri Jabes Galaad, omnia scilicet quæ Philistiim fecerant super Saul,^{§ 12} consurrexerunt singuli virorum fortium, et tulerunt cadavera Saul et filiorum ejus: attuleruntque ea in Jabes, et sepelierunt ossa eorum subter quercum, quæ erat in Jabes, et jejunaverunt septem

[†]10.4 *Et dixit Saul ad*, etc. Hunc Hebræi Dæg Idumæum dicunt esse qui videns Saul esse mortuum, timens David, seipsum interfecit. Puerum vero quia diadema et armillam Saul attulit ad David esse filium Dæg, et ipsum Dæg esse puerum cum quo Saul quærebat asinas patris sui. *Ad armigerum*. BEDA in cap. 28 l. I Reg. Legis doctores. Sicut enim arma et sagittæ Philistiim, etc., usque ad ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha. *Noluit autem armiger*. Non est ambigendum inter reprobos legis doctores fuisse aliquos qui verbi acumen ad occidendos auditores pervertere nollent, et tamen ipsos auditores qui recte dicta a magistris acceperant, despiciendo vel blasphemando in suam vertisse perniciem: quorum visa morte, id est peccandi obstinatione, et ipsos verbi ministros per tempora deterioratos, testimonia legis quæ male interpretari timuerant, sibi occasionem fecisse ruinæ. Hæretici quoque peccatorum suorum jaculis cruentati, cum verba divina in argumentum sui erroris trahunt, arma sua contra pectus suum morituri invertunt. Quilibet etiam catholicus, cum artem quam pro communi utilitate didicit, superbiam, cenodoxiam, philargyriam vel cujuslibet vitii contagione polluit, suo se gladio confodit, quia quo defendi ab hoste debuit, in ipsum irruit.

[‡]10.5 *Quod cum vidisset armiger*. Videntes indocti veræ humilitatis medicamina lavacrumque baptismi, ignorantes in Judæa magistros suos certamine spirituali victos, et vulgus non paucum, eorum auditui proximum, persequente adversario, a prisca constantiæ sede fugatum, majorum ruina turbati, opera virtutum et munimina scientiæ spiritualis quæ habuerant, amiserunt. Veneruntque peccata gentilium, et cuncta Judæis incredulis studia virtutum perversa habitatione corruerunt. Venerunt immundi spiritus, et corda quæ fidei constantia deseruit, occupaverunt. Venerunt gentes, et optima quondam Judæorum studia credendo, sua fecerunt. Unde: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus* Matth. 21..

[¶]10.10 *Et caput*. RAB. in Paral. Caput Saulis in templo Dagon Philisthæi affixerunt, etc., usque ad alia est enim Bethsan in Judicum et Josue, quæ interpretatur *domus securitatis*.

[§]10.11 *Hoc cum audissent viri Jabes*. ID., ibid. Viri scilicet Ecclesiæ, etc., usque ad hæc est civitas quam primis regni sui auspiciis Saul ab hostium obsidione liberavit.

diebus.** ¹³Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit mandatum Domini quod præceperat, et non custodierit illud: sed insuper etiam pythonissam consuluerit, ¹⁴nec speraverit in Domino: propter quod interfecit eum, et transtulit regnum ejus ad David filium Isai.

11 Congregatus est igitur omnis Israël ad David in Hebron, dicens: Os tuum sumus, et caro tua. ²Heri quoque et nudius tertius cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas et introducebas Israël: tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu pasces populum meum Israël, et tu eris princeps super eum. ³Venerunt ergo omnes majores natu Israël ad regem in Hebron, et iniit David cum eis fœdus coram Domino: unxeruntque eum regem super Israël, juxta sermonem Domini quem locutus est in manu Samuel.†† ⁴Abiit quoque David et omnis Israël in Jerusalem: hæc est Jebus, ubi erant Jebusæi habitatores terræ. ⁵Dixeruntque qui habitabant in Jebus ad David: Non ingredieris huc. Porro David cepit arcem Sion, quæ est civitas David,‡‡ ⁶dixitque: Omnis qui percusserit Jebusæum in primis, erit princeps et dux. Ascendit igitur primus Joab filius Sarviæ, et factus est princeps. ⁷Habitavit autem David in arce, et idcirco appellata est civitas David. ⁸Ædificavitque urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum; Joab autem reliqua urbis exstruxit.¶¶ ⁹Proficiebatque David vadens et crescens, et Dominus exercituum erat cum eo. ¹⁰Hi principes virorum fortium David, qui adjuverunt eum ut rex fieret super omnem Israël, juxta verbum Domini quod locutus est ad Israël. ¹¹Et iste numerus robusto-

**10.12 *Quercum quærat in Jabes, et jejunaverunt septem diebus,* etc. Ut ad requiem perveniant. Post sex enim hujus sæculi ætates quibus in carne laboramus, sequitur septima quietis animarum. Mystice, de cæcitate Judæorum sabbatum carnaliter observantium, contribules sui, id est fideles continue dolent, et quasi septem diebus jejulant. Percepto autem mysterio octavæ diei resurrectionis, utrique perpetua festivitate gaudebunt. Moralter autem viri sancti detestantur mortem impiorum, et exempla eorum sepulturæ oblivionis tradunt. Septem dies jejulant, id est omne tempus hujus vitæ, quod septenario dierum numero volvitur, in continentia ducunt, et abstinent ab omni malo ne similiter moriantur.

††11.3 *Majores.* RAB. Prophetæ apostoli pari devotione ad Christum concurrunt, unde: *Principes populi convenerunt in unum cum Deo Abraham* Psal. 2..

‡‡11.5 *Dixeruntque.* Cæcos et claudos et leprosos ad contemptum regis statuentes super muros, et dicentes quia prohibuerunt eum cæci et claudi. Mystice, David Jebusæum de Jerusalem ejiciens, significat Christum dæmones expellentem a cordibus fidelium, et ibidem mansionem suam statuentem. Jebusæus enim interpretatur *conculcatus*, Jerusalem *visio pacis*. Unde et discipulis suis ait: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes,* etc. Luc. 10.. Bene ergo in Regum scriptum est, quod ejectis cæcis et claudis qui odiebant animam, David cepit arcem Sion, suamque civitatem vocavit, quia dum Christus malignos spiritus et turbam vitiorum de anima expellit, illuminans eam sapientia, merito arx Sion, id est speculationis et visio pacis vocatur, de qua recte dicitur psal. LXXV: *Notus in Judæa Deus, et in Israël magnum nomen ejus. Et factus est in pace locus ejus.*

¶¶11.8 *Joab autem reliqua urbis exstruxit.* Per industriam enim militis civitatem munivit. Josephus tamen dicit David superiorem civitatem munisse, eique copulando arcem unum corpus effecisse et cuncta muro circumdedit. Super opus autem murorum constituisse Jacob, expulisse Jebusæos et Jerosolymam vocasse. Jero enim Hebraice munitio est. Christus quoque in Judæa primum Evangelium prædicavit, Et ecclesiam fidei suæ munitione firmavit. Joab, qui reliqua urbis exstruxit, significat apostolos et apostolicos viros qui post ascensionem Domini plurimos de gentibus converterunt; unde: *Dei adjutores sumus, Dei agri.*

rum David: Jesbaam filius Hachamoni princeps inter triginta: iste levavit hastam suam super trecentos vulneratos una vice.^{§§ 12} Et post eum Eleazar filius patruī ejus Ahohites, qui erat inter tres potentes.*¹³ Iste fuit cum David in Phesdomim, quando Philistiim congregati sunt ad locum illum in prælium: et erat ager regionis illius plenus hordeo, fugeratque populus a facie Philisthinorum.¹⁴ Hi steterunt in medio agri, et defenderunt eum: cumque percussissent Philisthæos, dedit Dominus salutem magnam populo suo.¹⁵ Descenderunt autem tres de triginta principibus ad petram, in qua erat David, ad speluncam Odollam, quando Philistiim fuerant castrametati in valle Raphaim.¹⁶ Porro David erat in præsidio, et statio Philisthinorum in Bethlehem.¹⁷ Desideravit igitur David, et dixit: O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta!¹⁸ Tres ergo isti per media castra Philisthinorum perrexerunt, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem quæ erat in porta, et attulerunt ad David ut biberet. Qui noluit, sed magis libavit illam Domino,¹⁹ dicens: Absit ut in conspectu Dei mei hoc faciam, et sanguinem istorum virorum bibam: quia in periculo animarum suarum attulerunt mihi aquam. Et ob hanc causam noluit bibere: hæc fecerunt tres robustissimi.²⁰ Abisai quoque frater Joab ipse erat princeps trium, et ipse levavit hastam suam contra trecentos vulneratos, et ipse erat inter tres nominatissimus,²¹ et inter tres secundos inclytus, et princeps eorum: verumtamen usque ad tres primos non pervenerat.^{† 22} Banaias filius Joadæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabseel: ipse percussit duos ariel Moab, et ipse descendit et

§§11.11 **Jesbaam.** HIERON. Hunc Josephus Eusebium nominat, et filium dicunt Achimeæ, qui in aciem hostium frequenter irrumpens, non cessabat donec octingentos occiderat. Alii hunc David intelligunt, quia Jesbaam interpretatur *sedens in populo*. Ahamoni vero sapientissimus, unde in Regum scribitur: *Sedens in cathedra sapientissimus* II Reg. 23.. Sed ibi vermiculo ligni comparatur, quia minuebatur illi sapientia propter peccatum, quod in Uriam commiserat. Unde ibi octingentos uno impetu interfecisse, hic autem trecentos, pro peccato enim minorata est fama.

*11.12 **Ahohites.** Ahohi, ut Hebræi tradunt, frater fuit Isai patris David, cujus filius fuit Eleazar, qui fuit inter tres potentissimus, quos Josephus dicit esse Eusebium filium Achimeæ, et Eleazar filium Addi, et Semeiam filium Heli GREG. hom. 34. in Evang. Cogitandum summopere est, etc., usque ad contra se rigidus etiam a licitis abstinebat.

†11.21 **Verumtamen usque ad tres primos.** Hic apparet quod Abisai princeps erat inter tres sequentes. Sed ad tres primos non pervenit, Jesbaam, Eleazarum et Semmaa. Mystice autem significatur quod nemo sanctorum, licet virtutibus emineat, ad æqualitatem potentiæ Patris et Filii et Spiritus sancti perveniat. Quoniam, *quis in nubibus æquabitur Domino?* etc. Psal. 88.

interfecit leonem in media cisterna tempore nivis.[‡] 23 Et ipse percussit virum ægyptium, cujus statura erat quinque cubitorum, et habebat lanceam ut liciatorium textentium: descendit igitur ad eum cum virga, et rapuit hastam quam tenebat manu, et interfecit eum hasta sua. 24 Hæc fecit Banaias filius Jojadæ, qui erat inter tres robustos nominatissimus,[†] 25 inter triginta primus, verumtamen ad tres usque non pervenerat: posuit autem eum David ad auriculam suam. 26 Porro fortissimi viri in exercitu, Asahel frater Joab, et Elchanan filius patruī ejus de Bethlehem, 27 Sammoth Arorites, Helles Pharonites, 28 Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites, 29 Sobbochai Husathites, Ilai Ahothites, 30 Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites, 31 Ethai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin, Banaia Pharonites, 32 Hurai de torrente Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Bauramites, Eliaba Salabonites. 33 Filii Assem Gezonites, Jonathan filius Sage Ararites, 34 Ahiam filius Sachar Ararites, 35 Eliphai filius Ur, 36 Hephher Mecherathites, Ahia Phelonites, 37 Hesro Carmelites, Naarai filius Asbai, 38 Joël frater Nathan, Mibahar filius Agarai, 39 Selec Ammonites, Naharai Berothites armiger Joab filii Sarviæ, 40 Ira Jethræus, Gareb Jethræus, 41 Urias Hethæus, Zabad filius Oholi, 42 Adina filius Siza Rubenites princeps Rubenitarum, et cum eo triginta: 43 Hanan filius Maacha, et Josaphat Mathanites, 44 Ozia Astarothites, Samma, et Jehiel filii Hotham Arorites, 45 Jedihel filius Samri, et Joha frater ejus Thosaites, 46 Eliel Mahumites, et Jeribai, et Josaiā filii Elnaëm, et Jethma Moabites, Eliel, et Obed, et Jasiel de Masobia.

12 Hi quoque venerunt ad David in Siceleg, cum adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortissimi et egregii pugnatores, 2 tendentes arcum, et utraque manu fundis saxa jacentes, et dirigentes sagittas, de fratribus Saul ex Benjamin. 3 Princeps Ahiecer, et Joas filii Samaa Gabaathites, et Jaziel, et Phallet filii Azmoth, et Baracha, et Jehu Anathothites. 4 Samaias quoque Gabaonites fortissimus inter triginta et super triginta. Jeremias, et Jeheziel, et Johanan, et Jezabad Gaderothites. 5 Et Eluzai, et Jerimuth, et Baalia, et Samaria, et Saphatia Haruphites. 6 Elcana, et Jesia, et Azareel, et Joëzer, et Jesbaam de Carehim: 7 Joëla quoque, et Zabadia filii Jeroham de Gedor. 8 Sed et de Gaddi transfugerunt ad David cum lateret in deserto, viri robustissimi, et

[‡]11.22 **Ariel Moab**, id est leones, sicut in Regum dicitur, viros scilicet fortissimos in regno Moab tanquam leones. **Interfecit leonem**. Hebræus hunc leonem Joab arbitratur, qui in domo Domini tenens cornua altaris occisus est. Altare enim cisterna dicitur, quia sicut aqua cisternæ mundat, ita sanctuarium Dei hominum expiat peccata. RAB. Quem liber Regum, etc., usque ad et hastam quam non recte tenebat, extorsit. **Tempore nivis**. Qua potest gratia Christi, quæ mundo resplenduit, et frigus charitatis, quo refrigescunt homines, significari. Banaias vero, qui **ædificator Domini** interpretatur, Christum significat, de quo dicitur: **Ædificans Jerusalem Domini**, etc. Psal., CXLVI. Hic multa opera perpetravit, qui ait: **Pater meus usque modo operatur, et ego operor** Joan. 5. Hic est de Cabseel, id est, de congregatione Domini, quia ad eum omnis sanctorum cœtus pertinet qui descendens de cœlis, et factus homo, leonem, id est diabolus qui infidelitatis suæ frigore torpentem mundum possidebat, morte sua interficiens in infernum demersit. Hic Ægyptium, id est, Antichristum peccatis nigerrimum, id est quinque sensibus corporis abutentem ad scelera, per virgam crucis superans, propria reum nequitia virtute damnavit perpetua. In diebus nivis, quia per mortem peccatum expiavit. Unde: **Lavabis me et super nivem dealbabor** Psal. 50..

[†]11.24 **Inter tres**. Abisai et Sobochai et Jonathan, quibus viribus æquabatur, qui erat super triginta, sicut Hebræus affirmat.

pugnatores optimi, tenentes clypeum et hastam: facies eorum quasi facies leonis, et veloces quasi capreae in montibus: ⁹Ezer princeps, Obdias secundus, Eliab tertius, ¹⁰Masmana quartus, Jeremias quintus, ¹¹Ethi sextus, Eliel septimus, ¹²Johanan octavus, Elzebad nonus, ⁸ ¹³Jeremias decimus, Machbanai undecimus. ¹⁴Hi de filiis Gad principes exercitus: novissimus centum militibus praerat, et maximus mille. ¹⁵Isti sunt qui transierunt Jordanem mense primo, quando inundare consuevit super ripas suas: et omnes fugaverunt qui morabantur in vallibus ad orientalem plagam et occidentalem. ¹⁶Venerunt autem et de Benjamin et de Juda ad praesidium in quo morabatur David. ¹⁷Egressusque est David obviam eis, et ait: Si pacifice venistis ad me ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur vobis: si autem insidiamini mihi pro adversariis meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum nostrorum, et judicet. ¹⁸Spiritus vero induit Amasai principem inter triginta, et ait: Tui sumus, o David, et tecum, fili Isai. Pax, pax tibi, et pax adjutoribus tuis: te enim adjuvat Deus tuus. Suscepit ergo eos David, et constituit principes turmae. ¹⁹Porro de Manasse transfugerunt ad David, quando veniebat cum Philisthiim adversus Saul ut pugnaret: et non dimicavit cum eis, quia inito consilio remiserunt eum principes Philistinorum, dicentes: Periculo capitis nostri revertetur ad dominum suum Saul. ²⁰Quando igitur reversus est in Siceleg, transfugerunt ad eum de Manasse, Ednas, et Jozabad, et Jedihel, et Michaël, et Ednas, et Jozabad, et Eliu, et Salathi, principes millium in Manasse. ²¹Hi praebuerunt auxilium David adversus latrunculos: omnes enim erant viri fortissimi, et facti sunt principes in exercitu. ²²Sed et per singulos dies veniebant ad David ad auxiliandum ei, usque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei. ²³Iste quoque est numerus principum exercitus qui venerunt ad David cum esset in Hebron, ut transferrent regnum Saul ad eum, juxta verbum Domini. ²⁴Filii Juda portantes clypeum et hastam, sex millia octingenti expediti ad praelium. ²⁵De filiis Simeon virorum fortissimorum ad pugnandum, septem millia centum. ²⁶De filiis Levi, quatuor millia sexcenti. ²⁷Jojoda quoque princeps de stirpe Aaron, et cum eo tria millia septingenti. ²⁸Sadoc etiam puer egregiae indolis, et domus patris ejus, principes viginti duo. ²⁹De filiis autem Benjamin fratribus Saul, tria millia: magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum Saul. ³⁰Porro de filiis Ephraim viginti millia octingenti, fortissimi robore, viri nominati in cognationibus suis. ³¹Et ex dimidia tribu Manasse, decem et octo millia, singuli per nomina sua, venerunt ut constituerent regem David. ³²De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad praecipendum quid facere deberet Israël, principes ducenti: omnis autem reliqua tribus eorum consilium sequebatur. ³³Porro de Zabulon qui egrediebantur ad praelium, et stabant in acie instructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium, non in corde duplici. ³⁴Et de Nephthali, principes mille, et cum eis instructi clypeo et hasta, triginta et septem millia. ³⁵De Dan etiam praeparati ad praelium, viginti octo millia sexcenti. ³⁶Et de Aser egredientes ad pugnam, et in acie provocantes, quadraginta millia. ³⁷Trans Jordanem autem de filiis Ruben, et de Gad, et dimidia parte tribus Manasse, instructi armis bellicis, centum viginti millia. ³⁸Omnes isti viri bellatores expediti ad pugnandum,

§12.12 *Hi quoque venerunt.* Huc usque enumeravit fortes David qui adjuverunt eum ut regnaret super Israël. *Qui erant fortissimi,* etc. Secundum litteram significat eos agiles esse et strenuos omni genere bellandi. Mystice vero milites Christi non segnes, sed studiosos describit in prosperis et in adversis, a dextris et a sinistris.

corde perfecto venerunt in Hebron, ut constituerent regem David super universum Israël: sed et omnes reliqui ex Israël uno corde erant, ut rex fieret David. ³⁹Fueruntque ibi apud David tribus diebus comedentes et bibentes: præparaverant enim eis fratres sui. ⁴⁰Sed et qui juxta eos erant, usque ad Issachar, et Zabulon, et Nephthali, afferebant panes in asinis, et camelis, et mulis, et bobus ad vescendum: farinam, palathas, uvam passam, vinum, oleum, boves, arietes ad omnem copiam: gaudium quippe erat in Israël.

13 Iniit autem consilium David cum tribunis, et centurionibus, et universis principibus, ² et ait ad omnem cœtum Israël: Si placet vobis, et a Domino Deo nostro egreditur sermo quem loquor, mittamus ad fratres nostros reliquos in universas regiones Israël, et ad sacerdotes et Levitas qui habitant in suburbanis urbium, ut congregentur ad nos, ³ et reducamus arcam Dei nostri ad nos: non enim requisivimus eam in diebus Saul. ⁴ Et respondit universa multitudo ut ita fieret: placuerat enim sermo omni populo. ⁵ Congregavit ergo David cunctum Israël, a Sihor Ægypti usque dum ingrediariis Emath, ut adduceret arcam Dei de Cariathiarim. ⁶ Et ascendit David, et omnis vir Israël, ad collem Cariathiarim, qui est in Juda, ut afferret inde arcam Domini Dei sedentis super cherubim, ubi invocatum est nomen ejus. ⁷ Imposueruntque arcam Dei super plaustrum novum, de domo Abinadab: Oza autem, et frater ejus minabant plaustrum. ⁸ Porro David, et universus Israël, ludebant coram Deo omni virtute in canticis, et in citharis, et psalteriis, et tympanis, et cymbalis, et tubis. ⁹ Cum autem pervenisset ad aream Chidon, tetendit Oza manum suam, ut sustentaret arcam: bos quippe lasciviens paululum inclinaverat eam. ¹⁰ Iratus est itaque Dominus contra Ozam, et percussit eum, eo quod tetigisset arcam: et mortuus est ibi coram Domino. ¹¹ Contristatusque est David, eo quod divisisset Dominus Ozam: vocavitque locum illum Divisio Ozæ, usque in præsentem diem. ¹² Et timuit Deum tunc temporis, dicens: Quomodo possum ad me introducere arcam Dei? ¹³ et ob hanc causam non adduxit eam ad se, hoc est, in civitatem David, sed avertit in domum Obededom Gethæi. ¹⁴ Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus: et benedixit Dominus domui ejus, et omnibus quæ habebat.

14 Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, et ligna cedrina, et artifices parietum, lignorumque, ut ædificarent ei domum. ² Cognovitque David quod confirmasset eum Dominus in regem super Israël, et sublevatum esset regnum suum super populum ejus Israël. ³ Accepit quoque David alias uxores in Jerusalem, genuitque filios et filias. ⁴ Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Jerusalem: Samua, et Sobab, Nathan, et Salomon, ⁵ Jebahar, et Elisua, et Eliphalet, ⁶ Noga quoque, et Napheg, et Japhia, ⁷ Elisama, et Baaliada, et Eliphalet. ⁸ Audientes autem Philistiim eo quod unctus esset David regem super universum Israël, ascenderunt omnes ut quærerent eum: quod cum audisset David, egressus est obviam eis. ⁹ Porro Philistiim venientes, diffusi sunt in valle Raphaim. ¹⁰ Consuluitque David Dominum, dicens: Si ascendam ad Philisthæos, et si trades eos in manu mea? Et dixit ei Dominus: Ascende, et tradam eos in manu tua. ¹¹ Cumque illi ascendissent in Baalpharasim, percussit eos ibi David, et dixit: Divisit Deus inimicos meos per manum meam, sicut dividuntur aquæ: et idcirco vocatum est nomen illius loci Baalpharasim. ¹² Dereliqueruntque ibi deos suos, quos David jussit exuri. ¹³ Alia etiam vice Philistiim irruerunt, et diffusi sunt in valle. ¹⁴ Consuluitque rursus David Deum, et dixit ei Deus: Non ascendas post eos: recede ab eis, et venies contra illos ex ad-

verso pyrorum. ¹⁵ Cumque audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellum: egressus est enim Deus ante te, ut percutiat castra Philisthiim. ¹⁶ Fecit ergo David sicut præceperat ei Deus, et percussit castra Philisthinorum, de Gabaa usque Gazera. ¹⁷ Divulgatumque est nomen David in universis regionibus, et Dominus dedit pavorem ejus super omnes gentes.

15 Fecit quoque sibi domos in civitate David: et ædificavit locum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum. ² Tunc dixit David: Illicitum est ut a quocumque portetur arca Dei nisi a Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, et ad ministrandum sibi usque in æternum. ³ Congregavitque universum Israël in Jerusalem, ut afferretur arca Dei in locum suum, quem præparaverat ei: ⁴ necnon et filios Aaron, et Levitas. ⁵ De filiis Caath, Uriel princeps fuit, et fratres ejus centum viginti. ⁶ De filiis Merari, Asaia princeps: et fratres ejus ducenti viginti. ⁷ De filiis Gersom, Joël princeps: et fratres ejus centum triginta. ⁸ De filiis Elisaphan, Semeias princeps: et fratres ejus ducenti. ⁹ De filiis Hebron, Eliel princeps: et fratres ejus octoginta. ¹⁰ De filiis Oziel, Aminadab princeps: et fratres ejus centum duodecim. ¹¹ Vocavitque David Sadoc et Abiathar sacerdotes, et Levitas, Uriel, Asaiam, Joël, Semeiam, Eliel, et Aminadab: ¹² et dixit ad eos: Vos, qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, et afferte arcam Domini Dei Israël ad locum qui ei præparatus est: ¹³ ne ut a principio, quia non eratis præsentés, percussit nos Dominus; sic et nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus. ¹⁴ Sanctificati sunt ergo sacerdotes et Levitæ ut portarent arcam Domini Dei Israël. ¹⁵ Et tulerunt filii Levi arcam Dei, sicut præceperat Moyses juxta verbum Domini, humeris suis in vectibus. ¹⁶ Dixitque David principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet, et lyris, et cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ. ¹⁷ Constitueruntque Levitas: Heman filium Joël, et de fratribus ejus Asaph filium Barachia: de filiis vero Merari, fratribus eorum: Ethan filium Casaia. ¹⁸ Et cum eis fratres eorum: in secundo ordine, Zachariam, et Ben, et Jaziel, et Semiramoth, et Jahiel, et Ani, Eliab, et Banaiam, et Maasiam, et Mathathiam, et Eliphalu, et Maceniam, et Obedom, et Jehiel, janitores. ¹⁹ Porro cantores, Heman, Asaph, et Ethan, in cymbalis æneis concrepantes. ²⁰ Zacharias autem, et Oziel, et Semiramoth, et Jahiel, et Ani, et Eliab, et Maasias, et Banaias in nablis arcana cantabant. ²¹ Porro Mathathias, et Eliphalu, et Macenias, et Obedom, et Jehiel, et Ozaziu, in citharis pro octava caneabant epinicion. ²² Chonenias autem princeps Levitarum, prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam: erat quippe valde sapiens. ²³ Et Barachias, et Elcana, janitores arcæ. ²⁴ Porro Sebenias, et Josaphat, et Nathanaël, et Amasai, et Zacharias, et Banaias, et Eliezer sacerdotes, clangebant tubis coram arca Dei: et Obedom et Jehias erant janitores arcæ. ²⁵ Igitur David, et omnes majores natu Israël, et tribuni, ierunt ad deportandam arcam fœderis Domini de domo Obedom cum lætitia. ²⁶ Cumque adjuvisset Deus Levitas qui portabant arcam fœderis Domini, immobilabantur septem tauri, et septem arietes. ²⁷ Porro David erat indutus stola byssina, et universi Levitæ qui portabant arcam, cantoresque, et Chonenias princeps prophetiæ inter cantores: David autem etiam indutus erat ephod lineo. ²⁸ Universusque Israël deducebant arcam fœderis Domini in jubilo, et sonitu buccinæ, et tubis, et cymbalis, et nablis, et citharis concrepantes. ²⁹ Cumque pervenisset arca fœderis Domini usque ad civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram vidit regem David saltantem atque ludentem, et despexit eum in corde suo.

16 Attulerunt igitur arcam Dei, et constituerunt eam in medio tabernaculi quod tetenderat ei David: et obtulerunt holocausta et pacifica coram Deo. ²Cumque complisset David offerens holocausta et pacifica, benedixit populo in nomine Domini. ³Et divisit universis per singulos, a viro usque ad mulierem, tortam panis, et partem assæ carnis bubalæ, et frixam oleo similam. ⁴Constituitque coram arca Domini de Levitis, qui ministrarent, et recordarentur operum ejus, et glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israël: ⁵Asaph principem, et secundum ejus Zachariam: porro Jahiel, et Semiramoth, et Jehiel, et Mathathiam, et Eliab, et Banaïam, et Obededom: Jehiel super organa psalterii et lyras: Asaph autem ut cymbalis personaret: ⁶Banaïam vero et Jaziel sacerdotes canere tuba jugiter coram arca fœderis Domini. ⁷In illo die fecit David principem ad confitendum Domino Asaph et fratres ejus: ⁸[Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: notas facite in populis adinventiones ejus. ⁹Cantate ei, et psallite ei, et narrate omnia mirabilia ejus. ¹⁰Laudate nomen sanctum ejus: lætetur cor quærentium Dominum. ¹¹Quærite Dominum, et virtutem ejus: quærite faciem ejus semper. ¹²Recordamini mirabilium ejus quæ fecit; signorum illius, et judiciorum oris ejus, ¹³semen Israël servi ejus, filii Jacob electi ejus. ¹⁴Ipse Dominus Deus noster: in universa terra judicia ejus. ¹⁵Recordamini in sempiternum pacti ejus: sermonis quem præcepit in mille generationes, ¹⁶quem pepigit cum Abraham, et juramenti illius cum Isaac. ¹⁷Et constituit illud Jacob in præceptum, et Israël in pactum sempiternum, ¹⁸dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ: ¹⁹cum essent pauci numero, parvi et coloni ejus. ²⁰Et transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum. ²¹Non dimisit quemquam calumniari eos, sed increpavit pro eis reges. ²²Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari. ²³Cantate Domino omnis terra; annuntiate ex die in diem salutare ejus: ²⁴narrate in gentibus gloriam ejus; in cunctis populis mirabilia ejus. ²⁵Quia magnus Dominus, et laudabilis nimis, et horribilis super omnes deos. ²⁶Omnes enim dii populorum idola: Dominus autem cælos fecit. ²⁷Confessio et magnificentia coram eo: fortitudo et gaudium in loco ejus. ²⁸Afferte Domino, familiæ populorum: afferte Domino gloriam et imperium. ²⁹Date Domino gloriam; nomini ejus levate sacrificium, et venite in conspectu ejus: et adorete Dominum in decore sancto. ³⁰Commoveatur a facie ejus omnis terra: ipse enim fundavit orbem immobilem. ³¹Lætentur cæli, et exultet terra, et dicant in nationibus: Dominus regnavit. ³²Tonet mare et plenitudo ejus; exultent agri, et omnia quæ in eis sunt. ³³Tunc laudabunt ligna saltus coram Domino: quia venit judicare terram. ³⁴Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus. ³⁵Et dicite: Salva nos, Deus salvator noster, et congrega nos, et erue de gentibus: ut confiteamur nomini sancto tuo, et exultemus in carminibus tuis. ³⁶Benedictus Dominus Deus Israël, ab æterno usque in æternum.] Et dicat omnis populo: Amen, et hymnum Domino. ³⁷Reliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini Asaph et fratres ejus, ut ministrarent in conspectu arcæ jugiter per singulos dies, et vices suas. ³⁸Porro Obededom, et fratres ejus sexaginta octo: et Obededom filium Idithun, et Hosa, constituit janitores; ³⁹Sadoc autem sacerdotem, et fratres ejus sacerdotes, coram tabernaculo Domini in excelso quod erat in Gabaon, ⁴⁰ut offerrent holocausta Domino super altare holocaustomatis jugiter, mane et vespere, juxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini, quam præcepit Israël. ⁴¹Et post eum Heman, et Idithun, et reliquos electos, unumquemque vocabulo suo ad confitendum Domino,

quoniam in æternum misericordia ejus. ⁴²Heman quoque et Idithun canentes tuba, et quatientes cymbala et omnia musicorum organa ad canendum Deo: filios autem Idithun fecit esse portarios. ⁴³Reversusque est omnis populus in domum suam: et David, ut benediceret etiam domui suæ.

17 Cum autem habitaret David in domo sua, dixit ad Nathan prophetam: Ecce ego habito in domo cedrina: arca autem fœderis Domini sub pellibus est. ²Et ait Nathan ad David: Omnia quæ in corde tuo sunt, fac: Deus enim tecum est. ³Igitur nocte illa factus est sermo Dei ad Nathan, dicens: ⁴Vade, et loquere David servo meo: Hæc dicit Dominus: Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum. ⁵Neque enim mansi in domo ex eo tempore quo eduxi Israël usque ad diem hanc: sed fui semper mutans loca tabernaculi, et in tentorio ⁶manens cum omni Israël. Numquid locutus sum saltem uni judicum Israël, quibus præceperam ut pascerent populum meum, et dixi: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam? ⁷Nunc itaque sic loqueris ad servum meum David: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te, cum in pascuis sequereris gregem, ut esses dux populi mei Israël: ⁸et fui tecum quocumque perrexisti, et interfeci omnes inimicos tuos coram te, fecique tibi nomen quasi unius magnorum qui celebrantur in terra. ⁹Et dedi locum populo meo Israël: plantabitur, et habitabit in eo, et ultra non commovebitur: nec filii iniquitatis atterent eos, sicut a principio, ¹⁰ex diebus quibus dedi iudices populo meo Israël, et humiliavi universos inimicos tuos. Annuntio ergo tibi, quod ædificaturus sit tibi Dominus domum. ¹¹Cumque impleveris dies tuos ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis: et stabiliam regnum ejus. ¹²Ipse ædificabit mihi domum, et firmabo solium ejus usque in æternum. ¹³Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium: et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit. ¹⁴Et statuam eum in domo mea, et in regno meo usque in sempiternum: et thronus ejus erit firmissimus in perpetuum. ¹⁵Juxta omnia verba hæc, et juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David. ¹⁶Cumque venisset rex David, et sedisset coram Domino, dixit: Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, ut præstares mihi talia? ¹⁷sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, ideoque locutus es super domum servi tui etiam in futurum: et fecisti me spectabilem super omnes homines, Domine Deus. ¹⁸Quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris servum tuum, et cognoveris eum? ¹⁹Domine, propter famulum tuum juxta cor tuum fecisti omnem magnificentiam hanc, et nota esse voluisti universa magna. ²⁰Domine, non est similis tui, et non est alius deus absque te, ex omnibus quos audivimus auribus nostris. ²¹Quis enim est alius, ut populus tuus Israël, gens una in terra, ad quam perrexit Deus ut liberaret et faceret populum sibi, et magnitudine sua atque terroribus ejiceret nationes a facie ejus, quem de Ægypto liberarat? ²²Et posuisti populum tuum Israël tibi in populum usque in æternum, et tu, Domine, factus es Deus ejus. ²³Nunc igitur Domine, sermo quem locutus es famulo tuo et super domum ejus confirmetur in perpetuum, et fac sicut locutus es. ²⁴Permaneaturque et magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, et dicatur: Dominus exercituum Deus Israël, et domus David servi ejus permanens coram eo. ²⁵Tu enim, Domine Deus meus, revelasti auriculam servi tui, ut ædificares ei domum: et idcirco invenit servus tuus fiduciam, ut oret coram te. ²⁶Nunc ergo Domine, tu es Deus, et locutus es ad servum tuum tanta beneficia. ²⁷Et cœpisti benedicere domui servi tui, ut sit semper coram te: te enim, Domine, benedicente, benedicta erit in perpetuum.

18 Factum est autem post hæc, ut percuteret David Philistiim, et humiliaret eos, et tolleret Geth et filias ejus de manu Philistiim, ²percuteretque Moab, et fierent Moabitæ servi David, offerentes ei munera. ³Eo tempore percussit David etiam Adarezer regem Soba regionis Hemath, quando perrexit ut dilataret imperium suum usque ad flumen Euphraten. ⁴Cepit ergo David mille quadrigas ejus, et septem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum, subnervavitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reservavit sibi. ⁵Supervenit autem et Syrus Damascenus, ut auxilium præberet Adarezer regi Soba: sed et hujus percussit David viginti duo millia virorum. ⁶Et posuit milites in Damasco, ut Syria quoque serviret sibi, et offerret munera. Adjuvitque eum Dominus in cunctis ad quæ perrexerat. ⁷Tulit quoque David pharetras aureas, quas habuerant servi Adarezer, et attulit eas in Jerusalem. ⁸Necnon de Thebath et Chun urbibus Adarezer æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, et columnas, et vasa ænea. ⁹Quod cum audisset Thou rex Hemath, percussisse videlicet David omnem exercitum Adarezer regis Soba, ¹⁰misit Adoram filium suum ad regem David, ut postularet ab eo pacem, et congratularetur ei quod percussisset et expugnasset Adarezer: adversarius quippe erat Thou Adarezer. ¹¹Sed et omnia vasa aurea, et argentea, et ænea consecravit David rex Domino, cum argento et auro quod tulerat ex universis gentibus, tam de Idumæa, et Moab, et filiis Ammon, quam de Philistiim et Amalec. ¹²Abisai vero filius Sarviæ percussit Edom in valle Salinarum, decem et octo millia: ¹³et constituit in Edom præsidium, ut serviret Idumæa David: salvavitque Dominus David in cunctis ad quæ perrexerat. ¹⁴Regnavit ergo David super universum Israël, et faciebat judicium atque justitiam cuncto populo suo. ¹⁵Porro Joab filius Sarviæ erat super exercitum, et Josaphat filius Ahilud a commentariis: ¹⁶Sadoc autem filius Achitob, et Ahimelech filius Abiathar, sacerdotes: et Susa, scriba: ¹⁷Banaias quoque filius Jojadæ super legiones Cerethi et Phelethi: porro filii David, primi ad manum regis.

19 Accidit autem ut moreretur Naas rex filiorum Ammon, et regnaret filius ejus pro eo. ²Dixitque David: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas: præstitit enim mihi pater ejus gratiam. Misitque David nuntios ad consolandum eum super morte patris sui. Qui cum pervenissent in terram filiorum Ammon ut consolarentur Hanon, ³dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon: Tu forsitan putas, quod David honoris causa in patrem tuum miserit qui consolentur te: nec animadvertis quod ut explorent, et investigent, et scrutentur terram tuam, venerint ad te servi ejus. ⁴Igitur Hanon pueros David decalvavit, et rasis, et præcidit tunicas eorum a natibus usque ad pedes, et dimisit eos. ⁵Qui cum abiissent, et hoc mandassent David, misit in occursum eorum (grandem enim contumeliam sustinuerant) et præcepit ut manerent in Jericho, donec cresceret barba eorum, et tunc reverterentur. ⁶Videntes autem filii Ammon quod injuriam fecissent David, tam Hanon quam reliquus populus, miserunt mille talenta argenti, ut conducerent sibi de Mesopotamia, et de Syria Maacha, et de Soba currus et equites. ⁷Conduxeruntque triginta duo millia curruum, et regem Maacha cum populo ejus. Qui cum venissent, castrametati sunt e regione Medaba. Filii quoque Ammon congregati de urbibus suis venerunt ad bellum. ⁸Quod cum audisset David, misit Joab, et omnem exercitum virorum fortium: ⁹egressique filii Ammon, direxerunt aciem juxta portam civitatis; reges autem, qui ad auxilium ejus venerant, separatim in agro steterunt. ¹⁰Igitur Joab, intelligens bellum ex adverso et post tergum contra se fieri, elegit viros fortissimos de universo Israël,

et perrexit contra Syrum. ¹¹ Reliquam autem partem populi dedit sub manu Abisai fratris sui: et perrexerunt contra filios Ammon. ¹² Dixitque: Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi: si autem superaverint te filii Ammon, ero tibi in præsidium. ¹³ Confortare, et agamus viriliter pro populo nostro, et pro urbibus Dei nostri: Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet. ¹⁴ Perrexit ergo Joab et populus qui cum eo erat, contra Syrum ad prælium: et fugavit eos. ¹⁵ Porro filii Ammon videntes quod fugisset Syrus, ipsi quoque fugerunt Abisai fratrem ejus, et ingressi sunt civitatem: reversusque est etiam Joab in Jerusalem. ¹⁶ Videns autem Syrus quod cecidisset coram Israël, misit nuntios, et adduxit Syrum, qui erat trans fluvium: Sophach autem princeps militiæ Adarezer erat dux eorum. ¹⁷ Quod cum nuntiatum esset David, congregavit universum Israël, et transivit Jordanem, irruitque in eos et direxit ex adverso aciem, illis contra pugnantibus. ¹⁸ Fugit autem Syrus Israël, et interfecit David de Syris septem millia curruum, et quadraginta millia peditum, et Sophach exercitus principem. ¹⁹ Videntes autem servi Adarezer se ab Israël esse superatos, transfugerunt ad David, et servierunt ei: noluitque ultra Syria auxilium præbere filiis Ammon.

20 Factum est autem post anni circulum, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, congregavit Joab exercitum, et robur militiæ, et vastavit terram filiorum Ammon: perrexitque et obsedit Rabba. Porro David manebat in Jerusalem, quando Joab percussit Rabba et destruxit eam. ² Tulit autem David coronam Melchom de capite ejus, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema: manubias quoque urbis plurimas tulit; ³ populum autem, qui erat in ea, eduxit, et fecit super eos tribulas, et trahas, et ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur et contererentur. Sic fecit David cunctis urbibus filiorum Ammon: et reversus est cum omni populo suo in Jerusalem. ⁴ Post hæc initum est bellum in Gazer adversum Philisthæos, in quo percussit Sobochai Husathites, Saphai de genere Raphaim, et humiliavit eos. ⁵ Aliud quoque bellum gestum est adversus Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi, cujus hastæ lignum erat quasi liciatorium textentium. ⁶ Sed et aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, senos habens digitos, id est, simul viginti quatuor: qui et ipse de Rapha fuerat stirpe generatus. ⁷ Hic blasphemavit Israël: et percussit eum Jonathan filius Samaa fratris David. Hi sunt filii Rapha in Geth, qui ceciderunt in manu David et servorum ejus.

21 Consurrexit autem Satan contra Israël, et concitavit David ut numeraret Israël. ² Dixitque David ad Joab et ad principes populi: Ite, et numerate Israël a Bersabee usque Dan: et afferte mihi numerum ut sciam. ³ Responditque Joab: Augeat Dominus populum suum centuplum quam sunt: nonne, domine mi rex, omnes servi tui sunt? quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israël? ⁴ Sed sermo regis magis prævaluit: egressusque est Joab, et circumivit universum Israël: et reversus est Jerusalem, ⁵ deditque David numerum eorum quos circuierat: et inventus est omnis numerus Israël, mille millia et centum millia virorum educantium gladium: de Juda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum. ⁶ Nam Levi et Benjamin non numeravit: eo quod Joab invitus exsequeretur regis imperium. ⁷ Displicuit autem Deo quod jussum erat: et percussit Israël. ⁸ Dixitque David ad Deum: Peccavi nimis ut hoc facerem: obsecro, aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi. ⁹ Et locutus est Dominus ad Gad videntem David, dicens: ¹⁰ Vade, et loquere ad

David, et dic ei: Hæc dicit Dominus: Trium tibi optionem do: unum, quod volueris, elige, et faciam tibi. ¹¹ Cumque venisset Gad ad David, dixit ei: Hæc dicit Dominus: Elige, quod volueris: ¹² aut tribus annis famem; aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, et gladium eorum non posse evadere; aut tribus diebus gladium Domini, et pestilentiam versari in terra, et angelum Domini interficere in universis finibus Israël: nunc igitur vide quid respondeam ei qui misit me. ¹³ Et dixit David ad Gad: Ex omni parte me angustiae premunt: sed melius mihi est ut incidam in manus Domini, quia multae sunt miserationes ejus, quam in manus hominum. ¹⁴ Misit ergo Dominus pestilentiam in Israël: et ceciderunt de Israël septuaginta millia virorum. ¹⁵ Misit quoque angelum in Jerusalem ut percuteret eam: cumque percuteretur, vidit Dominus, et misertus est super magnitudine mali: et imperavit angelo qui percutiebat: Sufficit, jam cesset manus tua. Porro angelus Domini stabat juxta aream Ornan Jebusæi. ¹⁶ Levansque David oculos suos, vidit angelum Domini stantem inter caelum et terram, et evaginatum gladium in manu ejus, et versum contra Jerusalem: et ceciderunt tam ipse quam majores natu, vestiti ciliciis, proni in terram. ¹⁷ Dixitque David ad Deum: Nonne ego sum, qui jussi ut numeraretur populus? ego, qui peccavi? ego, qui malum feci? iste grex, quid commertuit? Domine Deus meus, vertatur, obsecro, manus tua in me, et in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur. ¹⁸ Angelus autem Domini præcepit Gad ut diceret Davidi ut ascenderet, extrueretque altare Domino Deo in area Ornan Jebusæi. ¹⁹ Ascendit ergo David juxta sermonem Gad, quem locutus ei fuerat ex nomine Domini. ²⁰ Porro Ornan cum suspexisset et vidisset angelum, quatuorque filii ejus cum eo, absconderunt se: nam eo tempore terebat in area triticum. ²¹ Igitur cum veniret David ad Ornan, conspexit eum Ornan, et processit ei obviam de area, et adoravit eum pronus in terram. ²² Dixitque ei David: Da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in ea altare Domino: ita ut quantum valet argenti accipias, et cesset plaga a populo. ²³ Dixit autem Ornan ad David: Tolle, et faciat dominus meus rex quodcumque ei placet: sed et boves do in holocaustum, et tribulas in ligna, et triticum in sacrificium: omnia libens præbebo. ²⁴ Dixitque ei rex David: Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet: neque enim tibi auferre debeo, et sic offerre Domino holocausta gratuita. ²⁵ Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri justissimi ponderis sexcentos. ²⁶ Et ædificavit ibi altare Domino, obtulitque holocausta et pacifica, et invocavit Dominum; et exaudivit eum in igne de caelo super altare holocausti. ²⁷ Præcepitque Dominus angelo, et convertit gladium suum in vaginam. ²⁸ Protinus ergo David, videns quod exaudivisset eum Dominus in area Ornan Jebusæi, immolavit ibi victimas. ²⁹ Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, et altare holocaustorum, ea tempestate erat in excelso Gabaon. ³⁰ Et non prævaluit David ire ad altare ut ibi obsecraret Deum: nimio enim fuerat in timore perterritus, videns gladium angeli Domini.

22 Dixitque David: Hæc est domus Dei, et hoc altare in holocaustum Israël. ² Et præcepit ut congregarentur omnes proselyti de terra Israël, et constituit ex eis latomos ad cædendos lapides et poliendos, ut ædificaretur domus Dei. ³ Ferrum quoque plurimum ad clavos januarum, et ad commissuras atque juncturas, præparavit David: et æris pondus innumerabile. ⁴ Ligna quoque cedrina non poterant aestimari, quæ Sidonii et Tyrii deportaverant ad David. ⁵ Et dixit David: Solomon filius meus puer parvulus est et delicatus: domus autem, quam ædificari volo Domino, talis esse debet ut in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei necessaria.

Et ob hanc causam ante mortem suam omnes præparavit impensas. ⁶Vocavitque Salomonem filium suum, et præcepit ei ut ædificaret domum Domino Deo Israël. ⁷Dixitque David ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit ut ædificarem domum nomini Domini Dei mei: ⁸sed factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me: ⁹filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: et ob hanc causam Pacificus vocabitur: et pacem et otium dabo in Israël cunctis diebus ejus. ¹⁰Ipse ædificabit domum nomini meo, et ipse erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem: firmaboque solium regni ejus super Israël in æternum. ¹¹Nunc ergo fili mi, sit Dominus tecum, et prosperare, et ædifica domum Domino Deo tuo sicut locutus est de te. ¹²Det quoque Dominus prudentiam et sensum ut regere possis Israël, et custodire legem Domini Dei tui. ¹³Tunc enim proficere poteris, si custodieris mandata et judicia quæ præcepit Dominus Moysi ut doceret Israël. Confortare, et viriliter age: ne timeas, neque paveas. ¹⁴Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum: æris vero et ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine; ligna et lapides præparavi ad universa impendia. ¹⁵Habes quoque plurimos artifices, latomos, et cæmentarios, artificesque lignorum, et omnium artium ad faciendum opus prudentissimos, ¹⁶in auro et argento et ære et ferro, cujus non est numerus. Surge igitur et fac, et erit Dominus tecum. ¹⁷Præcepit quoque David cunctis principibus Israël ut adjuvarent Salomonem filium suum: ¹⁸Cernitis, inquit, quod Dominus Deus vester vobiscum sit, et dederit vobis requiem per circuitum, et tradiderit omnes inimicos vestros in manus vestras, et subjecta sit terra coram Domino, et coram populo ejus. ¹⁹Præbete igitur corda vestra et animas vestras, ut quærat Dominus Deum vestrum: et surgite, et ædificate sanctuarium Domino Deo, ut introducatur arca foederis Domini, et vasa Domino consecrata, in domum quæ ædificatur nomini Domini.

23 Igitur David, senex et plenus dierum, regem constituit Salomonem filium suum super Israël. ²Et congregavit omnes principes Israël, et sacerdotes atque Levitas. ³Numeratique sunt Levitæ a triginta annis et supra: et inventa sunt triginta octo millia virorum. ⁴Ex his electi sunt, et distributi in ministerium domus Domini, viginti quatuor millia: præpositorum autem et iudicum, sex millia. ⁵Porro quatuor millia janitores, et totidem psaltæ, canentes Domino in organis quæ fecerat ad canendum. ⁶Et distribuit eos David per vices filiorum Levi, Gerson videlicet, et Caath, et Merari. ⁷Filii Gerson: Leedan, et Semei. ⁸Filii Leedan: princeps Jahiel, et Zethan, et Joël, tres. ⁹Filii Semei: Salomith, et Hosiel, et Aran, tres: isti principes familiarum Leedan. ¹⁰Porro filii Semei: Leheth, et Ziza, et Jaus, et Baria: isti filii Semei, quatuor. ¹¹Erat autem Leheth prior, Ziza secundus: porro Jaus et Baria non habuerunt plurimos filios, et idcirco in una familia, unaque domo computati sunt. ¹²Filii Caath: Amram, et Isaar, Hebron, et Oziel, quatuor. ¹³Filii Amram: Aaron et Moyses. Separatusque est Aaron ut ministraret in Sancto sanctorum, ipse et filii ejus in sempiternum, et adoleret incensum Domino secundum ritum suum, ac benediceret nomini ejus in perpetuum. ¹⁴Moysi quoque hominis Dei filii annumerati sunt in tribu Levi. ¹⁵Filii Moysi: Gersom et Eliezer. ¹⁶Filii Gersom: Subuel primus. ¹⁷Fuerunt autem filii Eliezer: Rohobia primus: et non erant Eliezer filii alii. Porro filii Rohobia multiplicati sunt nimis. ¹⁸Filii Isaar: Salomith primus.

¹⁹ Filii Hebron: Jeriau primus, Amarias secundus, Jahaziel tertius, Jecmaam quartus. ²⁰ Filii Oziel: Micha primus, Jesia secundus. ²¹ Filii Merari: Moholi, et Musi. Filii Moholi: Eleazar et Cis. ²² Mortuus est autem Eleazar, et non habuit filios, sed filias: acceperuntque eas filii Cis fratres earum. ²³ Filii Musi: Moholi, et Eder, et Jerimoth, tres. ²⁴ Hi filii Levi in cognationibus et familiis suis, principes per vices, et numerum capitum singulorum qui faciebant opera ministerii domus Domini, a viginti annis et supra. ²⁵ Dixit enim David: Requiem dedit Dominus Deus Israël populo suo, et habitationem Jerusalem usque in æternum. ²⁶ Nec erit officii Levitarum ut ultra portent tabernaculum et omnia vasa ejus ad ministrandum. ²⁷ Juxta præcepta quoque David novissima, supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis et supra. ²⁸ Et erunt sub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in vestibulis, et in exedris, et in loco purificationis, et in sanctuario, et in universis operibus ministerii templi Domini. ²⁹ Sacerdotes autem, super panes propositionis, et ad similæ sacrificium, et ad lagana azyma, et sartagine, et ad torrendum, et super omne pondus atque mensuram. ³⁰ Levitæ vero ut stent mane ad confitendum et canendum Domino: similiterque ad vesperam, ³¹ tam in oblatione holocaustorum Domini, quam in sabbatis et calendis et solemnitatibus reliquis juxta numerum et cæremonias uniuscujusque rei, jugiter coram Domino. ³² Et custodiant observationes tabernaculi fœderis, et ritum sanctuarii, et observationem filiorum Aaron fratrum suorum, ut ministrent in domo Domini.

24 Porro filiis Aaron hæ partitiones erant. Filii Aaron: Nadab, et Abiu, et Eleazar, et Ithamar. ² Mortui sunt autem Nadab et Abiu ante patrem suum absque liberis: sacerdotioque functus est Eleazar, et Ithamar. ³ Et divisit eos David, id est, Sadoc de filiis Eleazari, et Ahimelech de filiis Ithamar, secundum vices suas et ministerium. ⁴ Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris, quam filii Ithamar. Divisit autem eis, hoc est, filiis Eleazar, principes per familias sedecim: et filiis Ithamar per familias et domos suas octo. ⁵ Porro divisit utrasque inter se familias sortibus: erant enim principes sanctuarii, et principes Dei, tam de filiis Eleazar quam de filiis Ithamar. ⁶ Descripsitque eos Semeias filius Nathanaël scriba Levites, coram rege et principibus, et Sadoc sacerdote, et Ahimelech filio Abiathar, principibus quoque familiarum sacerdotalium, et Leviticarum: unam domum, quæ ceteris præerat, Eleazar: et alteram domum, quæ sub se habebat ceteros, Ithamar. ⁷ Exivit autem sors prima Jojarib, secunda Jedei, ⁸ tertia Harim, quarta Seorim, ⁹ quinta Melchia, sexta Maiman, ¹⁰ septima Accos, octava Abia, ¹¹ nona Jesua, decima Sechenia, ¹² undecima Eliasib, duodecima Jacim, ¹³ teritiadecima Hoppa, decimaquarta Isbaab, ¹⁴ decimaquinta Belga, decimasexta Emmer, ¹⁵ decimasseptima Hezir, decimaoctava Aphses, ¹⁶ decimanona Pheteia, vigesima Hezechiel, ¹⁷ vigesima prima Jachin, vigesima secunda Gamul, ¹⁸ vigesima tertia Dalaiou, vigesima quarta Maaziau. ¹⁹ Hæ vices eorum secundum ministeria sua, ut ingredientur domum Domini, et juxta ritum suum sub manu Aaron patris eorum, sicut præceperat Dominus Deus Israël. ²⁰ Porro filiorum Levi qui reliqui fuerant, de filiis Amram erat Subaël, et de filiis Subaël, Jehedeia. ²¹ De filiis quoque Rohobiæ, princeps Jesias. ²² Isaari vero filius Salemoth, filiusque Salemoth Jahath: ²³ filiusque ejus Jeriau primus, Amarias secundus, Jahaziel tertius, Jecmaam quartus. ²⁴ Filius Oziel, Micha: filius Micha, Samir. ²⁵ Frater Micha, Jesia: filiusque Jesiæ, Zacharias. ²⁶ Filii Merari: Moholi, et Musi. Filius Oziau: Benno. ²⁷ Filius quoque Merari: Oziau, et Soam, et

Zachur, et Hebri. ²⁸ Porro Moholi filius, Eleazar, qui non habebat liberos. ²⁹ Filius vero Cis, Jerameel. ³⁰ Filii Musi: Moholi, Eder et Jerimoth: isti filii Levi secundum domos familiarum suarum. ³¹ Miseruntque et ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron coram David rege, et Sadoc, et Ahimelech, et principibus familiarum sacerdotalium et Leviticarum, tam majores quam minores: omnes sors æqualiter dividebat.

25 Igitur David et magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Heman, et Idithun, qui prophetarent in citharis, et psalteriis, et cymbalis secundum numerum suum, dedicato sibi officio servientes. ² De filiis Asaph: Zachur, et Joseph, et Nathania, et Asarela, filii Asaph: sub manu Asaph prophetantis juxta regem. ³ Porro Idithun: filii Idithun, Godolias, Sori, Jeseias, et Hasabias, et Mathathias, sex, sub manu patris sui Idithun, qui in cithara prophetabat super confitentes et laudantes Dominum. ⁴ Heman quoque: filii Heman, Bocciau, Mathaniau, Oziel, Subuel, et Jerimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi, et Romemthiezer, et Jesbacassa, Mellothi, Othir, Mahazioth: ⁵ omnes isti filii Heman videntis regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu: deditque Deus Heman filios quatuordecim, et filias tres. ⁶ Universi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini distributi erant, in cymbalis, et psalteriis, et citharis, in ministeria domus Domini juxta regem: Asaph videlicet, et Idithun, et Heman. ⁷ Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti doctores, ducenti octoginta octo. ⁸ Miseruntque sortes per vices suas, ex æquo tam major quam minor, doctus pariter et indoctus. ⁹ Egressaque est sors prima Joseph, qui erat de Asaph. Secunda Godoliae, ipsi et filiis ejus, et fratribus ejus duodecim. ¹⁰ Tertia Zachur, filiis et fratribus ejus duodecim. ¹¹ Quarta Isari, filiis et fratribus ejus duodecim. ¹² Quinta Nathaniae, filiis et fratribus ejus duodecim. ¹³ Sexta Bocciau, filiis et fratribus ejus duodecim. ¹⁴ Septima Isreela, filiis et fratribus ejus duodecim. ¹⁵ Octava Jesaie, filiis et fratribus ejus duodecim. ¹⁶ Nona Mathaniae, filiis et fratribus ejus duodecim. ¹⁷ Decima Semeie, filiis et fratribus ejus duodecim. ¹⁸ Undecima Azareel, filiis et fratribus ejus duodecim. ¹⁹ Duodecima Hasabiae, filiis et fratribus ejus duodecim. ²⁰ Tertiadecima Subaël, filiis et fratribus ejus duodecim. ²¹ Quartadecima Mathathiae, filiis et fratribus ejus duodecim. ²² Quintadecima Jerimoth, filiis et fratribus ejus duodecim. ²³ Sextadecima Hananiae, filiis et fratribus ejus duodecim. ²⁴ Septimadecima Jesbacassae, filiis et fratribus ejus duodecim. ²⁵ Octavadecima Hanani, filiis et fratribus ejus duodecim. ²⁶ Nonadecima Mellothi, filiis et fratribus ejus duodecim. ²⁷ Vigesima Eliatha, filiis et fratribus ejus duodecim. ²⁸ Vigesima prima Othir, filiis et fratribus ejus duodecim. ²⁹ Vigesima secunda Geddelthi, filiis et fratribus ejus duodecim. ³⁰ Vigesima tertia Mahazioth, filiis et fratribus ejus duodecim. ³¹ Vigesima quarta Romemthiezer, filiis et fratribus ejus duodecim.

26 Divisiones autem janitorum: de Coritis Meselemia, filius Core, de filiis Asaph. ² Filii Meselemiae: Zacharias primogenitus, Jadhel secundus, Zabadias tertius, Jathanaël quartus, ³ Ælam quintus, Johanan sextus, Elioënai septimus. ⁴ Filii autem Obededom: Semeias primogenitus, Jozabad secundus, Joaha tertius, Sachar quartus, Nathanaël quintus, ⁵ Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollathi octavus: quia benedixit illi Dominus. ⁶ Semei autem filio ejus nati sunt filii, præfecti familiarum suarum: erant enim viri fortissimi. ⁷ Filii ergo Semeiae: Othni, et Raphaël, et Obed, Elzabad, fratres ejus viri fortissimi: Eliu quoque et Samachias. ⁸ Omnes hi, de filiis Obededom: ipsi, et filii et fratres eorum, fortissimi ad ministrandum, sexaginta

duo de Obededom. ⁹ Porro Meselemiæ filii, et fratres eorum robustissimi, decem et octo. ¹⁰ De Hosa autem, id est, de filiis Merari: Semri princeps (non enim habuerat primogenitum, et idcirco posuerat eum pater ejus in principem), ¹¹ Helcias secundus, Tabelias tertius, Zacharias quartus: omnes hi filii et fratres Hosa, tredecim. ¹² Hi divisi sunt in janitores, ut semper principes custodiarum, sicut et fratres eorum ministrarent in domo Domini. ¹³ Missæ sunt ergo sortes ex æquo, et parvis et magnis, per familias suas in unamquamque portarum. ¹⁴ Cecidit ergo sors orientalis, Selemiæ. Porro Zachariæ filio ejus, viro prudentissimo et erudito, sortito obtigit plaga septentrionalis. ¹⁵ Obededom vero et filii ejus ad austrum: in qua parte domus erat seniorum concilium. ¹⁶ Sephim et Hosa ad occidentem, juxta portam, quæ ducit ad viam ascensionis: custodia contra custodiam. ¹⁷ Ad orientem vero Levitæ sex: et ad aquilonem, quatuor per diem: atque ad meridiem similiter in die quatuor: et ubi erat concilium bini et bini. ¹⁸ In cellulis quoque janitorum ad occidentem quatuor in via, binique per cellulas. ¹⁹ Hæ sunt divisiones janitorum filiorum Core et Merari. ²⁰ Porro Achias erat super thesauros domus Dei, et vasa sanctorum. ²¹ Filii Ledan, filii Gersonni: de Ledan principes familiarum Ledan, et Gersonni, Jehieli. ²² Filii Jehieli: Zathan, et Joël fratres ejus super thesauros domus Domini. ²³ Amramitis, et Isaaritis, et Hebronitis, et Ozihelitis. ²⁴ Subaël autem filius Gersom filii Moysi, præpositus thesauris. ²⁵ Fratres quoque ejus Eliezer, cujus filius Rahabia, et hujus filius Isaias, et hujus filius Joram, hujus quoque filius Zechri, et hujus filius Selemith. ²⁶ Ipse Selemith, et fratres ejus, super thesauros sanctorum quæ sanctificavit David rex, et principes familiarum, et tribuni, et centuriones, et duces exercitus, ²⁷ de bellis et manubiis præliorum, quæ consecraverant ad instaurationem et supellectilem templi Domini. ²⁸ Hæc autem universa sanctificavit Samuel videns, et Saul filius Cis, et Abner filius Ner, et Joab filius Sarviæ: omnes qui sanctificaverant ea per manum Selemith et fratrum ejus. ²⁹ Isaaritis vero præerat Chonenias, et filii ejus ad opera forinsecus super Israël ad docendum et judicandum eos. ³⁰ Porro de Hebronitis Hasabias, et fratres ejus viri fortissimi, mille septingenti præerant Israël trans Jordanem contra occidentem, in cunctis operibus Domini, et in ministerium regis. ³¹ Hebronitarum autem princeps fuit Jeria secundum familias et cognationes eorum. Quadragesimo anno regni David recensiti sunt, et inventi sunt viri fortissimi in Jazer Galaad, ³² fratresque ejus robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum. Præposuit autem eos David rex Rubenitis, et Gadditis, et dimidiæ tribui Manasse, in omne ministerium Dei et regis.

27 Filii autem Israël secundum numerum suum, principes familiarum, tribuni, et centuriones, et præfecti, qui ministrabant regi juxta turmas suas, ingredienti et egredientes per singulos menses in anno, viginti quatuor millibus singuli præerant. ² Primæ turmæ in primo mense Jesboam præerat filius Zabdiel, et sub eo viginti quatuor millia; ³ de filiis Phares, princeps cunctorum principum in exercitu mense primo. ⁴ Secundi mensis habebat turmam Dudia Ahohites, et post se alter nomine Macelloth, qui regebat partem exercitus viginti quatuor millium. ⁵ Dux quoque turmæ tertiæ in mense tertio erat Banaias filius Jojadæ sacerdos: et in divisione sua viginti quatuor millia. ⁶ Ipse est Banaias fortissimus inter triginta, et super triginta: præerat autem turmæ ipsius Amizabad filius ejus. ⁷ Quartus, mense quarto, Asahel frater Joab, et Zabadias filius ejus post eum: et in turma ejus viginti quatuor millia. ⁸ Quintus, mense quinto, princeps Samaoth Jezerites: et in turma

ejus viginti quatuor millia. ⁹Sextus, mense sexto, Hira filius Acces Thecutes: et in turma ejus viginti quatuor millia. ¹⁰Septimus, mense septimo, Helles Phallonites de filiis Ephraim: et in turma ejus viginti quatuor millia. ¹¹Octavus, mense octavo, Sobochai Husathites de stirpe Zarahi: et in turma ejus viginti quatuor millia. ¹²Nonus, mense nono, Abiezer Anathothites de filiis Jemini: et in turma ejus viginti quatuor millia. ¹³Decimus, mense decimo, Marai, et ipse Netophathites de stirpe Zarai: et in turma ejus viginti quatuor millia. ¹⁴Undecimus, mense undecimo, Banaias Pharathonites de filiis Ephraim: et in turma ejus viginti quatuor millia. ¹⁵Duodecimus, mense duodecimo, Holdai Netophathites, de stirpe Gothoniël: et in turma ejus viginti quatuor millia. ¹⁶Porro tribubus præerant Israël, Rubenitis, dux Eliezer filius Zechri: Simeonitis, dux Saphatias filius Maacha: ¹⁷Levitis, Hasabias filius Camuel: Aaronitis, Sadoc: ¹⁸Juda, Eliu frater David: Issachar, Amri filius Michaël. ¹⁹Zabulonitis, Jesmaias filius Abdiæ: Nephthalitibus, Jerimoth filius Ozriel: ²⁰filiis Ephraim, Osee filius Ozaziu: dimidiæ tribui Manasse, Joël filius Phadaia: ²¹et dimidiæ tribui Manasse in Galaad, Jaddo filius Zacharia: Benjamin autem, Jasiel filius Abner: ²²Dan vero, Ezrihel filius Jeroham: hi principes filiorum Israël. ²³Noluit autem David numerare eos a viginti annis inferius: quia dixerat Dominus ut multiplicaret Israël quasi stellas cæli. ²⁴Joab filius Sarviæ cœperat numerare, nec complevit: quia super hoc ira irruerat in Israël, et idcirco numerus eorum qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David. ²⁵Super thesauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel: his autem thesauris, qui erant in urbibus, et in vicis, et in turribus, præsidebat Jonathan filius Oziæ. ²⁶Operi autem rustico, et agricolis qui exercebant terram, præerat Ezri filius Chelub: ²⁷vinearumque cultoribus, Semeias Romathites: cellis autem vinariis, Zabdiās Aphonites. ²⁸Nam super oliveta et ficeta quæ erant in campestribus, Balanam Gederites: super apothecas autem olei, Joas. ²⁹Porro armentis quæ pascebantur in Saron, præpositus fuit Setrai Saronites: et super boves in vallibus, Saphat filius Adli: ³⁰super camelos vero, Ubil Ismahelites: et super asinos, Jadias Meronathites: ³¹super oves quoque, Jaziz Agareus: omnes hi, principes substantiæ regis David. ³²Jonathan autem patruus David, consiliarius, vir prudens et litteratus: ipse et Jahiel filius Hachamoni erant cum filiis regis. ³³Achitophel etiam consiliarius regis, et Chusai Arachites amicus regis. ³⁴Post Achitophel fuit Joadā filius Banaia, et Abiathar. Princeps autem exercitus regis erat Joab.

28 Convocavit igitur David omnes principes Israël, duces tribuum, et præpositos turmarum, qui ministrabant regi: tribunos quoque et centuriones, et qui præerant substantiæ et possessionibus regis, filiosque suos cum eunuchis, et potentes et robustissimos quosque in exercitu Jerusalem. ²Cumque surrexisset rex, et stetisset, ait: Audite me, fratres mei et populus meus: cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca foederis Domini, et scabellum pedum Dei nostri: et ad ædificandum, omnia præparavi. ³Deus autem dixit mihi: Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, et sanguinem fuderis. ⁴Sed elegit Dominus Deus Israël me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israël in sempiternum: de Juda enim elegit principes: porro de domo Juda, domum patris mei, et de filiis patris mei placuit ei ut me eligeret regem super cunctum Israël. ⁵Sed et de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum ut sederet in throno regni Domini super Israël, ⁶dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, et atria mea: ipsum enim elegeri mihi in filium, et ego ero

ei in patrem. ⁷Et firmabo regnum ejus usque in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea et judicia, sicut et hodie. ⁸Nunc ergo coram universo cœtu Israël audiente Deo nostro, custodite, et perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri: ut possideatis terram bonam, et relinquatis eam filiis vestris post vos usque in sempiternum. ⁹Tu autem, Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto, animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum. ¹⁰Nunc ergo quia elegit te Dominus ut ædificares domum sanctuarii, confortare, et perface. ¹¹Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus, et templi, et cellariorum, et cœnaculi, et cubiculorum in adytis, et domus propitiationis, ¹²necnon et omnium quæ cogitaverat atriorum et exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, et in thesauros sanctorum, ¹³divisionumque sacerdotalium et Leviticarum, in omnia opera domus Domini, et in universa vasa ministerii templi Domini. ¹⁴Aurum in pondere per singula vasa ministerii. Argenti quoque pondus pro vasorum et operum diversitate. ¹⁵Sed et in candelabra aurea, et ad lucernas eorum, aurum pro mensura uniuscujusque candelabri et lucernarum. Similiter et in candelabra argentea, et in lucernas eorum, pro diversitate mensuræ, pondus argenti tradidit. ¹⁶Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diversitate mensarum: similiter et argentum in alias mensas argenteas. ¹⁷Ad fuscinulas quoque, et phialas, et thuribula ex auro purissimo, et leunculos aureos pro qualitate mensuræ pondus distribuit in leunculum et leunculum. Similiter et in leones argenteos diversum argenti pondus separavit. ¹⁸Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit: ut ex ipso fieret similitudo quadrigæ cherubim extendentium alas, et velantium arcam fœderis Domini. ¹⁹Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris. ²⁰Dixit quoque David Salomoni filio suo: Viriliter age, et confortare, et fac: ne timeas, et ne paveas: Dominus enim Deus meus tecum erit, et non dimittet te nec derelinquet, donec perficias omne opus ministerii domus Domini. ²¹Ecce divisiones sacerdotum et Levitarum: in omne ministerium domus Domini assistunt tibi, et parati sunt, et noverunt tam principes quam populus facere omnia præcepta tua.

29 Locutusque est David rex ad omnem ecclesiam: Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum et tenellum: opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. ²Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea, et argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea: et lapides onychinos, et quasi stibinos, et diversorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, et marmor Parium abundantissime: ³et super hæc quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum et argentum, do in templum Dei mei, exceptis his quæ præparavi in ædem sanctam. ⁴Tria millia talenta auri de auro Ophir, et septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes templi. ⁵Et ubicumque opus est aurum de auro, et ubicumque opus est argentum de argento, opera fiant per manus artificum: et si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, et offerat quod voluerit Domino. ⁶Polliciti sunt itaque principes familiarum, et proceres tribuum Israël, tribuni quoque, et centuriones, et principes possessionum regis. ⁷Dederuntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, et solidos decem millia: argenti talenta decem millia, et æris talenta decem et octo millia: ferri quoque centum millia talentorum. ⁸Et apud

quemcumque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini per manum Jahiel Gersonitis. ⁹Lætatusque est populus cum vota sponte promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino: sed et David rex lætatus est gaudio magno. ¹⁰Et benedixit Domino coram universa multitudine, et ait: Benedictus es, Domine Deus Israël patris nostri, ab æterno in æternum. ¹¹Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria: et tibi laus: cuncta enim quæ in cælo sunt et in terra, tua sunt: tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes. ¹²Tuæ divitiæ, et tua est gloria: tu dominaris omnium. In manu tua virtus et potentia: in manu tua magnitudo, et imperium omnium. ¹³Nunc igitur Deus noster, confitemur tibi, et laudamus nomen tuum inclytum. ¹⁴Quis ego, et quis populus meus, ut possimus hæc tibi universa promittere? Tua sunt omnia: et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. ¹⁵Peregrini enim sumus coram te, et advenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. ¹⁶Domine Deus noster, omnis hæc copia quam paravimus ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, et tua sunt omnia. ¹⁷Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas, unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc: et populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. ¹⁸Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israël patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, et semper in venerationem tui mens ista permaneat. ¹⁹Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, ut custodiat mandata tua, testimonia tua, et cæremonias tuas, et faciat universa: et ædificet ædem, cujus impensas paravi. ²⁰Præcepit autem David universæ ecclesiæ: Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrum suorum: et inclinaverunt se, et adoraverunt Deum, et deinde regem. ²¹Immolaveruntque victimas Domino: et obtulerunt holocausta die sequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille cum libaminibus suis, et universo ritu abundantissime in omnem Israël. ²²Et comederunt, et biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia. Et unxerunt secundo Salomonem filium David. Unxerunt autem eum Domino in principem, et Sadoc in pontificem. ²³Seditque Salomon super solium Domini in regem pro David patre suo, et cunctis placuit: et paruit illi omnis Israël. ²⁴Sed et universi principes, et potentes, et cuncti filii regis David dederunt manum, et subjecti fuerunt Salomoni regi. ²⁵Magnificavit ergo Dominus Salomonem super omnem Israël: et dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israël. ²⁶Igitur David filius Isai regnavit super universum Israël. ²⁷Et dies quibus regnavit super Israël, fuerunt quadraginta anni: in Hebron regnavit septem annis, et in Jerusalem annis triginta tribus. ²⁸Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, et divitiis, et gloria: et regnavit Salomon filius ejus pro eo. ²⁹Gesta autem David regis priora et novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, et in libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad videntis: ³⁰universique regni ejus, et fortitudinis, et temporum quæ transierunt sub eo, sive in Israël, sive in cunctis regnis terrarum.

LIBER SECUNDUS PARALIPOMENON

1 Confortatus est ergo Salomon filius David in regno suo, et Dominus Deus ejus erat cum eo, et magnificavit eum in excelsum. ²Præcepitque Salomon universo Israëli, tribunis, et centurionibus, et ducibus, et iudicibus omnis Israëli, et principibus familiarum: ³et abiit cum universa multitudine in excelsum Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine. ⁴Arcam autem Dei adduxerat David de Cariathiarim in locum quem præparaverat ei, et ubi fixerat illi tabernaculum, hoc est, in Jerusalem. ⁵Altare quoque æneum quod fabricatus fuerat Beseleel filius Uri filii Hur, ibi erat coram tabernaculo Domini: quod et requisivit Salomon, et omnis ecclesia. ⁶Ascenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, et obtulit in eo mille hostias. ⁷Ecce autem in ipsa nocte apparuit ei Deus, dicens: Postula quod vis, ut dem tibi. ⁸Dixitque Salomon Deo: Tu fecisti cum David patre meo misericordiam magnam, et constituisti me regem pro eo. ⁹Nunc ergo Domine Deus, impleatur sermo tuus quem pollicitus es David patri meo: tu enim me fecisti regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est quam pulvis terræ. ¹⁰Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo: quis enim potest hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, judicare? ¹¹Dixit autem Deus ad Salomonem: Quia hoc magis placuit cordi tuo, et non postulasti divitias, et substantiam, et gloriam, neque animas eorum qui te oderant, sed nec dies vitæ plurimos: petisti autem sapientiam et scientiam, ut judicare possis populum meum super quem constitui te regem: ¹²sapientia et scientia data sunt tibi: divitias autem et substantiam et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus nec ante te nec post te fuerit similis tui. ¹³Venit ergo Salomon ab excelso Gabaon in Jerusalem coram tabernaculo fœderis, et regnavit super Israëli. ¹⁴Congregavitque sibi currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum: et fecit eos esse in urbibus quadrigarum, et cum rege in Jerusalem. ¹⁵Præbuitque rex argentum et aurum in Jerusalem quasi lapides, et cedros quasi sycomoros quæ nascuntur in campestribus multitudine magna. ¹⁶Adducebantur autem ei equi de Ægypto et de Coa a negotiatoribus regis, qui ibant et emebant pretio, ¹⁷quadrigam equorum sexcentis argenteis, et equum centum quinquaginta: similiter de universis regnis Hethæorum, et a regibus Syriæ emptio celebrabatur.

2 Decevit autem Salomon ædificare domum nomini Domini, et palatium sibi. ^{**}
²Et numeravit septuaginta millia virorum portantium humeris, et octoginta millia qui cæderent lapides in montibus, præpositosque eorum tria millia sexcentos. ³Misit quoque ad Hiram regem Tyri, dicens: Sicut egisti cum David patre meo, et misisti ei ligna cedrina ut ædificaret sibi domum, in qua et habitavit: ⁴sic fac mecum ut ædificem domum nomini Domini Dei mei, ut consecrem eam ad adolendum incensum coram illo, et fumiganda aromata, et ad propositionem panum sempiternam, et ad holocausta mane, et vespere, sabbatis quoque, et neomeniis, et solemnibus.

^{**}2.1 *Decevit Salomon ædificare domum*, etc. BED., quæst. in lib. Reg., tom. 2. Domus quam ædificavit Salomon, etc., usque ad qui seipsos ædificio Dei, credendo, operando, alios docendo, præparant. *Salomon*. Et nomine et regno pacatissimo illum significat, etc., usque ad et illuminationis Spiritus sancti.

tatibus Domini Dei nostri in sempiternum, quæ mandata sunt Israëli. ⁵ Domus enim quam ædificare cupio, magna est: magnus est enim Deus noster super omnes deos. ⁶ Quis ergo poterit prævalere, ut ædificet ei dignam domum? si cælum, et cæli cælorum, capere eum nequeunt, quantus ego sum, ut possim ædificare ei domum? sed ad hoc tantum, ut adoleatur incensum coram illo. ⁷ Mitte ergo mihi virum eruditum, qui noverit operari in auro, et argento, ære, et ferro, purpura, coccino, et hyacintho: et qui sciat sculperæ cælaturas cum his artificibus quos mecum habeo in Judæa, et Jerusalem, quos præparavit David pater meus. ⁸ Sed et ligna cedrina mitte mihi, et arceuthina, et pinea de Libano: scio enim quod servi tui noverint cædere ligna de Libano: et erunt servi mei cum servis tuis,†† ⁹ ut parentur mihi ligna plurima. Domus enim quam cupio ædificare, magna est nimis, et inclyta. ¹⁰ Præterea operariis qui cæsuri sunt ligna, servis tuis, dabo in cibaria tritici coros viginti millia, et hordei coros totidem, et vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti millia. ¹¹ Dixit autem Hiram rex Tyri per litteras quas miserat Salomoni: Quia dilexit Dominus populum suum, idcirco te regnare fecit super eum. ¹² Et addidit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, qui fecit cælum et terram: qui dedit David regi filium sapientem et eruditum et sensatum atque prudentem, ut ædificaret domum Domino, et palatium sibi. ¹³ Misi ergo tibi virum prudentem et scientissimum Hiram patrem meum, ¹⁴ filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius, qui novit operari in auro, et argento, ære, et ferro, et marmore, et lignis, in purpura quoque, et hyacintho, et bysso, et coccino: et qui scit cælare omnem sculpturam, et adinvenire prudenter quodcumque in opere necessarium est cum artificibus tuis, et cum artificibus domini mei David patris tui.‡‡ ¹⁵ Triticum ergo, et hordeum, et oleum, et vinum, quæ pollicitus es, domine mi, mitte servis tuis. ¹⁶ Nos autem cædemus ligna de Libano, quot necessaria habueris, et applicabimus ea ratibus per mare in Joppe: tuum autem erit transferre ea in Jerusalem.¶¶ ¹⁷ Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos qui erant in terra Israël, post dinumerationem quam dinumeravit

††2.8 *Et erunt servi.* RAB. Apostoli mei et doctores primi, etc., usque ad et ideo subtilius expugnaverunt.

‡‡2.14 *Filium mulieris.* Ostendit eum esse de progenie Salomith; de tribu Dan, de quo in libro Numerorum legitur. Patrem ejus tradunt Hebræi fuisse Hebræum, de stirpe Oliab, de tribu Dan, qui cum Beseleel in eremo operatus est. Quod vero Tyrium vocat, aiunt Hebræi hoc translatione factum fuisse. Zocri enim lingua eorum psalmatio interpretatur. Chyros enim quam illi Zor vocant, aliquando angustiam, aliquando plasmationem sonat. *Qui novit operari in auro et argento.* In his omnibus Hiram spiritualis novit operari, ut ornatus domus Dei coram oculis hominum digno decore fulgeat, et bonæ opinionis odore Deo acceptabilis fiat.

¶¶2.16 *Nos autem,* etc. RAB. Significat quod gentes audita fama Evangelii diversas personas per fidem ad baptismum transmittit. Solius tamen est veri pacifici, ut absolvendo peccata per baptismi sacramenta unitati Ecclesiæ illos adunare, de quo dicitur: *Super quem videritis Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat* Matth. 3..

David pater ejus, et inventi sunt centum quinquaginta millia, et tria millia sexcenti.^{§§}
¹⁸ Fecitque ex eis septuaginta millia qui humeris onera portarent, et octoginta millia qui lapides in montibus cæderent: tria autem millia et sexcentos præpositos operum populi.

3 Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco quem paraverat David in area Ornan Jebusæi.* ² Cœpit autem ædificare mense secundo, anno quarto regni sui.† ³ Et hæc sunt fundamenta quæ jecit Salomon, ut ædificaret domum Dei: longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta, latitudinis cubitos viginti. ⁴ Porticum vero ante frontem, quæ tendebatur in longum juxta mensuram latitudinis domus, cubitorum viginti: porro altitudo centum viginti cubitorum erat: et deauravit eam intrinsecus

§§2.17 *Numeravit igitur*, etc. Fuerunt operarii domus Domini de filiis Israël, etc. RAB. usque ad Ecclesiam Christi recte vivendo et docendo construunt. *Tria millia et sexcenti*. In Paralipomenon pro tribus millibus trecentis præpositis, qui in Regum numerantur, tria millia sexcenti scribuntur pro perfectione sublimium virorum. In senario enim Deus mundi ornatum complevit: et quia sancta Scriptura fidem Trinitatis docet et opera justitiæ, recte tria millia sexcenti perhibentur fuisse.

*3.1 *In area Ornan*. RAB. Ecclesia per aream signatur, etc., usque ad sed cum Christus eam respexit, pacis in se et locum invenit et nomen.

†3.2 *Mense secundo*, etc. Id est Maio, mox scilicet post pascha, ut consecratus mystica solemnitate populus digne aggredereetur mysticum opus. *Anno quarto regni sui*. Post expletam dispensationem divinæ incarnationis, quæ in quatuor Evangeliiis scripta est, misso Spiritu de cælo Ecclesia fabricata est. Quæ in libris Regum exposuimus, in Paralipomenon sub brevitate perstringimus. Longitudo domus longam Ecclesiæ patientiam significat. Latitudo charitatem qua etiam diligit inimicos, donec cum solis amicis in Deo gaudeat. Altitudo vero spem futuræ vitæ et retributionis, quia omnia adversa contemnit: donec videat bona Domini in terra viventium. Notandum quod triginta cubiti altitudinis, qui in Regum leguntur, non ad tectum templi, sed usque ad cœnaculum inferius pervenerunt. Hic enim quod altitudo centum viginti cubitorum erat. Alii triginta ad medium cœnaculum, alii vero ad tertium, deinde usque ad supremum templi tectum numerabuntur, alii triginta et sic tota altitudo domus in centum viginti cubitis consummatur: quo numero virorum primitiva Ecclesia in Jerusalem gratiam Spiritus sancti accepit. Quindecim namque qui ex septem et octo constant, futuram vitam signant, quæ nunc agitur in quiete animarum et perficietur in resurrectione corporum: quindecim vero in trigonum ducta, id est, cum omnibus partibus suis numerata centum viginti fiunt, quibus designatur futura beatitudo electorum. Bene autem hoc numero tertium cœnaculum domus consummatur, quæ post præsentis labores, post animarum requiem, plena felicitatis gloria in resurrectione completur.

auro mundissimo.[‡] ⁵ Domum quoque majorem texit tabulis ligneis abiegnis, et laminas auri obrizi affixit per totum: sculpsitque in ea palmas, et quasi catenulas se invicem complectentes. ⁶ Stravit quoque pavementum templi pretiosissimo marmore, decore multo.[†] ⁷ Porro aurum erat probatissimum, de cujus laminis texit domum, et trabes ejus, et postes, et parietes, et ostia: et cælavit cherubim in parietibus.[§] ⁸ Fecit quoque domum Sancti sanctorum: longitudinem juxta latitudinem domus cubitorum viginti: et latitudinem similiter viginti cubitorum: et laminis aureis texit

[‡]3.4 *Porticum vero*, etc. Ipsum scilicet templum quod erat pro foribus oraculi: tripartita enim fuit fabricæ distinctio: hoc est porticus ante templum: et ipsum templum in quo altare thymiamatis, mensa propositionis, et candelabrum luminis erant: et oraculum, id est, Sanctum sanctorum ubi arca testamenti et cherubim post velum collocata. Porticus vero ante templum antiquorum figuram gestat fidelium. Ipsum vero templum eorum qui post incarnationem Domini in mundum venerunt. Domus autem interior regni cœlestis gaudia utrisque data. Notandum ergo quod parietes domus lapidibus pretiosis facti fuerunt tabulis cypressinis vel cedrinis operiti, laminis aureis vestiti. Unde in Regum: *Et cedro omnis domus vestiebatur*, etc. Lapidis parietis vel pavimenti et tabulæ et aurum sanctorum vitam in Ecclesia significant. Lapidis vivi sunt sancti fortitudine fidei in unam regulam conjuncti. Tabulæ quoque cedrinæ vel cypressinæ sunt sancti latitudine variarum virtutum secundum donationem Spiritus sancti in eadem fide sibimetipsis connexi. Auri laminæ sunt sancti supereminentem scientiæ charitatem habentes, et hujus fulgore gratissimo ad invicem congaudentes.

[†]3.6 *Stravit quoque pavementum*, etc. Sicut latitudo parietis in altum exurgens, et ad laquearia perveniens, proventus virtutum quibus sancti ad cœlum perveniunt, vel sanctorum choros sibi per varia tempora succedentes significant: ita æqualitas pavimenti concordem eorum humilitatem, qua in hac vita positi sociali charitate conversantur. Pavimentum pretioso marmore stratum multo decore, et marmor tectum tabulis abiegnis, quia vita justorum primo fidei firmitate munienda est in corde: post virtutum latitudine ornanda in opere. Quid enim prodest decor marmoris tabulis obtectis, nisi aliquid mysticum ostendat? sed bonorum amplitudinem operum fortitudine fidei fulciendam esse significat. Abies vero alta et durabilis mentem electorum infima spernentem, cœlestibus inhærentem, et virtutem patientiæ excellentem demonstrat. Auri laminæ marmor de tabulis abiegnis superpositæ latitudo est charitatis de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, quæ sicut aurum aliis metallis, ita cæteris virtutibus in templo Dei præfulget.

[§]3.7 *Postes et parietes*, etc. Texit, cum aditum fidei ipso Domino pendente qua veritate reluceat omnibus Ecclesiam intrantibus ostendit. Ostium templi Christus est, per quem venit ad Patrem, qui ait: *Ego sum ostium*, etc. Joan. 10. In Regum ita scriptum est: *Oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, et viginti latitudis et viginti altitudinis* III Reg. 3.. Oraculum dicitur Sanctum sanctorum, quia ibi divina et angelica locutione hominibus secreta revelantur. Unde: *Oraculum in abdītis* id est, interiori domo factum est, quia in superna patria angelorum visio et allocutio et ipsa Dei præsentia revelabitur. Quod dicit viginti cubitos altitudinis, parietem cedrinum significat, qui oraculum ab æde exteriori segregat. *Cælavit cherubim*. Habet hæc domus, sicut in Regum legitur, cælaturas eminentes, cum sancti opera virtutum non in occulto agant, sed exemplum omnibus præferunt.

eam, quasi talentis sexcentis.**⁹ Sed et clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi siclos quinquagenos appenderent: coenacula quoque textit auro.^{††}¹⁰ Fecit etiam in domo Sancti sanctorum cherubim duos, opere statuario: et textit eos auro.^{‡‡}¹¹ Alæ cherubim viginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque et tangeret parietem domus: et altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius cherub.^{¶¶}¹² Similiter cherub alterius ala, quinque habebat cubitos, et tangebatur parietem: et ala ejus altera quinque cubitorum, alam cherub alterius contingebat.^{§§}¹³ Igitur alæ utriusque cherubim expansæ erant et extendebantur per cubitos viginti: ipsi autem

****3.8 Fecit quoque domum,** etc. Oraculum ubi erat arca viginti cubitos habebat in longitudine, latitudine, altitudine, id est per quadrum: quia in superna patria ubi regem in decore suo vident sancti, sola charitas divinæ et supernæ gratiæ per omnia fulget. Unde in sequentibus: *Laminis aureis textit eam* III Reg. 6., id est, mœnia supernæ civitatis gratia charitatis implevit. *Talentis sexcentis,* etc. In talentis ponderis perfectio quæ charitatis perfectionem exprimit, sicut perfectio senarii per quem centenarius multiplicatur, ut fiant sexcenti.

††3.9 Sed et clavos. RAB. Quinquagenario numero peccatorum remissio, etc., usque ad qui ad perfectiora perveniens de clavis perfectionis, ait: *Mihi autem adhærere Deo, bonum est* Psal. 72.. *Coenacula quoque.* Sicut Sancta sanctorum, ubi erat arca, internam sanctorum vitam in conspectu Redemptoris significat, unde: *Abcondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum* Psal. 30.. Ita coenacula in alto eadem vitam, id est in cœlis esse et non in hoc mundo, unde: *Quæ sursum sunt quærite* Col. 3., ubi Christus est in dextera Dei sedens.

‡‡3.10 Fecit etiam. RAB. Hoc in Regum plenius legitur, etc., usque ad denario perpetui regni remunerandam.

¶¶3.11 Ita ut ala. Quinque cubitorum erat ala cherub una, etc., quia angeli legem Dei descriptam in quinque libris indefessa devotione custodiunt, diligendo scilicet Deum ex omnibus viribus suis, et proximos tanquam seipsos. *Plenitudo autem legis est charitas* Rom. 13.. Proximi quoque adinvicem sunt spiritus angelici et homines electi. Unde utraque ala cherub ejusdem mensuræ est: quia eadem devotione qua sese alterutrum in Deo diligunt, nostram quoque ad se ascendentium societatem desiderant. Similiter ergo alæ decem cubitos complent, cum in gemina charitatis exhibitione angeli, conditoris sui præsentia lætantur.

§§3.12 Tangebatur parietem. Duos æque parietes alis suis tangunt, quia Judæos et gentiles secum habent cœlestis aulæ possessores: non quod ibi sit localis distinctio inter utrumque populum, sed quia major est festivitas internæ beatitudinis de consortio adunatæ in Deo fraternitatis. Extendunt ergo ad utrumque parietem alas: quia lætantes in cœlesti patria justos utriusque populi ad laudem excitant Creatoris. Alas tectas auro ad oraculi parietes extendunt, sicut habent facies versas ad exteriorem domum: quia angeli sicut suam innocentiam conservant, sic de sanctorum beatitudine gaudent, ut eis quos adhuc in terris conspiciunt, opem ferant donec illos ad cœlestem patriam introducant. *Omnes enim sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* Hebr. 1.. Alis exterioribus iste unum parietem, ille alterum contingit: quia Vetus Testamentum antiquo populo scripto novum nobis qui post incarnationem Domini ad fidem venimus, et secundo parieti, id est, septentrionali recte comparatur, qui post frigora et tenebras idololatriæ lucem veritatis cognovimus. *Ala ejus.* Extendunt alas ad invicem super arcam, cum ad laudem Salvatoris referunt omne bonum quod acceperant. Extendunt alteras alas ad parietes oraculi, cum sanctos secum videre lætantur, eosque velut alarum summatibus tangunt, quos imitatores suæ puritatis in hac vita fuisse exsultant. *Et facies eorum versæ.* Quia nostri gratia qui adhuc foris stamus, sed spe salvi facti sumus, divini libri sunt conditi, quorum scriptores jam cum Domino regnantes, nostræ salutis curam gerunt, et pro nobis interpellant apud Deum.

stabant erectis pedibus, et facies eorum erant versæ ad exteriorem domum. ¹⁴Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, et bysso: et intexuit ei cherubim.*
¹⁵Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta et quinque cubitos habebant altitudinis: porro capita earum, quinque cubitorum.† ¹⁶Necnon et quasi catenulas in oraculo, et superposuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit.‡ ¹⁷Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, unam

*3.14 *Fecit quoque.* RAB. Hoc in Regum præmittitur, etc., usque ad et veritas Evangelii et ingressus regni ipsa veritate aperitur. *Et intexuit.* Intexuntur cherubim his quatuor coloribus, cum in omnibus quæ pie agimus a venenatis dæmonum telis per angelica præsidia protegimur, et multitudine scientiæ indesinenter utimur, respicientes semper ad eloquia divina, ne a virtutum calle aberremus.

†3.15 *Ante fores etiam templi duas columnas.* Stabant in porticu ante fores templi, et ingressum templi suo decore ex utraque parte ornabant. Ostium templi Dominus est, qui ait: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me,* etc. Joan. 14.. Ostium columnæ ab utroque latere circumstant, cum ministri sermonis utrique populo introitum regni cœlestis ostendunt, ut quicumque a luce legalis scientiæ vel gentilitatis errore ad fidem Evangelii venerit, habeat eos paratos qui sibi iter salutis verbo monstrent et exemplo. In Regum de his columnis legitur: *Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus ejus, et finxit duas columnas æreas,* etc. III Reg. 7. *Triginta et quinque.* Hic numerus perfectionem significat magistrorum. Septenarius enim numerus per quinarium, vel quinarium per septenarium multiplicatus, triginta quinque reddunt. Quinarium vero legem, septenarius propter Spiritum septiformem in flore radicis Jesse manentem, Evangelium exprimit; unde alibi Dominus quinque panibus quinque millia hominum, et alibi septem panibus quatuor millia hominum pavisse narratur. Columnæ igitur triginta quinque cubitorum significant doctores Evangelii duorum Testamentorum habere perfectam scientiam, unde: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei* Marc. 4.. Et alibi: *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* Luc. 24.. *Quasi catenulas.* RAB. Multiplex catenarum contextio et retis, secundum Regum expansio sic multifarias electorum personas insinuat, quæ cum verbis prædicatorum fideliter auscultando et obediende adhærent, quasi capitibus columnarum superposita retia et catenulæ miraculum suæ connexionis spectantibus præbent.

‡3.16 *Capitibus columnarum.* Capita columnarum, id est suprema pars, præcordia sunt doctorum, quorum Deo devotis cogitationibus sicut capite membra, ita ipsorum omnia opera dirigantur et verba. *Malogranata.* Uno foris cortice multa interius grana circumdant, unde Ecclesiam significant, quia unius fidei munimine innumera electorum agmina circumdat, vel cujusque justi vitam et mores, qui multa cogitationum virtutumque insignia, ne forte defluant, firma fidei et humilitatis vallant custodia. Apte vero capita columnarum malis granatis erant in gyro circumdata, quia sancti doctores priorum vitam fidelium ad memoriam revocant; eorumque exemplis et sermones suos omni parte confirmant, ne si aliter quam illorum habet regula, vixerint vel docuerint, errent.

a dextris, et alteram a sinistris: eam quæ a dextris erat, vocavit Jachin: et quæ ad lævam, Booz.[¶]

4 Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis, et decem cubitorum altitudinis.[§] ² Mare etiam fusile decem cubitis a labio usque ad labium, rotundum per circuitum: quinque cubitos habebat altitudinis, et funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus.^{**} ³ Similitudo quoque boum erat subter illud, et decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ, quasi duobus versibus alvum maris circuibant. Boves autem erant fusiles.^{††} ⁴ et ipsum mare super duodecim boves impositum erat, quorum tres respiciebant ad aquilonem, et alii tres ad occidentem: porro tres alii meridiem, et tres qui reliqui erant, orientem,

[¶]3.17 *Ipsas quoque.* Ideo duæ factæ sunt columnæ et ita dispositæ, ut nobis in prosperis et in adversis ingressum regni cœlestis ante oculos habendum doceant. Notandum vero quod porticus templi etiam vestibulum vocatur, et quod legimus inter vestibulum et altare, inter porticum et altare intelligi debeat. Secunda columna significat prædicatores qui gentibus ad prædicandum missi sunt. Vel dextra columna eos significat qui venturum in carne prophetaverunt Dominum. Secunda vero illos qui jam venisse et mundum suo sanguine redemisse testantur. Ambæ columnæ simili vocabulo censentur, cum una firmitas et altera in robore dicitur, ut una fidei, et operis fortitudo cunctis inesse doctoribus monstretur, et nostri temporis doctores tacite notentur, qui columnæ domus Dei videri et appellari volunt, cum in se firmæ fidei ad contemnendas sæculi pompas, ad desideranda bona invisibilia, nihil habeant roboris ad corrigendos, vel industriæ ad intelligendos eorum quibus præsent errores.

[§]4.1 *Fecit quoque,* etc. RAB. Altare holo causti significat eos qui corpus suum et animam Deo igne amoris consecrant: quorum perseverantiam in bono opere longitudo altaris exprimit, latitudo amplitudinem in charitate Dei et proximi, spem in expectatione visitationis altitudo prætendit. *Viginti cubitorum.* Vicenarius magnam perfectionem indefessæ longanimitatis et sinceræ dilectionis significat, quæ per utriusque Testamenti observantiam nobis tribuitur. Quater enim quini viginti sunt, quinque autem sunt libri legis, et quatuor Evangelia. Cum vero ad intelligentiam et custodiam legis illustrante gratia pervenimus, vicenarium numerum perficimus; fitque idem numerus in longitudine et latitudine altaris, cum corda electorum docente utroque Testamento perseverantiam hujusmodi operis etiam in persecutionibus servant, et hilaritatem dilectionis etiam in eos qui persequuntur *Et decem cubitis.* In denario spes cœlestium præmiorum significatur. Unde qui in vinea patris familias laborant, denario remunerantur. Unde altare, quod electos significat, pro signanda eorum vita perpetua decem cubitis exaltatur.

^{**}4.2 *Mare etiam.* RAB. Lavacrum salutare, etc., usque ad et communem a Domino coronam justitiæ sperare debet. *Quinque cubitos habebat.* Quia quidquid visu, auditu, olfactu, gustu, tactuve delinquimus, totum in baptismo relaxatur. Sed non sufficit præteritorum remissio peccatorum, nisi quisque deinceps bonis operibus institerit. Alioquin diabolus qui exierat multiplicius redit, et fiunt hominis novissima pejora prioribus. Unde audit: *Funiculus triginta cubitorum.* Hoc est, disciplina cœlestium præceptorum, qua a nostris voluntatibus religamur, unde: *Funiculus triplex difficile rumpitur* Eccle. 4.; quia observantia mandatorum Dei in cordibus sanctorum, fide, spe et dilectione supernæ retributionis firmata, nulla potest adversitate dissolvi.

^{††}4.3 *Et decem cubitis.* RAB. Sculptura subter labium, etc., usque ad quanta infelicitate propter scelera perierunt reprobi.

habentes mare superpositum: posteriora autem boum erant intrinsecus sub mari.^{‡‡}
⁵ Porro vastitas ejus habebat mensuram palmi, et labium illius erat quasi labium calicis, vel repandi lili: capiebatque tria millia metretas.^{¶¶} ⁶ Fecit quoque conchas decem: et posuit quinque a dextris, et quinque a sinistris, ut lavarent in eis omnia quæ in holocaustum oblaturi erant: porro in mari sacerdotes lavabantur.^{§§} ⁷ Fecit autem et candelabra aurea decem secundum speciem qua jussa erant fieri: et posuit ea in templo, quinque a dextris, et quinque a sinistris. ⁸ Necnon et mensas decem: et posuit eas in templo, quinque a dextris, et quinque a sinistris: phialas quoque aureas

^{‡‡}4.4 *Posteriora.* Quia qua mercede prædicatores in perpetuum donentur, Dei examine dispositum est, sed nobis adhuc occultum est, quibus hoc occultum esse non potest, quod omnis qui baptismum ad salutem accipit, fidem, spem, et charitatem debet habere; nec sine his tribus virtutibus operari, vel ad salutem intrare valet, unde in Regum dicitur: *Grossitudo autem luteris trium unciarum* III Reg. 7.. Grossitudo luteris, firmitas est virtutis. *Trium unciarum*, quia robore fidei, spei et dilectionis, perceptio baptismi munitur.

^{¶¶}4.5 *Porro vastitas.* Grossitudo quam Josephus quatuor digitorum esse dixit, demonstrans quæ fuit magnitudo palmi. Idem autem hæc significant. Quisquis enim fide, spe, et charitate secundum quatuor Evangeliorum doctrinam opera facit justitiæ, percipit et mercedem æternæ vitæ. *Tria millia metretas.* Millenarius perfectionem significat, quia denarius quadratum solidum facit. Decies enim decem, centum faciunt, qui est quasi quadrata figura, sed plana: sed ut in altitudinem surgat et solida efficiatur, multiplica centum per decem, et fiunt mille. Quo numero stabilis et insuperabilis, et velut quadrata justorum conscientia signatur. Quocumque enim quadratum vertis, stabit. Sic electorum animus nulla tentatione a statu rectitudinis inclinatur. Capit mare tria millia metretas; cum baptismi sacramentum in fide Trinitatis datum, in se ablutis confert omnium remissionem peccatorum

^{§§}4.6 *Fecit quoque conchas.* In Regum ita: *Fecit quoque decem luteræ æneas. Quadraginta batos capiebat luter unus. Eratque quatuor cubitorum. Singulos quoque luteræ per singulas decem bases posuit*, etc. Apostoli et apostolici viri, qui per boves portantes signantur, per bases quoque portandis luteribus præparatas exprimuntur, sicut ipsi luteræ baptismum signant, quem figurabat mare. Omnia enim eis quæ in holocaustis oblaturi erant, sacerdotes lavabant. Holocaustum autem Domini, omnis fidelium multitudo potest intelligi: quæ ab ipso baptizatur in aqua et igni. Sicut ergo sacerdotes qui in mari lavantur, eos signant qui per baptismum consortes summi sacerdotis efficiuntur: ita holocausta eosdem exprimunt, cum post ablutionem baptismi gratia implentur spirituali. Lavatur enim in lutere hostia, cum fidelis perfunditur aqua baptismi. Offeritur in holocaustum, cum per impositionem manus episcopi, accipit donum Spiritus sancti.

centum.*⁹ Fecit etiam atrium sacerdotum, et basilicam grandem: et ostia in basilica, quæ textit ære.[†]¹⁰ Porro mare posuit in latere dextro contra orientem ad meridiem.¹¹ Fecit autem Hiram lebetes, et creagras, et phialas: et complevit omne opus regis

*4.8 *Et posuit quinque.* In utrique parte templi positæ sunt bases luterum, ut utraque populo sacri fontis gratia designaretur esse pandenda. Et quinque sunt in utraque parte, ut, sicut in expositione maris quod quinque cubitis altum esse jam diximus, demonstraretur typice, universa quæ per quinque sensus corporis deliquerat, per lavacrum baptismi esse remittenda. Sicut ergo in uno mari duodecim bobus superposito unitas exprimitur baptismatis, quæ per apostolos toto erat orbe prædicanda: ita etiam per duos ordines luterum mystice ostenditur, quia gentilitas cum Judæa in unum fidei consortium per baptismatis undam erat procreanda. *Candelabra aurea.* Divina eloquia, quæ lucem sapientiæ proferunt, unde: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen,* etc. Psal. 118.. Hinc Salomon ait: *Quia mandatum lucerna est, et lex lux* Prov. 6.. Bis quina sunt candelabra, quia quinque sunt legislatoris volumina, in quibus et tota Veteris Testamenti series complectitur quinque sæculi ætates. Quinque a dextris et quinque a sinistris ponuntur: cum post incarnationem Domini, eadem Scriptura utrique populo committitur; vel evangelicis plena figuris ostenditur, quæ quondam juxta litteram solum intelligenda esse putabatur. *Necnon et mensas.* RAB. Has mensas, etc., usque ad quorum opera nobis velut ubera salutaria ad exempla vitæ proposita.

†4.9 *Fecit etiam atrium.* RAB. Atrium sacerdotum in ecclesia, etc., usque ad in libro Regum secundum Bedam plenius expressimus. *Et basilicam grandem.* Quæ erat extra atrium sacerdotum, in quam omnis populus ad orandum vel ad verbum audiendum confluebat. Hæc in Ecclesia vitam moresque carnalium significat, quibus dicitur: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus,* etc. *Et basilicam.* Bene per basilicam grandem carnales significantur, quia multo major est in Ecclesia numerus talium quam perfectorum. Sed quantum præstant numero, tantum succumbunt merito. Unde hæc basilica grandis etsi plurimos capit, non ad officium altaris, non in ipsum quoque atrium sacerdotum saltem intromittit, quia carnales et infirmi et si ob meritum castæ fidei et pietatis ad electorum sortem pertinent, longe tamen ab his sunt qui dicunt: Non audeo loqui aliquid eorum quæ per me non efficit Christus, in obedientia gentium verbo et factis. *Et ostia in basilica.* Hæc signant introitum fidei sermone prædicationis præparari, ut venientes discant quomodo per fidem Christi vel salutaria sacramenta debeant intrare Ecclesiam Dei, et postquam intraverint, quam religiose debeant conversari.

in domo Dei:‡ ¹² hoc est, columnas duas, et epistylia, et capita, et quasi quædam retiacula, quæ capita teherent super epistylia. ¹³ Malo granata quoque quadringenta, et retiacula duo ita ut bini ordines malo granatorum singulis retiaculis jungerentur, quæ protegerent epistylia, et capita columnarum. ¹⁴ Bases etiam fecit, et conchas, quas superposuit basibus: ¹⁵ mare unum, boves quoque duodecim sub mari, ¹⁶ et lebetes, et creagras, et phialas. Omnia vasa fecit Salomoni Hiram pater ejus in domo Domini ex ære mundissimo. ¹⁷ In regione Jordanis, fudit ea rex in argillosa terra inter

‡4.11 **Fecit autem Hiram.** Lebetes cineres sacros suscipiunt, cum fideles exempla et sacramenta Dominicæ passionis ad custodiam sui pia mente retractant, vel exitum justorum diligenter aspiciunt, qui magnis elaboratis agonibus, de percepto bravio sine fine lætentur, ut consideratis majorum virtutibus et ipsi magni efficiantur; unde: **Quorum intuentes exitum conversationis intueamini et fidem. Et creagras.** Creagræ prædicatores signant qui animas fidelium verbo Dei reficiunt spiritualibus spiritualia comparantes, carnalibus vero lac simplicis doctrinæ ministrantes: qui autem sacramenta Christi summatim cognoscere et ad imitationem suscipere volunt, quasi carnalibus hostiæ salutaris satiantur; et quia doctorum est cuique congrua dividere, recte fiunt sacerdotibus fuscinulæ, quibus carnes hostiarum prout oportet componant, et alia hominibus mundis quædam afferant, alia altaris ignibus consumenda relinquunt; quædam enim nostræ humilitati ad refecionem revelantur, quædam solummodo patent scientiæ sancti Spiritus; quædam in Paralipomenis quæ in Regum exposita præterimus, quædam exposita non invenimus et nostræ parvitatæ consuetudinem excedere nolumus. Nusquam enim per nos aliquid exposuimus. **Et phialas.** Phialæ latiore et apertiore sanctæ doctrinæ significant sermonem, qui haustum sapientiæ pie sitientibus impendit, et pie laborantibus refocillationem congruam per prædicatorum ministeria tribuit, ut ad fontem vitæ æternæ pervenire possint, ex quo bibentes non sitient in æternum.

Sochot et Saredatha.^{¶ 18} Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita ut ignoraretur pondus æris.^{§ 19} Fecitque Salomon omnia vasa domus Dei, et altare aureum, et mensas, et super eas panes propositionis:^{** 20} candelabra quoque cum lucernis suis ut lucerent ante oraculum juxta ritum ex auro purissimo:²¹ et florentia quædam, et

[¶]4.17 *In argillosa.* Argillosa terra de qua factæ sunt formæ ad fundenda vasa, sacram Scripturam de qua bene vivendi regulam accipimus significat. Quasi enim argilla igne durata, formam vasis Domini, quanta et qualia fieri debent exhibet; cum nobis Scriptura regulam quam sequamur justitiæ, et sanctorum ostendit exempla, qui igne tribulationis invincibiles in omnibus perstiterunt, ut nos in domo Domini vasa pretiosa esse cupiamus. Æs autem liquefactum igne argillæ formas ingreditur, ut possit vas aptum ministeriis cœlestibus effici; cum ipsi salubriter humilitati, et flamma divinæ charitatis vel humanæ adversitatis emolliti viam Patrum bene operando intramus, ut ad præmia illorum bene currendo perveniamus. Nec enim semper nos regulis bene operandi necesse est arctari, sed completa operatione bona, palma beatæ retributionis est speranda. Quia non semper vasa in formis argillæ tenebantur inclusa: ubi ad perfectionem venerant, fractis formarum claustris producebantur in lucem, et in templo Domino pro suis quæque locis disponebantur. Non quod opera sanctorum interitura sint, sed ubi coronam justitiæ acceperint, cessabunt officia laboriosæ operationis. *In regione Jordanis.* In quo Christus baptizatus est, cujus tinctus undis aquarum nobis vertit elementum in ablutionem peccatorum. Et quia omne fidelium baptisma quo Domino consecramur in exemplum illius baptismi celebratur, recte in regione Jordanis facta sunt vasa domus Domini. Non enim aliter vasa electionis fieri possumus, nisi ad baptisma ejus respicientes vitali flumine abluī satagamus. Notandum autem, quod non tantum in regione Jordanis, sed in campestri regione illius facta vasa dicit, significans multiplicationem fidelium, quæ non solum in Judæa, sed in gentium latitudine futura erat; unde: *Gaudebunt campi et omnia quæ in eis sunt* Psal. 95.. Et alibi: *Audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ* Ibid. 131.. Fudit ergo rex vasa domus Domini in campestri regione Jordanis, quia Domini baptismo salutis de quo vasa misericordiæ faceret, totam mundi latitudinem implevit.

[§]4.18 *Fecitque Salomon.* Dictavit quod Hiram ipso opere complevit. Allegorice vero Redemptor noster in sanctis prædicatoribus et omnibus fidelibus ornatum Ecclesiæ parat, et virtutum efficit opera, qui ait: *Nihil sine me potestis facere* Joan. 15.; et alibi: *Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum,* etc. Jac. 1.

^{**}4.19 *Altare aureum.* Corda perfectorum internæ charitatis et castitatis luce fulgentium, quorum sublimitatem significat etiam locus altaris. Stabat enim ante ostium sancti sanctorum, ut in factura tabernaculi legimus, in quo non hostiarum sanguis neque libamina, sed thymiamata tantum incendebantur, quorum superiora ascendens operiebat arcam, atque oraculum odore suavitatis implebat. In quo sancti figurantur, qui dum neglectis temporalium cupiditatibus tota intentione cœlestia quærunt, quasi intus juxta oraculum positi sunt: nec longe remoti a velo quo templum et sancta sanctorum dirimuntur; quia corpore tantum terram incolunt, sed tota mente in cœlo sunt. Ascendit autem ab hoc altari fumes incensorum infra sancta sanctorum ubi arca est recondita; ut orationes sanctorum flamma charitatis excitata ad cœlum perveniant, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Non enim in hoc altari sanguis hostiarum sed thymiamata tantum incenditur, quia tales viri non habent opera carnis et sanguinis quæ mactent Domino in ara cordis, sed lacrymarum et orationum vota pro desiderio regni cœlestis offerunt.

lucernas, et forcipes aureos: omnia de auro mundissimo facta sunt.^{††} 22 Thymiateria quoque, et thuribula, et phialas, et mortariola ex auro purissimo. Et ostia cœlavit templi interioris, id est, in Sancta sanctorum: et ostia templi forinsecus aurea. Sicque completum est omne opus quod fecit Salomon in domo Domini.^{‡‡}

5 Intulit igitur Salomon omnia quæ voverat David pater suus: argentum, et aurum, et universa vasa posuit in thesauris domus Dei.^{¶¶} 2 Post quæ congregavit majores natu Israël, et cunctos principes tribuum, et capita familiarum de filiis Israël in Jerusalem, ut adducerent arcam fœderis Domini de civitate David, quæ est Sion. 3 Venerunt itaque ad regem omnes viri Israël in die solemni mensis septimi. 4 Cumque venissent cuncti seniorum Israël, portaverunt Levitæ arcam, 5 et intulerunt eam, et omnem paraturam tabernaculi. Porro vasa sanctuarii, quæ erant in tabernaculo, portaverunt sacerdotes cum Levitis. 6 Rex autem Salomon, et universus cœtus Israël, et omnes qui fuerunt congregati ante arcam, immolabant arietes et boves absque ullo numero: tanta enim erat multitudo victimarum. 7 Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est, ad oraculum templi, in Sancta sanctorum subter alas cherubim: 8 ita ut cherubim expanderent alas suas super locum in quo posita erat arca, et ipsam arcam tegerent cum vectibus suis. 9 Vectium autem quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum: si vero quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat. Fuit itaque arca ibi usque in præsentem diem.^{§§} 10 Nihilque erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ quas posuerat Moyses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israël egredien-

^{††}4.21 **Et forcipes**, etc. Forcipes in usu altaris facti sunt ænei. Sed et hi quibus emundabantur lucernæ, interpretationem spiritualis sensus per doctorum officia significant. Ipsa enim verba sacri eloquii ab historia in allegoriam, ab umbra in veritatem transferentes, quasi lucem scientiæ in Ecclesiam super candelabrum mysticum positi multiplicent.

^{‡‡}4.22 **Et ostia cœlavit**. Hi sunt doctores et sacerdotes, qui instruendo, baptizando, communicando corporis et sanguinis Domini mysteria, prima nobis Ecclesiæ limina pandunt. **Sicque completum est omne**. Cum verus pacificus in die novissima omnes electos resurrectionis immortalitate glorificat. Quindiu autem status hujus sæculi geritur, facit quidem Salomon domus Domini opus, sed non perficit: quia corda electorum Dominus, ut bona operentur inspirat et adjuvat, nulli tamen absque peccato esse donat, quod in futuro fidelibus reservat. Perficit vero omne opus templi sui et dedicationi aptum reddit, cum translatos de hac vita electos, æternum perducit ad regnum: unde septem annis ædificatur, octavo perfectum dedicatur. Septem enim diebus omne tempus volvitur, octavus est dies iudicii et resurrectionis, cui convenit quod sequitur.

^{¶¶}5.1 **Intulit igitur Salomon omnia**, etc. RAB. Hoc fit cum Christus, etc., usque ad sed multæ in ea mansiones ad recipiendos omnes quos timentes se et diligentes **benedicit Dominus pusillis cum majoribus**.

^{§§}5.9 **Vectium autem**. ID. Notandum quia, etc., usque ad tanto minus interna gaudia vident.

tibus ex Ægypto.* ¹¹ Egressis autem sacerdotibus de sanctuario (omnes enim sacerdotes qui ibi potuerant inveniri, sanctificati sunt: nec adhuc in illo tempore vices et ministeriorum ordo inter eos divisus erat), ¹² tam Levitæ quam cantores, id est, et qui sub Asaph erant, et qui sub Eman, et qui sub Idithun, filii et fratres eorum vestiti byssinis, cymbalis, et psalteriis, et citharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam altaris: et cum eis sacerdotes centum viginti canentes tubis.† ¹³ Igitur cunctis pariter, et tubis, et voce, et cymbalis, et organis, et diversi generis musicorum concinentibus, et vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpissent et dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus: impleretur domus Dei nube,‡ ¹⁴ nec possent sacerdotes stare et ministrare propter caliginem. Compleverat enim gloria Domini domum Dei.¶

6 Tunc Salomon ait: Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine:§ ² ego autem ædificavi domum nomini ejus, ut habitaret ibi in perpetuum. ³ Et convertit rex faciem suam, et benedixit universæ multitudini Israël (nam omnis turba stabat intenta), et ait: ⁴ Benedictus Dominus Deus Israël, qui quod locutus est David patri meo, opere complevit, dicens: ⁵ A die qua eduxi populum meum de terra Ægypti, non elegi civitatem de cunctis tribubus Israël ut ædificaretur in ea domus nomini meo, neque elegi quemquam alium virum ut esset dux in populo Israël: ⁶ sed elegi

*5.10 *Nihilque aliud erat.* Ostendit generaliter, quod in area nihil fuit contrarium legi Domini comprehensæ in duabus tabulis; sed ea tantum ibi fuisse condita quæ juxta legis mandata ad cultum unius Dei et commendationem nostræ fidei sunt typice facta, ut umbra futurorum per omnia futuræ veritati testimoniū præberet, et ea in mundo apparente finem acciperet. Erat autem in arca secundum Paulum urna aurea habens manna, quia in homine Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Erat et virgo Aaron, quæ excisa denuo floruerat: quia potestas omnis judicandi penes eum est, cujus iudicium in humilitate passionis videbatur esse sublatum. Erat et tabulæ testamenti, quia in illo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Adhærebant et vectes quibus portabatur, quia doctores qui quondam laborabant in verbo Christi, nunc præsentī visione congaudent gloriæ Christi. Unde: *Cupio dissolvi et esse cum Christo* Phil. 1..

†5.12 *Vestiti byssinis.* Per stolas byssinas candida munditiæ corporalis castitas designatur: hac induuntur omnes qui Dei officio assistunt, et laudes ei ore, moribus, et actu concrepant. Cymbala enim oris confessionem, psalteria mortalitatem, citharæ carnis mortificationem, et bonæ actionis strenuitatem, viginti quatuor chordis, id est prophetis et apostolicis doctrinis instructæ significant. *Sacerdotes.* Vel doctores scilicet per centenarium et vicenarium expressi, quia legislator hoc numero suorum summam annorum complevit, et in die Pentecostes eodem numero credentes Spiritus paraclēti gratiam acceperunt.

‡5.13 *Igitur cunctis.* RAB. Cunctis sacerdotibus et Levitis, etc., usque ad veri sacerdotii ministerium perdidērunt.

¶5.14 *Compleverat enim.* Quia mysteria quæ sub velamine latebant per adventum Christi aperiēbantur credentibus, et digne accipientibus. Cæteris vero ad fidem accedere nolentibus pristina cæcitas remanebat. Unde: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei,* etc. Matth. 13.

§6.1 *In caligine.* Unde Job: *Nubes latibulum ejus* Job. 22.. Et Psalmista: *Caligo sub pedibus ejus: et posuit tenebras latibulum* Psal. 17.. Latibulum Domini sacra Scriptura: quæ sub parabolis et figuris cœlestia gestat sacramenta. Unde: *Confitebor tibi, Domine, pater cœli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* Matth. 11..

Jerusalem ut sit nomen meum in ea, et elegi David ut constituerem eum super populum meum Israël. ⁷ Cumque fuisset voluntatis David patris mei ut ædificaret domum nomini Domini Dei Israël, ⁸ dixit Dominus ad eum: Quia hæc fuit voluntas tua, ut ædificares domum nomini meo, bene quidem fecisti hujuscemodi habere voluntatem: ⁹ sed non tu ædificabis domum: verum filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit domum nomini meo. ¹⁰ Complevit ergo Dominus sermonem suum quem locutus fuerat: et ego surrexi pro David patre meo, et sedi super thronum Israël, sicut locutus est Dominus: et ædificavi domum nomini Domini Dei Israël. ¹¹ Et posui in ea arcam in qua est pactum Domini quod pepigit cum filiis Israël. ¹² Stetit ergo coram altari Domini ex adverso universæ multitudinis Israël, et extendit manus suas. ¹³ Siquidem fecerat Salomon basim æneam, et posuerat eam in medio basilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, et quinque cubitos latitudinis, et tres cubitos altitudinis: stetitque super eam, et deinceps flexis genibus contra universam multitudinem Israël, et palmis in cælum levatis, ¹⁴ ait: Domine Deus Israël, non est similis tui deus in cælo et in terra: qui custodis pactum et misericordiam cum servis tuis qui ambulant coram te in toto corde suo: ¹⁵ qui præstitisti servo tuo David patri meo quæcumque locutus fueras ei: et quæ ore promiseras, opere complesti, sicut et præsens tempus probat. ¹⁶ Nunc ergo Domine Deus Israël, imple servo tuo patri meo David quæcumque locutus es, dicens: Non deficiet ex te vir coram me, qui sedeat super thronum Israël: ita tamen si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint in lege mea, sicut et tu ambulasti coram me. ¹⁷ Et nunc Domine Deus Israël, firmetur sermo tuus quem locutus es servo tuo David. ¹⁸ Ergone credibile est ut habitet Deus cum hominibus super terram? si cælum et cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista quam ædificavi? ¹⁹ Sed ad hoc tantum facta est, ut respicias orationem servi tui, et obsecrationem ejus, Domine Deus meus, et audias preces quas fundit famulus tuus coram te: ²⁰ ut aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, super locum in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum, ²¹ et exaudires orationem quam servus tuus orat in eo: et exaudias preces famuli tui, et populi tui Israël. Quicumque oraverit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est, de cælis, et propitiare. ²² Si peccaverit quispiam in proximum suum, et jurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista: ²³ tu audies de cælo, et facies iudicium servorum tuorum, ita ut reddas iniquo viam suam in caput proprium, et ulciscaris justum, retribuens ei secundum justitiam suam. ²⁴ Si superatus fuerit populus tuus Israël ab inimicis (peccabunt enim tibi), et conversi egerint pœnitentiam, et obsecraverint nomen tuum, et fuerint deprecati in loco isto, ²⁵ tu exaudies de cælo: et propitiare peccato populi tui Israël, et reduc eos in terram quam dedisti eis, et patribus eorum. ²⁶ Si clauso cælo pluvia non fluxerit propter peccata populi, et deprecati te fuerint in loco isto, et confessi nomini tuo, et conversi a peccatis suis, cum eos afflixeris, ²⁷ exaudi de cælo, Domine, et dimitte peccata servis tuis et populi tui Israël, et doce eos viam bonam, per quam ingrediantur: et da pluviam terræ quam dedisti populo tuo ad possidendum. ²⁸ Fames si orta fuerit in terra, et pestilentia, ærugo, et aurugo, et locusta, et bruchus: et hostes, vastatis regionibus, portas obsederint civitatis, omnisque plaga et infirmitas presserit: ²⁹ si quis de populo tuo Israël fuerit deprecat, cognoscens plagam et infirmitatem suam, et expanderit manus suas in domo hac, ³⁰ tu exaudies de cælo, de sublimi scilicet habitaculo tuo: et propitiare, et redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum

habere in corde suo (tu enim solus nosti corda filiorum hominum): ³¹ ut timeant te, et ambulent in viis tuis cunctis diebus quibus vivunt super faciem terræ quam dedisti patribus nostris. ³² Externum quoque, qui non est de populo tuo Israël, si venerit de terra longinqua propter nomen tuum magnum, et propter manum tuam robustam, et brachium tuum extentum, et adoraverit in loco isto, ³³ tu exaudies de cælo firmissimo habitaculo tuo, et facies cuncta pro quibus invocaverit te ille peregrinus: ut sciant omnes populi terræ nomen tuum, et timeant te sicut populus tuus Israël, et cognoscat quia nomen tuum invocatum est super domum hanc quam ædificavi. ³⁴ Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra adversarios suos per viam in qua miseris eos, adorabunt te contra viam in qua civitas hæc est, quam elegisti, et domus quam ædificavi nomini tuo, ³⁵ tu exaudies de cælo preces eorum, et obsecrationem: et ulciscaris. ³⁶ Si autem peccaverint tibi (neque enim est homo qui non peccet), et iratus fueris eis, et tradideris hostibus, et captivos duxerint eos in terram longinquam, vel certe quæ juxta est, ³⁷ et conversi in corde suo in terra ad quam captivi ducti fuerant, egerint poenitentiam, et deprecati te fuerint in terra captivitatis suæ, dicentes: Peccavimus: inique fecimus, injuste egimus: ³⁸ et reversi fuerint ad te in toto corde suo, et in tota anima sua, in terra captivitatis suæ ad quam ducti sunt, adorabunt te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et urbem quam elegisti, et domus quam ædificavi nomini tuo: ³⁹ tu exaudies de cælo, hoc est, de firmo habitaculo tuo, preces eorum: et facias iudicium, et dimittas populo tuo, quamvis peccatori: ⁴⁰ tu es enim Deus meus: aperiantur, quæso, oculi tui, et aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto. ⁴¹ Nunc igitur consurge, Domine Deus, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ: sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem, et sancti tui lætentur in bonis. ⁴² Domine Deus, ne averteris faciem christi tui: memento misericordiarum David servi tui.

7 Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, et devoravit holocausta et victimas: et majestas Domini implevit domum. ² Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset majestas Domini templum Domini. ³ Sed et omnes filii Israël videbant descendentem ignem, et gloriam Domini super domum: et corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt, et laudaverunt Dominum, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. ⁴ Rex autem et omnis populus immolabant victimas coram Domino. ⁵ Mactavit igitur rex Salomon hostias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia: et dedicavit domum Dei rex, et universus populus.** ⁶ Sacerdotes autem stabant in officiis suis, et Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas: porro sacerdotes canebant tubis ante eos, cunctusque Israël stabat. ⁷ Sanctificavit quoque Salomon medium atrii ante templum Domini: obtulerat enim ibi holocausta et adipēs pacificorum: quia altare æneum quod fecerat,

**7.5 *Dedicavit.* RAB. Sanguine suo mundavit, et spirituali gratia sanctificavit Christus et diversis donis virtutum multiplicavit. Hancque dedicant filii Israël, quia quisque fidelis secundum donum sibi a Deo collatum verbo et exemplo proximos ad meliora et perfectiora convertit et provehit.

non poterat sustinere holocausta et sacrificia et adipēs.††⁸ Fecit ergo Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, et omnis Israēl cum eo, ecclesia magna valde, ab introitu Emath usque ad torrentem Ægypti.‡‡⁹ Fecitque die octavo collectam, eo quod dedicasset altare septem diebus, et solemnitatem celebrasset diebus septem.¹⁰ Igitur in die vigesimo tertio mensis septimi, dimisit populos ad tabernacula sua, lætantes atque gaudentes super bono quod fecerat Dominus Davidi, et Salomoni, et Israēli populo suo.¶¶¹¹ Complevitque Salomon domum Domini, et domum regis, et omnia quæ disposuerat in corde suo ut faceret in domo Domini, et in domo sua, et prosperatus est.¹² Apparuit autem ei Dominus nocte, et ait: Audivi orationem tuam, et elegi locum istum mihi in domum sacrificii.¹³ Si clausero cælum, et pluvia non fluxerit, et mandavero et præcepero locustæ ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum:¹⁴ conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit pœnitentiam a viis suis pessimis: et ego exaudiam de cælo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum.¹⁵ Oculi quoque mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.¹⁶ Elegi enim, et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.¹⁷ Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulaverit David pater tuus, et feceris juxta omnia quæ præcepi tibi, et justitias meas judiciæque servaveris:¹⁸ suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur de stirpe tua vir qui sit princeps in Israēl.¹⁹ Si autem aversi fueritis, et dereliqueritis justitias meas, et præcepta mea quæ proposui vobis, et abeuntes servieritis diis alienis, et adoraveritis eos,²⁰ evellam vos de terra mea quam dedi vobis: et domum hanc, quam sanctificavi nomini meo, projiciam a facie mea, et tradam eam in parabolam, et in exemplum cunctis populis.²¹ Et domus ista erit in proverbium universis transeuntibus, et dicent stupentes: Quare fecit Dominus sic terræ huic, et domui huic?²² Respondebuntque: Quia dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxit eos de terra Ægypti, et apprehenderunt deos alienos, et adoraverunt eos, et coluerunt: idcirco venerunt super eos universa hæc mala.

††7.7 *Sanctificavit.* Quia Christus ea quæ in lege propter infirmitatem ejus perfici non poterant, in Ecclesia perficit. Ipsa est enim atrium domus Domini, per quam ingressus patet in cœlestem Jerusalem: quia ergo holocausta et sacrificia in altari Veteris Testamenti non potuerunt offerri; quia omnia figuratiter fiebant ibi, rex noster et sacerdos erexit novum altare fidei in Ecclesia, in quo quotidie offerunt pinguis holocausta et accepta Deo sacrificia. Unde *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter*, etc.

‡‡7.8 *Fecit ergo.* RAB. Non puto hoc aliud intelligendum, etc., usque ad in futura animarum requiæ, ipsius veritatis perceptione in re.

¶¶7.10 *Igitur in die*, etc. Hoc est post octavam scenophegiæ solemnitatis diem: sicut in Regum continetur. Significat autem post illius vitæ finem, et post subbatismum animarum sanctarum, quo ante judicium quiescunt; in octava ætate, id est, resurrectionis die sanctos recepturos corpora immortalia, et in cœlestibus mansionibus secundum meritorum qualitates locandos, ubi semper lætentur, laudantes Deum in omnibus bonis quæ in Christo Pater contulit populo Christiano.

8 Expletis autem viginti annis postquam ædificavit Salomon domum Domini et domum suam,^{§§} ² civitates quas dederat Hiram Salomoni, ædificavit, et habitare ibi fecit filios Israël. ³ Abiit quoque in Emath Suba, et obtinuit eam. ⁴ Et ædificavit Palmyram in deserto, et alias civitates munitissimas ædificavit in Emath. ⁵ Exstruxitque Bethoron superiorem, et Bethoron inferiorem, civitates muratas habentes portas et vectes et seras.* ⁶ Balaath etiam et omnes urbes firmissimas quæ fuerunt Salomonis, cunctasque urbes quadrigarum, et urbes equitum. Omnia quæcumque voluit Salomon atque disposuit, ædificavit in Jerusalem, et in Libano, et in universa terra potestatis suæ.† ⁷ Omnem populum qui derelictus fuerat de Hethæis, et Amorrhæis, et Pherezæis, et Hevæis, et Jebusæis, qui non erant de stirpe Israël, ⁸ de filiis eorum, et de posteris, quos non interfecerant filii Israël, subjugavit Salomon in tributarios, usque in diem hanc. ⁹ Porro de filiis Israël non posuit ut servirent operibus regis: ipsi enim erant viri bellatores, et duces primi, et principes quadrigarum et equitum ejus. ¹⁰ Omnes autem principes exercitus regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum.‡ ¹¹ Filiam vero Pharaonis transtulit de civitate David in domum quam ædificaverat ei. Dixit enim rex: Non habitabit uxor mea in domo David regis Israël, eo quod sanctificata sit: quia ingressa est in eam arca Domini. ¹² Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super altare Domini, quod exstruxerat ante porticum,¶ ¹³ ut per singulos dies offerretur in eo juxta præ-

§§8.1 *Expletis autem viginti*, etc., *dederat Hiram*, etc. RAB. in *Paral.* ex Hieron. Reddiderat scilicet, quia cum Salomon dedisset non placuerunt. illi. Ideo Salomon propriis utilitatibus eas deputavit.

*8.5 *Bethoron*. RAB. Civitas est, ad quam usque Jesus persecutus est inimicos reges in tribu Ephraim, etc., usque ad et alius Bethoron inferior datus Levitis in possessionem.

†8.6 *Et omnes*. Ezer, scilicet, Mageddo et Gazer et Mello, quæ omnes Ecclesiæ monstrant decorem: quia verus Salomon in jucunditate regni sui ad laudem et lætitiā sibi præparavit. Interpretatur autem Mello adimpletio; Ezer separatus et sanctificatus; Mageddo cœna culum ejus; Gazer præcisio vel divisio; Bethoron domus montium; Balaath ascendens. Sancta autem Ecclesia civitas est Dei vivi, ubi impletur quotidie voluntas Dei, et separata ab omni errore infidelium, sanctificatur fide et bono opere. Ibi est refectio virtutum. Ipsa discernit mundum et immundum, et a virtute vitium: et est domus montium, id est, habitatio sanctorum, et fructu justitiæ *sicut palma florens ascendit de virtute in virtutem, ut videat Deum deorum in Sion* Psal. 83.. Omnes vicos suos munivit Salomon, quia Christus coetus fidelium suorum gratiæ suæ protectione ita munit, ut hostibus suis spiritualibus resistere possint. *In Libano*. HIERON. In templo, scilicet, quod cedrorum decore vestitum erat, unde Zacharias: *Aperi, Libane, portas tuas* Zach. 11.; vel regiis ædificiis quæ facta erant de lignis Libani.

‡8.10 *Ducenti*. Centenarius, qui in computu digitorum, de læva transit in dexteram, vitam significat æternam. Quinquagenarius vero, peccatorum remissionem, et æternam requiem, et gratiam sancti Spiritus significat: quia in psalmo ejusdem numeri pœnitentia, confessio, et remissio peccatorum describitur; et per jubilæum requies futura. Per pentecosten vero in adventu Spiritus sancti septiformis gratia expressa. *Qui erudiebant*. Quia ex utroque populo elegit Ecclesiæ rectores, qui spirituali gratia illuminati, et plene edocti, remissionem peccatorum, vitamque æternæ salutis, et beatitudinem perpetuam appetendam, suo docerent exemplo.

¶8.12 *Holocausta*. RAB. Holocaustum totum incensum dicitur, hoc in altari crematur, cum in corde cujusque electi qui seipsum totum, scilicet, carne et corde Deo vovit, opus bonum fervente charitatis igne succenditur.

ceptum Moysi in sabbatis et in calendis, et in festis diebus, ter per annum, id est, in solemnitate azymorum, et in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum. ¹⁴ Et constituit juxta dispositionem David patris sui officia sacerdotum in ministeriis suis, et Levitas in ordine suo, ut laudarent et ministrarent coram sacerdotibus juxta ritum uniuscujusque diei, et janitores in divisionibus suis per portam et portam: sic enim præceperat David homo Dei. ¹⁵ Nec prætergressi sunt de mandatis regis tam sacerdotes quam Levitæ, ex omnibus quæ præceperat, et in custodiis thesaurorum. ¹⁶ Omnes impensas præparatas habuit Salomon ex eo die quo fundavit domum Domini usque in diem quo perfecit eam. ¹⁷ Tunc abiit Salomon in Asiongaber, et in Ailath ad oram maris Rubri, quæ est in terra Edom. ¹⁸ Misit autem ei Hiram per manus servorum suorum naves, et nautas gnaros maris, et abierunt cum servis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, et attulerunt ad regem Salomonem.††

9 Regina quoque Saba, cum audisset famam Salomonis, venit ut tentaret eum in ænigmatibus in Jerusalem, cum magnis opibus et camelis, qui portabant aromata, et auri plurimum, gemmasque pretiosas. Cumque venisset ad Salomonem, locuta est ei quæcumque erant in corde suo. ² Et exposuit ei Salomon omnia quæ proposuerat: nec quidquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit. ³ Quæ postquam vidit, sapientiam scilicet Salomonis, et domum quam ædificaverat, ⁴ necnon et cibaria mensæ ejus, et habitacula servorum, et officia ministrorum ejus, et vestimenta eorum, pincernas quoque et vestes eorum, et victimas quas immolabat in domo Domini: non erat præ stupore ultra in ea spiritus. ⁵ Dixitque ad regem: Verus est sermo quem audieram in terra mea de virtutibus et sapientia tua. ⁶ Non credebam narrantibus donec ipsa venissem, et vidissent oculi mei, et probassem vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam: vicisti famam virtutibus tuis. ⁷ Beati viri tui, et beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, et audiunt sapientiam tuam. ⁸ Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum, regem Domini Dei tui. Quia diligit Deus Israël, et vult servare eum in æternum, idcirco posuit te super eum regem ut facias judicia atque justitiam. ⁹ Dedit autem regi

§8.14 Secundum convenientiam cujusque temporis omnia in Ecclesia disponit, ut unusquisque ordo officio suo functus digne ministret

**8.17 *In Asiongaber.* Insula dicitur esse haud procul ab Ahila in Rubro mari, ubi classis Josaphat periit. RAB. Classis quam fecit Salomon etc., usque ad per gratiam Spiritus sancti inveniunt, et eum sapientiæ et consilio divina ascribentes tribuunt

††8.18 *In Ophir.* Nomen provinciæ Ophir, ab uno posteriorum Heber vocata, ex cujus stirpe venientes, a fluvio Cophene usque ad regionem Indiæ quæ vocatur Geria habitasse Josephus refert.

‡‡9.1 *Regina quoque.* RAB. in Paral., tom. 3. Regina austri quæ ab extremis finibus excitata venit audire sapientiam Salomonis Ecclesiam de gentibus ad Christum venturam figurabat: quæ circumamicta varietate in vestitu deaurato, obliviscens populum et domum patris sui, barbara gente, non animo fuit, quia optabat sanctorum fieri concivis, unde: *Surget regina austri in iudicium cum generatione ista* Matth. 12..

¶¶9.3 *Quod postquam,* etc. Conveniunt hæc Ecclesiæ qua auditis miraculis Christi provocata est ad quærendum eum. Sed postquam ad ipsum venit per baptismum et fidem consideratis Scripturæ testimoniis agnovit divinitatis præsentiam, et parum ei visum est quod ante de eo audierat in comparatione perceptæ gratiæ. Unde et admirando in laudem ejus prorumpit dicens: *Beati viri tui,* etc.

centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosissimas: non fuerunt aromata talia, ut hæc quæ dedit regina Saba regi Salomoni. ¹⁰ Sed et servi Hiram cum servis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, et ligna thyina, et gemmas pretiosissimas: ¹¹ de quibus fecit rex, de lignis scilicet thyinis, gradus in domo Domini, et in domo regia, citharas quoque, et psalteria cantoribus: numquam visa sunt in terra Juda ligna talia. ¹² Rex autem Salomon dedit reginæ Saba cuncta quæ voluit, et quæ postulavit, et multo plura quam attulerat ad eum: quæ reversa abiit in terram suam cum servis suis. ^{§§} ¹³ Erat autem pondus auri quod afferebatur Salomoni per singulos annos, sexcenta sexaginta sex talenta auri,* ¹⁴ excepta ea summa quam legati diversarum gentium et negotiatores afferre consueverant, omnesque reges Arabiæ, et satrapæ terrarum, qui comportabant aurum et argentum Salomoni. ¹⁵ Fecit igitur rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur:† ¹⁶ trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta: posuitque ea rex in armentario, quod erat

§§9.12 *De lignis.* Christus ligna pretiosa, id est, sanctos doctores, quorum viror fidei nunquam arescit, nec folia verborum decidunt, sed fructum bonorum operum temporibus suis reddunt: ponit in munimentum domus Domini et domus regiæ, id est, in confirmationem Ecclesiæ, et eorum undique doctrinis et exemplis vallata ruinam non sentiat. Hi quasi citharæ et lyræ ad laudandum Dominum fabricati dicuntur, quia omnia quæcunque fecerint, prosperabuntur, et laudem Domini in prosperis et adversis corde et ore et opere pronuntiant, et omnia in gloriam Dei faciunt, tota die et nocte non tacent laudare nomen Domini.

*9.13 *Sexcenta.* Senarius per senarium multiplicatus, sexaginta facit. Centenarius quoque sexies ductus centum et sex reddit. Denarius mandatorum significat perfectionem, centenarius æternæ beatitudinis remunerationem. Desiderat enim rex nostram perfectionem, ut habeat quibus reddat perfectam mercedem, unde: *Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Si vis ad vitam ingredi serva mandata* Matth. 5, 19.. Et post pauca. *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes*, etc., et *omnis qui reliquerit domum*, etc., *centuplum accipiet et vitam æteram possidebit. Omnesque reges Arabiæ.* Offerunt Salomoni diversæ gentes et negotiatores et omnes reges Arabiæ et satrapæ terrarum aurum et argentum: quia quæque gens et qualibet persona certatim pro viribus nostro pacifico offert rectæ fidei munus, puritatem sensus, sacræ confessionis plenitudinem, eloquentiæ nitorem, unde: *Reges Tharsis et insulæ munus offerent*, etc. *Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei* Psal. 71..

†9.15 *Fecit igitur.* Quia patres utriusque Testamenti doctrina et operatione perfecti, quidquid sermone docuerunt, opere probaverunt. *Hastas aureas.* Hæc est armatura Dei, qua resistimus contra insidias diaboli: hanc habent prædicatores sancti, qui custodiunt domum Dei, et excubant ad ostium ejus, ne subintret hostis antiquus, unde: *Lectulum Salomonis ambiunt sexaginta for es* Prov. 3..

consitum nemore.[‡] 17 Fecit quoque rex solium eburneum grande, et vestivit illum auro mundissimo. 18 Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium, et scabellum aureum, et brachiola duo altrinsecus, et duos leones stantes juxta brachiola, 19 sed et alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex utraque parte: non fuit tale solium in universis regnis.[¶] 20 Omnia quoque vasa convivii regis erant aurea, et vasa domus saltus Libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur.[§] 21 Siquidem naves regis ibant in Tharsis cum servis Hiram, semel in annis tribus: et deferebant inde aurum, et argentum, et ebur, et simias, et pavos.^{**} 22 Magnificatus est igitur Salomon super omnes reges terræ præ divitiis et gloria. 23 Omnesque reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam quam dederat Deus in corde ejus: 24 et deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, et vestes, et arma, et aromata, equos, et mulos, per singulos annos. 25 Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et curruum equitumque duodecim millia: constituitque eos in urbibus quadrigarum, et ubi erat rex

[‡]9.16 *Trecenta quoque.* Perfectam fidem significat in sanctæ Trinitatis confessione. Bene custodes domus Dei hastas et scuta aurea portant: quia prædicatores, qui sunt Ecclesiæ custodes, claritate sapientiæ splendentes, verborum jaculis inimicos confodiunt, et scuto fidei ignea tela nequissima exstinguunt. *Sex quoque brachiola.* In senario bonorum operum perfectio. Sex enim diebus fecit mundum Deus, et senarius est primus perfectus numerus. Bonis vero et perfectis operibus ad cælum ascenditur. *Scabellum aureum.* Sanctos virtutum splendore fulgidos, in quibus habitat Deus. Possunt quoque per scabellum notari qui infirmi sunt in corpore Christi, sicut pœnitentes, vel qui novissimi convertentur, juxta finem scilicet mundi, qui tamen sunt aurei igne tribulationum illius temporis excocti et probati. *Stantes juxta brachiola: sed et alios duodecim leunculos,* etc. Quia sancti Patres quidquid in Evangelio boni fecerunt, non sibi sed Deo deputaverunt, unde: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* Psal. 113.. *Brachiola,* etc. in Regum ita: *Et duæ manus hinc et inde tenentes sedile* III Reg. 10.. Hæc sunt solatia divinæ gratiæ, quæ Ecclesiam provehant ad regnum cælestē. Vel hoc per binarium designatur, quia in utroque Testamento hoc maxime commendatur, quod non nisi per divinum adjutorium aliquid boni potest perfici. Unde: *Sine me nihil potestis facere* Joan. 5..

[¶]9.19 *Sex gradus.* Quia doctrina et exemplo certant, ne labor insipientium in operando vacillet, sed rectitudinem in progressu virtutum fortiter conservet. *Non fuit tale solium,* etc. Quia de Ecclesia scriptum est: *Fortitudo et decor indumentum ejus,* etc. III Reg. 10. Et: *Multæ filia congregaverunt divitias: tu supergressa es universas* Prov. 31..

[§]9.20 *Omnia quoque.* Animæ sanctorum, quæ voluntati Dei deserviunt, splendore sapientiæ et charitatis nitentes, continent potum aquæ vivæ, *quæ fit in eis fons aquæ salientis in vitam æternam* Joan. 4.. *Argentum.* Non est in sermone verbum Dei, sed in virtute, ut in prædicatione Evangelii; non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.

^{**}9.21 *Siquidem naves regis ibant in Tharsis,* etc. RAB. Christus apostolos doctores Evangelii, quos de Judæis elegit, cum prædicatoribus de gentibus electis trina confessione, sed una fide in mundum mittit, ut in credentibus afferant sibi aurum sapientiæ, argentum eloquentiæ, et ebur castitatis. Simia autem est animal ingeniosum, et hominis imitatorium, et philosophos significare potest, qui veræ sapientiæ sensus aliquando mutant, et in disciplinis moralis vitæ edisserunt actus. Pavo, qui laudatas ostendit pennas, eos significat qui propter laudes hominum variarum virtutum species ostentant; sed prædicatorum doctrina instructi discunt benefacere intuitu solius Dei, et aptantur æterni regis deliciis.

in Jerusalem.†† 26 Exercuit etiam potestatem super cunctos reges a flumine Euphrate usque ad terram Philisthinorum, et usque ad terminos Ægypti. 27 Tantamque copiam præbuit argenti in Jerusalem quasi lapidum; et cedrorum tantam multitudinem velut sycomorum quæ gignuntur in campestribus.‡‡ 28 Adducebantur autem ei equi de Ægypto, cunctisque regionibus. 29 Reliqua autem operum Salomonis priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahiaë Silonitis, in visione quoque Addo videntis contra Jeroboam filium Nabat. 30 Regnavit autem Salomon in Jerusalem super omnem Israël quadraginta annis. 31 Dormivitque cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David: regnavitque Roboam filius ejus pro eo.

10 Profectus est autem Roboam in Sichem: illuc enim cunctus Israël convenerat ut constituerent eum regem. 2 Quod cum audisset Jeroboam filius Nabat, qui erat in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salomonem), statim reversus est. 3 Vocaveruntque eum, et venit cum universo Israël: et locuti sunt ad Roboam, dicentes: 4 Pater tuus durissimo jugo nos pressit: tu leviora impera patre tuo, qui nobis imposuit gravem servitutem, et paululum de onere subleva, ut serviamus tibi. 5 Qui ait: Post tres dies revertimini ad me. Cumque abiisset populus, 6 iniit consilium cum senibus qui steterant coram patre ejus Salomone dum adhuc viveret, dicens: Quid

††9.25 *Quadraginta*. Quadragenarius priscae legis tempora significat. Moses enim legem accepturus quadraginta diebus jejunavit, et populus per eum instructus quadraginta annis eremum circumivit. Senarius vero praesens tempus significat, in quo apostolica doctrina Novi Testamenti populum nutrit. Bene ergo per quadragenarium numerantur equi Salomonis in stabulis collocati, quia per duritiam legis veteris, coercita est insolentia prioris populi. Duodenarius vero praesens tempus significat, in quo apostolica auctoritas populum gentium nutrit Novi Testamenti doctrina. *In Jerusalem*. Visione pacis. Distantia locorum discretionem ostendit affectuum. Qui enim sunt in urbibus quadrigarum, illos significant qui diversis ecclesiae disciplinis per spirituales magistros erudiuntur. Alii vero jam eruditi, usui regis coelestis aptati praesentiam ejus habere merentur. Unde: *Currus Dei decem millibus*, etc. Psal. 76. Et alibi: *Ascendens super equos tuos, et equitatus tuus sanitas* Rabac. 3. *Philisthinorum*. Dupliciter cadentium. Philisthiim enim interpretatur ruina duplex. Hoc fit cum per absolutionem peccatorum ab inchoatione sui in Jordane baptismatis usque ab conversionem omnium gentium ad fidem Christi redundat gratia potestatis, ut ubi defluxus fuit carnalium desideriorum, ibi stabilietur germen virtutum; et ubi idololatria et conversatio flagitiosa populorum fuit duplex ruina, ibi per confessionem rectae fidei et cultum pietatis ad coeleste regnum surgat vita fidelium. Pertingit enim potestas ejus usque ad terminos Ægypti, id est tenebrosas mentes infidelium, quas complet lumine fidei; unde: *Coram illo procident Aethiopes*, etc.

‡‡9.27 *Tantamque*. Praebet verus Salomon in Ecclesia copiam argenti quasi lapidum, cum corda gentilium insensibilia, ad veri Dei intellectum quos lapides pro Deo coluerunt, ad meditationem legis, et praedicationem Evangelii convertit. De quibus dicitur: *Similes illis fiunt qui faciunt ea*, etc. Psal. 113. Et alibi: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham* Matth. 3. Praebet etiam multitudinem cedrorum quasi sycomorum, quia sterilitatem gentium quæ in altum se erigere non volebant, provexit ad fecunditatem bonorum operum et virtutum. *Et cedrorum*. Cedrus est imputribilis natura, odore jucunda, aspectu nitida, quæ accensa nitore serpentes fugat et perimit. *Reliqua vero*. Quæ fecit postquam legem Dei transgressus est, cum alienigenæ uxores usque ad idololatriam eum pertraxerunt: multi quidem ut Salomon bene incipiunt et male desinunt, dicique beatus ante obitum nemo supremaque funera debet.

datis consilii ut respondeam populo? ⁷ Qui dixerunt ei: Si placueris populo huic, et leniveris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore. ⁸ At ille reliquit consilium senum, et cum juvenibus tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant, et erant in comitatu illius. ⁹ Dixitque ad eos: Quid vobis videtur? vel respondere quid debeo populo huic, qui dixit mihi: Subleva jugum quod imposuit nobis pater tuus? ¹⁰ At illi responderunt ut juvenes, et nutriti cum eo in deliciis, atque dixerunt: Sic loqueris populo qui dixit tibi: Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu subleva: et sic respondebis ei: Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei. ¹¹ Pater meus imposuit vobis grave jugum, et ego majus pondus apponam; pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus. ¹² Venit ergo Jeroboam et universus populus ad Roboam die tertio, sicut præceperat eis. ¹³ Responditque rex dura, derelicto consilio seniorum: ¹⁴ locutusque est juxta juvenum voluntatem: Pater meus grave vobis imposuit jugum, quod ego gravius faciam; pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus. ¹⁵ Et non acquievit populi precibus: erat enim voluntatis Dei ut compleretur sermo ejus quem locutus fuerat per manum Ahiaë Silonitis ad Jeroboam filium Nabat. ¹⁶ Populus autem universus rege duriora dicente, sic locutus est ad eum: Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai. Revertere in tabernacula tua, Israël; tu autem pasce domum tuam David. Et abiit Israël in tabernacula sua. ¹⁷ Super filios autem Israël qui habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam. ¹⁸ Misitque rex Roboam Aduram, qui præerat tributis, et lapidaverunt eum filii Israël, et mortuus est: porro rex Roboam currum festinavit ascendere, et fugit in Jerusalem. ¹⁹ Recessitque Israël a domo David, usque ad diem hanc.

11 Venit autem Roboam in Jerusalem, et convocavit universam domum Juda et Benjamin, centum octoginta millia electorum atque bellantium, ut dimicaret contra Israël, et converteret ad se regnum suum. ² Factusque est sermo Domini ad Se-meiam hominem Dei, dicens: ³ Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, et ad universum Israël, qui est in Juda et Benjamin: ⁴ Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque pugnabitis contra fratres vestros: revertatur unusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate. Qui cum audissent sermonem Domini, reversi sunt, nec perrexerunt contra Jeroboam. ⁵ Habitavit autem Roboam in Jerusalem, et ædificavit civitates muratas in Juda. ⁶ Extruxitque Bethlehem, et Etam, et Thecue, ⁷ Bethsur quoque, et Socho, et Odollam, ⁸ necnon et Geth, et Maresa, et Ziph, ⁹ sed et Aduram, et Lachis, et Azeca, ¹⁰ Saraa quoque, et Ajalon, et Hebron, quæ erant in Juda et Benjamin, civitates munitissimas. ¹¹ Cumque clausisset eas muris, posuit

[¶]10.8 *Reliquit consilium senum*, etc. HIERON. Hoc aiunt Hebræi esse Banaïam filium Joiadæ et Jahihel filium Achamoni, qui et Chilla vocatur: quorum consilio relicto, tractare cœpit Roboam cum juvenibus, id est, Aduram, qui in sequentibus lapidatus dicitur, et similibus. Juvenem autem non ætate, sed animo sæpe dicimus. Non enim erat Roboam juvenis ætate, sed sensu: qui quadragesimo primo ætatis suæ anno cœpit regnare.

^{§§}10.13 *Responditque rex*, etc. Hic significat malos rectores in Ecclesia, qui terrenis cupiditatibus dediti, curam subditorum negligunt, et gaudent in multitudine sibi obsequentium. Interpretatur vero Roboam latitudo populi. Hi sunt qui latam ingrediantur viam quæ ducit ad mortem, non angustam, quæ ducit ad vitam; et relicto patrum consilio quorum dicta et facta ad altitudinem perfectionis tendunt, consilio juvenum obtemperare eligunt, qui laudibus et adulationibus eos gravant, qui cæci sunt et duces cæcorum, etc., unde: *Væ tibi, terra cujus rex puer est*, etc. Eccl. 10.

in eis principes, ciborumque horrea, hoc est, olei, et vini. ¹² Sed et in singulis urbibus fecit armamentarium scutorum et hastarum, firmavitque eas summa diligentia, et imperavit super Judam et Benjamin. ¹³ Sacerdotes autem et Levitæ qui erant in universo Israël, venerunt ad eum de cunctis sedibus suis, ¹⁴ relinquentes suburbana et possessiones suas, et transeuntes ad Judam et Jerusalem: eo quod abjecisset eos Jeroboam et posterius ejus, ne sacerdotio Domini fungerentur. ¹⁵ Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, et dæmoniorum, vitulorumque quos fecerat. ¹⁶ Sed et de cunctis tribubus Israël, quicumque dederant cor suum ut quærerent Dominum Deum Israël, venerunt in Jerusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum. ¹⁷ Et roboraverunt regnum Juda, et confirmaverunt Roboam filium Salomonis per tres annos: ambulaverunt enim in viis David et Salomonis, annis tantum tribus. ¹⁸ Duxit autem Roboam uxorem Mahalath filiam Jerimoth filii David: Abihail quoque filiam Eliab filii Isai, ¹⁹ quæ peperit ei filios Jehus, et Somoriam, et Zoom. ²⁰ Post hanc quoque accepit Maacha filiam Absalom, quæ peperit ei Abia, et Ethai, et Ziza, et Salomith. ²¹ Amavit autem Roboam Maacha filiam Absalom super omnes uxores suas et concubinas: nam uxores decem et octo duxerat, concubinas autem sexaginta: et genuit viginti octo filios, et sexaginta filias.* ²² Constituit vero in capite Abiam filium Maacha ducem super omnes fratres suos: ipsum enim regem facere cogitabat, ²³ quia sapientior fuit, et potentior super omnes filios ejus, et in cunctis finibus Juda et Benjamin, et in universis civitatibus muratis: præbuitque eis escas plurimas, et multas petivit uxores.

12 Cumque roboratum fuisset regnum Roboam et confortatum, dereliquit legem Domini, et omnis Israël cum eo. ² Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem (quia peccaverant Domino)† ³ cum mille ducentis curribus, et sexaginta millibus equitum: nec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet, et Troglodytæ, et Æthiopes. ⁴ Cepitque civitates munitissimas in Juda, et venit usque in Jerusalem. ⁵ Semeias autem propheta ingressus est ad Roboam, et principes Juda qui congregati fuerant in Jerusalem, fugientes Sesac: dixitque ad eos: Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, et ego reliqui vos in manu Sesac. ⁶ Consternatique principes Israël et rex, dixerunt: Justus est Dominus. ⁷ Cumque vidisset Dominus quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis paucillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac. ⁸ Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum. ⁹ Recessit itaque Sesac rex Ægypti ab Jerusalem, sublatis thesauris domus Domini et domus

*11.21 **Amavit**, etc. Habuit autem lege sibi conjunctas uxores decem et octo, concubinas vero triginta. Et filii quidem ei nati sunt decem et octo, filiæ vero sexaginta.

†12.2 **Anno autem quinto regni Roboam ascendit**. RAB. Mali rectores per negligentiam suam principem tenebrarum provocant in Ecclesiam, qui thesauros domus Domini et thesauros regis aufert, cum scientiam Scripturarum et opera virtutum subtrahit incautis et desidiosis.

regis: omniaque secum tulit, et clypeos aureos quos fecerat Salomon:[‡] ¹⁰ pro quibus fecit rex æneos, et tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatii. ¹¹ Cumque introiret rex domum Domini, veniebant scutarii et tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium suum. ¹² Verumtamen quia humiliati sunt, aversa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus: siquidem et in Juda inventa sunt opera bona. ¹³ Confortatus est ergo rex Roboam in Jerusalem, atque regnavit: quadraginta autem et unius anni erat cum regnare cœpisset, et decem et septem annis regnavit in Jerusalem, urbe quam elegit Dominus ut confirmaret nomen suum ibi, de cunctis tribubus Israël: nomen autem matris ejus Naama Amanitis. ¹⁴ Fecit autem malum, et non præparavit cor suum ut quæreret Dominum. ¹⁵ Opera vero Roboam prima et novissima scripta sunt in libris Semeiæ prophetæ, et Addo videntis, et diligenter exposita: pugnaveruntque adversum se Roboam et Jeroboam cunctis diebus.[¶] ¹⁶ Et dormivit Roboam cum patribus suis, sepultusque est in civitate David: et regnavit Abia filius ejus pro eo.

13 Anno octavodecimo regis Jeroboam, regnavit Abia super Judam. ² Tribus annis regnavit in Jerusalem, nomenque matris ejus Michaia filia Uriel de Gabaa: et erat bellum inter Abiam et Jeroboam. ³ Cumque iniisset Abia certamen, et haberet bellicosissimos viros, et electorum quadringenta millia: Jeroboam instruxit e contra aciem octingenta millia virorum, qui et ipsi electi erant, et ad bella fortissimi. ⁴ Stetit ergo Abia super montem Semeron, qui erat in Ephraim, et ait: Audi, Jeroboam, et omnis Israël.[§] ⁵ Num ignoratis quod Dominus Deus Israël dederit regnum David super Israël in sempiternum, ipsi et filiis ejus in pactum salis? ⁶ Et surrexit Jeroboam filius Nabat, servus Salomonis filii David, et rebellavit contra dominum suum. ⁷ Congregatique sunt ad eum viri vanissimi, et filii Belial, et prævaluerunt contra Roboam filium Salomonis: porro Roboam erat rudis, et corde pavido, nec potuit resistere eis.

[‡]12.9 *Sesac rex.* Byssus cilicii vel gaudium cilicii. Byssus quidem subtilitatem significat: cilicium, quod fit de pilis caprarum, peccata. In bysso ergo cilicii, versutia diabolice fraudis in persuasionem peccati. Sesac Jerosolymitanas opes aufert, cum diabolus qui callide decipit et gaudet in multitudine peccatorum, ecclesiasticos viros scientia spirituali et opere virtutis spoliat: et eos qui videbantur in Ecclesia decori, spoliatos secum in barathrum perditionis mergit. *Clypeos.* Salomon scuta aurea fecit, et custodibus domus suæ tradidit, cum Christus spiritualem scientiam per duo Testamenta doctoribus Ecclesiæ ad plebem tuendam commendavit. Hanc antiquus hostis per incuriam retrorsum abstrahit. Cum enim intendunt terrenis rebus, minusque curant de cœlestibus, officio pristino et scientia nudatos quasi in domo propria opibus spoliatos relinquit. Tales vero cum se sensu spirituali privatos aspiciunt, per eloquentiam verborum copiam quærunt, quorum sonoritatem velut scutorum æreorum firmitatem contra hostes pro subjectis opponunt. Sed quanto æs auro vilis, tanto inferior est eloquentia veræ sapientiæ fructu. Unde: *Ubi plurima verba, ibi frequenter egestas* Prov. 14..

[¶]12.15 *Semeiæ.* Qui superius Roboam et filios Juda de peccatis arguebat. *Addo.* Qui et Abdo, hic est qui ad arguendum Jeroboam pro altari quod fecerat, a Domino missus est in Samariam, qui in via interfectus est, quia contra præceptum Domini a pseudopropheta seductus ibidem manducavit.

[§]13.4 *Semeron.* RAB. ex Hieron. Civitas est quam cepit Jesus rege illius interfecto, quam dicunt vocari nunc Sebasten oppidum Palestinæ, ubi Joannis Baptistæ conditæ sunt reliquiæ. Legimus autem in Regum, quod Amri rex Israël emerit montem Semeron a quodam Semer, et ædificaverit in vertice illius civitatem, quam ex nomine domini, scilicet Semer, Semeron appellavit.

⁸Nunc ergo vos dicitis quod resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios David, habetisque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos quos fecit vobis Jeroboam in deos. ⁹Et ejecistis sacerdotes Domini, filios Aaron, atque Levitas, et fecistis vobis sacerdotes sicut omnes populi terrarum: quicumque venerit, et initiaverit manum suam in tauro de bobus, et in arietibus septem, fit sacerdos eorum qui non sunt dii. ¹⁰Noster autem Dominus, Deus est, quem non relinquimus, sacerdotesque ministrant Domino, de filiis Aaron, et Levitæ sunt in ordine suo: ¹¹holocausta quoque offerunt Domino per singulos dies mane et vespere, et thymiama juxta legis præcepta confectum, et proponuntur panes in mensa mundissima, estque apud nos candelabrum aureum, et lucernæ ejus, ut accendantur semper ad vesperam: nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis. ¹²Ergo in exercitu nostro dux Deus est, et sacerdotes ejus, qui clangunt tubis, et resonant contra vos: filii Israël, nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit. ¹³Hæc illo loquente, Jeroboam retro moliebatur insidias. Cumque ex adverso hostium staret, ignorantem Judam suo ambiebat exercitu. ¹⁴Respiciensque Judas, vidit instare bellum ex adverso et post tergum, et clamavit ad Dominum, ac sacerdotes tubis canere cœperunt. ¹⁵Omnesque viri Juda vociferati sunt: et ecce illis clamantibus, perterruit Deus Jeroboam, et omnem Israël qui stabat ex adverso Abia et Juda. ¹⁶Fugeruntque filii Israël Judam, et tradidit eos Deus in manu eorum. ¹⁷Percussit ergo eos Abia et populus ejus plaga magna: et corruerunt vulnerati ex Israël quingenta millia virorum fortium. ¹⁸Humiliatique sunt filii Israël in tempore illo, et vehementissime confortati filii Juda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum. ¹⁹Persecutus est autem Abia fugientem Jeroboam, et cepit civitates ejus, Bethel et filias ejus, et Jesana cum filiabus suis, Ephron quoque et filias ejus: ²⁰nec valuit ultra resistere Jeroboam in diebus Abia: quem percussit Dominus, et mortuus est. ^{††} ²¹Igitur Abia, confortato imperio suo, accepit uxores quatuordecim: procreavitque viginti duos filios, et sedecim filias. ²²Reliqua autem sermonum Abia, viarumque et operum ejus, scripta sunt diligentissime in libro Addo prophetæ.

14 Dormivit autem Abia cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David: regnavitque Asa filius ejus pro eo, in cujus diebus quievit terra annis decem. ²Fecit autem Asa quod bonum et placitum erat in conspectu Dei sui, et subvertit altaria peregrini cultus, et excelsa. ^{‡‡} ³Et confregit statuas, lucosque succidit: ⁴et

**13.19 *Bethel*. RAB. Civitas in proximo lapide ab Elia ad dexteram euntibus Neopolim, quæ prius Luza, id est Amigdalon vocabatur, et cecidit in sortem Benjamin juxta Bethan et Hai, quam expugnavit Jesus rege illius interfecto. *Ephron*. Civitas est in tribu Juda. Unde et villa pergrandis Ephrea contra septentrionem in vicesimo ab Elia milliario hactenus vocatur.

††13.20 *In diebus*. Non Jeroboam, in cujus vicesimo anno secundum librum Regum imperavit Asa filius Abia super Judam et Jerusalem, sed Abiam, qui accepta Bethel idola reservavit Israël in scandalum, ut Hebræi asserunt.

‡‡14.2 *Egressus est*, etc. Cum Azarias decem regnasset annis, castra contra eum movit cum magno nimis exercitu Zareas rex Æthiopiæ, ducens pedestrium quidem nonaginta millia, equestrium vero decem millia, et currus trecentos. Castris contra eum positus, cum vidisset Asa Æthiopum multitudinem, poscebat a Deo cum clamore magno victoriam, et ut tam multa hominum millia ipse perimeret. Neque enim in alio confidendum esse dicebat, quam in eo qui posset etiam paucos multorum potiores ostendere, et facere infirmos fortissimis prævalere.

præcepit Judæ ut quæreret Dominum Deum patrum suorum, et faceret legem, et universa mandata: ⁵ et abstulit de cunctis urbibus Juda aras et fana, et regnavit in pace. ⁶ Ædificavit quoque urbes munitas in Juda, quia quietus erat, et nulla temporibus ejus bella surrexerant, pacem Domino largiente. ⁷ Dixit autem Judæ: Ædificemus civitates istas, et vallemus muris, et roboremus turribus, et portis, et seris, donec a bellis quieta sunt omnia, eo quod quæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, et dederit nobis pacem per gyrum. Ædificaverunt igitur, et nullum in exstruendo impedimentum fuit. ⁸ Habuit autem Asa in exercitu suo portantium scuta et hastas de Juda trecenta millia, de Benjamin vero scutariorum et sagittariorum ducenta octoginta millia: omnes isti viri fortissimi. ⁹ Egressus est autem contra eos Zara Æthiops cum exercitu suo, decies centena millia, et curribus trecentis: et venit usque Maresa. ¹⁰ Porro Asa perrexit obviam ei, et instruxit aciem ad bellum in valle Sephata, quæ est juxta Maresa: ¹¹ et invocavit Dominum Deum, et ait: Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxiliieris, an in pluribus. Adjuva nos, Domine Deus noster: in te enim, et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noster tu es: non prævaleat contra te homo. ¹² Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa et Juda: fugeruntque Æthiopes. ¹³ Et persecutus est eos Asa, et populus qui cum eo erat, usque Gerara: et ruerunt Æthiopes usque ad interneconem, quia Domino cædente contriti sunt, et exercitu illius præliante. Tulerunt ergo spolia multa, ¹⁴ et percusserunt civitates omnes per circuitum Geraræ: grandis quippe cunctos terror invaserat: et diripuerunt urbes, et multam prædam asportaverunt. ¹⁵ Sed et caulas ovium destruentes, tulerunt pecorum infinitam multitudinem, et camelorum: reversique sunt in Jerusalem.

15 Azarias autem filius Oded, facto in se spiritu Dei, ² egressus est in occursum Asa, et dixit ei: Audite me, Asa, et omnis Juda et Benjamin: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, invenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. ³ Transibant autem multi dies in Israël absque Deo vero, et absque sacerdote doctore, et absque lege. ⁴ Cumque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israël, et quæsierint eum, reperient eum. ⁵ In tempore illo, non erit pax egredienti et ingredienti, sed terrores undique in cunctis habitatoribus terrarum: ⁶ pugnavit enim gens contra gentem, et civitas contra civitatem, quia Dominus conturbabit eos in omni angustia. ⁷ Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro. ⁸ Quod cum audisset Asa, verba scilicet, et prophetiam Azariæ filii Oded prophetæ, confortatus est, et abstulit idola de omni terra Juda et de Benjamin, et ex urbibus quas ceperat, montis Ephraim: et dedicavit altare Domini quod erat ante porticum Domini. ⁹ Congregavitque universum Judam et Benjamin, et advenas cum eis de Ephraim, et de Manasse, et de Simeon: plures enim ad eum confugerant ex Israël, videntes quod Dominus Deus illius esset cum eo. ¹⁰ Cumque venissent in Jerusalem mense tertio, anno decimoquinto regni Asa, ¹¹ immolaverunt Domino in die illa de manubiis et præda quam adduxerant, boves septingentos, et arietes septem millia. ¹² Et intravit ex more ad corroborandum fœdus ut quærerent Dominum Deum patrum suorum in toto corde, et in tota anima sua. ¹³ Si quis autem, inquit, non quæsierit Dominum Deum Israël, moriatur, a minimo usque ad maximum, a viro usque ad mulierem. ¹⁴ Juraveruntque Domino voce magna in jubilo, et in clangore tubæ, et in sonitu buccinarum, ¹⁵ omnes qui erant in Juda, cum execratione: in omni enim corde suo juraverunt, et in tota voluntate

quæsierunt eum, et invenerunt: præstititque eis Dominus requiem per circuitum.[¶]
¹⁶ Sed et Maacham matrem Asa regis ex Augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi: quod omne contrivit, et in frustra comminuens combussit in torrente Cedron. ¹⁷ Excelsa autem derelicta sunt in Israël: attamen cor Asa erat perfectum cunctis diebus ejus, ¹⁸ eaque quæ voverat pater suus, et ipse, intulit in domum Domini, argentum, et aurum, vasorumque diversam supellectilem. ¹⁹ Bellum vero non fuit usque ad trigesimum quintum annum regni Asa.

16 Anno autem trigesimo sexto regni ejus, ascendit Baasa rex Israël in Judam, et muro circumdabat Rama, ut nullus tute posset egredi et ingredi de regno Asa. ² Protulit ergo Asa argentum et aurum de thesauris domus Domini, et de thesauris regis, misitque ad Benadad regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens: ³ Fœdus inter me et te est; pater quoque meus et pater tuus habuere concordiam: quam ob rem misi tibi argentum et aurum, ut rupto fœdere quod habes cum Baasa rege Israël, facias eum a me recedere. ⁴ Quo comperto, Benadad misit principes exercituum suorum ad urbes Israël: qui percusserunt Ahion, et Dan, et Abelmaim, et universas urbes Nephthali muratas. ⁵ Quod cum audisset Baasa, desiit ædificare Rama, et intermisit opus suum. ⁶ Porro Asa rex assumpsit universum Judam, et tulerunt lapides de Rama, et ligna quæ ædificationi præparaverat Baasa, ædificavitque ex eis Gabaa et Maspha. ⁷ In tempore illo venit Hanani propheta ad Asa regem Juda, et dixit ei: Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua. ⁸ Nonne Æthiopes et Libyes multo plures erant quadrigis, et equitibus, et multitudine nimia, quos cum Domino credidisses, tradidit in manu tua? ⁹ Oculi enim Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti, et propter hoc ex præsentī tempore adversum te bella consurgent. ¹⁰ Iratusque Asa adversus videntem, jussit eum mitti in nervum: valde quippe super hoc fuerat indignatus: et interfecit de populo in tempore illo plurimos. ¹¹ Opera autem Asa prima et novissima scripta sunt in libro regum Juda et Israël. ¹² Ægrotavit etiam Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, et nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. ¹³ Dormivitque cum patribus suis, et mortuus est anno quadragesimo primo regni sui. ¹⁴ Et sepelierunt eum in sepulchro suo quod foderat sibi in civitate David: posueruntque eum super lectum suum plenum aromatibus et unguentibus meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, et combusserunt super eum ambitione nimia.^{§§}

17 Regnavit autem Josaphat filius ejus pro eo, et invaluit contra Israël. ² Constituitque militum numeros in cunctis urbibus Juda quæ erant vallatæ muris. Præsidiaque disposuit in terra Juda, et in civitatibus Ephraim quas ceperat Asa pa-

[¶]15.15 *Azarias autem*, etc. Azarias propheta occurrens præcepit ut paululum a via gressum itineris sustinerent, et tunc cœpit ad eos dicere, quod illa victoria fuisset eis a Deo concessa, eo quod justos se sanctosque servassent, et omnia Dei voluntate fecissent. Quos in ejus mandatis permanentes, dixit super hostibus prævalere, et habituros divina virtute felicitatem et prosperitatem; relinquentes autem religionem, in contraria devenire, futurumque tempus in quo nullus inveniretur verax propheta in eo populo, neque sacerdos, ob quam rem et civitates subvertendas, et gentem in omni terra disseminandam, et vitam miserabilem et inopem habituros.

^{§§}16.14 *Aromatibus*, etc

ter ejus. ³Et fuit Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis David patris sui primis: et non speravit in Baalim, ^{*} ⁴sed in Deo patris sui: et perrexit in præceptis illius, et non juxta peccata Israël. ⁵Confirmavitque Dominus regnum in manu ejus, et dedit omnis Juda munera Josaphat: factæque sunt ei infinitæ divitiæ, et multa gloria. [†] ⁶Cumque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini, etiam excelsa et lucos de Juda abstulit. ⁷Tertio autem anno regni sui misit de principibus suis Ben-hail, et Obdiam, et Zachariam, et Nathanaël, et Michæam, ut docerent in civitatibus Juda: ⁸et cum eis Levitas Semeiam, et Nathaniam, et Zabadiam, Asaël quoque, et Semiramoth, et Jonathan, Adoniamque et Thobiam, et Thobadoniam Levitas, et cum eis Elisama, et Joran sacerdotes: ⁹docebantque populum in Juda, habentes librum legis Domini, et circuibant cunctas urbes Juda, atque erudiebant populum. ¹⁰Itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum quæ erant per gyrum Juda, nec audebant bellare contra Josaphat. [‡] ¹¹Sed et Philisthæi Josaphat munera deferebant, et vectigal argenti: Arabes quoque adducebant pecora, arietum septem millia septingenta, et hircorum totidem. ¹²Crevit ergo Josaphat, et magnificatus est usque in sublime: atque ædificavit in Juda domos ad instar turrium, urbesque muratas. ¹³Et multa opera paravit in urbibus Juda: viri quoque bellatores et robusti erant in Jerusalem, ¹⁴quorum iste numerus per domos atque familias singulorum: in Juda principes exercitus, Ednas dux, et cum eo robustissimi viri trecenta millia. ¹⁵Post hunc Johanan princeps, et cum eo ducenta octoginta millia. ¹⁶Post istum quoque Amasias filius Zechri, consecratus Domino, et cum eo ducenta millia virorum fortium. ¹⁷Hunc sequebatur robustus ad prælia Eliada, et cum eo tenentium arcum et clypeum ducenta millia. ¹⁸Post istum etiam Jozabad, et cum eo centum octoginta millia expeditorum militum. ¹⁹Hi omnes erant ad manum regis, exceptis aliis quos posuerat in urbibus muratis in universo Juda.

18 Fuit ergo Josaphat dives et inclytus multum, et affinitate conjunctus est Achab. ²Descenditque post annos ad eum in Samariam: ad cujus adventum mactavit Achab arietes et boves plurimos, ipsi, et populo qui venerat cum eo: persue-

^{*}17.3 *Ambulavit in viis David*, etc. RAB. Ostendit eum exsecutorem fuisse sicut David divinatorum mandatorum antequam peccaret in uxorem Uriæ, cujus peccati satisfactio æternam illi memoriam comparavit.

[†]17.5 *Dedit omnis Juda munera Josaphat*. Hic fideles de gentibus significat, qui relicto patrum errore, ad Christum conveniunt baptismo abluti chrismate liniti, a Christo Christianum nomen et re giam dignitatem accipientes. Unde: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*, etc. I Petr. 2. In tempore enim Josaphat, Domini dos, vel qui est dos, vel qui est dotatus, et quia Ecclesia gentium, sanguine Christi comparata, Spiritus sancti pignore data, consortium Sponsi cœlestis et societatem regni promeruit. Cui factæ sunt infinitæ divitiæ cum diversæ nationes credunt, et in acquisitione diversarum virtutum.

[‡]17.10 *Itaque factus est pavor*, etc. Pro virtutibus, quæ geruntur in Ecclesia, auferuntur gentilium audacia, et incitantur ut deferant Christo munera fidei et censum boni operis, et piæ confessionis, et pecora simplicitatis.

asitque illi ut ascenderet in Ramoth Galaad.[¶]³ Dixitque Achab rex Israël ad Josaphat regem Juda: Veni mecum in Ramoth Galaad. Cui ille respondit: Ut ego, et tu: sicut populus tuus, sic et populus meus: tecumque erimus in bello. ⁴ Dixitque Josaphat ad regem Israël: Consule, obsecro, impræsentiæ sermonem Domini. ⁵ Congregavit igitur rex Israël prophetarum quadringentos viros, et dixit ad eos: In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus, an quiescere? At illi: Ascende, inquiunt, et tradet Deus in manu regis. ⁶ Dixitque Josaphat: Numquid non est hic propheta Domini, ut ab illo etiam requiramus? ⁷ Et ait rex Israël ad Josaphat: Est vir unus a quo possumus quærere Domini voluntatem: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore: est autem Michæas filius Jemla. Dixitque Josaphat: Ne loquaris, rex, hoc modo. ⁸ Vocavit ergo rex Israël unum de eunuchis, et dixit ei: Voca cito Michæam filium Jemla. ⁹ Porro rex Israël, et Josaphat rex Juda, uterque sedebant in solio suo, vestiti cultu regio: sedebant autem in area juxta portam Samariæ, omnesque prophetæ vaticinabantur coram eis. ¹⁰ Sedecias vero filius Chanaana fecit sibi cornua ferrea, et ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec conteras eam. ¹¹ Omnesque prophetæ similiter prophetabant, atque dicebant: Ascende in Ramoth Galaad, et prosperaberis, et tradet eos Dominus in manu regis. ¹² Nuntius autem qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi: En verba omnium prophetarum uno ore bona regi annuntiant: quæso ergo te ut et sermo tuus ab eis non dissentiat, loquarisque prospera. ¹³ Cui respondit Michæas: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar. ¹⁴ Venit ergo ad regem. Cui rex ait: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Cui ille respondit: Ascendite: cuncta enim prospera evenient, et tradentur hostes in manus vestras. ¹⁵ Dixitque rex: Iterum atque iterum te adjuro, ut mihi non loquaris, nisi quod verum est in nomine Domini. ¹⁶ At ille ait: Vidi universum Israël dispersum in montibus, sicut oves absque pastore: et dixit Dominus: Non habent isti dominos: revertatur unusquisque in domum suam in pace. ¹⁷ Et ait rex Israël ad Josaphat: Nonne dixi tibi quod non prophetaret iste mihi quidquam boni, sed ea quæ mala sunt? ¹⁸ At ille: Idcirco, ait, audite verbum Domini: vidi Dominum sedentem in solio suo, et omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris et a sinistris. ¹⁹ Et dixit Dominus: Quis decipiet Achab regem Israël ut ascendat et corruat in Ramoth Galaad? Cumque diceret unus hoc modo, et alter alio, ²⁰ processit spiritus, et stetit coram Domino, et ait: Ego decipiam eum. Cui Dominus: In quo, inquit, decipies? ²¹ At ille respondit: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Dixitque Dominus: Decipies, et prævalebis: egredere, et fac ita. ²² Nunc igitur, ecce Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, et Dominus locutus est de te mala.

[¶]18.2 *Descenditque*, etc. Hi sunt hæresiarchæ qui perditorum turbam per errorum devia ducunt, et in mortis præcipitium mergunt. Josaphat affinitate conjunctus est Achab, et descendit ad eum in Samariam contra hostes in auxilium: et illos significat qui de catholicis ad hæreticorum amicitiam se inclinant: qui licet a rectæ fidei non recedant tramite, tamen errantium societatem atque communionem non devitant. Contra quos dicitur: *Hæreticum hominem post primam et secundam correctionem devita* Tit. 3.. Unde Josaphat per Jehu videntem filium Anani, illius scilicet prophetæ qui Asa increpaverat arguitur, qui impio præbuerat auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeretur. GREG., lib. II Moral., cap. 15, tom. 1. Solium Domini angelicæ potestates, etc., usque ad et tanto durius reperetur ad pœnam, quanto securius viveret in culpa.

²³ Accessit autem Sedecias filius Chanaana, et percussit Michææ maxillam, et ait: Per quam viam transivit spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi? ²⁴ Dixitque Michæas: Tu ipse videbis in die illo, quando ingressus fueris cubiculum de cubiculo ut abscondaris. ²⁵ Præcepit autem rex Israël, dicens: Tollite Michæam, et ducite eum ad Amon principem civitatis, et ad Joas filium Amelech. ²⁶ Et dicetis: Hæc dicit rex: Mittite hunc in carcerem, et date ei panis modicum, et aquæ pauxillum, donec revertar in pace. ²⁷ Dixitque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me. Et ait: Audite, omnes populi. ²⁸ Igitur ascenderunt rex Israël et Josaphat rex Juda in Ramoth Galaad. ²⁹ Dixitque rex Israël ad Josaphat: Mutabo habitum, et sic ad pugnam vadam: tu autem induere vestibus tuis. Mutatoque rex Israël habitu, venit ad bellum. ³⁰ Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus sui, dicens: Ne pugnetis contra minimum aut contra maximum, nisi contra solum regem Israël. ³¹ Itaque cum vidissent principes equitatus Josaphat, dixerunt: Rex Israël est iste. Et circumdederunt eum dimicantes: at ille clamavit ad Dominum, et auxiliatus est ei, atque avertit eos ab illo. ³² Cum enim vidissent duces equitatus quod non esset rex Israël, reliquerunt eum. ³³ Accidit autem ut unus e populo sagittam in incertum jaceret, et percuteret regem Israël inter cervicem et scapulas. At ille aurigæ suo ait: Converte manum tuam, et educ me de acie, quia vulneratus sum. ³⁴ Et finita est pugna in die illo: porro rex Israël stabat in curru suo contra Syros usque ad vesperam, et mortuus est occidente sole.

19 Reversus est autem Josaphat rex Juda in domum suam pacifice in Jerusalem. ² Cui occurrit Jehu filius Henani videns, et ait ad eum: Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris: ³ sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda, et præparaveris cor tuum ut requireres Dominum Deum patrum tuorum. ⁴ Habitavit ergo Josaphat in Jerusalem, rursumque egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, et revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum. ⁵ Constituitque iudices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca, ⁶ et præcipiens iudicibus: Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. ⁷ Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. ⁸ In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas, et sacerdotes, et principes familiarum ex Israël, ut iudicium et causam Domini judicarent habitatoribus ejus. ⁹ Præcepitque eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter et corde perfecto. ¹⁰ Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter cognationem et cognationem, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Dominum, et ne veniat ira super vos et super fratres vestros: sic ergo agentes non peccabitis. ¹¹ Amarias autem sacerdos et pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porro Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit quæ ad regis officium pertinent: habetisque magistros Levitas coram vobis. Confortamini, et agite diligenter, et erit Dominus vobiscum in bonis.

§19.10 *Omnem causam quæ venerit ad vos*, etc. AUG., lib. IV de Civ., cap. 3. Remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia et ipsa latrocinia quid sunt, nisi parva regna?

20 Post hæc congregati sunt filii Moab et filii Ammon, et cum eis de Ammonitis, ad Josaphat, ut pugnarent contra eum.** ²Veneruntque nuntii, et indicaverunt Josaphat, dicentes: Venit contra te multitudo magna de his locis quæ trans mare sunt, et de Syria: et ecce consistunt in Asasonthamar, quæ est Engaddi.†† ³Josaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, et prædicavit jejunium universo Juda. ⁴Congregatusque est Judas ad deprecandum Dominum: sed et omnes de urbibus suis venerunt ad obsecrandum eum. ⁵Cumque stetisset Josaphat in medio cœtu Juda et Jerusalem, in domo Domini ante atrium novum, ⁶ait: Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cælo, et dominaris cunctis regnis gentium: in manu tua est fortitudo et potentia, nec quisquam tibi potest resistere. ⁷Nonne tu, Deus noster, interfecisti omnes habitatores terræ hujus coram populo tuo Israël, et dedisti eam semini Abraham amici tui in sempiternum? ⁸Habitaveruntque in ea, et exstruxerunt in illa sanctuarium nomini tuo, dicentes: ⁹Si irruerint super nos mala, gladius iudicii, pestilentia, et fames, stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua invocatum est nomen tuum: et clamabimus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salvosque facies. ¹⁰Nunc igitur, ecce filii Ammon, et Moab, et mons Seir, per quos non concessisti Israël ut transirent quando egrediebantur de Ægypto, sed declinaverunt ab eis, et non interfecerunt illos, ¹¹et contrario agunt, et nituntur ejicere nos de possessione quam tradidisti nobis. ¹²Deus noster, ergo non judicabis eos? in nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. ¹³Omnis vero Juda stabat coram Domino cum parvulis, et uxoribus, et liberis suis. ¹⁴Erat autem Jahaziel filius Zachariæ filii Banaïæ filii Jehiel filii Mathaniæ, Levites de filiis Asaph, super quem factus est spiritus Domini, in medio turbæ, ¹⁵et ait: Attendite, omnis Juda, et qui habitatis Jerusalem, et tu, rex Josaphat: hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei. ¹⁶Cras descendetis contra eos: ascensuri enim sunt per clivum nomine Sis, et invenietis illos in summitate torrentis qui est contra solitudinem Jeruel.‡‡ ¹⁷Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos, o Juda et Jerusalem: nolite timere, nec paveatis: cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum. ¹⁸Josaphat ergo, et Juda, et omnes habitatores Jerusalem ceciderunt proni in terram coram Domino, et adoraverunt eum. ¹⁹Porro Levitæ de

**20.1 *De Ammonitis.* Idumæos significat, sed scriptor historiæ maluit quod gerebatur associatorum notare vocabulo, quam impietatem impudentium publice divulgare.

††20.2 *De his locis,* etc. Illa loca significat quæ ultra mare Salinarum sunt, quod alias stagnum Asphaltiti vel mare Mortuum nominatur. *Engaddi.* Vocatur usque hodie, vicus pergrandis Judæorum juxta mare Mortuum, unde opobalsamum venit: quas Salomon nuncupat vineas Engaddi.

‡‡20.16 *Ascensuri enim per clivum nomine Sis,* etc. RAB. *in Paral.,* ex Hieron. Qui et Jeruel secundum Hebræos. Dicunt enim quod Sis, etc., usque ad incussus est alienigenis pavor undique. Mystice, Moabitæ, Ammonitæ, et Idumæi, paganos, Judæos, et hæreticos significant, qui gratis bellum excitant fidelibus, et religionem Christianam auferre contendunt. Sed Josaphat, id est Christi populus, non armis corporalibus, sed spiritualibus eos aggreditur, intima cordis devotione supernum quærens auxilium.

filiis Caath et de filiis Core laudabant Dominum Deum Israëli voce magna in excelsum. ²⁰ Cumque mane surrexissent, egressi sunt per desertum Thecuae: profectisque eis, stans Josaphat in medio eorum, dixit: Audite me, viri Juda, et omnes habitatores Jerusalem: credite in Domino Deo vestro, et securi eritis: credite prophetis ejus, et cuncta evenient prospera. ²¹ Deditque consilium populo, et statuit cantores Domini ut laudarent eum in turmis suis, et antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: Confitemini Domino quoniam in æternum misericordia ejus. ²² Cumque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, et Moab, et montis Seir, qui egressi fuerant ut pugnarent contra Judam: et percussi sunt. ²³ Namque filii Ammon et Moab consurrexerunt adversum habitatores montis Seir, ut interficerent et delerent eos: cumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus. ²⁴ Porro Juda, cum venisset ad speculam quæ respicit solitudinem, vidit procul omnem late regionem plenam cadaveribus, nec superesse quemquam qui necem potuisset evadere. ²⁵ Venit ergo Josaphat, et omnis populus cum eo, ad detrahenda spolia mortuorum: inveneruntque inter cadavera variam suppellectilem, vestes quoque, et vasa pretiosissima, et diripuerunt ita ut omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine. ¶ ²⁶ Die autem quarto congregati sunt in Valle benedictionis: etenim quoniam ibi benedixerant Domino, vocaverunt locum illum Vallis benedictionis usque in præsentem diem. § ²⁷ Reversusque est omnis vir Juda, et habitatores Jerusalem, et Josaphat ante eos, in Jerusalem cum lætitia magna, eo quod dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis. ²⁸ Ingressique sunt in Jerusalem cum psalteriis, et citharis, et tubis in domum Domini. ²⁹ Irruit autem pavor Domini super universa regna terrarum cum audissent quod pugnasset Dominus contra inimicos Israëli. ³⁰ Quievitque regnum Josaphat, et præbuit ei Deus pacem per circuitum. ³¹ Regnavit igitur Josaphat super Judam, et erat triginta quinque annorum cum regnare cœpisset: viginti autem et quinque annis regnavit in Jerusalem, et nomen matris ejus Azuba filia Selahi. ³² Et ambulavit in via patris suis Asa, nec declinavit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino. ³³ Verumtamen excelsa non abstulit, et adhuc populus non direxerat cor suum ad Dominum Deum patrum suorum. ³⁴ Reliqua autem gestorum Josaphat priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, quæ digessit in libros regum Israëli. ³⁵ Post hæc iniiit amicitias Josaphat rex Juda cum Ochozia rege Israëli, cujus opera fuerunt impiissima. ³⁶ Et particeps fuit ut facerent naves quæ irent in Tharsis: feceruntque classem in Asiongaber. ³⁷ Prophetavit autem Eliezer filius Dodau de Maresa ad Josaphat, dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.

¶ 20.25 *Venit ergo Josaphat*, etc. Sancti doctores cum turba fidelium colligunt de spoliis hostium quidquid de Physica, Ethica, et Logica legendo, et scribendo, et docendo utiliter crediderunt, per sanctæ Trinitatis fidem, in usum totius Ecclesiæ convertunt, ut quod illi injuste et inutiliter possidebant, fideles utiliter possidentes, animarum ad salutem possideant.

§ 20.26 *Vallis benedictionis*. Humilitas Ecclesiæ, ubi digne Deo laudes redduntur. Qui autem quatuor Evangeliorum instructus dogmate per baptismi fidem ad unitatem Ecclesiæ pervenit, ibi rite laudans, digne Deo conversans visionem perpetuæ pacis, cum laude et lætitia sempiterna introibit.

21 Dormivit autem Josaphat cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David: regnavitque Joram filius ejus pro eo. ²Qui habuit fratres filios Josaphat, Azariam, et Jahiel, et Zachariam, et Azariam, et Michaël, et Saphatiam: omnes hi filii Josaphat regis Juda.* ³Deditque eis pater suus multa munera argenti et auri, et pensationes, cum civitatibus munitissimis in Juda: regnum autem tradidit Joram, eo quod esset primogenitus. ⁴Surrexit ergo Joram super regnum patris sui: cumque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio, et quosdam de principibus Israël. ⁵Triginta duorum annorum erat Joram cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem. ⁶Ambulavitque in viis regum Israël, sicut egerat domus Achab: filia quippe Achab erat uxor ejus: et fecit malum in conspectu Domini. ⁷Noluit autem Dominus disperdere domum David propter pactum quod inierat cum eo: et quia promiserat ut daret ei lucernam, et filiis ejus omni tempore. ⁸In diebus illis rebellavit Edom, ne esset subditus Judæ, et constituit sibi regem. ⁹Cumque transisset Joram cum principibus suis, et cuncto equitatu qui erat secum, surrexit nocte, et percussit Edom, qui se circumdederat, et omnes duces equitatus ejus. ¹⁰Atamen rebellavit Edom, ne esset sub ditione Juda usque ad hanc diem: eo tempore et Lobna recessit ne esset sub manu illius. Dereliquerat enim Dominum Deum patrum suorum: ¹¹insuper et excelsa fabricatus est in urbibus Juda, et fornicari fecit habitatores Jerusalem, et prævaricari Judam. ¹²Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, et in viis Asa regis Juda, ¹³sed incessisti per iter regum Israël, et fornicari fecisti Judam et habitatores Jerusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper et fratres tuos, domum patris tui, meliores te, occidisti: ¹⁴ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, et filiis, et uxoribus tuis, universaque substantia tua.† ¹⁵Tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. ¹⁶Suscitavit ergo Dominus contra Joram spiritum Philistinorum, et Arabum qui confines sunt Æthiopicibus: ¹⁷et ascenderunt in terram Juda, et vastaverunt eam, diripueruntque cunctam substantiam quæ inventa est in domo regis, insuper et filios ejus, et uxores: nec remansit ei filius, nisi Joachaz, qui minimus natus erat. ¹⁸Et super hæc omnia percussit eum Dominus alvi languore insanabili. ¹⁹Cumque diei succederet dies, et temporum spatia volverentur, duorum annorum expletus est circulus: et sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter, et vita caruit. Mortuusque est in infirmitate pessima, et non fecit ei populus secundum morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus ejus. ²⁰Triginta duorum annorum fuit cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem. Ambulav-

*21.2 *Omnes hi, filii Josaphat,* etc. RAB. Imitatores operum ejus, fratre eorum Joram semper in deteriora labente, unde ipse Joram legitur eos interfecisse cum principibus Israël.

†21.14 *Ecce Dominus percutiet te,* etc. Per Philisthæos et Arabes qui ejus terram vastaverunt, et diripuerunt substantiam et filios pariter et uxores Joram, qui interpretatur, Quis est excelsus: qui de religioso patre ad perfidiam declinavit, et fornicari fecit filios Juda: significat eos qui fide imbuti et baptismo regenerati, relinquunt fidei veritatem, hæreticorum sequentes errorem, et alios secum pervertentes. Unde eos Elias, id est, sermo propheticus redarguit: quia omnis divinorum librorum auctoritas tales reprehendit, et merito perversitatis suæ increpat contestationibus gravissimis.

itque non recte, et sepelierunt eum in civitate David, verumtamen non in sepulchro regum.[‡]

22 Constituerunt autem habitatores Jerusalem Ochoziam filium ejus minimum regem pro eo: omnes enim majores natu, qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum qui irruerant in castra: regnavitque Ochozias filius Joram regis Juda. ²Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Jerusalem: et nomen matris ejus Athalia filia Amri. ³Sed et ipse ingressus est per vias domus Achab: mater enim ejus impulit eum ut impie ageret. ⁴Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab: ipsi enim fuerunt ei consiliarii post mortem patris sui, in interitum ejus: ⁵ambulavitque in consiliis eorum. Et perrexit cum Joram filio Achab rege Israël in bellum contra Hazaël regem Syriæ in Ramoth Galaad: vulneraveruntque Syri Joram. ⁶Qui reversus est ut curaretur in Jezrahel: multas enim plagas acceperat in supradicto certamine. Igitur Ochozias filius Joram rex Juda descendit ut inviseret Joram filium Achab in Jezrahel ægrotantem.[¶] ⁷Voluntatis quippe fuit Dei adversus Ochoziam, ut veniret ad Joram: et cum venisset, et egrederetur cum eo adversum Jehu filium Namsi, quem unxit Dominus ut deleret domum Achab.[§] ⁸Cum ergo everteret Jehu domum Achab, invenit principes Juda, et filios fratrum Ochoziæ, qui ministrabant ei, et interfecit illos. ⁹Ipsam quoque perquirens Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria: adductumque ad se, occidit: et sepelierunt eum, eo quod esset filius Josaphat, qui quæsierat Dominum in toto corde suo. Nec erat ultra spes aliqua ut de stirpe quis regnaret Ochoziæ: ¹⁰siquidem Athalia mater ejus, videns quod mortuus esset filius

[‡]21.20 *Et octo annis regnavit*, etc. De Joram octo annis regnasse et quadraginta vixisse; filium autem ejus Ochoziam cum regnare cœpisset fuisse quadraginta duorum annorum, quod si ita est, duobus annis antequam pater ipse nasceretur, filium genuit. Sed Hebræi dicunt quod Joram qui quadraginta annis vixisse describitur et octo annis regnasse, quod vixerit annos quadraginta et regnaverit viginti et octo. Anni enim octo qui ei in regno tribuuntur, ipsi sunt quibus regnavit antequam fratres occideret, cum adhuc innocenter viveret. Reliqui vero viginti anni, quibus postea regnavit, ideo non numerantur, quia in languore et tribulatione vixit: ideoque filio ejus tribuuntur, qui non amplius quam viginti duorum annorum secundum librum Regum esse perhibetur, ne de numerorum summa anni remanentes, in temporum computatione errorem facerent.

[¶]22.6 *Azarias filius Jehu*, etc. RAB., ex Hieron. Qui superius *Ochozias*, id est, apprehendens Dominum: Azarias vero adjutorium Domini. Ideoque secundum Hebræos nomen mutatur in melius ei: quia secundum præceptum Domini infirmum visitavit.

[§]22.7 *Adversum Jehu*, etc. Jehu significat principatum gentium, quem Christus destinavit in sacrilegam civitatem, quæ prophetas et Dominum prophetarum occidit, et apostolos persecuta est; ut eam digna ultione puniret, et phanum sacerdotum post adventum Christi destrueret, templumque subverteret: et impiam synagogam sanguinem eorum sitientem de regni culmine quasi Jezabel præcipitaret, et ipsius rectores interficeret.

suus, surrexit, et interfecit omnem stirpem regiam domus Joram. ^{** 11} Porro Josabeth filia regis tulit Joas filium Ochoziæ, et furata est eum de medio filiorum regis, cum interficerentur: absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum: Josabeth autem, quæ absconderat eum, erat filia regis Joram, uxor Jojadæ pontificis, soror Ochoziæ: et idcirco Athalia non interfecit eum. ¹² Fuit ergo cum eis in domo Dei absconditus sex annis, quibus regnavit Athalia super terram.

23 Anno autem septimo, confortatus Jojada, assumpsit centuriones, Azariam videlicet filium Jeroham, et Ismahel filium Johanan, Azariam quoque filium Obed, et Maasiam filium Adaiæ, et Elisaphat filium Zechri: et iniit cum eis fœdus. ² Qui circumeuntes Judam, congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda, et principes familiarum Israël, veneruntque in Jerusalem. ³ Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege, dixitque ad eos Jojada: Ecce filius regis regnabit, sicut locutus est Dominus super filios David. ⁴ Iste est ergo sermo quem facietis: ⁵ tertia pars vestrum qui veniunt ad sabbatum, sacerdotum, et Levitarum, et janitorum erit in portis: tertia vero pars ad domum regis: et tertia ad portam quæ appellatur Fundamenti: omne vero reliquum vulgus sit in atriis domus Domini. ⁶ Nec quisquam alius ingrediatur domum Domini, nisi sacerdotes, et qui ministrant de Levitis: ipsi tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt: et omne reliquum vulgus observet custodias Domini. ⁷ Levitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua (et si quis alius ingressus fuerit templum, interficiatur), sintque cum rege et intrante et egrediente. ⁸ Fecerunt ergo Levitæ, et universus Juda, juxta omnia quæ præceperat Jojada pontifex: et assumpserunt singuli viros qui sub se erant, et veniebant per ordinem sabbati, cum his qui impleverant sabbatum et egressuri erant: siquidem Jojada pontifex non dimiserat abire turmas quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant. ⁹ Deditque Jojada sacerdos centurionibus lanceas, clypeosque et peltas regis David, quas consecraverat in domo Domini. ¹⁰ Constituitque omnem populum tenentium pugiones a parte templi dextra, usque ad partem templi sinistram, coram altari et templo, per circuitum regis. ¹¹ Et eduxerunt filium regis, et imposuerunt ei diadema et testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, et constituerunt eum regem: unxit quoque illum Jojada pontifex, et filii ejus: imprecatique sunt ei, atque dixerunt: Vivat rex. ¹² Quod cum audisset Athalia, vocem scilicet currentium atque laudantium regem, ingressa est ad populum in templum Domini. ¹³ Cumque vidisset regem stantem super gradum in introitu, et principes, turmasque circa eum, omnemque populum terræ gaudentem, atque clangentem tubis, et diversi generis organis concinentem, vocemque laudan-

^{**22.10} *Si quidem Athalia*, etc. Athalia quæ semen David conabatur exstinguere, et regiam stirpem delere, significat impietatem Synagogæ, quæ per nequitiam mentis, semini Christi insidiatur inexorabili odio sæviens, quæ aliquando regnare videbatur cum legis cæremonias temporalis observabat. Interpretatur Athalia temporalis Domini, sed Josabeth strenuitate quæ interpretatur saturitas Domini, id est Ecclesiæ in qua sunt veræ deliciæ servatur Joas, qui interpretatur memoria Domini, id est, Christus, in quo est memoria nominis Domini: ne per crudelitatem sævientis intermaratur in sanctis, sed nutriatur in domo Joiadæ pontificis, qui interpretatur dilectus Domini, id est Christus, de quo Pater ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* Matth. 17.. Cujus domus est Ecclesia, ubi in fide electorum manens quotidie facit augmentum corporis sui, ut in tempore judicii sceptrum regni et potentiam extollat adversum eos qui eum deprimebant.

tium, scidit vestimenta sua, et ait: Insidiæ, insidiæ.^{††} ¹⁴ Egressus autem Jojada pontifex ad centuriones et principes exercitus, dixit eis: Educite illam extra septa templi, et interficiatur foris gladio. Præcepitque sacerdos ne occideretur in domo Domini, ¹⁵ et imposuerunt cervicibus ejus manus: cumque intrasset portam equorum domus regis, interfecerunt eam ibi. ¹⁶ Pepigit autem Jojada fœdus inter se, universumque populum, et regem, ut esset populus Domini.^{‡‡} ¹⁷ Itaque ingressus est omnis populus domum Baal, et destruxerunt eam, et altaria ac simulacra illius confregerunt: Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras. ¹⁸ Constituit autem Jojada præpositos in domo Domini sub manibus sacerdotum et Levitarum quos distribuit David in domo Domini, ut offerrent holocausta Domino, sicut scriptum est in lege Moysi, in gaudio et canticis, juxta dispositionem David. ¹⁹ Constituit quoque janitores in portis domus Domini, ut non ingrederetur eam immundus in omni re. ²⁰ Assumpsitque centuriones, et fortissimos viros, ac principes populi, et omne vulgus terræ, et fecerunt descendere regem de domo Domini, et introire per medium portæ superioris in domum regis, et collocaverunt eum in solio regali. ²¹ Lætatusque est omnis populus terræ, et urbs quievit: porro Athalia interfecta est gladio.

24 Septem annorum erat Joas cum regnare cœpisset, et quadraginta annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Sebia de Bersabee. ² Fecitque quod bonum est coram Domino cunctis diebus Jojadæ sacerdotis. ³ Accepit autem ei Jojada uxores duas, e quibus genuit filios et filias. ⁴ Post quæ placuit Joas ut instauraret domum Domini.^{¶¶} ⁵ Congregavitque sacerdotes et Levitas, et dixit eis: Egredimini ad civitates Juda, et colligite de universo Israël pecuniam ad sartatecta templi Dei vestri per singulos annos, festinatoque hoc facite. Porro Levitæ egere negligentius. ⁶ Vocavitque rex Joadam principem, et dixit ei: Quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Levitas inferre de Juda et de Jerusalem pecuniam quæ constituta est a Moyse servo Domini, ut inferret eam omnis multitudo Israël in tabernaculum testimonii? ⁷ Athalia enim impiissima, et filii ejus, destruxerunt domum Dei, et de universis quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornaverunt fanum Baalim.^{§§} ⁸ Præcepit ergo rex, et fecerunt arcam: posueruntque eam juxta portam domus Domini forinsecus. ⁹ Et prædicatum est in Juda et Jerusalem ut deferrent singuli pretium Domino, quod constituit Moyses servus Dei super omnem Israël in deserto. ¹⁰ Lætatique sunt cuncti principes, et omnis populus, et ingressi contulerunt in arcam Domini, atque miserunt

^{††}23.13 *Super gradum.* RAB. Columnam, scilicet, et basim, quam præparaverat Salomon, et posuerat in medio basilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, et quinque latitudinis, et tres in altum.

^{‡‡}23.16 *Pepigit autem Joiada fœdus.* Joiada interpretatur cognoscens Dominum, vel diligens: quia filios Israël Dominum cognoscere docuit. Pepigit ergo fœdus inter Dominum populumque et regem, ut Domino scilicet obedirent, et legi ejus. Pepigit etiam inter regem et populum, ut populus erga regem fideliter ageret, et rex populum juste regeret secundum doctrinam sacerdotum et Levitarum, quorum officii fuit insinuare præcepta Domini.

^{¶¶}24.4 *Post quæ placuit Joas,* etc. RAB. Joas rex sacerdotes arguit, etc., usque ad ne per negligentiam doctorum pereat auditorum multitudo.

^{§§}24.7 *Et filii ejus,* etc. Non quod filios tunc habuerit, quia Ochozia mortuo, eo quod non habuerat filium, omne semen regium interficere molita est, sed filios ejus sacerdotes idolorum nominat, qui templum spoliaverant, et ex ornamentis ejus idola sua exornaverant, sæpe enim filii imitatores dicuntur.

ita ut impleretur. ¹¹ Cumque tempus esset ut deferrent arcam coram rege per manus Levitarum (videbant enim multam pecuniam), ingrediebatur scribe regis, et quem primus sacerdos constituerat, effundebantque pecuniam quæ erat in arca, porro arcam reportabant ad locum suum: sicque faciebant per singulos dies. Et congregata est infinita pecunia, ¹² quam dederunt rex et Jojada his qui præerant operibus domus Domini: at illi conducebant ex ea cæsores lapidum, et artifices operum singulorum ut instaurarent domum Domini: fabros quoque ferri et æris, ut quod cadere cœperat, fulciretur. ¹³ Egeruntque hi qui operabantur industrie, et obducebatur parietum cicatrix per manus eorum, ac suscitaverunt domum Domini in statum pristinum, et firmiter eam stare fecerunt. ¹⁴ Cumque complessent omnia opera, detulerunt coram rege et Jojada reliquam partem pecuniæ: de qua facta sunt vasa templi in ministerium, et ad holocausta, phialæ quoque, et cetera vasa aurea et argentea: offerebantur holocausta in domo Domini jugiter cunctis diebus Jojadæ. ¹⁵ Senuit autem Jojada plenus dierum, et mortuus est cum esset centum triginta annorum: ¹⁶ sepelieruntque eum in civitate David cum regibus, eo quod fecisset bonum cum Israël, et cum domo ejus. ¹⁷ Postquam autem obiit Jojada, ingressi sunt principes Juda, et adoraverunt regem: qui delinitus obsequiis eorum, acquievit eis. ¹⁸ Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, servieruntque lucis et sculptilibus: et facta est ira contra Judam et Jerusalem propter hoc peccatum. ¹⁹ Mittebatque eis prophetas ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes illi audire nolebant. ²⁰ Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Jojadæ sacerdotem, et stetit in conspectu populi, et dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus: Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos? ²¹ Qui congregati adversus eum, miserunt lapides juxta regis imperium in atrio domus Domini. ²² Et non est recordatus Joas rex misericordiæ quam fecerat Jojada pater illius secum, sed interfecit filium ejus. Qui cum moreretur, ait: Videat Dominus, et requirat. ²³ Cumque evolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ: venitque in

*24.12 *At illi conducebant*, etc. Hoc faciunt apostoli, quando per subjectos sibi discipulos verbi divini semina per mundum sparserunt, ut operarios voluntati Dei idoneos auditoribus præficerent: quorum alii fabricant ligna, cum se et sibi obediens ligna fructifera in domo Dei præparant. Alii sarta tecta faciebant, quando illa quæ per hæresim vel schismata rupta fuerant, reædificabant. Alii saxa cædunt, cum duros corde, et incredulos fortiter increpant. Alii metalla ferri et æris, cum robur fidei, et confessionem catholicæ veritatis ab unoquoque expetunt, ut impleatur domus Dei, juxta illud. *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* Ephes. 4..

†24.14 *Reliquam partem pecuniæ*, etc. Videtur contrarium quod legitur in libro Regum: *Veruntamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi et fuscinulæ* IV Reg. 12.. Sed non hic dicitur, quod de eadem pecunia quæ offerebatur a populo in templo Domini ad instauracionem domus Dei facta fuerunt sacra vasa in ministerium templi et ad holocausta, sed de reliqua parte pecuniæ, id est, de ea quæ aliis donationibus collata fuerat. Potuit enim fieri, ut in diversis temporibus pecuniæ oblatae diversæ facturæ materiam præberent, sicut alia est doctrina qua rudes imbuuntur ad fidem, alia qua perfecti instruuntur ad plenitudinem.

‡24.18 *Et facta est ira*. RAB., ex Hieron. Tradunt Hebræi principes Juda regem ut Deum adorasse, et illum libenter accepisse: unde nimis Dominum offendit, et subito expertus est iram quam meruit. Ob hanc etiam culpam Herodes legitur in Actibus apostolorum ab angelo percussus.

Judam et Jerusalem, et interfecit cunctos principes populi, atque universam prædam miserunt regi in Damascum. ²⁴ Et certe cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum: in Joas quoque ignominiosa exercere iudicia. ²⁵ Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis: surrexerunt autem contra eum servi sui in ultionem sanguinis filii Jojadæ sacerdotis, et occiderunt eum in lectulo suo, et mortuus est: sepelieruntque eum in civitate David, sed non in sepulchris regum. [†] ²⁶ Insidiati vero sunt ei Zabab filius Semaath Ammanitidis, et Jozabad filius Semmarith Moabitidis. [§] ²⁷ Porro filii ejus, ac summa pecuniæ quæ adunata fuerat sub eo, et instauratio domus Dei, scripta sunt diligentius in libro regum: regnavit autem Amasias filius ejus pro eo.

25 Viginti quinque annorum erat Amasias cum regnare cœpisset, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Joadan de Jerusalem. ² Fecitque bonum in conspectu Domini, verumtamen non in corde perfecto. ³ Cumque roboratum sibi videret imperium, jugulavit servos qui occiderant regem patrem suum, ⁴ sed filios eorum non interfecit, sicut scriptum est in libro legis Moysi, ubi præcepit Dominus, dicens: Non occidentur patres pro filiis, neque filii pro patribus suis, sed unusquisque in suo peccato morietur. ⁵ Congregavit igitur Amasias Judam, et constituit eos per familias, tribunosque et centuriones in universo Juda et Benjamin: et recensuit a viginti annis supra, invenitque trecenta millia juvenum qui egrederentur ad pugnam, et tenerent hastam et clypeum: ⁶ mercede quoque conduxit de Israël centum millia robustorum, centum talentis argenti. ⁷ Venit autem homo Dei ad illum, et ait: O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israël: non est enim Dominus cum Israël, et cunctis filiis Ephraim: ⁸ quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est et adjuvare, et in fugam convertere. ⁹ Dixitque Amasias ad hominem Dei: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israël? Et respondit ei homo Dei: Habet Dominus unde tibi dare possit multo his plura. ¹⁰ Separavit itaque Amasias exercitum qui venerat ad eum ex Ephraim, ut reverteretur in locum suum: at illi contra Judam vehementer irati, reversi sunt in regionem suam. ¹¹ Porro Amasias confidenter eduxit populum suum, et abiit in vallem Salinarum, percussitque filios Seir decem millia: ^{**} ¹² et alia decem millia virorum ceperunt filii Juda, et adduxerunt ad præruptum cujusdam petræ, præcipitaveruntque eos de summo in præceps: qui universi crepuerunt. ¹³ At ille exercitus quem remiserat Amasias ne secum iret ad prælium, diffusus est in civitatibus Juda, a Samaria usque ad Bethoron, et interfectis tribus millibus, diripuit prædam magnam. ¹⁴ Amasias vero post cædem Idumæorum, et allatos deos filiorum

[†]24.25 *Zachariæ filii Joiadæ*, etc. RAB. Dominus in Evangelio Zachariam inter templum et altare occisum memorans, etc., usque ad quæ Siloam dicunt, rubra saxa monstrantes Zachariæ sanguine putant esse polluta.

[§]24.26 *Insidiati vero sunt*, etc. Asserunt Hebræi Ammonitas et Moabitas insidiosos esse regi Joas pro injusta nece Zachariæ ad exaggerandam malitiam Israelitarum, qui ulcisci noluerunt sacerdotem Dei, quem vindicaverunt filii alienigenarum.

^{**}25.11 *In vallem Salinarum*, etc. RAB. Ubi sal fiebat, vel fæno salsuginis, ut multis in locis decido et siccato et incenso, vel aquis puteorum salsis fervefactis, et ad salis firmitatem coquendo perductis. Vel aliter, ubi et Joab duodecim millia Idumæorum percussisse legitur. Pro valle autem Salinarum vetus editio quasi nomen regionis Gemel apposuit.

Seir, statuit illos in deos sibi, et adorabat eos, et illis adolebat incensum. ¹⁵ Quam ob rem iratus Dominus contra Amasiam misit ad illum prophetam, qui diceret ei: Cur adorasti deos qui non liberaverunt populum suum de manu tua? ¹⁶ Cumque hæc ille loqueretur, respondit ei: Num consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te. Discedensque propheta: Scio, inquit, quod cogitaverit Deus occidere te quia fecisti hoc malum, et insuper non acquievisti consilio meo.†† ¹⁷ Igitur Amasias rex Juda inito pessimo consilio, misit ad Joas filium Joachaz filii Jehu regem Israël, dicens: Veni, videamus nos mutuo. ¹⁸ At ille remisit nuntios, dicens: Carduus qui est in Libano misit ad cedrum Libani, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem: et ecce bestię quæ erant in silva Libani, transierunt, et conculcaverunt carduum.‡‡ ¹⁹ Dixisti: Percussi Edom, et idcirco erigitur cor tuum in superbiam: sede in domo tua: cur malum adversum te provocas, ut cadas et tu, et Juda tecum? ²⁰ Noluit audire Amasias, eo quod Domini esset voluntas ut traderetur in manus hostium propter deos Edom. ²¹ Ascendit igitur Joas rex Israël, et mutuos sibi præbuere conspectus: Amasias autem rex Juda erat in Bethsames Juda:¶¶ ²² corruitque Juda coram Israël, et fugit in tabernacula sua. ²³ Porro Amasiam regem Juda, filium Joas filii Joachaz, cepit Joas rex Israël in Bethsames, et adduxit in Jerusalem: destruxitque murum ejus a porta Ephraim usque ad portam anguli quadringentis cubitis. ²⁴ Omne quoque aurum et argentum, et universa vasa quæ repererat in domo Dei, et apud Obededom in thesauris etiam domus regiæ, necnon et filios obsidum, reduxit in Samariam.§§ ²⁵ Vixit autem Amasias filius Joas rex Juda, postquam mortuus est Joas filius Joachaz rex Israël, quindecim annis. ²⁶ Reliqua autem sermonum Amasiæ priorum et novissimorum scripta sunt in libro regum Juda et Israël. ²⁷ Qui postquam recessit a Domino, tetenderunt ei insidias in Jerusalem. Cumque fugisset in Lachis, miserunt, et interfecerunt eum ibi.* ²⁸ Reportantesque super equos, sepelierunt eum cum patribus suis in civitate David.

26 Omnis autem populus Juda filium ejus Oziam, annorum sedecim, constituit regem pro Amasia patre suo. ² Ipse ædificavit Ailath, et restituit eam ditioni Juda, postquam dormivit rex cum patribus suis. ³ Sedecim annorum erat Ozias cum

††25.16 *Scio, inquit, quod cogitaverit Dominus,* etc. Qui neminem vult perire, sed eum qui in peccato perseverat, justo judicio damnat. Ideo ergo Amasias periit, quia admonitus per prophetam ut ageret pœnitentiam, non obedivit, sed usque ad finem permansit.

‡‡25.18 *Carduus qui,* etc. Hanc similitudinem innuit: quia Amasias nobilissimis ortus natalibus de stirpe David veniens, propter idololatriæ fœditatem degens et vilis factus propriam mensuram non considerat, sed ultra modum superbiæ fastu se elevat.

¶¶25.21 *Bethsames.* RAB. In Regum dicitur Bethsames oppidum Judæ: quia pertinet ad regnum Judæ, id est, ad duas tribus quibus imperabat domus David; sed secundum situm locorum pertinet ad tribum Benjamin.

§§25.24 *Et apud Obededom,* etc. Quia non solum vasa abstulit quæ in domo Dei reperit, sed etiam illa quæ observabant janitores et custodes templi. In Regum autem legitur, quod David elegit de filiis Obededom septuaginta duo ad ministrandum in domo Dei, et custodiam templi.

*25.27 *Qui postquam recessit.* Ex quo prophetæ consilium non audivit, neque ad Dominum converti voluit, conjuratio præparata est et dilata, donec ad consummationem perveniret.

regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem.† 4 Fecitque quod erat rectum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Amasias pater ejus. 5 Et exquisivit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis et videntis Deum: cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus. 6 Denique egressus est, et pugnavit contra Philisthiim, et destruxit murum Geth, et murum Jabniæ, murumque Azoti: ædificavit quoque oppida in Azoto et in Philisthiim. 7 Et adjuvit eum Deus contra Philisthiim, et contra Arabes qui habitabant in Gurbaal, et contra Ammonitas. 8 Appendebantque Ammonitæ munera Ozia: et divulgatum est nomen ejus usque ad introitum Ægypti propter crebras victorias. 9 Ædificavitque Ozias turres in Jerusalem super portam anguli, et super portam vallis, et reliquas in eodem muri latere, firmavitque eas.‡ 10 Extruxit etiam turres in solitudine, et effodit cisternas plurimas, eo quod haberet multa pecora tam in campestribus quam in eremi vastitate: vineas quoque habuit et vinitores, in montibus et in Carmelo: erat quippe homo agriculturæ deditus. 11 Fuit autem exercitus bellatorum ejus, qui procedebant ad prælia sub manu Jehiel scribæ, Maasiæque doctoris, et sub manu Hananiæ, qui erat de ducibus regis. 12 Omnisque numerus principum per familias, virorum fortium duorum millium sexcentorum. 13 Et sub eis universus exercitus trecentorum et septem millium quingentorum, qui erant apti ad bella, et pro rege contra adversarios dimicabant. 14 Præparavit quoque eis Ozias, id est, cuncto exercitui, clypeos, et hastas, et galeas, et loricas, arcusque et fundas ad jaciendos lapides. 15 Et fecit in Jerusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit et in angulis murorum, ut mitterent sagittas, et saxa grandia: egressumque est nomen ejus procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, et corroborasset illum. 16 Sed cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum: ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum su-

†26.3 *Ozias cum regnare cœpisset.* Qui et Azarias. Ozias interpretatur virtus Domini. Azarias auxilium Domini, quia quoad recte egit, divina ope adjutus plurima bella feliciter commisit, et de hostibus triumphavit. Sed priusquam per superbiam illicita tentavit, lepra percussus nominis et honoris offuscavit dignitatem, exclusus a populo usque ad diem mortis.

‡26.9 *Super portam vallis.* RAB. Hæc est porta Ephraim, etc., usque ad de hac autem porta et aliis portis Jerusalem in Esdra sequentes Bedam abunde diximus.

per altare thymiamatis.[¶] 17 Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, et cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, 18 restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. 19 Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis. 20 Cumque respexisset eum Azarias pontifex, et omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, et festinato expulerunt eum. Sed et ipse perterritus, acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini. 21 Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, et habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Porro Joatham filius ejus rexit domum regis, et judicabat populum terræ. 22 Reliqua autem sermonum Ozias priorum et novissimorum scripsit Isaias filius Amos propheta. 23 Dormivitque Ozias cum patribus suis, et sepelierunt eum in agro regalium sepulchrorum, eo quod esset leprosus: regnavitque Joatham filius ejus pro eo.[§]

27 Viginti quinque annorum erat Joatham cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jerusa filia Sadoc. ^{**} 2 Fecitque quod rectum erat coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, excepto quod non est ingressus templum Domini: et adhuc populus delinquebat. 3 Ipse ædifi-

[¶]26.16 *Sed cum roboratus esset*, etc. Fuit Ozias primo justus, et rectum fecit in conspectu Domini: unde et hostes vicit, et multos prophetas in imperio suo habuit. Hinc quandiu vixit Zacharias sacerdos cognomento intelligens, placuit Deo cum omni veneratione serviens in templo. Sed postquam Zacharias obiit, volens per se offerre donaria, sacerdotii dignitatem non tam pie quam audacter invasit, nec reclamantibus Levitis et sacerdotibus obedivit: unde lepra in fronte percussus est, quam sacerdos auri lamina protegebat, quam in Ezechiele jubet Dominus Thau litteræ impressione signari. *Ingressusque templum Domini*, quia indutus stola sacerdotali instante solempni festivitate intravit in templum ad altare aureum, oblaturus incensum secundum Josephum. Unde ante civitatem in loco qui dicitur Eroge, scissa est media pars montis ad occidentem, et sua volubilitate per quatuor stadia procedens ad orientalem restitit montem, ita ut vias clauderet, et regias urbes opprimeret. Volunt Hebræi in anno vigesimo quinto Ozias hoc accidisse, cujus reliqui anni sunt viginti septem. Regnavit Ozias annis quinquaginta duobus, quo tempore apud Latinos Amulcus, apud Athenienses Agamestor imperabant, quo mortuo vidit Isaias visionem sicut ipse testatur, eo scilicet tempore quo Romulus Romani imperii conditor natus est.

[§]26.23 *In agro regalium sepulchrorum*. Non in regalibus sepulturis, non in civitate David. Hæretici enim atque schismatici indigni sunt societate et communione sanctæ Ecclesiæ, nec memoria eorum inter catholicos habetur: quia erroribus maculati, et vitiis squalidi ab eorum consortio separantur.

^{**}27.1 *Viginti quinque annorum erat Joatham*, etc. In principio et in fine, annos Joatham enumerat, quia sicut justitia cœpit, usque ad finem perseveravit. Unde tempora vitæ ejus laude digna prædicantur.

cavit portam domus Domini excelsam, et in muro Ophel multa construxit.^{††} ⁴Urbes quoque ædificavit in montibus Juda, et in saltibus castella et tures. ⁵Ipse pugnavit contra regem filiorum Ammon, et vicit eos, dederuntque ei filii Ammon in tempore illo centum talenta argenti, et decem millia coros tritici, ac totidem coros hordei: hæc ei præbuerunt filii Ammon in anno secundo et tertio. ⁶Corroboratusque est Joatham, eo quod direxisset vias suas coram Domino Deo suo. ⁷Reliqua autem sermonum Joatham, et omnes pugnæ ejus et opera, scripta sunt in libro regum Israël et Juda. ⁸Viginti quinq; annorum erat cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem. ⁹Dormivitque Joatham cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David: et regnavit Achaz filius ejus pro eo.

28 Viginti annorum erat Achaz cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem. Non fecit rectum in conspectu Domini sicut David pater ejus, ²sed ambulavit in viis regum Israël, insuper et statuas fudit Baalim. ³Ipe est qui adolevit incensum in valle Benennom, et lustravit filios suos in igne juxta ritum gentium quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israël.^{‡‡} ⁴Sacrificabat quoque, et thymiana succendebat in excelsis, et in collibus, et sub omni ligno frondoso. ⁵Tradiditque eum Dominus Deus ejus in manu regis Syriæ, qui percussit eum, magnamque prædam cepit de ejus imperio, et adduxit in Damascum: manibus quoque regis Israël traditus est, et percussus plaga grandi. ⁶Occiditque Phacee filius Romeliæ, de Juda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores: eo quod reliquissent Dominum Deum patrum suorum. ⁷Eodem tempore occidit Zechri, vir potens ex Ephraim, Maasiam filium regis, et Ezricam ducem domus ejus, Elcanam quoque secundum a rege. ⁸Ceperuntque filii Israël de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum, et puellarum, et infinitam prædam: pertuleruntque eam in Samariam. ⁹Ea tempestate erat ibi propheta Domini, nomine Oded: qui egressus obviam exercitui venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Juda, tradidit eos in manibus vestris, et occidistis eos atrociter, ita ut ad cælum pertingeret vestra crudelitas. ¹⁰Insuper filios Juda et Jerusalem vultis vobis subjicere in servos et ancillas: quod nequaquam facto opus est: peccastis enim super hoc Domino Deo vestro. ¹¹Sed audite consilium meum, et reducite captivos quos adduxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet

^{††}27.3 *Ipse ædificavit portam*, etc. Quæ in Actibus apostolorum dicitur Speciosa, secundum Hebræos et ab eis porta Joatham quia ipse ædificavit eam usque hodie nuncupatur. *Ophel*. Turre erat non longe a templo, miræ altitudinis. Unde et Ophel, id est, tenebrarum vel nubili nomen accepit. Ubi autem in Michæa scriptum est: *Et turris gregis nebulosa filiæ Sion* Mich. 4, 8: In Hebræo habetur, *turris Ophel*. Turris Ophel eminentiam Scripturæ significat, quæ in historia fundata spiritualis sensus caput inter nubila condit, dum scientiæ magnitudinem ab oculis hominum abscondit. Unde: *Posuit tenebras latibulum suum* Psal. 17.. Joatham, cujus vita laudatur, Christum significat, de quo dicitur: *Magnus Dominus et laudabilis nimis* Ibid., 47., etc. Interpretatur enim Joatham consummatus vel perfectus, et de Christo dicit Apostolus: *Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*, etc. Hebr. 5.. Ipse construxit portam domus Domini excelsam, et mysterium suæ incarnationis mirabili potentia effecit, qui de se ait: *Ego sum ostium*. *Per me si quis introierit, salvabitur* Joan. 10.. Hæc porta excelsa vocabatur, de qua Psalmista ait: *Excelsus super omnes gentes Dominus* Psal. 112., etc.

^{‡‡}28.3 *In valle Benennom*. RAB. Hæc est vallis Benennom, etc., usque ad omnes enim adulterantes, quasi clibanus, corda eorum.

vobis. ¹²Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Johanan, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Sellum, et Amasa filius Adali, contra eos qui veniebant de prælio, ¹³et dixerunt eis: Non introducetis huc captivos, ne peccemus Domino. Quare vultis adjicere super peccata nostra, et vetera cumulare delicta? grande quippe peccatum est, et ira furoris Domini imminet super Israël. ¹⁴Dimiseruntque viri bellatores prædam, et universa quæ ceperant, coram principibus, et omni multitudine. ¹⁵Steteruntque viri quos supra memoravimus, et apprehendentes captivos, omnesque qui nudi erant, vestierunt de spoliis: cumque vestissent eos, et calceassent, et refecissent cibo ac potu, unxissentque propter laborem, et adhibuissent eis curam: quicumque ambulare non poterant, et erant imbecillo corpore, imposuerunt eos jumentis, et adduxerunt Jericho civitatem palmarum ad fratres eorum, ipsique reversi sunt in Samariam. ¹⁶Tempore illo misit rex Achaz ad regem Assyriorum, postulans auxilium. ¹⁷Veneruntque Idumæi, et percusserunt multos ex Juda, et ceperunt prædam magnam. ¹⁸Philistiim quoque diffusi sunt per urbes campestris, et ad meridiem Juda: ceperuntque Bethsames, et Ajalon, et Gaderoth, Socho quoque, et Thamnan, et Gamzo, cum viculis suis, et habitaverunt in eis. ¹⁹Humiliaverat enim Dominus Judam propter Achaz regem Juda, eo quod nudasset eum auxilio, et contemptui habuisset Dominum. ²⁰Adduxitque contra eum Thelgathphalnasar regem Assyriorum, qui et afflixit eum, et nullo resistente vastavit. ²¹Igitur Achaz, spoliata domo Domini, et domo regum ac principum, dedit regi Assyriorum munera, et tamen nihil ei profuit. ²²Insuper et tempore angustiarum suarum auxit contemptum in Dominum, ipse per se rex Achaz, ²³immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit: Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi: cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei, et universo Israël. ²⁴Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit januas templi Dei, et fecit sibi altaria in universis angulis Jerusalem. ²⁵In omnibus quoque urbibus Juda exstruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum suorum. ²⁶Reliqua autem sermonum ejus, et omnium operum suorum priorum et novissimorum, scripta sunt in libro regum Juda et Israël. ²⁷Dormivitque Achaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate Jerusalem: neque enim receperunt eum in sepulchra regum Israël. Regnavitque Ezechias filius ejus pro eo.

29 Igitur Ezechias regnare cœpit, cum viginti quinque esset annorum, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Abia filia Zachariæ. ²Fecitque quod erat placitum in conspectu Domini, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus. ³Ipse, anno et mense primo regni sui, aperuit valvas domus Domini, et in-

stauravit eas.^{¶¶} ⁴ Adduxitque sacerdotes atque Levitas, et congregavit eos in plateam orientalem. ⁵ Dixitque ad eos: Audite me, Levitæ, et sanctificamini: mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, et auferte omnem immunditiam de sanctuario. ⁶ Peccaverunt patres nostri, et fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum: averterunt facies suas a tabernaculo Domini, et præbuerunt dorsum.^{§§} ⁷ Clauserunt ostia quæ erant in porticu, et extinxerunt lucernas, incensumque non adoleverunt, et holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israël. ⁸ Concitatus est itaque furor Domini super Judam et Jerusalem, tradiditque eos in commotionem, et in interitum, et in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris. ⁹ En corruerunt patres nostri gladiis: filii nostri, et filia nostræ, et conjuges captivæ ductæ sunt propter hoc scelus. ¹⁰ Nunc ergo placet mihi ut ineamus fœdus cum Domino Deo Israël, et avertet a nobis furem iræ suæ. ¹¹ Filii mei, nolite negligere: vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis illi, colatisque eum, et cremetis ei incensum. ¹² Surrexerunt ergo Levitæ: Mahath filius Amasai, et Joël filius Azariæ de filiis Caath: porro de filiis Merari, Cis filius Abdi, et Azarias filius Jalaleel. De filiis autem Gersom, Joah filius Zemma, et Eden filius Joah. ¹³ At vero de filiis Elisaphan, Samri, et Jahiel. De filiis quoque Asaph, Zacharias, et Mathanias: ¹⁴ necnon de filiis Heman, Jahiel, et Semei: sed et de filiis Idithun, Semeias, et Oziel. ¹⁵ Congregaveruntque fratres suos, et sanctificati sunt, et ingressi sunt juxta mandatum regis et imperium Domini, ut expiarent domum Dei. ¹⁶ Sacerdotes quoque ingressi templum Domini ut sanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam quam intro repperant in vestibulo domus Domini: quam tulerunt Levitæ, et asportaverunt ad torrentem Cedron foras. ¹⁷ Cœperunt autem prima die mensis primi mundare, et in die octavo ejusdem mensis ingressi sunt porticum templi Domini, expiaveruntque templum diebus octo, et in die sextadecima mensis ejusdem, quod cœperant, impleverunt. ¹⁸ Ingressi quoque sunt ad Ezechiam regem, et dixerunt ei: Sanctificavimus omnem domum Domini, et altare holocausti, vasaque ejus, necnon et mensam propositionis cum omnibus vasis suis, ¹⁹ cunctamque templi supellectilem, quam polluerat rex Achaz in regno suo, postquam prævaricatus est: et ecce exposita sunt omnia coram altare Domini. ²⁰ Consurgensque diluculo Ezechias rex, adunavit omnes principes civitatis, et ascendit in domum Domini: ²¹ obtuleruntque simul tauros septem, et arietes septem, agnos septem, et hircos septem pro peccato, pro regno, pro sanctuario, pro Juda: dixitque sacerdotibus filiis Aaron, ut offerrent super altare Domini.

^{¶¶}29.3 *In ipso anno*, etc. RAB. Non aliter imitaretur David patrem suum, qui ab infantia Deo deditus in principio regni sui cultum Dei magnificavit. Moraliter autem admonet rectores Ecclesiæ, ne sint desidiosi in officio sibi commisso, sed omnia diligenter agant. Mystice Ezechias, qui non tantum per se vel per suos opus Dei strenue gessit, imo per nuntios ad simile studium alios provocavit, Christum significat, quod etiam nominis interpretatio testatur. Ezechias enim apprehendens Dominum, vel fortitudo Domini. Christus autem Dei virtus et Dei sapientia, qui omnes patrum prævaricationes, quæ sub lege fuerant, sanguine suo diluit, et cultum pietatis in Ecclesia plane instauravit. Ipse legatos ad convocandas gentes ad fidem misit. Primum prophetas, deinde apostolos, et eorum successores: hic secundo mense pascha celebrare instituit; quia umbra legis cessante, verum pascha servare docuit, de quo Paulus ait: *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus* I Cor. 5..

^{§§}29.6 *Peccaverunt patres nostri*, etc. HIERON., quæst. in Paral., tom. 3. Hoc plene scribitur, etc., usque ad et adorabant ad ortum solis.

²² Mactaverunt igitur tauros, et susceperunt sanguinem sacerdotes, et fuderunt illum super altare: mactaverunt etiam arietes, et illorum sanguinem super altare fuderunt, immolaveruntque agnos, et fuderunt super altare sanguinem. ²³ Applicuerunt hircos pro peccato coram rege, et universa multitudine, imposueruntque manus suas super eos: ²⁴ et immolaverunt illos sacerdotes, et asperserunt sanguinem eorum coram altare pro piaculo universi Israël: pro omni quippe Israël præceperat rex ut holocaustum fieret, et pro peccato. ²⁵ Constituit quoque Levitas in domo Domini cum cymbalis, et psalteriis, et citharis secundum dispositionem David regis, et Gad videntis, et Nathan prophetæ: siquidem Domini præceptum fuit per manum prophetarum ejus. ²⁶ Steteruntque Levitæ tenentes organa David, et sacerdotes tubas. ²⁷ Et iussit Ezechias ut offerrent holocausta super altare: cumque offerrentur holocausta, cœperunt laudes canere Domino, et clangere tubis, atque in diversis organis quæ David rex Israël præparaverat, concrepare. ²⁸ Omni autem turba adorante, cantores, et ii qui tenebant tubas, erant in officio suo donec compleretur holocaustum. ²⁹ Cumque finita esset oblatio, incurvatus est rex, et omnes qui erant cum eo, et adoraverunt. ³⁰ Præcepitque Ezechias et principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, et Asaph videntis: qui laudaverunt eum magna lætitia, et incurvato genu adoraverunt. ³¹ Ezechias autem etiam hæc addidit: Impletis manus vestras Domino: accedite, et offerte victimas et laudes in domo Domini. Obtulit ergo universa multitudo hostias, et laudes, et holocausta, mente devota. ³² Porro numerus holocaustorum quæ obtulit multitudo, hic fuit: tauros septuaginta, arietes centum, agnos ducentos. ³³ Sanctificaveruntque Domino boves sexcentos, et oves tria milia. ³⁴ Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant sufficere ut pelles holocaustorum detraherent: unde et Levitæ fratres eorum adjuverunt eos, donec impleretur opus, et sanctificarentur antistites: Levitæ quippe faciliori ritu sanctificantur quam sacerdotes. ³⁵ Fuerunt ergo holocausta plurima, adipēs pacificorum, et libamina holocaustorum: et completus est cultus domus Domini. ³⁶ Lætatusque est Ezechias et omnis populus, eo quod ministerium Domini esset expletum: de repente quippe hoc fieri placuerat.

30 Misit quoque Ezechias ad omnem Israël et Judam: scripsitque epistolas ad Ephraim et Manassen ut venirent ad domum Domini in Jerusalem, et facerent Phase Domino Deo Israël.* ² Inito ergo consilio regis et principum, et universi cœtus Jerusalem, decreverunt ut facerent Phase mense secundo. ³ Non enim potuerant facere in tempore suo, quia sacerdotes qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, et populus nondum congregatus fuerat in Jerusalem. ⁴ Placuitque sermo regi, et omni multitudini. ⁵ Et decreverunt ut mitterent nuntios in universum Israël, de Bersabee usque Dan, ut venirent, et facerent Phase Domino Deo Israël in Jerusalem: multi enim non fecerant sicut lege præscriptum est. ⁶ Perrexeruntque cursores cum epistolis ex regis imperio, et principum ejus, in universum Israël et Judam, juxta id quod rex jusserat, prædicantes: Filii Israël, revertimini ad Dominum Deum Abraham, et Isaac, et Israël: et revertetur ad reliquias quæ effugerunt manum regis Assyriorum. ⁷ Nolite fieri sicut patres vestri et fratres, qui recesserunt a Domino Deo patrum suorum, qui tradidit eos in interitum, ut ipsi cernitis. ⁸ Nolite indurare

*30.1 *Misit quoque*, etc. HIERON. Cum omni Isræl publice misisset nuntios, Manasse et Ephraim latenter misit ad eos quos sciebat conversum iri posse per epistolas. Illi enim superbiore erant propter regiam dignitatem quæ erat in domo Ephraim.

cervices vestras, sicut patres vestri: tradite manus Domino, et venite ad sanctuarium ejus quod sanctificavit in æternum: servite Domino Deo patrum vestrorum, et avertetur a vobis ira furoris ejus. ⁹ Si enim vos reversi fueritis ad Dominum, fratres vestri et filii habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captivos, et revertentur in terram hanc: pius enim et clemens est Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum. ¹⁰ Igitur cursores pergebant velociter de civitate in civitatem per terram Ephraim et Manasse usque ad Zabulon, illis iridentibus et subsannantibus eos. ¹¹ Attamen quidam viri ex Aser, et Manasse, et Zabulon acquiescentes consilio, venerunt Jerusalem. ¹² In Juda vero facta est manus Domini ut daret eis cor unum, ut facerent juxta præceptum regis et principum verbum Domini. ¹³ Congregatique sunt in Jerusalem populi multi ut facerent solemnitatem azymorum, in mense secundo: ¹⁴ et surgentes destruxerunt altaria quæ erant in Jerusalem, atque universa in quibus idolis adolebatur incensum, subvertentes, projecerunt in torrentem Cedron. ¹⁵ Immolaverunt autem Phase quattodecima die mensis secundi. Sacerdotes quoque atque Levitæ tandem sanctificati, obtulerunt holocausta in domo Domini: ¹⁶ steteruntque in ordine suo juxta dispositionem et legem Moysi hominis Dei: sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum, ¹⁷ eo quod multa turba sanctificata non esset: et idcirco immolarent Levitæ Phase his qui non occurrerant sanctificari Domino. ¹⁸ Magna etiam pars populi de Ephraim, et Manasse, et Issachar, et Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase non juxta quod scriptum est: et oravit pro eis Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur ¹⁹ cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum: et non imputabit eis quod minus sanctificati sunt. ²⁰ Quem exaudivit Dominus, et placatus est populo. ²¹ Feceruntque filii Israël, qui inventi sunt in Jerusalem, solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia magna, laudantes Dominum per singulos dies: Levitæ quoque et sacerdotes per organa quæ suo officio congruebant. ²² Et locutus est Ezechias ad cor omnium Levitarum qui habebant intelligentiam bonam super Domino: et comederunt septem diebus solemnitatis, immolantes victimas pacificorum, et laudantes Dominum Deum patrum suorum. ²³ Placuitque universæ multitudini ut celebrarent etiam alios dies septem: quod et fecerunt cum ingenti gaudio. ²⁴ Ezechias enim rex Juda præbuerat multitudini mille tauros, et septem millia ovium: principes vero dederant populo tauros mille, et oves decem millia: sanctificata est ergo sacerdotum plurima multitudo. ²⁵ Et hilaritate perfusa omnis turba Juda, tam sacerdotum et Levitarum, quam universæ frequentiæ quæ venerat ex Israël: proselytorum quoque de terra Israël, et habitantium in Juda. ²⁶ Factaque est grandis celebritas in Jerusalem, qualis a diebus Salomonis filii David regis Israël in ea urbe non fuerat. ²⁷ Surrexerunt autem sacerdotes atque Levitæ benedicentes populo: et exaudita est vox eorum, pervenitque oratio in habitaculum sanctum cæli.

31 Cumque hæc fuissent rite celebrata, egressus est omnis Israël qui inventus fuerat in urbibus Juda, et fregerunt simulacra, succideruntque lucos, demoliti sunt excelsa, et altaria destruxerunt, non solum de universo Juda et Benjamin, sed et de Ephraim quoque et Manasse, donec penitus everterent: reversique

sunt omnes filii Israëel in possessiones et civitates suas.[†] ²Ezechias autem constituit turmas sacerdotales et Leviticas per divisiones suas, unumquemque in officio proprio, tam sacerdotum videlicet quam Levitarum, ad holocausta et pacifica, ut ministrarent et confiterentur, canerentque in portis castrorum Domini. ³Pars autem regis erat, ut de propria ejus substantia offerretur holocaustum, mane semper et vespere: sabbatis quoque, et calendis, et solemnitatibus ceteris, sicut scriptum est in lege Moysi. ⁴Præcepit etiam populo habitantium Jerusalem ut darent partes sacerdotibus et Levitis, ut possent vacare legi Domini. ⁵Quod cum percrebuisset in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filii Israëel frumenti, vini, et olei: mellis quoque, et omnium quæ gignit humus, decimas obtulerunt. ⁶Sed et filii Israëel et Juda qui habitabant in urbibus Juda, obtulerunt decimas boum et ovium, decimasque sanctorum quæ voverant Domino Deo suo: atque universa portantes, fecerunt acervos plurimos. ⁷Mense tertio cœperunt acervorum jacere fundamenta, et mense septimo compleverunt eos. ⁸Cumque ingressi fuissent Ezechias et principes ejus, viderunt acervos, et benedixerunt Domino ac populo Israëel. ⁹Interrogavitque Ezechias sacerdotes et Levitas, cur ita jacerent acervi. ¹⁰Respondit illi Azarias sacerdos primus de stirpe Sadoc, dicens: Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, et saturati sumus, et remanserunt plurima, eo quod benedixerit Dominus populo suo: reliquarum autem copia est ista, quam cernis. ¹¹Præcepit igitur Ezechias ut præpararent horrea in domo Domini. Quod cum fecissent, ¹²intulerunt tam primitias quam decimas, et quæcumque voverant, fideliter. Fuit autem præfectus eorum Chonenias Levita, et Semei frater ejus secundus, ¹³post quem Jahiel, et Azarias, et Nahath, et Asaël, et Jerimoth, Jozabad quoque, et Eliel, et Jesmachias, et Mahath, et Banaias, præpositi sub manibus Choneniæ et Semei fratris ejus, ex imperio Ezechiae regis et Azariæ pontificis domus Dei, ad quos omnia pertinebant. ¹⁴Core vero filius Jemna Levites, et janitor orientalis portæ, præpositus erat iis quæ sponte offerebantur Domino, primitiisque et consecratis in Sancta sanctorum. ¹⁵Et sub cura ejus Eden, et Benjamin, Jesue, et Semeias, Amarias quoque, et Sechenias in civitatibus sacerdotum, ut fideliter distribuissent fratribus suis partes, minoribus atque majoribus: ¹⁶exceptis maribus ab annis tribus et supra, cunctis qui ingrediebantur templum Domini, et quidquid per singulos dies conducebat in ministerio, atque observationibus juxta divisiones suas, ¹⁷sacerdotibus per familias, et Levitis a vigesimo anno et supra, per ordines et turmas suas, ¹⁸universæque multitudini tam uxoribus quam liberis eorum utriusque sexus, fideliter cibi de his quæ sanctificata fuerant, præbebantur. ¹⁹Sed et filiorum Aaron per agros, et suburbana urbium singularum, dispositi erant viri, qui partes distribuissent universo sexui masculino de sacerdotibus et Levitis. ²⁰Fecit ergo Ezechias universa quæ diximus in omni Juda: operatusque est bonum et rectum, et verum coram Domino Deo suo, ²¹in universa cultura ministerii domus Domini, juxta legem et cæremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo: fecitque, et prosperatus est.

32 Post quæ et hujusmodi veritatem, venit Sennacherib rex Assyriorum, et ingressus Judam, obsedit civitates munitas, volens eas capere. ²Quod cum

[†]31.1 *Fregerunt simulacra*, etc. Post adventum Salvatoris, non solum in Jerusalem et in Juda, sed in cunctis nationibus orbis destructa est idololatria, et diaboli corruiit superbia. Et crescente numero fidelium, decrescit cultura dæmoniorum, donec in fine mundi obruatur mors novissima, et regnabit Dominus solus in die illa.

vidisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, et totum belli impetum verti contra Jerusalem, ³ inito cum principibus consilio, virisque fortissimis, ut obturarent capita fontium qui erant extra urbem: et hoc omnium decernente sententia, ⁴ congregavit plurimam multitudinem, et obturaverunt cunctos fontes, et rivum qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant reges Assyriorum, et inveniatur aquarum abundantiam. ⁵ *Ædificavit quoque, agens industrie, omnem murum qui fuerat dissipatus, et exstruxit turres desuper, et forinsecus alterum murum: instauravitque Mello in civitate David, et fecit universi generis armaturam et clypeos.* ⁶ constituitque principes bellatorum in exercitu, et convocavit universos in platea portæ civitatis, ac locutus est ad cor eorum, dicens: ⁷ Viriliter agite, et confortamini: nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem quæ est cum eo: multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo. ⁸ Cum illo enim est brachium carneum: nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. Confortatusque est populus hujusmodi verbis Ezechiaë regis Juda. ⁹ Quæ postquam gesta sunt, misit Sennacherib rex Assyriorum servos suos in Jerusalem (ipse enim cum universo exercitu obsidebat Lachis) ad Ezechiam regem Juda, et ad omnem populum qui erat in urbe, dicens: ¹⁰ Hæc dicit Sennacherib rex Assyriorum: In quo habentes fiduciam sedetis obsessi in Jerusalem? ¹¹ num Ezechias decipit vos, ut tradat morti in fame et siti, affirmans quod Dominus Deus vester liberet vos de manu regis Assyriorum? ¹² Numquid non iste est Ezechias, qui destruxit excelsa illius, et altaria, et præcepit Juda et Jerusalem, dicens: Coram altari uno adorabitis, et in ipso comburetis incensum? ¹³ an ignoratis quæ ego fecerim, et patres mei, cunctis terrarum populis? numquid prævaluerunt dii gentium, omniumque terrarum, liberare regionem suam de manu mea? ¹⁴ Quis est de universis diis gentium, quas vastaverunt patres mei, qui potuerit eruere populum suum de manu mea, ut possit etiam Deus vester eruere vos de hac manu? ¹⁵ non vos ergo decipiat Ezechias, nec vana persuasione deludat, neque credatis ei. Si enim nullus potuit deus cunctarum gentium atque regnorum liberare populum suum de manu mea, et de manu patrum meorum, consequenter nec Deus vester poterit eruere vos de manu mea. ¹⁶ Sed et alia multa locuti sunt servi ejus contra Dominum Deum, et contra Ezechiam servum ejus. ¹⁷ Epistolas quoque scripsit plenas blasphemiae in Dominum Deum Israël, et locutus est adversus eum: Sicut dii gentium ceterarum non potuerunt liberare populum suum de manu mea, sic et Deus Ezechiaë eruere non poterit populum suum de manu ista. ¹⁸ Insuper et clamore magno, lingua judaica, contra populum qui sedebat in muris Jerusalem, personabat, ut terreret eos, et caperet civitatem. ¹⁹ Locutusque est contra Deum Jerusalem, sicut adversus deos populorum terræ, opera manuum hominum. ²⁰ Oraverunt igitur Ezechias rex, et Isaias filius Amos propheta, adversum hanc blasphemiam, ac vociferati sunt usque in cælum. ²¹ Et misit Dominus angelum, qui percussit omnem virum robustum, et bellatorem, et principem exercitus regis Assyriorum: reversusque est cum ignominia in terram suam. Cumque ingressus esset domum dei sui, filii qui egressi fuerant de utero ejus interfecerunt eum

³32.4 *Obturaverunt cunctos.* Contra paganos et hæreticos pugnantes, diligens cautela adhibenda est, et velanda mysteria, unde: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.*

⁴32.5 *Ædificavit.* RAB. in Paral. Christus ædificavit Ecclesiam quæ est civitas Dei, etc., usque ad et disposuit doctores spiritualium bellorum principes.

gladio. ²² Salvavitque Dominus Ezechiam et habitatores Jerusalem de manu Sennacherib regis Assyriorum, et de manu omnium, et præstitit eis quietem per circuitum. ²³ Multi etiam deferebant hostias et sacrificia Domino in Jerusalem, et munera Ezechia regi Juda: qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus. ²⁴ In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, et oravit Dominum: exaudivitque eum, et dedit ei signum. ²⁵ Sed non juxta beneficia quæ acceperat, retribuit, quia elevatum est cor ejus: et facta est contra eum ira, et contra Judam et Jerusalem. ²⁶ Humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse quam habitatores Jerusalem: et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechia. ²⁷ Fuit autem Ezechias dives, et inclytus valde, et thesauros sibi plurimos congregavit argenti, et auri, et lapidis pretiosi, aromatum, et armorum universi generis, et vasorum magni pretii. ²⁸ Apothecas quoque frumenti, vini, et olei, et præsepia omnium jumentorum, et caulasque pecorum, ²⁹ et urbes ædificavit sibi: habebat quippe greges ovium et armentorum innumerabiles, eo quod dedisset ei Dominus substantiam multam nimis. ³⁰ Ipse est Ezechias, qui obturavit superiorem fontem aquarum Gihon, et avertit eas subter ad occidentem urbis David: in omnibus operibus suis fecit prospere quæ voluit. ³¹ Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum ut interrogarent de portento quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus ut tentaretur, et nota fierent omnia quæ erant in corde ejus. ³² Reliqua autem sermonum Ezechia, et misericordiarum ejus, scripta sunt in visione Isaia filii Amos prophetæ, et in libro regum Juda et Israël. ³³ Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et sepelierunt eum super sepulchra filiorum David: et celebravit ejus exequias universus Juda, et omnes habitatores Jerusalem: regnavitque Manasses filius ejus pro eo.

33 Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem. ² Fecit autem malum coram Domino, juxta abominationes gentium quas subvertit Dominus coram filiis Israël: ³ et conversus instauravit excelsa quæ demolitus fuerat Ezechias pater ejus: construxitque aras Baalim, et fecit lucos, et adoravit omnem militiam cæli, et coluit eam. ⁴ Ædificavit quoque altaria in domo Domini, de qua dixerat Dominus: In Jerusalem erit nomen meum in æternum. ⁵ Ædificavit autem ea cuncto exercitui cæli in duobus atrii domus Domini. ⁶ Transireque fecit filios suos per ignem in valle Benennom: observabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inserviebat, habebat secum magos et incantatores, multaque mala operatus est coram Domino ut irritaret eum. ⁷ Sculptile quoque et conflatile signum posuit in domo Dei, de qua locutus est Deus ad David, et ad Salomonem filium ejus, dicens: In domo hac, et in Jerusalem quam elegi de cunctis tribubus Israël, ponam nomen meum in sempiternum. ⁸ Et moveri non faciam pedem Israël de terra quam tradidi patribus eorum: ita dumtaxat si custodierint facere quæ præcepi eis, cunctamque legem, et cæremonias atque judicia, per manum Moysi. ⁹ Igitur Manasses seduxit Judam, et habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes gentes quas subverterat Dominus a facie filiorum Israël. ¹⁰ Locutusque est Dominus ad eum, et ad populum illius, et attendere noluerunt. ¹¹ Idcirco superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum: ceperuntque Manassen, et vinculum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem. ¹² Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum: et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum

suorum.^{§ 13} Deprecatusque est eum, et obsecravit intente: et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum, et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus.¹⁴ Post hæc ædificavit murum extra civitatem David ad occidentem Gihon in convalle, ab introitu portæ piscium per circuitum usque ad Ophel, et exaltavit illum vehementer: constituitque principes exercitus in cunctis civitatibus Juda munitis:¹⁵ et abstulit deos alienos, et simulacrum de domo Domini: aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini et in Jerusalem: et projecit omnia extra urbem.¹⁶ Porro instauravit altare Domini, et immolavit super illud victimas, et pacifica, et laudem: præcepitque Judæ ut serviret Domino Deo Israël.¹⁷ Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo.¹⁸ Reliqua autem gestorum Manasse, et obsecratio ejus ad Deum suum, verba quoque videntium qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israël, continentur in sermonibus regum Israël.¹⁹ Oratio quoque ejus et exauditio, et cuncta peccata atque contemptus, loca etiam in quibus ædificavit excelsa, et fecit lucos et statuas antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Hozai.²⁰ Dormivit ergo Manasses cum patribus suis, et sepelierunt eum in domo sua: regnavitque pro eo filius ejus Amon.²¹ Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset, et duobus annis regnavit in Jerusalem.²² Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus: et cunctis idolis quæ Manasses fuerat fabricatus, immolavit atque servivit.²³ Et non est reveritus faciem Domini, sicut reveritus est Manasses pater ejus, et multo majora deliquit.²⁴ Cumque conjurassent adversus eum servi sui, interfecerunt eum in domo sua.²⁵ Porro reliqua populi multitudo, cæsis iis qui Amon percusserant, constituit regem Josiam filium ejus pro eo.

34 Octo annorum erat Josias cum regnare cœpisset, et triginta et uno anno regnavit in Jerusalem.² Fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, et ambulavit in viis David patris sui: non declinavit neque ad dextram, neque ad sinistram.³ Octavo autem anno regni sui, cum adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui David: et duodecimo anno postquam regnare cœperat, mundavit Judam et Jerusalem ab excelsis, et lucis, simulacrisque et sculptilibus.⁴ Destruxeruntque coram eo aras Baalim, et simulacra quæ superposita fuerant, demoliti sunt: lucos etiam et sculptilia succidit atque comminuit, et super tumulos eorum qui eis immolare consueverant, fragmenta dispersit.⁵ Ossa præterea sacerdotum combussit in altaribus idolorum, mundavitque Judam et Jerusalem.^{** 6} Sed et in urbis Manasse, et Ephraim, et Simeon, usque Nephthali, cuncta subvertit.⁷ Cumque altaria dissipasset, et lucos et sculptilia contrivisset in frustra, cunctaque delubra demolitus esset de universa terra Israël, reversus est in Jerusalem.⁸ Igitur anno octavodecimo regni sui, mundata jam terra et templo Domini, misit Saphan filium Eseliæ, et Maasiam principem civitatis, et Joha filium Joachaz a commentariis, ut instaurarent domum

§33.12 *Et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum.* RAB. Audita pœnitentia Manasse nemo debet de Dei misericordia desperare, sed magis per pœnitentiam de venia præsumere.

**34.5 *Ossa præterea.* RAB. Ideo combussit sacerdotes in altaribus idolorum, ut ostenderet, quia funesta erant eorum sacrificia qui non solum pecudum hostias dæmoniis offerebant, sed et ipsos idololatriæ tradebant. Hic significat omnes qui diaboli servitio mancipati vitam sacrilegam temporaliter finierant æternis cruciatibus consumendos pro cuiusque merito.

Domini Dei sui. ⁹ Qui venerunt ad Helciam sacerdotem magnum: acceptamque ab eo pecuniam quæ illata fuerat in domum Domini, et quam congregaverant Levitæ, et janitores de Manasse, et Ephraim, et universis reliquiis Israël, ab omni quoque Juda, et Benjamin, et habitatoribus Jerusalem, ¹⁰ tradiderunt in manibus eorum qui præerant operariis in domo Domini, ut instaurarent templum, et infirma quæque sarcirent. ¹¹ At illi dederunt eam artificibus et cæmentariis, ut emerent lapides de lapicidinis, et ligna ad commissuras ædificii, et ad contignationem domorum quas destruxerant reges Juda. ¹² Qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem præpositi operantium Jahath et Abdias de filiis Merari, Zacharias et Mosollam de filiis Caath, qui urgebant opus: omnes Levitæ scientes organis canere. ¹³ Super eos vero qui ad diversos usus onera portabant, erant scribæ, et magistri de Levitis, janitores. ¹⁴ Cumque efferrent pecuniam quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos librum legis Domini per manum Moysi. ¹⁵ Et ait ad Saphan scribam: Librum legis inveni in domo Domini: et tradidit ei. ¹⁶ At ille intulit volumen ad regem, et nuntiavit ei, dicens: Omnia quæ dedisti in manu servorum tuorum, ecce complentur. ¹⁷ Argentum quod repertum est in domo Domini, conflaverunt, datumque est præfectis artificum, et diversa opera fabricantium. ¹⁸ Præterea tradidit mihi Helcias sacerdos hunc librum. Quem cum rege præsentem recitasset, ¹⁹ audissetque ille verba legis, scidit vestimenta sua: ²⁰ et præcepit Helciæ, et Ahicam filio Saphan, et Abdon filio Micha, Saphan quoque scribæ, et Asaæ servo regis, dicens: ²¹ Ite, et orate Dominum pro me, et pro reliquiis Israël et Juda, super universis sermonibus libri istius, qui repertus est: magnus enim furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini ut facerent omnia quæ scripta sunt in isto volumine. ²² Abiit ergo Helcias, et hi qui simul a rege missi fuerant, ad Oldam prophetidem, uxorem Sellum filii Thecuath filii Hasra custodis vestium, quæ habitabat in Jerusalem in Secunda: et locuti sunt ei verba quæ supra narravimus.†† ²³ At illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dicite viro qui misit vos ad me: ²⁴ Hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam mala super locum istum et super habitatores ejus, cunctaque maledicta quæ scripta sunt in libro hoc, quem legerunt coram rege Juda. ²⁵ Quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, ut me ad iracundiam provocarent in cunctis operibus manuum suarum, idcirco stillabit furor meus super locum istum, et non extinguetur. ²⁶ Ad regem autem Juda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Quoniam audisti verba voluminis, ²⁷ atque emollitum est cor tuum, et humiliatus es in conspectu Dei super his quæ dicta sunt contra locum hunc et habitatores Jerusalem, reveritusque faciem meam scidisti vestimenta tua, et flevistis coram me: ego quoque exaudivi te, dicit Dominus. ²⁸ Jam enim colligam te ad patres tuos, et infereris in sepulchrum tuum in pace: nec videbunt oculi tui omne malum quod ego inducturus sum super locum istum, et super habitatores ejus. Retulerunt itaque regi cuncta quæ dixerat. ²⁹ At ille convocatis universis majoribus natu Juda et Jerusalem, ³⁰ ascendit in domum Domini, unaque omnes viri Juda et habitatores Jerusalem, sacerdotes et Levitæ, et cunctus populus a minimo usque ad maximum. Quibus audientibus in domo Domini, legit rex omnia

††34.22 *Ad Oldam prophetidem*, etc. HIERON. Oldam uxor fuit Sellum avunculi patris Jeremiæ, et patris Ananeel. Habitabat in secunda. Locus erat Jerosolymitanus extra murum civitatis et antemurale, qui vocabatur secunda: cujus mentio fit in Sophonia propheta.

verba voluminis: ³¹ et stans in tribunali suo, percussit foedus coram Domino ut ambularet post eum, et custodiret praecepta, et testimonia, et justificationes ejus in toto corde suo, et in tota anima sua, faceretque quae scripta sunt in volumine illo, quod legerat. ³² Adjuravit quoque super hoc omnes qui reperti fuerant in Jerusalem et Benjamin: et fecerunt habitatores Jerusalem juxta pactum Domini Dei patrum suorum. ³³ Abstulit ergo Josias cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israël: et fecit omnes qui residui erant in Israël, servire Domino Deo suo. Cunctis diebus ejus non recesserunt a Domino Deo patrum suorum.

35 Fecit autem Josias in Jerusalem Phase Domino, quod immolatum est quartadecima die mensis primi: ² et constituit sacerdotes in officiis suis, hortatusque est eos ut ministrarent in domo Domini: ³ Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israël sanctificabatur Domino, locutus est: Ponite arcam in sanctuario templi, quod aedificavit Salomon filius David rex Israël, nequaquam enim eam ultra portabitis: nunc autem ministrare Domino Deo vestro, et populo ejus Israël. ⁴ Et praeperate vos per domos et cognationes vestras in divisionibus singulorum, sicut praecepit David rex Israël, et descripsit Salomon filius ejus. ⁵ Et ministrare in sanctuario per familias turmasque Leviticis, ⁶ et sanctificati immolate Phase: fratres etiam vestros, ut possint juxta verba quae locutus est Dominus in manu Moysi facere, praeperate. ⁷ Dedit praeterea Josias omni populo qui ibi fuerat inventus in solemnitate Phase, agnos et haedos de gregibus et reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia: haec de regis universa substantia. ⁸ Duces quoque ejus sponte quod voverant, obtulerunt, tam populo quam sacerdotibus et Levitis. Porro Helcias, et Zacharias, et Jahiel principes domus Domini dederunt sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commixtim duo millia sexcenta, et boves trecentos. ⁹ Chonenias autem, et Semeias, etiam Nathanaël fratres ejus, necnon Hasabias, et Jehiel, et Jozabad principes Levitarum, dederunt ceteris Levitis ad celebrandum Phase quinque millia pecorum, et boves quingentos. ¹⁰ Praeparatumque est ministerium, et steterunt sacerdotes in officio suo: Levitae quoque in turmis, juxta regis imperium. ¹¹ Et immolatum est Phase: asperseruntque sacerdotes manu sua sanguinem, et Levitae detraxerunt pelles holocaustorum: ¹² et separaverunt ea ut darent per domos et familias singulorum, et offerrentur Domino, sicut scriptum est in libro Moysi: de bobus quoque fecerunt similiter. ¹³ Et assaverunt Phase super ignem, juxta quod in lege scriptum est: paci-

‡35.1 *Fecit autem Josias in Jerusalem*, etc. RAB. Admonemur, ut purgemus primum terram cordis nostri ab omnibus vitiis, sicque pascha Domino celebremus, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae: sed in azymis sinceritatis et veritatis* I Cor. 5..Mystice autem Josias, id est fortitudo Domini, Christum significat, de quo legitur: *Dominus fortis et potens: Dominus potens in praelio* Psal. 23.. Interpretatur etiam Josias salus Domini, et *Christus salvum facit populum suum a peccatis eorum* Matth. 1.. Ipse zelo Dei mundat terram Juda et Jerusalem ab omnibus immunditiis, qui per prophetam dixit: *Zelus domus tuae comedit me* Psal. 68.. De quo alibi: *Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam* Matth. 3.. Hic celebrat verum phase octavo decimo anno regni sui: quia octava aetate generali resurrectione donata, sanctos suos cum perfectione bonorum operum perducit ad aeternae beatitudinis denarium, ejectionis prius omnibus scandalis de regno ejus.

¶35.3 *Ponite arcam in sanctuario templi, quod aedificavit Salomon filius David rex Israël*. Tradunt Hebraei arcam tempore Achaz de templo fuisse elatam, simulacris ab eo in templo missis, et in domum Sellum viri Oldae avunculi Jeremiae fuisse traductam. Non enim poterat esse simul cum simulacris.

ficas vero hostias coxerunt in lebetibus, et cacabis, et ollis, et festinato distribuerunt universæ plebi: ¹⁴ sibi autem et sacerdotibus postea paraverunt, nam in oblatione holocaustorum et adipum usque ad noctem sacerdotes fuerunt occupati, unde Levitæ sibi et sacerdotibus filiis Aaron paraverunt novissimis. ¹⁵ Porro cantores filii Asaph stabant in ordine suo, juxta præceptum David, et Asaph, et Heman, et Idithun prophetarum regis: janitores vero per portas singulas observabant, ita ut nec puncto quidem discederet a ministerio: quam ob rem et fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibos. ¹⁶ Omnis igitur cultura Domini rite completa est in die illa, ut facerent Phase, et offerrent holocausta super altare Domini, juxta præceptum regis Josiæ. ¹⁷ Feceruntque filii Israël, qui reperti fuerant ibi, Phase in tempore illo, et solemnitate azymorum septem diebus. ¹⁸ Non fuit Phase simile huic in Israël a diebus Samuelis prophetæ: sed nec quisquam de cunctis regibus Israël fecit Phase sicut Josias, sacerdotibus, et Levitis, et omni Judæ et Israël qui reperti fuerat, et habitantibus in Jerusalem. ^{§§} ¹⁹ Octavodecimo anno regni Josiæ hoc Phase celebratum est. ²⁰ Postquam instauraverat Josias templum, ascendit Nechao rex Ægypti ad pugnam in Charcamis juxta Euphraten: et processit in occursum ejus Josias. ²¹ At ille, missis ad eum nuntiis, ait: Quid mihi et tibi est, rex Juda? non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato ire præcepit: desine adversum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te.* ²² Noluit Josias reverti, sed præparavit contra eum bellum, nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei: verum perrexit ut dimicaret in campo Mageddo.† ²³ Ibiq̄ vulneratus a sagittariis, dixit pueris suis: Educite me de prælio, quia oppido vulneratus sum. ²⁴ Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum, qui sequebatur eum more regio, et asportaverunt eum in Jerusalem: mortuusque est, et sepultus in mausoleo patrum suorum, et universus Juda et Jerusalem luxerunt eum. ²⁵ Jeremias maxime: cujus omnes cantores atque cantatrices, usque in præsentem diem, lamentationes super Josiam replicant, et quasi lex obtinuit in Israël: Ecce scriptum fertur in lamentationibus. ²⁶ Reliqua autem sermonum Josiæ, et misericordiarum ejus, quæ lege præcepta sunt Domini, ²⁷ opera quoque illius prima et novissima, scripta sunt in libro regum Juda et Israël.

§§35.18 *Non fuit Phase simile huic*, etc. Quia ablatis figuris in die judicii, transibunt sancti de morte ad vitam, de corruptione ad gloriam, et in conspectu conditoris sui in cœlesti Jerusalem, in æternum gaudebunt: quia videbitur Deus deorum in Sion, quia mirificavit misericordiam suam in civitate munita.

*35.21 *Ad quam Deus*. Quia ex verbis Jeremiæ, et aliorum prophetarum potuit voluntatem Domini cognoscere, qua judicandum erat in populo peccatore. Unde et Rabsaces dixit de Sennacherib rege Assyriorum: *Dominus jussit me ascendere ad terram* Psal. 83., quia prophetæ prædixerant eum esse ascensurum, quod eum minime latuit

†35.22 *In campo Mageddo*. Interfectio Josiæ qui a Pharaone Nechao interfectus est in Mageddo significat antiqui hostis persecutionem adversum prædicatores, quos neci tradere et de Ecclesia auferre conatur, ut facilius totam plebem invadere et dissipare possit. Interpretatur enim Pharao dissipans, Nechao percutiens, Mageddo de tentatione. Permittitur quippe diabolus consurgere adversum sanctos: et hoc totis viribus certat, ut tentando gregem Dei percutiens eos prius dissipando auferat, quorum solatio alii contra hostem dimicant.

36 Tulit ergo populus terræ Joachaz filium Josiæ, et constituit regem pro patre suo in Jerusalem. ²Viginti trium annorum erat Joachaz cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem. ³Amovit autem eum rex Ægypti cum venisset in Jerusalem, et condemnavit terram centum talentis argenti, et talento auri. ⁴Constituitque pro eo regem Eliakim fratrem ejus super Judam et Jerusalem, et vertit nomen ejus Joakim: ipsum vero Joachaz tulit secum, et abduxit in Ægyptum. ⁵Viginti quinque annorum erat Joakim cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem: fecitque malum coram Domino Deo suo. ⁶Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldæorum, et vinctum catenis duxit in Babylonem. ⁷Ad quam et vasa Domini transtulit, et posuit ea in templo suo. ⁸Reliqua autem verborum Joakim, et abominationum ejus quas operatus est, et quæ inventa sunt in eo, continentur in libro regum Juda et Israël. Regnavit autem Joachin filius ejus pro eo. ⁹Octo annorum erat Joachin cum regnare cœpisset, et tribus mensibus ac decem diebus regnavit in Jerusalem: fecitque malum in conspectu Domini. ¹⁰Cumque anni circulus volveretur, misit Nabuchodonosor rex, qui adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini. Regem vero constituit Sede-

‡36.4 *Constituitque.* Nechao regem Joakim constituit, imposuit mulctam terræ centum talentis argenti: quia diabolus pensum servitii a populo perditorum expetiit, ut tam sensu quam eloquio parati sint ejus obsequio. *Et vertit.* Notandum quod de eodem Joakim filio Josiæ in Regum ita scriptum est: *Dormivit Joakim cum patribus suis, regnavitque Joachin filius ejus pro eo* IV Reg. 24.. Josephus tamen dicit: Dum rex Babylonis intrasset civitatem, fidem nequaquam servavit, sed juvenes fortissimos et pulchritudine decoros occidit una cum rege Joakim, quem ante murum insepultum projici jussit. Filium vero ejus Joachin constituit regem universæ provinciae. Eos autem qui erant in dignitatibus constituti numero tria millia, duxit in Babylonem, inter quos erat Ezechiel adhuc puer. Hic ergo finis habuit Joakim regem qui vixit annos decem et triginta, regnavit autem undecim annis. Successor vero regni Joakim rex nomine Ononimus regnavit mensibus tribus et diebus decem. Sciendum autem, quod cum semel quis cuilibet vitio se mancipaverit, multis dominis obnoxius erit. Unde Joakim quem Pharaos ante censum sibi solvere cœgit, hunc Nabuchodonosor rex Babylonis tribus annis servire compellit. Nabuchodonosor eundem significat quem et Pharaos; principem scilicet confusionis et rectorem tenebrarum harum. Cum autem diabolus aliquem sibi censum peccati solvere cœgit, totum in dominium suum redigit, et plenum servitium exigit, persuasione scilicet, delectatione, consensu, cogitatione quoque, locutione, et operatione. HIERON., quæst. in Paral., tom. 3. Sciendum quod nomen istius Joachin, etc., usque ad præpositorum depravati exemplis cedunt cum ipsis in prædam diaboli.

ciam patrum ejus super Judam et Jerusalem.^{f 11} Viginti et unius anni erat Sedecias cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem: ¹²fecitque malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Jeremiæ prophetæ, loquentis ad se ore Domini. ¹³A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adjuraverat eum per Deum: et induravit cervicem suam et cor ut non reverteretur ad Dominum Deum Israël. ¹⁴Sed et universi principes sacerdotum et populus prævaricati sunt inique juxta universas abominationes gentium, et polluerunt domum Domini quam sanctificaverat sibi in Jerusalem. ¹⁵Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum de nocte consurgens, et quotidie commonens: eo quod parceret populo et habitaculo suo. ¹⁶At illi subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones ejus, illudebantque prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, et esset nulla curatio. ¹⁷Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, et interfecit juvenes eorum gladio in domo sanctuarii sui: non est misertus adolescentis, et virginis, et senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus ejus. ¹⁸Universaque vasa domus Domini, tam majora quam minora, et thesauros templi, et regis, et principum, transtulit in Babylonem. ¹⁹Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Jerusalem: universas turres combusserunt, et quidquid pretiosum fuerat, demoliti sunt. ²⁰Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit regi et filiis ejus, donec imperaret rex Persarum, ²¹et compleretur sermo Domini ex ore Jeremiæ, et celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum usque dum complerentur septuaginta anni. ²²Anno autem primo Cyri regis Persarum, ad explendum sermonem Domini quem locutus fuerat per os Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: qui jussit prædicari in universo regno suo, etiam per scripturam, dicens: ²³Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa: quis ex vobis est in omni populo ejus? sit Dominus Deus suus cum eo, et ascendat.

^f36.10 *Regem vero.* Sedecias significat eos qui regimen in populo Dei suscipiunt: interpretatur enim Sedecias justus Domini. Illi enim accipiunt sedem justitiæ ad exercenda opera justitiæ, honoris et officii accipiunt dignitatem, maxime quia filii Josiæ, id est salutis Domini, per gratiam baptismi et unctionem chrismatis nuncupari merentur: sed degenerantes relabuntur in vitiorum fœditate, et se subditos convertunt ad impietatem, nec fidem quam Deo promiserant, custodiunt, nec cum hominibus pacis fœdera servant. Tales quotidie lex divina, prophetarum, et apostolorum miracula e peccatis recedere, et ad Dominum per poenitentiam reverti monent: sed semel indurati, verba salutis despiciunt, unde Deus iratus mittit contra eos regem Chaldæorum, id est, diabolum cum satellitibus suis, id est, spiritualibus nequitiis, qui nulli parentes ætati, nulli deferentes dignitati, quoscumque capiunt, in Babylonem, id est, in confusionem transferunt; et domum Domini incendunt, quia fideles, qui sunt templum Dei, blasphemare compellunt. Muros Jerusalem destrunt, cum custodias pastorum decjiciunt, turres comburunt, cum prælatos per illicita desideria exurunt: omne pretiosum demoliuntur, cum eos qui de virtutis et scientiæ prærogativa sibi applaudunt, ad nihilum redigunt. Finis libri Paralipomenon similis principio libri sacerdotis Esdræ: unde quod ibi exposuimus, hic replicare non est opus. De Cyro quoque quomodo Christum significet, et quæ de eo dicantur, et quæ ad ipsum referantur, in Isaia exposuimus. RAB. ex Beda. Salomon templum Domini septem annis construxit in Jerusalem, etc., usque ad scilicet et civitatis Dei de qua ejecti fuerant, recipiunt.

INCIPIT LIBER ESDRÆ

1 In anno primo Cyri regis Persarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: et traduxit vocem in omni regno suo, etiam per scripturam, dicens: § ² Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa. ** ³ Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Jerusalem, quæ est in Judæa, et ædificet domum Domini Dei Israël: ipse est Deus qui est in Jerusalem. †† ⁴ Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant, adjuvent eum viri de loco suo argento et auro, et substantia, et pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt templo Dei, quod est in Jerusalem. †† ⁵ Et surrexerunt principes patrum de Juda et Benjamin, et sacerdotes, et Levitæ, et omnis cujus Deus suscitavit spiritum, ut ascenderent ad ædificandum templum Domini, quod erat in Jerusalem. ¶¶ ⁶ Universique qui erant in circuitu, adjuverunt manus eorum in vasis argenteis et aureis, in substantia et

§1.1 BEDA in Esdram, tom. 2. Sicut Cyrus destructo Chaldæorum imperio populum Dei liberavit, etc., usque ad quibus fidem sui nominis et spem salutis cunctis qui ad regnum suum pertinent, id est, electis, prædicat.

** 1.2 *Et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum*, etc. BEDA ubi supra. Domus vel templum Dei in Scripturis sanctis, etc., usque ad et pariter in futuro dedicationis illius solemniam expectent.

†† 1.3 *Quis est in vobis*. ID., ibid. Magna in his verbis fides regis, etc., usque ad eorumque animos et manus ad salutaria dirigeret opera. *Ascendat in Jerusalem*. ID., ibid. Qui peccant vel sæcularia curant in imo sunt: qui Deo placere desiderant, ad cœlestia suspirent, omnes pompas mundi et illecebras æternorum amore transcendant, et ædificent domum Deo in Judæa, in confessione scilicet suæ iniquitatis et divinæ miserationis, præparent corda sua quæ Deus habitare et illustrare dignetur, et proximos ad idem invitare verbis et exemplis nitantur.

†† 1.4 *Et omnes*. BEDA., ibid. Notanda distinctio verborum, etc., usque ad unde Joannes: *Nos ergo debemus hujusmodi suscipere, ut cooperatores simus veritatis*, etc. III Joan. 8. *Adjuvent*, etc. Qui temporalibus abundant, non solum pauperibus Christi necessaria debent ministrare, sed et bona quæ possunt pro se libenter operari, ut utroque commodo in templo Dei quod est Ecclesia, partem mereantur habere.

¶¶ 1.5 *Et surrexerunt*. BEDA, ibid. Cyrus omnia præcepit, imo permisit in Jerusalem ascendere et ædificare domum Domini, etc., usque ad et ideo collatæ misericordiæ particeps esse meruit. *Principes*. ID., ibid. Principum enim patrum, id est magistrorum, est opere et doctrina errantium mentes, in studio boni operis ædificare. Scribæ docti in regno cœlorum, qui merita sensusque auditorum solerter examinantes, dijudicare norunt quem in quo grado ministerii ecclesiastici promoveant. *Ut ascenderent*. ID., ibid. Quotidianis profectibus velut quibusdam gradibus ascendit ad summam virtutum quæ sunt in æternæ pacis visione. Primi gradus sunt propriam vitam corrigere. Secundi de proximorum erratibus laborare. Supremi post opera bona et doctrinam gaudia perpetuæ remunerationis expectare.

jumentis, in supellectili, exceptis his quæ sponte obtulerant.^{§§} ⁷Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, et posuerat ea in templo dei sui. ⁸Protulit autem ea Cyrus rex Persarum per manum Mithridatis filii Gazabar, et annumeravit ea Sassabasar principi Juda. ⁹Et hic est numerus eorum: phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille, cultri viginti novem, scyphi aurei triginta, * ¹⁰scyphi argentei secundi quadringenti decem, vasa alia mille. ¹¹Omnia vasa aurea et argentea quinque millia quadringenta: universa tulit Sassabasar cum his qui ascendebant de transmigracione Babylonis in Jerusalem.

2 Hi sunt autem provinciæ filii, qui ascenderunt de captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis in Babylonem, et reversi sunt in Jerusalem et Judam, unusquisque in civitatem suam.[†] ²Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belsan, Mesphar, Beguai, Rehum, Baana. Numerus virorum populi Israël:[‡] ³filii Pharos duo millia centum septuaginta duo. ⁴Filii Sephatia, trecenti septuaginta duo. ⁵Filii Area, septingenti septuaginta quinque. ⁶Filii Phahath Moab, filiorum Josue: Joab, duo millia octingenti duodecim. ⁷Filii Ælam, mille ducenti quinquaginta quatuor. ⁸Filii Zethua, nongenti quadraginta quinque. ⁹Filii Zachai, septingenti sexaginta. ¹⁰Filii Bani, sexcenti quadraginta duo. ¹¹Filii Bebai, sexcenti viginti tres. ¹²Filii Azgad, mille ducenti viginti duo. ¹³Filii Adonicam, sexcenti sexaginta sex. ¹⁴Filii Beguai, duo millia quinquaginta sex. ¹⁵Filii Adin, quadringenti quinquaginta quatuor. ¹⁶Filii Ather, qui erant ex Ezechia, nonaginta octo. ¹⁷Filii Besai, trecenti viginti tres. ¹⁸Filii Jora, centum duodecim. ¹⁹Filii Hasum, ducenti viginti tres. ²⁰Filii Gebbar, nonaginta quinque. ²¹Filii Bethlehem, centum viginti tres. ²²Viri Netupha, quinquaginta sex. ²³Viri Anathoth, centum viginti octo. ²⁴Filii Azmaveth, quadraginta duo. ²⁵Filii Cariathiarim, Cephira et

^{§§}1.6 *Adjuverunt manus eorum in vasis.* Manus ædificantium socii, qui ædificare nequeunt datis pecuniis adjuvant cum sæculares prædicatoribus liberos suos vel familiam Domino educandam committunt, ut quod per se nequeunt, per eos qui possunt, Domino suæ devotionis munus offerant. *Et jumentis.* BED., ibid. Id est, tardioribus, etc., usque ad et quasi suppellex varia ad ædificandam domum Domini principibus patrum tribuantur. *Protulit autem.* ID., ibid. Diversa vasorum species, etc., usque ad in libro æternæ memoriæ scriptam continet in quorum figura apte subditur: *Et annumeravit,* etc.

*1.9 *Et hic est.* ID., ibid. Quia novit Dominus numerum electorum, etc., usque ad ut priusquam pœniteant, perennem rapiantur ad pœnam.

†2.1 *Hi sunt,* etc. Judææ scilicet non Babylonis. Ad hanc enim pertinebant etiam de captivorum stirpe in Babylonia lati. Toto enim animo Judæam et Jerusalem suspirabant, quorum figuram gerit dux eorum Zorobabel, qui nomine ipso se ortum in Babylone demonstrat, sed intentione et opere civem Jerusalem. Altiori sensu filii Ecclesiæ, filii sunt patriæ cœlestis, non solum qui Ecclesiæ sacramentis jam sunt imbuti, sed etiam qui foris, id est inter impios aliquando aberrantes divina electione ante sæcula præordinati ad vitam divinæ gratiæ ministeriis sunt consecrandi. *Et reversi sunt in Jerusalem.* BEDA in Esdram, tom. 2. Cum enim liberati de potestate Satanæ, etc., usque ad visio autem pacis et confessio in præsentis inchoatur, et in futuro perficitur. *Unusquisque in civitatem.* ID., ibid. Ideo vigilanter Scriptura distinxit de qua generatione captivorum soluti in patriam redierint, etc., usque ad pro quibus certa mercede remuneret.

‡2.2 *Numerus,* etc. ID., ibid. Populum Israël tribum Juda et Benjamin dicit, etc., usque ad una cum sacerdotibus et Levitis qui inter eos sortem habuerant, debere intelligi.

Beroth, septingenti quadraginta tres. ²⁶ Filii Rama et Gabaa, sexcenti viginti unus. ²⁷ Viri Machmas, centum viginti duo. ²⁸ Viri Bethel et Hai, ducenti viginti tres. ²⁹ Filii Nebo, quinquaginta duo. ³⁰ Filii Megbis, centum quinquaginta sex. ³¹ Filii Ælam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor. ³² Filii Harim, trecenti viginti. ³³ Filii Lod Hadid, et Ono, septingenti viginti quinque. ³⁴ Filii Jericho, trecenti quadraginta quinque. ³⁵ Filii Senaa, tria millia sexcenti triginta. ³⁶ Sacerdotes: filii Jadaia in domo Josue, nongenti septuaginta tres. ³⁷ Filii Emmer, mille quinquaginta duo. ³⁸ Filii Pheshur, mille ducenti quadraginta septem. ³⁹ Filii Harim, mille decem et septem. ⁴⁰ Levitæ: filii Josue et Cedmihel filiorum Odovix, septuaginta quatuor. ⁴¹ Cantores: filii Asaph, centum viginti octo. ⁴² Filii janitorum: filii Sellum, filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Hatitha, filii Sobai: universi centum triginta novem. ⁴³ Nathinæi: filii Siha, filii Hasupha, filii Tabbaoth, ⁴⁴ filii Ceros, filii Saa, filii Phadon, ⁴⁵ filii Lebana, filii Hagaba, filii Accub, ⁴⁶ filii Hagab, filii Semlai, filii Hanan, ⁴⁷ filii Gaddel, filii Gaher, filii Raaia, ⁴⁸ filii Rasin, filii Necoda, filii Gazam, ⁴⁹ filii Aza, filii Phasea, filii Besee, ⁵⁰ filii Asena, filii Munim, filii Nephusim, ⁵¹ filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur, ⁵² filii Besluth, filii Mahida, filii Harsa, ⁵³ filii Bercos, filii Sisara, filii Thema, ⁵⁴ filii Nasia, filii Hatipha, ⁵⁵ filii servorum Salomonis, filii Sotai, filii Sophereth, filii Pharuda, ⁵⁶ filii Jala, filii Dercon, filii Geddel, ⁵⁷ filii Saphatia, filii Hatil, filii Phochereth, qui erant de Asebaim, filii Ami: ⁵⁸ omnes Nathinæi, et filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo. ⁵⁹ Et hi qui ascenderunt de Thelmala, Thelharsa, Cherub, et Adon, et Emer: et non potuerunt indicare domum patrum suorum et semen suum, utrum ex Israël essent. ⁶⁰ Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quinquaginta duo. ⁶¹ Et de filiis sacerdotum: filii Hobia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis, uxorem, et vocatus est nomine

[†]2.58 *Nathinæi filii*, etc. ID., *ibid.* Nathinæi qui post sacerdotes, Levitas, cantores, et janitores in ordine describuntur, ipsi tunc fuere qui nunc in Ecclesia subdiaconi vocantur, obediens officiis Levitarum, et oblationes in templo suscipientes a populo. *Omnes Nathinæi.* ID., *ibid.* Hoc loco etiam secundum litteram gratia Dei ostenditur, qua etiam in Veteri Testamento gentiles ad salutem recipiebantur, dum exposito catalogo eorum quos veraciter ad populum Dei pertinere constabat adjuncti sunt, qui utrum ex Israël, an ex proselytis essent, ignorabatur: eorumque simul inter filios Israël numerus exponitur: etsi enim longa separatione patrum suorum a templo vel populo Dei quomodo ad eum pertinerent indicare nequierant: qui tamen data generali licentia de captivitate ascenderant, ut socii recipiebantur; gaudebant etenim cæteri Israëlità eos ob amorem communis fidei et religionis habere quasi fratres et notos, etsi in origine carnis minus cognoscebant eos. Allegorice autem inter pœnitentes qui liberati a captivitate vitiorum ad ædificandam vel in se, vel in aliis domum Domini ascendunt, sunt nonnulli qui plurimis gravioribus peccatis astricti, qui a Deo ab omni actu pietatis et castitatis videntur alienati, ut nihili prorsus bonitatis et religionis quam a doctoribus acceperant, in eis remansisse videatur, nec possunt indicare utrum ex Israël, id est ex sancta Ecclesia fuerint generati, quia tales peccando facti sunt, quasi nunquam pertinuerint ad Spiritum sanctum, pœnitendo tamen corriguntur et convertuntur, ut numerus eorum inter veros Israëlitas in quibus dolus non est, conscribatur in cœlis.

eorum:[§] 62 hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, et non invenerunt, et ejecti sunt de sacerdotio. 63 Et dixit Athersatha eis ut non comederent de Sancto sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus. 64 Omnis multitudo quasi unus, quadraginta duo millia trecenti sexaginta: 65 exceptis servis eorum, et ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem: et in ipsis cantores atque cantatrices ducenti. 66 Equi eorum septingenti triginta sex, muli eorum, ducenti quadraginta quinque,** 67 cameli eorum, quadringenti triginta quinque, asini eorum, sex millia septingenti viginti. 68 Et de principibus patrum, cum ingrederentur templum Domini, quod est in Jerusalem, sponte obtulerunt in domum Dei ad exstruendam eam in loco suo.†† 69 Secundum vires suas dederunt impensas operis, auri solidos sexaginta millia et mille, argenti mnas quinque millia, et vestes sacerdotales centum.‡‡

§2.61 *Et de filiis sacerdotum.* BED., ibid. Eadem cautela filii transmigracionis erga sacerdotes agunt, qua erga populum. Curabant enim, ut distincte patesceret qui vere ad populum Israël vel ad genus sacerdotale pertinerent, qui aut suspecti aut certa proselytorum, id est, advenarum essent stirpe procreati. Sacerdotes ergo suspectos ab altaris moverunt officio, usque dum certius eorum origo claresceret, sed nihilominus in societate transmigrantium, unanimi secum pace servaverunt. Mystice autem quærunt filii sacerdotum de captivitate Babylonica ascendentes scripturam genealogiæ suæ, nec invenientes, de sacerdotio ejiciuntur cum ministri altaris in tanta flagitia vel nefanda dogmata decidunt, ut etsi pœnitendo ad salutem animæ redeant, non tamen digni sunt qui ad sacrum gradum restituantur. Etsi enim inter fideles vitam exspectent æternam, non tamen scripturam gradus sui, quem repetere nequeunt inter perfectos sacerdotes inveniunt. *Omnis multitudo quasi vir unus*, etc. BED., ibid. Hi eos significant qui profectu emendationis vitæ vitia superare, et virtutum culmen ascendere satagunt, nondum tamen sibi ad providendam viam regularis vitæ sufficiunt, sed eorum qui in Christo præcesserunt industria coercentur et diriguntur. *Et in ipsis.* BED., ibid. Mystice, in templo vel populo Dei sunt cantores, etc., usque ad et quasi suavitate suæ vocis adjuvant ædificantes templum.

**2.66 *Muli eorum.* ID., ibid. Mulus ex asino et equa gignitur, mala ex equo et asina. Inter homines qui de captivitate ascenderant etiam animalia quibus adjuvantur, describuntur. Et eorum sicut hominum numerus designatur, quia sunt multi in Ecclesia vel sensu tardiores, vel etiam carnales, qui tamen magistris spiritualibus devote obtemperant, et ad portanda onera fraternæ necessitatis, dorsum mentis inclinant, et cum cæteris electis de confusione diabolicæ captivitatis erepti, ad supernæ civitatis mœnia tendunt, quorum etiam numerus memoria Dei integer conservatur; unde: *Imperfectum meum viderunt oculi tui* Psal. 138.. Et alibi: *Homines et jumenta salvabis Domino* Ibid. 35..

††2.68 *Sponte obtulerunt in domum Dei ad*, etc. ID., ibid. Magnæ devotionis indicium est, etc., usque ad quanto eos nec licitis uti considerant.

‡‡2.69 *Secundum vires.* Hæc est enim mensura perfectionis, pro posse suo quemque pro Domino laborare, et statum Ecclesiæ primo in se, deinde in proximis confirmare. Qui taliter conversantur, recte principes patrum vocantur, quia perfectionem vitæ et doctrinæ illis qui in Ecclesia per sollicitudinis studium patres vocantur altius vivendo principantur. *Auri solidos.* BED., ibid. Aurum et argentum et vestes sacerdotales, etc., usque ad Quo enim gravius se errasse meminerunt, eo ardentius bonis operibus insistent.

⁷⁰Habitaverunt ergo sacerdotes, et Levitæ, et de populo, et cantores, et janitores, et Nathinæi, in urbibus suis, universusque Israël in civitatibus suis.^{¶¶}

3 Jamque venerat mensis septimus, et erant filii Israël in civitatibus suis: congregatus est ergo populus quasi vir unus in Jerusalem.^{§§} ²Et surrexit Josue filius Josedec, et fratres ejus sacerdotes, et Zorobabel filius Salathiel, et fratres ejus, et ædificaverunt altare Dei Israël ut offerrent in eo holocausta, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei.* ³Collocaverunt autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum: et obtulerunt super illud holocaustum

^{¶¶}2.70 *Habitaverunt ergo sacerdotes et Levitæ.* Levita a Chaldæis captivatus civitatem recipit, cum diaconus virtutem perfectionis quam a diabolo seductus perdidit Domino donante reintegrat. In Babylone vero natus civitatem in Judæam veniens ingreditur, cum regeneratus in Christo et bene institutus in Ecclesia acceptum semel diaconatum regulariter custodit. Sicut enim ille per Christi gratiam quasi de Chaldæa servitute liberatus est, ita hic per executionem bonorum, in quibus prædecessores ejusdem gradus conversati sunt, velut ad mœnia propriæ virtutis vel civitatis ascendunt. *Universusque Israël.* BEDA ubi supra. Universum Israël, non decem tribus tantum dicit, quæ quondam vocabantur Israël ad distinctionem duarum quæ vocabantur Juda, etc., usque ad de quibus sibi promittunt Judæi, quod regnante Christo suo, cum cæteris suæ gentis hominibus sint in Judæam reversuri, et in toto orbe regnaturi. Allegorice sacerdotes, Levitæ, cantores, janitores, et Nathinæi, omnisque Israël in civitatibus suis habitant, cum ministri altaris et doctores et plebs Christiana in suis gradibus Deo fideliter serviunt, sive qui eodem gradu aliquando vitiis sordidato vel perditio, per pœnitentiam correpti sunt, sive qui nuper de regno diaboli ad Ecclesiam venientes bonum sibi gradum acquisierunt. Suas enim civitates introierunt Levitæ vel filii Israël, non solum qui eas captivati amiserant, sed etiam qui de captivis geniti ad ipsas se paterna successione pertinere didicerant. Quicumque vero ita captivati sunt, ut nunquam reversi aliis fundos suos possidendos reliquerunt, illos significant, qui sic peccando ab Ecclesia discedunt, ut nunquam resipiscant, et aliis promissa sibi præmia relinquunt; unde: *Memor esto unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac: sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum,* etc. Apoc. 2.; et alibi: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam* Ibid. 3..

^{§§}3.1 *Jamque venerat mensis septimus.* BEDA in Esdram, tom. 2. Qui apud nos October præ cæteris legali observatione solemnior, in quo etiam celebrata est dedicatio templi. Congruè ergo cum primo civitates suas intrassent et mansiones sibi providissent, mox in Jerusalem confluerunt, et altare construxerunt, et eo tempore quo templum cum altari et omnibus vasis olim consecratum est, et quo ad diem consecrationis annuatim venire solebant. Mystice. Septimus mensis gratiam Spiritus sancti significat. In hoc mense post captivitatem de civitatibus nostris in Jerusalem convenimus, cum ablatas sordes vitiorum post inchoationem bonorum operum majore ejusdem Spiritus gratia illuminamur, et in amore supernæ pacis, quæ in vera unitate est, accendimur. Jerusalem enim visio pacis dicitur.

*3.2 *Et surrexit Josue.* De tribu sacerdotali, quæ significat Christum verum sacerdotem, qui in sanguine suo nos a peccatis lavit, et assistit nunc vultui Dei pro nobis. *Et fratres ejus sacerdotes.* De quibus dicitur: *Ite, nuntiate fratribus meis* Matth. 28.. Hi sunt in Ecclesia altiores, et Christo familiarius inhærentes, Ecclesiam ædificant. Toti etiam dicitur Ecclesiæ: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* I Petr. 2.. Sunt enim electi membra summi sacerdotis, corpora sua offerentes hostiam vivam. *Et ædificaverunt.* BED., ubi supra. Magna provisione primo altare ædificaverunt, etc., usque ad sed Christum apud Patrem advocatum non habuerunt.

Domino mane et vespere.† 4 Feceruntque solemnitatem tabernaculorum, sicut scriptum est, et holocaustum diebus singulis per ordinem secundum præceptum opus diei in die suo.‡ 5 Et post hæc holocaustum jure, tam in calendis quam in universis solemnitatibus Domini quæ erant consecratæ, et in omnibus in quibus ultro offerebatur munus Domino.¶ 6 A primo die mensis septimi cœperunt offerre holo-

†3.3 *Bases suas.* ID., ibid. Corda scilicet electorum ad suscipienda fidei sacramenta præceptis magistrorum quasi ferramentis fabrorum præparata, etc., usque ad cum fideles corda et corpora ad exercendum operando quod credunt, humili intentione submitunt. *Et obtulerunt.* BEDA., ibid. Mane et vespere offerimus holocaustum Domino super altare ejus, etc., usque ad juxta illud: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum tuarum sacrificium vespertinum* Psal. 140..

‡3.4 *Feceruntque.* ID., ibid. Qui de Babylone in Jerusalem ascenderant, etc., usque ad et alibi: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* Hebr. 13.. *Solemnitatem tabernaculorum.* Quæ Græce scenophegia, id est fixio tabernaculorum dicitur, quæ incipit quinto decimo die mensis septimi, et durat septem diebus: in quibus præcepit Dominus populum in tabernaculis habitare, et quotidie legem scrutantes holocausta Domino offerre: quia quondam in tabernaculis scilicet morabantur in solitudine prædicante legem Mosi, et crebro sibi Deo apparente, diu expectantes promissam requiem, ne unquam scilicet tanti beneficii gratia in oblivione veniret. *Per ordinem.* Quia quidquid inordinate geritur, meritum perfectionis amittit: quia honor regis judicium diligit. Quæ enim in honorem summi regis agimus certi, necesse est discretione judicii, quando vel quantum sint agenda, distinguamus.

¶3.5 *In Calendis, quam in universis,* etc. Scilicet initiis mensium in ortu lunæ, a quo semper Hebræi menses incipiebant, nullos menses exceptis lunaribus habentes: unde pro Calendis Græci melius neomenias, id est novilunia vocant. Si autem menses propter dies triginta quibus implentur, significant plenitudinem operum lucis, quando in fide sanctæ Trinitatis Decalogi præcepta perficimus, quid exordia mensium, in quibus luna, ut denuo luceat, nuper a sole dicitur accendi, nisi initia designant bonæ operationis, quæ donante conditoris gratia, quasi solis justitiæ præsentia percipimus? Ob cujus significantiam divinæ illustrationis sine qua nihil boni inchoare vel perficere valeamus. Deus omnes Kalendas, id est exordia mensium celebrari præcepit; unde: *Canite initio mensis tuba in insigni die solemnitatis vestræ* Psal. 80.. Bene autem dicitur, quia peracta festivitate tabernaculorum filii transmigrationis faciebant holocaustum jure, etc. Quia postquam animus semel huic mundo perfecte abrenuntiaverit, oportet ut totum se impendat obsequio divinæ voluntatis.

caustum Domino: porro templum Dei nondum fundatum erat.^{§ 7} Dederunt autem pecunias latomis et cæmentariis: cibum quoque, et potum, et oleum Sidoniis Tyriisque, ut deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Joppe, juxta quod præceperat

§3.6 **A primo die.** Ab exordio divinæ scilicet inspirationis, qua humana conscientia immutatur, et voluptatibus neglectis, in ea sola quæ Domini sunt, inardescit, sicut apostoli qui Spiritu sancto inflammati, quasi holocaustum facti, omnibus linguis prædicabant magnalia Dei. Hinc apud Hebræos septimus mensis novus annus vocatur: quia per Spiritum sanctum fidelibus datur, ut novum charitatis impleant mandatum, et canticum novum in ædificatione domus Dei reddant. Notandum autem quod mense septimo congregatus est populus in Jerusalem, et congregatis omnibus Josue Zorobabel cum fratribus suis altare ædificasse, et a primo die septimi mensis holocaustum obtulisse referuntur: unde colligitur hoc altare ex lapidibus impolitis citissime compositum: non sicut olim de ligno fabrefactum, et æreis laminis coopertum. Non enim aliter etiam plurima fabricantium turba instante potuit una die incipi et perfici, et ad offerendum holocaustum præparari. In libro enim Machabæorum de lapidibus factum dicitur: *Et acceperunt lapides integros secundum legem, et ædificaverunt altare novum secundum illud quod prius fuit* I Mach. 4.. Notandum quod initium quintæ ætatis sicut quatuor præcedentium oblatis Domino holocaustis consecratur. In prima enim protomartyr Abel primus omnium electorum de primogenitis ovium Deo holocaustum obtulit et ingressum nascentis sæculi primo hostiis pecorum, tandem proprio cruore dedicavit. Secundæ ætatis ortum Nœ oblatis Deo holocaustis de his quæ fuerant in arca consecravit. Tertiam ætatem Melchisedech et Abraham hic in pane et vino, ille proprio filio oblato sacrarunt. Quartam ætatem David Domino consecravit, ædificato altari in area Hornæ Jebusæi, et oblatis Deo holocaustis, quibus eum quem populum numerando offenderat placaret; ubi Abraham perhibetur filium obtulisse, et post ædificato a Salomone templo altare holocaustorum constat esse locatum. Quintæ nunc ætatis exordium Josue et Zorobabel ædificato ibidem altari, et oblatis Deo holocaustis, mox excusso captivitatis jugo obtulerunt, et postea jugi holocausto Dominum sibi placaverunt. Hæc omnia in figura præcesserunt ejus qui in sexta ætate hostia suæ carnis totum mundum redemit.

Cyrus rex Persarum eis.** 8 Anno autem secundo adventus eorum ad templum Dei in Jerusalem, mense secundo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedec, et reliqui de fratribus eorum sacerdotes, et Levitæ, et omnes qui venerant de captivitate in Jerusalem, et constituerunt Levitas a viginti annis et supra, ut urgerent opus Domini.†† 9 Stetitque Josue et filii ejus et fratres ejus, Cedmihel et filii ejus, et filii Juda, quasi vir unus, ut instarent super eos qui faciebant opus in templo Dei: filii Henadad, et filii eorum, et fratres eorum Levitæ.‡‡ 10 Fundato igitur a cæmentariis templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis, et Levitæ filii Asaph

**3.7 *Dederunt autem.* BEDA ubi supra. Qui de captivitate liberati Jerosolymam venerant, etc., usque ad Fundatio templi illos significat, qui nuper conversi locum præparant Domino in se; unde: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti*, etc. I Cor. 6. *Latomis.* ID., ibid. Latomi sunt in constructione domus Dei, qui corda proximorum docendo vel increpando instruunt, etc., usque ad et tabernaculum de cortinis et tabulis compositum. *Cæmentariis.* ID., ibid. Cæmentarii sunt prædicatores, qui dum eos quos bonis operibus instituunt, copula charitatis ad invicem nectunt, quasi quadratos politosque lapides, ne ordinem compositionis reserant cæmenti infusione conjungunt, dicentes: *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis continuam charitatem habentes*, etc. I Petr. 4.. Inde Paulus: *Super omnia autem habete charitatem, quod est vinculum perfectionis* Col. 3.. *Sidoniiis Tyriisque.* ID., ibid. Sidonii quoque et Tyrii prædicatores repræsentant, qui homines in gloria quondam sæculi sublimes et candidos securi sermonis Dei, de statu primæ conversationis dejiciunt, ut salubriter prostratos, et quasi ab humore corruptivo ingeniti sensus excoctos, ab omni vitiorum fortitudine corrigant, et in ornatum vel in munimentum Ecclesiæ exigunt. Unde in psalmo qui inscribitur in consummatione tabernaculi: *Vox Domini confringentis cedros* Psal. 2.. *Sidoniiis Tyriisque.* BEDA., ibid. Dant principes patrum, etc., usque ad quia pressuram in mundo habent, quamvis confidentes, quia Dominus vicit mundum. *Ut deferrent ligna.* ID., ibid. Deferunt ligna excisa in mare, etc., usque ad et per reconciliationem sacerdotum Ecclesiæ aggregamur. *Joppe.* Unde scilicet per terram ad opus templi deferrentur, sicut in prima templi structura factum est, sed Salomon regali potentia a rege Hiram quæ voluit, facile obtinuit: hi autem de captivitate redeuntes et regni potentiam non habentes cuncta emebant. *Anno autem.* BEDA ubi supra. Cum supra dicatur quod septimo mense venerunt in Jerusalem, etc., usque ad aut resurrectionem corporum quam bene operantes speramus, denuntiat.

††3.8 *In Jerusalem.* Locum scilicet templi quo templum ædificare cupiebant. Falluntur enim Judæi qui dicunt nunquam parietes templi, sed solum tectum a Chaldæis fuisse subversum, cum pateat Esdram filium transmigrationis templum fecisse a fundamentis. *Et omnis qui.* Magna devotio totius populi. Gaudebant enim se de captivitate rediisse, et quantum superbæ civitatis flagitia horrebant, tantum Jerusalem videre cupiebant decorem: quantum fana abominabantur, tantum templum Dei restaurari conabantur. Sic non solum episcopi et presbyteri plebem fidelium, id est Dei domum debent ædificare, sed etiam populus de captivitate vitiorum ad visionem veræ pacis vocatus, ministerium verbi ab his qui docere noverunt, debet eligere, qui scilicet ministri verbi, id est Levitæ a viginti annis et supra constituuntur: quia tales sunt ad prædicandum constituti et præferendi, qui Decalogum non solum faciendo auditoribus ostendant, sed etiam puritatem et integritatem cordis in conspectu Dei intemeratam custodiant. *A viginti annis.* BEDA ubi supra. Non est dubitandum ibi statum Ecclesiæ per spiritum sumere projectum, etc., usque ad Zorobabel vero de tribu regia orti sunt.

‡‡3.9 *Stetitque.* ID., ibid. Non filius Josedec, etc., usque ad Laudant etiam per manum David regis, cum opera Christi quæ per carnem gessit, diligenter attendunt et imitantur, quantum possunt.

in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David regis Israël.^{¶11} ¹¹ Et concinebant in hymnis, et confessione Domino: Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus super Israël. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quod fundatum esset templum Domini.^{§§12} ¹² Plurimi etiam de sacerdotibus et Levitis, et principes patrum, et seniores, qui viderant templum prius cum fundatum esset, et hoc templum, in oculis eorum, flebant voce magna: et multi vociferantes in lætitia, elevabant vocem.* ¹³ Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, et vocem fletus populi: commistim enim populus vociferabatur clamore magno, et vox audiebatur procul.

4 Audierunt autem hostes Judæ et Benjamin, quia filii captivitatis ædificarent templum Domino Deo Israël:^{†2} ² et accedentes ad Zorobabel, et ad principes patrum, dixerunt eis: Ædificemus vobiscum, quia ita ut vos, quærimus Deum vestrum: ecce nos immolavimus victimas a diebus Asor Haddan regis Assur, qui adduxit nos huc.^{‡3} ³ Et dixit eis Zorobabel, et Josue, et reliqui principes patrum Israël: Non est vobis et nobis ut ædificemus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis Cyrus rex Persarum.^{¶4} ⁴ Factum est igitur ut populus terræ impediret manus populi Judæ, et turbaret eos in ædificando.^{§5} ⁵ Conduxerunt

[¶]3.10 *Steterunt sacerdotes in ornatu suo.* ID., ibid. Magna omnium personarum devotio ostenditur, cum fundato templo omnes juxta gradum suum misericordiam Domini laudant. Sacerdotes quidem sanctis vestibus ornati, sicut adhuc stante templo consueverant, tubis personantes et cor populi ad suavitatem supernæ laudis accedentes; Levitæ in cymbalis bene sonantibus hymnos Domino concinentes; populus communi clamore Deum laudando affectum cordis ostendens.

^{§§}3.11 *Et concinebant in hymnis.* In organis, scilicet quæ ipse fecit, vel psalmis quos instituit, vel quia David in collocatione arcæ principem fecit ad confitendum Domino, Asaph et fratres ejus, ut Verba Dierum testantur, de quo rursus dicitur: quia filii ejus sub manu ipsius erant prophetantes juxta regem I Paral. 15, 16.. Merito hic cum filii Asaph laudarent et confiterentur Domino per manum David, juxta dispositionem ejus hoc fecisse intelligendi sunt.

^{*}3.12 *Flebant* BEDA ubi supra, scilicet cernentes quantum pauperies illius temporis a magnifica quondam Salomonis potentia, qua prius templum fundatum est, distaret, etc., usque ad In secunda Christus et apostoli gratiam Novi Testamenti et regni cœlestis introitum nuntiant. ID., ibid. Flebant in ædificatione templi spiritualis, etc., usque ad nec inter augmenta piorum desunt tentamenta pravorum, qui vel bonum fictè ostendendo, vel aperte malum ingerendo, sanctos lædere conentur.

[†]4.1 *Audierunt autem hostes Judæ et Benjamin,* etc. BED. in Esdr. Hostes Judæ et Benjamin Samaritas dicit, etc., usque ad qui ad dexteram judicis benedictionem et regnum æternum percepturi sunt. Dicunt ergo:

[‡]4.2 *Ædificemus vobis.* ID., ibid. Cum affectant hæretici auctoritatem sibi prædicandi inter catholicos tribui, etc., usque ad in aperti persona hostis accerrime impugnavit. *Non est nobis.* Non est hæreticorum ædificare Ecclesiam a qua sunt alieni, sed tantum eorum qui Christo vero regi et sacerdoti adhærentes, principes patrum vocari meruerunt, et pro pia cura quam habent erga eos qui Christum videre desiderant.

[¶]4.3 *Factum est autem.* ID., ibid. Quoties hæretici non solum in civitatibus, sed etiam in provinciis perverse docendo vel etiam sæviendo dogma confessionis veræ impediabant, etc., usque ad sapientibus architectis reædificandæ post captivitatem ejusdem domus copia suppeteret.

[§]4.4 *Populi Judæ.* Populum Juda, id est confidentem et glorificantem, dicit eum qui integramente Domino ædificare, id est ad voluntatem ejus faciendam et gloriam quærendam omnium quos potest animos et ora convertere quærit.

autem adversus eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, et usque ad regnum Darii regis Persarum. **⁶ In regno autem Assueri, in principio regni ejus, scripserunt accusationem adversus habitatores Judæ et Jerusalem. ⁷ Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam, Mithridates, et Thabeel, et reliqui qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem regem Persarum: epistola autem accusationis scripta erat syriace, et legebatur sermone syro. ⁸ Reum Beelteem, et Samsai scriba, scripserunt epistolam unam de Jerusalem Artaxerxi regi, hujusmodi: ⁹ Reum Beelteem, et Samsai scriba, et reliqui consiliatores eorum, Dinæi, et Apharsathachæi, Terphalæi, Apharsæi, Erchuæi, Babylonii, Susanechæi, Dievi, et Ælamitæ, ¹⁰ et ceteri de gentibus, quas transtulit Asenaphar magnus et gloriosus, et habitare eas fecit in civitatibus Samariæ, et in reliquis regionibus trans flumen in pace ¹¹ (hoc est exemplar epistolæ, quam miserunt ad eum), Artaxerxi regi, servi tui, viri qui sunt trans fluvium, salutem dicunt. ¹² Notum sit regi quia Judæi, qui ascenderunt a te ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem rebellem et pessimam, quam ædificant exstruentes muros ejus, et parietes componentes. ¹³ Nunc igitur notum sit regi, quia si civitas illa ædificata fuerit, et muri ejus instaurati, tributum, et vectigal, et annuos redditus non dabunt, et usque ad reges hæc noxa perveniet. ¹⁴ Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus, et quia læsiones regis videre nefas ducimus, idcirco misimus et nuntiavimus regi, ^{††} ¹⁵ ut recenseas in libris historiarum patrum tuorum, et invenies scriptum in commentariis: et scies quoniam urbs illa, urbs rebellis est, et nocens regibus et provinciis, et bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quam ob rem et civitas ipsa destructa est. ¹⁶ Nuntiamus nos regi, quoniam si civitas illa ædificata fuerit, et muri ipsius instaurati, possessionem trans fluvium non habebis. ^{‡‡} ¹⁷ Verbum misit rex ad Reum Beelteem, et Samsai scribam, et ad reliquos, qui erant in consilio eorum habitatores Samariæ, et ceteris trans fluvium,

**4.5 *Conduxerunt*. ID., ibid. Notanda distinctio verborum, etc., usque ad cum principum terrenorum contra Ecclesiam præsidia acquirunt, quod quantum noceat fidei, tempore Arianæ perfidiæ luce clarius innotuit. *In regno autem Assueri*. ID., ibid. Hunc Artaxerxem, etc., usque ad sed quasi minoris potentiæ illum hæc tractare et decernere permisit. BEDA., ibid. Artaxerxes cui suadetur et suasus præcepit ne Jerusalem ædificetur, etc., usque ad denuo superatis hostibus qui proxima tenebant loca, possederunt.

††4.14 *Læsiones*. Quia nequeunt sufferre, qui regnum diaboli conantur impugnare, timent bella concitari in Ecclesia, ne hæreses et fallaciæ eorum cum dogmate gentilium debellantur, duce illo qui ait: *Non veni pacem mittere, sed gladium* Matth. 16.. Et iterum: *Ignem veni mittere in terram* Luc. 12., etc., gladium, scilicet verbi Dei quo adversarios sternat, ignem charitatis, quo suorum corda accendens omnia contrariæ sectæ arma et scuta comburat. *Quoniam urbs*. BEDA ubi supra. Ipsi hostes iterum de civitate Domini confitentur, etc., usque ad id est inchoationem et perfectionem honorum Deo a quo acceperant bene vivendo et gratias agendo referunt.

‡‡4.16 *Trans fluvium*. Euphratem scilicet, intra quem Syria est, qui baptismum significat, quia unus est de quatuor fluminibus paradisi, qui totum orbem irrigant, sicut quatuor evangelistæ ab uno fonte vitæ, id est Christo inspirati, consona voce cunctis gentibus lavacrum salutis prædicant, vel quia Euphrates *frugifer* interpretatur: quod congruit sacramento quo orbis ablutus et sanctificatus fructum animarum, tricesimum, sexagesimum et centesimum Deo gignit.

salutem dicens et pacem.^{¶¶} 18 Accusatio, quam misistis ad nos, manifeste lecta est coram me, 19 et a me præceptum est: et recensuerunt, inveneruntque quoniam civitas illa a diebus antiquis adversum reges rebellat, et seditiones, et prælia concitantur in ea: 20 nam et reges fortissimi fuerunt in Jerusalem, qui et dominati sunt omni regioni quæ trans fluvium est: tributum quoque et vectigal, et redditus accipiebant. 21 Nunc ergo audite sententiam: prohibeatis viros illos, ut urbs illa non ædificetur donec si forte a me jussum fuerit. 22 Videte ne negligenter hoc impleatis, et paulatim crescat malum contra reges. 23 Itaque exemplum edicti Artaxerxis regis lectum est coram Reum Beelteem, et Samsai scriba, et consiliariis eorum: et abierunt festini in Jerusalem ad Judæos, et prohibuerunt eos in brachio et robore.^{§§} 24 Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum.

5 Prophetaverunt autem Aggæus propheta, et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa et Jerusalem, in nomine Dei Israël.* 2 Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedec, et cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis prophetæ Dei adjuvantes eos.[†] 3 In ipso autem tempore venit ad eos Thathanai, qui erat dux trans flumen, et Stharbazanai, et consiliarii eorum: sicque dixerunt eis: Quis dedit vobis consilium ut domum hanc ædificaretis, et muros ejus instauraretis?[‡] 4 Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina

^{¶¶}4.17 *Verbum misit rex ad Reum Beelteem.* BEDA ubi supra. Quærit rex Persarum, etc., usque ad qui Ecclesiam persequuntur et prohibent ædificari. *Habitatores Samariæ.* Habitant hostes Jerosolymorum in Samaria, quæ interpretatur custodia, non quod præcepta fidei et veritatis custodiant, qui visioni veræ pacis obstinate repugnant, sed quia custodiam virtutum penes se manere jactant, cum adversus mœnia pacis per hæresim pugnant.

^{§§}4.23 *Itaque exemplum.* BEDA, ibid. Patet ordo historiæ, etc., usque ad et rex tantum prohibuisset construi civitatem.

[‡]5.1 *Prophetaverunt.* BEDA, lib. II in Esdram, tom. 2. In libris eorum plenius scriptum est, etc., usque ad Zorobabel quoque et Jesus, et populus qui cum eis erat, non minoris fuisse fidei probantur, qui prophetas jubentes magis audierunt quam prohibentis imperium.

[†]5.2 *Zorobabel.* ID., ibid. Ortus in Babylone, etc., usque ad Unusquisque etiam cum Deum invocans non aliud quærit quam ipsum, potest eum Salathiel vocare. *Et Josue.* ID., ibid. Josue vel Jesus interpretatur *Salvator.* Josedec Dominus justus. Hic quidem, sicut filius Nun, Christum significat; uterque enim populum in terram promissionis, ille de longo incolatu eremi, hic de longiore captivitatis servitio introduxit. Sic verus Jesus electos suos ab omnibus malis eruens, ad superni regni promissa gaudia inducit, qui est filius Josedec, id est Domini justus, de quo dicitur: *Dominus justus concidet cervices peccatorum,* etc. Psal. 12.

^{*}5.3 *In ipso.* ID., ibid. Patet littera textus, quia confortati verbis prophetarum, optimates Judæorum non potuerunt hostium infestationibus a sancto opere præpediri, a quo quiescentibus adhuc prophetis, timore hostium cessaverant, sicut nunc in Ecclesia geritur, dum hi qui malignorum spirituum, vel hominum insidiis retardati, tardiores aliquando ad opus bonum fuerunt, repente verbis doctorum vel divinarum Scripturarum correpti, nullis tentationum machinis possunt vinci, vel a proposito intentionis revocari.

hominum auctorum ædificationis illius.[¶] ⁵ Oculus autem Dei eorum factus est super senes Judæorum, et non potuerunt inhiere eos. Placuitque ut res ad Darium referretur, et tunc satisfacerent adversus accusationem illam. ⁶ Exemplar epistolæ, quam misit Thathanai dux regionis trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliatores ejus Arphasachæi, qui erant trans flumen, ad Darium regem.[§] ⁷ Sermo, quem miserant ei, sic scriptus erat: Dario regi pax omnis. ⁸ Notum sit regi, isse nos ad Judæam provinciam, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, et ligna ponuntur in parietibus: opusque illud diligenter exstruitur, et crescit in manibus eorum.**
⁹ Interrogavimus ergo senes illos, et ita diximus eis: Quis dedit vobis potestatem ut domum hanc ædificaretis, et muros hos instauraretis? ¹⁰ Sed et nomina eorum quæ-sivimus ab eis, ut nuntiaremus tibi: scripsimusque nomina eorum virorum, qui sunt principes in eis. ¹¹ Hujuscemodi autem sermonem responderunt nobis dicentes: Nos sumus servi Dei cæli et terræ, et ædificamus templum, quod erat exstructum ante hos annos multos, quodque rex Israël magnus ædificaverat, et exstruxerat. ¹² Postquam autem ad iracundiam provocaverunt patres nostri Deum cæli, tradidit eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis Chaldæi, domum quoque hanc destruxit, et populum ejus transtulit in Babylonem. ¹³ Anno autem primo Cyri regis Babylonis, Cyrus rex proposuit edictum ut domus Dei hæc ædificaretur. ¹⁴ Nam et vasa templi Dei aurea et argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo, quod erat in Jerusalem, et asportaverat ea in templum Babylonis, protulit Cyrus rex de templo Babylonis, et data sunt Sassabasar vocabulo, quem et principem constituit, ¹⁵ dixitque ei: Hæc vasa tolle, et vade, et pone ea in templo, quod est in Jerusalem, et domus Dei ædificetur in loco suo. ¹⁶ Tunc itaque Sassabasar ille venit et posuit fundamenta templi Dei in Jerusalem, et ex eo tempore usque nunc ædificatur, et necdum completum est. ¹⁷ Nunc ergo si videtur regi bonum, recenseat in bibliotheca regis, quæ est in Babylone, utrumnam a Cyro rege jussum fuerit ut ædificaretur domus Dei in Jerusalem, et voluntatem regis super hac re mittat ad nos.

[¶]5.4 *Ad quod respondimus.* ID., ibid. Videtur qui hoc scripsit præsens affuisse, cum Esdras dicatur scripsisse, qui non tunc Jerosolymis fuisse, sed multo post, regnante Artaxerxe, illuc venisse reperitur. Aut ergo tunc vere ibi fuit, et facto templo Babyloniam rediit, ut plures de filiis Israël in Jerusalem reduceret, aut se ædificantibus jungit, quasi suum sit quod erga fratres agitur, vel quod ipsi agunt, sicut Apostolus ait: *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non præveniemus,* etc. I Thes. 4..

[§]5.6 *Exemplar epistolæ.* ID., ibid. Multum dissimilis est hæc epistola illi, etc., usque ad et tandem cognoscentes quod hoc a Deo cæli et terræ, qui solus vere est Deus, originem sumpsit, sacrificiis ejus communicant, et ædificium juvare lætantur.

**5.8 *Lapide impolito.* ID., ibid. Novo scilicet, quem impolitum repererunt, sed poliendo ædificio aptaverunt, etc., usque ad alter idololatriæ mancipatus nulla spiritalium architectorum industria, nullo pietatis cultu deformitatem agrestis et terrenæ mentis exuerat. *Et ligna ponuntur in parietibus, opusque,* etc. ID., ibid. Ligna quæ ad ornamentum vel munimentum templi ponuntur, eandem sanctorum vitam in ornatu Ecclesiæ quam et lapides designant: de quibus dicitur: *Exsultabunt omnia ligna silvarum,* etc.

6 Tunc Darius rex præcepit: et recensuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone.†† 2 Et inventum est in Ecbatanis, quod est castrum in Medena provincia, volumen unum: talisque scriptus erat in eo commentarius: 3 Anno primo Cyri regis, Cyrus rex decrevit ut domus Dei ædificaretur, quæ est in Jerusalem, in loco ubi immolent hostias, et ut ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, et latitudinem cubitorum sexaginta,‡‡ 4 ordines de lapidibus impolititis tres, et sic ordines de lignis novis: sumptus autem de domo regis dabuntur. 5 Sed et vasa templi Dei aurea et argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo Jerusalem, et attulerat ea in Babylonem, reddantur, et referantur in templum in Jerusalem in locum suum, quæ et posita sunt in templo Dei.¶¶ 6 Nunc ergo Thathanai dux regionis, quæ est trans flumen, Stharbuzanai, et consiliarii vestri Apharsachæi, qui estis trans flumen, procul recedite ab illis,§§ 7 et dimittite fieri templum Dei illud a duce Judæorum, et a senioribus eorum, ut domum Dei illam ædificent in loco suo. 8 Sed et a me præceptum est quid oporteat fieri a presbyteris Judæorum illis ut ædificetur domus Dei, scilicet ut de arca regis, id est, de tributis quæ dantur de regione trans flumen, studiose sumptus dentur viris illis, ne impediatur opus. * 9 Quod si necesse fuerit, et vitulos, et agnos, et hædos in holocaustum Deo cæli, frumentum, sal, vinum, et oleum, secundum ritum sacerdotum, qui sunt in Jerusalem, detur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia.† 10 Et offerant oblationes Deo cæli, orentque pro vita regis, et filiorum ejus.‡ 11 A me ergo positum est decretum: ut

††6.1 **Tunc Darius.** BEDA in Esdram, lib. 2, tom. 2. Josephus nomen loci in quo hæ Cyri litteræ sint inventæ, ita posuit; et inventus est in Egbathanis constructa urbe in regione Mediæ codex. Porro alia translatio sic habet: In Egbathana in ædificio tutissimo regionis Medorum: unde videtur quod nomen Medena non aliud quam Mediam significat.

‡‡6.3 **Ut ponant fundamenta.** ID., ibid. Non est nobis exponendum, etc., usque ad aut de porticu domus Domini quæ erant ante faciem templi. De qua Scriptura cum palatium Salomonis fabricaretur, ita memorat: **Fecit atrium,** etc. III Reg. 7..

¶¶6.5 **Reddantur.** ID., ibid. Darius perfectas litteras auctoritate sua confirmat compescens omnes Judæorum adversarios, et templum in loco suo ædificari jubet, etc.

§§6.6 **Nunc ergo.** Significat Artaxerxes, qui domum Dei et civitatem ædificari vetat, eos qui constructioni Ecclesiæ sanctæ motis persecutionibus contradicunt, inter quas Ecclesia maxime martyrum victoria floruit. Darius autem piam illorum regum devotionem, qui agnita fidei Christianæ pietate non resistere, sed suis decretis eam adjuvare curabant, e quibus multi interdictis persecutionibus priorum, seipsos cum subjectis populis ejusdem fidei sacramentis consecrari voluerunt: quibus bene convenit quod Darius adjungit: **Sed a me præceptum est quod,** etc. Quis enim explicare valeat quantum Ecclesia liberalitate regum adjuta sit et locupletata?

*6.8 **Ut de arca.** BEDA, ibid. De arca regis ad opus Dei sumptus tribuuntur, etc., usque ad quid Cyrillus, quid Joannes, quid cæteri sancti dixerunt: edoctum se a senioribus Judæorum, id est, confitentium et laudantium Deum probavit. **Vitulos et agnos.** ID., ibid. Hæc animalia quæ munda sunt, etc., usque ad quidquid a viris Ecclesiæ salubre didicerit, totum in divinum cultum impendit.

†6.9 **Secundum ritum.** Quia tunc tantum vota offerentium accepta erunt, cum secundum catholicæ pacis ritum offeruntur; quæ autem gentili superstitione vel hæretica permista sunt, bona non sunt.

‡6.10 **Orentque.** Secundum illud Apostoli: **Obsecro ergo primo omnium fieri obsecrationes et orationes, postulationes gratiarumque actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt** I Tim. 2..

omnis homo qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domum ipsius, et erigatur, et configatur in eo, domus autem ejus publicetur.[¶] ¹² Deus autem, qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, et populum qui extenderit manum suam ut repugnet, et dissipet domum Dei illam, quæ est in Jerusalem. Ego Darius statui decretum, quod studiose impleri volo.[§] ¹³ Igitur Thathanai dux regionis trans flumen, et Stharbazanai, et consiliarii ejus, secundum quod præceperat Darius rex, sic diligenter executi sunt. ¹⁴ Seniores autem Judæorum ædificabant, et prosperabantur juxta prophetiam Aggæi prophetæ, et Zachariæ filii Addo: et ædificaverunt et construxerunt, jubente Deo Israël, et jubente Cyro, et Dario, et Artaxerxe regibus Persarum:^{**} ¹⁵ et compleverunt domum Dei istam, usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii regis.^{††} ¹⁶ Fecerunt autem filii Israël sacerdotes et Levitæ, et reliqui filiorum transmigracionis, dedicationem domus Dei in gaudio.^{‡‡} ¹⁷ Et obtulerunt in dedicationem domus Dei, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israël duodecim, juxta numerum

[¶]6.11 *A me ergo.* Gravissima pœna voluit eum punire qui decretum mutaret, damno scilicet omnium quæ haberet et animæ suæ, quam etiam ligno confixus longo cruciatu amitteret. Mystice autem opera nostra lignis comparantur, bona fructiferis, prava autem salicibus et incendio dignis, tolliturque lignum de domo ejus, qui holocaustis Domini contradicit, et erigitur, et ipse in eo configitur, cum opera eorum qui paci Ecclesiæ repugnant omnibus manifeste, quam sint inutilia et perversa patescunt: et ipsi in eis non vitæ gaudium, sed mortis laqueum acquisisse probantur. Domus quoque talium publicatur, id est, publico censu proscibitur: cum corpora eorum quæ quibus in hac vita remanserunt, in resurrectione perpetuo punienda tormento sævis exactoribus, immundis spiritibus in potestate traduntur.

[§]6.12 *Deus autem.* Decretum suum divinæ potentiæ confirmari desiderat, et ipse ut homo temporalis regno præditus pro pace domus Dei publica lege omnia quæ potest facit. Quod nunc quoque in Ecclesia geritur, cum terrenæ potestates ad fidem conversæ pro statu Ecclesiæ publica edicta proponunt, et hanc Domino juvante et inimicos debellante placidam pacem semper habere capiunt.

^{**}6.14 *Juxta prophetiam.* Prædixerant enim, quia si ædificando templo insisterent, mox donante Domino et opus ipsum completerent, et bonis omnibus abundarent. BEDA ubi supra. Nemo quod Aggæus dicit sub Dario rege jacta esse templi fundamenta, etc., usque ad aliquando separatim sub nomine gazophylaciorum, vel exedrarium, vel porticum, vel atriorum; unde: *Qui stans in domo Domini, in atrii domus Dei nostri* Psal. 133.. *Et Artaxerxe.* Quæritur quomodo, jubente Artaxerxe, dicatur domus constructa, cum statim subjungitur eam, regnante adhuc Dario, fuisse completam et dedicatam, nisi forte credendum est etiam Artaxerxem, misso auro et argento, jussisse: ubi si quid minus in ædificio vel ornatu templi vel vasorum esset completum, perficeretur. Nam Esdra illuc properante, scriptum est quod idem rex cum principibus vel consiliariis suis plurimum auri et argenti et vasorum miserit ad templum.

^{††}6.15 *Mensis Adar.* BEDA, ibid. Cujus tertia die domus completa est, usque ad in quibus eminentiora cuncta fuere completa. ID., ibid. Templum vero quanquam electam animam significat propter inhabitantem in se Spiritum Christi, etc., usque ad a superiore quoque in tertium penetramus, cum beatitudinem animarum etiam corporum immortalium perceptione cumulamus.

^{‡‡}6.16 *Fecerunt autem.* Merito gaudent filii transmigracionis, etc., usque ad quia omnes ordines Ecclesiæ reconciliatis per pœnitentiam peccatoribus gaudent.

tribuum Israël.[¶] 18 Et statuerunt sacerdotes in ordinibus suis, et Levitas in vicibus suis, super opera Dei in Jerusalem, sicut scriptum est in libro Moysi.^{§§} 19 Fecerunt autem filii Israël transmigrationis Pascha, quartadecima die mensis primi.* 20 Purificati enim fuerant sacerdotes et Levitæ quasi unus: omnes mundi ad immolandum Pascha universis filiis transmigrationis, et fratribus suis sacerdotibus, et sibi. 21 Et comederunt filii Israël, qui reversi fuerant de transmigracione, et omnes qui se separaverant a coinquinatione gentium terræ ad eos, ut quæerent Dominum Deum Israël. 22 Et fecerunt solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia, quoniam lætificav-

[¶]6.17 *Et obtulerunt.* Offerunt in dedicatione hostias, cum pro errantium conversione Deo gratias agunt, cum multi conspecta devotione eorum ad majora se virtutum opera accingunt, ne sint segnioreis eis in operando, quibus innocetiores fuerunt minus peccando. Multi etiam qui in fide præcesserunt, ferventiora novitiorum studia æmulantur. *Hircos caprarum.* Hirci in hac vita offeruntur pro peccato, cum electi Deo supplicant, ut liberentur a peccatis: offeruntur in futuro, cum gratias agunt qui liberati sunt, ideoque *miser cordias Domini in æternum cantabunt* Psal. 88.; quia semper miseros se fuisse et dono ejus liberatos esse memorabunt. *Pro peccato.* Pro peccato etiam totius Israël offerunt, quia oportet sic eos qui nobiscum sunt, bonis favere; sic illorum bona imitando, nostra facere, ut etiam pro statu totius Ecclesiæ Dominum deprecemur. Unde in oratione Dominica nemo sibi specialiter aliquid petit, sed omnibus qui eundem Patrem habent in cœlis. Item, ædificato templo, dedicatio sequitur, cum completa in fine sæculi summa electorum perveniet ad gratiam cœlestium præmiorum, in qua hostiæ offeruntur: de quibus eadem domus, id est Ecclesia, post captivitatem mortalis ærumnæ reædificata per gloriam immortalitatis dicit: *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* Psal. 115.. Et quia offeruntur non solum pro donis virtutum, sed et pro mundanis sordibus vitorum: bene post vitulos, arietes et agnos hirci pro peccato totius Israël offeruntur: gratia enim de qua virtutum beneficia confert, etiam scelera aufert. Nec in domo Dei habet Pelagius locum, qui se suosque persuadebat libertate arbitrii vel liberari a malis, vel confirmari posse in bonis.

^{§§}6.18 *Et statuerunt.* Ordo poscebat ut, domo Dei ædificata, mox sacerdotes et Levitæ qui in ea ministrarent, ordinarentur. Quod observandum est his qui magnifice monasteria construunt, ut in his doctores instituant, qui ad opera Dei populum hortentur, non ibi suis voluptatibus serviant. *Sacerdotes.* BEDA ubi supra. Quod dicit sacerdotes in ordinibus suis, etc., usque ad si ad præmia Domini una cum eis pervenire curamus.

* 6.19 *Fecerunt autem filii.* Ideo specialiter ædificata et dedicata domo Domini celebratio paschæ memoratur, cum nulli dubium esset tum religiosos pascha suo tempore celebrare, ut mystice insinuaretur hanc esse summam perfectionis, cum præteritis omnibus mundi illecebris tota semper intentione mentis alterius vitæ meditatur ingressum. Pascha enim transitus interpretatur, quia filii Israël in eo per immolationem agni de Ægyptiaca servitute ad libertatem transierunt, vel ipse agnus, id est Christus, pro nobis immolatus transivit ex hoc mundo ad Patrem, quod imitatur cum ab infimis voluptatibus ad cœlestia quærenda transimus, et vere perficimus, cum a carnis ergastulo soluti cœleste regnum intramus. BEDA, ibid. Quare de pascha post ædificatam domum refertur, etc., usque ad quanto diutius terram cordis virtute vacuam possedit.

erat eos Dominus, et converterat cor regis Assur ad eos, ut adjuvaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israël.[†]

7 Post hæc autem verba in regno Artaxerxis regis Persarum, Esdras filius Saraiaë, filii Azariaë, filii Helciaë,[‡] ² filii Sellum, filii Sadoc, filii Achitob, ³ filii Amariaë, filii Azariaë, filii Maraioth, ⁴ filii Zarahiaë, filii Ozi, filii Bocci, ⁵ filii Abisue, filii Phinees, filii Eleazar, filii Aaron sacerdotis ab initio. ⁶ Ipse Esdras ascendit de Babylone, et ipse scriba velox in lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israël: et dedit ei rex secundum manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus. ⁷ Et ascenderunt de filiis Israël, et de filiis sacerdotum, et de filiis Levitarum, et de cantoribus, et de janitoribus, et de Nathinæis, in Jerusalem, anno septimo Artaxerxis regis.[¶]
⁸ Et venerunt in Jerusalem mense quinto, ipse est annus septimus regis. ⁹ Quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, et in primo die mensis quinti venit in Jerusalem, juxta manum Dei sui bonam super se.[§] ¹⁰ Esdras enim paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, et faceret et doceret in Israël præceptum

[†]6.22 *Et fecerunt solemnitatem.* ID., ibid. Potest hoc in loco celebratio paschæ ad tempus nostræ resurrectionis typice referri, etc., usque ad cujus nobis septilorem Propheta gratiam commendat. *Septem diebus.* Quia per omne sæculi tempus in sinceritate et veritate, imo in omnibus bonorum victimis et holocaustis vita ducenda est: quia Christus paschali tempore transitorie mortem gustavit, sed æterna resurrectionis virtute devicit. *In lætitia.* Hæc est enim maxima nunc et in futuro justorum lætitia, perfectum esse opus justitiæ vel Ecclesiæ, conversis etiam gentilibus, qui olim resistebant et ad adjuvandum ejus statum, confirmandam Christianæ religionis pacem per mundum.

[‡]7.1 *Post hæc autem.* Beda in Esdram, tom. 2. Hucusque reditus populi de Babylone in Jerusalem, etc., usque ad haberent unde ipsi moniti intus discerent restaurari, unde sequitur: *Post hæc.* BEDA, ibid. Hunc Artaxerxem sub quo Esdras de Babylonia Jerosolymam ascendit, Josephus putat esse Xerxem filium Darii, qui post illum regnavit: sed chronicorum libri successorem ejusdem Xerxis. Regnavit autem Darius, sub quo ædificatum est templum, annos sex et trigenta, post quem Xerxes annos viginti, post quem Archabanus menses septem quos chronographi pro anno posuere: post hunc Artaxerxes annis quadraginta. ID., ibid. Scriba velox in lege Moysi appellatur Esdras, etc., usque ad priores autem litteræ remanserunt apud Samaritas, quibus illos quinque libros Mosi quos solos de Scriptura sancta receperant, scribere solebant.

[¶]7.7 *Et ascenderunt.* ID., ibid. Notandum quod in capite hujus libri scriptum est quod ad permissionem Cyri ascenderunt de Babylone Zorobabel et Josue, etc., usque ad perpetuam ad cœlestem patriam pervenientibus do.

[§]7.9 *Quia in primo.* ID., ibid. Prima die mensis cœpit ascendere de Babylone, etc., usque ad velut post quatuor menses lucidæ actionis, quos in via pergitur, quintum mensem perpetuæ remunerationis in luce patriæ cœlestis agimus. ID., ibid. Primo mense cœpit Esdras ascendere de Babylone, etc., usque ad superna promissa veniamus. *Juxta manum Dei.* Confirmatus scilicet gratia et protectione divina, qua prospere cœpta perficeret. Sic et Christus, quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, manus quoque Dei super ejus humanitatem fuit, qua in passione exaltatus, et ad mœnia supernæ civitatis ascendit, et fidelibus suis iter patefecit.

et iudicium.** ¹¹ Hoc est autem exemplar epistolæ edicti, quod dedit rex Artaxerxes Esdræ sacerdoti, scribæ erudito in sermonibus et præceptis Domini, et cæremoniis ejus in Israël. ¹² Artaxerxes rex regum Esdræ sacerdoti scribæ legis Dei cæli doctissimo, salutem. ^{††} ¹³ A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israël, et de sacerdotibus ejus, et de Levitis, ire in Jerusalem, tecum vadat. ^{‡‡} ¹⁴ A facie enim regis, et septem consiliatorum ejus, missus es, ut visites Judæam et Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua: ^{¶¶} ¹⁵ et ut feras argentum et aurum quod rex, et consiliatores ejus, sponte obtulerunt Deo Israël, cujus in Jerusalem

****7.10 Esdras autem paravit.** Magna virtus hominis parare cor suum ad obsequium divinæ voluntatis, et dicere posse: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* Psal. 56.. BEDA, ibid. Christus quoque paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, quia talem sibi hominem suscipere divinitus prævidit, qui non solum sine peccato, sed etiam plenus esset gratia et veritate: qui nulla sibi repugnante lege peccati, legem Dei absque ulla mentis vel carnis contradictione servet; unde: *In capite libri scriptum est de me,* etc. Psal. 39. Item Dominus investigavit legem Dei, quia abjectis Pharisæorum traditionibus Scripturam sanctam mystice intelligere docuit, et decreta Evangelii quæ attulit magis perfecta et Deo accepta quam ea quæ per Moysen præmiserat, ostendit. Unde: *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges amicum tuum, et odio habetis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros,* etc.

††7.12 Artaxerxes rex. Artaxerxes qui devota mente templum et sacerdotes Domini venerabatur, eique famulabatur, Christianos principes, sicut Darius significat. Nec mirum si successores Cyri qui templum et civitatem fecerunt ædificari, qui servos ejus ac legem dilexerunt atque juverunt, Christianos reges figurant; cum ipse Dominus per prophetam Cyrum significare Filium suum dixit: et ejus nomine illum honorificaverit, dicens: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro* Isa. 45..

‡‡7.13 A me decretum. Quia ad regem pervenerat fama divinæ virtutis, per quam ille incensam a Chaldæis legem eisdem quibus prius propriis sermonibus, quamvis alio litterarum caractere novaverit.

¶¶7.14 Ut cuicumque. Omnibus licentiam eundi tribuit, nullum ire compellit. Christiani principes nullum cogentes, ne sit incerta voluntas fidei, omnibus quibus placuerit in regno suo Christum colere permittunt. *Et septem consiliatorum.* In libro Esther legitur moris fuisse Persarum regibus, ut in cunctis agendis vel discernendis septem consilio uterentur. Septem consiliariis utuntur fideles cum in omnibus quæ faciunt præcepta divinæ Scripturæ sequuntur. De qua dicitur: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum* Psal. 11., id est sancta illustratione septiformis spiritus perfectum. *Missus es.* Mittitur Esdras a facie regis et septem consiliatorum ejus, ut visitet Indiam et Jerusalem et conversi ad fidem principes sæculi et Scripturarum persuasionibus roborati, Christum ad salvandam Ecclesiam et congregandam de gentibus quotidiano auxilio, quod Esdræ nomen significat, venire desiderant, dicentes: *Domine Deus virtutum, convertere, respice de cælo,* etc. Psal. 79. *Quæ est in manu.* Mirum quod invenitur verbum in epistola Artaxerxis quo prophetæ solent uti: cum dicit legem Dei esse in manu servi illius, scriptum est enim: Factum est verbum in manu Aggæi prophetæ. Et Dominus fecit quod locutus est in manu servi sui Eliæ; et testificatus est Dominus in Israël et in Juda per manus omnium prophetarum: quia scilicet prophetæ non minus operando quam loquendo quæ Dei sunt, prædicabant. Christus legem in manu habuit: quia eam quondam per Moysen prout voluit, statuit; et nunc eandem per semetipsum immutans ad perfectiora transtulit.

tabernaculum est.^{§§ 16} Et omne argentum et aurum quodcumque inveneris in universa provincia Babylonis, et populus offerre voluerit, et de sacerdotibus quæ sponte obtulerint domui Dei sui, quæ est in Jerusalem,^{* 17} libere accipe, et studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, et sacrificia, et libamina eorum, et offer ea super altare templi Dei vestri, quod est in Jerusalem.¹⁸ Sed et si quid tibi et fratribus tuis placuerit de reliquo argento et auro ut faciatis, juxta voluntatem Dei vestri facite.¹⁹ Vasa quoque, quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Jerusalem.^{† 20} Sed et cetera, quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse est ut expendas, dabitur de thesauro, et de fisco regis,²¹ et a me. Ego Artaxerxes rex, statui atque decrevi omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, ut quodcumque petierit a vobis Esdras sacerdos, scribe legis Dei cæli, absque mora detis,^{‡ 22} usque ad argenti talenta centum, et usque ad frumenti coros centum, et usque ad vini batos centum, et usque ad batos olei centum, sal vero absque mensura.^{¶ 23} Omne quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in

§§7.15 *Et ut feras.* Notanda fides et sapientia regis et consiliatorum ejus qui dona sua magis per illum qui legem Dei in manu habebat, id est opere complebat, offerenda esse intellexerunt. *Cujus in Jerusalem.* BEDA ubi supra. Fideliter et docte eum in Jerusalem habere tabernaculum dicit, etc., usque ad et de illo Joannes ait: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* I Joan. 2..

*7.16 *Et omne argentum.* De hac pecunia fideles in Ecclesia sua bona opera clarere cupiunt: ut per hoc patrem cum sanctis habeant: et alii ipsorum exemplis proficiant. Nam quasi de argento et auro nostro sacrificia, libamina, et hostiæ ad offerendum Domino comparantur: cum visa operum nostrorum claritate proximi convertuntur ad officium pietatis: quo et ipsi bene vivendo Domino consecrantur; sunt autem quædam sanctorum clarissimæ virtutes: quæ non omnibus in exempla operis possunt ostendi: sed tantum ad glorificandam Dei gratiam recitari, ut est illud quod Daniel et Jeremias pueri prophetaverunt: quod Joannes nondum natus: quod Cornelius cum domo sua nondum baptizatus Spiritum sanctum accepit, et innumera miracula instar argenti in domo Domini. Nec tantum ex hoc argento vel auro oblationes quæ super altare ponuntur, emi possunt, quia talia cum audimus, mirari quidem velut divina debemus: sed quasi possibilia imitari non valemus.

†7.19 *Vasa quoque.* Verus Esdras vasa misericordiæ quæ sibi traduntur ab hominibus in conspectu Patris in supernam Jerusalem tradidit. De quibus dicitur: *Quomodo poterit quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem?* Marc. 3. Fortis enim erat rex Babylonis, id est diabolus: sed vincit et ligatus a Domino, ea quæ injuste possidebat vasa, id est delectorum corda amisit: neque auferenti et ad supernam civitatem cujus erant propria reducenti contradicere potuit.

‡7.21 *Et a me.* Principes Christiani subjectis suis imperant, ut quidquid petierit Christus pontifex noster, absque mora tribuant: nihil omnino retractantes, dent aum in confessione veræ fidei, frumentum in ostensione bonæ operationis; vinum in fervore dilectionis; oleum in hilaritate misericordiæ: et hæc omnia sub centenario numero sacerdoti magno et scribæ legis Dei cæli dari jubentur, id est Christo, qui cœlestia nobis mandata a Patre deferens, cœlestia obedientibus in domo Patris præmia promisit. Centenarius enim, qui in computo digitorum a læva transit in dexteram: ea quæ in dextra indicis id est vita æterna sunt gaudia, designat. Talentum autem triplicis mensuræ traditur. Minimum, librarum quinquaginta medium, librarum sexaginta duo summum, librarum centum et viginti. Corus triginta modii: batos, qui et ephi decima pars cori, id est tres modii.

¶7.22 *Sal vero.* BEDA ubi supra. Sal sapientiam significat, etc., usque ad dum per adversarios expugnant.

domo Dei cæli: ne forte irascatur contra regnum regis, et filiorum ejus. ²⁴Vobis quoque notum facimus de universis sacerdotibus, et Levitis, et cantoribus, et janitoribus, Nathinæis, et ministris domus Dei hujus, ut vectigal, et tributum, et annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.[§] ²⁵Tu autem Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue judices et præsides, ut judicent omni populo qui est trans flumen, his videlicet qui noverunt legem Dei tui: sed et imperitos docete libere.** ²⁶Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, et legem regis, diligenter, judicium erit de eo sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certe in carcerem. ²⁷Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis ut glorificaret domum Domini quæ est in Jerusalem, ²⁸et in me inclinavit misericordiam suam coram rege et consiliatoribus ejus, et universis principibus regis potentibus: et ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me, congregavi de Israël principes qui ascenderent mecum.††

8 Hi sunt ergo principes familiarum, et genealogia eorum, qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babylone.‡‡ ²De filiis Phinees, Gersom. De filiis Ithamar, Daniel. De filiis David, Hattus. ³De filiis Secheniæ, filiis Pharos, Zacharias: et cum eo numerati sunt viri centum quinquaginta. ⁴De filiis Phahath Moab, Elioënai filius Zarehe, et cum eo ducenti viri. ⁵De filiis Secheniæ, filius Ezechiel, et cum eo trecenti viri. ⁶De filiis Adan, Abed filius Jonathan, et cum eo quinquaginta viri. ⁷De filiis Alam, Isaias filius Athaliæ, et cum eo septuaginta viri. ⁸De filiis Saphatiæ, Zebedia filius Michaël, et cum eo octoginta viri. ⁹De filiis Joab, Obedia filius Jahiel, et cum eo ducenti decem et octo viri. ¹⁰De filiis Selomith, filius Josphiæ, et cum eo centum sexaginta viri. ¹¹De filiis Bebai, Zacharias filius Bebai, et cum eo viginti octo viri. ¹²De filiis Azgad, Johanan filius Eccetan, et cum eo centum et decem viri. ¹³De filiis Adonicam, qui erant novissimi: et hæc nomina eorum: Elipheleth, et Jehiel, et Samaias, et cum eis sexaginta viri. ¹⁴De filii Begui, Uthai et Zachur, et cum eis septuaginta viri. ¹⁵Congregavi autem eos ad fluvium qui decurrit ad Ahava, et mansimus ibi tribus diebus: quæsivique in populo et in sacerdotibus de filiis Levi, et non inveni ibi.¶¶ ¹⁶Itaque misi Eliezer, et Ariel, et Semeiam, et Elnathan, et Jarib, et alterum Elnathan, et Nathan, et Zachariam, et Mosollam principes: et Jojarib,

§7.24 *Vobis quoque.* Hoc privilegio ostenditur, quod cætera plebs filiorum Israël ad patriam perveniens tributa regis pendebat, quod discreta provisione rex fecisse cognoscitur ut qui divino servitio supererant occupati, a suo famulatu essent liberi, et qui in terra nihil proprium possidebant, sed ex decimis populi vivebant, nemo ex eis tributum exigeret. His omnibus probatur, non solum dilexisse, sed etiam optime didicisse quæ divinæ servitutis posceret cultus.

**7.25 *Tu autem.* BED., ibid. Repetit rex quæ supra dixerat, etc., usque ad quibus sæpe reges et principes litteras pro statu fidelium miserunt.

††7.28 *Et ego confortatus.* Sic quisque ad alios congregandos idoneus per doctrinam suam efficitur: ebrius per gratiam Dei contra omnia quæ sanctorum opus impediunt, mente roboratur.

‡‡8.1 *Hi sunt ergo principes,* etc. BEDA, in Esdram. Diligenter principes qui secum de Babylone ascenderunt, enumerat, etc., usque ad id est, ex eorum vita quos docuisti, gloriostor eris in regno Dei.

¶¶8.15 *Congregavi autem.* BEDA., ibid. Nomen hoc loci non alibi me legisse memini, etc., usque ad copiam sibi ministrorum domus Dei providit per quos Jerosolymam veniens quæ in templi usus necessaria sunt perficeret.

et Elnathan sapientes. ¹⁷ Et misi eos ad Eddo, qui est primus in Chasphiæ loco, et posui in ore eorum verba, quæ loquerentur ad Eddo, et fratres ejus Nathinæos in loco Chasphiæ, ut adducerent nobis ministros domus Dei nostri. ^{§§ 18} Et adduxerunt nobis per manum Dei nostri bonam super nos, virum doctissimum de filiis Moholi filii Levi, filii Israëli, et Sarabiam et filios ejus et fratres ejus decem et octo, ¹⁹ et Hasabiam, et cum eo Isaïam de filiis Merari, fratresque ejus, et filios ejus viginti: ²⁰ et de Nathinæis, quos dederat David et principes ad ministeria Levitarum, Nathinæos ducentos viginti: omnes hi suis nominibus vocabantur. ²¹ Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Domino Deo nostro, et peteremus ab eo viam rectam nobis et filiis nostris, universæque substantiæ nostræ. ^{*} ²² Erubui enim petere a rege auxilium et equites, qui defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus regi: Manus Dei nostri est super omnes qui quærent eum in bonitate: et imperium ejus, et fortitudo ejus, et furor, super omnes qui derelinquunt eum. ²³ Jejunavimus autem, et rogavimus Deum nostrum per hoc: et evenit nobis prospere. ²⁴ Et separavi de principibus sacerdotum duodecim, Sarabiam, et Hasabiam, et cum eis de fratribus eorum decem: ²⁵ appendique eis argentum et aurum, et vasa consecrata domus Dei nostri, quæ obtulerat rex et consiliatores ejus, et principes ejus, universusque Israëli eorum qui inventi fuerant: [†] ²⁶ et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, et vasa argentea centum, auri centum talenta: ²⁷ et crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos, et vasa æris fulgentis optimi duo, pulchra ut aurum. ²⁸ Et dixi eis: Vos sancti Domini, et vasa sancta, et argentum et aurum, quod sponte oblatum est Domino Deo patrum nostrorum: [‡] ²⁹ vigilate et custodite, donec appendatis coram principibus sacerdotum, et Levitarum, et ducibus

§§8.17 *Et misi eos ad Eddo.* ID., ibid. Mare Caspium secundum Orosium, etc., usque ad quibus adjunctis Esdras in exercitu suo mille septingentorum prope virorum summam habuisse reperitur.

*8.21 *Et prædicavi ibi jejunium.* BEDA, homil. 8. Datur nobis exemplum jejunandi et orandi, etc., usque ad et sic oret, nec prospere eventura quæ postulat, dubitet.

†8.25 *Appendique eis argentum, et aurum, et vasa consecrata.* ID. in Esdras, tom. 2. Per argentum, et aurum, et vasa quæ de Babylone Jerosolymam mittuntur, etc., usque ad et per successores eorum usque ad finem ædificanda est. ID., ibid. Distat inter hæc vasa quæ Esdras cum sacerdotibus Jerosolymam offert, et ea quæ Zorobabel et Jesus obtulisse referuntur: quia illa de templo Domini translata sunt in Babylonem, et translata sunt in Jerusalem: hæc in Babylonia facta, sed devotionis gratia Jerosolymam missa a rege vel principibus Persarum, vel etiam a populo Israëli, qui in illis partibus morabatur. Illa ergo vasa significant eos qui post acceptam notitiam et sacramenta fidei, post inchoata virtutum opera, decepti a diabolo rapiuntur in confusionem eorum, sed Christi gratia revocantur ad salutem: hæc autem illos qui cum peccato primæ transgressionis nati, per lavacrum regenerationis sacerdotum ministerio expiati, Ecclesiæ filiis aggregantur.

‡8.28 *Vos sancti Domini estis.* Oportet doctores Ecclesiæ nunquam oblivisci sanctimoniam, quia a Domino sunt consecrati per Spiritum sanctum in die redemptionis, ad quam suscipiendam etiam auditores instituant, ut qui jam Domino oblatis sunt per rudimenta fidei, etiam per eorum qui in fide præcesserunt exempla et monita magis confirmantur, et supernæ civitatis introitu digni efficiantur.

familiarum Israël in Jerusalem, in thesaurum domus Domini.[¶] ³⁰ Susceperunt autem sacerdotes et Levitæ pondus argenti, et auri, et vasorum, ut deferrent Jerusalem in domum Dei nostri. ³¹ Promovimus ergo a flumine Ahava duodecimo die mensis primi ut pergeremus Jerusalem: et manus Dei nostri fuit super nos, et liberavit nos de manu inimici et insidiatoris in via. ³² Et venimus Jerusalem, et mansimus ibi tribus diebus.[§] ³³ Die autem quarta appensum est argentum, et aurum, et vasa in domo Dei nostri per manum Meremoth filii Uriæ sacerdotis, et cum eo Eleazar filius Phinees, cumque eis Jozabed filius Josue, et Noadaia filius Bennoi Levitæ, ³⁴ juxta numerum et pondus omnium: descriptumque est omne pondus in tempore illo.^{**} ³⁵ Sed et qui venerant de captivitate filii transmigratonis, obtulerunt holocaustomata Deo Israël, vitularum duodecim pro omni populo Israël, arietes nonaginta sex, agnos septuaginta septem, hircos pro peccato duodecim: omnia in holocaustum Domino.^{††} ³⁶ Dederunt

[¶]8.29 *Vigilate et custodite.* Vigilandum est sacerdotibus, ne qua de sibi creditis animabus, id est, vasis Domini pereat: sed integro numero ad sanctæ virtutis ædificia perducantur. *Donec appendatis.* Eos scilicet, quos superna dispositio vobis commisit, tales instruendo et docendo exhibeatis, qui irreprehensibiles inveniantur, et apti thesauro aulae cœlestis, id est, sedibus æternæ pacis et lucis, et hoc non iudicio quorumlibet qui falli possunt, sed apostolorum et eorum qui cum Domino sunt iudicaturi. Hi enim merito sunt principes sacerdotum et Levitarum et duces familiarum Israël, id est, virorum vel animarum Deum videntium intelliguntur, de quibus dicitur: *Constitues eos principes super omnem terram* Psal. 44.; et alibi: *Nobilis in portis vir ejus. Promovimus.* BEDA, ibid. Omnia sunt plena mysteriis, etc., usque ad qua adjuti animas fidelium ad societatem electorum et arcem vitæ perfectionis quasi vasa sancta ad templum Domini efficacius transferamus.

[§]8.32 *Et mansimus.* ID., ibid. Tres dies manetur in Jerusalem, etc., usque ad quasi post gaudium triduanæ mansionis in Jerusalem ob donaria et vasa pretiosa quæ obtulerunt, amplius honorantur.

^{**}8.34 *Descriptumque.* ID., ibid. Hoc fit cum doctores studiose vitam examinant subditorum, etc., usque ad ut digna in cœlis donetur retributione.

^{††}8.35 *Sed et qui venerant.* ID. Magna devotio et religio ostenditur, cum pervenientes ad templum primo omnium holocausta offerunt, non tantum pro seipsis, sed etiam pro omni Israël, id est, pro eis qui jam domum reversi fuerant, et pro eis qui adhuc exsulabant. Mystice autem illi veraciter et perfecte captivitatem diaboli, qua peccando tenebantur, pœnitendo evaserunt, qui se fixa intentione divino servitio subdunt, qui totos se ab infimis abstractos, flamma cœlestis desiderii accendunt. Hoc est enim holocausta, id est, tota incensa sacrificia Domino offerre, nihil nisi ejus voluntatem in omnibus cogitare vel facere. *Obtulerunt holocaustomata Deo,* etc. Non tantum pro se. Perfectæ mentis indicium est, cum quis pro omni Israël immolat, id est, pro generali fidelium sospitate, quasi unitatis et fraternitatis memor supernæ pietati supplicat.

autem edicta regis satrapis qui erant de conspectu regis, et ducibus trans flumen, et elevaverunt populum et domum Dei.††

9 Postquam autem hæc completa sunt, accesserunt ad me principes, dicentes: Non est separatus populus Israël, sacerdotes et Levitæ, a populis terrarum et abominationibus eorum: Chananæi videlicet, et Hethæi, et Pherezæi, et Jebusæi, et Ammonitarum, et Moabitarum, et Ægyptiorum, et Amorrhæorum: ²tulerunt enim de filiabus eorum sibi et filiis suis, et commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum: manus etiam principum et magistratum fuit in transgressione hac prima. ³Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum et tunicam, et evelli capillos capitis mei et barbæ, et sedi mœrens.††† ⁴Convenerunt autem ad me omnes qui timebant verbum Dei Israël, pro transgressione eorum qui de captivitate venerant, et ego sedebam tristis usque ad sacrificium vespertinum.†††† ⁵et in sacrificio vespertino, surrexi de afflictione mea, et scisso pallio et tunica, curvavi genua mea, et expandi manus meas ad Dominum Deum meum. * ⁶Et dixi: Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput

††8.36 *Et elevaverunt populum.* AUG. Orlando variis donariis, quæ rex et consiliarii et principes ejus miserant, ministros quoque et sacerdotes illius ab omnibus angustiis liberando. Mystice. Populus et templum Dei unam et eandem Ecclesiæ figuram tenent, quam levat Esdras et filii transmigracionis ablatis de Babytone sacris vasis, cum prædicatores aggregantes ei juvante Domino novos credentium populos, honorabilem eam omnibus et terribilem exhibent. Item cum eos quos exemplis in bona conversatione instituere vel verbis usque ad coelestium perceptionem præmium promovent, vel provehunt: levant populum in domum Dei, quia magnum et manentibus in superna patria, et peregrinantibus adhuc in terra electis gaudium faciunt. BEDA in Esdram, lib. 2, tom. 2. Hæc autem transgressio in Malachia propheta manifeste descripta, etc., usque ad referunt causam ad principem, id est, archiepiscopum, cujus auctoritate expietur flagitium. Mystice autem uxores alienigenæ, hæreses et superstitiosas philosophorum sectas significant, quæ cum in Ecclesiam incaute admittuntur, semen sanctum catholicæ veritatis et puræ actionis errore contaminant. Peccata quoque omnia quibus ethnici polluuntur, dum Christiani non erubescunt imitari, quasi per uxores alienigenas degenerant a semine verbi Dei, quo fuerant generati, secundum illud: *Voluntarie genuit nos verbo*, etc. Jac. 1., et quasi profanam de filiabus exterorum sobolem procreant, dum illecebras errantium secuti, perversos ex eis actus ad cuncto rum notitiam proferunt. *Non est separatus.* BEDA., ibid. Notandum est quod abducto Israël in captivitatem, etc., usque ad principes qui corrigere debuerant primos errasse fatentur.

†††9.3 *Scidi pallium.* ID., ibid. Per vestimenta solent opera designari, etc., usque ad Sedit mœrens, ut per lamenta pœnitentiæ veniam promerendam esse doceret.

††††9.4 *Convenerunt.* Nota quantum exempla doctorum juvant. Nihil scribitur Esdras locutus esse, sed tantum auditu scelere lacrymasse et turbam ad se fidelium non vociferando sed lacrymando traxisse. *Convenerunt.* Magna mutatio rerum perfidia principum, multi luxuriam secuti, reducti sunt, magno principe mœrente, et quid peccatoribus agendum esset innuente: conveniunt ad eum omnes qui timent verbum Dei, quo transgressores puniendos esse minatur. *Scisso pallio.* BEDA., ibid. Typice, quod scisso indumento, etc., usque ad etiam ea quæ illorum fragilitati veraciter conveniebant, misericorditer in se transferre dignatus est.

*9.5 *Curvavi genua,* etc. Paravit se per compunctionem cordis, et affectionem corporis, ut dignus efficeretur auditu supernæ pietatis: et in hæc verba orationis prorumpit. Curvat autem genua, expandit manus, et fundit preces in tempore sacrificii vespertini, sciens esse gratius quod fit in spiritu humilitatis et in animo contrito, quam quod carnibus et sanguine pecudum offertur.

nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cælum, ⁷ a diebus patrum nostrorum: sed et nos ipsi peccavimus graviter usque ad diem hanc, et in iniquitatibus nostris traditi sumus ipsi, et reges nostri, et sacerdotes nostri, in manum regum terrarum, et in gladium, et in captivitatem, et in rapinam, et in confusionem vultus, sicut et die hac. ⁸ Et nunc quasi parum et ad momentum facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum, ut dimitterentur nobis reliquiæ, et daretur nobis paxillus in loco sancto ejus, et illuminaret oculos nostros Deus noster, et daret nobis vitam modicam in servitute nostra: ⁹ quia servi sumus, et in servitute nostra non dereliquit nos Deus noster, sed inclinavit super nos misericordiam coram rege Persarum, ut daret nobis vitam, et sublimaret domum Dei nostri, et extrueret solitudines ejus, et daret nobis sepem in Juda et Jerusalem. ¹⁰ Et nunc quid dicemus, Deus noster, post hæc? Quia dereliquimus mandata tua, ¹¹ quæ præcepisti in manu servorum tuorum prophetarum, dicens: Terra, ad quam vos ingredimini ut possideatis eam, terra immunda est juxta immunditiam populorum, ceterarumque terrarum, abominationibus eorum qui repleverunt eam ab ore usque ad os in coinquinatione sua. ¹² Nunc ergo filias vestras ne detis filiis eorum, et filias eorum ne accipiatis filiis vestris, et non quæratís pacem eorum et prosperitatem eorum usque in æternum: ut confortemini, et comedatis quæ bona sunt terræ, et hæredes habeatis filios vestros usque in sæculum. ¹³ Et post omnia quæ venerunt super nos in operibus nostris pessimis, et in delicto nostro magno, quia tu, Deus noster, liberasti nos de iniquitate nostra, et dedisti nobis salutem sicut est hodie, ¹⁴ ut non converteremur, et irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia jungeremus cum populis abominationum istarum. Numquid iratus es nobis usque ad consummationem, ne dimitteres nobis reliquias ad salutem? ¹⁵ Domine Deus Israël, justus es tu: quoniam derelicti sumus, qui salvaremur sicut die hac. Ecce coram te sumus in delicto nostro: non enim stari potest coram te super hoc.

10 Sic ergo orante Esdra, et implorante eo et flente, et jacente ante templum Dei, collectus est ad eum de Israël cœtus grandis nimis virorum et mulierum et puerorum, et flevit populus fletu multo. ^{† 2} Et respondit Sechenias filius Jehiel de filiis Ælam, et dixit Esdræ: Nos prævaricati sumus in Deum nostrum, et duximus uxores alienigenas de populis terræ: et nunc, si est pœnitentia in Israël super hoc,

[†]10.1 *Sic ergo orante Esdra, et implorante Deum et flente... Flevit populus.* BEDA *in Esdram*, tom. 2. Qui scilicet peccaverunt, pœnitentiam agentes, vel qui in castitate permanserant, de casu fratrum dolentes, etc., usque ad Nunc vero etiam ipsi qui peccaverunt cum uxoribus suis et liberis, pœnitentiam acturi convenerunt. *De filiis Ælam.* Hunc dicit Josephus primum fuisse Jerosolymitarum, qui ut principem decet, maxima auctoritate mox intentionem Esdræ juvabat, populum secum peccasse confitendo, et pœnitentiam suadendo abjectis uxoribus alienigenis, cum liberis suis. *Et nunc si est pœnitentia in Israël.* Quia si populum hujus peccati perfecte pœnitet, primo conversi ad Dominum, correctionem promittamus, et veniam postulemus; deinde ad nos reversi, omnem peccati radicem extirpemus et fruticem, ejectis, scilicet, uxoribus cum omni sobole: hoc est enim veraciter pœnitentiam agere toto corde, et intus ad Dominum converti, et omnem foris peccandi materiam ab ipsa origine resecuri. *Surge.* Decenter docet quomodo sit apud majores consilio agendum, ut scilicet, quisque pro suo sensu quod optimum intellexerit, vel intellexisse sibi videtur, dicat: et tamen ei qui præest, locum discernendi relinquat, paratus obtemperare omnibus quæ ille secundum voluntatem et legem Dei agenda decreverit.

³percutiamus foedus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus universas uxores, et eos qui de his nati sunt, juxta voluntatem Domini, et eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri: secundum legem fiat. ⁴Surge, tuum est decernere, nosque erimus tecum: confortare, et fac. ⁵Surrexit ergo Esdras, et adjuravit principes sacerdotum et Levitarum, et omnem Israël, ut facerent secundum verbum hoc: et juraverunt. ⁶Et surrexit Esdras ante domum Dei, et abiit ad cubiculum Johanan filii Eliasib, et ingressus est illuc: panem non comedit, et aquam non bibit: lugebat enim transgressionem eorum, qui venerant de captivitate.[‡] ⁷Et missa est vox in Juda et in Jerusalem omnibus filiis transmirationis, ut congregarentur in Jerusalem: ⁸et omnis qui non venerit in tribus diebus juxta consilium principum et seniorum, auferetur universa substantia ejus, et ipse abjicietur de coetu transmirationis. ⁹Convenerunt igitur omnes viri Juda et Benjamin in Jerusalem tribus diebus: ipse est mensis nonus, vigesimo die mensis: et sedit omnis populus in platea domus Dei, trementes pro peccato, et pluviis.[¶] ¹⁰Et surrexit Esdras sacerdos, et dixit ad eos: Vos transgressi estis, et duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israël.[§] ¹¹Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, et facite placitum ejus, et separamini a populis terræ, et ab uxoribus alienigenis. ¹²Et respondit universa multitudo, dixitque voce magna: Juxta verbum tuum ad nos, sic fiat. ¹³Verumtamen quia populus multus est, et tempus pluviae, et non sustinemus stare foris, et opus non est diei unius vel duorum (vehementer quippe peccavimus in sermone isto), ¹⁴constituantur principes in universa multitudine: et omnes in civitatibus nostris qui duxerunt uxores alienigenas veniant in temporibus statutis, et cum his seniores per civitatem et civitatem, et judices ejus, donec avertatur ira Dei nostri a nobis super peccato hoc. ¹⁵Igitur Jonathan filius Azahel, et Jaasia filius Thecue, steterunt super hoc, et Messollam et Sebethai Levites adjuverunt eos: ¹⁶feceruntque sic filii transmirationis. Et abierunt Esdras sacerdos, et viri principes familiarum, in domos patrum suorum, et omnes per nomina sua, et sederunt in die primo mensis decimi ut quæerent

[‡]10.6 *Filii Eliasib.* Qui tunc summus sacerdos erat, post Jesum filium Josedec Joacim filius ejus, et post eum Eliasib filius ejus summo sacerdotio functus est. *Panem non comedit.* BEDA ubi supra. Exemplum hinc habent sacerdotes, etc., *usque ad: Si enim refugientes coinquinationes mundi,* etc. II Petr. 2..

[¶]10.9 *Ipse est.* BEDA ubi supra. Qui ab Hebræis Casleu, a Romanis vocatur Decem-ber, etc., usque ad qua arte adversa quæ exterius propter peccata desæviunt, aut evitent, aut separent. *Et sedit omnis populus.* ID., ibid. Id est, circa atrium sacerdotum quo ipsa domus undique cingebatur, habens circa se ex omni parte per quadrum ædes atriorum amplissimas, in quibus etiam populus quando pro pluvia opus erat, stare poterat, et videre ea quæ in templi januis gerebantur, vel circa templum: habebant enim interiores parietes juxta terram in columnis factos exteriores solidos.

[§]10.10 *Et surrexit Esdras.* ID., ibid. Hic locus respondet, etc., usque ad et facta merito in memoria teneretur, ac posteris noscenda traderentur.

rem.** 17 Et consummati sunt omnes viri, qui duxerant uxores alienigenas, usque ad diem primam mensis primi. 18 Et inventi sunt de filiis sacerdotum qui duxerant uxores alienigenas. De filiis Josue filii Josedec, et fratres ejus, Maasia, et Eliezer, et Jarib, et Godolia.†† 19 Et dederunt manus suas ut ejicerent uxores suas, et pro delicto suo arietem de ovibus offerrent.‡‡ 20 Et de filiis Emmer, Hanani, et Zebedia. 21 Et de filiis Harim, Maasia, et Elia, et Semeia, et Jehiel, et Ozias. 22 Et de filiis Pheshur, Elioënai, Maasia, Ismaël, Nathanaël, Jozabed, et Elasa. 23 Et de filiis Levitarum, Jozabed, et Semei, et Celaia, ipse est Calita, Phataia, Juda, et Eliezer. 24 Et de cantoribus, Eliasib. Et de janitoribus, Sellum, et Telem, et Uri. 25 Et ex Israël, de filiis Pharos, Remeia, et Jesia, et Melchia, et Miamin, et Eliezer, et Melchia, et Banea. 26 Et de filiis Ælam, Mathania, Zacharias, et Jehiel, et Abdi, et Jerimoth, et Elia. 27 Et de filiis Zethua, Elioënai, Eliasib, Mathania, et Jerimuth, et Zabad, et Aziza. 28 Et de filiis Bebai, Johanan, Hanania, Zabbai, Athalai. 29 Et de filiis Bani, Mosollam, et Melluch, et Adaia, Jasub, et Saal, et Ramoth. 30 Et de filiis Phahath Moab, Edna, et Chalal, Banaias, et Maasias, Mathanias, Beseleel, Bennui, et Manasse. 31 Et de filiis Herem, Eliezer, Josue, Melchias, Semeias, Simeon, 32 Benjamin, Maloch, Samarias. 33 Et de filiis Hasom, Mathanai, Mathatha, Zabad, Eliphelet, Jermai, Manasse, Semei. 34 De filiis Bani, Maadi, Amram, et Vel, 35 Baneas, et Badaias, Cheliau, 36 Vania, Marimuth, et Eliasib, 37 Mathanias, Mathanai, et Jasi, 38 et Bani, et Bennui, Semei, 39 et Salmias, et Nathan, et Adaias, 40 et Mechnedebai, Sisai, Sarai, 41 Ezrel, et Selemiau, Semeria, 42 Sellum, Amaria, Joseph. 43 De filiis Nebo, Jehiel, Mathathias, Zabad, Zabina, Jeddu, et Joël, et Banaia. 44 Omnes hi acceperant uxores alienigenas, et fuerunt ex eis mulieres, quæ pepererant filios.

** 10.16 *Et sederunt in die.* ID., ibid. Nota numerum ternarium esse mysticum, etc., usque ad quod etiam nos omnibus annis in quadragesima paschæ oportuit imitari, instante scilicet Dominica resurrectionis, *mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut participes resurrectionis esse valeamus* II Cor. 7.. *Et inventi sunt.* ID., ibid. Aptant Hebræi huic loco, etc., usque ad Sed intuendum quod non scribit Esdras Jesum alienigenam duxisse uxorem, sed quosdam de filiis et fratribus suis, etc.

†† 10.18 *Et fratres ejus.* ID., ibid. Cognati scilicet, non enim fratres ejus germani in carne eatenus vivere, et voluptati operam dare poterant, cum centum anni et amplius essent transacti, ex quo Cyrus regnare incipiens, Jesum et Zorobabel cum transmigracione Juda et Benjamin, ad construendam domum Domini, Jerosolymam remisit.

‡‡ 10.19 *Et dederunt,* etc. ID., ibid. Primo uxores illicitas abjiciunt, etc., usque ad dignum faciat perpetua mercede in cœlis.

II ESDRÆ ID EST LIBER NEHEMIÆ

1 Verba Nehemiæ filii Helchiæ. Et factum est in mense Casleu, anno vigesimo, et ego eram in Susis castro.^{¶¶} ²Et venit Hanani, unus de fratribus meis, ipse et viri ex Juda: et interrogavi eos de Judæis qui remanserant, et supererant de captivitate, et Jerusalem. ³Et dixerunt mihi: Qui remanserunt, et relictis sunt de captivitate ibi in provincia, in afflictione magna sunt, et in opprobrio: et murus Jerusalem dissipatus est, et portæ ejus combustæ sunt igni. ⁴Cumque audissem verba hujuscemodi, sedi, et flevi, et luxi diebus multis: jejunabam, et orabam ante faciem Dei cæli:^{§§} ⁵et dixi: Quæso, Domine Deus cæli fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum et misericordiam cum his qui te diligunt, et custodiunt mandata tua: ⁶fiant aures tuæ auscultantes, et oculi tui aperti, ut audias orationem servi tui, quam ego oro coram te hodie nocte et die pro filiis Israël servis tuis: et confiteor pro peccatis filiorum Israël, quibus peccaverunt tibi: ego et domus patris mei peccavimus, ⁷vanitate seducti sumus, et non custodivimus mandatum tuum, et cæremonias, et judicia quæ præcepisti Moysi famulo tuo. ⁸Memento verbi quod mandasti Moysi servo tuo, dicens: Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos: ⁹et si revertamini ad me, et custodiatis præcepta mea, et faciatis ea: etiamsi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, et reducam in locum quem elegi ut habitaret nomen meum ibi. ¹⁰Et ipsi servi tui, et populus tuus, quos redemisti in fortitudine tua magna, et in manu tua valida. ¹¹Obsecro, Domine, sit auris tua attendens ad orationem servi tui, et ad orationem servorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum: et dirige servum tuum hodie, et da ei misericordiam ante virum hunc. Ego enim eram pincerna regis.

^{¶¶}1.1 *Verba Nehemiæ filii.* BED. in Esdram, tom. 2. Nehemias interpretatur *consolator Domini*, etc., usque ad quasi diruta ab hostibus Hierosolymorum mœnia restaurant. *Verba Nehemiæ.* ID., ibid. Hucusque verba Esdræ, etc., usque ad qui non blandimentis temporalibus enervari, sed adversitatibus exerceri, et ad requiem sempiternam gaudere præparari. *In mense Casleu.* ID., ibid. Mensis Casleu ipse est quem nos Decembrem vocamus, apud Hebræos nonus, apud nos ultimus. Cujus nomen quod spes ejus interpretatur, bene congruit votis ejus, qui ad ruinas sanctæ civitatis intendebat erigendas. Primum enim bonæ actionis fundamentum est, spem habere de auxilio Domini ad perficiendum quod cupimus. In hoc mense natus est Dominus, cujus nomine longe ante figurabatur, quod in eo mense verus Nehemias diu desideratus ad ædificationem Ecclesiæ esset venturus. *Eram in Susis.* ID., ibid. Susis metropolis est Persarum, sed tanta firmitate, ut castrum esse videatur, et interpretatur equitatio vel revertens, quæ fidelibus convenienter aptatur, eis maxime, qui de captivitate Jerusalem curam gerunt, id est, de salute eorum, qui aliquando per insidias diaboli de Ecclesia rapti pœnitentes denuo per gratiam Dei sunt redacti. Tales enim sunt in revertente castro, id est, in robore mentis revocata ab infimis ad desiderium patriæ cœlestis, et in equitatu sanctorum cordium, quæ scilicet portant sessorem Deum. *Qui remanserunt.* ID., ibid. Patet litteræ sensus, etc., usque ad indignos arcere debuerant, avaritiæ, luxuriæ cæterorumque vitiorum incendio perire.

^{§§}1.4 *Flevi et luxi.* Si vir sanctus audiens destructa lignorum et lapidum ædificia recte lugebat, jejunabat, et orabat, diu sedens in tristitia, quanto magis in destructione et ruina animarum continuis luctibus, et orationibus est insistendum, ut miserante Deo ad pristinam erigantur sospitatem, qui in opprobrio religionis triumphante inimico jacebant diutina vitiorum sorde squalentes.

2 Factum est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis regis: et vinum erat ante eum, et levavi vinum, et dedi regi: et eram quasi languidus ante faciem ejus.* ²Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valde, ac nimis: ³et dixi regi: Rex, in æternum vive: quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, et portæ ejus combustæ sunt igni? ⁴Et ait mihi rex: Pro qua re postulas? Et oravi Deum cæli, ⁵et dixi ad regem: Si videtur regi bonum, et si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam ad civitatem sepulchri patris mei, et ædificabo eam.† ⁶Dixitque mihi rex, et regina quæ sedebat juxta eum: Usque ad quod tempus erit iter tuum, et quando reverteris? Et placuit ante vultum regis, et misit me: et constitui ei tempus. ⁷Et dixi regi: Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen, ut traducant me, donec veniam in Judæam: ⁸et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, ut det mihi ligna, ut tegere possim portas turris domus, et muros civitatis, et domum quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex juxta manum Dei mei bonam mecum. ⁹Et veni ad duces regionis trans flumen, dedique eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum, et equites. ¹⁰Et audierunt Sanaballat Horonites, et Tobias servus Ammanites: et contristati sunt afflictione magna, quod venisset homo qui quæreret prosperitatem filiorum Israël.‡ ¹¹Et veni Jerusalem, et eram ibi tribus diebus. ¹²Et surrexi nocte ego, et viri pauci mecum, et non indicavi cuiquam quid Deus dedisset in corde meo ut facerem in Jerusalem: et jumentum non erat mecum, nisi animal cui sedebam. ¹³Et egressus sum per portam vallis nocte, et ante fontem draconis, et ad portam stercoris, et considerabam murum Jerusalem dissipatum, et portas ejus consumptas igni. ¹⁴Et transivi ad portam fontis, et ad aquæductum regis, et non erat locus jumento cui sedebam ut transiret. ¹⁵Et ascendi per torrentem nocte, et considerabam murum, et reversus veni ad portam vallis, et redii.¶ ¹⁶Magistratus autem nesciebant quo abissem, aut quid ego facerem: sed et Judæis, et sacerdotibus, et optimatibus, et magistratibus, et reliquis qui faciebant opus, usque ad id loci nihil indicaveram. ¹⁷Et dixi eis: Vos nostis afflictionem in qua sumus: quia Jerusalem deserta est, et portæ ejus consumptæ sunt igni: venite, et ædificemus muros Jerusalem,

*2.1 *Factum est autem.* BED. in Esdram. Qui scilicet est primus mensis anni, etc., usque ad suum intimare. Erat quidem princeps vinarius, regi poculum porrigebat, officium lætitiæ foris agebat, sed interius lugebat: quia civitatem sanctam dirutam, etc. Unde: *Super flumina Babylonis illic sedimus,* etc. Psal. CXXXVI.

†2.5 *Si videtur,* etc. ID., ibid. Sicut per Cyrum primum Persarum regem Christus significatur, etc., usque ad de qua tota prophetæ sententia plenissime, prout potui, in libro temporum edisserere curavi.

‡2.10 *Et audierunt.* Contrastantur hæretici, etc., usque ad et eos, qui peccando erraverunt, poenitendo redire cognoscunt.

¶2.15 *Considerabam murum Jerusalem.* Diversa destructæ urbis loca lustrando pervagatur; et singula quomodo debeant reparari, sollicite scrutatur. Doctorum quoque spiritualium est sæpius noctu surgere, et solerti indagine statum Ecclesiæ quiescentibus cæteris inspicere, ut vigilanter inquirant, quomodo ea quæ vitiorum bellis sordidata vel dejecta sunt, corrigant et erigant. Murus autem Jerusalem dissipatus jacet, et conversatio fidelium terrenis et infirmis sordet affectibus. Portæ sunt igni consumptæ, cum hi qui aliis introitum vitæ pandere debuerant, relicto veritatis magistro communi, cum cæteris ignavia torpent, et temporalibus curis inserviunt.

et non simus ultra opprobrium.^{§ 18} Et indicavi eis manum Dei mei, quod esset bona mecum, et verba regis quæ locutus esset mihi, et aio: Surgamus, et ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono.¹⁹ Audierunt autem Sanaballat Horonites, et Tobias servus Ammanites, et Gosem Arabs, et subsannaverunt nos, et despexerunt, dixeruntque: Quæ est hæc res quam facitis? numquid contra regem vos rebellatis?²⁰ Et reddidi eis sermonem, dixique ad eos: Deus cæli ipse nos juvat, et nos servi ejus sumus: surgamus et ædificemus: vobis autem non est pars, et justitia, et memoria in Jerusalem.

3 Et surrexit Eliasib sacerdos magnus, et fratres ejus sacerdotes, et ædificaverunt portam gregis: ipsi sanctificaverunt eam, et statuerunt valvas ejus, et usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunt eam, usque ad turrim Hananeel.^{** 2} Et juxta eum ædificaverunt viri Jericho: et juxta eum ædificavit Zachur filius Amri.³ Portam autem piscium ædificaverunt filii Asnaa: ipsi texerunt eam, et statuerunt

§2.17 *Quia Jerusalem deserta est.* BED., ibid. Plana sunt hæc et spirituali sensu congrua: quia doctores, imo omnes qui zelo Dei fervent, in afflictione maxima sunt, quandiu Jerusalem, id est visionem pacis, quam nobis Deus reliquit et commendavit, bellis dissensionum cernunt esse desertam: et portas virtutum, quas juxta Isaiam laudatio occupare debuerat, prævalentibus inferorum portis dejectas, et opprobrio habitas.

^{**}3.1 *Et surrexit Eliasib sacerdos.* BEDA in Esdras, tom. 2, lib. 3. Id est, pontifex temporis illius filius Joachim, qui post patrem suum Jesum filium Josedec, non parvo tempore pontificatum tenuit. Et recte restauratio civitatis a sacerdote magno et fratribus ejus cœpit: ut qui gradu præcesserant ordinis, exemplum fierent aliis in bonis operibus. Et bene ædificantibus sacerdotibus adjungitur: *Et usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunt eam usque ad turrim Hananeel.* Ædificant enim sacerdotes in centenario numero cubitorum, cum omnes quos erudiunt, amore et desiderio æternorum incendunt. Nam centum, quæ in computo digitorum de læva transeunt in dexteram, cœlestia bona figurant, quæ comparatio terrenorum quasi dextera ad sinistram sunt. *Et ædificaverunt.* ID., ibid. Vetus translatio habet, etc., usque ad et in illa laventur. ID., ibid. Videtur juxta litteram; etc., usque ad sola internæ retributionis intentione protendunt. *Portam gregis.* Quæ, scilicet, respicit Joppen et Diospolim, id est, Lyddam, vicinior mari inter cunctas vias Jerusalem; quæ nunc porta David fertur appellari, et esse prima portarum ad occidentem montis Sion. Huic opinioni consentire videntur Verba dierum, ubi scriptum est de Manasse rege Juda: *Post hoc ædificavit murum extra civitatem David,* etc. II Par. 12. BED., ibid. Typice autem, sicut grex significat Domini fideles, etc., usque ad temporibus autem Ezechie duplicatum fuisse murum civitatis Verba dierum sic ostendunt: *Ædificavit quoque agens industrie omnem murum,* etc. II Par. 23. Typice autem iste Sophonias vocem clamoris a porta piscium et ululatum audivit a secunda: quia ab hostibus utramque dejiciendam præcognovit. Fidem enim et opera doctorum per quæ ab undis vitæ corruptibilis cæteros erui, et in Ecclesiam oportebat induci, vidit diaboli insidiis terræ esse sternenda, id est, per appetitum terrenæ voluptatis cœlestibus gaudiis esse privandos. Bene autem ab utraque porta, prima, scilicet, et secunda, interiori et exteriori, vocem clamoris et ululatus audivit: quia exterius opera, et intus corda diabolo impugnante vidit subvertenda. Sed quia Dominus erigit elisos, Nehemias portam piscium post ruinam narrat instauratam: quia si aliqui prædicatorum peccando corruerint, non deerunt usque in finem sæculi, qui succedentes portas justitiæ Domino adjuvante fidelibus bene vivendo et prædicando aperiant. *Ipsi texerunt.* ID., ibid. Hic versus etiam de cæteris portis, etc., usque ad qui plus periculi nobis laudando afferant, quam salutaris adminiculi a nobis videndo referant.

valvas ejus, et seras, et vectes. Et juxta eos ædificavit Marimuth filius Uriæ, filii Accus. ⁴ Et juxta eum ædificavit Mosollam filius Barachia, filii Mesezebel: et juxta eos ædificavit Sadoc filius Baana. ⁵ Et juxta eos ædificaverunt Thecueni: optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui. ⁶ Et portam veterem ædificaverunt Jorada filius Phasea, et Mosollam filius Besodia: ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes.†† ⁷ Et juxta eos ædificaverunt Meltias Gabaonites, et Jadon Meronathites, viri de Gabaon et Maspha, pro duce qui erat in regione trans flumen. ⁸ Et juxta eum ædificavit Eziel filius Araia aurifex: et juxta eum ædificavit Ananias filius pigmentarii: et dimiserunt Jerusalem usque ad murum plateæ latioris.‡‡ ⁹ Et juxta eum ædificavit Raphaia filius Hur, princeps vici Jerusalem. ¹⁰ Et juxta eum ædificavit Jedaia filius Haromaph contra domum suam: et juxta eum ædificavit Hattus filius Haseboniæ. ¹¹ Mediam partem vici ædificavit Melchias filius Herem, et Hasub filius Phahath Moab, et turrin furnorum. ¹² Et juxta eum ædificavit Sellum filius Alohes, princeps mediæ partis vici Jerusalem, ipse et filia ejus. ¹³ Et portam vallis ædificavit Hanun, et habitatores Zanoë: ipsi ædificaverunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes, et mille cubitos in muro usque ad portam sterquilini.¶¶ ¹⁴ Et portam sterquilini ædificavit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipse ædificavit eam, et statuit valvas ejus, et seras, et vectes. ¹⁵ Et portam fontis ædificavit Sellum filius Cholhoza, princeps pagi Maspha: ipse ædificavit eam, et textit, et statuit valvas ejus, et seras, et vectes, et muros piscinæ Siloë in hortum regis, et usque ad gradus qui descendunt de civitate David. §§ ¹⁶ Post eum ædificavit Nehemias filius Azboc, princeps dimidiæ partis vici Bethsur, usque contra sepulchrum David, et usque ad piscinam quæ grandi opere

††3.6 *Ad portam veterem.* De qua dicit Joannes: *Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed vetus quod habuistis ab initio* I Joan. 2.. *Mandatum vetus est verbum quod audistis.* Porta vero vetus ædificatur in Jerusalem, cum verbum fidei et dilectionis quod ab initio Ecclesiæ traditum est, vel recuperatur in errantibus, vel in nuper credentibus instituitur.

‡‡3.8 *Ad murum.* Firmitatem scilicet et munimentum perfectæ dilectionis in cordibus electorum, ad quam instructores ejus ædificando perveniunt, cum in operibus charitatis proficundo dicunt: *Viam mandatorum tuorum cucurri*, etc. Psal. 118., illa, scilicet dilatatione mentis illustratæ, quæ et amicum in Deo et inimicum diligunt propter Deum.

¶¶3.13 *Et portam vallis.* BEDA, ubi supra. Vallis Josaphat, quæ et Gehennon, etc., usque ad id est humiles dono supernæ refectionis. *Et portam vallis.* ID., ibid. Bene post portam veterem et murum latioris plateæ ædificatur porta vallis, quia post rudimenta catholicæ fidei quæ per dilectionem operatur, necesse est ut humilitas nobis quasi custos virtutum tenenda insinuetur, ut quanto magni sumus, humiliemur in omnibus. *Et mille.* ID., ibid. Ferunt quia situs urbis Jerusalem, etc., usque ad ut omnia a se rudera actionis noxiæ inutilis locutionis et etiam superflue cogitationis ejiciant.

§§3.15 *Et portam fontis ædificavit Sellum filius,* etc. ID., ibid. Narrant scriptores, etc., usque ad gradus ipsius Ecclesiæ incrementis et profectibus bonorum operum, quæ per humilitatem fiunt comparans. *De civitate David,* etc. Civitas David juxta litteram mons Sion appellatur, qui a meridie positus pro arce urbi supereminet, et major pars civitatis infra montem jacet in planitie humilioris collis sita. Unde in libro Regum: *Cepit autem David arcem Sion, hæc est civitas David* II Reg. 5.. Et paulo post: *Habitavit autem David in arce, et vocavit eam civitatem David* Ibid..

constructa est, et usque ad domum fortium.* ¹⁷ Post eum ædificaverunt Levitæ, Rehum filius Benni: post eum ædificavit Hasebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo. ¹⁸ Post eum ædificaverunt fratres eorum: Bavai filius Enadad, princeps dimidiæ partis Ceilæ: ¹⁹ et ædificavit juxta eum Azer filius Josue, princeps Maspha, mensuram secundam, contra ascensum firmissimi anguli.† ²⁰ Post eum in monte ædificavit Baruch filius Zachai mensuram secundam, ab angulo usque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni. ²¹ Post eum ædificavit Merimuth filius Uriæ filii Haccus, mensuram secundam, a porta domus Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib. ²² Et post eum ædificaverunt sacerdotes, viri de campestribus Jordanis. ²³ Post eum ædificavit Benjamin et Hasub contra domum suam: et post eum ædificavit Azarias filius Maasiæ filii Ananiæ contra domum suam. ²⁴ Post eum ædificavit Bennui filius Henadad mensuram secundam, a domo Azariæ usque ad flexuram, et usque ad angulum. ²⁵ Phalel filius Ozi contra flexuram, et turrin quæ eminet de domo regis excelsa, id est, in atrio carceris: post eum Phadaia filius Pharos. ²⁶ Nathinæi autem habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad orientem, et turrin quæ

*3.16 *Ædificavit Nehemias filius Asboth*, etc. BEDA, ubi supra. Post portam fontis et muros piscinæ Silœ, etc., usque ad et ad regnum cœleste ascensuros cognoscant. *Contra sepulcrum David*, etc. ID., ibid. Nota David non in Bethlehem, ut quidam putant, sed in Jerusalem esse sepultum certa ratione mysterii. Sicut enim in Bethlehem natus et in regem unctus Christum ibidem nasciturum de suo semine, et a magis sub persona regis adorandum figuravit; ita in Jerusalem defunctus et sepultus ipsum in eadem civitate passurum ac sepeliendum. *Ad piscinam*, etc. ID., ibid. Piscinam, Scripturam scilicet divinam, etc., usque ad et si hostis antiquus fontem nobis abstulerit verbi Dei, continuo in arcem mentis irrumpit.

†3.19 *Et ædificavit*, etc. ID., ibid. Hucusque primus civitatis murus exstruitur, etc., usque ad in quo interni arbitrii oculos offendamus. *Contra ascensum*, etc. Hic est Christus qui in fide sua et dilectione Judæorum populum adunavit et gentium: unde lapis angularis dicitur. Contra cujus ascensum mensura secunda ædificatur, cum per munditiam piæ cogitationis ad visionem ejus tendimus, cum etiam in hac vita retenti crebro visionis ejus desiderio suspiramus. Sequuntur plurimi structorum ordines, qui mensuram secundam ædificassearrantur: quia maxima Ecclesiæ structura est in munimine interioris virtutis, cum scilicet omni custodia munimus cor nostrum, quoniam ex ipso vita procedit. Singula vero ad intelligentiam spiritualem trahere nimis longum est.

prominebat.[‡] 27 Post eum ædificaverunt Thecueni mensuram secundam e regione, a turre magna et eminente usque ad murum templi.[¶] 28 Sursum autem a porta equorum ædificaverunt sacerdotes, unusquisque contra domum suam.[§] 29 Post eos ædificavit Sadoc filius Emmer contra domum suam. Et post eum ædificavit Semaia filius Secheniæ, custos portæ orientalis. 30 Post eum ædificavit Hanania filius Selemiæ, et Hanun filius Seleph sextus, mensuram secundam: post eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, contra gazophylacium suum. Post eum ædificavit Melchias filius aurificis usque ad domum Nathinæorum, et scruta vendentium contra portam iudicalem, et usque ad cœnaculum anguli. 31 Et inter cœnaculum anguli in porta gregis, ædificaverunt aurifices et negotiatores.

[‡]3.26 *Nathinæi*. Dicuntur Gabaonitæ, qui in ministerium domus Domini juxta dispositionem Josue filii Nun fidei devotione serviebant. *In Ophel*. BEDA, ibid. Turris erat non longe a templo altitudine enormi. Unde Ophel, id est, tenebrarum vel nubili nomen accepit, quia nubibus caput inseruit. Denique ubi in Michæa scriptum est: *Et tu turris gregis nebulosa* Mich. 4., benedicitur turris Ophel. Hæc turris in qua parte sit civitatis, liber Paralipomenon ostendit, dicens quod *Manasses ædificavit murum extra civitatem David ad occidentem Gihon in convalle, ab introitu portæ piscium per circuitum usque ad Ophel* II Par. 33.. Conveniebat ergo juxta situm loci, ut ministri templi in vicina templo turre habitarent. Mystice autem Nathinæi habitant in Ophel, id est, in turre nebulosa, cum hi qui professione perfectioris vitæ dicati sunt Deo, et in munimento et altitudine virtutum actione semper et cogitatione morantur, et conversatio eorum in cœlis est, quos admirans vulgus ait: *Qui sunt isti qui ut nubes volant* Isa. 60., etc. Item Thecueni habitant in Ophel, cum quique religionis habitu insignes abdita Scripturarum de quibus scriptum est: *Tenebrosa aqua in nubibus æris* Psal. 17., id est, mystica scientia in prophetis, illustrato corde penetrant, et assidue legunt, et meditantur. *Contra*. BEDA, ibid. Dominum scilicet, qui quotidie nos misericordiæ suæ gratia, ne in ærumnis vitæ labamur præsentis et deficiamus, irrigat, etc., usque ad et quia post præsentia virtutum dona ad videndam claritatem Domini ascenditur, recte infertur: *Post eum ædificaverunt Thecueni*, etc.

[¶]3.27 *A turre*. A turre magna et eminenti usque ad murum templi pervenit structura civitatis, cum justi ab altitudine contemplationis, quæ mentem in hac vita despectis temporalibus ad cœlestia desideria suspendunt, veraciter in illa vita ad claritatem Dominicæ incarnationis intuendam, patefacta etiam divinæ æternitatis gloria ascendunt. Et quia Thecua buccina vel tuba, Thecueni buccinatores interpretantur, apte dicitur quod Thecueni hoc ædificaverint. Doctorum enim est quorum sonus exit in omnem terram, præsentia Dei dona vel futura in civitate ejus, id est, fidelibus patefacere. *Ad murum templi*. Corpus scilicet Christi: de quo dicitur Joan. 2: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*: quod scilicet persecutores in morte solverant, sed excitatum et ad cœlos exaltatum amatores videre non cessant in gloria.

[§]3.28 *Sursum autem*, etc. BEDA, ibid. Hanc portam significat Jeremias esse in orientali plaga civitatis, etc., usque ad equi cum in bono accipiuntur, sicut asini, cameli, et muli, conversos ad Dominum populos Gentilium, vel curas rerum temporalium, Domino scilicet animæ subjugatas ostendunt. *Ædificaverunt sacerdotes*, etc. Sacerdotes vero civitatis Dei murum ad portam aquarum ædificant, cum doctores post vocationem Judæorum ad inducendos in Ecclesiam Gentiles, verbum Dei seminando perveniunt. BEDA, ibid. Longum est de singulis ædificiis vel ædificatoribus mystice disserere, etc., usque ad nomina conscribit in cœlo.

4 Factum est autem, cum audisset Sanaballat quod ædificaremus murum, iratus est valde: et motus nimis subsannavit Judæos,^{** 2} et dixit coram fratribus suis, et frequentia Samaritanorum: Quid Judæi faciunt imbecilles? num dimittent eos gentes? num sacrificabunt, et complebunt in una die? numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt?³ Sed et Tobias Ammanites, proximus ejus, ait: Ædificent: si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.^{†† 4} Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui: converte opprobrium super caput eorum, et da eos in despectionem in terra captivitatis.⁵ Ne operias iniquitatem eorum, et peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes.⁶ Itaque ædificavimus murum, et conjunximus totum usque ad partem dimidiam: et provocatum est cor populi ad operandum.⁷ Factum est autem, cum audisset Sanaballat, et Tobias, et Arabes, et Ammanitæ, et Azotii, quod obducta esset cicatrix muri Jerusalem, et quod cœpissent interrupta concludi, irati sunt nimis.⁸ Et congregati sunt omnes pariter ut venirent, et pugnarent contra Jerusalem, et molirentur insidias.⁹ Et oravimus Deum nostrum, et posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos.^{‡‡}
¹⁰ Dixit autem Judas: Debilitata est fortitudo portantis, et humus nimia est, et nos non poterimus ædificare murum.^{¶¶ 11} Et dixerunt hostes nostri: Nesciant, et ignorent donec veniamus in medium eorum, et interficiamus eos, et cessare faciamus opus.^{§§}
¹² Factum est autem venientibus Judæis qui habitabant juxta eos, et dicentibus nobis per decem vices, ex omnibus locis quibus venerant ad nos, ¹³ statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis suis, et lanceis, et arcibus.^{* 14} Et perspexi atque surrexi: et aio ad optimates et magistratus, et ad reliquam partem vulgi: Nolite timere a facie eorum: Domini magni et terribilis mementote, et pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, et filiabus vestris, et uxoribus vestris, et domibus

^{**}4.1 ... *Sanaballat... motus nimis subsannavit Judæos.* BEDA in Esdram, lib. 3, cap. 19, tom. 2. Plane ira hæreticorum est. Hæc sunt verba eorum qui se Samaritanos cognominant, id est, custodes legis Dei, etc., usque ad et ornamenta virtutum moribus emendati consequantur.

^{††}4.3 *Sed et Tobias,* etc. ID., ibid. Hujus Tobiae persona et verba hæreticis conveniunt, etc., usque ad quibus fructiferas fidelium mentes corrumpere nituntur.

^{‡‡}4.9 *Et oravimus.* Hoc est unicum contra hostes Ecclesiae refugium, oratio scilicet ad Deum, et industria doctorum, qui die nocteque in lege ejus meditantes, corda fidelium contra insidias diaboli et militum ejus prædicando, consolando, et exhortando præmuniant.

^{¶¶}4.10 *Humus nimia est.* BEDA, ibid. Congesta, scilicet, in loco muri, etc., usque ad et pro domo vel civitate procella tentationis ingruente, ruinam ædificasse probatur.

^{§§}4.11 *Dixerunt hostes,* etc. Hæc in ædificio spirituali agi solent; manet enim indefessus hostis cum satellitibus suis, spiritibus scilicet immundis et hominibus malignis, qui opera virtutum et fidei nobis incautis impedire et expugnare contendunt, et mentem fidelium mucrone pravæ suggestionis interficere. Sed contra hæc nobis armatura Dei sumenda est, ut possimus resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.

^{*}4.13 *Statui in loco,* etc. Ut agmine, scilicet armatorum circumdati operatores liberius et securius ædificarent. Dispertiti enim sunt gradus fidelium: alii bonis operibus intus ornantes Ecclesiam ædificant: alii armis sacrae lectionis muniti contra impugnantes hæreticos vigilant. Hi religiosa devotione proximos in fidei veritate confortant, illi adversus diaboli vel vitiorum tela necessarium certamen exercent, et ab ovili dominico insidiantes lupos pastoralis sollicitudine arcent.

vestris. ¹⁵ Factum est autem, cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis, dissipavit Deus consilium eorum. Et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum. ¹⁶ Et factum est a die illa, media pars juvenum eorum faciebat opus, et media parata erat ad bellum: et lanceæ, et scuta, et arcus, et loricae, et principes post eos in omni domo Juda.† ¹⁷ Ædificantium in muro, et portantium onera, et imponentium: una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium: ¹⁸ ædificentium enim unusquisque gladio erat accinctus renes. Et ædificabant, et clangebant buccina juxta me. ¹⁹ Et dixi ad optimates, et ad magistratus, et ad reliquam partem vulgi: Opus grande est et latum, et nos separati sumus in muro procul alter ab altero: ²⁰ in loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos: Deus noster pugnabit pro nobis. ²¹ Et nos ipsi faciamus opus, et media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu auroræ donec egrediantur astra. ²² In tempore quoque illo dixi populo: Unusquisque cum puero suo maneat in medio Jerusalem, et sint nobis vices per noctem et diem ad operandum.‡ ²³ Ego autem et fratres mei, et pueri mei, et custodes, qui erant post me, non deponemus vestimenta nostra: unusquisque tantum nudabatur ad baptismum.

5 Et factus est clamor populi et uxorum ejus magnus adversus fratres suos Judæos.¶ ² Et erant qui dicerent: Filii nostri et filia nostræ multæ sunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, et comedamus, et vivamus. ³ Et erant qui dicerent: Agros nostros, et vineas, et domus nostras opponamus, et accipiamus frumentum in fame. ⁴ Et alii dicebant: Mutuo sumamus pecunias in tributa regis, demusque agros nostros et vineas: ⁵ et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt: et sicut filii eorum, ita et filii nostri: ecce nos subjugamus filios nostros et filias nostras in servitutem, et de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus unde possint redimi: et agros nostros et vineas nostras alii possident. ⁶ Et iratus sum nimis cum audissem clamorem eorum secundum verba hæc: ⁷ cogitavitque cor meum mecum, et increpavi optimates et magistratus, et dixi eis: Usurasne singuli a fratribus vestris exigitis? Et congregavi adversum eos concionem magnam,§ ⁸ et dixi eis: Nos, ut scitis, redemimus fratres nostros Judæos, qui venditi fuerant gentibus secundum possibilitatem nostram: et vos igitur vendetis fratres vestros, et redimemus eos? Et siluerunt, nec invenerunt quid responderent. ⁹ Dixique ad eos: Non est bona res quam facitis:

†4.16 *A die illa, media pars*, etc. BED., *ibid.*, cap. 20. Notandum, quia non solum media pars juvenum faciebat opus, etc., usque ad minorisque laboris est incognitam cavere carnis voluptatem, quam rejicere cognitam.

‡4.22 *Et sint vobis vices per noctem et diem*. ID., *ibid.* Nota quantum studium in operando habuerint, etc., usque ad contradicentes arguendo ab Ecclesia repellunt.

¶5.1 *Et factus est clamor*, etc. BEDA in Esdr., lib. 3, cap. 21. Desiderabat populus murum construere, etc., usque ad et manus nostras a propriis voluptatibus avertens ad construendam Christi convertat civitatem. ID., *ibid.* Tribus de causis augetur clamor populi. Quidam fame coacti filios suos ditioribus vendere volebant: alii liberis parcentes agros potius et domos. Nonnulli, prohibentes liberorum et agrorum venditionem, hoc tantum persuadebant, ut mutuo sumerent pecuniam in tributa regis, oppignoratis agris et vineis, donec redeunte fertilitate reddere possent feneratoribus quod mutuo accepissent.

§5.7 *Et increpavi optimates*, etc. BED., *ibid.* Tanquam dux optimus militiæ cœlestis et sapiens architectus civitatis Dei, etc., usque ad ut dimittat nobis Pater debita nostra.

quare non in timore Dei nostri ambulastis, ne exprobetur nobis a gentibus inimicis nostris? ¹⁰ Et ego, et fratres mei, et pueri mei commodavimus plurimis pecuniam et frumentum. Non repetamus in commune istud: æs alienum concedamus quod debetur nobis. ¹¹ Reddite eis hodie agros suos, et vineas suas, et oliveta sua, et domos suas: quin potius et centesimum pecuniæ, frumenti, vini et olei, quam exigere solitis ab eis, date pro illis. ¹² Et dixerunt: Reddemus, et ab eis nihil quæremus: sicque faciemus ut loqueris. Et vocavi sacerdotes, et adjuravi eos ut facerent iuxta quod dixeram. ¹³ Insuper excussi sinum meum, et dixi: Sic excutiat Deus omnem virum qui non compleverit verbum istud, de domo sua, et de laboribus suis: sic excutiat, et vacuus fiat. Et dixit universa multitudo: Amen: et laudaverunt Deum. Fecit ergo populus sicut erat dictum. ^{** 14} A die autem illa, qua præceperat rex mihi ut essem dux in terra Juda, ab anno vigesimo usque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis regis per annos duodecim, ego et fratres mei annonas quæ ducibus debebantur non comedimus. ^{†† 15} Duces autem primi, qui fuerant ante me, gravaverunt populum, et acceperunt ab eis in pane, et vino, et pecunia, quotidie siclos quadraginta: sed et ministri eorum depresserunt populum. Ego autem non feci ita propter timorem Dei: ¹⁶ quin potius in opere muri ædificavi, et agrum non emi, et omnes pueri mei congregati ad opus erant. ¹⁷ Judæi quoque et magistratus centum quinquaginta viri, et qui veniebant ad nos de gentibus quæ in circuitu nostro sunt, in mensa mea erant. ¹⁸ Parabatur autem mihi per dies singulos bos unus, arietes sex electi, exceptis volatilibus, et inter dies decem vina diversa, et alia multa tribuebam: insuper et annonas ducatus mei non quæsivi: valde enim attenuatus erat populus. ¹⁹ Memento mei, Deus meus, in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic.

6 Factum est autem, cum audisset Sanaballat, et Tobias, et Gossem Arabs, et ceteri inimici nostri, quod ædificassem ego murum, et non esset in ipso residua interruptio (usque ad tempus autem illud valvas non posueram in portis), ² miserunt Sanaballat et Gossem ad me, dicentes: Veni, et percutiamus fœdus pariter in viculis in campo Ono. Ipsi autem cogitabant ut facerent mihi malum. ^{‡‡ 3} Misi ergo ad eos

^{**}5.13 *Insuper excussi sinum meum, et dixi: Sic excutiat Deus omnem,* etc. Huic sententiæ terribilis clausula imponitur. Quicumque enim pauperibus misericordiam non impendit, vel ab eis qui non habent velut juste exigit, de domo sua excutitur, id est, de cœtu Ecclesiæ, in qua putabat se perpetuo manere, et de laboribus, scilicet, in fructibus bonorum operum, in quibus se laudabiliter laborasse putabat: nil prorsus laboris recipiet. Labores enim sine pietate non possunt apud Deum fructuosi esse. **Et dixit universa multitudo, Amen.** Quantum Nehemiæ objurgatio vel imprecatio corda omnium moverit, ostenditur: audita enim contestatione respondentes, amen, et Deum collaudantes, fecerunt quæ jusserat. In quo patet: quia non timore, sed amore dicta ejus susceperunt.

^{††}5.14 *Per annos duodecim.* BEDA, ubi supra. Hoc exponit Apostolus, dicens: **Quia statuit Dominus eos qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: ego autem nullo horum usus sum** I Cor. 9. Duodecim autem annis Nehemias cum fratribus suis ita in ducatu vivebant, ut annonas quæ ducibus debebantur, non comederent: insinuas evangelicum opus esse in regimine plebis, opus rectoris notabiliter circa Ecclesiam exercere, et a subditis commodum terrenum non quærere.

^{‡‡}6.2 *Veni, et percutiamus fœdus,* etc. BEDA, in Esdr., lib. 3, cap. 23, tom. 2. Hostes sanctæ civitatis persuadebant Nehemiæ in campestria descendere, etc., usque ad quia versutus hostis semper manus nostras tentat impedire, curemus eas semper divino auxilio confortare.

nuntios, dicens: Opus grande ego facio, et non possum descendere, ne forte negligatur cum venero, et descendero ad vos. ⁴Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices: et respondi eis juxta sermonem priorem. ⁵Et misit ad me Sanaballat juxta verbum prius quinta vice puerum suum, et epistolam habebat in manu sua scriptam hoc modo: ⁶In gentibus auditum est, et Gossem dixit, quod tu et Judæi cogitetis rebellare, et propterea ædifices murum, et levare te velis super eos regem: propter quam causam ⁷et prophetas posueris, qui prædicent de te in Jerusalem, dicentes: Rex in Judæa est. Auditurus est rex verba hæc: idcirco nunc veni, ut ineamus consilium pariter. ⁸Et misi ad eos, dicens: Non est factum secundum verba hæc, quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hæc. ⁹Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quod cessarent manus nostræ ab opere, et quiesceremus: quam ob causam magis confortavi manus meas. ¹⁰Et ingressus sum domum Semaïæ filii Dalaïæ filii Metabeel secreto. Qui ait: Tractemus nobiscum in domo Dei in medio templi, et claudamus portas ædis: quia venturi sunt ut interficiant te, et nocte venturi sunt ad occidendum te.^f ¹¹Et dixi: Num quisquam similis mei fugit? et quis ut ego ingrediatur templum, et vivet? non ingrediar. ¹²Et intellexi quod Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, et Tobias et Sanaballat conduxissent eum. ¹³Acceperat enim pretium, ut territus facerem, et peccarem, et haberent malum quod exprobrarent mihi. ¹⁴Memento mei, Domine, pro Tobia et Sanaballat, juxta opera eorum talia: sed et Noadiæ prophetæ, et ceterorum prophetarum, qui terrebant me. ¹⁵Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus.^{§§} ¹⁶Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri, ut timerent universæ gentes quæ erant in circuitu nostro, et conciderent intra semetipsos, et scirent quod a Deo factum esset opus hoc.* ¹⁷Sed et in diebus illis multæ optimatum Judæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, et a Tobia veniebant ad eos. ¹⁸Multi enim erant in Judæa habentes juramentum ejus, quia gener erat Secheniæ filii Area, et Johanan filius ejus acceperat filiam Mosollam filii Barachiæ: ¹⁹sed et laudabant eum coram me, et verba mea nuntiabant ei: et Tobias mittebat epistolas ut terreret me.

^f6.10 *Et ingressus.* Pulsatus insidiis hostium Nehemias domum Samariæ quasi amici et fratris ingreditur, sed ipsum insidiatorem et hostem invenit, tanquam externorum donis et amicitia corruptum. Semper enim electi habent foris pugnas, intus timores, nec solum apostoli, sed et prophetæ periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis ex falsis fratribus suspectam vitam agebant.

^{§§}6.15 *Mensis Eliud.* BEDA, ubi supra. Qui secundum Hebræos sextus est, etc., usque ad et deinceps se in Dei et proximi dilectione in bonis operibus adornent.

*6.16 *Universæ gentes.* ID., ibid. Qui autem structores sanctæ civitatis terrere volebant, etc., usque ad et ab Ecclesia expulsi.

7 Postquam autem ædificatus est murus, et posui valvas, et recensui janitores, et cantores, et Levitas,[†] 2 præcepi Hanani fratri meo, et Hananiæ principi domus de Jerusalem (ipse enim quasi vir verax et timens Deum plus ceteris videbatur),³ et dixi eis: Non aperiantur portæ Jerusalem usque ad calorem solis. Cumque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, et oppilatæ: et posui custodes de habitatoribus Jerusalem, singulos per vices suas, et unumquemque contra domum suam.[‡] 4 Civitas autem erat lata nimis et grandis, et populus parvus in medio ejus, et non erant domus ædificatæ. 5 Deus autem dedit in corde meo, et congregavi optimates, et magistratus, et vulgus, ut recenserem eos: et inveni librum census eorum qui ascenderant primum, et inventum est scriptum in eo. 6 Isti filii provinciæ, qui ascenderunt de captivitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis, et reversi sunt in Jerusalem et in Judæam, unusquisque in civitatem suam. 7 Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Nehemias, Azarias, Raamias, Nahamani, Mardocheus, Belsam, Mespharath, Begoai, Nahum, Baana. Numerus virorum populi Israël: 8 filii Pharos, duo millia centum septuaginta duo: 9 filii Saphatia, trecenti septuaginta duo: 10 filii Area, sexcenti quinquaginta duo: 11 filii Phahathmoab filiorum Josue et Joab, duo millia octingenti decem et octo: 12 filii Ælam, mille ducenti quinquaginta quatuor: 13 filii Zethua, octingenti quadraginta quinque: 14 filii Zachai, septingenti sexaginta: 15 filii Bannui, sexcenti quadraginta octo: 16 filii Bebai, sexcenti viginti octo: 17 filii Azgad, duo millia trecenti viginti duo: 18 filii Adonicam, sexcenti sexaginta septem: 19 filii Beguai, duo millia sexaginta septem: 20 filii Adin, sexcenti quinquaginta quinque: 21 filii Ater, filii Hezecia, nonaginta octo: 22 filii Hasem, trecenti viginti octo: 23 filii Besai, trecenti viginti quatuor: 24 filii Hareph, centum duodecim: 25 filii Gabaon, nonaginta quinque: 26 filii Bethlehem et Netupha, centum octoginta

[†]7.1 *Postquam autem ædificatus est murus*, etc. BEDA, in Esdr., lib. 3, cap. 24, tom. 2. Mystice: ubi Ecclesiæ murus collectis ad fidem novis populis vel correctis his qui erraverant ædificatus fuerit, mox ponendæ sunt valvæ regularis disciplinæ; ne diabolus, qui quasi leo rugiens circumit, in ovile Dei possit irrupere. *Recensui janitores*. ID., ibid. Janitores qui, scilicet, claves regni cœlorum perceperunt, ut dignos et humiles suscipiant; superbos vero et indignos ab ingressu supernæ civitatis arceant, dicendo: *Non est tibi pars, neque sors in sermone hoc. Cor enim tuum non est rectum coram Deo* Act. 8..

[‡]7.3 *Non aperiantur portæ... usque ad calorem solis*, etc. ID., ibid., id est, toto tempore noctis, etc., usque ad unde: *Et portæ ejus non claudentur per diem, nox non erit illic* Apoc. 21.. *Et posui custodes*. ID., ibid. Custodes animarum non sunt de neophytis vel de plebe constituendi, sed de illis qui a certamine vitiorum Dei gratia liberati, jam mentem in Jerusalem, id est in visione tranquillæ pacis habent, quorum conversatio in cœlis est. Aliis enim consummato cursu de hac luce subtractis, alii mox substituuntur, nec unquam desinit qui pacem Ecclesiæ excubando ambient propter timores nocturnos, secundum illud: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* Psal. 44.. Hæc illi temporis typice conveniunt, quo seminato per apostolos longe lateque Dei verbo, totus orbis novum fidei germen accepit, necdum Ecclesiæ ædificatæ, sed tantum auditu verbi et sacramentis populi adhuc rudes erant imbuti. Ideo congregatis non solum optimatibus, sed et vulgo diligenter eorum numerum recensere curavit, ut perspecta omnium summa, discernere posset, qui in Jerusalem, qui in aliis civitatibus habitare deberent. *Unumquemque contra domum*. Sic enim custodia sanctæ Ecclesiæ rite perficitur, si quisque ita sollicitudinem omnium fidelium gerat, ut specialiter eis quibus Deo auctore prælatus est, curam diligentioris studii impendat.

octo. ²⁷ Viri Anathoth, centum viginti octo. ²⁸ Viri Bethazmoth, quadraginta duo. ²⁹ Viri Cariathiarim, Cephira, et Beroth, septingenti quadraginta tres. ³⁰ Viri Rama et Geba, sexcenti viginti unus. ³¹ Viri Machmas, centum viginti duo. ³² Viri Bethel et Hai, centum viginti tres. ³³ Viri Nebo alterius, quinquaginta duo. ³⁴ Viri Ælam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor. ³⁵ Filii Harem, trecenti viginti. ³⁶ Filii Jericho, trecenti quadraginta quinque. ³⁷ Filii Lod Hadid et Ono, septingenti viginti unus. ³⁸ Filii Senaa, tria millia nongenti triginta. ³⁹ Sacerdotes: filii Idaia in domo Josue, nongenti septuaginta tres. ⁴⁰ Filii Emmer, mille quinquaginta duo. ⁴¹ Filii Phashur, mille ducenti quadraginta septem. ⁴² Filii Are, mille decem et septem. Levitæ: ⁴³ filii Josue et Cedmihel filiorum ⁴⁴ Oduiæ, septuaginta quatuor. Cantores: ⁴⁵ filii Asaph, centum quadraginta octo. ⁴⁶ Janitores: filii Sellum, filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sobai: centum triginta octo. ⁴⁷ Nathinæi: filii Soha, filii Hasupha, filii Tebbaoth, ⁴⁸ filii Ceros, filii Saa, filii Phadon, filii Lebana, filii Hagaba, filii Selmai, ⁴⁹ filii Hanan, filii Geddel, filii Gaher, ⁵⁰ filii Raaia, filii Rasin, filii Necoda, ⁵¹ filii Gezem, filii Aza, filii Phasea, ⁵² filii Besai, filii Munim, filii Nephussim, ⁵³ filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur, ⁵⁴ filii Besloth, filii Mahida, filii Harsa, ⁵⁵ filii Bercos, filii Sisara, filii Thema, ⁵⁶ filii Nasia, filii Hatipha, ⁵⁷ filii servorum Salomonis, filii Sothai, filii Sophereth, filii Pharida, ⁵⁸ filii Jahala, filii Darcon, filii Jeddel, ⁵⁹ filii Saphatia, filii Hatil, filii Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim filio Amon. ⁶⁰ Omnes Nathinæi, et filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo. ⁶¹ Hi sunt autem qui ascenderunt de Thelmela, Thelharsa, Cherub, Addon, et Emmer: et non potuerunt indicare domum patrum suorum, et semen suum, utrum ex Israël essent, ⁶² filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quadraginta duo. ⁶³ Et de sacerdotibus, filii Habia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis uxorem, et vocatus est nomine eorum. ⁶⁴ Hi quæsierunt scripturam suam in censu, et non invenerunt: et ejecti sunt de sacerdotio. ⁶⁵ Dixitque Athersatha eis ut non manducarent de Sanctis sanctorum, donec staret sacerdos doctus et eruditus. ⁶⁶ Omnis multitudo quasi vir unus quadraginta duo millia trecenti sexaginta,[†] ⁶⁷ absque servis et ancillis eorum, qui erant septem millia trecenti triginta septem, et inter eos cantores et cantatrices, ducenti quadraginta quinque. ⁶⁸ Equi eorum, septingenti triginta sex: muli eorum, ducenti quadraginta quinque: ⁶⁹ cameli eorum, quadringenti triginta quinque: asini, sex millia septingenti viginti. ⁷⁰ Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Athersatha dedit in thesaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas triginta. ⁷¹ Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis, auri drachmas viginti millia, et argenti mnas duo millia ducentas. ⁷² Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, et argenti mnas duo millia, et tunicas sacerdotales sexaginta septem. ⁷³ Habitaverunt autem sacerdotes, et Levitæ, et janitores, et cantores, et reliquum vulgus, et Nathinæi, et omnis Israël, in civitatibus suis.

[†]7.66 *Omnis multitudo quasi vir unus.* JOSE. Populum etiam agros colentem decimas fructuum ad Hierosolimam jussit offerre, ut habentes sacerdotes et levitæ alimenta, perpetua religionis jura non derelinquerent. Et hi quidem libenter sequebantur decreta Nehemiae. Civitatem vero exinde contigit hominum multitudine compleri. Multa etiam talia bona et laudibus digna cum summa fecisset magnificentia Nehemiae, ad senectutem perveniens defunctus est.

8 Et venerat mensis septimus: filii autem Israëli erant in civitatibus suis. Congregatusque est omnis populus quasi vir unus ad plateam quæ est ante portam aquarum: et dixerunt Esdræ scribæ ut afferret librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israëli.[§] ² Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine virorum et mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi. ³ Et legit in eo aperte in platea quæ erat ante portam aquarum, de mane usque ad mediam diem, in conspectu virorum et mulierum, et sapientium: et aures omnis populi erant erectæ ad librum. ⁴ Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum: et steterunt iuxta eum Mathathias, et Semeia, et Ania, et Uria, et Helcia, et Maasia, ad dexteram ejus: et ad sinistram, Phadaia, Misaël, et Melchia, et Hasum, et Hasbadana, Zacharia, et Mosollam.** ⁵ Et aperuit Esdras librum coram omni populo: super universum quippe populum eminebat: et cum aperuisset eum, stetit omnis populus. ⁶ Et benedixit Esdras Domino Deo magno: et respondit omnis populus: Amen, amen, elevans manus suas: et incurvati sunt, et adoraverunt Deum proni in terram. ⁷ Porro Josue, et Bani, et Serebia, Jamin, Accub, Septhai, Odia, Maasia, Celita, Azarias, Jozabed, Hanan, Phalaia, Levitæ, silentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus autem stabat in gradu suo. ⁸ Et legerunt in libro legis Dei distincte, et aperte ad intelligendum: et intellexerunt cum legeretur. ⁹ Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) et Esdras sacerdos et scriba, et Levitæ interpretantes universo populo: Dies sanctificatus est Domino Deo nostro: nolite lugere, et nolite flere. Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis. ¹⁰ Et dixit eis: Ite, comedite pingua, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi, quia sanctus dies Domini est: et nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo

§8.1 *Et venerat mensis septimus.* BEDA, in Esdr., lib. 3, cap. 26, tom. 2. Qui non longe aberat. Cum enim murus esset vicesima quinta die sexti mensis completus quinque tantum dies ad exordium septimi mensis supererant, qui a prima die usque ad vicesimam secundam totus legitimis cæremoniis consecratus est, quibus ita rite celebratis, deinde ad disponendos urbis mansores cum principibus et plebe reversus est. *Congregatusque omnis populus quasi vir unus ad plateam quæ,* etc. BED., ibid. Notanda devotio populi et concordia, etc., usque ad quarum cantu populus inter orationes et hostias ardentius ad legis memoriam excitaretur. Mystice quoque ædificata civitate oportet sequi lectionem divinam, et tubas sonare crebriores, ut populus, sacramentis coelestibus initiatus etiam sacris eloquiis ex tempore solertius qualiter vivere debeat, instruat. *Ante portam aquarum.* ID., ibid. Portam aquarum reor dici in atrio sacerdotum, etc., usque ad bene ergo ante portam aquarum collectus est populus tanquam per antistitem suum fluentis Scripturarum spiritualiter potandus.

**8.4 *Stetit autem Esdras scriba super gradum.* ID., ibid. Videtur meminisse, etc., usque ad ut timidus et erubescens quæ ipse non fecit, aliis faciendo prædicat, etc. Cum præsules quantum honore, tantum opere subditos antecellunt, ipsi eorum exemplis incitati vitæ suæ gradum exsequuntur devoti, et ab eis pie admoniti pro peccatis vel desiderio patriæ coelestis lacrymas profundere delectantur. Unde bene subditur, flebat enim omnis populus, cum audiret verba legis, etc.

nostra.^{††} ¹¹ Levitæ autem silentium faciebant in omni populo, dicentes: Tacete, quia dies sanctus est, et nolite dolere.^{‡‡} ¹² Abiit itaque omnis populus ut comederet, et biberet, et mitteret partes, et faceret lætitiā magnam: quia intellexerant verba quæ docuerat eos. ¹³ Et in die secundo congregati sunt principes familiarum universi populi, sacerdotes et Levitæ, ad Esdrā scribam, ut interpretaretur eis verba legis. ¹⁴ Et invenerunt scriptum in lege præcepisse Dominum in manu Moysi ut habitent filii Israël in tabernaculis in die solemni, mense septimo:^{¶¶} ¹⁵ et ut prædicent, et divulgent vocem in universis urbibus suis, et in Jerusalem, dicentes: Egredimini in montem, et afferte frondes olivæ, et frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, et ramos palmarum, et frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula, sicut scriptum est.^{§§} ¹⁶ Et egressus est populus, et attulerunt. Feceruntque sibi tabernacula unusquisque in domate suo: et in atriis suis, et in atriis domus Dei, et in platea portæ aquarum, et in platea portæ Ephraim.* ¹⁷ Fecit ergo universa ecclesia eorum qui redierant de captivitate, tabernacula, et habitaverunt in tabernaculis: non enim fecerant a diebus Josue filii Nun taliter filii Israël usque ad diem illum. Et fuit lætitiā magna nimis. ¹⁸ Legit autem in libro legis Dei per dies singulos, a die primo usque ad diem novissimum. Et fecerunt solemnitatem septem diebus, et in die octavo collectam juxta ritum.[†]

^{††}8.10 *Ite et comedite*, etc. ID., ibid. Ut infirmiores conscientias proximorum exemplo piæ actionis, et suavitate devotæ admonitionis confortemus, præcipit, quatenus sicut adipe et pinguedine repleantur, aliisque exsultationis laudent nomen Domini. Juxta litteram quoque cum in festis diebus post orationem lectionem et psalmodiarum studia completa carnem reficimus, pauperum et peregrinorum meminisse debemus. **Nolite contristari.** Doctores qui mentes auditorum sacris lectionibus ad lacrymas excitant, et iidem consolantur, dum gaudia secutura promittunt.

^{‡‡}8.11 *Quia dies sanctus est.* Dum scilicet verbis Domini audiendis et implendis operam damus, in quo die quamvis exterius adversa patientes, nos in spe gaudere oportet. Unde: **Quasi tristes, semper autem gaudentes** II Cor. 6., etc.

^{¶¶}8.14 *Et invenerunt*, etc. BEDA, ubi supra. Hæc in Levitico plenius scripta sunt, etc., usque ad meminisse nos oportet, quia **incolæ sumus in terra, et peregrin sicut patres nostri** Psal. 38..

^{§§}8.15 *Ligni pulcherrimi*, etc. ID., ibid. Quod scilicet Hebræi vocant cedrum. Frondes vero myrti et obumbraculum sibi affert qui dicere potest, **Christi bonus odor sumus Deo in omni loco** II Cor. 2.. **Frondes ligni pulcherrimi et frondes myrti**, etc. Fructus charitatis quæ inter omnes virtutes pulcherrima, per quam et Christus lignum crucis pro nostra salute ascendit, cujus passionem dum quantam possumus, imitamur, frondibus profecto ligni pulcherrimi et myrti in mortificationem vitiorum et libidinum protegimur. Magi enim Domino myrrham offerentes docuerunt, quia qui Christ sunt, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt. **Ramos palmarum.** ID., ibid. Ramos palmarum afferimus, quod est manus victricis ornatus, cum mentem vitiorum victricem gerimus, et invictam cunctis hostibus, ut stemus **ante thronum in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus nostris** Apoc. 7..

*8.16 *Unusquisque in domate.* ID., ibid. In domate suo, etc., usque ad et in majoribus bonæ actionis frugibus abundare mereamur.

†8.18 *Septem diebus.* ID., ibid. Scenopegia septem diebus agebatur, etc., usque ad in conspectu Dei congregatus, et nunquam segregandus exsultaverit.

9 In die autem vigesimo quarto mensis hujus, convenerunt filii Israël in jejunio et in saccis, et humus super eos.[‡] ² Et separatum est semen filiorum Israël ab omni filio alienigena: et steterunt, et confitebantur peccata sua, et iniquitates patrum suorum. ³ Et consurrexerunt ad standum: et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum. ⁴ Surrexerunt autem super gradum Levitarum Josue, et Bani, et Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani, et Chanani: et clamaverunt voce magna ad Dominum Deum suum. ⁵ Et dixerunt Levitæ Josue, et Cedmihel, Bonni, Hasebna, Serebia, Odaia, Sebna, Phathathia: Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab æterno usque in æternum: et benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione et laude. ⁶ Tu ipse, Domine, solus, tu fecisti cælum, et cælum cælorum, et omnem exercitum eorum: terram, et universa quæ in ea sunt: maria, et omnia quæ in eis sunt: et tu vivificas omnia hæc, et exercitus cæli te adorat. ⁷ Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abram, et eduxisti eum de igne Chaldæorum, et posuisti nomen ejus Abraham: ⁸ et invenisti cor ejus fidele coram te, et percussisti cum eo foedus ut dares ei terram Chananæi, Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Jebusæi, et Gergesæi, ut dares semini ejus: et implesti verba tua, quoniam justus es. ⁹ Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto, clamoremque eorum audisti super mare Rubrum. ¹⁰ Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, et in universis servis ejus, et in omni populo terræ illius: cognovisti enim quia superbe egerant contra eos: et fecisti tibi nomen, sicut et in hac die. ¹¹ Et mare divisisti ante eos, et transierunt per medium maris in sicco: persecutores autem eorum projecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas. ¹² Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, et in columna ignis per noctem, ut appareret eis via per quam ingrediebantur. ¹³ Ad montem quoque Sinai descendisti, et locutus es cum eis de cælo, et dedisti eis judicia recta, et legem veritatis, cæremonias, et præcepta bona: ¹⁴ et sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis: et mandata, et cæremonias, et legem præcepisti eis in manu Moysi servi tui. ¹⁵ Panem quoque de cælo dedisti eis in fame eorum, et aquam de petra eduxisti eis sitientibus, et dixisti eis ut ingrederentur et possiderent terram, super quam levasti manum tuam ut traderes eis. ¹⁶ Ipsi vero et patres nostri superbe egerunt, et induraverunt cervices suas, et non audierunt mandata tua. ¹⁷ Et noluerunt audire, et non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis. Et induraverunt cervices suas, et dederunt caput ut converterentur ad servitatem suam, quasi per contentionem. Tu autem, Deus propitius, clemens, et misericors, longanimis, et multæ miserationis, non dereliquisti eos, ¹⁸ et quidem cum fecissent sibi vitulum conflatilem, et dixissent: Iste est deus tuus, qui eduxit te de Ægypto: feceruntque blasphemias magnas: ¹⁹ tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto: columna nubis non recessit ab eis per diem ut duceret eos in viam, et columna ignis per noctem ut ostenderet eis iter per quod ingrederentur. ²⁰ Et spiritum tuum bonum dedisti, qui doceret eos: et manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, et aquam dedisti eis in siti. ²¹ Quadraginta annis pavisti eos in deserto, nihilque eis defuit: vestimenta eorum non inveteraverunt,

[‡]9.1 *In die autem*, etc. BEDA, ubi supra, cap. 28. Notanda correcti populi devotio, etc., usque ad cum a cæteris laboribus cessatur divinis lectionibus aures liberius commodantur. *Et dixit Esdras*. Usque ad finem orationis vel confessionis ejus, quod supra dictum est, quia confitebantur peccata sua, et peccata patrum suorum, plenius Esdra deprecante qualiter factum sit, ostenditur.

et pedes eorum non sunt attriti. ²² Et dedisti eis regna, et populos, et partitus es eis sortes: et possederunt terram Sehon, et terram regis Hesebon, et terram Og regis Basan. ²³ Et multiplicasti filios eorum sicut stellas cæli, et adduxisti eos ad terram de qua dixeras patribus eorum ut ingrederentur et possiderent. ²⁴ Et venerunt filii, et possederunt terram, et humiliasti coram eis habitatores terræ Chananæos, et dedisti eos in manu eorum, et reges eorum, et populos terræ, ut facerent eis sicut placebant illis. ²⁵ Ceperunt itaque urbes munitas et humum pinguem, et possederunt domos plenas cunctis bonis: cisternas ab aliis fabricatas, vineas, et oliveta, et ligna pomifera multa: et comederunt, et saturati sunt, et impinguati sunt, et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna. ²⁶ Provocaverunt autem te ad iracundiam, et recesserunt a te, et projecerunt legem tuam post terga sua: et prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos ut reverterentur ad te: feceruntque blasphemias grandes. ²⁷ Et dedisti eos in manu hostium suorum, et afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, et tu de cælo audisti, et secundum miserationes tuas multas dedisti eis salvatores, qui salvarent eos de manu hostium suorum. ²⁸ Cumque requievisent, reversi sunt ut facerent malum in conspectu tuo, et dereliquisti eos in manu inimicorum suorum, et possederunt eos. Conversique sunt, et clamaverunt ad te: tu autem de cælo exaudisti, et liberasti eos in misericordiis tuis, multis temporibus. ²⁹ Et contestatus es eos ut reverterentur ad legem tuam. Ipsi vero superbe egerunt, et non audierunt mandata tua, et in iudiciis tuis peccaverunt, quæ faciet homo, et vivet in eis: et dederunt humerum recedentem, et cervicem suam induraverunt, nec audierunt. ³⁰ Et protraxisti super eos annos multos, et contestatus es eos in spiritu tuo per manum prophetarum tuorum: et non audierunt, et tradidisti eos in manu populorum terrarum. ³¹ In misericordiis autem tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem, nec dereliquisti eos: quoniam Deus miserationum et clemens es tu. ³² Nunc itaque Deus noster magne, fortis et terribilis, custodiens pactum et misericordiam, ne avertas a facie tua omnem laborem, qui invenit nos, reges nostros, et principes nostros, et sacerdotes nostros, et prophetas nostros, et patres nostros, et omnem populum tuum a diebus regis Assur usque in diem hanc. ³³ Et tu justus es in omnibus quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti, nos autem impie egimus. ³⁴ Reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri et patres nostri non fecerunt legem tuam, et non attenderunt mandata tua, et testimonia tua quæ testificatus es in eis. ³⁵ Et ipsi in regnis suis, et in bonitate tua multa quam dederas eis, et in terra latissima et pingui quam tradideras in conspectu eorum, non servierunt tibi, nec reversi sunt a studiis suis pessimis. ³⁶ Ecce nos ipsi hodie servi sumus: et terra quam dedisti patribus nostris ut comederent panem ejus, et quæ bona sunt ejus, et nos ipsi servi sumus in ea. ³⁷ Et fruges ejus multiplicantur regibus quos posuisti super nos propter peccata nostra: et corporibus nostris dominantur, et jumentis nostris secundum voluntatem suam: et in tribulatione magna sumus. ³⁸ Super omnibus ergo his nos ipsi

percutimus foedus, et scribimus: et signant principes nostri, Levitæ nostri, et sacerdotes nostri.[¶]

10 Signatores autem fuerunt Nehemias, Athersatha filius Hachelai, et Sedecias,[§]
²Saraias, Azarias, Jeremias, ³Pheshur, Amarias, Melchias, ⁴Hattus, Sebenia, Melluch, ⁵Harem, Merimuth, Obdias, ⁶Daniel, Genthon, Baruch, ⁷Mosollam, Abia, Miamin, ⁸Maazia, Belgai, Semeia: hi sacerdotes. ⁹Porro Levitæ, Josue filius Azaniae, Bennui de filiis Henadad, Cedmihel, ¹⁰et fratres eorum, Sebenia, Odaia, Celita, Phalaia, Hanan, ¹¹Micha, Rohob, Hasebia, ¹²Zachur, Serebia, Sabania, ¹³Odaia, Bani, Baninu. ¹⁴Capita populi, Pharos, Phahathmoab, Ælam, Zethu, Bani, ¹⁵Bonni, Azgad, Bebai, ¹⁶Adonia, Begoai, Adin, ¹⁷Ater, Hezecia, Azur, ¹⁸Odaia, Hasum, Besai, ¹⁹Hareph, Anathoth, Nebai, ²⁰Megphias, Mosollam, Hazir, ²¹Mesizabel, Sadoc, Jeddua, ²²Pheltia, Hanan, Anaia, ²³Osee, Hanania, Hasub, ²⁴Alohes, Phalea, Sobec, ²⁵Rehum, Hasebna, Maasia, ²⁶Echaia, Hanan, Anan, ²⁷Melluch, Haran, Baana. ²⁸Et reliqui de populo, sacerdotes, Levitæ, janitores, et cantores, Nathinæi, et omnes qui se separaverunt de populis terrarum ad legem Dei, uxores eorum, filii eorum, et filia eorum, ²⁹omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis, optimates eorum, et qui veniebant ad pollicendum et jurandum ut ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moysi servi Dei: ut facerent et custodirent universa mandata Domini Dei nostri, et judicia ejus et cæremonias ejus: ³⁰et ut non daremus filias nostras populo terræ, et filias eorum non acciperemus filiis nostris. ³¹Populi quoque terræ, qui important venalia, et omnia ad usum, per diem sabbati ut vendant, non accipiemus ab eis in sabbato et in die sanctificato. Et dimitemus annum septimum, et exactionem universæ manus. ³²Et statuemus super nos præcepta, ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri, ³³ad panes propositionis, et ad sacrificium sempiternum, et in holocaustum sempiternum in sabbatis, in calendis, in solemnitatibus, et in sanctificatis, et pro peccato: ut exoretur pro Israël, et in omnem usum domus Dei nostri. ³⁴Sortes ergo misimus super oblationem lignorum inter sacerdotes, et Levitas, et populum, ut inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora, a temporibus anni usque ad annum: ut arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi: ³⁵et ut afferremus primogenita terræ nostræ, et primitiva universi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini: ³⁶et primitiva filiorum nostrorum et pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, et primitiva boum nostrorum et ovium nostrarum, ut offerrentur in domo Dei nostri, sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri: ³⁷et primitias ciborum nostrorum, et libaminum nostrorum, et poma omnis ligni, vindemiæ quoque et olei, afferemus sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri,

[¶]9.38 *Super omnibus ergo his.* BEDA, in Esdr., lib. 3, tom. 2. Ostendit quanta devotione omnes personæ eorum novum post festa scenopegiæ conventum fecerint, ut scilicet tota se intentione a scelerum contagiis expurgatos divino foederi conjungerent, et foederis sancti conditionem sermone firmarent et scripto; et sic ab impiorum consortio separati, securiores replerent opus, quod dudum cœperant, id est, ut congruos urbis cives de numero impiorum instituerent.

[§]10.1 *Signatores,* etc. Alia translatio: *Nehemias qui Athersata fertur,* erat enim dionymos unde singulariter subjungitur filius Achelai, quod superius apertius dicitur: *Dixit autem Nehemias, et ipse est Athersata* II Esd. 7.. ID., ibid. Nobis quoque sabbatum spirituale semper agendum est, etc., usque ad primo die a malis emundare necesse est, deinde bonis actibus adornari.

et decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum.³⁸ Erit autem sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, et Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri ad gazophylacium in domum thesauri.³⁹ Ad gazophylacium enim deportabunt filii Israël, et filii Levi, primitias frumenti, vini, et olei: et ibi erunt vasa sanctificata, et sacerdotes, et cantores, et janitores, et ministri: et non dimitemus domum Dei nostri.

11 Habitaverunt autem principes populi in Jerusalem: reliqua vero plebs misit sortem, ut tollerent unam partem de decem qui habitaturi essent in Jerusalem civitate sancta, novem vero partes in civitatibus.^{**} ²Benedixit autem populus omnibus viris qui se sponte obtulerant ut habitarent in Jerusalem. ³Hi sunt itaque principes provinciæ qui habitaverunt in Jerusalem, et in civitatibus Juda. Habitavit autem unusquisque in possessione sua, in urbibus suis, Israël, sacerdotes, Levitæ, Nathinæi, et filii servorum Salomonis.^{††} ⁴Et in Jerusalem habitaverunt de filiis Juda, et de filiis Benjamin: de filiis Juda, Athaias filius Aziam, filii Zachariæ, filii Amariæ, filii Saphatiæ, filii Melaleel: de filiis Phares, ⁵Maasia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia, filius Adaia, filius Jojarib, filius Zachariæ, filius Silonitis: ⁶omnes hi filii Phares, qui habitaverunt in Jerusalem, quadringenti sexaginta octo viri fortes. ⁷Hi sunt autem filii Benjamin: Sellum filius Mosollam, filius Joëd, filius Phadaia, filius Colaia, filius Masia, filius Etheel, filius Isaia, ⁸et post eum Gebbai, Sellai, nongenti viginti octo, ⁹et Joël filius Zechri præpositus eorum, et Judas filius Senua super civitatem secundus. ¹⁰Et de sacerdotibus, Idaia filius Joarib, Jachin, ¹¹Saraia filius Helciæ, filius Mosollam, filius Sadoc, filius Meraioth, filius Achitob princeps domus Dei, ¹²et fratres eorum facientes opera templi: octingenti viginti duo. Et Adaia filius Jeroham, filius Phelelia, filius Amsi, filius Zachariæ, filius Pheshur, filius Melchiæ, ¹³et fratres ejus principes patrum: ducenti quadraginta duo. Et Amassai filius Azreel, filius Ahazi, filius Mosollamoth, filius Emmer, ¹⁴et fratres eorum potentes nimis: centum viginti octo, et præpositus eorum Zabdiel filius potentium. ¹⁵Et de Levitis, Semeia filius Hasub, filius Azaricam, filius Hasabia, filius Boni, ¹⁶et Sabathai et Jozabed, super omnia opera quæ erant forinsecus in domo Dei, a principibus Levitarum. ¹⁷Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Asaph, princeps ad laudandum et ad confitendum in oratione, et Becbecia secundus de fratribus ejus, et Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithun: ¹⁸omnes Levitæ in civitate sancta ducenti octoginta quatuor. ¹⁹Et janitores, Accub, Telmon, et fratres eorum, qui custodiebant ostia: centum septuaginta duo. ²⁰Et reliqui ex Israël sacerdotes et Levitæ in universis civitatibus Juda, unusquisque in possessione sua. ²¹Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel, et Siaha, et Gaspaha de Nathinæis. ²²Et episcopus Levitarum in Jerusalem, Azzi filius Bani, filius Hasabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filiis Asaph, cantores in ministerio domus Dei. ²³Præceptum quippe regis super eos erat, et ordo in cantoribus per dies singulos, ²⁴et Phathahia filius Mesezebel, de filiis Zara filii

^{**}11.1 *Habitaverunt autem.* BEDA, in Esdr., lib. 3, tom. 2. Nunc completa est dispositio, etc., usque ad sed occulti iudicis et largitoris munere percipiunt.

^{††}11.3 *Et in Jerusalem.* ID., ibid. His verbis ostenditur, etc., usque ad nam sequitur: *De filiis Juda habitaverunt in Cariatharbe* II Esd. 11.. ID., ibid. Judas interpretatur *confitens* vel *confessio*, etc., usque ad cum eorum qui sunt in agro unus assumetur, et alter relinquetur.

Juda in manu regis, juxta omne verbum populi,²⁵ et in domibus per omnes regiones eorum. De filiis Juda habitaverunt in Cariatharbe et in filiabus ejus: et in Dibon, et in filiabus ejus: et in Cabseel, et in viculis ejus:²⁶ et in Jesue, et in Molada, et in Bethphaleth,²⁷ et in Hasersual, et in Bersabee, et in filiabus ejus,²⁸ et in Siceleg, et in Mochona, et in filiabus ejus,²⁹ et in Remmon, et in Saraa, et in Jerimuth,³⁰ Zanoa, Odollam, et in villis earum, Lachis et regionibus ejus, et Azeca, et filiabus ejus. Et manserunt in Bersabee usque ad vallem Ennom.³¹ Filii autem Benjamin, a Geba, Mechmas, et Hai, et Bethel, et filiabus ejus³² Anathoth, Nob, Anania,³³ Asor, Rama, Gethaim,³⁴ Hadid, Seboim, et Neballat, Lod,³⁵ et Ono valle artificum.³⁶ Et de Levitis portiones Judæ et Benjamin.

12 Hi sunt autem sacerdotes et Levitæ, qui ascenderunt cum Zorobabel filio Salathiel, et Josue: Saraia, Jeremias, Esdras,^{‡‡} ² Amaria, Melluch, Hattus, ³ Sebenias, Rheum, Merimuth, ⁴ Addo, Genthon, Abia, ⁵ Miamin, Madia, Belga, ⁶ Semeia, et Jojarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcias, ⁷ Idaia. Isti principes sacerdotum, et fratres eorum in diebus Josue. ⁸ Porro Levitæ, Jesua, Bennui, Cedmihel, Sarebia, Juda, Mathanias, super hymnos ipsi et fratres eorum: ⁹ et Becbecia atque Hanni, et fratres eorum, unusquisque in officio suo. ¹⁰ Josue autem genuit Joacim, et Joacim genuit Eliasib, et Eliasib genuit Jojada, ¹¹ et Jojada genuit Jonathan, et Jonathan genuit Jeddoa. ¹² In diebus autem Joacim erant sacerdotes et principes familiarum: Saraia, Maraia: Jeremia, Hanania: ¹³ Esdræ, Mosollam: Amaria, Johanan: ¹⁴ Milicho, Jonathan: Sebenia, Joseph: ¹⁵ Haram, Edna: Maraioth, Helci: ¹⁶ Adaiæ, Zacharia: Genthon, Mosollam: ¹⁷ Abia, Zechri: Miamin et Moadia, Phelti: ¹⁸ Belgæ, Sammu: Semaia, Jonathan: ¹⁹ Jojarib, Mathanai: Jodaiæ, Azzi: ²⁰ Sellai, Celai: Amoc, Heber: ²¹ Helcia, Hasebia: Idaia, Nathanaël. ²² Levitæ in diebus Eliasib, et Jojada, et Johanan, et Jeddoa, scripti principes familiarum, et sacerdotes in regno Darii Persæ. ²³ Filii Levi principes familiarum, scripti in libro verborum dierum, et usque ad dies Jonathan, filii Eliasib. ²⁴ Et principes Levitarum, Hasebia, Serebia, et Josue filius Cedmihel: et fratres eorum per vices suas, ut laudarent et confiterentur juxta præceptum David viri Dei, et observarent æque per ordinem. ²⁵ Mathania, et Becbecia, Obedia, Mosollam, Telmon, Accub, custodes portarum et vestibulorum ante portas. ²⁶ Hi in diebus Joacim filii Josue, filii Josedec, et in diebus Nehemia ducis, et Esdræ sacerdotis scribæque. ²⁷ In dedicatione autem muri Jerusalem, requisierunt Levitas de omnibus locis suis ut adducerent eos in Jerusalem, et facerent dedicationem et lætitiâ in actione gratiarum, et cantico, et in cymbalis, psalteriis, et citharis.^{¶¶} ²⁸ Congregati sunt autem filii cantorum de campestribus circa Jerusalem, et de villis Nethupathi,^{§§} ²⁹ et de domo Galgal, et

^{‡‡}12.1 *Hi sunt autem*, etc. BEDA, ubi supra. Hic principes sacerdotum una cum fratribus suis, etc., usque ad ideoque illum superstite adhuc Nehemia nasci potuisse. BED., ibid. Descripta est successio principum sacerdotum et levitarum, etc., usque ad amica provisione restaurant, et debito honore exaltant. ID., ibid. Jamdudum ædificata erat civitas, etc., usque ad tunc in re ipsa fruentium divina visione beatorum hominum in corporibus spiritualibus inter angelica agmina.

^{¶¶}12.27 *Et in cymbalis*, etc. ID., ibid. Cymbala, psalteria et citharæ, etc., usque ad et corda proximorum ad amorem ejus accendunt, etc.

^{§§}12.28 *Filii cantorum*. ID., ibid. Imitatores scilicet eorum, etc., usque ad et in ipso tempore dedicationis, id est, perpetuæ remunerationis ibidem pariter uniuntur.

de regionibus Geba et Azmaveth: quoniam villas ædificaverunt sibi cantores in circuitu Jerusalem. ³⁰ Et mundati sunt sacerdotes et Levitæ, et mundaverunt populum, et portas, et murum. * ³¹ Ascendere autem feci principes Juda super murum, et statui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram super murum ad portam sterquilini. † ³² Et ivit post eos Osaias, et media pars principum Juda, ³³ et Azarias, Esdras, et Mosollam, Judas, et Benjamin, et Semeia, et Jeremias. ³⁴ Et de filiis sacerdotum in tubis, Zacharias filius Jonathan, filius Semeiæ, filius Mathaniæ, filius Michaiæ, filius Zechur, filius Asaph, ‡ ³⁵ et fratres ejus Semeia, et Azareel, Malalai, Galalai, Maai, Nathanaël, et Judas, et Hanani, in vasis cantici David viri Dei: et Esdras scriba ante eos in porta fontis. ¶ ³⁶ Et contra eos ascenderunt in gradibus civitatis David in ascensu muri super domum David, et usque ad portam aquarum ad orientem. § ³⁷ Et chorus secundus gratias referentium ibat ex adverso, et ego post eum, et media pars populi super murum, et super turrim furnorum, et usque ad murum latissimum, ** ³⁸ et super portam Ephraim, et super portam antiquam, et super portam piscium, et turrim Hananeel, et turrim Emath, et usque ad portam gregis: et steterunt in porta custodia, ³⁹ steteruntque duo chori laudantium in domo Dei, et ego, et dimidia pars magistratuum mecum. †† ⁴⁰ Et sacerdotes, Eliachim, Maasia, Miamin, Michea, Elioënai, Zacharia, Hanania in tubis, ⁴¹ et Maasia, et Semeia, et Eleazar, et Azzi, et Johanan, et Melchia, et Ælam, et Ezer. Et clare cecinerunt can-

*12.30 *Et mundati*. ID., ibid. Justus omnino ordo, etc., usque ad et vinctis manibus et pedibus in tenebras exteriores mittatur.

†12.31 *Principes Juda*, etc., id est confessionis vel laudis, perfectiores sunt Ecclesiæ doctores, qui in dedicatione civitatis super murum ascendunt: quia in tempore tribulationis generalem Ecclesiæ conversationem altius vivendo transcendisse probantur. De his enim dicitur: *Super muros Jerusalem constitui custodes* Isai. 62., etc. Jure ergo qui nunc muris Ecclesiæ tanquam vigiles præsent, tunc quoque eisdem gloria remunerationis præeminebunt. *Et statui duos choros*. Vel spurcitiam peccatorum in præsentī de Ecclesia correctius vivendo, et errantes corrigendo expurgent, et in futuro qui corrigi noluerunt, judiciaria potestate de civitate Domini, id est ingressu patriæ cœlestis, expellant. Vel chori laudantium ad dexteram euntes super murum ad portam sterquilini ascendunt, dum eos dignos laude prædicant qui omnem immunditiam de Ecclesia prædicando, arguendo, excommunicando, eliminant.

‡12.34 *Et de filiis sacerdotum*, etc. In hac vita filii sacerdotum in dedicatione civitatis Dei tubis canunt, qui ad memoriam patriæ cœlestis corda auditorum prædicando succendunt.

¶12.35 *In vasis cantici David*. Quia non suo sensu vel desideriis innituntur, sed patrum et prophetarum vitam et doctrinam per omnia sequentes verbo prædicationis insistent. *Et Esdras scriba*. Quia in omnibus quæ agunt verba sanctæ Scripturæ præ oculis habent, quibus ducibus ad ingressum vitæ æternæ perveniant, ut inebrientur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus, apud quem est fons vitæ, etc.

§12.36 *Et contra eos ascenderunt in gradibus*. BED., ibid. Cum civitas ædificaretur, etc., usque ad sanctam Trinitatem socia exultatione concelebrant. *Super domum David*. ID., ibid. Ascendunt filii sacerdotum, etc., usque ad ortumque solis justitiæ sine occasu videre merentur.

**12.37 *Et super turrim furnorum*. ID., ibid. Longum est de singulis portis vel turribus specialiter disserere, etc., usque ad circumspecta semper est necesse cautela et sollicitudine muniri.

††12.39 *Steteruntque duo chori*. ID., ibid. Perambulatis mœnibus et portis civitatis, etc., usque ad in cuius implenda voluntate infatigabili mente permaneo.

tores, et Jezraia præpositus:^{‡‡ 42} et immolaverunt in die illa victimas magnas, et lætati sunt: Deus enim lætificaverat eos lætitia magna: sed et uxores eorum et liberi gavisii sunt, et audita est lætitia Jerusalem procul.^{¶¶ 43} Recensuerunt quoque in die illa viros super gazophylacia thesauri ad libamina, et ad primitias, et ad decimas, ut introferrent per eos principes civitatis in decore gratiarum actionis, sacerdotes et Levitas: quia lætificatus est Juda in sacerdotibus et Levitis adstantibus.^{§§ 44} Et custodierunt observationem Dei sui, et observationem expiationis, et cantores, et janitores juxta præceptum David, et Salomonis filii ejus,⁴⁵ quia in diebus David et Asaph ab exordio erant principes constituti cantorum in carmine laudantium et confitentium Deo.⁴⁶ Et omnis Israël in diebus Zorobabel et in diebus Nehemiæ, dabant partes cantoribus et janitoribus per dies singulos, et sanctificabant Levitas, et Levitæ sanctificabant filios Aaron.

13 In die autem illo, lectum est in volumine Moysi, audiente populo: et inventum est scriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites et Moabites in ecclesiam Dei usque in æternum:^{* 2} eo quod non occurrerint filiis Israël cum pane et aqua, et conduxerint adversum eos Balaam ad maledicendum eis: et convertit Deus noster maledictionem in benedictionem.³ Factum est autem, cum audissent legem, separaverunt omnem alienigenam ab Israël.^{† 4} Et super hoc erat Eliasib sacerdos, qui fuerat præpositus in gazophylacio domus Dei nostri, et proximus Tobia. ⁵ Fecit ergo sibi gazophylacium grande, et ibi erant ante eum reponentes munera, et thus, et vasa, et decimam frumenti, vini, et olei, partes Levitarum, et cantorum, et janitorum, et primitias sacerdotales.⁶ In omnibus autem his non fui in Jerusalem, quia anno trigesimo secundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem, et in fine dierum rogavi regem.^{‡ 7} Et veni in Jerusalem, et intellexi malum quod fecerat Eliasib Tobia, ut faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei.⁸ Et malum mihi visum est valde.

^{‡‡}12.41 *Et clare cecinerunt. Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis. Vota mea Domino reddam in atris domus Domini, in conspectu omnis populi in medio tui, Jerusalem* Psal. 115.. Hoc fit cum in cœlesti patria omnium sanctorum multitudine congregata, eas pro quibus in præsentii gemimus quasque gratiarum actione quotidiano desiderio sitimus, laudes efferimus.

^{¶¶}12.42 *Deus enim lætificaverat*, etc. BEDA, ibid. Hæc ad dedicationem sanctæ civitatis, etc., usque ad et victimas bonorum operum maximas immolare curabant. *Sed et uxores*, etc. Quia tempore resurrectionis non solum qui prædicando vel fortiter operando Ecclesiam ædificaverunt, fructum laboris percipiunt, sed etiam infirmiores ejusdem fidei consortes, eadem vitæ perceptione lætantur. *Benedixit enim Dominus pusillis cum majoribus* Psal. 113..

^{§§}12.43 *Recensuerunt quoque*, etc. BEDA, ibid. Gaudentibus cunctis, etc., usque ad et cum magna laude et lætitia erat dedicata.

^{*}13.1 *In die autem illo lectum*, etc. BEDA in Esdr., lib. 3, tom. 2. Hi quia de incestu nati sunt, etc., usque ad sed Deus maledictionem Balaam in benedictionem populi sui convertit, et eum ab armis inimicorum munivit.

[†]13.3 *Factum est autem*, etc. Quia necesse est nos auditui veritatis intendere, ubi cum ab uno quolibet vitio lectione divina prohibemur, continuo etiam quidquid vitii sordidantis in nobis deprehendimus, ab actione nostra et conscientia repellamus.

[‡]13.6 *In omnibus his*. BED., ibid. Hæc sententia, etc., usque ad quæ reversus Nehemias mox exstirpavit.

Et projecit vasa domus Tobiae foras de gazophylacio:^{¶ 9} præcepique et emundaverunt gazophylacia: et retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium, et thus.¹⁰ Et cognovi quod partes Levitarum non fuissent datae, et fugisset unusquisque in regionem suam de Levitis, et cantoribus, et de his qui ministrabant:¹¹ et egi causam adversus magistratus, et dixi: Quare dereliquimus domum Dei? et congregavi eos, et feci stare in stationibus suis.¹² Et omnis Juda apportabat decimam frumenti, vini, et olei, in horrea.¹³ Et constituimus super horrea Selemiam sacerdotem, et Sadoc scribam, et Phadaïam de Levitis, et juxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniae: quoniam fideles comprobati sunt, et ipsis creditae sunt partes fratrum suorum.¹⁴ Memento mei, Deus meus, pro hoc, et ne deleas miserationes meas quas feci in domo Dei mei, et in cæremoniis ejus.¹⁵ In diebus illis vidi in Juda calcantes torcularia in sabbato, portantes acervos, et onerantes super asinos vinum, et uvas, et ficus, et omne onus, et inferentes in Jerusalem, die sabbati. Et contestatus sum ut in die qua vendere liceret, venderent.¹⁶ Et Tyrii habitaverunt in ea, inferentes pisces, et omnia venalia: et vendebant in sabbatis filiis Juda in Jerusalem.^{§ 17} Et objurgavi optimates Juda, et dixi eis: Quae est hæc res mala quam vos facitis, et profanatis diem sabbati?¹⁸ numquid non hæc fecerunt patres nostri, et adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, et super civitatem hanc? et vos additis iracundiam super Israël violando sabbatum.¹⁹ Factum est autem, cum quievissent portae Jerusalem in die sabbati, dixi: et clausurunt januas, et præcepi ut non aperirent eas usque post sabbatum: et de pueris meis constitui super portas, ut nullus inferret onus in die sabbati.^{**}
²⁰ Et manserunt negotiatores, et vendentes universa venalia, foris Jerusalem semel et bis.²¹ Et contestatus sum eos, et dixi eis: Quare manetis ex adverso muri? si secundo hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in sabbato.²² Dixi quoque Levitis ut mundarentur, et venirent ad custodiendas portas, et sanctificandam diem sabbati: et pro hoc ergo memento mei, Deus meus, et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum.^{†† 23} Sed et in diebus illis vidi

[¶]13.8 *Et projecit vasa domus Tobiae.* ID., ibid. Qui supradictus est servus Ammonites inimicus populi Dei, etc., usque ad quæ communicatio hæreticis et schismaticis cum orthodoxis et pacificis filiis Dei. *Et projecit.* ID., ibid. Tu quoque quidquid inter fideles infidelitatis et immunditiae repereris, etc., usque ad sicut enim Nehemias in cæteris, ita et in hoc ejus personam representavit. ID., ibid. Sex diebus operari per legem quæ necessaria sunt, in septima jubemur quiescere, etc., usque ad ab his quæ ad victum et vestitum pertinent, prorsus intuitum avertant, sed congruo moderamine dispensent.

[§]13.16 *Inferentes pisces et omnia,* etc. ID., ibid. Piscis bonus, est pia fides, quam qui a Domino malus, infirma cogitatio quæ se curis hujus mundi ultra modum immergit, quam nobis Tyrii, id est, coangustati quærunt in sabbato vendere, cum immundi spiritus quietem nostræ cogitationis importune profundis sæculi curis obruere tentant. Sed pro tali mercatu Nehemias optimates objurgat Juda et castigat, dum divina inspiratio eos qui professioni pietatis servire conantur, ab hujusmodi cogitationibus purgat.

^{**}13.19 *Factum est autem.* BED., ibid. Conscientia nostra, etc., usque ad ideo merito sequitur.

^{††}13.22 *Dixi quoque Levitis ut mundarentur,* etc. ID., ibid. Mundari eos a quotidiano operis exercitio necesse est, etc., usque ad oportet ut prius mentem suam et actus purificent ab omni errorum labe.

Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, et Moabitidas.‡‡ 24 Et filii eorum ex media parte loquebantur azotice, et nesciebant loqui judaice, et loquebantur juxta linguam populi et populi. 25 Et objurgavi eos, et maledixi. Et cecidi ex eis viros, et decalvavi eos, et adjuravi in Deo ut non darent filias suas filiis eorum, et non acciperent de filiabus eorum filii suis et sibimetipsis, dicens: 26 Numquid non in hujuscemodi re peccavit Salomon rex Israël? et certe in gentibus multis non erat rex similis ei, et dilectus Deo suo erat, et posuit eum Deus regem super omnem Israël: et ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. 27 Numquid et nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc ut prævaricemur in Deo nostro, et ducamus uxores peregrinas? 28 De filiis autem Jojada filii Eliasib sacerdotis magni, gener erat Sana-ballat Horonites, quem fugavi a me. 29 Recordare, Domine Deus meus, adversum eos qui polluunt sacerdotium, jusque sacerdotale et Leviticum. 30 Igitur mundavi eos ab omnibus alienigenis, et constitui ordines sacerdotum et Levitarum, unumquemque in ministerio suo:¶¶ 31 et in oblatione lignorum in temporibus constitutis, et in primitivis: memento mei, Deus meus, in bonum. Amen.‡‡

‡‡13.23 *Sed et in diebus illis.* ID., ibid. In Ecclesia uxores alienigenas ducunt, etc. usque ad sed gentili sensu interpretantes.

¶¶13.30 *Igitur mundavi eos.* ID., ibid. Apertius per omnia finis et condignus ædificio sanctæ civitatis et templi Domini, ut emundatis civibus alienæ a Deo pollutionis, ordines sacerdotum et levitarum in ministerio suo rite custodiantur, ut instituti regulariter magistri Ecclesiæ castigatum ab omni peccato populum de cætero in bono permanere, et crescere semper exhortentur.

‡‡13.31 *Et in oblatione lignorum in temporibus constitutis et in primitiis.* Inter cætera populus ligna offert ad ignem altaris nutriendum, cum opera virtutum divina consecratione digna operantur. Ardent ligna et consumuntur in altari holocaustorum, cum in cordibus electorum, opera justitiæ flamma charitatis perficiuntur. **Memento mei, Deus, in bonum.** Merito talis conditor et dedicator civitatis, post multos devotionis labores, memoriæ se Creatoris et largitoris omnium bonorum commendat.

INCIPIT LIBER HESTER

1 In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam super centum viginti septem provincias,* ²quando sedit in solio regni sui, Susan civitas regni ejus exordium fuit.† ³Tertio igitur anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus et pueris suis, fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, et præfectis provinciarum coram se,‡ ⁴ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet et octoginta diebus. ⁵Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus est in Susan, a maximo usque ad minimum: et jussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti, et nemoris quod regio cultu et manu consitum erat.¶ ⁶Et pendebant ex omni parte tentoria ærii coloris et carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, et columnis marmoris fulciebantur. Lectuli quoque aurei et argentei, super pavementum smaragdino

*1.1 RAB., expos. in lib. Esther, tom. 3. Liber Esther quem Hebræi inter hagiographa numerant, Christi et Ecclesiæ continet sacramenta, etc., usque ad qui regnavit post Darium patrum cognomento Nochum annis quadraginta.

†1.2 *Susan civitas*, etc. Susan metropolis est in Perside, quam aiunt historici Memnonis fratrem constituisse, et a Susi fluvio nomen accepisse. Ibi est regia domus Cyri lapide candido et vario, columnis aureis, et laquearibus gemmisque distincta: cœli continens simulacrum stellis micantibus insignitum, et incredibilia multa. Ibi Assuerus convivium maximum divitiis, et copiosum deliciis celebravit. Virtus namque sacri eloquii, sic aliquando transacta narrat, ut ventura exprimat: sic factorem approbat, ut ei in ministerio contradicat: sic gesta damnat, ut hæc mystice gerenda suadeat.

‡1.3 *Tertio igitur anno*. Tempore, scilicet, istius sæculi incarnationis suæ sacramentum patefecit, et spirituales epulas prædicationis, et corporis et sanguinis sui abundantissime ministravit. Primum tempus ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. *Grande convivium cunctis principibus. Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo Matth. 22.* Et alibi: *Homo quidam fecit cœnam magnam: et vocavit multos Luc. 14.* Hujus convivii historia, pompam divitiarum, et luxum regis ostendit: sed Christi spirituales delicias quas unicuique dispensat, allegorice significat. Christus enim est ille ditissimus rex, qui uxoris suæ, id est Ecclesiæ, precibus exoratus, Judæos, id est confessores suos, de manu inimicorum liberat, atque ipsos juste condemnat. Neque enim necesse est, ut si aliquorum bona Christum significant, eorum quoque mala ipsi, scilicet Christo conveniant. Moyses enim in multis Christum significavit; sed non in hoc, quod ad aquas contradictionis dubitavit. Sed nec Aaron factura vituli. Nec Salomon in sorde libidinis. Sic Assuerus in isto judicio, ut in liberali convivio Christum significat, sicut Isaias in Cyro rege Persarum Christum signat, de quo postea subjungit: *Accinxi te et non cognovisti me Isa. 45.*, etc. Si enim reges iniqui in malefactis diabolum significant; cur non reges justi in benefactis, Christum demonstrant? Nabuchodonosor jussit populos audita symphoniarum et musicorum voce prostratos statuam adorare. Et diabolus sæculari dulcedine genus humanum inflectit a mentis rectitudine ad sequendam avaritiam quæ est simulacrorum servitus.

¶1.5 *Dies convivii*. Magnatum vel primitivorum fidelium primi refecti sunt, secundum illud: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël Matth. 15.* In circumcisionis sacramento Dominicæ resurrectionis, et Novi Testamenti et veræ circumcisionis: et octo sunt beatitudines, ad quas istud convivium perducit, quod fit tantum diebus; mali autem convivabantur in noctibus.

et pario stratum lapide, dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabat.[§]
⁷ Bibebant autem qui invitati erant aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans, et præcipuum ponebatur.^{**} ⁸ Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis ut sumeret unusquisque quod vellet.^{††} ⁹ Vasthi quoque regina fecit convivium feminarum in palatio, ubi rex Assuerus manere consueverat.^{‡‡} ¹⁰ Itaque die septimo, cum rex esset hilarior, et post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit Maumam, et Bazatha, et Harbona, et Bagatha, et Abgatha, et Zethar, et Charchas, septem eunuchis qui in conspectu ejus ministrabant, ¹¹ ut introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput ejus diademate, ut ostenderet cunctis populis et principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde.^{¶¶} ¹² Quæ renuit, et ad regis imperium quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit. Unde iratus rex, et nimio furore succensus,^{§§} ¹³ interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, et illorum faciebat cuncta consilio,

§1.6 *Et pendebant.* Byssus mortificationem carnis significat. Purpura sanguinem martyrii. Columnæ marmoreæ, firmitatem doctorum. Bene ergo dicitur quod tentoria diversi coloris byssinis et purpureis funibus per circulos eburneos in columnis marmoreis suspendebantur; quia decor Ecclesiæ in sapientiæ meditatione et in virtutum ascensione per carnis mortificationem et castitatem cum martyrii dignitate in doctoribus debet effulgere; et ipsorum verbo et exemplo ad aliorum notitiam pervenire: ut ab his instructi et confortati, aulam paradisi mereantur introire. *Et columnis marmoreis fulciebantur.* Id est, doctoribus de quibus dicitur: *Ego confirmavi columnas ejus Psal. 74.* Ex alibi: *Columnas fecit argenteas, reclinatorium aureum Cant. 3.* *Super pavimentum.* Smaragdus a nimia viriditate sui sic vocatur. Parium, genus marmoris candidissimum. Per virorem enim fidei et candorem castitatis construitur fundamentum humilitatis. *Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Matth. 5.* Et: Qui se humiliat exaltabitur Luc. 10. Et alibi: *Discite a me, quia mitis sum Matth. 11.,* etc.

^{**}1.7 *Vinum.* Secundum illud: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris Rom. 5.,* etc. Alii datur sermo scientiæ, alii sapientiæ, alii fides, alii gratia sanitatum. *Nolentes cogeret ad bibendum,* etc. Nemo cogitur spirituale donum accipere: filios vult Deus, non servos: voluntatem vult, non necessitatem, secundum illud: *Qui potest capere capiat Matth. 19.* Item. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata Ibid.* Et: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes Ibid.,* etc.

^{††}1.8 Unusquisque quod vellet, etc. *Secundum velocitatem et capacitatem et utilitatem singulorum. Sic enim temperanda est prædicatio, ut in omnibus utilis fiat, nulli noceat, et inter omnium vitia, quasi gladius anceps transeat. Sic per superbiam rescindens auferat, ut non augeat timiditatem. Sic per otiosis et torpentibus sollicitudinem operis imponens, ut inquietis et curiosis non augeat importunam actionem, et sic de cæteris.*

^{‡‡}1.9 *In palatio, ubi rex Assuerus,* etc. Hierusalem, ubi templum et sancta sanctorum, vel in sanctæ Scripturæ meditatione; in qua divinitas, potentiæ suæ tribuit notitiam.

^{¶¶}1.11 *Ut ostenderet,* etc. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium Gal. 4.,* etc. Tunc enim Dei Filius incarnatus legis mysteria quibus ante fideles paverat, abundantiori gratia manifestavit.

^{§§}1.12 Quæ renuit. *Non solum legatores despiciens, sed et regis imperium; unde in Evangelio, senior filius a patre rogatus ad convivium noluit introire: et qui ad cœnam vocati, aliis rebus occupati, noluerunt venire, juxta indignationem patris-familias, rejecti sunt et alii loco illorum constituti.*

scientium leges, ac jura majorum ¹⁴(erant autem primi et proximi, Charsena, et Sethar, et Admatha, et Tharsis, et Mares, et Marsana, et Mamuchan, septem duces Persarum, atque Medorum, qui videbant faciem regis, et primi post eum residere soliti erant): ¹⁵cui sententiæ Vasthi regina subjaceret, quæ Assueri regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, facere nolisset. ¹⁶Responditque Mamuchan, audiente rege atque principibus: Non solum regem læsit regina Vasthi, sed et omnes populos et principes qui sunt in cunctis provinciis regis Assueri.* ¹⁷Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres, ut contemnunt viros suos, et dicant: Rex Assuerus jussit ut regina Vasthi intraret ad eum, et illa noluit. ¹⁸Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Persarum atque Medorum parvipendent imperia maritorum: unde regis justa est indignatio. ¹⁹Si tibi placet, egrediatur edictum a facie tua, et scribatur juxta legem Persarum atque Medorum, quam præteriri illicitum est, ut nequaquam ultra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius altera, quæ melior est illa, accipiat. ²⁰Et hoc in omne (quod latissimum est) provinciarum tuarum divulgetur imperium, et cunctæ uxores, tam majorum quam minorum, deferant maritis suis honorem. ²¹Placuit consilium ejus regi et principibus: fecitque rex juxta consilium Mamuchan, ²²et misit epistolas ad universas provincias regni sui, ut quæque gens audire et legere poterat, diversis linguis et litteris, esse viros principes ac majores in domibus suis: et hoc per cunctos populos divulgari.

2 His ita gestis, postquam regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi, et quæ fecisset, vel quæ passa esset: ²dixeruntque pueri regis ac ministri ejus: Quærantur regi puellæ virgines ac speciosæ, ³et mittantur qui considerent per universas provincias puellas speciosas et virgines: et adducant eas ad civitatem Susan, et tradant eas in domum feminarum sub manu Egei eunuchi, qui est præpositus et custos mulierum regiarum: et accipiant mundum muliebrem, et cetera ad usus necessaria. ⁴Et quæcumque inter omnes oculis regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi. Placuit sermo regi: et ita, ut suggesserant, jussit fieri. ⁵Erat vir Judæus in Susan civitate, vocabulo Mardocheus filius Jair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Jemini, ⁶qui translatus fuerat de Jerusalem eo tempore quo Jechoniam regem Juda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat, ⁷qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther, et utrumque parentem amiserat: pulchra nimis, et decora facie. Mortuisque patre ejus ac matre, Mardocheus sibi eam adoptavit in filiam.† ⁸Cumque percebruisset regis imperium, et juxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Susan, et Egeo traderentur eunuchis, Esther quoque inter ceteras puellas ei tradita est, ut servaretur in numero

*1.16 *Responditque Mamuchan audiente rege atque principibus: Non solum regem læsit regina,* etc. Hic novissimus in ordine septem sapientum numeratus, sententiam promulgat, et Paulum apostolum significat qui dicit: *Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus I Cor. 15.* Et contradicentibus Judæis et zelo repletis ait: *Quia vos indignos judicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes Act. 13.*

†2.7 *Qui fuit.* Esther dicitur absconsa, Edissa, misericordiam consecuta. Hæc est gentium Ecclesia, quæ in abscondito cordis nutriens castitatem fidei, misericordiam et gratiam coram oculis Domini invenit, repudiata synagoga, quæ in Osee vocabatur absque misericordia. Hanc nutrit Mardocheus spiritualis, et adoptat in filiam qui est doctor gentium in fide et veritate, et est de stirpe Jemini, hoc est de stirpe Benjamin.

feminarum.[‡] ⁹ Quæ placuit ei, et invenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit eunucho, ut acceleraret mundum muliebrem, et traderet ei partes suas, et septem puellas speciosissimas de domo regis, et tam ipsam quam pedissequas ejus ornaret atque excoleret.[¶] ¹⁰ Quæ noluit indicare ei populum et patriam suam: Mardocheus enim præceperat ei, ut de hac re omnino reticeret: ¹¹ qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines servabantur, curam agens salutis Esther, et scire volens quid ei accideret. ¹² Cum autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum ut intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mensis duodecimus vertebatur: ita dumtaxat, ut sex mensibus oleo ungerentur myrrhino, et aliis sex quibusdam pigmentis et aromatibus uterentur. ¹³ Ingredientesque ad regem, quidquid postulasset ad ornatum pertinens, accipiebant: et ut eis placuerat, compositæ de triclinio feminarum ad regis cubiculum transibant.[§] ¹⁴ Et quæ intraverat vespere, egrediebatur mane, atque inde in secundas ædes deducebatur, quæ sub manu Susagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præsidebat: nec habebat potestatem ad regem ultra redeundi, nisi voluisset rex, et eam venire jussisset ex nomine.^{**} ¹⁵ Evoluto autem tempore per ordinem, instabat dies quo Esther filia Abihail fratris Mardochei, quam sibi adoptaverat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde, et incredibili pulchritudine: omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur.^{††} ¹⁶ Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regni ejus.^{‡‡} ¹⁷ Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres: et posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vasthi. ¹⁸ Et jussit convivium præparari permag-

[‡]2.8 *Esther.* Hanc Nabuchodonosor spiritualis et rex confusionis a naturali lege et cultu unius Dei in confusionem idololatriæ transtulit, sed pietas divina ad viam veritatis per prædicatores revocavit.

[¶]2.9 *Et septem puellas.* Id est, fideles animas Spiritu sancti gratia regeneratas atque dedicatas quæ ejus sequuntur vestigia, fide, doctrina, et operatione, de quibus dicitur: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis. Quæ noluit.* Quia peccatorum labe et sordibus idololatriæ per baptismum mundata, opprobrium pristinae iniquitatis non sustinuit ultra.

[§]2.13 *Ingredientesque.* Quæcumque anima certat ad thalamum Christi properare, condignum a suis doctoribus accipit ornamentum, et quo magis se devotam ad agnitionem fidei, et exercitium operis præparat, eo amplius a doctoribus instruitur, ut de competentium numero, ad sanctæ Trinitatis integram fidem et confessionem ac perceptionem baptismi et unctionem chrismatis, ut cœlesti sponso veraciter jungatur, accedat.

^{**}2.14 *Atque inde.* Qui se ab Ecclesia per vitiorum sordes separaverit, merito in secundas ædes retruditur ubi concubinæ regis morantur: quia sanæ fidei casus descensum honoris meretur, nec habet ultra potestatem ad regem redire, nisi superna gratia visitatus, in pristinae statum dignitatis restituatur.

^{††}2.15 *Evoluto autem.* Id est, transactis quinque ætatibus mundi, quibus patrum propago processerat, instabat sexta ætas veniente Redemptore, in qua gentium multitudo per Evangelium vocanda erat.

^{‡‡}2.16 *Tebeth.* Apud Hebræos; Xudimos, apud Græcos; Januarius est apud Latinos. In quo Dominus incarnatus octavo die circumcisis a magis adoratus, et mysticis muneribus est honoratus, in quo etiam a Joanne baptizatus esse prædicatur.

nificum cunctis principibus et servis suis pro conjunctione et nuptiis Esther. Et dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem. ¹⁹ Cumque secundo quærentur virgines et congregarentur, Mardocheus manebat ad januam regis: ^{¶¶} ²⁰ necdum prodiderat Esther patriam et populum suum, juxta mandatum ejus. Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Esther: et ita cuncta faciebat ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat. ²¹ Eo igitur tempore, quo Mardocheus ad regis januam morabatur, irati sunt Bagathan et Thares duo eunuchi regis, qui janitores erant, et in primo palatii limine præsidebant: volueruntque insurgere in regem, et occidere eum. ^{§§} ²² Quod Mardocheum non latuit, statimque nuntiavit reginæ Esther: et illa regi ex nomine Mardochei, qui ad se rem detulerat. ²³ Quæsitum est, et inventum: et appensus est uterque eorum in patibulo. Mandatumque est historiis, et annalibus traditum coram rege.*

3 Post hæc rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag: et posuit solium ejus super omnes principes quos habebat. [†] ² Cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, et adorabant Aman: sic enim præceperat eis imperator: solus Mardocheus non flectebat genu, neque adorabat eum. ³ Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatii præsidebant: Cur præter ceteros non observas mandatum regis? ⁴ Cumque hoc crebrius dicerent, et ille nollet audire, nuntiaverunt Aman, scire cupientes utrum perseveraret in sententia: dixerat enim eis se esse Judæum. ⁵ Quod cum audisset Aman, et experimento probasset quod Mardocheus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valde, ⁶ et pro nihilo duxit in unum Mardocheum mittere manus suas: audierat enim quod esset gentis Judææ; magisque voluit omnem Judæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem. ⁷ Mense primo (cujus vocabulum est Nisan), anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam, quæ hebraice dicitur phur, coram Aman, quo die et quo mense gens Judæorum deberet interfici: et exivit mensis duodecimus, qui vocatur

^{¶¶}2.19 *Cumque et secundo.* Non sufficit Christo primitivam sibi sociare Ecclesiam, sed per prædicatores de gentibus multitudinem acquisivit copiosam; unde: *Alias oves habeo quæ non, etc. Joan. 10.*

^{§§}2.21 *Duo eunuchi regis,* etc. Possunt in duobus eunuchis schismatici et hæretici notari, qui fraudis et malitiæ venenum corde gestantes, contra veritatem consiliantur ut eam credentibus auferant, et Christum, id est fidem Christi, in ipsis fidelibus interficiant: sed eorum iniquitatem sancti doctores manifestant, ut innocentes salventur, et illi justa ultione puniantur.

*2.23 *Historiis et annalibus traditum coram rege,* etc. Duobus Testamentis, in quibus scriptum est, quæ justis præmia, quæ injustis debeantur supplicia; unde: *Ībunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam Matth. 25.* Et in Ezech.: *Justitiæ justi super eum, et impietas impii erit super eum Ezech. 18.*

[†]3.1 *Aman filium.* Potentes sæculi, qui beneficiis divina potestate collatis abutentes, quos consortes habent naturæ dedignantur habere consortes gratiæ: et honorem et reverentiam quam soli Deo debuerunt, in sese transferre contendunt. Eos autem qui consentire nolunt, odiis et cruciatibus persequuntur: sed justo Dei judicio in insidiis suis capiuntur iniqui. Unde dicitur: *Justus angustia liberatur, et traditur impius pro eo Prov. 11.* Potest per Aman quem Josephus de stirpe Amalec esse commemorat Judæorum populus figurari: qui prophetas occiderunt, et Dominum prophetarum et apostolos, ejus generis nobilitatem propter incredulitatem et duritiam cordis perdentes, qui per Isaiam principes Sodomorum et populus Gomorrhæ dicuntur. Unde Ezechiel: *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.*

Adar.[‡] ⁸ Dixitque Aman regi Assuero: Est populus per omnes provincias regni tui dispersus, et a se mutuo separatus, novis utens legibus et cæremoniis, insuper et regis scita contemnens: et optime nosti quod non expediat regno tuo ut insolescat per licentiam. ⁹ Si tibi placet, decerne, ut pereat, et decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ. ¹⁰ Tulit ergo rex annulum, quo utebatur, de manu sua, et dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Judæorum,[¶] ¹¹ dixitque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit; de populo age quod tibi placet. ¹² Vocatione sunt scribæ regis mense primo Nisan, tertiadecima die ejusdem mensis: et scriptum est, ut jusserat Aman, ad omnes satrapas regis, et iudices provinciarum, diversarumque gentium, ut quæque gens legere poterat et audire pro varietate linguarum ex nomine regis Assueri: et litteræ signatæ ipsius annulo ¹³ missæ sunt per cursores regis ad universas provincias, ut occiderent atque delerent omnes Judæos, a puero usque ad senem, parvulos et mulieres, uno die, hoc est tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar; et bona eorum diriperent. ¹⁴ Summa autem epistolarum hæc fuit, ut omnes provinciæ scirent, et pararent se ad prædictam diem. ¹⁵ Festinabant cursores, qui missi erant, regis imperium explere. Statimque in Susan pependit edictum, rege et Aman celebrante convivium, et cunctis Judæis, qui in urbe erant, flentibus.

4 Quæ cum audisset Mardocheus, scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, spargens cinerem capiti: et in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, ² et hoc ejulatu usque ad fores palatii gradiens. Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare.[§] ³ In omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, et fletus, sacco et cinere multis pro strato utentibus. ⁴ Ingressæ autem sunt puellæ Esther et eunuchi, nuntiaveruntque ei. Quod audiens consternata est, et vestem misit, ut ablato sacco induerent eum: quam accipere

[‡]3.7 *Missa est sors.* Qui ad sortem Domini pertinent, occiduntur, quos significat ille hircus, qui secundum sortem Domini in lege occidebatur.

[¶]3.10 *Tulit ergo.* Sicut Aman epistolas dirigens, regis signaculo eas munire conatur: ut facilius votum expleatur, sic Judæi libros divinæ legis in quibus est signaculum summi regis, id est, gratia Spiritus sancti ad comprehendendam hæresim suam assumunt in testimonium, reprobantes societatem gentium et Christi Evangelium, quasi divinis præceptis contrarium.

[§]4.2 *Usque ad fores.* Sic magister Ecclesiæ intercessione reginæ, de qua dicitur: *Astitit regina a dextris tuis Psal. 14.,* etc., quæ partim peregrinatur in mundo, et partim regnat cum Domino, a rege omnium sæculorum desiderat exaudiri. **Non enim.** Nullus cum corruptione præsentis vitæ potest aulam cœlestem intrare, sed ante obitum suum debet quisque corporis castigatione et cordis compunctione regni pulsare introitum, ut post lætabundus supernum intret palatium. Si quis quærat quomodo rex justissimus tormenta inferat innocentibus, sciat hoc non esse ex voto malitiæ, sed ex summi consilii nutu procedere. *Sapientia enim vincit malitiam Sap. 7., attingit a fine usque ad finem fortiter: et disponit omnia suaviter Ibid., 8.. Omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et omnibus abyssis Psal. 113..* Cujus justo iudicio agitur, ut fideles in manu persecutorum tradantur vel ad purgationem, vel ad correptionem, vel ad meritorum augmentationem: sic Job Satanæ traditur; Paulus ab angelo Satanæ colaphizatur. *Rursumque.* Orant pro se invicem Mardocheus et Esther, id est magistri et discipuli, sicut Paulus pro discipulis orat, et pro se orari obsecrat, ut in Actibus apostolorum ab Ecclesia fiebat oratio sine intermissione pro Petro.

noluit. ⁵ Accitoque Athach eunucho, quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei ut iret ad Mardocheum, et disceret ab eo cur hoc faceret. ⁶ Egressusque Athach, ivit ad Mardocheum stantem in platea civitatis, ante ostium palatii: ⁷ qui indicavit ei omnia quæ acciderant: quomodo Aman promississet ut in thesauros regis pro Judæorum nece inferret argentum. ⁸ Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, ut reginæ ostenderet, et moneret eam ut intraret ad regem et deprecaretur eum pro populo suo. ⁹ Regressus Athach, nuntiavit Esther omnia quæ Mardocheus dixerat. ¹⁰ Quæ respondit ei, et jussit ut diceret Mardocheo: ¹¹ Omnes servi regis, et cunctæ, quæ sub ditione ejus sunt, norunt provinciæ, quod sive vir, sive mulier non vocatus, interius atrium regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur: nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit vivere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta jam diebus non sum vocata ad eum? ¹² Quod cum audisset Mardocheus, ¹³ rursum mandavit Esther, dicens: Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis: ¹⁴ si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Judæi: et tu, et domus patris tui, peribitis. Et quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris? ¹⁵ Rursumque Esther hæc Mardocheo verba mandavit: ¹⁶ Vade, et congrega omnes Judæos quos in Susan repereris, et orate pro me. Non comedatis et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus: et ego cum ancillis meis similiter jejunabo, et tunc ingrediar ad regem contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti et periculo. ¹⁷ Ivit itaque Mardocheus, et fecit omnia quæ ei Esther præceperat.

5 Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, et stetit in atrio domus reginæ, quod erat interius, contra basilicam regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus. ² Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, et extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu: quæ accedens, osculata est summitatem virgæ ejus. ³ Dixitque ad eam rex: Quid vis, Esther regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. ⁴ At illa respondit: Si regi placet, obsecro ut venias ad me hodie, et Aman tecum, ad convivium quod paravi. ⁵ Statimque rex: Vocate, inquit, cito Aman ut Esther obediat voluntati. Venerunt itaque rex et Aman ad convivium, quod eis regina paraverat. ⁶ Dixitque ei rex, postquam vinum biberat abundanter: Quid petis ut detur tibi? et pro qua re postulas? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. ⁷ Cui respondit Esther: Petitio mea, et preces sunt istæ: ⁸ si inveni in conspectu regis gratiam, et si regi placet ut det mihi quod postulo, et meam impleat petitionem: veniat rex et Aman ad convivium quod paravi eis, et cras aperiam regi voluntatem meam. ⁹ Egressus est itaque illo die Aman lætus et alacer. Cumque

**5.2 *Virgam auream.* Regiminis potentiam vel passionis crucem, per quam acquisivit potestatem, de qua dicitur: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra Matth. 28.* Et alibi: *Propter quod exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen Philip. 2.*

††5.8 *Si inveni in conspectu.* Dilatio petendi non deputatur segnitiei, sed patientiæ. Non enim in præsentibus sed in futuro bonis et malis retribuetur merces: cras enim pro futuro ponitur, unde: *Nolite solliciti esse de crastino;* et Jacob in Genesi ait: *Apparebit mihi cras justitia mea Matth. 6.* Et de agno dicitur: *Non remanebit ex eo quidquam usque mane Gen. 30.* Cum judicium venerit, revelabitur quali veste quisquam ad convivium intraverit.

vidisset Mardocheum sedentem ante fores palatii, et non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suae, indignatus est valde: ¹⁰ et dissimulata ira reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos, et Zares uxorem suam, ¹¹ et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, et quanta eum gloria super omnes principes et servos suos rex elevasset. ¹² Et post hæc ait: Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege præter me: apud quam etiam cras cum rege pransurus sum. ¹³ Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardocheum Judæum sedentem ante fores regias. ¹⁴ Responderuntque ei Zares uxor ejus, et ceteri amici: Jube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, et dic mane regi ut appendatur super eam Mardocheus, et sic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei consilium, et jussit excelsam parari crucem.

6 Noctem illam duxit rex insomnem, jussitque sibi afferri historias et annales priorum temporum. Quæ cum illo præsentem legerentur, ² ventum est ad illum locum ubi scriptum erat quomodo nuntiasset Mardocheus insidias Bagathan et Thares eunuchorum, regem Assuerum jugulare cupientium. ³ Quod cum audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardocheus consecutus est? Dixerunt ei servi illius ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit. ⁴ Statimque rex: Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiae intraverat, ut suggereret regi, et juberet Mardocheum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum. ⁵ Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitque rex: Ingrediatur. ⁶ Cumque esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, et reputans quod nullum alium rex, nisi se, vellet honorare, ⁷ respondit: Homo, quem rex honorare cupit, ⁸ debet indui vestibus regiis, et imponi super equum, qui de sella regis est, et accipere regium diadema super caput suum: ⁹ et primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus, et per plateam civitatis incedens clamet, et dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare. ¹⁰ Dixitque ei rex: Festina, et sumpta stola et equo, fac, ut locutus es, Mardocheo Judæo, qui sedet ante fores palatii. Cave ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas. ¹¹ Tulit itaque Aman stolam et equum, indutumque Mar-

‡‡6.1 *Noctem illam duxit rex insomnem*, etc. In se mobilis permanens cursus temporum et actus omnium contemplatur, et nulla eum latet cogitatio cui omnia præsentia; unde Apostolus: *Non est in illo, est et fuit, sed est in illo semper est II Cor. 1.*

¶¶6.2 *Ventum est*. Gesta Mardochei memorantur coram rege; quia bona opera sanctorum doctorum nunquam oblivioni tradentur, sed in memoria æterna erit justus.

§§6.10 *Festina*. Magistri Ecclesiæ omnium virtutum cultu et decore sapientiæ illustrati honorantur diademate regiae dignitatis, tanquam membra summi regis. Ascendunt super equum regium, id est, super populum fidelium in quorum cordibus residet rex angelorum; unde Habacuc propheta: *Ascendens super equos tuos, et equitatus tuus sanitas*. His Aman specialis hostis populi Dei, licet etiam invitus præbet obsequium cum persecutores Ecclesiæ coguntur eidem Ecclesiæ reddere testimonium, non valentes occultare quod manifestum est. *Tulit itaque*. Hæc mutatio dexteræ Excelsi, qui si videbatur gloriosior, infra alios apparet vilior et inferior, secundum illud: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles*. Similiter Isaias ait: *Convertetur Libanus in Chermel, et Chermel in saltum reputabitur*. Sic Synagogæ compressa est superbia, Ecclesiæ humilitas exaltata. Sic persecutores fidei ad nihilum sunt redacti: confessores Christi in toto orbe exaltati. Caput in caudam, et cauda in caput versa est: *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur Luc. 24.*

dochæum in platea civitatis, et impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare. ¹²Reversusque est Mardocheus ad januam palatii: et Aman festinavit ire in domum suam, lugens et operto capite: ¹³narravitque Zares uxori suæ, et amicis, omnia quæ evenissent sibi. Cui responderunt sapientes quos habebat in consilio, et uxor ejus: Si de semine Judæorum est Mardocheus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu ejus. ¹⁴Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi regis, et cito eum ad convivium, quod regina paraverat, pergere compulerunt.

7 Intravit itaque rex et Aman, ut biberent cum regina.* ²Dixitque ei rex etiam secunda die, postquam vino incaluerat: Quæ est petitio tua, Esther, ut detur tibi? et quid vis fieri? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. ³Ad quem illa respondit: Si inveni gratiam in oculis tuis o rex, et si tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, et populum meum pro quo obsecro. ⁴Traditi enim sumus ego et populus meus, ut conteramur, jugulemur, et pereamus. Atque utinam in servos et famulas venderemur: esset tolerabile malum, et gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem. ⁵Respondensque rex Assuerus, ait: Quis est iste, et cujus potentia, ut hæc audeat facere? ⁶Dixitque Esther: Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens, illico obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens. ⁷Rex autem iratus surrexit, et de loco convivii intravit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit ut rogaret Esther reginam pro anima sua: intellexit enim a rege sibi paratum malum.† ⁸Qui cum reversus esset de horto nemoribus consito, et intrasset convivii locum, reperit Aman super lectulum corruisse in quo jacebat Esther, et ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsentem, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, et statim operuerunt faciem ejus.‡ ⁹Dixitque Harbona, unus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis: En lignum quod paraverat Mardocheo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite

*7.1 *Secunda die*, etc. Sed ubi Esther petitionem suam aperuit, damnatus ad poenam secessit. In Evangelio enim prandium et cœna memorantur. Prandium præsens tempus Ecclesiæ designat, cœna autem æternum et ultimum convivium. Unde malis separatis in perpetuum lætantur boni. Aman, namque quia vestem dignam convivio non habuit, extra projici meruit.

†7.7 *Intravit in hortum*. Rege in hortum properante, id est, secum electos ad delicias paradisi invitante, reginam pro salute sua deprecari contendit, sed tempus opportunum non habuit. Sero enim quærentur salutis remedia, cum mortis imminet pericula; unde Salomon: *Tunc invocabunt, et non exaudiam eos: mane consurgent, et non invenient Prov. 1.*

‡7.8 *Et statim*. Deprecatio Aman, oppressio dicitur, quia in die iudicii iniquorum oratio irritatio est: unde: *Cum judicatur, exeat condemnatus* Psal. 108., etc. Tunc oppressio qua humiles opprimebant, ipsis improperebatur.

eum in eo.^f ¹⁰ Suspensus est itaque Aman in patibulo quod paraverat Mardochoæ: et regis ira quievit.

8 Die illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman adversarii Judæorum, et Mardochoæus ingressus est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther quod esset patruus suus.[§] ² Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, et tradidit Mardochoæo. Esther autem constituit Mardochoæum super domum suam.^{**} ³ Nec his contenta, procidit ad pedes regis, flevitque, et locuta ad eum oravit ut malitiam Aman Agagitæ, et machinationes ejus pessimas quas excogitaverat contra Judæos, juberet irritas fieri.^{††} ⁴ At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur: illaque consurgens stetit ante eum,⁵ et ait: Si placet regi, et si inveni gratiam in oculis ejus, et deprecatio mea non ei videtur esse contraria, obsecro ut novis epistolis, veteres Aman litteræ, insidiatoris et hostis Judæorum, quibus eos in cunctis regis provinciis perire præceperat, corriganur.^{‡‡} ⁶ Quomodo enim potero sustinere necem et interfectionem populi mei? ⁷ Responditque rex Assuerus Esther reginæ, et Mardochoæo Judæo: Domum Aman concessi Esther, et ipsum jussi affigi cruci, quia ausus est manum mittere in Judæos. ⁸ Scribite ergo Judæis, sicut vobis placet, regis nomine, signantes litteras annulo meo. Hæc enim consuetudo erat, ut epistolis, quæ ex regis nomine mittebantur et illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere. ⁹ Accitisque scribis et librariis regis (erat autem tempus tertii mensis, qui appellatur Sibani) vigesima et tertia die illius scriptæ sunt epistolæ, ut Mardochoæus voluerat, ad Judæos, et ad principes, procuratoresque et judices, qui centum viginti septem provinciis ab India usque ad Æthiopiam præside-

^f7.9 *Harbona*. Doctores legis significat, qui scelera et dolos Judæorum prædixerunt, unde Moyses: *Novi quod post mortem meam inique ageritis, et declinabitis de via quam ostendi vobis Deut. 31.* Et in Evangelio: *Est qui accusat vos, Moyses, in quo speratis Joan. 5.* In domo Aman. Iniquos tumultuantes contra Christum, significat Aman et ejus Ecclesiam persequentes. Christus autem in lege erat eis promissus; lex itaque, quæ ad custodiam vitæ data est, ipsis in mortem versa est, per quam Christum delere, et ejus confessores interficere moliebantur: et qui per legem innoxios opprimere volebant; ipsa accusante, justi judicii accepere sententiam. Qui in lege peccaverunt, per legem vindicabuntur.

[§]8.1 *Die illo*. Tenet Esther domum Aman, hostis Judæorum, cum Ecclesia possidet mundum, quem possederat diabolus, hostis Christianorum; unde: *Cum fortis armatus custodit atrium suum Luc. 11.*, etc. Ingreditur ante faciem regis Mardochoæus, cum quotidie sanctorum animæ de incolatu præsentis vitæ ingrediuntur ad contemplationem divinæ majestatis. *Domum Aman*. Dignitatem et honorem quem Judæi scientia legis, et prophetarum, et cultu religionis habuerunt; unde in Proverbiis: *Custoditur justo substantia peccantis Prov. 13.* Et in Evangelio: *Auferetur a vobis regnum, et dabitur genti facienti fructus ejus Matth. 21.*

^{**}8.2 *Tulitque rex*. Laudante et prædicante instantiam magistrorum, a Domino pro gratia gratiam accipiunt in conspectu conditoris omnium; unde: *Nutrivit corda fidelium. Tradidit Mardochoæo*. Prædicatoribus gentium ut sibi hærent, et gentibus ministrarent.

^{††}8.3 *Procidit ad pedes*, etc. Quia sancta Ecclesia, pro ereptione filiorum suorum, quotidie Deum omnipotentem per fidem et mysteria incarnationis exorat, ut hostium comprimat audacia, et fidelium liberetur innocentia.

^{‡‡}8.5 *Obsecro ut*. Quia evangelica doctrina, quæ Christi nomine in toto orbe prædicatur, Spiritus sancti signaculo confirmata declaratur, cujus dono repleti ipsi prædicatores permanserunt insuperabiles, et hostium suorum gloriosi triumphatores.

bant: provinciæ atque provinciæ, populo et populo juxta linguas et litteras suas, et Judæis, prout legere poterant et audire.^{¶¶} ¹⁰ Ipsæque epistolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, et missæ per veredarios: qui per omnes provincias discurrentes, veteres litteras novis nuntiis prævenirent. ¹¹ Quibus imperavit rex, ut convenirent Judæos per singulas civitates, et in unum præciperent congregari ut starent pro animabus suis, et omnes inimicos suos cum conjugibus ac liberis et universis domibus, interficerent atque delerent, et spolia eorum diriperent.^{§§} ¹² Et constituta est per omnes provincias una ultionis dies, id est tertiadecima mensis duodecimi Adar. ¹³ Summaque epistolæ hæc fuit, ut in omnibus terris ac populis qui regis Assueri subiacebant imperio, notum fieret paratos esse Judæos ad capiendam vindictam de hostibus suis. ¹⁴ Egressisque sunt veredarii celeres nuntia perferentes, et edictum regis pependit in Susan.* ¹⁵ Mardocheus autem de palatio et de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet et æriis, coronam auream portans in capite, et amictus serico pallio atque purpureo. Omnisque civitas exultavit atque lætata est. ¹⁶ Judæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium. ¹⁷ Apud omnes populos, urbes, atque provincias, quocumque regis jussa veniebant, mira exultatio, epulæ atque convivia, et festus dies: in tantum ut plures alterius gentis et sectæ eorum religioni et cæremoniis jungerentur. Grandis enim cunctos judaici nominis terror invaserat.

9 Igitur duodecimi mensis, quem Adar vocari ante jam diximus, tertiadecima die, quando cunctis Judæis interfectio parabatur, et hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Judæi superiores esse cœperunt, et se de adversariis vindicare. ² Congregatique sunt per singulas civitates, oppida, et loca, ut extenderent manum contra inimicos, et persecutores suos. Nullusque ausus est resistere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat. ³ Nam et provinciarum iudices, et duces, et procuratores, omnisque dignitas quæ singulis locis ac operibus præerat, extollebant Judæos timore Mardochei, ⁴ quem principem esse palatii, et plurimum posse cognoverant: fama quoque nominis ejus crescebat quotidie, et per cunctorum ora volitabat.† ⁵ Itaque percusserunt Judæi inimicos suos plaga magna, et occiderunt

¶¶8.9 *Accitisque scribis*, etc. Quia Evangelii doctrina ita condita est per scriptores Novi Testamenti, Domino mediante, ut sanctæ Trinitatis fides plenissime in ea contineretur, et totius decalogi summa perfectio in duobus præceptis charitatis demonstraretur. *Qui centum viginti*. In quibus totus mundus signatur. Nam denarius numerus per duodenarium multiplicatus centum et viginti facit, quibus septenarius sociatus totius summæ plenitudinem concludit: ita decalogi custodia apostolica traditione per totum orbem diffusa, septiformis Spiritus gratia in cordibus fidelium infunditur vel est consummata.

§§8.11 *Interficerent*, etc. Ne mali germinis pullularent rediviva plantaria. Similiter septem gentes quæ habitabant in terra promissionis Dominus interfici jussit, et postmodum Amalechitas omnimode deleri, ut omnem occasionem scandali auferret eis; unde David ait: *In matutino interficiebam* Psal. 100., etc.

*8.14 *In Susan*, etc. In superbia mundi debellanda. Nam Susis equitatio vel evertens interpretatur; unde Salvator ait: *Confidite, ego vici mundum Joan. 16.*

†9.4 *Et plurimum posse cognoverant*. Quia doctorum actio laudabilis, et potentia virtutum, honorem et reverentiam tribuit multitudini fidelium. Unde in Actibus apostolorum: *Fiebant prodigia et signa multa Act. 5.*, unde legitur alibi: Fiebant enim omni animæ timor Ibid. 2.. Item: *Nemo audebat se conjungere illis, et magnificabat eos populus Ibid. 5.*

eos, reddentes eis quod sibi paraverant facere:[‡] 6 in tantum ut etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hostis Judæorum: quorum ista sunt nomina:[¶] 7 Pharsandatha, et Delphon, et Esphatha, 8 et Phoratha, et Adalia, et Aridatha, 9 et Phermesta, et Arisai, et Aridai, et Jezatha. 10 Quos cum occidissent, prædas de substantiis eorum tangere noluerunt. 11 Statimque numerus eorum, qui occisi erant in Susan, ad regem relatus est. 12 Qui dixit reginæ: In urbe Susan interfecerunt Judæi quingentos viros, et alios decem filios Aman: quantam putas eos exercere cædem in universis provinciis? quid ultra postulas, et quid vis ut fieri jubeam? 13 Cui illa respondit: Si regi placet, detur potestas Judæis, ut sicut fecerunt hodie in Susan, sic et cras faciant, et decem filii Aman in patibulis suspendantur. 14 Præcepitque rex ut ita fieret. Statimque in Susan pendit edictum, et decem filii Aman suspensi sunt. 15 Congregatis Judæis quartadecima die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta substantia est. 16 Sed et per omnes provincias quæ ditioni regis subjacebant, pro animabus suis steterunt Judæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis: in tantum ut septuaginta quinque millia occisorum implerentur, et nullus de substantiis eorum quidquam contingeret.[§] 17 Dies autem tertiusdecimus mensis Adar primus apud omnes interfectionis fuit, et quartadecima die cædere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio, atque conviviis.^{**} 18 At hi, qui in urbe Susan cædem exercuerant, tertiodecimo et quartodecimo die ejusdem mensis in cæde versati sunt: quintodecimo autem die percutere desierunt. Et idcirco eundem diem constituerunt solemnem epularum atque lætitiæ. 19 Hi vero Judæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartumdecimum diem mensis Adar con-

[‡]9.5 *Itaque percusserunt Judæi.* Non solum alios operarios iniquitatis, qui perseverant in peccatis, nec curant percipere remissionem peccatorum, Spiritus sancti divina sententia damnandos judicat, sed etiam carnales Judæos decalogi transgressores, crucis Christi reatum, quem ex perfidia contraxerunt, in inferni civitatibus sensuros.

[¶]9.6 *Quorum ista sunt nomina.* Horum nominum interpretationes non multo opere exquirimus, nec allegoriæ servire cogimus. Typus enim in parte est, non in toto. Si enim in toto est typus, non est historia. Historicum oportet rei gestæ veram seriem exponere, nec citra subsistere, nec ultra procedere: allegoricum interpretem, egregias partes, in spirituali sensu convenientes eligere.

[§]9.16 *In tantum.* Omnes, qui quinque sensibus corporeis legem carnaliter suscipiunt, et cum per septiformem Spiritus sancti gratiam specialiter plena et perfecta sit, spiritualiter intelligere respuunt, quasi duobus diebus vincuntur atque prosternuntur.

^{**}9.17 *Dies autem.* Notandum quod quidam Judæorum tertia decima die interficiunt, et decima quarta desinunt, et solemnitatem agunt, quidam per duos dies, id est, tertiam decimam et decimam quartam diem ejusdem mensis occidunt, quinta decima solemniter quiescunt: quia quidam sanctorum, post completos labores quibus Deo bene credendo et bene vivendo serviunt, modo ante tempus iudicii in animabus sabbatum æternæ quietis habent: alii, usque ad ultimum resurrectionis diem in carne perdurantes superatis hostibus universis subito immutati, quietem animarum et corporum percipiunt; unde Apostolus: *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui residui sumus, resurgemus cum illis obviam Christo in æra I Thes. 4.*, etc. Nam quarta decima, quæ bis septem continet quietem animarum perfectam significat, quinta decima vero septenarium et octonarium complectens, animarum et corporum quietem significat.

viviorum et gaudii decreverunt, ita ut exultent in eo, et mittant sibi mutuo partes epularum et ciborum. ²⁰ Scripsit itaque Mardocheus omnia hæc, et litteris comprehensa misit ad Judæos qui in omnibus regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quam procul, ²¹ ut quartamdecimam et quintamdecimam diem mensis Adar pro festis susciperent, et revertente semper anno solemniter celebrarent honore: ²² quia in ipsis diebus se ultimi sunt Judæi de inimicis suis, et luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa sunt, essentque dies isti epularum atque lætitiæ, et mitterent sibi invicem ciborum partes, et pauperibus munuscula largirentur. ²³ Susceperuntque Judæi in solemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, et quæ Mardocheus litteris facienda mandaverat. ²⁴ Aman enim, filius Amadathi stirpis Agag, hostis et adversarius Judæorum, cogitavit contra eos malum, ut occideret illos atque deleret: et misit phur, quod nostra lingua vertitur in sortem.^{††} ²⁵ Et postea ingressa est Esther ad regem, obsecrans ut conatus ejus litteris regis irriti fierent, et malum quod contra Judæos cogitaverat, reverteretur in caput ejus. Denique et ipsum et filios ejus affixerunt cruci, ²⁶ atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim, id est sortium: eo quod phur, id est sors, in urnam missa fuerit. Et cuncta quæ gesta sunt, epistolæ, id est, libri hujus volumine, continentur: ²⁷ quæque sustinerunt, et quæ deinceps immutata sunt, susceperunt Judæi super se et semen suum, et super cunctos qui religioni eorum voluerunt copulari, ut nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere, quos scriptura testatur, et certa expetunt tempora, annis sibi jugiter succedentibus. ²⁸ Isti sunt dies, quos nulla umquam delebit oblivio, et per singulas generationes cunctæ in toto orbe provinciæ celebrabunt: nec est ulla civitas, in qua dies phurim, id est sortium, non observentur a Judæis, et ab eorum progenie, quæ his cæremoniis obligata est.^{‡‡} ²⁹ Scripseruntque Esther regina filia Abihail, et Mardocheus Judæus, etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista solemniter sanciretur in posterum: ³⁰ et miserunt ad omnes Judæos qui in centum viginti septem provinciis regis Assueri versabantur, ut haberent pacem, et susciperent veritatem, ³¹ observantes dies sortium, et suo tempore cum gaudio celebrarent: sicut constituerant Mardocheus et Esther, et illi observanda susceperunt a se, et a semine suo, jejunia, et clamores, et sortium dies, ³² et omnia quæ libri hujus, qui vocatur Esther, historia continentur.

10 Rex vero Assuerus omnem terram et cunctas maris insulas fecit tributarias:^{¶¶} ² cujus fortitudo et imperium, et dignitas atque sublimitas, qua exaltavit Mardocheum, scripta sunt in libris Medorum, atque Persarum: ³ et quomodo Mardocheus judaici generis secundus a rege Assuero fuerit, et magnus apud Judæos, et acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, et loquens ea

^{††}9.24 *Et misit Phur*, etc. Sors in urnam missa, dispositionem cujuslibet rei in hominis mente significat, cujus eventum non humanum, sed divinum regit arbitrium, unde Salomon: *Sortes mittuntur in sinum: sed a Domino temperantur Prov. 16.*

^{‡‡}9.28 *Isti sunt dies*. Quia quies animarum et resurrectio corporum merito firmiter a fidelibus custoditur et celebratur: vel, quia quietis animarum et resurrectionis corporum merito feriatio a fidelibus custoditur et celebratur.

^{¶¶}10.1 *Rex vero Assuerus omnem*. Christus, qui excisus de monte sine manibus crevit in montem magnum et implevit totum mundum: historialiter, enim non omnem terram tributariam fecit, quia nec habuit. In antiquis Glossæ ordinariæ exemplaribus nulla, hinc usque ad finem libri, textui sacro expositio adjacet. Ideo capita 11-16 prætermittimus.

quæ ad pacem seminis sui pertinerent. ⁴Dixitque Mardocheus: A Deo facta sunt ista. ⁵Recordatus sum somnii quod videram, hæc eadem significantis: nec eorum quidquam irritum fuit. ⁶Parvus fons, qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit: Esther est quam rex accepit uxorem, et voluit esse reginam. ⁷Duo autem dracones: ego sum, et Aman. ⁸Gentes, quæ convenierant: hi sunt, qui conati sunt delere nomen Judæorum. ⁹Gens autem mea Israël est, quæ clamavit ad Dominum, et salvum fecit Dominus populum suum: liberavitque nos ab omnibus malis, et fecit signa magna atque portenta inter gentes: ¹⁰et duas sortes esse præcepit, unam populi Dei, et alteram cunctarum gentium. ¹¹Venitque utraque sors in statutum ex illo jam tempore diem coram Deo universis gentibus: ¹²et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hæreditatis suæ. ¹³Et observabuntur dies isti in mense Adar quartadecima et quintadecima die ejusdem mensis, cum omni studio et gaudio, in unum cœtum populi congregati, in cunctas deinceps generationes populi Israël.

11 Anno quarto regnantibus Ptolemæo et Cleopatra, attulerunt Dosithæus, qui se sacerdotem et Levitici generis ferebat, et Ptolemæus filius ejus, hanc epistolam phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum Ptolemæi filium in Jerusalem. ²Anno secundo, regnante Artaxerxe maximo, prima die mensis Nisan, vidit somnium Mardocheus filius Jairi, filii Semei, filii Cis, de tribu Benjamin: ³homo Judæus, qui habitabat in urbe Susis, vir magnus, et inter primos aulae regiæ. ⁴Erat autem de eo numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de Jerusalem cum Jechonia rege Juda. ⁵Et hoc ejus somnium fuit: apparuerunt voces, et tumultus, et tonitrua, et terræmotus, et conturbatio super terram: ⁶et ecce duo dracones magni, paratique contra se in prælium. ⁷Ad quorum clamorem cunctæ concitatae sunt nationes, ut pugnarent contra gentem justorum. ⁸Fuitque dies illa tenebrarum et discriminis, tribulationis et angustiae, et ingens formido super terram. ⁹Conturbataque est gens justorum timentium mala sua, et præparata ad mortem. ¹⁰Clamaveruntque ad Deum: et illis vociferantibus, fons parvus creavit in fluvium maximum, et in aquas plurimas redundavit. ¹¹Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos. ¹²Quod cum vidisset Mardocheus, et surrexisset de strato, cogitabat quid Deus facere vellet: et fixum habebat in animo, scire cupiens quid significaret somnium.

12 Morabatur autem eo tempore in aula regis cum Bagatha et Thara eunuchis regis, qui janitores erant palatii. ²Cumque intellexisset cogitationes eorum, et curas diligentius pervidisset, didicit quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, et nuntiavit super eo regi. ³Qui de utroque, habita quæstione, confessos jussit duci ad mortem. ⁴Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis: sed et Mardocheus rei memoriam litteris tradidit. ⁵Præcepitque ei rex, ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus. ⁶Aman vero filius Amadathi Bugæus erat gloriosissimus coram rege, et voluit nocere Mardocheo et populo ejus pro duobus eunuchis regis qui fuerant interfecti. Et diripuerunt bona, vel substantias eorum. Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

13 Rex maximus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarum principibus et ducibus qui ejus imperio subjecti sunt, salutem. ²Cum plurimis gentibus imperarem, et universum orbem meæ ditioni subjugassem, volui nequaquam abuti potentiae magnitudine, sed clementia et lenitate gubernare

subjectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur. ³ Quærente autem me a consiliariis meis quomodo posset hoc impleri, unus qui sapientia et fide ceteros præcallebat, et erat post regem secundus, Aman nomine, ⁴ indicavit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui novis uteretur legibus, et, contra omnium gentium consuetudinem faciens, regum iussa contemneret, et universarum concordiam nationum sua dissensione violaret. ⁵ Quod cum didicissemus, videntes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus perversis uti legibus, nostrisque jussionibus contraire, et turbare subjectarum nobis provinciarum pacem atque concordiam, ⁶ jussimus ut quoscumque Aman, qui omnibus provinciis præpositus est et secundus a rege, et quem patris loco colimus, monstraverit, cum conjugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis, nullusque eorum misereatur, quartadecima die duodecimi mensis Adar anni præsentis: ⁷ ut nefarii homines uno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbaverant. Pergensque Mardocheus, fecit omnia quæ ei mandaverat Esther. ⁸ Mardocheus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum ejus, ⁹ et dixit: Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israël. ¹⁰ Tu fecisti cælum et terram, et quidquid cæli ambitu continetur. ¹¹ Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ. ¹² Cuncta nosti, et scis quia non pro superbia et contumelia, et aliqua gloriæ cupiditate, fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum ¹³ (libenter enim pro salute Israël etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem), ¹⁴ sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. ¹⁵ Et nunc, Domine rex, Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, et hæreditatem tuam delere. ¹⁶ Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto. ¹⁷ Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et funiculo tuo, et converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum, Domine: et ne claudas ora te canentium. ¹⁸ Omnis quoque Israël pari mente et obsecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

14 Esther quoque regina confugit ad Dominum, pavens periculum quod imminabat. ² Cumque deposuisset vestes regias, fletibus et luctui apta indumenta suscepit, et pro unguentis variis, cinere et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit jejuniis: omniaque loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complexit. ³ Et deprecabatur Dominum Deum Israël, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam, et cujus præter te nullus est auxiliator alius. ⁴ Periculum meum in manibus meis est. ⁵ Audivi a patre meo quod tu, Domine, tulisses Israël de cunctis gentibus, et patres nostros ex omnibus retro majoribus suis, ut possideres hæreditatem sempiternam, fecistique eis sicut locutus es. ⁶ Peccavimus in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum: ⁷ coluimus enim deos eorum. Justus es Domine: ⁸ et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute, sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes, ⁹ volunt tua mutare promissa, et delere hæreditatem tuam, et claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi et altaris tui, ¹⁰ ut aperiant ora gentium, et laudent idolorum fortitudinem, et prædicent carnalem regem in sempiternum. ¹¹ Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his, qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed converte consilium eorum super eos, et eum qui in nos cœpit

sævire, disperse. ¹² Memento, Domine, et ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, et da mihi fiduciam, Domine rex deorum, et universæ potestatis: ¹³ tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, et transfer cor illius in odium hostis nostri, ut et ipse pereat, et ceteri qui ei consentiunt. ¹⁴ Nos autem libera manu tua, et adjuva me, nullum aliud auxilium habentem nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam, ¹⁵ et nosti quia oderim gloriam iniquorum, et detester cubile in-circumcisorum, et omnis alienigenæ. ¹⁶ Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruata, et non portem in diebus silentii mei, ¹⁷ et quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium regis, et non biberim vinum libaminum: ¹⁸ et numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham. ¹⁹ Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, et libera nos de manu iniquorum, et erue me a timore meo.

15 Et mandavit ei (haud dubium quin esset Mardocheus) ut ingrederetur ad regem, et rogaret pro populo suo et pro patria sua. ² Memorare, inquit, dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu mea, quia Aman secundus a rege locutus est contra nos in mortem: ³ et tu invoca Dominum, et loquere regi pro nobis, et libera nos de morte. ⁴ Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, et circumdata est gloria sua. ⁵ Cumque regio fulgeret habitu, et invocasset omnium rectorem et salvatorem Deum, assumpsit duas famulas, ⁶ et super unam quidem innitebatur, quasi præ deliciis et nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens: ⁷ altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans. ⁸ Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, et gratis ac nitentibus oculis, tristem celabat animum, et nimio timore contractum. ⁹ Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibibus regiis, auroque fulgens, et pretiosis lapidibus: eratque terribilis aspectu. ¹⁰ Cumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, et in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinavit caput. ¹¹ Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, et festinus ac metuens exilivit de solio, et sustentans eam ulnis suis donec rediret ad se, his verbis blandiebatur: ¹² Quid habes, Esther? ego sum frater tuus: noli metuere. ¹³ Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. ¹⁴ Accede igitur, et tange sceptrum. ¹⁵ Cumque illa reticeret, tulit auream virgam, et posuit super collum ejus, et osculatus est eam, et ait: Cur mihi non loqueris? ¹⁶ Quæ respondit: Vidi te, domine, quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. ¹⁷ Valde enim mirabilis es, domine, et facies tua plena est gratiarum. ¹⁸ Cumque loqueretur, rursus corruit, et pene exanimata est. ¹⁹ Rex autem turbabatur, et omnes ministri ejus consolabantur eam.

16 Rex magnus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarum ducibus ac principibus qui nostræ jussioni obediunt, salutem dicit. ² Multi bonitate principum et honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam: ³ et non solum subjectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos qui dederunt, moliuntur insidias. ⁴ Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, et humanitatis in se jura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam. ⁵ Et in tantum vesaniæ proruperunt, ut

eos qui credita sibi officia diligenter observant, et ita cuncta agunt ut omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subvertere, ⁶ dum aures principum simplices, et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. ⁷ Quæ res et ex veteribus probatur historiis, et ex his quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorundam suggestionibus regum studia depraventur. ⁸ Unde providendum est paci omnium provinciarum. ⁹ Nec putare debetis, si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate, sed pro qualitate et necessitate temporum, ut reipublicæ poscit utilitas, ferre sententiam. ¹⁰ Et ut manifestius quod dicimus intelligatis, Aman filius Amadathi, et animo et gente Macedo, alienusque a Persarum sanguine, et pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus a nobis susceptus est: ¹¹ et tantam in se expertus humanitatem, ut pater noster vocaretur, et adoraretur ab omnibus post regem secundus: ¹² qui in tantum arrogantiae tumorem sublatus est, ut regno privare nos niteretur et spiritu. ¹³ Nam Mardocheum, cujus fide et beneficiis vivimus, et consortem regni nostri Esther cum omni gente sua, novis quibusdam atque inauditis machinis expetivit in mortem: ¹⁴ hoc cogitans ut illis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini, et regnum Persarum transferret in Macedonas. ¹⁵ Nos autem a pessimo mortalium Judæos neci destinatos, in nulla penitus culpa reperimus, sed e contrario justis utentes legibus, ¹⁶ et filios altissimi et maximi semperque viventis Dei, cujus beneficio et patribus nostris et nobis regnum est traditum, et usque hodie custoditur. ¹⁷ Unde eas litteras, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas. ¹⁸ Pro quo scelere ante portas hujus urbis, id est, Susan, et ipse qui machinatus est, et omnis cognatio ejus pendet in patibulis: non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit. ¹⁹ Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cunctis urbibus proponatur, ut liceat Judæis uti legibus suis. ²⁰ Quibus debetis esse adminiculo, ut eos qui se ad necem eorum paraverant, possint interficere tertiadecima die mensis duodecimi, qui vocatur Adar. ²¹ Hanc enim diem, Deus omnipotens, mœroris et luctus, eis vertit in gaudium. ²² Unde et vos inter ceteros festos dies, hanc habetote diem, et celebrate eam cum omni lætitia, ut et in posterum cognoscatur, ²³ omnes qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem; qui autem insidiantur regno eorum, perire pro scelere. ²⁴ Omnis autem provincia et civitas quæ noluerit solemnitatis hujus esse particeps, gladio et igne pereat, et sic deleatur, ut non solum hominibus, sed etiam bestiis invia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus et inobedientiæ.

INCIPIIT LIBER JOB

1 Vir erat in terra Hus, nomine Job: et erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo. §§

§§1.1 **Argumentum** In terra quidem habitasse Job Husitidi, in finibus Idumææ et Arabiæ fertur: et erat ei ante nomen Jobab. Et accepit uxorem Arabissam, et genuit filium, quem vocavit Ennon. Erat autem ipse filius quidem Zaræ, de Esau filiis filius: de matre vero Bosra, ita ut sit quintus ab Abraham. Et hi sunt reges qui regnaverunt in Edom, in qua et ipse regnavit. Sed primus in ea regnavit Bela, filius Beor: et nomen ejusdem civitatis Denaba. Post Bela autem, Jobab, qui vocatur Job. Post Job autem Husan, qui erat dux ex Themanorum regione. Et post illum regnavit Adad, filius Badadi, qui excidit Madian in campo Moab, et nomen civitatis ejus Avith. **Prothematata** Incipit Ex Greg. in Job, passim. Quædam historice hic dicuntur, et allegorice, et moraliter. Quædam nequeunt ad litteram accipi; quia erronea essent vel impossibilia, vel a se invicem discordantia, ut illud scilicet: **Sub quo curvantur qui portant orbem** Job 9., quasi gigantes mundum vehant; et illud scilicet: **Elegit suspendium anima mea Ibid. 7.**, quasi tam patiens velit suspendio vitam finire: et illud scilicet: **Per eat dies in qua natus sum Ibid. 3.**, etc. Aliquando qui sensum litteræ negligit, veritatis lumen sibi abscondit, dum intrinsecus aliud quærendo, quod foris est perdit; ut dum de misericordiæ operibus dicit: **Si negavi quod volebant, pauperibus Job. 31.**, allegoriam quærat. Divinus enim sermo, sicut in mysteriis prudenter exercet, ita superficie simplices refovet: quia est ut fluvius planus et altus, in quo agnus ambulet, elephas natet. Erranti homini data est lex. Inobediens legi confunditur exemplo, maxime hominis sine lege, qui legaliter vixit. Unde Isa. 23.: **Erubescere, Sidon**, id est, stabilitas in lege positorum, **ait mare:** Gentilitas, quæ, dum legem custodit, auditores legis redarguit. Dicitur Moyses hæc de Job, quasi de antecedente scripsisse: quia in Genesi legitur Jobab de Esau descendisse, et Balach filio Beor in regno successisse. Sed mos est sacri eloquii in prioribus partibus breviter longe post secutura perstringere, dum ad alia properat. Non igitur fuit Job ante legem, sed tempore Judicium, quia ipse verius creditur gesta victoriæ suæ scripsisse. Nec nocet quod ait, dixit, vel fecit hæc Job: quia mos est sanctis de se quasi de aliis loqui: Spiritus enim est qui loquitur in ipsis sicut de aliis. Unde angelus Moysi, modo angelus dicitur, qui exterius servit, modo Dominus qui interius præsidet; unde et David: **Attendite, popule meus, legem meam Psal. 77.** Non enim populus vel lex erat David, sed ejus qui in eo loquitur. Et a Gentili, sicut a Judæo voluit prophetari, qui pro utroque populo venerat. Infructuosa loquacitas quasi verborum folia a divinis resecatur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Indignum est ut verba cœlestis oraculi restringantur sub regulis Donati. Virtus Job et in quiete magna fuit sibi nota et Deo: sed flagellis commota, ut aromata nobis redolet. Unde et fideles grano sinapis comparantur, quod non contritum lene est, sed si conteritur inardescit, et quod latebat in eo prodit; unde in Psalmo: **In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declaravit eam Psal. 41.** Donum misericordiæ, quod in diei quiete percipitur, nocte adversitatis manifestari dicitur. Flagellatur etiam, ut inter mala gratias agere sciret quod unum ei profecto deerat. Quod ergo hostis ad malum petiit, Deus ad bonum permisit. Nec putet quis aliqua verba Job reprehendenda, quem adeo commendat Deus, in quo quasi medio diabolus contra Deum certat. Quod vero bona sua narrat, non est arrogantia: sed per ea se, ne desperet, confirmat, cum per tot mala et amicorum opprobria cogeretur desperare de vita sua. Omni genere tentationis feritur Job: damnis rerum, quibus potens in sæculo moveri putabatur; sed hæc despicit: orbitate prolis; sed hanc æquanimiter dolet: percussione carnis, quam patienter tolerat; et hæc fuerunt quasi exterior impetus belli, et quasi hostes a facie pugnantes. Intus vero per uxorem quasi per civem mens sustinet venena consilii, sed et hanc sapienter docet. Amici ad consolationem veniunt, sed ad increpationem prosiliunt: inter quos et ultimus junior, quod indignus sit, acrius increpat, quia aliquando plus conturbant verba quam vulnera. Ecce quasi hostes ex latere. Per vulnera probatur patientia: per verba exercetur sapientia, illa robore, hæc ratione superavit. Amici Job magis ignorantia deliquerunt quam malitia. Non enim tantus vir amicos iniquos habuit: sed, dum causam percussionum discernere nequeunt, in culpam labuntur.

²Natique sunt ei septem filii, et tres filiaë.* ³Et fuit possessio ejus septem millia ovium, et tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, et quingentæ asinaë,

*1.1 Percussionum enim alia est, qua percutitur iniquus ut puniatur; alia ut corrigatur; alia ne futura committat; alia ut cum consequitur salus, salvator amplius ametur. Bonus si percutitur, merita cumulantur: quod nescientes distinguere, percussus pro culpa credunt. Unde et citius ad veniam redeunt, quos Deus hic humiliat, ut non nisi per eum quem despexerant, ad gratiam reciperet. Sicut omnes justi, ita Job, non modo verbis, sed rebus, Christum præsignavit: ut per passionem passurum ostendat Christum: id est, caput cum corpore, quod est Ecclesia. Uxor ejus, carnales significat, qui intra Ecclesiam quo per fidem propius sunt, durius vita premunt. Amici Job, hæreticos, qui specie consulendi decipere volunt, et dum quasi pro Domino loquuntur, veritati adversantur. Job *dolens* dicitur, quo passio Christi vel labor Ecclesiæ exprimitur. Eliphaz, *Domini contemptus*, id est hæretici, qui, dum falsa de Deo sentiunt, eum superbiendo contemnunt. Baldath, *vetustas sola*, quia non intentione bona, sed appetitu gloriæ loquuntur, id est, non zelo novi hominis, sed pravitate vitæ veteris. Sophar, *dissipatio speculæ*, vel *dissipans speculatorem*, quia hæretici mentes superna contemplantes verbis percutere appetunt. Contemnendo ergo Deum, in vetustate se retinent, in qua manentes, malis sermonibus speculantibus nocent. Sed quia et ipsi aliquando ad Ecclesiam redeunt, hoc amicorum reconciliatio ostendit, pro quibus Job orat, quia hæreticorum sacrificia Deo non sunt accepta, nisi manibus Ecclesiæ oblata. Septem pro eis sacrificia offeruntur, quia dum septiformem Spiritum accipiunt, quasi septem oblationibus expiantur. Tauri et arietes pro eis oblati sunt: in tauro cervix superbiæ significatur: in ariete ducatus gregis: quia per superbiam ab Ecclesia resilientes, post se infirmos greges trahebant; quod in eis occiditur, dum ad Job, id est, Ecclesiam redeunt. Per Elihu qui recto sensu loquitur, sed ad elationis verba derivatur arrogans, sed tamen fidelis exprimitur, qui et arguitur: nec tamen sacrificio reducit, quia per veritatem fidei victus est, sed per tumorem superbiæ displicet. Unde Elihu, *Deus meus iste*, vel *Deus noster* interpretatur: etsi enim superbus, tamen veraciter credendo, aperte confitetur, et Deum per divinitatem, et Dominum per incarnationem perhibet. Post omnia mala, ob duplicia recepit, quia Ecclesia et hic pro laboribus suis duplicia accipit, dum susceptis gentibus, in fine et Judæos convertit, et in futuro duplici stola dotabitur, id est, beatitudine animæ et corporis. Unde Propheta: *In terra sua possidebunt duplicia Isa. 61.* Afflicto Job dicitur: sed quanto tempore fuerit, tacetur; quia Ecclesia affligenda scitur, sed quandiu ignoratur; unde: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater in sua posuit potestate Act. 1.* *Vir erat in terra Hus.* GREG. in Job, tom. 1. Per Job Christus, id est, caput et corpus designatur: ergo post historiam viso in capite quid credamus, videamus ex corpore quid videndo teneamus. GREG. Ibid. Job in terra Hus, etc., usque ad post et astuta collecta sunt. ID., ibid. Pius persona apta describitur quam pugna ejus dicatur, ut talis posse vincere videatur. *Simplex.* Necesse est ut simplicitatem columbæ astutia serpentis instruat, et astutiam simplicitas temperet; unde: Spiritus in columba et igne apparuit: quia pleni illo sic mansuetudini simplicitatis deserviunt, ut contra mala zelo rectitudinis accendantur. *Timens Deum.* Salomon: *Qui timet Deum nihil negligit Ecclæ. 7.* Ibid. Item Salomon: *Qui in uno offendit, multa bona perdet Ecclæ. 9.* Legalia dicuntur animalia, id est, secundum legem munda, quæ et ruminant et ungulam findunt: quorum alterum habent cameli, alterum vero deest eis, et sic legi congruunt et dissident.

ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes orientales.[†] ⁴ Et ibant filii ejus, et faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent et biberent cum eis.[‡] ⁵ Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, et sanctificabat illos: consurgensque diluculo, offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus.[¶] ⁶ Quadam autem die, cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam

[†]1.3 Ibid. **Ac familia multa.** Innumera turba cogitationum, quæ quasi ancillæ, domina, id est ratione, absente, opus deserunt, perstrepunt; sed ea redeunte, cum silentio operantur: his si bene dominamur, nec earum multitudine animus superatur. Ibid. **Inter omnes,** id est, inter angelos orienti luci inhærentes, magni sumus, eorum socii. Orientales sunt omnes qui per fidem sunt in Christo, de quo Propheta: **Oriens nomen ejus Zach. 6.:** quos omnes superat Homo Deus.

[‡]1.4 **Et faciebant convivium,** etc. Ibid. Filii convivia faciunt, etc., usque ad quia ad omnia trepidans a bonis operibus torpet. **Per domos, unusquisque,** etc. Per domos, ut Petrus per Romam, Philippus in Samaria, in suo die, id est, pro modo intelligentiæ, quia aliam institutionem fecit Paulus apud Græcos, aliam Petrus apud Romanos: licet non dissentirent in fide. **Tres sorores,** id est, fidem, spem, charitatem: in omne quod agunt virtutes vocant, ut de eo gaudeant; quasi ex cibo vires capiunt, dum bonis operibus fidentiores fiunt; quasi ex potu post cibum debriantur, dum contemplationis rore infundi appetunt. Sed ex ipsis bonis et mala oriuntur, ut elatio; vel cum pro his lætitia fit menti, adest etiam quædam securitas, inde torpor. Ergo subdit: **Cumque in orbem transissent dies.** Peracto convivio filios sanctificare, est post virtutum sensum intentionem cordis dirigere: et omne quod agitur districta retractione mundare, ne decipiatur qualitate mali, ut putentur bona quæ mala sunt; vel quantitate boni, ut sufficiens credatur, cum perfectum non fit: sed hoc melius orando quam discutiendo invenit. Mens enim per compunctionem elevata omnia sub se certius dijudicat.

[¶]1.5 **Cumque in orbem,** etc. In orbem dies convivii transeunt, cum prædicatione mysteria peraguntur; peractis omnibus Job pro filiis offert, quia pro apostolis de prædicatione redeuntibus Christus Patrem oravit, mittendoque Spiritum sanctum sanctificavit, emundans quidquid culpæ inesse potuit. Ibid. Diluculo consurgit qui compunctionis, etc., usque ad quæ expleta indigent expiationis. Ibid. Holocaustum totum incensum dicitur, etc., usque ad ante oculos Dei usque ad terminum vitæ tegat.

Satan.^{§7} Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui respondens, ait: Circuivi terram, et perambulavi eam.^{**8} Dixitque Dominus ad eum: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo? ⁹Cui respondens Satan, ait: Numquid Job frustra timet Deum?^{††10} nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum; operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra? ¹¹sed extende

§1.6 *Quadam autem die.* GREG., lib. 2, Moral., cap. 2. In exordio qualitas et terminus rei exprimitur; ut modo, tentatio Job a die cœpta dicitur, quia ad victoriam dicitur, sicut et in aliis. Nunc qualitate temporis res signatur, ut quod angeli in meridie apparent Abrahæ, Judas nocte exit. Nunc loco: ut quod Israël infirmus legem non in monte, sed in imo, audit. Nunc qualitate æris, ut quod dicitur: Hyems erat, cum prædicatur non credituris; et frigus erat, imminente negatione Petri. Nunc positione corporis, ut quod Stephanus vidit Jesum stantem. Ibid. Non dicitur aliquid factum coram Domino, etc., usque ad quo rex Achab exigentibus meritis decipiatur. **Affuit inter eos.** Ibid. In die Dominus Satan vidit, etc., usque ad sicut cæcus non videt lumen quo illustratur. **Inter eos etiam Satan.** Quia bonis Dei cogitationibus quæ ex Deo sunt, se interserit ut perturbet, sed eum latentem nobis Deus detegit. Unde dicitur: **Unde venis?** quod dicere, est ejus insidias aperire nobis. **Circumivi terram.** Carnalia corda scrutatur, ut mala inserat; nec transvolat, sed perambulat, quia non cito deserit quem tentat, sed moratur, ut vestigia pravitatis imprimat: contra eum Job laudatur: **Numquid considerasti servum meum,** quem Deus bonum facit, et roborat, quasi in auribus Satanæ laudat: unde ipse gravius contra sævit, dicens: **Numquid frustra?** quasi, cur laudas quem protegis? Me despecto laudandus esset, si contra me suis viribus staret; unde malitiose expetit: sed extende paululum; dum bona abundant, mens aliquantulum erigitur, quasi bona a se: quæ bona diabolus appetit male: sed Deus tentari bene sinit, ut dum in bonis illis homo concutitur, imbecillitate cognita in Deo solidetur. Unde subdit: **Ecce universa substantia quam habet in manu tua est.**

1.7 *Cui dixit Dominus,* etc. Ibid. Non Dominus, etc., usque ad quod est ad afflictionem bonorum malitiæ suæ æstibus anhelare. **Unde venis? GRÆC. Non querit a bonis, quia non querimus nisi quod nescimus, et Dei nescire est reprobare, ut et bonus vir nescire mentiri dicitur, non quod nesciat, sed quod contemnat. Dicere ergo **unde venis?** vias ejus est quasi incognitas reprobare. **Circumivi terram.** Per gyrum circumitus, laboris anxietas significatur. Laborans terram circumivit, qui in cœlo quietus non stetit: et non transvolat, sed perambulat, quia a spiritualis potentia volatu corrui, pressus nimis gravedine suæ malitiæ. De membris quoque ejus dicitur: In circumitu impii ambulat Psal. 11., id est, in exteriorum labore fatigantur. Diabolus non contra Job, sed in Job medio, contra Deum certat. Unde non prius Job a Deo petiit, sed illum Deus in conspectu ejus laudavit.

††1.9 *Nunquid frustra Job timet Deum? etc.* Ibid. Diabolus venisse redemptorem senserat, sed, propter humilia quæ passus est, quidquid de deitate suspicatus est, ei in dubium evenit pro sua superbia, et non Deum natum, sed Dei gratia custoditum credit. **Nonne vallasti?** Domum vallatam dicit, quia tentando conscientiam ejus penetrare non potuit substantiam, quia electos ejus invadere non præsumpsit. **Possessio illius crevit.** Ibid. Quasi: quia tot bona in terra recepit, pro his se innocenter gerit: sed innocens non esset si inter adversa staret: quia nequit in die, in nocte adversorum, vult reprobare. Non ergo vires Job, sed quemque verius adversis probare sciens, tentandum expetit. **Sed extende,** nec vires ferendi sibi tribuit; voluntas ejus semper iniqua, quæ ab ipso est: potestas justa, quæ a Deo; unde: Spiritus Domini malus in Saul, et Domini est per licentiam, et malus per voluntatem. **Manum.** Ibid. Queritur quod numerus fidelium prædicantibus apostolis augetur: hoc Satan dicere, est talia invidendo cogitare, et de his tabescendo dolere.

paululum manum tuam et tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. [¶] ¹² Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce universa quæ habet in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan a facie Domini. ^{¶¶} ¹³ Cum autem quadam die filii et filiæ ejus comederent et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, ^{§§} ¹⁴ nuntius venit ad Job, qui diceret: Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos: ^{*} ¹⁵ et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio: et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi. [†] ¹⁶ Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, et dixit: Ignis Dei cecidit e cælo, et tactas oves puerosque con-

^{¶¶}1.11 *Tange.* Ibid. Quia exteriora sunt quæ petit conteri, nec multum putat nisi animam lædat. *In faciem.* Facies Domini respectus est gratiæ. Dicit ergo: si data quæ amat subtrahis, respectum, scilicet gratiæ tuæ, favorem tuum non requirit, sed maledicendo contemnit.

^{¶¶}1.12 *Dixit ergo Dominus.* Ibid. Non petitione diaboli provocatus Deus vincitur, sed hosti concedit ad dolorem et deceptionem suam quod famulo prosit. *Ecce omnia quæ habet,* etc. Pia dispensatione relaxat et refrænât: substantiam prodit, corpus protegit, etsi postea corpus traditurus, non tamen simul omnia, ne coacervata perimant, quæ divisa possunt tolerari. Vel sortem Job Dominus novit, et tamen bella divisit, ut mirabilis victor esset: cum hostis victus se iterum ad nova bella repararet. *Ecce universa... tantum in eum, etc.,* id est, bona ejus exterius tentanda tribuo, sed intus mihi illum servo. *Sed extende.* Ibid. Per passiones peccare posse Christum putavit. *Ecce universa quæ habet in manu tua sunt.* Manus Satanae non potestas, sed tentatio: prius Judæa, quæ possessio ejus fuerat, infidelitate sublata est, et ei adversata: post et caro ejus crucifixa. *Egressus.* Id est, ad desiderii sui vota pervenit. Vel egreditur, dum quod bona intentione sibi permittitur, prava intentione ab eo perpetratur. *Egressus Satan.* Quo exiit, ab eo qui ubique est? sed quamdiu pressus potentia Dei, Satan quod appetiit, exercere non potuit, quasi ante faciem stetit; exit cum laxatus est ad effectum sui desiderii. *Egressusque a facie.* Quia, dum usque ad cor prævalere nequit, exclusus ab intimis exterius vagatur: et si mentem turbat, foris est: quia non interimit, sed erudit. Ibid. Tempora tentationibus congruunt. Tempus tentandi aptum elegit, cum filios ejus in convivio invenit: prænuntiatio tribulationis est lætitia satietatis.

^{§§}1.13 Cum autem quadam die filii et *filiæ, etc.* Apostoli et omnes fideles. Major filius Judaicus populus lege generatus; minor, Gentilis in fine vocatus. In domo ergo primogeniti, apostoli convivantur: quia adhuc Scripturæ sacræ deliciis in collectione solius Judaici populi vescebantur, quibus tunc dictum est: *In viam gentium ne abieritis Matth. 10.. Comederent et biberent, etc.* Comedere, est bonis operibus gaudere: vinum bibere, est desiderio cœlesti æstuarere. *Fratris sui primogeniti, etc.* Prior nascitur in corde sapientia, etc., usque ad ut quid præoccupata mens perdidit, afflictia recipiat.

^{*}1.14 *Boves arabant, etc.* Ibid. Boves arantes, id est, boni bene operantes, asinæ simpliciter viventes; hæ juxta boves, quia intelligentia eorum pascuntur. Sabæi captivantes, id est dæmones, pueros, id est incipientes, nondum virilis constantiæ, gladio, id est desperatione æternitatis. Nuntius qui evadit, propheticus sermo est: qui ait: *Captivus ductus est populus meus: quia non habuit scientiam Isa. 5.;* quia dum fiunt mala quæ prædixit, quasi sanus ad Dominum redit: captivatis enim infirmis, vera prædixisse cognoscitur.

[†]1.15 *Et pueros.* Pueros vocat cautelam illam diligentiam, per quam his providet, quæ et in eo percutitur.

sumpsit: et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.[‡] 17 Sed et illo adhuc loquente, venit alius, et dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, necnon et pueros percusserunt gladio: et ego fugi solus, ut nuntiarem tibi.[¶] 18 Adhuc loquebatur ille, et ecce alius intravit, et dixit: Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti,[§] 19 repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus: quæ corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt: et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.^{**} 20 Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta sua: et tonso capite corruens in terram, adoravit,^{††} 21 et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Dominus

[‡]1.16 *Ignis Dei cecidit e cælo.* Cælum doctores legis, sacerdotes, de quibus ignis invidiæ cadit super oves et pueros, id est, innocentes et infirmos. Puer sanus redit, quia vera dixisse prophetiam claruit zelus apprehendit populum ineruditum. Ibid. Oves cogitationum innocentia. Ignis de cælo, id est, ab æreis potestatis flamma livoris irruit, et sæpe mundas cogitationes ardore libidinis accendit: qui ignis est Dei, non facientis, sed permittentis; et quia subito impulsu circumspectiones obruuntur, custodes pueri occiduntur. Sed sola discretio, id est, ratio animo damna nuntiat, et quasi Dominum ad lamenta vocat.

[¶]1.17 *Chaldæi fecerunt,* etc. Chaldæi interpretantur *feroces,* etc., usque ad isti pueros percusserunt gladio, id est, persuasione sinistra, etc. *Camelos, etc.* Camelus mundum animal partim, etc., usque ad et sola discretio animo quod ploret renuntiat. *Ut nuntiarem tibi,* etc. Nuntiantur mala, et multa, et subita, ut super vulnus vulnere irrogato impatienter ferat; et callidus hostis non tam jactura rerum quam ordine nuntiorum pertentat. Prius prava nuntiat, post majora, tandem mortem filiorum: ne jam orbatō vilesceret rerum amissio, cum non essent hæredes quibus hoc servaret. Gradatim ergo deteriora audit, ut in ejus corde omne vulnus locum inveniat.

[§]1.18 *Filiis tuis, etc.* GREG., Filii et filia ut dictum est sunt apostoli et plebes subditæ, qui in Judæa Scriptura vescebantur. *Ventus,* id est, fortis tentatio a deserto, id est, cordibus Judæorum, vel immundis spiritibus prorumpit: et quatuor angulos in quibus stat domus, sacerdotes, scribas, seniores populi, Pharisæos, commovit. Domus, id est, Judæa in persecutione Domini cadens apostolos in desperatione obruit. Et verus est sermo de persecutore populo: *Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa Jer. 11.,* Et de apostolis: *Proximi mei a longe steterunt Psal. 37.,* Et: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves Matth. 26.,* etc. *In domo fratris,* id est, in majoris fratris convivio Satan obruit filios, quia per negligentiam majorum quærit aditum in mortem minorum; et in alios magis accipit vires, quando eos qui per custodiam aliis præsumunt, servire lætitiæ conspiciunt. Non quidem illi ventri vacabant; sed cum inter convivia intentio mentis bona minus fervet, minus prævidet.

^{**}1.19 *Repente ventus.* Ibid. Latenter dicitur contra eum elementa movisse ille, cujus nutu mota sunt: licet diabolo semel a Deo accepta potestate ad usum nequitia suæ elementa concutere, ut et damnatis in metallo, ad usum ignis et aqua servit. *A regione deserti.* Regio deserti, etc., usque ad nominatam iram in ære monstrat, ventus irruit.

^{††}1.20 *Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta sua.* Ibid. Ruente domo, etc., usque ad ut totum cor in Dei amore ardens eas devotionis perfectione consumat. *Et tonso capite.* Magna constantia putatur, etc., usque ad et se divinæ potentia consentire ostenderet. *Corruens in terram.* GREG. Cadens adoravit, quia ille veram orationem exhibet, qui quod pulvis sit humiliter videt. Unde et dicit: *Nudus egressus sum de utero matris meæ.* Nudum in fide prima gratia genuit, nudum eadem suscipit. Cum pulsatus vitiis quasi nudus ad misericordiam refugit, et aliqua virtute aliquando detectus, ipsa humilitate melius vestitur: non sibi sed Deo tribuens quod habet, Dominus dedit bona, ea Dominus etiam tollit, quod ideo ad tempus fit, ut humilis melius habeat.

dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.‡²² In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.¶

2 Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei, et starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, et staret in conspectu ejus,§§² ut diceret Dominus ad Satan: Unde venis? Qui respondens ait: Circuivi terram, et perambulavi eam.³ Et dixit Dominus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam? tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra.*⁴ Cui respondens Satan, ait: Pelle pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua;†⁵ alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.‡⁶ Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce

‡1.21 **Nudus egressus sum.** Nudum me huc intrantem terra protulit, nudum me hinc exeuntem terra recipiet. Consolatio ex conditione rerum, quod propria non perdidit, sed accepta et relinquenda recolat: tempus quo necdum ista habuit prævidet qualis exiturus. Consolatur etiam se ex justitia Dei. **De utero matris meæ.** Mater Christi Synagoga est, quæ in se eum opertum littera tenuit, nec nudum in deitate vidit, sed ab ea nudus ad Gentes venit. Ecce Joseph, quem purum hominem credens Synagoga, adulterino complexu eum constringere voluit: cui tegmen litteræ reliquit, et se conspicuum Gentibus præbuit. Sed nudus revertetur, cum in fine mundi reliquiis Israël Deus innotescet. **Dominus dedit.** Judæa dum venturum credidit, abstulit, cum ipsa venientem contempsit. **Sicut Domino placuit.** Cum turbamur, ad iudicium Dei recurrere debemus, et majores laudes reddere, quia pulsari verius nos novimus.

¶1.22 **In omnibus his non peccavit Job.** Ibid. Dolens animus debet se custodire, etc., usque ad corde non tumuit, ore non murmuravit, lingua contumax non fuit.

§§2.1 **Factum est autem, etc. Unde venis?** GREG. in Job 1. 3. Hoc non ut prius, etc., usque ad qui minuere voluisti, profectui servisti.

*2.3 **Innocentiam.** Innocentiam retinet qui etiam post lapsum scintilla rationis excitatus fideliter poenitet. Ibid. Quomodo Pater in Christum, cum quo idem est, motus est per Satanam? quia Christus homo non pateretur, nisi Adam peccasset, cum Satan Adam movit, in Christum Deum commovit. Frustra, quia poenam tulit sine sua culpa; sed non frustra, quia solvit quod alter rapuit.

†2.4 **Pelle pro pelle.** Diabolus per miracula Filium Dei, sed propter humilia purum hominem putavit. Hunc ergo judicans ex aliis, qui in loco pastorum aliena damna contemnunt, quasi non motum multis subtractis, quasi quæ extra se sunt, dolore propriæ carnis tentat, quasi pro se doleat, qui non pro aliis. Hoc cum fieri petit, dicit desiderii; hæc et per membra verbis et desiderii intulit, per quæ dixit: **Mittamus lignum in panem ejus Jer. 11.**, id est, configendo corpori ejus stipitem crucis adhibeamus. Ibid. Pellis pro pelle datur, quia sæpe, dum ictus contra oculum venit, manum opponimus, ut potius in ipsa quam in teneriori vulneremur: hoc consueve fieri sciens, dicit: **Pelle pro pelle, et cuncta quæ habet homo** Quasi, ideo Job extra se tot flagella æquanimiter sustinet, quia ne ipse feriat, pavet: et cura sui minus de suis sentit; unde ipsum ferire expetit: **Mitte manum tuam**, quod Deus recte permittit, ut sæpe victus obmutescat.

‡2.5 **Alioquin mitte manum tuam.** Sæpe diabolus, postquam mentem impugnavit, ad tempus cessat, ut securam repente irrumpat: ideo iterum Job expetit, quod Deus ei reticendo concedit. **Et tange os ejus.** Per os et carnem intelligit vitam corporalem, per animam intelligit rationem, ut superius.

in manu tua est: verumtamen animam illius conserva.[¶] ⁷ Egressus igitur Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus;[§] ⁸ qui testa saniam radebat, sedens in sterquilinio.^{**} ⁹ Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, et morere.^{††} ¹⁰ Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es: si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis.^{‡‡} ¹¹ Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites. Condixerant enim ut

[¶]2.6 *Ecce in manu tua est.* Potestatem per suos in carnem Christi Satan habuit, sed animam servat, non quod non tentet, sed quod non superet; vel animam, id est, charos et ei electos a jure suo amittit, cum illum occidit a planta pedis usque ad verticem: quia ab exordio mundi membris ejus dura intulit, et usque ad caput ipsorum, id est Christum, sæviendo pervenit. *Ecce in manu tua.* Sinit nos tentari, ut videamur nobis infirmi, et tamen custodit.

§2.7 *Egressus igitur Satan.* GREG. Accepta licentia, etc., usque ad pœnitendo respicit, ne qua elatio surgat.

**2.8 *Qui testa saniam radebat.* Ibid. Testa ex luto fit, etc., usque ad sed deteriores qui elatione, ut uxor Job quæ superba suadet viro.

††2.9 *Dixit autem illi uxor sua.* Ibid. Primam diaboli tentationem ostendit, etc., usque ad sed in asperitatem dilabuntur. *Adhuc tu permanes in simplicitate tua.* Simplicitatem arguit, quod terrena despicit et æterna cupit, quasi dicat: Quid simpliciter æterna petis et super his male gemis, excidens æterna despice et mala præsentia, vel moriens evade. Sed hæc passi sunt illi forma rectitudinis. Unde ait: *Quasi una de stultis, etc.,* ferientes extra sustinent, perversos intus docent: ibi fortes, hic misericordes: ibi adversos repeliunt, hic suos protegunt; et grande est in acie hoc utrumque facere. *Adhuc tu permanes.* Eva verba sua repetit, quasi dicens: Desere simplicitatem, id est, obedientiam, vetitum comedendo contemne. *Benedic Domino et morere.* Id est, transcendendo præceptum, ultra quam es conditus vive. Vide ordinem: post vulnera verba hostis intulit, quia cum vis doloris ingravescit, facilius parva persuasio aliquem capit: propter quod qui cætera abstulit, uxorem reservavit.

‡‡2.10 *Quasi una de stultis, etc.* GREG. Quia sensus, non sexus in vitio est: non ait una de mulieribus, sed *de stultis mulieribus:* quod pravum sapit, accidentis stultitiæ est, non conditione naturæ. *Si bona suscepimus, etc.* Ibid. Magna consolatio est in malis bonorum reminisci, ne sit omnimoda desperatio, sicut in lætis temperat ab elatione prævisio mali. Unde dicitur: In die bonorum ne sis immemor malorum, et in die malorum ne sis immemor bonorum. *Si bona,* id est, si ad æterna bona tendimus, cur non mala præsentia sustinemus? *In omnibus his,* etc. Ibid. Duobus modis labiis peccamus, cum non justa dicimus, vel cum justa tacemus. Sed Job nec contra ferientem superba dixit, nec contra suadentem recta reticuit. Patientiam habuit, Deo gratias agens, insipientiam conjugis arguendo docens: et sic victus ardentius hostis instigatur, et quia uxor tacuit alios excitavit ad contumelias. *In omnibus.* Qua sancti in omnibus, quæ extra et intus patiuntur, nec injuriis Dei excedunt, nec in contumeliis pravorum.

pariter venientes visitarent eum, et consolarentur.[¶] 12 Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cælum.^{§§} 13 Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus: et nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.*

[¶]2.11 **Igitur.** Ibid. Amici hæreticos significant, etc., usque ad hypocritæ nolentes esse, sed videri docti. **Audientes.** Non dicit audientes, ideo quod vitia hæc audiant, sed diabolus qui per ista tentat hæc intelligit. **Tres amici.** Numerus iste moralis vel mysticus tres turmas Chaldæorum significat, id est, impugnationem quæ fit in opere, lingua, et cogitatione, hæc enim omnia impugnat. **Condixerant, etc.** Ibid. Quia in falsitate concordant, et dum sua docent, quasi consolantur. Vere autem consolantur in afflictione præsentis, qui de æternis erudiunt. Hæretici amici nominantur, quia non ex sua nequitia, sed ex nostra benignitate nominandi sunt: ut, **Amice, ad quid venisti Matth. 26.? Condixerant.** Quia quædam vitia contra nos inter se conjunguntur, ut superbia et ira, remissio et timor: quæ etsi diversa sint, tamen ad eundem finem tendunt, id est, ad subversionem spiritualis Job.

^{§§}2.12 **Cumque elevassent procul oculos.** Qui in imo sunt oculos levant, etc., usque ad quasi hostes per intentionis hostiam in amicos mutamus. **Exclamantes ploraverunt.** Quia speciem percussi plaga mutaverat, speciem consolatorum spontaneus dolor immutat: quia dolentem non potest consolari, qui non concordat dolori, sed hærens trahit. Ideo, videntes corpus scissum, vestes scindunt; videntes mutatum, capita fœdant pulvere, ut facilius Job audiat eos, dum aliquid de sua afflictione in eis videt. Videndum tamen est consolatori, ne nimis dolens afflictum gravet, et dolentem desperare faciat: forsitan amici Job nimis doluerunt, nescientes mentem percussi, quasi ille a corde cecidisset. **Spaserunt pulverem.** Pulvis terrena intelligentia; caput, mens; cælum, præceptum supernæ locutionis. Pulverem super caput in cælum mittere, est sæculari intellectu mentem corrumpere, et de verbis cœlestibus terrena sentire. Dies intelligentia, nox ignorantia, septem universitas. Sedent ergo, id est, condescendere se simulant infirmitati Ecclesiæ; et in his in quibus verum lumen intelligunt, et in his in quibus habent ignorantiam, et sic dolos deceptionis parant.

^{*}2.13 **In terra.** Quia speciem humilitatis ostendunt, ut superba suadeant. Vel terra est incarnatio Christi, quam quidam hæretici non negant, sed vel de deitate, vel de incarnationis qualitate discordant a nobis: quia ergo illam non negant, quasi cum Job in terra sedent. **Septem diebus.** Ignoratur utrum continue, an tot diebus crebra visitatione insisterent. **Diebus et noctibus.** Quia vel in hoc, quod vere, vel in hoc quod stulte sapiunt, incarnationi non contradicunt. **Nemo loquebatur ei verbum.** Quia tunc tacent hostes, si filios Dei prædicando generare negligimus: sed si recta loquimur, tunc graves contumelias ingerunt, in vocem doloris contra nos erumpunt. Loquuntur quidem semina errorum: cum corda fidelium torpere vident: sed cum vident alta sapere, de ærumna sæculi dolere, ad cælum reditum quærere, circumspicte linguam frænant. **Nemo loquebatur.** Sunt enim multi, etc., usque ad et nisi sacrificio purgentur, puniendi sunt. **Videbant enim dolorem.** Quia tunc timent prava loqui, cum amoris Dei dolor corda fingit: quia tunc non proficerent, sed et quos tenebant, bonis exercitatis perderent.

3 Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo,^{† 2} et locutus est:³ [Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo.^{‡ 4} Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum Deus desuper, et non illustretur lumine.^{† 5} Obscurent eum tenebræ et umbra mortis; occupet eum caligo, et involvatur amaritudine.^{§ 6} Noctem illam tenebrosus turbo possideat; non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.^{** 7} Sit nox illa solitaria, nec laude digna.^{†† 8} Maledi-

[†]3.1 *Post hæc, etc.* Attentos facit, quasi ad occulta quæ clausis vasculis tegebantur, sed aperto ore eorum deteguntur, ut eorum intimo odore recreemur. Hucusque triplex expositio, hinc prout singula expectent loca. GREG. *Maledixit diei suo.* Ecce hoc non secundum historiæ superficiem, quia et malum est hoc et impossibile. Dies enim in quo natus fuit, jam non erat, et otiosum est maledicere rei non existenti, perniciosum vero si existeret: nec jam potest dies præteritus verti in tenebras, nec ei possunt convenire cætera quæ sequuntur, nec abortivus quod post ait requie frueretur, ideo hic nihil secundum litteram. *Post hæc.* Id est post omnia prædicta, quæ passus est, tacentibus etiam amicis. Cum ergo patienter in omnibus gratias egit et bene docuit, nunc nullo instigante non est credendus ex impatientia ad maledictionem prorumpere, sed quietus hoc dicit, quia inter mala laudavit Deum. *Maledixit.* Ibid. Maledictum duobus modis dicitur, etc., usque ad et medicamen ponit.

[‡]3.3 *Pereat dies in qua natus sum.* Non conditus, etc., usque ad sed peccati tenebras intulit. *Pereat dies.* Dies, mundi prosperitas, qui in nocte desinit, quia ad tribulationem perducit: vel, dies, peccati delectatio; nox, mentis cæcitas. Homo tribus modis dicitur, per naturam, per culpam, et per infirmitatem. Homo ergo in die nascitur, nocte concipitur: quia ad delectationem peccati non rapitur, nisi prius per mentis tenebras infirmetur. Sed pereat dies, id est, peccati delectatio vigore justitiæ destruat. *Et nox.* Greg. in Job l. 4. Id est, quod cæcata mens per consensum perperat, dum blandimenta delectationis caute non perspicit, pœnitentia exstinguat: ne culpa, quæ blandiri incipit, ad interitum trahat.

[†]3.4 *Dies illa, etc.* Ibid. Id est, exordio delectationis, ad quem finem perditionis rapit, videatur, et per pœnitentiam crucietur. Quod si ita punita est. *Non requirat.* In judicio ut puniat; et non illustrabit. Illustrat lumine, qui arguit: sed quasi tegitur, qui in memoria judicis non revocatur. Unde: *Quorum tecta sunt peccata Psal. 31.,* nec tunc in conspectu omnium monstrentur.

[§]3.5 *Non illustretur, etc., obscurent eum.* Id est, diem delectationis, ne ab eo qui omnia videt, videatur. *Tenebræ.* GREG. Id est, lamenta pœnitentiæ vel occulta Dei judicia, a quibus præveniente gratia absolvimur, quam nos mereri nescimus. *Et umbra mortis.* Id est, mors Christi secundum carnem, etc., usque ad in quo misericordia subvenit, hoc homo puniat: unde sequitur: *Occupet eum caligo.* Id est, mentis confusio, de qua dicitur: *Est enim confusio adducens gloriam. Eccli. 4. Et involvatur.* Omni parte. *Amaritudine.* Pœnitentiæ: sed si dies, id est, delectatio peccati, sic punitur: quid nox, id est, consensus ad culpam?

^{**}3.6 *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Quasi turbo tempestatis est concitatus, etc., usque ad pro cæcitate damnationis in qua nati sumus. *Non computetur in die anni.* Annus superna gratia, etc., usque ad sed exors ab illa patria in æternum est. Unde subdit:

^{††}3.7 *Sit nox illa solitaria.* Quia a frequentia illa separatur, vel hominem, quem sibi socium fecerat, amittit: et electis per gratiam redemptis solus cum corpore suo gehennæ traditur. *Nec laude digna.* Homo cum substratus, idola coluit, in quibus dæmonia quasi tenebras noctis laudavit: sed jam idolis reprobatis, nox est laude digna.

cant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.^{‡‡} ⁹Obtenebrentur stellæ caligine ejus; expectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis auroræ.^{¶¶}
¹⁰ Quia non conclusit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis.^{§§}
¹¹ Quare non in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii?^{*} ¹² Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus? ¹³ Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem[†] ¹⁴ cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines; ¹⁵ aut cum principibus qui possident aurum, et replent domos suas argento;[‡] ¹⁶ aut

^{‡‡}3.8 *Maledicant ei.* Ibid. In veteri translatione, etc., usque ad et in fine solutus aperte bella gerat. *Leviathan.* Id est, additamentum eorum, id est, hominum, in quibus post suggestionem mala addere non cessat. Vel exprobrationem, quia cum Adæ addere deitatem sponndit, et quod habebat, abstulit. Hic a propheta serpens tortuosus dicitur, qui molliter quasi blandis verborum finibus insidias infundit. Et vectis, quia durus per malitiam ad necem percutit. Suscitatus aperte aget, interim autem latenter.

^{¶¶}3.9 *Caligine Ejus noctis. Obtenebrentur stellæ.* Id est, hypocritæ, qui lucent per opera ad oculos hominum. Hæ sunt quæ cauda draconis, id est, extrema persecutione Antichristi, trahuntur; hæ obtenebrantur, quia malitia hostis sic prævalet eis, ut apertis malis involvantur, quales intus, tales exterius. *Expectet lucem.* Hoc secundum membra ejus, etc., usque ad quæ Christum prophetando sustinuit, sed venientem non cognovit. *Nec ortum surgentis auroræ.* Ibid. Ortus auroræ est nova nativitas resurrectionis, qua sancti cum carne orientur ad videndum lumen æternum. Sed quantumcunque hic fulgeant electi, nequeunt penetrare quæ erit illa gloria illius novæ nativitatis: hæc nox non clausit, sed aperuit ostia ventris, quia concepto homine, ad peccatum desideria concupiscentiæ, reseravit. His autem ostiis, id est, desiderii concupiscentiæ carnalis reseratis, ad innumera corruptionis mala pertrahimur. Unde gravati gemimus: quia hoc justitia exigit, ut quod sponte fecimus, inviti toleremus.

^{§§}3.10 *Quia non conclusit ostia ventris, etc.* Hoc de ipso capite, etc., usque ad ut latrones dicimus captis vitam dare, si non auferunt.

^{*}3.11 *Quare non in vulva mortuus sum.* Non est credendum, etc., usque ad ne ad delectationem suggestio traheret. *Et egressus ex utero.* GREG. Quia peccatum conceptum foras, etc., usque ad dum contentionem propriæ carnis contra spiritum ferunt.

[†]3.13 *Nunc enim.* Ibid. Per nunc, quod est præsentis temporis, stantem semper in præsentia, id est, æternam quietem designat. *Requiescerem cum regibus.* Id est, angelis, quod subjecta regunt. Qui et consules, quia nobis voluntatem Dei nuntiando consulunt. Vel reges, dicit sanctos prædicatores, qui se regunt, et consules terræ, quia terrenis bene consulunt. Dicit ergo quod si non peccaret, illuc etiam non redemptus ascenderet, ad quod apostoli et sancti prædicatores post redemptionem cum magno labore perveniunt, qui non differuntur ut antiqui, sed mox post mortem intrant cœlum. *Qui ædificant.* Omnis terrenus densis cogitationum tumultibus corde comprimitur, et frequentia desideriorum quasi turbarum calcatur. Sed solitudines ædificare, est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, et in amore intimæ quietis anhelare, ut possit dici: Unam petii a Domino, et hanc requiram, etc.

[‡]3.15 *Cum principibus qui possident aurum.* Principes sunt Ecclesiæ rectores, etc., usque ad qui autem futura prævidit, jam præterita recolit.

sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem.[¶]
¹⁷ Ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi requieverunt fessi robore.[§] ¹⁸ Et quondam
vincti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris.^{**} ¹⁹ Parvus et magnus
ibi sunt, et servus liber a domino suo.^{††} ²⁰ Quare misero data est lux, et vita his qui
in amaritudine animæ sunt:^{‡‡} ²¹ qui expectant mortem, et non venit, quasi effodi-

[¶]3.16 **Aut sicut abortivum.** Ibid. Quia quod abortivum, ante tempus oritur, extinctum protinus occultatur. Hi sunt sancti, cum quibus se quiescere potuisse considerat, qui a mundi exordio ante tempus redemptionis fuerunt: et tamen mundo se mortificaverunt. Tempus primum ante legem, quod patres secundo mortuos protulit, quasi uterus abortivi fuit: et ipsi quasi ab utero mortui sunt, qui sine tabulis legis Deum naturaliter timuerunt, et futurum redemptorem credentes voluptates occiderunt. **Absconditum.** Quia paucis a Moyse memoratis, etc., usque ad quos spiritus prophetiæ irradiavit, ut ipsum Job. Ibid. Jam quietem hujus lucis aperit, et quid apud eam quotidie agitur de conversatione impiorum verbis manifestioribus demonstrat.

[§]3.17 **Ibi impii.** Id est, in luce Christi, quam antiqui præstolati sunt, Gentiles a turba desideriorum mundi cessant, et tranquilla mente jam æternam quietem prægustant. Et hoc est: **Et ibi requieverunt.** In mundo fortes robore, non fessi dicuntur. Qui vero in amore Dei roboratur, salubriter a sua virtute deficit, et quo fortius æterna petit, eo magis fessus, in terrenis moritur. Unde: **Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini Psal. 38.** Dum ibi dicit lucem, locum electorum quo continentur, ostendit.

^{**}3.18 **Et quondam vincti.** Justi, etsi a desideriiis quieti, dum tamen in corpore, molestia suæ corruptionis ligati sunt. Corpus enim gravat animam, et repugnat caro spiritui. Sunt et vincula corporea, fames, sitis, et hujusmodi quæ hic nequeunt solvi: sed et ab omnibus in libertate gloriæ filiorum Dei solventur. Vide gradus: impii conversi cessant; exercitati in intimo sinu quiescunt; a vinculis corruptionis absoluti ad libertatem perveniunt. Sed quid hic interim egerint, subdit: **Qui non audierunt, etc.** Exactor diabolus, qui semel nummum deceptionis homini contulit, et quotidie debitum mortis exigit, vox ejus est tentatio. Audit qui tentatur, et resistit: exaudit qui consentit. Idem de interna pace, quia quod mens valde amat, sæpius replicat.

^{††}3.19 Parvus et magnus ibi sunt. Ibid. Quia hic est discretio operum, ibi erit dignitatum. Unde: **In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Joan. 14. Et servus.** Qui peccat, servus est peccati, quia hic nunquam liber fit, dum judicem metuit: sed ibi liber erit, ubi de venia nulla dubietas erit. Erit quidem ibi memoria culpæ, non quæ mentem polluat, sed quæ sine læsione beatitudinis, arctius beatitudini et lætitiæ astringat, ut sanati dolorum sine dolore recordamur; unde amplius medico gratias agimus.

^{‡‡}3.20 **Quare misero data est lux?** GREG. in lib. Job lib. 5. Contemplatus requiem, ubi liber a Domino despicit sæculi prospera, quæ ab ea retrahunt. **Quare misero data est lux,** id est, prosperitas in peregrinationis miseria: quia, si non justum penitus opprimit, tamen mentem in amorem Dei et in dispensatione sui dividit; unde addit: **Et vita his qui, etc.** Amaritudo est omni justo, etc., usque ad vel in regimine præesse.

entes thesaurum; ¶²² gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum? §²³ viro cujus abscondita est via et circumdedit eum Deus tenebris? *²⁴ Antequam comedam, suspiro; et tamquam inundantes aquæ, sic rugitus meus: †²⁵ quia timor quem timebam evenit mihi, et quod verebar accidit. ‡²⁶ Nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi? et venit super me indignatio.] ¶

4 Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit: ² [Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies; sed conceptum sermonem tenere quis poterit? §³ Ecce

¶^{3.21} *Qui expectant mortem.* Ibid. Id est, penitus se mundo mortificare desiderant, sed occulto Dei judicio non venit, quia occupari injunctis honoribus compelluntur, quod Dei timore tolerant; et intus est desiderium pietatis, et foris explent ministerium ordinis, ne per superbiam contradicant Dei dispositioni: et sic et multis prosunt, et quo se imperfectos vident, per humilitatem amplius surgunt: et quod a desideriis differuntur, ipsa tarditate ad eadem dilatantur: unde addit, quasi effodientes, etc. *Quasi effodientes thesaurum.* Quia qui thesaurum fodiendo quærit, etc., usque ad exempla contemplationis invenit, unde dives sit.

§^{3.22} *Viro cujus.* Ecce cum quæreretur quare misero data est lux, ostendit hic, via abscondita est viro: quia si jam bene agit, quid agat in fine nescit; vel aliquando quæ putantur Deo placere, displicent.

†^{3.23} *Circumdedit eum Deus.* GREG. Quia licet cœlestia desideret, tamen quid de se intus dispositum sit nescit. Sunt et circa eum tenebræ ignorantiae, præteriti est immemor, futura non invenit, præsentia vix novit, intima dispensationis Dei penetrare nequit. Qui vero has tenebras intendit, flet: et omni visu supernam lucem requirit: unde fit aliquando, ut in pio fletu interni gaudii claritas erumpat; unde sequitur:

†^{3.24} *Antequam comedam.* Comedere est contemplationis luce pasci, quam non habet nisi qui prius in hoc exsilio, quasi ubi non sunt bona gemit, et suspirat desiderio et exsequitur vim lacrymarum. *Et quasi inundantes aquæ, etc.* Aquæ inundantes multis voluminibus impetu feruntur, sic in lugentibus multa volumina, dum qui apud Deum decernatur, nesciunt: dum præterita sua recolunt, futura pertimescunt, et in bonis suis ne errent, verentur: quos dum flagella Dei corripunt, se offendisse suspicantur: unde addit:

‡^{3.25} *Quia timor.* Flent enim, quia deseri se timent: et ne pia percussio non sit disciplinæ, sed vindictæ, unde: *Quis novit potestatem iræ tuæ? Psal. 89.* Aliquando enim est gratia quam dicimus iram, et aliquando ira quam dicimus gratiam, unde necesse est ut in omnibus timeatur; in prosperis, ut non sint sibi data ad majorem excæcationem, non ad consolationem, ut bonis solet fieri, ne sit in adversis initium pœnæ.

¶^{3.26} *Dissimulavi.* Ibid. Et si semper cogitando, etc., usque ad si Job qualis in potestate fuit ad exemplum proponit. *Nonne dissimulavi?* Potestas habita et ad utilitatem cogitanda, et propter tumorem dissimulanda, et potens ut prodesse debeat, posse se sciat. *Nonne silui?* Ecce qualis est in ore. *Nonne quievi?* Ecce qualis erga illicita, etc., usque ad quia nostra perfectio culpa non caret, unde addit: *Et venit super me indignatio.* Unde magna arte dicturus verbera, præmisit recte facta, ut in his quisque consideret quæ pœna maneat iniquos, si ita hic castigat justos, ut si justus vix salvabitur, impius ubi parebit?

§^{4.2} *Si cœperimus loqui tibi.* Ibid. Molliter incipiunt, sed in aspera prorumpunt. Sic hæretici blanda verba proponunt, ne caveantur, sed aspera subinferunt. *Sed conceptum.* Ibid. Perfecti nec in corde perversa concipiunt quæ silentio compescunt. Alii prava concipiunt, sed silentii vigore magno constringunt: alii et concipiunt et mox efferunt. In sensu leves, in lingua præcipites. De his est Eliphaz, qui suo experimento de omnibus idem sentit. *Tenere quis poterit.* Quasi vellet retinere: in quo innuit se in loquendo offensurum.

docuisti multos, et manus lassas roborasti; ** 4 vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti. 5 Nunc autem venit super te plaga, et defecisti; tetigit te, et conturbatus es. †† 6 Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum? 7 Recordare, obsecro te, quis umquam innocens periiit? aut quando recti deleti sunt? ‡‡ 8 Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, ¶¶ 9 flante Deo perisse, et spiritu iræ ejus esse

**4.3 *Ecce docuisti plurimos.* Ibid. Certa bona sunt quæ et ille fatetur, qui criminari vult. Quantus ante fuit qui tot suis occupatus disponendis, etiam libere alios docuit, actu et verbo recta ostendens? Quia vero criminator bona de eodem dicit, ad crimen inflexit, dicens:

††4.5 *Nunc autem venit, etc., quasi non servasti recta quæ dicebas.* Nota autem quod sunt iniqui, et bona justorum quæ nota negare non possunt, dicunt, ne pravi videantur: et ut inde magis credatur eis, in malis quæ inserunt, et hæc ipsa bona ad cumulum reatus invertunt. Hic recta Job ergo dixisse, sed non servasse, quasi suo testimonio malus reprehenditur: inferius male loqui notatur, ut taceat. Et hi sunt duo modi quibus bonos impetunt mali, dicentes eos vel prava dicere, vel bel bona quæ dicunt non tenere. *Defecisti, etc. Ubi est timor tuus?* Quasi de virtutibus miretur perditus, quas congruo ordine ponit. Sicut in via sæculi audacia fortitudinem, timor debilitatem parit, ita et in via Dei audacia debilitatem, timor Dei fortitudinem: quia qui Deo jungitur, potestate quadam super omnia levatur; fortitudo non nisi in adversis ostenditur, unde patientia additur, quia in fortitudine quasi proficit, qui mala aliena non motus tolerat. De patientia perfectio nascitur, unde in patientia animam possidere, homo dicitur, id est, in omnibus recte vivere, cunctis motibus mentis ex virtute dominari: qui enim se vincit, contra omnia est fortis. Ibid. Quoniam autem invehendo corripuit, nunc quasi exhortando subdit:

‡‡4.7 *Recordare, obsecro te.* Sed et hoc reprehensibiliter agit. Innocens enim et rectus sæpe hic funditus delentur, etsi ad æterna servantur: sed qui non pro æterna sed terrena mercede Deo serviunt, ipsi sibi fingunt quod quærunt, et docere præsumentes cum terrenam securitatem prædicant cunctis suis laboribus ostendunt quod amant.

¶¶4.8 *Quin potius vidi eos.* Ibid. Dolores seminat, qui dicit. Fraudulenta metit, qui dicendo prævalet. Vel dolores seminat, qui perversa agit. Metit, qui in eis prosperatur. Hi non ut ait pereunt, sed felicius hic justis vivunt. Patitur enim Deus quosdam hic prævalere, ut mundius vita justorum purgetur. Punit mox alios, ne putetur humana negligere, et multa mala præterire, ut corda innocentium, qui pusillanimes sunt, confirmet: verius autem diceret de omnibus, in fine; generaliter poterat dici, quod innocens et rectus non perit, quia etsi hic atteritur, apud Deum vera salute reparatur. Et mali pereunt, quia etsi hic altius crescant, in fine durius ferientur. Sed quia dicit, *recordare*, patet transacta ad mentem reduci, non futura enuntiari.

consumptos.^{§§ 10} Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum conkriti sunt.¹¹ Tigris periit, eo quod non haberet prædam, et catuli leonis dissipati sunt.*¹² Porro ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.^{† 13} In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines,^{‡ 14} pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt;^{¶ 15} et cum spiritus, me præsentem, transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.¹⁶ Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, et vocem quasi auræ lenis

§§4.9 *Flante Deo perisse.* Ibid. Nos conflamus ærem, dum ab extra intus trahimus, et ab intus extra reddimus. Deus ergo in retributione flare dicitur, quia ab exterioribus causis intus iudicii consilium concipit, et ab interno consilio exterius sententiam emittit, id est, a malis nostris quæ extra videt, iudicium intus disponit, et ab interno conceptu extra damnationem facit. Vel flare Deus, id est, irasci dicitur per simile, quia nos cum irascimur, flatu furoris inflammamur. Flat ergo Deus irascendo vindictam cogitans, cum, post longam patientiam, qui in se tranquillus est reis videtur turbulentus, cum ipsi coram eo reatu suo turbentur. GREG. Postquam clementer monuit, aperte increpat. *Rugitus leonis*, id est, severitas et terror ipsius Job: *vox leænæ*, loquacitas conjugis, *dentes catulorum*, edacitas filiorum destructa est. Rigidus exsultat, quasi jure essent damnata. Tigridi etiam Job comparat pro maculis simulationis. Hypocrita enim, qui rectus videtur, habet latentia vitia, quæ aliquando erumpentia colorem variant. Præda est justorum gloria, quam sibi arripit: putans ergo iste sanctum Job bona quæ in eo noverat, per hypocrisim tenuisse, dicit:
*4.11 *Tigris periit.* Hoc est varietas tuæ simulationis exstincta est, etc., usque ad hi tales per sapientiam putant se omnes transcendere.

†4.12 *Porro ad me dictum est verbum absconditum.* Ibid. Abscondita se hæretici audire simulant, unde et latenter prædicant, ut sanctorum eorum prædicatio habeatur, non aliis æqua. *Furtive, etc.* Ibid. Quia non cum aliis per ostium intrant, sed rimas quærunt pravæ intelligentiæ, quia vero fur lumen timet, addit:

‡4.13 *In horrore visionis nocturnæ.* In pavore nocturnæ visionis se percepisse venas susurri divini dicunt, quia ut alta jactent, vix ea posse se capere dicunt. Sed dum ita alta notant, testes contra se nequitiae sunt. In nocturna enim visione dubie cernitur. *Quando solet sopor occupare.* Hoc est, dum omnes inferius dormiunt torpore, nos ad alta et superna percipienda vigilamus. Et dum aliquando hoc despici vident, seipsos timere simulant quod dicunt, unde subdit:

¶4.14 *Pavor tenuit me.* Ut miri videantur in altis, quasi pertimescunt quæ fingunt: et tamen audaces sunt proferre, quæ asserunt vix se potuisse audire. *Ad me dictum est verbum.* Ibid. Filius Dei dicitur, etc., usque ad eo magis rectitudinem ejus repressa formidat: unde subdit: *In horrore visionis nocturnæ, etc.* Id est, in pavore occultæ contemplationis, in qua nihil manifeste, sed quasi imaginarie, videtur. Sed ad hanc nemo pertingit, nisi carnalibus desideriis repressis, unde: *Quando solet sopor occupare homines.* Vigilat qui curis sæculi intendit: dormit in quiete qui fugit. Hic est Jacob qui in itinere dormit et angelos videt, id est, in cursu hujus vitæ a sæcularibus rebus oculos claudit quod ad concupiscendum culpa primis parentibus aperuit. Et nemo ad videnda interna perducitur, nisi ab his quæ exterius implicat subtrahatur; unde: *Vacate et videte: quoniam ego sum Deus Psal. 45.* Sed quo animus in contemplatione levatus super se altiora conspicit, eo in se terribilius tremat, unde: *Pavor tenuit me et tremor et omnia ossa.* Ibid. Id est, fortiora acta, etc., usque ad stimulum carnis sentit, addit:

audivi. § 17 Numquid homo, Dei comparatione, justificabitur? aut factore suo purior erit vir? ** 18 Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem; 19 quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tineas? 20 De mane usque ad vesperam succidentur; et

§4.16 Stetit quidam. Ibid. Ut incomprehensibilia se novisse judicent, etc., usque ad quia bonum commune specialiter sibi arrogavit. **Inhorruerunt pili carnis mee.** Ibid. Pili sunt superflua quaelibet humanæ corruptionis cogitationes vitæ veteris: quas si a mente excludimus, pilos carne incidimus, ut non dolore fatigemur. Unde Moyses: **Levitæ radant omnes pilos carnis suæ Levit. 14.** Hæc autem subtilius in nobis conspicimus, cum alta penetramus, unde recte nunc dicitur: **Cum spiritus transiret.** Cum enim mens vera videt, durius se de superfluis cruciat. Transeunte ergo spiritu, pili pertimescunt, quia ante vim compunctionis superfluæ cogitationes fugiunt, quia intima visio animam contra se inflammat; et dum illicita districte resecat, mens latius speculationi inhæret, et bene figit spiritum qui transibat, nec tamen hæc ipsa mora contemplationis vim pietatis plene aperit, unde subdit: **Stetit quidam cujus non agnoscebam vultum.** Ibid. Quidam non dicitur, etc., usque ad per coæternam ejus speciem conspicit, subdit: **Imago coram oculis me.** Imago Patris Filius est, qui dicit: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. **Et vocem quasi auræ lenis audivi.** Ibid. Vox auræ, cognitio, etc., usque ad qui ex hoc auditu, didicit.

4.17 **Nunquid homo comparatione Dei justificabitur? Hoc in contemplatione novit, quod justitia humana divinæ comparata injustitia, ut quæ lucerna in tenebris lucet, in sole caligat: quod potuit, quia qui lucem videt, scit quid de tenebris æstimet. **Aut factore suo purior?** Ibid. Hoc æstimat qui contra flagellantem murmurat. Sed debet scire, quia impie non flagellat, qui mira ex nihil fecit, et conditor naturæ non est iniquus judex culpæ. Etsi iste injuste Job redarguit, recte tamen modum creaturæ in comparatione Creatoris describit. Puriorem ergo se vir factore suo æstimat, si contra flagellum querelam parat, eumque sibi procul dubio postponit, cum ejus judicium de sua afflictione redarguit **Ecce qui serviunt ei.** IDEM. Angelus etsi in statu suo immutabilis permanet, in hoc tamen quod creatura est, vicissitudinem mutabilitatis habet, et ita stabilis non est. Si enim natura hæc mutabilis non esset, cum esset bene condita, in nullis cecidisset. Sed ex arbitrio habuit ruere vel stare, et in stantibus meritum fuit, motum mutabilitatis suæ, studio voluntatis fixisse. Hoc mutabilitatis argumentum est quod de apostata subdit: **Et in angelis suis reperit pravitatem.** Ex quorum comparatione infirmitas humana colligitur. **Quanto magis hi qui habitant domos luteas.** GREG. Id est terrena corpora, etc., usque ad conspiciunt curis sæculi occupati; unde subdit:

quia nullus intelligit, in æternum peribunt.†† 21 Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis; morientur, et non in sapientia.]

5 [Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere.‡‡ 2 Vere stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. 3 Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.¶¶ 4 Longe fient filii ejus a salute, et conterentur in porta, et non erit qui eruat. §§ 5 Cujus messem famelicus comedet, et ipsum rapiet armatus, et bibent sitientes divitias ejus.* 6 Nihil in terra

††4.20 De mane usque ad vesperam. Id est, a vitæ suæ exordio usque ad terminum perpetracione iniquitatis vulnerantur, a qua succisi in profundum ruunt. Ibid. Vel mane, prosperitas; vespera, adversitas; sed per utrumque pereunt, quia per prospera lascivi, per adversa impatientes ad insaniam surgunt. Et quia nullus eorum, scilicet, **qui de mane usque ad vesperam succidentur** intelligit, quid bonis afflictis hic servetur, quid sibi futurum qui hic bona putant. Sed quia non omnes sic deseruntur, subdit: **Qui autem reliqui fuerint.** Id est, despecti mundi, quos sæculum ut indignos reliquit, ut puer Ægyptius, id est, amator sæculi, peccatis niger, sæpe a sæculo despectus relinquitur, ut non cum eo currat, sed fractus adversis torpeat. Sed hunc David, id est, Christus, invenit, et in suum amorem convertit, et cibo verbi pascit, et ducem itineris, id est, prædicatorem suum facit: quo duce convivantes, id est, mundi lætitiã destruit, quæ eum comitem habere despexit. **Auferentur ex eis.** Quia Deus sibi eos elegit. **Morientur, et non in sapientia.** Interposita sorte justorum, redit ad interitum non intelligentium. Reprobi justos despiciunt, quia per mortem suam invisibilia quærunt, vel per mortem vitam invisibilem quærunt. Sed ipsi, qui pariter mortem et sapientiam fugiunt, sapientiam quidem penitus deserunt, nolentes pro veritate mori, mortem tamen non evadunt.

‡‡5.1 **Voca ergo.** Ibid. Quoniam hoc veraciter contra iniquos protulit, quamvis latenter Job in numero eorum proposuerit: fastu sapientiæ inflatus apertam irrisionem in Job subdit: **Voca ergo,** id est, si afflictus clames, Deus non respondet, id est non dat effectum, quia in tranquillitate eum contempsisti; et **ad aliquem sanctorum,** id est, sanctos in afflictione adjuutores non habes, quia socios in hilaritate non habuisti. Ibid. Post irrisionem subdit sententiam, etc., usque ad hæc sapientes turbat, sed ira per vitium stultos trucidat. **Et parvulum occidit.** Id est, dum ei invidet, quem putat majorem, etc., usque ad vel partem habendo quantitatem nobis restringit. GREG. lib. VI Moral., cap. 5. Quia totis desideriis in terreno amore solidatur, unde primus Cain in terra civitatem construxit, alienus a cœlo hic feliciter degit.

¶¶5.3 **Et maledixi pulchritudini ejus.** IDEM. Quia cum ex visa prosperitate malorum, pedes infirmorum nutent: fortes, videntes quæ poena ad gloriam eorum sequatur, prosperitatem eorum reprobant statim. Infirmus cum qualitate rerum mutatur, dum videt prospera, laudat, dum mutantur, nihil esse judicat: sed firmus cum ipsa gloria poenam considerat sequentem, et mox damnat. Sed quia proficientes in mundo multos secum trahunt, subdit:

§§5.4 **Longe fient filii ejus.** Id est, sequaces. **In porta.** Ibid. Porta regni est dies iudicii, in quo electi intrant ad gloriam, ante quem filii hujus mundi elati sunt, sed tunc conterentur.

*5.5 **Et non erit qui eruat.** Ibid. Quia illos ibi veritas eripit, quos hic per disciplinam premit. **Cujus messem.** Habet quisque donum intelligentiæ, quo recta intelligit et dicit: Sed quia eadem non amat nec facit, a messe quam habet, jejuna; sed qui esurit justitiam ab illo audiens recta, se reficit, unde: **Quæ dicunt, facite Matth. 23.** **Et ipsum rapiet armatus.** Ibid. Diabolus ut inermis vincitur, cum aperta mala suggerens, omnia bona similiter tollere conatur: sed armatus vincit, alia bona intacta præterit, alia latenter corrumpit. **Et bibent.** IDEM. Stultus sæpe habet divitias, etc., usque ad et studiosus tarditate præpeditur? respondet:

sine causa fit, et de humo non oritur dolor.† 7 Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum.‡ 8 Quam ob rem ego deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum:¶ 9 qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero;§ 10 qui dat pluviam super faciem terræ, et irrigat aquis universa;¶¶ 11 qui ponit humiles in sublime, et mœrentes erigit sospitate;†† 12 qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant;‡‡ 13 qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat.¶¶¶ 14 Per diem incurrent tenebras, et

†5.6 *Nihil in terra fit sine causa.* Quia inde ille justius de negligentia punitur, iste de studio coronatur. Sed quia ad intelligendum recta non modo studio, sed et persecutionibus erudimur, additum: *Et de humo non egredietur. Et de humo non egredietur.* Ibid. Humus, id est, elementa mundi in pœnam vertuntur delinquentium; unde dicitur: *Pugnabit pro eo,* id est, pro Domino, orbis terrarum contra insensatos, sed tamen de eis non egredietur dolor, quia pœna non nascitur de his quæ feriunt, sed de his qui peccando percussiones extorserunt: sed quo exterior pœna castigat, eo mens ad superna levatur; unde subdit:

‡5.7 *Homo ad laborem nascitur.* Quia impossibile est in hac peregrinatione sine labore esse: sed in eo quod caro affligitur, mens ad petenda alta levatur. *Vel homo,* id est, carnalis, mala mundi sentit, quia inhianter bona ejus appetit. Sed cujus mens hæc transit, ut avis ad alta, penna spei levatus, nil mali sentit, congaudeat et de flagellis, sed quia hæc nullus suis viribus valet, subdit:

¶5.8 *Quamobrem ego te.* Id est, illum rogo per quem hæc tribui scio.

§5.9 *Mirabilia absque numero.* Quia divinorum operum magnitudo, nec ex qualitate valet discuti nec ex quantitate numerari.

¶¶5.10 *Qui dat pluviam.* Ibid. Hæc verba mystica sunt, quia amici Job societate ejus eruditi erant. *Dat pluviam terræ:* cum arida gentilium corda gratia prædicationis infundit. *Irrigat autem aquis universa.* Cum hominem spiritu replet ad fructificandum. Homo dicitur omnia, quia cum omnibus habet aliquid commune. Vel universa, id est, divites et pauperes, et omnes differentias hominum, quia bonum opus sequitur retributio.

††5.11 *Qui ponit humiles in sublime.* GREG. Ut modo despecti judicent cum Domino. *Mœrentes.* Quia quanto magis nunc adversis tribulantur, et se per lamenta castigant, tanto sublimiorem sospitatem habebunt etiam in hac vita. Hæc de electis possunt intelligi, ubi humiles alta mente omnia temporalia transcendunt, et afflicti sunt erecti sospitate, non insania, ut qui lætantur cum malefecerint. Hi vero de certitudine æternæ salutis hilaescent.

‡‡5.12 *Qui dissipat cogitationes.* IDEM. Cum reprobi cogitent mala, Deus aliquando ne contra bonos prævaleant, vires tollit, ut effectu careant operis, et apud Deum conscientia rei sint.

¶¶¶5.13 *Qui apprehendit sapientes.* Ibid. Quia consiliis Dei humana facta etiam tunc congrue serviunt cum resistunt, ut in venditione Joseph, ne adoraretur; in petitione præputiorum a Saul, ut David extingueretur; in morte Domini, ne omnes crederent in eum. Deus alia concedit propitius, alia permittit iratus: quæ tunc in usum sui consilii vertit, ut quæ ejus consilio repugnant, ejus consilio militent; et quod sine ejus voluntate geritur, ejus voluntati contrarium non sit, unde: *Omnia quæcunque voluit, etc.*

quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.^{§§ 15} Porro saluum faciet egenum a gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem.*¹⁶ Et erit egeno spes; iniquitas autem contrahet os suum.¹⁷ Beatus homo qui corripitur a Deo: increpationem ergo Domini ne reprobet.^{† 18} quia ipse vulnerat, et medetur; percutit, et manus ejus sanabunt.[‡]¹⁹ In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.^{¶ 20} In fame eruet te de morte, et in bello de manu gladii.^{§ 21} A flagello linguæ absconderis,

^{§§}5.14 **Per diem incurrent.** Quia in ipsa veritatis præsentia, perfidiæ errore cæcati sunt, videntes miracula Christi et de ejus deitate dubitantes. **Quasi in nocte.** Palpando quærimus quæ oculis non videmus: Judæi miracula viderant, et adhuc quasi palpantes quærebant: *Si tu es Christus, dic nobis palam Joan. 10.* Sed horum manibus diu retineri non potuit Christus. **Per diem incurrent tenebras.** Ibid. Mens invidi cum de bono alieno affligitur, de radio solis obscuratur. **Et quasi in nocte sic palpabunt in meridie.** Dies boni operis in proximo exterius lucet: quasi in nocte palpant, quia, livore cæci, aliqua quæ reprehendant, invenire satagunt. Ecce Loth, id est, justus malis adversantibus intra domum recluditur et munitur, id est ad mentem revertitur et manet interius, Sodomitæ cæci circumeunt, id est, invidentes facta dictaque scrutantur, nec ostium, id est, aditum reprehensionis, inveniunt, sed parietem palpant, quia ubique laudabilis actio justis obviat. **Palpabunt.** Sed pauper spiritu, id est, qui apud se non est elatus: salvatur a gladio oris, id est, iniqua persuasione.

*5.15 **Porro saluum faciet egenum a gladio oris.** Gladius oris est accusatio Judæorum. Manus violenti, gentilitas quæ crucifixit: sed hos Christus resurgendo superavit. In quo egeno, id est, humili populo fidelium spes vitæ sequentis solidatur. Iniquitas autem, quæ modo dilatat os suum in contumeliam Christi, claudet per supplicium, vel conversa cessat ab injuriis. Eadem de pravis generaliter. **De manu violenti pauperem.** Id est adversa potestate, ut nec blandimentis suasionum trahatur, nec dolore suppliciorum frangatur. Pauper autem non trahitur, quia spes ejus fixa in æternis contra hæc solidatur. Ad cujus spei fructum cum pauper venerit, elatus obmutescit, et contrahit os: quia tormenta linguam ligant, quæ loquebatur contra justos detrahendo. Sed ut electus supplicia evadat, et ad præmia pertingat, debet hic flagellis purgari, unde subdit:

[†]5.17 **Increpationem ergo Domini ne reprobet.** Ibid. Reprobat qui se injuste pati conqueritur. Eliphaz ergo putans Job pro purgatione percuti, non probatione fortitudinis, quia Job libere loquitur, causas suæ percussiois quærens, putat eum increpationem Domini reprobare. Sic hæretici quod recte ab Ecclesia agitur, ad malum convertunt.

[‡]5.18 **Quia ipse vulnerat.** IDEM. Duobus modis vulnerat Deus quos ad salutem reducit. Aliquando percutit in corpore ut mentem sanet; aliquando sine exterioribus flagellis mentis duritiam suo desiderio percutit, et sic eam sanat, quæ secunda in mundo mortua quiescebat. Sed, dum mens ad Deum anhelat et omnia sæcularia despicit, omnia mox ei vertuntur in tentationem, et eam affligunt; sed, dum transitorio labore atteritur, a perpetuo liberatur, et ideo subdit:

[¶]5.19 **In sex tribulationibus.** Ibid. Senario, quem septimus sequitur, præsentis vitæ operatio et discursus signatur: quia, sexto die Deus omnia perficiens, hominem condidit, et septima quievit, qui non habet vesperam, id est, finem; in septima ergo tribulatione liberat, ne in septima malum attingat: quia hic paterne erudiens atterit, sed in die judicii a verberibus abscondit.

[§]5.20 **In fame.** Ibid. Enumerat mala præsentis vitæ et adjutoria Dei. Fames mentis est silentium verbi Dei: quo subtracto, tentatio carnis invalescit, quæ est bellum. Sed Deus etiam in fame a morte animam eripit, quia verbo suo reficit. **Et in bello.** Contra tentationes carnis fortes facit. Sed talis factus aliquando detractiones metuit, unde addit:

et non timebis calamitatem cum venerit.** 22 In vastitate et fame ridebis, et bestias terræ non formidabis.†† 23 Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, et bestię terræ pacificæ erunt tibi.‡‡ 24 Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum; et visitans speciem tuam, non peccabis.¶¶ 25 Scies quoque quoniam multiplex erit semen tuum, et progenies tua quasi herba terræ.§§ 26 Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut

**5.21 *A flagello linguæ.* Id est, ab exprobratione contumeliæ, propter quam irrisus a bono cessat; unde David: *Et a verbo aspero.* Ab hac sanctus absconditur, quia, dum hic laudem non quærit, nec contumelias sentit; sed, quia post hæc aliquis cruciatus corporum timet, sequitur: *Et non timebis calamitatem.* Id est, persecutionis: sed, quia talis in terrore iudicii futuri securitatem sibi parat, subdit:

††5.22 *In vastitate et fame.* Vastitas es gehenna quæ foris, etc., usque ad ut in articulo mortis ejus impetus non horreat, subditur: *Et bestias terræ.* Quæ tempore mortis ad rapiendas animas effrenantur, sed sævientes non timet, qui blandientes secutus non est: et initium retributionis est, in obitu securitas mentis. Cum autem bene vivitur, cavendum est ne quis despectis cæteris de singularitate gloriatur, sed sociale bonum recogitet, unde addit:

‡‡5.23 *Sed cum lapidibus regionum pactum.* Quasi divisæ sunt regiones gentium, ecclesiæ moribus et linguas distantes; lapides electi, qui in ædificio ponuntur. Qui ergo recte vivit pacto se lapidibus jungit: quia in eo quod mundum deserit, sanctis per imitationem se alligat; unde impugnatio crescit, qua tamen attritus humiliter Deo subditur, unde subjicit: *Et bestię terræ.* Non pacatæ sed pacificæ, quia non pacem habent, sed pacem faciunt; quia cum acrius homo a diabolo impugnatur, amplius ad amorem impellitur, et cum eo robustior pax efficitur. Vel bestię sunt motus carnis, quæ continentia quasi cavea pressæ, etsi tentando rugiunt, non tamen ad effectum quasi ad rabiem morsus excedunt, in quo sunt pacificæ. Vel quia perturbant, amplius illud, ubi nulla contradictione vivitur, diligitur: et sic ad amorem intimæ quietis impellunt.

¶¶5.24 *Et scies quod pacem.* GREG. Pax vel inchoata, quæ hic est concepta ex desiderio Dei; vel plena, quæ in futuro ex visione Dei. Cum ergo mens Deo vel caro menti subjugatur, tabernaculum justis, id est, corpus quod mens inhabitat, pacem habet motibus desideriorum sub justitia refrenatis. Sed nihil est hæc castitas carnis, si non adsit mentis suavitas in amore proximi. *Et visitans speciem tuam non peccabis.* Ibid. Species nostra est proximus, etc., usque ad quia ex semine boni operis uberes fructus prædicationis colligit; unde subditur:

§§5.25 *Scies quoque quoniam multiplex erit semen tuum.* Ille enim bene loquendi facundiam accipit, qui bene vivit, nec conscientia loquentem præpedit. Hinc est quod Ægyptii servi facti, frumenta ad semen percipiunt, qui ante liberi ad esum acceperant: quia cum plene Deo subdimur, verbo prædicationis replemur. Ante liberi sacro eloquio pasti; et tamen ad quædam quæ in mundo petimus vacantes. Ex prædicatione, magna proles fidelium sequitur. Et hoc est: *Et progenies tua, quasi herba terræ.* Id est, innumerabilis. Vel herbæ comparatur, quia, arentem mundi gloriam deserens, spe interna virescit. Justo autem non sufficit hæc magna exterius agere, nisi etiam per contemplationem in æterna penetret; unde subditur:

infertur acervus tritici in tempore suo.* ²⁷ Ecce hoc, ut investigavimus, ita est: quod auditum, mente pertracta.][†]

6 Respondens autem Job, dixit: ² [Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera ![‡] ³ Quasi arena maris hæc gravior appareret; unde et verba mea dolore sunt plena:[¶] ⁴ quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum; et terrores Domini militant contra me.[§] ⁵ Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit?^{**} ⁶ aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut

*5.26 Ingredieris in abundantia sepulcrum. Ibid. Sepulcrum est contemplatio, etc., usque ad quod utilitati proximorum refundant. *Sicut infertur acervus tritici.* Quia tempus actionis primum est, extremum contemplationis. Et necesse est ut perfectus mentem prius virtutibus exerceat, et eam postea in horreum quietis condat. Vel sepulcrum est quies æterna, in qua tanto verius quiescitur, quanto perfectius vita corruptionis necatur. Hanc in abundantia ingreditur, qui post congesta hujus vitæ opera, huic mutabilitati plene mortuus, in secreto veri luminis occultatur, sicut triticum: quia justi in alieno tempore percussiones sentiunt, sed in suo, ut grana, in horreum intrant.

[†]5.27 *Investigavimus.* In hoc notat se, non secundum superficiem dixisse supra sepulcrum, bestias, lapides, tabernaculum, et hujusmodi, sed in his interiora quæsisse. *Quod auditum mente pertracta.* Verba jactantiæ; et si bene docuit, imperitia est velle docere meliorem: unde dicta amicorum etsi recta, non recte dicta arguuntur.

[‡]6.2 *Utinam appenderentur.* Tactus flagellis verbis lacessitur, non ut non erectus in defensionem contumax caderet: sed ut percussus tacens gratias egit, lacessitus recta respondit: *utinam appenderentur peccata. Statera.* Ibid. In manu patris Christus habens lancem misericordiæ et justitiæ, peccatum per misericordiam laxans, leve esse; calamitatem moriendo gravis esse ponderis ostendit. Cui et hoc gratiæ dat, ut ipsa cognoscibilis sit calamitas. Cæcus enim homo in exsilio, quasi in patria, gaudebat: sed Deus extra apparens hominem intus revocat, ut viso quod amisit, grave doleat quod tolerat; dicit ergo: *Utinam appenderentur.* Id est, malum nostræ, etc., usque ad pensans judicia Dei quibus affligitur, et hoc est:

[¶]6.3 *Unde et verba mea dolore sunt plena, quia sagittæ Domini.* Id est, percussio animadversionis Dei, quæ non me, ut multos, inmundatum dimittit.

[§]6.4 *Ebibit spiritum.* GREG. Id est, elationem compescit, ut dicat: *Defecit spiritus meus Psal. 76.* Et non solum gemo quod patior, sed timeo quod minaris, et hoc est: *Terrores Domini militant:* ne post hoc mors æterna sequatur. Sed quia staturæ adventum desiderat, quo ardore eundem gentilitas, et Judæa sitiât, supponit, cum ait:

^{**}6.5 *Nunquid rugiet onager,* id est, agrestis asinus, etc., usque ad sed carnaliter tenebatur, subdit:

potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem?^{††} 7 Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc, præ angustia, cibi mei sunt.^{‡‡} 8 Quis det ut veniat petitio mea, et quod expecto tribuat mihi Deus? 9 et qui cœpit, ipse me conterat; solvat manum suam, et succidat me?^{¶¶} 10 Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti.^{§§} 11 Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam? 12 Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. 13 Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarij quoque mei recesserunt a me.[†] 14 Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit.[‡] 15 Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui rapit transit in convallibus. 16 Qui timent pruinam, irruet super eos nix. 17 Tempore

^{††}6.6 **Aut poterit comedi insulsum.** Sal est virtus occultæ intelligentiæ, etc., usque ad convertendo esuriens recepit. Ibid. Ille desiderat stateram, nos jam per fidem ejus vivimus; sed tamen pro purgatione sagittas ejus patimur, et terrore futuri timemus. Sed quia filii sumus, non debemus timere ut Dominum, sed diligere ut Patrem, et ad eum anhelare, ubi cibo, id est, æternitate ejus pascamur, pro quo modo rugimus, unde: **Nunquid rugiet onager.** Ibid. Onager, est populus qui, etc., usque ad etiam ab hujusmodi verbis se separant, et hoc est: **Aut poterit comedi insulsum.** Sed jam in alto positi, a stultis semoti, sæpe dum sola propria ad ferendum dura procurant, pro amore veritatis non sunt accincti. **Aut potest aliquis gustare.** GREG. Durum est petere quod cruciat, quod vitam fugat, sed sæpe cum fit in alto, ad ferenda stultorum mala se inclinatur, ut eos trahat. Aucto enim desiderio cœlestium angustiat, et præ dulcedine illorum amara sæculi non metuit. Unde, et post impossibilem mortis gustum, subdit:

^{‡‡}6.7 **Quæ prius nolebat tangere,** id est, mala sæculi jam sunt dulces cibi præ amore cœli. Et cum hæc dulcia sint, **Quis det ut veniat petitio mea?**

^{¶¶}6.9 **Qui cœpit, ipse me conterat.** GREG. in Job lib. 7. Conterit adversarius, et defecit a te homo. Merit Deus, et fractus a vitibus in virtute solidatur. Qui ergo per flagella Deo appropriare desiderat, dicit: **Qui cœpit, ipse conterat,** quia aliquando incipit Deus contritionem vitiorum, et in ipso proventus initio homo extollitur, et sic hostis exclusus, gravior assumptis aliis spiritibus surripit, et virtutes conterit. **Solvat manum,** id est, exerceat effectum; dum enim inflatus longa prosperitate amorem suum per flagella non exercet, quasi manum ad ferienda vitia ligatam tenet, unde peccanti populo dicit: Jam non irascar tibi, et zelus meus recessit a te. **Succidat me.** Cum enim dolor vel tentatio non percutit, elatio mentis succisa cadit, ut jam quærat manum levantis.

^{§§}6.10 Et hæc mihi sit consolatio ut affligens.] Ibid. Quasi quibusdam hic parcat, ut æternum feriat; sed me hic non parcens feriat, quod est mihi consolatio. Timent enim sancti hic sibi parci. Quod hæc non tument, sed humili mente dixit, ostendit in his. **Nec contradicam sermonibus.** Sermones Dei ad nos: non modo dicta, sed et facta, ut hic percussio Job; cui murmurando non contradicit, quia et quem feriendo tolerat, sanctum vocat.

^{*}6.11 Quæ est enim fortitudo mea? Ibid. Alia est fortitudo bonorum, etc., usque ad et pro ea quam non amat, pati recusat, dicit ergo: **Quæ est enim fortitudo, aut quis finis?** Id est, mala, etc., usque ad unde infirmus habet vires, unde subjungit:

[†]6.13 **Ecce non est auxilium.** Ad majoris quoque meritum fortitudinis, quomodo a proximis destituitur, addit: **Necessarii quoque.** Si exterius despectus, intus solio iudicii præsidet; nam ad sententias erumpit: **Qui tollit, etc.**

[‡]6.14 **Qui tollit ab amico suo.** Ibid. Amicus est quilibet proximus, etc., usque ad qui intus dudum æterna negligendo perierunt: de quibus recte dicitur:

quo fuerint dissipati, peribunt; et ut incaluerit, solventur de loco suo.[¶] 18 Involutæ sunt semitæ gressuum eorum; ambulabunt in vacuum, et peribunt.[§] 19 Considerate semitas Thema, itinera Saba, et expectate paulisper.^{**} 20 Confusi sunt, quia speravi: venerunt quoque usque ad me, et pudore cooperti sunt.^{††} 21 Nunc venistis; et modo videntes plagam meam, timetis.^{‡‡} 22 Numquid dixi: Afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi?^{¶¶} 23 vel: Liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me? 24 Docete me, et ego tacebo: et si quid forte ignoravi, instruite me.^{§§} 25 Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui possit arguere

[¶]6.17 *Et ut incaluerint*, id est, cum per cognitionem pœnæ fervere cœperint, a delectatione carnis, quam desiderio tenebant, separabuntur. Mali æterna non intelligunt, nisi cum jam pro terrenis puniuntur: tunc mens æstuat, et igne seræ pœnitentiæ se inflammat; tunc ejus duritia per supplicium liquatur, unde propheta: **Tantummodo vexatio sola intellectum dabit auditui** Isai. 28., hoc tunc passuri, interim his implicantur.

[§]6.18 *Involutæ sunt*. Omne quod involvitur in se replicatur: sic mali, volentes aliquando bona quasi extra se tensi, ad consueta mala tentati replicantur. Vel involutæ sunt, qui etsi aliquando victa una nequitia pedem levant, regnans altera et ad eam quam vicerant implicat, ut qui jam spreta avaritia adhuc luxuriosus est, pro pretio luxuriæ ad avaritiam redit. Sic ope vicaria fugitivum suum vitia retinent, et quasi laqueis egressus ligant, unde sæpe lapsi ad suas voluptates redeunt, nec curant ea quæ permanent, unde subdit: **Ambulabunt in vacuum et peribunt**. Quia nihil secum de fructu sui laboris portant. Sed justus in conspectu Domini non apparet vacuum: portat enim manipulos justitiæ. Ab illorum autem imitatione per finem terret, **Considerate semitas, etc.**

^{**}6.19 *Considerate semitas*. Ibid. Thema interpretatur **auster**, Saba rete: Auster qui tepore membra dissolvit, est hic fluxa vivendi **remissio**; rete est actionis obligatio, et fluxis actibus homo implicatur, dum non perfecte mundum deserit, dum non districto studio, sed dissolutis gressibus vadit, ut qui pro amore carnali parentum ad ea quæ Dei sunt præpeditur. **Considerate**, dicit, quia perversa agendo diligimus, sed hæc visa in aliis dijudicamus, unde ad nos reversi de hujusmodi erubescimus. **Expectate paulisper**. Quia parum est quicquid finitur; sed qui hoc longum putat, de æternis non curat. Dicta brevitate vitæ contra iniquos insurgit voce justorum

^{††}6.20 *Confusi sunt*. Quia scilicet mali bonos per aspera a spe conantur retrahere: quod si peragunt, exsultant; si non, incassum crudeles fuisse erubescunt; unde et quid in retributione fiat, subdit: **Venerunt quoque**. In iudicio mali ad justos perveniunt, quia eorum gloriam videbunt, ut gravius doleant videntes quod perdidierunt. Tunc pudor eos operit, cum testis conscientia urit. Eadem spiritualiter. Amici Job confusi sunt, quia dum eum ad desperationem inflectere nequeunt, confunduntur, venerunt dum jam mentis constantiam intus agnoscunt et erubescunt. Quos ostendit de numero eorum qui Deum non timent, nisi suis vel aliorum adversis terri.

^{‡‡}6.21 *Nunc venistis, et modo videntes plagam meam*. Ibid. Quasi, ego Deum et ante adversa timui, vos qui ex amore Deum non timetis, ex solo verberere formidatis.

^{¶¶}6.22 *Nunquid dixi*. Ecclesia substantia hæreticorum quorum figura sunt amici Job non eget, id est, carnali sapientia; et recta, quæ contra diabolum de conversione aliquando loquuntur, audire ab eis renuit, quia per hæc ad perfidiam trahunt. **Manus hostis** est fortitudo Satanæ. **Robusti** sunt maligni spiritus. **Nunquid dixi: Afferte**. Contra divites mundi, etc., usque ad et quod in seipsis despiciunt, et in aliis.

^{§§}6.24 *Docete me*. Hoc vel prioribus subjungitur, vel per se dicitur per increpationem.

me? ²⁶ Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis. [†]
²⁷ Super pupillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum. [‡] ²⁸ Verumtamen
quod cœpistis explete: præbete aurem, et videte an mentiar. [¶] ²⁹ Respondete, obsecro,
absque contentione; et loquentes id quod justum est, judicate. [§] ³⁰ Et non invenietis
in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.]**

7 [Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii dies ejus. ^{††} ² Si-
cut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis
sui, ^{‡‡} ³ sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi. ^{¶¶} ⁴ Si
dormiero, dicam: Quando consurgam? et rursus expectabo vesperam, et replebor
doloribus usque ad tenebras. ^{§§} ⁵ Induta est caro mea putredine, et sordibus pul-

*6.25 *Quare detraxistis.* GREG. Mundus esse debet, etc., usque ad reprehensibilia profertis ad increpandum? Ibid. Duo genera locutionis noxia sunt, quod et perversa laudat et quod etiam recta vituperat; ibi favor, hic ira: de hoc amicos Job arguit; ad quod vitium ex otiosis dictis pervenitur, unde subdit:

[†]6.26 *Et in ventum.* In ventum verba proferre, etc., usque ad sit ergo ostium linguæ quod modo claudatur, modo aperiat.

[‡]6.27 *Super pupillum.* GREG. in Job lib. 8. Ecce quantæ infirmitatis se esse perpendat, etc., usque ad si tolerat quos non amat, vel si non tolerat quos amat.

[¶]6.28 *Videte an mentiar.* Ibid. Quia humilis, quæ dicit, non ex auctoritate præcipit, sed ex ratione persuadet; sed quia occasione rationis, contrarii ad contentionem effrenantur, subdit.

[§]6.29 *Respondete, obsecro absque contentione.* Quia hæretici inquisitionibus non intendunt veritatem assequi, sed victores videri. *Et loquentes, etc.* Quia qui loquitur, iudicio auditoris subditur. Inter cor et linguam ejus æquus arbiter sit, ut nihil præcipitanter de corde per linguam prodeat, sed prius examinet quam dicat. Et quia qui prius de suis, recte iudicant de dictis alienis, addit:

**6.30 *Et non invenietis in lingua mea.* Quia non vobis in me stultitia sonat, si a vestra conscientia non procedat; sic Ecclesia prius falsa hostium destruit, post vera aperit, quibus non est locus dum falsa pro veris habentur; per *linguam* aperta locutio, per *fauces* occulta tractatio, quia quod Ecclesia foris prædicat, vivendo custodit.

^{††}7.1 *Et sicut dies mercenarii.* GREG. Qui dies cito transire optat, ut ad laboris præmium veniat, sic omnis justus; et sicut ille in alienis laboribus sudat, sed proprium præmium sibi parat, sic justus in mundanis malis sudet, ut cœlestia bona capiat. Cavet ne vacuus ab opere dies eat, et præmium minuatur. Patitur dura, ut magis coronetur, licet merces jam sit in corde; sed tamen gravius æstus sentitur in corpore, ut post sit refrigerium in quiete, et hoc est:

^{‡‡}7.2 *Sicut servus.* Bene omnis electus servus dicitur, quamdiu sub jugo corruptionis hujus est, antequam veniat in libertatem gloriæ. *Et sicut mercenarius.* Qui de gravitate operis lacessit, nisi spe finis relevaretur, sed illo viso nihil putat quod sentit.

^{¶¶}7.3 *Menses vacuos.* A rebus mundi, quia non eas quærunt per actus suos boni, et noctes adversitatum tolerant laboriosas, quando jam sunt in cruciatu corporis. Vel menses vacui, quia modo est labor, sed nondum præmium. *Noctes laboriosas.* Enumerat, etc., usque ad eo magis gemit diu nescisse quod quærir, et quod inaniter laboravit.

^{§§}7.4 *Si dormiero.* Ibid. Secundum historiam animus dolentis exprimitur, qui, cogente mœstitia, per diversa desideria vagatur; in nocte diem, in die vesperam desiderat, quia dolor non sinit placere quod adest; et jam hoc expertus grave, consolante desiderio aliud exspectat; sed nec sic dolor finitur, unde: *Et replebor doloribus.* Causa autem doloris hæc est:

veris cutis mea aruit et contracta est.* ⁶ Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe.[†] ⁷ Memento quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus ut videat bona.[‡] ⁸ Nec aspiciet me visus hominis; oculi tui in me, et non subsistam.[¶] ⁹ Sicut consumitur nubes, et pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.[§] ¹⁰ Nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus.** ¹¹ Quapropter et ego non parcam ori meo: in tribulatione spiritus mei; confabulabor cum amaritudine animæ meæ. ¹² Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?^{††} ¹³ Si dixerero: Consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens mecum in strato meo: ¹⁴ terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties. ¹⁵ Quam ob rem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea.^{‡‡} ¹⁶ Desperavi: nequaquam ultra

*7.5 *Induta est.* Ibid. Eadem subtilius in Ecclesia, etc., usque ad non eis est hic integra salus, unde subdit: *Et replebor doloribus usque ad tenebras.* Quia securitatem non invenit, donec penitus tentationis relinquit. Doloris autem causam subdit: *Induta est caro,* id est, carnalis vita quam ago, vel mala operatione polluitur, vel inde restricta, ex memoria imaginibus peccatorum fuscatur, quæ quasi pulvis ante oculos surgunt. Ecclesia vero in quibusdam putredinem luxuriæ carnis sentit, in quibus terrenis actibus deditis pulvere conspergitur: de utrisque subdit: *Cutis mea.* Cutis sunt in Ecclesia, qui solis exterioribus curis vacant: quorum corda desperatio siccatur, et ideo contrahuntur, non extenti per longanimitatem ad æternam vitam: præsentibus hærent: quod ideo fit, quia non attendunt quam fugitiva hæc vita sit. Sed Ecclesia econtra:

†7.6 *Dies mei velocius.* Sicut tela filis, sic vita diebus singulis proficit: sed quo magis crescit, ad incisionem tendit. Sed et telæ festinantiam velocitatis vitæ transit, quæ semper deficit. Et ideo electi cor non in ea figunt, unde ait: *Et consumpti sunt,* id est, nullam mihi fiduciam pono in his: quod faciunt reprobi, ego non.

‡7.7 *Memento.* Ibid. Id est, benignus velociter transeuntem respice, quia humanæ brevitatis consideratio, Deo est grata oblatio. *Quia ventus est.* Vita æterna et solida: hic vita nec solida nec manens judicatur. Ibid. Et quia postquam transit vita, non est locus merendi veniam, subdit: *Et non revertitur.* Id est, post mortem, mens suam retributionem videns, non revocatur ad exhibenda bona opera: unde dives de se desperans, quod est aggravatio pœnæ, pro fratribus rogat. Ecce vita transit, quod sequitur permanet. Post etiam,

¶7.8 *Nec aspiciet me visus hominis.* Id est misericordia Redemptoris, quæ peccantium durtiam emollit, ut cum Petrum respexit Luc. 22.; sed post mortem non liberat, quem ante gratia non reformat. Non visus hominis, sed, *Oculi tui in.* GERG. Id est, districtum judicem ad feriendum videbis, et qui hic expectatus ad pœnitentiam substiti, jam non subsistat. Hoc justo convenit, qui timet omne quod agit, et remota pietate se perituum præscit, et non subsistit ante oculos, quia pœnæ vita non sufficit, si justitia eum premit. Nec enim astra, id est qui sanctitate lucent, coram eo munda sunt. Culpa autem et pœna humani generis breviter subditur.

§7.9 *Sicut consumitur nubes.* Ibid. Nubes ad alta levatur, etc., usque ad vade in domum tuam.

**7.10 *Neque cognoscet eum amplius locus.* Ibid. Locus hominis Deus est, etc., usque ad adhuc de corruptione carnis contradictionem sentit.

††7.12 *Nunquid mare sum.* Ibid. Carcer, est caro quæ impedit, etc., usque ad nunc subdit consilium contra ea.

‡‡7.15 *Quamobrem elegit.* Ibid. Anima, est intentio mentis, etc., usque ad *si hoc mihi facturus es interfice me.*

jam vivam: parce mihi, nihil enim sunt dies mei.^{¶¶} 17 Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?^{§§} 18 Visitas eum diluculo, et subito probas illum.* 19 Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam?[†] 20 Peccavi; quid faciam tibi, o custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis?[‡] 21 Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam? ecce nunc in pulvere dormiam, et si mane me quæsieris, non subsistam.]^{¶¶}

^{¶¶}7.16 *Parce mihi, Domine*, ut æterna des, quia contemptu illorum hæc melius sperantur. Dum parci sibi petit, probat quod non a Deo desperavit; quod est, suspendium elegit, hoc est, desperavit, de eodem intulit, parce: quod est, mortem ossa: hoc est, non ultra vivam hoc tertio. *Nihil enim sunt dies mei*. Qui æterna considerat, ad se rediens bene hos dies nihil vocat, et districte judicari formidat.

^{§§}7.17 *Quid est homo*. Ibid. Magnificat Deus hominem multo spirituali munere, et erga eum ponit cor, quia pro datis districtius judicat. Sed quid homo? quasi: etsi magnificatus ultra se donis tuis, tamen quia caro est, si sine pietate judicetur, ferre non potest, unde adhuc addit:

*7.18 *Visitas eum diluculo*. Diluculum est cum de nocte vitiorum et ignorantiae ad lucem venit homo, in quo et mox probatur: ne enim bona a se habere gloriatur, tentatione concuti permittitur, ut altitudo Dei et sui infirmitas videatur, sicut Salomon post sapientiam tentatur a meretricibus; hæc tota hac mortalitate homo patitur unde: *Usquequo non parcis mihi*.

[†]7.19 *Salivam*. Ibid. Saliva in os a capite labitur, etc., usque ad qui hoc vult mereri, fatetur malum quod fecit: *Peccavi, etc.*

[‡]7.20 *Peccavi, quid faciam tibi*. Ibid. Quasi: quid in recompensationem tibi offeram non invenio, quia omnis virtus hominis ad culpam abluendam infirma est. Vel, *quid faciam tibi*, quasi: omnia bona non tibi, sed nobis prosunt. *O custos hominum*. Quia nos sic destituit, ut nos custodire nequeamus, et si quid conamur, peccatis gravamur, unde: *Quare posuisti me contrarium*. Cum homo serpenti credidit, etc., usque ad sed misericordiam quærit, unde addit:

^{¶¶}7.21 *Cur non tollis*. Ecce desiderium Mediatoris, qui tollit peccata mundi. Vel, tunc peccatum plene tolletur, cum in corruptionem homo mutabitur. Desiderat ergo Redemptorem vel resurrectionem, unde et poenam quam ex origine meruit, et iudicium quod ex propria actione timet, adjungit. Ecce nunc peccanti homini dictum est: Cinis es, et in cinerem reverteris. *Quare posuisti me contrarium*. Ibid. Quia inferior, factus contrarius modo superiori, id est Deo: ideo nostrum inferius, id est sensualitas, factum est contrarium superiori, id est spiritui, ut semper pugnent. *Mane*, id est, in adventu iudicis, cui omnia aperta. Quærere Dei, est districte judicare, ante quem nec justus subsistit; sed hoc est solatium liberationis, quod se sufficere non posse dicit humilis; plangit ergo mortem quæ nunc est, timet iudicium quod imminet.

8 Respondens autem Baldad Suhites, dixit:^{§ 2} [Usquequo loqueris talia, et spiritus multiplex sermones oris tui?]**³ Numquid Deus supplantat iudicium? aut Omnipotens subvertit quod justum est?^{†† 4} Etiam si filii tui peccaverunt ei, et dimisit eos in manu iniquitatis suæ:^{‡‡ 5} tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus;⁶ si mundus et rectus incesseris: statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ,^{¶¶ 7} in tantum ut si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis.^{§§ 8} Interroga enim generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam*⁹ (hesterni quippe sumus, et ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram),^{† 10} et ipsi docebunt te, loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia.^{‡ 11} Numquid vivere potest scir-

§8.1 *Respondens autem.* GREG. Sciendum est imprimis, quia sicut Eliphaz sanctissimum Job de superbia principaliter notavit, licet et de hypocrisi breviter tetigerit, ita et iste de hypocrisi principaliter notare intendit; sed priusquam hoc faciat, quiddam præmittit unde perpenditur quam onerosa ei fuerint verba ipsius Job, verba scilicet ædificationis: quasi ergo ulterius bene loquentem pati non possit, indignative in hæc verba prorupit, dicens:

**8.2 *Usquequo loqueris talia.* Quasi dicat: quare loqueris inutilia? et spiritus multiplex. *Usque loqueris talia.* Ibid. Quia gravia sunt iniquo verba ædificationis quasi ferre non possit; et quia non vult corrigi, bene dicta criminatur. *Et spiritus multiplex.* Ibid. Dum multipliciter sermoni ejus tribuit, inopiam intelligentiæ ipsius reprehendit. Et nota esse quatuor genera loquendi. Alii enim ampli sunt ore et sensu, qui laudandi sunt; alii vero utroque stricti, qui miserandi; alii sensu ampli, sed non possunt eloqui, qui sunt adjuvandi; alii sensu inopes, sed lingua torrentes, qui despiciendi: quod iste in crimen Job torquet.

††8.3 *Nunquid Deus.* GREG. Hæc Job nec negaverat nec ignorabat, etc., usque ad quasi juste perierint, alios feriunt, unde subdit:

‡‡8.4 *Etiam si filii tui peccaverunt, etc. Si diluculo:* quasi ipsi in luce, Ecclesia sit in nocte: quam vocant, ut per cognitionem Dei surgat, et per precem pœnitentiæ præterita diluat, *si mundus* in cogitatione, *rectus* in opere.

¶¶8.6 *Evigilabit.* Qui ab adjutorio tui modo errantis dormit. *Et pacatum reddet.* GREG. Id est præsentis vitæ tranquillitatem restituet, quam solam æstimat esse Dei remunerationem. *Habitaculum justi.* Ibid. Consilium mentis dicitur quod pacatur, quia si eos ad sua trahunt, a contentione conticescunt. Opes quoque intelligentiæ promittunt dicendo.

§§8.7 *In tantum.* Sed quia verbis eorum non facile creditur, sententias patrum in argumentum sui erroris inflectunt, unde additur: *Ut priora.* Quia et amissa recuperari, et adhuc majora præsentis vitæ præmia promittunt.

*8.8 *Interroga enim genera.* Non videri, sed investigari monent, quia hoc nolunt conspici, quod liquido patet cunctis.

†8.9 *Hesterni:* aliquando moraliter docent ex præteritis præsentia conjici, scilicet ex transitu eorum quod hæc nulla sint, unde subdit, *hesterni.* Quia, si pristina recolitur generatio, hæc vita cito transire ut umbra cognoscitur.

‡8.10 *Ipsi docebunt.* Laudant patres nobiscum, unde magis nos impugnet. *De corde.* Ibid. Quasi tu habes simplicitatem spiritus in ore, non in corde: illi contra. Sæpe mali, se non attendentes, bonos lacerant, et vel bona, quæ non videndo, sed audiendo didicerunt, proferunt; vel mala, quæ ipsi agunt, aliis ingerunt, et ita factis se excusant, verbis judicant. Sic Baldath simulator justitiæ contra hypocritas mira dicit, et de his docere justum præsumit, quæ convenirent pravis. Vecors qui, hortis sitientibus, in flumine aquam fundit.

pus absque humore? aut crescere carectum sine aqua?[¶] 12 Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit. 13 Sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit.[§] 14 Non ei placebit vecordia sua, et sicut tela aranearum fiducia ejus.^{**} 15 Innitetur super domum suam, et non stabit; fulciet eam, et non consurget.^{††} 16 Humectus videtur antequam veniat sol, et in ortu suo germen ejus egredietur.^{‡‡} 17 Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, et inter lapides commorabitur.^{¶¶} 18 Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, et dicit: Non novi te. 19 Hæc est enim lætitia viæ ejus, ut rursus de terra alii germinetur. 20 Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis,^{§§} 21 donec impleatur risu os

[¶]8.11 *Nunquid vivere potest.* Ibid. Scirpo vel carecto hypocritam comparat, etc., usque ad sed alienis criminibus ostendat. *Ante omnes herbas.* Ibid. Et justi herbæ, secundum carnem, quia omnis caro fenum Isa. 48.; qui arescunt, quia eorum opera cum carnis vita deficiunt. Sed hypocritarum ante: quia mox bona deserunt, ut ea consecuti sunt, propter quæ simulaverunt. Hi sunt *fenum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit.*

[§]8.13 *Sic viæ omnium.* Ecce cui comparat scirpum vel carectum: spes hypocritæ est gloria, et hujusmodi sæcularia, quæ pereunt; æterna permanent.

^{**}8.14 *Non ei placebit vecordia.* Ibid. Vecordia est magnam rem vili pretio vendere, id est, bona laboriosa agere pro favore: hac modo delectatur, sed in pœna displicebit, et tunc sciet nihil fuisse omnia quæ transierunt, unde: *Et sicut tela aranearum fiducia ejus.* Tela aranearum studiose textitur, flatu venti dissipatur: sic, quidquid hypocrita exsudat, favoris aura tollit.

^{††}8.15 *Innitetur super domum suam.* Domus mentis, est quælibet res quam per dilectionem habitat animus: domus ergo hypocritæ, est favor. Vel, domus est fiducia sanctitatis, quæ coram hominibus, sed non coram Deo stabit.

^{‡‡}8.16 *Humectus videtur.* Scirpus, hypocrita, in nocte humidus videtur, id est, gratia sanctitatis infusus apparet hominibus, sed coram sole in die iudicii arescet. *Et in ortu suo germen.* Quælibet herba prius a terra producit, etc., usque ad hypocrita, etiam cum recte agit, a multis vult videri.

^{¶¶}8.17 *Super acervum petrarum.* Ibid. Radices sunt cogitationes; lapides, quia non additur vivi, homines boni et mali sunt; hypocrita ergo qui inter lapides moratur, cogitationes in quærenda admiratione hominum multiplicat: per omnia enim quæ agit occulta cogitatione laudes quærit, palam habens quod hostes prædentur. Ut Ezechias, qui post multa beneficia sibi facta, nuntiis regis Babylonis omnia sua bona ostendit: unde mox audit: *Tollentur omnes in Babylonem II Reg. 20.*; ita et dum laus quæritur, virtus et pulchritudo in manus inimici traditur, unde Baldad dicit: *Et inter lapides commorabitur.* Quia ibi stat, ubi suæ mentis intentionem solidat: qui etsi sit plenus bonis, si absorbuerit eum Deus, id est, per mortem tulerit, de loco, id est favoribus hujus vitæ; dicit: non novi te, ut fatuis virginibus dicitur Matth. 25.: et merito, quia non satis est ei nisi et alios sibi similes fecerit, et hoc est quod dicit: hæc est enim lætitia viæ ejus. Hæc est enim lætitia, etc. Ibid. Ut et pro illorum reatu puniatur, sed:

^{§§}8.20 *Deus non projiciet simplicem.* Cujus simplicitas modo a calliditate duplicium vocetur fatuitas. *Nec porriget manum.* Ibid. Ut ab imo quo quærunt gloriam elevet. Maligni sunt hypocritæ qui nec bona bene agunt. Vel quia proximo exterius puros et simplices se ostendunt, interius duplicitatem celant; contra quos dicit Moyses: *Non induas vestem ex lana linoque contextam.* Deut. 22.

tuum, et labia tua júbilo.* ²² Qui oderunt te induentur confusione, et tabernaculum impiorum non subsistet.][†]

9 Et respondens Job, ait:[‡] ² [Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo. ³ Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.[¶] ⁴ Sapiens corde est, et fortis robore: quis restitit ei, et pacem habuit?[§] ⁵ Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo.** ⁶ Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur.^{††} ⁷ Qui præcipit soli, et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo.^{‡‡} ⁸ Qui extendit cælos solus, et graditur super fluctus maris.^{¶¶} ⁹ Qui facit Arcturum et Oriona, et Hyadas et interiora

*8.21 **Donec impleatur.** Non quod post, quod constat: sed non ante, quod dubium hominibus potest videri: quasi, nec ante iudicium simplices deserit, nec malos percutere desinit. **Impleatur risu os tuum,** id est mens gaudio æternæ securitatis, unde: **Et labia tua júbilo.** Júbilum cum tanta lætitia corde concipitur, quam sermo non explicet, sed tamen os sonet.

[†]8.22 **Qui oderunt.** Ibid. Justorum hostes in iudicio confusio induet, quia tunc viso iudice mala omnia ante oculos mentis versantur, et reatus deprimens eos undique vestit. Qui ad hoc ideo veniunt, quia sola hic transitoria dilexerunt, unde addit: **Et tabernaculum,** id est ædificatio æternæ felicitatis, quam supra se casuram multiplicant, ut se hic a necessatibus quasi ab æstu et imbre defendant: in qua mens habitat, quam bonus viator despicit.

[‡]9.1 **Et respondens Job ait.** GREG. in Job. Perversi, quibus loquens persona displicet, omnia quæ dicit, prava seu recta impugnant; sed Job cui non displicet persona, sed culpa, videns Baldath recta dixisse: **Nunquid Deus supplantat iudicium:** et vera contra hypocritas protulisse, audita probat. Vere scio quod homo humilis et Deo suppositus justitiam accipit, compositus perdit, quia qui se ei comparat, quod Dei est sibi arrogans, bono quod accipit, se privat. Sed et omne meritum nostræ virtutis si districte iudicetur vitium est.

[¶]9.3 **Si voluerit contendere cum eo,** Ibid. de suis meritis præsumendo, et gloriam suæ virtutis, non Deo, sed sibi arrogando. **Non poterit ei respondere unum pro mille.** Ibid. Id est non poterit se, etc., usque ad ne autem contendat, infirmum terreat visa ejus potentia.

[§]9.4 Quis restitit ei et pacem habuit. Quis creat ut sibi creata convenient, ordinat in quo sit eis pax, et qui ejus dispositioni repugnare conatur, pacem perdit, ut angelus, qui, sua inquietudine elatus, homo qui carnis molestia vexatur, quia conditori subesse noluit, pacem uterque amisit.

9.5 **Qui transtulit montes, etc. Ibid. Dicta generaliter confusione superbiam, quæ poena maneat elatos in interitu Israël ostendit. Transtulit montes, sanctos prædicatores a Judæis ad gentes, quod nescierunt Judæi, qui, in hoc subversi sunt, putantes sibi gaudium quod lumen perdiderunt. Translatis montibus, commovet terras.

^{††}9.6 **Commovet terram de loco.** Quia Judæos de finibus suis per Romanos extraxit. **Columnæ.** Sacerdotes, principes, legis doctores. Concussi sunt, quia nec ipsi sibi vivere permissi sunt, unde apostolos expulerunt, præterea in erroris sui tenebris deserti sunt.

^{‡‡}9.7 **Qui præcipit soli.** Ibid. Sol per diem lucet, etc., usque ad in omnes gentes dilatatur. Unde:

^{¶¶}9.8 **Qui extendit cælos.** Ibid. Id est, apostolos a Judæis fugatos ubique facit honorari. **Solus.** Qui mire hoc dispensavit, et cum amaritudo mundi in nece bonorum sæviret. **Graditur super fluctus,** id est, calcatur dum mitigat admiratione signorum. Jeremias: **Posui arenam terminum mari Jer. 5,** id est, ad frangendam gloriam mundi, abjectos et pauperes elegit; dum autem mare sævit, Ecclesia proficit.

austri.^{§§ 10} Qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus.*^{† 11} Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam.^{† 12} Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest: Cur ita facis?^{‡ 13} Deus, cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem.^{¶ 14} Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo?^{§ 15} qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo: sed meum iudicem deprecabor.**¹⁶ Et cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam.^{†† 17} In turbine enim conteret me, et multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa.^{‡‡ 18} Non concedit re-

§§9.9 *Qui facit arcturum.* Ibid. Nominibus philosophorum utitur, etc., usque ad imo ut arcturus versatur, erigitur. *Oriona.* Ibid. Qui hiemali tempore oriuntur, etc., usque ad sed placidos in eorum necem erexit. *Hyadas.* In fronte Tauri in vere nascuntur, etc., usque ad supernæ patriæ interna perveniat, unde addit: *Et interiora austri.* Auster fervor Spiritus sancti, etc., usque ad melius deficiendo comprehendit, dicens:

*9.10 *Qui facit mihi.* Melius explet, qui se non posse explere fatetur, et facundius loquitur qui obstupescendo tacet. *Magna* virtute. *Et incomprehensibilia* ratione. *Et mirabilia quorum non* multiplicitate. Sed quid miremur quæ extra nos sunt, cum et hoc quod erga nos agitur, ignoramus? Si venerit ad me.

†9.11 *Si venerit ad me.* Ibid. Venit, cum dona dat, etc., usque ad et tamen sic cæcus homo rationem reddet de actibus Deo.

‡9.12 *Si repente inter.* Ibid. Repente interrogat, cum inopinatos, etc., *usque ad*, quod planius ostenditur dum subditur: *Quis dicere potest, cur ita facis?* Facta Dei debemus venerari, etc., usque ad quam superbus inextinguibiliter accendit, unde ait:

¶9.13 *Deus cujus iræ resistere nemo potest.* Moyses et Phinees et alii sancti, etc., usque ad ab his reversus ad se humiliter præ potestate Dei sibi vilescit.

§9.14 *Quantus ergo se.* Ibid. Id est, si angelus hunc considerare non sufficit, qua mente de ejus judiciis disputo qui carne premor? Verba nostra ad Deum sunt opera, sed his quia non potest homo loqui cum Deo, quia in eis apud subtile iudicium Dei nulla fiducia est, unde addit:

**9.15 *Qui etiam si habuero, etc., deprecabor.* Prece post justitiam Dei indiget, ut quæ minus ex se, ex pietate iudicis valeat. Etsi plena in perfectioribus sit justitia, haberi de illa, *Quidpiam*, dicitur, quia mens hominis quæ comprehendit vix peragit, et parum est quod comprehendit. Oratio vero, quia multis cogitationibus quatitur, etsi auditur, repellit timet.

††9.16 *Cum invocantem exaudierit me non.* Ibid. Cum enim ut ait David *modo ascendunt usque ad cælos Psal. 106.*, cum summa penetrant, modo descendunt in abyssos, per turpia tentamenta, certitudinem exauditionis non habent. Vide quam subtiliter se iudicat, infirmitatem suam aperit. *Quantus ergo.* In justitia non confidit, sed ad precem confugit: qui, etiamsi habuero quidpiam justum, de ipsa quoque prece pavidus ait: *Cum invocantem.* Ideo sic circumspicit, quia vim iudicii se non posse ferre videt, de quo ait:

‡‡9.17 *In turbine etiam conteret me.* Qui in tranquillitate expectatus contempsit, in turbine conteretur. *Turbine:* quia in commotione elementorum ibi districte requiri opera timet: cum et quosdam sine operibus originali reatu damnari videt, quorum voce ait: *Multiplicabit vulnera mea.* Quia ipsi nihil egerunt, unde dicitur: *Non est mundus in conspectu ejus, nec infans unius diei. Sine causa.* Pro æstimatione humani sensus; sed apud Deum justum est, ut arbor in ramis amaritudinem servet, quam traxit a radice. Hæc etiam spiritualiter de Job, qui flagella Dei in turbine, et metuens prævidit, et prævidens pertulit, unde ait: *Et multiplicabit vulnera mea sine causa,* quia non pro culpa percussus est, unde supra, *ut affligerem eum frustra.*

quiescere spiritum meum, et implet me amaritudinibus.^{¶¶} 19 Si fortitudo quæritur, robustissimus est; si æquitas iudicii, nemo audet pro me testimonium dicere.^{§§} 20 Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.* 21 Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et tædebit me vitæ meæ.[†] 22 Unum est quod locutus sum: et innocentem et impium ipse consumit.[‡] 23 Si flagellat, occidat semel, et non de pœnis innocentum rideat.[¶] 24 Terra data est in manus impii; vultum iudicum ejus operit. Quod si non ille est, quis ergo est?[§] 25 Dies mei velociores fuerunt cursore; fugerunt, et non viderunt bonum.** 26 Pertransierunt quasi naves poma portantes; sicut aquila volans ad escam.^{††} 27 Cum dixero: Nequaquam ita loquar: commuto faciem meam, et dolore torqueor.^{‡‡} 28 Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.^{¶¶}

^{¶¶}9.18 **Non concedit.** GREG. Plena probatio: extra lacerant tormenta, intus castigant tentamenta, unde se impletum amaritudinibus dicit, sed mitigat vim doloris æquitas et potentia ferientis. Et hoc est:

^{§§}9.19 **Si fortitudo quæritur.** Quasi: nemo audet, quia ille merita examinat, qui per alienum testimonium ea non explorat, sed tacitus considerator diu exspectat. Alius non potest mihi esse testis, quia nec ego ipse mihi.

*9.20 **Si iustificare.** Ibid. Non sufficio esse testis innocentiae, nec scio quod eam habeam.

[†]9.21 **Si simplex fuero.** Qui scit bona quæ agit, etc., usque ad hoc exsilium cæcitatæ ægre fert, unde subdit: **Et tædebit me vitæ meæ.** Sed est consolatio hujus caliginis reducta animo justa potentia Dei: quæ et iniquos punit, et justos transcendit.

[‡]9.22 **Unum est quod locutus sum.** Ibid. Vel **innocens** consumitur, etc., usque ad nostram duplam carnis et animæ destruat.

[¶]9.23 **Si flagellat, occidat se.** Ibid. Ridere Dei est afflictioni, etc., usque ad quod solus carnis mortem pertulit, aperit.

[§]9.24 **Terra data.** Vel **tradita.** Terra caro, impius diabolus. **Manus** ejus, occisores Christi, etc., usque ad quam Christus venerit.

9.25 **Dies mei velociores fuerunt cursore. Ibid. Cursoris est, secutura nuntiare: sic omnes electi ante adventum nuntiantes Christum cursores fuerunt; sed quia ante moriuntur, transire se velocius cursore dolent, ut non videant præsentem illum qui singulariter bonus dicitur; de quibus etiam addit

^{††}9.26 **Quasi naves.** Qui poma portat odore fruitur, etc., usque ad per compassionem ad eorum duritiam quoque sermo vertitur ita.

^{‡‡}9.27 **Cum dixero: nequaquam.** Ibid. Israël ut prius noluit loqui, cum quem prædixit negavit: in quo facies ejus interior commutatur sordibus perfidiæ ut non agnoscat a Deo, unde restat torqueri doloribus æternis. **Dies mei velocius transierunt.** Ibid. Primus homo sic conditus est, ut vita ejus per tempora possit tendi, non evolvi; sed quia peccavit decursum pertulit, quem homo semper tolerat, et tamen optat, dum vivere appetit. Hujus decursus damna voce humani generis gemit. **Fugerunt,** quia ad lucem stare homo noluit, fugiendo visum perdidit, ne bonum quod est, videre possit, ad quod conditus fuit. **Quasi naves poma portantes.** Ibid. Fructus terræ per fluctus, etc., usque ad quæ cogitatio ne in superbiam erumpat, humiliter se comprimit dicens: **Nequaquam ita loquar.** Sed infirmus a tali inquisitione compescat. In quo facies mentis commutatur, quia quæ alta quærebat, infirmam se videns, veneratur quod ignorat. In qua est dolor, quia valde affligitur qui ad intelligenda quæ de se sunt, cæcatur. His communibus malis sua propria adjungere metuit: **Verebar omnia,** etc.

^{¶¶}9.28 **Verebar omnia opera.** Ibid. Bona quidem erant, etc., usque ad quasi nec per labores ad vitam perveniat, unde:

²⁹ Si autem et sic impius sum, quare frustra laboravi?^{§§} ³⁰ Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, ^{*} ³¹ tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea. [†] ³² Neque enim viro qui similis mei est, respondebo; nec qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri. [‡] ³³ Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus. [¶] ³⁴ Auferat a me virgam suam, et pavor ejus non me terreat. [§] ³⁵ Loquar, et non timebo eum; neque enim possum metuens respondere.]**

10 [Tædet animam meam vitæ meæ; dimittam adversum me eloquium meum: loquar in amaritudine animæ meæ. ^{††} ² Dicam Deo: Noli me condemnare; in-

§§9.29 *Si autem et sic impius sum.* Non pœnitet laborasse, sed inter labores de præmiis incertum se esse dolet. Ita est incertus justus, ut confidat, ita confidit ne securus torpeat. **Frustra:** dico quia.

*9.30 *Si lotus fuero quasi aquis nivis.* Qui conterit se ut lamentis, etc., usque ad qui compungitur in prece pro terrenis, aqua terræ. **Manus,** Ibid. sunt opera. **Velut mundissimæ,** quasi non vere mundæ sub hac corruptione.

†9.31 *Intinges* id est, intinctum demonstrabis, quia quanto plus ei approximamus, sordes nostras ex ejus munditia agnoscimus. **Vestimenta.** Vestimentum animæ est corpus quod præcepit Salomon omni tempore candidum esse, et si sit mistum sanguine, id est carnalibus desideriis, dicit Isaias comburendum Isa. 9. **Abominabuntur,** id est, abominabilem reddent, ut de Juda dicitur: **Possedit agrum de mercede iniquitatis,** id est, possideri fecit. In abominatione vestis hoc gravius habet, quod sensum sui reprehensoris ignorat.

‡9.32 *Neque enim viro.* Inter homines, et audimus objecta, et ad ea respondemus et audimur; sed in iudicio Dei, ipse nos audit, quia videt omnia quæ agimus, sed non audimus eum, quia quod ei displicet plene non intelligimus. Non ex æquo potest audiri.

¶9.33 *Utrumque valeat:* id est Deum et me possit: **Arguere.** Arguit, qui ex auctoritate rationis, etc., usque ad quod corda delinquentium mansuetudine potius quam terrore correxerit, unde addit:

§9.34 *Auferat a me virgam legis qua punit;* sed eam Christus abstulit, et per mansuetudinem vias vitæ ostendit. Voluit ut Deus timeri, sed ut pater amari.

9.35 *Loquar et non timebo eum.* Ibid. Jam non habet metum, sed ut ad patrem affectum. Ecce baculus, id est timor legis missus non suscitatur puerum; sed ipse Elisæus, puero temperatus, et septies aspirans, id est per amorem spiritus. GRÆG. **Respondere est factis digna recompensare, sed beneficiis Dei nemo serviliter timens respondet? Tantummodo qui per fiduciam amoris non timet digna ei reddi obsequia. Non est purus, qui mala ageret, si liceret. Amanti autem est tædium hujus vitæ, quæ prius dulcis erat etiam mœrens eam tolerat.

††10.1 *Tædet animam meam vitæ meæ.* Ibid. Cum autem hæc vita vilescit amore celestis, qui defendebat culpas, jam eas accusat. Et hoc est: **Dimittam eloquium** quo utebar in defensione mea. **Adversum me,** quia confitendo me accuso, non ut qui adhuc erubescit confiteri, quia non tanto desiderio mala deserit, sed quia aliquando aperte confitens non gemit, sed lugenda gaudens dicit, subdit: **Loquar in amaritudine,** ut amaritudo puniat, quod lingua accusat. Ex pœnitentia nascitur securitas, et confidentior interrogat, quomodo erga se agatur. Et hoc est:

dica mihi cur me ita iudices.‡‡ 3 Numquid bonum tibi videtur, si calumniaris me, et opprimas me opus manuum tuarum, et consilium impiorum adjuves?¶¶ 4 Numquid oculi carnei tibi sunt? aut sicut videt homo, et tu videbis?§§ 5 Numquid sicut dies hominis dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora,* 6 ut quæras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris,† 7 et scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere?‡ 8 Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu: et sic repente præcipitas me?¶ 9 Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me.§ 10 Nonne sicut lac mulisti me, et sicut caseum me coagulasti?‡‡ 11 Pelle et carnibus vestisti me; ossibus et nervis

‡‡10.2 **Dicam Deo: Noli me condemnare**, quia pœna mea exstinguit tua supplicia. **Indica mihi cur me ita iudices**, id est flagellas, utrum ad securitatem vel pro qua culpa specialiter; quia etsi justus, habet tamen aliqua mala: et ideo, petit ut Deus se sibi indicet, ut quod Deus in eo punit, ipse quoque flendo puniat. Ideo causam quæro; scio enim quod non injuste. **Cur me ita iudices**. Duobus modis hic iudicat. Vel pœnam immittit, etc., usque ad quem et feriendo in innocentia custodit. Dicit ergo:

¶¶10.3 **Nunquid bonum**. Interrogatio hæc negationem exigit, etc., usque ad quia infirmum considerat. **Opus manuum**. Quasi impie non perdis quem gratuito fecisti. **Impiorum**, id est malignorum spirituum, qui cum ad vitam redire nequeunt, socios ad mortem quærent, quorum consilium fuit, ut Job rectum in prosperis, frangerent adversis; sed Deus supra vires non sinit tentari.

§§10.4 **Nunquid oculi carnei**. Oculi carnis non nisi aliqua facta in tempore agnoscunt, quia et cum tempore clauduntur, et humanus visus quodlibet opus sequitur, non præcurrit.

*10.5 **Dies**. Dies quoque et anni hominis differunt ab æterno: cui nihil præterit, nihil est futurum, sed omnia conspiciunt præsentia.

†10.6 **Ut quæras iniquitatem meam**. Et ita scias quod nihil impie feci, quasi humiliter quærat: cur in tempore per flagella probas, quem apud te perfecte et ante tempora scisti?

‡10.7 **Cum sit nemo** Ibid. Quasi, quid restat tibi nisi parcere, cui nemo potest obviare? Quo enim nullus potest tuam vindictam retinere, eo facilius pietas debet parcere; ut autem placetur, quia nostrum opus non possumus, suum opus ei offeramus.

¶10.8 **Manus tuæ**. Quasi pensa misericorditer, ne pereat quod fecisti. **Fecerunt**. Secundum animam. **Totum in circuitu**. Secundum corpus, etc., usque ad cum de cæteris dixit tantum: **fiat. Et sic repente**. Quasi quem tanta dignitate præponis, cur tanta vilitate despicias? Sed cum hac dignitate, quæ est per spiritum? est infirmitas per carnem, quæ moveat pium iudicem, unde dicit:

§10.9 **Memento, quæso**, etc. Unde venialis est culpa, cum irremissibilis sit in angelo, qui robustus fuit. Lutum est, cum aqua terram infundit: ita homo, cum anima rigat carnem, cujus mortem aperte subdit: **Et in pulverem**, etc. Quasi: vide materiam et pœnam, et culpæ parce; quia qualitatem hominis conditi protulit, subdit ordinem propagationis, unde dicit:

‡‡10.10 **Nonne sicut lac**, etc. Factus homo ut lutum, propagatus autem sicut lac mulgetur semine, ut caseus coagulatur in carne. Carne et pelle induitur, ossibus et nervis solidatur. Post creationem corporis, quod minus est, subditur mira aspiratio vivificationis. **Nonne sicut lac**, dum mens per Spiritum Dei et vetustate trahitur sicut lac mulgetur, quia in quadam inchoatione formatur; sicut caseus coagulatur, cum pinguescens cogitationibus stringitur, ut jam non defluat desideriiis, sed in uno amore solidetur. Sed contra hæc rudimenta caro ex veteri usu murmurat.

compegisti me.^{††} ¹² Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum.^{‡‡} ¹³ Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris.^{¶¶} ¹⁴ Si peccavi, et ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?^{§§} ¹⁵ Et si impius fuero, vae mihi est; et si justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria. ¹⁶ Et propter superbiam quasi lænam capies me, reversusque mirabiliter me crucias.^{*} ¹⁷ Instauras testes tuos contra me, et multiplicas iram tuam adversum me, et pœnæ militant in me.[†] ¹⁸ Quare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. ¹⁹ Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum.[‡] ²⁰ Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum,[¶] ²¹ antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine:[§] ²² terram miseræ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.]**

^{††}10.11 *Pelle et carnalibus.* Id est carnalium motuum obsidione mens vallatur; qui autem exterius laxat ad bella, intus roborat per ossa virtutum, ut humilis sit et fortis. Ideo autem Deus recte vivendi rectitudinem tribuit, quia præteritis delictis parcit.

^{‡‡}10.12 *Vitam et misericordiam.* Ibid. Sed hæc bona frustra dedit, nisi ipse custodiat, unde subdit: *Et visitatio tua.* Eadem de interiori homine, etc., usque ad dona Dei cogitat subtilius. *Vitam et misericordiam.* Ibid. Vita datur cum malis mentibus, etc., usque ad postquam, de se dixit dona misericordiæ generaliter, subdit:

^{¶¶}10.13 *Tamen scio, quia universorum memineris* quod dicitur, cur de me trepido, qui omnes gentes colligendas scio. *Licet hæc celes in corde.* Ibid. Quia adhuc non indicas aperto sermone. Certi de venia, solent prioris nequitiae memoria tangi, et illicita cogitatione nolentes pulsari, unde subdit:

^{§§}10.14 *Si peccavi.* Ad horam parcit Deus, etc., usque ad sed pulsati in solo auxilio Dei spem fortius figant.

^{*}10.16 Propter superbiam. GREG. Læna dum catulis escam inhianter quærit, etc., usque ad si autem a sancto desiderio torpemus, exempla bene vigilantium proponit.

[†]10.17 *Multiplicas iram tuam adversum me,* id est, multiplicem ostendis, quia et si ille bonos flagellat, quid erit impiis? Sic multiplici ira prævisa, homo ad se redit, et prava punit.

[‡]10.19 *Fuissem quasi non essem, de utero.* Ibid. Idem quod ibi dictum est: *sicut abortivum absconditum,* etc., vel, qui concepti non viderunt lumen.

[¶]10.20 *Nunquid non paucitas dierum meorum.* Ibid. Non capiat me delectatio præsentis vitæ, quia cito transit. *Dimitte ergo me... dolorem meum.* Ibid. Id est flagella tempera, etc., usque ad quod maxime facit prævisio inferni, unde ait:

[§]10.21 *Antequam vadam.* Infernus terra dicitur, quia ibi captivi tenentur. *Antequam vadam.* Non quod qui plangit vadat, sed quod vadat qui non plangit: ut si dicam debitori, solve priusquam te constringam. *Non revertar.* Ibid. Quia damnatos ultra misericordia non liberat.

^{**}10.22 *Miseriæ et tenebrarum.* Quia foris dolor cruciat, quos cæcitas mentis intus obscurat; vel, ibi nemo ultra ad lucem redit, sicut in ista: ubi etsi sit miseria per conversionem licet reverti ad lucem. *Umbra mortis.* Mors est separatio a Deo; umbra obscuritas ejus; quia ignis pœnalis cremationem habet, et non lucem, ut in utroque puniantur, qui in utroque peccaverunt. *Nullus ordo.* Ibid. Non quod Deus non ordinet, usque ad qualitas rerum non servatur. Unde et addit: *Sempiternus horror.* Hic timor est futuri mali, etc., usque ad ne venirent ad tormenta quos in pœna videret qui Lazarum vidit.

11 Respondens autem Sophar Naamathites, dixit: ² [Numquid qui multa loquitur, non et audiet? aut vir verbosus justificabitur?†† ³ Tibi soli tacebunt homines? et cum ceteros irriseris, a nullo confutaberis?‡‡ ⁴ Dixisti enim: Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo.¶¶ ⁵ Atque utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi,§§ ⁶ ut ostenderet tibi secreta sapientiæ, et quod multiplex esset lex ejus: et intelligeres quod multo minora exigaris ab eo quam meretur iniquitas tua !* ⁷ Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies?† ⁸ Excelsior cælo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces?‡ ⁹ Longior terra mensura ejus, et latior mari.¶ ¹⁰ Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei?§ ¹¹ Ipse enim novit hominum vanitatem; et videns iniquitatem, nonne considerat?¶¶ ¹² Vir vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum onagri se liberum natum putat.†† ¹³ Tu autem firmasti cor tuum, et expandisti ad eum manus tuas.‡‡ ¹⁴ Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris a

††11.2 *Nunquid qui multa.* Greg. in Job. lib. 10. A contumeliis incipit, etc., usque ad qui nihil putant rectum, nisi quod sentiunt. *Aut vir verbosus.* Vera sententia, quia legitur, cultus justitiæ silentium, sed non pro loco dicta. Qui nequit recta pati, negligens corrigi, accingit se responsioni.

‡‡11.3 *Tibi soli tacebunt homines,* etc. Ibid. Omnia recta suam irrisionem putat quem remordet conscientia et generaliter dicta sibi æstimat. Unde et contra loqui accenditur, ut vel sic verecundiam regat quasi criminosus non sit, si alios criminetur, unde mentiendi subdit:

¶¶11.4 *Dixisti enim: Purus est sermo meus.* Job non dixerat; sed solatio est facinori, si vel falso inquinetur vita corripientis.

§§11.5 *Atque utinam Deus loqueretur tecum,* etc. Ibid. Perversi verbotenus bona optant, ut benigni videantur, et ut, quæ in præsentibus sunt, mala esse ostendantur, unde et iste dicit: *Utinam Deus loqueretur.* Quasi diceret, tu modo tibi loqueris, dum carnaliter sapis: es vacuus a veritatis spiritu; quasi potius imperitiæ tuæ compatior, quam poenæ: Ibid. *Labia,* id est judicia, per quæ aperta, etc., usque ad Deo agnoscit: et si peccata agnoscit, patienter flagella tolerat. Et hoc est:

*11.6 *Et intelligeres quod multa minora.* Injuste justo iniquitatem objicit, sed hæc contumelia de zelo Dei prodit, et est venialis. Merita quoque justus nesciens, ex imperitia irrisionem subdit:

†11.7 *Forsitan vestigia Dei comprehendes.* Ibid. Benignitas visitationis, etc., usque ad quia ejus essentia a nullo plene videbitur.

‡11.8 *Excelsior.* Quia in circumscriptione sui spiritus cuncta transcendit. *Profundior inferno.* Quia transcendendo subvehit.

¶11.9 *Longior terra.* Quia modum creaturæ perennitate æternitatis excedit *Latior mari.* Quia tempora sic possidet, etc., usque ad vel temetipsum in tentationibus reprehendere nescis?

§11.10 *Si subverterit.* Ibid. Subvertit cælum, etc., usque ad ut vel resistens exerceatur, vel seducta frangatur, unde recte dicit: *Quis contradicet ei? vel, quis ei dicere potest cur ita facias?* Quia judicio Dei nullus potest obsistere, vel inquirendo illud penetrare. Cur subvertit vel coarctat?

¶¶11.11 *Ipse enim novit.* Ibid. Dum mens elatione attollitur, etc., usque ad quo vanitas cum iniquitate pertrahit, ad tumorem scilicet, subdit:

††11.12 *Vir vanus in superbiam.* Ibid. Vanus ex culpa redditur audax, etc., usque ad per effrenatam libertatem audenter vagus per desideria currit.

‡‡11.13 *Tu autem firmasti.* Ibid. Firmari cor non hoc loco, etc., usque ad hunc velut docendo subjungit: *et eris stabilis,* etc.

te, et non manserit in tabernaculo tuo in iustitia,^{¶¶ 15} tunc levare poteris faciem tuam absque macula; et eris stabilis, et non timebis.^{§§ 16} Miseriæ quoque oblivisceris, et quasi aquarum quæ præterierunt recordaberis.*¹⁷ Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vespem; et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.^{† 18} Et habebis fiduciam, proposita tibi spe: et defossus securus dormies.^{‡ 19} Requiesces, et non erit qui te exterreat; et deprecabuntur faciem tuam plurimi.^{¶ 20} Oculi autem impiorum deficient, et effugium peribit ab eis: et spes illorum abominatio animæ.][§]

12 Respondens autem Job, dixit:^{** 2} [Ergo vos estis soli homines, et vobiscum morietur sapientia?^{†† 3} Et mihi est cor sicut et vobis, nec inferior vestri sum; quis enim hæc quæ nostis ignorat?^{‡‡ 4} Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum: deridetur enim justus simplicitas.^{¶¶ 5} Lampas con-

^{¶¶}11.14 *Si iniquitates.* Ibid. Iniquitas in manu, etc., usque ad si reatus sui conscientia accusat.

^{§§}11.15 *Et eris stabilis.* Quia tanto minus ad iudicium trepidat, quanto in bonis actibus solidius stat.

^{*}11.16 *Miseriæ quoque.* Ibid. Mala vitæ præsentis tanto durius animus sentit, quanto pensare bonum, quod sequitur, negligit. At si ad ea, quæ permanent, oculum cordis figat, nihil esse conspicit quidquid ad finem tendit. *Et quasi aquarum.* Quia miseræ, quæ transeunt, non vi concutiunt, sed tactum mœroris infundunt, dum extra pro percussione dolet, intus ex tentatione frigescit, contra quod amplius lux divina succenditur, unde subditur.

[†]11.17 *Et quasi meridianus.* Fulgor meridianus in vespere est virtutis renovatio in tentatione. *Et cum te consumptum.* GREG. Cum et per exteriora mala justus occumbere cœperit, tunc claritas ejus incipit: econtra iniqui lumen est in die hujus vitæ, obscuritas in vespere. *Et cum te consumptum.* Quia foris cadens intus renovatur, et quo duriora tolerat, certius præmia sperat, et hoc est:

[‡]11.18 *Et habebis fiduciam.* Defossi secure dormiunt, etc., usque ad securus apud se dormit latens ab actibus sæculi.

[¶]11.19 *Requiesces et non erit.* Qui enim in æternitatis desiderio figitur, dum nihil est in mundo quod appetat, nihil est quod de mundo pertimescat. *Et deprecabuntur.* Pravi cum recta prædicant, quod ipsi appetunt, hoc aliis pro magno pollicentur; sed ne diu pollicendo patescat quod sunt, ad rectitudinis citius verba revertuntur, unde subditur:

[§]11.20 *Oculi autem impiorum.* Oculorum nomine, etc., usque ad quo se valeat occultare, non invenit. *Et spes illorum abominatio,* etc. Ibid. Quia inde in perpetuum spiritus interit, unde ad tempus caro suaviter vivit.

^{**}12.1 *Respondens autem Job.* GREG. Hoc Sophar vere dixit, etc., usque ad unde Job subdit:

^{††}12.2 *Ergo vos estis soli homines.* Qui se omnes præire ratione putat, se solum hominem esse exsultat. *Ergo vos estis soli homines.* Qui enim se solum sapere æstimat, quid aliud quam hanc eandem secum mori sapientiam putat?

^{‡‡}12.3 *Et mihi est cor sicut.* Ut eorum superbiam corrigat, esse se inferiorem negat; et ne suæ humilitatis limitem transeat, se superiorem tacet. Ecce quam discrete, in quo indicat quod illi de se sentire debent. *Quis enim hæc quæ nostis ignorat?* Ac si dicat: Cum cunctis sint nota quæ dicitis, de dictorum scientia cur singulariter tumetis?

^{¶¶}12.4 *Qui deridetur.* Ibid. Quia illum facit humana derisio Deo proximum, quem ab humanis pravitatibus vitæ innocentiam servat alienum.

tempta apud cogitationes divitum parata ad tempus statutum.^{§§ 6} Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum.^{* 7} Nimirum interroga jumenta, et docebunt te; et volatilia cæli, et indicabunt tibi.⁸ Loquere terræ, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris.^{† 9} Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?¹⁰ In cujus manu anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis.^{‡ 11} Nonne auris verba dijudicat? et fauces comedentis, saporem?^{¶ 12} In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.¹³ Apud ipsum est sapientia et fortitudo; ipse habet consilium et intelligentiam.^{§ 14} Si destruxerit, nemo est qui ædificet; si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.^{**} ¹⁵ Si continuerit aquas, omnia siccabuntur; et si emisit eas, subvertent terram.^{††} ¹⁶ Apud ipsum est fortitudo et sapientia; ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur.^{‡‡} ¹⁷ Adducit consiliarios in stultum finem, et iudices in stuporem.^{¶¶} ¹⁸ Balteum

^{§§}12.5 *Lampas contempta.* Ibid. Nomine divitum designat elationem superbiorum; justi autem simplicitas et lampas dicitur, et contempta: lampas, quia interius lucet; contempta, quia apud mentes carnalium abjecta æstimatur. *Parata ad tempus statutum.* Statutum contemptæ lampadis tempus, est extremi iudicii prædestinatus dies, quo justus quisque qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat demonstratur.

^{*}12.6 *Abundant tabernacula prædonum.* Ibid. Ostendit nihil esse præsentis vitæ divitias, etc., usque ad et tamen bona quæ habent, a Deo acceperunt. *Nimirum interroga jumenta,* etc. Ibid. Jumenta sensu pigriores. Volatilia cœli sublimia sapientes.

[†]12.8 *Pisces.* Ibid. Curiosus intelliguntur. Et est sensus: si hos requiras, creatorem omnium Deum fatentur. Potest et juxta litteram intelligi.

[‡]12.10 *In cujus manu anima.* Hoc loco anima omnis viventis, ipsa corporis vita signatur. *Spiritus universæ carnis.* Ibid. Id est hominis effectus intelligentiæ spiritualis quæ in Dei potestate sunt. Potest et per animam omnis viventis jumentorum vita signari.

[¶]12.11 *Nonne auris verba dijudicat.* Ex istis corporalibus, etc., usque ad et quod vos scitis, mihi per intimum amorem medullitus sapit.

[§]12.13 *Apud ipsum est sapientia,* etc. GREG. in Job, l. 21. Apud Deum enim in principio Deus erat verbum, qui et Dei virtus et Dei sapientia; habet consilium, quia disponit sua; intelligentiam, quia cognoscit nostra.

^{**}12.14 *Si destruxerit, nemo est qui ædificet.* Omnipotens humanum genus destruit cum relinquit, ædificat cum replet: quod nisi fiat, incassum exterius a prædicatore monetur. *Si incluserit hominem.* Omnis homo per id, etc., usque ad et cor reprobum per gratiam non emollire.

^{††}12.15 *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur.* Quia, si scientia prædicatorum subtrahitur, etc., usque ad septiformem gratiam retulit *Si emisit eas, subvertent.* Si enim Spiritus sancti gratia infunditur, etc., usque ad statim terra subvertitur: quia peccatricis mentis duritia ab immobilitatis suæ obstinatione permutatur.

^{‡‡}12.16 *Apud ipsum est fortitudo.* In verbis prioribus quibus ait, etc., usque ad electis in regno qualiter sit sapientia patris iudicabit. *Novit et decipientem et eum qui decipitur.* Ibid. Novit decipientem, etc., usque ad aliquando ad ultionis initium fieri solet.

^{¶¶}12.17 *Adducit consiliarios in stultum finem.* Consiliarios dicit prædicatores, qui auditoribus vitæ consilium præbent. Qui cum propter temporalia prædicant, in stultum finem deducuntur: quia illuc per laborem tendunt, unde per mentis recititudinem fugere deberent. *Et iudices.* Qui examinandis aliorum moribus præsent, recte iudices vocantur; sed cum eos nequaquam sollicite discutunt, nec qualiter corrigant agnoscunt, in stuporem deducti sunt.

regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum.^{§§ 19} Ducit sacerdotes inglorios, et optimates supplantat:^{* 20} commutans labium veracium, et doctrinam senum auferens.[†]
²¹ Effundit despectionem super principes, eos qui oppressi fuerant relevans.[‡]²² Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis.[¶]²³ Qui multiplicat gentes, et perdit eas, et subversas in integrum restituit.[§]²⁴ Qui immutat cor principum populi terræ, et decipit eos ut frustra incedant per invium:^{** 25} palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios.]^{††}

13 [Ecce omnia hæc vidit oculus meus, et audivit auris mea, et intellexi singula.^{‡‡}² Secundum scientiam vestram et ego novi: nec inferior vestri sum.^{¶¶}

^{§§}12.18 *Balteum regum dissolvit.* In his enim qui bene regere membra sua videbantur, propter elationis culpam castitatis cingulum destruit. Et quia in renibus delectatio est carnis, fune peccati ac delectationis præcingit renes eorum.

^{*}12.19 *Ducit sacerdotes inglorios.* Ibid. Quin ante iudicem non invenient gloriam, quam modo in subditorum moribus studio prædicationis non exquirunt. *Et optimates supplantat.* GREG. Quia, cum mentem regentium justo iudicio deserit, cœlestia negligunt, et in suis hic voluptatibus cadunt.

[†]12.20 *Commutans labium veracium.* Quia sæpe hi, qui cœlestia prædicando veraces erant, dum temporalia diligunt, ad terrena diligenda corruunt, labium veracium commutatur. Vel de Judæis potest intelligi, qui ante veraces Christum venturum nuntiaverunt, se præsentem hunc negaverunt. *Et doctrinam.* Ibid. Doctrina senum ablata est, quia Judæi nequaquam ea credendo secuti sunt, quæ patres suos prædixisse meminerunt.

[‡]12.21 *Effundit despectionem super principes.* Judæi in legis mandatis permanentes principari per fidem videbantur: gentiles in profundo pressi per infidelitatem latuerunt; sed cum incarnationis Dominicæ mysterium negavit Judæa, gentilitas credidit. Sic:

[¶]12.22 *Revelat profunda de tenebris;* cum mystici allegoriarum sensus in verbis occultis prophetarum agnoscuntur. *Et producit in lucem umbram mortis.* Ibid. Umbram mortis dicit, etc., usque ad mors carnis minime timetur.

[§]12.23 *Qui multiplicat gentes.* Ibid. Quia gentes et per fecunditatem sobolis extendit, et tamen in propria infidelitate derelinquit, et quas in infidelitatis casu reliquerat, quandoque ad fidem reduxit, quibus ita restitutus fit quod sequitur, *qui immutat cor,* etc.

^{**}12.24 *Qui immutat cor principum.* Ibid. Cor principum terræ immutatum est, etc., usque ad patere via non poterat contra auctorem omnium.

^{††}12.25 *Palpabunt quasi in tenebris.* Ibid. Quasi enim in tenebris palpat, etc., usque ad *Nonne hic est filius fabri?*

^{‡‡}13.1 *Ecce omnia.* GREG. Hæc enim cuncta beato, etc., usque ad alia vidit esse in operibus, alia in dictis, sequitur: *Hæc vidit oculus meus, et audivit auris mea.* Sed quia dicta utilitatem non habent, si intellectu carent, sequitur: *Et intellexi singula.* Cum enim aliquod ostenditur, vel auditur, si intellectus non tribuitur, prophetia minime est; de quo intelletu quia non extollitur, ostendit cum ait:

^{¶¶}13.2 *Secundum scientiam veram.* His verbis innotuit quantæ humilitatis fuit, qui se eis inferiorem negat, quorum longe vitam sancte vivendo transcenderat: et secundum eorum scientiam se nosse confirmat, qui sciendo cœlestia eorum terrenas cogitationes per prophetiæ spiritum transibat.

³ Sed tamen ad Omnipotentem loquar, et disputare cum Deo cupio:§§ ⁴ prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum. * ⁵ Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes. † ⁶ Audite ergo correptionem meam, et iudicium laborum meorum attendite. ‡ ⁷ Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos? ⁸ numquid faciem ejus accipitis, et pro Deo iudicare nitimini? ⁹ aut placebit ei quem celare nihil potest? aut decipietur, ut homo, vestris fraudulentis?¶ ¹⁰ Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis. § ¹¹ Statim ut se commoverit, turbabit vos, et terror ejus irruet super vos. ** ¹² Memoria vestra comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervices vestrae. †† ¹³ Tacete paulisper, ut loquar quodcumque mihi mens suggererit. ‡‡ ¹⁴ Quare lacero carnes meas dentibus meis, et animam meam porto in manibus meis?¶¶ ¹⁵ Etiam si occiderit me, in ipso

§§13.3 *Sed tamen ad Omnipotentem loquar.* Ibid. Cum Omnipotente loquimur, dum ejus misericordiam deprecamur. Cum eo disputamus, dum nos illius justitiæ conjungentes facta nostra subtili indagazione discutimus. Vel cum Deo disputat qui hic ei obediens, post cum eo populos iudicabit, qui etiam interim de iniquis iudicare non cessat.

*13.4 *Prius vos ostendam,* etc. Ibid. Sic Ecclesia de hæreticis, *prius vos ostendam fabricatores;* sicut enim ædificium de lapidibus, ita etiam mendacium sermonibus fabricatur.

†13.5 *Atque utinam taceretis.* Ibid. Videns eos velle apparere, etc., usque ad quibus infirmas mentes seducant.

‡13.6 *Audite ergo correctionem meam.* Ibid. Bene ergo prius correctionem post iudicium intulit, quia nisi per correctionem prius stulti tumor deprimatur, nequaquam per intelligentiam iudicium iusti cognoscitur.

¶13.9 *Decipietur ut homo vestris fraudulentis.* Hæretici fraudem Deo exhibent, qui ea astruunt quæ ei pro quo loquuntur non placent, et eum, dum defendere nituntur, offendunt.

§13.10 *Ipse vos arguet quoniam.* Sunt qui veritatem Dei in corde sentiunt, etc., usque ad quanto in occulto cogitationis recta Dei iudicia cognoscunt.

**13.11 *Statim.* Ibid. Humano verbo, motus Dei dicitur, ipsa rectitudinis ejus distinctio: quæ reprobos, qui hic per pœnitentiam nolunt turbari, per vindictam turbabit. *Et terror ejus irruet.* Quia reprobis non timor requiem, sed poena timorem parit, unde propheta: *Sola vexatio intellectum dabit auditui Isa. 28.:* quia cum pro præceptis Dei contemptis puniuntur, tunc intelligunt quod audierunt.

††13.12 *Memoria vestra.* Quantumlibet quis pro memoria, etc., usque ad et elata caro tabescit in putredine.

‡‡13.13 *Tacete paulisper ut loquar.* Sensu carnis locutos indicat: quos idcirco ad silentium restringit, ut ea quæ illi mens suggererit, dicat. Ac si diceret: Non ego carnaliter, sed spiritualiter loquor, quia per sensum spiritus audio, quod per ministerium corporis profero.

¶¶13.14 *Quare lacero carnes meas dentibus.* Dentes in hoc loco significant inter-nos sensus, etc., usque ad si meis spectatoribus, id est vobis prodesse non possum. *Dentibus meis.* Dentes sunt interni sensus, qui singula inquirunt, etc., usque ad ne spiritualia mandere possit. *Et animam meam porto in manibus.* Ibid. Animam in manibus portare, est intentionem cordis in operatione ostendere, quod fit pro ædificatione proximi. Et est sensus: Cur me vel districte coram hominibus dijudico, vel quid appetam in opere ostendo, si proximis nec mala iudicando, nec bona ostendendo proficio?

sperabo: verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam.^{§§ 16} Et ipse erit salvator meus: non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.*¹⁷ Audite sermonem meum, et ænigmata percipite auribus vestris.^{† 18} Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar.^{‡ 19} Quis est qui judicetur mecum? veniat: quare tacens consumor?^{¶ 20} Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar:^{§ 21} manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat.**²² Voca me, et ego respondebo tibi: aut certe loquar, et tu responde mihi.^{†† 23} Quantas habeo iniquitates et peccata? scelera mea et delicta ostende mihi.^{‡‡ 24} Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum?^{¶¶ 25} Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris:^{§§ 26} scribis enim contra me amaritudines, et consumere

§§13.15 *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo*, etc. Ibid. Ille vere patiens est, qui et adversis atteritur, et tamen a spei rectitudine non curvatur. *Verumtamen vias meas*. Sic enim tunc Dominus Salvator invenitur, si nunc pro timore Domini peccatum vestrum a vobis ipsis redarguitur.

*13.16 *Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita*. Nunc veniet quidem ante tribunal judicis, etc., usque ad in conspectu Domini venire recusat.

†13.17 *Audite sermonem meum*. Per hoc quod ænigmata nominat, figuratas se habere locutiones demonstrat, unde voce fidelis populi subdit:

‡13.18 *Si fuero judicatus, scio quod justus*, quod nec ab ejus persona discrepat, etc., usque ad justum se factum non ignorat ex munere.

¶13.19 *Quis est qui judicetur mecum*. Quia in exterioribus actibus unde reprehendatur non habet, libere accusatorem quærit. Quia vero etiam justorum corda de stulta cogitatione se reprehendunt, subditur: *Quare tacens consumor?* Ac si dicat: Sicut vixi ut accusatorem exterius nullum timerem, utinam sic vixissem ut intra me accusatricem conscientiam non timerem. Tacens enim consumitur, qui intus in se invenit unde uratur.

§13.20 *Duo tantum ne facias*. Et Dei faciem, hic animadversionem dicit: in qua dum peccata aspicit, punit, a qua nemo absconditur, nisi duo quæ postulat amoveantur, de quibus sequitur:

**13.21 *Manum tuam longe fac a me*. Per manum, quam longe fieri postulat, etc., usque ad sed per formidinem servit.

††13.22 *Voca*. GREG. Præsentiam Christi quærit, ut per hanc et audiat quod ignorat, et audiatur in his quæ novit. Vel, vocat Deus eligendo, respondet homo obediendo; loquitur homo desiderando, respondet Deus apparendo. Sed sic anhelans, subtilius se discutit. *Voca me et ego respondebo tibi*. Vocare Dei est nos amando et eligendo respicere. Respondere nostrum est amori illius bonis operibus parere. Aut certe loquar. Loquimur cum faciem ejus per desiderium postulamus: respondet loquentibus cum nobis se amantibus apparet.

‡‡13.23 *Quantas habeo iniquitates*, etc. Justorum labor est, ut semetipsos inveniant, invenientes flendo atque corrigendo ad meliora perducant. Gravior videtur iniquitas quam peccatum, scelus quam delictum.

¶¶13.24 *Cur faciem tuam abscondis?* Ibid. Homo contemplationem Dei habuit in paradiso, sed per culpam incurrit caliginem. Et excitatus ex pœna redit ad amorem, ac dicit: *Et arbitraris*. Quia si ut amicum respiceres me, tuæ visionis lumine non privares.

§§13.25 *Contra folium*, etc. Homo folium dicitur, etc., usque ad quem sic esse infirmum agnoscis?

me vis peccatis adolescentiæ meæ.* 27 Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti:† 28 qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea.]‡

14 [Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.† 2 Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet.§ 3 Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in iudicium? ** 4 Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? †† 5 Breves dies hominis sunt: numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. ‡‡ 6 Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii, dies ejus. ††† 7 Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullu-

*13.26 *Scribis.* Quia quod loquimur, transit, quod scribimus manet. Deus non loqui, sed scribere amaritudines dicitur, cum diu super nos ejus flagella perdurant. Semel enim de mortalitate carnis sententiam fixit, quæ usque ad ultimum mutari non valebit. *Et consumere.* Patet gravia esse peccata juvenum et senum, si illud justi sic metuunt, quod in infirma ætate deliquerunt.

†13.27 *Posuisti in nervo pedem meum.* In nervo pedem Deus posuit hominis, quia pravitatem illius forti districtiois suæ sententia ligavit. *Et observasti omnes semitas meas.* Semita angustior est quam via; quia autem vias, actiones, merito semitas actionum cogitationes accipimus. *Et vestigia pedum meorum considerasti.* Intentiones operum vestigia dixit; vel, prava opera, quæ dum agimus, intuitibus hoc fratribus exemplum malum præbemus, et quasi inflexo extra viam pede sequentibus distorta vestigia relinquimus.

‡13.28 *Qui quasi putredo.* Sicut vestimentum de se exorta tinea comeditur, ita homo in seipso habet putredinem unde consumatur. Vel ex corruptione suæ carnis tentatur, sicut vestis exorta tinea consumitur. *Quantas habeo iniquitates.* Ibid. Quasi homo pro cæcitate exsilii se non novit, quæ contingit, quia a facie Dei se abscondit, quod jam poena ipsa monitus dolet. *Contra folium.* Homo arbor fuit in conditione, sed arefactus in tentatione folium, stipula in dejectione. *Consumere me vis,* quia in juventute se peccasse invenit, etc., usque ad quasi tunc indiscreti fuerint.

†14.1 *Homo natus de muliere.* GREG. Hic mulieris nomine infirmitas designatur, et est sensus: Quid in se habet fortitudinis, qui nascitur ex infirmitate, qui et angustiat ad vitam, et dilatatur ad miseriam.

§14.2 *Qui quasi flos egreditur.* Quia nitet in carne: *Conteritur,* quia redigitur in pulverem et putredinem. *Et fugit velut umbra.* Non soli fugienti, sed umbræ hominem comparavit. Qui enim in amore Dei calorem cordis non habet, nec tamen vitam quam diligit tenet, velut umbra fugit. *Et nunquam in eodem statu,* etc. Ibid. Nam inde semper deficit, unde se proficere in spatium vitæ credit.

**14.3 *Et dignum ducis super hujuscemodi,* etc. Deum aperire oculos, est judicia exercere, et quem feriat videre

††14.4 *Quis potest facere,* etc. Is enim, qui per se solus mundus est, etc., usque ad solum Christum dicit non de immundo semine natum.

‡‡14.5 *Breves dies hominis,* etc. Ibid., quia apud Deum etiam labentia stant: apud eum esse numerum mensium perhibet. Vel, in diebus, brevis temporis; in mensibus, multiplicata dierum spatia designantur: homini ergo breves dies sunt; sed quia vita nostra post tenditur, apud Deum numerus mensium nostrorum esse memoratur. *Constituisti terminos ejus.* GREG. in Job. l. 12. Nulla enim quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absque Dei occulto iudicio fiunt.

†††14.6 *Recede paululum ab eo.* Recede, id est, jam flagella præsentis vitæ subtrahe, et bona æternæ quietis ostende *Donec optata veniat,* quando æternam requiem pro recompensatione sui laboris accipit

lant.^{§§} ⁸ Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, *
⁹ ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam, quasi cum primum plantatum est. †
¹⁰ Homo vero cum mortuus fuerit, et nudatus, atque consumptus, ubi, quæso, est?[‡]
¹¹ Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus arescat:[¶] ¹² sic homo,
 cum dormierit, non resurget: donec atteratur cælum, non evigilabit, nec consurget
 de somno suo.[§] ¹³ Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas
 me donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus in quo recorderis mei?^{**}
¹⁴ Putasne mortuus homo rursus vivat? cunctis diebus quibus nunc milito, expecto
 donec veniat immutatio mea. †† ¹⁵ Vocabis me, et ego respondebo tibi: operi manuum
 tuarum porriges dexteram.^{‡‡} ¹⁶ Tu quidem gressus meos dinumerasti: sed parce pec-
 catis meis.^{¶¶} ¹⁷ Signasti quasi in sacco delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.^{§§}

§§14.7 *Lignum habet spem.* etc. Genus humanum quasi despectum insinuat, quan-
 tumque ipsa insensibilia hunc præire videantur. Vel juxta mysticum sensum: Lignum
 præfertur homini, hic enim homo carnalis quisque; lignum justus accipitur, qui cum
 in morte passione afficitur, æternæ vitæ viriditate recuperatur. *Et rami ejus pullu-
 lant,* quia ex passione justii fideles viriditatem vitæ spiritualis accipiunt.

*14.8 *Si senuerit in terra radix.* Ibid. Radix justii sancta prædicatio, quia ab ipsa
 oritur et in ipsa subsistit: quæ apud corda terrenorum cunctis viribus effeta credi-
 tur: *Et in pulvere truncus emoritur,* quia inter manus persequentium corpus ejus
 exanimatur.

†14.9 *Ad odorem aquæ germinabit,* etc. Quia per afflatum Spiritus, in electorum
 cordibus, exemplo sui operis, germen virtutis facit. *Et faciet comam,* etc. Succiso
 trunco comam facere, etc., usque ad fecit comam, quia apostoli qui aruerant ad
 fidem ut prius viruerunt.

‡14.10 *Homo vero cum mortuus fuerit.* Ibid. Ipsa autem amissione justitiæ homo
 moritur, veste innocentiae in paradiso concessa nudatur, interitu carnis consequente
 consumitur: *ubi ergo est,* qui in ejus amore non est, ubi *verum esse* est?

¶14.11 *Quomodo si recedant aquæ de mari.* Mare mens hominis est, etc., usque ad
 modo dulcedine prosperitatis replemur.

§14.12 *Donec atteratur cælum non evigilabit.* Quia, nisi hujus mundi finis ad-
 venerit, humanum genus a somno non evigilabit.

**14.13 *Quis mihi hoc.* Ante Mediatoris adventum ad infernum se descendere sciens,
 illic conditoris protectionem postulat. *Constituas mihi tempus in quo recorderis
 mei.* Adventum Redemptoris ad inferos petit.

††14.14 *Putasne mortuus homo rursus.* Solent justii viri, etc., usque ad ut post
 fortius roboret. *Cunctis diebus.* Qui itaque immutationem suam tanto desiderio
 expectat, quam sit de resurrectione certus insinuat.

‡‡14.15 *Vocabis me et ego respondebo.* Tunc vocanti Deo veraciter responde-
 mus, quando ad summæ incorruptionis jussum incorruptibiles resurgemus. *Operi
 manuum tuarum porriges dexteram,* ac si dicat: Idcirco corruptibilis creatura per-
 sistere ad incorruptionem poterit, quia manu tuæ potestatis erigetur; vel dextera,
 Filius dicitur, qui incarnatus ad erigendum hominem missus est.

¶¶14.16 *Tu quidem gressus,* etc. Gressus dinumerat, et peccatis parcit: qui sub-
 tiliter acta nostra considerat, et tamen hic poenitentibus misericorditer relaxat. *Dinu-
 merasti, sed parce.* Dinumerat, dum nos ad singula quæ fecimus deflenda convertit;
 parcit, quia quæ punivimus, non punit, unde adhuc subdit:

§§14.17 *Signasti quasi in sacco,* etc. Ibid. In occulto, etc., usque ad curat quia hic
 per flagella funditus relaxat.

¹⁸ Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo: ^{*} ¹⁹ lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur: et hominem ergo similiter perdes. [†] ²⁰ Roborasti eum paululum, ut in perpetuum transiret: immutabis faciem ejus, et emittes eum. [‡] ²¹ Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget. [¶] ²² Attamen caro ejus, dum vivet, dolebit, et anima illius super semetipso lugebit.][§]

15 Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit: ² [Numquid sapiens respondit quasi in ventum loquens, et implebit ardore stomachum suum? ^{**} ³ Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi, et loqueris quod tibi non expedit. ^{††} ⁴ Quantum in te est, evacuasti timorem, et tulisti preces coram Deo. ^{‡‡} ⁵ Docuit enim iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium. ^{¶¶} ⁶ Condemnabit te os tuum, et non ego: et labia tua respondebunt tibi. ^{§§} ⁷ Numquid primus homo tu natus es, et ante colles formatus? ^{*} ⁸ numquid consilium Dei audisti, et inferior te erit ejus sapientia? ⁹ Quid nosti quod ignoremus? quid intelligis quod nesciamus? [†] ¹⁰ Et senes et

^{*}14.18 *Mons cadens defluit.* Ibid. Duo sunt genera tentationum, etc., usque ad vel longa ac lenta ut Salomonem consumi permittis. *Saxum*, id est mens justi fertur, *De loco*, id est, de justitia ad culpam nimio impulsu.

[†]14.19 *Lapides*, id est fortitudinem, *aque* assidua blandimenta. *Terra*, quæ sanctificat.

[‡]14.20 *Roborasti eum paululum*, etc. Ibid. Paululum roboratus est homo, quia hic vivendi vires ad modicum accepit; sed in hac brevitate ubi roboratus est, colligit, unde in perpetuitate inveniatur; vel ut semper gaudeat, vel ut supplicia non evadat. *Immutabis faciem ejus, et emittes.* Facies hominis, etc., usque ad transire ad æterna nolens cogitur.

[¶]14.21 *Sive nobiles fuerint filii.* Sicut enim hi qui adhuc sunt viventes, mortuorum animæ in quo loco habeantur ignorant: ita mortui carnaliter vitam in carne positorum qualiter post eos disponatur, nesciunt.

[§]14.22 *Attamen caro ejus dum vivit dolebit.* Tribulationem enim carnis hic patiuntur etiam qui spiritualiter vivunt. *Et anima illius super.* Dignum enim est ut in se semper homo mœrores inveniatur, qui relicto Creatore in se gaudium quærebat.

^{**}15.2 *Nunquid sapiens respondebit?* GREG. Cuncta quæ in sanctis sentiuntur, malis quasi in ventum prolata displicent, nec bonorum verba dicta rationis, sed stimulos furoris existimant. *Et implebit ardore.* Ibid. Qui etiam quæ se sentiunt contumeliose dicere, student ex Domini defensione palliare, unde subdit:

^{††}15.3 *Arguis verbis eum.* Ibid. Et nullum putant habere timorem Domini, nisi eum quem ad stultitiam suæ professionis traxerunt, unde addit:

^{‡‡}15.4 *Quantum in te est*, etc., dicitur, id est abstulisti. Ac si diceret: De tua justitia præsumens, Creatoris tui gratiam despicias deprecari. Cum hæretici vera mala contra bonos non inveniunt, fingunt quæ redarguant, ut justii videantur.

^{¶¶}15.5 *Docuit enim iniquitas.* GREG. Iniquitas os docet, quando ex mala vita concipitur, quod pejus dicatur. *Imitaris linguam blasphemantium* Ibid. Hæretici quasi venerando Deum, humilia, ut carnem et mortem negant, et Ecclesiam hæc confitentem blasphemare dicunt: et si quid adversi ei contigerit, pro hac injuria dicunt fieri, unde ait:

^{§§}15.6 *Condemnabit te*, etc. Aliquando vero quasi rationando comprimere volunt, unde:

^{*}15.7 *Nunquid primus homo.* Hæc autem Dei defensio ab eis ideo assumitur, etc., usque ad pensa quod consilium ignoras.

[†]15.9 *Quid nosti.* Ibid. Hæc verba patenter ostendunt ex qua mentis elatione prodeat quidquid quasi ad dominicam defensionem sonat.

antiqui sunt in nobis, multo vetustiores quam patres tui.[‡] ¹¹ Numquid grande est ut consoletur te Deus? sed verba tua prava hoc prohibent.[¶] ¹² Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans attonitos habes oculos? ¹³ Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujusmodi sermones?[§] ¹⁴ Quid est homo ut immaculatus sit, et ut justus appareat natus de muliere?^{**} ¹⁵ Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cæli non sunt mundi in conspectu ejus.^{††} ¹⁶ Quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?^{‡‡} ¹⁷ Ostendam tibi: audi me: quod vidi, narrabo tibi.^{¶¶} ¹⁸ Sapientes confitentur, et non abscondunt patres suos:^{§§} ¹⁹ quibus solis data est terra, et non transivit alienus per eos. ²⁰ Cunctis diebus suis impius superbit, et numerus annorum incertus est tyrannidis ejus.^{*} ²¹ Sonitus ter-

[‡]15.10 *Et senes et antiqui.* Hæretici, quia sua non possunt astruere ratione, auctoritate antiquorum nituntur defendere apud stultos: et doctores Ecclesiæ dicunt sibi magistros fuisse.

[¶]15.11 *Nunquid grande est?* Sequitur: *Quid te elevat cor tuum.* Sæpe justorum mens ad altiora contemplanda suspenditur, ut exterius eorum facies obstupuisse videatur. Sed hanc contemplationis vim reprobi per hypocrisim fieri putant; quod enim in se est, in aliis putant.

[§]15.13 *Quid tumet contra Deum spiritus?* Plerumque justi aliquibus necessitatibus afflicti sua opera coguntur fateri, quod beatus Job fecerat, quod putatur elatio; sed in Dei auribus superba non sunt, quæ humili corde proferuntur; et sicut gravis culpæ est sibi arrogare quod non est, sic plerumque culpa nulla est si humiliter bonum dicat quod est. *Hujusmodi sermones.* Ibid. De bonis tuis, non tamen Job in his contra Deum tumuit, sed quæ vere fecerat humiliter dixit; sæpe justi et injusti eadem habent verba, et unde illi placent, hi offendunt, ut Pharisæus qui se justificat in opere Luc. 18., et Ezechias qui se justificat in cogitatione IV Reg. 20..

^{**}15.14 *Quid est homo?* Eo ipso quod dicitur homo, terrenus exprimitur et infirmus. Ab humo enim appellatus est. *Et ut justus appareat natus,* etc. Quomodo enim justus appareat, qui de illa natus est, quæ injustitiæ propinatrix exstitit? prima quippe viro injustitiam mulier propinavit in paradiso.

^{††}15.15 *Et cæli non sunt mundi.* Hoc cælorum nomine repetiit, quod sanctorum appellatione signavit, qui ante districtum Dei judicium nec ipsi esse mundi ad perfectum possunt.

^{‡‡}15.16 *Quanto magis abominabilis.* Ibid. Quilibet perversus abominabilis est propter immunditiam maculæ. *Inutilis,* propter justitiam perfectæ vitæ; qui *bibere iniquitatem* dicitur, quia quod bibitur, ad glutendum moram non habet. Culpa ergo quia ab injusto homine sine ulla retractatione perpetratur, quasi aqua iniquitas bibitur.

^{¶¶}15.17 *Ostendam tibi.* Quia cum minori auctoritate docet is qui audita, quam is qui ea quæ viderat, loquitur, ut fortiolem auctoritatem sibi Eliphaz arrogaret, dicit: *Quod vidi narrabo tibi.* Proprium arrogantis, etc., usque ad quas auctoritate Patrum munit.

^{§§}15.18 *Sapientes confitentur.* Ecce audacia hæreticorum, etc., usque ad corda transiisse alienum, id est diabolum. Ecce sententiæ.

^{*}15.20 *Cunctis diebus.* Solent etiam electi in quibusdam diebus superbire, sed priusquam vitam finiant, ab elatione corda commutant; impius vero diebus omnibus superbit, et sic vitam terminat, ut ab elatione minime recedat. *Et numerus annorum tyrannidis ejus.* Proprie tyrannus, etc., usque ad cujus vita sub incertitudine tenetur?

roris semper in auribus illius: et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.[†] 22 Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspiciens undique gladium.[‡] 23 Cum se moverit ad quærendum panem, novit quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies.[¶] 24 Terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium.[§] 25 Tetendit enim adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est.^{**} 26 Cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est.^{††} 27 Operuit faciem ejus crassitudo, et de lateribus ejus arvina dependet.^{‡‡} 28 Habitavit in civitatibus desolatis, et in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ.^{¶¶} 29 Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam.^{§§} 30 Non recedet de tenebris: ramos ejus arefaciet flamma, et auferetur spiritu oris sui.^{*} 31 Non credet, frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.[†] 32 Antequam dies ejus impleantur peribit, et manus ejus arescent.[‡] 33 Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, et quasi oliva projiciens florem

[†]15.21 Sonitus terroris semper. Ibid. Prava mens semper in laboribus est, sicut bona semper tranquilla: quia aut molitur mala quæ in ferat, aut metuit, ne sibi hæc ab aliis inferantur.

[‡]15.22 **Non credit quod reverti possit de tenebris ad:** quia dum feriri se undique credit insidiis, salute desperata semper ad nequitiam crescit.

[¶]15.23 **Cum se moverit,** etc. Panis hic stipendium præsentis vitæ, etc., usque ad avaritia victus illa contemnit.

[§]15.24 **Terrebit,** etc. In omni quod iniquus agit, etc., usque ad si ei forte defuerit, quod ex fallacia opponat.

^{**}15.25 **Tetendit,** etc. Ibid. Contra Deum manus tendere, etc., usque ad modo a multis agitur singulis.

^{††}15.26 **Cucurrit,** id est in malo opere obstaculum de adversitate non habuit. **Et pingui cervice armatus est.** Pinguis cervix est opulenta superbia affluentibus rebus quasi multis carnibus fulta.

^{‡‡}15.27 **Operuit faciem ejus.** Faciem crassitudo operit, quia desiderata terrenarum rerum abundantia oculos mentis premit. **Et de lateribus ejus.** Ibid. Latera divitum sunt qui eis adhærent; arvina de lateribus ejus dependet, quia quisquis potenti et iniquo adhæret, ipse quoque de ejus potentia velut ex pinguedine tumet.

^{¶¶}15.28 Habitavit in civitatibus. Quia civitas a conversatione conviventium appellatur, etc., usque ad ostendunt procul dubio quia de ædificio vitæ ceciderunt.

^{§§}15.29 **Non ditabitur,** quia superbi cogitatio ab auctoris sui gratia non inhabitabitur. **Nec perseverabit.** Ibid. Ac si dicat: Hoc quod habere videtur, exterius transit, et illud quod transire non poterat, interius non habet. **Nec mittet in terram,** quia velut ad levem flatum, sic ad motum occultæ sententiæ vita ejus eruitur; vel, **in terram non mittet,** etc., quia nunquam ad æternæ vitæ desiderium cordis sui cogitationem plantat.

^{*}15.30 **Non recedet de tenebris.** Quia enim lucem justitiæ non quærit, de tenebris non recedit. **Ramos ejus,** etc. Quia ipsi quoque, qui ei conjuncti sunt, terrenis desideriis æstuant, ut boni operis fructum non ferant, quia ad appetenda infima per nequitiam anhelant. **Et auferetur spiritu,** quia eo percussiois sententiam accipiet, quo oris sui spiritum timore Dei non restringit.

[†]15.31 **Non credet.** Quia eleemosyna eum redimere, etc., usque ad quia non redimit animam quam a vitiis non compescit.

[‡]15.32 **Antequam dies ejus.** GREG. Quia longos animo, etc., usque ad indisciplinatis obviat mors.

suum.[¶] ³⁴ Congregatio enim hypocritæ sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt.[§] ³⁵ Concepit dolorem, et peperit iniquitatem, et uterus ejus præparat dolos.]**

16 Respondens autem Job, dixit: ² [Audiui frequenter talia: consolatores onerosi omnes vos estis.†† ³ Numquid habebunt finem verba ventosa? aut aliquid tibi molestum est, si loquaris?‡‡ ⁴ Poteram et ego similia vestri loqui, atque utinam esset anima vestra pro anima mea:¶¶ ⁵ consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput meum super vos;§§ ⁶ roborarem vos ore meo, et moverem labia mea, quasi parcens vobis.* ⁷ Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus, et si tacuero, non recedet a me. ⁸ Nunc autem oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei.† ⁹ Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, et sus-

[¶]15.33 *Manus ejus* ab omni bona operatione siccantur. *Lædetur quasi*, etc. Si florentem vineam, etc., usque ad in sancto studio a fructu alienos facit, unde subdit: *Et quasi oliva projiciens*. Oliva cum in flore est, etc., usque ad ut nequeant discernere qua intentione quid faciant. Vel *in primo flore*. Infirmus regere vel inferiora agere non debet, quia in terrenis actibus frigescit. Vel, cum placere videt quæ agit, ardentius eadem bona operatur, et quasi in sancto studio fervet, unde æstu perit.

[§]15.34 *Congregatio enim hypocritæ*, etc. Congregant hypocritæ bona opera, sed eorum sterilis est ipsa congregatio, quia per hoc quod agunt, fructum recipere in æterna retributione non appetunt. *Et ignis devorabit tabernacula eorum*, etc. Corpora in quibus animæ eorum habitant, tabernacula dicit: quæ hic desiderium laudis, postmodum autem concremabit ignis gehennæ. *Tabernacula*. Cogitatio est tabernaculum, in qua mens habitat, quam æstus avaritiæ vastat. Vel, cor tabernaculum dicit, quod consumit ardor laudis. Vel, corpus est tabernaculum animæ, et qui hic ardent mente, ardebunt carne ignibus gehennæ.

**15.35 *Concepit dolorem*. Cum perversa cogitat, iniquitatem parturit, cum ex-
plere cœperit, concepit. Mens etiam hypocritæ nunquam vacat a malo, quia quæ appetit, aliis invidet, ex quorum despectu clarior sit, unde et dolos parat ut solus æstimationem capiat. *Uterus ejus præparat dolos*, id est mens, in qua cogitationes generantur, majorem malitiam contra proximos concipit, quanto solus præ omnibus videri innocentior quærit: hoc dicit, quia percussum Job pro hypocrisi putavit.

††16.2 *Audiui frequenter talia*. Electi frequenter aliena mala quasi sua audiunt, et ab his eis crimen impingitur, a quibus crimina impacta perpetrantur. *Consolatores onerosi omnes vos*. Pravi cum laborare bonos, etc., usque ad ne qui lenire debet dolorem augeat.

‡‡16.3 *Nunquid habebunt finem verba ventosa?* Mali ventosa verba proferunt. Nam dicta eorum, etsi quandoque sana sunt per sententiam, inflata tamen sunt per elationem. *Aut aliquid tibi molestum est si loquaris?* Ac si diceret, eo quod plus loqueris quo a me aliquid molestum de tua actione non audis.

¶¶16.4 *Poteram et ego similia vestri loqui*. Narrat quid facere potuit, sed ne justitiam deserat, quod facere potuit declinat.

§§16.5 *Atque utinam esset anima vestra pro anima mea*. In his verbis hoc monstratur intendere, etc., usque ad quia mala eorum sub moderata increparet invectione.

*16.6 *Quasi parcens*. Nota *quasi*, quia, etc., usque ad approbare videtur, et crescunt in exemplum.

†16.8 *Nunc autem oppressit me dolor*, etc. Ibid. Dolore Ecclesia premitur, etc., usque ad quos intus habet; unde beati viri voce mox apte subditur.

citatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi.[‡] 10 Collegit furorem suum in me, et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.[¶] 11 Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam: satiati sunt pœnis meis.[§] 12 Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit.^{**} 13 Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum: tenuit cervicem meam, confregit me, et posuit me sibi quasi in signum.^{††} 14 Circumdedit me lanceis suis; convulneravit lumbos meos: non pepercit,

[‡]16.9 *Rugæ meæ*, etc. Rugæ Ecclesiæ sunt omnes qui in ea dupliciter vivunt, qui fidem vocibus clamant, operibus denegant. Hi pacis tempore, quia hujus mundi potestatibus eandem fidem honori esse conspiciunt, fideles se esse mentiuntur: sed cum Ecclesiam subito adversitas turbaverit, illud illico ostendunt, quod in perfida mente moliantur. Et est sensus: me insequendo increpant, qui in meo corpore positi dupliciter suæ malitiam non emendant. *Et suscitatur falsiloquus adversus faciem*, etc. Ibid. Dum prædicationi ejus aperte contradicere non præsumunt, Ecclesia falsiloquium quasi post dorsum patitur; sed cum malitiæ tempus eruperit, is, qui nunc metuens derogat, ad contradicendum ante faciem venit: quia verbis veræ fidei apertis vocibus obsistit. Quod quoniam per malignum spiritum fit, ad eum describendum verba convertit.

[¶]16.10 *Collegit furorem suum*. Diabolus, princeps falsiloqui, habet nunc contra Ecclesiam furorem, sed sparsus est, quia occultas tentationes per singulos movet. Cum vero contra eam accepta licentia aperte sævierit, furorem suum in eam colligit, quia in ejus afflictionem tota se intentione constringit. Qui contra eam dentibus fremit, eamque terribilibus oculis intuetur, quia per alios contra eam crudelia exercet, et per alios quæ exercent providet.

[§]16.11 *Aperuerunt super me ora*, etc. Ibid. Quia ora sua reprobi exprobrantes aperunt, cum et errorem prædicare non metuunt, et prædicamenta rectæ fidei irrident. *Percusserunt maxillam meam*. Maxilla Ecclesiæ, sunt sancti prædicatores, qui vitam carnalium verbo correctionis convertunt: hos reprobi præcipue persequuntur, quos dum etiam necant, illa eos pœna satiat, quæ mentem Ecclesiæ præcipue cruciat, vel castigat. *Maxillam meam*. Petrus est maxilla, qui mactat et manducat. Samson maxillam asini tenet, et hostes occidit, id est Christus simplices præcones manu virtutis tenet, et a vitiis carnales occidit. Maxilla projecta est in terram, aquas effundit: quia data morti corpora præconum magna ostendunt miracula.

^{**}16.12 *Conclusit me Deus*, etc. Electorum populus apud iniquum concluditur: cum ejus caro antiqui hostis persecutionibus temporaliter datur. Qui non spiritui, sed manibus inimicorum traditur, quia quo hunc mente capere nequeunt, eo contra illius carnes crudelius inardescunt.

^{††}16.13 *Ego ille quondam opulentus*. GREG. Infirmorum mentem designat, quia dum adversa prævidere nesciunt, tanto eis graviora sunt, quanto ab eis inopinata tolerantur. Vel, in quibusdam, eisdem retro labentibus hæc Ecclesia patitur, qui post doctrinæ opulentiam aliquando subitis vitiis convertuntur. *Tenuit cervicem meam*. Cervix, hic libertatis erectionem significat, quam hostis *tenet* persecutionis tempore; *constringit*, dum infirmi vera quæ sentiunt prædicare libere non præsumunt. Vel, cervicem suam dicit eos, qui in Ecclesia sub occasione defendendæ rectitudinis vitio elationis deserviunt: quam hostis distractione suæ persecutionis inclinat. *Et posuit me quasi in signum*. Ibid. Signum ad hoc ponitur, ut sagittarum emissionem feriat. Fidelis itaque populus in signum hosti suo ponitur, quia eum semper suis ictibus impetit, cum suis persecutionibus affligit, unde Apostolus: *Ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus I Thess. 3.* Ac si aperte dicat: Quid in hoc tempore vulnera nostra miramini? qui si æterna gaudia quærimus, ad hoc venimus ut feriamur.

et effudit in terra viscera mea.[‡] 15 Concidit me vulnere super vulnus: irruit in me quasi gigas.[¶] 16 Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam.^{§§} 17 Facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt.* 18 Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.[†] 19 Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniatur in te locum latendi clamor meus:[‡] 20 ecce enim in cælo testis meus, et conscius meus in excelsis.[¶] 21 Verbosi amici mei: ad Deum stillat oculus meus:[§] 22 atque utinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo

[‡]16.14 *Circumdedit me.* Ecclesia lanceis ab hoste suo circumdatur, quando in membris suis ab impugnatore calido tentationum jaculis ab omni parte impetitur. **Convulneravit lumbos meos.** Cum hostis fidelem populum ad luxuriam pertrahit, hunc in lumbis ferit. **Convulnerare** autem dicitur, quia quod nobis male suggerit, nos sequentes ex propria voluntate implemus, et quasi cum ipso nos pariter vulneramus. **Non pepercit et effudit in terra viscera mea.** Viscera Ecclesiæ dicit eorum mentes, qui ejus in se continent mysteria: quos dum antiquus hostis ad sæcularia negotia pertrahit, ejus viscera in terra fundit. **Non pepercit,** id est, non destitit.

[¶]16.15 *Concidit me.* In infirmis suis Ecclesia, etc., usque ad cum culpa culpam cumulaverit. **Irruit in me quasi gigas.** Quia nimirum malignus spiritus contra hanc, id est animam, ex prava consuetudine devictam quasi more gigantis pugnat, quia quanto se ei anima subjicit crebrius, tanto eum sibi intolerabiliorem se facit. Sed quia plerumque ad poenitentiam redit, sequitur.

^{§§}16.16 *Saccum consui super cutem.* In sacco et cinere poenitentia, in cute et carne peccatum carnis intelligitur. Ergo quasi saccus super cutem consuitur, et cinere caro operitur, quia culpa carnis per poenitentiam tegitur, ne in districti iudicis examine ad ultionem videatur. **Facies mea intumuit.** Facies Ecclesiæ sunt, qui in regimine positi apparent primi, ut ex eorum specie sit honor fidelis populi. Hi plangunt culpas infirmantium; sed dum vident quosdam ad veniam redire, quosdam vero in iniquitate persistere, occulta Dei iudicia obstupescunt, quæ non intelligunt.

*16.17 *Et palpebræ.* Palpebræ appellantur, quia ad providenda plebium itinera vigilant; sed cum occulta Dei iudicia nec præpositi vigilantes intelligunt, palpebræ Ecclesiæ sanctæ caligant.

[†]16.18 *Hæc passus sum.* A verbis corporis, etc., usque ad a quibus toleratur dolor?

[‡]16.19 *Terra ne operias sanguinem meum.* Peccanti homini dictum est: **Terra es et in terram ibis;** quæ se terra Redemptoris nostri sanguinem non abscondit quia unusquisque peccator redemptionis suæ pretium sumens, confitetur ac laudat, et quibus valet proximis innotescit. Terra etiam sanguinem ejus non operuit: quia sancta Ecclesia redemptionis suæ mysterium in cunctis jam mundi partibus prædicavit. **Neque inveniatur in te locum latendi clamor meus.** Ibid. Clamor Redemptoris nostri est **sanguis redemptionis,** qui a fidelibus sumitur, qui, ut ait Apostolus, melius loquitur quam sanguis Abel: quia sanguis Abel mortem fratricidæ petiit, sanguis Domini vitam persecutoribus impetravit. Qui clamor locum latendi invenit in nobis, si quod mens credidit, lingua tacet.

[¶]16.20 *Ecce enim in,* etc. Testis Filii Pater est, ut in Evangelio: **Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. Et conscius meus.** Quia una voluntate, etc., usque ad sed talis hominum reprehensiones metuere non debet, unde subditur.

[§]16.21 *Verbosi amici mei.* Cum verbosi amici sunt, id est, cum et ipsi derogant qui in fide sociantur, ad Deum necesse est ut oculus stillat, quatenus nostra intentio tota in amoris intimi compunctione defluat, et tanto se ad interiora erigat, quanto per exteriora opprobria intus redire cogitur.

judicatur filius hominis cum collega suo.** 23 Ecce enim breves anni transeunt, et semitam per quam non revertar ambulo.]††

17 [Spiritus meus attenuabitur; dies mei breviabuntur: et solum mihi superest sepulchrum.‡‡ 2 Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus.¶¶ 3 Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.§§ 4 Cor eorum longe fecisti a disciplina: propterea non exaltabuntur.* 5 Prædam pollicetur sociis, et oculi filiorum ejus deficient.† 6 Posuit me quasi in proverbium vulgi, et exemplum sum coram eis.‡ 7 Caligavit ab indignatione oculus meus, et membra mea quasi in nihilum redacta sunt.¶ 8 Stupebunt justi super hoc, et innocens contra hypocritam suscitabitur.§ 9 Et tenebit justus viam suam, et mundis manibus

**16.22 *Atque utinam*, etc. Peccatores quidem nos, etc., usque ad sed tamen de ejus brevitate se consolatur.

††16.23 *Ecce enim breves anni transeunt*. Omne quod transit breve est, in mortis autem semita per quam non revertimur, ambulamus, non quod ad vitam resurgendo non reducatur; sed quia ad labores hujus vitæ mortalis, vel ad acquirenda laboribus præmia iterum non venimus.

‡‡17.1 *Spiritus meus attenuabitur*. GREG. Attenuatur spiritus electorum timore judicis, et si quas in se carnales cogitationes inveniunt, pœnitentiæ ardore consumunt. Spiritus autem iniquorum per tumorem elationis crassescit. *Et solum mihi superest sepulchrum*. Pene mortuum se considerat, quia moriturum se minime ignorat unde sequitur:

¶¶17.2 *Non peccavi*. Non intantum peccavit, ut hæc flagella mereretur, quia non pro corrigenda culpa, sed pro augenda gratia percussus est. Vel, caput, hoc dicit, qui sine culpa, pœnam culpæ, id est, amaritudinem passionis suscepit.

§§17.3 *Pone me juxta te*. Per ascensionem; post quia Judæa commota est in discipulos, addit: *Cujusvis manus*. Quia jam frustra agunt contra eum, qui sedet in cælo.

*17.4 *Cor eorum longe*. Si enim disciplinæ custodiam nossent, nequaquam Redemptoris præcepta contemnerent. *Propterea non*, etc. Qui enim per disciplinam minime custodire vitam student, semper per desideria in imis jacent, nec mentem ad spem cœlestis patriæ erigunt.

†17.5 *Prædam pollicetur*, etc. Ad caput malorum, diabolus scilicet, sententiam convertit, cujus *socii* sunt apostatæ angeli, qui cum eo ceciderunt. *Filii*, sunt homines perversi, qui de ejus prava persuasionem in malitiæ operatione generantur. *Prædam igitur sociis pollicetur*, quia malignis spiritibus animas pravorum promittit in fine rapiendas. *Oculi filiorum ejus deficient*. Ibid. Quia intentiones hominum, etc., usque ad quod doleant, sine fine patiuntur.

‡17.6 *Posuit me*. Omnis qui flagello percutitur, etc., usque ad eamque pœnam suo optat adversario quam evenisse conspiciat justo.

¶17.7 *Caligavit ab indignatione*. Ab indignatione oculus caligat, quando ipsi qui in Ecclesia lumen veritatis habent, perversos contra innocentes prævalere conspiciunt: quia de occulti judicii admiratione turbantur. Sed cum justi ad indignationem caligant, infirmi plerumque usque ad infidelitatem corruunt, unde sequitur: *Et membra mea quasi in nihilum*. Membrorum nomine teneritudo exprimitur infirmorum, qui dum perversos prospiciunt florere, justos cruciari, bona se inchoasse pœnitent, atque ita ad agenda mala citius recedunt, ac si eorum vitæ nocuerit bonum, quod inchoaverunt.

§17.8 *Stupebunt justi super hoc*. Hoc est quod dixerat *caligavit ad indignationem oculus meus*. *Et innocens contra hypocritam suscitabitur*. Contra hypocritam suscitatur innocens perfectus, quando hunc cum suo flore contemnit, eumque prædicando quæ recta sunt, despiciendum esse cæteris denuntiat.

addet fortitudinem.**¹⁰ Igitur omnes vos convertimini, et venite, et non inveniam in vobis ullum sapientem.^{††}¹¹ Dies mei transierunt; cogitationes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum.^{‡‡}¹² Noctem verterunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem.^{¶¶}¹³ Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum.^{§§}¹⁴ Putredini dixi: Pater meus es; Mater mea, et soror mea, vermibus.*¹⁵ Ubi est ergo nunc praestolatio mea? et patientiam meam quis considerat?[†]¹⁶ In profundissimum infernum descendent omnia mea: putasne saltem ibi erit requies mihi?[‡]

18 Respondens autem Baldad Suhites, dixit: ²[Usque ad quem finem verba jactabitis? intelligite prius, et sic loquamur.[¶]³ Quare reputati sumus ut jumenta, et sorduimus coram vobis?[§]⁴ Qui perdis animam tuam in furore tuo,

**17.9 *Et tenebit justus viam suam.* Quia considerato hypocrita dum illum ex perversa voluntate obtinere ea quae mundi sunt intuetur, ipse ad amorem coelestium robustius stringitur. Sciens, quia bonis desideriis praemia aeterna non deerunt: dum et pravis et duplicibus cordibus bona temporalia non negantur. *Et mundis manibus addet fortitudinem.* Quia videns perversorum terrenam gloriam, etc., usque ad quae sibi cum reprobis communia esse non possunt.

††17.10 *Igitur omnes vos.* Postquam exteriores proventus malorum, bonorum vero interiores intulit, exhortatur electos, ut convertantur, deserendo mala, et veniant, bona faciendo.

‡‡17.11 *Et non in vobis.* Conversionem eorum desiderans exoptat, ne ullum sapientem in eis inveniat, ac si dicat: Stulti esse apud vos discite, ut in Deo vere esse sapientes valeatis. *Dies mei transierunt.* *Dies,* prosperitates: *Cogitationes cor torquentes,* curam terrenae felicitatis dicit: quae quanto gravius electos premunt, tanto subtilius a iudice rationes de ipsis cogitant exquiri haec cogitationes cum ipsa terrena felicitate dissipantur.

¶¶17.12 *Noctem verterunt in diem.* Dissipatae cogitationes *noctem in diem* vertunt, quia justis nonnunquam amplius placet ex adversitate mala perpeti, quam ex prosperitate terrenae dispensationis cura fatigari. *Et rursum post tenebras.* Ibid. Lux post tenebras speratur, etc., usque ad et justorum animas in perpetua jam sede collocaret.

§§17.13 *Si sustinuero.* Priores sancti sustinere adversa poterant, etc., usque ad in inferno sibi requiem praeparasse.

*17.14 *Putredini dixi.* Putredinem, patrem dicit, etc., usque ad ut quasi quibusdam vermibus sic inquietis cogitationibus in mente fatigemur.

†17.15 *Ubi est ergo nunc praestolatio mea.* Praestolatio justorum, Christus; quem quandoque venturum noverant, sed venire citius querebant: unde hic additur, nunc: *Et patientiam meam quis considerat?* Patientiam justorum Deus considerat; sed quasi non considerare dicitur, ad votum desiderii minus citius apparere: et in proximiora tempora dispensationis suae gratiam differre.

‡17.16 *In profundissimum infernum descendent omnia mea.* Ante mediatoris adventum Job in infernum descendurus erat, etc., usque ad retributio adhuc in sola inferni quiete recipi praestolabatur. *Putasne saltem sibi erit requies mihi?* Pensandum est quis nostrum de requie securus sit: si de ea trepidat et ille, cujus virtutis praecordia et ipse iudex qui percutit, clamat.

¶18.2 *Usque ad quem finem verba jactabitis.* GREG., in Job, l. 14. Beatum Job in superbiam astruit erupisse, quem fatetur verba jactare. *Intellige prius.* Signat quanta elatione tumuerat, qui Job loqui quod non intelligeret, putabat.

§18.3 *Quare reputati sumus.* Humanæ mentis est proprium, hoc sibi fieri suspicari, quod facit. Arbitratur enim se despici, qui bonos despiciere consuevit: et ex suspitione contemptus ad indignationem prosilit, et contumelias ingerit.

numquid propter te derelinquetur terra, et transferentur rupes de loco suo?*

⁵ Nonne lux impii extinguetur, nec splendet flamma ignis ejus?^{††} ⁶ Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, et lucerna quæ super eum est extinguetur.^{‡‡} ⁷ Arctabuntur gressus virtutis ejus, et præcipitabit eum consilium suum.^{¶¶} ⁸ Immisit enim in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat.^{§§} ⁹ Tenebitur planta illius laqueo, et exardescet contra eum sitis.* ¹⁰ Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula illius super semitam.[†] ¹¹ Undique terrebut eum formidines, et involvent pedes ejus.[‡] ¹² At-

^{**}18.4 *Quid perdis animam tuam.* Reprobi zelum rectitudinis, vel spiritualem gratiam sanctæ prædicationis, insaniam furoris æstimant: quo perire fidelium animas arbitrantur. *Nunquid propter te derelinquetur terra.* Ecclesia dicit, etc., usque ad unde iste flagellis Job insultat, unde subdit:

^{††}18.5 *Nonne lux impii extinguetur.* Hoc dici de impio recte potuit, contra sanctum non debuit: *Lucem* prosperitatem præsentis vitæ dicit. Sed lux impii extinguitur, quia fugitivæ vitæ prosperitas, cum ipsa terminatur. *Nec splendet flamma ignis ejus.* Ignem dicit fervorem temporalium desideriorum, cujus flamma est decor, vel potestas exterior quæ de interno ejus ardore procedit: sed non splendet, quia in die exitus omnis exterior decor subtrahitur.

^{‡‡}18.6 *Lux obtenebrescet in tabernaculo.* Aliquando tristitiam tenebras, lucem gaudium accipimus. Lux ergo in tabernaculo impii tenebrescit, quia in ejus conscientia gaudium quod de temporalibus fuerat, deficit. *Et lucerna quæ super eum est extinguetur.* Lucerna lumen in testa est, etc., usque ad quia iniquorum mentem terrena gaudia possident.

^{¶¶}18.7 *Arctabuntur gressus virtutis, etc.* Quia vires malitiæ ejus, quas nunc exercet, postmodum poena constringet. *Et præcipitabit eum.* Habet nunc consilium iniquus præsentia appetere, etc., usque ad quod exprimit cum subjungit.

^{§§}18.8 *Immisit enim in rete.* Ibid. Qui pedes in rete mittit, non cum voluerit, ejicit. Sic qui in peccatis se dejicit, non mox cum voluerit, surgit. *Et in maculis ejus ambulat.* Ibid. Qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulando implicat: et cum se expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur.

^{*}18.9 *Tenebitur planta illius, etc.* Quia videlicet stringetur finis in peccato. *Et exardescet contra eum.* Quia quo se malis obligatum pensat, eo de suo reditu desperat; et ipsa desperatione acrius ad hujus mundi concupiscentias æstuat. In ejus animo contra eum sitis exardescit, quia qui perverse egit, ut perversius agat accenditur.

[†]18.10 *Abscondita est in terra.* Ibid. In terra pedica absconditur, cum culpa sub terrenis commodis occultatur, quatenus homo videat, quid concupiscere valeat, et tamen nequaquam videat, in quo culpæ laqueo pedem ponat. *Et decipula illius.* Intuetur enim hostis mores cujusque cui vitio sint propinqui, et illa opponit ante faciem, ad quæ agnoscit facilius inclinari mentem, ut blandis ac lætis moribus luxuriam, asperis mentibus iram et superbiam. Ibi ergo decipulam ponit, ubi esse semitam mentis conspicit: quia illic periculum deceptionis inserit, ubi viam esse invenerit propinquæ cogitationis.

[‡]18.11 *Undique terrebut.* Quia sæpe idcirco quisque bonus esse metuit, ne hoc a pravis patiat, quod se bonis fecisse reminiscitur: dumque hoc pati quod facit metuit, undique territus, undique suspectus in bono opere gressum perdit.

tenuetur fame robor ejus, et inedia invadat costas illius.^{¶ 13} Devoret pulchritudinem cutis ejus; consumat brachia illius primogenita mors.^{§ 14} Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum, quasi rex, interitus.^{** 15} Habitent in tabernaculo illius socii ejus qui non est; aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.^{†† 16} Deorsum radices ejus siccentur: sursum autem atteratur messis ejus.^{‡‡ 17} Memoria illius pereat de terra, et non celebretur nomen ejus in plateis.^{¶¶ 18} Expellet eum de luce in tenebras, et de orbe transferet eum.^{§§ 19} Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo, nec ullæ reliquæ in regionibus ejus.^{* 20} In die ejus stupebunt novissimi,

[¶]18.12 *Attenuetur fame.* Caro nostra infirmitas est. Robur autem, anima rationalis, quæ in expugnandis vitiis resistere per rationem valet. Quæ fame attenuatur, cum nulla interni cibi refectio pascitur. *Et inedia invadat costas illius.* Costæ sunt sensus animi, qui latentes ut viscera cogitationes muniunt. Inedia invadit iniqui costas, quia fames interna sensus mentis extenuat, ut cogitationes suas intus nullatenus regant, sed ad exteriora vagentur quæ petunt. *Devoret pulchritudinem cutis ejus et consumat brachia illius. Idem.* Pulchritudo cutis est gloria temporalis exterior: per *brachia* opera designantur. *Mortem* peccatum dicit, quod animam occidit.

[§]18.13 *Primogenita mors.* Superbia quæ est initium omnis peccati. Pulchritudinem ergo cutis ejus et brachia illius primogenita mors devorat: qua iniqui gloriam vel operationem superbia supplantat. Potuit enim et in hac vita gloriosus existere, si superbus minime fuisset

^{**}18.14 *Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus.* Idem. De tabernaculo fiducia ejus evellitur, quando perversus qui multa in hac vita paraverat, repentina morte dissipatur. *Et calcet super eum quasi rex interitus.* Quia hic vel vitiis premitur quæ ad interitum trahunt, vel mortis tempore, potestati dæmoniacæ subjugatur.

^{††}18.15 *Habitent in tabernaculo.* Id est, in mente ejus apostatæ angeli per cogitationes nequissimas conversentur, ejus videlicet socii, qui idcirco jam non est, quia a summa essentia recessit. *Aspergatur in tabernaculo.* Ibid. In tabernaculo iniqui, sulphur aspergitur, quoties carnis delectatio in ejus mente dominatur. Per sulphur enim foetor carnis accipitur. Et quia talis in malo permanet unde nec fructum boni facere potest, addit:

^{‡‡}18.16 *Deorsum radices ejus siccentur.* Per *radices*, cogitationes accipimus, etc., usque ad quia omnis ejus operatio superno judicio quasi nihilum deputatur.

^{¶¶}18.17 *Memoria pereat.* Ibid. Memoriam suam iniquus in terra statuere conatur, cum gloriam laudis suæ extendere nititur. Et nomen suum in plateis celebrari gaudet, cum longe lateque operationem suæ iniquitatis extendit. GREG. Caput iniquorum diabolus est: ipse quippe in ultimis temporibus illud vas perditionis ingressus, quod Antichristus vocabitur, qui nomen suum longe lateque diffundere conabitur.

^{§§}18.18 *Expellet eum de luce.* De luce ad tenebras ducitur, cum de honore vitæ præsentis ad supplicia æterna damnatur. Sic de unoquoque iniquo loquitur, ut ad caput, id est diabolum vertatur, qui in Antichristo nomen extendet, quod nunc mali imitantur. *Et de orbe transferet,* etc. Cum superno apparente judice de hoc mundo ad poenas transfertur, quæ omnia et de capite malorum Antichristo possunt accipi.

^{*}18.19 *Non erit semen, etc.* Quia omnes iniqui, qui de ejus persuasionem in pravis actionibus nati sunt, cum eodem suo capite ferientur. Quia hæc de Antichristo accipienda sunt, in hoc aperit dum dicit:

et primos invadet horror.[†] 21 Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, et iste locus ejus qui ignorat Deum.][‡]

19 Respondens autem Job, dixit: ² [Usquequo affligitis animam meam, et atteritis me sermonibus?[¶] ³ En decies confunditis me, et non erubescitis opprimentes me.[§] ⁴ Nempe etsi ignoravi, mecum erit ignorantia mea.^{**} ⁵ At vos contra me erigimini, et arguitis me opprobriis meis.^{††} ⁶ Saltem nunc intelligite quia Deus non æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit.^{‡‡} ⁷ Ecce clamabo, vim patiens, et nemo audiet; vociferabor, et non est qui judicet.^{¶¶} ⁸ Semitam meam circumsepsit, et transire non possum: et in calle meo tenebras posuit.^{§§} ⁹ Spoliavit me

[†]18.20 *In die ejus stupebunt.* Quia tanta tunc signa demonstraturus, etc., usque ad metuunt tormenta quæ vincunt. *Et primos invadet horror,* id est, corda electorum pavore ferientur: unde scriptum est.: *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi Matth. 24.,* non quidem casuri, sed trepidaturi ex carne.

[‡]18.21 *Hæc sunt ergo tabernacula.* De hoc illud retulit quod dixerat, etc., usque ad quod sanctum Job credebant pro iniquitate percussum.

[¶]19.2 *Usquequo affligitis, etc.* GREG. Atteruntur boni sermonibus iniquorum, quando contra eos illi in verbis tument, qui aut in perversa fide, aut in pravis moribus jacent.

[§]19.3 *En decies confunditis me.* Ibid. Quia ab eis quinquies increpationes audierat, et quinquies respondit, decies se perhibet esse confusum. Quia in eo quod graviter increpatus est, et in eo quod verba doctrinæ non audientibus dicit, confusionem pertulit, in suis increpationibus, quia in eis non proficit; in eorum increpationibus, quia dolet de pravitate quam audit. *En decies* Ibid. Ecclesia decalogum servat, cui iniqui toties confusionem faciunt, quoties in suis actibus divinis vocibus obsistunt. *Et non erubescitis opprimentes me.* Sunt nonnulli quos ad perpetranda nequitiam oborta subito malitia invitat, sed tamen humana verecundia revocat.

^{**}19.4 *Nempe et si ignoravi.* Scientia hæreticorum non est cum eis, sed contra eos, dum inflat. Sed Ecclesiæ ignorantia, quod arcana non potest penetrare cum ea est, quia pro ea, sed se humiliat; et quia hæretici quod quærunt scire, elatio est, ut contra bonos docti videantur, subdit: vos contra ex me percusso contra vos deberetis erigi, timentes vobis deteriora. Bonus enim prius in se, postea in alios erigitur.

^{††}19.5 *At vos contra me erigimini.* Id est, vosmetipsos redarguendos relinquitis, et me districtis sententiis increpatis. *Et arguitis me.* Quia qui eum justum ante flagella noverant, injustum esse ex ipsa jam sua percussione judicabant.

^{‡‡}19.6 *Saltem nunc intelligite.* Hoc Dominus de illo dixerat commovisti me adversus eum frustra quod ipse de se asserit: quia non æquo judicio a Domino sit afflictus. Si enim vita ejus et flagella pensantur, non æquo judicio videtur afflictus: quia vero merita ejus ex flagellis cumulavit, Deus non injusto judicio Job afflixit. *Quia Deus non æquo judicio.* Astruendum igitur est, quod et Deus cum Job recte egit, et tamen non mentitur, qui non æque fieri dicit: alioquin diabolus vicit in eo quod de beati viri culpa promiserat quem Deus laudavit. Hoc non elatio, sed dolor extorsit. Bonus si in humili mente, exigente causa vel dolore, bona de se dicit, non peccat. *Et flagellis suis me cinxerit.* Cum tanta nos afflictio deprimit, ut nullius rei consolatione respirare animus possit, non jam flagellis solummodo ferimur, sed etiam cingimur, quia tribulationum verbere ex omni parte circumdamur.

^{¶¶}19.7 *Ecce clamabo vim patiens.* Ibid. Deus quid nobis profuturum sit sciens, etc., usque ad qui nec agenda queunt discernere.

^{§§}19.8 *Semitam meam circumsepsit, etc.* Circumseptam verberibus semitam suam vidit, cum transire ad securitatem cupiens, evadere flagella non potuit: et quasi in calle cordis ignorantia tenebras invenit, qui cur ita flagellaretur, penetrare non potuit.

gloria mea, et abstulit coronam de capite meo.* ¹⁰ Destruxit me undique, et pereo: et quasi evulsæ arbori abstulit spem meam.† ¹¹ Iratus est contra me furor ejus, et sic me habuit quasi hostem suum.‡ ¹² Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum meum.¶ ¹³ Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me.§ ¹⁴ Dereliquerunt me propinqui mei, et qui me noverant obliti sunt mei. ¹⁵ Inquilini domus meæ et ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum.** ¹⁶ Servum meum vocavi, et non respondit: ore proprio deprecabar illum.†† ¹⁷ Halitum meum exhorruit uxor mea, et orabam filios uteri mei.‡‡ ¹⁸ Stulti quoque despiciebant me: et cum ab

*19.9 *Spoliavit me gloria mea.* Plane hæc Job conveniunt, etc., usque ad quibus ruentibus latius cadit exercitus.

†19.10 *Destruxit me undique et pereo, et quasi evulsæ arbori,* etc. Arbor vento impellitur ut cadat: sic infirmus minis ad injustitiam trahitur, et æterna quæ sperabat relinquit; et quia aliquando qui pœnis territus justitiam relinquit, pœnas tamen non evadit.

‡19.11 *Iratus est contra me.* Qui enim ita percutitur, ut vires ejus superentur, non hunc Deus ut filium per disciplinam, sed ut hostem ferit per iram: unde et propheta: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli Jerem. 30.* Et quia sæpe maligni spiritus cordibus afflictorum multa suadent, et si quid boni est furantur, addit:

¶19.12 *Simul venerunt latrones.* Id est maligni spiritus, qui exquirendis hominum moribus occupantur: qui viam sibi in afflictorum cordibus faciunt, quando inter adversa quæ exterius tolerantur, cogitationes quoque pravas immittere non desistunt. *Et obsederunt in gyro tabernaculum,* etc. In gyro tabernaculum obsident, etc., usque ad omne corpus ejus ulceribus attriverunt

§19.13 *Fratres meos longe.* Ibid. Modo voce Redemptoris utitur: ab eo longe facti sunt fratres, et noti recesserunt; quem tenentes legem prophetare noverant, et præsentem minime recognoscebant. Judæi etenim propinqui per carnem, et noti per legis instructionem, quasi obliti quem verbis legis per fidem prophetaverant, verbis perfidiæ incarnatum negabant.

**19.15 *Inquilini domus meæ.* Id est sacerdotes, quorum origo in Dei servitio deputata, jam per officium in conditione tenebatur *ancillæ.* Levitarum animæ sunt ad secreta tabernaculi, quasi ad interiora cubiculi familiariter servientes. *Et quasi peregrinus fui, etc.* Quia a synagoga non est cognitus; unde et propheta: *Quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum Jer. 14.* Qui enim ut Dominus auditus non est, non possessor agri, sed *colonus* est creditus: *Qui quasi viator ad manendum declinavit,* quia paucos ex Judæa abstulit, et ad vocationem gentium pergens iter coeptum peregit.

††19.16 *Servum meum vocavi.* Servus Judaicus populus fuit, timore obsequens; quem collatis muneribus, quasi emissis vocibus, ad se ducere statuit, sed non respondit, quia digna opera donis ejus reddere contempsit. *Ore proprio decorabat.* Qui autem ei tot præcepta, prophetarum ore mandaveram, ore proprio deprecabar: quia in carne monstratus, dum mandata vitæ humiliter dixit, quasi superbientem servum ut veniret, rogavit.

‡‡19.17 *Halitum meum exhorruit uxor, etc.* Uxor Domini, etc., usque ad quæ carnalibus sensibus dedita incarnationis ejus mysterium non agnovit. *Et orabam filios uteri.* Uterum Dei, consilium ejus debemus accipere; in quo ante sæcula per prædestinationem concepti sumus, ut creati per sæcula producatur. Oravit ergo filios uteri sui: quia eos quos condidit, incarnatus humiliter rogavit.

eis recessissem, detrahebant mihi.[¶] 19 Abominati sunt me quondam consilarii mei, et quem maxime diligebam, aversatus est me.^{§§} 20 Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* 21 Miseremini mei, miseremini mei saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me.† 22 Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?‡ 23 Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro 24 stylo ferreo et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? 25 Scio enim quod redemptor meus

[¶]19.18 *Stulti quoque despiciebant, etc.* Quia dum legisperiti Deum despicerent, eorum incredulitatem turba populi secuta est. Relictis sapientibus, pauperes et stultos venerat quærere: unde cum augmento doloris dicit *Stulti quoque*; pro quibus ergo stultitiam suscepi, Verbum caro factum, despiciebant me. *Et cum ab eis recessissem.* Quasi accedebat ad cor populorum Dominus, cum eis miracula demonstraret: et quasi recedebat, cum nulla signa ostenderet, et a miraculis quiescenti, præbere fidem nolebant.

^{§§}19.19 *Abominati sunt me, etc.* Scribæ et legis doctores, etc., usque ad de eodem legis doctorum ordine sequitur: *Et quem maxime diligebam.* Ordo doctorum, qui prius in prædicatione serviens, maxime diligebatur: quem non solum ad non credendum, sed usque ad persequendum Deum turba secuta est. Et tunc factum est quod sequitur:

*19.20 *Pelli meæ consumptis.* In ossibus fortitudo, etc., usque ad passionis tempore juxta se mulieres invenit. *Carnibus* GREG. Quæ ossi hæserant, dum discipuli, licet infirmi, veritatis fidem populis prædicarent. Et cum sanctæ mulieres ea quæ necessaria erant exteriora corporis subsidia præpararent, quasi pellis extra manebant in corpore. *Et derelicta.* Dentes apostoli sunt; labia tantummodo circa dentes relicta sunt, cum de eo duo post mortem ejus ambulantes confabulari quidem noverant, sed prædicare jam eum, aut mordere infidelium vitia formidabant. Sed jam ad propria verba Job revertitur. *Tantummodo.* Nec felicibus aliud est circa dentes quam labia: et sic patet hoc mystice dici.

†19.21 *Miseremini mei.* Piorum est cum ab adversariis patiuntur, non tam ad iram quam ad preces moveri. Tactum autem se manu Domini appellat, sicut ipse Satan dixerat: *Mitte manum tuam, et tange os ejus.*

‡19.22 *Quare persequimini me.* Tanto Deus justius aliena vitia percutit, quanto in se nihil habet vitiorum. Et est sensus: Ita me ex infirmitatibus meis affligitis, ac si ipsi more Dei de infirmitate nihil habeatis. *Sicut Deus.* Idem cum Deo agunt, quia hoc faciunt quod Deus omnipotens fieri permittit; sed non idem volunt: quia cum omnipotens Deus amando purgationem exhibet, injustorum pravitas sæviendo malitiam exercet. Vel, quasi non infirmi, qui non deberent increpare cum Deus percutit, ne addant dolorem dolori, sed consolari. Cum vero manus Domini cessat, tunc dignis increpatio potest fieri. *Et de carnibus meis saturamini.* Quorum mens proximorum penas esurit, saturari alienis carnibus quærit. Vel, qui alienæ vitæ detractone pascent alienis carnibus saturantur. *Quis mihi tribuat, etc.* Dura quæ sustinet, non vult per silentium tegi, sed exemplo ad notitiam pertrahi ut alii ad patientiam valeant ædificari. *Quis mihi tribuat.* Ibid. Hæc quoque Ecclesiæ congruunt, etc., usque ad postea vero ipsum librum in laminam plumbi et in silicem dividit. *Quis mihi det, etc.* Per stylum ferreum fortis sententia Patrum. Per plumbum Judææ populus gravis peccato. Per silicem gentilitas figuratur. Cuncta ergo quæ pertulit, forti sententia Patrum edoctus et Judææ populus, et gentilitas agnovit. Quod in plumbo scribitur, citius deletur. In silice difficile sculpsitur, sed manet: sic Judæa verba Dei cito recepit, et cito deseruit. Gentilitas vix recepit, sed recepta fortiter servavit.

vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum:[¶] 26 et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum: 27 quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.[§] 28 Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum, et radicem verbi inveniamus contra eum?^{**} 29 Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est: et scitote esse iudicium.]^{††}

20 Respondens autem Sophar Naamathites, dixit:^{‡‡} 2 [Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur. 3 Doctrinam qua me arguis audiam, et spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.^{¶¶} 4 Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram,^{§§} 5 quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti.* 6 Si ascenderit usque ad cælum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit,[†] 7 quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderant,

[¶]19.25 *Scio enim quod Redemptor, etc.* Non ait conditor, sed Redemptor eam aperte denuntians, qui postquam omnia creavit, de captivitate passione sua nos redemit. Vivit autem qui inter manus impiorum occubuit. *Et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum, etc.* Ibid. Quia resurrectionem, etc., usque ad quo flore sacerdos esse ostenditur, qui pro nobis interpellat.

[§]19.27 *Quem visurus sum, etc.* GREG. Caro nostra post resurrectionem eadem erit et diversa. Eadem per naturam, diversa per gloriam. Eritque spiritalis, quia incorruptibilis et palpabilis: quia non amittet essentiam veracis naturæ. *Ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.* Expresse indicat veritatem resurrectionis: non enim alius moritur et alius resurgit ut qui dicunt invisibile et impalpabile corpus futurum sicut Eutychius dixit sed idem ipse. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Nihil nos certius habere credimus, etc., usque ad unde protinus subdit:

^{**}19.28 *Quare ergo nunc.* Perversi quia in lingua justi accusationem invenire appetunt, verbi radicem quærunt, ex qua loquendi originem sumant, et ramos loquacitatis dilatent: sed tamen sanctus vir mala quæ fugiant, miseratus ostendit.

^{††}19.29 *Fugite ergo.* Ibid. Faciem gladii fugere, est animadversionis districtæ sententiam prius quam appareat, placare. *Et scitote esse iudicium.* Omnis qui perverse agit, eo ipso quo hoc despicit, esse Dei iudicium nescit.

^{‡‡}20.1 *Idcirco cogitationes.* GREG. in Job., l. 15. Ac si dicat: quia extremi iudicii terrorem considero, idcirco cogitationum tumultibus in timore confundor. *Et mens in diversa rapitur.* Quando modo mala quæ agere neglexit, modo reprehensibilia in quibus est, modo recta quæ sibi adhuc deesse conspicit, sollicito pavore perpendit. Isti ex societate Job noverunt quidem recte vivere, sed iudicia Dei subtiliter pensare nescientes, justos hic non posse percuti credunt. Et ideo hunc suspicati sunt iniquum, et ad increpationem dilabuntur: ad quam tamen sub quadam reverentia descendunt. Unde iste subdit.

^{¶¶}20.3 *Doctrinam qua, etc.* Ibid. Quibus moderate præmissis, etc., usque ad et hoc invenio quod *laus impiorum, etc.*

^{§§}20.4 *Hoc scio a principio.* Si enim ab ipso humani generis exortu usque ad hoc tempus mentis oculos ducimus, omne quod finiri potuit, quam breve fuerit, videmus.

^{*}20.5 *Et gaudium hypocritæ.* Gaudium hypocritæ in similitudinem puncti est. Nam sicut stylus in puncto, dum ponitur, levatur, sic hypocrita præsentis vitæ laudem dum tangit, amittit. *Ad instar puncti,* quia lætitia pertransit, poena permanet: apparet ad momentum, disparet in perpetuum.

[†]20.6 *Si ascenderit,* id est, etsi cœlestem vitam se agere simulat, etsi intellectum suum similem veris prædicatoribus ostentat, quasi sterquilinium tamen in fine perdetur, quia mens illius pro vitiorum suorum foetore damnabitur.

dicent: Ubi est?[‡] 8 Velut somnium avolans non invenietur: transiet sicut visio nocturna.[¶] 9 Oculus qui eum viderat non videbit, neque ultra intuebitur eum locus suus.[§] 10 Filii ejus atterentur egestate, et manus illius reddent ei dolorem suum.^{**} 11 Ossa ejus implebuntur vitii adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient.^{††} 12 Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua.^{‡‡} 13 Parcet illi, et non derelinquet illud, et celabit in gutture suo. 14 Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.^{¶¶} 15 Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.^{§§} 16 Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ. 17 (Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis et butyri.)^{*} 18 Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur: juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit.[†] 19 Quoniam confringens nudavit pauperes: domum rapuit, et non ædificavit eam.[‡] 20 Nec est satiatus venter ejus: et cum habuerit quæ concupierat, possidere non po-

[‡]20.7 *Et qui eum viderant, dicent.* Ibid. Qui hunc elatum viderunt, exstincto dicent, Ubi est? quia neque in hoc sæculo ubi elatus fuerat, apparet, neque in æternitatis requie, de qua esse putabatur.

[¶]20.8 *Velut somnium avolans.* Vita hypocritæ, etc., usque ad quia hominum favores dormiens videbat.

[§]20.9 *Oculus qui eum viderat.* Locus hypocritæ cor adulantium: ibi quippe requiescit, ubi favores invenit. Oculus ergo qui eum viderat non videbit, quia in morte amatoribus suis absconditur, qui eum consueverant admirando conspicerere. *Neque ultra intuebitur.* Quia linguæ adulantium hunc ad iudicium favoribus non sequuntur.

^{**}20.10 *Filii ejus atterentur,* etc. Quia hi qui in hypocrisi ex ejus imitatione nascuntur, dum veritatis soliditatem non tenent, in cordis egestate deficiunt.

^{††}20.11 *Ossa ejus implebuntur.* Adolescentia hypocritæ inchoatio pravitatis est, etc., usque ad omni soliditate vacuari ac deperire.

^{‡‡}20.12 *Cum enim dulce fuerit.* Ibid. In ore cordis suavis est iniquitas, quam sub tegmine blandæ locutionis operit. Malum enim in lingua, et non sub lingua esset, si loquens hypocrita malitiam aperiret. *Parcet illi et non.* Malo quod diligit parcat, qui non hoc poenitendo persequitur; et non derelinquit, sed cetat in gutture, quia sic servat in cogitatione, ut nunquam proferat in voce. BEDA. Id est, palpat, foveat et nutrit malum suum, et delectans se in illo, nunquam poenitet ut ab eo discedat.

^{¶¶}20.14 *Panis ejus in utero.* Plerumque hypocrita pane sacri eloquii erudiri studet, non ut eo vivat, sed ut doctus appareat; sed dum doctrinæ verbum, quod male quærit, prave intelligit, et in hæreses labitur: contingit ei ut sicut de felle aspidum, sic moriatur de pane. Sed quia Dei eloquia, etiam si recte intelligat, in opere nequaquam servat, in præsentī vita perdit, ut nesciat quod agere voluit.

^{§§}20.15 *Divitias.* Sacræ legis quas legendo devoravit, obliviscendo evomet: quas Deus justo iudicio de ejus memoria evellit. *Caput aspidum.* Ibid. Aspis parvus est serpens, etc., usque ad velut ex lingua viperæ occidit.

^{*}20.17 *Non videat rivulos.* Ibid. Rivuli fluminis sunt dona Spiritus sancti, etc., usque ad mysterium incarnationis Christi significat.

[†]20.18 *Luet quæ fecit omnia.* Persolvēt enim in tormento ea quæ hic illicita servavit desideria, nec in morte consumetur, sed ut sine fine crucietur, vivere sine fine compellitur, ut cujus vita hic mortua fuit in culpa, illic ejus mors vivat in pœna. Dicat ergo, *luet quæ fecit omnia,* nec tamen consumetur, quia cruciatur et non exstinguitur: moritur et vivit, deficit et subsistit semper, et sine fine est.

[‡]20.19 *Quoniam confringens.* Domum pauperis confringit et nudat, quia eum quem per potentiam conterit, expoliare per avaritiam non erubescit

terit.[¶] ²¹ Non remansit de cibo ejus, et propterea nihil permanebit de bonis ejus.[§]
²² Cum satiatus fuerit, arctabitur: æstuabit, et omnis dolor irruet super eum.^{**} ²³ Utinam impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui, et pluat super illum bellum suum.^{††} ²⁴ Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum.^{‡‡} ²⁵ Eductus, et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua: vadent et venient super eum horribiles.^{¶¶} ²⁶ Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus; devorabit eum ignis qui non succenditur: affligetur relictus in tabernaculo suo.^{§§} ²⁷ Revelabunt cæli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum.^{*} ²⁸ Apertum erit germen domus illius: detrahetur in die furoris Dei.[†] ²⁹ Hæc est pars hominis impij a Deo, et hæreditas verborum ejus a Domino.][‡]

21 Respondens autem Job, dixit: ² [Audite, quæso, sermones meos, et agite poenitentiam. ³ Sustinete me, et ego loquar: et post mea, si videbitur, verba, ridete. ⁴ Numquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam con-

[¶]20.20 *Nec est satiatus venter.* Venter quippe iniqui avaritia est, et in ipsa colligitur quidquid perverso desiderio glutitur. Liquet vero quia avaritia desideratis rebus non exstinguitur, sed augetur; nam more ignis cum ligna quæ consumat acceperit, excrescit, et unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post cernitur dilatari. *Et cum habuerit quod concupierat.* Majoris iracundiæ est cum hoc tribuitur quod male desideratur, quia inde repentina ultio sequitur, quia hoc quoque obtinuit, quod Deo irascente concupivit.

[§]20.21 *Non remansit de civitate ejus.* Percusso hypocrita, de cibo ejus nihil remanet, quia cum ad supplicia ducitur, a cunctis quæ possederat alienatur. *Propterea nihil, etc.* Quia de hac vita subtractus, ad judicem nudus vadit.

^{**}20.22 *Cum satiatus fuerit, arctabitur.* GREG. Cum multa congesserit arctatur; anxietur enim qualiter acquisita custodiat. *Æstuabit, et omnis dolor.* Hinc inde insidiatores metuit, etc., usque ad tanto facilius rapitur ad tormentum. Sequitur:

^{††}20.23 *Utinam impleatur venter ejus, etc., pluat super illum bellum.* Bellum Deo pluere, etc., usque ad prævidere comtempisit.

^{‡‡}20.24 *Fugiet arma.* Ibid. Surripit avarus aliena aliquando, etc., usque ad æterni judicii se percussionebus ante ponit. Interim autem,

^{¶¶}20.25 *Gladius eductus,* etc. Iniquus, dum prava in cogitatione machinatur, quasi gladius in vagina est. De vagina egreditur dum per iniquitatem malæ operationis aperitur; eductus autem per seductorem, egrediens vero per propriam voluntatem, *Vadent et venient,* etc. Maligni spiritus bonis mentibus sunt, etc., usque ad elatio de continentia surrogatur, etc.

^{§§}20.26 *Omnes tenebræ absconditæ sunt.* Nam qui cuncta simul in effectum non explet, cuncta quæ noceant in mente tacitus tenet. *Devorabit eum,* etc. Ignis gehennæ qui studio humano non succenditur, sed creatus est a Deo ab origine mundi. *Affligetur relictus.* Iniqui tabernaculum caro est, quia ipsam lætus inhabitat, cum qua ejus spiritus cruciabitur. Boni non in carne gaudium suum ponunt, sed in cælo. Relictus a carne a qua abstrahitur, quam hic amavit, nec relinquere voluit: tunc propter tormenta relinquere volet, sed non poterit.

^{*}20.27 *Revelabunt;* Ibid. quia hic nec bonis nec malis pepercit, eum in tremendo examine, justorum vita et peccatorum pariter accusabit.

[†]20.28 *Apertum erit.* Cum omne malum, quod in conscientia ejus nascebatur, adveniente judice, ostenditur. *Detrahetur in:* quia vindictæ tempore raptus ad supplicia, ab æterni judicis vultu separatur.

[‡]20.29 *Hæc est pars hominis impij.* Cum enim Dei justitia supplicium a reprobis pro perversis actibus exigit, eis mala usque ad verborum retributionem reddit.

tristari?[¶] ⁵ Attendite me et obstupescite, et superponite digitum ori vestro.[§] ⁶ Et ego, quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor.^{**} ⁷ Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?^{††} ⁸ Semen eorum permanet coram eis: propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum.^{**} ⁹ Domus eorum securæ sunt et pacatæ, et non est virga Dei super illos.^{¶¶} ¹⁰ Bos eorum concepit, et non abortivit: vacca peperit, et non est privata fœtu suo. ¹¹ Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exultant lusibus.^{§§} ¹² Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi.* ¹³ Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.[†] ¹⁴ Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.[‡] ¹⁵ Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? et quid nobis prodest si

[¶]21.4 *Nunquid contra.* Beatus Job, si Deo placens hominibus displiceret, causas tristitiæ nullas haberet; sed quia se Deo displicuisse per flagella præsentia credidit, anceps factus de ante acta vita, jam animum ad tristitiam vocavit: qui si flagellis absentibus contra hominem de vitæ suæ meritis disputaret, nequaquam contristare debuisset. *Nunquid contra hominem.* Quasi nondum hypocrita, si cum hominibus de vita mea agerem, non timerem: quibus si displicerem, non curarem; sed quia cum Deo, merito tristor. *Vos autem attendite me,* quasi Deum, sed non vos timeo.

[§]21.5 *Attendite,* id est considerate quæ egi, et admiramini in his quæ patior. *Et superponite digitum ori vestro,* id est locutioni vestræ discretionis virtutem adjungite.

^{**}21.6 *Et ego quando recordatus fuero.* Ibid. Quia actuum suorum oblitus non erat, etc., usque ad contra ejus dicta subjungit:

^{††}21.7 *Quare ergo impii vivunt.* Sublevantur honoribus, confortantur rebus, quia eos patientia divina tolerat. *Confortatique divitiis,* etc., ut diu in eis subsistere permittantur; sed quia sunt quibus hæc habere pœna est, quia hæredes quibus hæc relinquunt, non habent. Subdit:

^{**}21.8 *Semen eorum permanet.* In augmentum felicitatis cum patrimonio dantur hæredes. *Coram eis.* Ne qua necessitas saltem oculis subtrahat ea in quibus animus exsultat; sed ne in eis sterilibus genus exstinguatur, addit: *Propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum.* Ecce dicuntur eis esse vita, honores, divitiæ, filii, nepotes: sed si intus domestica cura ureret, non esset læta hæc felicitas, unde subdit:

^{¶¶}21.9 *Domus eorum securæ sunt, et pacatæ, et non est.* Quæ enim esset supradicta, felicitas, si læta non esset? Si intus prospera, in agris quoque. *Bos eorum concepit.* Dominis gregum prima est felicitas, etc., usque ad unde fecunditas familiæ subditur:

^{§§}21.11 *Egrediuntur quasi greges.* Ut sicut majora ad habendum concessa sunt, ita multi germinent ad custodiendum. *Et infantes eorum exsultant lusibus.* Sed ne illum lusum vilem crederemus, ait:

^{*}21.12 *Tenent tympanum et citharam.* Quasi cum domini honoribus et rebus tument, subjecti in ludicris actibus gaudent.

[†]21.13 *Ducunt in bonis dies suos.* Quia omnis longitudo vitæ præsentis punctus esse cognoscitur, cum fine terminatur. Quidquid enim transire potuit, subitum fuit. *Et in puncto ad inferna descendunt.* Sed finis est pessimus; ecce quo tendebat, quia præsentis vitæ prosperitas non est testis innocentiae, quia et hac usi pereunt, et flagellati liberantur, quod est contra amicos Job.

[‡]21.14 *Qui dixerunt Deo: Recede a nobis.* GREG. Dicunt Deo: Recede a nobis, qui ei ad se præbere aditum recusant, eumque pravis actibus impugnant. *Scientiam viarum tuarum.* Via Dei pax, humilitas, patientia est: quæ qui despiciunt, dicunt: Scientiam viarum tuarum nolumus.

oraverimus illum?[¶] 16 Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me.[§] 17 Quoties lucerna impiorum extinguetur, et superveniet eis inundatio, et dolores dividet furoris sui?^{**} 18 Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit.^{††} 19 Deus servabit filiis illius dolorem patris, et cum reddiderit, tunc sciet.^{‡‡} 20 Videbunt oculi ejus interfectionem suam, et de furore Omnipotentis bibet.^{¶¶} 21 Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se, et si numerus mensium ejus dimidiatur?^{§§} 22 Numquid Deus docebit quispiam scientiam, qui excelsos judicat?^{*} 23 Iste moritur robustus et sanus, dives et felix.[†] 24 viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur.[‡] 25 alius vero moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus: 26 et tamen simul in pulvere dormient, et vermes

[¶]21.15 *Quis est Omnipotens?* etc. *Dixit enim insipiens in corde suo: Non est Deus. Et quid nobis prodest si oraverimus?* Iniqui qui non Deum, sed exteriora dona quæerunt, cum eadem sevientibus deesse conspiciunt, ipsi servire contemnunt.

[§]21.16 *Verumtamen quia non sunt.* Bona in manu habet, qui despiciendo temporalia, sub dominio mentis premit. At quisquis ea nimie diligit, se magis illis quam ipsa sibi supponit. *Consilium eorum longe.* Consilium impiorum est terrenam gloriam quæerere, æternam negligere. Sed quia in hac vita non continue prosperantur, sequitur:

^{**}21.17 *Quoties lucerna impiorum extinguetur.* Sæpe impius lucernam suam filiorum vitam æstimat; sed cum filius qui nimie amatur subtrahitur, lucerna impii, quæ videbatur, exstincta est; sic est et de opibus atque honoribus. Et superveniet eis inundatio. Inundatio impiis supervenit, cum dolorum fluctus exaliqua adversitate patiuntur. *Et dolores dividet,* etc. Qui æternos dolores impio servat, et hic aliquando ejus mentem temporalis dolore transverberat; quia enim hic et illic percutit, furoris sui super impium dolores dividit, ut duplici contritione conteratur.

^{††}21.18 *Erunt sicut paleæ.* Quia iræ Dei flatu subito levantur atque asportantur ad ignem: *Et sicut favilla quam,* quia eos ad æterna supplicia turbo rapiens asportat.

^{‡‡}21.19 *Deus servabit filiis illius.* Quia qui parentis iniquitatem imitatur, etiam ejus delicto constringitur. *Et cum reddiderit.* Nescit enim impius mala quæ fecit, nisi cum puniri cœperit.

^{¶¶}21.20 *Videbunt oculi ejus.* Quia ita iniquitate duruerat, ut nec in ipsis metueret ferri quæ amabat, dummodo quæ perverse cogitaverat, expleret: de qua obduratione subjungitur:

^{§§}21.21 *Quid enim ad.* Non quod in inferno non cogitet de cognatis, etc., usque ad ne quis discutere præsumat, sequitur:

^{*}21.22 *Nunquid Deum quispiam docebit scientiam?* id est nobiscum nil injuste agit, qui et subtiliorem nobis angelicam naturam juste judicavit, unde nihil restat conqueri.

[†]21.23 *Iste moritur.* Ecce ponit illa in quibus Omnipotentis secretum quis discutiat, quærendo cur hæc ita esse permittat. Superficies litteræ satis patet per se. Quod autem dicit:

[‡]21.24 *Viscera ejus plena sunt adipe.* Adeps quippe ex abundanti cibo est, etc., usque ad ecce dives inaniter gaudet, pauper inanius affligitur.

operient eos.[¶] 27 Certe novi cogitationes vestras, et sententias contra me iniquas.[§] 28 Dicitis enim: Ubi est domus principis? et ubi tabernacula impiorum? 29 Interrogate quemlibet de viatoribus, et hæc eadem illum intelligere cognoscetis:^{**} 30 quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur. 31 Quis arguet coram eo viam ejus? et quæ fecit, quis reddet illi?^{††} 32 Ipse ad sepulchra ducetur, et in congerie mortuorum vigilabit.^{‡‡} 33 Dulcis fuit glareis Cocyti, et post se omnem hominem trahet, et ante se innumerabiles.^{¶¶} 34 Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?]^{§§}

22 Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit:^{*} 2 [Numquid Deo potest comparari homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ? 3 Quid prodest Deo, si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?[†] 4 Numquid timens arguet te, et veniet tecum in iudicium,[‡] 5 et non propter malitiam tuam plurimam,

[¶]21.26 *Et tamen simul in pulvere dormient.* Ibid. Quæ cura de dissimili vita, prospera vel adversa, cum similis finis in pulvere? Illa vita cogitanda, ubi cum resurrectione ad dissimilem finem pervenitur, ubi felix ad pœnas, afflicti transit ad requiem. *Et tamen simul in pulvere.* Id est, in terrenis desiderii oculos mentis claudent: *Et vermes,* qui de carne, id est carnales curæ premunt, quod non in Job, qui nec de habitis tumuit, nec de amissis anxius fuit. Sed illi hoc putant, quare subjungit:

[§]21.27 *Certe novi cogitationes vestras.* Quem enim percussum viderunt, etc., usque ad nec perfecte ad æterna transeunt, unde addit:

^{**}21.29 *Interrogate quemlibet de via.* Viator dicitur qui præsentem vitam, viam sibi esse et non patriam attendit, qui in dilectione prætereuntis sæculi cor figure despicit, sed æterna petit.

^{††}21.31 *Quis arguet coram eo vias ejus.* Cum de omnium malorum corpore loqueretur, etc., usque ad nec Elias, nec Enoch suis viribus, sed Dei.

^{‡‡}21.32 *Ipse ad sepulchra.* Hoc in vita, etc., usque ad quia in pravorum tantum cordibus recipitur. *Et in congerie.* Quia in congregatione peccantium astutiæ suæ insidias exerit; quoniam autem multi sunt mali, recte congeries nominantur.

^{¶¶}21.33 *Dulcis fuit.* Cocytus, luctus infirmantium dicitur, etc., usque ad signantes quod ibi sit luctus iniquus. *Et post se omnem.* Ibid. Homo humana sapiens hic intelligitur; post se omnem hominem trahit, quia cunctos, quos carnales invenerit, sub suæ ditionis jugum rapit: qui et nunc priusquam appareat, innumerabiles trahit, etsi non omnes, quia multi a carnalitate retrahuntur.

^{§§}21.34 *Quomodo igitur consolamini, etc.* Quoniam si iniquus in hac vita permittitur prosperari, quod de Antichristo ostensum est, necesse est ut electus debeat sub flagelli freno retineri. *Cum responsio vestra,* etc. Eum enim consolari non poterant, in quo suis sermonibus veritati contraibant. Nam cum hunc hypocritam dicerent, quoniam mentiendo culpam perpetrabant, afflicti justi pœnam augebant; quia diligentem veritatem torquet culpa alienæ fallaciæ.

^{*}22.1 *Respondens, etc. Nunquid Deo.* GREG., in Job., l. 16. Qui contra veritatis verba deficiunt, etiam nota replicant, ne tacendo victi videantur; unde Eliphaz beati Job sermonibus pressus, ea dicit quæ nullus ignorat; ait enim: *Nunquid Deo comparari?* In comparatione etenim Dei scientia, etc., usque ad quasi descendendo subjungit.

[†]22.3 *Quid prodest?* In omni quippe quod bene agimus, etc., usque ad adhuc adjungit Eliphaz quod nullus ignorat.

[‡]22.4 *Nunquid timens arguet te?* Quis hoc vel desipiens sentiat, quod Deus ex timore nos arguat, et ex metu contra nos iudicium suum proponat? *Nunquid tibi arguet?* Qui verba sua metiri nesciunt, ad otiosa dicta dilabuntur.

et infinitas iniquitates tuas?[¶] ⁶ Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, et nudos spoliasti vestibus.[§] ⁷ Aquam lasso non dedisti, et esurienti subtraxisti panem. ⁸ In fortitudine brachii tui possidebas terram, et potentissimus obtinebas eam. ⁹ Viduas dimisisti vacuas, et lacertos pupillorum comminuisti. ^{**} ¹⁰ Propterea circumdatus es laqueis, et conturbat te formido subita. ¹¹ Et putabas te tenebras non visurum, et impetu aquarum inundantium non oppressum iri?^{††} ¹² an non cogitas quod Deus excelsior cælo sit, et super stellarum verticem sublimetur?^{‡‡} ¹³ Et dicis: Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem iudicat. ¹⁴ Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cæli perambulat. ¹⁵ Numquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui,^{¶¶} ¹⁶ qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum?^{§§} ¹⁷ Qui dicebant Deo: Recede a nobis: et quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum, ¹⁸ cum ille implesset domos eorum bonis: quorum sententia procul sit a me.* ¹⁹ Videbunt justi, et lætabuntur, et innocens subsannabit eos:[†] ²⁰ nonne succisa est erectio eorum? et reliquias eorum devoravit ignis?[‡] ²¹ Acquiesce igitur ei, et habeto pacem, et per hæc habebis fructus optimos.[¶] ²² Suscipe ex ore illius legem, et pone sermones ejus in corde tuo. ²³ Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, et longe facies iniquitatem a taber-

[¶]22.5 *Et non propter malitiam tuam plurimam.* A verbis otiosis, etc., usque ad sed semper ad deteriora descendat. Nam sequitur.

[§]22.6 *Abstulisti enim pignus.* Hæc ad litteram aperta sunt, etc., usque ad vel dona spiritualia perdunt, qui ad te veniunt.

^{**}22.9 *Viduas.* Dicunt hæretici plebes, etc., usque ad pro peccatis dicunt retribuier? Et hoc est, *Propterea circumdatus es laqueis.*

^{††}22.11 *Et putabas te.* Quasi diceret, etc., usque ad sicut unda super undam.

^{‡‡}22.12 *An non cogitas quod Deus.* Quasi, an ideo, etc., usque ad quia stulto iudicio solos se sapientes putant.

^{¶¶}22.15 *Nunquid semitam?* Sicut semita Redemptoris humilitas, ita semita sæculorum superbia. Sæculorum itaque semitam viri iniqui calcant, qui per hujus vitæ desideria in elatione perambulant.

^{§§}22.16 *Qui sublati sunt ante tempus suum; nisi quod omnes.* Qui præsentem vitam diligunt, etc., usque ad et mutatur sententia, sed non consilium æternum. *Et fluvius subvertit fundamentum eorum.* Iniqui dum præsentia esse fugitiva non intuentur, etc., usque ad quia cursus mutabilitatis statum in eis subruit perversæ constructioni.

^{*}22.18 *Cum ille implesset.* Malorum domos Dominus implet, quia etiam ingratis sua dona non denegat. *Quorum sententia procul.* Hoc etiam Job, etc., usque ad optat esse malorum dissimilis.

[†]22.19 *Videbunt justii,* iniquorum interitum. *Et lætabuntur.* Cum districto iudicii perfecta jam securitate inhæserint. Nunc enim reprobos prospiciunt et gemunt.

[‡]22.20 *Nonne succisa.* Hic iniqui erecti sunt, etc., usque ad vel a conspectu iudicis ad gehennam pertrahuntur. *Et reliquias eorum devoravit.* Quia et si hic carnem relinquunt, in resurrectione recipient, ut in carne ardeant in qua peccaverunt.

[¶]22.21 *Acquiesce igitur.* Culpa superbiæ est, docere meliorem, quod sæpe hæretici faciunt catholicis.

naculo tuo.^{§ 24} Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos.^{** 25} Eritque Omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi.^{†† 26} Tunc super Omnipotentem deliciis affluens, et elevabis ad Deum faciem tuam.^{‡‡ 27} Rogabis eum, et exaudiet te, et vota tua reddes.^{¶¶ 28} Decernes rem, et veniet tibi, et in viis tuis splendet lumen.^{§§ 29} Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.^{* 30} Salvabitur innocens: salvabitur autem in munditia manuum suarum.][†]

23 Respondens autem Job, ait:^{‡ 2} [Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.^{¶ 3} Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus?^{§ 4} Ponam coram eo iudicium, et os meum replebo increpationibus.^{** 5} ut sciam verba quæ mihi re-

§22.23 *Si reversus fuerit.* Quia a justitiæ ædificatione destructus es. *Et longe facies.* Corpus animæ accipitur tabernaculum et mens cogitationum. Et est sensus: Si ad Deum post errata revertaris, in cogitatione et in opere mundaberis.

**22.24 *Dabit pro terra.* Per terram infirmitas actionis, per silicem fortitudo signatur, per torrentes aureos doctrina intimæ claritatis. Ad se ergo conversis pro terra dat *silicem* robusti operis, et *pro silice torrentes aureos. Pro.* Quia pro robusto opere doctrinam multiplicat claræ prædicationis. BEDA. Hoc dicit, quod si propitiato sibi Domino, etc., usque ad sunt argentum igne examinatum.

††22.25 *Eritque Omnipotens contra.* Ibid. Sæpe cum sacris eloquiis intendimus, malignorum spirituum insidias graviter toleramus. Et est sensus: dum malignos spiritus a te repulerit, divini in te eloqui talentum lucidum excrescet.

‡‡22.26 *Tunc super.* Super Omnipotentem deliciis affluere est in amore illius epulis sacræ Scripturæ satiari. *Et elevabis ad Deum.* Ad Deum levare faciem, est cor ad sublimia investiganda attollere.

¶¶22.27 *Et vota tua reddes.* Qui vota vovit, sed pro infirmitate solvere non valet, ei ex peccati pœna hoc agitur, ut volenti bonum posse subtrahatur: cum vero ea, quæ obsistit, culpa detergitur, fit protinus ut votum possibilitas sequatur.

§§22.28 *Decernes.* Res decernitur et venit, cum virtus, quæ ex desiderio appetitur, largiente Domino etiam per effectum prosperatur. *Et veniet.* Eadem promittunt hæretici afflictis, si eos sequantur. *Et in viis.* In viis iustorum lumen splendere est per mira opera virtutum signa suæ claritatis aspergere.

*22.29 *Qui enim humiliatus.* Quia qui se humiliat, exaltabitur. *Et qui.* Quantum per membrorum ministerium deprehendi potest, prima ostensio superbiæ in oculis esse solet.

†22.30 *Salvabitur innocens.* Quia quando hic pervenit gratia ut innocens fiat, cum ad iudicium ducitur, ex merito remuneratur.

‡23.1 *Respondens autem Job dixit: Nunc quoque in amaritudine.* GREG. Mens justi in amaritudine est semper, etc., usque ad qui per dulces sermones seducere quærunt.

¶23.2 *Et manus plagæ meæ.* Manus autem plagæ est fortitudo percussionis, sed quia ex adversitatibus, justi plus sitiunt faciem auctoris, sequitur:

§23.3 *Quis mihi tribuat.* Electi, cum contra votum quælibet agi conspiciunt, ad occulta Dei iudicia recurrunt, ut in eis videant quia inordinate intus non disponitur, quod inordinate foris currere videtur. Et hoc est, quod subdit: *Inveniam illum.* Ut est: quod modo differt Deus, ut plus desideretur. *Et veniam usque ad solium ejus.* Solium sunt angeli, etc., usque ad dum meliora disponere Deum vident, unde: *Ponam coram Deo iudicium.* Coram Deo iudicium ponere, etc., usque ad occultus nunc et tacitus iudex quam terribilis post appareat, considerare.

**23.4 *Os meum replebo.* Quia dum examen iudicis contra se contemplatur, amare se pœnitentiæ invectione persequitur.

spondeat, et intelligam quid loquatur mihi.^{††} ⁶ Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.^{‡‡} ⁷ Proponat æquitatem contra me, et perveniat ad victoriam iudicium meum.^{¶¶} ⁸ Si ad orientem iero, non apparet; si ad occidentem, non intelligam eum.^{§§} ⁹ Si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum; si me vertam ad dexteram, non videbo illum.^{†††} ¹⁰ Ipse vero scit viam meam, et probavit me quasi aurum quod per ignem transit.^{*} ¹¹ Vestigia ejus secutus est pes meus: viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea.[†] ¹² A mandatis laborum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus.[‡] ¹³ Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus: et anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit.[¶] ¹⁴ Cum expleverit in me voluntatem suam, et alia multa similia præsto sunt ei.[§] ¹⁵ Et idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor.^{**} ¹⁶ Deus mollivit

^{††}23.5 Ut sciam verba quæ, etc. Cum enim culpas pœnitendo persequimur, quid nobis de eis iudex in suo examine dicere possit invenimus, quod nescit, quia mala sua negligit.

^{‡‡}23.6 *Nolo multa fortitudine contendat.* Quis enim in examine inveniri justus valeat, si secundum suæ fortitudinis majestatem vitam hominum discutiat Deus: quamlibet enim justus si districte judicatur, mole magnitudinis premitur, unde subdit: *Nec magnitudinis.* Quasi diceret: Si secundum fortitudinem suam mecum contenderet, mole sua me premeret. Et nota, quia dum fortitudinem vitat, infirmitatem incarnationis optat, unde subdit:

^{¶¶}23.7 *Proponat æquitatem.* Mediator Dei et hominum, etc., usque ad absolutionis meæ iudicium victor excludam.

^{§§}23.8 *Si ad orientem.* Ibid. Ac si dicat: Filium incarnatum, etc., usque ad Sed nec in his omnibus plene se anima cognoscit, unde:

^{*}23.10 *Ipse vero scit viam.* Id est videre non valeo videntem me. *Et probavit.* Non elatus comparat se auro, sed sua humiliter considerat, quod licet omni justo. Et hoc est: *Et proba me quasi aurum.* Exustione enim tribulationis, et subtrahuntur vitia, et augmentur merita.

^{†††}23.11 *Vestigia ejus secutus est.* Beatus Job in futura operatione, etc., usque ad quasi ad exemplum sibi propositum recurrit.

[‡]23.12 *Et in sinu meo abscondi.* In sinu cordis verba oris ejus abscondimus, quoniam mandata ejus non transitorie, sed implenda opere audimus, et si verba in opere prodeunt, latent tamen in corde. Si intus non elevatur animus, sed si laus extra quæritur, tunc sermo Dei in sinu non occultatur.

[¶]23.13 *Ipse enim solus est.* Principaliter et immutabiliter. Solus enim per se est, qui omnia agit, in quibus est ipse timendus, non quæ patimur. De cujus immutabilitate subdit: *Et nemo avertere.* Quia semel fixa judicia mutari nequaquam possunt. *Et anima ejus.* Ea ipsa vis qua cuncta disponit, anima illius appellatur.

[§]23.14 *Cum expleverit.* Explet in me voluntatem suam, quia multis me percussio- nibus affligit. Sed *multa similia præsto sunt ei*, quia si ferire cogitat, adhuc invenitur, ubi plaga crescat.

^{**}23.15 *Et idcirco a facie.* Rectitudinis pavore concutitur, cum se reddentis ra- tionibus conspicit non esse idoneum, si districte judicetur.

cor meum, et Omnipotens conturbavit me.^{††} ¹⁷ Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.]^{‡‡}

24 [Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora: qui autem noverunt eum, ignorant dies illius.^{¶¶} ² Alii terminos transtulerunt; diripuerunt greges, et paverunt eos.^{§§} ³ Asinum pupillorum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduæ. ^{*} ⁴ Subverterunt pauperem viam, et oppresserunt pariter mansuetos terræ.[†] ⁵ Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum: vigilantes ad prædam, præparant panem liberis.[‡] ⁶ Agrum non suum demetunt, et vineam ejus, quem vi oppresserint, vindemiant.[¶] ⁷ Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore:[§] ⁸ quos imbres montium rigant, et non habentes velamen, amplexantur lapides. ⁹ Vim fecerunt deprædantes pupillos, et vulgum pauperem spoliaverunt. ¹⁰ Nudis et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt

^{††}23.16 *Deus mollivit.* Virtutem ergo suæ fortitudinis non sibi, sed auctori tribuit. *Conturbavit me.* Nunquam segura sunt corda justorum, sed turbata timore iudicis, quæ tamen consolantur donis quæ acceperunt, unde: *Non enim perii.* Flagella justorum vel præterita purgant, vel futura peccata avertunt, quod non in Job, sed virtus augetur.

^{‡‡}23.17 *Non enim.* Ille in flagello positus a salute corporis propter imminentes tenebras perit, qui pro transactis percutitur, ut a futuris suppliciis abscondatur.

^{¶¶}24.1 *Qui autem.* Quia etsi jam per fidem Deum novimus, qualiter tamen sit ejus æternitas sine præterito vel futuro, non videmus. Beatus Job ne plus sapiat quam oportet sapere, dies Domini non posse comprehendere testificans, ad hæreticorum mox superbiam respectum mentis convertit: qui alta sapere appetunt, de quibus sequitur:

^{§§}24.2 *Alii terminos.* Quos, aliorum nomine, etc., usque ad et doctrinis pestiferis ad interficiendum nutriunt.

^{*}24.3 *Asinum pupillorum.* Pupillos dicit, electos, etc., usque ad a ministerio bonorum repellunt. *Et abstulerunt.* Vidua dicitur Ecclesia, etc., usque ad ut eorum etiam sequaces trahant, unde subdit:

[†]24.4 *Subverterunt pauperem.* Nonnunquam hi qui mansueti atque humiles videntur, si servare discretionem nesciunt, exemplis aliorum cadunt.

[‡]24.5 *Alii quasi onagri.* Sunt enim hæretici qui populis admisceri refugiunt, sed secus vitam secretioris petunt, et eo amplius peste suæ persuasionis inficiunt, quo quasi ex vitæ meritis reverentiores videntur. Onagris autem comparantur, qui in suis voluptatibus dimissi a vinculo fidei rationis sunt alieni. *Egrediuntur.* Non enim Dei, sed opus suum peragunt, dum non recta dogmata, sed propria desideria sequuntur. *Vigilantesque ad prædam.* Ad prædam vigilant, qui verba justorum ad proprium sensum semper rapere conantur, ut per hoc perversis filiis panem erroris parent.

[¶]24.6 *Agrum non suum.* Agri vel vineæ nomine Ecclesia signatur, quam perversi prædicatores demetunt, et auctorem ejus in membris suis opprimendo vindemiant: qui Creatoris gratiam persequentes, dum quosdam de illa, qui recti videbantur, rapiunt, quid aliud quam spicas vel botros animarum tollunt?

[§]24.7 *Nudos dimittunt homines.* Sicut vestimenta corpus, sic bona opera protegent animam. Hæretici itaque cum quorundam bona opera destruunt, vestimenta tollunt. *Quibus non.* Operimentum ad justitiam pertinet, etc., usque ad sine veste boni operis moriantur. *Quos imbres montium rigant.* Id est fluentia prædicatorum satiant. *Et non habentes.* Lapides dicit fortes viros, etc., usque ad lapides amplexantur?

spicas.^{**} ¹¹ Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.^{††} ¹² De civitatibus fecerunt viros gemere, et anima vulneratorum clamavit: et Deus inultum abire non patitur.^{‡‡} ¹³ Ipsi fuerunt rebelles lumini: nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.^{¶¶} ¹⁴ Mane primo consurgit homicida; interficit egenum et pauperem: per noctem vero erit quasi fur.^{§§} ¹⁵ Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non me videbit oculus: et operiet vultum suum.^{*} ¹⁶ Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem.[†] ¹⁷ Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: et sic in tenebris quasi in luce ambulat.[‡] ¹⁸ Levis est super faciem aquæ: maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum.[¶] ¹⁹ Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad in-

^{**}24.10 *Nudis et incedentibus absque vestitu.* Qui nec bona nec mala operatur, etc., usque ad quasi aristarum paleas subtrahimus, ut medulla spiritus reficiamur.

^{††}24.11 *Qui calcatis torcularibus.* GREG. Qui Ecclesiam persequuntur, etc., usque ad in eorum actibus quasi in meridie quiescunt.

^{‡‡}24.12 *De civitatibus fecerunt vi gemere.* Quia civitates a conviventibus populis, etc., usque ad eos qui per viam Dei non fluxe, sed viriliter currunt.

^{¶¶}24.13 *Et anima vulneratorum clamavit.* Vulneratur anima justorum, cum fides infirmorum turbatur; clamat autem, dum alieno lapsu tabescit. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Lumini rebelles sunt, qui sua desideria sequendo bonum despiciunt quod noverunt. *Nescierunt vias ejus.* Qui enim prius sciendo rebelles sunt, postmodum cæcantur, ut nesciant. *Nec reversi sunt.* Angustior est semita quam via. Qui autem manifestiora agere contemnunt ad subtiliora intelligenda non perveniunt; exspectavit autem Deus, ut per ejus semitas pergerent; sed utinam per eas vel reverti voluissent, ut vitæ itinera quæ noverunt per innocentiam, saltem tenerent per pœnitentiam.

^{§§}24.14 *Mane primo consurgit homicida.* Quia perversus quisque in prosperitate præsentis vitæ quæ per mane designatur humilium vitam deprimendo interimit, et in adversitate et dejectione positus quæ per noctem designatur per iniqua consilia latenter lædit ut fur.

^{*}24.15 *Oculus adulteri.* Hoc de hæreticis dicitur: Sicut enim is qui adulterium facit carnem alienæ conjugis sibi illicite conjungit: ita hæritici, cum fidelem animam in suo errore rapiunt, quasi alienam conjugem tollunt. *Et operiet vultum suum.* Vultus humani cordis est similitudo Dei, quem perversus operit, ut cognosci a districto iudice nequeat cum vitam suam malis actibus confundit, unde dicit: *Nunquam novi vos.*

[†]24.16 *Perfodit.* Domorum nomine, etc., usque ad perversa loqui minime audebant *Sicut in.* Quia cum justos conspicerent in prosperitate, quoniam loqui non poterant, ad maligna contra eos consilia vacabant.

[‡]24.17 *Si subito.* Cum enim justos ad regendæ potestatis viderint culmen erumpere, perturbantur. Hi gaudent de dejectione bonorum, sed *si subito apparuerit aurora*, id est, si ad regimen veniunt boni, *arbitrantur umbram mortis*, quia quæ perverse egerunt puniri, timent, corrigi nolunt, sed laxè ire eligunt et in culpa gaudere, unde dicit *Et sic in.* Quia ita gaudent in nocte peccati, ac si eos lux justitiæ circumfundat; vel, in præsentî cæcitate ita læti sunt, ac si jam æternæ patriæ luce perfruantur.

[¶]24.18 *Levis est super faciem aquæ.* Aquæ superficies huc atque illuc, etc., usque ad unde crebro sententia ad eum redit qui est auctor mali. *Maledicta sit pars.* Ibid. Quisquis in vita præsentî recta agit, etc., usque ad in reatu tamen maledictionis æternæ tenetur. *Nec ambulet per viam vinearum.* Ille per viam vinearum ambulat, qui universalis Ecclesiæ prædicatorem pensans, neque a fidei, neque a bonorum actuum rectitudine declinat.

feros peccatum illius.[§] ²⁰ Obliviscatur ejus misericordia; dulcedo illius vermes: non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.^{**} ²¹ Pavit enim sterilem quæ non parit, et viduæ bene non fecit.^{††} ²² Detraxit fortes in fortitudine sua, et cum steterit, non credet vitæ suæ.^{‡‡} ²³ Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam: oculi autem ejus sunt in viis illius.^{¶¶} ²⁴ Elevati sunt ad modicum, et non subsistent: et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur.^{§§} ²⁵ Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum, et ponere ante Deum verba mea?]*

25 Respondens autem Baldad Suhites, dixit:[†] ² [Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.[‡] ³ Numquid est numerus militum ejus? et super quem non surget lumen illius?[¶] ⁴ Numquid justificari potest homo

§24.19 *Ad nimium calorem transiet.* Iniquitas frigori comparatur, etc., usque ad ut credat recta prædicantibus addit:

**24.20 *Et usque ad inferos peccatum illius.* Peccatum usque ad inferos deducitur, quod ante finem vitæ non emendatur.

††24.21 *Dulcedo illius.* Quia naturæ vermium est, etc., usque ad tabes et fetor putredinis amatur. *Non sit in recordatione.* Deus pravorum vitam intuetur et obliviscitur, quia quod per distractionem sententiæ judicat, quantum est ad memoriam misericordiæ ignorat.

‡‡24.22 *Pavit enim sterilem.* Hoc loco sterilis caro nominatur: quæ dum sola præsentia appetit, bonas gignere cogitationes nescit: *Et viduæ.* Vidua anima dicitur, etc., usque ad deservire contemnit.

¶¶24.23 *Detraxit fortes.* In fortitudine suæ pravitatis fortes detrahit, cum per sui erroris astutiam potentes hujus mundi rapit. *Et cum steterit.* Stat in hoc mundo perversus prædicator, quousque terreno vivit in corpore, sed vitæ suæ credere renuit, quia de Deo vera cognoscere contemnit. *Oculi autem ejus.* GREG. in Job., l. 17. Vias suas peccator intuetur, quia sola cogitare, sola cernere nititur, quæ sibi ad commodum temporale suffragentur.

§§24.24 *Elevati sunt ad modicum.* Subsistere enim nequeunt, qui ab æterna soliditate dividuntur. *Et humiliabuntur sicut omnia.* Omnia profecto terrena. Et est sensus: Stare nullo modo queunt, quia ipsa quoque fugiunt quibus innituntur: dumque temporalia diligunt, cum his et temporis volubilitate percurrunt. *Et sicut summitates spicarum,* etc. Spicarum summitates aristæ sunt, etc., usque ad trituræ ultimæ fortitudine frangitur, et grana apparent.

*24.25 *Quod si non est ita,* etc. Ibid. Sensus est: Ita sunt cuncta ut protuli, etc., usque ad non est dignum tamen ut a pravis judicetur. *Quis me potest arguere esse mentitum.* Quasi diceret: Quæ loquor, ponere ante judicem non valetis, quia ejus vobis faciem peccantes absconditis. Verba fallacia ante Deum ponit, qui ea apud se conspectu veritatis examinat, qui, considerato intimo iudice, exteriora pensat.

†25.1 *Respondens autem,* etc. Ibid. Quia Job multa dixit, etc., usque ad quæ jure ejusdem potentiæ quando careat, nescit?

‡25.2 *Qui facit concordiam.* In concordiam componuntur summa, etc., usque ad quod obtinere non valent nunquam volunt.

¶25.3 *Nunquid est.* In cognitione humana superiorum numerus spirituum non est, quia quanta sit illic frequentia invisibilis exercitus, nescit: qui milites dicuntur, quia decertant contra æreas potestates, non labore, sed imperio. *Et super.* Quia militum eorundem sive electorum virtus non propriis viribus, sed supernæ gratiæ infusione roboratur: quæ si in corde nostro non surgeret, profecto mens nostra in tenebris maneret, unde subdit:

comparatus Deo? aut apparere mundus natus de muliere?[§] ⁵ Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus:^{**} ⁶ quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?]^{††}

26 Respondens autem Job dixit:^{‡‡} ² [Cujus adjutor es? numquid imbecillis? et sustentas brachium ejus qui non est fortis? ³ Cui dedisti consilium? forsitan illi qui non habet sapientiam: et prudentiam tuam ostendisti plurimam.^{¶¶} ⁴ Quem docere voluisti? nonne eum qui fecit spiramentum?^{§§} ⁵ Ecce gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis.^{*} ⁶ Nudus est infernus coram illo, et nullum est operimentum perditioni.[†] ⁷ Qui extendit aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihilum.[‡] ⁸ Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum.[¶] ⁹ Qui

[§]25.4 **Nunquid justificari.** Quia per mulierem culpæ subditam nascitur homo, reatus primi infirmitas in prole propagatur.

^{**}25.5 **Ecce enim.** Per lunam Ecclesia, per stellas singulorum bene viventium animæ designantur: qui culpas subigere perfecte desiderant. Sed quousque corruptione carnis astringuntur, ejus vinculis ligantur, **quanto magis homo putredo!**

^{††}25.6 **Et filius,** ac si dicat, etc., usque ad sicut ex homine filius hominis, ita ex putredine nascitur vermis.

^{‡‡}26.1 **Respondens autem Job.** Finitis amicorum verbis, jam in extremis Job, contra eos acutius surgit, ut mos est peritis, in conclusione fortiora servare. Ibid. **Cujus adjutor? Nunquid imbecillis.** Adjuvare imbecillum charitatis est; adjuvare potentem velle, elationis est. Et est sensus: dum eum juvare intendis, sub cujus magnitudine succumbis: quod impendis solatium de ostentatione est, non de pietate.

^{¶¶}26.3 **Cui dedisti.** Ibid. Consilium dare stulto charitatis est, consilium dare ipsi sapienti perversitatis est, unde sequitur: **Et prudentiam,** etc. Omnis qui prudentia recta est, plurima non est: quia non plus appetit sapere quam oportet sapere. **Plurimam.** Ultra modum, ut qui præ aliis videri appetunt doctiores, unde fit ut immoderati etiam fatua loquantur, unde excessus prudentiæ subditur:

^{§§}26.4 **Quem docere.** Spiramento vivimus sine quo non sapimus, sed per quod. Qui ergo dat vitam, dat et sapientiam. **Spiramentum. AUG.** Sicut non possumus non de nostra natura, etc., usque ad quia non creatus creatum. **Nonne eum qui.** Ibid. Baldath quia Job flagellatum, etc., usque ad per sententias expandit dicens: **Ecce gigantes gemunt sub aquis.** Postquam repressit tumorem sapientiæ, etc., usque ad quo in altum se erigit.

^{*}26.5 **Et qui habitant cum.** Pariter gemunt hi qui talibus sociantur, quia ipsi etiam laboris eorum participatione deprimuntur; et quia desideratæ celsitudines sine peccatis nequeunt administrari, et malum quod agitur divinæ iræ non absconditur.

[†]26.6 **Nudus est infernus.** Inferni et perditionis nomine diabolus et omnis damnationis ejus socios designat.

[‡]26.7 **Qui extendit.** Ibid. Aquilonis nomine diabolus appellatur, qui ut corporis frigore gentium corda constringeret, dixit: Sedebo in monte testamenti in latere aquilonis. Qui super vacuum extenditur, quia illa corda possidet quæ divini amoris gratia non possidentur. **Et appendit terram.** Ibid. Terræ nomine Ecclesia designatur, etc., usque ad **Omnes gentes velut nihilum et inane reputatæ sunt.**

[¶]26.8 **Qui ligat.** Ibid. Initia nascentis Ecclesiæ narrat dicens, etc., usque ad de immensitate ejus auditores opprimerent.

tenet vultum solii sui, et expandit super illud nebulam suam.[§] ¹⁰ Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux et tenebræ.^{**} ¹¹ Columnæ cæli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus.^{††} ¹² In fortitudine illius repente maria congregata sunt, et prudentia ejus percussit superbum.^{‡‡} ¹³ Spiritus ejus ornavit cælos, et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.^{¶¶} ¹⁴ Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus: et cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?^{§§}

27 Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit:^{*} ² [Vivit Deus, qui abstulit judicium meum, et Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam.[†] ³ Quia donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis, ⁴ non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.[‡] ⁵ Absit a me ut justos vos esse judicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia

§26.9 *Qui tenet vultum.* In vultu cognitio demonstratur. Solii ergo ejus vultus tenetur, quia a nobis in hac vita regni ejus gloria non cognoscitur. Super quod expandi nebula dicitur, quia sicut est, illa cœlestis gloria non videtur. *Vultum solii.* Solium est majestas ejus, vel angeli, qui modo non plene possunt cognosci; vel nos ipsi, quorum vultus, id est scientia, progredi prohibetur ad altiora: super quos nebula, in quibus occulta exerit judicia, unde subdit:

^{**}26.10 *Terminum circumdedit aquis.* Quia humani generis scientiam moderatur, ut quousque vicissitudines alternantium temporum transeunt, perfecte ad cognitionem claritatis intimæ non pertingant.

^{††}26.11 *Columnæ.* GREG. MAG. Columnas cæli sanctos angelos, vel summos Ecclesiæ prædicatores appellat.

^{‡‡}26.12 *In fortitudine.* Ibid. Quia incarnato Domino discordantia in Ecclesia corda concorditer credunt. *Et prudentia ejus.* Prudentia, non virtute percussus est antiquus hostis, quia dum audacter olim Christum, in quo sibi nihil competeat, appetiit, jure hominem, quem et juste tenebat, amisit. Sed Domino occiso, quæ prædicatoris gloria sit secutura, sequitur:

^{¶¶}26.13 *Spiritus ejus ornavit cælos.* Quia prædicatores nisi promissa Paraclæti dona susciperent, nullo fortitudinis decore clariissent. *Et obstetricante manu ejus.* Antiquus hostis, qui homini ore colubri locutus est, qui tortuosus dicitur, quia in veritatis rectitudine non stetit; hic obstetricante manu Domini ejectus est ab Ecclesia. In paucis autem sententiis primi adventus Dominici ordinem retulit, sed secundum subdit valde esse timendum.

^{§§}26.14 *Et ecce hæc ex parte dicta sunt viarum.* Ibid. Viarum nomine, etc., usque ad velut tenuis gutta superni liquoris ad nos emanat. *Et cum vix parvam.* Ac si dicat: Si humilitatis illius admiranda vix ferimus, terribilem adventum majestatis ejus qua virtute tolerabimus?

^{*}27.1 *Addidit quoque,* etc. GREG. in Job., l. 18. Ecclesia duobus modis patitur amara ab hostibus: vel verbis, ubi exercetur ejus sapientia; vel gladiis, ubi probatur patientia. Nunc de ea persecutione ait ubi lacessitur falsis assertionibus.

[†]27.2 *Vivit Deus.* Sunt qui adversa patientes, Deum esse non credunt: nonnulli Deum esse æstimant, sed res humanas minime curare. Iste in typo Ecclesiæ positus in afflictione, ut Deum esse fateretur, ait: *Vivit Deus.* Ut vero res humanas curare eum perhiberet, subdit: *Qui abstulit judicium meum,* etc.

[‡]27.4 *Non loquentur labia mea.* Ibid. Quod prius iniquitatem, etc., usque ad meditari studiosæ pravitatis.

mea.[¶] ⁶ Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.[§] ⁷ Sit ut impius, inimicus meus, et adversarius meus quasi iniquus.^{**} ⁸ Quæ est enim spes hypocritæ, si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus?^{††} ⁹ Numquid Deus audiet clamorem ejus, cum venerit super eum angustia?^{‡‡} ¹⁰ aut poterit in Omnipotente delectari, et invocare Deum omni tempore?^{¶¶} ¹¹ Docebo vos per manum Dei quæ Omnipotens habeat, nec abscondam.^{§§} ¹² Ecce vos omnes nostis: et quid sine causa vana loquimini? ¹³ Hæc est pars hominis impii apud Deum, et hæreditas violentorum, quam ob Omnipotente suscipiunt. ¹⁴ Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, et nepotes ejus non saturabuntur pane.* ¹⁵ qui reliqui fuerint ex eo sepelientur in interitu, et viduæ illius non plorabunt.[†] ¹⁶ Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta:[‡] ¹⁷ præparabit quidem, sed justus vestietur illis, et argentum innocens dividet.[¶] ¹⁸ Ædificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum.[§]

[¶]27.5 *Absit a me.* Quia dicit Salomon: *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, uterque abominabilis est ante Deum.* Et hoc est: *Absit a me.* Ab innocentia enim recederet, si bona de illis malis æstimaret.

[§]27.6 *Justificationem meam.* Ibid. Cœptam justificationem desereret, si in peccantium laudem declinaret. Bene ab alienis absistit, qui prius se a propriis custodit: quasi, ideo de eis peccare timeo, quia non reprehendit me cor meum. *Neque enim reprehendit me cor meum.* Ac si dicat, etc., usque ad fortiter tamen cogitationi restitit.

^{**}27.7 Sicut impius inimicus meus. Ibid. Impius, infidelis dicitur, etc., usque ad qui mihi opere non concordat.

^{††}27.8 *Quæ est enim spes hypocrisis.* Hypocrita, qui Latine dicitur simulator, est avarus raptor, qui dum inique agens desiderat de sanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ.

^{‡‡}27.9 *Nunquid Deus audiet?* Quia in judicio remedium in clamore non invenit, qui nunc tempus congruum clamoris perdit. De cujus pravitate subjungitur:

^{¶¶}27.10 *Aut poterit in Omnipotente delectari.* Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur: *Et invocare Deum in omni.* Tantum Deum hypocrita tunc invocat, cum hunc terrenarum rerum tribulatio angustiat.

^{§§}27.11 *Docebo vos per manus.* Manus Dei vocatur Filius, etc., usque ad peccatum est illi.

^{*}27.14 *Si multiplicati fuerint.* Ibid. Qui hæreticorum generantur prædicatione, venturi judicii sententia feriuntur. *Et nepotes.* Nepotes hæreticorum sunt, etc., usque ad nonnullos in malitia pertinaces relinquit. Sequitur:

[†]27.15 *Qui reliqui fuerint.* Ex eo videlicet hæreticorum populo derelicti sepelientur in interitu, quia dum ad lucem veritatis non redeunt, intelligentia terrena deprimuntur. *Et viduæ illius non plorabunt.* Viduas dicit plebes subjectas morte hæretici destitutas: quæ dum prædicator erroris ad æterna supplicia rapitur, sæpe ad cognitionis veræ gratiam revertuntur.

[‡]27.16 *Si comportaverit.* Ibid. Argentum, id est eloquium hæreticorum, etc., usque ad sacræ Scripturæ contextunt testimonia.

[¶]27.17 *Præparabit quidem.* Quia vir recta fide plenus, Scripturæ, quæ hæreticus affert, testimonia colligit, et erroris pertinaciam inde convincit, ut David Goliam gladio suo occidit. *Et argentum innocens dividet.* Innocens argentum dividere, etc., usque ad quia illi miscent falsa veris.

[§]27.18 *Ædificavit sicut tinea domum.* Ibid. Tinea domum sibi corrumpendo ædificat: sic et hæreticus locum perfidiæ suæ non nisi in mentibus, quas corrumpit, facit. *Et sicut custos.* Umbraculum custodis, etc., usque ad sermo erigitur, cum subditur.

¹⁹ Dives, cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, et nihil inveniet.**

²⁰ Apprehendet eum quasi aqua inopia: nocte opprimet eum tempestas.†† ²¹ Tollet eum ventus urens, et auferet, et velut turbo rapiet eum de loco suo.‡‡ ²² Et mittet super eum, et non parcat: de manu ejus fugiens fugiet.¶¶ ²³ Stringet super eum manus suas, et sibilabit super illum, intuens locum ejus.]§§

28 [Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur.* ² Ferrum de terra tollitur, et lapis solutus calore in æs vertitur.† ³ Tempus posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat: lapidem quoque caliginis et umbram mortis.‡ ⁴ Dividit torrens a populo peregrinante eos quos oblitus est pes egentis hominis, et invios.¶ ⁵ Terra de qua oriebatur panis, in loco suo igni subversa est.§ ⁶ Locus sapphiri lapides ejus, et glebæ illius aurum.** ⁷ Semitam

**27.19 *Dives cum dormierit.* Dormit dives et oculos aperit, quia cum carne moritur, ejus anima videre cogitur, quod providere contempsit.

††27.20 *Apprehendet eum.* Agente namque inopia, apud inferos usque ad minima petenda dives ardens compulsus est, qui hic agente tenacia usque ad minima neganda pervenit. *Nocte opprimet eum.* Noctem absconditum tempus repentini exitus appellat, tempestatis nomine iudicii turbinem designat.

‡‡27.21 *Tollet eum ventus.* Ventus urens malignus spiritus vocatur, qui eum quem nunc succenderit igne perversæ concupiscentiæ, agit postmodum ad flammam gehennæ. *Et velut turbo rapiet.* Locus perversorum temporalis vitæ delectatio.

¶¶27.22 *Et mittet super eum.* Peccatorem Deus quoties feriendo corrigit, ad hoc flagellum emittit, ut parcat. Cum vero ejus vitam in peccato permanentem feriendo concludit, flagellum emittit, sed nequaquam parcat. *De manu ejus.* Quia manus operatio intelligitur, de manu percussi fugit, qui dum pravi interitum conspicit, vias pravitatis relinquit, unde sequitur:

§§27.23 *Stringet super eum.* Manus stringere, est vitæ opera in rectitudine confirmare, in aliena pœna conspiciendo quid timeat.

*28.1 *Habet argentum venarum suarum principia.* GREG. Postquam potentium pœnas superbiorum, etc., usque ad ut nulla sacrorum librorum auctoritate solidentur. *Et auro locus est.* Hoc loco hæritici, etc., usque ad prius hic arserit in officina charitatis.

†28.2 *Ferrum de terra tollitur.* Solent hæretici de justitia gloriari, et catholicos fuisse iniquos criminantur. Contra quos per humilem confessionem dicitur: *Ferrum de terra tollitur.* Quia fortiores viri, a terrena, quam prius tenuerunt, actione separantur, et propugnatores Ecclesiæ fiunt. *Et lapis solutus.* Quia cor durum, etc., usque ad et per prædicationem sonorus fiat.

‡28.3 *Tempus posuit tenebris.* Iniqui videlicet modum, quo iniqui esse desistant. *Et universorum.* Quia intuetur electorum terminum, etc., usque ad quod obduratæ perfidiæ se tenebris cæcarent. *Lapide quoque caliginis.* Populus Judæorum perfidia durus, etc., usque ad ejus in se imaginem expressit.

¶28.4 *Dividit torrens a populo.* Ibid. Torrentis autem nomine, etc., usque ad nomine torrentis potest irrigatio sanctæ prædicationis intelligi. *Eos quos oblitus,* id est Judæos, etc., usque ad quia verbis vitæ ad cor viam præbere noluerunt.

§28.5 *Terra de qua oriebatur.* Quia Judæa et prius habuit legem quæ reficeret, et post visis miraculis Redemptoris, invidiam quæ concremaret.

**28.6 *Locus sapphiri lapides ejus.* Ibid. Sapphiri, coloris ærii sunt. Et hoc dicit, quia nunquam de Judæa animæ sanctæ, quæ cœlestem vitam ducerent, defuerunt: *Et glebæ illius.* Glebas dicit collectiones singulorum ordinum, etc., usque ad Sed cur bona perdidit, sequitur:

ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis.†† 8 Non calcaverunt eam filii institorum, nec pertransivit per eam leæna.‡‡ 9 Ad silicem extendit manum suam: subvertit a radicibus montes.¶¶ 10 In petris rivos excidit, et omne pretiosum vidit oculus ejus.§§ 11 Profunda quoque fluviorum scrutatus est, et abscondita in lucem produxit.* 12 Sapientia vero ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ? 13 Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium.† 14 Abyssus dicit: Non est in me, et mare loquitur: Non est mecum.‡ 15 Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus.¶ 16 Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonicho pretiosissimo vel sapphiro.§ 17 Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri.** 18 Excelsa et eminens

††28.7 *Semitam ignoravit.* Hoc loco avis nomine ille signatur, etc., usque ad considerare noluit. **Nec intuitus est oculus.** Redemptor noster vulturis, etc., usque ad de quibus subditur:

‡‡28.8 *Non calcaverunt eam filii institorum.* Institores sunt qui spirituale negotium gerunt, etc., usque ad institorum filios, pastores et doctores. **Nec pertransivit per eam leæna.** Leæna dicitur Ecclesia, quia male viventes in vitiis ore prædicationis sanctæ interficit, unde Petro dicitur: **Macta et manduca.** Ecclesia itaque per Judæam transiit, sed non pertransiit: quia ex illa paucos ad fidem rapuit, sed tamen infidelem populum a perfidia funditus non exstinxit. Sed a Judæis repulsa, quid fecit?

¶¶28.9 *Ad silicem extendit manum suam.* Quia ad duritiam gentium brachium suæ prædicationis misit. **Subvertit a radicibus montes.** Radices, cogitationes intimæ superborum: montes a radicibus sunt eversi, quia sæculi potestates ad colendum Deum ab intima cogitatione ceciderunt.

§§28.10 *In petris rivos excidit,* etc. Ibid. id est in duris gentium cordibus fluvios prædicationis aperuit. **Et omne pretiosum vidit oculus ejus.** Vidit Deus pretiosum, cum humanam animam de se abjectam sapientiæ gratiæ suæ illustratione respexit.

*28.11 *Profunda quoque.* Profunda fluviorum scrutatur Dominus, etc., usque ad et nullo merito nostro sapientia Dei venit ad nos.

†28.13 *Nec invenitur in terra.* Terram, humanam animam dicit. Hæc sapientia in terra suaviter viventium inveniri non potest, quia quisquis adhuc hujus vitæ voluptatibus pascitur, ab æternæ sapientiæ intellectu separatur.

‡28.14 *Abyssus dicit.* Abyssus dicit corda hominum, etc., usque ad quæ stulta apud Deum dicit, iniquis operibus. **Mare loquitur: non,** inquietorum mentes, etc., usque ad sed per semetipsam veniret. Sequitur:

¶28.15 *Non dabitur aurum obrizum pro ea.* Aurum obrizum sancti angeli nuncupantur, etc., usque ad sed non sine contagio culpæ. **Nec appendetur argentum in commutatione ejus.** Quia vita justorum prædicantium, vel eloquia Dei scribentium, quantalibet sanctitatis luce polleat, adventum nobis supernæ sapientiæ per suam præsentiam non communicat.

§28.16 *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus.* Per Indiam hic mundus accipitur, etc., usque ad et vestis sine tinctura. **Nec lapidi sardonicho.** Sardonichus terræ rubræ similitudinem tenet, sapphirus æream speciem: per sardonichum ergo homines, vel patres Veteris Testamenti terrena quædam sectantes; per sapphirum Novi Testamenti prædicatores, cœlestia sola quærentes, vel angeli accipiuntur.

28.17 *Non adæquabitur ei aurum vel.* GREG. Postquam dictum est, etc., usque ad quia creatura sunt. **Nec commutabuntur pro ea vasa. Excelsum vas auri, etc., usque ad sed Dominum prophetarum credit.

tia non memorabuntur comparatione ejus: trahitur autem sapientia de occultis.††
 19 Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ compone-
 tur.‡‡ 20 Unde ergo sapientia venit? et quis est locus intelligentiæ?¶¶ 21 Abscondita
 est ab oculis omnium viventium: volucres quoque cæli latet.§§ 22 Perditio et mors
 dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus.* 23 Deus intelligit viam ejus, et
 ipse novit locum illius.† 24 Ipse enim fines mundi intuetur, et omnia quæ sub cælo
 sunt respicit.‡ 25 Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura.¶ 26 Quando
 ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus:§ 27 tunc vidit illam et enarravit,
 et præparavit, et investigavit.** 28 Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipsa est sapi-
 entia; et recedere a malo, intelligentia.]††

††28.18 *Nec commemorabuntur in comparatione.* Quid enim sunt homines Deo comparati? Nihil. *Trahitur autem sapientia.* Quia cum sit invisibilis, etc., usque ad *Et nescis unde veniat aut quo vadat.*

‡‡28.19 *Non adæquabitur ei topazius.* Pro eo quod omni colore resplendet, etc., usque ad quod ostendit dum subdit: *Nec tincturæ mundissimæ.* Mundissimæ tincturæ sunt qui humiliter custodiunt supervenientem in se virtutum gratiam. Tincti enim non essent, si sanctitatem naturaliter habuissent.

¶¶28.20 *Unde ergo sapientia venit?* Quia ab invisibili patre nascitur, etc., usque ad *et quis est locus intelligentiæ?*

§§28.21 *Abscondita est.* Quia quandiu hic vivitur, videri Deus per suæ naturæ speciem non potest; per imagines vero visus est Mosi, Jacob et aliis. *Volucres quoque cæli latet.* GREG. in Job, l. 19. Quia in hac carne corruptibili constituti, etc., usque ad in eorum dictis atque consolationibus ab hujus vitæ fatigatione respirant.

*28.22 *Perditio et mors dixerunt,* etc. Ibid. Quia videre Deum, hoc est quod habere: ideo iniqui hanc sapientiam non vident, quia repulsi per superbiam nequaquam habere potuerunt. Famam autem ejus audisse, est ejus potentiam ex virtute cognovisse.

†28.23 *Deus intelligit viam.* Ac si dicat, etc., usque ad in cunctis mundi partibus electorum fuerat corda repletura. Sequitur:

‡28.24 *Ipse enim mundi fines intuetur.* Respiciere Dei est perdita ad gratiam reformare.

¶28.25 *Qui fecit ventis pondus.* Velocitate et sublimitate ventorum, etc., usque ad gloriam permista infirmitate temperare. *Et aquas appendit,* etc. Ibid. Aquas dicit mentes Spiritu sancto, etc., usque ad sed mulierem fugit, timore perculsus.

§28.26 *Quando ponebat pluviis legem.* Pluvia, prædicantium dicta, etc., usque ad quæ hoc quod sonuit, opere conservat.

**28.27 *Tunc vidit illam, et enarravit.* Hanc incarnatam sapientiam vidit, id est videri fecit, et enarrari, a prædicatoribus præparari, et investigari ab auditoribus fecit. Sibi quippe illam præparat, quisquis illam bene vivendo in die judicii propitiam habere curavit. *Vidit illam,* etc. Vidit, quia species est, etc., usque ad quod de illa homo cognosceret in se, unde subditur:

††28.28 *Et dixit homini,* etc. Quia naturam sapientiæ penetrare non possumus quid sit in se: ex condescensione Dei audivimus quid sit in nobis. Namque hanc habere certum est, quem timere Deum incertum non est. *Ecce timor Domini ipsa,* etc., quasi diceret Si Deum times, constat quia sapientia plenus es quæ apud hominem timor Domini vocatur. Sed quia ille vere vim divini timoris intelligit, qui se ab omnibus pravis operibus custodit, subdit: *Et recedere a malo intelligentia.*

29 Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit:‡² [Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me?¶³ Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris:§§⁴ sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo:*⁵ quando erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei:†⁶ quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei:‡⁷ quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi.‡⁸ Videbant me juvenes, et abscondebantur: et senes assurgentes stabant.¶⁹ Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo.§¹⁰ Vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adhærebat.**¹¹ Auris audiens beatificabat me, et oculus vi-

‡29.1 *Addidit quoque Job*, etc. Ibid. In hoc ultimo sermone, etc., usque ad ut hæc nostra misera tempora cum suspirio desideret, unde dicit:

¶29.2 *Quis mihi tribuat, ut sim*, etc. Statutus dierum numerus menses vocantur, etc., usque ad quando erit error apertus qui modo occultus est. *Menses pristinos*. Dies, cum colliguntur, in mensibus subtrahuntur; quia Ecclesia, dum lucentes animas colligit, in intimis abscondit. Vel, mensis, pro perfectione ponitur, quæ erit eis in requie, quibus nunc est in operatione, cujus nunc reminiscitur Ecclesia. *Secundum dies*, etc. Quia se tunc in deficientibus ex persecutione æstimabit cadere, quæ se nunc in istis respicit custodiri.

§§29.3 *Quando splendebat lucerna*, etc. Lucerna lumen sacræ Scripturæ vocatur. Nunc ergo lucerna super caput Ecclesiæ splendet, quia sacra eloquia tenebras nostræ mentis irradiant. *Et ad lumen ejus*, etc. Ibid. Ecclesia, etsi alienæ cogitationis occulta non penetrat, quia quasi faciem Dei non cognoscit in nocte, ponit tamen gressus boni operis directo lumine supernæ locutionis.

‡29.4 *Sicut fui in diebus adolescentiæ*. Adulta erat Ecclesia, etc., usque ad cum per prædicationem filios parere non valet. *Quando secreto Deus erat in tabernaculo*. Tabernaculum habitationem, etc., usque ad *Quando erat omnipotens mecum*. Sequitur: *Et in circuitu*, etc. Pueri vocantur, qui cœlestibus mandatis inserviunt, qui nunc in circumitu ejus sunt, quia in cunctis fere gentibus reperiuntur.

†29.6 *Quando lavabam pedes meos*. Pedes Ecclesiæ sunt inferiorum operum ministri, etc., usque ad pedes sunt qui exteriora ministrant. *Et petra fundebat mihi*, etc. Ibid. Quia in ea Christi prædicamenta intimæ unctionis emanant. De hac petra rivi olei exierunt evangelistarum libri; vel rivos olei dona Spiritus dicit.

‡29.7 *Quando procedebam*, etc. Per portam civitatis, etc., usque ad quod et Job fecit *Et in platea parabant*, etc. Quia in magnæ auctoritatis latitudine sui magisterii exhibet libertatem. Qui enim recta quæ sentit publica voce prædicat, quasi in platea super cathedram sedet, cum nulla de sua prædicatione metuit, nullus pressus terroribus se sub silentio abscondit.

¶29.8 *Videbant me juvenes*, etc. Juvenes dicit, quia nulla consilii gravitate fulciuntur senes, morum grandævitate maturos. Et est sensus: Ecclesiæ vigorem et rectitudinem immaturi formidant, et grandævi glorificant.

§29.9 *Principes cessabunt loqui*. Principes vel duces dicit hæreticæ pravitatis auctores. Et est sensus: Cum prædicare mihi publica voce licuit, omnis me, qui veritati non fuit subjectus, expavit. Digitum ori superponunt, dum falsis querelis non ratione vocis se reprimi, sed virtutis manu significant.

**29.10 *Vocem suam cohibebant duces*. Nimirum hi, qui post se errantes populos trahere conantur, etc., usque ad dum perversa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant.

dens testimonium reddebat mihi:†† 12 eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum cui non esset adjutor.‡‡ 13 Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum.¶¶ 14 Justitia indutus sum, et vestivi me, sicut vestimento et diademate, iudicio meo.§§ 15 Oculus fui cæco, et pes claudo.* 16 Pater eram pauperum, et causam quam nesciebam diligentissime investigabam.† 17 Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.‡ 18 Dicebamque: In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.¶ 19 Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea.§ 20 Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur.** 21 Qui me audiebant, expectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum.†† 22 Verbis meis addere nihil audebant, et super illos

††29.11 *Auris audiens.* Ibi dixit, quid exhibuit per doctrinam, etc., usque ad qui exemplis vitæ illius bene vivendo respondet.

‡‡29.12 *Eo quod liberassem pauperem vociferantem.* Ecclesia pauperem vociferantem liberat, cum peccatori veniam deprecanti, eas quas commisit culpas, relaxat. *Et pupillum cui non esset adjutor.* Pupillum liberat, dum unusquisque, etc., usque ad Hæc etiam Ecclesia et corporaliter exhibet et spiritualiter.

¶¶29.13 *Benedictio perituri.* GREG. Benedictio perituri super eam venit, cum peccatoris interitum prævenit, et sanctis exhortationibus a culpæ fovea reducit. *Et cor viduæ consolatus sum.* Magnam consolationem cor viduæ suscipit, quando fidelis anima in verbis Ecclesiæ de adventu illius, aliquid, cui spiritualiter est conjuncta, cognoscit.

§§29.14 *Justitia indutus sum.* Ille justitia sicut vestimento induitur, etc., usque ad qui de culpa, quam superat, elevatur. *Et diademate iudicio meo.* Justorum iudicium diadema dicitur, quia per hoc non in terrenis et in infirmis, sed sursum remunerati concupiscunt. *Indutus sum iudicio:* quod comparatur coronæ quæ supra ponitur, quia in cælo quærit coronari, non in terra. Bona sua aperit, ut amici non increpantes erigantur, sed tacentes imitentur. Valet etiam memoria priorum contra desperationem pro increpationibus.

*29.15 *Oculus fui cæco et pes claudo,* etc. Beatus enim Job et illi per semetipsum manum præbuerat, etc., usque ad qui sibi nequam, cui bonus?

†29.16 *Pater eram pauperum.* Pauperes enim spiritu ex ejus prædicatione generantur. *Et causam quam nesciebam.* Ecclesia cum per electos mala, etc., usque ad sunt tamen minora pro majoribus relinquenda.

‡29.17 *Conterebam molas,* etc. Iniquus dicitur diabolus; per molas, occultæ ejus insidiæ; per dentes apertæ culpæ demonstratur perpetratio. Prius ergo necesse est occulta consiliorum illius machinamenta prodere, ut auditoris nostri animam in aperto lapsu valeamus revocare.

¶29.18 *Dicebamque: In nidulo meo moriar.* Per nidi nomen exprimitur, etc., usque ad nec ut quidam in initio plus agit, in consummatione minus.

§29.19 *Radix,* etc. Ibid. Radix Ecclesiæ incarnatus Christus, usque ad cogitatio mentis aperitur *Et ros morabitur,* etc. Subaudi dicebam, etc., usque ad ut digni simus, qui de inferioribus colligamur.

**29.20 *Gloria mea semper innovabitur.* Idem quasi amissam gloriam deplorat, quia eos quos ipse novæ vitæ militare credidit, vetustis desideriiis servire cognoscit. *Et arcus meus.* Scriptura est arcus, etc., usque ad quod etiam nunc est.

††29.21 *Qui me audiebant.* Præteritorum temporum reminiscitur, in quibus omne quod ab ea dicitur, cum metu a fidelibus auditur et adversariorum proterviam deplorat. *Et intenti tacebant.* Ad consilium ejus tacent, qui verba ejus non audent impugnare, sed credere.

stillabat eloquium meum.^{‡‡} ²³ Expectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.^{¶¶} ²⁴ Si quando ridebam ad eos, non credebant: et lux vultus mei non cadebat in terram.^{§§} ²⁵ Si voluissem ire ad eos, sedebam primus: cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.]^{*}

30 [Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei:[†] ² quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, et vita ipsa putabantur indigni:[‡] ³ egestate et fame steriles, qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate et miseria.[¶] ⁴ Et mandebant herbas, et arborum cortices, et radix juniperorum erat cibus eorum:[§] ⁵ qui de convallibus ista rapientes,

^{‡‡}29.22 *Verbis meis addere.* Dictis ejus hæretici aliquid addere præsumunt, cum prædicamentorum rectitudinem quasi emendare moliantur. *Et super illos stillabat.* In hac stillatione eloquii mensura prædicationis juxta capacitatem audientium accipitur.

^{¶¶}29.23 *Expectabant me sicut pluviam.* Verba prædicationis sanctæ sicut pluviam sustinemus, cum vera humilitate ariditatem cordis nostri agnoscimus, ut potu sanctæ prædicationis irrigemur. *Et os suum aperiebant quasi ad imbrem.* Quia dum in extrema parte sæculi verba sanctæ prædicationis accipimus, quasi ad imbrem serotinum os cordis aperimus.

^{§§}29.24 *Si quando ridebam ad eos non credebant.* GREG. in Job., lib. 20. Hoc dicit Ecclesia ex voce capitis, etc., usque ad immoderata severitas odiosum reddat. *Et lux vultus mei non cadebat.* Ibid. Lux vultus beati Job, etc., usque ad Ecclesia etiam clara mysteria terrenis non prædicat.

^{*}29.25 *Si voluissem ire,* etc. Dominus et cum vult, venit, et cum venit, primus sedet. quia et adventus ejus in corde nostro gratuitus est, et appetitus ejus desiderii in cogitatione nostra æqualis cæteris desideriiis non est. *Cumque sederem, quasi,* etc. Et littera ædificat, etc., usque ad consolari, ministerium pietatis. *Mœrentium consolator.* Ibid. Qui audivit de justitia Dei ut timeat, audiat, et de misericordia, ut confidat, ut sit simul metus et spes. In arca cum tabulis virga simul est, et manna, id est, cum scientia sacræ Scripturæ in pectore rectoris, virga districtiois, et manna dulcedinis.

[†]30.1 *Nunc autem me iuniores.* GREG. Juniores tempore Ecclesiam irrident, cum hi qui ab ea egressi sunt, doctrinæ ejus verba despiciunt. *Quorum patres non dignabar,* etc. Igitur grex Ecclesiæ, etc., usque ad eosque inter veros patres numerare contemnit.

[‡]30.2 *Quocum virtus manuum erat.* Virtus manuum est magnitudo, etc., usque ad de proximo vero meliora quam de se ipso sentire.

[¶]30.3 *Egestate.* Immoderatis namque lusibus cognitionem supernæ scientiæ quo plus appetunt, plus amittunt. *Et fame steriles.* Quia desiderant scire, unde docti et loquaces sint, non moribus compositi; unde vix exteriora capiunt, qui secreta putant se penetrasse. Qui rodebant in solitudine, etc. Hæretici qui ab universalis, etc., usque ad Lambunt vero qui blandimento linguæ tollunt. *Squalentes calamitate.* Calamitate et miseria squalidi perhibentur, quia et morum sunt pernicie et sensuum pravitate despecti. Calamitas est quasi ægritudo: miseria est illius negligentia, unde gravior fit. Nullus squaleret, si in suis necessitatibus miseriam voluptatis non adderet.

[§]30.4 *Et mandebant herbas,* etc. Herbas mandere, etc., usque ad sed intentionem rectam in eisdem operibus non tenere. Ibid. Quid enim per herbas, etc., usque ad quoniam soli avaritiæ deserviunt, radice juniperi replentur, et hoc est. *Et radix juniperorum.* Juniperi pro foliis quasi spinas habent, etc., usque ad qui plerumque sola in verbis suis exteriora lucra sectantur.

cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.** 6 In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terræ, vel super glaream:†† 7 qui inter hujusmodi lætabantur, et esse sub sentibus delicias computabant:‡‡ 8 filii stultorum et ignobilium, et in terra penitus non parentes.¶¶ 9 Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium.§§ 10 Abominantur me, et longe fugiunt a me, et faciem meam conspuere non verentur.* 11 Pharetram enim suam aperuit, et afflixit me, et frenum posuit in os meum.† 12 Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt: pedes meos subverterunt, et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis.‡ 13 Dissipaverunt itinera mea; insidiati sunt mihi, et prævaluerunt: et non fuit qui ferret auxilium.¶ 14 Quasi rupto muro, et aperta janua, irruerunt super me, et ad meas miserias devo-

**30.5 *Qui de convallibus ista rapientes.* De convallibus illa rapiunt, etc., usque ad carnalibus quæ intus premunt.

††30.6 *In desertis habitant torrentium.* Ibid. Inventores perversorum, etc., usque ad sunt terrena quæ mali amant. *Et in cavernis terræ.* Ibid. Hæretici enim clandestinis, etc., usque ad usque ad mala descendit. *Vel super glaream.* Glaream munitissimos lapides dicimus, quos aqua fluvialis trahit: hæretici super glaream habitant, quia illas hominum mentes trahunt, quæ nulla stabilitatis gravitate solidantur.

‡‡30.7 *Qui inter hujusmodi læta.* Nomine *sentium*, etc., usque ad unde et aperte subjungitur: *Et esse sub sentibus*, etc. De rebus quidem temporalibus gaudet, etc., usque ad a jugo servitutis mundanæ cessare non libeat, etiam si liceat.

¶¶30.8 *Filii stultorum et ignobilium.* Eorum filii qui fuerunt, etc., usque ad qui a terra viventium extorres facti sunt.

§§30.9 *Nunc in eorum canticum*, etc. Ecclesiæ tempus exprimitur, quo publice a reprobis irridetur. *Et factus sum eis proverbium.* Pravis proverbium efficietur, quia cum bonos mori per tormenta conspiciunt, ab eis similitudinem maledictionis sumunt, dicentes: Sic veniat tibi sicut illi trucidato.

*30.10 *Abominantur me, et longe fugiunt a me.* Longe ab Ecclesia fugiunt iniqui, etc., usque ad scit mala sua justitiæ judicis tribuere. Sequitur:

†30.11 *Pharetram enim suam aperuit.* Per pharetram occultum Dei judicium designatur. Cum ergo Dominus peccata videt, etc., usque ad sed in correptione virtus consilii aperitur. *Et frenum posuit in os me.* Sancti quippe doctores, dum corda resistantium relicta divinitus vident, afflicti gementesque conticescunt, ne loquantur indignis, qui et deteriores fierent. Parcitur malis tacendo, quibus tamen vitam suam per patientiam suadet.

‡30.12 *Ad dexteram Orientis calamitates.* Ibid. Redemptor noster Oriens dicitur, etc., usque ad quia erumpente persecutione pravorum impetus justi patiuntur. *Pedes meos subverterunt.* Per pedes Ecclesiæ, extrema illius membra signantur, quæ dum ad opera terrena deserviunt, tanto celerius falli possunt, quanto sublimia minus intelligunt. *Et oppresserunt quasi fluctibus semitis.* Adversariorum semita fluctibus comparatur, quia vita pravorum insolenti inquietudine molesta, ad obruendam ut ita dixerim navem cordis, quasi tempestas illabitur.

¶30.13 *Dissipaverunt itinera mea.* Dicat hoc beatus Job de malignis spiritibus; dicat Ecclesia de persequentibus, qui ejus itinera dissipant, dum in quorundam infirmorum mentibus veritatis viam squalida persuasionem perturbant. *Insidiati sunt mihi et prævaluerunt.* Insidiantes prævalent, cum eos quos aperte ad malum trahere nequeunt, simulando bona pervertunt. *Et non fuit qui ferret auxilium.* Plerumque justis tribulatione deprehensi tardari manum subvenientis æstimant, cum se persequentium immanitas paulo longius angustiat; et concita quidem sunt ereptoris remedia, sed tarda dolori videntur.

luti sunt.^{§ 15} Redactus sum in nihilum: abstulisti quasi ventus desiderium meum, et velut nubes pertransiit salus mea.^{** 16} Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis.^{†† 17} Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt, non dormiunt.^{‡‡ 18} In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, et quasi capito tunicæ succinxerunt me.^{¶¶ 19} Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri.^{§§ 20} Clamo ad te, et non exaudis me: sto, et non respicis me.^{* 21} Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.^{† 22} Elevasti me, et quasi super ventum ponens; elisisti me valide.^{‡ 23} Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.^{¶ 24} Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam: et si corruerint, ipse salvabis.^{§ 25} Flebam

§30.14 **Quasi rupto muro.** Redemptor nobis est murus, etc., usque ad quod quidem fit, quia datur a Deo potestas inimicis. **Et aperta janua irruerunt super me.** Cum perversis in hac vita, etc., usque ad destruere munimina fidei conantur. **Et ad meas miserias devoluti sunt.** Reprobi per suas, et ad nostras miserias revolvuntur, quando ad ea mala, in quibus ipsi implicati sunt, etiam quosdam nobis unitos trahunt.

30.15 **Redactus sum in nihilum. Apud æstimationem malorum, etc., usque ad et secundum historiam accipienda sunt, quod est planum. **Abstulisti quasi ventus desiderium meum.** Fidelis populus se pati denuntiat, quod eos quos diligit, pati dolet. Ventus ergo desiderium tollit, cum res quælibet transitoria æternitatis appetitum destruit. **Velut nubes pertransiit.** Nubes in alto eminet, sed hanc ad cursum flatu impellit: salus ergo ut nubes transiit, quia perversorum gloria, quo alta est, fixa non est. Expletis desideriis et actibus infirmantium, ad vocem electorum redit.

††30.16 **Nunc autem in memetipso.** In nobismet ipsis nunc anima, etc., usque ad unde mox ad corruentes redit.

‡‡30.17 **Nocte os meum perforatur doloribus.** Sic sua dicit, ut et cadentibus congruant, etc., usque ad quasi jam quoddam habeant foramen timoris. **Et qui me comedunt.** GREG. Quia maligni spiritus, qui carnales de Ecclesia consumunt, tanto magis quiescere a tentatione nesciunt, quanto nullo carnis pondere gravantur.

¶¶30.18 **In multitudine.** Quid aliud vestimentum Job, etc., usque ad qui ei connexion amoris inhærebant. **Et quasi capito tunicæ.** Tunicæ capitium collum circumdat, etc., usque ad prædicationis vocem exstinguere conantur.

§§30.19 **Comparatus sum luto.** In reproborum iudicio, electorum Ecclesia luto comparatur, quia temporaliter conculcata despicitur, favillæ assimilatur et cineri, quia ad sola hanc mala pervenisse æstimant, quæ in ea exhiberi corporaliter vident.

*30.20 **Clamo ad te.** Ecclesia persecutionis suæ tempore, etc., usque ad et dilati ut proficiant, timent ne deficiant.

†30.21 **Mutatus es mihi in crudelem.** In Deo nec crudelitas nec mutabilitas venit, etc., usque ad Nihil autem de eo dignum dici potest. **Et in duritia manus tuæ.** Manus Dei dicitur tunc voluntati nostræ contraria, cum quod ei in nobis displicet, feriendo persequitur.

‡30.22 **Elevasti me et quasi.** Quia præsentis vitæ glorie quasi in alto cernitur, etc., usque ad eorum protinus elevatio corruit.

¶30.23 **Scio quia morti trades me.** Nullus enim huc venit, etc., usque ad ideo apte subjungitur:

§30.24 **Verumtamen non ad consumptionem eorum.** Manum suam Dominus, etc., usque ad qui stantes exterius ab statu mentis jacebant.

quondam super eo qui afflicto erat, et compatiebatur anima mea pauperi. ** 26 Expectabam bona, et venerunt mihi mala: præstolabar lucem, et eruperunt tenebræ. †† 27 Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie: prævenerunt me dies afflictionis. †† 28 Mœrens incedebam sine furore; consurgens, in turba clamabam. ¶¶ 29 Frater fui draconum, et socius struthionum. §§ 30 Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt præ caumate. * 31 Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium.]†

31 [Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. † 2 Quam enim partem haberet in me Deus desuper, et hæreditatem Omnipotens de excelsis? ¶ 3 Numquid non perditio est iniquo, et alienatio operantibus injustitiam? § 4 Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat? *** 5 Si ambulavi in vanitate, et festinavi in dolo pes meus, 6 appendat me in statera justa, et

**30.25 *Flebam quondam.* Plus est compassio quam datum, etc., usque ad suos eis oratione continua fletus jungit. Ibid. Tempore ultimæ persecutionis Ecclesiæ, ad memoriam reducit bona, quæ gessit tempore pacis. Quæ æterna gaudia desiderans, sed dum differuntur mala pressa, subdit:

††30.26 *Expectabam bona, et venerunt mihi mala.* Fidelis populus exspectat bona, sed mala suscipit. *Præstolabar lucem, et eruperunt tenebræ.* Præstolatur lucem, et tenebras incurrit, quia pro remunerationis gratia interesse jam gaudiis angelorum sperat, et tamen hic diutius dilatus, manus persequentium tolerat, ut Tobias.

††30.27 *Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie.* Sanctæ Ecclesiæ interiora effervesce, etc., usque ad et hoc est, *interiora ejus efferbuerunt. Prævenerunt me dies afflictionis.* Scit namque Ecclesia electorum quod persecutione ultima mala multa passura sit. Sed hanc afflictionis suæ dies præveniunt, quia malorum vitam inter se graviter etiam tempore pacis portat, qui jam in pravis moribus ostendunt, quid sit futurum.

¶¶30.28 *Mœrens incedebam.* Vir sanctus elevatus, etc., usque ad hic per asperum iter venit ad patriam. *Sine furore consurgens.* Sæpe seditiosorum tumultus hominum præpositorum suorum mentes lacessunt: qui, si boni sunt, contra tumultus insolentium clamorem habent, et furorem non habent quoniam quos clementer tolerant, docere non cessant.

§§30.29 *Frater fui draconum.* Draconum nomine malitiosi, etc., usque ad sed a terra minime penna virtutis levat.

*30.30 *Cutis mea denigrata est.* Cutis nomine Ecclesiæ infirmi, etc., usque ad qui in ea sunt, zelo fidei cruciantur.

†30.31 *Versa est in luctum cithara.* Ac si diceret Pacis meæ tempore, etc., usque ad quia vitia exstinguenda sunt, non caro.

†31.1 *Pepigi fœdus cum oculis meis.* GREG. in Job., l. 21. Nunc proprias per ordinem virtutes enumerat, sic vitæ suæ historiam texens ut perrarum aliquid, quod allegorice possit intelligi, interserat. *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Ut enim cogitationes cordis, etc., usque ad Non debent intueri quæ non licet concupisci.

¶31.2 *Quam enim partem haberet Deus in me desuper.* Ac si diceret: Habere me possessionem suam excelsorum conditor renuit, si mens mea ante conspectum illius infirmis desideriis tabescit. Nulla enim placent bona Deo sine mentis munditia.

§31.3 *Nunquid non perditio est iniquo.* Tunc erit alienatio reprobis, cum ab hæreditate districti iudicis se anathema esse conspiciant.

***31.4 *Nonne ipse considerat vias meas et cunctos.* Nomine viarum, etc., usque ad quæ apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant. GREG. Sciens se videri cavet, non tamen securus et perfectus quidem inter veteres, in præceptis futuri Christi pensat, quam multa de perfectione minus habet. Ideo dicit: *Si ambis.*

sciat Deus simplicitatem meam.^{††} 7 Si declinavit gressus meus de via, et si secutum est oculos meos cor meum, et si manibus meis adhæsit macula,^{‡‡} 8 seram, et alius comedat, et progenies mea eradicetur.^{¶¶} 9 Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum,^{§§} 10 scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii. 11 Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima. * 12 Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.[†] 13 Si contempsit subire iudicium cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me:[‡] 14 quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? et cum quæsierit, quid respondebo illi? 15 Numquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est, et formavit me in vulva unus?[¶] 16 Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduæ expectare feci;[§] 17 si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillum ex ea** 18 (quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum); 19 si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem;^{††} 20 si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est; 21 si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me

^{††}31.6 **Appendat**, quasi diceret: Quantum ad modum humanæ vitæ mala in me non video; sed nisi mediator appareat, qui omnes excedit, quantum a vera simplicitate distem, non cognosco. **In statera justa**. Stateræ nomine mediator Dei et hominum, etc., usque ad si vitam simplicem vere tenuisset.

^{‡‡}31.7 **Si declinavit gressus meus de via**. Toties gressus de via declinat, quoties nostra cogitatio iter rectitudinis per consensum relinquit erroris. **Et si secutum est oculos meos cor**. Sicut enim tentatio per oculos trahitur, sic nonnunquam concepta intrinsecus compellit sibi extrinsecus oculos deservire.

^{¶¶}31.8 **Et progenies mea eradicetur**. Quisquis juxta hoc quod loquitur non vivit, quos verbo genuit, a stabilitate rectitudinis opere evellit

^{§§}31.9 **Si deceptum est**. Ibid. Per hoc nec cogitasse de fornicationis macula vir sanctus demonstratur. **Et si ad ostium**. Per hoc patenter ostendit, etc., usque ad secundum hoc quod dicit si deceptum est cor, etc.

*31.11 **Hoc enim nefas est**. Hoc inter peccatum distat et crimen, etc., usque ad sed usque ad perditionem devorat.

[†]31.12 **Et omnia eradicans genimina**. Germina animæ sunt operationes bonæ, quia si luxuriæ malo non resistitur, et illa pereunt quæ bona videbantur; sed in tanta castitatis munditia quam humilis fuit aperit, cum subjungit:

[‡]31.13 **Si contempsit subire**. Qui iudicari cum servis suis ancillisque non reuit, etc., usque ad unde et protinus subdit: **Quid enim faciam**.

[¶]31.15 **Nunquid non in utero fecit**. Potentibus viris magna est virtus humilitatis. Considerata æqualitate conditionis, jam ad libertatis opera se convertit.

[§]31.16 **Si negavi quod volebant**. Post castitatem et humilitatem subdit de libertate; per hoc ostenditur, non solum ad inopiam pauperibus sed etiam ad desiderium deseruisse. **Et oculos viduæ**. Incunctanter dandum est, quod cum vera humilitate quærit, id est, quod nec ex desiderio, sed ex necessitate poscitur, ut non solum ex munere, sed etiam celeritate muneris bonorum operum merita augeantur.

31.17 **Si comedi buccellam meam solus. Non solum exterius dedi, etc., usque ad Nec istam pietatem sibi, sed gratiæ Dei attribuit, dicens.

^{††}31.19 **Si despexi prætereuntem**. Quod pauperem non despexit, virtutem humilitatis exhibuit; quod autem operuit, pietatis. Ignoto autem proximo misertum se indicat, quem prætereuntem vocat, quia apud piam mentem plus natura valet, quam notitia, ut in Job.

in porta superiorem:‡‡ 22 humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus confringatur.¶¶ 23 Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.‡‡ 24 Si putavi aurum robur meum, et obrizo dixi: Fiducia mea; * 25 si lætatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea; † 26 si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, ‡ 27 et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo:¶¶ 28 quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum. § 29 Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum: ** 30 non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus. †† 31 Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut saturemur?‡‡

‡‡31.21 *Si levavi super pusillum.* Ibid. Ac si patenter dicat, etc., usque ad quod in porta agebatur, significat.

¶¶31.22 *Humerus meus.* Si ea bona quæ ore protuli, etc., usque ad ut ostendat in se conjunctas, singulas enumerat.

‡‡31.23 *Semper enim quasi tu mentes.* Fluctus, cum tumentes desuper imminet, etc., usque ad quam sancti quotidie expavescent. *Pondus ejus ferre non potui*, quoniam qui extremi judicii adventum intenta mente considerat, profecto videtur, quia tantus pavor imminet, quantus non solum tunc videre, sed etiam nunc providere pertimescat.

*31.24 *Si putavi aurum.* GREG. in Job., l. 22. De Creatore quippe desperasse fuerat, si spem in creaturam posuisset: qui enim labenti innititur, necesse est ut cum labente labatur.

†31.25 *Si lætatus sum.* Nihil enim extra Deum menti sufficit, quæ Deum veraciter quærit, etc., usque ad Intellectus vel otio torpet, vel elatione vanescit, et ideo ait: *Si lætatus sum.* Cum autem quæ intelligit, etc., usque ad a luce invisibili cor extra inhians cæcatur, et est sensus.

‡31.26 *Si vidi solem.* Pene soli homines sua bona non vident, etc., usque ad dum contemplatione mentis, sol de coelo. *Et lunam incedentem.* Lunam dicit famam, quæ lucens in nocte hujus vitæ ex bono opere vires accipit. *Et non est lætatum in abscondito cor meum.* Sunt enim qui suis præconiis extolluntur apud se, et gaudent. Et hoc est:

¶31.27 *Et lætatum est, etc.* Et quia inconsiderata mens favoribus tracta aliquando laudat quod fecit, addit: *Et osculatus sum:* per os locutio designatur: manum ergo suam osculatur ore suo, qui laudat quod facit.

§31.28 *Quæ est iniquitas.* Ibid. Quia auctoris sui gratiam negare convincitur quisquis sibi tribuens quod operatur. *Maxima.* Omne peccatum, quod ex infirmitate est, spem non perdit, quia a Deo veniam quærit; præsumptio vero, quanto longius est ab humilitate, tanto gravius desperatione, et dum sibi vires tribuit, a Deo non requirit.

**31.29 *Si gavisus sum ad.* Quia videlicet et inimicum diligens, dum adversario ruenti condoluit, et malis illius ipse ad bonum crevit

††31.30 *Non enim dedi.* Nonnulli enim quos adversarios æstimant, maledictione feriunt, quia virtute nequaquam possunt.

‡‡31.31 *Si non dixerunt viri.* Secum enim adversarios conversantes tolerabat, quia injuste agentibus per silentium non cedebat, sed per rectitudinem contraibat. *Quis det de.* Hoc mystice de Christo, de cujus carnibus saturari cupierunt, vel domestici Judæi, ejus corpus volentes quasi consumendo extinguere, vel gentiles credentes, qui de corpore ejus quotidie reficiuntur.

³² foris non mansit peregrinus: ostium meum viatori patuit. ¶[¶] ³³ Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam;^{§§} ³⁴ si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me: et non magis tacui, nec egressus sum ostium. * ³⁵ Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens, et librum scribat ipse qui iudicat, † ³⁶ ut in humero meo portem illum, et circumdem illum quasi coronam mihi? ‡ ³⁷ Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, et quasi principi offeram eum. ¶ ³⁸ Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent: § ³⁹ si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricoliarum ejus afflixi: ** ⁴⁰ pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.] Finita sunt verba Job. ††

32 Omiserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur. ‡‡ ² Et iratus indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites, de cogna-

¶¶31.32 *Foris non mansit peregrinus.* Dicturus in hospitalitatis gratia largitatem suam, prius qualis apud se fuerit, exposuit, quia exteriora munera ex interiori cordis munditia condiuntur.

§§31.33 *Si abscondi quasi homo.* Hominis proprium esse conspicit, etc., usque ad expressa confessione peccati, recte subjungitur:

*31.34 *Si expavi ad multitudinem.* Nihil mundi cupere magna est securitas, ut immutabili hærens, omnibus infra turbatis non turbetur in mente, etsi extra quandoque, carnis infirmitate. *Et despectio.* Boni nec despecti sua aperiunt, etc., usque ad tanquam per oris ostium egrediuntur, unde: *Et non magis tacui.* Bene præmittit, *tacui*, quia qui impatiens tacere nescit, a domo conscientia exit. Hoc mystice de Christo, qui multos persequentes non timuit, et despicientes, qui et tacuit, nec egressus potentia vindicavit.

†31.35 *Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat?* Mediatorem requirit, sciens quod ad requiem liberationis æternæ humani desiderii, preces nisi per advocatum suum, audiri non possunt: de quo subditur. *Et librum scribat; unde: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Qui veniens ad nostram redemptionem, etc., usque ad sed cur, beate Job, scribi librum desideras?

‡31.36 *Ut in humero meo portem illum.* Librum in humero portare est Scripturam sacram operando perficere. Prius autem describitur in humero portari, et postmodum sicut corona circumdari, quia sacri eloquii mandata si modo bene portantur in opere, postmodum nobis victoria coronam exhibent in retributione.

¶31.37 *Per singulos gradus meos.* Incrementa virtutum gradus vocat, etc., usque ad sed etiam per opera demonstrat. *Et quasi principi offeram eum.* Quod offerimus, manu tenemus. Venienti ergo ad iudicium librum offerre est verba præceptorum ejus in actione tenuisse.

§31.38 *Si adversum me.* Ad majorem ostensionem, etc., usque ad et nullis operibus excultos terra dicitur. *Et cum ipsa sulci.* Sulci dicuntur hi qui, etc., usque ad et rudes contra eum clamant, et perfecti deflent

**31.39 *Si fructus ejus comedi.* Qui præest et subest, etc., usque ad a quibus fructus corporeæ servitutis accepit. *Animam agricoliarum ejus afflixi.* Animas agricoliarum affligit rector Ecclesiae, etc., usque ad qui non suam gloriam quærit, ab omnibus vult adjuvari.

††31.40 *Pro frumento.* Si, inquam, hoc vel illud feci, etc., usque ad de illis ergo, *Gloria ejus quasi flos feni. Pro frumento.* Pro frumento quippe tribulus, et pro hordeo spina oritur, cum in retributione ultima, in qua remuneratio laboris quæritur, punctio doloris invenitur.

‡‡32.1 *Miserunt autem tres.* GREG. Tandem beati Job plenas, etc., usque ad et in vetustate se retinendo pravis suis sermonibus speculationi rectoris nocent.

tione Ram: iratus est autem adversum Job, eo quod justum se esse diceret coram Deo.^{¶¶} ³ Porro adversum amicos ejus indignatus est, eo quod non invenissent respon- sionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Job. ⁴ Igitur Eliu expectavit Job loquentem, eo quod seniores essent qui loquebantur. ⁵ Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer. ⁶ Respondensque Eliu filius Barachel Buzites, dixit: [Junior sum tempore, vos autem antiquiores: idcirco, de- misso capite, veritus sum vobis indicare meam sententiam.^{§§} ⁷ Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam. ⁸ Sed, ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. ⁹ Non sunt longævi sapientes, nec senes intelligunt iudicium. ¹⁰ Ideo dicam: Audite me: ostendam vobis etiam ego meam sapientiam. ¹¹ Expectavi enim sermones vestros; audivi prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus;^{*} ¹² et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam: sed, ut video, non est qui possit arguere Job, et re- spondere ex vobis sermonibus ejus.[†] ¹³ Ne forte dicatis: Invenimus sapientiam: Deus projecit eum, non homo.[‡] ¹⁴ Nihil locutus est mihi: et ego non secundum sermones vestros respondebo illi.[¶] ¹⁵ Extimuerunt, nec responderunt ultra, abstuleruntque a se eloquia.[§] ¹⁶ Quoniam igitur expectavi, et non sunt locuti: steterunt, nec ultra respon- derunt: ¹⁷ respondebo et ego partem meam, et ostendam scientiam meam. ¹⁸ Plenus sum enim sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. ¹⁹ En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit. ²⁰ Loquar, et respirabo paululum: aperiam labia mea, et respondebo. ²¹ Non accipiam personam viri, et Deum homini non æquabo. ²² Nescio enim quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me factor meus.]

33 [Audi igitur, Job, eloquia mea, et omnes sermones meos ausculta. ² Ecce ape- rui os meum: loquatur lingua mea in faucibus meis. ³ Simplici corde meo sermones mei, et sententiam puram labia mea loquentur. ⁴ Spiritus Dei fecit me,

^{¶¶}32.2 *Et iratus indignatusque est Eliu.* Eliu Deus meus iste, etc., usque ad quamvis ab eorum vita elationis pravitate disjungitur. *Iratus est autem adversus Job.* Vanæ enim gloriæ sectatores, etc., usque ad intus positos premunt qualitate dicendi, id est, vitio elationis.

^{§§}32.6 *Respondensque Eliu filius.* GREG. in Job., l. 23. Hæc quia soliditate gravitatis carent, etc., usque ad usum tamen exercet vehementer. Ibid. Non parva condemnatio est ex bono, etc., usque ad ut in ejus ruina discerent quid de elatione timerent.

^{*}32.11 *Exspectavi enim sermones vestros, audivi prudentiam vestram.* Cum dicit *exspectavi, etc.*, declarat se ad verba, etc., usque ad in quorum verbis dogmata perversa reprehendunt.

[†]32.12 *Sed, ut video, non est qui arguere possit Job.* Sæpe hæretici per hoc quod esse, etc., usque ad quorum voce Eliu obviat, dicens:

[‡]32.13 *Ne forte dicatis.* Quasi, incassum dicitis, etc., usque ad et pervenienti æterna præmia servat.

[¶]32.14 *Nihil locutus est mihi.* Ibid. Eliu quidem publice beatum Job audierat, etc., usque ad cum sapientiores se et ipsis redarguentibus arbitrantur. Quia vero ait: *Et ego non secundum sermones vestros respondebo.* Bene beato Job non, etc., usque ad sed de se plus quam necesse est, digna suspicantur.

[§]32.15 *Extimuerunt nec responderunt ultra.* Bene ab Eliu verba amici Job ex- timuisse referuntur, quia nonnunquam arroganter Ecclesiæ defensores, quamvis or- dinem dicendi non teneant, tamen adversarios virtute dictorum perturbant, etc. *Vide Greg. loc. cit. usque ad fin. cap.*

et spiraculum Omnipotentis vivificavit me. ⁵ Si potes, responde mihi, et adversus faciem meam consiste. ⁶ Ecce, et me sicut et te fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum. ⁷ Verumtamen miraculum meum non te terreat, et eloquentia mea non sit tibi gravis. ⁸ Dixisti ergo in auribus meis, et vocem verborum tuorum audivi: ⁹ Mundus sum ego, et absque delicto: immaculatus, et non est iniquitas in me. ¹⁰ Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi. ¹¹ Posuit in nervo pedes meos; custodivit omnes semitas meas. ¹² Hoc est ergo in quo non es justificatus: respondebo tibi, quia major sit Deus homine. ¹³ Adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi? ¹⁴ Semel loquitur Deus, et secundo idipsum non repetit. ¹⁵ Per somnium, in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, ¹⁶ tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina, ¹⁷ ut avertat hominem ab his quæ facit, et liberet eum de superbia, ¹⁸ eruens animam ejus a corruptione, et vitam illius ut non transeat in gladium. ¹⁹ Increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcescere facit. ²⁰ Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animæ illius cibus ante desiderabilis. ²¹ Tabescet caro ejus, et ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur. ²² Appropinquavit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis. ²³ Si fuerit pro eo angelus loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem, ²⁴ miserebitur ejus, et dicit: Libera eum, ut non descendat in corruptionem: inveni in quo ei propitior. ²⁵ Consumpta est caro ejus a suppliciiis: revertatur ad dies adolescentiæ suæ. ²⁶ Deprecabitur Deum, et placabilis ei erit: et videbit faciem ejus in jubilo, et reddet homini justitiam suam. ²⁷ Respiciet homines, et dicit: Peccavi, et vere deliqui, et ut eram dignus, non recepi. ²⁸ Liberavit animam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret. ²⁹ Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ³⁰ ut revocet animas eorum a corruptione, et illuminet luce viventium. ³¹ Attende, Job, et audi me: et tace, dum ego loquor. ³² Si autem habes quod loquaris, responde mihi: loquere, volo enim te apparere justum. ³³ Quod si non habes, audi me: tace, et docebo te sapientiam.]

34 Pronuntians itaque Eliu, etiam hæc locutus est: ² [Audite, sapientes, verba mea: et eruditi, auscultate me. ³ Auris enim verba probat, et guttur escas gustu dijudicat. ⁴ Judicium eligamus nobis, et inter nos videamus quid sit melius. ⁵ Quia dixit Job: Justus sum, et Deus subvertit judicium meum. ⁶ In judicando enim me mendacium est: violenta sagitta mea absque ullo peccato. ⁷ Quis est vir ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam: ⁸ qui graditur cum operantibus iniquitatem, et ambulat cum viris impiis? ⁹ Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo. ¹⁰ Ideo, viri cordati, audite me: absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. ¹¹ Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis. ¹² Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet judicium. ¹³ Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? ¹⁴ Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. ¹⁵ Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur. ¹⁶ Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, et auscultata vocem eloquii mei: ¹⁷ numquid qui non amat judicium sanari potest? et quomodo tu eum qui justus est in tantum condemnas? ¹⁸ Qui dicit regi: Apostata; qui vocat duces impios; ¹⁹ qui non accipit personas principum, nec cognovit tyrannum cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum ejus sunt universi. ²⁰ Subito morientur, et in media nocte turbabuntur populi: et pertransibunt, et auferent violentum absque manu. ²¹ Oculi enim ejus super vias hominum, et omnes

gressus eorum considerat. ²² Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem, ²³ neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in iudicium. ²⁴ Conteret multos, et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. ²⁵ Novit enim opera eorum, et idcirco inducet noctem, et conterentur. ²⁶ Quasi impios percussit eos in loco videntium: ²⁷ qui quasi de industria recesserunt ab eo, et omnes vias ejus intelligere noluerunt: ²⁸ ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, et audiret vocem pauperum. ²⁹ Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum, et super gentes, et super omnes homines? ³⁰ Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. ³¹ Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo. ³² Si erravi, tu doce me; si iniquitatem locutus sum, ultra non addam. ³³ Numquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? tu enim cœpisti loqui, et non ego: quod si quid nosti melius, loquere. ³⁴ Viri intelligentes loquantur mihi, et vir sapiens audiat me. ³⁵ Job autem stulte locutus est, et verba illius non sonant disciplinam. ³⁶ Pater mi, probetur Job usque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis: ³⁷ quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur: et tunc ad iudicium provocet sermonibus suis Deum.]

35 Igitur Eliu hæc rursus locutus est: ² [Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio, ut diceres: Justior sum Deo? ³ Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est: vel quid tibi proderit, si ego peccavero? ⁴ Itaque ego respondebo sermonibus tuis, et amicis tuis tecum. ⁵ Suspice cælum, et intuere: et contemplare æthera quod altior te sit. ⁶ Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? ⁷ Porro si juste egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet? ⁸ Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua: et filium hominis adjuvabit justitia tua. ⁹ Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum. ¹⁰ Et non dixit: Ubi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte; ¹¹ qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cæli erudit nos? ¹² Ibi clamabunt, et non exaudiet, propter superbiam malorum. ¹³ Non ergo frustra audiet Deus, et Omnipotens causas singulorum intuebitur. ¹⁴ Etiam cum dixeris: Non considerat: judicare coram illo, et expecta eum. ¹⁵ Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde. ¹⁶ Ergo Job frustra aperit os suum, et absque scientia verba multiplicat.]

36 Addens quoque Eliu, hæc locutus est: ² [Sustine me paululum, et indicabo tibi: adhuc enim habeo quod pro Deo loquar. ³ Repetam scientiam meam a principio, et operatorem meum probabo justum. ⁴ Vere enim absque mendacio sermones mei, et perfecta scientia probabitur tibi. ⁵ Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens: ⁶ sed non salvat impios, et iudicium pauperibus tribuit. ⁷ Non auferet a justo oculos suos: et reges in solio collocat in perpetuum, et illi eriguntur. ⁸ Et si fuerint in catenis, et vinciantur funibus paupertatis, ⁹ indicabit eis opera eorum, et scelera eorum, quia violenti fuerunt. ¹⁰ Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat: et loquetur, ut revertantur ab iniquitate. ¹¹ Si audierint et observaverint, complebunt dies suos in bono, et annos suos in gloria: ¹² si autem non audierint, transibunt per gladium, et consumentur in stultitia. ¹³ Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum victi fuerint. ¹⁴ Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effeminatos. ¹⁵ Eripiet de angustia sua pauperem, et revelabit in tribulatione aurem ejus. ¹⁶ Igitur salvabit te de ore angusto latissime, et non habente

fundamentum subter se: requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine. ¹⁷ Causa tua quasi impii iudicata est: causam iudiciumque recipies. ¹⁸ Non te ergo superet ira ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te. ¹⁹ Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine. ²⁰ Ne protrahas noctem, ut ascendat populi pro eis. ²¹ Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpisti sequi post miseriam. ²² Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. ²³ Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis potest ei dicere: Operatus es iniquitatem? ²⁴ Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri. ²⁵ Omnes homines vident eum: unusquisque intuetur procul. ²⁶ Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum ejus inæstimabilis. ²⁷ Qui aufert stillas pluviæ, et effundit imbres ad instar argurum, ²⁸ qui de nubibus fluunt quæ prætexunt cuncta desuper. ²⁹ Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, ³⁰ et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. ³¹ Per hæc enim iudicat populos, et dat escas multis mortalibus. ³² In manibus abscondit lucem, et præcepit ei ut rursus adveniat. ³³ Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere.]

37 [Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo. ² Audite auditionem in terrore vocis ejus, et sonum de ore illius procedentem. ³ Subter omnes cælos ipse considerat, et lumen illius super terminos terræ. ⁴ Post eum rugiet sonitus; tonabit voce magnitudinis suæ: et non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus. ⁵ Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna et inscrutabilia; ⁶ qui præcipit nivi ut descendat in terram, et hiemis pluviis, et imbri fortitudinis suæ; ⁷ qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua. ⁸ Ingrediatur bestia latibulum, et in antro suo morabitur. ⁹ Ab interioribus egredietur tempestas, et ab Arcturo frigus. ¹⁰ Flante Deo, concrevit gelu, et rursus latissimæ funduntur aquæ. ¹¹ Frumentum desiderat nubes, et nubes spargunt lumen suum. ¹² Quæ lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum: ¹³ sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quocumque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri. ¹⁴ Ausculta hæc, Job: sta, et considera mirabilia Dei. ¹⁵ Numquid scis quando præceperit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus? ¹⁶ Numquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias? ¹⁷ Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro? ¹⁸ Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt. ¹⁹ Ostende nobis quid dicamus illi: nos quippe involvimur tenebris. ²⁰ Quis narrabit ei quæ loquor? etiam si locutus fuerit homo, devorabitur. ²¹ At nunc non vident lucem: subito aër cogetur in nubes, et ventus transiens fugabit eas. ²² Ab aquilone aurum venit, et ad Deum formidolosa laudatio. ²³ Digne eum invenire non possumus: magnus fortitudine, et iudicio, et justitia: et enarrari non potest. ²⁴ Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.]

38 Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit: ² [Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? ³ Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, et responde mihi. ⁴ Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, si habes intelligentiam. ⁵ Quis posuit mensuras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? ⁶ Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem ejus, ⁷ cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei? ⁸ Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens;

⁹ cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem? ¹⁰ Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia, ¹¹ et dixi: Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. ¹² Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum? ¹³ Et tenuisti concutiens extrema terræ, et excussisti impios ex ea? ¹⁴ Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum: ¹⁵ auferetur ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur. ¹⁶ Numquid ingressus es profunda maris, et in novissimis abyssi deambulasti? ¹⁷ Numquid aperta sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti? ¹⁸ Numquid considerasti latitudinem terræ? indica mihi, si nosti, omnia: ¹⁹ in qua via lux habitet, et tenebrarum quis locus sit: ²⁰ ut ducas unumquodque ad terminos suos, et intelligas semitas domus ejus. ²¹ Sciebas tunc quod nasciturus esses, et numerum dierum tuorum noveras? ²² Numquid ingressus es thesaurus nivis, aut thesaurus grandinis aspexisti, ²³ quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli? ²⁴ Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram? ²⁵ Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitruï, ²⁶ ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium comoratur; ²⁷ ut impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes? ²⁸ Quis est pluvie pater? vel quis genuit stillas roris? ²⁹ De cujus utero egressa est glacies? et gelu de cælo quis genuit? ³⁰ In similitudinem lapidis aquæ durantur, et superficies abyssi constringitur. ³¹ Numquid conjungere valebis micantes stellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare? ³² Numquid producis luciferum in tempore suo, et vesperum super filios terræ consurgere facis? ³³ Numquid nosti ordinem cæli, et pones rationem ejus in terra? ³⁴ Numquid elevabis in nebula vocem tuam, et impetus aquarum operiet te? ³⁵ Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus? ³⁶ Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam? ³⁷ Quis enarrabit cælorum rationem? et concentum cæli quis dormire faciet? ³⁸ Quando fundebatur pulvis in terra, et glebæ compingebantur? ³⁹ Numquid capies lænæ prædam, et animam catulorum ejus implebis, ⁴⁰ quando cubant in antris, et in specubus insidiantur? ⁴¹ Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos?]

39 [Numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti? ² Dinumerasti menses conceptus earum, et scisti tempus partus earum? ³ Incurvantur ad foetum, et pariunt, et rugitus emittunt. ⁴ Separantur filii earum, et pergunt ad pastum: egrediuntur, et non revertuntur ad eas. ⁵ Quis dimisit onagræ liberum, et vincula ejus quis solvit? ⁶ cui dedi in solitudine domum, et tabernacula ejus in terra salsuginis. ⁷ Contemnit multitudinem civitatis: clamorem exactoris non audit. ⁸ Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirat. ⁹ Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? ¹⁰ Numquid alligabis rhinocerotam ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te? ¹¹ Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, et derelinques ei labores tuos? ¹² Numquid credes illi quod sementem reddat tibi, et aream tuam congreget? ¹³ Penna struthionis similis est pennis herodii et accipitris. ¹⁴ Quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? ¹⁵ Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. ¹⁶ Duratur ad filios suos, quasi non sint sui: frustra laboravit, nullo timore cogente. ¹⁷ Privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. ¹⁸ Cum tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum et ascensorem

ejus. ¹⁹ Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? ²⁰ Numquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium ejus terror. ²¹ Terram ungula fodit; exultat audacter: in occursum pergit armatis. ²² Contemnit pavorem, nec cedit gladio. ²³ Super ipsum sonabit pharetra; vibrabit hasta et clypeus: ²⁴ fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. ²⁵ Ubi audierit buccinam, dicit: Vah ! procul odoratur bellum: exhortationem ducum, et ululatum exercitus. ²⁶ Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? ²⁷ Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum? ²⁸ In petris manet, et in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. ²⁹ Inde contemplatur escam, et de longe oculi ejus prospiciunt. ³⁰ Pulli ejus lambent sanguinem: et ubicumque cadaver fuerit, statim adest.] ³¹ Et adjecit Dominus, et locutus est ad Job: ³² [Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit? utique qui arguit Deum, debet respondere ei.] ³³ Respondens autem Job Domino, dixit: ³⁴ [Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum. ³⁵ Unum locutus sum, quod utinam non dixissem: et alterum, quibus ultra non addam.]

40 Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit: ² [Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, et indica mihi. ³ Numquid irritum facies iudicium meum, et condemnabis me, ut tu justificeris? ⁴ Et si habes brachium sicut Deus? et si voce simili tonas? ⁵ Circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus. ⁶ Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. ⁷ Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo. ⁸ Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam. ⁹ Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua. ¹⁰ Ecce behemoth quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet. ¹¹ Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus. ¹² Stringit caudam suam quasi cedrum; nervi testiculorum ejus perplexi sunt. ¹³ Ossa ejus velut fistulæ æris; cartilago illius quasi laminæ ferreæ. ¹⁴ Ipse est principium viarum Dei: qui fecit eum applicabit gladium ejus. ¹⁵ Huic montes herbas ferunt: omnes bestię agri ludent ibi. ¹⁶ Sub umbra dormit in secreto calami, et in locis humentibus. ¹⁷ Protegunt umbræ umbram ejus: circumdabunt eum salices torrentis. ¹⁸ Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus. ¹⁹ In oculis ejus quasi hamo capiet eum, et in sudibus perforabit nares ejus. ²⁰ An extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus? ²¹ Numquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus? ²² Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? ²³ Numquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum? ²⁴ Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis? ²⁵ Concident eum amici? dividant illum negotiatores? ²⁶ Numquid implebis sagenas pelle ejus, et gurgustium piscium capite illius? ²⁷ Pone super eum manum tuam: memento belli, nec ultra addas loqui. ²⁸ Ecce spes ejus frustrabitur eum, et videntibus cunctis præcipitabitur.]

41 [Non quasi crudelis suscitabo eum: quis enim resistere potest vultui meo? ² Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt. ³ Non parcam ei, et verbis potentibus, et ad deprecandum compositis. ⁴ Quis revelabit faciem indumenti ejus? et in medium oris ejus quis intrabit? ⁵ Portas vultus ejus quis aperiet? per gyrum dentium ejus formido. ⁶ Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. ⁷ Una uni conjungitur, et ne spiraculum qui-

dem incedit per eas. ⁸Una alteri adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur. ⁹Sternutatio ejus splendor ignis, et oculi ejus ut palpebræ diluculi. ¹⁰De ore ejus lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ. ¹¹De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventis. ¹²Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur. ¹³In collo ejus morabitur fortitudo, et faciem ejus præcedit egestas. ¹⁴Membra carniū ejus cohærentia sibi: mittet contra eum fulmina, et ad locum alium non ferentur. ¹⁵Cor ejus indurabitur tamquam lapis, et stringetur quasi maleatoris incus. ¹⁶Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur. ¹⁷Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax: ¹⁸reputabit enim quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum æs. ¹⁹Non fugabit eum vir sagittarius: in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. ²⁰Quasi stipulam æstimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam. ²¹Sub ipso erunt radii solis, et sternet sibi aurum quasi lutum. ²²Fervescere faciet quasi ollam profundum mare, et ponet quasi cum unguenta bulliunt. ²³Post eum lucebit semita: æstimabit abyssum quasi senescentem. ²⁴Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret. ²⁵Omne sublime videt: ipse est rex super universos filios superbæ.]

42 Respondens autem Job Domino, dixit: ²[Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio. ³Quis est iste qui celat consilium absque scientia? ideo insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam. ⁴Audi, et ego loquar: interrogabo te, et responde mihi. ⁵Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te. ⁶Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.] ⁷Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. ⁸Sumite ergo vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis. Faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut servus meus Job. ⁹Abierunt ergo Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos: et suscepit Dominus faciem Job. ¹⁰Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis: et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia. ¹¹Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, et universæ sorores suæ, et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo ejus: et moverunt super eum caput, et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum: et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam. ¹²Dominus autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus: et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille juga boum, et mille asinæ. ¹³Et fuerunt ei septem filii, et tres filiæ. ¹⁴Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundæ Cassiam, et nomen tertiæ Cornustibii. ¹⁵Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra: deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum. ¹⁶Vixit autem Job post hæc centum quadraginta annis, et vidit filios suos, et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem: et mortuus est senex, et plenus dierum.

INCIPIT LIBER PSALMORUM
IUXTA HEBRAICUM TRANSLATUS

1 [Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit;**

1.1 **Incipit AUG. Liber iste intitulatur apud Hebræos Liber hymnorum, hac ratione, quia hymnus est ubi habentur verba et laus cum cantico, quod in psalmis invenitur. Intitulatur etiam, secundum quosdam, liber Soliloquiorum: quod ideo videtur fieri, quia illud quod aliquis secum rimatur, et a nullo discit, nisi a veritate sibi interius præsentente, soliloquium dicitur, verbi gratia, quemadmodum beatus Augustinus secum de natura animæ, et de natura Dei investigavit, eodem modo potest dici Propheta secum investigasse de incarnatione Filii Dei, et de reparatione humani generis. Rex David et propheta, cum prospere regnaret, volens cultum Dei magnificare, cum arcam a Philisthæis redditam, longo tempore post incertis sedibus vagantem, tandem in Jerusalem reduceret, nudus cum cithara præcedebat II Reg. 6.: sed et quatuor millia virorum elegerat, qui, non solum voce, sed etiam instrumentis musicis, psalmos canerent: quibus præposuit quatuor, Asaph, Idithun, Eman, Ethan, vel filios Core, qui a patris scelere vel sacrilegio degenerantes quem ignis consumperat Num. 16., in cultu Dei devotissimi perstiterunt. HIERON. Psalterium est quoddam musicum instrumentum in modum litteræ compositum: et ab eo musico instrumento per quod modulatum fuit præsens opus nomen sibi sumpsit. Psalterium apud Hebræos vocatur *nebel*, apud Græcos, apud Latinos vero *organum*. Multi dicunt David non fecisse omnes psalmos, eo quod quidam ex ipsis intitulantur in persona aliorum. Sed, ut dicit beatus Hieronymus, non sunt audiendi in hoc. Nam David composuit omnes psalmos: modo etiam apposuit, in quo multos auxiliores habuit, quibus præfecit quatuor, videlicet Eman, Ethan, Asaph et Idithun. Divino consilio hoc fuit factum, ut psalmi intitularentur in personis aliorum, vel propter interpretationem nominum tantum, vel propter negotium, vel propter utrumque. Propter interpretationem nominum tantum, ut in persona Idithun; propter negotium, ut in persona Aggæi et Zachariæ; propter utrumque, ut in persona Salomonis; Idithun, Asaph, filii Core et cæteri hujusmodi, non fuerunt auctores psalmorum, sed præpositi artificibus qui psalmos personabant tribus modis: vel humana voce, vel musicis instrumentis, vel communiter utroque modo. Et hoc dupliciter, vel post vocem instrumento, vel post instrumentum voce: unde nomina illorum ut honorem de ministerio sumerent, titulis inseruntur maxime pro significatione rerum. Psalmus vero est instrumenti sonus, canticum humanæ vocis cantus in laudem Dei; psalmi canticum, cum post instrumentum vox, psalmus cantici, cum post vocem instrumentum. CASS. Solet quæri cur præ aliis Scripturis psalmi in Ecclesia legantur? Quod ideo est quia antiquitas apud Hebræos mos iste in templo Dei erat. Vel, quia psalmi plus mysteriorum quam cætera Scripturæ continent, et breviter multa dicunt, in quibus omnis lex et prophetæ et Evangelium constat. CASS. Prophetia est inspiratio vel revelatio divina, quæ eventus rerum vel per facta, vel per dicta immobili veritate pronuntiat, unde prophetia *visio*, propheta *videns*. Multis autem modis hæc gratia data est: vel per operationes hominum, ut fuit arca Noë et sacrificium Abrahæ, et transitus maris Rubri; vel per nativitates, ut Esau et Jacob, qui futura significabant; vel per loquentes angelos, sicut locuti sunt Abrahæ, Lot et aliis; vel per visiones, sicut Isaïæ et Ezechieli, et cæteris; vel per somnia, sicut Salomoni, Joseph et Danieli; vel per nubem et vocem de cælo, ut Moysi; vel adhuc aliis modis. David autem nullo horum, sed cœlesti aspiratione intus edoctus, Spiritu in eo loquente, completus est, ut in I Reg.: *Directus est Spiritus Domini in David I Reg. 16.* Et Dominus: *Si David in spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* Matth. 22. Spiritus autem sanctus sic datus est prophetis, ut aliquando pro peccatis recederet et placatus rediret; et sicut Petrus ait: *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed, Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti homines Dei II Pet. 1.* Non sunt autem illi a munere prophetiæ alieni, quibus data est facultas intelligendi vel interpretandi Scripturas. HIERON. Multa genera sunt christorum: patriarchæ dicti sunt christi, ut: *Nolite tangere christos meos Psal. 104.*; in Parabolis, dicuntur christi omnes qui de Ægypto egressi sunt. Chrisma in Exodo fit, unde sacerdotes uncti; est aliud unguentum, quo reges inunguntur; sed hoc duobus modis, quia si David est et Salomon, id est, *forti manu* et *pacificus*, ungitur cornu; si Jehu et Azahel, lenticula, quod est vas fictile. Sed et Cyrus, rex Persarum et Medorum, qui Israël relaxavit, christus est, secundum illud: *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro Isa. 45.*, quod non sicut sequentia de Salvatore accipi, ut quidam putant. Est unguentum propheticum,

²sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.^{††}

³Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: et folium ejus non defluet; et omnia quaecumque faciet prosperabuntur.^{‡‡}

⁴Non sic impii, non sic; sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.^{¶¶}

⁵Ideo non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in concilio justorum.^{§§}

⁶quoniam novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit.]^{*}

^{††}1.2 *Sed in lege.* AUG. CASS. Hic ostenditur plenus omni bono in se. AUG. Non est laus perfecta fugere vituperanda, nisi sequantur laudanda. Quo ordine creverunt in primo, remonentur a secundo. *In lege.* Ibid. Qui est in lege secundum legem agit, qui sub lege secundum legem agitur: ille liber, iste servus. Ibid. AMBR. Aliud est lex quæ scribitur servienti, aliud quæ mente conspicitur ab eo qui non indiget litteris. *Voluntas.* CASS. Ut non sit tædium laboris, nec otiosa, sed meditabitur semper. Voluntas sensus est sub lege; rationis, in lege; divinitatis, supra legem.

^{‡‡}1.3 *Et erit.* Ibid. Hic ostenditur utilis nobis, dans fructum vitæ, et folia, et obumbrans, *Beatus vir. Sed in lege. Et erit.* Plena definitio beati viri. Hæc omnia non omni beato viro, sed soli Christo, conveniunt. *Tanquam lignum.* Ibid. Secundum similitudinem ligni vitæ quod est in paradiso, unde obediens homo comederet. *Lignum.* Ibid. In paradiso est lignum vitæ, lignum ad vitam, et lignum scientiæ boni et mali. *Aquarum.* AUG. Aquæ Spiritus sanctus, secundum illud: *Qui crediderit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ Joan. 7.,* et est contra æstus vitiorum. CASS. Vel per aquam, sapientia Dei, qua reficitur interior homo, ut sitis aqua. AUG. Vel mortale genus, ut Job: *Aquæ multæ populi multi,* quia defluunt in mortem, ut aquæ in mare. *Dabit.* Ibid. Dare pertinet ad rationalem sensum et ad offerentis voluntatem. *Et folium.* Ibid. Sicut folia fructus tegunt, ita verba Domini promissiones suas custodiunt. *Et omnia.* Ibid. Quid per singula.

^{¶¶}1.4 *Non sic impii.* Hic de ultione iniquorum adversos terret, horum formido gratiora facit præmissa. *A facie terræ.* AUG. Stabilitatis æternæ, quia ut hæc terra nutrit et continet hominem, ita illa interiorem.

^{§§}1.5 *Ideo non resurgent.* Quia projicit ventus, id est, ideo quia dati sunt in reprobam sensum: ideo non resurgunt prima resurrectione, ut se judicent in concilio, ut voluntates Dei suis præferant. Vel in concilio, id est, in concordi multitudine justorum impii idololatræ, vel apostatæ. Peccatores, falsi Christiani: vel ideo non resurgent in futuro, ut judicent, vel ut judicati in concilio, id est, in collegio justorum quiescant. *In iudicio, etc.* In iudicio quatuor erunt ordines: alii judicabunt et non judicabuntur, ut perfectissimi; alii nec judicabunt, nec judicabuntur, ut damnati infideles; alii judicabuntur et salvabuntur, ut mediocriter boni; alii judicabuntur et peribunt, ut fideles mali. *In concilio.* AUG. In æterno bono, quod sequi consilium fuit sanctis. *Vel in concilio,* in iudicio, ut cum eis judicent; quia iudicium est, quando diversa peccata diversis pœnis punientur; et ex hoc similitudine dicitur. *Resurgent.* Quæ resurrectiones: animæ, a peccatis in præsentibus; corporis, a morte in futuro, qua fiet impassibile et immortale.

^{*}1.6 *Quoniam novit Dominus, etc.,* Id est, non resurgent hi in anima, quia Deus non approbat opera eorum, sed justorum tantum.

- 2** [Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?†
² Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus christum ejus.‡
³ Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.¶
⁴ Qui habitat in cælis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.§
⁵ Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.**
⁶ Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.††
⁷ Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te.‡‡
⁸ Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.¶¶

†2.1 *Psalmus.* Modulatio quæ fit per tactum decem chordarum est bona operatio, quæ fit per observantiam decem mandatorum. *David.* CASS. Manu fortis vel pulcher aspectu Christus est, qui æreas debellavit potestates, in quem et angeli prospicere desiderant. *Quare fremuerunt gentes, etc.* CASS. Iste psalmus est secundus in ordine, primus in titulo; unde in Actibus apostolorum dicitur primus. Primo increpat persequentes et minatur, prædicit quasi propheta. *Inania.* Ibid. Detinere eum in morte; vel, ne mundus post eum abiret.

‡2.2 *Reges.* Ibid. Prior qui infantes occidit Herodes, posterior qui Pilato consensit in morte Christi. Reges et principes. Ibid. Potuit etiam secundum Ambrosium de uno pluraliter dicere. Solus enim rex Herodes et princeps Pilatus in apostolorum Actibus adversus Christum conspirasse voce Petri produntur.

¶2.3 *Dirumpamus.* AMB. Vel convenerunt, dicentes: Dirumpamus rationes eorum, Domini et Christi, vel Christi et discipulorum, quibus nos sibi astringere volunt. AUG. Et si aliter posset dici apertius illis convenit qui nolunt jugum Christi sibi imponi. *Vincula.* Promissiones vitæ æternæ, et comminationes gehennæ, per quæ volunt nos sibi subjugare. *Projiciamus.* Destructis rationibus, dominium ipsius a nobis excutiamus. Ibid. Jugum, id est, legem: sed *qui habitat in cælis.*

§2.4 *Irridebit.* Ibid. Ut quando positus custodibus surrexit: *Subsannabit,* quando per mundum dispersi sunt. Irrisio Dei vis est præscientiæ quam dat Deus sanctis, ut, videntes nomen Christi futurum in omnibus gentibus, illos inania meditados intelligant.

**2.5 *Loquetur ad eos.* Ibid. Planius aperit cum dicit, conturbabit. Ira Dei est motus qui fit in anima quæ legem Dei novit, cum videt eam a malo præteriri per quem motum multa vindicantur: vel, ira Dei est obscuratio mentis transgressorum legis.

††2.6 *Ego autem.* CASS. Secundo, inducit verba ejus de omnipotenti regno et inenarrabili generatione sua, ubi de divinitate et humanitate ejus discimus. *Rex.* ID. Sic et reges terræ ab eo constituti. *Prædicans super Sion,* sic et prophetæ, *Filius,* sic et Israël, *Genui te.* Hoc soli Christo.

‡‡2.7 *Dominus dixit.* Persona regnantis. *Filius meus.* AUG. Ideo do tibi gentes hæreditatem potius quam alicui obedienti: quia Filius per naturam, et consubstantialis ineffabili genitura. *Hodie.* Ibid. Etsi possit accipi de die qua secundum hominem natus est, tamen hodie quia præsentiam significat, de sempiterna generatione sapientiæ Dei accipiatur.

¶¶2.8 *Postula.* AUG. Ad susceptionem hominis pertinet: quæ pro salute hominum facta, secundum quam interpellat pro nobis. *Hæreditatem.* CASS. Hæreditas ab hero, quod in ea potestate libera dominetur.

⁹ Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.^{§§}

¹⁰ Et nunc, reges, intelligite; erudimini, qui iudicatis terram.*

¹¹ Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.

¹² Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.†

¹³ Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.]‡

3 Psalmus David, cum fugeret a facie Absalom filii sui.†

² [Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? Multi insurgunt adversum me,§

³ multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus.**

⁴ Tu autem Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.††

⁵ Voce mea ad Dominum clamavi; et exaudivit me de monte sancto suo.‡‡

§§2.9 *Reges eos.* AUG. Partim reges, partim franges, secundum illud: *Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum Luc. 2.*, ut qui justus est, iustificetur adhuc: et qui in sordibus est, sordescat adhuc Apoc. 22.. *Virga ferrea.* CASS. Potestas Christi, virga ferrea; peccator, vas figuli, quod et luteum et facile frangitur.

*2.10 *Et nunc, reges, intelligite.* Nunc, id est, per ea quæ dicta sunt. CAS. Tertio pro his patefactis admonet omnes humiliter obedire, et suadet ab utili ne pereant, et ab honesto, quia beati qui confidunt in eo. In hoc post Christum quasi Apostolus loquitur. AUG. Vel, me rege constituto, ne tristemini, reges terræ; expedit enim vobis ut sub illo sitis, a quo est intellectus, et eruditio, ut non temere dominemini, sed Domino omnium serviatis, et in beatitudine exsultetis.

†2.12 *Nequando irascatur.* Ibid. Dubitatio non secundum prophetam, sed secundum ipsos, qui cum dubitatione cogitant iram Dei. *De via justa,* id est, Christo sublato, vel de bona operatione.

‡2.13 *Cum exarserit.* CASS. Modo non ardet cum castigat, ut pater, sed in futuro ardebit, quia nihil patientiæ in futuro erit. *In brevi ira.* Quia non singula horum separatim, sed simul omnia discutit.

†3.1 *Psalmus,* AUG. de passione et resurrectione Christi: Filius Judas a quo fugit, cum illo discedente cum cæteris in montem secessit; vel potius cum mentem ejus sapientia Dei deseruit, ut totus esset diaboli, quæ desertio fuga propter celeritatem dicitur. Unde: *Quod facis, fac citius Joan. 13.* Cui Christus pacem exhibuit, ut et David filio iniquo, unde pax patris dicitur: Judas vero ut Absalon suspensus interiit. Proponit duas partes oppositas. Vox Christi quasi admirantis, cum ad salvandum venit: *Domine, quid, etc.*

§3.2 *Domine, quid.* CASS. Primus psalmus de his qui breviter de passione et resurrectione facit, contra eos, et maxime paganos, qui gloriam majestatis non putant ad humilia posse descendere.

**3.3 *Multi dicunt, etc.* AUG. Vel hoc dicit unusquisque qui a vitiis et cupiditatibus impugnatur. *Dicunt animæ: Non est salus, etc.* Coacervatione vitiorum subrept desperatio sanitatis, quasi vitiis insultantibus animæ; vel etiam diabolis et angelis ejus, per suggestiones.

††3.4 *Susceptor meus es.* CASS. In Christo. Caput, Christum, vel mentem quæ servit legi Dei. *Percussisti omnes.* Recte in prædestinatione dicitur de diabolo et angelis ejus. *Super populum.* Hoc est unumquemque nostrum. ID. Vel hoc loquitur Ecclesia et caput ejus, inter procellas persecutionum per totum orbem constituta. Multi dicunt, Christianum nomen, extinguere cupientes, *Non est salus.* Aliter non sperarent delere Ecclesiam late pullulantem. *Susceptor.* Quia in Christo suscepta et cum eo exaltata. Caput ipsum qui primus ascendit in cælum.

‡‡3.5 *Et exaudivit me de monte, etc.* Id est, Christo auditur oratio Ecclesiæ, vel justitia.

⁶Ego dormivi, et soporatus sum; et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.^{¶¶}

⁷Non timebo millia populi circumdantis me. Exsurge, Domine; salvum me fac, Deus meus.^{§§}

⁸Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa; dentes peccatorum contrivisti.*

⁹Domini est salus; et super populum tuum benedictio tua.]

4 In finem, in carminibus. Psalmus David.[†]

² [Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi. Miserere mei, et exaudi orationem meam.[‡]

³Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?[¶]

⁴Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum; Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.[§]

^{¶¶}3.6 *Ego dormivi*: secundum illud: *Exsurge a mortuis, et illuminabit tibi Christus Ephes. 5.* Nihil mirum Salvatorem hæc dicere, quando multo majora pro animarum salute gessit, quo tempore a corpore abfuit, quæ in epistola catholica apud sanctum Petrum recensentur: *Quando iis qui erant in carcere, spiritibus profectas prædicavit, qui increduli aliquando fuerant I Petr. 3.*

^{§§}3.7 *Non timebo millia*, quæ nomen Christi conantur extinguere

*3.8 *Quoniam tu percussisti, etc.* Jam regnante Ecclesia, inimici confusione percussi sunt. *Dentes peccatorum*, verba, scilicet, maledica; vel principes in interitum fiunt. Ergo credite, homines, quod *Domini est salus*, et o Domine *benedictio tua sit super populum tuum. Voce mea.* Hæc mihi merito, quia *voce mea.* Qui bonus est, et bona petit, voce sua clamat; aliena voce, id est, vitæ suæ non concordante. *Ego dormivi.* Finis rei, unde proponit non timendum. *Ego*, cum pondere; quasi: sæviunt illi, sed non dormirem, nisi vellem. Vel, dormivi consentiendo; soporatus, male operando; exsurrexi, peccata deserendo. *Quoniam.* AUG. Non retro pendet, non præterea salvum facit quia percussit: sed inde contriti sunt dentes, quia percussit; id est, maledica verba in irritum ducta sunt; vel, dentes, sunt qui quosdam de numero sanctorum præcidunt, et malis incorporant.

[†]4.1 *In finem.* AUG. Finis duobus dicitur modis, quando aliquid deficit, vel quando perficitur. Ibid. Canticum lætitiæ indicat. Psalmi sunt qui cantantur ad psalterium, quo in magno mysterio usus est Propheta. *Psalmus*, de moribus ad agendum, ut deserantur falsi dii et vana sæculi; *Cantici*, quia fit mentio de æterna jucunditate.

[‡]4.2 *Cum invocarem, etc.* CASS. Exemplo sui increpat infideles de falsis. *Dilatasti mihi.* Ibid. Ab angustiis tristitiæ in latitudine gaudii duxisti. 5. *Gaudemus in tribulationibus scientes quod tribulatio, etc.* Rom. 5. Prius indicavit se auditum; jam quasi habens in corde Deum, ei loquitur. *Miserere mei.* Misertus de justitia et dilatione. Item, miserere contra miserias hujus vitæ. *Orationem meam.* De petendis bonis. Et cum ita de me, *Filii hominum, usquequo gravi corde?*

[¶]4.3 *Diligitis vanitatem, etc.* CASS. Voto amplexamini, quæritis labore vana idola, et mendacia, quæ non Deus: vel terrena, quæ non faciunt quod promittunt.

[§]4.4 *Et scitote, etc.* Proposito novo homine veterem jubet exuere. AUG. Nota, *Et* in initiis poni, ut dicta, cum visione quæ in corde est jungat, ita hic, ut: *Nolite diligere vana. Et scitote.* Sed diapsalma sic conjungi vetat. Diapsalma secundum Hieronymum semper, Hebræi Sela, id est, semper in confirmatione præcedentis partis. Sympsalma, id est, conjunctio psalmi. *Dominus exaudiet.* De requie ita, et vos: et ideo clamate, sic digni auditu.

- ⁵ Irascimini, et nolite peccare; quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.**
- ⁶ Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?††
- ⁷ Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: dedisti lætitiã in corde meo.‡‡
- ⁸ A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.¶¶
- ⁹ In pace in idipsum dormiam, et requiescam;§§
- ¹⁰ quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.]

** 4.5 *Irascimini.* Si motus surgit animi qui non est in potestate, non ei consentiat ratio. CASS. Motus animi in potestate nostra non est, sed Dei gratia temperare possumus: quod ergo consuetudinis est, permittit; quod culpæ, prohibet. HIER. Hoc docet Apostolus: *Sol non occidat super iracundiam vestram Ephes. 4.*, ut peccatum sit omnino vel leviter irasci: justitia autem, iram celeri pœnitentia mitigare. *In cordibus vestris.* AUG. De his quæ tractatis in corde, quem novit Deus: id est, de consensu; et de his quæ volvitis in cubili, id est delectatione carnis, in qua captiva versatur ratio, ut fera in cubili, *Compungimini*, per pœnitentiam; vel cubilia sunt cogitationes ferocium. CASS. Venialis est ira quæ non ducitur ad effectum. Diapsalma. *Sacrificate.* CASS. Deposito veteri homine, nos in sacrificium jubemur offerri, quia certi de bonis. AUG. *Sacrificium justitiæ*, spiritus contribulatus, ut se puniens mactet Deo: vel, opera justa post pœnitentiam quod notat diapsalma, ut de veteri vita transeat ad novam, et sic sperate bona. Sed quia vix est qui diligat interiora bona, subdit:

†† 4.6 *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?* Futura, scilicet de quibus dubitant et desperant. Ad quod respondens ostendit breviter quæ bona sunt quærenda.

‡‡ 4.7 *Signatum est super nos lumen, etc.* AUG. Hoc lumen est totum, et verum hominis bonum, quo signatur, ut denarius imagine regis. *Lumen.* AUG. Lumen, id est, luminosus vultus, et illuminans nos, imago qua cognosceris. CASS. Vel: Crux nobis impressa est, in signum regis nostri, quæ est lumen vultus: quia in talibus radiat Deus. Imago creationis, ratio; recreationis, gratia; similitudinis, tota Trinitas. In corde. AUG. Non foris in vanis, sed intus ubi habitat Deus, quærenda est lætitia.

¶¶ 4.8 *A fructu.* CAS. Quia putant in his consummatum bonum. Hæc tria tanquam usibus humanis magis accommoda pro omnibus divitiis ponit.

§§ 4.9 *In pace in idipsum.* CASS. Ego autem in pace mentis dormiam, hic oblitus mundi, et requiescam in futuro: quia jam in una spe, non in multiplicitate sæculi. *In pace dormiam et requiescam.* AUG. Ab omnibus sæculi cum mortale hoc induet immortalitatem: et hoc vere erit, quia jam est spes: et hoc est: *Quoniam tu, Domine*, et profecto erit quod speratur.

- 5** In finem, pro ea quæ hæreditatem consequitur. Psalmus David.*
² [Verba mea auribus percipe, Domine; intellige clamorem meum.†
³ Intende voci orationis meæ, rex meus et Deus meus.‡
⁴ Quoniam ad te orabo, Domine: mane exaudies vocem meam.†
⁵ Mane astabo tibi, et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.§
⁶ Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos.**
⁷ Odisti omnes qui operantur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendacium.
Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.††
⁸ Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam; adorabo ad
templum sanctum tuum in timore tuo.‡‡

*5.1 *Pro ea quæ consequitur hæreditatem.* Quia hic honoratur cui habenda hæreditas affirmatur, a qua æmula excluditur. Ecclesia est, quæ hæreditatem, id est, vitam æternam, ipsum Deum accipit, quæ hic loquitur de hæreditate, quam sibi petit, et asserit, æmulam dicens excludi. BEDA. Id est, pro Ecclesia, quæ, Christo resurgente, bonorum spiritualium dona percepit, quæ et ipsa nonnunquam Domini vocatur hæreditas, cujus pretioso est sanguine comparata: unde dictum est: **Postula a me, et dabo tibi gentes, hæreditatem tuam.** Totus ergo psalmus a persona catholicæ profertur Ecclesiæ, quæ prima sectione orationem suam poscit audiri, hæreticos et schismaticos prædicans a Domini muneribus esse excludendos. Secunda sectione per intellectum Scripturarum divinarum recto tramite dirigi se ad illam felicem patriam deprecatur, perfidos inde asserens funditus fieri alienos. Ad postremum commemorans præmia beatorum, ut una prædicatione et malos prædicta pœna converteret, et justos promissa præmia concitarent.

†5.2 *Verba mea.* CASS. Hic innuit propheta trinam orationem esse faciendam. Sunt enim tria principalia vitia in prosperis, tria in adversis: contra quæ trinam debemus facere orationem. In prosperis, contra carnis concupiscentiam, contra concupiscentiam oculorum, contra superbiam vitæ. In adversis, contra timorem mortis, periculi, utilitatis. Ibid. Trina oratio, verba, oris psalmodiam, clamorem, cordis affectum, ideo: **Exaudies.** Ecce ter de eodem. **Auribus.** Aures Dei sunt potentia, clementia. Potentia, qua potest: clementia, qua vult audire; nisi enim esset clementia, nullius preces exaudiret.

‡5.3 *Voci.* Illa oratio vocem habet, quæ est digna audiri. **Rex.** AUG. Proprie Filius, bene primo rex, quia per eum itur ad Patrem, unde subdit: Et **Deus meus:** et tamen non dicit intendite, sed intende, quia unus Deus.

†5.4 *Quoniam, etc.* AUG. Hucusque oratio ut audiatur, etc., usque ad et hoc mane mox ut tenebras deserit.

§5.5 *Mane astabo.* CASS. Vel, mane quando incipiet æternitas, et tunc plene videbo quod non placet iniquitas: quia tunc non habitabit, **sed tolletur impius, ne videat gloriam Dei Isa. 26.:** et tunc non permanebunt, etsi misericordiam ejus habuerint.

**5.6 *Neque permanebunt injusti.* Qui mala faciunt. Nam odisti qui operantur, non qui operati sunt.

††5.7 *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* AUG. Quia hoc est veritati contrarium. Veritas est de eo quod est. Mendacium non est substantia vel natura, sed de eo quod non est, et merito perditur, quod declinat ab eo quod est ad id quod non est. Ibid. Mentiri est loqui contra hoc quod animo sentitur. Ibid. Sunt mendacia quædam pro salute, etc., usque ad non cogitavi furem posse repetere.

‡‡5.8 *Ego autem.* AUG. Tertio, dicit se futuram domum Dei, et nunc proximare in timore ante consummationem, quæ expellit timorem. **Introibo.** CASS. Per hoc introibo, quia adorabo. Ibid. Petit contra ea quæ æmula ingerit: unde ipsa peribit.

⁹ Domine, deduc me in justitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.^{¶¶}

¹⁰ Quoniam non est in ore eorum veritas; cor eorum vanum est.^{§§}

¹¹ Sepulchrum patens est guttur eorum; linguis suis dolose agebant: judica illos, Deus. Decidant a cogitationibus suis; secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine.*

¹² Et lætentur omnes qui sperant in te; in æternum exsultabunt, et habitabis in eis. Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum,

¹³ quoniam tu benedices justo. Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.][†]

6 In finem, in carminibus. Psalmus David. Pro octava.[‡]

² [Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corpias me.[¶]

³ Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.[§]

⁴ Et anima mea turbata est valde; sed tu, Domine, usquequo?

^{¶¶}5.9 *Domine, deduc.* AUG. Quarto, proficiens inter impedimenta orat juvari intus, ne linguis dolosis avertatur. *In justitia tua.* CASS. Quia pœnitentes et supplices recipis. *In conspectu.* AUG. Ubi homo non videt, cui laudanti vel vituperanti non est credendum: quia non videt in conscientia, in qua iter ad Deum dirigitur. Ideo subdit: *Quoniam non est in ore eorum veritas.*

^{§§}5.10 *Quoniam non est, etc.* Non modo non est veritas in ore, sed sepulchrum: quia fetida promunt ad corrumpendum, quibus si non proficiunt, dolose agunt, id est, non modo moliantur, sed efficiunt.

^{*}5.11 *Judica illos Deus. Decidant a cogitationibus suis.* Non optat, sed quod futurum est prædicit. Decidit qui spe bona frustratur. *Et lætentur.* CASS. Post retributiones malorum subdit præmia bonorum, ut sicut pœna terret, præmia incitent.

[†]5.13 Ut scuto. CASS. Uno verbo indicat beneficia Dei gratuita. Voluntas quæ vocat, est defensio contra omnia, et corona, et clypeus. Capiti aptatus corona est, cordi defensio.

[‡]6.1 *Octava* est adventus Domini, in qua peccator timet argui, et ideo pœnitet. AUG. Octavam dicunt aliqui adventum Domini, etc., usque ad unde timens Ecclesia hic orat.

[¶]6.2 *Domine, ne in furore.* BASIL. Confessio est deprecativa, quæ apud Deum valet. Primo est exordium, in quo captat benevolentiam, per potestatem judicis, per infirmitatem suam, per consuetudinem parcendi: quia non vult a mortuis, sed a vivis rogari. *Arguas.* AUG. Argui gravius est quam accusari, unde damnatio timetur. Corripi mitius, id est, emendari vel erudiri. Arguuntur in judicio, qui sine fundamento. Emendantur, id est, purgantur, qui supra illud lignum, fenum, stipulam ædificaverunt. Dicit ergo hic: *Sana,* ne ibi sit opus, unde subdit: *Miserere.*

[§]6.3 *Infirmus* AUG. Reatu infirmatur anima, a quo sana, quia ossa, id est, mens conturbatur ad præsentiam, et anima, id est, sensualitas: ergo usquequo differs, quasi dicat: Quid restat quin sanes? *Usquequo.* AUG. Innuit se diu luctari cum vitiis. Non est autem crudelitas dilatio Dei, sed ut persuadeat animæ, in quæ mala se præcipitavit. Nondum enim tam perfecte orat, ut ei dicatur: *Adhuc te loquente dicam, ecce adsum Isa. 65.* Ut ex difficultate sanationis inde magis caveat sibi, et ut ostendatur quæ pœna sit non conversis, si tanta difficultas sit conversis, unde: *Si justus vix salvabitur, impius ubi apparebit?* I Petr. 4.

⁵ Convertere, Domine, et eripe animam meam; salvum me fac propter misericordiam tuam.**

⁶ Quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?††

⁷ Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrimis meis stratum meum rigabo.‡‡

⁸ Turbatus est a furore oculus meus; inveteravi inter omnes inimicos meos.¶¶

⁹ Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.§§

¹⁰ Exaudivit Dominus deprecationem meam; Dominus orationem meam suscepit.

¹¹ Erubescant, et conturbentur vehementer, omnes inimici mei; convertantur, et erubescant valde velociter.]*

7 Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi, filii Jemini.†

² [Domine Deus meus, in te speravi; salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me:‡

**6.5 *Convertere*. CASS. Qui aversus eras, vel a vindicta. *Eripe*, ab imminente morte. Vel eripe animam peccatis ligatam. *Salvum me fac, etc.*, dando virtutes.

††6.6 *Quoniam non est*. CASS. Ideo hic festino dimitti, quia post mortem et in inferno non accipitur confessio. In inferno. AUG. Confessus est dives, qui Lazarum vidit, etsi de profundo, cujus comparatione coactus est confiteri mala sua, usque adeo, ut et fratres roget ab his præmoneri: sed post iudicium in profundioribus tenebris nullam lucem Dei videbunt, cui confiteantur. Vel, mortem dicit peccatum in quo immemor est Dei qui mandata ejus contemnit.

‡‡6.7 *Laboravi*. CASS. Narrat ærumnas quibus pœnitentes avertitur; gemit dum videt quid egit, et quæ pœna futura. *Lectum*. Conscientiam, quæ quibusdam quies, quibusdam tormentum. Stratum, sensualitatem; fertilem faciam, quæ erat arida. Vel, lectus delectatio corporis, in qua homo resolvitur. Stratus, cumulus peccatorum ut vestium, quo resolutio, imbre lacrymarum, nova messis virtutum crescat.

¶¶6.8 *A furore*. AUG. Ab ira, vel Dei, quæ in iudicio, etc., usque ad ne quis desperet de gravitate peccatorum, subdit: *Discedite, etc.* CASS. Correptio, ut separetur ab illis, quorum collegio peccavit, et insistat mandatis Dei. *Inimicos*, AUG. id est, vitia, vel malos homines, qui vere sunt inimici ad Deum se convertentium, a quibus separatur omnis bonus, non loco, sed animo. Quia vero non est inanis tantus labor pœnitentiæ, exauditum se significans, subdit: *Discedite*.

§§6.9 *Dominus*. Ter Dominus, quia Trinitatem affuisse precibus ostendit: Incepit a lacrymis, exauditus exultat. *Exaudivit Dominus*. CAS. Dat exemplum fideliter orantes audiri.

*6.11 *Erubescant et conturbentur*. CASS. Quasi in conclusione, jam liber a peccatis, exultans, pro inimicis, ut convertantur, orat, ut, sicut ipse, habeant veniam. AUG. *Erubescant*. Hoc non hic ubi potius irident eos qui omnia relinquunt, et infirmos erubescere faciunt, sed in iudicio.

†7.1 In finem, psalmus. AUG. Chusi, qui transivit in partem Absalon, etc., usque ad non enim erat eis abscondendum, pro quibus gestum est. AUG. Potest hic psalmus in persona Christi intelligi; si qua humiliter dicta sunt, ad infirmitatem nostram referantur, quam gestavit. Primo petit ex omnibus tribulationibus liberari.

‡7.2 *Domine Deus*. CASS. Iste est primus psalmus eorum, in quibus per actus David futura mysteria Domini significantur. Mysterium incarnationis, silentium fuit Judæis; ut David a filio, ita Christus a populo, quem nutrierat, persecutionem sustinuit. *Libera*. AUG. Quasi, superato omni bello vitiorum, jam profecto nihil restat, nisi invidus diabolus.

³ nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.[¶]

⁴ Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis,[§]

⁵ si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

⁶ Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat; et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.^{**}

⁷ Exsurge, Domine, in ira tua, et exaltare in finibus inimicorum meorum: et exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti,^{††}

⁸ et synagoga populorum circumdabit te: et propter hanc in altum regredere:

[¶]7.3 *Rapiat, etc. Redimat, etc.* CASS. Propria verba: Domini est liberare, leonis rapere. Ordo, prius persequentes ponit, inde leonem. Expiatus enim ab omnibus spiritualibus nequitiiis a diabolo liberatur.

[§]7.4 *Domine, si feci istud.* Ibid. Ad litteram de David, et Absalon. *Si feci istud*, id est, si hoc malum mihi per præteritam culpam contigit. Vel si modo est iniquitas in manibus, id est, operibus meis. Vel, *si reddidi retribuentibus mihi mala, etc.*, quod dicitur æquitas apud homines, *merito* etsi non videatur hominibus *decidam ab inimicis meis inanis*, a fructu mansuetudinis. AUG. *Si feci istud*, vel, universale peccatum, quod sine nomine dixit, quod est superbia, quæ est radix omnium malorum. Vel, quod sequitur, *si est iniquitas*, quod de omni peccato accipitur. *Si reddidi.* Ibid. Id est, si te non sum imitatus in justo silentio, id est, patientia, quæ pro me operatus es. *Decidam merito ab inimicis.* Ibid. Non jurejurando hoc sibi imprecatur, sed dicit quod contingit se vindicantibus: prophetat ergo, non jurat per execrationem; quod est gravissimum jurisjurandi genus. Inanis factus vana et superba lætitia, quod quasi vinci non potuit: Salomon, *Melior est qui vincit iram, quam qui cepit civitatem* Prov. 16..

^{**}7.6 *Conculcet, etc.* Ibid. Anima peccatoris de quo, *Terra es, et in terram revertaris* Gen. 3, cibus serpentis est cui in maledictione dictum est, *Terram manducabis*, id est, diaboli, quia terra, id est, terrena est. Et ideo hic ait: Conculcet in terra vitam meam, id est, in terram redactam sibi incorporet, et ibi sit despicibilis. *Gloriam meam.* Ibid. Quæ debet esse in conscientia, ubi Deus videt; et solida in Domino, ut: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur I Cor. 1.. Deducat in pulverem*, id est, in superbiam et jactantiam, ut scilicet velim gloriari apud homines. *In pulverem deducat. Pulvis quem projicit ventus.* Ibid. Superborum jactantia. Vult ergo ut gloria sua sit solida intus, ubi Deus videt: est enim pulvis, si apud homines gloriatur; ecce quam cavenda superbia.

^{††}7.7 *Exsurge, Domine.* Petit ut gloria resurrectionis Christi subveniat. *In ira tua.* Perfectus enim iste non precatur hic adversus homines, sed adversus diabolum, ut possessionem ejus amittat, peccatores, scilicet et impios, qui sunt ejus possessio. Et quia ablatio hominis, quia pœna est diabolo, dicitur ira Dei contra eum. Vel, precatur hic Christi resurrectionem, sicut in præcedenti, ejus incarnationem: ut *O Domine Deus meus, etc. In finibus.* Mundus, vel infernus, sunt fines diaboli. *Et exsurge, Domine.* Superbus diabolus, quia per iniquitatem vincitur, subdit: Vel, *Exsurge*, id est, in toto orbe notus efficere, resurgendo. *In præcepto*, ut præceptum humilitatis facias implere: et hoc inde sequitur, quia Synagoga de diversis populis, vel specialiter Judæis, *circumdabit te*, amando, vel persequendo: *Propter hanc*, id est, amantem, *regredere*, id est, fac scire eos omnipotentiam tuam, qui descendisti ut te viderent; vel *propter hanc*, id est, persequentem, in qua locum non invenis, *regredere in altum*, id est, subtrahere his qui te persequuntur. *Synagoga.* Ibid. Congregatio populi, etc., usque ad Dominus judicat, de judicio regressi, id est, Christi. *Innocentiam.* Ibid. Quia non reddidi retribuentibus mihi. *Super me.* Ibid. Justitia et innocentia sunt super me, quia non a me, sed a Deo.

- ⁹ Dominus iudicat populos. Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.
- ¹⁰ Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum, scrutans corda et renes, Deus.^{‡‡}
- ¹¹ Iustum adiutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.^{¶¶}
- ¹² Deus iudex justus, fortis, et patiens; numquid irascitur per singulos dies?^{§§}
- ¹³ Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, et paravit illum.*
- ¹⁴ Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.
- ¹⁵ Ecce parturivit injustitiam; concepit dolorem, et peperit iniquitatem.[†]
- ¹⁶ Lacum aperuit, et effodit eum; et incidit in foveam quam fecit.[‡]
- ¹⁷ Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.[¶]

^{‡‡}7.10 *Scrutans corda.* Ibid. Quid quisque cogitet. *Renes.* Quid quemque delectet; quia finis curæ et cogitationis est delectatio, ad quam nitrere pervenire. Opera nostra in dictis et in factis possunt videre homines: sed quo animo fiant, et quo pervenire cupiant, solus videt Deus; qui cum videt cor esse in cælo, et non delectari in carne, sed in Domino, id est, cum bonæ sunt cogitationes, et earum fines dirigit justum, et non solum dirigit, sed adjuvat justum.

^{¶¶}7.11 *Iustum adiutorium.* Ibid. Duo sunt officia medicinæ, scilicet morbum sanare et sanitatem custodire. Secundum primum dixit in alio psalmo: *Infirmus sum, sana me, Domine.* Juxta alteram dicit hic perfectus, *justum adiutorium meum a Domino.* Et illa enim et ista medicina salvos facit: sed illa ex ægitudine transfert ad salutem, hæc in ipsa salute conservat. Illa ad morbum evadendum, remedium; hæc autem ne ad morbum recidat, remedium præstat. Illa sanamur infirmi, hac custodimur sani.

^{§§}7.12 *Deus iudex.* CASS. Hic metu futuri iudicii terret, et spem reversis promittit. *Nunquid irascitur.* AUG. Alia littera: *Nunquid adducit iram per singulos dies.* In Græco significantius, *adducit iram:* quia non in ipso est ira qua punit, sed in angelis iræ, per quos punit: qui non propter iustitiam qua non gaudent, sed propter malitiam, pœna humana delectantur: quos per singulos dies non congregat ad vindictam, sed per patientiam ad pœnitentiam invitat.

^{*}7.13 *Gladium suum.* AUG. Alia littera: Frameam suam splendificavit. CASS. *Gladium suum,* manifestam vindictam exercebit, nec impar dictum est hoc, quia arcum suum tetendit, minatur, ne putetur remissa patientia; *paravit,* ut mox missurus sagittam putetur. *Arcum suum.* Ibid. A simili. Sicut enim qui tetendit arcum minatur, ita per sacram Scripturam minatur malis, ne remissa putetur Dei patientia; et *paravit,* qui mox missurus sagittam putetur: sicut quis arcum parat, ut sagittam mittat. *Arcum suum tetendit,* AUG. temperando Vetus Testamentum per Novum Testamentum: *Paravit,* per explanationem. Ibid. Vel, *paravit.* Parat et disponit Deus, etc., usque ad sed ardentibus studio, sagittæ.

[†]7.15 *Ecce.* Quasi, hæc paravit Deus in Scripturis. Ibid. Unde videtur homini esse causa damnationis. Sed *ecce* quod non ex Deo, sed ex homine est, quia *lacum aperuit, etc. Concepit dolorem,* Ibid. id est, appetitu temporalium rerum. *Peperit,* effecit, emisit: et in emissâ iniquitate est lacus, id est, præcipitium aliis. Unde subdit:

[‡]7.16 *Lacum aperuit.* Et sic est comparabilis aperiendi lacum: aperit enim concipiendo fraudem: effodit parturiendo, instando operi fraudis; incidit pariendo fraudem, scilicet, perpetrando.

[¶]7.17 *Convertetur dolor, etc.* Caput, anima, vertex, ratio: cui dominantur peccata, et supersunt: et superdescendent cum in pœnas detrudent.

¹⁸ Confitebor Domino secundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi.][§]

8 In finem, pro torcularibus. Psalmus David.**

² [Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra ! quoniam elevata est magnificentia tua super cælos.††

³ Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.**

⁴ Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas quæ tu fundasti.^{¶¶}

§7.18 *Confitebor Domino.* CASS. Conclusio, quasi omnia in summam colligens, alacriter se dicit confiteri.

**8.1 *In finem, pro torcularibus, etc.* Pro torcularibus, id est, Ecclesiis, etc., usque ad animæ in requiem emanant.

††8.2 *Domine, Dominus noster, quam admirabile nomen! etc.* CASS. Primo laudes Dei, majestas ejus, et operatio excelsa describuntur. *In universa.* Ibid. Non ergo Judæi vel quilibet alii sibi vindicent quod omnium est, quod est intentio. *Super cælos.* AUG. Ad litteram, vel Scripturas: quia excedit eloquia omnium Scripturarum; vel, *super cælos.* Continuando cum sequentibus, id est, in Scripturas, quas inclinat infantibus, propter inimicos crucis: qui destruuntur, cum videntur, id est, intelliguntur Scripturæ usque ad infantes ductæ: et cum per eas usque ad robur nutriuntur, et sublimitatem intelligentiæ eriguntur.

¶¶8.3 *Ex ore infantium.* Ibid. Insipientium, quibus Apostolus lac dabat, quos signabant illi, qui Dominum laudabant, in quos hoc utitur Dominus testimonio. Ex his perfecit laudem, quia si soli perfecti essent in Ecclesia, non consuleretur humano generi; sicut nunc, cum et minimi nondum capaces cognitionis rerum spiritualium nutriuntur fide temporalis historiæ. *Inimici,* sunt omnes, qui dispensationi per Crucifixum factæ, contraria dicunt. *Defensores* videntur hæretici fidei, philosophi sapientiæ, cum tamen et illi fidem, et hi sapientiam veram impugnent. *Lactentium,* CASS. non ætate, sed ut Petrus, *quasi modo geniti I Petr. 2.,* qui nondum escam, sed lac sumere possunt; et est, non solum a perfectis, sed et ab insipientibus prædicaris. Vel, infantes et lactentes dicit apostolos, qui fuerunt homines simplices et indocti; unde: *Stulta mundi elegit Deus ut confundat fortia I Cor. 1..* Perfectior est laus. Vel, ex ore infantium et lactentium, id est, ex verbis puerorum Hebræorum perfecisti laudem, quæ videbatur pueriliter agi propter inimicos, ne videatur humana sapientia, sed divinitus data. *Inimicos tuos.* Paganos. *Inimicum.* Judæum, qui inimicus est Dei, dum Patrem solum defendit: quia qui non honorificat Filium, non honorificat *Patrem,* vel inimicus voto.

¶¶8.4 *Quoniam videbo.* Præ Judæo, spiritu. *Cælos tuos,* apostolos, videbo præsentialiter in posteris; hoc bene convenit primitivis. *Opera digitorum tuorum.* Quia cooperatione Trinitatis perfecti, quæ significatur in tribus digitis hic, ut ibi: *Qui appendit tribus digitis molem terræ.* Isa. 40. Et per eos, *Lunam et stellas quæ tu fundasti.* Non illi.

⁵ Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?^{§§}

⁶ Minuisti eum paulominus ab angelis; gloria et honore coronasti eum;

⁷ et constituisti eum super opera manuum tuarum.

⁸ Omnia subiecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi,*

⁹ volucres cæli, et pisces maris qui perambulant semitas maris.†

¹⁰ Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !]

9 ² In finem, pro occultis filii. Psalmus David.‡

² [Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo; narrabo omnia mirabilia tua.¶

³ Lætabor et exultabo in te; psallam nomini tuo, Altissime.

⁴ In convertendo inimicum meum retrorsum; infirmabuntur, et peribunt a facie tua.§

⁵ Quoniam fecisti iudicium meum et causam meam; sedisti super thronum, qui iudicas justitiam.**

§§8.5 *Quid est homo.* Ibid. Secundo, naturam hominis olim vitiatam dicit in Christo super omnia exaltatam. Prius enim ostenderat omnipotentiam Deitatis. Per hominem, peccatores; per filium hominis, spirituales. Ibid. Homo, quilibet vilis, cuius memor Deus miserendo, Filius hominis, Christus homo: quoniam per eum tu visitas eum, cum Verbum caro factum est, in quo medicus venit ad infirmos. **Aut filius.** AUG. Disjunctio innuit distare inter hominem et filium hominis. Omnis filius hominis homo, sed non e converso ut Adam. Homo ergo omnis, qui portat imaginem terreni: Filius hominis, qui cœlestis, et merito novus homo, filius hominis: quia novus ex veteri quadam mutatione fit. AUG. Cur relictis altioribus hæc ima dicit? Sed oves, etc., usque ad qui semine verbi Dei hominum corda fructificare faciunt.

*8.8 *Insuper et pecora.* Malos ergo Christo subjectos esse notat, quod minus videtur: hi enim carnales in latitudine campi, id est, in amplitudine voluptatum, non in montibus virtutum, habitantes. **Pecora campi.** Ibid. Qui in carne vivunt, ubi nihil arduum ascendunt: sed lata via, cui inhærent, est quæ ducit ad interitum: unde et Abel in campo occiditur.

†8.9 *Volucres,* superbi: de quibus, **Posuerunt in cœlum os suum Psal. 72.** Quorum caput dicit: Ascendam in cœlum et exaltabo solium meum, et ero similis Altissimo Isa. 14.. **Pisces maris qui perambulant semitas maris,** curiosi. Hæc tria, voluptas carnis, superbia, curiositas, includunt omnia vitia, quæ sunt concupiscentia carnis, ambitio sæculi, id est superbia, concupiscentia oculorum, per oculos curiositas maxime prævalet.

‡9.1 *In finem pro occultis filiis.* Nec additur cuius, per excellentiam est unigenitus Dei. **Occultis.** Quia alia ejus sunt manifesta, etc., usque ad et de pœna, qua iudicat purgando, convertendo, excæcando.

¶9.2 Confitebor tibi, Domine, in toto **corde meo, etc.** Propheta lætus psallit, quia cultura diaboli adventu Christi destruitur: et Christus regnat, iudicat, adjuvat.

§9.4 *In convertendo inimicum meum, etc., peribunt, etc.* AUG. Quia dum diabolus convertisti retro, membra infirmantur, ut nil nocere possint, et non erunt, vel, destruentur ex toto ab impugnatione tua, cum dices, **Ite, maledicti Matth. 25.,** vel, peribunt cum aufert Deus ab eis iniquitatem.

9.5 Fecisti iudicium meum et causam **meam. Ibid. Quia mihi servierunt ad utilitatem, quia **sedisti. Judicas.** HIER. Pater, ut Christus moriatur pro genere hominum. AUG. Vel, Christus in fine iudicabit, cui Pater omne iudicium dedit.

- ⁶ Increpasti gentes, et periit impius: nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi.^{††}
- ⁷ Inimici defecerunt frameæ in finem, et civitates eorum destruxisti. Periit memoria eorum cum sonitu;^{‡‡}
- ⁸ et Dominus in æternum permanet. Paravit in iudicio thronum suum,
- ⁹ et ipse iudicabit orbem terræ in æquitate: iudicabit populos in iustitia.
- ¹⁰ Et factus est Dominus refugium pauperi; adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.^{¶¶}
- ¹¹ Et sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.^{§§}
- ¹² Psallite Domino qui habitat in Sion; annuntiate inter gentes studia ejus:^{*}
- ¹³ quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est; non est oblitus clamorem pauperum.[†]

^{††}9.6 *In sæculum et in sæculum.* Ibid. Sæculum est hoc præsens quod volvitur: sæculum sæculi æternum, cujus illud imago est. Vel, determinatio est, ne hoc præsens acciperes.

^{‡‡}9.7 *Frameæ.* CASS. Virtus diaboli in fine sæculi destruetur. *Civitates.* Populi ejus. *Cum sonitu,* id est, clamore maximo, ut fit cum res prosperæ gravi *fine* clauduntur. Sed e contra Dominus permanet. *Finem, AUG.* est gladius quem vibrabit in secundo adventu aperte iudicans, et qui modo occulte, usque ad quem aliquid valent hostis frameæ, sed tunc penitus deficient. *Eorum.* CASS. Pluraliter, cum supra inimici singulariter dixit, quia cum plures sunt dæmones, quia tamen in malitia similes sunt, quasi unum. *Cum sonitu.* AUG. Id est, et strepitus et tumultus impietatis periit: vel, cum impietas evertitur, strepitus fit, quia non venit ad summam pacem, nisi qui magno strepitu cum vitiis pugnavit. *Thronum suum.* CASS. Judicariam potestatem, qui in humilitate iudicatus est, in majestate iudicabit.

^{¶¶}9.10 *Et factus.* Quantum est, eum qui iudex est, esse refugium pauperi, qui nihil mundi cupit. *In opportunitatibus.* AUG. Non opportunius homo a sæculo avertitur, nisi his voluptatibus, labores et dolores misceantur.

^{§§}9.11 *Sperent.* AUG. Cum desinunt sperare in rebus sæculi. Aversos a sæculo, quærentes ubi figant spem, excipit cognitio nominis. Nomen scitur, cum ille cujus est nomen, noscitur. Nomen est illi Dominus, quod novit, qui libenter ei servit, vel, qui est, et ideo nemo speret in transitoriis, nihil habentibus præter, fuit, et erit. Nam quod in illis futurum est, cum venerit, fit statim præteritum, exspectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore, non tenetur cum certitudine. *Quoniam non reliquisti.* Fideles provocat ad laudem Propheta, respiciens beneficia præsentis temporis et futuri.

^{*}9.12 *Sion.* Ibid. Speculatio, quæ modo agitur, ut perveniamus ad pacis visionem, id est, de Sion in Jerusalem: quælibet autem studiosa speculatio fit in errorem, nisi Dominus in ea habitet. *Studia.* HIER. Id est, mandata ejus quibus studendum est.

[†]9.13 *Quoniam requirens.* Ibid. Sed quasi dicant, qui missi sunt evangelizare, nemo credit nobis, et occidimur, respondit: non sine fructu, quia *requirens ultione sanguinem eorum,* in iudicio, ubi gloria occiso, pœna occisori erit: *recordatus est, etc* Ibid. non post oblivionem, sed post longum tempus, secundum affectum infirmorum, qui oblitum putant, quia non tam cito fit ut volunt: quibus etiam adde, imo non est oblitus ut putatis: et si dixi *recordatus,* hoc contra querentes, qui pro dilatione putant oblitum.

- ¹⁴ Miserere mei, Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis,[‡]
¹⁵ qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis
 filiæ Sion:[¶]
¹⁶ exultabo in salutari tuo. Infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt; in laqueo
 isto quem absconderunt comprehensus est pes eorum.[§]
¹⁷ Cognoscetur Dominus iudicia faciens; in operibus manuum suarum comprehensus
 est peccator.^{**}
¹⁸ Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.^{††}
¹⁹ Quoniam non in finem oblivio erit pauperis; patientia pauperum non peribit in
 finem.^{‡‡}
²⁰ Exsurge, Domine; non confortetur homo: iudicentur gentes in conspectu tuo.^{¶¶}
²¹ Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines
 sunt.^{§§}
²² Ut quid, Domine, recessisti longe; despicias in opportunitatibus, in tribulatione?*

[‡]9.14 **Miserere.** CASS. In sua persona dicit quod unusquisque petit. **Vide.** Ibid. Aspectus Dei, auxilium est, qui cum fit, et lux tenebras fugat: de superbia inimici æstimatur humilitas patientis, quia tantum hi humiliantur, quantum illi extolluntur.

[¶]9.15 **Qui exaltas me de portis mortis, etc.** AUG. Id est ab omnibus cupiditatibus, quibus itur ad mortem: mors jam est ipsa lætitia in perfruendo cupitis; unde Apostolus: Vidua, quæ vivit **in deliciis, mortua est I Tim. 5.** Portis filiæ **Sion.** Sunt omnia optima studia, etc., usque ad quæ nec oculus vidit, nec auris audivit. CASS. Portæ contra portas, quia hæ mortis, illæ vitæ. **Sion.** Ibid. Omnes Ecclesias mundi generavit, quia ibi natus est Christus unde fides incœpit.

[§]9.16 **Exsultabo.** AUG. Hucusque clamor, inde dicit Ecclesia quæ affligitur, exsultabo in Jesu. CASS. Spe enim salva est. **In laqueo.** Ibid. Laqueus occultus, dolosa cogitatio: Pes, animæ amor, qui, si pravus est, dicitur cupiditas, si rectus, charitas. Eo enim movetur anima quasi ad locum, quo se pervenisse per amorem lætatur. **In laqueo** ergo, id est, fraudulentio consilio: pes, id est, amor qui per fraudem pervenit ad vanam lætitiã, comprehensus est, quia illa delectatio alligat eos, ut inde abrumpere amorem, et ad utilia vertere non audeant. Si enim contentur, dolor est deserere, quæ delectant, et ille dolor non sinit abscedere.

^{**}9.17 **Cognoscetur.** CASS. Vel de futuro iudicio, etc., usque ad ut quidam falso putant.

^{††}9.18 **Convertantur peccatores.** AUG. Hic est canticum diapsalmatis, quasi occulta lætitia separationis: quæ hic fit non loco, sed affectu, intra bonos et malos. CASS. Peccatoribus cum Antichristo finem malorum prædicit; quasi hoc interim, sed tandem **convertentur**, ne in suis gaudeant. **In infernum**, ne alibi mittendos se putent.

^{‡‡}9.19 **Patientia.** AUG. Patienter, propter hoc præcipue memor erit Deus pauperum, scilicet propter patientiam.

^{¶¶}9.20 **Exsurge.** AUG. Precatur futurum iudicium. CASS. Loquens de fine sæculi propheta, prospexit adventum Antichristi; unde quasi territus clamat: **exsurge.**

^{§§}9.21 **Sciant.** Id est, cruciati experiantur quod homines stulti fuerunt.

*9.22 **Ut quid.** AUG. Diapsalma, quia illi Antichristo licebit tanta facere, ut Deus putetur: subdit quasi vocem gementium et quærentium de dilatione iudicii. CASS., AUG. **Ut quid.** Mala illius temporis pertractat, etc., usque ad sed opportune, ita scilicet, **Dum superbit.**

- 23 Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.[†]
- 24 Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur.[‡]
- 25 Exacerbavit Dominum peccator: secundum multitudinem iræ suæ, non quæret.[¶]
- 26 Non est Deus in conspectu ejus; inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua a facie ejus; omnium inimicorum suorum dominabitur.[§]
- 27 Dixit enim in corde suo: Non movebor a generatione in generationem, sine malo.^{**}
- 28 Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo; sub lingua ejus labor et dolor.^{††}
- 29 Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.^{‡‡}
- 30 Oculi ejus in pauperem respiciunt; insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem; rapere pauperem dum attrahit eum.^{¶¶}
- 31 In laqueo suo humiliabit eum; inclinabit se, et cadet cum dominatus fuerit pauperum.^{§§}
- 32 Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus; avertit faciem suam, ne videat in finem.

[†]9.23 *Incenditur pauper, comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.* AUG. Mire providentia Dei de malis operatur, etc., usque ad sic damnantur mali, justi salvantur.

[‡]9.24 *Quoniam laudatur.* Ideo superbit vel comprehenditur, quia laudatur a suis, impletione desideriorum sensualitatis suæ. AUG. Adulantium linguæ alligant animas in peccatis: delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam auditur laudator.

[¶]9.25 *Iræ suæ.* CASS. Antichristi, quia omnia turbulenter et crudeliter faciet: vel, Dei, non quæret Deum pœnitendo; vel, Deus eum, ut hic ulciscatur, sed in futuro gravius puniturus.

[§]9.26 *Inquinatæ.* CASS. Nequitia causa est, quod Deum non habet ante oculos, et ideo viæ ejus, id est, cogitationes et opera sordent. *In omni tempore.* AUG. Suo, scilicet vitæ suæ, etc., usque ad et quia *omnium inimicorum suorum dominabitur.*

^{**}9.27 *Dixit,* etc. Omnes gentes occupabo, sed non *sine malo*, id est, peccato, quod ei proprium est. Vel semper ero sine malo: hoc sibi promittit, *cujus maledictione os plenum,* etc. *Non movebor.* AUG. Vel, putabit se malis artibus, et non aliter, venturum de mortali generatione in æternam, quod et Simon magus putavit.

^{††}9.28 *Sub lingua.* CASS. Id est, cogitationes ejus sunt de labore sanctorum et dolore corporeo, quod in martyrius patet. Vel, labor sanctorum et dolor, qui est in pœnis corporis est *sub lingua ejus*, id est levior, lingua ejus, quæ intus nocet: illa, scilicet pœna extra. Vel, *sub lingua*, quia verba plus timentur et nocebunt quam verbera, quibus præcipitatur et peribit anima.

^{‡‡}9.29 *In occultis,* etc. AUG., id est, ambiguus, ubi non facile videtur quid petendum, quid non.

^{¶¶}9.30 *Oculi ejus in pauperem,* etc. Ibid. Exponit insidias, *oculi*, quasi misericordia et affectu, vel, alios sic decipit, quod oculi crudeliter respiciunt in pauperes spiritu. *Leo in spelunca,* etc. Quia in eo vis et dolus, etc., usque ad per hæreticos et falsos fratres.

^{§§}9.31 *Inclinabit.* CASS. Cum nimia felicitate in otium remiserit animum, cadet repentino interitu: et Dominus spiritu oris ejus interficiet eum. *In finem.* Negant videre Deum, etc., usque ad excitat Dominum, *Exsurge, Domine.*

- ³³ Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua; ne obliviscaris pauperum.*
³⁴ Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo: Non requirit.†
³⁵ Vides, quoniam tu laborem et dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor.‡
³⁶ Contere brachium peccatoris et maligni; quæretur peccatum illius, et non invenietur.¶
³⁷ Dominus regnabit in æternum, et in sæculum sæculi; peribitis, gentes, de terra illius.§
³⁸ Desiderium pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum audivit auris tua.**
³⁹ Judicare pupillo et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.]

10 In finem. Psalmus David.††
² [In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?‡‡

*9.33 *Exsurge, Domine Deus, et exaltetur manus, ut obliviscaris*, etc. Ibid. Precatur iudicium, ut hic cito finiantur, quæ tanta sunt, ut nemo velit tempus quo hæc fiunt dilatari. *Exsurge*. Quasi ex improvviso, ut conterantur, dum tui tecum exaltati glorificentur.

†9.34 *Propter quod irritavit impius Deum*. AUG. Jam itaque et de iudicio illo intelligens et exsultans, dicit, propter quid? id est, quid proficit tanta mala facere? *Dixit enim Deus in corde suo*, etc. Ibid. Sensus iste pronuntiationem quærit, etc., usque ad ne laborent, vel irascantur. AUG. Christus Judam toleravit et ad prædicandum misit, et ei eucharistiam dedit ut ostenderet dona pervenire ad eos qui fidem accipiunt, qualis Judas fuit.

‡9.35 *Vides enim quoniam tu laborem et dolorem*. Id jam præordinasti, ubi tradas eos in manu tua. *Orphano*, etc. AUG. Cui moritur pater mundus, per quem carnaliter est genitus, ut dicat: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*.

¶9.36 *Contere brachium*. Pœnis terret, bonis demulcet. *Quæretur*. AUG. Quando adhuc necessarium sit ad purgandos nos, sicut supra dum superbit impius, etc.; sed quia non invenietur, id est, quia jam non est in quo sit locus peccato illius, plano ferro non est opus lima.

§9.37 *Dominus regnabit in æternum et in sæculum sæculi*. Hoc regnum gratius erit pro concurrentibus malis, quod veniet destructo Antichristo, ab hoc regno peribitis gentes, sed pauperes habebunt, quia *desiderium pauperum*, etc.

**9.38 *Præparationem cordis*. CASS. Vel, concupiscentiam, quod est ubi omnibus viribus animæ aliquid ardentius petitur. Vel, hoc, quod in cordibus eorum ipse Deus præparavit. Vel, quam statim volunt petere Deus audiat. *Auris*, etc. AUG. Nominatis membris, quæ in nobis visibilia et corporea sunt, in Deo potentias operationum intelligi oportet. *Judicare pupillo et humili*, etc. Secundus adventus manifestus erit, etc., usque ad auctor malorum cum sua plebe damnabitur.

††10.1 *In finem*. AUG. Psal. David prophetæ docentis resistere hæreticis.

‡‡10.2 *In Domino confido*. AUG. De hæreticis qui catholicos in suam volunt convertere pravitatem. Ibid. *In Domino confido*. Quoad litteram potest legi de passione, et dicit, Christus secundum hominem, ut solet contra terrores Judæorum, *In Domino confido*. *In Domino confido*. Cum peccantes volunt sagittare rectos. *Quoniam ecce*. Ibid. Hi sunt terrores comminantium nobis de peccatoribus, ut ad se quasi justos transeamus. Dicunt enim: *Peccatores intenderunt arcum*, Scripturas, unde venenatas sagittas mittant, quas in cordis occulto parant.

³ Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum; paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde:^{¶¶}

⁴ quoniam quæ perfecisti destruxerunt; justus autem, quid fecit?^{§§}

⁵ Dominus in templo sancto suo; Dominus in cælo sedes ejus. Oculi ejus in pauperem respiciunt; palpebræ ejus interrogant filios hominum.

⁶ Dominus interrogat justum et impium; qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.*

⁷ Pluet super peccatores laqueos; ignis et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.[†]

⁸ Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.][‡]

11 In finem, pro octava. Psalmus David.[¶]

² [Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.[§]

³ Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum; labia dolosa, in corde et corde locuti sunt.**

^{¶¶}10.3 *In obscuro*. CASS. In simplici sensu degentes, vel in suis ambiguis sentiis, non quod Scriptura ad hoc valeat, sed quia:

^{§§}10.4 *Quoniam quæ perfecisti*. Convertit ab his sermonem ad Deum quasi: Cur dicunt transmigra? Cur de peccatoribus terretur, qui intendunt sagittare rectos? *quia quæ perfecisti destruxerunt* in suis conventibus, ubi parvulos, qui erant lacte nutriendi, ex quorum ore laus perficitur, venenis necant. *Justus autem, quid fecit?* AUG. Secundum utramque partem, etc., usque ad animæ suæ nocet, non justo, qui Deo credit.

*10.6 *Dominus interrogat*, etc. *Justus autem*. Minatur judicium, cujus timore deserant falsitates. *Interrogat*. Ibid. Id est probat, quia boni de obscuris non fatigantur, sed exercentur de cognitione: non inflantur, sed confirmantur. *Quæ perfecisti*. Id est, perfecte edidisti, vel implendo prædicta. Destruerunt, male exponendo. Ibid. *In obscuro*. Vel *obscura luna*. Duæ sunt opiniones lunæ, etc., usque ad qui tunc dicit sancta sacramenta, cum per sanctos dentur.

[†]10.7 *Pluet super*. Quid malis reddat ostendit

[‡]10.8 *Justitias*. Ibid. Pluraliter, ut justos accipias, in quibus multæ justitiæ, cum una sit Dei. *Æquitatem vidit*. Æquitas visa est in facie, id est, notitia ejus: facies enim est notitia ejus, id est, potentia qua dignis innotescet. Vel *vidit*, quia non se dat noscendum malis, sed bonis, quod est æquitas.

[¶]11.1 *Pro octava*. CASS. *Pro octava*, quia hic petit propheta iniquitatem mundi destrui, ut ad veritatem promissionis futuræ perveniat. AUG. Octava pro die judicii, sicut in sexto psalmo dictum est.

[§]11.2 *Salvum me fac*. Revocat autem a falsitatibus sæculi ad eloquia Dei, ubi salus, a perversitate sæculi petit salvari. *Quoniam defecit*. CASS. Exponit quæ timuit multa: congregans in unum, ut sit major vis. *Sanctus*. Ibid. Deus, qui ubique præsens, quantum ad homines defecit, qui in eum non credunt.

**11.3 *Proximum*. AUG. Proximus omnis homo, cum nullo male agendum est: proximus primæ nativitatis conditione est omnis homo; carnis cognitione, amici et cognati; misericordiæ comparatione, beneficus quilibet. *Corde*, etc. Germinatio, duplex cor significat, in quo dolosus describitur, unde: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis*. Boni habent unum cor et unam animam.

⁴ Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.^{††}

⁵ Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus; labia nostra a nobis sunt. Quis noster dominus est?^{‡‡}

⁶ Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in salutari; fiducialiter agam in eo.^{¶¶}

⁷ Eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.^{§§}

⁸ Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum.*

⁹ In circuitu impii ambulat: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.][†]

12 In finem. Psalmus David. [Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam a me?[‡]

² quamdiu ponam consilia in anima mea; dolorem in corde meo per diem?[¶]

³ usquequo exaltabitur inimicus meus super me?[§]

⁴ Respice, et exaudi me, Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte;^{**}

^{††}11.4 *Disperdat Dominus universa labia*, etc. CASS. Id est, passim pereant, qui in una pravitate conveniunt. *Linguam magniloquam*. Ibid. Id est, superbam: hi sunt hypocritæ, habentes speciem in sermone ad decipiendos homines, et Deo non subditi. REMIG. Vel, philosophi.

^{‡‡}11.5 *Qui dixerunt: linguam nostram*. CASS. Jactant se de potestate labiorum, quasi non a Deo acceperint.

^{¶¶}11.6 *Inopum et gemitum pauperum*. AUG., CASS. *Inopes*, gentiles, qui nec legem, nec prophetas habuerunt; *pauperes*, Judæi. *Nunc*. Quod non in priori populo. *Exurgam*. Apparebo in Filio. *Ponam*. Consolationem pauperum. *Fiducialiter*. Potenter, cui nil resistit.

^{§§}11.7 *Eloquia Domini*. Ibid. Contra mala sæculi Christus a Patre missus, cujus eloquia vera sunt, impiorum falsa. *Casta*. Contra hoc quod supra, *vana locuti sunt*

*11.8 *Tu, Domine*. CASS. Utilitatem divinatorum eloquiorum, ad Dominum se convertens, ostendit.

[†]11.9 *In circuitu*. Conclusio de utraque parte. AUG. *In circuitu*, id est, cupiditate temporalium, quæ septem diebus volvuntur, et non veniunt in octavum, id est, æternum: unde *ventilator est impiorum rex sapiens, et immittit illis rotam malorum* Prov. 2., id est, ambitum volubilium. *Multiplicasti filios hominum*. Ibid. Est et multiplicatio in temporalibus quæ avertit ab unitate Dei: sed justii multiplicantur secundum altitudinem, quando eunt de virtute in virtutem.

[‡]12.1 *In finem*. CASS. Psalmus de charitate Christi, etc., usque ad secundum illud: *Cupio dissolvi et esse cum Christo*. Phil. 1.

[¶]12.2 *Quamdiu*. CAS. Magnus ardor sustinentis, etc., usque ad quia spes protrahitur. *Consilia*. AUG. Consilio non est opus, etc., usque ad dolens precansque æterna.

[§]12.3 *Usquequo exaltabitur*, etc. CASS. Dicit quia, ante adventum Christi, diabolus captivos tenebat homines. Vel *super me*, id est, meam crudelitatem, quia toto orbe colitur, et quia sic orbis interit, plorat.

**12.4 *Respice*. Ibid. Post conquestionem, oratio, ut illuminetur, ne cedat fraudibus inimici, qui in misericordia confidit. *Respice*. AUG. Mitte quem missurus es. *Exaudi*. CASS. Pro omnibus, pro quibus generaliter petit. *Illumina*. Si non corpore, videamus vel mente. *Obdormiam*. Quando fidei lumine sepulto, carnali delectatione clauduntur. *In morte*. Id est, in peccato quod fit in Spiritum sanctum de quo Joannes: *Est peccatum ad mortem, non pro eo dico ut quis oret*.

⁵ nequando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum. Qui tribulant me exsultabunt si motus fuero;

⁶ ego autem in misericordia tua speravi. Exsultabit cor meum in salutari tuo. Cantabo Domino qui bona tribuit mihi; et psallam nomini Domini altissimi.]^{††}

13 In finem. Psalmus David. [Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.^{‡‡}

² Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.^{¶¶}

³ Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum; linguis suis dolose agebant. Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione et amaritudine plenum est; veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum.^{§§}

⁴ Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis?*

⁵ Dominum non invocaverunt; illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.[†]

⁶ Quoniam Dominus in generatione justa est: consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est.[‡]

^{††}12.6 *Exsultabunt.* AUG. Non solum propter me illuminare, sed ne inimicus gaudeat. *Speravi* CASS. Et si festinat, tamen patiens est: quia et si differtur, firmus est in spe, et interius jam videns exultat, quem carne videre desiderat: unde et sibi bona data dicit qui prius querebatur. *Tribuit.* Non tribuet: magna virtus fidei jam habet quod futurum est. *Exsultabit cor.* Si tantum desiderat, si sic famulatur venturo, quid faciendum suscepto?

^{‡‡}13.1 *Dixit insipiens.* CASS. Increpatio Judæorum, descripta eorum malitia. Primus psalmus de increpatione Judæorum, etc., usque ad hic homo non est Deus.

^{¶¶}13.2 *Dominus de cælo.* Ibid. Sed inde inexcusabiles, quia Dominus prospexit, id est, de humana natura eminuit. AUG. De cælo, id est, per sanctas animas prospicit: nam per se nil eum latet. Vel, de cælo, per animas sanctas, quæ sunt cælum et sedes Dei. Vel, Dominus Pater de cælo, id est, secreto divinæ mentis. CAS. Vel de æqualitate Dei Patris. *Si est intelligens.* Vel vidit, si est intelligens, et invenit quod aliquis non intelligit: quia non requirit, sed declinat, nam: *Omnes declinaverunt,* etc.

^{§§}13.3 *Sepulchrum.* Ibid. Ita inutiles aliis facti, quia guttur eorum est sepulchrum, etc. *Sepulchrum.* Dicuntur hi tres versus, qui sunt usque ad secundam divisionem, ibi, *Nonne cognoscent,* etc., non esse de Hebræo, etc., usque ad eos non habet. *Contritio* AUG. Ita inutiles sibi facti sunt, etc., usque ad et infelicitas in futuro. CASS Via impiorum, etc., *usque ad: Timor Dei ante oculos,* etc.

*13.4 *Nonne cognoscent.* Minatur iudicium impiis.

[†]13.5 *Dominum non,* etc. AUG. Non enim vere hunc invocant, qui Deo displicentia amant

[‡]13.6 *Consilium inopis.* CASS. Invectio in Judæos, etc., *usque ad,* id est, de Judæis procedens, etc.

⁷ Quis dabit ex Sion salutare Israël? Cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israël.][¶]

14 Psalmus David. [Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?][§]

² Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam; **

³ qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos. ††

⁴ Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus; timentes autem Dominum glorificat. Qui jurat proximo suo, et non decipit; ‡‡

⁵ qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit: qui facit hæc non movebitur in æternum.]^{¶¶}

[¶]13.7 *Quis dabit ex Sion*, etc. CASS. Postremo Judæorum conversio prædicitur, quæ fiet cum plenitudo gentium intraverit. *Cum averterit*. Pro Judæis etiam hoc testimonium Isaïæ ponit Apostolus: *Veniet ex Sion qui avertit captivitatem, vel impietatem a Jacob*.

[§]14.1 *Domine, quis?* CAS. Psalmus iste proprie morum est institutorius, præsumptionis repressio: ubi agitur de unitate præsentis Ecclesiæ et futura quiete. Primo interrogat propheta, quasi sacerdos ante faciem Domini stans, et responsa petit; volens scire quos Deus sua dignos judicet Ecclesia.

**14.2 *Qui*. Ibid. Responsio Domini, etc. usque ad ut Christus agnus sine fractura membrorum, qui proprie templum ingressus est, non ut expiaretur sicut cæteri, sed sine macula. *Operatur justitiam*. Ut dum vendentes et ementes ejecit de templo.

††14.3 *Qui loquitur*. Hic exsequitur plenius. Veritas est cum res ita est, ut dicitur: Hoc proprie Christus fecit. *In corde*, qui aliquando tacuit indignis fraudulenter quaerentibus. *Non egit dolum*. Dolus est in lingua, cum aliud dicitur, aliud est in pectore. Vel, *non egit dolum*, quia omnia quæ audivit a Patre, sine aliqua adjectione vel suppressione, nota fecit proximis, id est, discipulis; Judæis, proximis secundum carnem. *Nec fecit proximo malum*. Sed pro eis oravit; non acceptum habuit opprobrium adversus proximos suos, sicut est patens per hoc quod Judam non mordaci increpatione lacerabat.

‡‡14.4 *Ad nihilum*, etc. AUG. Hæc est perfectio, ut nihil in homine valeat malignus, et ut hic sit in conspectu, id est, certe sciat, malignum non esse, nisi qui a Creatore ad creata convertitur. *Malignus*, id est, diabolus, despicitur; ut cum dixit: *Vade retro, Satanas*, etc. E contra, *timentes Dominum glorificat*. Juravit, quando apostolis certissima veritate promisit: *Jam non dicam vos servos, sed amicos*.

¶¶14.5 *Qui jurat proximo*, etc. Ibid. Hæc tria non sunt magna, etc., usque ad cum in superiori conclusione præteritum posuerit, *ad nihilum deductus est. Pecuniam*. Vel terrena est, quæ penitus ad usuram dari prohibetur, quam Dominus Judæ tradidit ad erogandum pauperibus, non ad usuram. Vel spiritualis, quæ ad usuram dari jubetur, id est, prædicatio ad instruendos homines. *Et munera super innocentem*. Accipit quidem Christus munera, ut a magis, et quotidie pias oblationes; sed non contra innocentes, imo animam pro eis dedit. *Qui facit hæc, non movebitur*. Ecce absoluta responsio interroganti: facit dicit, ut ad actum nos invitet, non solum ad cantandum hæc. *Qui facit hæc, non movebitur*. CASS. Conclusio. Similiter qui facit hæc, requiescet in monte.

- 15** Tituli inscriptio, ipsi David. [Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. §§
² Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*
³ Sanctis qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis. †
⁴ Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea acceleraverunt. Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea. ‡
⁵ Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. ¶
⁶ Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi. §
⁷ Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum; insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei. **
⁸ Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear. ††
⁹ Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea; insuper et caro mea requiescet in spe.
¹⁰ Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ; adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.]

§§15.1 *Tituli inscriptio.* CASS. Hic titulus de Evangelio, non de Veteri Testamento, sumitur. Quod titulus notavit, id est, victoria et regnum, convenit Christo, quod hic agitur.

*15.2 *Conserva,* etc. Psalmus secundus, qui breviter de passione et resurrectione tangit; primo, unam hominis naturam Christus ostendens, petit se servari, dicens omnia quæ pertulit ad gloriam hæreditatis suæ perducta. AUG. Christus secundum hominem hic loquitur, de quo titulus regalis in passione emittit: *Jesus Nazarenus rex Judæorum*

†15.3 *Sanctis qui sunt in terra.* Ibid. Exposuit jam Christus qualiter oravit, narrat nunc quæ bona fecit illi Deus. AUG. *Sanctis,* etc., usque ad et potentia ut resurgerem. *Mirificavit.* CASS. Quasi, hæc dixi Domino: Dominus autem mirificavit, id est, fecit miras voluntates, hæ sunt miræ dum eis obedientes, fiunt de terrenis coelestes.

‡15.4 *Multiplicatæ.* Ibid. Qua mirificavit, etc., usque ad quæ in uno sono consonant, quibus voluntates ejus ostenduntur.

¶15.5 *Pars hæreditatis.* AUG. Eligant alii alia, etc., usque ad sed qui Deum eligunt partem. CASS. Vel, *Dominus est pars,* id est, portio et præmium, *hæreditatis meæ,* id est, sanctorum. Et *pars calicis mei,* id est, merces passionis. Hæreditas enim ad gentes, calix ad passionem pertinet, qui bibitus dat resurrectionem. Sed nemo se putet hæredem nisi præclarus.

§15.6 *Funes,* etc. Ibid. Quasi forte, in qua est divina electio, ut et sors cecidit super Matthiam, et quisque capit ad mensuram suam. *In præclaris.* Id est, in sanctis.

**15.7 *Benedicam Dominum.* Ibid. Gratias agit Patri de intellectu, et passione, in qua eo favente vincit, et de resurrectione, et confessione, et hæc sunt, per quæ hæreditas restituitur ut sit rex Judæorum, ut titulus dicit. *Intellectum,* etc. AUG. Quo hæc hæreditas videri et possideri potest. *Insuper,* etc. Id est, super intellectum. *Usque ad noctem,* etc. Id est, mortem, erudit me, inferior pars mea carnis assumptio, ut expelleret tenebras mortalitatis quas ille intellectus non habet, quia pro eis nec turbari nec deficere potuit. *Renes.* Ex quibus secundum carnem exivi, scilicet parentela: increpuerunt injuriis, tentatione et passione.

††15.8 *Providebam Dominum.* Ibid. Hinc trahere exemplum, quo peccata vitentur: qui enim Deum semper acie mentis intuetur, non peccatis inclinatur.

- 16** Oratio David. [Exaudi, Domine, justitiam meam; intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.‡‡
- ² De vultu tuo iudicium meum prodeat; oculi tui videant æquitates.¶¶
- ³ Probasti cor meum, et visitasti nocte; igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.§§
- ⁴ Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba laborum tuorum, ego custodivi vias duras.*
- ⁵ Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.†
- ⁶ Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus; inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.‡
- ⁷ Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.¶
- ⁸ A resistentibus dexteræ tuæ custodi me ut pupillam oculi. Sub umbra alarum tuarum protege me§
- ⁹ a facie impiorum qui me afflixerunt. Inimici mei animam meam circumdederunt;
- ¹⁰ adipem suum concluderunt: os eorum locutum est superbiam.**

‡‡16.1 *Oratio David.* CASS. Oratio personæ Domini convenit, adjuncta Ecclesia, quæ ejus corpus est. *Exaudi, Domine.* Ibid. Iste psalmus veram naturam humanitatis facit attendere. Oratio Christi institutio est fidelium: sicut flendo Lazarum charitatem proximi habere nos docuit; persecutores fugit, ut inconsideratæ temeritatis nobis auferret audaciam. Primo, petit secundum justitiam sibi retribui. **Non in labiis dolosis.** Ut qui inique damnatur; vel, ut qui dicit: Domine, Domine, et non facit opera. AUG. Vel, non in labiis dolosis de vultu tuo iudicium meum prodeat, ut iudicans non proferam aliud quam intelligo.

¶¶16.2 *De vultu tuo.* CASS. Id est, secundum ea quæ in me cognoscis, qui nullum habeo peccatum. **Judicium.** Quo sui iudicatus videatur prodisse. *De vultu tuo,* non de dispositione Judæorum, quod factum patet in resurrectione. Vel, **iudicium,** quo discernit omnia.

§§16.3 *Probasti.* CASS. A similitudine fornacis, etc., usque ad tu scis me purum.

*16.4 *Vias duras.* Ibid. Scilicet opera hominum: quas scilicet merentur opera hominum. Vel quas debent imitari homines, quibus iter vitiorum leve est, virtutum difficile. Vel, non est inventa, ita ut non loquatur, id est, ut non jactanter hæc dicam, vel, ut non peccem in lingua, quod est opus hominum. AUG. Vel, vias duras latronis, etc., usque ad postquam perrexi vias duras et perfeci gressus.

†16.5 *Perfice.* CASS. Usque in finem: ante non est nisi inchoatio. Gressus, id est, humanas actiones, ut qui volunt imitari non moveantur a te, vel vestigia ab eis.

‡16.6 *Ego clamavi.* Ibid. Secundo, precatur ut a Judæorum insidiis ejus puritas liberetur. Ego etiam clamavi, quasi diceret, hoc non nisi justo convenit, qui confidenter orat, quia scit audiri.

¶16.7 *Mirifica.* AUG. Mira, sunt quæ nova sunt: hæc sunt quæ in carne cessit mirantibus Judæis.

§16.8 *Pupillam.* Perexigua est, et tamen per eam acies luminis dirigitur, quo lux et tenebræ dijudicantur, sicut per humanitatem Christi divinitas discernens est inter bonos et malos.

16.10 *Adipem.* CASS. A similitudine animalium, quæ ex adipe inflantur, id est, superbiam retinuerunt, non macri, id est, non humiles, vel adipem, id est, carnalem sensum retinuerunt, vel sceleribus saginati veram intelligentiam perdidierunt, unde restat superba loqui. **Os eorum locutum est superbiam. Non cor, quia sæpe iniqui quod ore defendunt, corde damnant.

- ¹¹ Projicientes me nunc circumdederunt me; oculos suos statuerunt declinare in terram.
- ¹² Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in abditis.^{††}
- ¹³ Exsurge, Domine: præveni eum, et supplantata eum: eripe animam meam ab impio; frameam tuam^{‡‡}
- ¹⁴ ab inimicis manus tuæ. Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum; de absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Saturati sunt filii, et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.
- ¹⁵ Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo; satiabor cum apparuerit gloria tua.]

17 In finem. Puero Domini David, qui locutus est Domino verba cantici hujus, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit:^{¶¶}

² [Diligam te, Domine, fortitudo mea.

³ Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum; protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus.^{§§}

⁴ Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.*

⁵ Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.[†]

^{††}16.12 *Susceperunt me*, etc. Ibid. Unde eis hæc opportunitas? Respondeo suscepunt a Deo cujus dispositio est, vel, a traditore, vel, a iudice acceperunt avide. *Sicut leo paratus*, etc. AUG., CASS. Principes comparandi leoni diabolo, quo auctore faciunt: Populus *catulus leonis*, id est, filius diaboli, *habitans*, permanens in insidiis, quia mos est malis vota tegere, ut latenter possint perficere.

^{‡‡}16.13 *Exsurge, Domine*. CASS. De retributionibus oratio. *Præveni*, etc. Ibid. A similitudine currentis: nemo non prius in se quam in alium peccat. *Supplanta eum*: a similitudine luctantis, id est, inefficaces fac et dejice eos. *Eripe animam meam ab impio*. AUG. Resuscitando a morte ab impiis illata. *Frameam*. Anima mea est framea; quam manus, id est, virtus tua assumpsit, ut per eam regna iniquitatis debellet, et justos dividat ab impiis. *Divide eos*, etc., CASS. id est, Judæos divisos, etc., usque ad miseria, quasi merito: quia, de absconditis. *De absconditistuis*. Id est, de immunditiis, etc., usque ad id est, ad satietatem usque malorum participes erunt. *De absconditis*. AUG. Non solum eis hæc pœna visibilis, sed de absconditis, id est, peccatis quæ a lumine veritatis tuæ absconduntur plena est memoria eorum, ut obliviscantur Deum.

^{¶¶}17.1 *Diligam te, Domine, fortitudo mea*, etc. CASS. Dicit hoc Christus, quod Ecclesia, id est, totus Christus. Ibid. Primo, propheta summam colligens, de liberatione gratias agit.

^{§§}17.3 *Refugium*. Ibid. Quando erat opus consilio, David ad eum refugit et invenit. *Liberator*, ut si potens, captum ab hostibus liberet. *Protector*, AUG. quia de me non præsumpsi, quasi cornu superbiæ contra te erigens; sed te celsitudinem salutis inveni, quod ut invenirem suscepisti me.

*17.4 *Laudans invocabo*. CASS. Post omnia non elatus se jactat, sed omnia Deo tribuit: et ideo salvus; nam qui aliter facit, sibi relictus perit, etsi vicisse videbatur.

[†]17.5 *Circumdederunt me*. Ibid. In persona iustorum ante adventum Christi, etc., usque ad qui rapidis iniquitatibus conturbati sunt.

- ⁶ Dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis.[‡]
⁷ In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi: et exaudivit de templo sancto suo vocem meam; et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.
⁸ Commota est, et contremuit terra; fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt: quoniam iratus est eis.[†]
⁹ Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit; carbones succensi sunt ab eo.
¹⁰ Inclinavit cælos, et descendit, et caligo sub pedibus ejus.[§]
¹¹ Et ascendit super cherubim, et volavit; volavit super pennas ventorum.^{**}
¹² Et posuit tenebras latibulum suum; in circuitu ejus tabernaculum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aëris.^{††}
¹³ Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt; grando et carbones ignis.^{‡‡}
¹⁴ Et intonuit de cælo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam: grando et carbones ignis.^{†††}
¹⁵ Et misit sagittas suas, et dissipavit eos; fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.^{§§}

[‡]17.6 *Dolores inferni.* Gentiles in inferno debito dolore torquendi. *Præoccupaverunt me laquei mortis,* sequitur:

[†]17.8 *Commota est.* Ecce quomodo, etc., usque ad et hoc qui præoccupavit mortalitas et possibilitas. *De templo.* CASS. Vel de cælo, vel de venturo Christi corpore. *Commota est.* AUG. Ita clarificato Christo commoti sunt et contremuerunt peccatores. *Fundamenta,* etc. CASS. Præsumptiones superbiorum, id est, divitiæ et hujusmodi quibus innitebantur: spes enim mundi abiit, quam odit Deus.

[§]17.10 *Cælos.* Ibid. Id est, prædicatores inclinavit a contemplativa ad ministerium, et ad ferendas molestias. *Descendit,* etc. Ipse passus in eis, et in quorundam notitiam. *Caligo:* tenebrosi, qui etiam persequuntur, sub ejus potestate sunt; vel, qui simpliciter credunt, subjecti ei sunt.

^{**}17.11 *Et ascendit.* Facit enim quosdam plenos scientia, in quibus supereminet, quorum celeritatem intellectus transcendit: tenebrosis autem latenter utitur: unde, *Virga furoris mei Assur, ipse vero non cognovit,* sed sui cognoscunt. *Volavit super pennas vento.* Ventos, quibus nihil est velocius, superat fama ejus, ut dum mox natus, magis per stellam nuntiatum est.

^{††}17.12 *Tenebras.* AUG. Obscuritates sacramentorum, vel, in his tenebris, ubi videntes per fidem ambulamus, et non per speciem Matth. 2.. Non per cælos. CASS. Descendit et ascendit II Cor. 5., sed per nubes æthereas quod in Hebræo, id est, per prophetas in quibus obscura doctrina sit, sed per nubes quæ non ætheris, id est, Apostoli præfulgidæ sunt in cognitione ejus, id est, viciniis contemplantes.

^{‡‡}17.13 *Grando.* AUG. Objurgationes, quæ dura corda feriunt, sed si ignis charitatis resolvit, in miti animo fit aqua satians [*alias saliens*]. *Et carbones,* quia illo igne tenebrosa corda accensa reviviscunt.

^{†††}17.14 *Intonuit.* CASS. Ad litteram, ut quando visum est tonitruum, Deo dicente: *Clarificavi, et iterum clarificabo. Dedit vocem:* ut non dixit: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.

^{§§}17.15 *Et misit.* Ibid. Dominus intonuit, et Dominus misit: non enim transitus ad gentes semper erat certus neque rationabilis habitus.

- ¹⁶ Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum, ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.*
- ¹⁷ Misit de summo, et accepit me; et assumpsit me de aquis multis.
- ¹⁸ Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me. Quoniam confortati sunt super me;†
- ¹⁹ prævenerunt me in die afflictionis meæ: et factus est Dominus protector meus.
- ²⁰ Et eduxit me in latitudinem; salvum me fecit, quoniam voluit me,‡
- ²¹ et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi:¶
- ²² quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo;§
- ²³ quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, et justitias ejus non repuli a me.
- ²⁴ Et ero immaculatus cum eo; et observabo me ab iniquitate mea.**
- ²⁵ Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.††
- ²⁶ Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris,‡‡
- ²⁷ et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.

* 17.16 *Et apparuerunt fontes.* Christo veniente, patuit quod obscuritas divini tegebatur eloqui. *Ab increpatione.* Conversio ad Deum: quasi cum gratiarum actione, quia per prædicationem increpabat peccantes, et inspirabat ut timerent iram futuram. *Misit.* Ibid. Hucusque de adventu Domini, hinc de temporibus Christianis. *Misit Pater Christum. Accepit me.* Ecclesiam sponsam. *De aquis.* Ibid. Baptismi. Vel *misit Spiritum*, qui est donum. *De alto*, quia æqualis Patri et Filio. *Accepit*, quasi fugativam. *Assumpsit*, in altitudinem virtutis et boni operis.

† 17.18 *De inimicis meis.* AUG. Id est, vitiis, quæ super omnes inimicos plus nocent. *Et ab his qui*, etc. Id est exterioribus inimicis hominibus, scilicet et dæmonibus quod necesse est, quia confortati secundum quid. *Ecce prævenerunt*, id est, prævaluerunt. Per hoc magis eripit, quia illi sunt confortati; cum enim affligitur Ecclesia, magis crescit.

‡ 17.20 *In latitudinem.* Ibid. Per sævitiam malorum, crescit Ecclesia numero et merito. *Salvum me fecit*, quod ad fidem venit. *Quoniam voluit me.* AUG. Id est, gratis elegit.

¶ 17.21 *Et retribuet secundum justitiam* bonæ voluntatis. *Et secundum puritatem manuum* Ibid. opera, quæ sunt post prima beneficia Dei, scilicet fidem et charitatem, quæ gratuito sine præcedenti merito Deus præstat.

§ 17.22 *Quia custodivi.* Ibid. Vel ita continuando cum præcedente versu, etc., usque ad et sicut cœpi, *ero immaculatus*, unde in futuro retribuet.

** 17.24 *Cum eo*, ei, adhærens. *Et observabo*, ne iterum cadam. Ab iniquitate, quæ est mors beati.

†† 17.25 *Et retribuet.* CASS. Dupliciter Deus retribuit: hic in præsentem, ut justus justificetur, et qui in sordibus est, sordescat adhuc, unde hic dicit: *Cum sancto sanctus*, etc., et in futuro præmium bonis, et pœnam malis, unde ibi: *Quoniam tu populum humilem*, etc., quasi, ita hic: quia in futuro *tu populum humilem salvum facies.* AUG. Et tribuet: jam non solum propter latitudinem fidei quæ per dilectionem operatur, sed propter longanimitatem retribuet mihi. *In conspectu*: hoc justis convenit, ut sicut illi Deum semper contuentur, ita Deus eos jugiter respiciat.

‡‡ 17.26 *Cum sancto.* CASS. Dixerat, retribui secundum justitiam, etc., usque ad quia *tu, Domine, populum humilem salvum facies. Et oculos superborum humiliabis.* AUG. Est etiam occulta profunditas, qua intelligeris cum sancto sanctus, quia tu sanctificas. *Quoniam tu illuminas.* Quod enuntiavit de electis et sanctificatis, orat nunc de aliis.

- 28 Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis.
- 29 Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas.^{¶¶}
- 30 Quoniam in te eripiar a tentatione; et in Deo meo transgrediar murum.^{§§}
- 31 Deus meus, impolluta via ejus; eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.*
- 32 Quoniam quis deus præter Dominum? aut quis deus præter Deum nostrum?[†]
- 33 Deus qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam;[‡]
- 34 qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa statuens me;
- 35 qui docet manus meas ad prælium. Et posuisti, ut arcum æreum, brachia mea,[¶]
- 36 et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: et dextera tua suscepit me, et disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit.[§]
- 37 Dilatasti gressus meos subtus me, et non sunt infirmata vestigia mea.**
- 38 Persequar inimicos meos, et comprehendam illos; et non convertar donec deficiant.^{††}
- 39 Confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos.
- 40 Et præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me.
- 41 Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.

^{¶¶}17.29 *Lucernam.* Ibid. Fuerunt prædicatores, in quibus lux, id est, cognitio veritatis, qua illuminaverunt alios, unde: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Tenebras.* AUG. eos, qui adhuc sunt in tenebris. *Meas.* Prædestinatione.

^{§§}17.30 *In Deo meo.* CASS. Deus enim meus, est via, qua itur ad cælum, impolluta. Vel, via qua venit in mundum sancta et immaculata Virgo. Et quidquid dixit Spiritu sancto examinatum est, id est, utile et honestum: ut sapiens, quidquid dicit, prius apud se dijudicat. *Transgrediar.* Ibid. Diruere non penitus potest homo, sed ope Dei transit murum obstaculum peccatorum.

*17.31 *Deus meus.* Ibid. Et continuando sequitur: *Eripies me de contradictionibus populi.* Cætera interponit ad commendationem. *Eloquia.* Igne examinationis probantur. *Omnium.* Ibid. Nullus excipitur, nisi qui sperare non vult.

[†]17.32 *Quoniam quis.* Ibid. Deus dico: quia quis est alius Deus, nisi qui et Dominus in rebus est? Et quia in Judæa notus, non dii gentium; hæc contra paganos, qui multos sibi fingunt.

[‡]17.33 *Deus qui.* Ibid. Adhuc præter communia, commendat per specialia, quia tertio Christus de virtute et potentia sua commendatur. *Præcinxit.* Ibid. Id est, perarmavit. Vel a similitudine currentis. Vel, dignitatem notat et fortitudinem, quod ei convenit, qui potestate sua judicabit populum, vel mundum. *Immaculatam,* sine peccato. Cervus spinas et hiantia loca transilit, sic Christus spinas et foveas peccatorum: et sicut cervus spinas alta, ita Christus super omnes creaturas conscendit.

[¶]17.35 *Qui docet:* ab imminentibus insidiis cautum facio. *Manus,* opera vel voluntates. *Ad prælium,* contra diabolium. *Ut arcum,* etc., similitudine rei quæ non est, id est, irremissibilem fortitudinem. *Brachia.* Christi prophetæ, et apostoli, per quos operatur: qui arcus æreus, quia prædicando non mollescunt, sed, semper fortes, verba salutis jaculantur.

[§]17.36 *Protectionem salutis.* Non ut nihil patiar, quod tamen est ad profectum. Tribulatio est correctio, et doctrina, et dilatatio, et confirmatio.

**17.37 *Dilatasti* AUG. Ne impediatur carnalis angustia, quia latam fecisti charitatem hilariter operantem, etiam de his quæ sunt sub me, scilicet de mortalibus rebus et membris.

^{††}17.38 *Persequar.* CASS. Arguendo, diversis afflictionibus fatigando.

42 Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos.

43 Et comminuum eos ut pulverem ante faciem venti; ut lutum platearum delebo eos.^{‡‡}

44 Eripies me de contradictionibus populi; constitues me in caput gentium.^{¶¶}

45 Populus quem non cognovi servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi.

46 Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.^{§§}

47 Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, et exaltetur Deus salutis meae.*

48 Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me; liberator meus de inimicis meis iracundis.[†]

49 Et ab insurgentibus in me exaltabis me; a viro iniquo eripies me.

50 Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine, et nomini tuo psalmum dicam;

51 magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam christo suo David, et semini ejus usque in sæculum.][‡]

18 In finem. Psalmus David.[¶]

² [Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.[§]

³ Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.^{**}

^{‡‡}17.43 *Et comminuum*. AUG. Ecce eadem operatio Patris et Filii. Supra ait: *Disperdidisti, Pater*, et jam ait comminuum, id est, auferam virtutes, ut post cedant omni vento doctrinæ.

^{¶¶}17.44 *Eripies*. CASS. De illis ira: *Sed eripies me*, depressio Judæorum, et exaltatio gentium.

^{§§}17.46 *Filii*. Judæi quos enutrivi, facti alieni: *Mentiti sunt mihi*, ad honorem meum. *Inveterati sunt et claudicaverunt a semitis suis*, sequentes potius suas traditiones quam Dei.

*17.47 *Vivit*. Ibid. Quarto exsultans Ecclesia summatim munera Dei laudat. Vel *vivit*, quia vivificat. *Benedictus*, quia omnia benedicit. *Et exaltetur Deus salutis*. AUG. Non terreno more de Deo salutis meae sentiam, nec ipsam salutem terrenam, sed in excelso de illo sperabo.

[†]17.48 *Vindictas*. CASS. Pia vindicta, dum rebellis subditur. *Iracundis*. Major gloria est a ferventibus malis liberare.

[‡]17.51 *Magnificans, salutes*. Deus qui magnificat: Faciens, Deus qui facit.

[¶]18.1 *In finem*. CASS. Psalmus de primo adventu, unde tyrannus cadit, homo absolvitur, hic propheta respicit in finem, id est, Christum, vel in ultima tempora.

[§]18.2 *Cæli enarrant*. Ibid. Primo, loquens de incarnatione, commendat prædicationem novæ legis. AUG. Cæli, apostoli, de gloria Christi in qua Patris æqualis. CASS. Vel cæli, qui stellam miserunt. *Gloriam*. Ibid.: Quod Deus gratis peccata dimittat. *Opera*. AUG. Quæ secundum hominem, etc., usque ad et ipsi eidem facti nox, tenebrosi scientiam quæ de humanis. CASS. Et hoc tam mirifice, quod in omnibus linguis; et tam late, quod in omni parte ambitus terræ.

^{**}18.3 *Dies diei*. CASS. Demonstrative agit. AUG. *Dies diei*. Spiritus spiritualibus profert plenitudinem sapientiæ, etc., usque ad hæc doctrina diebus et noctibus continuatur usque ad posteros.

⁴ Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.^{††}

⁵ In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.

⁶ In sole posuit tabernaculum suum; et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Exsultavit ut gigas ad currendam viam;^{‡‡}

⁷ a summo cælo egressio ejus. Et occursus ejus usque ad summum ejus; nec est qui se abscondat a calore ejus.

⁸ Lex Domini immaculata, convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.^{¶¶}

⁹ Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda; præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.^{§§}

¹⁰ Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi; judicia Domini vera, justificata in semetipsa,^{*}

^{††}18.4 *Loquelæ*. CASS. Publicæ suasiones. *Sermones*. Communes narrationes. *Quorum non*. Planius diceret, in quibus non audiantur voces eorum, vel, omnium sermonum audiantur voces eorum: illud idem facit per relativum. AUG. Omnibus linguis primos loqui fecit spiritus, qui omnes gentes in unum erat congregaturus, unus homo tunc omnibus, sic modo unus Christus caput et corpus.

^{‡‡}18.6 *In sole* CASS. Quod alios fecisse laudat, ipse facit, prædicat incarnationem. Vel in sole, in manifesto mundi, vel in labore. Sol urit, lucet, et variat tempora. *Tabernaculum suum*. AUG. Quasi militare habitaculum, id est, dispensationem incarnationis suæ, in qua venit expugnare errores mundi. Vel tabernaculum, Ecclesiam in manifesto, non in occulto, ut lateat. *Sponsus*. CASS. Toties prophetis promissus, magna similitudo sacramenti: ideo de virgine natus, ut Ecclesiam sibi virginem copularet. *De thalamo*. AUG. Id est, virginali utero, ubi Deus humanæ naturæ, ut sponsus sponsæ, copulatus est. Ecce humilis misericordia, sed fortis majestate. *Gigas ad currendam*. CASS. Imperturbabilis, irrevocabilis, humanam naturam potentia superans. *A summo*. Hic Trinitas ostenditur, etc., usque ad notat unitatem Trinitatis. *Nec est qui se abscondat*, etc. AUG. Verbum caro factum, non permisit ullum se excusare de umbra mortis: quia et ipsam penetravit calor verbi. Vel, calor est Spiritus, quem misit reversus, qui lex, testimonium, justitia, præceptum, timor et judicia, quia hæc agit.

^{¶¶}18.8 *Lex Domini*. CAS. Secundo, laudat præcepta Novi et Veteris Testamenti. Ibid. Lex per Moysen data, omnia verba sua distinctione corrigens, et ad Christi gratiam mittens. *Convertens*. AUG. Libertate, ad se imitandum, non premens iugo servitutis. *Animas*. Voluntates, non modo manus, ut Vetus Testamentum. *Testimonium*. Quæcunque testimonia dedit Israël plena sunt veritate, et humilibus sapientiam dederunt. *Sapientiam*: de divinis.

^{§§}18.9 *Justitiæ Domini*. Ibid. Omnes in illo recte, qui non docuit quod non fecit, ut imitantes gauderent in eis, qui libere cum charitate facerent, non serviliter cum timore. CASS. *Justitiæ*, lex quæ justificat; quidquid præcipit justum est.

^{*}18.10 *Timor Domini*. Ibid. Timor sæculi non sanctus, quia non proficius, et cum temporibus mutatur. *Timor Domini* sine omni perturbatione, quia est mista cum pavore dilectio, quia si timet iudicem, scit misericordem. AUG. Timor, non ille pœnalis pro terrenis quorum amore formidat anima, sed castus, quo quanto diligit, cavet offendere sponsum, et ideo non foras mittitur, sed permanet. *Judicia*. Judicia Dei non egent alterius auctoritate.

¹¹ desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum.[†]

¹² Etenim servus tuus custodit ea; in custodiendis illis retributio multa.

¹³ Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me;[‡]

¹⁴ et ab alienis parce servo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.

¹⁵ Et erunt ut complacent eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Domine, adjutor meus, et redemptor meus.]

19 In finem. Psalmus David.[¶]

² [Exaudiat te Dominus in die tribulationis; protegat te nomen Dei Jacob.[§]

³ Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te.^{**}

⁴ Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat.^{††}

⁵ Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.^{‡‡}

⁶ Lætabimur in salutari tuo; et in nomine Dei nostri magnificabimur.^{¶¶}

[†]18.11 *Desiderabilia*. Ibid. Vel, multum desiderabilia, vel multum aurum et lapis; vel multum pretiosum. Desiderabilia super aurum, etc., *usque ad*, cujus voluntatem suæ præponit, et dulciora sunt quam ipse sibi. *Super aurum*, id est, omne quod appetitur, pro divitiis, vel potentia, vel pro voluptate. *Mel*. Cibus Dei est mel; id est, solutus jam a sæculo; et favus, id est, quia adhuc circumplicatur, cui opus est pressura exprimentis manus Dei, ut eat in vitam.

[‡]18.13 *Delicta quis*. Ibid. Tertio petit se a vitiis purgari, ut sit dignus Psalmista, qui hæc referat sacramenta. Menti videnti suavis est veritas, dulcia judicia; non videnti quæ suavitas? sed quare non videtur? propter delicta: nec mirum: *Delicta enim quis intelligit?* CASS. *Delicta*: omnia, quædam enim nota sunt. *Mea* inquinant, *aliena* affligunt, et jam parce, repelle suasorem. *Ab occultis*. Omnia peccata duobus includit, etc., usque ad quo homo seductus est; et consentiendo fecit suum. AUG. Non est majus delictum quam apostatare a Deo, quod est initium superbiæ: superbia vero est initium et causa omnis peccati.

[¶]19.1 *In finem*. CASS. Figura operandi, quæ ventura sunt Propheta canit. Ibid. Propheta ex nimia charitate optat prospere evenire Ecclesiæ, quæ per Christum videbat ventura.

[§]19.2 *Exaudiat*: quæ tempore tribulationis vult ei fieri. *In die tribulationis*, quo majori desiderio Deum precamur. *Dei Jacob*, ut sicut illi, ita tibi gratiam benedictionis det, et præponat Judæis.

^{**}19.3 *Mittat*: pater. *Auxilium*, misso Filio.

^{††}19.4 *Memor*. Agit quasi de sacerdote immolaturus et rege pugnaturus. *Sacrificii*. Ibid. Sacrificium Ecclesiæ prævidebat, non pecudum, sed sanguinis et corporis Christi.

^{‡‡}19.5 *Tribuat*. Diapsalma, quæ tempore gloriæ optat et affirmat. *Omne*. AUG. Non solum quo animam posuisti pro vita plurimorum; sed et quo *cæcitas ex parte contigit in Israël, et sic omnis Israël salvus fiet*.

^{¶¶}19.6 *Lætabimur*. Ibid. Ideo hæc oratio, quia lætabimur et magnificabimur, ostendit se unum de Ecclesia tanto ante tempore.

⁷ Impleat Dominus omnes petitiones tuas; nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus christum suum. Exaudiet illum de cælo sancto suo, in potentatibus salus dexteræ ejus.^{§§}

⁸ Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

⁹ Ipsi obligati sunt, et ceciderunt; nos autem surreximus, et erecti sumus.

¹⁰ Domine, salvum fac regem, et exaudi nos in die qua invocaverimus te.]

20 In finem. Psalmus David.*

² [Domine, in virtute tua lætabitur rex, et super salutare tuum exsultabit vehementer.†

³ Desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

⁴ Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis; posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.[‡]

⁵ Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum, in sæculum, et in sæculum sæculi.

⁶ Magna est gloria ejus in salutari tuo; gloriam et magnum decorem impones super eum.[¶]

⁷ Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi; lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.[§]

⁸ Quoniam rex sperat in Domino, et in misericordia Altissimi non commovebitur.

⁹ Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis; dextera tua inveniatur omnes qui te oderunt.^{**}

¹⁰ Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

¹¹ Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum,††

^{§§}19.7 *In potentatibus*. AUG. Potentatus nostri sunt salus favoris ejus cum et de tribulatione dat auxilium, quia vana salus hominum, quæ est sinistræ, unde et superbia nascitur. *Salus dexteræ*. Ibid., id est gratia spiritualis, etc., usque ad qui terrena dignitate præsumunt.

*20.1 *In finem*. Tertius psalmus de duabus naturis in Christo, cœlestem regem describit, ut auditu credat mundus, quem visum contemnit Judæus. Demonstrativam facit orationem in laudem Dei.

†20.2 *Domine in virtute tua lætabitur*. CASS. Summam proponit, scilicet, meritum et præmium.

‡20.4 *Quoniam prævenisti*. CASS. Diapsalma; virtutes ejus et gloriam describit, etc., usque ad quasi capiti in coronam. *Coronam*. Ibid. Quia circumitus Apostolorum docentem ambiebat, vel totus mundi circulus, id est, Ecclesia generalis.

¶20.6 *In salutari tuo: gloriam et magnum decorem*, etc. CASS. Verbo Patris, quæ inde gloria. *Gloriam* de judicio, quia in Deitate judicabit. *Decorem* in majestate, quæ tunc apparebit. *Gloriam et magnum decorem*, etc. Gloriosus, ut Petrus, cujus umbra infirmi sanabantur; et decor est *super eum*, præter quem non est aliud fundamentum. Ideo *super eum*, quoniam dabis.

§20.7 *In gaudio cum vultu tuo. Quoniam rex sperat in Domino, et in misericordia*, etc. ID.. Id est, de hoc quod sui gaudebunt cum tua præsentia, quando eris omnia in omnibus.

**20.9 *Inveniatur manus tua*, etc. ID. De pœnis inimicorum, ut supra de laudibus Christi.

††20.11 *Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum*. Non erit eis fructus beatitudinis in terra viventium.

¹² quoniam declinaverunt in te mala; cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire.

¹³ Quoniam pones eos dorsum; in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.‡‡

¹⁴ Exaltare, Domine, in virtute tua; cantabimus et psallemus virtutes tuas.]^{¶¶}

21 In finem, pro susceptione matutina. Psalmus David.

² [Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.‡‡

³ Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi.*

⁴ Tu autem in sancto habitas, laus Israël.†

⁵ In te speraverunt patres nostri; speraverunt, et liberasti eos.‡

⁶ Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt; in te speraverunt, et non sunt confusi.

⁷ Ego autem sum vermis, et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis.¶

⁸ Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput.

⁹ Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.§

¹⁰ Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ.**

‡‡20.13 *Quoniam pones.* CASS. Dicta de futura, etc., usque ad ut cum putarent occidere, salus fieret.

¶¶20.14 *Exaltare.* ID. Conclusio.

‡‡21.2 *Deus, Deus.* CASS. Præmittitur conquestio de derelictione, necnon et oratio, sicut in omnibus psalmis de passione. AUG., CASS. *Deus, Deus:* geminat ex affectu, vel *Deus* omnium per creationis potentiam, *meus* proprie per cultum. AUG. Quando hoc in cruce dixerat, psalmum istum de se scriptum indicavit. *Respice in me.* CASS. Non est in Hebræo, sed a septuaginta interpretibus additum. *Quare me dereliquisti?* AUG. Mirum hoc, cum et Deus esset cum eo; sed pro nobis, qui in eo corpus ejus. *Longe a salute mea,* id est, mei veteris hominis, quia *longe a peccatoribus salus,* et hæc sunt verba non justitiæ, sed delictorum. Vel, longe a salute sunt verba delictorum meorum, quæ sunt tollenda.

*21.3 *Clamabo.* AUG. De nobis, corpore suo dicit, ut cum forte dicit: *Transeat a me calix iste,* id est, putatur timuisse mori; sed pro suis infirmis qui timent mori, hæc dixit, sic et hæc vox membrorum est: *Clamabo et non exaudies. Per diem, et non exaudies, et nocte et non ad insipientiam.* CASS. Quia nullæ in eo tenebræ, et tamen non auditur ad salutem corporalem.

†21.4 *In sancto habitas.* AUG. Et ita mirum, quia patres liberasti; ego autem sum vermis. CASS. Tu habitas in sancto, quia Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians. *Laus Israël,* AUG. id est, videntis te, non ejus qui se voluit abscondere a conspectu tuo.

‡21.5 *In te speraverunt patres nostri, speraverunt.* CASS. Magnus decor, dum iterat *speraverunt.*

¶21.7 *Ego autem,* etc. AUG. Hucusque Christus in persona veteris hominis, hic jam proprie in sua persona loquitur. *Ego autem.* Jam proprie Christus, sine semine natus sum, ut essem ultra homines in homine, in quo factus sum opprobrium, ut vel sic superbia hominis humilem imitetur. *Vermis et non homo, opprobrium.* CASS. Ita viliter conculcatus, etc., usque ad vermis, sine coitu natus, mortalis, humilis et vilis, silentio repens.

§21.9 *Speravit in Domino,* etc. CASS. Dicentes: *Spera in Domino,* etc. Ironia Judæorum, ecce quasi historialis narratio, non prophetia, ne qua sit excusatio, ne qua ambiguitas.

**21.10 *Ab uberibus.* Non ex quo lactari cœpi, etc., usque ad sed fuisti Deus meus. *De ventre.*

- 11 In te projectus sum ex utero; de ventre matris meæ Deus meus es tu:††
- 12 ne discesseris a me, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet.‡‡
- 13 Circumdederunt me vituli multi; tauri pingues obsederunt me.¶¶
- 14 Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.§§
- 15 Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea: factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.*
- 16 Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis: et in pulverem mortis deduxisti me.†
- 17 Quoniam circumdederunt me canes multi; concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos;‡‡
- 18 dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me.¶¶
- 19 Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.§

††21.11 *De ventre.* AUG. Non solum matris, quæ lex nascendi est omnibus; sed de tenebris Synagogæ, in quibus infidelis est, nondum in luce Christi natus, qui in observationibus illis carnalibus sabbati et circumcisionis confidit.

‡‡21.12 *Ne discesseris a me,* qui jam cœpisti. *Tu extraxisti:* non vir, ne dubitetur virginis partus, virtute Dei factum est. *Spes mea ab uberibus:* vera humanitas et magna perfectio; ab uberibus enim facit, quod vix maturus. *In te projectus sum,* non in peccata hominis. Alii in Adam projiciuntur, ex quo rei. *De ventre matris meæ, Deus meus.* CASS. Nec conceptio sine Deo, nec in peccato, ut homo; unde Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te.*

¶¶21.13 *Circumdederunt.* ID. Describitur passio, quam terminat oratio; ad convincendos Judæos refert futura quasi præterita.

§§21.14 *Aperuerunt.* ID. Ut feræ volentes deglutire, os suum, non ad sapientiam reseratum. *Sicut leo.* AUG. Ut leo rapiens circumdederunt, ut rugiens os aperuerunt.

*21.15 *Sicut aqua.* Quando funditur aqua, etc., usque ad unde relicto eo fugerunt. CASS. Sicut aquæ sacramentum ablutio peccatorum, etc., usque ad et solidata est. *Tanquam cera.* Bene legis mysteria comparat ceræ, etc., usque ad quoniam circumdederunt. *In medio ventris mei.* AUG. Venter infirmos in Ecclesia, vel memoriam Ecclesiæ significat.

†21.16 *Aruit tamquam testa virtus mea.* CASS. Non ut fenum, sed ut testa quæ igne fit firmior. *Lingua mea.* AUG. Servaverunt præcepta mea apud se hi per quos locuturus eram: et per eos in cognitionem eorum, qui erant pulvis mortis, deductus sum.

‡‡21.17 *Foderunt.* ID. Evangelica narratio. Etsi hæc ad litteram, innuit fossio manuum, quod operibus ejus non crediderunt; pedum, quod Apostolos laceraverunt. CASS.: foderunt. Terra fossa fructum facit, sic fructum vitæ dedit Christus vulneratus.

¶¶21.18 *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* CASS. Proprie describitur pœna crucis. Sic ossa dinumeraverunt, id est, Apostolos; ne in majorem numerum crescerent, quærebant extinguere. *Inspexerunt me.* ID. Cum diligentia et delectatione, cum a re crudeli soleant oculi averti. Ecce quam obstinati, non casu aliquid factum, nec tot miraculis cor mollium.

§21.19 *Diviserunt sibi vestimenta mea,* etc. AUG. Sacramenta ipsius potuerunt dividi per hæreses, sed non tunica desuper, id est, a Deo data; hæc est charitas vel unitas, quam nemo potest dividere. CASS. Sed forte et dono Dei quibusdam venit, etc., usque ad ut ramus olivæ a columba delatus ad arcam. AUG. Vel, per animam unicam caput et corpus, quod unum diversitates respuit.

- ²⁰ Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me; ad defensionem meam conspice.
- ²¹ Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicum meam.
- ²² Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.**
- ²³ Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio ecclesiæ laudabo te.
- ²⁴ Qui timetis Dominum, laudate eum; universum semen Jacob, glorificate eum.††
- ²⁵ Timeat eum omne semen Israël, quoniam non sprevit, neque desepexit deprecationem pauperis, nec avertit faciem suam a me: et cum clamarem ad eum, exaudivit me.‡‡
- ²⁶ Apud te laus mea in ecclesia magna; vota mea reddam in conspectu timentium eum.¶¶
- ²⁷ Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi.§§
- ²⁸ Remiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ; et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium:
- ²⁹ quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.
- ³⁰ Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ; in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.*
- ³¹ Et anima mea illi vivet; et semen meum serviet ipsi.
- ³² Annuntiabitur Domino generatio ventura; et annuntiabunt cæli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.]†

22 Psalmus David. [Dominus regit me, et nihil mihi deerit:‡
² in loco pascuæ, ibi me collocavit. Super aquam refectiois educavit me;¶

**21.22 *Unicornium, humilitatem meam*, etc. ID. Judæi, terrena tantum petentes: vel, de cultu Dei singulariter se jactantes, vel singulariter superbientes, occiso etiam filio post servos.

††21.24 *Qui timetis Dominum, laudate eum*, etc. CASS. Timor humanus non laudem, sed vituperium parit.

‡‡21.25 *Timeat eum omne semen Israël, quoniam non sprevit*, etc. Quos dixerit semen Jacob, aperit, subdens: *Pauperis*. AUG. Non ejus qui verbis delictorum clamat de vana vita, sed non tumentis de pompis sæculi.

¶¶21.26 *Apud te laus mea in Ecclesia magna*, etc. ID. Apud Deum laudem ponit, qui docet in homine non præsumi.

§§21.27 *Laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent*. ID. Pauperes Deum divites se: ideo pauperes, quia Deum laudant ut eum quærant, et ipse est divitiæ pauperum. *Corda eorum in sæculum sæculi remiscentur et convertentur ad Dominum*. ID. Quia ille cibus est cordis.

*21.30 *Manducaverunt et adoraverunt*. ID. Non prohibeat dispensator manducare, sed exactorem moneat timere. *In conspectu ejus cadent*. CASS. Ecclesia utrosque recipit, sed ipse videt et discernit.

†21.32 *Annuntiabitur*, etc. ID. An angelis qui preces hominum Deo offerunt, non pro instructione, sed pro ministerio. CASS. Nota psalmos de passione in magna spe Christianorum terminari, ut sciatur ex passione salus esse.

‡22.1 *Psalmus David*. CASS. Propheta reditum populi de Babylone prædixit. *Dominus regit me*. Psalmus de misericordia, enumerans decem gratias, ut omnes sperent in misericordia Dei. AUG. Ecclesia loquitur de Christo.

¶22.2 *In loco pascuæ*. CASS. Prima gratia, oculus pascuæ, id est, sermo divinus, qui saginat meditantes. *Super aquam*. Secunda gratia, aqua refectiois.

³ animam meam convertit. Deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum. §

⁴ Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. **

⁵ Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me; impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians, quam præclarus est! ††

⁶ Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ; et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.] **

23 Prima sabbati. Psalmus David. [Domini est terra, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. ¶]

² Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina præparavit eum. §§

³ Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? *

⁴ Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo: †

⁵ hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

⁶ Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.

§22.3 *Animam meam.* ID. Tertia gratia, etc., usque ad sed prius educavit super aquam refectionis, sed prius animam meam convertit. *Deduxit.* ID. Quarta, quod super charitatis præcepta duxit. *Super semitas.* AUG. Arctiora mandata et perfectiora consilia, quasi semitis pauci justii ambulant, sicut semitæ arctiores sunt quam viæ.

**22.4 *Nam et si.* CASS. Quinta, quod in umbra mortis non timet mala. *Mecum es.* AUG. In corde per fidem, ut post umbram mortis ego tecum sim. *Virga tua.* CASS. Sexta, correctio; vel virga districtio, quæ convertit vitia. Baculus gubernatio, quæ sustinet fideles.

††22.5 *Parasti in conspectu.* CASS. Septima, mensa Domini, beata convivatio, saturitas fidei, esca cœlestis, de qua Apostolus: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit. In conspectu meo mensam:* etsi non impiorum. De hac dicitur: *Sed isti ad mensam divitis,* id est, Christi, *scito et te similia debere præparare,* id est, pati sicut ipse. *Impinguasti:* octava, unctio capitis, scilicet Christi, quod nulla ariditate peccati exaruit, unde cætera lætantur membra, quia capite descendit unguentum in barbam barbam Aaron, et in oram vestimenti ejus. *Et calix meus.* Nona, calix, Christi sanguis, qui sic inebriat ut sobrios reddat. *Meus,* quia accipio. Vel, tuus, quia das. Mensa et calix, caro, sanguis, quanquam unum sint sacramentum, sub diversis tamen speciebus, quia utrumque sumitur, divisim hic ponuntur.

**22.6 *Et misericordia.* CASS. Decima, misericordia subsequens ad custodiam quæ præcedit ad gratiam conferendam. *Et ut inhabitem.* HIER. Hoc omnibus superioribus jungitur. Quasi collocasti, educasti, deduxisti, etc., et hoc ideo ut inhabitem.

¶¶23.1 *Psalmus David.* AUG. In prima sabbati mundus conditus, in eadem homo restauratus per resurrectionem Christi: CASS. unde monet victorem cum triumpho suscipere. *Domini est terra.* Primo dicit totum orbem esse Dei, etc., usque ad sed quis in monte ejus, nisi innocens?

§§23.2 *Et super flumina.* AUG. Ut flumina in mare, ita cupidi labuntur in sæculum; et eos etiam superat Ecclesia, quæ victis cupiditatibus ad immortalitatem paratur.

*23.3 *Quis ascendet?* Determinat quibus virtutibus præditi sunt in Ecclesia.

†23.4 *Quis stabit?* HIER. Multi enim ascendunt, qui non permanent. ID. *Innocens:* ad proximum, manu et corde, et qui sibi innocens, etc., usque ad præsentiam et cognitionem desiderant. *Qui non accepit.* AUG., HIER. Id est, qui non deputavit animam rebus non permanentibus, sed eam sentiens immortalem æterna desiderabit, et ideo non juravit in dolo. *In vano.* HIER. Id est, qui nullis eam fecibus peccaminum post baptismum maculavit.

⁷ Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ.[‡]

⁸ Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.[¶]

⁹ Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ.

¹⁰ Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.][§]

24 In finem. Psalmus David. [Ad te, Domine, levavi animam meam.^{**}

² Deus meus, in te confido; non erubescam.^{††}

³ Neque irrideant me inimici mei: etenim universi qui sustinent te, non confundentur.

⁴ Confundantur omnes iniqua agentes supervacue. Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.

⁵ Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.^{‡‡}

⁶ Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt.^{¶¶}

[‡]23.7 **Attollite.** Diapsalmus. Christiana religione declarata, etc., usque ad quæ a principe diabolo positæ sunt. **Et elevamini.** Contra portas mortis. **Portæ æternales:** omnis gratia quæ, veniente Christo, data est.

[¶]23.8 **Quis est?** interrogat. Propheta ad convincendam Judæorum perfidiam, et ut amplius eum commendando alios invitet.

[§]23.10 **Dominus fortis** per virtutes describitur quasi proprio nomine. **Fortis,** AUG. etsi cum gladiis cepistis. **Potens,** etsi Pilato tradidistis. **Potens in prælio,** ne in pugna vos superasse putetis. **Virtutes.** Hier., AUG. Ministræ præcedentes Christum in ascensione ad alias cœlestes clamant, ut viam Domino venienti aperiant: quæ novo mysterio carne induti stupefactæ, quærunt, quis est? **Attollite.** CASS. Congeminatio, etc., usque ad qui omnibus omnia dat bona, vel cœlestium virtutum, id est, angelorum.

^{**}24.1 **In finem.** Hier. Hic flagellatus poenitens præponitur aliis, ne murmurent in adversis: qui in se expertus per misericordiam blanditur, per justitiam terret. **Ad te, Domine, levavi.** AUG. Psalmus contra adversa sæculi, etc., usque ad qui non per omnes, minus perfectos. CASS. Primo petit doceri vias Domini, quia ad Deum erectus. ID. Ad te contemplandum; facile terrena despicit, qui divina conspicit.

^{††}24.2 **Confido.** ID. Expertus in malis meam infirmitatem, non erubescam de inimicis. **Neque irrideant me inimici:** et certus sum quia in nullo sustinente patienter fallit. **Supervacue.** ID. Quia omnia sunt vana et infructuosa quæ a Deo sunt aliena. **Vias tuas, Domine, demonstra.** CASS. Viæ sunt de ordine vitæ, etc., **usque ad Dirige,** ad vitam pertinet, **doce** ad scientiam.

^{‡‡}24.5 **Doce.** AUG. Ipsam veritatem, ut quod credo intelligam, quia sustinui, et si hoc non sufficit: **Reminiscere. Deus salvator meus.** CASS. Duæ res sunt, quæ bonos faciunt, ut Deum salvatorem credamus, et patienter ejus retributionem expectemus.

^{¶¶}24.6 **Reminiscere.** ID. De peccatis prioribus et quæ quotidie fiunt, orat per misericordiam antiquis factam, et quia timet verum judicem. **Miserationum.** Miseratio proprie in bonorum exhibitione. **Quæ a sæculo.** AUG. Id est, ab initio sæculi sunt: non ergo in me fallat.

- ⁷ Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas, ne memineris. Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine. §§
- ⁸ Dulcis et rectus Dominus; propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*
- ⁹ Diriget mansuetos in iudicio; docebit mites vias suas. †
- ¹⁰ Universæ viæ Domini, misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus. ‡
- ¹¹ Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo; multum est enim. ¶
- ¹² Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via quam elegit. §
- ¹³ Anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus hæreditabit terram.**
- ¹⁴ Firmamentum est Dominus timentibus eum; et testamentum ipsius ut manifestetur illis.
- ¹⁵ Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.
- ¹⁶ Respice in me, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego. ††
- ¹⁷ Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me. ‡‡
- ¹⁸ Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea.

§§24.7 *Delicta*. CASS. Sunt quando linquitur via æquitatis. *Juventutis*. Non pro ætate, sed pro præcipitationis audacia, quæ est tunc, cum calor animi modestiam excedit. *Ignorantias*. Facimus ea quæ mala esse non scimus. Vel delicta ignorantia in parvulis, qui vel originali peccato tenentur. HIER. Juventutis. Antequam de domo patris iniqui exirem. *Memento mei, tu*. AUG. Cujus opus est misereri et peccata dimittere. *Secundum misericordiam*. Id est, ampla est misericordia tua. Misericordia erga miseros, bonitas erga quoslibet. Facit autem Deus bonum et a miseris imploratus, et bonitate ductus: nemo bonus nisi Deus.

*24.8 *Dulcis*. ID. Quia omnia priora dimittit, ubi gratia sine meritis. *Rectus*. Quia post misericordiam, etc., *usque ad Dulcis*, quia suavia dat; *rectus*, quia corrigit. *Propter hoc*. CASS. Quia dulcis et rectus; non ex crudelitate, sed benignitate. *In via*. Id est, fide, vel præceptis Dei. Vel in via hujus vitæ, ubi recte vivendum, dabit legem.

†24.9 *In iudicio*. Dum punit, diriget ad meliora. Sed mansueti sint, qui corripuntur: quod ex feris domiti, ut tolerant. Quia si mites, id est, lenis animi quasi naturaliter hoc habentes: docebit eos præcepta, pro quorum neglectu venerunt flagella.

‡24.10 *Misericordia et veritas*. AUG. Quas autem vias docebit, etc., usque ad et deinde cavet severitatem judicis. *Testamentum*. CASS. Novum, quod egregie dicitur Testamentum, ubi clara et certa promissio hæreditatis quod et morte firmatur. *Et Testamentum*. Legis veteris, ubi fuerunt Prophetæ testes promissionum.

¶24.11 *Propter nomen tuum, Domine*. AUG. Id est, gloriam tuam, etc., usque ad et interpretantur *mundi*, qui se ab omni peccato mundos asserunt.

§24.12 *Quis est homo?* CASS. Hic agit de æternis; quomodo habentur, laborans et orans, ut et ipse, et totus Israël ab his malis liberetur.

**24.13 *Anima*. ID. et si non statim, etc., usque ad quidquid alii faciant, etc. *Semen*. Hier. Bonum est, unde fructus colligitur. *Firmamentum est*. AUG. Videtur infirmorum esse timor, sed Dominus est firmamentum timentibus eum, et facit ut Testamentum ejus manifestetur illis. *Oculi*. Sal. *Oculi sapientis in capite, id est, in corde ejus*.

††24.16 *Unicus*. ID. Unicus plus amatur, pauper plus doletur.

‡‡24.17 *De necessitatibus*. Id est, ab adversis, quæ necessaria sunt omnibus, qui pie in Christo vivere volunt.

19 Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.^{¶¶}

20 Custodi animam meam, et erue me: non erubescam, quoniam speravi in te.

21 Innocentes et recti adhæserunt mihi, quia sustinui te.^{§§}

22 Libera, Deus, Israël ex omnibus tribulationibus suis.]^{*}

25 In finem. Psalmus David. [Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, et in Domino sperans non infirmabor.[†]

² Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum.[‡]

³ Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua.[¶]

⁴ Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.[§]

⁵ Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.^{**}

⁶ Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine:^{††}

⁷ ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.^{‡‡}

⁸ Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.^{¶¶}

⁹ Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam:^{§§}

¹⁰ in quorum manibus iniquitates sunt; dextera eorum repleta est muneribus.^{*}

^{¶¶}24.19 *Respice*. AUG. Tot hominum perditio sine dolore, esse non potest, et ideo pro eis orat.

^{§§}24.21 *Innocentes et recti adhæserunt*. ID. Mali tolerati sunt; non adhæserunt.

^{*}24.22 *Israel*. AUG. Populum, quem ad tuam visionem præparasti.

[†]25.1 *Psalmus*. CASS. Psalmus iste monet vitari consortia iniquorum, jungi iustis, quia ex convictu mores formantur. *Judica*. AUG. Quia post misericordiam, etc., usque ad a vento superbiæ rapiuntur. CASS. *Judica*: non est præsumptio iusti, sed certitudo misericordiæ Dei, quod ibi ostendit in Domino sperans; deinde, non infirmabor. *In innocentia*. AUG. Non angelorum, sed qualis est hominum.

[‡]25.2 *Proba me*. CASS. Id est, prius vires inspice, etc., usque ad non merita, sed misericordiam quæ talem me fecit, attendo. CASS. *Proba me*. Tu vero, proba in tentationibus, ne quid delicti remaneat, etc., usque ad ne quis de eis murmuret. *Ure renes*. ID. Igne verbi tui, *cor* calore spiriritus. *Cor* pro cogitationibus, *renes* pro delectationibus.

[¶]25.3 *Misericordia*. CASS. Quæ non sinit tentari super vires, vel ipsa ustio est misericordia, non asperitas *Complacui in veritate*. AUG. Cui displicet mendacium suum, et placet ipse cum illa et in illa.

[§]25.4 *Non sedi*. CASS. *Complacui* in veritate, quia non sedi. *Odivi*, quod est vitare mala. *Et lavabo*, quod est agere recta. *Vani*. CASS. *Vani* qui de caducis rebus laborant; impii hæretici, qui Scripturas pervertunt: illi superflua quærunt, hi venenosa.

^{**}25.5 *Malignantium*. ID. Qui mala proximis agunt.

^{††}25.6 *Lavabo*. AUG. Pœnitendo. *Et altare*, mentem virtutibus ornabo, vel fidem, quia non est locus veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam. *Inter innocentes*. AUG. Conversans; *ut audiam* ab eis, id est, ut discam qua voce sis laudandus; vel, *ut audiam*: Venite, benedicti Patris mei.

^{‡‡}25.7 *Vocem laudis* Spiritus sancti, qui docet laudare te.

^{¶¶}25.8 *Domine*. CASS. Petit ne malis in iudicio misceatur, quia non eis, sed concordat domui Dei. *Dilexi decorem*. CASS. Hæc ideo faciam, quia lilexi me facere decoram domum tibi, et locum, quo gloriose habites, ut de gloria et essentia Dei aliquid capiam.

^{§§}25.9 *Ne perdas*. CASS. Et si modo simul esse pateris, ne simul perdas. CASS. Ne perdas in futuro *cum impiis*, quibus hic non communico.

^{*}25.10 *Dextera eorum*, AUG., id est, si quid boni agunt, etc., usque ad misericordia in omnibus comitetur, quod debes, quia:

¹¹ Ego autem in innocentia mea ingressus sum; redime me, et miserere mei.

¹² Pes meus stetit in directo; in ecclesiis benedicam te, Domine.][†]

26 Psalmus David, priusquam liniretur. [Dominus illuminatio mea et salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: a quo trepidabo?[‡]

² Dum appropiant super me nocentes ut edant carnes meas, qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt.[¶]

³ Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.[§]

⁴ Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.^{**}

⁵ Quoniam abscondit me in tabernaculo suo; in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.^{††}

⁶ In petra exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis; cantabo, et psalmum dicam Domino.^{‡‡}

⁷ Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te; miserere mei, et exaudi me.^{¶¶}

⁸ Tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram.^{§§}

[†]25.12 *Pes*, id est, affectio, quæ facile labi solet, *stetit* immobilis contra omnia scandala, tendens ultra, et persistens *in directo*. Et quia sic redimis in Ecclesiis, benedicam. *Stetit*. CASS. Etsi undique concussus, vel confusus scandalis.

[‡]26.1 *In finem*. AUG., CASS. Primo, David electus, etc., usque ad unde in sacramento gemens et laborans; ut in re gaudeat. *Dominus illuminatio*, etc. CASS. De prima unctione per quam certificatur secunda, hic loquitur. *Dominus protector vitæ meæ*. AUG. Dat vitam virtutum, quam et protegit, sine quo omnia dona ejus perduntur. *A quo trepidabo?* ID. Quem trepidet, caro, cum induerit corruptionem.

[¶]26.2 *Super me nocentes*. ID. Ut se mihi præferant insultantes: quod vertit Deus in melius, ut maledico dente non me, sed carnalia desideria consumant. Vel *edant*, id est, delectetur in morte mea crudelitas inimicorum, *carnes*; animam non possunt. *Infirmati sunt*. ID. Dum Christus carnem accepit, nutantes facti, et post ex toto se fidei subdiderunt. CASS. Vel, debilitati paulatim ad ruinam animæ pervenerunt.

[§]26.3 *Castra*. CASS. Molimina, prælium, conflictus. *In hoc ego*. AUG. Habeo spem victoriæ in Domino remunerationis æternæ.

^{**}26.4 *Unam petii*. AUG. Hæc una domus æterna, in qua semper maneat, ubi æterni dies, cur ibi? ut contempler delectationem Dei, quod est verum bonum. *Omnibus diebus vitæ meæ*. AUG. Ut quandiu vivo, etc., usque ad opus manifestabo. *Ut videam*. ID. Alia littera: *Ut contempler delectationem Domini*, id est, eo fine, ut demum appareat, etc., usque ad et ideo non temere peto *unam*, etsi peccator.

^{††}26.5 *In abscondito*: AUG. quasi multæ partes sunt, etc., usque ad quem mox vocat petram.

^{‡‡}26.6 *Circumivi*. AUG. Quia mihi se præbuit ducem, etc., usque ad ut omnes voluntates ejus implem. HIER. Vel circumspexi omnia creata, vel exempla sanctorum. AUG. Circumivi animo omnia creata, etc., usque ad tanto ardentius appetit.

^{¶¶}26.7 *Exaudi, Domine, vocem meam*, etc. CASS. Quis labor, quis gemitus? Oratio ante secundam unctionem, ut possit haberi quam et sibi prophetiæ spiritu promittit.

^{§§}26.8 *Tibi dixit*. CASS. *Cor*, ratio a te edocta tibi confabulatur de una, non aliud quam doces pertractet.

- ⁹ Ne avertas faciem tuam a me; ne declines in ira a servo tuo. Adjutor meus esto; ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.*
- ¹⁰ Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me.[†]
- ¹¹ Legem pone mihi, Domine, in via tua, et dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos.[‡]
- ¹² Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.[¶]
- ¹³ Credo videre bona Domini in terra viventium.[§]
- ¹⁴ Expecta Dominum, viriliter age: et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.]**
- 27** Psalmus ipsi David. [Ad te, Domine, clamabo; Deus meus, ne sileas a me: nequando taceas a me, et assimilabor descendantibus in lacum.^{††}
- ² Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ dum oro ad te; dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.^{‡‡}
- ³ Ne simul trahas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me; qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.
- ⁴ Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum. Secundum opera manuum eorum tribue illis; redde retributionem eorum ipsis.^{¶¶}

*26.9 **Ne avertas.** AUG. Alius petit hic bona temporalia a Deo, et de datis gaudet, hic non nisi **unam**. Alius habens timet iratum, ne tollat ea; iste non putat iram, nisi si **avertat vultum**, etiam si quid in eo vindicet; nil divinius poterat dicere. **Ne declines.** AUG. Non in ira declinat, quando a peccatis faciem avertit; vel, **ne declines**, ut me labi sinas in ira, id est, quod punias; sed ut nostra infirmitas cautior fiat. **Salutaris meus,** etc. AUG. Quasi, frustra creasti et recreasti, etc., usque ad a Domino est per Samuelem electus.

[†]26.10 **Quoniam pater,** etc. Fecit se parvulum Deo, ipsum fecit sibi **patrem**: quia jubet, vocat, condidit, et regit. **Matrem,** quia fovet, continet, collactat et nutrit; sed sæculum pater vel diabolus, mater Babylonia, id est, societas impiorum.

[‡]26.11 **Legem pone mihi,** etc.

[¶]26.12 **Tribulantium.** CASS. Ut Saulis et adjutorum, etc., usque ad quia falsi.

[§]26.13 **Credo videre.** AUG. Sed inter omnia pericula, Deo dirigente, credo videre. **Bona.** ID. Bona, quæ sunt vera, æterna. Illi suadent beatitudinem in terra ista, quæ est morientium.

26.14 **Exspecta. CASS. Ut ego certus sum de illa, etc., usque ad sustine quod pateris.

^{††}27.1 **Psalmus huic.** Per David aliquando intelligitur caput, id est, Christus; aliquando corpus, id est, Ecclesia; interdum utrumque simul, id est, totus Christus intelligitur, ut hic. CASS. Psalmus tertius, qui breviter de passione et resurrectione. ID. Hic proponitur Christus et si adeo dignus non in se confidere, sed totum a Deo petere; utile exemplum justis. **Ad te, Domine.** ID. Oratio tempore passionis habita. **Ne sileas.** Minus est in Hebræo, etc., usque ad et a morte resurrectionem. **Ne sileas,** etc., **et assimilabor,** etc. HIER. Ex eo, quod verbum mihi semper unitur, non talis homo sum quales cæteri, qui nascuntur in profundam miseriam sæculi. AUG. Ubi quasi si sileas non cognoscitur verbum tuum.

^{‡‡}27.2 **Ad templum.** CASS. Secundum morem Judæorum, quibus præceptum est ut ubicunq̄ essent ad illam partem orarent, ubi Jerusalem esse scirent: quod et Jesus legem implens fecit. Vel ad cælum, unde auxilium speramus.

^{¶¶}27.4 **Da illis.** Ibid. Prædicere est, non optare, secundum quod intenderunt, non secundum quod inde pervenit: vel optat justitiam Dei in hoc servari.

⁵ Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus destrues illos, et non ædificabis eos.^{§§}

⁶ Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

⁷ Dominus adjutor meus et protector meus; in ipso speravit cor meum, et adjutus sum: et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei.

⁸ Dominus fortitudo plebis suæ, et protector salvationum christi sui est.

⁹ Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ; et rege eos, et extolle illos usque in æternum.]*

28 Psalmus David, in consummatione tabernaculi. [Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.†

² Afferte Domino gloriam et honorem; afferte Domino gloriam nomini ejus; adorate Dominum in atrio sancto ejus.

³ Vox Domini super aquas; Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas.‡

⁴ Vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentia.

⁵ Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani:

⁶ et comminuet eas, tamquam vitulum Libani, et dilectus quemadmodum filius unicornium.

⁷ Vox Domini intercidentis flammam ignis;¶

⁸ vox Domini concutientis desertum: et commovebit Dominus desertum Cades.

⁹ Vox Domini præparantis cervos: et revelabit condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam.

§§27.5 *Quoniam non*, etc. ID. Et si deessent opera, hoc sufficeret damnationi, quod non intellexerunt per legem et Prophetas, quæ invisibiliter Deus operatur per me, nec etiam visibilia. *Destrues*. AUG. Ut nihil mihi noceat, nec post Ecclesiæ tuæ, vel meæ. *Benedictus*. CASS. Auditus in resurrectione gratias agit, subdens de salute credentium. *Dominus*. ID. Idem qui adjutor meus, et protector est fortitudo plebis, quæ in eo confidit, et protector ne lædantur, et tu, o Domine:

*27.9 *Salvum*. Ecce quanta spes credentium cum pro eis orat: passus pro eis judex est et advocatus. *Et rege*, etc. ID. Ne declinent ad prava. *Extolle*, etc., a terrenis ad petenda æterna, et intellectu Scripturarum, et bono opere per totum hoc sæculum usque in finem.

†28.1 *Psalmus David in consummatione*. ID. Arca a Philistæis reducta, etc., usque ad ut se offerant tali consummatori. *Afferte Domino*. ID. Prius monet sacrificia offerre. *Filios arietum*. AUG. Quia non deest impugnatio, etc., usque ad et septuaginta duo discipuli ad prædicandum missi significantur. *Vox Domini*. CASS. Prædicatio Christi intus mentes terruit, quod est, spiritum timoris dedit Judæis et gentibus. GREG. Iste ab imo ascendit, id est, spiritu timoris ad spiritum sapientiæ, etc., usque ad id est, spiritualem intellectum, hos Dominus concutit. HIER. Ut agricola sterilem terram, etc., usque ad et dabit virtutem, et eandem benedicet in pace æterna.

‡28.3 *Vox Domini super aquas*, etc. CASS. De constitutione Ecclesiæ, ubi virtutes Spiritus sancti cum magno præconio enumerat. *Libani*. Libanus interpretatur candidatio. *Cedri Libani*, id est, alti homines in terrenis elati, quos Deus confringendo comminuet, id est, de superbia ad se per dilectum filium reducet: et hoc spiritu fortitudinis comminuet, sicut unicornis captus comminuitur.

¶28.7 *Desertum*. CASS., AUG. Judaicum populum, etc., usque ad unde emanat aqua viva.

¹⁰ Dominus diluuium inhabitare facit, et sedebit Dominus rex in æternum.[§]

¹¹ Dominus virtutem populo suo dabit; Dominus benedicet populo suo in pace.]

29 Psalmus cantici, in dedicatione domus David.^{**}

² [Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

³ Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me.^{††}

⁴ Domine, eduxisti ab inferno animam meam; salvasti me a descendentibus in lacum.^{‡‡}

⁵ Psallite Domino, sancti ejus; et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.^{¶¶}

⁶ Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus: ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.^{§§}

⁷ Ego autem dixi in abundantia mea: Non movebor in æternum.*

⁸ Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.[†]

[§]28.10 **Dominus.** Quid constitutæ Ecclesiæ fiat ostendit. **Dedi,** enim ait, **vobis potestatem conculcare super serpentes.** Ut autem est inauditum, ut cervi omne genus ferarum cornu feriant; sic ut Apostoli omnem philosophiam illiterati redarguerent. **Diluuium.** CASS. Aquas baptismi, qui purgat crimina mundi.

^{**}29.1 **Psalmus cantici in dedic.** AUG. Supra de consummatione tabernaculi tempore belli: hic autem est psalmus lætitiæ, quia domus dedicatur, id est, confirmatur, quæ in æterna pace manebit: corpore innovato non tantum Christi, sed etiam totius Ecclesiæ. Totus Christus loquitur in hoc psalmo, quia quædam capiti, quædam corpori, quædam utrique conveniunt. ID. Psalmus breviter de passione et resurrectione: ut passio non terreat quos spes resurrectionis lætificat. **Domus David.** CASS. Totus Christus sponsus, etc., usque ad secundum statum futurum quando in ea quiescitur. CASS. Primo agit de dedicatione sua: et jubet sanctos idem sperantes laudes dicere.

^{††}29.3 **Domine, Deus meus, clamavi ad te,** etc. AUG. Christus, etc., usque ad sed non in dedicatione.

^{‡‡}29.4 **In lacum.** HIER. Id est, de lacu inferni, ubi animæ peccatorum sunt, ne, sicut illi, præceps caderem in mortem.

^{¶¶}29.5 **Confitemini,** etc. AUG. Quia ex bonitate et sanctitate sua, non nostra memor fuit nostri.

^{§§}29.6 **Quoniam ira.** ID. Id est, vindicta, qua vindicavit in nos primum peccatum, quod morte solvistis. **Ad vesperum.** ID. Quia ira, etc., usque ad id est, tempore gratiæ post tempus ante legem, et sub lege. HIER. **Ad vesperum.** Quia passo et sepulto Domino, Apostoli et mulieres in fletu et gemitu morabantur. **Et ad matutinum lætitia.** Quia mane venientes ad sepulcrum, gloriam resurrectionis ab Angelis acceperunt. **Fletus.** CASS. Demorabitur hominibus respicientibus ad vesperum, quo Adam declinavit, et a paradiso exivit: sed lætitia erit respicientibus ad matutinum, quo Christus surrexit.

^{*}29.7 **Ego autem.** Quomodo ante dedicationem egerit et eam meruerit. AUG., CASS. Vespere facit. Sed ego, dum in paradiso esset mihi abundantia, dixi: Non movebor ab hoc bono, credens diabolo dicenti: **Non morte morieris** Gen. 3.. Sed, o Domine, in **voluntate tua præstitisti decori meo virtutem;** quod est, non ex me bonus eram et fortis, sed ex te. Quod ut ostenderes: **Avertisti faciem tuam,** hoc est, foras misisti me de paradiso: jam vero hic positus **clamabo ad te,** etc.

[†]29.8 **Avertisti.** CASS. Deus a Christo faciem, exponendo eum passioni et morti; et sic Christus turbatus est: **Tristis est anima mea usque ad mortem.** Matth. 16. **Conturbatus.** AUG. Quod tempus conturbationis et miseriæ recolens, et in eo positus, audio vocem capitis pro me morituri, dicentis: **Ad te, Domine, clamabo.**

⁹Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor.

¹⁰Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?[‡]

¹¹Audivit Dominus, et misertus est mei; Dominus factus est adjutor meus.[¶]

¹²Convertisti planctum meum in gaudium mihi; conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia:[§]

¹³ut cantet tibi gloria mea, et non compungar. Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.]**

30 In finem. Psalmus David, pro extasi.^{††}

²[In te, Domine, speravi; non confundar in æternum: in justitia tua libera me.^{‡‡}

³Inclina ad me aurem tuam; accelera ut eruas me. Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias:^{¶¶}

⁴quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu; et propter nomen tuum deduces me et enutries me.

⁵Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.^{§§}

[‡]29.10 *Quæ utilitas in sanguine meo.* ID. Necessitatem ostendit per quam non sinit eum descendere in corruptionem. *Dum descendo in corruptionem.* Si enim statim non resurgo, et corpus corrumpitur, nemini annuntiabo, nullum lucrabor. Confessio gemina est, nunquam sine ea simus: quando male est nobis in tribulationibus, confiteamur peccata nostra; quando bene est, in exultatione justitiæ confiteamur laudem Deo.

[¶]29.11 *Audivit Dominus.* CASS. Quomodo eam accepit, scilicet dedicationem, pertractat. Dixit: Clamabo, deprecabor, sed me deprecantem exaudivit Dominus.

[§]29.12 *Conscidisti saccum meum.* ID. Saccus vestis est aspera, in usum laboris vel tempore tristitiæ concessa, ut Ninivitis, id est, caro humana, quæ scissa est moriendo: et prodiit frumentum gloriosæ resurrectionis, vel divinitatis. Vel, pœna peccati, qua in resurrectione destructa, prolata est divinitas ante occulta: sicut quod saccus integer celat, scissus aperit. AUG. Saccus de capris vel hædis, mortalitas; quam de peccatoribus Christus traxit vel accepit; unde: *Dum mihi molesti essent, induebar cilicio* Psal. 34., ut quod intus erat, non viderent.

^{**}29.13 *Non compungar.* ID. Non moriar jam in finem. *Domine Deus, in æternum confitebor tibi.* Quid est: *in æternum confitebor tibi?* in æter num laudabo te.

^{††}30.1 *In finem psalmus.* AUG. Exstasis hic accipitur pavor perturbati populi de persecutione omnium gentium, et defectu fidei per orbem. CASS. Contra pavorem spes et oratio præmittitur, etc., *usque ad: Erunt duo in carne una* Gen. 2., ergo et in voce una. AUG. Prior loquitur Redemptor, inde redempti, gratias agentes. Inde diu de perturbatione Prophetæ vox interponitur prope finem, et in fine. Hic describitur humiliatio Christi martyrumque: unde sequitur exaltatio.

^{‡‡}30.2 *In te, Domine, speravi,* etc. ID. Est confusio æterna, de qua liberari petit: et est temporalis ad horam, scilicet quæ prodest.

^{¶¶}30.3 *Accelera.* ID. In faciendis, in solvendis animabus et hujusmodi, ut eruas tertia die, non differas in communem resurrectionem; quod ut sit, esto mihi protector tantus, quantum decet esse Deum. *Esto mihi.* Dixit: Justitiam da, etc., usque ad affirmat liberationem.

^{§§}30.5 *Educes.* CASS. De morte ad superna, ut frustra sint Judæorum consilia. *De laqueo quem absconderunt.* AUG. Per duas portas diabolus tentat, etc., usque ad unde: *Educes me de laqueo.*

- ⁶In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine Deus veritatis.*
⁷Odisti observantes vanitates supervacue; ego autem in Domino speravi.
⁸Exsultabo, et lætabor in misericordia tua, quoniam respexisti humilitatem meam; salvasti de necessitatibus animam meam.[†]
⁹Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.[‡]
¹⁰Miserere mei, Domine, quoniam tribulor; conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.
¹¹Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea, et ossa mea conturbata sunt.[¶]
¹²Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde, et timor notis meis; qui videbant me foras fugerunt a me.[§]
¹³Oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde; factus sum tamquam vas perditum:^{**}
¹⁴quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu. In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.^{††}
¹⁵Ego autem in te speravi, Domine; dixi: Deus meus es tu;

*30.6 *In manus.* CASS. Nota eum hic loqui qui in passione eadem verba protulit. AUG. *In manus.* Ex his verbis quæ in cruce dixit, admonet se in hoc psalmo locutum esse.

†30.8 *Ego autem, in Domino,* etc. CASS. De gaudio, quia sperat in Domino, qui odit vanos. *Exsultabo et lætabor.* Exsultare est cum magna alacritate animi gaudere: lætari, temperata affectione. *Humilitatem meam.* Pro infirmitate, et pro ipsa virtute humilitatis accipit. *Necessitatibus.* AUG. *Necessitates* sunt infinitæ, etc., usque ad et in futuro plenarie.

‡30.9 *In loco spatioso.* CASS. Locus spatiosus libere eundi ad patriam virtutum, charitas: sed, quia caro infirma, et urgent mala: *Miserere mei, Domine.* Jam pavor enarratur, id est, quot et quanta ea perturbant, contra quæ est oratio, *Tribulor.* AUG. Cum prius dixit: *Statuisti in loco spatioso,* etc. Sed aliis locus spatiosus, ex liberationis gratulatione; aliis ex tribulatione, angustia. *Conturbatus.* Irascitur pro peccatis palearum, etc., usque ad nam vita perfectorum est profectus aliorum. *In ira oculus.* In ira persecutorum, etc., usque ad ut ab omnibus gradibus quæretur Deus. CASS. Vel intellectus turbatur, et animus confunditur, etc., usque ad nec in animo, nec in corpore ulla potest esse hominis præsumptio. AUG. Ira per vitium oculum mentis cæcat; ira per zelum turbat: quia et hæc, concussa mente, contemplationem dissipat, quæ non est nisi inquieta mente; sed inde post paululum plus proficit ad videndum.

¶30.11 *Paupertate.* ID. Vel *egestate.* Egeo sanitate corporis, nec parcitur cruciatibus. Egeo resolutione, et parcitur morti; et in hoc infirmata est fiducia mea.

§30.12 *Super omnes inimicos meos.* ID. Pejus paganis et Judæis vivunt, etc., usque ad pro quibus timent et noti, ne omnes tales sint. CASS. Vel apud omnes inimicos, vel majori opprobrio habitus, quam illi qui digni eo; et *vicinis,* parentibus, vel jam credituris; et *notis,* familiaribus.

**30.13 *Qui videbant me foras.* HIER. *Foras,* Christum, id est, qui hominem purum putabant. *Oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde.* CASS. Vel excidi a corde eorum, ut mortuus cujus memoria cum corpore sepelitur, de cujus reparatione desperatur. *Vas perditum,* mortuus Jesus abjiciendus putatur.

††30.14 *Vituperationem multorum.* AUG. Vituperantur, etc., usque ad non quisquam homo. *In circuitu. In eo dum convenirent simul.* CASS. Errorum, etc., usque ad id est, appetitu temporalium.

- ¹⁶ in manibus tuis sortes meæ: eripe me de manu inimicorum meorum, et a persecuentibus me.‡‡
- ¹⁷ Illustra faciem tuam super servum tuum; salvum me fac in misericordia tua.¶¶
- ¹⁸ Domine, non confundar, quoniam invocavi te. Erubescant impii, et deducantur in infernum;§§
- ¹⁹ muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, et in abusione.*
- ²⁰ Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te; perfecisti eis qui sperant in te in conspectu filiorum hominum !†
- ²¹ Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum; proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum.‡
- ²² Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.¶
- ²³ Ego autem dixi in excessu mentis meæ: Projectus sum a facie oculorum tuorum: ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.§

‡‡30.16 *Sortes meæ*. ID. Vel tempora vitæ. AUG. Quia quando vis, vivimus, vel morimur: ideo *eripe*. Etsi justus, et occultus ordo electionis apud te est, ego tamen, etc., usque ad quæ, sine meritis, quos vult elegit.

¶¶30.17 *Illustra*. CASS. Manifestam fac benevolentiam tuam super me, ut sicut de moriente desperant, ita de resurgente confidant. AUG. *Illustra*. Appareat, qui ad te pertineat cum modo sit confusio; unde alibi: *Discerne causam meam* Psal. 41.; ne tamen se justificare videatur, subdit: *Salvum me fac in misericordia*, non in mea justitia.

§§30.18 *Invocavi*. ID. Invocas Deum, quando in te vocas eum, et quando in domum cordis tui eum invitas.

*30.19 *Muta fiant*. CASS. Quæ hic garrula, dum non timent iudicium. Muta in pœnis, in inferno. *Quæ loquuntur*. Apte opponit justo iniquitatem. *In superbia et in abusione*. CASS. Quia creatura contra creatorem, et perverso usu beneficiorum Dei, qui, præter cætera, propter eos venit.

†30.20 *Quam magna*. CASS. Quæ bona Dei contra prædicta mala, quæ leviant ipsa mala. AUG. Ista cernens et mirans exclamat Propheta, etc., usque ad in futuro vero patebit.

‡30.21 *A conturbatione*. AUG. Ut jam nullam conturbationem humanam patiat, etiam modo tribulati, mente intrantes ad vultum Dei non turbantur. *Proteges*. CASS. Ne promissio tantum futuri turbaret, hoc addit: *proteges*, ne noceantur.

¶30.22 *Benedictus*. ID. Quasi, quid ultra? Plenitudinem beneficii laude concludit, comparans illud suæ imbecillitati. Et loquitur Propheta, vel populus fidelis. *Mirificavit*. AUG. Misso Spiritu, totum mundum replevit, etc., usque ad unde: *Unguentum effusum est nomen tuum*. CASS. Vel, mirificavit Deus Pater misericordiam, etc., usque ad iuxta illud: *Requievit in corde terræ*.

§30.23 *Ego dixi in excessu*. AUG. Timoris nostri typum, etc., *usque ad: Ideo exaudisti vocem orationis meæ*. AUG. *In excessu mentis*. Vel rapta mente vidit altitudinem ex qua sentit se projectum valde longe: vel excessit a ratione timendo. *A facie oculorum tuorum*. Si in facie tua essem, etc., usque ad sed meum cor accusavi.

²⁴ Diligite Dominum, omnes sancti ejus, quoniam veritatem requirit Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.**

²⁵ Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.]††

31 Ipsi David intellectus. [Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.‡‡

² Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.¶¶

³ Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.§§

⁴ Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

⁵ Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei.†

**30.24 *Diligite Dominum, omnes*, etc. CASS. Conclusio oratoria, vel hortatoria, pro prædictis obtinendis. AUG. Prædicta expertus jam nos hortatur; quasi: tribulatus sum, timui, clamavi, non sum confusus: ita vos. *Sancti ejus*, quorum est diligere Deum, quia non amant mundum, neque quæ in mundo sunt; amicus mundi hujus, inimicus Dei constituitur. Disce ergo non diligere mundum, ut discas diligere Deum: averte, ut convertaris; funde, ut implearis. *Requirit Dominus*, etc. Etiam hic aliquando, si nulli hoc faceret, non videretur vigilare divina providentia, si omnibus non servaretur divina patientia. *Abundanter facientibus*. Qui non cito pœnitent. *Superbiam*. Pro omni vitio, quia radix omnium.

††30.25 *Viriliter agite*, etc. Virtus totius psalmi, ne carnis fragilitas timeat tot mala sæculi.

‡‡31.1 *Intellectus David*. AUG. Psalmus de gratia qua Christiani sumus, ut ait Apostolus Rom. 4.. Incipit ergo per indulgentiam hic psalmus contra vitium hominum agens, qui peccata nesciunt vel defendunt, et merita jactant. CASS. Contra vitium ergo hominum hic psalmus opponitur, etc., usque ad in quo stantes confirmat. *Beati quorum remissæ sunt*, etc. AUG. Non in quibus non invenit peccatum, sed quibus remittit. *Iniquitates*. Dicit fomitem peccati, scilicet concupiscibilitatem, etc., usque ad sed ut peccatum ultra non sit. HIERON. Iniquitates, ante fidem et baptismum: peccatum, post fidem et baptismum.

¶¶31.2 *Beatus vir*. HIERON. Cui remittit Deus, non enim per se. Tegit, ne in judicio reveletur; et sic non imputabitur ad pœnam. Non est dolus qui se accusat: corde tenet quod ore fatetur hic. *Beatus*: quia olim non confitens Deo, veni in peccatum, dum clamarem, si quid boni egi.

§§31.3 *Tacui*. AUG. Qui non vult confiteri peccata, laborat sine causa in defensione peccatorum: in quo cum et jactet merita, amplius deficit fortitudo. CASS. *Beatus cui non imputavit*. Aliis, qui gravia habent, Deus imputat; aliis per misericordiam non imputat, etsi habent aliqua, his scilicet qui non justos se prædicant, cum sint mali, sed se agnoscentes satisfaciunt, modo hoc profiteor, sed olim: *Quoniam tacui*, etc. AUG. Vel, *tacui*, voce peccatum, *dum clamarem tota die*: dum pœna peccati, vel interior excæcatio ostenderet me peccatorem, vel dum prava vita me tacente clamaret, si quid boni egi. *Dum clamarem tota die*, etc. Etsi non sit sibi conscius quis, non tamen justus: quia delicta quis intelligit? Unde: *Est justus qui perit in justitia sua*. Et Apostolus: *Nihil mihi conscius sum*, etc.

*31.4 *Configitur spina*. CASS. *Spina*, quæ totum corpus erigit, id est, superbia. AUG. Item *ærumna*, etc., *usque ad: in manibus temulenti*.

†31.5 *Delictum meum*. Diapsalma. Confessio, unde venia, sicut supra de rectione inveteratio. *Feci cognitum*. CASS. *Dixi* enim prius, etc., usque ad et Deus audit.

⁶ Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.[‡]

⁷ Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me; exsultatio mea, erue me a circumdantibus me.

⁸ Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris; firmabo super te oculos meos.[¶]

⁹ Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.[§]

¹⁰ Multa flagella peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.^{**}

¹¹ Lætamini in Domino, et exsultate, iusti; et gloriamini, omnes recti corde.]

32 Psalmus David. [Exsultate, iusti, in Domino; rectos decet collaudatio.^{††}

² Confitemini Domino in cithara; in psalterio decem chordarum psallite illi.^{**}

[‡]31.6 *Pro hac orabit.* ID. Diapsalma. poenitudinem commendans, omnibus sanctis dicit communem; quam variæ sectæ respuunt, contra quas ad Deum refugit. AUG. *Pro hac.* Inde orat omnis sanctus, quia dimisisti, aliter non esset sanctus. *Tempore,* etc. Tempus est gratiæ, lex premens, convincens reos, cœgit clamare, gratia sanat. *Verumtamen in diluvio,* etc. AUG. Licet sanctus oret, etc., usque ad sanctus orabit, dicens: *Tu es refugium. Ad eum.* Deum, mutat enim personam ut sæpe. Non appropiant qui dicunt fatum facit peccare, vel fortuna, quæ omnia regit, vel gens tenebrarum, quæ Deo rebellat.

[¶]31.8 *Intellectum tibi dabo.* ID. Diapsalma. Respondetur poenitenti: *Intellectum tibi dabo,* etc. Ecce psalmus intelligentiæ, ne putetur supplicans negligi, teste Deo. *Tu, erue.* CASS. Qui promissisti, *intellectum tibi dabo.* Vel respondet Christus poenitenti: Lætus finis, dat Deus intellectum: unde alios adhortatur ad idem.

[§]31.9 *Nolite fieri sicut equus et mulus,* etc. AUG. Accepto intellectu, convertit se iste poenitens ad superbos peccata defendentes: ergo vos, quos invito, etc. *Equus,* gentilis indomitus; *mulus,* Judæus piger ad credendum. CASS. *Equus,* sine discretionem sessorum; *mulus,* quælibet onera accipit, etc., usque ad id est, jactantiam de viribus suis. *Maxillas.* Vel, *maxillas* quibus mandunt, id est, parcius, da victualia, ut necessitate coacti redeant. AUG. Vel hic confringes, et in futuro erunt multa flagella. Vel: *Nolite fieri sicut equus,* quia multa flagella hic et in futuro. *Qui non approximant ad te.* CASS. Sunt enim qui, si peccant carnis imbecillitate, a piis precibus non recedunt.

^{**}31.10 *Multa flagella peccatoris,* etc. AUG. Post frenum adduntur flagella ad domandum, ne sit de illis impunitis quibus modo vaga datur licentia viæ suæ: sic iste supra dixit se domitum.

^{††}32.1 *In finem.* CASS. Hic propheta potentiam et facta Dei enumerat, et sic ad laudem Dei invitat; primo, justos et rectos monet laudare, quia exsultare in illo nisi laudando non possumus: rectos, inquit, decet collaudatio. *Exsultate,* etc. AUG. Curvus laudat Deum quando sibi bene est; blasphematur quando male: rectus semper ut Job.

^{**}32.2 *Cithara.* ID. Ab inferiori sonat, et ex terra est, unde laudemus, id est, prosperitas et adversitas, quæ ab eo sunt nobis. *In psalterio.* Dum attendis superiora quæ tibi dedit, cœlestem doctrinam. Per *citharam* caro, per *psalterium* charitas intelligitur: ad quæ decem præcepta legis pertinent: tria in prima tabula ad Deum, septem in secunda ad proximum.

³ Cantate ei canticum novum; bene psallite ei in vociferatione.^{¶¶}

⁴ Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide.^{§§}

⁵ Diligit misericordiam et iudicium; misericordia Domini plena est terra.*

⁶ Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.†

⁷ Congregans sicut in utre aquas maris; ponens in thesauris abyssos.‡

⁸ Timeat Dominum omnis terra; ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.¶

⁹ Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt.§

¹⁰ Dominus dissipat consilia gentium; reprobatur autem cogitationes populorum, et reprobatur consilia principum.**

^{¶¶}32.3 *Cantate ei*, etc. Quasi, quid plus dicam? de incarnatione specialiter lætamini. *Canticum novum*. CASS. Quia non sufficit, nisi abundet justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum Matth. 5.. *Cantate canticum novum*. De incarnatione, de qua mundus exsultat, de qua Angeli cantaverunt.

^{§§}32.4 *Quia rectum est*. Modum laudis exposuit: nunc cur sit laudandus? *Et omnia opera*. AUG. Ne quis putet se meritis ad fidem venisse, cum in fide sint omnia opera quæ diligit Deus, id est, remunerat, ID. quia non nisi in fidelibus operatur; unde: *Fides tua te salvum fecit* Matth. 10.. Vel, omnia opera sunt recta, etc., usque ad quia remanet iniquus, et ideo nequior, quia justum favere sibi videt. *In fide*. Quasi exterioribus, si causa justitiæ fuerit fidelis, interioriorem fidem adjiciet ille, quem non cognoscens timuit; unde: quis non dabit ei quæ sua sunt, qui in alieno fidelis fuit? AUG. Fidelis est Deus dans homini quod promisit: fidelis est homo credens promittenti, ex promisso vero Deus est nobis debitor.

^{*}32.5 *Terra*. ID. Ecclesia ubique terrarum.

[†]32.6 *Verbo*. Id est sapientia Dei Patris, *Cæli*. Apostoli instructi sunt plene, cum eo etiam corporaliter conversando: et post, *omnis virtus eorum* habita roborata est spiritu Filii, per cælos firmatos congregat et consolidat in unitate fidei, spei et charitatis. *Uter*, Ecclesia, in qua est caro mortua. *Etiam abyssos*, id est, profundos tenebris vitiorum, ponit inter eos, qui sunt thesaurus, unde alios ditat sapientia. AUG. *Terra*. Cæli non indigent misericordia, etc., usque ad quod operatur. *Virtus eorum*. Cum inter lupos essent, etc., usque ad licentia.

[‡]32.7 *Sicut in utre*. CASS. Ad litteram: sicut littoribus mare, claudit in Ecclesia fluctuantes populos; et in thesauris sapientiæ suæ ponit profundas altitudines, ut probet quis Scripturas pietatis studio inquirat.

[¶]32.8 *Timeat omnis terra*. ID. Ecclesia de mari, etc., usque ad sed Dominum timeat terra. Timeat, imo commoveantur manu misericordiæ a similitudine dormientis. *Ab eo*, quia ipse creavit: et ideo utiliter administrat, quia et a diabolo aliquid commovetur, sed quod a Deo utiliter, ideo *ab eo*. *Commoveantur*. AUG. Non terroribus hominum, etc., usque ad potestatem non nisi a Deo.

[§]32.9 *Dixit et facta sunt*. Creationem simul et formationem notat. Mandavit recreationem.

^{**}32.10 *Dissipat consilia*. CASS. Ne habeant effectum consilia contra se, ut Judæorum, et contra suos. *Gentium*. Dum idololatriam destruxit. *Populorum*. Judæorum, quorum voluntas, etsi impleta, tamen resurrectione est reprobata. *Principum*. Tyrannorum vel dæmonum.

- ¹¹ Consilium autem Domini in æternum manet; cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.^{††}
- ¹² Beata gens cujus est Dominus Deus ejus; populus quem elegit in hæreditatem sibi.^{‡‡}
- ¹³ De cælo respexit Dominus; vidit omnes filios hominum.^{¶¶}
- ¹⁴ De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram: qui finxit sigillatim corda eorum; qui intelligit omnia opera eorum.^{§§}
- ¹⁶ Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.*
- ¹⁷ Fallax equus ad salutem; in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.[†]
- ¹⁸ Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus:[‡]
- ¹⁹ ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.[¶]
- ²⁰ Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor et protector noster est.[§]

^{††}32.11 *Consilium autem Domini*, etc. ID. Incarnationis arcanum in quo consuluit homini. **Manet in æternum**. Quia ad æternam salutem nobis obtinendam. **Cogitationes**. Prædestinatio, in qua omnia reposita sunt, quæ et sic permanent, ut prævisa sunt.

^{‡‡}32.12 *Beata gens*. CASS. Beatum dicit, qui ad cultum Dei pervenit: quod fit temporibus Christianis, in quibus gentes conversæ, hi sunt justi et recti quos decet laudatio. AUG. Beatitudo omnis in animo, etc., usque ad beatus populus de Deo possessore.

^{¶¶}32.13 *De cælo*. AUG. Homine Christo. Prospexit in adventu Filii et vidit misericorditer, non peccata, CASS. a quibus faciem avertit; sed vidit omnes filios hominum, id est, omnes qui ad novam vitam volunt renasci. AUG. Quomodo elegit? etc., usque ad inspiravit omnem bonam voluntatem.

^{§§}32.15 *Finxit*. AUG. Manu gratiæ formavit. **Sigillatim**, singulis singula quædam dans. HIER. Unde tamen unitas corporis, id est, Ecclesiæ fiat. **Sigillatim**, id est, non ex Adam, ut quidam dicunt animam ex anima, et simul omnes cognoscit, et omnes actus earum.

*32.16 *Non salvatur rex*. Sic fiunt justi, sed nec facti sua virtute salvantur. Non modo spiritualia sunt a Deo, sed et exteriora. HIER. Nemo quidquam habet nisi ab eo, quia nec potens ut rex, nec fortis, etc., usque ad etiam si sit in multa abundantia virtutis.

[†]32.17 *Fallax equus*. AUG. Animal, in cujus velocitate vel virtute confiditur, figurate quælibet amplitudo sæculi unde superbitur: sed quanto in eo altius erigeris, tanto gravius cadis. CASS. Vel, **equus** est corpus hominis quantumcunque speciosum et bene formatum, tamen fallax est ad salutem corporalem, spiritualem. AUG. Vel, **equus** mundana felicitas, quæ homines vehit, et dum nimis properat, cadit equus et sessorem perdit. **Equus**, humana sapientia. **Gigas**, superbus aliquis extollens se contra Deum.

[‡]32.18 *Ecce oculi*. In sua in virtute nullus salvatur, sed: Ecce unde est salus, **oculi**, etc. **Oculi**, respectus divinitatis quæ proteget eos. **Metuentes eum**. CASS. Timere Dominum, et semper sperare conjuncta sunt.

[¶]32.19 *Ut eruat*, etc. ID. Hæc duo sunt vota fidelis: ut in judicio eripiatur a morte, et hic spiritualibus alatur, ubi est indigentia eorum.

[§]32.20 *Anima nostra sustinet Dominum*. Quid de prædictis sentiat, quasi conclusio.

²¹ Quia in eo lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus.**

²² Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.]

33 Davidi, cum immutavit vultum suum coram Achimelech, et dimisit eum, et abiit.††

² [Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo.‡‡

³ In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, et lætentur.¶¶

⁴ Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.§§

⁵ Exquisivi Dominum, et exaudivit me; et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

⁶ Accedite ad eum, et illuminamini; et facies vestræ non confundentur.

⁷ Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.*

⁸ Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.†

**32.21 *Quia in eo.* AUG. Quia absentibus per fidem misit nomen suum. *Speravimus.* Nos venturos ad Deum, non meritis nostris. CASS. Quia in eo ne quis musitet de patientia, subjicit munus, scilicet quod lætatur hic in Domino. Et speramus in nomine Christi, quem patienter Propheta lætus venturum sustinuit: *Speravimus.* Continuum tempus notat, quia non est fas desinere, unde semper potest anima fessa recreari. *Fiat misericordia tua, Domine, super nos,* etc. Incarnationem compleri desiderat, ut perfectus possit esse. *In te.* Hoc dicit ideo ut omnis superstitio et pravitas excludatur.

††33.1 *Psalmus David.* AUG. Loquitur Christus, et in eo Christianus: docet humilitatem, dum commendat corpus et sanguinem. *Cum immutavit vultum* Christus, id est, sacrificium, *coram* Judæis, qui regnum patris sui David sunt, juxta illud: *Et dabit illi Dominus sedem David,* Ecclesia est regnum Patris.

‡‡33.2 *Benedicam.* CASS. Psalmus secundus per alphabetum imperfectum, etc., usque ad glorificatur cum ipso.

¶¶33.3 *In Domino laudabitur anima mea.* ID. Sua enim laus est prædicatio Domini sui, ut bonus famulus de bona fama Domini sui gloriatur. *Mansueti.* Non docti, non jejunantes, quia sunt superbi: sed mansueti, quia temperantiam habent omnium rerum. Mansueti, non de sua intelligentia superbientes; non jugum Dei, indomitorum more, ferentes.

§§33.4 *Magnificate Dominum.* Spiritualis gratia non vult sola facere quod multis proficit; unde vocat alios: *Magnificate* ut invitatos traheret, dicit, quæ inde bona sibi: *Exquisivi Dominum. Ex omnibus.* Non possunt particulatim dici quanta impetravit qui non aliud quam Deum quæsit. *Accedite.* CASS. Jam particulatim de novo vultu admonet sanctos. Quasi, *Magnificate:* et si in primis in jucundum accedite. Vel, *Magnificate,* et quo ordine? ecce: *Accedite* per fidem. AUG. Accedite fide inhærendo, et duobus pedibus geminæ charitatis currendo. CASS. Præmissis laudibus, ad communionem hortatur. *Non confundantur.* AUG. Quidquid hic fiat justo, non erubescit, quia semper superior apud Deum: superbus vero in adversis erubescit, quia ad Deum non accessit.

*33.7 *Pauper.* CASS. *Iste* spiritualis hic est, quia accedit et illuminatur, nec erubescet; quia, quando clamat, liberatur ab omnibus angustiis sæculi in obitu, dum jam transit ad Deum.

†33.8 *Immittet Angelum. Accedite,* et sicut iste pauper clamavit et exauditus est, eodem modo *immittet Angelum,* etc. AUG. *Immittet Angelum.* Alii interpretes sic transtulerunt: *Circumdat Angelus Domini in gyro timentes eum.* Angelus de cælo, vel homo, qui est minister voluntatis Dei. Mendosi codices habent. *Immittet Angelum Dominus.*

- ⁹ Gustate et videte quoniam suavis est Dominus; beatus vir qui sperat in eo.[‡]
¹⁰ Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.[¶]
¹¹ Divites eguerunt, et esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.[§]
¹² Venite, filii; audite me: timorem Domini docebo vos.^{**}
¹³ Quis est homo qui vult vitam; diligit dies videre bonos?^{††}
¹⁴ Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.^{‡‡}
¹⁵ Diverte a malo, et fac bonum; inquire pacem, et persequere eam.^{¶¶}
¹⁶ Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.^{§§}
¹⁷ Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.^{*}
¹⁸ Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos; et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.
¹⁹ Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit.[†]
²⁰ Multæ tribulationes justorum; et de omnibus his liberabit eos Dominus.[‡]
²¹ Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.[¶]

[‡]33.9 *Gustate et videte.* Hic aperte de sacramento quod ferebat manibus. *Gustate* carnem et sanguinem Christi. *Suavis est Dominus.* ID. Et dulcis: quia est vita summenti, pellens omnes molestias in futuro, id est: Sperate per hoc vitam æternam. CASS. Et quia Deus est vita, caro quam sibi univit est vivificatrix.

[¶]33.10 *Omnes sancti ejus.* CASS. Nullus, licet bene meritus, ab hoc desistet, non securitatem præsumat. *Quoniam.* AUG. Pascebat Dominus contemnentem se, et deseret timentem. Promittit autem non superflua, sed necessaria. *Non est inopia.* Quia etiam in præsentia habent quantum exigit natura.

[§]33.11 *Divites eguerunt et esurierunt.* CASS. Quia fidem non habent. *Esurierunt,* quia corpore Domini non satiantur. Quid enim habent, qui Deum non habent? Vel, *divites eguerunt,* id est, carebunt summo bono, licet esuriant, id est, desiderent. Sed toto studio quærentes sine imminutione habebunt bonum, quod est omne bonum.

^{**}33.12 *Venite, filii, audite me.* Diapsalmus. Tractatis Ecclesiæ sacramentis, admonet eos qui extra sunt, qui prima rudimenta fidei capiunt, ne nomen timoris horreatur addit: *Docebo vos,* filios timorem Domini, ut rem utilem. CASS. Jam et incipientes monet a quibus abstineant.

^{††}33.13 *Dies videre bonos.* Quia omnes fatentur se velle.

^{‡‡}33.14 *Prohibe.* ID. Nota quod prius cohiberi linguam dicit, quoniam, cum loqui volumus, ante commovemus labia, quæ mox sequuntur linguæ motus. *Prohibe* qui vitam cupis. Ecce quomodo debeant timere.

^{¶¶}33.15 *Diverte a malo.* CASS. Hoc culpam vitat, etc., usque ad aliter in futuro non capietur.

^{§§}33.16 *Oculi Domini,* etc. ID. De retributionibus bonorum et malorum, ne in periculis justus aliqua dubietate mollescat. *Oculi Domini.* Nec ex infirmitate tua diffidas, quia *oculi.* *In preces.* ID. Celeritas audiendi, cum in ipsis auditor habitat.

^{*}33.17 *Memoriam.* AUG. Ut nec mentio, etc., usque ad quæ admiserunt.

[†]33.19 *Juxta est Dominus.* Liberavit: nam pronus est ad hoc, quia *juxta est;* vel, est allusio ad clamorem.

[‡]33.20 *Multæ tribulationes justorum.* Sicut et in Novo Testamento, *juxta est, et salvabit,* quod necesse est, quia *multæ tribulationes.* CASS. *Multæ;* a diabolo, ab invidis hominibus, et a se. *Liberabit.* AUG. Non corporaliter, sed dando eis patientiam: vel, liberabit spiritualiter.

[¶]33.21 *Ossa.* ID. Virtutes. *Et unum,* etc., ut nec patientia pereat.

²² Mors peccatorum pessima; et qui oderunt justum delinquent.[§]

²³ Redimet Dominus animas servorum suorum, et non delinquent omnes qui sperant in eo.]

34 Ipsi David. [Judica, Domine, nocentes me; expugna impugnantes me.^{**}
² Apprehende arma et scutum, et exsurge in adiutorium mihi.^{††}

³ Effunde frameam, et conlude adversus eos qui persequuntur me; dic animæ meæ: Salus tua ego sum.^{‡‡}

⁴ Confundantur et reverteantur quærentes animam meam; avertantur retrorsum et confundantur cogitantes mihi mala.

⁵ Fiant tamquam pulvis ante faciem venti, et angelus Domini coarctans eos.^{¶¶}

⁶ Fiat via illorum tenebræ et lubricum, et angelus Domini persequens eos.

⁷ Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui; supervacue exprobraverunt animam meam.

⁸ Veniat illi laqueus quem ignorat, et captio quam abscondit apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum.^{§§}

⁹ Anima autem mea exsultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo.^{*}

§33.22 *Pessima*. ID. Non modo mala, etsi in divitiis, et odoribus, et lamentis hominum finiatur, tamen pessima est, quia in peccatis ad infernum trahit. *Qui oderunt*. Quorum? Non omnium, quia peccatores; sed eorum qui oderunt justum, qui justificat, id est, Christum, per quem qui non reconciliatur perit: sed *redimet animas*, secundum quas est mors pessima.

**34.1 *Judica, Domine*. CASS. Incipit ab oratione pro utraque parte pugnae, cum commemoratione culpæ, et erat unicuique quod meretur, ostendens quanta tulit ab adversariis, et pœnas quæ eis pro iniquitate restituuntur.

††34.2 *Arma et scutum* HIER. Armis hostes percutit, scuto nos protegit. Scutum alibi dicit: *bonæ voluntatis*; arma nos sumus, quia ut nos ab eo, ita ipse armatur de nobis. AUG. Vel, anima Christi, quæ hostes debellavit, quæ nihil agit nisi Deus pugnet de ea. *Arma apprehende*. Fac me habere arma, doctrinam, miracula. *Scutum*. Constantiam. *Exsurge*. Fac uti acceptis.

‡‡34.3 *Effunde*. Me, qui modo sum in obscuro, clarifica ita evidenter, ut concludas et convincas, ne habeant quid oblatrent: et dicas animæ ita, ut omnes sciant quod salus ei; contra hoc, quod illi: *Non est salus ipsi in Deo ejus* Psal.III. *Frameam*. AUG. Framea est anima justis. Abundantibus justis, framea effunditur, dum vita coruscet: unde concluditur hostis non habens de nobis male loqui. ID. Prophetia est non optatio, vel hoc de convertendis.

¶¶34.5 *Fiant*. ID. Prophetia: vel eo modo, quo Deus facit, justo iudicio, non amaro animo. *Tanquam pulvis ante faciem venti*. CASS. A Deo dissoluti, ut nec invicem cohæreant, quos divina gratia non humectat.

§§34.8 *Veniat illi laqueus quem ignorat*. CASS. Vel in bono, *laqueus* veritatis, quam peccator ignorat. *Et captio quam abscondit*. Id est, abscondita mors, scilicet Christi. *Apprehendat eos*. Ne scilicet suis sceleribus relinquuntur. *Et in laqueum cadat*. Bonum quo a malis cohibeantur. *In ipsum*. Id est, ex ipsa morte. *In ipsum*. AUG. Non in alium, sed in eum, quem tetenderunt. Nemo enim malus, qui non prius sibi noceat.

*34.9 *Anima autem mea exsultabit*. CAS. Præmissa spe boni et gaudio, enarrat quam maligne erga benignum agat. *In Domino*. AUG. Quo nihil suavius: nec defecit, qui omnia fecit: ipsum ergo pete, et in illo habebis omnia.

- ¹⁰ Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum ejus; egenum et pauperem a diripientibus eum.[†]
- ¹¹ Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.[‡]
- ¹² Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.[¶]
- ¹³ Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio; humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.[§]
- ¹⁴ Quasi proximum et quasi fratrem nostrum sic complacebam; quasi lugens et contristatus sic humiliabar.^{**}
- ¹⁵ Et adversum me lætati sunt, et convenerunt; congregata sunt super me flagella, et ignoravi.^{††}
- ¹⁶ Dissipati sunt, nec compuncti; tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione; frenduerunt super me dentibus suis.^{‡‡}
- ¹⁷ Domine, quando respicies? Restitue animam meam a malignitate eorum; a leonibus unicam meam.^{¶¶}

[†]34.10 *Omnia ossa mea dicent.* Carnales non habent verbum laudis et confessionis, quia infirma apud te penitus silent; sed fortia, te magnum laudant et tremunt. ID. *Omnia ossa.* Omnis fortitudo mentis, quia hoc alius dicere nequit, scilicet: o Domine, quis? etc., quasi nullus, quia ipse solus eripuit: *Inopem de manu.* CASS., AUG. Genus humanum *inops*, quia mortale; *egenum*, quia in sudore quærit panem; *pauper*, quia, de pura sapientia dejectus, tenuem et umbratilem habet rationem.

[‡]34.11 *Surgentes testes iniqui.* CASS. Dictis calamitatibus hominis, ne ipse Christus alienus ab eis videatur, passionem suam exponit. *Quæ ignorabam.* AUG. Peccata sunt, etc., usque ad sed non committendo.

[¶]34.12 *Retribuebant.* ID. Cum ego attulissem fecunditatem, ipsi retribuebant sterilitatem: ego vitam, ipsi mortem retribuerunt; ego honores, ipsi contumelias; ego medicinam, ipsi vulnera. *Sterilitatem.* In ficu maledixit Dominus, ubi cum quæreret fructum non invenit, sed folia: sic in Synagoga verba non facta; unde: *Qui prædicas non furandum, furaris.*

[§]34.13 *Cilicio.* ID. Caro, cilicium, propter similitudinem carnis peccati. *Oratio mea.* CASS. Ut dixit: *Pax vestra ad vos revertetur* Matth. 10.; ita ejus oratio, Judæis non accepta, ad eum rediit. *In sinu meo.* AUG. Sinus est secretum, in quo orare jubemur. Secretum vero Christi, divinitas, ad quam orat humanitas.

^{**}34.14 *Quasi proximum et quasi fratrem,* etc. Casus pro casu. Quasi: de proximo et fratre nostro, ita mihi complacebam, id est, de eorum affinitate gaudebam, qui me insequabantur. Ecce gratia pro odio, beneficium pro læsione. AUG. *Quasi proximum.* Hoc dicere convenit propinqui ad Deum, et gaudenti, qui placet Deo, quasi fratri et proximo. *Quasi lugens.* CASS. Alii interpretes, *quasi lugens mater filium, incurvabar super eos. Quasi lugens.* Cum hæc omnia facerem, tamen nolabant converti; et tamen cum nollent converti, sic humiliabar, id est, dolebam, sicut pater lugens filium.

^{††}34.15 *Et adversum,* etc. Cum pie contristor, Judæi impie lætantur.

^{‡‡}34.16 *Dissipati sunt.* CASS. Dissoluti, visis miraculis in passione, *nec* tamen præduritia *compuncti.* Vel, *dissipati* per totum orbem: *nec* tamen *compuncti sunt*, id est, poenituerunt. Vel, *dissipati*, id est, divisi: alii dicunt quod bonus est, alii non. *Tentaverunt me.* AUG. Quæ capiti in cruce facta, corpori ubique fiunt. *Frenduerunt.* Mos sævitæ, quando ratio deficit, dentibus frendet: et quod vult, tacens ostendit. In oratione finit hæc:

^{¶¶}34.17 *Domine, quando respicies.* ID. Quando videbimus vindictam de eis qui nobis insultant. *Unicam meam.* CASS. Unica est anima Christi, quæ sola immunis a peccato.

- 18 Confitebor tibi in ecclesia magna; in populo gravi laudabo te. §§
- 19 Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, et annunt oculis.*
- 20 Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur; et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant. †
- 21 Et dilataverunt super me os suum; dixerunt: Euge, euge ! viderunt oculi nostri. ‡
- 22 Vidisti, Domine: ne sileas; Domine, ne discedas a me. ¶
- 23 Exsurge et intende iudicio meo, Deus meus; et Dominus meus, in causam meam. §
- 24 Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, et non supergaudeant mihi.**
- 25 Non dicant in cordibus suis: Euge, euge, animæ nostræ; nec dicant: Devoravimus eum. ††
- 26 Erubescant et revereantur simul qui gratulantur malis meis; induantur confusione et reverentia qui magna loquuntur super me. ‡‡
- 27 Exsultent et lætentur qui volunt justitiam meam; et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus. ¶¶

§§34.18 *Confitebor tibi*. AUG. Jam de fructu præmittit confessionem totius Ecclesie: inde precatur, cum commemoratione culpæ, confusionem persecutorum et exultationem fidelium.

*34.19 *Non supergaudeant*. ID. Repetit de passione, ut de pœna eorum addat. *Annuunt*. CASS. Quoniam vicissim se tacitis nutibus admonent ad decipiendum et tentandum.

†34.20 *Loquentes*. CASS. Id est, dum loquerentur pacifice. *Iniracundia*. Id est, exitialiter. Cogitat enim quis dolum qui non vult occidere: sed isti sic cogitabant, quia interficere volebant.

‡34.21 *Et dilataverunt*. ID. Prius annuentes, cogitantes dolos dilataverunt os suum, libera et aperta voce mortem inclamantes: Crucifige, crucifige.

¶34.22 *Vidisti, Domine*. ID. Hoc dicitur, quando aliquid in memoriam revocare volumus: vidisti quoniam crudeles, ne sileas, ne differas dare sententiam.

§34.23 *Intende*. ID. Reddendo nomen super omne nomen, ut ego intensus immerito. *In causam meam*. Ibid. Pœna similis sceleris, sed non causa: martyrem enim non facit pœna, sed causa.

**34.24 *Tuam, Domine Deus*. ID. Quæ in se est, vel quam ei dedit. *Non supergaudeant*. CASS. Magis defleant, quam gaudeant implese mala.

††34.25 *Devoramus*. AUG. Devorantur incorporati.

‡‡34.26 *Erubescant et revereantur simul*. CASS. Potius erubescant in clarificatione resurrectionis, et revereantur, id est, timeant pœnas. *Erubescant*. Qui erubescit, actus suos propria existimatione damnat: sed potest erubescere qui non habet reverentiam; ideo addit: *reverentiam*, ut conversionem notet. Reverentia est timor Domini cum amore. *Induantur confusione et reverentia*. Pudore, quasi cilicio pœnitentiæ et veste lugubri. *Pudor*, contra audaciam quam habuerunt furentes; *reverentia*, contra impudentiam falsitatis, ut his illa curent.

¶¶34.27 *Exsultent et lætentur*. ID. In spemagna fidelium finis, sicut alii de passione. *Exsultent et lætentur*. Illi dicunt, euge animæ suæ quæ lætitia fugit, isti non suæ animæ, sed vota ad Deum convertunt, et in ejus laudibus, non in se, suam lætitiā ponunt, quæ est perpetua.

²⁸ Et lingua mea meditabitur justitiam tuam; tota die laudem tuam.]]^{§§}

35 In finem. Servo Domini ipsi David.*

² [Dixit injustus ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos ejus.†

³ Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.‡

⁴ Verba oris ejus iniquitas, et dolus; noluit intelligere ut bene ageret.¶

⁵ Iniquitatem meditatus est in cubili suo; astitit omni viæ non bonæ: malitiam autem non odivit.§

⁶ Domine, in cælo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes.**

⁷ Justitia tua sicut montes Dei; judicia tua abyssus multa. Homines et jumenta salvabis, Domine,††

⁸ quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus. Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.‡‡

§§34.28 *Et lingua mea meditabitur justitiam tuam.* AUG. Hoc fiat, et mei prædicatores ex studio nuntiabunt te justum, qui promissa implesti, et omnia universaliter in quibus laudandus. CASS. *Lingua mea.* Lingua ejus meditata est justitiam, quando Novum Testamentum populis prædicavit.

*35.1 *In finem sermo.* CASS. Agit hic de errore quorundam, etc., usque ad qui tamen imminet omnibus. Non est timor ante oculos: quia dolus, id est, quia carni obedit non Deo, cum ratio aliud insinuet, quod videat Deus etsi non alius: vel, quod videt ipse injustus, a Deo scit, ut inveniatur ab ipso eodem quod iniquitas sua est habenda odio apud Deum et omnes homines. ID. Primo, asserit mala esse ex homine.

†35.2 *Dixit injustus,* etc. CASS. Duo sunt genera peccantium: quia vel infirmitate carnis non possunt sequi jussa legis; vel blasphemi qui libere peccant, quasi Deus non curet hoc; unde est: *Dixit,* etc. AUG. Descriptio iniqui viri. *Non est timor Dei.* CAS. Quia dolus noluit studere legi, qua per ignorantiam excusetur.

‡35.3 *Quoniam dolose.* AUG. Multi inquirunt iniquitates suas, etc., usque ad nec excusantur de ignorantia.

¶35.4 *Verba.* ID. Ostendit iniquitatem, etc., usque ad ut bene ageret.

§35.5 *In cubili.* Id est, in corde, in quo sibi complacent opera mala; et hoc est, *astitit omni viæ,* cum studio et mora: invenit quidem, et scivit esse mala, sed tamen non odivit. *Noluit.* AUG. Non quod non potuit; perniciosius agit contra seipsum qui quod potest non vult. Sunt enim quædam quæ, etsi volunt, non intelligere homines possunt, ut: *In principio erat Verbum,* et ut tamen bene agerent, intelligere possunt. *In cubili suo.* ID. Id est, corde, ubi præcepit Dominus orare clauso ostio, etc., usque ad sapientiam, scilicet carnis, quæ est inimica Deo.

**35.6 *Domine, in cælo.* Cass. Bona ex Deo per misericordiam. Quasi dicat: Mala sunt ex homine, sed bona ex misericordia. O Domine, in his, qui *cælum* sunt, id est, arcana scientes, est misericordia tua: et quod ipsi sunt *nubes,* est a te. AUG. Vel *in cælo,* id est, misericordia, etc., usque ad nuntiat vero missa veritate sua. *Usque ad nubes.* Id est prædicatores, per quos tonat Deus nuntiando, coruscant miraculis, pluit doctrinis. Qui sunt etiam montes, quos prius sol luce vestit, quæ post, de eis et si non ab eis, ad infima vallium descendit: ministri enim sunt doctrinæ, sed Deus illuminat.

††35.7 *Judicia tua.* AUG. Quod horum misereris, hos excæcas; nulli sunt penitus scrutabilia: tamen utrosque salvas, hos corporaliter tantum, illos et spiritualiter, in quo magna misericordia.

‡‡35.8 *Homines,* etc. Etiam temporalia a Deo esse ostendit.

⁹Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos:^{¶¶}

¹⁰quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.^{§§}

¹¹Prætende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his qui recto sunt corde.

¹²Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.

¹³Ibi cederunt qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare.]

36 Psalmus ipsi David. [Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem:*

²quoniam tamquam fœnum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident.†

³Spera in Domino, et fac bonitatem; et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus.

⁴Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.

⁵Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet.

⁶Et educet quasi lumen justitiam tuam, et iudicium tuum tamquam meridiem.

⁷Subditus esto Domino, et ora eum. Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua; in homine faciente injustitias.

⁸Desine ab ira, et derelinque furorem; noli æmulari ut maligneris.‡

⁹Quoniam qui malignantur exterminabuntur; sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.

¹⁰Et adhuc pusillum, et non erit peccator; et quæres locum ejus, et non invenies.¶

¹¹Mansueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.

¹²Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis.‡

^{¶¶}35.9 *Inebriabuntur*. ID. Non potest res exprimi, sed per hanc similitudinem innuit, ut pleni mentem perdant, ne suos jam agnoscant patres, filios, cæterosque amicos. Vel, tunc in re ebrii, qui modo sperant. *Torrente*. Quasi: Impetus erit gratiæ et misericordiæ ad inebriandos. ID. *Torrente*. Non ut transitoria sit beatitudo, sed copiosa. Vel, voluntas tua in homine omnia rumpit obstacula. Vel, sapientia Christi torrens, quia subita et rapida.

^{§§}35.10 *Quoniam apud te est fons vitæ*. CAS. *Apud te*, Christe, *est fons*, id est, initium omnis boni; et *in tuo lumine*, quia per ejus prædicationem videmus lumen Patris et Spiritus sancti, et ideo *prætende*, ut in hoc sæculo tutius eatur.

*36.1 *Psalmus David*. Psalmus hic est quasi vestis Christi, quæ totum corpus ejus operiat præceptis, et protegat ab adversis, et quasi sinu consilii foveat. Potio contra illos qui murmurant de flore malorum, labore bonorum, quasi omnia casu agantur, ut mundo, spreto Deo, adhæreant. Monet igitur Ecclesia ne quis malignantes imitetur, sed quidquid boni speratur, a Domino postuletur, qui profutura et æterna dat.

†36.2 *Olera herbarum*. AUG. Modo est hiems, etc., usque ad quia nondum apparuit quod erimus. AUG., CASS. Olera non hortorum, sed herbarum, id est, vilissima, quæ per agros sponte nascuntur. *Fœnum*, nobiles, qui facile proficiunt; olera, mediocres: sed et illi cito arescunt, et hi decidunt.

‡36.8 *Desine*. AUG. Ira subita, furor diutinus; sed utraque deserenda, per quæ peccatur. CASS. Hoc dicitur ei qui adhuc infirmus, etc., usque ad faciendo ad tempus floret.

¶36.10 *Et adhuc pusillum*, etc. AUG. Post istam vitam parvam, etc., usque ad nec vermem conscientiæ corrodentis sentiebat.

‡36.12 *Observabit*, etc. CASS. Dicto, quod boni non debent malos æmulari, etc., usque ad conatur occidere.

- 13 Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniet dies ejus.**
- 14 Gladium evaginaverunt peccatores; intenderunt arcum suum: ut dejiciant pauperem et inopem, ut trucident rectos corde.††
- 15 Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur.
- 16 Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas:‡‡
- 17 quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem justos Dominus.¶¶
- 18 Novit Dominus dies immaculatorum, et hæreditas eorum in æternum erit.§§
- 19 Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur:
- 20 quia peccatores peribunt. Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.
- 21 Mutuabitur peccator, et non solvet; justus autem miseretur et tribuet.*
- 22 quia benedicentes ei hæreditabunt terram; maledicentes autem ei disperibunt.
- 23 Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet.†
- 24 Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.
- 25 Junior fui, etenim senui; et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.‡
- 26 Tota die miseretur et commodat; et semen illius in benedictione erit.¶
- 27 Declina a malo, et fac bonum, et inhabita in sæculum sæculi:
- 28 quia Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos: in æternum conservabuntur. Injusti punientur, et semen impiorum peribit.§
- 29 Justi autem hæreditabunt terram, et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.

**36.13 *Dominus autem*, etc. ID. Sic et nos videntes perituros, irrideamus et præsentem, grandis consolatio.

††36.14 *Gladium*, etc. ID. Si neque blanditiis neque minis aget, poena aggreditur. Si nec sic proficit, insidiatur dolis, quando bene loquendo mala intendit.

‡‡36.16 *Melius est*, etc. ID. Paulo ante de malitia et sustinentia: hic de divitiis et paupertate.

¶¶36.17 *Confirmat autem*, etc. AUG. Maxime per exemplum crucis suæ. Crux enim Christi finita est in poena, et manet in gloria: a locis enim suppliciorum transit ad frontes imperatorum.

§§36.18 *In diebus famis*. CASS. Id est, in hac vita, etc., usque ad quanto plus eleventur, tanto citius ut fumus deficient.

*36.21 *Mutuabitur*. ID. Audit verbum Dei, non reddit operibus. *Et non solvet*. Id est, non reddit operibus quod auditu percepit. *Miseretur et retribuet*, etc. De his quæ accipit, etc., usque ad sequitur largitas.

†36.23 *Gressus*. ID. Qui per se tortuosi, quia in peccatis nati. *Viam ejus*. AUG. Via terræ non dura, sed latronibus plena est: vel, viam hominis volet Deus.

‡36.25 *Junior fui*, etc. ID. Tractat hic justum nunquam deseri, præmia bonorum et poenas malorum commiscens cum interjectis adhortationibus. AUG. Ecclesia quasi unus homo loquitur, quæ in primis temporibus junior fuit, in fine sæculi senuit, *in senecta uberi*, quia per omnes gentes dilatata. ID. *Junior fui*. Puer in Abel; in prophetis et patriarchis juvenis; tempore martyrum quasi senex; in fine mundi quasi in decrepita ætate. CASS. *Junior*, quando initia legis in Adam suscepi; *senui*, cum in honorabili ætate ad ultimum suscepti Christum.

¶36.26 *Tota die miseretur*. Vel, de eleemosyna dicit, quæ a misericordia incipit, et post manum aperit: vel, de spiritualibus.

§36.28 *Amat judicium et non derelinquet sanctos suos*. CASS. Ideo: et tu ama, ut bonis tuis gaudeas.

³⁰ Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur iudicium.

³¹ Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus. **

³² Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum.

³³ Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit eum cum iudicabitur illi. ††

³⁴ Exspecta Dominum, et custodi viam ejus, et exaltabit te ut hæreditate capias terram: cum perierint peccatores, videbis. ‡‡

³⁵ Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani: ¶¶

³⁶ et transivi, et ecce non erat; et quæsi eum, et non est inventus locus ejus. §§

³⁷ Custodi innocentiam, et vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. *

³⁸ Injusti autem disperibunt simul; reliquiæ impiorum interibunt.

³⁹ Salus autem justorum a Domino; et protector eorum in tempore tribulationis. †

⁴⁰ Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos; et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.]

37 Psalmus David, in rememorationem de sabbato. ‡

² [Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me: ¶]

**36.31 *Supplantabuntur.* ID. Supplantare, est plantis foveas insidiarum præterdere.

††36.33 *Dominus autem* ID. Consolatio justi. *In manibus ejus.* AUG. Job terra tradita est in manus impii, id est, caro: sed animam invictam educit Deus, ne cedat. *Cum iudicabitur.* CASS. Vel, non permittit damnari justum cum iudicabitur ille ab impio; vel, illi impio, scilicet ad malum ejus.

‡‡36.34 *Et exaltabit.* ID. Quia non nisi exaltatus cœlestem potest habitare. *Videbis* ID. Quod modo credis; dupliciter notat gaudia bonorum; primo, quia tunc sentient in quantis sint jucunditatibus. Inde, quia videbunt pœnas iniquorum, unde gravior est beatitudo liberatis ab hujusmodi malo.

¶¶36.35 *Vidi impium superexaltatum.* ID. Contra hoc, etc., usque ad cui religato locus nocendi est ablatus.

§§36.36 *Transivi.* Mundum, meliori conversatione ad Deum tendens: et vidi nihil posse, cum nihil omnia sint in quibus homo gloriatur. *Quæsi.* In memoriam reduxi: quia boni tunc magis dolent de impiis, quod ab eis sunt separati, cum in melius immutantur. *Locus.* Eorum mundus est, qui et dissolvetur. *Transivi.* AUG. Transit, qui præsentiam non attendit, sed novissima, etc., usque ad cui hæc virtus est, loco beati ponitur.

*36.37 *Reliquiæ.* Bona quæ post hanc vitam relinquuntur, vel memoria bona post obitum.

†36.39 *Salus autem justorum a Domino.* Hæc omnia justis, totum tamen a Deo, et colligit summam.

‡37.1 *Psalmus David in rememoratione de sabbato.* AUG., CASS. Ut peccatum, quod prorsus fugere nequimus, semper in memoria habeamus, ut nos ab eo saltem temperemus, hic pœnitentiæ inducit multis modis cruciatum, ita ut ipsum Job videatur proponere tironibus in exemplum, ut cruciatus amplectantur, minores quidem meritis, quibus ab æterna pœna liberamur. AUG. Sabbatum est requies æternitatis, quam perdere formidat peccati conscius, et habere desiderat graviter afflictus.

¶37.2 *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Primum, captat misericordiam per pœnas summam. *Arguas me.* CASS. Ut pœna sit a misericordia ad correctionem, non ab ira ad ultionem.

- ³ quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.[§]
⁴ Non est sanitas in carne mea, a facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum.^{**}
⁵ quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.^{††}
⁶ Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.^{‡‡}
⁷ Miser factus sum et curvatus sum usque in finem; tota die contristatus ingrediebar.^{¶¶}
⁸ Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.^{§§}
⁹ Afflictus sum, et humiliatus sum nimis; rugiebam a gemitu cordis mei.^{*}
¹⁰ Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.[†]
¹¹ Cor meum conturbatum est; dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.[‡]

§37.3 *Sagittæ.* AUG. Vindictæ quas minabaris Adæ, dicens: *In quacumque die comederitis, morte moriemini.* Quia comedit, infixæ sunt et nobis; et non ad horam, sed *confirmasti*, ut sit usque in finem sæculi. AUG., CASS. *Quoniam sagittæ.* Numerat quæ patitur, etc., usque ad quod leviter potest lædi.

**37.4 *Non est sanitas,* etc. AUG., CASS. Ab instantia vindictæ in Adam exertæ. Vel, timore futuræ iræ terretur, sic ut non sit sanitas in carne: more verecundi, qui futuris flagellis jam affligitur. Vel, a *facie iræ*, quia prævidi faciem iræ, id est, quod minaris, ne videam iram. *Non est pax.* Gravis dolor ad interiora pervenit a facie peccatorum, quia sanctus super poenas corporis affligitur peccatis, putans se graviora mereri. *Non est sanitas.* CASS. Captat hic misericordiam a potestate iudicis, et ab infirma persona. *Non est pax ossibus.* Accipit ossa pro carne. Et exponit quod dixerat, aliud addens: scilicet a *facie peccatorum.*

††37.5 *Supergressæ sunt.* AUG. Vel sustulerunt, id est, quia iniquitas elevavit caput superbi contra Deum, Deus gravavit, ut fasce, et compressit ne jam erigatur.

‡‡37.6 *Putruerunt.* CASS. Narratio, in qua enumerantur miseriæ. *Cicatrices meæ.* AUG. Vel *livores mei;* alia littera, id est, peccata mea. Non est sanus qui cicatrices habet, quæ putruerunt et fetent: ut ab eis aversi adoremus sabbatum, et gemamus: *Currentes cum sponso post odorem unguentorum.*

¶¶37.7 *Miser factus sum.* ID. Dicto qualiliter iniquitates supergressæ, dicit quomodo aggravatæ.

§§37.8 *Quoniam lumbi.* CASS., AUG. Non solum mea infirmitate pecco, sed et diabolus, qui corpus affligit et animam fatigat vanis imaginationibus; et per hoc non est iterum sanitas, sicut et supra per sagittas. AUG. *Lumbi,* vel, anima impleta est, etc., usque ad cum videbimus veritatem ut est.

*37.9 *Rugiebam a gemitu.* CASS., AUG. *Gemitus* corde, *rugitus* voce: a similitudine bestiarum, quibus se comparat: ut fortior gemitus ostendatur: virtus patientiæ quod in gemitum, non in verba pro rumpit.

†37.10 *Ante te omne.* CASS. Tale est, quod meretur esse ante te, quia pro peccatis petit. AUG. et ideo *non est absconditus,* sed auditus gemitus, quia pius est pro liberatione animæ: alios non curat Deus. *Desiderium meum.* ID. Est oratio, nec unquam desinit orare qui non desinit amare: charitas clamor est.

‡37.11 *Cor meum conturbatum est.* CASS. Exponit dolores animi, quia virtus patientiæ reliquit. *Conturbatum,* quia mens succubuit passioni suæ. *Lumen,* id est, ratio nuper turbata, quam non habet secum pro ingentibus molestiis.

- ¹² Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt; et qui juxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant qui quærebant animam meam.[¶]
- ¹³ Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.
- ¹⁴ Ego autem, tamquam surdus, non audiebam; et sicut mutus non aperiens os suum.[§]
- ¹⁵ Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.
- ¹⁶ Quoniam in te, Domine, speravi; tu exaudies me, Domine Deus meus.^{**}
- ¹⁷ Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei; et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.^{††}
- ¹⁸ Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.^{‡‡}
- ¹⁹ Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.^{¶¶}
- ²⁰ Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt qui oderunt me inique.^{§§}
- ²¹ Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.
- ²² Ne derelinquas me, Domine Deus meus; ne discesseris a me.^{*}
- ²³ Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.]

[¶]37.12 *Amici mei et proximi.* ID. Et pro his duobus solatiis gaudet humanitas, sed huic sunt cumulus passionis. AUG. *Amici mei.* Hactenus confessus est quæ patitur a se intus, etc., usque ad et hæc etiam cuique versanti inter homines convenit.

[§]37.14 *Tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.* CASS. Ad iniquitatem consulentium non aperiens, etc., usque ad contra dolores corporis rugiebat.

^{**}37.16 *Quoniam in te, Domine, speravi,* etc. ID. Quia inter tot mala speravit in Domino, affirmat se audiendum in commemoratione emendationis. *Speravi.* Salutaris medicina malis, sperare, non deficere. *In te, Domine,* qui mutas tristia in læta.

^{††}37.17 *Quia dixi: Ne quando supergaudeant mihi inimici mei.* AUG. Item caput de infirmis pedibus, cum sit in cælo. Non deserit illud quod habet in terra. *Dum commoventur pedes mei.* CASS. Si commoventur aliquando humana infirmitate, irridet impii unde dolent pii.

^{‡‡}37.18 *Paratus sum.* ID. Sciens me deliquisse. *Dolor,* quia deliquit: impius se defendit; justus contra se irascitur.

^{¶¶}37.19 *Quoniam iniquitatem meam.* ID. Duo modi perfectæ pœnitentiæ, confessio et emendatio, per fletus, eleemosynas, et hujusmodi.

^{§§}37.20 *Vivunt.* AUG. Fruuntur mundo, firmati in mundanis, et quotidie plures fiunt.

^{*}37.22 *Ne derelinquas.* ID. De præteritis absolutus, cum actione gratiarum auctorem salutis profitens Deum, lætus exclamat ne jam relinquatur. CASS. Quia gravior offensio post veniam. AUG. Exsultativa conclusio, ut certa spes sit imitantibus. *Ne discesseris a me.* Quomodo ergo supra: *Ut quid me dereliquisti?* Vox est veteris hominis qui cum eo crucifixus, hic autem in persona propria loquitur.

- 38** In finem, ipsi Idithun. Canticum David.[†]
² [Dixi: Custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.[‡]
³ Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis; et dolor meus renovatus est.[¶]
⁴ Concaluit cor meum intra me; et in meditatione mea exardescet ignis.[§]
⁵ Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.^{**}
⁶ Ecce mensurabiles posuisti dies meos, et substantia mea tamquam nihilum ante te. Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.^{††}
⁷ Verumtamen in imagine pertransit homo; sed et frustra conturbatur: thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.^{‡‡}

[†]38.1 *In finem.* AUG. Quia hic est de æterna beatitudine, pro qua jucundum est transilire, etsi grave sit carni. Docet autem inde de mundo ad Deum transire. Transilitor autem de bona opinione semper contrahit invidiam iniquorum et calumniam: unde deliberat inter malos tacere, ne quid dicat male. *Idithun.* ID. Transiliens eos, id est, remanentes in mundo. CASS. In primis de continentia linguæ inter blasphemos et calumniosos: unde et optat noscere finem, ubi hæc non sunt.

[‡]38.2 *Dixi: Custodiam vias meas,* etc. AUG., CASS. Monet hic psalmus inter blasphemos, iniquos, et calumniosos linguæ continentiam, certamina, rixas, comprimere: hoc enim silentium multum est utile. CASS. Dixi: in corde deliberavi: ubi sapientes prius deliberant, quam loquantur. *Vias* HIER. Id est, actiones et verba. Ut non delinquam per fatua, vel otiosa. *In lingua.* AUG. Non frustra est lingua in verbo: quia facile labitur. *Posui ori meo.* Postquam transivi terrenas delectationes, etc., usque ad docens nos cavere hoc non imitari. CASS. *Posui* usque eo quod obmutui, etc., usque ad qui causam contentionis quærit.

[¶]38.3 *A bonis, et dolor meus,* etc. ID. Annuntiandis, etc., usque ad id est, transilientium, locutus sum. AUG. Quod est, malis invitus silui, etc., usque ad et si actus transilientis aliquid sunt.

[§]38.4 *Concaluit cor meum intra me.* AUG. Si damnabitur piger, etc., usque ad fit avarus dispensator.

^{**}38.5 *Locutus sum.* ID. Non auditori erudiendo, sed exauditori Deo, a quo intus audior. *Et numerum dierum meorum.* HIER. Numerus dierum, qui modo sunt, non est vere transilienti; hærenti autem esse videtur.

^{††}38.6 *Ecce mensurabiles.* CASS. Quasi, noto fine, et diebus qui sunt, attendit ad hæc quæ reliquit, et comparat invicem. *Et substantia,* etc. AUG. Qui videt nihil esse hanc substantiam, etc., usque ad quæ ante te erit.

^{‡‡}38.7 *Verum tamen.* CASS. Videns adventum Christi, redit ad infirmitatem quam inter virtutes habet. AUG. Magna sunt quæ diximus et credimus; sed tamen non est illud æternum, sed universa vanitas. Et pro mutabilitate desiderans æternam, exprobat humanæ vitæ, cui subest, quod dicit. Ne quis putet sanctos a tentationibus alienos. Vel, licet mensurabiles dies, licet substantia, nihil: tamen universa vanitas est in rationali creatura, quæ secundum diversos universam appetit creaturam. *Verumtamen.* Quamvis æternis inhio, etc., usque ad cuius conversatio in cœlis est. *Omnis homo.* AUG. Si malus, in sæcularibus vanus est; si bonus, cum Christo volenti esse, vana est vita. *Verumtamen.* AUG. Diapsalmus. Quomodo omnes sub vanitate et casu; et inde opponit se expectare Dominum, et petit liberari. *In imagine pertransit.* ID. Quamvis ita studeat vanitati, etc., usque ad quia cum miseria et labore appetit terrena. *Thesaurizat.* ID. De cæteris vitiis elegit Propheta avaritiam, ad ostendendum quod intendit: ipsa enim est radix omnium malorum.

⁸ Et nunc quæ est exspectatio mea: nonne Dominus? et substantia mea apud te est.^{¶¶}

⁹ Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me.^{§§}

¹⁰ Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti;^{*}

¹¹ amove a me plagas tuas.[†]

¹² A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem. Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus: verumtamen vane conturbatur omnis homo.[‡]

¹³ Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam; auribus percipe lacrimas meas. Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei.

¹⁴ Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam et amplius non ero.]^{¶¶}

39 In finem. Psalmus ipsi David.[§]

² [Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi.**

^{¶¶}38.8 *Exspectatio*. ID. Primi adventus, vel secundi, etc., usque ad non in sacculis nostris.

^{§§}38.9 *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me*. CASS. Non solum ab eis, ne revolvat in ea quæ translivi, sed ab omnibus omnino. Imperfectus enim est homo: quia non accepit quod optat; perfectus, qui scit hoc ipsum quod sibi deficit.

^{*}38.10 *Obmutui*. ID. Habitus opprobrio, etc., usque ad et necesse est, quia defeci. *Amove a me plagas tuas*. AUG. Quia *tu fecisti* me, noli exterminare; tantum cede ut producar; non ut comminuar

[†]38.11 *Increpationibus propter iniquitatem*. Quibus humanum genus increpuisti: quod tamen ex merito nostro, propter iniquitates nostras increpuisti, quæ sunt ad correctionem; aliter enim iniquitas incorrecta permaneret. *Corripuisti hominem*. AUG. Est dolor informis qui non emendat: formatus, qui eruditionibus formam præstat. Et talis dolor est præceptum, id est, vicem et imaginem præcepti habet.

[‡]38.12 *Et tabescere fecisti sicut araneam animam*. ID. Siccitatem ab amore virtutum, et cognitionis. Sicut aranea textit inanem telam in congregatione temporalium. Vel, dum extrahit a se iniquitatem sicut aranea, egestionem viscerum moritur. CASS. Vel, aranea tenue corpus habet, nec in terra, sed in alto stat, telas egestionem viscerum textit: sic anima conversi et afflicti terrena deserit, subtiles operationes timore Dei tabeficata perficit. *Verumtamen*. AUG., CASS. Licet increpetur, licet tabeficiant, tamen humana infirmitate variis rebus confunditur, nisi qui Deum pura mente contemplantur.

^{¶¶}38.14 *Exaudi orationem*. CASS. Diapsalmus. Iter mala sæculi petit sibi adesse et peccata dimitti, ut prospero fine exeat. ID. Sed quia ego ista non peto, etc., usque ad movendam misericordiam. *Ne sileas, quoniam advena ego sum*. AUG. Jam apud te, sed adhuc inquilinus: quia hinc transiturus ad æterna, ubi non ero inquilinus. *Advena apud te*. CASS. Non in diaboli civitate, sed in tua receptus, de Babylonia ad Jerusalem translatus. *Sicut omnes patres*. Ne quis ab hac conditione putetur exceptus. *Advena*. Meum regnum pro tuo desero. *Peregrinus*. Adhuc non eligens mihi sedem hic. *Remitte mihi*. ID. Hic sibi petit dimitti, ut certus dijudicium perveniat.

[§]39.1 *In finem psalmus*. CASS. Primum inducit Ecclesiam exspectasse Dominum, et accepisse eum, et ab eo Novum Testamentum, quod et multi secuturi sunt: unde percutit omnes superstitiones et invitat ad mirabilia Dei. ID. Hic Christus ex membris.

^{**}39.2 *Exspectans exspectavi*. ID. Exspectat, et ingratus: sed exspectans exspectat. AUG. Auctoritas ab antiquis in Abraham et cæteris, etc., usque ad qui noster est per cultum, non aliorum. *Dominum*. ID. Non hominem, qui potest fallere et falli, et qui mecum indiget. *Intendit*. ID. Mihi, ut prodesset: non me, ut et malos.

- ³ Et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriae et de luto faecis. Et statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos.^{††}
- ⁴ Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro. Videbunt multi, et timebunt, et sperabunt in Domino.^{‡‡}
- ⁵ Beatus vir cuius est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas.^{¶¶}
- ⁶ Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua; et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. Annuntiavi et locutus sum: multiplicati sunt super numerum.^{§§}
- ⁷ Sacrificium et oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti;^{*}
- ⁸ tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me,[†]
- ⁹ ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.[‡]

^{††}39.3 *Lacu*. ID. Tenebrae iniquitatum, infidelitatis scilicet et ignorantiae, etc., usque: *ad petra* contra lutum. HIER. In *lacu* vero et in *luto*, gentes idola colentes: vel, omnes terrena amantes.

^{‡‡}39.4 *Carmen*. HIER. Non turpe, non theatrale, sed per Novum Testamentum. *Videbunt*. CASS. Mirabilia tempore incarnationis facta. AUG. Videbunt, hoc quod primo de prioribus dixit, videbunt multi populi posterius.

^{¶¶}39.5 *Nomen*. ID. Quod est salvator. Quasi: *Beatus*, etc., qui non temporalia sperat ab eo, sed salutem, quod ejus nomen indicat. In Hebraeol saepe duplicantur hoc modo genitivi: vel, *beatus*, est cui est nomen, id est, quo est laus Dei, ut ab eo solo credat salutem, unde est et spes ejus. *Insanias*. CASS. Idola, quae fallunt a veritate: vel, insaniae, in spectaculis fallacibus. Ideo pluraliter, ut de omnibus accipiatur. Haec falsa, sed opera tua mirabilia, coelum, terra, elidit superstationes.

^{§§}39.6 *Mirabilia tua*. AUG. Petrum ambulare super aquas in signo, non in saeculo, id est, fructibus saeculi. AUG. Salus verax, insania mendax, non est quod putatur. HIER. Vana sunt terrena, insaniae, irae et rixae, etc. *Non est qui similis tibi*. AUG. Nulli auctores artium. *Annuntiavi*. Hic Christus in capite et membris. Haec sunt mira Dei, haec cogitationes quibus nemo est similis. CASS. Ecce mirabilia: incarnatio, justitia praedicationis, liberatio hominum ab iniquitatibus, confusio inimicorum, laetitia sperantium. Primo, rudes et incompositi praeparati sunt, ut verba Christi libenter suscipere. AUG. Vide mirabilia Dei. Annuntiavi prius per Prophetas, et post locutus egomet. *Multiplicati sunt super numerum*. HIER., AUG. Super numerum salvandorum: vel, super hoc quod aliquis enumerare possit: vel, me loquente plures quam olim crediderunt.

^{*}39.7 *Sacrificium et oblationem noluisti*. AUG. Ut venit res, noluit quasi verba promittentia, etc., usque ad sed ille, qui fudit, surdus, non audit. *Aures autem perfecisti mihi*. Id est, perfecte me intelligere fecisti quid velles. *Vel corpus aptasti mihi*, ut ait Apostolus ad Hebraeos Heb. 10., id est, corpus aptum ad offerendum mihi dedisti.

[†]39.8 *Holocaustum*. Holocausta etiam non petisti pro peccato. *Pro peccato*. Quod supra *oblationem*, ut de hircu ohgr, id est, emissario, qui cum peccatis populi in desertum mittebatur: vel, possunt esse duae dictiones pro peccato. *Ecce venio* CASS. Cum sacrificia cessent, constat venire Christum.

[‡]39.9 *In capite libri scriptum est de me*. Ecce statim venio ut facerem voluntatem tuam, quia in capite hujus libri. Vel, sic est praefinitum apud Deum Patrem, qui est caput mei, qui sum liber, id est, forma justitiae hominibus.

- ¹⁰ Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna; ecce labia mea non prohibebo:
Domine, tu scisti.[¶]
- ¹¹ Justitiam tuam non abscondi in corde meo; veritatem tuam et salutare tuum dixi;
non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam a concilio multo.[§]
- ¹² Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me; misericordia tua et
veritas tua semper susceperunt me.^{**}
- ¹³ Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus; comprehenderunt
me iniquitates meæ, et non potui ut viderem. Multiplicatæ sunt super capillos
capitis mei, et cor meum dereliquit me.^{††}
- ¹⁴ Complaceat tibi, Domine, ut eruas me; Domine, ad adjuvandum me respice.^{‡‡}
- ¹⁵ Confundantur et reveantur simul, qui quærunt animam meam ut auferant eam;
convertantur retrorsum et reveantur, qui volunt mihi mala.
- ¹⁶ Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge!^{¶¶}
- ¹⁷ Exsultent et lætentur super te omnes quærentes te; et dicant semper: Magnificetur
Dominus, qui diligunt salutare tuum.^{§§}
- ¹⁸ Ego autem mendicus sum et pauper; Dominus sollicitus est mei. Adjutor meus et
protector meus tu es; Deus meus, ne tardaveris.]^{*}

40 In finem. Psalmus ipsi David.[†]
² [Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum
Dominus.][‡]

[¶]39.10 *Ecclesia magna.* AUG. Toto orbe terrarum, non parva ut prius: et siquidem
insurget timor, non prohibebit loqui. *Domine, tu scisti.* ID. Labia sonant hominibus,
etc., usque ad ut ad hoc non sim piger.

[§]39.11 *Non abscondi.* CASS. Quando potui prodesse veritatem, promissionem, et
salvationem.

^{**}39.12 *Misericordia tua.* AUG. Amor et timor perducunt me ad te.

^{††}39.13 *Capillos.* AUG. Bene in comparatione delictorum capilli ducti sunt. Nam
ideo in Veteri Testamento sacerdotes radebantur, ut sic carnis vitia deposuisse
viderentur.

^{‡‡}39.14 *Complaceat.* CASS. *Complaceat*, Trinitatem personarum; *tibi*, singulariter
unitatem essentiae signat. AUG. *Complaceat*, ait, non diffidens de potentia Dei,
si adsit voluntas. Quasi: Si tu vis, potes, Domine. *Respice.* CASS. Respectus ejus
nostrum est auxilium.

^{¶¶}39.16 *Qui dicunt mihi: Euge, euge.* AUG. Et qui bona dicit malo animo, et qui
mala dolose laudando, uterque malus est et cavendus. De primis dixit: *Qui volunt
mihi mala;* de secundis: *Qui dicunt mihi: Euge, euge.*

^{§§}39.17 *Et dicant.* CASS. Hæc est eorum exsultatio: hæc enim professio in æternum
gaudentes efficit Christianos.

^{*}39.18 *Ego autem.* CASS. Hoc Christus ex forma servi: ne quis gloriam prædictæ
lætitiæ sibi arrogaret. Mendicus, qui sibi non sufficit. *Ne tardaveris.* AUG. *Nisi
breviati essent dies,* etc., usque ad qui jam quæsita nutriunt.

[†]40.1 *In finem.* HIER. *Intellectus filiis Core,* ut quamvis pauper et passus, etc.,
usque ad Apostolo dicente: *Mihi autem,* etc

[‡]40.2 *Beatus.* Irriditur qui colit pauperem mortuum; sed *beatus.* AUG. Propheta
intelligentem super egenum et pauperem concelebrat. HIER. Prius Propheta a se,
post inducet Christum. *Qui intelligit.* AUG. Nota *qui intelligit,* ut et non petentibus
detur: qui petenti dat bene facit, qui tacentem intelligit, beatus sine dubio est.

- ³ Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.[¶]
- ⁴ Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus; universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.[§]
- ⁵ Ego dixi: Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi.
- ⁶ Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen ejus?^{**}
- ⁷ Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur; cor ejus congregavit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras et loquebatur.^{††}
- ⁸ In idipsum adversum me susurrabant omnes inimici mei; adversum me cogitabant mala mihi.^{‡‡}
- ⁹ Verbum iniquum constituerunt adversum me: Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?^{¶¶}
- ¹⁰ Etenim homo pacis meae in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.^{§§}
- ¹¹ Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me; et retribuam eis.*
- ¹² In hoc cognovi quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

[¶]40.3 **Dominus conservet.** ID. Bene optat Propheta intelligenti super egenum et pauperem, quod est certa promissio. **Et vivificet.** ID. In futura vita, vel, hic per justificationem.

[§]40.4 **Dominus opem.** CASS. Ne putes beatum requiem hic habere: dolores ei mitigat, et precatur ne hominis infirmitas duris superetur; quasi, lectus quietis sunt hæc bona temporalia: sed Deus facit hæc doloribus plena, ne in eis spes habeatur. **Lectum.** AUG. **Universum** enim **stratum**, id est, mundanam felicitatem provide convertit Deus in angustias. CASS. Hic trepidus ipse misericordiam petit: quia qui se peccasse sciebat, his jure tradi timebat: sed ne famuli Dei his afflicti videantur a Deo deserti, cum ipse Deus pertulit talia; unde dicit: **Inimici mei dixerunt.** Vel, **lectus doloris.** AUG. Caro, in qua peccatum, etc., usque ad quando Adam infirmatus est prævaricando. **Opem** AUG., HIER. In infirmitate carnis, quæ gravat animam. **Stratum.** AUG. Est aliquid terrenum quod infirmus, etc., usque ad pro domo æternæ habitationis.

^{**}40.6 **Inimici mei.** CASS. Dominus de passione sua, quæ secundum egenum fuit. AUG. **Inimici mei.** Hæc de Christo specialiter dicta sunt, sed et de membris dici possunt: et hodie fit tribulatio, ut nomen Christi extinguatur: sed per mortem suam et suorum magis Ecclesia crevit.

^{††}40.7 **Et si ingrediebatur.** CASS. Nota tolerandos malos. ID. Non solum aperti inimici, sed et qui simulabant se amicos.

^{‡‡}40.8 **Egrediebatur foras.** A sinu veritatis, malus ingressus, malus egressus. **In idipsum.** AUG. Id est, uno consilio omnes adversum me susurrabant. **Susurrabant.** CASS. Non audent detegere consilium, quia in scelere **socii** sunt omnes: cum pauci soleant esse **auctores** scelerum.

^{¶¶}40.9 **Nunquid.** AUG. Qui habet potestatem ponendi animam, nonne habet et resumendi eam?

^{§§}40.10 **Speravi.** AUG. In membris, quia alii fratres in illum aliquid sperabant, quia talis videbatur ut cæteri. Sic et esurire in pauperibus se dicit.

*40.11 **Tu autem, Domine.** AUG. De resurrectione, quæ est gloria egeni, ad confirmandam spem fidelium. **Et retribuam eis.** AUG.. Quia enim dispersi sunt per mundum, ad admonitionem est, nondum ad damnationem.

¹³ Me autem propter innocentiam suscepisti; et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.[†]

¹⁴ Benedictus Dominus Deus Israël a sæculo et usque in sæculum. Fiat, fiat.[‡]

41 In finem. Intellectus filiis Core.[†]

² [Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.[§]

³ Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?^{**}

⁴ Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

⁵ Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei, in voce exultationis et confessionis, sonus epulantis.^{††}

[†]40.13 *Me autem*. ID. Affirmat quod oravit.

[‡]40.14 *Benedictus*. CASS. Laudativa conclusio, exposita passione et resurrectione. *Deus Israël*. AUG. Judæi sunt capsarii nostri, qui nobis codices portant: nos Israël. Aliter putassent pagani ficta quæ dicuntur de Christo et Ecclesia, sed vincuntur testimonio inimicorum. *A sæculo*, etc. CASS. Ex quo omnia cœpta sunt administrari usque in sæculum futurum, ubi omnia æterna. *Fiat*. HIER. Geminatio ostendit hoc ab omnibus esse faciendum. Pro *fiat*, in Hebræo scribitur, *amen, amen*, quod Aquila, *vere, vere*, transtulit, vel *fideliter*. Et finit hic primus liber Psalterii secundum Hieronymum.

[†]41.1 *In fine intellectus*. CASS. *Core* interpretatur *Calvaria*. Filii ergo, etc., *usque ad*, cui obviat malorum insultatio. HIER. *Filii Core*, id est, *filii calvi*, etc., usque ad verbum puerorum deridentium Eliseum.

[§]41.2 *Quemadmodum desiderat*, etc. AUG. Vox hæc convenit catechumenis, et etiam omnibus adhuc peregrinantibus. *Cervus*. Cervus senio gravatus, excrescentibus pilis et cornibus, serpentem naribus haurit: unde veneno æstuans, fontem ab bibendum ardentissime desiderat; quo hausto, cornua et pilos deponit.

^{**}41.3 *Sitivit*. AUG. Determinat desiderium suum, quia poterat intelligi desiderare cervus fontem causa bibendi, vel lavandi; hic omne desiderium esse ad Deum ostenditur. *Quando veniam*. Quod citius est Deo, tardum est hominis desiderio. Talis cervus dum currit, patitur insultantes; unde: *Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes*. In prosperis etiam, quæ despicit, sicut in adversis. *Panes*. CASS. Non amaritudo, vel peremptio, sed *panes*.

^{††}41.5 *Hæc recordatus sum*. AUG. Dum quærent, Ubi est Deus tuus? ego etiam sum meditatus per omnia visibilia hæc, et per ipsam animam meam, ut per ea exteriora, invisibilia Dei inveniam. Ecce intellectus tituli. *Effudi*. Ibid. Ad intelligendum et attingendum dilatavi super seipsam. *Effudi*. CASS. Vel lætatus sum. Liquefacta est anima mea in me; non extra, sed in se compuncta revertitur. Etsi visibiliter Deum non videam, cogito tamen quod per Ecclesiam, in qua admirabiles sunt sancti, ad Jerusalem celestem perveniam, captus suavitate laudis angelicæ, quæ suscipitur mente. *In locum tabernaculi*. AUG. Tabernaculum Dei in terra, etc., *usque ad*, id est, de refectioe æterna gaudentium. *In voce exultationis*. Ibid. De æterna festivitate sonat quid dulce cordi: unde rapitur cervus ad fontes aquarum, et mulcetur. Sed quia perstrepat mundus, et caro gravat animam: comparans hæc tristitia illis jucundis, ait:

- ⁶ Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei,^{‡‡}
- ⁷ et Deus meus. Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis et Hermoniim a monte modico.^{¶¶}
- ⁸ Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum; omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.^{§§}
- ⁹ In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus; apud me oratio Deo vitæ meæ.*
- ¹⁰ Dicam Deo: Susceptor meus es; quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?†
- ¹¹ Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei, dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?‡
- ¹² Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.]

^{‡‡}41.6 *Quare tristis?* etc. CASS. De perturbationibus contra quas ratio confirmat animam sensualem spe Dei. *Quare conturbas?* AUG. Qui, si investigas, nihil est in mundo quare hoc debeas: spera potius salutare remedium adhuc, et si non modo, plene in futuro. *Spera.* CASS. Vel sperare potest, quia *adhuc* in præsentī *confitebor*, id est, de peccatis pœnitentiam agam, ut tibi non obsistam.

^{¶¶}41.7 *Ad meipsum.* Conversus ad Deum dicit ex seipso conturbationes, ex Deo finem earum: unde in eo est ei spes. Et hoc est *ad meipsum*, vel a meipso. CASS. Ecce qui superius corripuit animam ad conditionem hominis, reversus dicit hic animam a se turbari, quæ nisi vitia carnis essent, tranquilla permaneret. Ecce ex qua diversitate constat homo. Quasi: propterea, id est, propter conturbationes animæ, *memor ero.* AUG. Id est, festino ad te, quia excludis mala omnia. Ecce remedium, quo evadat conturbationes: unde pro quibus sit memor, subdit: *De terra Jordanis*, ubi Dominus consecravit baptismum, in quo humiliati lavantur, et fiunt terra fructifera. CASS. Horum memor malis non turbatur. *Propterea memor.* AUG. Qua ad me turbatur anima, ideo *memor*, etc. Nemo currit ad remissionem, nisi qui sibi displicet, nisi qui se fatetur peccatorem: quod notat *Hermoniim*; nemo confitetur nisi se humiliet, quod notatur in *modico. Jordanis.* Ibid. Descensio. Descende ergo ut eleveris. CASS. In Jordane Dominus baptismum consecravit, in quo humiliati lavantur, et fiunt terra fructifera, quæ reddit fructum tricesimum, sexagesimum et centesimum Matth. 13.. *Hermoniim.* AUG. Parvus mons iuxta Jordanem, etc., usque ad quia non in superbis, sed in humilibus memor Dei est.

^{§§}41.8 *Abyssus abyssum.* Ibid. Decet ut sim memor, etc., usque ad et propter hæc omnia oro in adversis, et hoc est: *Apud me oratio.* Ibid. Vel *abyssus abyssum invocat*, id est, iudicium quod intulit Deus peccanti, etc., usque ad quia timet iudicia. *Cataractarum.* Cataractæ ad litteram sunt ostia fluviorum.

*41.9 *In die.* Ibid. Id est, in prosperis, etc., usque ad unde vivamus in adversitate. *Apud me oratio.* Ibid. Oratio in conturbationibus est mihi, et hæc apud me.

†41.10 *Quare oblitus.* CASS. Quare nunc me pateris his miseriis vexari? Videbat quæ dulcedo patriæ, et pericula mundi horrebat.

‡41.11 *Dum confringuntur ossa.* AUG. Quasi ossa franguntur, dum virtus patientiæ affligitur, quod irridet mali. Hæc est exprobratio illa: *Dum dicitur mihi: Ubi est?* vel nullus est, vel de te non curat.

42 Psalmus David. [Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.[¶]

² Quia tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?[§]

³ Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernaculo tuo.^{**}

⁴ Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.^{††}

⁵ Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.]^{‡‡}

43 In finem. Filiis Core ad intellectum.^{¶¶}

² [Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.^{§§}

³ Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos; afflixisti populos, et expulisti eos.

[¶]42.1 *In finem psalmus David.* AUG. Corporis Christi, quod hic gemit inter zizania, id est, inter malos, habens cum eis multa communia, nasci, mori, prospera et adversa: cum quibus quia non habet communem causam meritorum exclamat: **Judica me**, etc. Ibid. Psalmus iste contra pressuras, ne et ipsæ retrahant nos a Deo. CASS. Conqueritur de commistione malorum, et precatur separationem. **Judica me.** Ibid. Non petit peccata sua discuti, quod periculosum est, sed causam ab impiis parari, ut sit cum electis: unde addit: **Et discerne.** Gens non sancta est iniquus, et dolosus, a quibus in iudicio separatur: sed et hic ne ab eis corrumpatur.

[§]42.2 *Quare tristis incedo?* AUG. Causam tristitiæ quærit, quæ est peccatum, ut causa lætitiæ justitia. Isaias propter peccatum: **Modicum quidem contristavi illum**, sic enim punit Deus.

^{**}42.3 *Emitte lucem tuam.* CASS. Quia, eo veniente, tolletur omnis tristitia confusionis. AUG. Quia certi jam pignus habemus, quia ea ipsa, id est, lux et veritas, deduxerunt a peccatis Ecclesiam præsentem, quæ est tabernaculum.

^{††}42.4 *Et introibo.* Sicut pontifex ad Sancta sanctorum. CASS. **Et introibo.** De lætitia finali, pro qua laudat in tribulatione, qui supra tristis erat unde et se confortat.

^{‡‡}42.5 *Confitebor tibi in cithara.* AUG. Qui præcepta Dei facit, et non patitur, in psalterio confitetur: qui vero facit et patitur, quod est ex inferiori natura, **in cithara**, quæ ab inferiori resonat, sicut psalterium a superiori. **In cithara.** CASS. Ecce qui supra fuit tristi de malis sæculi, de bono intellectu sibi gaudium facit. **Quare conturbas me?** Ibid. Frequenter, et vehementer persuadet sæculi tristitiam fugiendam, quæ patientiam, charitatem et spem exstinguit, et totam vitam confundit. **Salutare vultus mei.** AUG. Et alibi: **Miserere mei**, etc., usque ad eleemosyna, et oratio quæ illis duabus alis volat ad Deum.

^{¶¶}43.1 *Ad intellectum.* AUG. Non sic quærant sibi fieri, etc., usque ad et hæc non amentur. CASS. Distinguit beneficia Dei, quæ incipientibus data sunt in mundo, perfectis in cælo. Ut magis sit mirum relinqui præsentem, recolit præterita.

^{§§}43.2 *Deus, auribus.* AUG., CASS. Primum dicit: **Deus**, quod facere solet lætus vel graviter afflicto. **Audivimus.** Ut major fides sit rei, ne putetur ambigua. **Patres.** Non juvenes, ut videantur veri nostri, qui suis certa dicerent. **Opus quod**, etc. Ibid. Et si semper operetur, tamen operari dicitur, quando aliquod signum novitatis ostendit.

- ⁴ Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos: sed dextera tua et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.*
- ⁵ Tu es ipse rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Jacob.†
- ⁶ In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.
- ⁷ Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me:‡
- ⁸ salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti.¶
- ⁹ In Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo confitebimur in sæculum.
- ¹⁰ Nunc autem repulisti et confudisti nos, et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.§
- ¹¹ Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, et qui oderunt nos diripiebant sibi.**
- ¹² Dedisti nos tanquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos.††
- ¹³ Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in commutationibus eorum.‡‡
- ¹⁴ Posuisti nos opprobrium vicinis nostris; subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro.¶¶
- ¹⁵ Posuisti nos in similitudinem gentibus; commotionem capitis in populis.§§
- ¹⁶ Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me:

*43.4 *Sed dextera tua.* AUG. Id est, bonus successus, quem eis dedisti. *Et brachium tuum,* etc. Ibid. Id est, fortitudo; et *illuminatio,* id est, sapiens consilium: quod totum fecisti ex benevolentia tua.

†43.5 *Tu es ipse rex meus et Deus meus.* AUG. Tempora mutata sunt; auctor non mutatur.

‡43.7 *Non enim in arcu meo sperabo.* CASS. Minor virtus hominis, quia minus valet in bello. *Gladius.* Major virtus, quæ in bello plus creditur valere. AUG. Vel, *gladius meus non salvabit me,* sed tu, quia et in hoc sæculo salvasti, ne nos traherent post se, et eos pudere fecisti: et ideo tunc *laudabimur.*

¶43.8 *Salvasti,* etc. AUG. Nota etiam præterita dicta, pro futuris esse accipienda.

§43.10 *Nunc autem repulisti.* CASS. Diapsalmus. Enumerat mala quæ hic fecerunt boni, non tamen obliti Dei. CASS. Exaggerat mala, ut benevolentiam iudicis impetret. *Confudisti,* dum hic ab iniquis habentur opprobrio. AUG. Hæc vere futura, etc., usque ad hoc est jejunium non abstinentiæ, sed luxuriæ.

**43.11 *Avertisti.* CASS. Pro deficientibus. Vel, averti, est hostem fugere; unde: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Diripiebant.* Hoc fugatis contingit, ut cadant in prædam, qui hostibus nequeunt resistere.

††43.12 *Dedisti nos tanquam oves escarum.* CASS. Persistentes in fide. Hic diversi martyres, id est diversa martyrii genera: alii esca feris, alii traditi gentibus in servitutem; unde dicit: *Tanquam oves escarum,* ubi notatur quorundam mactatio.

‡‡43.13 *Vendidisti populum tuum sine pretio.* AUG. Dum dantur alienigenis et nullus acquirit: quod fit ad probationem vel correctionem; vel nullus pro eis acquiritur, vel si quis, pauci tamen.

¶¶43.14 *Opprobrium vicinis.* CASS. Gravis afflictio a vicinis ingeritur, quia non transitorie dicitur, quod a circumstantibus irrogat. *Derisum his qui in circuitu.* CASS. Derisus est vox confusa lætitiæ, insultationem immoderata hilaritate denuntians. Contemptus est abjecta vilitas.

§§43.15 *In similitudinem gentium.* Ibid. In similitudine Christi gentibus sunt appositi, quando eos comparibus penis affecerunt.

¹⁷ a voce exprobrantis et obloquentis, a facie inimici et persequentis.*

¹⁸ Hæc omnia venerunt super nos; nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo.†

¹⁹ Et non recessit retro cor nostrum; et declinasti semitas nostras a via tua:‡

²⁰ quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.¶

²¹ Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad deum alienum,§

²² nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis. Quoniam propter te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut oves occisionis.**

²³ Exsurge; quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem.††

²⁴ Quare faciem tuam avertis? oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?‡‡

²⁵ Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra; conglutinatus est in terra venter noster.

²⁶ Exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum.¶¶

*43.17 *Exprobrantis*. Ibid. Exprobrare est in faciem maledicere; obloqui est absenti detrahere, et dolose mordere.

†43.18 *Venerunt super nos*. Ibid. Quia non erant in nobis per culpam.

‡43.19 *Non recessit*. Ibid. Ita quod retroiret, etsi aliquando descendit contemplatione deitatis. *Declinasti*. AUG. Semitæ nostræ erant in voluptatibus et prosperitatibus sæculi: sed tulisti eas de sua via, et ostendisti arctam viam, quæ ducit ad vitam. HIER. Vel *et declinasti*, id est, opera nostra de lege tua pendere fecisti. Vel, *non declinasti* alia littera, id est, non permisisti declinare et deviare semitas nostras. *Semitas*, id est, opera; *a via tua*, id est, a lege; ideo quoniam *humiliasti nos*.

¶43.20 *Umbra mortis*. AUG. Vel, hæc mortalitas, umbra mortis est: vera autem mors est damnatio cum diabolo.

§43.21 *Si obliti sumus nomen Dei*. Ibid. Iste est intellectus filiorum Core, qui propter hæc omnia mala non obliviscuntur Deum, scientes quia Deus requiret ista.

**43.22 *Novit*. Ibid. Noscere dicitur Deus et quod novit et quod te facit noscere. *Novit*, quoniam requiret propter te, ut tu invenias te, et gratias agas ei qui te fecit, ut in Petro actum est, qui probavit quid posset. *Propter te mortificamur*. CASS. Non pro criminibus nostris, sed ut fides tua gentibus augeatur.

††43.23 *Exsurge*. Ibid. Precatur auxilium, ut hic afflictis tempore resurrectionis subveniat. AUG. Hactenus non obliti; et ut perseveremus: *Exsurge, quia propter te mortificamur*. AUG., HIER. Et si sciunt Christum non dormire, et sibi resurrexisse, precantur tamen resurgere per fidem, non sibi, sed gentibus, quæ putant mortuum. Si enim et illi crederent surrexisse, credentes in eum non persequerentur, sed et ipsi crederent. AUG. Vel *exsurge*, conforta. *Obdormis*. Negligere videris. Quare etsi nesciamus, tu scis quare: vel pro culpa, vel pro utilitate. Quod si pro culpa, utinam abesset; si pro utilitate, utinam adesset. Quosdam repellis, quia faciem, id est, cognitionem tuam, ab eis subtrahis: obdormis quibusdam qui gemunt de malis.

‡‡43.24 *Quare oblivisceris?* id est, non das spiritum fortitudinis, sine quo inopes. *Et tribulationis*. CASS. Quia eam non mitigas, etc., usque ad qui facile cedunt illicitis motibus, et hærent terrenis.

¶¶43.26 *Exsurge, Domine*. Hic sine dormitione *exsurge* ponitur, quod ad resurrectionem pertinet, in qua est spes omnium fidelium; in qua humana destruitur captivitas; per quam sumus adjuti et liberati. *In terra venter*. AUG. Qui genua figit terræ, habet quo plus humilietur: qui vero plus humiliatur ut et venter hæreat terræ, non habet ultra quo plus humilietur. Exprimit ergo nimiam humiliationem, ut quia venit ad summam, jam adsit Dei miseratio. Vel plangit eos qui sunt venter, id est, carnales, et *hæserunt*, id est consenserunt iniquis.

44 In finem, pro iis qui commutabuntur. Filiis Core, ad intellectum. Canticum pro dilecto.^{§§}

² [Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.*

³ Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.†

⁴ Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.‡

⁵ Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna, propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam; et deducet te mirabiliter dextera tua.¶

⁶ Sagittæ tuæ acutæ: populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.§

⁷ Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi; virga directionis virga regni tui.**

§§44.1 *In finem*, etc. AUG. Epithalamium, id est, laus thalami. Canticum pro commutandis et pro dilecto, id est, sponsa et sponso, scribitur filiis Core, ut venerentur. Hic enim describitur per quem commutabuntur, quia laus sponsi et sponsæ hic cantatur. CASS. Propheta præconia Dei se eructaturum promittit.

*44.2 *Eructavit*. AUG., HIER. Intus enim fatur Propheta, etc., usque ad antequam sit quod facturus est. Consilium vero Patris est Verbum. *Bonum*. Quo omnia bona facta sunt. *Dico*. Id est, Verbum profero: idem hic quod prius; sed in ipso verbo omnia opera Dei esse dicit; unde: *Quod factum est in ipso vita erat*, ut nihil sit in opere quod non prius fuit in consilio. De hoc dicitur: *Semel locutus est Deus. Calamus*. Non sono, qui transit, comparat Verbum: sed scripto, quod manet. Vel, *velociter*, quia non aliud post aliud, sed omnia simul in uno Verbo æterno. *Velociter*. Virtus prophetiæ, quæ non sub cruciatu humano cogitat quod de arcano divinitatis aliis divulgat.

†44.3 *Speciosus forma*. CASS. Incipit de laude sponsi prius a forma. *Benedixit*. Priora dixit Propheta ex persona Dei, hæc ex sua; vel omnia ex se. Vel, *eructat verbum*, qui dicit Deo hymnum. *Dico opera*. AUG. ad laudem ejus, qui ex eo. *Lingua, calamus*. Quia quod dico, et scribo. Vel, *velociter*: quia cito ventura quæ scribo. CASS. *In labiis*. Quia, eo loquente, mundus gratiam reconciliationis accepit.

‡44.4 *Accingere*. Ibid. Hic laudat eum a potestate; et tu talis *accingere*.

¶44.5 *Specie tua et pulchritudine*. *Species* ad humanitatem, in qua mundo apparuit; *pulchritudo* ad Deitatem, qua omnia decorat. *Intende*. Hominem pereuntem miseratus respice. *Prospere*. Liberans homines. *Procede*. De utero Virginis, ut sponso: vel, ab his victis ad alios vincendos. *Regna*. In fide hominum tuam potentiam ostende, qui semper regnasti. Et per hoc, quia et per te, et per tuos veritatem doces, qua falsitatem nostram destruis. Et quia mansuetus ferendo malos, ut quando pro inimicis oravit, sic et sui: Et quia justitiam vitæ ostendit. Et quia deducet te inoffense per cursum totius vitæ, vel de populo ad populum *Mirabiliter*. Quia omnes mirabuntur, vel, quia miracula faciet.

§44.6 *Populi sub te cadent*. AUG. Id est multi de suis inimicis supponent se sibi, et hoc ratione vel voluntate. Hoc est quod titulus dixit: *Pro his qui commutabuntur ex filiis Core. In corda*. CASS. Inimicorum tuorum, ut sint amici, sicut Saulus.

**44.7 *Sedes*. Ibid. Hic a iudicio: *Sedes* ad iudicium pertinet. *Virga*. Ibid. Regula divinæ æquitatis, quæ vere recta et nunquam curvatur: hæc justos regit, iniquos percutit. AUG. Nemo sibi multum de misericordia præsumat, blandiatur: quia virga directionis, si alios regit, alios conterit: regit spirituales, conterit carnales.

- ⁸ Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.^{††}
- ⁹ Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis; ex quibus delectaverunt te^{‡‡}
- ¹⁰ filiæ regum in honore tuo. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deurato, circumdata varietate.^{¶¶}
- ¹¹ Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.^{§§}
- ¹² Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.*
- ¹³ Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur; omnes divites plebis.[†]
- ¹⁴ Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis,[‡]
- ¹⁵ circumamicta varietatibus. Adducentur regi virgines post eam; proximæ ejus afferentur tibi.[¶]
- ¹⁶ Afferentur in lætitia et exultatione; adducentur in templum regis.

^{††}44.8 *Dilexisti*. Ibid. Vel, quia *dilexisti justitiam*, etc., reddita sunt hæc præmia, fecit te regem, dando *nomen quod est super omne nomen. Et odisti*. Si homo iniquitatem in se odit, cum Deo facit: odit Deus iniquitatem, oderis et tu. *O Deus*. AUG. Bis ponitur in Græco aperte, alter vocativus, alter nominativus. Iste unctus est, ille lapis quem Jacob unxit.

^{‡‡}44.9 *Myrrha*, etc. CASS. Hic laudat Propheta sponsum ab uxore et ornatu; primo ab ornatu. AUG. *Myrrha et gutta*. Odores bene adhibentur nuptiali thalamo, etc., usque ad id est, redemptio, per aquam baptismi. *Eburneis*. HIER. In ebore castitas, quod prius obscurum serris et limis lucidum fit, ita sancti per sectiones et attritiones diversorum suppliciorum elimati, virtutum varietate fiunt lucidi. *Filiæ regum*. AUG. Terrenorum, non curantes honorem patrum, etc., usque ad et ad semen excitandum susceperunt.

^{¶¶}44.10 *Astitit regina*, etc. CASS. Hic ab uxore commendat sponsum. *Varietate*. Ibid. Etsi sit unitas in charitate, tamen auro, id est, doctrina Apostolorum, cocco martyrum, gemmis virginum, purpura pœnitentium ornatur.

^{§§}44.11 *Audi, filia*. CASS. Laus sponsæ summissior, sed quadruplex, a forma, a gloria, ab adolescentulis, a prole. AUG. *Audi, filia*. Alloquitur Propheta reginam, tanquam unus de patribus. Judæi viderunt et occiderunt, tu audi Evangelium, et credendo videbis Deum: hic per imaginem, in futuro per speciem. Vel, Audi prophetias, quæ incarnationem prædixerunt, et vide impletas.

*44.12 *Et concupiscet rex*. CASS. Hic laudat eam a forma.

[†]44.13 *Tyri*. CASS. Per Tyrum, vicinam Judææ, gentes designantur; unde mulier Chananæa Ecclesiæ figura. CASS. *Tyri*, gentium, a parte totum. *In muneribus*. AUG. Ut se offerant, etc., usque ad gentes scilicet, quæ sunt in angustia peccatorum.

[‡]44.14 *Omnis gloria*. CASS. A gloria sponsæ, ut supra a potestate sponsi. *Ab intus*. AUG. Vel intrinsecus. Sit ergo eleemosyna in occulto, ubi Deus videt. Vel non in circumcissione manufacta, sicut in veteri lege, sed in spiritualibus. *Fimbriis*. CASS. Finis vestis significat finem mundi vel hominis. *Aureis*. Non deauratis, ut supra, sed aureis, quia in fine tota perfectio est, ubi charitas invenitur plena.

[¶]44.15 *Adducentur regi*. Ibid. Hic laudatur sponsa ab amicibus, ut supra a judicio. Ibid. *Adducentur*, oportuna prædicatione. *Post eam*. Ibid. Prius unitas dicitur, post enumeratio partium est distincta, cum dicitur: *Virgines et proximæ*.

¹⁷ Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes super omnem terram. §

¹⁸ Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem: propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi.]

45 In finem, filiis Core, pro arcanis. Psalmus. **

² [Deus noster refugium et virtus; adiutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. ††

³ Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris. ††

⁴ Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum; conturbati sunt montes in fortitudine ejus. ¶¶

⁵ Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. §§

⁶ Deus in medio ejus, non commovebitur; adjuvabit eam Deus mane diluculo.*

⁷ Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra. †

§44.17 *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Ibid. Vel pro antiquis patribus, idolorum cultoribus, nati sunt Apostoli, principes prædicationis. AUG. Vel post prophetas Apostoli, post Apostolos alii. Cantatur hic psalmus de festo beatæ Mariæ Virginis, quia quæ de Ecclesia generaliter hic dicuntur, ad Mariam specialiter referri possunt. Cantatur etiam pro virginibus, quia ibi dicitur: **Adducentur regi virgines.** Et pro Apostolis, quia ubi dicitur: **Nati sunt tibi filii.** Item de nativitate Domini, quia ibi agitur de laude sponsi et sponsæ et de nuptiis Christi et Ecclesiæ, quarum desponsatio facta est in Verbi incarnatione.

45.1 *In finem.* CASS. Psalmus David, alicujus fidelis de Judæa, ut sit certius testimonium. *Pro arcanis.* Pro manifestatione arcanorum, quod Deus sit homo, quod salus promissa utrique populo, quod cæcitas contigit in Israël, quod Apostoli transierunt ad gentes, quod pax in terra; unde: **Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces Isa. 2.. *Filiis Core.* CASS. Filii crucis. *De arcanis,* id est, de adventu Christi loquitur.

††45.2 *Deus noster.* CASS., AUG. In adventu Domini omnis spes habenda ostenditur, etiam in transitu Apostolorum ad gentes. *Invenerunt nos nimis.* AUG. Nos enim fugiebamus eas. Vel, *invenerunt nos* expositos per Adam. *Nimis,* tanto potentior qui liberat.

††45.3 *Turbabitur terra, et transferentur montes,* etc. CASS. Judæa, quasi arida: sine idololatria, amaritudine gentium circumdata. Vel, *mare.* AUG. sæculum. *Cor maris.* Immanitas gentium

¶¶45.4 *Sonuerunt et turbatæ,* etc. Contradicientes, gentes: vel Apostoli prædicando. *Et turbatæ sunt aquæ eorum.* Ad sensum fit relatio, non ad vocem: id est, aquæ maris, scilicet populi, vel doctrinæ eorum, quæ infatuatæ sunt, coruscante doctrina Salvatoris; unde: **Absorpti sunt,** etc. Et hæc est virga Moysi, quæ devoravit virgas Magorum.

§§45.5 *Fluminis impetus.* CASS. Diapsalmus. Quia Ecclesia in Christo fundatur, cui gentes et regna subjiciuntur. AUG. Quasi dicat: Ita sævit mare; sed inter hos fluctus et sonitus non timent, qui ad illud refugium confugerunt.

*45.6 *Adjuvabit eam.* CASS. Vel, *vultu,* id est, demonstratione auxilii sui, cum adjuvando se indicat. *Mane.* In ipso boni operis principio; et hoc, *diluculo,* id est, per illuminationem sancti Spiritus, qui est lux quasi diei.

†45.7 *Dedit.* Quasi magnum præmium. *Vocem.* Prædicationem, ad quam tremuit terrenus. Tremet metu iudicis.

⁸ Dominus virtutum nobiscum; susceptor noster Deus Jacob.[‡]

⁹ Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram,[¶]

¹⁰ auferens bella usque ad finem terræ. Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.

¹¹ Vacate, et videte quoniam ego sum Deus; exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.[§]

¹² Dominus virtutum nobiscum; susceptor noster Deus Jacob.]

46 In finem, pro filiis Core. Psalmus.

² [Omnes gentes, plaudite manibus; jubilate Deo in voce exultationis:**

³ quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram.††

⁴ Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.‡‡

⁵ Elegit nobis hæreditatem suam; speciem Jacob quam dilexit.^{¶¶}

⁶ Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ.^{§§}

⁷ Psallite Deo nostro, psallite; psallite regi nostro, psallite.*

⁸ quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.[†]

[‡]45.8 *Dominus virtutum.* Ibid. Breviter definit quid sit Christus. *Nobiscum.* Quasi: Qui misit angelos, jam ipse venit, et est nobiscum, quia nobiscum susceptor; ergo: *Venite*, quasi jam securos vos invito. *Noster.* Non nisi filiorum crucis. *Deus Jacob.* Qui tanta nobis dedit quanta dedit Jacob: non enim illius tantum est Deus.

[¶]45.9 *Venite et videte.* Ibid. Diapsalmus. Magnalia incarnationis. *Posuit.* Quasi signa, ad vocandum populum. *Prodigia.* Ut de partu Virginis, et stella, et cæteris. *Auferens bella.* AUG. Quia per ejus adventum idololatria et superstitio totius orbis perit, vel, tunc temporis pro ejus præsentia orbis pacatus fuit.

[§]45.11 *Vacate.* Ibid. Si combusta sunt arma, *vacate*, non habentes unde pugnetis.

^{**}46.2 *Omnes gentes.* AUG. Quasi diceret: insultant, pueri, dicentes: *Calve, calve*, vos omnes gentes ad quas transivit gratia: *Plaudite*, etc. Gentes ad quas transivit gratia, et quos in priori psalmo ad fidem vocavit, invitat ad laudem.

^{††}46.3 *Excelsus.* HIER. Potens quod vult. *Terribilis.* REMIG. Quia iudicaturus in potestate.

^{‡‡}46.4 *Subjecit populos nobis.* CASS. Hoc hominibus fidelibus convenit, quibus omnes extrinseci subjecti sunt, vel, sibi subjecit nobis associandos. *Populos*, Judæos. *Nobis.* Ibid. Universali scilicet Ecclesiæ; hoc dicere convenit omnibus fidelibus, quibus extrinseci subjecti sunt. *Sub pedibus.* Ibid. Per *pedes*, prædicatores accipe, quibus populi subjecti sunt. AUG. *Sub pedibus.* Sic est exaltata Ecclesia, ut nondum credentes sub pedibus habeat.

^{¶¶}46.5 *Elegit nobis*, etc. Vel in persona Apostolorum, elegit nobis dare hæreditatem suam, multorum populorum, ut colamus eam, gladio prædicationis corda eorum ferientes, et malitiam destruentes. *Hæreditatem.* AUG. Cœlestis hæreditas, pulchritudo est Christiani populi, in qua speciosus erit fulgens ut sol, qui nunc est abjectus. *Speciem Jacob quam*, etc. Id est, similes Jacob vel signatos per Jacob, qui terrena dant pro cœlestibus, ut Jacob fecit, quod fuit gratia Dei, quia *eum dilexit, Esau reprobo.*

^{§§}46.6 *Ascendit.* CASS. Diapsalma ascensio et regnum Dei describitur, unde instanter monet psallere. *In jubilo.* AUG. Gaudium admirantium Apostolorum, etc., usque ad quod nec taceri potest, nec exprimi valet.

^{*}46.7 *Psallite.* CASS. Operibus laudate: valde est salutare quod tam crebro repetitur, quia Deus est qui creat, et rex creata gubernans.

[†]46.8 *Omnis.* Ibid. Non ut Jupiter Cretæ, Mars Thraciæ. *Sapienter.* Docet quomodo sit psallendum. Olim sine sensu psallebant, dum lapides colerent. AUG. Nemo sapienter facit quod non intelligit.

⁹ Regnabit Deus super gentes; Deus sedet super sedem sanctam suam.[‡]

¹⁰ Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.][¶]

47 Psalmus cantici. Filiis Core, secunda sabbati.[§]

² [Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.^{**}

³ Fundatur exsultatione universæ terræ mons Sion; latera aquilonis, civitas regis magni.^{††}

⁴ Deus in domibus ejus cognoscetur cum suscipiet eam.^{‡‡}

⁵ Quoniam ecce reges terræ congregati sunt; convenerunt in unum.^{¶¶}

⁶ Ipsi videntes, sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt.^{§§}

⁷ Tremor apprehendit eos; ibi dolores ut parturientis.^{*}

⁸ in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.[†]

[‡]46.9 *Regnabit.* Ibid. Modo impleta est hæc prophetia: *Deus sedet super sedem sanctam. Sedem sanctam.* AUG. Throni, Virtutes, et sancti.

[¶]46.10 *Principes populorum.* CASS. Primitivi omnium gentium convenerunt credendo in Christo, quia, expulsis Judæis, gentes in filios Abrahæ succedunt, habentes promissionem, quia Judæi superbierunt. HIER., CASS. Vel *dii fortes*, Apostoli scilicet, quos neque mors, neque vita separabit a charitate Christi. *Elevati*, miraculis et doctrina.

[§]47.1 *Psalmus vel laus cantici filiis Core secunda*, etc. AUG. Primo die, fecit Deus lucem, etc., usque ad de qua hic cantatur filiis Core. CASS. De fundatione civitatis, quam commendative describit. AUG. Commendat civitatem, etc., usque ad a stabilitate æterna.

^{**}47.2 *In monte sancto*, etc. Ibid. Hic est mons ille, etc., usque ad super quem fundata est Ecclesia.

^{††}47.3 *Fundatur exsultatione.* HIER. Quasi dicat, quæ prius maledictionibus subjecta, etc., usque ad ipse est Christus, qui per universam Ecclesiam gaudia dilatat. *Mons Sion latera.* AUG. Quicumque alicui hærent, latera ejus dicuntur, etc., usque ad item *ab aquilone pandetur omne malum*, etc.

^{‡‡}47.4 *In domibus.* Vel, in gradibus, id est, secundum gradus meritorum, quia in singulis distinctim dabit cognitionem sui. *Cum suscipiet eam.* Tutandam, et quid opus est? *Quoniam reges contra.* Sed videntes per fidem, sic scilicet quod tam digna est hæc civitas admirati sunt, etc.

^{¶¶}47.5 *Reges.* AUG., CASS. Principes Judæorum. *Congregati.* Ab Herode sciscitante locum nativitatis. *Convenerunt.* Concorditer dicendo: *In Bethlehem Judæ secundum Scripturas.*

^{§§}47.6 *Videntes.* Quæ in prophetis legerant. *Admirati sunt.* De tanta gloria, non leviter vel otiose. *Sed conturbati.* Pro peccato, et *Commoti sunt.* Ad fidem, et tantus fuit pavor, ut corpus tremere.

^{*}47.7 *Ibi dolores ut parturientis*, Pœnitentiæ, videntes ita; sed:

[†]47.8 *In spiritu vehementi*, Herodis. *Conteres naves-Tharsis.* Quia, in Tharso, Ciliciæ naves quæ Magos transposuisse in patriam suam credebantur, confractæ sunt ab Herode. *Tharsis.* AUG. Cilicia regio a Tharso, etc., usque ad decursis omnibus concludit. Ergo:

- ⁹ Sicut audivimus, sic vidimus, in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri:
Deus fundavit eam in æternum.[‡]
- ¹⁰ Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.[¶]
- ¹¹ Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ; justitia plena est dextera tua.[§]
- ¹² Lætetur mons Sion, et exsulent filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.^{**}
- ¹³ Circumdate Sion, et complectimini eam; narrate in turribus ejus.^{††}
- ¹⁴ Ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.^{‡‡}
- ¹⁵ Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.]^{¶¶}

[‡]47.9 *Sicut audivimus. In civitate Domini virtutum*, quia ibi custodes angelos deputat. Repetit. *In civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri*. Id est, Catholica Ecclesia, ne sibi hoc nomen conventus hæreticorum usurpet. Ne autem putetur temporalis, addit: *Deus fundavit eam in æternum*. Non ad horam, ut prius tabernaculum Moysi

[¶]47.10 *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam*. CASS. Agens gratias de adventu Christi, monet de gradibus Ecclesiæ distribuendis, per quos Salvator possit agnosci. *In medio templi*. Jerusalem: gravius accusantur, qui contemnunt eum, qui in medio eorum conspectus est. Per hoc notatur incarnatio Christi, qui secundum quod homo, præsentatus est in templo.

[§]47.11 *Dextera*. CASS. Hac parte justi locantur. AUG. *Suscepimus, Deus*. Quo ordine fundata, vel quod audivimus et vidimus. *Templi tui*. Ibid. Id est, populi non suscipientis misericordiam, qui multis: ut nulla videantur esse grana, sed tamen nonnulla, quia secundum nomen. *Secundum nomen*. CASS. Quod ubique diffusum est, quia nullus est, et si nesciat cultum, qui huic nomini non se subjiciat. *Vel secundum nomen*. Hoc est, sicut reverentia tui nominis, etc., usque ad tua propitiatio justificavit multos, qui omnes laudant.

^{**}47.12 *Lætetur*. AUG. Etsi laborent justi inter spinas, etc., usque ad eorum est modo colligere, Dei est separare. *Mons Sion et exsulent*. CASS. Ecclesia, quæ est in speculatione populi. *Filiæ Judæ propter judicia tua, Domine*. Sanctæ feminae. Per Judam, gens earum ostenditur, quæ est propter Christum, qui de Juda, et hæ exsulent, ut in utroque sexu Ecclesia sit. AUG. Causa lætitiæ judicia futura, ubi se sciunt ad beatitudinem venturas. Qui intus sunt, lætentur; vos qui extra, circumdate.

^{††}47.13 *Circumdate*. Honores exhibendo. *Complectimini eam*. Charitate. *Narrate in turribus ejus. Ponite corda vestra*. CASS. Prædicate aliis in concordia Apostolorum, etc., usque ad ne per lætitiā remissi lentescant.

^{‡‡}47.14 *Virtute ejus*. AUG. Virtus civitatis charitas est, quam nihil vincit; unde Salomon: *Dilectio fortis est ut mors*. CASS. In virtute Ecclesiæ monet ponere corda. *Distribuete domos ejus, ut enarretis in progenie altera*. Id est, officia distincta, etc., usque ad quem primum Dominus elegit.

^{¶¶}47.15 *Quoniam hic est*, etc. Hoc est quod narrandum est, brevis sententia, sed quæ omnia concludit. *In æternum*, contra illos qui temporales homines Deos faciebant.

- 48** In finem, filiis Core. Psalmus. §§
² [Audite hæc, omnes gentes; auribus percipite, omnes qui habitatis orbem.*
³ quique terrigenæ et filii hominum, simul in unum dives et pauper.†
⁴ Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam.‡
⁵ Inclinabo in parabolam aurem meam; aperiam in psalterio propositionem meam.¶
⁶ Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.§
⁷ Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum, gloriantur.**
⁸ Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam,††
⁹ et pretium redemptionis animæ suæ. Et laborabit in æternum;‡‡
¹⁰ et vivet adhuc in finem.
¹¹ Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens et stultus peribunt. Et relinquent alienis divitias suas,¶¶
¹² et sepulchra eorum domus illorum in æternum; tabernacula eorum in progenie et progenie: vocaverunt nomina sua in terris suis. §§
¹³ Et homo, cum in honore esset, non intellexit. Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

§§48.1 *In finem, psalmus*, etc. CASS. Agit Propheta de amatoribus mundi, et Christo redemptore, non illorum, sed contemptorum mundi, ut dejectus in mundo non appetietur elatos. AUG. Qui colunt Deum, etc., usque ad attentos facit ad nova et ad ingentia.

*48.2 *Odite hæc, omnes gentes*. CASS. Nullum excipio, etc., usque ad quando scilicet separabuntur zizania a tritico, oves ab hædis.

†48.3 *Quique terrigenæ*. AUG. Nulli sermonem subtrahō, audiat hæres terræ, propter iudicium: justus, propter regnum.

‡48.4 *Os meum loquetur*. CASS. Commendat dicenda. *Sapientia* ad divinas res, *Prudentia* ad mores instruendos; in his duobus omnis sermo divinus indicatur.

¶48.5 *Inclinabo*. HIER. Humiliabo me veritati intus loquenti, quæ docet loqui in parabolis, ne omnibus pateat.

§48.6 *Cur timebo*. CASS. Incipit narrare quæ promisit, dicens quod Christus non redimet impios; hic propheta, in sua persona generalem agens causam, quærit causam damnationis et timoris malorum, quæ est iniquitas. AUG. Cur timebo? quasi non est quod timeam, cum iniquitatem vitare sit in mea potestate; pro qua tantum timebitur in die novissima, quæ erit mala damnatis, non justis. *Calcanei*. Ibid. Alludit verbis, etc., usque ad id est, opprimet et timere faciet.

**48.7 *Qui confidunt*. Hi, scilicet, qui confidunt, etc., usque ad in quibus adeo stulti sunt.

††48.8 *Frater non redimit*. Si frater, id est Christus, non redimit, etc., usque ad quia talis non dat Deo placationem.

‡‡48.9 *Et vivet adhuc*. Ibid. Post finem vitæ, vivet secundum animam, quia non peribit anima cum corpore, sed dolori salvabitur, usquequo accepto corpore utrinque crucietur.

¶¶48.11 *Non videbit*. Ibid. Id est non intelligit, etc., usque ad cum sapiens transit vitam. Vel, *insipiens*. Ibid. Qui non attendit. *Stultus*. Qui, si attendit, non cavet. *Divitias* CASS. Propter quas fecerunt mala. *Suas*: quæ non secundum Deum.

§§48.12 *Vocaverunt nomina sua*. AUG. Hæredes, qui ad sepulchra mortuorum inebriant se in memoriam eorum, sed nec gutta pervenit ad linguam in inferno ardentis.

*48.13 *Et homo cum*. Et tam in hoc, quam in cæteris, homo non intelligit; vel, inde non est accusandus Deus, non intellexit suam dignitatem, non intelligenter egit, sed comparatus, amissa ratione, jumentis, non in alia re, sed in sapientia.

- 14 Hæc via illorum scandalum ipsis; et postea in ore suo complacebunt.[†]
 15 Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos. Et dominabuntur eorum justi in matutino; et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.[‡]
 16 Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.
 17 Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus:[¶]
 18 quoniam, cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.
 19 Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur; confitebitur tibi cum benefeceris ei.[§]
 20 Introibit usque in progenies patrum suorum; et usque in æternum non videbit lumen.^{**}
 21 Homo, cum in honore esset, non intellexit. Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.]

49 Psalmus Asaph. [Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum.^{††}

² Ex Sion species decoris ejus:^{‡‡}

[†]48.14 *Hæc via*. CASS. Hic jam omnia dicta colligit, in unum. *Via*, id est, vita, quia ducit ad mortem. *Scandalum*. Stimulus et dolor, etc., *usque ad: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. In ore suo complacebunt*. AUG. Cum tales sint, etc., usque ad et peiores sunt apertis malis.

[‡]48.15 *Sicut oves*. CASS. Diapsalmus. Quæ impiis angustia reddenda. Se jactant, sed mihi jam constat quod in inferno positi sunt. Oves, amissa lana, manent, sic in istis, sine consumptione substantiæ, pœna invenit quod cruciet. *Mors*. AUG. Ut Christus vita, ita diabolus mors; qui pastor est eis, ut ovibus, quas trahit ad pascua mortis. *Depascet*. CASS. A similitudine jumentorum, etc., usque ad de pœna ad pœnam ducet. *In matutino*. AUG. Quia modo nox, dum non apparent merita justorum, et quasi felicitas nominatur impiorum. *Veterascet in inferno a gloria eorum*, etc. AUG. Quantam visus est habere gloriam, etc., *usque ad: A gloria sua* expulsi sunt.

[¶]48.17 *Ne timueris*. CASS. Diapsalmus. Admonitio, ne timeantur potentes, qui omnia cum luce relinquunt. Cur enim hæc peccatoribus permissa sint, communis querela est. *Dives factus*. Hæc enim et abjecti habent. *Gloria*. In honoribus sæculi. *Domus*. Quia non solum ipse, sed omnes qui ad eum pertinent.

[§]48.19 *Benedicetur*. Ibid. Non de bono actu, sed de deliciis benedicetur, favore luxuriantium, qui inter epulas pastoribus bene optant. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*. AUG. Despecta confessione, quam prosperitas facit; sed illa est magni meriti, quam non tollit vis doloris.

^{**}48.20 *In progenies patrum*. Ibid. Qui patres sequuntur pessimos, eorum societate damnandi sunt. *Et homo*. CASS. Iterat deformitatem hominis ut malus a malo quiescat.

^{††}49.1 *Psalmus Asaph*. HIER. *Asaph*, Latine congregatio; Græce, synagoga, quæ fidelis hic loquitur, quæ Christum expectat, per quam magis confutantur increduli Judæi. CASS. *Asaph*, vocem Dei inducturus de mutatione sacrificiorum, prius agit de utroque adventu per primum invitans, per secundum terrenis. *Deus Deorum*. CASS. Ne quis mediocriter de incarnatione æstimet, etc., usque ad nuncupative, ut falsi dii, Jupiter, Venus. *Locutus est, et vocavit terram*. AUG. Per se, per præcones. *A solis ortu usque ad occasum*. CASS. Quasi dicat, etc., *usque ad: exhibit de Sion lex, et Verbum Domini de Jerusalem*.

^{‡‡}49.2 *Ex Sion, species decoris ejus*, etc. AUG. Cœpit decus Evangelii, etc., usque ad ut testes essent in Jerusalem et in tota terra.

- ³ Deus manifeste veniet; Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet; et in circuitu ejus tempestas valida.^{¶¶}
- ⁴ Advocabit cælum desursum, et terram, discernere populum suum.
- ⁵ Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.^{§§}
- ⁶ Et annuntiabunt cæli justitiam ejus, quoniam Deus judex est.*
- ⁷ Audi, populus meus, et loquar; Israël, et testificabor tibi: Deus, Deus tuus ego sum.†
- ⁸ Non in sacrificiis tuis arguam te; holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.‡
- ⁹ Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos:¶
- ¹⁰ quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus, et boves.
- ¹¹ Cognovi omnia volatilia cæli, et pulchritudo agri mecum est.§
- ¹² Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ et plenitudo ejus.**
- ¹³ Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?††
- ¹⁴ Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

¶¶49.3 *Ignis in conspectu ejus exardescet et in circumitu ejus.* Ibid. Ante eum præibit; pœna ergo terreat, quos præmia non invitant, etc., usque ad malos comitabitur ad inferos. *Tempesta valida. Advocabit cælum desursum, et terram.* CASS. Non ventus, etc., usque ad prius omnes communiter vocavit, tunc vocabit ut discernat. *Discernere populum suum.* AUG. Primo commistos vocavit a solis ortu usque ad occasum, tunc autem ut discernat.

§§49.5 *Congregate illi sanctos ejus.* Ibid. Videns Propheta futura, etc., usque ad de malis dicitur, *de quo non implevit manum suam. Qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* Ibid.. Novum Testamentum super Vetus, etc., usque ad qui pluris habent opera charitatis quam sacrificia pecudum.

*49.6 *Et annuntiabunt cæli justitiam ejus,* etc. Ibid. Jam cæli nuntiaverunt nobis hanc justitiam Dei, etc., usque ad et si nunc permista, quia *Deus est judex justus.*

†49.7 *Audi, populus meus, etc.* CASS. Vox Christi, ut, relictis sacrificiis pecudum, fiat sacrificium laudis. AUG. Vel, repetit sub alio verbo, Audi sicut Israël, id est, sicut videns Deum, et *Testificabor,* hæc, scilicet, *Deus tuus ego sum. Deus tuus.* AUG. Prius dicit simpliciter: *Sum Deus.* Et postea dicit: *Sum Deus tuus.* Quasi diceret: Etsi non sum Deus tuus, tamen sum Deus. Bono enim meo sum Deus, malo autem tuo non sum Deus tuus. *Sum.* CASS. Esse est proprium Deitatis. *Audi, Israël.* Ibid. Quasi diceret: Si es Israël, id est, si me vides, audire non negligis. Deus ille generalis, Deus tuus proprie.

‡49.8 *Holocausta autem.* AUG. Si anima inflammatur, et membra in usum suum rapit, ne serviant cupiditati: unde præcipitur in Levitico, ut adipem cum renunculis offerant, quibus interna charitas signatur.

¶49.9 *Non accipiam,* etc. CASS. Etsi sic feceris: *Non accipiam de domo tua vitulos,* quasi significatos acciperem, non illos de domo. *Quoniam meæ:* ac si diceret, quia non sunt tua, sed mea. *Quoniam meæ sunt,* etc. AUG. Mea sunt quæ non possides, indomita, scilicet: *Feræ silvarum, jumenta, boves,* etc. CASS. His similitudinibus figurat Ecclesiam, etc., *usque ad: Carnes taurorum* non vult in sacrificiis, sed in pauperibus.

§49.11 *Cognovi omnia volatilia.* AUG. Cum illo sunt omnia, cognitione quadam ineffabilis sapientiæ.

**49.12 *Si esuriero, non.* Ibid. Si hæc datis forsitan esurire putatis, quod est insania?

††49.13 *Nunquid manducabo carnes taurorum?* Olim hæc sacrificabantur, non ideo quod Deus inde delectaretur, sed ne dæmonibus offerentur, et tantum Deo sacrificabantur, in quibus erat aliqua significatio. *Immola Deo.* CASS. Non dicit mihi, sed de se, quasi de alio ut et post: *Peccatori autem dixit, Deus, non ego.*

¹⁵ Et invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me.^{‡‡}

¹⁶ Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas? et assumis testamentum meum per os tuum?^{¶¶}

¹⁷ Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum.^{§§}

¹⁸ Si videbas furem, currebas cum eo; et cum adulteris portionem tuam ponebas.

¹⁹ Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.*

²⁰ Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.[†]

²¹ Hæc fecisti, et tacui. Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, et statuum contra faciem tuam.

²² Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum, nequando rapiat, et non sit qui eripiat.[‡]

²³ Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.]^{¶¶}

50 In finem. Psalmus David,[§]

² cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabée.

³ [Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam; et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.**

^{‡‡}49.15 *Tribulationis*. AUG. Nostra tribulatio proprie est timore salutis, non carnalium.

^{¶¶}49.16 *Peccatori autem*. Ibid. A quibus sacrificium velit, ubi peccatori suæ nequitiae imputantur CASS. Hæc populo suo dixit, etc., usque ad Non enim lectio negatur corrigendis.

^{§§}49.17 *Tu vero odisti*. Ibid. Tu vero ore dicis, sed facto negas disciplinam: si corrigo, murmuras. *Furem, currebas*. Ibid. In his omnia tonat vitia; a parte totum, vel furem sani intellectus Scripturæ. *Adulteris*. Qui ponunt falsum, auferendo verum.

*49.19 *Os tuum abundavit*, etc. Ibid. Accusat conscientiam, et linguam, etc., usque ad non casu alii derogat, sed studio.

[†]49.20 *Sedens*. Ibid. Quod transiens vel stans facit, non cum voluntate facit. *Fratrem*. Ibid. Omnem hominem. *Et adversus filium matris*, Ecclesiæ, cui charitate jungimur. *Ponebas scandalum*, hæreses vel alia quibus innocens capiatur. *Loquebaris adversus*. AUG. Dum detrahit qui doctus videtur, etc., usque ad validioris doctrinæ cibo. *Tui similis*. CASS. Consentiendo malis. *Statuum contra tuam*. AUG. Quod post dorsum posuisti, ante faciem ponam.

[‡]49.22 *Rapiat*. CASS. Deus ad pœnam, et *non sit qui eripiat*. Quando diabolus rapit, Deus eripit; sed cum Deus rapit, nemo valet liberare.

^{¶¶}49.23 *Sacrificium laudis*. CASS. Non quod scelerati cantant, *sacrificium laudis*, non animalium. Et hæc est via ad Deum, scala Jacob, qua *angeli*, id est, fideles, *ascendunt* ad laudem divinitatis, et *descendunt* ad laudem humanitatis. *Illic iter quo*, etc. Ibid. In sacrificio laudis. *Salutare Dei*. AUG. Christus, qui cum gratia venit, quem novit, qui aliquid alii quam gratiæ Dei attribuit.

^{§§}50.1 *In finem psalmus*. CASS. Arguente Nathan, rex non erubuit peccata publice confiteri, etc., usque ad quæ a Deo valet pœnitentibus. *David*. AUG. Proponitur in exemplum, non cadendi, sed, etsi cecideris, resurgendi ne desperes. CASS. Prima est deprecatio, etc., usque ad plena præstatur peccatorum remissio.

^{**}50.3 *Miserere mei, Deus*. Ibid. Hic pœnitentialis psalmus, etc., usque ad quia prævidit per hunc psalmum plures perituros. *Secundum magnam misericordiam tuam*. De gravi peccato desperandum esset, nisi magna misericordia esset. Magna non potest diffiniri quanta sit. *Magnam misericordiam*. Ibid. Magna misericordia Deum de cœlo deposuit, etc., usque ad cum secundum se rogatur Deus ignoscere? *Miserationum*, etc. CASS. Per misericordiam et miserationem petit. Et est misericordia in natura, miseratio in effectu.

- ⁴ Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.^{††}
⁵ Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.^{‡‡}
⁶ Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.^{¶¶}
⁷ Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.^{§§}
⁸ Ecce enim veritatem dilexisti; incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.^{*}
⁹ Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.[†]
¹⁰ Auditui meo dabis gaudium et lætitiā, et exultabunt ossa humiliata.[‡]
¹¹ Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.[¶]
¹² Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.[§]

^{††}50.4 *Amplius lava me.* CASS. Quem modum delendi velit, subdit: *Munda me*, etc. HIER. Sic lava ut mundes, lavantur enim quædam, quæ tamen non sunt pura.

^{‡‡}50.5 *Quoniam iniquitatem.* AUG., CASS. Cujus misericordiam petit ut ignoscat, quia scit justum ut peccata puniat, subdit: Tu ne punias, quia ego punio. *Quoniam iniquitatem meam*, etc. *Contra me.* AUG. Post tergum peccatum habuit, cum rex sententiam in divitem, qui rapuit ovem pauperis dedit, oblitus sui.

^{¶¶}50.6 *Tibi soli peccavi.* HIER. Solus enim ille juste punit, qui non habet in se, quod reprehendatur, hic est inter homines solus Christus. *Tibi soli.* CASS. Quia rex omnibus superior, tantum a Deo puniendus est. *Coram te.* Quia ubique esse scit, unde se arguit, quia eo præsentem peccare non erubuit. *Ut justificeris*, etc. Cujus verba non transeunt, sed implentur. *Vincas cum judicaris.* Deus tantæ justitiæ est, etc., usque ad ut vincat inter se et eum, si judicentur. *Tibi soli.* AUG. Christo nullum habenti peccatum, etc., usque ad eo quod tam graviter Deum offenderat. *Et vincas.* AUG. Vel adeo justus es, ut vincas diabolum, et mortem, et Judæos, cum judicaris: et in judicio, quo judicatus es.

^{§§}50.7 *In iniquitatibus.* CASS. Minuitur invidia peccati, etc., usque ad de uno arguitur et omnia confitetur.

^{*}50.8 *Ecce enim*, etc. AUG. Sic misericordiam dat, ut servet veritatem, ut nec peccata sint impunita ejus cui ignoscit. Ignoscit enim seipsum punienti. Misericordia ergo etiam est quod homo liberatur; veritas quod peccatum punitur. *Veritatem*, etc. CASS. Quia in confitendo, veritatem dixit, quam Deus super sacrificia quærit, supplicat sibi subveniri. *Incerta et occulta.* AUG. Sunt et occulta quod talibus, etc., usque ad unde magis a peccato erat sibi cavendum. *Occulta.* CASS. Ex auctoritate manifestantis, confidentia ablutionis et dealbationis.

[†]50.9 *Asperges me.* CASS. Secunda est confidentia misericordiæ Dei, quæ multum est utilis: ne subrepat desperatio, quæ omnibus peccatis gravior est. *Hyssopo.* Ibid. Immolato sanguine intincta, super corpus leprosi aspergebatur, significans sanguine Christi maculas peccatorum abluendas. AUG. Hyssopus herba humilis, etc., usque ad in quibus est inflatio, sic humilitas superbiam. *Super nivem.* Ibid. Incomparabiliter: unde et in monte vestis Christi fulsit sicut nix.

[‡]50.10 *Auditui meo.* AUG. Nota humilem. Audiam te, etc., usque ad et quia jam humilis jam *exsultant ossa humiliata.*

[¶]50.11 *Averte.* CASS. Ex confidentia securus, petit deletionem omnium peccatorum et plenam restitutionem.

[§]50.12 *In visceribus meis.* Ibid. Unde adulterium exiit. In utrisque partibus, anima et corpore remedium curationis petit, quia in eis peccavit. Sic desiderat expiari, ut videatur nil tale ultra velle committere.

¹³ Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.**

¹⁴ Redde mihi lætitiā salutaris tui, et spiritu principali confirma me.††

¹⁵ Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.‡‡

¹⁶ Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ, et exsultabit lingua mea justitiā tuam.¶¶

¹⁷ Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.§§

¹⁸ Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis.

¹⁹ Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias.*

²⁰ Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.†

²¹ Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta; tunc imponent super altare tuum vitulos.‡‡

51 In finem. Intellectus David,¶

² cum venit Doëg Idumæus, et nuntiavit Sauli: Venit David in domum Achimelech.§

³ [Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?]**

**50.13 *Ne projicias me a facie tua.* CASS. A peccatis faciem averte, sed non me a facie tua, unde lumen et sanitas veniat.

††50.14 *Spiritu principali.* AUG. Notant hic quidam Trinitatem in Deo, qui est spiritus, cum non corpus; per *spiritum rectum*, Filium; *Spiritum sanctum*, suo nomine, per *spiritum principalem*, Patrem. CASS. Spiritum prophetiæ qui sibi omnibus pretiosior est, robor solum petit non auferri, tacens de cæteris.

‡‡50.15 *Docebo.* Ibid. Quid restitutus persolvat; prius plorans, jam fit doctor.

¶¶50.16 *De sanguinibus.* Ibid. Quia multa sunt carnalia peccata, etc., usque ad quæ de corruptione carnis et sanguinis veniunt. *Justitiā tuam.* Ibid. Justitiā laudat, cum pietati deberet gratias agere; sed et justitiæ fuit confitentem suscipere; et hæ duæ res semper in judicio Domini adjunctæ sunt.

§§50.17 *Laudem tuam.* AUG. Quod me creasti; quod peccantem non reliquisti; quod confiteri monuisti; quod mundasti.

*50.19 *Sacrificium Deo.* CASS. Quod illo tempore pro expiatione ponebatur. *Contribulatus* Ibid. Lætus et lascivus spiritus obligat peccato. Sequitur hujus sacrificii promissio: *Cor contritum.*

†50.20 *Benigne fac.* Ibid. Jam gaudens, de ædificatione Jerusalem prophetat, ubi sacrificium justitiæ. *Muri.* Aug. Munimenta immortalitatis nostræ construantur in fide, spe, et charitate.

‡‡50.21 *Tunc acceptabis sacrificium.* Ibid. Modo sacrificium pro iniquitate, etc., usque ad tunc justitia erit sacrificium, *oblationes* minores sancti, *holocausta*, perfecti. *Tunc imponent.* CASS. Sacerdotes, *vitulos* innocentes, etc., usque ad fideles pro tuo nomine patientes, tibi erunt grati. *Altare.* AUG. Cœlestem Jerusalem.

¶51.1 *In finem pro,* etc. HIER., AUG. Dœg prodidit David, etc., usque ad Non est hic oratio pro malis, sed prophetia quid sit eis futurum.

§51.2 *Dœg.* CASS. Adversarius David significat Antichristum, qui totum orbem movebit; qui veniet per signa, et miracula ante adventum judicii, et auxilium a Saule, id est, a diabolo petens, nuntiabit venisse David, id est, Christum in domum Achimelech, id est, ad Ecclesiam, quæ est regnum Patris. *Abimelech.* HIER. Dicit, in Hebræo Achimelech, etc., usque ad ergo Abimelech patris mei regnum, et significat Judæos.

**51.3 *Quid gloriaris in malitia,* etc. CASS. Prima est invectio in Dœg, ut fideles corroboret, contra Antichristum et ejus complices.

- ⁴ Tota die injustitiam cogitavit lingua tua; sicut novacula acuta fecisti dolum.^{††}
- ⁵ Dilexisti malitiam super benignitatem; iniquitatem magis quam loqui aequitatem.^{‡‡}
- ⁶ Dilexisti omnia verba præcipitationis; lingua dolosa.^{¶¶}
- ⁷ Propterea Deus destruet te in finem; evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.^{§§}
- ⁸ Videbunt justi, et timebunt; et super eum ridebunt, et dicent:*
- ⁹ Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua.
- ¹⁰ Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei; speravi in misericordia Dei, in æternum et in sæculum sæculi.[†]
- ¹¹ Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti; et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.^{‡‡}
- 52** In finem, pro Maëleth intelligentiæ David. [Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.[¶]
- ² Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus; non est qui faciat bonum.
- ³ Deus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.[§]

^{††}51.4 *Cogitavit.* Ibid. Levis mens, præceps dictio, non ante cogitat quam loquatur, unde: *In ore stultorum est cor eorum. Sicut novacula,* etc. Ibid. Quæ dum promittit innovationem, incidit ita ille dolosus, Antichristus scilicet, beatitudinem, et occidit.

^{‡‡}51.5 *Dilexisti malitiam,* etc. CASS. Non deserit malum, qui diligit super benignitatem; et si benignitas tangit animum, refugit.

^{¶¶}51.6 *Lingua dolosa.* Ibid. Id est, dolosa verba fallaciæ ministra, aliud in corde gestantium, aliud in ore promentium.

^{§§}51.7 *Propterea Deus.* CASS. De celeri fine iniqui. *Et radicem tuam de terra viventium.* AUG. Radix nostra charitas est, etc., usque ad hic enim pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. Ibid. Radix mali cupiditas, quæ non fructum parit in terra viventium. Vel, loquitur de Antichristo, cujus radix ministri, qui cum eo nihil habebunt cum sanctis.

^{*}51.8 *Videbunt justi.* Ibid. Pro dejectione ejus irrisio. Ibid. *Videbunt justi.* Quid malis sit, etc., usque ad quia plus omnibus aliis malis fideles decipiet.

[†]51.10 *Ego autem,* etc. Ibid. Quomodo contra eum bonus se habeat. CASS. Hucusque vituperatio illius, hic laus contrariæ partis: ecce perfecta demonstratio. *Oliva fructifera.* AUG. Populus Dei oliva, unde fracti sunt superbi rami, id est, Judæi, et insertus est oleaster de gentibus. CASS. Oliva fructifera, de cujus germine Dominus Christus effloruit, qui spirituali oleo perunctus est præ consortibus suis. *In æternum et in sæculum sæculi.* AUG. Quod dixit *in æternum,* repetit *in sæculum sæculi:* ut repetendo confirmet, quam fundatus est in amore regni cælorum.

^{‡‡}51.11 *Fecisti, et exspectabo nomen.* Ibid. Prædicta scilicet, quod sim oliva, quod speravi in misericordia in æternum.

[¶]52.1 *In finem pro,* etc. CASS. Intellectus David prophetæ, etc., usque ad hic de adventu judicii. AUG. Vel pro mahalath, etc., usque ad consolatio in fine psalmi. *Dixit insipiens.* Ibid. Increpatio malorum. Ibid. *Insipiens,* omnis qui male vivit, etc., usque ad ille dicit, non est Deus.

[§]52.3 *Deus de.* CASS. Vel de cælo, id est, per sanctas animas admonuit, ut videat, etc. *Si est,* etc. Ibid. Aut si non intelligit, si saltem est requirens intelligere Deum.

⁴ Omnes declinaverunt; simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.**

⁵ Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis?††

⁶ Deum non invocaverunt; illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.‡‡

⁷ Quis dabit ex Sion salutare Israël? cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israël.]¶¶

53 In finem, in carminibus. Intellectus David,
² cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos?§§

³ [Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.*

⁴ Deus, exaudi orationem meam; auribus percipe verba oris mei.†

⁵ Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.‡

⁶ Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ.¶

⁷ Averte mala inimicis meis; et in veritate tua disperde illos.§

⁸ Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

**52.4 *Omnes declinaverunt.* Ibid. Congruus ordo. Prius declinant; tunc inutiles; inde non est qui faciat bonum.

††52.5 *Nonne scient.* Ibid. Comminatio malorum per finem. AUG. Minatur illis, etc., *usque ad.* Sed merito hoc eis, quia:

‡‡52.6 *Deum non invocaverunt.* Ibid. Consolatur gementes, ne prosperantes imitentur, quia *Deum non invocaverunt*, unde cito perituri sunt, consolatio fidelium. *Ossa eorum qui hominibus placent.* CASS. Boni sibi displicent, dum carnem castigant: placent mali. *Confusi sunt.* Ibid. Id est, confundentur, separabuntur, ut generaliter legatur de omnibus malis, sed Israël salvabitur.

¶¶52.7 *Quis dabit ex,* etc. AUG. Salus autem parturienti Ecclesiæ.

§§53.2 *Ziphæi.* HIER., AUG. Florentes interpretantur, etc., usque ad monet in adversis Deum laudare.

*53.3 *Deus, in nomine.* AUG. Inter Ziphæos orat. AUG., HIER. Hic salva in nomine, post non timeo judicari in virtute. AUG. Deus in nomine, verba Ecclesiæ latentis inter Ziphæos, cujus bonum intus est, et merces occulta, alii aliis petunt liberari: ego in tuo nomine.

†53.4 *Deus, exaudi.* CASS. Item Deus, nomen potentiæ, repetit ne tardet auxilium. *Percipe,* AUG. Ziphæi ea etsi audiunt, non tamen intelligunt, qui non nisi temporalia noverunt.

‡53.5 *Alieni.* AUG. Ziph viculus erat, qui pertinebat ad tribum Juda, unde Ziphæi.

¶53.6 *Ecce enim.* CASS. Diapsalmus. Quid sibi et Ziphæis faciat Deus unde solvit laudes. *Adjuvat.* AUG. Quod ipsi nesciunt inter quos lateo; sed hoc quod me adjuvat viderent, si Deum ante oculos ponerent.

§53.7 *Averte mala inimicis.* Ibid. Vel averte, pro convertendis præcatur: et hæc est hostia quam pro liberatione solvit. *In veritate.* AUG. Vel secundum aliam litteram: *In virtute,* perde quos in tua infirmitate tolerasti. *Voluntarie sacrificabo.* Ibid. Quia propter se, non propter aliud, quod ab eo velim. Qui propter aliud laudat, ex necessitate laudat; si illud haberet, non laudaret. *Mihi autem,* et quæ dedit propter dantem placent.

⁹ Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos despexit oculus meus.]

54 In finem, in carminibus. Intellectus David. **

² [Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam:††

³ intende mihi, et exaudi me. Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum‡‡

⁴ a voce inimici, et a tribulatione peccatoris. Quoniam declinaverunt in me iniquitates, et in ira molesti erant mihi.

⁵ Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me.¶¶

⁶ Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ.§§

⁷ Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?*

⁸ Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.†

⁹ Expectabam eum qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, et tempestate.‡

¹⁰ Præcipita, Domine; divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.¶

**54.1 *In finem in carminibus.* AUG. *Intellectus.* Magna cura debet intelligere Ecclesia, etc., usque ad qui pro molestis civium fugit in solitudinem.

††54.2 *Exaudi, Deus, orationem meam.* CASS. Oratio, præmissa contra mala, vel fluctus sæculi. *Ne despexeris deprecationem.* Ibid. Si enim Deus dat temporalia alicui petenti, ejus tamen oratio ei non est accepta, quia caret debito fine.

‡‡54.3 *In exercitatione,* etc. AUG. Omnis malus vivit, vel ut corrigatur, vel ut per eum bonus exerceatur. *Conturbatus sum a voce inimici.* AUG. In ipsa pugna, dum et inimicos vult diligere, et abundante militia incipit odisse, et ita incipit in fluctibus mergi. HIER. Conturbatus. Vel, conturbatus sum a voce inimici, qui me Samaritanum et dæmonium habentem dicebant.

¶¶54.5 *Cor meum conturbatum.* CASS. Lege carnis, animus turbatur in me, non exit a me

§§54.6 *Timor et tremor.* Ibid. Proprietas mortis est, ut eam prius timeamus, unde contremiscamus. *Contexerunt me tenebræ.* HIER. *Tenebræ* sunt mali homines, qui persequuntur Ecclesiam, et qui contegunt ipsam: qui odit fratrem, in tenebris est.

*54.7 *Quis dabit mihi pennas sicut?* AUG. Sed in hac infirmitate quid ait? *Quis dabit mihi pennas?* Vult ad tempus separari a tot scandalis, ne peccata infirmus augeat manens inter ea. *Sicut columbæ,* etc. Ibid. Non sicut corvo, etc., *usque ad sed manere necesse est propter vos,* et sic est meritum ex desiderio. CASS. Columba. Vel columba emissa inveniens lutosa ad arcam reversa, sic Christus inveniens lutosa corda Judæorum avolavit ad gentes.

†54.8 *Ecce elongavi.* CAS. Illud tangit, quod Christus vitabat, persequentes, ut occasionem iræ demeret, et manebat in desertis orans: in quo docebat nos in secreto conscientiam orare et quiescere, cum a malis premimur. *Et mansi in solitudine,* gentium; unde: *Lætetur disertum, et floreat tanquam lilium.* Et alibi: *Lætare, sterilis, quæ non parit* Isai. 35. Ibid. 34..

‡54.9 *Expectabam eum.* Diapsalmus. Jam in solitudine salvus sperat auxilium Dei, et imprecatur civibus. CASS. Expectabam ut ex persona Christi legatur in solitudine, non ex me securus præsidium patris *sustinui, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus,* ne caderem vel cederem malis in passione, *a tempestate* ne irascerer.

¶54.10 *Præcipita.* CASS. Ne muniant cogitationes machinando. *Divide.* Ibid. Ne sit superba unitas, ne malitia habeat effectum. *In civitate.* Hæc est civitas de qua per prophetam Dominus: *Ego Deus et non homo, et civitatem non ingredior.* Est tamen alia, quam Deus inhabitat, de qua dicitur: *Non potest abscondi civitas supra montem posita.*

- ¹¹ Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas; et labor in medio ejus,[§]
¹² et injustitia: et non defecit de plateis ejus usura et dolus.**
¹³ Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui
oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.^{††}
¹⁴ Tu vero homo unanims, dux meus, et notus meus:^{‡‡}
¹⁵ qui simul mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulavimus cum con-
sensu.^{¶¶}
¹⁶ Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes: quoniam nequitiae in
habitaculis eorum, in medio eorum.^{§§}
¹⁷ Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.
¹⁸ Vespere, et mane, et meridie, narrabo, et annuntiabo; et exaudiet vocem meam.*

[§]54.11 *Et labor in medio ejus*, etc. AUG. Jam labor in medio, quia iniquitas: quies autem in humilitate.

**54.12 *Usura*, etc. Ibid. Quia plus exigit in injuria. Vel qualibet re, quam accepit, non dimittit, ut sibi dimittatur.

††54.13 *Quoniam si inimicus*. CASS. Exprobratio Judæ, dum ex persona Christi legitur; vel, hucusque de apertis inimicis egit Ecclesia, jam nunc de occultis. *Abscondissem me forsitan ab eo*, etc. Ibid. Magna patientia ita locum daret verbis, ut se absconderet ne videret adversarium.

‡‡54.14 *Tu vero, homo*. AUG. Olim, quia aliquando bonum consilium dedisti. *Unanims*. CASS. Quia inter Apostolos fuit dux, ad castella et vicus præmissus. *Notus*, quia præcivit traditorem, ut sic Christus specialiter contra Judam loquitur. HIER. Vel sic, generaliter contra quemlibet virum Judaicum, etc., usque ad legis instituta vel buccellam. *Unanims*. AUG. Qui aliquando bene monuisti; *Dux*: feci te duces super populum meum. *Notus*, de eadem gente. *Notus meus*. *Qui simul*. Ibid. Qui in eadem Ecclesia mecum fuisti.

¶¶54.15 *Cibos*. CAS. Corporales, qui solis iniquo poterant esse dulces. Solet vir iniquitatis comessionibus mitescere, unde huic gravior culpa.

§§54.16 *Veniat*. Ibid. Sicut supra apertis, ita hic occultis imprecatur. Et ne putetur unus de quo agebat, communicat poenas Judæis, id est, communiter Judæis cum aliis imprecatur. AUG., HIER. *Veniat mors*. Tangit hic initium schismatis, etc., usque ad et loquitur in eadem voce Christus et Ecclesia. AUG. *Veniat*: Ut super illos, qui initium schismatis fuerunt et sese superbi separaverunt, venit nova mors; aperuit enim terra, et vivos absorpsit. *Descendant in infernum viventes*. Ibid. Ut duces terra absorpsit, etc., usque ad ita hi scienter peccantes descendunt. *Viventes*. Ibid. Scientes quia pereunt, et tamen pereuntes terrenæ cupiditatis biatu absorbeantur. *In habitaculis*. Alienæ sunt, non naturales, sed hospitio susceptæ, quasi adventitiæ, vel prius *in habitaculis*, id est, in occulto, post *in medio*, id est in aperto. *Ego autem*, etc. CASS. Affirmat, quid sibi et illis fiat, alternatim procedendo.

*54.18 *Vespere et mane*. HIER. Quia salvavit, ideo vespere, quo captus; *mane*, quo judicatus; *meridie*, quo crucifixus. *Narrabo*, præterita opera. *Nuntiabo*, virtutes et opera quæ faciat: et ideo exaudiet, etc. AUG. *Vespere*. De præteritis *narrabo*, etc., usque ad contra illos qui non amant pacem, quia amavi pacem. CASS. Narrare, ad vesperam pertinet, quo dixit omnia quæ Judas disponebat. *Nuntiare* de mane, quando dixit Pilato: *In hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati*.

¹⁹ Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.[†]

²⁰ Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante sæcula. Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum.[‡]

²¹ Extendit manum suam in retribuendo; contaminaverunt testamentum ejus:[¶]

²² divisi sunt ab ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius. Molliti sunt sermones ejus super oleum; et ipsi sunt jacula.[§]

²³ Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem justo.^{**}

²⁴ Tu vero, Deus, deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos; ego autem sperabo in te, Domine.]^{††}

55 In finem, pro populo qui a sanctis longe factus est. David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.^{‡‡}

[†]54.19 *Appropinquant mihi.* Nomine, non numine; corpore, non mente; numero, non merito. *Quoniam inter multos erant mecum.* HIER., AUG. *Quia in multis, mecum,* id est, baptismo Evangelii, lectione, festis et hujusmodi, sed non in paucis, mecum. In omnibus sacramentis mecum, sed non in fide, spe et charitate, sine qua nihil sunt omnia. AUG. Vel, *in multis,* id est, in paleis, etc., usque ad ita et illi in multis mecum.

[‡]54.20 *Exaudiet Deus,* etc. CASS. *Ad meridiem,* quando emisit Spiritum. Ecce quanta breviter mysteria: vel, *salvabis mane, et vespere, et meridie:* unde non ingratus *narra,* et *annuntia,* et *ipse exaudiet,* etc. *Humiliabit illos qui est ante sæcula.* Ibid. De superbia, ut credant. Vel *humiliabit* ut tollat locum et gentem. *Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum, extendit manum suam in retribuendo,* etc. AUG. Quia sensus perfidorum incommutabilis.

[¶]54.21 *Contaminaverunt:* CASS. quia illi contaminaverunt et divisi sunt: armantur amplius justi, liberantur infirmi, qui curam habent in Deum.

[§]54.22 *Ira.* Ibid. Vindicta iudicii, etc., usque ad suis appropriat. *Cor.* AUG. Voluntas secreta Dei, quæ in Scripturis continetur. *Molliti sunt sermones.* CASS. Vel ideo hoc illis, quia mollierunt sermones adulando, qui sunt *jacula* dum dicunt: *Reus est mortis.* AUG. Sed si tibi puero qui lacte minoris doctrinæ nutritis adhuc duri sunt, ne irascaris uberibus Ecclesiæ; sed jacta in Dominum, non alium qui portus est, vel saxum navi, non portus fluctuati in sæculo. *Ipsi sermones,* etc. CASS. Quia molliti non perdunt virtutem, sed eis armantur evangelistæ, et feriunt corda hominum ad amorem pacis, et a perplexis hæreticorum quæstionibus liberant infirmos.

^{**}54.23 *Curam tuam.* Ibid. Cura sæculi, etc., *usque ad: ita viri tristitia nocet cordi. Fluctuationem.* Et si hic, verba fluctuationis fuerunt: *Contristatus sum in exercitatione,* etc.

^{††}54.24 *Tu vero,* etc. AUG. Hi tunc non fluctuabunt, etc., usque ad Væ! qui peccant et non pœnitent. *Dies suos, ego autem,* etc. Ibid. Voluntarios non a Deo constitutos.

^{‡‡}55.1 *In finem,* etc. AUG. *Populus, qui a sanctis longe fit in tituli inscriptione:* cui contradicit tam Judæus, quam omnis qui non vult habere regem Christum; et ipsi, qui tribulant Ecclesiam: contra quos hic psalmus confirmat Ecclesiam. *In tituli inscriptione ipsi David cum tenerent eum.* Tituli inscriptio, etc., usque ad persecutores qui Ecclesiam, sicut uvas, calcant. *Allophyli.* Idem quod *populus qui a sanctis longe factus est. Geth,* id est, in torculari. Legitur David, etc., usque ad sed, cum premitur, sterilis non est.

- ² [Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo; tota die impugnans, tribulavit me. ^{¶¶}
- ³ Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversum me.
- ⁴ Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo. ^{§§}
- ⁵ In Deo laudabo sermones meos; in Deo speravi: non timebo quid faciat mihi caro.
- ⁶ Tota die verba mea execrabantur; adversum me omnes cogitationes eorum in malum. ^{*}
- ⁷ Inhabitabunt, et abscondent; ipsi calcaneum meum observabunt. Sicut sustinuerunt animam meam, [†]
- ⁸ pro nihilo salvos facies illos; in ira populos confringes. [‡]
- ⁹ Deus, vitam meam annuntiavi tibi; posuisti lacrimas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua. [¶]
- ¹⁰ tunc convertentur inimici mei retrorsum. In quacumque die invocavero te, ecce cognovi quoniam Deus meus es. [§]

^{¶¶}55.2 *Miserere mei, Deus.* CASS. Orat Ecclesia, summatim tangens tribulationes, in quibus per spem Dei *finit* se non timere, id est, in fine primæ partis dicit se non timere. *Impugnans tribulavit me,* etc. AUG. Homo visibiliter: diabolus invisibiliter, unde periculosior est tribulatio.

^{§§}55.4 *Ab altitudine.* CASS. *Altitudo diei,* mundus, ubi superbiæ tumor: ut gravior sit tribulatio, dicit se a superbis conculcari. AUG. *Ab altitudine.* Alia littera, etc., usque ad non ait: Non timebo, sed, *sperabo* in te. *Diei Dies,* Christus est, cujus duodecim horæ, duodecim sunt Apostoli: unde ipse ait: *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Hujus *diei altitudinem* inimici non possunt attingere, unde in passione Christi: *Tenebræ factæ sunt.*

^{*}55.6 *Tota die,* etc. CASS. Enumerat mala, quæ sustinendo fit et inimicorum conversio, unde et per spem Dei dicit se non timere, sicut prius fecerat.

[†]55.7 *Inhabitabunt.* AUG. Vel, aliqui ex his qui longe a sanctis, etc., usque ad si enim falsa dicunt de te, cælum non auferunt, nec isti nocent.

[‡]55.8 *Pro nihil.* Ibid. Quia nullus inde tibi labor, quasi nihil inde tibi sit, quia, etsi desperati, tamen verbo curas; vel pro nullis eorum meritis, sed gratis per pietatem. *In ira populos confringes,* dum per flagella Dei resipiscunt, vel dum iram Dei prævident. *In ira populos confringes.* Quia terres tribulationibus, etc., usque ad et ira consumptionis, qua mali puniuntur ad preemptionem.

[¶]55.9 *Deus, vitam meam annuntiavi tibi.* Triplex vita hominis: naturæ, qua vivimus et spiramus; gratiæ, qua in Christo vivimus; peccati, quæ in vitiis agitur. Duæ sunt a Deo, quia bonæ, vita scilicet naturæ, et vita gratiæ: tertia est ab homine, quia mala. Has omnes Deo annuntiare debemus. CASS. *Deus, vitam. Confringes,* et ego ad institutionem eorum vitam meam ante, quæ semper mala. Vitam Deo nuntiat, qui peccatum confitetur: non Deum docens, sed se damnans, ut solvatur. *Posuisti lacrymas,* etc. AUG. Piæ lacrymæ, quæ pro inimicis rogant: et ideo acceptæ Deo, sicut ipse promisit.

[§]55.10 *In quacumque die,* etc. CASS. Sive in pueritia, sive in media ætate, sive in fine vitæ. Mira clementia, quæ quodlibet tempus conversionis nostræ exspectat, et quandocumque rogatur, indulget! *Deus meus es, tu.* AUG. Etsi omnium, meus proprie, qui mihi subvenit, quem colo et amo. Alii alieni sunt.

¹¹ In Deo laudabo verbum; in Domino laudabo sermonem. In Deo speravi: non timebo quid faciat mihi homo. ^{**}

¹² In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam, laudationes tibi: ^{††}

¹³ quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu, ut placeam coram Deo in lumine viventium. ^{]‡‡}

56 In finem, ne disperdas. David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam. [¶]

² [Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. ^{§§}

³ Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.

⁴ Misit de cælo, et liberavit me; dedit in opprobrium conculcantes me. Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam, ^{*}

^{**}55.11 *In Deo laudabo verbum.* Ibid. Verbum, id est, doctrinam et sermonem; quidquid loquar, laudabo in Domino, id est, ei attribuum: et si quid urget speravi, et ideo non timebo. AUG., HIER. Vel, in Deo Patre Verbum, id est Filium, quia quidquid de Patre, et Filio dicitur secundum substantiam, et de Spiritu sancto. Hoc de potentia Verbi dicitur, qua est æternum et consubstantiale Patri, et postea de humanitate, subdit: *In Domino*, id est, in Christo, qui Verbum caro factum est. *Laudabo sermonem*, etc., id est, prædicationes, quibus regulam vivendi et salutem mundo dedit. Hæc duo prædicat iste, potentiam verbi, et humanitatem Christi. *In Deo laudabo.* Vel ita, ut Trinitas naturæ personaliter per tria verba, quæ ponit. *In Deo Patre laudabo Verbum*, id est, Filium; *In Domino*, id est, in Spiritu sancto *laudabo sermonem*, id est, Filium.

^{††}55.12 *In me sunt.* Intus, quæ a nobis nunquam recedunt; *Vota laudationis* quæ in æternitate reddentur. CASS. *In me sunt.* Ecclesia jam de malis sæculi libera in futura beatitudine, vel etiam hic, laudem Dei cantaturam se dicit.

^{‡‡}55.13 *Quoniam eripuisti.* CASS. Vel de futuro potest accipi sic, etc., usque ad ubi etiam perfecte Deo placet, unde addit: *Ut placeam*, etc.

[¶]56.1 *In finem.* AUG. Psalmus de resurrectione et passione breviter. Hoc agit psalmus *ne*, tu, Pilate, vel tu quicumque, *corrumpas David*, etc., negando regem, quia tectus carne fugit a cognitione Judæorum Ibid. Nullus titulus inscriptus est David, etc., usque ad ubi latuit Christus incognitus Judæis

^{§§}56.2 *Miserere mei.* CASS. Propheta in persona Domini, quia in eo Dominus, quasi inter mala, exclamat, et prædicat liberationem. CASS. Christus secundum quod homo orat, de passione ita humilis, ut unus de fidelibus clamare putetur. *Et in umbra.* Vox corporis adjungitur capiti: et loquens in persona membrorum et sua, quomodo possit liberari dicit, *misit Verbum.*

^{*}56.4 *Misit Verbum de cælo.* AUG., HIER. De occulta essentia sua, etc., usque ad quem putabant se exstinxisse. *Misit de cælo.* HIER. Diapsalmus. Jam declarat quid misit et de quibus eripuit, et loquitur in persona membrorum. *Liberavit.* Ibid. Quia jam *Misit Verbum*, certum est, quasi jam sit qui *liberavit*, id est, liberabit: et *dedit*, id est, dabit *in opprobrium conculcantes me. Misit Deus.* AUG. Verbum, in quo misericorditer egit, in quo et promissiones implevit. *Misericordiam*, quia ex misericordia pro nobis mortuus est. *Veritatem*, quia, ut prædixit, surrexit, ad justificandos nos. *Misericordiam suam*, etc. HIER., AUG. Utraque enim in eo continentur. Si enim sola fuisset misericordia, licentia esset nobis peccandi; si sola veritas, non potuisset homo sustinere.

⁵ et eripuit animam meam de medio catulorum leonum. Dormivi conturbatus. Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.[†]

⁶ Exaltare super cælos, Deus, et in omnem terram gloria tua.[‡]

⁷ Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.[¶]

⁸ Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo, et psalmum dicam.[§]

⁹ Exsurge, gloria mea; exsurge, psalterium et cithara: exurgam diluculo.^{**}

¹⁰ Confitebor tibi in populis, Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus:

¹¹ quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.^{††}

¹² Exaltare super cælos, Deus, et super omnem terram gloria tua.]

57 In finem, ne disperdas. David in tituli inscriptionem.^{‡‡}

² [Si vere utique justitiam loquimini, recta iudicate, filii hominum.^{¶¶}

[†]56.5 *Dormivi*. AUG. Alta quiete facile excitandus: *Conturbatus* passione, *dormivi*. David non dormivit in spelunca, sed Christus in morte. CASS. Conturbatus, secundum carnem passionis memoria et angustia, unde; *Tristis est anima mea*, etc. *Et cœpit Jesus tædere et pavere. Filii hominum*. Rectus ordo est: filii hominum laqueos paraverunt; sed interserit qualiter turbaverint. *Lingua*. Voces illæ Crucifige, crucifige, et hujusmodi, etiam fecerunt mortem, ut gladius acutus Matth. XXVI; Marc. 14..

[‡]56.6 *Exaltare*. Ibid. Ex persona prophetæ visis injuriis, visoque quod in resurrectione inanes facti sunt Judæi, gaudens exclamat homo in cruce: *Exaltare, Deus super, cælos*, ut iudicet in terra Judæos. *Exaltare*. Superiora Dominus, propheta quidem, sed in persona Domini, quia Dominus in propheta loquitur. Quando etiam ex sua persona loquitur propheta, Dominus per eum loquitur, qui ei dictat. AUG. *Exaltare*. Verba Christi. Sed, o Pater, etc., usque ad quia totus mundus ei subjectus est.

[¶]56.7 *Laqueum paraverunt*. Interposita exaltatione, cœptam narrationem exsequitur. *Pedibus* CASS. Domini sunt increpationes malorum, et promissiones fidelium, quibus *dolos paraverunt*, ut de adultera. *Incurvaverunt*, dum eis compatiens sterilis reddebatur ab eis. *Ante faciem meam foveam*, etc. Dum in os ejus dixerunt: Reus est mortis.

[§]56.8 *Paratum*. Ibid. Diapsalmus. Post resurrectionem laudes promittit. Vel, paratum ad agendas gratias quod ibi ostendit *cantabo*.

^{**}56.9 *Exsurge, gloria mea*. Ibid. Et ideo, o caro, quæ es causa gloriæ meæ, *Exsurge*, potenter, quasi ad miraculum faciendum congratulatio, qui certus, unde idem affirmando, repetit. *Exsurge* dico, quia certus sum et de hora, quia *exurgam diluculo*. *Exsurge, psalterium et cithara*. AUG. Una caro Christi surrexit, etc., usque ad surrexit ergo *psalterium et cithara*, et confitetur Domino.

^{††}56.11 *Ad cælos*. Ibid. Qui supra nubes, ubi sedes angelorum, etc., usque ad cælos misericordia ascendit.

^{‡‡}57.1 *In finem ne disperdas David in tituli*, etc. CASS. Monet ne quis Christi regno contradicat. Prima est exprobratio Judæorum, ne similia faciamus.

^{¶¶}57.2 *Si vere utique justitiam loquimini*. AUG. Omnibus facile est loqui justitiam, etc., usque ad quia rex vester sum, ut titulus ait: *Recte*. Judæi sic de Christo iudicaverunt, ut fecte de eo locuti probentur.

- ³ Etenim in corde iniquitates operamini; in terra injustitias manus vestræ concinnant.^{§§}
- ⁴ Alienati sunt peccatores a vulva; erraverunt ab utero: locuti sunt falsa.*
- ⁵ Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas,[†]
- ⁶ quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter.[‡]
- ⁷ Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum; molas leonum confringet Dominus.[¶]
- ⁸ Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens; intendit arcum suum donec infirmantur.[§]
- ⁹ Sicut cera quæ fluit auferentur; supercecidit ignis, et non viderunt solem.
- ¹⁰ Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes sic in ira absorbet eos.^{**}
- ¹¹ Lætabitur justus cum viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatoris.^{††}
- ¹² Et dicet homo: Si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra.]^{‡‡}

§§57.3 **Manus vestræ.** Cor sequitur manus: quidquid vis, et non potes, Deus factum putat. **Concinnant.** Vel connectunt, scilicet, aliud alii adjungentes, etc., usque ad unde flagello de resticulis cecidit Dominus ementes et vendentes in templo.

*57.4 **Alienati sunt peccatores a vulva.** Vel, alienati sunt a vulva Ecclesiæ, etc., usque ad abortivi excutiuntur.

†57.5 **Furor illis.** Ibid. Non laudatur ipsa res a Scriptura, undecunque datur similitudo, ut de iniquo iudice, qui rogantem viduam vix audivit. **Surdæ et obturantis.** CASS. Non solum non faciunt, sed nec audire volunt. AUG. **Terra,** præsentia, quibus delectatur homo; **cauda,** præterita.

‡57.6 **Venefici incantantis.** Ibid. Vel secundum aliam litteram: **Medicamenti medicati a sapiente.** Medicamentum medicatum, etc., usque ad hic est ergo sapiens a quo medicatur medicamentum.

¶57.7 **Deus conteret.** CASS. Quæ eis retributio. AUG. Aspides, Judæi, dum insidiosa tentabant; leones, dum mortem inclamaverunt; horum **Molæ fractæ,** quando surrexerit Christus. **Dentes.** Dolosa verba. **In ore.** Verbis suis capiet eos. **Molas leonum confringet Dominus.** **Ad nihilum devenient:** Inclamationes mortis. **Confringet,** ne ad effectum veniant; quod exponit. **Ad nihilum,** dicens.

§57.8 **Tanquam aqua.** Ibid. Torrentibus etiam comparantur, quia sonantes ad saxa superbæ improvisi sunt et præcipites, sed cito transeunt. Tot malis comparantur. **Intendit arcum.** Vindicta donec intus et extra infirmantur, et auferantur, a conspectu Dei, missi in gehennam, hic in præsentia, a terra sua.

57.10 **Priusquam spinæ. Ibid. Id est, peccata intelligant. **Rhamnum,** id est, acutam damnationem, in extremo ignis vitiorum absorbet eos, id est, devorat. **Rhamnum.** Genus herbæ prius mollis, sed quæ post in spinas vertitur: sic et peccata modo delectant, sed post pungunt. **Sicut viventes, sic,** etc. Quia non vera, sed falsa est impiorum vita: videntur vivere, nec vivunt. **Sic in ira absorbet eos,** quia Deus tranquillus judicat, vel quia non est ira comparatione futuræ.

††57.11 **Lætabitur justus cum viderit vindictam** CASS. Correctio justorum de ultione iniquorum.

‡‡57.12 **Et dicet homo.** AUG. Sicut justo Dei iudicio fit, etc., usque ad et quia ignis absorbet malos, ergo est **Deus judicans eos** in terra.

58 In finem, ne disperdas. David in tituli inscriptionem, quando misit Saul et custodivit domum ejus ut eum interficeret.^{¶¶}

² [Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.^{§§}

³ Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me.

⁴ Quia ecce ceperunt animam meam; irruerunt in me fortes.*

⁵ Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine; sine iniquitate cucurri, et direxi.[†]

⁶ Exsurge in occursum meum, et vide: et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israël, intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.[‡]

⁷ Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.[¶]

⁸ Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit?[§]

⁹ Et tu, Domine, deridebis eos; ad nihilum deduces omnes gentes.**

¹⁰ Fortitudinem meam ad te custodiam, quia, Deus, susceptor meus es:^{††}

¹¹ Deus meus misericordia ejus præveniet me.

^{¶¶}58.1 *In finem ne.* CASS. Frustra tentat aliquis disperdere quod toties divina prohibet auctoritas. *Ne disperdas.* AUG. Cum Pilatus dixit: *Quod scripsi, scripsi,* etc., usque ad et famam habere in omnibus gentibus. CASS. Orat primo liberari ascendendo ab imis ad alta: orat etiam pro salute gentium. AUG. Loquitur hic integer Christus, scilicet caput et corpus.

^{§§}58.2 *Eripe.* Ibid. Dum qui sine macula est, hoc petit, quid necessario petamus, ostendit. *De inimicis.* CASS. Quatuor genera sunt adversariorum, etc., usque ad de his ergo ait: *Eripe me,* etc.

*58.4 *Fortes.* AUG. Etiam sunt, qui præsumunt de justitia sua, etc., usque ad sed *sperantes in divitiis prævaluerunt in vanitate sua.*

[†]58.5 *Iniquitas.* CASS. Malivolentia: *peccatum,* operis.

[‡]58.6 *Exsurge.* AUG. Quia dormire videris, *In occursum.* Quasi curro ad te merendo: Et tu, occurre mihi, id est, redde pro merito. *Vide.* Ibid. Id est, fac videri quomodo ad te curro, etc., usque ad postquam vidisti me mori, credis me patri æqualem.

[¶]58.7 *Convertentur.* CASS. Diapsalmus. Orata salus gentium affirmatur, et oraturo Judæorum salus. *Ad vesperam,* id est, serius post ascensionem et missum Spiritum, etc., usque ad jejuno bis in sabbato. *Circuibunt.* AUG. Munient Ecclesias contra hæreticas impugnationes. Et, ecce in manifesto loquentur.

[§]58.8 *Et gladius.* Ut mactent et manducent. *Quoniam quis audivit?* Quasi nullus, ita omnes mirabuntur, etc., usque ad ad nihilum deduces vel convertes. *Gladius.* Ibid. Hic est gladius bis acutus utroque incidens Testamento, quo mactat Petrus reptilia sibi in disco ostensa, quando dictum est ei: *Surge, Petre, macta et manduca.*

**58.9 *Deridebis eos ad nihilum.* Ibid. Eos dicentes, *Quis audivit?* quare? Quia pro nihilo habebit convertere omnes gentes, quia omnes gentes Christianæ futuræ sunt; et dicitis, quis audivit?

^{††}58.10 *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es, Deus.* Ibid. Etsi possem perdere Judæos, qui irruerunt in me fortes; permitto tamen eos vivere, servans fortitudinem ad te, id est, ad tuam dispositionem.

- ¹²Deus ostendet mihi super inimicos meos: ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus, Domine:‡‡
- ¹³delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum; et comprehendantur in superbia sua. Et de execratione et mendacio annuntiabuntur^{¶¶}
- ¹⁴in consummatione: in ira consummationis, et non erunt. Et scient quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ.
- ¹⁵Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.^{§§}
- ¹⁶Ipsi dispergentur ad manducandum; si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.*
- ¹⁷Ego autem cantabo fortitudinem tuam, et exultabo mane misericordiam tuam: quia factus es susceptor meus, et refugium meum in die tribulationis meæ.†
- ¹⁸Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es; Deus meus, misericordia mea.]

‡‡58.12 *Ostendit.* Ibid. id est, quantam circa me habeat misericordiam demonstravit mihi in illis, circa quos non habet; unde Apostolus: *Sustinuit vasa iræ apta, et ad interitum, in multa patientia, ut notas faceret divitias suas in vasa misericordiæ* Rom. 9.. *Ne occidas.* Potest de Judæis accipi, etc., usque ad ostenditur quæ misericordia sit *insertis.* CASS. Consideranti quid de eis sit agendum, si non sint testes legis et mortis Christi. *Ne quando obliviscantur.* AUG. Etsi non modo obliti sunt, cum non sint testes legis et mortis Christi. *In virtute tua.* Quia tu fortis, non ipsi. *Depone,* ibi fuit opprobrium omnibus. Vel, depone eos in eo quod mali sunt, ut boni surgant: ut in Paulo, quia non surgeret Paulus, nisi prius caderet Saulus Act. 9..

¶¶58.13 *Delictum oris eorum.* Ibid. Non eos, sed *delictum* occide, ut, resuscitatum quem perdere voluerunt, paveant. CASS. *Et comprehendantur* conversi; quia factum eorum, etc., usque ad facinus vero delevit venia. *In superbia.* AUG. Superbia comes est invidiæ: nec fieri potest ut superbus non invideat: unde et diabolus invidet homini. *Et de execratione.* Vel maledicto, quod putastis maledictum, etc., usque ad quia in his deprehensi sunt. *Annuntiabuntur in consummatione.* Vel, annuntiabuntur consummationes, id est, prædicabitur ab Apostolis: Ubi abundavit delictum exercitationis et mendacii, superabundavit gratia perfectionis; et pertinuit ad medicinam humilitatis et infirmitatis hominis. *In ira consummationis.* Est enim ira, id est, vindicta Dei *consummationis,* quia aliquando vindicat Deus, ut perficiat; est et *consumptionis* ut cum dicit: *Ite, maledicti, in ignem æternum.* *Et scient.* Antea enim iusti sibi videbantur Judæi: sed ostenditur eis, quod non sine Christo, qui dominatur Jacob: et deposita superbia, sciunt se pares gentibus, quia omnes peccaverunt.

§§58.15 *Convertentur ad vesperam.* CASS. Diapsalmus. Affirmatur salus Judæorum, et utroque pariete collecto grates aguntur.

*58.16 *Murmurabunt.* Ibid. Vel, *murmurabunt,* id est, dolebunt, quod etiam nunc tantum dispergentur; vel, *murmurabunt* contra pigros, id est, increpabunt alios nolentes credere.

†58.17 *Ego autem.* Ibid. Concluditur hic psalmus, ubi utroque pariete in angulari lapide conjuncto jam tota Ecclesia gaudet. *Et exultabo.* Transactis temporibus cum nox sæculi transierit, ut et Christus mane surrexit: unde *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.* Apostoli, vespere fleverunt mortuum, mane ad resurgentem exultaverunt. *Misericordiam.* Quia totum gratis das: cum multa dixerit, non tamen omnia, in hoc uno omnia comprehendit.

- 59** In finem, pro his qui immutabuntur, in tituli inscriptionem ipsi David, in doctrinam,[‡]
- ² cum succendit Mesopotamiam Syriae et Sobal, et convertit Joab, et percussit Idumaeam in valle Salinarum duodecim millia.
- ³ [Deus, repulisti nos, et destruxisti nos; iratus es, et misertus es nobis.[¶]
- ⁴ Commovisti terram, et conturbasti eam; sana contritiones ejus, quia commota est.
- ⁵ Ostendisti populo tuo dura; potasti nos vino compunctionis.[§]
- ⁶ Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus; ut liberentur dilecti tui.^{**}
- ⁷ Salvum fac dextera tua, et exaudi me.^{††}
- ⁸ Deus locutus est in sancto suo: lætabor, et partibor Sichimam; et convallem tabernaculorum metibor.^{‡‡}
- ⁹ Meus est Galaad, et meus est Manasses; et Ephraim fortitudo capitis mei. Juda rex meus;^{¶¶}
- ¹⁰ Moab olla spei meae. In Idumaeam extendam calceamentum meum: mihi alienigenae subditi sunt.^{§§}

[‡]59.1 *In finem pro his.* AUG. In historiis non legitur, etc., usque ad hominem ad fidem; terrenos, ut vivant coelestes. BASIL. et THEOD. Hæc regum historia describit. Prævidet autem populum prævaricatorum, captivum abducendum, et poenitentem reducendum. Ideo inscripsit: *Pro iis qui mutabuntur. Doctrinam.* AUG. *Mutantur* in doctrinam, etc., *usque ad Edom* terrenus vitam in coelestem. *Et percussit.* Cum percussit Edom gladio spiritus, etc., usque ad docet beatam esse contritionem per quam probat commutandos ad æterna.

[¶]59.3 *Deus, repulisti nos.* CASS. Primo referuntur percussiones factæ pro æternis poenis vitandis: *Repulisti.* In Adam. *Et destruxisti* ab immortalitate. Quia *iratus es* pro peccatis, et tamen *misertus*, per filium, sic quod commovisti ab errore: *Et turbasti*, poenitentiam: ut ergo cœpisti, perforce, sana.

[§]59.5 *Ostendisti.* AUG. Mutato enim homine in melius, etc., usque ad ferre adversa usque in finem. *Dura.* CASS. Id est, temporis miserias, quæ nobis per charitatem sunt delectabiles, et per infirmitatem carnis graves. *Vino*, id est, tribulatione, qua purgatur patiens, ut vulnus vino: *Vino*, spirituali, unde non vitia, sed compunctio.

^{**}59.6 *Arcus.* AUG. Quanto plus retro tenditur, tanto impetuosius sagitta in priora fertur, id est, quanto magis differtur iudicium, tanto gravius venturum est. *Et liberentur.* CASS. Diapsalmus. De liberatione quam precatur et affirmatur, pro qua gratæ sunt percussiones.

^{††}59.7 *Dextera tua.* AUG. Ut stemus ad dexteram, etc., usque ad de terrenis non nisi utiliter.

^{‡‡}59.8 *Deus locutus est.* Ibid. Hac fiducia oro, quam Deus in Christo promisit, etc., usque ad vox est Ecclesiæ: *Lætabor. Sichimam.* Interpretatur *humeri*, id est, onus Christi, etc., usque ad alii jugum Christi ferant. *Convallem tabernaculorum:* propter oves Jacob signat Judæos, qui etiam dividuntur; quia alii credunt, alii non, id est, de Judæis habeo non paucos.

^{¶¶}59.9 *Manasses.* Ibid. Vel, Manasses omnis ille qui, oblitus prioris vitæ, etc., *usque ad: et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis. Ephraim.* Fructificatio: et hæc est *fortitudo capitis*, id est, Christi: granum enim moriens virtutem in se habet, ut fructum faceret.

^{§§}59.10 *Moab olla spei meae.* Ibid. Filiæ male utentes patre, etc., usque ad cum charitas ardet contra ollam iniquitatis. CASS. *Moab olla spei meae.* Vel per *Moab*, etc., usque ad unde spes mihi vitæ est. HIER. *Olla*, unde: *Ollam succensam ego video*, etc., *usque ad:* Ab illo ergo tribulationum olla in Ecclesia ebullit.

¹¹ Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?*

¹² nonne tu, Deus, qui repulisti nos? et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris?†

¹³ Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

¹⁴ In Deo faciemus virtutem; et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.]

60 In finem. In hymnis David.

² [Exaudi, Deus, deprecationem meam; intende orationi meæ.

³ A finibus terræ ad te clamavi, dum anxietetur cor meum; in petra exaltasti me. Deduxisti me,‡

⁴ quia factus es spes mea: turris fortitudinis a facie inimici.

⁵ Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula; protegar in velamento alarum tuarum.¶

⁶ Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam; dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.§

⁷ Dies super dies regis adjicies; annos ejus usque in diem generationis et generationis.**

⁸ Permanet in æternum in conspectu Dei: misericordiam et veritatem ejus quis requirit?

⁹ Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.]

*59.11 *Civitatem munitam*. CASS. Futuram Jerusalem. *In Idumæam*, id est, usque ad terrenos, ut impleto numero simul ad beatitudinem veniret.

†59.12 *Non egredieris*. AUG. Sed intus operaberis, et sic melius deducet, quia sic videtur non pro temporali vita pugnare, sed pro futura.

‡60.3 *Clamavi dum anxietetur*. CASS. In anxietate, etc., usque ad sequitur clamoris exaudito in petra Christo. *Exaltasti me*. AUG. De imo vitiorum. CASS. Et exaltatum deduxisti. AUG. *In petra*, et ideo non vincor; *Exaltasti*: per exemplum istius magna spes audiendi præstatur aliis. *Deduxisti* Ibid. *me*, per te *viam*, ad te *veritatem et vitam*.

¶60.5 *Inhabitabo*. CASS. De beneficiis Dei confidit, ut contra pericula mundi in tabernaculo Dei tutus perseveret. *In sæcula*. Quousque sæcula peragantur; quia etsi multi contra: *Protegar in velamento*. *Protegar in velamento alarum*. Quæ nec onerant, et omnem læsionem avertunt. In sæcula, non unus homo usque in sæcula, sed Ecclesia, quæ usque ad finem mundi accollit in terra, et nunquam eradicatur per adversa.

§60.6 *Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem*, etc. Ibid. Diapsalma. Jam audita de hæreditate habita vel habenda, affirmat, unde laudes promittit. *Dedisti*. Nec dicam, dabis: adeo certus sum, quasi jam essem in ipsa.

**60.7 *Dies super dies*. AUG. Quidquid vis dicis de æternitate, etc., usque ad sed regnent cum illo sancti in æternum. Vel *dabis hæreditatem*. CASS. Hanc scilicet, quia super dies, Christi, etc., usque ad quia rex ille permanet in æternum, sic et illi. *Misericordiam et veritatem*. AUG. *Misericordia* est, quia non meritis, sed bonitate peccata dimittit, et vitam promittit. *Veritas*, quia non fallit, sed reddit quod promisit. *Misericordiam* sequi debemus circa infirmos et circa inimicos. *Veritatem*, non peccando, ut sit justus. CASS. *Misericordiam et veritatem*. Est hic conclusio psalmi, etc., *usque ad: quis requirit ei?* AUG. Ut non quærat aliquis discere hæc in libris, et post sibi vivat, non illi.

61 In finem, pro Idithun. Psalmus David.††

² [Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.‡‡

³ Nam et ipse Deus meus et salutaris meus; susceptor meus, non movebor amplius.

⁴ Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos, tamquam parieti inclinato et maceriae pulsæ.¶¶

⁵ Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere; cucurri in siti: ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant. §§

⁶ Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.*

⁷ quia ipse Deus meus et salvator meus, adjutor meus, non emigrabo.

⁸ In Deo salutare meum et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.†

⁹ Sperate in eo, omnis congregatio populi; effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.‡

††61.1 *In finem pro Idithun.* AUG. *Transiliens*, videns tot occurrentia, Deo se subdit, qui altior eo; et inferioribus se, quasi de alto respondet increpando. *Transiliens*, invidis respondet, volentibus decipere.

‡‡61.2 *Nonne.* Ibid. Hoc est, *non veniat mihi pes superbiæ. Non movebor amplius*, hoc est, *et manus peccatoris non moveat me. Deo subjecta* semper, nil præter eum cupiens. Erit quidem, quia *ab ipso salutare meum*, a Patre Filius auctor salutis, quia et Deus, ne minor putetur.

¶¶61.4 *Quousque irruitis.* Ibid. Vel, secundum aliam litteram: *Quousque apponitis*, et idem sensus. Apponunt enim mali *super hominem*, id est, super Ecclesiam, onera passionum: ut usque in finem impleat quisque fidelis in corpore suo quod deest passionum Christi. *Universi vos.* CASS. Vel, secundum aliam litteram: *Omnes vos*, quasi vos omnes interficitis hominem illum, quantum ad hominem, non *omnes* unum, sed Ecclesiam; sed quia Deus susceptor non movebor. AUG. *Quousque*, a sanguine Abel, etc., usque ad non scilicet quod est *fundator altissimus. In hominem.* CASS. In corpus potestas vobis data est, non in animam. *Irruitis.* Non leviter, sed interficitis innocentem; putatis quod sine defensore sit, et quod facile corruat, ut paries inclinatus, qui etiam non impulsus caderet. *Et quasi maceria*, quæ est constructio saxorum sine ligamine cæmenti; et ne de ipsa novitate firmam putes, addit *impulse*, vel, non est vobis irruendum, quia vos ipsos interficitis universi, etiam consentientes.

§§61.5 *Pretium.* CASS. Christum, ne coleretur, vel, beatitudinem tollere. *Cogitaverunt.* AUG. Nota diversa genera hostium, etc., usque ad de hac propheta ait: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas. Cucurri in siti.* Quia etsi semper eos bibit, tamen semper sitit ultra. *Ore suo.* Quia nequeunt per aperta mala, tentant per blanda.

*61.6 *Verumtamen Deo*, etc. CASS. Diapsalma. Item se, id est, animam suam subijci hortatur, et admonet reliquos. *Subjecta est anima mea.* Hæc petitio menti nostræ robur infigit.

†61.8 *In Deo, salutare meum.* Ibid. Tunc salvus et gloriosus in eo: modo quid? ipse Deus auxilii.

‡61.9 *Sperate.* Ibid. Sua fide vulgata monet omnes, qui superstitionibus laborant, sperare in Domino. *Effundite.* AUG. Per lacrymas cor effunditur, etc., *usque ad:* Unde, *Punge oculum, et producit lacrymam; punge cor, et producit scientiam* Eccl. 22.. *Corda*, etc., pravæ cogitationes.

¹⁰ Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.[¶]

¹¹ Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere; divitiæ si affluant, nolite cor apponere.[§]

¹² Semel locutus est Deus; duo hæc audivi: quia potestas Dei est,^{**}

¹³ et tibi, Domine, misericordia: quia tu reddes unicuique juxta opera sua.]

62 Psalmus David, cum esset in deserto Idumææ.^{††}

² [Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea; quam multipliciter tibi caro mea!^{‡‡}

³ In terra deserta, et invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.^{¶¶}

⁴ Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.^{§§}

[¶]61.10 *Verumtamen vani.* HIER. Vel, sic junge, Deus est adjutor noster; et licet sic cooperetur nobis, tamen filii Adæ sunt vani et mendaces in statera, pervertentes Scripturas, quibus probent falsa. CASS. Diapsalmus. Errantes exprobrat, et monet in Deo, non in caducis, confidere, quod psalmus intendit. **Mendaces in stateris.** Qui iniquis ponderibus ementes decipiunt, vel justii videri volunt, cum sint fallaces. **In stateris.** In libra justitiæ, quo facilius decipiunt. **In idipsum,** quo credentur æqui.

[§]61.11 *Nolite sperare in.* AUG. Quasi diceret: Nec speretis, nec cupiatis, quæ congregata ab aliis rapiuntur. **Nolite,** sitiens convertit se ad eos. **Nolite. Rapinas.** Prædam quam vis rapere, in muscipula est, tenes et teneris; tenes, alienum scilicet, et teneris a diabolo. O lucra damnosa! invenis pecuniam, perdis justitiam. **Affluant. Nolite cor.** CASS. Non dicit: Nolite habere, non enim damnat divitias, unde mercamur cœlum; sed cor appositum, quod non expendit, sed recondit.

^{**}61.12 *Semel locutus est.* AUG. **Nolite cor apponere.** Cur? quia *potestas* judicandi est Dei filii, etc., usque ad nec pro potestate de misericordia desperetur. **Potestas Dei est:** non est potestas cuiquam nisi a Deo æquo, etsi te lateat æquitas.

^{††}62.1 *Psalmus David.* CASS. Loquitur de Ecclesia, quæ in ariditate sitit sæculi, et misericordiam expetit, donec æterna capiat, docens bene conversari in medio pravæ nationis. AUG. Psalmus ex persona capitis et membrorum; vox ipsius nostra est, et nostra ipsius est.

^{‡‡}62.2 *Deus, Deus meus, ad te de luce,* etc. Ibid. Quomodo se habeat in deserto, scilicet sponsa, Deum videre desiderat, quem et laudat, et id amplius agere optat. **Deus.** Ibid. Communis **Deus meus** quodam modo specialiori; vide affectum piæ deprecationis per hanc geminationem. **De luce.** Vel diluculo, quando surrexit Christus, ut tunc laudet eum Ecclesia quando exemplo suæ resurrectionis eam ad surgendum animavit. **Vigilo,** dummodo dormio, non amans quæ mundi sunt. CASS. Et sitio animo et corpore. **De luce.** AUG. Non enim vigilares; nisi lux oriretur, quæ te excitaret. **Sitivit in te anima mea:** et hic caro Deo, dum ab eo quærit hic necessaria.

^{¶¶}62.3 *Deserta.* Ibid. Ubi nullus sanctorum habitat. **Invia,** quia non est qua inde exeas. **Inaquosa,** quia nec, dum ubi moraris, est ibi aqua. Sed Deus hic fecit viam Christum, et misit aquam Verbi sui Spiritu sancto implens prædicatores: **Ut fieret in eis fons aquæ salientis in vitam æternam** Joan. 4.. **Sic in sancto apparui tibi ut viderem,** etc. AUG. Cui non apparet Deus sit in sancto desiderio, etc., usque ad Sol enim sua luce facit nos videre, ita et Deus.

^{§§}62.4 *Super vitas.* Ibid. Humanitatis, quæ multæ sunt, ut militis, agricolæ et cæterorum: melius est quod das correctis, quam quod eligunt perversi. **Labia mea.** Post beneficia Dei: laudem promittit. **Laudabunt,** ad proximum, de quo etiam sollicitor, quia nisi misericordia tua me præveniret, te laudare non possem, et sicut labiis, sic benedicant in vita. Vel sic, **Quia super vitas.**

⁵ Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas.*

⁶ Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum.[†]

⁷ Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te.[‡]

⁸ Quia fuisti adjutor meus, et in velamento alarum tuarum exsultabo.[¶]

⁹ Adhæsit anima mea post te; me suscepit dextera tua.

¹⁰ Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam: introibunt in inferiora terræ;[§]

¹¹ tradentur in manus gladii: partes vulpium erunt.**

¹² Rex vero lætabitur in Deo; laudabuntur omnes qui jurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.]^{††}

63 In finem. Psalmus David.^{‡‡}

² [Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor; a timore inimici eripe animam meam.^{¶¶}

³ Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.^{§§}

⁴ Quia exacuerunt ut gladium linguas suas; intenderunt arcum rem amaram,*

⁵ ut sagittent in occultis immaculatum.

* 62.5 *Sic benedicam*. Ibid. Ut dedisti per misericordiam laudare te, *sic benedicam*, ut misericordiæ tribuam vitam, in qua laudo. *In nomine tuo levabo manus meas*. Ibid. Levat manus qui, bonis operibus insistens, tensis manibus in figura crucis, Deum adorat; unde Apostolus: Levantes puras manus in oratione, sine ira et disceptatione.

[†] 62.6 *Adipe*. Ibid. In intestinis. Pinguedo in carne, id est, sapientia, quæ in abscondito et fortitudo spiritus. *Levabo manus*. Ibid. In Exod. Moyses, dum levaret manus ad Dominum, etc., usque ad pro terrenis operatur, vincitur ab Amalech.

[‡] 62.7 *Si memor fui*. CASS. Exponit bona malaque utriusque partis, etc., usque ad nisi qui in Christo operatur. CASS. *In matutinis*, id est, in luce Christi, ut supra *de luce vigilo ad te*, ut filius lucis, id est Christi, ad lucis auctorem vigilet, ad Deum.

[¶] 62.8 *Adjutor*, etc. AUG. In periculis Idumææ, etc., usque ad quia *me suscepit* a periculis *dextera tua*, id est propitatio.

[§] 62.10 *Ipsi vero in vanum quæsierunt animam*. Rex vero. Confert in his duobus versibus bona et mala diversarum partium. *In inferiora terræ*. CASS. Quia non ad cælos eveci sunt. A terra sorbentur malæ cogitationes, quia de terra natæ, in ima terræ, quasi in cœnum, vergunt.

** 62.11 *Partes vulpium erunt*, etc. CASS. Principium sæculi, etc., usque ad dum se dolosis prava voluntate jungunt.

^{††} 62.12 *In Deo*. CASS. Patre, unde: *Ego in Patre, et Pater in me. Jurant*, non per eum, ne imperet juramentum, sed in eo, promittendo ei obsequium.

^{‡‡} 63.1 CASS. Psalmus iste breviter agit, etc., usque ad ut in passionibus speremus in Domino. AUG. Ut caput nostrum, ita nos in tribulationibus rogemus.

^{¶¶} 63.2 *Exaudi, Deus, orationem*. Ut exaltes, *et eripe*, quia deprecor. *A timore inimici*. CASS. Sed non a timore mortis.

^{§§} 63.3 *Protexisti me*. AUG. Hoc in capite factum, quod et membra experiuntur: hoc exemplo reliqui firmantur.

* 63.4 *Quia exacuerunt ut gladium linguas*. Vel qui scilicet malignantes et operantes iniquitatem. *Arcum*. Occultas insidias, ut per discipulum, quod est res amara, ut conviva sit proditor. *Amaram*.

- ⁶ Subito sagittabunt eum, et non timebunt; firmaverunt sibi sermonem nequam. Narrauerunt ut absconderent laqueos; dixerunt: Quis videbit eos?[†]
- ⁷ Scrutati sunt iniquitates; defecerunt scrutantes scrutinio. Accedet homo ad cor altum,[‡]
- ⁸ et exaltabitur Deus. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum,
- ⁹ et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. Conturbati sunt omnes qui videbant eos,[¶]
- ¹⁰ et timuit omnis homo. Et annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.[§]
- ¹¹ Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde.]**

64 In finem. Psalmus David, canticum Jeremiæ et Ezechielis populo transmirationis, cum inciperent exire.^{††}

[†]63.6 *Subito sagittabunt.* Ibid. Insidiose, quasi nescientem ut eis videtur qui se credunt Deum fallere. *Non timebunt.* Ibid. O cor durum! occidere hominem, qui mortuos suscitabat, et inde non timere. *Firmaverunt.* CASS. Obstatione, non veritate, sermonem. *Reus est mortis:* vel, *Expedit ut unus moriatur. Sibi.* Ibid. Non Domino, sed sibi, cum dicunt: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros. Ut absconderent.* Mos malorum; qui dolum parat, putat se fallere.

[‡]63.7 *Scrutati.* CASS. Quomodo accusarent justum, vel quomodo perderent, ne mundus post eum iret. AUG. Scrutina, id est, acerba et occulta consilia; sed quanto acutius cogitant, tanto plus deficiunt a veritate et æquitate, et in tenebras merguntur: quia cum non vident Deum, putant se non videri a Deo. *Accedet homo.* CASS. Nam qui scrutatur iniqua, etc., usque ad sed in corde hominis grandescit. AUG. Scrutati, sed frustra, quia sponte accedet homo ad passionem. *Ad cor altum.* Ibid. Erat ei, quia hoc faciebat secundum altum consilium. *Sagittæ parvulorum factæ.* CASS. Enumeratam pravitatem irridet Judæorum, qui magis turbati sunt nuntiata resurrectione, justi lætati.

[¶]63.9 *Conturbati.* Ibid. Fuerunt illi qui, salutis suæ consilium quærentes, dixerunt: *Quid faciemus, viri fratres?*

[§]63.10 *Et timuit omnis.* AUG. Si timet homo, non terreat homo, quin annuntiet, sicut Apostoli, quibus comminaverunt principes sacerdotum, dicentes, ne prædicarent in nomine Jesu. *Et facta ejus intellexerunt.* Ibid. Cur passus? cur non descendit de cruce? quia moriendum erat et resurgendum: quod tunc non fuit intellectum.

**63.11 *Lætabitur justus in Domino.* CASS. Conclusio ex prædictis, et ostenditur promissio justorum. *Omnes.* Ibid. Ne putes de solis Apostolicis dici.

^{††}64.1 *In finem.* AUG. Prophetavit Jeremias XXV, 29. post septuaginta annos rediturum populum. Inter captivos erat Ezechiel et alii prophetæ. Completis septuaginta annis restitutum est templum. Figura est nostri, qui de Babylonia ad Jerusalem suspiramus, de sæculo et corpore peccati ad cælum. *Jeremiæ.* AUG., HIER. Excelsus; et significat eos, qui dicunt: *Nostra conversatio in cælis est. Aggæus,* festus. Illos significat, qui sunt spe gaudentes, qui in reliquiis cogitationum diem festum agunt Domino; *Ezechiel,* roboravit me Dominus, et significat illos, qui sunt roborati in Domino; hi prophetaverunt reditum in Jerusalem. *De populo transmirationis.* AUG. Id est, qui transmigravit de cælo ad terram, de perfectione ad miseriam et confusionem. *Cum inciperet.* Ibid. Incipit exire, qui incipit amare; charitas civem facit Jerusalem, cupiditas Babylonis; et sic ergo corpore permisti, desiderio sunt separati. CASS. Consolatio in exsilio; ne quis desperet: quia certificat reditum, et per quem, et quæ divitiæ reversis. Affirmat reditum, et precatur.

² [Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem.‡‡

³ Exaudi orationem meam; ad te omnis caro veniet.¶¶

⁴ Verba iniquorum prævaluerunt super nos, et impietatibus nostris tu propitiaberis.‡‡

⁵ Beatus quem elegisti et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ; sanctum est templum tuum,*

⁶ mirabile in æquitate. Exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe.†

⁷ Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia;‡

⁸ qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus. Turbabuntur gentes,¶

‡‡64.2 *Te decet.* Non deos gentium et non alibi, nisi in contemplatione, id est, fide, et ibi de bonis operibus *reddetur votum*, in cœlesti Jerusalem, quod illi solvebant Marti post prælia, et cæteris diis in hunc modum. *Sion.* Patria cœlestis est Sion, eadem est Jerusalem.

¶¶64.3 *Exaudi orationem meam.* CASS. Prius facit quod a cæteris faciendum dicit, scilicet, *exaudi. Omnis caro.* AUG. Id est, homo, id est ex omni genere: pauperes, divites, viri, feminæ, docti, indocti, pueri, senes.

‡‡64.4 *Verba iniquorum.* CASS. Qua spe hoc oras? quia *ad te omnis caro veniet*, non solum anima, sed etiam malus homo. Necesse est ut audias. Verba enim iniquorum, diaboli et primitivorum parentum Adæ et Evæ. *Prævaluerunt.* Id est, in exilium projecerunt, vel pagani, ritus suos filiis suis suaserunt, sed propitiaberis in hostia Christi. AUG. *Verba iniquorum*, id est, malos ritus et mores parentum nostrorum qui ut ætate, ita auctoritate præstant pueris secuti sumus. *Propitiaberis.* AUG. Propitiatio fit per sacrificium, quod sacerdos Christus obtulit. Idem est ergo sacerdos et hostia.

*64.5 *Beatus quem elegisti,* etc. CASS. Et beatus omnis ille quem elegisti a massa perditorum. *Non vos me elegistis, sed ego vos* Joan. 15., et assumpsisti in sortem tuam, in æternam requiem. AUG. Vel sic, propitiaberis per beatum virum: etc., usque ad quæ non possunt dici. *In bonis.* CASS. Quæ bona sunt, sanctitas in se, æquitas ad proximum. *Templum.* Ecclesia, vel caro Christi.

†64.6 *Mirabile.* AUG. Non in exterioribus, ut domus terræ, sed in justitia, quæ pulchrior interiori oculo et amabilior quam modo debemus esurire, ut tunc ea satiemur. *In æquitate.* CAS. Cum unicuique digna retribuet, cui et dicit: *Exaudi nos, qui es Salvator. Spes omnium.* Laudes Dei, et virtutes describit. *Et in mari longe.* AUG. Ideo longe, quia in mari. Mare dicitur in figura sæculi amari falsitate iniquitatum, et tempestuosi procellis tentationum, ubi pisces invicem se devorant.

‡64.7 *Præparans montes.* AUG. Ad usus competentes. *In virtute tua.* Quia per eos fecit miracula. Quomodo præparavit? Accinctus potentia, id est Deitate, quia humanitas Verbi majestate præincta est, ut quod homo non habuit, Deitas daret. *Accinctus.* Ibid. Christus in medio undique cinctus, quia omnes illum communiter habemus qui in eum credimus, sed quia fides non a nobis, sed ab eo, potentatu suo cinctus dicitur.

¶64.8 *Qui conturbas profundum maris.* Ecce qui per illos paratos fecit, conturbans ad pœnitentiam. Profundum maris, non superficiem, sed corda profundius mersa, vel corda principum. Hæc conturbata sunt, cum viderent et deos suos et spes suas ad nihilum venire. *Sonum.* AUG. Sonantes contradictione, fluctuantes persecutione, etc., usque ad dum istos plus diis suis valere cernunt.

⁹et timebunt qui habitant terminos a signis tuis; exitus matutini et vespere delectabis.[§]

¹⁰Visitasti terram, et inebriasti eam; multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum est aquis; parasti cibum illorum: quoniam ita est praepratio ejus.^{**}

¹¹Rivos ejus inebria; multiplica gemimina ejus: in stillicidiis ejus lætabitur gemitans.^{††}

¹²Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate.

¹³Pinguescent speciosa deserti, et exsultatione colles accingentur.^{‡‡}

¹⁴Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento; clamabunt, etenim hymnum dicent.]^{¶¶}

65 In finem. Canticum psalmi resurrectionis. [Jubilate Deo, omnis terra;^{§§}

²psalmum dicite nomini ejus; date gloriam laudi ejus.

§64.9 *Matutini et vespere.* AUG. Mane est prosperitas, quia lætum est mane post tristitiam noctis. Vespere adversitas; in his tentatur homo, sed datur ei exire inde, ne lucris capiatur, cui divitiæ sunt Deus: ne adversis terreatur, pro quo passus est Dominus. *Delectabis.* Delectabiles facies jam in vita hac. Si enim non delectet hominem ipse exitus, non laborat inde exire, sed capitur lucris, cui non placet promissio Christi. Et terretur adversis, quem non delectat ille qui pro eo voluit pati, ut faceret exitum ei.

**64.10 *Visitasti terram et inebriasti eam.* Per prædicatores hoc facies, nam intus doces quibus prædicant. *Flumen.* Profundi ad recipiendum repletum est aquis, donis Spiritus sancti, tu enim parasti cibum. *Flumen Dei.* CAS. Misericordia Dei pleno fluvio comparatur, etc., usque ad sicut ab eo disponitur, sine quo nihil ibi fit.

††64.11 *Rivos ejus.* Apostolos et alios, qui de flumine biberunt. *Inebria,* ut sibi et aliis sufficiant. *Multiplica,* ut per successiones prædicatio non deficiat. *Coronæ anni,* totus mundus, ubi Ecclesia. *Rivos ejus.* Ibid. *Parasti,* etc. Et, o Domine, etc., usque ad quo crescit Verbum Dei. *Coronæ anni.* Ibid. Quia gloria victoriæ est vincenti diabolus. *Benignitatis tuæ,* etc. AUG. Ne quis gloriatur de meritis suis. *Campi tui replebuntur.* CAS., AUG. Homines, propter æqualitatem, id est, justi. *Colles,* quia Deus erigit humiles *Desertum:* omnes gentes, quibus nullus propheta missus.

‡‡64.13 *Pinguescent speciosa deserti.* Quando Apostoli ad eas venerunt, per quos decoræ factæ sunt.

¶¶64.14 *Valles.* Ibid. Humiles populi multum fructum afferent. *Clamabunt.* Ibid. Non in blasphemia, sed in hymno, inde abundant frumento. Psalmus iste in exsequiis fidelium decantatur, quia agit de reditu a Babylonia hujus mundi ad patriam coelestem, ad quam sancti in obitu de carne educti, feliciter migrant, stolam simplam recipientes, donec in resurrectione geminæ beatitudinis stola glorificentur.

§§65.1 *In finem.* AUG. Judæi ex legis justitia sperabant sibi bona temporalia, et resurrectionem, etc., usque ad pro fide gentium ad eandem spem resurrectionis vocaturum. *Jubilate Deo, omnis terra,* etc. CAS. Primo monet omnes de resurrectione Christi gaudere, quæ omnibus dat vitam.

- ³ Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua, Domine ! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.*
- ⁴ Omnis terra adoret te, et psallat tibi; psalmum dicat nomini tuo.
- ⁵ Venite, et videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum.†
- ⁶ Qui convertit mare in aridam; in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso.‡
- ⁷ Qui dominatur in virtute sua in æternum; oculi ejus super gentes respiciunt: qui exasperant non exaltentur in semetipsis.¶
- ⁸ Benedicite, gentes, Deum nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus:§
- ⁹ qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit in commotionem pedes meos.**
- ¹⁰ Quoniam probasti nos, Deus; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.††
- ¹¹ Induxisti nos in laqueum; posuisti tribulationes in dorso nostro;
- ¹² imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.‡‡

*65.3 *Date gloriam.* AUG. Non ut Judæi, qui meritis suis dant justitiam, et invident gentibus gratiam. *Quam terribilia.* Ibid. Si gaudes et time, ne quod datum est humili auferatur superbo: sicut factum est Judæis. Ne ergo insultes fractis ramis, sed time, ne forte nec tibi parcat. *Opera tua, Domine.* CAS. Breviter mysteria incarnationis dicit opera, quod Deus homo, quod passus, mortuus, et hujusmodi. *In multitudine virtutis tuæ.* AUG. Hic innuit resurrectionem ad quam, exclusis mendacibus Judæis, adhibentur gentes. BEDA. Resurrexit Dominus; multi crediderunt in eum, etc., usque ad per gratiam biberunt. *Mentientur.* Opera sunt terræ, quæ inimici mentiuntur, contra mentientes, *omnis terra adoret,* etc. AUG. *Mentientur.* Solent mentiri inimici, etc., usque ad adoret omnis terra.

†65.5 *Venite.* CAS. Diapsalma. Incipientes ad opera Dei consideranda invitat, ut una fides jungat, quos unum præmium expectat: ubi exponens illa opera, aperte dicit resurrectionem pertinere ad gentes, repressis Judæis.

‡65.6 *Qui convertit.* Ibid. Opera, in quibus terribilis, et quæ sunt ea, subdit: *Qui convertit mare.* In flumine Jordani ad litteram, mystice in labenti mundo. *In flumine.* Ibid. Licet remissa sint peccata, tamen in decursu mortalitatis adhuc sunt, non enim mox immortalitas. *In flumine.* AUG. Flumen est mortalitas sæculi ubi alii veniunt, alii recedunt: sed qui in Christum credit, transit pede in se humilis, non equo superbus. *Ibi lætabimur.* Ibid. Vel sic: Terribilia sunt opera, etc., usque ad et in his lætantur Christiani. *In ipso.* Ibid. Quando erit omnia in omnibus, vel in ipso qui dominatur, in virtute sua.

¶65.7 *Non exaltentur.* Ibid. Pro lege quasi plus illis debeatur. *Omnes enim peccaverunt,* etc. Rom. 3.

§65.8 *Benedicite.* CAS. Diapsalma. Monet gentes benedicere Deum, qui licet probet tribulationibus, tamen ducit ad regnum; hæc enim videntur obviare promissæ resurrectioni. *Auditam facite.* AUG. Palam, ut qui diligit Deum, diligit et proximum. *Vocem laudis ejus.* Quam dicit Pater de Filio: *Hic est Filius meus.*

**65.9 *Qui posuit animam.* Ibid. Enumerat hic quibus causis debeat prædicari.

††65.10 *Quoniam probasti nos.* AUG. Non dedisti in commotionem. Quoniam probasti, non in præceps dedisti, probasti adversis, igne charitatis, qui non sinit sentire tormenta, vel, igne tribulationis nos examinasti, etc.

‡‡65.12 *Laqueum.* AUG. Non qui decipit, sed qui probat. *Transivimus.* CAS., AUG. Tu hæc omnia, et nos, etc., usque ad hoc in tentationibus nobis fit.

- ¹³Introibo in domum tuam in holocaustis; reddam tibi vota mea^{¶¶}
¹⁴quæ distinxerunt labia mea: et locutum est os meum in tribulatione mea.^{§§}
¹⁵Holocausta medullata offeram tibi, cum incenso arietum; offeram tibi boves cum hircis.*
¹⁶Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.†
¹⁷Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.‡
¹⁸Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.¶
¹⁹Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ.
²⁰Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.]§

^{¶¶}65.13 *Introibo*. CAS. Ecce quæ bona contra præcedentia mala, ut roboret. *In holocaustis*. Id est, ut me offeram conspectui tuo, etc., usque ad sed se quod charius est substraxit.

^{§§}65.14 *Distinxerunt*. AUG. Distinguit, qui se dicit nihil esse, Deum omnia; et, se eo egere, non illum se. *Et locutum est os meum*. Quem præ omnibus manifestavi prævalere omnibus aliis votis in tribulatione mea, non victus tribulatione.

^{*}65.15 *Holocausta medullata*. Meipsum cum medullis intimi amoris. *Incenso arietum*. Ibid. Vel, cum *incenso*, quod est oratio; et *arietibus*, quia duces gregis maxime orant pro grege. *Cum incenso*. HIER., AUG. Cum oratione Apostolorum, quia Deo placet quod traditione eorum fit. Vel cum incensione et destructione bestialitatis et repugnantiae. Boves; cervicositatem; *cum hircis*, petulantiam; hæc in me mactando vitia. *Offeram tibi boves*. AUG. Si offeruntur triturrantes, non remanent tamen peccatores: sed per poenitentiam sanati offeruntur; et ipsi non per se, sed potius adjuncti bobus, quia fecerunt sibi amicos de mammona iniquitatis.

[†]65.16 *Venite, audite*. Diapsalma. Jam expositis omnibus, item monet non tam rudes, sed devotos, ut exemplo suæ liberationis amplius confidant in Domino: benedicens eum de exauditione. Ita ego facio, et o vos gentes, *venite*.

[‡]65.17 *Ad ipsum ore meo clamavi*. CAS. Exponit quanta fecit animæ suæ, subdens: *Ad ipsum*, etc. Hoc fecit animæ meæ, ut clamarem ad ipsum, cum gentes ad idola: et quod extra loquor intus habeo, et non iniquitatem, quia sic puritas orationis, auditur. *Clamavi et exaltavi in corde*. AUG. Id est, ipsum publice prædicavi, et in secreto confessus sum. Quod in ore, hoc et in corde habeo: tamen *holocausta medullata offeram*. His duobus perfectus est Christianus.

[¶]65.18 *Meo*. Suum est, quod non est perversum; proponit merito, ut discant prius laborare quam præmium quærant.

[§]65.20 *Orationem meam*, etc. Hæc duo connexa sunt; si non suspenditur oratio, nec protelatur misericordia.

- 66** In finem, in hymnis. Psalmus cantici David.**
² [Deus misereatur nostri, et benedicat nobis; illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri:††
³ ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.
⁴ Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.‡‡
⁵ Lætentur et exsultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.¶¶
⁶ Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.§§
⁷ Terra dedit fructum suum: benedicat nos Deus, Deus noster !*
⁸ Benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ.]
- 67** In finem. Psalmus cantici ipsi David.†
² [Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus; et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.‡

** 66.1 *In finem*. CAS. Post canticum resurrectionis, deprecationem suam Propheta subdit, ut benedicti ad Dei cognitionem ducantur. Prophetat benedictionem omnium per adventum Christi. AUG. Quia in præcedenti psalmo monuerat nos benedicere Deum; quod non possumus, nisi ipse prior benedicat nos; ideo hoc precatur benedici, dicens: *Deus misereatur nostri et benedicat*, etc.

†† 66.2 *Deus misereatur*. Ibid. Prior est benedictio Dei, quæ est quasi pluvia terram nostræ mentis irrigans: inde nos benedicimus eum, quod quasi fructus est, et in utroque nos crescimus, non ipse. Dicat ergo desiderans pluviam Dominicæ benedictionis: Deus misereatur, etc. *Deus misereatur nostri et benedicat*. CAS. Sed qui multi volunt, etc., usque ad et quia cognoscitur in gentibus Christus: *Confiteantur*, etc. *Benedicat nobis*. Ibid. Benedicit Creator creaturæ, multiplicando, numero et merito. Benedicit creatura Creatori, eum corde, voce et opere, laudando, et omne bonum, quod habet, ei ascribendo.

‡‡ 66.4 *Confiteantur tibi populi, Deus*. Ibid. Post notitiam hortatur confiteri pro directione et iudicio.

¶¶ 66.5 *Lætentur et exsultent*. AUG. Quia jam confessi non timent futura iudicia, quibus Christus est advocatus, non iudex, *lætentur*.

§§ 66.6 *Confiteantur tibi populi, Deus*. CAS. Eadem admonitio ad aliud tendens, quia terra dedit fructum, et si idem initium sensus, tamen ad diversa tendit.

* 66.7 *Terra dedit fructum suum*. HIER. Mariæ Christum, etc., *usque ad*: Sed non illa sola hoc debet, imo, *Benedicat etiam nos. Deus, Deus noster*. Ibid. Ter trinitas, *eum*, unitas. *Et metuant eum*. CAS. Metus inter beneficia postulat, ut credita caute custodiantur: Timor Dei incipit, et consummat; qui timere novit, amare non desinit.

† 67.1 *In finem*. CAS. Psalmus David prophetæ de exsultatione Christi et Ecclesiæ hic et in futuro, ut omnes Deo cantent. Surgente Christo, quasi elevata arca, etc., usque ad verbis his similibus Moyses usus fuisse dicitur.

‡ 67.2 *Exsurgat Deus et dissipentur*. Ibid. Confidenter optat quod scit futurum. *Et fugiant qui oderunt*. HIER. Vel de poenitentibus legi potest, etc., usque ad ut lacrymis poenitentia admoto igne Spiritus sancti duritia eorum solvatur. *Qui oderunt*. AUG. Pertinaces a præsentia tollantur ejus, qui ubique præsens; grave maledictum, ut velint et conentur, quod nullatenus fieri potest.

- ³ Sicut deficit fumus, deficient; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.[¶]
- ⁴ Et justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.[§]
- ⁵ Cantate Deo; psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei qui ascendit super occasum. Dominus nomen illi; exsultate in conspectu ejus. Turbantur a facie ejus,^{**}
- ⁶ patris orphanorum, et iudicis viduarum; Deus in loco sancto suo.^{††}
- ⁷ Deus qui inhabitare facit unius moris in domo; qui educit victos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.^{‡‡}
- ⁸ Deus, cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto,^{¶¶}
- ⁹ terra mota est, etenim cæli distillaverunt, a facie Dei Sinai, a facie Dei Israël.^{§§}

[¶]67.3 *Sicut deficit fumus.* CAS. Fumus ex flamma ascensu vanescit; ita peccatores ex flamma nequitiae fumiferas actiones producant, et ipsa elatione deficient. *Sicut fluit.* AUG. De pœnitentibus dici potest; vel in iudicio a facie Dei tollentur mali: qui erit ignis ad pœnam impiorum, et lumen justorum.

[§]67.4 *Epulentur.* CAS., AUG. In deliciis, quæ sunt in conspectu Dei. *Et delectentur,* hoc potest eos delectare, quod læti sunt quia non est finienda eorum lætitia.

^{**}67.5 *Cantate Deo.* AUG. Convertit se ad eos, quibus tantam spem dedit et hortatur. *Qui ascendit.* Non eum excipiet nova vita, nisi vetus occiderit; vel, resurgendo casum corporis vicit. *Super occasum.* CAS. Occasus mortis cadit illi, super quem sol justitiæ oritur. Et ne dubites quis iste sit, quia *Dominus nomen* illi essenziale, quem Judæi ut communem hominem occiderunt. *In conspectu.* Consideratio præmii futuri ærumnas mitigat.

^{††}67.6 *Orphanorum.* AUG. Quibus mortuus est pater, mundus et diabolus, et mater concupiscentia. *Viduae,* quibus error maritus moritur; in quibus habitat Deus, quos colligit, quos trahit, quia de viduis et orphanis facit sibi templum, in quo est.

^{‡‡}67.7 *Deus qui inhabitare.* HIER. In Hebræo habetur: *Dominus autem inhabitare facit monachos in domo,* in quibus non cohabitatur peccatum. *Unius moris.* AUG. Unanimes, unum sentientes, etc., usque ad non meritis, unde subdit: *Qui educit victos. Educit victos.* CAS. De inferno ligato diabolo. *Qui exasperant.* Blasphemos in Deum. Vel persequendo in sepulchris in carnalibus fetidis sepulti, ut nec velint nec possint ambulare. *Exasperant.* AUG. Resistendo justitiæ, cum omnino sint mortui in operibus mortuis; victi vero volunt ambulare, nec possunt; hi solvuntur per gratiam, illi resuscitantur.

^{¶¶}67.8 *Deus, cum egredereris.* CAS. Diapsalmus de verbo Evangelii per egressum Christi. *Deus, cum egredereris.* Vere educis, quia præfiguratus est egressus ejus coram Israël, dum in columna nubis et ignis apparuit in deserto, et manna satiavit. AUG. *Egressus* dum apparuit hominibus per humanitatem, vel dum *educit victos,* id est, suscitavit. *Transiit in desertum,* cum ad gentes venit. BASIL. *Egredereris.* Quasi dicat: cum transiturus esses solitudinem illam, quæ nondum lucis splendorem acceperat, terram quidem concussisti ac commovisti, cœlitus vero gratiæ tuæ guttas distillasti.

^{§§}67.9 *Terra mota est.* Quia tunc terreni videndo tanta mirabilia moti sunt. *Cæli distillaverunt a facie Dei:* Manna, dum in modum stillicidii, manna descendit a facie Dei, cujus præsentia per columnam noscebatur. AUG. Mons Sina a facie Dei fumavit, secundum aliam litteram quando Moyses ibi legem accepit.

- ¹⁰ Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ; et infirmata est, tu vero perfecisti eam.*
- ¹¹ Animalia tua habitabunt in ea; parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.†
- ¹² Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa.‡
- ¹³ Rex virtutum dilecti, dilecti; et speciei domus dividere spolia.¶
- ¹⁴ Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.§
- ¹⁵ Dum discernit cælestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon.**
- ¹⁶ Mons Dei, mons pinguis: mons coagulatus, mons pinguis.

*67.10 *Pluviam*. Hoc est quod cæli distillaverunt manna, *voluntariam* quæ satisfaceret voluntati illius gentis avide comedendi. *Segregabis Deus hæreditati tuæ*. Quia non aliis gentibus dedit, quod tunc Judæis. *Infirmata*, etc. Ad tempus, dum Christo non credit. CAS. *Perfecit*. Deus hæreditatem suam, dum gentes in supplementum admisit. Subdit unde perfecit.

†67.11 *Animalia*. Id est, gentes tuæ, dum credunt, habitant in hæreditate, id est, in Ecclesia. Quæ sunt animalia exponit. *Parasti*: prædestinatos dicit, quia ab origine mundi præparati sunt. AUG. Vel, *mons Sina a facie Dei Israël*, subaudi distillavit, etc., usque ad in quo superabundavit gratia. CAS. Hæc mystice, sed secundum figuram, etc., usque ad mittit ergo ad mysterium. AUG. Quidam libri non habent *mons*, sed *a facie Dei Sina Israël*; id est, qui legem dedit populo Israël: quia qui legem dedit per Moysem, qua terreret, dedit et benedictionem per Apostolos, qua liberet. *In dulcedine* CAS. *Dulcedo* est, qua bonum fit, non timore poenæ, sed delectatione justitiæ.

‡67.12 *Dominus dabit verbum*. Virtutes multas evangelizantibus verbum.

¶67.13 *Rex virtutum*. HIER. Apostolorum, vel dilecti. CAS. Pater est rex angelorum, quibus imperat et ipse dilectus. AUG. *Rex virtutum dilecti*. Filii, id est, pater vel more veteris Scripturæ Christus *rex virtutum*; Christi, id est, suarum, ut fecit Moyses, sicut præcepit Dominus Moysi. *Dilecti, dilecti*. CAS. Repetitio *dilecti* ad commendationem; sed non est hæc repetitio in omnibus libris, sed sive sit, sive non, hic est sensus, *dilecti* non solum ad alia, sed etiam ad dividenda spolia, quæ dividendo, speciosam fecit Ecclesiam.

§67.14 *Si dormiatis*. AUG. *Dormire inter medios cleros* est in auctoritate duorum Testamentorum requiescere et pacifice acquiescere. *Pennæ columbæ deargentatæ*, prædicatores quorum prædicatione in cælum fertur gloria Ecclesiæ. *Columbæ* AUG., CAS. Columba Ecclesia, etc., usque ad prædicatione in cælum fertur. *Et posteriora*. AUG. Ubi radices alarum etc., usque ad vigor sapientiæ est charitas. *Inter medios cleros*. AUG. Latinæ linguæ esset inter cleros, etc., usque ad vobis erunt pennæ ambiguum est.

**67.15 CAS. Diapsalmus, *dum discernit*, de donationibus Christi ascendentis, qui solus potest, et non alius. AUG. Dum gratia Spiritus sancti reges discernuntur, etc., usque ad et in eum credentes proteguntur.

- ¹⁷ Ut quid suspicamini, montes coagulatos? mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo; etenim Dominus habitabit in finem.^{††}
- ¹⁸ Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium; Dominus in eis in Sina, in sancto.^{‡‡}
- ¹⁹ Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus; etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.^{¶¶}
- ²⁰ Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.^{§§}
- ²¹ Deus noster, Deus salvos faciendi; et Domini, Domini exitus mortis.*
- ²² Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.[†]
- ²³ Dixit Dominus: Ex Basan convertam, convertam in profundum maris:[‡]

^{††}67.17 *Mons Dei mons pinguis*. AUG., CAS. Commendationem montis subdit, etc., usque ad Hic enim est mons qui in Ezechiele vulnerat principem Tyri. *Beneplacitum est Deo*, etc. AUG. *Etenim Dominus habitabit eum in finem*, id est usque ad terminum majestatis suæ, qui est finis sine fine, et plenitudo omnium. *Etenim Dominus habitavit*. Nullus ut iste, quia iste mons, scilicet Dominus, habitabit illos montes usquequo ducat *in finem*, id est, in se Deum contemplandum. Alii autem montes sunt currus per quos vehitur Deus in universum mundum. *Currus*, quia unanimes copulati charitate, quos ad ministerium voluntatis suæ moderatur Deus, *decem millibus*, innumeris populis; multitudo sanctorum. *In finem*. Quia personaliter unitus est ei, in quo habitavit *omnis plenitudo divinitatis corporaliter*.

^{‡‡}67.18 *Millia lætantium*. AUG., CAS. Magnam multitudinem significat sanctorum, etc., usque ad et ideo lætantur. *Sina in sancto* CAS. Est mons in quo data est lex. Dicitur mandatum in quo requiescit Dominus, quia in sanctis mandatis ejus præsentia solet contueri. *In Sina*. HIERON. Vel in Sina sancto, id est, qui in Sina monte olim dedit legem, ipse idem est in sancto, id est, in Christo, qui est Sanctus sanctorum.

^{¶¶}67.19 *Ascendisti*. AUG. Qui propter nos erudiendos descendit. *In altum*. Super omnes celos. *Cepisti captivitatem*. CAS. Prius apud inferos captos: hæc sunt spolia, similitudo triumphi; *accepisti dona in hominibus* a patre, id est, homines. Vel *dedisti*, secundum quod Deus, *dona hominibus*, quod etiam fit in triumphis. *Cepisti captivitatem*. AUG. Unde captivi dicuntur, quia capti retibus Petri, et sub leve jugum missi: unde in hoc curru sunt millia lætantium; non plorantium. *Accepisti*. Paulus apostolica auctoritate, etc., *usque ad: Quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis*.

^{§§}67.20 *Quotidie*. Ibid. Quia quotidie captivat captivos usque in finem sæculi. Et quia currum illum ducit *in finem*, addit *prosperum iter*. *Iter*. Cursum vitæ, quæ vere prosperum, cum dux sit salutaris.

*67.21 *Deus noster*. CAS. Diapsalma. Exponit operationes, quæ ex supradictis eveniunt: conquassatio inimicorum, conversiones peccantium; martyria ab utroque sexu. *Salvos faciendi*. AUG. Commendat gratiam, quia nullus salvus nisi per eum; sed ne dicas, Cur ergo morituri? patienter fer, et mortem non indigneris quia et Domini, qui sine peccato fuit, exitus non alius, quam mortis, tamen voluntate, ne homo timeret mortem. *Exitus mortis*. CAS. Id est, resurrectio, ne queraris de morte, quia Christus inde exivit, et inde exire dedit. Ne mala pertinacium credas impunita, subdit, verumtamen capita, superbiam, vel auctores Judaicæ sectionis, vel seditionis, vel hæresis.

[†]67.22 *Verticem capilli*. Ibid. Versutias inanum quæstionum, quæ tales inimicitias calumniarum quærunt, ut capillos videantur perscrutari.

[‡]67.23 *Ex Basan*. AUG. Id est, confusione, etc., usque ad ad eos, qui erant desperatissimi.

- ²⁴ ut intingatur pes tuus in sanguine; lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.[¶]
²⁵ Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.[§]
²⁶ Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvenicularum tympanis-
 triarum.^{**}
²⁷ In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israël.^{††}
²⁸ Ibi Benjamin adolescentulus, in mentis excessu; principes Juda, duces eorum;
 principes Zabulon, principes Nephthali.^{‡‡}
²⁹ Manda, Deus, virtuti tuæ; confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.^{¶¶}
³⁰ A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera.^{§§}

[¶]67.24 *Pes tuus*. Ibid. Id est, ut qui prius erant inimici, fiant *pes tuus*, prædicando usque ad sanguinem, scilicet, usque ad mortem: et *canes*, pro Deo latrantes, *qui edunt de micis*, etc. *Pes tuus*. Illi soli ad officium regiminis assumendi sunt, qui quod percipiunt, aliis prædicant, qui manibus honorum operum exsequuntur, quod ore prædicant, vel docent; unde in Levitico: Os turturis retorquetur ad ascellas. *In sanguine*. BASIL. Quoniam ostendit Deum, etc., *usque ad: et cum eos vincerem, aspersa sunt vestimenta mea. Canum*. AUG. In magno sacramento eos ducere jussus est Gedeon, qui ut canes aquam lamberent, trecentos tantum et non plures, in signo crucis propter *thau*, quæ trecentos significat. *Ab ipso*. Quasi si quæras unde tantum bonum, ut *canes* ejus sint cujus erant inimici? ait: *Ab ipso*, id est, ejus gratia, non a seipsis.

[§]67.25 *Viderunt ingressus tuos, Deus*. Ibid. Vel visi sunt gressus tui, Deus, quibus venisti in mundum. Hæc gratia latebat in Veteri Testamento: modo patet, cum missus Filius annuntiatur in gentibus. *Qui*. Deus. *Est in sancto*, corpore, licet perfidi non videant, secundum quod passus. In hoc etiam, patiendo vel credendo, *prævenerunt* eos principes, vel prævenerunt ad te laudem.

^{**}67.26 *Principes*. BASIL., EUTHYM. Apostolos *Principes* appellat, etc., usque ad et prædicatione illos consecuti sunt. *In medio*. Ministri præpositi novarum ecclesiarum Deum laudantium, carne domita et corio siccato ab humore peccati, et extenso a ruga duplicitatis.

^{††}67.27 *In ecclesiis benedicite*. CAS. Diapsalma. Precatur et affirmat, ut hæc inceptio dilatetur et confirmetur, pro qua et hæretici destruantur. AUG. *In ecclesiis*. Hæc sunt juvenulæ tympanistriæ, ne quis carnaliter choros luxuriæ cogitet. Ecclesiæ quippe sunt adolescentulæ nova gratia decoratæ. *In ecclesiis*, non alibi, non in aliis conventiculis. *De fontibus Israël*. CAS. Ut ad eorum imitationem prædicetis, quæ decet: quia sunt principes fidei, spei et charitatis, et per hoc Benjamin, id est, filius dextræ.

^{‡‡}67.28 *Ibi Benjamin*, etc. *Principes*, etc. Ibid. Per nomina tribuum, Christum et Aposto os indicat. *Ibi*, scilicet in templo Jerusalem vel in Ecclesia. Interpretatio etiam nominum Ecclesiæ convenit. CAS. Forsan ex his tribubus fuerunt Apostoli, etc., *usque ad: confessio* in fide, *fortitudo* in spe, *latitudo* in charitate. *In mentis excelsu*, seu, ut proprie est Græca dictio, etc., usque ad ut fidelis ac prudens distributor, divisit.

^{¶¶}67.29 *Manda Deus virtuti tuæ*. Ibid. O Deus,ifica Filium, quasi quod enuntio futurum, perfice. Vel, *virtuti tuæ*, id est, fortibus tuis injunge, ut te annuntient. Vel, o Pater, manda tuum opus *virtuti tuæ*, Filio, vel Spiritui sancto. AUG. *Commendat enim Deus charitatem suam in nobis, quoniam, cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*: quod bene et confidenter orat. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es*. Incipiendo.

^{§§}67.30 *A templo tuo in Jerusalem*. Quæ est libera, mater nostra, quæ est templum, a quo omne datum optimum; ab illo ergo templo. *Reges terræ*. Vel speciales tibi offerent munera, id est, sacrificia laudis. Sed quia huic laudi obstrepunt hæretici.

- 31 Increpa feras arundinis; congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos qui probati sunt argento. Dissipa gentes quæ bella volunt.*
- 32 Venient legati ex Ægypto; Æthiopia præveniet manus ejus Deo.†
- 33 Regna terræ, cantate Deo; psallite Domino; psallite Deo.‡
- 34 Qui ascendit super cælum cæli, ad orientem: ecce dabit voci suæ vocem virtutis.†
- 35 Date gloriam Deo super Israël; magnificentia ejus et virtus ejus in nubibus.§
- 36 Mirabilis Deus in sanctis suis; Deus Israël ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ. Benedictus Deus !]***

*67.31 *Increpa feras arundinis.* AUG. Id est, eos qui moventur omni vento doctrinæ. *Ut excludant eos qui probati sunt.* Hoc est quod Apostolus ait: *Qui probati sunt, manifesti fiant* I Cor. 11.; vel a vaccis excludant probati. Nam stabiles, fortes, et graves non habent seducere: *In populo gravi laudabo te. Dissipa.* Increpa feras, et etiam dissipa dissentientes. *Gentes quæ bella volunt.* Hæreticos et alios eis consentientes, quos gentes vocat, propter genera diversarum sectarum, ne ibi series successionum confirmet errorem.

†67.32 *Ex Ægypto, Æthiopia.* AUG. Ægypti vel Æthiopiæ nomine fidem omnium gentium signat, a parte totum. Non ergo ex solis Judæis, sed de gentibus præcones futuros prophetat. HIER. Æthiopia Gentilitas nigra peccatis, festinat manus dare Deo. Similitudo a victis, qui armis depositis eas dant victoribus, ne intereant. *Præveniet manus ejus.* Ibid. Id est, vindictam ejus, per confessionem, ne manentes in peccatis puniantur.

‡67.33 *Deo regna.* Ut *Deo* sit in principio sequentis versus. Vel magis in fine præcedentis versus est, *Deo.* Commendaturque fides quasi, non præcedentibus operibus justificatur homo quæ per dilectionem incipit operari. Credet ergo Æthiopia Deo, et sic *præveniet* opera ejus, id est, Æthiopiæ, quod in Græco non est ambiguum, id est, credendo in Deum, præveniet opera sua. Vel *ejus* Ægypti Deo, id est, in Deum. *Regna terræ, cantate Deo.* AUG. Decursis omnibus, quæ jam impleta cernimus, hortatur ad laudem Christi, et futurum ejus adventum prænuntiat. *Psallite.* CASS. Diapsalma. *Psallite:* veniet qui ascendit, ubi sanctos consummabit.

¶67.34 *Ascendit.* Ibid. secundum quod homo. Nam secundum quod Deus, Patri æqualis, super cælum coeli, excelsiores creaturas, ut nihil supra se haberet. HIER., CAS. *Oriens.* Verbum a Patre genitum. *Et ascendit ab oriente* Virtute Verbi. *Ad orientem.* Locum expressit, ubi surrexit et unde ascendit. AUG. *Ad orientem,* nostræ illuminationis. Vel quia Jerusalem est in Oriente. *Voci suæ.* Ibid. Qui fuit humilis in passione: dabit vocem virtutis in communi resurrectione. *Vocem virtutis.* CAS. Efficaciam resuscitandi omnes mortuos.

§67.35 *Magnificentia ejus et virtus.* AUG. Quoniam jam tunc non erit commistio malorum, inde evidens erit magnificentia ejus super verum Israël. *In nubibus.* Quia non solus veniet ad iudicium, sed cum senioribus populi, qui sunt nubes: quas ne aliter acciperes, addit: *Mirabilis in sanctis.* EUTHYM. Per *nubes.* Hic ipsos Apostolos intelligit, veluti supra existentes, atque eminentes a terrenis negotiis, ac veluti spirituali aqua plenos, quam ex sancti Spiritus profundis hauserunt, ut animarum arva ac campos, hoc est, ut ipsos credentes, irrigarent.

***67.36 *Ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ benedictus Deus.* CAS. Magna promisit, ne quis pro humana infirmitate desperet se ad tanta præmia pervenire.

- 68** In finem, pro iis qui commutabuntur. David.^{††}
² [Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.
³ Infixus sum in limo profundi et non est substantia. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.^{‡‡}
⁴ Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ; defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.^{¶¶}
⁵ Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis. Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste; quæ non rapui, tunc exsolvebam.^{§§}
⁶ Deus, tu scis insipientiam meam; et delicta mea a te non sunt abscondita.*
⁷ Non erubescant in me qui expectant te, Domine, Domine virtutum; non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israël.[†]

^{††}68.1 *In finem.* AUG. Commutatus est ex forma Dei in deterius Adam, etc., usque ad pati secundum Græcos. CAS. Quartus psalmus qui latus de passione, et resurrectione. Agitur de causa *commutationis*, id est, passione Christi. Hic loquitur Christus caput et corpus. *Salvum me fac.* Primo, precatur salvus fieri, quia multa patitur, quantum ad se gratis, sed quod alius rapuit, ipse solvit. Hæc est vox grani sinapis contempti, dum in horto obruitur, quod crescit in magnum olus: hoc fuscum et aspernabile prorsus. Sic et Christus, de quo: *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem*, sed tamen occupavit faciem terræ, factus mons magnus. *Aquæ usque ad animam meam.* AUG. Id est, turbæ, etc., usque ad ultra quam non habent mali quid eis faciant.

^{‡‡}68.3 *In limo.* AUG. Homo factus est delimo terræ, etc., usque ad id est, virtus carnis evadendi passionem. *Substantia.* Dicuntur divitiæ, etc., usque ad id est, non inveni in eis quod feci. *Veni.* Quia sponte. *In altitudinem.* Profundum insani populi.

^{¶¶}68.4 *Laboravi.* AUG. Diu clamavit: *Væ vobis! Scribæ et Pharisæi*, ut raucus quantum ad illos, quia non est ab eis intellectus. *Clamans*, etc. CAS. Laborat, cujus votum non impletur. *Oculi mei.* Ut oculi duorum eum in via non agnoscentium, quibus factum est extra quod erat intra, id est, cæcitas quæ in corde facta est et in oculis. Dixerunt enim: *Sperabamus quod redempturus esset Israël* Luc. 24. [AUG]. Sed spem eis reddidit, etc., usque ad quia perditii fuissent. *Dum spero.* CAS. Causa subditur, præstolor misericordiam, non exoro potentiam.

^{§§}68.5 *Multiplicati.* AUG. Quod prius typice, nunc in re aperte dicit. *Super capillos.* Pro infinito, vel plures sunt his qui sunt ornatui. *Rapui.* Rapere voluerunt divinitatem, et perdidit felicitatem: rapuit Adam, præsumens, ut diabolus, de divinitate.

^{*}68.6 *Deus, tu scis.* CAS. Quia pro aliis solvit, precatur, *expectantes* antiquos, et *quærentes* alios, scilicet, modernos, in se non frustrari, cum tanta tam æquanimiter ferat. *Insipientiam.* AUG. Ex membris. Vel, *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Quod in me irriserunt, qui sibi sapientes videbantur, tu scisti quare fieret irrisio, scilicet, talis et mors CAS. *Insipientiam.* Quod mei ignari Dei, hi sunt qui commutantur in sapientes et justos.

[†]68.7 *Non erubescant.* Ibid. Quæ solverit, exponit; hic ostendit quod superius de membris dixerat. AUG. *Non erubescant*, id est, non dicatur eis: Ubi est Christus vester? vel non prematur Ecclesia, ut filii erubescant. *Qui expectant.* CAS. Quod oculis videre non potuerunt prophetæ et justis. Ne ergo aliter eveniat quam Spiritus sanctus per eos prædixit, sequitur: *Deus virtutum*, cui nihil est impossibile. *Deus Israël.* AUG. Ut qui Deitatem ejus intueri possunt, non seducantur infirmitate ejus carnali.

⁸ Quoniam propter te sustinui opprobrium; operuit confusio faciem meam.[‡]

⁹ Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meae.[†]

¹⁰ Quoniam zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.[§]

¹¹ Et operui in jejunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi.^{**}

¹² Et posui vestimentum meum cilicium; et factus sum illis in parabolam.^{††}

¹³ Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum.^{‡‡}

[‡]68.8 *Quoniam propter te sustinui opprobria.* CAS. Congregat in unum multa quæ pertulit, ad invidiam in Judæos excitandam; **opprobrium**, in Beelzebub ejicit dæmonia, potator, vorax. Matth. 11. **Operuit.** Hoc solet evenire in bono laceratis, qui solent tanto amplius ad tempus effici tristes quanto cognoscunt in se iniqua confingi.

[†]68.9 *Peregrinus.* Vel hospes, qui in domo ad tempus recipitur; non ut frater charissimus, quod eram.

[§]68.10 *Zelus domus tuæ comedit me.* Quando funiculo vendentes ejecit. Quid istum zelum sequitur, subjungit: *Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Quia increpati Judæi convicia, quasi tela, super eum miserunt, ut: *Nonne hic est filius Joseph?* Luc. 4. *Exprobrantium tibi.* Quando dixerunt: *Nunquid potest Deus parare mensam in deserto?* Psal. 77. *Isti sunt dii tui, Israël* Exod. 32.. Unde nunc dicit eadem convicia cadere super se, quæ olim exprobrabant, ut ex consuetudine impia videas eos et non noviter hoc fecisse. **Ceciderunt.** CAS.. Cadunt super nos mala, quando non possumus vitare illa: **ceciderunt** igitur, id est, effectum habuerunt.

^{**}68.11 *Et operui in jejunio,* etc. AUG. Prælegi jejunare potius quam fel et acetum accipere; id est, veteres et amarus, qui non intrant in corpus ejus. CAS. **Et operui.** Non exercui potentiam vindicando. **Et factum est,** quod patuit in sputis, **in opprobrium.** AUG. Detrahentium et derisorum.

^{††}68.12 *Et posui.* AUG. Illis carnem apposui, in quam sævirent, et ocului Deitatem. **Cilicium.** AUG., HIER. Mortalis caro, ut de peccato damnaret peccatum. **Cilicium,** lugubris caro, ut quando flevit super Jerusalem Luc. 19., et pro Lazaro Joan. 11.. **In parabolam.** AUG., HIER. Irrisoria, ut cuilibet maledicendo, dicerent: Sic tibi contingat ut crucifixo. Vel, quia parabolas eos docebam; unde: **Vobis datum est nosse mysterium Verbi Dei, cæteris autem in parabolis.** Et tunc adversum me loquebantur.

^{‡‡}68.13 *Qui sedebant.* CAS. In porta sedent, qui conventibus hominum sedula curiositate miscentur. Dicit ergo passionem suam Judæorum esse fabulam, ut nullus exciperetur, qui hujusmodi locutionis esset alienus; unde Cleophas ait: **Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et ignoras,** etc. Luc. 84.. **In porta.** Civitatis: ubi solent iudices sedere ad judicandas causas, id est in publico iudicio. HIERON. Sicut Scribæ et Pharisei habentes clavem scientiæ: sed nec intrantes, nec alios intrare sinentes. **Et in me psallebant.** CAS. De me aiebant in publicis conventibus, et in conviviis psallebant: irrisio mea erat psalterium. **Qui bibebant vinum.** AUG. Qui inebriantur temporali voluptate. Vel, CAS. in Deum probabili opere psallant, qui vinum spirituale bibunt.

- ¹⁴Ego vero orationem meam ad te, Domine; tempus beneplaciti, Deus. In multitudine misericordiæ tuæ, exaudi me in veritate salutis tuæ.^{¶¶}
- ¹⁵Eripe me de luto, ut non infigar; libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.^{§§}
- ¹⁶Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.*
- ¹⁷Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua; secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.[†]
- ¹⁸Et ne avertas faciem tuam a puero tuo; quoniam tribulor, velociter exaudi me.[‡]
- ¹⁹Intende animæ meæ, et libera eam; propter inimicos meos, eripe me.[¶]
- ²⁰Tu scis improprium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam;[§]

^{¶¶}68.14 *Ego vero.* CAS. Prædictis malis opposita est oratio pro parte sua, ut discamus non rixas, sed orationes opponere jurgiis. *Tempus beneplaciti.* AUG. Ideo nunc est *tempus beneplaciti* et reconciliationis per incarnationem, per sanguinem, per mortem; deinde quomodo hoc tempus provenerit, exponit: *In multitudine misericordiæ. In veritate.* Præmisit de *miseriordia*, nunc subjungit de *veritate*, quia *universæ viæ misericordia et veritas* misericordia, dimittendo peccata; veritas, reddendo promissa.

^{§§}68.15 *Ut non infigar.* AUG. Mente, supra dixit infixum corpore; dicitur hoc ex infirmitate membrorum. *De luto*, id est, lutosi desiderii. *De profundis aquarum.* CAS. Judæi malignitate consilii profundi sunt, seditionibus turbulenti.

*68.16 *Profundum.* CAS. Peccatorum, quod deglutit animas; unde: *Peccator cum venerit in profundum peccatorum, contemnit* Prov. 18.. Hæc pericula membris ejus imminent. *Neque urgeat super me*, etc. AUG. Et si cecidisti, non claudis super te puteus os suum, si non claudis os tuum; sed confitere et dic: *De profundis clamavi ad te, Domine*, et evades. Claudis super illum, qui in profundo contemnit, a quo mortuo, velut qui non sit, perit confessio.

†68.17 *Exaudi me, Domine*, etc. CAS. Periculis hominum expositis, voce eorum precatur: *Exaudi me, Domine, quia benigna misericordia*, non quia merui. *Benigna.* AUG. Suavis est tribulatio misericordia, ut panis esurienti. Venit tribulatio; differt Deus subvenire, ut moveat desiderium, et sit dulce auxilium; quod cum fit, jam non est quo differat.

‡68.18 *A puero*, etc. AUG. quolibet sancto, parvo, non superbo; a quo superbiam tollit disciplina tribulationis.

¶68.19 *Propter inimicos*, etc. AUG. Ut confundantur liberatione mea, etc., usque ad unde ipse Nabuchodonosor conversus Deum prædicat. *Propter inimicos.* ID. Hoc ad apertam, ut caro resurgat, et ascendens spiritum mittat; unde inimici conversi sunt, quibus non proderit, si solam animam liberaveris.

§68.20 *Tu scis improprium.* ID. Quia quare sint ista mihi, tu nosti, illi non norunt. Et quia ipsi in conspectu tuo sunt, ista nescientes non poterunt confundi vel corrigi, nisi manifeste eruas. Et ideo ait: *Propter inimicos.* ID. *Improprium*, vel opprobrium, etc., usque ad sed adjuvando perficiat. *Reverentiam.* ID. Alii ignominiam, ut alapas, flagella, et quod Pilato tanquam reus traditus est: hæc non pro suo reatu, sed pro nobis sustinuit, ut in talibus nos instrueret.

- 21 in conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me. Improperium exspectavit cor meum et miseriam: et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.**
- 22 Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.††
- 23 Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum.‡‡
- 24 Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva.¶¶
- 25 Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos.§§
- 26 Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.*
- 27 Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.†

**68.21 *In conspectu tuo.* CAS. Invidiam ex citat contra eos, ut tantum scelus præsentē Deo committerent. *Cor meum.* Quia voluntate sustinuit, secundum illud: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum. Qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.* AUG. Contristati sunt discipuli et mulieres quæ super eum flebant, sed non simul. Carnaliter enim contristabantur de vita mortali, quæ erat mutanda morte, cum deberent cum eo contristari de cæteris, qui medicum occidebant, quod nemo tunc fecit.

††68.22 *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* AUG. Quod non inveni simul tristes et consolantes, hoc fuit mihi fel amarum propter mœrorem. *Acetum,* etc. Id est, acidum, propter vetustatem eorum. Legitur in Evangelio fel ei oblatum, sed in potu, non in esca. Mystice ergo dicitur, id est, super escam suavam quam cum discipulis acceperat, quæ est esca unitatis Christi, iniecerunt fel: quod adhuc hodie facit, et gravius peccat contemptor sedentis in cœlo, quam qui crucifixit ambulāntem in terra. Dant bibendum amarum potum, qui male vivendo scandalum faciunt Ecclesiæ, ut hæretici. Gustavit Dominus, docens et nos gustare, id est, pati tales: sed non bibit, quia non possunt tales in corpus ejus recipi. Mystice ergo hoc prædicitur, sicut et mystice factum est in passione. CAS. *Et dederunt.* Hæc est consummatio passionis; cum dixisset: *Sitio,* fel cum aceto obtulerunt, hoc facto mores suos amarissimos indicantes.

‡‡68.23 *Fiat mensa.* CAS. Prophetia contra adversarios. AUG. *Fiat mensa.* Mensa, Scriptura: hanc Judæi habuerunt, dum mandatum Dei coluerunt; postquam a lege jejuni sunt, hæc mensa coram ipsis gentibus data est, ut gravior dolerent. *In laqueum.* Ut qui littera legis alios stringebant, in ea obligati caderent. *In retributiones.* Quia illis ablata, et gentibus data. Malorum fuit retributio, dum nolentes in ea epulari, ab ea sunt exclusi. *In scandalum.* Quia deserentes pacis auctorem, rixas sibi et prava opera concitant.

¶¶68.24 *Oculi.* AUG. Doctores qui præeunt. *Obscurentur,* id est, lumen scientiæ perdant. *Et dorsum eorum,* etc. Id est, minores. Cum enim lumen scientiæ perdunt qui præeunt, ad portanda peccatorum onera, et ad appetenda terrena inclinantur sequentes; vel, *dorsum,* mens eorumdem Semper hoc de illis qui non pœnitent.

§§68.25 *Effunde,* etc. CASS. Ut in morem fluminis sit copiosa. *Comprehendat.* Ut non liceat effugere.

*68.26 *Fiat habitatio.* AUG. Hoc jam in manifesto, etc., usque ad in quo superbiunt contra Deum. *In tabernaculis.* CAS. Templo et regio palatio. Ad hoc ponit *inhabitare,* quod fit devotæ mentis affectu; ad domos *habitare,* quod fit corporea mansione.

†68.27 *Tu percussisti.* CAS. Non sua culpa: percussisti passione, ad salutem gentium; hoc illi crudeli voto impleverunt. *Et super dolorem.* Quia erat pro perditione eorum. *Addiderunt.* Inferre mortem. Vel super dolorem vulnerum meorum, id est, quæ mihi infixerat lancea, et clavis, addiderunt custodes sepulcri.

- 28 Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitiam tuam.[‡]
 29 Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.[¶]
 30 Ego sum pauper et dolens; salus tua, Deus, suscepit me.[§]
 31 Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude:
 32 et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.^{**}
 33 Videant pauperes, et lætentur; quærite Deum, et vivet anima vestra.^{††}
 34 quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non desepxit.
 35 Laudent illum cæli et terra; mare, et omnia reptilia in eis.^{‡‡}
 36 Quoniam Deus salvam faciet Sion, et ædificabuntur civitates Juda, et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirant eam.^{¶¶}
 37 Et semen servorum ejus possidebit eam; et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.^{§§}

[‡]68.28 *Appone iniquitatem super iniquitatem*, etc. AUG. Iniquitas eorum fuit, ut hominem occiderent, et super hoc apposuit Deus, ut Filium suum occiderent, ut sicut servos præmissos, ita ipsum hæredem.

[¶]68.29 *Deleantur*, etc. ID. Quia scriptos se putant, etc., usque ad et stultos ad dexteram. *De libro viventium*, etc. CAS. Notitia Dei, quæ prædestinavit ac vitam, quos præcivit conformes fieri imagini Filii sui. Non sic tamen accipiendum est, tanquam in hoc libro aliquem scribat Deus, quem postea deleat: sed secundum spem illorum, qui scriptos se putant.

[§]68.30 *Ego sum pauper*, etc. CAS. Hic dispensationem incarnationis et sanctitatem propositi exponit, dicens: Quis finis passionis? *Dolens*. AUG. Hoc secundum caput, pro omnibus dolet: unde: *Dolores nostros ipse portavit* Isa. 53., quod nullus alius. Ideo dicit:

^{**}68.32 *Et placebit*. CAS. Laus puri cordis plus placet quam mactatio pecudum. *Vitulum novellum*. AUG. Pro peccatis offerebatur novellus vitulus, qui significabat novitatem secuturam; quæ defensionem habet in cornibus, munimen pedum in unguibus per quas aspera sæculi calcet; *producentem*, quia fidelis quotidie virtute Dei augetur. AUG. Vitulus unguibus terram excitat, sic qui non contradicit, sed tamen terrenum abjecte sapit, unguibus excitandus est: et super hunc vitulum placebit laudatio mea cum angelis, ubi nec adversarius erit ventilandus, nec piger de terra excitandus.

^{††}68.33 *Videant*. CAS. Quod oblatio jam est in mente, non in rebus, ubi pauper æquatur diviti. Et, o pauperes, hoc tamen contuitu Dei facite, *quærite Dominum*. Vel, ut videatis, quærite Deum, escam mentis. *Vinctos*. AUG. Qui ultra necessaria quærit, compedes onerat; sed sufficit diei malitia sua. *Vinctos*. ID. Vinctos mortalitate, qua Dominus offensus servos compedivit: sed inde clamantes audit.

^{‡‡}68.35 *Cælum, terra, mare*. CAS. Ad litteram, id est, cœlestia, terrestria, et nantia, hæc laudant, dum ex eis laudatur creator. ID. Divitiæ sunt pauperis videre creata, et inde laudare creatorem. *Laudent illum*, etc. ID. Quod prius simul, nunc sigillatim monet; vel, laudent cœlestia, terrestria, nantia. Et, ut perfecte omnia concludat, addit: *Omnia quæ in eis sunt*: sic omnis creatura ad laudes invitatur. HIER., CAS. Ac si diceret: *Omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* Phil. 2.. *Et omnia reptilia in eis*. CAS. Omnes modi monstrosi, in peccatis hærentes terrenis.

^{¶¶}68.36 *Quoniam Deus salvam faciet Sion*, etc. AUG. In spe fidelis populi finitur constructio Ecclesiæ: unde omnis creatura laudare monetur.

^{§§}68.37 *Et qui diligunt nomen ejus*, etc. CAS. Quid per singula? omnes qui diligunt nomen tuum habitabunt. AUG. Hi sunt semen servorum. Iste enim versus exponit præcedentem.

69 In finem. Psalmus David in rememorationem, quod saluum fecerit eum Dominus.*

² [Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.†

³ Confundantur, et revereantur, qui quærunt animam meam.‡

⁴ Avertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala; avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi: Euge, euge!¶

⁵ Exsultent et lætentur in te omnes qui quærunt te; et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.§

⁶ Ego vero egenus et pauper sum; Deus, adjuva me. Adjutor meus et liberator meus es tu; Domine, ne moreris.]**

70 Psalmus David, filiorum Jonadab, et priorum captivorum. [In te, Domine, speravi; non confundar in æternum.††

² In iustitia tua libera me, et eripe me: inclina ad me aurem tuam, et salva me.‡‡

³ Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut saluum me facias: quoniam firmamentum meum et refugium meum es tu.¶¶

*69.1 *In rememoratione*. CAS. Memoria duobus modis, etc., usque ad et spem resurrectionis assumunt. AUG. Vox tribulorum pro Christo, etc., usque ad primo penitentes se adjuvari, malos erubescere.

†69.2 *Deus in adiutorium*. Monet ut in Deo, non in nobis, gloriemur. CAS. Hic omnis petitio affirmatio est, unde non sunt timendæ tribulationes. Hic versiculus ante omnes horas in initio prædicitur, quia, cum orare solemus, maxime tentare nititur diabolus, ut muscæ morientes perdant suavitatem unguenti.

‡69.3 *Confundantur*. CAS. Confundi, est de perversitate turbari. *Revereantur*, ne proles a iustitia pœna sequatur. *Qui quærunt*, etc. AUG. Diversa sunt tempora in Ecclesia: primo, fuit impetus persequentium, unde, *qui quærunt*; modo, remansit malevolentia cogitantium, unde, *qui volunt*. ID.

¶69.4 *Avertantur*. ID. Duo genera sunt persequentium, etc., usque ad exit integer, qui neutro capitur.

§69.5 *Exsultent et lætentur in te omnes*. CAS. Monet lætari bonos, quos egenos Deus adjuvat et liberat. *Semper*. Quia non unquam debet cessare a laude ejus. *Magnificetur Deus*. CAS. Nostro more dictum, ubi quis laudibus crescit; quod non Deus, sed nos laudando proficimus.

**69.6 *Ego vero egenus*. CAS. Quod hortor, facio, etc., usque ad ubi est dives, semper ambit, desiderat et accipit. *Ne moreris*. ID. Tardum videtur, quod magno desiderio quæritur. AUG. Ne mihi tardius videatur, quod venturus es, quod fit per patientiam; qua qui caret, tardum ei videtur, et deflectitur ab eo: ut uxor Lot, quæ fit statua salis, ut te condiat: exemplo enim tibi est ne retro aspicias.

††70.1 *In finem*. AUG. De commendatione gratiæ, etc., usque ad fere singulis syllabis commendatur gratia. *Filiorum Jonadab*. ID. Filiis spontaneis, etc., usque ad qui ex se mali. CAS. Vel ita, monemur in titulo habere devotionem filiorum Jonadab, etc., usque ad illi vero consueta malitia in obstinatione permanserunt.

‡‡70.2 *In te, Domine, speravi*. Generalis justus loquitur a principio mundi usque ad finem: totam spem in Deo ponens, gratiam ejus commendat, ne falsa in nobis præsumamus. CAS. Vel priores captivi sunt in mundo, unde evadi potest: secundi in inferno. Vel, *priorum*, id est, eorum qui ante capti vitiis, quam filii Christi. Totus hic psalmus gratiam Dei, quæ gratis datur, summa intentione commendat.

¶¶70.3 *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum*, etc. Duo promisit, duo alia reddit.

- ⁴ Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis, et iniqui:§§
- ⁵ quoniam tu es patientia mea, Domine; Domine, spes mea a juventute mea.*
- ⁶ In te confirmatus sum ex utero; de ventre matris meæ tu es protector meus; in te cantatio mea semper.
- ⁷ Tamquam prodigium factus sum multis; et tu adjutor fortis.†
- ⁸ Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.‡
- ⁹ Ne projicias me in tempore senectutis; cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.¶
- ¹⁰ Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum,§
- ¹¹ dicentes: Deus dereliquit eum: persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.**
- ¹² Deus, ne elongeris a me; Deus meus, in auxilium meum respice.††
- ¹³ Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ; operiantur confusione et pudore qui quærunt mala mihi.‡‡

§§70.4 **Peccatoris.** AUG. Duo sunt genera peccatorum: alii legem acceperunt, ut Judæi et Christiani; alii non, ut pagani.

*70.5 **A juventute.** CAS. Id est, a conversione, vel ex quo contra diabolium cœpi pugnare. AUG. **A juventute,** ex quo cœpi sperare in te, etc., usque ad juvenis pugnat, sed cadit, nisi sit Deus spes ejus.

†70.7 **In te cantatio.** CAS. Delectationi est mihi esse in te. **Semper.** Ut continua sint beneficia. **Semper.** AUG. Et in præsentī, etc., usque ad contra quam nil stat.

‡70.8 **Repleatur os meum.** CAS. Dixit beneficia, nunc petit ut gratias agere possit. Nam si Deus os non replet, non ardet desiderium. **Tota die magnitudinem tuam.** AUG. Id est, sine intermissione, etc., usque ad nomine ergo magnitudinis omnia includit.

¶70.9 **Ne projicias me.** CAS. De gratia tempore senectutis et senii danda. **Senectutis.** AUG. Senectus in Christo, dum prodigium factus est, dum infirmatus in cruce et irrisus; quod dicitur senectus, quia ex vetustate assumpsit, unde: **Vetus homo noster simul crucifixus est** Rom. 6..

§70.10 **Quoniam dixerunt inimici mei.** AUG. Dicitur hoc de Christo, qui inter manus inimicorum infirmus factus est, et quasi nihil posset comprehensus. Sed hic de membris ejus dicitur hoc, quia et illa talia ex nostra persona habuit.

70.11 **Deus dereliquit eum. AUG. Unde alibi: **Quare me dereliquisti?** id est, quare me derelictum putant malo suo. **Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.**

††70.12 **Ne elongeris a me.** CAS. Longe putant, dum tardat; **ne elongeris,** ut gravioribus exponat.

‡‡70.13 **Confundantur,** etc. CAS. Quia disposita Dei non mutantur. **Detrahentes animæ meæ.** Alias, committentes animam meam. AUG. Id est provocantes nos ut Deo resistamus, quod est contra Deum committere bellum; ut illi faciunt quibus non placet Deus in suis adversis, quod est eum habere injustum. Committitur etiam anima, si odit eos a quibus patitur. **Qui quærunt.** ID. Ut fecit uxor Job, quæ ait: **Dic aliquid in Deum et morere** Job. 7.. Ut etiam ait uxor Tobiæ: **Ubi sunt justitiæ tuæ?** Tob. 4, 2. Hoc dicebat ut displiceret illi Deus.

- ¹⁴ Ego autem semper sperabo, et adjiciam super omnem laudem tuam.^{¶¶}
- ¹⁵ Os meum annuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum. Quoniam non cognovi litteraturam,^{§§}
- ¹⁶ introibo in potentias Domini; Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.
- ¹⁷ Deus, docuisti me a juventute mea; et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.*
- ¹⁸ Et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura est, potentiam tuam,
- ¹⁹ et justitiam tuam, Deus, usque in altissima; quæ fecisti magnalia, Deus: quis similis tibi?†
- ²⁰ Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas ! et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me.
- ²¹ Multiplicasti magnificentiam tuam; et conversus consolatus es me.
- ²² Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam, Deus; psallam tibi in cithara, sanctus Israël.‡
- ²³ Exsultabunt labia mea cum cantavero tibi; et anima mea quam redemisti.^{¶¶}
- ²⁴ Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam, cum confusi et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.]§

^{¶¶}70.14 *Et adjiciam.* AUG. Adjectio laudis est, post creationem omnium rerum, laus de incarnatione et resurrectione, quod inferiora docent. *Omnem.* AUG. Quia si laudatus in omnibus aliis, nondum in eo quod suscitavit carnem nostram in vitam æternam, quæ est laus adjecta pro resurrectione Christi. Vel omnis laus esset, et nihil laudi deesset, si damnaret peccantes, quia justitia esset; sed quia et hos liberat: ***Adjiciam super omnem laudem tuam.***

^{§§}70.15 *Os meum annuntiabit justitiam.* Christum, sed ne aliter acciperes, addit: ***Salutare.*** Quare? quia non approbatur ex operibus legis justificari quemquam. Et hoc est: ***Quoniam non cognovi litteraturam,*** id est, figuras legis per quod fiam potens. ***Tota die.*** AUG. Vel ita, etc., usque ad justitiæ serviat. ***Quoniam non cognovi litteraturam.*** ID. Prædicabo salutem tuam tota die, etc., usque ad quia habitu inventus est ut homo Philip. 2., et surgit mortuus.

^{*}70.17 *Docuisti.* CAS. Per libros, vel inspirando usque nunc: per spatia temporum crevit doctrina. ***Mirabilia.*** Quod de iniquo justus. ***Mirabilia.*** AUG. Quid mirabilius quam mortuos suscitare? etc., usque ad hoc est a juventute et nunc. ***Juventute.*** ID. Aliqui notant quatuor tempora Ecclesiæ, aliqui tantum tria distingui, idem significantes per *nunc* et *senectam*. Unde juvenus Ecclesiæ fuit quando virtus martyrum dimicavit. CAS. Progrediens vero tempus, nunc, cum fides per Ecclesias proficit. AUG. Senecta, id est, gravis ætas, quando incipiet frigescere charitas multorum, cum mundi tempora decrescunt. ***Senium.*** CAS. Occiduum tempus, etc., usque ad contra quos Dominus: ***Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi,*** etc. Matth. 21.

[†]70.19 *Usque in altissima.* Et ne putes quod solus homo egeat gratia, etc., usque ad continet in eo quod sunt. ***Usque in altissima.*** Quia homo Deus sedet ad dexteram Patris regnans cum eo. ***Quæ fecisti magnalia.*** Utrumque mirabile, per gratiam redimi hominem, qui per justitiam damnatus erat. ***Deus, quis similis tibi? Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas, et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ,*** etc. Cui personæ quæ gratia sit, captivæ scilicet, utraque resurrectio mentis et corporis; unde promittit gratias.

[‡]70.22 *In vasis psalmi.* CAS. In vivificatione spiritus vel contemplativa vita.

^{¶¶}70.23 *Anima mea quam redemisti.* AUG. Ipsis internis labiis quibus tacite clamat Deum.

[§]70.24 *Cum confusi et reveriti fuerint.* Tunc locus est veræ et securæ exaltationis, cum non licet impiis dominari.

71 Psalmus, in Salomonem.**

² [Deus, iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis; iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio.††

³ Suscipiant montes pacem populo, et colles iustitiam.‡‡

⁴ Iudicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem.¶¶

⁵ Et permanebit cum sole, et ante lunam, in generatione et generationem.

⁶ Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.

⁷ Orietur in diebus ejus iustitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna.§§

⁸ Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.*

⁹ Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent.

¹⁰ Reges Tharsis et insulæ munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent:†

**71.1 *In Salomonem*, etc. AUG. Verum pacificum, etc., usque ad qui hic commendatur secundum utramque naturam. CAS. Quartus psalmus de duabus naturis Christi monet ut Christum verum Deum et verum hominem regem credamus, et est prophetia de Christo.

††71.2 *Deus iudicium*. CAS. De iudicio, optando illud dari Filio. *Iustitiam tuam*, etc. AUG. Nota repetitiones ejusdem, vel aliis verbis, multum commendant divina eloquia, quæ maxime sunt in psalmis: et in eo genere sermonis, quo affectus animi est movendus.

‡‡71.3 *Montes*. AUG. Prophetæ, Apostoli, qui cælo altitudine proximant; *pacem* nuntiandam populo fidei, Christum. *Et colles*. Suscipiant *iustitiam*, id est, Christum, vel *montes pacem populo*: et *colles* de utrisque prædicatoribus præcedentibus et sequentibus dicit. Vel *suscipiant montes*, id est, majores. *Pacem*. Verbum reconciliationis, scilicet verbum Evangelii, ad hoc ut nuntient populo. *Et colles*. Id est, minores; iustitiam, id est, obedientiam, ut obediant doctrinæ veritatis. *Tuum* et *tuos* dicendo, ostendit omnia quæ sunt Patris esse et Filii, et e converso.

¶¶71.4 *Judicabit pauperes populi*. CAS. Idem agit de eodem iudicio affirmando. Post optationem, virtute prophetiæ, dicit quæ sunt adventu Domini præstanda. AUG. Vel secundum aliam litteram: *Iustitia iudicabit pauperem*. Sed codices qui habent in littera magis approbantur. *Pauperes populi*. Id est, eos qui pauperes in populo, in quo boni malique commisti. *Humiliabit calumniatorem*. Dum enim gratia sua adjuvat, etc., usque ad qui innocentes nititur trahere in culpam. HIERON., AUG. Vel, *humiliabit*, et, victo diabolo, *permanebit cum sole* splendor; id est, Filius cum Patre, sedens ad dexteram Patris in æternum, hoc est *ante lunam*, in generatione et generationem.

§§71.7 *Descendet sicut pluvia*, etc. CAS. Ecce quis et qualis ille rex, qui iudicaturus est. AUG. Alludit factu Gedeonis, etc., usque ad et postea complueretur gentilitas sicco vellere Judæorum. CAS. Descendet Christus, etc., usque ad quis ergo post tam apertas similitudines dubitet de partu Virginis? *In vellus, et sicut stillicidia*. AUG. *Vellus*, Judæa, quæ auctoritate doctrinæ exspolianda erat, ut ovis vellere: vel, quia doctrinæ pluviam detinebat, quam volebat gentibus prædicare.

*71.8 *Et dominabitur a mari usque ad mare*. CAS. Ostendit quæ sit amplitudo regni. *A flumine*. AUG. A Jordane, ubi vox: *Hic est Filius meus dilectus*. Inde ergo doctrina ejus cœpit: inde auctoritas magistri dilatatur usque ad terminos orbis terræ, prædicato Evangelio regni. CASS. Inde regula baptismi per totum orbem manavit. Paucis verbis magna docet sacramenta

†71.10 *Reges Tharsis et insulæ munera offerent*. CAS. Pertinaces dicuntur inimici, etc., usque ad vel, historialiter potest accipi de regibus qui venerunt adorare Christum.

- ¹¹ et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient ei.
¹² Quia liberabit pauperem a potente, et pauperem cui non erat adiutor.‡
¹³ Parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet.
¹⁴ Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum, et honorabile nomen eorum coram illo.¶
¹⁵ Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ; et adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei.§
¹⁶ Et erit firmamentum in terra in summis montium; superextolletur super Libanum fructus ejus, et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.**
¹⁷ Sit nomen ejus benedictum in sæcula; ante solem permanet nomen ejus. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum.††
¹⁸ Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus.‡‡
¹⁹ Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum, et replebitur majestate ejus omnis terra. Fiat, fiat.]

‡71.12 *Quia liberabit pauperem a potente*, etc. CASS. De operibus ejus agit, etc., usque ad in participatione justitiæ.

¶71.14 *Ex usuris*. AUG. *Usuræ*, peccata, etc., usque ad juvando per gratiam ad justitiam faciendam. Vel, *ex usuris*, de futuro, id est, pœnis æternis; et *iniquitate*, id est, peccato ipso, pro quo pœna debebatur. *Nomen*. Christianum. *Coram illo*. Quia in ejus regno ante ipsum victuri sunt.

§71.15 *Et vivet, et dabitur ei de auro*, etc. CAS. De honorificentia regis. *Arabiæ*. AUG. Per Arabiam, gentes; per aurum, sapientiam, quæ excellit inter doctrinas. *De ipso semper*. ID. Multiplicando, vel consequendo, vel de ejus institutione, quia ipse orare docuit.

**71.16 *Firmamentum*. AUG. Prophetarum est, quia quod prædixerunt, implevit. *In summis montium*. ID. Auctores Scripturarum Prophetæ et Apostoli; quos firmat, quia omnia ab illis prædicta in illo sunt impleta. *In terra*. Quia propter eos qui in terra sunt, omnia scripta sunt. Unde et ipse in terram venit, ut ea impleret. *Super Libanum*. AUG. Sicut Libanus proceras cedros producit, sic Christus sanctos ad cœlum. *Sicut fœnum*. CAS. Non ætas seni sed viriditas sanctis comparatur. Boni de ista civitate præsentis Ecclesiæ migrantes in illa beatitudine florebunt. AUG. In Genesi *fœni* nomine et frumentum intelligitur, etc., usque ad et comparabitur fœno terræ quidquid pro magno habetur in seculo.

††71.17 *Sit nomen ejus benedictum*, etc. CAS. Monet omnes laudes ei dicere, quia omnes in eo benedicentur. *Ante solem*. ID. Id est, ante omnem creaturam, ne putes temporalem Dei Filium. *Omnes gentes*. AUG. Ne tribus duodecim accipias, addit *omnes gentes*.

‡‡71.18 *Benedictus Dominus Deus Israël*, etc. AUG. A parte sua laudat. Nota exclamatoriam benedictionem, cum admonitione et prophetia. *Fiat, fiat*, etc. CAS. Magnificum est, quod sic concludit: Optantis est semel dicere, nimium desiderantis repetere. Quasi dicat: Quod jussisti, Domine, ita fiat, fiat, donec quod cœpit a flumine perveniat usque ad terminos orbis terræ. HIER. Sciendum quod septuagesimus primus psalmus secundi libri finis est: unde et in extremo habet: *Fiat, fiat*, pro quo in Hebræo dicitur: *Amen, amen*.

²⁰Defecerunt laudes David, filii Jesse.^{¶¶}

72 Psalmus Asaph. [Quam bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde !^{§§}

²Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei:*

³quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.†

⁴Quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum.

⁵In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.

⁶Ideo tenuit eos superbia; operi sunt iniquitate et impietate sua.‡

⁷Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum; transierunt in affectum cordis.¶

⁸Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam; iniquitatem in excelso locuti sunt.§

^{¶¶}71.20 *Defecerunt laudes.* ID. Etiam hoc diligentius observandum est, quod illud: *Defecerunt hymni David filii Jesse*, ad finem septuagesimi primi psalmi pertineat. Id vero quod sequitur: *Psalmus Asaph*, initium sit sequentis. Hymnus tria habet: laudem Dei cum cantico: nisi enim cantetur hilariter, non est hymnus: non cantat autem qui non amat. Si sit laus, et non est Dei, non est hymnus: et si sit Dei, et non cum cantico, non hymnus. Præter solitum addit: *Filii Jesse*; David enim homo, quidam filius Jesse, regnavit in Israël tempore Veteris Testamenti in quo Novum erat, sed occultum: sicut et Christus in David et in Abraham, sed occultus, ut fructus est in radice, sed non apparet. Noverunt autem pauci Prophetæ et Christum, et Novum Testamentum, scilicet in occulto, et pronuntiaverunt revelandum. Illo ergo tempore, pro regno illo, ubi regnavit homo filius Jesse, pro hujusmodi carnalibus carnalis populus laudabat Deum. Sed regno illo et cæteris hujusmodi deficientibus, deficit laus, non Filii Dei, sed *filii Jesse*. His autem deficientibus quæ Deus subtraxit ut quærentur ea quæ occulta in illis tegebantur, loquitur *Asaph*, id est Synagoga, sed fidelis, quæ pie Deum coluit, licet propter terrena, quæ a Deo, non a dæmonibus, ut gentes, quærebat. Attendens autem blasphemos his abundare, pro quibus serviebat, cœpit nutare, nesciens quid in his figuris lateret, quasi non esset aliquid melius quod Deus daret: sed admonitus per hæc sibi subtracta quærere ea quæ non habet cum malis communia, castigans se cum admiratione, dicit: *Quam bonus Israel!* Sed quibus? *Rectis corde.* Primo ergo describens nequitiam malorum, dicit se zelasse prospera eorum; tamen inde correctum, et correctus alios corrigit. CAS. Hic agitur, quod *laudes defecerunt*: quia jam non dat Deus blanda, ut pueris ad serviendum alliciendis, et hoc dicit Synagoga quæ jam sibi contra hoc quod prius agebat testatur, ut credibilis sit.

^{§§}72.1 *Quam bonus.* CAS. Monet ut non pro temporalibus, sed æternis Deum laudemus.

^{*}72.2 *Pedes.* CAS. Pro arbitrio mentis, quod a veritate discrepabat. *Gressus*, actus præcipitati; *pene*, quia cito rediit.

[†]72.3 *Pacem peccatorum.* AUG. Temporalem, fluxam, caducam. *Videns.* Non intelligens. Quia hæc pax videtur, non intelligitur, oculos eludit, est enim fluxa et caduca. CAS. *Pacem peccatorum quia non est declinatio morti eorum.* Id est, non cito moriuntur, sed diu vivunt; etsi *plaga* aliquando non firma, ut durat flagellum correctionis. *Et firmamentum in plaga eorum.* Non miseretur Deus consolidando plagas eorum: vel, a simili incurvabilis, cui nihil prohibetur.

[‡]72.6 *Operi sunt iniquitate et impietate sua.* CAS. Ne respiscant; non amicti, ut vel liberum caput haberent, sed toti operi.

[¶]72.7 *Prodiit quasi*, etc. AUG. Sunt quidam mali ex macie, id est, necessitate: alii ex abundantia, ut pauper egestate furatur, dives ex cupiditate. *Transierunt.* CAS. Quasi a rectis semitis.

[§]72.8 *In excelso.* AUG. Palam in manifesto: vel, contra Deum blasphemii.

- ⁹ Posuerunt in cælum os suum, et lingua eorum transivit in terra. **
¹⁰ Ideo convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis. ††
¹¹ Et dixerunt: Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso? ‡‡
¹² Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias.
¹³ Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, ¶¶
¹⁴ et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis. §§
¹⁵ Si dicebam: Narrabo sic; ecce nationem filiorum tuorum reprobavi. *
¹⁶ Existimabam ut cognoscerem hoc; labor est ante me. †
¹⁷ donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum. ‡‡

**72.9 *In cælum*. ID. Ac si dii essent; vel, contra Deum, quem blasphemant, dicentes: Deum vel nescire sua mala, vel non punire. *Lingua transivit super terram*, etc. ID. Quæ ultra mensuram humanitatis loquitur, etc., usque ad sed transit lingua eorum humanam fragilitatem.

††72.10 *Ideo convertetur*. CAS. Exponens Asaph, etc., usque ad revertetur ad eam. *Hic*. AUG. In hac sententia in qua modo sum. *Dies pleni invenientur in eis*. HIERON. Perfecti inveniuntur, etsi modo non appareat. CAS. Vel, *dies pleni* sunt, quando Christus venit: hi ergo sunt in Judæis, qui Christum noverunt.

‡‡72.11 *Et dixerunt*. AUG. Unde convertentur? etc., usque ad hoc est quare videbatur eis nescire hoc. *Quomodo scit*. ID. Non dicit, nescit: sed adhuc hæsitat et prope est sanitati: et de tam gravi infirmitate vicinior est salus, sicut vicina sanitate magis æstuant ægri.

¶¶72.13 *Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum*, etc. CAS. Hæc dixerunt, quibus confutandis hæc ego: vel adhuc ex persona dubitantis. Fatuis cogitationibus se dicit illusum, ut cum hæc repudiaverit, melius nos procuraverit.

§§72.14 *Et castigatio*. Alias et *index meus in matutino*. CAS. Ecce jam remedium, Christus index, qui viam veritatis indicavit, et, mane surgens, spem nostram de mundo ad cælos transtulit.

*72.15 *Si dicebam*. ID. Ecce jam se reprimit auctoritate sanctorum, et jam vicina veritate deliberat sic: *Si dicebam. Ecce nationem*. AUG. Aliud inconveniens incipit solvere. *Reprobavi*; iudicavi quod non est. *Existimabam*, per prædicta volo probare Deum non justum; sed hoc modo cogito, non absolvo. *Ante me*, id est, quantum ad præsentia; vel, major me, me superans, nisi Deus aperiat. Vel, ecce natio filiorum tuorum, cui disposui, et concinui, subaudis, occurrit et obviat mihi, id est, occurrit mihi prior prædicatio, quam Isrælitis feci, ut Deum colerent, qui omnia creavit, et omnibus secundum opera sua restituit: obviat mihi doctrina, cui congrui, et accommodatus sum. Sed ne ego reprobarem nationem priorum patrum, vel priori doctrinæ meæ contradicerem: *Existi*, etc. *Filiorum tuorum*. Omnes enim, Abraham et cæteri, aliter docent, quibus credere debeo: non enim omnibus prudentior. Sed ne reprobarem: *Existimabam*, vel, suscepi cognoscere; jam revocatur a lapsu, qui non præsumit se scientem contra sanctos. Ut cognoscerem hujus rei veritatem, quod non ante, dum dicebat Deum hæc non curare. Cogitabam ut scirem hoc: prior gradus scientiæ, dum scit nescire se, quod prius videbatur scire: repudiat autem priorem sensum, dum quærit alium.

†72.16 *Labor est ante me*. AUG. Quasi murus mihi obstat, etc., usque ad videt in iudicio illos damnatos.

‡72.17 *Sanctuarium*. AUG. Christus, qui ut Deus singulorum merita dignoscit. Vel *sanctuarium*, Sancta sanctorum, id est, secretum divinæ dispositionis.

- 18 Verumtamen propter dolos posuisti eis; deiecisti eos dum allevarentur.[¶]
 19 Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.
 20 Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.[§]
 21 Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt;^{**}
 22 et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi:
 23 ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.
 24 Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.^{††}
 25 Quid enim mihi est in cælo? et a te quid volui super terram?
 26 Defecit caro mea et cor meum; Deus cordis mei, et pars mea, Deus in æternum.
 27 Quia ecce qui elongant se a te peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

[¶]72.18 **Verumtamen.** AUG., CASS. Ecce quid didicit iste in sanctuario: malos hic decipi, postea in fine ab omnibus deserendos; a quo malo ipse liberatus est, qui et terrena quæsit, sed a Deo; hic dicit, in hoc mundo malos non esse immunes et impunitos; quia etsi felices, tamen reatum gestant et frequenter ruinas incurrunt. **Verumtamen,** id est, sed: et hic posuisti eis hunc florem et copiam temporalium, **propter dolos,** etc. **Propter dolos.** AUG. Vel, juxta lubricum. Quasi: Modo doloso fecisti eis, sub specie boni dans mala. Vel, juxta lubricum, ut sunt temporalia: ubi cadunt, qui amore sunt juxta; dum enim dolosus alium vult dejicere, juxta lubricum eum ponit.

[§]72.20 **Velut somnium.** ID. Aperta comparatio. Clausis oculis, videmus bona quæ mox apertis non invenimus; in vita somnium: in morte evigilant, scientes quid est. **In civitate.** In contuitu populi tui, vel, dum constituitur tua civitas. HIER. Vel in cœlesti Jerusalem imaginem eorum, effigies deformitatum quas sibi faciunt: alius leo ferocitate, alius aper sorde libidinis. CAS. Vel gloriam temporis, quæ non vera, sed similitudo gloriæ: quia cum deerit veritas eis, peribit imago; nec similitudinem retinebunt, qui de beatitudine nil habebunt, ideo perdes eos, quia per eos,

^{**}72.21 **Inflammatum est cor meum.** Id est, invidi felicitibus. **Et renes mei commutati sunt.** Quibus status, id est, constantia mentis resoluta est, ut prospera amarem; gravis culpa præbere aliis occasionem peccandi. **Ad nihilum redactus sum.** Vanis hærens, injurius Deo factus. **Nescivi.** Magna et profunda ignorantia nescire quod pecces. CAS. **In civitate tua imaginem.** Vel de hæreticis potest hoc accipi, etc., usque ad vel in super cœlesti Ecclesia. **Quia inflammatum.** AUG. Ecce conversio hujus Asaph, etc., usque ad commutatæ sunt in spirituales

^{††}72.24 **Cum,** etc. ID. Quia prius ad nihilum redactus sum, id est, ad ea quæ nihil sunt descendi: quia nescivi nihil esse, et post ut jumentum mansuetus factus sum ferendo oneri, et semper ero tecum. **Jumentum.** CAS. Apud Deum, vice pecudum sunt, qui contra Deum sentiunt: et tamen in his **errans,** nesciens judicia Dei, semper fui tecum quodammodo, ab idolis alienus, et tibi credens, et tu tenuisti. **Tenuisti manum.** AUG. Quia licet pecus non recessit a Deo. **Tenuisti manum,** id est, potestatem dexteræ, id est, textisti, quod semper tecum, quod filius. **Dedit enim potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus. In sinistra,** pecus, amans hæc temporaria. Vel manum **dexteram.** CAS. Non sinistram. Tenet dexteram Deus, dum ad bona opera dirigit, et ne mergamur liberat, ut Petrum. ID. Viso malo impiorum, bonoque suo, arguit se de prioribus, quod terrena a Deo quæsit, et invitat in contrarium. AUG. Comparat terrenæ voluptati suæ præmium cœleste, et se arguit. **In æternum,** etc. Ab eo nunquam ultra separabor. **Qui fornicantur abs te,** etc. Huic fornicationi contrarius est castus timor, qui gratis ipsum amat, in quo habet omnia.

²⁸Mihi autem adhærere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam: ut annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.]^{‡‡}

73 Intellectus Asaph. [Ut quid, Deus, repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?^{¶¶}

²Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Redemisti virgam hæreditatis tuæ, mons Sion, in quo habitasti in eo.^{§§}

³Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto !^{*}

^{‡‡}72.28 *In portis filiæ Sion.* AUG. In publico, vel in concordia Apostolorum, qui sunt portæ Ecclesiæ. Quia prædicatio, quæ est præter unitatem Ecclesiæ, inanis est. Vel, virtutibus Ecclesia est filia Sion, id est, speculationis.

^{¶¶}73.1 *Intellectus Asaph.* AUG. Synagogæ, etc., usque ad ut duritia Judæorum vel calamitatibus terreretur, vel molliretur. CAS. Monet, relictis figuris, transire ad veritatem. *Ut quid Deus.* ID. Describens eversionem Jerusalem irreparabilem, quærit causam, quare admirans et conquerens; et precatur pro repulso populo, et ultionem in destructores, quæ quidem eis utilis est, et jam facta est. *Repulisti nos.* ID. Quasi alienos a tua defensione. *In finem.* Nec templo parcuritur. Interitum et captivitatem significat, quæ a Tito et Vespasiano. Oves nominat, ut pii pastoris misericordiam commoveat. *Tuæ.* In eos temperantius vindicamus, quos aliquando fuisse nostros meminimus.

^{§§}73.2 *Possedisti.* CASS. Vel, creasti, etsi omnes creat et disponit, Judæos tamen specialiter, quibus legem et Prophetas dedit. *Redemisti.* HIER. Te pretio, id est, per te pretium. *Mons.* AUG. Eminentia, Sion speculatio est, in quo, in qua re habitasti. Vel vacat in eo. HIER. Montem vel montis Sion, sive in eo. Hucusque veri Testamenti facta, quæ sequitur, veritas promissa. Per Sion, Jerusalem signat, in qua præsentia Christi habitavit, et ideo ne daret eam vastitati supplicat. *Virgam hæreditatis.* AUG. Ipsa congregatio, virga hæreditatis dicitur: quam volens possidere virgam Moysi in serpentem vertit, sed apprehensa cauda rediit in virgam. HIER. Quia mors suasu serpentis intravit in mundum, virga in serpente, Christus in morte. Unde et qui intuebatur serpentem, id est, Christum mortuum credit, sanatur a serpentibus, id est, a morte æterna. Expavit Moyses et fugit, sic Apostoli moriente Christo. Retenta cauda, id est, posterioribus, fit virga, quia primo occisus, postea surrexit. Cauda etiam est finis sæculi, in quo redimus ad manum Dei, et stabilimur, qui per mortem quasi per serpentem fluximus. AUG. Sed quia hæc et de gentibus: exprimit, de quibus dicat, *Mons Sion.* Id est, non de gentibus. Vel, montem Sion istum, quem inhabitasti in ipso: *Leva manum tuam in superbias eorum,* a quibus eversa est Jerusalem, id est, regibus gentium. *In finem,* quia et ipsi Christum jam noverunt.

^{*}73.3 *Leva.* CAS. Potentiam, ut superbiam eorum vertas ad humilitatem, ducens eos in finem, id est, Christum, quod et impletum est, quia Romæ Christiana religio effloruit. *Leva,* quia ex multum superstitione facta est sanctissima. *Quanta malignatus est,* etc. AUG. Sacerdotes et ministeria templi præda fuerunt. Tota gens, vel occisa vel captivata. *Inimicus,* Romanus exercitus, ad hoc per prolepsim præmisit *eorum.*

- ⁴Et gloriati sunt qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ; posuerunt signa sua, signa:†
- ⁵et non cognoverunt sicut in exitu super summum. Quasi in silva lignorum securibus‡
- ⁶exciderunt januas ejus in idipsum; in securi et ascia dejecerunt eam.
- ⁷Incenderunt igni sanctuarium tuum; in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.¶
- ⁸Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.
- ⁹Signa nostra non vidimus; jam non est propheta; et nos non cognoscet amplius.§
- ¹⁰Usquequo, Deus, improperebit inimicus? irritat adversarius nomen tuum in finem?***
- ¹¹Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?
- ¹²Deus autem rex noster ante sæcula: operatus est salutem in medio terræ.††

†73.4 *Gloriati sunt.* AUG., CASS. De victoria sua. Ecce quod non bono zelo fecerunt. Gloriati, cum scelus soleat sequi pœnitudo, hi ad gloriam vertunt; *qui te oderunt*, servi dæmonum, qui nullatenus sunt tolerandi. *In medio solemnitatis tuæ.* Non in extremo loco, sed in medio atrio. Alia littera, sacrilegia commiserunt. *In sancto.* CAS. In sanctuario per contemptum sancti templi, ubi Deitas videtur despici, in præsumptores concitat invidiam. *Signa*, etc. AUG. Aquilas, etc., usque ad id est, per edita loca.

‡73.5 *In exitu.* CAS. Vel sicut in egressu desuper, id est, non cognoverunt, quod hæc licentia a Deo egrederetur. *Quasi in silva*, etc. CASS. Antequam construeretur, prophetat eversionem templi. *In securi et ascia polluerunt tabernaculum nominis tui*, etc. AUG. *Securis* cædit trabes: *ascia* minutius persequitur. Per hoc ergo, et magnas res et minimas dicit dejectas, ut civitas funditus sit devastata, prius incisa, post ignis omnia voravit.

¶73.7 *In terra*, etc. Usque ad terram dejecerunt culmina ad laudem Dei erecta. Auget scelus, ut atrocius vindicetur. CAS. Vel potest totum legi ex persona desperantium Judæorum, etc., usque ad qui inter hæc non pœnitent. AUG. Hæc dixerunt, sed usquequo pateris opprobria Judæorum: Non hoc dixit, ut eos velit perdi, sed commutari. *In finem* mundi, vesperam scilicet, quando Judæi convertentur.

§73.9 *Signa nostra non vidimus.* AUG., CASS. Quasi dicerent: Merito hæc mala nobis contigerunt, Quia non vidimus signa; quasi dicat: Vidimus, sed non intelleximus: et vere vidimus, quia hoc signum, quia non est Propheta, vel sacerdos, vel unctio; unde: *Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio* Dan. 9. vestra. *Et nos non cognoscet amplius* Propheta aliquis, vel Deus per Prophetam; id est, non annuntiabit Christum venturum, quia jam venit. *Amplius.* ID. Vel non cognoscet adhuc, donec scilicet Judæus agnoscat eum.

***73.10 *Usquequo?* etc. CAS. Et quasi subito cognoverit. *Usquequo*, supposuit, *irritat adversarius?* quasi diceret: Tandiu improperebit, quandiu adversarius, id est, Judæus, irritat nomen tuum. *Ut quid avertis.* AUG. Post signum virgæ, additum est signum manus Moysi, hic est populus Dei: qui foras ab eo missus immundus est, sed revocatus redit in suum colorem. Dicit ergo: Quousque non revocas manum, ut agnoscat Salvatorem. *Manum tuam et dexteram*, id est, Judæos.

††73.12 *Deus autem rex noster.* CAS. Destructis signis, ostendit rem ipsam, scilicet, in adventu Christi salutem ubique factam. AUG. *Deus autem.* Dicit Asaph intelligens, etc., usque ad si ergo non præcessit, saltem sequatur. *In medio terræ.* CAS. Homo factus, Jerusalem dicitur esse in medio.

- 13 Tu confirmasti in virtute tua mare; contribulasti capita draconum in aquis.‡‡
 14 Tu confregisti capita draconis; dedisti eum escam populis Æthiopum.¶¶
 15 Tu dirupisti fontes et torrentes; tu siccasti fluvios Ethan.‡‡
 16 Tuus est dies, et tua est nox; tu fabricatus es auroram et solem.
 17 Tu fecisti omnes terminos terræ; æstatem et ver tu plasmasti ea.*
 18 Memor esto hujus: inimicus improperavit Domino, et populus insipiens incitavit nomen tuum.†
 19 Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.
 20 Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.‡‡
 21 Ne avertatur humilis factus confusus; pauper et inops laudabunt nomen tuum.¶

‡‡73.13 *Tu confirmasti.* AUG. Lapsus maris Rubri firmavit, ut esset inter siccum. Cujus mysterium subdit, quod in aquis baptismi capita immundorum spirituum annihilavit.

¶¶73.14 *Escam.* AUG. Christus est esca, etc., usque ad vel ipsum mordent reprehendendo, accusando. CAS. Vel dum tentat, esca est, quia inde proficitur. Vel, populus Æthiopum. HIERON. Nolentibus converti dedisti eum escam, in quo delectentur.

‡‡73.15 *Fontes et torrentes.* AUG. In aliis fit verbum, etc., usque ad et notat abundantiam prædicationis. CAS. Vel totum de malis. *Fontes*, quorum mala jugiter influebant: *Torrentes* qui subito et rapide peccant: hos Deus dirumpit et siccat. *Fluvii Ethan.* Inundationes et consilia diaboli. *Tuus est dies et tua est nox.* AUG. Diem illustrat sed incommutabilis sapientiæ. Noctem consolatur luna, id est, carnis manifestatio: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* Joan. 1.. Et item: *Nox nocti indicat scientiam* Psal. 28.. *Auroram et solem.* AUG. Vel *lunam*, id est carnalem, qui ut luna mutatur, qui tamen non deserendus. Vel *auroram et solem*, id est initium et profectum sapientiæ insipientes et perfectos.

*73.17 *Tu fecisti omnes.* CAS. Vel omnia historialiter ab hoc loco: *Tuus est dies. Terminos terræ*, etc. CAS. Apostoli et Prophetæ ut termini fines distinguunt, ita hi fidei jura custodiunt: vel omnia historice.

†73.18 *Memor esto.* CAS. Jam quod ubique fit: precatur Judæis, per numerata beneficia, pium judicem provocat. Quasi diceret: Memor esto hujus creaturæ tuæ. *Hujus.* AUG. Creaturæ tuæ, cujus creaturæ tuæ? *Inimicus improperavit Domino, et populus insipiens incitavit nomen tuum*, etc. AUG. Asaph intellectu dolet pristinam cæcitatem, et sic pro Judæis orat, ut eorum confiteantur errata. Hoc orat, quod scit futurum; erant enim inter Judæos vasa misericordiæ.

‡‡73.20 *Respice in Testamentum tuum.* ID. Reliquiæ salvæ fiant, quia multi, qui tendunt ad terram, obscurati sunt et repleti terra. CAS. *Respice.* Imple quæ promisisti; ut Testamentum Novum, quod est de æternis, constituas. Meminit promissionis, quia merita deficiunt. Item ideo, quia repleti sunt iniquitatibus, unde sequitur obscuritas, quia lumen sapientiæ perdunt repleti iniquitatibus, quia obscurati sunt domus terræ terrena habitatione, id est, cæci amore terrenitatis.

¶73.21 *Ne avertatur humilis, factus confusus.* CAS. Gratus pro odioso ponitur, ut dilectio devoti temperet odium contumacis. *Confusus.* ID. Confundi non est humilis, sed superbi, qui non Deo sed sibi attribuit.

²² Exsurge, Deus, judica causam tuam; memor esto improperorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.[§]

²³ Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.]**

74 In finem, ne corrumpas. Psalmus cantici Asaph.^{††}

² [Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum; narrabimus mirabilia tua.^{‡‡}

³ Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.^{¶¶}

⁴ Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas ejus.^{§§}

⁵ Dixi iniquis: Nolite inique agere: et delinquentibus: Nolite exaltare cornu.*

⁶ nolite extollere in altum cornu vestrum; nolite loqui adversus Deum iniquitatem.[†]

§73.22 *Exsurge, Deus.* CASS. Jam excutit Asaph intelligens terrena promissa Veteris Testamenti. *Causam tuam.* Dicunt enim: Ubi est Deus tuus? Contemptus est a Judæis ambulans in terra, et a falsis Christianis sedens in coelo. Judica ergo, non fallatur spes mea, qui credidi quod non vidi. *Causam tuam.* Post omnia, facit causam judicis, cui negotii sui qualitas intimatur. *Causam tuam,* contra illos, qui obmurmurant, ut manifesta veritate prædicent quod stulte abnuebant. *Tota die.* AUG. Ideo dicit, ut ipsa continuatio mansuetudinem patientis judicis incitaret.

**73.23 *Superbia eorum qui te oderunt.* CAS. In fine ponit execrabile malum, quod est superbia.

††74.1 *In finem, ne corrumpas,* etc. AUG. Monet hic psalmus, etc., usque ad ut Judæi credant, non corrumpant fidem.

‡‡74.2 *Confitebimur tibi, Deus.* AUG. Certus ergo de præmissis incipit: *Confitebimur.* Repetitio affirmatio est, ne poeniteat te esse confessum: unde et Dominus congeminat. *Amen, amen.* Fiat, fiat. Et Joseph de somno Pharaonis, qui vidit septem spicas, et totidem steriles. Et septem boves pingues et totidem macilentas. CAS. Repetitio confirmatio est ad significationem veritatis. Sufficeret unum ad significationem firmitatis, accessit alterum. Confiteri peccata vel semel terreno iudici mortem inducit, sed Deo frequens confessio vitam? Inde invocatio, post narratio; unde sequitur: *Narrabimus. Invocabimus nomen tuum.* ID. Post confessionem potest invocari Deus, in hominem sic mundatum: et sicut per confessionem evacuatur a malis, sic per invocationem impletur bonis. *Narrabimus mirabilia tua,* etc. CAS. Terretur superbus iudicio, etc., usque ad in cuius persona subditur:

¶¶74.3 *Cum accepero tempus,* secundum hominem accipit, quod ipse Deus dat, id est, potestatem iudicium faciendi. *Justitias.* Judicandi igitur ante precentur absolvi.

§§74.4 *Liquefacta est terra.* CAS. Ostendit omnes inexcusabiles in iudicio, per hoc, quod præmisit Apostolos et Prophetas. *Terra et omnes.* AUG. Prius firma, in diversas diffluit concupiscentias. Vel, terra prius vitiis constricta, flante Spiritu sancto, liquefacta est, ut germina virtutum emitteret.

*74.5 *Inique agere.* AUG. Malum est peccare; pejus est perseverare, perniciosus defendendo se, in Deum culpam refundere. *Nolite exaltare cornu.* CAS. Maximum est vitium excusationis, quasi cornu erigit qui peccata sua per alios nititur excusare, ut per diabolorum persuasiones, vel per necessitatem stellarum.

†74.6 *Loqui.* Ut qui non sua culpa, sed necessitate stellarum, dicunt se peccasse, ut Deo, non sibi imputetur. Vel, qui sciunt peccata sua, sed impunitatem sibi promittunt.

⁷ Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus:[‡]

⁸ quoniam Deus iudex est. Hunc humiliat, et hunc exaltat:

⁹ quia calix in manu Domini vini meri, plenus misto. Et inclinavit ex hoc in hoc; verumtamen fæx ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.[¶]

¹⁰ Ego autem annuntiabo in sæculum; cantabo Deo Jacob:[§]

¹¹ et omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi.]**

75 In finem, in laudibus. Psalmus Asaph, canticum ad Assyrios.^{††}

² [Notus in Judæa Deus; in Israël magnum nomen ejus.^{‡‡}

³ Et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion.^{¶¶}

⁴ Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.^{§§}

[‡]74.7 *Quia neque ab oriente.* CAS. Cur hæc? quia iudex talis est, qui vitari non potest: quia ubique est; Deus enim est. AUG. De nullo loco divisim iudicat, qui ubique præsens est ut Deus. CAS.Mystice. *Oriens*, quibus sol justitiæ oritur, etc., usque ad quia Deus præsens et cognitor est.

[¶]74.9 *Quia calix.* AUG. Calix, lex et omnis Scriptura, etc., usque ad quod ante, *et hunc exaltat.* CAS. *Calix*, lex; *vinum merum*, mysterium cœleste, etc., usque ad non solum Judæi.

[§]74.10 *Ego autem annuntiabo in sæculum: cantabo Deo Jacob.* CAS. Omnes bibent, sed seorsum: ego, id est Christus, cum corpore, *annuntiabo in sæculum* quandiu sæculum erit.

^{**}74.11 *Cornua justi*, id est, munera Christi, quæ sunt sublimitas justi.

^{††}75.1 *Canticum.* Quia agit de bonis Christi, scilicet quod notus, quod *habitat*, quod *illuminat*, quod *salvat*. Frangit gloriam Judæorum. *Ad Assyrios.* CAS. Contra Judæos, qui non dirigentes, sed errantes. Vel, quod erigunt se, quia sine gratia quærunt salutem et persequuntur Ecclesiam, ut olim Assyrii Judæos. Qui confutantur hic ablatis nominibus gloriæ, et nihil posse sine gratia probantur.

^{‡‡}75.2 *Notus in Judæa.* AUG. Glorietur Judæus, quod Judæo notus est Deus, et verum est; sed Judæo intus, non in carne. AUG. Propheta; si Judæi, tunc in vobis notus est Deus: quod si non est, tunc non Judæi. *In Judæa.* ID. Susceptis filiis Joseph duobus, cum reliquis undecim filiis Jacob duodecim tribus sunt, exspecta tribu Levi, quæ sacerdotalis, et de decimis vivebat. Duodecim tribubus terra divisa est. In his una est Juda, unde reges, et a regno omnes Judæi dicuntur. Confessi sunt Cæsarem, non Christum, qui de Juda jam non Judæi.

^{¶¶}75.3 *In Sion.* AUG. Congruum verborum ordinem attende: Judæa confessio; postquam, Israël, id est, videns Deum, et sic in pacato cum Deo locus est: unde sequitur: *In pace*, post *in Sion*, id est in contemplatione cum facie ad faciem videbit Deum, erit habitatio.

^{§§}75.4 *Ibi confregit potentias.* CAS. In Judæa, in Israël, in Salem, in Sion, ubi Deus pacis auctor venit, hæc omnia quæ et nomina gloriæ eorum fugiunt.

⁵ Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis;*

⁶ turbati sunt omnes insipientes corde. Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

⁷ Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos.†

⁸ Tu terribilis es; et quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

⁹ De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit et quievit‡

¹⁰ cum exsurgeret in iudicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.¶

¹¹ Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.§

*75.5 *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis turbati sunt*, etc. Diapsalma. Illuminat Christus, dormit Judæus, Christus iudicat, perit ille. AUG. Tu *illuminas*, sed per *montes*, qui prius lumen excipiunt per Prophetas, scilicet, et Apostolos. Sed de illuminatione *turbati sunt omnes insipientes corde*. Præmittit inde quare in futuro terribilis, etc. *Dormierunt*. CASS. A bonis æternis refrigerantes, carni acquieverunt, profutura non videntes. *Somnum suum*, qui distat a quiete bonorum: quia iste fallax est; videntes per somnium se habere thesauros, dum evigilant nihil inveniunt, unde dicit: *Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum*. Definitio avarorum. *Nihil invenerunt*. Quia nihil posuerunt in manibus Christi, qui dicit: *Esurivi*, etc. REM. In pauperibus namque esuriit, qui in cælo dives est. *Viri divitiarum*. Qui solam spem suam ponunt in incerto divitiarum. Unde non ait, habentes divitias: Multi enim habent qui non amant. *In manibus*, etc. CAS. Quasi adhuc in manibus quærant, cum se jam nihil tenuisse cognoscant.

†75.7 *Ab increpatione*, etc. AUG. Strepitus increpationis solet excitare, sed tantum pondus est increpantis Dei, quod dormitant, id est, cor habent induratum. *Qui ascenderunt*. ID. Quorum superbia crevit, humili Christo non humiliati. *Equos*. CAS. Quaslibet sæculares extollentias: unde præceptum erat in lege filiis Israël, ut non multiplicarent sibi equos. Salomon quoque de Judæa non habebat equos, sed emebat de Ægypto.

‡75.9 *De cælo auditum*. AUG. Unde Apostolus: *In revelatione Domini nostri Jesu de cælo cum angelis venient ad iudicium exercendum* I Thes. 1..

¶75.10 *Cum exsurgetet*, id est, cum potens apparebit, qui hic humilis. Vel, *cum exsurgetet* hic a morte, postea venturus ad iudicium. AUG. Quando veniens de cælo facies auditum, id est, omnibus notum. Virtus iudicii exponitur, unde terreni terrentur, et perdita potestate quiescunt; quievit, cum exsurgetet. *Mansuetos terræ*. ID. Qui mentis pacem habent, non detractantes jugum Dei.

§75.11 *Quoniam cogitatio*. CAS. Diapsalma. Admonet jam devotos offerre vota. Quasi, merito salvat mansuetos. *Quoniam cogitatio*, id est, laudabunt te cogitatione et opere, hoc est, *reliquiæ cogitationis*, etc. *Cogitatio hominis*. ID. Conceptio voti. *Reliquiæ*, redditio voti, operatio, reliqua post cogitationem. *Reliquiæ cogitationis*. AUG. Quoniam cogitatio prima, etc., usque ad quod est solemnitas celebrare. CAS. Quia solus Dominus est, cui festivitas debetur: reddent vota Deo. Prima cogitatio damnat mala. *Reliquia*. Quia post semper debet homo recordari præterita mala, ut lugeat: licet mundus hic agat diem festum, quando sentit se peccato liberum, ut post emendationem Judæi jubentur offerre festivum munus Deo.

¹² Vovete et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera: terribili,**

¹³ et ei qui aufert spiritum principum: terribili apud reges terræ.]

76 In finem, pro Idithun. Psalmus Asaph.††

² [Voce mea ad Dominum clamavi; voce mea ad Deum, et intendit mihi.**

³ In die tribulationis meæ Deum exquisivi; manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus. Renuit consolari anima mea;¶

⁴ memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus. §§

⁵ Anticipaverunt vigiliis oculi mei; turbatus sum, et non sum locutus.*

75.12 **Vovete et reddite. AUG. Alia sunt communia vota de his, sine quibus non est salus; alia propria, ut vivere castitatem, et hujusmodi. CAS. **Vovete.** Quædam sunt, quæ nec promittentes debemus solvere: ut: Non occides, et hujusmodi, etc., usque ad qui in circuitu sunt, ut famuli offerent, vel offerant, etc. AUG. Sunt quasi medii, etc., usque ad habens spiritum Dei, non principum, id est superbum. **Munera.** ID. Qui altaribus offeruntur. **Terribili et ei qui aufert.** Quem timent boni, mali vero non timent. **Spiritum principum.** CAS. Superbiæ vel timoris tollit, et facit renes sui, qui corpus suum moderantur.

††76.1 **In finem pro Idithum.** AUG. Congregatio loquitur transiliens, ut perveniat ad finem, qui est Christus. Docet igitur desideria et illecebras mundi calcare, nihil sibi præponere, nisi ex quo sunt omnia. CAS. Transcendens omnia, Deum quærit et invenit.

‡76.2 **Voce mea ad Dominum clamavi.** AUG. Intentione devotionis ad Dominum non aliud ab eo petens, quia Dominus, et quia Deus. **Vox mea ad eum.** Ad hoc est vox, propter quod editur, hoc addit, ne putetur propter aliud clamare ad Deum, quam propter ipsum, supra quem nihil est. CAS. Non dicit quid petat, quia non opus est dici ei, qui novit quod expedit. **Intendit mihi.** CAS. **Intendere Dei** est dare totum quod petitur, et plusquam petatur.

¶76.3 **In die tribulationis exquisivi.** AUG. Quomodo exquisisti? etc., usque ad qui non facit justitiam coram hominibus, ut videatur. **Renuit consolari.** ID. Exponit tribulationem, etc., usque ad qui in omnibus hominibus scandalum vel invenit, vel timet, in nullo securus.

§§76.4 **Et exercitatus sum.** AUG. Vel, **garrivi**, id est, exsultavi, loquendo ut garrulus, qui, præ lætitia, nec vellet nec posset tacere: et rursus in garriendo defecit spiritus, qui prius contabuerat tædio malorum.

*76.5 **Anticipaverunt vigiliis.** CAS. Diapsalma. Invento Deo, qui solus bonus est, deliberat an sit eum reducturus? AUG. Anticipaverunt vigiliis aliorum. **Oculi mei**, ut ille, qui ante tempus surgit ad negotium. Vel, **oculi mei**, affectiones meæ. **Anticipaverunt**, sedulitatem aliorum. Vel, per **vigiliis**, nocturnos significat, quos facimus, et usualiter sic vocamus in laudibus Dei, et ideo: **Turbatus.** CAS. Quia consequi non potui quod quæro. **Non sum locutus.** Non murmuravi contra Deum. Vel, **turbatus sum**, quia dum nocte secreta animi perquirat, videt humanum genus in peccata ruere: et pio dolore pro aliis cruciatur, qui jam vitia transilivit. **Tacet**, quia nocte non habet solatium humani colloquii, quo tempore cautius cogitat; ideo subdit: **Cogitavi dies**, etc. **Oculi mei.** Alias **inimici mei anticipaverunt vigiliis.** AUG. Id est, vigilaverunt super me, etc., usque ad non tamen cessat, vult et hoc transcendere, unde subdit:

⁶ Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui.[†]

⁷ Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.[‡]

⁸ Numquid in æternum projiciet Deus? aut non apponet ut complacitior sit adhuc?[¶]

⁹ aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?

¹⁰ aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?[§]

¹¹ Et dixi: Nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelsi.^{**}

¹² Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum:

¹³ et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor.^{††}

¹⁴ Deus, in sancto via tua: quis deus magnus sicut Deus noster?^{‡‡}

¹⁵ Tu es Deus qui facis mirabilia: notam fecisti in populis virtutem tuam.^{¶¶}

[†]76.6 *Cogitavi dies antiquos*, etc. Ideo turbatus: quia *cogitavi dies antiquos Adæ*, in quibus corrui homo. Sed contra *dies antiquos, annos* ponit *æternos*: ideo *turbatus*, quia hos desiderat homo, æternos negligit. *Dies antiquos, et annos æternos in mente habui*. CAS. Quid contigit Adæ pro inobedientia? Ex illo cognovi hunc hominis defectum esse. Et annos æternos, quos persistens haberet, in mente habui, quod non stulti. *Et etiam meditatus sum nocte*, id est, in hoc defectu. *Cum corde*, id est, cum ratione, si quomodo possem redire ad annos æternos. Cum ratione tacitus loquitur, qui in ea quietus exercetur.

[‡]76.7 *Et exercitabar*. In ipsa meditatione: *Scopebam spiritum meum*; purgabam mentem. Alii *ventilabam spiritum meum*, sic apud me tractans:

[¶]76.8 *Nunquid in æternum projiciet*, genus humanum? *ut complacitior*. Quasi qui jam placitus fuit sua gratia in Veteri Testamento, nonne addet ut plus sit in Novo per adventum Filii? hoc sentit, qui de pietate tractat. *Exercitabar et scopebam*. AUG. Vel, *garriebam*, non jam foris, etc., usque ad ubi hoc invenit, quod *non in æternum projiciet Deus*. *Ut complacitior sit*, scilicet ut ipse, qui fuit iratus repellendo, mala inferendo, sit mansuetior liberando, revocando.

[§]76.10 *Aut obliviscetur misereri Deus*. AUG. In alio modo, non est misericordia, nisi Deus eam donet: et ipse erit sine ea. Rivus currit, fons siccatus est.

^{**}76.11 *Et dixi: Nunc cœpi*. CASS. Quid deliberando invenerit, scilicet quod Christus mutat homines, et redimit. ID. *Et dixi*. Huic meditationi, etc., usque ad cum et me transiliens ad Deum veni, hic nullum periculum. *Cœpi*. AUG. Aliquid, ubi securus sum, ubi non anticipant inimici, modo cœpit me mutare Excelsus. *Mutatio dexteræ*, etc. CAS. Ab ira ad misericordiam, quod de servis filii. ID. Hujus mutationis, etc., usque ad hæc sunt quæ sanctum mulcent.

^{††}76.13 *In adinventionibus*. AUG. Id est, in præceptis, quæ invenisti, vel quibus inveniris. CAS. Vel *observationibus*, id est, præceptis quæ observanda sunt, exercebor: quia non satis est legere Scripturas, sed fructus operum demonstrare oportet: his eruditus in laudes prorumpit. AUG. *In adinventionibus vel affectionibus tuis*, non in meis, vel in terrenis est affectio: ita in operibus et meditatione Dei est interior quædam affectio, cum inspicitur mundus, et in creaturis quæritur creator, et invenitur nusquam displicens, sed undique placens.

^{‡‡}76.14 *Deus in sancto*. AUG. Per prædicta certus sum quod veniam, et hoc duce. ID. *Deus in sancto*, id est, in Christo, via redeundi ad te. Et cum hoc sit, *quis Deus magnus?* etc. *Via tua*. ID. Colendi te et ad te veniendi, unde potentiam Dei lætus præfert simulacris, quæ falso colebantur.

^{¶¶}76.15 *Mirabilia*. AUG. Sanati sunt surdi, cæci, languidi, mortui, paralytici. Ista in corporibus facta sunt. In anima quidam sobrii sunt, qui paulo ante ebriosi, infideles, adoratores simulacrorum. *Populis virtutem*. ID. *Infidelibus, ut cognoscant Christum tantum corpore, fidelibus, re et Deitate*; subdit: Quid præstiteris, *redemisti*.

¹⁶ Redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph.^{§§}

¹⁷ Viderunt te aquæ, Deus; viderunt te aquæ, et timuerunt: et turbatæ sunt abyssi.*

¹⁸ Multitudo sonitus aquarum; vocem dederunt nubes. Etenim sagittæ tuæ transeunt;[†]

¹⁹ vox tonitruui tui in rota. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ; commota est, et contremuit terra.[‡]

²⁰ In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur.[¶]

²¹ Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi et Aaron.][§]

77 Intellectus Asaph. [Attendite, popule meus, legem meam; inclinate aurem vestram in verba oris mei.**

² Aperiam in parabolis os meum; loquar propositiones ab initio.^{††}

§§76.16 *Filios Joseph*. AUG. Id est, Gentilem populum. Vel, per *Joseph* intelligitur Christus: quia, sicut Joseph venditus in Ægyptum regnavit, ita Christus in gentibus, prius humiliatus in martyribus. ID. *Joseph* qui pervenit ad gentes *augmentum* interpretatur: et significat gentes, de quibus augmentatus est populus Dei. Vel, *Joseph*, Christus a Judæis venditus, et pulsus ad gentes, *filius ejus*, quos ex gentibus elegit.

*76.17 *Viderunt*. CAS. Diapsalma. Quæ in mundo Christus operatur, exponit. AUG. Quasi diceret: Quoniam notam fecisti virtutem, vel per eum *viderunt te, o Deus Pater, vel, te, o Christe*, qui es virtus et brachium, etc.

†76.18 *Multitudo*. CAS. Non pauci, sed *multitudo*. *Sonitus*, in gemitu culparum, in actione gratiarum: quasi enim mare confragosum sonant diversa vota populorum. *Sonitus aquarum*. AUG. Unde isti sonitus aquarum, turbatio abyssorum? quia *vocem dederunt nubes*, de quibus: *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem*.

‡76.19 *Vox tonitruui*. CAS. Tonitruui vox revolvitur, ut rugatus et sinuosus sonus sentiatur. Allegoria: *in rota* totius mundi. *Rota*. HIER., AUG. Est quod exponit orbis terræ, quem circumierunt nubes tonando præceptis, coruscando miraculis. *Contremuit terra*. CAS. Qui habitant in terra. Ipsa terra mare dicitur per similitudinem, quia humana vita amara, tempestatibus subdita, ubi major piscis minorem devorat.

¶76.20 *In mari*. AUG. Ad litteram, dum Christus super aquas ambulavit. Vel, in cordibus hominum, quos sibi subdit. Vel, per *terram*, Judæi; per *mare*, gentes accipiuntur. *Et vestigia tua non cognoscentur*. Increpatio tacita Judæorum; quasi dicat: Licet palam venerit, et se miraculis ostenderit: non est cognitus a Judæis infidelibus quos deduxit in manu Moysi et Aaron, id est, operatione miraculorum quæ fecerunt. *Vestigia tua*, etc. Tetigit aliquos, id est, Judæos, qui dicunt, Nondum venit Christus, non vident super mare ambulantem.

§76.21 *Sicut oves*. Quia non vere oves, sed hædi. *Moysi et Aaron*. CAS. Moyses intrepreatur *assumptus de flumine*; Aaron, *mons fortitudinis*: his nominibus, virtutes quas fecerunt exprimuntur. Moyses inter cætera in mari viam fecit, signans per baptismum populum liberari. Aaron Ecclesiæ tenebat imaginem, quæ monti fortissimo comparatur.

**77.1 *Intellectus*. AUG. Quia hæc narrata, etc., usque ad quæ aperta videntur, parabolæ sunt et ænigmata. *Attendite*. CAS. Primo ipse Dominus loquitur, ut reverentia crescat. *Popule meus*, qui mihi obedis. Os Dei est Asaph, qui inferius locutus est ista: *Quanta audivimus ab initio*. Veteris Testamenti: vel, fidelis Synagoga malis exprobat.

††77.2 *In parabolis*. AUG. Parabolæ, rerum similitudines. *Propositiones*. Quæ Græce *problemata*, quæstiones aliquid solvendum habentes.

³Quanta audivimus, et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis.^{‡‡}

⁴Non sunt occultata a filiis eorum in generatione altera, narrantes laudes Domini et virtutes ejus, et mirabilia ejus quæ fecit.

⁵Et suscitavit testimonium in Jacob, et legem posuit in Israël, quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis:^{¶¶}

⁶ut cognoscat generatio altera: filii qui nascentur et exsurgent, et narrabunt filiis suis,^{§§}

⁷ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant:^{*}

⁸ne fiant, sicut patres eorum, generatio prava et exasperans; generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus.[†]

^{‡‡}77.3 *Quanta*. CAS. Summatim dicit, quæ Judæis Deus fecit: tamen ingratis sibi, et sic, si non eis, prodest tamen filiis, ne fiant sicut patres. AUG. Prius Deus in homine locutus est, jam homo ipse: *Quanta audivimus*. Illud prædictum dixit Deus ex se, ne contemnatur ejus locutio.

^{¶¶}77.5 *Et suscitavit*, etc. AUG. Hoc testimonium. *Initium*, unde supra: *Loquar propositiones ab initio*. Initium est Vetus Testamentum, finis Novum. Ibi timor, qui est initium: sed hic Christus, *finis legis ad justitiam omni credenti* Rom. 10., qui dat spiritum, unde: *Charitas, quæ pellit timorem* I Joan. 4.. Hujus Novi Testamenti testimonium dicitur vetus lex, quia habet testimonium a lege et Prophetis: unde tabernaculum testimonii dicebatur illud, quod tot mystica figurabat: *Testimonium* ergo dicitur Vetus Testamentum in quantum probat et testatur, lex in quantum jubet. CASS., REM. *Suscitavit* quasi mortuum in Adam testimonium, id est, legem, vel, dum describitur, suscitatur, prius ignorantia sopitum. *Testimonium in Jacob*, hoc forsitan est, quod Jacob cum angelo luctatus, tacto femore claudicavit: quod significat Judæos partim fide constare, partim a salute discedere: et ita hujus rei testimonium fuit, quod Jacob accidit. Ecce parabola. *Filiis suis*. Et sunt iidem filii generatio altera, scilicet populus gratiæ.

^{§§}77.6 *Generatio altera*. Per generationes transmissa sunt mandata Dei, ne quis putet uni data.

^{*}77.7 *Ut ponant*. Hæc est utilitas paternæ prædicationis. *Exquirant*. AUG. Qui dicti sunt supra cognovisse, modo *exquirant*, ut sperantes in Deo, adjuventur ad implendum ab eo.

[†]77.8 *Prava*. CAS. Quæ veritatem non recipit, et ideo distorta, *exasperans* super omnes acerbitates, ut in Salvatorem armarentur. Unde per Ezechielem dicit Dominus: *Vade et dic domui exasperanti* Ezech. 2.. *Non direxit cor suum*. ID. Distortum cor habet qui prave intellecta non corrigit, et quæ natura docet, non perficit: *Non est creditus cum Deo spiritus ejus* Joan. 1., id est, et si ratio bene suasit, ei acquievit. *Non est creditus*. AUG. Quando cum spiritu Dei operante spiritus hominis cooperatur, fit quod Deus jubet: et hoc non est nisi credendo in eum, qui justificat impium, quam fidem non habet generatio prava et amaricans. ID. Expressius multo dicit, etc., usque ad illa autem generatio, etsi credidit Deo, non tamen in Deum.

- ⁹Filii Ephrem, intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.[‡]
¹⁰Non custodierunt testamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare.
¹¹Et oblitus sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus quæ ostendit eis.
¹²Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.[¶]
¹³Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas quasi in utre:
¹⁴et deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis.[§]
¹⁵Interrupit petram in eremo, et adaquavit eos velut in abyssus multa.^{**}
¹⁶Et eduxit aquam de petra, et deduxit tamquam flumina aquas.^{††}
¹⁷Et apposuerunt adhuc peccare ei; in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.^{‡‡}
¹⁸Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.
¹⁹Et male locuti sunt de Deo; dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?^{¶¶}

[‡]77.9 *Mittentes arcum.* AUG. Figurata dicit, etc., usque ad David fratribus, sic populo Judæorum populus Christianus. Vel, *Filii Ephrem.* ID. *Intendentes et mittentes arcum,* id est, arcu aliquid mittentes. Vel, *intendentes arcum,* et mittentes sagittas, id est, promittentes servare legem, aperte dicentes: *Omnia, quæcunque dixerit nobis Dominus, faciemus et audiemus* Exod. 24.. *Conversi sunt* et defecerunt *in die belli,* id est, tentationis; unde Osee propheta ait: *Ephraim factus est facti columba insipiens, non habens cor* Ose. 7., quia promissionem obedientiæ non auditio, sed tentatio probat. *Beneficiorum.* EUTHYM. Beneficiorum, quæ contulit in populum Israël, veluti, quod duxerit eos per mare Rubrum immadidos. *Mirabilium* autem dicit, quia Ægyptiorum flumina in sanguinem mutaverat. Quod vero ait Deum eis hæc ostendisse, non ideo dicit, quasi ipsi ea propriis viderint oculis, sed quia ita a suis acceperunt majoribus.

[¶]77.12 *Coram patribus,* etc. CAS. Incipit narrare jam, quæ ab educatione de Ægypto fecit eis: nec tamen destiterunt a murmure et a tentatione. AUG. *Coram patribus.* Qui sunt patres, etc., usque ad accedente ligno crucis quasi virga Moysi. *In terra Ægypti.* ID. Ut omnem dubitationem tollat, et provinciam dicit, et locum factorum. Sic Christus in terra positus coram patribus novit, humile mandatum docuit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Joan. 7.

[§]77.14 *In nube.* HIER. et CASS. Hoc futurum judicabant. *Dies,* Christus est, tamen *nube* carnis celatur perfidis; et sicut illis *nubes* contra æstum solis, sic nobis Christus per incarnationem dat refrigerium contra æstum vitiorum. *Tota nocte,* toto tempore vitæ. *In illuminatione ignis.* Christianos in hoc sæculo nominis sui claritate custodit ignis Spiritus sancti.

^{**}77.15 *Petram.* CASS. *In eremo.* Prius aqua maris quasi petra, modo petra fons. *In eremo,* ubi necesse ut gratius sit munus. *Adaquavit.* Quasi pecora, non homines, quia non egerunt gratias.

^{††}77.16 *Tanquam.* CASS. Aqua, quæ de Christo prodit, nulla imminutione deficit, sed fit fons aquæ salientis in vitam æternam.

^{‡‡}77.17 *Adhuc peccare.* CASS. Adjecerunt, ut inter tot beneficia non crederent: quod ut maximum intelligeretur peccatum, cum Dominus dixit in Evangelio: *Spiritus arguet mundum de peccato,* exponendo subjunxit: *De peccato quidem, quia non credunt in me* Joann. 4, 16.. Sicut ergo peccatum dicit ibi, *non credere,* et hic *peccare* dicit, non credere. *In iram.* ID. Non credentes Deum posse difficilia sibi facere, quod gravissimum est apud Deum, sic et nos abluti per baptismum provocamus Deum ad iram. *In inaquoso.* AUG. Vel, in alia eremo ad litteram, vel potius in se, quia licet pleni utres aquæ de petra, aridæ tamen mentes fuerunt.

^{¶¶}77.19 *Mensam.* CASS. Mystice, refectionem sapientiæ, vel corpus Christi.

- 20 quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?
- 21 Ideo audivit Dominus et distulit; et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israël:§§
- 22 quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus.
- 23 Et mandavit nubibus desuper, et januas cæli aperuit.*
- 24 Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cæli dedit eis.†
- 25 Panem angelorum manducavit homo; cibaria misit eis in abundantia.
- 26 Transtulit austrum de cælo, et induxit in virtute sua africanum.‡
- 27 Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata.¶
- 28 Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.§
- 29 Et manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis:**
- 30 non sunt fraudati a desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum,††
- 31 et ira Dei ascendit super eos: et occidit pingues eorum, et electos Israël impedivit.

§§77.21 *Ideo audivit.* CASS. Quod dilata vindicta, dedit prius quod petebant, ne videretur non posse. *Distulit.* AUG. Pœnam; dans prius quod, licet tentando, petebat, ne videretur non posse: et postquam dedit, ignis, id est ira, ascendit in Israël. Et hoc est quod prius dixit: *Ignis accensus est in Jacob.*

*77.23 *Et mandavit.* Utrumque breviter positum, scilicet quod audivit, quod ira ascendit; aperte hic incipit narrare. Et prius quomodo audivit exsequitur, postea in sequenti parte quomodo vindicavit. *Et januas cæli.* CASS. Januæ, ipsi prædicatores, quibus intratur in cœlum; vel Scripturæ. *Aperuit.* Quia dedit spiritum suis, ut intelligerent Scripturas.

†77.24 *Manna ad manducandum.* AUG. Significat panem qui de cœlo descendit, qui est cibus angelorum: quem, ut manducaret homo, *Verbum caro factum* Joan. 1., qui per nubes evangelicas pluitur toti mundo, et apertis eorum cordibus, quasi cœlestibus januis, credenti Ecclesiæ prædicatur, non tentati Synagogæ. CASS. *Manna, quid est hoc?* quia hic cibus admirando requiritur, et esse corpus Christi scitur. *Panis cæli.* ID. Non aliter, quam Christus, de quo cœlestes, id est angeli, reficiuntur ejus contemplatione; et hunc panem, id est verbum, quo grandi cibo pascuntur angeli, per carnem factum lac, edit homo.

‡77.26 *Africanum.* Quia ibi sunt coturnices.

¶77.27 *Et pluit super eos,* etc. AUG. Sic et parvulam fidem, etc., usque ad unde: *Si terrena dixi vobis, et non creditis mihi, quomodo si dico vobis cœlestia?* etc. Joan. 3. *Sicut pulverem.* CASS. *Pulvis* hic significat intelligentiæ subtilitatem, quæ ad superna conscendit. *Arena,* innumeram prudentiæ copiam salis sapore conditam. *Volatilia pennata.* Cœlestia desideria, quibus anima pasta pinguescit: hæc intra septa Ecclesiæ possumus accipere, unde subdit:

§77.28 *Et ceciderunt in medio castrorum.* AUG. Significans per hoc quod sponte veniunt venti ad homines, et portant eis verba divinitus missa, ut in suis sedibus, et circa tabernacula audiant: quia in omnem terram exivit sonus eorum.

**77.29 *Et manducaverunt.* Convicti sunt, qui hoc Deo impossibile putaverunt.

††77.30 *Adhuc escæ eorum,* etc., *et ira Dei,* etc. CASS. De vindictis, et simulatis reversionibus eorum, timore pœnarum: et tamen sententia Dei per misericordiam temperata. *Escæ.* ID. Manna, coturnices. *Electos Israël impedivit.* AUG. Id est, impedivit ne illis prodessent, quibus paterno affectu consulere cupiebant. Vel potius, compedivit ut cum eis molestias sustinerent electi ad exemplum, non justitiæ tantum, sed et patientiæ. *Impedivit.* ID. Murmure eorum, ut Moyses, qui dixit: *Nunquid poterimus de petra aquam vobis ejicere?* Num. 20.

- 32 In omnibus his peccaverunt adhuc, et non crediderunt in mirabilibus ejus.^{‡‡}
 33 Et defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione.^{¶¶}
 34 Cum occideret eos, quærebant eum et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.^{§§}
 35 Et rememorati sunt quia Deus adiutor est eorum, et Deus excelsus redemptor eorum est.
 36 Et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei;
 37 cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.*
 38 Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum, et non disperdet eos. Et abundavit ut averteret iram suam, et non accendit omnem iram suam.[†]
 39 Et recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens.[‡]
 40 Quoties exacerbaverunt eum in deserto; in iram concitaverunt eum in inaquoso?[¶]
 41 Et conversi sunt, et tentaverunt Deum, et sanctum Israël exacerbaverunt.[§]

^{‡‡}77.32 *In omnibus his peccaverunt adhuc et non crediderunt in mirabilibus ejus.* Correcti post hæc omnia graviora sunt peccata, quæ semper accrescunt.

^{¶¶}77.33 *Et defecerunt,* etc. AUG. Cum possent, credendo, dies in veritate sine defectu habere. *In vanitate dies eorum et anni eorum.* CASS. A similitudine illius qui in ortu moritur, in vanum est natus. *Cum festinatione.* AUG. Et quæ prolixior videtur, vita cito præterit.

^{§§}77.34 *Quærebant eum.* CASS. et AUG. Non occisi, sed relictii. Sed sic loquitur, quia unus populus sunt, quasi de uno corpore. *Diluculo veniebant ad eum,* etc. CASS. Sedulo, vel ante lucem; unde: *Vanum est vobis ante lucem surgere.* Pius in luce, impius ante lucem rogat. *Quærebant.* Revertentur, veniebant. AUG. Hæc omnia, propter temporalia bona acquirenda, et vitanda mala: et ita non Deus, sed illa colebantur.

*77.37 *Nec fideles habiti sunt in testamento,* etc. CASS. Qui vere credit, opera facit: unde fides dicitur quod fiant dicta; unde dicit: *Nec fideles in præceptis.*

[†]77.38 *Ipse autem est misericors et propitius fiet.* AUG. Hic mali impunitatem sibi promittunt, sed misericordia est etiam malis, verum ante iudicium, quia facit solem oriri super bonos et malos. Sic et illi genti pepercit, ne penitus eradicaret, sed manet in successione posterorum, sicut Cain signo accepto, ne quis eum occideret. *Peccatis eorum,* etc. AUG. Populi, qui idem est in successione filiorum; ut et post *abstulit eos de Ægypto, et induxit eos in montem sanctificationis* Gen. 4., cum non eos, nisi in successione. Sic et hic cum dicitur: *propitius fiet peccatis eorum,* intelligimus etiam impletum esse quod dicitur ab Apostolo: *Reliquiæ salvæ fient eos.* 9., quæ credent in Christum, quod hic prævidit, cum subdit: *Et non disperdit eos. Et abundavit ut averteret,* etc., quia: *Non omnem iram accendit,* etc. Id est, non punivit eos quantum digni erant: quia et illud remisit, quod Filium occiderunt.

[‡]77.39 *Spiritus vadens et non revertens,* etc. Ideo per gratiam revocat, quia per se redire non possunt: unde in Proverbis in via iniquitatis dicitur: *Omnes qui ambulant in ea non revertentur* Prov. 2., scilicet per se, sed per gratiam revocabuntur. Hæc est ovis errabunda, quæ humeris pii pastoris reducta est ad gregem.

[¶]77.40 *Quoties.* CASS. Dicturus plagas Ægypti, propter eos factas, comparando mala eorum beneficiis Dei, dicit eos oblitos, et tentasse Deum. AUG. Quia caro vel spiritus vadens, quoties ergo? quasi multoties exacerbaverunt eum.

[§]77.41 *Et conversi sunt,* etc. AUG. Repetit eorum infidelitatem, ut memoret quas plagas intulit Deus Ægyptiis propter eos, unde deberent esse non ingrati.

- 42 Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit eos de manu tribulantis:**
 43 sicut posuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos;
 44 et convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum, ne biberent.††
 45 Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos, et ranam, et disperdidit eos;
 46 et dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustæ;‡‡
 47 et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina;
 48 et tradidit grandini jumenta eorum, et possessionem eorum igni;¶¶

**77.42 *De manu tribulationis.* CASS. Tribulatio solet esse in memoria, sed non eis. Pulchre opponit manum Dei manui Pharaonis, dicens: *Manus ejus et de manu tribu;* quæ multum differunt. AUG. et CASS. Mysticationes ab hoc loco.

††77.44 *Et convertit,* etc. *Misit in eos iram,* etc. Hic incipit exponere plagas propter Judæorum liberationem in Ægypto factas, et ponit decem plagas, sicut in Exodo decem. Ponuntur aliqua tamen hic, quæ non in Exodo, quæ non interpretari, nisi figurate possumus, ubi et quæ facta fuerunt parabolæ dicuntur, sicut sæpe solet non seriem historiæ sequi: sed alia addere, vel quædam mutare pro significatione. *Aqua* ergo *in sanguinem,* significat de rerum causis carnaliter sentire. *Cynomia.* Canini mores sunt. *Rana.* Loquax vanitas.

‡‡77.46 *Ærugo.* Quam alii rubiginem interpretantur, nocet occulte, quæ comparatur vitio quod difficile apparet, ut est multum fidere de se. Aura enim noxia hoc in fructibus operatur latenter: sic in moribus occulta superbia, cum putat se aliquid esse qui nihil est. *Locusta.* Malitia ore lædens, infideli scilicet testimonio. *Grando.* Est iniquitas res alienas auferens; unde furta, rapinæ, prædæ. Plus autem vitio suo vastatur ipse vastator. *Pruina.* Vitium quo charitas proximi stultitiæ tenebris quasi nocturno frigore congelascit.

¶¶77.48 *Ignis.* Qui non in Exodo nisi cum grandine in fulguribus, ut fructus læderet, accipitur: qui tamen non legitur possessiones incendisse, significat immanitatem iracundiæ, qua et homicidium fit. Morte pecorum, pudicitiae damnum signatur. Concupiscentia, qua foetus oritur, communis est nobis cum pecoribus: hanc habere dominantem et ordinatam, pudicitiae virtus est. *Mors primitivorum.* Amissio est justitiæ qua quisque humano generi socialis est. Decem plagis percussi sunt Ægyptii contra decem præcepta scripta in tabulis. Et hic decem plagæ, licet non in eo ordine ponantur, sed pro tribus quæ in Exodo, id est cyniphes, ulcera, tenebræ quæ non hic. Aliæ tres sunt hic, quæ non ibi, rubigo, pruina, et ignis. Talia enim pro congrua intelligentia frequenter variantur. *Signa.* CASS. Sunt duris cordibus, quasi characteris impressa vestigia. *Prodigia,* quæ signabant aliqua futura. *Thanis,* civitas, humile mandatum, quod hic nobis necessarium, ut in futuro erigamur. *Et dedit ærugini.* Hæc in Exodo non leguntur, mystica ergo interpretatione tantum exponantur. *Locusta.* AUG. Se invicem comedentes, significat detractores, qui alienos fructus invade rodunt. *Moros eorum in pruina.* AUG. Morus calidæ est naturæ, per quod charitas intelligitur, quæ in pruina occiditur. *Grandini* ID. Quæ grando non potuit lædere, id est mollia, post dicit Exodus a locustis comesta. *Tradidit.* CASS. Morte pecudum, stultorum occasus ostenditur. ID. *Igni. Ignis,* cupiditas, quæ possessionem, id est, statum mentis vastat.

- 49 misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem, immissiones per angelos malos.^{§§}
- 50 Viam fecit semitæ iræ suæ: non pepercit a morte animabus eorum, et jumenta eorum in morte conclusit:*
- 51 et percussit omne primogenitum in terra Ægypti; primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham:†
- 52 et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tamquam gregem in deserto:‡
- 53 et deduxit eos in spe, et non timuerunt, et inimicos eorum operuit mare.
- 54 Et induxit eos in montem sanctificationis suæ, montem quem acquisivit dextera ejus; et ejecit a facie eorum gentes, et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis;¶
- 55 et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israël.[§]
- 56 Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia ejus non custodierunt.
- 57 Et averterunt se, et non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.**

§§77.49 *Iram indignationis*, etc. CASS. Ordo vindictæ: prius peccatis Deus irascitur, quando non compunguntur, inde malitiam hominis in sua indignatione, ira et tribulatione derelinquit, ut suis adversitatibus affligantur, qui Deo non obediunt, ut ibi dicitur: *Propterea tradidit illos in reprobum sensum* Rom. 1.. Indignatio hominis pertinet ad tumidam superbiam; ira, ad nefandam audaciam; tribulatio, ad confusam desperationem: tunc per diabolum ad immissiones illicitas præcipitantur nudati defensione Dei. *Per angelos malos*. AUG. Judicio Dei hæc facta sunt, etc., usque ad per angelos ergo malos punit Deus bonos et malos homines, sed bonos tantum corporalibus poenis, malos autem corporalibus et spiritualibus poenis.

*77.50 *Iræ suæ*. AUG. Erat semita iræ Dei, qua occulta æquitate puniret Ægyptios; cui Deus fecit viam, ut eos quasi ex abditis produceret per angelos malos in aperta scelera, et sic aperte puniret.

†77.51 *Primogenitum in Ægypto*. AUG. Primogenita sunt summa mandata, ut: Diliges Dominum Deum ex toto corde; quibus non servatis orbamur prole rationis.

‡77.52 *Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tanquam gregem in deserto*. AUG. Mystice. Hoc et in nobis intus fit, ubi eruditi de potestate tenebrarum mente transferimur in regnum Dei, oves in spiritualibus pascuis. CASS. *Et abstulit*. Quod eductos de servitute duxit in terram promissionis; et iterum offendunt.

¶77.54 *Et induxit eos in montem sanctificationis suæ*. AUG. Non eosdem quos abstulit, sed eos nomine et gente; significat tamen quod multi ad Ecclesiam, quam mavult intelligi, conversi sunt; ipsa est mons quem Christus acquisivit. *Et ejecit a facie eorum gentes*, etc. AUG. Vel maligni spiritus. Quæ omnia Christus ejecit a facie fidelium; *et sorte divisit eis terram*. Per hoc significatur quod in nobis omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

§77.55 *In tabernaculis*. CASS. In quibus regnabant peccata regnare fecit virtutes.

**77.57 *Quemadmodum patres eorum conversi*, etc. AUG. Per totum loquitur quasi de eisdem: tamen nunc de his qui in terra promissionis, quorum fuerunt patres, qui in deserto amaricaverunt. *Arcum pravum*, etc. ID. Animi intentionem perversam, ut contra Deum, qui dixerat: *Non erunt tibi dii alieni* Exod. 20., quod plenius aperit. *In iram concita*, vel, *in arcum pravum*, qui difficile remittitur, et ipsi facile retroibant. Vel, *arcum pravum*, qui non ominis jaculatur, sed in se spicula convertit, id est, malitia dolosorum.

- ⁵⁸ In iram concitaverunt eum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.^{††}
- ⁵⁹ Audivit Deus, et sprevit, et ad nihilum redegit valde Israël.^{‡‡}
- ⁶⁰ Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.^{¶¶}
- ⁶¹ Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici.^{§§}
- ⁶² Et conclusit in gladio populum suum, et hæreditatem suam sprevit.
- ⁶³ Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatæ.
- ⁶⁴ Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, et viduæ eorum non plorabant.
- ⁶⁵ Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino.^{*}
- ⁶⁶ Et percussit inimicos suos in posteriora; opprobrium sempiternum dedit illis.[†]
- ⁶⁷ Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit.[‡]
- ⁶⁸ sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit.
- ⁶⁹ Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum, in terra quam fundavit in sæcula.[¶]

^{††}77.58 *Ad æmulationem.* Vel æmulati sunt; alia littera, cum honorem Dei alii tradunt.

^{‡‡}77.59 *Audivit Deus.* CASS. De ultione in terra promissionis, quæ et retorta est in ipsos, per quos punivit.

^{¶¶}77.60 *Et repulit tabernaculum.* AUG. Hoc tempore Eli sacerdotis, quando victi sunt ab Allophylis, et arca Domini capta est, et ipsi magna strage vastati. Legitur enim in libro Regum, quod tunc ceciderunt de populo triginta millia peditum. *Repulit tabernaculum Silo.* BEDA. Quod erat in Silo, etc., usque ad quia autem illud non attenderunt, nec tabernaculum Deo fecerunt: ideo Dominus merito repulit. *Habitavit in hominibus.* AUG. Cum ergo non esset dignum in quo habitaret, repulit illud quod non propter se, sed propter illos instituit. CASS. Sic deserit corpora nostra, quæ Spiritus sanctus, dum bene tractantur, inhabitat.

^{§§}77.61 *Et tradidit.* CASS. Si enim cum peccatoribus et boni traduntur captivitati, exercitium est, non in mente captivi sunt. Vel, hosti traditi, sed liberi et Deo conjuncti. *Virtutem eorum.* AUG. Arbitrii libertatem imminuit, et virtutes abstulit in malis, quod non sit in bonis, licet cum malis interdum captiventur corporaliter.

^{*}77.65 *Et excitatus est.* CASS. et AUG. Mores hominum Domino tribuit, propter res explanandas. *Tanquam dormiens.* Hoc dicitur a persona dementium, qui ita putant, quando periclitantibus non subvenit, vino esse crapulatum, quando non tam cito subvenit. Et revera sic dementer putantibus dormit, et est alienus, et negligentibus et infidelibus, qui nulla voce laudis vel operis eum excitant. Excitatur autem ad vindictam malis actibus, ut hic peccatis eorum, qui arcam inter simulacra posuerunt. *Tanquam potens,* quia tunc sunt homines ad iram faciles, et ad virtutes potentes, quando post crapulam de somno surgunt. AUG. *Et excitatus est.* Christus vino passionis ebrius, dormiens in sepulcro, excitatus est a morte, tanquam potens in resurrectione. ID. *Tanquam dormiens.* Visus est dormire, quando populum suum dedit in manus eorum, quos odit: ubi eis dicitur: *Ubi est Deus tuus?*

[†]77.66 *Et percussit iniquitatem.* AUG. Hac pœna cruciabitur, etc., *usque ad opprobrium enim sempiternum dedit illis.*

[‡]77.67 *Et repulit.* CASS. De rege David, et loco regni. AUG. Non dixit, etc., usque ad sic ab initio electionis Hebrææ gentis usque ad Christum procedit.

[¶]77.69 *Sicut,* etc. AUG. Unicorni sunt quorum firma spes in unum illud erigitur, de quo dicitur: *Unam petii a Domino, hanc requiram. Sanctificium.* Est plebs sancta, regale sacerdotium.

⁷⁰ Et elegit David, servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium; de post foetantes accepit eum:[§]

⁷¹ pascere Jacob servum suum, et Israël hæreditatem suam.^{**}

⁷² Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.]††

78 Psalmus Asaph. [Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam; polluerunt templum sanctum tuum; posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

² Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cæli; carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.^{‡‡}

³ Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret.

⁴ Facti sumus opprobrium vicinis nostris; subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.^{¶¶}

⁵ Usquequo, Domine, irasceris in finem? accendetur velut ignis zelus tuus?^{§§}

⁶ Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt:

⁷ quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt.*

§77.70 *David servum.* AUG. Qui de Juda, etc., *usque ad: dentes* Ecclesiæ sunt illi per quos loquitur, vel per quos in corpus suum velut manducando cæteros trajicit. *Grex tonsarum* dicitur, quia onera sæculi velut vellera deposuit, et ad pedes Apostolorum rerum suarum venditarum pretia apposuit; *ascendens de lavacro* baptismi, geminos creat, opera scilicet geminæ charitatis; unde: *sterilis non erat in eis*; ab his translatus est Christus, sed pascit greges in gentibus qui sunt Jacob, et Israël.

**77.71 *Jacob. Israël hæreditatem suam.* AUG. Repetit: Nisi dicatur, nunc secundum hunc statum Jacob *servus*: quando videbit facie ad faciem *hæreditas*. Unde et nomen accepit: Israël enim dicitur ex contemplatione Dei. Transtulit eum ad hoc ut pasceret, et ita fecit.

††77.72 *Et pavit eos*, etc. AUG. Videtur forte, etc., usque ad et hoc docuit quod egit. PSAL. 78

‡‡78.2 *Morticina.* CASS. Cadavera, quasi non modo in viventes sæviunt. Sepelire pietatis est, abjicere crudelitatis. *Effuderunt.* ID. Exaggerat, ut judicem moveat.

¶¶78.4 *Facti.* CASS. Gloria Jerusalem toto orbe mirabilis versa est in *opprobrium vicinis*, quod gravius est quam si remotis, quia hi sunt assidui. Vel, vicini, affectiones, propinquis jam volentibus credere, ut martyres hoc dicant.

§§78.5 *Usquequo, Domine?* CASS. Deprecatio pro parte sua contra inimicos et insultantes vicinos; quasi illi ita sæviunt: Sed, o Domine, usquequo? AUG. Rogat ne usque in finem irascatur, id est, ne illa vastatio perseveret, sed temperet correctionem. Nomine *iræ*, vindicta iniquitatis accipitur, nomine *zeli*, exactio castitatis, ne anima a Deo fornicetur. Nota, hoc pro peccatis evenire hominibus, licet justis, sicut tres pueri, et Prophetæ in captivitate testantur. *Velut ignis.* ID. Ure tandiu, donec aurum virtutum perfecte purgetur, ligna, id est vitia, cinerentur.

*78.7 *Comederunt.* AUG. Ferarum dentibus tradendo. *Desolaverunt*, eversione civitatis, quæ civibus suis nudata est, vel, quia occiderunt substitutos loco civium occisorum; Jacob pro homine, homo, scilicet pro gente, quæ offendit. Gratus patriarcha, ut ejus memoria peccata populi mitiget. *Jacob.* AUG. Hæc est supra dicta hæreditas. *Locus.* CASS. Civitas, ubi templum, quo congregantur ad festa.

- ⁸ Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum; cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.[†]
- ⁹ Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos: et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.[‡]
- ¹⁰ Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? et innotescat in nationibus coram oculis nostris ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est.[¶]
- ¹¹ Introëat in conspectu tuo gemitus compeditorum; secundum magnitudinem brachii tui posside filios mortificatorum.[§]

[†]78.8 *Iniquitatum nostrarum.* BEDA. Id est, quas a patribus contraximus, quibus scilicet jam non debetur correctio, sed damnatio, nisi adsit gratiæ tuæ miseratio. Scriptum est enim: *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Et, *Visitabo peccata patrum in filios, usque in tertiam et quartam generationem* Ezech. 18. *Antiquarum.* CASS. Non dicit de præteritis tantum, cum et hoc tempore quidam Judæi idola sequerentur; sed similitum antiquis, quibus innumeris annis peccaverunt. *Anticipent.* ID. Ante iudicium quod timet omnis homo, quia nisi indulgentia præveniat in iudicio, non absolvitur reus. *Nimis.* Ne quis de actibus præsumat.

[‡]78.9 *Adjuva.* CASS. In bello defensionis legum, quia non in suis, sed in virtutibus Dei confidunt. *Propter gloriam.* Non propter meritum ut erepti, tuo nomini honorem reddamus. *Propter gloriam nominis tui.* Pietati sancti nominis tribuatur, non nobis, quod actibus nostris non potest haberi. *Adjuva nos, Deus.* Per hoc nec ingratum est gratiæ, nec tollit liberum arbitrium. Qui enim adjuvatur, etiam per seipsum aliquid agit. *Libera nos.* AUG. Liberat, id est, eruit a malis, cum et adjuvat ad faciendam justitiam, et propitius est peccatis, sine quibus hic non vivitur.

[¶]78.10 *Ne forte.* AUG. Illud usitatum a perfidis: Ubi est? Vel non est, vel non potest; insultatio non ferenda. *Innotescat.* Vel hic in conversis perimitur iniquitas, quod ante optaverat, vel, in fine pereunt, quod hic dicit non optando, sed prophetizando. AUG. Quia justus non delectatur de pœna inimici, quia non eum odit, sed de divina justitia, quia Deum diligit, econtra injustus facit.

[§]78.11 *Compeditorum.* AUG. Corruptibilitate carnis, quæ aggravat animam, per quam prævalet aliquando persecutor: has compedes non sentiunt nisi illi, qui ingemiscunt gravati; ab his cupiebant dissolvi Apostolus, et esse cum Christo. Vel, compedes sunt præcepta Dei, quibus colligantur sancti, quæ patienter sustentata in ornamenta vertuntur, unde: *Injice pedem tuum in compedes ejus* Eccli. 6.. CASS. *Compeditorum,* ad litteram de his dicit, quos gentiles vinxerunt: qui cum gemitu orant, ut Ecclesia in fratribus non deficiat, et sic eos pœna consumit. *Secundum magnitudinem.* AUG. Res enim tam magna in Christianis secuta est, quam nunquam crederent inimici. *Filios,* quia accensi sunt exemplo, non territi. *Posside filios mortificatorum.* ID. Hoc semper oraverunt sancti martyres, ne infructuosus esset posteris sanguis eorum, ut inde cresceret seges, unde putabatur peritura. CASS. Pia precatio, ne filios eorum projiciat, qui pro eo puniti sunt. *Posside,* ne quo errore maculentur.

¹² et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum; improprium ipsorum quod exprobraverunt tibi, Domine.**

¹³ Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum; in generationem et generationem annuntiabimus laudem tuam.]††

79 In finem, pro iis qui commutabuntur. Testimonium Asaph, psalmus.‡‡

² [Qui regis Israël, intende; qui deducis velut ovem Joseph. Qui sedes super cherubim, manifestare¶¶

³ coram Ephraim, Benjamin, et Manasse. Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. §§

**78.12 *Et redde*. CASS. Etsi corporaliter reddit, salus est tamen animæ eorum. *Septuplum*, perfectionem doni cœlestis significat, quando Spiritu sancto replemur. *In sinu*. In secreto animorum, ubi fit conversio. *Improprium*, pro injuriis reddant laudes: gloriosa vindicatio, quando inimicorum ore laudatur Deus. Vel *septuplum*. Septupla retributione perfectionem pœnæ significat, sicut et de bonis, cum dicitur septuplum accipiet in hoc sæculo: quod positum est pro omnibus bonis, quasi nihil habentes, et omnia possidentes; quia in hoc numero plenitudo significatur. Vel *septuplum*, pro infinito. *Improprium*, AUG. Hoc redde, id est, pro isto opprobrio da eos in reprobum sensum. Homo namque, cum datur in reprobum sensum, id est, in interiori sensu, accipit suppliciorum meritum futurorum.

††78.13 *Nos autem*. CASS. Conclusio exsultativa, non victorum, sed patientium. Et suavis conclusio lamentationis. AUG. *Nos autem*. Hæ sunt reliquiæ a Matathia congregatæ. Vel, generaliter, de omni genere piorum ac verorum Christianorum accipiendum est, ut etiam Christianus populus ibi sit mistus; hic est grex pro quo oravit, ne diutius irasceret. ID. Vel, *in generatione*, id est, in futuro sæculo annuntiabimus, non pro aliorum instructione, sed pro debito honore.

‡‡79.1 *Intellectus pro his qui commutabuntur*. AUG. In melius, etc., usque ad testimonium perfidiæ. *Asaph*. Illuminatus agit de adventu Christi et de vinea ejus, bonum testimonium de capite ipso et corpore ejus, rege et plebe, pastore grege.

¶¶79.2 *Qui regis*, etc. AUG. Hic loquitur Asaph illuminatus de adventu Christi, qui convertit hominem, et vineam de Ægypto eductam solidat: hoc est testimonium pro his qui immutantur. CASS. Supra trepidus, qui pro peccatis Synagogæ orabat: jam præsumit, commutatis in melius testimonium dat. Hic psalmus Synagogæ est testimonium de capite ipso, et corpore ejus. ID. Deprecatio primi adventus, per quem fit reparatio generis humani. ID. Peractus definit. O Deus, fili. *Qui regis*, spiritualiter, *Israel*, videntes te, *Intende*, id est, lumen pietatis super nos infunde, ut a te simus clari, qui per nos sumus tenebrosi. *Joseph*. ID. Fidelem populum ducis in caulas Dei, ut oves ad pascua, de quibus: *Alias oves habeo quæ non sunt de hoc ovili, et illas oportet me adducere, ut fiat unum ovile et unus pastor* Joan. 10.. Propria singulis verba: *regitur* Israël, *ducitur* Joseph, id est, devotus populus. *Manifestare*. ID. Rogat, ut qui in secreto majestatis erat per incarnationem, appareat coram Judæis ut promissum erat, faciens in eis has virtutes, quæ his nominibus signantur, Ephraim, Benjamin, et Manasse. AUG. *Manifestare coram*. Angelis notus, innotesce hominibus.

§§79.3 *Coram Ephraim*. AUG. Id est, gente Judæorum, ubi hæ tribus, scilicet coram fructificatione, et filio dexteræ, ut et nos simus plenitudo scientiæ per charitatem, quæ Deus est; et coram Manasse, id est, oblito, ut jam illi venias in mentem, juxta illud: *Remiscentur, et convertentur universi fines terræ*. ID. *Excita*. Repetit, etc., usque ad crucifixus ex infirmitate, resurge ex virtute. CASS. *Excita potentiam* miraculorum, etc., usque ad unde: *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis*, etc. I Cor. 10..

- ⁴ Deus, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*
⁵ Domine Deus virtutum, quousque irascaris super orationem servi tui?†
⁶ cibabis nos pane lacrimarum, et potum dabis nobis in lacrimis in mensura?‡
⁷ Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos.†
⁸ Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.§
⁹ Vineam de Ægypto transtulisti: ejecisti gentes, et plantasti eam.**
¹⁰ Dux itineris fuisti in conspectu ejus; plantasti radices ejus, et implevit terram.
¹¹ Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei.††
¹² Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.

*79.4 *Faciem tuam.* AUG. Hæc facies velata fuit Asaph tempore infirmitatis Christi, et tunc ægrotavit Asaph, non valens intueri velatum nube: de qua dicitur: *Ascendit Deus super nubem levem*, et intrabit vel ingreditur Ægyptum, id est, carnem immunem a peccato; illuminavit vero eam cum surrexit et ascendit, et ita salvamur.

†79.5 *Quousque irascaris?* AUG. Transit ira a servo, ut non flagellet ut patet, sed ne damnet: et conversis enim durat ira, sed corrigens. *Flagellat enim omnem filium quem recipit* Isa. 9, Heb. 12..

‡79.6 *Cibabis* AUG. Exponit hic passiones, quas sancti tempore adventus passuri sunt. Quasi diceret: Etsi optem Christi adventum, tamen eo tempore multa passuri sumus, quia *cibavit*, etc. *In mensura*, etc. AUG. Pro viribus tuis ut erudiaris, non opprimaris; unde: *Fidelis Deus qui non patitur vos tentari supra*, etc. I Cor. 10.. Vel, pro modo culparum.

†79.7 *Posuisti nos in contradictionem.* CASS. Dum vicini, qui de nobis, sunt contra nos. Irrident inimici, a quibus omnibus, ut salvi simus, *Deus virtutum*, etc.

§79.8 *Deus virtutum.* AUG. Desiderantis mos est frequenter repetere quæ tantis precibus orat.

**79.9 *Vineam.* CASS. De vinea quomodo incepta, et perfecta. AUG. et CASS. *Vineam de Ægypto*, quasi, nos salvi erimus, sed Judæos, quibus tot fecisti, destrues: quod non pro levi culpa, sed quia adventum Christi non noverunt. Vel, salvi erimus quia ita præsignasti. *Vineam de Ægypto.* Sed quare, destrues? hoc de infidelibus. *De Ægypto.* Ut illos de Ægypto, ita Ecclesiam de tenebris ejecit vitiorum: gentes *plantat* in virtutibus, et *ducit* per hoc desertum sæculi. *Radices*, martyres et alios firmos facit, et implet orbem. CASS. *Vineam de Ægypto*, per mysticas figurationes, etc., usque ad quæ ita per orbem dilatata est. *Dux*, dum eam ducit spiritali itinere. *Radices*, prophetas, Apostolos, martyres et alios, de quibus *palmites* tendens mundum occupat et operit. *Dux itineris.* AUG. Vel alia littera, etc., usque ad et non est altera, sed eadem vinea: inde Apostoli, inde et alii justii, etsi aliqui rami fracti.

††79.11 *Operuit* CASS. Altitudo et latitudo vineæ hic exponitur. Superna est vinea, quæ et montes sublimiores, vita et doctrina obumbrat, et magnis crescere facit. Vites, quæ arbores ascendunt, *arbusta* nominantur, per quæ minores in Ecclesia accipiuntur. *Cedri*, non superbi, sed qui sunt *Dei*, martyres sunt, qui in Ecclesia alti sunt, hos etiam Ecclesia in gremio suo protegit. *Propagines*, filios regenerationis, qui a flumine Jordane manaverunt, quia ibi cœpit regula baptismi. *Montes.* AUG. Prophetæ, etc., usque ad similiter *operiunt cedros Dei*, id est, doctores. *Cedros Dei.* ID. Quia sunt cedri evertendæ, superbi scilicet qui sunt cedri sæculi, sed non Dei.

¹³ Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?^{‡‡}

¹⁴ Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam.^{¶¶}

¹⁵ Deus virtutum, convertere, respice de cælo, et vide, et visita vineam istam:

¹⁶ et perfice eam quam plantavit dextera tua, et super filium hominis quem confirmasti tibi.^{§§}

¹⁷ Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.

¹⁸ Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem confirmasti tibi.*

¹⁹ Et non discedimus a te: vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus.[†]

²⁰ Domine Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.][‡]

80 In finem, pro torcularibus. Psalmus ipsi Asaph.[¶]

² [Exsultate Deo adjutori nostro; jubilate Deo Jacob.[§]

^{‡‡}79.13 *Ut quid.* Miratur cur huic tali subtracta est Domini defensio. AUG. *Ut quid.* Quia superba fuit adversus plantatorem, et servos occidit ad se missos, et tandem filium hæredem, destructa est maceria, et invenerunt eam gentes destructam, et deleverunt. Hoc primo plangit Asaph, sed non sine spe: de dirigentibus enim cor jam loquitur.

^{¶¶}79.14 *Aper.* AUG. et CASS. Vespasianus fortis et sævus, et contrarius Judæis, qui hoc animal inter cætera habent immundum. *Singularis ferus.* Titus, qui reliquias terribili depastione consumpsit, qui dicitur *singularis*, id est superbus. Vel pro eodem accipitur aper, et *ferus* scilicet Romanus exercitus. Et vide quibus peccatis laboraret et pereat homo. *Singularis.* AUG. Dicit omnis superbus: *Ego sum, ego sum, et nemo alius.* *Aper.* CASS. Diabolus fortis et ferox, *de silva*, quia cogitationes ejus agrestes et aviæ sunt. *Sed tu, Domine Deus virtutum.* Vel ita continua: Ita vastata est vinea, sed ut reliquiæ salvæ sint, *O Deus virtutum, convertere*, in finem sæculi supremi serenus *aspice*, commutatis in melius hoc remedium precatur.

^{§§}79.16 *Et perfice eam quam plantavit dextera tua.* AUG. Non aliam institue, sed hanc perfice. In hac enim est semen Abrahæ: ibi est radix quæ portat oleastrum. Perfice, *quia cæcitas ex parte contigit in Israël, ut plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israël salvus fieret* Rom. 12.. *Super filium.* CASS. Super te fundatam, etc., usque ad de igne autem boni amoris dicitur: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat?* Luc. 12.

^{*}79.18 *Fiat manus.* CASS. Grande sacramentum, et munus Deo, quia tandiu salus Israël dubitari potuit, donec Christus venit: sed tunc completa est promissio, nec ultra discedit ab eo Ecclesia sponso conjuncta. Dicit ergo: *Fiat manus*, operationem sanctæ incarnationis precatur.

[†]79.19 *Non discedimus.* CASS. Ultra, cum filium hominis *vivificabis*: hæc est utilitas ab eo.

[‡]79.20 *Domine Deus virtutum, converte nos, ostende faciem tuam, et salvi erimus.* CASS. Magna suavitas hujus versiculi, in quo regulam totius religionis exponit. Primo enim Deus nos *convertit*, et tunc nos *ante faciem* ostendit, id est, lumine pietatis nos inspicit: post quod nos tandem *salvat*. Hunc ergo propheta iterat, quia per ipsum quisque breviter quod expedit, implorat.

[¶]80.1 *Pro torcularibus.* AUG. In quibus tria, etc., usque ad cantatur psalmus Asaph, id est, Dominicæ congregationi. *Asaph*, etc. CASS. Quia secundum historiam Judæis, spiritualiter Christianis loquitur. AUG. Primo dicit quid agendum electis, qui sunt, oleum, vinum, aves.

[§]80.2 *Exsultat Deo.* Asaph, proposita sibi imagine cujusdam solemnitatis, electos ad celebritatem incitat.

- ³ Sumite psalmum, et date tympanum; psalterium jucundum cum cithara. **
⁴ Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae: ††
⁵ quia præceptum in Israël est, et iudicium Deo Jacob. ††
⁶ Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti; linguam quam non noverat, audivit. ¶¶
⁷ Divertit ab oneribus dorsum ejus; manus ejus in cophino servierunt. §§
⁸ In tribulatione invocasti me, et liberavi te. Exaudivi te in abscondito tempestatis; probavi te apud aquam contradictionis. *
⁹ Audi, populus meus, et contestabor te. Israël, si audieris me, †

** 80.3 *Sumite psalmum.* AUG. Verba Dei, ut humani actus convenient in unam societatem: hæc enim est pax Jerusalem, hæc est ratio dati et accepti; unde Apostolus: *Si spiritualia seminavimus vobis, magnum est si carnalia vestra metamus* I Cor. 9..

†† 80.4 *Buccinate.* AUG. Hucusque ad partitionem, vel ad litteram, simpliciter de Judæis accipienda sunt, vel allegorice de Christianis. AUG. *Buccinate,* et annuntiate, etc., usque ad unde Isaias: *Clama ne cesses, ut tuba exalta vocem tuam,* etc. *In neomenia tuba.* CASS. In initio mensis jussi sunt Judæi tuba canere, id est, in initio novæ lunæ, quod et festum tubarum dicitur, quod celebrabant in memoriam istius rei, quod Dominus ostendit Abrahæ arietem inter vepres hærentem, quem pro Isaac immolavit.

†† 80.5 *Quia præceptum in Israël est; et iudicium,* etc. ID. Ideo tuba canendum, quia lex data est Judæis per Moysen, et quia iudex futurus est.

¶¶ 80.6 *In Joseph.* AUG. Gentes sunt Joseph, etc., usque ad ubi debebat habere cor.

§§ 80.7 *Ab oneribus.* AUG. Quibus oneribus, *manus in cophino,* id est, servili opere. Peccata servilia opera sunt, juxta illud: *Qui facit peccatum, servus est peccati* Joan. 8.. *In cophino servierunt.* ID. In immunditiis peccatorum, in terrenis operibus et lutosus.

* 80.8 *In tribulatione,* etc. CASS. Sic Propheta: Divertit Dominus dicens, *In tribulatione,* imputantur eis beneficia Dei, ut gravior æstimetur offensa. *Exaudivi te in abscondito.* AUG. Ut corde credas ad justitiam. *Probavi,* ut ore fiat confessio ad salutem. *Tempestatis,* etc. Non in tempestate maris, sed cordis: ubi exauditus debet probari, in aqua contradictionis: jam enim gradiens viam Dei, habet multis modis obsistentes. Hæc est aqua contradictionis, quam senserunt antiqui, sed jam pene siccata est: tunc enim aquæ populorum turbabantur, et acriter resistebant. Tunc Samsoni forti viro, id est Christo, ducere eunti uxorem de alienigenis, id est Ecclesiam de gentibus, occurrit leo fremens, id est populus gentium, sed dissipavit eum, ut hædum caprarum: et quia populus iste fremens nihil erat, nisi languidus peccator. Occisa autem in eo illa feritate, jam non sic fremit, imo jam in ipso invenimus leges pro Ecclesia, quasi favum in ore leonis. *Aqua contradictionis.* Christus fuit etiam in seipso, ut de eo nato dictum est: *Erit hic in ruinam, et resurrectionem multorum, in signum cui contradicetur* Luc. 2., ut Judæi contradixerunt titulo crucis

† 80.9 *Audi populus meus.* CASS. Diapsalma. Hactenus de oleo torcularium, jam de amurca, quod dicitur ad cavendum, hic arguuntur reprobi. *Contestabor te.* Ipse Dominus iudicii testem se facit veritatis, tam hic quam in futuro, ut nullus dubitet. Deinde quid velit eum intelligere, subdit: Israël si me audieris, vocando eum Israël, familiarem sibi significat, et ad jussa invitat. *In te,* in corde tuo. ubi veritas, non falsitas debet esse. *Recens* ne verbum Patris putetur sub tempore. *Deum alienum,* qui nomine, non essentia. *Alienum:* Pene par est scelus recentem Deum putare, et idolis servire.

¹⁰ non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum.[‡]

¹¹ Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Dilata os tuum, et implebo illud.[¶]

¹² Et non audivit populus meus vocem meam, et Israël non intendit mihi.

¹³ Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis.[§]

¹⁴ Si populus meus audisset me, Israël si in viis meis ambulasset,

¹⁵ pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.^{**}

¹⁶ Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula.^{††}

¹⁷ Et cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.^{‡‡}

81 Psalmus Asaph. [Deus stetit in synagoga deorum; in medio autem deos dijudicat.^{¶¶}

[‡]80.10 *Non erit in te Deus recens neque,* etc. AUG. Alii faciunt sibi recentes deos, vel idola, vel Christum imparem Patri, et alia hujusmodi fingunt in corde: et ita sunt templa simulacrorum in omnibus terrena cogitatio; opinio diversa, vanitas una. Ideo Samson caudas vulpium colligavit, ut incenderet messes Philisthæorum. Samson interpretatur *sol* eorum, scilicet, quibus ipse lucet, non omnium: de quo mali dicturi sunt: *Erravimus a via veritatis, et sol justitiæ non illuxit nobis* Sap. 5.. Et alibi: *Sol justitiæ est, et sanitas in pennis ejus* Malac. 4.. Vulpes sunt insidiosus, maxime hæretici, latentes in tortuosis cavernis, decipientes, odore putentes: qui etsi dissentire ab invicem videntur, in malum tamen, id est, in posterioribus consentiunt, simili vanitate tenentur, et incendunt messes non nostrorum, quia novit Deus qui sunt ejus; sed alienigenarum, quæ sunt vasa contumeliæ.

[¶]80.11 *Qui eduxi te.* Factis propriis indicatur Deus.

[§]80.13 *Et dimisit.* Et si implevi ora Prophetarum, non tamen ab amurca auditi sunt, unde digna ultio: quia *et dimisi,* etc.

^{**}80.15 *Pro nihilo forsitan.* CASS. Si Deo resistemus, ipse non contradicit inimicis nostris, nec manum defensionis super eos ponit.

^{††}80.16 *Inimici Domini,* etc. AUG. Hæc item Propheta. *Mentiti.* Non per agentes promissa: hoc non pagani, quia nihil promiserunt.

^{‡‡}80.17 *Ex adipe frumenti,* etc. AUG. Ad litteram, vel manna, vel corpore Christi, vel spiritali intellectu.

^{¶¶}81.1 *Psalmus Asaph.* CASS. Psalmus de duabus naturis in Christo, quo Christus, vel Propheta loquens, exprobrat ipsi Asaph, id est, Synagogæ, quæ Dominum corporaliter vidit, et tamen eum non cognovit. Primo nuntiat Deum stetisse, et arguit contrarios, stat homo, discernit Deus. *Deus stetit.* Cujus non est stare, qui cælum et terram complet, qui est intra omnia non inclusus, extra omnia non exclusus, sed breviter Deum hominem indicat. *Stetit.* AUG. Filius, qui missus ad oves domus Israël, spiritualis autem præsentia Deitatis, quæ ubique non proprie ad Synagogam pertinet, nec tempore variatur. Cur ibi stetit: *Ecce deos dijudicat,* id est, secundum quod Deus, id est, non meritis, sed gratia discernit vasa, alia in honorem, alia in contumeliam. Hoc autem facit stans in medio, unde: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis,* unde et hic: *Nescierunt neque intellexerunt, sed amicus sponsi stat et audit, et gaudio gaudet. Deorum.* Quos post *filios Excelsi* dicit, ibi: *Ego dixi: dii estis, et filiis Excelsi omnes.* Unde etiam, *filios enutrivit et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Filii dicuntur non solum gratia novi testamenti, sed gratia veteris, quæ eos de Ægypto liberavit.

² Usquequo iudicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis?^{§§}

³ Iudicate egeno et pupillo; humilem et pauperem justificate.*

⁴ Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.†

⁵ Nescierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.‡

⁶ Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes.¶

⁷ Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.§

⁸ Surge, Deus, iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.]**

§§81.2 *Usquequo*. AUG. Hæc est vox discernentis: misit legem et Prophetas, et restitistis, sed quousque? Num usque ad adventum misi Prophetas, et injuriis affecistis, vel interfecistis, vel hoc agentibus consensistis? Sed cum hæc agentibus nec loqui dignum sit, vos qui tacuistis, et imitari eos voluistis, *usquequo iudicatis iniquitatem et facies peccatorum sumitis?* Num et hæres occidendus est, qui pro vobis venit, qui pro vobis sine patre esse voluit ut pupillus? qui propter vos esurivit et sitivit, ut egenus, qui propter vos pauper factus est, cum esset dives.

*81.3 *Judicate egeno et pupillo, pauperem et humilem justificare*. CASS. Diapsalma, monet intelligeret Christum esse Deum, et si egenus et pauper fuit, quod eos non fecisse dicit.

†81.4 *Eripite pauperem*. AUG. Ostendit, nec illos immunes qui permiserunt principibus Christum, cum præ multitudine timerentur, et possent illos a facto, et se a consensu liberare. CASS. Qui enim desinit obviare cum potest, consentit.

‡81.5 *Movebuntur*. CASS. Hinc patet de quo dixerat: hoc signum in crucifixione contigit. Vel spiritualiter, terreni moti sunt illo tempore, viso tanto miraculo; ut centurio, qui dixit: *Vere Filius Dei erat iste*. AUG. *Movebuntur omnia fundamenta terræ*, id est, plenitudo gentium intrabit. Vel, in morte, et passione Domini mota est terra. Vel *fundamenta*, id est, felices copia terrenorum movebuntur. Vel admirando coli pauperem mortuum. Vel eum contemptis terrenis sectando. Addit *omnia*, quia nullus est qui non miretur, vel convertatur. Terrenæ autem felicitatis regnum est superbia, contra quam venit humilis Christus, exprobrans eis, quos vult facere altos per humilitatem, his verbis: *Ego dixi: dii estis*, vos boni: *vos autem* mali, *sicut homines moriemini*. Vel omnibus dicit: *dii estis*, id est, omnibus promisi cœlestia; *vos autem sicut homines* primi, qui suasionem peccaverunt, et vos majores sicut diabolus, qui superbia peccavit.

¶81.6 *Ego dixi*. CASS. Quid eis propositum? sed perierunt. *Ego dixi: Nescierunt neque intellexerunt*; tamen *ego dixi*. Has promissiones omnes accipiunt, si mandata custodiunt, ut sint filii et Dei: hoc ad justos; *vos autem*, hoc ad malos.

§81.7 *Sicut homines*. AUG. Quasi: Cum cito, sicut homines, sitis morituri, non inde corrigimini; sed ut diabolus, qui carne non moritur, extollimini, ut cadatis: quia per superbiam diabolicam inviderunt gloriæ Christi, et viluit eis humilitas crucis. Sed, ut hoc vitium sanetur ex persona Prophetæ, subditur: *Surge Deus*, etc., *sicut unus*. Turba quæ cecidit dicitur unus, quia in superbia similis: Vos cadetis, sed:

**81.8 *Surge Deus*. AUG. Id est, damna istos, quia his repulsis, tu hæreditabis. Vel iudica mundum, quia tuus est, et hoc est, tu hæreditabis.

82 Canticum Psalmi Asaph.^{††}

² [Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris, Deus:^{‡‡}

³ quoniam ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput.^{¶¶}

⁴ Super populum tuum malignaverunt consilium, et cogitaverunt adversus sanctos tuos.^{§§}

⁵ Dixerunt: Venite, et disperdamus eos de gente, et non memoretur nomen Israël ultra.^{*}

⁶ Quoniam cogitaverunt unanimiter; simul adversum te testamentum disposuerunt:[†]

⁷ tabernacula Idumæorum et Ismahelitæ, Moab et Agareni,[‡]

⁸ Gebal, et Ammon, et Amalec; alienigenæ cum habitantibus Tyrum.^{¶¶}

^{††}82.1 *Canticum psalmi.* CASS. Quia in rebus actualibus, habenda est divina contemplatio. Deterret autem iniquos a persecutione populi Dei: bonos vero monet ad patientiam. Psalmus de adventu Christi ad iudicium, ubi boni, qui hic patiuntur, coronabuntur: mali vero, qui eos persequuntur, torquebuntur.

^{‡‡}82.2 *Deus quis similis?* CASS. Proposito timore futuri iudicis, describit malitiam inimicorum. AUG. *Deus quis similis?* Etsi homo, ut alii; etsi iudicatus, cum iniquis deputaris: quis similis, cum in claritate iudicabis? ideo tunc ne taceas, qui primo tacuisti, et potestatem compescuisti, ut posses teneri et perimi. *Deus quis similis?* Non ad divinitatem hoc refertur, cui nullum hominem comparandum cogitavit. Ideo non ait: *Quis similis est tibi?* quod utique ad divinitatem referretur; sed dicit, *Quis similis erit tibi?* hoc ad formam servi referens, qua tunc cæteris dissimilis hominibus erit, quando iudex in gloria apparebit; vel potest hoc referri ad divinitatem secundum quod dicit: *O Deus, quis similis tibi?* in potentia Deitatis: Christum enim, quem mali viderunt extra, iste videt intra, scilicet omnipotentem.

^{¶¶}82.3 *Quoniam ecce,* etc. AUG. Novissima tempora Antichristi designat, quando quæ modo premuntur metu, in liberam vocem erumpent: quæ vox quia irrationabilis erat, magis sonitus, quam locutio dicitur. *Qui oderunt.* CASS. Plures, sed unum caput Antichristi: quod elatum est, ut Deus dicatur.

^{§§}82.4 *Super populum tuum.* Caput suum extulerunt, sed non populum tuum depresserunt. AUG. *Super populum tuum.* Irridenter hoc dicit: Non enim possunt nocere populo Dei pro quo est Deus, unde Apostolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8.

^{*}82.5 *Dixerunt venite.* AUG. Ecce consilium, quo *meditati sunt inania.* Iste est ille sonus, qui non est sermo, sed inaniter strepit. *De gente.* CASS. Singulariter, quia omnes Christiani una gens, cum ex uno fonte baptismatis nati; vel omnes boni, quos ille Antichristus vocat unam gentem: ecce persecutio Antichristi, qui nomen Christianum quasi malum intendit tollere funditus.

[†]82.6 *Testamentum disposuerunt.* AUG. Testamentum, quippe in Scripturis non illud solum dicitur, quod non valet, nisi testatore mortuo, sed etiam omne pactum, et placitum quod inter vivos valet, testamentum vocatur, sicut Laban et Jacob testamentum fecerunt. Ita et mali inter se quasi pactum fecerunt, quod unanimiter bonos persequerentur.

[‡]82.7 *Tabernacula Idumæorum.* Exposuit quo studio malignaverunt: ostendit deinde jam qui sint malignantes, dicens: *Tabernacula Idumæorum,* etc. *Idumæorum, et Ismahelitæ.* CASS. Per hæc nomina, Christi inimicos declarat, qui temporibus Antichristi tot malis simulantur: quia sicut isti contra Israël, ita illi contra Christianos tunc bellabunt. *Moabitæ* AUG., HIER. Unde Moabitæ, quem Lot ebrius de majore filia sua genuit. *Agareni.* Ab Agar, qui et *proselyti* interpretantur.

[¶]82.8 *Gebal.* AUG., HIER. Vallis vana. *Ge* enim vallis, *Bal,* vana. *Ammon.* Unde Ammonitæ, genuit Lot ebrius de filia sua minore. *Amalec.* Filius Eliphaz primogeniti Esau, a quo Amalecitæ.

- ⁹Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adjutorium filii Lot.[§]
¹⁰Fac illis sicut Madian et Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cisson.**
¹¹Disperierunt in Endor; facti sunt ut stercus terræ.
¹²Pone principes eorum sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana: omnes principes eorum,^{††}
¹³qui dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.^{‡‡}
¹⁴Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti.^{¶¶}
¹⁵Sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes,^{§§}
¹⁶ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos.
¹⁷Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine.*

§82.9 *Assur*. AUG., HIER. Ad litteram Nabuchodonosor, qui fuit rex Assyriorum. *Idumæi*. Terreni vel sanguinei. *Ismælitæ*. Obedientes sibi, non Deo, quia pravæ cogitationes suas sequuntur. *Moab*, ex patre, quod in malo. Bonus, quidem pater, quo filia illicite usa est, sicut et lex bona est, si quis ea legitime utatur, non inceste. *Agareni*. Proselyti, id est, advenæ, qui non cives, sed alieno animo subintrant, et inventa occasione nocendi se ostendunt. *Gebal*. Vallis vana, id est fallaciter humilis. *Ammon*. Populus turbidus, vel mœroris. *Amalec*. Populus lingens terram. *Alienigenæ*. Licet latino nomine se indicent alienos, et ob hoc inimicos, tamen hebraice dicuntur *Philistiim*, id est, cadentes potione, ut ebrii luxuria sæculari. *Tyrus*. Hebraice *sor*, tribulatio vel angustia, secundum illud. *Tribulatio vel angustia in omnem animam hominis operantis malum*. Rom. 2. *Assur*. Deprimens, vel elatus. *Lot*. Declinans, angeli apostatæ, filii declinationis, quia a veritate declinando in satellitium diaboli discesserunt, unde in Apocalypsi: Draco cecidit, et traxit secum tertiam partem stellarum, de quibus Apostolus: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates* Ephes. 6..

**82.10 *Madian*. Declinans iudicium. *Sisara*, exclusio gaudii. *Jabin*, sapiens, de quo: *Ubi sapiens? ubi scriba? Cison*, ubi victi fuerunt, duritia interpretatur. *Endor*, ubi perierunt, fons generationis. Et intelligitur generatio carnalis, non aqua baptismi regenerati. *Oreb*, siccitas, *Zeb*, lupus, *Zebee*, victima lupi, non Dei. *Salmana*, umbra commotionis. Hæc omnia congruunt malis, quos in bono vicit populus Dei. *Fac illis sicut Madian, et Sisaræ, sicut Jabin in torrente*. CASS. De vindicta iniquorum; sicut omnes illi victi sunt in figura a populo Dei, sic istos precatur in veritate superari. *Sicut Madian*. AUG. Utpote illi, qui declinant iudicium, se iudicandos non putantes: et qui excludunt futurum iudicium, et hi omnes in Cison, et in fonte Endor perierunt.

††82.12 *Pone principes eorum sicut*, etc. Hæc omnibus communiter. Sed specialiter, *pone principes eorum*: hoc optat militibus Antichristi, qui non sunt convertendi.

‡‡82.13 *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei*. AUG. Dei, invadunt ut suam.

¶¶82.14 *Ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti*. CASS. Per hanc similitudinem, multas prædicat eorum calamitates. *Venti*. Levitas peccantium vento comparatur, quia huc et illuc volitat.

§§82.15 *Ignis et flamma comburens montes*. AUG. Congruè in iudicio esse dicuntur, quando et densæ silvæ peccatorum, et montes superbiæ cremabuntur.

*82.17 *Imple facies*. CASS. Pœnis contumacium prophetatis, orat pro credituris, qui non habent scelerum laudatores, sed culpatores, quos sæpe opprobrium corrigit. AUG. Melius est ruere ut pœniteat, quam sub spe religionis superbire: unde Propheta ait: *Et tu, filia Sion, usque ad Babylonem venies, ibique liberaberis* Mich. 4.. *Imple facies*. Hoc bonum et optabile eis non prophetaretur, nisi inter eos inimicos essent tales, quibus hoc ante iudicium præstabitur: quia et nunc idem corpus sanat, et lavat caput, sed particulatim, non universaliter ut in fine: et tamen inde aliqui convertentur, pro quibus hic orat.

¹⁸ Erubescant, et conturbentur in sæculum sæculi, et confundantur, et pereant.†

¹⁹ Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra.]

83 In finem, pro torcularibus filiis Core. Psalmus.‡

² [Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ![¶]

³ Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini; cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

†82.18 *Erubescant et conturbentur*, etc. AUG. Hic de malis, qui non convertentur, *Erubescant*, in futuro de malis quæ fecerunt. *Et conturbentur*, de poenis quas patientur. Et hoc *in sæculum sæculi*, id est in æternum. *Et conturbentur*. Rursus redit ad eos qui in præsentī confundentur ne confundantur in æternum; quasi dicat: Illi conturbentur in æternum: quærentes autem nomen Domini modo, et confundantur de peccatis salubriter, et pereant, in quantum mali sunt. Et sic cognoscant, vel, tunc confundantur mali, anima et corpore, et pereant omnino irreparabiliter. Et nunc cognoscant, quod modo nolunt. CASS. Notandum, quia undecim superioribus psalmis introductus est Asaph, ut duritia Judæorum, frequenti voce ipsius Synagogæ mollesceret, vel ipsi nomini, cui devoti esse videbantur, crederent. Egit autem in prædictis psalmis de Domini incarnatione, et gentium fide, et de iudicio, de quibus transgressio Judæorum redarguitur. Unde congrue undecim sunt: undenarius enim numerus transgressionis est, quia et denarium transit, et ad duodenarium non pervenit, unde undecim etiam erant vela capillacea in tabernaculo Domini, et in undenario fuerunt Apostoli, rejecto infelicissimo Juda tempore passionis, quando a fide defecerunt, unde: *Posuisti tenebras et facta est nox* Psal. 103..

‡83.1 *In finem*. AUG. Nihil hic dicitur de torcularibus visibilibus, unde constat spiritualia esse. Uva in vite, oliva in arbore pendens libero fruuntur ære, nec illa est vinum, nec ista oleum ante pressuram: sic quos præcivit Deus ante sæcula fieri conformes imaginis filii, antequam accedant ad servitutem Dei, fruuntur in sæculo deliciosa libertate. Sed cum accedunt ad servitutem Dei, dicitur eis: *Fili, accedens ad servitum Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* Eccle. 2.. Ecce torcular, conteruntur, exuuntur in tegumentis carnalium desideriorum, quasi vinaciis exuuntur veteri homine, et in apothecam Dei defluunt: ideo torcularia dicuntur Ecclesiæ præsentis temporis. Sed qui in his filii Core, id est calvi, scilicet Christi? Calvus namque Elisæus irrisus a pueris figura fuit Christi, qui in calvaria crucifixus. Ideo hic premitur Christianus, ut quærat quietem, quæ non est hic, et fit ei Deus refugium. Qui enim incumbit terrenis, incumbit in baculum arundinis. *Pro torcularibus*. AUG. In torculari fructus uvæ vel olivæ emanat: sic in pressuris merita sanctorum patent, quæ in pace latebant. CASS. Psalmus secundus de charitate. Primo de inæstimabili desiderio æternæ domus.

¶83.2 *Quam dilecta*. Ecce quanta militia. *Etenim passer*, quam segura.

- ⁴ Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos: altaria tua, Domine virtutum, rex meus, et Deus meus.[§]
- ⁵ Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te.**
- ⁶ Beatus vir cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit,^{††}
- ⁷ in valle lacrimarum, in loco quem posuit.^{‡‡}
- ⁸ Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.
- ⁹ Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam; auribus percipe, Deus Jacob.^{¶¶}
- ¹⁰ Protector noster, aspice, Deus, et respice in faciem christi tui.^{§§}

§83.4 *Etenim passer*, etc. AUG. Duobus duo reddit: *cor* ut *passer*; *caro* ut *turtur*, cui dat et *pullos*: corde cogitamus Deum, quasi volet passer ad domum; carne agimus opera. CASS. Sicut passer deserit silvas, et inventa domo lætatur, ubi non timet insidias: sic anima lætatur, dum scit sibi domum paratam in cælo. Spiritus, qui est quasi passer volans in altum, tendens ad ipsum Deum. *Nidum*, etc. AUG. *Nidus* ad tempus, *domus* vero in æternum. Nidum ergo dicit fidem, et conformitatem sacramentorum Ecclesiæ, quem nidum quærit turtur, ut reponat pullos suos. Non enim abjicit ubicunque, sed in nido Ecclesiæ facit opera bona salubriter, pro quibus salvatur: per quod differt ab aliis qui opera faciunt, sed non in nido fidei. Nam et pagani faciunt opera, vestiunt nudos, etc., et hæretici multa faciunt: sed non in nido Ecclesiæ, et ideo conculcantur, non servantur. Hæc caro est mulier, per quam seducitur passer, sed salvabitur per generationem operum, si in nido, id est, si perseveraverit in fide. Præbet autem Deus unde fiat nidus, induit enim se feno carnis ut ad te veniret. *Altaria tua, Domine*. CASS. Ubi animæ cœlesti convivio epulantur, ubi anima quasi in domo gaudeat. AUG. Et caro reponit opera sua, unde: Beati qui, etc., ubi ostendit ad quam beatitudinem militia ducit.

**83.5 *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te*. AUG. Hoc boni jam habent, scilicet, quod habitant in domo tua. Sequitur: *In sæcula sæculorum laudabunt te*. Hoc totum negotium est ibi sanctorum: non est ibi necessitas, quæ mater est omnium humanarum actionum, quia cui faciunt ibi quippiam, ubi nulli indigent; habent ergo et agunt, unde beati sunt. Omnis autem beatus habendo vel agendo dicitur beatus.

††83.6 *Beatus vir cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit*. CASS. Quo auxilio ad domum veniatur.

‡‡83.7 *In valle lacrymarum*. CASS. Vallis lacrymarum est pœnitentis humilitas. AUG. Unde autem ploratio, quia lege nos afflixit, per quam cognovimus peccatum repugnare spiritui, et gemimus, quomodo poscitur, veniamus ad locum quem posuit, ope ejus et auxilio utique. *In loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit*. Qui non potest exponi, quem oculus non vidit, nec auris audivit, id est, futurum regnum, quod disposuit et ordinavit Deus ut ad id per gradus veniatur.

¶¶83.9 *Domine Deus virtutum*. CASS. Orat et humiliat se pro impetratione hujus auxilii. *Deus Jacob*. AUG. Quem fecisti Israël apprensus ei sic fac et me Israël.

§§83.10 *Respice in faciem*, etc. Ipse enim loquitur in nobis, unde Apostolus: *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus!* Et in nobis recipitur, sicut ait, *Qui vos recipit, me recipit. Respice*. Christum Pater semper respicit. CASS. Sed fac præsentia incarnationis eum gentibus respici: vel, ita per faciem innotescimus, aliis. AUG. *Respice ergo in faciem*, id est, innotescere fac omnibus Christum, ut possimus ire de virtute in virtutem

¹¹ Quia melior est dies una in atriis tuis super millia; elegi abjectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

¹² Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.†

¹³ Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.]‡

84 In finem, filiis Core. Psalmus.

² [Benedixisti, Domine, terram tuam; avertisti captivitatem Jacob.¶

³ Remisisti iniquitatem plebis tuæ; operuisti omnia peccata eorum.§

⁴ Mitigasti omnem iram tuam; avertisti ab ira indignationis tuæ.**

⁵ Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.††

⁶ Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?‡‡

⁷ Deus, tu conversus vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te.¶¶

*83.11 *Dies una*. Immutabilis, scilicet sine ortu et occasu, cui non cedit dies hesternus, quem non urget crastinus. *Super millia*, super infinitos dies præsentis, qui habent finem. Propter quod *elegi*, etsi possem regnare, *abjectus* opinione hominum, *in domo* in Ecclesia, *Ecce quam dulce, fasce torcularis premi*.

†83.12 *Quia misericordiam*. CASS. Ideo in domo Dei malo esse quam alibi, quia in ea dat misericordiam, qua justificat, post veritatem promissi præmii. Sed quibus? his qui ambulant in innocentia.

‡83.13 *Domine virtutum, beatus homo qui sperat*, etc. Qui tanta facis, quæ dici non possunt.

¶84.2 *Benedixisti, Domine*. AUG. Psalmus de nova benedictione, etc., usque ad de aversione iniquitatis.

§84.3 *Remisisti*. ID. Futura dicit ut præterita.

**84.4 *Mitigasti* CASS. Diapsalma, de aversione iræ, id est, poenæ.

††84.5 *Converte nos*. Petit quod adhuc futurum sciebat. Quasi, quod dixi ut præteritum, oro ut fiat. AUG. *Converte nos*. Prophetice dixit futura, ut præterita, hic autem orat ut vere futura, dicens, Converte et averte, quasi dicat, dixi quasi facta. Et quia video futura, et quia non sunt oro ut fiant.

‡‡84.6 *Nunquid in æternum*. Prævidet iste hanc poenam transitoriam: *Quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Irasceris*. AUG. Ira Dei est omnis poena quam patitur. Sicut dictum est Adam quando peccavit: *Maledicta terra in opere tuo, et in labore et sudore vultus tui vesceris pane tuo*. De ira ergo mortales sumus et passibiles, sed innovati in Christo. *A generatione*. Prima generatio fuit mortalis de ira, erit altera immortalis de misericordia: sed nec hanc misericordiam meremur conversi per nos ad Deum, ipse enim nos convertit. Et inde subdit: *Deus convertens*, quasi sicut vivificatio est a te, ita et conversio.

¶¶84.7 *Deus tu conversus*. CASS. Non extendens, sed Deus convertens. Prius dat votum conversionis, post ad vitam ducit. Vel, Deus tu conversus ab ira in adventu Filii. *Vivificabis nos*. Tanto tempore antequam habeatur. Et tunc, *Plebs tua lætabitur in te*, quæ prius in se male lætabitur.

⁸ Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.^{§§}

⁹ Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.*

¹⁰ Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.[†]

¹¹ Misericordia et veritas obviaverunt sibi; justitia et pax osculatæ sunt.[‡]

¹² Veritas de terra orta est, et justitia de cælo prospexit.[¶]

¹³ Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.

¹⁴ Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos.][§]

85 Oratio ipsi David. [Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego.**

² Custodi animam meam, quoniam sanctus sum; salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.^{††}

³ Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die;

⁴ lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

⁵ Quoniam tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.^{‡‡}

§§84.8 *Ostende nobis, Domine.* AUG. Hoc orando prædixit Propheta, etc., *usque ad Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* Matth. 5.. CASS. *Ostende.* Vel petit iste sibi spiritualiter tantum Christum ostendi, sciebat eum quidem futurum, sed petit ut puro corde intueamur, non corporeis oculis ut infideles: Judæi enim viderunt et crucifixerunt. Et in futuro: *Salutare tuum da nobis*, id est, Christum amplectendum et possidendum, ut non tollatur a nobis, et sic legitur partim de præsentī, et partim de futuro. *Misericordiam.* AUG. Christus dicitur misericordia, quia ostendit nobis misericordiam, docens quidquid boni habet homo ex Deo esse, et sic homo non superbit. Sed sic hærens et fruens Deo lætatur in eo.

*84.9 *Audiam quid loquatur in me Dominus.* CASS. Unde scit et per quem fiat, et quid præstet ipse veniens. *Pacem.* AUG. Christum. Pacem ad Deum et proximum, et per Christum.

†84.10 *Prope timentes eum.* ID. Ubique dæmonia colebantur, etc., usque ad immortalis in corpore nostro modo mortali.

‡84.11 *Misericordia,* etc. ID. Postquam dixit, etc., *usque ad quomodo veritas de terra orta est* Luc. 8..

¶84.12 *Veritas de terra orta est.* ID. Confessio de homine, ut se accuset, etc., usque ad data est justificatio confitentis.

§84.14 *Justitia ante eum.* ID. Prima hominis justitia est, etc., usque ad et visitans ponet in via gressus. *Ambulabit.* Accrescet, vel præcurret, parans ei viam; et Dominus in via parata ponet gressus.

**85.1 *Oratio David.* AUG. Psalmus iste, secundus eorum est qui orationis nomine intitulantur, in quo Christus Dei Filius et hominis, unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus, orat in forma servi, qui oratur a nobis in forma Dei. Orat pro nobis ut sacerdos noster; orat in nobis ut caput nostrum, oratur a nobis ut Deus noster. CASS. Christi oratio fidelium, etc., usque ad comprimeret audaciam stultæ et inconsultæ temeritatis. AUG. Hæc dicit Christus in nobis, et nos in illo. CASS. Orat ascendendo, unde concludit: Omnes gentes adorantes.

††85.2 *Quoniam sanctus sum.* AUG. Christus proprie sanctus sanctificans, etc., usque ad miserere clamantis, lætifica levatum.

‡‡85.5 *Mitis.* ID. Portans hominem, donec perficiat eum, etc., usque ad cum nondum sit perfectus.

- ⁶ Auribus percipe, Domine, orationem meam, et intende voci deprecationis meae.^{¶¶}
⁷ In die tribulationis meae clamavi ad te, quia exaudisti me.^{§§}
⁸ Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua.
⁹ Omnes gentes quascumque fecisti venient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum.*
¹⁰ Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia; tu es Deus solus.[†]
¹¹ Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua; lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.[‡]
¹² Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum:
¹³ quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori.[¶]
¹⁴ Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.[§]
¹⁵ Et tu, Domine Deus, miserator et misericors; patiens, et multæ misericordiæ, et verax.
¹⁶ Respice in me, et miserere mei; da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ.**
¹⁷ Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.]

^{¶¶}85.6 *Auribus percipe.* CASS. Vide ordinem orationis, etc., usque ad auditum deprecationi meae.

^{§§}85.7 *Tribulationis.* AUG., CASS. Cum enixius clamatur, etc., *usque ad quia non est similis tui in diis, Domine.*

*85.9 *Quascumque fecisti venient et adorabunt coram,* etc. AUG. Si est gens quam non fecit Deus, illa non adorabit. Annuntiat Ecclesiam ubique diffusam, quod modo impletum est: Et nota, quia, ut ait Scriptura: *In lata gente gloria regis, in diminutione populi principis contritio.* Sequitur: *Et glorificabunt nomen.*

[†]85.10 *Tu es Deus solus.* ID. Vel tu solus magnus contra futuros, qui se dicunt magnos et deos.

[‡]85.11 *Deduc me, Domine, in via tua.* CASS. Orat pro omnibus jam adorantibus, et loquitur in membris. *Domine, deduc,* etc. Aliud est duci ad viam, et aliud est duci in via, ne in ea cadatur: ubique egent homines adjuvari, sive sint in via, sive extra eam. Via autem Christus est, qui dicit: *Ego sum via, veritas, et vita. Lætetur cor meum.* AUG. In timore mundano præcedit causa, etc., usque ad qui autem timet, et non sperat, depressus est.

[¶]85.13 *Ex inferno inferiori.* ID. Per hoc intelligimus, etc., usque ad hæc sunt opiniones, non assertiones.

[§]85.14 *Deus, iniqui insurrexerunt super me, et Synagoga potentium,* etc. CASS. Item pro se orat facta mentione passionis suæ et gloriæ, unde habent hi pro quibus oravit multam misericordiam et eruuntur de inferno.

**85.16 *Da imperium tuum.* AUG. Quasi dicat: Transeat tempus patientiæ, veniat tempus iudicii, unde non tantum Christus, sed et sancti sedebunt iudices, qui sunt *fili ancillæ,* id est Ecclesiæ.

86 Filiis Core. Psalmus cantici. [Fundamenta ejus in montibus sanctis;††
² diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

³ Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei !‡‡

⁴ Memor ero Rahab et Babylonis, scientium me; ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus
 Æthiopum, hi fuerunt illic.¶¶

⁵ Numquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus?§§

⁶ Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, horum qui fuerunt in ea.

⁷ Sicut lætantium omnium habitatio est in te.]*

87 Canticum Psalmi, filiis Core, in finem, pro Maheleth ad respondendum. Intellectus Eman Ezrahitæ.†

² [Domine, Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te.‡

††86.1 *Psalmus*. CASS. Quia agit de Ecclesia secundum potestatem, ubi agit opera. *Cantici*. Ut de sæculari Jerusalem, ad intelligentiam superne eleveris, scilicet de actione ad theoreticam. Propheta prædicat cœlestem Jerusalem filiis Chore, quam commendat per fundamenta, et portas, et famam ut eis augeatur affectus. *Fundamenta ejus*. Psalmus de cœlesti Jerusalem: plenus spiritu Propheta, multa volvens apud se, de hac civitate, de qua nihil adhuc dixerat, in hoc erumpit: *Fundamenta ejus*, etc. Prior laus a fundamentis; soliditas totius civitatis notetur. *Ejus*, non refertur ad aliquod præmissum: sed ad cordis Prophetæ meditationem, quia nunquam de illa corde tacuerat, etsi ore.

‡‡86.3 *Dicta*. AUG. Hæc sunt illa, quæ Dominus per prophetas de ea prædixit.

¶¶86.4 *Memor ero*. ID. Diapsalma. Dominus de eadem Jerusalem. *Memor ero Raab*. Ostendit quæ sunt illa gloriosa; quasi dicat: Hæc sunt illa: in illa civitate, inquit Propheta ex persona Dei, *Memor ero Raab et Babylonis*, quæ non pertinent ad populum Judæorum. *Gloriosa de te*, ubi non solus est Judæus, sed omnes gentes. *Raab*. Per fenestram emisit coccinum, id est, in fronte habet signum sanguinis Christi Ecclesia gentium. Unde: *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum cælorum*. *Raab*, latitudo vel impetus, gentes, quæ late et impetuose vagantur per vitia. Ad Babyloniam pertinent omnes mali, ut ad Jerusalem omnes sancti. *Ecce alienigenæ*. Memor ero. Quare hoc dixisti? *Ecce alienigenæ*, id est, gentes *Tyrus*, angustia vitiorum, vel pœnitentiæ.

§§86.5 *Nunquid Sion*. Secundum aliam litteram. *Mater Sion dicet, homo*. AUG., CASS. Quasi dicat: Unde alieni pervenient ad Jerusalem? Audi unde. Est quidam homo, id est, Christus, qui dicit *mater Sion*, id est Synagoga mater mea secundum carnem; et per hunc veniunt; quis est homo ille? Ipse est qui *in ea natus est* et eam fundavit; ipse dicit, *mater*, civitati illi. CASS. Vel, commendat Sion spirituali, etc., usque ad quorum principum? AUG. Horum, secundum aliam litteram *qui facti sunt*, scilicet principes, *in ea*, id est, qui facti sunt principes; antequam essent in ea, non erant principes, sed abjecta mundi: *Elegit enim Deus infirma mundi ut confunderet fortia*.

*86.7 *Sicut lætantium*. CASS. Diapsalma. Concludit paucis verbis, tangens futuram beatitudinem. AUG. *Sicut lætantium* collatis omnibus concludit: *Sicut lætantium*. *Sicut*, quia talis erit lætitia, qualem hic non novimus, et ideo cum non potuit exprimi, dicit, ut potuit, *sicut lætantium*.

†87.1 *Mahalath*. AUG. Chorus, ut canenti chorus consonando respondeat, etc., usque ad dicitur enim fuisse quidam orientalis.

‡87.2 *Domine Deus*. CASS. Monet Christi mortem imitari. Primo precatur auxilium referens contemptum ab inimicis: unde in forma servi orans ad patrem, ait: *O Domine*.

- ³ Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.[¶]
- ⁴ Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit.[§]
- ⁵ Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adjutorio,^{**}
- ⁶ inter mortuos liber; sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt.^{††}
- ⁷ Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis.^{‡‡}
- ⁸ Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me.^{¶¶}
- ⁹ Longe fecisti notos meos a me; posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum, et non egrediebar;^{§§}
- ¹⁰ oculi mei languerunt præ inopia. Clamavi ad te, Domine, tota die; expandi ad te manus meas.*
- ¹¹ Numquid mortuis facies mirabilia? aut medici suscitant, et confitebuntur tibi?†
- ¹² Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione?‡

[¶]87.3 *Intret in conspectu.* ID. Virtus puræ orationis, quæ quasi quædam persona ad Deum intrat et mandatum peragit: quo caro pervenire nequit.

[§]87.4 *Quia repleta est.* AUG. Hos humanæ infirmitatis affectus, etc., usque ad sed humanæ infirmitatis indicia.

^{**}87.5 *Æstimatus.* Quia non solum gravia, sed et contumeliosa pertuli.

^{††}87.6 *Sicut vulnerati dormientes.* CASS. Quia et ipse lancea vulneratus, et sepulcro clausus, sed differt per hoc quod sequitur, quorum non meministi adhuc. *In sepulchro.* Id est, in carnali voluptate sopiti, unde Deus non excitat eos. *Et ipsi de manu tua repulsi sunt.* AUG. Non enim ad dormientes hoc refertur, in quibus sunt justi, quorum licet non meminerit Deus *adhuc*, ut resurgant: de his tamen dictum est: *Justorum animæ in manu Dei sunt* Sap. 3.. Vel, *posuerunt me* rei veritate, *In lacu inferiori*, id est, in aquis inferni, scilicet in tenebris et in umbra mortis.

^{‡‡}87.7 *In lacu inferiori.* CASS. Vel *inferni*: quia tam abjecta morte ablati sunt in tenebris oblivionis, quem nemo requirit. Et *umbra mortis*, locus malorum, in quo puniuntur.

^{¶¶}87.8 *Super me confirmatus est.* ID. Putabant quod ira Dei periisset et quod Deus omnes indignationes super eum induxisset, quando pertulit eum crucifigi.

^{§§}87.9 *Longe fecisti.* ID. Quid amici ejus in passione fecerunt. *Notos.* Non quos novit: quia tunc omnes noverat ut Deus, sed quibus notus est.

^{*}87.10 *Tota die.* AUG. Per *extensas manus* continuatio bonorum operum, a quibus nunquam cessavit, intelligitur. In cruce enim nec una tota die fuit illa extensio, nec totum pro parte potest accipi cum addit *tota*; sed quia hæc opera non omnibus profuerunt, addit.

[†]87.11 *Nunquid mortuis.* Mortuos corde dicit, quibus fiunt quidem miracula Christi, sed non prosunt eis: mortuis enim corpore facta sunt mirabilia, cum quidam revixerunt. Et cum Dominus infernum penetravit, atque inde victor mortis ascendit, magnum factum est mortuis miraculum. *Nunquid mortuis.* CASS. Quibus non prosunt opera sua ostendit. *Aut medici suscitant*, etc. AUG. In Hebræo non medici, etc., *usque ad: Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.*

[‡]87.12 *Sepulchro.* Unde in Evangelio de talibus: *Similes estis sepulcris dealbatis quæ foris apparent hominibus speciosa: intus vero plena sunt ossibus mortuorum*, quasi, sic et vos hypocrisi et iniquitate. *Misericordiam et veritatem.* AUG. Misericordiam et veritatem amat conjungere Scriptura: maxime in psalmis.

¹³ Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua? et justitia tua in terra oblivionis?[¶]

¹⁴ Et ego ad te, Domine, clamavi, et mane oratio mea præveniet te.[§]

¹⁵ Ut quid, Domine, repellis orationem meam; avertis faciem tuam a me?^{**}

¹⁶ Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea; exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.^{††}

¹⁷ In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me.^{‡‡}

¹⁸ circumdederunt me sicut aqua tota die; circumdederunt me simul.^{¶¶}

¹⁹ Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria.]^{§§}

88 Intellectus Ethan Ezrahitæ.

² [Misericordias Domini in æternum cantabo; in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.*

[¶]87.13 *In tenebris.* Idem sunt mortui positi in sepulcro, et tenebræ, et terra oblivionis.

[§]87.14 *Ego ad te, Domine, clamavi.* CASS. Quæ in suis sustinet; ecce chorus respondens præcipienti. ID. *Et ego quasi,* cum illis, cum quibus unum. AUG. *Et ego.* His mortuis non prosunt opera, etc., *usque ad Ut quid, Domine, repellis.*

^{**}87.15 *Ut quid.* CASS. Ecce quantum desiderat. *Ut quid, Domine.* Proponit, quærendam esse causam: quæ est, ut dilatione boni, et adversis multiplicatis, quibus repulsa quasi oratio inflammetur ardentius.

^{††}87.16 *Exaltatus.* ID. Prius tumido corde, postea, *Humiliatus.* Per confessionem. *Conturbatus,* id est, confusus de peccatis, ea damnando.

^{‡‡}87.17 *Transierunt.* CASS. Non mansuete contigerunt. AUG. Quia non de fideli, sed de infideli dictum est: *Ira Dei manet super eum* Joan. 3.. Flagellat enim filios quos recipit, unde: *Quos ego amo, arguo et castigo* Apoc. 3.. Et alibi: *Percutiam et sanabo: occidam et vivere faciam* Deut. 32.. ID. *Transierunt et conturbaverunt.* Quia aliud jam de damnatione patimur, et aliud de æterna ultione timeamus. *Terrores tui.* CASS. Quos patior: quia tibi placuit, non meo merito. AUG. Terrores futuri iudicii, quos omnis caro timet. *Conturbaverunt me.* Secundum infirmitatem carnis. AUG. *Conturbaverunt me* aliquando terrores, ita conturbant animum cogitantis circumpendentibus malis, ut sicut aquæ circumfluere videantur, et simul undique circumdare, unde amici et noti timore deserunt, unde Apostolus: *Omnes me dereliquerunt* II Tim. 4..

^{¶¶}87.18 *Circumdederunt me.* CASS. Peccata undique copiosa inundatione concludunt. *Tota die.* AUG. Quia nullo tempore desunt mala Ecclesiæ donec finiatur sæculum. Sed hæc omnia fiunt, ut oratio Ecclesiæ præveniat Deum donec illa salus veniat, ubi nihil malorum sit.

^{§§}87.19 *Amicum* CASS. Et qui pio et fideli amore conjuncti sunt. *Proximum et notos,* etc. Parentela. Sæpe justis humana officia timore subtracta sunt.

*88.2 *Misericordias.* CASS. Hic Psalmus de spe Christianorum et magnificentia Domini multa dicit, per quæ nemo seducitur, qui digne supplicet, quod verus Israël ita intelligit. Primo de misericordia et veritate se cantare promittit Propheta. *In æternum.* CASS., REM. Quomodo *misericordias in æternum cantat,* et gratias agit, qui miseriam non meminit? Quomodo autem plena beatitudo si memoria reatus mentem tangit? Sed sæpe læti tristium meminimus, et sani dolorum sine dolore, et inde amplius læti et grati sumus; sic itaque et miseriam recordatio nil beatitudinis detrahit. *Veritatem.* Promissionem. In ore, non ex ore labitur, sed in ore diu tanquam dulce versatur.

³ Quoniam dixisti: In æternum misericordia ædificabitur in cælis; præparabitur veritas tua in eis.[†]

⁴ Disposui testamentum electis meis; juravi David servo meo:[‡]

⁵ Usque in æternum præparabo semen tuum, et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam.[¶]

⁶ Confitebuntur cæli mirabilia tua, Domine; etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.[§]

⁷ Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino; similis erit Deo in filiis Dei?^{**}

⁸ Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum, magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.^{††}

⁹ Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.^{‡‡}

[†]88.3 *Quoniam dixisti.* Hic dicit: Unde scit? et quæ misericordiæ Dei per Christum sint? AUG. Quas misericordias, et quam veritatem cantabo? Ecce. *Quoniam dixisti.* Quasi dicat: Ego homo secure dico, quod tu, Deus, dixisti, per Spiritum manifestati. *Misericordia ædificabitur.* AUG. Utrumque repetit, quod prædixit. Quia universæ viæ Domini misericordia et veritas. Non exhibetur veritas in impletione promissorum, nisi præcedat misericordia in remissione peccatorum. Denique, veritas Judæis, quibus promissa facta sunt, pertinet, misericordia, gentibus: ut ait Apostolus: *Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei implendam: gentes autem super misericordia honorare Deum* Rom. 15.. *In cælis.* Qui enarrant gloriam Dei, per quos ædificatur misericordia.

[‡]88.4 *Juravi David servo meo.* Securior est iste, ideo quia Deus dixit: securior, quia juravit. Juratio Dei promissionis est confirmatio, ex utroque fit homo Ethan, id est, robustus.

[¶]88.5 *In æternum.* CASS. Non est temporalis ædificatio misericordiæ, sicut ruina iniquitatis temporalis est: destruitur enim iniquitas temporalis in quibusdam, ut in eis ædificetur æterna misericordia, unde Jeremiæ Dominus dicit: *Ecce ergo constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices et plantes. In generationem.* AUG. Generatio enim non potest, etc., usque ad sedebit et tunc in sanctis.

[§]88.6 *Confitebuntur cæli.* CAS. Diapsalma. Secundo diversis modis laudes, et potentiam Dei describit, quasi, sicut dixisti, ita fiet. *Confitebuntur,* laudabunt. *Confitebuntur cæli mirabilia.* In omni enim misericordia perditorum, in justificatione impiorum quid laudamus nisi mirabilia Dei? Laudas quia surrexerunt mortui, plus lauda quia redempti sunt perdit. Vides enim hominem heri voraginem ebrietatis, hodie ornamentum sobrietatis. Vides enim hominem heri cœnum luxuriæ, hodie decus temperantiæ: heri blasphematorem Dei, hodie laudatorem Dei. Vides hominem heri servum creaturæ, hodie cultorem Creatoris: hæc sunt mirabilia quæ confitentur cœli. *Etenim veritatem.* CASS. Vel sine *enim.* Mirabilia quomodo omnia agit et administrat ubique. Veritas in Ecclesia ubi creditur, *Verbum caro factum,* et quod Trinitas, prius Deus.

^{**}88.7 *Quoniam quis.* AUG. Notandum quod idem sunt cœli et nubes, scilicet prædicatores. Sed cœli, prædicatores, propter fulgorem veritatis. *Nubes,* quæ nebulosæ sunt propter mortalitatem carnis, et quia transeunt, ubi et abscondita, quæ post in iudicio clarebunt. *In filiis.* Vel superis, vel hominibus. Ne ergo putetur tantum homo: ille enim naturalis, nos adoptivi; ille genitus, nos creati; ille ab æterno genitus, nos in tempore facti; ille unicus, nos multi.

^{††}88.8 *Super omnes.* ID. Angelos, vel homines, qui sunt stipatores ejus impares, qui ei dono ejus proximant.

^{‡‡}88.9 *Tibi.* ID. Qui omnia fecisti, etc., usque ad tentari supra id quod potest homo.

- ¹⁰ Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas.
- ¹¹ Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum; in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.[¶]
- ¹² Tui sunt cæli, et tua est terra: orbem terræ, et plenitudinem ejus tu fundasti;^{§§}
- ¹³ aquilonem et mare tu creasti. Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt:^{*}
- ¹⁴ tuum brachium cum potentia. Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua:
- ¹⁵ justitia et iudicium præparatio sedis tuæ: misericordia et veritas præcedent faciem tuam.[†]
- ¹⁶ Beatus populus qui scit jubilationem: Domine, in lumine vultus tui ambulabunt,[‡]
- ¹⁷ et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur.
- ¹⁸ Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.
- ¹⁹ Quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israël regis nostri.
- ²⁰ Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti: Posui adiutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea.[¶]

[¶]88.11 *Vulneratum*. Humiliatus est perdendo, quos tenebat; vulneratus percusso corde, ubi superbiebat. *Superbum*. AUG. Scilicet draconem, qui in mari factus est ad illudendum ei, qui per humilem Christum, in quo alii sunt humiles, humiliantur; humiliavit se Christus, ut humiliaret superbum. Superbus enim superbos tenebat: vulneratur diabolus vulnerato Christo, nondum ex toto mortuus est. *Inimicos*. Aërias potestates vel Judæos per mundum dispersos, vel de hominibus alios assumpsit qui sunt spolia diaboli, alios reliquisti quos post eum abire permisisti.

^{§§}88.12 *Tui sunt cœli et tua est terra orbem*, etc. ID. Ideo in cœlo triumphavit de diabolo, quia ejus est cœlum; in terra de Judæa, quia ejus est terra. Cur ergo illi in alienis superbierunt? *Tu fundasti*. Cur ergo in eum se erigunt, cujus est ambitus mundi, et omnes creaturæ quæ in eo sunt?

^{*}88.13 *Aquilonem*. Diabolus. *Mare tu creasti*. Sæculum. Stulte ergo in eum se erigunt, a quo creata sunt. *Thabor et Hermon in nomine tuo*. AUG. Montes Syriæ, et per eos gentes accipiuntur a parte totum per synedochen. *Exsultabunt*. Christo veniente allegorice. *Thabor*, Judæi, ad quos primum lumen venit. *Hermon*, Gentes, quæ prius fuerunt anathematizatae. *In nomine tuo exsultabunt*, conjunctis in angulari lapide duobus parietibus. AUG. *Thabor*. Veniens lumen a summo scilicet lumine, quo veniente fit anathema ejus, id est diaboli, qui nos tenebat in errore suo. Quod est: a te datum est ut illuminemur, ut anathema demus diabolo.

[†]88.15 *Præparatio sedis tuæ*. CASS. *Sedes* Dei æterna, sed in iudicio apparebit *parata*, cum ipse videbitur juste judicare. Vel modo homines discernendo et justa tenendo, parant se sedem Domino. *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam*. A similitudine præcursoris Domino hospitium præparantis.

[‡]88.16 *Beatus populus qui scit*, etc. CASS. Ille scit, qui suam lætitiā non in sua, sed Domini virtute ponit, vel, qui, quod ore cantat, corde intelligit: unde sequitur hoc præmium, *in lumine*, id est, in contemplatione Trinitatis perseverabunt. *Jubilationem*. Jubilus, gaudium quod verbis explicari non potest, nec tamen penitus reticeri. *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt*. CASS. Commendat gratiam, de qua jubilus. AUG. Vel in bene placito tuo, id est in Christo, ideo in ipso, quia assumpsit carnem nostram, in quo omnis spes.

[¶]88.20 *Tunc locutus es in visione*. CASS. Diapsalma. Tertio promissiones Patris de Christo. Superior laus non est dubia, quam paterna confirmat auctoritas. CASS. AUG. *Tunc*. Quando disposuisti testamentum, vel cum hæc diceres mihi, *tunc locutus es sanctis*, reliquis prophetis *in visione*, non enim ignoranter locuti sunt, sicut Montanus et quidam alii hæretici dixerunt.

- 21 Inveni David, servum meum; oleo sancto meo unxi eum.[§]
 22 Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.
 23 Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.^{**}
 24 Et concidam a facie ipsius inimicos ejus, et odientes eum in fugam convertam.^{††}
 25 Et veritas mea et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.^{‡‡}
 26 Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus.
 27 Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ.
 28 Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.
 29 In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi.
 30 Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cæli.
 31 Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint;^{¶¶}
 32 si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint:
 33 visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum;^{§§}
 34 misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea,
 35 neque profanabo testamentum meum: et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.^{*}
 36 Semel juravi in sancto meo, si David mentiar:[†]
 37 semen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo,

§88.21 *David servum meum oleo sancto meo unxi eum.* AUG. Manu fortem, servum obedientem, ideo in eo posui adjutorium.

**88.23 *Inimicus in eo.* ID. Diabolus, unde: *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* Joan. 14.. *Filius iniquitatis non apponet nocere.* Judas non apponet, non addet effectum voluntati.

††88.24 *A facie ipsius inimicos.* AUG. Cum facies ejus peccatores respicit, a criminibus separantur, quibus non est locus sub præsentia ejus.

‡‡88.25 *Et veritas mea et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.* ID. Sæpe misericordia et veritas commendantur nobis, etc., usque ad ubi hæc sibi occurrunt.

¶¶88.31 *Si autem dereliquerint.* Non solum de persistentibus, sed et de cadentibus hæc promitto.

§§88.33 *In virga.* Quis enim est filius? etc., *usque ad: Et in verberibus,* etc. *Non dispergam.* AUG. Ipse non tollit misericordiam ei, qui Christianus quidem est: quod si homo ita iniquus est, ut fugiat accedente patre, ipse se alienat, non pater abjicit eum.

*88.35 *Neque profanabo.* Profana esset promissio, si esset inexplata. Nunquid propter malos pisces nihil ex illa sagena mittitur in vascula? Mittentur utique boni pisces, id est, quos prædestinavit.

†88.36 *Semel juravi.* CASS. Homo frequenter, Deus *semel*, qui non variatur. *In sancto.* In homine Christo, in quo complendum erat quod juravi; vel David, id est Christo, per sanctitatem. *Semen*, Christiani.

³⁸ et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cælo fidelis.[‡]

³⁹ Tu vero repulisti et despexisti; distulisti christum tuum.

⁴⁰ Evertisti testamentum servi tui; profanasti in terra sanctuarium ejus.[†]

⁴¹ Destruixisti omnes sepes ejus; posuisti firmamentum ejus formidinem.

⁴² Diripuerunt eum omnes transeuntes viam; factus est opprobrium vicinis suis.

⁴³ Exaltasti dexteram deprimentium eum; lætificasti omnes inimicos ejus.

⁴⁴ Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello.[§]

⁴⁵ Destruixisti eum ab emundatione, et sedem ejus in terram collisisti.^{**}

⁴⁶ Minorasti dies temporis ejus; perfudisti eum confusione.^{††}

⁴⁷ Usquequo, Domine, avertis in finem? exardescet sicut ignis ira tua?^{‡‡}

⁴⁸ Memorare quæ mea substantia: numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?^{¶¶}

[‡]88.38 *Sicut sol in conspectu.* AUG. Secundum animam, etc., usque ad in cælo, id est Christus. *Tu vero repulisti.* CASS. Diapsalma. Quarto adversa prædictis promissionibus ponit, ne putentur in alio impleri, quam in futuro tunc Christo. *Tu vero repulisti.* Quasi, Christianis hæc bona, sed non Judæis, qui se privaverunt promissione, et hoc est: Tu vero *Christum tuum*, id est, unctum David, a regno repulisti pro peccato, quod commisit contra Uriam de Bethsabee; *Et despexisti*, vel *sprevisti*, quia multa indigna passus; *distulisti*, diu in tribulatione, *testamentum*, promissa Judæis, ad gentes lata sunt. AUG. *Tu vero.* Vel, hæc omnia de Christo et Ecclesia, *repulisti*, ad patibulum *Christum tuum*, et in despectum dedisti. Vel, distulisti a gloria, ad tempus, vel secundum membra.

[†]88.40 *Testamentum.* Promissio videtur eversa, et sancti profani reputantur. *Sepes*, prælatos, *destruxisti*, dum occiduntur. *Et posuisti firmamentum ejus formidinem.* Qui firmabant alios docendo, jam sunt timori, dum affliguntur, et quidam jam sunt direpti *a transeuntibus viam*, quæ est Christus.

[§]88.44 *Avertisti adjutorium gladii ejus.* Id est prædicationem. *Non es auxiliatus ei in bello*, sed dedisti ad passiones. *Destruixisti eum ab emundatione*, etc., id est, quidam mundi defecerunt, et in terram redacti sunt. *Minorasti*, ut putatur, dum cito de vita auferuntur. AUG. Quare illa promisit Deus, etc., usque ad ut hæc promissio in aliis exspectaretur.

^{**}88.45 *Destruixisti eum.* Hæc omnia venerunt Judæis, non tamen ablato eis Christo, et æterno regno, sed dilato. *Sedem ejus in terram collisisti.* Id est, regnum eorum ubique terrarum deletum est, quia jam non est de eis princeps.

^{††}88.46 *Minorasti.* Quia diu staret regnum eorum, si sub Deo. *Perfudisti eum confusione.* Quia gestat opprobrium infidelitatis. *Minorasti.* AUG. Putabant se regnatos in æternum, sed minuisti dies regni eorum, ut non staret, juxta opinionem eorum.

^{‡‡}88.47 *Usquequo, Domine?* CASS. Diapsalma. Quinto. Ecce in quo impletæ promissiones, scilicet in *substantia David*, quæ vivit, et eruit animam, id est, in Christo. AUG. Sed, usquequo non resuscitas Christum? Quæ *substantia?* quæ nihil, nisi per ipsum. *Quis est homo qui vivit et non videbit mortem?* nullus. In his jam postulat subvenire homini, vel specialiter Judæis.

^{¶¶}88.48 *Memorare quæ mea substantia.* ID. Dicit hoc David, carne positus in Judæis, spe in Christo. Quæ *sit mea substantia?* Et si Judæi deficiunt, non deficit *mea substantia*, non omnino interit radix, unde veniet Maria: et de ea veniet semen cui promissum est. Nam de populo illo virgo Maria, de virgine Maria caro Christi, et caro illa non est peccatrix, sed peccatorum mundatrix. *Nunquid enim vane.* Omnes filii hominum ierunt in vanitatem, non *tamen vane constituisti* eos: unde ergo mundas eos a vanitate? per *semen*, in quo est *mea substantia*; de quo subdit: *Quis est homo?*

⁴⁹ Quis est homo qui vivet et non videbit mortem? eruet animam suam de manu inferi?^{§§}

⁵⁰ Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut jurasti David in veritate tua?*

⁵¹ Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo, multarum gentium:†

⁵² quod exprobraverunt inimici tui, Domine; quod exprobraverunt commutationem christi tui.

⁵³ Benedictus Dominus in æternum. Fiat, fiat.]‡

89 Oratio Moysi, hominis Dei. [Domine, refugium factus es nobis a generatione in generationem.¶

² Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a sæculo et usque in sæculum tu es, Deus.§

³ Ne avertas hominem in humilitatem: et dixisti: Convertimini, filii hominum.**

⁴ Quoniam mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesternæ quæ præterit: et custodia in nocte††

⁵ quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

§§88.49 *Quis est homo?* ID. Nulli hoc convenit, nisi Christo: et si enim resurgentes invenit, et non ultra videbunt mortem: non tamen ipsi *eruent animas suas de manu inferiori*, sed ille, qui *potest animam ponere, et iterum sumere, cui nemo eam tollet*. CASS. Vel sic, nullus vivet, vel eruet animam: et cum hoc sit, *ubi sunt misericordiæ?* Jam rogat promissiones impleri, quas David fecit.

*88.50 *Ubi sunt misericordiæ?* ID. Diapsalma. Sexto, in membris etiam implentur promissiones, non temporaliter, sed spiritualiter. Et loquitur in persona Ecclesiæ.

†88.51 *Memor esto, Domine.* AUG. Ut remuneres, videtur oblitus, dum differt. *Opprobrii servorum.* CASS. Illati servis a multis gentibus. AUG. Quod ego Ecclesia *Continui*, id est, portavi. *In sinu*, in secreto mentis, quia palam non audebat loqui.

‡88.53 *Benedictus.* CASS. Contra maledictiones gentium. AUG. Benedictus. Exclamatio ex visa claritate Christi.

¶89.1 *Oratio Moysi.* AUG. Cum vetus vita et nova, etc., usque ad et videt mirabilia de lege Dei. CASS., REM. Agit iste psalmus de defectu generis humani, qui per Christum auferetur. *Domine refugium.* CASS. Primo, æternum proponit refugium temporaliter homini.

§89.2 *Priusquam montes.* Ne autem videretur non fuisse, antequam esset nobis refugium; adjungit *priusquam. Montes, terra.* AUG. Ecce omnis rationalis creatura hac differentia distincta est, *ut montium* nomine celsitudo angelorum; et *terræ* nomine humilitas hominum: ideoque non incongrue verba sic distinxit, ut diceret *montes*, id est angelos, *fieri*, et *terram*, id est homines, *formari. Fierent aut formaretur.* Formari, vel fingi, solet dici secundum corpora: fieri de nihilo. *A sæculo.* Aptius diceret, etc., usque ad hic autem ponitur *sæculum* pro æterno. *A sæculo.* Ecce quæ æternitas nobis refugium, etc., *usque ad Ne avertas, quoniam mille anni. Tu es.* Optime ait, quia immutabilis. Non dicit eris, vel fuisti, cum immutabilis essentia Dei non noverit præteritum, vel futurum; unde dictum est: *Ego sum qui sum.* Et, *Qui est misit me ad vos?* Et: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

**89.3 *Ne avertas.* CASS. Secundo, exponit infirmitatem hominis, cui petit subveniri. *In humilitatem.* Id est, terrenam concupiscentiam, etc., usque ad qui docuit coelestia quærere.

††89.4 *Dies hesternæ.* AUG. Non dicit, saltem sicut crastina, etc., usque ad in sollicitudine, et trepidatione, et quasi nihil est.

- ⁶ Mane sicut herba transeat; mane floreat, et transeat; vespere decidat, induret, et arescat.‡‡
- ⁷ Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus.¶¶
- ⁸ Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo; sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.
- ⁹ Quoniam omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur;§§
- ¹⁰ dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor; quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.*
- ¹¹ Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam†
- ¹² dinumerare? Dexteram tuam sic notam fac, et eruditos corde in sapientia.‡

‡‡89.6 **Mane sicut herba.** AUG., CASS. Mutetur a qualitate noctis. **Vespere decidat.** In extremis secta, vel fracta. CASS. **Mane sicut herba.** Dixi, quod anni habentur, etc., usque ad juventus quæ floret et transit. **Vespere.** Senectus, quando refrigescit vigor hominis. **Vel, mane sicut herba.** Apta comparatio, quasi, sicut herba mutatur a qualitate, quam habet in nocte, in deteriorem mane orto sole: ita mutatur homo in deterius.

¶¶89.7 **Defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus.** AUG. Mortales et passibiles facti, quod tamen morte finire timemus, unde sequitur: **Et in furore tuo turbati sumus. Sæculum.** Vitam nostram pravam. Vel **sæculum** posteros. **In illuminatione vultus.** CASS. Illa teguntur, quæ veniam habent: **illuminantur**, quæ puniuntur.

§§89.9 **Quoniam omnes dies.** AUG. Cognitio nostra defecit obtenebrata ratione per peccatum, vel, tempus vitæ abbreviatum est, et pene **defecit**, quia ad paucitatem redacti sunt dies vitæ nostræ. **Anni nostri sicut.** CASS., AUG. Miseria et brevitatis hujus vitæ exprimitur hic per similitudinem **araneæ**, quæ textit inanes telas, ut dolo capiat muscas: unde sicut aranea, id est, in rebus corruptibilibus laborabamus, inania texebamus. CASS. Vita per iram Dei breviata est, quia præsumptione longioris vitæ peccabant. Et nos ipsi in **ira tua defecimus.** AUG. Id est, essentia nostra defecit per ærumnas. **Meditabuntur... anni**, non operabuntur, quia sine utilitate transeunt. Vel, meditabuntur passive, id est, reputabuntur anni nostri **sicut aranea**, id est, sicut inanes et inutiles.

*89.10 **Septuaginta.** ID. Terrenorum appetitus quæ septem diebus aguntur: si in virtutibus octoginta, id est, æternitas petitur. **Annis.** Vel **anni**, alia littera. Quo temporis spatio dicuntur longævi, qui etiam usque ad **octoginta** annos aliquas vires habere videntur. **Octoginta.** Quia et citra octoginta annos sunt quidam infirmi, etc., usque ad redemptionem corporis expectantes. **Mansuetudo.** Clementia est, si Dei: domatio, si nostra. Ipse enim per clementiam mansuetus, domando nos efficit mansuetos, et sic corripiemur.

†89.11 **Quis novi.** ID. Potestas iræ hominis est corpus occidere, post nihil facere. Deus et hic punit, et post in gehennam mittit: et a paucis major ejus ira intelligitur.

‡89.12 **Dexteram tuam sic notam fac.** CASS. Tertio, orat et affirmat liberationem. AUG. **Dexteram tuam.** Christum sic **notum fecit**, etc., usque ad ut ad dexteram ponat. **Et eruditos corde in sapientia. Vel compeditos corde.** Quod idem est, quia qui erudiuntur in sapientia, pedem mentis injiciunt in compedes Dei, ut a via ejus non exorbitent. Quos sic fecit Deus notos in Novo Testamento, ut pro fide omnia spernerent, quæ magna habentur, in Veteri et æterna morte quærent: hoc attendens ait, pro eis, qui multa patiuntur a sæculo pro æternis.

- ¹³ Convertere, Domine; usquequo? et deprecabilis esto super servos tuos.[¶]
¹⁴ Repleti sumus mane misericordia tua; et exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.[§]
¹⁵ Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti; annis quibus vidimus mala.
¹⁶ Respice in servos tuos et in opera tua, et dirige filios eorum.^{**}
¹⁷ Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.]^{††}

90 Laus cantici David. [Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.^{‡‡}

² Dicit Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum; Deus meus, sperabo in eum.^{¶¶}

[¶]89.13 **Convertere.** Quasi aversa sit facies ejus a tribulatis. **Usquequo.** Alias aliquantulum. CASS. Non ex toto, quæ magis prodest, si aliqua tribulatio semper monet nos.

[§]89.14 **Mane misericordia tua exultavimus, et delectati sumus.** AUG., CASS. Modo nox, in qua esurimus: tunc autem satiabimur vultu, unde: **Satiabor cum apparuerit gloria tua.** Et alibi: **Mane astabo tibi, et videbo.** Nunc autem pro eo **lætati sumus,** et in malignis diebus in quibus dicimus: **Respice in servos.**

^{**}89.16 **Respice in servos tuos.** Quod facit Deus in se, orat Propheta fieri suo populo: orat, scilicet, ut parcat Judæis peccantibus, si non pro meritis eorum, saltem propter opera quæ in eis fecit. **Et dirige filios eorum.** Quasi, etsi ipsi per iniquitates dispersi sunt, vel filii, in fine fide corrigantur, qui per se pravi, et inconvertibiles.

^{††}89.17 **Splendor Domini Dei nostri super nos, et operamini.** HIER., CASS. Imago Dei recreans menti imprimatur. Vel splendor Dei super nos est, dum crucis impressione decoramur, et vexillum triumphi in fronte portamus. CASS. Triplex quippe est imago, etc., usque ad meminerim te, intelligam te, diligam te.

^{‡‡}90.1 **Laus cantici.** Laus, et humana est: hæc est cantici, quia non nisi divina. Est enim psalmus iste hymnus contra dæmones. Propheta ergo de quolibet sancto ait: **Qui habitat in adjutorio,** etc. CASS. Ostendit tentationes diaboli per humilitatem victas a Christo, et a suis, manentibus in auxilio Dei, ut et nos per eum discamus tentationes superare, quia est janua per quam, si quis introierit, ingredietur, et egredietur, et pascua eveniet. AUG. Janua Christus; intrare per eum, est imitari eum, non in divinitate, et potentia, et miraculis, sed in eo quo factus est pro nobis, id est, humilitate ad quam vocat, dicens: **Discite a me quia mitis sum et humilis corde.** De hoc psalmo tentavit Christum diabolus. Christi autem tentatio nostra est doctrina, quem sequentes ex eo vincimus. **Qui habitat.** CASS. Describit primo fidentem in solo Deo, omnino protectione Dei vallatum. **Qui habitat,** id est, qui totam spem non in se, sed in Deo semper constituit, omnibus modis protegetur a Deo. Nota verborum correspondentiam: sicut enim semper **habitat,** sic et semper **commorabitur.** Illud affirmat, scilicet quod **habitat;** hoc promittit, scilicet quod **protegetur. In protectione Dei cæli commorabitur.** Ut scilicet non declinet ad dexteram vel ad sinistram, sicut in Veteri Testamento præceptum erat filiis Israël, ut incederent via regia, non declinantes ad dexteram vel ad sinistram. Via regia, via Christi regis nostri, qui sic viam mundi cucurrit, ut nec prosperis illiceretur, nec adversis frangeretur.

^{¶¶}90.2 **Deus meus.** CASS. Ne putes post susceptionem et refugium jam nihil esse petendum, addit: **Sperabo in eum,** ne aliquando de se præsumat, hoc si fecisset Adam, bene staret.

³ Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.^{§§}

⁴ Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis.*

⁵ Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno;†

⁶ a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, et dæmonio meridiano.

⁷ Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.*

⁸ Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.¶

⁹ Quoniam tu es, Domine, spes mea; Altissimum posuisti refugium tuum.[§]

§§90.3 *De laqueo.* ID. Tentatio, vel per facta, quæ hic dicitur *laqueus*; vel per verba quæ hic, a *verbo aspero*; quasi, etsi leve videatur, grave tamen est verbo tentari. *Laqueus*, versutiæ spiritualium, vel carnalium inimicorum; *verbum asperum*, omne dictum, quod movet a regulis divinis. AUG. *De laqueo venantium*, dæmonum, qui non in via Christo, sed circa, ad dexteram vel sinistram, tendunt laqueos. In quos et per verbum asperum cadunt aliqui, ut qui nolunt esse Christi, propter insultantes Christiano nomini, et qui timent detractiones hominum, ut cessent a via Dei.

*90.4 *Scapulis.* AUG., CASS. Speranti beneficia Dei promittit. *Scapulæ*, sunt operationes mirabilium, quibus ut humeris virtus Dei ostenditur. *Pennæ*, monita Prophetarum, quæ ad cælos vehunt. *Obumbrabit.* Ut neque sol divinitatis, neque luna humanitatis te urat. *In pennis* protectio. *Scapulis suis.* Alias, *Inter scapulas.* AUG. Id est, ante pectus suum te ponit, etc., usque ad ut sub alis ejus speremus.

†90.5 *Veritas.* ID. Dei est, qui non respicit personas, nec miscet sperantes de seipsis cum his qui sperant in Deo, sed discernit humiles vel superbos. CASS. Vel veritas, incarnatio Christi, unde: *De terra veritas orta est* Psal. 84., quod et scapulis obumbrat, et scuto defendit. Sicut notavit genera defensionum, notat et genera periculorum, ut sit gratior liberatio. *A timore nocturno.* A similitudine periculi, unde tantum timor habetur. *A timore nocturno.* AUG. Qui ignorans peccat, etc., *usque ad Cadent a latere tuo mille.*

*90.7 *Cadent a latere.* CASS. Secundo, fidentis in Deo caput, id est Christum, in caelo levatum, dicit a nullo posse contingi, qui et proles in terra protegit: sed præsumptores ab eo cadunt. Ecce certitudo protectionis fidentis in Deo per Christum. *A latere.* Latus Dei est corona justorum, qui cum eo judicabunt, unde dicitur: *Mittite a latere vestro*, id est, qui vobiscum habent consilium. Latus ergo Christi, Apostoli et eorum imitatores, quibus promisit: *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël* Matth. 19.. Duodecim sedes perfectio tribunalis, in quibus sedebunt omnes qui omnia reliquerunt, et secuti sunt Christum.

¶90.8 *Verumtamen.* CASS., AUG. Licet quidem te permittente impiis tuos persequi, sed non impune, oculis tuis considerabis malum, quod voluerunt, non bonum quod per nescientes agitur, eis retribuetur, et sanctus, qui habet oculos fidei, videt eos modo exaltari et tonare, et in fine fulminare: hoc dixit ne infirmi moveantur. CASS. *Verumtamen oculis.* Etsi cadentes tentent te duris, *verumtamen.* Vel, etsi dæmonium non appropinquet, quod est per iniquos: sed tamen non quod faciunt, sed quod intendunt, *considerabis.*

§90.9 *Quoniam tu es.* AUG. Unus Christus est caput et corpus, de quo loquitur modo ut de capite, modo ut de corpore, non mutata persona. Ideoque que diligenter adverte, ubi de Christo secundum caput, ubi secundum membra agat. *Altissimum.* In alto est refugium Dei, valde in occulto, ut fugiatur a ventura ira. Multi enim sic faciunt sibi refugium Dei, quo fugiunt a malis temporalibus. *Altissimum posuisti refugium*, id est, resurgendo, ascendendo, altum fecisti refugium, ut jam sperem sequi quo præcessisti.

- ¹⁰ Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.**
¹¹ Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.††
¹² In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.‡‡
¹³ Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.¶¶
¹⁴ Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.§§
¹⁵ Clamabit ad me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum.*
¹⁶ Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum.]

91 Psalmus cantici, in die sabbati.†

² [Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime:‡

³ ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem,

⁴ in decachordo, psalterio; cum cantico, in cithara.¶

⁵ Quia delectasti me, Domine, in factura tua; et in operibus manuum tuarum exsultabo.§

**90.10 ID. *Tabernaculum Dei* est caro, etc., usque ad Christo hoc bene accipitur.

††90.11 *Quoniam angelis*. Hoc dixit tentator Domino, quando illum tentavit: hoc objecit, de Deitate ejus dubitans. Tentatus est autem Christus propter nos, ut et in eo tentatorem vincere discamus. AUG. Sic et baptizari a servo voluit, non pro sua necessitate, sed pro hominis utilitate, ut non aspernemur baptizari a conservis.

‡‡90.12 *In manibus portabunt te*. ID. Manibus angelorum sublatus est Christus in cœlum, etc., usque ad qui vinci non potest.

¶¶90.13 *Super aspidem*. Post humanam infirmitatem, divina virtus ostenditur, quæ tantis imperat. Et agit de Christo secundum membra. *Et conculcabis*. AUG. Serpentem calcit Ecclesia, quæ cavet astutiam ejus. *Leonem*. Aperte sævit in martyres. Draco insidiatur per hæreticos, ut corrumpat virginem Christi, unde Apostolus: *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* II Cor. 11..

§§90.14 *Quoniam in me speravit*. AUG. Tertio verba Dei, quibus Ecclesiam consolatur, cui et hic defensio, et in futuro præmia promittit. CASS. Mandat angelis de te dicens: *Quoniam in me*. Certitudo promissionis per promissionem Dei.

*90.15 *Clamabit ad me*. AUG. Non est timendum in tribulatione, etc., usque ad eo tempore magis laboremus ad resistendum.

†91.1 *Psalmus cantici*. AUG. Propter fastidium animorum, etc., usque ad gloriam Dei quærens, non tuam.

‡91.2 *Bonum est confiteri*. CASS. Primo, agit quomodo bonus imperturbatus agit sabbatum mentis, sentiens omnia bene agi a Deo, quod non novit stultus. AUG. Bona præsentia a Deo nobis donata, consolatio sunt: cum desunt, justitia est. Consolatur enim nos Deus, et emendat: in utroque ergo simus ei grati, dicentes: *Bonum est confiteri*, etc.

¶91.4 *In decachordo*. ID. Psallit, qui cum hilaritate bene facit. Qui cum tristitia de eo fit, non ipse facit: et portat psalterium, non cantat in eo. *In decachordo*. Si bene loqueris tantum, canticum est sine cithara; si operaris, et non loqueris, cithara est sine cantico; et ideo bene loquere et benefac.

§91.5 *Quia delectasti*. ID. Unde Apostolus: *Ipsius figmentum sumus*, etc., *usque ad: Quam magnificata sunt. In factura tua*. CASS., HIER. Et in decore ipsius mundialis fabricæ, et in obedientia, et in dispositione, et in causis, et in effectibus, et in operibus manuum, quibus utor, vel quæ miror.

- ⁶ Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.**
- ⁷ Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc.††
- ⁸ Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant in sæculum sæculi:‡‡
- ⁹ tu autem Altissimus in æternum, Domine.¶¶
- ¹⁰ Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt; et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.
- ¹¹ Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, et senectus mea in misericordia uberi.§§
- ¹² Et despexit oculus meus inimicos meos, et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.*
- ¹³ Justus ut palma florebit; sicut cedrus Libani multiplicabitur.†
- ¹⁴ Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebut.‡
- ¹⁵ Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et bene patientes erunt:¶¶

**91.6 *Quam magnificata sunt.* CASS., HIER. In substantia, et in forma, et in vi, et in cæteris. *Nimis profundæ sunt cogitationes tuæ,* quibus talia fecisti et regis.

††91.7 *Vir insipiens,* etc. CASS. Me delectasti in operibus, sed *vir insipiens non cognoscet,* et stultus, qui, si scit, non cavet sibi, *non intelliget hæc,* quæ dixit, vel quæ dicit post. Summum genus scientiæ est scire Deum tanta præstare, quæ humanus sensus non valet attingere. *Insipiens* est, qui cœlesti sapientia vacuus, humanis versutiis plenus est; qui non scit opera Dei, quia casu putat omnia agi; *Stultus* est brutus, qui nec sæcularia novit.

‡‡91.8 *Cum exorti fuerunt.* CASS. Malos asserit perituros, etc., usque ad Judæi putaverunt te communi scilicet sorte mori.

¶¶91.9 *Tu autem Altissimus.* AUG. Exspectas desuper ex æterno, etc., usque ad non longanimis, ex verbo æternus.

§§91.11 *Et exaltabitur.* ID. Etsi ipsi peribunt, etc., usque ad omnes hæreses peribunt.

*91.12 *Et despexit.* ID. Et ideo jam nunc despexit, et audiet a veritate intus. *Et ab insurgentibus.* CASS. Vel, insurgentes in me, malignantés audiet in novissimo: quando se increpabunt, dicentes, *Quid nobis profuit superbia et divitiæ?* Sap. 5. *Auris mea.* AUG. Stantis ad dexteram, audiet in futuro, hoc scilicet, *Ite, maledicti, in ignem æternum.* A quo malo auditu justus non timebit. Ecce hoc istis, *Quid de justis?* Matth. 25.

†91.13 *Justus ut palma.* Illi ut fenum. Justus ut palma, pro altitudine, et quia radix aspera, pulchra coma in summo et fine, et tarde fructum facit; ita et justum hic asperat labor, quem in supernis pulchritudo immortalitatis coronabit, et quasi tarde post longos labores mercedem operum recipiet. *Justus ut palma.* CASS. Tertia pars. Justos florere, ut hac promissione devote gaudeant. *Cedrus.* AUG. Palma et cedrus, hæ arbores non arescunt æstate, ut fenum.

‡91.14 *In atriis domus.* CASS. *Atrium,* initium mansionis; *domus* interior. *In atriis* ergo *florebut,* id est, in ipso resurrectionis initio, dum audient: *Venite, benedicti Patris mei* Matth. 25..

¶¶91.15 *Adhuc multiplicabuntur.* ID. Ecclesia magis incipiet esse uberrima, cum ad finem sæculi erit perducta: tunc enim passionibus electorum cito implebitur numerus beatorum. Et accipitur hic aliter *senectus,* quam supra.

¹⁶ ut annuntient quoniam rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo.][§]

92 Laus cantici ipsi David, in die ante sabbatum, quando fundata est terra. [Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se. Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.**

² Parata sedes tua ex tunc; a sæculo tu es.^{††}

³ Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam; elevaverunt flumina fluctus suos,^{‡‡}

⁴ a vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris; mirabilis in altis Dominus.

⁵ Testimonia tua credibilia facta sunt nimis; domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.]^{¶¶}

93 Psalmus ipsi David, quarta sabbati. [Deus ultionum Dominus; Deus ultionum libere egit.^{§§}

² Exaltare, qui iudicas terram; redde retributionem superbis.*

³ Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur;

§91.16 *Annuntient*. ID. Hic, vel, dum præmium capient annuntiabunt, quod justus, qui suis promissa complet. *Et non est iniquitas in eo*. AUG. Ut hic permittat pati pro se, quos non ibi ornet. *Et rectus*, qui remunerat, non iniquus ut fraudet præmio, sed benignus ut accumulet.

**92.1 *In diem*, etc. AUG. In die ante sabbatum, etc., usque ad quod significat sextus dies. *Dominus regnavit*, etc. CASS. Laus Christi hic cantatur, etc., usque ad a laude domus, ibi, *Domum tuam. Decorem indutus*. AUG. Christus decorus his, etc., usque ad orbis qui non commovebitur. *Decorem induit*. CASS. Id est, pulchritudinem, etc., usque ad ab incarnatione, quando homines docuit. *Præcinxit se*. Non ait, cinxit, vel succinxit, vel accinxit, sed præcinxit. Cingimur enim operaturi, accingimur pugnaturo, succingimur ituri, præcingimur ministraturi. AUG. Cinctio ergo opera significat, etc., usque ad quia *melior est qui vincit iram quam qui capit civitatem. Præcinxit*. CASS. Coetu angelorum ascendens, vel strenuitate operandi. *Etenim firmavit*. AUG. Decorem et fortitudinem induit, ut fundaret terram, unde addit: *Etenim firmavit*.

††92.2 *Ex tunc*. ID. Vel ex illo, tempus gratiæ designat, forte intelligit hoc ex die ante sabbatum, id est, sexto tempore hujus mundi, quo Dominus venit: sed ne putes tunc cœpisse, quando natus venit addit, *a sæculo tu es*.

‡‡92.3 *Elevaverunt flumina vocem*. AUG. Quia discipuli audientes, etc., usque ad sæculi, quod cœpit irasci, vel persequi. *Elevaverunt flumina fluctus suos*, etc. CASS. Hoc deest in aliis, etc., usque ad qui facit omnia bona, addit: *Mirabilis in altis Dominus*.

¶¶92.5 *Testimonia*. AUG. Quia *mirabilis elatio maris*, etc., usque ad et coronas ex prædicatione. CASS. *Testimonia*. Vel ita, etc., usque ad licet brevibus verbis, continet.

§§93.1 *Psalmus David* AUG. Infirmis, qui et murmurant corde, etc., usque ad totus docens patientiam. *Quarto sabbati*, quo die fecit Deus luminaria, etc., usque ad unde monet ad patientiam.

*93.2 *Deus ultionum Dominus*. Ne festines alium punire, si te læsit; sicut nolles puniri alio rogante, quem læsisti: et si ille peccat in te, ne pecces deterius blasphemans Deum, nec optes vindictam; quæ si venerit, forsitan te prius inveniet. *Libere egit*. AUG. Tempore infirmitatis, ut quando in templo docuit, tanquam potestatem habens, quia nec veritati ejus, nec potestati ejus potest obviari. Et quia ita tunc, nunc *Exaltare, quia, usquequo peccatores*.

- 4 effabuntur et loquentur iniquitatem; loquentur omnes qui operantur injustitiam?[†]
 5 Populum tuum, Domine, humiliaverunt, et hæreditatem tuam vexaverunt.
 6 Viduam et advenam interfecerunt, et pupillos occiderunt.[‡]
 7 Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.[¶]
 8 Intelligite, insipientes in populo; et stulti, aliquando sapite.[§]
 9 Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?
 10 Qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem scientiam?^{**}
 11 Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.^{††}
 12 Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum:^{**}
 13 ut mitiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.^{¶¶}
 14 Quia non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet,
 15 quoadusque justitia convertatur in iudicium: et qui iuxta illam, omnes qui recto
 sunt corde.
 16 Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?^{§§}

[†]93.4 *Effabuntur.* CASS. Exponit eorum peccata, etc., usque ad procedit exaggerando. *Loquentur omnes qui operantur,* etc. *Effabuntur,* aliis respondent, AUG. id est, habent quod respondeant, etc., usque ad loquuntur iniqui dicentes Deum non curare hæc.

[‡]93.6 *Viduam et advenam.* CASS. Hos Deus tuetur, etc., usque ad sine patre diabolo et matre concupiscentia.

[¶]93.7 *Nec intelliget.* AUG. Quasi, non attendet ista, negligit ista, nec attendit ut videat, non me curat Deus, quid agam?

[§]93.8 *Intelligite.* CASS. Secunda pars; contra blasphemos, etc., usque ad quod consilium suum malis incognitum, suis amicis aperit. *Stulti.* Qui aperte blasphemant, dicentes Deum non videre. Vel ita: Vos *insipientes,* id est nescii, intelligite, qui jam bene vivendo estis *in populo,* id est, in numero bonorum. *Et vos stulti,* id est, improvidi, et si scitis, *aliquando sapite.*

^{**}93.10 *Qui corripit gentes.* AUG. Quotidie pro originali, nonne arguet pro supradictis? Vel, *Qui erudit.* Propter quam eruditionem misit Filium suum Deus, etc., usque ad unde Apostolus: *Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque,* Rom. 14., etc.

^{††}93.11 *Dominus scit.* ID. Tu vero nescis cogitationes Dei, quoniam justæ sunt; sed amicis factis prodit Deus consilium suum, cur malis parcit. *Quoniam vanæ sunt.* Talium cogitationes vanæ sunt, quod ipsi per se non possunt scire, sed Dominus novit esse vanas.

^{**}93.12 *Beatus homo.* CASS. Isti sunt vani, etc., usque ad omnes scient Deum, *cæli ut liber plicabuntur. Et de lege tua,* etc. AUG. Ex lege disce patientiam, *donec fodiatur,* non est tuum scire quomodo, et cur fodiatur illi.

^{¶¶}93.13 *Donec.* etc. AUG. Felicitas malorum *fovea* est; labor bonorum flagellum patris; felicitas est *fovea,* quia cum parcit Deus per impunitatem, fit homo elatus, et cum putat se altum, cadit. *Fodiatur fovea.* Ecce consilium Dei: ideo parcit malis, ut *fodiatur fovea eis.* Adhuc foditur, et tu jam vis sepelire eum: nimis festinas. *Peccatori fovea,* etc. Non omni, sed superbo, etc., usque ad age gratias ei a quo habes, nec alium despicias.

^{§§}93.16 *Quis consurget.* CASS. Tertia pars, ubi dicit quod fluctuatio sit justis, et fluctus sæculi, id est, mala per iniquos, ut puncti clament ad Deum, et nihil aliud eis placeat, et tunc gratior fit liberatio. AUG. Quis *consurget,* quasi dicat, etc., usque ad sed unde vincam? *Nisi quia Dominus. Stabit mecum,* etc. CASS. In acie patiens; sed quia ille vincit, qui vim sustinet; perdit, qui ferit.

¹⁷ Nisi quia Dominus adjuvit me, paulominus habitasset in inferno anima mea.*

¹⁸ Si dicebam: Motus est pes meus: misericordia tua, Domine, adjuvabat me.†

¹⁹ Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.‡

²⁰ Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?¶

²¹ Captabunt in animam iusti, et sanguinem innocentem condemnabunt.

²² Et factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in adiutorium spei meæ.§

²³ Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster.]

94 Laus cantici ipsi David. [Venite, exsultemus Domino; jubilemus Deo salutari nostro;**

² præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei:††

³ quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos.‡‡

⁴ Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipsius sunt;¶¶

⁵ quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et siccam manus ejus formaverunt.§§

*93.17 *Nisi quia Dominus.* CASS. Vanis persuasionibus poterat decipi, nisi Dominus liberaret.

†93.18 *Adjuvabat me.* Sicut Petrum liberavit Dominus super aquam ambulans, ne mergeretur, qui Domino dixit: *Domine, si tu es, jube me venire ad te* Matth. 26.. AUG. Ut Christus sua potestate, etc., usque ad unde subdit, *consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

‡93.19 *In corde.* ID. Salubres cogitationes significat, ut scilicet cum æternas retributiones cogitaret, mala temporalia despiceret.

¶93.20 *Nunquid adhæret.* ID. Nemo iniquus sedet tecum; et cum nihil his tecum, ad quid ergo fiunt? ut de eis pungas, et puncti ad te clament, et demum hi pereant; quæ his tribus versibus subsequentibus ostenduntur. *Sedes iniquitatis.* CASS. Est possessio mundi, cum amore, quæ non hæret Deo, qui suos præcipit hæc fugere. *Qui fingis.* AUG. Ex hoc intelligo, quod non hæret tibi iniquus, etc., usque ad et ille dolor est præceptum; sed alter est informis. *Dolorem,* id est, de dolore vel labore præceptum, etc., usque ad et tunc surgit fluctus, in quo excitatur.

§93.22 *Et factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in adiutorium spei meæ.* ID. Quare? quia si non periclitareris, non quæres refugium: pungeris dolore, ut quæras remedium; recedit spes sæculi et venit spes Dei.

**94.1 *Laus.* CAS. Devotionem. *Cantus* hilaritarem significat. *Venite, exsultemus.* THEOD. Josias rex admodum pius fuit, etc., usque ad formatus est vero psalmus ex persona Josiæ, et Dei sacerdotum. CASS. De tempore gratiæ, quo intratur in requiem, propheta laudes Dei describens, primo invitat Judæos, quos prævidebat posse resistere Christo.

††94.2 *Faciem ejus,* etc. AUG., CASS. Conspectum venturi judicis, ne quid tunc in nobis sit discutiendum. *In confessione.* AUG. Illum laudantes, nos accusantes, etc., usque ad de qua laude psalmus agit. *In psalmis jubilemus.* Quæ dicimus in psalmis, vel facimus, sentiamus in jubilatione.

‡‡94.3 *Super omnes deos.* Vel magis deos homines dicit, super quos rex est, non super dæmonia.

¶¶94.4 *Quia in manu ejus,* etc. CASS. Post magnitudinem Domini prædictam, venit ad clementiam.

§§94.5 *Mare.* AUG. Mundus, cujus fluctus termino arctat Deus, non permittens nos tentari supra id quod possumus I Cor. 10.; qui fluctus etiam proventum nobis faciunt, Deo id agente, nec scandala tibi nocent, quæ mensuram a Deo accipiunt.

⁶ Venite, adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum qui fecit nos:*

⁷ quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.†

⁸ Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra‡

⁹ sicut in irritatione, secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri: probaverunt me, et viderunt opera mea.¶

¹⁰ Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi: Semper hi errant corde.§

¹¹ Et isti non cognoverunt vias meas: ut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.]

95 Canticum ipsi David, quando domus ædificabatur post captivitatem. [Cantate Domino canticum novum; cantate Domino omnis terra.**

² Cantate Domino, et benedicite nomini ejus; annuntiate de die in diem salutare ejus.††

³ Annuntiate inter gentes gloriam ejus; in omnibus populis mirabilia ejus.‡‡

⁴ Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.¶¶

⁵ Quoniam omnes dii gentium dæmonia; Dominus autem cælos fecit.§§

*94.6 *Venite, adoremus.* CASS. Prius rudes vocavit ad exultationem: jam ostensa gloria Dei, vocat ad pœnitentiam, quod durius est. *Ploremus.* AUG. Si forte de peccatis, quæ vos longe fecerunt, solliciti estis, plorate: lacryma exstinguit flammam peccati, quæ in conscientia ardet. *Qui fecit nos.* Ecce magna fiducia: a te enim deficere potes, tu te reficere non potes, ille reficit qui te fecit.

†94.7 *Et nos populus,* etc. AUG. Eleganter ordo verborum mutatus: Non dixit oves pascuæ et populum manus ejus, ut ipsos intelligas oves, qui sunt populus, oves manus, non quas eminus, quia sunt, et oves quas non fecimus, sed ipse gratia sua nos oves fecit.

‡94.8 *Hodie si vocem,* etc. CASS. Nos autem populus et oves. Sed his omnibus proponitur conditio, *si vocem ejus audieritis,* quam vocem subdit, *Hodie. Nolite obdurare.* ID. Jam ipse Christus monet, ne obdurentur, ne contingat eis, ut patribus.

¶94.9 *Sicut in irritatione.* ID. Majestas Christi loquentis, etc., usque ad culpa parentum repetitur, ut vindicta timeatur.

§94.10 *Quadraginta annis.* AUG. Per quadraginta annos omnia sæcula significat, etc., usque ad sicut ipse ait: *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

**95.1 *Psalmus David.* CASS. In Veteri Testamento legitur, etc., usque ad non illa actuali agit hic psalmus. *Cantate Domino.* ID. Præmonuit Judæos in præcedenti psalmo ut, deposita duritia, Christum crederent; sed quia erat mansura, nunc omnes gentes monet. Secundus psalmus de utroque adventu. Primum ad prælatos loquitur, ut ipsi cantent et annuntient. *Canticum novum.* AUG. *Vetus* cantat cupiditas, etc., usque ad quisquis intraverit, foris est.

††95.2 *Domino et benedicite.* HIER., CASS. Ter Domino, ad distinguendam personarum trinitatem; quia laus Christi honor est Trinitatis. Et est figura epimone, id est, crebra repetitio sententiæ, quæ exaggerat in laudem vel vituperationem.

‡‡95.3 *Annuntiate.* Ad prælatos loquitur, annuntiate, quia sic crescit ædificatio domus. *De die in diem.* CASS. Vetus et Novum Testamentum dies sunt, qui æterno sole clarescunt, illud prænuntiat, hoc factum indicat. HIER. Annuntiat ergo de die in diem, etc., usque ad quibus affectuum nostrorum pedes a vitiorum spinis muniuntur.

¶¶95.4 *Magnus Dominus.* AUG. Parvulus factus, quia vos parvi, intelligite magnum, et eritis in illo magni.

§§95.5 *Cælos fecit.* ID. Apostolos et angelos, unde si cælos fecit et angelos, tunc et apostolos, qui dæmonibus imperant.

- ⁶ Confessio et pulchritudo in conspectu ejus; sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.*
- ⁷ Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem;†
- ⁸ afferte Domino gloriam nomini ejus. Tollite hostias, et introite in atria ejus;
- ⁹ adorete Dominum in atrio sancto ejus. Commoveatur a facie ejus universa terra;‡
- ¹⁰ dicite in gentibus, quia Dominus regnavit. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur; judicabit populos in æquitate.§
- ¹¹ Lætentur cæli, et exsulet terra; commoveatur mare et plenitudo ejus;
- ¹² gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt. Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum§
- ¹³ a facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua.¶**

*95.6 *In conspectu*. Tales enim, confitentes scilicet et justii, ipsum conspiciunt, et conspiciuntur ab eo. *Sanctimonia et magnificentia*. AUG. Quasi diceret: Qui vult esse magnificus et potens, ut sunt angeli, prius sit sanctus, quod fit ex eo sanctificante: non enim per te potes esse sanctus. Eo ergo sanctificante, aliquis fit sanctus, et ita magnificus.

†95.7 *Afferte Domino patriæ*. CASS. Secunda pars, ubi ad subditos loquitur, etc., usque ad ut nullus excipiat, indigena, vel peregrinus. *Gloriam*. ID. Quoniam bene conversatur homo, in quo glorificatur Deus. *Honorem*. Cum de bonis gratia referatur, unde, *Non est inventus qui daret honorem Deo, nisi hic alienigena. In atria*. ID. *Atria*, prophetæ vel apostoli, quibus itur ad Dominum; de atriis, prophetis vel apostolis, venit in atrium catholicæ Ecclesiæ, ubi majestas adoratur. AUG. Vel, Introite in atrio, id est, in doctrinam prophetarum et apostolorum.

‡95.9 *Adorate Dominum in atrio*, etc. Id est, in Ecclesia catholica, vel per *atria*, prophetiam; per *atrium* Evangelium. *Commoveatur*. Omnibus admonitis moveri optat. Quasi diceret, introite et adorete vos, boni. *Terra autem*, etc. *Universa terra*. CASS. Non pars aliqua; ne quis ergo dicat: *Ecce hic Christus, ecce illic*, subdit, *Etenim correxit orbem terræ*, etc.

§95.10 *Dicite in gentibus*. ID. Quod regnavit et correxit, et judicavit. *Regnavit*. Alia littera: *Regnavit a ligno* Matth. 13.. AUG. Crucis, quo transit homo *mare*, et fit *orbis* qui non movetur. *Populos in æquitate*, etc. Alii addunt, *Et gentes in ira tua*. CASS. Populos ergo, id est, bonos judicabit in æquitate, gentes vero, id est, malos in ira sua.

§95.12 *Tunc exsultabunt*. CASS., HIERON. *Tunc*, quando corriget, etc., usque ad quoniam venit, id est, veniet judicare terram. *Quoniam venit*. AUG. Primo venit in Ecclesia, in nubibus, id est, apostolis, et implevit totum orbem; unde: *Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus* Matth. 26.: cui adventui qui credit, exsultabit in ultimo adventu.

**95.13 *Judicabit orbem*. CASS. Omnem hominem generaliter includit, secundum æquitatem Dei judicandum. Sed quomodo judicetur exponit, dicendo, *populos in veritate*, quia in separatione duo erunt populi, quibus dabit sententiam veritatis, ut alii in vitam, alii in pœnas eant. AUG. *Orbem* dicit omnes filios Adam, etc., usque ad meridiem.

96 Huic David, quando terra ejus restituta est. [Dominus regnavit: exsultet terra; lætentur insulæ multæ.††

² Nubes et caligo in circuitu ejus; justitia et judicium correctio sedis ejus.‡‡

³ Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.¶¶

⁴ Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ; vidit, et commota est terra. §§

⁵ Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini; a facie Domini omnis terra. *

⁶ Annuntiaverunt cæli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus.

⁷ Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis.
Adorate eum omnes angeli ejus.†

⁸ Audivit, et lætata est Sion, et exsultaverunt filiæ Judæe propter judicia tua, Domine.‡

⁹ Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram; nimis exaltatus es super omnes deos.¶

††96.1 *Psalmus ipsi David.* Ad litteram illud tangit hic, quod mortuo Absalom, iniquo filio David, qui vivens patrem persequebatur, David restituta est terra, et in pace regnavit, de quo hic non agitur, sed potius de significato. AUG. David Christum significat, quem iniqui filii, id est, Judæi, crucifixerunt, atque regnum abjuraverunt ei. Sed *restituta est terra ei*, quando Judæa, quæ crucifixerat, credidit: et apostoli, qui titubaverant, sunt confirmati: sed et aliæ oves de gentibus sunt adductæ. Vel, *restituta est terra*, cum caro ejus resurrexit, postquam resurrectionem hæc omnia quæ hic cantantur, facta sunt. AUG. Prævidentes in spiritu hæc, gavisus sunt prophetæ, etc., usque ad palato namque fidei dulce sapit mel divinæ promissionis. CASS. Quartus psalmus de primo adventu, quo mundus liberatus est. Describit primo virtutes Domini, ostendit omnia restituta ei, et arguit idololatrias. *Dominus regnavit.* CASS. Videns propheta superstitiones mundi abundare ante Christi resurrectionem, opponit: *Dominus regnavit.* AUG. Quis ergo alter colendus est? quasi, nullus; inde: *Exsultet terra.* Quid remanet idolis? Quasi nihil. *Insulæ.* Totius mundi Ecclesiæ. *Multæ.* Non omnes, propter hæreticorum conventus. CASS. Inde qualis sit Dominus primo adventu dicit.

‡‡96.2 *Nubes et caligo.* Impiis, qui cæci sunt, nubilosus et caliginosus, quibus nulla claritate splendet; sed bonis, *Justitia et judicium.* Qui correcti sunt sedes ejus. Ante adventum ejus *ignis præcedet*, quia impii pro prædicatione prophetarum ira succensi, de nece eorum tractaverunt, et ad indignationem inflammati in circuitu, quia multi, cum pauci essent prædicatores.

¶¶96.3 *Ignis ante ipsum præcedet*, etc. AUG. Quasi correcti sunt sedes Dei, etc., usque ad si mali sunt, ad consumptionem; si boni, ad reparationem.

§§96.4 *Illuxerunt fulgura.* ID. Nubes viluerunt forma humana, sed fulgor mirandus in verbis vel factis eorum apparuit, et inde mota est terra.

*96.5 *Fluxerunt.* ID. Etsi non modo credit paganus, tamen victus est.

†96.7 *Confundantur.* Hoc jam factum est. AUG. Cessat enim jam idololatria. Et erubescant qui adorant lapides, quia mortui.

*96.8 *Adorate.* ID. Cessat ergo adoratio angelorum, sed adorant. Ipsi mali angeli volunt adorari, boni adorant, nec se permittunt adorari. Vel saltem hoc exemplo idololatriæ cessent. *Audivit et lætata.* CASS. Secundo post restorationem terræ omnimoda exsultatio, etc., usque ad ut de Cornelio fratres gavisus sunt quem Petrus baptizavit. *Et exsultaverunt.* AUG. Audierunt apostoli, qui erant in Judæa fratres, quia gentes receperunt verbum Dei, et lætati sunt et magnificabant Deum.

¶96.9 *Terram... deos.* ID. Per *terram* et *deos*, peccatores et justos accipe. Vel, terrenis et cœlestibus significat eum imperare.

¹⁰ Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum; de manu peccatoris liberabit eos.[§]

¹¹ Lux orta est justo, et rectis corde lætitia.

¹² Lætamini, justi, in Domino, et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.]

97 Psalmus ipsi David. [Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.**

² Notum fecit Dominus salutare suum; in conspectu gentium revelavit justitiam suam.^{††}

³ Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israël. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.^{‡‡}

⁴ Jubilate Deo, omnis terra; cantate, et exsultate, et psallite.^{¶¶}

⁵ Psallite Domino in cithara; in cithara et voce psalmi;^{§§}

⁶ in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ. Jubilate in conspectu regis Domini:*

⁷ moveatur mare, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et qui habitant in eo.[†]

⁸ Flumina plaudent manu; simul montes exsultabunt

⁹ a conspectu Domini: quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate.]^{‡‡}

§96.10 *Custodit Dominus.* AUG. Si cum cœperis odisse malignum, subsequantur persecutiones, ne timeas, quia custodit Dominus animas sanctorum suorum, de quibus tollendis est ultimum genus persecutionis.

**97.1 *Psalmus David.* CASS. Tertius psalmus eorum qui de utroque adventu agunt: in quibus est causa spei per misericordiam primi adventus, et timoris per judicium secundi: hæc, etsi sæpe iterentur, tamen semper nova pro verborum et sententiarum varia descriptione. *Cantate Domino.* CASS. Primo ait de ostensione salvatricis dexteræ. *Salvavit.* AUG. Majus est quod totum orbem a morte æterna erexit, quam quod mortuos suscitavit. *Sibi.* Multi salvantur corporaliter, sed sibi, non ei: qui accepta corporali sanitate lasciviunt, sed qui per fidem intus sanantur, ei sanantur, vel se salvant.

††97.2 *Salutare... justitiam.* AUG. Qui salvat et justificat. *Revelavit.* Futura sub velamine prædixerunt prophetæ: sed velamen ablatum est, cum *veritas de terra orta est.*

‡‡97.3 *Misericordiæ et veritatis.* AUG. *Misericordia* est quo promisit, hanc sequitur *veritas*, quia reddidit. Sed cui? *Israëli*, id est, qui modo per fidem videt veritatem, post per speciem.

¶¶97.4 *Omnes.* ID. Quia non quibusdam tantum datus est Christus.

§§97.5 *Jubilate.* CASS. Secundo dicit omnibus modis laudandum esse et annuntian- dum, quia venit iudex.

*97.6 *In tubis ductilibus et voce tubæ corneæ.* AUG. Æris, quæ tundendo producuntur, etc., usque ad ut cornu carni hæret, et eam superat. HIERON. In tubis ductilibus, argenteis, more Judæorum. Mystice, productis sub malleo universæ terræ, id est diabolo. AUG. Tribulatio, tunsio est; profectus, productio: talis tuba erat Job, unde quasi tuba insonuit, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit.*

†97.7 *Moveatur.* ID. Id est, indulcetur mare legis, ligno crucis in eo posito. *Et plenitudo ejus.* Universa legis sacramenta, etc., usque ad sed *flumina*, etc. *Terram.* CASS. Id est, omnem peccatorem.

‡97.9 *Orbem terrarum.* Omnes terrenos. *In justitia.* AUG. Quia non meruerunt misericordiam. *Populos.* CASS. Fideles de Judæis et gentibus, qui capient æqua meritis.

98 Psalmus ipsi David. [Dominus regnavit: irascantur populi; qui sedet super cherubim: moveatur terra.[¶]

² Dominus in Sion magnus, et excelsus super omnes populos.[§]

³ Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est,^{**}

⁴ et honor regis iudicium diligit. Tu parasti directiones; iudicium et justitiam in Jacob tu fecisti.^{††}

⁵ Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.^{‡‡}

⁶ Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus: invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos;^{¶¶}

⁷ in columna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia ejus, et præceptum quod dedit illis.^{§§}

[¶]98.1 *Psalmus David.* AUG. Propheta describit Christum regem bona dantem, etc., usque ad sed velamen ablatum est, cum *veritas de terra orta est, et justitia de caelo prospexit* Psal. 48.. *Dominus regnavit* CASS. De potentia et regno Christi, ut in homine adoretur. Ostendit Christum regnantem, et quicumque repugnet altum super omnes, unde ei cedere monet. *Irascantur populi.* CASS. Irrisio. Secure concedi potest, ut irascantur, quia non sunt ultra nocituri: permittendo dicit, non imperando. *Sedet super cherubim.* ID. Contra eum nihil potest terra, etsi ipse fuit in terra ubi passus est iram populi. *Cherubim.* AUG. *Plenitudo scientiæ* interpretatur, quæ est charitas. Plenitudo scientiæ legis, quæ est sedes Dei, erit et in te, si charitatem habueris, contra quam nihil possunt irati. Quid enim terra contra coelum?

[§]98.2 *Dominus in Sion.* ID. Si non intelligis quid est *super Cherubim*, hoc vide, quia *in Sion magnus.* Sion est anima quæ Deum speculatur. *In Sion magnus.* CASS. Quis Dominus, exponit: *In Sion* natus. *Magnus*, ne pro passione vilescat. Vel, tamen Dominus magnus in Sion Judæorum, et super populos gentium.

^{**}98.3 *Magno.* AUG. Parvum erat quando irascebantur, id est, paucis diffamatum, sed jam in omni terra dilatatum. *Terribile.* ID. Quia etsi crucifixus prædicatur, iudex venturus, et non errabit in iudicio. *Et honor regis.* CASS. Exponit quomodo debent confiteri. *Honor regis*, est gloriosa prædicatio, *iudicium* discretionem exigit; non levi voluntate colendus est, sed fixa deliberatione, quod ab ipso est; unde subdit: *Tu parasti directiones.* Vel *honor regis* est damnatio nocentium, unde regis gloria augetur.

^{††}98.4 *In Jacob.* AUG. Non solum patriarcha, sed populo, quem significat. *Tu fecisti.* Hæc, quæ alius non posset.

^{‡‡}98.5 *Exaltate.* CASS. Secunda pars monet adorare eum, quia patres ejus *fuereunt.* Quasi, quia hæc facit nobis, ergo *Exaltate.* *Scabellum.* AUG. *Terra scabellum vedum ejus* dicit Scriptura, etc., usque ad in cujus honore scabellum adorat. *Pedum.* CASS. *Pedes*, indefecta stabilitas deitatis. *Sanctum.* Ut discernas corpus a deitate, etsi una persona.

^{¶¶}98.6 *Moyses.* CASS. Sacerdos, quia si non hostias, populi vota obtulit, et pro populo supplicavit.

^{§§}98.7 *Columna.* CASS. Fortitudo et decor domus. In hac specie loquebatur, quæ nuntiabat Ecclesiam, vel carnem, sed tunc in nube, modo aperte per Filium: *Nubis loquebatur ad eos.* ID. Ad eos ergo tunc in nube, qui jam nobis loquitur in scabello, id est, in carne assumpta aperte. *Testimonia ejus et præcepta.* ID. Testimonium est per signa aliqua præcedentis rei posita significatio: unde sæpe in lege dicitur: *Hoc erit vobis in testimonium.* Præcepta sunt sicut præcepta legis per Moysen data.

⁸ Domine Deus noster, tu exaudiebas eos; Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.*

⁹ Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus, quoniam sanctus Dominus Deus noster.]

99 Psalmus in confessione.†

² [Jubilate Deo, omnis terra; servite Domino in lætitia. Introite in conspectu ejus in exultatione.‡

³ Scitote quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, et non ipsi nos: populus ejus, et oves pascuæ ejus.

⁴ Introite portas ejus in confessione; atria ejus in hymnis: confitemini illi. Laudate nomen ejus,

⁵ quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus, et usque in generationem et generationem veritas ejus.]

100 Psalmus ipsi David. [Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine; psallam,¶

*98.8 *Propitius fuisti eis.* AUG. Non dicitur nisi peccatis, propitius ignoscendo, propitius et ulciscendo, ecce etsi tanti essent isti, aliquid tamen habebant peccati; unde addit, *in omnes adinventiones. Ulciscens.* Ne humana elatio subriperet; unde: Datus est mihi stimulus carnis meæ II Cor. 12. *Adinventiones.* Alias affectiones. AUG. Quas solus Deus noverat in cordibus eorum; unde pœna eis pati eos cum quibus erant, pro quorum peccatis quasi suis dolebant per charitatem. Non enim fuit, ut a plerisque putatur, Moysi pœna non intrare in terram promissionis in quam et miseri intraverunt; sed figura, quod qui sub lege essent, et sub gratia esse nollent, non intrarent in requiem.

†99.1 *Psalmus in confessione.* Confessio gemina est; una est laudis, altera peccatorum. Confessio laudis convenit perfectis, confessio peccatorum incipientibus; unde in hoc psalmo propheta monet ad confessionem. CASS. Docet hic psalmus, et Deum incessanter laudare, et peccata nostra incessanter plangere: quia nec in malis est desperandum, nec in bonis debet animus esse elevatus. Primo perfectis præcipuum genus confessionis, id est laudem, indicit. *Jubilate.* AUG. Si vox jubilat exterior, etc., usque ad et quo ordine et quam mirifice fecit. *Omnis terra.* Ad laudem monens. Non unum angulum terræ hortatur: sed sicut ubique novit seminatum benedictionem, ita undique exigit jubilationem. *Servite in lætitia.* AUG. Hæc servitus non est amaritudinis, nec indignationis, sed felicitatis et libertatis. Servum ergo te faciat charitas, quia liberum te fecit veritas. Unde Dominus: *Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei eritis: et cognoscetis veritatem, et veritas vos liberabit* Joan. 8.. *In lætitia.* Quia liberati; non murmurantes, ut in deserto: unde præmium subdit.

‡99.2 *Introite in conspectu.* Magnum est in conspectu tanti gaudere. *Introite.* CASS. Secundo intraturis secundum genus confessionis; nec dubitetur, quia misericordia est ei.

¶100.1 *Psalmus ipsi David.* CASS. Psalmus iste continet formam perfectæ sanctitatis, ut centesimus numerus perfectus est. *Ipsi David.* Ut totum quod hic docetur, virtutibus Christi applicetur, nihil terreno regi. Hic docemur bona appetere, mala renuere, quæ est perfecta conversatio vitæ. *Misericordiam et iudicium cantabo.* CASS. Cantat hic Christus, et nos in illo. Prius de misericordia et iudicio proponit. *Misericordiam et iudicium cantabo.* Hæc duo mutua societate junguntur: in his breviter omnia opera Dei includit. Et hic est præmissa causa quare sic se habet, sicut postea subdit. AUG. Nemo de misericordia præsumat ad impunitatem, quia est ei iudicium; nemo immutatus in melius iudicium timeat, quia præcedit misericordia. Semper hæc simul in eo sunt: sed per tempora secundum effectus distinguuntur, misericordia nunc, iudicium in futuro.

- ² et intelligam in via immaculata: quando venies ad me? Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.[§]
- ³ Non proponebam ante oculos meos rem injustam; facientes prævaricationes odivi; non adhæsit mihi^{**}
- ⁴ cor pravum; declinantem a me malignum non cognoscebam.^{††}
- ⁵ Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequer: superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam.^{‡‡}
- ⁶ Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum; ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.^{¶¶}
- ⁷ Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam; qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.^{§§}

§100.2 *Psallam et intelligam*. ID. Hoc dat psallere, ut intelligam mente, quod oculis non patet, id est, credam quod Dominus veniet, quem iste tantum desiderat, qui veniet in via immaculata. CASS. Quia mundum transivit sine peccato; vel, ego psallam et intelligam existens in via immaculata, quando, etc. Vel, *psallam*, hilariter operabor, et per hoc intelligam. *Quando venies ad me*. In secundo adventu, vel obitu cujusque. Vel, *quando venies ad me*, per carnem in primo adventu, quia in via immaculata. *Perambulabam*. CASS. Secundo, quæ sit via immaculata exponit. AUG. *Perambulabam*. Quæ est via immaculata? Ea ab innocentia incipit, et in illa consummatur; et non est opus multis verbis: Innocens esto, et perfecisti justitiam. Sed duobus modis nocet homo, videlicet si facit miserum, et si deserit miserum. Innocens est qui nec sibi nec alii nocet. CASS. *Perambulabam*. Quasi dicat: Transitoria non quæsi, sed cucurri viam mundi, existens in medio domus tuæ. Innocentia hoc potest, ut faciat habitare in medio domus Dei, quasi honorabile exemplum aliorum.

**100.3 *Non proponebam*. CASS. Innocentiam per partes exponit. Primo, quia nihil habet cum malis, dicit: *Non proponebam*, usque, *oculi mei*. Post quod pars ei cum justis, et quod versutias diaboli de corde fugat, ibi, *in matutinis*. AUG. *Non proponebam*. Quasi: *Perambulabam in innocentia*: hac utique dicit totus Christus, quod *non proponebam*, id est, non diligebam rem injustam.

††100.4 *Non adhæsit*. CASS. Exponit prævaricationes. *Cor pravum*, qui prævaricatur corde; declinantem, hæreticum qui a catholicis dissentit: et qui a rectis semitis deviat non agnoscebam, quia etsi signati nobiscum sacramentis, non tamen veri sunt.

‡‡100.5 *Superbo*. AUG. Et Jesus convivatus, etc., usque ad unde: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* Matth. 8..

¶¶100.6 *Oculi mei*. Hic alteram partem innocentiae exsequitur, scilicet, quod cum justis habet partem. Quasi dicat: Cum talibus non edebas, unde ergo pascebaris? *Terræ*. AUG. Degentes in terra, ubi tot illecebræ, unde major corona. Vel CASS. qui per totum mundum sunt. *Ut sedeant mecum*. AUG. In veritate fidei mecum permaneant, vel participant mecum regno æterno, vel iudicent mecum.

§§100.7 *Non habitabit in medio domus meæ*. CASS. Id est, Ecclesiæ. Etsi aliquandiu toleretur gratia correctionis, non præeminet meritis, nihil potest; non est in populo meo granum, sed palea. *Non habitabit*, hoc maxime convenit sacerdotibus, ut pravis non cohabitent.

⁸In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.]*

101 Oratio pauperis, cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam.†

²[Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.‡

³Non avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam; in quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.

⁴Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt.¶

⁵Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.§

⁶A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.**

⁷Similis factus sum pellicano solitudinis; factus sum sicut nycticorax in domicilio.††

⁸Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

*100.8 *In matutino*. CASS. Tertia pars, ubi ostendit quis finis sit malorum. Et loquitur hic Christus. *In matutino*. Post vitatos malos, justus ad se reversus, addit quod suggestiones dæmonum de corde expulit *in matutino*, id est, quando in initio tentationis, quasi in crepusculo incipiunt apparere. *Interficiebam*. Oratione, qua debent ejici, ne crescant. *Peccatores*. Dæmones, qui omnem carnem faciunt peccare. *Civitate Domini*. Anima justī, unde diabolus dispergitur et removetur. *Omnes operantes iniquitatem*. Id est, submissiones vel immissiones diaboli. AUG. Jam enumeravit quod ei non adhæserunt nisi boni, etc., usque ad hoc et justo convenit, qui prævidet hoc futurum, et ideo se sic habet.

†101.1 *Oratio pauperis*. AUG. Secundum formam servi, etc., usque ad sponsus propter caput, sponsa propter corpus. Christus pauper in nobis, et nobiscum, et propter nos, hic orat in persona poenitentis, suam dejectionem, et dejectionis causam recognoscentis, et a peccatis liberari atque in pristinum statum restitui petentis. Monet ergo suam advertere miseriam, et Dei petere misericordiam.

‡101.2 *Domine, exaudi orationem meam*. CASS. Quintus psalmus poenitentiae; quartus qui oratio dicitur. Prima pars, captatio deprecativa. *Et clamor*. Oratio crevit in clamorem. *Veniat*, non obstent nubes, quæ iniquis. ID. Epimone per tres versus, id est crebra repetitio sententiæ.

¶101.4 *Quia defecerunt*. CASS. Secunda pars, in qua est flebilis oratio; in qua exponitur, quæ paupertas, quæ tribulatio. Unde clamat, jam aperit. *Quia defecerunt. Defecerunt sicut fumus dies mei*. AUG. Elato enim Adam dies deficiunt, virtus animi contrahitur. Miseria pium judicem movere potest. *Ossa mea sicut cremium aruerunt*. Fortes, quorum frixorium sunt, qui scandalizantur, etc., usque ad jam enim frigitur homo, dum timet se arsurum.

§101.5 *Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum*. ID. Mortalis factus. *Fœnum* viret, sed percussus facile sentit injuriam: sic caro hominis in lege Dei virens, ab eadem succisa arescit.

**101.6 *A voce gemitus*. CASS. Natura peccantium ostenditur, quia dum peccatum appetitur, contemplatio Dei non habetur. *Mei*. AUG. Non illorum qui de terrenis, et non de spiritualibus gemunt, etc., *usque ad infirmorum portare*.

††101.7 *Pellicano*, etc. AUG. Tres aves, tria loca ponit, etc., usque ad qui si non inter homines, extra est in alto, dicens eis, qui in nocte dormiunt. Vel, passer sagax ad alta virtutum fugit, ubi tutus a laqueis. Qui solitarius vel unicus, propter charitatem quem ex multis unum facit est in tecto, vel ædificio propter altitudinem fidei, ut non descendat aliquid tollere de domo, id est carne. *Domicilio*. ID. Vel parietinis, quæ vulgo dicuntur ruinæ, ubi parietes stant sine tecto, ubi habitat nycticorax avis, quæ noctem amat.

- ⁹ Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me adversum me jurabant:^{‡‡}
- ¹⁰ quia cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscabam,^{¶¶}
- ¹¹ a facie iræ et indignationis tuæ: quia elevans allisisti me.^{§§}
- ¹² Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui.*
- ¹³ Tu autem, Domine, in æternum permanes, et memoriale tuum in generationem et generationem.[†]
- ¹⁴ Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus:[‡]
- ¹⁵ quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et terræ ejus miserebuntur.[¶]
- ¹⁶ Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam:
- ¹⁷ quia ædificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua.[§]
- ¹⁸ Respexit in orationem humilium et non sprevit precem eorum.**
- ¹⁹ Scribantur hæc in generatione altera, et populus qui creabitur laudabit Dominum.^{††}
- ²⁰ Quia prospexit de excelso sancto suo; Dominus de cælo in terram aspexit:^{‡‡}

^{‡‡}101.9 *Tota die.* CASS. Vel, in persona justi totum accipi potest. Quasi dicat, etc., usque ad vel, in dejectione reficiebar, adeo placebat mihi.

^{¶¶}101.10 *Cinerem.* AUG. Per cinerem et fletum pœnitentes significantur. Cinis enim et cilicium sunt arma pœnitentium. *Potum.* CASS. Temporalem jucunditatem. Vel desiderium patriæ pro dilatione lacrymis miscui; vel potum Scripturarum, quæ antiqua recolunt.

^{§§}101.11 *A facie iræ.* CASS. Ira, ultio; indignatio, motio animi, qua indignamur etiam filiis. Ira dicitur impetus in puniendos, quæ in Deum non cadunt. Sed est antropopathos. *Iræ.* Unde et Dominus ait: *Ira Dei manet super eos qui non credunt* Joan. 3.. Non ait, veniet; sed *manet*, quia non tollitur, in qua natus est.

*101.12 *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Quia ego a vero die declinavi, similes mihi sunt declinantes dies mei.

[†]101.13 *Tu autem,* etc. CASS. Tertia pars, ubi ostenditur certitudo impetrandi veniam. Jam consurgit lapsus ad prophetandum, jam pœnitens caput relevat. AUG. Memoriale promissum memorabile, de te reparatio nostra, quia tu nostri, vel nos memores tui.

[‡]101.14 *Venit tempus.* AUG. Quia omnia ordine voluit Deus fieri, et tempus ad hoc disposuit, ubi opportunitas apte ordinata est.

[¶]101.15 *Lapides ejus.* AUG. Sunt lapides in Sion, etc., usque ad inde est quod misso Spiritu sancto multi eorum crediderunt qui Dominum crucifixerunt.

[§]101.17 *In gloria.* AUG. Qui primo visus est in infirmitate in illa Sion; unde: *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem* Isa. 53..

**101.18 *Orationem.* Hoc agitur in ædificatione Sion: orant, gemunt ædificantes, qui sunt unus pauper, et pauperes multi; unde in titulo singulariter, hic pluraliter. Sed unus dicitur propter veritatem pacis Ecclesiæ, multi propter latitudinem.

^{††}101.19 *Scribantur hæc.* CASS. Qui supra pœnitentia sordebat, jam honore prophetæ decoratus, præcipit hæc quæ dixit testimonio Scripturæ firmari, ut ætas futura discat. *In generatione.* AUG. Hæc quando scribebantur, non sic proderant generationi Veteris Testamenti; prosunt alteri, id est novæ.

^{‡‡}101.20 *Quia prospexit,* etc. AUG. Post gemitus dolentis, jam sunt verba consolationum, jam gaudet pauper. Et quia supra dixit: *Ædificavit Dominus Sion;* et item: *Scribantur hæc;* modo utrumque declarat; quasi hoc est quod dixit scribendum, *quia prospexit. Prospexit.* Ut præterita dicit, quæ erant futura.

- 21 ut audiret gemitus compeditorum; ut solveret filios interemptorum:^{¶¶}
 22 ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem:
 23 in conveniendo populos in unum, et reges, ut serviant Domino.^{§§}
 24 Respondit ei in via virtutis suæ: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi:^{*}
 25 ne revoces me in dimidio dierum meorum, in generationem et generationem anni tui.[†]
 26 Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli.[‡]
 27 Ipsi peribunt, tu autem permanes; et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur;[¶]
 28 tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.[§]
 29 Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum in sæculum dirigetur.]^{**}

^{¶¶}101.21 *Compeditorum*. AUG. Timor Dei, compedes sunt, etc., usque ad et solutis vertuntur in gloriam. CASS. Compediti, sancti, etc., usque ad unde in generalem Ecclesiam concurret sermo eorum. *Ut solveret filios*. AUG. Nos autem sumus filii illorum mortificatorum, qui solvimur a nodis peccatorum, et vinculis cupiditatum.

^{§§}101.23 *Respondit ei in via virtutis suæ*. CASS. Quarta pars, ubi, post certitudinem veniæ, dicit quod de sua brevitate ad æternitatem transeat. AUG. *Respondit*. Quia: Dico, ut annuntiem nomen Domini et laudem ejus in Jerusalem, etc., usque ad non contemnit, sed fructum reddit. *Respondit ei*. Id est, credit resurrexisse Christum. Sed quia prævidet quosdam dicturos, fuit quidem quondam Ecclesia congregans omnes in unum, sed jam desinit. *Paucitatem*, inquit, *dierum meorum*: non æternitatem illorum, ubi ero, sed temporales dies, quandiu ero in hoc sæculo. *Nuntia mihi*. Propter illos qui dicunt, jam non esse Ecclesiam. Non vacat vox ista, non est inanis petitio. Ipsa enim via, id est Christus, sic annuntiavit: *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* Matth. 28.. Totum tempus usque ad finem, est illa exiguitas dierum: quia omne quod finitur exiguum est, ut inde transeat in æternitatem. *Nuntia et*:

^{*}101.24 *Ne revoces me in dimidio dierum meorum*. Non sic fiat, ut hæretici dicunt, etc., usque ad sed non sunt nisi dimidii, si non addantur æterni.

[†]101.25 *In via virtutis*. AUG. In fide, qua resurrexisse credit Christum. Via virtutis fuit Christus post resurrectionem, cum jam non infirmus, sed fortis, in cælo vocat Ecclesiam. Laus fidei est, non quia credit mortuum, quod et paganus credit, sed glorificatum. Vel, breviter diffinitur religio Christiana, cum dicitur *via virtutis*. Vel, in generatione generationum. Est generatio generationum, quæ non transit, collecta de omnibus, id est sancti. In illa erunt anni Domini, qui non transeunt, id est æternitas Dei, quæ est ipsa substantia Dei, nihil habens mutabile.

[‡]101.26 *Initio tu, Domine*. Quasi, ne revoces, quia ad æternitatem tendo, quam exponit, dicens: *Initio tu, Domine, terram fundasti*.

[¶]101.27 *Ipsi peribunt*. AUG. Ipsi cæli peribunt, de proximis terræ hoc constat; unde et Petrus: *Terra autem et cæli qui nunc sunt, eodem verbo repositi sunt, igni reser-vati* II Petr. 3.. De superioribus non est certum, sed si manent, non in se, sed in Deo manent.

[§]101.28 *Et sicut opertorium mutabis eos*. Cælos accipe, qui omnia operiunt, qui etiam mutabuntur. *Et anni tui non deficient*. AUG. Qui erunt in generatione generationum. Sed an ibi esse poterimus? Utique, quia *filii servorum tuorum habitabunt*.

^{**}101.29 *Filii servorum*. AUG. Ut filii intraverunt terram promissionis, etc., usque ad cum omni novitate filiorum. *Filii*. Hilaris conclusio. Filii prophetarum et apostolorum, nedum ipsi. *Semen*. Opera, unde fructus æternus. *Dirigetur*. Quia nihil tortum intrat.

102 Ipsi David. [Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.

² Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.^{††}

³ Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas:^{‡‡}

⁴ qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in misericordia et miserationibus:^{¶¶}

⁵ qui replet in bonis desiderium tuum; renovabitur ut aquilæ juvenus tua:^{§§}

⁶ faciens misericordias Dominus, et iudicium omnibus injuriam patientibus.*

⁷ Notas fecit vias suas Moysi; filiis Israël voluntates suas.[†]

⁸ Miserator et misericors Dominus: longanimis, et multum misericors.

⁹ Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.

¹⁰ Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

¹¹ Quoniam secundum altitudinem cæli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se;[‡]

¹² quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.[¶]

^{††}102.2 **Benedic, anima.** AUG. Post preces pauperis præconia gaudentis. Omnes qui in Christo quasi unus homo sunt, qui excitat et hortatur animam suam, ut benedicat Dominum, volens diffinire cur benedicendus, ne quis ad hoc piger inveniat. Clama voce, si est homo qui audiat; sine voce, si non est qui audiat homo, quia audit Deus. CASS. Per sua beneficia hortatur benedicere Deum. AUG. Propheta in persona generalis iusti loquens, secundum superiorem vim animæ, id est rationem, exhortatur animam ad benedicendum, dicens: **Noli oblivisci.** Non sit ante oculos delectatio peccati, sed damnatio et remissio Dei: cogita omnia mala tua, quia quot ea, tot bonæ retributiones Dei. **Retributiones.** Non tributiones. Tribuit homo mala pro bonis, et retribuit ei Deus bona pro malis. Tribuit, cum me fecit, retribuit cum justificat.

^{‡‡}102.3 **Qui propitiatur.** AUG. Hoc agit in baptismi sacramento. **Qui sanat omnes infirmitates tuas.** Hoc agit in vita fidelis hominis, dum concupiscit caro adversus spiritum, ut si quæ nolumus faciamus; qui languores vetustatis de die in diem crescente novitate sanantur ex fide, quæ per dilectionem operatur.

^{¶¶}102.4 **Qui redimit, de corruptione vitam tuam.** Hoc fit in ultima resurrectione mortuorum. **Qui coronat,** etc. Hoc fit iudicio, ubi cum rex sederit in throno, redditurus unicuique secundum opera ejus, quis gloriabitur se habere gloriosum cor et mundum a peccato? Ideo necessarium fuit commemorare illic misericordiam et miserationes, ubi viderentur sic reddi debita, ut nullus esset locus misericordiæ.

^{§§}102.5 **Ut aquilæ juvenus tua.** AUG. Similitudo tanta data est, etc., usque ad quibus vetustas clausit os, oblitis manducare panem nostrum.

*102.6 **Faciens.** AUG. Secunda pars, ubi monet benedicere per eas quæ antiquis facta sunt, et posteris fiunt. **Misericordias.** Quas consequentur, qui inimicos diligunt, etc., usque ad post **misericordiam** enim subdit de iudicio, dicens, **Et iudicium.**

[†]102.7 **Moysi.** AUG. Per Moysenomnes sanctos, etc., usque ad per quem legem dedit, ut abundaret delictum.

[‡]102.11 **Quoniam.** ID. Cælum undique circa terram unde etiam peccantibus lux, ær, spiritus, pluvia, unde fructus: sine cælo desinit terra, sic protectio Dei super timentes.

[¶]102.12 **Quantum distat,** etc. ID. Quando peccatum remittitur, occidunt peccata, gratia oritur, peccata in occasu, avertere ergo ab occasu peccatorum, et tende ad ortum gratiæ, et surgis.

- ¹³ Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.
- ¹⁴ Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum; recordatus est quoniam pulvis sumus.[§]
- ¹⁵ Homo, sicut fœnum dies ejus; tamquam flos agri, sic effloret:
- ¹⁶ quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum.^{**}
- ¹⁷ Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum. Et justitia illius in filios filiorum,^{††}
- ¹⁸ his qui servant testamentum ejus, et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.
- ¹⁹ Dominus in cœlo paravit sedem suam, et regnum ipsius omnibus dominabitur.^{‡‡}
- ²⁰ Benedicite Domino, omnes angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.
- ²¹ Benedicite Domino, omnes virtutes ejus; ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.^{¶¶}
- ²² Benedicite Domino, omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino.]

103 Ipsi David. [Benedic, anima mea, Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. Confessionem et decorem induisti,^{§§}

[§]102.14 *Recordatus est*, etc. ID. Vel secundum aliam litteram: **Memento, quoniam pulvis sumus**. Quasi diceret: *Cognovit figmentum*, id est infirmitatem nostram: quod figmentum conversus ad Deum dicit: **Memento quia pulvis sumus**, id est perseveret erga nos tua misericordia, ne obliviscamur gratiæ tuæ. Vel, *Homo sicut fœnum*, etc. Homo enim sicut *flos egreditur*, etc., *usque ad Misericordia Domini. Effloret* CASS. Id est, ad plus sic floret vel effloret, id est defloret. Et sic est intentivum, vel privativum.

^{**}102.16 *Quoniam spiritus pertransivit in illo. Et non subsistet*.

^{††}102.17 *Et justitia*. AUG. Misericordia et justitia retributio est. Dicit, *super filios filiorum*; multi justii non habent filios, nedum filios filiorum, sed *fili* sunt opera; *fili filiorum* merces operum.

^{‡‡}102.19 *Dominus in cœlo paravit sedem suam*. CASS. Prædicat iudicium futurum, ne peccantes insolescant; quasi, et debes esse memor ut facias quia Dominus in cœlo.

^{¶¶}102.21 *Benedicite Domino, omnes angeli ejus, potentes*. ID. Tertio monet cœlestes et omnes alias creaturas benedicere. *Benedicite Domino*, etc. Agratulando dicit, non imperando, vel monendo. *Ministri ejus*. AUG. Vos benedicite, etc., usque ad ut quod habet in ore ostendat in opere.

^{§§}103.1 *Psalmus David*. CASS. Item benedicere Deum monet, primo per cœlum et terram et ornatum eorum. AUG. Etsi vere hic omnia ad litteram possunt religiose accipi, etc., usque ad in omnibus spiritualis sensus quærendus est. **Benedic, anima mea, Domino**, etc., **magnificatus**. In notitia, qui semper magnus natura, qui non potes crescere vel minui, quia perfectus es; **Confessionem**, id est undique habes creaturas, quæ te confitentur, et quæ sunt decoræ et luminosæ. Vel, decor in essentia Dei, et lux undique. CASS. Vel incarnationem significat, per quam confessio et decus supernæ majestatis innotuit, et homines eum confessi sunt, qui sunt lumen cognitione. AUG. Confessionem induisti, id est Ecclesiam, etc., usque ad et vestis sine macula et ruga.

- ² amictus lumine sicut vestimento. Extendens cælum sicut pellem,*
³ qui tegis aquis superiora ejus: qui ponis nubem ascensum tuum; qui ambulas super pennas ventorum:†
⁴ qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem.‡
⁵ Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in sæculum sæculi.¶
⁶ Abyssus sicut vestimentum amictus ejus; super montes stabunt aquæ.
⁷ Ab increpatione tua fugient; a voce tonitru tui formidabunt.§
⁸ Ascendunt montes, et descendunt campi, in locum quem fundasti eis.**
⁹ Terminum posuisti quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.
¹⁰ Qui emittis fontes in convallibus; inter medium montium pertransibunt aquæ.††
¹¹ Potabunt omnes bestię agri; expectabunt onagri in siti sua.‡‡
¹² Super ea volucres cæli habitabunt; de medio petrarum dabunt voces.¶¶
¹³ Rigans montes de superioribus suis; de fructu operum tuorum satiabitur terra:§§

*103.2 *Extendens cælum sic.* CASS. Quæ confitentur? cælum, terra, mare, cum omni ornatu suo de quibus singulis subsequenter. AUG. *Extendens cælum sicut.* Ad litteram, cælum, quasi tectum, etc., usque ad post in fine ut liber Scriptura plicabitur.

†103.3 *Qui tegis.* ID. Ad litteram sunt aquæ, etc., usque ad cujus superiora sunt duo præcepta charitatis. Vel qui *tegis aquis*, id est, spirituali sensu, superficiem Scripturæ, vel donis spiritualibus eorum munis charitatem, ne quid eos separare possit. *Super pennas ventorum*, etc. Ventus est motus æris, etc., usque ad sed charitatem omnium superat charitas Christi.

‡103.4 *Ignem urentem.* CASS. Id est seraphim, qui sunt superior ordo, facis ministros tuos, unde in Isaia: *Volavit ad me unus de seraphim* qui sunt superior ordo.

¶103.5 *Qui fundasti terram super stabilitatem suam.* ID. Ideo Spiritus sanctus in hoc psalmo difficilia dicit secundum litteram, ut quæramus spiritualia.

§103.7 *A voce tonitru.* ID. Per terribiles ventos siccabuntur aquæ; mali comminatione iudicii timebunt.

**103.8 *Ascendunt.* AUG. Mali, ut montes, etc., usque ad ut liceat Ecclesiæ libere prædicare CASS. Superbos permittit Deus, etc., usque ad ut jam mundum non occupent.

††103.10 *In convallibus.* AUG. De humilibus subditis gratiæ et si sunt montes spiritali altitudine, fluunt fontes Spiritus sancti, qui super humilem quiescit. *Inter medium.* ID. Id est inter medium, etc., usque ad et hic talis mons non est audiendus.

‡‡103.11 *Potabunt omnes.* ID. Omnes fuerunt in disco Petri ter submisso, etc., usque ad ut Ecclesia congregetur. *Onagri.* ID. Sylvestres asini magni indomiti, etc., usque ad vel superbi Judæi different bibere in tempus ultimum.

¶¶103.12 *Super ea volucres cæli.* ID. Non omnes aves manent, etc., usque ad alii in sinistra damnantur.

§§103.13 *De fructu operum tuorum.* ID. Nemo ergo gloriatur in operibus suis, sed *qui gloriatur, in Domino gloriatur*, gratia enim Dei saturatur terra. Sic igitur gratia gratis datur. Si operibus hominum redditur, merces dicitur.

- ¹⁴ producens fœnum jumentis, et herbam servituti hominum, ut educas panem de terra,*
- ¹⁵ et vinum lætificet cor hominis: ut exhilaret faciem in oleo, et panis cor hominis confirmet.
- ¹⁶ Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani quas plantavit:†
- ¹⁷ illic passeret nidificabunt: herodii domus dux est eorum.‡
- ¹⁸ Montes excelsi cervis; petra refugium herinaciis.
- ¹⁹ Fecit lunam in tempora; sol cognovit occasum suum.¶
- ²⁰ Posuisti tenebras, et facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestię silvæ:§
- ²¹ catuli leonum rugientes ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi.**
- ²² Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur.††

*103.14 *Servituti hominum.* ID. Unde *cum liber essem ex omnibus, omnium me feci servum*, etc., usque ad quibus præbuit exemplum necessaria sumendi a subditis. *In oleo. Unicuique datur Spiritus ad manifestationem:* gratia ergo et nitor quidam, etc., usque ad ut exhilaretur facies in oleo. *Et panis.* Idem est ergo panis et vinum. Panis enim iste et vinum, justitia est, veritas est Christus: et hic et illud lætificat, et confirmat cor.

†103.16 *Quas plantavit.* ID. Cur a se plantatis relinquit candorem sæculi? quia illic fulica avis, quæ in aquis habitat; hi sunt qui in baptismi gratia permanent. Vel, Herodius avis rapacissima, nec tales Christus respuit.

‡103.17 *Illic passeret.* ID. Minuta volatilia, etc., usque ad ut in cedris Libani nidificent. *Herodiidomus.* AUG. *Dux est eorum* passerum, vel cedrorum, quod tamen Latine dici non potest, quia cedri feminini generis sunt, hoc autem nullo modo ad litteram, domus enim, id est, nidus fulicæ, quæ est avis marina vel stagnensis, quomodo dux est passerum? sed per hoc innuit spiritualia esse quærenda. Et si in divitibus sæculi passeret nidificent, etc., usque ad sed non peribunt, quia petra est dux eorum. CASS. Vel fulica avis, quæ in aquis habitat, hi sunt qui in gratia baptismi permanent, quorum domus est baptismus. Et est quasi diceret: Qui sunt passeret? Illi qui baptizantur. Et hoc est, *fulicæ domus*, id est, baptismus, qui est domus re-generatorum *dux est eorum* passerum, id est, Christianorum. HIER., CASS. Herodius; avis rapacissima, etc., usque ad quia ipse conversus alios plures ad fidem convertit. *Cervis: petra.* AUG. Cervi sunt magni spirituales, etc., usque ad hæc est *de qua* ut supra dictum est *volucres cœli dant voces.*

¶103.19 *Fecit lunam.* CASS. Post terrena transit ad cœlestia, quæ tamen terræ faciunt, id est, serviunt. Post tot genera Christianorum, quæ per animalia significavit, et prædictam ordinationem, ascendens subjungit de Christo et Ecclesia, quomodo scilicet hic temporalis Ecclesia crescit et decrescit, quasi faciat occasus et ortus veri solis.

§103.20 *Posuisti*, etc. *Et facta est nox* in eis, id est, obscura mentis obstinatio. *Et ipsa pertransibunt.* AUG. Non ut supra, conversi, gentiles, sed dæmones, qui tempore passionis invenerunt corda titubantium apostolorum; sed Christo surgente, quia in omnibus non possunt, *in cubilibus*, id est, cordibus pertinacium permanent: sic Christo in aliquo occidente, vigent mala, resurgente fugiunt. *Occasum.* Sol sic occidit, ut oriatur: ita qui dormit, id est, Christus, non adjiciet ut resurgat? Occidit, quia voluit, nemo tollit animam ejus; cum occidit, tenebræ factæ sunt in apostolis, defecit spes eorum.

**103.21 *Catuli leonum*, etc. AUG. Sunt et principes dæmoniorum, sicut et catuli contemptibilia dæmonia, quæ in tenebris quærunť seducere animas; major leo semper *circumit quærens quem devoret* I Pet. 5., pascuntur autem erroribus hominum.

††103.22 *Ortus est sol*, etc. CASS. Postquam dixit quid fecit occasus veri solis, subdit de ortu.

- 23 Exhibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperum.
- 24 Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! omnia in sapientia fecisti; impleta est terra possessione tua.‡‡
- 25 Hoc mare magnum et spatiosum manibus; illic reptilia quorum non est numerus: animalia pusilla cum magnis.¶¶
- 26 Illic naves pertransibunt; draco iste quem formasti ad illudendum ei.§§
- 27 Omnia a te expectant ut des illis escam in tempore.*
- 28 Dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.†
- 29 Avertente autem te faciem, turbabuntur; auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.‡
- 30 Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.¶
- 31 Sit gloria Domini in sæculum; lætabitur Dominus in operibus suis.
- 32 Qui respicit terram, et facit eam tremere; qui tangit montes, et fumigant.§
- 33 Cantabo Domino in vita mea; psallam Deo meo quamdiu sum.**
- 34 Jucundum sit ei eloquium meum; ego vero delectabor in Domino.††

‡‡103.24 *Possessione.* AUG. Alias *creatura.* ID. Per Christum Pater, etc., usque ad datum est tamen lignum in quo transnavigemus.

¶¶103.25 *Hoc mare magnum,* etc. CASS. Secunda pars ubi dicit: Quomodo Ecclesiam per mare sæculi traducit ad littus patriæ. *Reptilia,* etc. AUG. Mali spiritus, quorum insidiæ serpunt.

§§103.26 *Draco iste quem formasti.* ID. Præter hæc animalia, etc., usque ad factus est in malitia major. *Ad illudendum.* ID. Dicitur in Job Job 40., illudi Satanæ ab angelis Dei, qui sunt præpositi super æreas potestates, ne noceant nobis.

*103.27 *Escam.* ID. Cibus draconis terra est, quia dictum est ei: *Terram comedes omnibus diebus vitæ meæ* Gen. 3.. Quia qui terrena amant, cibus diaboli sunt. Cibis autem justi verbum Dei, unde, *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* Deut. 8..

†103.28 *Manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* CASS. Vel manus est potestas quæ abunde replet omnia.

‡103.29 *Avertente autem.* AUG. Multi impleti bonitate, sibi tribuerunt; volens autem Deus eis probare quod non a se habent, sed a Deo, ut cum bonitate habeant humilitatem, aliquando eos perturbat, avertit faciem, et cadunt in tentationem.

¶103.30 *Emitte spiritum tuum.* CASS. Pulvis suus illorum dicitur, quia ex se habent quod sunt pulvis. Spiritus vero Domini: Ecce medicina reversis in pulverem.

§103.32 *Tremere.* AUG. Melior est tremor humilitatis, quam confidentia superbiæ. Unde Apostolus: *Cum tremore operamini vestram salutem* Phil. 2.. *Montes.* ID. Qui superbi erant, jactantes a se omnia. Quemadmodum accidit in monte Sina.

**103.33 *Cantabo.* CASS. Tertia pars, ubi promittit se semper cantaturum. Quasi diceret: Hæc prædicta fecit Dominus, et his inspectis. *In vita mea.* AUG. Præsenti et futura; spei et speciei. Modo spes est vita nostra, post æterna erit. Vita vitæ mortalis, spes est vitæ immortalis. *Quandiu sum.* ID. Quia in illo sine fine sum, psallam quandiu sum, ne putetur alius actus illius vitæ, quam psallere: quia non potest venire in fastidium, qui laudatur, non venit in fastidium laudare; sed semper amatur, semper laudatur.

††103.34 *Jucundum sit.* Alia littera: *Suavis sit ei disputatio mea.* AUG. Disputatio enim hominis ad Deum, est confessio peccatorum. Unde Isaia Isa. 1.. *Auferte nequitas ab animabus vestris, dicite benefacere, judicate pupillo, et venite et disputemus, dicit Dominus.* Disputatio ergo tua, sacrificium humilitatis tuæ, quod est Deo suave.

³⁵Deficiant peccatores a terra, et iniqui, ita ut non sint. Benedic, anima mea, Domino.]^{‡‡}

104 Alleluja. [Confitemini Domino, et invocate nomen ejus; annuntiate inter gentes opera ejus.^{¶¶}

²Cantate ei, et psallite ei; narrate omnia mirabilia ejus.^{§§}

³Laudamini in nomine sancto ejus; lætetur cor quærentium Dominum.*

⁴Quærite Dominum, et confirmamini; quærite faciem ejus semper.†

⁵Mementote mirabilem ejus quæ fecit; prodigia ejus, et judicia oris ejus:‡

⁶semen Abraham servi ejus; filii Jacob electi ejus.

⁷Ipse Dominus Deus noster; in universa terra judicia ejus.¶

⁸Memor fuit in sæculum testamenti sui; verbi quod mandavit in mille generationes:§

⁹quod disposuit ad Abraham, et juramenti sui ad Isaac:

¹⁰et statuit illud Jacob in præceptum, et Israël in testamentum æternum,**

^{‡‡}103.35 *Benedic, anima mea, Domino.* ID. Iterat quod in principio psalmi: *Benedic, anima mea, Domino,* per hoc innuens, quod finis bonorum similis sit principio.

^{¶¶}104.1 *Alleluia.* CASS. Hic primo *alleluia,* nec ante a quoquam situm est, quod nulla lingua præsumpsit mutare. *Alleluia,* laudate. *Ia* nomen Dei invisibilis, quod ei tantum convenit. Per viginti psalmos, quibus hic titulus est, magnalia Dei dicuntur, et magna in eis est exultatio. CASS. Hic commendat propheta bonos in illo populo Israël, qui cum aliis fidelibus sunt verum semen Abraham, filii promissionis. *Confitemini Domino.* AUG. Primus psalmus cui prænotatur *alleluia,* etc., usque ad quæ temporalia misericordia Dei eis dedit, supponit.

^{§§}104.2 *Omnia:* CASS. omnia; nihil est pudore silentium. Vel omnia, quæ dicent, mirabilia sunt, nullus enim potest omnia narrare.

*104.3 *Laudamini in nomine,* id est, gaudete Christiani dici a Christo. AUG. Laudamini, non vetat laudari, si boni; si non, nisi in Domino, qui bonos facit. Laudamini in nomine. Quod alibi, *In Domino laudabitur anima mea:* quod ibi addit, *audiant mansueti et lætentur:* hic quoque quodammodo, *lætetur cor,* quasi dicat,

†104.4 *Faciem,* etc. ID. Id est præsentiam, etc., usque ad malus timere potest præsentiam, quam bonus amat. HIER. A martyre Hyppolito, etc., usque ad ibi ex gentibus sumpturus Ecclesiam.

‡104.5 *Mementote et cætera.* AUG. Quærite ipsum, etc., usque ad si id quod Deus est, magnum est quærere, vel quæ fecit videte. *Prodigia,* etc. ID. Paulatim ascendit de prodigiis visibilibus ad judicia: inde ad æternum testamentum, ubi et præceptum et promissum.

¶104.7 *In universa terra.* ID. Non putes filios Abraham in una gente secundum carnem, quia in universa terra sunt Jacob et Israël, quibus judicia sua manifestat, sed non alii genti.

§104.8 *In sæculum,* ID. id est, in æternum, unde post, in testamentum æternum. Quod testamentum si Vetus accipitur propter terram Chanaan, de qua sequitur. Quomodo æternum est, cum illa terrena hæreditas non possit esse æterna? *Testamenti.* Dicitur enim testamentum illud quod promittitur, et doctrina, in qua promissio declaratur, et pro qua servata redditur. ID. Promissum est quod accipere debemus: Mandatum quod facere. Hæc est fides, ut justus ex fide vivat, et huic fidei promittitur hæreditas. *Abraham, Isaac et Jacob.* Ecce tres patriarchæ, quorum specialiter se dicit Deum: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.* Ecce triplex auctoritas.

**104.10 *In testamentum æternum,* ID. id est, quod ex ipso verbo impleto, etc., usque ad et manet filius in domo in æternum.

- 11 dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ:††
 12 cum essent numero brevi, paucissimi, et incolæ ejus.‡‡
 13 Et pertransierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum.¶¶
 14 Non reliquit hominem nocere eis: et corripuit pro eis reges.
 15 Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.‡‡
 16 Et vocavit famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit.*
 17 Misit ante eos virum: in servum venundatus est, Joseph.†
 18 Humiliaverunt in compedibus pedes ejus; ferrum pertransiit animam ejus:‡
 19 donec veniret verbum ejus. Eloquium Domini inflammavit eum.
 20 Misit rex, et solvit eum; princeps populorum, et dimisit eum.
 21 Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ:
 22 ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret.
 23 Et intravit Israël in Ægyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham.¶
 24 Et auxit populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus.‡

††104.11 *Terram Chanaan*, CASS. id est, quod ab ea significatur: dedit enim etiam hanc terram in figuram æternæ hæreditatis I Joan. 4.. AUG. Congruè hæreditas æterna dicitur terra Chanaan, quia ab ea servi repelluntur et filii recipiuntur.

‡‡104.12 *Cum essent numero*. CASS. Quæ subsidia temporalis vitæ præstitit patribus et filiis eorum tam carne, quam fide, non ut his hæreant, sed ea ad bonum æternum referant, quod est, ut his allecti, justificationes et legem Dei requirant.

¶¶104.13 *De regno*. AUG. Non quod tunc esset, sed quod futurum esset regnum Israël.

‡‡104.15 *Nolite tangere*. ID. Hæc verba, licet in historia non sint, tamen vel latenter dixit ea Deus in cordibus hominum, vel per angelum. *Christos*, ID. quia jam tunc Christiani, etsi latenter, unde *Abraham exsultavit, ut videret diem meum, vidit et gavisus est* Joan. 8.. Nullus enim præter hanc fidem, vel ante, vel post, Deo reconciliatus est, *unus enim mediator Christus* I Tim. 2..

*104.16 *Et vocavit*. AUG. Quarta pars ubi incipit narrare, etc., usque ad jussit esse quæ jam erat in dispositione. *Ita vocavit, et omne firmamentum panis contritum* Gen. 37..

†104.17 *Virum*. ID. Joseph venditus a fratribus, postea in Ægypto pro justitia sublimatus est. *Joseph*. ID. Si Joseph et humiliatus et exaltatus, etc., usque ad sed *primum quærite regnum Dei, et omnia adjicientur*.

‡104.18 *In compedibus*. ID. Non legimus de compedibus Joseph in Genesi, sed credendum est quod ibi prætermisum, dicit Spiritus in psalmo. CASS. Et si gratiam habuerit apud custodem carceris, tamen prius anxius. Sequitur. *Ferrum pertransiit*, etc. Quasi præter mala corporis, *ferrum*, id est tribulatio duræ necessitatis, quæ in æstuante et sollicita anima erat, *pertransiit*, etc. Vel secundum aliam litteram, *anima ejus pertransiit ferrum*, id est tribulationem duræ necessitatis. Idem sensus cum priore.

¶104.23 *In terra Cham*, etc. AUG. Cham pater Chanaan, de quo Ægyptii trahunt originem.

‡104.24 *Et auxit populum suum*, etc. ID. Quinta pars. Ecce quæ in Ægypto gesta, breviter proponit, quæ postea pleniter narrat. Dicit etiam, quomodo firmavit populum suum super inimicos suos. *Et firmavit eum*. Per signa Moysi scilicet, ante enim masculini fetus filiorum Israël necabantur, et ipsi in faciendis lateribus conterebantur. Sed postea in manu potenti, et per signa et portenta Domini, metuendi et honorandi facti sunt.

- 25 Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus.**
 26 Misit Moysen servum suum; Aaron quem elegit ipsum.††
 27 Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham.‡‡
 28 Misit tenebras, et obscuravit; et non exacerbavit sermones suos.¶¶
 29 Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum.§§
 30 Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.*
 31 Dixit, et venit cœnomyia et ciniphes in omnibus finibus eorum.†
 32 Posuit pluvias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipsorum.‡
 33 Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum, et contrivit lignum finium eorum.
 34 Dixit, et venit locusta, et bruchus cujus non erat numerus.¶
 35 Et comedit omne fœnum in terra eorum, et comedit omnem fructum terræ eorum.
 36 Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.§
 37 Et eduxit eos cum argento et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus.**
 38 Lætata est Ægyptus in profectioe eorum, quia incubuit timor eorum super eos.††

**104.25 *Convertit*. ID. Quomodo hoc factum sit narrare incipit. Convertit, non quod Deus sit auctor mali, sed malis bene utitur, dum auxit felicitatem Israhel, illi ad invidendum conversi sunt, quia jam mali erant. *Ut odirent*. Invidia est odium felicitatis alienæ.

††104.26 *Misit*. Qui omnia per se poterat ut doceret, qua moderatione hæc egisset. *Quem elegit ipsum*. ID. Sufficeret dicere, quem elegit: sed nihil quærendum est in eo, quod addidit, *ipsum*, sed consuetudo divinæ locutionis est ad explanationem.

‡‡104.27 *Verba signorum suorum*. ID. Quibus ab eis prædicabatur, etc., usque ad verba ergo non vocum, sed signorum, vel prodigiorum per eos fecit.

¶¶104.28 ID. Vel: *Exacerbaverunt sermones ejus*, quod apertum est. Vel, non exacerbaverunt Moyses et Aaron sermones ejus, quia illos, scilicet Ægyptios, etiam durissimos, patienter tulerunt, propter mandatum Domini, donec omnia in eis, quæ Dominus disposuit, fierent. *Tenebras*, etc. CASS. Inter plagas passi sunt. Sed hic dicit corda eorum *obscurata*, qui præcepta Dei spernebant. Competens initium plagarum cæcitas, sine qua non incurrisset cætera.

§§104.29 *Convertit aquas*. AUG. Secunda plaga, quæ in Exodo prima, quæ signabat, quod aquas maris Rubri verteret et eis in mortem.

*104.30 *Edidit terra*. AUG. Terram eorum convertit in ranas, quia tot fuerunt, ut hoc congrue per hyperbolen dicatur.

†104.31 *Dixit, et venit cynomya*, etc. ID. In verbo enim ejus erant sine tempore, antequam fierent in tempore per ipsum verbum: vel per angelos, vel per Moysen quodammodo dixit, ut fieret tunc, cum fuerat faciendum.

‡104.32 *Posuit pluvias eorum*, etc. ID. Simile est illi, *et dedit terra eorum ranas*.

¶104.34 *Locusta et bruchus*. ID. Una plaga locusta et bruchus, quia altera est parens, altera fetus.

§104.36 Et percussit. Id. Cum sint decem plagæ, etc., usque ad qui non possent spernere laborum suorum mercedem, licet temporalem.

**104.37 *Et eduxit eos*, etc. Sexta pars secundum Cassiodorum et Augustinum. Superius, quæ mala intulit inimicis Israhelitarum justitia Dei dixit: nunc quæ bona eis temporalia misericordia Dei dedit, supponit ut his adjuti legem Dei quærant. AUG. *Et eduxit*: Abraham dixit Deus, etc., usque ad deinde sequitur secundum beneficium, *Et non erat infirmus, et cætera*.

††104.38 *Quia incubuit timor eorum super eos*. Timebat Israhel, ne reliquias eorum consumeret. AUG. Hic impletum est quod superius ait, et firmavit eum super inimicum ejus.

³⁹ Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem.^{‡‡}

⁴⁰ Petierunt, et venit coturnix, et pane cæli saturavit eos.^{¶¶}

⁴¹ Dirupit petram, et fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina.

⁴² Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.^{§§}

⁴³ Et eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in lætitia.

⁴⁴ Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt:^{*}

⁴⁵ ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.][†]

105 Alleluja. [Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.[‡]

² Quis loquetur potentias Domini; auditas faciet omnes laudes ejus?[¶]

³ Beati qui custodiunt iudicium, et faciunt justitiam in omni tempore.[§]

⁴ Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui; visita nos in salutari tuo:

⁵ ad videndum in bonitate electorum tuorum; ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ut lauderis cum hæreditate tua.^{**}

^{‡‡}104.39 *Expandit nubem in protectione eorum.* Et hæc est secunda pars, secundum Augustinum, ubi supponit quæ temporalia bona misericordia Dei eis dedit, dictis superius malis quæ inimicis eorum iustitia Dei intulit. AUG. Jam incipit beneficia, quæ iter agentibus in eremo facta sunt.

^{¶¶}104.40 *Petierunt,* AUG. boni ad sustentationem infirmorum. *Coturnix: et pane cæli saturavit eos:* quæ est et caro, quia hic non de amaricatione iniquorum, sed de fide electorum loquitur: ipsi intelligendi sunt petisse, unde amaricantium murmura premerentur.

^{§§}104.42 *Quoniam memor fuit verbi sancti sui.* ID. His omnibus beneficiis Deus commendat in Abraham meritum fidei, unde subdit: *quoniam memor fuit.*

^{*}104.44 *Et dedit illis.* AUG. Non ut propter ista eum colant, sed ut ea ad bonum æternum referant, id est, *ut custodiant justificationes ejus. Possederunt,* etc., non ut hæc habenda sint pro summo bono, sed ut eis vacent unde summum et æternum bonum possit acquiri, non ut in eis luxu defluant vel torpescant.

[†]104.45 *Justificationes,* etc. CASS. Sunt, ubi est evidens et absoluta præceptio, ut, *Diligas Deum et proximum,* quæ custodienda. Lex de his, quæ non corporaliter sed spiritualiter: et ideo quærenda, quia umbra futurorum. *Legem.* Ut de circumcissione ejus et de aliis, quæ diligenter investiganda sunt, quia mystice dicuntur.

[‡]105.1 *Alleluia. Alleluia.* Quidam dicunt, unum *alleluia* ad finem superioris psalmi pertinere, alterum esse sequentis. Hanc enim regulam Hieronymus tenendam esse tradit. Cujus assertioni Cassiodorus quoque consentit. Sed plures, ubicunque alleluia, sequenti dant: et aliquando semel, aliquando bis; ut Dominus in Evangelio, nunc dixit *amen,* nunc *amen amen,* pro majore certitudine rei. Istis consentit Augustinus, præsertim cum nulli Græcorum codices in fine psalmi habeant alleluia. *Confitemini Domino.* AUG. Psalmus iste superiori conjunctus est, etc., usque ad monet ergo ad geminam confessionem laudis et peccatorum. CASS. Hebræus relicta patrum perfidia, ad misericordiam Dei conversus, suadet aliis ad eamdem misericordiam converti, orans ut populo beneplacito socientur, qui erat in adventu Christi congregandus.

[¶]105.2 *Quis loquetur.* CASS. Iste, qui misericordiam petit, impletur consideratione divinatorum operum, et admirans ait: *Quis loquetur?*

[§]105.3 *Beati qui custodiunt.* AUG. Vel quia sequitur, etc., usque ad iudicium et justitiam, quia *Beati sunt qui,* etc.

^{**}105.5 *Ad videndum,* etc. AUG., ut videamus te in ea bonitate, quam præstas electis, id est per gratiam tuam videamus, ne cæci remaneamus. *Ut lauderis:* mirum est in plerisque codicibus, etc., usque ad quia non laudatur nisi propter te.

- ⁶ Peccavimus cum patribus nostris: injuste egimus; iniquitatem fecimus.^{††}
⁷ Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua; non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. Et irritaverunt ascendentes in mare, mare Rubrum;^{‡‡}
⁸ et salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.
⁹ Et increpuit mare Rubrum et exsiccatum est, et deduxit eos in abyssis sicut in deserto.^{¶¶}
¹⁰ Et salvavit eos de manu odientium, et redemit eos de manu inimici.^{§§}
¹¹ Et operuit aqua tribulantes eos; unus ex eis non remansit.
¹² Et crediderunt verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus.*
¹³ Cito fecerunt; obliti sunt operum ejus: et non sustinuerunt consilium ejus.[†]
¹⁴ Et concupierunt concupiscentiam in deserto, et tentaverunt Deum in inaquoso.[‡]
¹⁵ Et dedit eis petitionem ipsorum, et misit saturitatem in animas eorum.[¶]
¹⁶ Et irritaverunt Moysen in castris; Aaron, sanctum Domini.[§]
¹⁷ Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron.**

^{††}105.6 *Peccavimus*. Secunda pars, ubi enumerat peccata patrum, quæ in Ægypto commiserunt, et tamen a Deo dicit liberatos. *Iniquitatem*. CASS. Tertio idem dicit, ut pura confessio appareat; tanto citius solvitur, quanto vivacius se damnat homo.

^{‡‡}105.7 *Non intellexerunt*. AUG. Id est, quid per illa eis dare velles, id est, non temporale, sed æternum bonum; quod per patientiam exspectatur, et ideo ipsi impatientes murmuraverunt, et temporalibus beati voluerunt. CASS. Duo sunt quæ beneficia commendant, intellectus et memoria, quorum utrumque in eis redarguit. Et primo intellectum, cum ait: *non intellexerunt mirabilia. Irritaverunt ascendentes*. AUG. Timentes Deum et desperantes, etc., usque ad unde meruit inter alias regni privilegium vel principatum obtinere.

^{¶¶}105.9 *Sicut in deserto*. ID. Quia ubi fuerunt abyssi, factum est siccitate, ut desertum ubi non sunt aquæ.

^{§§}105.10 *Redemit eos de manu*. ID. Quo prætio? quasi diceret, nullo; sed in figura baptismi factum est, in quo redimimur de manu diaboli sanguine Christi; unde et *mare Rubrum* dixit, quod colore sanguis figurabatur.

*105.12 *Et crediderunt in*. AUG. Ecce dura corda Judæorum, quæ non ante, sed post miracula credunt: melius fuit promittenti credere.

[†]105.13 *Cito fecerunt, obliti*. Tertia pars, ubi exponit peccata, quæ post exitum fecerunt: nec tamen defuit eis misericordia Dei per Moysen placati. Vel correptio, per justitiam Dei, in quosdam per Moysen vindicantis. CASS. *Cito fecerunt*. Summa celeritate mutati sunt, etc., usque ad distulit enim Deus dare, ut probaret eos.

[‡]105.14 *Concupierunt concupiscentiam in deserto*. AUG. Talis locutus, ut *laudaverunt*, etc. CASS. Nimietas desiderii, geminatione verbi ostenditur.

[¶]105.15 *Saturitatem*. Non est hæc saturitas de qua dicitur. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* Matth. 5.. *In animas eorum*. AUG. Animalitatem, quæ sustentatur esca: Unde et in Evangelio: *Nonne anima est plus quam esca?* Vel, animas, ut voluntas, quæ desperando petierat, copia vinceretur; saturitatem, sequitur seditio, unde subdit.

[§]105.16 *Et irritaverunt*. CASS. Honorem ambientes invidendo, Moysen in castris, et Aaron sanctum Domini: hæc irritatio fuit pro sacerdotio, quod habebat Aaron, et filii ejus.

**105.17 *Aperta est terra*. ID. Laus Dei, qui suos vindicavit qualitas pœnæ facta indicat; a terra vorantur, qui terrena sapuerunt.

- 18 Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores.^{††}
 19 Et fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile.^{‡‡}
 20 Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.^{¶¶}
 21 Obliti sunt Deum qui salvavit eos; qui fecit magna in Ægypto,^{§§}
 22 mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.
 23 Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses, electus ejus, stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus, ne disperderet eos.*
 24 Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem; non crediderunt verbo ejus.
 25 Et murmuraverunt in tabernaculis suis; non exaudierunt vocem Domini.
 26 Et elevavit manum suam super eos ut prosterneret eos in deserto.[†]
 27 et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et dispergeret eos in regionibus.
 28 Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum.[‡]
 29 Et irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina.
 30 Et stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio.[¶]
 31 Et reputatum est ei in justitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum.[§]

^{††}105.18 *In synagoga.* ID. Core namque et ducenti quinquaginta cum eo, volentes habere sacerdotium Aaron, acceperunt thuribula, ut adolerent incensum, ideoque divino igne consumpti sunt. **Peccatores.** AUG. Non ait peccantes, quod et boni: sed **peccatores** valde iniquos et gravibus sarcinis peccatorum oneratos.

^{‡‡}105.19 *Et fecerunt.* CASS. Absentiam Moysi non tolerantes, dum ipse in vertice montis Sinai moraretur, ut acciperet legem, fecerunt vitulum. **Horeb.** Interpretatur **Calvaria**, ubi crucifixio facta, etc., usque ad hoc impatientia levium fecit, sicut omnia mala ex ea nascuntur.

^{¶¶}105.20 *In similitudine.* AUG. Non ait in similitudinem, sed in similitudine. Et est talis locutio, ut supra, **et crediderunt in verbis ejus.**

^{§§}105.21 *Obliti sunt.* CASS. Magna oblivio quidem in memoria, si non liberatio. **Terribilia.** Quia adversarios afflixerunt, et istis, quem timere deberent, monstraverunt.

*105.23 *Stetisset in confractione.* AUG. Dicens: **Si non dimittis illis, dele me de libro tuo.** Quantum valet intercessio sanctorum? Securus Moyses de justitia Dei, qua eum delere non posset, impetravit misericordiam iis qui juste perirent. **Ut averteret iram.** De aqua contradictionis et immolatione filiorum, unde vehementius iratus Deus, et tamen postea misertus. **Et pro nihilo.** Quarta pars, ubi item et alia peccata enumerat, et per Phinees placatum Deum dicit. **Non crediderunt verbo ejus.** AUG. Contempserunt quod per illam significabatur, etc., usque ad non sustinuerunt consilium ejus. **In tabernaculis ejus.** CASS. Murmuraverunt, quia hoc non laborantibus, sed otiosis contingit, unde major invidia criminis crescit.

[†]105.26 *Et elevavit manum suam super eos,* etc. CASS. Hæc justitia Dei præmittitur, ut secuta pietas magis glorificetur, quæ pietas in sequenti ostenditur, ubi interventu Phinees Deus placatus dicitur.

[‡]105.28 *Et initiati sunt Beelphegor.* ID. Vel, consecrati sunt, quasi modo ad tempus colentes: gravior excessus et vehementior ira dæmonibus devovebant filios. AUG. **Et initiati sunt,** antequam diceret, etc., usque ad cujus major interitus futurus erat, liberavit.

[¶]105.30 *Et stetit Phinees.* CASS. Solida mente, etc., usque ad quia qui bene agit, orat.

[§]105.31 *Et reputatum,* etc. AUG. Deus, qui novit quanta charitate populi id factum sit, reputavit hoc sacerdoti suo in justitiam, non solum quandiu generatio est, sed usque in æternum.

- 32 Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis, et vexatus est Moyses propter eos:**
 33 quia exacerbaverunt spiritum ejus, et distinxit in labiis suis.††
 34 Non disperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis:
 35 et commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum;‡‡
 36 et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum.¶¶
 37 Et immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis.§§
 38 Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum
 suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. Et infecta est terra in san-
 guinibus,*
 39 et contaminata est in operibus eorum: et fornicati sunt in adinventionibus suis.†
 40 Et iratus est furore Dominus in populum suum, et abominatus est hæreditatem
 suam.‡
 41 Et tradidit eos in manus gentium; et dominati sunt eorum qui oderunt eos.¶
 42 Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum;
 43 sæpe liberavit eos. Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo, et humiliati
 sunt in iniquitatibus suis.§
 44 Et vidit cum tribularentur, et audivit orationem eorum.

**105.32 *Et irritaverunt*, etc. CASS. Quinta pars, ubi agit de aqua contradictionis, et de immolatione filiorum, unde vehementius iratus est Deus, et tamen postea misertus. Quasi ita irritaverunt in ad inventionibus suis, sicut supra dictum est; nunc iterum irritaverunt.

††105.33 *Et distinxit in labiis suis*, etc. CASS. Hoc miraculum, etc., usque ad non tenuit fiduciam qualem debuit. AUG. *Et distinxit*. Quasi, hoc non posset Deus facere, etc., usque ad non tamen alienatus est a regno gratiæ Dei.

‡‡105.35 *Gentes*. Septem illos populos, qui terram promissionis possidebant.

¶¶105.36 *Et factum est illis in scandalum*. CASS. Terra promissionis data in præmium, versa est excedentibus in ruinam, quia gentium conformitate factæ sunt idololatræ.

§§105.37 *Et immolaverunt*. AUG. Hæc etsi illa non narret historia, tamen hic propheta mentiri non potest. CASS. Si non in prima, in sequenti ætate factum est quod narrat David.

*105.38 *Et interfecta*. AUG. Tropica locutio, continens pro contento, id est homines; ipsi enim interficiebant animas suas immolando filios, et contaminati sunt in operibus.

†105.39 *Adinventionibus suis*. ID. Non quod primi invenissent, sed quia alios imitati sunt. Quod in Græco apertius, et hic et supra; unde et alii transferunt, studia, vel affectiones, vel voluptates.

‡105.40 *Abominatus est*. CASS. Id est aversus est ab eis: quod averti est extremum omnium malorum, unde ruina sequitur, *et tradidit*.

¶105.41 *Et tradidit eos*, etc. ID. Ecce, qui gloriabantur in idolis, opprobrio servitutis subsunt, quia serviunt inimicis, quod difficile est. *Qui oderunt*. Grave est servire offenso, qui nullo placatur obsequio.

§105.43 *Sæpe liberavit*, etc. CASS. Duplex misericordia, præmisit enim superius beneficia Dei, nec tamen cessat iniquitas eorum; intulit vindictam, et afflictis iterum miseretur. *In consilio suo*. AUG. Consilium hominis malum est ipsi homini, qui quærit quæ sua sunt, non quæ Dei.

⁴⁵ Et memor fuit testamenti sui, et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiae suae:**

⁴⁶ et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qui ceperant eos.††

⁴⁷ Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus: ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua.**

⁴⁸ Benedictus Dominus Deus Israël, a sæculo et usque in sæculum; et dicit omnis populus: Fiat, fiat.†††

106 Alleluja. [Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.§§

² Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos,

³ a solis ortu, et occasu, ab aquilone, et mari.*

⁴ Erraverunt in solitudine, in inaquoso; viam civitatis habitaculi non invenerunt.†

⁵ Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit.‡

**105.45 *Testamenti*. CASS. Causa est, ne Israël pro debito periret Testamentum Novum, ubi est adventus Domini, qui est Abrahæ promissus. *Pœnituit*. AUG. Quia mutavit, quod perdituros eos videbatur. CASS. Tunc pœnitet, quando nos pœnitere videt, et talis est nobis quales nos illi. AUG. Nihil quasi repentino consilio facit Deus, sed quod ab æterno præscivit. Sed mutare dicitur, quod secundum rerum causas sequi videretur, aliis causis e contra intervenientibus. Sed et causas, et quid fieret, immutabiliter prævidit.

††105.46 *In misericordias*. CASS. Propter diversa dona: prophetæ, apostoli, martyres et confessores de Judæis fuerunt, quos dedit in misericordias: et hoc *in conspectu omnium, ceperant eos*, id est gentium, ut eos gentes mirarentur, quæ prius eos despexerunt. Vel, coram dæmonibus liberi facti, sub quibus fuere captivi.

**105.47 *Salvos fac nos*. CASS. Sexta pars. Jam copia laudis Dei expletus precatur quod futurum vidit, ut Ecclesia de omnibus gentibus congregetur, et laudes æternas cantet. AUG. *Salvos fac nos*, quasi: Dedisti misericordias in conspectu omnium, etc., usque ad sequitur. *Et congrega nos de nationibus*.

††105.48 *Benedictus Dominus*. CASS. Hæc est laus, quam congregatos optat cantare, hoc nunc cantat Ecclesia de tanto bono læta. *A sæculo usque*, etc., id est, ab æterno in æternum, quia sine fine laudabitur: hæc est tertia consummatio corporis Christi in immortalitate, quod in principio psalmi eratum est: *Memento nostri*, Domine, *in beneplacita populi tui* ad videndum, ad lætandum, ad lauderis cum hæreditate tua.

§§106.1 *Alleluia, alleluia*. AUG. Hic psalmus commendat misericordiam Dei, etc., usque ad quæ Apostolus posuit, quamvis idem significantia. *Confitemini Domino*. ID. Docet hic psalmus quid simus per nos, etc., usque ad prius monet redemptos confiteri. *Confitemini*. CASS., AUG. Cujus sunt septem partitiones, etc., usque ad septimo, agit de hæreticis, ibi, *Et pauci facti*.

*106.3 *Et mari*. CASS. Pro austro, ponit mare, oceanum illius partis intelligens, hoc pro qualibet parte mundi potest accipi.

†106.4 *Erraverunt*. ID. Secunda pars, ubi prima tentatio, etc., usque ad quarto pro exauditione confessio, id est, laudatio.

‡106.5 *Esurientes*. AUG. Curiosos sæculi significat, qui veritatem diversis opinionibus exquirebant, nec inveniebant. *Anima eorum*, etc. Commendat se Deus, quod nobis expedit; deficimus ut rogemus, et subvenientem amemus.

- ⁶ Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos;[¶]
- ⁷ et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.
- ⁸ Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.[§]
- ⁹ Quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis.^{**}
- ¹⁰ Sedentes in tenebris et umbra mortis; vinctos in mendicitate et ferro.
- ¹¹ Quia exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt.^{††}
- ¹² Et humiliatum est in laboribus cor eorum; infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.^{‡‡}
- ¹³ Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur; et de necessitatibus eorum liberavit eos.^{¶¶}
- ¹⁴ Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum dirupit.
- ¹⁵ Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.
- ¹⁶ Quia contrivit portas aereas, et vectes ferreos confregit.^{§§}
- ¹⁷ Suscepit eos de via iniquitatis eorum; propter injustitias enim suas humiliati sunt.
- ¹⁸ Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.^{*}
- ¹⁹ Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.
- ²⁰ Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.
- ²¹ Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.
- ²² Et sacrificent sacrificium laudis, et annuntient opera ejus in exultatione.
- ²³ Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis:[†]

[¶]106.6 *Et deduxit.* AUG. Quasi, eripuit de ignorantia; ostendens viam, Christum. Ecce liberavit eos ab errore; de fame autem et siti quibus aestuabant, qualiter liberaverit, post dicet; sed praemittit de confessione.

[§]106.8 *Mirabilia.* HIER. Quasi mirabili modo redemptionis datae sunt misericordiae.

^{**}106.9 *Esurientem.* CASS. Scire appetentem, vel non scire appetentem, sed inedia nimia deficientem, sicut contingere solet nimia fame vel infirmitate confecto, ut manducare non appetat, sed nimia inedia deficiat. *Sedentes.* AUG. Tertia pars, ubi ponitur secunda tentatio, etc., usque ad et nos etiam hoc posse consideremus.

^{††}106.11 *Quia exacerbaverunt.* ID. Hoc aliud iterum conantem, etc., usque ad unde eis erat iratus. *Consilium Altissimi.* Ut qui superbierunt, in angustiis humiliarentur, quod erat salubre consilium, ut morbus saeculi contrario remedio curaretur.

^{‡‡}106.12 *Nec fuit qui.* ID. Deo enim desistente ab auxilio, laborare potes contra vitia, sed non vincere; et te presso tua prava consuetudine, humiliabitur cor, ut discas clamare, unde subdit: *Et exclamaverunt.*

^{¶¶}106.13 *Et exclamaverunt.* CASS. Simili causa eadem sententia quae et supra.

^{§§}106.16 *Portas aereas.* ID. Portae aereae, hominum consuetudines vitiosae, quae clausos non sinunt exire. *Vectes.* Spiritus immundi, qui portas obserant. Aereos, ferreos, pro fortitudine ponit, sed virtus Dei frangit.

^{*}106.18 *Omnem escam.* AUG. Quarta pars, ubi ponitur tertia tentatio, quae est taedium. Qui supra fame languebant, item fastidio periclitantur ne ergo putes de satietate securos, quia et fastidio moriuntur. Et hoc est *omnem escam*, etc. AUG. Postquam venit de ignorantia ad veritatem, de errore ad viam, de fame sapientiae ad verbum fidei, et postquam difficultates malorum vicit, ut sine querela vivat, restat taedium, ut aliquando nec legere, nec orare delectet; evasit imperitiam et concupiscentiam, sed moritur taedio.

[†]106.23 *Qui descendunt mare.* Quinta pars, etc., usque ad si tota navis periclitatur.

24 ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.[‡]

25 Dixit, et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus.

26 Ascendunt usque ad cælos, et descendunt usque ad abyssos; anima eorum in malis tabescebat.

27 Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.[¶]

28 Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur; et de necessitatibus eorum eduxit eos.

29 Et statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus.

30 Et lætati sunt quia siluerunt; et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

31 Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.

32 Et exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.[§]

33 Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim;^{**}

34 terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.^{††}

35 Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum.

36 Et collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem habitationis:

37 et seminaverunt agros et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis.^{‡‡}

38 Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis; et jumenta eorum non minoravit.^{¶¶}

39 Et pauci facti sunt et vexati sunt, a tribulatione malorum et dolore.^{§§}

40 Effusa est contemptio super principes: et errare fecit eos in invio, et non in via.^{*}

[‡]106.24 *Ipsi viderunt opera Domini.* AUG. Vel *viderunt*, etc., usque ad exponit procellas eorum, subdens, *dixit et stetit. In profundo. Dixit et stetit spiritus procellæ*, etc. ID. Profundum cor hominum unde venti erumpunt, et fiunt tempestates seditionum et dissensionum.

[¶]106.27 *Sicut ebrius.* ID. Titubant, quia prosperitas eorum vel adversitas, major est viribus. *Et omnis sapientia eorum devorata est.* Inquiete sapientes apparent, quando loquuntur, quando legunt; sed veniente tempestate, omnia humana consilia deficiunt; quid agendum sit, non videtur. Restat ergo clamare, ut cor eorum solidet Deus, ne tentationibus ventiletur.

[§]106.32 *In Ecclesia.* AUG. Ecce unde omnia dixerit, et ubi omnia prædicta aguntur.

^{**}106.33 *Posuit flumina.* CASS. Sexta pars hactenus, quomodo et mala inimicorum prodesse facit. AUG. *Posuit flumina.* Consequenter Ecclesia commendatur, etc., usque ad unde et erga Ecclesiam Dei beneficia aperte monstrantur.

^{††}106.34 *In salsugine.* CASS. Salsus humor, ubi dominatur, fecunditatem tollit. *A malitia inhabitantium.* AUG. Propter malitiam eorum qui terram illam, id est tabernaculum Domini, dolosis mentibus inhabitabant.

^{‡‡}106.37 *Et seminaverunt.* CASS. Seminant agros, plantant vineas, qui corpora sua celesti institutione purificant, ut fructus bonorum operum ferant.

^{¶¶}106.38 *Nimis:* CASS. pro valde, vel quia multi vocati, pauci vero electi.

^{§§}106.39 *Et pauci.* AUG. Septima pars, ubi dicitur etiam aliquid de hæreticis, etc., usque ad sed non erant de paucitate electorum. *Vexati.* CASS. Vel, persistentes per hæreticos, vel hæretici insidiis diaboli. Dolor et tribulatio his qui auctorem salutis relinquunt.

^{*}106.40 *Effusa est.* AUG. Vel, effusus est contemptus, etc., usque ad et quid fecit etiam de illis seductis? Ecce.

⁴¹ Et adjuvit pauperem de inopia, et posuit sicut oves familias.[†]

⁴² Videbunt recti, et lætabuntur; et omnis iniquitas oppilabit os suum.[‡]

⁴³ Quis sapiens, et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini?[¶]

107 Canticum Psalmi, ipsi David.[§]

² [Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo, et psallam in gloria mea.^{**}

³ Exsurge, gloria mea; exsurge, psalterium et cithara; exurgam diluculo.

⁴ Confitebor tibi in populis, Domine, et psallam tibi in nationibus:

⁵ quia magna est super cælos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.

⁶ Exaltare super cælos, Deus, et super omnem terram gloria tua:

⁷ ut liberentur dilecti tui. Salvum fac dextera tua, et exaudi me.^{††}

⁸ Deus locutus est in sancto suo: Exsultabo, et dividam Sichimam; et convallem tabernaculorum dimetiar.^{‡‡}

⁹ Meus est Galaad, et meus est Manasses, et Ephraim susceptio capitis mei. Juda rex meus;^{¶¶}

[†]106.41 *Adjuvit pauperem.* Potuit illos pati Deus semper intus, sed nos de illis non proficeremus. Cum autem separati sunt, et per quæstiones nos inquietant, nascitur nobis inquisitionis studium et timoris exemplum, ut, *Qui stat, videat ne cadat.* Et quid in paupere adjuto fit de illis seductis? *Et posuit sicut oves.* Unum pauperem putabas; sed iste pauper est multæ familiæ, multæ Ecclesiæ: tamen et est una Ecclesia, una ovis. Hæc tanta mysteria diu latentia, et ideo dulciter inventa.

[‡]106.42 *Videbunt recti et lætabuntur.* AUG. Ecce quo Psalmista tendat, ad hoc, scilicet ut ostendat quod boni per misericordiam Dei exaltantur, ut mali per superbiam conteruntur.

[¶]106.43 *Quis sapiens et custodiet hæc?* ID. Conclusio, quasi diceret, quia pauperem adjuvat Dominus, ergo: *Quis est sapiens? Misericordias.* Quod de errore liberat, etc., usque ad et iniquus os suum oppilat.

[§]107.1 *Canticum psalmi.* AUG. Ex postremis partibus duorum, etc., usque ad ut complerentur eloquia prophetarum. CASS. Hic plura eadem quæ supra, etc., usque ad et bene junguntur, quæ nullatenus repugnant. ID. In primo agitur de fuga David, etc., *usque ad Canticum* ad divinas res, *Psalmus* ad actuales operas.

^{**}107.2 *Paratum.* CASS. Sextus psalmus de duabus naturis in Christo. *Paratum cor meum.* Primo Christus gratias agit, quia suscipiens passionem surrexit in gloriam. Secundo, quæ salus sit facta omni terræ, ibi, *Ut liberentur.*

^{††}107.7 *Ut liberentur.* ID. Secunda pars, quæ salus sit facta omni terræ super quam gloria, hic etiam humilitas humanitatis et potentia majestatis ostenditur. *Salvum fac.* Ut liberentur in futuro, hic salva eos, ne cadant. Vel, se petit salvari in resurrectione, ut fideles liberentur, qui tali signo deitatem ejus senserunt. Quasi, ut cantem et psallam, *Salvum me fac* in resurrectione dextera tua, id est per Verbum, qui est brachium Patris, ut *sic liberentur dilecti tui.* Ordo verborum conversus est. Dicit enim: Salvum me fac et exaudi, et salvum me fac.

^{‡‡}107.8 *Exsultabo.* AUG. Vel exaltabor, supra lætabor, hic vero exaltabor, quod satis convenit, quia de exaltatione est lætitia. Et loquitur hic Christus in persona Ecclesiæ.

^{¶¶}107.9 *Et Ephraim.* ID. Ephraim meus est, id est, mea est fructificatio, quæ est susceptio capitis mei. Hæc fructificatio est ex eo quod caput suscepit me, vel ego caput. CASS. Vel Ephraim, id est, fructificatio, est susceptio capitis mei, quia dum spineam coronam caput meum suscepit, ultra omnes fructificavit: totum enim Christus lucratus est mundum.

¹⁰ Moab lebes spei meæ: in Idumæam extendam calceamentum meum; mihi alienigenæ amici facti sunt.

¹¹ Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?^{§§}

¹² nonne tu, Deus, qui repulisti nos? et non exhibis, Deus, in virtutibus nostris?*

¹³ Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

¹⁴ In Deo faciemus virtutem; et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.]

108 In finem. Psalmus David.[†]

² [Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est.[‡]

³ Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me: et expugnaverunt me gratis.[¶]

⁴ Pro eo ut me diligenter, detrahebant mihi; ego autem orabam.[§]

⁵ Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.^{**}

⁶ Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris ejus.^{††}

⁷ Cum judicatur, exeat condemnatus; et oratio ejus fiat in peccatum.^{‡‡}

⁸ Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter.^{¶¶}

⁹ Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua.^{§§}

¹⁰ Nutantes transferantur filii ejus et mendicent, et ejiciantur de habitationibus suis.*

^{§§}107.11 *Quis deducit me in civitatem munitam.* ID. Sicut homo, quærit Christus, ut respondeat; negat hoc ab homine posse fieri. Civitas, infernus quem nullus poterat aperire. Idumæa gentes, quibus post resurrectionem innotuit: hæc a sola deitate poterant fieri.

^{*}107.12 *Repulisti nos, et non exhibis.* ID. Pluraliter dicit nos, quia hic Christus cum membris patitur supra, singulariter dicendo, deducet me. Horum omnium expositiones require in nono psalmo.

[†]108.1 *In finem, Psalmus.* AUG. Prophetia de Christo, etc., usque ad et quæ de Juda expressa sunt, ut illud: *Et episcopatum ejus accipiat alter.* CASS. Quintus eorum qui latius de passione agunt.

[‡]108.2 *Deus laudem.* CASS. Monet Judæ malitiam declinare, etc., usque ad Christus ergo secundum quod homo orans ad Patrem ait: *Quia os peccatoris.* ID. Decora diversitas, quia iniqui non tacent vituperium.

[¶]108.3 *Gratis.* AUG. Sicut piis per se placet æquitas, sic impiis iniquitas.

[§]108.4 *Pro eo ut me.* ID. Plus nocent, in membris detrahentes Christo, quia animas creditorum interficiunt, quam qui carnem ejus mox resurrectionem peremerunt.

^{**}108.5 *Et posuerunt adversum.* AUG. Sex differentia sunt, etc., usque ad quod est bonum pro malo, quod et Deus iudex facit. CASS. Tribus modis omne peccatum contrahitur, etc., usque ad quod Christus orans pro Judæis fecit.

^{††}108.6 *Constitue super.* AUG. Secunda pars, ubi incipit prophetare, quæ pro impietate recipiant. Supra de pluribus, etc., usque ad quorum personam Judas gessit. *Constitue super eum peccatorem.* Sicut de Juda, ita de eis.

^{‡‡}108.7 *Cum judicatur exeat condemnatus.* Quia in nequitia permanentes thesaurizant sibi iram. *Oratio in peccatum:* quia non fit per mediatorem.

^{¶¶}108.8 *Dies pauci.* Secundum regnum, quod post non diu stetit. *Episcopatum,* id est Christum qui ad eos missus accepit populus gentium.

^{§§}108.9 *Filii orphani:* amisso, quasi patre, regno; vel patre Deo. *Uxor,* id est plebs. *Vidua,* amisso regno.

^{*}108.10 *Transferatur,* ut in captivitate factum est. *Mendicent,* sub regibus gentium.

- 11 Scrutetur foenerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus.[†]
 12 Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus.[‡]
 13 Fiant nati ejus in interitum; in generatione una deleatur nomen ejus.[¶]
 14 In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, et peccatum matris ejus non deleatur.
 15 Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum.[§]
 16 pro eo quod non est recordatus facere misericordiam,^{**}
 17 et persecutus est hominem inopem et mendicum, et compunctum corde, mortificare.
 18 Et dilexit maledictionem, et veniet ei; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo. Et induit maledictionem sicut vestimentum; et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus.^{††}
 19 Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, et sicut zona qua semper præcingitur.^{‡‡}
 20 Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum, et qui loquuntur mala adversus animam meam.^{¶¶}
 21 Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua.^{§§}
 22 Libera me, quia egenus et pauper ego sum, et cor meum conturbatum est intra me.*
 23 Sicut umbra cum declinat ablatus sum, et excussus sum sicut locustæ.[†]

[†]108.11 *Omnem substantiam ejus*, id est, vitam, singula peccati puniens; debita eorum non dimittuntur, quia in solo Christo dimittuntur. *Et alieni*, id est, diabolus et angeli ejus. *Diripiant labore ejus*, Quia non thesaurizant in cælo.

[‡]108.12 *Et non sit illi*, etc. Id est, adjutor non est ei, cui Christus deest. *Nec sit qui misereatur*. Non dico ad temporalia, habenda, sed æterna.

[¶]108.13 *Fiant nati ejus in interitum* sempiternum. Ideo quia manserunt in *generatione una*, id est, quia non regenerati fuerunt. *Et deleatur nomen*. Id est, Jerusalem terrenæ, quæ servit cum filiis suis quæ prophetas interfecit.

[§]108.15 *Et dispereat de terra viventium*, id est Ecclesia. *Memoria eorum*, quia cum essent rami naturales, facti sunt.

^{**}108.16 *Pro eo quod non est recordatus*. Pœnitendo. *Facere misericordiam*. Supra membra Christi.

^{††}108.18 *Maledictionem, et veniet ei: et noluit benedictionem*. AUG. Peccata modo delectant, sed dicuntur maledictio, quia tormenta parant.

^{‡‡}108.19 *Quo operitur*. Videtur dicere hic, etc., usque ad semper sit paratus, unde hic ait *semper præcingitur*.

^{¶¶}108.20 *Apud Dominum*. ID. Specialiter Christo detrahunt, qui dicunt non esse ex Patre, vel minorem Patre. *Mala adversus animam*. Dicentes, non potuisse surgere, cum vellet.

^{§§}108.21 *Et tu, Domine*. CASS. Tertia pars, ubi precatur, etc., usque ad adjuva me, secundum hominem. *Propter nomen tuum*. Nullis enim operum etc., *usque ad quia suavis est misericordia tua*.

^{*}108.22 *Quia egenus et pauper*. ID. Egestas et paupertas Christi est infirmitas, ex qua crucifixus est.

[†]108.23 *Sicut umbra cum declinat ablatus sum*. CASS. Sicut ex umbra declinante fit nox, sic ex mortali carne fit mors.

- 24 Genua mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea immutata est propter oleum.[‡]
 25 Et ego factus sum opprobrium illis; viderunt me, et moverunt capita sua.[¶]
 26 Adjuva me, Domine Deus meus; salvum me fac secundum misericordiam tuam.[§]
 27 Et sciant quia manus tua hæc, et tu, Domine, fecisti eam.^{**}
 28 Maledicent illi, et tu benedices: qui insurgunt in me confundantur; servus autem tuus lætabitur.^{††}
 29 Induantur qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua.^{‡‡}
 30 Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum.^{¶¶}
 31 quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.]^{§§}

109 Psalmus David. [Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*
 2 Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.[†]

[‡]108.24 *Immutata est.* AUG. Immutata est ergo caro Christi, etc., *usque ad quia Jesus nondum fuit glorificatus. Propter oleum*, id est, spiritualem gratiam, unde Christus dicitur.

[¶]108.25 *Moverunt capita.* CASS. Furiosi commotione capitis minantur. AUG. Moverunt capita, quia viderunt pendere in cruce, sed nondum quando caro immutata.

[§]108.26 *Adjuva me, Domine.* CASS. Rogat ut homo, præstat ut Deus.

^{**}108.27 *Manus tua hæc.* AUG. Christus hæc manus, et est Verbum apud Deum et fecit eam, dum Verbum caro factum est. Erat enim sine tempore secundum divinitatem, et facta est in tempore secundum carnem.

^{††}108.28 *Maledicent illi et tu benedices.* Una est maledictio malorum Deus, cum benedicit, facit quod dicit.

^{‡‡}108.29 *Sicut diploide*, etc. Alii interpretantur pro diploide, duplex pallium, id est, confundantur intus et foris, id est, coram Deo, et hominibus.

^{¶¶}108.30 *Nimis in ore meo.* Solet poni *nimis*, pro plus quam debet, sed et pro valde. *In medio.* AUG. Id est, in communi, vel in corde.

^{§§}108.31 *Quia astitit a dextris pauperis.* Diabolus a dextris Judæ, etc., usque ad sed ut animam salvaret a persequentibus.

^{*}109.1 *Psalmus David.* CASS. Psalmus iste septimus, etc., usque ad quidquid in utroque Testamento continetur. CASS. Propheta hortatur Christo subjici. Primo refert propheta verba Patris de Filio, etc., usque ad hoc humanitatis. *Dixit Dominus.* CASS. More nostro, ut homo instruatur. *Dominus Domino.* Personas discerne, et unam naturam, et potentiam accipe. *Sede.* Post laborem quiesce, et conregna, secundum quod homo. *A dextris meis.* In potioribus meis bonis et occultis, donec regnes manifestus. Et hoc est, *donec ponam inimicos tuos*, etc. AUG. *Sede*, non solum in alto, ut excelsis domineris, sed etiam in occulto, etc., usque ad si non videt quod credit. *Scabellum pedum tuorum:* a similitudine, ubi et plena notatur subjectio. Per pedes stabilitas æterna: hoc quotidie in conversis.

[†]109.2 *Virgam virtutis.* Incipit autem ex Sion, id est, ex Judæis regnum Christi, unde subdit, *Virgam virtutis*, etc. *Ex Sion.* Non de illo regno Christi loquitur propheta, etc., *usque ad et remissio peccatorum per omnes gentes, incipientibus a Jerosolya.*

³ Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex utero, ante luciferum, genui te.[‡]

⁴ Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.[¶]

⁵ Dominus a dextris tuis; confregit in die iræ suæ reges.[§]

⁶ Judicabit in nationibus, implebit ruinas; conquassabit capita in terra multorum.**

⁷ De torrente in via bibet; propterea exaltabit caput.^{††}

110 Alleluja. [Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum, et congregatione.^{‡‡}

² Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates ejus.^{¶¶}

[‡]109.3 *Tecum principium.* CASS. Secundo indicat Pater naturam Divinitatis, etc., usque ad quando in resurrectione erunt splendidi, ut angeli Dei. AUG. Jam dominatur, jam virtus; sed *in die* specialis virtutis, etc., usque ad qualiter Pater cum eo principium. Hoc tunc, sed nunc. *Ex utero*, id est, *ut* ex secreta et occulta substantia mea, etc., usque ad qui se offerat, unde sequitur, *Juravit*, etc. CASS. Vel *Tecum principium*: hoc Pater; quasi, hoc tibi tribuo plus quam alii, quia Filius per naturam. AUG. Vel ex persona prophetæ potest accipi loquentis, etc., usque ad cum Spiritu sancto, qui sanctos splendificat.

[¶]109.4 *Juravit Dominus.* CASS. Tertio agit propheta de humanitate Christi, etc., usque ad hinc constat transire victimas secundum ordinem Aaron. *Non pœnitebit eum: tu es sacerdos, in æternum.* AUG. In Deum nulla cadit pœnitentia: scit enim quid agat, nec mutat consilium, sed verbo pœnitentiæ mutatio rerum aliter quam sperabat evenientium significatur. Quomodo enim cum aliquid pœnitet te fecisse, doles factum quod fecisti.

[§]109.5 *Reges* AUG. Qui volunt, vel volebant delere nomen Christi.

^{**}109.6 *Conquassabit*, id est infirmos reddidit, etc., usque ad et nunc *judicabit* in gentibus, *ut ruinas*, non erectos impleat. *Judicabit in nationibus.* CASS. Quasi reges frangit pro superbia: populos judicat propter communia peccata: utrosque ut humilientur ad conversionem. Vel,

^{††}109.7 *De torrente.* CASS. De transitoria passione et turbulenta. In via, qua itur ad aliam mansionem. *Exaltabit caput.* Unde: *Propter hoc exaltavit illum, et dedit Deus illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus est in gloria Dei Patris.*

^{‡‡}110.1 *Alleluia.* CASS. Primus psalmus per omnes litteras alphabeti, etc., usque ad tertio eosdem redemptos asserit, et Novum Testamentum mansurum, ibi *Redemptionem. Confitebor.* AUG. Non est hic confessio peccatorum, sed laudis: illa luget, hæc gaudet: illa vulnus medico ostendit, hæc de sanitate gratias agit. *In concilio.* Non temere, sed ex ratione, scilicet pro æternis, sicut omnes justis. CASS. *In concilio justorum.* Hic nunquam inter omnes justos ubi sunt misti mali, sed jam videntur in futura societate psallere spe rapti ad superna. *In concilio*, quod est, quando cum Domino judicant. *In congregatione*, quando de toto collecti.

^{¶¶}110.2 *Magna opera.* Hæc est materia et causa confessionis. Magna sunt opera Domini, quod de impio facit pium. *Exquisita.* AUG., CASS. Cui nihil simile, dum sinit diabolum sævire, etc., usque ad non: *Justitia enim ejus manet sæculum sæculi. In omnes voluntates.* AUG. Nihil superat voluntatem Dei, qui et si vult, ut non pecces, non tamen prohibet. Si vult parcere pœnitenti, vult et impœnitentem punire; ita de homine semper Deus implet suam voluntatem, quia nihil facit homo, de quo non operetur Deus, quod vult.

- ³ Confessio et magnificentia opus ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi.^{§§}
⁴ Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus.*
⁵ Escam dedit timentibus se; memor erit in sæculum testamenti sui.[†]
⁶ Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo,[‡]
⁷ ut det illis hæreditatem gentium. Opera manuum ejus veritas et iudicium.[¶]
⁸ Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate et æquitate.[§]
⁹ Redemptionem misit populo suo; mandavit in æternum testamentum suum. Sanctum et terribile nomen ejus.**
¹⁰ Initium sapientiæ timor Domini; intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio ejus manet in sæculum sæculi.]

§§110.3 *Confessio et magnificentia opus ejus.* CASS. Quasi confitebor, quia magna sunt opera Domini. Quælibet etiam opera sunt magna, si in eis videatur intentio et voluntas, quæ est *confessio* peccatorum, et *magnificentia* bonorum operum: et *justitia*, id est, merces, quæ juste datur.

*110.4 *Memoriam fecit.* ID. Secundo dicit fideles copioso munere satiatos, promittens adventum Domini, ut hæreditas avide quæretur. AUG. *Memoriam fecit mirabilium suorum.* Hunc humilians et hunc exaltans, etc., usque ad quid in futura gloriificatus accipiet?

†110.5 *Escam dedit.* CASS. Facit confessionem et magnificentiam, etc., usque ad ut omnia impleantur. *Memor erit*, etc. AUG. Nec totum dedit, qui pignus dedit, etc., usque ad per compungentes passionis angustias intrant.

‡110.6 *Virtutem operum.* CASS. Virtus operum est, quod cæci vident, etc. Quæ fecit nota Christiano populo. *Ut det illis hæreditatem*, hæc fuit intentio miraculorum, ut crederent.

¶110.7 *Ut det illis hæreditatem gentium.* ID. Quasi, licet illis det hæreditatem, tamen multa patientur. *Opera manuum ejus.* ID. Id est, virtutis. *Veritas*, dum conversis promissa restituit: *Judicium*, quod impiis minatur. AUG. *Veritas*, quam sancti martyres tenent, pro qua et judicantur hic; *et iudicium*, quo in futuro iudicabunt eos a quibus hic iudicantur. ID. *Opera manuum ejus veritas et iudicium.* Teneatur *veritas* ab his qui iudicantur, etc., usque ad hic est hæreditas Novi Testamenti.

§110.8 *Fidelia omnia mandata.* CASS. Quia servant servantes se, non sunt mendacia. *Confirmata.* Non in cassum missa, ut verba humana: *Facta* non tantum dicta, *in veritate*, quia omnia complentur. *In æquitate.* AUG. Quia omnia cum libra justitiæ.

**110.9 *Redemptionem misit.* CASS. Tertio, redemptos asserit, et Testamentum Novum æterna gratia consecratum, vel. *Nomen ejus: initium sapientiæ.* ID. Id est Filius, qui in humanitate *sanctus*, potentia deitatis *terribilis*. Ametur ergo advocatus, timeatur iudex, ne sis negligens, ne desperes. Timor Domini. ID. Metus iudicii janua est conversionis, si addatur discretio dilectionis. *Laudatio ejus manet.* Intentio psalmi unde alleluia præscribitur, a laude incœpit, in laude finit, populus fidelis a diabolo liberatus gratias agens, expressit, quid et hic faciendum sit devotis, et in cælo peragendum, hic quia liberat, ibi quia coronat.

111 Alleluja, reversionis Aggæi et Zachariæ. [Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.††

² Potens in terra erit semen ejus; generatio rectorum benedicetur.‡‡

³ Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi.¶¶

⁴ Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, et miserator, et justus. §§

⁵ Jucundus homo qui miseretur et commodat; disponet sermones suos in judicio.*

⁶ quia in æternum non commovebitur.

⁷ In memoria æterna erit justus; ab auditione mala non timebit. Paratum cor ejus sperare in Domino,†

⁸ confirmatum est cor ejus; non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

⁹ Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltabitur in gloria.‡

¹⁰ Peccator videbit, et irascetur; dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit.]¶

††111.1 *Alleluia reversionis.* AUG. Aggæus et Zacharias longe post David fuerunt, etc., usque ad æternaliter solidetur. CASS. Perfectio hujus ædificii, etc., usque ad tanquam a captivitate liberati et hilares de bonis quæ habent. *Beatus vir.* CASS. Ostendit hic Psalmista post liberationem, etc., usque ad tertio impiis adversa provenire asserit. *Qui timet Dominum.* Timor mundi miseros facit, sed timor Dei ea appetere facit, per quæ homo beatus est. *In mandatis.* Hoc timor Dei, ut velit. Et non ait faciet, etc., usque ad *terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

‡‡111.2 *Potens.* AUG., CASS. Ecce præmia illius beati. *Semen ejus.* Id est, merces boni operis; *Erit potens in terra,* non hac, ubi derisui, sed cœlesti. Vel etiam hic in isto tempore, quo minus videtur. *Semen,* opera misericordiæ unde messis æterna. *Potens,* quia re minima, etiam ut magna, regnum cœlorum emitur. *Generatio.* Non carnis sed imitationis. Vel opera rectorum. *Recti* sunt, qui non resistunt Patri emendenti, et credunt promittenti, non credunt perisse opera sua, cum non eis temporaliter retribuitur. Sunt enim qui bona illa agunt, mercedem hic a Deo sperantes, vel hominibus placere volentes, quod non beatus vir: et tamen,

¶¶111.3 *Gloria et divitiæ in domo ejus.* Id est, in cordis secreto, ubi habitat cum spe vitæ æternæ, ubi divitiæ sanctæ, et gloria æterna reponuntur. *Justitia.* Hæc est gloria ejus, hæc divitiæ ejus, quam tamen habet a Deo. *Manet in sæculum.* Quasi non temporaliter beatus.

§§111.4 *Exortum est.* CASS. Secundo agit de adventu Domini, etc., usque ad ut eam firmis allegationibus et assertionibus in judicio præmuniat. Vel,

*111.5 *Miseretur.* ID. Qui dat egentibus, *Commodat,* qui mutuuum præstat, post tantumdem recepturus.

†111.7 *Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, manet,* etc. AUG. Patet itaque, quod hic non sua quærit, sed quæ sunt Christi, labores patienter sustinet, promissa fidenter exspectat. CASS. Vel, si quis mala minatur, non timet, sed paratum.

‡111.9 *Dispersit.* Sperat non timere, quia dispersit. *Dedit pauperibus.* AUG. Ecce iste emebat quod non videbat, sed ille thesaurum in cœlo servabat, qui esurire et sitire in pauperibus dignatur in terris. *Justitia ejus manet in sæculum sæculi.* CASS. Sua dedit, et juste et pie vixit, vel, qui dat sua, justitiam operatur. *Cornu ejus exaltabitur in gloria.* Quia hic humilis, ibi potestatem habebit.

¶111.10 *Peccator videbit.* ID. Tertio contraria impiis provenire asserit. Bonis beatiorum hortatur, malis inimicorum terret, et est iste psalmus institutorius fidelium. *Irascetur, dentibus suis fremet et tabescet, desiderium peccatorum peribit,* dicens: *Quid nobis profuit superbia et divitiarum jactantia?* Sap. 5.

- 112** Alleluja. [Laudate, pueri, Dominum; laudate nomen Domini.[§]
² Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc et usque in sæculum.**
³ A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.^{††}
⁴ Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cælos gloria ejus.^{‡‡}
⁵ Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat,^{¶¶}
⁶ et humilia respicit in cælo et in terra?^{§§}
⁷ Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem:^{*}
⁸ ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.
⁹ Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.][†]

§112.1 *Alleluia* CASS. Quia merito laudandus, qui merito humilitatis gentes assumit, titulum psalmi exponit. Alleluia enim, ut diximus, interpretatur laudate Dominum, qualiter et psalmus incipit. *Laudate*. ID. Primo monet Propheta devotos, ut laudent jugiter, et ubique prædicent. Secundo ipse facit, quod monet alios, id est, laudat Deum ibi: *Quis sicut Dominus* I Cor. 14.? Ad laudem ergo monens ostendit, qui et quem, et quandiu, et ubi, et quare laudent, dicit. *Pueri*. Non sensu, sed malitia, maxime superbia, id est, humiles, unde, *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, ut mentibus perfecti sitis*. AUG., CASS. Laudate Dominum, pueri, simplices et puri, qui debent laudare.

**112.2 *Sit nomen*. CASS. Ecce dixit, qui, et quem laudare debeant, deinde subdit: Quandiu laudandus sit, scilicet semper. *Sit nomen Domini*: ne ad horam putetis me imperare laudem, etc., usque ad per gentes carnales, per cælos spirituales.

††112.3 *A solis ortu*. AUG. Hic dicit quod ubique debeat laudari.

‡‡112.4 *Super cælos*. ID. Apostolos, per quos regnat in gentibus, et est; ideo ad laudes invito, quia super omnes est regnaturus.

¶¶112.5 *Quis sicut*. CASS. Secundo ipse facit, quod alios monet, ut et facto alios doceat. *Quis?* Nullus qui per se possit. *In altis*, etc. Angelis et sanctis: et licet altus, non despicit humiles.

§§112.6 *Humilia*. Hi sunt qui dono ejus alti fiunt, et in eis sedet. *Respicit*, humiles singulos. *In terra*, sanctos quos ita respicit, sicut e converso odit superbos.

*112.7 *Suscitans a terra*: de labore corporis. *De stercore*, erigitur cui carnis vitia non dominantur.

†112.9 *Qui habitare*. CASS., AUG. Exponit, ubi suscitatur et erigit, etc., usque ad de mammona iniquitatis per opera misericordiæ. *Sterilem*. AUG. Scilicet, Saram, id est, Ecclesiam gentilem, quæ prius sterilis fuit, unde per Saram significatur. Eam, inquam, facit habitare in domo, id est, in Ecclesia Judæorum, inter ipsos Judæos, ut in lapide angulari duo parietes jungantur, et fiat unum ovile. *Filiorum*. ID. Ex persona quorum hæc dicuntur, etc., usque ad cum sciam me esse sine filiis, et viduam.

113 Alleluja. [In exitu Israël de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro,[‡]
² facta est Judæa sanctificatio ejus; Israël potestas ejus.[¶]

³ Mare vidit, et fugit; Jordanis conversus est retrorsum.[§]

⁴ Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium.^{**}

⁵ Quid est tibi, mare, quod fugisti? et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum?^{††}

⁶ montes, exsultastis sicut arietes? et colles, sicut agni ovium?

⁷ A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob:^{‡‡}

⁸ qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.^{¶¶}

⁹ Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam:^{§§}

¹⁰ super misericordia tua et veritate tua; nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?^{*}

[‡]113.1 **Alleluia.** CASS. Item hic alleluia ex alio negotio ponitur, etc., usque ad ut in psalmi expositione clarescit. **In exitu.** AUG. Hic non narrantur præterita; sed futura prædicuntur, quia in illis gestis futura signabantur: et ideo non omnia hic dicuntur, quæ ibi gesta, sed quædam aliter, ne putetur præterita recolare. CASS. Primo dicit Propheta, quæ mira dederit Deus Hebræis in figura, et Christianis in spiritu. Secundo interrogat quare hæc facta sunt ibi, **Quid est tibi mare?** Tertio inania simulacra gentium reprobatur, et religionem Dei commendat, ibi, **Simulacra gentium.** **In exitu.** Quasi cum Israël, id est, domus Jacob, de Ægypto, id est populo barbaro exiret. **Barbaro.** AUG. Barbaro lingua est, quæ Deum non laudat.

[¶]113.2 **Facta est.** CASS. Sicut ille populus, cum exiret de Ægypto, etc., usque ad possunt resistere vitiis, et hoc.

[§]113.3 **Vidit mare,** id est, peccatores sæculi. **Jordanis,** qui variis desideriis rapiunt homines in magnum mare, id est, hujus sæculi amaricantem malitiam; sed hæc in adventu Domini cessant, quasi conversa retrorsum. **Mare vidit.** AUG. Hoc hic aliter dicitur, quam factum est. Ibi legitur stetisse ab ea parte, qua aquæ desuper fluebant, nec ibi quidquam dicitur de gestientibus montibus, sed tam ibi facta quam hic dicta figuræ sunt.

^{**}113.4 **Arietes.** ID. Qui cornibus utriusque, etc., usque ad omnem scientiam adversus Christum se erigentem. **Colles.** CASS. A colendo, mediocres: non enim hæc ad litteram; unde et per mare, et Jordanem, id est, per antiqua facta, hæc signari non ambigas, quæ hodie spiritualiter fiunt.

^{††}113.5 **Quid est tibi.** ID. Secundo interrogat quare hæc, ut excitet admirationem. Et solvit: **A facie Domini.**

^{‡‡}113.7 **A facie.** ID. Una duobus responsio, quia unus auctor, et sæcula fecit obstupescere, et sua, id est, montes et colles gaudere: Christo enim apparente moti sunt homines a sua superstitione ad cultum Dei. **A facie Dei Jacob.** Et quasi quæreret, quis est Dominus? Deus Jacob non recens; qui facit eos luctari.

^{¶¶}113.8 **Qui convertit petram.** ID. Dura corda Judæorum, ad aquam baptismi. **Rupem.** Gentiles, ut et ipsi emanent irriguos fontes prædicationis. AUG. Id est, se prius durum, cum ignoraretur, etc., usque ad omnibus credentibus inundaret, dicens: **Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.**

^{§§}113.9 **Non nobis.** CASS. Cum dixit Deum bona dare, etc., usque ad veritas, dum præmia restituit, vel impios punit. Ideo, Da.

^{*}113.10 **Nequando:** hoc sæpe impii imputant bonis afflictis. **Misericordia.** AUG., id est, reparatione. **Veritate,** id est, promissione impleta. **Ubi est Deus.** ID. Hoc solent dicere gentes, quæ habent visibiles deos: quia invisibilem Deum colimus.

- 11 Deus autem noster in cælo; omnia quæcumque voluit fecit.†
 12 Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.‡
 13 Os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt.¶
 14 Aures habent, et non audient; nares habent, et non odorabunt.
 15 Manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt; non clamabunt in gutture suo.§
 16 Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.**
 17 Domus Israël speravit in Domino; adjutor eorum et protector eorum est.††
 18 Domus Aaron speravit in Domino; adjutor eorum et protector eorum est.‡‡
 19 Qui timent Dominum speraverunt in Domino; adjutor eorum et protector eorum est.
 20 Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis. Benedixit domui Israël; benedixit domui Aaron.¶¶
 21 Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.
 22 Adjiciat Dominus super vos, super vos et super filios vestros.§§
 23 Benedicti vos a Domino, qui fecit cælum et terram.*
 24 Cælum cæli Domino; terram autem dedit filiis hominum.†

†113.11 *In cælo*. ID., id est, Christo homine, secundum illud: *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians*. Vel, *in cælo*, CASS. id est, potens super omnes creaturas. *Omnia quæcumque voluit fecit*. Per quod omnipotens apparet.

‡113.12 *Simulacra gentium*. ID. Tertio, inania simulacra probat, et religio Dei quam sit utilis ostendit. Et est hic perfecta demonstratio in vituperatione et laude. AUG. Ostensa potentia veri Dei ex operibus, transit ad deos gentium visibiles. *Argentum*. ID. Sed quia Deus hoc fecit, inquit, *Opera manuum hominum*, hoc venerantur quod inde fecerunt, materiam enim creavit Deus; sed stultitia hominum formam addidit.

¶113.13 *Os habent*. ID. Manu sunt formata, etc., usque ad et servierunt creaturæ potius quam creatori.

§113.15 *Non clamabunt*. ID. Post loqui quod est hominis proprium hoc commune addit, etc., usque ad et carens vita sensuque simulacrum.

**113.16 *Similes illis*. ID. Vide erubescibilem culturam, dum ait, *similes*, quod vere sunt; vel similes se eis intelligant.

††113.17 *Domus Israël*. CASS. Hic ostendit Christianæ religionis utilitatem.

‡‡113.18 *Domus Aaron*. AUG. Ne autem videatur majoribus jam res, quæ inferioribus est spes, addit, *Domus Aaron*.

¶¶113.20 *Memor*. CASS. Ut converteret, et conversos per eundem benedixit.

§§113.22 *Super vos*. AUG. Quia crevit numerus magistrorum. *Super filios*. Quia crevit etiam numerus sequacium. Ergo vos utrique, patres et filii, benedicti estis Domino, qui vos fecit *cælum* in majoribus, *et terram* in minoribus; vel fecit omnem creaturam.

*113.23 *Benedicti vos a Domino*. CASS. Qui optavit supra benedici, jam confisus dicit, *Benedicti*, quod ad Deum pertinet, ut ei serviatis. Vere *Domino*, quia etiam *cælum cæli*, id est, Christus est ad honorem Domini; vel,

†113.24 *Cælum cæli*, id est, empyreum, dedit Domino Christo, secundum quod homo. *Terram autem*. Istam inferiorem dedit. *Filiis hominum*. Ut in ea se purificent vel populum prædicatoribus; unde: Sicut misit me Pater, et ego mittam vos Joan. 6.. *Cælum cæli*. AUG. Dicit eos quorum mentes, etc., usque ad quem infirmi sine adminiculo adhuc videre non possunt.

²⁵ Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum:[‡]

²⁶ sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum.]

114 Alleluja. [Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.[†]

² Quia inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo.[§]

³ Circumdederunt me dolores mortis; et pericula inferni invenerunt me. Tribulationem et dolorem inveni,^{**}

⁴ et nomen Domini invocavi: o Domine, libera animam meam.^{††}

⁵ Misericors Dominus et justus, et Deus noster miseretur.^{‡‡}

⁶ Custodiens parvulos Dominus; humiliatus sum, et liberavit me.

⁷ Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi:^{¶¶}

⁸ quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrimis, pedes meos a lapsu.^{§§}

⁹ Placebo Domino in regione vivorum.]^{*}

[‡]113.25 *Neque omnes qui descendunt.* CASS. Vel non omnes qui descendunt; quia et sancti descenderunt, sed non in inferiori.

[†]114.1 *Alleluia.* Hic titulus sæpe iteratur, quia laudatio Dei, et dignitas est operum, et pretium laborum, id est, meritum est et præmium. AUG. Propheta de fovea peccatorum liberatus, et in petra constitutus, primo gratias agit quia exauditus est, et contra omnia pericula se invocasse dicit. Psalmus iste est consolatio fidelium contra dolores sæculi. *Dilexi.* ID. Dicit hoc ovis quæ erraverat, filius reversus, hujus sæculi peregrinus. CASS. *Dilexi.* Non propter temporalia bona mihi data, ut infideles, sed *quoniam*, etc. Diligitur Deus et ab infidelibus quia bona dat; unde: *Confitebor tibi cum benefeceris ei* Psal. 48.. Diligitur perfecte, eum animus adversis non movetur, sed spe accenditur: quem modum post exponit, *dilexi.* Non quia me regem fecit, prospera dedit, sed quia orationem audit in angustiis.

[§]114.2 *Et in diebus meis.* AUG. Scilicet meæ miseræ, quos mihi feci peccando, qui sunt pleni laboris et doloris, id est, vetustæ putredinis. *Invocabo.* Quod non est sine fide; unde Apostolus: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Rom. 10. Dum ergo ait, *invocabunt*, notat quod non est otiosus dilector. In quibus, *Circumdederunt me*, etc. Vel, in diebus salutis, id est tempore plenitudinis; unde: *Ecce nunc tempus acceptabile*, etc. II Cor. 6..

^{**}114.3 *Dolores.* CASS. Peccata, unde dolor et mors animæ; vel, æterna, hæc in inferno erit. *Pericula inferni.* AUG. Suffusus enim carnali voluptate, non animadverti mala me circumdantia.

^{††}114.4 *Tribulationem et dolorem.* ID. Quasi, illa prius me circumdederunt, sed post inveni tribulationem et dolorem, id est, afflictionem exteriorem esse utilem.

^{‡‡}114.5 *O Domine, libera.* CASS. Secundo item clamat, ut liberatus veniat ad requiem. *Misericors Dominus.* AUG. Quia primo inclinavit aurem mihi et me vocavit. *Justus.* Quia flagellat iterum. *Miseretur.* Quia recipit ad beatitudinem. Nec tam amarum debet esse quod flagellat, quam dulce quod recipit, quia Dominus custodit parvulos, quos grandes quærit hæredes.

^{¶¶}114.7 *Convertere.* ID. Non meritis vel viribus tuis, sed quia Dominus benefecit tibi.

^{§§}114.8 *De morte oculos.* ID. Mors est infidelitas; unde: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*; et iterum: *Non mortui laudabunt te, Domine* Psal. 103..

^{*}114.9 *Placebo.* ID. Dixit, etc., usque ad et hoc in regione vivorum, qui vivunt æternaliter.

115 Alleluja. [Credidi, propter quod locutus sum; ego autem humiliatus sum nimis.[†]

²Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.[‡]

³Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?[¶]

⁴Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

⁵Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.[§]

⁶Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.^{**}

[†]115.1 *Alleluia*. Voce laudis congrue prætitulatur hic psalmus, quia in hoc psalmo verba sunt martyrum, qui confessione vigerunt et præmia Dei consecuti sunt. *Credidi*, etc. CASS. Primo memorantur beneficia Dei, quibus quid dignum redderet cum dubitent, occurrit calix passionis, qui a Deo datur. Secundo, servos se dicunt, et filios ancillæ, id est Ecclesiæ, ibi: *O Domine, quia ego*, etc. Verus et congruus ordo, prius credere, post loqui: ne nondum credens audeat loqui, sed fidem sequatur confessio. Ne vero confessio viribus hominis detur, dicit proprium hominis quod mendax: quod non facile sciret, nisi excessu mentis ad superna vectus esset. Magnum enim est si quis se imprudentem attendit. Et cum homo nihil boni proprium habeat, quid retribuendum? *Credidi*. AUG. Non ait: *Credidi et locutus sum*, quia non tantum credidit cætera quæ fides exigit, sed et simul cum illis credidit, et quod præmium loquendo sperare, et quod pœnam tacendo timere deberet; unde loquendi quidem amor ex præmio immittitur, et necessitas ex pœna indicitur. *Propter quod*. Non enim perfecte credit, qui quod credit non loquitur; piger est ille servus, vel timidus, sed fidelis: quod accepit, impendit, et lucratur, et ideo intrat in gaudium Domini sui, dicentis: *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui* Matth. 25.. *In excessu meo*. Vel, exstasi mea. AUG. Et dicitur hic exstasis, etc., usque ad quod *est omnis homo mendax*.

[‡]115.2 *Quid retribuam Domino*. ID.? Territus iste respicit infirmitatem suam, et videt non esse præsumendum de se. Ex se enim homo mendax, ut et Petrus, dum præsumpsit, inventus est mendax: sed virtus Dei est, si non credit. Quod videns iste factum in se gratia Dei, subdit, *quæ retribuit mihi*. Non ait, pro omnibus quæ tribuit. Quæ igitur præcesserunt hominis bona, ut omnium donorum Dei non tributio, sed retributio vocari possit? Quæ præcesserant nisi peccata? Retribuit ergo Deus hominibus bona pro malis, passus pro eis, cum homines retribuunt mala pro bonis.

[¶]115.3 *Calicem salutaris*. ID. Passionem a simili, etc., usque ad quod post dicitur. CASS. *Calicem*, quia sub mensura bibitur. Unde, *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis* I Cor. 10.. *Salutaris*, quia in æternam salutem propitiatur.

[§]115.5 *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*. AUG. Qui prior passus est, dat imitari passiones suas; et ideo: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*. Emit eam sanguine quem pro eis fudit, ne dubitarent pro eo mori. Hoc ergo pretio comparatus, confitetur conditionem suam: *O Domine, quia ego*, etc.

^{**}115.6 *O Domine, quia*, etc. CASS. Secundo servos se dicunt, et filios Ecclesiæ, quia non est locus veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam, ne quis hæreticorum martyrium Deo placere putet. *O Domine*. Admiratur se talia accepisse, qualia Dominus pro mundi redemptione. Et ut augeat admirationem repetit: *Ego servus tuus. Filius ancillæ*. AUG. Jerusalem cœlestis, liberæ a peccatis, ancillæ justitiæ. Qui autem sunt præter Ecclesiam, non sunt filii ancillæ, etsi servos se dicunt quia habent nomen Christi et martyres, ut hæretici. *Filius ancillæ*, Non schismaticus. Vel ut ancilla, non sibi, sed Domino; ita et ego in morte mea aliquos tibi parturiam, sicut et in vita.

⁷ O Domine, quia ego servus tuus; ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea:††

⁸ tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.‡‡

⁹ Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus;

¹⁰ in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.]

116 Alleluja. [Laudate Dominum, omnes gentes; laudate eum, omnes populi.¶¶
² Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum.]§§

117 Alleluja. [Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.*

² Dicat nunc Israël: Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.†

³ Dicat nunc domus Aaron: Quoniam in sæculum misericordia ejus.

⁴ Dicant nunc qui timent Dominum: Quoniam in sæculum misericordia ejus.

⁵ De tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus.‡

⁶ Dominus mihi adjutor; non timebo quid faciat mihi homo.¶

⁷ Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos.§

††115.7 *Dirupisti vincula mea.* CASS. Virtute martyrii vincula peccatorum rumpuntur, quia omnia sanguine abluuntur. Hic versus tantæ virtutis a quibusdam creditur, ut peccata homini dimittantur, si in fine vitæ trina confessione dicatur. ID. Qui *pretiosa. O Domine, tibi sacrificabo;* loquens Deo, affirmat, quod supra dixerat. *Sacrificabo.* AUG., CASS. Et quia dirupisti, tibi sacrificabo, ut gratus, *Hostiam laudis.* Sic quod:

‡‡115.8 *Vota mea reddam.* Non ubique, sed, *in atriis,* id est, in catholica Ecclesia, non hæreticorum. *Domus Domini.* Quæ sit, ostendit. *In conspectu omnis populi.* CASS. Publice debet laudari, qui pro omnibus pati voluit, ut plures ædificentur. *Vota mea reddam.* Meipsum, qui sum imago Dei quæ reddenda est Deo, etc., usque ad et apertius hic nominat Jerusalem. AUG. Sed ne quis putet per Jerusalem Judæos solos significari, qui hoc nomine gloriantur, audiat sequentem Psalmum: *Laudate Dominum, omnes gentes.* Hæc sunt atria Domini, ille enim populus.

¶¶116.1 *Alleluia.* CASS. Brevis psalmus, omnium primus atomus, id est sine divisione: pro sui enim brevitate non recipit divisionem, sed omnes compendio suæ locutionis superat, et est quasi punctus psalmorum, unde diversæ species formantur. Mira variatio contra tædium salutaria dicere, modo paucis, modo late. *Laudate Dominum, omnes gentes.* CASS. Ne qui prætereantur de toto orbe. AUG. Et hæc sunt atria illa domus Domini, et ille omnis populus, unde in præcedenti psalmo egit. Non soli Judæi qui sibi illud arrogare conantur dico laudate eum. Et collaudate. CASS. ut sit in unum redacta omnium laudatio quod est catholicæ Ecclesiæ.

§§116.2 *Confirmata.* CASS. Quia quod per prophetas promisit, adventu Christi complevit; et firmavit misericordiam, ut nunquam moveatur, quia qui dedit, custodit. *Manet in æternum.* AUG. Sive in eis quæ promisit piis, sive in eis quæ minatur impiis.

*117.1 *Alleluia.* CASS. Quintus psalmus de primo adventu, multis figuris decoratus, habet versus unifines, quosdam unius principii, quosdam intercalares et hujusmodi ornatus. Fidelis populus peccato solutus, etc., *usque ad Benedictus qui.*

†117.2 *Dicat nunc.* ID. Ut ego vos, ita vos invicem monete; vel, *dicat,* id est, confiteatur. *Quoniam in sæculum.* Ecce quatuor versus unifines.

‡117.5 *De tribulatione.* ID. Exemplum de se ponit, ut alios ad misericordiam invitet.

¶117.6 *Dominus mihi adjutor.* ID. Idem in duobus principium.

§117.7 *Despiciam.* Alias *videbo.* ID. Hic, ut tutior et cautior fiam. *Inimicos meos.* Damnandos.

⁸ Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.**

⁹ Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.††

¹⁰ Omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.‡‡

¹¹ Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.¶¶

¹² Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis: et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.§§

¹³ Impulsus eversus sum, ut caderem, et Dominus suscepit me.*

¹⁴ Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.†

¹⁵ Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum.

¹⁶ Dexteram Domini fecit virtutem; dexteram Domini exaltavit me: dexteram Domini fecit virtutem.

¹⁷ Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.‡

¹⁸ Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.¶

**117.8 *Bonum est.* ID. Secundo, in solo Deo dicit confidendum, per quem inimicitias gentium evadit, et ad veram vitam venit.

††117.9 *In principibus.* AUG. Angelis, etc., usque ad qui eos pro modo eorum bonos facit.

‡‡117.10 *Omnes gentes.* CASS. Ecce unde liberat de occulta vel aperta tribulatione, vel non permittendo cadere, vel, a casu revelando.

¶¶117.11 *Circumdantes,* etc. AUG. Quasi reddens causam unde tanta potest superare, dicit quid primo in capite passus sit.

§§117.12 *Circumdederunt me,* etc. ID. Quod ab ignorantibus gestum est, mystica subtilitate prædicit Spiritus sanctus. Nescientes Judæi rem omnium fecerunt, et nobis dulciorem, passione Deum, sicut apes dum sibi putant reponere, aliis mel faciunt. *Et exarserunt.* Vel hoc melius de Ecclesia accipitur. Post passionem namque Domini contra Ecclesiam gentium et Judæi exarserunt sicut ignis in spinis peccatorum. Ea enim, id est peccata, in fideli populo igne persecutionis cremaverunt, cui volentes officere, profecerunt. *Quia ultus.* Dum conversi, extincta in eis malitia, populo Christiano sociati sunt; vel, cum in fine iudicati, iudicium veritatis sine misericordia sensuri sunt.

*117.13 *Impulsus,* etc. CASS. Ut quando boni dantur pœnis, ut a fide cadant, et Dominus suscepit. AUG. Quia tam non cadit cui Dominus est fortitudo et laudatio quam non cadit Dominus: illi vero cadunt, qui sibi volunt esse fortitudo et laudatio. *Impulsus eversus sum,* etc. Postquam ostendit quod liberat non permittendo cadere, ostendit etiam quod liberat a casu relevando.

†117.14 *Factus est mihi in salutem.* ID. Non fit, quod non erat sibi; sed illis salus est conversis, quod non erat aversis.

‡117.17 *Non moriar.* ID. Dicit Ecclesia, ut putat persecutor strage funerum posse se delere nomen Christianum, cum potius augeat.

¶117.18 *Castigans.* CASS. Cur autem tanta pertulit, indicat: *Castigans,* quidquid faciunt, castigatio est Domini. Nihil sibi vindicent, morti non datur, cujus vitia purgantur. AUG. Sæpe pater per nequam servos emendat filios, cum illis pœnam, his præparet hæreditatem. Quæ sit autem hæreditas, hinc potest cognosci: *Aperite portas.* Quid intus? *Ingressus confitebor.*

¹⁹ Aperite mihi portas justitiæ: ingressus in eas confitebor Domino.[§]

²⁰ Hæc porta Domini: justi intrabunt in eam.

²¹ Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.

²² Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.^{**}

²³ A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.^{††}

²⁴ Hæc est dies quam fecit Dominus; exultemus, et lætemur in ea.^{‡‡}

²⁵ O Domine, salvum me fac; o Domine, bene prosperare.^{¶¶}

²⁶ Benedictus qui venit in nomine Domini: benediximus vobis de domo Domini.^{§§}

§117.19 **Aperite.** CASS. Tertio portas Jerusalem aperiri sibi cupit, ubi dicit et de angulari lapide. Aperite, o prophetæ, qui portatis claves regni cœlorum. **Portas.** CASS., HIER. Per has portas doctrinæ ingressi vere laudant; extra Ecclesiam catholicam non est laus Dei. CASS. Hæ omnes portæ ducunt ad unam, quæ est Christus, per quam justi intrant in cœlum; unde: **Ego sum ostium, per quod si quis introierit, salvus erit** Joan. 10.. Et alibi: **Nemo venit ad Patrem, nisi per me** Joan. 14.. AUG. Ecce de utroque sæculo mentionem fecit: et quia hæc porta Christus apparuit, **confitebor tibi**, lætus gratias agens, **quia exaudisti** in adventu Filii; priores enim justi adventum petebant. **Portas justitiæ.** Id est, portas mortis, etc., usque ad id est, per eam ad vitam.

117.22 **Ædificantes. ID. Soli Judæi Deum colentes ædificabant, aliis per idololatriam destructis; sed non perfecerunt, quia Christum contempserunt.

††117.23 **A Domino factum.** Vel, **A Domino factum est ei**, secundum aliam litteram. ID. Id est, ad honorem Patris.

‡‡117.24 **Hæc est dies.** Hic est annus jubilæus, figuraliter sub lege observatus, qui dicitur **remittens**, vel **inicians**, quia tunc servi manumittebantur, possessiones dominis restituebantur: et nos hac die a servitute peccati redempti sumus, quibus est hæreditas restituta æterna. CASS. **Hæc est dies.** Etsi omnes fecit, hanc singulariter qua Dominus venit, in qua convenit lætari, quia diabolus jus perdidit, homo revixit; et quia hoc est,

¶¶117.25 **O Domine, salvum,** etc. Ecce desiderium magnæ petitionis. **Salvum,** de clade sæculi. **Prosperare,** ut dolores isti vertantur in æterna gaudia.

§§117.26 **Benedictus,** etc. CASS. Quarto frequentari atria Dei suadet, de adventu Christi gaudens. AUG. Maledictus ergo qui venit in nomine suo, etc., usque ad qui erit maledictus. CASS. **Benedictus.** Laus de adventu, et o reliqui Christiani, nos majores quasi sacerdotes **benediximus vobis**, quod multum prodest, quia **benediximus vobis de domo Domini. De domo.** ID. Id est, Ecclesia catholica, etc., usque ad quia læta confessio post beneficia.

²⁷ Deus Dominus, et illuxit nobis. Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.*

²⁸ Deus meus es tu, et confitebor tibi; Deus meus es tu, et exaltabo te. Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.†

²⁹ Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.]‡

118 Alleluja. [A^{leph} Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.¶

² Beati qui scrutantur testimonia ejus; in toto corde exquirunt eum.

³ Non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt.

⁴ Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

⁵ Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.

⁶ Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

⁷ Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

⁸ Justificationes tuas custodiam; non me derelinquas usquequaque.

⁹ Beth In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

¹⁰ In toto corde meo exquisivi te; ne repellas me a mandatis tuis.

¹¹ In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.

¹² Benedictus es, Domine; doce me justificationes tuas.

¹³ In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.

¹⁴ In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.

¹⁵ In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas.

¹⁶ In justificationibus tuis meditabor: non obliviscar sermones tuos.

*117.27 *Constituite diem.* AUG. Magni, qui excedunt, qui mente verbum Deum apud Deum contingunt, etc., usque ad id est, ad æterna gaudia attingat. *Diem solemnem.* In veteri lege Deut. 10. Pascha, Pentecoste, scenophegia, tres præcipuæ solemnitates, in quibus præceptum ut nemo vacuus in conspectu Domini appareret. Vacuus est, qui in se Christum non habet, qui est fundamentum, quod nemo mutare valet. Inde est quod illis tribus solemnitatibus fidelis populus nummum offert manuali oblatione, interiorem significans. In nummo enim nomen et imago regis. Quisque ergo spiritualiter nummum offerat, ut *nomen* regis, id est Christi, in se habeat, a Christo Christianus dictus; et *imaginem*, id est animam, lumine vultus ejus insignitam Deo exhibeat. *Cornu altaris.* CASS. Vel per *altare* intelligitur sacramentum corporis et sanguinis, etc., *usque ad non habebit vitam æternam.* Vel, *altare* intelligitur mens hominis; unde in lege præceptum fuit Exod. 27. fieri altare quadrangulum et concavum: ideo quadrangulum, quia mens humana quatuor virtutibus muniri debet, prudentia, justitia, fortitudine, temperantia; eadem debet esse concava ad recipiendum verbum Dei atque ignem dilectionis. Tumor enim infusa repellit; unde in Levitico præceptum est Levit. 1. vesiculam gutturis et plumam projici, quando turtur vel columba offertur. Vesicula inflationem superbiæ significat; plumæ, inanes inquisitiones sublimium; hæc ergo projice, ut sis altare concavum.

†117.28 *Deus meus es tu.* Et ut apertius dicamus, istorum verborum hic est sensus: Non sufficiat in terra iste dies festus, quo agnus occisus est: sed constituatur in frequentationibus quousque perveniatur mentibus exaltatis ad interiorem ejus deitatem, ubi laudes cantabimus ita: *Deus meus es tu*, etc. Itaque, sicut cœpit laudem, ita terminat.

‡117.29 *Confitemini Domino.* Ab initio quod deseruimus, in finem quo redimus, non est salubrius aliquid, quod delectet, quam laus Dei

¶118.1 *Expositionem hujus psalmi, ut valde prolixam, omittimus. Vide Ambrosii, Cassiodori, Augustini Enarrationes in psalmos, e quibus ad verbum expressa est glossa ordinaria in hunc locum.*

- 17 *Ghime!* Retribue servo tuo, vivifica me, et custodiam sermones tuos.
18 Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.
19 Incola ego sum in terra: non abscondas a me mandata tua.
20 Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.
21 Increpasti superbos; maledicti qui declinant a mandatis tuis.
22 Aufer a me opprobrium et contemptum, quia testimonia tua exquisivi.
23 Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur; servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.
24 Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ.
25 *Daleth* Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum.
26 Vias meas enuntiavi, et exaudisti me; doce me justificationes tuas.
27 Viam justificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis.
28 Dormitavit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.
29 Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei.
30 Viam veritatis elegi; judicia tua non sum oblitus.
31 Adhæsi testimoniis tuis, Domine; noli me confundere.
32 Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.
33 *He* Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper.
34 Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.
35 Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.
36 Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.
37 Averte oculos meos, ne videant vanitatem; in via tua vivifica me.
38 Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo.
39 Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda.
40 Ecce concupivi mandata tua: in æquitate tua vivifica me.
41 *Vau* Et veniat super me misericordia tua, Domine; salutare tuum secundum eloquium tuum.
42 Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis.
43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque, quia in iudiciis tuis supersperavi.
44 Et custodiam legem tuam semper, in sæculum et in sæculum sæculi.
45 Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi.
46 Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar.
47 Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.
48 Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, et exercebar in justificationibus tuis.
49 *Zain* Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.
50 Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me.
51 Superbi inique agebant usquequaque; a lege autem tua non declinavi.
52 Memor fui iudiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum.
53 Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.
54 Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.
55 Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam.
56 Hæc facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi.

- 57 *Heth* Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam.
- 58 Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo; miserere mei secundum eloquium tuum.
- 59 Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua.
- 60 Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.
- 61 Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus.
- 62 Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.
- 63 Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.
- 64 Misericordia tua, Domine, plena est terra; justificationes tuas doce me.
- 65 *Teth* Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.
- 66 Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.
- 67 Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodivi.
- 68 Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.
- 69 Multiplicata est super me iniquitas superborum; ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.
- 70 Coagulatum est sicut lac cor eorum; ego vero legem tuam meditatus sum.
- 71 Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.
- 72 Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.
- 73 *Jod* Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me: da mihi intellectum, et discam mandata tua.
- 74 Qui timent te videbunt me et lætabuntur, quia in verba tua supersperavi.
- 75 Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me.
- 76 Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.
- 77 Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam, quia lex tua meditatio mea est.
- 78 Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me; ego autem exercebor in mandatis tuis.
- 79 Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua.
- 80 Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.
- 81 *Caph* Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum supersperavi.
- 82 Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me?
- 83 Quia factus sum sicut uter in pruina; justificationes tuas non sum oblitus.
- 84 Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me iudicium?
- 85 Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.
- 86 Omnia mandata tua veritas: inique persecuti sunt me, adjuva me.
- 87 Paulominus consummaverunt me in terra; ego autem non dereliqui mandata tua.
- 88 Secundum misericordiam tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris tui.
- 89 *Lamed* In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cælo.
- 90 In generationem et generationem veritas tua; fundasti terram, et permanet.
- 91 Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.
- 92 Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea.
- 93 In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.
- 94 Tuus sum ego; salvum me fac: quoniam justificationes tuas exquisi.
- 95 Me exspectaverunt peccatores ut perderent me; testimonia tua intellexi.
- 96 Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.
- 97 *Mem* Quomodo dilexi legem tuam, Domine ! tota die meditatio mea est.

- ⁹⁸ Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est.
- ⁹⁹ Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.
- ¹⁰⁰ Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi.
- ¹⁰¹ Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.
- ¹⁰² A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi.
- ¹⁰³ Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! super mel ori meo.
- ¹⁰⁴ A mandatis tuis intellexi; propterea odivi omnem viam iniquitatis.
- ¹⁰⁵ *Nun* Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.
- ¹⁰⁶ Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ.
- ¹⁰⁷ Humiliatus sum usquequaque, Domine; vivifica me secundum verbum tuum.
- ¹⁰⁸ Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine, et judicia tua doce me.
- ¹⁰⁹ Anima mea in manibus meis semper, et legem tuam non sum oblitus.
- ¹¹⁰ Posuerunt peccatores laqueum mihi, et de mandatis tuis non erravi.
- ¹¹¹ Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt.
- ¹¹² Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.
- ¹¹³ *Samech* Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi.
- ¹¹⁴ Adjutor et susceptor meus es tu, et in verbum tuum supersperavi.
- ¹¹⁵ Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei.
- ¹¹⁶ Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab expectatione mea.
- ¹¹⁷ Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper.
- ¹¹⁸ Sprevisisti omnes discedentes a judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum.
- ¹¹⁹ Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ; ideo dilexi testimonia tua.
- ¹²⁰ Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui.
- ¹²¹ *Ain* Feci judicium et justitiam: non tradas me calumniantibus me.
- ¹²² Suscipe servum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.
- ¹²³ Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ.
- ¹²⁴ Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me.
- ¹²⁵ Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.
- ¹²⁶ Tempus faciendi, Domine: dissipaverunt legem tuam.
- ¹²⁷ Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion.
- ¹²⁸ Propterea ad omnia mandata tua dirigebar; omnem viam iniquam odio habui.
- ¹²⁹ *Phe* Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.
- ¹³⁰ Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.
- ¹³¹ Os meum aperui, et attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.
- ¹³² Aspice in me, et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum.
- ¹³³ Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.
- ¹³⁴ Redime me a calumniis hominum ut custodiam mandata tua.
- ¹³⁵ Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas.
- ¹³⁶ Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.
- ¹³⁷ *Sade* Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.
- ¹³⁸ Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis.

- 139 Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.
 140 Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.
 141 Adolescentulus sum ego et contemptus; justificationes tuas non sum oblitus.
 142 Justitia tua, justitia in æternum, et lex tua veritas.
 143 Tribulatio et angustia invenerunt me; mandata tua meditatio mea est.
 144 Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, et vivam.
 145 *Coph* Clamavi in toto corde meo: exaudi me, Domine; justificationes tuas requiram.
 146 Clamavi ad te; salvum me fac: ut custodiam mandata tua.
 147 Præveni in maturitate, et clamavi: quia in verba tua supersperavi.
 148 Prævenere oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.
 149 Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine, et secundum iudicium tuum vivifica me.
 150 Appropinquerunt persequentes me iniquitati: a lege autem tua longe facti sunt.
 151 Prope es tu, Domine, et omnes viæ tuæ veritas.
 152 Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.
 153 *Res Vide* humilitatem meam, et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.
 154 Judica iudicium meum, et redime me: propter eloquium tuum vivifica me.
 155 Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.
 156 Misericordiæ tuæ multæ, Domine; secundum iudicium tuum vivifica me.
 157 Multi qui persequuntur me, et tribulant me; a testimoniis tuis non declinavi.
 158 Vidi prævaricantes et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.
 159 Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine: in misericordia tua vivifica me.
 160 Principium verborum tuorum veritas; in æternum omnia iudicia justitiæ tuæ.
 161 *Sin* Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum.
 162 Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.
 163 Iniquitatem odio habui, et abominatus sum, legem autem tuam dilexi.
 164 Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia justitiæ tuæ.
 165 Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.
 166 Expectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua dilexi.
 167 Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea vehementer.
 168 Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.
 169 *Tau* Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine; juxta eloquium tuum da mihi intellectum.
 170 Intret postulatio mea in conspectu tuo; secundum eloquium tuum eripe me.
 171 Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.
 172 Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas.
 173 Fiat manus tua ut salvet me, quoniam mandata tua elegi.
 174 Concupivi salutare tuum, Domine, et lex tua meditatio mea est.
 175 Vivet anima mea, et laudabit te, et iudicia tua adjuvabunt me.
 176 Erravi sicut ovis quæ periit: quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.]

119 Canticum graduum. [Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.[§]

² Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa.**

³ Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?††

⁴ Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.‡‡

⁵ Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est ! habitavi cum habitantibus Cedar;¶¶

⁶ multum incola fuit anima mea.

⁷ Cum his qui oderunt pacem eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant me gratis.]

120 Canticum graduum. [Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.^{§§}

² Auxilium meum a Domino, qui fecit cælum et terram.

§119.1 *Canticum graduum*. CASS. Beatitudinem, quam superior psalmus unita varietate cantavit, etc., usque ad his ergo gradibus inoffenso pede mentis ascenditur atque descenditur. AUG. *Canticum graduum*. Graduum nomen ambiguum apud nos, etc., usque ad et altitudinem deitatis ipsius. Primus gradus, a malis sæculi exire, et universæ vanitati renuntiare. CASS. Initium profectus est carnalia vitia relinquere et Domino supplicare; unde in veteri lege, quando emebatur mancipium gentile, radebantur ungues ejus et capilli tondebantur Deut. 12.. Quia oportet vanitatem quaque exuere, ut Dei obsequio mancipetur. Hic ab renuntiatione sæculi quibusdam gradibus meritorum ad perfectam et æternam pervenit charitatem, quæ in summo locata est. *Ad Dominum cum tribularer*. CASS. Primo, ascendere incipiens, quia multos invenit obsidentes, a linguis eorum petit liberari: secundo, de permistione malorum conqueritur, *Hei mihi*.

**119.2 *Domine, libera*, etc. Cum incipit homo ascendere, id est, cum cogitat proficere, contempto sæculo, soli hærens Deo, incipit pati linguas adversantium, id est detrahentium, et quod gravius quasi consulendo a salute avertentium: has qui non patitur, nondum proficere conatur. Ascensus ergo primo contra eas precatur: *Domine, libera animam meam a labiis iniquis*.

††119.3 *Quid detur tibi*, etc. CASS. More nimis cogitantis hæsitat, et quærit remedium. *Quid tibi detur, aut quid apponatur?* Duo verba posuit, *dari et apponi*; sagittæ dantur in arma, carbones apponuntur quasi in consolationem.

‡‡119.4 *Sagittæ*. AUG. Verbis Dei sagittatur cor, etc., usque ad ut sit purus locus ædificio Dei.

¶¶119.5 *Heu mihi*. CASS. Secundo de incolatu, et permistione malorum conqueritur. Acceptis sagittis et carbonibus, factus triticum, nondum est in horreo, sed in area ubi multa palea premitur; videns ergo multa mala, quæ ante non viderat clamat: *Hei mihi*. Nulli homini apparent mali, nisi factus sit bonus; *Cum enim crevit herba, et fructum fecit, apparuerunt zizania. Prolongatus*. Etsi breve tempus, desiderio nimis longum videtur. *Cedar*. ID. Filius Ismælis, unde Saraceni descenderunt, qui verius ab Agar dicerentur Agareni: sed a Sara, digniori et libera sibi nomen vindicaverunt, quorum uterque in tabernaculis legitur habitasse. Tabernacula Ismæel recte Cedar dicta sunt: Cedar ad Ismæel pertinet. AUG. Isaac ergo, etc., usque ad si nunc mali a bonis non possunt separari, ferendi sunt.

§§120.1 *Canticum graduum*. CASS. Secundus gradus petere divinam defensionem, cui nihil posse obviare monstratur. AUG. Cui enim de mundo exeunti pericula occurrunt, exposcere debet divinum auxilium, etc., usque ad Talis est iste, qui oculos ad Deum levat. CASS. Primo levat oculos et orat: secundo quod oravit affirmat, ostendens virtutem auxilii impetrati. *Levavi oculos*. ID. Qui quasi inclinatus clamavit, jam respirans, oculos ad intercessores sanctos levat.

³ Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.*

⁴ Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël.†

⁵ Dominus custodit te; Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.‡

⁶ Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.¶

⁷ Dominus custodit te ab omni malo; custodiat animam tuam Dominus.§

⁸ Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum.]

121 Canticum graduum. [Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus.**

² Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.

³ Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.

⁴ Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini.††

⁵ Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum David.‡‡

⁶ Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem, et abundantia diligentibus te.¶¶

*120.3 *Neque dormitet.* AUG. Si dormit in te fides, dormit in te Christus. CASS. Dicitur hoc humana consuetudine; ut quando fessus custos dormitat, furtum patitur.

†120.4 AUG. *Ecce non dormitabit.* Dormitat Christus, etc., usque ad sed ne adhuc putes hoc de aliquo hominum, subdit, *Dominus custodit. Qui custodit Israël.* AUG. Qui non potest videre faciem, etc., usque ad et huic non dormit Christus.

‡120.5 *Dominus custodit.* CASS. Secunda pars, ubi quod oraverat affirmat. Et quasi quis quæreret, Quis est ille custos? subdit, *Dominus custodit,* etc. AUG. Non sine causa est, etc., usque ad dilectio Dei scilicet, et proximi.

¶120.6 *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem,* etc. ID. Deus est sol, etc., usque ad vel *luna,* id est Ecclesia, non permittet uri nocte tribulationis. HIER. Vel *per diem* accipiuntur prospera, etc., usque ad ita nunc in prosperis et in adversis nos servat.

§120.7 *Dominus custodiat introitum tuum.* CASS. Cuncta concludit, bonis initiis bonos exitus adjungat. AUG. *Dominus custodiat introitum tuum.* Intranses custodit, etc., usque ad jam in æternum nihil nocebit.

**121.1 *Canticum graduum.* CASS. Tertius gradus. Magnum gaudium; in Ecclesia pura mente versari, atque digne Deo in hac peregrinatione militare: unde suspiramus ad coelestem Jerusalem, ad quam duabus alis dilectionis levamur. *Lætatus sum in his,* etc. Primo gaudet se monitum ire ad Jerusalem, ubi sancti securi et cum Domino judicabunt. Secundo, ascensurus optat abundantiam pacis: *Rogate quæ ad pacem,* etc.

††121.4 *Testimonium Israël.* AUG. Id est, in quibus cognoscitur quod vere sunt Israël. Quando enim grana sunt cum paleis, totum palea putatur; sed cum separabuntur, tunc erit testimonium Israël.

‡‡121.5 *Sedes.* ID. Id est justi, in quibus Deus sedet, etc., usque ad caveant ergo sibi omnes interrogandi.

¶¶121.6 *Rogate.* CASS. Secunda pars, ubi loquitur ad iudices, optans eis abundantiam pacis, quam amore fratrum prædicavit. *Diligentibus.* AUG. Qui amat in alio bonum, quod ipse non potest habere, imputatur ei quasi haberet; unde: Si charitas non habet quod det, det calicem aquæ; et tantum imputatur ei quantum Zachæo multa Matth. 10.. Impar facultas, sed non impar charitas.

⁷ Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.^{§§}

⁸ Propter fratres meos et proximos meos, loquebar pacem de te.

⁹ Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi.]*

122 Canticum graduum. [Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.[†]

² Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum; sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.[‡]

³ Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione;[¶]

⁴ quia multum repleta est anima nostra opprobrium abundantibus, et despectio superbis.]

123 Canticum graduum. [Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël,[§]
² nisi quia Dominus erat in nobis: cum exsurgerent homines in nos,^{**}

^{§§}121.7 *Fiat pax*. ID. Charitas est virtus fortis ut mors, etc., usque ad subdit: *Propter fratres meos. In turribus*. ID. Id est in excelsis tuis. Pauci sunt iudices, sed multi ad singulos pertinebunt, quos recipient in æterna tabernacula, et tunc erit *abundantia in turribus*; Deus autem est tota eorum abundantia, tam recipientium quam receptorum.

*121.9 *Propter domum Domini Dei*. Vel sic legas ut hic versus sit expositio præcedentis. Quasi, *loquebar pacem de te, propter proximos et fratres*, scilicet: *Quæsivi bona tibi propter domum Domini Dei nostri*. Sententia horum verborum non mutatur. *Tibi*. O tu, cœlestis Jerusalem, quia domus Dei es, et ita in hoc quod te diligo, Deum diligo.

†122.1 *Canticum graduum*. CASS. Quartus gradus, inter quaslibet angustias constanter de Domino esse præsumendum, donec misertus exaudiat. Qui supra ad montes, nunc ad Deum oculos levat. *Ad te levavi*. ID. Primo vox tribulatorum Deum respicientium, non ad alia patrocina; secundo, precatur misericordiam contra insultantes. AUG. *Ad te levavi*. Quo levaret, nisi quo ascendens tendebat? non se attendit iste, ut superbus, qui sibi placet: nam qui sibi displicet, hic talis Deo placet; et cui Deus placet, ipse sibi displicet. *Levavi*. Ascensus ergo est in affectu, etc., usque ad sed qui peregrinatur et desiderat patriam.

‡122.2 *Ecce sicut oculi*, etc. CASS. Servus levat oculos in manus Domini, quando eget vel quando vapulat, quia utrumque in Domini potestate. *Sicut oculi ancillæ*. AUG. *Servus* est populus; *Dominus*, Christus; *Ancilla*, Ecclesia; domina, Dei virtus, et Dei sapientia. Et si jam filii et amici per gratiam, servi tamen sumus per creaturam, quia omnis creatura Deo servit. CASS. Dat similitudinem de servo et ancilla, domino et domina, ne femineus et debilior sexus se exceptum putet.

¶122.3 *Miserere*. ID. Secunda pars, ubi precatur misericordiam contra insultantes. Servus qui vapulat, levatis oculis ad Deum, erumpit in necessariam vocem: *Miserere. Repleti sumus*. Ut cum dicitur. Quid credis, insane, vides quod credis? Reversus est ne aliquis ab inferis, et retulit tibi quid ibi agitur? Ecce, quod ego amo, video et fruor.

§123.1 *Nisi quia*. CASS. Primo sancti martyres memores quanta evaserunt, soli misericordiæ ascribunt; secundo, gratias agunt, quod liberati.

**123.2 *Montes in circuitu*, id est, angeli, prophetæ, apostoli sunt murus ejus: unde Isaias: *Et erit in ea murus, et antemurale* Isa. 26.; sed ne in montibus remaneas, addit, et Dominus in circuitu. *Ne ergo sit spes in montibus*, sed in vertice montium: unde Isaias: *Erit in novissimis diebus mons in vertice* Isa. 21., etc. *Qui confidunt*. CASS. Primo asserit, etc., usque ad quia et multi sunt, et unum sunt. *Mons Sion*. HIER. Christus, in quo fundata est Ecclesia: Mons ille ad litteram, in fine sæculi commovebitur.

³ forte vivos deglutissent nos; cum irasceretur furor eorum in nos,^{††}

⁴ forsitan aqua absorbuisset nos;^{‡‡}

⁵ torrentem pertransiuit anima nostra; forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.^{¶¶}

⁶ Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.^{§§}

⁷ Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus.*

⁸ Adjuutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum et terram.]

^{††}123.3 **Forte vivos deglutissent nos.** Vivunt qui sciunt idolum nihil esse. Mortui sunt, qui illud putant aliquid esse. Ergo mortui absorbentur, qui putant malum faciendum quod faciunt; vivi autem, qui quidem sciunt malum esse quod faciunt, sed persecutione superati in societatem transeunt impiorum, et Deo hujus vitæ dulcedinem præferunt, sicut quidam qui timore mortis idolis sacrificaverunt. AUG. Attende etiam quod Petrus, id est Ecclesia, absorbet multos, sed non vivos. Cui dicitur: **Macta et manduca.** Act. 10. Nullum enim manducat, id est, membris inserit, nisi mactatum, id est, renuntiantem diabolo. Mactatur ergo in malo, sed vivificatur in bono, qui manducatur a Petro. E contra accidit illi quem deglutit diabolus. **Virgam peccatorum.** AUG. Dominantur enim aliquando propter disciplinam bonorum, sed hoc non semper erit, ut hic aperte dicit propheta: et ideo non deficienti iusti, quia sciunt tempus futurum, quo Christus in claritate sua apparens, congregabit ante se omnes gentes, et dividet eas sicut pastor dividit hædos ab ovibus, ovesque ponet a dextris, hædos a sinistris. **Sortem.** CASS. Id est, justos sorte electos, vel qui sunt sors et hæreditas Dei.

^{‡‡}123.4 **Aqua.** AUG. Peccator populus et est a similitudine Ægyptiorum: quæ aqua torrens fluit cum impetu, sed cito transit; unde subdit: torrentem **Benefac, Domine.** ID. Secunda pars, ubi confirmato populo, precatur quod scit futurum ut bonis prosperitas, malis vindicta veniat.

^{¶¶}123.5 **Aquam intolerabilem.** AUG. Sine substantia, ut sunt vitia, et peccata, et dulcedo hujus vitæ, etc., usque ad prodigumque filium longa necessitate confectum ad patrem reduceret. **Declinantes autem.** ID. Pari etiam sententia pereunt, qui declinant iussa principis, et qui opera mala velle contendunt; deficientes, cum cogentibus deficere. **Pax super Israël.** AUG. Uno nomine patria hæreditas dicitur quæ est Christus. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, qui pacem supra pacem dabit nobis.

^{§§}123.6 **Benedictus Dominus.** CASS. Secunda pars, ubi sancti gratias agunt quod liberati et quod laqueus contritus.

*123.7 **Anima nostra.** AUG. Vel, sicut aliquo faciente strepitum magnum, etc., usque ad quæ est quasi laqueus. **Venantium.** ID. Venantes sunt persequentes, esca in muscipula, dulcedo hujus vitæ. **Laqueus contritus.** CASS. Occisis martyribus, non restat dulcedo vitæ, qua possint iterum capi: sed ipsi non simul contriti sunt, imo liberati. **Contritus.** ID. Quasi diceret: quia ferreus erat; non ruptus, ut stupa, tanta fortitudo passionis, tanta potentia liberantis. PSAMUS CXXIV

- 124** Canticum graduum. [Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat[†]
²in Jerusalem. Montes in circuitu ejus; et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.[‡]
³Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas,
⁴benefac, Domine, bonis, et rectis corde.[¶]
⁵Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Pax super Israël !]§

[†]124.1 *Canticum graduum*. CASS. Septimus gradus in figura Veteris Testamenti per venturum Christum, reversionem de captivitate, quasi de Babylonia prophetat: unde jam consolatio, et seminatio ut plus metatur. AUG. Redempti sanguine Christi et conversi a captivitate, hæc cantant, dum peregrini, gementes in via. Sion est Jerusalem in angelis æterna, in hominibus captiva. *In convertendo*. CASS. Primum magnitudo facti, cum magnitudine gaudii ostenditur: secundo precatur conversionem a captivitate adhuc futura, ibi, *Converte, Domine. In convertendo*. AUG. Vel, cum converterit, etc., *usque ad converte, Domine, captivitatem nostram. Sicut*. ID. Non semper ad similitudinem ponitur, sed ad proprietatem, ut hic; unde etiam dicitur: Fecit ut justus, quod vere est, ita facti fiunt isti *sicut consolati*, id est, gavisii sunt, ut consolationem accipientes in resurrectione Christi, qui præcessit ut consequamur.

[‡]124.2 *Os nostrum*. CASS. Cordis arcanum, ubi primum gaudia, quæ post officio linguæ erumpunt. AUG. *Os nostrum*. Cordis, inde procedit malum bonum, quod nos mundat, vel inquinat; unde non: *Quod procedit de ore, inquinat* Marc. 7.. Non de ore carnis, sed cordis. Non enim si nominas furta et alia mala, immundus es: sed dum cogitas, et si sileas. *Inter gentes*. ID. Non gentes, quia non omnes credunt. *Magnificavit*, quia vident eos etiam virtutes operari; firmum testimonium ab adversario. CASS. Et vere magnificavit, ne dubites de verbis gentium.

[¶]124.4 *Converte, Domine*. ID. Secunda pars. Precatur conversionem, quæ futura est, in qua fiet seminatio spe gaudii. ID. Aventus Domini redemptione prædicta, precantur iterum peccata sua dimitti. In generali remissione gaudent, et sibi veniam precantur. *Converte, Domine, Captivitatem nostram*. ID. Nulla ad litteram in diebus David, sed sub diabolo mundus captivus, etc., usque ad non ideo desistentium, quia *qui seminat in lacrymis*. THEOD. Austrum Hierosolymam vocat, etc., usque ad ut cogantur, et torrentis instar iter faciant.

[§]124.5 *In lacrymis*. AUG. Spiritualis seminatio semper in lacrymis, unde: *Beati qui lugent*. Qui vero seminant in carne, cum lætitia seminant: sed post fletus: quia *extrema gaudii luctus occupat*. ID. Zachæus, *Ecce dimidium*, etc., *usque ad: Qui dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem* Matth. 10.. *Euntes*. CASS. Profectu melioris vitæ. *Mittentes*, ante se præmittentes in illo sæculo. *Sua*, non de rapina, sed de proprio labore; *venientes*, ad iudicium. Hoc commune omnium, sed ad gaudium non nisi boni veniunt. *Et flebant*. AUG. Quia miseri erant, etc., usque ad optat multos esse ægros.

125 Canticum graduum. [In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.**

²Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.††

³Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus lætantes.‡‡

⁴Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro.¶¶

⁵Qui seminant in lacrimis, in exultatione metent.

⁶Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.]

**125.1 *Canticum graduum Salomonis*. CASS. Octavus gradus, etc., usque ad et in se lapide angulari Ecclesiam de duobus parietibus Judæorum et gentium construxit. AUG. Hic additur *Salomonis*, quia is ædificavit templum, in figura pacifici Christi, qui ædificavit Ecclesiam de duobus parietibus. Ne ergo acciperes illum Salomonem, ait, *Nisi Dominus ædificaverit*. In hoc spes ponenda, sed in nullo hominum: quia et ille Salomon cecidit qui templum ædificavit. CASS. Primo, monet quomodo ascendentes se habere debeant, scilicet discant quod ædificatio et custodia non nisi a Deo est. Et exaltatio in futuro non est nisi post humiliationem. Secundo, dicit quæ sit hæreditas, et quomodo collecta, ibi, *Ecce hæreditas. Nisi Dominus*. ID. Quasi diceret: jam venit Jesus, de captivitate reduxit: jam civitas ædificatur Jerusalem; sed discant ascendentes, quod ædificatio et custodia non nisi a Deo, et exaltatio non nisi post humiliationem in futuro; etsi enim læti de gratia Novi Testamenti, tamen in tanto munere non est præsumendum alicui. *Domum*. AUG. Ad hanc ascendit omnis, qui proficit: cadit ab hac omnis, qui deficit; amando Deum ascendis, amando sæculum cadis. Sunt enim ista cantica amantium, et quodam desiderio sancto flagrantium. *Laboraverunt*. ID. Omnes in hac ædificatione laborant, qui in Ecclesia prædicant verbum Dei. *Civitatem*. CASS. De domo ad civitatem transit, ut nec in singulis, nec in minuta collectione fit præsumptio. Et quamvis domus et civitas secundum metaphoram, quæ de diversis inducitur, sint diversa: una tamen est Ecclesia, quam utraque significat.

††125.2 *Ante lucem*. AUG. Si surgitis antequam lux surgat; lux est Christus, post quem surgendum est, non ante; ut ille facit, qui se ei præponit: volens hic esse altus, ubi ille humilis fuit: ut et filii Zebedæi: sed resurrectio, id est, exaltatio sequitur sessionem, id est humiliationem, ut lux nostra Christus post mortem surrexit altus. *Sederitis*. Sessio aliquando significat honorem judicandi, hic autem humiliationem. *Manducatis panem doloris*. AUG. Manducat panem doloris, qui gemit in hac peregrinatione, id est, in valle plorationis de afflictione se reficit, dicens: *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* Psal. 41.. *Somnum*. CASS. Mortem temporalem, in qua secura passatio.

‡‡125.3 *Ecce hæreditas*. ID. Secundo, quæ hæreditas et quomodo collecta. Quasi diceret, dilecti post somnum surgent. *Fructus ventris*. AUG. Venter Ecclesiæ, etc., usque ad quia omnes acquisivit per obedientiam passionis, *unde postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* Psal. 2..

¶¶125.4 *Sicut sagittæ*. ID. Sed unde facta est tanta hæreditas, quia potens Dominus, dum fortiter sagittas, apostolos, de arcu sacræ Scripturæ excussit, usque ad fines terræ pervenerunt illæ excussæ, sic sunt autem *fili excussorum*, quomodo illi excussi. *Filii excussorum*. ID. Filii apostolorum; quibus dictum est, *Excutite pulverem de pedibus vestris* Matth. 18.. Sed ita videntur, etc., usque ad qui manu Dei missi sunt usque ad fines terræ.

126 Canticum graduum Salomonis. [Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.^{§§}

² Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis suis somnum,^{*}

³ ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.[†]

⁴ Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.[‡]

⁵ Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.[¶]

127 Canticum graduum. [Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.[§]

² Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit.^{**}

³ Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ; filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.^{††}

§§126.1 *Canticum graduum*. CASS. Nonus gradus est, ut pacificus caste timeatur, qui solus exaltat, custodit, ædificat. Primo bona timentis enumerat; secundo optat bona timentis. *Beati omne qui timent Dominum*. Sciendum quatuor esse timores, etc., usque ad de quo hic dicit Propheta: *Beati omnes qui timent Dominum*.

*126.2 *Labores manuum*. ID. Et nota quod a pluribus cœpit dicens: *Beati*: sed quia omnes unum sunt in Christo singulariter, sequitur, *Labores manuum tuarum*. AUG. Labores fructuum dicit, cum deberet dicere: Fructum laborum; sed quia et labores cum gaudium sumuntur propter spem, et ipsi jucundant, et modo sunt cibus; sed jucundior eorum fructus erit, quando sancti venient *cum exultatione portantes manipulos suos*.

†126.3 *Uxor tua*. CASS. Etsi hoc ad litteram accipi posset, etc., usque ad ad Novum Testamentum pertinet. AUG. Vel per *uxorem* intelligitur Ecclesia, et dirigitur sermo ad Christum, cum dicitur *tua* et *tui*; nec tamen mutatur vox, vel persona propter unitatem capitis et corporis. Unus enim homo Christus, caput est, et corpus, et in capite quisque fidelium hoc habet.

‡126.4 *Benedicetur*. CASS. Ubi benedictio est, omnia bona confluunt ad gaudium suavitatis. *Benedicetur*. ID. Secunda pars, ubi ex pietate postulat benedici timentes, optat hic bona timenti, quæ, scilicet non sunt malis communia.

¶126.5 Vel, *Dominus*. AUG. Judæorum, Ex Sion, etc., usque ad quod non ita possunt.

§127.1 *Canticum graduum*. CASS. Decimus gradus, ut qui caste timet, pro eo omnia ferat, quod nunc expedit Ecclesiæ inter malos. *Sæpe expugnaverunt*. AUG. Mali, etsi audiunt verbum Dei, etc., usque ad quod tot malos ferant. CASS. Ostendens primo quæ tulerit, consolatur infirmos. Secundo agit de reprobatione persequentium, ibi, *Dominus justus. Sæpe expugnaverunt*. Quasi: O filii, nolite mirari ad ista, etc., usque ad quia crescit Ecclesia in adversis.

**127.2 *Etenim non potuerunt mihi*. AUG. Scilicet prævalere, ut me traherent in consensum peccati.

††127.3 *Supra dorsum*. CASS. Quod mali nequeunt publice omnibus, occulte singulis tentant suadere, ut qui a facie venientes viderentur a tergo non sentiantur. *Prolongaverunt iniquitatem*. Alias, *longe a me fecerunt injustitiam suam*. AUG. Qui etsi mali cum bonis in sæculo, si etiam in Ecclesia sint: ne quis tamen putet iniquitatem juxta justitiam, etsi eos porto, tamen longe est a me eorum iniquitas, ne quis ergo timeat mistos sibi malos, qui longe sunt. *Dominus justus*. CASS. Secunda pars, ubi agit de reprobatione persequentium.

⁴ Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.‡‡

⁵ Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

⁶ Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Israël.]¶¶

128 Canticum graduum. [Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israël;§§

² sæpe expugnaverunt me a juventute mea: etenim non potuerunt mihi.

³ Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores; prolongaverunt iniquitatem suam.*

⁴ Dominus justus concidit cervices peccatorum.†

⁵ Confundantur, et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

⁶ Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit:‡

⁷ de quo non implevit manum suam qui metit, et sinum suum qui manipulos colligit.

⁸ Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini super vos. Benediximus vobis in nomine Domini.]¶

129 Canticum graduum. [De profundis clamavi ad te, Domine;
² Domine, exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

³ Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?

‡‡127.4 *Qui oderunt Sion.* ID. Quam non tantum manifesti persecutores, sed etiam qui fecte intrant, oderunt. Qui enim nolunt observare verbum Dei, oderunt Ecclesiam. *Fiant sicut fœnum tectorum.* CASS. Feno tectorum mali comparantur, etc., usque ad sed in neutro fructus est malis. GREG. Ante omnes herbas arescere scirpus dicitur, etc., usque ad quasi viriditatis speciem amittit, etc.

¶¶127.6 *Quod priusquam evellatur.* AUG. Nondum finiti sunt in iudicio Dei, et jam non habent succum viriditatis. *Et non dixerunt.* CASS. Mos inter Hebræos erat ut viator operantibus benediceret: unde hic dicitur e contrario, quia inaniter operantibus benedictio nulla datur. *Et non dixerunt.* Quos non colligent angeli, quibus non prædicaverunt apostoli. Et hoc est quod ait: AUG. *Et non dixerunt,* etc. Maxime Judæis, mos erat quibuscunque operantibus dicere: *Benedictio Domini super vos. Benediximus vobis in nomine,* etc. CASS. Bonis benedicunt, non in suo, sed *in nomine Domini:* a quo omnia, non ab eis.

§§128.1 *Canticum graduum.* ID. Undecimus gradus, etc., usque ad ponitur læta conclusio cum certitudine veniæ, ibi, *Speret Israël in Domino. De profundis.* AUG. Qui sentit se in profundo, etc., usque ad sicut dicit Scriptura: *Peccator, cum venerit in profundum vitiorum, contemnit.*

*128.3 *Quis sustinebit.* ID. Quia prope omnis humana vita peccatis circumlatratur, omnisque conscientia suis cogitationibus accusatur. Non est castum cor, quod præsumit de justitia sua. Præsumat ergo de Dei misericordia, *Quia apud eum propitiatio,* unde subdit:

†128.4 *Quia apud te propitiatio est.* Quasi: Qua spe clamas? Quia est in te misericordia quod ita ait: Vel ita junge. AUG. Nullus potest sustinere, etc., usque ad una ergo est spes: *Quia apud te propitiatio est,* etc., *Propter legem tuam,* ID. *legem misericordiæ sustinui,* etc., usque ad et hanc legem dedisti in ipsa necessitate.

‡128.6 *Matutina.* ID. Speret vigilia matutina, qui non aliud a Deo quam immortalitatem speret. *A custodia matutina,* etc., usque ad inde in lege caput et cauda hostiæ Domino offerebantur. *Speret Israël in Domino.* CASS. Secunda pars, ubi læta conclusio: Securus de se, prædicat, ut semper sperent in Domino. Quasi sicut anima speravit, similiter speret Israël.

¶128.8 *Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus.* ID. Hic dixit jam quid sit facturus ille, quem dixit misericordem et copiosum.

⁴ Quia apud te propitiatio est; et propter legem tuam sustinui te, Domine. Sustinuit anima mea in verbo ejus:

⁵ speravit anima mea in Domino.

⁶ A custodia matutina usque ad noctem, speret Israëel in Domino.

⁷ Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

⁸ Et ipse redimet Israëel ex omnibus iniquitatibus ejus.]

130 Canticum graduum David. [Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.[§]

² Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam: sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.**

³ Speret Israëel in Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum.]^{††}

131 Canticum graduum. [Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus:^{‡‡}

² sicut juravit Domino; votum vovit Deo Jacob:

[§]130.1 *Canticum graduum*. CASS. Duodecimus gradus est humilitas, quam intus et extra hic se habere ostendit. Ad humilitatem ergo monet. *Domine, non est*. ID. Primo proponens se humilem, pœnam inducit non humili; secundo, suo exemplo ad spem monet. Ostendens ergo se humilem intus et extra, ait. *Neque ambulavi*. AUG. Non fui superbus, nolui quasi in mirabilibus, etc., *usque ad: Quanto major es, humilia te in omnibus*.

**130.2 *Si non humiliter sentiebam*. ID. Nutritus in lacte quod est Verbum caro factum ut sic crescerem ad panem angelorum, ad Verbum quod apud Deum, sed non. *Exaltavi*, ut hæretici. Qui si utcunque aliquid cœperint, vel visi sunt capere, inde superbiunt; et cum adhuc teneri super matrem sint, et portentur manibus, ut crescant, qui portati fuerunt in utero ut nascerentur: a lacte ante tempus separantur, unde exstinguntur. *Ita retributio*. ID. Obstringit se maledicto, etc., usque ad sic revelabit Deus quod aliter sapit, *quia superbis resistit, humilibus dat gratiam. Sicut ablactatus est*. Sicut enim quinque tempora narrantur, etc., usque ad quia Deus erat homo; sed non mutatus in hominem.

^{††}130.3 *Speret Israël*. CASS. Secunda pars, ubi concludit suo exemplo cæteros monens.

^{‡‡}131.1 *Canticum graduum*. ID. In tredecimo gradu jam humilis et mansuetus, etc., usque ad unde in Isaia: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos? Memento, Domine, David et omnis*. ID. Primo ostendens votum ædificandi domum, precatur ut impleat. Secundo, ostendit domum ædificatam, ibi, *Ecce audi*. Tertio, dicit promissiones Dei factas ædificatæ Sion, ibi, *Juravit Dominus*. Volens ergo ædificare domum Domino, ait in persona totius Christi capituli: *O Domine*, etc. *David*. AUG. Ad litteram, mansuetus, ut Sauli malum pro malo non redderet. *Sicut juravit et votum vovit*. Id est, ut impleat quod promisit: nemo præsumat viribus suis reddere quod vovit. Vovit autem Ecclesia in mansuetudine, ut sit domus Dei, quo nihil gratius potest Deo offerri. Domus autem est, si sua non quærit, sed de communi gaudet: de propriis fiunt mala, unde ait: *Si introiero*. Sciebat se proprio impediri, ne fiat locus Dei.

³ Si introiero in tabernaculum domus meae; si ascendero in lectum strati mei;^{¶¶}

⁴ si dederò somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem,^{§§}

⁵ et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.*

⁶ Ecce audivimus eam in Ephrata; invenimus eam in campis silvae.†

⁷ Introibimus in tabernaculum ejus; adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.‡

⁸ Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.¶

⁹ Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exsultent.§

^{¶¶}131.3 *Si introiero usque donec inveniam locum Domino.* Littera suspenditur, et est aposiopesis, ac si diceret: Si hoc vel illud fecero, nunquam de cætero mihi credatur. Quasi juravit David Domino: *Si introiero in tabernaculum domus meae*, etc. CASS. Vel ex persona Christi ab illo loco: *Si introiero in tabernaculum domus meae*, scilicet, coelestis habitationis. Tabernaculum est coelestis habitatio. *Si ascendero*, etc., ad dexteram Patris, ubi lectus, id est requies et finis laborum.

^{§§}131.4 *Sumnum*, requies mortis triduanæ, Deinde aliis verbis idem repetit. *Et palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis* donec Ecclesia sancta prædicatione sit fundata. Aposiopesis est quasi, non amplius credatur mihi. *Et palpebris.* AUG. Est qui non dormit, sed dormitat: modo retrahitur a terrenis, modo illo revolvitur, crebro inclinatur caput.

^{*}131.5 *Et requiem.* A requie temporum somnus venit ad oculos quia dormituris tempora incipiunt. Cum ergo incipit delectare ad peccatum aliquid temporale, gravantur tempora, sed ne des te illi delectationi, et somnus non venit ad oculos, ista cogitatione, si quasi confricans frontem excutis somnum. *Inveniam:* ID. dicit, quia diu quæsivit. *Locum Domino:* in se quærebat, qui super humilem et quietum requiescit. Locus autem Dei est, si suas deserit res; vel saltem, si se non amat, sed Deum. *Tabernaculum.* ID. Adhuc gemimus. In domo laudabimus, quia gemitus est peregrinantium; laudatio jam in patria commorantium. *Deo Jacob.* Dicit solvisse, sicut supra dixit promississe.

[†]131.6 *Ecce audivimus.* CASS. Secunda pars ubi ostenditur ædificata domus, et ubi et precatur qui exaltentur, et ne Judæi sint penitus alieni. *Eam in Ephrata*, AUG. vel *eam*, etc., usque ad ubi erant vepres idololatriæ. CASS. Ecce audi, scilicet Dominum nasciturum in Ephrata Bethlehem, ubi natus est Dominus: auditum est nasci in Bethlehem, sed propter fidem gentium *in campis silvæ* compertus est.

[‡]131.7 *Introibimus.* AUG. Nos quoque perseverando in militia nostra tamen introivimus vel introibimus in tabernaculum ejus, Dei Jacob: ad hanc domum pertinet, qui aliis tanquam vivis lapidibus charitate compaginatus est. Intrat ergo qui diligit, et qui intrat, domus Dei efficitur. *In loco.* Domus Dei est, ubi debet adorari: præter quam non audit Deus ad vitam æternam. Ille ad domum pertinet, qui est charitate compaginatus aliis. Vel locus in quo stant pedes domus Domini, Christus est, in quo perseverant.

[¶]131.8 *Surge.* ID. Et dicitur, qui dicit, *Dormivi conturbatus:* Surge a morte, in requiem tuam, ut jam non conturberis, quia *mors ultra non dominabitur.*

[§]131.9 *Sacerdotes.* ID. Accipit eosdem sacerdotes et sanctos, scilicet omnes fideles. Vel, per *sacerdotes*, significat prælatos Ecclesiæ; per *sanctos*, subjectos fideles. Arcam ergo, quam surgere precatus erat, per partes Ecclesiæ distinguit. *Sacerdotes*, ut in Veteri Testamento sacerdotes diversis ornamentis, ita evangelici sacerdotes diversis virtutibus adornantur: hæc sunt ornamenta, quæ Deus exigit. Quæ enim legales pontifices in vestibus gestabant, illa evangelici sacerdotes in cordibus habere debent.

- ¹⁰ Propter David servum tuum non avertas faciem christi tui. **
- ¹¹ Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. ††
- ¹² Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo eos, et filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam. ‡‡
- ¹³ Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.
- ¹⁴ Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. ¶¶
- ¹⁵ Viduam ejus benedicens benedicam; pauperes ejus saturabo panibus. §§
- ¹⁶ Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exsultatione exsultabunt. *
- ¹⁷ Illuc producam cornu David; paravi lucernam christo meo. †
- ¹⁸ Inimicos ejus induam confusione; super ipsum autem effloreat sanctificatio mea.]‡

** 131.10 *Propter David servum*. CASS. **Memento**: Et bene dico *propter David*, quia *juravit Dominus David*. **Propter**: deinde ex persona ipsius David rogantis Deum Patrem. AUG. Quia enim Christus a Judæis faciem avertit ad gentes, rogatur Pater propter reliquias, ut salvæ fiant, quod in apostolis et in aliis multis impletum est. Et ait: *propter David*, ac si diceret: Mei etiam memento, ut propter me Judæos funditus non repellas.

†† 131.11 *Juravit*. CASS. Tertia pars, ubi dicit promissiones Dei factas ædificatæ Sion, id est Ecclesiæ. Et loquitur David in sua vel in totius Christi persona. **Et non frustrabitur alias non pœnitebit**. AUG. Pœniteri dicitur Deus, etc., usque ad in enim facis quia erraveras: ille facit, et liberat. **De fructu ventris tui**. Poterat dicere ex fructu femoris tui, etc., usque ad quia quos David temporaliter rexit, Christus spiritualiter.

‡‡ 131.12 *Si custodierint*. ID. Meritum videntur facere, etc., usque ad hoc non mutatur. **Et filii eorum**. CASS. *Si custodierint testamentum*. **Sedebunt super sedem tuam**, id est, participes erunt tuæ beatitudinis: Ut sicut es regiæ potestatis, ita et ipsi, pro modo suo, et hoc, **Usque in sæculum sæculi**, id est in æternum.

¶¶ 131.14 *Hæc requies mea*. ID. Sic amat nos Deus, ut dicat se requiescere, si nos requiescimus in illo.

§§ 131.15 *Viduam*. ID. Vidua est anima, quæ se intelligit desertam omni auxilio, nisi solius Dei. **Panibus**. Deus est panis, qui in carne se lac fecit.

* 131.16 *Sacerdotes ejus*. Vel distinguendum inter sacerdotes et sanctos, sicut supra. Et est, **Sacerdotes ejus**, id est, prælatos, **Induam salutari**, id est Christo, id est, ut honesti sint ad docendum. **Et sancti**, id est subditi. **Exsultatione exsultabunt** de Christo. **Exsultatione exsultabunt**. ID. Quia induti sunt salutari, etc., usque ad qui habitat in eo, ergo, secure exaltavit.

† 131.17 *Cornu David, paravi lucernam Christo*. ID. Ecclesiæ altitudo spiritualis, etc., usque ad ante Christi mortem et resurrectionem.

‡ 131.18 *Induam confusione*, etc. CASS. Hoc faciet Filius, cui omne iudicium datum. Sed nota Patrem, qui hic loquitur, facere quod Filius facit.

132 Canticum graduum David. [Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum ![¶]

² Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus;[§]

³ sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum.]**

133 Canticum graduum. [Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini: qui statis in domo Domini, in atrii domus Dei nostri.††

² In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.‡‡

³ Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum et terram.]

[¶]132.1 *Canticum graduum*. ID. Quartus decimus gradus: Charitas quæ facit fratres habitare in unum, unde benedictio et vita. *Ecce quam bonum*. Et est hic psalmus atomus, etc., usque ad hic ergo vir justus de cohabitatione fratrum exsultans ait: *Ecce quam. Ecce quam*. AUG. Iste versus toto orbe notissimus, ut tuba Spiritus Sancti divisos congregavit: monasteria plurima peperit. CASS. *Ecce*. Quasi plus ostensione, quam lingua explicetur. *Habitare in unum*. AUG. Hoc de omnibus Christianis, sed proprie convenit monasteriis, a quibus tamen ad cæteros benedictio descendit, ut etiam illis fratribus de Judæa, de quibus dicitur. *Erat illis cor unum, et anima una*.

[§]132.2 *Sicut unguentum*. THEOD. Oleum sacerdotale, etc., usque ad perfectæ virtutis odorem perficit. *Barbam*. AUG. Ecce determinatio, id est in apostolos et alios primitivos sanctos, qui primo fide certaverunt, sed vinci non potuerunt, quia jam caput passum præcesserunt. *Aaron*. Sacerdos, qui se ipsum obtulit, etc., usque ad sed vinci non potuerunt. Ab illis. *In oram*. CASS. Vel per *oram*, quæ est finis vestis, etc., usque ad subditos usque concordia utilitas pervenit.

**132.3 *Sicut ros*. ID. *Ros* tenuis aqua, unde terra germinat, et significat gratiam, qua peccatores convertuntur. *Hermon*. AUG. ad litteram mons trans Jordanem, etc., usque ad cæteri assumuntur, qui *in unum* corde sunt.

††133.1 *Canticum graduum*. CASS. Quintus decimus gradus: Charitas sæculi. Et est hic tertius psalmus de charitate Dei, de qua hic agit, sicut supra de charitate proximi. Non quod alia gratia sit qua diligitur Deus, et alia qua proximus. Sed quia diversos actus habet gratia, et diversa diliguntur ea. Monet ergo ad diligendum Deum. Primo, invitat pluraliter benedicere Deum; secundo, optat benedici, ibi, *Benedicat. Ecce*, demonstrantis est. Et quibus faciat hanc demonstrationem, determinat, vos *servi Domini. Statis*. Servorum est, non sedere in domo domini. Vel, de eisdem intelligitur: Et per *domum*, intelligitur Ecclesia, per *atria*, latitudo charitatis. In charitate enim, quæ extenditur usque ad inimicos, latitudo est, in odio angustia. Quasi diceret, vos *benedicite, qui statis*, id est perseveratis, *In domo Domini*, id est in Ecclesiis; et *qui statis, In atrii domus Dei nostri*, id est in latitudine charitatis, ubi nullus angustiatur.

‡‡133.2 *Extollite manus vestras*. Sicut Moyses manus suas levavit pugnante populo Israël contra Amalec, *Extollite* dico, *in sancta*: ut intentione æternum bonum operemini, aliter enim non valet. *Benedicat te Dominus*. Secunda pars, ubi optat benedici fideles. Quasi diceret, *benedicite*, et ut hoc possitis, *Benedicat te Dominus*, benedictione quæ est *ex Sion*. Qui potest, quia ipse est, qui fecit cælum et terram. CASS. *Benedicat*. Supra hortatur plures benedicere Deum, ipse vero unum benedicit tantum, quia, etsi plures sint, tamen in unum sunt, et unitati convenit benedictio. Unde unus in piscina sanabatur, qui prior descendebat. Esto ergo in uno, et ad te perveniet benedictio.

134 Alleluja. [Laudate nomen Domini; laudate, servi, Dominum:^{¶¶}
²qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

³Laudate Dominum, quia bonus Dominus; psallite nomini ejus, quoniam suave.^{§§}

⁴Quoniam Jacob elegit sibi Dominus; Israël in possessionem sibi.*

⁵Quia ego cognovi quod magnus est Dominus, et Deus noster præ omnibus diis.

⁶Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cælo, in terra, in mari et in omnibus abyssis.†

⁷Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit; qui producit ventos de thesauris suis.‡

⁸Qui percussit primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus.¶

⁹Et misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte: in Pharaonem, et in omnes servos ejus.

¹⁰Qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes:§

¹¹Sehon, regem Amorrhæorum, et Og, regem Basan, et omnia regna Chanaan:**

¹²et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israël populo suo.††

^{¶¶}134.1 *Alleluia*. CASS. Post gradus, qui ducunt ad æternitatem componitur alleluia, ut Ecclesia fruatur laudibus Dei cui tale munus paratum est. *Laudate*. Primo demonstrativa oratione monet, etc., usque ad qui et quare laudare debeant subdit: *Laudate, servi*.

^{§§}134.3 *Laudate Dominum*, etc. AUG. Si omnia laudantur, quia bona, etc., usque ad in quibus totum semen Israël intelligitur, tota Ecclesia cogitatur. *Psallite nomini ejus*, id est, laudate eum, eo quod id fecit, quod res sui nominis exigit, cum se incarnatum dedit hominibus gustari.

*134.4 *Jacob*. ID. Luctator interpretatur, et significat illos qui contra spirituales nequitas luctantur. *Israël in possessionem*. Ad litteram. Cæteras gentes sub angelis custodiendas Dominus posuit: Jacob sibi elegit, quem ut agrum coleret, seminaret, possideret, servaret.

†134.6 *Omnia quæcumque*. ID. Quasi diceret: Magnus est in essentia, magnus in operibus, etc., usque ad sed spiritus hominis ignoratur, unde ecce dicitur.

‡134.7 *Qui producit ventos de thesauris suis. Qui percussit primogenita*. ID. Fides unde incipimus, qua viva proficit homo in melius, Ægyptus afflictio: quicumque ergo affligit Ecclesiam, et scandala facit, etsi Christianus dicitur, perdit fidem. *Ab extremo*. Sive ab imo terræ, sive a circumdatione finium terræ. *Fulgura et pluviam*. Fulgur terrorem, pluvia gaudium facit. Qui ergo terruit fulgure, reficit pluvia.

¶134.8 *Qui percussit*. ID. Hoc in hominibus fecit propter poculum suum. Si dixit quæ amares, audi et quæ timeas. *Ab homine usque ad pecus*. CASS. Hoc sæpe repetit, etc., usque ad quæ destruit in prudentibus et idiotis.

§134.10 *Reges fortes*. ID. Mundi spiritus: qui sunt occisi, dum nequeunt in nobis quod volunt.

**134.11 *Sehon regem Amorrhæorum*, etc. Hoc sub Moyse factum: de hoc in libro Numeri legitur, quod cum prohiberent filios Israël per fines suos transire, percussi sunt ab eo, et possedit populus Israël terram eorum. *Chanaan*. ID. Humiliatio, mala, scilicet, quando ab honore sancti decidunt.

††134.12 *Et dedit terram eorum hæreditatem*. ID. Id est, cœlestem beatitudinem, quam dæmones per superbiam deseruerunt, dedit fidelibus. Hæc est vera terra promissionis, quæ verius dicitur hæreditas, quæ in pace est, quam illa actualis, quam sæpe amiserunt filii Israël. *Hæreditatem Israël*. AUG. Hæreditas, sunt gentes Israël, fidelis scilicet populi, quem pascunt tribulatione, docentes patientiam, vel quas Israël excolit conformando sibi.

¹³ Domine, nomen tuum in æternum; Domine, memoriale tuum in generationem et generationem.‡‡

¹⁴ Quia iudicabit Dominus populum suum, et in servis suis deprecabitur.¶¶

¹⁵ Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.‡‡

¹⁶ Os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt.*

¹⁷ Aures habent, et non audient; neque enim est spiritus in ore ipsorum.

¹⁸ Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.†

¹⁹ Domus Israël, benedicite Domino; domus Aaron, benedicite Domino.‡

²⁰ Domus Levi, benedicite Domino; qui timetis Dominum, benedicite Domino.

²¹ Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem.]¶

135 Alleluja. [Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.‡

² Confitemini Deo deorum, quoniam in æternum misericordia eius.**

‡‡134.13 *In generationem et generationem.* ID. Generatio una est, qua renascimur per baptismum, altera qua resurgemus: non est oblitus Deus in hac vocare, in illa coronare.

¶¶134.14 *Quia iudicabit.* CASS. Causa laudis, quia vidit Dominus populum cui tot fecit, prophetas misit, post et Filium. Sed quia duri fuerunt, *iudicabit* eos in futuro, *et in servis*, id est, fidelibus, *consolabitur*, cum præmia æterna restituet. Ecce gradatio laudis ad iudicium perducta est. AUG. Vel, ita. Ideo de præsentis, etc., *usque ad videant, et qui vident, cæci fiant.*

‡‡134.15 *Simulacra.* CASS. Secunda pars: postquam laudibus se Dei explevit, idolorum cultores irridendo redarguit, quia perfecta laus veritatis est destruere falsitatem, supra fuerunt eadem dicta, sed repetita verecundiam augent.

*134.16 *Os habent et non loquentur.* AUG. Illa exteriora artifex potuit facere; sed non spiritum dare, nec auditum auribus, nec lucem oculis, nec vocem ori.

†134.18 *Similes illis fiant.* ID. Hæc scientes irrident idola, etc., usque ad nec sentiunt bonum odorem Christi.

‡134.19 *Domus Israël benedicite.* CASS. Hæc est tertia pars, ubi post irrisa idola, laudes Dei celebrare monet omnes ordines: quasi dicat: Cultores idolorum similes illis fiant. Sed vos, qui estis *domus Israël. Domus Aaron benedicite.* AUG. Præpositi sunt domus Aaron: ministri, domus Levi, populi omnes qui timent; omnes generaliter sunt domus Israël, omnes una voce dicamus: *Benedictus.*

¶134.21 *Benedictus Dominus.* ID. Vel juxta interpretationem nominum, etc., usque ad ubi videbimus eum in æterna pace.

‡135.1 *Alleluia.* AUG. Psalmus iste laudem Dei continet, ubi etsi multa in laude Dei dicantur, maxime tamen hic misericordia Dei commendatur. CASS. Diversa initia versuum, etc., usque ad ita præsto est divina præsentia si pure cantatur. *Confitemini Domino.* ID. Primo, magnificentiam Dei et totius orbis conditionem exponit. Secundo dicit quæ in Ægypto et gente Judæorum fecit in figuram nostri, ibi, *Qui percussit.* Tertio, agit de Christianis, ibi, *et dedit terram eorum hæreditatem. Confitemini Domino.* AUG. Modo laudemus, etc., usque ad per misericordiam beatitudo æterna est.

**135.2 *Confitemini Deo deorum.* Deos dicit homines, ad quos sermo Dei factus est in alio psalmo, ubi ait, *Ego dixi, Dii estis et filii Excelsi,* etc. Et non ideo dicuntur dii, quod omnes sint boni: si enim omnes boni essent, non diceret in eodem psalmo: *in medio autem deos dijudicat,* id est discernit, de quibus etiam subdit: *Confitemini Domino dominorum.*

- 3 Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.^{††}
 4 Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia ejus.^{‡‡}
 5 Qui fecit cælos in intellectu, quoniam in æternum misericordia ejus.^{¶¶}
 6 Qui firmavit terram super aquas, quoniam in æternum misericordia ejus.^{§§}
 7 Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum misericordia ejus:^{*}
 8 solem in potestatem diei, quoniam in æternum misericordia ejus;
 9 lunam et stellas in potestatem noctis, quoniam in æternum misericordia ejus.[†]
 10 Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia ejus.[‡]
 11 Qui eduxit Israël de medio eorum, quoniam in æternum misericordia ejus,
 12 in manu potenti et brachio excelso, quoniam in æternum misericordia ejus.[¶]
 13 Qui divisit mare Rubrum in divisiones, quoniam in æternum misericordia ejus;[§]
 14 et eduxit Israël per medium ejus, quoniam in æternum misericordia ejus;
 15 et excussit Pharaonem et virtutem ejus in mari Rubro, quoniam in æternum misericordia ejus.^{**}
 16 Qui traduxit populum suum per desertum, quoniam in æternum misericordia ejus.
 17 Qui percussit reges magnos, quoniam in æternum misericordia ejus;
 18 et occidit reges fortes, quoniam in æternum misericordia ejus:
 19 Sehon, regem Amorrhæorum, quoniam in æternum misericordia ejus;
 20 et Og, regem Basan, quoniam in æternum misericordia ejus:

^{††}135.3 *Qui facit mirabilia.* ID. Sicut in fine ubique ponitur, etc., usque ad ideo *confitemini, quoniam in æternum misericordia ejus.*

^{‡‡}135.4 *Mirabilia magna solus.* ID. Quia et quædam per homines vel angelos facit, et quædam magna ipse solus, quæ et prius exsequitur.

^{¶¶}135.5 *Qui fecit cælos.* ID. Universam ergo creaturam per se fecit, etc., usque ad unde, *Omnia in sapientia fecisti, Deus.* Vel typice, *Cælos in intellectu,* id est spirituales sanctos, qui non modo credere, sed intelligere divina dedit. Simples autem qui solam fidem firmam tenent, quasi infra cælos, *terra* dicuntur, qui quia in baptismo, quem acceperunt, quasi *super aquas* firma fide consistunt, quasi *super aquas* terram firmavit.

^{§§}135.6 *Terram super aquas.* ID. Sed quo terra gravior ab aquis levioribus portatur, etc., usque ad sic Dominus super puteum sedit, id est juxta.

^{*}135.7 *Qui fecit luminaria magna.* ID. id est dona gratiarum fidelibus suis contulit.

[†]135.9 *Lunam et stellas in potestatem noctis.* CASS. Aliter etiam dici potest mystice, etc., usque ad ut per hæc quæque minores luceant.

[‡]135.10 *Qui percussit Ægyptum.* ID. Secunda pars, ubi dicit, quæ in Ægypto fecit et gente Judæorum sub figura nostri. Jam incipit, quæ per homines, vel per angelos fecit. *Cum primogenitis eorum.* Primogenita Ægypti percussit, etc., usque ad sed Deus a se excludit.

[¶]135.12 *In manu potenti.* ID. Manus Dei invincibilis actio, quæ a brachio venit, id est ab omni potentia singulari.

[§]135.13 *Divisit mare Rubrum in divisiones.* ID. Ad litteram *in divisiones* duodecim pro numero tribuum, ut singulæ tribus suas vias eundi haberent; typice, sic per vias varias ad Deum de mundo transitur. Per *mare Rubrum* sæculum accipitur.

^{**}135.15 *Et excussit Pharaonem.* ID. Diabolum, cum ministris excussit, ut pulverem, qui celeriter excutitur. In hac celeritate, et virtus Dei ostenditur, et illæ terrenæ sordes indicantur, quas solemus excutere. *Pharaonem.* ID. Congrue per Pharaonem diabolus intelligitur: Pharaon masculos necat, feminas servat; ita diabolus virtutes præfocat, concupiscentiam nutrit.

- 21 et dedit terram eorum hæreditatem, quoniam in æternum misericordia ejus;††
 22 hæreditatem Israël, servo suo, quoniam in æternum misericordia ejus.‡‡
 23 Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, quoniam in æternum misericordia ejus;
 24 et redemit nos ab inimicis nostris, quoniam in æternum misericordia ejus.
 25 Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia ejus.¶¶
 26 Confitemini Deo cæli, quoniam in æternum misericordia ejus. Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.]
- 136** Psalmus David, Jeremiæ. [Super flumina Babylonis illic sedimus et fle-
 vimus, cum recordaremur Sion. §§
- 2 In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra: *
 3 quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum; et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. †
 4 Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? ‡
 5 Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. ¶
 6 Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui; si non proposuero Jerusalem in principio lætitiae meae. §

††135.21 *Et dedit terram eorum hæreditatem.* CASS. Tertia pars, ubi descendit ad Christianos, exponens beneficia eis data, ut sic unum auctorem omnium scias.

‡‡135.22 *Israel servo suo.* Accipit per *Israel servum*, Christum, etc., usque ad nullum dedit pretium Ægyptiis.

¶¶135.25 *Dat escam.* THEOD. A singulari Providentia, etc., usque ad in Evangelii inquit: *Respicite volatilia cæli, quæ neque serunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cælestis pascit illa. Omni carni.* AUG. Omni generi hominum, Israël et gentium, non sicut manna soli Judæo.

§§136.1 *Psalmus David.* CASS. Tertius psalmus de lamentatione Jerusalem, etc., usque ad hic autem de captivitate facta a Nabuchodonosor. AUG. Duæ civitates sunt permistæ corpore, etc., usque ad qui mente et desiderio sunt cives Jerusalem. *Super flumina.* CASS. Primo, captivandos longe post, etc., usque ad incipit desiderio patriæ, dicens: *Super flumina,* etc. *Dum recordaremur,* AUG. In hostili terra dulcis recordatio patriæ, etc., usque ad utrumque de Babylonia est.

*136.2 *In salicibus.* ID. Quæ rigantur fluminibus Babylonis, etc., usque ad sed differendo suspendimus. CASS. Vis doloris exaggeratur, quando delectatio, qua se solebant consolari, suspenditur. *Quia illic interrogaverunt nos.* BASIL. Et hinc haud parum emolumenti coeperunt, etc., usque ad ut et cantica nostra audire voluerint.

†136.3 *Verba cantionum.* AUG. Vel, canticorum, ut quid prodest Christus? vel, quæ est alia vita? Sed, hic qui pleni sunt malis, non debemus percutere organum, ut sonet, sed suspendere. ID. Diabolus astute quærit ut irrideat, etc., usque ad et constrinxit se juramento, dicens: *Si oblitus fuero,* etc.

‡136.4 *Quomodo cantabimus.* ID. Cavendum est, ne quis timens talibus displicere, affectet amicitias eorum, et incipiat delectari in Babylonia.

¶136.5 *Dextera mea.* ID. Quidquid facis pro æternis, dextera operatur; si et alio intenderis, sinistra se immiscuit; et in ea delectatus quasi in dextera perdis æterna.

§136.6 *Adhæreat.* CASS. Mutus fiam in laudibus Dei, quod est consolatio fletus et miseriarum. *Lingua mea.* AUG. Canticum Jerusalem, lingua nostra, canticum sæculi, lingua barbara. Mutus est Deo, qui oblitus est Jerusalem.

⁷ Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem: qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. ^{**}

⁸ Filia Babylonis misera ! beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis. ^{††}

⁹ Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.] ^{‡‡}

137 Ipsi David. [Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei. In conspectu angelorum psallam tibi; ^{¶¶}

² adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo: super misericordia tua et veritate tua; quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum. ^{§§}

³ In quacumque die invocavero te, exaudi me; multiplicabis in anima mea virtutem. ^{*}

^{**}136.7 **Memor esto.** CASS. Secunda pars, ubi contra hostes ad Deum fit conversio. **Memor esto, in die** sequestrationis, ut puniantur. **Filiorum Edom.** AUG. Filii Edom, id est Ideumæi, impedimento fuerunt reëdificantibus Jerusalem; vel, in destructione conjuncti Babylonis, unde dicit, **Filia Babylonis misera. Edom moraliter** est carnalitas, quæ ad illicitos motus nos seducit. **Edom.** ID. Esau omnes carnales; Jacob spirituales; major carnalis homo, minor spiritualis, quia prius quidem animale, postea quod spirituale. Omnes carnales inimici sunt spiritualibus, unde ait: **Memor esto,** libera nos ab illis. **Exinanite.** CASS. A similitudine cisternæ, unde si aqua hauritur, ad fundamentum pervenitur. Sed quid prodest et vitam talibus tollere, quibus in fundamento qui est Christus vita æterna est? dum putant nocere mali, coronas dant.

^{††}136.8 **Filia.** AUG. Per successionem facta est filia Babylonis civitas malorum, sicut Ecclesia; Jerusalem scilicet, civitas bonorum per successionem filia Sion. CASS. **Filia Babylonis** moraliter. Caro est, quæ confusionem, etc., usque ad allidunt ad petram Christum, ut confracti dispereant.

^{‡‡}136.9 **Beatus qui tenebit.** AUG. Quam retributionem? ut Babylonia natos in mundo, dum parvi sunt, parentum et sæculi suffocat erroribus: ita qui jam juvenes, data agnitione Dei, parvulos Babylonis elidunt, id est nascentes cupiditates, antequam robur accipiant, sic facilius vincuntur, sed et majores ad petram occidendæ sunt.

^{¶¶}137.1 **Psalmus ipsi David.** CASS. Captivus, qui fleverat, quasi reëdificata Jerusalem et templo, et quasi concivis illi parti Jerusalem, quæ non fuit captiva, id est, angelis, exsultat et laudat primo beneficia sibi data. Ex persona igitur Ecclesiæ, quæ in superioribus est spe, exspectans ibi esse in re, ait, **confitebor. Confitebor tibi, Domine.** Primo, commendat beneficia sibi data: secundo, dicit quomodo hæc ad omnes dilatentur, ibi, **Confiteantur tibi, Domine,** etc. **In conspectu.** AUG. In laudando propono mihi angelos, quibus æquari sicut nunc, ita post, dignitate exspecto. Hi autem in laude Dei nihil aliud proponunt, quam ipsum. **In conspectu** ergo **angelorum,** in ea puritate, qua te conspiciunt angeli, ut in te solo sibi acquiescant, ego **Psallam tibi.**

^{§§}137.2 **Super misericordia.** ID. **Universæ viæ Domini misericordia et veritas:** Non sunt aliæ viæ, quibus ad nos venit, Non sunt aliæ, quibus ad eum veniamus: has Deo reddamus, misericordiam in subveniendo, veritatem in iudicando. **Super omne nomen sanctum tuum.** CASS. Vel super nomen sanctum tuum, cum nobis cultura tua innotuit.

^{*}137.3 **In anima.** Et quia in anima potest fieri carnalis multiplicatio, addit, **virtutem** quasi non aliud in anima peto, nisi virtutem.

⁴ Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui.[†]

⁵ Et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini;[‡]

⁶ quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit.

⁷ Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me; et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.[¶]

⁸ Dominus retribuet pro me. Domine, misericordia tua in sæculum; opera manuum tuarum ne despicias.[§]

138 In finem, psalmus David. [Domine, probasti me, et cognovisti me,^{**}
² tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.

³ Intellexisti cogitationes meas de longe; semitam meam et funiculum meum investigasti.^{††}

⁴ et omnes vias meas prævidisti, quia non est sermo in lingua mea.^{‡‡}

[†]137.4 *Confiteantur*. ID. Secunda pars, ubi dicit quomodo hæc bona ad omnes sint dilatanda. Quasi meo exemplo: *Confiteantur*, etc. *Omnia verba oris tui*. AUG. Quæ modo ubique revelata sunt, et ad omnes gentes missa, etc., usque ad et ita vellere siccato, *audierunt omnia verba*, etc.

[‡]137.5 *Magna est gloria*. ID. Si humiles sunt, hoc amant et cantant, nam si se extulerint, timeant quod sequitur. *Quoniam excelsus Dominus. Humilia respicit*. CASS. Non est hic humana conditio, ubi humilis despicitur, superbus respicitur; sed Dominus humiles respicit. *Alta a longe cognoscit*. AUG. Non hoc agit superbus, etc., usque ad lugentes hunc incolatum, unde subditur.

[¶]137.7 *Si ambulavero in medio tribulationis*. Aliter non vivificat, nisi *in medio tribulationis*, unde, *Beati qui lugent, vae ridentibus. Super iram*. ID. Hoc ipsum, quod irascuntur mihi, tua est in illos animadversio, id est punitio. Est enim eis irasci poena, non tantum culpa. Dum ergo hoc permittis, super omnes vindictæ manum extendis. *Dextera tua*. Non habet Deus dexteram vel sinistram, sed dextera Dei dicitur felicitas æterna, sinistra felicitas temporalis. Aliquando ergo non salvat in sinistra sanctos suos, sed semper salvat eos in dextera.

[§]137.8 *Retribuet*. AUG. Quod ego non possum, etc., usque ad in quo princeps mundi peccatum non invenit, quare occideret.

^{**}138.1 *In finem psalmus David*. CASS. Psalmus profunditate mysteriorum plenus, etc., usque ad in prophetis velatus, in Evangelio manifestus. AUG. Loquitur totus Christus, tanquam unus et integer vir, etc., usque ad sicut duo in carne una. *Domine, probasti me*. CASS. Primo, de notitia Dei, etc., usque ad quarto, quomodo mali ei non noceant, ibi, *Si occideris, Deus*, etc. *Domine, probasti*. AUG. Jam in Jerusalem restitutus, etc., usque ad hæc est persona totius humanæ naturæ revertentis.

^{††}138.3 *Intellexisti*. CASS. Præscientia deitatis hic ostenditur, etc., usque ad quia homo assumptus divinæ substantiæ non potest æquari. *De longe*. AUG. Cum adhuc in peregrinatione sum, antequam ad patriam veniam, ut filio minori redeunti occurrit pater, quia intellexit ejus cogitationes de longinquo, quia apud se dixerat egestare confectus: *Surgam et ibo ad patrem meum. Semitam meam*, scilicet malam, qua ivi, patrem deserens. *Et funiculum*. Alias limitem, quousque perveni: longe quidem ieram, sed tu ibi. Ut deprehensus fugitivus loquitur, sequente se vindicta Dei.

^{‡‡}138.4 *Et omnes vias meas*: antequam irem eas, et permisisti me in labore ire, ut redirem si nollem laborare, hoc fateor. *Quia non est dolus in lingua mea*: jam in tua gratia justificati.

- ⁵ Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua. Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.^{¶¶}
- ⁶ Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam.^{§§}
- ⁷ Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?*
- ⁸ Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.[†]
- ⁹ Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris,[‡]
- ¹⁰ etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.[¶]
- ¹¹ Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me; et nox illuminatio mea in deliciis meis.[§]

^{¶¶}138.5 *Novissima* mea, quando porcos pavi, *Antiqua*, quando partem substantiæ petii, hoc secundum parabolam. Sed mystice, *Antiqua*, quando per antiquum peccatum lapsi sumus: *Novissima*, poena, quando in hanc mortalitatem venimus, quæ est ultima, si redire volumus alioquin restat æterna. *Formasti me*, ad labores, ad quos omnes nati sumus. *Posuisti*. Alias Gravasti manum, vindicem, gravantem superbium salubriter, ut erigat humilem, in gravata manu.

^{§§}138.6 *Mirabilis*, et incomprehensibilis mihi. *Facta est scientia*. Non est mihi facile contemplari te, quem superbus reliqui, ut prius erat cum essem apud te, quando dixi, da mihi partem substantiæ. *Ex me*, id est ex peccato meo. *Confortata est*, alias invaluit. *Et non potero* attingere ex me. AUG. In Exodo legitur Dominum, etc., usque ad te non lateo, cujus limitem vides.

*138.7 *Quo ibo a spiritu tuo?* CASS. Secunda pars, ubi jam deliberat non esse ab eo fugiendum, sed ad eum, ab irato ad placatum, quod erit per ipsum, quo plenus est mundus: *Spiritus enim Domini replet omnia. Quo a facie tua fugiam?* vertit se hac et illac, quasi quærens locum fugæ.

[†]138.8 *Si ascendero in cælum, tu illic es*, etc. AUG. Si me extulero, invenio pressorem; si de justitia mea superbiero, *Tu ibi es*, cujus vere est justitia. *Si descendero*, peccando venero, *Ad infernum*, vel in profundum, et nolens confiteri: dicam, quis me videt? *Ades*, ut vindices. Invenit consilium, sed sic potero fugere iratum.

[‡]138.9 *Si sumpsero pennas*, duas alas charitatis, quas perdideram. *Pennas*. CASS. Quæ meæ potestatis, id est efficaciam deitatis, qua corpus de sepulcro levavit. Has sumpsit *diluculo*, ante lucem, id est, tempore resurrectionis: et *habitavit in extremis maris*, hoc est, super sæculi amplissimum finem. *Et habitavero in extremis*. AUG. Mente, in fine sæculi, ut non sæculum amem, sed ejus finem, in quo sit mihi requies. Sed et ipse illuc ducit, unde subdit:

[¶]138.10 *Etenim illuc manus tua*. Considerans autem longinquitatem viæ, subdit:

[§]138.11 *Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt*, etc. Abundat iniquitas sæculi, qua pennæ charitatis refrigescere possunt. Et quia in nocte desperavi transire mare, nox mihi facta est illuminatio: Venit mulier, sapientia Dei, quæ drachmam, ubi est imago regis, id est hominem, perdiderat: accendit de se lucernam, quæ de luto est, id est carnem, et nocte illuminata invenit drachmam. *Et dixi*. AUG. Deliberavi. *Forsitan te*. Tenebras dicit illam inferiorem partem rationalis creaturæ, contrariam insistentem, scilicet iniquos homines vel carnem, unde timet: Et est, *Tenebræ*, id est inferior rationalis creatura sinistram tenens viam. *Conculcaverunt me*. ID. Ita timebam, sed *nox facta est illuminatio, in deliciis meis*, id est illis qui, prius nox, illuminati erunt in deliciis. *Quia te*. Peccatores.

- ¹² Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.**
- ¹³ Quia tu possedisti renes meos; suscepisti me de utero matris meæ.††
- ¹⁴ Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es; mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.**
- ¹⁵ Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto; et substantia mea in inferioribus terræ.¶¶
- ¹⁶ Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur. Dies formabuntur, et nemo in eis.§§
- ¹⁷ Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum.
- ¹⁸ Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur. Exsurrexi, et adhuc sum tecum.*
- ¹⁹ Si occideris, Deus, peccatores, viri sanguinum, declinate a me:†

**138.12 *Non obscurabuntur*, etc., *et nox*, a peccatoribus degentibus. *Sicut dies*, id est sancti de Judæis. *Sicut tenebræ ejus, ita et lumen*, quia quatenus agnoscis, eatenus ignoscit. Sed unde hoc mihi? *quia tu possedisti renes meos. Quia tenebræ*. AUG. Qui non confitetur peccata, suas tenebrat tenebras; sed si confitetur, Deus illuminat. *Sicut tenebræ ejus*. Nostræ noctis, id est, humanæ vitæ miseræ, etc., usque ad quem lumen non extollit.

††138.13 *Quia tu possedisti renes meos*. ID. Unde hæc differentia tibi? quia interior possessor non solum cor, id est cogitationes tenet, sed et renes, id est delectationes: ut non delectet lux noctis, sed lux sapientiæ suæ.

**138.14 *Confitebor tibi*. CASS. Tertia pars, ubi dicit, revolanti ad Deum, Deo illuminante, renes possidente, quanta est exsultatio et multiplicatio. *Anima mea cognoscet nimis*. AUG. Jam cognoscit anima mea valde: ante erat mira *scientia tua ex me, nec poteram ad eam*; sed modo possum, quia noctem illuminasti, renes possedisti, de utero suscepisti, id est, quia venit mihi gratia tua, et illuminavit me.

¶¶138.15 *Non est occultatum os meum a te quod fecisti in occulto*. ID. Os ab osse, non ab ore, etc., usque ad unde Apostolus: *Quasi tristes, semper autem gaudentes*. BASIL. Iterum de præscientia Dei loquitur, aut omnia illius arcana esse dicit, aut aliud quod dicit, opificium videlicet et figurationem. *Substantia mea in inferioribus terræ*. AUG. In carne et tamen os non cedit malis hujus inferioris, etc., usque ad non ergo desperent.

§§138.16 *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes*, etc. ID. Qui hucusque locutus est ex persona corporis, hic jam loquitur ex persona capitis. *Dies formabuntur*. Alias *Per diem errabunt*. Dies hic manens adhuc erat Christus, etc., usque ad quia facti apostoli duces et pastores Ecclesiæ. Quasi merito ego illos confortavi, etc., usque ad in promissione dictum est Abrahæ: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli et sicut arenam maris*.

*138.18 *Adhuc sum tecum*, etc. Sicut ante mortem, quod putaverunt se tulisse Judæi. Vel, *adhuc*, id est, ipsa morte, quod non videtur de mortuo. Vel, etsi resurrectio sit signum deitatis, tamen *adhuc sum* occultus pluribus, *tecum*, id est, ut tu. AUG. *Adhuc sum tecum*. Nondum cum ipsis per notitiam, quia nondum agnoscunt, quia non mox post resurrectionem Christum agnoverunt. Vel, toto hoc tempore tecum sum in occulto ad dexteram Patris, antequam reveletur in ea claritate qua venturus est.

†138.19 *Si occideris, Deus, peccatores*, etc. CASS. Quarta pars quomodo a malis non noceatur ei. AUG. *Si occideris*. Subdit quid interea patitur, etc., usque ad in iudicio dicet aperte: *Amen dico vobis, non novi vos, discedite a me*.

²⁰ quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate civitates tuas.

²¹ Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam?[‡]

²² Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi.

²³ Proba me, Deus, et scito cor meum; interroga me, et cognosce semitas meas.

²⁴ Et vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in via aeterna.]

139 In finem. Psalmus David.[¶]

² [Eripe me, Domine, ab homine malo; a viro iniquo eripe me.[§]

³ Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant praelia.^{**}

⁴ Acuerunt linguas suas sicut serpentis; venenum aspidum sub labiis eorum.^{††}

⁵ Custodi me, Domine, de manu peccatoris, et ab hominibus iniquis eripe me. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos:^{‡‡}

⁶ absconderunt superbi laqueum mihi. Et funes extenderunt in laqueum; juxta iter, scandalum posuerunt mihi.^{¶¶}

⁷ Dixi Domino: Deus meus es tu; exaudi, Domine, vocem deprecationis meae.^{§§}

[‡]138.21 **Nonne qui oderunt te, Domine.** Quasi, **Si occideris, Nonne qui oderunt te oderam?** Illos, et ego occidam. AUG. Quasi hæretici non intelligentes, etc., usque ad quomodo ergo permistione eorum contaminor? **Proba me, Domine.** ID. Hucusque de hæreticis et aliis eos sequentibus ab Ecclesia separatis, nunc etiam agit de malis, vel fictis sibi conjunctis, quos patitur Ecclesia, et gemit. Quasi hæretici se, et alios separant, etc., usque ad tu vero Deus, **Proba me et scito.**

[¶]139.1 **In finem Psalmus David.** ID. Conquestio, gemitus, oratio corporis Christi inter malos constituti, nondum habentis in re, sed in spe bonum, ubi est plena exsultatio. Monet ut contra mala sæculi Deum oremus.

[§]139.2 **Eripe me, Domine, ab homine.** CASS. Prius proponit, qui hostes, quæ mala movent, opponens eis preces. Secundo, dicit quod auxilium habeat contra mala, ibi, **Dixi Domino:** Tertio, quæ sint mala inimicorum aperit, ibi, **Caput.** Ecclesia ergo inter malos laborans, clamat. **A viro iniquo.** AUG. Iniquus est qui nocet, unde cum dixisset, **Ab homine malo,** quasi exponens, subjunxit, **A viro iniquo.**

^{**}139.3 **Qui cogitaverunt.** CASS. Qualiter mali persequuntur exsequitur, impugnant enim bonos tribus modis, scilicet lingua, manu et corde: et de corde præmittit, dicens, **Qui cogitaverunt,** quasi diceret, Eripe me a populo malorum. AUG. Qui etsi in labiis plerumque bona prætendant, tamen cogitaverunt iniquitatem in corde.

^{††}139.4 **Acuerunt.** Qualiter in lingua persequuntur, ostendit. **Sicut serpentis.** ID. In serpente est astutia et dolus nocendi: ideo et serpit, non habens pedes, ut non audiatur, cum venit; lenis est ejus tractus, sed non rectus: sic mali serpunt ad nocendum, sub levi tractu habentes occultum venenum, unde subdit, **Venenum aspidum sub labiis eorum.**

^{‡‡}139.5 **Custodi me, Domine.** CASS. De persecutione, quæ fit manu, id est, opere, subdit. Custodi me, quia per multa fallit, quæ nequit præcavere.

^{¶¶}139.6 **Superbi.** AUG. Hoc nomine brevier totum corpus diaboli explicavit: inde est quod et justos se dicunt et nolunt confiteri; omnis superbus etiam invidus est, sicut diabolus, qui invidit homini, quod perdidit. **Et funes extenderunt in laqueum,** etc. Unde Isaias: **Væ his qui trahunt peccata sicut vestem longam,** quia addunt peccata peccatis, etc., usque ad et mittatur in tenebras exteriores.

^{§§}139.7 **Dixi Domino.** ID. Diapsalma. Secunda pars, quod auxilium contra mala, quasi dicat, tot modis mali impugnant, et quod est remedium inter tot et tanta mala? **Dixi Domino: Deus meus.** Magna fiducia, etsi omnium Deus, proprie tamen eorum qui eo fruuntur. **Exaudi, Domine, vocem deprecationis meae.** ID. Vox hominum et anima eorum, etc., usque ad non ut homines Domini, qui emunt sacculo, tu sanguine.

- ⁸ Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.*
⁹ Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me; ne derelinquas me, ne forte exaltentur.†
¹⁰ Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos.‡
¹¹ Cadent super eos carbones; in ignem dejicies eos: in miseriis non subsistent.¶
¹² Vir linguosus non dirigitur in terra; virum injustum mala capient in interitu.§
¹³ Cognovi quia faciet Dominus iudicium inopis, et vindictam pauperum.
¹⁴ Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo.]**

140

Psalmus David. [Domine, clamavi ad te: exaudi me; intende voci meæ, cum clamavero ad te.

- ² Dirigitur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.††
³ Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.‡‡

*139.8 *Virtus salutis meæ obumbrasti super caput meum.* ID. Qui das vires salutis meæ, etc., usque ad quantumcunque sæviat hostis.

†139.9 *Non tradas me, Domine, a desiderio.* ID. Diabolus proponit lucrum, etc., usque ad nisi ex tuo desiderio.

‡139.10 *Caput circuitus.* CASS. Diapsalma. Tertia pars, ubi dicit, quæ sint mala inimicorum. AUG. Quasi dicat, Me tegit umbra tua, etc., usque ad vel de assertione superantur. *Labor labiorum ipsorum operiet eos.* CASS. Id est, falsa et mendax assertio eorum, operiet eos, quia de sua falsa assertione superantur.

¶139.11 *Cadent super eos.* AUG. Vel carbones ignis in terra, etc., usque ad unde Apostolus: *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* II Cor. 2.

§139.12 *Vir linguosus.* ID. Quisquis vult dirigi, etc., usque ad de exterioribus necessitas, non voluntas. *Injustum,* etc., *in interitu.* Quod non fit inopi, qui, si capitur malis, non tamen in interitum; flagellat Deus omnem filium quem recipit. Et licet boni modo sint afflicti, tamen *confitebuntur* inter gravia, quod laudabilius: *Et habitabunt,* ideò nil timetur in mundo.

**139.14 *Verumtamen.* CASS. Conclusio psalmi ubi dicit quod si boni liberati sint, et de inimicis vindicati, non tamen sibi dant, sed Deo, unde, et habitabunt cum eo. *Habitabunt cum vultu tuo.* Quia Deum, sicut est, videbunt.

††140.2 *Dirigitur oratio.* CAS. *Oratio* sit *incensum,* etc., usque ad qui in fine pœnitet. *Elevatio manuum mearum,* etc. AUG. Hoc de capite omnes intelligant, etc., usque ad subdit ex voce corporis.

‡‡140.3 *Pone, Domine, custodiam.* Nota, quod et cordi et ori petit apponi custodiam: duplici munimine opus est, ut nec cogitatio iniqua sapiat, nec prava voluntas in fatua verba erumpat. *Ostium.* AUG. A similitudine illius qui circumstat ostium, ne intret, vel exeat, cui non licet.

- ⁴ Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis; cum hominibus operantibus iniquitatem, et non communicabo cum electis eorum.^{¶¶}
- ⁵ Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum:^{§§}
- ⁶ absorpti sunt juncti petræ iudices eorum. Audient verba mea, quoniam potuerunt.*
- ⁷ Sicut crassitudo terræ erupta est super terram, dissipata sunt ossa nostra secus infernum.[†]
- ⁸ Quia ad te, Domine, Domine, oculi mei; in te speravi, non auferas animam meam.[‡]
- ⁹ Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.[¶]

^{¶¶}140.4 **Non declines.** CASS. Quasi: Ad hoc pone ostium ut non excusetur: quod summum vitium dominatur hominibus, unde tardius poenitent; unde in libro regum: **Quasi peccatum hariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere** I Reg. 15.. **Ad excusandas excusationes.** ID. Consuetudo impudentium, ut deprehensi, primum per aliqua falsa excusent, et inde convicti alia quærunt, temporali vel necessitati vitia imputantes, ne quando veritati cedant. **Non communicabo.** ID. Vel, **combinabor.** Combinati dicuntur, quando duo simul ligantur, ut alter alterum impediatur, ne sit fuga libera. Non combinabor ad similitudinem carnis. **Cum electis.** AUG. Electi sunt, qui se justificant, cæteros despiciunt, ut Pharisæus Luc. 18.; et peccata defendunt quibusque modis. Cum talibus non vult iste **combinari**, id est sociari, ne impediatur ab eis.

^{§§}140.5 **Corripiet me.** CASS. Secunda pars, ubi fidelis iste jam e contra a justo correctus, spernit falsos laudatores, malis verbo et moribus profuturus, in quo et petit custodiri. **Oleum autem peccatoris,** etc. ID. Dilectio simulata, quæ mentes a rigore veritatis emollit ad noxia.

*140.6 **Judices.** AUG. Potentes, docti, qui de moribus judicant, etc., usque ad quem omnes colunt.

[†]140.7 **Audient.** ID. Aure obedientiæ, non sicut Adam, etc., usque ad maledictioni proximos. **Crassitudo terræ.** ID. Sunt quædam contemptibilia unde tamen terra accipit pinguedinem, etc., usque ad qui sunt ossa et firmamentum fidelium vel fidei.

[‡]140.8 **Secus infernum.** ID. **Secus infernum** dicit, non, in inferno: quia etsi communi sorte moriuntur, non tamen descendunt in infernum ut mali, sed vita æterna datur illis. **Quia ad te, Domine.** CASS. Dicta fragilitate hominis, ad divina remedia confugit. Ne auferas a bonis tuis, sed spes mea semper sit in te: et oculi mei semper ad te intendant. Non enim petit iste contra hoc quod sancti volunt, scilicet de sæculo eripi et esse cum Christo.

[¶]140.9 **Custodi me a laqueo.** Per laqueos et scandala, totius mundi mala breviter notat. Laquei sunt blandi nexus, carnis desideria; sed dum per hos diabolus non proficit, nititur scandalis, quæ per inquietos movet. Vel aliter. Et dicit, statuentes laqueum, persecutores manifestos: operantes autem iniquitatem, consentientes illis dicit, qui timore persecutionis deficiunt. Et est: Ne auferas animam meam, sed potius, **Custodi me a laqueo** persecutionis, **quem statuerunt mihi.** AUG. Hoc faciunt persecutores, qui escam vitæ hujus quasi in muscipula ponunt. Si amat avis hanc escam, in muscipulam cadit: quia timore mortis persecutioni succumbit. **Custodi me. A scandalis operantium iniquitatem.** Id est, scandalo eorum qui, consentiendo illis, labuntur, et ita iniquitatem operantur. Quasi dicat: Custodi me a persecutoribus, qui terrent, et lapsis.

¹⁰ Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulariter sum ego, donec transeam.][§]

141 Intellectus David, cum esset in spelunca, oratio.^{**}

² [Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum.^{††}

³ Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio:^{‡‡}

⁴ in deficiendo ex me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas. In via hac qua ambulabam absconderunt laqueum mihi.^{¶¶}

[§]140.10 *Cadent in retiaculo.* Aptā verba comparationi, cum istis non vult combinari. Cadent de vitio in vitium, sed *Singulariter sum ego donec transeam.* Singulariter, id est quia cum pessimis non ambulat. *Singulariter.* AUG. Idem quod dicit, etc., usque ad sic et alii antiqui. *Transeam.* Ut viator hujus mundi, qui nulla voluptate capitur.

^{**}141.1 *Intellectus David.* CASS. Psalmus iste quintus est eorum qui nomine orationis intitulantur, ubi non alia dicuntur quam quæ in aliis dicta sunt psalmis, sed eadem. AUG. Quia autem repetitione hujusmodi communi consulitur infirmitati, non supervacue iterantur, ut repetita melius memoriæ commendentur; unde scriptum est in Proverbiis: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis* Prov. 12., quia sapiens, quæ audierit, cogitat; retractando ruminat; vir autem stultus glutit illum, id est non cogitat, oblivioni dat; et hæc sunt illa munda animalia in lege quæ ruminant; ista immunda. David fugiens Saulem in spelunca latuit, de quo tamen hic non agitur, sed de significato. David enim significat Christum. Spelunca vero carnem, vel sæculum, vel sepulcrum. David ergo, Christus, cum membris in sæculo, vel Christus in carne, vel in sepulcro.

^{††}141.2 *Voce mea ad Dominum clamavi.* Primo ponitur oratio contra mala, secundo agit de fine malorum, ibi: *Clamavi ad te, Domine.* Monet ergo nos orare. Et in persona totius Christi, quasi de spelunca ad Deum clamantis, ait: *Deprecatus sum.* AUG. Quod dicit *clamavi, exponit, deprecatus sum.* Quasi dicat: Clamor meus deprecatio est, non murmur, non blasphemia.

^{‡‡}141.3 *In conspectu ejus.* AUG. Dominus redditurus est, in occulto ora; unde in Evangelio: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum qui videt in abscondito,* etc. Matth. 6.

^{¶¶}141.4 *Et tu cognovisti.* ID. Hoc addit, ne audientes, *defecit spiritus meus,* putarent eum dejectum. Ac si diceret: Si illi putant me dejectum, quia spiritus meus defecit, tu me stantem vides, cujus Spiritus me vivificat. *Semitas.* Justitiæ, quas illi non vident. *In via.* Multæ viæ, quia multa præcepta: una via, quia omnia ad unum, id est charitatem, rediguntur. AUG. *In via,* secundum votum eorum; juxta viam, secundum veritatem. Christus enim est via, qui non sinit eos laqueum ponere *in via,* ut non sit nobis quo eamus; sinit tamen ponere juxta viam, ne a via declinemus.

⁵ Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me: periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.^{§§}

⁶ Clamavi ad te, Domine; dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.*

⁷ Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Libera me a persecuentibus me, quia confortati sunt super me.[†]

⁸ Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo; me exspectant justi donec retribuas mihi.][‡]

142 Psalmus David, quando persequebatur eum Absalom filius ejus. [Domine, exaudi orationem meam; auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua; exaudi me in tua justitia.[¶]

^{§§}141.5 *Considerabam ad dexteram.* AUG. Quam mali non videbant; et hoc est, *et non erat qui cognosceret.* CASS. Cum enim pateris omnia, quis novit quid attendas? AUG. Qui in dexteram attendit, videt; qui in sinistram, excæcatur. Vel, apostoli non stabant ad dexteram, quia carnali timore dispersi sunt, sed ego perstiti. *Periit fuga.* Tam corporis quam mentis. *Et non est qui requirat.* CAS. Quia nulla est consolatio, sed solus ad passionem relictus est. *Periit fuga.* AUG. Circumclusum se dicit. *Periit fuga,* quia non fugit animo, corpore licet aliquando. Circumclusus non fugit corpore, quia non potest. Fortis non fugit mente, quia non vult. *Periit fuga* concluso vel forti; fuga quidem, unde dicitur in Evangelio: *Videt lupum venientem et fugit* Joan. 10.. Ubi Dominus mercenarium vituperat. Sed alia est fuga corporis, quam Dominus permittit dicens: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* Matth. 10.. *Et non est qui requirat animam.* Quæritur anima aut a persecutoribus, aut a dilectoribus. Sic fuga perit duobus modis, et a capto et a forti.

^{*}141.6 *Clamavi.* CAS. Secunda pars ubi agit de fine malorum. *Spes mea.* Quia te ex omnibus eligo. *Portio.* Humiliter dicit et communiter portionem sibi esse in terra viventium, cum tota sit sua. Hoc patet ex hoc quod latroni dixit: *Hodie mecum eris in paradiso:* qui est terra viventium æternaliter.

[†]141.7 *A persecuentibus me.* Diabolus enim per vasa sua, id est per filios diffidentia, agit persecutionem corporis, ut intus fiat cordis ruina.

[‡]141.8 *Educ de custodia,* etc. AUG. Ex persona Ecclesiæ loquens, exponit unde liberandus. Alias *de carcere.* Quia in corruptione quæ est poena corporis angustiat: post quas angustias in domo Dei tota vita erit confessio, id est laus Dei; modo impedit carcer confiteri. Hic carcer vel spelunca mundus potest dici, ubi omnia vana: unde rogat educi animam, quæ inde multa patitur, etc., usque ad sed corruptio ejus, et tentatio, carcer est.

[¶]142.1 *Psalmus David.* Psalmus iste septimus pœnitentialum, qui ideo sunt septem, ut eodem numero quo peccavimus, peccata diluamus. CAS. Sicut enim in hebdomada mundi hujus peccamus, ita hoc numero psalmodum remedium pœnitentiæ peccatis opponitur. In quibus psalmis talis est forma, quia a lacrymis incipitur, et in gaudio finis est, ne quis de venia desperet. AUG. Sicut Absalom David, sic Judas Christum, falsi fratres corpus ejus; vel illiciti motus et operatio. *Domine, exaudi,* etc. CAS. Primo captat exordium; secundo narrat mala sua, et quid contra egerit, ibi, *quia persecutus est;* tertio ponitur deprecatio causis confirmata, ibi, *velociter exaudi;* quarto ponitur læta conclusio, ibi, *spiritus tuus.* Monet ad pœnitentiam, et orationem, ad orandum. In persona totius Christi dicit: *O Domine,* etc. *In veritate tua.* CAS. Non est hoc contra humilitatem, quæ petebat audiri: sed veritas et justitia Dei est, ne cum rogante disceptet, ne eum qui se damnat judicet; unde subditur: *et non intres,* non petivit justitiam judicii. AUG., CAS. *In veritate tua, in tua justitia.* Vel justitiam et veritatem dicit, quæ parcat pœnitentibus, et se damnantes absolvit, et accipit pro eodem *veritatem et justitiam.* Et est, *in veritate tua, et tua justitia,* id est secundum justitiam et veritatem quam pœnitentibus et se accusantibus indulget.

- ²Et non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.[§]
- ³Quia persecutus est inimicus animam meam; humiliavit in terra vitam meam; collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi.^{**}
- ⁴Et anxius est super me spiritus meus; in me turbatum est cor meum.
- ⁵Memor fui dierum antiquorum; meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.
- ⁶Expandi manus meas ad te; anima mea sicut terra sine aqua tibi.^{††}
- ⁷Velociter exaudi me, Domine; defecit spiritus meus. Non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum.^{‡‡}
- ⁸Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi. Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.^{¶¶}
- ⁹Eripe me de inimicis meis, Domine: ad te confugi.
- ¹⁰Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.^{§§}
- ¹¹Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me: in æquitate tua, educes de tribulatione animam meam,
- ¹²et in misericordia tua disperdes inimicos meos, et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum.]

§142.2 *Et non intres in iudicium.* AUG. Intran in iudicium cum Domino, qui suam iustitiam constituunt, quod non iste humilis; unde propheta: *Quid vultis mecum in iudicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Cum servo tuo.* Indignum est cum servo, ne dicam cum amico: et si tu dicis amicum, ego servum, fugitivus redeo, pacem quæro, *non sum dignus vocari filius tuus.*

**142.3 *Quia persecutus.* CAS. Secunda pars, ubi est narratio malorum quæ patitur, et quid contra egerit.

††142.6 *Memor fui.* AUG. Hoc dicunt membra, etc., usque ad sed non esse cœpisti. *Meditatus sum.* Quia utique omnia bona sunt, in quo percipit, quia quidquid in se boni est, a Deo est. *In factis manuum.* Ac si dicat: Quæsivi in opere artificem, et in conditis omnibus conditorem: creatura tua facta est mihi spectaculum. *Memor fui dierum.* CAS. Recolens iste quod fecit cœlum et terram, et quod benefecit antiquis, obliviscitur miseriarum mundi. Et ex his quæ Deus fecit se consolatur.

‡‡142.7 *Velociter.* CAS. Tertia pars, ubi ponitur deprecatio causis confirmata. *Defecit spiritus.* AUG. Impleat me tuus Spiritus, quia defecit meus: jam sum pauper spiritu. In quo enim vivit spiritus suus, ille superbus est spiritu suo, et extollitur contra Deum. Unde alibi: *Auferes spiritum eorum, et deficient* Psal. 103.. *In lacum.* Ille descendit in profundum, quia etiam perdit confessionem, ut qui proponit sibi licentiam peccandi sine spe veniæ, habens iniquitatis effusus. Talis non audit Deum dicentem: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* Zach. 1..

¶¶142.8 *Mane.* CAS. Post noctem peccatorum. AUG. Mane est, cum peccata laxantur. *Notam fac mihi viam.* Hoc fecit Deus, etc., usque ad pervenimus ad lumen purum, ad Verbum in principio apud Deum. *Animam.* CAS. Ut vas ad fontem attuli: imple ergo.

§§142.10 *Spiritus tuus bonus.* CAS. Quarta pars, ubi est læta conclusio. *Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua.* Gratia Dei hic commendatur: quia non ex meritis, sed ex nomine, quod est Jesus, se vivificatum dicit, sed cum hoc gratia æquitatis miseretur, quia licet Deus omnia gratis faciat, iustitiæ tamen ejus est supplices justificare, quos dæmones videt impetere.

143 Psalmus David. Adversus Goliath. [Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.*

² Misericordia mea et refugium meum; susceptor meus et liberator meus; protector meus, et in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me.

³ Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?†

⁴ Homo vanitati similis factus est; dies ejus sicut umbra prætereunt.‡

⁵ Domine, inclina cælos tuos, et descende; tange montes, et fumigabunt.¶

⁶ Fulgura coruscationem, et dissipabis eos; emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.

⁷ Emitte manum tuam de alto: eripe me, et libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.§

⁸ quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.

⁹ Deus, canticum novum cantabo tibi; in psalterio decachordo psallam tibi.**

¹⁰ Qui das salutem regibus, qui redemisti David servum tuum de gladio maligno,††

¹¹ eripe me, et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.

*143.1 *Psalmus David ad Goliath.* CAS. David, Christus totus, etc., usque ad et sic caput ejus gladio suo inciditur

†143.3 *Quia reputas eum?* AUG. Magnum est quod Deus æstimat, et tanti facit, ut pro eo Filium dederit, cui etiam fit panis, qui est panis angelorum: non enim sic æstimat hominem Deus, ut homo, qui charius emit equum quam hominem.

‡143.4 *Vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra.* ID. Quando homo conditus est, veritati similis factus est, vanitati peccando. Vana sunt omnia transitoria, comparatione semper manentis veritatis. CAS. Vanum est, quod de sua substantia cadens vanescit: ut fumus, ut umbra. Ita et ipse homo tabescit, unde subdit, *Dies ejus*, id est vita ejus notoria, id est transitoria, sic præterit sicut umbra.

¶143.5 *Domine, inclina.* AUG. Humilis David ex persona Ecclesiæ, plenus gratia præsumens de Deo, pugnans hic invocat adjutorium Dei. Quasi, in lucta sumus, sed ne deficiamus. *Domine, inclina.* CAS. *Domine.* Idem aperit, etc., usque ad et forma Dei formam servi suscepit.

§143.7 *Emitte manum.* CAS. Ad Patrem verba convertit: *Emitte manum*, id est Christum; *de alto* ubi cum Patre, ut carnem induat. AUG. Vel de secundo adventu agit in persona Ecclesiæ. Quasi dicat: Ita fac modo. *Emitte manum tuam de alto*, id est Christum de cælo ad iudicium. Veniet enim Dominus in voce angeli, et in tuba Dei descendet de cælo. Deinde ex persona Ecclesiæ subdit: *Eripi me*, scilicet, per eam manum. *Et libera*, etc., ut in littera.

**143.9 *Deus, canticum novum cantabo tibi.* CAS. Secunda pars, ubi quasi ille quem precabatur, victor et liberator venerit, ei se cantare in Novo Testamento et Veteri promittit: et ab eo precatur liberari ab his qui beatitudinem putant in terrenis. *Canticum.* AUG. Hoc alio nomine significat legem, quam per quinque lapides significavit.

††143.10 *Gladio.* AUG. Quas superius dixit aquas, ipsum hic dicit gladium; unde et hic subdit quod ibi: *Et erue me de manu filiorum alienorum. Maligno.* De quo: *Lingua eorum gladius acutus* Psal. 56.. Est et benignus gladius, de quo Dominus ait: *Non veni pacem mittere, sed gladium* Matth. 10.. Hic est gladius bis acutus Apoc. 19., utroque acumine præpotens, scilicet Veteris et Novi Testamenti, quo omnis putredo a membris Christi abscinditur.

- ¹² Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua; filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi.^{‡‡}
- ¹³ Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud; oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis;^{¶¶}
- ¹⁴ boves eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.^{§§}
- ¹⁵ Beatum dixerunt populum cui hæc sunt; beatus populus cujus Dominus Deus ejus.]^{*}

144 Laudatio ipsi David. [Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.[†]

² Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.[‡]

³ Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.[¶]

^{‡‡}143.12 *Quorum filii*. Hic, qui sint alieni, et quæ illorum dextera iniquitatis, et qualiter locuti sunt vanitatem, exponit. AUG. Felicitatem eorum enumerat, hæc est dextera eorum, hæc est vanitas, quam loquuntur, dum hæc dicunt beatitudinem. CASS. *Quorum filii*. Vel, mystice hæc possunt intelligi ab illo loco, etc., usque ad sed novis erroribus pullulaverunt. *Filiæ*. CASS. Quæ non habent vires constantiæ. *Compositæ*. Non natura pulchræ, sed ab hominibus compositæ. Hæc filiæ sunt cogitationes vel prædicationes eorum qui non habent veram Ecclesiam, sed similitudinem.

^{¶¶}143.13 *Promptuaria*. Corda diversis rebus facta: unde pessimas eructationes exhalant, quæ fentent. *Ex hoc in illud*. Instabiles, quia non habent radicem veritatis.

^{§§}143.14 *Oves eorum fœtosæ*. Ad litteram, quia vult eos ostendere caducis rebus hære. Quasi dicat: Peculium eorum fœtosum, cum ipsi fide steriles; unde mystice discipuli eorum, hæc oves sunt fœtosæ, quia ipsi alios plures in errore generant. *In egressibus*. Non in ingressibus, quia totum bonum quod habere videntur, ab eis egreditur cito perituris. *Boves*. Non labore macri, sed otio pingues, ut his qui affluunt divitiis, cum ipsi sint a veritate jejuni. Vel mystice, boves, magistri terrenis affluunt. *Maceriæ*. Quæ de solis saxis in hortis sed vel vineis; nec ipsa ruit illis, ideo prosperi. CAS. *Neque transitus, neque clamor*, turbidus interrumpit quietem eorum, etc., usque ad quæ ducit ad mortem.

^{*}143.15 *Beatum*. Non inde reprehendit quia his abundant, sed quia pro dextera habent, id est, pro beatitudine: et hæc est vanitas quam locuti sunt. His et Abraham, et Isaac, et Jacob, abundavit. Felicitas est sinistra, id est temporalis, mortalis.

[†]144.1 *Laudatio ipsi David*. CAS. Breviter continet hic psalmus quæ in Scripturis divinis late diffunduntur, etc., usque ad ne quis in ejus laude errare posset: AUG. Spiritu sancto implet Deus sanctos, etc., usque ad ideoque spiritus ejus in servis suis laudet eum, quia laudari se facit. CAS. Ut septem psalmi pœnitentiæ, sic et septem spiritus, juxta illud sacramentum quod præcepit Dominus Moysi in tabernaculo septem lucernas ponere, perpetuo lumine lucentes. *Exaltabo te*. CAS. Primo propheta promittit infinitam laudem; secundo, omnes perfecturos Dei laudem novem modis dicit, ibi, *Generatio et generatio*; tertio, eadem latius explicat, ibi, *miserator*. *In sæculum sæculi*. CAS. Qui hic non incipit, in futuro mutus erit.

[‡]144.2 *Per singulos dies*, etc. ID. Qui hic per singulos dies, in æterno die merebitur laudare continua exultatione. AUG. Bene dicit nunc *per singulos dies*, ut, cum venerit unus sine fine dies, eat ex laude in laudem, sicut ex virtute in virtutem. *In sæculum et in sæculum sæculi*. CAS. De qua laude alibi: *In sæcula sæculorum laudabunt* Psal. 38., quia semper amabunt quem semper videbunt, quia visione nihil delectabilius.

[¶]144.3 *Nimis*. CAS. Uno verbo dedit cogitare quod non potest capi plene: et ideo nunquam cesses a laudibus.

- ⁴ Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt.[§]
⁵ Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt.
⁶ Et virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt.^{**}
⁷ Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exsultabunt.^{††}
⁸ Miserator et misericors Dominus: patiens, et multum misericors.^{‡‡}
⁹ Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.^{¶¶}
¹⁰ Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi.^{§§}
¹¹ Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur.*

§144.4 **Generatio et generatio.** CAS. Secundo, omnes perfecturos laudem Dei novem modis promittit. **Opera tua.** AUG. Si in magnitudine deficimus, vel de operibus laudemus operantem, de conditis conditorem, de creaturis creatorem. CAS. Novem sunt opera: potentia, magnificentia, sanctitas, mirabilia, virtus, terribilium magnitudo, memoria, justitia, quæ post explicabuntur: ex his quasi locis et seminibus omnis laus trahitur, ad quem modum omnia argumenta de paucitate locorum sumuntur. **Et potentiam tuam.** AUG. Non enim opera laudant, nisi ut virtutem operantis annuntient. Sed quidam eloquentes creaturam laudant, creatoris obliiti. Sancti vero laudatores, si opera amant, et laudant magis operatorem: et propter hæc illum amant. Si in rebus factis sentitur aliqua species, utilitas, virtus, et laudatur magis in illo qui fecit. Si opera laudas, et te qui es Dei opus. Et occurrit illud: **Non te laudet os tuum, ne arrogans videaris** Prov. 27.. Sed non est arrogantia, quia Deum in te, non te laudas.

144.6 **Et virtutem. Si non minaretur, nulla esset correctio; si vero non blandiretur, nulla esset exhortatio. Est itaque amabilis et terribilis. Dicent ergo virtutem disciplinantis et punientis, si prædicant regnum æternum, non tacent ignem æternum.

††144.7 **Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eructabunt.** AUG. Ipse per abundantem suavitatem suam prius memor nostri est, nos vocando, gratia sua nos præveniando, inde nos ejus. **Eructabunt** dicit, non manducabunt. AUG. Manducat qui discit, eructat qui docet: hoc tamen eructat quod manducat. Hæc memoria, quia valde dulcis manducanda est et eructanda. Sic ergo manduca ut eructes.

‡‡144.8 **Miserator et misericors.** CAS. Tertio latius explicat quæ secundo breviter proposuit. Quasi: Merito in his laudabunt, quia **miserator**, etc. Partes laudis ponuntur hic, quæ superius, sed non singulæ possunt explicari: quis enim opera vel potentiam ejus plene explicaret? AUG. **Miserator et misericors.** Quibus eam veniam dedit. **Patiens.** His quibus nondum dedit, sed exspectat ut det.

¶¶144.9 CAS. **Miserationes.** Ab operibus incipit, ut miserator dicatur dum cadentes restituit. **Misericors**, natura, etiam dum creat. **Patiens**, hoc sumit de secundo loco laudis, scilicet de potentia, quam laudat, non quod terras suspendit, maria cœrcuit, stellis cœlos depinxit, etc., sed quia tolerat peccantes, ut convertantur. **Et miserationes ejus.** AUG. Si enim tollas opera tua mala, et non in te remaneant nisi opera ejus, non te dimittet misratio ejus: si autem tu non dimittas opera tua, erit ejus severitas in opera tua, cum dicit: **Ite, maledicti, in ignem æternum** Matth. 25..

§§144.10 **Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.** AUG. Laudent sicut ea quæ non habent sensum laudandi, qui sunt materia laudis: quia dum inquiris, invenis magnam vim in eis, quæ a Deo. **Et sancti tui.** CAS. Omne quod est confitetur vel per se, vel per rationales creaturas. Vel sancti, id est, angeli et homines. Hoc de sanctitate: ipsa est enim sanctitas Dei, ut ei sancti debeant confiteri.

*144.11 **Gloriam regni.** ID. De mirabilibus ergo sumitur. Quasi: Quam mirabilis enim qui fecit cœlum et terram, et diversis bonis implevit.

- ¹² ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui.†
- ¹³ Regnum tuum regnum omnium sæculorum; et dominatio tua in omni generatione et generationem. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.‡
- ¹⁴ Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.¶
- ¹⁵ Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno.§
- ¹⁶ Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.**
- ¹⁷ Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.††
- ¹⁸ Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.‡‡
- ¹⁹ Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.¶¶
- ²⁰ Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet.
- ²¹ Laudationem Domini loquetur os meum; et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi.]§§

†144.12 *Ut notam.* ID. De virtute terribilium hoc sumitur, etc., usque ad cui mag-nifico nil comparatur.

‡144.13 *Regnum tuum,* etc. ID. Laudat de perpetuitate et dominationis effectu. Et sumitur hoc de magnitudine: si magnum est ad tempus imperare, majus est domina-tionis terminum non habere. *Fidelis Dominus in omnibus.* ID. De abundantia suavi-tate hoc sumitur; unde supra: *Memoriam abundantiae suavitatis tuæ. Fidelis,* quia adventus dona complevit. Ad abundantiam quoque pertinet quod allevat ruentes, erigit elisos; unde recordatio suavitatis habetur, et in laudibus ejus eructatur.

¶144.14 *Qui corruunt.* CAS. A malis suis, quos omnes allevat Deus. Vel, ab his temporalibus, sicut sancti, ut Job, qui in sæculo aliquid perdunt et abjecti fiunt, decedentes sunt: sed hos omnes confirmat, quia septies cadit justus et resurgit; impii autem infirmantur in malis Prov. 24.. *Et erigit omnes elisos.* AUG. Ad se pertinentes, quia superbis resistit.

§144.15 *Oculi omnium in te sperant, Domine.* ID. De justitia latius agit, ut qui misericordem audit, justum timeat: et justitiæ est ut sperantes satiet corporaliter vel spiritualiter. Non semper enim danda est esca, sed in tempore opportuno: multis enim petentibus salubriter differtur. *Et tu das escam illorum in tempore opportuno.* ID. Dat ergo medicus ægro quod convenit, etc., usque ad benedicens Deum in omni tempore.

**144.16 *Aperis tu manum.* ID. Etsi non das aliquando, das tamen opportune: differs quidem, non aufers.

††144.17 *Justus.* CAS. Ipso nomine justitiam aperit, ut manifeste ostendatur hic laus de justitia esse. *Viæ* sunt dispositiones et voluntates, quæ omnes justæ, etiam si verberat. *Viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Sciendum quod *Viæ* ad dispositionem pertinent, opera ad effectum: hæc secundum nos dividuntur. Sed apud illum, hoc est velle, quod facere: quia ex ejus voluntate res habent esse.

‡‡144.18 *Prope est omnibus invocantibus eum.* CAS. Propitius, qui ubique, et hoc de justitia.

¶¶144.19 *Voluntatem timentium se faciet.* ID. Concludit de justitia: æquum est enim et diligentes custodire et peccatores perdere.

§§144.21 *Laudationem.* CAS. Expositis omnibus, sequitur brevis conclusio, qua concludit quod non potest explicari.

145

 Alleluja, Aggæi et Zachariæ.*

² [Lauda, anima mea, Dominum. Laudabo Dominum in vita mea; psallam

Deo meo quamdiu fuero. Nolite confidere in principibus,†

³ in filiis hominum, in quibus non est salus.‡

⁴ Exhibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.¶

⁵ Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius:§

*145.1 *Alleluia*. CAS. Vox ista, quasi musica salutaris, tanquam harmonia cœlestis, quæ non solum homines, sed etiam angelos delectat, laudem Dei exprimens. Quæ congrue huic psalmo præscribitur, ubi vir justus exhortatur animam ad laudem Dei: quia in adversis aliquando, velit nolit, perturbatur anima. Unde supra: *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* Sed ut auferat ei perturbationem, suggerit gaudium de spe, si non in re: *Spera in Deo*, etc. AUG. Hac spe erecta anima Deum laudat hic. CAS. Primo, sibi quasi omnibus consulit laudare, ne in vanis oretur; et quasi acquiescens consilio, asserit se laudaturum ibi ubi poterit plene. Secundo, alios monet non sperare in homine, ibi: *Nolite confidere*. Tertio, docet omnem spem in Omnipotente ponendam, ibi: *Beatus*, etc.

†145.2 *Lauda, anima mea, Dominum*. Sed quæritur, a quo, cui hoc consulitur? Si dicitur caro consulere animæ, non videtur hoc esse verum, cum a meliori et a digniori soleat inferiori dari consilium: caro autem inferior est anima. Anima enim, licet vituperata quia peccatrix, tamen melior dicitur per naturam corpore laudato in suo genere, quia spiritualis natura præstat corpore, quam movet, regit, sensificat, capit: et ipsa infinita, vicina est substantiæ Dei. Sic aurum, vituperatum quia sordidum, præest plumbo in puritate laudato: sic et malus homo optimo equo. Non datur ergo consilium animæ a carne, quamvis domita valde et pacata: quæ tamen mortua est propter peccatum. Nec etiam caro mortalis immortalis consulit animæ, quia semper infra animam est; sed superior pars animæ, scilicet mens, quæ cogitat sapientiam divinam, illi inhærens et in illam suspirans, videt quasdam sui partes perturbari motibus sæculi, cupiditate terrenorum ad exteriora rapi: unde ad interiora et superiora revocat eam. Se ergo secundum sensualitatem exhortans dicit: *Lauda, anima mea, Dominum*. Quid enim tibi placet in hoc sæculo? Divisa per tot sæcularium rerum amores, collige te ad auctorem: hic tibi pax et securitas. Deinde respondet anima menti, quasi hic prægravata non valens desistere, ut dignum est. *Laudabo in vita*. Hic in morte laudabo tenuiter, quia corpus *aggravat animam, et terrena inhabitatio sensum deprimit multa cogitantem* Sap. 9.; hic spes pascit, vita in futuro. *In vita mea*. CAS. Cum ei perfecte inhæsero, a quo separari, ut modo fit, mors est: sed spes consolatur, in qua quodammodo vivens laudat. *Quandiu*. Non quod aliquando non sit, quia in æternum erit, et ideo vere diu.

‡145.3 *Nolite confidere*, etc. CAS. Secunda pars. Dato consilio et affirmato, ubi plene laudare poterit, quasi longe remotos, et interim dum mala sunt quibus turbatur anima, monet non sperare in homine, sed in Deo. AUG. Vel quasi in fine sæculi mente positus: cito finienda docet non amare pro æternis; quasi et meo exemplo, *nolite confidere*, etc. *In filiis hominum*. ID. In uno filio hominis est salus, et in ipso sperate. Non quia filius hominis est, sed quia Filius Dei est. Non propter illud quod suscepit ex te, sed propter illud quod servavit in se.

¶145.4 *Exhibit spiritus ejus*, etc. CAS. Prius mundat corda prohibendo a noxiis, ut post salutaria intendat monendo salubria.

§145.5 *Beatus cujus Deus Jacob*. CAS. Tertia pars, ubi docet totam spem in Omnipotenti ponendam, quem ex factis describit ut gentilitas tam frequenter convicta quiescat. AUG. Remotis noxiis, docet quod salutis est, scilicet in quo sperandum sit. *Adjutor ejus spes ejus*. CAS. Ipsius Jacob sic fuit adjutor, etc., usque ad id est, hujus veri Jacob, sicut illius.

⁶ qui fecit cælum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt.**

⁷ Qui custodit veritatem in sæculum; facit iudicium injuriam patientibus; dat escam esurientibus. Dominus solvit compeditos;††

⁸ Dominus illuminat cæcos. Dominus erigit elisos; Dominus diligit justos.‡‡

⁹ Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet, et vias peccatorum disperdet.¶¶

¹⁰ Regnabit Dominus in sæcula; Deus tuus, Sion, in generationem et generationem.]§§

146 Alleluja. [Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus; Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.*

² Ædificans Jerusalem Dominus, dispersiones Israël congregabit:†

³ qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum;‡

⁴ qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.¶

145.6 *Qui fecit cælum et terram.* ID. Quia et cultoribus dæmonum spes est in deo suo, determinat in quo debet esse spes, id est in Christo, et hoc usque in finem psalmi ostendit, describendo eum per omnia. *Omnia quæ in eis sunt.*** Ne quem alium putes creatorem, vel minutissimarum rerum existere creatorem.

††145.7 *Qui custodit veritatem in sæculum.* CAS. Christus, qui est veritas, omnis homo mendax. ***Facit iudicium.*** Hæc duo ad justitiam pertinent. Christus iudex vindicat patientes propter nomen suum, et dat escam diligentibus se. ***Injuriam patientibus.*** AUG. Non omnis molestia est injuria. Quod jure pateris non est injuria, ut quod patitur latro et scelerati alii. Aliud ergo est pati injuriam, aliud supplicium. Supplicium enim jure quis patitur, injuria autem juri contraria est.

‡‡145.8 *Dominus solvit compeditos.* CAS. Hoc ad abundantiam suavitatis. ***Dominus erigit elisos.*** Quos diabolus elidit, Dominus erigit. ***Diligit justos.*** CAS. Quos locat in æterna beatitudine.

¶¶145.9 *Pupillum et viduam suscipiet.* AUG. Omnis Ecclesia gentium adventitia est ad patres, non carne, sed imitando, filia. ***Pupilli*** sunt omnes in peregrinatione, quibus est absens pater; et omnis fidelis anima est ***vidua*** sponso absente: unde et magis patrem et sponsum desiderant, et hos protegit Deus non visus, sed desideratus.

§§145.10 *Regnabit Dominus in sæcula.* CAS. Hoc est de magnificentia. Regnabit in nobis, cum corda nostra erunt in eo firma, quod non modo.

*146.1 *Alleluia.* AUG. Hic item ait de laude Dei, ubi propheta monet laudare colligentem Israël. ***Laudate Dominum.*** CAS. Primo ostendit quos colligat, et quomodo. Secundo, post prædicta, quasi adhuc hærentes et dubios increpat, ostendens unde possint laudare Deum, scilicet si fuerint humiles, ibi, ***Præcinite***

†146.2 *Ædificans Jerusalem Dominus.* AUG. Vel, accepit ***Jerusalem*** generalem Ecclesiam, etc., usque ad quem Pater misit ad captivitatem nostram redimendam pretio sanguinis.

‡146.3 *Et alligat.* A similitudine medici, etc., usque ad et Dominus alligat contritiones. HIER. Qualiter Samaritanus ille qui descendebat a Jerusalem in Jericho Luc. 10., quando vidit vulneratum jacentem in itinere, colligavit vulnera ejus. Cæterum de his qui non obtriverunt cor, dicitur per Isaiam: ***Non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas*** Isa. 1, secundum 70.. Alligamenta Dei sunt temporalia sacramenta, quibus interim consolationem habemus; quæ tunc detrahentur cum erit perfecta sanitas.

¶146.4 *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.* CAS. Non aliena ut astrologi qui Jovem et Venerem nominant. Vel, typice, de sanctis, quia cuique proprium donum dat; vel, omnes sunt in familiaritate, a similitudine Domini, qui famulorum suorum nomina novit.

- ⁵ Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus.[§]
⁶ Suscipiens mansuetos Dominus; humilians autem peccatores usque ad terram.^{**}
⁷ Præcinite Domino in confessione; psallite Deo nostro in cithara.^{††}
⁸ Qui operit cælum nubibus, et parat terræ pluviam; qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum;^{‡‡}
⁹ qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.^{¶¶}
¹⁰ Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.^{§§}
¹¹ Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.]^{*}

[§]146.5 *Sapientiæ ejus*, etc., AUG. Ipsam mensuram, et numerum et pondus, etc., usque ad vide quid sequitur, *humilians autem peccat*.

^{**}146.6 *Humilians autem peccatores*. AUG. Qui enim reprehendunt intelligibilia, ideo sentiunt terrena, de Deo incorporeo corporaliter cogitantes. Hæc facit his qui volunt irridere legem antequam noscant. Quia ergo magnum est proficere ad intelligibilia et spiritualia, simus mansueti, pulsemus et faciamus quod sequitur.

^{††}146.7 *Præcinite*. Sic pervenietur ad intelligentiam, sic imago Deo reformabitur. *Præcinite*. CAS. Secundo, ex prædictis quasi adhuc hærentes increpat et impellit, ostendens unde possint intelligere, si humiles et non superbi. Quasi: Et ut intelligere valeatis, *præcinite*, etc.

^{‡‡}146.8 *Qui operit cælum*. CAS. Memorat opera per quæ potestas ostenditur. Ad hoc enim quædam obscura in Scripturis voluit esse, ut haberent servi Dei quid interpretando influerent super aures et corda hominum, excipientium de nubibus Dei saginem lætitiæ spiritualis. *Servituti hominum*. Prædicatoribus, qui hominibus serviunt. Unde Apostolus ait: *Nos autem servos vestros per Jesum Christum* II Cor. 4.. Hi seminant spiritualia et recipiunt ab *excelsis sæculi fenum et herbam*, id est temporalia.

^{¶¶}146.9 *Et pullis corvorum*. AUG. Omnia enim, quæ dantur Ecclesiæ a divitibus, fenum sunt. ID. Judæi, qui se solos justos, omnes gentes dicebant peccatores. Et vere patres nostri *corvi*, nos autem non sic remanemus: tamen recte pulli corvorum dicimur et sumus. Corvus non invocat, nos vero dimissi invocamus. CAS. Pulli corvorum dicuntur rore vesci et beneficio ætatis, ignorant paternas escas, id est fetores cadaverum: sic filii paganorum innocentes, qui invocant.

^{§§}146.10 *In tibiis viri*. In composito habitu præsumptuosi et audacis. Per virum enim audacem præsumptorem notat. In tibiis notatur incessus incompositus, *in tibiis viri*. Vel, secundum aliam litteram, *in tabernaculis viri*, id est in conventiculis hæreticorum, *beneplacitum erit ei*. Nota quod non ait in tabernaculis Dei, sed *vir*, per hoc designans audaciam hæreticorum.

^{*}146.11 *Super timentes*, etc. AUG. Timori spem conjunxit, quia non valet timor sine spe veniæ: Judas enim timens, sed desperans, laqueo se suspendit. Qui ergo timet Deum, speret et in eo. Placabis autem si speres in misericordia ejus, atque de cætero ita peccare caveas, ut de præteritis depreceris ut tibi dimittantur.

- 147** Alleluja. [Lauda, Jerusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion.†
² Quoniam confortavit seras portarum tuarum; benedixit filiis tuis in te.‡
³ Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.¶
⁴ Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo ejus.§
⁵ Qui dat nivem sicut lanam; nebulam sicut cinerem spargit.**
⁶ Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?††

†147.1 *Alleluia*. Psalmus iste facit amorem futuræ Jerusalem. Aggæi et Zachariæ dicitur, qui in captivitate reparationem Jerusalem prophetaverunt, quæ, ut Jeremias prædixit, post septuaginta annos facta est, id est, post volubilitatem totius temporis, quod septem diebus agitur. *Lauda, Jerusalem*. CASS. Totus hic psalmus potentiam Dei prædicat. Primo, dicit bona futuræ Jerusalem, secundo, dicit quæ bona hic dantur sanctis, ibi: *Qui emittit*. AUG. In captivitate adhuc constitutus propheta, etc., usque ad qui audivimus sic ructantem.

‡147.2 *Confortavit seras portarum tuarum*. AUG. Nota clausam esse janam januam admissis prudentibus, et exclusis fatuis virginibus, ut nemo jam exeat vel intret. Et congrue post laudis admonitionem subdit de clausis januis: clausa enim janua Jerusalem secure laudat, quia nemo exiit unde doleat; nemo intrat quem timeat, unde sint scandala. scandala.

¶147.3 *Adipe frumenti*. ID. Pane qui de cælo descendit: in mundo carne clausus est, sola fide cognitus, tunc videbitur sicut est.

§147.4 *Qui emittit eloquium suum*. Secunda pars subdit quæ munera hic dantur electis, per quæ veritas futuri potest agnosci. *Terræ*. AUG. Ut in terra cognoscatur. Nisi enim mitteret verbum terræ, qua gravamur et impedimur a reditu, ad adipem frumenti satiantem non levaremur. In terra enim, ubi laboramus fessi, languidi, pigri, frigidi, scilicet in eremo, non deserit, sed manna *qui emittit eloquium*, etc. *Velociter currit*. AUG., CASS. Vel usque in velocitatem, id est, a Deo, ut sit ipsa velocitas quo electius vel expressius dici non potuit. Non ait velox verbum, velox sit velocitate, qua plus vel minus participat: sed ipsa velocitate, qua cætera dicuntur velocia, nihil est velocius. Et item quod velox est, ut equus alicui est, non ubique: velocitas vero ipsa ubique est, non est in parte. Ad verbum Dei pertinet non esse in parte, ubique esse per seipsum. Hæc est sapientia, *quæ attingit a fine usque ad finem fortiter*, non tamen motu locali, sed immobilitate. Sed et de sapientiæ spiritu dicitur, *actus mobilis, certus, incoinquinatus*; hoc facit velocitas, ut et ubique semper sit, et nusquam inclausa teneatur. Sed quis ista sufficit cogitare? Est tamen spes ad capiendum verbum, quia prædestinavit nos.

**147.5 *Qui dat nivem*, etc. AUG. Terræ. Frigescente enim charitate, etc., usque ad et hos dum vocat ad pœnitentiam, *nebulam sicut cinerem spargit*. ID. *Nebulam sicut cinerem spargit*, etc. Cinis ad pœnitentiam pertinet, etc., usque ad et qui prædestinavit et ad pœnitentiam vocavit. Ad litteram: Spargit Deus nivem quasi lanam, nebulam ut cinerem, crystallum facit ut frusta candidi panis. Est enim crystallum species quædam in modum vitri, sed candida est: dicitur autem esse nix glacie indurata per multos annos, ut solvi non possit. *Crystallum suam*, etc. Id est obstinatos, qui non facile ut nix solvuntur.

††147.6 *Mittit sicut buccellas*, etc. Alias, *ut frusta panis*, ut pascant alios, ut prædicent veritatem, quam impugnant. Omnes, unus panis; singuli, frusta; unde: *Multi unus panis sumus in Christo* I Cor. 10.. Paulus crystallum fuit, durus et nitidus: durus, quia persecutus Ecclesiam; nitidus, quia in lege peritus. Hanc autem Deus solvit, et factus est panis, qui veritatem docuit. Sed nisi solvat, *Ante faciem ejus Dei quis sustinebit?* Alias, subsistet. AUG. Frigus est, qui deserit, non vocat, non infundit gratiam: et quis alius solvet? Nullus. Unde Apostolus: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7. Quasi dicat: Frigescio, nullus solvit, nisi gratia Dei *emittat verbum suum*.

⁷ Emittet verbum suum, et liquefaciet ea; flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.^{‡‡}

⁸ Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israël.^{¶¶}

⁹ Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. Alleluja.]

148 Alleluja. [Laudate Dominum de cælis; laudate eum in excelsis.^{§§}

² Laudate eum, omnes angeli ejus; laudate eum, omnes virtutes ejus.

³ Laudate eum, sol et luna; laudate eum, omnes stellæ et lumen.

⁴ Laudate eum, cæli cælorum; et aquæ omnes quæ super cælum sunt,

⁵ laudent nomen Domini. Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.*

⁶ Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi; præceptum posuit, et non præteribit.†

⁷ Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi;‡

⁸ ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus;¶

⁹ montes, et omnes colles; ligna fructifera, et omnes cedri;

¹⁰ bestię, et universa pecora; serpentes, et volucres pennatæ;

¹¹ reges terræ et omnes populi; principes et omnes iudices terræ;

¹² juvenes et virgines; senes cum junioribus, laudent nomen Domini:

¹³ quia exaltatum est nomen ejus solius.[§]

^{‡‡}147.7 *Emittet verbum suum, et liquefaciet eam.* CASS. Verbo namque Dei veniente, nec frigus, nec obscuritas, nec duritia desperare potest. Salubriter enim liquefiunt, et fluentea spiritualis beneficii profundunt aliis unde bibant, juxta illud: *Omnes sitientes, venite ad aquas* Isa. 55..

^{¶¶}147.8 *Jacob... Israël.* AUG. Vel idem significatur per Israël, etc., usque ad quia non fuit missus *nisi ad oves quæ perierunt domus Israël* Matth. 15.. *Judicia sua.* ID. Judicium incipit a domo Dei, etc., usque ad tres alios psalmos laudis subjungens, ut in hoc opere gratia Trinitatis eluceat.

^{§§}148.1 *Laudate Dominum de cælis.* CASS. Per paucorum commemorationem universam creaturam hortatur laudare Deum. Sunt quædam quæ habent spiritum laudandi Deum in eo affectu quo placet eis Deus: quædam non habent intellectum, sed quia ipsa bona sunt in ordine suo, et ad pulchritudinem universalitatis referuntur, per se non laudant, sed ab ipsis per attendentes ea laudatur Deus: et ita quodammodo laudant, quia de illis nascitur in nobis laus Dei, ad quam nos hic monet propheta.

^{*}148.5 *Quia ipse dixit, et facta sunt.* CASS. Hoc contra illos qui dicunt mundum Deo coæternum; sequitur: *Ipse mandavit.* Verbo suo, et creata sunt. Prius dixit, *facta*, postea *creata*. Facere enim et nos possumus, sed non creare. Ipse ergo solus creat, quod est proprium Deitatis. Laus ex operibus

[†]148.6 *Statuit.* Ex potentia omnipotens est, cujus opera non mutantur. *In sæculum et in sæculum sæculi.* CAS. Et si cælum novum, Deo tamen bene statuta dicuntur, quæ novantur per Christum et meliorata permanent. Et est hic laus a potentia.

[‡]148.7 *Laudate Dominum.* Secunda pars, ubi, enumeratis cœlestibus, descendit ad terrestria. Conversus ergo ad illa, tanquam exhortans nos ut eorum consideratione laudemus Deum, quæ considerata aperiunt laudem Dei, ait: O vos qui de terra. *Omnes abyssi.* AUG. Profunditates aquarum, etc., usque ad ipsa ergo, id est, nos consideratione eorum hortatur laudare.

[¶]148.8 *Quæ faciunt verbum ejus.* Hoc ideo quia visum fuit quibusdam quod Deus superiora regeret, sed hæc inferiora despiceret, sed a casibus regerentur; sed et hæc agit Deus, et in his minimis laudatur, et alleluia cantatur.

[§]148.13 *Confessio.* CAS. Supra dixit prius de cœlo, postea de terra; hic de omnibus simul. Et accipit per cælum omnia superiora, et per terram omnia inferiora. AUG. *Confessio ejus super cælum et terram.* Illum omnia confitentur in se vel in aliis; pulchritudo omnium vox est confitentium in attendentibus ea, id est, attendentes laudent eum, et de terrenis et de cœlestibus, quo non est aliquid melius.

¹⁴ Confessio ejus super cælum et terram; et exaltavit cornu populi sui. Hymnus omnibus sanctis ejus; filiis Israël, populo appropinquanti sibi. Alleluja.]**

149 Alleluja. [Cantate Domino canticum novum; laus ejus in ecclesia sanctorum.††

² Lætetur Israël in eo qui fecit eum, et filii Sion exsultent in rege suo.‡‡

³ Laudent nomen ejus in choro; in tympano et psalterio psallant ei.¶¶

⁴ Quia beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem.§§

⁵ Exsultabunt sancti in gloria; lætabuntur in cubilibus suis.*

⁶ Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum:†

⁷ ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis;

**148.14 *Exaltavit cornu populi sui.* ID. Ecce quod prophetavit Aggæus et Zacharias. Modo humile est in tribulationibus cornu populi sui, sed cum venerit Dominus, exaltabitur.

††149.1 *Alleluia.* CAS. Post omnes creaturas quas in præcedenti psalmo monuit laudare Deum, eo quod ab ipso creatæ sunt, hic proprius et specialius Israël invitatur ad novum canticum pro novitate sibi facta, quæ mirabilior est Dei operatio: hæc est sanctificatio Israël, per quam de veteri factus est novus. *Cantate Domino*, etc. CAS. Primo multis modis monet laudare regem qui eis benevolus et beneficus. Secundo agit de gaudiis sanctorum, ibi, *Exsultabunt.* AUG. Qui vult cantare hoc canticum, diligat æterna, ut fiat novus. Vetus enim homo vetus canticum cantat de terrenis. Novus homo novum cantat de spiritualibus; canticum scilicet pacis, canticum charitatis et jucunditatis. Quisquis enim sequitur veterem animositatem, non novam charitatem, novum canticum non cantat. *Laus ejus in Ecclesia.* CAS. Hic ubi et a quibus cantari debeat hoc canticum determinat.

‡‡149.2 *In rege suo.* ID. Id est, in Christo, qui est rex et sacerdos. AUG. Ut rex pugnavit pro nobis de cruce, diabolum vincens: ut sacerdos, se pro nobis obtulit, nihil inveniens in hominibus quod pro eis offerret.

¶¶149.3 *In choro.* ID. Quia nulla dispersio, sed charissima unitas; tunc exsultatio erit de tympano et psalterio, non ipsius actus.

§§149.4 *Quia beneplacitum est Domino.* ID. In prima conditione rerum legimus omnia placuisse Deo, etc., usque ad vel cum parem angelis faciet.

*149.5 *Exsultabunt sancti.* ID. Secunda pars, ubi agit de gaudiis sanctorum et potestate. *Gloria.* Est bonorum actuum frequens laudatio, de quibus justii lætantur in cubilibus, id est in conscientia, ideo quia habent tam bonum Dominum, qui dat peccantibus gratiam et in meritis vitam æternam. Fatuus extra in fabulis hominum lætatur; sanctis hic modus gaudii est, ut ad illum referantur bona qui dedit.

†149.6 *Exaltationes.* ID. Virtus Dei et potentia prædicatur in gloria sanctorum. In cubilibus, in diversis mansionibus est gloria sanctorum. De quibus Dominus. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Joan. 14. *In gutture.* Qui in corde et in lingua non desinunt laudare eum, a quo æterna habent. *Gladii.* Potestatem verbi Dei accipientes, cum Domino judicabunt, sedentes super duodecim sedes; et tunc vere fiet *vindicta et increpatio in populis*, tunc reges terræ ligabuntur: unde non sit liberum exire. Et nobiles ferent ferrea vincula, ut gravia ad portandum, et quæ non possunt rumpi: et sic fiet iudicium conscriptum, id est ab angelis comprobatum. De quo Apostolus: *Nescitis quia angelos judicabimus?* 1 Cor. 6. Et ne putes solos apostolos judicare, addit, *gloria hæc*, scilicet potestas iudicii, est omnibus sanctis ejus, id est perfectis, qui pro Christo omnia terrena reliquerunt. AUG. *Exaltationes Dei in gutture.* Sic enim lætantur in cubilibus et faucibus, id est in corde et lingua, ut non sibi tribuant quod boni sunt, sed Deo, a quo acceperunt quod sunt, et sperant id quod nondum sunt.

⁸ ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis;[‡]

⁹ ut faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus.
Alleluja.]

150 Alleluja. [Laudate Dominum in sanctis ejus; laudate eum in firmamento virtutis ejus.[¶]

² Laudate eum in virtutibus ejus; laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.[§]

³ Laudate eum in sono tubæ; laudate eum in psalterio et cithara.

⁴ Laudate eum in tympano et choro; laudate eum in chordis et organo.^{**}

⁵ Laudate eum in cymbalis benesonantibus; laudate eum in cymbalis jubilationis.

⁶ Omnis spiritus laudet Dominum ! Alleluja.]^{††}

[‡]149.8 *Ad alligandos.* His vinculis mandatorum et præceptorum Dei ligantur gentium reges, nobiles sæculi, ab infirmis et contemptibilibus hujus mundi, quos elegit Dominus ut fortia quæque confunderet; ipsosque implevit Spiritu sancto, et dedit eis frameas bis acutas, ut ad Christi timorem nobilium corda converterent, et sæculari nobilitate contempta, paupertatem eligerent et nobilitatem in Christo. Voluit enim prodesse imperatori de piscatori, non piscatori de imperatore. AUG. Per hos ligat reges et nobiles in vinculis ferreis, ne progredierentur ad illicita.

[¶]150.1 *Laudate Dominum.* CAS. De laude Dei in sanctis ejus, qui glorificati sine fine laudant. Monetur civitas Dei, scilicet unitas omnium sanctorum, ore et animo cantare. In hoc culmen omnis psalmodia perducitur, quæ nuptiali dulcedine cantatur. *Laudate eum in firmamento.* AUG. Virtus est in firmamento, etc., usque ad qui invicem se honorantes, dant laudem Deo. CAS. Quibus propheta in principio formam conversationis ostendit, jam in illa Jerusalem receptis, dicit in eis laudandum esse Deum, qui omnia dedit. *In firmamento,* quia morte sua diabolus vicit, et credentes ad coelum perduxit. In virtutibus vel potentatibus, quia omnia subjecta pedibus ejus.

[§]150.2 *Secundum multitudinem magnitudinis ejus.* Quomodo hoc, cum magnitudinis ejus non est finis? sed spiritualibus et sanctis dicitur hoc. Et cum non sit finis magnitudinis, secundum eam laudatur Deus, cum sine fine laudetur. Quomodo autem debeat laudari, per similitudines mysticas usque ad finem psalmi dicit: *Tuba* concrepet regi, *psalterium* canat Deo: *cithara* cum reliquis sponso. Tuba enim terribilis, vel in bello sumitur, vel, in adventibus regum apparatus; psalterium a summo, cithara ab imo sonat: hæc omnia, humanis actibus comparata, figuraliter ibi dicuntur laudes Dei personare.

^{**}150.4 *In chordis et organo.* CAS. *Chordas* ponit pro omni instrumento musico, quod chordarum tensione sonat. *Organum* est quasi turris fistulis diversis fabricata, flatu follium sonans; et ut hæc omnia de hominibus acciperes, ad hominis os venit: et exponens quid sit laudare *in chordis et organo* subdit. *Laudate eum in cymbalis,* etc. *Cymbala* bene sonantia labia nostra sunt quæ cordi concinna in laudibus Dei bene sonant, in quibus est similitudo cymbalorum, et harmoniam reddunt, et ideo bene inter musica instrumenta sunt. CAS. Cymbala bene tinnientia sunt ex permistis metallis parvissimæ phialæ, quæ acutum sonum reddunt. Sed quia omnia spiritualiter intelligi vult, apto fine concludit:

^{††}150.6 *Omnis spiritus,* angelicus et humanus, *laudet Dominum.* Non caro et sanguis, non habitus sæculi: sed quod est in natura rerum sublimius, quod cœlestia sapit, æterna capit. Brevis et perfecta scientia, ut Deum spiritualiter omnia laudent, in his totius musicæ perfectio est. Est enim flatus in tuba, pulsus in cithara et in cymbalis, vox in choro. Quibus musicis instrumentis significatur spiritualis harmonia, quæ non auribus, sed pura mente advertitur. AUG. Tria sunt genera, etc., usque ad vitæ æternæ vox est: *Omnis spiritus laudet Dominum.*

INCIPIT LIBER PROVERBIORUM SALOMONIS

1 [Parabolæ Salomonis, filii David, regis Israël,^{‡‡} ² ad sciendam sapientiam et disciplinam;^{¶¶} ³ ad intelligenda verba prudentiæ, et suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam, et iudicium, et æquitatem: ⁴ ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia et intellectus. ⁵ Audiens sapiens, sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.^{§§} ⁶ Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et ænigmata eorum. ⁷ Timor Domini principium sapientiæ; sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt.]^{*} ⁸ [Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ:[†] ⁹ ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo.[‡] ¹⁰ Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.[¶] ¹¹ Si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur san-

^{‡‡}1.1 *Parabolæ Salomonis.* Notandum quod vulgata editio parabolæ, quæ Hebraice *misle*, Græce *paræmias*, id est, proverbialiter dicitur; sed satis convenit. Quæ enim parabolæ quia occulta sunt nuncupantur, etiam proverbialiter jure vocantur: quia talia sunt, quæ sæpe in ore colloquuntur versari ac memoria debent retineri. Etiam proverbialiter plerumque tam obscura sunt ut parabolæ bene dicantur; unde: *Hæc in proverbialibus locutus sum vobis* Joan. 6., etc. Proverbiorum liber, non ut simplices arbitrantur, patentia habet præcepta, sed quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur: ita in eis divinus sensus altius est inquirendus. Parabolæ Salomonis secundum Hebraicam veritatem translatae ab Eusebio, Hieronymo presbytero petente Chromatio et Heliodoro episcopis; Græce, Latine *similitudines*; quod vocabulum ideo Salomon huic operi imposuit, ut non juxta litteram intelligamus quæ dicitur: in quo Dominum parabolice turbis locuturum significat, sicut et nomine suo regno pacifico, regnum Christi et Ecclesiæ; de quo: *Multiplicabitur ejus imperium, et regni ejus non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit* Luc. 1.. Sicut templi constructione et dedicatione, ædificationem Ecclesiæ in tempore resurrectionis. Ipse etiam Christus filius David, et rex spiritualis Israël, secundum testimonium turbæ, quæ occurrit ei cum ramis palmarum et laudibus Matth. 21.. Quid autem utilitatis habeant, in titulo monstratur, cum dicitur: *Ad sciendam sapientiam et disciplinam*; id est, quomodo recte credere et vivere oporteat, quemque quo intentionem cordis dirigere.

^{¶¶}1.2 *Ad intelligenda verba prudentiæ.* Id est, non solum sapientiam, quam perceperunt, amplectantur, et disciplinæ virtutum inserviant, sed etiam verba prudentiæ, quibus proficiant, auscultent et solerter intelligant.

^{§§}1.5 *Audiens sapiens, sapientior.* Pulchre a sapientia incipit, quia optione sibi data sapientiam petiit et accepit. *Audiens sapiens, sapientior.* Ostendit neminem tam sapientem in hac vita, qui non possit sapientior esse etiam dictis minorum. Audivit regina Saba Salomonem minor majorem, et sapientior rediit. Audivit Moyses socerum multo inferiorem, et sapientior factus est. *Et intelligens.* RAB. in Prov., tom 5. Nemo jactet se de sua scientia, etc., usque ad ad sciendam sapientiam et disciplinam, etc.

^{*}1.7 *Timor Domini.* ID. Duo sunt timores Domini, etc., usque ad Uterque in futuro cessabit, charitas nunquam excidet.

[†]1.8 *Audi, fili mi, disciplinam.* ID. Hactenus proverbialiter, etc., usque ad apud Hebræos enim spiritus, qui gratiam præstat, genere feminino dicitur.

[‡]1.9 *Addatur gratia.* His qui legem Domini servabant, etc., usque ad pro gratia rectæ operationis. *Et torques collo tuo,* etc. Fulgor perfectæ operationis, quæ prædicationem quæ per collum procedit, confirmet indeficienti virtutum connexionem.

[¶]1.10 *Fili mi.* Affectu patris alloquitur filium, blandiens, ne acquiescat peccatoribus.

guini; abscondamus tendiculas contra insontem frustra;^{§ 12} deglutiamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum;^{** 13} omnem pretiosam substantiam reperiemus; implebimus domos nostras spoliis:^{†† 14} sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum:^{‡‡ 15} fili mi, ne ambules cum eis; prohibe pedem tuum a semitis eorum:¹⁶ pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.^{¶¶ 17} Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum.^{§§ 18} Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, et moliantur fraudes contra animas suas.¹⁹ Sic semitæ omnis avari: animas possidentium rapiunt.]²⁰ [Sapientia foris prædicat; in plateis dat vocem suam:^{* 21} in capite turbarum clamitat; in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens:^{† 22} Usquequo, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, et imprudentes odibunt scientiam?^{‡ 23} convertimini ad correptionem meam. En proferam vobis spiritum meum, et ostendam

§1.11 *Insidiamur.* RAB. Vel generaliter de latronibus, qui innocentibus insidias parant. Vel specialiter de illis qui vitæ auctorem neci tradiderunt. STRAB. Cum generaliter ad omnes qui sanguini insidiantur hoc pertineat, etc., usque ad et se potius præsumendo perimunt. *Insontem frustra.* Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

**1.12 *Deglutiamus eum, sicut infernus viventem.* Exstinguamus memoriam virtutum et doctrinæ illius, ut etiam inter nos vixisse non memoretur.

††1.13 *Omnem pretiosam substantiam reperiemus.* Homines, scilicet, quos Christo adhærentes videbant, quos putabant ab ejus amore et comitatu secernere si eum occiderent, et spoliis talium domos suas replere, id est, eorum animabus sua conventicula.

‡‡1.14 *Sortem mitte nobiscum.* De latronibus generaliter patet, quia sociis, quos conquirunt, prædæ portionem promittunt; sed et Christi persecutores, quoscunque sibi poterant, adjungebant, quos eum sequi videbant, extra synagogam faciebant, id est, sua communione privabant.

¶¶1.16 *Ad malum currunt.* Non solum quod facturi, sed quod pro factis passuri. Nam quanto ad facinus implendum properant, tanto ad pœnam pro facinore tolerandam propinquant.

§§1.17 *Frustra.* RAB. Cætera de insidiatoribus Christi specialiter, etc., usque ad in pauperibus enim nihil habet causæ.

*1.20 *Sapientia.* Hucusque persecutiones, quas Christo Judæi intulere; hinc ea, quæ per apostolos persecutoribus eisdem post passionem loquitur. *Sapientia*, id est Christus, loquitur *foris*, id est in luce palam, ut relicta infantia sint parvuli malitia. RAB. Sapientia quippe Dei Christus est, etc., usque ad cuiquam dicerent. *Foris.* ID. Aperte, post resurrectionem, etc., *usque ad: in platea vocem ejus. In plateis dat vocem suam,* etc. Quæ ante paucos docuerat, manifeste replicabat, unde: *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lucem.*

†1.21 *In capite turbarum clamitat,* etc. ID. Quia etiam principibus, qui ei prævaluisse, ut crucifigeretur, videbantur, reatum homicidii, quod perpetrarant, palam reducebat ad memoriam, eosque ad pœnitentiæ remedium vocabat. *In foribus portarum urbis.* ID. Urbs Domini, Ecclesia ex utroque populo adunata, etc., usque ad gratiam suam revocabat; ita ut, sicut Lucas ait: *Multa turba sacerdotum obediret fidei* Act. 6..

‡1.22 *Usquequo. Jam* Christum in carne vidistis miracula facientem, quem sprevistis: modo vel resuscitatum a morte diligite, et dimittet quod peccastis. *Parvuli.* RAB. Parvuli dicuntur sensu tardiores, etc., usque ad quæ filius ipse veniens perfectis sensu contulit?

vobis verba mea.[¶] ²⁴ Quia vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret: ²⁵ despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. ²⁶ Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo cum vobis id quod timebatis advenerit.[§] ²⁷ Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit; quando venerit super vos tribulatio et angustia:^{**} ²⁸ tunc invocabunt me, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me:^{††} ²⁹ eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint,^{‡‡} ³⁰ nec acqvieverint consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ. ³¹ Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.^{¶¶} ³² Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos.^{§§} ³³ Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato.]^{*}

2 [Fili mi, si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te:[†] ² ut audiat sapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.[‡] ³ Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ; ⁴ si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam:[¶] ⁵ tunc intelliges timorem Domini,

[¶]1.23 *Convertimini.* Sapientia hortatur converti ad Deum, et profert spiritum. *Ad correctionem.* Per apostolos Judæos corripit, et vel post ascensionem et resurrectionem monet converti.

[§]1.26 *Ego quoque.* ID. Similiter in psalmo, etc., usque ad quasi nihil contemnerent.

^{**}1.27 *Cum irruerit repentina calamitas.* Obsidionem Jerusalem subitam et expugnationem totius provinciæ a Romanis factam dicit. De qua, *Videns civitatem flevit super eam* Luc. 19.. *Quando venerit super vos.* RAB. Potest hæc tota correctio sapientiæ, etc., usque ad quod enim sequitur,

^{††}1.28 *Mane consurgent et non invenient me,* tempus iudicii significat, quo alii in vitam, alii in opprobrium resurgent sempiternum. *Invocabunt.* Non leguntur Judæi in obsidione Dominum invocasse; etsi qui invocaverunt, quia vere non poenituerunt, exauditi non sunt.

^{‡‡}1.29 *Exosam habuerunt.* Justus econtra *Iniquos,* inquit, *odio habui, et legem tuam dilexi.*

^{¶¶}1.31 *Comedent igitur.* ID. Quia vias meas ingredi noluerunt, etc., *usque ad et bene tibi erit. Suisque consiliis saturabuntur.* Quibus dicebant, etc., usque ad potest accipi.

^{§§}1.32 *Aversio.* Aversio et prosperitas perdit, cum a timore conditoris aversus animus, ira ejusdem conditoris in his, quæ peccat, nihil sustinere videtur adversi. Sed ut Job ait: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt. Parvulorum.* Sensu, unde supra, etc., usque ad sed quia avertunt, se interficiunt.

^{*}1.33 *Qui autem me audierit, absque terrore requiescet,* etc. Potest in hac vita intelligi, et in futura, etc., usque ad resurrectionis quiescet.

[†]2.1 *Fili mi.* Duo hic notat, sapientiam esse de cœlestibus, prudentiam de sæcularibus. Abscondit mandata Dei penes se, etc., usque ad quasi semen secus viam jactatum volucres tollant.

[‡]2.2 *Audiat sapientiam.* Audit non aure, etc., usque ad hoc est enim quod sequitur: *Inclina cor.* Inclina, humilia, munda, etc., usque ad et revelasti ea humilibus. *Si enim sapientiam invocaveris.* Invocare, etc., usque ad nec liberum debet abesse arbitrium.

[¶]2.4 *Et sicut thesauros.* Qui thesauros effodit, etc., usque ad nec quiescat, donec inveniat.

et scientiam Dei invenies,^{§ 6} quia Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et scientia.^{** 7} Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter,^{†† 8} servans semitas justitiæ, et vias sanctorum custodiens.⁹ Tunc intelliges justitiam, et iudicium, et æquitatem, et omnem semitam bonam.]¹⁰ [Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit,¹¹ consilium custodiet te, et prudentia servabit te:¹² ut eruaris a via mala, et ab homine qui perversa loquitur;^{‡‡ 13} qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas;^{¶¶ 14} qui lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis;^{§§ 15} quorum viæ perversæ sunt, et infames gressus eorum.¹⁶ Ut eruaris a muliere aliena, et ab extranea quæ mollit sermones suos,^{* 17} et relinquit ducem pubertatis suæ,^{† 18} et pacti Dei sui oblita est. Inclinata est enim ad mortem domus ejus, et ad inferos semitæ ipsius.^{‡ 19} Omnes qui ingrediuntur ad eam non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.^{¶ 20} Ut ambules in via bona, et calles justorum custodias:²¹ qui enim recti sunt habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea;^{§ 22} impii vero de terra perdentur, et qui inique agunt auferentur ex ea.]^{**}

§2.5 *Tunc intelliges.* Timorem amicabilem, etc., usque ad sed etiam scientiam ipsius divinitatis quæ perpetuo beatum facit invenies.

**2.6 *Quia Dominus dat.* Respicit hic versiculus ab hoc quod supra dixerat: *Si enim sapientiam invocaveris*, etc. Ideo namque sapientia, etc., usque ad sed a Domino datur. *Ex ore.* Æterna filii nativitate, de qua alibi: *Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam* Isai. 58.. Vel, os Domini in sanctis, unde: *Os Domini locutum est.* Et ex ore ejus scientia nascitur et prudentia, dum Dominus os humanum sanctificat, et suum facit, ut scienter et prudenter loquatur.

††2.7 *Custodiet.* Ut in quocunque virtutum gradu rectos juvet et simplices. *Job simplex et rectus* Job. 1.; *simplex*, per innocentiam mansuetudinis, *et rectus*, per cautelam discretionis: *simplex*, nullum lædens, imo cunctis proficiens, *rectus*, a nullo corruptus.

‡‡2.12 *A via mala.* Ad quam vocant, qui dicunt: *Veni nobiscum, insidietur sanguini, perversa loquitur*, qui est auctor hujus persuasionis.

¶¶2.13 *Qui relinquunt iter.* Pulchre, etc., usque ad finis ejus in tenebris exterioribus.

§§2.14 *Qui lætantur.* Quia per vias tenebrosas ambulant, etc., usque ad noxiamque lætitiæ salubri fletu castigarent.

*2.16 *Ut eruaris a muliere.* Pendet hic versus, etc., *usque ad: et ipsi sunt jacula.*

†2.17 *Et relinquit ducem.* Patet et de mente hæretica, etc., usque ad quam se die baptismi servaturam promiserat.

‡2.18 *Pacti Dei sui*, etc. Quod cum viro suo tempore nuptiarum pepigit, Domino teste, quod fidem, scilicet castitatis sibi invicem servarent, vel in baptismo. *Inclinata est enim.* Omnis conversatio adulteræ ad interitum ducit, etc., usque ad id est, ad spirituum tendit tormenta malignorum.

¶2.19 *Ad eam non revertentur. Mortem* scilicet, non mulierem, etc., usque ad non sibi attribuat, sed gratiæ Dei.

§2.21 *Qui enim.* Hic rectis jungit simplices, etc., usque ad quæ cum Christo in coelis regnat, perveniunt.

**2.22 *Impii.* De illis dicitur specialiter, etc., usque ad de fine bonorum, *qui autem me audierit, absque terrore quiescet.*

3 [Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat:†† 2 longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem, apponent tibi.‡‡ 3 Misericordia et veritas te non deserant; circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui:¶¶ 4 et invenies gratiam, et disciplinam bonam, coram Deo et hominibus. §§ 5 Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. * 6 In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. 7 Ne sis sapiens apud temetipsum; time Deum, et recede a malo:† 8 sanitas quippe erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum.‡ 9 Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei:¶ 10 et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.] § 11 [Disciplinam Domini, fili mi, ne abicias, nec deficias cum ab eo corripis: ** 12 quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.†† 13 Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia.‡‡ 14 Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi et purissimi fructus ejus.¶¶ 15 Pre-

††3.1 *Fili mi, ne.* Docet misericordiæ operibus insistendum, etc., usque ad ornat actibus bonis, quem instruit.

‡‡3.2 *Pacem,* id est, statum beatitudinis, etc., usque ad longo tempore in pacis quiete viveret.

¶¶3.3 *Misericordia et veritas.* Ab ore tuo nunquam absit veritas dicenda, nunquam ab opere proximo misericordia impendenda: sic enim fit, ut et te Dei semper prosequatur misericordia, quæ deleat peccata; veritas vero, quæ compleat promissa. *Circumda eas gutturi tuo.* In gutture organum vocis, etc., usque ad nec voci vita contradicat.

§§3.4 *Et invenies gratiam.* Coram Domino, etc., usque ad et proximis exemplum vivendi præbeat.

*3.5 *Habe fiduciam in Domino.* Ne metuas ob imbecillitatem tuam, etc., usque ad et quod jussit, ut implere valeas, donabit. *Ne sis sapiens.* Videtur idem dixisse, etc., usque ad quæ sit autem vera hominis sapientia sic ostendit:

†3.7 *Time Deum et recede a malo.* Quale est illud in Job, etc., usque ad divini timoris memoria cœret.

‡3.8 *Sanitas quippe erit.* In ossibus solida virtutum opera, etc., usque ad unde amplius roborentur, accipient.

¶3.9 *Honora Dominum de tua substantia.* Ut scilicet homines, qui ejus palma sunt, qui ad ejus imaginem facti sunt recreentur. *Et de primitiis omnium.* Non solum de substantia pecuniæ, etc., usque ad non sibi, sed ei tribuit.

§3.10 *Implebuntur horrea tua saturitate. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* Si sancti thesauros habent in cœlo, etc., usque ad cœlesti remuneratione, redditur. *Torcularia redundabunt.* Quia interna suavitas æternorum corda cunctorum fidelium in laude sui conditoris accendit. Hic etenim dicit: *Ut edatis,* etc.

**3.11 *Disciplinam.* Sunt qui in prosperis serviunt Domino, etc., usque ad pietatem, quam in tranquillitate videbatur habere, amittat.

††3.12 *Quem enim diligit Dominus corripit.* Tanto ergo minus, etc., usque ad unde ipse ait: *Ego quos amo, arguo et castigo.*

‡‡3.13 *Beatus homo,* etc. Quia positos sub disciplina, etc., usque ad et in futuro ejus visione perfrui. *Et qui affluit prudentia.* Bene, cum diceret, etc., usque ad corda sua ad percipiendam ejus amplitudinem laxare.

¶¶3.14 *Melior est.* Non metuat de correctione inopiæ, quisquis opes acquisivit sapientiæ, omnibus enim thesauris munus cœleste præcellit. *Primi et purissimi.* Quia radix sapientiæ timor Domini, hi sunt primi ac purissimi fructus, etc., usque ad a Domino perfectius promittitur.

tiosior est cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. ¹⁶ Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ et gloria. ^{§§ 17} Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ. * ¹⁸ Lignum vitæ est his qui apprehenderit eam, et qui tenuerit eam beatus. † ¹⁹ Dominus sapientia fundavit terram; stabilivit cælos prudentia. ‡ ²⁰ Sapientia illius eruperunt abyssi, et nubes rore concreverunt.] ^{¶ 21} [Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis. Custodi legem atque consilium, § ²² et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis. ** ²³ Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget. †† ²⁴ Si dormieris, non timebis; quiesces, et suavis erit somnus tuus. ‡‡ ²⁵ Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. ²⁶ Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris.] ²⁷ [Noli prohibere benefacere eum qui potest: si vales, et ipse benefac. ¶ ²⁸ Ne dicas amico tuo: Vade, et revertere: cras dabo tibi: cum statim possis dare. §§ ²⁹ Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam. ³⁰ Ne contendas adversus hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit. * ³¹ Ne æmuleris hominem injus-

§§3.16 *Longitudo dierum in dextera ejus et in sinistra.* Visione suæ divinitatis, etc., usque ad et in futuro vitam æternam.

*3.17 *Viæ ejus.* Actiones et doctrinæ, etc., usque ad pacis et dilectionis exempla pertinent.

†3.18 *Lignum vitæ.* Sicut in medio paradisi lignum vitæ, etc., usque ad præsentem beatificabitur aspectu.

‡3.19 *Dominus sapientia.* Typice, per filium Ecclesiam fidei soliditate locavit, *stabilivit cælos prudentia*, cum per eum sublimium prædicatorum corda illustravit.

¶3.20 *Sapientia illius eruperunt abyssi.* In diebus Nœ, etc., usque ad quæque minoribus in exemplum monstret, examinant.

§3.21 *Fili mi, ne effluant.* Ne disciplina temporali fatigatus, sapientiæ, quæ tanta est, gratiam perdas, præcave.

**3.22 *Et erit vita animæ tuæ.* Habet anima tua vitam cum Deo, si ejus decreta custodieris: quamvis caro disciplina correctionis aut etiam mortis prematur. *Et gratia faucibus tuis.* Habet ergo sensus animi fauces suas, etc., *usque ad: beatus vir qui sperat in eo.*

††3.23 *Tunc ambulabis fiducialiter.* In via nostra fiducialiter incedimus, etc., usque ad hoc est enim quod sequitur: *Et pes tuus non impinget.* Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum Rom. 8..

‡‡3.24 *Si dormieris, non timebis, quiesces, et suavis.* Patet juxta litteram, etc., usque ad quia Deum ubique protectorem habet et custodem.

¶¶3.27 *Noli prohibere benefacere eum qui.* Quia supra diligenter legem Domini et consilium observare monuit, et æternam requiem observantibus promisit: nunc multipliciter, quæ observanda sunt, replicat. Primoque ad id, quod intermiserat, rediens, misericordiam proximo exhibendam, et juste, cum illo docet esse vivendum. Deinde et ab inimico cavendum esse præmonet. *Noli* ergo, inquit, *prohibere.* Ne audias a Domino cum Pharisæis: *Ipsi non introistis, et eos qui intrabant, prohibuistis* Luc. 11..

§§3.28 *Ne dicas amico tuo: Vade et revertere, cras dabo.* Non solum de eleemosynis, sed de omnibus mandatis Christi, qui ait: *Vos amici mei estis, si feceritis* Joan. 15., etc.

*3.30 *Non contendas adversus hominem.* Non vetat contendere adversus eum qui male facit, ut corrigatur, quia hoc frustra non fit, quod certa necessitas cogit. Imo qui ait: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum* Matth. 18., ipse vult, ut errantem, quantum vales, ad viam veritatis reducas.

tum, nec imiteris vias ejus: ³² quia abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. [†] ³³ Egestas a Domino in domo impii; habitacula autem justorum benedicentur. [‡] ³⁴ Ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam. [¶] ³⁵ Gloriam sapientes possidebunt; stultorum exaltatio ignominia.]

4 [Audite, filii, disciplinam patris, et attendite ut sciatis prudentiam. [§] ² Donum bonum tribuam vobis: legem meam ne derelinquatis. ³ Nam et ego filius fui patris mei, tenellus et unigenitus coram matre mea. ^{**} ⁴ Et docebat me, atque dicebat: Suscipiat verba mea cor tuum; custodi præcepta mea, et vives. ^{††} ⁵ Posside sapientiam, posside prudentiam: ne obliviscaris, neque declines a verbis oris mei. ^{‡‡} ⁶ Ne dimittas eam, et custodiet te: dilige eam, et conservabit te. ⁷ Principium sapientiæ: posside sapientiam, et in omni possessione tua acquire prudentiam. ⁸ Arripe illam, et exaltabit te; glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus. ⁹ Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te.] ^{¶¶} ¹⁰ [Audi, fili mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ. ^{§§} ¹¹ Viam sapientiæ monstrabo tibi; ducam te

[†]3.32 *Quia abominatio Domini est omnis illusor.* Omnis *illusor*, inquit; quia illusor est, qui vel verba Dei, quæ novit, implere contemnit, vel eadem perverse intelligendo ac docendo corrumpit. Illusor est et ille, qui promissa ejus, quasi prava, despicit, ac iram districtiois, quasi tolerabilem; spernit. Necnon et ille qui proximorum simplicitati improbus insultat. Ideoque omnem hujusmodi illusorem merito divina abominatur justitia. Bene autem subditur: *Et cum simplicibus sermocinatio ejus*, quia superbi, dum simplicibus illudunt, prudentiores se illis, quos irridunt, judicant. Sed horum prudentia, ut Jacobus ait: *terrena est, animalis, diabolica* Jacob. 3.. Sermocinatio autem Domini cum simplicibus est, quia illos sapientiæ secretis illustrat, quos terreni fastus ac duplicitatis nihil habere considerat. Unde ait: *Abscondisti hæc sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* Luc. 10..

[‡]3.33 *In domo impii.* Ut purpurati divitis, qui in hac vita spiritualibus eguit, et post ad tantam pervenit inopiam, ut nec guttam aquæ, quam quærebat, acciperet, unde: *Qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, qui in remuneratione audient: Venite, benedicti*, Matth. 15., etc. Sed ad litteram sæpe contingit eos, qui aliena diripiunt, ad ultimum inopia consumi; at illos qui sua largiuntur, etiam bonis abundare terrenis.

[¶]3.34 *Illusores.* Hos versus Jacobus et Petrus juxta antiquam translationem posuerunt: *Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* Jacob. 4..

[§]4.1 *Audite, filii.* Hinc exhortaturus ad philosophiam, qualiter ipse sapientiam sit a patre edoctus, explicat.

^{**}4.3 *Nam et ego.* Nihil magis ad spem percipiendæ sapientiæ mentes erigit, quam cum eos, quos in sapientia jam clarescere miramur, aliquando parvulos et indoctos fuisse meminimus. *Unigenitus coram matre.* Quare autem Salomon se *unigenitum coram matre* nominat, quem fratrem uterinum præcessisse Scriptura testatur, nisi quia ille mox natus sine nomine, quasi nunquam esset, de vita decessit?

^{††}4.4 *Suscipiat*, etc. Hujusmodi monita Salomoni a David patre data: qui Verba dierum relegit, invenit.

^{‡‡}4.5 *Posside.* In omnibus quæ possides, etc., usque ad juventam, venditis omnibus, comparavit.

^{¶¶}4.9 *Dabit capiti.* Patet de Salomone, etc., usque ad et corona insuper vitæ in futuro dabitur.

^{§§}4.10 *Audi, fili mi.* Expositis his quæ a patre acceperat, redit ad docendum auditorem sapientiam, quam cœpuit.

per semitas æquitatis: * 12 quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum. † 13 Tene disciplinam, ne dimittas eam; custodi illam, quia ipsa est vita tua. 14 Ne deleteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. 15 Fuge ab ea, nec transeas per illam; declina, et desere eam. 16 Non enim dormiunt nisi malefecerint, et rapitur somnus ab eis nisi supplantaverint. 17 Comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt. ‡ 18 Justorum autem semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. ¶ 19 Via impiorum tenebrosa; nesciunt ubi corruant. § 20 Fili mi, ausculta sermones meos, et ad eloquia mea inclina aurem tuam. ** 21 Ne recedant ab oculis tuis: custodi ea in medio cordis tui: 22 vita enim sunt invenientibus ea, et universæ carni sanitas. 23 Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. †† 24 Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te. ‡‡ 25 Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. ¶¶ 26 Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur. §§ 27 Ne declines ad dexteram neque ad sinistram; averte pedem tuum a malo: vias enim quæ a dextris sunt novit Dominus: perversæ vero sunt quæ a sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.]*

5 [Fili mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam: † 2 ut custodias cogitationes, et disciplinam labia tua conservent. Ne attendas fal-

* 4.11 *Per semitas æquitatis.* Semitæ, id est actiones æquitatis, etc., usque ad in viam pacis dirigentur.

† 4.12 *Et currens.* Quo amplius et alacrius ad implenda Dei mandata cucurreris, eo minus adversa, quæ te impediunt timebis. Nam quicumque in prava actione desudant, offendiculum in medio cursu reperiunt, quia extemplo, dum non provident, rapiuntur ad pœnam.

‡ 4.17 *Comedunt panem impietatis.* In actione scelerum, etc., usque ad testatur Scriptura.

¶ 4.18 *Justorum autem semita.* Justorum opera in luce scientiæ peraguntur, et æternam ducunt ad vitam quæ est perfecta dies.

§ 4.19 *Via impiorum.* Dicit de his, etc., usque ad quia currens non habebit offendiculum.

** 4.20 *Fili mi, ausculta sermones meos.* Auscultandum monet sermonibus suis, et recedendum a cogitationibus pravis.

†† 4.23 *Omni custodia serva cor tuum.* Sunt qui recte vivere videntur hominibus, etc., usque ad modum æstimatur vitæ.

‡‡ 4.24 *Remove a te.* Duobus modis sciendum est, ut os tuum ne pravum loquatur aliquid: tua labia ne detractionibus assuescant custodias; et alios quoque, quos huic vitio subditos nosti, ne te corrumpant, fugias.

¶¶ 4.25 *Et palpebræ.* Iter justitiæ, etc., usque ad meditando prævidere.

§§ 4.26 *Stabilientur.* Ne levitate mentis a proposito bono movearis, unde Apostolus: *Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper* I Cor. 15..

* 4.27 *Ne declines.* Dextera via bona est, etc., usque ad quod et de cæteris virtutibus et vitiis eodem modo intelligitur. *Averte pedem tuum.* Hoc est, ne huc vel illuc a recto devies, quia virtutes discretionem quærunt, quarum nimietas omnis in vitio est. Si averteris a malo pedem tuum. Si bona, quæ docui, Domino adjuvante, facere studueris, aderit ipse propitius conatibus tuis, ut et nunc recte ingredi, et tunc ad pacem valeas pervenire æternam.

† 5.1 *Fili mi, attende.* Hactenus generaliter castigaverat auditorem, hinc sub specie meretricis ab hæreticorum nequitia prohibet. *Inclina aurem.* Sapientiæ inclinandam aurem, et a meretrice fugiendum, præcipue a fornicaria monet.

laciæ mulieris;‡ 3 favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus:¶
 4 novissima autem illius amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps.§
 5 Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant. 6 Per semi-
 tam vitæ non ambulant; vagi sunt gressus ejus et investigabiles. ** 7 Nunc ergo fili mi,
 audi me, et ne recedas a verbis oris mei. 8 Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropin-
 ques foribus domus ejus. †† 9 Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli:‡‡
 10 ne forte implentur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena, ¶¶ 11 et
 gemas in novissimis, quando consumpseris carnes tuas et corpus tuum, et dicas:
 12 Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum, §§
 13 nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam? 14 pene
 fui in omni malo, in medio ecclesiæ et synagogæ. * 15 Bibe aquam de cisterna tua,
 et fluenta putei tui; † 16 deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. ‡
 17 Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. ¶ 18 Sit vena tua benedicta, et lætare
 cum muliere adolescentiæ tuæ. § 19 Cerva carissima, et gratissimus hinnulus: ubera

‡5.2 **Labia tua.** Labia, etc., usque ad vel turpia faciendo commaculat.

¶5.3 **Favus enim.** Cum in ore hæretico, etc., usque ad veritas a stultis æstimatur.
Labia meretricis. Patet de meretrice, quia et sermonis suavitatem et formosi-
 tatem corporis ad capiendos miseros quærit. **Oleo guttur.** Oleo Spiritus sancti fides
 catholica consecratur: quo nitidius suum guttur ostentat, qui sua sensa patrum fide
 antepont.

§5.4 **Novissima autem.** Potio absinthii intus amarescit, etc., usque ad quare autem
 idem gladius **biceps** sit dictus, aperit Dominus cum ait: **Sed eum timete qui potest
 animam et corpus perdere in gehennam** Luc. 12..

5.6 **Vagi, etc. Vagi sunt gressus hæreticorum, etc., usque ad quia una eademque
 cunctis est agnita per totum orbem fidelibus.

††5.8 **Longe fac.** Apostolus ait, etc., usque ad infirmis auditoribus prodest.

‡‡5.9 **Ne des,** etc. Ne honorem, quo ad imaginem Dei creatus es, immundorum
 spirituum voluntatibus subdas neque accepta vivendi spatia ad libitum adversarii
 crudelis expendas.

¶¶5.10 **Ne forte impleantur extranei.** Ne dæmoniorum facta adjuves, etc., usque ad
 utinam lateret. **Et gemas,** etc. Ideo te castum custodi, etc., usque ad dicant quæ
 sequuntur.

§§5.12 **Cur detestatus.** De hæreticis specialiter patet, quia nec veterum patrum nec
 novorum dictis et exemplis potuerunt ab errore revocari.

*5.14 **In medio ecclesiæ:** idem est Græce, etc., usque ad alienam ab eis vitam ducere
 non timuit.

†5.15 **Bibe aquam.** Docet ab hæreticis cavendum et custodiæ Scripturarum ac lec-
 tioni attendendum: scientiam, inquit, quam aliis prædicas, ipse serva, et tui rigatione
 sermonis infundere.

‡5.16 **Deriventur.** Cum ipse servaveris, tunc et aliis prædica, et in magna auditorum
 amplitudine divina eloquia, juxta uniuscujusque qualitatem, dispensa.

¶5.17 **Habeto,** etc. Aquas in plateis dividimus, et tamen soli habemus, quando et ex-
 terius late prædicationes fundimus, et tamen per eas laudes humanas non ambimus.
Nec sint alieni. Immundi spiritus participes fiunt doctoris, si ejus mentem, vel elationem
 dum prædicat, vel quolibet vitio corrumpunt. **Solus autem aquas possidet,**
 cum membris Ecclesiæ fideliter connexus, ab extraneis se conservat.

§5.18 **Sit vena.** Sit doctrina tua, et quæcunque nascuntur ex ea, in benedictione
 Ecclesiæ; et **lætare cum ea, cui ab adolescentia,** id est ex quo credidisti, conjunctus
 es.

ejus inebrient te in omni tempore; in amore ejus delectare jugiter.** 20 Quare seducaris, fili mi, ab aliena, et foveris in sinu alterius? 21 Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat.†† 22 Iniquitates suas capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.‡‡ 23 Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, et in multitudine stultitiæ suæ decipietur.]¶¶

6 [Fili mi, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam:§§ 2 illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus. 3 Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum.* 4 Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.† 5 Eruere quasi damula de manu, et quasi avis de manu aucupis.]‡ 6 [Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et discite sapientiam.¶ 7 Quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, 8 parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat. 9 Usquequo, piger, dormies? quando consurges e somno tuo?§ 10 Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias; 11 et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus. Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet a te.]** 12 [Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso;†† 13 annuit oculis, terit pede, digito loquitur, 14 pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat. 15 Huic extemplo veniet perditio sua, et subito conteretur, nec habebit ultra medic-

**5.19 *Cerva charissima*. Vel *gratissima*, ut quidem codices habent, sancta est Ecclesia, etc., *usque ad*, contra hæreticorum fraudes instruimur. *Amore*, etc. Non uxorio amori insistere docet; sed ne prima vivente aliam ducas, vel meretrici unquam socieris.

††5.21 *Respicit Dominus*. Non se putent adulteri noctis tenebris, etc., *usque ad: et nox sicut dies illuminabitur*.

‡‡5.22 *Iniquitates*, etc. Peccator, etc., usque ad quam quo se arctius obligent, agunt.

¶¶5.23 *Ipse morietur*. Quia de adulteris, etc., usque ad quia disciplinam vitæ detestati sunt.

§§6.1 *Fili mi*. Litteraliter patet, etc., usque ad teipsum prius necesse est, quæ dixeris, custodire.

*6.3 *Suscita*. Non tantum ipse bene vivendo vigilare memento, sed illum, cui præes, a peccati torpore prædicando suscita.

†6.4 *Ne dederis* somnum oculis, etc., usque ad sed hæc propter mentis tædium digna invectione non corrigit.

‡6.5 *Eruere*. Quasi dicat: Velut damula de manu captantis, etc., usque ad et cœlestis vitæ pascua merearis intrare.

¶6.6 *Vade ad formicam*. Hinc vacantem hortatur, etc., usque ad de horreo priscae actionis quod recondidit proferre.

§6.9 *Usquequo, piger, dormies, quando*. Usquequo, piger, dormies in vitiis, etc., usque ad hoc est enim quod sequitur, et *veniet tibi quasi viator*.

**6.11 *Egestas, et paupertas*. Patet juxta litteram, etc., usque ad quia improvisa et subitanea. *Si vero impiger*. Fructus terreni, etc., usque ad quia mercedem laborum indeficientem percipiet.

††6.12 *Homo apostata*. Dixerat de hæresi et aliis vitiorum generibus, etc., usque ad quod nulla interius radice subsistat.

inam.] ¹⁶ [Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus:†† ¹⁷ oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem,¶¶ ¹⁸ cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, ¹⁹ proferentem mendacia testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias.] ²⁰ [Conserva, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. §§ ²¹ Liga ea in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo.* ²² Cum ambulaveris, gradiantur tecum; cum dormieris, custodiant te: et evigilans loquere cum eis.† ²³ Quia mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ: ²⁴ ut custodiant te a muliere mala, et a blanda lingua extraneæ. ²⁵ Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius:‡ ²⁶ pretium enim scorti vix est unius panis, mulier autem viri pretiosam animam capit. ²⁷ Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? ²⁸ aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?¶ ²⁹ sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.§ ³⁰ Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam; ** ³¹ deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suæ tradet. ³² Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam; ³³ turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur: ³⁴ quia zelus et furor viri non parcat in die vindictæ,†† ³⁵ nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.]

7 [Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. Fili,†† ² conserva mandata mea, et vives; et legem meam quasi pupillam oculi tui:¶¶ ³ liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui. ⁴ Dic sapientiæ: Soror mea es, et

††6.16 *Sex sunt.* De eodem quam sit odibilis Deo seminando discordiam insinuat. *Detestatur anima.* Secundum consuetudinem hominum loquitur, ut eum valde tales odisse significet, unde in Isaia: *Solemnitates vestras odivit anima mea* Isa. 1..

¶¶6.17 *Oculos,* etc. Enumerat sex capitalia crimina, etc., usque ad qui concordiam fraternæ unitatis sciderunt.

§§6.20 *Conserva, fili.* Nunc sub adulteræ mulieris specie prohibet ab auditione hæreseos.

*6.21 *Liga ea in corde,* id est, in cogitatione præcepta Dei fixa tene.

†6.22 *Cum ambulaveris.* Tanta sit meditatio divinæ legis, etc., *usque ad: gradiantur tecum mandata Dei, ut te instruant. Cum dormieris:* in morte custodiant animam tuam, ne rapiat hostis. Cum evigilaveris in resurrectione, loquere cum eis exspectando præmia, quæ tibi, si ea servasses, promissa erant.

‡6.25 *Non concupiscat.* Patet de adultera, sed hæretici si bene vivere et apte se agere videntur, vide ne seducaris eorum doctrinis.

¶6.28 *Pretium enim scorti.* Brevis voluptas fornicationis, etc., usque ad sed post paululum ardentior reddit.

§6.29 *Nunquid potest homo abscondere ignem.* Soli ei conceditur hæreticorum libros legere, qui adeo solidatus est in fide catholica, ut verborum dulcedine vel astutia nequeat ab ea separari.

**6.30 *Non grandis est culpa.* Furtum non ex se, etc., usque ad sed quia Jerusalem plura commisit.

††6.34 *Quia zelus et furor viri non,* etc. Et de Domino intelligendum est, etc., usque ad sive animam quamque fidelem corrumpere præsumit.

††7.1 *Fili mi.* Hæc periocha eadem quæ superior plenius explicat.

¶¶7.2 *Et legem meam.* Tam solerter conserva, quæ doceo, quasi nil recti sine his aspicias.

prudentiam voca amicam tuam:§§ 5 ut custodiant te a muliere extranea, et ab aliena quæ verba sua dulcia facit. 6 De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi,* 7 et video parvulos; considero vecordem juvenem, 8 qui transit per plateam juxta angulum et prope viam domus illius graditur:† 9 in obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris et caligine.‡ 10 Et ecce occurrit illi mulier ornata meretricio, præparata ad capiendas animas: garrula et vaga,¶ 11 quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis;§ 12 nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians. 13 Apprehensumque deosculatur juvenem, et procaci vultu blanditur, dicens:** 14 Victimam pro salute vovi; hodie reddidi vota mea: 15 idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, et reperi. 16 Intexui funibus lectulum meum; stravi tapetibus pictis ex Ægypto:†† 17 aspersi cubile meum myrrha, et aloë, et cinnamomo.‡‡ 18 Veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus donec ilucescat dies.¶¶ 19 Non est enim vir in domo sua: abiit via longissima: 20 sacculum pecuniæ secum tulit; in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam.§§ 21 Irrevitit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum. 22 Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans quod ad vincula stultus trahatur: 23 donec transfigat sagitta jecur ejus, velut si avis festinet ad laqueum, et nescit quod de periculo animæ illius agitur. 24 Nunc ergo, fili mi, audi me, et attende verbis oris mei. 25 Ne abstrahatur in viis illius mens tua,

§§7.4 *Dic sapientiæ, soror.* Sapientiam ecclesiasticæ doctrinæ sororia tibi dilectione conjunge, ut hæc te a pollutione servet hæretica, quæ a vera castitate Ecclesiæ probatur extranea.

*7.6 *De fenestra.* Patet juxta litteram, etc., usque ad quia deseruit angustam viam quæ ducit ad vitam.

†7.8 *Juxta angulum,* quia deflectit a rectitudine; et *prope viam domus illius graditur:* quia a via veritatis declinavit, merito viæ domus meretricis vel hæretici appropriat.

‡7.9 *In obscuro advesperascente.* Quia jam talis per cæcitatem cordis, ad tenebras festinat peccati et damnationis.

¶7.10 *Et ecce mulier occurrit ornata illi meretricio.* Patent hæc cuncta, etc., usque ad spirituali morte perimit.

§7.11 *Nec valens in domo.* Nulla est hæresis, quæ primis contenta sit discipulis hi enim sunt domus ejus, sed semper novos, quos decipiat quærit.

**7.13 *Apprehensumque deosculatur juvenem,* id est, falsorum verborum blandimentis tentat instabilem. *Et procaci vultu blanditur, dicens:* Juxta litteram patet, etc., usque ad nam et Dominus ad discipulos: *Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos,* etc. Joan. 16..

††7.16 *Intexui funibus lectulum.* Solent lecti, etc., usque ad per quam hæretica mens sensum doctrinæ pestilentis, quasi meretrix thorum facinoris, se texuisse gloriatur.

‡‡7.17 *Aspersi cubile meum.* Promittunt se tales odorem cœlestium habere virtutum, quibus sua suorumque corda, velut funibus cubilia venusta, consecrantur, quasi, Christi bonus odor sumus Deo.

¶¶7.18 *Veni, inebriemur uberibus.* Doctrinæ sanctæ poculis se invicem satiandos jactant hæretici, et virtutum gratia conjungendos, donec eorum gesta lux sequatur æterna.

§§7.20 *Sacculum pecuniæ secum tulit.* Gloriam resurrectionis, immortalitatis decus, quo illius patriæ cives lætificaret et ditaret.

neque decipiaris semitis ejus; ²⁶ multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea. ^{*} ²⁷ Viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.][†]

8 [Numquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam?[‡] ² In summis excelsisque verticibus supra viam, in mediis semitis stans,[¶] ³ juxta portas civitatis, in ipsis foribus loquitur, dicens: ⁴ O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum.[§] ⁵ Intelligite, parvuli, astutiam, et insipientes, animadvertite.^{**} ⁶ Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum, et aperientur labia mea ut recta prædicent. ⁷ Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium.^{††} ⁸ Justi sunt omnes sermones mei: non est in eis pravum quid, neque perversum; ⁹ recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam. ¹⁰ Accipite disciplinam meam, et non pecuniam; doctrinam magis quam aurum eligit: ¹¹ melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari.] ¹² [Ego sapientia, habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. ¹³ Timor Domini odit malum: arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue, detestor.^{‡‡} ¹⁴ Meum est consilium et æquitas; mea est prudentia, mea est fortitudo.^{¶¶} ¹⁵ Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt;^{§§} ¹⁶ per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. ¹⁷ Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me.^{*} ¹⁸ Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia.[†] ¹⁹ Melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina me argento electo. ²⁰ In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii: ²¹ ut ditem diligentes

^{*}7.26 *Et fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Ut ipse Salomon sapientissimus, etc., usque ad qui negaverit errat.

[†]7.27 *Viæ inferi domus ejus, penetrantes.* Sed de Ecclesia Dominus ait: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* Matth. 16.. *Interiora mortis.* Obscuriora et arctiora gehennæ tormenta, quibus hæreticos et fornicatores constat esse mergendos.

[‡]8.1 *Nunquid non sapientia,* etc. Dominus palam locutus est mundo: et in occulto locutus est nihil. Quid ergo neglecto Evangelio ejus, ad hæresim et lasciviam miseri confluent?

[¶]8.2 *In summis,* etc. In monte discipulos simul et turbas docuit, etc., usque ad qui contra eum in occulto loquuntur?

[§]8.4 *O viri, ad vos.* Ad viros clamat, id est ad strenuos verbi auditores: in utroque sexu namque feminæ, id est, fluxæ mentes sapientiæ verba percipere nequeunt.

^{**}8.5 *Intelligite, parvuli,* etc. Manifestum est de Domino, etc., usque ad quos seducere valeat, quærit.

^{††}8.7 *Labia mea.* Duo testamenta, etc., usque ad ad prædicandum salutem universum aperta per orbem.

^{‡‡}8.13 *Arrogantiam.* Arrogantiam et superbiam in eis, etc., usque ad sed juxta auditorum libitum sua verba commutant.

^{¶¶}8.14 *Meum est consilium.* Non se extollat humana præsumptio: plenitudinem virtutum sola Dei sapientia possidet, ab hac humana infirmitas, quidquid habet virtutis, accipit.

^{§§}8.15 *Per me reges.* Reges dicit apostolos, etc., usque ad ait enim: *Sine me nihil potestis facere* Joan. 15..

^{*}8.17 *Ego diligentes,* etc. *Qui diligit me, diligitur a Patre: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* Joan. 14.. *Mane* quippe ad sapientiam *vigilant,* qui innovato mentis studio ad Christi visionem attingere satagunt.

[†]8.18 *Mecum sunt divitiæ.* Opes superbas, opes excelsas dicit, etc., usque ad et promissa ipsius exspectamus in quibus est justitia.

me, et thesauros eorum repleam.] ²² [Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio. ²³ Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. ²⁴ Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant, ²⁵ necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar. ²⁶ Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. ²⁷ Quando præparabat cælos, aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos; ²⁸ quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum; ²⁹ quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terræ: ³⁰ cum eo eram, cuncta componens. Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ³¹ ludens in orbe terrarum; et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. ³² Nunc ergo, filii, audite me: beati qui custodiunt vias meas. ³³ Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam. ³⁴ Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. ³⁵ Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. ³⁶ Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam; omnes qui me oderunt diligunt mortem.]

9 [Sapientia ædificavit sibi domum: excidit columnas septem. ^{** 2} Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. ³ Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem et ad mœnia civitatis. ⁴ Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: ⁵ Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. ^{†† 6} Relinquitte infantiam, et vivite, et ambulate per vias prudentiæ.] ^{††}
⁷ [Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit, et qui arguit impium, sibi maculam generat. ^{¶¶ 8} Noli arguere derisorem, ne oderit te: argue sapientem, et diliget te. ^{§§ 9} Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia; doce justum, et festinabit accipere. ¹⁰ Principium sapientiæ timor Domini, et scientia sanctorum prudentia. ¹¹ Per me enim multiplicabuntur dies tui, et addentur tibi anni vitæ. ¹² Si sapiens

[‡]8.22 *Dominus possedit me.* Hucusque locutus est parabolice ad Filium, nunc vero quia mentionem fecerat de sapientia, et non dixerat quæ esset, et quantæ dignitatis, quasi incidenter ostendit et commendat eam secundum utramque naturam, scilicet divinam et humanam, dicit *Dominus*, etc. Viæ Domini sunt opera, etc., usque ad caro enim ejus propter opera, divinitas ante opera.

[¶]8.31 *Ludens in orbe.* Quia cum tempora et creaturæ orbis terræ cœpissent, ipse, quod erat, in Patre Filius manebat: hoc ideo, ne quis eum cum creaturis et temporibus esse prohiberet.

[§]8.34 *Ad fores.* Scripturas, vel doctores; iidem et postes, sine quibus ad vitam, quam pollicetur, non valemus ingredi.

^{**}9.1 *Sapientia ædificavit.* Quia de æternitate divinitatis Christi sufficienter dixerat, etc., usque ad quia ab amore sæculi disjunctos ad portandam Ecclesiæ fabricam erexit. *Columnas septem.* Scilicet Ecclesias per orbem, etc., usque ad quasi sustentando continerent.

^{††}9.5 *Venite, comedite panem meum.* In unam Christi personam junctam divinitatem et humanitatem, vel, in *pane* corpus, in *vino* sanguis ejus, quo in altari satiamur.

^{††}9.6 *Relinquitte.* Post oblatas epulas addit et vitæ monita, ut quos perceptis suæ incarnationis mysteriis reficit, doctrinæ pariter instruat verbis.

^{¶¶}9.7 *Qui erudit,* etc. Quasi interrogares, etc., usque ad et majorem credens.

^{§§}9.8 *Noli arguere.* Non est timendum, etc., usque ad sed dilectionis ejus gratia cessandum.

fueris, tibimetipsi eris; si autem illusor, solus portabis malum.]*¹³ [Mulier stulta et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens,[†]¹⁴ sedit in foribus domus suæ, super sellam in excelso urbis loco,¹⁵ ut vocaret transeuntes per viam, et pergentes itinere suo:¹⁶ Qui est parvulus declinet ad me. Et vecordi locuta est:[‡]¹⁷ Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior.[¶]¹⁸ Et ignoravit quod ibi sint gigantes, et in profundis inferni convivæ ejus.][§]

10 [Filius sapiens lætificat patrem, filius vero stultus mœstitia est matris suæ.**² Nil proderunt thesauri impietatis, justitia vero liberabit a morte.^{††}³ Non affliget Dominus fame animam justī, et insidias impiorum subvertet.^{‡‡}⁴ Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium divitias parat. Qui nititur mendacii, hic pascit ventos; idem autem ipse sequitur aves volantes.^{¶¶}⁵ Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stertit æstate, filius confusionis.^{§§}⁶ Benedictio Domini super caput justī; os autem impiorum operit iniquitas.^{*}⁷ Memoria justī cum laudibus, et nomen impiorum putrescet.[†]⁸ Sapiens corde præcepta suscipit; stultus

*9.12 *Si sapiens.* Moneo te ad sapientiam, quod tamen tibi prodest, non mihi. Si enim *sapiens fueris*, etc.

†9.13 *Mulier stulta.* Superius commendavit sapientiam per divinitatem et humanitatem, nunc per contrarium illam eandem commendabiliorem ostendit, ubi *mulier stulta*, etc., quæ est ei contraria, *sedet*, etc. *Mulier*, etc. Mulier hic hæresis est, etc., usque ad hæc in supercilio mentis attollitur.

‡9.16 *Qui est parvulus.* Sapientia parvulos atque insipientes, etc., usque ad et ad se divertere.

¶9.17 *Aquæ furtivæ.* Sapientia palam mensam omnibus proposuit, etc., usque ad prohibita et illicita connubia dulciora esse asseverat.

§9.18 *Et ignoravit quod ibi.* Nescit mulier adultera, etc., usque ad et in excelsis cœlorum convivæ fidelium.

**10.1 *Parabolæ Salomonis.* Novum ponit titulum, quia novum genus locutionis incipit, scilicet, ut non, sicut prius, de singulis bonorum malorumve partibus diutius disputet; sed alternis versibus actus utrorumque describat. *Filius sapiens.* Qui accepta fidei mysteria bene servat, lætificat Deum Patrem; qui vero hæc actione mala vel hæresi commaculat, matrem contristat Ecclesiam.

††10.2 *Nil proderunt.* Et a transitoria morte, etc., usque ad quod pro vita sunt dati, conferunt.

‡‡10.3 *Non affliget Dominus.* Et si aliquando, etc., usque ad juste vindicando, retorquet.

¶¶10.4 *Egestatem operata.* Qui negligenter vivit in hoc sæculo, egebit bonis in futuro; at qui fortiter Domino militant, divitiis æternæ beatitudinis remunerantur.

§§10.5 *Qui congregat.* Qui congregat Christo animas fidelium, filius sapiens est. Et quidem hæc *messis multa est, operarii vero pauci* Matth. 9.. Qui vero hoc tempore acceptabili a sua salute curanda torpescit, confundetur in die tribulationis.

*10.6 *Os autem impiorum.* Quod comessationi, ebrietati et colloquiis malis serviebat, propter iniquitatem, quam congressit, condemnabitur. Denique *os illius iniquitas operuit* qui in tormentis positus in lingua sibi, in qua ob plura scelera plus punitus est, refrigerium quæsit.

†10.7 *Memoria.* In hac vita boni bonos, etc., usque ad et ignis eorum non exstinguetur.

cæditur labiis.[‡] ⁹ Qui ambulat simpliciter ambulat confidenter; qui autem depravat vias suas manifestus erit. [¶] ¹⁰ Qui annuit oculo dabit dolorem; et stultus labiis verberabitur.] ¹¹ [Vena vitæ os justi, et os impiorum operit iniquitatem. ¹² Odium suscitatur rixas, et universa delicta operit caritas. ¹³ In labiis sapientis invenitur sapientia, et virga in dorso ejus qui indiget corde. [§] ¹⁴ Sapientes abscondunt scientiam; os autem stulti confusioni proximum est. ¹⁵ Substantia divitis, urbs fortitudinis ejus; pavor pauperum egestas eorum. ^{**} ¹⁶ Opus justi ad vitam, fructus autem impii ad peccatum. ¹⁷ Via vitæ custodienti disciplinam; qui autem increpationes relinquit, errat. ¹⁸ Abscondunt odium labia mendacia; qui profert contumeliam, insipiens est. ^{††} ¹⁹ In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua prudentissimus est. ²⁰ Argentum electum lingua justi; cor autem impiorum pro nihilo. ²¹ Labia justi erudiunt plurimos; qui autem indocti sunt in cordis egestate moriuntur.] ²² [Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio. ²³ Quasi per risum stultus operatur scelus, sapientia autem est viro prudentia. ^{‡‡} ²⁴ Quod timet impius veniet super eum; desiderium suum justus dabitur. ^{¶¶} ²⁵ Quasi tempestas transiens non erit impius; justus autem quasi fundamentum sempiternum. ^{§§} ²⁶ Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum. ^{*} ²⁷ Timor Domini apponet dies, et anni impiorum breviabuntur. ²⁸ Expectatio justorum lætitia, spes autem impiorum peribit. [†] ²⁹ Fortitudo simplicis via Domini, et pavor his qui operantur malum. [‡]

[‡]10.8 *Stultus ceditur labiis*, vel suis, quibus damnari meruit, quia *mors et vita in manibus lingue* Isa. 66., vel eorum a quibus, quia corrigi non potuit, sententiam damnationis accepit; unde: *Domine, libera animam meam a labiis iniquis* Psal. 119..

[¶]10.9 *Qui ambulat*, qui simpliciter se vivere novit, etc., usque ad ac digna factis recipit, *nihil enim occultum quod non reveletur* Matth. 10..

[§]10.13 *Virga in dorso ejus*. Vindicta in sequenti vita, etc., usque ad recte subditur: *Sapientes abscondunt*, etc.

^{**}10.15 *Substantia divitis*. Spiritualiter: Qui in Deum dives est per bona opera, confidit in illo, quasi qui in urbe inexpugnabili, quæ a nullo hoste possit superari; at, qui virtutum inopia coangustantur, ideo celestibus egent divitiis, quia noxio pavore timent duros pro Domino tolerare labores.

^{††}10.18 *Abscondunt scientiam*, etc. Si ergo verax et sapiens esse desideras, odium neque in abscondito cordis conteges, neque per oris contumeliam proferas; sed tuum cor dilectione et os veritate repleatur.

^{‡‡}10.23 *Quasi per risum stultus operatur scelus*. Prudentia a providendo nomen accepit. Stultus est igitur qui gaudet in scelere. Sapientis autem est et ejus qui viri nomine dignus sit, prævidere, quia risus dolore miscebitur, et gaudia peccandi pœna sequetur ultionis.

^{¶¶}10.24 *Quod timet impius, veniet super*. De illo impio dicit, etc., usque ad quod corde tenent, adveniet.

^{§§}10.25 *Quasi tempestas*. De persecutoribus Ecclesiæ dicit, qui domum fidei subvertere quærunt. Sed illa in vero fundamento, id est, in Christo collocata, ipsi ex-templo disperiunt.

^{*}10.26 *Sicut acetum dentibus*. Sicut hæreticorum perfidia, etc., usque ad et etiam verbis impugnant, unde: *A nobis exierunt, sed ex nobis non erant* I Joan. 2..

[†]10.28 *Spes autem*. Non contra id quod supra dicitur, etc., usque ad De his qui scienter delinquant, adjungit.

[‡]10.29 *Fortitudo simplicis via ejus, et pavor*. Si obscura Scripturarum, etc., usque ad operari contemnunt.

³⁰ Justus in æternum non commovebitur, impii autem non habitabunt super terram.

³¹ Os justi parturiet sapientiam; lingua pravorum peribit. ³² Labia justi considerant placita, et os impiorum perversa.]

11 [Statera dolosa abominatio est apud Dominum, et pondus æquum voluntas ejus.[¶] ² Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia; ubi autem est humilitas, ibi et sapientia.[§] ³ Simplicitas justorum dirigit eos, et supplantatio perversorum vastabit illos. ⁴ Non proderunt divitiæ in die ultionis; justitia autem liberabit a morte. ⁵ Justitia simplicis dirigit viam ejus, et in impietate sua corruet impius. ⁶ Justitia rectorum liberabit eos, et in insidiis suis capientur iniqui. ⁷ Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes, et exspectatio sollicitorum peribit.^{**} ⁸ Justus de angustia liberatus est, et tradetur impius pro eo.] ⁹ [Simulator ore decipit amicum suum; justi autem liberabuntur scientia.^{††} ¹⁰ In bonis justorum exsultabit civitas, et in perditione impiorum erit laudatio. ¹¹ Benedictione justorum exaltabitur civitas, et ore impiorum subvertetur. ¹² Qui despicit amicum suum indigens corde est; vir autem prudens tacebit.^{‡‡} ¹³ Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum. ¹⁴ Ubi non est gubernator, populus corruet; salus autem, ubi multa consilia.^{¶¶} ¹⁵ Affligetur malo qui fidem facit pro extraneo; qui autem cavet laqueos securus erit.^{§§} ¹⁶ Mulier gratiosa inveniet gloriam, et robusti habebunt divitias.] ¹⁷ [Benefacit animæ suæ vir misericors; qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit. ¹⁸ Impius facit opus instabile, seminanti autem justitiam merces fidelis. ¹⁹ Clementia præparat vitam, et sectatio malorum mortem. ²⁰ Abominabile Domino cor pravum, et voluntas ejus in iis qui simpliciter ambulant. ²¹ Manus in manu non erit innocens malus; semen autem justorum salvabitur.^{*} ²² Circulus aureus in naribus

[¶]11.1 *Statera dolosa.* Vel pecuniæ vel judicii, etc., usque ad et actioni congruit.

[§]11.2 *Ubi fuerit superbia.* Superbi, vel contumeliose se gerunt per contemptum sive per ignorantiam disciplinæ, vel proximis contumeliam ingerunt, vel qui se exaltat humiliabitur.

^{**}11.7 *Mortuo homine impio.* Hoc Origenes nescivit, etc., usque ad et ad eos fortasse pertinet quod sequitur. *Exspectatio sollicitorum.* Sollicitudo bonorum est implere Dei præcepta; at malorum scienter peccantium, quod æternam rapiuntur ad pœnam. Ideoque exspectatio illorum coronabitur; istorum damnabitur, etiam ante judicium, damuante propria conscientia.

^{††}11.9 *Simulator.* Hæreticus simulans catholicam doctrinam, decipit auditorem suum. Qui veritatem sequuntur Evangelii liberabuntur sapientia catholica, ne decipula decipiantur hæretica.

^{‡‡}11.12 *Qui despicit,* etc. Non est despiciendus, qui nos simpliciter amat, etsi quid inepte agat: qui enim hoc facit, indiget sapientia. Prudens autem publice tacet, occulte castigat, quod melius in sequentibus aperitur.

^{¶¶}11.14 *Ubi non est gubernator, populus corruet, salus autem ubi multa consilia.* Ne enim putares, etc., usque ad et a pluribus corrigatur.

^{§§}11.15 *Affligetur.* Ad litteram patet, etc., usque ad seipsum ante districti judicis oculos ultione dignum reddet. *Qui autem cavet laqueos securus erit.* Securus erit in futuro qui nunc bene formidolosus et sua peccata per pœnitentiam curat, et ab impœnitentium societate se immunem servat.

^{*}11.21 *Manus in manu.* Qui manum jungit in manu, etc., usque ad unde præmissum est: *Abominabile Domino cor pravum.*

suis, mulier pulchra et fatua.[†] ²³ Desiderium justorum omne bonum est; præstolatio impiorum furor. ²⁴ Alii dividunt propria, et ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. ²⁵ Anima quæ benedicit impinguabitur, et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. ²⁶ Qui abscondit frumenta maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium. ²⁷ Bene consurgit diluculo qui quærit bona; qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis.[‡] ²⁸ Qui confidit in divitiis suis corruet: justi autem quasi virens folium germinabunt.[¶] ²⁹ Qui conturbat domum suam possidebit ventos, et qui stultus est serviet sapienti.[§] ³⁰ Fructus justi lignum vitæ, et qui suscipit animas sapiens est.^{**} ³¹ Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator !]††

12 [Qui diligit disciplinam diligit scientiam; qui autem odit increpationes insipientis est.^{‡‡} ² Qui bonus est hauriet gratiam a Domino; qui autem confidit in cogitationibus suis impie agit. ³ Non roborabitur homo ex impietate, et radix justorum non commovebitur. ⁴ Mulier diligens corona est viro suo; et putredo in ossibus ejus, quæ confusione res dignas gerit.^{¶¶} ⁵ Cogitationes justorum judicia, et consilia impiorum fraudulenta.^{§§} ⁶ Verba impiorum insidiantur sanguini; os justorum liberabit eos. ⁷ Verte impios, et non erunt; domus autem justorum permanebit.^{*} ⁸ Doctrina sua noscetur vir; qui autem vanus et excors est patebit contemptui. ⁹ Melior est pauper et sufficiens sibi quam gloriosus et indigens pane. ¹⁰ Novit justus jumentorum

†11.22 *Circulus aureus in naribus*, etc. Si suis naribus circulum auri fixeris, etc., usque ad quia carnalibus deditus.

‡11.27 *Bene consurgit diluculo qui quærit bona*, etc., id est ad vitam consurgit in tempore resurrectionis, quia nunc bona agit in tempore operationis. Qui autem mala, quæ dicat vel agat, inquirat, eorum pondere ab altioribus retardatur.

¶11.28 *Justi autem quasi*, etc. Quasi, qui spe futurorum præmiorum bona faciunt in præsentibus, juste, quod sperant, accipiunt. Virens quippe in arbore folium, fructus, quos nondum ostendit, signat affuturos: et justi quasi virens folium germinant, qui spe salvi facti in fidei ac virtutum gratia proficere non cessant.

§11.29 *Qui stultus est*. Impius vivit pio; ille damnatur, iste accipit bravium, pro quo certabat.

**11.30 *Qui suscipit*. Qui animarum curam pro Domino suscipit, etc., usque ad ut sublimius cum Domino regnet, procurat.

††11.31 *Si justus*. Si martyres tanta patiuntur injuste, etc., usque ad etsi enim impii non sumus, certe si peccatores nos esse negamus, *nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est*.

‡‡12.1 *Qui bonus est*, etc. Horum versiculorum connexio talis est; qui bonus est non confidit in cogitationibus suis; sed Domini gratiam quærit, ac per illam pie vivit. Qui autem in cogitationibus suis confidit, bonus esse nequit: qui enim gratiam Dei non curat quærere, in prava actione perdurat.

¶¶12.4 *Mulier*. Ad litteram, mulier bona et casta, etc., usque ad putredo pravi dogmatis corrumpit.

§§12.5 *Cogitationes*. Justi sua facta, etc., usque ad obliti timoris Domini.

*12.7 *Verte impios*. Multa impietas in diis gentium, etc., usque ad sed quæcunque membra hinc illuc perveniunt, quæ sperabant, gaudia inveniunt.

suorum animas; viscera autem impiorum crudelia.[†] ¹¹ Qui operatur terram suam satiabitur panibus; qui autem sectatur otium stultissimus est. Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. ¹² Desiderium impii munimentum est pessimorum; radix autem justorum proficiet.[‡] ¹³ [Propter peccata labiorum ruina proximat malo; effugiet autem justus de angustia. ¹⁴ De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, et juxta opera manuum suarum retribuetur ei. ¹⁵ Via stulti recta in oculis ejus; qui autem sapiens est audit consilia. ¹⁶ Fatuus statim indicat iram suam; qui autem dissimulat injuriam callidus est.[¶] ¹⁷ Qui quod novit loquitur, index justitiæ est; qui autem mentitur, testis est fraudulentus. ¹⁸ Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiæ: lingua autem sapientium sanitas est.[§] ¹⁹ Labium veritatis firmum erit in perpetuum; qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacii.^{**} ²⁰ Dolus in corde cogitantium mala; qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium. ²¹ Non contristabit justum quidquid ei acciderit: impii autem replebuntur malo. ²² Abominatio est Domino labia mendacia; qui autem fideliter agunt placent ei. ²³ Homo versatus celat scientiam, et cor insipientium provocat stultitiam.]^{††} ²⁴ [Manus fortium dominabitur; quæ autem remissa est, tributis serviet.^{‡‡} ²⁵ Mœror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur.^{¶¶} ²⁶ Qui negligit damnum propter amicum, justus est; iter autem impiorum

[†]12.10 *Novit*, id est compatitur hebetudini ac fragilitati proximorum sibi commissorum. *Viscera autem impiorum crudelia*, qui non compatiuntur subditis; sed sicut Dominus ait: *Percutiunt pueros et ancillas*, dicentes: *Moram facit Dominus meus venire*.

[‡]12.12 *Desiderium*. Desiderat impius, etc., usque ad dicit e contra de bonis. *Radix autem justorum proficiet*, fides, spes, charitas, quibus in Christo sunt radicati non eos fallunt; sed plus quam sperant in futuro percipient.

[¶]12.16 *Fatuus*, etc. Qui in præsentī desiderat ulcisci, fatuus est; qui autem pro Domino contemnit, sapiens est. *Qui autem dissimulat*: non sic vult occultari, ut duret, sed omnino deleatur; est enim natura iræ ut prolata, magis ferveat; occultata, languescat.

[§]12.18 *Lingua autem sapientium est sanitas*, etc., quia et bona, quæ promittunt, ipsi perficiendo ad vitam perveniunt; et aliis, quæ sequantur, demonstrant

^{**}12.19 *Labium veritatis*, etc. Fides catholica semper permanebit; qui autem repente nova dogmata inserit, mendacii minister est.

^{††}12.23 *Homo versutus*. Sapiens et prudens: qui aliquando celat scientiam, vel non valens loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; vel nolens dare sanctum canibus, vel margaritas ante porcos projicere, vel mittere. *Cor insipientium provocat*. Vel quando plus appetit sapere quam oportet sapere, et in cogitationibus evanescendo, pro sapientia stultitiam habent et tenent; vel aliis, quæ nequeunt capere, ingerentes, quasi infirmis oculis lumen solis, id est sapientiæ, quam habere videbantur auferunt.

^{‡‡}12.24 *Manus fortium*. Perfecti non solum vitiorum bella superant, sed et electis fratribus majore virtutum gratia principantur. *Quæ autem remissa*. Qui dissoluti animo, etc., usque ad non enim de talibus desperandum est, cum adjungit, *mœror justi*, etc.

^{¶¶}12.25 *Mœror in corde*, etc., quia necesse est ut prius peccatorem mœror pœnitentiæ salubriter humiliet, et post per judicium sacerdotis datæ reconciliationis sermo lætificet vel reficiat. *Qui negligit damnum*, etc. Si hoc ad litteram accipitur, etc., usque ad vel ipsam carnem morti tradit?

decipiet eos. ²⁷ Non inveniet fraudulentus lucrum, et substantia hominis erit auri pretium.^{§§} ²⁸ In semita justitiæ vita; iter autem devium ducit ad mortem.]

13 [Filius sapiens doctrina patris; qui autem illusor est non audit cum arguitur.*
² De fructu oris sui homo satiabitur bonis: anima autem prævaricatorum iniqua. ³ Qui custodit os suum custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. ⁴ Vult et non vult piger; anima autem operantium impinguabitur.† ⁵ Verbum mendax justus detestabitur; impius autem confundit, et confundetur. ⁶ Justitia custodit innocentis viam, impietas autem peccatorem supplantat.] ⁷ [Est quasi dives, cum nihil habeat, et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit.‡ ⁸ Redemptio animæ viri divitiæ suæ; qui autem pauper est, increpationem non sustinet. ⁹ Lux justorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguetur. ¹⁰ Inter superbos semper jurgia sunt; qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. ¹¹ Substantia festinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.¶ ¹² Spes quæ differtur affligit animam; lignum vitæ desiderium veniens.][§]
¹³ [Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat; qui autem timet præceptum, in pace versabitur. Animæ dolosæ errant in peccatis: justi autem misericordes sunt, et miserantur.** ¹⁴ Lex sapientis fons vitæ, ut declinet a ruina mortis.†† ¹⁵ Doctrina bona dabit gratiam; in itinere contemptorum vorago. ¹⁶ Astutus omnia agit cum consilio; qui autem fatuus est aperit stultitiam.‡‡ ¹⁷ Nuntius impij cadet in malum; legatus autem fidelis, sanitas. ¹⁸ Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam; qui autem acquiescit arguenti glorificabitur. ¹⁹ Desiderium si compleatur delectat animam; detestantur stulti eos qui fugiunt mala. ²⁰ Qui cum sapientibus graditur sapi-

§§12.27 *Non inveniet*, etc. Fraude namque acquisita pecunia, etc., usque ad quibus æternæ vitæ claritas auro pretiosior emitur.

*13.1 *Filius sapiens*. Tantum distat inter sapientem et stultum, ut hic aliquando profectu eruditionis ad eum, qui se docuerat, docendum perveniat: ille, ne, cum arguitur, audiat.

†13.4 *Vult et non vult piger*. Vult regnare cum Domino, etc., usque ad et Jesus filius Sirach: *Væ peccatori terram duabus viis ingredienti. Anima autem operantium* jussa dominica *impinguabitur*, quia perfecta supernorum dulcedine reficietur; unde: *Sicut adipe* Psal. 26., etc.; vel, qui piis pro Domino laboribus insudant, immarcescibili corona donabuntur.

‡13.7 *Est quasi dives*, non vere, ut qui induebatur purpura et bysso Luc. 16.; sed quia Deum non habuit, etc., usque ad quid vera paupertas agat, subditur.

¶13.11 *Substantia*, etc. Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, etc., usque ad multiplicia supernæ beatitudinis munera percipiet, de quo:

§13.12 *Spes quæ differtur*, etc. Quia nimirum, etc., usque ad ipse est enim *lignum vitæ amplectentibus se*.

**13.13 *Qui detrahit*. Aliter, etc., usque ad unde: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*, etc.

††13.14 *Lex sapientis*. Ex quo homo sapere incipit, utitur hac lege, ut mortem vitet et vitam acquirat.

‡‡13.16 *Cum consilio*, maxime divino, quod est in Scripturis. Fatuus enim est qui extra hoc consilium vivit, quamvis naturaliter prudens videatur.

ens erit; amicus stultorum similis efficietur.]^{¶¶} 21 [Peccatores persequitur malum, et iustis retribuentur bona. 22 Bonus reliquit hæredes filios et nepotes, et custoditur justo substantia peccatoris. §§ 23 Multi cibi in novalibus patrum, et aliis congregantur absque iudicio. * 24 Qui parcit virgæ odit filium suum; qui autem diligit illum instanter erudit. † 25 Justus comedit et replet animam suam; venter autem impiorum insaturabilis.]

14 [Sapiens mulier ædificat domum suam; insipiens exstructam quoque manibus destruet. ‡ 2 Ambulans recto itinere, et timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via. 3 In ore stulti virga superbiæ; labia autem sapientium custodiunt eos. ¶ 4 Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est; ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis. § 5 Testis fidelis non mentitur; profert autem mendacium dolosus testis. 6 Quærit derisor sapientiam, et non invenit; doctrina prudentium facilis. ** 7 Vade contra virum stultum, et nescit labia prudentiæ. †† 8 Sapientia callidi est intelligere viam suam, et imprudentia stultorum errans. 9 Stultus illudet peccatum, et inter justos morabitur gratia. 10 Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus. ‡‡ 11 Domus impiorum delebitur: tabernacula vero justorum germinabunt. 12 Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem. 13 Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. 14 Viis suis replebitur stultus, et super eum erit vir bonus.] 15 [Innocens credit omni verbo; astutus considerat gressus suos. Filio doloso nihil erit boni; servo autem sapienti prosperi erunt actus, et dirigetur via ejus. 16 Sapiens timet, et declinat a malo; stultus transilit, et confidit. 17 Impatiens operabitur stultitiam, et vir versu-

^{¶¶}13.20 *Qui cum sapientibus.* Quilibet simplex aut rusticus, qui arcana sapientiæ comprehendere nequit, si tamen exempla sapientum vivendo sectatur, jure inter sapientes numerabitur. *Amicus stultorum.* Qui stultos, non quia homines sunt, sed propter stultitiam, quia mimi sunt, vel histriones, vel hujusmodi, non ut instruendo corrigat, amat, sed ut favendo, deteriores efficiat: licet sapiens videatur, stultorum damnatione tenebitur.

§§13.22 *Bonus homo,* etc., sæpe boni sine filiis obeunt, etc., usque ad regnum Dei datum est genti facienti fructum ejus.

*13.23 *Multi cibi.* Alius translator, etc., usque ad utrique autem sensui congruit, quod subdit.

†13.24 *Qui parcit virgæ odit filium suum,* etc. Nam et bonus pater filium, et discipulum magister catholicus, ne ad iniquitatem deflectat, sollicitus erudit.

‡14.1 *Sapiens,* etc. *Destruet* male vivendo, et aliquando aperte regnando, etc., usque ad de quibus aperte subdit:

¶14.3 *In ore stulti.* Quia stulti per vaniloquium humiles, quos despiciunt, affligunt; sed hi per doctrinam sapientium, ne decipiantur, se muniunt.

§14.4 *Ubi non,* etc. Hæc hærent superioribus, etc., usque ad qui Sareptanam viduam pascit a qua et ipse pascitur.

**14.6 *Quærit derisor sapientiam,* etc. Ut Caiphæ, etc., usque ad quia perverse quærunt, nunquam prorsus inveniunt.

††14.7 *Vade contra,* etc. Ideo derisor sapientiam, quam quærit, non invenit, etc., usque ad ejusque meditationi operam dare satagunt.

‡‡14.10 *Extraneus.* Id est reprobus, etc., usque ad unde subditur: *Dominus impiorum,* etc. *Sapiens timet et declinat.* Sicut stulti est de sua alacritate confidere, etc., usque ad aut post mortem fortiter pœnas ferat.

tus odiosus est.^{¶¶} 18 Possidebunt parvuli stultitiam, et exspectabunt astuti scientiam. 19 Jacebunt mali ante bonos, et impii ante portas justorum.^{§§} 20 Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici vero divitum multi. 21 Qui despicit proximum suum peccat; qui autem miseretur pauperis beatus erit. Qui credit in Domino misericordiam diligit. 22 Errant qui operantur malum; misericordia et veritas præparant bona. 23 In omni opere erit abundantia; ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. 24 Corona sapientium divitiæ eorum; fatuitas stultorum imprudentia.* 25 Liberat animas testis fidelis, et profert mendacia versipellis.][†] 26 [In timore Domini fiducia fortitudinis, et filiis ejus erit spes.[‡] 27 Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis.[¶] 28 In multitudine populi dignitas regis, et in paucitate plebis ignominia principis. 29 Qui patiens est multa gubernatur prudentia; qui autem impatiens est exaltat stultitiam suam. 30 Vita carniuum sanitas cordis; putredo ossium invidia.[§] 31 Qui calumniatur egentem exprobrat factori ejus; honorat autem eum qui miseretur pauperis. 32 In malitia sua expelletur impius: sperat autem justus in morte sua. 33 In corde prudentis requiescit sapientia, et indoctos quosque erudiet. 34 Justitia elevat gentem; miseros autem facit populos peccatum. 35 Acceptus est regi minister intelligens; iracundiam ejus inutilis sustinebit.]

15 [Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitatur furorem.** 2 Lingua sapientium ornat scientiam; os fatuorum ebullit stultitiam.^{††} 3 In omni loco, oculi Domini contemplantur bonos et malos. 4 Lingua placabilis lignum vitæ; quæ autem immoderata est conteret spiritum. 5 Stultus irridet disciplinam patris sui; qui autem custodit increpationes astutior fiet. In abundanti justitia virtus maxima est: cog-

^{¶¶}14.17 *Impatiens*, etc. Reprehensibilis quidem est impatiens, etc., usque ad inter reprobos æstimatur.

^{§§}14.19 *Jacebunt mali ante bonos*. Videntes tormenta eorum, etc., usque ad ad videnda eorum supplicia.

^{*}14.24 *Fatuitas stultorum*. Imprudentia, quasi improvidentia dicitur.

[†]14.25 *Liberat animas testis fidelis*. Catholicus prædicatur, qui testimonia Scripturarum fideliter prædicat, et profert; hæreticus mendacia. *Profert mendacia*. Alia translatio: Incendit autem mendacio animas dolosus deceptor. *Versipellis*, id est diabolus, qui mala, quæ suggerit, bona mentitur: et dum bona promittit æterna, ducit ad tormenta.

[‡]14.26 *In timore Domini*. Timor Domini fiduciam fortitudinis præstat, etc., usque ad speraverunt in Domino.

[¶]14.27 *Timor Domini*. Hæc est spes eorum, etc., usque ad unde, *Initium sapientiæ timor Domini* Psal. 9..

[§]14.30 *Vita carniuum*. Per carnem infirma, per ossa firma. Si mentis innocentia custoditur, etsi quæ foris infirma sunt, quandoque roborantur; unde subdit: *Putredo ossium invidia*, quia per livoris vitium ante oculos Dei pereunt ea quæ humanis oculis fortia videntur. Ossa enim per invidiam putrescere, est robusta quæque perire.

^{**}15.1 *Responsio mollis frangit iram*. Qui verba increpantis humiliter suscipit, jam propinquat veniæ reatus quem gessit. Qui arguenti resultat, contra se iram judicis provocat.

^{††}15.2 *Ebullit stultitiam*. Scripturam pervertendo, suos sensus auctoritati præponendo; velut fatui philosophi, ut Porphyrius, et Julianus, qui contra Ecclesiæ doctores stultitiæ suæ fluentia fundebant.

itationes autem impiorum eradicabuntur.‡‡ 6 Domus iusti plurima fortitudo, et in fructibus impii conturbatio. 7 Labia sapientium disseminabunt scientiam; cor stultorum dissimile erit.¶¶ 8 Victimæ impiorum abominabiles Domino; vota iustorum placabilia. 9 Abominatio est Domino via impii; qui sequitur iustitiam diligitur ab eo. 10 Doctrina mala deserenti viam vitæ; qui increpationes odit, morietur.‡‡ 11 Infernus et perditio coram Domino; quanto magis corda filiorum hominum ! 12 Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur.] 13 [Cor gaudens exhilarat faciem; in mœrore animi dejicitur spiritus. 14 Cor sapientis quærit doctrinam, et os stultorum pascitur imperitia. 15 Omnes dies pauperis, mali; secunda mens quasi iuge convivium.* 16 Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles. 17 Melius est vocari ad olera cum caritate, quam ad vitulum saginatum cum odio.† 18 Vir iracundus provocat rixas; qui patiens est mitigat suscitatas. 19 Iter pigrorum quasi sepes spinarum; via iustorum absque offendiculo.‡ 20 Filius sapiens lætificat patrem, et stultus homo despicit matrem suam. 21 Stultitia gaudium stulto, et vir prudens dirigit gressus suos. 22 Dissipantur cogitationes ubi non est consilium; ubi vero sunt plures consiliarii, confirmantur. 23 Lætatur homo in sententia oris sui, et sermo opportunus est optimus.¶ 24 Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo.]§ 25 [Domum superbiorum demolietur Dominus, et firmos faciet terminos viduæ.** 26 Abominatio Domini cogitationes malæ, et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo.†† 27 Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam; qui autem odit munera, vivet. Per misericordiam et fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis a malo. 28 Mens iusti meditatur obedientiam; os impiorum redundat malis. 29 Longe est Dominus ab impiis, et orationes iustorum

‡‡15.5 *Stultus irridet.* Stultus est omnis peccator, qui, terrenis actibus deditus, futurum nihil prævidet: is disciplinam irridet, dum derogat divinæ correctioni.

¶¶15.7 *Cor stultorum dissimile.* Vel dissimile sibi ipsi, variis cogitationibus, et nunquam idem manet. Contra quod de Anna dicitur: *Vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati.*

‡‡15.10 *Doctrina mala. Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus est in regno cælorum.* Talibus tamen, si correcti fuerint, patet reditus ad veniam: si autem increpationes non receperint, omnino morientur.

*15.15 *Omnes dies.* Omne tempus populi Dei, etc., usque ad quasi iugi delectantur convivio.

†15.17 *Melius est vocari ad olera.* Multo enim utilius est simplicis vitæ innocentiam cum caritate servare, etc., *usque ad, discedite a me operarii iniquitatis.*

‡15.19 *Pigrorum,* quos piget operari iustitiam, etc., usque ad sed quia hoc bonos non præpedit, adjungit: *Via iustorum absque offendiculo.* Iusti enim quidquid adversitatis in sua conversatione invenerint, non offendunt, quia æternæ spei et internæ contemplationis saltu adversa transiliunt.

¶15.23 *Lætatur homo.* Humanum est de sententia quasi prudenter prolata lætari. Sed vere sapiens non solum quod loquitur, sed etiam opportunitatem loci, et temporis, et personæ cui loquitur, diligenter inquirat.

§15.24 *De inferno novissimo,* etc. Primus infernus cæcitas peccantis animæ, et veræ lucis scientia carentis, de quo: *Descendunt in infernum viventes* Psal. 54..

**15.25 *Viduæ Ecclesiæ,* scilicet sponsæ suæ, pro cujus vita mori dignatus est.

††15.26 *Firmabitur:* in iudicio, quando non solum factis, sed et verbis omnibus digda præmia reddet.

exaudiet. ³⁰Lux oculorum lætificat animam; fama bona impinguat ossa. ³¹Auris quæ audit increpationes vitæ in medio sapientium commorabitur. ³²Qui abjicit disciplinam despicit animam suam; qui autem acquiescit increpationibus possessor est cordis. ³³Timor Domini disciplina sapientiæ, et gloriam præcedit humilitas.]

16 [Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam. [¶] ²Omnes viæ hominis patent oculis ejus; spirituum ponderator est Dominus. ^{§§} ³Revela Domino opera tua, et dirigentur cogitationes tuæ. ^{*} ⁴Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum. [†] ⁵Abominatio Domini est omnis arrogans; etiamsi manus ad manum fuerit, non est innocens. Initium viæ bonæ facere justitiam; accepta est autem apud Deum magis quam immolare hostias. [‡] ⁶Misericordia et veritate redimitur iniquitas, et in timore Domini declinatur a malo. ⁷Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. [¶] ⁸Melius est parum cum justitia quam multi fructus cum iniquitate. [§] ⁹Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.] ¹⁰ [Divinatio in labiis regis; in iudicio non errabit os ejus. ^{**} ¹¹Pondus et statera iudicia Domini sunt, et opera ejus omnes lapides sacculi. ¹²Abominabiles regi qui agunt impie, quoniam justitia firmatur solium. ¹³Voluntas regum labia justa; qui recta loquitur

^{‡‡}15.30 *Lux oculorum lætificat animam.* Jure mentem delectat humanam, etc., usque ad sic enim magis fervet opus. *Lux oculorum.* Alia translatio: *Videns bona oculus delectat corda bona,* scilicet, Domini in terra viventium, quæ, quia in oculo mentis contemplantur, merito corde delectatur, quamvis affligatur exterius.

^{¶¶}16.1 *Hominis est animum præparare.* Quomodo ergo hominis est animum præparare, et Dei gubernare linguam? sed persecutionis tempus significat, de quo dicitur, *Nolite cogitare quomodo, aut quod loquamini: datur enim in illa hora, quid loquamini* Matth. 10..

^{§§}16.2 *Omnes viæ.* Ita actiones omnium bonorum, scilicet, et malorum quid in occulto cogitent, certa lance discernit, unde subdit.

^{*}16.3 *Revela Domino.* Opera nostra revelamus, quando, quem nihil latere novimus, in cunctis, quæ agimus, in memoriam reducimus, atque illius flagitamus auxilium: et tunc non solum opera, sed cogitationes dirigit.

[†]16.4 *Universa propter semetipsum,* etc. Nulla fuit Domino causa operandi, nisi sola voluntas, ut suam scilicet, bonitatem rationabili creaturæ, quam perpetuo faceret beatam, ostenderet: eum vero qui bonum conditionis propria sponte deseruit, id est diabolus, cum suis sequacibus, justa severitate damnavit.

[‡]16.5 *Abominatio est.* Quicumque tribuit sibi bonum quod facit, etiamsi nihil videtur mali manibus operari, cordis innocentiam perdit, in quo largitori bonorum se prætulit: et ideo talem Dominus abominatur virum, quem sibi in beneficiis videt ingratum.

[¶]16.7 *Cum placuerint Domino.* Tanta est sanctitas divinæ religionis, etc., usque ad sed etiam ad veritatem fidei conversi sunt.

[§]16.8 *Melius est parum cum justitia,* etc. Melius est in simplici conversatione Deo servire devote, quam multis abundare virtutibus, et proximorum facta despiceret.

^{**}16.10 *Divinatio in labiis regis.* Quis alius rex non errat in iudicio, etc., usque ad qui prophetarum ejus ora impleret. *Pondus et statera.* Lapides justi fortes, etc., usque ad mensuram fidei et gratiarum distribuit.

diligetur.^{††} 14 Indignatio regis nuntii mortis, et vir sapiens placabit eam.^{‡‡} 15 In hilaritate vultus regis vita, et clementia ejus quasi imber serotinus.]^{¶¶} 16 [Posside sapientiam, quia auro melior est, et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. 17 Semita justorum declinat mala; custos animæ suæ servat viam suam. 18 Contritionem præcedit superbia, et ante ruinam exaltatur spiritus. 19 Melius est humiliari cum mitibus quam dividere spolia cum superbis. 20 Eruditus in verbo reperiet bona, et qui sperat in Domino beatus est. 21 Qui sapiens est corde appellabitur prudens, et qui dulcis eloquio majora percipiet. 22 Fons vitæ eruditio possidentis; doctrina stultorum fatuitas.]^{§§} 23 [Cor sapientis erudiet os ejus, et labiis ejus addet gratiam. 24 Favus mellis composita verba; dulcedo animæ sanitas ossium.* 25 Est via quæ videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem. 26 Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.[†] 27 Vir impius fodit malum, et in labiis ejus ignis ardescit.[‡] 28 Homo perversus suscitatur lites, et verbosus separat principes. 29 Vir iniquus lactat amicum suum, et ducit eum per viam non bonam.[¶] 30 Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum.[§] 31 Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur. 32 Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.** 33 Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.]^{††}

^{††}16.13 *Voluntas regum*, etc., id est, justorum. **Multi reges et prophetæ voluerunt videre, quæ vos vidistis, et non viderunt.** Hi enim et vitiis resistunt, et virtutum obsequio, quasi satellitum, constipantur. Reges enim terræ sæpe labia justa detestantur, ut Herodes Joannem.

^{‡‡}16.14 *Nuntii mortis.* Angeli Satanæ, hæretici, etc., usque ad quem contigit stulte loquendo offendisse. **Placabit.** HIER., de morte Fabiolæ. David homicidium et adulterium septem dierum fame purgavit.

^{¶¶}16.15 *In hilaritate vultus regis vita.* Quicumque hilarem Christi vultum videre merentur, his in æternum cum illo vivere dabitur. Aliter etiam **videbit omnis caro salutare Dei:** sed tunc justus placatum, reprobi videbunt iratum. **Et clementia ejus quasi imber serotinus.** Serotinus imber in Judæa usque hodie jam maturis messibus venire consuevit, etc., usque ad sed superni facit irrigatio Domini.

^{§§}16.22 *Fons vitæ.* Quia ille prædicator vere suis auditoribus vias vitæ aperit, etc., usque ad quæ dicunt bona, fatuo corde contemnunt.

*16.24 *Favus mellis composita verba,* etc. Multi per eloquentiam, etc., usque ad quæ ex interna animæ dulcedine procedunt.

[†]16.26 *Anima laborantis laborat sibi,* etc. Constat ad litteram, etc., usque ad quia necesse habet facere bona, quæ dicit.

[‡]16.27 *Vir insipiens fodit malum.* Potest hoc de hæretico specialiter intelligi, etc., usque ad unde Jacobus: **Lingua inflamat rotam nativitatis nostræ inflammata a gehenna** Jacob. 3..

[¶]16.29 *Vir iniquus lactat amicum suum,* etc. Potest hoc de hæretico et de omni fautore malorum accipi: **quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur.**

[§]16.30 *Qui attonitis oculis cogitat,* etc. Gravius est perficere malum quam facere, etc., usque ad ut quæ malorum suorum retributio sequatur, non videat.

**16.32 *Melior est patiens viro forti,* etc. Minor est victoria urbes expugnare, etc., usque ad et patientiæ humilitate substernit.

^{††}16.33 *Sortes mittuntur in sinum.* Sicut sortes mittuntur in sinum, etc., usque ad quasi de sinu examinis divini.

17 [Melior est buccella sicca cum gaudio quam domus plena victimis cum jurgio. ^{‡‡} ² Servus sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratres hæreditatem dividet. ³ Sicut igne probatur argentum et aurum camino, ita corda probat Dominus. ⁴ Malus obedit linguæ iniquæ, et fallax obtemperat labiis mendacibus. ⁵ Qui despicit pauperem exprobrat factori ejus, et qui ruina lætatur alterius non erit impunitus. ⁶ Corona senum filii filiorum, et gloria filiorum patres eorum. ^{¶¶} ⁷ Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens. ⁸ Gemma gratissima expectatio præstolantis; quocumque se vertit, prudenter intelligit. ^{§§} ⁹ Qui celat delictum quærit amicitias; qui altero sermone repetit, separat foederatos. ¹⁰ Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum. ¹¹ Semper jurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum. ¹² Expedit magis ursæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in stultitia sua. ^{*} ¹³ Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. [†] ¹⁴ Qui dimittit aquam caput est jurgiorum, et antequam patiatur contumeliam iudicium deserit. ¹⁵ [Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. ¹⁶ Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit? Qui altum facit domum suam quærit ruinam, et qui evitat discere incidet in mala. [‡] ¹⁷ Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur. [¶] ¹⁸ Stultus homo plaudet manibus, cum sponderit pro amico suo. [§] ¹⁹ Qui meditatur discordias diligit rixas, et qui exaltat ostium quærit ruinam. ²⁰ Qui perversi cordis est non inveniet bonum, et qui vertit linguam incidet in malum. ²¹ Natus est stultus in ignominiam suam; sed nec pater in fatuo lætabitur. ²² Animus gaudens ætatem floridam facit; spiritus tristis exsiccat ossa. ²³ Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas iudicii. ²⁴ In facie prudentis lucet sapientia; oculi stultorum in finibus terræ. ^{**} ²⁵ Ira patris filius

^{‡‡}17.1 **Melior est buccella.** Melius est parva bona eum charitate facere, sine scientia prædicandi hoc est enim siccam buccellam esse quam magis effulgere virtutibus, cum admitione discordiæ.

^{¶¶}17.6 **Corona senum,** etc. Senes, patriarchæ, prophetæ, qui a filiis filiorum, id est successoribus apostolorum, divina laude celebrantur: et gloria est prædicatorum Novi Testamenti, qui veterum patrum filii esse meruerunt.

^{§§}17.8 **Gemma gratissima.** Qui præmia futura fideliter expectat, etc., usque ad prudenter intelligens, **Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum** Rom. 8..

^{*}17.12 **Expedit magis ursæ,** etc. Facilius erat sanctis doctoribus furori gentilitatis occurrere, etc., **usque ad,** et hoc sæpe facilius fit, quam hæreticum ad fidem rectam revocare, vel catholicum prave agentem ad bonum opus reducere.

[†]17.13 **Qui.** Aquam dimittere, etc., usque ad unde contra: **Qui imponit stulto silentium, iras mitigat.**

[‡]17.16 **Quid prodest.** Quid prodest populo Judæorum infideli, etc., usque ad cum sapientiam piæ actionis habere neglexerit?

[¶]17.17 **Omni tempore.** Qui Deum vere amat, omni tempore ejus custodit amorem; neque in angustia passionis deserit, quem in pacis tranquillitate confessus est.

[§]17.18 **Homo stultus plaudet manibus.** Stultus est, qui cum fratris sui animam suscipiat regendam, de suis gloriatur actibus, et non potius ei humili compassione quidquid potest auxilii salutaris impendit. **Animus gaudens.** Qui interna sancti Spiritus consolatione lætatur, etc., usque ad gloriam dilectionis amisit.

^{**}17.24 **In facie prudentis.** In facie Christi lucebat sapientia Deitatis, etc., usque ad tota intentione perquirunt.

stultus, et dolor matris quæ genuit eum. ²⁶ Non est bonum damnum inferre justo, nec percutere principem qui recta iudicat. ^{†† 27} Qui moderatur sermones suos doctus et prudens est, et pretiosi spiritus vir eruditus. ²⁸ Stultus quoque, si tacuerit, sapiens reputabitur, et si compresserit labia sua, intelligens.]

18 [Occasiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis. ^{‡‡ 2} Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus. ³ Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit; sed sequitur eum ignominia et opprobrium. ⁴ Aqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ. ^{¶¶ 5} Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate iudicii.] ⁶ [Labia stulti miscent se rixis, et os ejus jurgia provocat. ⁷ Os stulti contritio ejus, et labia ipsius ruina animæ ejus. ⁸ Verba bilinguis quasi simplicia, et ipsa perveniunt usque ad interiora ventris. Pigrum dejecit timor; animæ autem effeminatorum esurient. ⁹ Qui mollis et dissolutus est in opere suo frater est sua opera dissipantis. ^{§§ 10} Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum currit justus, et exaltabitur. ¹¹ Substantia divitis urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum. ^{* 12} Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, et antequam glorificetur, humiliatur. ¹³ Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum. ^{† 14} Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam; spiritum vero ad irascendum facilem quis poterit sustinere? ^{‡ 15} Cor prudens possidebit scientiam, et auris sapientium quærit doctrinam.] ¹⁶ [Donum hominis dilatat viam ejus, et ante principes spatium ei facit. ¹⁷ Justus prior est accusator sui: venit amicus ejus, et investigabit eum. ^{¶ 18} Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat. ¹⁹ Frater qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma, et iudicia quasi vectes

^{††}17.26 *Non est bonum damnum inferre justo.* Et de ipso iudice ac principe sæculorum qui pro nostri salute percuti voluit, accipi potest, et de omnibus rectoribus Ecclesiæ, qui vel facultatibus nudati ab impiis, vel ipsa sunt morte consumpti.

^{‡‡}18.1 *Impius cum in profundum venerit,* etc. Qui longis peccatorum tenebris involutus semel de luce desperat, ex desperatione sibi peccandi frena relaxat; sed opprobrium futuræ damnationis nulla ratione evadit, quem nulla divini timoris memoria cohibuit.

^{¶¶}18.4 *Aqua profunda.* Quia Dominus et apostoli palam utriusque Testamenti sacramenta mundo reserabant, de quibus subdit: *Et torrens redundans fons sapientiæ.* Aqua profunda, id est, verba sapientium lavant mentes et rigant, ne peccatorum sorde deformes remaneant aut ariditate deficiant.

^{§§}18.9 *Qui mollis et dissolutus.* Qui enim cœpta bona districte non exsequitur, dissolutione negligentie manum destruentis imitatur.

^{*}18.11 *Substantia divitis urbs roboris ejus.* Substantia terrena, etc., usque ad quasi inexpugnabili muro cunctas hostium arcet insidias.

[†]18.13 *Qui prius respondet quam audiat.* Qui prius magister esse desiderat, quam discat, stultitiæ noxam non declinat. Qui iudicare proximorum facta, prius quam utriusque plene causam noverit, inordinate festinat, se dignum confusione monstrat.

[‡]18.14 *Spiritus viri sustentat imbecillitatem.* Et ipse autem vir, etc., usque ad mentis fortitudine sustentat. *Spiritus vero ad irascendum.* Dicit enim sæpe iratus ea quæ placatus, quia dixit, pœniteat, et plerumque an dixerit, ignoret: cujus tamen vesania per sapientium modestiam facillime suffertur atque sopitur. *Donum hominis.* Donum charitatis, etc., usque ad ac sibi libenter obtemperare faceret.

[¶]18.17 *Justus prior.* Omnis qui vere justus est, etc., usque ad ejus humilitatem digna mercede remunerat.

urbium.[§] ²⁰ De fructu oris viri replebitur venter ejus, et genimina labiorum ipsius saturabunt eum. ²¹ Mors et vita in manu linguæ; qui diligunt eam comedent fructus ejus. ²² Qui invenit mulierem bonam invenit bonum, et hauriet jucunditatem a Domino. Qui expellit mulierem bonam expellit bonum; qui autem tenet adulteram stultus est et impius. ²³ Cum obsecrationibus loquetur pauper, et dives effabatur rigide.^{**} ²⁴ Vir amabilis ad societatem magis amicus erit quam frater.]^{††}

19 [Melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua quam dives torquens labia sua, et insipiens.^{‡‡} ² Ubi non est scientia animæ, non est bonum, et qui festinus est pedibus offendet.^{¶¶} ³ Stultitia hominis supplantat gressus ejus, et contra Deum fervet animo suo.^{§§} ⁴ Divitiæ addunt amicos plurimos; a paupere autem et hi quos habuit separantur.* ⁵ Testis falsus non erit impunitus, et qui mendacia loquitur non effugiet.[†] ⁶ Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis. ⁷ Fratres hominis pauperis oderunt eum; insuper et amici procul recesserunt ab eo.] [Qui tantum verba sectatur nihil habebit; ⁸ qui autem possessor est mentis diligit animam suam, et custos prudentiæ inveniet bona. ⁹ Falsus testis non erit impunitus, et qui loquitur mendacia peribit. ¹⁰ Non decent stultum deliciæ, nec servum dominari principibus.[‡] ¹¹ Doctrina viri per patientiam noscitur, et gloria ejus est iniqua prætergredi.[¶] ¹² Sicut fremitus leonis, ita et regis ira, et sicut ros super herbam, ita et hilar-

§18.19 *Frater qui adjuvatur.* Cum populus Judæorum et gentium, etc., usque ad ab infidelium incursione defendunt.

**18.23 *Cum obsecrationibus loquetur pauper.* Humiles spiritu humiliter Dominum adorant, ut Publicanus: superbi sua merita jactant, ut Pharisæus.

††18.24 *Vir amabilis.* Gentilis conversus magis amatur a Domino, quam Judæus infidelis perdurans, de quo secundum carnem natus est. Potest et de apostolis, de Judæa natis, intelligi; quia magis amarent credentes ex gentibus, quam suæ gentis incredulos.

‡‡19.1 *Melior est pauper.* Melior est simplex auditor verbi Dei, si ea, quæ in Scripturis intelligit, operando proficit, quam eruditus, si in his, quæ caute intellexerit, ad hæresim prædicandam labia detorquet.

¶¶19.2 *Ubi non,* etc. Animæ humanæ scientia vitæ cœlestis necessaria est, etc., usque ad a statu beatitudinis in pœnam miseræ et mortalitatis inciderunt.

§§19.3 *Stultitia,* etc. Stulti, cum viam veritatis deserunt, etc., usque ad ipsum Dominum quasi importabilia onera imposuerit, mente reprehendit insana.

*19.4 *Divitiæ addunt amicos.* Divitiæ regni cœlestis, quæ per sanctos doctores fidelibus tribuendæ prædicantur, multos amicos et eisdem prædicatoribus, et earum largitori Deo asciscunt. A prophetis autem, quia nihil certæ beatitudinis promittunt, et hi quos habent separantur, conversi ad certissimam Dominicæ fidei promissionem.

†19.5 *Testis falsus.* Redarguerat eum qui tantum verba sectabatur, nunc illum redarguit qui verba Dominicæ auctoritatis male interpretando corrumpit. Quod multa sæpius iterantur, confirmatio est, ut Joseph ait, eo quod sermo sit Dei, et velocius compleatur.

‡19.10 *Non decent stultum.* Non decent hæreticum deliciæ Scripturarum quia his bene uti non novit, neque illum, qui adhuc servus est peccati, præferri decet justis in regimine Ecclesiæ.

¶19.11 *Doctrina viri.* Doctrina ecclesiastica, etc., usque ad recte autem subditur: *Et gloria ejus est iniqua prætergredi.* Perfecti est enim doctoris, sic aliorum improbitatem patienter sufferre, ut se noverit ab iniquis patienter observare. Neque enim propria munditia sine tolerantia sufficit, neque tolerantia sine munditia.

itas ejus. ¹³Dolor patris filius stultus, et tecta jugiter perstillantia litigiosa mulier. [§]
¹⁴Domus et divitiæ dantur a parentibus; a Domino autem proprie uxor prudens.
¹⁵Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet. ^{**} ¹⁶Qui custodit mandatum
custodit animam suam; qui autem negligit viam suam mortificabitur. ¹⁷Fœneratur
Domino qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei. ¹⁸Erudi filium
tuum; ne desperes: ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam. ^{††} ¹⁹Qui
impatiens est sustinebit damnum, et cum rapuerit, aliud apponet. ^{‡‡} ²⁰Audi consilium,
et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis. ²¹Multæ cogitationes
in corde viri; voluntas autem Domini permanebit. ²²Homo indigens misericors est,
et melior est pauper quam vir mendax. ^{¶¶} ²³Timor Domini ad vitam, et in plenitu-
dine commorabitur absque visitatione pessima.] ²⁴[Abscondit piger manum suam
sub ascella, nec ad os suum applicat eam. ^{§§} ²⁵Pestilente flagellato stultus sapientior
erit; si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. ²⁶Qui affligit patrem, et
fugat matrem, ignominiosus est et infelix. ²⁷Non cesses, fili, audire doctrinam, nec
ignores sermones scientiæ. ²⁸Testis iniquus deridet iudicium, et os impiorum devo-
rat iniquitatem. ^{*} ²⁹Parata sunt derisoribus iudicia, et mallei percutientes stultorum
corporibus.]

20 [Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur non
erit sapiens. ²Sicut rugitus leonis, ita et terror regis: qui provocat eum peccat
in animam suam. [†] ³Honor est homini qui separat se a contentionibus; omnes autem
stulti miscentur contumeliis. ⁴Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo

[§]19.13 *Dolor patris.* Deus in natura semper impassibilis, dolere tamen nostro more dicitur, cum homines, quos ad se credendum laudandumque creavit, diabolo servire conspiciat. Unde pœnituit eum quod hominem fecisset super terram, et *tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem quem creavi a facie terræ* Gen. 6.. *Tecta jugiter.* Sicut tecta perstillantia pluviam quidem suscipiunt, etc., usque ad et sorde mista auditoribus reddit.

^{**}19.15 *Pigredo immittit soporem.* Piger dicitur qui recte sciendo vigilat, sed nihil operando torpescit; sed *pigredo immittit soporem*, quia paulisper recte sentiendi vigilantia amittitur, dum ab opere cessatur. Recte autem subditur: *Et anima dissoluta esuriet.* Nam quia se ad superiora stringendo non dirigit, neglectam se inferius per desideria expandit, et dum studiorum subtilium vigore non constringitur, cupiditatis infimæ famæ sauciat, ut quo per disciplinam ligari dissimulat, eo esuriens per voluptatum desideria se spargat.

^{††}19.18 *Erudi filium.* Subjectum tibi, si errare conspicias, diligenter castiga; quod si castigari renuerit, ita caute erga illum age, ne quid in tuis verbis vel operibus, unde amplius peccet, inveniatur. Huic concordat quod sequitur:

^{‡‡}19.19 *Qui impatiens est sustinebit damnum et cum rapuerit.* Si enim pro duritia contradicentis fratris in impatientiæ vitium labaris, etc., usque ad cum enim pecuniam violentus abstulerit, pro hac animam invitus dabit.

^{¶¶}19.22 *Melior est pauper.* Quam qui se per excellentiam virtutum viri nomine dignum dicens, fallitur nescius, dum superbiendo perdidit bona quæ gessit.

^{§§}19.24 *Abscondit piger manum.* Nemo ita piger est, etc., usque ad manum enim ad os porrigere, est voci opere concordare.

^{*}19.28 *Devorat.* Ut famelicus cibos, iniquitatem patrare ardentem exquirat.

[†]20.2 *Luxuriosa res.* Sequitur.

æstate, et non dabitur illi.‡ 5 Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri; sed homo sapiens exhauriet illud. 6 Multi homines misericordes vocantur; virum autem fidelem quis inveniet? 7 [Justus qui ambulat in simplicitate sua beatos post se filios derelinquet.¶ 8 Rex qui sedet in solio iudicii dissipat omne malum intuitu suo.§ 9 Quis potest dicere: Mundum est cor meum; purus sum a peccato? ** 10 Pondus et pondus, mensura et mensura: utrumque abominabile est apud Deum. 11 Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera ejus.†† 12 Aurem audientem, et oculum videntem: Dominus fecit utrumque.‡‡ 13 Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat: aperi oculos tuos, et saturare panibus. 14 Malum est, malum est, dicit omnis emptor; et cum recesserit, tunc gloriabitur.¶¶ 15 Est aurum et multitudo gemmarum, et vas pretiosum labia scientiæ.]§§ 16 [Tolle vestimentum ejus qui fidejussor extitit alieni, et pro extraneis aufer pignus ab eo. 17 Suavis est homini panis mendacii, et postea implebitur os ejus calculo.* 18 Cogitationes consiliis roborantur, et gubernaculis tractanda sunt bella. 19 Ei qui revelat mysteria, et ambulat fraudulenter, et dilatat labia sua, ne commiscearis. 20 Qui maledicit patri suo et matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris: 21 hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.† 22 Ne dicas: Reddam malum: exspecta Dominum, et liberabit te. 23 Abominatio est apud Dominum pondus et pondus; statera dolosa non est bona.‡ 24 A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere

‡20.4 *Æstate*. Regnum Dei ætati comparatur, quia nunc mœroris nostri nubila transient, et vitæ dies æterni solis claritate fulgebunt.

¶20.7 *Beatos post se filios relinquet*. Non ad litteram, sed exempla ejus sequentes. Unde omnes electi, filii Abrahæ quibus non præsens, sed futura beatitudo promittitur, unde, *Rex qui sedet*.

§20.8 *Rex qui sedet in solio iudicii*. Etsi in hac vita electi mala patientur reproborum, etc., usque ad digna factis recipit.

**20.9 *Qui potest dicere*. Non dicit, quis habet, etc., usque ad proximorum quasi vilia despiciunt, subdit: *Pondus et pondus*. Diversum pondus, etc., usque ad quibus iudicis iudicium nostri dirigere debeamus.

††20.11 *Ex studiis suis intelligitur*. Quemcunque enim virtutibus cum modestia continentia, etc., usque ad sicut e contra: *Amicus stultorum similis efficitur*.

‡‡20.12 *Dominus fecit utrumque*. Nemo ad prædicandum idoneus fratrem simplicem despiciat, etc., usque ad dans unicuique secundum mensuram donationis suæ.

¶¶20.14 *Malum est*. Qui æterna præmia in coelis præparare desiderat, malum est, quod in præsentem debet sustinere, ut cum recesserit de mundo, gloriatur, aperte prospiciens, quia *non sunt condignæ passionibus hujus temporis*, etc.

§§20.15 *Est aurum et multitudo*. Hæc est gloriatio sapientis emptoris, etc., usque ad et vasis esse assimilanda pretiosis.

*20.17 *Suavis est homini panis mendacii*, etc. In quocunque membro quis amplius peccaverit, etc., usque ad quæ in verbis superfluis in epulando defluserat.

†20.21 *Hæreditas*. Qui per avaritiæ nequitiam in hac vita multiplicari appetunt, etc., usque ad abominatio est apud Deum.

‡20.23 *Abominatio est apud Deum pondus et pondus, statera dolosa*, etc. Duplex pondus et stateram dolosam habet in corde suo, etc., usque ad vel animam suam Deo in baptismo consecratam.

potest viam suam? ²⁵ Ruina est homini devorare sanctos, et post vota retractare.]^f
²⁶ [Dissipat impios rex sapiens, et incurvat super eos fornicem.][§] ²⁷ Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris. ²⁸ Misericordia et veritas custodiunt regem, et roboratur clementia thronus ejus. ²⁹ Exsultatio juvenum fortitudo eorum, et dignitas senum canities. ³⁰ Livor vulneris absterget mala, et plagæ in secretioribus ventris.]**

21 [Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.]^{††} ² Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus. ³ Facere misericordiam et iudicium magis placet Domino quam victimæ. ⁴ Exaltatio oculorum est dilatatio cordis; lucerna impiorum peccatum. ⁵ Cogitationes robusti semper in abundantia; omnis autem piger semper in egestate est.]
⁶ [Qui congregat thesauros lingua mendacii vanus et excors est, et impingetur ad laqueos mortis. ⁷ Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere iudicium. ⁸ Perversa via viri aliena est; qui autem mundus est, rectum opus ejus.]^{‡‡} ⁹ Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, et in domo communi. ¹⁰ Anima impii desiderat malum: non miserebitur proximo suo. ¹¹ Mulcato pestilente, sapientior erit parvulus, et si sectetur sapientem, sumet scientiam. ¹² Excogitat justus de domo impii, ut detrahat impios a malo.]¹³ [Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur.]^{¶¶} ¹⁴ Munus absconditum extinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam. ¹⁵ Gaudium justo est facere iudicium, et pavor operantibus iniquitatem.]^{§§} ¹⁶ Vir qui erraverit a via doctrinæ in coetu gigantum commorabitur. ¹⁷ Qui diligit epulas in egestate erit; qui amat vinum et pingua

^f20.25 *Ruina est homini devorare sanctos, et post vota retractare.* Si peccatum est cui libet nocere, etc., usque ad et eos qui, ut sua vota compleant, sanctos persequuntur, damnatio manet æterna. Ideo subdit:

[§]20.26 *Dissipat impios rex sapiens, et incurvat super eos fornicem.* Mos fuit antiquis, etc., usque ad cui rotæ est contraria *corona vitæ quam repromittit Deus diligentibus se.*

**20.30 *Livor vulneris.* Cum enim extra percutimur, etc., usque ad quia sicut venter escas, ita mens pertractando excoquit curas.

††21.1 *Sicut divisiones.* Omnium hominum, non solum regis cor, in manu Domini, quia *in manu ejus sunt omnes fines terræ.* Sed regem, sanctum quemque vocat, qui vitiorum bella in se vincere, virgulta malitiæ novit extirpare. Sicut enim Dominus aquarum divisionibus, terrarum fines simul et æris implet, tegit quoque aquis superiora cœlorum, *Ita cor regis quocumque voluerit* inclinatur, quia sicut divisiones gratiarum secundum voluntatem suam, et angelis et hominibus tribuit; ita corda sanctorum quibuscumque voluerit digna donationibus reddit. Et taceat Pelagianus, quia absque gratia Dei nullus est locus salutis.

‡‡21.8 *Perversa via.* Juste coram Domino, etc., usque ad recte quod per naturam originaliter sumpsit, exsequitur.

¶¶21.13 *Qui obturat aurem.* Generaliter, etc., usque ad neque auditu divinæ misericordiæ dignum.

§§21.15 *Pavor operantibus iniquitatem.* Quia sciunt a Deo prohibitum; quamvis luxuriæ suæ perpetratione carnaliter delectentur, mentis tamen pavore interno non carent, quia se perpetuo passuros pro his, quæ temporaliter male fecerunt, non ambigunt.

*21.16 *In coetu gigantium.* Dæmonum, etc., usque ad ipso iudice teste, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* Matth. 25..

non ditabitur. ¹⁸ Pro justo datur impius, et pro rectis iniquus. [†] ¹⁹ Melius est habitare in terra deserta quam cum muliere rixosa et iracunda. ²⁰ Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi: et imprudens homo dissipabit illud. [‡] ²¹ Qui sequitur justitiam et misericordiam inveniet vitam, justitiam, et gloriam. ²² Civitatem fortium ascendit sapiens, et destruxit robur fiduciae ejus. [¶] ²³ Qui custodit os suum et linguam suam custodit ab angustiis animam suam. ²⁴ Superbus et arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam. ²⁵ Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari. ²⁶ Tota die concupiscit et desiderat; qui autem justus est, tribuet, et non cessabit. ²⁷ Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere. ²⁸ Testis mendax peribit; vir obediens loquetur victoriam. [§] ²⁹ Vir impius procaciter obfirmat vultum suum; qui autem rectus est corrigit viam suam. ^{**} ³⁰ Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. ³¹ Equus paratur ad diem belli; Dominus autem salutem tribuit.]

22 [Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ; super argentum et aurum gratia bona. ^{††} ² Dives et pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus. ^{‡‡} ³ Callidus vidit malum, et abscondit se; innocens pertransiit, et afflictus est damno. ^{¶¶} ⁴ Finis modestiæ timor Domini, divitiæ, et gloria, et vita. ^{§§} ⁵ Arma et gladii in via perversi; custos autem animæ suæ longe recedit ab eis. ⁶ Proverbium est: adolescens juxta viam suam; etiam cum senuerit, non recedet ab ea. ^{*} ⁷ Dives pauperibus imperat, et qui accipit mutuum servus est fœnerantis. ⁸ Qui seminat in-

[†]21.18 *Pro justo datur.* Justus et rectus idem, etc., usque ad cum multo facilius possent, sapientiæ curam non habuerunt.

[‡]21.20 *Thesaurus desiderabilis.* Reprobi non tantum virtutes non assequi, etc., usque ad unde, *Nolite timere eos qui occidunt corpus,* etc. Matth. 10.

[¶]21.22 *Civitatem fortium.* Mundum scilicet, etc., usque ad ecclesiastica disciplina redarguit.

[§]21.28 *Testis mendax.* Qui se Deo servire testatur, etc., usque ad per justitiam judicis post victoriam palmam percipit.

^{**}21.29 *Vir impius.* Judas, etc., usque ad quod negando deliquit.

^{††}22.1 *Melius est.* Nam si quis mundum universum lucraretur, merito totum contemneret, ut ejus nomen scriberetur in cœlis, ejusque memoria inter sanctos atque angelos figeretur æterna. *Nomen bonum.* Quod fidelium testimonio laudatur, non vulgi imperiti, unde: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem! Gratia bona.* Quia a bono pro bonis laudatur operibus quis: imo pro collatis ei donis meritorum glorificatur Pater qui in cœlis est.

^{‡‡}22.2 *Dives et pauper.* Neque divitem propter divitias honora, neque pro inopia pauperem despice: quia opus sunt divinum, et ad imaginem, et ad opus Dei factum.

^{¶¶}22.3 *Callidus vidit malum.* Multi ex principibus crediderunt, etc., usque ad et in communibus consequuntur actibus.

^{§§}22.4 *Finis modestiæ.* Quia nimirum perfectio virtutum est, etc., usque ad ne pœnis forte mereatur subigi. *Divitiæ et gloria.* Finis modestiæ timor Domini, gloria et vita, quia perfectio virtutum est in hac vita, ut caste timeamus Deum; finis virtutum in futuro, ut divitias promissæ hæreditatis, regni cœlestis gloriam, et vitam recipiamus æternam.

^{*}22.6 *Proverbium est.* Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu. Et Græca narrat historia Alexandrum magnum et moribus et incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere, et vitiis quibus parvus infectus fuerat.

iquitatem metet mala, et virga iræ suæ consummabitur.^{† 9} Qui pronus est ad misericordiam benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. Victoriam et honorem acquirat qui dat munera; animam autem aufert accipientium.¹⁰ Ejice derisorem, et exhibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ.¹¹ Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam laborum suorum habebit amicum regem.¹² Oculi Domini custodiunt scientiam, et supplantantur verba iniqui.¹³ Dicit piger: Leo est foris; in medio platearum occidendus sum.^{‡ 14} Fovea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidit in eam.¹⁵ Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam.¹⁶ Qui calumniatur pauperem ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit.^{¶ 17} [Inclina aurem tuam, et audi verba sapientium: appone autem cor ad doctrinam meam,¹⁸ quæ pulchra erit tibi cum servaveris eam in ventre tuo, et redundabit in labiis tuis:¹⁹ ut sit in Domino fiducia tua, unde et ostendi eam tibi hodie.²⁰ Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus et scientia:²¹ ut ostenderem tibi firmitatem et eloquia veritatis, respondere ex his illis qui miserunt te.²² Non facias violentiam pauperi quia pauper est, neque conteras egenum in porta:²³ quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos qui confixerunt animam ejus.²⁴ Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso:^{§ 25} ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ.²⁶ Noli esse cum his qui defigunt manus suas, et qui vades se offerunt pro debitis:^{** 27} si enim non habes unde restituas, quid causæ est ut tollat operimentum de cubili tuo? ²⁸ Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.^{†† 29} Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.]^{‡‡}

23 [Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ appositæ sunt ante faciem tuam.^{¶¶ 2} Et statue cultrum in gutture tuo: si tamen habes in potestate animam tuam.³ Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii.^{§§}

[†]22.8 *Qui seminat iniquitatem.* Patet, quia is qui vel verbo vel exemplo docet iniquitatem, sustinebit vindictam. Sed quia sequitur: *Et virga iræ suæ.* Illam iniquitatem videtur dicere, etc., usque ad unde: *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt* Matth. 26..

[‡]22.13 *Dicit piger,* ad bona opera, etc., usque ad aut, sicut alios justos, consumat tormentis.

[¶]22.16 *Qui calumniatur.* Constat, quia rapaces, et quæ pauperibus auferunt, et quæ juste videbantur possidere, perdunt, cum in iudicio pro his, quæ gesserunt, poenas recipiunt. *Fili mi.* Hucusque titulus parabolæ Salomonis qui supra positus, etc., usque ad et cor apponere ad intelligendum quæ sapientes loquantur, præcipiat.

[§]22.24 *Noli esse amicus.* Generaliter autem, etc., usque ad incipiant imitari. *Homini iracundo, neque ambules cum viro.* Cuilibet, præcipue Judæo, qui contra Christum et ejus discipulos vesana mente furebant, a quorum amicitia prohibentur, qui salvari curant: ne eorum vicinia, et ipsi pereant, quod casu Judæ fieri posse probatum est.

^{**}22.26 *Noli esse cum his, qui defigunt manus.* Noli esse cum his, etc., usque ad quo indutus videbaris?

^{††}22.28 *Ne transgrediaris.* Non transgrediaris terminos Catholicæ fidei, quos ab initio statuere doctores.

^{‡‡}22.29 *Vidisti virum velocem in opere suo? coram.* Quemcunque velocem videris in opere suo, etc., usque ad quorum cavit errorem esse ponendum.

^{¶¶}23.1 *Quando sederis.* Allegorice legendum est, etc., usque ad unde bene subjungit:

^{§§}23.3 *Ne desideres,* hoc est, ne desideres ejus auscultare sermonibus, qui dulcedine mendacii auditores fallit.

⁴Noli laborare ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum.* ⁵Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cælum. ⁶Ne comedas cum homine invido, et ne desideres cibos ejus:† ⁷quoniam in similitudinem arioli et conjectoris æstimat quod ignorat. Comede et bibe, dicit tibi; et mens ejus non est tecum. ⁸Cibos quos comederas evomes, et perdes pulchros sermones tuos.‡ ⁹In auribus insipientium ne loquaris, qui despicient doctrinam eloquii tui.¶ ¹⁰Ne attingas parvulorum terminos, et agrum pupillorum ne introeas:§ ¹¹propinquus enim illorum fortis est, et ipse judicabit contra te causam illorum.] ¹²[Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, et aures tuæ ad verba scientiæ. ¹³Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. ¹⁴Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis. ¹⁵Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum: ¹⁶et exsultabunt renes mei, cum locuta fuerint rectum labia tua. ¹⁷Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Domini esto tota die:** ¹⁸quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur. ¹⁹Audi, fili mi, et esto sapiens, et dirige in via animum tuum. ²⁰Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessionibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt:†† ²¹quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur, et vestietur pannis dormitatio. ²²Audi patrem tuum, qui genuit te, et ne contemnas cum senuerit mater tua. ²³Veritatem eme, et noli vendere sapientiam, et doctrinam, et intelligentiam. ²⁴Exsultat gaudio pater just; qui sapientem genuit, lætabitur in eo. ²⁵Gaudeat pater tuus et mater tua, et exsulet quæ genuit te. ²⁶Præbe, fili mi, cor tuum mihi, et oculi tui vias meas custodiant. ²⁷Fovea enim profunda est meretrix, et puteus angustus aliena. ²⁸Insidiatur in via quasi latro, et quos incautos viderit, interficiet.] ²⁹[Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera?

*23.4 *Pone modum.* De quo supra: *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres*, scilicet terminos fidei, et veritatis datæ a patribus.

†23.6 *Ne comedas*, id est, ne de Scripturis cum hæretico loquaris, qui invidet humanæ salutis, malens decipere quam corrigi; quoniam sicut hariolus et conjectator somniorum, æstimat, quæ ignorat; ita hæreticus, quæ non intelligit in Scripturis, ut libet interpretatur? *Comede*, etc. Securus, inquit, disce, quæ dico, et age quæ doceo; cum in his, quæ docet, ipse fidem certam non habeat, sciens se finxisse, quæ docet.

‡23.8 *Cibos quos comederas.* Sensus perversos, quos ab hæreticis didiceras necesse est, ut vel per pœnitentiam corrigendus deseras, vel pro his post mortem pœnas sustineas, perdasque sermones confessionis, quibus eis prædicantibus humiliter favendum esse putaveras.

¶23.9 *In auribus. Nolite sanctum dare canibus, neque mittas margaritas ante porcos.* Sicut admonuit, ne hæreticorum doctrinis auscultares; ita nunc, ne amore vanæ gloriæ seductus immundis hominibus passim arcana veritatis ingeras.

§23.10 *Ne attingas*, etc. Propinquum parvulorum et pupillorum Dominum appellat, etc., usque ad qui conversationem eorum bonam inquietando læserit, iudicium Domini non evadit.

**23.17 *Non æmuletur cor tuum peccatores.* Si tota die, etc., usque ad unde in Apocalypsi: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ* Apoc. 2..

††23.20 *Noli esse in conviviis peccatorum.* Carnes ad vescendum conferre, est in collocatione derogationis vicissim vitia proximorum dicere: de quorum pœna mox subditur: *Quia vacant potibus*, etc. *Dantes symbola consumentur.* Symbolum, collatio, etc., usque ad detractionis suæ languor occupavit.

cui suffusio oculorum?^{‡‡} ³⁰ nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?[¶] ³¹ Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande, ³² sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. ³³ Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa.^{§§} ³⁴ Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo.* ³⁵ Et dices: Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, et ego non sensi. Quando evigilabo, et rursus vina reperiam?[†]

24 [Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis:[‡] ² quia rapinas meditatatur mens eorum, et fraudes labia eorum loquuntur. ³ Sapientia ædificabitur domus, et prudentia roborabitur. ⁴ In doctrina replebuntur cellaria, universa substantia pretiosa et pulcherrima.¶ ⁵ Vir sapiens fortis est, et vir doctus robustus et validus: ⁶ quia cum dispositione initur bellum, et erit salus ubi multa consilia sunt. ⁷ Excelsa stulto sapientia; in porta non aperiet os suum.§ ⁸ Qui cogitat mala facere stultus vocabitur:** ⁹ cogitatio stulti peccatum est, et abominatio hominum detractor. ¹⁰ Si desperaveris lassus in die angustiae, imminuetur fortitudo tua.]†† ¹¹ [Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.‡‡ ¹² Si dixeris: Vires non suppetunt; qui inspector est cordis ipse intelligit: et servatorem animae tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua. ¹³ Comede, fili mi,

^{‡‡}23.29 *Cui vae, cujus.* Quærit disputando, etc., usque ad de quo Judæis: *Vos ex patre diabolo estis* Joan. 8.. *Cui rixæ? cui foveæ? Rixæ,* quia concordiam non servat, etc., usque ad et sæpissime in foveam incidit, de qua: *Fovea enim profunda est meretrix,* etc. *Cui sine causa vulnera?* quia multi nimis potati vulnera per tumorem acceperunt, quæ nulla ferri causa pertulerunt. *Cui suffusio oculorum?* quia immoderatus haustus vini, et exterioris et interioris visus ingerit cæcitatem.

[¶]23.30 *Nonne his.* Non vetat bibere vinum ad necessitatem, sed morari extra tempus et utilitatem in vino, et evacuandis certare calicibus, unde Isaias: *Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem* Isa. 5..

^{§§}23.33 *Oculi tui videbunt.* Pene naturale vitium est, post vina in corde mulierem concupiscere, comitante etiam turpitudine verborum.

^{*}23.34 *Et eris sicut dormiens.* In medio mari dormiunt, etc., usque ad studium sollicitudinis perdit.

[†]23.35 *Verberaverunt me.* Vox percussi est et dormientis, etc., usque ad ut semper voluptatibus debrietur.

[‡]24.1 *Ne æmuleris.* Ne desideres imitari quos prædictis vitiis videris implicari; sed sapientiæ operam dare curato, unde subdit: *Sapientia ædificabitur domus.*

[¶]24.4 *Vir sapiens.* Non omnis fortis sapiens, sed e converso: quia etsi corpore debilis est, si adsit sapientia, omnino fortis, adversarii, id est diaboli, certamina vincit.

[§]24.7 *Excelsa stulto.* Non potest stultus ad sapientiam ascendere, quia in infimis vitiorum jacet; quia etsi in præsentem se aliquid sapere putat, in porta, id est in exitu hujus vitæ, nihil fuisse inveniet.

^{**}24.8 *Qui cogitat.* Aperit, quem stultum dicat: non ingenio tardum, sed eum qui vel cogitando peccat.

^{††}24.10 *Si desperaveris.* Nihil execrabilius desperatione: quam qui habuerit, et in generalibus hujus vitæ laboribus, et quod pejus est, in fidei certamine, constantiam perdit.

^{‡‡}24.11 *Erue eos.* Erue eos qui ab hæreticis decipiuntur, etc., usque ad si algore perituros, victu, veste recrea.

mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo.^{¶¶} 14 Sic et doctrina sapientiae animae tuae: quam cum inveneris, habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit. 15 Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justī, neque vastes requiem ejus.^{§§} 16 Septies enim cadet justus, et resurget: impii autem corrudent in malum.* 17 Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, et in ruina ejus ne exsultet cor tuum:† 18 ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam. 19 Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios: 20 quoniam non habent futurorum spem mali, et lucerna impiorum extinguitur. 21 Time Dominum, fili mi, et regem, et cum detractoribus non commiscearis:‡ 22 quoniam repente consurget perditio eorum, et ruinam utriusque quis novit? 23 Hæc quoque sapientibus. [Cognoscere personam in iudicio non est bonum.¶] 24 Qui dicunt impio: Justus es: maledicent eis populi, et detestabuntur eos tribus. 25 Qui arguunt eum laudabuntur, et super ipsos veniet benedictio. 26 Labia deosculabitur qui recta verba respondet.§ 27 Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam.** 28 Ne sis testis frustra contra proximum tuum, nec lactes quemquam labiis tuis. 29 Ne dicas: Quomodo fecit mihi, sic faciam ei; reddam unicuique secundum opus suum.] 30 [Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti:†† 31 et ecce totum repleverant urticae, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat. 32 Quod cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam. 33 Parum, inquam, dormies, modicum dormitabis; pauxillum manus conseres ut quiescas: 34 et veniet tibi quasi cursor egestas, et mendicitas quasi vir armatus.]

25 Hæc quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiae regis Juda.‡‡ 2 [Gloria Dei est celare verbum, et gloria regum investigare ser-

¶¶24.13 *Comede, fili mi.* Mellis et favo comparat doctrinam sapientiae, etc., usque ad et mora percipitur.

§§24.15 *Ne insidieris.* Ne quæras occasionem, etc., usque ad unde subjungit:

*24.16 *Septies enim cadet.* Justus dicitur, et cadere, etc., usque ad sic peccato assentiunt ut non poeniteant.

†24.17 *Cum ceciderit inimicus tuus.* Supra justo insidias vetuit, etc., usque ad ne te cadente in peccato, ille respiscens sanetur.

‡24.21 *Time Dominum, fili mi.* Potest per Dominum et regem, Pater et Filius intelligi, qui eodem divinitatis honore colendi sunt: *Qui enim non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum,* etc. Joan. 3.. *Cum detractoribus.* Cum illis scilicet, etc., usque ad et auscultantium illis auditorum.

¶24.23 *Hæc quoque sapientibus.* Quando reprobis quis repentino interitu rapitur a sæculo, etc., usque ad vel timore nunquam a via veritatis recedatur.

§24.26 *Labia deosculabitur.* Osculum pacis et amoris signum est, etc., usque ad in melius conversos.

**24.27 *Præpara.* Præparato opere agrum diligenter exercere, etc., usque ad intus tota virtutum fabrica fame boni crescente destruat.

††24.30 *Per agrum hominis pigri transivi,* etc. Per agrum vineamque pigri ac stulti transire, etc., usque ad vel diaboli persuasionem quisque negligens perdit.

‡‡25.1 *Hæc quoque parabolæ.* Hinc novo ordine loqui incipit, etc., usque ad scilicet quæ figuris aptæ videntur.

monem. ¶³ Cælum sursum, et terra deorsum, et cor regum inscrutabile. §§⁴ Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum. ⁵ Aufer impietatem de vultu regis, et firmabitur justitia thronus ejus. *⁶ Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris. †⁷ Melius est enim ut dicatur tibi: Ascende huc, quam ut humilieris coram principe.] ⁸ [Quæ viderunt oculi tui ne proferas in jurgio cito, ne postea emendare non possis, cum deonestaveris amicum tuum. ⁹ Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles: ¹⁰ ne forte insultet tibi cum audierit, et exprobrare non cesset. Gratia et amicitia liberant: quas tibi serva, ne exprobrabilis fias. ¹¹ Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. ‡¹² Inauris aurea, et margaritum fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem. ¶¹³ Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit eum: animam ipsius requiescere facit. §¹⁴ Nubes, et ventus, et pluviae non sequentes, vir gloriosus et promissa non complens. **¹⁵ Patientia lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam.] ¹⁶ [Mel invenisti: comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud. ††¹⁷ Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te. ¹⁸ Jaculum, et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. ¹⁹ Dens putridus, et pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiae, ‡‡²⁰ et amittit pallium in die frigoris. Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo. Sicut tineam vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. ¶¶²¹ Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere:

¶¶25.2 *Gloria Dei.* Gloria Domini, etc., usque ad unde se magis filium hominis quam Filium Dei appellat. *Investigare.* Sermonem, etc., usque ad nam illico audivit: *Beatus es Simon Barjona, quia caro,* etc.

§§25.3 *Cælum sursum et terra deorsum.* Sicut altitudo cœli et profunditas terræ ab hominibus sciri non potest, ita scientia apostolorum et prophetarum, qui arcana Divinitatis spiritu revelante cognoverunt, nostram fragilitatem transcendit.

*25.5 *Aufer impietatem.* Aufer impietatem, etc., usque ad ne per arrogantiam rigidi, plebis odium incurrant.

†25.6 *Ne gloriosus appareas.* Sicut superius prælatum, etc., usque ad unde: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut exaltet vos in tempore visitationis* I Petr. 3..

‡25.11 *Mala aurea.* Sacra eloquia, etc., usque ad remoto litteræ velamine pandit.

¶25.12 *Inauris aurea margaritarum fulgens.* Recte humilis auditor, etc., usque ad gratioremque fulgorem gemmæ ardentis annectit.

§25.13 *Sicut frigus.* Importunum videtur tempore messis ningere, etc., usque ad prudenter agendo repausat.

**25.14 *Vir gloriosus.* Idem videtur, *Nec lactes quemquam labiis tuis.* Sed illud est idem quod dicit Apostolus: *Habentes speciem pietatis, veritatem autem ejus abnegantes* II Tim. 3..

††25.16 *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi.* Potest et sic intelligi, etc., usque ad vel toties ad illum venias ut fastidiat.

‡‡25.19 *Deus putridus et pes.* Jeremias, etc., usque ad in die judicii nudus patebit.

¶¶25.20 *Acetum in nitro qui cantat.* Nitrum a Nitria provincia, etc., usque ad sed aquam lavationi habilem reddit.

22 prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi. §§ 23 Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. 24 Melius est sedere in angulo domatis quam cum muliere litigiosa et in domo communi.* 25 Aqua frigida animæ sitiēti, et nuntius bonus de terra longinqua. † 26 Fons turbatus pede et vena corrupta, justus cadens coram impio. ‡ 27 Sicut qui mel multum comedit non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria. ¶ 28 Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.] §

26 [Quomodo nix in æstate, et pluviae in messe, sic indecens est stulto gloria.** 2 Sicut avis ad alia transvolans, et passer quolibet vadens, sic maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet. †† 3 Flagellum equo, et camus asino, et virga in dorso imprudentium. 4 Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. ‡ 5 Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. 6 Claudus pedibus, et iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum. ¶¶ 7 Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola. 8 Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem. 9 Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum. §§ 10 Judicium determinat causas, et qui imponit stulto silentium

§§25.22 *Prunas enim congregabis*, id est, ardorem charitatis. Non enim doceret sapientia, ut bona inimico, mali causa, faceres. Fit enim sæpe ut inimicus crebris victus beneficiis, odii ponat rigorem, et calorem charitatis menti apponat. *Ventus aquilo*. Si hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi. Si vero tristi, ut ait quidam, discit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audire.

*25.24 *Melius est sedere in angulo domatis, quam*. Doma est excelsus et secretus locus. In Actibus enim apostolorum Act. 10., ubi Petrus ad superiora ascendit ad orandum, pro superioribus in Græco doma scriptum est.

†25.25 *Aqua frigida*. Aqua ergo frigida, etc., usque ad vel finito certamine ad palmam retributionis inducut.

‡25.26 *Fons turbatus*. Evenit sæpe, ut qui majori præditi scientia fulgebant, ad ultimum plus volentes sapere quam fragilitati humanæ concessum est, in insipientiæ foveam decidunt, unde adjungit:

¶25.27 *Sicut qui mel*. Dulcedo enim mellis, etc., usque ad unde sequitur:

§25.28 *Sicut urbs patens*, etc. Si enim murum silentii non habet, etc., usque ad contra semetipsam per multiloquium pugnat.

**26.1 *Quomodo nix in æstate*. Nix in æstate et pluviae in messe, etc., usque ad quod Arianæ tempestatis calamitas probavit.

††26.2 *Nam sicut avis*. Verba comparat avibus, etc., usque ad de quibus: *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis* Matth. 16..

‡‡26.4 *Non respondeas... Responde stulto juxta stultitiam*. Non sunt contraria; utrumque enim pro tempore et personarum diversitate concordat; dum et stultus contemnit, quia non recipit sapientiam: et stulta superbia a sua dejecitur stultitia, unde: *Factus sum insipiens, vos me cœgistis* II Cor. 12..

¶¶26.6 *Claudus pedibus*. Potest sapiens stultum mittere nesciens, nec tamen sapientiæ suæ gloriam perdit: quia de ignoto, bonum quod audierat, credit. Sed et qui hæreticum sciens mittit ad prædicandum, claudus est pedibus: *Et iniquitatem bibens*; quia et operis boni foris incessum amisit, et interiora sui sensus haustu stultitiæ debriat.

§§26.9 *Quomodo si spina nascatur*. Spina nascitur in manu temulenti, etc., usque ad aut vituperationem quærit aliorum.

iras mitigat. ¹¹ Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam. ^{*} ¹² Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens.] [†] ¹³ [Dicit piger: Leo est in via, et læna in itineribus.] [‡] ¹⁴ Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. ¹⁵ Abscondit piger manum sub ascella sua, et laborat si ad os suum converterit. ¹⁶ Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.] [¶] ¹⁷ [Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens et commiscetur rixæ alterius.] [§] ¹⁸ Sicut noxius est qui mittit sagittas et lanceas in mortem, ¹⁹ ita vir fraudulenter nocet amico suo, et cum fuerit deprehensus dicit: Ludens feci. ²⁰ Cum defecerint ligna extinguetur ignis, et susurrone subtracto, jurgia conquiescent. ²¹ Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitatur rixas. ²² Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris. ²³ Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata. ²⁴ Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tracterit dolos. ²⁵ Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiae sunt in corde illius. ²⁶ Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in consilio. ²⁷ Qui fodit foveam incidet in eam, et qui volvit lapidem revertetur ad eum. ²⁸ Lingua fallax non amat veritatem, et os lubricum operatur ruinas.]

27 [Ne gloriaris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies.] ^{**} ² Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua. ³ Grave est saxum, et onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior. ^{††} ⁴ Ira non habet misericordiam nec erumpens furor, et impetum concitati ferre quis poterit? ⁵ Melior est manifesta correptio quam amor absconditus. ^{‡‡} ⁶ Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta oscula odientis. ⁷ Anima saturata calcabit favum, et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. ^{¶¶} ⁸ Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum

^{*}26.11 *Sicut canis*. Canis vomens cibum quo pectus ejus premebatur, abjicit, etc., usque ad quam post confessionem, dum appetunt, resumunt.

[†]26.12 *Vidisti hominem*. In iudicium ergo in hunc mundum veni Joan. 9., ut qui non vident videant, et qui vident, cæci fiant Eccl. 10..

[‡]26.13 *Dicit piger*. Multi cum verba exhortationis audiunt, etc., usque ad in suis jacere pravitatibus non desistunt.

[¶]26.16 *Sapientior*, etc. Septem viri loquentes sententias, etc., usque ad et multos perfecisse monstraverunt.

[§]26.17 *Sicut qui apprehendit*. Noli verbis contendere, ad nihilum utile est nisi ad subversionem audientium. Quicumque simplex sensu est et duobus inter se iurgantibus, mordaci sermone capta ejus aure, cito incipit quasi canis latrare et contentiones generare, sed sapiens omnino vitat.

^{**}27.1 *Ne gloriaris*. Ne securus sis aliquando de futuro; quia etsi hodie servis Domino qualis esse in futurum possis, quomodo viam finire, prorsus videre non vales. *Beatus homo qui semper est pavidus*.

^{††}27.3 *Grave est saxum*. Grave est, etc., usque ad ita mentis quoque motus examinant et castigant. *Ira stulti utroque gravior*, etc. De quo supra, etc., usque ad et furori frena laxat.

^{‡‡}27.5 *Melior est manifesta correctio*. Amor absconditus, illicitus, etc., usque ad quam studio similiter peccandi clam diligere.

^{¶¶}27.7 *Anima saturata calcabit favum*, etc. Anima divitum, etc., usque ad mortem ipsam pro Domino pati dulce habet.

suum.^{§§} ⁹ Unguento et variis odoribus delectatur cor, et bonis amici consiliis anima dulcoratur.] ¹⁰ [Amicum tuum et amicum patris tui ne dimiseris, et domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. Melior est vicinus juxta quam frater procul.* ¹¹ Stude sapientiæ, fili mi, et lætifica cor meum, ut possis exprobranti respondere sermonem. ¹² Astutus videns malum, absconditus est: parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia. ¹³ Tolle vestimentum ejus qui spondit pro extraneo, et pro alienis aufer ei pignus. ¹⁴ Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit.† ¹⁵ Tecta perstillantia in die frigoris et litigiosa mulier comparantur. ¹⁶ Qui retinet eam quasi qui ventum teneat, et oleum dexteræ suæ vocabit. ¹⁷ Ferrum ferro exacuitur, et homo exacuit faciem amici sui.‡ ¹⁸ Qui servat ficum comedit fructus ejus, et qui custos est domini sui glorificabitur. ¹⁹ Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. ²⁰ Infernus et perditio numquam implentur: similiter et oculi hominum insatiabiles.¶ ²¹ Quomodo probatur in conflatorio argentum et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis. Cor iniqui inquit mala, cor autem rectum inquit scientiam. ²² Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.] ²³ [Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera:§ ²⁴ non enim habebis jugiter potestatem, sed corona tribuetur in generationem et generationem. ²⁵ Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ virentes, et collecta sunt fœna de montibus.** ²⁶ Agni ad vestimentum tuum, et hædi ad agri pretium.†† ²⁷ Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, et in necessaria domus tuæ, et ad victum ancillis tuis.]‡‡

§§27.8 *Sicut avis transmigrans.* Sicut avis ova, etc., usque ad ne a bono, quod faciebas, desistas.

*27.10 *Melior est vicinus.* Melior est tibi, etc., usque ad, in Jericho, et incidit, etc

†27.14 *Qui benedicit proximo,* id est, qui favore superflua laudis eum extollit, vel malis favendo, vel bona plus æquo laudando. Sed hic maledicenti assimilatur; quia vel in malo opere laudando confidentiam tribuit, vel in bono opere simplicitatem puri cordis minuit, ut quod superni amoris causa incoeperat, humano favore finiat.

‡27.17 *Ferrum ferro.* Bona consolatio consilium sapientum: qui dum se invicem consolando instruunt, ferrum ferro acuitur.

¶27.20 *Infernus.* Inferni tormenta non replentur, etc., usque ad si naturam haberent sine fine vivendi.

§27.23 *Diligenter.* Pastori Ecclesiæ dicitur, etc., usque ad si tuo tempore bene paveris.

**27.25 *Aperta sunt prata.* Aperta sunt modo pascua sacramentorum coelestium, etc., usque ad ad spirituale subsidium data.

††27.26 *Agni sunt ad vestimentum.* Agnorum velleribus vestieris, dum bonis discipulorum obedientium moribus pastor ipse profeceris, eorumque laudabilia facta cernens, et in ornatu virtutum, et in calore dilectionis ipse gloriosus exstiteris. Hædis agrum comparas, dum peccatores ad pœnitentiam vocando, sublimiorem tibi in terra viventium locum acquiris.

‡‡27.27 *Sufficiat tibi lac caprarum.* Tanta instantia pecus commissum pasce, etc., usque ad hædi pro pretio sanctorum, quibus nocuerant, ignibus tradentur.

28 [Fugit impius nemine persequente; justus autem, quasi leo confidens, absque terrore erit.^f ² Propter peccata terræ multi principes ejus; et propter hominis sapientiam, et horum scientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit. ³ Vir pauper calumnians pauperes similis est imbri vehementi in quo paratur fames.] ⁴ [Qui derelinquunt legem laudant impium; qui custodiunt, succenduntur contra eum. ⁵ Viri mali non cogitant iudicium; qui autem inquirunt Dominum animadvertunt omnia.^{§§} ⁶ Melior est pauper ambulans in simplicitate sua quam dives in pravis itineribus. ⁷ Qui custodit legem filius sapiens est; qui autem comessatores pascit confundit patrem suum. ⁸ Qui coarcevat divitias usuris et fœnore, liberali in pauperes congregat eas. ⁹ Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. ¹⁰ Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet, et simplices possidebunt bona ejus.* ¹¹ Sapiens sibi videtur vir dives; pauper autem prudens scrutabitur eum. ¹² In exultatione justorum multa gloria est; regnantibus impiis, ruinæ hominum.† ¹³ Qui abscondit scelera sua non dirigitur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. ¹⁴ Beatus homo qui semper est pavidus; qui vero mentis est duræ corruet in malum.‡ ¹⁵ Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem. ¹⁶ Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam; qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus. ¹⁷ Hominem qui calumniatur animæ sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet. ¹⁸ Qui ambulat simpliciter salvus erit; qui perversis graditur viis concidet semel. ¹⁹ Qui operatur terram suam satiabitur panibus; qui autem sectatur otium replebitur egestate.] ²⁰ [Vir fidelis multum laudabitur; qui autem festinat ditari non erit innocens. ²¹ Qui cognoscit in iudicio faciem non bene facit; iste et pro buccella panis deserit veritatem. ²² Vir qui festinat ditari, et aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei.^f ²³ Qui corripit hominem gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit. ²⁴ Qui subtrahit aliquid a patre suo et a matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. ²⁵ Qui se jactat et dilatat, jurgia concitat; qui vero sperat in Domino sanabitur. ²⁶ Qui confidit in corde suo stultus est; qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur. ²⁷ Qui dat pauperi non indigebit; qui despicit

^f28.1 *Fugit impius.* Qui non est fortis, etiam si nullus persequatur, sponte fidem deserit: dum latrociniis, vel perjuriis, aliisque hujusmodi infideli se similem reddit. *Justus autem quasi leo.* In occurso bestiarum non trepidat, etc., usque ad quem nemo invitum amittit.

§§28.5 *Qui autem requirunt.* Omnia animadvertunt electi, id est et futurum discrimen universalis iudicii; et quibus operibus requies; et quibus pœna retribuatur æterna.

*28.10 *Qui decipit justos in via mea,* etc. Qui per doctrinam hæreticam decipit amatores justitiæ, etc., usque ad exemplum etiam de casu ejus sumunt.

†28.12 *In exultatione,* etc. Non de præsentibus, etc., usque ad quod et de paganis, et hæreticis, et malis Catholicis potest accipi.

‡28.14 *Beatus homo,* etc. Ira iudicii tanto districtior portabitur, quanto nunc minus timetur.

^f28.22 *Vir qui festinat ditari,* etc. Qui augere opes ambit, peccatum negligit, more avium captus, cum escam terrenam avidus inspicit, quo stranguletur peccati laqueo, non agnoscit: cum quælibet mundi bona desiderat, quæ de futuro damna patiaturnon ignorat.

deprecantem sustinebit penuriam. ²⁸ Cum surrexerint impii, abscondentur homines; cum illi perierint, multiplicabuntur justi.][§]

29 [Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, et eum sanitas non sequetur. ^{** 2} In multiplicatione justorum lætabitur vulgus; cum impii sumpserint principatum, gemet populus. ³ Vir qui amat sapientiam lætificat patrem suum; qui autem nutrit scorta perdet substantiam. ⁴ Rex justus erigit terram; vir avarus destruet eam. ⁵ Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo rete expandit gressibus ejus. ⁶ Peccantem virum iniquum involvet laqueus, et justus laudabit atque gaudebit.†† ⁷ Novit justus causam pauperum; impius ignorat scientiam. ⁸ Homines pestilentes dissipant civitatem; sapientes vero avertunt furorem. ⁹ Vir sapiens si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem.‡‡ ¹⁰ Viri sanguinum oderunt simplicem; justi autem quærunt animam ejus. ¹¹ Totum spiritum suum profert stultus; sapiens differt, et reservat in posterum.¶¶ ¹² Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. ¹³ Pauper et creditor obviaverunt sibi: utriusque illuminator est Dominus. §§ ¹⁴ Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.]^{§§} ¹⁵ [Virga atque correptio tribuit sapientiam; puer autem qui dimittitur voluntati suæ confundit matrem suam. ¹⁶ In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera, et justus ruinas eorum videbunt. ¹⁷ Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animæ tuæ. ¹⁸ Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus; qui vero custodit legem beatus est. * ¹⁹ Servus verbis non potest erudiri, quia quod dicis intelligit, et respondere contemnit. ²⁰ Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est quam illius correptio.† ²¹ Qui delicate a pueritia nutrit servum suum postea sentiet eum contumacem.]‡ ²² [Vir iracundus provocat rixas, et qui ad indig-

§28.28 *Cum surrexerint impii.* Eisdem homines, quos justos dicit, quia justus, creationis ordinem servant: Unde in Job de pœnitente: *Respiciet homines, et dicet, Peccavi Job. 33.* Quod est, Respiciet eos, qui naturam humanæ creationis custodiunt, et se peccando jumentis assimilatos agnoscunt.

**29.1 *Homo qui blandis,* etc. Qui fictis sermonibus proximum laudat, parat ei insidias, quibus in periculum verbi aut operis securior incidat. Sed videamus qui capiatur, cui fit, aut qui facit. Sequitur:

††29.6 *Peccantem virum.* Non ergo justo laqueus peccantium, etc., usque ad nam qui fodit foveam proximo suo, incidit in eam.

‡‡29.9 *Vir sapiens.* Doctor fidelis et sapiens, etc., usque ad non auditur a stulto.

¶¶29.11 *Totum spiritum suum.* Impatientia impellente totus spiritus foras prorumpit, etc., usque ad sapiens autem paulatim eam maturitate consilii extenuat et expellit.

§§29.13 *Pauper et creditor obviaverunt.* Pauper, etc., usque ad unde, *sine me nihil potestis facere.*

*29.18 *Cum prophetia.* Cum sacerdotis eruditio cessaverit, solvetur continuo disciplina divinæ legis: qua populus ad beatitudinis præmia pertingere debuerat.

†29.20 *Vidisti hominem.* Grave quidem vitium stultitiæ, sed non levius verbositatis: nam sæpe contingit, ut idiota aliquis citius verba correptionis accipiat, quam qui sua quæ novit, vel nosse putat magis jactat, quam aliorum monita audiat.

‡29.21 *Qui delicate a pueritia sua.* Alia translatio pulchre: *Qui deliciatur a pueritia sua, servus erit: novissime autem contristabitur.* Sero enim malorum pœnitet, qui in tenera ætate noluit.

nandum facilis est erit ad peccandum proclivior.[¶] ²³ Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria. ²⁴ Qui cum fure participat odit animam suam; adjuvantem audit, et non indicat.[§] ²⁵ Qui timet hominem cito corruet; qui sperat in Domino sublevabitur. ²⁶ Multi requirunt faciem principis, et iudicium a Domino egreditur singulorum. ²⁷ Abominantur justi virum impium, et abominantur impii eos qui in recta sunt via. Verbum custodiens filius extra perditionem erit.]

30 Verba Congregantis, filii Vomentis. Visio quam locutus est vir cum quo est Deus, et qui Deo secum morante confortatus, ait:^{**} ² [Stultissimus sum viro- rum, et sapientia hominum non est mecum.^{††} ³ Non didici sapientiam, et non novi scientiam sanctorum. ⁴ Quis ascendit in cælum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti?^{‡‡} ⁵ Omnis sermo Dei ignitus: clypeus est sperantibus in se.^{¶¶} ⁶ Ne addas quidquam verbis illius, et arguaris, inveniarisque mendax. ⁷ Duo rogavi te: ne deneges mihi antequam moriar:^{§§} ⁸ vanitatem et verba mendacia longe fac a me; mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria, ⁹ ne forte satiatus illiciar ad

[¶]29.22 *Vir iracundus.* Janua omnium vitiorum iracundia: qua clausa, virtutibus intrinsecus dabitur quies, aperta, ad omne facinus armabitur animus.

[§]29.24 *Qui cum fure participat, odit animam suam.* Non solum a peccato, sed etiam a consensu abstinere docet sapientia: ne audiat a districto iudice: *Si videbas furem, currebas cum eo,* etc. Non enim fur solum, sed et ille reus tenetur, qui furti conscius, quaerente possessore non indicat. Et ne metu personæ potentioris se excuset, addit: *Qui timet Dominum,* etc.

^{**}30.1 *Verba congregantis.* Huc usque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiae regis Juda. Hinc rursus verba Salomonis, quod perpenditur ab ipso nomine quo Græce, latine congregans; Ecclesia enim convocatio. *Visio quam.* Visio quam locutus est, quia quod vidit apud Deum secretiora contemplando patefecit hominibus. Quisquis enim Spiritu Dei confortatus est, quæ sequuntur humili corde dicit, *stultissimus sum virorum,* etc.

^{††}30.2 *Stultissimus. Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua* Luc. 16.. Et Apostolus: *Si quis videtur esse sapiens in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens* I Cor. 3.. *Non didici* ab homine, sed, donante Deo, ut sanctorum scientiam noscam. Et Apostolus: *Nos stulti propter Christum:* iterum ait, *Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non hominum,* scilicet neque principum hujus sæculi, qui destruuntur.

^{¶¶}30.4 *Quis ascendit in cælum.* Filius Dei post resurrectionem, et nostræ resurrectionis tempore descensus est ad iudicium. *Quis continuit.* Omnis spiritus, angelorum, hominum, animalium et procellarum, ne deficiat, Dei potentia continetur. *Quis suscitavit omnes.* Et nunc omnia, quæ per orbem vivunt et crescunt, homines, animantia, germina, Deus, ut sua vita subsistant, excitat: et in die iudicii genus humanum a quatuor ventis a morte excitabit. *Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus,* Dei patris et filii nomen dicit: cujus mysterium sæcularis scientia naturaliter scire non potuit, quamvis esse Deum, qui omnia fecerit, per facta intelligere possit. *Si nosti:* tu scilicet, qui tuam sapientiam jactans, nostræ fidei mysteria stultitiam vocas.

^{¶¶}30.5 *Omnis sermo.* Proprietatem Græci nominis, etc., usque ad vera enim omnia et ignita. *Clypeus est,* id est protector omnium sperantium in se. Clypeus contra hostium insidias et omnia adversa.

^{§§}30.7 *Duo rogavi te.* Hæc adhuc vir, etc., usque ad in oblivionem decidat æternorum.

negandum, et dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus, furer, et perjurem nomen Dei mei. ¹⁰ Ne accuses servum ad dominum suum, ne forte maledicat tibi, et corruias.] ¹¹ [Generatio quæ patri suo maledicit, et quæ matri suæ non benedicit; * ¹² generatio quæ sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis; ¹³ generatio cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta surrectæ; ¹⁴ generatio quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus. † ¹⁵ Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, affer. Tria sunt insaturabilia, et quartum quod numquam dicit: Sufficit. ‡ ¹⁶ Infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua: ignis vero numquam dicit: Sufficit. ¶ ¹⁷ Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ !] § ¹⁸ [Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro: ** ¹⁹ viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia. ²⁰ Talis est et via mulieris adulteræ, quæ comedit, et tergens os suum dicit: Non sum operata malum. †† ²¹ Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere: ²² per servum, cum regnaverit; per stultum, cum saturatus fuerit cibo; ²³ per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta; et per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ.] ²⁴ [Quatuor sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientibus: ‡‡ ²⁵ formicæ, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi; ¶¶ ²⁶ lepusculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile

*30.11 *Generatio quæ patri.* Superius vitæ puritatem, etc., usque ad si natus est, fuit tempus quando non fuit filius.

†30.14 *Generatio quæ pro dentibus gladios habet.* Hæc est, quæ suam perfidiam aliis immittere conatur; et sicut corpora gladiis, ita audientium animas veneno allocationis occidit.

‡30.15 *Sanguisugæ duæ sunt filiæ.* Diabolus, qui siti peccata suadendi perpetuo ardet; *Duæ filiæ*, quæ ejus imitantur ardorem, luxuria et philargyria. Nam luxuriæ, quo liberius frena laxantur, eo noxius delectatur; et *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Tria sunt insaturabilia.* Infernus nunquam redundat; meretrix habet similia. Corpus non satiatur deliciis, et avarus non dicit, sufficit; alii infernum dicunt diabolum, qui non satiatur seductione humana.

¶30.16 *Os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua,* ut supra ignem, incendium gehennæ, qui nunquam desinit.

§30.17 *Oculum qui subsannat.* Qui divina judicia reprehendunt, etc., usque ad qui peccati nigredinem humiliter confitentur. *Filii aquilæ:* quia per gratiam ejus sunt renati, qui in carne ad coelum transvolavit, qui alibi filii sponsi dicuntur.

**30.18 *Tria sunt mihi difficilia.* Ita est ad litteram, etc., usque ad difficile est scire quot cogitationibus juvenis agitur, qui viam veritatis deservit.

††30.20 *Talis est et via mulieris adulteræ.* Adultera quoque mens ut ea quæ commemoravit, semper vaga est, quæ ubi celare peccata poterit, negat se aliquid patrasse mali.

‡‡30.24 *Quatuor:* scilicet minores videntur justi in terra, quam reprobis, id est abjectiones; sed tamen sapientiores sunt sapientibus mundi, quia æterna quærunt, et pro his pati desiderant.

¶¶30.25 *Formicæ populus infirmus.* Et Ecclesiæ populus, etc., usque ad quibus vivat in æternum.

suum;^{§§ 27} regem locusta non habet, et egreditur universa per turmas suas;^{*} ²⁸ stellio manibus nititur, et moratur in ædibus regis.[†] ²⁹ Tria sunt quæ bene gradiuntur, et quartum quod incedit feliciter:[‡] ³⁰ leo, fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum; ³¹ gallus succinctus lumbos; et aries; nec est rex, qui resistat ei.[¶] ³² Est qui stultus apparuit postquam elevatus est in sublime; si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum. ³³ Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac exprimit butyrum; et qui vehementer emungit elicit sanguinem; et qui provocat iras producit discordias.][§]

31 Verba Lamuelis regis. Visio qua erudivit eum mater sua.^{** 2} [Quid, dilecte mi? quid, dilecte uteri mei? quid, dilecte votorum meorum? ³ Ne dederis mulieribus substantiam tuam, et divitias tuas ad delendos reges.^{††} ⁴ Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas;^{‡‡} ⁵ et ne forte bibant, et obliviscantur iudiciorum, et mutant causam filiorum pauperis. ⁶ Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo.^{¶¶} ⁷ Bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius. ⁸ Aperi os tuum muto, et causis omnium filiorum qui pertranseunt.^{§§} ⁹ Aperi os tuum, decerne quod justum

^{§§}30.26 *Lepusculus*, alii chœrogyllus, etc., usque ad sed hic quidam pro lepusculo hericium habent. HIERON. Habent enim Hebræa verbum *saphan*, quod murem et chœrogyllum et leporem et hericium interpretantur. *Lepusculus*, etc. Hæc est plebs Ecclesiæ, quæ invalida, quia injurias suas ulcisci non quærit, et quia non suis viribus, sed in Dei auxilio sperare salutem didicit, quod est cubile habere in petra, unde dicit cum Psalmista: *Esto mihi in lapidem fortissimum, in domum munitam, ut salves me, quia petra mea et munitio mea es tu.*

^{*}30.27 *Regem locusta*. Locusta, etc., usque ad tamen instanter in suis locis Christo militare, et germina carnalium consuevit absumere voluptatum.

[†]30.28 *Stellio manibus*. Stellio alas non habet, etc., usque ad obtinenda æterni regni mœnia virtus operationis levat.

[‡]30.29 *Tria sunt quæ gradiuntur*. Non nos moveat, etc., usque ad quia in fallacia sua ad tempus Antichristus prosperatur.

[¶]30.31 *Gallus*, scilicet prædicatores, inter hujus sæculi tenebras verum mane nuntiantes. *Et aries*. Primus ordo sacerdotum, etc., *usque ad postquam elevatus est in sublime*.

[§]30.33 *Qui autem* ubera fortiter premit, etc., usque ad quia carnale efficitur hoc quod nimia discussione sentitur. *Et qui provocat iras, producit*. Quid prior parabola ad litteram significet, aperit, etc., usque ad elicit sanguinem.

^{**}31.1 *Verba Lamuelis*. Lamuel, in quo est Deus, etc., usque ad vidit quam prudenter se mater sua docuerit.

^{††}31.3 *Et divitias tuas*. Hoc est, noli terrenis deliciis hominum corda corrumpere, etc., usque ad per illecebras sæculi merentur eradicari de terra viventium.

^{‡‡}31.4 *Noli regibus*. Hæc et sequentia ad litteram patent, etc., usque ad carnales scrutantur.

^{¶¶}31.6 *Date siceram mœrentibus*. Vinum et sicera, etc., usque ad ne abundantiori tristitia absorbeantur qui hujusmodi sunt.

^{§§}31.8 *Aperi os*. Pro causa pauperis, etc., usque ad sed et cunctis per orbem nationibus curam salutis impendere.

est, et judica inopem et pauperem.]^{*} ¹⁰ [Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus.[†] ¹¹ Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit.[‡] ¹² Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ.[¶] ¹³ Quæsivit lanam et linum, et operata est consilia manuum suarum.[§] ¹⁴ Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.^{**} ¹⁵ Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.^{††} ¹⁶ Consideravit agrum, et emit eum; de fructu manuum suarum plantavit vineam.^{‡‡} ¹⁷ Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.^{¶¶} ¹⁸ Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus; non extinguetur in nocte lucerna ejus.^{§§} ¹⁹ Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum.^{*} ²⁰ Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad

^{*}31.9 *Aperi os tuum, decerne.* Sicut pro causa pauperis et ereptione os aperire præcepit, ita, ubi erraverit, juste castigare admonet ac judicare. Et Moyses: **Pauperis in judicio non misereberis** Exod. 13.. Quod utrumque Dominum facere Propheta dicit: **Sed judicabit in justitia pauperes, et arguet inæquitate pro mansuetis terræ.**

[†]31.10 *Mulierem fortem.* Hucusque verba Lamuelis regis, etc., usque ad virtutes describantur ac præmia. **Mulierem fortem quis inveniet.** Mulier fortis sancta Ecclesia, etc., usque ad per mundum prædicare donavit, addidit:

[‡]31.11 *Confidit in ea cor viri.* Vir, redemptor, etc., usque ad cum per prædicatores, quos deceperat, ad veritatem revocat. **Et spoliis non indigebit.** Quia nunquam cessabit Ecclesia deceptas a diabolo animas Christi fidei restituere, donec mundi cursu finito numerus justorum compleatur. Sed quia quidquid boni sancta Ecclesia vel fidelis anima agit, desuper accipit recte subditur:

[¶]31.12 *Reddet ei bonum et non malum.* Reddet anima Christo bonum, etc., usque ad cui simile, **serviamus illi,** etc.

[§]31.13 *Quæsivit.* Quibus operibus, etc., usque ad de hac retributione apertius subditur:

^{**}31.14 *Facta est quasi navis institoris de longe.* Navigator dicitur **institor,** eo quod acquirendis mercibus sedulus instat, etc., usque ad de quibus dicitur: **Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.**

^{††}31.15 *De nocte.* Sicut totus præsentis sæculi cursus, etc., usque ad et hujusmodi secreto exercere. **Surrexit.** Cum quis fidelis ad agendum proximorum curam solite accingitur. Quod duobus modis facit, quia et eos, qui foris errant, ad fidem vocat; et qui in fide sunt, ut amplius operibus insistant; unde subdit: **Deditque prædam domesticis suis.** Dat prædam domesticis suis, cum eos, quos diabolus eripuit, eorum societati, qui in fide præcesserunt, conciliat. Dat ancillis suis cibaria, cum humiles quosque, et timore jussa servantem, ne lassent pio labore, mercedis commemoratione reficit.

^{‡‡}31.16 *Consideravit.* Hodie et usque in finem sæculi mulier fortis, etc., usque ad quæ sit beatitudinis plenitudo in regno Dei. **De fructu manuum suarum.** Quia de fructiferis suorum fidelium factis, etc., usque ad et pro eis quid potest, laborat.

^{¶¶}31.17 *Accinxit.* Cum se ad virtutum opera præparat, etc., usque ad ut bonis operibus fulgeatis.

^{§§}31.18 *Gustavit et vidit quia bona est.* Agri scilicet illius, etc., usque ad sic sed et nocte accensa lucerna manibus operatur.

^{*}31.19 *Manum suam misit.* Fortia dicit, perfecta in charitate opera, etc., usque ad de cuius fortitudine dicitur: **Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud** Matth. 11.. **Et digiti ejus,** inquit, **apprehenderunt fusum.** Colus in sinistra, fusus in dextera, etc., usque ad quid autem mulier fortis, scilicet sancta Ecclesia vel anima perfecta per fusum operata sit; subjungit:

pauperem.† 21 Non timebit domui suæ a frigoribus nivis; omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.‡ 22 Stragulatam vestem fecit sibi; byssus et purpura indumentum ejus.¶ 23 Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.§ 24 Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo.** 25 Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo.†† 26 Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus.‡‡ 27 Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.¶¶ 28 Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt; vir ejus, et laudavit eam. §§ 29 Multæ filiæ congregaverunt divitias; tu supergressa es universas.* 30 Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.† 31 Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.]‡

†31.20 *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas.* Hoc de eleemosynis, etc., usque ad cum late longèque prædicatores ad gentes æternæ salutis egentes dispersit.

‡31.21 *Non timebit.* Frigora nivis, etc., usque ad quia credidit Deo dicenti quod *portæ inferi non prævalebunt adversus eam* Matth. 16.. *Omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus,* etc. Sapientia scilicet, ad hæreses revelandas, et patientia ad tolerandas apertorum nostium pugnas, etc., usque ad qui merito in frigore religatur, quia vestem pietatis non habebat.

¶31.22 *Stragulatam vestem.* Stragulata vestis est quæ variante textura, solet confici firmissima, etc., usque ad byssinæ enim justificationes sanctorum sunt.

§31.23 *Nobilis in portis vir.* Vir Dominus qui visus est ignobilis, etc., usque ad cunctis apparebit sublimis.

**31.24 *Sindonem fecit et vendidit.* In linteo sindonis subtilis, etc., usque ad gentes enim a vitiis ad virtutes, a diabolo migraverunt ad Christum.

††31.25 *Fortitudo.* Fortitudo ad tolerandum, etc., usque ad esto fortis adversus detractores.

‡‡31.26 *Os suum.* Ad hoc tantum loquens os aperuit, etc., usque ad utrique convenit quod subjungit: *Lex clementiæ.* Ut non statim puniat ut lex Moysi, etc., usque ad et sic absolvit eam: *Vade et amplius noli peccare.*

¶¶31.27 *Consideravit.* Quia cunctas conscientiæ suæ cogitationes subtiliter investigat, etc., usque ad et quæ didicit agenda, exercere non desinit. *Panem otiosa non comedit.* Quia sacrum eloquium quod percipit, opere exsequitur, etc., usque ad non solum otiosæ, sed verbosæ et curiosæ.

§§31.28 *Surrexerunt filii ejus.* Quod futurum novit ut propheta, etc., usque ad sed in judicio quanta sit resurrectionis suæ gloria demonstrabit.

*31.29 *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.* Ecclesiæ hæreticorum, etc., usque ad quæ fide casta et opere perfecto Redemptoris sui vestigia sectatur.

†31.30 *Fallax gratia et vana est pulchritudo.* Fallax est gloria laudis, etc., usque ad qualiter enim eam laudet, ostendit, *Date ei de fructu.*

‡31.31 *Date ei de fructu manuum suarum.* Hoc vir ille, de quo supra dictum est, etc., usque ad et probante ac remunerante Deo, cui est honor et gloria.

INCIPIT LIBER ECCLESIASTES

1 Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem.^{¶ 2} [Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes; vanitas vanitatum, et omnia vanitas.^{§ 3} Quid habet amplius homo de universo labore suo quo laborat sub sole?]^{** 4} [Generatio præterit, et generatio avenit; terra autem in æternum stat.^{†† 5} Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur; ibique renascens,^{‡‡ 6} gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem. Lustrans universa in circuitu pergīt spiritus, et in circulos suos revertitur.^{¶¶ 7} Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat; ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant.^{§§ 8} Cunctæ res difficiles; non potest eas homo explicare sermone.

[¶]1.1 *Verba Ecclesiastæ.* HIERON. in Eccle., t. 3. Tribus nominibus vocatus est Salomon, etc. usque ad et æqualis magister est, et nescit se esse regem. ALBINUS. Tradunt Hebræi hunc librum Salomomonis esse agentis pœnitentiam, quia in sapientia divitiisque confisus per mulieres Deum offendit. Secum enim omnia vana reputavit esse et ad miseriam devenire eos qui in eis spem ponunt. HIERON. Allegorice. Pacificus et dilectus Dei Patris Filius, etc., usque ad unde: *In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terræ verba eorum* Psal. 18..

[§]1.2 *Vanitas vanitatum.* ID. Pro *vanitas vanitatum* secundum quosdam interpretes possumus dicere, etc., usque ad donec veniat quod perfectum est. Antequam suam ponat sententiam, quemdam apparatus videtur et ornamentum facere, cum dicit: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Postea a majori, id est ab homine incipit, ostendens ipsum vanitati subjectum, id est mutabilitati. Et hoc est, *vanitas*, etc. Vanitas omnis homo vivens: quanto magis cætera! Unde, *Vanitati subjecta est creatura, non volens, sed propter eum qui,* etc. Quidquid enim non esse potest, vanitas dici potest, quia mutari potest. Solus Deus semper idem est quod est. Quod autem mutatur, quodammodo evanescit, et non est quod erat; ad comparisonem Creatoris, omnis creatura vanitas potest dici et quasi nihilum computari. HIER. Si cuncta quæ fecit Deus, etc., usque ad cogor non semel, sed bis dicere, *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.*

^{**}1.3 *Quid habet amplius homo.* ID. Post generalem sententiam, etc., usque ad sed nudi in terram redeunt, unde sumpti sunt.

^{††}1.4 *Generatio præterit,* etc. ID.. Prima recedit generatio Judæorum, etc., usque ad nos autem Deum laudamus non in uno sæculo, sed in sæculis sæculorum.

^{‡‡}1.5 *Oritur sol et occidit.* ID. Ipse sol, etc., usque ad qui oritur fideli, occidit infideli.

^{¶¶}1.6 *Vadit ad austrum,* etc. ID. Hinc existimare possumus, etc., usque ad et ita ad orientem revertitur. *In circumitu pergīt spiritus.* ID. Ipsum solem spiritum vocat, etc., usque ad alia frigus consumeret.

^{§§}1.7 *Omnia flumina intrant in mare.* Dicunt philosophi, aquas dulces, quæ mari influunt, vel ardente sole consumi, vel salsuginis maris esse pabula. Sed Ecclesiastes noster et ipsarum Conditor aquarum, dicit eas per occultas terræ venas ad capita fontium regredi et de matrice abyso in sua semper ebullire principia. Possumus per flumina, et mare, humanum genus accipere, quod in terram, unde sumptum est redit, secundum illud: *Terra es, et in terram ibis* Gen. 3.. Nec terra impletur multitudine mortuorum. Et Hieronymus dicit torrentes non flumina, eo quod cito transeant. HIER. Omnes torrentes, etc., usque ad quomodo in proverbis filiæ sanguisugæ.

Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* ⁹ Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est.† ¹⁰ Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos.‡ ¹¹ Non est priorum memoria; sed nec eorum quidem quæ postea futura sunt erit recordatio apud eos qui futuri sunt in novissimo.¶ ¹² [Ego Ecclesiastes fui rex Israël in Jerusalem; ¹³ et proposui in animo meo quærere et investigare sapientes de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.§ ¹⁴ Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus.** ¹⁵ Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.†† ¹⁶ Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientia qui fuerunt ante me in Jerusalem; et mens mea contemplata est multa sapienter, et didici. ¹⁷ Dedique cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque et stultitiam; et agnovi quod in his quoque

*1.8 *Cunctæ res difficiles.* Non potest homo causas et naturas rerum explicare, nec oculus ad plenum intueri, nec auris, instruente doctore, ad summam scientiam pervenire. *Videmus enim nunc per speculum in ænigmate et ex parte, donec veniat quod perfectum est* I Cor. 13., quod in hoc mortali corpore esse non poterit. Hæc sententia contra eos est qui sine labore et dicendi studio sanctas Scripturas se novisse putant, et se sapientes, cum insipientes sint.

†1.9 *Quid est quod.* HIER. De his videtur dicere, etc., usque ad ut requiesceret Deus ab omnibus operibus suis die septima. *Quid est quod,* etc. De naturis in principio mundi creatis, et de successione earum, quomodo veniunt et transeunt; ut homo moritur, homo nascitur, eadem natura est nascentis, quæ fuit morientis. Sic de avibus, piscibus, serpentibus et omnibus animantibus; sic de herbis, arboribus et aliis naturis nihil novum invenitur quod antea non fuerit: nihil præteritum quod post non fiat. Unde, *Requievit Deus die septimo ab omni opere suo* Gen. 2., a novarum creatione naturarum, non a gubernatione, secundum illud: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* Joan. 5.. Sic ex primordialibus rerum seminibus totius sæculi tempus naturali cursu peragitur.

‡1.10 *Nec valet,* etc. HIER. *Estne verbum,* etc., usque ad et prædestinatione Dei jam ea facta sunt quæ futura sunt. *Jam enim præcessit.* Sicut præterita quæ olim fuerunt apud nos, abscondit oblivio, sic quæ nunc fiunt, qui nascituri sunt, scire non poterunt; silentio enim peribunt, et quasi non fuerint, abscondentur. Vanitas enim vanitatum et omnia vanitas, quia omnia more fluentis aquæ transeunt, et non redibunt. Cui sententiæ totus mundus acclamat, et maxime genus humanum.

¶1.11 *Non est priorum.* HIER. Seraphin propterea, etc., usque ad unde post, *Non est memoria sapienti cum stulto in æternum.*

§1.13 *Et proposui in animo meo,* etc. Proposuit ergo Ecclesiastes, etc., usque ad quam sponte incurrerunt. Hucusque generaliter de vanitatibus sæculi: hinc ad seipsum redit, et quis esset ostendit, quomodo omnia cognoverit, et docuerit, unde: *Et proposui in animo meo,* et cætera. *Hanc occupationem.* HIER. Verbum *anian* Aquila, LXX et Theodotio quod latine *distensio,* etc., usque ad ad superiorem sensum cuncta referuntur.

**1.14 *Vidi,* etc. Consideravi omnia mundana, et vidi vanitatem et malitiam esse, id est, miserias spiritus, quibus animus diversis fatigatus cogitationibus laborat cognoscere, quod homini non conceditur. HIER. Verbum *Routh* Aquila et Theodotio, etc., usque ad quibus anima diversis cogitationibus affligitur.

††1.15 *Perversi.* ID. Perversus non poterit adornari, etc., usque ad ut non possit comprehendere.

esset labor et afflictio spiritus:‡‡ 18 eo quod in multa sapientia multa sit indignatio; et qui addit scientiam, addit et laborem.]

2 [Dixi ego in corde meo: Vadam, et affluentiam deliciis, et fruam bonis; et vidi quod hoc quoque esset vanitas.¶¶ 2 Risum reputavi errorem, et gaudio dixi: Quid frustra deciperis?§§ 3 Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animam meam transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum, quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ.* 4 Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, et plantavi vineas;† 5 feci hortos et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus; 6 et exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium.‡ 7 Possedi servos et ancillas, multamque familiam habui: armenta quoque, et magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem;¶ 8 coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias regum ac provinciarum; feci mihi cantores et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos, et urceos in ministerio ad vina fundenda;§ 9 et supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem: sapientia quoque perseveravit mecum.** 10 Et omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his quæ præparaveram; et hanc ratus sum partem meam si uterer labore meo.†† 11 Cumque me convertis-

‡‡1.17 *Erroresque et stulti.* ID. Prima sapientia est stultitia caruisse, etc., usque ad supra disseruisse sufficiat.

¶¶2.1 *Dixi ergo.* HIER. Postquam in multitudine sapientiæ, etc., usque ad tunc non vanitas erit, sed veritas.

§§2.2 *Risum reputavi errorem.* ID. Ubi nos dicimus, etc., usque ad læta sibi et prospera promittunt.

*2.3 *Cogitavi in corde.* ID. Ebrietas, etc., usque ad quid vitandum.

†2.4 *Plantavi vineas.* In domo divitis, etc., usque ad sine qua cætera ligna siccabuntur.

‡2.6 *Et exstruxi mihi piscinas,* etc., usque ad et serotinam exspectat de cœlo pluviam.

¶2.7 *Possedi servos:* timore servientes, et spiritualia desiderantes, nec timentes. Vernaculos eos dicimus, qui sunt quidem de Ecclesia, et prædictos servos et ancillas antecedunt; nec tamen liberi sunt. Vernaculi dicuntur filii servorum, qui in domo domini sui nati sunt. *Armenta quoque et magnos.* Hi sunt, qui absque ratione et scientia Scripturarum laborant quidem in Ecclesia, sed nondum ad hominem perveniunt, id est ad imaginem Dei. HIER. *Et quidem possessio armenti.* Nota quod, etc., usque ad vel vernaculi.

§2.8 *Substantias regum.* ID. Dogmata philosophorum, etc., usque ad et prudentias prudentium reprobant. *Feci mihi cantores.* Cantor, etc., *usque ad, Cantores et cantatrices,* uterque sexus me oblectaret. *Delicias filiorum hominum.* Sapientiam scilicet, quæ, sicut paradisos, poma habet varia et multiplices voluptates. De qua Psalmista: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui* Psal. 36.. Et, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos* Psal. 35..

**2.9 *Qui ante me fuerunt in Jerusalem.* Ad litteram: Non est magna laus. Ante Salomonem enim regnaverunt Saul, cujus tempore regnum cepit, et David, sub quo satis parvum erat regnum. *Perseveravit.* Alii, *stetit,* id est, ei in carne posito sapientia permansit, non proficiens per momenta, sicut in nobis, sed in plenitudine stans.

††2.10 *Et omnia quæ.* Sed quanto studio ista crescebant, tanto sapientia deerat, quia per omnia desideria rapiebat, putabamque hunc esse fructum laborum meorum, si libidini servirem; sed tandem in me reversus, vidi omnia vana esse.

sem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, et ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole.]^{‡‡} ¹² [Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque, et stultitiam. (Quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem, factorem suum?) ¹³ Et vidi quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris.^{¶¶} ¹⁴ Sapientis oculi in capite ejus; stultus in tenebris ambulat: et didici quod unus utriusque esset interitus. ¹⁵ Et dixi in corde meo: Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam? Locutusque cum mente mea, animadverti quod hoc quoque esset vanitas. ¹⁶ Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, et futura tempora oblivione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter ut indoctus. ¹⁷ Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus.] ¹⁸ [Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me,^{§§} ¹⁹ quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui: et est quidquam tam vanum? ²⁰ Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole. ²¹ Nam cum alius laboret in sapientia, et doctrina, et sollicitudine, homini otioso quæsitæ dimittit; et hoc ergo vanitas et magnum malum. * ²² Quid enim proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? ²³ Cuncti dies ejus doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit. Et hoc nonne vanitas est? ²⁴ Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? et hoc de manu Dei est. † ²⁵ Quis ita devorabit et deliciis affluet ut ego? ²⁶ Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiā; peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluum, ut addat, et congreget, et tradat ei qui placuit Deo; sed et hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis.][‡]

3 [Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cælo.[¶] ² Tempus nascendi, et tempus moriendi; tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est.[§] ³ Tempus occidendi, et tempus sanandi; tempus destruendi, et tem-

^{‡‡}2.11 *Sub sole.* HIER. Christo. In sole posuit tabernaculum suum. Qui ergo ad solis claritatem ordinem constantiamque nondum pervenit, in eo Christus non habitat.

^{¶¶}2.13 *Et vidi quia tantum.* Cum hoc cogitarem, quod sapiens, lux, stultus, tenebræ: illius oculi in cælo, hujus, in terra, repente mihi surrepsit, quare communi morte pereant, communi miseria deprimuntur, et hujusmodi.

^{§§}2.18 *Rursus detestatus.* HIER. Spirituali labore sancti die noctuque in lege Domini meditantur, etc., usque ad sapientia enim non est terrenas divitias congregare. *Habiturus.* Hoc ipsi Salomoni contigit, qui non sui similem habuit filium Roboam. Ex quo intelligimus filium nec dignum quidem hæreditate patris, si stultus sit.

*2.21 *Nam cum alius.* ID. Supra de incerto hærede, etc., usque ad ex ratione.

†2.24 *Nonne melius.* ID. Postquam omnia pertractavi, etc., usque ad quantum sufficit?

[‡]2.26 *Homini bono.* ID. Corrigenti mores suos, etc., usque ad et spiritus præsumptione composita esse.

[¶]3.1 *Omnia tempus habent.* HIER. Incertum et fluctuantem statum conditionis humanæ supra docuit, etc., usque ad nec loco nec tempore continentur.

[§]3.2 *Tempus plantandi,* etc. ID. Nulli dubium est, etc., usque ad quia perfecta charitas foras mittit timorem.

pus ædificandi.** 4 Tempus flendi, et tempus ridendi; tempus plangendi, et tempus saltandi.†† 5 Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi, tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus.‡‡ 6 Tempus acquirendi, et tempus perdendi; tempus custodiendi, et tempus abijciendi. 7 Tempus scindendi, et tempus consuendi; tempus tacendi, et tempus loquendi.¶¶ 8 Tempus dilectionis, et tempus odii; tempus belli, et tempus pacis.]§§ 9 [Quid habet amplius homo de labore suo? 10 Vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea.* 11 Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem. 12 Et cognovi quod non esset melius nisi lætari, et facere bene in vita sua;† 13 omnis enim homo qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.‡ 14 Didici quod omnia opera quæ fecit Deus perseverent in perpetuum; non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur. 15 Quod factum est, ipsum permanet; quæ futura sunt jam fuerunt, et Deus instaurat quod abiit.] 16 [Vidi sub sole in loco iudicii impietatem, et in loco justitiæ iniquitatem:¶ 17 et dixi in corde meo: Justum

**3.3 *Tempus destruendi*, etc. Non possumus ædificare bona, nisi prius destruxerimus mala, sicut Jeremiæ dictum est a Deo, ut ante eradicaret et suffoderet et perderet, et postea ædificaret atque plantaret Jerem. 1..

††3.4 *Tempus plangendi*, etc. Plangendum est nunc ut in futuro saltemus, illam saltationem, quam David ante arcam testamenti II Reg. 6.. Saulis filiæ displicens, magis placuit Deo.

‡‡3.5 *Tempus spargendi lapides*, etc. HIER. Miror, etc., usque ad et ad poenitentiam vocat. *Tempus amplexandi*. Tempus amplexandi sapientiam, et contemplationi strictius inhærendi; et tempus longe fieri a complexu, scilicet sapientiæ, ut curæ temporis, et his sine quibus vivere non possumus, serviamus.

¶¶3.7 *Tempus tacendi et tempus*. HIER. Docemus in Ecclesiis quod nescimus. Omnes artes absque doctore non discimus, sola hæc tam vilis et tam facilis, ut præceptore non egeat. Nihil nobis videtur esse rectum, nisi quod discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur magistri. *Tempus loquendi*. Disciplina Pythagoræ est per quinquennium tacere, et postea eruditus loqui.

§§3.8 *Tempus dilectionis*. Tempus amandi post Deum uxores, liberos, propinquos, et tempus odiendi eos, in martyrio. Vel, *Quoniam nunc videmus per speculum in ænigmate* I Cor. 13., etc. Tempus erit diligendi præsentiam Dei, et tempus odiendi, quando, facie ad faciem cernentes, et in melius proficientes, incipiemus odisse et despiciere quod amavimus. *Tempus belli*. Modo, non agentibus poenitentiam; tempus pacis in futuro, quando omnis Israël salvus fiet; *Tempus belli*, ne sis securus, accipe armaturam Dei.

*3.10 *Vidi afflictionem quam dedit*, etc. HIER. Dicitur quod propterea Deus, etc., usque ad usque ad finem sæculi fecerit crescere, manere et mutari.

†3.12 *Et cognovi*. HIERON. Ideo colonus in mundo datus est homo, etc., usque ad hinc:

‡3.13 *Omnis homo qui comedit et bibit*, etc., Multæ enim nunc tribulationes justorum, in futuro autem non erit labor in Jacob. *Didici*, etc. ID. Nihil est in mundo novum, solis cursus, lunæ vices, terræ et arborum siccitas, vel viror, cum mundo condita sunt; et hæc idcirco Deus certa ratione temperavit, ut Dei Providentiam in his intelligamus, et timeamus a facie Dei. Vultus autem Domini super facientes mala.

¶3.16 *Vidi sub sole*. ID. Cum in hoc mundo iudicium et veritatem requirerem, etc., usque ad, *Omnia enim tempore suo requirentur*.

et impium iudicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit.^{§ 18} Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis. ¹⁹ Idcirco unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati, ²⁰ et omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. ²¹ Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum? ^{** 22} Et deprehendi nihil esse melius quam lætari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet ut post se futura cognoscat?]^{††}

4 [Verti me ad alia, et vidi calumnias quæ sub sole geruntur, et lacrimas innocentium, et neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos,^{‡‡ 2} et laudavi magis mortuos quam viventes;^{¶¶ 3} et feliciorum utroque iudicavi qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.^{§§ 4} Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiæ proximi; et in hoc ergo vanitas et cura superflua est. ⁵ Stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas, dicens: ⁶ Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi. ⁷ Considerans, reperi et aliam vanitatem sub sole. ⁸ Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis; nec recogitat, dicens: Cui laboro, et fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est et afflictio pessima.] ⁹ [Melius est ergo duos esse simul quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ. ^{*} ¹⁰ Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. ¹¹ Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo; unus quomodo calefiet? ¹² Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei; funiculus triplex difficile rumpitur. ¹³ Melior est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto, qui nescit prævidere in posterum.† ¹⁴ Quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum; et alius, natus in regno, inopia consumatur. ¹⁵ Vidi cunctos viventes qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo. ¹⁶ Infinitus numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum, et qui postea futuri

§3.17 *Dixi in corde meo.* ID. Quasi, etc., usque ad et impleri terram pecoribus et armentis.

**3.21 *Quis novit.* ID. Non dicit, etc., usque ad et rei quasi dubiæ certus assertor sit. *Deorsum.* Ad inferos. Fieri enim potest ut cito mutantur, et sæpe qui docti videbantur, ad inferos ducuntur; et simplices rustici coronantur.

††3.22 *Et deprehendi.* Superiori errore turbatus, etc., usque ad quæ in mundo futura sunt postea.

‡‡4.1 *Verti me ad alia.* Plenius hunc locum David in psalmo LXXII, et Jeremias in suo volumine prosequantur.

¶¶4.2 *Et laudavi.* HIER. Alii hunc locum ita intelligunt, etc., usque ad et tandiu eas esse beatas quandiu perfruuntur choro angelico.

§§4.3 *Et feliciorum.* Quia nec vidit hæc mala, nec expertus est: nec secundum errorem eorum qui putant animas esse, antequam homines fiant. Melius est itaque omnino non esse quam male vivere: unde, *Melius illi erat si natus non fuisset homo ille*, etc. Matth. 14..

*4.9 *Melius est.* ID. Post sollicitudines et miseras, etc., usque ad calorem vitæ æternæ accipere non valemus.

†4.13 *Melior est puer.* ID., usque ad finem cap.

sunt non lætabuntur in eo; sed et hoc vanitas et afflictio spiritus.] ¹⁷ [Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, et appropinqua ut audias. Multo enim melior est obedientia quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.]

5 [Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, et tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui.] ² Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia. ⁴ ³ Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio, sed quodcumque voveris redde: ⁸ ⁴ multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. ^{**} ⁵ Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram angelo: Non est providentia: ne forte iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum. ^{††} ⁶ Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri; tu vero Deum time.] ^{**} ⁷ [Si videris calumnias egenorum, et violenta iudicia, et subverti iustitiam in provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii; [¶] ⁸ et insuper universæ terræ rex imperat servienti. ^{§§} ⁹ Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias fructum non capiet ex eis; et hoc ergo vanitas. ¹⁰ Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? ¹¹ Dulcis est somnus operanti, sive parum sive multum comedat; saturitas autem divitis non sinit eum dormire.] ^{*} ¹² [Est et alia infirmitas pessima quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum domini sui. [†] ¹³ Pereunt enim in afflictione pessima: generavit filium qui in summa egestate erit. ¹⁴ Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo. ¹⁵ Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum? ¹⁶ cunctis diebus vitæ suæ comedit in tene-

[‡]5.1 *Ne temere, Deus.* Quia omnia audit et videt, et stultitiam tuam arguit quamvis ipse in cælo, et tu in terra.

[¶]5.2 *Multas.* Quasi sicut qui multa cogitat, ipsa frequenter somniat, sic in stultitiam recidit, qui ultra se, de Deo disputat. Vel, quia modo videmus per speculum et in ænigmate, quasi per somnum, æstimamus nos tenere, quod non habemus, et tamen nihil habemus.

[§]5.3 *Cum votum voveris.* HIER. Melius est non promittere, etc., *usque ad, vapulabit multis plagis.*

^{**}5.4 *Multoque.* Sicut Judæi qui dixerunt: *Omnia quæcunque præcepit nobis Deus, faciemus* Exod. 24, 32.: et adoraverunt vitulum.

^{††}5.5 *Ne dederis os tuum.* Quasi ne dicas te ex infirmitate carnis tuæ peccare, tanquam reflectens culpam in auctorem. *Coram angelo.* Qui astat unicuique, et omnia Deo nuntiat: ne putes omnia latere Deum.

^{**}5.6 *Ubi multa sunt.* Quasi, *Ne dederis os tuum,* etc., quia hæc vita est quasi somnia, et multa videntur vera, quæ sunt falsa; sic et excusatio tua.

[¶]5.7 *Si videris calumnias.* Ac si dicat: *Ne dicas coram angelo, non est Providentia:* quod est contra eos qui omnia casibus agi putant, et Dei providentiam negant. *Si tamen videris calumnias egenorum,* etc.

^{§§}5.8 *Universæ terræ,* etc. Deus patiens et redditor, qui dicit, *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

^{*}5.11 *Dulcis est somnus.* HIER. Divitem avarum, etc., usque ad quoniam ipsi Deum videbunt.

[†]5.12 *Est et alia infirmitas.* Possumus hæc de philosophis, etc., usque ad cum scriptum sit: *Perdam sapientiam sapientium,* etc.

bris, et in curis multis, et in ærumna atque tristitia.] ¹⁷ [Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ quos dedit ei Deus; et hæc est pars illius. [‡] ¹⁸ Et omni homini cui dedit Deus divitias atque substantiam, potestatemque ei tribuit ut comedat ex eis, et fruatur parte sua, et lætetur de labore suo: hoc est donum Dei. ¹⁹ Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet deliciis cor ejus.]

6 [Est et aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: [¶] ² vir cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas et miseria magna est. [§] ³ Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies ætatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat: de hoc ergo pronuntio quod melior illo sit abortivus. ^{**} ⁴ Frustra enim venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus. ⁵ Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni et mali. ⁶ Etiam si duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis, nonne ad unum locum properant omnia? ⁷ Omnis labor hominis in ore ejus; sed anima ejus non implebitur. ^{††} ⁸ Quid habet amplius sapiens a stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita? ⁹ Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias. Sed et hoc vanitas est, et præsumptio spiritus. ¹⁰ Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus; et scitur quod homo sit, et non possit contra fortiorem se in iudicio contendere. ^{‡‡} ¹¹ Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.] ^{¶¶}

7 [Quid necesse est homini majora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, et tempore quod velut umbra præterit? aut quis ei poterit indicare quod post eum futurum sub sole sit? ² Melius

[‡]5.17 *Hoc itaque mihi visum est bonum*, etc. Melius dicit esse, etc., usque ad quam inspirat Dei gratia in adjuvando bona opera.

[¶]6.1 *Est et aliud malum*. Describit, et aliter divitem avarum, qui cum omnia habeat bona, nihilominus nimia parcitate se cruciat, nesciens cui congreget.

[§]6.2 *Vir cui dedit Deus divitias*. HIER. Potest hoc de populo Israël accipi, etc., usque ad ad iudicium properabimus omnes.

^{**}6.3 *Sepultura*. ID. Adeo avarus, ut nec de sepultura cogitet, vel, sæpe pro divitiis occisus abjicitur insepultus: vel, quia nullam sibi memoriam relinquat, cum omnibus bonis affluat.

^{††}6.7 *Omnis labor*: hoc est, quod laborando didicit homo, id est rationalis, in ore habet, quia alius docet. *Anima ejus non implebitur*. ID. Quia semper cupit discere quod doceat: et hoc habet stulto plus, quia cum beato paupere tendit ad Christum, qui est vita et qui ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*.

^{‡‡}6.10 *Qui futurus est*. ID. Omnium hominum, qui futuri sunt corpore circumdandi, jam Deus vocabulum novit; ne possit homo respondere contra artificem, quare ita, vel ita sit factus. Quanto enim amplius quæsierimus, tanto magis ostenditur vanitas nostra et verba superflua; et non ex præscientia Dei tollitur liberum arbitrium, sed causæ ante præcedunt quare unumquodque sit factum.

^{¶¶}6.11 *Verba sunt*. Quasi, Dei quidem filius futurus est homo, tu autem noli ultra inquirere qualis, quomodo et cujusmodi, sed crede generationem ejus.

est nomen bonum quam unguenta pretiosa, et dies mortis die natiuitatis.^{§§ 3} Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit.⁴ Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.*⁵ Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia.⁶ Melius est a sapiente corripri, quam stultorum adulatione decipi;[†]⁷ quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti. Sed et hoc vanitas.⁸ Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius.⁹ Melior est finis orationis quam principium. Melior est patiens arrogante.[‡]¹⁰ Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.¹¹ Ne dicas: Quid putas causæ est quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt? stulta enim est hujuscemodi interrogatio.[¶]¹² Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem.¹³ Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia; hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo.¹⁴ Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.[§]¹⁵ In die bona fruiere bonis, et malam diem præcave; sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniatur homo contra eum justas querimonias.**¹⁶ Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: justus perit in iustitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua.¹⁷ Noli esse justus multum, neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas.¹⁸ Ne impie agas multum, et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.^{††}¹⁹ Bonum est te sustentare justum: sed et ab illo ne subtrahas manum tuam; quia qui timet Deum nihil negligit.^{‡‡}²⁰ Sapi-

^{§§}7.2 *Melius est nomen bonum.* HIER. Memoria bonorum operum, quæ delectet auditorum corda, sicut nares unguenta: Unde, *Memoria justorum in laude, nomen impiorum putrescet. Et dies.* Hoc est, Melius est miseræ vitæ tormenta, et tribulationes, et labores moriendo evadere, quam ad hæc nasci et sustinere.

*7.4 *Melior est ira,* contra peccatum suum vel alienum, quia corrigis, non quia ultionem cupis Prov. 27..

†7.6 *Melius est a sapiente.* Meliora sunt amici vulnera, quam fraudulenta inimici oscula. *Verba adulantis magis insensata ad spinas,* id est, sæculi curas moventia, quæ ducunt ad gehennæ incendia: sapiens perfectus nulla argutione indiget, nulla calumnia turbatur. Ergo de sapiente in profectu posito est accipiendum qui aliquando turbatur de iniquitate iudicii, cum Deus statim non punit.

‡7.9 *Melior est finis.* Perfectio. *Qui perseveraverit salvus erit.* Melior est consummata iustitia, quam inchoata, et orationis epilogi quam exordia; hic certamen, ibi victoria. *Arrogante.* Huic arroganti contrarius est, qui in Evangelio pauper spiritu legitur Matth. 5..

¶7.11 *Quid putas?* Aliter: Sic debes vivere, ut semper præsentis dies sint tibi meliores, quam præteriti. Semper est enim tempus operandi, ne cum cœperis decrescere, dicatur: *Currebatis bene, quis vos impedivit non obedire veritati?* Gal. 5.

§7.14 *Considera opera Dei.* Quam magna, quam mirabilia; alium gratuita pietate elegit, alium justo iudicio despicit, unde, *Jacob dilexi, Esau odio habui* Mal. 1.. Et, *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.*

**7.15 *Malam diem* HIER. iudicii, quæ mala videtur malis, unde, *Dies illa dies iræ,* etc. Vel, bona et mala, id est prospera et adversa, prout juste evenerint, sustine viriliter. Omnia enim juste, quamvis occulte, et hoc est *non inveniatur,* etc.

††7.18 *Et noli esse. Impii non dimidiabunt dies suos,* quasi, Noli impenitens provocare Deum, ut etiam viventi inferat supplicium, sicut fecit Dathan et Abiron.

‡‡7.19 *Nihil negligit.* Omnibus sine respectu personarum benefacit. Vel, in prosperis et in adversis providet.

entia confortavit sapientem super decem principes civitatis;[¶] 21 non est enim homo justus in terra qui faciat bonum et non peccet. 22 Sed et cunctis sermonibus qui dicuntur ne accomodes cor tuum, ne forte audias servum tuum maledicentem tibi;^{§§} 23 scit enim conscientia tua quia et tu crebro maledixisti aliis. 24 Cuncta tentavi in sapientia. Dixi: Sapiens efficiar: et ipsa longius recessit a me, 25 multo magis quam erat. Et alta profunditas, quis inveniet eam?]²⁶ [Lustravi universa animo meo, ut scirem et considerarem, et quærerem sapientiam, et rationem, et ut cognoscerem impietatem stulti, et errorem imprudentium: 27 et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus; vincula sunt manus illius. Qui placet Deo effugiet illam; qui autem peccator est capiatur ab illa.* 28 Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum et alterum ut invenirem rationem,† 29 quam adhuc quærit anima mea, et non inveni. Virum de mille unum reperi; mulierem ex omnibus non inveni.‡ 30 Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis ut sapiens est? et quis cognovit solutionem verbi?][¶]

8 [Sapientia hominis lucet in vultu ejus, et potentissimus faciem illius commutabit. 2 Ego os regis observo, et præcepta juramenti Dei.‡ 3 Ne festines recedere a facie ejus, neque permanes in opere malo: quia omne quod voluerit faciet. 4 Et sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis?*** 5 Qui custodit præceptum non experietur quidquam mali. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit. 6 Omni negotio tempus est, et opportunitas: et multa hominis afflictio, 7 quia ignorat præterita, et futura nullo scire potest nuntio. 8 Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis: nec sinitur

[¶]7.20 *Decem principes*. HIER. Angelos, qui civitati nostræ, id est Ecclesiæ, tanquam custodes, id est auxiliares, præsumunt. Et decem dicuntur, quia denarius numerus est perfectus.

^{§§}7.22 *Sed et cunctis*. Docet sapientem maledicorum linguas non attendere, ne cum ipse idem faciat, sibi velit ignosci et alios reprehendi. Si enim hoc fecerit, semper curiosus et iratus erit, quia nec servorum linguas comescere valebit.

*7.27 *Venatorum*, dæmonum, qui venantur animas nostras, quorum mulieres retia, et sagenæ hæretici.

†7.28 *Ecce hoc*. Hoc inveni, etc., usque ad facilius ad casum est mulier. *Ut invenirem rationem*. Quamcunque rem vel discretionem inter homines et eorum mores: quis perfecte bonus nisi solus Christus?

‡7.29 *Virum*. Christum, qui caput est omnium bonorum, quod figuratur per milenarium qui perfectus numerus.

[¶]7.30 *Solummodo hoc*. HIER. Ne videatur communem omnium hominum naturam damnare, et Deum ejus auctorem accusare, vigilanter adjecit, *Solummodo*, etc. Quasi dicat: Homo quidem bonus factus est, sed libero arbitrio derelictus, sponte cadit et immiscet se vanis curis et superfluis. *Quis talis ut sapiens*, etc. ID. Dixit superius vix bonum hominem inveniri, cum a Deo homines sint boni facti. Nunc quæ bona eis dederit tanquam gratulabundus enumerat, sapientiam, rationem, arcana cognoscere.

[§]8.2 *Ego os regis observo*. HIER. Videtur quidem præcipere juxta Apostolum, etc., usque ad hujus voluntati parendum.

***8.4 *Nec dicere ei quisquam potest*, etc. ID. Præcepta Dei non sunt discutienda quare illa præceperit, sed facienda.

quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium.]^{††} ⁹ [Omnia hæc consideravi, et dedi cor meum in cunctis operibus quæ fiunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum. ¹⁰ Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum. Sed et hoc vanitas est.^{‡‡} ¹¹ Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. ¹² Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur; ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. ¹³ Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transeant qui non timent faciem Domini. ¹⁴ Est et alia vanitas quæ fit super terram: sunt justi quibus mala proveniunt quasi opera egerint impiorum: et sunt impii qui ita securi sunt quasi justorum facta habeant. Sed et hoc vanissimum judico.^{¶¶} ¹⁵ Laudavi igitur lætitiã; quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, et biberet, atque gauderet, et hoc solum secum auferret de labore suo, in diebus vitæ suæ quos dedit ei Deus sub sole. ¹⁶ Et apposui cor meum ut scirem sapientiam, et intelligerem distentionem quæ versatur in terra. Est homo qui diebus et noctibus somnum non capit oculis. ¹⁷ Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub sole; et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.]

9 [Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem. Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit.^{§§} ² Sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnti. Sicut bonus, sic et peccator; ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat.] ³ [Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt: quia eadem cunctis eveniunt. Unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post hæc ad inferos deducentur. ⁴ Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam; melior est canis vivus leone mortuo. ⁵ Viventes enim sciunt se esse morituros; mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum.* ⁶ Amor quoque, et odium, et invidiæ simul perierunt; nec habent partem in hoc sæculo, et in opere quod sub sole geritur. ⁷ Vade ergo, et comede in lætitiã panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua. ⁸ Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat. ⁹ Perfruere vita cum uxore quam diligis, cunctis diebus

^{††}8.8 *Non est in hominis ditione.* ID. Quasi, non debes moleste pati, si futura non scire potes, si a potentioribus impiis sæpe opprimeris, quia cito omnia finiuntur, et mors omnia æqualiter rapit.

^{‡‡}8.10 *Vidi impios sepultos,* etc. Nec in morte pœnitet, quorum quanto accusatio rarior et difficilior, tanto peccandi libertas videtur eis esse major.

^{¶¶}8.14 *Sunt justi quibus mala proveniunt,* etc. Ut filiis Aaron sacrificantibus secundum Hebræum, et Manasses post tanta mala a captivitate in regnum reductus feliciter vixit.

^{§§}9.1 *Sunt justi,* etc. *Melior est canis.* HIER. Canis vivus, pauper justus, leo mortuus, potens iniquus, qui nihil secum aufert de mundo.

^{*}9.5 *Mortui vero.* ID. Quidam asserunt etiam post mortem crescere, etc., usque ad creaturas rationales et promereri.

vitaē instabilitatis tuā, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuā: hæc est enim pars in vita et in labore tuo quo laboras sub sole. ¹⁰ Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.][†] ¹¹ [Verti me ad aliud, et vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; sed tempus casumque in omnibus.][‡] ¹² Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.[¶] ¹³ Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, et probavi maximam: ¹⁴ civitas parva, et pauci in ea viri; venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio. ¹⁵ Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam; et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.[§] ¹⁶ Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita? ¹⁷ Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quam clamor principis inter stultos.** ¹⁸ Melior est sapientia quam arma bellica; et qui in uno peccaverit, multa bona perdet.]

10 [Muscaē morientes perdunt suavitatem unguenti. Pretiosior est sapientia et gloria, parva et ad tempus stultitia. ² Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius. ³ Sed et in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat. ⁴ Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne demiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima.]^{††} ⁵ [Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis: ⁶ positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum. ⁷ Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos. ⁸ Qui fodit foveam incidet in eam, et qui dissipat sepem mordebit eum coluber. ⁹ Qui transfert lapides affligetur in eis, et qui scindit ligna vulnerabitur ab eis. ¹⁰ Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, et post industriam sequetur sapientia. ¹¹ Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.]^{‡‡} ¹² Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum; ¹³ initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius error pessimus. ¹⁴ Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuerit; et quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare? ¹⁵ Labor

[†]9.10 *Erunt.* Id est, valebunt tibi post mortem.

[‡]9.11 *Bellum.* Victorum vel etiam imitatores belli, secundum illud: *Sine me nihil potestis facere. Divitias.* Bonorum operum.

[¶]9.12 *Sicut pisces capiuntur.* Hæretici quoque habent sagenam suam missam, et laqueos quibus capiunt simplices.

[§]9.15 *Vir pauper.* Christus, de quo Psalmus: *Ego sum pauper et dolens* Psal. 68.. Et in quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi Col. 2.. *Per sapientiam suam.* Non per potentiam.

**9.17 *Verba sapientium.* HIER. Qui favorem et plausum non quærunt, sed salutem audientium: nec clamant ut audiantur, sed cupiunt, ut exaudiantur. *Inter stultos.* Stulti qui non quærunt proficere, sed laudem sibi acquirere.

^{††}10.4 *Locum.* Stationem fidei retine, ne vincaris: et ne pericias si jam male cogitaveris. *Qui fodit.* Lacum aperuit, et effodit eum: et incidit in foveam quam fecit.

^{‡‡}10.11 *Si mordeat.* HIER. Quasi, sicut serpens occulte mordens venenum infundit, sic et qui detrahit. Vel, serpens, id est diabolus, mordet in silentio, quando qui, diabolo suadente, peccavit, non vult confiteri.

stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.] ¹⁶ [Væ tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt. ¹⁷ Beata terra cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, et non ad luxuriam. ¹⁸ In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus. ¹⁹ In risum faciunt panem et vinum ut epulentur viventes; et pecuniæ obediunt omnia. [¶] ²⁰ In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia et aves cæli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam.] ^{§§}

11 [Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum. * ² Da partem septem necnon et octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram. † ³ Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. ‡ ⁴ Qui observat ventum non seminat; et qui considerat nubes numquam metet. ¶ ⁵ Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. ⁶ Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud; et si utrumque simul, melius erit.] [§] ⁷ [Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. ⁸ Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. ⁹ Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ: et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum, et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. ** ¹⁰ Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua: adolescentia enim et voluptas vana sunt.]

[¶]10.19 *In risu faciunt panem et vinum, ut epulentur bibentes.* Prædicant, magis ut alliciant quam ut proficiant. *Pecuniæ obediunt omnia,* etc. Et sacerdotes in mercede docebant.

^{§§}10.20 *In cogitatione tua,* etc. Simpliciter monet, ne vel ira vel levitate majoribus maledicamus, quia sæpe eis, etiam cum non timebamus, quæ diximus, nuntiantur, etiam si in cubili.

*11.1 *Mitte panem.* Aptos fructificationi.

†11.2 *Da partes septem.* HIER. Vetus Testamentum, cujus septima dies, scilicet sabbatum, præcipue honoratur; *necnon et octo,* quod est novum; sine altero enim non valet alterum.

‡11.3 *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem,* ID. quasi diceret: Locum quem hic tibi præparaveris, in futuro habebis.

¶11.4 *Qui observat ventum, non seminat.* ID. Ac si dicat: Omnipotenti te tribue, vel corporale solatium, vel Dei verbum ne forte prætereas eum qui dignus est accipere; et omni tempore. *Qui observat ventum.* In media tempestate seminandum est, quia nescimus quæ sit voluntas spiritus, et hoc est, *Quomodo,* etc.

[§]11.6 *Mane semina semen tuum,* etc. ID. Omni tempore, scilicet a mane in vespere, et e converso: vel in pueritia et in senectute. *Qui enim perseverat, salvabitur.*

**11.9 *Lætare ergo juvenis,* etc. ID. Hinc usque ad finem libri, etc., usque ad se judicandos sciant.

12 [Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni de quibus dicas: Non mihi placent;†† 2 antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post pluviam;‡‡ 3 quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri fortissimi, et otiosæ erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina; 4 et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris, et obsurdescent omnes filiæ carminis:¶¶ 5 excelsa quoque timebunt, et formidabunt in via. Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparitis, quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, et circuibunt in platea plangentes. §§ 6 Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam,* 7 et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.† 8 Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas.]‡ 9 [Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, et enarravit quæ fecerat; et investigans composuit parabolas multas. 10 Quæsivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos ac veritate plenos. 11 Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.¶ 12 His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis; frequensque meditatio, carnis afflictio est. 13 Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo,§ 14 et cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.]

††12.1 Hinc usque ad finem capituli legitur tribus modis, scilicet de iudicio, senectute, captivitate, et serviunt quædam glossæ quandoque duabus sententiis, quandoque vero inveniuntur secundum omnes sententias.

‡‡12.2 *Antequam tenebrescant sol et lumen, et stellæ et luna,* etc. HIER. Sol convertetur in tenebras, etc., usque ad nubes et pluviam cessant ei.

¶¶12.4 *Et claudent ostia in platea,* ne videant lusus juvenum: omnia enim talia sunt eis importabilia. *Et consurgent.* Quia non possunt dormire refrigescente sanguine, siccato humore quibus aliter sopor.

§§12.5 *Dissipabitur capparitis.* HIER. Capparitis renibus valet, etc., usque ad in adversitate vero desistunt a bono.

*12.6 *Antequam rumpatur funiculus.* Redit ad superiora, ubi ait: *Memento Creatoris tui,* etc., simili fine sententiam concludit.

†12.7 *Et revertatur.* Antequam revertaris in Babyloniam unde es egressus in lumbis Abrahamæ, et incipias in Mesopotamia conteri, unde profectus es.

‡12.8 *Vanitas vanitatum.* Post descriptionem humanæ fragilitatis et mortis, pulchre quod proposuerat concludit: *Vanitas vanitatum.* Quasi, noli luxuriari, noli delicias quærere, cum scias te celeri fine transire et ad iudicium festinare.

¶12.11 *Verba sapientium.* HIER. Ne videatur temere post legem per Moysen, ipso Deo præmonente, datam, nova præcepta cudere, dicit hæc verba sapientium esse.

§12.13 *Finem loquendi.* Quia diversorum diversas sententias, tanquam concionator, induxerat: hoc fine omnes conciliat, scilicet *Deum time.* Hoc solum aiunt Hebræi in auctoritate habitum, quia hic intentionem suam ostendit, cum videatur in multis ad voluptates hortari.

INCIPIT LIBER CANTICUM CANTICORUM

1 [Sponsa Osculetur me osculo oris sui; quia meliora sunt ubera tua vino,** 2] **fr** grantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentulæ

1.1 **Præfatio Salomon filius David regis Israël juxta numerum vocabulorum suorum tria volumina edidit. Quorum primus est *misle*, quem Græci, Latini proverbialiter nominant, eo quod in ipso sub comparativa similitudine figuras verborum et imagines veritatis ostendit: ipsam autem veritatem ad intelligendum ingenio legentium reservavit. Secundum librum *coheleth* vocavit, qui Græce vocatur, Latine **concionator**: eo quod conciones non solum spiritualiter ad unum, sicut in Proverbiis, sed ad universos generaliter dirigantur, docens, omnia quæ in mundo cernimus, vana esse et brevia: et ob hoc minime appetenda. Tertium librum *sir hassirim* prænotavit: qui in Latinam linguam vertitur in Cantica canticorum. Ubi per epithalamicum carmen conjunctionem Christi et Ecclesiæ mystice canit. Dicitur autem Canticum canticorum, eo quod omnibus canticis præferatur. Sicut in lege quædam dicuntur *sancta*, quibus majora sunt *sancta sanctorum*. In his quidem tribus libris trium generum disciplinas composuit, quibus ad rerum scientiam pervenitur. In primis namque ethicam, id est moralem, post hoc physicam, quæ qualitatem naturæ comprehendit, ad ultimum theoreticam, id est contemplativam. In Proverbiis enim moralia docens, per communem quemdam loquendi usum altiorem intelligentiam edidit, conservationemque mandatorum, et doctrinæ cœlestis institutionem succinctis verbis, brevibus sententiis coaptat. Sunt autem Proverbia sub verbis aliis res alias explicantia, quæ aliter quam dicuntur, intelliguntur: plus in virtute sententiarum, quam in sono verborum habent; quæ Græci vocant. Ecclesiastes rerum naturas discutens, cuncta in mundo vana et caduca esse deprehendit, rerumque omnium fragilitate conspecta, renuntiari mundo admonuit. In Canticis canticorum supergressus visibilia, atque contemplans ea quæ sunt cœlestia, vel divina, sub specie sponsi sponsæque, Christi Ecclesiæque unitatem declarat, atque animam ad amorem cœlestium excitans, perveniendum ad consortium Dei provocat. Illud vero non est putandum, quod ab auditoribus nostris traditur, apud Hebræos hanc fuisse conversationem, ne cuiquam hunc librum legere permetterent, nisi viro jam perfectæ scientiæ et roboratæ fidei in peritia: ne tam erudiret cognitio lubricas mentes, quam textus ad concupiscentias corporales converteret. Salomon, id est pacificus, quia in regno ejus pax per quam futura pax Ecclesiæ figurabatur, *Idida*, id est dilectus, et significat illum de quo dicitur: *Speciosus forma præ filiis hominum: propterea benedixit te Deus in æternum* Psal. 44.. Ecclesiastes, id est concionator, et significat illum, qui rationabiliter erat allocuturus, et congregaturus Ecclesiam. Juxta numerum vocabulorum, tres fecit libros: Proverbia, in quo libro docet parvulos non tam ætate quam sapientia, de æquanimi conversatione in mundo, scilicet qualiter licite possint uti temporalibus; Ecclesiasten, in quo instruit homines provectioris ætatis ad contemptum caducorum; Cantica canticorum, scilicet hoc opus, in quo virum consummatum docet de solo amore Dei, ut requiescat inter brachia sponsi. Unde et Canticum canticorum dicitur sua dignitate omnia alia excellens cantica. Per illa quippe vitantur vitia, cavetur hostis: per ista locupletamur virtutibus, Domino conjungimur. Simili ordine etiam philosophi institutiones suas ponunt. Primum ethicam docent, postea physicam, et quem in his profecisse vident, ad theoreticam usque perducunt. Materia, sponsus et sponsa, id est caput et Ecclesia. Et modus, quali desiderio membra capiti cohæreant, et ei placere contendant, et quæ dona ab illo, vel in præsentia accipiant, vel in futuro expectent, et quali affectione sponsus Ecclesiam diligit, eam laudans, et admonens, et confortans. Finis est dilectio Dei. Quatuor mihi in hoc opere invenisse videor personas, sponsum et sodales ipsius, sponsam et adolescentulas cum ea. Alia a sponso, alia dicuntur a sponsa: nonnulla a juvenculis, quædam a sodalibus sponsi. Congruum quippe est ut in initiis sit adolescentularum multitudo cum sponsa, juvenum turba cum sponso. Sponsum, Christum intellige, sponsam Ecclesiam sine macula et ruga. Angelos vero, et eos qui pervenerunt in virum perfectum, intellige amicos sponsi. Adolescentulæ, sunt sponsarum incipientium turbæ, juxta modum quemdam salutem adeptæ. Ex hoc autem libro Gentiles sibi epithalamium vindicarunt, et istius generis carmen assumptum est. Si vis ascendere ad Canticum canticorum, necesse est de Ægypto egredi, ut post transitum maris Rubri, submersis inimicis, primum possis canere canticum: *Cantemus Domino, gloriose enim*, etc. Exod. 15.. Sed quia adhuc longe es a Cantico canticorum, perambula terram deserti spiritualiter, et consequenter Jordanis ad ripam constitutus, secundum canticum

dilexerunt te.†† ³ *Chorus Adolescentularum* Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua; exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum. Recti diligunt te.‡‡ ⁴ *Sponsa Nigra sum,*

††1.2 *Oleum effusum nomen tuum.* Ideo etiam desidero osculum, quia nomen tuum est oleum, etc. Sponsus a patre ad sponsam venit unctus, ut et sponsam ungat. A chrisma Christus, id est, ab unctione unctus; quod nomen per gratiam Spiritus sancti in baptisate funditur in cunctos fideles. Nondum possum te ipsum amplecti, nomen tuum interea ex desiderio tui mecum pernoctabit. Nomen Jesu venit in mundum, et statim prædicatur. *Oleum effusum,* id est, in universa terra Christi nomen prædicatur; nunc Moysi nomen auditur in gentibus, quod prius Judææ tantum claudebatur angustiis. *Ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Hæc dicens, adolescentulas conspicit, quæ dum prius loqueretur, non aderant, sed in precibus mediis ingreditur adolescentularum chorus et sponsæ laudatur eloquiis. Universæ Ecclesiæ, quæ unam catholicam Ecclesiam faciunt, adolescentulæ sunt: non vetustæ per culpam, sed novellæ per gratiam, non senio steriles, sed ætate mentis ad spiritualem congruæ fecunditatem. Et quia oleo tuæ gratiæ omnes dolores criminum evacuasti, *Ideo adolescentulæ,* etc.

‡‡1.3 *Trahe me post te.* Respondent adolescentulæ: *Trahe me post te.* Sponsa non post tergum sequitur, sed sponsi juncta lateri, famulæ post eam ingrediuntur. *Trahe me post te.* Hucusque vox exspectantium incarnationem Salvatoris, et dona ipsius commendantium: hinc subinfertur vox illorum, qui post tempora incarnationis ad fidem venerunt. Illa ut veniret, et osculum offerret rogabat; hæc non ad se ultra eum descendere taliter flagitat, sed ipsa potius ad cælos sequi desiderat: quod quia per se non posse fieri conspicit, ejus ducatum implorat, ad quem venire desiderat. *In odorem unguentorum.* In consideratione miraculorum. *Introduxit me rex,* etc. Sponsa in penetrale sponsi ingressa revertitur ad juvenculas, et nuntiat illis: *Introduxit me.* Vel, per spem in æternam beatitudinem induxit, pluraliter, pro omnimoda bonorum copia, quasi jam dulcedinem regni coelestis prælibavi, quæ mihi in cælis parata sunt, ipso revelante cognovi: moxque ad eum conversa, qui sibi hoc revelat, gratias agit pro beneficiis. Quatuor sunt in domo: porta, ascensus, triclinium, cubiculum. Per portam, fidem: per ascensum, spem: per triclinium charitatem: per cubiculum, ipsam beatitudinem intelligimus. *Exsultabimus et lætabimur.* Quasi diceret: Non de perceptis muneribus ipsi nos extollimus, sed te: memores per omnia quanta pietate austeritatem legis, gratia fidei evangelicæ mitigare dignatus es: ideo non in nobis, sed in te exsultabimus, quia recti omnes diligunt te, et super omnia diligendum didicerunt. Rursus in penetrale sponsa ingressa, adolescentulæ, dum illius præstolantur adventum, læte concinunt pro sponsæ perfectione. *Memores uberum.* Et *recti diligunt,* ad sponsæ commendationem refertur. *Memores uberum,* etc. Illa quæ major est jam tuorum lacte uberum perfruitur. Nos quoque non quidem diligimus, sed diligemus. Deinde loquuntur ad sponsum, *Recti diligunt te.* Recti, omnes qui sunt recti corde super omnia te diligunt, nec recti sunt qui tuo amori aliquid præponunt, a quo solo habent quidquid boni habent. *Recti diligunt.* Frustra se conditorem diligere credunt, qui ejus monita contemnunt. Vere justii, nec actu, nec cogitatu, nec dicto Deum violant.

sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. ¶⁵ Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Filii matris meæ pugnaverunt contra me; posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi. §§⁶ Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne

¶^{1.4} **Nigra sum.** Postquam Ecclesia in cellaria est perducta, per cognitionem scilicet et per spem futurorum bonorum, postquam eum recto corde diligere, et in ejus gratia gaudere didicit, restat ostendere, quod pro amore illius et pro acquisitione bonorum, quæ gustavit, certamen subeat, et quid afflictionis toleret. **Nigra.** Quasi dicat: promittitis vos mecum ituras, et potest vos tribulatio deterrere quam patior: sed ne afflictio, nec infamia vos deterreant, quia hæc virtutum formositatem conferent, et post amorem restat patientia ad experimentum amoris. **Nigra.** Rursus adolescentulis sponsa respondet, et agitur de manifesta tentatione. **Nigra.** Vilis quidem in oculis persecuentium appereo, sed ante Deum veritatis confessione gloriosa refulgeo. **Sicut tabernacula Cedar.** Hic *sicut* ponitur non pro veritate, sed pro æstimatione insipientium, qui eam putant vitiorum, vel dæmonum mansionem; **sicut pelles Salomonis** hic ponitur pro veritate. **Cedar** Ismælis filius fuit, cujus manus contra omnes, et manus omnium contra eum, nullum inter homines habens locum, sed in tabernaculis pro nequitia, et ira semper habitans. Sic et justi pro meritis suis creduntur expelli et affligi, et quasi hostes omnium judicantur: unde dicitur, **Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum** Matth. 10.. **Sicut pedes.** Ecclesia in se carnalia mortificans desideria, et decorata virtutibus, vero pacifico dignum fit habitaculum. Ideo caro Dominici hominis vocatur pellis, quia sicut tentorium super aliquem tenditur ne a sole uratur, ita caro Christi in cruce extensa fuit nobis obumbratio vitiorum.

§§^{1.5} **Decoloravit me sol.** Solis est urere et illuminare, sic verus sol exterius suos persecutionibus exurit, dando vires resistendi illuminat. **Filii matris.** Et quasi ad objectionem infirmorum dubitantium respondet: Ostendit unde primam persecutorum rabiem pertulerit, quæ gravior apparet, per hoc quod a contribulibus. **Filii,** id est, apostoli destruxerunt sectam nostram. Paulus Ecclesiæ persecutor filius fuit matris ejus secundum carnem et educationem: et pœnitentiam agens ad sororis signa conversus, prædicavit fidem quam ante destruebat. **Posuerunt me.** Una erat in Hierosolymis vinea Christi, scilicet primitiva Ecclesia, quæ in die Pentecostes adventu sancti Spiritus est constituta, cujus eo tempore apostoli custodes fuerunt: sed facta persecutione dispersi sunt in regionibus Judææ et Samariæ præter apostolos, et sic contigit ut plures essent vineæ, id est in pluribus locis. Et dum persecutores Judæi volebant Ecclesiam perturbare, seminarium verbi spargebant latius nolentes, et unam persequendo, multas constitui fecerunt. Cum ergo dixisset se afflictam parricidiali odio Synagogæ, mox subjicit, quantum per hanc afflictionem profecerit: addens ex persona illorum, quibus prædicandi cura commissa est: **Posuerunt me custodem in vineis.** GREG. **Vineæ** nostræ, actiones sunt, quas usu quotidiani laboris excolimus. Sed **custodes in vineis** positi, nostram vineam non custodimus: quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus. Dum plures custodirem vineas, ut alios lucrifacerem, in quibusdam damna sustinui. Acerbitas persecutionis filiorum Synagogæ fecit me vineam meam non custodire, quia, relicta evangelica doctrina, ad legalium observationum differentias cobeant.

vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* ⁷ *Sponsus* Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.† ⁸ *Equitatui* meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica

*1.6 *Indica mihi*, etc. Vox incipientis Ecclesiæ de gentibus ad sponsam, quia multi pseudoprophetae exeunt in mundum, dicentes: Ecce hic Christus, ecce illic; exorat ut possit discernere, in quorum professione et opere possit inveniri. *Indica mihi*, pastorem meum, quem tota anima diligo, et in quibus requiem et pasqua habeat, ne æstu turbata tentationum, per sodalium, id est hæreticorum conventicula eam quærere incipiam. Vel, in voce prædicatorum ad sponsum, ut discernere possint quibus vitæ verba ministrare debeant. Deinde conspicit sponsum, qui conspectus abscessit. Et frequenter hoc facit in toto carmine, quod expertus in se probavit, sæpe habitus sponsus, sæpe elabitur, donec vere tenebitur. *In meridie*, etc. Id est in splendore majestatis tuæ, quod perfectis convenit, non mane, vel vespere. Vel, *meridie*, id est in exustione tribulationum, quam immittit diabolus dolens mundum sibi subripi. Solet rerum qualitas ex tempore notari. Abraham meridie angelos suscepit. Joseph meridie cum fratribus epulatur. *Sodalium tuorum*. Hæretici sodales dicuntur, quia nominis ejus et confessionis mysteria circumferunt.

†1.7 *Si ignoras*. Quia sponsa dum auxilia præsentia Dei requireret in tribulationibus, ex persona infirmantium subjunxerat, *Ne vagari incipiam*: statim eandem trepidationem illius sponsus imploratus benigna increpatione redarguit, secundum illud Evangelii, *Modicæ fidei* Matth. 14., quasi dicat, tu times in tribulatione a me deleri, et in fervore denigratam te conquereris: sed ego per tribulationes te pulchriorem efficere constitui. Quod si forte hoc ignoras, nec reminisceris quod nemo coronatur, nisi qui legitime certaverit, egredere a meo consortio. GREG., lib. XVI Moral, c. 21. Semetipsam cognoscit, quando animo inter peccatores posita, ad auctoris sui imaginem se conditam meminit et juxta perceptæ similitudinis ordinem incedit; quod si non cognoscit, egreditur a secreto cordis in exteriores concupiscentias, et ad latam viam ducta, sequitur exempla populorum. Dominus objurgans Ecclesiam paventem, admonet datæ sibi gratiæ adversus hostium insidias. *Hædos tuos*. Quia non juxta mandatorum meorum regulam, sed juxta tuos errores instituntur. *Juxta*, in vestigiis pastorum novissima fies, non inter oves, sed hædos. Vel *juxta*, id est ut sis similis veris pastoribus, quia hypocritæ sequi bonos videntur viros.

mea.[‡] ⁹ Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis; collum tuum sicut monilia.[†] ¹⁰ Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.[§] ¹¹ *Sponsa* Dum esset rex in accubitu

[‡]1.8 **Equitatuī.** Sicut priorem populum de Ægyptiaca servitute liberavi, sic te de persequentium manibus liberabo, elidens Pharaonem, si te sponsam meam cognoveris, liberans a servitute diaboli, in fonte baptismatis passione rubricati, submerso ibidem auctore peccati. **Equitatuī meo.** Quia Dominus non vult Ecclesiam ignorare seipsam, sed diligenter attendere quid donorum acceperit, quid pati debeat, consequenter post comminationem blanditur ei, quasi dicat: Si vis intelligere quomodo te scire debeas, intellige cui te comparaverim, et tunc cognosces te talem per beneficia mea tibi collata, quæ turbari non debeas. **Equitatuī.** Eques, sponsus, dicente propheta: **Et salus ejus equitatio** Habac 3.. Quantum ergo differt meus equitatus ab equis Pharaonis, tantum melior es omnibus aliis filiabus. Sicut ille populus supervenientibus curribus Pharaonis perterritus est, sed cœlesti protectione salvatus, et per aquas submersis hostibus in terram promissionis introductus est: sic unda mortis, quæ cunctis occursura est mortalibus, pravos rapit in interitum, piis reserat iter ad salutem, et cætera omnia, quæ ibi corporaliter, hic complentur spiritualiter. Dubitantem benigne increpat, et ne desperet in sequenti fideli amore viriliter confortat, ubi Pharaonis curribus comparat. **In curribus Pharaonis.** Id est in tempore curruum. Et nota superbiam: Pharao, **elidens** vel **dissipans** interpretatur. Nec oportet ut vagari incipias, cum me consolatorem habeas, et prælatos quibus innitaris, per quos subsistas.

[†]1.9 **Pulchræ.** Quoniam ostensum est quomodo Dominus Ecclesiam inter adversa protegat, restat ostendi quantum amorem ipsius Domini inter adversa servet Ecclesia. Unde sequitur, **Pulchræ sunt genæ.** Tanta te verecundiæ salutaris virtute decoravi, ut castitatem promissæ mihi fidei nulla pravorum doctorum doctrina vel suggestionem corrumpas, a quibus timebas in errorem deduci. Pulchritudo mulieris in genis dicitur esse quamplurima. Allegorice.. In **genis** notatur signum pudoris, sicut in prædicatoribus mos recte vivendi. Ecclesia, etsi sponsi sui morte viduata, tanta tamen ejus memoria tenetur, ut nullatenus externorum possit recipere consortium: et pro suis et aliorum peccatis gemit. In **collo**, doctores, in **monilibus** opera illorum: quia ea quæ verbo docent, operantur. Quæ sit hujus sobrietatis custodiendæ gratia subdendo, demonstrat. **Collum tuum sicut monilia.** Per collum namque cibos trajicimus in corpus reficiendum, et verba proferimus, quibus secreta cordis proximis declaramus, id est, doctores qui et verbis instruunt, et cibum salutis in commissa sibi membra transfundunt. Qui monilibus comparantur, qui pulchri sunt moribus, et pectora virginum verbis et exemplis claudunt, ne adulter inserat manum.

[§]1.10 **Murenulas.** Alia translatio. **Similitudines auri fabrefaciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoadusque rex in accubitu suo est.** Quod est, aurum, id est, faciem meam in præsentī vita non poteris videre, sed similitudinem claritatis cœlestis, per illuminationem Scripturarum, videbis per speculum in ænigmate, donec omnibus appareat, quod nunc latet in Deitate. **Murenulas.** Pulchre describit sponsus ejus pulchritudinem: post hæc fit ei sponsus in recubitu. Interim, eo dormiente, ejus socii, id est, angeli consolantur eam; non habemus aurum, sed similitudinem auri fieri faciemus tibi, donec surgat cum stigmatibus argenti. **Murenulæ.** Quæcunque bonæ institutiones, quasi ornamenta aurium. In **murenulis** Scriptura sancta, quæ **aurō** spiritualium sensuum fulget interior, et **argento** cœlestis eloquii splendet exterius; per doctorum ædificationem fit custodia sobrietatis, et per divinæ Scripturæ meditationem. Auro divinæ sapientiæ et argento divini eloquii intus et exterius rententes. **Faciemus.** Ego et mei opifices, quos plurimos ad eroganda semina verbi constitui.

suo, nardus mea dedit odorem suum.** 12 Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur.†† 13 Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.‡‡ 14 *Sponsus* Ecce tu pulchra es, amica mea ! ecce tu pulchra es ! Oculi tui

**1.11 *Dum esset.* Acceptis Ecclesia tantis a conditore suo muneribus et promissis, qua hæc devotione operum suscepit, manifestat, dicens: *Dum esset rex*, quod est, cum Dei Filius in carne apparuit, Ecclesia per ipsum mysterium incarnationis in virtutum cœlestium fervorem excrevit. Vel, cum esset in humiliatione crucis humanum genus per crucem redemptum, exercitatio bonorum operum odorem suavitatis aspersit. Christo rege in beatitudine cœlestis secreti quiescente, sanctorum virtus in Ecclesia magna nobis gratiam suavitatis ministrat, qui quo eum, quem appetunt, non vident, tanto ardentius per desiderium flagrant. Vel, dum esset cum patre, *nardus*, id est dilectio, qua prior dilexit nos, *dedit odorem*, quia per dilectionem propter nos assumpsit carnem. Mirandus ordo verborum. Accubante rege nardus mea dedit odorem suum, dum propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, filius factus est mulieris. *Nardus*, quæ dicitur expellere tumores, fugare frigus et afferre calorem; cui assimilatur homo Dominicus, qui carnem assumendo se humiliavit, et se humiliando omnem tumorem superbiæ abstulit, frigus infidelitatis removit, et fervorem charitatis intulit. Herba etiam hæc, quanto plus atteritur, tanto majorem reddit odorem, sic Christus.

††1.12 *Fasciculus.* Mors dilecti mei, quam pro mea salute subiit, semper in mea memoria commorabitur. Item fasciculo myrrhæ comparatur, dum propter nos crucis injurias toleravit. Myrrha arbor est Arabiæ, altitudinis quinque cubitorum, similis spicæ quam acanthum dicunt, cujus gutta viridis atque amara, unde nomen accepit myrrha. Gutta ejus sponte manans, pretiosior est, corticis vulnere vilior, quæ medendis infirmitatibus est salubris: unde, et myrrhatum vinum a militibus accepit. *Ubera mea.* Castarum ubera non franguntur; sed meretricum, laxis pellibus irrugantur. Unde Ezechiel: *In Ægypto fractæ sunt mammæ tuæ* Ezech. 23..

‡‡1.13 *Botrus cypri dilectus.* Botrus cypri cum resurrexit: *In vineis Engaddi* est, cum fidelibus spiritualia dona distribuit. Arbores balsami, quæ in Engaddi crescunt, quia in modum vinearum excoluntur, vineas appellat. Sponsus Christus igitur est in vineis Engaddi, quia in carne veniens Spiritu sancto plenus, credentibus ejusdem sancti Spiritus dona largitur per chrismatis unctionem, in cujus confectione oleum et balsamum commiscentur. Engaddi fons hædi propter charismata, quæ post resurrectionem largitus est in baptismo suis participibus. Engaddi, id est oculus meæ tentationis, et tentatio est vita hominis super terram. Quia morti Mediatoris mox resurrectionis gloria successit, recte subditur, *Botrus*, qui fuit fasciculus myrrhæ in amaritudine passionis, in dulcedine resurrectionis exstitit botrus cypri. Quod myrrha enim tristificat, vinum lætificat.

columbarum.^{¶¶} ¹⁵ *Sponsa* Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus ! Lectulus noster floridus.^{§§} ¹⁶ Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.]*

^{¶¶}1.14 *Ecce tu pulchra.* Hactenus Ecclesia, quæ dilectionis pignora a sponso receperit, testatur, cui ipse mox remunerationis vice respondet: *Ecce tu pulchra;* quasi, ex hoc quod me diligis, pulchra efficieris. *Amica mea.* Alia translatio: *Proxima mea;* hoc est, in hoc quod proxima es speciosa es, et postquam cœperis esse speciosa, sine additamento pulchra es. *Oculi tui.* Alia laus sponsæ speciosæ, ut et nos laboremus speciosi fieri. *Oculi tui columbarum,* simpliciter Deum intueris quia nihil aliud nisi ipsum quæris. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam* Matth. 5., non habet oculos columbæ; sed qui habet, castis intuetur oculis, et legem et Evangelium spiritualiter intelligit. In cuius columbæ specie Spiritus sanctus apparuit. Ideoque et spiritualis intelligentia, et omnia spiritualia dona nomine columbæ designantur. Columba felle caret, rostro non lædit, in cavernis petrarum nidificat, alienos pullos nutrit, juxta fluenta manet, meliora grana eligit, gemitum pro cantu reddit, gregatim volat, alis se defendit, visum recuperat. Ita sancti juxta fluenta doctrinæ sedentes meliores sententias eligunt, homines a Christo alienos nutriunt Deo, si quas bonas sententias in hæreticis inveniunt, non pervertunt, ira irrationabili carent, in fide plagarum Christi refugium habent, gemunt pro peccatis.

^{§§}1.15 *Ecce tu pulcher es, dilecte mi et decorus.* Audiens sponsa se per dilectionem sponsi meruisse, ut ab ipso sponso laudaretur, sponso vicem in laudibus tribuit: non quod ei, quod non habet, suo præconio largiatur, sed intelligens decorem ejus, per quem et ipsa decora facta est, ait: *Ecce tu pulcher es,* etc. *Lectulus noster floridus.* Aliquando Ecclesia quasi in lectulo cum sponso quiescit, tempore scilicet pacis, ubi Dei pulchritudinem liquidius aspicit, et prolem fidelium flore fidei redolentem, ex aqua et Spiritu sancto gignit. Aliquando cum sponso insurgente tentatione in acie consistit. Vel, *lectulus,* pusilli fideles, qui Deo sunt quies et magistris suis, per hoc, saltem, quod peccare mortaliter nolunt, qui florent initiis bonorum operum, per quod dant spem fructus, id est majorum operum. Quietam in sponso vitam agere volens quales domus sint, in quibus eum suscipere velit insinuat. Pax Ecclesiæ, virtutibus floret et spirituali prole multiplicatur.

^{*}1.16 *Tigna domorum nostrarum cedrina.* Domus variæ per mundum de gentibus Ecclesiæ; *Tigna,* quæ ad munitionem domus solent fieri, prædicatores, quorum verbo et exemplo structura Ecclesiæ, ne corruiat, continetur. *Laquearia,* quæ ad decorem domus solent fieri, simpliciores famuli Christi, qui tignis adhærent et sustentantur, qui non doctrina, sed virtutibus ornant. *Cypressina.* Cypressus Græce dicitur, quod caput ejus a rotunditate in acumen erigitur: unde et turben dicitur, id est alta rotunditas, hinc et fructus cum conus dicitur: unde, *Coniferæ cypressi.*

2 [Ego flos campi, et lilium convallium.† ² *Sponsus* Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.‡ ³ *Sponsa* Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gut-

†2.1 *Ego flos.* Quia præsens temporis statu labor magis quam requies convenit: recte sponsam otio delectatam ad laborum exercitia provocat. Quasi diceret: Tu quidem volens pulchritudinem tuam mihi commendabilem reddere, delectaris in quiete secretis florere virtutibus: sed scias quod ego alterius modi pulchritudinem requiro in præsenti, quia sum flos virtutum, a quo omnis fructus campi egreditur; quia odorem meum toti mundo innotescere cupio, quod non potest impleri, nisi intermissa quiete, qua delectaris, ad officium prædicationis accingaris. Et *lilium convallium* magis quam montium, quia claritatem meæ humanitatis, vel splendorem æternæ lucis, vel Deitatis magis revelo humilibus et paratis ad patiendum. Quasi: Memento quod qui de virgine nasci potui, qui Deus sum, humiliter in mundo apparui, hominibus me socium esse exhibui, humiliter usque ad mortem veni. Ideo desiste quietis securitatem quærere, unde subdit, *Sicut lilium.* Sicut campus floribus ornatur, ita mundus mea notitia et fide decoratur.

‡2.2 *Sicut lilium.* Laudato se, laudat sponsam, ita: *Sicut lilium* non potest *spinis* comparari, inter quas sæpe exoritur: eodem modo proxima mea super omnes *filias lilium* est. *Sicut lilium.* Tu requiem quæris et laudes *lectuli*: sed scito quia candidior tribulationum aculeis efficieris, et major est fructus prædicationis quam quietis. *Sic amica mea.* GREG. In Ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt: bonus non fuit, qui malos tolerare non potuit. Adversarum hæresum dogmatibus ejus integritas tanquam spinis pungitur, ut contra hostes suos vigilans exerceatur, donec eminens, tanquam lilium, in capite sponsi sui, candore ipso decoretur.

turi meo.^{¶ 4} Introduxit me in cellam vinariam; ordinavit in me caritatem.^{§ 5} Fulcite

[¶]2.3 *Sicut malus*, etc. Sponsa laudata et exemplo sponsi ad patiendum admonita, reciproca laude sponsum attollit, quod inter bonorum opera [singulariter] similiter sanctus emineat, et se passuram promittit quod patitur, eo præsidente, qui est refrigerium et refectio. *Sicut malus*. Unguentorum odor, quamvis suaviter redolet, non est tamen ad edendum suave. Malum autem optimi saporis et odoris tale est, ut fauces dulcore delectet, et spiritum mulceat odoratus. *Sub umbra*. Ideo dilectum omnibus propono, quia in sola pietatis ejus protectione, cujus desiderio ardebam, refrigerium tribulationum me invenisse conspicio, et suavissimum donorum ejus fructum sentio, quo me perpetuo reficiendam confido. Desideraverat autem *sub umbra* auctoris respirare, cum se sole persecutionem fuscata querebatur, cum Dei auxilium implorans clamabat: *Indica mihi quem diligit anima mea: ubi pascas, ubi cubes in meridie*; cum non solum pressurarum tædio fatigata, sed recordatione pulchritudinis et decoris ejus illecta dicebat: *Lectulus noster floridus*; cujus desiderii se compositam factam ostendit, dicens: *Sub umbra*. Et notandum quod superius *tigna cedrina et laquearia cypressina* prædicabat, non tamen horum sibi protectionem sufficere memorabat; sed solam vitæ arborem, in cujus umbra quiesceret, et fructu reficeretur quærebat, quia sancti exemplis, doctrina, et intercessione, suffragia ferunt: soli tamen Salvatori dicere habemus, *Filii autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt* Psal. 35.. *Sedi et fructus*, etc. Non dicit sedeo, sed *sedi*. Hujusmodi profectus sunt Ecclesiarum, ut in exordio desideret quispiam in virtutum umbra consedere ut ad eum veniat corpus ejus, ex quo umbra nascitur: ideo et nativitas Jesu ab umbra cœpit, et in veritate finitur. Sicut dicitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* Luc. 1.. Sic postea ad meliora fit transitus. *Dulcis*. Quia in eo intelligit anima causam vitæ, dum et corporaliter percipit.

[§]2.4 *Introduxit me*. Hæc refectio quantæ dulcedinis, quantæ sit virtutis, ostenditur, cum subdit, *Introduxit me*. Id est, spe futuræ gloriæ adeo lætificavit, ut jam sæculi non sentiam labores. *Introduxit*. AMBR. Quam cito guttur meum dulcedinem gratiæ ejus attingit, ita me recreatam spiritu et ab amore terrenorum in superna translatam sentio, ac si in cellam vinariam introducta, novi sim meri odore et poculo refecta. Typice per *vinum* gratia Spiritus sancti notatur; *Cella* vinaria est Ecclesia, in cujus unitate tantum dari solet et accipi Spiritus sanctus; quam Ecclesiam de toto orbe collectam, Deus in unam sibi domum fabricavit, quam Spiritus sanctus suis charismatibus consecravit. Quæ fabrica, quia in charitatis maximæ fundamento ipso operante consistit, recte subditur: *Ordinavit in me caritatem*. Multorum charitas inordinata est, quod in primo est, ponunt tertium, vel quartum. Primo, Deus diligendus est; secundo, parentes; inde filii, post domestici, qui etiam, si boni sunt, malis filiis præponendi sunt. Secundum hoc in Evangelio ad cujuscunque dilectionem, proprium ponit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut teipsum* Marc. 12.. Inimicos non ex tota virtute, non sicut teipsum, sed simpliciter: sufficit enim quod diligimus, et non odio habemus. Vel, ipse prior dilexit me, et diligendo, ut eum amare nossem, donavit. Vel, ordinavit, id est, ordinata charitate, mea singula membra, id est, electos omnes, sibi copulavit; eminentiora ampliori affectu complectitur. Quantum charitas mentem quam perfecte absorberit ab amore infirmorum sustollat ostendit, cum subditur:

me floribus, stipate me malis, quia amore languo. ** ⁶ *Læva* ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. †† ⁷ *Sponsus* Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. ‡‡ ⁸ *Sponsa* Vox dilecti mei; ecce iste venit, saliens in montibus, transiliens

**2.5 *Fulcite*. Jam supradictis confortata, ita in amorem Dei ardet, ut præ nimio amore vel pœnis illatis languor carnis immineat. Vel, *fulcite*, id est, vos alii, vel perfectiores, vel incipientes bene operando, sitis mihi recreatio, ut in bonis operibus vestris quiescam, quæ adhuc non possum quiescere contemplando vultum Dei. Ideo *fulcite*, ut et præsens et futurum subsidium habeatis, sicut ego in languore meo habeo. Quanto se ad amorem sponsi accendit, tanto ab amore temporalium languescit: unde subdit: *Languo*.

††2.6 *Læva ejus*. Noli aliunde capiti requiem quærere; si enim lævam ejus habueris, omnia tibi, quæ mea sunt tribuentur. *Læva ejus sub capite meo*. Cum corda fidelium in hac vita, per sacramentorum participationem, per pignus Spiritus, per Scripturarum solatia confortantur: quæ et ad subsidium peregrinationis dat Deus: *dextera amplexabitur*, cum post hanc vitam cœlestia præmia accipiemus. *Læva* id est, præsens vita, et temporalia Dei dona, dum per spem mentem roborat, est *sub capite* ad consolationem data: et *dextera*, id est æterna vita *amplexabitur*, sicut protegens, quando per remunerationem nos glorificabit. Quasi: Temporalia Dei beneficia quo a mundi cupiditatibus et perturbationibus aliquantulum quiescere queam adjuvant in hoc loco peregrinationis, et æternorum promissio amplius delectat.

‡‡2.7 *Adjuro*. Primitiva Ecclesia ad gentes conversa, et quasi in persona eorum hucusque locuta, cum ex amore interiori corporis defectum jam patiat; monet sponsus novellam Ecclesiam, ne peccando inquietet eam. Quam amabilis sit Deo hujus Ecclesiæ et cujuslibet fidelis animæ pausatio, ex responsione sponsi declaratur. *Per capreas*. Id est, si velitis esse comparabiles *capreis*, vel *cervis* in virtutum altitudine et pretiosioribus cibus, et in agnitione, quæ medela sit congrua vestris vulneribus, si vulnera habetis. Capreæ et cervi, munda animalia, venenorum inimica, ruminantia, opera spiritualium virtutum figurant, contra virulenti hostis insidias. Cervi tempore amoris discedentes a patria, alter clunibus alterius capite imposito se sustentant, ordinatim incedentes, primus fert, ultimus tantum fertur, primo fatigato, ultimus succedit, canibus insequentibus per dumeta cornibus dorso impositis illæsi evadunt. Caligantibus oculis serpentem comedunt, et hausto fonte visum recuperant, et deponunt superflua. Sic sancti amore Dei renuntiant terrenis: alter alterius onera supportant, minus enim onerati peccatis allevant oneratos, condonando, pro eis orando; robur datum per Spiritum sanctum menti suæ supponunt, dum urgentur ab impiis, et sic transeunt illæsi; diabolus comedunt, id est, annihilant in se, et potato fonte, id est, Christo, visum interiorem recuperant, et pellem ponunt, id est, immunes fiunt a peccatis. *Ne suscitatis*. GREG. Si subditi aliquid peccant, propter quod doctores a quiete surgere cogantur, non tantum pœnam illius peccati incurunt, sed etiam puniuntur pro inquietatione doctorum, quia qui doctores cœlestibus intentos inquietare præsumit, etiam virtutes quas habere se credebat, perdit. Ad juramentum sponsi, sponsa libenter suscipit, et audiens determinationem istam appositam, scilicet donec ipsa velit, animadvertit sibi latenter præcipi, ut ipsa sponte surgere velit, promittit ergo se surrecturam et proponit talem sponsum, pro quo velit, et tempus congruum. Postquam enim apostoli in primitiva Ecclesia gentium positi, in tantam perfectionem se et alios induxerant, ut jam contemplationi vacarent, iterum intelligit sibi impositam necessitatem discurrendi per totum mundum et construendi novas Ecclesias.

colles.^{¶ 9} Similis est dilectus meus capreae, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.^{§§ 10} En dilectus meus loquitur mihi. *Sponsus* Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea,

^{¶¶}2.8 *Vox dilecti mei.* Hac est quam audivi adjuvantem filias Jerusalem ne me suscitarent: gaudeo consolatoriam ejus vocem audiens, cum ejus faciem nondum video; tamen sublevato ad cœlum animo, aliquam suavitatem futuræ beatitudinis prægusto, etiam in hoc præsentī. *Saliens in montibus.* Salit in montibus, et quasi pedes ponit, quo signo ibi fuisse dignoscitur, quia eum per passionem et vitæ conversationem imitatur. Saltum fecit de cœlo in uterum, de utero in præsepe, de præsepi in crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro rediit in cœlum. Ipse est qui elevatus est super omnes montes et colles, id est, sanctorum tam majorum quam minorum altitudines. *Transiliens colles.* In *collibus* non apparent signa pedum, sed umbram supervolantis susceperunt: quia etsi non ut illi majores, tamen aliquatenus imitantur et ab eo visitantur, *Montes* et *colles* sunt, qui generalem Ecclesiæ conversationem quasi floridam camporum planitiem, singulari mentis puritate transcendunt, et ab infimis recedentes vicinias superna contemplantur. In quibus *salit*, quia corda sublimium crebra visitatione illustrat; et non manet, sed *salit* et *transilit*: quia hæc dulcedo contemplationis brevis est et rara, propter gravedinem carnis, quia terrena inhabitatio aggravat sensum multa cogitantem.

^{§§}2.9 *Similis.* Quia acute videt, et in altis montium habitat, velociter saltat. Unde et rarius a nobis videtur: semper ascendit a nativitate usque ad sinum patris. *Similis.* Et quamvis divinitate sua ita omnes transcendat, tamen factus est homo, pro me natus est de gentili et patriarcharum semine. In assumptione carnis et humanitate comparatur *capreae*; in varietate virtutum et miraculorum *hinnulo*. Cervus flatu narium serpentem de cavernis extrahit, et superata pernicie veneni pabulo delectatur. Quoniam istis versiculis speculativæ vitæ sublimitas est expressa, restat activæ vitæ, quæ omni Ecclesiæ communis est, perfectionem ostendere. Unde sequitur. *En ipse stat*, etc. *Post parietem.* Paries, qui ab ejus aspectu nos seducit, mortalitatis conditio est, quam peccando meruimus, qui ita conditi sumus, ut si non peccaremus, omnes electi divinum lumen indefessi cerneremus: ad quod intuendum perpauci perfectiores, cum labore, fide purificati nunc pertingunt: sed in hoc pariete misericordia Dei fenestras et cancellos unde nos prospicere fecit, quia mentibus, quamquam oppressit, gratiam suæ cognitionis aperuit, et crebra nos suæ inspirationis luce respicit. Per cujus inspirationis prospectum, quia hoc maxime Deus agit, ut nos a temporalibus ad promerenda cœlestia provocet, recte subjungitur: *En dilectus meus loquitur mihi*, qui supra monuit filias Jerusalem ad custodiam meæ quietis: me ad colendas vineas mittit ostendens opportunitatem. *Post parietem.* Moraliter si feceris ædificationem tuam, Deus veniet *post parietem* tuum, *prospiciens per fenestras*, id est, per quinque sensus sollicite contuetur; ubi enim non prospicit sponsus, mors ascendit: unde Jeremias: *Ecce mors ascendit per fenestras nostras* Jer. 9.; *per retia.* Omnia retibus diaboli plena sunt, quibus caperis, nisi quia sponsus subjecit se retibus mundi qui eminenter, et conscindens viam faceret, ut dicas: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium* Psal. 123.. *Per fenestras.* Sicut sol intrans per fenestras illuminat domum, ita Christus exemplo et admonitione apostolorum nos illuminavit. Sicut per *cancellos*, id est, per parva foramina parva lux intrat, sic obscura cognitio per prophetas.

et veni: * 11 jam enim hiems transiit; imber abiit, et recessit. † 12 Flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra; ‡ 13 ficus protulit grossos suos; vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: ¶ 14 columba mea, in foraminibus petrae, in caverna maceriae, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua

*2.10 *Surge propera.* Id est, interrompe contemplationem, et labora in acquisitionem aliorum; vel surge ab amore terrenorum. Surge, omnia tempus habent; qui modo adjurabat filias Jerusalem, ne inquietarent dilectam: ecce eam ad laborem invitat. *Surge propera.* GREG. Cum jam de corruptionis corpore educitur, ei imber transiit, quia praesentis vitae torpor abscessit, et ad contemplandum Deum in substantia educitur, nec jam verborum guttae sunt necessariae, ut pluvia praedicationis debeat infundi. Nam quod minus audire potuit amplius videbit. Tunc enim *apparuit flores in terra*, quando de aeterna beatitudinis vita quaedam suavitatis primordia praegustare anima coeperit quae jam in floribus odoratur exiens, quae postquam egressa fuerit, in fructu uberius habebit. *Tempus amputationis advenit.* Nostra amputatio tunc evenit, quando infructuosam ac noxiam corruptionem carnis deserimus, ut ad fructum animae pervenire valeamus, qui fructus nobis est uberrimus. In amputatione quippe sarmenta sterilia rescinduntur, ut ea quae valent, uberius fructum ferant. Ideo *surge*, quia ego patiens pro te fluctus sedavi. *Veni.* Ad impendendam etiam curam salutis proximis per studium sedulae praedicationis, ut cum magno comitatu ad nuptias merearis recipi. Quasi: credis te venturam, si vacaveris contemplationi: sed venies melius per laborem hujusmodi. Oportet ut praedices, quia cum jam scientia est in te, est etiam in illis, ad quos te mitto, opportunitas recipiendi.

†2.11 *Imber abiit.* Ego a mortuis resurgens, tempestate compressa tranquillitatem reddidi. Modo facilius est praedicare, cum quidam jam conversi sint, quam prius, cum nullus adhuc crediderat.

‡2.12 *Flores. Quasi:* Istos, qui jam credunt, et jam bona operantur, potes dare in exemplum aliis: istos potes proponere aliis in exemplum qui jam patiuntur falcem vitia rescantem. Pro quiete tua non debes dimittere praedicationem, quia Christus, qui in magna quiete erat cum Patre, quietem quodammodo pro praedicatione intermisit. *Tempus putationis.* Jam inutilibus vanae religionis amputatis sarmenis, futuro fidei fructu praeparantur corda hominum, jam et vitia amputantur, quia venit tempus remissionis peccatorum. *Vox turturis audita est.* Spiritus sanctus, quando de occultioribus loquitur sacramentis, et quae multi non capiunt, turturis appellatione signatur. Unde et Moysi apparet et uni: quando de humilibus quae ad omnes usque perveniunt, per columbam assumitur, unde et circa Jordanem astantibus multis non in turture apparuit, sed in columba. *Vox turturis*, vox apostolorum, vel quorumlibet praedicatorum, qui suo cantu abscessum hiemis et veris adventum nuntiant, qui pro cantu humilem gemitum reddunt, qui pudicitiae amatores sunt, qui semper in jugis montium, vel in verticibus arborum morantur, et conversationem fugiunt hominum, dum in mundo corpore positi, conversationem habent in caelis, incolatus sui et patriae sibi promissae memores.

¶2.13 *Ficus.* Grossos vocat primitivas et immaturas ficus, quae non sunt habiles esui, quae etiam si concussae fuerint, leni tactu cadunt: ergo sonante turture, id est, praedicatoribus apostolis, Synagoga protulit grossos, id est, immaturam legalis observantiae intelligentiam abjecit. Vel ita: Synagoga procreavit apostolos, qui dulcem cibum suis credentibus ministrarent. Et quia proferente Synagoga apostolos, totius orbis fides salusque secuta est, recte subditur. *Vineae florentes.* Per floritionem initia multiplicium Ecclesiarum, de ea quae Jerosolymis primo plantata est, de cujus flore succus expressus poculi genus conficit, saluti et voluptati accommodum, quod laetificat cor hominis.

dulcis, et facies tua decora. §¹⁵ *Sponsa* Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. **¹⁶ Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, ††¹⁷ donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Revertere; similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bether.]**

§2.14 *In foraminibus.* In vulneribus Christi Ecclesia sedet et nidificat: cum in passione Domini spem suæ salutis ponit, et per hoc ab insidiis accipitris, id est, diaboli se tutandam confidit, et in eodem alios gignit. *In foraminibus.* In fide, vel in capacitare, in qua fideles locati ab hostibus sunt tuti. *Maceries* est congeries lapidum, sine cæmento in unum compactorum, sic apostoli eadem fide et eisdem sacramentis sunt uniti. *Ostende mihi.* Necdum habebat fiduciam, ut revelata facie gloriam Dei contempleretur; sed quia jam ornata est, dicitur: *Ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis.* Ostenditur Domino *facies*, recte operando: ostenditur *sonus vocis*, salubriter prædicando. Ne erubescas prædicare crucem Christi, quamvis stultitia videatur incredulis, quam prædicaverunt Christi apostoli, qui sunt *maceries* et munimentum Ecclesiæ. Vel, *maceries* sunt prophetæ et patriarchæ, in quibus apostoli habent refugium. Quod intus pulchritudinis habes, et in secreto quietis didicisti, in publica actione ad utilitatem aliorum demonstra: nam mihi qui intima prospicio, tunc *faciem tuam* ostendi aestimo, cum utilitati proximorum bonam actionem ostendi considero. *Auribus meis.* Non alienis, id est, meæ dilectioni, non alicui terreno, et opus et vocem expende. *Vox enim tua.* Non aliena, sed ea, quam in die desponsationis te mihi servire promissisti.

**2.15 *Capite nobis.* Quoniam non sufficit nobis vitam nostram aliis in exemplum proponere, et bonam prædicationem facere, nisi etiam errantes corrigamus, et infirmos ab insidiis aliorum defendamus, recte dicitur *capite* non vobis, sed nobis; in hoc mihi enim servitis, in hoc vos remunerabo. Vulpes in foveis abduntur, et cum apparuerint, nunquam directis itineribus currunt, sic hæretici. *Nam vinea nostra.* Pulchre, cum supra *vineas* plurali numero, hic singulariter *vinea*, quia multæ vineæ per fidem et charitatem unam: et ideo sunt expellendi, qui eam volunt per hæreses scindere.

††2.16 *Dilectus meus mihi.* Tali affatui dilecti, mox amica columbini cordis simplicitate respondet, et injuncto officio se obedituram promittit; quasi dicat, non solum hortatur, sed etiam adjuvat. *Dilectus meus mihi.* Sincero amore mihi copulatur, et *ego illi.* Vel, *dilectus* talem exhortationem *mihi* facit, et *ego illi* faciem et vocem ostendo. Vel, *dilectus meus mihi*, non alteri cuilibet, scilicet, gratiam præstabit et fructum rependet; et *ego ei*, non alteri cuiquam, non in alia turba hominum, sed integra obedientia et devotione conglutinabor. Cunctis his sensibus apte convenit quod sequitur: *Qui pascitur inter lilia.* Pascitur in nobis, quia corpus illius sumus et membra de membro; pascit nos ipse, qui caput est. *Pascitur inter lilia*, cum fideles, qui sunt membra ejus, exemplis priorum fidelium in supernorum amore perficiuntur. *Lilia.* Adustris membris mederi solent: sic sancti, si forte vident corda proximorum aduri flamma vitiorum, refrigerium consolationis et exhortationis adhibent. Quia hæc Domini pastio, quæ in sanctorum ejus profectibus agitur, usque ad finem sæculi pertingit. Nam ubi ad visionem pervenerint, in quo ultra proficiunt non habebunt, recte subditur: *Donec aspiret dies.*

**2.17 *Revertere, similis.* In excelsis mentibus vestigia pone, et ab illis aliquando etiam condescendendo inferioribus appare, qui in valle sunt. *Revertere, similis.* Et quia ad ecclesias constituendas, et excolendas, et ad versutias vulpecularum abigendas provocas, et ut faciem meam tibi ostenderem, cum tuam faciem adhuc clare non videam, et per me non sufficiam, obsecro, illustra perfectius cor meum et corda illorum quibus prædicatura sum.

3 [In lectulo meo, per noctes, quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni.[¶] ²Surgam, et circuibo civitatem: per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni. ³Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea vidistis?^{§§} ⁴Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genetricis meæ.* ⁵Sponsus Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitatis,

[¶]3.1 *In lectulo.* Orantibus prædicatoribus de Judæa, ecce gentilitas Spiritu divino afflata ad agnitionem suæ salutis advenit, et inventam firmo amore tenet. Unde sequitur: Vox ejus plene intrantis. *In lectulo.* GREG. Moraliter lectulum sibi sancta anima in nocte facit, dum omnes mundi perturbationes fugiens, secretum, in quo requiescit, comparat. In hoc lecto dilectum quærit: quia dum a sollicitudinibus vacat, in ejus inquisitione quomodo ad illum perveniat requiescit: sed dum in mundo vivit, tenebras mundi a se perfecte non excutit et quanto gravius patitur, eo frequentius quærit, et ferventius eum, quo invento tenebras amplius non patiatur. Sed quia in hoc mundo non invenit, ideo subditur: *Quæsivi eum, et non inveni.* Quia vero maximo desiderio æstuat, et quidquid tenet, ei non sufficit, donec delictum inveniat: ideo perseverantiam inquisitionis subjungit, *Surgam, et circuibo civitatem. In lectulo.* Ex quo Adam peccavit, cœpit homo in terrenis quiescere, et tamen duce ratione quasi per somnium veram beatitudinem intelligens, ipsam in terrenis putabat consistere. HIERON. Moraliter. In lectulo anima Deum quærit, quando in suo otio quidem appetit Deum videre, et ad eum de carcere carnis exire desiderat, sed non conceditur: et abscondit se sponsus, ut non inventus, ardentius quærat. *Et non inveni.* GREG. Quia mihi gentilitati non angelus, non propheta, non quilibet doctor in dubiis lumen divinæ cognitionis ostendit, ideo non inveni, quod ubi comperi, quod in lecto non posset inveniri, proposui in animo meo de lecto carnalium voluptatum exsurgere, et ad laborem salutiferæ inquisitionis accingi, et terra et mari publice et privatim universorum, quos sapientes audirem, magisteria adire. *Vici,* sunt spirituales viri, qui dum ad cœlestia gradiuntur, angustam viam tenent. *Plateæ,* id est, sæculares, qui multas voluptates sequuntur, et alta via incedunt. Omnes ergo circummit, quia omnes sanctos, qui sunt vel fuerunt, mente conspicit et imitatur: etiam in sæcularibus aliquando invenit, quod valeat ad inquisitionem sponsi: sed postquam laborem geminatum inquisitionis ostendit, iterum difficultatem inventionis subdit: *Quæsivi, et non inveni:* sed dum quærit et non invenit, ipsa et quæritur et invenitur: Unde dicitur: *Invenerunt me vigiles. Quæsivi.* Plurimo labore mundo peragrato, sapientium verbis discussis, nil certum de via veritatis addiscere potui.

^{§§}3.3 *Invenerunt me.* Cum sic inquirerem, Dominus hanc instantiam inquisitionis videns, tandem se manifestare dignatus est et cui inspiraverat, ut quæreret, quærenti donavit ut inveniret. *Num quem diligit.* GREG. Illis volentibus docere, ista flagrans nimio amore prior alloquitur, *Num quem diligit.* Ecclesia interrogat vigiles, cum prædicationem intente suscipit, et in ea bonorum operum exhibitione fructificat.

^{*}3.4 *Cum pertransissem.* ID. eos transit, quia in ipsis videt formam ejus, quem quærit; et tamen *transit,* quia Deum, qui est ultra, incipit imitari et intueri. Transit Petrus vigiles, dum contemnit prophetas, et Domino prophetarum dicit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi* Matth. 16.. *Donec introducam illum,* etc. Donec in fine mundi Synagogam, per quam auditum fide suscepi, et mysterium regenerationis ad fidem ejus revocare satagam. Ecclesia gentilis in fine revocabit Synagogam, quæ prius vocaverat illam per apostolos.

neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.[†] ⁶ *Chorus* Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?[‡] ⁷ *En lectulum* Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël,[¶] ⁸ omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis

[†]3.5 *Adjuro vos.* Christus audiens se per hos introducendum, adjurat ne ei parent impedimentum. *Adjuro vos.* Ideo repetitur hic versiculus in cantico amoris, ut non minorem se Dominus Ecclesiæ de gentibus, quam de Judæis collectæ curam habere: sed æqualem pro utriusque pace sollicitudinem gerere designet. Non minus enim hæc regina austri capitur amore sponsi, quam prima amica de Judæis. *Cervosque.* Cervi est in senectute serpentem comedere, et pro siti a veneno concepta, ad fontem properare, et inde potando juvenescere, cadentibus pilis et cornibus: quod cuique fideli competit per lavationem baptismi.

[‡]3.6 *Quæ est ista.* Ulterius agit de Ecclesia de gentibus conversa, quomodo apostolis fundamento accepto, deinde per successus temporum et graduum promotiones sit multiplicata. *Quæ est ista?* Judæi conversi, videntes etiam gentes converti et in amorem sponsi pariter recipi; non ex invidia, sed quasi admirantes, et de societate fratrum congaudentes, inquirunt si salus sit promissa gentibus: quod multum fuerat dubium. *Quæ ascendit.* Eodem tempore, et dormit, cum a carnalibus desideriis se alienat Ecclesiæ, et bonis operibus ad visionem sui conditoris appropriat. *Per desertum.* Id est per medium gentium, quæ nulla erant virtutum fruge fecundæ, quas nullus propheta, vel angelus ad cultum Dei instituerat, vel: *Per desertum sicut virgula fumi,* quia a mundi illecebris separata, cœlestibus præceptis est dedita. Fumus eodem tempore partim oritur, partim, qui prius ortus fuerat, solet in sublimioribus disparere: sic Ecclesia, in quibusdam suis membris semper gignitur nova, in quibusdam, qui prius nati fuerunt, semper colligitur ad cœlestia. Fumus ex igne natus ad alta conscendens paulatim se humanis subtrahit aspectibus: sic Ecclesia igne sancti solius Spiritus in amorem Dei accensa ascendere non desinit, donec a terrenis abstracta ad invisibilia cœli rapiatur. *Ex aromatibus.* Nota quod aromata commemorans, primo *myrrham*, deinde *thus*, et postea *universi pulveris pigmentarii* ponit, quia prius est mortificare concupiscentiam carnis, postea offerre Deo placabilia vota cordis, et sic cum humilitate crescere in omni virtutum genere. *Pigmenta.* In pulverem redacta valent ad confectionem: sic virtutes cum non extollunt animum, sed quasi in pulverem, reputatione agentis, rediguntur, ad perfectionem perducunt. *Pigmentarius,* vel homo qui operam dat virtutibus: vel Deus, qui virtutes largitur.

[¶]3.7 *En lectulum.* Priori amice miranti respondet gentilitas determinans, quo ascendat, quia scilicet ad *lectulum*, et per quid ascendat, quia scilicet media *fercula* sunt charitate constrata, et probat se in eadem sponsi dilectionem accessisse, in qua prior est: quia similiter habet nuptialem apparatus, et prædicatores habet, quos Deus ad nos non misisset, nisi eos prælegisset. *En lectulum.* Lectulus veri pacifici, æterna beatitudo, in qua rex cum sanctis quiescit, ad quem Ecclesia per desertum partim quotidie pervenit, tandem perfecte perveniet. Vel etiam lectulus Dei est in præsentem quietam conversatio sanctorum. Utrumque lectum *ambiant fortissimi:* quia et præsentem quietem, et pacem Ecclesiæ prædicatores contra incursus timentur, et internam patriæ cœlestis quietem quique perfectiores fixa intentione speculantur. *Israel.* Id est vir videns Deum, quo nomine juste vocantur omnes, qui ad divinæ visionis gaudia tendunt. Inter quos fortissimi sunt, qui vel cœlestis dono speculationis sublimantur, vel prædicationis ministerium suscipiunt.

super femur suum propter timores nocturnos.^{§ 9} Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani; ^{** 10} columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum; media caritate constravit, propter filias Jerusalem.^{†† 11} Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.^{‡‡}

4 [*Sponsus* Quam pulchra es, amica mea ! quam pulchra es ! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum quæ

§3.8 **Omnes tenentes gladios.** Qui indesinenter habent verbum Dei in promptu, et ad resecanda superflua et in se et in subditis, et ad repellendos hostes et conculcandos. **Omnes tenentes gladios.** Verbum Dei tenent, et periti sunt qualiter utantur illo, tam alios quam se quantum ad vitia expugnando. **Ad bella doctissimi.** Quia tot millibus annorum contra diabolium in carnis fragilitate pugnaverunt, ex assiduo usu docti sunt. **Propter timores.** Ne insidiæ tentatoris; si eos securos inermesque repperint sternant: et ne eis expugnatis lectulus quem custodire debuerunt, fœdetur, scilicet, ne præsens pax Ecclesiæ violetur, et sic futura beatitudo amittatur.

3.9 **Ferculum. Non solum per hoc, quod et in præsentī in lectulo Salomonis quiesco, et ad futurum lectulum festino, et fortissimos custodes habeo, apparet quod salus sit promissa gentibus: sed etiam per hoc, quod de nobis fecit quoddam ferculum, id est quod de loco ad locum ferret sui verbi dispensatores, vel in quibus ipse per mundum feratur. Vel ita: Pacificus, ad cujus lectulum propero, ita munivit me: et hoc fecit per ferculum, id est per apostolos, per quos, sicut in cathedra fertur, quos ad meam salutem vel nostram misit.

††3.10 **Reclinatorium aureum.** Id est, sui speculatores plenos divina sapientia, vel **reclinatorium** facit in ferculo, cum spem perpetuæ quietis fidelibus promittit. **Aureum,** quia requiem suæ visionis gloria coruscantem præparat. **Ascensum purpureum.** Ascensus sunt illi, per quos aliquis potest scandere primum ad virtutes, postea ad sancta sanctorum: qui sunt **purpurei,** id est ad martyrium prompti. Vel, ipsæ virtutes, sunt **ascensus,** quæ sunt vera **purpura:** quibus decorantur animæ fideles. Vel, ipse Christus **ascensus,** per quem et in Ecclesiam et in cœlum intratur. **Purpureus,** quia lavit nos in sanguine suo: et nullus ingreditur Ecclesiam, nisi sacramentis Dominicæ passionis imbutus. **Media caritate constravit.** Vel caritate, qua pro nobis passus est. **Media,** id est, Ecclesiæ corda, instar strati paravit, ubi fideles animæ molliter quiescant: quia totam eam intrinsecus supernorum amore replevit: unde addit: **Propter filias Jerusalem.** Propter animas cœlestium desiderio æstantes quia quanto magis nos dilexit, tanto magis ad patiendum pro eo nos accendit. **Media** GREG. Ecce consolatio. Qui non potest sanguinem pro Domino fundere, diligat proximum **propter filias Jerusalem,** quia non sunt dicendi filii, id est firmi, sed filiæ, quæ per charitatem a Dei ædificio non alienæ sunt.

‡‡3.11 **Egredimini et videte,** etc. Pulchro ordine post enarrata regis dona, ipsam quoque speciem et ornatum ejus prædicare incipit, et ad videndum eum invitat. Et attendendus est ordo, et successus hujus Ecclesiæ, quæ de Judæorum primitiis instituta, prælatis, iudicibus, aliisque gradibus illam primam, jam post apostolos tepidam admonet, ut successoribus et contribulibus eorum a quibus prædicata fuit, vicem mater reddat. **In diademate.** Quasi latentem in humanitate, qua vicit diabolium: et caro fuit causa hujus victoriæ nisi Deus carne obumbraretur, diabolium eum non aggrediretur. **In diademate,** id est, in illa spinea corona, qua coronavit eum Judæa sua. **Qui coronavit eum.** Qua humanitate honestavit eum mater: in hoc quod virgo est, non deturpans ut aliæ mulieres, sorde originalis peccati: et mittit nos ad historiam. Quasi: Credite nativitatem, passionem, resurrectionem. Hæc descriptio pro Ecclesiæ multiplicitate extenditur. **Desponsationis illius.** Si **illius** referimus ad matrem, dicimus in tempore annuntiationis: si ad fidelium, resurrectionis, quæ præcipua lætitia fuit, quia tunc solutum est genus humanum.

ascenderunt de monte Galaad.^{¶¶} ²Dentes tui sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro; omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas.^{§§} ³Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.* ⁴Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata

^{¶¶}4.1 *Quam pulchra es.* Cum sponsa de gentibus conversa jam tantæ sit perfectionis, ut Judæis versa vice prædicet et sponsum laudet: ipsa quoque dignam laudis recompensationem a sponso recipit. Hæc descriptio pro Ecclesiæ multiplicitate extenditur. *Pulchra* actione, quia sicut virgula fumi per desertum ascendit, pulchra prædicatione, quia ad suum consortium proximas attrahit. *Oculi.* Id est, sensus tui contemplatione spiritualium rerum sunt excellentes et reverendi. Per partes intendit laudare. *Absque.* Magna est gloria aperti operis, sed longe incomparabiliter æterna retributio, quæ videri non potest. *Capilli tui.* Ut facilius cuncta liquescant, breviter singula percurramus. *Capilli,* sunt spontanei pauperes. *Genæ,* summi prælati. *Dentes* vero genarum, alii inferiores prælati. *Labia,* sermocinatores. *Capilli tui.* Si in *oculis* acumen spiritualium sensuum accipitur, in *capillis* potest notari pluralitas cogitationum, quæ omnes ad unum finem cœlestis boni tendunt. Unde capreis æquantur, quæ animalia munda sunt, et ardua rupium quærunt gratia pastus. *Quæ ascenderunt.* Unam de naturis capreæ ponit, ut sic de aliis intelligatur, et illam magis virtutem prædicat qua auditores magis indigere perspicit. *Quæ ascenderunt.* De illo, qui est testimonium se imitantibus, sicut ipse promisit: Qui *me confessus fuerit coram hominibus,* etc. Luc. 12.

^{§§}4.2 *Dentes tui sicut greges tonsarum.* Sicut in capillis, fragiliores Ecclesiæ populi, qui numerositatem præstant, signantur: sic in dentibus fortiores quique et ad regendam Ecclesiam apti, qui firmitate prævalent. *De lavacro, omnes.* Omnium est, baptismo purificari: perfectorum est, et maxime eorum, quibus cura ovium est commissa, renuntiare omnibus quæ possident. *Gemellis fetibus.* Id est consimilibus fetibus, quia tales alios reddunt quales ipsi sunt. Vel, duplices fetus, opera geminæ charitatis, ut fideles conversi de utroque populo. Vel, fides et opus. *Et sterilis non est.* Nec illi inter steriles deputantur, qui abluti statim ex hac vita rapiuntur. Habuerunt enim sobolem fidei quam vel ipsi pro se, vel alii pro ipsis confessi sunt. Habuerunt etiam votum bonæ operationis, quod inter oves Christi, si expectati fuissent, socialiter exercerent, unde dicitur: *Consummatus in brevi explevit tempora multa* Sap. 4..

*4.3 *Sicut vitta.* Prædicatores *vitta* dicuntur, quia fluxas cogitationes in cordibus hominum suis prædicationibus restringunt, ne diffuant et cordis oculos premant. *Coccinea.* Quia Dominici sanguinis, quo redempta est Ecclesia, pretium prædicare non cessat: vel quia prædicatione sancta charitatis ardore flammescit. *Labia tua.* Dentes qui terunt: labia quæ trita aperiunt. *Eloquium tuum dulce.* Dum, quæ dicunt faciunt suas prædicationes hominibus quasi sapidas escas apponunt. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ.* In colore exterius *puniceo,* voluntas martyrii: in albis granis quæ cortice fracto videntur, candor virtutum: qui augetur, dum caro colliditur: candor etiam, cum impleta passione miraculis nitent. In *genis* verecundia, in malo *punico* passio Christi. Habet ergo ruborem Ecclesia in genis, cum sacramentum Dominicæ passionis fatetur verbis, et ostendit candorem cum pulsata pressuris, castitatem puri cordis probat, et factis, quid gratiæ salutaris crux habeat, pandit. *Absque eo.* Licet sint magna, quæ exterius apparent: majora tamen in occulto retinent, quæ divini oculi soli vident. *Latet.* Confessionem vivificæ crucis possunt omnes in Ecclesia audire, pressuras Ecclesiæ videre, vel etiam miracula quæ ipsi Ecclesiæ sunt divinitus collata, possunt infideles cum fidelibus intueri: ipsa autem sola anima novit quanto teneatur amore vitæ invisibilis, quanto amore erga Deum et proximum flammescat.

est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.[†] ⁵ Duo ubera tua sicut duo hinnuli, capreae gemelli, qui pascuntur in liliis.[‡] ⁶ Donec aspires dies, et inclinentur umbræ, vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.[†] ⁷ Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.[§] ⁸ Veni de Libano, sponsa mea: veni de Libano, veni, coronaberis: de capite Amana, de vertice Sanir et Her-

[†]4.4 *Sicut turris David.* Turris est expugnabilis prædicatorum constantia, quæ ad defendenda fidei ædificia, et ad repellenda hostium tela, forti manu Dei, et desiderabili rege constructa est *cum propugnaculis*: id est, cum divinarum Scripturarum notitia, quando aperit sensum, ut intelligant Scripturas, et dictis præcedentium suam confirmant prædicationem, *propugnacula* etiam, miraculorum dona, quibus prædicatio astruitur. Nam sanatis morbis corporalibus, ad salutem animæ facilius pervenitur. *Collum tuum.* Collum extendimus, quando longius prospicimus: Sic prædicatores, collum, propter hostium de longe speculationem: *Turris*, propter fortitudinem et propter excelsam cœlestium gaudiorum contemplationem. Vel, *collum*, quia cibos in corpus demittunt, vel quia corpus capiti jungunt: unde, Dominus dat panes, discipuli autem turbis apponunt. Propter aliud prædicatores, *oculi*; propter aliud, *dentes*: propter aliud, *genæ*: propter aliud *collum* vocantur. *Propugnacula* sunt in divinis Scripturis infrangibiles sententiæ, in quibus tuti sunt, qui de longe ab incursantibus se defendunt. *Mille clypei.* Clypeus, ista firmissima ratio est, qua freti sponte contra hæreticos prodeunt, et se muniunt, dum illos percutiunt. *Omnis armatura.* Id est, omnis instructio, vel operationis, vel doctrinæ cœlestis, per quam sancti non solum evadunt, sed etiam acies superant malignorum: dum quosdam et ab errore vel vitiiis retrahunt: quæ omnia a prælatis dependent, quia ab eis resistendi exemplum et vincendi accipimus.

[‡]4.5 *Duo ubera.* Multis figuris eadem Ecclesiæ mysteria repetuntur; sed repetita novi semper aliquid afferunt, et per ipsam novitatem animos audientium amplius delectant. *Duo* igitur *ubera*, prædicatores de duobus populis, qui *oculi* dicuntur quia occulta proficiunt. *Dentes*, quia improbos corrigunt, et in corpus Ecclesiæ trajiciunt: *Collum*, quia vitalem flatum, æterna gaudia prædicando, ministrant, et cibos doctrinæ. *Ubera*, quia lac parvulis in Christo infundunt, qui sunt *hinnuli capreae*, quia acute, quæ sunt agenda, discernunt, veloci cursu operationis de valle lacrymarum avolant. *Gemelli*, quia eandem fidem, eadem sacramenta prædicant: qui ne lac quod erogant in eis deficiat, pascuntur floribus Scripturarum et exemplis sanctorum ea semper recolendo. *Duo hinnuli* Duo populi, qui per humilitatem parvos se et peccatores intelligunt, sed charitate currentes, omnia obstacula mundi transeunt, et saltibus contemplationis ad superna conscendunt. *Qui pascuntur.* Quia in his refectionem habent, qui florent virtutibus et splendent, dum ipsum Deum, quem desiderant, adhuc de vicino videre non possunt.

[†]4.6 *Donec aspires dies illa.* Postquam, nec docendi ultra nec discendi tempus erit, sed consummatis omnibus hujus mundi tenebris, omnes fulgebunt sicut sol. *Vadam ad montem.* Et quia Ecclesia per singula talis est. *Vadam*, id est, addam gratiam, tam inferioribus quam majoribus. *Vadam.* Quia novos populos quotidie congregabo. Et quia sermo est ad Ecclesiam de gentibus, potest non incongrue videri promissa vocatio Synagogæ, quæ in fine mundi est futura: seu vocatio quarumcunque gentium. Unde mox de amplissima pulchritudine unius ejusdemque Ecclesiæ, quæ vel de Judæis vel quibuscunque gentibus per totum orbem est congreganda, subditur, *Tota pulchra es.*

[§]4.7 *Tota pulchra es.* Non solum in electioribus membris, quæ enumeravi, sed etiam in illis qui pusilli et fragiles videntur.

mon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.** 9 Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.†† 10 Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa ! pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.‡‡ 11 Favus distillans labia tua, sponsa; mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut

**4.8 *Veni de Libano*. GREG. Et quia vado ad te, tu debes venire ad me, cogitatione, locutione, opere. Vel, primus gradus est in carne pro bono opere: secundus in absolute carnis ad percipiendam beatitudinem in anima: tertius recepto corpore quando in resurrectione duplices recipient stolas. *Veni* fide, *veni* opere, *veni* alios adducendo: vel ter veni propter fidem Trinitatis. *Libanus* mons Phœnicis, Hebraïce interpretatur *candidatio*, Græce *thus*: unde supra, *Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris*. Dum prædicatores convertunt tales ad salutem, crescit corona de principibus victis certamine eorum. *Veni*. Quasi: ne timeas, ne sola venias: quia multos tibi addam. *De capite Amana*. Amana mons est Ciliciæ, Sanir et Hermon montes Judææ, in quibus leones habitant, per quos dæmones notantur, qui contra nos sæviunt: et quia illi convertuntur, quorum corda fuerunt cubilia leonum, dum vicissim eorum confessione Dominus creditur, quasi de leonum cubilibus coronantur, de quibus leo pellitur. Per Amana habemus illos, quos ipse, et per quos alios diabolus per magni studii vigilantiam decipit et conterit. Per Sanir, eos ad quos ignorantia talis deceptionis volat. Per Hermon, tales qui quasi in natura prompti sunt ad nequitiam, non quod diabolus designat. Per *cubile leonum*, illos quibus, et per quos aliis persecutoria dominatur sævitia. Per *pardos* hæreticos, quorum distinctis dolis decipit, de quorum singulorum principalibus Deus suis victoriæ confert coronam. *De cubilibus leonum*. *Leones*, propter superbiam, vel violentiam. *Pardi* propter crudelitatem vel variationem malignarum artium. *Montium* nomine superba infidelium corda designantur.

††4.9 *Vulnerasti cor*. Ideo debes venire, et de acquisitione aliorum laborare, quia diligo te. Vel, ideo dabo tibi coronam de hominibus illis, quia præparasti mihi in te locum dilectionis. Omnis tua pulchritudo mihi placet, sed maxime placet unitas catholica, quam et in prælatis et in subditis video.

‡‡4.10 *Quam pulchræ*, etc. Supra sponsa in dilecto ubera laudabat, hic dilectus ubera commendat: in quo notatur unitas Christi et Ecclesiæ, quia sunt duo, ut ait Apostolus, in carne una: ideo simili laude alter alterum laudat. Doctrina est Christi, quia data est Ecclesiæ, quia ministrat. Et merito amo te, quia doctrina tua, quæ continetur in superioribus uberibus, est pulchra ad consolationem infirmorum et sustentationem parvulorum. *Mammæ*, dilectio Dei et proximi: per quas mens sancta sensus suos nutrit, dum Deo charitate conglutinatur, et proximis, quod potest, impendit. Quas mammæ quantum sponsus diligat, in repetitione laudis manifestat dicens: *Pulchriora sunt ubera*, etc. *Odor*. Id est suavissima fama fidei dispersæ per totum orbem, latior est quam lex patrum, quæ in sola Judæa coangustaretur. *Super omnia aromata*. Id est, super omnia bona opera, quæ faciunt improbi, quæ etsi aliquando hominibus placent, tamen Deo nunquam, quia ex charitate non procedunt. Vel, super institutiones Veteris Testamenti, quæ fuerunt figura horum.

odor thuris.[¶] 12 Hortus conclusus soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus.^{§§} 13 Emissiones tuæ paradisi malorum puniceorum, cum pomorum fructibus,

[¶]4.11 *Favus distillans.* Superius per *labia*, doctores, hic per labia ipsa vox doctorum. Unde et melli congrue comparantur. *Favus*, mel in cera. Mel in cera est spiritualis eloquiorum sensus divinorum in littera distillans, quia pene singulæ sententiæ multos habent sensus. Vel aliter: In favo mel latet, cera videtur: labia ergo favus vocantur, quia dum in carnis fragilitate sapientia magna habetur, quasi mel in cera absconditur. *Mel et lac sub lingua.* GREG. Tanta est spiritualis dulcedo in verbis, quanta corporalis est in *melle et lacte*: et hoc *sub lingua*, id est, non cuilibet patens, sed tantum bonis. Qui peccantem aspere corripit et inter aspera dulcedinis quiddam admiscet, habet mel, non in lingua, sed sub lingua. *Odor vestimentorum.* Id est fama bonorum operum, quibus vestiuntur, ne nudi inveniantur, et quibus turpitudine præcedentium delictorum operitur, est sicut thus, quia in omnibus operibus suis orat, cum bene operatur, cum intentione perveniendi ad Deum, unde: *Sine intermissione orate* I Thess. 5.. Supra nomine *unguentorum*, infusio sancti Spiritus ostenditur, quibus corda fidelium illustrantur et ad spirituale certamen præparantur: Vocabulo *vestimentorum*, facta justorum notantur, quæ foris sunt. Unde et pulchra distinctione, quæ per homines fiunt opera, *thuri* comparantur; quæ vero divina largitione fiunt dona, modum comparationis excedunt. Consulte postquam singula Ecclesiæ membra Dominus sigillatim prædicavit, etiam *unguenta* quibus tota esset delibuta, digna laude commendat. Nulla sunt quippe membra, vel magna vel parva quæ non hujus unctionis spiritualis sint infusione consecrata. Laudavit et *vestimenta*, id est opera justitiæ, quia et hic omne corpus ejus ornatur. Nemo quippe in ea vitam meretur, nisi operibus justis indutus, quæ vel ipse fecit, vel si infans erat, alii pro eo fecerunt, et in illo.

^{§§}4.12 *Hortus.* Assimilaverat eam mulieri pro perfectione, pro speciositate, pro singulorum dispositione graduam, pro decentis unitatis compositione. Sed quia parum videtur amanti singulas partes sponsæ singulis rebus pretiosis coæquare, totum pariter plurimis et maximis speciebus comparat. Comparat igitur horto, pro copiosis operum fructibus in quo fieri quatuor contingit: in primis fons baptismi, sine quo nullus sequitur fructus; deinde unguenta, id est dona Spiritus sancti, qui sunt prima fomenta, ut etiam arbores crescant et fructus ferant, scilicet illa in cordibus rudium adhuc et tenerorum proposita, quando deliberant per Spiritum sanctum, quia mundo renuntiabunt et adversa sustinebunt, et similia; postea arbores, illi eisdem, vel alii jam crescentes, jam florentes; tandem fructus maturi, quorum operum perfectione jam reficitur Christus. Sed hic non ordinat, secundum quod alterum sequitur post alterum, sed a digniori incipit, ut istius sponsæ commendatio sit captabilior illi alii sponsæ, cui istam intendit commendare. Duos hortos ponit, in quo status duo contemplativorum et activorum signantur, quorum uterque conclusus; quia ab adversario colligi non possunt, vel fructu privari. Multi inter fideles conversantur in quibus hostis habet locum, sed hi in horto fructifero non sunt computandi, sed ut palea ejiciendi. *Fons signatus.* Quia Ecclesia, quæ fontis nomine designatur, primum parva in Judæa, postea dilatata est per orbem terrarum, recte subditur. *Emissiones tuæ:* quia illa parva Ecclesia de Judæis adjuncta fonte paradisi emisit ex se. *Ecclesia fons*, quia doctrina salutari redundat, unde proximos irrigat. *Signatus*, quia spiritualis sensus indignis absconditur, nulla incursatione turbatur.

cypri cum nardo.* ¹⁴Nardus et crocus, fistula et cinnamomum, cum universis lignis Libani; myrrha et aloë, cum omnibus primis unguentis.† ¹⁵Fons hortorum, puteus

*4.13 *Emissiones*. Id est fructus horti, scilicet opera quæ post plantationem et irrigationem baptismi prodeunt, sunt mihi *mala punica*, id est matura refectio, ita me delectans ut paradisus. *Cypri*. Id est directi, et in altum crescentes, in humanitate graciles et attenuati, quorum operibus juncta charitate inungitur princeps. *Cyprus* divinam gratiam, *nardus* Dominicam passionem, *crocus* charitatem exprimit. Cyprus est in Ægypto aromatica arbor, semine candido et odorifero, quod coquitur in oleo et exprimitur, inde unguentum regale quod cyprus dicitur paratur. Sic in tenebris hujus mundi divinæ gratiæ benedictio in pinguedine charitatis suscipitur et flammis tentationum probatur, quibus sociatur nardus herba humilis, id est fides Dominicæ passionis et imitatio. Conjungitur ergo *cyprus nardo*, cum divina gratia confortat nos compati Christo. Item nardus croco jungitur: cum in charitate Christi mortem libenter accipimus. *Nardus* est redolens et calens, et significat charitatem. *Crocus* est aurei coloris et significat divina sapientia imbutos.

†4.14 *Fistula et cinnamomum*. Fistula quæ et *casia*, arbor aromatica, sed parva: est autem robusti corticis et purpurei, quæ ad curandas viscerum molestias valet, quæ pro sui brevitate a quibusdam inter herbas odoriferas reputatur, quæ humiles spiritu significat, quæ Dominicæ passionis memores, ad patiendum pro Domino sunt parati. *Cinnamomum* est brevis arbor, sed odorifera et dulcis, cinerei coloris ad medicinæ usum fistulæ duplo præstans. Et significat illos qui se infirmos reputant, quorum humilitas apud Deum dulcedinem habet et laudem. Et bene post fistulam purpuream ponitur cinnamomum cinerei coloris; quia per recordationem Dominicæ passionis oritur nobis despectus nostræ virtutis. Fistula et cinnamomum in horto cum lignis Libani prodeunt: quia in Ecclesia, qui humiles et patientes sunt, cum illis, qui Ecclesiam prædicando vel virtutes faciendo muniunt, palmam retributionis exspectant. *Cum universis lignis*. Sicut fistula et cinnamomum, humiles sanctorum cogitationes: sic et ligna Libani, quæ alta et robusta sunt, demonstrant sublimes sanctorum actiones et orationes. Myrrha imputribile reddit corpus, et significat illos qui amaritudine et patientia corpus suum reddunt securum a motibus carnalibus et ab omni adversa parte. Aloë non tantam vim habet, quantam myrrha, sed tamen valet contra putredinem. *Primis*. Id est, cum charismatibus virtutum excellentioribus. Et pulchra conjunctio herbarum et arborum cum unguentis: quia dum carnem a lascivia refrenamus, consequens est ut majora dona spiritus suscipiamus. In horto Domini concluso, inter alia nascitur.

aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.[‡] ¹⁶ *Sponsa* Surge, aquilo, et veni, auster: perfla hortum meum, et fluant aromata illius.][¶]

5 [Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. *Sponsus* Veni in hortum meum, soror mea, sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis; comedi favum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo; comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi.[§] ² *Sponsa* Ego dormio, et cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis: *Sponsus* Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei

[‡]4.15 *Fons hortorum*. Qui de primitiva Ecclesia processit in mundum doctrina cœlestis, quæ plures ecclesias, scilicet hortos procrearet. De quo fonte bene subinfertur: *Puteus aquarum viventium*, quia eadem doctrina Ecclesiæ, et *fons hortorum* est, quia spirituales fructus gignit, in his quos instruit: et *puteus* est propter occulta mysteria quæ solis sanctis per revelationem sancti Spiritus panduntur. *Aquarum viventium*, propter divina eloquia, quæ de invisibilibus divinæ gratiæ thesauris procedunt, atque in vitam æternam ducunt. *De Libano*, id est, de ipsa Ecclesia, quæ et candida est per munditiam fidei, et alta per virtutum gratiam.

[¶]4.16 *Surge*. Et cum talis sit hortus, *surge*, id est, discede vel impugna. *Surge*. Horto consito et irrigato, restabat ut omnibus firmiter et ordinate compositis, nequaquam adversariis illius, tentandi negaretur accessus, sed potius monstraretur, quia quo amplius flagellantur, eo amplius interna fluctuum illius suavitas panditur. In *aquilone*, mundi adversa; in *austro*, blandimenta intellige, quia gemina expugnatione probatur Ecclesia. *Surge*, permittentis est, non imperantis. *Perfla*. Alter vexando, alter recreando. *Perfla*, id est, infer tribulationem, vel persequendo, ut Ecclesia in utroque pulsata et probata mirum odorem constantiæ suæ et abundantioris virtutis ubique diffundat, et in fine mundi positos inenarrabili fragrantia suæ suavitatis satiabit.

[§]5.1 *Veniat dilectus*. Qui promisit se futurum *mecum usque ad consummationem sæculi*, modo cum magis indigeo majori gratia, me visitet. *Veniat dilectus*. Audiens Ecclesia se tentationibus probandam, provisioni dilecti non contradicit: sed ne superetur, auxilium illius quærit, qui *non patitur nos tentari supra id quod possumus*. I Cor. 10. Vel, potest ex voce perfectorum sic intelligi. *Veniat dilectus*. Quasi: Sicut eum semper diligimus, ei et servire curamus: sic ipse in tentationibus non sinat nos usque ad defectum concuti, sed jam reddet nobis mercedem piæ devotionis. *Veni in hortum*. Sponsus desiderio Ecclesiæ respondens, eadem quæ petebantur, se jam fecisse testatur: unde extranei multum in amorem ipsius possunt accendi. *Veni*, errantes corrigendo, infirmos sublevando, bona agentes confirmando, maturos mecum in requie collocando. *Messui*. Quadam falce mortis ab hac vita præcidi, et in cellaria beatitudinis perduxi. *Comedi favum*. Per *favum*, qui in Scripturis dulcedinem spiritualis intelligentiæ quærunt, et aliis dilucidant; per *mel*, qui epulas divini verbi sibi appositas libenter gustant, et his insatiabiliter vesci desiderant; per *vinum*, fortes cœlestium prædicatores; per *lac*, infirmi adhuc auditores, qui licet diversis studiorum modis discrepent, una tamen supernæ retributionis spe communes, supernum arbiter approbat. *Comedite, amici*. Non solum ipse piis electorum actibus delectatur: sed etiam hortatur fideles ad congaudendum super tali convivio, ut amplius inter se mutuam dilectionis curam exhibeant, et minores quod in majoribus viderint, memoriter imitari satagant. *Inebriamini, charissimi*. GREG. Post potum gaudii, ipsas virtutes bonorum retractando, torporem mentis discutite, et ad amorem æternorum accensi, temporales pœnas non sentiat; sicut ebrius, qui obliviscitur omnium temporalium; comedit, nec satiatur: qui epulas Scripturarum didicit, justorum exempla novit, nec tamen vitam correxit; bibit, et non inebriatur, qui præcepta vitæ lætabundus audit, sed ad implenda piger remanet.

guttis noctium.** ³ *Sponsa* Expoliavi me tunica mea: quomodo induar illa? lavi pedes meos: quomodo inquinabo illos?†† ⁴ Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus.‡‡ ⁵ Surrexi ut aperirem dilecto meo; manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.¶¶ ⁶ Pessulum ostii mei aperui dilecto meo, at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est; quæsi, et non inveni illum; vocavi, et non respondit

**5.2 *Ego dormio.* Ecclesia gentilium multipliciter commendata ne secunda prædicatione dimittat, et soli contemplationi intendat, injungitur ei de aliorum confirmatione. Et hic agit de illa successione Ecclesiæ, quæ est in hoc præsentis sæculo, ab illo scilicet tempore, quo plenitudo gentium intraverat usque ad finem mundi, quando Judæi intrabunt; et hic non, videtur mitti ad omnimodos infideles, sed potius ad eos exhortandos, qui sunt tepidi in Ecclesia, et dicit itaque ipsa Ecclesia: *Ego dormio. Aperi mihi, soror mea,* etc. Surge ab otio et quiete contemplationis, et aperi corda, ut remotis vitiorum obstaculis lucem veritatis perspicue admittant. De sanguine meo, *soror mea;* accessu meo, *proxima mea;* de spiritu meo, *columba mea;* de sermone meo quam plenius ex otio didicisti, *perfecta mea. Caput meum.* Id est fides mea, et amor mei in cordibus eorum excæcatis amore terrenorum refrixit, et quasi prorsus defecit. *Cincinni mei.* Id est amor proximorum, qui sunt mei capilli capiti adhærentes: *sunt pleni guttis noctium,* id est, patiuntur grave frigus persecutionis tenebrosorum, id est eorum qui et erga me sunt infideles, et proximos persequuntur; et causa horum corrigendorum oportet te dulcedinem contemplationis interpolare interponere.

††5.3 *Exspoliavi me.* Ecclesia non inobediens de injuncto officio, sed metuens in assumenda fratrum cura, ne corruat in peccata, sine quibus non transigitur hæc vita, respondet: *Exspoliavi me.* Quomodo fieri potest ut de culmine contemplationis egrediens, rursus mundi sordibus polluar, quia recepta sollicitudine temporalium subsidiorum, quamlibet eximius doctor, difficile vitat peccatum. GREG. Qui ad sollicitudinem regendarum animarum se accingit, restat ut quibus æterna prædicat, ad providendam quoque eis temporalium necessitatum subsidia invigilet.

‡‡5.4 *Dilectus meus.* Ecclesia timente casum, quia Dominus amorem erga se nostrum, in proximorum maximo amore vult cognosci, apte subditur: *Dilectus meus,* quasi: Pertimesco quidem sæculi conversationem; sed intelligo, quod charitas operit multitudinem peccatorum; et confido in dilecti mei auxilio, a quo jam sunt compuncta corda eorum. *Manum suam.* Operantem compunctionem, vel, ad memoriam nostram reduxit operationem, quam operatus est in nobis, quia nullius egens, de sinu patris egrediens, in terra pro nobis conversari voluit. *Manum suam* mittit, cum virtute sua animum per subtilem intellectum pulsat. *Et venter.* Potest per ventrem intelligi mollities et fragilitas illorum qui prædicationis officium suscipiunt, quia se minus idoneos recognoscunt, et timent. *Venter.* Id est molles et fluxa pars inter nos; vel, ventris nomine cor designatur, qui sicut cibi in ventre, ita cogitationes in corde excoquantur. Cor contremiscit, si facere recusat pro proximis, quod Deus fecit pro inimicis. Et venter intremiscit, quia infirmitas gaudens de cœlesti intellectu in sua exultatione turbatur, et timet ne perdat, quod tenere nescit.

¶¶5.5 *Surrexi, ut aperirem.* Surrexi a dormitione ad laborem; quia necesse est ut qui veritatem prædicare disponit, prius ad agenda ea quæ prædicat assurgat, ne aliis prædicans ipse reprobis efficiatur; cui subjuncta verba conveniunt, *Manus meæ stillaverunt,* etc. *Et digiti mei pleni sunt myrrha.* Digiti, id est discretio, ut solo contuitu supernæ retributionis, non pro humano commodo ostendantur operari. Sicut enim in manu sunt discreti digiti: sic in operibus oportet discretionem adhiberi, aliquin non valent.

mihi.^{§§ 7} Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem; percusserunt me, et vulneraverunt me. Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.*⁸ Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.^{† 9} *Chorus* Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?^{‡ 10} *Sponsa* Dilectus meus candidus et rubicundus; electus ex millibus.^{¶ 11} Caput ejus aurum optimum; comæ ejus sicut elatæ

§§5.6 *Pessulum ostii.* Causam peccati, id est incredulitatem, et quamlibet aliam: quia ut pessulum, ostium; sic causa detinet peccatum, qua remota removetur, et sublato peccato patet via Christo. Dixerat, quia dilectus manu missa per foramen se tetigerit ac tremore concusserit: cujus tactu vehementer inflammata, cupit jam non per angustiam foraminis ejus manu contingi, sed patefacta cordis janua felicissimo ejus amplexu perfrui, id est suavitate divinæ illustrationis, quam raptim senserat, plenius satiari, sed quia nulli electorum in hac vita conceditur perfecta visio æternorum, quæ in alia vita reservatur, subditur recte: **At ille declinaverat. Anima mea,** etc. Ecce jam tertius gradus: primitiva fuit ex Judæis conversa; per quam, et postquam hæc gentilis, de qua hactenus actum est; quæ Gentilis ut diximus, hanc tertiam instituit, de qua modo exsequitur: quæ usque ad novissimam intrationem reliquiarum Isræl durabit successu prælatorum et subditorum. Transi quidem, sed tamen locutus est mihi mandata sua relinquens, ut patienter eum exspectarem: et postquam locutus est, **Anima mea liquefacta est. Quæsivi et non inveni illum: vocavi,** etc. Vox ejusdem Ecclesiæ, quæ aperuit, secundum illos quos aperuit: quæ prius erat venter vel vox ipsorum.

*5.7 *Tulerunt pallium.* GREG. Pallium tollunt prædicatores, quando, si quid pompæ sæcularis residuum erat, ab anima auferunt, vel, si quod peccatum per ignorantiam inerat, detegunt.

†5.8 *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis,* etc. Adolescentulæ jam ad aliquam cognitionem promotæ, ad famulos Dei, quos angelicam in terris vitam agere credunt, devote veniunt et eos exorant, ut in tempore suæ orationis Domino se commendent. Vos filiæ Jerusalem supernorum spirituum, qui jam cum Deo regnant. Vel, per filias Jerusalem possumus accipere etiam inferiores in Ecclesia, quos etiam admonent superiores, ut secum quærant: quia quod a pluribus quæritur, quandoque citius reperitur, et, ut ubique charitas dilectionis ostendatur.

‡5.9 *Qualis est dilectus.* Hæc sponsa recolens intima conscientiæ, expavescit, et pigritiam suam accusans ex humilitate ad laborem festinat, dicens: Obsecro, quia sic adjurasti nos fervore divinæ charitatis, quam habes, me quoque fac ardere, et salutari admonitione in ejus amore me confirmes. Aptæ et præconia virtutum ac potentiæ ejus congrua laude decantans, denuo interrogatur, in qualium mentibus ejus soleant vestigia reperiri.

¶5.10 *Dilectus meus candidus et rubicundus.* Condigna quærentibus a parte sponsæ responsio. **Dilectus meus.** Primo, mundus et sanctus venit in mundum, postmodum passione cruentus exivit de mundo. Per **candidum,** amorem Divinitatis; per **rubicundum,** carnem passam accipe, ut Deum et hominem notet, et in utroque **electus.** **Electus ex millibus.** Quia unus Mediator de omni numero angelorum, vel hominum acceptus; unde dicitur: **Hic est Filius meus dilectus,** etc. Matth. 3. Quia non est **inventus alius, neque in cœlo, neque in terra qui acciperet librum** Apoc. 5..

palmarum, nigræ quasi corvus. § 12 Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluentia plenissima. ** 13 Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ a pigmentariis. Labia ejus lilia, distillantia myrrham primam. †† 14 Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus, distinctus saphiris. ‡‡ 15 Crura illius columnæ marmoreæ quæ fundatæ sunt super bases

§5.11 *Caput ejus aurum optimum.* Alia translatio: *Crines ejus abietes.* Abies, Græce vocatur. Ude hic elate, non Latinum, sed Græcum videtur. Vel caput, id est Divinitas, quia *caput Christi Deus* Cor. 2.. *Comæ ejus,* id est, cogitationes ejus sanctæ et rectæ, et tamen stultis despicibiles. *Nigræ quasi corvus.* Despicibiles mundo, quasi illa clamosa et improba avis. Vel, *quasi corvus,* ut nulli sacramenta Ecclesiæ committant, donec sibi, vel matri similari videant, vel, quia cum pulchri sunt, se fuisse nigros intelligunt ex natura sua.

**5.12 *Oculi ejus sicut columbæ.* GREG. Solent columbæ juxta fluentia aquarum residere, ut volantium avium in aqua umbram videant, et sic ungues vitent: sic sancti in Scripturis fraudes dæmonum prospiciunt, et ex deceptione, quam attendunt, quasi ex umbra hostem cognoscunt, et fugiunt, quæ fluentia plenissima dicuntur, quia de quibuscunque in Scriptura consilium quæritur, per illam ad plenum invenitur. Potest in rivulis, veteris legis eruditio; in fluentis, evangelica perfectio intelligi: quia prædicatores et nova et vetera proferunt. *Oculi ejus.* Id est, dona sancti Spiritus, quæ ipse dat, quæ amatores suos, non in cœno more porcorum volvi permittunt, sed in similitudine aquarum claros et perspicuos reddunt, nil tenebrosum habentes. Unde et rivulis et mundis aquis, non stagnis turbulentis comparantur, quia Deum vident, et divinorum charismatum luce replentur. Quæ charismata, quia sola gratia dantur, subditur: *Quæ lacte sunt lotæ.* Quia sicut mater sola naturali dilectione lac filiis ministrat, sic Deus sola gratia dona charismatum filiis donat. Quæ resident juxta fluentia plenissima aquarum: quia quanto de Deo clarius vident, tanto magis ad altiora cognoscenda intendunt.

††5.13 *Genæ.* Id est, modestia et pietas Salvatoris, quæ in illo singulariter refulsit. *Sicut areolæ.* Quemadmodum ordinatæ sunt areolæ ab hominibus expectantibus odoris suavitatem et aspectus gratiam, ita Mediator in carne apparens, doctrinæ modestia et dulcedine delectabat præsentis, attrahebat absentes: *consite a pigmentariis;* hoc est, apostolis et prophetis, qui concordia voce, non solum ejus sermones, sed etiam mores sacris paginis describere, in futura ejus arca incarnatione, ex modestia Lazarus flevit, sicut agnus obmutuit, et talia. *Labia ejus lilia distillantia myrrham.* Verba doctrinæ ejus *lilia* quæ claritatem regni cœlestis promittunt, gravia patientibus, *primam myrrham,* quia contemptum voluptatum prædicant.

‡‡5.14 *Manus illius.* Id est, opera Christi: quæ enim verbo docuit, opere complevit, ut de doctrina sua mirantes, operibus confirmaret. *Tornatiles,* quia in promptu habet facere quod vult, sicut tornatura cæteris est promptior artibus: et quia in se omnem justitiæ regulam tenet, unde dicitur: *Oportet in me impleri omnem justitiam* Matth. 3.. *Aureæ, plenæ hyacinthis.* Quia virtutes quas in homine gessit, divinitatis gratia perfecit: quæ nos ad spem et ad amorem cœlestium excitant. Hyacinthus enim ærei coloris est. *Venter ejus eburneus,* id est, fragilitas humanitatis: *eburneus* pro decore castitatis, quia ab omni peccato immunis. *Distinctus,* scilicet, non totus eburneus, nec totus saphirinus. Sapphirus sublimitatem cœlestium significat. *Distinctus* ergo, quia partim humana fragilitas esurie, tentatione, fatigatione, morte, partim divina celsitudo, miraculis, resurrectione et ascensione intelligitur. Sapphirus habet speciem sereni cœli.

aureas. Species ejus ut Libani, electus ut cedri.[¶] 16 Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.^{§§} 17 *Chorus* Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum.]*

[¶]5.15 *Crura illius columnæ*, id est, itinera passionis, incarnationis, quæ *columnæ* dicuntur propter rectitudinem et firmitatem, quia quidquid per eum gestum est, ante tempora a Deo dispositum est. *Fundatæ super bases*. Id est super prophetas, quia talis apparuit, qualis prædictus ab illis in divina dispositione legentibus. Vel *bases* ipsa dispositio Dei, quæ ordinavit. *Species ejus ut Libani*. Quid per singula ipsius Redemptoris membra laudo, totum brevi comprehendam: quomodo *Libanus* altitudine et amplitudine est insignis; ita Dominus inter omnes qui de terra orti sunt, antecellit. Et sicut ille mons nobilium ferax est arborum, ita ille omnes sanctos in se radicatorum extollit et conservat; et sicut *cedrus* pulchritudine, fortitudine, sublimitate, odore, omne decus silvarum antecedit: sic dilectus *speciosus forma præ filiis hominum* Psal. 44., quia ipse non accepit ad mensuram, et de *plenitudine ejus omnes accepimus* Joan..

^{§§}5.16 *Guttur illius suavissimum*, etc. Id est, internus sapor et dulcedo verborum Christi, quam pauci gustant: qui autem gustant, amplius esuriunt, Aliter: Sicut per guttur ad labia vitalis flatus, ut loqui valeant, procedit, sic in labiis Domini verba quæ dicebat. In gutture vero potest occulta dispositio bonitatis ejus intelligi, qua factum est, ut nobis foras loqueretur. *Totus*, id est Deus et homo; *desiderabilis*, non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem ab ipso initio conceptionis, usque ad triumphum passionis, resurrectionis, ascensionis. *Talis est dilectus*. Quasi: Et necesse est si amas eum, et vis ab eo amari, ut eum intelligas talem, et tali affectione ei cohæreas. *Filiæ Jerusalem*. Pro decore carnis variantur personæ colloquentium: sed eadem Christi Ecclesia notatur et nomine sponsæ, et nomine filiarum. Cum ad patriam cœlestem suspirat, filia: cum nihil nisi Deum curat audire vel loqui, sponsa dicitur.

*5.17 *Quo abiit dilectus*. Audita qualitate dilecti, de qua quæsierant filiæ Jerusalem, addunt aliam quæstionem: quia enumeratis tot laudibus, quis audiens non concupiscat? et hoc in unitate sanctæ Ecclesiæ inquiri oportet, in qualium corde potissimum, et in quo genere conversationis Dominus soleat inveniri. *Quo abiit*, non relinquendo eos in quibus erat, sed ubi alios associet, et post alios etiam alios invitet, et sic abire, et declinare dicitur, ad modum candelæ, quæ cum accensa sit, multas alias circumquaque accendit, ipsa tamen nihil patiens detrimenti. *Quo abiit*. GREG. Sciendum, quod Deus, qui ubique est, in loco est, sed localis non est. Locale dicitur, quod circumscribitur secundum partes loci supra et infra, ante et retro, dextera et sinistra. Cum vero angeli et humanæ animæ loco circumscribi non possunt, longe minus illa incomprehensibilis substantia. Major vero cognitio, quæ in præsentī de Deo haberi potest, et secundum ejus sola opera: quia quod altius est, in carne possumus mirificentiam operum Dei subtiliter attendere. *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum*. Licet Deus communi modo omnibus rebus insit, præsentia, potentia, substantia, tamen familiari modo dicitur inesse, id est, per gratiam, illis, quibus opera sua videntur mirabiliora, qui licet plenam Dei notitiam non habeant, tamen mirificentiam operum Dei acutius considerant.

6 [Sponsa Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.† ²Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.‡ ³Sponsus Pulchra es, amica mea; suavis, et decora sicut Jerusalem; terribilis ut castrorum acies ordinata.¶ ⁴Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum quæ apparuerunt de Galaad.§ ⁵Dentes tui sicut grex ovium quæ ascenderunt de lavacro: omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est in eis. ⁶Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ, absque occultis

†6.1 *Dilectus meus. Descendit* irrigans fonte baptismi, de alto veniens in humili positos visitavit. Ut nos sursum ascenderemus, Dominus in montem descendit, Moyses in montem ascendit. Cum dixisset. *Descendit in hortum*, addit qualiter sit idem hortus constitutus, qua fruge fecundus, cum dicit, *ad areolam aromatum*. Hortus Ecclesia: hortus quælibet fidelis anima. *Areola* est mens fidelis, quæ disciplina rectæ fidei edocta, quasi æquis lateribus hinc inde est composita: et quasi solerti fossorio creberrime reversata, et a superfluis graminibus expurgata. Respondet piis sanctorum desideriis ac fructuosis operibus eum delectari, ac perfectos quosque castimoniam virtutibus ad æterna gaudia colligere. *Lilia colligit*, dum ad perfectorum meritorum candorem pervenientes, de statu ubi erant prius, educit et ad cœlestia regna perducit.

‡6.2 *Ego dilecto meo*. Hunc versiculum apponit exaggerando stimulum immensæ charitatis, quæ interius exardescit. Quasi: In me descendit, in me potes habere formam ejus, quem quæritis. *Ego nepoti meo et nepos meus mihi, qui pascit inter lilia*.

¶6.3 *Pulchra es, amica mea*. Hactenus vox Ecclesiæ Dominum suum laudantis et quærentis: qui quoniam a suis amatoribus non longe est, sequitur quid quæsitus respondeat: et declarat se illis loquentibus adfuisse, et quid loquerentur audisse; devotionemque erga se remunerat digna illorum laudatione. *Terribilis, ut castrorum acies ordinata*. Quia per unitatem charitatis compacta, nullum locum aperit per malum discordiæ hostibus, id est, hæreticis vel immundis spiritibus. Castra Romanorum terribilia erant, quia totum mundum premebant: sed non erant suavia, quia veram pacem non habebant. In Ecclesia nec terror suavitatem, nec suavitas terrorem aufert: quæ in terra cœlestem vitam agit, et barbaros diversarum nationum animos ad suum ritum trahere satagit. Quæ tamen quia necdum faciem dilecti, quam maxime quærit, cernere meretur: hic subsequenter audit:

§6.4 *Averte oculos tuos a me*. Quasi: Oculos columbinos tibi dedi, quibus semitas justitiæ discerneres: sed tamen in tempore tuæ peregrinationis ne quæras me perfecte cognoscere. *Non enim videbit me homo et vivet* Exod. 33.. Ne quæras in via præmium, quod tibi in patria reservatur. *Quia ipsi me*. Non a desiderio cognoscendi desistas, sed de cognoscendi facultate ne præsumas: unde dicitur, *Magnitudinis ejus non est finis* Psal. 144.. *Avolare fecerunt*. RAB. Quo intensius me agnoscere quæris, eo intensius me incomprehensibilem esse intelligis, et non est tua culpa, si me non cognoscis: sed est infirmitas humanæ conditionis. *Capilli tui sicut grex caprarum*, etc. Hi versiculi supra positi, et expositi, sed non pigeat nos iterando exponere quod auctorem non piguit scribendo iterare, ut novi aliquid addatur. Ne Ecclesia graviter ferret quod a cognitione dilecti suspenditur, sequitur descriptio, qua assimilatur illi primitivæ Ecclesiæ Jerusaleme, de qua non dubitatur, quin amica Dei fuerit. *Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis*. Consimilibus fetibus quia tales alios reddunt, quales ipsi sunt. Vel duplices fetus, opera geminæ charitatis, vel, si deles de utroque populo conversi: vel, fides et opus.

tuis. ^{**}7 Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. ^{††}8 Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa generatrici suæ. Viderunt eam filiaë, et beatissimam prædicaverunt; reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam. ^{‡‡}9 Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? ^{¶¶}10 *Sponsa* Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et

^{**}6.6 *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ*, etc. GREG. Cum multi mira agunt, ventura prophetant, mundum perfecte relinquunt, cœlestibus desideriis arden: sicut cortex mali punici sanctæ comparantur Ecclesiæ. Sed hæc omnia nihil sunt ad comparisonem rei de qua scribitur: **Quod oculus non vidit nec auris audivi**, etc. Isa. 64. Unde convenienter subdit: **Absque occultis tuis**, quasi dicat, magna quidem sunt, quæ in te non latent, sed valde ineffabilia quæ latent.

^{††}6.7 *Sexaginta sunt reginæ et octoginta concubinæ*, etc. Reginæ et concubinæ pariter ad thronum regis accedunt, pariter generant, sed non utræque diadema regni habent. Reginæ sunt, quæ intuitu regni cœlestis doctrinæ inserviunt; concubinæ, quæ amore temporalium Christum annuntiant. Ideo illæ sexaginta, quia sola dilectione præceptorum Dei perfectionem operum habent, quod per multiplicationem duodenarii per quinarium potest intelligi: vel quia quinque corporeo sensus ad regulam apostolicæ doctrinæ temperant. Octogenarius autem cum in malo accipitur, temporalium curas et implicamenta designat: quia et sæculi cursus quatuor circumagitur temporibus, et mundus ipse quatuor climatibus oriente, occidente, aquilone et austro dirimitur, vel ex quatuor elementis compositus.

^{‡‡}6.8 *Una est columba mea, perfecta mea*. Quamvis multæ et diversæ personæ, tamen fides una est in eis, unum baptista, unus Deus, unum opus; non alia ante legem, alia sub lege, alia sub gratia: sed in una pace, uno timore constituta. Mater nostra regeneratrix gratia est, quæ elegit simplices, et electos custodit et sublevat. Vel mater superna Jerusalem, **quia omne donum optimum desursum descendit** Jac. 1., quæ superna Jerusalem hoc solum de humana conversatione approbat, quod in unitate suæ fidei et dilectionis Deo servire desiderat. **Viderunt**. Magna laus catholicæ unitatis, quam et gratia mater, quæ genuit, in perpetuum eligit; et filiaë, quas ipsa per Spiritum genuit et nutrit, mox viderunt, id est castitatem vitæ ejus didicerunt. **Prædicaverunt**. Sive illi, qui vere sunt participes regni; sive etiam illi, qui nomine tenus adhærent, et si spes eorum sit in terrenis, laude dignam fatentur.

^{¶¶}6.9 *Quæ est ista*. Ecclesia gentium ita firmiter instituta, et usquequaque multiplicitate sui diffusa et producta per gradus et successiones suas usque ad novissima tempora, illis novissimis temporibus jam intuens Synagoga, tam bene operatam, operantemque ipsam sanctam Ecclesiam, tam diffusam, tot sapientissimos sine schismate sequi unam fidem: præterea vivorum et mortuorum miracula, et multa alia Christianæ fidei argumenta; jam conjuncta, pœnitens, et compuncta, dicit admirative, **Quæ est ista**, etc. **Quasi aurora consurgens**. Tunc Ecclesia fit **aurora**, cum mortalitatis atque ignorantiae tenebras funditus amittit. In iudicio ergo adhuc **aurora**, sed in regno **dies** erit, ubi plenum visum veri solis habebit. **Pulchra ut luna**. In nocte vitæ præsentis, ubi variantur status temporalium, comparatur **lunæ**: quia nunc clara mundo, nunc despecta; nunc virtutum candore plena, nunc pravorum dehonesta vitii. In futura beatitudine, ubi idem status erit, **sicut sol** fulgebunt iusti. **Terribilis ut castrorum acies ordinata**. Habent tales prælatos sibi ordinatos, qui probabilibus sentiis fidem nostram evacuunt, et terrorem nobis incutiunt. Quo perfectius ordinem in se virtutum collocat, eo terribilior est Ecclesia æris potestatibus, vel quæque fidelis anima.

germinassent mala punica.^{§§ 11} Nescivi: anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab.* ¹² *Chorus* Revertere, revertere, Sulamitis ! revertere, revertere ut intueamur te.][†]

7 [*Sponsa* Quid videbis in Sulamite, nisi chorus castrorum? *Chorus* Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis ! Juncturae femorum tuorum sicut monilia quae fabricata sunt manu artificis.[‡] ² Umbilicus tuus crater tornatilis,

^{§§}6.10 *Descendi in hortum nucum*, etc. Judæa admirante agones Ecclesiae, et inquirente; ipse sponsus perhibet testimonium Ecclesiae. Vel, dicantur esse verba Ecclesiae, quae annuit Synagogae se laudanti, et continuo insinuat, quae sit sibi causa apparatus militaris, respondens ex voce doctorum, ducum videlicet suae spiritualis militiae.

*6.11 *Nescivi, anima mea*. Dum sic sponsus, vel ipsa Ecclesia, labores suos evangelicos Synagogae miranti praedicat: illa salubri poenitudine compuncta, profitetur se causa profanae caecitatis diutius aberrasse. *Conturbavit me*. Propter evangelicam Ecclesiae praedicationem, per quatuor mundi partes velociter discurrentem, et quatuor rotis fidei innitentem: unde et a quatuor personis scriptum fuit; sed illi quatuor equi eodem spiritu ad bellum unum currum trahunt.

†6.12 *Revertere*. Synagoga confitente suam tarditatem, Ecclesia consolando et exhortando respondet: quater dicit *revertere*, quia Judaei ubicunque modo in quatuor mundi partibus dispersi, in fine sunt convertendi. Vel, *revertere* corpore, *revertere* animo ab errore, ut declines a malo. Iterum *revertere* corpore, *revertere* animo, ut facias bonum, et ne velis esse turbata. Non sufficit reverti voluntate, nisi reversio ostendatur Ecclesiae. *Ut intueamur te*, Ut speciem castitatis cognoscamus, et copulante adinvicem nos Christi amore, unam domum fidei ambae in ipso angulari lapide construamus.

‡7.1 *Quid videbis in Sulamite*. Dum Ecclesia monet Synagogam, ipse Redemptor annuens hortamentis illius, se effectum daturum promittit. Elias enim et Enoch in illis convertendis non laborarent, nisi divinis Scripturis et apostolicis testimoniis certitudinem conversionis eorum haberent. *Quid videbis*. Quasi diceret: Doles de incredulitate Synagogae; sed scias in proximo convertendam, ut in ea jam non appareat infidelitas, sed opera spiritualium agonum, et virtutum. *Quam pulchri sunt gressus*. In praemissis descriptionibus est descensus a superioribus ad inferiora, et superiorum tantum fit commendatio membrorum. In hac commendantur etiam inferiora, et ab inferioribus ascenditur ad superiora; ut ostendatur, quod illa Ecclesia in novissimo, ex illis ante reprobis convocata, habebit tamen membra superioribus non imparia; in qua fit mentio gressuum, quia non in otio futura, sed ad certamen processura, primam pulchritudinem ex certamine ostenditur habitura. *Quam pulchri sunt*. Primo operum constantiam et mortificationem voluptatum in ea laudat: *Quam pulchri sunt*. Hæc dicens ad laudem ipsius Ecclesiae conjunctæ ex dulcedine se convertit, ut Judaei facilius convertantur, et Ecclesia de illis convertendis plus laboret. *Juncturae femorum*. Recte post gressus calceatos, junctura femorum laudatur: quia per ministerium praedicantium perficit unanimis conjunctio credentium populorum. *Monilia*. Mundissima, cum jam non dissentiant hi ab illis, sed in omnibus conveniant: et operum attestatione clarescant. *Quae fabricata sunt*. Quae conjunctio, arte inscrutabilis consilii ordinata est: quis enim novit quare Deus usque ad illud tempus Judaeos excæcaverit. *Quae fabricata sunt manu*. Id est, ineffabili largitate firmata conditoris. *Umbilicus tuus*. Illi etiam inter molles, qui gignunt, etsi mundo licite hærent, tamen bene annuntiant.

numquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.^{¶ 3} Duo ubera tua sicut duo hinnuli, gemelli capreae.^{§ 4} Collum tuum sicut turris eburnea; oculi tui sicut piscinae in Hesebon quae sunt in porta filiae multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum.^{** 5} Caput tuum ut Carmelus; et

[¶]7.2 *Umbilicus*. Id est, infirmitas nostrae mortalitatis fit *crater*, quando infirmitatem nostram in nobis experti, ut alii per nos recognoscant, laboramus, vel aliquando eleemosynas damus. *Tornatilis*, id est rotundus et perfectus: qui enim ob id datum sitienti, vel calicem divini verbi porrigit erranti, ut a Deo remuneratore vel terrenam sapientiam exspectet: hujus crater non est torno factus, quia opus misericordiae, quod fecit, non causa suae fragilitatis erigendae ad Deum fecit, sed terrenam mercedem requirit. *Venter tuus*. Venter noster *acervus* est *tritici*, cum memores nostrae fragilitatis, fructus bonorum operum, quibus perpetuo reficiamur, in praesenti vita nobis praeparamus. *Venter tuus*. Quamvis sit inferior gradus, tamen triticea refectio erit Deo, quia in imo multi, in superiori pauci, non tamen dicimus in imo, id est, in peccato. *Acervus*. In imo latior, in summo angustior crescit. Sic et in nostris actionibus, quae quanto altioris sunt meriti, tanto pauciores sui operarios inveniunt. In inferioribus plures sunt operarii. Multi de possessionibus eleemosynas tribuunt, pauci sunt qui possessiones relinquunt. Possunt in *acervo tritici* eleemosynae, quas pauperibus erogamus, intelligi, et bene post *craterem* membra sponsae acervo tritici comparantur, ut et potum et panem pauperibus dare signetur, quod et de corporali et spirituali refectioe aequae potest accipi. In apertis est doctrina poculum, in mysteriis est panis. *Vallatus liliis*. Cum omnia bona, quae agimus, gratia videndae aeternae claritatis gerimus. Et per hoc insidianti inimico aditum nostri cordis circumquaque obstruimus.

§7.3 *Duo ubera*. Quia doctores rudium non sua praedicant, sed ex eloquiis utriusque Testamenti sumunt quae ab uno auctore sunt edita: ut ipse unus pastor ex duobus gregibus ovium unum ovile impleat; qui *capreae* comparantur, quia mundum est animal, visu et cursu insigne, et findens unguam, quod ad discretionem boni et mali pertinet; et ruminat, quod post discretionem est faciendum; gemelli propter unam concordiam.

**7.4 *Collum tuum*. Id est, illi per quos vox exit, et esca in corpus trajicitur, qui sunt *turris*, quia et exemplo vitae muniunt alias, et decorant. In *ebore* enim candor notatur. *Oculi tui*. Qui arcana inspicunt, ut possint in aperto proloqui, qui fluentia doctrinae auditoribus non cessant, sicut in civitate *Hesebon piscinae* semper aquis abundantes, copiose populo in introitu ipsius civitatis aquam ministrant. Et bene dicuntur aquae esse *in porta* civitatis, quia nemo potest Ecclesiam ingredi, nisi prius aspersus aqua doctrinae et baptismi. Unde in introitu templi Salomonis erat mare aeneum, ubi sacerdotes intraturi lavabant manus et pedes. *Piscinae*. Continentes multas aquas sapientiae et doctrinae, ad potandum eos qui erunt in *cingulo mæroris*, persequente Antichristo, quae piscinae sunt in illa plenaria introitione utriusque multipliciter, quae erit *filia multitudinis*. *Nasus*. Cautissimi discretiores boni et mali, sicut et per nares odor vel fetor discernitur, quos nulla fallit hypocrisis, et eminentissimum tenent locum. *Sicut turris Libani*. In monte idcirco ad speculandum ponitur, ut hostes, qui veniunt, longe videantur: sic praedicatoris vita semper in alto debet firma permanere, ut incursum malignorum longe prospiciat, ut culpam, priusquam veniat, deprehendat. *Contra Damascum*. Damascus metropolis Syriae, quae multa mala intulit Israeli, et etiam captivavit: per hanc omnis multitudo daemonum, vel nequam hominum signatur.

comæ capitis tui sicut purpura regis vineta canalibus.^{†† 6} *Sponsus* Quam pulchra es, et quam decora, carissima, in deliciis! ⁷ Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.^{‡‡ 8} Dixi: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus; et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odor oris tui sicut malorum.^{¶¶ 9} Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad rumi-

^{††}7.5 *Caput tuum.* Mens tua, quia regit totum corpus cogitationum, est alta, ut mons per conversationem vitæ, et talis mons, qui habet scientiam circumcisionis, non in ablatione carnis, sed superfluitatum cordis. Cochleæ maris ferro circumcisæ, lacrymas purpurei coloris emittunt, quibus collectis tinctura purpurei coloris conficitur. *Canales*, qui purpuram regis suspiciunt, sunt præcordia fidelium. Lana quæ intingitur, ut indumentum regis efficiatur, est humilitas in patiando, quæ *juncta est canalibus*, quando constanti corde virtus humilitatis, et continua Dominici cruoris memoria ad tolerantiam animatur. Semper purpuram veri regis, id est passionem, in memoria habentes, et ad imitandum parati, ut cum Christo resuscitentur.

^{‡‡}7.7 *Statuta tua.* Quia Ecclesia in certamine præsentis vitæ gaudia futuræ vitæ prægustat, subditur: *Assimilata est palmæ.* Hæc est rectitudo bonæ operationis, quæ ad terrena despicit incurvari, totam se ad cœlestia erigit, et in certamine posita tendit ad bravium, quo finito agone, victrix donanda est palma. In inferioribus aspera est, sed desuper pulchra est, et fructum gerit. Sic Ecclesia in terra asperos tolerat labores, sed sperat in cœlo se accepturam præmium. Palma conservat folia: sic Ecclesia, variante sæculi statu, eadem tenet fidei sacramenta. *Ubera.* Id est, magistri, qui pro capacitate audientium suam temperant doctrinam, et unumquemque ad sublimia *ab ubertate domus Dei inebriant* Psal. 35., et corda exhilarant.

^{¶¶}7.8 *Dixi: Ascendam.* Quasi diceret: Et quod tales habet doctores, tam discrete prædicantes, non est tui meriti, sed donum meum, quia *ascendi in palmam*, id est, dedi Ecclesiæ augmentum virtutum, donec ad perfectum veniat, et *apprehendam fructus ejus*; id est, ita confortabo et multiplicabo virtutes in eis, ut nullo modo possint decidere, donec ad maturitatem perveniant, et per hoc *ubera tua* erunt *sicut botrus* cypri, quia illi, qui parva norunt, si benivole nuntiant interdum potiore sapientia debriabuntur. *Dixi.* Quasi, insistendum est ad conversionem Judæorum, quia tam pulchra conjunctio est secutura, et quia pro eis maxime passus sum, quia eos salvandos provideram. *Fructus ejus.* Fructus Crucis, potest dici resurrectio, et ascensio, adventus Spiritus sancti, et salus mundi: et per hæc doctores sunt debriati et confortati. *Et odor oris.* Odor malis, guttur vino comparatur: quia mala, ex novitate, vinum ex vetustate laudem consequitur. Sicut vinum malo præstat, ita præstat præsens allocutio Ecclesiæ ipsi famæ quam de illa potest audientium sermo disseminare. Odor in gutture, vox præsentis doctrinæ. In odore fama absentis designatur: et ideo vino illa propter fragrantiam virtutum, hæc malis ob suavitatem absentis famæ comparatur.

nandum.^{§§} ¹⁰ *Sponsa* Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.* ¹¹ Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.[†] ¹² Mane surgamus ad vineas: videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica; ibi dabo tibi ubera mea.[‡] ¹³ Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris omnia poma: nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.][¶]

§§7.9 *Dignum dilecto meo.* Verbum, quod in ore meo dilectus posuit, tantæ est sublimitatis, quod non per alium quam per ipsum sponsum mundo debuit prædicari: quia non est alius inventus, *qui solveret librum*, et ab illo susceperunt alii, Christus quasi potavit, quia, docente divinitate, cito in perfectione scientiæ profecit, et libenter passionem sustinuit, membra non eodem modo. Dum sponsus laudat guttur sponsæ, illa intelligens in gutture verbum, per quod salus datur mundo, designari: ex magno amore verbum dispensare volens, rapit verba ab ore sponsi, ille vino optimo eam comparavit, hæc subjecit, *Dignum dilecto meo. Ad ruminandum.* Non ita facile ad potandum, quod ille prius orans aliis porrexerit, sed cum labore et studio meditandum.

*7.10 *Ego dilecto.* Totum studium meæ servitutis et devotionis ad ipsum refero, et in præsentia vita, ne laborando deficiam, me adjuvat: et in fine secum ad gaudia recipiet. Ego prius exsul a Deo, ab omni errore ad Deum conversa sum, ut civis et domestica, et ipse prius humano generi iratus ad me est conversus, naturam meæ mortalitatis indutus.

†7.11 *Veni, dilecte.* Qui assumptam pro me humanitatem in cælo locasti, per præsentiam divinæ gratiæ visita me: ut in agrum mundi semen verbi tui possim spargere, et villas cohabitationis in unam fidem constituere. *Veni.* Ecclesia videns quod nec ad bene operandum, vel egrediendum per se sufficit, nec in bono persistere, vel auditores quantum profecerint discernere, implorat auxilium. In *agro*, Christiani; in *villis*, pagani; in *vineis*, Ecclesiæ; in *floribus*, fides; in *fructibus*, virtutes; in malis Punicis, martyrium designatur. In his singulis sponsa dilecti sui præsentiam quærit.

‡7.12 *Mane surgamus.* Quia nox infidelitatis transiit, et lux fidei apparet, procedens ex matutina resurrectione Christi: ab ipso mane resurrectionis laboremus, in inspirando, et ego prædicando. *Videamus.* Ut ego, qui pædagogus sum parvulorum, possim discernere eos, qui acquisiti sunt, quomodo se habeant, quantum proficiant: ut qualiter nutriendi sint, intelligam. Non est intuendum, si vineæ florent, sed si flores ad partum fructum convalescant; quia mirum non est, si quis bona inchæt, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perseveret. *Ibi dabo tibi ubera.* Id est ubi ad videndas vineas, et mala si florent, venerimus in tuum obsequium: et facta et dicta meorum prædicatorum exhibebo ad similitudinem sedulæ nutricis.

¶7.13 *Mandragoræ.* Merito invocat sponsum ad auxilium prædicationis, ubi prædicatores præcipuis flagrant virtutibus. *Portæ*, apostoli et eorum successores. *Mandragoræ*, id est virtutes illorum, quæ sunt aptæ medicamentis: quæ contra sollicitudines mundi adducunt quietem, quæ nauseam verbi Dei excludunt, quæ vitia ab hominibus sine dolore excidi faciunt, quæ proferunt *mala*, id est Ecclesias, suaviter redolentia in confessoribus, similia malis Punicis in martyribus: *dederunt odorem*, quia exemplis majorum minores confirmantur. *Servavi tibi.* Vel servavi, id est intellexi omnia præcepta et testimonia, vel promissiones utriusque Testamenti a te esse datas, vel, omnia poma, id est justos utriusque Testamenti per te solum incarnatum justificatos cognovi.

8 [Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat?][§] ² Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.^{**} ³ Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.^{††} ⁴ *Sponsus* Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.^{‡‡} ⁵ *Chorus* Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? *Sponsus* Sub arbore malo suscitavi te; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.^{¶¶} ⁶ *Sponsa* Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum.^{§§} ⁷ Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi

§8.1 *Quis mihi.* Introducitur Judæa jam inspirata et edocta, et summo desiderio Deum investigat. *Foris.* Intus erat dilectus, dum *in principio erat Verbum:* foris, dum *Verbum caro factum est* Joan. 1.. *Deosculer te,* etc. Id est facie ad faciem videam, et ore ad os loquar.

**8.2 *Ibi me docebis.* Tu augebis gratiam in me, et ego non ingrata augebo servitium.

††8.3 *Læva.* Id est mysterium incarnationis, et dona quæ dat in præsentī, erit sub capite: quia per ea sustentata in præsentī contra perturbationes mundanas quiescit, et quodammodo cum eo dormit; *et dextera:* id est futura bona, id est plena ipsius visio, *amplexabitur me,* id est, ita undique circumdabit, ut nullus turbo miseræ possit intervenire.

‡‡8.4 *Adjuro vos.* Audiens sponsus illam ultimam Ecclesiam, et in præsentī velle dormire, et quandoque requiescere; et videns multos gigni ab Ecclesia, qui alios perturbant; admonet illos, ut a perturbationibus desistant. *Donec ipsa velit.* Donec, completis divinæ servitutis obsequiis, ipsa ad communem redire curam humanæ fragilitatis necessitatibus admonita consentiat.

¶¶8.5 *Quæ est ista?* Judæa in tantam sponsi agniti charitatem exardescens, gentilis admirando et congratulando dicit: *Quæ est ista? Sub arbore.* Gentilibus admirantibus respondet, ille, qui est pax nostra, qui fecit utraque unum: et admonet meminisse gratiæ, per quam ipsa erepta est, et aliorum congaudere salutī. *Suscitavi.* Quod fuit effectus magnæ benignitatis, quia in illa arbore interius excæcata fuit mater tua, ex quo dixit: *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* Matth. 27..

§§8.6 *Pone me.* Ponimus Christum *ut signaculum super cor,* cum ea quæ dixit, ita discimus, quasi divinæ veraciter sint verba sapientiæ. Solemus signum aliquod digito, vel brachio alligatum circumferre, quo admoneamur illius rei, cujus frequentio-riorem habere volumus memoriam. Ponimus, ut signum, super brachium, cum ea quæ fecit ita audire et sequi studemus, quasi veræ sint exempla virtutis. *Quia fortis est ut mors dilectio.* Post corruptionem matris, apte subjungit de dilectione, ut non ex meritis ostendatur data Ecclesiæ. *Ut mors.* Sicut mors separat animam a corpore, sic amor Dei a temporalium amore. *Dura sicut infernus,* etc. Quia nullis hostium tentamentis a nostræ salutis cura revocari potuit: sicut infernus nullis miserorum cruciatibus mitigatur, nec a severitate suæ sententiæ mutatur. Quanto austerior comparatio, eo acrior zelantis nos Domini commendatur affectus. *Lampades ejus.* Id est corda fidelium, in quibus dilectio continetur, ut in vase, sunt *ignis:* quia intrinsecus fervent Dei et proximi dilectione. Sunt etiam *flamma,* quia exterius lucent operibus justitiæ. Hæ lampades non exstinguuntur in adventu sponsi.

nihil despiciet eam.* ⁸ *Chorus Fratrum* Soror nostra parva, et ubera non habet; quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?† ⁹ Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.‡ ¹⁰ *Sponsa* Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.† ¹¹ *Chorus Fratrum* Vineam fuit pacifico in ea quæ habet populos: tradidit eam custodibus; vir affert pro fructu ejus mille argenteos.§ ¹² *Sponsa* Vineam meam

*8.7 *Aquæ multæ*, etc. Quia domus, quæ supra petram charitatis fundata est, irruentibus fluminibus non potest cadere. *Flumina*. Tentationum, quæ vel visibiliter vel invisibiliter tentant corda fidelium. *Si dederit*. Quia ubi abundat amor æternorum, mox vilescit possessio labentium, recte subditur, *Si dederit homo*. Apostoli, et alii sancti, omnibus dimissis, nihil visi sunt sibi perdidisse, dummodo vera bona possent habere, unde Paulus: *Omnia detrimenta arbitror ut stercora, ut Christum lucrificiam* Philip. 3.

†8.8 *Soror nostra*, etc. O vos ministri et commilitones mei, nova est hæc Ecclesia et tenera ad novam dilectionem retinendam. *Soror nostra parva*. Ecclesia, antequam crescat per incrementa virtutum, infirmis auditoribus non potest præbere ubera prædicationis; adulta dicitur, quando verbo Dei copulata, sancto repleta Spiritu, per prædicationis ministerium in filiorum conceptione fœdatur, quos exhortando parturit, convertendo parit. *Quid faciemus sorori*, etc. Ac si aperte dicat: Parva quidem numero est Ecclesia gentium, et necdum ad subeundum verbi ministerium sufficit. Quid ergo tibi videtur, o Synagoga, erga curam ejus, sororis videlicet nostræ, esse faciendum tempore illo, quo illam per apostolos meos, apostolorumque successores alloqui cœpero? Utrum quasi parvulæ adhuc, parva illi secretorum cœlestium arcana committamus, an jam majorem eam per augmenta reddamus, quatenus bene proficiens, perfectionum possit capax esse virtutum? Cui tacenti, et quid ipse velit potius auscultanti, continuo quid fieri deceat aperit, ita subjiciens:

‡8.9 *Si murus est*, etc. Si inventus fuerit aliquis, qui ab incursionibus errantium possit alios defendere, armis nequitiae fortiter resistendo, vel naturæ ingenio munitus, vel philosophica scientia imbutus: divinis Scripturis eum informemus. *Si ostium*. Si quis est non adeo imbutus ad repellenda hæreticorum sophismata, sed tamen simplicitate fidei, intrare volentibus in atria patriæ cœlestis, potens pandere rectam viam prædicando, et parvulos imbuendo: proponamus ei immarcessibilia priorum virorum exempla, quibus suum melius impleat officium.

†8.10 *Ego murus*. Jam loquitur communiter de tota Ecclesia ex apostolorum fundamento incepta, quia extunc fuerunt ubera in Ecclesia, usque ad novissima tempora. *Ego murus*. Audiens Ecclesia hæc consilia, vel promissa sui Redemptoris, jam non alter alterum expectat, sed quisque pro se respondet voce devota. *Ex quo*. Hæc omnia non a me habere potui, sed ex quo mihi donum suæ pacis, per verbum suæ reconciliationis largitus est. *Quasi pacem reperiens*. Bene dico pacem reperiens, quia in ea pace, quam dixi, fuit *pacifico* Christo vinea instituta: quæ olim a lege et prophetis est prænuntiata. Quæ pax non unam tantum gentem Judæorum continet, sed habet multos populos de toto mundo collectos, non aliquibus hominum meritis, sed sola pace, quam inter Deum et hominem facere venit: cujus vineæ, quia Domino cura est, et quia utile est hominibus, ut ejus participes fiant, recte subditur:

§8.11 *Tradidit eam custodibus*. Sequitur vox ipsius pacifici, quæ ostendit, quantam curam habeat de hac vinea, et quid sua relinquentibus in æternum conservet, et quid singularis præmii doctoribus ejus disponat.

coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus ejus.** 13 *Sponsus* Quæ habitas in hortis, amici auscultant; fac me audire vocem tuam.†† 14 *Sponsa* Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae, hinnuloque cervorum super montes aromatum.]‡‡

**8.12 *Mille tui pacifici*. Pretium perfectum quidquid habet. Per *mille*, perfectio; per *argentum*, omne mundanum accipitur: quod quidem aliquando parvum est in te, sed magnum devotione. *Mille*, etc. Eadem perfectio quæ per *mille* significatur, etiam per *centum* notatur, quia uterque numerus perfectus, et idem valet *ducenti*, quam si diceret duo millia. *Mille*, etc. Idem est *argentei* et *pacifici*: quia pecunia pro Deo erogata, pacem inter Deum et hominem conciliat.

††8.13 *Quæ habitas in hortis*. Ecclesia, vel quælibet fidelis anima, in hortis habitat; quæ jam viriditate spei et bonorum operum est repleta. Sicca quippe est spes hujus mundi, quia omnia, quæ hic amantur, cum festinatione arescunt: *Quæ ergo in hortis habitat*, oportet ut sponsum *vocem suam audire faciat*, id est in tantum bona prædicationis emittat in quantum ille delectatur, quem desiderat; quia *amici auscultant*, videlicet omnes electi, qui ut ad cœlestem patriam reviviscant, verba vitæ audire desiderant. *Quæ habitas*. Et quandoquidem unicuique apud me reservatur pro meritis præmium, et duplex retributio doctoribus: ergo dum adest tempus merendi, dum differtur dies nuptialis, quantum valet unusquisque, in cultura hujus vineæ persistat. *Amici*. Id est angeli, quos adjutores tibi dedi; et spiritus justorum, qui jam cum Deo sunt, et pro fratribus orant. *Fac me audire*. Exigo a te ut habites, nullo tumultu discessura; postea etiam exigo ut vocem tuam me audire facias.

‡‡8.14 *Fuge, dilecte*. Annuens Ecclesia, respondet: Quandiu vis, abesto: differ præsentiam tuam; ego spe longanimi quidquid præceperis, patiar vel faciam. *Fuge, dilecte*. Non optando loquitur, quis enim oportet eum, quem diligit, fugere? sed memor suæ conditionis, illius voluntati consentit. *Fuge, dilecte*. Quasi: Tu quidem, qui ex carne comprehensibilis factus es, ex divinitate tua intelligentiam nostri sensus excede, et in teipso nobis incomprehensibilis permane. Hoc clamat Ecclesia Domino spiritu prophetico, postquam mortem et resurrectionem Domini ascensionemque descripsit. Fugere nos dicitur, quando id quod reminisci volumus, non occurrit: quando id quod volumus, memoria non tenemus. *Assimilare*. Ita fuge, ut creberrime per gratiam compunctionis fidelium cordibus appareas; qui sunt *montes aromatum*, quia despectis omnibus cupiditatibus, et purgatis vitiis, amore cœlestium tenentur, et virtutum odore fragrant, et bonus odor Christi sunt.

INCIPIT LIBER

ISAIÆ PROPHETÆ

1 Visio Isaiæ, filii Amos, quam vidit super Judam et Jerusalem, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, et Ezechiaë, regum Juda.[¶] ² [Audite, cæli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivit, et exaltavi; ipsi autem spre-

[¶]1.1 *Incipit* Ex Epiphanio, lib. de Vitis prophetarum. Isaias in Jerusalem nobili genere ortus est, ibique prophetavit: sub Manasse rege, sectus in duas partes, occubuit. Sepultusque est sub quercu Rogel, juxta transitum aquarum, quas olim Ezechias rex jacto obstruxerat pulvere. Fontem quippe Deus Siloam causa Prophetæ efficit, quoniam priusquam moreretur, pusillum precatus est, uti undas illic effingere dignaretur. Et confestim demisit illi cœlitus aquam viventem, unde sortitus est locus ille appellationem Siloam, quod si quis interpretetur, sonat demissum. Sub Ezechia quoque rege, antequam stagnum piscinasque fabricasset, precibus Isaiæ effectum, ut exigua lympha scaturiret, quod populus in obsidione hostium teneretur, et ne ipsa periret undis destituta civitas. In cujus rei perennem memoriam, populus accurate Prophetam isthic solo cum gloria et honore reddidit, ut per ejusdem intercessionem in consummationem usque sæculi, aquæ ejusmodi fructus impetretur, cui scilicet usum referebant acceptum. Exstat autem monumentum Isaiæ, finitimum sepulturæ principum, post sepulcra sacerdotum versus Nothum partemque meridiālem. Salomon enim Jerosolymam construens, regum excitavit mausolea, prout illa David descripserat. *Incipit* HIERON. in Isa. Isaias, vir nobilis et urbanæ eloquentiæ, nihil in eloquio rusticitatis habens, non tam propheta dicendus est quam evangelista: Ita enim liquide Christi et Ecclesiæ mysteria prosequitur, ut de præteritis putetur historiam texere. Prophetavit autem in Hierusalem et Juda, nondum decem tribubus captivatis: et de utroque regno nunc mixtim, nunc separatim, texuit oracula. Et cum interdum ad præsentem respicit historiam, et post Babylonicam captivitatem reditum populi significet in Judæam, in advocationem tamen gentium et Christi adventum omnem intendit curam. *Visio Isaiæ*, etc. Tria sunt genera visionis: primum corporale, quo videmus cœlum et terram et hujusmodi; secundum spirituale, quo videmus, sicut in somnis, imagines hominum et hujusmodi; tertium intellectuale, quod est in ratione, per quod Creatorem cognoscimus, et, Spiritu sancto revelante, intelligimus quodlibet. Videre quoque sæpe pro intelligere ponitur: unde sæpe interrogamus, dicentes: Vides, id est, intelligis? Prophetæ quoque hinc videntes dicuntur, id est, intelligentes. Hanc visionem vidit Isaias Spiritu sancto, scilicet intimante, quæ superventura erant intellexit. Unde in principio non ponit visiones sicut Daniel, neque dicit quid viderit; sed statim dicit: Audite, cœli, et auribus percipe, terra. HIER. in Isa., tom. 4.. Non solum Isaias, etc., usque ad non ergo ignorabant, secundum Montanum, qui sic videbant. ID., Ibid. Isaias interpretatur, etc., usque ad et cum omnia fecerit, dicit: *Servus inutilis sum; quod debui facere, feci. Filii Amos.* ID., ibid. Amos, pater Isaiæ, non duodecim Prophetarum tertius est, etc., usque ad Prophetas fuisse contendunt. *Super Judam et Jerusalem.* ID., ibid. Isaias principaliter de duabus tribubus, etc., usque ad ad correctionem duarum trium hæc prædicta esse. *Visio Isaiæ*, etc. HIER., ibid. Pro Juda, in quo signantur duæ tribus, etc., usque ad de qua: *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum. In Diebus Oziæ.* ID., ibid. Ozias ipse est qui et Azarias, etc., usque ad ut nostræ historiæ appareant antiquiores quam gentiles.

verunt me.^{§§} ³ Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israël autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* ⁴ Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis ! dereliquerunt Dominum; blasphemaverunt Sanctum Israël; abalienati sunt retrorsum.† ⁵ Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? omne caput languidum, et omne cor mœrens.‡ ⁶ A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas; vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.¶ ⁷ Terra vestra deserta; civitates vestræ succensæ igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili.§ ⁸ Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur.** ⁹ Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset,

§§1.2 **Audite, cœli**, etc. ID., ibid. Supra quis Propheta, etc., usque ad cum hoc potestatis Dei sit, nec terrenæ intelligentiæ. **Dominus locutus est**. ID., ibid. Non vobis, sed mihi, ut quod in spiritu audivi referam vobis, qui ipsum audire non meremini. **Filios enutrivî**. ID., ibid. Quod dicit: Ego eos adoptavi in filios, etc., usque ad unde: **Dedit eis potestatem filios Dei fieri**.

*1.3 **Cognovit bos**, etc. ID., ibid. Unde: **Non arabis in vitulo simul et asino** Deut. 22.. Sicut Ebion, etc., usque ad cui dicitur: **Venite ad me, qui laboratis et onerati estis. Asinus**. Gentilis vel conversus lascivus, ante immundus, peccatis oneratus, qui incarnationem Christi credidit, qui natus statim reclinatus est in præsepio, ut carnis suæ freno reficeret universos. **Israël**. HIER., uti supra. Scribæ et Pharissæi clavem scientiæ et legis habentes. Unde Israël, Deum videntes, appellati sunt. **Non cognovit me**. Cujus scilicet diem vidit Abraham et lætatus est Joan. 8.; cujus adventum chorus Prophetarum exspectando vaticinatus est.

†1.4 **Væ genti**, etc. HIER., ibid. In hoc titulo, personam, causam, tempusque commemorat; secundo, attentos facit; tertio, narrat quid locutus Dominus; quarto, quasi in excessibus gentem increpat peccatricem. **Væ genti**. etc. Æternum minatur interitum, quia respuunt Filium, qui salutem attulit. **Iniquitate**. ID. ibid. Unde: **Iniquitas sedet super talentum plumbi** ZACH. 5.; unde alibi: **Quasi onus grave, gravatæ sunt super me** Psal. 37.. **Nequam**. Alii, pessimorum, ut non seminis sit vitium, sed malitiæ eorum, qui voluntate propria Deum dereliquerunt. Non enim boni et mali diversa putanda est natura. **Blasphemaverunt**. Dicentes: **Dæmonium habes, et Samaritanus es tu** Joan. 8.; et **Non habemus regem nisi Cæsarem; et Nonne hic est Filius fabri? Abalienati sunt**. HIER., ibid. Qui dicebantur pars et filii Dei Joan. XIX; Matth. 13.. Dicitur de eis: **Filii alieni mentiti sunt mihi** Psal. 17., unde: **Nemo mittens manum suam ad aratrum**, etc. Luc 9., unde Apostolus: **Ad priora se extendens, posteriorum oblitus** Philip. 3..

‡1.5 **Super quo percutiam vos**, etc. ID. ibid.. Quasi dicat, etc., usque ad quod autem jam non sit locus medicinæ aptus ostendit sic: **Omne caput languidum** etc. **Omne caput languidum**. ID., ibid. Sicut lætitia animi aliquando dolores corporis mitigat, etc., usque ad unde: **A planta pedis**, etc.

¶1.6 **Vulnus et livor**. ID., ibid. Quasi dicat, etc., usque ad et pium medicum ad se missum occiderunt. **Nec curata medicamine**. ID., ibid. Unde: **Curavimus Babylonem et non est curata**, urbem, scilicet confusionis et vitiorum, etc., usque ad et irremediabilem Judæorum captivitatem expressit.

§1.7 **Terra vestra deserta**, etc. ID., ibid. Hæc sub Babyloniis partim completa sunt, etc., usque ad unde: **Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat**, etc.

1.8 **Filia Sion, etc., ID., ibid. Affecta piissimi patris. Et: **Omnes enim natura filii Dei sumus** Joan. 14., sed nostro vitio alieni efficimur. Unde Babylon sæpe **filia** nuncupatur.

et quasi Gomorrha similes essemus.^{††} ¹⁰ Audite verbum Domini, principes Sodomorum; percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ.^{‡‡} ¹¹ Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus. Plenus sum: holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum, nolui.^{¶¶} ¹² Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis?^{§§} ¹³ Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam et sabbatum, et festivitates alias, non feram; iniqui sunt cœtus vestri.* ¹⁴ Calendas vestras, et solemnitates vestras odovit anima mea: facta sunt mihi molesta; laboravi sustinens. ¹⁵ Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestre sanguine plenæ sunt.[†] ¹⁶ Lavamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse,[‡] ¹⁷ discite benefacere; quærite ju-

^{††}1.9 *Nisi Dominus.* ID. Hoc ex persona Prophetæ, etc, usque ad sic Omnipotens, Filius Omnipotentis est.

^{‡‡}1.10 *Audite verbum.* ID. Salvatis reliquiis, etc., usque ad et nunc mente cernitur, quando invisibilis creditur.

^{¶¶}1.11 *Plenus sum.* ID. Quasi dicat: Putatis me indigere his vel delectari? Ego autem plenus sum, id est, nullo indigeo. *Mea enim est terra et plenitudo ejus.* Vel plenus sum, id est, tædio affectus, quia non bene offertis. *Holocausta arietum,* etc., usque: *Judicare pupillo,* etc. Sacrificia Judæorum respuit, obedientiam Evangelii commendat: *Holocausta arietum,* etc. Ultimam templi destructionem indicat, quæ in perpetuum perseverat. Post Babylonicam enim captivitatem, a Zorobabel templum ædificatum est, et in eo diu sacrificatum est. ID. *Holocausta arietum.* Potest et de illis accipi, qui, cum Dei præcepta despiciant, volunt illum multitudine sacrificiorum placare, et peccandi licentiam emere. Vel qui rapinam et avaritiam altari offerunt, et pauperibus tribuunt. *Nolui.* Præterito utens, ostendit se nunquam Judæorum sacrificia amasse, sed propter significatum ad tempus sustinuisse: et vero sacrificio impleto, pro nihilo reputasse.

^{§§}1.12 *Cum veniretis.* ID. Hæc sacrificia non quæsivit Deus, quasi indigeret; sed ne dæmonibus immolarent, et ut per carnalia et typica ad spirituale et verum sacrificium facilius pervenirent. *Quis quæsivit?* Audiant hoc Ebionitæ, qui post Christi passionem putant legem esse servandam audiant hoc eorum socii, qui Israëlito tantum generi custodiendam decernunt.

*1.13 *Neomeniam,* etc, Festum novæ lunæ, quod celebrabant in principio mensium: *Neos,* novum, *mene,* luna; unde: *Buccinate Domino in neomenia tuba* Psal. 80.. *Iniqui sunt cœtus vestri,* etc. ID. Quia spirituales hostias non offerunt; unde: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* Psalm. 50.. Vers. 14

[†]1.15 *Manus enim vestre plenæ sunt sanguine,* etc. ID. Prophetarum et tandem Domini eorum, etc., usque ad in oratione dies noctesque invigilant.

[‡]1.16 *Lavamini,* etc. Quasi dicat: Hoc odivi: placet veritas Evangelii: *Lavamini,* sanguine Christi, aqua baptismi. *Mundi estote,* manentes in innocentia vitæ. Baptismus enim solum potest in remissionem peccati, unde: *Nisi quis renatus* Joan. 3., etc. Et alibi: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,* etc. HIER., ubi supra. Ordo præcipuus, etc., usque ad sed etiam in conspectu Dei, quem nihil potest celari. *Quiescite agere perverse.* ID. Illud Evangelii sonat, etc., usque ad quem sequuntur in Apocalypsi qui splendent candore virginitatis.

dicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.][¶] 18 [Et venite, et arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.[§] 19 Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comeditis.^{**} 20 Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est. 21 Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.^{††} 22 Argentum tuum versum est in scoriam; vinum tuum mistum est aqua.^{‡‡} 23 Principes tui infideles, socii furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, et causa viduæ non ingreditur ad illos.^{¶¶} 24 Propter hoc ait Dominus, Deus exercituum, Fortis Israël: Heu ! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis.^{§§} 25 Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad

[¶]1.17 *Discite benefacere.* ID. Non confisi naturæ, etc., usque ad magistrorum terenda sunt limina. *Quærite iudicium,* etc. ID. Victimis Judæorum Evangelica succedunt mandata. Pupillis et viduis providetur, ut securi de conjugibus et liberis martyres ad bella procedant.

[§]1.18 *Ut coccinum,* etc. ID. Idem est coccus et coccinum, et vermiculus, grande scilicet peccatum, et homicidium et adulterium, etc. Quod autem per nivem, hoc per lanam significatur purgatio, scilicet et ablutio peccatorum. *Quasi nix.* Quia frigidi erunt contra incentiva vitiorum: *Et velut lana,* quia vestiti contra frigus perfidiæ. *Lana alba,* etc. ID. De qua fiat vestis Christi.

^{**}1.19 *Si volueritis et audieritis,* etc. ID. Liberum arbitrium reservatur, etc., usque ad ad laudem Dei transiret religio. ID. Moraliter; anima fidelis et plena iudicii, dum Deo obedit, Deus in ea habitat, qui est justificans iustitia; si autem a Deo recedit non loco, sed merito, habitatur a malignis spiritibus, qui sunt homicidæ animarum.

^{††}1.21 *Iustitia.* ID. Iustitia, in Hebræo *sedek* quod magis justum significat, ut intelligamus Dominum commoratum ea, de quo: *Iustus autem, quid fecit?* quod in Ezechiele per Oolibam significatur, quod interpretatur *tabernaculum,* vel *tabernaculum meum in ea.*

^{‡‡}1.22 *Argentum,* etc. Clari scilicet et lucidi ad vitia sunt reversi. *In scoriam.* ID. Scoria, Hebraice *siggim:* quod est rubigo metallorum, vel purgamenta et sordes quæ igne excoquuntur. *Vinum tuum,* etc. Alii: *Caupones tui miscent vinum aqua.* Symmachus: *Vinum tuum mixtum est aqua.* Moraliter: *Vinum tuum mixtum est aqua:* quia præcepta sanctæ Scripturæ, quibus corrigere debent auditores, ad illorum voluntatem emollit, sensu suo admisto vinum corrumpit. *Vinum tuum,* etc. Hæretici quoque Evangelium corrumpunt, pessimi caupones, de vino aquam facientes, cum aquam in vinum verterit Dominus, quod miratur architriclinus: Et regina Saba, in convivio Salomonis collaudans pincernas et ministros vini.

^{¶¶}1.23 *Socii furum.* ID. Accipientes a Scribis et Pharisæis munera, quæ pauperibus auferebant. In passione quoque Domini, infideles fuerunt, nolentes credere in Christum; et socii furum, Scribarum scilicet et Pharisæorum et Judæ proditoris, *Socii furum,* etc. Nos quoque debemus cavere ne ab illis accipiamus munera, qui de lacrymis pauperum congregant divitias, ne simus socii furum, et ne dicatur de nobis: *Si videbas furem, currebas cum eo,* etc. *Sequuntur retributiones.* ID. Quia amicos non putant, etc., usque ad id est, patienter tolera.

^{§§}1.24 *Fortis Israël.* ID. LXX: *Væ fortes Israël,* etc., usque ad vel moribus. *Heu ego.* ID. Affectu pii patris eos licet inimicos plangit et percudit, quia pereunt et poenitere nolunt. *Consolabor,* etc. ID. Ultione consolatur, etc., usque ad in quo significat eos tormenta passuros.

puram scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum.* ²⁶ Et restituam iudices tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus; post hæc vocaberis civitas iusti, urbs fidelis.† ²⁷ Sion in iudicio redimetur, et reducent eam in iustitia. ²⁸ Et conteret scelestos, et peccatores simul; et qui dereliquerunt Dominum consumentur. ²⁹ Confundentur enim ab idolis quibus sacrificaverunt, et erubescetis super hortis quos elegeratis, ³⁰ cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua.‡ ³¹ Et erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla, et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat.]

2 Verbum quod vidit Isaias, filius Amos, super Juda et Jerusalem. ² [Et erit in novissimis diebus: præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles; et fluent ad eum omnes gentes,† ³ et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.‡ ⁴ Et iudicabit gentes, et arguet populos multos; et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.** ⁵ Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini.†† ⁶ [Projecisti enim populum tuum, domum Jacob, quia repleti sunt ut olim, et augeres habuerunt ut Philistiim, et pueris alienis adhæserunt. ⁷ Repleta

*1.25 *Stannum tuum.* ID. Falsam doctrinam Scribarum et Phariseorum, quæ est similis veræ, sicut stannum argento. Et dabo puram et perfectam legis et Evangelii scientiam.

†1.26 *Et restituam iudices,* etc. ID. Non solum post captivitatem, ut Zorobabel, Esdram, et alios, qui usque ad Hircanum præfuerunt populo; sed et post adventum Domini, Apostolos et alios Ecclesiæ doctores. *Civitas iusti, urbs fidelis Sion, in iudicio redimetur.* Ecclesia in qua revocantur ad iuste vivendum. Est enim civitas congregatio hominum ad iuste vivendum.

‡1.30 *Velut quercus defluentibus.* ID. Sicut a quercu ariditate concussa, etc., usque ad nec olera quidem affert, quæ infirmus manducet.

†2.2 *In novissimis.* HIER. De quibus Jacob, etc., *usque ad: crevit in montem magnum. Mons. Montes,* angeli, prophetæ, patriarchæ, apostoli, martyres, et alii qui miraculis effulserunt. *Colles,* minores, a majoribus lumen accipientes. *Et elevabitur.* ID. Super omnes sanctos, quia de plenitudine ejus omnes accipiunt de quibus: Montes in circumitu ejus qui a monte Christo montes dicuntur.

§2.3 *Domum.* ID. Quod ideo dicitur, ut Vetus Testamentum suscipiamus, non secundum Manichæum aliam quam domum Dei Jacob quæramus. *Vias suas,* quas alii triverunt. Dominus quoque ascendens in montem docebat discipulos suos. Prius ergo discendæ viæ, post ambulandum in semitis. *De Sion.* HIER. Non de Sina petra, sed de monte Sion, in quo Jerusalem, in qua templum et religio Dei. Dominus quoque in templo docuit quod non oportuit Propheta mori extra Jerusalem. *Lex et verbum.* Sicut supra, verbum et legem simul posuit, ut principes audirent verbum, legem populus aure perciperet. Qui enim fecerit legem, perveniet ad verbum Dei; exhibit lex de verbo quasi de fonte, ut alios irriget.

**2.4 *Et constabunt gladios suos.* ID. Omne studium bellandi vertetur in pacem, etc., usque ad manducemus in tempore messionis, scilicet mortis.

††2.5 *Domus Jacob,* etc. ID. Post vocationem gentium et ostensionem montis Dei, invitat populum suum, qui est de Jacob, ut, exiens de tenebris infidelitatis, suscipiat lumen Christi. *In lumine.* ID. *Dum lucem habetis, credite in lucem. Accedite ad eum, et illuminamini,* etc. Quasi dicit: *Qui male agit, odit lucem: sed venite mecum, ambulemus in luce Domini, qui dicit: Ego sum lux mundi,* etc. Vers. 6

est terra argento et auro, et non est finis thesaurorum ejus.†† 8 Et repleta est terra ejus equis, et innumerabiles quadrigæ ejus. Et repleta est terra ejus idolis; opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.¶¶ 9 Et incurvavit se homo, et humiliatus est vir; ne ergo dimittas eis. §§ 10 Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus. 11 Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum; exaltabitur autem Dominus solus in die illa.* 12 Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur;† 13 et super omnes cedros Libani sublimes et erectas, et super omnes quercus Basan, 14 et super omnes montes excelsos, et super omnes colles elevatos,‡ 15 et super omnem turrim excelsam, et super omnem murum munitum, 16 et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est,¶ 17 et incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illa;§ 18 et idola penitus conterentur;¶¶ 19 et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ, a facie formidinis Domini et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. 20 In die illa projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret, talpas

††2.7 *Repleta est terra.* ID. Et Romanorum et Judæorum avaritia suggillatur; Græcæ enim et Latinæ testantur historiæ nihil utraque gente avarius esse: inter idola, avaritia condemnatur.

¶¶2.8 *Equis et innumerabiles.* ID. Et hoc contra Dominum, qui multiplicari currus prohibuit et equos: hæc enim animalia data sunt ad adjuvandum, non ad superbendum, unde et jumenta dicuntur.

§§2.9 *Incurvavit se.* Ubi quondam templum et religio Dei, ibi statua Adriani et idolum Jovis. *Non ergo.* Non maledicit Isaias, sed benedicit, etc., usque ad et repleti sunt idolis, etc. *A facie timoris Domini.* Ab ira judicii. *Et a gloria majestatis ejus.* Quia *veniet cum potestate magna et majestate.*

*2.11 *Oculi sublimes,* etc. Hier. Nec divitiæ, nec potentia, nec nobilitas generis quemquam salvabit, omnibus superveniet una captivitas. Possunt et de judicii die hæc accipi, cum omnis creatura in conspectu Dei humiliabitur, et nihil se esse sentiet comparatione ejus. *Exaltabitur autem solus Dominus in die illa.*

†2.12 *Domini exercituum.* Ubicunque de victoria, vel vindicta Domini loquitur; Dominum exercituum eum commemorat, ne dubitemus de ejus victoria, cujus tanta est potentia.

‡2.14 *Montes excelsos.* HIER. Pro varietate virtutum, alii bonorum montes, alii colles appellantur. Pro diversitate vitiorum, alii impiorum montes, alii colles, quibus dicitur: *Ego inducam super vos gladium,* etc. *Et super omnem turrim.* ID. Ad litteram: venientibus Romanis, et turres et muri funditus eversi sunt, etc., usque ad ne dogma perversum prævaleat veritati.

¶2.16 *Naves.* ID. Habuit Josaphat naves quas mittebat in Tharsis, etc., usque ad sunt et naves bonæ de quibus dicitur: *Qui descendunt mare in navi,* etc. *Tharsis.* ID. Cujuslibet maris, etc., usque ad si aliter dicitur, Syrum est.

§2.17 *Incurvabitur omnis.* ID. Allegorice.: humanus sermo rationabilis videtur, etc., usque ad ab eo quoque quo conficta erant penitus conterentur.

¶¶2.18 *Et idola penitus.* Hoc in captivitate Chaldæorum, etc., usque ad hoc specialiter ad priorem sensum referendum est. BED. Ædificavit Salomon rem in Jerusalem Astaroth idolum Sydoniorum, etc., ubi ni fallor ostenditur quia Salomon nunquam perfecte pœnituit, quia idola quæ ædificaverat non delevit.

et vespertiliones.†† 21 Et ingreditur scissuras petrarum et in cavernas saxorum, a facie formidinis Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. 22 Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse.]‡‡

3 [Ecce enim Dominator, Dominus exercituum, auferet a Jerusalem et a Juda validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ;¶ 2 fortem, et virum bellatorem, judicem, et prophetam, et ariolum, et senem;§§ 3 principem super quin-quaginta, et honorabilem vultu et consiliarium, et sapientem de architectis, et prudentem eloquii mystici.* 4 Et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis;† 5 et irruet populus, vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum; tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem. 6 Apprehendet enim vir fratrem suum, domesticum patris sui: Vestimentum tibi est, princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua.‡ 7 Respondebit in die illa, dicens: Non sum medicus, et in domo mea non est panis neque vestimentum: nolite constituere me principem populi.¶ 8 Ruit enim Jerusalem, et Judas concidit, quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.§ 9 Agnitio vultus eorum respondit eis; et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec

††2.20 *Ut adoraret talpas.* HIER. Non in re, sed sicut talpæ, etc., usque ad quibus ad veritatem pervenitur.

‡‡2.22 *Quiescite ergo.* Quia hæc evenient nisi quiescatis. Quiescite ergo ne sæviatis in Christum, qui purus homo videtur: quia spirat naribus et vivit sicut alii homines. *Excelsus. Excelsus super omnes gentes Dominus. Et ipse fundavit eam Altissimus* Psal. CXII, 89.. Hebræum tamen *excelsus* significat, non *excelsus*. Ipse est enim ipsa altitudo, non tantummodo altus.

¶3.1 *Ecce enim.* Hucusque de judicio dici putant, etc., usque ad postquam omnes gratiæ donationes a Judæis ablatae sunt.

§§3.2 *Virum bellatorem.* HIER. Non est apud Judæos qui pro lege bellet qui secundum eam judicet: omnes enim vani et stulti sunt. *Et ariolum.* Quia aliquando vera ariolantur ut Balaam, et divini quinque urbium Palæstinorum, quorum consilio arca Domini remissa est, quasi diceret: Et veri prophetæ et falsi auferentur a Judæis. *Senem.* Quem LXX presbyterum transtulerunt, etc., usque ad quia presbyteros audire noluit.

*3.3 *Prudentem.* Doctorem vel auditorem, etc., usque ad qui discernent quo spiritu prophetæ loquerentur. *De architectis.* Ipse Christus fabri Filius dicitur: et in Paralipomenonis vallem artificum legimus. Ibi quippe erant artifices quos non inflabat scientia, sed humilem Christum sequebantur.

†3.4 *Et dabo. pueros.* HIER. Cum cætera in persona, etc., usque ad prohibet Apostolus episcopum eligi neophytum, ne superbiat sicut diabolus. *Effeminati.* LXX, illusores, etc., usque ad sanctus Ecclesiæ status confunditur.

‡3.6 *Apprehendet.* ID. Ad litteram, etc., usque ad et ruina nostra tuo sustentetur auxilio.

¶3.7 *Respondebit.* ID. Hoc in Hebræo non est, sed de LXX hoc additur. Secundum Hebræum enim ita jungitur: *In die illa dicit: Non sum medicus.* Non statim multitudinis judicio acquiescamus, etc., usque ad: *Ne quæras judex fieri, ne forte non possis offerre iniquitates* Eccl. 7..

§3.8 *Ruit enim Jerusalem.* Ex persona Prophetæ. Quasi dicat: Ideo non invenient qui velit eis subvenire, quia Dominum blasphemaverunt, dicentes: *Dæmonium habes* Joan. 8., et hujusmodi. *Quia lingua.* Quamvis Romani quantum ad se pro tributo quod negabatur, in obsidionem venerunt, tamen præcipue mors Domini causa fuit.

absconderunt. Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala !** 10 Dicitur justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedit. 11 Væ impio in malum ! retributio enim manuum ejus fiet ei. 12 Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt eis. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.†† 13 Stat ad judicandum Dominus, et stat ad judicandos populos.** 14 Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus; vos enim depasti estis vineam, et rapina pauperis in domo vestra.¶ 15 Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? dicit Dominus Deus exercituum.]]§§ 16 [Et dixit Dominus: Pro eo quod elevata sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et claudebant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant;* 17 decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit.† 18 In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentum,‡ 19 et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, 20 et discriminalia, et periscelidas, et murenulas, et olfactoriola, et inares, 21 et annulos, et gemmas in fronte pendentes,¶ 22 et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus,§ 23 et specula, et sindones, et vittas, et theristra.** 24 Et erit pro suavi odore fœtor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali

3.9 **Agnitio. Agnoscent propter peccata sua hoc contigisse, vel ante oculos mentis semper peccata sua habebunt. **Væ animæ eorum.** ID. LXX: **Væ animæ eorum, quoniam cogitaverunt consilium pessimum contra semetipsos, dicentes: Alligemus justum, quoniam inutilis est nobis Sap. 1.** ID. Caveamus ergo ne simus exactores in populo; ne juxta impium Porphyrium matronæ et mulieres sint noster senatus, quæ dominantur in Ecclesiis, et de sacerdotali gradu favor iudicet feminarum.

††3.12 **Et viam gressuum,** etc. ID. Ille est ergo doctor ecclesiasticus, etc., usque ad de qua: **Ego sum via, veritas, et vita** Joan. 14..

3.13 **Stat ad judicandum. ID. Jam quasi iratus, etc., usque ad contra principes et presbyteros venit ut iudicet, dans eis locum defensionis.

¶3.14 **Vos enim depasti.** ID. Reor hoc fuisse inter senes et principes veteris populi, quod inter presbyteros et episcopos nostri temporis. **Vineam meam.** ID. Vineam de Ægypto transtulisti. **Vinea Domini Sabaoth domus Israël est** Psal. 79..

§§3.15 **Quare atteritis populum meum?** Nostri quoque principes, etc., usque ad suas vel suorum divitias esse faciunt.

*3.16 **Pro eo quod elevata.** Hoc ad uxores Scribarum et Phariseorum præcipue, et ad alias quoque potest referri: ob quarum delicias et luxum viri earum pauperes expoliabant. Ne se ergo immunes existimarent a peccato, dicit Dominus: **Pro eo,** etc.

†3.17 **Decalvabit.** Quod occultum est patebit, et fœda calvities apparebit. Nihil enim opertum est quod non reveletur.

‡3.18 **In die illa,** scilicet Babylonica captivitatis, vel verius quando capti sunt a Romanis, et omnia ornamenta perdiderunt. **Calceamentorum.** Quæ in solitudine non sunt attrita, etc., usque ad ut pro munditia matronali, terræ spurcitia vertatur.

¶3.21 **Annulos.** Quibus signamur ad malitiam Christi, quem Pater signavit. Filius quoque prodigus cum stola annulum recepit, et calceamenta. **Gemmas in fronte.** Quibus ora nostra decorantur et caput.

§3.22 **Linteamina.** HIER. Ut latis in Domino perfruamur deliciis.

3.23 **Vittas. Quæ animum huc illucque fluentem constringunt. **Theristra.** Vestis muliebris tenuissima, et visui pervia, æstati idonea, et inde nominatur: theria enim æstas dicitur.

cilicium.^{††} ²⁵ Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio. ²⁶ Et mœrebunt atque lugebunt portæ ejus, et desolata in terra sedebit.]^{‡‡}

4 [Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum super nos; aufer opprobrium nostrum.]^{¶¶} ² [In die illa, erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, et exsultatio his qui salvati fuerint de Israël. ³ Et erit: omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, Sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem. ⁴ Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu iudicii, et spiritu ardoris. ⁵ Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem et fumum, et splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio.^{§§} ⁶ Et tabernaculum erit in umbraculum, diei ab æstu, et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia.]

5 [Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vineæ facta est dilecto meo in cornu filio olei.* ² Et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam; et ædificavit turrin in medio ejus, et torcular extruxit in ea; et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas.† ³ Nunc ergo, habitatores Jerusalem et viri Juda, iudicate inter me et vineam meam.‡ ⁴ Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et

††3.24 *Fascia pectorali cilicium.* Qua castigantur ubera, ne exuberent.

‡‡3.26 *Et mœrebunt atque.* Quicumque locum suum diabolo dederit, et cor suum omni custodia non servaverit, lugebunt portæ ejus, et absente sponso, semper in luctu erit, et corruens in pulvere sedebit. *Lugebunt portæ ejus, et desolata in terra sedebit.* Metonymicos, iudices, reges, principes qui solebant sedere in porta.

¶¶4.1 *Et apprehendent septem.* HIER. Cum Nabuchodonosor Sedeciam regem, etc., usque ad hoc loco plures possumus intelligere. *Septem mulieres.* ID. Septem dona Spiritus sancti: *Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Quæ mulieres dicuntur, quia nemo generatur Deo, nisi per Spiritum: et pluraliter, quia plura sunt dona, cum Spiritus unus. *Panem nostrum.* Panis noster Christus est, virga de radice Jesse, et flos; mulierum panis Pater est, sicut et Christi, qui ait: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* Joan. 4.. *Panem nostrum comedemus,* corpus Christi. *Vestimentis nostris operiemur.* Ornamentis virtutum. *Invocetur nomen tuum.* A Christo dicamur Christiani. *Aufer opprobrium.* Quod patimur a Judæis tanquam sine Deo, etc., usque ad sæpe cogamur mutare hospitium. *Aufer.* Quia consurgent contra sapientiam falsæ doctrinæ, et contra cæteras mulieres, id est, virtutes: unicuique suum insurgit contrarium, cum nomen earum falsæ virtutes subripiunt.

§§4.5 *Nubem,* id est, obumbrationem Spiritus, in prosperis ne eleventur, sicut filiis Israël nubes in die erat, ignis in nocte. *Et fumum,* etc. HIER. Unde: *Domus impleta est nubes* Exod. 13.; et alibi: *Qui tangit montes, et fumigant* Psal. 103.. *Super omnem enim.* Plurimi Judæorum, etc., usque ad nos autem ad primum Christi adventum.

*5.1 *Cantabo dilecto,* etc. HIER. Canticum aliquando in lætitia, aliquando in tristitia, ut hoc, scilicet quod ille composuit, qui videns civitatem flevit, dicens: *Quia si cognovisses et tu,* etc. Luc. 19..

†5.2 *Vineam electam.* ID. Alia editio, vineam Sorec, quod est genus vitis optimæ, uberrimæ perpetuis fructibus; cuncta quæ de vinea dicuntur, ad statum animæ referuntur, quæ a Deo plantata non attulit uvas, sed labruscas: et tradita est bestiis conculcanda, nec imbrem doctrinæ suscepit, quia dona præterita contempsit.

‡5.3 *Nunc ergo habitatores,* etc. Similiter Nathan David interrogat, ut de se tanquam de alio sententiam proferat.

non feci ei? an quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?[¶] 5 Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, et erit in direptionem; diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem.[§] 6 Et ponam eam desertam; non putabitur et non fodietur: et ascendent vepres et spinæ, et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.^{**} 7 Vineam enim Domini exercituum domus Israël est; et vir Juda germen ejus delectabile: et exspectavi ut faceret iudicium, et ecce iniquitas; et justitiam, et ecce clamor.^{††} 8 [Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci! Numquid habitabitis vos soli in medio terræ?^{‡‡} 9 In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum; nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes et pulchræ, absque habitatore.^{¶¶} 10 Decem enim jugera vinearum facient lagunculam unam, et triginta modii sementis facient modios tres.^{§§} 11 Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis!^{*} 12 Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris; et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. 13 Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. 14 Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino; et descendent fortes ejus, et populus ejus, et sublimes gloriosique ejus, ad eum. 15 Et incurvabitur homo, et humiliabitur vir, et oculi sublimium deprimentur. 16 Et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio; et Deus sanctus sanctificabitur in justitia. 17 Et pascentur agni juxta ordinem suum, et deserta in ubertatem versa advenæ comedent.][†] 18 [Væ qui trahitis iniquitatem in

[¶]5.4 *An quod exspectavi*, etc.? Hoc secundum quosdam supra apud se dixit, hic vero quod cogitaverat, alios interrogat.

[§]5.5 *Et nunc ostendam vobis*. Quasi diceret: Quia non vultis respondere, ergo respondebo pro vobis. *Auferam*, etc. Ut scilicet qui Deum non senserunt per beneficia, sentiant per supplicia, et ideo minatur pœnam, ut convertantur ad pœnitentiam.

^{**}5.6 *Et nubibus*. ID. Quæ sub Elia, etc., usque ad quando nec propheta habuerunt, et apostolos repulerunt.

^{††}5.7 *Domus Israël*, etc. ID. Ex quo divisum est regnum, etc., usque ad quia Christus ex eis natus est. *Ecce clamor*. Quo vociferatus est contra Dominum et clamavit, dicens: Tolle, tolle, crucifige; vel, clamorem pro justitia fecerunt, quia Christum interfecerunt, cujus sanguis clamat ad Dominum: *Vox sanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra* Gen. 4..

^{‡‡}5.8 *Væ qui conjungitis*. Hoc specialiter ad Judæos qui avarissimi, etc., usque ad donec deficiat terra, sensus scilicet, et sermo humanus.

^{¶¶}5.9 *In auribus*. ID. Quasi diceret propheta: Hæc verba interioribus auribus audivi, quæ sunt Domini exercituum. *Nisi domus*, etc. Pompa scilicet, et structura hæreticorum, usque ad qui ad comparisonem multiplicis numeri unione constringitur.

^{§§}5.10 *Decem enim jugera*. ID. Sterilitas terræ, quæ captivitatem secutura est, ostenditur.

^{*}5.11 *Væ qui consurgitis*. Quasi diceret: Captivitas imminet, etc., usque ad non intelligunt in se opera Domini.

[†]5.17 *Et pascentur agni*. ID. Juxta historiam idem est quod supra, regionem vestram alieni devorant coram vobis. *Advenæ: Auferetur a vobis regnum Dei*, etc. De toto enim orbe congregata, etc., usque ad ut loca taurorum occuparent agni.

funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustrī peccatum ![‡] 19 qui dicitis: Festinet, et cito veniat opus ejus, ut videamus; et appropiet, et veniat consilium sancti Israēl, et sciemus illud ![¶] 20 Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum ! 21 Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.[§] 22 Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem !^{**} 23 qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo !^{††} 24 Propter hoc, sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet; abjecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium sancti Israēl blasphemaverunt.^{‡‡} 25 Ideo iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum: et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum quasi sterminus in medio platearum. In his omnibus non est adversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extensa.^{¶¶} 26 Et elevabit signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ: et ecce festinus velociter veniet.^{§§} 27 Non est deficiens neque laborans in eo; non dormitabit, neque dormiet; neque solvetur cingulum renū ejus, nec rumpetur corrigia calceamenti ejus. 28 Sagittæ ejus acutæ, et omnes arcus ejus extenti. Ungulæ equorum ejus ut silex, et rotæ ejus quasi impetus tempestatis. 29 Rugitus ejus ut leonis; rugiet ut catuli leonum: et frendet, et tenebit prædam, et amplexabitur, et non erit qui eruat. 30 Et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris: aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine ejus.]*

[‡]5.18 *Væ qui trahitis.* Hæc ad principes Judæorum, etc., usque ad anathematizant vocabulum Christianorum. *In funiculis vanitatis.* ID. In quibus erant, etc., usque ad tanquam solidissimis vinculis tenemur.

[¶]5.19 *Væ qui dicitis.* ID. Hoc specialiter contra Judæos qui Barrabam elegerunt, Christum condemnaverunt; generaliter ad omnes qui injustum justificant, justum condemnant. *Malum, tenebras, amarum,* in simili significatione et figura ponuntur. In Barraba diabolus intelligimus, de quo: *Libera nos a malo.*

[§]5.21 *Væ qui sapientes estis.* Despecta Dei sapientia, etc., usque ad nec intrant ad Christum, nec permittunt intrare.

^{**}5.22 *Ebrietatem.* Vinum continet omne vitium. Ebrietas quæ Hebraice sicera significat omnia quæ statum mentis evertunt. Ex abundantia panis et vini peccatum Sodomorum crevit.

^{††}5.23 *Qui justificatis impium pro muneribus.* Supra dictum est, quia pro uvis attulerunt spinas, et fenum, et ligna, et stipulas, et vepres arsueros, quia non tantum ista fecerunt, sed et legem abjecerunt, et eloquium Dei blasphemaverunt. De quibus: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.*

^{‡‡}5.24 *Radix eorum.* ID. Prava cogitatio, ex qua procedit opus tanquam germen.

^{¶¶}5.25 *Ideo iratus.* ID. Notandum quod non exprobrat idololatriam et cætera peccata, sed quod abjecerunt legem Evangelii, et blasphemaverunt sanctum sermonem Domini: qui iratus fuerat contra principes et potentes, qui erant sapientes sibi et munera sequentes; quos devoravit lingua ignis, ut potentes potenter tormenta patientur. *Iratus est.* ID. Non quod humanis subiaceat passionibus; sed qui delinquimus, nisi Dominum irascentem audierimus, non timemus. *Et percussit,* etc. Futura quasi præterita dicit prophetali certitudine.

^{§§}5.26 *Et sibilabit ad eum de finibus terræ,* etc. ID. Hebræi hunc locum de Babylo niis intelligunt, etc., usque ad affectu se jungit populo, et ait:

^{*}5.30 *Aspiciemus.* Non ausi respicere cælum, cujus habitorem Deum offendimus, et lux nostra, quam semper habebamus in Deo, tribulationum caligine obscurata est.

6 In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; et ea quæ sub ipso erant replebant templum.† ² Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri; duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant.‡ ³ Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: [Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Deus exercituum; plena est omnis terra gloria ejus.]¶ ⁴ Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus repleta est fumo.§ ⁵ Et dixi: [Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis.]** ⁶ Et volavit ad me unus de seraphim, et in manu ejus

†6.1 *In anno*, etc. HIER. Ozias ipse est Azarias, etc., usque ad cadens in faciem, excelsa voce clamat ad Dominum. *Rex Ozias*. Rex, scilicet leprosus, qui sacerdotium usurpavit. *Vidi Dominum*. Christum scilicet. Visus est Filius in habitu regnantis; locutus est Spiritus sanctus propter consortium majestatis, unitatemque substantiæ. *Super solium excelsum*, etc. HIER. Qui videt Dominum regnantem in cœlestibus virtutibus, videt eum super solium excelsum et elevatum, quæ sunt Throni et Dominationes, etc. Quidam dicunt seraphim virtutes in cœlo Deo assistentes et laudantes, quæ in ministeria mittuntur maxime ad eos qui purgatione indigent, et propter peccata aliqua ex parte suppliciiis. ID. Cherubim, multitudo scientiæ, super quos Dominus in modum aurigæ sedere ostenditur, unde: *Qui sedes super cherubim*, etc. Seraphim autem præter hunc locum in Scripturis canonicis me legisse non memini. Errant ergo qui in precibus solent scribere: Qui sedes super cherubim et seraphim.

‡6.2 *Stabant*. ID. Id est, stant assistentia Deo; volant demonstrantia Deum; nudant quasi medietatem; non manifestant quæ velata sunt; non velant, quæ nota sunt. *Sex alæ uni*. ID. Victorinus duodecim apostolos intelligit. Nos autem duodecim lapides altaris quos ferrum non tetigit, et duodecim gemmas in diademate sacerdotis. ID. Alas habere dicuntur angeli, quia in superioribus commorantur, vel propter velocem in omnibus discursum, sicut et venti alati dicuntur. *Duabus velabant faciem ejus*. Ante hæc quæ fuerunt nescio, etc., usque ad angeli quoque et prædicatores nihil inde docent; similiter: *Velabant pedes*. HIER. Quid post hunc mundum futurum sit ignoramus: media tamen, quæ sex diebus vel ætatibus facta sunt, vel fiunt; cognoscimus tantum *Duabus velabant*, quia de præsentis tantummodo notitiam habemus. ID. Hebræus meus longe alia via ingressus est, etc., usque ad et tunc vere purgatus labiis, dixi ad Dominum: *Ecce ego, mitte me*.

¶6.3 *Et clamabant*. ID. Non leviter dicunt, sed salutarem omnibus confessionem clamore pronuntiant: Sanctus, sanctus, sanctus, quia et ipsa, scilicet seraphim sancta: sanctius enim his nihil est: mirantur autem quod Filius tantum se humiliaverit et crucem subierit, et terrenis innotuerit. *Sanctus, sanctus*, etc. Mysterium Trinitatis. In utroque Testamento Trinitas prædicatur, Dominus Christus, scilicet qui hic quatuor litterarum est, quod proprie de Deo ponitur: Iod, He, Iod, He; id est, duo *ia*, quæ duplicata ineffabile nomen Dei faciunt. *Plena est omnis terra*. ID. Et implebitur, etc., usque ad post duos et quadraginta annos a passione Domini.

§6.4 *Superliminaria*. In Veteri Testamento locutus est Dominus, etc., usque ad quem capientes dicimus: *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* I Cor. 13..

**6.5 *Pollutus*. ID. Hoc dicit pro societate populi, cum quo cogebatur loqui. Noxium est cum peccatoribus vivere. *Ego habito*. Nota cum peccatoribus non esse morandam. *Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis: et volavit ad me unus*. Sic Abraham postquam vidit Dominum et vocem ejus audivit, se cinerem et pulverem esse confitetur, quia quantacunque sit hominum dignitas, vilescit in comparatione ejus.

calculus, quem forcipe tulerat de altari,^{†† 7} et tetigit os meum, et dixit: [Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.]^{‡‡ 8} Et audivi vocem Domini dicentis: [Quem mittam? et quis ibit nobis?] Et dixi: [Ecce ego, mitte me.]^{¶¶ 9} Et dixit: [Vade, et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere; et videte visionem, et nolite cognoscere.]^{§§ 10} Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggravata, et oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.]^{* 11} Et dixi: [Usquequo, Domine?] Et dixit: [Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquatur deserta. ¹² Et longe faciet Dominus homines, et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ. ¹³ Et adhuc in ea decimatio, et convertetur, et erit in ostensionem sicut terebinthus, et sicut quercus quæ expandit ramos suos; semen sanctum erit id quod steterit in ea.][†]

7 Et factum est in diebus Achaz, filii Joathan, filii Oziaë, regis Juda, ascendit Rasin, rex Syriæ, et Phacee, filius Romeliæ, rex Israël, in Jerusalem, ad præliandum

^{††}6.6 *De seraphim.* ID. Seraphim per *m*, in masculino genere per *n*, in neutro genere plurali dicimus. Seraphim tamen singulariter dici potest, sicut cherubim et cherub. *Et in manu ejus.* Id est, operatione ejus, id est Christi. Calculus, id est, charitas, quem forcipe, id est doctrina duorum Testamentorum, de altari tulerat, et Isaiaë in exemplum posuerat. *Calculus.* ID. LXX: carbunculus, lapis ignitus, qui propter flammeum colorem igneus dicitur. *Forcipe.* ID. Hæc est scala Jacob gladius bis acutus, etc., usque ad Dei sermonem duplici acie præceptorum comprehendens. *De altari.* Quod Joannes vidit in Apocalypsi, quod est plenum calculis ignitis, quibus possunt peccata purgari.

^{‡‡}6.7 *Ecce tetigi labia tua:* unde: *Quid detur tibi aut quid adjiciatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis* Psal. 119.. Hic est sermo Dei, de quo dicitur: Habes carbones ignis, sedebis super eos, hi erunt tibi in adjutorium. *Et auferetur iniquitas.* ID. Jeremias, qui puer erat, ideo pene immunis a peccato solius manus attactu purgatur. Ad Isaïam vero qui dicit: Vir pollutus labiis ego sum, angelus cum calculo mittitur.

^{¶¶}6.8 *Quem mittam?* Non cogit, sed voluntatem quærit: voluntas enim sola præmium meretur. Isaïas autem, tanquam purgatus, offert se spontaneus. *Mitte me.* ID. Putat se bonum nuntiatum, etc., usque ad non temeritatis esse, sed obedientiæ, quod se obtulerit.

^{§§}6.9 *Audite audientes.* ID. Lucas secundum LXX in Actibus apostolorum: *Aure audietis et non intelligetis,* etc., usque ad et magis Græcis quam Hebraicis utitur testimoniis.

^{*}6.10 *Excæca,* etc. ID. Cui simile, etc., usque ad nec est Dei crudelitas, sed misericordia, infidelibus excæcatis, humiles illuminare. *Et convertatur.* Quamvis grave peccatum sit, si convertatur quis, potest salvari: sed hi pro magnitudine sceleris, pœnitentia sunt indigni.

[†]6.13 *Et adhuc.* Et pro, id est, adhuc ex ea gente decimatio, quasi adhuc decima pars illius gentis remanebit. *Et erit.* Sub Adriano, Judæa iterum vastata est, quinquesimo vero anno post captivitatem Romanorum. Prohibiti enim sunt publicis legibus Judæam intrare.

contra eam: et non potuerunt[‡] 2 debellare eam. Et nuntiaverunt domui David, dicentes: Requievit Syria super Ephraim. Et commotum est cor ejus, et cor populi ejus, sicut moventur ligna silvarum a facie venti. 3 Et dixit Dominus ad Isaïam: Egredere in occursum Achaz, tu et qui derelictus est Jasub, filius tuus, ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via agri Fullonis;[¶] 4 et dices ad eum: [Vide ut sileas; noli timere, et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum, in ira furoris Rasin, regis Syriæ, et filii Romeliæ;[§] 5 eo quod consilium inierit contra te Syria in malum, Ephraim, et filius Romeliæ, dicentes: 6 Ascendamus ad Judam, et suscitemus eum, et avellamus eum ad nos, et ponamus regem in medio ejus filium Tabeel.^{**} 7 Hæc dicit Dominus Deus: Non stabit, et non erit istud; 8 sed caput Syriæ Damascus, et caput Damasci Rasin; et adhuc sexaginta et quinque anni, et desinet Ephraim esse populus;^{††} 9 et caput Ephraim Samaria, et caput Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis, non permanebitis.] 10 Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: 11 Pete tibi signum a Domino Deo tuo, in profundum inferni, sive in excelsum supra.^{‡‡} 12 Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. 13 Et dixit: [Audite ergo, domus David. Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? 14 Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce virgo

[‡]7.1 *Et factum est in diebus Achaz*, etc. HIER. Quæ scripta sunt usque ad hunc locum sub Ozia et Joathan filio ejus, visa sunt; sequuntur sub Achaz rege impiissimo, qui a Deo derelictus ab inimicis expugnatur. **Achaz**. Qui clausit januas templi et Baalim adoravit, filium suum idolo consecravit, altare æneum abstulit, et altare idolorum in templo posuit. Jure ergo a Domino derelictus est: **Et surrexerunt adversus eum inimici** II Par. 28.. **Ascendit**, secundo. Primo enim Assyrii de tribu Juda, etc., usque ad facti sunt amici Herodes et Pilatus in passione Christi.

[¶]7.3 *Derelictus est*. A fratre suo Rabsace, qui ad Assyrios Chrisierat, ut tradunt Hebræi. **Jasub filius tuus**. ID. Qui interpretatur **reliquus comes et convertens**, qui populus Juda de manibus duorum regum liberandus erat. **In via**. Ibi Rabsaces, postea ex præcepto Sennacherib, Dei populum blasphemavit.

[§]7.4 *Duabus caudis*. Duæ caudæ, etc., usque ad et ductus cum decem tribubus in montes Medorum et Persarum.

^{**}7.6 *Tabeel*. ID. Tabeel bonus Deus, quasi dicat: Ibi ponamus idolum Dei nostri, vel ad litteram, Filium hominis sic vocat.

^{††}7.8 *Adhuc sexaginta*, etc. Quasi diceret: Interim contenti erunt finibus suis, et Damasco tanquam metropoli Syriæ imperabit Rasim, et caput civitatum Ephraim Samaria erit, et in ea interim regnabit filius Romeliæ. **Sexaginta quinque anni**. A vicesimo sexto anno regni Ozia, quando lepra percussus est, ex tunc Joathan filius ejus regnavit septem et viginti annis, patre adhuc vivente. Post mortem ejus annis sexdecim, post quem Achaz aliis sexdecim, postea regnante Ezechia sex annis. Ephraim, id est, decem tribus in captivitatem ductæ, cessarunt esse populus.

^{‡‡}7.11 *Pete tibi signum*. ID. Ut qui prophetæ non credidit, Domini auctoritate terreatur; quasi diceret: Difficile videtur tibi quod regna potentissima brevi finiantur, et tu libereris et populus tuus, sed pete tibi signum. **Pete tibi signum**. Moyses accepit signum de terra, etc., usque ad utrumque mortem Domini et ascensionem respicit. **Non petam**. Non humiliter, sed superbe. Multi enim leguntur a Domino signa petivisse et accepisse, sed Achaz ita respondit, tanquam auctoritatem habens: **Non tentabis Dominum Deum tuum**. Vel, timuit quod in signo Deus glorificaretur et idola vilificarentur.

concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.^{¶¶} ¹⁵ Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.^{§§} ¹⁶ Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum.* ¹⁷ Adducet Dominus super te, et super populum tuum, et super domum patris tui, dies qui non venerunt a diebus separationis Ephraim a Juda, cum rege Assyriorum. ¹⁸ Et erit in die illa: sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api quæ est in terra Assur;[†] ¹⁹ et venient, et requiescent omnes in torrentibus vallium, et in cavernis petrarum, et in omnibus frutetis, et in universis foraminibus. ²⁰ In die illa radet Dominus in novacula conducta in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput et pilos pedum, et barbam universam.[‡] ²¹ Et erit in die illa: nutriet homo vaccam boum, et duas oves, ²² et præ ubertate lactis comedet butyrum; butyrum enim et mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ.[¶] ²³ Et erit in die illa: omnis locus ubi fuerint mille vites, mille argenteis, in spinas et in vepres erunt. ²⁴ Cum sagittis et arcu ingredientur illuc: vepres enim et spinæ erunt in universa terra. ²⁵ Et omnes montes qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum et veprium: et erit in pascua bovis, et in conculcationem pecoris.][§]

8 Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, cito prædare.^{**} ² Et adhibui mihi testes fideles,

^{¶¶}7.14 *Ecce virgo concipiet.* ID. Hebraice *alma*, Latine quoque *alma* dicitur sancta, etc., usque ad quod violenter esse exortum etiam stultis patet. *Emmanuel.* ID. Quidam Isaiam duos filios habuisse dicunt, etc., usque ad propter quam Verbum caro factum est.

^{§§}7.15 *Reprobare malum.* ID. Quasi diceret: In pannis infantiae positus habebit boni malique discretionem. His verbis percipimus Salvatoris, infantiam divinam in eo non minuisse sapientiam, quamvis dicatur: *Puer autem proficiebat ætate et sapientia*, ut veritas humani corporis probaretur: infantia enim non præjudicat divinæ sapientiae.

^{*}7.16 *Derelinquetur*, etc. ID. quasi diceret: Terra Syriæ et Samariæ ab invocatione nominis ejus vastabitur, et domus Juda a duobus regibus liberabitur.

[†]7.18 *Muscæ.* ID. Id est Ægyptiis, populo imbelli et idololatria sordenti. Legimus ab Ægyptiis Josiam occisum et populum Israël subjugatum, nec multo post tempore Nabuchodonosor cum innumerabili exercitu cepit Jerusalem, templum succendit, et habitatores Assyrios in Judæa posuit.

[‡]7.20 *Novacula.* ID. Rex Assyriorum qui in Jeremia columba Dei vocatur in eo tanquam in novacula acutissima et in his qui trans flumen, scilicet Assyriis, sunt, radet Dominus in Judæa caput et pilos pedum, scilicet omnem fortitudinem regum et principum, et subjectorum.

[¶]7.22 *Comedet butyrum.* Delectabitur in passione Christi vel sua. Butyrum enim ex multis confectionibus efficitur.

[§]7.25 *Et omnes montes qui in sarculo sarrientur.* ID. Relictis campestribus metu hostium ad montana confugient, aspera montium manu propria excolentes, vitam miseram sustentabunt. Cætera erunt in pascua.

^{**}8.1 *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi.* HIER. Primum propheta prædicat Achaz futura, etc., usque ad unde rursus partus virginalis describitur. *Velociter spolia.* ID. Hoc nomen pueri, quasi diceret: Ne patiaris ultra diabolum regnare; et non angelos, non Prophetas mitte, sed ipse descende.

Uriam sacerdotem, et Zachariam, filium Barachiae:†† 3 et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus: Accelera spolia detrahare; Festina prædari:‡‡ 4 quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.¶¶ 5 Et adjecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens: 6 [Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin, et filium Romeliæ: 7 propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus, et ascendet super omnes rivos ejus, et fluet super universas ripas ejus;§§ 8 et ibit per Judam, inundans, et transiens: usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel! 9 Congregamini, populi, et vincimini; et audite, universæ procul terræ: confortamini, et vincimini; accingite vos, et vincimini.* 10 Inite consilium, et dissipabitur; loquimini verbum, et non fiet: quia nobiscum Deus. 11 Hæc enim ait Dominus ad me: Sicut in manu forti erudivit me, ne irem in via populi hujus, dicens: 12 Non dicatis: Conjuratio; omnia enim quæ loquitur populus iste, conjuratio est: et timorem ejus ne timeatis, neque paveatis.† 13 Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester: 14 et erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israël; in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem.‡ 15 Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur. 16 Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.¶ 17 Et exspectabo Dominum qui abscondit faciem suam a domo Jacob, et præstolabor eum. 18 Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus in signum, et in

††8.2 *Uriam*, etc. ID. Urias, lux Domini; Zacharias, memoria Domini; Barachias, benedictio Domini; his testibus nativitas Domini comprobatur. Unde duobus testibus euntibus in Emmaus incipiens a Moysæ et prophetis, quæ de se dicta erant, disseruit.
 ‡‡8.3 *Ad prophetissam*. ID. Ad Spiritum sanctum a quo omnis prophetia, quæ Græce neutri generis pneuma, Hebraice feminini Ruach, Latine masculini generis est, et ideo diversis positionibus sortitur, nullius est enim. Vel ad Mariam, quam prophetissam fuisse nemo dubitat.

¶¶8.4 *Puer*. ID. Præcipitur itaque Isaias, etc., usque ad domum David sola invocatione salvaret. *Pro eo quod abjecit populus aquas Siolæ*. HIER. In quibus cæcus se lavit, etc., usque ad terram ipsius Judam conatus sit possidere.

§§8.7 *Aquas fluminis*. ID. Exercitum Sennacherib, cujus potentia occupans terram Samariæ inundationi fluminis comparatur.

*8.9 *Congregamini populi*. ID. Quasi: Contra Emmanuel nihil potestis, etc., usque ad quia perversitas non potest rectum superare.

†8.12 *Ne dicatis*. ID. Quasi diceret: Non timeatis duorum regum adversus Judam conjurationem: conjuratio est consensus multorum in malum. *Ne timeatis neque paveatis*. Tu et qui tecum sunt populi, quia videntur timendi; quia principium sapientiæ timor Domini.

‡8.14 *In lapidem*. ID. Quem reprobaverunt ædificantes, etc., usque ad peccata peccatis sociantes et victi laqueis delictorum. *Duabus domibus*. Vel in duabus familiis, etc., usque ad per traditiones suas legis præcepta dissipaverunt et maculaverunt.

¶8.16 *Signa legem*. Quasi diceret: Aperi eam, Domine, discipulis meis, etc., usque ad possumus etiam doctrinas intelligere.

portentum Israël a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion:[§] 19 et cum dixerint ad vos: Quærite a pythonibus et a divinis qui strident in incantationibus suis: numquid non populus a Deo suo requiret, pro vivis a mortuis? ²⁰ ad legem magis et ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. ^{**} ²¹ Et transibit per eam, corruet, et esuriet; et cum esurierit, irascetur. Et maledicet regi suo, et Deo suo, et suscipiet sursum,^{††} ²² et ad terram intuebitur; et ecce tribulatio et tenebræ, dissolutio et angustia, et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua.]

9 [Primo tempore alleviata est terra Zabulon [terra Nephthali: et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium.^{‡‡} ² Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.^{¶¶} ³ Multiplicasti gentem, et non magnificasti lætitiā. Lætābuntur coram te, sicut qui lætantur in messe; sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia.^{§§} ⁴ Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian. ^{*} ⁵ Quia omnis violentia prædatio cum tumultu, et vestimentum mistum sanguine, erit in combustionem, et cibus ignis.[†] ⁶ Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri

§8.18 *Pueri mei, ex Deo nati.* Alii Prophetæ et eorum discipuli. Legunt hoc quidam de duobus filiis Isaïæ, etc., usque ad qui in portentum sæcularis sapientiæ et superbiæ Judæorum fuerunt.

**8.20 *Non eris eis.* ID. Hoc est si populus iste noluerit veritatem a Domino quærere, non habebit Christum, scilicet lumen veritatis, quam negligit.

††8.21 *Regi suo.* Diabolo et paternis traditionibus, id est, antiquis erroribus.

‡‡9.1 *Primo tempore,* HIER. Hæ duæ tribus ab Assyriis in captivitate ductæ sunt, etc., usque ad vidit prius lucem prædicantis Christi. *Terra Zabulon.* ID. In qua Christus primum prædicavit et miracula fecit: ibi enim aquas in vinum convertit, apostolos elegit. *Via maris.* Mare in hoc loco lacus Genezareth, qui Jordane influente efficitur. In cujus littore est Capharnaum, Tiberias, Bethsaida et Corozain, in quibus Dominus maxime commoratus est, et sic: *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Galilææ gentium.* Galilææ duæ sunt: una gentium, vicina Tyriis in tribu Nephthali; altera circa Tiberiadem et stagnum Genesareth, in tribu Zabulon.

¶¶9.2 *In regione umbræ mortis.* ID. In umbra mortis sunt, qui in peccatis adhuc vivunt: *In regione umbræ mortis,* qui jam mortuis operibus ad inferna descenderunt.

§§9.3 *Non magnificasti lætitiā.* Nobis de salute Judæorum; quamvis enim gaudeant de gentium conversione, dolent tamen de Judæorum repulsione. *Lætābuntur coram te,* etc. Prophetæ ad Christum de discipulis.

*9.4 *Jugum enim.* ID. Habet Christus jugum, sed suave; et diabolus, sed importabile onere. Et Christus principatum super humerum, in quo crucem portavit, et diabolus in humero virgam, qua superbit. *Exactoris.* Ipsius, scilicet exigentis. Quotidie enim nummum peccati quem primo homini commisit, a posteris cum usura exigit.

†9.5 *Quia omnis violenta prædatio.* ID. Ac si dicat: Genus humanum quod diabolus deprædatum est, auferet ei Dominus violenter, id est, potenter, et ipsum cum tumultu detrudet in infernum. Unde tam de ipso quam de membris ejus dicitur: *Periit memoria eorum cum sonitu* Psal. 9.. *Vestimentum mistum.* ID. Diabolus qui plenus omnium sanguine, qui homicida ab initio; vel homines, quibus diabolus tanquam veste circumdatur, quorum manus plenæ sunt sanguine.

sæculi, Princeps pacis.[‡] ⁷ Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis; super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum: zelus Domini exercituum faciet hoc.][¶] ⁸ [Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israël.[§] ⁹ Et sciet omnis populus Ephraim, et habitantes Samariam, in superbia et magnitudine cordis dicentes: ¹⁰ Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus; sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus.** ¹¹ Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum, et inimicos ejus in tumultum vertet. ¹² Syriam ab oriente, et Philistiim ab occidente; et devorabunt Israël toto ore. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. ¹³ Et populus non est reversus ad percipientem se, et Dominum exercituum non inquisierunt. ¹⁴ Et disperdet Dominus ab Israël caput et caudam, incurvantem et refrenantem, die una. ¹⁵ Longævus et honorabilis, ipse est caput; et propheta docens mendacium, ipse est cauda. ¹⁶ Et erunt qui beatificant populum istum, seducentes; et qui beatificantur, præcipitati. ¹⁷ Propter hoc super adolescentulis ejus non lætabitur Dominus, et pupillorum ejus et viduarum non miserebitur: quia omnis hypocrita est et nequam, et universum os locutum est stultitiam; in omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. ¹⁸ Succensa est enim quasi ignis impietas: veprem et spinam vorabit, et succendetur in densitate saltus, et convolvetur superbia fumi. ¹⁹ In ira Domini exercituum conturbata est terra, et erit populus quasi esca ignis; vir fratri suo non parcat. ²⁰ Et declinabit ad dexteram, et esuriet; et comedet ad sinistram, et non saturabitur; unusquisque carnem brachii sui vorabit: Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen; simul ipsi contra Judam. ²¹ In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.]

10 [Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt,†† ² ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei; ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent. ³ Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis? ad cujus confugietis auxilium? et ubi derelinquetis gloriam vestram, ⁴ ne incurvemini sub vinculo, et cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.] ⁵ [Væ Assur ! virga furoris mei et baculus ipse est; in manu eorum indignatio mea.‡‡

[‡]9.6 *Puer natus est nobis.* Non Judæis, nobis, etc., usque ad sed oriri non videntibus non videtur. *Principatus super humerum.* ID. Dum duceretur ad patibulum, portavit crucem, in qua meruit principatum. ID. Septuaginta: *Magni consilii angelus.* Quod in Hebræo non habetur, sed nominum majestate perterriti, non ausi sunt de puero dicere, quod aperte Deus appellandus sit. Ideo pro his sex nominibus hoc posuerunt, *magni consilii angelus.*

[¶]9.7 *Zelus Domini.* ID. Cœpit ab Emmanuel prophetia, ubi dicitur: *Pete tibi signum a Deo.* Hic finitur.

[§]9.8 *Verbum misit Dominus.* ID. Verbum Hebraicum *Dabar*, etc., usque ad despiciunt Ecclesiam, et simplicitatem ejus putant imperitiam.

**9.10 *Lateres ceciderunt.* ID. Dicebant superius, etc., usque ad ex fortibus et belliosis principibus populum muniemus. *Cedros.* Id est, invincibiles ex nobis principes præficiemus eis.

††10.1 *Væ qui condunt.* HIER. Hæc plerique adhuc contra decem tribus dici arbitrantur, etc., usque ad cum captivitatis, vel judicii dies advenerit.

‡‡10.5 *Væ Assur.* ID. Hucusque contra decem et duas tribus, etc., usque ad et non solum captivavit, sed partim delevit.

⁶ Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. ⁷ Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita existimabit; sed ad conterendum erit cor ejus, et ad interneccionem gentium non paucarum.^{¶¶} ⁸ Dicit enim: ⁹ Numquid non principes mei simul reges sunt? numquid non ut Charcamis, sic Calano? et ut Arphad, sic Emath? numquid non ut Damascus, sic Samaria?^{§§} ¹⁰ Quomodo invenit manus mea regna idoli, sic et simulacra eorum de Jerusalem et de Samaria.* ¹¹ Numquid non sicut feci Samariæ et idolis ejus, sic faciam Jerusalem et simulacris ejus? ¹² Et erit, cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion et in Jerusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus.[†] ¹³ Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi; et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum, et detraxi quasi potens in sublimi residentes. ¹⁴ Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum; et sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi; et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret.[‡] ¹⁵ Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur? Quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est. ¹⁶ Propter hoc mittet Dominator, Dominus exercituum, in pinguibus ejus tenuitatem; et subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis.[¶] ¹⁷ Et erit lumen Israël in igne, et Sanctus ejus in flamma; et succendetur, et devorabitur spina ejus et vepres in die una.[§] ¹⁸ Et gloria saltus ejus, et carmeli ejus, ab anima usque ad carnem consumetur; et erit terrore profugus.**

^{¶¶}10.7 *Ipse autem.* ID. Sic philosophi, sic hæretici, et sic persecutores Christiani nominis: cum Deus aliquos eis verberandos permittit, in omnes sæviunt, nec verberare, sed occidere cupiunt: et paucis superatis in omnes audaciam sumunt.

^{§§}10.9 *Nunquid non principes mei simul.* Ordo: Reges sunt mei principes, id est, mihi servientes: multos enim reges secum adduxit, quos subjugaverat. *Damascus.* Damascus est metropolis in Syria: hanc condidit Eliezer, servus Abrahæ; in hac regnavit Rasin.

*10.10 *Quomodo invenit manus.* Vox Sennacherib admirantis potentiam suam. Plene dicta complevit. Omnes enim civitates decem tribuum, et Juda et Benjamin præter Jerusalem deprædatus est, et ipsius partem inferiorem, quam tradidit ei Sobna scriba.

[†]10.12 *Cum impleverit Dominus.* Subversiones, scilicet urbis, etiam obsidionem quando venit Rabsaces, et fecit ea quæ in sequentibus commemorantur.

[‡]10.14 *Ganniret.* Gannire est vulpium, vel, ut alii, avium.

[¶]10.16 *Et subtus gloriam.* Dicit Hieronymus secundum Hebræos, corpora interfectorum Assyriorum celesti igne exusta, et in pulverem redacta, vestimenta illæsa; et venientes Judæi, vestium summitate arrepta, pulverem excutiebant. HIER. Quidam volunt hunc regem significare contrariam fortitudinem, etc., usque ad tradunt enim Hebræi decem tantum de ejus exercitu remansisse.

[§]10.17 *Et erit lumen.* Dicunt Hebræi quod Michæl archangelus fuerit, cui commissa est custodia illius gentis, sicut Daniel dicit.

**10.18 *Et gloria saltus.* Carmelus mons magnus, fecundus arboribus. Quasi exercitus innumerus sicut ligna sylvarum, et corpore et anima peribit. *Ad carnem.* ID. Hæretici quoque, cum ecclesiastica doctrina illuxerit, et eorum decipula patuerit, ad tantam venient solitudinem, ut de saltu et infructuosis arboribus, et innumerabili multitudine, vix pauci resideant, qui eorum sequantur errorem.

19 Et reliquiæ ligni saltus ejus præ paucitate numerabuntur, et puer scribes eos.]
 20 [Et erit in die illa: non adjiciet residuum Israël, et hi qui fugerint de domo Jacob, inniti super eo qui percutit eos; sed innitetur super Dominum, Sanctum Israël, in veritate.†† 21 Reliquiæ convertentur; reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem.‡‡
 22 Si enim fuerit populus tuus, Israël, quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo; consummatio abbreviata inundabit justitiam.¶¶ 23 Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.§§ 24 Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum: Noli timere, populus meus, habitator Sion, ab Assur: in virga percutiet te, et baculum suum levabit super te, in via Ægypti.* 25 Adhuc enim paululum modicumque, et consummabitur indignatio et furor meus super scelus eorum.† 26 Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum, juxta plagam Madian in petra Oreb: et virgam suam super mare, et levabit eam in via Ægypti.‡ 27 Et erit in die illa: auferetur onus ejus de humero tuo et jugum ejus de collo tuo, et computrescet jugum a facie olei.] 28 [Veniet in Ajath, transibit in Magron, apud Machmas commendabit vasa sua. 29 Transierunt cursim, Gaba sedes nostra; obstupuit Rama, Gabaath Saulis fugit.¶ 30 Hinni voce tua, filia Gallim, attende Laisa, paupercula Anathoth. 31 Migravit Medemena; habitatores Gabim, confortamini.§ 32 Adhuc dies est ut in Nobe stetur; agitabit manum suam super montem filia Sion, collem Jerusalem. 33 Ecce Dominator, Dominus exercituum, confringet lagunculam in terrore; et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur.**
 34 Et subvertentur condensa saltus ferro; et Libanus cum excelsis cadet.]

††10.20 *Et erit in die illa.* HIER. Cum Phacee et Rasin vellent venire, etc., usque ad sed in Deo spem ponant.

‡‡10.21 *Reliquiæ convertentur.* Secundum Josephum innumerabili Judæorum multitudine occisa, intelligimus paucos in apostolis et apostolicis viris esse salvatos.

¶¶10.22 *Consummatio abbreviata.* Perfectio eorum quæ de Christo erant tam longo tempore ante prædicta tribus annis et dimidio completa. *Justitiam*, quia injuste occisus, mortem et diabolum juste vicit, et mundum redemit morte.

§§10.23 *Consummationem enim.* ID. Ad litteram. Fecit, quia tantam multitudinem præter decem, occidit brevi spatio unius noctis.

*10.24 *Super te in via Ægypti.* Captivitatis decem tribubus, etc., usque ad cepit et subvertit.

†10.25 *Paululum modicumque.* Hoc longo tempore post completum est; sed omnia sæcula æternitati in quo omnia præsentia sunt comparata momentanea sunt.

‡10.26 *Virgam suam in mare.* ID. Quasi: Antequam veniat super te, aggredietur Tharacam, regem Æthiopiæ, et transibit mare Rubrum, et levabit virgam super Ægyptum, et sic cum multo exercitu revertetur contra Jerusalem.

¶10.29 *Transierunt cursim. Gaba sedes,* etc. Præteritum pro futuro more prophetico.

§10.31 *Confortamini adhuc dies est.* ID. Postquam Sennacherib tetendit in Nobe tentoria, volens mane expugnare Jerusalem, non cessavit usque in mediam noctem minari desolationem Jerusalem, dicens: En, ista sola civitas liberari de manu mea poterit?

**10.33 *Ecce dominator Dominus exercituum,* etc. Dixit pueri nomen de virgine nascituri, etc., usque ad et Libanus cum suis cedris succidatur.

11 [Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.†† 2 Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis;‡‡ 3 et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet;¶¶ 4 sed iudicabit in iustitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ; et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. §§ 5 Et erit iustitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.* 6 Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit; vitulus, et leo, et ovis, simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos.† 7 Vitulus et ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum; et leo quasi bos comedet paleas.‡ 8 Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis; et in caverna reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet.† 9 Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.]§ 10 [In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepul-

††11.1 *Et egredietur virga.* HIER. Usque ad principium visionis Babylonis, propheta est de Christo, quam per partes explanamus, ne lectoris memoriam confundamus. *Egredietur.* Virgam et florem Judæi ipsum Christum interpretantur, etc., usque ad et tu es Filius meus primogenitus, qui regnas in sempiternum.

‡‡11.2 *Et requiescet.* ID. Quia in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis. *Spiritus.* Sicut sermo Domini, lux, vita et resurrectio vocatur, etc., usque ad hi sunt septem oculi in lapide uno secundum Zachariam.

¶¶11.3 *Et replebit eum spiritus.* ID. Spiritualiter propter parvulos qui timore indigent, quem foras mittit perfecta charitas. Qui enim timet, pœnam habet, et non est perfectus in charitate. *Non secundum.* Non accipiet personam, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente; qui timet Deum acceptus est illi. *Arguet.* ID. Pharisæos et reprehendentes apotolos, quando in sabbato ambulantes per sata, spicas vellentes manibus confricabant et manducabant.

§§11.4 *Virga oris sui.* ID. Potest per virgam sententia iudicii intelligi. In principio enim prædicationis dixit: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum;* et subjunxit: *Omnis arbor quæ non facit fructus bonos eradicetur et in ignem mittetur.*

*11.5 *Interficiet impium.* Si enim Michæel interficiet ut quidam dicunt, ipse Deus tamen in Michæle hoc faciet. *Fides.* HIER. Fideles bene operando adhærebunt ei qui factus est sapientia, iustitia et sanctificatio, qui ait: *Ego lux et vita.*

†11.6 *Lupus cum agno.* ID. Paulus cum Petro, unde: *Benjamin lupus rapax.* Et: *Pasce oves meas. Habitabit lupus cum agno.* Non agnus et hædus habitabant cum lupo et pardo, sed lupus et pardus, agni et hædi imitantur innocentiam, scilicet Christum. *Habitabit lupus.* HIER. Judæi nostri judaizantes, etc., usque ad nihil malum, nisi turpitudinem. ID. Vitulus et ovis humiles et innocentes, etc., usque ad hoc præstet Ecclesia in mundo.

‡11.7 *Leo quasi bos,* etc. ID. Principes enim hujus sæculi et simplices alii historiæ superficie sunt contenti; triticum enim et medullam, id est, interiorem sensum non intelligunt.

†11.8 *Infans.* Christus, vel apostoli, malitia parvuli, sensu perfecti: qui dæmones ejiciebant de corporibus obsessis. *Reguli.* Regulus, rex omnium serpentium, etc., usque ad de obsessis corporibus scilicet. *Manum.* Id est, divinam potentiam in comprehensum exinde aspidem vel regulum, id est, diabolium, tradet captivum.

§11.9 *Quia repleta.* More suo, in fine prophetalia verba panduntur, ne ad litteram accipiantur.

chrum ejus gloriosum.** 11 Et erit in die illa: adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis, et ab Ægypto, et a Phetros, et ab Æthiopia, et ab Ælam, et a Sennaar, et ab Emath, et ab insulis maris.†† 12 Et levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israël, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ.‡‡ 13 Et auferetur zelus Ephraim, et hostes Juda peribunt; Ephraim non æmulabitur Judam, et Judas non pugnabit contra Ephraim.¶¶ 14 Et volabunt in humeros Philistiim per mare, simul prædabuntur filios orientis; Idumæa et Moab præceptum manus eorum, et filii Ammon obedientes erunt. §§ 15 Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti, et levabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui; et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati.* 16 Et erit via residuo populo meo qui relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israël in die illa qua ascendit de terra Ægypti.]

12 [Et dices in die illa: Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi; conversus est furor tuus, et consolatus es me.† 2 Ecce Deus salvator meus; fiducialiter agam, et non timebo: quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. 3 Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.‡ 4 Et dicetis in die illa: Confitemini Domino et invocate nomen ejus; notas facite in populis adinventiones ejus; mementote quoniam excelsus est nomen ejus. 5 Cantate Domino, quoniam magnifice fecit; annuntiate hoc in universa terra. 6 Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël.]

**11.10 *Qui stat in signum*, unde: *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israël, et in signum cui contradicetur* Luc. 2.. LXX: Qui con-surget ut sit princeps, etc., usque ad idem significat sepulcrum. Pro dormitione et requie, altero verbo, sed eodem sensu, *sepulcrum* vertimus.

††11.11 *Residuum*. ID. Apostolus: *Reliquiæ salvæ fient*. Tradunt enim historiæ quod apostoli toto orbe diffusi prædicaverunt Evangelium: et quidem Persas, Indosque penetraverunt, ut Æthiopia manum daret Deo.

‡‡11.12 *Signum*. Crucis, in qua est victoria, ut sciant omnes in quo diabolus sit victus. *A quatuor plagis*. ID. Hoc in Pentecosten videtur impletum, etc., usque ad ut totius mundi vocatio demonstretur.

¶¶11.13 *Et auferetur*, etc. ID. Quando Isaias hoc prædicebat, inter duas et decem tribus discordia inexorabilis erat, credentes autem pacificati sunt in fide Christi et unitate charitatis.

§§11.14 *Præceptum manus*, etc. Quod præcipiunt operantur; et verbo docent, et exemplo.

*11.15 *Linguam maris*. ID. Quæ idola laudabat. Mare, id est, populus Ægypti, qui super omnes idola colit, ut Deum laudet et timeat, et idola condemnet et abijciat. *Et levabit*. Ut Idumæa, et Moab, et filii Ammon tradent manus apostolis, sic et Ægyptii. *Et percutiet*. Id est, minuet pro uno septem principes ponendo, etc., usque ad ut siccis pedibus transirent. *Ut transeant per eum*, etc. Sub metaphora, Nilus divisus et in partes cæsus dicitur, etc., usque ad Domino Evangelio viam præparante.

†12.1 *Confitebor tibi*. HIER. Sicut transito mari Rubro, dixerunt: Cantemus Domino, etc. Sic regno mundi destructo, dicit Ecclesia: *Confitebor tibi*.

‡12.3 *De fontibus Salvatoris*. ID. Unde: *Benedicite Domino de fontibus Israël*, etc., usque ad ut prophetia cum Evangelio conveniat.

13 Onus Babylonis, quod vidit Isaias, filius Amos.^{¶2} [Super montem caliginosum levate signum: exaltate vocem, levate manum, et ingrediantur portas duces.³ Ego mandavi sanctificatis meis, et vocavi fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.⁴ Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium; vox sonitus regum, gentium congregatarum. Dominus exercituum præcepit militiæ belli,⁵ venientibus de terra procul, a summitate cæli; Dominus, et vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram.⁶ Ululate, quia prope est dies Domini; quasi vastitas a Domino veniet.⁷ Propter hoc omnes manus dissolventur, et omne cor hominis contabescet,^{§8} et conteretur. Torsiones et dolores tenebunt; quasi parturiens dolebunt; unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum.^{**9} Ecce dies Domini veniet, crudelis, et indignationis plenus, et iræ, furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea.¹⁰ Quoniam stellæ cæli, et splendor earum, non expandent lumen suum; obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo.^{††11} Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum; et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo.^{‡‡12} Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo.^{¶¶13} Super hoc cælum turbabo; et movebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum, et propter diem iræ furoris ejus.^{§§14} Et erit quasi damula fugiens, et quasi ovis, et non erit qui congreget. Unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient.^{*15} Omnis qui inventus fuerit occidetur, et omnis qui supervenerit cadet in gladio; ¹⁶infantes eorum allidentur in oculis eorum, diripiuntur domus eorum, et uxores eorum violabuntur. ¹⁷Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint;^{†18} sed sagittis parvulos in-

[¶]13.1 *Onus Babylonis.* HIER. Babylon, metropolis Chaldæorum, etc., usque ad qui dicit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*

[§]13.7 *Dissolventur,* etc. Quia nullum opus Dei justitia dignum reperietur.

^{**}13.8 *Combustæ.* Quasi carbones nimio dolore, vel in re. Multi enim fuere combusti. *Combustæ igne.* Igne quem sibi succenderunt, quia dicere non possunt: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* Psal. 4., et: *Nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes* II Cor. 3..

^{††}13.10 *Obtenebratus est sol.* Possunt hæc ad diem judicii referri, quando omnia luminaria obtenebrari videbuntur comparata splendori Christi.

^{‡‡}13.11 *Et visitabo super orbis mala.* Vindicabo ut corrigam, etc., *usque ad: Misericordia autem mea non auferetur ab eis. Et requiescere.* Quasi diceret: Hoc faciam, ut qui superbit humilietur.

^{¶¶}13.12 *Pretiosior erit vir auro,* etc. ID. Omnia rara pretiosa, id est, vir Babylonis rarius invenietur auro. Similiter dicitur sermo Domini pretiosus, id est, raro inveniebantur. In die quoque judicii visitabit Dominus mala orbis, et quiescere faciet arrogantiam dæmonum, et pauci invenientur electi propter persecutionem Antichristi.

^{§§}13.13 *Cælum turbabo,* etc. Non quod animata sunt, sed propter indignationem Domini, qui respicit terram, et facit eam tremere. Forsitan imminente captivitate, cælum tonando, et terra concutiendo mota est. Potest de die judicii legi.

^{*}13.14 *Damula fugiens.* Damula, diabolus est vel prava doctrina, cujus magistri in damula significantur, quæ Græce dicitur.

[†]13.17 *Ecce ego suscitabo,* etc. Legimus in Genesi 10, quod et Madai filius Noë auctor Medorum fuit: qui interpretatur mensura, sive a potente vel forti. Igitur contra Babylonios qui mente confusi sunt, suscitantur a potente et forti Deo fortitudines ad puniendum, quæ reddant unicuique secundum opera sua.

terficient, et lactantibus uteris non miserebuntur, et super filios non parcat oculus eorum. ¹⁹ Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrhā. ²⁰ Non habitabitur usque in finem, et non fundabitur usque ad generationem et generationem; nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. ²¹ Sed requiescent ibi bestię, et replebuntur domus eorum draconibus, et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi; ²² et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis.] [§]

14 [Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israël, et requiescere eos faciet super humum suam; adjungetur advena ad eos, et adhærebit domui Jacob. ^{**} ² Et tenebunt eos populi, et adducent eos in locum suum; et possidebit eos domus Israël super terram Domini in servos et ancillas: et erunt capientes eos qui se ceperant, et subjicient exactores suos.] ³ [Et erit in die illa: cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, et a concussionem tua, et a servitute dura qua ante servisti, ⁴ sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices: Quomodo cessavit exactor; quievit tributum? ^{††} ⁵ Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, ^{‡‡} ⁶ cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. ⁷ Conquievit et siluit omnis terra, gavisata est et exsultavit; ⁸ abietes quoque lætatae sunt super te, et cedri Libani: ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos. ^{¶¶} ⁹ Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui; suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis,

[‡]13.19 *Et erit Babylon illa civitas*, etc. ID. Non postea reædificata est, etc., usque ad a lupis et canibus devorandas.

[†]13.21 *Bestię*, etc. Per has omnes bestias lucis refugas, dæmonum vel angelorum fortitudines intelligimus, quibus ad puniendum traduntur. *Struthiones*. De quibus in Job satis tractatum est, quæ de terra altius non elevantur, cum pennas habere videantur. *Pilosi*. Sylvestres homines hispidi, qui et incubones, vel satyri, vel genera dæmonum.

[§]13.22 *Ululæ in ædibus*. Magnitudinis corvinæ, sed maculis respersæ, quæ rostro in palude sito horrendum stridunt. *Sirenes*. Sunt serpentes cristati et alati veluti alii pisces marini in specie muliebri, vel portenta diaboli, quæ dulci cantilena decipiunt homines, hujus sæculi naufragium, non clausis auribus transeuntes.

^{**}14.1 *Jacob*. Nota proprietatem verborum. Jacob qui adhuc in lucta est, miseretur: Israël, qui post victoriam nomen accepit, elegit.

^{††}14.4 *Quomodo*, etc. Admirando quomodo vastator terrarum, etc., usque ad novissima autem inimica destruetur mors. *Exactor*. HIER. Qui exigit usque ad novissimum quadrantem a debitoribus suis, qui dicunt illud: *Dimitte nobis debita* Matth. 5.. Huic tradentur debitores, huic tradidit Paulus Corinthum fornicantem.

^{‡‡}14.5 *Baculum*. Vocat Nabuchodonosor vel diabolum, quia sicut per illum flagellantur a Deo impii, sic per hunc in pœnis inferni vel quotidie in peccato suggerendo, insidiando.

^{¶¶}14.8 *Abietes quoque*. Principes diversarum gentium ab illo afflicti; vel filii, quorum patres interfecit. *Ex quo dormisti*. Quia victo forti et direptis vasis, ejus satellites corruerunt, unde: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus* Matth. 25.. Nota mortis mors dormitio dicitur. *Qui succidat*. Unde psalmus: *Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei* Psal. 79. Has aliquando peccantes tradit Dominus supplicio conterendas: unde dicitur: *Conteret Dominus cedros Libani* Psal. 28..

omnes principes nationum.^{§§ 10} Universi respondebunt, et dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut et nos; nostri similis effectus es.^{* 11} Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum; subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.^{† 12} Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes?^{‡ 13} Qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum; sedeo in monte testamenti, in lateribus aquilonis;^{¶ 14} ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo?¹⁵ Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum lacu.^{§ 16} Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient: Numquid iste est vir qui conturbavit terram, qui concussit regna,^{** 17} qui posuit orbem desertum, et urbes ejus destruxit, vinctis ejus non aperuit carcerem?^{†† 18} Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria, vir in domo sua;^{‡‡ 19} tu autem projectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis pollutus, et obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio, et descenderunt ad fundamenta lacu, quasi cadaver putridum.^{¶¶ 20} Non habebis consortium, neque cum eis in sepultura; tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti: non vocabitur in æternum se-

^{§§}14.9 *Infernus.* Habitatores vel principes ejus inferni subter te. Sub terra enim est infernus, in quo visus est dives ille a Lazaro, unde Dominus vinctos suos eruit, vinctum diabolium dimisit. *Omnes principes.* Etsi hæc facta non sunt, tamen fieri potuerunt. Solatium est malorum inimicos habere socios pœnarum.

^{*}14.10 *Vulneratus es.* Qui immortalis et Deus videbaris. Nos pro imbecillitate sensuum putabamus non posse resistere potentiae Dei, et te solum in altitudine tua permanere.

[†]14.11 *Subter.* ID. Putredo tinea et operimentum vermium, etc., usque ad qui dicebat Christo: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* Matth. 4..

[‡]14.12 *Qui mane oriebaris.* HIER. Hi sunt falsi apostoli, etc., usque ad et in lateribus aquilonis, in frigidis.

[¶]14.13 *In cælum conscendam.* ID. In firmamento erat, in cælum ubi est Domini solium cupiebat ascendere. Hæc omnia ad hæreticos sunt referenda, qui cum deorsum sint cum principe suo, jactant se excelsos esse. *In lateribus aquilonis.* Unde: Ab aquilone exardescunt mala, et succenditur olla Jeremiæ. De quo: *Dicam aquiloni, Da:* id est, redde captivos. *Nubium.* Id est prophetarum, de quibus: *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem* Psal. 35.. *Et veritas tua usque ad nubes.* Judas nubes fuit cum aliis apostolis, sed vitio suo diabololum ascensorem suscepit.

[§]14.15 *Verumtamen ad infernum detraheris.* Qui per virtutes potuisti ascendere, per vitia cades. Sancti habent pennas columbæ et aquilæ ut volent et requiescant: impii quasi plumbum merguntur *in aquis vehementibus, et descendunt in profundum quas lapis* Zach. 5.. Iniquitas sedet super talentum plumbi. *Detraheris.* Invitus Christus; descendit voluntarius. *Profundum.* Ad infimas et pessimas pœnas. Quanto enim gradus altior, tanto casus gravior. *Laci.* Id est, inferni, etc., usque ad sed per teporem et simulationem fidei a Domino rejiciuntur.

^{**}14.16 *Est vir.* ID. Non Deus; unde: *Inimicus homo superseminavit zizaniam* Matth. 13..

^{††}14.17 *Urbes.* ID. Ecclesias, ut faceret synagogas diaboli, et hæretica pravitate pollueret munditiam fidei. *Vinctis ejus non.* Quos solvunt apostoli, imitatores magistri, etc., usque ad sed in tenebris recludebat, ut nec Evilmerodach filio suo aperiret.

^{‡‡}14.18 *Omnes reges.* ID. Reges gentium, etc., usque ad nec in morte quiescit a cruciatibus.

^{¶¶}14.19 *Tu autem.* Videtur fabulæ consentire, etc., usque ad reviviscet pater tuus. *Quasi cadaver.* ID. Multitudine peccatorum *putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ* Psal. 37.. Virtus suavis odoris est.

men pessimorum.^{§§ 21} Præparate filios ejus occisioni, in iniquitate patrum suorum: non consurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum. *
²² Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum; et perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem, dicit Dominus; ²³ et ponam eam in possessionem ericii, et in paludes aquarum, et scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum.]^{† 24} [Juravit Dominus exercituum, dicens: Si non, ut putavi, ita erit; et quomodo mente tractavi,^{‡ 25} sic eveniet: ut conteram Assyrium in terra mea, et in montibus meis conculcem eum; et auferetur ab eis jugum ejus, et onus illius ab humero eorum tolletur.^{¶ 26} Hoc consilium quod cogitavi super omnem terram; et hæc est manus extenta super universas gentes.^{§ 27} Dominus enim exercituum decrevit; et quis poterit infirmare? et manus ejus extenta; et quis avertet eam?] ²⁸ In anno quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud:^{** 29} [Ne lætaris, Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui; de radice enim colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrem.]^{†† 30} Et pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent; et interire faciam in fame radicem tuam, et reliquias tuas interficiam. ³¹ Ulula, porta; clama civitas; prostrata est Philisthæa

^{§§}14.20 *Consortium*. Scilicet sepulturæ. Altera est enim pœna auctoris, altera ejus qui ab auctoritate compulsus: Hic est gladius quo vulnerati sunt plurimi, et interfecti. *Tu enim terram*. Quasi: In superbia tua regnum Chaldæorum destructum est, quod adhuc mansisset, nisi superbia tua non fuisset. *Populum*. Quem tibi Deus commiserat corrigendum et regendum. *Occidisti*. Non Deo reservans vivos, sed pœnæ tuæ præparans socios. *Non vocabitur*. Ideo non vocabitur, in æternum, etc., usque ad deleta est omnis progenies, pro superbia et impietate patris.

*14.21 *Iniquitate*: ID. 70. Pro iniquitate patris tui. Quod quidam non intelligentes, draconem, qui regnat in mari, quem Leviathan appellant, Hebræi volunt esse patrem diaboli; secundum illud: *Quia mendax est et pater ejus* Joan. 8., quod male intelligendo depravant.

†14.23 *Et ponam*. Nihil est in ea nisi venatio regia, et coctilibus muris post annos plurimos reffectis inclusa. *In possessionem ericii*. Mundus quoque ab ericio et paludibus possidetur modo, id est, ab immundis spiritibus; sed in fine mundi scopabit, id est, purgabit eum Dominus igne purgatorio.

‡14.24 *Juravit Dominus*. Hucusque de Babylone et regibus, etc., usque ad et hoc in terra Juda et in montibus ejus, sicut Dominus prædixerat.

¶14.25 *In montibus*. Nota proprietatem, etc., usque ad sed et eos qui virtutibus profecerunt.

§14.26 *Hoc consilium*, id est, auferatur jugum ejus, etc., usque ad generaliter ad orbem terrarum pertinere.

**14.28 *In anno quo mortuus*. A principio libri hucusque sub Ozia, Joatham, Achaz, vaticinatus est Isaias, usque ad finem sub Ezechia prædicta et partim completa. *Achaz*. Quo vivente, regnante in peccatoribus: nec pondus contra alienigenas, nec sermo Dei juxta Septuaginta fieri poterat ad Prophetam.

††14.29 *Ne læteris*. Rege mortuo, inimici lætantur, quasi aliquid lucri facturi novis rebus: hinc Philisthæi, quos Achaz afflixit, de morte ejus lætantur et Judæis insultant, quia maturo rege perduto, subjaceant ejus filio, quo regnante, se putant fines eorum posse invadere. *Virga percussoris*. HIER. Abjecto jugo Dei, etc., usque ad et de eis serpentes volantes, vel qui absorbeant volucres.

omnis; ab aquilone enim fumus veniet, et non est qui effugiet agmen ejus.^{‡‡} 32 Et quid respondebitur nuntiis gentis? Quia Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi ejus.]^{¶¶}

15 Onus Moab. [Quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit; quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit.^{§§} 2 Ascendit domus, et Dibon ad excelsa, in planctum super Nabo; et super Medaba, Moab ululavit; in cunctis capitibus ejus calvitium, et omnis barba radetur.* 3 In triviis ejus accincti sunt sacco; super tecta ejus et in plateis ejus omnis ululatus descendit in fletum.† 4 Clamabit Hesebon et Eleale, usque Jasa audita est vox eorum; super hoc expediti Moab ululabunt, anima ejus ululabit sibi.‡ 5 Cor meum ad Moab clamabit; vectes ejus usque ad Segor, vitulum conternantem; per ascensum enim Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt.¶ 6 Aquæ enim Nemrim desertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.‡ 7 Secundum magnitudinem operis, et visitatio eorum: ad torrentem Salicum ducent eos.** 8 Quoniam circuevit clamor ter-

^{‡‡}14.31 *Ulula*. ID. Quasi: Philisthæi, plorate miseriam vestram, quæ venit per Sennacherib. *Ulula, porta; clama, civitas*. Philisthæi potionem cadentes, etc., usque ad animam malis cogitationibus repleta. *Ab aquilone enim fumus*. Exardescentibus sagittis diaboli, qui noxius oculis et contrarius lumini. Ab aquilone olla Jeremiæ succenditur. *Non est qui effugiat agmen ejus*. Nullus præter Jerusalem, etc., usque ad et sola Jerusalem sit liberanda.

^{¶¶}14.32 *Nuntiis gentis*. Angelis qui præsentunt civitatibus et gentibus: singulis mirantibus, cur sola Sion amaritudinem fumi vitaverit, vel evaserit. *Fundavit Sion*. Super fundamentum prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, quæ sunt Christus.

^{§§}15.1 *Onus Moab*. Hæc est visio Isaiaë habita de onere, id est, de destructione Moab. Moab, filius Loth, cujus progenies et provincia Moab vocata est: in ipsa est Ar, quæ nunc Ariopolis metropolis. *Onus Moab*. HIER. Est circumcisio carnalis et spiritualis, etc., usque ad Loth quoque, Sodoma per eunte, venit in Segor, et ortus est sol. *Ar*, id est adversarius, etc., usque ad post a Chaldæis vastati sunt.

^{*}15.2 *Ascendit domus*. Ad excelsa, in quibus superbierat, ut non immolet, sed ut plangat ubi peccaverat. *Dibon*. ID. Fluxus eorum: Mendacium transit et fluit, et nunquam in eodem statu permanet; sermo autem Domini est compactus et stabilis. Unde manna videtur quasi glacies: non fluit, sed consistit. *Super Nabo*. ID. Quia et omnis prophetiæ hujus unus est sensus, etc., usque ad cum anima eorum ululaverit sibi.

[†]15.3 *Omnis ululatus*. Alia littera: Omnis ululat, Moab scilicet, et sic descendet in fletum. Quasi: Ascendit ad excelsa, ut ante idola ploret. Sed cum ibi nullum auxilium reperiret, descendit ad fletum in terram vel in domum suam.

[‡]15.4 *Clamabit Hesebon*. A principio regni quod est in Hesebon, usque Jasa civitatem, ubi finitur, ubique clamor, ubique luctus. *Expediti Moab ululabunt*. Ab uxoribus, fortes bellatores. Inde dicitur Abraham vernaculos domus suæ elegisse expeditos, id est, sine uxoribus.

[‡]15.5 *Cor meum ad Moab*. Ut scilicet provocem eos ad pœnitentiam, etc., usque ad quod interpretatur *leo Dei*. *Ad Segor*. ID. Segor est ex quinque urbibus Sodomorum, etc., usque ad si post liberationem non peccasset.

[§]15.6 *Nemrim*. Nemrim oppidum est super mare, etc., usque ad et ideo arescet herba.

^{**}15.7 *Et visitatio eorum*. Visitatio in malo: *Visitabo in virga iniquitates eorum* Psal. 88.; visitatio in bono: *Visitavit nos oriens ex alto* Luc. 1.. *Ad torrentem salicum*. Hactenus de captivitate Moabitarum per Assyrios, modo de illa quæ per Chaldæos.

minum Moab; usque ad Gallim ululatus ejus, et usque ad puteum Elim clamor ejus.^{††}
⁹ Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine; ponam enim super Dibon additamenta; his qui fugerint de Moab leonem, et reliquiis terræ.]^{‡‡}

16 [Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.^{¶¶} ² Et erit: sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.^{§§} ³ Ini consilium, coge concilium; pone quasi noctem umbram tuam in meridie; absconde fugientes, et vagos ne prodas.* ⁴ Habitabunt apud te profugi mei; Moab, esto latibulum eorum a facie vastatoris: finitus est enim pulvis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram.[†] ⁵ Et præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.[‡] ⁶ Audivimus superbiam Moab: superbus est valde; superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus plus quam fortitudo ejus.[¶] ⁷ Idcirco ululabit Moab ad Moab; universus ululabit: his qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.[§] ⁸ Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, et vineam Sabama domini gentium exciderunt: flagella ejus

^{††}15.8 *Ululatus ejus.* Quasi, ideo ululabit Moab, quia ubi luxus prius, et delectatio propter irrigua et fontium amœna, ibi modo rivi sanguinis.

^{‡‡}15.9 *Aqua Dibon.* Dibon, silentium, Dibon flens, et tamen una est civitas.

^{¶¶}16.1 *Emitte agnum.* HIER. Idcirco prophetæ vix intelliguntur, etc., usque ad qui dominetur in toto orbe. *Petra deserti.* ID. Ruth scilicet, quia juxta præceptum Domini, etc., usque ad sicut enim Christus pro utroque populo venit, sic de utroque nasci voluit. *Ad montem filiæ Sion.* Jerusalem, vel potius ad Ecclesiam, quæ est in contemplatione tanquam speculationis filia. In Jerusalem quoque maxime prædicavit, miracula fecit, passus est, mortuus est, et resurrexit, et genus humanum redemit.

^{§§}16.2 *Sic erunt.* Sic in captivitatem transibunt per Arnon: qui est terminus Moabitarum et Amorrhæorum. HIER. *Arnon* quæ interpretatur illuminatio eorum qui, derelictis erroribus, transcendunt ad scientiam veritatis.

*16.3 *Ini consilium.* Nihil agas sine consilio, nec circumferaris omni vento doctrinæ, sequere magni consilii angelum. *Coge consilium.* De vagis scilicet et errantibus Ecclesiam faciendo. *Pone quasi noctem.* Tabernaculum scilicet, in quo quiescere te putabas, etc., usque ad ut fugientem populum Dei apud se recipiat et abscondat.

[†]16.4 *Profugi mei.* Qui me fugerunt, qui de Ecclesia egressi sunt, qui sensum suum sunt secuti, non doctrinam Spiritus sancti. *Finitus est enim pulvis.* Subito transit ad interfectionem Sennacherib, qui pulvis et miser, quia gloria ejus tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ, et miserabiliter ab hac luce migravit, occisus a filiis suis in templo Dei sui.

[‡]16.5 *Et præparabit.* Judæi exponunt hoc de Ezechia, qui, post mortem Sennacherib, in pace regnavit. Sed melius ad Christum referuntur, et quædam ad primum, quædam ad secundum referunt adventum.

[¶]16.6 *Sedebit super illud.* Quiescens et judicans, super corda bonorum. *Audivimus superbiam Moab.* More Scripturæ, quia læta nuntiaverat, ne negligentes faceret, comminatione terret. *Et indignatio.* ID. Contra Deum in cœlum posuit os suum prophetis detrahens. Illud evangelicum apponens: *Omnes qui venerunt ad te ante me fuerunt et latrones.* Moysen et David homicidas vocat, Josue sanguinarium.

[§]16.7 *Ululabit.* Alter ad alterum, omnes scilicet hæreticorum et philosophorum diversitates contra se in tormentis mugient. *Super muros.* Non ædificatos quadro lapide, sicut templum Dei sunt, in quo sic lapides politi, ut nec malleus auditus sit, nec securis.

usque ad Jazer pervenerunt, erraverunt in deserto; propagines ejus relictæ sunt, transierunt mare.** 9 Super hoc plorabo in fletu Jazer vineam Sabama; inebriabo de lacrima mea, Hesebon et Eleale, quoniam super vindemiam tuam et super messem tuam vox calcantium irruit.†† 10 Et auferetur lætitia et exsultatio de Carmelo, et in vineis non exsultabit neque jubilabit. Vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat; vocem calcantium abstuli.** 11 Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, et viscera mea ad murum cocti lateris.¶¶ 12 Et erit: cum apparuerit quod laboravit Moab super excelsis suis, ingredietur ad sancta sua ut obsecret, et non valebit.]§§ 13 Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc.* 14 Et nunc locutus est Dominus, dicens: In tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab super omni populo multo, et relinquetur parvus et modicus, nequaquam multus.†

17 Onus Damasci. [Ecce Damascus desinet esse civitas, et erit sicut acervus lapidum in ruina.‡ 2 Derelictæ civitates Aroër gregibus erunt, et requiescent ibi, et non erit qui exterreat.¶ 3 Et cessabit adjutorium ab Ephraim, et regnum a Dam-

**16.8 *Suburbana Hesebon.* Omnes cogitationes eorum quod significat Hesebon non pertinent ad civitatem Dei; de qua: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* Psal. 45.; sed suburbana sunt, ut ad urbem Domini pertinere credantur. *Sabama.* Attolens altitudinem, etc., usque ad Domini ergo gentium apostoli et apostolici viri vineæ Sabama exciderunt flagella. *Erraverunt.* Lustrantes universam terram Moab. *In deserto.* Ut tandem quos interficerent, non haberent. *Propagines.* Metaphoram vineæ prosequitur. *Transierunt mare.* ID. Ut mirabilia Domini viderent in profundo tentationum liberati ex eis.

††16.9 *Vineam:* Vineæ Moab, ex vicinia loci talis est, qualis Sodoma. *Sabama.* Qui se extollit contra sententiam Dei.

**16.10 *De carmelo.* Carmelus mons est inter Phœnicem et Palæstinam imminens Ptolomaidi, in quo Elias oravit. Et ponitur sæpe pro qualibet fertilitate; unde et hic: *Auferetur lætitia et exsultatio de Carmelo* III Reg. 18., id est, fertilitas in qua lætabantur Moabitæ. *Exsultabit.* Quia spiritualis circumcisionis notitiam se habere jactant hæretici. *Vocem.* Ne draconis venena inde exprimantur, et bibentes interficiantur.

¶¶16.11 *Venter meus.* Propheta, qui tanquam cithara, musica arte compositus, et de Dei timore concipiens, multos liberos generat, ut omnis chorda sonum suum reddat. *Et viscera.* Sicut cithara sonum compositum non emittit, etc., usque ad et Jacobus, cui una deest, desunt omnes.

§§16.12 *Sancta sua.* Ad sanctam, scilicet Ecclesiæ, quæ conabitur sua facere, non prævalebit: non enim statim perfecte virtutem capimus. *Non valebit.* In eis scilicet non invenient auxilium, in quibus sperabat, et sic apparuit, quia incassum colebat.

*16.13 *Hoc verbum.* In procœmio, etc., usque ad. Quod enim tibi cœperat, hic est completum.

†16.14 *In tribus annis:* quasi diceret: Sicut pauci racemi remanent, etc., usque ad sed relicto errore conversus, tribus annis tantum parvus et modicus et inglorius relinquitur. *Mercenari.* ID. Falsa doctrina omnia lucri causa facit, etc., usque ad levius peccatum est aperte peccare quam sanctitatem simulare.

‡17.1 *Onus Damasci. Ecce Damascus.* ID. Damascus metropolis Syriæ, etc., usque ad sed quia non egerunt pœnitentiam captivati sunt.

¶17.2 *Arœr gregibus.* Myrica, quæ est arbor infructuosa, nascens in desertis, et saxosis locis, quasi diceret: Omnes Syri infructuosi erunt et desolati. Alii dicunt ex hac arbore maleficis artibus odia concitari.

asco; et reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israël erunt, dicit Dominus exercituum.[§]
⁴ Et erit in die illa: attenuabitur gloria Jacob, et pinguedo carnis ejus marcescet.^{**}
⁵ Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, et brachium ejus spicas leget; et erit sicut quærens spicas in valle Raphaim.^{††} ⁶ Et relinquetur in eo sicut racemus et sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus Deus Israël.^{**} ⁷ In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi ejus ad Sanctum Israël respicient;^{¶¶} ⁸ et non inclinabitur ad altaria quæ fecerunt manus ejus; et quæ operati sunt digiti ejus non respicient lucos et delubra. ⁹ In die illa erunt civitates fortitudinis ejus derelictæ sicut aratra, et segetes quæ derelictæ sunt a facie filiorum Israël; et eris deserta.^{§§}
¹⁰ Quia oblitus es Dei salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationem fidelem, et germen alienum seminabis;^{*} ¹¹ in die plantationis tuæ labrusca, et mane semen tuum florebit; ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter.[†] ¹² Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis; et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum.[‡] ¹³ Sonabunt populi

[§]17.3 **Et regnum.** Ut peccatum non regnet in ea, quæ prius sanguinem diligebat. **Reliquiæ Syriæ.** Ironice, pro ignominia, etc., usque ad ambo ergo captivati ignominiose.

^{**}17.4 **Et erit in die illa.** ID. Cum Syria vastata fuerit ab Assyriis, etc., usque ad alii in Cyrenem translati, quæ est regio ultra Ægyptum. **Emarcescet.** ID. Non habebunt prophetas, nec signa, nec virtutes, nec regnum, nec sacerdotium; sed omne corpus gentis marcescet.

^{††}17.5 **In messe.** De gentibus dicitur: **Messis quidem multa operarii, autem pauci** Matth. 9.. Illi vero pauperes, messis reliquias quæ per apostolos salvatæ sunt, et rarissimas spicas legunt. Nec in montibus, sed in valle Raphaim, id est, in humilitate, litteræ veritate. Raphaim enim gigantes sonat.

^{¶¶}17.6 **Sicut excussio.** ID. Percusso populo Judæorum, oliva quæ sub Moyse sexcenta millia armatorum habuerat, et sub David numerante Joab innumerum populum, vix paucos fructus Salvatori obtulit. **Duarum aut trium.** Pauli et Barnabæ. Et trium Petri, et Jacobi et Joannis, qui in monte transfiguratum Dominum conspexerunt, et archisynagogi filiam suscitari viderunt. **Sive quatuor.** HIER. Hi sunt reliqui novem, in quibus Judæ proditoris Matthias locum obtinuit. Hi pro diversitate gratiarum nobis ignoti, in quatuor aut in quinque separati sunt, ut Evangeliorum numerum et legis in se volumina demonstrarent, tanquam prædicatores utriusque Testamenti.

^{¶¶}17.7 **In die illa inclinabitur.** Quasi diceret: Dominus esuriens, vix paucas, etc., usque ad sicut legitur in Paralipomen., et idola abjecerunt.

^{§§}17.9 **In die illa erunt.** Irruentibus Assyriis, et vastantibus non solum Damascum, sed et terram decem tribuum. **Aratra.** ID. Amorrhæorum. Hoc contra decem tribus, quasi diceret: Sicut olim venientibus filiis Israël, relictis aratris fugerunt Amorrhæi, sic modo decem tribus venientibus Assyriis.

^{*}17.10 **Plantationem fidelem.** Plantatio fidelis est, quando quis plantat et colit, et fructum colligit. Plantatio infidelis et germen alienum, quando alienus colligit: **Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus eradicabitur** Matth. 15.. **Germen alienum.** Non recipiens Patrem, quia non recipis Filium; qui enim credit in Patrem, credit in Filium. Germen alienum, blasphemiam contra Christum.

[†]17.11 **Mane semen tuum.** ID. Cum scilicet visum fuerit germen, etc., usque ad omnes sancti cum ramis oleastri radicem salvari.

[‡]17.12 **Væ multitudini.** Sennacherib et exercitui ejus, etc., usque ad cuncta opprimere et occupare cupienti.

sicut sonitus aquarum inundantium, et increpabit eum, et fugiet procul; et rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate.^{¶ 14} In tempore vespere, et ecce turbatio; in matutino, et non subsistet. Hæc est pars eorum qui vastaverunt nos, et sors diripientium nos.][§]

18 [Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ,^{** 2} qui mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas. Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam; ad populum terribilem, post quem non est alius; ad gentem expectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus.^{†† 3} Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis, et clangorem tubæ audietis.^{‡‡ 4} Quia hæc dicit Dominus ad me: Quiescam et considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis.^{¶¶ 5} Ante messem enim totus effloruit, et immatura perfectio germinabit; et præcidentur ramusculi ejus falcibus, et quæ derelicta fuerint abscindentur et excutientur.^{§§ 6} Et relinquentur simul avibus montium et bestiis terræ; et æstate perpetua erunt super eum volucres, et omnes bestię terræ super illum hiemabunt.^{* 7} In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo divulso et dilacerato, a populo terribili, post quem non fuit alius; a gente expectante, expectante et conculcata, cujus diripuerunt flumina terram ejus; ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion.][†]

19 Onus Ægypti. [Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et cor Ægypti

[¶]17.13 *Rapietur*. Raptus est a Jerusalem, quando cum paucis fugit in Ninivem. De mundo raptus est, quando a filiis suis cito occisus est, ut patet.

[§]17.14 *Hæc est pars eorum qui vastaverunt*. Propheta ex persona Israël, quasi diceret: Sic solet Deus beare inimicos nostros.

^{**}18.1 *Væ terræ*. ID. Quia de cæteris persecutoribus Ecclesiæ dixerat, etc., usque ad quasi errando inutilia fecerit. *Væ terræ cymbalæ alarum*. Convertitur iterum ad Ægyptum, et vocat eum, etc., usque ad timorem Domini abstulerunt eis.

^{††}18.2 *In vasis papyri*, id est in navibus de papyro factis, etc., usque ad pertransit et labitur.

^{‡‡}18.3 *Gentem expectantem et conculcatam*. Omnes enim hæretici sibi promittunt ingentia, etc., usque ad id est doctrinam eorum audiunt.

^{¶¶}18.4 *Nubes roris*. Grata messoribus fatigatis, quibus refrigerium præstat, et stipulam arentem facit humectando secabilem: sic sermo meus contra Ægyptum, gratus omnibus erit in me credentibus, et Assyriis a me eis data victoria.

^{§§}18.5 *Ramusculi*. ID. Inutiles: unde: *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est: omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, et omnem qui fert fructum purgabit eum*.

^{*}18.6 *Et omnes bestię terræ*. Hyperbolicos. Neque enim omnes bestię terræ super eum hiemabunt. Sed significat, et occisionem immensam, et bestiarum multitudinem maximam superventuram, quibus æstate et hieme cadavera sufficiant in escam.

[†]18.7 *In tempore*. Revertitur Propheta ad populum Israël, et promittit ei bona, dicens: *In tempore*, quasi dicat: Vastata Ægypto, non sperabit ultra Juda in umbra ejus; sed fidei et bonorum operum Domino offerret munus. Quod impletum est septuagesimo anno post captivitatem sub Zorobabel et aliis ducibus.

tabescet in medio ejus,[‡] ² et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios; et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum.[¶] ³ Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus præcipitabo; et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos, et pythones, et ariolos.[§] ⁴ Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum.^{**} ⁵ Et arescet aqua de mari, et fluvius desolabitur atque siccabitur.^{††} ⁶ Et deficient flumina, attenuabuntur et siccabuntur rivi aggerum, calamus et juncus marcescet. ⁷ Nudabitur alveus rivi a fonte suo, et omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, et non erit. ⁸ Et mœrebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum; et expandentes rete super faciem aquarum emarcescent. ⁹ Confundentur quo operabantur linum, pectentes et textentes subtilia. ¹⁰ Et erunt irrigua ejus flaccientia: omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces. ¹¹ Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum?^{‡‡} ¹² Ubi nunc sunt sapientes tui? annuntient tibi, et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum. ¹³ Stulti facti sunt principes Taneos, emar cuerunt principes Mempheos; deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus. ¹⁴ Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis; et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens.^{¶¶} ¹⁵ Et non erit Ægypto

[‡]19.1 *Onus Ægypti*, etc. ID. Sciendum multa quæ hic dicuntur ad Ægyptum historialiter pertinere; sed, et hic et in aliis locis, Scripturarum multa ponuntur quæ non possunt juxta historiam stare, ut rerum necessitate cogamur altiore intelligentiam quærere. *Ecce Dominus ascendet*, etc. ID. Ægyptus, tenebræ vel mœror, etc., usque ad et corda sapientium Ægypti pavore tabuerunt. *Simulacra Ægypti*. Idololatria fractam se sentiens, ut etiam magi a dæmonibus docti, vel juxta prophetiam Balaam intelligentes natum Filium Dei, qui magicam destruerat artem, in Bethleem venerunt et Puerum adoraverunt.

[¶]19.2 *Et concurrere faciam*. ID. Unde in Evangelio: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium: veni enim separare hominem a patre suo*, etc., Matth. 10..

[§]19.3 *Et dirumpetur*, etc. ID. Dividetur in contraria voluntas Ægypti, ut non magna sentiant sicut ante, sed spirituali gladio separati, consilium suum cognoscant præcipitatum esse.

^{**}19.4 *Dominorum crudelium*. Multis dominis Ægyptus tradita est. Primum Assyriis, post Nabuchodonosor, tertio Alexandro, ad ultimum Romanis, Antonio et Cleopatra ab Augusto superatis. Chaldæi crudeliores, Romani potentiores.

^{††}19.5 *Et arescet*. Fieri solet, ut cum ira Dei captivitas venit, ut indignationem ejus pestilentia subsequatur, et contra peccatores elementa desæviant. Veniente ergo captivitate per Chaldæos vel Romanos, forsitan et Nilus, et fontes siccati sunt. Hyperbolicos quoque propter nimiam tribulationem flumina possunt dici defecisse, et fontes aruisse et rivuli.

^{‡‡}19.11 *Stulti*. Adveniente captivitate Babylonica vel Romana, omnia magorum defecerunt consilia. *Principes Thaneos*. HIER. Humilis mandati; omnes enim hæretici contrarium altitudini humilitatem docent, et ad inferos detrahunt, et humilis mandati et dejecti sunt principes. *Filius sapientium*. Hæc dicebat unusquisque Pharaoni, etc., usque ad et deos magnos auctores suæ gentis fuisse jactant Isim, et Osirim, et Typhonem. *Regum antiquorum*. Quasi dicat: Habeo scientiam Scripturarum cum sapientia sæculari.

^{¶¶}19.14 *Ebrius et vomens*. ID. Furore draconum, ut tandem post vomitum intelligant ebrietatem suam. Quandiu enim ebrii fuerint, nec principium habebunt, nec finem.

opus quod faciat caput et caudam, incurvantem et refrenantem. §§ 16 In die illa erit Ægyptus quasi mulieres; et stupebunt, et timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse movebit super eam. * 17 Et erit terra Juda Ægypto in pavorem; omnis qui illius fuerit recordatus pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam. † 18 In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum: Civitas solis vocabitur una. ‡ 19 In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus. ¶ 20 Erit in signum et in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti; clamabunt enim ad Dominum a facie tribulationis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos. § 21 Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa; et colent eum in hostiis et in muneribus; et vota vovebunt Domino, et solvent. 22 Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, et sanabit eam; et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos. 23 In die illa erit via de Ægypto in Assyrios; et intrabit Assyrius Ægyptum, et Ægyptius in Assyrios, et servient Ægyptii Assur. ** 24 In die illa erit Israël tertius Ægyptio et Assyrio; benedictio in medio terræ 25 cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio; hæreditas autem mea Israël.] ††

§§19.15 *Refrenantem*. HAYMO. in Isa. Pro eo quod Hieronymus debuit transferre, etc., usque ad alii præ lascivia quid faciant, nesciunt.

*19.16 *Mulieres*. Quas amat Ægyptus, quas solas vult Pharaon vivere, necatis viris. Diabolus virtutes interficit, vitia conservat.

†19.17 *Terra Juda Ægypto*. Scientia Scripturarum lex, et prophetæ; Evangelia erunt Ægypto in festivitatem cum se cognoverit, vel in timorem cum se mendacia habuisse intellexerit. *In pavorem*. Alii in festivitatem, etc., usque ad promittendo auxilium eis.

‡19.18 *Quinque civitates*. Quidam quinque libros Moysi intelligunt, etc., usque ad quia de vitiis ad virtutes commutantur. *Lingua Chananæa*. Quæritur cur non lingua Hebræa, etc., usque ad et qui tactu immundo delectantur.

¶19.19 *In die illa*. ID. Hoc non intelligens Onias sacerdos, etc., usque ad et eos usque hodie linguam propriam tenuisse. *Et titulus*. Titulus Domini evangelica doctrina et apostolica, quæ est usque ad terminos terræ, unde: *In omnem terram exivit sonus eorum* Psal. 18.. Vel titulus juxta terminum fidei, operatio bona, quæ quantum et fides extendi debet, vel imitatio passionis Christi.

§19.20 *Clamabunt enim*. Cum evangelica doctrina creverit, et persecutio ingruerit, tunc qui crediderint, clamabunt ad Deum patrem.

**19.23 *In die illa*. Ante adventum Domini, singulæ nationes, etc., usque ad qui de regno in regnum discurrunt. *Et servient Ægyptii*. Non quod postea illi fuissent subjugati, etc., usque ad ejusdem cum ipsis conditionis. *In die illa erit*. ID. Non vicissim ab Assyriis Ægyptiisque medius vexabitur, sed erit tertius cum ipsis serviens, scilicet Romanis.

††19.25 *Benedictus*. Hæ regiones præ omnibus aliis monarchis abundaverant, et ideo benedici meruerunt.

20 In anno quo ingressus est Thathan in Azotum, cum misisset eum Sargon, rex Assyriorum, et pugnasset contra Azotum, et cepisset eam:‡‡ ² in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ, filii Amos, dicens: Vade, et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus et discalceatus.¶¶ ³ Et dixit Dominus: [Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit super Ægyptum et super Æthiopiam;§§ ⁴ sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, juvenem et senem, nudam et discalceatam, discoopertis natibus, ad ignominiam Ægypti.* ⁵ Et timebunt, et confundentur ab Æthiopia spe sua, et ab Ægypto gloria sua. ⁶ Et dicet habitator insulæ hujus in die illa: Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum: et quomodo effugere poterimus nos?†

21 Onus deserti maris. [Sicut turbines ab africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili.‡ ² Visio dura nuntiata est mihi: qui incredulus est infideliter agit; et qui depopulator est vastat. Ascende, Ælam; obside, Mede; omnem gemitum ejus cessare feci.¶ ³ Propterea repleti sunt lumbi mei dolore; angustia possedit me sicut angustia parturientis; corruui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. ⁴ Emarcuit cor meum; tenebræ stupefecerunt me: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. ⁵ Pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes: sur-

‡‡20.1 *In anno.* ID. Assyria nomina sunt hæc, etc., usque ad expugnat eos qui servant generationi et libidini. *In anno.* Azotus, urbs Palæstinorum potentissima de quinque, etc., usque ad quæ per eum loquebatur Dominus. *Cum misisset.* Pulchre rex Assyriorum Sargon, id est princeps hortorum, dicitur, cui similis est Achab: Qui vineam Naboth in hortum vertere cupiebat; quod ille tropologice intelligens, maluit mori quam facere, ne paterna hæreditas et possessio antiqua in regis impii mutaretur delicias.

¶¶20.2 *Vade et solve.* Præcipitur prophetæ ut sacco calceamentisque depositis, etc., usque ad nihil enim occultum quod non reveletur. *Et fecit sic.* Mira obedientia, solo cilicio induebatur vir nobilissimus, ut Hebræi tradunt. Cujus filiam Rex Manasses accepit in conjugium, non erubuit nudus incedere, nihil honestiam judicans quam Domino obedire.

§§20.3 *Discalceatus.* ID. Notandum quod antequam capiatur Azotus, etc., usque ad ad quam festinat, vel stare, vel ambulare.

*20.4 *Ad ignominiam.* Quia pascha Domini comedere non poterant, quod comedit lumbis accinctus, baculum tenens manu, calceatis pedibus, ne, per hujus sæculi solitudinem transiens, a serpentibus mordeatur.

†20.6 *Hæccine erat.* Admiranda Dei providentia, etc., usque ad in fine ex toto peribit, cum regnum Christi illuxerit.

‡21.1 *Onus deserti maris.* Babylonis, pro multitudine populi dicta mare. *De deserto venit.* In quo Dominus tentatus, in quo Isrælitæ percussi a serpentibus.

¶21.2 *Qui incredulus.* Generalis sententia, quasi culpa singulorum est quod in tempestate opprimuntur. *Ascende Ælam.* LXX: Ælamitæ et legati Persarum. Ælamitæ, despicientes. *Ascende,* quasi diceret: O Persæ et Medi, nolite timere, equos ascendite, Babylonem obsidete. *Ascende.* Dei fortitudine confisus, audacter, contra adversarios loquitur. *Omnem gemitum.* Quo te et alias gentes gemere faciebat; vel, ut nullus jam gemat pressus potentia Babylonis; vel, tantis malis sit afflicta, ut contra te gemere non audeat.

gite, principes, arripite clypeum.[§] ⁶ Hæc enim dixit mihi Dominus: Vade, et pone speculatorem, et quodcumque viderit annuntiet.^{**} ⁷ Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli; et contemplatus est diligenter multo intuitu.^{††} ⁸ Et clamavit leo: Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem; et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.^{‡‡} ⁹ Ecce iste venit ascensor vir bigæ equitum; et respondit, et dixit: Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram.^{¶¶} ¹⁰ Tritura mea et filii aræ meæ, quæ audivi a Domino exercituum, Deo Israël, annuntiavi vobis.^{§§} ¹¹ Onus Duma. [Ad me clamat ex Seir: Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? ^{*} ¹² Dixit custos: Venit mane et nox; si quæritis, quærite; convertimini, venite.][†] ¹³ Onus in Arabia. [In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim.[‡] ¹⁴ Occurrentes sitiienti ferte aquam, qui habitatis terram austri; cum panibus occurrere fugienti.[¶] ¹⁵ A facie enim gladiatorum fugerunt, a facie gladii imminenti, a facie arcus extenti, a facie gravis prælii. ¹⁶ Quoniam hæc dicit Dominus ad me: Adhuc in uno anno, quasi in anno mercenarii, et

§21.5 *Pone mensam.* Quasi diceret: O Persæ et Medi, sumite cibum, etc., usque ad in quo ignea tela diaboli restringatis. *Contemplare*, etc. Quid post mensam ingruat et, vel, contemplare, o Balthasar, quid scripserit in pariete: *Mane, Tethel, Phares.*

**21.6 *Speculatorem.* Speculantes dicuntur prophætæ.

††21.7 *Ascensorem.* Cyrus princeps imperabat Medis et Persis, etc., usque ad litteræ scilicet et spiritus ad duo referunt Testamenta.

‡‡21.8 *Leo.* Idem leo pro virtute animi, qui speculator prærogativa contemplationis. *Super speculam Domini.* Id est, per diem in contemplatione positus, diebus ac noctibus paratus audire et loqui quæ præceperit. *Stans totis noctibus.* Ut me custodiam ab omni peccato, ut sim dignus audire verbum Domini.

¶¶21.9 *Ecce iste venit vir.* Quod sequitur, se vidisse significat, venire, scilicet Salvatorem super bigam sedentem, et duobus animalibus, id est, asino et camelo, unum currum jungentem. *Cecidit, cecidit.* Cyro et Dario Babylonem vastantibus, etiam idola sunt confracta, templo Beli subverso et igne concremato.

§§21.10 *Tritura mea.* Quasi dicat: O popule, qui recondendus es in horrea mea, quem trivi variis angustiis, ut excuterem paleas et triticum purum, conferrem in horrea, quæ audivi a Domino ex Deo Israël, etc.

*21.11 *Onus Duma.* LXX: Idumææ, etc., usque ad onus Duma ad me clamat. *Ad me clamat.* HIER. Deus, scilicet custos meus, etc., usque ad loquitur deinde gentibus: *Si me quæritis, studiosius quærite* Joan. 9..

†21.12 *Venit mane,* etc. Quasi populo meo dabo lumen lætitiæ, etc., usque ad operatione, et sic audiam vos.

‡21.13 *Onus in Arabia.* Arabes sunt Saraceni, etc., usque ad inde alloquitur Deus Judæos fugientes sic: *In saltu ad vesperam.* O Judæi, qui obsidionem Babyloniam fugietis in saltu, id est in silvis Saracenorum dormietis, fugientes Chaldæos in semitis Dodanim, quod interpretatur *in propinquos* vel *cognatos*, id est, in via quæ ducit propinquos vestros Saracenos. *Vesperam.* ID. Quæ est principium noctis. Qui peccare incipit, in vespera est; qui ad summum venit, in media nocte. Media nocte primogenita Ægypti occiduntur. Petrus negat, luce jam vicina poenitet. *In semitis.* ID. Quia vespera principium malorum, etc., usque ad quando contra patrem rebellavit.

¶21.14 *Occurrentes sitiienti ferte.* Hoc contra eos potest dici, qui otio et desidie se tradiderunt et propria salute contenti sunt, nec poenitentibus et conversis manum porrigunt. *Sitiienti ferte aquam.* Fatigatis fratribus ardore solis et sitis ferte aquam, ne in solitudine pereant.

auferetur omnis gloria Cedar.^{§ 17} Et reliquiae numeri sagittariorum fortium de filii Cedar imminuentur; Dominus enim Deus Israël locutus est.]

22 Onus vallis Visionis. [Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti et tu omnis in tecta?]** ²Clamoris plena, urbs frequens, civitas exsultans; interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui in bello.^{††} ³Cuncti principes tui fugerunt simul dureque ligati sunt; omnes qui inventi sunt vincti sunt pariter; procul fugerunt.^{‡‡} ⁴Propterea dixi: Recedite a me: amare flebo; nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiae populi mei; ⁵dies enim interfectionis, et conculcationis, et fletuum, Domino Deo exercituum, in valle Visionis, scrutans murum, et magnificus super montem.^{¶¶} ⁶Et Ælam sumpsit pharetram, currum hominis equitis, et parietem nudavit clypeus.^{§§} ⁷Et erunt electae valles tuae plenae quadrigarum, et equites ponent sedes suas in porta. ⁸Et revelabitur operimentum Judae, et videbis in die illa armamentarium domus saltus.* ⁹Et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatae sunt; et congregastis aquas piscinae inferioris,[†] ¹⁰et domos Jerusalem numerastis, et destruxistis domos ad muniendum murum. ¹¹Et lacum fecistis inter duos muros ad aquam piscinae veteris; et non suspexistis ad eum qui fecerat eam, et operatorem ejus

§21.16 *Adhuc in uno*, etc. Quasi diceret: Quia non habuistis in eos misericordiam, prope sustinebitis captivitatis miseriam. Post annum a Judaica captivitate et Jerusalem subversione, hi quoque vastati sunt. *Quasi in anno mercenarii*: ID. quod est: Quomodo mercenarius annum suum, etc., usque ad panemque caelestem comederint.

**22.1 *Onus vallis*. Jerusalem quondam domina gentium, etc., usque ad qui de sublimi sensu Scripturarum ad infima corruerunt. *Vallis visionis*. LXX: Sion, id est speculæ, scilicet Ecclesiae. *Quidnam tibi quoque*. Quasi diceret: Cum philosophia et sapientia saecularis, de sublimibus disputans, simplicitatem Ecclesiae contemnat, cur, tu quoque sectaris excelsa?

††22.2 *Plena*. Doctrina haereticorum plena est multiloquio et clamore. *Interfecti tui*. HIER. Vallis, scilicet Sion, voluntate propria, ad haereticos scilicet transierunt. Comparatione eorum qui post praedium victi sunt, infelicis vulnerantur qui sponte se tradunt: quomodo in martyrio, qui post poenas negat, levius punitur quam qui sine necessitate Christum abnegat.

‡‡22.3 *Cuncti principes*, etc. Sicut in Jeremia legitur, Sedechias nocte per muri foramen, etc., usque ad et in Babylonem ducti sunt. *Fugerunt*. In fuga concordēs, quorum princeps est draco fugiens, coluber tortuosus.

¶¶22.5 *Et fletuum*. ID. LXX: Erroris. Non quod fletus et error a Domino sit, sed occasione Scripturarum quas dedit eis legendas, nascitur erroris occasio, et possunt dicere: *Quare nos errare fecisti a via tua?* Isa. 63.

§§22.6 *Elam*. Civitas in Perside provincia, in qua optimi sagittarii: *Elam sumpsit pharetram*. Elam, ascensus eorum, id est superbia haereticorum, sumpsit pharetram, *ut sagittet in obscuro rectos corde*. *Parietem*. Ecclesiae firmamenta, clypeo suo, id est impugnatione nudavit.

*22.8 *Operimentum*. Templum quod gentibus et pollutis ante opertum et clausum erat. *Armamentarium*. Juxta templum erat domus quam aedificavit David ad repouenda arma, in cuius circuitu arbores multae; unde dicitur domus saltus. Ipsa quoque non lapidea, sed lignea fuit: ex humore enim caementi et lapidum ut aiunt eruginat ferrum.

†22.9 *Et congregastis*. Terra promissionis, quamvis uberrima, etc., usque ad inferior quae ab hostibus capi poterat, superior quae non poterat.

de longe non vidistis.[‡] 12 Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci;[†] 13 et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum: comedamus et bibamus, cras enim moriemur. 14 Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.][§] 15 [Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Vade, ingredi ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam, præpositum templi, et dices ad eum:^{**} 16 Quid tu hic, aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi.^{††} 17 Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus; et quasi amictum, sic sublevabit te. 18 Coronas coronabit te tribulatione; quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam; ibi morieris, et ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus domini tui.^{‡‡} 19 Et expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. 20 Et erit in die illa: vocabo servum meum Eliacim, filium Helciæ,[¶] 21 et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus; et erit quasi pater habitantibus Jerusalem et domui Juda. 22 Et dabo clavem domus David super humerum ejus; et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat.^{§§} 23 Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriæ domui patris ejus. 24 Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus; vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum.* 25 In die

[‡]22.11 *Et lacum.* ID. Non puteum qui aquam vitalem habet et æternam, sed lacus contritos qui continere non valent aquam. *Inter duos muros.* Scilicet et Novum et Vetus Testamentum, fecerunt sibi novas aquas, quas interiores putant et majora continere mysteria quam Vetus Testamentum.

[†]22.12 *Et vocabit Dominus Deus exercituum.* Quotidie provocat Dominus hæreticos ad pœnitentiam, etc., usque ad sed vilipendentes et desperantes dicebant: *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur* Jerem. 34..

[§]22.14 *Moriamini.* ID. Vitiis, aut cum eis ad inferos descendatis, etc., usque ad quæ hic dicuntur non pertinent ad captivitatem factam tempore Ezechiaë.

^{**}22.15 *Sobnam.* HIER. Convertere nunc, etc., usque ad unde ei Dominus hæc mala minatur

^{††}22.16 *Quid tu hic?* Ac si diceret: Cur tibi vis ædificare domum? etc., usque ad quam sepulchrum et memoria appellandum.

^{‡‡}22.18 *Coronans coronabit te.* Qui scilicet quondam habebas coronam pontificis, et sanctificationem in lamina auri in qua scriptum erat nomen Dei, tribulatione et angustia coronaberis. *Tribulatione.* Pro lamina aurea in qua scriptum erat nomen Domini, quam in fronte portabat sacerdos semel in anno. *Quasi pilam.* Sicut sphaera in loco declivi et spacio stare non potest, sic populus tuus in orbis terminos dispergetur.

[¶]22.20 *Servum meum Eliacim.* Per Sobnam superbum, etc., *usque ad Filium Helciæ,* id est patris Domini.

^{§§}22.22 *Clavem.* Per clavem quam super humerum portat, sceptrum regni et signum victoriæ, id est *crucem possumus* intelligere quam Christus ipse in suo proprio portavit humero. *Domus David.* Domum David vocat domum Domini, in qua erat aurea clavis. *Et aperiet.* Unde: *Qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit.* Quod in passione reseravit claudi non poterit; quod in cæremoniis clausit, nemo aperiet.

^{*}22.24 *Et suspendam super.* Unde in Evangelio: *Omnis populus pendebat ex eo.* Hodie quoque ad verbum sapientiæ ejus pendent.

illa, dicit Dominus exercituum, auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur, et cadet, et peribit quod pependerit in eo, quia Dominus locutus est.][†]

23 Onus Tyri. [Ululate, naves maris, quia vastata est domus unde venire consueverant: de terra Cethim revelatum est eis.[‡] ²Tacete, qui habitatis in insula; negotiatores Sidonis, transfretantes mare, repleverunt te. ³In aquis multis semen Nili; messis fluminis fruges ejus: et facta est negotiatio gentium.[¶] ⁴Erubescite, Sidon; ait enim mare, fortitudo maris, dicens: Non parturivi, et non peperivi, et non enutrivivi juvenes, nec ad incrementum perduxivi virgines.[§] ⁵Cum auditum fuerit in Ægypto, dolebunt cum audierint de Tiro.^{**} ⁶Transite maria, ululate, qui habitatis in insula!^{††} ⁷Numquid non vestra hæc est, quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum.^{‡‡} ⁸Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus incltyi terræ?^{¶¶} ⁹Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos incltyos terræ.^{§§} ¹⁰Transi terram tuam quasi

[†]22.25 *Auferetur paxillus.* Quæ dicuntur, etc., usque ad Judæi convertentur ad fidem.

[‡]23.1 *Onus Tyri.* Tyrus nobilissima civitas Chananæorum, etc., usque ad hanc miseriam prædicit Isaias: *Onus Tyri*, etc. *Ululate.* In Græco apertius: Ululate, naves Carthaginis: vos, scilicet, qui Tyrum venire consuevistis causa negotiationis. Carthago colonia fuit Tyriis, ab eis constructa et culta. *Naves maris.* Hebraice Tharsis, id est exploratio gaudii vel contemplatio, quia gaudii contemplatio et lætitiæ vertetur in lacrymas.

[¶]23.3 *Negotiatio.* HIER. Negotiatores, etc., usque ad et de aliis vitiis ad alia transeunt. *Semen Nili messis fluminis fruges,* etc. Sic construitur: semen Nili fluminis erat messis et fruges ejus, scilicet Tyri. Terra Chananæorum, in qua Tyrus est, infertilis est: Ægyptus, quam irrigat Nilus, fertilis frugibus, quas Tyrus ab Ægyptiis commutabat.

[§]23.4 *Mare.* Sæculi scilicet in quo parva animalia cum magnis, draco quem Dominus formavit ad illudendum ei videns eos a venatoribus Christi capi, qui a dæmonibus fuerunt capti, dicit contrariæ fortitudini venatorum quam significat Sidon: Erubescite, Sidon. *Non parturivi.* Quasi diceret: Nihil profuit parturisse, peperisse et enutrisse juvenes, quia Tyrus sine defensione capta est.

^{**}23.5 *Cum auditum fuerit in Ægypto,* etc. Tum de omnibus vitiis, tum de hæresibus hoc sentitur, quia una capta alia pertimescit, et in alterius confusione altera se capiendam sentit.

^{††}23.6 *Transite, ululate, qui habitatis.* Sicut supra dictum est, cum non possent Nabuchodonosor resistere, festinaverunt qui potuerunt naves conscendere: alii remanserunt in civitate.

^{‡‡}23.7 *Nunquid non hæc vestra est, quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate,* etc. Quasi diceret: Hæc ideo præcipio, quia urbs vestra Tyrus, deposito errore veteri, transibit ad veritatem.

^{¶¶}23.8 *Principes institores ejus incltyi terræ,* etc. ID. Inter alios negotiatores, vel etiam in regnis.

^{§§}23.9 *Ad ignominiam deduceret,* etc. Non Dominus ignominiae auctor est, sed quod ignominiosum est ostendit, secundum illud: *Contaminatione contaminabit eum,* non quod sacerdos contaminationis auctor sit, sed quod ostendit contaminatum eum quem mundum putabant multi.

flumen, filia maris ! non est cingulum ultra tibi.* ¹¹ Manum suam extendit super mare; conturbavit regna. Dominus mandavit adversus Chanaan, ut contereret fortes ejus;† ¹² et dixit: Non adjicies ultra ut glorieris, calumniam sustinens virgo filia Sidonis: in Cethim consurgens transfreta: ibi quoque non erit requies tibi.‡ ¹³ Ecce terra Chaldæorum, talis populus non fuit: Assur fundavit eam; in captivitatem traduxerunt robustos ejus, suffoderunt domos ejus, posuerunt eam in ruinam.¶ ¹⁴ Ululate, naves maris, quia devastata est fortitudo vestra.】§ ¹⁵ Et erit in die illa: in oblivione eris, o Tyre ! septuaginta annis, sicut dies regis unius; post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis:** ¹⁶ [Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita: bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.†† ¹⁷ Et erit post septuaginta annos: visitabit Dominus Tyrum, et reducet eam ad mercedes suas, et rursus fornicabitur cum universis regnis terræ super faciem terræ; ¹⁸ et erunt negotiationes ejus et mercedes ejus sanctificatæ Domino: non condentur neque reponeantur, quia his qui habitaverint coram Domino erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.】‡‡

*23.10 *Flumen*. Babyloniorum. *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion* Psal. 136.. *Cingulum ultra tibi*. Fortitudo resistendi, cingulo enim lumbos restringimus: in lumbis fortitudinem habere dicimur.

†23.11 *Conturbavit regna*. Scilicet Ægyptiorum et Moabitarum, et aliarum in circui. Tyro enim capta et subversa, alia regna conturbata sunt timore. Regnum quoque Ægypti pro subversa Tyro datum est Nabuchodonosor.

‡23.12 *Filia Sidonis*. ID. In terra Chanaan sunt Tyrus et Sidon; unde: Mulier Chananæa exivit de finibus Tyri et Sidonis occurrens Salvatori Matth. 15.. *Transfreta*. Sæpe videmus quosdam a proposito suo transire ad aliud, a militia ad negotiationem: a causis ad arma mutant industriam, ut mutant infelicitatem. Sed, Deo dispensante, omnia eveniunt contraria, ut per miserias coacti non in se, sed in Domino creatore confidant.

¶23.13 *Talis populus non fuit*. Usque ad mortem Nabuchodonosor fortissimi super omnes Chaldæi et Assyrii; postea populus Græcorum et Romanorum fortior fuit. *Suffoderunt*. Quando Nabuchodonosor Tyrum invasit navigio, non solum murum, sed et domos subvertit; et quæ erat negotiatio civitatum, facta est per septuaginta annos siccatio sagnarum.

§23.14 *Naves maris*, etc. Hebraice Tharsis, etc., usque ad vir ecclesiasticus destruit et subjicit sibi.

**23.15 *Septuaginta annis*. HIER. Tyrus quondam angustiata, etc., usque ad quis ergo non habeat spem salutis, si bene cecinerit, si chordas, id est virtutes, bene composuerit? ID. Septenarius et septuagesimus, qui vel singulis diebus, vel septem decadibus perficitur, perfectam significat pœnitentiam, ut, tempore pœnitentiæ expleto, jure Tyrus ad antiquum statum restituatur. *Canticum meretricis*. Quæ ab amatoribus derelicta solet carmina in consolationem componere, et præterita commemorare, sic et Tyrus reversa.

††23.16 *Sume tibi citharam*. Quæ de hoc onere sequuntur ad reversionem Tyri spectant. *Bene cane, frequenter*, etc. Admonet eam canticum miseriarum suarum semper cantare, ne iterum eadem patiatur. Dicunt enim hanc esse musicæ naturam: si lætum invenerit, lætiores facit; si tristem, tristiores reddit.

‡‡23.18 *Et erunt negotiationes ejus, et mercedes ejus*. Sicut dicit Hieronymus in Jeremia, etc., usque ad mercedes Domino sacrificaverunt.

24 [Ecce Dominus dissipabit terram: et nudabit eam, et affliget faciem ejus, et disperget habitatores ejus.^{¶¶} ² Et erit sicut populus, sic sacerdos; et sicut servus, sic dominus ejus; sicut ancilla, sic domina ejus; sicut emens, sic ille qui vendit; sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit; sicut qui repetit, sic qui debet.^{§§} ³ Dissipatione dissipabitur terra, et direptione prædabitur; Dominus enim locutus est verbum hoc. ⁴ Luxit, et defluxit terra, et infirmata est; defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ. ⁵ Et terra infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. ⁶ Propter hoc maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores ejus; ideoque insanient cultores ejus, et relinquentur homines pauci.* ⁷ Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde;† ⁸ cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. ⁹ Cum cantico non bibent vinum; amara erit potio bibentibus illam. ¹⁰ Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus, nullo introëunte.‡ ¹¹ Clamor erit super vino in plateis, deserta est omnia lætitia, translatum est gaudium terræ.¶ ¹² Relicta est in urbe solitudo, et calamitas opprimet portas. ¹³ Quia hæc erunt in medio terræ in medio populorum, quomodo si pauca olivæ quæ remanserunt excutiantur ex olea et racemi, cum fuerit finita vindemia.]§ ¹⁴ [Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt: cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de

¶¶24.1 *Ecce Dominus nudabit*, etc. HIER. Post specialem gentium singularum corptionem, etc., usque ad Ægyptiorum et multorum aliorum ad generale onus iudicii extremi transit.

§§24.2 *Erit*. ID. Omnes similiter vel pro bonis remunerabuntur, vel pro malis damnabuntur. Nulla diversitas erit inter nobilem et ignobilem, sacerdotem et laicum, servum et dominum, etc. Omnes enim exæquo stabunt ante tribunal Christi; nec erit acceptio personarum apud Deum. *Sic sacerdos*. Bonus populus cum bono sacerdote percipiet coronam vitæ; mali simul sustinebunt tormenta gehennæ sine actione personæ. *Terra*. ID. Terrena opera ad nihilum redigentur, ut abolita imagine terreni hominis permaneat imago cœlestis. Caro enim et sanguis regnum Dei non possidebunt, quia mortale hoc induet immortalitatem.

*24.6 *Maledictio vorabit terram*. Sicut in principio benedixit Deus omni creaturæ, sic in fine maledicit his qui terreni sunt; nec peregrini, sed habitatores terræ: et qui in ea peccant, oblitri conditionis suæ contra se mutuo debacchantes. Et pauci remanebunt, qui habeant imaginem cœlestis.

†24.7 *Luxit vindemia, infirmata vitis est*. ID. In consummatione, mundi præteritarum deliciarum recordatio erit materia cruciatuum; unde, purpuratus dives qui receperat bona in vita sua, elevans oculos de inferno, cernit Lazarum in requie Luc. 19.; unde: *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis* Luc. 6.. *Ingemuerunt omnes qui lætabantur*, etc. Hoc testimonium ingerimus eis qui in conviviiis non solum gula et ebrietate, sed auribus luxuriantur, ut per omnes sensus animæ fortitudo mollescat.

‡24.10 *Attrita est civitas vanitatis*. Mundus in quo omnia vana, vanitas vanitatum et omnia vanitas.

¶24.11 *Clamor erit super vino*. Per vinum, errorem; ebrii enim errant. Per plateas quæ Græce a latitudine dicuntur spatiosam et latam viam, quæ ducit ad mortem, accipimus. Super his ergo qui erraverunt in lata et spatiosa via hujus sæculi, in die iudicii clamor doloris erit.

§24.13 *In medio terræ*. Jerusalem, quæ est ut aiunt umbilicus terræ. Et, autumant multi, quia Dominus iudicaturus super montem Sion, ex quo ascendit, in ære sedebit, in nube veniet. *Quomodo si pauca olivæ*, etc. Paucis relictis, cum persecutio voraverit terram, etc., usque ad collectis quoque racemis vix pauci remanent in vitibus vacuis.

mari.** 15 Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum; in insulis maris nomen Domini Dei Israël. 16 A finibus terræ laudes audivimus, gloriam Justi. Et dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Væ mihi ! prævaricantes prævaricati sunt, et prævaricatione transgressorum prævaricati sunt.†† 17 Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.‡‡ 18 Et erit: qui fugerit a voce formidinis cadet in foveam; et qui se explicaverit de fovea tenebitur laqueo; quia cataractæ de excelsis apertæ sunt et concutientur fundamenta terræ.¶¶ 19 Confractioe confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra;§§ 20 agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis; et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat.* 21 Et erit: in die illa visitabit Dominus super militiam cæli in excelso, et super reges terræ qui sunt super terram;† 22 et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur.‡ 23 Et erubescet luna, et confundetur sol,

**24.14 *Atque laudabunt: cum glorificatus fuerit Dominus.* ID. Laudabunt qui poterunt remanere et pressuram Antichristi fugere, vel ardorem imminentis gehennæ. *Hinnient.* Equorum similitudine, lætitiæ gestientes magnitudinem.

††24.16 *A finibus terræ, laudes audivimus, gloriam justi.* In Hebræo, *alis terræ.* Alæ autem vel fines terræ, prophetæ sunt et apostoli, qui de terrenis ad cœlestia volant, et quibusdam præceptorum finibus vivendi modum terminant. Dicunt ergo sancti: *Sicut* a prophetis et apostolis *audivimus, sic* modo impletum *videmus. Secretum meum mihi.* ID. Nec potest plene enarrare præmia bonorum, nec poenas malorum, quæ prævidet per spiritum; et inde dolet, dicens: *Væ mihi.*

‡‡24.17 *Formido et fovea.* Possunt hæc tam ad tempora martyrum, etc., usque ad sic etiam fiet in tempore Antichristi.

¶¶24.18 *Apertæ sunt,* etc. Ut videat Deus iniquitates Antichristi et judicet. Dum enim non punit peccata, se videre ea dissimulat. *Fundamenta terræ.* Principes sæculi, terrena opera.

§§24.19 *Confractioe confringetur.* Non quod terra redigatur in pulverem, vel nihilum, sed quia omnia terrena transibunt. Et quomodo ebrius nescit quid agat, sic omnes qui versantur in terra malorum magnitudine ebrii erunt et stupebunt ad omnia.

*24.20 *Tabernaculum unius noctis.* ID. Quod a viatore transfertur, ut nullum remaneat vestigium, sic transibit figura hujus mundi I Cor. 7., et erit terra deserta ut non sit habitatio amplius hominum in ea.

†24.21 *Et erit,* etc. Quasi diceret: Fenestræ cœli apertæ sunt, ut prospiciente Domino terrena peccata, omnis figura terrenorum operum prætereant et corruant, neque in pristina statura resurgat. Visitabit ergo Dominus in die illa super militiam cœli, ut non solum terrena, sed cœlestia judicet. *Super militiam.* ID. *Inebriatus est in cœlo gladius meus.* Astra non sunt munda in conspectu ejus. Et in angelis suis reperit pravitatem Isa. 34, Job. 15, 4.. *Reges terræ.* HIER. *Rectores tenebrarum, contra spiritualia nequitiae in cœlestibus* Ephes. 6.; unde in Daniel: *Exiit in occursum mihi princeps regni Persarum, et princeps regni Medorum* Dan. 10.

‡24.22 *Et congregabuntur.* ID. Origenes dicit quod, post hanc sententiam: *Ite, maledicti, in ignem æternum* Matth. 25., post multos dies, id est post mille annos visitandi et liberandi sunt. Sed hoc Ecclesia non recipit. Dictum est enim: *Ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* Matth. 13.. Quod autem æternum est omni fine caret, et sicut gaudium æternum, ita et supplicium. *Unus fascis in lacum.* Unde: *Alligate ea per fasciculos ad comburendum. Et post multos.* Notandum quod non addit: a Domino vel ab angelis, etc., usque ad quod Domini arbitrio derelictum est.

cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion et in Jerusalem et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.]^f

25 [Domine, Deus meus es tu; exaltabo te, et confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles. Amen.[§] ² Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum: ut non sit civitas, et in sempiternum non ædificetur.^{**} ³ Super hoc laudabit te populus fortis; civitas gentium robustarum timebit te: ⁴ quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab æstu; spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. ⁵ Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis; et quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium marcescere facies. ⁶ Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. ⁷ Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes. ⁸ Præcipitabit mortem in sempiternum; et auferet Dominus Deus lacrimam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra: quia Dominus locutus est.] ⁹ [Et dicit in die illa: Ecce Deus noster iste; exspectavimus eum, et salvabit nos; iste Dominus, sustinuimus eum: exsultabimus, et lætabimur in salutari ejus. ¹⁰ Quia requiescet manus Domini in monte isto; et triturbabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro.†† ¹¹ Et extendet manus suas sub eo sicut extendit natans ad natandum; et humiliabit gloriam ejus cum allisione manuum ejus. ¹² Et munimenta sublimium murorum tuorum concident, et humiliabuntur, et detrahentur in terram usque ad pulverem.]

26 [In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda: Urbs fortitudinis nostræ Sion; salvator ponetur in ea murus et antemurale.‡‡ ² Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.¶¶ ³ Vetus error abiit: servabis pacem;

^f24.23 *Et erubescet.* Unde creatura ingemiscit et parturit, etc., usque ad qualis fuit Abraham mortuus in senectute bona.

§25.1 *Amen.* HIER. Hebræum, quo sæpe Dominus utitur in Evangelio: *Amen amen*, id est vere vere *dico vobis.*

**25.2 *Civitas.* Eversa a Nabuchodonosor, restituta est a Neemia, et a Jesu summo sacerdote. Eversa a Romanis, restituta est ab Ælio Adriano; sed non in eodem loco, nec in statum pristinum. *Et in sempiternum.* ID. Ut mille annorum regnum et aurea Jerusalem et gemmatæ fabula quiescat.

††25.10 *Et triturbabitur Moab,* etc. ID. Licet generaliter de consummatione mundi loqueretur, etc., usque ad per Moab igitur recte intelligimus diabolus filiis Dei semper adversarium. *Paleæ in plaustro.* Ferratis plaustri teruntur paleæ, ut eas facilius animalia et pascant et ruminent.

‡‡26.1 *In die illa,* etc. ID. Hoc ad præsentem Ecclesiam potest referri, et ad diem iudicii. Nunc Ecclesia canticum novum cantat: Christi nativitatem, passionem, resurrectionem, ascensionem. Vetus namque est antiquum hominem ad inferna descendere; novum, ad cælum ascendere. *Urbs fortitudinis.* Vox iustorum, et nunc, et in futuro.

¶¶26.2 *Aperite portas.* Hoc canticum repente mutat personas. *Portas.* Justitiæ; unde: *Aperite mihi portas justitiæ.* Portæ vitæ et justitiæ, etc., usque ad et per multas portas ad eum qui dicit: *Nemo venit ad Patrem nisi per me* Joan. 14..

pacem, quia in te speravimus.^{§§} ⁴ Sperastis in Domino in sæculis æternis; in Domino Deo forti in perpetuum. ⁵ Quia incurvabit habitantes in excelso; civitatem sublimem humiliabit: humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem. ⁶ Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum. ^{*} ⁷ Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum. ⁸ Et in semita iudiciorum tuorum, Domine, sustinuumus te: nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. ⁹ Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis. [†] ¹⁰ Misereamur impio, et non discet iustitiam; in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.[‡] ¹¹ Domine, exaltetur manus tua, et non videant; videant, et confundantur zelantes populi; et ignis hostes tuos devoret.[¶] ¹² Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.[§] ¹³ Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te; tantum in te recordemur nominis tui.^{**} ¹⁴ Morientes non vivant, gigantes non resurgant: propterea visitasti et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum. ¹⁵ Indulxisti genti, Domine, indulxisti genti, numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terræ.^{††} ¹⁶ Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. ¹⁷ Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus a facie tua, Domine. ¹⁸ Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum. Salutes non fecimus in terra; ideo non

^{§§}26.3 *Pacem*. ID. Repetitio confirmatio est. Hanc habet ille de quo dicitur: *Homo homo filiorum Israël* Ezech. 14.; et alibi: *Vir vir cujus uxor cubile maculaverit* Num. 5., ut duplex homo et duplex vir pacem consequatur duplicem.

^{*}26.6 *Conculcabit eam pes*, etc. Quia *Omnis qui se exultat humiliabitur* Luc. 1.. Etiam ad contrarias fortitudines hæc referre possumus. *Egenorum*. HIER. Apostolorum, quos expulerunt Judæi de finibus suis, qui, Domini imitantes paupertatem privilegium virtutis, ejus consecuti sunt.

[†]26.9 *Anima mea desideravit*, etc. Non caro; unde: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* Psal. 41.. *Caro concupiscit adversus spiritum* Gal. 5..

[‡]26.10 *Misereamur*. ID. Dominus ad prophetam: An misereamur impio, ita ut discat, scilicet clementiam meam, dum ipse salvatur? quasi, hoc melius est. *Et non discet justus*, etc. Quasi diceret: Quomodo poterit nosse tuam iustitiam, expertus tuam clementiam? *Et non videbit*. Dominus ad prophetam, quasi melius est, ut videat, et erubescat de malis suis. *Et non videbit*, quasi diceret: ad pœnam sufficit, quia non videbit me regnantem in cœlo cum sanctis meis. LXX: *Auferetur impius, ut non videat claritatem Dei*.

[¶]26.11 *Confundantur zelantes*. LXX: Zelus apprehendet populum ineruditum.

[§]26.12 *Domine, dabis*. ID. Notandum quod postquam opera nostra reddiderit nobis, pacem etiam daturus sit, et quod ideo postulent pacem, quia operatus sit in eis. Dicunt, se, scilicet tormenta, sustinuisse, ut post misericordiam consequantur.

^{**}26.13 *Domine, possederunt*. ID. Dæmones, quos in idolis coluimus. LXX: *Domine, extra te nescimus alium*, non absolute *alium*, sed *extra te*: Pater enim in Filio, et Filius in Patre. *Tantum in te recordemur*. ID. Non aliud petimus, nisi ut post errores digni simus, qui nominis tui recordemur. *Perdidisti omnem*. ID. LXX: Masculinum eorum, etc., usque ad memoria masculinum interpretatus est contra illud: *Nolite errare, Deus non irridetur*.

^{††}26.15 *Nunquid*. Non pœnitentiam egit, et hoc est: *Nunquid*, etc., quasi diceret: Securitas negligentiæ, negligentia contemptum parit.

ceciderrunt habitatores terræ.‡‡ 19 Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam. 20 Vade, populus meus, intra in cubacula tua; claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. 21 Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum; et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos.]¶¶

27 [In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super Leviathan, serpentem vectem, et super Leviathan, serpentem tortuosum, et occidet cetum qui in mari est. §§ 2 In die illa vinea meri cantabit ei. * 3 Ego Dominus qui servo eam; repente propinabo ei. Ne forte visitetur contra eam, nocte et die servo eam. 4 Indignatio non est mihi. Quis dabit me spinam et veprem in prælio? gradiar super eam, succendam eam pariter. 5 An potius tenebit fortitudinem meam? faciet pacem mihi, pacem faciet mihi. † 6 Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit et germinabit Israël, et implebunt faciem orbis semine. ‡ 7 Numquid juxta plagam percutientis se percussit eum? aut sicut occidit interfectos ejus, sic occisus est? 8 In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam; meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus. 9 Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Jacob; et iste omnis fructus: ut auferatur peccatum ejus, cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos: non stabunt luci et delubra. ¶ 10 Civitas enim munita desolata erit; speciosa relinquetur, et dimittetur quasi desertum; ibi pascetur vitulus, et ibi accubabit, et consumet summitates ejus. 11 In siccitate messes illius conterentur. Mulieres venientes, et docentes eam; non est enim populus sapiens: propterea non

‡‡26.18 *Et peperimus.* Alii distingunt sic: *Et peperimus spiritum, salutem non fecimus in terra. Spiritum: salute,* etc. Ut tota mente credamus, et per quem beneficia non sensimus, per tormenta discamus.

¶¶26.21 *Revelabit terra.* ID. Terreni tunc non poterunt celare quos occiderunt, quia tunc omnia aperta; vel, terra quæ suscepit sanguinem martyrum et operuit, tunc revelabitur quando resurgent.

§§27.1 *In die illa,* etc. ID. Tradunt Hebræi diabolum, etc., usque ad ut inducatur gladius super eum. *Vectem.* HIER. LXX: Fugitivum. Tunc enim fugiet, etc., usque ad serpens autem, quia insidias molliter infundit. *Cetum.* Hebræi, *Tanniu;* unde Hebræi fabulabantur Leviathan habitare sub terra et in æthere, Tanniu vero in mari.

*27.2 *Vinea meri cantabit.* Cui Jeremias propinat calicem meracissimum. Merum Græce, purum Latine.

†27.5 *An potius?* Vox Patris deliberative, etc., usque ad qui non sunt salvati auctoritate legis.

‡27.6 *Israël,* id est populus Judæorum conversus, videns doctrina filiorum suorum orbem floruisse.

¶27.9 *Idcirco.* Quasi diceret: *Ideo dimittetur iniquitas domui Jacob:* et cætera propter merita scilicet apostolorum, qui per mundum idolorum altaria comminuerunt.

miserebitur ejus qui fecit eum, et qui formavit eum non parceret ei.^{§ 12} Et erit: in die illa percutiet Dominus ab alveo fluminis usque ad torrentem Ægypti; et vos congregabimini unus et unus, filii Israël.^{** 13} Et erit: in die illa clangetur in tuba magna; et venient qui perditii fuerant de terra Assyriorum, et qui ejecti erant in terra Ægypti, et adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem.]

28 [Væ coronæ superbïæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes a vino.^{†† 2} Ecce validus et fortis Dominus sicut impetus grandinis; turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium et emissarum super terram spatiosam. ³ Pedibus conculcabitur corona superbïæ ebriorum Ephraim. ⁴ Et erit flos decidens gloriæ exultationis ejus, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumnii, quod, cum aspexerit videns, statim ut manu tenuerit, devorabit illud. ⁵ In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exultationis residuo populi sui;^{‡‡ 6} et spiritus iudicii sedenti super iudicium, et fortitudo revertentibus de bello ad portam.]^{¶¶ 7} [Verum hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt; sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate; absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium. ⁸ Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus.^{§§ 9} Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.^{* 10} Quia manda, remanda; manda, remanda; exspecta, reexspecta; exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi.^{† 11} In loquela enim

[§]27.11 **Conterentur.** ID. Sicut Delbora ad bellum ivit et populum ad ignominiam Judæorum iudicavit; et imminente Chaldæorum captivitate, viris tacentibus Olda prophetavit: sic imminente captivitate Romanorum, veniebant forte mulieres et docebant eos. **Mulieres.** Diversæ Synagogæ; vel aperte mulieres, quæ nudatis pectoribus sanguinantes feriunt lacertos. **Docentes eam.** HIER. Magna infelicitas populi et reprehensio, a mulieribus lamentationis carmina discere.

^{**}27.12 **Ab alveo.** LXX: ab Euphrate, etc., usque ad quia habet turbidas aquas, et non perpetuas.

^{††}28.1 **Væ coronæ superbïæ.** ID. Huc usque ad consummationem mundi, etc., usque ad nec poenitentiaæ fructum salutis habuit. **Vallis pinguissimæ.** Gethsemani fertilitate frugum, per eam erat eis ascensus in civitatem, et ibi figebant aliqui, ludi causa, tentoria dum in civitate morabantur.

^{‡‡}28.5 **In die illa.** ID. Secundum prophetiam, cum Dominus, etc., usque ad Scribæ enim et Pharisæi vino et sicera inebriati sunt.

^{¶¶}28.6 **Fortitudo revertentibus.** ID. Non leguntur bella Ezechiaæ, sed Dominus pro eo bellum gessit, interfectis centum et octoginta quinque millibus Assyriorum, quorum Judæi spolia collegerunt: et ad portas Jerusalem cum gaudio reversi sunt.

^{§§}28.8 **Omnes enim.** Dum Scripturarum non digerunt cibos, nec corpori faciunt vitales, sed immaturos et fetentes egerunt, ut in eis Dominus nullum inveniat locum.

^{*}28.9 **Ablactatos a lacte, avulsos.** Alios non, quia portare non possunt. Hi enim sunt qui jam solido cibo uti possunt; aliis dicit Apostolus: **Lac dedi vobis potum, non escam** I Cor. 3..

[†]28.10 **Quia manda, remanda, manda, remanda; exspecta, reexspecta, exspecta, reexspecta, modicum ibi, modicum ibi.** ID. Quasi dicat. Vos non potestis doceri, quia irridentes prophetas per quos prædicit Dominus vobis mala superventura, ut poenitentiam agatis et liberemini; opponitis, **manda, remanda;** quasi dicat: O Propheta, præcipe quod vis, minare quæ vis; hæc tamen non eveniunt quæ minaris.

labii, et lingua altera loquetur ad populum istum.[‡] ¹² Cui dixit: Hæc est requies mea, reficite lassum; et hoc est meum refrigerium: et noluerunt audire. ¹³ Et erit eis verbum Domini: Manda, remanda; manda, remanda; exspecta, reexpecta; exspecta, reexpecta; modicum ibi, modicum ibi; ut vadant, et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur, et capiantur. ¹⁴ Propter hoc audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Jerusalem. ¹⁵ Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans cum transierit, non venit super nos quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus. ¹⁶ Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum; qui crediderit, non festinet.[¶] ¹⁷ Et ponam in pondere iudicium, et iustitiam in mensura; et subvertet grando spem mendacii, et protectionem aquæ inundabunt. ¹⁸ Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit: flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. ¹⁹ Quodcumque pertransierit, tollet vos, quoniam in mane diluculo pertransibit in die et in nocte; et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.[§] ²⁰ Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat; et pallium breve utrumque operire non potest. ²¹ Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus; sicut in valle quæ est in Gabaon irascetur, ut faciat opus suum, alienum opus ejus: ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo.^{**} ²² Et nunc nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra; consummationem enim et abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum, super universam terram.] ²³ [Auribus percipite, et audite vocem meam: attendite, et audite eloquium meum. ²⁴ Numquid tota die arabit arans ut serat? proscindet et sarriet humum suam?^{††} ²⁵ Nonne cum adæquaverit faciem ejus, seret gith et cyminum sparget? et ponet triticum per ordinem, et hordeum, et milium, et viciam in finibus suis?^{‡‡} ²⁶ Et erudiet illum in iudicio; Deus suus docebit illum. ²⁷ Non enim in serris triturabitur gith, nec rota plaustrum super cyminum circuibit; sed in virga excutietur gith, et cyminum in baculo. ²⁸ Panis autem comminuetur; verum non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustrum, neque

[‡]28.11 *In loquela enim.* Quasi dicat: Malo vestro hæc dicitis, quia non prænuntiabit vobis Dominus amodo mala, sed statim inferet. Et hoc est: *In loquela enim labii et lingua altera loquentur ad populum istum,* etc.

[¶]28.16 *Lapidem. Lapidem quem ædificantes reprobaverunt, hic factus est in caput anguli.*

[§]28.19 *Sola vexatio intellectum dabit auditui.*

^{**}28.21 *Sicut enim.* Philisthæos congregatos superveniens David auxilio Domini, divisit vivos a mortuis et perversa loca dispersit; unde locus ille Baalphrasim nomen accepit. *Alienum opus.* ID. Opus proprium Dei est misereri, parcere, condonare. Non suum, sed alienum est, irasci, punire. GREG. In mundum veniet, ut faciat opus suum, scilicet ut redimat genus humanum; sed ab ipso est alienum opus ejus; non convenit enim Deitati conspui, flagellari, crucifigi.

^{††}28.24 *Nunquid tota.* HIER. Pius et misericors Deus genus humanum, ut fructum boni operis afferat, arat ut agricola vomere prædicationis, proscindit verbere tribulationis, nunc peste, nunc captivitate corrigit; et hoc est: *Nunquid tota die,* etc.

^{‡‡}28.25 *Gith et cyminum.* Gith et cyminum quæ in virga excutuntur, etc., usque ad clavem scientiæ habentes.

ungulis suis comminuet eum. ²⁹ Et hoc a Domino Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret consilium, et magnificaret iustitiam.]^{¶¶}

29 [Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David ! additus est annus ad annum: solemnitates evolutæ sunt.]^{§§} ² Et circumvallabo Ariel, et erit tristis et mœrens, et erit mihi quasi Ariel. ³ Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo, et jaciam contra te aggerem, et munimenta ponam in obsidionem tuam.* ⁴ Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum; et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit.† ⁵ Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te, et sicut favilla pertransiens multitudo eorum qui contra te prævaluerunt; ⁶ eritque repente confestim. A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, et commotione terræ, et voce magna turbinis et tempestatis, et flammæ ignis devorantis.‡ ⁷ Et erit sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium gentium quæ dimicaverunt contra Ariel, et omnes qui militaverunt, et obsederunt, et prævaluerunt adversus eam. ⁸ Et sicut somniat esuriens, et comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus; et sicut somniat sitiens et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, et anima ejus vacua est: sic erit multitudo omnium gentium quæ dimicaverunt contra montem Sion. ⁹ Obstupescite et admiramini; fluctuate et vacillate; inebriamini, et non a vino; movemini, et non ab ebrietate.¶ ¹⁰ Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis; claudet oculos vestros: prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet. ¹¹ Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum: et respondebit: Non possum, signatus est enim.§ ¹² Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei: Lege; et respondebit: Nescio litteras. ¹³ Et dixit Dominus: Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis,** ¹⁴ ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo; peribit enim sapi-

¶¶28.29 *Et hoc a Domino Deo exivit.*

§§29.1 *Væ Ariel.* ID. Ad Jerusalem compatiens affectu: *Quia si cognovisses et tu* Luc. 19.; Ariel, leo Dei; leo enim Dei Jerusalem potentissima et fortissima fuit. *Expugnavit.* ID. Cum potentissima esset, repugnantibus cæcis et claudis, quando Joab primus domatum excelsa conscendit. *Additus est annus.* Cum captivitati essent a Nabuchodonosor, neque templum habebant, neque sacrificium, et hoc per multos annos: et hoc est annus ad annum additus.

*29.3 *Quasi sphæram in circumitu tuo.* Templi similitudinem retinentis antiquam, non magnificentiam.

†29.4 *Pythonis,* etc. ID. Pythonissa quæ erat in Endor per necromantiam Samuelem, imo dæmonem suscitavit: et hujusmodi futura prædixit in populo illo. Mania, insania, unde manichæos, manthos, divinatio.

‡29.6 *In tonitruo.* Visi sunt Romani irruere cum tonitruo, et terra moveri eorum adventu, et cum flamma ignis, quia et civitatem succenderunt et templum.

¶29.9 *Obstupescite et admiramini.* HIER. Post subversionem Jerusalem et templi, id est Ariel contra Scribas et Phariseos prophetia dirigitur.

§29.11 *Signatus est enim.* Hæc impleta sunt, quando et dignitatem et sacerdotium amiserunt, et civitas destructa est et templum a principibus Romanorum.

**29.13 *Eo quod appropinquat populus iste.* ID. Dominus in Evangelio Matthæi utitur, etc., usque ad verbis propriis usos. *Labiis suis.* ID. 70. Labiis suis me honorat, cor autem ejus longe est a me: frustra autem colunt me, docentes præcepta hominum atque doctrinas.

entia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur.^{††} ¹⁵Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium; quorum sunt in tenebris opera, et dicunt: Quis videt nos? et quis novit nos?^{‡‡} ¹⁶Perversa est hæc vestra cogitatio; quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo: Non fecisti me; et figmentum dicat factori suo: Non intelligis.^{¶¶} ¹⁷Nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Libanus in carmel, et carmel in saltum reputabitur?^{§§} ¹⁸Et audient in die illa surdi verba libri, et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. ¹⁹Et addent mites in Domino lætitiā, et pauperes homines in Sancto Israël exsultabunt; ²⁰quoniam defecit qui prævalebat, consummatus est illusor, et succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem, ²¹qui peccare faciebant homines in verbo, et arguentem in porta supplantabant, et declinaverunt frustra a justo.* ²²Propter hoc, hæc dicit Dominus ad domum Jacob, qui redemit Abraham: Non modo confundetur Jacob, nec modo vultus ejus erubescet;[†] ²³sed cum viderit filios suos, opera manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum, et sanctificabunt Sanctum Jacob, et Deum Israël prædicabunt; ²⁴et scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent legem.]

30 [Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me, et ordiremini telam, et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum;[‡] ²qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum, et os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbra Ægypti! [¶] ³Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbræ Ægypti in ignominiam. ⁴Erant enim in Tani principes tui, et nuntii tui usque ad Hanes pervenerunt. ⁵Omnes confusi sunt super populo qui eis prodesse non potuit:

^{††}29.14 *Peribit enim.* ID. Ab loco hoc Apostolus testimonium ponit: *Perdam sapientiam sapientium, et intellectum prudentium reprobo:* aliis verbis eumdem sensum: Vere grande miraculum fecit Deus in populo ut eodem tempore civitas arderet, et templum corrueret, et omnis magistrorum scientia deperiret.

^{‡‡}29.15 *A Domino abscondatis.* ID. Quasi non videat Deus. Hoc errore Adam et Eva absconderunt se: Cain quoque dixit: A facie tua abscondar.

^{¶¶}29.16 *Perversa est,* etc. ID. Ut Creator ignoret creaturam; unde Apostolus: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum factori suo: Quare me fecisti?* Rom. 9.

^{§§}29.17 *In modico et in brevi.* HIER. Modicum et breve ex quo hoc prædictum est usque ad ascensionem Domini: omnia enim tempora, æternitati comparata, brevia sunt et momentanea. *Libanus in Carmel.* Libanus mons in Phœnicia, etc., usque ad si esset cum adultero viro.

*29.21 *Et declinaverunt frustra a justo.* Dæmones conati sunt, etc., usque ad Scribæ et Pharisæi declinaverunt frustra a justo, dicentes: *Non habemus regem nisi Cæsarem* Joan. 19..

[†]29.22 *Redemit Abraham.* De igne Chaldæorum, etc., usque ad ignis enim lingua eorum *ur* dicitur.

[‡]30.1 *Væ, filii desertores, dicit Dominus.* ID. Post prophetiam contra Ariel et cætera, etc., usque ad fugerunt in Ægyptum: et hoc est: *væ, filii desertores.*

[¶]30.2 *Qui ambulatis.* Ut dicit Hieronymus: Jeremias cum eis ivit, etc., *usque ad: ut habitaretis in terra vestra. Erant enim in Thaphnis.* Quasi dicat: An ideo recessistis a me, ut fugeretis usque in Thaphnis et Anes? Thaphnis civitas in qua magi contra Moysen signa fecerunt; Anes in finibus Ægypti sita est: forsitan timore turbati non ausi sunt in Thaphnis manere, et fugerunt usque ad Anes.

non fuerunt in auxilium et in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium.] ⁶ Onus jumentorum austri. [In terra tribulationis et angustiae leæna, et leo ex eis, vipera et regulus volans; portantes super humeros jumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos, ad populum qui eis prodesse non poterit.] ⁸ ⁷ Ægyptus enim frustra et vane auxiliabitur. Ideo clamavi super hoc: Superbia tantum est, quiesce. ⁸ Nunc ergo ingressus, scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium usque in æternum. ^{**} ⁹ Populus enim ad iracundiam provocans est: et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei; ¹⁰ qui dicunt videntibus: Nolite videre, et aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt; loquimini nobis placentia: videte nobis errores. ¹¹ Auferte a me viam; declinate a me semitam; cesset a facie nostra Sanctus Israël. ¹² Propterea hæc dicit Sanctus Israël: Pro eo quod reprobastis verbum hoc, et sperastis in calumnia et in tumultu, et innixi estis super eo; ^{††} ¹³ propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens, et requisita in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio ejus. ^{‡‡} ¹⁴ Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis ejus testa in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea. ¹⁵ Quia hæc dicit Dominus Deus, Sanctus Israël: Si revertamini et quiescatis, salvi eritis; in silentio et in spe erit fortitudo vestra. Et nolulistis, ¹⁶ et dixistis: Nequaquam, sed ad equos fugiemus: ideo fugietis; et: Super veloces ascendemus: ideo velociores erunt qui persequentur vos. ¹⁷ Mille homines a facie terroris unius; et a facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quasi malus navis in vertice montis, et quasi signum super collem. ¹⁸ Propterea exspectat Dominus ut misereatur vestri; et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicii Dominus: beati omnes qui exspectant eum ! ¹⁹ Populus enim Sion habitabit in Jerusalem: plorans nequaquam plorabis: miserans miserebitur tui, ad vocem clamoris tui: statim ut audierit, respondebit tibi. ^{¶¶} ²⁰ Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem; et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum; et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. ²¹ Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via; ambulate in ea, et non declinetis neque

§30.6 *Onus jumentorum*. ID. Post decem onera diversarum gentium, undecimum onus reliquarum duarum tribuum ponit, quæ remanserunt ducto Sedechia et aliis principibus in Babylonem. *In terra*. ID. Eremus per quam pontifex Joanna filius Chareæ et alii duces traduxerunt reliquias in Ægyptum contra præceptum Domini; vel, ipsa Ægyptus in qua multas tribulationes et angustias sustinuerunt.

**30.8 *Nunc ergo*. ID. Dominus ad Jeremiam, vel ad Isaiam secundum Hebræos, etc., usque ad quia bene feci eis, bene docui, et ipsi spreverunt.

††30.12 *Pro eo quod reprobastis verbum*. ID. Hæretici quoque et omne dogma contrarium veritati, etc., usque ad et saltem cœnosam et parvulam aquam sitientibus præbere.

‡‡30.13 *Sicut interruptio cadens*. Quasi: Quomodo interruptio muri altissimi qui longam traxit ruinam difficile instaurari, et pristinum decorem recipere potest, sic veniet vobis repentina contritio.

¶¶30.19 *Plorans nequaquam plorabit*. ID. Judæi referunt hoc ad tempus illud quando sub Zorobabel, etc., usque ad in specula scilicet et visione pacis, id est Ecclesia.

ad dexteram, neque ad sinistram.^{§§ 22} Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, et vestimentum conflatilis auri tui, et disperges ea sicut immunditiam menstruatæ. Egredere, dices ei.*²³ Et dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra, et panis frugum terræ erit uberrimus et pinguis; pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiose,^{† 24} et tauri tui, et pulli asinorum, qui operantur terram, commistum migma comedent sicut in area ventilatum est.^{‡ 25} Et erunt super omnem montem excelsum, et super omnem collem elevatum, rivi currentium aquarum, in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres:^{¶ 26} et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septupliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit.^{§ 27} Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, et gravis ad portandum; labia ejus repleta sunt indignatione, et lingua ejus quasi ignis devorans.**²⁸ Spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, et frenum erroris quod erat in maxillis populorum.^{†† 29} Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis, et lætitia cordis sicut qui pergit cum tibia, ut intret in mon-

^{§§}30.21 *Post tergum.* Prima conditione quasi in facie Adam audivit a Domino, etc., usque ad et hoc est: **Aures tuæ audient verbum monentis post tergum. Neque ad dexteram.** In utraque parte quidquid supra modum est, in vitio est. **Neque ad dexteram,** etc. declinandum est, sed via publica gradiendum, id est regia, quæ non fallit.

^{*}30.22 *Et contaminabis laminas.* ID. Idola scilicet quæ ad similitudinem veritatis artifex lingua composuerit, in splendore eloquentiæ quod significat argentum et in ratione sapientiæ quod significat aurum comminues, et disperges, et immunda judicabis.

[†]30.23 *Et dabitur pluvia.* ID. In Regum volumine scriptum est, etc., usque ad nisi enim vitia abjecerint, virtutes non subeunt. **Pascetur.** Quidam hæc hyperbolicos Cyri temporibus, qui captivitatem populi relaxavit, in Judæa completa, contendunt.

[‡]30.24 *Commixtum migma.* Isaac hordeum sevit, etc., **usque et ad** per paleas et hordeum paulatim proficiunt, et transeunt ad frumentum.

[¶]30.25 *Et erunt.* In die iudicii super montes et colles erunt rivi, etc., usque ad qui enim biberit de aquis ejus non sitiet in æternum. **Interfectionis multorum.** ID. Multi enim sunt vocati, etc., usque ad quorum linguæ in Babylone confusæ, et super quos cecidit turris in Silœ.

[§]30.26 *Et erit lux.* Cum præmium laboris percipient, quia creatura liberabitur a servitute corruptionis. Non mirum si luna solis fulgorem recipiat: **Quia justii fulgebunt sicut sol** Matth. 13..

^{**}30.27 *Ecce nomen Domini.* Filius in nomine Patris, unum enim nomen est Patris et Filii et Spiritus sancti: unde: **Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti:** non in nominibus, sed in nomine quod est Deus.

^{††}30.28 *Spiritus ejus velut torrens inundans.* HIER. Sicut torrens inundans cum pervenerit usque ad collum, animantem suffocat, sic spiritus iræ Dei in iudicio impios suffocabit. Finem omnium venisse significans, sicut torrens suffocat eum ad cuius collum pervenit; sic Dei iudicium neminem transibit impunitum. **Quod erat in maxillis.** Ut pro voluntate diaboli circumferrentur, hæc perdet Dominus in die iudicii, vel in prædicatione apostolorum cum gentes ad fidem venerint, et idola relinquent.

tem Domini ad Fortem Israël. ³⁰ Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, et terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, et flamma ignis devorantis: allidet in turbine, et in lapide grandinis. ³¹ A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus. ³² Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis et citharis; et in bellis præcipuis expugnabit eos. ³³ Præparata est enim ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa; flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.]^{¶¶}

31 [Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt; et super equitibus, quia prævalidi nimis; et non sunt confisi super Sanctum Israël, et Dominum non requisierunt! ^{§§} ² Ipse autem sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit; et consurget contra domum pessimorum, et contra auxilium operantium iniquitatem. ^{*} ³ Ægyptus homo, et non deus; et equi eorum caro, et non spiritus; et Dominus inclinabit manum suam, et corruet auxiliator, et cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur. ⁴ Quia hæc dicit Dominus ad me: Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super prædam suam; et cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non pavebit: sic descendet Dominus exercituum ut prælietur super montem Sion et super collem ejus. [†] ⁵ Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens et liberans, transiens et salvans. [‡] ⁶ Convertimini, sicut in profundum recesseratis, filii Israël. [¶] ⁷ In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum. ⁸ Et cadet Assur in gladio non viri, et gladius non hominis vorabit eum: et fugiet non a facie

^{¶¶}30.29 *Canticum erit vobis.* Post pœnam malorum agit de gloria sanctorum. Sicut filii Israël, transito mari Rubro, cum vidissent Pharaonem et Ægyptios submersos, cum lætitia dixerunt: *Cantemus Domino, gloriose enim*, etc.; sic in die iudicii, transito mundo et damnato diabolo et membris suis, sancti cum lætitia exsultabunt in Dei laudibus; eodem modo in conversione gentium. *Sicut qui pergit.* Præceptum est filiis Israël, ut decimam bonorum suorum Domino offerrent, Datorem bonorum glorificantes: sic sancti in iudicio offerent manipulos suos exsultantes et Deum laudantes, et gentes conversæ similiter.

^{¶¶}30.33 *Sulphuris.* In inferno fetor intolerabilis et inexstinguibilis ignis.

^{§§}31.1 *Væ qui descendunt in Ægyptum.* ID. Egit de gloria bonorum et de pœna reproborum, nunc revertitur ad reliquias quæ remanserunt in terra Juda, ducto Sedecia et aliis in Babylonem. Sed prius monuit ne irent in Ægyptum: modo quia ierunt minatur malum. *Non sunt confisi super sanctum Israël.* Non exquisierunt corde, sed verbis; dixerunt enim ad Jeremiam: *Ora pro nobis Dominum quid agere debemus?* et noluerunt obedire. Cui simile: *Deum non invocaverunt.* Quod de malis sacerdotibus dictum est.

^{*}31.2 *Ipse autem sapiens.* Unde Jeremias: *Maledictus homo qui confidit in homine*, etc., usque ad locus ubi crucifixus est Dominus specialiter vocatur *Sodoma et Ægyptus* Apoc. 11..

[†]31.4 *Quia hæc dicit.* HIER. Hoc de illis, qui cum Sedecia in captivitatem ducti, post septuaginta annos, Domino miserante, reversi sunt, cæsis in Ægypto Israelitis et Ægyptiis, in quorum auxilio confidebant.

[‡]31.5 *Sic proteget Dominus.* Ita fecit Dominus contra Samaritanos, qui impedire conati sunt ædificationem templi. Et in tempore Machabæorum in paucis multos fudit.

[¶]31.6 *Convertimini.* In prophetia, nec temporis, nec historiæ ordinem servat, etc., usque ad sic toto affectu mentis redirent.

gladii, et juvenes ejus vectigales erunt. ⁹Et fortitudo ejus a terrore transibit, et pavebunt fugientes principes ejus, dixit Dominus: cujus ignis est in Sion et caminus ejus in Jerusalem.][§]

32 [Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt.** ²Et erit vir sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate; sicut rivi aquarum in siti, et umbra petrae prominentis in terra deserta.†† ³Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter auscultabunt. ⁴Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane. ⁵Non vocabitur ultra is qui insipiens est, princeps, neque fraudulentum appellabitur major; ⁶stultus enim fatua loquetur, et cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, et loquatur ad Dominum fraudulenter, et vacuum faciat animam esurientis, et potum sitiendi auferat. ⁷Fraudulenti vasa pessima sunt; ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium. ⁸Princeps vero ea quæ digna sunt principe cogitabit, et ipse super duces stabit.] ⁹[Mulieres opulentæ, surgite, et audite vocem meam; filiae confidentes, percipite auribus eloquium meum.‡‡ ¹⁰Post dies enim et annum, vos conturbabimini confidentes; consummata est enim vindemia, collectio ultra non veniet.¶¶ ¹¹Obstupescite, opulentæ; conturbabimini, confidentes: exuite vos et confundimini; accingite lumbos vestros. ¹²Super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili. §§ ¹³Super humum populi mei spinæ et vepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis! ¹⁴Domus enim dimissa est, multitudo urbis relicta est, tenebræ et palpato factæ sunt super speluncas usque in æternum; gaudium onagrorum, pascula gregum.* ¹⁵Donec effundatur super nos spiritus de excelso, et erit desertum in carmel, et carmel in saltum reputabitur.† ¹⁶Et habitabit in solitudine judicium, et justitia in carmel sedebit. ¹⁷Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et

§31.9 *Ignis est in Sion.* Sion, Ecclesia in qua ignis et caminus qui devoret peccatores, scilicet ligna, fenum, stipulamque consumat.

**32.1 *Ecce in justitia regnabit.* HIER. Finita prophetia de his qui in Ægyptum descenderant, incipit de adventu Christi et apostolorum ejus.

††32.2 *Et erit vir sicut.* ID. Quasi diceret: Sic erit tutus in tribulationibus, sicut qui ventum et turbinem fugiens tuto se abscondit loco; et qui fontes purissimos invenit in deserto; qui solis ardorem suum prominenti devitat saxo.

‡‡32.9 *Mulieres.* ID. Matronas alloquitur captivandas a Romanis ut pœniteant; vel, per mulieres Synagogas notat, vel urbes Judææ. *Mulieres opulentæ, surgite:* Post vocationem gentium, quibus Christus in justitia imperavit, ad mulieres opulentas sermo dirigitur.

¶¶32.10 *Post dies et annum.* Unde: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* II Cor. 6.; et alibi: *Annum placabilem Domino* Isa. 61.. *Post dies.* Id est prædicationem Christi. Qui enim impœnitentes fuerunt, etsi non illico captivati, tamen illico conturbati, quia noluerunt recipere prædicationem Domini.

§§32.12 *Super ubera plangite. Filiae Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros.*

*32.14 *Onagrorum.* ID. Quorumlibet sylvestrium animalium et avium, quæ ibi longo tempore habitaverunt.

†32.15 *Donec effundatur.* Spiritus sanctus, prædicante Elia et Enoch, descendat super nos, sicut In Pentecoste super apostolos. Adjungit autem se propheta compatiendo illis. *Desertum.* Solitudo scilicet gentium vertetur in divitias Israël, et Israël reputabitur in gentes.

securitas usque in sempiternum.[‡] 18 Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiducia, et in requie opulenta.[¶] 19 Grando autem in descensione saltus, et humilitate humiliabitur civitas.[§] 20 Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini.]**

33 [Væ qui prædaris ! nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? Cum consummaveris deprædationem, deprædaberis; cum fatigatus desideris contemnere, contemneris.^{††} 2 Domine, miserere nostri, te enim expectavimus; esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis.^{‡‡} 3 A voce angeli fugerunt populi, et ab exaltatione tua dispersæ sunt gentes.^{¶¶} 4 Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint de eo.^{§§} 5 Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso; implevit Sion iudicio et iustitia. 6 Et erit fides in temporibus tuis: divitiæ salutis sapientia et scientia; timor Domini ipse est thesaurus ejus.* 7 Ecce videntes clamabunt foris; angeli pacis amare flebunt. 8 Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam: irritum factum est pactum, projecit civitates, non reputavit homines.[†] 9 Luxit et elanguit terra; confusus est Libanus, et obsorduit: et factus est Saron sicut desertum, et concussa est Basan, et Carmelus.[‡] 10 Nunc consurgam, dicit Dominus; nunc exaltabor, nunc sublevabor. 11 Concipietis ardorem, parietis stipulam; spiritus vester ut ignis vorabit vos. 12 Et erunt populi quasi de incendio cinis; spinæ congregatæ igni com-

[‡]32.17 *Et cultus iustitiæ.* Ut in silentio oremus, non in plateis, non clamantes, non in multiloquio.

[¶]32.18 *In tabernaculis.* ID. Jam in mansionibus cœli confidenter habitat, unde: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* Joan. 14.; vel, in Ecclesiis quæ in Domino fiducialiter sperant.

[§]32.19 *Grando,* quasi diceret: Cum populus Christianus in pulchritudine pacis sederit, tunc ira Dei in saltum sæviet.

**32.20 *Beati qui seminatis.* ID. In expositione Ecclesiasticis. Ille magister dignus beatitudine habetur, qui super irriguum pectus seminat audientium, tam de Judæis quam de gentibus populo congregato.

^{††}33.1 *Væ qui prædaris.* ID. Contra Sennacherib: possunt hæc etiam referri ad quemlibet raptorem et ad ipsum diabolum.

^{‡‡}33.2 *Domine, miserere nostri.* ID. In persona populi obsessi a Sennacherib, vel potius, apostolorum et omnium fidelium. *Mane.* Qui de exercitu Sennacherib remanserunt; socios mortuos viderunt et in fugam versi sunt.

^{¶¶}33.3 *Angeli.* Michælis scilicet, qui princeps Judæorum, vel Gabrielis, fortitudo et dux præliorum.

^{§§}33.4 *Bruchus.* Ex locusta bruchus nascitur, etc., usque ad mortuæ etiam bruchos gignant.

[†]33.6 *Tuis.* O Ezechia; vel suis secundum alios, scilicet liberati populi. *Ejus.* HIER. Scilicet salutis: sine timore enim neque sapientia, neque scientia quidquam prodest, unde: *Habebis multa bona si timueris Deum* Tob. 4.; et: *Initium sapientiæ timor Domini* Psal. 110..

[†]33.8 *Pactum.* Quod pepigit Dominus cum Abraham, scilicet: *Multiplicabo semen tuum sicut stellæ,* etc. Gen. 22.; et alibi: *Habitabis in loco isto amodo et usque in sempiternum* Zach. 11..

[‡]33.9 *Libanus.* Templum: *Basan,* Regio Og, quam dedit Moyses trans Jordanem duabus tribubus et dimidiæ: hæc quoque uberrima. Carmelus mons terræ promissionis fertilissimus. Per hæc ergo debemus intelligere Judæos omnem fertilitatem amisisse.

burentur. ¹³ Audite, qui longe estis, quæ fecerim; et cognoscite, vicini, fortitudinem meam. ¹⁴ Conterriti sunt in Sion peccatores; possedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?[¶] ¹⁵ Qui ambulat in justitiis et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum. ¹⁶ Iste in excelsis habitabit; munimenta saxorum sublimitas ejus: panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. ¹⁷ Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe.[§] ¹⁸ Cor tuum meditabitur timorem: ubi est litteratus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum? ¹⁹ Populum impudentem non videbis, populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia. ²⁰ Respice, Sion, civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit; nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur:^{**} ²¹ quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster: locus fluviorum rivi latissimi et patentes: non transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur eum. ²² Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.^{††} ²³ Laxati sunt funiculi tui, et non prævalebunt; sic erit malus tuus ut dilatare signum non queas. Tunc dividentur spolia prædarum multarum; claudi diripient rapinam.^{‡‡} ²⁴ Nec dicet vicinus: Elangui; populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.]

34 [Accedite, gentes, et audite; et populi, attendite: audiat terra, et plenitudo ejus; orbis, et omne germen ejus. ² Quia indignatio Domini super omnes gentes, et furor super universam militiam eorum: interfecit eos, et dedit eos in occisionem. ³ Interfecti eorum projicientur, et de cadaveribus eorum ascendet fœtor; tabescent montes a sanguine eorum. ⁴ Et tabescet omnis militia cælorum, et complicabuntur sicut liber cæli: et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu.^{¶¶} ⁵ Quoniam inebriatus est in cælo gladius meus; ecce super Idumæam descendet, et super populum interfectionis meæ, ad judicium. ⁶ Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum: victima enim Domini in Bosra, et interfectio magna

[¶]33.14 *Quis poterit.* Dei magnalia narrat et Deum ignem vocat.

[§]33.17 *Terram.* Viventium. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram,* vel in cælo positi, terrena despiciunt.

^{**}33.20 *Tabernaculum quod.* ID. Tabernaculum quod habuerunt Judæi per eremum, etc., usque ad Ecclesia autem immobilis fundata est supra firmam petram.

^{††}33.22 *Dominus enim.* ID. *Judicabit orbem terræ in justitia.*

^{‡‡}33.23 *Laxati sunt funiculi tui,* etc. Redit ad terrenam Jerusalem, et loquitur de ea sub specie navis: superiora dicta sunt de urbe solemnitatis nostræ quam Dominus fluviis suis circumdat.

^{¶¶}34.4 *Omnis militia cælorum.* HIER. Sol, et luna, et stellæ obscurari videbuntur, clarescente vera luce, quæ est Christus. Spiritus quoque mali, amissa potestate, in inferno recludentur. *Et complicabuntur sicut liber.* Non scilicet interior, etc., usque ad nihil enim postea scribetur in eis.

in terra Edom.^{§§} ⁷ Et descendent unicornes cum eis, et tauri cum potentibus; inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium. ⁸ Quia dies ultionis Domini, annus retributionum iudicii Sion. ^{*9} Et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur; et erit terra ejus in picem ardentem. ¹⁰ Nocte et die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus, a generatione in generationem desolabitur, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam. ¹¹ Et possidebunt illam onocrotalus et ericius; ibis et corvus habitabunt in ea: et extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, et perpendiculum in desolationem.† ¹² Nobiles ejus non erunt ibi; regem potius invocabunt, et omnes principes ejus erunt in nihilum.‡ ¹³ Et orientur in domibus ejus spinæ et urticæ, et paliurus in munitionibus ejus; et erit cubile draconum, et pascua struthionum. ¹⁴ Et occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum; ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem. ¹⁵ Ibi habuit foveam ericius, et enutrivit catulos, et circumfodit, et fovit in umbra ejus; illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum. ¹⁶ Requirit diligenter in libro Domini, et legite: Unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit; quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, et spiritus ejus ipse congregavit ea. ¹⁷ Et ipse misit eis sortem, et manus ejus divisit eam illis in mensuram: usque in æternum possidebunt eam; in generationem et generationem habitabunt in ea.]

35 [Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium.¶ ² Germinans germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron; ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri.§ ³ Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. ⁴ Dicite pusillanimis: Confortamini, et nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet, et salvabit vos. ⁵ Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; ⁶ tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine; ⁷ et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci.** ⁸ Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, et hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam. ⁹ Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi; et

§§34.6 *In Bosra.* ID. In civitate mundi contra Deum munita. Bosra enim munita, vel ex Deo; mundus enim voluntate Domini firmatur; unde: *Ipse super maria fundavit eum:* et: *Ego confirmavi columnas ejus.* Bosram et Edom, Hebræorum magistri, Romam volunt intelligi, et omnia de ipsa dici quæ sequenti continentur capitulo.

*34.8 *Quia dies ultionis Domini annus retributionis.* Post generalem mundi ultionem, ad Jerusalem revertitur, cui primum loquebatur et destructionem ejus plano sermone describit, quæ facta est a Romanis.

†34.11 *Ibis.* Avis aquatica serpentibus inimica: has aves dicit Josephus a Moysse delatas in bellum contra Æthiopes; quia serpentes abundant in terra illa per quam aditurus erat.

‡34.12 *Nobiles ejus.* Apostoli enim jam transierant ad gentes: alii fideles admonitione Spiritus sancti, imminente captivitate, transierunt Jordanem in regnum Agrippæ qui pacem habebat cum Romanis.

¶35.1 *Lætabitur.* Exposita captivitate Judæorum, agit de conversione gentium.

§35.2 *Saron.* Populi Judæorum; unde: *Erit Saron sicut desertum* Isa. 32..

**35.7 *Viror calami.* Impletio Scripturæ, quæ per calamum; et intentionis adiutorium, quæ per juncum: calamus enim et juncus juxta aquas oriuntur et virent.

ambulabunt qui liberati fuerint. ¹⁰Et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude, et lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium et lætitiā obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.]

36 Et factum est in quartodecimo anno regis Ezechiaē, ascendit Sennacherib, rex Assyriorum, super omnes civitates Juda munitas, et cepit eas. ^{††} ²Et misit rex Assyriorum Rabsacen de Lachis in Jerusalem, ad regem Ezechiam in manu gravi: et stetit in aquæductu piscinæ superioris in via Agri fullonis. ³Et egressus est ad eum Eliacim, filius Helciæ, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph, a commentariis. ^{‡‡} ⁴Et dixit ad eos Rabsaces: Dicite Ezechiaē: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia qua confidis? ^{¶¶} ⁵aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? super quem habes fiduciam, quia recessisti a me? ⁶Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum; cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam: sic Pharaō, rex Ægypti, omnibus qui confidunt in eo. ^{§§} ⁷Quod si responderis mihi: In Domino Deo nostro confidimus; nonne ipse est cujus abstulit Ezechias excelsa et altaria, et dixit Judæ et Jerusalem: Coram altari isto adorabitis? ⁸Et nunc trade te domino meo, regi Assyriorum, et dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum: ^{*} ⁹et quomodo sustinebis faciem judicis unius loci ex servis domini mei minoribus? Quod si confidis in Ægypto, in quadrigis et in equitibus, ¹⁰et nunc numquid sine Domino ascendi ad terram istam, ut disperderem eam? Dominus dixit ad me: Ascende super terram istam, et disperde eam. [†] ¹¹Et dixit Eliacim, et Sobna, et Joahe, ad Rabsacen: Loquere ad servos tuos syra lingua; intelligimus enim; ne loquaris ad nos judaice in auribus populi qui est super murum. ¹²Et dixit ad eos Rabsaces: Numquid ad dominum tuum et ad te misit me dominus meus, ut loquerer omnia verba ista? et non potius ad viros qui sedent in muro, ut comedant stercora sua, et bibant urinam pedum suorum vobiscum? ¹³Et stetit Rabsaces, et clamavit voce magna judaice, et dixit: Audite verba regis magni, regis Assyriorum! ¹⁴Hæc dicit rex: Non seducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos. ¹⁵Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino, dicens: Eruens liberabit nos Dominus: non dabitur civitas ista in manu regis Assyriorum. ¹⁶Nolite audire Ezechiam; hæc enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum benedictionem, et egredimini ad me, et comedite unusquisque vineam suam,

^{††}36.1 *Et factum est.* HIER. Libri Regum et Paralipomenorum consentiunt, etc., usque ad Jerusalem obsedit.

^{‡‡}36.3 *Sobna.* ID. Sobna scriba, alius, non superbus, qui, ut tradunt Hæbraei, comminatione Rabsacis perterritus, inferiorem partem civitatis tradidit, arce remanente et templo.

^{¶¶}36.4 *Hæc dicit.* Sicut forsā a patre audierat, hæc dicit Dominus: et ut verba ejus habeant majus pondus, notat arrogantiam: Hæc dicit rex magnus, quasi contraria fortitudo.

^{§§}36.6 *Ecce confidis.* ID. Mentitur plane. Nusquam enim legitur Ezechiam in Ægypto spem posuisse.

^{*}36.8 *Nec poteris.* Non ex imbecillitate, sed præceptorum Domini observatione, qui per Moysen de rege Israhel præcepit, dicens: *Non multiplicabis tibi equos, et currus, nec uxores plurimas.*

[†]36.10 .

et unusquisque ficum suam, et bibite unusquisque aquam cisternæ suæ,[‡] 17 donec veniam, et tollam vos ad terram quæ est ut terra vestra, terram frumenti et vini, terram panum et vinearum. 18 Nec conturbet vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriorum? 19 Ubi est deus Emath et Arphad? ubi est deus Sepharvaim? numquid liberaverunt Samariam de manu mea? 20 Quis est ex omnibus diis terrarum istarum qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Jerusalem de manu mea? 21 Et siluerunt, et non responderunt ei verbum. Mandaverat enim rex, dicens: Ne respondeatis ei. 22 Et ingressus est Eliacim, filius Helciæ, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph, a commentariis, ad Ezechiam, scissis vestibus, et nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

37 Et factum est, cum audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua, et obvolutus est sacco, et intravit in domum Domini.[†] 2 Et misit Eliacim, qui erat super domum, et Sobnam scribam, et seniores de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam, filium Amos, prophetam,[§] 3 et dixerunt ad eum: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiam, dies hæc; quia venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi. 4 Si quomodo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus ad blasphemandum Deum viventem et exprobrandum sermonibus quos audivit Dominus Deus tuus: leva ergo orationem pro reliquiis quæ repertæ sunt. 5 Et venerunt servi regis Ezechiaë ad Isaiam. 6 Et dixit ad eos Isaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus: Ne timeas a facie verborum quæ audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me. 7 Ecce ego dabo ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur ad terram suam, et corruiere eum faciam gladio in terra sua.^{††} 8 Reversus est autem Rabsaces, et invenit regem Assyriorum præliantem adversus Lobnam: audierat enim quia profectus esset de Lachis.^{‡‡} 9 Et audivit de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Egressus est ut pugnet contra te. Quod cum audisset, misit nuntios ad Ezechiam, dicens: 10 Hæc dicetis Ezechiaë regi Judæ, loquentes: Non te decipiat Deus tuus in quo tu confidis, dicens: Non dabitur Jerusalem in manu regis Assyriorum. 11 Ecce tu audisti omnia quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris, quas subverterunt: et tu poteris liberari? 12 Numquid eruerunt eos dii gentium quos subverterunt patres mei, Gozam, et Haram, et Reseph, et filios Eden qui erant in Thalassar? 13 Ubi est rex Emath, et rex Arphad, et

[‡]36.16 *Facite mecum benedictionem*, etc. Laudate me, benedicite me. Vel sicut habet alia editio: Facite quod vobis utile est, ut me recipiatis et pax maneat vobiscum.

[†]37.1 *Et factum, est cum audivisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua.* ID. Scindunt vestes, quia audierant Rabsacem blasphemantem. Scidit rex, credens ex peccatis suis et populi hoc provenisse.

[§]37.2 *Isaiam filium Amos.* In libro Regum legitur, qui misit ad Isaiam prophetam. Sed hic, quia de se Isaias textit historiam, non prophetam, sed filium prophetæ se nominat.

^{**}37.4 *Pro reliquiis.* Jam enim decem tribus adductæ, civitates Judæ et Benjamin vastatæ: pars etiam inferior civitatis in manus hostium tradita ab impio et superbo pontifice Sobna. *Leva oculos*, etc.

^{††}37.7 *Ecce ego dabo ei spiritum*, etc. Quasi dicat: Non dicam universa quæ Assyrio faciam, ne meam videar jactare potentiam, sed hoc unum: *Ecce ego dabo.*

^{‡‡}37.8 *Et invenit.* Pugnasse Sennacherib regem Assyriorum contra Ægyptios, etc., usque ad Chaldaicæ scriptores historiæ.

rex urbis Sepharvaim, Ana, et Ava? ¹⁴ Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, et legit eos, et ascendit in domum Domini, et expandit eos Ezechias coram Domino: ¹⁵ et oravit Ezechias ad Dominum, dicens: [¶] ¹⁶ Domine exercituum, Deus Israël, qui sedes super cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ: tu fecisti cælum et terram. ¹⁷ Inclina, Domine, aurem tuam, et audi; aperi, Domine, oculos tuos, et vide: et audi omnia verba Sennacherib, quæ misit ad blasphemandum Deum viventem. ¹⁸ Vere enim, Domine, desertas fecerunt reges Assyriorum terras, et regiones earum, ^{§§} ¹⁹ et dederunt deos earum igni: non enim erant dii, sed opera manuum hominum, lignum et lapis, et comminuerunt eos. ²⁰ Et nunc, Domine Deus noster, salva nos de manu ejus, et cognoscant omnia regna terræ quia tu es Dominus solus. ²¹ Et misit Isaias, filius Amos, ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Pro quibus rogasti me de Sennacherib, rege Assyriorum, ^{*} ²² hoc est verbum quod locutus est Dominus super eum: [Despexit te et subsannavit te, virgo filia Sion; post te caput movit, filia Jerusalem. [†] ²³ Cui exprobrasti? et quem blasphemasti? et super quem exaltasti vocem, et levasti altitudinem oculorum tuorum? ad Sanctum Israël. ²⁴ In manu servorum tuorum exprobrasti Domino, et dixisti: In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium juga Libani; et succidam excelsa cedrorum ejus, et electas abietes illius, et introibo altitudinem summitatis ejus, saltum Carmeli ejus. ²⁵ Ego fodi, et bibi aquam, et exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum. [‡] ²⁶ Numquid non audisti quæ olim fecerim ei? Ex diebus antiquis ego plasmavi illud; et nunc adduxi, et factum est in eradicationem collium compugnantium, et civitatum munitarum. ²⁷ Habitatores earum breviata manu contremuerunt, et confusi sunt. Facti sunt sicut fœnum agri, et gramen pascuæ, et herba tectorum, quæ exaruit antequam maturesceret. ²⁸ Habitationem tuam, et egressum tuum, et introitum tuum cognovi, et insaniam tuam contra me. ²⁹ Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis, et frenum in labiis tuis, et reducam te in viam per quem venisti.] [¶] ³⁰ Tibi autem hoc erit signum: comede hoc anno quæ sponte nascuntur, et in anno secundo pomis vescere; in anno autem tertio seminate et metite, et plantate vineas, et comedite fructum

[¶]37.15 **Oravit.** HIER. Jam securior de liberatione. Ante enim ascendit, sed non legitur orasse, quia pro peccatis suis metuebat hæc fore.

^{§§}37.18 **Vere enim, Domine:** multis probatur historiis venisse reges Persarum in Græciam, et subvertisse et spoliassse templa.

^{*}37.21 **Et misit.** Historia libri Regum et Paralipomenorum admiscetur prophetiæ, quia est prophetia de liberatione urbis, de interitu Assyrii, de reversione solis, et de annis Ezechiaë additis.

[†]37.22 **Filia Jerusalem.** Quæ prius non responderat, jam certa de ultione, segura de pœna.

[‡]37.25 **Et exsiccavi.** Tantus fuit exercitus ut fluentia exsiccarent, et ideo puteos aquæ inopia facerent.

[¶]37.29 **Superbia.** ID. Non ultra sustinebo, ut scias te non viribus hæc potuisse, sed arbitrio meo. Merebantur enim impiæ gentes et infructuosæ arbores ut per te, quasi securim succiderentur.

earum.[§] ³¹ Et mittet id quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est, radicem deorsum, et faciet fructum sursum: ³² quia de Jerusalem exhibunt reliquiæ, et salvatio de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet istud. ³³ Propterea hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: [Non intrabit civitatem hanc, et non jacet ibi sagittam, et non occupabit eam clypeus, et non mittet in circuitu ejus aggerem.** ³⁴ In via qua venit, per eam revertetur, et civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. ³⁵ Et protegam civitatem istam, ut salvem eam propter me, et propter David, servum meum.]^{††} ³⁶ Egredus est autem angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt mane, et ecce omnes cadavera mortuorum. ³⁷ Et egressus est, et abiit, et reversus est Sennacherib, rex Assyriorum, et habitavit in Ninive.^{‡‡} ³⁸ Et factum est, cum adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech et Sarasar, filii ejus, percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Ararat; et regnavit Asarhaddon, filius ejus, pro eo.^{¶¶}

38 In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem; et introivit ad eum Isaias, filius Amos, propheta, et dixit ei: Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives.^{§§} ² Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, et oravit ad Dominum,* ³ et dixit: Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis

[§]37.30 *Tibi autem.* ID. Omnia hæc per nuntios Propheta ad Ezechiam loquitur, quid Sennacherib dixerit, quid ei Dominus responderit: nunc ad ipsum verba convertit, ne dubitet ventura quæ prædixit. In hoc enim maxime prophetis credebatur, quia non solum longe post futura, sed in proximo complenda testabantur. *Et in anno.* Scilicet imminente messe, irruerunt Assyrii, et vastaverunt messes, et vineta, et oliveta: et ob nimiam obsidionem, quod ex granis repertum est, habuerunt in victum primo anno et secundo; quia enim in anno obsidionis serere non potuerunt, quæ repperunt ex pomis et frugibus sumpserunt.

^{**}37.33 *Propterea.* ID. Revertitur ad propositum, et post futurorum spem metum excutit præsentem. Nec enim tanta erit lætitia de his quæ promittebat futura, quanta de imminentibus cura

^{††}37.35 *Propter me.* Significat, quia non ex merito suo, sed Dei clementia conservantur, imo et patris eorum David memoria. In quo admonentur suæ negligentiae, et fidei illius, atque justitiæ, quam tantum diligit Deus, ut posteros sanctorum merito eorum tueatur.

^{‡‡}37.37 *Et reversus.* Ideo reservatus, ut sciat potentiam Dei et blasphemantia comprimatur ora, et prædicet majestatem illius quem ante despexerat.

^{¶¶}37.38 *Filii ejus.* Invidentes secundum traditionem Judæorum Asaraddon, etc., usque ad reservatus a filiis in templo Dei sui occidendus. *Ararat.* HIER. Regio Armeniæ campestris, per quam fluit Araxes, incredibilis ubertatis, ad radicem Tauri montis, qui illuc usque tenditur. Arca vero Nøe non ad montes generaliter Armeniæ delata est, quæ appellata est Ararat, sed ad montes Tauri altissimos, qui imminent campis Ararat.

^{§§}38.1 *In diebus illis ægrotavit.* HIER. Quia de victoria dignas Deo grates non retulit, sed in superbia evanuit, sicut Regum et Paralipomenorum liber aperit; unde: Quem Deus diligit, corripit, ne eleveur in superbiam post incredibiles triumphos. *Morieris tu.* Cui simile: *Ninive subvertetur:* et multa sub comminatione prædicta, nec impleta; non Deo mutante sententiam, sed provocante nos ad sui notitiam. Dominus enim patiens est super malitia.

^{*}38.2 *Ad parietem.* ID. Templi, scilicet juxta quod Salomon exstruxit palatium.

fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno.[†] 4 Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens:[‡] 5 Vade, et dic Ezechiae: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, et vidi lacrimas tuas; ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos,[¶] 6 et de manu regis Assyriorum eruam te, et civitatem istam, et protegam eam. 7 Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus est:[§] 8 ecce ego reverti faciam umbram linearum per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat. 9 Scriptura Ezechiae, regis Juda, cum ægrotasset et convalesceret de infirmitate sua. 10 [Ego dixi in dimidio dierum meorum: Vadam ad portas inferi; quæsiivi residuum meorum.** 11 Dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium; non aspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis.†† 12 Generatio mea ablata est, et convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum. Præcisa est velut a texente vita mea; dum adhuc ordiretur, succidit me: de mane usque ad vesperam finies me. 13 Sperabam usque ad mane; quasi leo, sic contrivit omnia ossa mea: de mane usque ad vesperam finies me. 14 Sicut pullus hirundinis, sic clamabo; meditabor ut columba. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum. Domine, vim patior: responde pro me. 15 Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit? Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.‡‡ 16 Domine,

[†]38.3 *Obsecro, Domine.* Iturus ad Dominum, narrat opera sua. Felix conscientia, quæ in tempore malorum potest recordari bonorum. *Obsecro, Domine.* Audiens se moriturum, non annos plurimos petit, sed Dei iudicio dimittit quid præstare velit: noverat Salomonem Deo placuisse, quia non petierat ampliores annos vitæ. *Et quod bonum.* Idola patris sui destruxit, ostia domus Domini, quæ ille clauserat, aperuit, serpentem æneum quem in Gabaon Judæi adorabant comminuit, et in ventum sparsit. *Et flevit.* Flevit quia moriebatur sine filiis, etc., usque ad et post mortem plurimos resuscitados legamus.

[‡]38.4 *Et factum est Verbum Domini.* Præpostero ordine hic refertur historia, quæ in Regum volumine consequentius legitur.

[¶]38.5 *Ecce ego adjiciam super dies.* Secundum quod visum est, etc., usque ad et de annis Ezechiae additis.

[§]38.7 *Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia fecit Dominus verbum hoc quod locutus.* ID. Præsentis scilicet temporis et futuri, ut quomodo sol revertitur ad exordium sui, ita Ezechiae vita ad evolutos redeat annos. Nobis quoque in hebdoade et ogdoade viventibus post resurrectionem Christi vitæ spatia protelentur.

^{**}38.10 *Ego dixi.* ID. Cum Deus Ezechiae sine labore victoriam dedisset, etc., usque ad peccatores in dimidio dierum moriuntur. *In dimidio dierum meorum.* Unde: Viri impii et dolosi non dimidiabunt dies suos, quia non implent opera virtutum, nec poenitendo emendant delicta. *Ad portas inferi. Quæsiivi.* Ubi constituta est domus omni viventi ante adventum Christi.

^{††}38.11 *Quietis.* Quidam codices habent: Quievit generatio mea, quod et Hieronymus aliquando transtulit, deceptus ambiguitate verbi, et postea correxuit.

^{‡‡}38.15 *Respondebit mihi.* ID. Quod erravi emendabo, tu esto fidejussor et protector: *Non est enim volentis neque currentis, sed Dei miserentis* Rom. 9.. *Cum ipse.* Hæc mihi juste, quasi diceret: nihil restat nisi patienter sustinere et ipsum fortem exorare qui fecit quod voluit. *Recogitabo.* Quod præteritum est non adjuvat sustinentem; unde stulta est Epicuri sententia, qui asserit recordatione præteritorum bonorum mala præsentia mitigari. *In amaritudine animæ,* quasi diceret: et hi etiam in amaritudine, quia præsens tribulatio nihil boni præteriti sentit, et semper humana felicitas aliquibus aspergitur aversis.

si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripias me, et vivificabis me. ¹⁷ Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Tu autem eruisti animam meam ut non periret; projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. ¹⁸ Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam. ^{¶¶} ¹⁹ Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie; pater filiis notam faciet veritatem tuam. ^{§§} ²⁰ Domine, salvum me fac ! et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.] ²¹ Et jussit Isaias ut tollerent massam de ficis, et cataplasmarent super vulnus, et sanaretur. ^{*} ²² Et dixit Ezechias: Quod erit signum quia ascendam in domum Domini?

39 In tempore illo misit Merodach Baladan, filius Baladan, rex Babylonis, libros et munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotasset et convaluisset. [†] ² Lætatus est autem super eis Ezechias, et ostendit eis clam aromatum, et argenti, et auri, et odoramentorum, et unguenti optimi, et omnes apothecas supellectilis suæ, et universa quæ inventa sunt in thesauris ejus. Non fuit verbum quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua. [‡] ³ Introivit autem Isaias propheta ad Ezechiam regem, et dixit ei: Quid dixerunt viri isti, et unde venerunt ad te? Et dixit Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. ⁴ Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias: Omnia quæ in domo mea sunt viderunt; non fuit res quam non ostenderim eis in thesauris meis. ⁵ Et dixit Isaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum. ⁶ Ecce dies venient, et auferentur omnia quæ in domo tua sunt, et quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem; non relinquetur quidquam, dicit Dominus. ⁷ Et de filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. [¶] ⁸ Et dixit Ezechias ad Isaiam: Bonum verbum Domini, quod locutus est. Et dixit: Fiat tantum pax et veritas in diebus meis ! [§]

^{¶¶}38.18 *Quia non infernus confitebitur.* Sine fine damnati neque in inferno poenitentiam agunt, neque laudes Deo referunt.

^{§§}38.19 *Vivens vivens,* etc. Non infernus vel mors. *Pater filiis.* Unde: interroga patrem tuum, et annuntiabit, etc.

^{*}38.21 *Super vulnus ejus.* Aiunt Hebræi Sehin ulcus sonare, non vulnus, etc., usque ad cum Deus fecerit eam.

[†]39.1 *In tempore illo.* HIER. Superius dictum est, quia Asaraddon Sennacherib successit, etc., usque ad et amisso virili robore, in muliebrem redigitur mollitiem.

[‡]39.2 *Et in omni potestate sua.* ID. In thesauris domus Domini, in quo præcipue offendit. Hoc enim non erat potestatis ejus. Jam tamen de valvis illis templi auri laminas tulerat. *In thesauris ejus.* Tacet de thesauris Domini, metuens reprehendi, quod scilicet ostendit eis quodcumque haberet in potestate, templi, scilicet supellectilem; unde:

[¶]39.7 *Et erunt eunuchi.* ID. Tradunt Hebræi hoc impletum esse in Daniel et ejus sociis, qui, capto Joachim filio Josue, cum suo populo sunt capti et in Babylonem ducti et eunuchizati, vel evirati; non tamen putandum quod eunuchi fuerint corpore, sed mente, sicut *qui se castraverunt propter regnum cælorum* Matth. 19..

[§]39.8 *Fiat tantum pax.* Debit peccatum suum cum David confiteri, et iram Dei remove a posteris, aut compati cum Moyse, qui dicit: *Dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti* Exod. 32.. Quod quia non fecit, propterea non respondet ei; sed, conversus ad populum, dicit: Consolamini, etc.

40 [Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. ** ² Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam, quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. ³ Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. †† ⁴ Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas:‡‡ ⁵ et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. ¶¶ ⁶ Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. §§ ⁷ Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Vere fœnum est populus: ⁸ exsiccatum est fœnum, et cecidit flos; verbum autem Domini nostri manet in æternum. * ⁹ Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda: Ecce Deus vester:† ¹⁰ ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo. ¹¹ Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit; fœtas ipse portabit.‡ ¹² Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ, et liberavit in pondere montes, et colles in statera?¶ ¹³ Quis adjuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit

**40.1 *Consolamini*. Quasi dicat: Quia rex vester non compatitur vobis, consolamini Christo. Potest ad gentes referri, de quibus Dominus per Zachariam: *Ego congregabo populum orientis, et erunt mihi in populum, et ego ero illis in Deum* Zach. 8.. *Loquimini ad cor*. HIER. Ad cor loquitur qui moestum consolatur, sicut de Sichen dicitur: *Locutus est Sichen ad cor ejus, et consolatus est eam* Gen. 24.. *Jerusalem*. Jerusalem a Chaldæis et Romanis corpore et anima; Ecclesia a persecutoribus corpore cruciata, animo angustiata. *Malitia ejus*. Malitia afflictio sicut illud: *Si est malum in civitate quod non faciat Dominus* Amos. 3.. *Dimissa est*. Causa consolationis, remissio peccatorum, etc., usque ad quia purgata sunt et soluta per pœnas.

††40.3 *Vox clamantis*. ID. Hujus vocis memores, Judæi miserunt ad Joannem ut interrogarent eum: Tu quis es?

‡‡40.4 *Omnis vallis exaltabitur. Qui se exultat, humiliabitur, et qui se humiliat, etc.* Hoc usque hodie in deserto gentilium Ecclesiarum clamant magistri.

¶¶40.5 *Et videbit omnis caro. Os Domini*. De primo adventu subito ad secundum raptus dicit: *Et videbit omnis caro. Os Domini*. Prophetæ qui prædicaverunt futurum Christum, scilicet salutare Dei nostri.

§§40.6 *Quid clamabo?* ID. Non sine causa quærit: cum enim se sponte obtulit, dicens: *Ecce ego, mitte me*: populo suo dura nuntiavit, et nunc idem metuit. *Omnis caro*. Qui portat imaginem terreni, etc., usque ad sic homo, per ætatum successiones, amittit decorem et cadit in mortem.

*40.8 *Verbum autem Domini*. Verbum Christus cum corpore suo, quod est Ecclesia.

†40.9 *Sion*. ID. Per Sion et Jerusalem, apostolos et alios doctores intelligit, quos admonet ut quæ a Domino acceperunt prædicent, et culmina virtutum ascendentes, verbo et exemplo doceant.

‡40.11 *Gregem suum*, etc. Nunc contemplatione, in futuro ipsa visione: nunc docendo, postea salvando vel satiando. *Fetas*. Doctores filios quotidie Deo parturientes.

¶40.12 *Quis mensus est?* ID. Ne de vocatione gentium dubitetur, magnitudo vocantis describitur. *Pugillo*. Pugillus, contractis digitis pugnus, palmus a pollice usque ad minimum digitum extenta manus, ut per palmum et pugillum cœlos extentos et globum terræ noverimus.

illi?^{§ 14} cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiæ, et erudit eum scientiam, et viam prudentiæ ostendit illi? ¹⁵ Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt; ecce insulæ quasi pulvis exiguus. ^{**} ¹⁶ Et Libanus non sufficiet ad succendendum, et animalia ejus non sufficient ad holocaustum. ^{†† 17} Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei.] ¹⁸ [Cui ergo similem fecisti Deum? aut quam imaginem ponetis ei? ¹⁹ Numquid sculptile conflavit faber? aut aurifex auro figuravit illud, et laminis argenteis argentarius?^{‡‡} ²⁰ Forte lignum et imputribile elegit; artifex sapiens quærit quomodo statuat simulacrum, quod non moveatur. [¶] ²¹ Numquid non scitis? numquid non audistis? numquid non annuntiatum est vobis ab initio? numquid non intellexistis fundamenta terræ?^{§§} ²² Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ; qui extendit velut nihilum cælos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum;^{*} ²³ qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, iudices terræ velut inane fecit. [†] ²⁴ Et quidem neque plantatus, neque satus, neque radicans in terra truncus eorum; repente flavit in eos, et aruerunt, et turbo quasi stipulam auferet eos. ²⁵ Et cui assimilastis me, et adæquastis? dicit Sanctus. [‡] ²⁶ Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc: qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat; præ multitudine fortitudinis et roboris, virtutisque ejus, neque unum reliquum fuit. [¶] ²⁷ Quare dicis, Jacob, et loqueris, Israë! Abscondita est

§40.13 *Spiritum Domini super me, eo quod unxerit me ad annuntiandum mansuetis misit me: Et requiescet super eum Spiritus Domini.*

**40.15 *Quasi pulvis exiguus.* ID. Hebræi hoc verbo tenuissimum pulverem significari putant, etc., usque ad et tam Græcæ quam Latinæ linguæ paupertatem.

††40.16 *Libanus non sufficiet.* Libanus mons maximus et pascuis uberrimus et arboribus; sed etsi omnia ligna succidantur ad succendendum, et omnia animalia immolentur ad holocaustum, ad implendam vel placandam tamen majestatis potentiam non sufficiunt.

‡‡40.19 *Nunquid.* Stultitiam gentium redarguit, ut ab idololatria recedant.

¶40.20 *Forte lignum.* ID. Hebraice mesuchan, quia genus ligni est imputribile, de quo maxime idola fiunt: hoc autem dicit ut, idolis reprobatis, suscipiatur doctrina Evangelii et reveletur gloria Domini, ut videat omnis caro salutare Dei.

§§40.21 *Ab initio.* Legis Moysi, vel a principio mundi in ipsis creaturis quæ omnes suum suo modo prædicant artificem.

*40.22 *Super gyrum.* Hinc nonnulli terram quasi punctum et globum esse contendunt. *Quasi locustæ.* In ejus comparatione, vel considerata terræ magnitudine. *Tabernaculum.* Hinc quoque in similitudinem sphaeræ cælum esse contendunt, et ejus hemisphaerium terris imminere.

†40.23 *Qui dat secretorum. Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi,* et hoc est: *Qui dat secretorum scrutatores, quasi non sint* I Cor. 1..

‡40.25 *Cui assimilastis me, adæquastis me, dicit Sanctus.* Quasi diceret: Quare similitudini Deum comparatis, nec ex creaturarum magnitudinem Deum creatorem intelligitis? si non creditis verbis, credite oculis vestris, et elementorum omnium servitute omnipotentiam Domini cogitate.

¶40.26 *In numero.* ID. Illi numerata sunt quæ Abraham numerare non potuit: et serviunt delegato officio, ut sol cursum cœli uno expleat anno, et cætera suo modo. *Militiam eorum,* etc. Angelos scilicet, unde: *Millia millium ministrabant ei* Dan. 7.. Inde et Dominus Sabaoth dicitur, id est militiæ, vel exercituum, vel virtutum.

via mea a Domino, et a Deo meo iudicium meum transivit?^{§ 28} Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus.^{** 29} Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat.³⁰ Deficient pueri, et laborabunt, et juvenes in infirmitate cadent;^{†† 31} qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assumunt pennas sicut aquilæ: current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.]^{‡‡}

41 [Taceant ad me insulæ, et gentes mutent fortitudinem: accedant, et tunc loquantur; simul ad iudicium propinquemus.^{¶¶ 2} Quis suscitavit ab oriente Iustum, vocavit eum ut sequeretur se? Dabit in conspectu ejus gentes, et reges obtinebit: dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus.^{§§ 3} Persequetur eos, transibit in pace: semita in pedibus ejus non apparebit.^{* 4} Quis hæc operatus est, et fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus: primus et novissimus ego sum.⁵ Viderunt insulæ, et timuerunt; extrema terræ obstupuerunt: appropinquaverunt, et accesserunt.^{† 6} Unusquisque proximo suo auxiliabitur, et fratri suo dicit: Confortare.⁷ Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens: Glutino bonum est; et confortavit eum clavis, ut non moveretur.]⁸ [Et tu, Israël, serve meus, Jacob quem elegi, semen Abraham amici mei:^{‡ 9} in quo apprehendi te ab extremis terræ, et a longinquis ejus vocavi te, et dixi tibi: Servus meus es tu: elegi te, et non abjeci te.^{¶ 10} Ne timeas, quia ego tecum sum; ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te

[§]40.27 *Quare dicis*, etc. ID. Cum hæc propheta diceret, etc., usque ad sine iudice sumus, et immerito affligimur. *Via mea*. Bona opera, non pertinent ad Deum terrena, non considerat quid quisque agat. Inde injuste opprimitur, quasi jumenta et pisces, sine rectore.

^{**}40.28 *Creavit*. Omnia novit, omnia continet, omnia majestate sua dispensat. *Sapientia ejus*. ID. Ex hoc loco aliud apostoli sumptum videtur: *Incomprehensibilia iudicia ejus, et investigabiles viæ ejus*: quasi diceret: Solus Deus æternus, impassibilis, cætera omnia deficient.

^{††}40.30 *Deficient pueri*. Qui scilicet gaudent corporis sanitate, et pueritiam et adolescentiam putant esse perpetuam.

^{‡‡}40.31 *Mutabunt*. Ut sint fortes in Deo, fient debiles mundo, et post mortem carnis fient immortales. *Sicut aquilæ*. Sicut aquila secundum physicos, alliso ad silicem rostro, vetustate nimia aduncato innovatur, sic qui vetustatem peccati per petram, quæ est Christus, mortificant, mortui mundo innovantur Deo, unde: *Renovabitur ut aquilæ juvenus tua* Psal. 102..

^{¶¶}41.1 *Taceant insulæ*. HIER. Quia in salo gentes, scilicet quæ salsis et amaris fluctibus sæculi tunduntur. I

^{§§}41.2 *Quis suscitavit ab oriente*. ID. Quidam Hebræorum hoc ad Cyrum regem Persarum referunt, etc., usque ad qui ab initio cognovit hæc.

^{*}41.3 *Semita in pedibus*. Laborem vel lassitudinem ejus vitæ non sentiet: *Exsultavit ut gigas ad currendam viam*.

[†]41.5 *Viderunt insulæ*. ID. Id est gentes in circumitu, etc., usque ad et confortavit eum clavis præceptorum, ut in timore Domini permaneret.

[‡]41.8 *Et tu, Israël, serve meus*. ID. Dominus ad apostolos affectuose, etc., usque ad postea electi in amicitiam Dei jungimur.

[¶]41.9 *Et a longinquis*. Jam usque ad extrema Judæi dispersi, et inde ad finem multi vocati.

dextera Justi mei. ¹¹ Ecce confundentur et erubescunt omnes qui pugnant adversum te; erunt quasi non sint, et peribunt viri qui contradicunt tibi. ¹² Quæres eos, et non inuenies, viros rebelles tuos; erunt quasi non sint, et veluti consumptio homines bel-lantes adversum te. ¹³ Quia ego Dominus Deus tuus, apprehendens manum tuam, di-censque tibi: Ne timeas: ego adjuvi te. ¹⁴ Noli timere, vermīs Jacob, qui mortui estis ex Israēl: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, et redemptor tuus Sanctus Israēl.[§] ¹⁵ Ego posui te quasi plastrum triturans novum, habens rostra serrantia; triturabis montes, et comminues, et colles quasi pulverem pones.^{**} ¹⁶ Ventilabis eos, et ventus tollet, et turbo disperget eos; et tu exultabis in Domino, in Sancto Israēl lætaberis. ¹⁷ Egeni et pauperes quæerunt aquas, et non sunt; lingua eorum siti aruit. Ego Domi-nus exaudiam eos, Deus Israēl, non derelinquam eos. ¹⁸ Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, et ter-ram inviam in rivus aquarum. ¹⁹ Dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ; ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul:^{††} ²⁰ ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, et Sanctus Israēl creavit illud. ²¹ Prope facite iudicium vestrum, dicit Dominus; Afferte, si quid forte habetis, dicit rex Jacob. ²² Accedant, et nuntient nobis quæcumque ventura sunt; priora quæ fuerunt, nuntiate, et ponemus cor nostrum, et sciemus novissima eorum; et quæ ventura sunt, indicate nobis.^{‡‡} ²³ Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos; bene quoque aut male, si potestis, facite, et loquamur et videamus simul.^{¶¶} ²⁴ Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est: abominatio est qui elegit vos. ²⁵ Suscitavi ab aquilone, et veniet ab ortu solis: vocabit nomen meum, et adducet magistratus quasi lutum, et velut plas-tes conculcans humum.^{§§} ²⁶ Quis annuntiavit ab exordio ut sciamus, et a principio ut dicamus: Justus es? Non est neque annuntians, neque prædicens, neque audiens

[§]41.14 *Vermis Jacob.* ID. Vermes dicuntur apostoli, tanquam ejus imitatores qui dicit: *Ego sum vermīs et non homo* Psal. 21.. Et sicut vermīs penetrat terram, sic prædicatio eorum corda audientium. *Qui mortui estis ex Israēl.* Sicut ille qui dicit: *Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres* I Cor. 15.; et alibi: *Vivo autem jam non ego; vivit vero in me Christus* Gal. 2..

^{**}41.15 *Ego posui te quasi plastrum.* Vir ecclesiasticus habet prædicationis rostra, etc., usque ad ut male congregati bene dividantur.

^{††}41.19 *Dabo in solitudinem cedrum.* ID. Arborum varietates diversitatem spiri-tualis gratiæ significant, ne saltem una chorda de cithara Domini, et aliqua virtus gratiarum Ecclesiæ deesse videatur: quarum sublimitatem ad cœlestia festinantem illuminat lignum olivæ, fomes lucis, requies laborantis vel lassati. *Spinam, et myr-tum, et lignum olivæ.* LXX: *Sethim*, quæ est arbor albæ spinæ similis, etc., usque ad et ideo consolatores sanctæ Ecclesiæ significat.

^{‡‡}41.22 *Annuntiate.* ID. Significat quia idola nec audiendi nec respondendi habent facultatem, etc., usque ad patet quod idola post adventum Christi vocem amiserunt.

^{¶¶}41.23 *Si potestis.* Neque dæmones possunt, nisi Dei permissione, quod assident idolis, quia nec porcos, nec sancti Job jumenta potuerunt disperdere sine Dei per-missione. Paulus quoque tradidit Satanæ quosdam.

^{§§}41.25 *Suscitavi.* ID. Adhuc contra idola loquitur et contra cultores eorum, etc., usque ad ut credant in eum qui venit ab ortu solis.

sermone vestros.* 27 Primus ad Sion dicit: Ecce adsunt, et Jerusalem evangelistam dabo.† 28 Et vidi, et non erat neque ex istis quisquam qui iniret consilium, et interrogatus responderet verbum. 29 Ecce omnes injusti, et vana opera eorum; ventus et inane simulacra eorum.]‡

42 [Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum: iudicium gentibus proferet.¶ 2 Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. 3 Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium.§ 4 Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium; et legem ejus insulæ expectabunt.** 5 Hæc dicit Dominus Deus, creans cælos, et extendens eos; formans terram, et quæ germinant ex ea; dans flatum populo qui est super eam, et spiritum calcantibus eam: 6 Ego Dominus vocavi te in iustitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te: et dedi te in foedus populi, in lucem gentium,†† 7 ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.‡‡ 8 Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus.¶¶ 9 Quæ prima fuerunt, ecce venerunt; nova quoque ego annuntio: antequam orientur, audita vobis faciam.]§§ 10 [Cantate Domino can-

*41.26 *Quis annuntiavit ab exordio?* quasi diceret: Nullus in gentibus fuit qui annuntiaverit adventum Filii. Si est autem qui annuntiaverit, dicemus, quia justus est; in adventu Filii, dæmones, qui in idolis ventura nuntiabant, obmutuerant. **Audiens sermones vestros.** Quia bruta gentilium corda errorem suum intellexerunt, et vaticinia falsa reliquerunt.

†41.27 *Primus ad Sion dicit.* Ecclesiam significant; ecce astiterunt filii, scilicet tui, quos per fidem meam donavi tibi, scilicet apostoli, quorum prædicatione nati sunt tibi filii.

‡41.29 *Ecce omnes injusti.* Quidquid de idolis vel de gentibus diximus, ad hæresiarchas et pravitatis dogmata referamus, quia, Christo pacem Ecclesiæ nuntiante et veritate monstrante, ipsi errores sequuntur, et vento et turbini comparantur.

¶42.1 *Ecce servus.* HIER. Notandum quia apostoli Jacob, Israël, et semen Abraham appellantur, quibus postea quasi servis et hominibus dicitur: **Noli timere, vermīs Jacob,** etc. Christus autem non semen Jacob vel Israël, sed servus dicitur. **Dedi Spiritum.** In conceptione; unde: **Spiritus sanctus superveniet in te,** etc. Phil. 2.. Et in baptismo claruit, cum Spiritus in specie columbæ super ipsum requievit Luc. 1..

§42.3 *Linum fumigans.* Sacerdotium jam pene extinctum, de lino autem fit sacerdotale vestimentum. **Educet iudicium.** Judicabit, scilicet non metuens Scribas et Phariseos.

42.4 *Non erit tristis.* ID. Hoc Matthæus non posuit, sive inter iudicium et iudicium media scriptoris errore sublata sunt. Est autem sensus, æqualitatem vultus omni tempore conservabit: Quod de Socrate falso gloriantur philosophi, quod scilicet plus solito non tristis fuerit, nec lætus. **In terra iudicium. Unde: **In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant,** etc. Joan. 9..

††42.6 *Justitia.* Justum fuit ut transiret per apostolos ad gentes contemptus a Judæis.

‡‡42.7 *Vinctum.* Funibus peccatorum: in Evangelio, quem Satanæ vinxerat Dominus solvit.

¶¶42.8 *Alteri.* Filius et Spiritus sanctus in Deitate a Patre alter non est, et ideo eandem et gloriam et laudem habet.

§§42.9 *Vobis faciam.* Ut sciatis, quia ego Dominus, non est alius præter me: et qui priora cernitis impleta, credatis quæ polliceor futura.

ticum novum, laus ejus ab extremis terræ, qui descenditis in mare, et plenitudo ejus; insulæ, et habitatores earum.* ¹¹ Sublevetur desertum et civitates ejus. In domibus habitabit Cedar: laudate, habitatores petræ; de vertice montium clamabunt.† ¹² Ponent Domino gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt. ¹³ Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum; vociferabitur, et clamabit: super inimicos suos confortabitur.]‡ ¹⁴ [Tacui semper, silui, patiens fui: sicut parturiens loquar; dissipabo, et absorbebo simul.¶ ¹⁵ Desertos faciam montes et colles, et omne gramen eorum exsiccabo; et ponam flumina in insulas, et stagna arefaciam. ¹⁶ Et ducam cæcos in viam quam nesciunt, et in semitis quas ignoraverunt ambulare eos faciam; ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta; hæc verba feci eis, et non dereliqui eos.§ ¹⁷ Conversi sunt retrorsum, confundantur confusione, qui confidunt in sculptili; qui dicunt conflatili: Vos dii nostri.** ¹⁸ Surdi, audite, et cæci, intuemini ad videndum. ¹⁹ Quis cæcus, nisi servus meus; et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis cæcus, nisi qui venundatus est? et quis cæcus, nisi servus Domini? ²⁰ Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies? ²¹ Et Dominus voluit ut sanctificaret eum, et magnificaret legem, et extolleret. ²² Ipse autem populus direptus, et vastatus; laqueus juvenum omnes, et in domibus carcerum absconditi sunt; facti sunt in rapinam, nec est qui eruat; in direptionem, nec est qui dicat: Redde.†† ²³ Quis est in vobis qui audiat hoc, attendat, et auscultet futura?‡‡ ²⁴ Quis dedit in direptionem Jacob, et Israël vastantibus? nonne Dominus ipse, cui peccavimus? Et noluerunt in viis ejus ambulare, et non audierunt legem ejus. ²⁵ Et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum; et combussit eum in circuitu, et non cognovit; et succendit eum, et non intellexit.]¶¶

*42.10 *Novum*. In novitate Spiritus, non in vestustate litteræ; nec solum in Veteri Testamento, sed etiam in Novo. *Qui descenditis in mare*. ID.. Prius piscatores piscium, post hominum; unde ad litteram: multa maria transierunt.

†42.11 *Cedar*. Filius Ismælis: Saraceni ab eo, qui melius Agareni: sed nomine libera velaverunt ignominiam ancillæ. Ismæl enim filius ancillæ Agar fuit, ab hac Saraceni. Duodecim enim duces genuit. Nomine quoque ejus ipsa dicitur provincia. *De vertice montium*. HIER. *Super montem excelsum ascende. De vertice montis*. De altitudine virtutis et contemplationis, ut etiam exemplo doceant quæ prædicant.

‡42.13 *Vociferabitur*. Unde: *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus* Deut. 32.; et ego in gente stulta irritabo eos.

¶42.14 *Sicut parturiens*. Partum consilii mei profundam in lucem sicut mulier infantem, sic proferam dissimulatum dolorem.

§42.16 *In semitis*. ID. In cognitione prophetarum, qui sunt semitæ ad Christum, cum ejus nativitate, resurrectionem et ascensionem prædicant.

**42.17 *Confundantur. Cum plenitudo gentium intraverit*. Tunc etiam Israël conversus, erroris sui poenitebit, qui idolis ante servivit.

††42.22 *Laqueus juvenum*. Revertitur ad prædicationem Domini, increpans Scribas et Pharissæos: Hi enim erant laquei simplicibus ne ad Dominum converterentur.

‡‡42.23 *Quis est*. Hortatur eos propheta, ut saltem aliqui audiant et causam suæ captivitatis intelligant et caveant.

¶¶42.25 *Super eum*. Ut quod prius tacuerat, jam non taceret nec verbis, sed tormentis corriperet. *Et non cognovit*. Sicut historiæ tradunt, nec gentes hoc fieri in ultionem filii intellexerunt, nec Judæi malitia sua excæcati.

43 [Et nunc hæc dicit Dominus creans te, Jacob, et formans te, Israël: Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo: meus es tu.^{§§} ²Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. * ³Quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israël, salvator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, et Saba, pro te.† ⁴Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus, ego dilexi te, et dabo homines pro te, et populos pro anima tua. ⁵Noli timere, quia ego tecum sum; ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te.‡ ⁶Dicam aquiloni: Da; et austro: Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ. ⁷Et omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum. ⁸Educ foras populum cæcum, et oculos habentem; surdum, et aures ei sunt.¶ ⁹Omnes gentes congregatæ sunt simul, et collectæ sunt tribus. Quis in vobis annuntiet istud, et quæ prima sunt audire nos faciet? Dent testes eorum, justificentur, et audiant, et dicant: Vere.[§] ¹⁰Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus quem elegi: ut sciatis, et credatis mihi, et intelligatis quia ego ipse sum; ante me non est formatus Deus, et post me non erit.** ¹¹Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator. ¹²Ego annuntiavi, et salvavi; auditum feci, et non fuit in vobis alienus: vos testes mei, dicit Dominus, et ego Deus.†† ¹³Et ab initio ego ipse, et non est qui de manu mea eruat. Operabor, et quis avertet illud? ¹⁴[Hæc dicit Dominus, redemptor vester, Sanctus Israël: Propter vos misi in Babylonem, et detraxi vectes universos, et Chaldæos in navibus suis gloriantes.‡‡ ¹⁵Ego Dominus, Sanctus vester,

§§43.1 *Et nunc hæc.* Superius locutus est de captivitate Judæorum qui credere noluerunt, nunc primitivam alloquitur Ecclesiam, quæ est de Judæis, ut Creatorem animæ suæ et corporis intelligant. *Creans te Jacob.* Jacob supplantator, Israël vir videns Deum. Hi sunt apostoli et apostolici viri, qui et vitia supplantaverunt, et Deum videre meruerunt.

*43.2 *Per aquas,* etc. ID. Secundum Hebræos: Per aquas Ægyptii, etc., usque ad hæc quoque regna prædicando transierunt apostoli, et Dominus ubique cum eis.

†43.3 *Dedi propitiationem.* Ut inde acquiras tibi misericordiam et coronam, prædicando, scilicet, Ægyptiis, et Æthiopicis qui pene ultimi et Sabæis: est autem Saba civitas in finibus Æthiopiæ sita: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines,* etc.

‡43.5 *Ab Oriente.* Multi venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob, ab omnibus scilicet mundi partibus.

¶43.8 *Educ foras.* Vox Patris ad Filium de Judæis mente cæcis. Et nota prius esse factum vocationem Judæorum, deinde gentium.

§43.9 *Omnes gentes.* Propheta ad gentes, increpans de idololatria et admirans quod nullus in gentibus hoc præscire potuit; sed tantum populus Dei qui legem Dei accepit, prophetas habuit.

**43.10 *Non est formatus.* Quidam codices habent plasmatus; sed non convenit bene, sic tamen potest exponi: Ante me non est formatum idolum, quia feci hominem justum a quo injuste formatum est idolum.

††43.12 *Ego annuntiavi et salvavi.* Per prophetas nativitatem Filii, vocationem gentium, expulsionem dæmonum.

‡‡43.14 *Hæc dicit Dominus Salvator,* etc. Hæc, scilicet quæ sequuntur: Pater ad apostolos. Propter vos qui scilicet testes mei estis, qui scilicet Evangelium prædicatis. Quibus dixit: Noli timere. *Chaldæos in navibus.* Secundum historiam, Chaldæi abundant fluminibus, et strenui sunt navibus et inde gloriantur.

creans Israë̄l, rex vester.^{¶¶} 16 Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, et in aquis torrentibus semitam; 17 qui eduxit quadrigam et equum, agmen et robustum: simul obdormierunt, nec resurgent; contriti sunt quasi linum, et extincti sunt. 18 Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini. 19 Ecce ego facio nova, et nunc orientur, utique cognoscetis ea: ponam in deserto viam, et in invio flumina.^{§§} 20 Glorificabit me bestia agri, dracones, et struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo.* 21 Populum istum formavi mihi: laudem meam narrabit.] 22 [Non me invocasti, Jacob, nec laborasti in me, Israë̄l.† 23 Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, et victimis tuis non glorificasti me; non te servire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure.‡ 24 Non emisti mihi argento calamum, et adipe victimarum tuarum non inebriasti me: verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis; præbui mihi laborem in iniquitatibus tuis. 25 Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor.¶ 26 Reduc me in memoriam, et judicemur simul: narra si quid habes ut justificeris.§ 27 Pater tuus primus peccavit, et interpretes tui prævaricati sunt in me:** 28 et contaminaui principes sanctos; dedi ad interneccionem Jacob, et Israë̄l in blasphemiam.]

44 [Et nunc audi, Jacob, serve meus, et Israë̄l, quem elegi.†† 2 Hæc dicit Dominus faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus: Noli timere, serve meus Jacob,

^{¶¶}43.15 *Ego Dominus sanctus vester.* Olim filiis Israë̄l, modo vobis apostoli, in mundo expulsis dæmonibus et omnibus victis principibus.

^{§§}43.19 *Facio nova.* Multa quæ reficiunt animas, non corpora: olim de petra unum tantum produxi fontem ad corpora reficienda.

*43.20 *Dracones et struthiones.* Maligni, venenosi, qui in solitudine gentium morabantur, idololatriæ sanguine morumque feritate bestiales. Struthio speciem alarum habet, volatu caret. Sic hypocrita speciem sanctitatis habet, rem autem nonhabet.

†43.22 *Non me invocasti.* HIER. Ad Judæos loquitur, qui ante adventum Domini idola coluerunt; vel ad eos qui post adventum credere noluerunt. *Nec laborasti.* Non feci te laborare post adventum Filii, ut pretiosa quæque offerres, quia: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus,* etc. Psal. L. Vel: Non laborasti in me tantum qui idolis offerebas.

‡43.23 *In thure.* Per thus et calamum, qui est sarculus arboris aromaticæ, omnia aromata accipe.

¶43.25 *Ego sum.* ID. Quasi diceret: Fecisti me laborare sub onere peccati tui; ideo jam non servum meum, non puerum voco, sed simpliciter appello Jacob et Israë̄l, ut ostendam et arguam peccatores.

§43.26 *Reduc me.* Bona quæ feci tibi. *Quid ultra debui facere tibi, et non feci?* Vel: Si quid justus habes, ego libenter recipiam.

**43.27 *Pater tuus.* Abraham scilicet qui, Domino terram promissionis pollicente, respondit: *In quo sciam quia possidebo eam?* Vel ipse Abraham qui peccasse dicitur in promissione filii dubitando; vel, populus in deserto contra Deum murmurando, quasi diceret: cognoscet de peccatoribus generatum. *Interpretes.* Quasi diceret: inter partes, scilicet pacem ferentes.

††44.1 *Et nunc audi, Jacob.* Primos fideles de Judæis aliis obduratis cum quodam privilegio nominis et dignitate honoris alloquitur; apostolorum scilicet chorum. *Audi, Jacob serve meus.* Prima servitus, secunda electio.

et rectissime, quem elegi.‡‡ 3 Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam; effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam:¶¶ 4 et germinabunt inter herbas, quasi salices juxta præterfluentes aquas. §§ 5 Iste dicet: Domini ego sum; et ille vocabit in nomine Jacob; et hic scribet manu sua: Domino, et in nomine Israël assimilabitur.]* 6 [Hæc dicit Dominus, rex Israël, et redemptor ejus, Dominus exercituum: Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est deus.† 7 Quis similis mei? vocet, et annuntiet: et ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum; ventura et quæ futura sunt annuntient eis. 8 Nolite timere, neque conturbemini: ex tunc audire te feci, et annuntiavi; vos estis testes mei. Numquid est Deus absque me, et formator quem ego non noverim? 9 Plastæ idoli omnes nihil sunt, et amantissima eorum non proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur. 10 Quis formavit deum, et sculptile conflavit ad nihil utile? 11 Ecce omnes participes ejus confundentur, fabri enim sunt ex hominibus; convenient omnes, stabunt et pavebunt, et confundentur simul. 12 Faber ferrarius lima operatus est, in prunis et in malleis formavit illud, et operatus est in brachio fortitudinis suæ; esuriet et deficiet, non bibet aquam et lassescet.‡ 13 Artifex lignarius extendit normam, formavit illud in runcina, fecit illud in angularibus, et in circino tornavit illud, et fecit imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo; 14 succidit cedros, tulit ilicem, et quercum, quæ steterat inter ligna saltus; plantavit pinum, quam pluvia nutrit: 15 et facta est hominibus in focum; sumpsit ex eis, et calefactus est; et succendit et coxit panes; de reliquo autem operatus est deum et adoravit; fecit sculptile, et curvatus est ante illud. 16 Medium ejus combussit igni, et de medio ejus carnes comedit; coxit pulmentum, et saturatus est, et calefactus est, et dixit: Vah ! calefactus sum, vidi focum; 17 reliquum autem ejus deum fecit et sculptile sibi; curvatur ante illud, et adorat illud, et obsecrat, dicens: Libera me, quia deus meus es tu ! 18 Nescierunt, neque intellexerunt; obliti enim sunt ne videant oculi eorum, et ne intelligant corde suo. 19 Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt, ut dicant: Medietatem ejus combussi igni, et coxi super carbones ejus panes; coxi carnes et comedi, et de reliquo ejus idolum faciam? ante truncum ligni procidam? 20 Pars ejus cinis est; cor insipiens adoravit illud, et non liberabit animam suam: neque dicet: Forte mendacium est in dextera mea. 21 Memento horum Jacob, et Israël, quoniam

‡‡44.2 *Ab utero auxiliator tuus.* In quo fratris plantam arripuisti, vel, in principio Ecclesiæ manus persecutorum evasisti. *Et rectissime quem elegi.* Israël, secundum Hebraicam veritatem, rectus vel rectissimus. Quod ante, vir videns Deum dicitur: non a proprietate, sed a sono vocis habetur.

¶¶44.3 *Effundam Spiritum meum.* Scilicet in baptismo per impositionem manuum.

§§44.4 *Quasi salices juxta præterfluentes aquas.* Salix arbor infructuosa, etc., usque ad quæ cito credidit prædicantibus apostolis.

*44.5 *Iste dicet.* Credentium varietatem describit. *Et in nomine Israël assimilabitur.* Ut recipiant legem, et prophetas, et Spiritus sancti gratias quæ Israël promissæ sunt.

†44.6 *Ego primus et ego novissimus.* Post vocationem gentium quæ, abjectis idolis, crediderunt, agit contra eos qui converti noluerunt. *Absque me non est Deus.* Non dicit se solum esse, sed præter virtutem et sapientiam suam nullum externum Deum esse, deorum multorum opinionem et simulacra condemnans.

‡44.12 *Esuriet et deficiet.* HIER. Fame et siti artificis, etc., usque ad quorum Deus venter est, gloria in confusione eorum.

servus meus es tu. Formavi te; servus meus es tu, Israël, ne obliviscaris mei. ²² Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te. ²³ Laudate, cæli, quoniam misericordiam fecit Dominus; jubilate, extrema terræ; resonate, montes, laudationem, saltus et omne lignum ejus, quoniam redemit Dominus Jacob, et Israël gloriabitur.][¶] ²⁴ [Hæc dicit Dominus, redemptor tuus, et formator tuus ex utero: Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, et nullus mecum;[§] ²⁵ irrita faciens signa divinatorum, et ariolos in furorem vertens; convertens sapientes retrorsum, et scientiam eorum stultam faciens; ²⁶ suscitans verbum servi sui, et consilium nuntiorum suorum complens; qui dico Jerusalem: Habitaberis, et civitatibus Juda: Ædificabimini, et deserta ejus suscitabo;^{**} ²⁷ qui dico profundo: Desolare, et flumina tua arefaciam;^{††} ²⁸ qui dico Cyro: Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis; qui dico Jerusalem: Ædificaberis, et templo: Fundaberis.]

45 [Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo januas, et portæ non claudentur:^{‡‡} ² Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo; portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam: ³ et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum, ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israël,^{¶¶} ⁴ propter servum meum Jacob, et Israël, electum meum; et vocavi te nomine tuo: assimilavi te, et non cognovisti me.^{§§} ⁵ Ego Dominus, et non est amplius; extra me non est deus; accinxi te, et non cognovisti me:^{*} ⁶ ut sciant hi qui ab ortu solis et qui ab occidente, quoniam absque me non est: ego Dominus, et non est alter:[†]

[¶]44.23 *Jubilate, extrema terræ.* ID. Angeli quasi habitatoribus terræ præsent; vel apostoli, vel prophetæ super quos et alii esse constant; unde Ephesiis dicitur: *Super ædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum,* etc.

[§]44.24 *Hæc dicit Dominus Redemptor,* etc. ID. Supra locutus est de idolorum subversione, et Israël penitentis redemptione: nunc autem de potentia suæ magnitudine, ne quis dubitet de salvatione quam promittit.

^{**}44.26 *Qui dico.* De restauratione quæ facta est a Zorobabel et aliis ducibus, Cyro permittente, loquitur: Cum tamen adhuc implenda esset captivitas.

^{††}44.27 *Flumina tua.* Sub Dario scilicet et Cyro nepote ejus. Nocte enim qua ab eis Balthasar occisus est, Euphrates fluvius, qui per mediam civitatem fluebat, ab eorum exercitu in rivos divisus est, ut per ejus alveum civitatem ingrederentur.

^{‡‡}45.1 *Hæc dicit Dominus Christo.* Apud Romanos diadema, apud Judæos unctio, et reges facit et sacerdotes, a qua et christi dicuntur. Cyrus christus, non unctio, sed dignitate. *Et dorsa regum.* ID. Quæ civitas illi non patuit? Quis regum terga non vertit? qui muri, ante inexpugnabiles, non sunt ejus obsidione subversi? Hæc autem completa plenius invenies in historia Xenophontis.

^{¶¶}45.3 *Thesauros absconditos.* Cunctorum urbium, ut abjectis idolis, beneficiis invitatus, unum Deum sentires, qui ante prædixit nomen tuum antequam esses.

^{§§}45.4 *Et vocavi te.* ID. Sicut vocavi Abraham, Isaac et Jacob, etc., usque ad Filium autem Christus oleo lætitiæ unctus præ participibus suis.

^{*}45.5 *Extra me.* Quia Filius et Spiritus sanctus in Patre; præter sermonem quippe et rationem virtutemque meam et sapientiam quæ in me est, non est alius Deus.

[†]45.6 *Ut sciant.* Esdras dicit Cyrum scripsisse omnibus gentibus non esse Deum, nisi Deum Israël. Vel ex captivorum liberatione Dei clementia et potentia omnibus magis nota. Josephus autem in libro Antiquitatum ideo populum fuisse dimissum ait, quia Cyrus legit in libro Isaïæ quæ de eo Dominus per prophetam dixerat ante.

⁷ formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.[‡] ⁸ Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant justum; aperiat terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum.][¶] ⁹ [Væ qui contradicit factori suo, testa de samiis terræ ! Numquid dicit lutum figulo suo: Quid facis, et opus tuum absque manibus est?][§] ¹⁰ Væ qui dicit patri: Quid generas? et mulieri: Quid parturis?^{**} ¹¹ Hæc dicit Dominus, Sanctus Israël, plastes ejus: Ventura interroga me; super filios meos et super opus manuum mearum mandate mihi.^{††} ¹² Ego feci terram, et hominem super eam creavi eum: manus meæ tetenderunt cælos, et omni militiæ eorum mandavi.^{‡‡} ¹³ Ego suscitavi eum ad justitiam, et omnes vias ejus dirigam; ipse ædificabit civitatem meam, et captivitatem meam dimittet, non in pretio neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum.]^{¶¶} ¹⁴ [Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt; post te ambulabunt, vincti manicis pergunt, et te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus, et non est absque te deus.^{§§} ¹⁵ Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël, salvator. ¹⁶ Confusi sunt, et erubuerunt omnes: simul abierunt in confusionem fabricatores errorum. ¹⁷ Israël salvatus est in Domino salute æterna; non confundemini, et non erubescetis usque in sæculum sæculi. ¹⁸ Quia hæc dicit Dominus creans cælos, ipse Deus formans terram et faciens eam, ipse plastes ejus; non in vanum creavit eam: ut habitaretur formavit eam: Ego Dominus, et non

[‡]45.7 *Tenebras*. Noctem vel captivitatem. Quasi pœnitentes misertus a captivitate reduco; iratus peccantes captivo. *Malum*. ID. Bellum, scilicet afflictionem secundum quod dicitur: Sufficit diei malitia sua. Confundantur ergo qui Deum malorum conditorem arbitrantur. Hic enim malum non contrarium bono, sed pro afflictione ponitur et bello.

[¶]45.8 *Rorate cæli*. ID. De adventu Christi, per Cyrum significati, quia a captivitate diaboli liberabit genus humanum, convenienter adjungit. Vel possunt hæc hærere superioribus, ut Cyro captivitatem laxante metonymicos cœlum et terra lætentur. *Et nubes*. Prophetæ corda nostra salutari pluvia irrigantes, et Christi nativitatem et resurrectionem et ascensionem annuntiantes, unde: *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem;* et alibi, *Veritas tua usque ad nubes. Creavi eum qui:* scilicet vermis fuit, et germinatus de terra legitur secundum humanitatem.

[§]45.9 *Væ qui contradicit:* quasi diceret: Credite quæ prædico, Christum scilicet venturum, quia, *Væ qui contradicit factori suo* Psal. 35.; vel Cyrum cui per liberationem populi mei omnia regna substernam.

^{**}45.10 *Mulieri, quid parturis?* Vir mulieris potens, mulier viri potens.

^{††}45.11 *Plastes ejus*, Filii, secundum humanitatem in utero virginali, unde: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi,* etc.

^{‡‡}45.12 *Et omni militiæ*. Hac occasione putant quidam astra esse rationalia; aiunt enim, quia insensatis non mandaret aliquid, quæ mandata non intelligerent.

^{¶¶}45.13 *Ego suscitavi*. ID. Quasi diceret: Qui supradicta feci; quid mirum si et Filium mittam in mundum ut redimat genus humanum et a mortuis suscitarem eum? *Vias ejus dirigam. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* I Petr. 2.. *Ipsæ ædificabit*. ID. De quo dictum est: *Non cognovisti me*. Nec ipse ædificavit civitatem vel templum, sed permisit ædificari: nec in ejus tempore hoc consummatum est, sed Assueri.

^{§§}45.14 *Labor Ægypti*. Cultus idolorum. Multum enim laborabat in exsequendis idolorum sacrificiis. Sed apostolis prædicantibus conversi sunt, et præ omnibus regnis abundant ibi religiones monachorum, *ut ubi abundavit delictum, superabundet et gratia* Rom. 5..

est alius. ¹⁹Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso; non dixi semini Jacob frustra: Quærite me: ego Dominus loquens justitiam, annuntians recta. *

²⁰Congregamini, et venite, et accedite simul qui salvati estis ex gentibus: nescierunt qui levant lignum sculpturæ suæ, et rogant deum non salvantem. † ²¹Annuntiate, et venite, et consiliamini simul. Quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud? numquid non ego Dominus, et non est ultra deus absque me? Deus justus, et salvans non est præter me. ‡ ²²Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ, quia ego Deus, et non est alius. ²³In memetipso juravi; egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur: quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua. † ²⁴Ergo in Domino, dicet, meæ sunt justitiæ et imperium; ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei. ²⁵In Domino justificabitur, et laudabitur omne semen Israël. §

46 [Confractus est Bel, contritus est Nabo; facta sunt simulacra eorum bestii et jumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem. ** ²Contabuerunt, et contrita sunt simul; non potuerunt salvare portantem, et anima eorum in captivitatem ibit. †† ³Audite me, domus Jacob, et omne residuum domus Israël; qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. ‡‡ ⁴Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo; ego feci, et ego feram; ego portabo, et salvabo.

*45.19 *Non in abscondito*, etc. ID. Olim in monte Sinai uni tantum populo dixit: *Non erunt tibi dii alieni* Exod. 20.. Evangelium autem per apostolos omnibus gentibus prædicavit, unde: *In omnem terram exivit sonus eorum* Psal. 18.. *Non dixi*. HIER. Primum quidem ad Judæos veni: et ut umbram legis relinquentes, veritatem sequerentur admonui. *Annuntians recta*. Ut creatura Creatorem adoret, ut relictis figuris sequatur veritatem Evangelii.

†45.20 *Nescierunt*. Noluerunt scire quidam remanentes in errore, simulacrorum scilicet onere gravati, et sperantes in quibus non est salus.

‡45.21 *Consiliamini*. Ut omnes per mundum euntes idem annuntietis. Hinc enim simul symbolum composuerunt de Trinitate et unitate, de communionem Ecclesiæ, de generali resurrectione. *Prædixi illud*. Gentes esse salvandas, sed idolum nihil esse: quando locutus sum Abrahæ, vel quando legem dedi.

†45.23 *Egredietur*: in mundum visibiliter in carne. *Justitiæ verbum*, filius donec obedientiam impleverit, etc., usque ad quod Judæi superbia mentis demonstrantes omnino non faciunt.

§45.25 *In Domino dicet*. Omnes gentes etiam Barbaræ, non in synagogis, sed in Ecclesiis confitentur.

**46.1 *Confractus est Bel*. HIER. Post vocationem gentium subjicitur destructio idolorum. *Nabo*. Nabo est aurum, etc., usque ad et prophetia dæmonum, et divinatio magorum ad nihilum devenerunt. *Bestiis et jumentis*. ID. Bestias enim et jumenta adorabant, et regio eorum plerisque oppidis ex bestiis et jumentis, quæ adorabant, nomina imposuit, ut scilicet, Leonata a Leone, et alia hujusmodi.

††46.2 *Et anima eorum*. Non quod simulacra habeant animam, etc., usque ad quas diabolo et dæmonibus subjugavit.

‡‡46.3 *Domus Jacob*. Non dicit Jacob, servi mei, electi mei cum adjectione honoris, sed simpliciter: et alloquitur tanquam carnales et recedentes a mandatis suis. *Qui portamini*. Qui gestamini tanquam fetus conceptus per desertum usque ad terram promissionis. Diu enim patienter eos exspectavit, et in terra promissionis, et post passionem per duos et quadraginta annos.

⁵ Cui assimilastis me, et adæquastis, et comparastis me, et fecistis similem?^{¶¶} ⁶ Qui confertis aurum de sacco, et argentum statera ponderatis, conducentes aurificem ut faciat deum, et procidunt, et adorant. ⁷ Portant illum in humeris gestantes, et ponentes in loco suo, et stabit, ac de loco suo non movebitur: sed et cum clamaverint ad eum, non audiet; de tribulatione non salvabit eos. ⁸ Mementote istud, et confundamini; redite, prævaricatores, ad cor.^{§§} ⁹ Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra deus, nec est similis mei. ¹⁰ Annuntians ab exordio novissimum, et ab initio quæ necdum facta sunt, dicens: Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* ¹¹ Vocans ab oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ: et locutus sum, et adducam illud; creavi et faciam illud.[†] ¹² Audite me, duro corde, qui longe estis a justitia.[‡] ¹³ Prope feci justitiam meam, non elongabitur, et salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, et in Israël gloriam meam.]

47 [Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon: sede in terra; non est solium filia Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis et tenera.[¶] ² Tolle molam, et mole farinam; denuda turpitudinem tuam; discooperi humerum, revela crura, transi flumina.[§] ³ Revelabitur ignominia tua, et videbitur opprobrium tuum; ultionem capiam, et non resistet mihi homo.** ⁴ Redemptor noster, Dominus exercituum nomen illius, Sanctus Israël. ⁵ Sede tacens, et intra in tenebras, filia Chaldæorum, quia non vocaberis ultra domina regnorum.^{††} ⁶ Iratus sum super populum meum: contaminavi hæreditatem meam, et dedi eos in manu tua: non posuisti eis

^{¶¶}46.5 *Cui assimilastis?* In eos præcipue invehitur, qui tempore Achaz et Ezechielis idola coluerunt in angulis platearum, in hortis, in lucis super domos.

^{§§}46.8 *Mementote istud.* Quia vos genui et usque ad senectam portavi, deserite idola quæ fecistis, et ad unius Dei cultum revertimini. *Ad cor.* Intellectum, qui quasi bestia vixistis, simulacra venerantes, ut furiosi in ligna et lapides impingentes.

*46.10 *Annuntians.* Per prophetas, ut cum prædicta implevero per divinationem, id est prophetam prædicentem futura, probem divinitatem meam. *Novissimum. Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt* I Cor. 10.. Et alibi: *At ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum* Gal. 4.. *Et Joannes: Filioli,* inquit, *novissima hora est* I Joan. 2.. *Consilium:* redimendi mundum per Filium, quasi, consilium meum statutum nunc dico, ut cum videritis effectum, sciatis nullum esse Deum nisi qui futura cognovit et fieri præcepit.

[†]46.11 *Vocans ab oriente avem:* ID. Secundum Hebræos Cyrum regem Persarum, etc., usque ad et quem Magi ob oriente venientes adoraverunt.

[‡]46.12 *Duro corde.* Qui semper resistitis veritati, primo prophetis, tandem, et Filio.

[¶]47.1 *Descende, sede,* etc. HIER. Quia omnes creaturæ Dei sumus; nec juxta hæreticos, natura Babylonis damnabilis; vel ob luxuriam et ornatum potentissimæ urbis, quæ jam senex et vicina occasui virgunculam se et puellam jactat.

[§]47.2 *Farinam,* vel coitum præbe Medis et Persis, qui in hoc ferventissimi sunt. Secundum hoc dicunt Hebræi, quod Philisthæi Samsonem erutis oculis molere cœgerunt, id est cum mulieribus suis coire, ut ex eo susciperent homines magnæ et invincibilis staturæ.

**47.3 *Et non resistet,* sicut, Moyses Deo volenti delere filios Israël. Significat autem angelum Babylonis præpositum: qui cum aliis ait: *Curavivimus Babylonem, et non est sanata.*

^{††}47.5 *Sede.* Sermo ad Babylonem refertur, et quasi quondam reginam, modo ancillam alloquitur. Sede humilis et vilis. Tace ut tristis considerans miseriam tuam.

misericordias; super senem aggravasti jugum tuum valde.^{‡‡} ⁷ Et dixisti: In sempiternum ero domina. Non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. ⁸ Et nunc audi hæc delicata, et habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego sum, et non est præter me amplius; non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem. ⁹ Venient tibi duo hæc subito in die una, sterilitas et viduitas: universa venerunt super te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, et propter durtiam incantatorum tuorum vehementem.^{¶¶} ¹⁰ Et fiduciam habuisti in malitia tua, et dixisti: Non est qui videat me. Sapientia tua et scientia tua, hæc decepit te. Et dixisti in corde tuo: Ego sum, et præter me non est altera. ¹¹ Veniet super te malum, et nescies ortum ejus; et irruet super te calamitas quam non poteris expiare; veniet super te repente miseria quam nescies.^{§§} ¹² Sta cum incantatoribus tuis et cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quod prosit tibi, aut si possis fieri fortior. ¹³ Defecisti in multitudine consiliorum tuorum. Stent, et salvent te augures cæli, qui contemplantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi.* ¹⁴ Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos; non liberabunt animam suam de manu flammæ; non sunt prunæ quibus calefiant, nec focus ut sedeant ad eum.[†] ¹⁵ Sic facta sunt tibi in quibuscumque laboraveras: negotiatores tui ab adolescentia tua, unusquisque in via sua erraverunt; non est qui salvet te.]

48 [Audite hæc, domus Jacob, qui vocamini nomine Israëli, et de aquis Juda existis; qui juratis in nomine Domini, et Dei Israëli recordamini non in veritate neque in justitia.[‡] ² De civitate enim sancta vocati sunt, et super Deum Israëli constabiliti sunt: Dominus exercituum nomen ejus.[¶] ³ Priora ex tunc annuntiavi, et ex ore

^{‡‡}47.6 *Iratus sum.* Causam reddit quare Chaldæos ita afflixerit, ne sine causa fecisse videretur, qui nihil sine causa operatur; et ut cognoscant Chaldæi, quia non in viribus suis superaverunt populum Dei.

^{¶¶}47.9 *Subito.* Ex improvise irruente Cyro et Dario. Non enim metuebat ut a Medis et Persis qui illius comparatione nullius erant fortitudinis, et ipsi subjecti posset superari.

^{§§}47.11 *Nescies ortum.* Ex insperato veniet calamitas, nec a magis nec divinis prædicta, despectum enim et subjectum populum non timebant.

* 47.13 *Augures cæli.* Astrologi, qui per stellas arbitrantur omnia regi. Quasi dicat: Quasi non providerunt omnia tibi? Hi vulgo appellantur mathematici, qui cursu astrorum res mundanas putant regi, unde: *Ab oriente venerunt magi dicentes: Vidimus stellam ejus in oriente* Matth. 2.. Vel, a vaticinio Balaam provocati, qui ait: *Orietur stella ex Jacob* Num. 24..

[†]47.14 *Facti sunt quasi stipula,* etc. LXX: Habens carbonem ignis, sedebis super eos, hi erunt tibi in adiutorium. Quasi, Gazareni et magi per errorem ducunt te ad superbiam. Incendium autem Babylonis per supplicia vocat ad pœnitentiam.

[‡]48.1 *Audite hæc.* HIER. Consuetudo est ut quando agitur de carnali Israël, simpliciter et sine nominis adjunctione Jacob vel Israël dicatur, sicut in hoc loco, ubi eos alloquitur, qui nomine tenus Jacob vel Israël appellantur. *Et de aquis Juda.* Judæa facit mentionem, quia docem tribubus captivatis, Juda et Benjamin et Levitæ in terra promissionis manebant, et regem de Juda habebant.

[¶]48.2 *De civitate enim sancta.* ID. Ac si dicat: Habitatores Jerusalem vos esse jacetis, et Domini Sabaoth habere privilegium, cum cassa vobis, Jacob, Israël, et sanctæ urbis, Dei omnipotentis assumatis vocabula.

meo exierunt, et audita feci ea: repente operatus sum, et venerunt.^{§ 4} Scivi enim quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea.^{** 5} Prædixi tibi ex tunc; antequam venirent, indicavi tibi, ne forte diceres: Idola mea fecerunt hæc, et sculptilia mea et conflabilia mandaverunt ista.⁶ Quæ audisti, vide omnia; vos autem, num annuntiastis? Audita feci tibi nova ex tunc, et conservata sunt quæ nescis.^{†† 7} Nunc creata sunt et non ex tunc; et ante diem, et non audisti ea, ne forte dicas: Ecce ego cognovi ea.⁸ Neque audisti, neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua: scio enim quia prævaricans prævaricaberis, et transgressorem ex utero vocavi te.⁹ Propter nomen meum longe faciam furorem meum, et laude mea infrenabo te, ne intereas.^{‡‡ 10} Ecce excoxi te, sed non quasi argentum; elegi te in camino paupertatis.^{¶¶ 11} Propter me, propter me faciam, ut non blasphemem; et gloriam meam alteri non dabo.¹² Audi me, Jacob, et Israël, quem ego voco: ego ipse, ego primus, et ego novissimus.^{§§ 13} Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cælos; ego vocabo eos, et stabunt simul.¹⁴ Congregamini, omnes vos, et audite: quis de eis annuntiavit hæc? Dominus dilexit eum, faciet voluntatem suam in Babylone, et brachium suum in Chaldæis.^{* 15} Ego, ego locutus sum, et vocavi eum; adduxi eum, et directa est via ejus.^{† 16} Accedite ad me et audite hoc: non a principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: et nunc Dominus Deus misit me, et spiritus ejus.^{‡ 17} Hæc dicit Dominus, redemptor tuus, Sanctus Israël: Ego Dominus

§48.3 *Priora extunc.* Prædixi Babylonios superandos, et repente faciam quod minatus sum: ut cum venerint quæ prædicta sunt, scias nec fortuito nec deorum tuorum nutu accidisse. *Priora miracula,* scilicet quæ feci in medio eorum ex quo ab Ægypto exierunt, et imminente captivitate a Nabuchodonosor: nunc autem antequam captiventur prædicat eorum liberationem et Chaldæorum vastationem; unde repente scilicet quæ ventura prædico operatus sum.

**48.4 *Nervus ferreus.* Hinc Stephanus: *dura cervice et incircumcisi cordibus* Act. 17.. *Frons tua ærea:* unde Ezechiel: *Omnis quippe domus Israël attrita fronte est* Ezech. 3., etc. Et Jeremias: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere* Jer. 3..

††48.6 *Et conservata sunt.* Quasi dicat: Plurima annuntiaturus eram, sed quia non recordaris quæ dico, quæ dicturus eram reservo.

‡‡48.9 *Propter nomen meum.* Scilicet ne violaretur: *longe faciam; feci:* scilicet furorem meum ne disperderem te, quia adorasti vitulum: *et laude mea* ut me scilicet laudares: *Infrenabo te* lege mea.

¶¶48.10 *In camino paupertatis.* ID. Purgando per paupertatem, divitias tuas dando hostibus; vel in Ægypto, ubi ostenditur divitiis et paupertate plerosquo tentari.

§§48.12 *Audi me, Jacob.* HIER. Eisdem adhuc loquitur, etc., usque ad sed vocatos appellat.

*48.14 *Congregamini omnes vos.* Quid ergo gloriatur terra et cinis et ignorans fragilitatem suam? *Annuntiavit hæc.* Quod Cyrus Babylonem destrueret, vel quia Filius meus de virgine nasciturus esset. *Dominus dilexit eum.* Hæc proprie ad Christum pertinent. Possunt tamen ad Cyrum referri et ad Darium usque ad locum illum: *Directa est via ejus. Suam:* quia capiet eam. Vel, Filius in mundo redimendo eum, qui et Chaldæos scilicet dæmones ejecit, unde, *princeps hujus mundi ejicietur foras.*

†48.15 *Vocavi eum.* Cyrum vel filium, per Gabrielem dicens: *Et vocabis nomen ejus Jesum.*

‡48.16 *Misit me.* ID. Totam Trinitatem breviter, plene et aperte distinguit.

Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.[¶] 18 Utinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, et iustitia tua sicut gurgites maris: 19 et fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui ut lapilli ejus; non interisset et non fuisset attritum nomen ejus a facie mea. 20 Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis, in voce exsultationis annuntiate: auditum facite hoc, et efferte illud usque ad extrema terræ. Dicite: Redemit Dominus servum suum Jacob. 21 Non sitierunt in deserto, cum educeret eos: aquam de petra produxit eis, et scidit petram, et fluxerunt aquæ.[§] 22 Non est pax impiis, dicit Dominus.]

49 [Audite, insulæ, et attendite, populi de longe: Dominus ab utero vocavit me; de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.^{**} 2 Et posuit os meum quasi gladium acutum, in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me.^{††} 3 Et dixit mihi: Servus meus es tu Israël, quia in te gloriabor.^{‡‡} 4 Et ego dixi: In vacuum laboravi; sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi: ergo iudicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo.^{¶¶} 5 Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israël non congregabitur; et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea.^{§§} 6 Et dixit: Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israël convertendas: ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. 7 Hæc dicit Dominus, redemptor Israël, Sanctus ejus, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum: Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est,

[¶]48.17 *Ego Dominus.* Qui Israël futura promitto. Reddit causam quare eos prius afflixerit.

[§]48.21 *Non sitierunt.* ID. De Ægypto venientibus ad litteram, etc., usque ad satiati aqua sapientiæ. *Scidit petram.* Petra erat Christus. Scinditur in partes sermo divinus, ut quem totum suscipere non possumus, per partes sumamus. *Et fluxerunt aquæ.* *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis nostræ redemptionis, et aqua baptismi,* baptismum et martyrium dedicans nobis.

^{**}49.1 *Audite, insulæ.* HIER. Post reliquiarum Israël vocationem et infidelium objectionem de quibus, Non est pax impiis, dicit Dominus, sub insularum nomine alloquitur in persona Filii Ecclesias de gentibus.

^{††}49.2 *Gladium acutum. Non veni pacem mittere, sed gladium* Matth. 10., malos scilicet a bonis separans.

^{‡‡}49.3 *Gloriabor.* Quod non in aliis servis: *Pater, glorificavi nomen tuum* Joan. 17. Et alibi: *Exsurge, gloria mea* Psal. 56., etc.

^{¶¶}49.4 *Et ego dixi.* ID. Quasi dicat: Quomodo te glorificavi, qui magnam partem Judæorum ad te revocare non potui? Hic autem liberum hominis monstratur arbitrium: Dei enim est vocare, nostrum credere, ipso tamen adjuvante, ut justis voluntatis præmium consequantur. *Ergo iudicium,* etc. ID. Judicabit Pater utrum omnia fecerim eis quæ debui: *Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.* Et alibi: *Ego te glorificavi super terram* Joan. 17.. *Opus meum.* Alii: Labor et dolor meus: quia flevit civitatem, et ait in Psalmo: *Quæ utilitas in sanguine meo?* Psal. 29. Juxta Hebraicum, pendens in cruce longe a salute mea verba lamentationum mearum.

^{§§}49.5 *Glorificatus.* Quasi dicat: Ego Judæos perdidit, sed glorificatus sum in gentibus, unde, *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.* Matth. 28..

et Sanctum Israël qui elegit te.]^{* 8} [Hæc dicit Dominus: In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui: et servavi te, et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas;^{† 9} ut diceres his qui vincti sunt: Exite, et his qui in tenebris: Revelamini. Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum.¹⁰ Non esurient neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.¹¹ Et ponam omnes montes meos in viam, et semitæ meæ exaltabuntur.¹² Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terra australi.¹³ Laudate, cæli, et exsulta, terra; jubilate, montes, laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur.]¹⁴ [Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei.¹⁵ Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.¹⁶ Ecce in manibus meis descripsi te; muri tui coram oculis meis semper.^{‡ 17} Venerunt structores tui; destruentes te et dissipantes a te exhibunt.^{¶ 18} Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa;^{§ 19} quia deserta tua, et solitudines tuæ, et terra ruinæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatoribus; et longe fugabuntur qui absorbebant te.²⁰ Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus; fac spatium mihi ut habitem.²¹ Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? ego sterilis et non pariens, transmigrata, et captiva; et istos quis enutrivit? ego destituta et sola; et isti ubi erant?^{** 22} Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum: et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt.²³ Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ; vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur

^{*}49.7 **Abominatam.** Christum et Nazaræos ejus, quos quotidie Judæi in synagogis maledicunt, quia propter eos regnum, locum et gentem amiserunt. **Reges.** Propheta ad Filium. **Reges videbunt** te venientem ad iudicium: **Reges,** scilicet apostoli et alii qui cum Domino iudicabunt.

[†]49.8 **In tempore placito.** Passionis, resurrectionis, in quo placuit Deo redimere genus humanum.

[‡]49.16 **Ecce in manibus,** etc. ID. Ex hoc discimus Jerusalem in regione Palestinæ non esse quærendam: quæ totius provinciæ deterrima et saxosis montibus exasperata penuriam fontium patitur.

[¶]49.17 **Structores.** Apostoli et alii: Culpa Judæorum, id est, Scribarum et Pharisæorum destructa es prædicatione quorundam Judæorum, id est apostolorum tam de Judæis quam de gentibus congregata es.

[§]49.18 **Omnes isti congregati.** Judæi ex omni natione, etc., usque ad quotidie congregantur ad fidem Ecclesiæ. **Ornamento.** Variis Spiritus sancti gratiis, quibus ornatur sponsæ ambitio, de qua dicitur: **Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate** Psal. 44..

^{**}49.21 **Ego sterilis.** Quia post Aggæum, et Zachariam, et Malachiam, qui et Esdras, non habuerunt prophetas qui eos in lege nutrent, usque ad Joannem Baptismam.

qui exspectant eum.^{††} ²⁴ Numquid tolletur a forti præda? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit? ²⁵ Quia hæc dicit Dominus: Equidem, et captivitas a forti tolletur, et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur. Eos vero qui iudicaverunt te, ego iudicabo, et filios tuos ego salvabo.^{‡‡} ²⁶ Et cibabo hostes tuos carnibus suis, et quasi musto, sanguine suo inebriabuntur, et sciet omnis caro quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob.]^{¶¶}

50 [Hæc dicit Dominus: Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.^{§§} ² Quia veni, et non erat vir; vocavi, et non erat qui audiret. Numquid abbreviata et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum; computrescent pisces sine aqua, et morientur in siti.* ³ Induam cælos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum.][†] ⁴ [Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.[‡] ⁵ Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii. ⁶ Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. ⁷ Dominus Deus auxilia-

^{††}49.23 *Reginæ*. Idem, sed magis affectuose. Unde: *Astitit regina*, etc. Quæ scilicet quotidie Christi parvulos nutrit et ad perfectam ætatem ducit. *Adorabunt*. Venerabuntur secundum illud: *Adorabunt scabellum pedum ejus* Psal. 98., in quo pede majestas indicatur. *Pulverem pedum tuorum*. HIER. Omnem scilicet terrenitatem verbo et exemplo mundabunt, secundum quod dictum est, *Quodcumque solveris super terram, erit solum* Matth. 16., etc., unde: *Excutite pulverem pedum vestrorum* Matth. 10..

^{‡‡}49.25 *Quia hæc dicit Dominus*. ID. Respondet quæstioni, quia hæc scilicet in adventu suo compleantur.

^{¶¶}49.26 *Carnibus suis*. Non aliena morte, sed propria, etc., usque ad ferocium bestiarum patens morsibus. *Fortis Jacob*. Qui dedi fortitudinem Jacob luctandi etc., usque ad quasi et oratione contra Esau quem metuis, prævalebis.

^{§§}50.1 *Hæc dicit Dominus: Quis est?* HIER. Post vocationem gentium, post captionem fortis, cujus præda divisa est apostolis, loquitur ad populum Judæorum super Sion quæ superius ait: *Dereliquit me Dominus*, etc. *Vendidi. Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato* Rom. 7.. *Qui facit peccatum servus peccati est* Joan. 8.. Unde: *Non regnet peccatum in corpore vestro* Rom. 6..

^{*}50.2 *Quia veni*. ID. Hoc est ut sciatis me matrem vestram non repudiasse, sed eam voluntate propria recessisse: post multa beneficia carnem assumpsi, nec jam per prophetas, sed præsens ipse locutus sum. *Non erat vir*. Herodi propter malitiam, etc., usque ad de omnibus in commune: *Visio quadrupedum in deserto* Isa. 30. *Vocavi*. Quasi diceret: Rationales, *Inclinate aurem vestram in verba oris mei* Psal. 77.. *Qui sinit, veniat et bibat* Joan. 8., et hujusmodi. *Nunquid*. ID. Invehitur contra eos qui putabant, etc., *usque ad ut exhibeat mihi plus quam duodecim legiones angelorum?* Matth. 26..

[†]50.3 *Induam cælos tenebris*. Aiunt philosophi non amplius decem stadiis a terra nubes in sublime levare, et solis splendorem abscondi: sic excluso cœli lumine, ær inferior obscuratur. *Induam*. Sanctos, scilicet ut se cognoscant peccatores. *Et saccum ponam*. Ut agant penitentiam in timore et cilicio.

[‡]50.4 *Dominus dedit*, etc. ID. Quamvis possint hæc referri ad Isaiam, proprie tamen referuntur ad Christum, quasi diceret: Qui olim talia operatus sum, et modo similia operari possum, non est potentia imminuta.

tor meus, ideo non sum confusus; ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar. ⁸ Juxta est qui justificat me; quis contradicet mihi? Stemus simul; quis est adversarius meus? accedat ad me. ⁹ Ecce Dominus Deus auxiliator meus; quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur; tinea comedet eos. ¹⁰ Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? Qui ambulavit in tenebris, et non est lumen ei, speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum. ¹¹ Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis: ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis; de manu mea factum est hoc vobis: in doloribus dormietis.]**

51 [Audite me, qui sequimini quod justum est, et quæritis Dominum; attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam lacu de qua præcisi estis. ^{††} ² Attendite ad Abraham, patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos: quia unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum. ³ Consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus: et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. ^{‡‡} ⁴ Attendite ad me, popule meus, et tribus mea, me audite: quia lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. ⁵ Prope est justus meus, egressus est salvator meus, et brachia mea populos judicabunt; me insulæ exspectabunt, et brachium meum sustinebunt. ^{¶¶} ⁶ Levate in cælum oculos vestros, et videte sub terra deorsum: quia cæli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt: salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. ^{§§} ⁷ Audite me, qui scitis justum, populus meus, lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum

[†]50.9 *Quasi vestimentum.* ID. Vestimentum vetustate et tinea consumitur. Judæi quoque quadraginta duobus annis post passionem ad pœnitentiam vocati sunt: tandem negligentes contriti sunt advenientibus Romanis, et malæ conscientiæ tinea devorati.

[§]50.10 *Quis ex vobis.* Qui timet non est perfectus, etc., usque ad hic custodit animas sanctorum integras et pudicas et puras. *Qui ambulavit in tenebris.* Gentilis populus in tenebris, etc., usque ad ad pœnitentiam voco; *nolo enim mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat* Ezech. 18..

^{**}50.11 *Ecce omnes,* quasi diceret: Nihil prodest exhortatio, nec est spes salutis post scelera: *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt* Psal. 13.. *Accendentes ignem.* Civitatis ignem quo a Romanis succensa est accenderunt, etc., usque ad sic peccatoribus diversa peccati materia plus vel minus succenditur. *In doloribus dormietis.* Quia nec beneficiis, nec tormentis, Dei Filium suscipere voluerunt, unde, *Ite, maledicti, in ignem æternum* Matth. 25..

^{††}51.1 *Audite me qui sequimini quod.* HIER. *Attendite ad petram.* Christum. De qua, *Petra autem erat Christus, unde excisi estis* I Cor. 10., a Christo Christiani dicti. *Et ad cavernam lacu.* Propter fossionem lateris Christi, etc., usque ad nascimur per lavacrum baptismi.

^{‡‡}51.3 *Gaudium et lætitia.* Nota in Sion quæ comparatur paradiso Dei, tantum debet esse gaudium et lætitia et confessio et vox laudis, ut quod in cœlo facturi sunt cum angelis, in terra jugiter meditentur.

^{¶¶}51.5 *Justus meus.* Omnes justificans, vel justitia eleganter: non ut una gens, sed totus orbis salvetur.

^{§§}51.6 *Cæli sicut fumus.* ID. De sanctis scriptum est, etc., usque ad quidam tamen perire et inveterascere pro abolitione et morte accipiunt.

ne metuatis: ⁸ sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, et sicut lanam, sic devorabit eos tineam: salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum. ⁹ Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini ! consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? ¹⁰ numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis; qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati? ¹¹ Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium et lætitia tenebunt; fugiet dolor et gemitus. ¹² Ego, ego ipse consolabor vos. Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis qui quasi fœnum ita arescet? ¹³ Et oblitus es Domini, factoris tui, qui tetendit cælos et fundavit terram; et formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum. Ubi nunc est furor tribulantis? ¹⁴ Cito veniet gradiens ad aperiendum; et non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis ejus. ¹⁵ Ego autem sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus: Dominus exercituum nomen meum. ¹⁶ Posui verba mea in ore tuo, et in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cælos, et fundes terram, et dicas ad Sion: Populus meus es tu.] ¹⁷ [Elevare, elevare, consurge, Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus; usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad fæces. ¹⁸ Non est qui sustentet eam, ex omnibus filiis quos genuit; et non est qui apprehendat manum ejus, ex omnibus filiis quos enutrivit. ¹⁹ Duo sunt quæ occurrerunt tibi; quis contristabitur super te? Vastitas, et contritio, et fames, et gladius; quis consolabitur te? ²⁰ Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum sicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui. ²¹ Idcirco audi hoc, paupercula, et ebria non a vino. ²² Hæc dicit dominator tuus Dominus, et Deus tuus, qui pugnabit pro populo suo: Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ: non adjicies ut bibas illum ultra. ²³ Et ponam illum in manu eorum qui te humiliaverunt, et dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus; et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.]⁸

52 [Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion ! induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem, civitas Sancti, quia non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisis et immundus. ² Excute de pulvere, consurge; sede, Jerusalem !

*51.9 *Consurge*. Vox prophetæ et fidelis populi adventum Christi deprecantis, in quo promissum erat auxilium.

†51.12 *Quis tu ut timeas ab homine*, etc., usque ad ut erubescant et pœnitentiam agant.

‡51.17 *Elevare, elevare*. ID. Eos hortatur ad pœnitentiam qui in passione negaverunt; vel in infidelitate perstiterunt, clamantes, *Crucifige, crucifige* Joan. 19., etc. *Calicem iræ*. ID. Solent medici amarissimum antidotum, etc., usque ad unde non patet quod de ultima captivitate hoc dicitur.

¶51.22 *Ecce*. HIER. Prædixit captivitatem futuram, nunc hortatur ad pœnitentiam, ut evadant.

§51.23 *Ponam*. Secundum litteram humiliaverunt, etc., usque ad et in judicio omnino humiliabuntur.

**52.1 *Consurge, consurge*. Eos hortatur propheta, qui post ascensionem prædicantibus apostolis crediderunt. *Quia non adjiciet*. Hæc ad cœlestem Jerusalem quam nullus immundus ingreditur.

solve vincula colli tui, captiva filia Sion.†† 3 Quia hæc dicit Dominus: Gratis venundati estis, et sine argento redimemini.‡‡ 4 Quia hæc dicit Dominus Deus: In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi, et Assur absque ulla causa calumniatus est eum.¶¶ 5 Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus, quoniam ablati est populus meus gratis? Dominatores ejus inique agunt, dicit Dominus, et jugiter tota die nomen meum blasphematur.§§ 6 Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.] 7 [Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus !* 8 Vox speculatorum tuorum: leverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt cum converterit Dominus Sion.† 9 Gaudete, et laudate simul, deserta Jerusalem, quia consolatus est Dominus populum suum; redemit Jerusalem.* 10 Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium; et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.¶ 11 Recedite, recedite; exite inde, pollutum nolite tangere; exite de medio ejus; mundamini, qui fertis vasa Domini.§ 12 Quoniam non in tumultu exhibitis, nec in fuga properabitis; præcedet enim vos Dominus, et congregabit vos Deus Israël.] 13 [Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde.** 14 Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum.†† 15 Iste asperget gentes multas; super ipsum con-

††52.2 *Excutere.* Anima polluta sordibus candorem pristinum amittit, etc., usque ad non corruptibilibus argento et auro, sed sanguine agni immaculati.

‡‡52.3 *Gratis.* Nec commodum habuistis, nec incommodum effugistis, cum Filium Dei tradidistis.

¶¶52.4 *In Ægyptum.* HIER. Arguit Judæos, et ventura prædicit, etc., usque ad ut etiam in terra sua opprimat illum, et calumnetur ei?

§§52.5 *Quid mihi est hic?* ID. Nihil hic, ait, apud eos reperio, etc., usque ad quod Redemptorem suum cruci affixerint.

*52.6 *Quam pulchri.* ID. De eo qui supra dixerat: *Ego ipse qui loquebar ecce adsum*, testatur propheta quod ipse supra montes Evangelium prædicavit. *Annuntiantis*, Christi, per semetipsum, per apostolos, quibus ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* Joan. 14.. Super quos Dominus sedens prædicabat: Ipsi etiam pedes Christi, prædicationem ejus portando.

†52.8 *Vox speculatorum:* ID. apostolorum et aliorum qui in specula sunt semper ut omnia prævideant et subjectos promoveant.

‡52.9 *Gaudete.* Primitivam Ecclesiam consolatur, etc., usque ad multitudinem gentium et reparata est et multiplicata est.

¶52.10 *Brachium in brachio meo gentes sperabunt* Psal. 97.. Et alibi: *Brachium tuum cum potentia* Psal. 88..

§52.11 *Recedite.* ID. Hoc Judæi ad se referunt, etc., usque ad a Spiritu sancto admoniti. *Exite*, in toto orbe Evangelium prædicantes, *Ite, docete omnes gentes* Matth. 18. *Vasa Domini.* ID. Templum Domini sanctum est, quod estis vos, vasa scilicet aurea et argentea, unde Paulus vas electionis dicitur; vel vasa Domini, armatura Dei, lorica justitiæ, clypeus fidei, galea salutis, et gladius spiritus, quod est verbum Dei.

**52.13 *Ecce intelliget:* ne dubitetur quis dixerit, *qui loquebar ecce adsum:* et quod sit brachium Domini, Pater perspicue docet.

††52.14 *Sicut obstupuerunt.* Non servatur ordo historiæ. Superius enim loquebatur propheta in persona Patris de ascensione Filii, et subito ad passionem rediit.

tinebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo viderunt, et qui non audierunt contemplati sunt.]

53 [Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?†‡ 2 Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiendi. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum:¶ 3 despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. 4 Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. 5 Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.§§ 6 Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. 7 Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* 8 De angustia, et de judicio sublatus est. Generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum.† 9 Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.‡ 10 Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.¶ 11 Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit.§ 12 Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro

‡‡53.1 *Quis credidit?* HIER. Propheta in persona prophetarum conqueritur quod pauci ex Judæis credunt quod de adventu Filii ab illis audiunt. *Et brachium Domini.* ID. Pater Filium suum mundo nuntiavit venturum; et ante scandalum cruceis, crucis, præmisit gloriam resurgentis. *Elevabitur et exallabitur,* etc. Respondet ergo prophetarum chorus se officium implese et brachium Domini annuntiasse.

¶¶53.2 *Virgultum.* Symmachus, ramus; hominem significans, qui processit de utero virginis. *Sitiendi.* Aquila, *invia*, ubi virginitalis privilegium demonstratur, quia sine semine de terra prius invia creatus est.

§§53.5 *Livore.* ID. Perspicuum est, quia sicut corpus laceratum et flagellatum, ita anima vere doluit pro nobis, ne ex parte veritas, ex parte mendacium in Christo credatur.

*53.7 *Non aperuit,* etc. Pilato vel Herodi. Pauca enim respondit ne differretur salus humani generis. *Et quasi agnus.* ID. In cujus figura populus Israël agnum in Ægypto comedit Exod. 12.. Hic est agnus *qui tollit peccata mundi* Joan. 1., *qui occisus est ab origine mundi* Apoc. 13., qui carne et sanguine suo nos pascit, et vellere protectionis nos vestit.

†53.8 *De judicio.* Judex omnium judicii non reperit veritatem, sed sine culpa damnatus est. Unde admiratur propheta quod omnium Deus passioni se tradiderit.

‡53.9 *Dabit impios.* ID. Id est gentes, quæ sine pietate, Deo Patri, quia mortuus et sepultus eos acquisivit, et divites, Judæos scilicet divitiis legis et prophetarum gloriantes. *Divites.* Scribas et Pharisæos doctrinæ legis divitiis gloriantes.

¶53.10 *Semen longævum.* Verbum Evangelii scilicet quod non veterascet, sicut Vetus Testamentum, unde: *Exiit qui seminavit semen suum* Luc. 8.

§53.11 *Saturabitur.* Fide gentium, unde esuriens et sitiens supra puteum Jacob emptis cibus uti noluit, quia jam Samaritanæ et eorum qui de civitate ad eum exhibant, fide satiatus erat.

eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.]**

54 [Lauda, sterilis, quæ non paris; decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus.†† ²Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende: ne parcas: longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. ³Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit.‡‡ ⁴Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces; non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius.¶¶ ⁵Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen ejus, et redemptor tuus, Sanctus Israël: Deus omnis terræ vocabitur. ⁶Quia et mulierem derelictam et moerentem spiritu vocavit te Dominus, et uxorem ab adolescentia abjectam, dixit Deus tuus. §§ ⁷Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. ⁸In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te; et in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus, Dominus. ⁹Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui juravi ne inducerem aquas Noë ultra super terram; sic juravi ut non irascar tibi, et non increpem te.* ¹⁰Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet a te, et fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator tuus Dominus. ¹¹Paupercula, tempestate convulsa absque ulla consolatione, ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris: ¹²et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles; ¹³universos filios tuos doctos a Domino, et multitudinem pacis filiis tuis. ¹⁴Et in justitia fundaberis: recede procul a calumnia, quia non timebis, et a pavore, quia non appropinquabit tibi.† ¹⁵Ecce accola veniet qui non erat mecum, advena quondam tuus adjungetur tibi.‡ ¹⁶Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne

**53.12 *Et cum sceleratis.* Ut sceleratos a peccato redimeret, omnia omnibus factus: *Peccata enim nostra portavit in corpore suo* I Petr. 2.. Cujus imitator Paulus ait: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrificarem* I Cor. 9.. *Rogavit.* Pater, ignosce illis. Ad hanc vocem secundum Evangelium Nazareorum multa millia Judæorum astantium circa crucem crediderunt.

††54.1 *Lauda, sterilis.* HIER. Hactenus de nativitate, passione, resurrectione, etc., usque ad tam de Judæis quam de gentilibus congregatam. *Lauda, sterilis.* Apostolus, juxta LXX: *Lætare, sterilis, quæ non paris, erumpe et clama quæ non parturis, quia multi filii desertæ* Gal. 4., etc. Nos autem fratres secundum Isaac, repromissionis filii sumus.

‡‡54.3 *Ad dexteram enim:* ad omnia loca mundi. Vel, nec elata prosperis, nec fracta adversis. Vel, ad bona futuræ et præsentis.

¶¶54.4 *Noli timere.* ID. Cum turris Babel ædificaretur, etc., usque ad qui funiculu.

§§54.6 *Quia ut mulierem.* ID. Qui sequuntur tropologiam et in locis difficillimis, etc., usque ad stolam osculumque porrigit.

*54.9 *Sicut in diebus Noë,* etc. Ut credat sanctorum congregatio misericordiam Domini sempiternam, et ad punctum esse desertos, ut amici Dei fœdere æterno fiant: majorum ponit exempla.

†54.14 *Recede procul.* HIER. Consolatus est Ecclesiam de gentibus, promittens eis spirituales gratias: nunc docet quid agat, ne adversarios timeat.

‡54.15 *Ecce accola.* Hoc ad se invertunt Judæi, tanquam sint futuri proselyti ex gentibus tempore Christi sui.

prunas, et proferentem vas in opus suum; et ego creavi interfectorem ad disperdendum.[¶] ¹⁷ Omne vas quod fictum est contra te, non dirigitur, et omnem linguam resistentem tibi in iudicio, iudicabis. Hæc est hæreditas servorum Domini, et iustitia eorum apud me, dicit Dominus.][§]

55 [Omnes sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.** ² Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite, audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. ³ Inclinate aurem vestram, et venite ad me; audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. ⁴ Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.†† ⁵ Ecce gentem quam nesciebas vocabis, et gentes quæ te non cognoverunt ad te current, propter Dominum Deum tuum, et Sanctum Israël, quia glorificavit te.‡‡ ⁶ Quærite Dominum dum inveniri potest; invocate eum dum prope est.¶¶ ⁷ Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus; et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. ⁸ Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus.§§ ⁹ Quia sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. ¹⁰ Et quomodo descendit imber et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti.* ¹¹ sic erit verbum meum quod egredietur

[¶]54.16 *Ecce ego.* Non quod sim causa perditionis eorum, sed adversarius pugnans, victis perditionis, victoribus causa est præmii.

[§]54.17 *Hæc est hæreditas.* Ne justus tribuatus deficiat, addit præmia.

**55.1 *Omnes sitientes, venite.* HIER. Quia vas fictum contra Ecclesiam dixerat conterendum, et omnem linguam armatam contra scientiam Dei superandam, provocat credentes ad fluvium Dei, qui repletus est aquis. *Comedite.* Audiendo, loquendo, legendo, meditando, operando, corde retinendo. Divina siquidem Scriptura, et potus est, aperta: et cibus, occulta. Ipsa etiam et aqua est et panis qui de cælo descendit. *Quare appenditis argentum.* Pensatis sacra eloquia, sed non refectionem. Qui solam speciem litteræ custoditis, de spirituali intelligentia pinguedinem internæ refectio-nis amittitis.

††55.4 *Ecce testem.* Provocavit Judæos ad credendum, sed quia sciebat illis non credentibus gentiles esse credituros, dicit se filium misisse qui præcepta ipsius populis nuntiaret.

‡‡55.5 *Dominum Deum tuum.* ID. Quando Pater dicitur, Pater Christi secundum divinitatem dicitur Pater gloriæ: secundum humanitatem, Pater Domini nostri Jesu Christi.

¶¶55.6 *Quærite Dominum.* Hæc pertinent ad Judæos vel ad gentes specialiter, et ad unumquemque generaliter. Propheta ad Judæos: *Quærite Dominum*, quasi diceret: Gentes suscipiunt misericordias David, et vos dedignamini, sed agite pœnitentiam, et convertimini dum tempus habetis. *Dum prope.* ID. Ne vestris vitiis recedat, qui appropinquat appropinquantibus sibi, et filio revertenti lætus occurrit.

§§55.8 *Non enim.* Ne putetis difficile esse quod spondeo: considerate quod inter mea et vestra consilia multa sit differentia: et quanta naturæ, tanta voluntatis diversitas.

*55.10 *Et quomodo.* ID. Alia similitudine ostendit quia multus est ad ignoscendum. *Panem comedenti.* Unde Salomon: *Mitte panem tuum super aquas, quia in multitudine dierum invenies eum*, hoc est, panem doctrinæ tuæ et gratiam spiritualem cunctis infunde, quia in novissimo præmia recipies

de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.†¹² Quia in lætitia egrediemini, et in pace deducemini; montes et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu.‡¹³ Pro saliuunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus; et erit Dominus nominatus in signum æternum quod non auferetur.]¶

56 [Hæc dicit Dominus: Custodite iudicium, et facite iustitiam, quia iuxta est salus mea ut veniat, et iustitia mea ut reveletur.§² Beatus vir qui facit hoc, et filius hominis qui apprehendet istud, custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum.**³ Et non dicat filius advenæ qui adhæret Domino, dicens: Separatione dividet me Dominus a populo suo; et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum.††⁴ Quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint foedus meum,‡‡⁵ dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.⁶ Et filios advenæ, qui adhærent Domino, ut colant eum, et diligant nomen ejus, ut sint ei in servos; omnem custodientem sabbatum ne polluat illud, et tenentem foedus meum;¶¶⁷ adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ; holocausta eorum et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunc-

†55.11 *Non revertetur.* Sed postquam meam impleverit voluntatem in terris, redibit et sedebit a dextris meis, secundum illud, *Sede a dextris meis,* etc.

‡55.12 *Montes,* scilicet animæ sanctorum quæ pro varietate virtutum montes appellantur et colles.

¶55.13 *Pro saliuunca.* Saliunca, aculeis et punctionibus plena. Abies, alta, pro-cera, fabricandis domibus apta, pice fecunda. *Et erit Dominus.* Alii. Et erit Dominus in nomen et in signum sempiternum quod non deficiet.

§56.1 *Hæc dicit Dominus. Custodite iudicium.* HIER. Terminato gentium vaticinio, quæ in adventu Christi de saliuunca et urtica in abietem myrtumque mutantur: loquitur ad auditores illius temporis, ut se parent ad adventum Salvatoris, qui est misericordia et iustitia. *Custodite iudicium.* ID. Non accipientes personam in iudicio. Domini enim iudicium est, qui iudicat iudicantes bona.

**56.2 *Custodiens sabbatum.* ID. Ne sit, scilicet de sex diebus quibus factus est mundus. De quibus apostoli non erant, quibus dicitur: *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret,* etc. *Ego elegi vos de mundo, idcirco odit vos mundus* Joan. 15..

††56.3 *Et non dicat.* ID. Hoc contra Judæos, qui sibi tantum adventum Christi vendicabant, et alios desperare cogebant. *Sed non est distinctio Judæi et Græci* Rom. 10.. *Eunuchus.* ID. Propter regnum cælorum, qui mortificant membra sua super terram, etc., usque ad quod de semine spiritualis operis dicitur, non prolis.

‡‡56.4 *Quia hæc dicit Dominus.* ID. Duo proposuit, proselytos scilicet et eunuchos, etc., usque ad ne se putent subjacere maledictioni legis.

¶¶56.6 *Et filios advenæ:* post eunuchos ad advenas transit et præmia promittit. *In servos.* Qualis Paulus qui de se ait: Paulus servus Christi Jesu, et Moyses famulus Dei.

tis populis.^{§§ 8} Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israëli: Adhuc congregabo ad eum congregatos ejus.]⁹ [Omnes bestiae agri, venite ad devorandum, universae bestiae saltus.*¹⁰ Speculatores ejus caeci omnes; nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia.†¹¹ Et canes imprudentissimi nescierunt saturitatem; ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt; unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum.¹² Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate; et erit sicut hodie, sic et cras, et multo amplius.][‡]

57 [Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo; et viri misericordiae colliguntur, quia non est qui intelligat: a facie enim malitiae collectus est justus.†¹ Veniat pax; requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua.‡³ Vos autem accedite huc, filii auguratricis, semen adulteri et fornicariae.⁴ Super quem lusistis? super quem dilatasti os, et ejecistis linguam? Numquid non vos filii scelesti, semen mendax,⁵ qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus, subter eminentes petras?⁶ In partibus torrentis pars tua; hæc est sors tua: et ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium. Numquid super his non indignabor?***⁷ Super montem excelsum et sublimem posuisti cubile tuum, et illuc ascendisti ut immolares hostias.††⁸ Et post ostium, et retro postem, posuisti memoriale tuum. Quia juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum, dilatasti

§§56.7 *Holocausta eorum. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram* Colos. 3.. Et *Exhibeatis corpora vestra hostiam Deo viventem*. Holocaustum totum offeritur Deo, et incenditur. Victimæ pars sacerdotibus datur. Holocaustum Deo tribuit, qui mundum relinquit, ut semper vacet orationi. Victimam, qui Deo servit et quæ mundi sunt disponit juste. *Super altari meo*. Fidem super quam omnia offeruntur, sine qua impossibile est Deo placere. Unde: *Justus autem in fide sua vivet*.

*56.9 *Omnes bestiae*. Vox prophetæ, qui advocat Romanos ad excidium Jerusalem, quibus pene totus orbis serviebat. Vel per bestias, dæmones: quibus ad devorandum Judæi traditi sunt.

†56.10 *Cæci*. Non habentes Christum verum lumen, vel fidem et alias virtutes. *Canes*. ID. Sicut canes gregem, sic prælati debent custodire plebem. *Canes impudentissimi*. Quod est: Sicut canes sine discretionem etiam bonos sæpe persequuntur, sic et Judæi impudenter clamaverunt, *Crucifige, crucifige eum* Luc. 23., nec Domini saturati sunt opprobriis.

‡56.12 *Venite sumamus*. Sic pervertebant qui corrigere debuerant. Et quia omnes peccaverunt, traditi sunt in manus Romanorum.

†57.1 *Justus perit*. HIER. Hæc referunt Judæi ad Isaiam, qui serra lignea sectus est a Manasse impiissimo rege, et alios prophetas, quos ipse occidit, viros misericordiae. Sed verius hoc de illo dicitur, qui est summe justus. *Et nemo est*. Propter speculatores cæcos et canes mutos. *Qui recogitet*: quia cæci et muti ignorant sapientiam, non cogitant ea quæ Dei sunt.

‡57.2 *Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in*. ID. Propheta precatur ut Christus veniat, resurgens a mortuis requiescat in cubili in gloria, scilicet paternæ majestatis, vel in Ecclesia, in qua in directione ambulavit.

***57.6 *Libamen*. Vinum, oleum et hujusmodi liquores: sacrificium panis, victima et hujusmodi.

††57.7 *Super montem excelsum*. Hæretici quoque, etc., usque ad ut conculcentur ab hominibus.

cubile tuum, et pepigisti cum eis foedus; dilexisti stratum eorum manu aperta.‡⁹ Et ornasti te regi unguento, et multiplicasti pigmenta tua. Misisti legatos tuos procul, et humiliata es usque ad inferos.¶¹⁰ In multitudine viæ tuæ laborasti; non dixisti: Quiescam. Vitam manus tuæ invenisti; propterea non rogasti.‡¹¹ Pro quo sollicita timuisti, quia mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo? Quia ego tacens et quasi non videns, et mei oblita es. ¹²Ego annuntiabo justitiam tuam, et opera tua non proderunt tibi. ¹³Cum clamaveris, liberent te congregati tui, et omnes eos auferet ventus, tollet aura.] [Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, et possidebit montem sanctum meum.* ¹⁴Et dicam: Viam facite, præbete iter; declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei.† ¹⁵Quia hæc dicit Excelsus, et Sublimis, habitans æternitatem, et sanctum nomen ejus: in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum.‡ ¹⁶Non enim in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar, quia spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam.¶ ¹⁷Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, et percussi eum. Abscondi a te faciem meam, et indignatus sum; et abiit vagus in via cordis sui.‡ ¹⁸Vias ejus vidi, et sanavi eum; et reduxi eum, et reddidi consolationes ipsi, et lugentibus ejus. ¹⁹Creavi fructum labiorum pacem; pacem ei qui longe est et qui prope, dixit Dominus, et sanavi eum.**

‡57.8 *Et post ostium:* Quasi diceret: Non solum in montibus idola adorasti, sed etiam post ostium posuisti, ut ingrediens videres et semper adorares. **Quia juxta me discooperuisti.** Metaphora adulteræ sicut supra meretricis, etc., usque ad omnibus exposita intransibus.

¶57.9 *Misisti legatos.* Ut afferrent longinqua idola, quasi non sufficiant vicina. Et in hoc Babylonios et Ægyptios deos significat.

‡57.10 *In multitudine viæ tuæ laborasti.* Qui ambulat via regia non laborat. Una est via veritatis quæ dicit: **Ego sum via, veritas et vita** Joan. 14.: Multæ sunt viæ mundanorum, unde, **Non sicut viæ meæ sunt viæ vestræ** Isa. 40..

*57.13 *Qui autem fiduciam habet mei.* ID. Qui idola non coluerunt, vel in captivitate ducti poenituerunt, sub Zorobabel et aliis ducibus reversi, Deum suum in loco suo adoraverunt secundum Hebræum. **Possidebit montem sanctum tuum,** scilicet legem Veteris et Novi testamenti; utrumque enim in monte datum. Et ad præmiorum altitudinem invitat, vel Christum.

†57.14 *Et dicam* ego Christus scilicet apostolis, **Viam feci,** bene prædicando, præbete iter in exemplum eis bene operando; auferte offendicula per baptismum peccata abluendo, idolorum cultum prædicatione amovendo.

‡57.15 *Quia hæc dicit.* Increpatione contra Jerusalem finita, venit ad eos qui confidunt in Domino, quorum reversioni iter jusserat præparari. Unde et a laudibus Dei incipit, et quæ redeunt populo promiserit, consequenter ostendit.

¶57.16 *Non enim in sempiternum litigabo.* ID. Non in sempiternum servabo iram meam, neque causabor cum creatura mea, sed percutiam in præsentem, ut sanem in futuro. **Quia spiritus.** Pax, gaudium, vita omnium, etc., usque ad specialiter ad Judæos.

‡57.17 *Abscondi a te,* etc., scilicet auxilium meum, ut amplius desideres dicens: **Ostende faciem tuam, et salvi erimus** Psal. 79.. **Abiit.** ID. Quod quidam intelligens ait: **Tota die contristatus ingrediebar** Psal. 37..

57.19 *Creavi:* quasi diceret: Liberationem a captivitate, quam per Jeremiam post septuaginta annos promisi, opere complevi **Creavi fructum labiorum pacem.

²⁰ Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum. ^{††} ²¹ Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.]

58 [Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. ^{‡‡} ² Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, et iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia justitiæ; appropinquare Deo volunt. ^{¶¶} ³ Quare jejunavimus, et non aspexisti; humiliavimus animas nostras, et nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. ^{§§} ⁴ Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. ^{*} ⁵ Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? numquid istud vocabis jejunium, et diem acceptabilem Domino?][†] ⁶ [Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus dirumpe; [‡] ⁷ frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. [¶] ⁸ Tunc erumpet quasi mane lumen tuum; et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. [§] ⁹ Tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum. Si abstuleris de medio tui catenam, et desieris extendere digitum et loqui quod non

^{††}57.20 *Impii autem.* Supra de illis qui in captivitate poenitentiam egerunt, et ideo liberati sunt, et de illis qui post ascensionem crediderunt. Hic de illis specialiter loquitur, qui in infidelitate sua remanserunt.

^{‡‡}58.1 *Clama.* HIER. Dominus ad prophetas vel ad apostolos: finito scilicet priori capite in quo pax justis, et nulla requies nuntiatur impiis. *Quasi tuba.* ID. Ubi apostolis, etc., usque ad sic Israël peccato mortuus audiat scelera sua. *Populo meo.* Ac si dicat: Videant qualem Patrem perdidit, qui etiam peccatores populum suum vocat.

^{¶¶}58.2 *Quasi.* Hoc est, quare ego non exaudiam eos sicut illos qui in Ecclesia justitiam faciunt, juste et pie viventes, Christum verum Deum et verum hominem confitentes. *Rogant.* ID. Alia temeritas Judæorum, quasi confidentes in conscientia bona iudicium justum postulant, secundum illud: *Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.*

^{§§}58.3 *Quare jejunavimus.* Obliti sunt veteris historiæ, quod Dominus non respexit ad munera Cain, eo quod non recte dividebat cum fratre suo, cui charitatem Deo invadebat. *Ecce in die.* Jejunium Deo acceptum est, non solum a cibus, sed ab omnibus rebus illicitis abstinere. *Repetitis.* Qui repetit non habentem, Deo facit violentiam.

^{*}58.4 *Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem.* Ne videatur reprobare jejunium, docet quomodo sit jejunandum.

[†]58.5 *Nunquid tale est jejunium.*

[‡]58.6 *Colligationes.* ID. Peccata intelligimus, etc., usque ad domesticos seminis tui ne despexeris.

[¶]58.7 *Frangere esurienti panem.* ID. Panem esurienti frangimus, etc., usque ad sed animæ saturitas. *Et carnem tuam.* ID. Proximum in necessitate qualibet recognosce similem tibi, considerans te mortalem et passibilem.

[§]58.8 *Lumen tuum.* Sicut matutina lux solvit tenebras, ita lumen veritatis fugat errores. *Justitia.* Christus qui omnes justificat, anteibit ad gloriam. *Et gloria Domini colliget te,* id est suscipiet ad se, qui dixit: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit* Joan. 12..

prodest; ** 10 cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. 11 Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit; et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum cujus non deficient aquæ. †† 12 Et ædificabuntur in te deserta sæculorum, fundamenta generationis et generationis suscitabis; et vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem. †† 13 Si averteris a sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem: 14 tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui: os enim Domini locutum est.] ¶¶

59 [Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat. 2 Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum; et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. §§ 3 Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate; labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur. * 4 Non est qui invocet justitiam, neque est qui judicet vere: sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates; conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem. † 5 Ova aspidum rupe-runt, et telas araneæ texuerunt. Qui comederit de ovis eorum, morietur; et quod

**58.9 *Digitum extendere*. Proximos notare, detrahere. Id est non solum non cogites, et non facias hæc, sed ne detrahas.

††58.11 *Hortus irriguus*, voluptatis paradisi, quem plantaverat Dominus Deus a principio, scilicet Ecclesiam. Fons in medio Christus est, cujus non deficient aquæ doctrinæ spiritualis, quæ Ecclesiam irrigant. Et hoc est, *Et erit quasi hortus irriguus*, o fidelis vel Ecclesia. *Sicut fons*. Assimilaberis Christo, capiti tuo.

††58.12 *Ædificabuntur* HIER. Judæi referunt hoc ad restaurationem quæ facta est sub Zorobabel et Jesu Sacerdote magno; vel ad illam quam delirant futuram in ultimo. Melius ad Ecclesiam hæc referri possunt. *Fundamenta* ID. Apostolos, prophetas et similes: Unde, *Fundamenta ejus in montibus sanctis* Psal. 86.. Fundamentum autem singulari numero Christus est, unde, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* I Cor. 3.. *Iniquitatum*, alias *in quietem*, scilicet semitas erroris in quietem vel veram pacem.

¶¶58.14 *Terræ*. Viventium quæ sursum non deorsum, unde Loth dicitur: *In monte salvum te fac. Hæreditate*. Cœlesti, quam dedi Jacob cujus filius es per fidem et operationem, vitia atque peccata supplantando. Cujus enim quis imitator fuerit, ejus filius dicitur.

§§59.2 *Sed iniquitates vestræ*. Ostendit quare non exauditi et in captivitatem ducti.

*59.3 *Manus ejus*. HIER. Iniquitates per partes exponit, etc., usque ad et tandem in Filium Dei inclamantes: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*.

†59.4 *Conceperunt*, ID. Qui exspectant Antichristum. Quem enim multo labore perquirunt in iniquitate suscipient.

confotum est, erumpet in regulum.[‡] ⁶Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis; opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum. ⁷Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem innocentem; cogitationes eorum cogitationes inutiles: vastitas et contritio in viis eorum. ⁸Viam pacis nescierunt, et non est iudicium in gressibus eorum; semitæ eorum incurvatæ sunt eis: omnis qui calcat in eis, ignorat pacem. ⁹Propter hoc elongatum est iudicium a nobis, et non apprehendet nos justitia. Exspectavimus lucem, et ecce tenebræ; splendorem, et in tenebris ambulavimus.[¶] ¹⁰Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attractavimus: impegimus meridie quasi in tenebris; in caliginosis quasi mortui. ¹¹Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantem gememus: exspectavimus iudicium, et non est; salutem, et elongata est a nobis.[§] ¹²Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, et peccata nostra responderunt nobis, quia scelera nostra nobiscum et iniquitates nostras cognovimus. ¹³Peccare et mentiri contra Dominum, et aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri, ut loqueremur calumniam et transgressionem; concepimus et locuti sumus de corde verba mendacii. ¹⁴Et conversum est retrorsum iudicium, et justitia longe stetit, quia corrui in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi. ¹⁵Et facta est veritas in oblivionem, et qui recessit a malo, prædæ patuit. Et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus, quia non est iudicium.^{**} ¹⁶Et vidit quia non est vir, et aporiatum est, quia non est qui occurrat; et salvavit sibi brachium suum, et justitia ejus ipsa confirmavit eum.^{††} ¹⁷Indutus est justitia ut lorica, et galea salutis in capite ejus; indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli: ¹⁸sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, et vicissitudinem inimicis suis; insulis vicem reddet. ¹⁹Et timebunt qui ab occidente nomen Domini, et qui ab ortu

[‡]59.5 *Ova*. ID. Ex ovo fetus, ex corde consilium, ex quo actus. Ova ergo ruperunt, dum corda iniqua et venenosa consilia verbis ostenderunt, dicentes: **Reus est mortis** Matth. 26.. *Aspidum*. Aspis ad primam vocem incantatoris alteram aurem terræ infigit, alteram cauda obturat, ne possit incantari: sic Judæi inhærentes terrenis, ne locum et gentem perderent metuentes, Christi prædicationem repulerunt, venenati venenatorum filii. **Erumpet in regulum**. Ex ovis aspidis regulus, qui et basiliscus, ex Judæis Antichristus. Ex eis enim nascetur, flatu suo, id est sermone venenoso multos occidens volantes ad patriam cœlestem. Occidit enim basiliscus flatu suo aves volantes per æra.

[¶]59.9 **Propter hoc** ID. Propheta in persona populi pœnitentis respondet, post accusationem, quid loqui debeant pœnitentes.

[§]59.11 **Rugiemus quasi ursi omnes**. Judæorum meditatio et doctrina in sacra Scriptura rugitui ursi et gemitui columbæ comparatur, quasi inutilis et vana, sicut et illa. Contra subjectos quoque sæviunt ut ursi; contra majores vel æquales, gemunt ut columbæ.

^{**}59.15 **Veritas in**. ID. Christus, qui est via, etc., usque ad ut Christi persona monstretur, quam deserentes, secuti sunt mendacium.

^{††}59.16 **Et vidit**. ID. Ostenso, quia pœnituerunt, ostendit non placuisse Domino pœnitentiam eorum, quia non puro corde plures pœnituerunt. **Quia non est vir**. Mente omnes effeminati sunt, sicut et illud, **Vocavi et non erat qui audiret. Et salvavit sibi**. Pater, scilicet per Filium gentes, **Et justitia ejus**, vel misericordia secundum LXX confirmabit eum qui voluerit converti: non merito, sed misericordia et justitia. Justum enim est ut pœnitenti creaturæ Creator parcat, quæ meritis suis salvari non poterat.

solis gloriam ejus, cum venerit quasi fluvius violentus quem spiritus Domini cogit;‡²⁰ et venerit Sion redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. ²¹ Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: spiritus meus qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum.]^{¶¶}

60 [Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.^{§§} ² Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos; super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.* ³ Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.† ⁴ Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; filii tui de longe venient et filiæ tuæ de latere surgent.‡ ⁵ Tunc videbis, et afflues; mirabitur et dilatabitur cor tuum: quando conversa fuerit ad te multitudo maris; fortitudo gentium venerit tibi. ⁶ Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Ephā; omnes de Saba venient, aurum

‡‡59.19 *Et timebunt qui.* Præmonstrata vindicta Dei in Judæos per Romanos, describit fidem gentium, de quatuor partibus mundi venientium, audita prædicatione apostolorum *Quasi fluvius.* Quia citissime mundum sua prædicatione et fide implevit. *Quem Spiritus Domini.* ID.. Ad redimendum genus humanum Spiritus sanctus scilicet. Unde: *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* Et, *Requiescit supereum Spiritus Domini* Isa. 11., etc.

¶¶59.21 *Hoc fœdus,* ut scilicet eos sanguine Filii redimam, et ipsi præcepta mea faciant, et me moriter teneant et hoc est, *Spiritus meus, qui est in te,*

§§60.1 *Surge, illuminare.* HIER. Hæc referunt Judæi ad tempus Christi sui, etc., usque ad ut vel pro his suscipiant Dei Filium. *Surge.* ID. In Ecclesiis, quæ occidisti in synagogis: surge in gentibus, quæ cecidisti in Judæis. Surge per confessionem, per virtutes quæ cecidisti per negotiationem, per vitia, et cum surrexeris, illuminare, id est accipe Christi fidem. *Lumen.* Tibi longe ante promissum ad redemptionem tuam venturum, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* scilicet qui dicit: *Ego sum lux mundi* Joan. 1, 8., a quo illuminaberis si fidem Christi susceperis. *Gloria Domini.* Ad illuminandum. Filius, scilicet sicut sol ortus illuminat mundum, in cujus figura Moysi et Salomoni, alteri tabernaculum, alteri templum ædificanti ostenditur gloria Domini. Gloria quoque Domini fuit mortui resuscitatio, leprosi mundatio, et hujusmodi.

*60.2 *Terram.* ID. Judæos terrena amantes, quibus dicitur: *Bona terræ comedetis,* quod carnaliter accipiunt.

†60.3 *Ortus tui.* ID. Quoniam scilicet ex aqua et Spiritu sancto nata es, omnes in splendore ortus primitivæ Ecclesiæ ambulamus, quia eandem fidem habemus, eodem baptismo renascimur.

‡60.4 *Leva in circuitu oculos.* Cui simile: *Levate oculos vestros et videte regiones, quia jam albæ sunt ad messem* Joan. 4.. *Filii tui.* HIER. Quos in fide genuisti: Unde Paulus: *Per Evangelium ego vos genui* I Cor. 4.. Primi fideles de Judæis quando Spiritus sanctus datus est, *erant in Jerusalem viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo* 1304est Act. 2., vel gentes ex omnibus partibus mundi. *De longe venient.* Quia longe erant a Deo per idololatriam, unde: *Vos qui eratis longe, facti estis prope* Ephes. 2.. *De latere.* ID. Quidam codices habent, etc., *usque ad,* neque Hieronymi sensus ad hoc inclinatur.

et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.[¶] 7 Omne pecus Cedar congregabitur tibi; arietes Nabaioth ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo.[§] 8 Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?^{**} 9 Me enim insulæ exspectant, et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe; argentum eorum, et aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, et Sancto Israël, quia glorificavit te.^{††} 10 Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi; in indignatione enim mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui.^{‡‡} 11 Et aperientur portæ tuæ jugiter; die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur. 12 Gens enim et regnum quod non servierit tibi peribit, et gentes solitudine vastabuntur. 13 Gloria Libani ad te veniet, abies, et buxus, et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ; et locum pedum meorum glorificabo.^{¶¶} 14 Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi: et vocabunt te civitatem Domini, Sion Sancti Israël.^{§§} 15 Pro eo quod fuisti derelicta et odio habita, et non erat qui per te transiret: ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem

[¶]60.6 *Camelorum.* Camelus animal est gibbosum et oneriferum. Hi sunt divites onus divitiarum et peccatorum gibbum portantes. *Dromedarii.* Dromedarius vel dromas, utrumque enim dicitur: est enim animal camelo minus, sed velocius, in quo figurantur gentes velociter ad fidem currentes. *Madian et Ephā.* Regiones trans Arabiam camelis et dromedariis abundantes, etc., usque ad quæ per thus figuratur, Domino obtulerunt.

[§]60.7 *Omne pecus Cedar congregabitur.* ID. Simples qui ante erant tenebræ et mœror, etc., usque ad ubi habitabant Saraceni de illius stirpe progeniti. *Arietes.* Prædicatores, gregis duces, filii prophetarum qui ea quæ prophetæ prædixerunt de Christo impleta docuerunt. *Nabaioth,* filius Ismælis, et interpretatur *prophetia.* *Ministrabunt tibi.* Sancti episcopi, presbyteri ministri Ecclesiæ, corpus et sanguinem Christi fidelibus administrando.

^{**}60.8 *Qui sunt.* Admiratur propheta gentes tam cito ad fidem currentes, vel primitiva Ecclesia: *Ad fenestras.* Ad fenestras suas stant sancti custodientes quinque sensus corporis, ne per eos tanquam per fenestras intret mors in animas.

^{††}60.9 *Argentum eorum.* Hoc est: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* Rom. 10..

^{‡‡}60.10 *Filii peregrinorum.* Principes gentium qui per orbem Ecclesias ædificaverunt, sicut Constantinus qui Romæ duodecim ecclesias in honorem duodecim apostolorum fecit, et alii multi qui multas extruxerunt ecclesias, et necessaria præbuerunt.

^{¶¶}60.13 *Gloria Libani.* Libanus mons est confinis terræ promissionis, etc., usque ad reges et principes qui ad Ecclesiam venerunt. *Abies.* ID. Superbi, scilicet divites, philosophi. Divitias enim et scientiam sequitur superbia. Cyprianus et Hilarius excelsæ in sæculo arbores, Ecclesiam Dei ædificaverunt. Arborum diversitas diversos in Ecclesia ordines significat. Ex quibus omnibus constructa est Ecclesia miro decore distincta. *Locum pedum.* Ecclesiam, in qua apostoli, etc., usque ad Ecclesiam sustinent institutis, miraculis et exemplis.

^{§§}60.14 *Civitatem Domini.* Civitas enim a communionem dicitur, etc., usque ad qui sollicite circumiret et auxilium præberet.

et generationem: * 16 et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis; et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus, Fortis Jacob. 17 Pro ære afferam aurum, et pro ferro afferam argentum, et pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum; et ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam. † 18 Non audietur ultra iniquitas in terra tua; vastitas et contritio in terminis tuis: et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. 19 Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. ‡ 20 Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. 21 Populus autem tuus omnes justii; in perpetuum hæreditabunt terram: germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. ¶ 22 Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam. Ego Dominus in tempore ejus subito faciam istud.] §

61 [Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem; ** 2 ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro; ut consolarer omnes lugentes, †† 3 ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris; et vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. ‡‡ 4 Et ædificabunt deserta a sæculo, et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas, dissipatas in generationem et generationem. 5 Et stabunt alieni, et

*60.15 **Odio habita.** Judæis, quia fidem Christi prædicabat, legis observantias destruebat; gentibus quia unum Deum afferebat, idola nihil esse astruebat. **Non erat qui per te transiret.** Transiret et benediceret tibi, etc., usque ad insuper superbia aliquando mala, aliquando bona:

†60.17 **Pro lignis æs.** ID. Per ligna et lapides, etc., usque ad alii fortes fide, ut Cyprianus, et alii martyres, sicut ferrum. **Visitationem tuam.** ID. Christum, vel apostolos pacificos, et præpositos justos, ut recte doceant et judicent.

‡60.19 **Non erit.** Hoc de die judicii. Hoc capitulo cogimur quæcunque dicta sunt vel dicenda, ad ultimum tempus referre, quoniam cœli terræque, solis atque lunæ nobis cessabit officium, et erit ipse Dominus lumen in perpetuum.

¶60.21 **Germen.** ID. Angeli, omnes electi, qui fidem quam habent operibus implent. Ipsi germen plantationis Domini et opus manuum ejus, quia ab ipso creati, et in Ecclesia per fidem plantati ad glorificandum creatorem suum.

§60.22 **In tempore:** adventus Christi. Vel in tempore opportuno vel præfinito. Cum miserit Filius hominis angelos, et colligent de regno ejus omnia scandala.

61.1 **Spiritus Domini HIER. Christus secundum humanitatem qui supra dixerat, **Ego Dominus, in tempore congregabo eos,** etc. **Quod unxerit me:** oleo lætitiæ, abundantia gratiæ. ID. Hæc unctio in baptisate completa est, quia Spiritus Domini in specie columbæ descendit, et mansit in illo. **Ad annuntiandum.** Septuaginta: Ad evangelizandum pauperibus. **Apertionem,** scilicet resolutionem; sic enim Symmachus apertius transtulit.

††61.2 **Diem ultionis.** ID. damnationis, quæ per Romanos, secundum illud: **Veniet dies,** etc. Et, **cum videritis ab exercitu circumdari Jerusalem,** etc.

‡‡61.3 **Coronam.** Cum scilicet viderint de Judæis plurimos credidisse, et pro lugubri indumento stolam mundissimam accipere. **Pro cinere.** Pro luctu et dolore fructuum suorum, cum scilicet viderint gentes ad fidem confluentes, habebunt oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.

pascent pecora vestra, et filii peregrinorum agricolæ et vinitores vestri erunt.^{¶¶} 6 Vos autem sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis, fortitudinem gentium comedetis, et in gloria earum superbietis.^{§§} 7 Pro confusione vestra duplici et rubore, laudabunt partem suam; propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis.* 8 Quia ego Dominus diligens iudicium, et odio habens rapinam in holocausto; et dabo opus eorum in veritate, et fœdus perpetuum feriam eis.[†] 9 Et scient in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.[‡] 10 Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.^{¶¶} 11 Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam et laudem coram universis gentibus.][§]

62 [Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur.^{**} 2 Et videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum; et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.^{††} 3 Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.^{‡‡} 4 Non vocaberis ultra Derelicta, et terra tua non vocabitur amplius Desolata; sed vocaberis, Voluntas mea in ea, et terra tua Inhab-

^{¶¶}61.5 *Vinitores.* ID. Mali cultores vineæ, Scribæ, et Pharisæi, de quibus dicitur: *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis.*

^{§§}61.6 *Vos autem.* Hoc ad prædicatores de gentibus, etc., usque ad qui erant sacerdotes in domo Domini.

^{*}61.7 *Partem eorum.* Domini. Unde Psalmista: *Dominus pars hæreditatis meæ,* etc. Quod nemo veraciter dicit, qui aliam partem quærit.

[†]61.8 *Quia ego Dominus:* Quasi diceret: Hoc faciet Dominus, qui magis diligit iustitiam pauperum et iudicium verum quam munera divitum quæ sæpe de rapina sunt, nec magis quam scorti mercedem vel pretium carnis in sacrificium, vel si quis imolet filium Domino, placent. *In veritate.* Ut in veritate comedant agnum, ut faciant circumcisionem cordium, et quæ data sunt in figura, omnia in veritate faciant. *Fœdus perpetuum.* Evangelium æternum, non ut Vetus Testamentum, cui succedit Evangelium.

^{*}61.9 *Semen eorum.* Fideles, quibus apostoli semen verbi commiserunt quod a Domino acceperunt.

^{¶¶}61.10 *Gaudens gaudebo* in Domino, non in mundo. *Vestimentis salutis:* virtutibus, ipsi Christo, etc., usque ad tamen una in capite et in membris est Ecclesia. *Et quasi sponsam.* Alterius comparationis ponit exempla, quorum prius ad sponsum, sequens refertur ad sponsam.

[§]61.11 *Et laudem:* suam, etc., usque ad reddet Domino fructum laudis et bonæ operationis.

^{**}62.1 *Propter Sion.* HIER. Propheta in persona sui, impendio exhilaratus ex his omnibus quæ mundo confert Filius incarnatus. Et hoc est, *Propter Sion non tacebo,* quamvis loqui prohibeat, quamvis mortem minetur. *Lampas accendatur.* Lampas Græcæ, flamma Latine, unde: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* Hoc succensit apostoli loquebantur variis linguis.

^{††}62.2 *Nomen novum.* ID. Mos est Hebræis ex novis rebus nova nomina imponere, etc., usque ad similiter prius Simon, postea Petrus.

^{‡‡}62.3 *Corona gloriæ.* De omnibus partibus mundi, quasi corona venientibus fidelibus.

itata, quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur.^{¶¶} ⁵ Habitabit enim juvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui; et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus.^{§§} ⁶ Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes; tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis,^{*} ⁷ et ne detis silentium ei, donec stabiliat et donec ponat Jerusalem laudem in terra.[†] ⁸ Juravit Dominus in dextera sua, et in brachio fortitudinis suæ: Si dederō triticum tuum ultra cibum inimicis tuis; et si biberint filii alieni vinum tuum in quo laborasti.[‡] ⁹ Quia qui congregant illud, comedent, et laudabunt Dominum; et qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis. ¹⁰ Transite, transite per portas, præparate viam populo: planum facite iter, eligite lapides, et elevate signum ad populos.[¶] ¹¹ Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ: Dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit; ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo.[§] ¹² Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti a Domino; tu autem vocaberis, Quæsitā civitas, et non Derelicta.]

63 [Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor justi-

^{¶¶}62.4 *Non vocaberis.* Ecclesiam de utroque populo alloquitur, quasi, non hoc vocabulorum fine contenta eris.

^{§§}62.5 *Et gaudebit,* etc. *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem* Gen. II; Matth. 19.. *Sacramentum hoc magnum est in Christo et in Ecclesia* Ephes. 5..

^{*}62.6 *Super muros tuos.* ID. Apostolos, prædicatores, qui Ecclesiam muniunt, quorum custodes angeli sunt. Unde: *Omnes administratorii spiritus sunt, propter eos missi, qui hæreditatem capiunt salutis* Hebr. 1.. Vel muri Ecclesiarum apostolorum discipuli, quorum custodes ipsi apostoli.

[†]62.7 *Donec ponat Jerusalem.* Quod est, vel ipsa longe lateque diffusa, ubique laudetur, vel ubique laudet semper creatorem suum.

[‡]62.8 *Juravit* per Filium scilicet, qui Dei virtus est et Dei sapientia. *In dextera.* In Filio. Unde: *Omnia in sapientia fecisti* Psal. 103., qui et brachium et fortitudo Patris: Unde, *Omnia per ipsum facta sunt* Joan. 1.. *Si dederō triticum tuum.* Triticum Judæorum et vinum sæpe dedi inimicis eorum, sicut in libro Judicum legitur Judic. 6.: quod in tempore messis Madianitæ irruerant et eorum fruges colligebant. Et quando captivi ducti sunt, Samaritani qui eorum messes comederent, substituti sunt. Sed in hoc loco intelligit cibum Ecclesiæ, virtutes, et bona opera, corpus Christi et sanguinem. Id est laudes, opera, quæ cum idolis impenderas, dæmones comederant. Sed post adventum Filii Dominus delectatus est in eis. Triticum ergo et vinum, cibus scilicet Judæorum corpus Christi et sanguinem significabant. Unde, *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* Joan. 6.. Hoc hodie non sumitur ab hæreticis, paganis, Judæis, inimicis Ecclesiæ.

[¶]62.10 *Per portas.* Ministros Ecclesiæ, qui alios introducunt. Vel virtutes, quæ ducunt in cælum, quasi de virtute in virtutem. *Planum facite iter.* Auferendo scandala; in baptismo remittendo peccata. *Eligite.* Vel, projicite secundum Septuaginta, quod est, auferte duritiam infidelitatis a cordibus hominum; vel, reprobos et duos a consortio fidelium.

[§]62.11 *Dicite filiæ Sion.* Scilicet primitivæ Ecclesiæ, quæ ex Judæis primum: unde, *Filii matris mee pugnauerunt contra me* Cant. 1.. Vel secundum illud: *Quotquot autem receperunt eum* Joan. 1., etc. *Et vocabunt eum,* dicentes: Vos estis populus sanctus, vos estis redempti a Domino Deo. Sic enim quidam codices habent.

tiam, et propugnator sum ad salvandum.** ² Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?†† ³ Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum; calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi.‡‡ ⁴ Dies enim ultionis in corde meo; annus redemptionis meæ venit. ⁵ Circumspexi, et non erat auxiliator; quæsi, et non fuit qui adjuvaret: et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.¶¶ ⁶ Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos in indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum.] ⁷ [Miserationum Domini recordabor; laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et super multitudinem bonorum domui Israël, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem misericordiarum suarum. §§ ⁸ Et dixit: Verumtamen populus meus est, filii non negantes; et factus est eis salvator. ⁹ In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et angelus faciei ejus salvavit eos: in dilectione sua et in indulgentia sua ipse redemit eos, et portavit eos, et elevavit eos cunctis diebus sæculi.* ¹⁰ Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, et affligerunt spiritum Sancti ejus: et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit

**63.1 *Quis est iste.* Quidam angeli non plene cognoscentes mysterium incarnationis, passionis, resurrectionis, videntes ad cœlos ascendere Dominum cum multitudine angelorum et sanctorum hominum propria virtute, non auxilio angelorum, admirantur incarnationis, et passionis, et resurrectionis, et ascensionis mysterium: et quomodo sibi et aliis aperiat regnum cœlorum; unde et angelis Dominum comitantibus dicunt: *Quis est iste?* Et David similiter: *Quis est iste rex gloriæ?* Psal. 23.. Videtur tamen Augustus dicere super Genesim quod omnes angeli ab ipsa creatione sua, statim cognoverunt in contemplatione sui creatoris, quidquid ipse erat facturus. Hieronymus autem aperte declarat quia quidam angeli, donec perficeretur mysterium incarnationis, ad plenum non cognoverunt. *De Edom.* Edom ex HIER. ab edulio rufæ lentis, etc., usque ad vel de inferno spoliato victor cum fidelibus suis. *Formosus in stola.* Formosum calidum. Unde formosus quasi calidus, quia ex colore rubeus et roseus efficitur vultus, et inde speciosus.

††63.2 *Quare ergo.* ID. Tanquam dicant angeli: Didicimus, etc., usque ad magis tibi clementia convenit quam crudelitas.

‡‡63.3 *Solus.* Solus Samson præcisis crinibus Philisthæis exponitur, nec angelus nec archangelus vel quilibet cœlestis spiritus. Denique humani generis nullus vel Judæus vel Gentilis auxiliator: solus pugnat, solus superat. *Aspersus est.* HIER. Sanguis meus eorum rancore, etc., usque ad cujus sæpe sanguis super vestimenta victoris aspergitur.

¶¶63.5 *Et non fuit,* etc. Unde: *Omnes amici mei dereliquerunt me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me* Job. 19.. *Et salvavit.* Hieronymus ad Augustinum et Alipium, impietatem Sabellii declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus, non ipsum sibi Patrem, non ipsum sibi Filium, non ipsum sibi Spiritum sanctum esse dicentes: sed aliam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti personam esse. Non enim nomina tantummodo, sed proprietates nominum confitemur.

§§63.7 *Miserationum.* HIER. Propheta in persona Judaici populi pœnitentis et misericordiam Domini recognoscentis.

*63.9 *Non est tribulatus.* ID. Vox quæ est, etc., *usque ad nemo est adiutor nisi Michæl princeps vester, qui astat pro filiis populi mei* Dan. 10.. *Et angelus.* ID. Septuaginta. Non legatus nec ipse angelus, sed Dominus salvavit eos.

eos.[†] ¹¹ Et recordatus est dierum sæculi Moysi, et populi sui. Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? Ubi est qui posuit in medio ejus spiritum Sancti sui;[‡] ¹² qui eduxit ad dexteram Moysen, brachio majestatis suæ; qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum;[¶] ¹³ qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem? ¹⁴ Quasi animal in campo descendens, spiritus Domini ductor ejus fuit. Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.[§] ¹⁵ Attende de cælo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriæ tuæ. Ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum? Super me continuerunt se.^{**} ¹⁶ Tu enim pater noster: et Abraham nescivit nos, et Israël ignoravit nos: tu, Domine, pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum.^{††} ¹⁷ Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis; indurasti cor nostrum ne timeremus te? Convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ.^{**} ¹⁸ Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum: hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam. ¹⁹ Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.]^{¶¶}

[†]63.10 *Spiritum sancti ejus.* Id est Moysi: unde, *Exacerbaverunt Moysen in castris, et Aaron sanctum Domini.* Psal. CV. Vel sancti ejus, Christi, cui credere noluerunt. Filius enim Dei qui nos redemit, ipsos de Ægypto et mari Rubro liberavit. *Spiritum sanctum*, vel, *sancti ejus.* Quidam codices habent, scilicet Spiritum sanctum, quem contristat, qui virum spiritualem contristat: unde, *Qui vos tangit, quasi qui tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. Vel, angelum in custodiam missum, quem sæpe male faciendo offenderunt.

[‡]63.11 *Moysi.* Quia non est alius qui orat pro eis. *Ubi est*, etc. Propheta videns populi sui abjectionem, miseriam et afflictionem jam imminentem propter Filii Dei negationem, condolendo exclamat, dicens: *Ubi est?* quasi dicat: Clementia Omnipotentis. *Ubi est qui posuit?* Moysi scilicet, quia orante Moyse, tulit Dominus de spiritu ejus et dedit septuaginta viris.

[¶]63.12 *Qui scidit aquas ante eos.* Vel dicitur. Cum Moyses mare percussisset, et in duodecim vias scidisset et aliis hæsitantibus, tribus Juda ingressa est, et ob hoc regni dignitatem adeptam est.

[§]63.14 *Spiritus Domini.* Angelus, scilicet; unde: *Et præcedet te angelus meus* Exod. 14.. Spiritus enim, naturæ nomen est, angelus officii.

^{**}63.15 *Attende de cælo et vide.* Dominus ubique totus et semper est, unde: *Cælum et terram ego impleo* Jer. 23.. Dicitur tamen sedem habere in cælo, secundum illud: *Cælum mihi sedes* Isa. 66., quia scilicet in cælestibus angelis et hominibus justis quorum scilicet conversatio est in cælis ejus voluntas præcipue fit. *Ubi est zelus tuus*, etc. Quasi dicat: Quia peccavimus, et nos odisse cœpisti, recessit zelus tuus: quo recedente recessit fortitudo, et paternorum viscerum superatur affectus.

^{††}63.16 *Abraham nescivit.* HIER. Quasi dicat: Quia te offendimus, etc., usque ad non obliviscatur filiorum suorum, ne per ipsos nomen Dei blasphemetur in gentibus.

^{**}63.17 *Quare errare.* Paulus ad Corinthios scribens, ad unius scilicet populum civitatis pro varietate habitantium sanctorum scilicet et peccatorum, nunc laudat, nunc reprehendit: sic præsens capitulum, quod ex oratione populi Deum deprecantis contextitur, nunc laudat Dominum, nunc accusat, juxta secundam regulam Ticonii, quæ est de corpore Domini.

^{¶¶}63.19 *Quasi in principio.* HIER. Antequam vocares nos, etc., usque ad non vocabantur populus Dei, a Christo scilicet Christiani.

64 [Utinam dirumperes cælos, et descenderes; a facie tua montes defluerent;§§
 2 sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni: ut notum fieret nomen
 tuum inimicis tuis; a facie tua gentes turbarentur.* 3 Cum feceris mirabilia, non
 sustinebimus; descendisti, et a facie tua montes defluerunt.† 4 A sæculo non au-
 dierunt, neque auribus perceperunt; oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præ-
 parasti exspectantibus te.‡ 5 Occurristi lætanti, et facienti justitiam; in viis tuis
 recordabuntur tui. Ecce tu iratus es, et peccavimus; in ipsis fuimus semper, et salv-
 abimur.¶ 6 Et facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatae uni-
 versæ justitiæ nostræ; et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi
 ventus abstulerunt nos.§ 7 Non est qui invocet nomen tuum; qui consurgat, et te-
 neat te. Abscondisti faciem tuam a nobis, et allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.
 8 Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum; et fictor noster tu, et opera
 manuum tuarum omnes nos.** 9 Ne irascaris, Domine, satis, et ne ultra memineris
 iniquitatis nostræ; ecce, respice, populus tuus omnes nos.†† 10 Civitas Sancti tui facta

§§64.1 *Utinam dirumperes.* HIER. In persona sua, etc., usque ad item David: *Inclina-
 navit cælos, et descendit* Psal. 17..

*64.2 *Aquæ arderent.* SYM. *Aquæ maris arderent igni.* Quod est, populi mundi
 inflammarentur igne charitatis. Unde: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo
 nisi ut ardeat?* Luc. 12. et sic *notum fieret nomen tuum*, quod est Christus Jesus,
inimicis tuis, scilicet Judæis.

†64.3 *Non sustinebimus.* Nos Judæi, sed blasphemabimus dicentes: *In principe dæ-
 moniorum Beelzebub ejicit dæmones* Matth. 12.. Hoc enim dicit propheta in persona
 infidelium. *Descendisti.* Tanquam precibus suis exauditis inquit: *Descendisti*, etc.
Montes. Amissa potentia: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* Joan. 12.. Et
 Judæis dicitur: *Auferetur a vobis regnum Dei* Matth. 21., scilicet sancta Scriptura
 et omnis gloria, et omnis dignitas.

‡64.4 *A sæculo.* Hinc Paulus ad Corinthios testimonium sumit, non verbum ex
 verbo, sed sensum exprimens. *Oculus.* Quia non est corpus vel color. Quod Aposto-
 lus ponit in cor hominis non ascendit, quia majus, et cor debet illuc dirigi. Paravit
 enim seipsum cognitionem sui, cognitionem sanctæ Trinitatis; unde: *Hæc est vita
 æterna, ut cognoscant te verum Deum et quem misisti Jesum Christum* Joan. 17..
 Hunc nemo potest videre; unde illud: *Deum nemo vidit unquam* Joan. 1..

¶64.5 *Ecce tu*, etc. In persona infidelis populi, qui volens transire ad veritatem
 Evangelii, pœnitentiam præferebat ore, quam non habebat in corde.

§64.6 *Menstruate*, etc. Mene Hebraice, Luna Latine; unde menstruatae quæ sin-
 gulis mensibus solent sanguinis fluxum sustinere. Et tunc viri abstinere debent ab
 eis. Tunc enim concipiuntur membris damnati, cæci, claudi, leprosi et hujusmodi:
 ut quia parentes non erubuerunt misceri in conclavi, eorum peccata pateant cunctis,
 et aperte redarguantur in parvulis. *Ventus.* Commotio acris, ut ibi, *Imperavit ven-
 tis et mari* Matth. 8.. Vel Spiritus sanctus: *Advenientis Spiritus vehementis* Act 1..
 Hic enim Spiritus pro vento ponitur significatione Spiritus sancti. Vel, tentatio dæ-
 monum et malorum hominum, ut illud: *Venerunt flumina, et flaverunt venti* Matth.
 7.: et hoc est quasi ventus.

**64.8 *Et nunc, Domine.* Ac si dicat: Si consideremus nostra merita, desperandum
 est; si clementiam tuam, qui flagellas omnem filium quem recipis, audemus preces
 fundere, tu enim pater noster es. *Opera manuum tuarum.* Quasi dicat: Respice opus
 tuum, non merita nostra. Mysterii Trinitatis recta confessio est ignorantia scientiæ.

††64.9 *Ne irascaris, Domine.* Hoc est, non vitamus iram, nec ultra quærimus patien-
 tiam, per quam thesaurizamus nobis iram in die vindictæ: sed quæsumus ne irascaris
 nobis satis, scilicet, ne tempore ultionis memineris iniquitatis nostræ.

est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est.^{‡‡} ¹¹ Domus sanctificationis nostræ et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.^{¶¶} ¹² Numquid super his continebis te, Domine; tacebis, et affliges nos vehementer?]

65 [Quæsierunt me qui ante non interrogabant; invenerunt qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum.^{§§} ² Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. * ³ Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper; qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres;† ⁴ qui habitant in sepulchris, et in delubris idolorum dormiunt; qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis eorum;‡ ⁵ qui dicunt: Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.¶ ⁶ Ecce scriptum est coram me: Non tacebo, sed reddam, et retribuam in sinum eorum.‡ ⁷ Iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus; qui sacrificaverunt super montes, et super colles exprobraverunt mihi; et remetiar opus eorum primum in sinu eorum. ** ⁸ Hæc dicit Dominus: Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur: Ne dissipes illud, quoniam benedictio est: sic faciam propter

^{‡‡}64.10 *Sion deserta.* Sion et Jerusalem in hoc loco idem significant, templum, scilicet, et civitatem, ubi quondam specula virtutum et visio pacis. Sed postquam populus Judæorum negavit regem suum, et addidit illud: **Non habemus regem nisi Cæsarem** Joan. 19., Jerusalem deserta est a Deo: unde, **Relinquetur vobis domus vestra deserta** Luc. 13.; et illud, **Surgite eamus hinc** Joan. 14.. Et in templo, auditæ sunt voces sicut dicit ecclesiastica historia: Transeamus ab his sedibus.

^{¶¶}64.11 *Domus.* Allegorice.. Domus Dei Ecclesia, et unaquæque fidelis anima, quæ aliquando ignibus luxuriæ corrumpitur et avaritiæ.

^{§§}65.1 *Quæsierunt,* etc. HIER. Ad hoc respondet filius, etc., usque ad et **Filii alieni mentiti sunt mihi** Psal. 17..

*65.2 *Expandi manus meas.* ID. In cruce orans pro eis, etc., usque ad ipsi tamen semper exstiterunt increduli.

†65.3 *Populus qui ad iracundiam.* ID. Allegorice.. Omnis hæreticus Deum ad iracundiam procat, etc., usque ad et in quadrum exstruere, et secti in latere pulveris roborare lineis.

‡65.4 *In delubris.* Delubra a delendo dicta, eo quod ibi putabatur ablui anima. Vel, quia prope erant piscinæ ubi et sacerdos lavabatur et hostia. Allegorice.. HIER. Hæretici in memoriis magistrorum, etc., usque ad ut qui ipsis non fuerit similis, quasi perditum detestetur.

¶65.5 *In furore meo.* Furem, oblivionem, iram, pœnitudinem, ita in Deo accipere debemus, quomodo manus, pedes, oculos, aures, et cætera membra quæ habere dicitur: non quod his pareat perturbationibus qui eas exstinguit in nobis, sed per verba nostra; Dei intelligimus affectum erga nos.

‡65.6 *Non tacebo.* Qui superius dixit: **Tacui, semper silui, patiens fui,** modo dicit: **Non tacebo,** id est, ne paream amplius, neque sustinebo iniquitates eorum.

65.7 *Iniquitates patrum,* etc. Ut scilicet non solum pro peccatis vestris puniamini, sed etiam pro patrum iniquitatibus quos imitati estis. Aliter enim non portat filius iniquitatem patris. **Qui sacrificaverunt super montes. Quando in Bethel et in Dan aureos vitulos adoraverunt. Hæreticus quoque contemnens simplicitatem Ecclesiæ sacrificat in montibus, et exprobrat Deo dum ejus præcepta contemnit.

servos meos, ut non disperdam totum.^{††} ⁹Et educam de Jacob semen, et de Juda possidentem montes meos; et hæreditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi.^{‡‡} ¹⁰Et erunt campestria in caulas gregum, et vallis Achor in cubile armentorum, populo meo qui requisierunt me.^{¶¶} ¹¹Et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, et libatis super eam:^{§§} ¹²numerabo vos in gladio, et omnes in cæde corruetis: pro eo quod vocavi, et non respondistis; locutus sum, et non audistis; et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui elegistis.* ¹³Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis;[†] ¹⁴ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini; ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis, ¹⁵et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis; et interficiet te Dominus Deus, et servos

^{††}65.8 *Quomodo.* HIER. Quasi dicat: Propter malos non perdam bonos: *Sed quomodo,* etc. Dixerat enim periturum Israël.

^{‡‡}65.9 *De Jacob semen.* Semen Jacob et Judæ, apostoli, possidentes montes, alios, scilicet credentes virtutibus eminentes: unde, *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma facti essemus* Rom. 9.. *Montes sanctos meos.* Septuaginta: *Montem meum,* scilicet Christum, qui est mons montium. Montes enim sunt apostoli, qui de Judæis possederunt Christum, in quo fundati sunt. *Et hæreditabunt.* HIER. Unde: *Semen Abraham servi ejus: filii Jacob, electi ejus.* Quicumque adhuc semen sunt, etc., *usque ad non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei* Rom. 9..

^{¶¶}65.10 *Campestria.* ID. Alii saltus, unde: *Dominus revelabit condensa silvarum* Psal. 18., ut latrones ibi latitare desistant, et bestię venenataque animalia in Ecclesiam Dei transeant. *In caulas gregum.* Alia translatio habet Saronas, quæ est regio inter Joppem, et Lyddam atque Jamniam fecunda et pabulosa, sed latronibus infesta: unde interpretatur *vallis effundens sanguinem. Et vallis Achor.* Ubi Achor filius Charmi de spoliis Jericho furatus cum omni domo periit. Et quia populum turbavit et ibi periit, vocatur locus vallis Achor, id est, turbationis vel tumultus. In quo significatur Gentilitas, sicut et per Saronas, quæ interpretatur *vallis fundens sanguinem,* quæ effusione sanguinis plena in tumultu et in turbatione vitiorum manebat. Sed vallis Achor versa est in caulas gregum sive ovilia, et in cubile armentorum, id est, ecclesias, et requiem prædicatorum et aliorum fidelium, qui designantur per armenta et greges ovium. *Armentorum.* Prædicatorum, qui Ecclesiam armant et defendunt. Armentum enim dicitur ab armando.

^{§§}65.11 *Et vos qui dereliquistis,* etc. Allegorice. Omnes qui Ecclesiam deserunt, et obliviscuntur montem sanctum Dei, tradentes se spiritibus erroris, vel immundis doctrinis dæmoniorum, parant fortunæ mensam, et nihil ad Deum pertinere credentes, sed vel stellarum cursu vel varietate fortunæ omnia gubernari, hi tradentur æternis suppliciis, ut nullus eorum possit evadere. *Fortunæ mensam.* HIER. Deæ Ægyptiorum cui in fine anni parabant mensam, omnibus escis refertam, et poculis mulsa mixtis: vel quasi felicem annum præbuerit, vel quia futurum felicem præbitura sit.

[†]65.12 *Vocavi.* Per prophetas dicens: *Convertimini ad me et salvi eritis* Isa. 45.. Et per memetipsum: *Pœnitentiam agite* Matth. 3.. Et alibi: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis* Ibid. 11..

[†]65.13 *Ecce servi mei.* HIER. Quasi dicat: Non solum corruetis gladio, etc., usque ad et, *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

suos vocabit nomine alio:[‡] 16 in quo qui benedictus est super terram benedicetur in Deo, amen, et qui jurat in terra jurabit in Deo, amen: quia oblivioni traditæ sunt angustiae priores, et quia absconditæ sunt ab oculis meis.[¶] 17 Ecce enim ego creo cælos novos, et terram novam; et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor. 18 Sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo: quia ecce ego creo Jerusalem exsultationem, et populum ejus gaudium.[§] 19 Et exsultabo in Jerusalem, et gaudebo in populo meo, et non audietur in eo ultra vox fletus et vox clamoris. 20 Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.^{**} 21 Et ædificabunt domos, et habitabunt; et plantabunt vineas, et comedent fructus earum.^{††} 22 Non ædificabunt, et alius habitabit; non plantabunt, et alius comedet: secundum enim dies ligni erunt dies populi mei, et opera manuum eorum inveterabunt.^{‡‡} 23 Electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione, quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis.^{¶¶} 24 Eritque antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.^{§§} 25 Lupus

[‡]65.15 *Et dimittetis nomen vestrum.* Ut aliqui affirmantes dicant: Si aliter fecero, contingat mihi sicut Judæis Romanorum gladio occisis. Vel ita: Juro per Deum, in quem olim Judæi crediderunt. Vel, quia Deus juramentum eorum erat, quod Christiani modo jurant necessitate compulsus, *Vivit Dominus* scilicet. *Et interficiet te.* Ut vel hunc non habeatis, qui dicit, *Ego sum via, veritas et vita* Joan. 14. Nec vocemini circumcisio, sed conscisio.

[¶]65.16 *Quia oblivioni.* HIER. Ut non idolorum meminerint, etc., usque ad Forsitan et in futuro pristinae conversationis memoria omnino delebitur.

[§]65.18 *Quia ecce.* Ex angelis scilicet et hominibus unam Ecclesiam, et exsultabunt et gaudebunt, ut ego qui creavi exsultem, et gaudeam in eis. *Exsultationem.* Universæ terræ, ut quæ vetus unigeniti erat gaudium, nova cunctis nationibus lætitia sit. *Gaudium.* Quod vel post resurrectionem possumus intelligere, vel post baptismum in prima resurrectione. Hoc ad generalem resurrectionem qua omnes in perfecta ætate resurgent. Et hoc est: *Non erit,* etc.

^{**}65.20 *Puer centum annorum,* etc. Ille scilicet, qui etsi diu, tamen pueriliter vixit, serviens vitiis: et hoc exponit sic Gregorius. *Puer centum annorum. Et peccator centum annorum.* Vita quidem pueri longum trahitur, ut a factis puerilibus corrigatur: sed si a peccati perpetrato, nec temporis longinquitate compescitur, hæc ipsa vitæ longinquitas, quam per misericordiam Dei accepit ei ad cumulum maledictionis crescit.

^{††}65.21 *Domos.* HIER. Virtutes pro quibus in cœlestibus requiescent, etc., usque ad Multi enim sancti ædificant domos, sed non habitant in eis.

^{‡‡}65.22 *Secundum enim.* ID. Sicut Christus etc., *usque ad Lignum vitæ est his qui apprehenderunt eam,* scilicet, sapientiam, quæ est Christus.

^{¶¶}65.23 *Semen benedictorum.* Apostoli, et alii doctores in prædicatione, vel in aliis operibus, sicut Judæi, quia æternam mercedem percipient, *quia venient cum exsultatione portantes manipulos suos* Psal. 125.. *Nepotes.* Quos filii eorum in fide genuerunt, sicut Marcus Petri discipulus, et Lucas Pauli filius.

^{§§}65.24 *Antequam clament.* In conturbatione, in dolore mentis, sed in gaudio et lætitia: unde, *Quod enim est gaudium nostrum aut corona gloriæ, nonne vos* II Thes. 2.? etc.

et agnus pascentur simul, leo et bos comedent paleas, et serpenti pulvis panis ejus. Non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.]*

66 [Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meæ?† ² Omnia hæc manus mea fecit, et facta sunt universa ista, dicit Dominus; ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?‡ ³ Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem; qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat; qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in viis suis, et in abominationibus suis anima eorum delectata est.¶ ⁴ Unde et ego eligam illusiones eorum, et quæ timebant adducam eis; quia vocavi, et non erat qui responderet; locutus sum, et non audierunt; feceruntque malum in oculis meis, et quæ nolui elegerunt.§ ⁵ Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus. Dixerunt fratres vestri odientes vos, et abjicientes propter nomen meum: Glorificetur Dominus, et videbimus in lætitia vestra; ipsi autem confundentur.** ⁶ Vox populi de civi-

*65.25 *Lupus*. Lupus Saulus, id est persecutor, de quo, *Benjamin lupus rapax* Gen. 49.. *Agnus*. Qui scilicet in candidis vestibus sequuntur agnum quocunque irerit: De quibus Petro dicitur, *Pasce agnos meos* Joan. 21.. *Et leo et bos comedent*. Vir scilicet disertus et potentissimus in sæculo spreta philosophiæ eloquentia comedet paleas, id est utilitatem et superficiem historiæ cum bobus, id est prædicatoribus Ecclesiæ. Hæc comedunt leones donec multis laboribus veniatur ad profunditatem mysterii, sicut Augustinus et Cyprianus et alii. *Neque occident*. Deposita feritate, vel in præsentem vel in futuro, et hoc est: *In omni monte*, etc. Hoc Judæi carnaliter accipiunt, dicentes quod in tempore Christi sui tanta pax et securitas sibi erit, ut lupi et agni, leones et boves, serpentes et homines commorentur simul, et comedant, neque eis noceant, qui in templo, et in monte sancto habitant. Ex quo colligitur, quod omnes alii occidentur. Sed hoc falsum esse ostenditur his verbis: *Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*, etc., hoc tamen Judæi carnaliter intelligunt.

†66.1 *Cælum*. Omnes sancti quorum conversatio in cœlis est; unde: *Anima justi sedes est Dei. Cælum sedes mea*. Quasi diceret: Ne putetis hæc ad litteram esse complenda. *Quæ est ista*. Quasi diceret: Putatis me localem, et in templo tantum manentem, sed *quæ est ista domus*, etc.

‡66.2 *Ad quem*, etc. Ablato altari temploque terreno quod humana manus construxit, recte auferentur victimæ Judæorum, ne forte dicerent: Non tam sumus stulti, ut Deum putemus hoc loco posse concludi, sed in separato ad glorificandum Deum loco victimas immolamus sicut in lege præcipitur.

¶66.3 *Qui immolat bovem*. HIER. Quasi: Sacrificium vestrum non placet mihi post immolationem veri sacrificii: in cujus umbra illa sacrificia concessi vobis, et ne immolaretis idolis. *Canem*. De quo per Moysen: *Non offeres in domo Dei tui mercedem meretricis, neque pretium canis* Deut. 23.. Et bene canis et meretrix copulantur, quia similiter libidinantur. *Elegerunt in viis suis*. Non mea voluntate, ex quo verus agnus immolatus est, Unde: *Pascha nostrum immolatus est Christus* I Cor. 5..

§66.4 *Et quæ timebant*. Romanos; unde: *Venient Romani, et tollent nostrum locum et Gentem* Joan. 11.. Vel famem, pestem, captivitatem.

**66.5 *Odientes vos*. Quia de mundo non estis, quia in me creditis, quia nomen meum habetis, a Chrito Christiani dicti: unde, *Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis confiteretur Christum, extra Synagogam fieret* Joan. 9.. *Glorificetur*. HIER. quasi: Appareat gloriosus, etc., usque ad cum potestate magna et majestate et virtute, vel etiam in præsentem.

tate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.^{†† 7} Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus ejus, peperit masculum.^{‡‡ 8} Quis audivit umquam tale? et quis vidit huic simile? numquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos?^{¶¶ 9} Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus tuus.^{§§ 10} Lætamini cum Jerusalem et exsultate in ea, omnes qui diligitis eam; gaudete cum ea gaudio, universi qui lugetis super eam.^{* 11} ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus; ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.^{† 12} Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis.[‡]
¹³ Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem con-

^{††}66.6 *Vox populi de civitate.* Adveniente Romano exercitu, secundum Josephum, divisi sunt Judæi in tres partes de principatu contententes. Alii sibi alium principem præponentes Pars autem populi et sacerdotum, tenebant templum, arcem vero et regiam domum pars populi et principum, reliquam vero civitatem tertia pars et maxime vulgus. Pugnabant ergo et extra contra hostes, et intra contra cives. Romanis ergo urbem irrumpentibus audita est vox populi plangentis de civitate, vox sacerdotum, et qui cum ipsis erant de templo. Vox etiam Domini audita est in Romanis exsultantibus, qui etiam nutu Dei venerunt, *reddentis reddentes retributionem inimicis suis*, scilicet Judæis, per Romanos.

^{‡‡}66.7 *Antequam parturiret.* HIER. Non paulatim, sed nec multo tempore, etc., usque ad et David, inquit, *Spes omnium finium terræ et in mari longe* Psal. 74.. *Masculum*, populum fortem de quo Stephanus, Paulus, qui dicit: *Quis nos separabit a charitate Christi* Rom. 8..

^{¶¶}66.8 *In die una.* Apostolus filios suos tanquam una die simul genuit, quia in Christo, qui lux, et dies; et in unitate fidei.

^{§§}66.9 *Si ego.* Quasi: Ego qui omnes creavi homines in nihilo, creabo mihi ex omnibus gentibus Ecclesiam unam quæ ædificatur de vivis lapidibus:

^{*}66.10 *Lætamini*, etc. HIER. O angeli, o apostoli, tristes de perditione Judæorum infidelium, lætamini consolati de fide et salute gentium de quibus ædificatur Ecclesia.

[†]66.11 *Ut sugatis.* Fidem simplicium, et opera bona inde delectati. Fides creditium lac et cibus est prædicatorum. Unde et Christus: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis* Joan. 4.. *Et repleamini.* Puerpera quæ genuit masculum non caret abundantia lactis in educatione Gentis, et parvulorum qui simul nati sunt ut præberet eis duo ubera Veteris et Novi Testamenti. Et notandum quod parvuli lacte consolationis indigent quasi adhuc in carne versantes: qui vero post lac consolationis ad solidum cibum profecerunt, affluent deliciis veritatis et scientiæ omnimodæ gloriæ. *Ut mulgeatis.* Sancta Ecclesia in omnibus una, in aliis habet lac, simplicem, scilicet fidem, operationem. In aliis affluit omnimoda gloria, charismatum scilicet abundantia, et divinitatis scientia et humanitatis Christi. Sancti ergo prædicatores in omnibus delectantur tanquam carpentes ab aliis hoc, ab aliis illud. *Ab ubere.* Ab apostolis et prædicatoribus ad dona Spiritus sancti, vel ad doctrinam Veteris et Novi Testamenti. Quod enim prædicant, operibus monstrant, ut sic auditoribus ducatum præbeant.

[‡]66.12 *Blandientur vobis.* HIER. Sustentantes, lac dantes, sicut ille qui dicit, *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei ut exhibeatis corda vestra* Rom. 12., etc. Et: *Obsecro vos tanquam advenas*, I Petr. 2.. etc.

solabimini.[¶] ¹⁴ Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt: et cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis.[§] ¹⁵ Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum et increpationem suam in flamma ignis: ¹⁶ quia in igne Dominus dijudicabit, et in gladio suo ad omnem carnem; et multiplicabuntur interfecti a Domino,^{**} ¹⁷ qui sanctificabantur et mundos se putabant in hortis post januam intrinsecus, qui comedebant carnem suillam, et abominationem et murem: simul consumentur, dicit Dominus.^{††} ¹⁸ Ego autem opera eorum et cogitationes eorum venio ut congregem, cum omnibus gentibus et linguis: et venient, et videbunt gloriam meam.^{‡‡} ¹⁹ Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam, tendentes sagittam; in Italiam et Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam.

[¶]66.13 **Quomodo.** Omnipotens Deus tanquam misericors et miserator, modo aquilæ modo gallinæ, modo mari blandienti se comparat, ut vos saltem blanditiis alliciat. Sicut etiam aquila in rupibus inaccessis nidum parat, ne accessus alicui pateat, et in medio amethystum lapidem qui omnia venena fugat, secundum physicos propter serpentes arcendos, quædam alia secreta naturæ collocat: sic ipse in cordibus nostris lapidem, id est fidem suam ponit, scilicet, seipsum, qui est lapis abscisus sine manibus de monte, quo omnia venena diaboli fugantur. Aquila enim plus omnibus bestiis, et jumentis, pecudibus avibusque foetus diligit, ut aiunt qui de animantium scripsere naturis

[§]66.14 **Videbitis,** o apostoli, multitudinem viventium ad fidem. **Et gaudebit cor vestrum** de salute illorum, **et ossa vestra,** virtutes, germinabunt in aliorum cordibus, fructus bonæ voluntatis et operationis. Sicut enim corpus ossibus, ita anima sustentatur virtutibus. **Et ossa vestra.** In die iudicii corpora vestra reviviscent in immortalitate, ut sicut corpore et anima in præsentī vita Deo servivistis, sic corpore et anima præmia recipiatis. **Cognoscetur.** In iudicio scilicet bonis suavis et mitis; impiis ultor, et fortis cognoscetur Filius, qui Patris manus est, per quem omnia operatur

^{**}66.16 **In igne.** Qui æternus erit malis quos involvet, et adducet ad supplicium æternum quo purgabitur quid in bonis erit purgandum. **Quadrigæ ejus.** Currus, quia tunc triumphaturus, et omnes adversarios debellaturus: non quod egeat ministerio angelorum. **In igne Dominus.** In iudicio. Vel, discretio ejus et justitia monstratur, dum bonos a malis dividit justo iudicio, non potentia. **Gladio.** HIER. Sententia: unde Amos, **Gladio Dei peribunt omnes peccatores,** etc. Amos. 9. Dum enim reddet unicuique quod meretur, omnes cognoscent illum justum iudicem, et laudabunt ejus iudicium.

^{††}66.17 **Qui sanctificabantur** ID. Opinione sua in fontibus et baptismatibus, etc., usque ad sed tamen dicitur ad confusionem eorum qui nec erubescunt facere. **Qui sanctificabantur.** Possumus secundum tropologiam dicere, omnes voluptatis magis quam Dei amatores, dicere sanctificari in hortis et in liminibus, secundum Septuaginta, quia in mysteria veritatis non valent introire, et comedere cibos pietatis: quia non sunt sancti corpore et spiritu nec comedunt carnem Christi, ut habeant vitam æternam. **Etenim pascha nostrum immolatus est Christus** I Cor. 5., qui non foris, sed in una domo et intus comeditur. **In hortis.** Non in sacrificio vitulæ rufæ, quod præcipiebatur in lege.

^{‡‡}66.18 **Ego autem.** Quasi dicat: Ideo venio ad iudicium cum omnibus gentibus et linguis, ut iudicem simul omnia opera eorum et cogitationes, et reddam eis omnia quæ merentur. **Linguis.** HIER. Quæ secundum apostolorum non solum hominum, etc., usque ad Juxta illud: **Inebriatus est in cælo gladius meus, et usque ad terram descendit** Isa. 34..

Et annuntiabunt gloriam meam gentibus;^{¶¶} 20 et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus: quomodo si inferant filii Israël munus in vase mundo in domum Domini.^{§§} 21 Et assumam ex eis in sacerdotes et Levitas, dicit Dominus. 22 Quia sicut cæli novi et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum.* 23 Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato: veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.† 24 Et egredientur, et videbunt cadavera vi-

^{¶¶}66.19 *Et ponam in eis signum.* Crucis, Christianitatis, salutis, quo signati in Ezechiele non interficiuntur; quo in Ægypto postes signantur et Israëlita salvantur. Hoc signum Achaz noluit petere, quod supponit Isaias: *Ecce virgo concipiet, etc. Et mittam ex eis.* Videtur esse contrarium, cum de iudicio prius dictum sit, reverti ad primum adventum, quo apostoli ad gentes diriguntur et audiunt: *Ite, docete omnes gentes* Matth. 28.. Sed iudicii dies prædicatur, ut metu futuræ pœnæ perterriti, accipiant adventum Salvatoris: et apostolorum prædicationem qui sunt præmittendi. *In mare.* Mundum scilicet, cuius partes subdit Africam, etc. meridia nam, scilicet plagam in qua Africa est.

^{§§}66.20 *In equis.* HIER. Sunt adducti, qui velociter credunt et cito ad fidem currunt. *In quadrigis et in lecticis.* Philosophos, scilicet et doctrina et morum honestate fulgentes: unde citius ad doctrinam quatuor Evangelistarum pervenerunt, et quatuor principalibus virtutibus sublevari cælestia mente attigerunt. *In mulis.* Super quos David et Salomon sedisse leguntur. Qui enim a mundi fetu steriles sunt, Domino qui per illos figuratur, quasi mansueti deserviunt. *In carrucis.* Septuaginta, tectis vehiculis: alii simpliciter. Hi sunt quibus dicitur: *Invicem onera vestra portate* Gal. 6.. *Quomodo.* Quasi: Cum tanta lætitia adducunt apostoli fratres vestros quorum munera, fides, spes, charitas, oratio munda, bona opera etc., vasa pura corda et corpora immaculata. *Inferant.* Quod secundum legem ter in anno faciebant, scilicet in Pascha, in Pentecoste, in festivitate Tabernaculorum; unde, *Non apparebis in conspectu meo vacuus* Exod. 23.. *Domum Domini. Templum Dei sanctum est, quod estis vos* I Cor. 3.. Et alibi: *Templum Dei estis et Spiritus sanctus habitat in vobis* II Cor. 6..

*66.22 *Quia sicut cæli.* Quasi: Sicut hæc innovata in æternum manebunt immobilia, sic semen vestrum, o apostoli, innovatum, ab omni corruptione carnis in æternum mecum regnabit. *Quia sicut,* etc. HIER. Hæc usque ad finem libri pertinent ad diem iudicii.

†66.23 *Mensis ex mense.* Mene Græce, Latine luna, unde neomenia, quasi nova luna. A mene mensis apud illos qui initium kalendarum, non secundum solis cursum et diversa spatia mensium, sed secundum lunæ circumitum et terminant et incipiunt, quod Hebræi faciunt. Per mensem ergo lunam: per lunam quæ modo crescit, et sicut aiunt physici et philosophi a sole, quod non habet, lumen recipit Ecclesia intelligitur, de qua, *Permanebit cum sole et ante lunam* Psal. 71.. Et alibi: *Pulchra ut luna, electa ut sol* Cant. 6., et hoc est, erit mensis ex mense.

rorum qui prævaricati sunt in me; vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur: et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.][‡]

[‡]66.24 *Et Eredientur.* Quasi ad videndum, non loco, sed intelligentia, vel visione manifesta, ut ad laudem Dei magis accendantur. *Et videbunt.* HIER. Non mirum si sancti jam immortales reprobos videant, cum prophetæ adhuc mortales hæc omnia videre meruerunt. *Cadavera,* quia in æternam damnationem cadent, secundum quod et dæmones cadavera possunt dici, secundum quod etiam homines appellantur. Unde: *Inimicus homo hoc fecit* Matth. 13.. *Vermis eorum.* Materialis, vel conscientia; unde: *Sicut tinea comedit vestimentum, et vermis corrodit lignum, et ignis devorat ligna, sic mæror et tristitia excruciat cor viri* Prov. 25.. *Ad satietatem.* Quia scilicet boni videbunt eos a se justo Dei iudicio separatos, amissa potentia qua sæviebant contra bonos, et vindictam Dei in illos tantam, ut majorem non exposcant. Qui modo dicunt, *Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem nostrum* Apoc. 6.? Satiabuntur quoque de beatitudine sua, agentes gratias visa impiorum ineffabili pœna.

INCIPIIT LIBER JEREMIÆ PROPHETÆ

1 Verba Jeremiæ filii Helciæ, de sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth, in terra Benjamin.[¶] ² Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Josiæ filii Amon, regis Juda, in tertio decimo anno regni ejus.[§] ³ Et factum est in diebus Joakim filii Josiæ, regis Juda, usque ad consummationem undecimi anni Sedeciæ, filii Josiæ, regis Juda, usque ad transmirationem Jerusalem, in mense quinto. ⁴ Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ⁵ [Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te.]^{**} ⁶ Et dixi: [A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.]^{††} ⁷ Et dixit Dominus ad me: [Noli dicere: Puer sum: quoniam ad omnia quæ mittam te ibis, et universa quæcumque mandavero tibi loqueris. ⁸ Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum ut eruam te, dicit Dominus.] ⁹ Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum, et dixit Dominus ad me: [Ecce dedi verba mea in ore tuo:^{‡‡} ¹⁰ ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes.] ¹¹ Et factum est verbum Domini ad me, dicens: [Quid tu vides, Jeremia?] Et dixi: [Virgam vigilantem ego video.]^{¶¶} ¹² Et dixit Dominus ad me: [Bene vidisti: quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud.] ¹³ Et factum est verbum Domini secundo ad me, dicens: [Quid tu vides?] Et dixi: [Ollam succensam ego

[¶]1.1 *Præfatio* Hæc interpretatio Hieronymi est. Si quid in ea moverit, secundum Hebræos codices exploretur. Alia est Septuaginta interpretum Ecclesiis usitata: quæ, quamvis nonnulla aliter habeat quam in Hebræis codicibus invenitur, tamen utraque, id est secundum Septuaginta et secundum Hebræam, apostolica auctoritate firmata est. Non errore neque reprehensione superiori, sed certo consilio Septuaginta nonnulla aliter dixisse vel contexisse intelliguntur. Quod ideo præmonemus, ne quisquam alteram ex altera velit emendare: quod singulorum in suo genere veritas observanda est. *Argumentum* Incipit Jeremias Anathotites, qui est viculus tribus a Hierosolymis distans millibus, apud Thamnas in Ægypto a populo lapidibus obrutus occubuit. Jacet vero in eo loco sepultus, quo dudum Pharo rex habitaverat. Et quoniam postulatione sua defugatis ab eodem loco serpentibus, Ægyptios a tactu aspidum facit esse securos, magna eum ibi religione Ægyptii venerantur. *Verba Jeremiæ.* HIER. LXX: Verbum Dei, quia verba Jeremiæ verbum Domini est.

[§]1.2 *In diebus,* etc. ID. Mirabilis Dei clementia. Jam captivitate vicina, et Babylonio exercitu vallante Jerusalem, nihilominus populum ad pœnitentiam vocat, mallens servare conversos quam perdere delinquentes.

^{**}1.5 *Priusquam te.* Non quod ante conceptionem fuerit, ut hæretici suspicantur; sed quia præscivit eum Dominus futurum, cui facienda jam facta sunt; qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.

^{††}1.6 *A, a, a, Domine Deus.* Detestatur officium quod pro ætate non potest sustinere. Eadem verecundia, qua Moyses gracilis et tenuis vocis se esse dicit; sed ille quasi magnæ et robustæ ætatis corripitur, quasi puero huic venia datur, qui verecundia et pudore decoratur.

^{‡‡}1.9 *Et misit,* etc. ID. Notandum quod hic manus Dei mittitur, etc., usque ad ut confidentiam accipiat prædicandi. ID. Quatuor tristibus duo læta succedunt, etc., usque ad et propinare jubetur omnibus nationibus.

^{¶¶}1.11 *Virgam vigiliarum.* ID. Virga vigiliarum, etc., usque ad resurrectione Domini floruisse narratur.

video, et faciem ejus a facie aquilonis.]^{§§} ¹⁴ Et dixit Dominus ad me: [Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ: ^{*} ¹⁵ quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum aquilonis, ait Dominus: et venient, et ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem, et super omnes muros ejus in circuitu, et super universas urbes Juda: ¹⁶ et loquar judicia mea cum eis super omnem malitiam eorum qui dereliquerunt me, et libaverunt diis alienis, et adoraverunt opus manuum suarum. ¹⁷ Tu ergo, accinge lumbos tuos, et surge, et loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides a facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum.] [†] ¹⁸ Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram, regibus Juda, principibus ejus, et sacerdotibus, et populo terræ: [‡] ¹⁹ Et bellabunt adversum te, et non prævalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.]

2 Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ² [Vade, et clama in auribus Jerusalem, dicens: Hæc dicit Dominus: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et caritatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur.] [†] ³ Sanctus Israël Domino, primitiæ frugum ejus: omnes qui devorant eum delinquent: mala venient super eos, dicit Dominus. [§] ⁴ Audite verbum Domini, domus Jacob, et omnes cognationes domus Israël. ^{**} ⁵ Hæc dicit Dominus: Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? ^{††} ⁶ Et non dixerunt: Ubi est Dominus qui ascendere nos fecit de terra Ægypti; qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis, et imaginem mortis, per terram in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo? ^{‡‡} ⁷ Et induxi vos in terram Carmeli, ut

^{§§}1.13 *Et factum est.* Gradatim peccantes corripiuntur; qui noluerunt, percutiente virga, corrigi vel emendari, mittuntur in ollam succensam, de qua plenius Ezechiel. **Ollam succensam.** Hinc Dominus ad Job dicit, etc., usque ad sed hæc violenta et prava interpretatio est.

^{*}1.14 *Habitatores terræ.* De quibus in Apocalypsi, etc., usque ad et Petrus: **Electis advenis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ.**

[†]1.17 *Tu ergo accinge,* etc. ID. Job quoque præcipitur, etc., usque ad sed civitatem totam quæ super montem posita latere non potest.

[‡]1.18 *Et in columnam.* De qua Apostolus: **Columna et firmamentum veritatis** I Tim.. Et Petrus et Jacobus et Joannes **qui putabantur esse columnæ Ecclesiæ,** et Paulo et Barnabæ dederunt dextras communionis. **Regibus Juda.** ID. Si quando reges Juda, etc., usque ad in Domino speret ut vincat.

[†]2.2 *Adolescentiam.* HIER. Plenius hoc in Ezechiele legitur ubi sibi Dominus Jerusalem matrimonio copulat, et sub persona uxoris, suis jungit amplexibus. Sive ut ardentiolem monstret affectum, puellam eam et desponsatam vocat. Quo enim nondum potiti sumus, ardentius appetimus.

[§]2.3 *Omnes qui devorant.* HIER. Sicut qui primitias devorant, etc., usque ad primitiæ debentur sacerdotibus, non hostibus.

^{**}2.4 *Israel.* ID. Utrumque nomen ponitur, Jacob et Israël, non secundum duas et decem tribus, sed juxta omnem populum, cum ipse Jacob postea dictus sit Israël.

^{††}2.5 *Quid invenerunt patres.* Offensam dicit Deus a patribus factam, non quod peccata patrum filiis imputentur, sed quia filii habentes similitudinem patrum, et suo et parentum scelere puniuntur. Propter sanctos patres filiorum miseretur Deus.

^{‡‡}2.6 *Neque habitavit homo.* ID. Qui semper ad majora festinat, etc., usque ad sed certamen et incertus exitus futurorum.

comederetis fructum ejus et optima illius: et ingressi contaminastis terram meam, et hæreditatem meam posuistis in abominationem.^{¶¶} ⁸ Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus? et tenentes legem nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me, et prophetæ prophetaverunt in Baal, et idola secuti sunt. ⁹ Propterea adhuc judicio contendam vobiscum, ait Dominus, et cum filiis vestris disceptabo. ¹⁰ Transite ad insulas Cethim, et videte: et in Cedar mittite, et considerate vehementer: et videte si factum est hujuscemodi:^{§§} ¹¹ si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii: populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum.* ¹² Obstupescite, cæli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Dominus.† ¹³ Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quia continere non valent aquas.‡ ¹⁴ Numquid servus est Israël, aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam? ¹⁵ Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem suam: posuerunt terram ejus in solitudinem. Civitates ejus exustæ sunt, et non est qui habitet in eis.¶ ¹⁶ Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem.§ ¹⁷ Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore quo ducebat te per viam? ¹⁸ Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? ¹⁹ Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.** ²⁰ A sæculo confregisti jugum meum: rupisti vincula mea, et dixisti: Non serviam. In omni enim colle sub-

^{¶¶}2.7 *Et induxi vos*, quasi diceret: Pro labore durissimi itineris, etc., usque ad et hæreditatem illius abominabilem facimus.

^{§§}2.10 *Cethim*. ID. Cethim, vel Italiæ scilicet, vel occidentalium partium, quia Judææ Cyprus insula, in qua urbs hujus nominis vicina est, de qua Zeno princeps Stoicorum. *Et considerate*. ID. Possumus contra eos hoc dicere, qui majori studio sequuntur vitia quam virtutes, quibus dicitur: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ; sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem* Rom. 6., etc.

*2.11 *Populus meus*. Velut anthropophormitæ, qui occasione hujus testimonii: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem* Gen. 1., immensam et simplicem divinitatis substantiam lineamenti nostris et humana figuracione compositam pertinaciter contendunt.

†2.12 *Obstupescite, cæli*. ID. LXX: Obstupuit cælum, etc., usque ad et tam cæli quam cælum eodem dicuntur nomine, ut Thebæ, Athenæ.

‡2.13 *Me dereliquerunt*. Qui præceptum dedi dicens: *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti*. Et secundum quod in eodem loco scriptum est: *Non sint tibi dii alieni in conspectu meo*, pro quo secutus est dæmones. *Fontem aquæ vivæ*. ID. Fons perpetuus est et vitales habet aquas. Cisternæ et lacus de torrentibus et aquis turbidis complentur impluviis.

¶2.15 *Nunquid servus*. ID. Ex hoc loco Judæ in superbiam elati, etc., *usque ad Maledictus Chanaam, servus erit fratribus suis* Gen. 9.. *Leones*. Secundum anagogen, leones intelligimus, etc., *usque ad Omnes adulterantes quasi clibanus corda eorum* Osee 7..

§2.16 *Usque ad verticem*. Secundum illud: *A planta pedis usque ad verticem*, etc., usque ad qui puritatem Ecclesiæ sua polluunt turpitudine.

**2.19 *Arguet te malitia tua*. ID. Nota quod malitia et prævaricatio, etc., usque ad quia dereliquit Dominum Deum suum.

limi, et sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix.^{†† 21} Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena?^{‡‡ 22} Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.^{¶¶ 23} Quomodo dicis: Non sum pol-luta; post Baalim non ambulavi? Vide vias tuas in convalle; scito quid feceris: cursor levis explicans vias suas.^{§§ 24} Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui: nullus avertet eam: omnes qui quærunt eam non defi-cient: in menstruis ejus invenient eam.²⁵ Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti. Et dixisti: Desperavi: nequaquam faciam: adamavi quippe alienos, et post eos ambulabo.]^{* 26} [Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic con-fusi sunt domus Israël, ipsi et reges eorum, principes, et sacerdotes, et prophetæ eorum,²⁷ dicentes ligno: Pater meus es tu: et lapidi: Tu me genuisti. Verterunt ad me tergum et non faciem, et in tempore afflictionis suæ dicent: Surge, et libera nos.[†] 28 Ubi sunt dii tui quos fecisti tibi? surgant, et liberent te in tempore afflictionis tuæ: secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui, Juda.[‡] 29 Quid vultis mecum iudicio contendere? omnes dereliquistis me, dicit Dominus.[¶] 30 Frustra per-cussi filios vestros: disciplinam non receperunt. Devoravit gladius vester prophetas vestros: quasi leo vastator[§] 31 generatio vestra. Videte verbum Domini: numquid solitudo factus sum Israël, aut terra serotina? quare ergo dixit populus meus: Re-cessimus; non veniemus ultra ad te?^{** 32} Numquid obliviscetur virgo ornamentis sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus vero meus oblitus est mei diebus innu-

^{††}2.20 **A sæculo confregisti.** ID. Potest hoc ad eum dici, etc., usque ad et faciunt divaricare pedes suos omni transeunti.

^{‡‡}2.21 **Vineam electam.** In Hebræo, *soreth*, quod genus est vitis optimæ, de cujus sarculo plantavit Israël, et miratur quomodo semen verum et electa vinea in amaritudinem versa facta sit aliena. **Quomodo ergo conversa es?** Nullus securus sit si plantatio, etc., usque ad si permanserit in eo quod plantata est.

^{¶¶}2.22 **Borith.** ID. Ipsum Hebræum. LXX vero herbam fullonum, quæ in Palæstina in humidis et virentibus nascitur locis, et ad lavandas sordes eamdem vim habet quam et nitrum.

^{§§}2.23 **Vide vias tuas,** id est respice convallem filiorum Ennon, quæ Silœ fontibus irrigatur, ibi cernes delubrum Baal, quem relicto Deo coluisti.

^{*}2.25 **Prohibe pedem tuum.** Pascha facturi, etc., usque ad quæ deberent evangelico pede calcari et conteri.

[†]2.27 **Verterunt. Projicientes sermones meos retrorsum.** Quando enim magister præcipit, etc., usque ad sed tumorem animi indicant gestu corporis.

[‡]2.28 **Secundum numerum.** Vel eosdem, vel diversos, singulæ civitates colebant deos, ut nec in impietate viderentur habere consensum; sed pugnans contra se superstitio, errore sequeretur diversum.

[¶]2.29 **Quid vultis?** Prona est ad excusationem sui humana perversitas: et quod merito sustinet, sibi injuste videtur sustinere.

[§]2.30 **Filios vestros.** Ut plagis filiorum disceratis, quod austeriori curandi essetis medicamine, et ne forsitan diceretis, peccantes corripere noluisti.

^{**}2.31 **Videte verbum Domini.** Moyses videbat vocem Domini. Et Joannes apostolus verbum Dei se vidisse et attraxisse dicit.

meris.†† 33 Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper et malitias tuas docuisti vias tuas, 34 et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum? non in fossis inveni eos, sed in omnibus quæ supra memoravi.‡‡ 35 Et dixisti: Absque peccato et innocens ego sum, et propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccavi.¶¶ 36 Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas ! et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. §§ 37 Nam et ab ista egredieris, et manus tuæ erunt super caput tuum: quoniam obrivit Dominus confidentiam tuam, et nihil habebis prosperum in ea.]*

3 [Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.† 2 Leva oculos tuos in directum, et vide ubi non prostrata sis. In viis sedebas, exspectans eos quasi latro in solitudine: et polluisti terram in fornicationibus tuis, et in malitiis tuis.‡ 3 Quam ob rem prohibita sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit. Frons mulieris meretricis facta est tibi; noluisti erubescere.¶ 4 Ergo saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ

††2.32 *Nunquid obliviscetur?* ID. Ornamentum suum perdit qui a Domino recedit, et intelligentiam doctrinæ, quæ significatur in pectore: Unde, *Joannes supra pectus Domini in cœna recubuit* Joan. 13., et sacerdotibus inter cætera servatur pectusculum victimarum.

‡‡2.34 *In omnibus.* Istis, sive sub omni quercu alia littera; Hebræum enim et quercum et ista significat. In amœnis autem locis, umbra et frondibus immolabant.

¶¶2.35 *Et dixisti.* His utendum est apud eos, etc., usque ad non lugere, sed excusationes prætere. *Ecce ego iudicio.* ID. Audiatur hæresis nova ex veteri, iram Dei esse vel maximam, nolle peccatum humiliter confiteri, sed impudenter jactare justitiam.

§§2.36 *Et ab Ægypto.* Ut Ægyptiorum impetum, etc., usque ad increpantur ergo quia, relicto Deo, spem in hominibus ponunt.

*2.37 *Super caput tuum.* ID. More lugentium, ut Thamar ab Amnon corrupta cinere caput sparsit, et manus supra posuit, et ita reversa est in domum suam.

†3.1 *Vulgo dicitur: si dimiserit.* Ecce de fornicata et relicta muliere, etc., usque ad quanto contemptus adhuc vocare non dedignatur. *Si dimiserit vir.* HIER. Hoc dicere possumus adversus eos, qui fidem Domini relinquentes et hæreticorum erroribus irretiti post multas fornicationes et deceptionem suarum animarum, simulant se reverti ad pristinam veritatem, non ut deponant venena pectoris, sed ut insinuent aliis. *Tu autem fornicata es.* Sive: Habuisti pastores multos in offensionem tui, ut Deum scilicet offenderes; et qui magistri esse debuuerant, ut alios ab omni errore prohiberent, auctores impietatis exstiterunt. *Tamen revertere.* Si revertebaris ad me, dicit Dominus. Arguit impudentiam meretricis, quæ post adulterium audet reverti ad virum.

‡3.2 *Leva oculos tuos.* Juxta anagogen: His qui hæreticos errores deserere se promittunt, præcipitur ut levant oculos in directum. Nisi enim recta viderint, pristinam pravitatem damnare non possunt. *Quasi latro.* Sicut solent latrones ad vesperam, etc., usque ad et descendantibus de Jerusalem in Jericho obsidet vias.

¶3.3 *Frons mulieris.* ID. Hoc possumus dicere de hæreticis qui in erroribus suis gloriantur. Quia supra dixit: *non peccavi*, arguit eam ut mulierem procacem quæ ad nullum declinare erubescit.

tu es: § 5 numquid irascaris in perpetuum, aut perseverabis in finem? ecce locuta es, et fecisti mala, et potuisti.] 6 Et dixit Dominus ad me in diebus Josiæ regis: [Numquid vidisti quæ fecerit aversatrix Israël? Abiit sibimet super omnem montem excelsum, et sub omni ligno frondoso, et fornicata est ibi.** 7 Et dixi, cum fecisset hæc omnia: Ad me revertere: et non est reversa. Et vidit prævaricatrix soror ejus Juda†† 8 quia pro eo quod mœchata esset aversatrix Israël, dimissem eam, et dedissem ei libellum repudii: et non timuit prævaricatrix Juda soror ejus, sed abiit, et fornicata est etiam ipsa: 9 et facilitate fornicationis suæ contaminavit terram, et mœchata est cum lapide et ligno: 10 et in omnibus his non est reversa ad me prævaricatrix soror ejus Juda in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus.] 11 Et dixit Dominus ad me: Justificavit animam suam aversatrix Israël, comparatione prævaricatricis Judæ.‡‡ 12 Vade, et clama sermones istos contra aquilonem, et dices: [Revertere, aversatrix Israël, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis, quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum.¶¶ 13 Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es, et dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, et vocem meam non audisti, ait Dominus. §§ 14 Convertimini, filii reverentes, dicit Dominus, quia ego vir vester: et assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion.* 15 Et dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. 16 Cumque multiplicati fueritis, et creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra: Arca testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra.† 17 In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini: et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi.‡ 18 In diebus illis ibit domus Juda ad domum Israël, et venient simul de

§3.4 *Dux virginitatis meæ tu es. Nunquid irascaris in perpetuum,* etc., usque ad tanto miserior meretrix quæ non vult recipere sanitatem.

**3.6 *Nunquid vidisti quæ fecerit?* ID. Facit comparationem, etc., usque ad et hoc est quod dicit: *Nunquid vidisti quæ fecerit? Adversatrix Israël.* ID. Sub figura duarum sororum loquitur quæ de una stirpe Abrahamæ, Isaac et Jacob, sunt generatæ. Priorem adversatricem vocat, quæ statuit in Dan et in Bethel vitulos aureos.

††3.7 *Et vidit.* ID. Aliorum tormenta, aliorum remedia sunt, etc., usque ad et ad zelum et æmulationem Domini collocatum.

‡‡3.11 *Justificavit animam.* Justificata est Sodoma soror tua ex te. Et alibi: *Descendit hic justificatus in domum suam ab illo* Luc. 18..

¶¶3.12 *Et non avertam faciem.* Unde: *Averte faciem tuam* Psal. 50., etc., usque ad de quibus vere dicitur: *Qui devorant populum meum sicut escam panis.*

§§3.13 *Verumtamen scito.* Quasi dicat, cum misertus fuero tui, non te justum putes; sed semper memento iniquitatis tuæ et superbæ colla dimitte, ut qui per arrogantiam offendisti, per humilitatem placare Deum possis.

*3.14 *Convertimini.* HIER. Judæi putant hoc completum esse, etc., *usque ad Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma essemus, et similes Gomorrhæ fuissetus* Rom. 9..

†3.16 *Cumque multiplicati fueritis.* ID. Alii hoc ad finem temporum referunt, etc., usque ad sed spirituales cibum sectabuntur.

‡3.17 *Vocabunt.* Qui olim dicebant, *Qui sedes super Cherubim, manifestare* Psal. 79., etc. Inter duo Cherubim in propitiatorio Domini majestas apparebat, et loquebatur Moysi et sacerdotibus, sed modo aliter tempore fidei.

terra aquilonis ad terram quam dedi patribus vestris.[¶] ¹⁹ Ego autem dixi: Quomodo ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum gentium? Et dixi: Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis.[§] ²⁰ Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israël, dicit Dominus.^{**} ²¹ Vox in viis audita est, ploratus et ululatus filiorum Israël: quoniam iniquam fecerunt viam suam; obliti sunt Domini Dei sui.^{††} ²² Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras. Ecce nos venimus ad te: tu enim es Dominus Deus noster.^{‡‡} ²³ Vere mendaces erant colles, et multitudo montium: vere in Domino Deo nostro salus Israël. ²⁴ Confusio comedit laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra: greges eorum, et armenta eorum, filios eorum, et filias eorum. ²⁵ Dormiemus in confusione nostra, et operiet nos ignominia nostra: quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos, et patres nostri, ab adolescentia nostra usque ad diem hanc: et non audivimus vocem Domini Dei nostri.]^{¶¶}

4 [Si reverteris, Israël, ait Dominus, ad me convertere: si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis.^{§§} ² Et jurabis: Vivit Dominus in veritate, et in iudicio, et in justitia: et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt.* ³ Hæc enim dicit Dominus viro Juda et Jerusalem: Novate vobis novale, et nolite serere super spinas. ⁴ Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem: ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui extinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum.] ⁵ [Annuntiate

[¶]3.18 *In diebus illis.* Hoc proprie in Christi adventu completur, cum duodecim tribus simul Evangelio credunt, et terram aquilonis relinquunt et diaboli imperium.

[§]3.19 *In filios.* HIER.i In numero filiorum qui de gentibus crediderunt. *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* Joan. 1..

^{**}3.20 *Mulier amatorem.* ID Semel mista, videns eum, etc., usque ad contempsit Dominum Salvatorem, in perniciem suam.

^{††}3.21 *Vox in viis audita est.* Libenter suscipit Dominus pœnitentem, occurrit filio inopia et squalore confecto, pristinis vestibus induit, gratiam reddit revertenti, si tamen cum ploratu et ululatu redeat ad patrem.

^{‡‡}3.22 *Aversiones vestras.* Alii conversiones: quamvis propria voluntate ad eum convertamur, nisi tamen ille nos traxerit, et cupiditatem nostram suo præsidio corroboraverit, non possumus esse salvi. Intelligimus, et de populo Judæorum ad eum revertente, et de hæreticis qui Dominum dereliquerunt.

^{¶¶}3.25 *Dormiemus.* Vox Israël, qui Deum suum non audivit et hæretici pœnitentis. Pars enim est salutis peccata nosse et confiteri; unde: *Dic tu prius iniquitates tuas, ut justificeris* Ibid..

^{§§}4.1 *Si reverteris.* HIER. Septuaginta: *Si conversus fuerit Israël, ait Dominus, ad me convertatur.* Alia littera, converteris, id est, si salutem desideras, et te peccasse dicis, plene convertere, id est, quem negasti crede. *Si abstuleris.* Patet, quia quando movemur et dicimus: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei* Psal. 72.. Non ex imbecillitate naturæ hoc patimur, sed quia contra Deum offendicula et idola nostra ponimus.

^{*}4.2 *Et jurabis, vivit,* etc. ID. In suggillationem, scilicet mortuorum deorum, per quos jurat omnis idololatra. *Novate.* ID. Eradicando vepres et sentes, etc., usque ad non potest animus ærumnis mundi plenus semen Dei suscipere et fructum facere. *Circumcidimini.* ID. Viro Juda et habitatoribus Jerusalem præcipitur, ut deserant occidentem litteram, et sequantur vivificantem spiritum. *Ne forte.* ID. Monet et prædicat, ne facere compellatur quæ in Ninivitis probamus, quibus est prædicta sententia, ut imminentem furorem declinarent pœnitentia.

in Juda, et in Jerusalem auditum facite: loquimini, et canite tuba in terra, clamate fortiter, et dicite: Congregamini, et ingrediamur civitates munitas. ⁶ Levate signum in Sion; confortamini, nolite stare: quia malum ego adduco ab aquilone, et contritionem magnam. ⁷ Ascendit leo de cubili suo, et prædo gentium se levavit: egressus est de loco suo ut ponat terram tuam in solitudinem: civitates tuæ vastabuntur, remanentes absque habitatore. [†] ⁸ Super hoc accingite vos ciliciis; plangite, et ululate: quia non est aversa ira furoris Domini a nobis. [‡] ⁹ Et erit in die illa, dicit Dominus: peribit cor regis, et cor principum, et obstupescunt sacerdotes, et prophetae consternabuntur.] [¶] ¹⁰ Et dixi: [Heu ! heu ! heu ! Domine Deus, ergone decepti populum istum et Jerusalem, dicens: Pax erit vobis: et ecce pervenit gladius usque ad animam?] [§] ¹¹ [In tempore illo dicetur populo huic et Jerusalem: Ventus urens in viis quæ sunt in deserto viæ filiaë populi mei, non ad ventilandum et ad purgandum.** ¹² Spiritus plenus ex his veniet mihi, et nunc ego loquar judicia mea cum eis. ^{††} ¹³ Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus: velociore aquilis equi illius. Væ nobis, quoniam vastati sumus. ^{‡‡} ¹⁴ Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias: usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? ^{¶¶} ¹⁵ Vox enim annuntiantis a Dan,

[†]4.7 *Ascendit leo.* HIER. Si quis fautor est aut auctor perversorum dogmatum, de eo potest dici, *ascendit leo de cubili suo*, etc. *Et prædo.* De quo dicitur, *Omnium inimicorum suorum dominabitur* Psal. 9.. Qui gloriatur dicens: *Circumivi terram et perambulavi eam* Job 2.. Quis est enim quem diaboli venena non tangunt, nisi ille qui ait: *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam?* Job. 14. *De loco suo.* De abyso, in qua est religandus, in quam ne mittatur exorat.

[‡]4.8 *Super hoc.* Sine pœnitentia sævissimam bestiam vitare non possumus, et nisi ad Deum non solum mente, sed etiam corpore convertamur. Dum enim vastatur Ecclesia, ira Dei est aperta.

[¶]4.9 *Principum.* HIER. Qui legem docere debuerunt, et subjectos a leone defendere. *Sacerdotes.* Qui putantur esse sapientes: *Stultam enim fecit Deus sapientiam hujus mundi*, quia per illam non cognoverunt Deum. *Prophetae consternabuntur*, etc. Aquila, *amentes erunt.* Quis enim non insaniat, non perdat cor, cum principes et reges et sacerdotes quondam suos sub leone conspexerit.

[§]4.10 *Et dixi: Heu, heu, heu, Domine Deus.* Quia supra dixit, *in tempore illo vocabunt Jerusalem solum Domini*, etc., et nunc dicit, *peribit cor regis*, etc., turbatur propheta, et in se putat Deum mentitum, nec intelligit illud longe post, hoc in proximo futurum tempore.

^{**}4.11 *Ventus urens.* HIER. Quando scilicet pervenerit gladius usque ad animam, etc., usque ad nequaquam populo, sed mihi veniet, ut meum triticum dissipetur.

^{††}4.12 *Spiritus plenus.* Quidam hunc locum sic exponunt, ut postquam purgata fuerit area, reliquiæ salvæ fiant. Unde scriptum est: *Spiritus plenitudinis veniet mihi*; unde evangelista, *De plenitudine ejus omnes accepimus* Joan. 1.. *Et nunc ego.* Apopiopos, sicut ait Virgilius ÆNEID.: Quos ego; sed motos præstat componere fluctus. Propheta dicturus prospera, retinet se, et tristibus junxit tristia.

^{‡‡}4.13 *Ecce quasi*, etc. Ventura cernit ut præsentia; et babyloniorum describit exercitum, cujus curruum rotarumque strepitus tempestati sævissimæ comparatur, et equorum velocitas aquilis. Exercitus diaboli, currus scilicet et equites Pharaonis, quod intelligens vir ecclesiasticus dicit, *Væ nobis quoniam vastati sumus.* Credens illi sententiæ. Cum conversus ingemueris, salvus eris. *Væ nobis*, quia propheta quasi digito demonstravit, populus ingemiscit. Et non futura, sed jam facta sentit dicens: *Væ nobis.*

^{¶¶}4.14 *Lava a malitia.* Respondet propheta imo in propheta Dominus, *Lava.* Unde: *Lavamini, mundi estote* Isa. 1., scilicet aqua baptismi, aqua pœnitentiæ salutaris.

et notum facientis idolum de monte Ephraim.^{§§ 16} Dicite gentibus: Ecce auditum est in Jerusalem custodes venire de terra longinqua, et dare super civitates Juda vocem suam:^{*} ¹⁷ quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro, quia me ad iracundiam provocavit, dicit Dominus.¹⁸ Viæ tuæ et cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.[†] ¹⁹ Ventrem meum, ventrem meum doleo; sensus cordis mei turbati sunt in me. Non tacebo, quoniam vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem prælii.[‡] ²⁰ Contritio super contritionem vocata est, et vastata est omnis terra: repente vastata sunt tabernacula mea; subito pelles meæ.²¹ Usquequo videbo fugientem; audiam vocem buccinæ?[¶] ²² Quia stultus populus meus me non cognovit: filii insipientes sunt et vecordes: sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.[§] ²³ Aspexi terram, et ecce vacua erat et nihili; et cælos, et non erat lux in eis.^{**} ²⁴ Vidi montes, et ecce movebantur: et omnes colles conturbati sunt. ²⁵ Intuitus sum, et non erat homo: et omne volatile cæli recessit. ²⁶ Aspexi, et ecce Carmelus desertus, et omnes urbes ejus destructæ sunt a facie Domini, et a facie iræ furoris ejus. ²⁷ Hæc enim dicit Dominus: Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam.^{††} ²⁸ Lugebit terra, et mœrebunt cæli desuper, eo quod locutus sum. Cogitavi, et non pœnituit me, nec aversus sum ab

§§4.15 **Vox enim annuntiantis.** Juxta situm Judææ loquitur. Tribus enim Dan juxta Libanum montem et urbem quæ nunc Paneas dicitur, aquilonem respicit, unde venturus Nabuchodonosor. **De monte.** Post tribum enim Dan succedit terra Ephraim per quam venit in Jerusalem. Allegorice. HIER. Venit judicium Domini in terram Domino delinquentem cum omni ubertate supplicii.

*4.16 **Custodes.** Adversarios scilicet qui tam diligentes obsideant, et munitionibus urbem claudant, ut magis vinearum agrorumque custodes, quam adversarios putes. Vult Dominus nationes omnes in circumitu suam nosse sententiam, et flagellata Jerusalem cunctos recipere disciplinam.

†4.18 **Viæ tuæ.** HIER. Quidquid mali nobis accidit, etc., usque ad quanto minus in homines quondam civitatis Dei?

‡4.19 **Ventrem meum.** ID. Loquitur hoc Dominus, cum seditionem et discordiam cernit in Ecclesia, et in conventiculis suis clamare perdicem, et in bella converti Dei requiem. Unde sequitur:

¶4.21 **Usquequo videbo.** Vox prophetæ, et per prophetam Dei, dolentis super contritionem populi sui, cujus viscera ad instar hominis lacerantur, Salvator in morte Lazari, et super Jerusalem flevit. Nec dolorem celat silentio, et clangor buccinæ et strepitus præliorum illius turbat affectum, dum mala malis cumulantur, et universa duarum tribuum terra vastatur.

§4.22 **Quia stultus populus.** HIER. Quia principes populi mei non cognoverunt, etc., usque ad quem semper cupiebat videre? **Sapientes sunt,** etc. ID. Sapientes malitiosi, etc., usque ad non sapientia, sed versutia et calliditas vocatur.

4.23 **Aspexi terram. Propheta cernit in spiritu quæ ventura sunt, ut audiens populum terreatur et pœnitentiam agat, ut non sustineat quæ formidat. Quidquid secundum historiam de Judæa et Jerusalem dicitur, ad Ecclesiam Dei referamus: quæ cum Deum offenderit, et vitiis et persecutione vastata fuerit, ubi quondam virtutum cohors et lætitia, ibi multitudo peccatorum et mœror versetur.

††4.27 **Hæc enim dicit.** HIER. Mista est Domini clementia iræ: terra deseritur, sed non consumitur, ut remaneant qui intelligant clementiam ejus.

eo.‡‡ 29 A voce equitis et mittentis sagittam fugit omnis civitas: ingressi sunt ardua, et ascenderunt rupes: universæ urbes derelictæ sunt, et non habitat in eis homo.¶¶ 30 Tu autem vastata, quid facies? cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, et pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris: contempserunt te amatores tui; animam tuam quærent.‡‡ 31 Vocem enim quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ: vox filiæ Sion interorientis, expandentisque manus suas: Væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos !*

5 [Circuite vias Jerusalem, et aspice, et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem iudicium, et quærentem fidem: et propitius ero ei.† 2 Quod si etiam: Vivit Dominus, dixerint, et hoc falso jurabunt. 3 Domine, oculi tui respiciunt fidem: percussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti.‡ 4 Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui.¶ 5 Ibo igitur ad optimates, et loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, iudicium Dei sui: et ecce magis hi simul confregerunt jugum; ruperunt vincula.‡ 6 Idcirco percussit eos leo de silva; lupus ad vesperam vastavit eos: pardus vigilans super civitates eorum: omnis qui egressus fuerit ex eis capietur: quia mul-

‡‡4.28 *Cogitavi et non pœnituit me*, etc. Ut prædictam auferrem sententiam, et ira sævientis non perveniret ad finem; minatus est Dominus per Jonam, sed impendentem gladium lacrymarum et gemituum magnitudo superavit.

¶¶4.29 *A voce equitis*. Describit furentium exercitum a cujus timore populus civitatem reliquit, et ardua conscendit: sed tamen iram Dei declinare non potuit. Hoc totum ad Ecclesiam potest referri, cum Deum offenderit, et adversariis tempore persecutionis, vel vitiis atque peccatis tradita fuerit.

‡‡4.30 *Tu autem vastata*. HIER. Hoc idem dicendum contra eos, qui conjugales affectus, et veræ fidei pudicitiam perdiderunt. *Cum vestieris*. Hæc enim et tuis amatoribus præparas, et lectus angustus utrumque capere non potest. Nec Deus ornamenta suscipit, quibus ante amatoribus tuis placuisti.

*4.31 *Vocem enim quasi*, etc. HIER. Duo exempla posita sunt, et parturientis et lugentis, ut quidquid mulier patitur, vel in fetu, vel in morte filiorum, Jerusalem patiatur in populis.

†5.1 *Circuite vias*. HIER. Grandis amor justitiæ ut non juxta interrogationem Abrahamæ, et responsionem Dei, quod pro decem viris justis liberet Deus civitatem, jamjamque perituram; sed si unum invenerit, qui faciat iudicium, et quærat fidem.

‡5.3 *Domine, oculi tui*. ID. Damnantur opera Judæorum (in quibus juxta legis cæremonias exsultabant) per fidem Christianorum, per quam gratia salvi facti sumus. *Percussisti eos*. GREG. Omnis divina percussio, etc., usque ad et est unum flagellum quod temporaliter incipit, et æternis consummatum suppliciis. *Et non doluerunt*. Inferuntur supplicia ut corrigantur vitia, sed non emendatur Jerusalem nec per tormenta.

¶5.4 *Forsitan pauperes sunt*. HIER. Sicut illud, *Mittam filium meum, forsitan ipsum verebuntur* Matth. 21.. Utitur Deus sermone dubitantis, ut ex ambiguitate sententiæ et verborum suspensione liberum hominis monstretur arbitrium.

‡5.5 *Ecce magis*, etc. Juxta topologiam. Qui magni putantur in Ecclesia, quia solvunt jugum et rumpunt vincula, traduntur in ignominias passionum, ut faciant quæ non conveniunt. *Vincula*. HIER. Præceptorum Dei, non Pharisæorum, de quibus dicitur: *Dirumpamus vincula eorum et projiciamus a nobis jugum ipsorum* Psal. 1..

tiplicatæ sunt prævaricationes eorum; confortatæ sunt aversiones eorum.** 7 Super quo propitius tibi esse potero? filii tui dereliquerunt me, et jurant in his qui non sunt dii. Saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur.†† 8 Equi amatores et emissarii facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.‡‡ 9 Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, et in gente tali non ulciscetur anima mea? 10 Ascendite muros ejus, et dissipate: consumptionem autem nolite facere: auferte propagines ejus, quia non sunt Domini.¶¶ 11 Prævaricatione enim prævaricata est in me domus Israël, et domus Juda, ait Dominus. 12 Negaverunt Dominum, et dixerunt: Non est ipse: neque veniet super nos malum: gladium et famem non videbimus.§§ 13 Prophetæ fuerunt in ventum locuti, et responsum non fuit in eis: hæc ergo evenient illis. 14 Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Quia locuti estis verbum istud, ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, et populum istum in ligna, et vorabit eos.* 15 Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, domus Israël, ait Dominus: gentem robustam, gentem antiquam, gentem cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur.† 16 Pharetra ejus quasi sepulchrum patens; universi fortes. 17 Et comedet segetes tuas et panem tuum; devorabit filios tuos et filias tuas; comedet gregem tuum et armenta tua; comedet vineam tuam et ficum tuam: et conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio.‡ 18 Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem.¶ 19 Quod si dixeritis: Quare fecit nobis Dominus Deus noster hæc omnia? dices ad eos: Sicut dereliquistis me, et servistis deo alieno in terra vestra, sic servietis alienis in terra non vestra.§ 20 Annuntiate hoc domui Jacob, et auditum facite in Juda, dicentes: 21 Audi, popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non vide-

**5.6 *Pardus vigilans.* Alexandri impetum significat, qui subditis sibi variis gentibus, quasi variatus pardus contra Medos Persasque arma corripuit. Quia vero non de futuro, sed de præterito, vel jamjamque de futuris historiam textit, ideo de Romano tacet imperio.

††5.7 *Saturavi eos.* HIER. Audiatur hoc qui acceptis divitiis luxuriæ serviunt.

‡‡5.8 *Equi amatores.* ID. Equis, cum non vident jumentum, etc., *usque ad Assimilatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis* Psal. 48..

¶¶5.10 *Et dissipate.* ID. Audiatur Ecclesia quam cito muri, etc., usque ad propter clementiam judicis, non propter meritum peccantium.

§§5.12 *Negaverunt Dominum,* etc. ID. Audiatur hoc Ecclesia negligens: et providentiam Dei refutans, quod et gladium et famem sustineat, nisi ventura crediderit quæ dicuntur.

*5.14 *Ecce ego do,* etc. ID. Ut increduli sermone tuo crementur, etc., usque ad si supra fundamentum Christi ædificaverimus.

†5.15 *Ignorabis linguam,* etc. ID. In Hebræo: *Non intelliges quid loquatur.* Est enim malorum solatium, si habeas hostes, quos rogare valeas, qui intelligant preces tuas.

‡5.17 *Et comedet segetes,* etc. Vastitatem terræ describit, interfectionem multorum, abactionem pecorum, subversionem urbium et murorum, quod gladio hostili cuncta capiantur.

¶5.18 *Verumtamen,* etc. HIER. Reliquiæ scilicet salvæ fient, vel eorum qui in Babylonem ducti sunt, vel relictis ad culturam terræ Judææ; vel eorum qui post persecutionis ardorem, vel fuga, vel confessione fidem Deo servaverunt.

§5.19 *Quod si dixeritis.* ID. Tropologice. Potest hoc super hæreticis accipi, etc., usque ad habitate, imo servite his quorum deos colitis.

tis; et aures, et non auditis.** 22 Me ergo non timebitis, ait Dominus, et a facie mea non dolebitis? qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit: et commovebuntur, et non poterunt; et intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud. 23 Populo autem huic factum est cor incredulum et exasperans: recesserunt, et abierunt. 24 Et non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam et serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. 25 Iniquitates vestræ declinaverunt hæc, et peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis:†† 26 quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros. 27 Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plena dolo: ideo magnificati sunt et ditati.‡‡ 28 Incrassati sunt et impinguati, et præterierunt sermones meos pessime. Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, et iudicium pauperum non judicaverunt.¶¶ 29 Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut super gentem hujusmodi non ulciscetur anima mea? 30 Stupor et mirabilia facta sunt in terra: 31 prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in novissimo ejus?]

6 [Confortamini, filii Benjamin, in medio Jerusalem: et in Thecua clangite bucina, et super Bethacarem levate vexillum, quia malum visum est ab aquilone, et contritio magna.§§ 2 Speciosæ et delicatæ assimilavi filiam Sion.* 3 Ad eam venient pastores et greges eorum; fixerunt in ea tentoria in circuitu: pascet unusquisque eos qui sub manu sua sunt.† 4 Sanctificate super eam bellum: consurgite, et ascendamus in meridie: væ nobis, quia declinavit dies; quia longiores factæ sunt umbræ vesperi

**5.21 *Audi, popule stulte.* Proprie ad Judam loquitur et ad domum Jacob. Israël enim multo jam tempore exsulabat in Assyriis. *Qui non habes cor.* Dat intelligi quod absque præcepto naturaliter debemus intelligere quæ recta sunt. *Qui habentes,* etc. Cui simile: *oculos habent, et non videbunt,* etc., *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* Psal. 113..

††5.25 *Iniquitates vestræ,* etc. HIER. Si quando mare transcendat terminos, etc., usque ad in quibus operariis vineæ unum æternæ præmium promittitur.

‡‡5.27 *Sicut decipula.* Dum invicem se venantur ad mortem, et aliorum damnis atque dispendiis domos suas complent, secundum illam philosophorum sententiam, *Omnis dives, aut iniquus, aut hæres iniqui.* Atque utinam hæc tantum ab eis fiant qui foris sunt, et non a nobis, et venientium ad nos, non manus contemplantur, sed ora.

¶¶5.28 *Incrassati sunt,* etc. Cui simile: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum* Deut. 32.. Et: *Incrassatus est dilectus et recalcitravit* Ibid.. *Et impinguati,* etc. In divinis confisi: quasi dicat: *Anima, multa bona habes posita in annos plurimos: requiesce, comede et bibe* Luc. 12..

§§6.1 *Confortamini,* etc. HIER. Quia jamjamque ab aquilone Nabuchodonosor venturus est, etc., usque ad inter hos alius vicus est qui lingua Syra et Hebræa Betacaren nominatur in monte positus.

*6.2 *Speciosæ.* Describitur pulchritudo Jerusalem, quæ est ipsa Sion ut aliud totam urbem, aliud arcem urbis sonet. Sion enim *arx,* id est *specula,* interpretatur et speciosæ mulieri comparatur.

†6.3 *Pastores.* HIER. Satis eleganter ponitur hic verbum, etc., usque ad quorum alii manifestant ad polluendum scortum, alii ad urbis excidium.

!‡⁵ Surgite, et ascendamus in nocte, et dissipemus domus ejus.[¶] ⁶ Quia hæc dicit Dominus exercituum: Cædite lignum ejus, et fundite circa Jerusalem aggerem. Hæc est civitas visitationis: omnis calumnia in medio ejus. ⁷ Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam. Iniquitas et vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas et plaga.[§] ⁸ Erudire, Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te; ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem.^{**} ⁹ Hæc dicit Dominus exercituum: Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israël. Convertite manum tuam quasi vindemiator ad cartallum.^{††} ¹⁰ Cui loquar, et quem contestabor ut audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, et audire non possunt: ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, et non suscipient illud.^{‡‡} ¹¹ Idcirco furore Domini plenus sum; laboravi sustinens. Effunde super parvulum foris, et super consilium juvenum simul: vir enim cum muliere capietur; senex cum pleno dierum.^{¶¶} ¹² Et transibunt domus eorum ad alteros, agri et uxores pariter, quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus:^{§§} ¹³ a minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student, et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. ¹⁴ Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax ! et non erat pax.^{*} ¹⁵ Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt. Quam ob rem cadent interruentes: in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.[†] ¹⁶ Hæc dicit Dominus: State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, et am-

‡6.4 *Væ nobis*, etc. HIER. Illis dicentibus: *Surgite et ascendamus*, isti respondent: *Væ nobis*, etc. Et est hic sensus: Si per diem hoc patimur, quid per noctem patiemur?

¶6.5 *Surgite*. Qui dixerunt, consurgite et ascendite, etc., sese illis verbis provocant ad bellum: *Surgite et ascendamus in nocte*, ut sciant adversarii non temporis esse victoriam, sed virtutum.

§6.7 *Sicut frigidam*. Sine calore fidei: Ecclesia, spiritu ferventes: mali autem, frigida; unde: *Refrigescet charitas multorum* Matth. 14.. Et illud: *Assimilabor descendentibus in lacum* Psal. 28.. Semel sufficiat dixisse lacum, non stagnum sonare, secundum Græcos, sed cisternam, quæ Syro et Hebræo sermone Gab dicitur.

**6.8 *Erudire*. HIER. Per hoc discimus, quod *flagellet Deus*, etc., usque ad per omnem dolorem et flagellum erudieris, Jerusalem.

††6.9 *Usque ad racemum*. ID. Quasi cum vastata fuerit Jerusalem, etc., usque ad quasi in cartallum vel in torcular.

‡‡6.10 *Incircumcisæ aures*, etc. Notandum quod circumcisio in Scripturis dicitur tribus modis: in præputio, in corde, in auribus, unde: *Qui habet aures audiendi audiat* Matth. 11..

¶¶6.11 *Idcirco furore*. HIER. Quasi dicat: Venientem iram Dei prospicio, et furore ejus et iracundiâ plenus sum, et ultra sustinere non possum: nec pro peccatoribus audeo deprecari Deum.

§§6.12 *Extendam*. HIER. Septuaginta: *Elevabo*: utrumque autem percutientis habitus est; unde: *Et adhuc manus extenta* sive, *excelsa* Isa. 5..

*6.14 *Et curabant contritionem*. ID. Quasi dicat: Cum tanta facerent mala, etc., usque ad magis illos supplicio et Dei iracundiæ præparantes.

†6.15 *Confusi sunt*. ID. Expressius hoc legendum est, etc., usque ad quin potius peccatum auxere contemptu. *Nescierunt*. Noluerunt; sed nimio contemptu et vitio violenti mali nec intelligere quidem potuerunt. Grandis impietas, non solum non cavere, sed nec intelligere velle peccata, et nullam habere distantiam bonorum malorumque operum.

bulate in ea: et invenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt: Non ambulabimus.[‡] 17 Et constitui super vos speculatores: Audite vocem tubæ. Et dixerunt: Non audiemus.[¶] 18 Ideo audite, gentes, et cognosce, congregatio, quanta ego faciam eis. 19 Audi, terra: ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum ejus: quia verba mea non audierunt, et legem meam projecerunt. 20 Ut quid mihi thus de Saba affertis, et calamum suave olentem de terra longinqua? Holocautomata vestra non sunt accepta, et victimæ vestræ non placuerunt mihi.[§] 21 Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo in populum istum ruinas: et ruent in eis patres et filii simul; vicinus et proximus peribunt.^{**} 22 Hæc dicit Dominus: Ecce populus venit de terra aquilonis, et gens magna consurget a finibus terræ.^{††} 23 Sagittam et scutum arripiet: crudelis est et non miserebitur. Vox ejus quasi mare sonabit: et super equos ascendent, præparati quasi vir ad prælium adversum te, filia Sion.^{‡‡} 24 Audivimus famam ejus; dissolutæ sunt manus nostræ: tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem. 25 Nolite exire ad agros, et in via ne ambuletis, quoniam gladius inimici, pavor in circuitu.^{¶¶} 26 Filia populi mei, accingere cilicio, et conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos. 27 Probatozem dedi te in populo meo robustum: et scies, et probabis viam eorum.^{§§} 28 Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulentem, æs et ferrum: universi corrupti sunt. 29 Defecit sufflatorium; in igne consumptum est plumbum: frustra conflavit conflator, malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. 30 Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.]

7 Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens: 2 Sta in porta domus Domini, et prædica ibi verbum istud, et dic: [Audite verbum Domini, omnis Juda, qui ingredimini per portas has ut adoretis Dominum. 3 Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Bonas facite vias vestras, et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto. 4 Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini,

[‡]6.16 *State super vias.* Legamus Evangelicam parabolam, in qua negotiator bonus omnes vendidit margaritas, ut unam emat pretiosam: ut scilicet per patriarchas et prophetas veniamus ad eum qui dicit: *Ego sum via, veritas et vita* Joan. 14., unde, *State super vias*, etc.

[¶]6.17 *Vocem tubæ.* HIER. Vocem tubæ, mandata Evangelii vel doctrinam apostolorum: unde, *In montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion, exalta sicut tuba vocem tuam, qui annuntias Jerusalem.*

[§]6.20 *Ut quid mihi thus.* ID. Quasi dicat: Frustra mihi ad unguenta conficienda, etc., usque ad cum Scriptura dicat, *Redemptio animæ viri propriæ divitiæ ejus* Prov. 13..

^{**}6.21 *Patres et filii.* ID. Filii patrum sequuntur blasphemias, quotidie illam imprecationem suscipientes: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* Matth. 27..

^{††}6.22 *Ecce populus*, etc. Proprie hoc dicitur de Babyloniis, qui venturi sunt contra Jerusalem. Et omnis armaturæ ordo describitur, et præliantium impetus, ut terrore commoti agant pœnitentiam et Deum clementissimum placent.

^{‡‡}6.23 *Vox ejus quasi*, etc. Allegorice. HIER. Possumus hoc testimonio abuti, etc., usque ad et quasi vehementissimi maris fluctus, ita opprimunt resistentes.

^{¶¶}6.25 *Nolite exire*, ID. Evangelium quoque docet, etc., usque ad sed firmissime se tueantur munitionibus.

^{§§}6.27 *Et probabis.* ID. Quasi dicat: Ut cum probaveris et scieris viam, etc., usque ad qui sicut aspides surdæ obturant aures suas, ne audiant vocem incantantium. *Omnes isti.* GREG., Moral., l. 18, c. 14. Principes sunt a Domino recedentes et inobedientes, etc., usque ad qui ab Ecclesiæ unitate discordat, proximum non amat. 4 Caput 7

templum Domini, templum Domini est !* ⁵ Quoniam si bene direxeritis vias vestras, et studia vestra; si feceritis iudicium inter virum et proximum ejus; ⁶ advenæ, et pupillo, et viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, et post deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis: ⁷ habitabo vobiscum in loco isto, in terra quam dedi patribus vestris a sæculo et usque in sæculum. ⁸ Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis:† ⁹ furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, et ire post deos alienos quos ignoratis: ¹⁰ et venistis, et stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, et dixistis: Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. ¹¹ Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego, ego sum: ego vidi, dicit Dominus.‡ ¹² Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio, et videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israël.¶ ¹³ Et nunc, quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus, et locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audistis: et vocavi vos, et non respondistis:§ ¹⁴ faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam, et loco quem dedi vobis et patribus vestris, sicut feci Silo: ** ¹⁵ et projiciam vos a facie mea sicut projecit omnes fratres vestros, universum semen Ephraim. ¹⁶ Tu ergo, noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem: et non obsistas mihi, quia non exaudiam te.†† ¹⁷ Nonne vides quid isti faciunt in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem?‡‡ ¹⁸ Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cæli, et libent diis alienis, et me ad iracundiam provocent. ¹⁹ Numquid me ad iracundiam provocant? dicit Dominus; nonne semetipsos in confusionem vultus sui? ²⁰ Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce furor meus et indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, et super jumenta, et super lignum

*7.4 *Templum Domini.* ID. Potest hoc convenire illis virginibus, etc., usque ad in quo fides vera, conversatio sancta et omnium virtutum chorus.

†7.8 *Ecce vos confiditis in vobis.* ID. Frustra eos in templo habere fiduciam hæc peccata demonstrant, etc., usque ad et in tantam prorumpunt amentiam, ut liberatos se jactent, quia a cultu Dei recesserunt.

‡7.11 *Spelunca latronum,* etc. ID. De hoc loco sumptum puto quod dicitur in Evangelio, etc., usque ad oculi mei contemplati sunt quod vos putatis occultum.

¶7.12 *Ite ad locum meum in Silo,* etc. ID. Ubi scilicet fuit primum tabernaculum meum, etc., usque ad *Cum venerit Filius hominis putas inveniet fidem super terram* Luc. 18..

§7.13 *Ad vos mane consurgens,* etc. ID. Non quod ei tempus absque diluculo sit, etc., usque ad filii lucis dicuntur et non noctis neque tenebrarum, nec dormientes, qui scilicet mandata Dei conservant.

**7.14 *Sicut feci Silo.* Abjeci Silo, abjecturus et templum: abjeci decem tribus, abjecturus et duas tribus. Quidquid illi populo minatur, timeamus et nobis, ne similia faciamus.

††7.16 *Tu ergo noli,* etc. HIER. Ne videatur propheta rogans non impetrare quod postulat, præcipit Dominus, etc., usque ad hæc impœnitentia, hæc blasphemia, vel verbum in Spiritum sanctum remissionem non habet in æternum.

‡‡7.17 *Nonne vides.* Ne putemus crudelem Deum: qui nec rogari patiat, causam reddit quare non audiat, *Nonne vides?*

regionis, et super fruges terræ: et succendetur, et non extinguetur.^{¶¶} 21 Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes: 22 quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum:^{§§} 23 sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus: et ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. 24 Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed abierunt in voluntatibus et in pravitate cordis sui mali: factique sunt retrorsum, et non in ante, 25 a die qua egressi sunt patres eorum de terra Ægypti usque ad diem hanc. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas per diem, consurgens diluculo, et mittens: 26 et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam: sed induraverunt cervicem suam, et pejus operati sunt quam patres eorum.] 27 Et loqueris ad eos omnia verba hæc, et non audient te: et vocabis eos, et non respondebunt tibi.* 28 Et dices ad eos: [Hæc est gens quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam; periit fides, et ablata est de ore eorum.† 29 Tonde capillum tuum, et projice, et sume in directum planctum: quia projecit Dominus et reliquit generationem furoris sui;‡ 30 quia fecerunt filii Juda malum in oculis meis, dicit Dominus. Posuerunt offendicula sua in domo in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam: 31 et ædificaverunt excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennom, ut incenderent filios suos et filias suas igni, quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo.¶ 32 Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, et non dicetur amplius Topheth, et vallis filii Ennom, sed vallis interfectionis: et sepelient in Topheth, eo quod non sit locus.§ 33 Et erit morticinum populi hujus in cibos volucris cæli et bestiis terræ, et non erit qui abigat. 34 Et quiescere faciam de urbibus Juda, et de plateis Jerusalem, vocem gaudii et vocem lætitiæ, vocem sponsi et vocem sponsæ: in desolationem enim erit terra.]**

¶¶7.20 *Conflatur*. HIER. Quasi dicat: Quod diu facere nolui, vestrorum peccatorum multitudine facere compellor super viros et super jumenta. Cum irascitur Deus, etiam homines, et quæ sunt hominis, similem severitatem sentiunt.

§§7.22 *Quia non sum locutus*. ID. Manifeste ostendit, quia primum decalogum dederit, etc., usque ad necessaria ergo fuit gratia evangelica, quæ eos non merito suo, sed Dei misericordia conservaret.

*7.27 *Et loqueris ad eos*. ID. Ne dubitetis indurare cervices, etc., usque ad nunc saltem loquere eis verbis meis.

†7.28 *Hæc est gens*. Hoc in tempore prophetarum factum est, et in umbra præcessit. In Christo plene completum est, cujus disciplinam noluerunt audire, unde eleganter infertur: *Periit fides et ablata est*. Quæ proprie Christianorum est.

‡7.29 *Tonde capillum*. Apud veteres consuetudo fuit lugentium tondere cæsariem, nunc e contra comam dimittere luctus indicium est.

¶7.31 *Excelsa Tophet*. HIER. Tophet Hebraice, latitudo Latine, qui locus est, etc., usque ad neque enim si canis aut asinus aut immundum quod tibet animal primum occurrisset domino, offerre debuisset.

§7.32 *Ecce dies venient*. ID. Quando recessit a fidelitate Domini sui, tunc incœpit obsidio. Sed cum rex Ægypti veniret et liberaret Jerusalem, Nabuchodonosor illum fugavit. Postea Nabuzardan obsedit eam, et cepit, et duxit Sedeciam in Antiochiam, et ibi orbatus.

**7.34 *Et quiescere faciam*. Cum locus idololatriæ versus fuerit in sepulcra, ut ubi Deum offenderant, ibi cadavera eorum inhumata jacerent.

8 [In illo tempore, ait Dominus, ejicient ossa regum Juda, et ossa principum ejus, et ossa sacerdotum, et ossa prophetarum, et ossa eorum qui habitaverunt Jerusalem, de sepulchris suis:†† 2 et expandent ea ad solem, et lunam, et omnem militiam cæli, quæ dilexerunt, et quibus servierunt, et post quæ ambulaverunt, et quæ quæsierunt, et adoraverunt. Non colligentur, et non sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ erunt. 3 Et eligent magis mortem quam vitam, omnes qui residui fuerint de cognitione hac pessima, in universis locis quæ derelicta sunt, ad quæ ejeci eos, dicit Dominus exercituum.] 4 Et dices ad eos: [Hæc dicit Dominus: Numquid qui cadit non resurget? et qui aversus est non revertetur?‡‡ 5 Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, et noluerunt reverti.¶¶ 6 Attendi, et auscultavi: nemo quod bonum est loquitur; nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.⁸⁸ 7 Milvus in cælo cognovit tempus suum: turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* 8 Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum ! 9 Confusi sunt sapientes; perterriti et capti sunt: verbum enim Domini projecerunt, et sapientia nulla est in eis. 10 Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus, quia a minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur: a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium.† 11 Et sanabant contritionem filiae populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax ! cum non esset pax.‡ 12 Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quinimmo confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt. Idcirco cadent inter corruentes: in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.¶ 13 Congregans congregabo eos, ait Dominus.]

††8.1 *In tempore illo*, etc. HIER. Omnia quæ prophetalis sermo describit, etc., *uque ad* aurum et argentum quæ in sepulchris more antiquo ponebantur.

‡‡8.4 *Et dices*. Post tanta mala ad pœnitentiam provocat eos qui remanserunt. Sive, priusquam veniant, quæ minatus est, hortatur ad conversionem, et pœnitentiæ locum indicat. *Aversus est*, sive *avertit*. Quasi dicat: Conversus potest iræ Dei precibus resistere et avertere.

¶¶8.5 *Quare ergo*, etc. HIER. Quanto eos ad pœnitentiam provocavi, tanto magis recesserunt, non tam studio peccandi, quam me superandi.

⁸⁸8.6 *Nemo quod bonum*, etc. ID. *Omne g enus hominum pronum est ad malum* Gen. 8.. In tempore Salvatoris, *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum* Psal. 13.. Unde ipse: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus* Ibid. 11.. Ubi sunt ergo qui dicunt in nostra positum potestate omni peccato carere?

*8.7 *Milvus in cælo*. ID. Quasi dicat: Etiam aves sua norunt tempora, ut sciant quando ad calida festinantes loca rigorem hyemis declinare debeant, et veris principio ad solitas redire regiones.

†8.10 *Propterea dabo*. ID. Receperunt mercedem suam, et qui verbum Domini abjecerunt, ipsi abjecti sunt.

‡8.11 *Et sanabant contritionem*. ID. Quasi dicat: Boni medici aliena vulnera verbis sanare cupiebant, etc., usque ad et ignominiam eorum qui decipiunt dicentes, pax, pax, etc.

¶8.12 *Idcirco cadent*. ID. Ut quorum dignitas excellebat, etiam ruinæ populi miscantur, quia scilicet *a minimo usque ad maximum omnes avaritiæ student* Jer. 6..

Non est uva in vitibus, et non sunt ficus in ficulnea: folium defluxit, et dedi eis quæ prætergressa sunt.^{§ 14} Quare sedemus? convenite, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi: quia Dominus Deus noster silere nos fecit, et potum dedit nobis aquam fellis: peccavimus enim Domino.^{** 15} Exspectavimus pacem, et non erat bonum: tempus medelæ, et ecce formido.¹⁶ A Dan auditus est fremitus eorum ejus; a voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra: et venerunt, et devoraverunt terram et plenitudinem ejus; urbem et habitatores ejus.^{†† 17} Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio: et mordebunt vos, ait Dominus.^{‡‡ 18} Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens.^{¶¶ 19} Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua: Numquid Dominus non est in Sion? aut rex ejus non est in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis, et in vanitatibus alienis?^{§§ 20} Transiit messis, finita est æstas, et nos salvati non sumus.^{* 21} Super contritione filiæ populi mei contritus sum, et contristatus: stupor obtinuit me.^{† 22} Numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?

9 [Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrimarum, et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?^{‡ 2} Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, et derelinquam populum meum, et recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt, cœtus prævaricatorum.^{¶ 3} Et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus.^{§ 4} Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit,

§8.13 *Non est uva*, etc. Quasi dicat: Cum tempora prætereant, et æstati succedat autumnus, et hyeme arborum cadant folia: de longe cuncta videbitis nec ex eis cibum capietis.

**8.14 *Quare sedemus*. Vox populi inducitur respondentis, et vitia sua confitentis, et sese mutuo cohortantis. *Convenite et ingrediamur civitatem munitam*. Vel unam civitatem Jerusalem: jam enim aliæ captæ fuerant.

††8.16 *A Dan auditus est*. Ubi Jordanis fluvius oritur: Nabuchodonosor describitur a Dan veniens per Phœnicem cum exercitu suo.

‡‡8.17 *Mittam vobis serpentes*. ID. Ut insanabiliter percutiant vos, etc., usque ad qui eloquia Domini contemnunt traduntur adversariis potestatibus.

¶¶8.18 *Dolor meus*. ID. Ex persona Domini hæc legenda, eversionem Jerusalem plangentis, et ejus miseriam non ferentis.

§§8.19 *Et ecce vox*. Describit fletum et ululatum urbis ingressis hostibus. Hostes venientes de terra longinqua clamant contra civitatem vel cives contra hostes.

*8.20 *Transiit messis*. Verba populi in Jerusalem longa obsidione conclusi, quia mutata sunt tempora, anni circulus revolutus. Spes autem nostra irrita.

†8.21 *Super contritione*. Domini responsio, qui in afflictione Jerusalem videtur afflicti.

‡9.1 *Quis dabit*. HIER. Rex Jerusalem obsessa civitate ab hostibus, etc., usque ad hoc autem tam ex persona Domini, quam ex persona prophetæ intelligi potest.

¶9.2 *Quis dabit me*, etc. Quasi dicat: Melius est habitare in solitudine, quam inter tanta scelera hominum commorari. Unde in Evangelio: *Usquequo sustinebo vos?* Matth. 17. Et alibi: *Oui intelligit sedebit, quoniam tempus pessimum est* Thren. III; Mich. 2..

§9.3 *Quia de malo*, etc. HIER. De malo in malum transeunt peccatores, etc., usque ad et lingua armantium in blasphemiam.

et omnis amicus fraudulenter incedet.** 5 Et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium; ut inique agerent laboraverunt.†† 6 Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus. 7 Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego conflabo, et probabo eos: quid enim aliud faciam a facie filiæ populi mei?‡‡ 8 Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. 9 Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut in gente hujusmodi non ulciscetur anima mea?¶¶ 10 Super montes assumam fletum ac lamentum, et super speciosa deserti planctum, quoniam incensa sunt, eo quod non sit vir pertransiens, et non audierunt vocem possidentis: a volucre cæli usque ad pecora transmigraverunt et recesserunt. §§ 11 Et dabo Jerusalem in acervos arenæ, et cubilia draconum: et civitates Juda dabo in desolationem, eo quod non sit habitator.* 12 Quis est vir sapiens qui intelligat hoc, et ad quem verbum oris Domini fiat, ut annuntiet istud, quare perierit terra, et exusta sit quasi desertum, eo quod non sit qui pertranseat? 13 Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meam quam dedi eis, et non audierunt vocem meam, et non ambulaverunt in ea, 14 et abierunt post pravitatem cordis sui, et post Baalim, quod didicerunt a patribus suis:† 15 idcirco hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Ecce ego cibabo populum istum absinthio, et potum dabo eis aquam fellis.‡ 16 Et dispergam eos in gentibus quas non noverunt ipsi et patres eorum, et mittam post eos gladium, donec consumantur.¶ 17 Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Contemplamini, et vocate lamentatrices, et ve-

9.4 *Unusquisque*, etc. GREG. Callidus hostis cum a bonorum cordibus expelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur exquirat, et per eorum verba blandiens loquitur, qui plus cæteris amantur, ut dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis gladius ad intimæ rectitudinis intima irrumpat. **A proximo suo. HIER. Quia *et inimici hominis domestici ejus* Mich. 6.. Fratrum quoque gratia rara. **Et tradet pater filium, et filius patrem. Et duo in tres, et tres in duo dividuntur** Luc. 12..

††9.5 *Ut inique agerent laboraverunt.* GREG. Ac si aperte diceretur: Qui amici esse veritatis sine labore potuerunt, ut peccent, laborant: cumque vivere simpliciter renuunt, laboribus exigunt ut moriantur.

‡‡9.7 *Et probabo eos.* HIER. In fornace tribulationis. **Vasa figuli probat fornax** Eccli. 27.: ut quidquid in nobis adulterinæ materiæ est, excoquatur. Argentum enim Domini **igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum** Psal. 11..

¶¶9.9 *Numquid super his* ID. Sæpe versiculum istum repetit, ut malis eorum enumeratis inferat se juste facere quod facit.

§§9.10 *Super montes.* ID. Tropologice. Super montes fletus assumitur, etc., usque ad qui possunt in sublime ascendere usque ad simplices, recesserunt a Deo.

*9.11 *Et dabo Jesusalem.* ID. Cum ecclesiastici doctores deficiunt, etc., usque ad et qui dicit, **Inhabitabo et inambulabo in eis** Lev. 26..

†9.14 *Cordis sui.* Non in corde nostro, sed in Domino confidendum est. Pravum est cor hominis, de quo exeunt pravæ cogitationes.

‡9.15 *Idcirco hæc dicit Dominus.* Potest de vicino tempore prophetari, quo capti sunt a Chaldæis: et proprie de hoc, quo in omnibus gentibus sunt dispersi et toto orbe divisi.

¶9.16 *Gladium.* HIER. Vel materialem vel spiritualement, quo dividuntur, ne in malum consentiant, sed in eo, quod mali sunt, dispareant.

niant: et ad eas quæ sapientes sunt mittite, et properent:^{§ 18} festinent, et assumant super nos lamentum: deducant oculi nostri lacrimas, et palpebræ nostræ defluant aquis.^{** 19} Quia vox lamentationis audita est de Sion: Quomodo vastati sumus, et confusi vehementer? quia dereliquimus terram; quoniam dejecta sunt tabernacula nostra.^{†† 20} Audite ergo, mulieres, verbum Domini, et assumant aures vestræ sermonem oris ejus, et docete filias vestras lamentum, et unaquæque proximam suam planctum:^{‡‡ 21} quia ascendit mors per fenestras nostras; ingressa est domos nostras, disperdere parvulos deforis, juvenes de plateis.]^{¶¶ 22} Loquere: [Hæc dicit Dominus: Et cadet morticinium hominis quasi stercus super faciem regionis, et quasi fœnum post tergum metentis, et non est qui colligat.^{§§ 23} Hæc dicit Dominus: Non gloriatur sapiens in sapientia sua, et non gloriatur fortis in fortitudine sua, et non gloriatur dives in divitiis suis:²⁴ sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus.^{* 25} Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium,^{† 26} super Ægyptum, et super Juda, et super Edom, et super filios Ammon, et super Moab; et super omnes qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto: quia omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israël incircumcisi sunt corde.]

10 [Audite verbum quod locutus est Dominus super vos, domus Israël.^{‡ 2} Hæc dicit Dominus: Juxta vias gentium nolite discere, et a signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes,³ quia leges populorum vanæ sunt. Quia lignum de saltu præcidit opus manus artificis in ascia:^{¶ 4} argento et auro decoravit illud: clavis et malleis compegit, ut non dissolvatur:^{§ 5} in similitudinem palmæ fabricata sunt, et non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent. Nolite ergo timere ea,

[§]9.17 *Et vocate.* Vocate lamentatrices propter futuram captivitatem, etc., usque ad voce modulata populum transfundant in lacrymas.

^{**}9.18 *Oculi nostri.* Propterea: vel ipse Deus adjungit se compatiens affectui, ut quod populus sustinet, sustinere et sentire ipse dicatur.

^{††}9.19 *Quomodo vastati.* Dicant hoc in persecutione credentium turbæ, quæ idcirco vastatæ sunt atque confusæ, quia dereliquerunt legem Domini, et deseruerunt tabernacula sua.

^{‡‡}9.20 *Audite ergo.* Superius dixit: *vocate lamentatrices*, etc. Nunc quasi præsentem alloquitur, in suggillationem sacerdotum, atque doctorum, et virorum omnium: ut illis a doctrina cessantibus, mulieres audiant verbum Domini.

^{¶¶}9.21 *Quia ascendit.* Quia tanta erit fortitudo, et velocitas hostium, ut non exspectent ostium, sed per fenestras, et tecta conscendant.

^{§§}9.22 *Loquere: Hæc dicit,* etc. HIER. Verbum Hebraicum quod tribus litteris scribitur, etc., usque ad ut non sit qui sepeliat corruentes.

^{*}9.24 *Qui facio misericordiam.* ID. Etsi quædam videantur injusta, omnia tamen, etc., usque ad *Qui gloriatur, in Domino gloriatur* II Cor. 10..

[†]9.25 *Ecce dies venient.* ID. Multæ gentium, et maxime Judææ et Palæstinæ confines, etc., usque ad circumcisio enim non prodest, nisi legem observes.

[‡]10.1 *Audite verbum,* etc. HIER. Proprie adversus eos loquitur, etc., usque ad et ex causis cœlestium moderentur terrena.

[¶]10.3 *Lignum.* ID. Quod de idolis diximus, etc., usque ad propria est et eorum qui ignorant Deum.

[§]10.4 *Argento et auro.* ID. Ut fulgore materiæ simplices occupet et decipiat. Hic error usque ad nos pervenit, ut religionem in divitiis arbitremur.

quia nec male possunt facere, nec bene.** 6 Non est similis tui, Domine: magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine.†† 7 Quis non timebit te, o Rex gentium? tuum est enim decus: inter cunctos sapientes gentium, et in universis regnis eorum, nullus est similis tui.‡‡ 8 Pariter insipientes et fatui probabuntur: doctrina vanitatis eorum lignum est.¶¶ 9 Argentum involutum de Tharsis affertur, et aurum de Ophaz: opus artificis et manus ærarii. Hyacinthus et purpura indumentum eorum: opus artificum universa hæc. 10 Dominus autem Deus verus est, ipse Deus vivens, et rex sempiternus. Ab indignatione ejus commovebitur terra, et non sustinebunt gentes comminationem ejus. 11 Sic ergo dicetis eis: Dii qui cælos et terram non fecerunt, pereant de terra et de his quæ sub cælo sunt !§§ 12 Qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cælos: 13 ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cælo, et elevat nebulas ab extremitatibus terræ: fulgura in pluviam facit, et educit ventum de thesauris suis.* 14 Stultus factus est omnis homo a scientia: confusus est artifex omnis in sculptili, quoniam falsum est quod conflavit, et non est spiritus in eis.† 15 Vana sunt, et opus risu dignum: in tempore visitationis suæ peribunt.‡ 16 Non est his similis pars Jacob: qui enim formavit omnia, ipse est, et Israël virga hæreditatis ejus: Dominus exercituum nomen illi. 17 Congrega de terra

** 10.5 *Nolite ergo timere.* Solent plerique gentium dæmones colere ne officiant, et alios exorare, ut proficiant: unde Virgilius, *Æneid.* 3: Nigram hiemi pecudem, zephyris felicibus albam.

†† 10.6 *Non est similis tui.* Non est similis tui Domine, deorum, scilicet qui ab hæreticis finguntur.

‡‡ 10.7 *Tuum est enim.* HIER. Quamvis hæretici juxta sapientiam mundi, etc., *usque ad Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* I Cor. 1..

¶¶ 10.8 *Involutum.* ID. Aliter non decipit; falsitas involvitur, veritas, etc., usque ad dum cæli sibi colorem ostendunt, et cœlestia promittunt.

§§ 10.11 *Cælos et terram.* Quæ cooperatores Christi, qui dii vocantur et domini, per doctrinam ecclesiasticam partim fecerunt. *Qui facit.* ORIG., Homil. in Jer. *Dominus qui facit terram in fortitudine,* etc. Tres quodammodo virtutes Dei assumens propheta, etc., usque ad si vero cœlestia, thesaurizatorem suum ad propinquam sibi regionem subvehunt.

* 10.13 *Nebulas.* HIER. Quæ noverunt scilicet quibus pluvias suspendant et quibus impendant: Moyses quasi nubes loquebatur, qui dicebat, *Exspectet terra, ut pluviam verba mea* Exod. 9.. Et Isaias: *Audi, cælum, et auribus percipe, terra, quia Dominus locutus est* Isa. 1.. *Ab extremitatibus.* Qui vult in vobis primus esse, sit omnium novissimus. Aliter enim nemo fit nubes. *Fulgura in pluvias.* ORIG. Fertur quod fulgura ex nubium vel imbrium collisione generantur, etc., usque ad Jeremias quoque et Baruch sibi colloquentes rutilantia fulgura mittunt. *Et educit ventum de thesauris.* ID. Venti qui terras perflant in thesauris Dei non sunt, etc., usque ad inde oritur ut alius sit sapiens, alius fidelis et hujusmodi.

† 10.14 *Stultus.* HIER. Stultus comparatione Dei, etc., usque ad omnia enim contraria assumpsit Deus, ut contraria dissolvat. *Falsum est.* ORIG. Quod ordine suo fingit. Falsum est enim quod conflavit, sicut stultus est omnis homo a scientia, stultum etiam est quod facit. *Non est spiritus.* HIER. Notandum quod in hoc capite ventus et spiritus uno nomine apud Hebræos appellantur *ruah.*

‡ 10.15 *Vana sunt.* Aut enim rustica sunt, ut lignum, aut pulchro sermone tinnientia, ut argentum; aut de proprio sensu simulata mentiuntur, ut aurum. *In tempore visitationis.* Ad tempus valet hæresis, ut qui *probati sunt manifesti fiant* I Cor. 11.. Cum autem visitatio Dei venerit, et oculus ejus cuncta respexerit, omnia conticescent.

confusionem tuam, quæ habitas in obsidione:[¶] 18 quia hæc dicit Dominus: Ecce ego longe projiciam habitatores terræ in hac vice, et tribulabo eos ita ut inveniantur. 19 Væ mihi super contritione mea: pessima plaga mea. Ego autem dixi: Plane hæc infirmitas mea est, et portabo illam.[§] 20 Tabernaculum meum vastatum est; omnes funiculi mei dirupti sunt: filii mei exierunt a me, et non subsistunt. Non est qui extendat ultra tentorium meum, et erigat pelles meas.^{**} 21 Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non quæsierunt: propterea non intellexerunt, et omnis grex eorum dispersus est.^{††} 22 Vox auditionis ecce venit, et commotio magna de terra aquilonis: ut ponat civitates Juda solitudinem, et habitaculum draconum.^{‡‡} 23 Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos.^{¶¶} 24 Corripe me, Domine, verumtamen in iudicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.^{§§} 25 Effunde indignationem tuam super gentes quæ non cognoverunt te, et super provincias quæ nomen tuum non invocaverunt: quia comederunt Jacob, et devoraverunt eum, et consumpserunt illum, et decus ejus dissipaverunt.]

11 Verbum quod factum est a Domino ad Jeremiam, dicens:^{*} 2 [Audite verba pacti hujus, et loquimini ad viros Juda, et ad habitatores Jerusalem,[†] 3 et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Maledictus vir qui non audierit verba

[¶]10.17 *Congrega.* HIER. Præcipitur Jerusalem ut quidquid substantiæ foris habet, in urbem munitissimam congreget, et longe obsidioni præparet alimenta. Non enim Deus, sicut prius, longe post futura minatus, sed statim futura.

[§]10.19 *Væ mihi,* etc. ID. Conqueritur Jerusalem quod vehementer afflicta sit et plaga insanabili.

^{**}10.20 *Tabernaculum.* ID. Plangit Jerusalem tam facilem factam subversionem suam, etc., usque ad magna pars eorum interfecta atque deleta est.

^{††}10.21 *Grex.* ID. Septuaginta: *pecora.* Quod juxta historiam stare non potest: in tam longa enim obsidione pecora non durassent.

^{‡‡}10.22 *Vox auditionis.* ID. Hæc omnia quæ præteritus et præsens sermo describit, etc., usque ad qui *stulte egerunt,* et Dominum non quæsierunt. *Draconum.* Vel *Struthionum.* Symmachus, *Syrenarum,* ut pro hominibus habitent scilicet dracones, et omnia venenata: vel struthiones, quæ solitudini familiares in desertis nascuntur et nutriuntur. Aut Syrenes, scilicet quædam monstra et dæmonum phantasmata.

^{¶¶}10.23 *Scio,* etc. Erubescant, qui aiunt unumquemque suo regi arbitrio. Non est enim hominis via ejus, etc.; unde David: *A Domino gressus hominis dirigitur* Psal. 36..

^{§§}10.24 *In iudicio, et non in furore.* HIER. Quasi, quæ patimur, justa sunt, etc., usque ad gentes autem, quæ non cognoverunt te, non iudicium, sed indignationem merentur.

^{*}11.1 *Verbum.* ORIG., Hom. in Ezech. Quod scilicet in principio apud Deum, etc., usque ad et discipulis ait: *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* Matth. 28.. *Verbum quod factum est.* HIER. Non est positum in titulo, quo tempore, etc., usque ad ad viros Juda et Jerusalem sermo dirigitur.

[†]11.2 *Audite,* etc., *Viros Juda,* etc. Alleg. Christianos scilicet, Christus enim de Juda ortus est. De quo vere dicitur: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum* Gen. XLIX., etc. *Jerusalem.* Ecclesiæ, quæ est civitas regis magni, et visio pacis. Pax enim in ea multiplicatur et cernitur.

pacti hujus[‡] 4 quod præcepi patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea, dicens: Audite vocem meam, et facite omnia quæ præcipio vobis, et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum:[¶] 5 ut suscitem juramentum quod juravi patribus vestris, daturum me eis terram fluentem lacte et melle, sicut est dies hæc.] Et respondi, et dixi: Amen, Domine.[§] 6 Et dixit Dominus ad me: [Vociferare omnia verba hæc in civitatibus Juda, et foris Jerusalem, dicens: Audite verba pacti hujus, et facite illa, 7 quia contestans contestatus sum patres vestros, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, usque ad diem hanc: mane consurgens contestatus sum, et dixi: Audite vocem meam.^{**} 8 Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt, unusquisque in pravitate cordis sui mali: et induxi super eos omnia verba pacti hujus quod præcepi ut facerent, et non fecerunt.] 9 Et dixit Dominus ad me: [Inventa est conjuratio in viris Juda et in habitatoribus Jerusalem.^{††} 10 Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt audire verba mea: et hi ergo abierunt post deos alienos, ut servirent eis: irritum fecerunt domus Israël et domus Juda pactum meum quod pepigi cum patribus eorum. 11 Quam ob rem hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam super eos mala de quibus exire non poterunt: et clamabunt ad me, et non exaudiam eos.^{‡‡} 12 Et ibunt civitates Juda et habitatores Jerusalem, et clamabunt ad deos quibus libant, et non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum. 13 Secundum numerum enim civitatum tuarum erant dii tui, Juda: et secundum numerum viarum Jerusalem, posuisti aras confusionis, aras ad libandum Baalim.^{¶¶} 14 Tu ergo noli orare pro populo hoc, et ne assumas pro eis laudem et orationem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum.^{§§} 15 Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit

[‡]11.3 **Maledictus.** ORIG. Judæi enim maledicti sunt, qui non audierunt testamentum Dei, quando eduxit eos de terra Ægypti. Nos autem qui in Christo credimus, testamento ejus obedimus quod per Moysen traditur: et nobis hoc dicitur ne maledicti simus.

[¶]11.4 **Eduxit eos.** HIER., ORIG. Nos quoque eduxit Deus de Ægypto et fornace ferrea, etc., usque ad in lege obedientia mandatorum, hic similitudo Dei. **Et eritis.** Non est Deus omnium, sed eorum tantum quibus se largitur; unde: **Ego sum Dominus Deus tuus sanctus Israël** Ezech. 14.. Et alibi quoque inquit, **Ero Deus eorum** Exod. 3. Et, **Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob.** Quod exponens Salvator ait: **Deus autem non est mortuorum, sed vivorum** Luc. 29.. Mortuus est, scilicet peccator.

[§]11.5 **Lacte et melle.** HIER. Melle et lacte rerum omnium abundantiam significat, etc., usque ad vel, fiat, Domine, id est, semper maneat quod dedisti.

^{**}11.7 **Quia contestans,** etc. Usque, **ut facerent hæc,** in Septuaginta non habentur. Quod sequitur: **Et non fecerunt, ab ipsis:** in fine superioris capituli positum est. **Audite verba pacti hujus,** etc.

^{††}11.9 **Inventa est conjuratio.** ORIG. **Inventa est colligatio in viris Juda,** etc. Si peccaverimus, etc., usque ad et efficieris filius Dei in Christo Jesu.

^{‡‡}11.11 **Clamabunt.** In necessitatibus, et non exaudiam, quia me audire noluerunt. Quod et Saul passus est, etc., usque ad quod nunc dicitur ad Judam et Jerusalem pertinet quibus instat captivitas.

^{¶¶}11.13 **Secundum numerum.** ID. In libro Regum et Paralipomenorum invenimus Judam et Jeremiam multo pejora, etc., usque ad tot in confusionem suam aras habent, quibus idolis immolarent.

^{§§}11.14 **Tu ergo.** ID. Præcipitur prophetæ, ne pro eis oret in quos, etc., usque ad ex his discimus, frustra pro aliquo rogari, qui non meretur accipere.

scelera multa? numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? *¹⁶ Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta ejus. †¹⁷ Et Dominus exercituum, qui plantavit te, locutus est super te malum, pro malis domus Israël, et domus Juda, quæ fecerunt sibi ad irritandum me, libantes Baalim.] ‡¹⁸ [Tu autem, Domine, demonstrasti mihi, et cognovi: tunc ostendisti mihi studia eorum. ¶¹⁹ Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius. ²⁰ Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam. §²¹ Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærent animam tuam, et dicunt: Non prophetabis in nomine Domini, et non morieris in manibus nostris: ²² propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego visitabo super eos: juvenes morientur in gladio; filii eorum et filiæ eorum morientur in fame. **²³ Et reliquiæ non erunt ex eis: inducam enim malum super viros Anathoth, annum visitationis eorum.]

12 [Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: verumtamen justa loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur; bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt? ††² Plantasti eos, et radicem miserunt: proficiunt, et faciunt fructum: prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum. ³ Et tu, Domine, nosti me, vidisti me, et probasti cor meum tecum. Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica

*11.15 *Quid est*, etc. ID. Dicamus hoc principibus ecclesiarum et divitibus, cum aliena rapiant et malitias cordis sui non auferant, putant se Dei mereri clementiam. **Nunquid carnes sanctæ.** At nunc publice offerentium nomina recitantur, et redemptio peccatorum in laudem mutatur: nec evangelicæ viduæ memoria celebratur, quæ plus omnibus in gaphylacium misit.

†11.16 *Ad vocem loquelæ.* HIER. Quasi dicat: Exaltatus per superbiam, non humiliter creatorem et dominatorem tuum intellexisti, sed contra Dominum granditer locutus, igne ejus succensus redigeris in nihilum.

‡11.17 *Et Dominus.* Quasi: Olivam uberem, pulchram, fructiferam vocavit te dominus tuus atque plantavit: sed propter vocem loquelæ grandis flamma ejus descendit in te.

¶11.18 *Tu autem.* HIER. Judæi et nostri judaizantes ad personam Jeremiæ hoc referunt, etc., usque ad nisi forte dicant populum cogitasse, et non fecisse? ORIG. Tu autem, Domine, etc. **Vel notum fac mihi, Domine, et cognoscam** Psal. 142.. Juxta Psalmistam, **Dominus docet hominem scientiam** Ibid. 93.. Unde: **Nolite vocari magistri super terram, unus quippe est magister vester qui in cælis est** Matth. 23., qui, scilicet erudit homines, etc., usque ad cum autem venit lignum Jesu Christi, et sermo Salvatoris in eam descendit, dulcoratur.

§11.20 *Tibi enim.* HIER. Quia non merito meo, sed eorum scelere crucifigor. **Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam** Joan. 14..

**11.22 *Propterea hæc dicit Dominus.* Videtur hoc superiori sententiæ contrarium, in qua, etc., usque ad et quod in præsentī in Jeremia completur, hoc in futurum de Domino prophetatur.

††12.1 *Justus quidem*, etc. HIER. Contra omnes inique agentes disputatio est, sicut in illo Psalmista: **Quam bonus Israel Deus his qui recti sunt** Psal. 72., etc. Sed præcipue contra hæreticos.

eos in die occisionis.‡ 4 Usquequo lugebit terra, et herba omnis regionis siccabitur, propter malitiam habitantium in ea? Consumptum est animal, et volucre, quoniam dixerunt: Non videbit novissima nostra. 5 Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis? cum autem in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Jordanis?¶ 6 Nam et fratres tui, et domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te, et clamaverunt post te plena voce: ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona.‡§ 7 [Reliqui domum meam; dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.* 8 Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem, ideo odivi eam.† 9 Numquid avis discolor hæreditas mea mihi? numquid avis tincta per totum? Venite, congregamini, omnes bestię terræ: properate ad devorandum.‡ 10 Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis.¶ 11 Posuerunt eam in dissipationem, luxitque super me: desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.§ 12 Super omnes vias deserti venerunt vastatores, quia gladius Domini devorabit: ab extremo terræ usque ad extremum ejus, non est pax universæ carni.** 13 Seminaverunt triticum, et spinas messuerunt: hæreditatem acceperunt, et non eis proderit. Confundemini a fructibus

‡12.3 *Et tu, Domine.* ID. Ac si dicat: Non est scandalum, si impii vel hæretici pro tempore florent, etc., usque ad cum fuerint, scilicet, ecclesiastico jugulati mucrone.

¶12.5 *Si cum pedibus.* Quasi dicat: Si captivitas vicinarum gentium te fatigavit, Moabitarum scilicet, Philistiim, Ammonitarum, Idumæorum, qui propter difficultatem locorum non tam pugnæ quam latrocinio apti sunt. *Quomodo.* Id est, quid facies, cum ad captivitatem in Chaldæam veneris? Chaldæi enim et Persæ equis gaudent.

§12.6 *Nam et fratres,* etc. HIER. Potest hoc de Christo intelligi, contra quem fratres clamaverunt: *Crucifige eum: Non habemus regem nisi Cæsarem* Joan. 19..

*12.7 *Reliqui domum.* Unde, *Relinquetur vobis domus vestra deserta* Luc. 13.: Et: *Surgite, eamus hinc* Joan. 14..

†12.8 *Hæreditas mea,* etc. ORIG. Non est mirandum si tunc truci belluæ comparata sit hæreditas, cum usque hodie sint leones in sylva anathematizantes Christum, et blasphemantes et fidelibus insidiantes.

‡12.9 *Numquid avis discolor?* Septuaginta: *Nunquid spelunca hienæ hæreditas mea mihi?* HIER. Hiena nocturna bestia mortuorum devorat cadavera, et de sepulcris effodit corpora et cunctis vescitur sordibus, cujus immunditiæ Isræl comparatur.

¶12.10 *Pastores multi,* etc. HIER. Audiant hæc, qui principes volunt esse, etc., usque ad qui populum Dei dissipaverunt.

§12.11 *Desolatione.* ORIG. Quoniam Judæi compleverunt mensuram patrum suorum et addiderunt ad prophetarum occisionem, etiam Salvatoris, etc, *usque ad Sem-inamus non in carne, sed in spiritu, ut non metamus corruptionem de carne, sed de spiritu vitam æternam* I Cor. 17..

**12.12 *Non est pax,* etc. HIER. Caro pacem Dei in se recipere non potest. *Sapientia enim carnis inimica est Deo, et qui in carne sunt, Deo placere non possunt* Rom. 8..

vestris propter iram furoris Domini.†† 14 Hæc dicit Dominus adversum omnes vicinos meos pessimos, qui tangunt hæreditatem quam distribui populo meo Israël: Ecce ego evellam eos de terra sua, et domum Juda evellam de medio eorum.‡‡ 15 Et cum evulsero eos, convertar, et miserebor eorum, et reducam eos: virum ad hæreditatem suam, et virum in terram suam. 16 Et erit: si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo: Vivit Dominus ! sicut docuerunt populum meum jurare in Baal, ædificabuntur in medio populi mei. 17 Quod si non audierint, evellam gentem illam evulsione et perditione, ait Dominus.]

13 Hæc dicit Dominus ad me: Vade, et posside tibi lumbare lineum, et pones illud super lumbos tuos, et in aquam non inferes illud.¶¶ 2 Et possedi lumbare juxta verbum Domini, et posui circa lumbos meos. 3 Et factus est sermo Domini ad me secundo, dicens: 4 Tolle lumbare quod possedisti, quod est circa lumbos tuos: et surgens vade ad Euphraten, et absconde ibi illud in foramine petrae. 5 Et abii, et abscondi illud in Euphrate, sicut præceperat mihi Dominus. §§ 6 Et factum est post dies plurimos, dixit Dominus ad me: Surge, vade ad Euphraten, et tolle inde lumbare quod præcepi tibi ut absconderes illud ibi. 7 Et abii ad Euphraten, et fodi, et tuli lumbare de loco ubi absconderam illud: et ecce computruerat lumbare, ita ut nulli usui aptum esset. * 8 Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 9 [Hæc dicit Dominus: Sic putrescere faciam superbiam Juda, et superbiam Jerusalem multam: 10 populum istum pessimum qui nolunt audire verba mea, et ambulant in pravitate cordis sui, abieruntque post deos alienos ut servirent eis et adorarent eos: et erunt sicut lumbare istud, quod nulli usui aptum est. 11 Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israël, et omnem domum Juda, dicit Dominus, ut essent mihi in populum, et in nomen, et in laudem, et in gloriam: et non audierunt.] 12 Dices ergo ad eos sermonem istum: [Hæc dicit Dominus Deus Israël: Omnis laguncula implebitur vino.] Et dicent ad te: [Numquid ignoramus quia omnis laguncula implebitur vino?]*† 13 Et dices ad eos: [Hæc dicit Dominus: Ecce ego implebo omnes habitatores terræ hujus, et reges qui sedent de stirpe David super thronum ejus, et sacerdotes, et prophetas, et omnes habitatores Jerusalem, ebrietate.

††12.13 *Seminaverunt.* Hoc quoque ecclesiasticis dicitur, etc., usque ad et: *Cui plus committitur, plus ab eo exigitur* Sap. 6.. *A fructibus.* Septuaginta. *A gloriatione vestra.* HIER. Vestibus, scilicet, pretiosis, domibus exornatis, possessionibus multis, sæculari sapientia: *Qui autem gloriatur, in Domino gloriatur* I Cor. 1.. Et, *in cruce Domini nostri Jesu Christi* Gal. 6.. Et, *in infirmitatibus suis ut inhabitet in eo virtus Christi* II Cor. 11..

‡‡12.14 *Vicinos.* HIER. Ad litteram, Idumæos, Philistiim, Moab, et Ammon. Allegorice. Hæreticos qui Christiani dicuntur, et magis terræ sanctæ fiunt affines quam habitatores.

¶¶13.1 *Hæc dicit Dominus.* HIER. Vir sanctus lumbare Dei dicitur, qui de limo terræ assumptus est, etc., usque ad multitudinem innumerabilium gentium quodammodo absorptus et nihil reputatus.

§§13.5 *Et abscondi,* etc. ORIG. Judæi indigni exstiterunt Deo, et projecti sunt ab eo, etc., usque ad si non adhærens Domino, uno spiritu fuerit in Christo.

*13.7 *Et tuh lumbare.* HIER. In captivitate. Significat autem quod propheta, etc., usque ad ideo æterna perditione contabescit.

†13.12 *Omnis laguncula.* ID. Hæc est ebrietas, qua obliviscimur præceptorum Dei, et vitiis atque peccatis, etc., *usque ad Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7.

¹⁴ Et dispergam eos virum a fratre suo, et patres et filios pariter, ait Dominus. Non parcam, et non concedam: neque miserebor, ut non disperdam eos.[‡] ¹⁵ Audite, et auribus percipite: nolite elevari, quia Dominus locutus est. ¹⁶ Date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos: exspectabitis lucem, et ponet eam in umbram mortis, et in caliginem.[¶] ¹⁷ Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea a facie superbiæ: plorans plorabit, et deducet oculus meus lacrimam, quia captus est grex Domini.[§] ¹⁸ Dic regi et dominatrici: Humiliamini, sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ.^{**} ¹⁹ Civitates austri clausæ sunt, et non est qui aperiat: translata est omnis Juda transmigratio perfecta. ²⁰ Levate oculos vestros et videte, qui venitis ab aquilone: ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? ²¹ Quid dices cum visitaverit te? tu enim docuisti eos adversum te, et erudisti in caput tuum. Numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem?^{††} ²² Quod si dixeris in corde tuo: Quare venerunt mihi hæc? propter multitudinem iniquitatis tuæ revelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ.^{‡‡} ²³ Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.^{¶¶} ²⁴ Et disseminabo eos quasi stipulam quæ vento raptatur in deserto. ²⁵ Hæc sors tua, parsque mensuræ tuæ a me, dicit Dominus, quia oblita es mei, et confisa es in mendacio. ²⁶ Unde et ego nudavi femora tua contra faciem tuam, et apparuit ignominia tua:^{§§} ²⁷ adulteria tua, et hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ:

[‡]13.14 *Et dispergam.* ID. Rationabili ira, ut reducam ab errore, doloribus et tormentis, etc., usque ad et omnis populus Jerusalem calice Babylonis sit inebriandus et captivitate obruendus.

[¶]13.16 *Date Domino,* etc. ID. Ad poenitentiam provocat, antequam ducantur in Babylonem, etc., usque ad et Sophonias: *Dies tenebrarum et turbinis* Soph. 1..

[§]13.17 *Quod si hoc non audieris.* ID. Dicamus Judæis et nostris Judaizantibus, qui litteram, etc., usque ad plorabit anima prophetæ a facie superbiæ eorum. *Captus est.* A diabolo vel Nabuchodonosor, vel contritus. Aliquando Israhel fuit grex Domini. Sed quia indignos se judicaverunt salute, conversus est sermo ad Gentes. Caveat oleaster in bonam olivam contra naturam insertus, ne et ipse conteratur.

^{**}13.18 *Dic regi et dominatrici.* HIER. Verbum Hæbræum *Gebira*, Aquila et Symmachus *Dominatricem* et *dominam* interpretati sunt, etc., usque ad et quod quidam angeli passi sunt pro redemptione dæmonum, et post iudicium portas inferni claudi et nullum ibi puniri, quod Origenes sentire videtur, quod frivolum est.

^{††}13.21 *Tu enim docuisti eos,* etc. ID. Quando Ezechias ostendit thesaurum nuntio regis Babylonis. *Tu enim,* etc. Audiatur hoc Ecclesia negligens, quæ docet adversarios suos quomodo possint eam spirituali captivitate comprehendere, et pecus ejus bestiali crudelitate lacerare.

^{‡‡}13.22 *Propter multitudinem,* etc. ID. Hinc discimus, quandiu peccata sunt minora, etc., usque ad *Isti resurgent in vitam æternam, et illi in opprobrium et confusionem sempiternam* Dan. 12..

^{¶¶}13.23 *Si mutare potest,* etc. ID. Hoc testimonio utuntur, qui diversas naturas asserere conantur, etc., usque ad *Non igitur gloriatur sapiens in sapientia sua, vel fortis in fortitudine sua* Jer. 9., et hujusmodi, quæ in omnibus operatur virtus Christi.

^{§§}13.26 *Nudavi.* ID. Rogemus Christum, ut nec in præsentem, nec in futuro revelet posteriora nostra, sed deleat iniquitates nostras, et scelera nostra apparere non sinat.

super colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi, Jerusalem ! non mundaberis post me: usquequo adhuc?]*

14 Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam, de sermonibus siccitatis.† [Luxit Judæa, et portæ ejus corruerunt, et obscuratæ sunt in terra, et clamor Jerusalem ascendit. †² Majores miserunt minores suos ad aquam: venerunt ad hauriendum. Non invenerunt aquam: reportaverunt vasa sua vacua. Confusi sunt, et afflicti, et operuerunt capita sua. †⁴ Propter terræ vastitatem, quia non venit pluvia in terram, confusi sunt agricolæ: operuerunt capita sua. †⁵ Nam et cerva in agro peperit, et reliquit, quia non erat herba. †⁶ Et onagri steterunt in rupibus; traxerunt ventum quasi dracones: defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. †⁷ Si iniquitates nostræ responderint nobis, Domine, fac propter nomen tuum: quoniam multæ sunt aversiones nostræ: tibi peccavimus. †⁸ Expectatio Israël, salvator ejus in tempore tribulationis, quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? †⁹ quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare? Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos: ne derelinquas nos. †¹⁰ Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit: Nunc recordabitur iniquitatum eorum, et visitabit peccata eorum. ††¹¹ Et dixit Dominus ad me: Noli orare pro populo isto in bonum. ††¹² Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum, et si obtulerint holocaustomata et victimas, non suscipiam ea: quoniam gladio, et fame, et peste consumam eos.] †¹³ Et dixi: [A, a, a, Domine Deus: prophetæ dicunt eis: Non videbitis gladium, et fames non

*13.27 *Super colles*. Allegorice. In collibus et in agris fornicatur, et nunquam mundatur, qui erecta cervice per superbiam, non humiliatur sub potenti manu Dei, sed confidit in sceleribus suis.

†14.1 *Et portæ ejus*, etc. HIER. Sensus, scilicet, per quos animo concipitur disciplina, etc., usque ad et usque in præsentem diem sterilitas pluviarum non solum frugum, sed et bibendi facit inopiam.

†14.4 *Agricolæ*. Quorum unus ait: *Dei agricultura estis* I Cor. 3.. Et alibi: *Dei cooperatores sumus*.

†14.5 *Nam et cerva*, etc. GREG. *Nam et cerva* (vel cervæ) *in agro peperit* (vel pepererunt). Hæc sententia de doctoribus genitos filios incaute deserentibus dicitur, etc., usque ad scriptum est, *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* Gal. 6..

§14.6 *Traxerunt ventum*. ID. Perversi quasi dracones trahunt ventum, cum malitiosa superbia inflantur. *Defecerunt oculi*. HIER. Claram lucem cernere non valentes, etc., usque ad sunt qui discant, non qui doceant.

**14.8 *Expectatio Israël*. ID. Dicamus et nos in tempore siccitatis et aquæ penuria, *Tibi peccavimus, et malum coram te fecimus* Psal. 50., tuum præstolamur adventum, qui salvas Israël, non suo merito, sed tua gratia. *Quasi colonus*. GREG. Qui enim ut Dominus auditus non est, non possessor agri, sed colonus, etc., usque ad et viatoris prætereuntis, qui negligit ea quæ occurrunt in viis. *Et quasi viator*. HIER. Judæi hunc locum sic exponunt: Quare segregas te, etc., usque ad relicto Israël tendat ad gentes, ut de loco ad locum, de populo ad populum, de templo ad Ecclesiam.

††14.10 *Movere pedes suos*, etc. ID. Notandum in Scripturis sanctis quod semper peccatorum pedes moveantur, etc., usque ad et qui turrim Babylonis ædificaverunt, ab Oriente moverunt pedes suos.

††14.11 *Noli orare*. ID. Stultum est orare pro eo qui peccaverit ad mortem, etc., usque ad qui enim semel gladio et fami et pesti destinatur, nullis precibus eruitur: unde, *Noli orare*, etc.

erit in vobis: sed pacem veram dabit vobis in loco isto.]^{¶¶} 14 Et dicit Dominus ad me: [Falso prophetæ vaticinantur in nomine meo: non misi eos, et non præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Visionem mendacem, et divinationem, et fraudulentiam, et seductionem cordis sui, prophetant vobis. 15 Idcirco hæc dicit Dominus de prophetis qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes: Gladius et fames non erit in terra hac: In gladio et fame consumentur prophetæ illi.^{§§} 16 Et populi quibus prophetant erunt projecti in viis Jerusalem præ fame et gladio, et non erit qui sepeliat eos: ipsi et uxores eorum, filii et filiæ eorum: et effundam super eos malum suum. 17 Et dices ad eos verbum istud: Deducant oculi mei lacrimam per noctem et diem, et non taceant, quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer.* 18 Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio: et si introiero in civitatem, ecce attenuati fame. Propheta quoque et sacerdos abierunt in terram quam ignorabant.† 19 Numquid projiciens abjecisti Judam? aut Sion abominata est anima tua? quare ergo percussisti nos ita ut nulla sit sanitas? Exspectavimus pacem, et non est bonum: et tempus curationis, et ecce turbatio.‡ 20 Cognovimus, Domine, impietates nostras, iniquitates patrum nostrorum, quia peccavimus tibi.¶ 21 Ne des nos in opprobrium, propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam solii gloriæ tuæ: recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiscum.§ 22 Numquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant? aut cæli possunt dare imbres? nonne tu es Dominus Deus noster, quem exspectavimus? tu enim fecisti omnia hæc.]**

^{¶¶}14.13 *Prophetæ dicunt eis*, etc. Audiant hæc magistri qui peccantibus et in vitis permanentibus prospera pollicentur. Multi tales hodie sunt, qui non curant undecunque sit oblatio, consulentes suæ avaritiæ; ut quidam fecisse dicitur, qui persuadebat ut secreta confiterentur peccata coram Deo ante altare, et ipse ex adverso sedebat: et audiebat, et hanc securitatem dabat. Tantummodo largas eleemosynas facite et sufficit.

^{§§}14.15 *Hæc dicit Dominus*. HIER. Caveat pseudoprophetæ, ne qui decipiendo lactant populum Dei, et ipsi pereant cum deceptis, et jaceant insepulti, et non sit qui operiat ignominiam eorum pulvere poenitentiae.

*14.17 *Deducant oculi mei*. ID. Dupliciter hic locus intelligitur. Quod vel ipse Deus, etc., usque ad virgo contrita, filia percussa, populus deletus.

†14.18 *Si egressus*, etc. ID. Audiant hoc prophetæ nostri et sacerdotes, quod nec foris nec intus, etc., usque ad qui prophetabant prospera, et legis mandata aperire debebant, *abierunt in terram quam ignorabant*. Id est, captivati sunt.

‡14.19 *Nunquid projiciens*, etc. HIER. Ut ubi fuerat cultus Dei et tranquillitas, ibi sit seditio et hostilis fremitus. Si quando nostra Sion nosterque Judas abominabilis abjicitur, nequaquam miremur, sed dicamus quod sequitur.

¶14.20 *Cognovimus, Domine*, etc. ID. Quasi: Et nos et patres nostri eadem dementia Dei præcepta negleximus, etc., usque ad nondum venerant ad iniquitatis cumulum: quod in Christi morte completum est.

§14.21 *Solii gloriæ*. Templi, vel cujuslibet sancti, in quo, sicut scriptum est, *Thronum ejus in terra allististi*. Tunc alliditur atque destruitur, cum ab eo multitudo peccatorum Deus offenditur. Sed quia culpa perditur, Domini clementia sustentatur, quæ mutatur severitate sententiæ, si irritum faciat Dominus pactum suum quo nobis pollicitus est salutem.

**14.22 *Nunquid sunt in sculptilibus*, etc. HIER. Post multos variosque sermones redit ad titulum prophetiæ, etc., usque ad tu solus es qui populum tuum potes instruere, et divisiones gratiarum exspectantibus te.

15 Et dixit Dominus ad me: [Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: ejice illos a facie mea, et egrediantur.†† 2 Quod si dixerint ad te: Quo egrediemur? dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Qui ad mortem, ad mortem, et qui ad gladium, ad gladium, et qui ad famem, ad famem, et qui ad captivitatem, ad captivitatem. 3 Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus: gladium ad occisionem, et canes ad lacerandum, et volatilia cæli et bestias terræ ad devorandum et dissipandum.‡‡ 4 Et dabo eos in fervorem universis regnis terræ, propter Manassen filium Ezechiaë regis Juda, super omnibus quæ fecit in Jerusalem.¶¶ 5 Quis enim miserebitur tui, Jerusalem, aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?§§ 6 Tu reliquisti me, dicit Dominus; retrorsum abiisti: et extendam manum meam super te, et interficiam te: laboravi rogans.* 7 Et dispergam eos ventilabro in portis terræ: interfeci et disperdidi populum meum, et tamen a viis suis non sunt reversi. 8 Multiplicatæ sunt mihi viduæ ejus super arenam maris: induxi eis super matrem adolescentis vastatorem meridie: misi super civitates repente terrorem.† 9 Infirmata est quæ peperit septem; defecit anima ejus: occidit ei sol cum adhuc esset dies: confusa est, et erubuit: et residuos ejus in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum, ait Dominus.]‡ 10 [Væ mihi, mater mea ! quare genuisti me, virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? Non foeneravi, nec foeneravit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi.¶ 11 Dicit Dominus: Si non reliquiæ tuæ in bonum, si non occurri tibi in tempore afflictionis, et in

††15.1 *Et dixit Dominus.* GREG., Moral., lib. 9, c. 12. Omissis tot patribus, soli Moyses et Samuel ad medium deducuntur, etc., usque ad alter ex principatu ejicitur, et ait: *Absit a me hoc peccatum, quia cessem orare pro vobis* I Reg. 12..

‡‡15.3 *Et visitabo super eos.* HIER. Quatuor plagas, quibus populus Judæ traditus est, etiam Ezechiel propheta demonstrat, gladium, etc., usque ad ut Creatore neglecto non universa creatura consurgeret in peccatores.

¶¶15.4 *Et dabo eos in fervorem,* etc. ID. Hoc sub Babylois ex parte completum est, etc., usque ad si liberi nepotesque similia gesserint ad posteros perveniunt. Iste Manasses nequissimus fuit, Isaiam sarta lignea secuit, Amon filium suum per ignem traduxit ad honorem idolorum et Tophet.

§§15.5 *Quis enim miserebitur tui?* Nullus offenso Deo potest rogare pro flagitiis peccantium, quia nec tam clemens potest esse creatura quam Creator, nec tam alienus externis, quam Dominus suis misereri.

*15.6 *Retrorsum abiisti,* etc. HIER. Cum juxta Apostolum posteriora obliviscens ad priora se extendere debuit, Ægyptias carnes desideravit.

†15.8 *Multiplicatæ sunt mihi.* HIER. Diversis medicaminibus cupit Deus salvare peccantes, ut qui contempserant blandientem, timeant minantem.

‡15.9 *Septem.* ID. Verbum Hebraicum *Saba*, vel *septem*, vel *juramentum*, vel *plurimos* sonat. Unde, etc., usque ad confusa est in æternum spiritali gladio perdens populum suum.

¶15.10 *Væ mihi, mater mea,* etc. ID. Potest hoc Synecdochicos de Jeremia intelligi, qui non in toto orbe terrarum, etc., usque ad sed et Jeremiam deprehendimus sæpe in hoc volumine rogasse pro populo.

tempore tribulationis adversus inimicum.^{§ 12} Numquid fœderabitur ferrum ferro ab aquilone, et æs?^{** 13} Divitias tuas et thesauros tuos in direptionem dabo gratis, in omnibus peccatis tuis, et in omnibus terminis tuis.^{†† 14} Et adducam inimicos tuos de terra quam nescis, quia ignis succensus est in furore meo: super vos ardebit.^{‡‡ 15} Tu scis, Domine: recordare mei, et visita me, et tuere me ab his qui persequuntur me. Noli in patientia tua suscipere me: scito quoniam sustinui propter te opprobrium.^{¶¶ 16} Inventi sunt sermone tui, et comedi eos: et factum est mihi verbum tuum in gaudium et in lætitiā cordis mei, quoniam invocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum.¹⁷ Non sedi in concilio ludentium, et gloriatus sum a facie manus tuæ: solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.^{§§ 18} Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renui curari? facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.¹⁹ Propter hoc hæc dicit Dominus: Si converteris, convertam te, et ante faciem meam stabis: et si separaveris pretiosum a vili, quasi

§15.11 *Si non reliquæ.* Responsio Domini ad id quod Jeremias supradixerat: *Væ mihi, mater mea,* etc. Quasi: Noli considerare præsentia tantum, sed futura. *Reliquæ enim tuæ in bonum,* etc. In præsentī quoque cum te cuperent inimici opprimere, *occurri tibi,* et protexi te. *Si non reliquæ tuæ in bonum.* De Christo quoque secundum humanitatem possunt hæc dici, *Si non reliquæ.* Possunt hæc de Jeremia accipi, qui pessimo tempore, imminenteque captivitate prophetare compulsus est, et dura perpeti a populo non credente.

**15.12 *Nunquid fœderabitur ferrum ferro.* HIER. Quasi: Nec doleas quod populus tuus inimicus sit, etc., usque ad qui in tantam pervenit malitiam, ut duriori metallo, id est, ære circumdatus sit.

††15.13 *Et thesauros.* ORIG. Unus thesaurus est Jeremias, alius Isaias, vel Moyses et cæteri. Hos thesauros abstulit Deus Judæis, et dedit nobis: unde, *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* Matth. 21.. Primum *credita sunt illis eloquia Dei* I Cor. 1., et postea data nobis. Habent quidem legem et prophetas, sed non intelligunt. *In omnibus peccatis tuis.* HIER. Id est, propter peccata tua, quæ in omnes terminos tuos pervenerunt, etc., usque ad et resurgens Christus non apparuit ultra interfectoribus suis, sed tantum credentibus.

‡‡15.14 *Ardebit.* Non potest extinguī, quia materiam præbuisti ardoris, ut meus ignis tua quæ in te sunt ligna consumat et fenum et stipulam. Non est ergo causa ardoris in Domino, sed in his qui fomenta ministrant incendio.

¶¶15.15 *Noli in patientia tua suscipere me.* Vox Christi. Quasi: Longanimis fuisti semper huic populo delinquenti, sed quia etiam contra me erexit temeritatem suam, noli jam esse longanimis. Si autem consideres tempora Dominicæ passionis et ruinæ Jerusalem, videbis, quia omnino patiens fuit. A quintodecimo anno Tiberii Cæsaris usque ad subversionem templi numerantur anni quadraginta duo. Quia spatium pœnitentiæ oportebat dari propter eos qui per apostolos erant credituri.

§§15.17 *Non sedi,* etc. HIER. Hebræi arbitrantur hæc ex persona Jerusalem dici, quod sola sederit amaritudine repleta, etc., usque ad quæ opere monstrabit omnem amaritudinem instar fuisse fluentium aquarum. *A facie manus tuæ.* ORIG. Facies manus Dei est ipsa percussio justī iudicii, quæ superbientem, etc., usque ad et si peccare non desistimus, æternis adhuc suppliciis adjicit. *Solus sedebam.* GREG., Moral., lib. 4, c. 35. Quasi: Dum considero quid jam per iudicii experimentum patior a tumultu desideriorum temporalium, trepidus mentis secessum peto, quia adhuc acrius illa, quæ minaris, æterna supplicia formido.

os meum eris: convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos.* ²⁰ Et dabo te populo huic in murum æreum fortem: et bellabunt adversum te, et non prævalebunt, quia ego tecum sum ut salvem te, et eruam te, dicit Dominus: ²¹ et liberabo te de manu pessimorum, et redimam te de manu fortium.]

16 Et factum est verbum Domini ad me, dicens:† ² [Non accipies uxorem, et non erunt tibi filii et filiæ in loco isto. ³ Quia hæc dicit Dominus super filios et filias qui generantur in loco isto, et super matres eorum, quæ genuerunt eos, et super patres eorum, de quorum stirpe sunt nati in terra hac: ⁴ Mortibus ægrotationum morientur: non plangentur, et non sepelientur: in sterquilinum super faciem terræ erunt, et gladio et fame consumerunt: et erit cadaver eorum in escam volatilibus cæli et bestiis terræ.‡ ⁵ Hæc enim dicit Dominus: Ne ingrediaris domum convivii, neque vadas ad plangendum, neque consolers eos, quia abstuli pacem meam a populo isto, dicit Dominus, misericordiam et miserationes.¶ ⁶ Et morientur grandes et parvi in terra ista: non sepelientur, neque plangentur, et non se incident, neque calvitiū fiet pro eis.§ ⁷ Et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo, et non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo et matre. ⁸ Et domum convivii non ingrediaris, ut sedeas cum eis, et comedas, et bibas. ⁹ Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Ecce ego auferam de loco isto, in oculis vestris, et in diebus vestris, vocem gaudii et vocem lætitiæ, vocem sponsi et vocem sponsæ.** ¹⁰ Et cum annuntiaveris populo huic omnia verba hæc, et dixerint tibi: Quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud? quæ iniquitas nostra, et quod peccatum nostrum, quod peccavimus Domino Deo nostro? ¹¹ dices ad eos: Quia dereliquerunt me patres vestri, ait Dominus, et abierunt post deos alienos, et servierunt eis, et adoraverunt eos, et me dereliquerunt, et legem meam non custodierunt. ¹² Sed et vos pejus operati estis quam patres vestri: ecce

*15.19 *Si separaveris*, etc. ID., Moral., lib. 18, c. 23. Vilis quippe est Deo præsens mundus, pretiosa est ei, etc., usque ad qui ab amore præsentis sæculi loquendo quæ potest, humanam animam evellit. *Quasi os meum*. HIER. Consideremus quantam mercedem habeat sermo doctoris, si ab errore quempiam liberare voluerit, et de peccantium numero revocare.

†16.1 *Et factum est verbum*, etc. HIER. Instante captivitate, ne super proprium dolorem, uxoris quoque et liberorum miseriis torquearis. Bene ergo Apostolus jubet, *Quia tempus breve est et consummatio imminet, ut qui exores habent, sint quasi non habentes* I Cor. 7..

‡16.4 *Mortibus ægrotationum*. ID. Nota quod longa infirmitate tabescere, ira Dei est: unde Joram filius Josaphat infirmitate consumitur. Et Apostolus ait: *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles* I Cor. 11., etc.

¶16.5 *Ne ingrediaris domum*. HIER. Unde: *Cum hujusmodi nec cibum sumere* I Cor. 5.. Nec debes dicere ei ave. Apostolis quoque interdictum est, etc., usque ad aliud enim est mori communi lege naturæ, aliud Dei occubuisse sententia. Jeremias juvenis ad prædicandum missus est a Domino, unde ait, *A a Domine, nescio loqui*. Et virgo fuit et castus, et sine liberis, ut expeditius prædicaret.

§16.6 *Neque plangentur*. ID. Modus fuit apud veteres, et usque hodie permanet, etc., usque ad et quotidie deceptorum funera prosternunt in Ecclesia?

**16.9 *Ecce ego auferam*. Sic quoque peccanti Ecclesiæ aufert Deus omne gaudium et omnem lætitiā. De quo dicitur: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete* Philip. 4..

enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiat.^{††}
¹³ Et ejciam vos de terra hac in terram quam ignoratis, vos et patres vestri: et servietis ibi diis alienis, die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. ¹⁴ Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicetur ultra: Vivit Dominus qui eduxit filios Israëli de terra Ægypti,^{‡‡} ¹⁵ sed: Vivit Dominus qui eduxit filios Israëli de terra aquilonis, et de universis terris ad quas ejeci eos: et reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum. ¹⁶ Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos: et post hæc mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum.^{¶¶} ¹⁷ Quia oculi mei super omnes vias eorum: non sunt absconditæ a facie mea, et non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis. ¹⁸ Et reddam primum duplices iniquitates et peccata eorum, quia contaminaverunt terram meam in morticinis idolorum suorum, et abominationibus suis impleverunt hæreditatem meam.^{§§} ¹⁹ Domine, fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis, ad te gentes venient ab extremis terræ, et dicent: Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit.*
²⁰ Numquid faciet sibi homo deos, et ipsi non sunt dii?[†] ²¹ Idcirco ecce ego ostendam eis per vicem hanc, ostendam eis manum meam, et virtutem meam, et scient quia nomen mihi Dominus.]

^{††}16.12 *Sed et vos*, etc. ID. Ne forte dicerent: Injusta sententia est, *patrem comedisse uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescere*.

^{‡‡}16.14 *Ecce dies veniunt*, etc. ID. Prædicuntur miracula, quæ juxta litteram sub Zorobabel et Jesu pontifice partim completa sunt, etc., usque ad reduxit eos in terram suam, id est, ecclesiam quam dedit patribus eorum, id est, apostolis et apostolicis viris.

^{¶¶}16.16 *Ecce ego mittam piscatores*. Judæi putant piscatorum nomine significari Chaldæos, et per venatores Romanos, qui de montibus collibusque, et de cavernis petrarum venati sunt infelicem populum. *Cavernis petrarum*, etc. HIER. Apostolis et apostolicis viris: *Petra enim Christus* I Cor. 10., sed et Petro donavit, etc., usque ad et recepisse duplices iniquitates suas.

^{§§}16.18 *Duplices iniquitates*, etc. ID. Quia *servus sciens et non faciens voluntatem Domini, vapulabit multis* Luc. 12.. Dignum est enim eos qui de gentibus sunt, simplicia peccata recipere, et nos duplicia. Unde: *Voluntarie nobis peccantibus non relinquitur hostia pro peccatis* Hebr. 6..

^{*}16.19 *Ad te gentes venient*, etc. ID. Postquam ejectus est Israël, et a piscatoribus venatoribusque translatus, gentium multitudo consequenter vocatur, et pristinum confitetur errorem. *Ab extremis*. Primi terræ sunt sapientes sæculi, nobiles, divites, optimates. Sed extrema, id est, stulta mundi elegit Deus, ut fortia quæque confundat. *Venient gentes*, id est, ab his, qui sunt novissimi super terram, fatui et ignobiles et abjecti.

[†]16.20 *Deos*. HIER. Non solum de corporeis simulacris faciunt sibi homines deos, etc., usque ad et adoraverunt opus manuum suarum, putantes vera esse quæ finxerunt.

17 [Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, et in cornibus ararum eorum.‡² Cum recordati fuerint filii eorum ararum suarum, et lucorum suorum, lignorumque frondentium, in montibus excelsis, ³ sacrificantes in agro: fortitudinem tuam, et omnes thesauros tuos in direptionem dabo; excelsa tua propter peccata in universis finibus tuis.¶⁴ Et relinqueris sola ab hæreditate tua, quam dedi tibi, et servire te faciam inimicis tuis in terra quam ignoras: quoniam ignem succendisti in furore meo: usque in æternum ardebit.] ⁵ [Hæc dicit Dominus: Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus.‡⁶ Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis et inhabitabili. ⁷ Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.**⁸ Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus: et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.††⁹ Pravum est cor omnium, et inscrutabile: quis cognoscet illud? ¹⁰ Ego Dominus scrutans cor, et probans renes: qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum. ¹¹ Perdix fovit quæ non peperit: fecit divitias, et non in judicio: in dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens.‡‡¹² Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ. ¹³ Exspectatio Israël, Domine, omnes qui te derelinquunt confundentur: recedentes a te, in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. ¹⁴ Sana me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero: quoniam laus mea tu es.¶¶¹⁵ Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Domini? veniat:‡‡¹⁶ et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: et diem hominis non desideravi, tu scis: quod egres-

‡17.1 *Peccatum Juda scriptum est*, etc. HIER. Quasi dicat: Gentium peccata deleta sunt, de quibus ad Moysen dicitur, *Dimitte me*, etc., *usque ad Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus* Isa. 2.. ORIG. Forsitan peccatum Juda, peccatum nostrum, qui credimus in Christum de tribu Juda, etc., usque ad si de Juda proditore volueris intelligere: *Peccatum Juda scriptum est*, repugnat quod sequitur eorum, etc.

¶17.3 *Excelsa*. HIER. Quæ Hebraice *Ramoth*. Et significantur hæretici, qui ponunt in cælum os suum, etc., usque ad et servitus dæmonum, qui inimici et ultores.

‡17.5 *Maledictus homo*. ID. Maledictus ergo Paulus Samosetanus et Photinus qui quamvis sanctum, etc., usque ad ut fieret utrumque unum, et non adoremus creaturam, sed Creatorem.

**17.7 *Benedictus vir*, etc. ID. Quasi: Judæi maledicti et hæretici, qui non habent spem in Domino, etc., usque ad qui semel pro nobis mortuus est, et ultra non moritur: et dicit, *Ego sum vita* Joan. 14..

††17.8 *Quod ad humorem*. ID. Quasi diceret: de siccitate Judaica transit ad baptismi gratiam.

‡‡17.11 *In dimidio dierum*. ID. Dies ejus hujus sæculi sunt. Eruit nos Christus de hoc sæculo nequam, et derelinquimus per diem. *Novissimum ejus erit insipiens*, cum omnia subjecta fuerint Christo. *Novissimus inimicus destruetur mors*.

¶¶17.14 *Sana me, Domine*. ID. Multi medici curaverunt, etc., usque ad curari et sanari cupit, cujus vera laus et vera medicina.

‡‡17.15 *Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum*, etc.

sum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit.* 17 Non sis tu mihi formidini: spes mea tu in die afflictionis. 18 Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego: paveant illi, et non paveam ego: induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos.] 19 Hæc dicit Dominus ad me: Vade, et sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Juda, et egrediuntur, et in cunctis portis Jerusalem:† 20 et dices ad eos: [Audite verbum Domini, reges Juda, et omnis Juda, cunctique habitatores Jerusalem, qui ingredimini per portas istas. 21 Hæc dicit Dominus: Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Jerusalem:‡ 22 et nolite ejicere onera de domibus vestris in die sabbati, et omne opus non facietis: sanctificate diem sabbati, sicut præcepi patribus vestris. 23 Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed induraverunt cervicem suam, ne audirent me, et ne acciperent disciplinam. 24 Et erit: si audieritis me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis hujus in die sabbati: et si sanctificaveritis diem sabbati, ne faciatis in eo omne opus: 25 ingredientur per portas civitatis hujus reges et principes, sedentes super solium David, et ascendentes in curribus et equis, ipsi et principes eorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem: et habitabitur civitas hæc in sempiternum. 26 Et venient de civitatibus Juda, et de circuitu Jerusalem, et de terra Benjamin, et de campestribus, et de montuosis, et ab austro, portantes holocaustum, et victimam, et sacrificium, et thus, et inferent oblationem in domum Domini. 27 Si autem non audieritis me ut sanctificetis diem sabbati, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Jerusalem in die sabbati, succendam ignem in portis ejus, et devorabit domos Jerusalem, et non extinguetur.]¶

18 Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens:§ 2 Surge, et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. 3 Et descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam. 4 Et dissipatum est vas quod ipse faciebat e luto manibus suis: conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus ut faceret.** 5 Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 6 [Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israël? ait Dominus: ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israël. 7 Repente loquar adversum gentem et adversum regnum, ut eradice, et destrua, et disperdam illud:†† 8 si

*17.16 *Ego non sum turbatus te pastorem sequens.* ID. Quanto plus Christum sequeris, etc., usque ad dies judicii malus his qui tormenta patiuntur.

†17.19 *Vade et sta,* etc. Quasi diceret: Quia verba tua audire contemnunt, etc., usque ad quasi non audierint, sed audiant velint nolint.

‡17.21 *Custodite animas.* Ne præceptum sabbati instauratum per Jeremiam discerpamus, totum simul ponimus, simul omnia cognoscamus. *Ut non inferatis onera per portas civitatis hujus in die sabbati.* ID. Si nostri judaizantes, etc., usque ad sed et patrem suum dicebat Deum.

¶17.27 *Si autem non audieritis me, ut sanctificetis diem sabbati, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Jerusalem,* etc. Quasi dicat: Hæc sunt præmia eorum qui sanctificant sabbatum, et nullo pondere gravantur. *Si autem,* etc.

§18.1 *Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino dicens.* HIER. Per omnes sensus ad judicium, etc., usque ad et ibi audire præcepta Domini.

**18.4 *Et dissipatum est,* etc. Dissipatum divina providentia, ut nescius artifex errore suo parabolam figuraret.

††18.7 *Repente loquar.* ID. Liberum arbitrium significat, etc., usque ad ut in omnibus excellat gratia largitoris.

pœnitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. ⁹ Et subito loquar de gente et de regno, ut ædificem et plantem illud. ¹⁰ Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei. ¹¹ Nunc ergo dic viro Juda, et habitatoribus Jerusalem, dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce ego fingo contra vos malum, et cogito contra vos cogitationem: revertatur unusquisque a via sua mala, et dirigite vias vestras et studia vestra. ¹² Qui dixerunt: Desperavimus: post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus. ¹³ Ideo hæc dicit Dominus: Interrogate gentes: Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israël? ¹⁴ Numquid deficit de petra agri nix Libani? aut evelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, et defluentes? ¹⁵ Quia oblitus est mei populus meus, frustra libantes, et impingentes in viis suis, in semitis sæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito, ¹⁶ ut fieret terra eorum in desolationem, et in sibilum sempiternum: omnis qui præterierit per eam obstupescet, et movebit caput suum. ¹⁷ Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico: dorsum, et non faciem, ostendam eis in die perditionis eorum.] ¹⁸ Et dixerunt: [Venite, et cogitemus contra Jeremiam cogitationes: non enim peribit lex a sacerdote, neque consilium a sapiente, nec sermo a propheta: venite, et percutiamus eum lingua, et non attendamus ad universos sermones ejus.] ¹⁹ [Attende, Domine, ad me, et audi vocem adversariorum meorum.] ²⁰ Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? Recordare quod steterim in conspectu tuo ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis. ²¹ Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gladii: fiant uxores eorum absque liberis, et viduæ: et viri earum interficiantur morte: juvenes eorum confodiantur gladio in prælio: ²² audiatur clamor de domibus eorum: adduces enim super eos latronem repente, quia foderunt foveam ut caperent me, et laqueos absconderunt pedibus meis. ²³ Tu autem, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo; in tempore furoris tui abutere eis.] ⁸

‡18.11 *Ecce ego.* HIER. Implet parabolam quam et aspectu docuit et sermone.

¶18.12 *Post cogitationes.* ID. Ubi est absque gratia Dei, etc., usque ad omnes in circumitu ejus nationes.

§§18.14 *Nunquid de petra:* quasi diceret: Sicut de Libani summitatibus, etc., usque ad populus meus oblitus est mei.

*18.16 *Ut fieret terra.* ID. Hoc plenus post adventum Domini videtur esse completum, quando nullus Judæorum terram et urbem sanctam ingredi ege permittitur. Sed cum ad planctum venerint, mirantur et deflent vaticinia prophetarum completa.

†18.17 *Sicut ventus.* ID. Usque hodie hæc sententia permanet, etc., *usque ad tunc omnis Israël salvus fiet.*

‡18.18 *Venit.* ID. Ista tunc Judæorum contra Jeremiam vel Christum, etc., usque ad prophetiam omni verborum et sensuum confidentia persequentes.

¶18.19 *Attende, Domine, ad me, et audi vocem adversariorum meorum.* ID. In typo Salvatoris, etc., *usque ad sanguis ejus super nos et super filios nostros* Matth. 27..

§18.23 *Ne propitieris iniquitati eorum,* etc. Non est contrarium superiori sententiæ, etc., usque ad ne inultum peccatum illis fieret in exemplum.

19 Hæc dicit Dominus: Vade, et accipe lagunculam figuli testeam a senioribus populi et a senioribus sacerdotum,** 2 et egredere ad vallem filii Ennom, quæ est juxta introitum portæ fictilis: et prædicabis ibi verba quæ ego loquar ad te. 3 Et dices: [Audite verbum Domini, reges Juda, et habitatores Jerusalem. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita ut omnis qui audierit illam, tinniant aures ejus, 4 eo quod dereliquerint me, et alienum fecerint locum istum, et libaverunt in eo diis alienis quos nescierunt, ipsi et patres eorum, et reges Juda: et repleverunt locum istum sanguine innocentium,†† 5 et ædificaverunt excelsa Baalim, ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim: quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.‡‡ 6 Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non vocabitur amplius locus iste Topheth, et vallis filii Ennom, sed vallis occisionis.¶¶ 7 Et dissipabo consilium Juda et Jerusalem in loco isto, et subvertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum, et in manu quærentium animas eorum: et dabo cadavera eorum escam volatilibus cæli et bestiis terræ.§§ 8 Et ponam civitatem hanc in stuporem, et in sibilum: omnis qui præterierit per eam obstupescet, et sibilabit super universa plaga ejus. 9 Et cibabo eos carnibus filiorum suorum et carnibus filiarum suarum: et unusquisque carnem amici sui comedet in obsidione, et in angustia in qua concludent eos inimici eorum, et qui quærunt animas eorum.] 10 Et conteres lagunculam in oculis virorum qui ibunt tecum, 11 et dices ad eos: [Hæc dicit Dominus exercituum: Sic conteram populum istum, et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari: et in Topheth sepelientur, eo quod non sit alius locus ad sepeliendum.* 12 Sic faciam loco huic, ait Dominus, et habitatoribus ejus, et ponam civitatem istam sicut Topheth. 13 Et erunt domus Jerusalem, et domus regum Juda, sicut locus Topheth, immundæ, omnes domus in quarum domatibus sacrificaverunt omni militiæ cæli, et libaverunt libamina diis alienis.]† 14 Venit autem Jeremias de Topheth, quo miserat eum Dominus ad prophetandum, et stetit in atrio domus Domini, et dixit ad omnem populum: 15 Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Ecce ego

**19.1 *Hæc dicit Dominus: Vade et accipe lagunculam.* HIER. Vult divina Scriptura non solum auribus docere populum, sed etiam oculis. Magis enim mente retinetur quod visu percipitur quam quod auditu. *Lagunculam figuli* pro laguncula figuli, etc., usque ad et pro Hierihoh *Chiricho*.

††19.4 *Eo quod.* ID. Omnis hæreticus derelinquit Deum, etc., usque ad et comburunt idolis filios suos quos in hæresi genuerunt.

‡‡19.5 *Quæ non præcepi.* Non præcepi vel cogitavi, etc., usque ad hæc de Deo accipienda sunt, sicut alia.

¶¶19.6 *Topheth, et vallis filii Ennom,* etc. ID. Quæ sit vallis filii Ennom, etc., usque ad vel historialiter Babylonio vastante.

§§19.7 *Et dabo cadavera.* Quamvis hæc in Babylonica captivitate populo acciderint, etc., usque ad ventres suos sepulcra facerent liberorum.

*19.11 *Sic conteram populum istum.* Sub Ælio Adriano civitas, et nomen perdidit, et statum, ad frangendam superbiam habitatorum. Sanctæ autem crucis et resurrectionis vocabula non urbem significant, sed locum. ID. Judæi auream atque gemmatam Jerusalem, etc., usque ad et vero judici cuncta reserventur. *Et in Topheth sepelientur,* etc., usque ad quæ huic imminet loco, fiat sicut Topheth.

†19.13 *Et erunt domus Jerusalem et domus regum.* Omnis domus regum Juda sicut locus Topheth. Hoc in Hebræo non habetur, sed a LXX interseritur.

inducam super civitatem hanc, et super omnes urbes ejus, universa mala quæ locutus sum adversum eam, quoniam induraverunt cervicem suam ut non audirent sermones meos.

20 Et audivit Phassur filius Emmer, sacerdos, qui constitutus erat princeps in domo Domini, Jeremiam prophetantem sermones istos.[‡] ² Et percussit Phassur Jeremiam prophetam, et misit eum in nervum quod erat in porta Benjamin superiori, in domo Domini. ³ Cumque illuxisset in crastinum, eduxit Phassur Jeremiam de nervo, et dixit ad eum Jeremias: Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum, sed Pavorem undique.[¶] ⁴ Quia hæc dicit Dominus: [Ecce ego dabo te in pavorem, te et omnes amicos tuos: et corruet gladio inimicorum suorum, et oculi tui videbunt: et omnem Judam dabo in manum regis Babylonis, et traducet eos in Babylonem, et percutiet eos gladio. ⁵ Et dabo universam substantiam civitatis hujus, et omnem laborem ejus, omneque pretium, et cunctos thesauros regum Juda dabo in manu inimicorum eorum: et diripient eos, et tollent, et ducent in Babylonem. ⁶ Tu autem, Phassur, et omnes habitatores domus tuæ, ibitis in captivitatem: et in Babylonem venies, et ibi morieris, ibique sepelieris tu, et omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium.] ⁷ [Seduxisti me, Domine, et seductus sum: fortior me fuisti, et invaluisti: factus sum in derisum tota die; omnes subsannant me.[§] ⁸ Quia jam olim loquor, vociferans iniquitatem, et vastitatem clamito: et factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die. ⁹ Et dixi: Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius: et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens. ¹⁰ Audivi enim contumelias multorum, et terrorem in circuitu: Persequimini, et persequamur eum, ab omnibus viris qui erant pacifici mei, et custodientes latus meum: si quomodo decipiatur, et prævaleamus adversus eum, et consequamur ultionem ex eo. ¹¹ Dominus autem mecum est, quasi bellator fortis: idcirco qui persequuntur me cadent, et infirmi erunt: confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur. ¹² Et tu, Domine exercituum, probator justus, qui vides renes et cor, videam, quæso, ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam.^{**} ¹³ Cantate Domino, laudate

[‡]20.1 *Et audivit Phassur.* HIER. Hic erat pontifex templi, etc., usque ad sed considerat imperantem.

[¶]20.3 *Cumque illuxisset.* Notanda prophetæ patientia atque prudentia. Missus in carcerem tacet, et silentio vincit injuriam, nec tamen dissimulat quod scit esse venturum, ut saltem Dei pontifex peccare desistat, et Dei clementiam deprecetur. *Non Phassur.* Juxta superiore interpretationem, etc., usque ad huc illucque circumspicias et venientes adversarios reformides.

[§]20.7 *Seduxisti me, Domine.* ID. Dicit se propheta a Domino deceptum, etc., usque ad persecutiones et angustias sustineat. *Factus sum in derisum.* ID. Propheta putaverat statim futurum quod Dominus minabatur; et populus æstimabat quod statim non venerat, non esse venturum.

^{**}20.12 *Et tu, Domine exercituum,* etc. ID. Solus Deus est, etc., usque ad ergo in peccatis mortuus. *Videam.* Cum sciat justus se Deum habere propugnatorem, in patientia tamen fragilitatis humanæ quod novit esse venturum, jam nunc videre desiderat. *Tibi enim.* Qui dicis: *Mihi vindictam et ego retribuam* Heb. 10., etc. Felix conscientia, cujus causa Domino revelatur: Unde apostolus: *Omne quod manifestatur lux est* Ephes. 5..

Dominum, quia liberavit animam pauperis de manu malorum.†† 14 Maledicta dies in qua natus sum ! dies in qua peperit me mater mea non sit benedicta !‡‡ 15 Maledictus vir qui annuntiavit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus, et quasi gaudio lætificavit eum !¶¶ 16 Sit homo ille ut sunt civitates quæ subvertit Dominus, et non pœnituit eum: audiat clamorem mane, et ululatum in tempore meridiano, 17 qui non me interfecit a vulva, ut fieret mihi mater mea sepulchrum, et vulva ejus conceptus æternus ! 18 Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei?]

21 Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino, quando misit ad eum rex Sedecias Phassur filium Melchiæ, et Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, dicens:§§ 2 Interroga pro nobis Dominum, quia Nabuchodonosor, rex Babylonis, præliatur adversum nos: si forte faciat Dominus nobiscum secundum omnia mirabilia sua, et recedat a nobis. 3 Et dixit Jeremias ad eos: Sic dicetis Sedeciæ: 4 Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego convertam vasa belli quæ in manibus vestris sunt, et quibus vos pugnatis adversum regem Babylonis et Chaldæos qui obsident vos in circuitu murorum: et congregabo ea in medio civitatis hujus. * 5 Et debellabo ego vos in manu extenta, et in brachio forti, et in furore, et in indignatione, et in ira grandi. 6 Et percutiam habitatores civitatis hujus: homines et bestię pestilentia magna morientur. 7 Et post hæc, ait Dominus, dabo Sedeciam regem Juda, et servos ejus, et populum ejus, et qui derelicti sunt in civitate hac a peste, et gladio, et fame, in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu inimicorum eorum, et in manu quærentium animam eorum: et percutiet eos in ore gladii, et non flectetur, neque parces, nec miserebitur. † 8 Et ad populum hunc dices: Hæc dicit Dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et viam mortis. ‡ 9 Qui habitaverit in urbe hac morietur gladio, et fame, et peste: qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldæos

††20.13 *Quia liberavit.* ID. Pauper spiritu vindictam a Domino consecutus laudat, et se de manu pessimorum erutum gloriatur. Hoc autem non fit merito, sed ejus gratia qui pauperem liberavit, qui non amat divitias superbiæ corruentis, sed humilitatem pauperis liberati.

‡‡20.14 *Maledicta.* In quinto mense, id est Augusto natus est Jeremias, etc., usque ad et vaticinium futuræ subversionis templi autument?

¶¶20.15 *Maledictus vir,* etc. Qui putant animas fuisse in cœlestibus, etc., usque ad et, *Redimentes tempus, quoniam dies sunt* Ephes. 5, etc.

§§21.1 *Verbum quod,* etc. *Quando misit.* HIER. Notandum quod in prophetis, etc., usque ad de quibus dicitur in sequentibus. *Phassur filium,* etc. Supra pontifex Phassur sive Phascor qui percussit Jeremiam, patrem habuit Emmer: hic autem Phassur filius est Melchiæ, non est enim idem.

*21.4 *Ecce ego,* etc. Quasi diceret. ID. Frustra repugnare vultis, et arma bellica præparatis, quorum in media urbe usum tantum habebitis, ut armati esse videamini. Non enim habuerunt hostes quos vincerent, sed tantum quos caperent.

†21.7 *Dabo Sedeciam.* Primum de universa urbe prophetatum est, etc., usque ad nec ullam speret misericordiam, cum fœdus perjurio violaverit. *In manu.* In manu Nabuchodonosor regis Babylonis et in manu inimicorum ejus.

‡21.8 *Et ad populum.* Nuntiis regis, qui venerant, etc., usque ad dicens: *Maledicta dies in qua natus sum. Ecce ego do coram vobis.* Sunt qui hunc locum secundum tropologiam sic exponunt: Melius est se tradere sæcularibus disciplinis, maxime philosophicis, quam in Ecclesia illa permanere; in qua fames sit sermonis Dei, et omnis populus hæreticorum gladio et doctrinæ penuria, et peste hæretica moriatur.

qui obsident vos, vivet, et erit ei anima sua quasi spoliū. ¹⁰ Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum, et non in bonum, ait Dominus: in manu regis Babylonis dabitur, et exuret eam igni. ¹¹ Et domui regis Juda: [Audite verba Domini, ¹² domus David. Hęc dicit Dominus: Judicate mane iudicium, et eruite vi oppressum de manu calumniantis, ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum. ¶ ¹³ Ecce ego ad te, habitatricem vallis solidę atque campestris, ait Dominus: qui dicitis: Quis percutiet nos? et quis ingrediatur domos nostras? § ¹⁴ Et visitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus: et succendam ignem in saltu ejus, et devorabit omnia in circuitu ejus.]**

22 Hęc dicit Dominus: Descende in domum regis Juda, et loqueris ibi verbum hoc, †† ² et dices: [Audi verbum Domini, rex Juda, qui sedes super solium David: tu et servi tui, et populus tuus, qui ingredimini per portas istas. ³ Hęc dicit Dominus: Facite iudicium et justitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris: et advenam, et pupillum, et viduam nolite contristare, neque opprimatis inique, et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. †† ⁴ Si enim facientes feceritis verbum istud, ingredientur per portas domus hujus reges sedentes de genere David super thronum ejus, et ascendentes currus et equos, ipsi, et servi, et populus eorum. ⁵ Quod si non audieritis verba hęc: in memetipso juravi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hęc. ⁶ Quia hęc dicit Dominus super domum regis Juda: Galaad, tu mihi caput Libani, si non posuero te solitudinem, urbes inhabitabiles! ¶ ⁷ Et sanctificabo super te, interficientem virum et arma ejus: et succident electas cedros tuas, et præcipitabunt in ignem. ⁸ Et pertransibunt gentes multę per civitatem hanc, et dicet unusquisque proximo suo: Quare fecit Dominus sic civitati huic grandi? ⁹ Et respondebunt: Eo quod dereliquerint pactum Domini Dei sui, et adoraverint deos alienos, et servierint eis. ¹⁰ Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu: plangite eum qui egreditur, quia non revertetur ultra, nec videbit terram nativitatis suę. § ¹¹ Quia hęc dicit Dominus ad Sellum, filium Josię, regem Juda, qui regnavit pro Josia patre suo, qui egressus est de loco isto: Non revertetur

¶21.12 *Judicate mane.* HIER. In hoc loco clementia Dei demonstratur, etc., usque ad vitio suo accideret eis, non duritia comminantis.

§21.13 *Ecce ego ad te habitatricem.* Loquitur contra Jerusalem, quę obsessa est: vel sicut Tyrus mari, ita Babylonio cingitur exercitu, et evadere non potest; vel quasi petra durissima se inexpugnabilem et robustam putat, pro soliditate et magnitudine murorum.

**21.14 *In saltu.* ID. Jerusalem et adjacentem regionem (quę fructiferas arbores bonorum operum non habebat, et ideo incendio digna) quam pulchre vallem campestram appellat, quasi perviam hostibus; non montem excelsum, qui difficile ascendatur.

††22.1 *Hęc dicit.* HIER. Hic sermo Domini factus est, etc., usque ad fugiat Dei sententiam.

††22.3 *Facite iudicium.* Quidquid regię domui dictum est intelligant, etc., usque ad et in Ecclesia composito incedunt gradu.

¶¶22.6 *Si non posuero.* ID. Communatur domui regię, etc., usque ad et eorum qui ministrant Domino.

§§22.10 *Nolite flere mortuum,* etc. ID. Mihi proprie dici videtur de Sedecia, etc., usque ad omnia de Sedecia intelligamus.

huc amplius,* ¹² sed in loco ad quem transtuli eum, ibi morietur, et terram istam non videbit amplius. ¹³ Væ qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in iudicio: amicum suum opprimit frustra, et mercedem ejus non reddet ei:† ¹⁴ qui dicit: Ædificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa: qui aperit sibi fenestras et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide. ¹⁵ Numquid regnabis quoniam confers te cedro? pater tuus numquid non comedit et bibit, et fecit iudicium et justitiam tunc cum bene erat ei? ¹⁶ Judicavit causam pauperis et egeni in bonum suum: numquid non ideo quia cognovit me? dicit Dominus. ¹⁷ Tui vero oculi et cor ad avaritiam, et ad sanguinem innocentem fundendum, et ad calumniam, et ad cursum mali operis. ¹⁸ Propterea hæc dicit Dominus ad Joakim, filium Josiæ, regem Juda: Non plangent eum: Væ frater ! et væ soror ! non concrepabunt ei: Væ domine ! et væ inclyte !‡ ¹⁹ Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem.] ²⁰ [Ascende Libanum, et clama, et in Basan da vocem tuam: et clama ad transeuntes, quia contriti sunt omnes amatores tui. ²¹ Locutus sum ad te in abundantia tua, et dixisti: Non audiam: hæc est via tua ab adolescentia tua, quia non audisti vocem meam. ²² Omnes pastores tuos pascet ventus, et amatores tui in captivitatem ibunt: et tunc confunderis, et erubesces ab omni malitia tua. ²³ Quæ sedes in Libano, et nidificas in cedris, quomodo congemuisti cum venissent tibi dolores, quasi dolores parturientis? ²⁴ Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Jechonias filius Joakim regis Juda annulus in manu dextera mea, inde evellam eum,¶ ²⁵ et dabo te in manu quærentium animam tuam, et in manu quorum tu formidas faciem, et in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu Chaldæorum: ²⁶ et mittam te, et matrem tuam quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini. ²⁷ Et in terram ad quam ipsi levant animam suam ut revertantur illuc, non revertentur. ²⁸ Numquid vas fictile atque contritum vir iste Jechonias? numquid vas absque omni voluptate? quare abjecti sunt ipse et semen ejus, et projecti in terram quam ignoraverunt?§ ²⁹ Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. ³⁰ Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda.]**

*22.11 *Ad Sellum*, etc. ID. Josias rex justus tres filios habuit, etc., usque ad ideo quod in eis regnum Juda finitum sit.

†22.13 *Væ qui ædificat*, etc. ID. Joachim filio Josiæ, quem substituit Pharaos, etc., usque ad narrat mortuum et non sepultum, de quo dicemus in posterioribus.

‡22.18 *Non plangent eum*, etc. ID. Quod de Hebræo posuimus, etc., usque ad tandem latrunculi interfecerunt eum.

¶22.24 *Vivo ego dicit*, etc. ID. Supra dixerat domui regis, etc., usque ad intelligere de Domino majestatis. *Quia si fuerit*, etc. ID. Miserabiliter Grunius, etc., usque ad si voluerit legere legat ut philosophum, non ut ecclesiasticum.

§22.28 *Nunquid?* ID. Cum hoc de Jechonia dicatur, etc., usque ad qui projiciatur de manu Domini et tradatur Babylonio regi? *Vir iste*. ID. Jechonias interpretatur *Domini præparatio*, cui in præsentis loco prima syllaba *ie*, id est nomen Domini aufertur, et dicitur *Chonias*, ut subaudiatur perditioni et interitui præparatus.

**22.30 *Scribe*. ID. Christus de hujus semine natus est, etc., usque ad imo regni simulacrum, penitus fuisse deletum. *Sterilem*, etc. Aquilæ prima editio, *sterilem*, secunda, *non crescentem*. Symmachus *vacuum*, LXX et Theodotio, *abominabilem et abdicatum*.

23 [Væ pastoribus qui disperdunt et dilacerant gregem pascuæ meæ ! dicit Dominus.†† ²Ideo hæc dicit Dominus Deus Israël ad pastores qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. ³Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris ad quas ejecero eos illuc: et convertam eos ad rura sua, et crescent et multiplicabuntur. ⁴Et suscitabo super eos pastores, et pascent eos: non formidabunt ultra, et non pavebunt, et nullus quæretur ex numero, dicit Dominus.] ⁵[Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum: et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et justitiam in terra.‡‡ ⁶In diebus illis salvabitur Juda, et Israël habitabit confidenter: et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster. ⁷Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicent ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Ægypti,¶¶ ⁸sed: Vivit Dominus, qui eduxit et adduxit semen domus Israël de terra aquilonis, et de cunctis terris ad quas ejeceram eos illuc, et habitabunt in terra sua.] ⁹Ad prophetas: [Contritum est cor meum in medio mei; contremuerunt omnia ossa mea: factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino, a facie Domini, et a facie verborum sanctorum ejus. §§ ¹⁰Quia adulteris repleta est terra, quia a facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arva deserti: factus est cursus eorum malus, et fortitudo eorum dissimilis.* ¹¹Propheta namque et sacerdos polluti sunt, et in domo mea inveni malum eorum, ait Dominus.† ¹²Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, et corruent in ea: afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum, ait Dominus. ¹³Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem: prophetabant in Baal, et decipiebant populum meum Israël. ¹⁴Et in prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii: et confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua: facti

††23.1 *Væ pastoribus*, etc. HIER. Quia omnis spes Judaici regni defecit, transit ad principes Ecclesiæ; et synagoga cum suis pastoribus derelicta atque damnata, ad apostolos sermo fit, de quibus dicitur, *Super eos suscitabo pastores* Ezech. 34., etc.

‡‡23.5 *Ecce dies veniunt, dicit*, etc. ID. Abjctis pastoribus synagogæ, Scribis, scilicet et Pharisæis, et apostolis in loco eorum substitutis, inducitur Christus pastor pastorum.

¶¶23.7 *Propter hoc*, etc. ID. Hoc totum caput in LXX non habetur, cujus hic sensus est: Quia non per Moysen populus Dei de Ægypto liberatur, sed per Christum de toto orbe; quod ex toto complebitur, quando ab oriente et occidente et septentrione et meridie venient et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob, *ut postquam intraverit, plenitudo gentium, tunc omnis Israël salvus fiat* Rom. 11..

§§23.9 *Quasi homo madidus a vino*. Nullius intelligentiæ, nullius sapientiæ, etc., usque ad Jeremias enim interpretatur *excelsus Domini. A facie Domini*, etc. ID. Considerato vultu omnipotentis Dei, id est, Patris et vultu Filii, qui est splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, propheta et anima et corpore perhorrescit, et se nihil esse intelligit, unde: *Ut jumentum factus sum apud te*.

*23.10 *Luxit terra*. Quidquid de terra Judæa juxta litteram intelligis, ad congregationem credentium referre poteris. Propter adulteria enim, et mendacia, et perjuriam, virtutum et gratiarum sterilitas consequitur.

†23.11 *Propheta namque*, etc. Quando in Ecclesia Dei et maxime in principibus ejus, inveniuntur mala, scimus esse completum, *Propheta namque et sacerdotes polluti sunt. Afferam super eos mala*. Non quod mala sint, etc., usque ad dicitur correctio et cruciatus peccantis.

sunt mihi omnes ut Sodoma, et habitatores ejus quasi Gomorrha.[‡] 15 Propterea hæc dicit Dominus exercituum ad prophetas: Ecce ego cibabo eos absinthio, et potabo eos felle: a prophetis enim Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.[¶] 16 Hæc dicit Dominus exercituum: Nolite audire verba prophetarum qui prophetant vobis, et decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. 17 Dicunt his qui blasphemant me: Locutus est Dominus: Pax erit vobis: et omni qui ambulat in pravitate cordis sui dixerunt: Non veniet super vos malum. 18 Quis enim affuit in consilio Domini, et vidit, et audivit sermonem ejus? quis consideravit verbum illius, et audivit?[§] 19 Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet.^{**} 20 Non revertetur furor Domini, usque dum faciat et usque dum compleat cogitationem cordis sui: in novissimis diebus intelligetis consilium ejus. 21 Non mittebam prophetas, et ipsi currebant: non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. 22 Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea populo meo, avertissem utique eos a via sua mala, et a cogitationibus suis pessimis. 23 Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? 24 Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? dicit Dominus. Numquid non cælum et terram ego impleo? dicit Dominus. 25 Audivi quæ dixerunt prophetæ prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniavi, somniavi.^{††} 26 Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui? 27 Qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei, propter somnia eorum quæ narrat unusquisque ad proximum suum, sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal?^{‡‡} 28 Propheta qui habet somnium, narret somnium: et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum? dicit Dominus.^{¶¶} 29 Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?^{§§} 30 Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea unusquisque a proximo

[‡]23.14 *Et in prophetis.* Quomodo prophetæ Samariæ, quidquid loquuntur, prophetant in Baal; sic hæretici in Ecclesia, sive extra, ut supplantent populum Israël, qui prius cernebat Deum, loquuntur in dæmonibus.

[¶]23.15 *A prophetis.* ID. Utimur enim hoc testimonio, etc., usque ad conantur infamare et ubique blasphemias seminare.

[§]23.18 *Quis enim?* Nolite credere falsis prophetis hæc dicentibus: unde scire possunt consilia Domini, quis vidit et annuntiavit eis?

^{**}23.19 *Ecce turbo.* Quasi dicat per contrarium patet prophetas nescire, quod dicunt: pro pace enim et securitate quam promittunt, venit tempestas Babylonia.

^{††}23.25 *Audivi quæ dixerunt.* HIER. Sunt multa genera prophetandi, etc., usque ad et corda indomabilia tyrannorum propria conscientia Domini majestatem sentirent.

^{‡‡}23.27 *Somnia eorum quæ.* Sunt hodie somniatores in Ecclesia, qui errores suos Domini prophetias faciunt, crebro dicentes, *somniavi*: contra quos dicitur, *usquequo istud*, etc.

^{¶¶}23.28 *Quid paleis?* Pulchre doctrina hæreticorum paleis comparatur, quæ medullam non habent, nec refectionem præbent.

^{§§}23.29 *Nunquid non verba mea?* Quod in priori populo prophetæ mentiebantur, etc., usque ad minatur ergo Dominus contra hujusmodi magistros se esse venturum. *Quasi ignis.* De ecclesiasticis viris scriptum est, quod malleus et securis non sunt audita in domo Domini.

suo.* ³¹ Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, et aiunt: Dicit Dominus. ³² Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo et in miraculis suis, cum ego non misissem eos, nec mandassem eis: qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus. ³³ Si igitur interrogaverit te populus iste, vel propheta, aut sacerdos, dicens: Quod est onus Domini? dices ad eos: Vos estis onus: projiciam quippe vos, dicit Dominus. ³⁴ Et propheta, et sacerdos, et populus qui dicit: Onus Domini: visitabo super virum illum et super domum ejus. ³⁵ Hæc dicetis unusquisque ad proximum, et ad fratrem suum: Quid respondit Dominus? et quid locutus est Dominus? ³⁶ Et onus Domini ultra non memorabitur: quia onus erit unicuique sermo suus, et pervertistis verba Dei viventis, Domini exercituum, Dei nostri. ³⁷ Hæc dices ad prophetam: Quid respondit tibi Dominus? et quid locutus est Dominus? ³⁸ Si autem onus Domini dixeritis, propter hoc hæc dicit Dominus: Quia dixistis sermonem istum: Onus Domini, et misi ad vos dicens: Nolite dicere: Onus Domini: ³⁹ propterea ecce ego tollam vos portans, et derelinquam vos, et civitatem quam dedi vobis et patribus vestris, a facie mea:† ⁴⁰ et dabo vos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam æternam, quæ numquam oblivione delebitur.]

24 Ostendit mihi Dominus: et ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templum Domini, postquam transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis Jechoniam filium Joakim, regem Juda, et principes ejus, et fabrum, et inclusorem, de Jerusalem, et adduxit eos in Babylonem.‡ ² Calathus unus ficus bonas habebat nimis, ut solent ficus esse primi temporis: et calathus unus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant eo quod essent malæ.¶ ³ Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides, Jeremia? Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas valde: et malas, malas valde, quæ comedi non possunt eo quod sint malæ. ⁴ Et factum est verbum Domini ad me, dicens:§ ⁵ [Hæc dicit Dominus Deus Israël: Sicut ficus hæ bonæ, sic cognoscam transmigrationem Juda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, in bonum. ⁶ Et ponam oculos meos super eos ad placandum, et reducam eos in terram hanc: et ædificabo eos, et non destruam: et plantabo eos, et non evellam.** ⁷ Et dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dominus: et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, quia revertentur ad me in toto corde suo. ⁸ Et sicut ficus pessimæ quæ comedi non possunt eo quod sint malæ, hæc dicit Dominus: Sic dabo Sedeciam regem Juda, et principes ejus, et

*23.30 *Qui furantur.* Semper enim mendacium imitatur veritatem, aliter enim non potest decipere.

†23.39 *Et derelinquam.* Hoc in tempore Babylonicæ captivitatis factum esse novimus, etc., usque ad quod proprie mysterium Trinitatis significat.

‡24.1 *Ostendit.* HIER. Notandum hanc visionem factam esse tempore Sedeciæ postquam Jechonias ductus est in transmigrationem, non in captivitatem, quia ultro se tradidit. *Duo calathi.* Duos calathos vel cophinos malarum et bonarum ficorum, etc., usque ad ad bonas ficus et calathum optimum referantur. *Positi ante templum.* Non foris etc., usque ad et ficus malas malas valde.

¶24.2 *Et calathus unus.* ID. Nos simplices quærentes historias, etc., usque ad et in Babylonem ductus et ibi mortuus.

§24.4 *Et factum est.* ID. Delirat hoc loco allegoricus interpres, etc., usque ad in terra hac et in valle lacrymarum esse morituros.

**24.6 *Et ponam oculos meos.* In captivitate posuit oculos suos super illos, etc., usque ad magna pars reversa est in Jerusalem.

reliquos de Jerusalem, qui remanserunt in urbe hac, et qui habitant in terra Ægypti. ⁹Et dabo eos in vexationem, afflictionemque omnibus regnis terræ, in opprobrium, et in parabolam, et in proverbium, et in maledictionem in universis locis ad quæ ejeci eos. ¹⁰Et mittam in eis gladium, et famem, et pestem, donec consumantur de terra quam dedi eis et patribus eorum.]

25 Verbum quod factum est ad Jeremiam, de omni populo Juda, in anno quarto Joakim filii Josiæ regis Juda (ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis),^{††} ²quod locutus est Jeremias propheta ad omnem populum Juda, et ad universos habitatores Jerusalem, dicens: ³A tertio decimo anno Josiæ filii Amon regis Juda, usque ad diem hanc, iste tertius et vigesimus annus, factum est verbum Domini ad me, et locutus sum ad vos, de nocte consurgens et loquens, et non audistis.^{‡‡} ⁴Et misit Dominus ad vos omnes servos suos prophetas, consurgens diluculo, mittensque: et non audistis, neque inclinastis aures vestras ut audiretis,^{¶¶} ⁵cum diceret: Revertimini unusquisque a via sua mala, et a pessimis cogitationibus vestris, et habitabitis in terra quam dedit Dominus vobis et patribus vestris, a sæculo et usque in sæculum: ⁶et nolite ire post deos alienos, ut serviatis eis, adoretisque eos: neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum vestrarum, et non affligam vos.^{§§} ⁷Et non audistis me, dicit Dominus, ut me ad iracundiam provocaretis in operibus manuum vestrarum, in malum vestrum. ⁸Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Pro eo quod non audistis verba mea, ⁹ecce ego mittam et assumam universas cognationes aquilonis, ait Dominus, et Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum, et adducam eos super terram istam, et super habitatores ejus, et super omnes nationes quæ in circuitu illius sunt: et interficiam eos, et ponam eos in stuporem et in sibilum, et in solitudines sempiternas.* ¹⁰Perdamque ex eis vocem gaudii et vocem lætitiæ, vocem sponsi et vocem sponsæ, vocem molæ et lumen lucernæ.[†] ¹¹Et erit universa terra hæc in solitudinem, et in stuporem: et servient

^{††}25.1 *Verbum*. HIER. Hæc priora sunt præterita visione, etc., usque ad quod non observat carmen lyricum. *Anno quarto*. Quarto anno regis Joachim, etc., usque ad Joachim autem interfectus est undecimo anno regni sui.

^{‡‡}25.3 *A tertio decimo anno*. A tredecimo anno regni Josiæ, etc., usque ad nisi assidue Domini admonitione revocetur.

^{¶¶}25.4 *Et misit Dominus ad vos omnes servos*. Non per unum prophetam, sed per omnes, populum suum admonuit, et quasi in vigiliis et excubiis constitutus, surrexit diluculo, ut commoneret, et non audierunt; ut quanto crebrior admonitio, tanto contemptus major. *Neque inclinastis*. ID. Tanta fuit durtia, etc., usque ad quæ non supplicium pro scelere irrogat.

^{§§}25.6 *Post deos*, etc. Quasi dicat: Hæc cum superioribus monebam, ne diis alienis serviretis, nec me ad iracundiam provocaretis et nolentem ad pœnam vestram cogeretis.

*25.9 *Et assumam*, etc., *Nabuchodonosor servum meum*. Non sicut prophetæ et alii sancti, qui Deo serviunt; sed quia in eversione Jerusalem Domini serviat voluntati. *Et adducam eos*, etc. Hæc sunt præmia contemptorum et Deum audire nolentium. Quidquid ergo mali super nos adducitur, nostra peccata merentur; et sicut gentes contra Jerusalem adductæ sunt, sic hodie contra negligentem Ecclesiam serviunt.

[†]25.10 *Perdamque*, etc. Hoc in conciliabulo malignantium comprobatur, ut magistri eorum non doceant verbum Dei, sed sibilent ad instar colubri: in quibus vox gaudii et lætitiæ periit ut non audiant illud Apostoli: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete* Phil. 4..

omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis.[‡] 12 Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis et super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, et super terram Chaldæorum, et ponam illam in solitudines sempiternas.[†] 13 Et adducam super terram illam omnia verba mea, quæ locutus sum contra eam, omne quod scriptum est in libro isto, quæcumque prophetavit Jeremias adversum omnes gentes: 14 quia servierunt eis, cum essent gentes multæ, et reges magni: et reddam eis secundum opera eorum, et secundum facta manuum suarum. 15 Quia sic dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Sume calicem vini furoris hujus de manu mea, et propinabis de illo cunctis gentibus ad quas ego mittam te.[§] 16 Et bibent, et turbabuntur et insanient a facie gladii quem ego mittam inter eos. 17 Et accipi calicem de manu Domini, et propinavi cunctis gentibus ad quas misit me Dominus, 18 Jerusalem, et civitatibus Juda, et regibus ejus, et principibus ejus, ut darem eos in solitudinem, et in stuporem, et in sibilum, et in maledictionem, sicut est dies ista:^{**} 19 Pharaoni regi Ægypti, et servis ejus, et principibus ejus, et omni populo ejus:^{††} 20 et universis generaliter: cunctis regibus terræ Ausitidis, et cunctis regibus terræ Philisthiim, et Ascaloni, et Gazæ, et Accaron, et reliquiis Azoti:^{‡‡} 21 et Idumææ, et Moab, et filiis Ammon: 22 et cunctis regibus Tyri, et universis regibus Sidonis, et regibus terræ insularum qui sunt trans mare:^{¶¶} 23 et Dedan, et Thema, et Buz, et universis qui attonsi sunt in comam: 24 et cunctis regibus Arabiæ, et cunctis regibus occidentis, qui habitant in deserto: 25 et cunctis regibus Zambri, et cunctis regibus Elam, et cunctis regibus Medorum:^{§§} 26 cunctis quoque regibus aquilonis, de prope et de longe, unicuique contra fratrem suum: et omnibus regnis terræ quæ super faciem ejus sunt: et rex Sesach bibit post eos. 27 Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Bibite, et inebriamini, et vomite: et cadite, neque surgatis a facie gladii quem ego mittam inter vos. 28 Cumque noluerint accipere calicem de manu tua ut bibant, dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Bibentes bibetis: 29 quia ecce in civitate in qua invocatum est nomen meum ego incipiam

[‡]25.11 *Et servient.* Sicut Jerusalem, etc., usque ad prophetico sermone describit.

[†]25.12 *Cum impleti.* Nota quod non solum contra Babylonem prophetat Jeremias, sed contra omnes gentes quæ in exercitu Babylonis fuerunt et contra populum Dei dimicaverunt.

[§]25.15 *Sume calicem vini furoris,* etc. ID. Propinatio calicis dominici furoris indicium est, etc., usque ad calix propinatur, sed pro pœna.

^{**}25.18 *Jerusalem et civitatibus Juda,* etc., Quasi dicat: Putabam quod solis gentibus propinarem, et ideo huic ministerio me lætus obtuleram, sed inter cæteras gentes, imo ante cæteras, propinavi Jerusalem et civitatibus Juda, etc.

^{††}25.19 *Pharaoni regi Ægypti,* etc. Post Jerusalem bibit Pharaon rex Ægypti, et servi ejus, et principes, et universus populus, et qui non quidem est Ægyptius, sed in ejus regionibus commoratur.

^{‡‡}25.20 *Philisthiim et Ascalonis,* etc. Generali nomine terram Palæstinorum significat, etc., usque ad Palæstinos autem a Babyloniis captos atque vastatos scribit Isaias.

^{¶¶}25.22 *Tyri et universis regibus,* etc. Tyrus et Sidon sunt in littore Phœnicis, etc., usque ad lingua Hebraica magna ex parte confinis est.

^{§§}25.25 *Regibus Elam et cunctis,* etc. Quia sequitur, *Elam et reges Medorum* arbitrantur Zambri esse Persidis regionem: nisi forte quia præcessit Arabia, intelligantur esse reges solitudinis. *Et rex Sesach,* etc. Quasi dicat: Omnes in circumitu, etc., usque ad ante Antichristum secundum Danielem destruendum.

affligere, et vos quasi innocentes et immunes eritis? non eritis immunes: gladium enim ego voco super omnes habitatores terræ, dicit Dominus exercituum. ³⁰ Et tu prophetabis ad eos omnia verba hæc, et dices ad illos: [Dominus de excelso rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam: rugiens rugiet super decorem suum: celeuma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terræ. ³¹ Pervenit sonitus usque ad extrema terræ, quia iudicium Domino cum gentibus: iudicatur ipse cum omni carne. Impios tradidi gladio, dicit Dominus.* ³² Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce afflictio egredietur de gente in gentem, et turbo magnus egredietur a summitatibus terræ.† ³³ Et erunt interfecti Domini in die illa, a summo terræ usque ad summum ejus: non plangentur, et non colligentur, neque sepelientur: in sterquilinum super faciem terræ jacebunt. ³⁴ Ululate, pastores, et clamate, et aspergite vos cinere, optimates gregis: quia completi sunt dies vestri ut interficiamini, et dissipationes vestræ: et cadetis quasi vasa pretiosa.‡ ³⁵ Et peribit fuga a pastoribus, et salvatio ab optimatibus gregis. ³⁶ Vox clamoris pastorum, et ululatus optimatum gregis, quia vastavit Dominus pascua eorum: ³⁷ et conticuerunt arva pacis a facie iræ furoris Domini. ³⁸ Dereliquit quasi leo umbraculum suum, quia facta est terra eorum in desolationem a facie iræ columbæ, et a facie iræ furoris Domini.]

26 In principio regni Joakim filii Josiæ regis Juda, factum est verbum istud a Domino, dicens:¶ ² Hæc dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini, et loqueris ad omnes civitates Juda, de quibus veniunt ut adorent in domo Domini universos sermones quos ego mandavi tibi ut loquaris ad eos: noli subtrahere verbum,§ ³ si forte audiant, et convertantur unusquisque a via sua mala, et pœniteat me mali quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum.** ⁴ Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea quam dedi vobis,†† ⁵ ut audiatis sermones servorum meorum prophetarum quos ego misi ad vos, de nocte consurgens, et dirigens, et non audistis: ⁶ dabo domum istam sicut Silo, et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ.‡‡ ⁷ Et audierunt sacer-

*25.31 *Judicium Domino.* Quia sunt gentium diversa merita, **qui non credit jam judicatus est**, in eo scilicet quod non credit; sed qui non credunt diversis afficiuntur suppliciis.

†25.32 *Ecce egredietur*, etc. Erubescant qui, vim Scripturæ sanctæ facientes, in bonam partem accipiunt Domini comminationes.

‡25.34 *Ululate, pastores.* HIER. Ululatus optimatum gregis, etc., usque ad conticescent bona pacis et auferentur in furore. Domini.

¶26.1 *In principio regni*, etc. ID. Hæc prophetia superiore prior est, quamvis sub eodem rege. Illa enim facta est in anno quarto, hæc in ejusdem regis principio. Non igitur in prophetia historiæ ordo texendus cum priora posterius, et posteriora prius dicantur.

§26.2 *In atrio domus.* Ut etiam exteris civitatibus loquaris. Pulchre autem in atrio stat, et in vestibulo templi, ut qui ad orandum conveniunt sermones ejus audire cogantur.

**26.3 *Si forte audiant*, etc. ID. Quasi dicat: Forsitan audient, etc., usque ad Forsitan verebuntur Filium meum.

††26.4 *Si non audieritis.* In nostra positum est voluntate, etc., usque ad nec semel et a sæculo, sed semper et sollicito?

‡‡26.6 *Dabo domum istam sicut Silo.* Sicut exstructo templo in area, etc., usque ad factus pro nobis maledictum.

dotes, et prophetæ, et omnis populus, Jeremiam loquentem verba hæc in domo Domini. ⁸ Cumque compleret Jeremias, loquens omnia quæ præceperat ei Dominus ut loqueretur ad universum populum, apprehenderunt eum sacerdotes, et prophetæ, et omnis populus, dicens: Morte moriatur. ⁹ Quare prophetavit in nomine Domini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc, et urbs ista desolabitur eo quod non sit habitator? Et congregatus est omnis populus adversus Jeremiam in domo Domini. ¹⁰ Et audierunt principes Juda verba hæc, et ascenderunt de domo regis in domum Domini, et sederunt in introitu portæ domus Domini novæ.^{¶¶} ¹¹ Et locuti sunt sacerdotes et prophetæ ad principes, et ad omnem populum, dicentes: Judicium mortis est viro huic, quia prophetavit adversus civitatem istam, sicut audistis auribus vestris.^{§§} ¹² Et ait Jeremias ad omnes principes, et ad universum populum, dicens: Dominus misit me ut prophetarem ad domum istam, et ad civitatem hanc, omnia verba quæ audistis.* ¹³ Nunc ergo bonas facite vias vestras et studia vestra, et audite vocem Domini Dei vestri, et pœnitebit Dominum mali quod locutus est adversum vos.[†] ¹⁴ Ego autem ecce in manibus vestris sum: facite mihi quod bonum et rectum est in oculis vestris. ¹⁵ Verumtamen scitote et cognoscite quod, si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, et contra civitatem istam, et habitatores ejus: in veritate enim misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba hæc. ¹⁶ Et dixerunt principes et omnis populus ad sacerdotes et ad prophetas: Non est viro huic judicium mortis, quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos.[‡] ¹⁷ Surrexerunt ergo viri de senioribus terræ, et dixerunt ad omnem cœtum populi, loquentes: ¹⁸ Michæas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiaë regis Juda, et ait ad omnem populum Juda, dicens: [Hæc dicit Dominus exercituum: Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem in acervum lapidum erit, et mons domus in excelsa silvarum.] ¹⁹ Numquid morte condemnavit eum Ezechias rex Juda, et omnis Juda? numquid non timuerunt Dominum, et deprecati sunt faciem Domini, et pœnituit Dominum mali quod locutus fuerat adversum eos? Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras. ²⁰ Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini, Urias filius Semei de Cariathiarim, et prophetavit adversus civitatem istam, et adversus terram hanc, juxta omnia verba Jeremiæ.[¶] ²¹ Et audivit rex Joakim, et omnes potentes et principes ejus, verba hæc, et quæsivit rex interficere eum: et audivit Urias, et timuit, fugitque, et ingressus est Ægyptum. ²² Et misit rex Joakim viros in Ægyptum, Elnathan filium Achobor, et viros cum eo, in Ægyptum,[§] ²³ et eduxerunt Uriam de Ægypto, et ad-

^{¶¶}26.10 *Portæ domus.* Nova dicitur, quia qui in ea sedebant, et iudicio præerant, sacerdotum et pseudoprophetarum calumniæ resistebant.

^{§§}26.11 *Et locuti sunt.* Sedentibus urbis principibus in porta templi, etc., usque ad sed futura bona cogitantes.

*26.12 *Et ait.* Jeremias illis accusantibus et crimen, etc., *usque ad: In veritate enim misit me Dominus ad vos.*

†26.13 *Nunc ergo bonas.* Quasi dicat: Si irascimini, etc., usque ad ut nihil subtrahatur de veritate.

‡26.16 *Et dixerunt.* Principes civitatis, et populus intellexerunt, etc., usque ad quas mutatione sententiæ possumus liberare.

¶26.20 *Fuit quoque.* Quæritur cum Urias eadem, etc., usque ad Christus quoque de manibus persequentium lapsus est.

§26.22 *Et misit rex.* Quæritur quomodo Joachim rex, etc., usque ad et hanc prophetiam factam esse cum cœpisset regnare.

duxerunt eum ad regem Joakim, et percussit eum gladio, et projecit cadaver ejus in sepulchris vulgi ignobilis. ²⁴ Igitur manus Ahicam filii Saphan fuit cum Jeremia, ut non traderetur in manus populi, et interficerent eum.**

27 In principio regni Joakim filii Josiæ regis Juda, factum est verbum istud ad Jeremiam a Domino, dicens:†† ² Hæc dicit Dominus ad me: Fac tibi vincula et catenas, et pones eas in collo tuo,‡‡ ³ et mittes eas ad regem Edom, et ad regem Moab, et ad regem filiorum Ammon, et ad regem Tyri, et ad regem Sidonis, in manu nuntiorum qui venerunt Jerusalem ad Sedeciam regem Juda. ⁴ Et præcipies eis ut ad dominos suos loquantur: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Hæc dicetis ad dominos vestros: ⁵ Ego feci terram, et homines, et jumenta quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea magna, et in brachio meo extento, et dedi eam ei qui placuit in oculis meis.¶¶ ⁶ Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei: insuper et bestias agrî dedi ei, ut serviant illi:§§ ⁷ et servient ei omnes gentes, et filio ejus, et filio filii ejus, donec veniat tempus terræ ejus et ipsius: et servient ei gentes multæ et reges magni.* ⁸ Gens autem et regnum quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis, et quicumque non curvaverit collum suum sub jugo regis Babylonis, in gladio, et in fame, et in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu ejus. ⁹ Vos ergo nolite audire prophetas vestros, et divinos, et somniatores, et augures, et maleficos, qui dicunt vobis: Non servietis regi Babylonis: ¹⁰ quia mendacium prophetant vobis, ut longe vos faciant de terra vestra, et ejiciant vos, et pereatis. ¹¹ Porro gens quæ subjecerit cervicem suam sub jugo regis Babylonis, et servierit ei, dimittam eam in terra sua, dicit Dominus, et colet eam, et habitabit in ea. ¹² Et ad Sedeciam regem Juda locutus sum secundum omnia verba hæc, dicens: Subjicite colla vestra sub jugo regis Babylonis, et servite ei et populo ejus, et vivetis.† ¹³ Quare moriemini, tu et populus tuus, gladio, et fame, et peste, sicut locutus est Dominus ad gentem

**26.24 *Igitur manus Ahicam.* Quamvis Jeremias Domini auxilio liberatus sit, in mercedem tamen deputatur illi, per quem prophetam suum liberavit.

††27.1 *In principio regni,* etc. HIERON. Multi putant hoc sequentis esse principium; sed superiori est jungendum, ut quiddam dictum refertur vel factum, in principio regni Joachim credamus fuisse.

‡‡27.2 *Hæc dicit Dominus.* Præterita visio in principio regni Joachim: hæc autem sub Sedecia, qui extremo regnavit in Jerusalem, sub quo urbs capta est et eversa.

¶¶27.5 *Terram et homines.* Ordo contrarius, in Genesi prius fiunt animantia, homo postea; hic autem prius hominem nominat, postea quæ sunt ei subjecta. *In fortitudine.* Christus Dei virtus et Dei sapientia. *Et dedi,* etc. Significat quod humano generi omnia per gratiam sunt tributa.

§§27.6 *In manu Nabuchodonosor.* ID. Quantæ infelicitatis est Israël, cujus comparatione Nabuchodonosor servus Dei appellatur? *Insuper et.* Omne genus animalium; cum homine enim omnia traduntur, quæ ipsi subjiciuntur; vel feras gentes, ut illi serviant qui servire non noverant.

*27.7 *Donec veniat,* etc. Ne putetur regnum Nabuchodonosor esse perpetuum, significat ipsum a Medis et a Persis esse capiendum.

†27.12 *Et ad Sedeciam.* Post universas gentes, transit ad Sedeciam et eadem cominatur, neque enim Judæi privilegium merentur, qui aut similia, aut graviora, aut majora gentibus peccaverunt; et qui audire dedignantur, peste et fame consumuntur. *Nolite audire.* In hoc loco allegoricus interpres, etc., usque ad et sedem pristinam non recepturos.

quæ servire noluerit regi Babylonis? ¹⁴ Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis: Non servietis regi Babylonis: quia mendacium ipsi loquuntur vobis: ¹⁵ quia non misi eos, ait Dominus, et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter, ut ejiciant vos, et pereatis, tam vos quam prophetæ qui vaticinantur vobis. ¹⁶ Et ad sacerdotes, et ad populum istum, locutus sum, dicens: Hæc dicit Dominus: Nolite audire verba prophetarum vestrorum, qui prophetant vobis, dicentes: Ecce vasa Domini revertentur de Babylone nunc cito: mendacium enim prophetant vobis. ¹⁷ Nolite ergo audire eos: sed servite regi Babylonis, ut vivatis: quare datur hæc civitas in solitudinem? ¹⁸ Et si prophetæ sunt, et est verbum Domini in eis, occurrant Domino exercituum, ut non veniant vasa quæ derelicta fuerant in domo Domini, et in domo regis Juda, et in Jerusalem, in Babylonem. ¹⁹ Quia hæc dicit Dominus exercituum ad columnas, et ad mare, et ad bases, et ad reliqua vasorum quæ remanserunt in civitate hac, ²⁰ quæ non tulit Nabuchodonosor rex Babylonis cum transferret Jechoniam filium Joakim regem Juda de Jerusalem in Babylonem, et omnes optimates Juda et Jerusalem: ²¹ quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël, ad vasa quæ derelicta sunt in domo Domini, et in domo regis Juda et Jerusalem: ²² In Babylonem transferentur, et ibi erunt usque ad diem visitationis suæ, dicit Dominus, et afferri faciam ea, et restitui in loco isto.

28 Et factum est in anno illo, in principio regni Sedeciae regis Juda, in anno quarto, in mense quinto, dixit ad me Hananias filius Azur, propheta de Gabaon, in domo Domini, coram sacerdotibus et omni populo, dicens: ² Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Contrivi jugum regis Babylonis. ³ Adhuc duo anni dierum, et ego referri faciam ad locum istum omnia vasa domus Domini, quæ tulit Nabuchodonosor rex Babylonis de loco isto, et transtulit ea in Babylonem. ⁴ Et Jechoniam filium Joakim regem Juda, et omnem transmigrationem Juda, qui ingressi sunt in Babylonem, ego convertam ad locum istum, ait Dominus: conteram enim jugum regis Babylonis. ⁵ Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam, in oculis sacerdotum, et in oculis omnis populi qui stabat in domo Domini: ⁶ et ait Jeremias propheta: Amen ! sic faciat Dominus: suscitetur Dominus verba tua quæ

^{27.14} **Non servietis.** Melius est sponte servire, et amicum Deum habere, et gentilem terram colere, quam necessitate captivum servire. **Verba prophetæ.** Notandum in Scripturis sanctis pseudoprophetas vocari prophetas.

^{27.16} **Et ad sacerdotes.** Post gentes et reges, sacerdotibus loquitur, et populo, qui jam interitum prophetis annuntiaverat, dicens: **Et ejiciam vos,** etc. Loquitur autem eadem quæ supra.

^{27.17} **Ut vivatis.** Nota Dei clementiam, etc., usque ad In quo ostenditur posse retineri Deum precibus sanctorum.

^{27.18} **Occurrant Domino.** ID. Occurrant, et quæ prædicunt opere completa demonstrent, et tunc veritate vaticinium probabitur.

^{27.19} **Ad columnas.** ID. Enumerat vasa quæ translata fuerunt in Babylonem, capto Sedecia, civitate incensa, temploque subverso.

^{28.1} **Et factum est.** HIER. Nondum Ezechiele vaticinante in Babylone ad eos qui cum Jechonia fuerant translati. **In domo Domini.** In qua fiducialiter loquitur, quia prospera populo pollicetur; et mendacia libenter audiuntur, præcipue quæ optata promittunt.

^{28.3} **Omnia vasa,** etc. Jeremias dixerat etiam reliqua vasa apportanda, hic affirmat asportata esse reportanda.

prophetasti, ut referantur vasa in domum Domini, et omnis transmigratio de Babylone ad locum istum.^{§§} ⁷ Verumtamen audi verbum hoc quod ego loquor in auribus tuis, et in auribus universi populi: ⁸ prophetæ qui fuerunt ante me et ante te, ab initio, et prophetaverunt super terras multas et super regna magna de prælio, et de afflictione, et de fame: ⁹ propheta qui vaticinatus est pacem, cum venerit verbum ejus, scietur propheta quem misit Dominus in veritate. ¹⁰ Et tulit Hananias propheta catenam de collo Jeremiæ prophetæ, et confregit eam.[†] ¹¹ Et ait Hananias in conspectu omnis populi, dicens: Hæc dicit Dominus: Sic confringam jugum Nabuchodonosor regis Babylonis, post duos annos dierum de collo omnium gentium. ¹² Et abiit Jeremias propheta in viam suam. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, postquam confregit Hananias propheta catenam de collo Jeremiæ prophetæ, dicens: ¹³ Vade, et dices Hananiæ: Hæc dicit Dominus: Catenas ligneas contrivisti, et facies pro eis catenas ferreas.[‡] ¹⁴ Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Jugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut serviant Nabuchodonosor regi Babylonis, et servient ei: insuper et bestias terræ dedi ei.[¶] ¹⁵ Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam: Audi, Hanania: non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio.[§] ¹⁶ Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam te a facie terræ: hoc anno morieris: adversum enim Dominum locutus es.^{**} ¹⁷ Et mortuus est Hananias propheta in anno illo, mense septimo.^{††}

29 Et hæc sunt verba libri quem misit Jeremias propheta de Jerusalem ad reliquias seniorum transmigrationis, et ad sacerdotes, et ad prophetas, et ad

§§28.6 *Amen, sic*, etc. Optat fieri, quod ille mentitus, etc., usque ad sub aliorum exemplo veritatem asserit.

*28.7 *Verumtamen*. Potuit dicere mentiris, etc., usque ad ut qui audiunt exspectent exitum.

†28.10 *Et tulit*. HIER. Consideranda Jeremiæ prudentia, etc., usque ad quorum notitia solius Dei est.

‡28.13 *Ananias*. Putative propheta dicitur. Multa enim in Scripturis sanctis dicuntur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, non juxta veritatem rei.

¶28.14 *Et facies*. Cum abiisset Jeremias et silentio devorasset injurias, factus est sermo Domini ad eum non ut suis verbis ad Ananiam mendacio gloriantem loqueretur et diceret: *Hæc dixit Dominus*; quod tamen ille Ananias dixerat, sed mendacium semper veritatem imitatur. *Catenas*. Ostendit quod minorem poenam retinens, etc., usque ad in brutorum animalium corpora sunt relegatæ.

§28.15 *Et dixit*. ID. Notandum quod Jeremias passus injuriam, nondum facto ad se sermone Domini, silet, postea vero missus a Domino, audacter arguit, mentienti denuntians propinquam mortem.

**28.16 *Hoc anno*. ID. Si quando morimur, de carceribus corporum liberamur, secundum illud quod male interpretantur hæretici: *Educ de carcere animam meam*; quomodo pro supplicio mors irrogatur?

††28.17 *Mense septimo*. Forsitan in mense septimo, qui requiem significare solet, ideo mortuum mentiuntur, ut de malis corporis liberetur, juxta illud: *Mors viro requies est*; nos autem novimus corpora credentium esse templa Dei, si Spiritus sanctus habitet in illis.

omnem populum quem traduxerat Nabuchodonosor de Jerusalem in Babylonem,^{‡‡}
² postquam egressus est Jechonias rex, et domina, et eunuchi, et principes Juda
 et Jerusalem, et faber et inclusor, de Jerusalem, ³ in manu Elasa filii Saphan, et
 Gamariæ filii Helciæ, quos misit Sedecias rex Juda ad Nabuchodonosor regem Baby-
 lonis in Babylonem, dicens: ⁴ Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël, omni
 transmigratori quam transtuli de Jerusalem in Babylonem: ⁵ Ædificate domos, et
 habitate: et plantate hortos, et comedite fructum eorum. ⁶ Accipite uxores, et gen-
 erate filios et filias: et date filiis vestris uxores, et filias vestras date viris, et pariant
 filios et filias: et multiplicamini ibi, et nolite esse pauci numero.^{¶¶} ⁷ Et quærite pacem
 civitatis ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea ad Dominum, quia in pace
 illius erit pax vobis. ⁸ Hæc enim dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Non vos sed-
 ucant prophetæ vestri qui sunt in medio vestrum, et divini vestri, et ne attendatis ad
 somnia vestra quæ vos somniatis:^{§§} ⁹ quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo,
 et non misi eos, dicit Dominus. ¹⁰ Quia hæc dicit Dominus: Cum cœperint impleri
 in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, et suscitabo super vos verbum meum
 bonum, ut reducam vos ad locum istum.* ¹¹ Ego enim scio cogitationes quas ego
 cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis et non afflictionis, ut dem vobis
 finem et patientiam. ¹² Et invocabitis me, et ibitis: et orabitis me, et ego exaudiam
 vos. ¹³ Quæretis me, et invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro. ¹⁴ Et in-
 veniar a vobis, ait Dominus: et reducam captivitatem vestram, et congregabo vos
 de universis gentibus et de cunctis locis ad quæ expuli vos, dicit Dominus, et reverti
 vos faciam de loco ad quem transmigrare vos feci.[†] ¹⁵ Quia dixistis: Suscitavit nobis
 Dominus prophetas in Babylone: ¹⁶ quia hæc dicit Dominus ad regem qui sedet super
 solium David, et ad omnem populum habitatorem urbis hujus, ad fratres vestros qui
 non sunt egressi vobiscum in migrationem: ¹⁷ hæc dicit Dominus exercituum:
 Ecce mittam in eos gladium, et famem, et pestem: et ponam eos quasi ficus malas,
 quæ comedi non possunt eo quod pessimæ sint:[‡] ¹⁸ et persequar eos in gladio, et in

^{‡‡}29.1 *Et hæc.* HIER. Intendit persuadere ne acquiescant pseudopphetis, qui eis post breve tempus reditum in Jerusalem promittebant. Sed sciant se in Babylone multo tempore moraturos. *Verba libri.* ID. Hic libellus Jeremiæ, etc., usque ad quæ a Domino sibi imperata fuerant populo suaderet. *Ad reliquias seniorum.* Primo ad senes, deinde ad sacerdotes, tertio ad prophetas, quarto ad omnem populum Dei sermo dirigitur, secundum ordinem ætatis epistola prophetæ mittatur.

^{¶¶}29.6 *Accipite uxores,* etc. Jeremiæ (quia prope est captivitas Jerusalem) imperatur ne accipiat uxorem, nec faciat filios. Si autem, propter angustiam temporis, habentibus usus uxorum tollitur, quanto magis non habentibus ne accipiant imperatur.

^{§§}29.8 *Non vos seducant.* ID. Falsos prophetas, etc., usque ad qui idem erat regni Sedeciæ.

*29.10 *Cum cœperint.* Nolite credere pseudopphetis, qui vicinum reditum pollicentur vobis: prius enim vobis explebuntur septuaginta anni quam redeatis. *Septuaginta anni.* Tandiu in sæculi confusione versamur, etc., usque ad et tunc est finis laboris nostri atque patientiæ.

[†]29.14 *Et reverti.* Ut certius sciatis quod hunc reditum tanquam propinquum sperare non debeatis, sed domos ædificare, pomeria plantare, filios generare, et tempus expectare promissum.

[‡]29.17 *Quasi ficus.* Theodotio *suarinas*, id est, secundas, Symmachus novissimas, quæ Hebraice suarim

fame, et in pestilentia: et dabo eos in vexationem universis regnis terræ: in maledictionem, et in stuporem, et in sibilum, et in opprobrium cunctis gentibus ad quas ego ejeci eos, ¹⁹ eo quod non audierint verba mea, dicit Dominus, quæ misit ad eos per servos meos prophetas, de nocte consurgens et mittens: et non audistis, dicit Dominus. [¶] ²⁰ Vos ergo audite verbum Domini, omnis transmigratio quam emisi de Jerusalem in Babylonem. ²¹ Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël, ad Achab filium Coliæ, et ad Sedeciam filium Maasiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, et percutiet eos in oculis vestris: [§] ²² et assumetur ex eis maledictio omni transmigratori Juda quæ est in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus sicut Sedeciam et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne: ²³ pro eo quod fecerint stultitiam in Israël, et mœchati sunt in uxores amicorum suorum, et locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis. Ego sum iudex et testis, dicit Dominus. ²⁴ Et ad Semeiam Nehelamiten dices: ^{**} ²⁵ Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Pro eo quod misisti in nomine tuo libros ad omnem populum qui est in Jerusalem, et ad Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, et ad universos sacerdotes, dicens: ²⁶ Dominus dedit te sacerdotem pro Jojade sacerdote, ut sis dux in domo Domini, super omnem virum arreptitium et prophetantem, ut mittas eum in nervum et in carcerem: ²⁷ et nunc quare non increpasti Jeremiam Anathothiten, qui prophetat vobis? ^{††} ²⁸ Quia super hoc misit in Babylonem ad nos, dicens: Longum est: ædificate domos, et habitate: et plantate hortos, et comedite fructus eorum. ²⁹ Legit ergo Sophonias sacerdos librum istum in auribus Jeremiæ prophetæ. ³⁰ Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens: ³¹ Mitte ad omnem transmigrationem, dicens: Hæc dicit Dominus ad Semeiam Nehelamiten: Pro eo quod prophetavit vobis Semeias, et ego non misi eum, et fecit vos confidere in mendacio, ^{‡‡} ³² idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego visitabo super Semeiam Nehelamiten, et super semen ejus: non erit ei vir sedens in medio populi hujus, et non videbit bonum quod ego faciam populo meo, ait Dominus, quia prævaricationem locutus est adversus Dominum.

30 Hoc verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino, dicens: [¶] ² Hæc dicit Dominus Deus Israël, dicens: Scribe tibi omnia verba quæ locutus sum ad te, in libro. ³ Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus, et convertam conversionem populi mei Israël et Juda, ait Dominus: et convertam eos ad terram quam dedi patribus eorum, et possidebunt eam. ⁴ Et hæc verba quæ locutus est Dominus ad Israël et ad Judam: ⁵ [Quoniam hæc dicit Dominus: Vocem terroris audivimus: formido, et

[¶]29.19 *De nocte.* ID. Non cessavi monere, ut vos imitarentur qui in transmigracione securo otio fruimini, donec compleantur promissa Dei.

[§]29.21 *Ad Achab.* Aiunt Hebræi hos esse presbyteros, etc., usque ad ut acta pœnitentia post verum sabbatum pristinum locum possiderent.

^{**}29.24 *Ad Semeiam.* Semeias de loco Nehelami, etc., usque ad Discretio vero spirituum spiritualis gratia est.

^{††}29.27 *Quare non increpasti.* ID. Mendacio prævenit veritatem quod ipse merebatur aliis imponit, quia prudentiores sunt filii tenebrarum filiis lucis, et quod timent sibi inferunt aliis.

^{‡‡}29.31 *Hæc dicit.* Semeias vere Nehelamites, etc., usque ad contra quos subditur, *Ecce ego visitabo.*

^{¶¶}30.1 *Hoc verbum.* HIER. Jeremias reversionem promittebat, etc., usque ad Sed cum Israël et Judas in terram suam revertentur.

non est pax. ⁶ Interrogate, et videte si generat masculus: quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis, et conversæ sunt universæ facies in auruginem? ⁷ Væ ! quia magna dies illa, nec est similis ejus: tempusque tribulationis est Jacob, et ex ipso salvabitur.^{§§} ⁸ Et erit in die illa, ait Dominus exercituum: conteram jugum ejus de collo tuo, et vincula ejus dirumpam, et non dominabuntur ei amplius alieni: ⁹ sed servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis.* ¹⁰ Tu ergo ne timeas, serve meus Jacob, ait Dominus, neque paveas, Israël: quia ecce ego salvabo te de terra longinqua, et semen tuum de terra captivitatis eorum: et revertetur Jacob, et quiescet, et cunctis affluet bonis, et non erit quem formidet.† ¹¹ quoniam tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te. Faciam enim consummationem in cunctis gentibus in quibus dispersi te: te autem non faciam in consummationem: sed castigabo te in iudicio, ut non videaris tibi innoxius. ¹² Quia hæc dicit Dominus: Insanabilis fractura tua; pessima plaga tua:‡ ¹³ non est qui iudicet iudicium tuum ad alligandum: curationum utilitas non est tibi. ¹⁴ Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quærent: plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. ¹⁵ Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, et propter dura peccata tua, feci hæc tibi. ¹⁶ Propterea omnes qui comedunt te devorabuntur, et universi hostes tui in captivitatem ducentur: et qui te vastant vastabuntur, cunctosque prædatores tuos dabo in prædam.¶ ¹⁷ Obducam enim cicatricem tibi, et a vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus. Quia ejectam vocaverunt te, Sion: hæc est, quæ non habebat requirentem. ¹⁸ Hæc dicit Dominus: Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob, et tectis ejus miserebor: et ædificabitur civitas in excelso suo, et templum juxta ordinem suum fundabitur:§ ¹⁹ et egredietur de eis laus, voxque ludentium. Et multiplicabo eos, et non minuentur: et glorificabo eos, et non attenuabuntur.** ²⁰ Et erunt filii ejus sicut a principio, et cœtus ejus coram me permanebit, et visitabo adversum omnes qui tribulant eum. ²¹ Et erit dux ejus ex eo, et princeps de medio ejus producet: et applicabo eum, et accedet ad me. Quis enim iste est qui applicet cor suum ut appropinquet mihi? ait Dominus: ²² et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum. ²³ Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens: in capite impiorum conquiescet. ²⁴ Non avertet

§§30.7 *Væ quia magna.* ID. Prius tristitia nuntiantur, etc., usque ad nec manibus arma, sed lumbos quasi parturientes tenebunt.

*30.9 *Et David.* Christo, scilicet; quomodo enim primus Adam et secundus scribuntur juxta corporis veritatem sic et David. Christus enim de David secundum carnem.

†30.10 *Serve meus.* ID. Familiariter vocat, sicut Abraham, Isaac, Jacob vocantur servi Dei. Moyses quoque et alii prophetæ, et Paulus in principio Epistolarum hoc titulo gloriantur.

‡30.12 *Plaga.* ID. Aliter amicus, aliter percussit inimicus; aliter pater, aliter hostis: ille enim ut corrigat, iste percussit ut occidat.

¶30.16 *Propterea.* ID. Sub Zorobabel hæc facta cognoscimus, etc., usque ad sed plenius atque perfectius in Christo complentur.

§30.18 *Ecce ego convertam.* ID. Quoniam typus præcessit, etc., usque ad plenius atque perfectius in Christo et in apostolis complentur.

**30.19 *Ludentium, et multiplicabo eos,* etc. Non secundum illud, *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* Exod. 32.; sed sicut David ludebat ante arcam Domini I Par. 13.

iram indignationis Dominus, donec faciat et compleat cogitationem cordis sui: in novissimo dierum intelligetis ea.]

31 [In tempore illo, dicit Dominus, ero Deus universis cognationibus Israël, et ipsi erunt mihi in populum.^{††} ²Hæc dicit Dominus: Invenit gratiam in deserto populus qui remanserat a gladio: vadet ad requiem suam Israël. ³Longe Dominus apparuit mihi. Et in caritate perpetua dilexi te: ideo attraxi te, miserans.^{‡‡} ⁴Rursumque ædificabo te, et ædificaberis, virgo Israël: adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredieris in choro ludentium. ⁵Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ: plantantibus plantantes, et donec tempus veniat, non vindemiabunt.^{¶¶} ⁶Quia erit dies in qua clamabunt custodes in monte Ephraim: Surgite, et ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum. ⁷Quia hæc dicit Dominus: Exsultate in lætitia, Jacob, et hinnite contra caput gentium: personate, et canite, et dicite: Salva, Domine, populum tuum, reliquias Israël.^{§§} ⁸Ecce ego adducam eos de terra aquilonis, et congregabo eos ab extremis terræ: inter quos erunt cæcus et claudus, prægnans et pariens simul, cœtus magnus revertentium huc.^{*} ⁹In fletu venient, et in misericordia reducam eos: et adducam eos per torrentes aquarum in via recta, et non impingent in ea, quia factus sum Israëlī pater, et Ephraim primogenitus meus est.[†] ¹⁰Audite verbum Domini, gentes, et annuntiate in insulis quæ procul sunt, et dicite: Qui dispersit Israël congregabit eum, et custodiet eum sicut pastor gregem suum. ¹¹Redemit enim Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris.[‡] ¹²Et venient, et laudabunt in monte Sion: et confluent ad bona Domini, super frumento, et vino, et oleo, et fœtu pecorum et armentorum: eritque anima eorum quasi hortus irriguus, et ultra non esurient. ¹³Tunc lætabitur virgo in choro, juvenes et senes simul: et convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et lætificabo a dolore suo. ¹⁴Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine, et populus meus bonis meis adimplebitur,

^{††}31.1 *In tempore.* HIER. Opere completo, cognoscitur artifex; adepta sanitate, medici industria. Sic eversa Jerusalem, et abjecto priori populo, intelligitur quod repulsio Judæorum salus sit gentium.

^{‡‡}31.3 *Longe Dominus apparuit.* Quia offenderat Dominum Israël, etc., usque ad non merito salvatus est.

^{¶¶}31.5 *Plantabunt,* etc. ID. Qui post captivitatem Israël ab alienis possessi sunt, quibus dicitur: *Plantate plantaria et vindemiate* Deut. 28..

^{§§}31.7 *Reliquias Israël.* Quæ secundum electionem salvantur.

^{*}31.8 *Ecce ego adducam,* etc. Per apostolos et apostolicos viros qui sunt custodes, clamantes in monte Samariæ, quibus præcipitur: *Personate, canite* III Reg. 18., etc. *Claudus.* ID. Qualibus per Eliam dicitur: *Usquequo claudicatis utroque pede?* Sed in Christo postea cucurrerunt; et, *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* *In fletu venient et in,* etc. ID. Judæi hoc putant esse completum, etc., usque ad hæc fuisse completa possunt probare.

[†]31.9 *Et Ephraim.* Ephraim, qui est typus gentilis populi, etc., usque ad in Samaria primus regnum obtinuit, etc.

[‡]31.11 *De manu potentioris,* etc. ID. Adversariæ potestatis, quæ natura fortior: nos autem fide fortiores, si tamen liberamur ab eo qui alligat fortem, et domum ejus diripit.

ait Dominus.[¶] 15 Hæc dicit Dominus: Vox in excelso audita est lamentationis: luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt.[§] 16 Hæc dicit Dominus: Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrimis, quia est merces operi tuo, ait Dominus, et revertentur de terra inimici:^{**} 17 et est spes novissimis tuis, ait Dominus, et revertentur filii ad terminos suos. 18 Audiens audi vi Ephraim transmigrantem: Castigasti me, et eruditus sum, quasi juveniculum indomitus: converte me, et convertar, quia tu Dominus Deus meus.^{††} 19 Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam: et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.^{‡‡} 20 Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus ! quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor ejus. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor ejus, ait Dominus.^{¶¶} 21 Statue tibi speculam; pone tibi amaritudines; dirige cor tuum in viam rectam in qua ambulasti: revertere, virgo Israël, revertere ad civitates tuas istas.^{§§} 22 Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum. 23 Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Adhuc dicent verbum istud in terra Juda et in urbibus ejus, cum convertero captivitatem eorum: Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus:^{*} 24 et habitabunt in eo Judas et omnes civitates ejus simul, agricolæ et minantes greges. 25 Quia inebriavi animam lassam, et omnem animam esurien-

[¶]31.14 *Animam sacerdotum.* Qui habent scientiam Dei, de quorum ore interrogant legem, qui credunt in eum qui est sacerdos in æternum. *Pinguedine, et populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus,* etc. Unde Dominus in valle Gethsemani, id est pinguedinis, comprehensus est.

[§]31.15 *Vox in.* ID. Quidam Judæorum hunc locum sic exponunt, etc., usque ad Hebræos, quod legebant Hebraice, suis sermonibus expressisse. *Rachel plorans.* Rachel mater Joseph, etc., usque ad flere dicitur pueros juxta se interfectos.

^{**}31.16 *Et revertentur.* ID. Melius hoc de parvulis intelligimus, etc., usque ad et infantes resurgent in virum perfectum.

^{††}31.18 *Eruditus sum.* Quasi dicat: Correctio proficit in salutem, et quæ ad præsens videtur esse tristitiæ, post reddit fructum pacis.

^{‡‡}31.19 *Quoniam sustinui.* ID. Per ignorantiam ætatis dicit se peccasse, ut facilis veniam consequatur, unde: *Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris.* Et in sequentibus, Deus parvulum eum vocavit et deliciis affluentem, propter divitiarum scilicet magnitudinem et terræ fertilitatem Psal. 24..

^{¶¶}31.20 *Si filius honorabilis,* etc. Pœnitentiam agente Ephraim et dicente: *Erudisti me, Domine, et eruditus sum,* etc., respondit Dominus, et plene conversum tali sustentat oraculo, *Si filius honorabilis,* etc. *Idcirco conturbata.* Quasi dicat: Avido animo suscepit verba mea, et servavit, sed tamen miserebor ejus; quia et hominum justitia Dei indiget misericordia.

^{§§}31.21 *Statue tibi,* etc. Provocat ad satisfactionem, ut consideret in quantis deliquit, et agens pœnitentiam ad pristinam gratiam revertatur, secundum illud, *Memento unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac* Apoc. 2.. *Dirige cor tuum.* ID. Dirigit cor suum in viam rectam, etc., usque ad nec per luxus sæculi declinare consentit. *Revertere, virgo, Israël, revertere ad civitates tuas istas.* ID. Licet hæc quidam juxta historiam, etc., usque ad et desinat vagari per luxus sæculi.

^{*}31.23 *Adhuc dicent.* ID. Christianis, scilicet temporibus, quibus captivitatem populi sui Dominus convertit. *Benedicat tibi.* Hæc sub Zorobabel ex parte videntur, etc., usque ad juxta Judæos et nostros judaizantes carnaliter.

tem saturavi.† 26 Ideo quasi de somno suscitatus sum: et vidi, et somnus meus dulcis mihi.‡ 27 Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et seminabo domum Israëli et domum Juda semine hominum et semine jumentorum.¶ 28 Et sicut vigilavi super eos ut evellerem, et demolirer, et dissiparem, et disperderem, et affligerem, sic vigilabo super eos ut ædificem et plantem, ait Dominus. 29 In diebus illis non dicent ultra: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt. 30 Sed unusquisque in iniquitate sua morietur: omnis homo qui comederit uvam acerbam, obstupescet dentes ejus.§ 31 Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israëli et domui Juda fœdus novum,** 32 non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt: et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. 33 Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israëli post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum: 34 et non docebit ultra vir proximum suum et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius.†† 35 Hæc dicit Dominus qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis: qui turbat mare, et sonant fluctus ejus: Dominus exercituum nomen illi:‡‡ 36 Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israëli deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus.¶¶ 37 Hæc dicit Dominus: Si mensurari potuerint cæli sursum, et investigari fundamenta terræ deorsum, et ego abjiciam universum semen Israëli, propter omnia quæ fecerunt, dicit Dominus.§§ 38 Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et ædificabitur civitas Domino, a turre Hananeel usque ad portam anguli.* 39 Et exhibit ultra norma mensuræ in conspectu

†31.25 *Quia inebriavi.* Mutatio personarum, etc., usque ad respondet populus de captivitate reversus: *ideo expergefactus sum*, etc.

‡31.26 *Ideo quasi.* Ut imitarer dicentem, etc., usque ad et diem resurrectionis exspectat.

¶31.27 *Ecce dies veniunt dicit Dominus.* Omnes hujuscemodi repromissiones, etc., usque ad sed sit Deus omnia in omnibus.

§31.30 *Obstupescet dentes.* ID. Dentes comedentium non possunt suavitatem sentire, etc., usque ad non austeritate ciborum, sed vitio dentium.

**31.31 *Ecce dies.* Hoc testimonio Paulus, etc., usque ad et circumcisio et sabbatum spiritualiter compleverunt.

††31.34 *Et non docebit.* Ut non quærant Judaicos magistros et mandata hominum, sed doceantur a Spiritu sancto, si tamen templum Dei fuerint, et spiritus Dei habitaverit in ipsis, qui spirat ubi vult, et diversas habet gratias: Notitia tamen unius Dei omnium virtutum possessio est. *Omnes enim cognoscent.* HIER. Quia omnes erunt etc., usque ad non in natura qua in semetipso etiam cum videretur latuit.

‡‡31.35 *Qui dat solem.* ID. Secundum Genesim sol in cælo positus est in lumine diei, luna et stellæ in lumine noctis. In psalmo quoque legitur: *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam*, quia invicem sibi dies et noctes succedunt.

¶¶31.36 *Si defecerint,* etc. Si cæli peribunt, et sic vestimentum veterascent, quomodo semen Israëli potest esse perpetuum? Cæli autem peribunt.

§§31.37 *Si mensurari.* Quasi dicat: Quomodo rerum, etc., usque ad nec aliquando cessabit.

*31.38 *Ecce dies.* Qui mille annorum regnum, etc., *usque ad*, ibi autem Ananehel per *men* litteram.

ejus super collem Gareb, et circuibit Goatha,^{† 40} et omnem vallem cadaverum, et cineris, et universam regionem mortis usque ad torrentem Cedron, et usque ad angulum portæ equorum orientalis, Sanctum Domini: non evelletur, et non destruetur ultra in perpetuum.]

32 Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino, in anno decimo Sedeciae regis Juda, ipse est annus decimusoctavus Nabuchodonosor.^{‡ 2} Tunc exercitus regis Babylonis obsidebat Jerusalem, et Jeremias propheta erat clausus in atrio carceris qui erat in domo regis Juda.^{¶ 3} Clauserat enim eum Sedecias rex Juda, dicens: Quare vaticinarius, dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo civitatem istam in manus regis Babylonis, et capiet eam:^{§ 4} et Sedecias rex Juda non effugiet de manu Chaldæorum, sed tradetur in manus regis Babylonis: et loquetur os ejus cum ore illius, et oculi ejus oculos illius videbunt:⁵ et in Babylonem ducet Sedeciam, et ibi erit donec visitem eum, ait Dominus: si autem dimicaveritis adversum Chaldæos, nihil prosperum habebitis?^{** 6} Et dixit Jeremias: Factum est verbum Domini ad me, dicens:⁷ Ecce Hanameel filius Sellum, patruelis tuus, veniet ad te, dicens: Eme tibi agrum meum qui est in Anathoth, tibi enim competit ex propinquitate ut emas.^{†† 8} Et venit ad me Hanameel filius patrum mei, secundum verbum Domini, ad vestibulum carceris, et ait ad me: Posside agrum meum qui est in Anathoth, in terra Benjamin, quia tibi competit hæreditas, et tu propinquus es ut possideas. Intellexi autem quod verbum Domini esset:^{‡‡ 9} et emi agrum ab Hanameel filio patrum mei, qui est in Anathoth, et appendi ei argentum: septem stateres, et decem argenteos.¹⁰ Et scripsi in libro, et signavi, et adhibui testes, et appendi argentum in statera.¹¹ Et accepi librum possessionis signatum, et stipulationes, et rata, et signa forinsecus:¹² et dedi librum possessionis Baruch filio Neri filii Maasiæ, in oculis Hanameel patruelis mei, in oculis testium qui scripti erant in libro emptionis, et in oculis omnium Judæorum

[†]31.39 *Usque ad anguli portam.* ID. Nulla enim vera justitia, etc., usque ad hæc ædificatio manebit in æternum.

[‡]32.1 *Verbum quod,* etc. HIER. Non solum verba, sed et opera prophetarum, sunt nobis in exempla virtutum. Poterat Jeremias nuntiare prospera et frui regis amicitia, sed maluit Deo obedire, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

[¶]32.2 *In atrio carceris.* ID. Notanda ex parte regis clementia, qui non in carcere, sed in vestibulo prophetarum recludi jusserat, in libera scilicet custodia, ne posset effugere; quasi non omnis Jerusalem clausa munitionibus fuerit communis carcer.

[§]32.3 *Clauserat enim eum.* Jam vicina captivitate, jam peste et fame consumpta civitate, et tamen perstat Sedecias in sententia. *Quare vaticinarius.* Gravior est terror ante increpationem verborum, quam poenarum sustinere cruciatum, et videre quem timeas.

^{**}32.5 *Visitem eum.* Temperavit sententiam, ut ad bonam et malam partem possit referri, visitatio enim et consolationem, et supplicium significat.

^{††}32.7 *Ecce Hanameel, filius.* Helchias et Sellum, etc., usque ad voluminis hujus monstrat exordium. *Eme tibi agrum.* Ager iste sacerdotalis, cujus emptio atque possessio Jeremiæ defertur, est in Anathoth in terra Benjamin. Quorum primum obedientiam, secundum filium dextræ sonat; et convenienter appetit ejus emptionem, in quo obedientia et virtus Domini versabatur.

^{‡‡}32.8 *In terra Benjamin.* ID. Hoc est de suburbanis, etc., usque ad Audiant qui falsa adhibitis testibus vindicare conantur.

qui sedebant in atrio carceris. ¹³ Et præcepi Baruch coram eis, dicens: [¶] ¹⁴ Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Sume libros istos, librum emptionis hunc signatum, et librum hunc qui apertus est, et pone illos in vase fictili, ut permanere possint diebus multis: ^{§§} ¹⁵ hæc enim dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Adhuc possidebuntur domus, et agri, et vineæ in terra ista. ^{*} ¹⁶ Et oravi ad Dominum, postquam tradidi librum possessionis Baruch filio Neri, dicens: ¹⁷ [Heu ! heu ! heu ! Domine Deus, ecce tu fecisti cælum et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum: ¹⁸ qui facis misericordiam in millibus, et reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos: fortissime, magne, et potens, Dominus exercituum nomen tibi. [†] ¹⁹ Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu: cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, et secundum fructum adinventionum ejus. [‡] ²⁰ Qui posuisti signa et portenta in terra Ægypti usque ad diem hanc, et in Israël, et in hominibus, et fecisti tibi nomen sicut est dies hæc. [¶] ²¹ Et eduxisti populum tuum Israël de terra Ægypti, in signis et in portentis, et in manu robusta et in brachio extento, et in terrore magno: [§] ²² et dedisti eis terram hanc, quam jurasti patribus eorum ut dares eis, terram fluentem lacte et melle. ²³ Et ingressi sunt, et possederunt eam, et non obedierunt voci tuæ, et in lege tua non ambulaverunt: omnia quæ mandasti eis ut facerent non fecerunt, et evererunt eis omnia mala hæc. ^{**} ²⁴ Ecce munitiones exstructæ sunt adversum civitatem ut capiatur, et urbs data est in manus Chaldæorum qui præliantur adversus eam, a facie gladii, et famis, et pestilentia: et

^{¶¶}32.13 *Et præcepi Baruch.* ID. Baruch, qui interpretatur *benedictus*, etc., usque ad hoc legere cupientibus exhibeat apertum volumen.

^{§§}32.14 *In vase fictili,* etc. Ne foris positi paterent rapinæ, etc., usque ad commoventur tamen Dei sermone.

^{*}32.15 *Adhuc possidebuntur domus et agri.* Hoc est quod Jeremias supra dixit se intellexisse verbum Dei, et idcirco emisse agrum.

[†]32.18 *Qui facis misericordiam.* Grandis misericordia Creatoris, etc., usque ad diu dilata pœna reddatur. *Fortissime, magne,* etc. ID. Hæc nomina potentiam Creatoris indicant, sed proprie nomen Dei. Pater est, unde: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus* Joan. 27..

[‡]32.19 *Magnus consilio,* etc. Nemo ergo secretis Dei se inferat, et de illius judicii judicare præsumat. *Ut reddas unicuique.* Significat quod interdum, etc., usque ad tandem Rubri maris fluctibus obrutus est.

[¶]32.20 *Qui posuisti signa.* De generali transit ad speciale, et quod proprie præstiterit Israël, brevi sermone percurrit. *Et portenta,* etc. Quibus afflicta est usque ad diem hanc, etc., usque ad Et notandum quod Israël ab omnibus separat.

[§]32.21 *Et eduxisti populum tuum.* Pulchre dixit populum tuum: eo enim tempore quo eductus est, Domini imperio serviebat.

^{**}32.23 *Et ingressi sunt.* ID. Nihil medium inter possessionem et inobedientiam: ubertas enim securitatem, securitas negligentiam, negligentia contemptum parit. *Et non obedierunt.* Id est, Frustra ergo promiserunt, dicentes: *Quæcunque præceperit Dominus faciemus;* non enim in responsione, sed in opere præmium est.

quæcumque locutus es, acciderunt, ut tu ipse cernis.^{††} 25 Et tu dicis mihi, Domine Deus: Eme agrum argento, et adhibe testes, cum urbs data sit in manus Chaldæorum?]^{‡‡} 26 Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens: 27 [Ecce ego Dominus Deus universæ carnis: numquid mihi difficile erit omne verbum?^{¶¶} 28 Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem istam in manus Chaldæorum, et in manus regis Babylonis, et capient eam.^{§§} 29 Et venient Chaldæi præliantes adversum urbem hanc, et succendent eam igni, et comburent eam, et domos in quarum domatibus sacrificabant Baal, et libabant diis alienis libamina ad irritandum me.* 30 Erant enim filii Israël et filii Juda jugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua: filii Israël, qui usque nunc exacerbant me in opere manuum suarum, dicit Dominus.† 31 Quia in furore et in indignatione mea facta est mihi civitas hæc, a die qua ædificaverunt eam usque ad diem istam qua auferetur de conspectu meo, 32 propter malitiam filiorum Israël et filiorum Juda, quam fecerunt ad iracundiam me provocantes, ipsi et reges eorum, principes eorum, et sacerdotes eorum, et prophetæ eorum, viri Juda et habitatores Jerusalem. 33 Et verterunt ad me terga, et non facies, cum docerem eos diluculo et erudirem, et nollent audire, ut acciperent disciplinam.‡ 34 Et posuerunt idola sua in domo in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam.¶ 35 Et ædificaverunt excelsa Baal quæ sunt in valle filii Ennom, ut initiarent filios suos et filias suas Moloch, quod non mandavi eis, nec ascendit in cor meum ut facerent

^{††}32.24 *Ecce munitiones exstructæ.* Decimus annus Sedeciæ erat, et civitas obsessa, ut supra dictum est, et Jeremias in atrio carceris. Unde subditur: *Ecce munitiones. Ne capiatur.* Quasi dicat: Non habent quos vincant, sed quos capiant, jam fame et peste consumptos. *Et quæcumque locutus es.* Ex creaturis prædicat Creatorem, etc., usque ad Hæc autem universa præmittit, ut inferat quasi in reprehensionem divinæ sententiæ: *Et tu dicis mihi, Domine Deus, eme agrum.*

^{‡‡}32.25 *Et tu dicis.* Non reprehendit, sed interrogat, etc., usque ad et agrum emat quem non possideat.

^{¶¶}32.27 *Ecce ego Dominus.* Non omnium gentium vel populi Israël tantum, etc., usque ad quia alia propter se, alia in usum hominum sunt facta.

^{§§}32.28 *Ecce ego tradam civitatem.* Quia mihi est curæ omnia regere, universa disponere, singulis reddere juxta vias suas. *Civitatem istam.* Primum vallata exercitu Chaldæorum, absente Nabuchodonosor, capta est; et Sedecias in Rablatha regi traditus est.

*32.29 *Et venient Chaldæi.* Aquila melius, *ingredientur:* non enim absentes erant, ut venirent qui obsiderent civitatem; verbum autem Hebræum *et venient, et ingredientur* sonat. *Et domos in quarum domatibus.* Quomodo periturus scribitur mundus, juxta illud: *Cælum et terra transibunt,* eo quod in maligno positus sit, sic et domus ipsa, et loca, in quibus flagitia facta sunt, iræ Dei subjacebunt.

†32.30 *Jugiter facientes malum.* Sine fine, etc., usque ad in conspectu tuo.

‡32.33 *Et verterunt ad me terga.* Unde alibi: *Vertunt contra me scapulam recedentem* Zach. 7.. Qui enim precatur, inclinata cervice in terra pronus funditur; qui vero tergum vertit, gestu corporis indicat, se negligere comminantem. *Cum docerem eos.* Fugatis tenebris erroris et idolorum cultura, illuminare eos cupiebam, et docere quæ recta sunt.

¶32.34 *Et posuerunt idola sua,* etc. Non solum tunc Judas posuit idolum in templo Dei, sed usque hodie in Ecclesia, vel in corde credentium ponitur idolum, quando novum dogma constituitur et in abscondito adoratur.

abominationem hanc: et in peccatum deducerent Judam.^{§ 36} Et nunc propter ista, hæc dicit Dominus Deus Israël ad civitatem hanc, de qua vos dicitis quod tradetur in manus regis Babylonis, in gladio, et in fame, et in peste: ³⁷ Ecce ego congregabo eos de universis terris ad quas ejeci eos in furore meo, et in ira mea, et in indignatione grandi: et reducam eos ad locum istum, et habitare eos faciam confidenter.^{** 38} et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum.^{†† 39} Et dabo eis cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus, et bene sit eis, et filii eorum post eos.^{‡‡} ⁴⁰ Et feriam eis pactum sempiternum, et non desinam eis benefacere: et timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.^{¶¶ 41} Et lætabor super eis, cum bene eis fecero: et plantabo eos in terra ista in veritate, in toto corde meo et in tota anima mea.^{§§ 42} Quia hæc dicit Dominus: Sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande, sic adducam super eos omne bonum quod ego loquor ad eos. ⁴³ Et possidebuntur agri in terra ista, de qua vos dicitis quod deserta sit, eo quod non remanserit homo et jumentum, et data sit in manus Chaldæorum. ⁴⁴ Agri ementur pecunia, et scribentur in libro, et imprimetur signum, et testis adhibebitur, in terra Benjamin et in circuitu Jerusalem, in civitatibus Juda, et in civitatibus montanis, et in civitatibus campestribus, et in civitatibus quæ ad austrum sunt, quia convertam captivitatem eorum, ait Dominus.]

33 Et factum est verbum Domini ad Jeremiam secundo, cum adhuc clausus esset in atrio carceris, dicens:^{* 2} [Hæc dicit Dominus, qui facturus est, et formaturus illud, et paraturus: Dominus nomen ejus: ³ Clama ad me, et exaudiam te, et

§32.35 *Et ædificaverunt*, etc. Proprie tribus Juda et Benjamin in phano Baalis et Moloc dæmonum simulacra venerabantur; vitulos aureos in Dan et in Bethel decem tribubus, quod tam execrabile est, ut Dominus nunquam se cogitasse testetur. *In valle filii Ennon*. HIER. Quæ Silcæ fontibus subjacet et amœnitate sua populum ad luxuriam provocavit, quam sequitur cultus idolorum.

**32.37 *Ecce ego congregabo*. Multi putant hoc in tempore Zorobabel, etc., usque ad et electio reliquiarum salvatur. *Et reducam eos ad locum istum, et habitare*. Sicut sperantibus auxilium, etc., usque ad et desperatio atque humilitas Dei mereatur auxilium.

††32.38 *Erunt mihi in populum, et ego*, etc. Tristibus læta subjungit, et captivis reditum promittit; sed primum ostendit causam offensæ et justi furoris; et quanto major culpa, tanto in peccatores amplior clementia.

‡‡32.39 *Et dabo eis*. CASS. Manifeste prodit initium nobis, etc., usque ad et per hoc vel remunerationem, vel supplicia promeriri.

¶¶32.40 *Et timorem meum dabo in corde eorum*. ID. Sic liberum donat arbitrium, ut timor qui tribuitur ex gratia sit largitoris.

§§32.41 *In toto corde meo, et in tota anima mea*. Si verba sunt Salvatoris, etc., usque ad sicut illud: *festivitates vestras odi* Amos. 5., etc. *Quia hæc dicit Dominus*, etc. Hæc juxta litteram, etc., usque ad Sed spiritualiter in Christo et apostolis plenius completa sunt.

*33.1 *Et factum est*. Prædicat quod sicut peccatoribus vindicta, etc., usque ad donec a Romanis per totum orbem dispersi sint.

annuntiabo tibi grandia et firma quæ nescis.[†] ⁴ Quia hæc dicit Dominus Deus Israël ad domos urbis hujus, et ad domos regis Juda, quæ destructæ sunt, et ad munitiones, et ad gladium ⁵ venientium ut dimicent cum Chaldæis, et impleant eas cadaveribus hominum quos percussi in furore meo et in indignatione mea, abscondens faciem meam a civitate hac, propter omnem malitiam eorum: ⁶ Ecce ego obducam eis cicatricem et sanitatem, et curabo eos, et revelabo illis deprecationem pacis et veritatis. ⁷ Et convertam conversionem Juda et conversionem Jerusalem, et ædificabo eos sicut a principio. ⁸ Et emundabo illos ab omni iniquitate sua in qua peccaverunt mihi, et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus dereliquerunt mihi et spreverunt me. ⁹ Et erit mihi in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exultationem cunctis gentibus terræ, quæ audierint omnia bona quæ ego facturus sum eis: et pavebunt et turbabuntur in universis bonis, et in omni pace quam ego faciam eis. ¹⁰ Hæc dicit Dominus: Adhuc audietur in loco isto quem vos dicitis esse desertum, eo quod non sit homo nec jumentum in civitatibus Juda, et foris Jerusalem, quæ desolatae sunt, absque homine, et absque habitatore, et absque pecore,[‡] ¹¹ vox gaudii et vox lætitiæ, vox sponsi et vox sponsæ, vox dicentium: Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum misericordia ejus: et portantium vota in domum Domini: reducam enim conversionem terræ sicut a principio, dicit Dominus. ¹² Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc erit in loco isto deserto, absque homine et absque jumento, et in cunctis civitatibus ejus, habitaculum pastorum accubantium gregum.[¶] ¹³ In civitatibus montuosis, et in civitatibus campestribus, et in civitatibus quæ ad austrum sunt, et in terra Benjamin, et in circuitu Jerusalem, et in civitatibus Juda, adhuc transibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus.] ¹⁴ [Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo verbum bonum quod locutus sum ad domum Israël et ad domum Juda.[§] ¹⁵ In diebus illis et in tempore illo germinare faciam David germen justitiæ, et faciet judicium et justitiam in terra: ¹⁶ in diebus illis salvabitur Juda, et Jerusalem habitabit confidenter: et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster. ¹⁷ Quia hæc dicit Dominus: Non interibit de David vir qui sedeat super thronum domus Israël:^{**} ¹⁸ et de sacerdotibus et de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocaustomata, et incendat sacrificum, et cædat victimas omnibus diebus.] ¹⁹ Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens: ²⁰ [Hæc dicit Dominus: Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum

[†]33.3 *Clama ad me, et ego exaudiam eum.* Ostendit quod per orationes prophetarum et sanctorum, qui fuerunt in plebe, Dominus placatus sit et revelaverit eis reversionem in terram suam, quæ adhuc occulta latebat. Nunc autem dicitur: *Clama ad me, et exaudiam te.* Quia imminens captivitas Dominus avertere noluit, ut primum solverent pœnam peccati sui; postea vero reversionem non negavit, quam modo promittit.

[‡]33.10 *Adhuc audietur in loco isto,* etc. Ne desperent Judæi propter minas et captivitates futuras, restaurationis bona promittit, ut locus, qui desertus fuerat propter scelera habitatorum, propter correctionem et emendationem habitetur.

[¶]33.12 *Accubantium gregum.* Greges Ecclesiæ, scilicet de gentibus congregatæ, etc., usque ad multi sunt qui ad fidem Christi et ovium suarum numerum pertinent.

[§]33.14 *Ad domum Israël:* De quibus Isaias: erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, etc.

^{**}33.17 *Hæc dicit Dominus.* Supra dixerat de creatione solis et lunæ et stellarum, etc., usque ad Christi regnum et sacerdotium in æternum manebit.

meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo, ²¹ et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus, et Levitæ et sacerdotes ministri mei. ²² Sicuti enumerari non possunt stellæ cæli, et metiri arena maris, sic multiplicabo semen David servi mei, et Levitas ministros meos.] ²³ Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens: ²⁴ [Numquid non vidisti quid populus hic locutus sit, dicens: Duæ cognationes quas elegerat Dominus abjectæ sunt? et populum meum despexerunt, eo quod non sit ultra gens coram eis. ²⁵ Hæc dicit Dominus: Si pactum meum inter diem et noctem, et leges cælo et terræ non posui, ²⁶ equidem et semen Jacob et David servi mei projiciam, ut non assumam de semine ejus principes seminis Abraham, Isaac, et Jacob: reducam enim conversionem eorum, et miserebor eis.]

34 Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino quando Nabuchodonosor rex Babylonis, et omnis exercitus ejus, universaque regna terræ quæ erant sub potestate manus ejus, et omnes populi, bellabant contra Jerusalem, et contra omnes urbes ejus, dicens:†† ² Hæc dicit Dominus Deus Israël: Vade, et loquere ad Sedeciam regem Juda, et dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem hanc in manus regis Babylonis, et succendet eam igni: ³ et tu non effugies de manu ejus, sed comprehensione capieris, et in manu ejus traderis: et oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, et os ejus cum ore tuo loquetur, et Babylonem introibis. ⁴ Attamen audi verbum Domini, Sedecia, rex Juda: Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, ⁵ sed in pace morieris: et secundum combustiones patrum tuorum, regum priorum qui fuerunt ante te, sic comburent te: et: Væ domine, plangent te: quia verbum ego locutus sum, dicit Dominus. ⁶ Et locutus est Jeremias propheta ad Sedeciam regem Juda universa verba hæc in Jerusalem. ⁷ Et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Jerusalem, et contra omnes civitates Juda quæ reliquæ erant, contra Lachis et contra Azecha: hæ enim supererant de civitatibus Juda, urbes munitæ. ⁸ Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino, postquam percussit rex Sedecias fœdus cum omni populo in Jerusalem, prædicans ⁹ ut dimitteret unusquisque servum suum et unusquisque ancillam suam, Hebræum et Hebræam, liberos, et nequaquam dominarentur eis, id est, in Judæo et fratre suo. ¹⁰ Audierunt ergo omnes principes et universus populus qui inierant pactum ut dimitteret unusquisque servum suum et unusquisque ancillam suam liberos, et ultra non dominarentur eis: audierunt igitur, et dimiserunt. ¹¹ Et conversi sunt deinceps: et retraxerunt servos et ancillas suas quos dimiserant liberos, et subjugaverunt in famulos et famulas. ¹² Et factum est verbum Domini ad Jeremiam a Domino, dicens: ¹³ Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego percussi fœdus cum patribus vestris in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de domo servitutis, dicens: ¹⁴ Cum completi fuerint septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est ei: et serviet tibi sex annis, et dimittes eum a te liberum: et non audierunt patres vestri me, nec inclinaverunt aurem suam. ¹⁵ Et conversi estis vos hodie, et fecistis quod rectum est in oculis meis, ut prædicaretis libertatem unusquisque ad amicum suum: et inistis pactum in conspectu meo, in domo in qua invocatum est nomen meum super eam: ¹⁶ et reversi estis, et comaculastis nomen meum, et reduxistis unusquisque servum suum et unusquisque

††34.1 *Verbum quod factum*, etc. RAB. Licet rex nequissimus, etc., *usque ad finem capitis*.

ancillam suam quos dimiseratis ut essent liberi et suæ potestatis, et subjugastis eos ut sint vobis servi et ancillæ. ¹⁷ Propterea hæc dicit Dominus: Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo et unusquisque amico suo: ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, et ad famem, et dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ. ¹⁸ Et dabo viros qui prævaricantur fœdus meum, et non observaverunt verba fœderis quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, et transierunt inter divisiones ejus, ¹⁹ principes Juda et principes Jerusalem, eunuchi et sacerdotes, et omnis populus terræ, qui transierunt inter divisiones vituli: ²⁰ et dabo eos in manus inimicorum suorum, et in manus quærentium animam eorum, et erit morticinum eorum in escam volatilibus cæli et bestiis terræ. ²¹ Et Sedeciam regem Juda, et principes ejus, dabo in manus inimicorum suorum, et in manus quærentium animas eorum, et in manus exercituum regis Babylonis, qui recesserunt a vobis. ²² Ecce ego præcipio, dicit Dominus, et reducam eos in civitatem hanc, et præliabuntur adversus eam, et capient eam, et incendunt igni: et civitates Juda dabo in solitudinem, eo quod non sit habitator.

35 Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino in diebus Joakim filii Josiæ regis Juda, dicens:†† ² Vade ad domum Rechabitarum, et loquere eis, et introduce eos in domum Domini, in unam exedram thesaurorum, et dabis eis bibere vinum. ³ Et assumpsi Jezoniam filium Jeremiæ filii Habsaniæ, et fratres ejus, et omnes filios ejus, et universam domum Rechabitarum, ⁴ et introduxi eos in domum Domini, ad gazophylacium filiorum Hanan filii Jegedelïæ hominis Dei, quod erat juxta gazophylacium principum, super thesaurum Maasiæ filii Sellum, qui erat custos vestibuli: ⁵ et posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, et calices, et dixi ad eos: Bibite vinum. ⁶ Qui responderunt Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum, vos et filii vestri, usque in sempiternum: ⁷ et domum non ædificabitis, et sementem non seretis, et vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ in qua vos peregrinamini. ⁸ Obedivimus ergo voci Jonadab filii Rechab, patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris, nos, et mulieres nostræ, filii, et filiæ nostræ, ⁹ et non ædificaremus domos ad habitandum: et vineam, et agrum, et sementem non habuimus: ¹⁰ sed habitavimus in tabernaculis, et obedi- entes fuimus juxta omnia quæ præcepit nobis Jonadab pater noster. ¹¹ Cum autem ascendisset Nabuchodonosor rex Babylonis ad terram nostram, diximus: Venite, et ingrediamur Jerusalem a facie exercitus Chaldæorum, et a facie exercitus Syriæ: et mansimus in Jerusalem. ¹² Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens: ¹³ Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Vade, et dic viris Juda et habitatoribus Jerusalem: Numquid non recipietis disciplinam, ut obediatís verbis meis? dicit Dominus. ¹⁴ Prævaluerunt sermones Jonadab filii Rechab quos præcepit filiis suis ut non biberent vinum, et non biberunt usque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens et loquens, et non obedistis mihi. ¹⁵ Misique ad vos omnes servos meos prophetas, consurgens

††35.1 *Verbum quod factum est.* RAB. Cum propheta in proximo capite de Sedecias, etc., *usque ad finem capitís.*

diluculo mittensque, et dicens: Convertimini unusquisque a via sua pessima, et bona facite studia vestra: et nolite sequi deos alienos, neque colatis eos, et habitabitis in terra quam dedi vobis et patribus vestris: et non inclinastis aurem vestram, neque audistis me. ¹⁶ Firmaverunt igitur filii Jonadab filii Rechab præceptum patris sui quod præceperat eis: populus autem iste non obedivit mihi. ¹⁷ Idcirco hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Ecce ego adducam super Juda et super omnes habitatores Jerusalem universam afflictionem quam locutus sum adversum illos, eo quod locutus sum ad illos, et non audierunt; vocavi illos, et non responderunt mihi. ¹⁸ Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Pro eo quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, et custodistis omnia mandata ejus, et fecistis universa quæ præcepit vobis, ¹⁹ propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

36 Et factum est in anno quarto Joakim filii Josiæ regis Juda, factum est verbum hoc ad Jeremiam a Domino, dicens: ² Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba quæ locutus sum tibi adversum Israël et Judam, et adversum omnes gentes, a die qua locutus sum ad te ex diebus Josiæ usque ad diem hanc: ³ si forte, audiente domo Juda universa mala quæ ego cogito facere eis, revertatur unusquisque a via sua pessima, et propitius ero iniquitati et peccato eorum. ⁴ Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Nerisë: et scripsit Baruch ex ore Jeremiæ omnes sermones Domini quos locutus est ad eum, in volumine libri: ⁵ et præcepit Jeremias Baruch, dicens: Ego clausus sum, nec valeo ingredi domum Domini. ⁶ Ingredere ergo tu, et lege de volumine in quo scripsisti ex ore meo verba Domini, audiente populo in domo Domini, in die jejunii: insuper et audiente universo Juda qui veniunt de civitatibus suis, leges eis, ⁷ si forte cadat oratio eorum in conspectu Domini, et revertatur unusquisque a via sua pessima: quoniam magnus furor et indignatio est quam locutus est Dominus adversum populum hunc. ⁸ Et fecit Baruch filius Nerisë juxta omnia quæ præceperat ei Jeremias propheta, legens ex volumine sermones Domini in domo Domini. ⁹ Factum est autem in anno quinto Joakim filii Josiæ regis Juda, in mense nono: prædicaverunt jejunium in conspectu Domini omni populo in Jerusalem, et universæ multitudini quæ confluxerat de civitatibus Juda in Jerusalem. ¹⁰ Legitque Baruch ex volumine sermones Jeremiæ in domo Domini, in gazophylacio Gamariæ filii Saphan scribæ, in vestibulo superiori, in introitu portæ novæ domus Domini, audiente omni populo. ¹¹ Cumque audisset Michæas filius Gamariæ filii Saphan omnes sermones Domini ex libro, ¹² descendit in domum regis, ad gazophylacium scribæ, et ecce ibi omnes principes sedebant: Elisama scriba, et Dalaias filius Semeiæ, et Elnathan filius Achobor, et Gamarias filius Saphan, et Sedecias filius Hananiæ, et universi principes: ¹³ et nuntiavit eis Michæas omnia verba quæ audivit, legente Baruch ex volumine in auribus populi. ¹⁴ Miserunt itaque omnes principes ad Baruch Judi filium Nathaniæ filii Selemiæ filii Chusi, dicentes: Volumen ex quo legisti, au-

^{¶¶}36.3 *Si forte audiente domo Juda*, etc. Immensa clementia, etc., usque ad ut per misericordiam Dei veniam consequantur.

^{§§}36.4 *Vocavit ergo*. Prompta obedientia prophetæ concordat, etc., usque ad qui soluti et liberi verbum Dei proximis expendere negligunt?

^{*}36.9 *Prædicaverunt jejunium in conspectu Domini*, etc. Ut qui per luxum peccaverunt, etc., usque ad quæ deliquerunt in maximis.

diente populo, sume in manu tua, et veni. Tulit ergo Baruch filius Neriae volumen in manu sua, et venit ad eos: ¹⁵ et dixerunt ad eum: Sede, et lege hæc in auribus nostris. Et legit Baruch in auribus eorum. ¹⁶ Igitur cum audissent omnia verba, obstupuerunt unusquisque ad proximum suum, et dixerunt ad Baruch: Nuntiare debemus regi omnes sermones istos.† ¹⁷ Et interrogaverunt eum, dicentes: Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore ejus. ¹⁸ Dixit autem eis Baruch: Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramento.‡ ¹⁹ Et dixerunt principes ad Baruch: Vade, et abscondere, tu et Jeremias, et nemo sciat ubi sitis. ²⁰ Et ingressi sunt ad regem in atrium: porro volumen commendaverunt in gazophylacio Elisamæ scribæ, et nuntiaverunt, audiente rege, omnes sermones. ²¹ Misitque rex Judi ut sumeret volumen: qui tollens illud de gazophylacio Elisamæ scribæ, legit, audiente rege et universis principibus qui stabant circa regem. ²² Rex autem sedebat in domo hiemali, in mense nono, et posita erat arula coram eo plena prunis. ²³ Cumque legisset Judi tres pagellas vel quatuor, scidit illud scalpello scribæ, et projecit in ignem qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen igni qui erat in arula.¶ ²⁴ Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua, rex et omnes servi ejus qui audierunt universos sermones istos. ²⁵ Verumtamen Elnathan, et Dalaias, et Gamarias, contradixerunt regi, ne combureret librum: et non audivit eos. ²⁶ Et præcepit rex Jeremiel filio Amelech, et Saraiae filio Ezriel, et Selemiae filio Abdeel, ut comprehenderent Baruch scribam, et Jeremiam prophetam: abscondit autem eos Dominus.§ ²⁷ Et factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam, postquam combusserat rex volumen et sermones quos scripserat Baruch ex ore Jeremiæ, dicens: ²⁸ Rursum tolle volumen aliud, et scribe in eo omnes sermones priores qui erant in primo volumine, quod combussit Joakim rex Juda. ²⁹ Et ad Joakim regem Juda dices: Hæc dicit Dominus: Tu combussisti volumen illud, dicens: Quare scripsisti in eo annuntians: Festinus veniet rex Babylonis, et vastabit terram hanc, et cessare faciet ex illa hominem et jumentum? ³⁰ Propterea hæc dicit Dominus contra Joakim regem Juda: Non erit ex eo qui sedeat super solium David: et cadaver ejus projicietur ad æstum per diem, et ad gelu per noctem.** ³¹ Et visitabo contra eum, et contra semen ejus, et contra servos ejus, iniquitates suas: et adducam super eos, et super habitatores Jerusalem, et super viros Juda, omne malum quod locutus sum ad eos, et non audierunt. ³² Jeremias autem tulit volumen aliud, et dedit illud Baruch filio Neriae scribæ: qui scripsit in eo ex ore Jeremiæ omnes sermones libri quem combusserat Joakim rex Juda igni: et insuper additi sunt sermones multo plures quam antea fuerant.

†36.16 *Igitur cum audissent*, etc. Etiam auditoribus necessaria est, etc., usque ad verba Dei audire poterant aure corporis, sed non cordis.

‡36.18 *Ex ore suo loquebatur*, etc. Significat quod apostoli et prophetæ nullam necessitatem tractandi vel penuriam loquendi patiebantur; sed prompte et facile omnia proferebant.

¶36.23 *Et projecit in ignem*. Stupenda indurati cordis nequitia, etc., usque ad ne crederent et poeniterent.

§36.26 *Abscondit autem*, etc. Contra quem frustra nititur humana præsumptio. *Custodit enim Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet.*

**36.30 *Propterea*, etc. Digna ultio, etc., usque ad æstu solis et gelu noctis ureretur.

37 Et regnavit rex Sedecias filius Josiæ pro Jechonia filio Joakim, quem constituit regem Nabuchodonosor rex Babylonis in terra Juda:†† 2 et non obedivit ipse, et servi ejus, et populus terræ, verbis Domini, quæ locutus est in manu Jeremiæ prophetæ. 3 Et misit rex Sedecias Juchal filium Selemiæ, et Sophoniam filium Maasiæ, sacerdotem, ad Jeremiam prophetam, dicens: Ora pro nobis Dominum Deum nostrum.‡‡ 4 Jeremias autem libere ambulabat in medio populi: non enim miserant eum in custodiam carceris. Igitur exercitus Pharaonis egressus est de Ægypto, et audientes Chaldæi qui obsidebant Jerusalem, hujuscemodi nuntium, recesserunt ab Jerusalem.¶¶ 5 Et factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam, dicens: 6 Hæc dicit Dominus Deus Israël: Sic dicetis regi Juda, qui misit vos ad me interrogandum: Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in auxilium, revertetur in terram suam in Ægyptum: 7 et redient Chaldæi, et bellabunt contra civitatem hanc, et capient eam, et succendent eam igni. 8 Hæc dicit Dominus: Nolite decipere animas vestras, dicentes: Euntes abibunt, et recedent a nobis Chaldæi: quia non abibunt. 9 Sed etsi percusseritis omnem exercitum Chaldæorum qui præliantur adversum vos, et derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati, singuli de tentorio suo consurgent, et incendunt civitatem hanc igni. 10 Ergo cum recessisset exercitus Chaldæorum ab Jerusalem, propter exercitum Pharaonis, 11 egressus est Jeremias de Jerusalem ut iret in terram Benjamin, et divideret ibi possessionem in conspectu civium. 12 Cumque pervenisset ad portam Benjamin, erat ibi custos portæ per vices, nomine Jerias filius Selemiæ filii Hananiæ: et apprehendit Jeremiam prophetam, dicens: Ad Chaldæos profugis. 13 Et respondit Jeremias: Falsum est: non fugio ad Chaldæos. Et non audivit eum, sed comprehendit Jerias Jeremiam, et adduxit eum ad principes: 14 quam ob rem irati principes contra Jeremiam, cæsum eum miserunt in carcerem qui erat in domo Jonathan scribæ: ipse enim præpositus erat super carcerem. 15 Itaque ingressus est Jeremias in domum laci et in ergastulum: et sedit ibi Jeremias diebus multis. 16 Mittens autem Sedecias rex, tulit eum: et interrogavit eum in domo sua abscondite, et dixit: Putasne est sermo a Domino? Et dixit Jeremias: Est: et ait: In manus regis Babylonis traderis. 17 Et dixit Jeremias ad regem Sedeciam: Quid peccavi tibi, et servis tuis, et populo tuo, quia misisti me in domum carceris? 18 ubi sunt prophetæ vestri, qui prophetabant vobis, et dicebant: Non veniet rex Babylonis super vos, et super terram hanc? 19 Nunc ergo audi, obsecro, domine mi rex: valeat deprecatio mea in conspectu tuo, et ne me remittas in domum Jonathan scribæ, ne moriar ibi. 20 Præcepit ergo rex Sedecias ut traderetur Jeremias in vestibulo carceris, et daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento, donec consumerentur omnes panes de civitate: et mansit Jeremias in vestibulo carceris.

38 Audivit autem Saphatias filius Mathan, et Gedelias filius Phassur, et Juchal filius Selemiæ, et Phassur filius Melchiæ, sermones quos Jeremias loquebatur ad omnem populum, dicens: 2 Hæc dicit Dominus: Quicumque manserit in civitate

††37.1 *Et regnavit rex Sedecias*, etc. Quod Sedecias post Joachim, etc., usque ad sed omnes iniqui fuerunt et idololatræ, et ideo perierunt.

‡‡37.3 *Ora pro*. Nequaquam pro se orare postulavit, quia divinis mandatis obtemperare noluit: *Qui enim avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*.

¶¶37.4 *Igitur exercitus*. Quomodo Chaldæi solverunt, etc., usque ad Jeremias vero contraria et vera prophetavit.

hac, morietur gladio, et fame, et peste: qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet, et erit anima ejus sospes et vivens. ³ Hæc dicit Dominus: Tradendo tradetur civitas hæc in manu exercitus regis Babylonis, et capiet eam. ⁴ Et dixerunt principes regi: Rogamus ut occidatur homo iste: de industria enim dissolvit manus virorum bel-lantium qui remanserunt in civitate hac, et manus universi populi, loquens ad eos juxta verba hæc: siquidem homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum. ⁵ Et dixit rex Sedecias: Ecce ipse in manibus vestris est: nec enim fas est regem vobis quidquam negare.^{§§} ⁶ Tulerunt ergo Jeremiam, et projecerunt eum in lacum Melchiæ filii Amelech, qui erat in vestibulo carceris: et submiserunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum: descendit itaque Jeremias in cœnum. ⁷ Audivit autem Abdemelech Æthiops, vir eunuchus, qui erat in domo regis, quod mississent Jeremiam in lacum. Porro rex sedebat in porta Benjamin:^{*} ⁸ et egressus est Abdemelech de domo regis, et locutus est ad regem, dicens: ⁹ Domine mi rex, male fecerunt viri isti omnia quæcumque perpetrarunt contra Jeremiam prophetam, mittentes eum in lacum, ut moriatur ibi fame: non sunt enim panes ultra in civitate. ¹⁰ Præcepit itaque rex Abdemelech Æthiopi, dicens: Tolle tecum hinc triginta viros, et leva Jeremiam prophetam de lacu, antequam moriatur. ¹¹ Assumptis ergo Abdemelech secum viris, ingressus est domum regis, quæ erat sub cellario, et tulit inde veteres pannos, et antiqua quæ computruerant, et submisit ea ad Jeremiam in lacum per funiculos. ¹² Dixitque Abdemelech Æthiops ad Jeremiam: Pone veteres pannos, et hæc scissa et putrida, sub cubito manuum tuarum, et super funes. Fecit ergo Jeremias sic, ¹³ et extraxerunt Jeremiam funibus, et eduxerunt eum de lacu: mansit autem Jeremias in vestibulo carceris. ¹⁴ Et misit rex Sedecias, et tulit ad se Jeremiam prophetam ad ostium tertium quod erat in domo Domini: et dixit rex ad Jeremiam: Interrogo ego te sermonem, ne abscondas a me aliquid. ¹⁵ Dixit autem Jeremias ad Sedeciam: Si annuntiavero tibi, numquid non interficies me? et si consilium dederò tibi, non me audies. ¹⁶ Juravit ergo rex Sedecias Jeremiæ clam, dicens: Vivit Dominus, qui fecit nobis animam hanc, si occidero te, et si tradidero te in manus virorum istorum qui quærunt animam tuam. ¹⁷ Et dixit Jeremias ad Sedeciam: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, et civitas hæc non succendetur igni: et salvus eris tu, et domus tua.[†] ¹⁸ Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur civitas hæc in manus Chaldæorum, et succendent eam igni: et tu non effugies de manu eorum. ¹⁹ Et dixit rex Sedecias ad Jeremiam: Sollicitus sum propter Judæos qui transfugerunt ad Chaldæos, ne forte tradar in manus eorum, et illudant mihi. ²⁰ Respondit autem Jeremias: Non te tradent. Audi, quæso, vocem Domini, quam ego loquor ad te, et bene tibi erit, et vivet anima tua. ²¹ Quod si nolueris egredi, iste est sermo quem ostendit mihi Dominus: ²² ecce omnes mulieres quæ remanserunt in

§§38.5 *Et dicit rex Sedecias*, etc. Pater Sedeciam sine puro affectu, etc., usque ad Postea vero flagellatum tradidit eum Judæis, ut crucifigeretur.

*38.7 *Audivit autem Abdemelech*. Sicut illi principes, qui prophetam miserunt, etc., usque ad quanto nos districtius reos tenemus.

†38.17 *Si profectus exieris*, etc. Propheta, prævidens civitatem esse tradendam in manus Chaldæorum, consilium dedit regi ut se traderet in manus regis Babylonis, ut sic furibundum ejus animum mitigaret, et leviolem sententiam susciperet; sed mens indurata corrigi non poterat.

domo regis Juda educentur ad principes regis Babylonis, et ipsæ dicent: Seduxerunt te, et prævaluerunt adversum te, viri pacifici tui: demerserunt in cœno et in lubrico pedes tuos, et recesserunt a te.[‡] ²³ Et omnes uxores tuæ et filii tui educentur ad Chaldæos: et non effugies manus eorum, sed in manu regis Babylonis capieris, et civitatem hanc comburet igni. ²⁴ Dixit ergo Sedecias ad Jeremiam: Nullus sciat verba hæc, et non morieris. ²⁵ Si autem audierint principes quia locutus sum tecum, et venerint ad te, et dixerint tibi: Indica nobis quid locutus sis cum rege: ne celes nos, et non te interficiemus: et quid locutus est tecum rex: ²⁶ dices ad eos: Prostravi ego preces meas coram rege, ne me reduci juberet in domum Jonathan, et ibi morerer. ²⁷ Venerunt ergo omnes principes ad Jeremiam, et interrogaverunt eum, et locutus est eis juxta omnia verba quæ præceperat ei rex: et cessaverunt ab eo: nihil enim fuerat auditum. ²⁸ Mansit vero Jeremias in vestibulo carceris usque ad diem quo capta est Jerusalem: et factum est ut caperetur Jerusalem.

39 Anno nono Sedeciæ regis Juda, mense decimo, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, et omnis exercitus ejus, ad Jerusalem, et obsidebant eam. ² Undecimo autem anno Sedeciæ, mense quarto, quinta mensis, aperta est civitas: ³ et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, et sederunt in porta media: Neregel, Sereser, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Sereser, Rebmag, et omnes reliqui principes regis Babylonis. ⁴ Cumque vidisset eos Sedecias rex Juda, et omnes viri bellatores, fugerunt: et egressi sunt nocte de civitate per viam horti regis, et per portam quæ erat inter duos muros, et egressi sunt ad viam deserti. ⁵ Persecutus est autem eos exercitus Chaldæorum, et comprehenderunt Sedeciam in campo solitudinis Jerichontinæ, et captum adduxerunt ad Nabuchodonosor regem Babylonis, in Reblatha, quæ est in terra Emath: et locutus est ad eum judicium. ⁶ Et occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis ejus: et omnes nobiles Juda occidit rex Babylonis. ⁷ Oculos quoque Sedeciæ eruit, et vinxit eum compedibus ut duceretur in Babylonem. ⁸ Domum quoque regis et domum vulgi succenderunt Chaldæi igni, et murum Jerusalem subverterunt. ⁹ Et reliquias populi qui remanserant in civitate, et perfugas qui transfugerant ad eum, et superfluos vulgi qui remanserant, transtulit Nabuzardan, magister militum, in Babylonem. ¹⁰ Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan magister militum in terra Juda, et dedit eis vineas et cisternas in die illa. ¹¹ Præceperat autem Nabuchodonosor rex Babylonis de Jeremia Nabuzardan magistro militum, dicens: ¹² Tolle illum, et pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias: sed ut voluerit, sic facias ei. ¹³ Misit ergo Nabuzardan princeps militiæ, et Nabusezban, et Rabsares, et Neregel, et Sereser, et Rebmag, et omnes optimates regis Babylonis, ¹⁴ miserunt, et tulerunt Jeremiam de vestibulo carceris, et tradiderunt eum Godoliæ filio Ahicam filii Saphan, ut intraret in domum, et habitaret in populo. ¹⁵ Ad Jeremiam autem factus fuerat sermo Domini, cum clausus esset in vestibulo carceris, dicens: ¹⁶ Vade, et dic Abdemelech Æthiopi, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Ecce ego inducam sermones meos super civitatem hanc in malum, et non in bonum, et erunt in conspectu tuo in die illa. ¹⁷ Et liberabo te in die illa, ait Dominus, et non traderis in manus

[‡]38.22 *Ecce*. Significat quod fluxa cogitatio, etc., usque ad et animam igne comburet inextinguibili.

virorum quos tu formidas:^f 18 sed eruens liberabo te, et gladio non cades, sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.

40 Sermo qui factus est ad Jeremiam a Domino, postquam dimissus est a Nabuzardan magistro militiæ de Rama, quando tulit eum vinctum catenis in medio omnium qui migrabant de Jerusalem et Juda, et ducebantur in Babylonem.[§]

² Tollens ergo princeps militiæ Jeremiam, dixit ad eum: Dominus Deus tuus locutus est tibi malum hoc super locum istum:^{**} ³ et adduxit, et fecit Dominus sicut locutus est, quia peccastis Domino, et non audistis vocem ejus: et factus est vobis sermo hic.^{††}

⁴ Nunc ergo ecce solvi te hodie de catenis quæ sunt in manibus tuis: si placet tibi ut venias mecum in Babylonem, veni, et ponam oculos meos super te: si autem displicet tibi venire mecum in Babylonem, reside: ecce omnis terra in conspectu tuo est: quod elegeris, et quo placuerit tibi ut vadas, illuc perge: ⁵ et mecum noli venire, sed habita apud Godoliam filium Ahicam filii Saphan, quem præposuit rex Babylonis civitatibus Juda: habita ergo cum eo in medio populi: vel quocumque placuerit tibi ut vadas, vade. Dedit quoque ei magister militiæ cibaria et munuscula, et dimisit eum.

⁶ Venit autem Jeremias ad Godoliam filium Ahicam in Maspeth, et habitavit cum eo in medio populi qui relictus fuerat in terra. ⁷ Cumque audissent omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant per regiones, ipsi et socii eorum, quod præfecisset rex Babylonis Godoliam filium Ahicam terræ, et quod commendasset ei viros, et mulieres, et parvulos, et de pauperibus terræ, qui non fuerant translati in Babylonem, ⁸ venerunt ad Godoliam in Maspeth, et Ismahel filius Nathaniæ, et Johanan et Jonathan filii Caree, et Sareas filius Thanehumeth, et filii Ophi, qui erant de Neophathi, et Jezonias filius Maachathi, ipsi et viri eorum. ⁹ Et juravit eis Godolias filius Ahicam filii Saphan, et comitibus eorum, dicens: Nolite timere servire Chaldæis: habitate in terra, et servite regi Babylonis, et bene erit vobis. ¹⁰ Ecce ego habito in Maspeth, ut respondeam præcepto Chaldæorum qui mittuntur ad nos: vos autem colligite vindemiam, et messem, et oleum, et condite in vasis vestris, et manete in urbibus vestris quas tenetis. ¹¹ Sed et omnes Judæi qui erant in Moab, et in filiis Ammon, et in Idumæa, et in universis regionibus, audito quod dedisset rex Babylonis reliquias in Judæa, et quod præposuisset super eos Godoliam filium Ahicam filii Saphan, ¹² reversi sunt, inquam, omnes Judæi de universis locis ad quæ profugerant, et venerunt in terram Juda ad Godoliam in Maspeth, et collegerunt vinum et messem multam nimis. ¹³ Johanan autem filius Caree, et omnes principes exercitus qui dispersi fuerant in regionibus, venerunt ad Godoliam in Maspeth, ¹⁴ et dixerunt

^f39.17 *Et liberabo te. Qui sperant in Domino non confundentur* Sap. 19.. *Confundentur omnes iniqua agentes* Psal. 24.. Ecce principes qui animam Jeremiæ quærebant, captivantur. Eunuchus qui eum liberaverat perfecta potitus est libertate. Sic quoque liberatis sanctis prædicatoribus, persecutores æterna ultione punientur.

[§]40.1 *Sermo qui factus est*, etc. Quæritur quomodo hic sermo Domini, etc., usque ad juxta sermonem Domini liberatus est.

^{**}40.2 *Tollens ergo*. Descripta vastatione urbis, et interitu, et captivitate populi, et perfidia regis, sequitur quid de Jeremia factum sit, et de reliquiis populi, quas propheta monuit ex verbo Domini sedere in terra sua, et servire regi Babylonis, ipsi vero maluerunt ire in Ægyptum, ubi eos postea Nabuchodonosor trucidavit, et ipsam Ægyptum vastavit.

^{††}40.3 *Et factus est vobis*. Ex hoc etiam loco manifestum est Deum, etc., usque ad Dei vero sententiam justam prædicabant.

ei: Scito quod Baalis, rex filiorum Ammon, misit Ismahel filium Nathaniæ percutere animam tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam. ¹⁵ Johanan autem filius Caree dixit ad Godoliam seorsum in Masphath, loquens: Ibo, et percutiam Ismahel filium Nathaniæ, nullo sciente, ne interficiat animam tuam, et dissipentur omnes Judæi qui congregati sunt ad te, et peribunt reliquiæ Juda. ¹⁶ Et ait Godolias filius Ahicam ad Johanan filium Caree: Noli facere verbum hoc: falsum enim tu loqueris de Ismahel.

41 Et factum est in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ filii Elisama, de semine regali, et optimates regis, et decem viri cum eo, ad Godoliam filium Ahicam, in Masphath, et comederunt ibi panes simul in Masphath. ² Surrexit autem Ismahel filius Nathaniæ, et decem viri qui cum eo erant, et percusserunt Godoliam filium Ahicam filii Saphan gladio, et interfecerunt eum quem prafecerat rex Babylonis terræ. ³ Omnes quoque Judæos qui erant cum Godolia in Masphath, et Chaldæos qui reperti sunt ibi, et viros bellatores, percussit Ismahel. ⁴ Secundo autem die postquam occiderat Godoliam, nullo adhuc sciente, ⁵ venerunt viri de Sichem, et de Silo, et de Samaria, octoginta viri, rasi barba, et scissis vestibus, et squallentes: et munera et thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini. ⁶ Egressus ergo Ismahel filius Nathaniæ in occursum eorum de Masphath, incedens et plorans ibat: cum autem occurrisset eis, dixit ad eos: Venite ad Godoliam filium Ahicam. ⁷ Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos Ismahel filius Nathaniæ circa medium lacu, ipse et viri qui erant cum eo. ⁸ Decem autem viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismahel: Noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro, frumenti, et hordei, et olei, et mellis: et cessavit, et non interfecit eos cum fratribus suis. ⁹ Lacus autem in quem projecerat Ismahel omnia cadavera virorum quos percussit propter Godoliam, ipse est quem fecit rex Asa propter Baasa regem Israël: ipsum replevit Ismahel filius Nathaniæ occisis. ¹⁰ Et captivas duxit Ismahel omnes reliquias populi qui erant in Masphath, filias regis, et universum populum qui remanserat in Masphath, quos commendaverat Nabuzardan princeps militiæ, Godoliæ filio Ahicam: et cepit eos Ismahel filius Nathaniæ, et abiit ut transiret ad filios Ammon. ¹¹ Audivit autem Johanan filius Caree, et omnes principes bellatorum qui erant cum eo, omne malum quod fecerat Ismahel filius Nathaniæ, ¹² et assumptis universis viris, profecti sunt ut bellarent adversum Ismahel filium Nathaniæ: et invenerunt eum ad aquas multas quæ sunt in Gabaon. ¹³ Cumque vidisset omnis populus qui erat cum Ismahel Johanan filium Caree, et universos principes bellatorum qui erant cum eo, lætati sunt: ¹⁴ et reversus est omnis populus quem ceperat Ismahel, in Masphath, reversusque abiit ad Johanan filium Caree. ¹⁵ Ismahel autem filius Nathaniæ fugit cum octo viris a facie Johanan, et abiit ad filios Ammon. ¹⁶ Tulit ergo Johanan filius Caree, et omnes principes bellatorum qui erant cum eo, universas reliquias vulgi quas reduxerat ab Ismahel filio Nathaniæ de Masphath, postquam percussit Godoliam filium Ahicam: fortes viros ad prælium, et mulieres, et pueros, et

‡‡41.8 *Decem viri reperti sunt inter eos*, etc., *habemus thesaurum*. Thesaurus enim in agro, etc., usque ad Per calcaneum enim, qui finis est corporis, terminus significatur actionis.

eunuchos, quos reducerat de Gabaon.[¶] ¹⁷ Et abierunt, et sederunt peregrinantes in Chamaam, quæ est juxta Bethlehem, ut pergerent, et introirent Ægyptum, ¹⁸ a facie Chaldæorum: timebant enim eos, quia percusserat Ismahel filius Nathaniæ Godoliam filium Ahicam, quem præposuerat rex Babylonis in terra Juda.

42 Et accesserunt omnes principes bellatorum, et Johanan filius Caree, et Jezonias filius Osaïæ, et reliquum vulgus, a parvo usque ad magnum, ² dixeruntque ad Jeremiam prophetam: Cadat oratio nostra in conspectu tuo, et ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, pro universis reliquiis istis, quia derelicti sumus pauci de pluribus, sicut oculi tui nos intuentur: ³ et annuntiet nobis Dominus Deus tuus viam per quam pergamus, et verbum quod faciamus. ⁴ Dixit autem ad eos Jeremias propheta: Audivi. Ecce ego oro ad Dominum Deum vestrum secundum verba vestra: omne verbum quodcumque responderit mihi indicabo vobis, nec celabo vos quidquam. ⁵ Et illi dixerunt ad Jeremiam: Sit Dominus inter nos testis veritatis et fidei, si non juxta omne verbum in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus: ⁶ sive bonum est, sive malum, voci Domini Dei nostri, ad quem mittimus te, obediemus, ut bene sit nobis cum audierimus vocem Domini Dei nostri. ⁷ Cum autem completi essent decem dies, factum est verbum Domini ad Jeremiam, ⁸ vocavitque Johanan filium Caree, et omnes principes bellatorum qui erant cum eo, et universum populum, a minimo usque ad magnum. ⁹ Et dixit ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Israël, ad quem misistis me ut prosternerem preces vestras in conspectu ejus: ¹⁰ Si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos, et non destruam: plantabo, et non evellam: jam enim placatus sum super malo quod feci vobis. ¹¹ Nolite timere a facie regis Babylonis, quem vos pavidi formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus, quia vobiscum sum ego ut salvos vos faciam, et eruam de manu ejus: ¹² et dabo vobis misericordias, et miserebor vestri, et habitare vos faciam in terra vestra. ¹³ Si autem dixeritis vos: Non habitabimus in terra ista, nec audiemus vocem Domini Dei nostri, ¹⁴ dicentes: Nequaquam, sed ad terram Ægypti pergemus, ubi non videbimus bellum, et clangorem tubæ non audiemus, et famem non sustinebimus, et ibi habitabimus: ¹⁵ propter hoc nunc audite verbum Domini, reliquiæ Juda: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Si posueritis faciem vestram ut ingrediamini Ægyptum, et intraveritis ut ibi habitetis, ¹⁶ gladius quem vos formidatis ibi comprehendet vos in terra Ægypti: et fames, pro qua estis solliciti, adhærebit vobis in Ægypto, et ibi moriemini. ¹⁷ Omnesque viri qui posuerunt faciem suam ut ingrediantur Ægyptum, ut habitent ibi, morientur gladio, et fame, et peste: nullus de eis remanebit, nec effugiet a facie mali quod ego afferam super eos. ¹⁸ Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Sicut conflatus est furor meus et indignatio mea super habitatores Jerusalem, sic conflabitur indignatio mea super vos cum ingressi fueritis Ægyptum: et eritis in jusjurandum, et in stuporem, et in maledictum, et in opprobrium, et nequaquam ultra videbitis locum istum. ¹⁹ Verbum Domini super vos, reliquiæ Juda: Nolite intrare Ægyptum: scientes scietis, quia obtestatus sum vos hodie, ²⁰ quia decepistis animas vestras. Vos enim misistis me ad Dominum

[¶]41.16 *Tulit ergo Johanan filius Careæ et omnes principes bellatorum qui erant cum eo*, etc. Hanc fugam reliquiarum et transitum contra verbum Domini in Ægyptum quem Jeremias longa narratione hic retexuit, longe ante Isaias prædixit, centum scilicet quinquaginta annis, qui fuerunt inter Isaiam et Jeremiam, dicens: *Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceritis consilium, et non ex me* Isai. 30., etc.

Deum nostrum, dicentes: Ora pro nobis ad Dominum Deum nostrum, et juxta omnia quæcumque dixerit tibi Dominus Deus noster, sic annuntia nobis, et faciemus. ²¹ Et annuntiavi vobis hodie, et non audistis vocem Domini Dei vestri super universis pro quibus misit me ad vos. ²² Nunc ergo scientes scietis quia gladio, et fame, et peste moriemini in loco ad quem voluistis intrare ut habitaretis ibi.

43 Factum est autem, cum complesset Jeremias loquens ad populum universos sermones Domini Dei eorum, pro quibus miserat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia verba hæc, ² dixit Azarias filius Osaïæ, et Johanan filius Caree, et omnes viri superbi, dicentes ad Jeremiam: Mendacium tu loqueris: non misit te Dominus Deus noster, dicens: Ne ingrediamini Ægyptum ut habitetis illuc. ³ Sed Baruch filius Nerïæ incitat te adversum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum, ut interficiat nos, et traduci faciat in Babylonem. ⁴ Et non audivit Johanan filius Caree, et omnes principes bellatorum, et universus populus, vocem Domini, ut manerent in terra Juda. ⁵ Sed tollens Johanan filius Caree, et universi principes bellatorum, universos reliquiarum Juda, qui reversi fuerant de cunctis gentibus ad quas fuerant ante dispersi, ut habitarent in terra Juda, ⁶ viros, et mulieres, et parvulos, et filias regis, et omnem animam quam reliquerat Nabuzardan princeps militiæ cum Godolia filio Ahicam filii Saphan, et Jeremiam prophetam, et Baruch filium Nerïæ: ⁷ et ingressi sunt terram Ægypti, quia non obedierunt voci Domini, et venerunt usque ad Taphnis. ⁸ Et factus est sermo Domini ad Jeremiam in Taphnis, dicens: ⁹ Sume lapides grandes in manu tua, et abscondes eos in crypta quæ est sub muro latericio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Judæis: ¹⁰ et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Ecce ego mittam et assumam Nabuchodonosor regem Babylonis, servum meum: et ponam thronum ejus super lapides istos quos abscondi, et statuet solium suum super eos: ¹¹ veniensque percutiet terram Ægypti, quos in mortem, in mortem, et quos in captivitatem, in captivitatem, et quos in gladium, in gladium: ¹² et succendet ignem in delubris deorum Ægypti, et comburet ea, et captivos ducet illos, et amicietur terra Ægypti sicut amicitur pastor pallio suo, et egredietur inde in pace: ¹³ et conteret statuas domus solis quæ sunt in terra Ægypti, et delubra deorum Ægypti comburet igni.

44 Verbum quod factum est per Jeremiam ad omnes Judæos qui habitabant in terra Ægypti, habitantes in Magdalo, et in Taphnis, et in Memphis, et in terra Phatures, dicens: ² Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Vos vidistis omne malum istud quod adduxi super Jerusalem, et super omnes urbes Juda: et ecce desertæ sunt hodie, et non est in eis habitator, ³ propter malitiam quam fecerunt ut me ad iracundiam provocarent, et irent ut sacrificarent, et colerent deos alienos quos nesciebant, et illi, et vos, et patres vestri. ⁴ Et misi ad vos omnes servos meos prophetas, de nocte consurgens, mittensque et dicens: Nolite facere verbum abominationis hujusmodi, quam odivi. ⁵ Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, ut converterentur a malis suis, et non sacrificarent diis alienis. ⁶ Et conflata est indignatio mea et furor meus, et succensa est in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem: et versæ sunt in solitudinem et vastitatem secundum diem hanc. ⁷ Et nunc hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Quare vos facitis malum grande hoc contra animas vestras, ut intereat ex vobis vir et mulier, parvulus et lactens, de medio Judæ, nec relinquatur vobis quidquam residuum: ⁸ provocantes me in operibus manuum vestrarum, sacrificando diis alienis in terra Ægypti, in quam ingressi estis ut habitetis

ibi: et dispereatis, et sitis in maledictionem et in opprobrium cunctis gentibus terræ? ⁹ Numquid obliti estis mala patrum vestrorum, et mala regum Juda, et mala uxorum ejus, et mala vestra, et mala uxorum vestrarum, quæ fecerunt in terra Juda, et in regionibus Jerusalem? ¹⁰ Non sunt mundati usque ad diem hanc: et non timuerunt, et non ambulaverunt in lege Domini, et in præceptis meis quæ dedi coram vobis et coram patribus vestris. ¹¹ Ideo hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum: et disperdam omnem Judam. ¹² Et assumam reliquias Judæ, qui posuerunt facies suas ut ingrederentur terram Ægypti, et habitarent ibi, et consumentur omnes in terra Ægypti: cadent in gladio, et in fame, et et consumentur a minimo usque ad maximum: in gladio et in fame morientur, et erunt in jusjurandum, et in miraculum, et in maledictionem, et in opprobrium. ¹³ Et visitabo super habitatores terræ Ægypti sicut visitavi super Jerusalem, in gladio, et fame, et peste: ¹⁴ et non erit qui effugiat, et sit residuus de reliquiis Judæorum qui vadunt ut peregrinentur in terra Ægypti, et revertantur in terram Juda, ad quam ipsi elevant animas suas ut revertantur, et habitent ibi: non revertentur, nisi qui fugerint. ¹⁵ Responderunt autem Jeremiæ omnes viri scientes quod sacrificarent uxores eorum diis alienis, et universæ mulieres quarum stabat multitudo grandis, et omnis populus habitantium in terra Ægypti in Phatures, dicentes:^{§§} ¹⁶ Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: ¹⁷ sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cæli, et libemus ei libamina, sicut fecimus nos et patres nostri, reges nostri et principes nostri, in urbibus Juda, et in plateis Jerusalem: et saturati sumus panibus, et bene nobis erat, malumque non vidimus. ¹⁸ Ex eo autem tempore quo cessavimus sacrificare reginæ cæli, et libare ei libamina, indigemus omnibus, et gladio et fame consumpti sumus. ¹⁹ Quod si nos sacrificamus reginæ cæli, et libamus ei libamina, numquid sine viris nostris fecimus ei placentas ad colendum eam, et libandum ei libamina? ²⁰ Et dixit Jeremias ad omnem populum, adversum viros, et adversum mulieres, et adversum universam plebem, qui responderant ei verbum, dicens: ²¹ Numquid non sacrificium quod sacrificastis in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem, vos et patres vestri, reges vestri, et principes vestri, et populus terræ, horum recordatus est Dominus, et ascendit super cor ejus? ²² Et non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum, et propter abominationes quas fecistis: et facta est terra vestra in desolationem, et in stuporem, et in maledictum, eo quod non sit habitator, sicut est dies hæc. ²³ Propterea quod sacrificaveritis idolis, et peccaveritis Domino, et non audieritis vocem Domini, et in lege, et in præceptis, et in testimoniis ejus non ambulaveritis, idcirco evenerunt vobis mala hæc, sicut est dies hæc. ²⁴ Dixit autem Jeremias ad omnem populum, et ad universas mulieres: Audite verbum Domini, omnis Juda qui estis in terra Ægypti. ²⁵ Hæc inquit Dominus exercituum, Deus Israël, dicens: Vos et uxores vestræ locuti estis ore vestro, et manibus vestris implestis, dicentes: Faciamus vota nostra quæ vovimus, ut sacrificemus reginæ cæli, et libemus

§§44.15 *Responderunt autem Jeremiæ*, etc. Stulta responsio. Confitentur eum loqui in nomine Domini, et non acquiescunt, sed sequuntur pravitatis suæ consilium. Mystice. Omnes hæretici in Ægypto hujus mundi. Id est, in tenebris erroris constituti, sacrificia non Deo vero, sed dæmonibus offerunt, cum figmenta et prava dogmata ad decipiendos homines et fidem subvertendam scribunt. Ideo venient super eos mala, et erunt in desolationem et in stuporem.

ei libamina. Implestis vota vestra, et opere perpetrastis ea. ²⁶ Ideo audite verbum Domini, omnis Juda qui habitatis in terra Ægypti: Ecce ego juravi in nomine meo magno, ait Dominus, quia nequaquam ultra vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Judæi, dicentis: Vivit Dominus Deus, in omni terra Ægypti. ^{*} ²⁷ Ecce ego vigilabo super eos in malum, et non in bonum: et consumentur omnes viri Juda qui sunt in terra Ægypti gladio et fame, donec penitus consumantur. ²⁸ Et qui fugerint gladium, revertentur de terra Ægypti in terram Juda viri pauci: et scient omnes reliquiæ Juda, ingredientium terram Ægypti ut habitent ibi, cujus sermo compleatur, meus an illorum. ²⁹ Et hoc vobis signum, ait Dominus, quod visitem ego super vos in loco isto, ut sciatis quia vere complebuntur sermones mei contra vos in malum: ³⁰ hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Ægypti in manu inimicorum ejus, et in manu quærentium animam illius, sicut tradidi Sedeciam regem Juda in manu Nabuchodonosor regis Babylonis inimici sui, et quærentis animam ejus.

45 Verbum quod locutus est Jeremias propheta ad Baruch filium Nerix, cum scripsisset verba hæc in libro ex ore Jeremiæ, anno quarto Joakim filii Josiæ regis Juda, dicens: [†] ² Hæc dicit Dominus Deus Israël ad te, Baruch: ³ Dixisti: Væ misero mihi ! quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni. ⁴ Hæc dicit Dominus: Sic dices ad eum: Ecce quos ædificavi, ego destruo, et quos plantavi, ego evello, et universam terram hanc: ⁵ et tu quæris tibi grandia? noli quærerere, quia ecce ego adducam malum super omnem carnem, ait Dominus, et dabo tibi animam tuam in salutem in omnibus locis ad quæcumque perrexeris.

46 Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam contra gentes. [‡] ² Ad Ægyptum, adversum exercitum Pharaonis Nechao regis Ægypti, qui erat juxta fluvium Euphraten in Charcamis, quem percussit Nabuchodonosor rex Babylonis, in quarto anno Joakim filii Josiæ regis Juda. ³ [Præparate scutum et clypeum, et procedite ad bellum. ⁴ Jungite equos, et ascendite, equites: state in galeis, polite lanceas, induite vos loriceis. ⁵ Quid igitur? vidi ipsos pavidos, et terga vertentes, fortes

^{*}44.26 **Vivit Dominus**, etc. Contradicit propheta ex sermone Domini ne nomen ejus vocetur ore Judæorum in terra Ægypti, quoniam qui contra Dei præceptum illum pertransierant, protectionem Domini ibidem habere non debebant. Mystice autem non vocatur nomen Domini ore hæreticorum in terra Ægypti: quia nec sermo eorum nec oratio, dum in errore sunt, accepta est Deo. **Non enim est pulchra laus in ore peccatoris** Eccl. 15.. Qui ergo in errore perseveraverint, peribunt gladio districti judicii. Qui autem, relicto errore, de Ægypto in terram Juda redierint pœnitentes: et deinceps catholicam fidem tenentes salvabuntur.

[†]45.1 **Verbum quod locutus est Jeremias**, etc. Rudis adhuc in tolerantia passionum quas experturus erat Baruch, expavit captivitatis calamitatem quæ tempore Joachim filii Josiæ regis Juda imminebat, unde conqueritur dolorem additum dolori suo, cui responsum est a Domino quia superflue quærat sibi pacem, cum totus populus laboret sub fasce tribulationum. Significat autem eos qui in pressura tribulationum vel persecutionum, quibus in præsentī Ecclesia gravatur, pusillanimitate titubant, quærentes consolationem, quæ in futuro promittitur. Unde: **Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium** Joan. 16..

[‡]46.1 **Quod factum est verbum**, etc. RAB. Hactenus propheta mistim de Juda et Israël, de Chaldæis et Ægyptiis pro convenientia narrationis egit, etc., usque ad anno Joachim filii Josiæ quando Pharaon Nechao rex Ægypti in Charchamis cum Nabuchodonosor pugnavit, et superatus est.

eorum cæsos: fugerunt conciti, nec respexerunt: terror undique, ait Dominus. ⁶ Non fugiat velox, nec salvari se putet fortis: ad aquilonem juxta flumen Euphraten victi sunt, et ruerunt. ⁷ Quis est iste, qui quasi flumen ascendit, et veluti fluviorum intumescunt gurgites ejus? ⁸ Ægyptus fluminis instar ascendit, et velut flumina movebuntur fluctus ejus, et dicet: Ascendens operiam terram: perdam civitatem, et habitatores ejus. ⁹ Ascendite equos, et exsultate in curribus, et procedant fortes, Æthiopia et Libyes tenentes scutum, et Lydii arripientes et jacentes sagittas. ¶ ¹⁰ Dies autem ille Domini Dei exercituum dies ultionis, utumat vindictam de inimicis suis: devorabit gladius, et saturabitur, et inebriabitur sanguine eorum: victima enim Domini Dei exercituum in terra aquilonis juxta flumen Euphraten. ¹¹ Ascende in Galaad, et tolle resinam, virgo filia Ægypti: frustra multiplicas medicamina: sanitas non erit tibi. § ¹² Audierunt gentes ignominiam tuam, et ululatus tuus replevit terram: quia fortis impexit in fortem, et ambo pariter conciderunt.]*** ¹³ Verbum quod locutus est Dominus ad Jeremiam prophetam, super eo quod venturus esset Nabuchodonosor rex Babylonis, et percussurus terram Ægypti: ¹⁴ [Annuntiate Ægypto, et auditum facite in Magdalo, et resonet in Memphis, et in Taphnis: dicite: Sta, et præpara te, quia devorabit gladius ea quæ per circuitum tuum sunt. †† ¹⁵ Quare computruit fortis tuus? non stetit, quoniam Dominus subvertit eum. ¹⁶ Multiplicavit ruentes, ceciditque vir ad proximum suum, et dicent: Surge, et revertamur ad populum nostrum, et ad terram nativitatiss nostræ, a facie gladii columbæ. ¹⁷ Vocate nomen Pharaonis regis Ægypti: tumultum adduxit tempus. ¹⁸ Vivo ego, inquit Rex (Dominus exercituum nomen ejus), quoniam sicut Thabor in montibus, et sicut Carmelus in mari, veniet. ‡‡ ¹⁹ Vasa transmigrations fac tibi, habitatrix filia Ægypti: quia Memphis in solitudinem erit, et deseretur, et inhabitabilis erit. ²⁰ Vitula elegans atque formosa Ægyptus, stimulator ab aquilone veniet ei. ¶¶ ²¹ Mercenarii quoque ejus, qui versa-

¶46.9 **Ascendite equos.** ID. Hæretici et schismatici ex diversis provinciis orti, frustra disponunt contra civitatem Dei bella, etc., usque ad cum traduntur in manus ejus qui solium suum posuit ad Aquilonem, ut mittat eos in stagnum ignis et sulphuris.

§46.11 **Ascende in Galaad.** HIER. Mons est ad quem septima die venit Jacob, de Charram fugiens: est autem ad tergium Phœnicis et Arabiæ collibus Libani copulatus, extenditurque per desertum usque ad trans Jordanem ubi habitavit Seon rex Amorrhæorum. Cecidit autem in sortem filiorum Ruben et Gad, et dimidiæ tribus Manasse. **Tolle resinam.** RAB. Græci, vocant; enim dicitur de eo quod manat, etc., usque ad quia non accipient ab eis sanitatem, sed confusionem.

46.12 **Audierunt gentes. ID. Quia frustrato solatio idolorum, etc., usque ad non victoriam veritatis accipiunt, sed errore captivi pariter in foveam perditionis cadunt.

††46.14 **Annuntiate Ægypto.** Quasi dicat: Vos qui audistis vaticinium meum, nuntiate Pharaoni quia prope est tempus et tumultus belli.

‡‡46.18 **Quoniam sicut Thabor.** Hoc est ex comparatione locorum frugiferorum, quasi in mari submersorum, grandem Ægyptiorum potestis intelligere ruinam. HIER. Thabor terminus est Zabulon, mons in medio Galilææ campo, mira rotunditate sublimis: distans a Diocæsaræa decem millibus contra orientalem plagam. Qui confinium quoque inter tribus Issachar et Nephthalim fuit Carmelus, ubi Nabal Carmelus fuit et nunc villa est Carmela nomine, decimo lapide oppidi Chebron, vergens ad orientalem plagam ubi Romanorum præsidium est. RAB. Mystice autem, quia Thabor, etc., usque ad in hujus sæculi mare demersi, et in damnatione perpetua.

¶¶46.20 **Vitula.** Quia Ægyptia plebs in deliciis nutrita, indomita, lasciva, jugum disciplinæ recusavit.

bantur in medio ejus quasi vituli saginati, versi sunt, et fugerunt simul, nec stare potuerunt: quia dies interfectionis eorum venit super eos, tempus visitationis eorum.^{§§ 22} Vox ejus quasi æris sonabit: quoniam cum exercitu properabunt, et cum securibus venient ei quasi cædentes ligna.²³ Succiderunt saltum ejus, ait Dominus, qui supputari non potest: multiplicati sunt super locustas, et non est eis numerus.²⁴ Confusa est filia Ægypti, et tradita in manu populi aquilonis.²⁵ Dixit Dominus exercituum, Deus Israël: Ecce ego visitabo super tumultum Alexandriæ, et super Pharaonem, et super Ægyptum, et super deos ejus, et super reges ejus, et super Pharaonem, et super eos qui confidunt in eo:²⁶ et dabo eos in manu quærentium animam eorum, et in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu servorum ejus: et post hæc habitabitur sicut diebus pristinis, ait Dominus.^{*} ²⁷ Et tu ne timeas, serve meus Jacob, et ne paveas, Israël: quia ecce ego salvum te faciam de longinquo, et semen tuum de terra captivitatis tuæ: et revertetur Jacob, et requiescet, et prosperabitur, et non erit qui exterreat eum.[†] ²⁸ Et tu noli timere, serve meus Jacob, ait Dominus, quia tecum ego sum: quia ego consumam cunctas gentes ad quas ejeci te, te vero non consumam: sed castigabo te in iudicio, nec quasi innocenti parcam tibi.]

47 Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam contra Palæstinos, antequam percuteret Pharaon Gazam.^{‡ 2} [Hæc dicit Dominus: Ecce aquæ ascendunt ab aquilone, et erunt quasi torrens inundans, et operient terram et plenitudinem ejus, urbem et habitatores ejus. Clamabunt homines, et ululabunt omnes habitatores terræ,³ a strepitu pompæ armorum, et bellatorum ejus, a commotione quadrigarum ejus, et multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis,⁴ pro adventu diei in quo vastabuntur omnes Philistiim, et dissipabitur Tyrus et Sidon cum omnibus reliquis auxiliis suis: depopulatus est enim Dominus Palæstinos, reliquias insulæ Cappadociæ.^{¶ 5} Venit calvitium super

§§46.21 *Mercenarii*. RAB. Principes Ægyptiorum non pastores, sed mercenarios vocat, etc., *usque ad Mercenarius autem, et qui non est pastor, cum videt lupum venientem, dimittit oves, et fugit* Joan. 10..

*46.26 *Et post hæc*, etc. ID. Licet videatur intimare regnum Ægyptiorum non irreparabiliter a Nabuchodonosor esse destructum, etc., *usque ad: Percutiet Dominus Ægyptum plaga et sanabit eam* Isa. 19., etc.

†46.27 *Et tu noli timere*, etc. Hæc promissio non bene convenit Judæis: qui toto orbe dispersi, etc., *usque ad: Quia ex parte cæcitas contigit in Israël, et cum plenitudo gentium subintraverit, tunc omnis Israël salvus fiet* Rom. 11..

‡47.1 *Quod factum est verbum*, etc. Jeremias sicut Isaias et Ezechiel vicinis nationibus plagas venturas prædicit, quia populum Dei infestabant, et in illius adversitate gaudebant. Palæstinis ergo, sicut ante Ægyptiis, prænuuntiant captivitatem venturam.

¶47.4 *Et dissipabitur*. Ostendit Tyrum et Sidonem ad Palæstinos attinere, licet Tyrus in sortem Nephthalim ceciderit, et Sidon terminus Chananæorum in sortem Aser: sed non eam possedit, quia hostes expellere non valuit. *Reliquias insulæ Cappadociæ*. In qua habitabant Cappadoces pristinis cultoribus interfectis. Hæc est terminus Chananæorum juxta Ægyptum, ceciditque in sortem Judæ: sed eam non obtinuit, quia Enachim, id est, gigantes allophylorum fortissime restiterunt: et est usque hodie insignis civitas Palæstinæ, quamvis de ea prophetatum sit *Gaza futura est in tumulum sempiternum*: sed ubi prius fuit vix ulla remanent vestigia, in alio enim loco ædificata est.

Gazam; conticuit Ascalon, et reliquiæ vallis earum: usquequo concideris?[§] 6 O mucro Domini, usquequo non quiesces? ingredi in vaginam tuam, refrigerare, et sile. 7 Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem, et adversus maritimas ejus regiones, ibique condixerit illi?]**

48 Ad Moab. [Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Væ super Nabo, quoniam vastata est, et confusa ! capta est Cariathaim, confusa est fortis, et tremuit.†† 2 Non est ultra exultatio in Moab contra Hesebon: cogitaverunt malum: Venite, et disperdamus eam de gente. Ergo silens conticesces, sequeturque te gladius. 3 Vox clamoris de Oronaim, vastitas et contritio magna. 4 Contrita est Moab: annuntiate clamorem parvulis ejus. 5 Per ascensum enim Luith plorans ascendet in fletu, quoniam in descensu Oronaim hostes ululatum contritionis audierunt. 6 Fugite, salvate animas vestras, et eritis quasi myricæ in deserto:‡‡ 7 pro eo enim quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis et in thesauris tuis, tu quoque capieris: et ibit Chamos in transmigrationem, sacerdotes ejus et principes ejus simul. 8 Et veniet prædo ad omnem urbem, et urbs nulla salvabitur: et peribunt valles, et dissipabuntur campes tria, quoniam dixit Dominus: 9 Date florem Moab, quia florens egredietur: et civitates ejus desertæ erunt, et inhabitabiles.¶¶ 10 Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, et maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine. §§ 11 Fertilis fuit Moab ab

§47.5 *Venit*, etc. RAB. Hæreticis et schismaticis et omnibus Ecclesiæ hostibus plagam venturam significat, etc., usque ad Per libidinem enim carnalium mentes exurit: sed novissimo præcipitabitur.

**47.7 *Quomodo quiescet*, etc. Quasi dicat: Non potest gladius quiescere, nisi Domino jubente cujus vindictam exercet, vel: Quasi ex persona afflictorum ad gladium Domini locutus erat, sed hic respondet in persona sua.

††48.1 *Ad Moab hæc dicit Dominus*, etc. RAB. Sicut est circumcisio carnalis et spiritualis: sic Moab carnalis et spiritualis. Moab interpretatur, etc., usque ad Est autem Moab provincia Arabum, Nabo civitas nobilis, in qua erat Chamos idolum, quod et Beelphegor.

‡‡48.6 *Salvate animas vestras*. Qui volunt salvare animam suam fugiant veruram doctrinam philosophorum et hæreticorum, ubi certus est interitus: et per humilitatem confessionis agant pœnitentiam erroris in deserto districtæ abstinentiæ maneantque in simplicitate et veritate catholicæ doctrinæ.

¶¶48.9 *Date florem*, etc. Qui inventionem humanam et in sæculari scientia florere videbatur, in desertum et in solitudinem redigetur. Quia vero displicet Deo omnis hypocrisis, ut sequens sententia ostendit:

§§48.10 *Maledictus qui facit*, etc. Necessè est enim ut non solum intueamur quod agimus, sed etiam qua discretione agimus. *Maledictus*. RAB. Desidia per torporem nascitur, fraus per privatam dilectionem, etc., usque ad sæpe desidia interveniente deficiunt, et frigescente amore tabefiunt. *Et maledictus*. Potest hæc maledictio omnibus convenire qui fluxum sæculi sequuntur, et corpora sua castigare et servituti subjicere negligunt, secundum illud: *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt* Galat. 5., etc. *Quia sine sanguinis effusione non fit remissio peccatorum. Caro enim et sanguis regnum Dei non possidebunt* II Cor. 15.. Maledictus ergo qui prohibet gladium, id est, verbum Dei a sanguine: quo scilicet animatur materia peccatorum; fundendum est quidquid in membris nostris carnale et terrenum inolevit et reseccandum gladium verbi Dei. GREG. Gladium a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere, de quo dicitur: *Gladius meus devorabit carnes* Isa. 1.. Hinc Paulus ait, *Contestor hodie quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis* Act. 10..

adolescentia sua, et requievit in fœcibus suis: nec transfusus est de vase in vas, et in transmigrationem non abiit: idcirco permansit gustus ejus in eo, et odor ejus non est immutatus.* ¹² Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam ei ordinatores et stratores laguncularum: et sternent eum, et vasa ejus exhaurient, et lagunculas eorum collident.† ¹³ Et confundetur Moab a Chamos sicut confusa est domus Israël a Bethel, in qua habebat fiduciam. ¹⁴ Quomodo dicitis: Fortes sumus, et viri robusti ad præliandum? ¹⁵ Vastata est Moab, et civitates illius succiderunt, et electi juvenes ejus descenderunt in occisionem, ait Rex: Dominus exercituum nomen ejus. ¹⁶ Prope est interitus Moab ut veniat, et malum ejus velociter accurret nimis. ¹⁷ Consolamini eum, omnes qui estis in circuitu ejus: et universi qui scitis nomen ejus, dicite: Quomodo confracta est virga fortis, baculus gloriosus?‡ ¹⁸ Descende de gloria, et sede in siti, habitatio filiæ Dibon, quoniam vastator Moab ascendit ad te: dissipavit munitiones tuas. ¹⁹ In via sta, et prospice, habitatio Aroër: interroga fugientem, et ei qui evasit dic: Quid accidit? ²⁰ Confusus est Moab, quoniam victus est. Ululate, et clamate: annuntiate in Arnon, quoniam vastata est Moab, ²¹ et judicium venit ad terram campestem, super Helon, et super Jasa, et super Mephaath, ²² et super Dibon, et super Nabo, et super domum Deblathaim, ²³ et super Cariathaim, et super Bethgamul, et super Bethmaon, ²⁴ et super Carioth, et super Bosra, et super omnes civitates terræ Moab, quæ longe et quæ prope sunt. ²⁵ Abscissum est cornu Moab, et brachium ejus contritum est, ait Dominus.¶ ²⁶ Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus est: et allidet manum Moab in vomitu suo, et erit in derisum etiam ipse. ²⁷ Fuit enim in derisum tibi Israël: quasi inter fures reperisses eum: propter verba ergo tua quæ adversum illum locutus es, captivus duceris. ²⁸ Relinquire civitates, et habitate in petra, habitatores Moab: et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. ²⁹ Audivimus superbiam Moab: superbus est valde: sublimitatem ejus, et arrogantiam, et superbiam, et altitudinem cordis ejus.§ ³⁰ Ego scio, ait Dominus, jaculantiam ejus, et quod non sit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poterat conata sit facere. ³¹ Ideo super Moab ejulabo, et ad Moab universam clamabo, ad viros muri

*48.11 **Fertilis.** Ostenditur Moab ex abundantia in odium et elationem venisse, et populum Dei afflictum despexisse, quia nihil afflictionis vel captivitatis patiebatur.

†48.12 **Mittam ei,** etc. RAB. Quicumque in humana philosophia confidunt despicientes Ecclesiæ fidem et doctrinam simplicem, etc., usque ad tunc ibunt cum diabolo et angelis ejus in ignem æternum. Justi autem in vitam æternam.

‡48.17 **Consolamini.** Ironice vel ad pœnitentiam provocat, ut per satisfactionem congruam evadant miseriam. Mystice. Sapientes hujus mundi et hæretici, quos Moab significat, si stultitiam non correxerint ad fidem catholicam conversi, veniet illis ruina et vastatio omnibus urbibus eorum, id est, diversis sectis. Quæ enim longe vel prope a veritate distant, lucente Evangelio subvertentur.

¶48.25 **Abscissum.** HIER. Sicut contra Babylonem et Philistiim vaticinatus est, etc., usque ad quidquid ad terrenam scientiam pertinet et putatur robustum, subvertitur, ut nihil probetur quod fortissimum putabatur.

§48.29 **Audivimus.** Quia in priori commate errantes ad pœnitentiam provocabat, et ad Christum converti monebat; ut in ejus fide perpetuo manerent; nunc incorrigibiles plurimos et obstinatos agnoscens, ex persona eorum, qui de Moab salvati sunt, et experimento suo ejus superbiam didicerunt, ait: **Audivimus superbiam Moab,** etc. Et Moab superbiam arguit, quia plus effertur quam possit, vel poscat ejus fortitudo.

fictilis lamentantes:** 32 de planctu Jazer plorabo tibi, vinea Sabama. Propagines tuæ transierunt mare; usque ad mare Jazer pervenerunt: super messem tuam et vindemiam tuam prædo irruit.†† 33 Ablata est lætitia et exsultatio de Carmelo et de terra Moab, et vinum de torcularibus sustuli: nequaquam calcator uvæ solitum celeuma cantabit. 34 De clamore Hesebon usque Eleale et Jasa, dederunt vocem suam; a Segor usque ad Oronaim, vitula contornante: aquæ quoque Nemrim pessimæ erunt.‡‡ 35 Et auferam de Moab, ait Dominus, offerentem in excelsis, et sacrificantem diis ejus.¶¶ 36 Propterea cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit, et cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiæ: quia plus fecit quam potuit, idcirco perierunt. 37 Omne enim caput calvitium, et omnis barba rasa erit: in cunctis manibus colligatio, et super omne dorsum cilicium:§§ 38 super omnia tecta Moab, et in plateis ejus, omnis planctus: quoniam contrivi Moab sicut vas inutile, ait Dominus.* 39 Quomodo victa est, et ululaverunt? quomodo dejecit cervicem Moab, et confusus est? eritque Moab in derisum, et in exemplum omnibus in circuitu suo. 40 Hæc dicit Dominus: Ecce quasi aquila volabit, et extendet alas suas ad Moab. 41 Capta est Carioth, et munitiones comprehensæ sunt: et erit cor fortium Moab in die illa sicut cor mulieris parturientis,† 42 et cessabit Moab esse populus, quoniam contra Dominum gloriatus est. 43 Pavor, et fovea, et laqueus super te, o habitator Moab, dicit Dominus. 44 Qui fugerit a facie pavoris cadet in foveam, et qui conscenderit de fovea capietur laqueo: adducam enim super Moab annum visitationis eorum, ait Dominus. 45 In umbra Hesebon steterunt de laqueo fugientes, quia ignis egressus est de Hesebon, et flamma de

** 48.31 *Ideo super Moab ejulabo.* Potentiam pristinæ felicitatis et plagam repentinae subversionis ostendit. *Moab universam clamabo.* Quæ interpretatur *fortitudo eorum*, et significat fortissima hæreticorum dogmata dialectice constructa, in quibus videbatur esse fortitudo erroris.

†† 48.32 *Plorabo tibi, vinea Sabama.* Tempestatem hujus sæculi. Videtur enim significare aliquos de Moab ad Dominum converti velle. Sabama enim *conversio* aliqua interpretatur. *Vinea Sabama*, etc. Attollens altitudinem, quia superbia turrim ad cælum conatur erigere.

‡‡ 48.34 *A Segor usque ad Oronaim.* Segor urbs quæ Mortuo mari imminet, ubi terminus Moabitarum. Indicat ergo, quia usque ad extremos fines provinciæ ululatus personabit. De quo Isaias: *Vectes ejus usque Segor vitulam consternantem* Isa. 15., id est, perfectæ ætatis. Sicut enim in hominibus tricesimus annus, ita in pecudibus et jumentis annus tertius robustissimus est. *Aquæ quoque Nemrim.* Isaias: *Aquæ enim Nemrim desertæ erunt* Isa. 15., etc. Et quæ hic minus dicuntur, in Isaiâ plene exponuntur. Est enim Nimrim oppidum super mare Mortuum.

¶¶ 48.35 *Et auferam de Moab.* Intereunte secta humanæ sapientiæ, cessavit pompa et clamor verborum, ut philosophi nec hæretici de Ecclesia egressi aliquid inveniant in doctrina sua quod humanæ vitæ utile sit.

§§ 48.37 *Omne enim caput calvitium.* RAB. Apud antiquos barbæ capitisque rasura luctus indicium fuit, etc., usque ad hinc Isaias: *In cunctis capitibus ejus calvitium, omnis barba radetur* Isa. 15..

* 48.38 *Quoniam contrivi Moab.* Omnis doctrina philosophorum et hæreticorum, quia fragilis est et inutilis, a veritate conteritur et dissipatur.

† 48.41 *Et erit cor fortium Moab.* Bene cor Moab cordi mulieris parturientis comparat; quia de magna luxuria ad magnam pervenitur tristitiam.

medio Seon: et devorabit partem Moab, et verticem filiorum tumultus.‡ 46 Væ tibi, Moab: periisti, popule Chamos, quia comprehensi sunt filii tui et filiæ tuæ in captivitatē.¶ 47 Et convertam captivitatē Moab in novissimis diebus, ait Dominus.] Hucusque iudicia Moab.§

49 Ad filios Ammon. [Hæc dicit Dominus: Numquid non filii sunt Israël, aut hæres non est ei? cur igitur hæreditate possedit Melchom Gad, et populus ejus in urbibus ejus habitavit?*** 2 Ideo ecce dies veniunt, dicit Dominus, et auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum prælii, et erit in tumultum dissipata, filiæque ejus igni succendentur, et possidebit Israël possessores suos, ait Dominus.†† 3 Ulula, Hesebon, quoniam vastata est Hai; clamate, filiæ Rabbath: accingite vos ciliciis, plangite et circuite per sepes, quoniam Melchom in transmigrationem ducetur, sacerdotes ejus et principes ejus simul. 4 Quid gloriaris in vallibus? defluxit vallis tua, filia delicata, quæ confidebas in thesauris tuis, et dicebas: Quis veniet ad me? 5 Ecce ego inducam super te terrorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui sunt in circuitu tuo: et dispergemini singuli a conspectu vestro, nec erit qui congreget fugientes. 6 Et post hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon, ait Dominus.]‡‡ 7 Ad Idumæam. [Hæc dicit Dominus exercituum: Numquid non ultra est sapientia in Theman? periit consilium a filiis; inutilis facta est sapientia eorum.¶¶ 8 Fugite, et terga vertite; descendite in voraginem, habitatores Dedan: quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis ejus. 9 Si vindemiatores venissent su-

‡48.45 *In umbra Hesebon steterunt.* Quia in ejus munitione sperabat sibi solatium, sed frustra: quia ignis vindictæ verticem tumultus filiorum Moab justo iudice retribuentem oppressit.

¶48.46 *Væ tibi, Moab.* Quia nec munitio urbium, nec virtus idolorum valuit te defendere: sic erit perpetuum væ his qui confidunt in sapientia humana, et serviunt erroribus diversis.

§48.47 *Et convertam captivitatē Moab.* Videtur tempus gratiæ significare, in quo *quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit* Joel. 2..

**49.1 *Ad filios.* Post Moab ad filios Ammon verba vertuntur, et increpantur, quod ausi sunt terram Israël invadere, unde et eis ultio digna prænuntiatur, et Israël possessores suos prædicatur possessorus.

††49.2 *Filiæ Rabbath.* Metropolis Moabitarum, quæ nunc Ariopolis dicitur, composito nomine ex Hebræo et Græco, quod, id est, Martis civitas vocetur.

‡‡49.6 *Et post hæc.* Quia post conversionem hæreticorum ad fidem rectam, captivitas peccati dissolvitur, recipiuntur in communionem Ecclesiæ, unde exierant. *Et captivos.* Possumus per filios Ammon, qui de Loth in spelunca, et in ebrietate, et incestu generati sunt hæreticos accipere, secundum illud, *Ex nobis exierunt, sed ex nobis non erant* Joan. 2..

¶¶49.7 *Ad Idumæam.* RAB. Tropologice Idumæa terrena et carnea delectatio, quæ consurgit adversus spiritum, ut non faciamus ea quæ sunt spiritus, et animam, etc., usque ad Cum enim spiritui caro subjecta fuerit, Idumæa transibit in Judæam, et caro serviet rationi.

per te, non reliquissent racemum: si fures in nocte rapuissent quod sufficeret sibi.^{§§}
¹⁰ Ego vero discooperui Esau: revelavi abscondita ejus, et celari non poterit: vastatum est semen ejus, et fratres ejus, et vicini ejus, et non erit. ¹¹ Relinque pupillos tuos: ego faciam eos vivere: et viduæ tuæ in me sperabunt. ¹² Quia hæc dicit Dominus: Ecce quibus non erat iudicium ut biberent calicem, bibentes bibent: et tu, quasi innocens relinqueris? non eris innocens, sed bibens bibes. ¹³ Quia per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quod in solitudinem, et in opprobrium, et in desertum, et in maledictionem erit Bosra, et omnes civitates ejus erunt in solitudines sempiternas. ¹⁴ Auditum audivi a Domino, et legatus ad gentes missus est: Congregamini, et venite contra eam, et consurgamus in prælium.* ¹⁵ Ecce enim parvulum dedi te in gentibus, contemptibilem inter homines.† ¹⁶ Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui, qui habitas in cavernis petræ, et apprehendere niteris altitudinem colli: cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.‡
¹⁷ Et erit Idumæa deserta: omnis qui transibit per eam stupebit, et sibilabit super omnes plagas ejus. ¹⁸ Sicut subversa est Sodoma et Gomorrha, et vicinæ ejus, ait Dominus: non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis. ¹⁹ Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam, quia subito currere faciam eum ad illam. Et quis erit electus, quem præponam ei? quis enim similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor, qui resistat vultui meo?¶ ²⁰ Propterea audite consilium Domini quod iniit de Edom, et cogitationes ejus quas cogitavit de habitatoribus Theman: si non dejecerint eos parvuli gregis, nisi dissipaverint cum eis habitaculum eorum. ²¹ A voce ruinæ eorum commota est terra; clamor in mari Rubro auditus est vocis ejus. § ²² Ecce quasi aquila ascendet, et avolabit, et expandet alas suas super Bosran: et erit cor fortium Idumææ in die illa quasi cor mulieris parturientis.] ²³ Ad Damascum. [Confusa est Emath et Arphad, quia auditum pes-

§§49.9 *Si fures.* Hæretici qui furantur sufficientiam sibi, et quotidie aliquos de Ecclesia rapiunt, ingredienti vineam Domini, quam de Ægypto transtulit, cupiunt universa populari, ut vix racemum in ea relinquant. Sed Dominus e contra omnia secreta eorum, et patriarcharum Esau (qui primas scilicet hæreses invenerunt) viros ecclesiasticos et doctores profert in medium. Et prima illius victoria est patefacere quæ tegebantur. HIER. Contra Judæos factus est sermo, qui Christianis invident, etc., usque ad ut mortificantes membra nostra (fornicationem, scilicet immunditiam, et hujusmodi) æternam in Christo victoriam consequamur.

*49.14 *Audivi.* Hæc sententia in Abdia pene eisdem verbis continetur, et multa hujus capituli.

†49.15 *Ecce enim.* RAB. Quasi dicat: O Edom, qui minor es inter omnes in circuitu nationes, etc., usque ad inde te detraherem, et ad terram reducerem cæterarum gentium. *Parvulum dedi te in gentibus.* O hæretice, licet magnus tibi videaris, et contemnas parvitatem Ecclesiæ, parvus tamen es et contemptibilis.

‡49.16 *Cum exaltaveris,* etc. RAB. Quia hæretici altitudinem et similitudinem aquilarum pollicentur sibi, quæ ad cadaver Dominicum congregantur, etc., usque ad Quod autem contra hæreticos et carnem dictum est, contra Judæos quoque intelligi potest.

¶49.19 *Ecce quasi leo.* ID. Sicut Dominus castigavit superbiam Judæorum, quos per Jordanem, etc., usque ad sed leo sævissimus in tartarum eos perpetuo cruciandos detrudet.

§49.21 *A voce ruinæ,* etc. Veniente vastatore, strepitus ruinæ eorum longe lateque resonabit, terrorem incutiens vicinis provinciis.

simum audierunt: turbati sunt in mari; præ sollicitudine quiescere non potuit.**
 24 Dissoluta est Damascus, versa est in fugam: tremor apprehendit eam, angustia et dolores tenuerunt eam quasi parturientem.†† 25 Quomodo dereliquerunt civitatem laudabilem, urbem lætitiæ? 26 Ideo cadent juvenes ejus in plateis ejus, et omnes viri prælii conticescent in die illa, ait Dominus exercituum. 27 Et succendam ignem in muro Damasci, et devorabit mœnia Benadad.] 28 Ad Cedar, et ad regna Asor, quæ percussit Nabuchodonosor rex Babylonis. [Hæc dicit Dominus: Surgite, et ascendite ad Cedar, et vastate filios orientis.‡‡ 29 Tabernacula eorum, et greges eorum capient: pelles eorum, et omnia vasa eorum, et camelos eorum tollent sibi, et vocabunt super eos formidinem in circuitu.¶¶ 30 Fugite, abite vehementer, in voraginibus sedete, qui habitatis Asor, ait Dominus: iniit enim contra vos Nabuchodonosor rex Babylonis consilium, et cogitavit adversum vos cogitationes. 31 Consurgite, et ascendite ad gentem quietam, et habitantem confidenter, ait Dominus: non ostia, nec vectes eis: soli habitant. 32 Et erunt cameli eorum in direptionem, et multitudo jumentorum in prædam: et dispergam eos in omnem ventum, qui sunt attonsi in comam, et ex omni confinio eorum adducam interitum super eos, ait Dominus. 33 Et erit Asor in habitaculum draconum, deserta usque in æternum: non manebit ibi vir, nec incolet eam filius hominis.] 34 Quod facum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam adversus Ælam, in principio regni Sedeciæ regis Juda, dicens: 35 [Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego confringam arcum Ælam, et summam fortitudinem eorum:§§ 36 et inducam super Ælam quatuor ventos a quatuor plagis cæli, et ventilabo eos in omnes ventos istos, et non erit gens ad quam non perveniant profugi Ælam. 37 Et pavere faciam Ælam coram inimicis suis, et in conspectu quærentium animam eorum: et adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus, et mittam post eos gladium donec consumam eos. 38 Et ponam solium meum in Ælam, et perdam inde reges et principes, ait Dominus. 39 In novissimis autem diebus reverti faciam captivos Ælam, dicit Dominus.]

**49.23 *Confusa est.* RAB. Post Philisthæos, Moabitas, Ammonitas quoque et Idumæos, ad Damascus, id est, Arabiam, etc., usque ad cum enim captus est populus Judæorum, Damascus, cui imperabat Aretha, similiter capta est.

††49.24 *Dissoluta.* Damascus interpretatur *poculum sanguinis*, aut *sanguinem bibens*, aut *sanguis cilicii*; quæ omnia ethnicis conveniunt, etc., usque ad Quomodo enim acervus lapidum de dispersis lapidibus cumulatur: sic de omnibus nationibus acervus credentium congregatur in ruina Judæorum cadentium dum gentes surgunt.

‡‡49.28 *Ad Cedar.* Hi Agareni sunt, sed usurpato nomine Saraceni vocantur, et habitant per solitudinem totam, de quibus poeta dicit: *Lateque vagantes Agi.* RAB. Mystice. Cedar, quod interpretatur *tenebræ*, et Asor, etc., usque ad qui se simulant filios Orientis, cum sint tenebrarum filii.

¶¶49.29 *Tabernacula.* Hæc omnia Saracenorum proprie gentem significant, qui in tentoriis manent, et ubi nox coegerit sedes habent, et armenta multa, et pecora, camelorumque greges; sed non habent ostia, nec vectes, non enim versantur in urbibus, sed in solitudine. Hi omnes a Babyloniis sunt deleti.

§§49.35 *Ecce ego confringam*, etc. RAB. Elam regio Persidis, unde Elamitæ. Prædicat enim propheta, etc., usque ad Elamitæ quoque *despicientes* vel *tentantes* interpretantur, et significant persecutores Ecclesiæ.

50 Verbum quod locutus est Dominus de Babylone et de terra Chaldæorum, in manu Jeremiæ prophetæ.* ² [Annuntiate in gentibus, et auditum facite: levate signum, prædicate, et nolite celare: dicite: Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia ejus, superata sunt idola eorum.† ³ Quoniam ascendit contra eam gens ab aquilone, quæ ponet terram ejus in solitudinem, et non erit qui habitet in ea ab homine usque ad pecus: et moti sunt, et abierunt. ⁴ In diebus illis, et in tempore illo, ait Dominus, venient filii Israël ipsi et filii Juda simul: ambulantes et flentes properabunt, et Dominum Deum suum quærent:‡ ⁵ in Sion interrogabunt viam, huc facies eorum: venient, et apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla oblivione delebitur. ⁶ Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de monte in collem transierunt; obliti sunt cubilis sui.¶ ⁷ Omnes qui invenerunt comederunt eos, et hostes eorum dixerunt: Non peccavimus: pro eo quod peccaverunt Domino decori justitiæ, et exspectationi patrum eorum Domino. ⁸ Recedite de medio Babylonis, et de terra Chaldæorum egredimini, et estote quasi hædi ante gregem.§ ⁹ Quoniam ecce ego suscito, et adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra aquilonis, et præparabuntur adversus eam, et inde capiatur: sagitta ejus quasi viri fortis interfectoris: non revertetur vacua. ¹⁰ Et erit Chaldæa in prædam: omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus. ¹¹ Quoniam exsultatis, et magna loquimini, diripientes hæreditatem meam: quoniam effusi estis sicut vituli super herbam, et mugistis sicut tauri: ¹² confusa est mater vestra nimis, et adæquata pulveri, quæ genuit vos: ecce novissima erit in gentibus, deserta, invia, et arens.** ¹³ Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem: omnis qui transibit per Babylonem stupebit, et sibilabit super universis plagis ejus. ¹⁴ Præparamini contra Baby-

*50.1 *Verbum.* Expleto vaticinio contra Ægyptum, Palæstinos, Moab, filios Ammon, Damascus quoque et Cedar, contra Babylonem et Chaldæos sermo dirigitur; ut quos ante latenter arguit, nunc palam scelera eorum manifestando, vastationem et desolationem subsequi aperte pronuntiet, Isaias quoque et Ezechiel similia contra Babylonios et Chaldæos prophetaverunt.

†50.2 *Confusa sunt.* Similia dicit Isaias: *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, neque aurum velint* Isa. 13..

‡50.4 *Venient filii Israël.* RAB. Hæc promissio reversionem populi Dei de captivitate significat, etc., usque ad ut jungantur illi fœdere sempiterno.

¶50.6 *Grex perditus.* Hac sententia notantur reges Israhæitarum, qui errare fecerunt populum et declinare ad idololatriam: quorum fuit primus Jeroboam filius Nabath, qui fecit adorari vitulos aureos: deinde cæteri prævaricatores legis.

§50.8 *Recedite,* etc. Secundum historiam monet Israhæitas, qui captivandi erant in Babylonem, ut non stabilem possessionem arbitrentur se ibi habituros, sed spem revertendi habent, et cum captivitas laxaretur, fugerent inde: quia venturum erat ut a Medis et Persis vastaretur. ORIG. Quomodo corpus nostrum in aliquo terræ loco consistit, sic anima, secundum statum suum in aliquo terræ loco nuncupative est. Corpus nostrum, etc., usque ad sic in Ægypto, alius est in Taphnis, alius est in Memphis, alius in Sienni, alius in Bubastis habitat.

**50.12 *Confusa est mater vestra nimis,* etc. Isaias dicit similia, *Et erit Babylon illa gloriosa, in regnis incluta, in superbia Chaldæorum, subvertetur sicut Dominus subvertit Sodomam et Gomorrhæam* Isa. 13.. *Ecce novissima erit,* etc. In fine mundi, vel in morte cujusque, omnis gloria et superbia Chaldæorum, et confusio mundi recedet a nobis, et ita omnia subvertentur, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrhæam, nec ultra voluptatis vel mundi futurus est status.

lonem per circuitum, omnes qui tenditis arcum: debellate eam, non parcatis jaculis, quia Domino peccavit. ¹⁵ Clamate adversus eam, ubique dedit manum: ceciderunt fundamenta ejus, destructi sunt muri ejus, quoniam ultio Domini est: ultionem accipite de ea: sicut fecit, facite ei. ^{††} ¹⁶ Disperdite satorem de Babylone, et tenentem falcem in tempore messis: a facie gladii columbæ unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient. ^{‡‡} ¹⁷ Grex dispersus Israël: leones ejecerunt eum. Primus comedit eum rex Assur: iste novissimus exossavit eum Nabuchodonosor rex Babylonis. ^{¶¶} ¹⁸ Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Ecce ego visitabo regem Babylonis et terram ejus, sicut visitavi regem Assur: ^{§§} ¹⁹ et reducam Israël ad habitaculum suum: et pascetur Carmelum et Basan, et in monte Ephraim et Galaad saturabitur anima ejus. ²⁰ In diebus illis, et in tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israël, et non erit, et peccatum Juda, et non inveniatur: quoniam propitius ero eis quos reliquero. ²¹ Super terram dominantium ascende, et super habitatores ejus visita: dissipa, et interfice quæ post eos sunt, ait Dominus, et fac juxta omnia quæ præcepi tibi. ^{*} ²² Vox belli in terra, et contritio magna. ²³ Quomodo confractus est et contritus malleus universæ terræ? quomodo versa est in desertum Babylon in gentibus? [†] ²⁴ Illaqueavi te, et capta es, Babylon, et nesciebas: inventa es et apprehensa, quoniam Dominum provocasti. ²⁵ Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa iræ suæ, quoniam opus est Domino Deo exercituum, in terra Chaldæorum. [‡] ²⁶ Venite ad eam ab extremis finibus; aperite ut exeant qui conculcent eam: tollite de via lapides, et redigite in acervos: et interficite eam, nec sit quidquam reliquum. ²⁷ Dissipate universos fortes ejus: descendant in occisionem: væ eis, quia venit dies eorum, tempus visitationis eorum ! ²⁸ Vox fugientium, et eorum qui evaserunt de terra Babylonis, ut annuntient in Sion ultionem Domini Dei nostri,

^{††}50.15 *Sicut fecit, facite ei.* Id est, sicut illa per Nabuchodonosor gentes circumquaque vastavit, ita ei retributionem reddite.

^{‡‡}50.16 *A facie gladii columbæ.* Columba stulta dicitur, quia nutrit pullos alienos; ita Nabuchodonosor alios opprimendo et fovendo. Etiam Nabuchodonosor columbam vocat, non pro simplicitate, sed pro stultitia superbæ.

^{¶¶}50.17 *Leones ejecerunt,* etc. Teglatphalasar qui partem magnam Judæorum in Assyrios transtulit, et Sennacherib qui decem tribus in montes Medorum traduxit, hi leones appellantur.

^{§§}50.18 *Ecce ego visitabo.* RAB. Visitat Dominus regem Babylonis, id est, confusio-nis, sicut visitavit regem Assur, qui interpretatur, etc, usque ad sed novus populus in nova civitate in perpetuum exsultabit.

^{*}50.21 *Super terram dominantium.* Prædicatoribus Christi præcipitur, ut regnum diaboli studeant evertere: et opera ejus maligna et consilia pessima, ut interficiant omnes peccatores terræ, et disperdant de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

[†]50.23 *Quomodo confractus,* etc. ORIG. Malleus universæ terræ diabolus est. Sed est qui non curat de malleo universæ terræ, vir scilicet, stans super muros Adamantinos, etc., usque ad legi enim Dei non subjicitur, neque enim potest, et inventa est Babylon, et comprehensa: quia Domino restitit.

[‡]50.25 *Aperuit Dominus thesaurum,* etc. ID. Alia editio: *Aperite apothecas ejus,* etc., ut ait Apostolus Rom. 6.: *Pertulit in multa patientia vasa iræ præparata in perditionem super vasa misericordiæ,* etc. Alii ergo vasa misericordiæ, alii vasa iræ, etc., usque ad qui asserit sidera non esse causas eorum quæ fiunt super terram, præcipue eorum quæ Christianis accidunt: præceptum Domini exsequitur.

ultionem templi ejus.[¶] ²⁹ Annuntiate in Babylonem plurimis, omnibus qui tendunt arcum: consistite adversus eam per gyrum, et nullus evadat: reddite ei secundum opus suum: juxta omnia quæ fecit, facite illi, quia contra Dominum erecta est, adversum Sanctum Israël. ³⁰ Idcirco cadent juvenes ejus in plateis ejus, et omnes viri bellatores ejus conticescent in die illa, ait Dominus. ³¹ Ecce ego ad te, superbe ! dicit Dominus Deus exercituum: quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ.[§] ³² Et cadet superbus, et corruet, et non erit qui suscitet eum: et succendam ignem in urbibus ejus, et devorabit omnia in circuitu ejus. ³³ Hæc dicit Dominus exercituum: Calumniam sustinent filii Israël, et filii Juda simul: omnes qui ceperunt eos, tenent: nolunt dimittere eos. ³⁴ Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomen ejus: iudicio defendet causam eorum, ut exterreat terram, et commoveat habitatores Babylonis. ³⁵ Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, et ad habitatores Babylonis, et ad principes, et ad sapientes ejus. ³⁶ Gladius ad divinos ejus, qui stulti erunt: gladius ad fortes illius, qui timebunt. ³⁷ Gladius ad equos ejus, et ad currus ejus, et ad omne vulgus quod est in medio ejus: et erunt quasi mulieres: gladius ad thesauros ejus, qui diripientur.^{**} ³⁸ Siccitas super aquas ejus erit, et arescent, quia terra sculptilium est, et in portentis gloriantur. ³⁹ Propterea habitabunt dracones cum faunis ficariis, et habitabunt in ea struthiones: et non inhabitabitur ultra usque in sempiternum, nec exstruetur usque ad generationem et generationem. ⁴⁰ Sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrhā, et vicinas ejus, ait Dominus, non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis. ⁴¹ Ecce populus venit ab aquilone, et gens magna, et reges multi consurgent a finibus terræ. ⁴² Arcum et scutum apprehendent: crudeles sunt, et immisericordes: vox eorum quasi mare sonabit, et super equos ascendent, sicut vir paratus ad prælium contra te, filia Babylon. ⁴³ Audivit rex Babylonis famam eorum, et dissolutæ sunt manus ejus: angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem. ⁴⁴ Ecce quasi leo ascendet, de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam, quia subito currere faciam eum ad illam. Et quis erit electus, quem præponam ei? quis est enim similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor, qui resistat vultui meo?^{††} ⁴⁵ Propterea audite consilium Domini quod mente concepit adversum Babylonem, et cogitationes ejus quas cogitavit super terram Chaldæorum: nisi detraxerint eos parvuli gregum, nisi dissipatum fuerit cum ipsis habitaculum eorum. ⁴⁶ A voce captivitatis Babylonis commota est terra, et clamor inter gentes auditus est.]

51 [Hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super Babylonem et super habitatores ejus, qui cor suum levaverunt contra me, quasi ventum pestilentem:

[¶]50.28 *Vox fugientium.* ORIG. Utinam hæc esset nostra vox, o catechumeni, fugientium de Babylone, et fugientium, etc., usque ad interfice omnes peccatores terræ, qui in te sunt, et omnes Babylonios, ut possis mundatus in Jerusalem transgredi civitatem Dei.

[§]50.31 *Ecce ego ad te.* RAB. Mystice prænuntiat Antichristo, qui extolletur super omne id quod dicitur Deus, etc., usque ad quia non timuerunt calumniam et captivitatem populo Dei inferre.

^{**}50.37 *Et erunt quasi mulieres.* ID. Imbelles quasi mulieres, per Medos et Persas destruxit eos, etc., usque ad quia synagoga eorum *terra sculptilium est, et in portentis*, id est falsis figmentis *gloriantur*.

^{††}50.44 *Ecce quasi leo.* ID. Videtur significare quod Nabuchodonosor, postquam regnum Judæorum, etc., usque ad et ut demonstret non Cyri potentia, sed Domini iudicio factum esse, subditur: *Quis enim similis mei?*

²et mittam in Babylonem ventilatores, et ventilabunt eam et demolientur terram ejus, quoniam venerunt super eam undique in die afflictionis ejus. ³Non tendat qui tendit arcum suum, et non ascendat loricatus: nolite parcere juvenibus ejus; interficite omnem militiam ejus. ⁴Et cadent interfecti in terra Chaldæorum, et vulnerati in regionibus ejus. ⁵Quoniam non fuit viduatus Israël et Juda a Deo suo, Domino exercituum, terra autem eorum repleta est delicto a Sancto Israël.** ⁶Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam: nolite tacere super iniquitatem ejus, quoniam tempus ultionis est a Domino: vicissitudinem ipse retribuet ei.** ⁷Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino ejus biberunt gentes, et ideo commotæ sunt.** ⁸Subito cecidit Babylon, et contrita est. Ululate super eam: tollite resinam ad dolorem ejus, si forte sanetur.* ⁹Curavimus Babylonem, et non est sanata: derelinquamus eam, et eamus unusquisque in terram suam: quoniam pervenit usque ad cælos iudicium ejus, et elevatum est usque ad nubes.† ¹⁰Protulit Dominus justitias nostras: venite, et narremus in Sion opus Domini Dei nostri. ¹¹Acuite sagittas, implete pharetras: suscitavit Dominus spiritum regum Medorum: et contra Babylonem mens ejus est ut perdat eam, quoniam ultio Domini est, ultio templi sui. ¹²Super muros Babylonis levate signum, augete custodiam, levate custodes, præparate insidias: quia cogitavit Dominus, et fecit quæcumque locutus est

**51.5 *Quoniam non fuit*, etc. Quia Dominus misit eos in vindictam populi sui, quem non corripiendo castigavit, sed sæviendo contrivit: unde, *Væ Assur, virga furoris mei* Isa. 10..

**51.6 *Fugite de medio*, etc. Post plagas Babylonis, ad Judæos historice, ad fideles mystice exhortationem convertit, ut fugiant de medio Babylonis, id est mundanæ confusionis. ORIG. Non gradatim scilicet, non pedetentim, sed velociter exite, quicunque confusam habetis animam, etc., usque ad Similiter, quando sunt minora peccata, ministris utitur Deus: quando vero graviora, tunc ad retributionem ipse festinat.

**51.7 *Calix aureus*, etc. Non est semper calix aureus Babylonis vel in manu Domini; cum enim ad vindictam venerit et in manu Domini posita fuerit, efficietur terra quæ facta est in Job. Nec jugiter in manu Domini continetur; sed tunc tantum cum restituet ei Dominus quod meretur. ORIG. *Calix aureus*. Nabuchodonosor volens decipere homines per calicem Babylonis, non miscuit in vase fictili, etc., usque ad sæpe vidi aureum calicem in pulchro sermonis ornatu, et dogmatum venena considerans, deprehendi calicem Babylonis. *Inebrians*, etc. ID. Vide omnes homines ebrios; inebriamur ira et tristitia: inebriamur, etc., usque ad ab eo omnes inebriamur quandiu terra sumus. *De vino*. ID. Sicut in his, qui vinum corporale bibunt supra mensuram, videmus ebrii corporis motum, etc., usque ad biberunt gentes, ideo commotæ sunt.

*51.8 *Subito cecidit*. Significat consummationem mundi subito futuram, quæ non per partes sed repente fiet, sicut Jericho corruens cito vel subito periiit. Si autem veneris ad adventum Christi, et videris magnum ejus opus, quomodo subvertit omnia dogmata gentium, ut credentes de erroris jugo eximeret, videbis quia in passione ejus Babylon subito corruit et contrita est; videat quisque Babylonem in pectore suo corruisse. In cujus enim corde non cecidit, Christus ei nondum advenit: Babylon ruit, ædificatur Jerusalem civitas sancta Dei. *Ululate*. HIER. Quia nulla anima apud Deum insanabilis, consilium dat eis qui possunt, etc., usque ad sed quia noluit curari, satisfaciunt boni medici et dicunt:

†51.9 *Curavimus*. ORIG. Vide ne quando angelis præcipiat Deus languenti animæ tuæ medicamina conficere, etc., usque ad profert Deus iudicium suum ad humiliandum quod exaltatum est.

contra habitatores Babylonis. ¹³ Quæ habitas super aquas multas, locuples in thesauris: venit finis tuus, pedalis præcisionis tuæ. ¹⁴ Juravit Dominus exercituum per animam suam: Quoniam replebo te hominibus quasi bruchis, et super te celeuma cantabitur. ¹⁵ Qui fecit terram in fortitudine sua, præparavit orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cælos. ¹⁶ Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cælo: qui levat nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit, et produxit ventum de thesauris suis. ¹⁷ Stultus factus est omnis homo a scientia; confusus est omnis conflator in sculptili: quia mendax est conflatio eorum, nec est spiritus in eis. ¹⁸ Vana sunt opera, et risu digna: in tempore visitationis suæ peribunt. ¹⁹ Non sicut hæc, pars Jacob, quia qui fecit omnia ipse est: et Israël sceptrum hæreditatis ejus: Dominus exercituum nomen ejus. ²⁰ Collidis tu mihi vasa belli: et ego collidam in te gentes, et disperdam in te regna: ²¹ et collidam in te equum et equitem ejus: et collidam in te currum et ascensorem ejus: ²² et collidam in te virum et mulierem: et collidam in te senem et puerum: et collidam in te juvenem et virginem: ²³ et collidam in te pastorem et gregem ejus: et collidam in te agricolam et jugales ejus: et collidam in te duces et magistratus: ²⁴ et reddam Babylo[n]i, et cunctis habitatoribus Chaldææ, omne malum suum quod fecerunt in Sion, in oculis vestris, ait Dominus. ²⁵ Ecce ego ad te, mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram: et extendam manum meam super te, et evolvam te de petris, et dabo te in montem combustionis: ²⁶ et non tollent de te lapidem in angulum, et lapidem in fundamenta: sed perditus in æternum eris, ait Dominus. ²⁷ Levate signum in terra, clangite buccina in gentibus, sanctificate super eam gentes, annuntiate contra illam regibus Ararat, Menni, et Ascenez: numerate contra eam Taphsar, adducite equum quasi bruchum aculeatum. ²⁸ Sanctificate contra eam gentes, reges Mediæ, duces ejus, et universos magistratus ejus, cunctamque terram potestatis ejus. ²⁹ Et commovebitur terra et conturbabitur, quia evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini, ut ponat terram Babylonis desertam et inhabitabilem. ³⁰ Cessaverunt fortes Babylonis a prælio; habitaverunt in præsiidiis: devoratum est robur eorum, et facti sunt quasi mulieres:

[‡]51.16 *Qui levat nubes*, id est prædicatores et prophetas, qui nos a calore futuri iudicii defendunt imbre eloquii sui, cum futura depromunt. *Fulgura*. Prædicatores prophetarum fulgura sunt, cum inimicos percutiunt: pluviam, cum devotos a peccatis abluunt, et imbrem salutis infundunt: unde spirituales germinent fructus, et in maturam messem coalescant. *Et producit ventos de thesauris*. Venti sunt apostoli, quorum prædicatio percurrit mundum tanquam ventus celerrimus: de quibus alibi dicitur: *Sagittas suas ardentibus effecit* Psal. 7.. Ipsis enim ventis pennæ propter discursus celeritatem tribuuntur; unde: *Volavit super pennas ventorum* Ibid. 11..

[¶]51.17 *Stultus factus est*. Bene post subversionem Babylonis reprehendit fabricatores idolorum, quia per stultitiam humanæ mentis facta sunt opera vana et risu digna: quia nec spiritus in eis, nec vox, nec ulla efficacia: unde nec se, nec cultores suos in die visitationis liberare possunt. *Confusus est*. RAB. Demonstrata subversione Babylonis, redit propheta ad auctorem tanti iudicii: quia non est potestas nisi a Deo, qui dominatur in regno hominum, et cui voluerit dabit illum.

[§]51.25 *Ecce ego*, etc. Mons pestifer, Nabuchodonosor, et regnum Chaldæorum; vel diabolus, qui alibi mons caliginosus, propter tenebras erroris, dicitur. *Et dabo te*. Ad hunc montem pertinent Judæi, hæretici, blasphemii, et omnes impii, qui perdurant in malitia, nec convertuntur ut fiant lapides vivi in ædificio Dei.

incensa sunt tabernacula ejus, contriti sunt vectes ejus.** 31 Currens obviam currenti veniet, et nuntius obvius nuntianti, ut annuntiet regi Babylonis quia capta est civitas ejus a summo usque ad summum. 32 Et vada præoccupata sunt, et paludes incensæ sunt igni, et viri bellatores conturbati sunt. 33 Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël: Filia Babylonis quasi area, tempus trituræ ejus: adhuc modicum, et veniet tempus messionis ejus.†† 34 Comedit me, devoravit me Nabuchodonosor rex Babylonis: reddidit me quasi vas inane, absorbit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea, et ejecit me. 35 Iniquitas adversum me et caro mea super Babylonem, dicit Dominus: et sanguis meus super habitatores Chaldææ, dicit Jerusalem. 36 Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego judicabo causam tuam, et ulciscar ultionem tuam: et desertum faciam mare ejus, et siccabo venam ejus. 37 Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor et sibilus, eo quod non sit habitator. 38 Simul ut leones rugient; excutient comas veluti catuli leonum. 39 In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo eos ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus. 40 Deducam eos quasi agnos ad victimam, et quasi arietes cum hædis. 41 Quomodo capta est Sesach, et comprehensa est inclyta universæ terræ ! quomodo facta est in stuporem Babylon inter gentes !‡‡ 42 Ascendit super Babylonem mare: multitudine fluctuum ejus operata est. 43 Factæ sunt civitates ejus in stuporem, terra inhabitabilis et deserta, terra in qua nullus habitet, nec transeat per eam filius hominis. 44 Et visitabo super Bel in Babylone, et ejciam quod absorberat de ore ejus: et non confluent ad eum ultra gentes, siquidem et murus Babylonis corruet. 45 Egredimini de medio ejus, populus meus, ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini,¶¶ 46 et ne forte mollescat cor vestrum, et timeatis auditum qui audietur in terra: et veniet in anno auditio, et post hunc annum auditio, et iniquitas in terra, et dominator super dominatorem. 47 Propterea ecce dies veniunt, et visitabo super sculptilia Babylonis, et omnis terra ejus confundetur, et universi interfecti ejus cadent in medio ejus. 48 Et laudabunt super Babylonem cæli et terra, et omnia quæ in eis sunt: quia ab aquilone venient ei prædones, ait Dominus. 49 Et quomodo fecit Babylon, ut caderent occisi in Israël, sic de Babylone cadent occisi in universa terra. 50 Qui fugistis gladium, venite, nolite stare: recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum. 51 Confusi sumus, quoniam audivimus opprobrium: operuit ignominia facies nostras, quia venerunt alieni super sanctificationem domus Domini. 52 Propterea ecce dies

**51.30 *Cessaverunt*, etc. Veniente Cyro et Dario cessavit robur Babylonis et principum ejus.

††51.33 *Filia Babylonis*, etc. Fuit plebs Babylonis, quando per potentiam regni et divitiarum abundantiam triturbabat et conterebat gentes: sed tempus messionis ejus venit cum cogitur recipere quod gessit, de qua ex persona Judaicæ plebis consequenter dicitur: *Comedit me et devoravit me Nabuchodonosor, rex Babylonis. Et desertum faciam mare*, etc. RAB. Mystice mare hujus sæculi significat turbulentiam, quod Dominus desertum ponit. Faciet enim cessare luxum ejus, et dissipabuntur iniqui, qui confusioni errorum vitiorumque deservebant.

‡‡51.41 *Quomodo capta est Sesach*. RAB. Sesach, *byssus sacci*, vel *manus sacci* interpretatur: sicut Babylon confusio, etc., usque ad ut egrediantur de societate eorum, ne cum illis pereant.

¶¶51.45 *Egredimini de medio ejus*. ID. Qui vult animam suam salvam facere, etc., usque ad sed in meditatione legis ejus et exercitio virtutum strenui.

veniunt, ait Dominus, et visitabo super sculptilia ejus, et in omni terra ejus mugiet vulneratus.⁵³ Si ascenderit Babylon in cælum, et firmaverit in excelso robur suum, a me venient vastatores ejus, ait Dominus.⁵⁴ Vox clamoris de Babylone, et contritio magna de terra Chaldæorum:⁵⁵ quoniam vastavit Dominus Babylonem, et perdidit ex ea vocem magnam: et sonabunt fluctus eorum quasi aquæ multæ; dedit sonitum vox eorum:⁵⁶ quia venit super eam, id est super Babylonem, prædo, et apprehensi sunt fortes ejus, et emarcuit arcus eorum, quia fortis ultor Dominus reddens retribuet.⁵⁷ Et inebriabo principes ejus, et sapientes ejus, et duces ejus, et magistratus ejus, et fortes ejus: et dormient somnum sempiternum, et non expergiscentur, ait Rex (Dominus exercituum nomen ejus).⁵⁸ Hæc dicit Dominus exercituum: Murus Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur, et portæ ejus excelsæ igni comburentur, et labores populorum ad nihilum, et gentium in ignem erunt, et disperibunt.]⁵⁹ Verbum quod præcepit Jeremias propheta Saraia filio Neria filii Maasia, cum pergeret cum Sedecia rege in Babylonem, in anno quarto regni ejus: Saraia autem erat princeps prophetiæ.⁶⁰ Et scripsit Jeremias omne malum quod venturum erat super Babylonem, in libro uno: omnia verba hæc quæ scripta sunt contra Babylonem.⁶¹ Et dixit Jeremias ad Saraiam: Cum veneris in Babylonem, et videris, et legeris omnia verba hæc,⁶² dices: Domine, tu locutus es contra locum istum, ut disperderes eum, ne sit qui in eo habitet, ab homine usque ad pecus, et ut sit perpetua solitudo.⁶³ Cumque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, et projicies illum in medium Euphraten,⁶⁴ et dices: Sic submergetur Babylon, et non consurget a facie afflictionis quam ego adduco super eam, et dissolvetur. Hucusque verba Jeremiæ.*

52 Filius viginti et unius anni erat Sedecias cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem. Et nomen matris ejus Amital filia Jeremiæ de Lobna.[†] ² Et fecit malum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Joakim,³ quoniam furor Domini erat in Jerusalem et in Juda, usquequo projiceret eos a facie sua: et recessit Sedecias a rege Babylonis.⁴ Factum est autem in anno nono regni ejus, in mense decimo, decima mensis, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse et omnis exercitus ejus, adversus Jerusalem: et obsederunt eam, et ædificaverunt contra eam munitiones in circuitu.[‡] ⁵ Et fuit civitas obsessa usque ad undecimum annum regis Sedeciæ.⁶ Mense autem quarto, nona mensis, obtinuit fames civitatem, et non erant alimenta populo terræ.⁷ Et dirupta est civitas, et omnes viri bellatores ejus

§§51.52 *Propterea*, etc. ID. Enumerat plagas Babylonis superventuras et optimatibus ejus, ducibus et magistratibus, et omni populo, etc., *usque ad Exite de illa, populus meus, ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis* Apoc. 18., etc.

*51.64 *Sic submergetur Babylon*. Nam secundum historiam Babylon in Euphraten mersa est, quamvis in solitudinem redacta. Sed spiritualis Babylonis æternum interitum prædicit, quæ in profundum inferni cum principe diabolo demergetur. Unde Joannes: *Sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon* Apoc. 18..

†52.1 *Filius viginti*. Historia quæ captum refert Sedeciam, et Jerusalem a Chaldæis vastatam, in libro Regum plene tota continetur.

‡52.4 *Factum est autem*. Novenarius minor denario imperfectionem legis significat, etc., usque ad tenebris peccatorum vallati giungunt, et videntes lupum venientem oves dimittunt.

fugerunt, exieruntque de civitate nocte, per viam portæ quæ est inter duos muros, et ducit ad hortum regis, Chaldæis obsidentibus urbem in gyro, et abierunt per viam quæ ducit in eremum.^{¶ 8} Persecutus est autem Chadæorum exercitus regem, et apprehenderunt Sedeciam in deserto quod est juxta Jericho: et omnis comitatus ejus diffugit ab eo.^{§ 9} Cumque comprehendissent regem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath, et locutus est ad eum judicia.¹⁰ Et jugulavit rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis ejus, sed et omnes principes Juda occidit in Reblatha.¹¹ Et oculos Sedeciæ eruit, et vinxit eum compedibus, et adduxit eum rex Babylonis in Babylonem, et posuit eum in domo carceris usque ad diem mortis ejus.^{** 12} In mense autem quinto, decima mensis, ipse est annus nonusdecimus Nabuchodonosor regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps militiæ, qui stabat coram rege Babylonis, in Jerusalem,^{†† 13} et incendit domum Domini, et domum regis, et omnes domos Jerusalem: et omnem domum magnam igni combussit:¹⁴ et totum murum Jerusalem per circuitum destruxit cunctus exercitus Chaldæorum qui erat cum magistro militiæ.¹⁵ De pauperibus autem populi, et de reliquo vulgo quod remanserat in civitate, et de perfugis qui transfugerant ad regem Babylonis, et ceteros de multitudo transtulit Nabuzardan princeps militiæ.¹⁶ De pauperibus vero terræ reliquit Nabuzardan princeps militiæ vitatores et agricolas.¹⁷ Columnas quoque æreas quæ erant in domo Domini, et bases, et mare æneum quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, et tulerunt omne æs eorum in Babylonem,¹⁸ et lebetes, et creagras, et psalteria, et phialas, et mortariola, et omnia vasa ærea quæ in ministerio fuerant, tulerunt:¹⁹ et hydrias, et thymiamateria, et urceos, et pelves, et candelabra, et mortaria, et cyathos, quotquot aurea, aurea, et quotquot argentea, argentea, tulit magister militiæ:²⁰ et columnas duas, et mare unum, et vitulos duodecim æreos qui erant sub basibus quas fecerat rex Salomon in domo Domini. Non erat pondus æris omnium horum vasorum.^{** 21} De columnis autem de-

[¶]52.7 *Per viam portæ.* Latenter arguit inertiam doctorum, qui inter muros duorum Testamentorum constituti, non bellum gerere, sed effugere quærunt, et deliciis magis affluere (quas hortus signat) quam scuto fidei hostibus resistere.

[§]52.8 *Persecutus est,* etc. RAB. In libro Regum ita legitur: *Fugit Sedecias per viam,* etc. Malignis spiritibus populum circumdantibus, rector non fugit, etc., usque ad Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha, etc.

^{**}52.11 *Et adduxit eum rex,* etc. Quia anima in confusione peccatorum vincta compedibus vitiorum, per malignos spiritus ducitur in domum carceris usque ad diem mortis, et in angustia mentis includitur, ut mortis sententiam exspectet.

^{††}52.12 *In mense autem quinto,* etc. Congruit ordo temporis cum ratione vindictæ: Mense quinto vastatur civitas, quæ Pentateuchum despexit, decima die mensis, quia decalogo legis contraria fecit, blandiens sibi de securitate pro sanctorum locorum habitatione; unde supra: *Nolite confidere,* etc. GREG. Dum Scriptura Sedeciæ captivitatem narrat, ordinem captivitatis internæ denuntiat, etc., usque ad Quandoque enim et lumen totius rationis clauditur, quia pravo usu et iniquitatis suæ multitudine gravatur. *Venit Nabuzardan,* etc. RAB. Justo judicio Dei venit Nabuzardan, princeps exercitus regis Babylonis, super Jerusalem, et succendit, etc., usque ad omnem domum comburit igni, id est, cujusque conscientiam flamma illiciti amoris. *De pauperibus,* etc. ID. Eos, qui utiles verbo et exemplo esse poterant, etc., usque ad sed spinæ et tribuli vitiorum.

^{**}52.20 *Columnas quoque,* etc. Per diversa vasa, diversa officia in Ecclesia significantur, quæ maligni spiritus de servitio Dei auferunt, et in usum suum convertunt.

cem et octo cubiti altitudinis erant in columna una, et funiculus duodecim cubitorum circuibat eam: porro grossitudo ejus quatuor digitorum, et intrinsecus cava erat.^{¶¶} 22 Et capitella super utramque ærea: altitudo capitelli unius quinque cubitorum, et retiacula et malogranata super coronam in circuitu, omnia ærea: similiter columnæ secundæ, et malogranata. 23 Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia: et omnia malogranata centum, retiaculis circumdabantur. 24 Et tulit magister militiæ Saraiam sacerdotem primum, et Sophoniam sacerdotem secundum, et tres custodes vestibuli:^{§§} 25 et de civitate tulit eunuchum unum, qui erat præpositus super viros bellatores: et septem viros de his qui videbant faciem regis, qui inventi sunt in civitate: et scribam principem militum, qui probabat tyrones: et sexaginta viros de populo terræ, qui inventi sunt in medio civitatis.* 26 Tulit autem eos Nabuzardan magister militiæ, et duxit eos ad regem Babylonis in Reblatha:† 27 et percussit eos rex Babylonis, et interfecit eos in Reblatha in terra Emath: et translatus est Juda de terra sua.‡ 28 Iste est populus quem transtulit Nabuchodonosor: in anno septimo, Judæos tria millia et viginti tres:¶ 29 in anno octavodecimo Nabuchodonosor, de Jerusalem animas octingentas triginta duas: 30 in anno vigesimo tertio Nabuchodonosor, transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Judæorum septingentas quadraginta quinque. Omnes ergo animæ, quatuor millia sexcentæ. 31 Et factum est in trigesimo septimo anno transmigrationis Joachin regis Juda, duodecimo mense, vigesima quinta mensis, elevavit Evilmerodach rex Babylonis, ipso anno regni sui, caput Joachin regis Juda, et eduxit eum de domo carceris.§ 32 Et locutus est cum eo bona, et posuit thronum ejus super thronos regum qui erant post se in Babylone. 33 Et mutavit vestimenta carceris ejus, et comedebat panem coram eo semper cunctis diebus vitæ

¶¶52.21 *De columnis*, etc. RAB. Quod facturam columnarum describit cum capitellis, et retiaculis atque malis granatis, ostendit, etc., usque ad legat opus nostrum super librum Regum, ubi quid de his sancti Patres senserint, explanatum est.

§§52.24 *Et tulit magister*, etc. Etiam fortes in Ecclesia diabolus decipit et captivat; unde: *Escæ ejus electæ* Habac. 1., etc.

*52.25 *De civitate tulit*, etc. Continentes, scilicet, oleum gratiæ et misericordiæ (sicut fatuæ virgines) in pectore suo non habentes, qui frustra super viros bellatores constituuntur, cum arrogantiam vitare non præmeditantur.

†52.26 *Septem viros*, etc. Septiformi Spiritu, scilicet, sanctificatos. Sed quia gratiam perdiderunt, septem spiritibus nequioribus traditi, non regis cœlestis mandata intuentur, sed regis inferni voluntati obsequuntur. *Et scribam*, etc. Quem liber Regum Sophar, qui interpretatur *dissipans* vel *dividens*, et significat eos qui rudes in Ecclesia, quos ad militiam Christi nutrire debuerant, pravis exemplis dissipant, et a cœtu fidelium per errorem sequestrant. *Et sexaginta viros*, etc. Stultos, scilicet, cooperatores, qui merito vulgi nomine appellantur, qui utilitatem divini consilii discernere et implere neglexerunt.

‡52.27 *Et percussit eos rex Babylonis*, etc. Hoc ambit rex Babylonis, ut quos ab Ecclesia evellit, perducat ad interfectionem perpetuæ mortis.

¶52.28 *Iste est populus*, etc. RAB. Tertio vastavit Nabuchodonosor Judæam. Primo, cum Joachim, etc., usque ad et retrudit in carcerem inferni, ubi gemunt in perpetuum damnati.

§52.31 *Et factum est*. ID. Significat admirandam Dei potentiam per bonos et malos æque sua, etc., usque ad correctum misericorditer respexit, et de pœnis liberans quieti restituit et honori.

suæ. ³⁴Et cibaria ejus, cibaria perpetua dabantur ei a rege Babylonis, statuta per singulos dies, usque ad diem mortis suæ, cunctis diebus vitæ ejus.

LAMENTATIONES

1 *Prologus* Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israëel, et Jerusalem deserta est, sedit Jeremias propheta flens, et planxit lamentatione hac in Jerusalem: et amaro animo suspirans et ejulans, dixit: [*Aleph* Quomodo sedet sola civitas plena populo ! Facta est quasi vidua domina gentium; princeps provinciarum facta est sub tributo. ² *Beth* Plorans ploravit in nocte, et lacrimæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus; omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. ³ *Ghimel* Migravit Judas propter afflictionem, et multitudinem servitutis; habitavit inter gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. ⁴ *Daleth* Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portæ ejus destructæ, sacerdotes ejus gementes; virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine. ⁵ *He* Facti sunt hostes ejus in capite; inimici ejus locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus. Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis. ⁶ *Vau* Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus; facti sunt principes ejus velut arietes non inveniendes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequens. ⁷ *Zain* Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ, et prævaricationis, omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator: viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus. ⁸ *Heth* Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est; omnes qui glorificabant eam spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus: ipsa autem gemens conversa est retrorsum. ⁹ *Teth* Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui; deposita est vehementer, non habens consolatorem. Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. ¹⁰ *Jod* Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam. ¹¹ *Caph* Omnis populus ejus gemens, et quærens panem; dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide, Domine, et considera quoniam facta sum vilis ! ¹² *Lamed* O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus ! quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus, in die iræ furoris sui. ¹³ *Mem* De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum; posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. ¹⁴ *Nun* Vigilavit jugum iniquitatum mearum; in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo. Infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere. ¹⁵ *Samech* Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei; vocavit adversum me tempus ut contereret electos meos. Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda. ¹⁶ *Ain* Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam. Facti sunt filii mei perdati, quoniam invaluit inimicus. ¹⁷ *Phe* Expandit Sion manus suas; non est qui consoletur eam. Mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu ejus hostes ejus; facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos. ¹⁸ *Sade* Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi. Audite, obsecro, universi populi, et videte dolorem meum: virgines meæ et juvenes mei abierunt in captivitatem. ¹⁹ *Coph* Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me; sacerdotes mei et senes mei in urbe consumpti sunt, quia quæsierunt cibum

sibi ut refocillarent animam suam. ²⁰ *Res Vide*, Domine, quoniam tribulor: conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Foris interfecit gladius, et domi mors similis est. ²¹ *Sin* Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me; omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt quoniam tu fecisti: adduxisti diem consolationis, et fient similes mei. ²² *Thau* Ingrediatum omne malum eorum coram te: et vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens.]

2 [*Aleph* Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion; projecit de cælo in terram inclutam Israël, et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui ! ² *Beth* Præcipitavit Dominus, nec pepercit omnia speciosa Jacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Juda, et dejecit in terram; polluit regnum et principes ejus. ³ *Ghimel* Confregit in ira furoris sui omne cornu Israël; avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici, et succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro. ⁴ *Daleth* Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis, et occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion; effudit quasi ignem indignationem suam. ⁵ *He* Factus est Dominus velut inimicus, præcipitavit Israël: præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus, et replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam. ⁶ *Vau* Et dissipavit quasi hortum tentorium suum; demolitus est tabernaculum suum. Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum; et in opprobrium, et in indignationem furoris sui, regem et sacerdotem. ⁷ *Zain* Repulit Dominus altare suum; maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manu inimici muros turrium ejus. Vocem dederunt in domo Domini sicut in die solemni. ⁸ *Heth* Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion; tetendit funiculum suum, et non avertit manum suam a perditione: luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est. ⁹ *Teth* Defixæ sunt in terra portæ ejus, perdidit et contrivit vectes ejus; regem ejus et principes ejus in gentibus: non est lex, et prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino. ¹⁰ *Jod* Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion; consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis: abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem. ¹¹ *Caph* Defecerunt præ lacrimis oculi mei, conturbata sunt viscera mea; effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi. ¹² *Lamed* Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum et vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. ¹³ *Mem* Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exæquabo te, et consolabor te, virgo, filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? ¹⁴ *Nun* Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta; nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent; viderunt autem tibi assumptiones falsas, et ejectiones. ¹⁵ *Samech* Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt et moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? ¹⁶ *Phe* Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus: en ista est dies quam exspectabamus; invenimus, vidimus. ¹⁷ *Ain* Fecit Dominus quæ cogitavit; complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis: destruxit, et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. ¹⁸ *Sade* Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion:

Deduc quasi torrentem lacrimas per diem et noctem; non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. ¹⁹*Coph* Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum; effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum. ²⁰*Res* Vide, Domine, et considera quem vindemiaveris ita. Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et propheta? ²¹*Sin* Jacuerunt in terra foris puer et senex; virgines meæ et juvenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui, percussisti, nec misertus es. ²²*Thau* Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrent me de circumcui; et non fuit in die furoris Domini qui effugeret, et relinqueretur: quos educavi et enutrivit, inimicus meus consumpsit eos.]

3 [*Aleph* Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. ²*Aleph* Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem. ³*Aleph* Tantum in me vertit et convertit manum suam tota die. ⁴*Beth* Vetustam fecit pellem meam et carnem meam; contrivit ossa mea. ⁵*Beth* Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore. ⁶*Beth* In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos. ⁷*Ghimel* Circumædificavit adversum me, ut non egrediar; aggravavit compedem meum. ⁸*Ghimel* Sed et cum clamavero, et rogavero, exclusit orationem meam. ⁹*Ghimel* Conclusit vias meas lapidibus quadris; semitas meas subvertit. ¹⁰*Daleth* Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis. ¹¹*Daleth* Semitas meas subvertit, et confregit me; posuit me desolatam. ¹²*Daleth* Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. ¹³*He* Misit in renibus meis filias pharetræ suæ. ¹⁴*He* Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. ¹⁵*He* Replevit me amaritudinibus; inebriavit me absinthio. ¹⁶*Vau* Et fregit ad numerum dentes meos; cibavit me cinere. ¹⁷*Vau* Et repulsa est a pace anima mea; oblitus sum bonorum. ¹⁸*Vau* Et dixi: Perii finis meus, et spes mea a Domino. ¹⁹*Zain* Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absinthii et fellis. ²⁰*Zain* Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. ²¹*Zain* Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo. ²²*Heth* Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti; quia non defecerunt miserationes ejus. ²³*Heth* Novi diluculo, multa est fides tua. ²⁴*Heth* Pars mea Dominus, dixit anima mea; propterea exspectabo eum. ²⁵*Teth* Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. ²⁶*Teth* Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. ²⁷*Teth* Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. ²⁸*Jod* Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se. ²⁹*Jod* Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. ³⁰*Jod* Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis. ³¹*Caph* Quia non repellet in sempiternum Dominus. ³²*Caph* Quia si abjecit, et miserebitur, secundum multitudinem miserationum suarum. ³³*Caph* Non enim humiliavit ex corde suo et abjecit filios hominum. ³⁴*Lamed* Ut conteret sub pedibus suis omnes vinctos terræ. ³⁵*Lamed* Ut declinaret iudicium viri in conspectu vultus Altissimi. ³⁶*Lamed* Ut perverteret hominem in iudicio suo; Dominus ignoravit. ³⁷*Mem* Quis est iste qui dixit ut fieret, Domino non jubente? ³⁸*Mem* Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona? ³⁹*Mem* Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? ⁴⁰*Nun* Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. ⁴¹*Nun* Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos. ⁴²*Nun* Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus; idcirco tu inexorabilis es. ⁴³*Samech* Operuisti in furore, et percussisti nos; occidisti, nec pepercisti. ⁴⁴*Samech* Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. ⁴⁵*Samech* Erad-

icationem et abjectionem posuisti me in medio populorum. ⁴⁶ *Phe* Aperuerunt super nos os suum omnes inimici. ⁴⁷ *Phe* Formido et laqueus facta est nobis vaticinatio, et contritio. ⁴⁸ *Phe* Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei. ⁴⁹ *Ain* Oculus meus afflicto est, nec tacuit, eo quod non esset requies. ⁵⁰ *Ain* Donec respiceret et videret Dominus de cælis. ⁵¹ *Ain* Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. ⁵² *Sade* Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. ⁵³ *Sade* Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. ⁵⁴ *Sade* Inundaverunt aquæ super caput meum; dixi: Perii. ⁵⁵ *Coph* Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo. ⁵⁶ *Coph* Vocem meam audisti; ne avertas aurem tuam a singultu meo et clamoribus. ⁵⁷ *Coph* Appropinquasti in die quando invocavi te; dixisti: Ne timeas. ⁵⁸ *Res* Judicasti, Domine, causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. ⁵⁹ *Res* Vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversum me: judica iudicium meum. ⁶⁰ *Res* Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me. ⁶¹ *Sin* Audisti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me. ⁶² *Sin* Labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die. ⁶³ *Sin* Sessionem eorum et resurrectionem eorum vide; ego sum psalmus eorum. ⁶⁴ *Thau* Redes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum. ⁶⁵ *Thau* Dabis eis scutum cordis, laborem tuum. ⁶⁶ *Thau* Persequeris in furore, et conteres eos sub cælis, Domine.]

4 [*Aleph* Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus ! dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum ! ² *Beth* Filii Sion inclyti, et amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli ! ³ *Ghimel* Sed et lamia nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto. ⁴ *Daleth* Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti; parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. ⁵ *He* Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis; qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercore. ⁶ *Vau* Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus. ⁷ *Zain* Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. ⁸ *Heth* Denigrata est super carbones facies eorum et non sunt cogniti in plateis; adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, et facta est quasi lignum. ⁹ *Teth* Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame, quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terræ. ¹⁰ *Jod* Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos; facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei. ¹¹ *Caph* Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: et succendit ignem in Sion, et devoravit fundamenta ejus. ¹² *Lamed* Non crediderunt reges terræ, et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas Jerusalem. ¹³ *Mem* Propter peccata prophetarum ejus, et iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum. ¹⁴ *Nun* Erraverunt cæci in plateis, polluti sunt in sanguine; cumque non possent, tenuerunt lacinias suas. ¹⁵ *Samech* Recedite polluti, clamaverunt eis; recedite, abite, nolite tangere: jurgati quippe sunt, et commoti dixerunt inter gentes: Non addet ultra ut habitet in eis. ¹⁶ *Phe* Facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos; facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt. ¹⁷ *Ain* Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum; cum respiceremus attenti ad gentem quæ salvare non poterat. ¹⁸ *Sade* Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum; appropinquavit finis noster, completi sunt dies nostri,

quia venit finis noster. ¹⁹*Coph* Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli; super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. ²⁰*Res* Spiritus oris nostri, christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus. ²¹*Sin* Gaude et lætare, filia Edom, quæ habitas in terra Hus ! ad te quoque perveniet calix: inebriaberis, atque nudaberis. ²²*Thau* Completa est iniquitas tua, filia Sion: non addet ultra ut transmigret te. Visitavit iniquitatem tuam, filia Edom; discooperuit peccata tua.]

5 [Recordare, Domine, quid acciderit nobis; intuere et respice opprobrium nostrum. ²Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. ³Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. ⁴Aquam nostram pecunia bibimus; ligna nostra pretio comparavimus. ⁵Cervicibus nostris minabamur, lassissimis non dabatur requies. ⁶Ægypto dedimus manum et Assyriis, ut saturaremur pane. ⁷Patres nostri peccaverunt, et non sunt: et nos iniquitates eorum portavimus. ⁸Servi dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum. ⁹In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto. ¹⁰Pellicis nostra quasi clibanus exusta est, a facie tempestatum famis. ¹¹Mulieres in Sion humiliaverunt, et virgines in civitatibus Juda. ¹²Principes manu suspensi sunt; facies senum non erubuerunt. ¹³Adolescentibus impudice abusi sunt, et pueri in ligno corruerunt. ¹⁴Senes defecerunt de portis, juvenes de choro psallentium. ¹⁵Defecit gaudium cordis nostri; versus est in luctum chorus noster. ¹⁶Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccavimus ! ¹⁷Propterea mœstum factum est cor nostrum; ideo contenebrati sunt oculi nostri, ¹⁸propter montem Sion quia disperiit; vulpes ambulaverunt in eo. ¹⁹Tu autem, Domine, in æternum permanebis, solium tuum in generationem et generationem. ²⁰Quare in perpetuum oblivisceris nostri, derelinques nos in longitudine dierum? ²¹Converte nos, Domine, ad te, et convertemur; innova dies nostros, sicut a principio. ²²Sed projiciens repulisti nos: iratus es contra nos vehementer.]

INCIPIT LIBER HIEZECHIELIS PROPHETÆ

1 Et factum est in trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in medio captivorum iuxta fluvium Chobar, aperti sunt cæli, et vidi visiones Dei. ²In quinta mensis, ipse est annus quintus transmirationis regis Joachin, ³factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem, in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar: et facta est super eum ibi manus Domini. ⁴Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circuitu ejus: et de medio ejus, quasi species electri, id est, de medio ignis: ⁵et in medio ejus similitudo quatuor animalium. Et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis. ⁶Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni. ⁷Pedes eorum, pedes recti, et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli: et scintillæ quasi aspectus æris candentis. ⁸Et manus hominis sub pennis eorum, in quatuor partibus: et facies et pennas per quatuor partes habebant. ⁹Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum: non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. ¹⁰Similitudo autem vultus eorum, facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quatuor, facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. ¹¹Facies eorum et pennæ eorum extantæ desuper: duæ pennæ singulorum jungebantur, et duæ tegebant corpora eorum. ¹²Et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat: ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent. ¹³Et similitudo animalium, aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum: hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. ¹⁴Et animalia ibant et revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis. ¹⁵Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia, habens quatuor facies. ¹⁶Et aspectus rotarum et opus earum quasi visio maris: et una similitudo ipsarum quatuor: et aspectus earum et opera quasi sit rota in medio rotæ. ¹⁷Per quatuor partes earum euntes ibant, et non revertebantur cum ambularent. ¹⁸Statura quoque erat rotis, et altitudo, et horribilis aspectus: et totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor. ¹⁹Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ juxta ea: et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ. ²⁰Quocumque ibat spiritus, illuc, eunte spiritu, et rotæ pariter elevabantur sequentes eum: spiritus enim vitæ erat in rotis. ²¹Cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant: et cum elevatis a terra, pariter elevabantur et rotæ sequentes ea, quia spiritus vitæ erat in rotis. ²²Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, et extenti super capita eorum desuper. ²³Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum: unumquodque duabus alis velabat corpus suum, et alterum similiter velabatur. ²⁴Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei: cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis ut sonus castrorum: cumque starent, demittebantur pennæ eorum. ²⁵Nam cum fieret vox super firmamentum quod erat super caput eorum, stabant, et submittebant alas suas. ²⁶Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni: et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper. ²⁷Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus ejus per circuitum: a lumbis ejus et desuper, et a lumbis ejus usque

deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu, ²⁸velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluviae. Hic erat aspectus splendoris per gyrum.

2 Hæc visio similitudinis gloriæ Domini. Et vidi, et cecidi in faciem meam, et audivi vocem loquentis, et dixit ad me: Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. ²Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi, et statuit me supra pedes meos: et audivi loquentem ad me, ³et dicentem: Fili hominis, mitto ego te ad filios Israël, ad gentes apostatrices quæ recesserunt a me: ipsi et patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc: ⁴et filii dura facie et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: ⁵si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, quoniam domus exasperans est: et scient quia propheta fuerit in medio eorum. ⁶Tu ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniam increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Verba eorum ne timeas, et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est. ⁷Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant: quoniam irritatores sunt. ⁸Tu autem, fili hominis, audi quæcumque loquor ad te, et noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est: aperi os tuum, et comede quæcumque ego do tibi. ⁹Et vidi: et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber: et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris: et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ.

3 Et dixit ad me: Fili hominis, quodcumque inveneris, comede: comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israël. ²Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo: ³et dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua complebuntur volumine isto quod ego do tibi. Et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel dulce. ⁴Et dixit ad me: Fili hominis, vade ad domum Israël, et loqueris verba mea ad eos. ⁵Non enim ad populum profundi sermonis et ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Israël: ⁶neque ad populos multos profundi sermonis et ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones: et si ad illos mittereris, ipsi audirent te: ⁷domus autem Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me: omnis quippe domus Israël attrita fronte est, et duro corde. ⁸Ecce dedi faciem tuam valentiorum faciebus eorum, et frontem tuam duriorum frontibus eorum: ⁹ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas a facie eorum, quia domus exasperans est. ¹⁰Et dixit ad me: Fili hominis, omnes sermones meos quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, et auribus tuis audi: ¹¹et vade, ingredi ad transmigrationem, ad filios populi tui, et loqueris ad eos: et dices eis: Hæc dicit Dominus Deus: si forte audiant et quiescant. ¹²Et assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnæ: Benedicta gloria Domini de loco suo: ¹³et vocem aliarum animalium percipientium alteram ad alteram, et vocem rotarum sequentium animalia, et vocem commotionis magnæ. ¹⁴Spiritus quoque levavit me, et assumpsit me: et abii amarus in indignatione spiritus mei: manus enim Domini erat mecum, confortans me. ¹⁵Et veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant juxta flumen Chobar: et sedi ubi illi sedebant, et mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum. ¹⁶Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens: ¹⁷Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël, et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. ¹⁸Si, dicente me ad impium: Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via sua impia et vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de

manu tua requiram. ¹⁹ Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur: tu autem animam tuam liberasti. ²⁰ Sed et si conversus justus a justitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo: ipse morietur quia non annuntiasti ei. In peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiæ ejus quas fecit: sanguinem vero ejus de manu tua requiram. ²¹ Si autem tu annuntiaveris justo ut non peccet justus, et ille non peccaverit, vivens vivet, quia annuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti. ²² Et facta est super me manus Domini, et dixit ad me: Surgens egredere in campum, et ibi loquar tecum. ²³ Et surgens egressus sum in campum: et ecce ibi gloria Domini stabat, quasi gloria quam vidi juxta fluvium Chobar: et cecidi in faciem meam. ²⁴ Et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos, et locutus est mihi, et dixit ad me: Ingredere, et includere in medio domus tuæ. ²⁵ Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris de medio eorum. ²⁶ Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. ²⁷ Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui audit, audiat, et qui quiescit, quiescat: quia domus exasperans est.

4 Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem. ² Et ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro. ³ Et tu sume tibi sartagine ferream, et pones eam in murum ferreum inter te et inter civitatem: et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem, et circumdabis eam: signum est domui Israël. ⁴ Et tu dormies super latus tuum sinistrum, et pones iniquitates domus Israël super eo, numero dierum quibus dormies super illud: et assumes iniquitatem eorum. ⁵ Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos et nonaginta dies: et portabis iniquitatem domus Israël. ⁶ Et cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundo, et assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus: diem pro anno, diem, inquam, pro anno, dedi tibi. ⁷ Et ad obsidionem Jerusalem convertes faciem tuam, et brachium tuum erit extentum: et prophetabis adversus eam. ⁸ Ecce circumdedi te vinculis: et non te convertes a latere tuo in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuæ. ⁹ Et tu, sume tibi frumentum, et hordeum, et fabam, et lentem, et milium, et viciam: et mittes ea in vas unum, et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum: trecentis et nonaginta diebus comedes illud. ¹⁰ Cibus autem tuus, quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die: a tempore usque ad tempus comedes illud. ¹¹ Et aquam in mensura bibes, sextam partem hin: a tempore usque ad tempus bibes illud. ¹² Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud, et stercore quod egreditur de homine operies illud in oculis eorum. ¹³ Et dixit Dominus: Sic comedent filii Israël panem suum pollutum inter gentes ad quas ejiciam eos. Et dixi: ¹⁴ A, a, a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta: et morticinum, et laceratum a bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc, et non est ingressa in os meum omnis caro immunda. ¹⁵ Et dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis, et facies panem tuum in eo. ¹⁶ Et dixit ad me: Fili hominis, ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem, et comedent panem in pondere et in sollicitudine, et aquam in mensura et in angustia bibent, ¹⁷ ut deficientibus pane et aqua, corruat unusquisque ad fratrem suum, et contabescant in iniquitatibus suis.

5 Et tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos, et assumes eum et duces per caput tuum et per barbam tuam, et assumes tibi stateram ponderis et divides eos. ²Tertiam partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obsidionis, et assumes tertiam partem, et concides gladio in circuitu ejus: tertiam vero aliam disperges in ventum, et gladium nudabo post eos. ³Et sumes inde parvum numerum, et ligabis eos in summitate pallii tui: ⁴et ex eis rursum tolles, et projicies eos in medio ignis, et combures eos igni, et ex eo egredietur ignis in omnem domum Israël. ⁵Hæc dicit Dominus Deus: Ista est Jerusalem: in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terras. ⁶Et contempsit judicia mea, ut plus esset impia quam gentes, et præcepta mea ultra quam terræ quæ in circuitu ejus sunt: judicia enim mea projecerunt, et in præceptis meis non ambulaverunt. ⁷Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Quia superastis gentes quæ in circuitu vestro sunt, et in præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis, et juxta judicia gentium quæ in circuitu vestro sunt non estis operati, ⁸ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, et ipse ego faciam in medio tui judicia in oculis gentium: ⁹et faciam in te quod non feci, et quibus similia ultra non faciam, propter omnes abominationes tuas. ¹⁰Ideo patres comedent filios in medio tui, et filii comedent patres suos: et faciam in te judicia, et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum. ¹¹Idcirco vivo ego, dicit Dominus Deus, nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis et in cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringam: et non parceret oculus meus, et non miserebor. ¹²Tertia pars tui peste morietur, et fame consumetur in medio tui, et tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam, et gladium evaginabo post eos. ¹³Et complebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis, et consolabor: et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum implevero indignationem meam in eis. ¹⁴Et dabo te in desertum, et in opprobrium gentibus quæ in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis: ¹⁵et eris opprobrium et blasphemia, exemplum et stupor in gentibus quæ in circuitu tuo sunt, cum fecero in te judicia in furore, et in indignatione, et in increpationibus iræ. ¹⁶Ego Dominus locutus sum: quando misero sagittas famis pessimas in eos, quæ erunt mortiferæ, et quas mittam ut disperdam vos: et famem congregabo super vos, et conteram in vobis baculum panis: ¹⁷et immittam in vos famem et bestias pessimas, usque ad interneccionem: et pestilentia et sanguis transibunt per te, et gladium inducam super te. Ego Dominus locutus sum.

6 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ²Fili hominis, pone faciem tuam ad montes Israël, et prophetabis ad eos, ³et dices: [Montes Israël, audite verbum Domini Dei. Hæc dicit Dominus Deus montibus et collibus, rupibus et vallibus: Ecce ego inducam super vos gladium, et disperdam excelsa vestra, ⁴et demoliar aras vestras, et confringentur simulacra vestra, et dejiciam interfectos vestros ante idola vestra: ⁵et dabo cadavera filiorum Israël ante faciem simulacrorum vestrorum, et dispergam ossa vestra circum aras vestras: ⁶in omnibus habitationibus vestris urbes desertæ erunt, et excelsa demolientur et dissipabuntur: et interibunt aræ vestræ, et confringentur, et cessabunt idola vestra, et conterentur delubra vestra, et delebuntur opera vestra: ⁷et cadet interfectus in medio vestri, et scietis quia ego sum Dominus. ⁸Et relinquam in vobis eos qui fugerint gladium in gentibus, cum dispersero vos in terris: ⁹et recordabuntur mei liberati vestri in gentibus ad quas captivi ducti sunt:

quia contrivi cor eorum fornicans et recedens a me, et oculos eorum fornicantes post idola sua: et displicebunt sibimet super malis quæ fecerunt in universis abominationibus suis. ¹⁰ Et scient quia ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc. ¹¹ Hæc dicit Dominus Deus: Percute manum tuam et allide pedem tuum, et dic: Heu ! ad omnes abominationes malorum domus Israël: quia gladio, fame et peste ruituri sunt. ¹² Qui longe est, peste morietur: qui autem prope, gladio corruet: et qui relictus fuerit et obsessus, fame morietur: et complebo indignationem meam in eis. ¹³ Et scietis quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni colle excelso, et in cunctis summitatibus montium, et subtus omne lignum nemorosum, et subtus universam quercum frondosam, locum ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis. ¹⁴ Et extendam manum meam super eos: et faciam terram desolatam et destitutam, a deserto Deblatha, in omnibus habitationibus eorum: et scient quia ego Dominus.]

7 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ² Et tu, fili hominis, hæc dicit Dominus Deus terræ Israël: [Finis venit: venit finis super quatuor plagas terræ. ³ Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te: et iudicabo te juxta vias tuas, et ponam contra te omnes abominationes tuas. ⁴ Et non parcet oculus meus super te, et non miserebor: sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt, et scietis quia ego Dominus. ⁵ Hæc dicit Dominus Deus: Afflictio una, afflictio ecce venit. ⁶ Finis venit, venit finis: evigilavit adversum te, ecce venit. ⁷ Venit contritio super te, qui habitas in terra: venit tempus, prope est dies occisionis, et non gloriæ montium. ⁸ Nunc de propinquo effundam iram meam super te, et complebo furorem meum in te: et iudicabo te juxta vias tuas, et imponam tibi omnia scelera tua, ⁹ et non parcet oculus meus, nec miserebor: sed vias tuas imponam tibi, et abominationes tuæ in medio tui erunt, et scietis quia ego sum Dominus percutiens. ¹⁰ Ecce dies, ecce venit: egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia, ¹¹ iniquitas surrexit in virga impietatis: non ex eis, et non ex populo, neque ex sonitu eorum: et non erit requies in eis. ¹² Venit tempus, appropinquavit dies: qui emit, non lætetur, et qui vendit, non lugeat: quia ira super omnem populum ejus. ¹³ Quia qui vendit, ad id quod vendidit non revertetur: et adhuc in viventibus vita eorum: visio enim ad omnem multitudinem ejus non regredietur, et vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur.] ¹⁴ [Canite tuba, præparentur omnes: et non est qui vadat ad prælium: ira enim mea super universum populum ejus. ¹⁵ Gladium foris, et pestis et fames intrinsecus: qui in agro est, gladio morietur, et qui in civitate, pestilentia et fame devorabuntur. ¹⁶ Et salvabuntur qui fugerint ex eis: et erunt in montibus quasi columbæ convallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua. ¹⁷ Omnes manus dissolventur, et omnia genua fluent aquis. ¹⁸ Et accingent se ciliciis, et operiet eos formido: et in omni facie confusio, et in universis capitibus eorum calvitium. ¹⁹ Argentum eorum foras projicietur, et aurum eorum in sterquilinum erit: argentum eorum et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini: animam suam non saturabunt, et ventres eorum non implebuntur, quia scandalum iniquitatis eorum factum est. ²⁰ Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, et imagines abominationum suarum et simulacrorum fecerunt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immunditiam. ²¹ Et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, et impiis terræ in prædam, et contaminabunt illud. ²² Et avertam faciem meam ab eis, et violabunt arcanum meum: et introibunt in illud emissarii, et contaminabunt illud.

²³ Fac conclusionem, quoniam terra plena est iudicio sanguinum, et civitas plena iniquitate. ²⁴ Et adducam pessimos de gentibus, et possidebunt domos eorum: et quiescere faciam superbiam potentium, et possidebunt sanctuaria eorum. ²⁵ Angustia superveniente, requirent pacem, et non erit. ²⁶ Conturbatio super conturbationem veniet, et auditus super auditum: et quærent visionem de propheta, et lex peribit a sacerdote, et consilium a senioribus. ²⁷ Rex lugebit, et princeps induetur mœrore, et manus populi terræ conturbabuntur: secundum viam eorum faciam eis, et secundum iudicia eorum iudicabo eos, et scient quia ego Dominus.]

8 Et factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis, ego sedebam in domo mea, et senes Juda sedebant coram me, et cecidit ibi super me manus Domini Dei. ² Et vidi: et ecce similitudo quasi aspectus ignis: ab aspectu lumborum ejus et deorsum, ignis: et a lumbis ejus et sursum, quasi aspectus splendoris, ut visio electri. ³ Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et elevavit me spiritus inter terram et cælum: et adduxit me in Jerusalem, in visione Dei, juxta ostium interius quod respiciebat ad aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. ⁴ Et ecce ibi gloria Dei Israël, secundum visionem quam videram in campo. ⁵ Et dixit ad me: Fili hominis, leva oculos tuos ad viam aquilonis. Et levavi oculos meos ad viam aquilonis, et ecce ab aquilone portæ altaris idolum zeli in ipso introitu. ⁶ Et dixit ad me: Fili hominis, putasne vides tu quid isti faciunt, abominationes magnas quas domus Israël facit hic, ut procul recedam a sanctuario meo? et adhuc conversus videbis abominationes majores. ⁷ Et introduxit me ad ostium atrii, et vidi, et ecce foramen unum in pariete. ⁸ Et dixit ad me: Fili hominis, fode parietem. Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum. ⁹ Et dixit ad me: Ingredere, et vide abominationes pessimas quas isti faciunt hic. ¹⁰ Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium, abominatio, et universa idola domus Israël, depicta erant in pariete in circuitu per totum: ¹¹ et septuaginta viri de senioribus domus Israël: et Jezonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas: et unusquisque habebat thuribulum in manu sua, et vapor nebulæ de thure consurgebat. ¹² Et dixit ad me: Certe vides, fili hominis, quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui: dicunt enim: Non videt Dominus nos; dereliquit Dominus terram. ¹³ Et dixit ad me: Adhuc conversus videbis abominationes majores, quas isti faciunt. ¹⁴ Et introduxit me per ostium portæ domus Domini quod respiciebat ad aquilonem, et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem. ¹⁵ Et dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis: adhuc conversus videbis abominationes majores his. ¹⁶ Et introduxit me in atrium domus Domini interius, et ecce in ostio templi Domini, inter vestibulum et altare, quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad orientem: et adorabant ad ortum solis. ¹⁷ Et dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis: numquid leve est hoc domui Juda, ut facerent abominationes istas quas fecerunt hic, quia replentes terram iniquitate, conversi sunt ad irritandum me? et ecce applicant ramum ad nares suas. ¹⁸ Ergo et ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miserebor: et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.

9 Et clamavit in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquaverunt visitationes urbis, et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua. ² Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad aquilonem, et uniuscujusque vas interitus in manu ejus: vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, et atra-

mentarium scriptoris ad renes ejus: et ingressi sunt, et steterunt juxta altare æreum. ³Et gloria Domini Israël assumpta est de cherub, quæ erat super eum ad limen domus: et vocavit virum qui indutus erat lineis, et atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis: ⁴et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam civitatem, in medio Jerusalem, et signa thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus. ⁵Et illis dixit, audiente me: Transite per civitatem sequentes eum, et percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini: ⁶senem, adolescentulum et virginem, parvulum et mulieres interficite usque ad interneconem: omnem autem super quem videritis thau, ne occidatis: et a sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo a viris senioribus, qui erant ante faciem domus. ⁷Et dixit ad eos: Contaminate domum, et implete atria interfectis; egredimini. Et egressi sunt, et percutiebant eos qui erant in civitate. ⁸Et cæde completa, remansi ego, ruique super faciem meam, et clamans aio: Heu ! heu ! heu ! Domine Deus: ergone disperdes omnes reliquias Israël, effundens furorem tuum super Jerusalem? ⁹Et dixit ad me: Iniquitas domus Israël et Juda magna est nimis valde, et repleta est terra sanguinibus, et civitas repleta est aversione: dixerunt enim: Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt. ¹⁰Igitur et meus non parcat oculus, neque miserebor: viam eorum super caput eorum reddam. ¹¹Et ecce vir qui erat indutus lineis, qui habebat atramentarium in dorso suo, respondit verbum, dicens: Feci sicut præcepisti mihi.

10 Et vidi: et ecce in firmamento quod erat super caput cherubim, quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solii, apparuit super ea. ²Et dixit ad virum qui indutus erat lineis, et ait: Ingredere in medio rotarum quæ sunt subtus cherubim, et imple manum tuam prunis ignis quæ sunt inter cherubim, et effunde super civitatem. Ingressusque est in conspectu meo. ³Cherubim autem stabant a dextris domus cum ingrederetur vir, et nubes implevit atrium interius. ⁴Et elevata est gloria Domini desuper cherub ad limen domus: et repleta est domus nube, et atrium repletum est splendore gloriæ Domini. ⁵Et sonitus alarum cherubim audiebatur usque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis. ⁶Cumque præcepisset viro qui indutus erat lineis, dicens: Sume ignem de medio rotarum quæ sunt inter cherubim: ingressus ille stetit juxta rotam. ⁷Et extendit cherub manum de medio cherubim ad ignem qui erat inter cherubim, et sumpsit, et dedit in manus ejus qui indutus erat lineis: qui accipiens egressus est. ⁸Et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum. ⁹Et vidi: et ecce quatuor rotæ juxta cherubim: rota una juxta cherub unum, et rota alia juxta cherub unum: species autem rotarum erat quasi visio lapidis chrysolithi: ¹⁰et aspectus earum similitudo una quatuor, quasi sit rota in medio rotæ. ¹¹Cumque ambularent, in quatuor partes gradiebantur, et non revertebantur ambulantes: sed ad locum ad quem ire declinabat quæ prima erat, sequebantur et ceteræ, nec convertebantur. ¹²Et omne corpus earum, et colla, et manus, et pennæ, et circuli, plena erant oculis in circuitu quatuor rotarum. ¹³Et rotas istas vocavit volubiles, audiente me. ¹⁴Quatuor autem facies habebat unum: facies una, facies cherub, et facies secunda, facies hominis: et in tertio facies leonis, et in quarto facies aquilæ. ¹⁵Et elevata sunt cherubim: ipsum est animal quod videram juxta fluvium Chobar. ¹⁶Cumque ambularent cherubim, ibant pariter et rotæ juxta ea: et cum elevarent cherubim alas suas ut exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed et ipsæ juxta erant. ¹⁷Stantibus illis stabant, et cum elevatis elevabantur: spiritus enim vitæ erat in eis. ¹⁸Et egressa est gloria Do-

mini a limine templi, et stetit super cherubim. ¹⁹ Et elevantia cherubim alas suas, exaltata sunt a terra coram me: et illis egredientibus, rotæ quoque subsecutæ sunt: et stetit in introitu portæ domus Domini orientalis, et gloria Dei Israël erat super ea. ²⁰ Ipsum est animal quod vidi subter Deum Israël juxta fluvium Chobar, et intellexi quia cherubim essent. ²¹ Quatuor vultus uni, et quatuor alæ uni: et similitudo manus hominis sub alis eorum. ²² Et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos videram juxta fluvium Chobar, et intuitus eorum, et impetus singulorum ante faciem suam ingredi.

11 Et elevavit me spiritus, et introduxit me ad portam domus Domini orientalem, quæ respicit ad solis ortum: et ecce in introitu portæ viginti quinque viri: et vidi in medio eorum Jezoniam filium Azur, et Pheltiam filium Banaïæ, principes populi. ² Dixitque ad me: Fili hominis, hi sunt viri qui cogitant iniquitatem, et tractant consilium pessimum in urbe ista, ³ dicentes: Nonne dudum ædificatæ sunt domus? hæc est lebes, nos autem carnes. ⁴ Idcirco vaticinare de eis, vaticinare, fili hominis. ⁵ Et irruit in me spiritus Domini, et dixit ad me: Loquere: Hæc dicit Dominus: Sic locuti estis, domus Israël, et cogitationes cordis vestri ego novi. ⁶ Plurimos occidistis in urbe hac, et implestis vias ejus interfectis. ⁷ Propterea hæc dicit Dominus Deus: Interfecti vestri, quos posuistis in medio ejus, hi sunt carnes, et hæc est lebes: et educam vos de medio ejus. ⁸ Gladium metuistis, et gladium inducam super vos, ait Dominus Deus. ⁹ Et ejiciam vos de medio ejus, daboque vos in manu hostium, et faciam in vobis judicia. ¹⁰ Gladio cadetis: in finibus Israël judicabo vos, et scietis quia ego Dominus. ¹¹ Hæc non erit vobis in lebetem, et vos non eritis in medio ejus in carnes: in finibus Israël judicabo vos, ¹² et scietis quia ego Dominus: quia in præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis, sed juxta judicia gentium quæ in circuitu vestro sunt estis operati. ¹³ Et factum est cum prophetarem, Pheltias filius Banaïæ mortuus est: et cecidi in faciem meam clamans voce magna, et dixi: Heu ! heu ! heu ! Domine Deus, consummationem tu facis reliquiarum Israël? ¹⁴ Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ¹⁵ Fili hominis, fratres tui, fratres tui, viri propinqui tui, et omnis domus Israël, universi quibus dixerunt habitatores Jerusalem: Longe recedite a Domino: nobis data est terra in possessionem. ¹⁶ Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia longe feci eos in gentibus, et quia dispersi eos in terris: ero eis in sanctificationem modicam in terris ad quas venerunt. ¹⁷ Propterea loquere: Hæc dicit Dominus Deus: Congregabo vos de populis, et adunabo de terris in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israël. ¹⁸ Et ingredientur illuc, et auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes ejus de illa. ¹⁹ Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum: et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ²⁰ ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. ²¹ Quorum cor post offendicula et abominationes suas ambulat, horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus. ²² Et elevaverunt cherubim alas suas, et rotæ cum eis, et gloria Dei Israël erat super ea: ²³ et ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem qui est ad orientem urbis. ²⁴ Et spiritus levavit me, adduxitque in Chaldæam ad transmigrationem, in visione, in spiritu Dei: et sublata est a me visio quam videram. ²⁵ Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini quæ ostenderat mihi.

12 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ²Fili hominis, in medio domus exasperantis tu habitas: qui oculos habent ad videndum, et non vident, et aures ad audiendum, et non audiunt: quia domus exasperans est. ³Tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa transmigratorum, et transmigrabis per diem coram eis. Transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum, si forte aspiciant, quia domus exasperans est: ⁴et efferes foras vasa tua quasi vasa transmigrantis per diem in conspectu eorum: tu autem egredieris vespere coram eis, sicut egreditur migrans. ⁵Ante oculos eorum perfode tibi parietem, et egredieris per eum. ⁶In conspectu eorum in humeris portaberis; in caligine effereis: faciem tuam velabis, et non videbis terram, quia portentum dedi te domui Israël. ⁷Feci ergo sicut præceperat mihi Dominus: vasa mea protuli quasi vasa transmigrantis per diem, et vespere perfodi mihi parietem manu: et in caligine egressus sum, in humeris portatus in conspectu eorum. ⁸Et factus est sermo Domini mane ad me, dicens: ⁹Fili hominis, numquid non dixerunt ad te domus Israël, domus exasperans: Quid tu facis? ¹⁰Dic ad eos: [Hæc dicit Dominus Deus: Super duces onus istud, qui est in Jerusalem, et super omnem domum Israël, quæ est in medio eorum.] ¹¹Dic: [Ego portentum vestrum: quomodo feci, sic fiet illis: in transmigratorum et in captivitatem ibunt. ¹²Et dux qui est in medio eorum, in humeris portabitur; in caligine egredietur: parietem perfodiet, ut educant eum; facies ejus operietur, ut non videat oculo terram. ¹³Et extendam rete meum super eum, et capietur in sagena mea: et adducam eum in Babylonem, in terram Chaldæorum, et ipsam non videbit: ibique morietur. ¹⁴Et omnes qui circa eum sunt, præsidium ejus, et agmina ejus, dispergam in omnem ventum, et gladium evaginabo post eos. ¹⁵Et scient quia ego Dominus, quando dispersero illos in gentibus, et disseminavero eos in terris. ¹⁶Et relinquam ex eis viros paucos a gladio, et fame, et pestilentia, ut enarrent omnia scelera eorum in gentibus ad quas ingredientur, et scient quia ego Dominus.] ¹⁷Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ¹⁸[Fili hominis, panem tuum in conturbatione comede, sed et aquam tuam in festinatione et mœrore bibe. ¹⁹Et dices ad populum terræ: Hæc dicit Dominus Deus ad eos qui habitant in Jerusalem, in terra Israël: Panem suum in sollicitudine comedent, et aquam suam in desolatione bibent: ut desoletur terra a multitudine sua, propter iniquitatem omnium qui habitant in ea. ²⁰Et civitates quæ nunc habitantur, desolatæ erunt, terraque deserta, et scietis quia ego Dominus.] ²¹Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ²²[Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israël, dicentium: In longum differentur dies, et peribit omnis visio? ²³Ideo dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Quiescere faciam proverbium istud, neque vulgo dicetur ultra in Israël: et loquere ad eos quod appropinquerint dies, et sermo omnis visionis. ²⁴Non enim erit ultra omnis visio cassa, neque divinatio ambigua in medio filiorum Israël: ²⁵quia ego Dominus loquar, et quodcumque locutus fuero verbum, fiet, et non prolongabitur amplius: sed in diebus vestris, domus exasperans, loquar verbum, et faciam illud, dicit Dominus Deus.] ²⁶Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ²⁷[Fili hominis, ecce domus Israël dicentium: Visio quam hic videt, in dies multos et in tempora longa iste prophetat. ²⁸Propterea dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Non prolongabitur ultra omnis sermo meus: verbum quod locutus fuero, complebitur, dicit Dominus Deus.]

13 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ²Fili hominis, vaticinare ad prophetas Israël qui prophetant, et dices prophetantibus de corde suo: [Au-

dite verbum Domini. ³Hæc dicit Dominus Deus: Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident ! ⁴Quasi vulpes in desertis prophetæ tui, Israël, erant. ⁵Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini. ⁶Vident vana, et divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos: et perseveraverunt confirmare sermonem. ⁷Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis, et dicitis: Ait Dominus, cum ego non sim locutus? ⁸Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, et vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus. ⁹Et erit manus mea super prophetas qui vident vana, et divinant mendacium: in consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israël non scribentur, nec in terram Israël ingredientur, et scietis quia ego Dominus Deus: ¹⁰eo quod deceperint populum meum, dicentes: Pax, et non est pax: et ipse ædificabat parietem, illi autem linebant eum luto absque paleis. ¹¹Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit: erit enim imber inundans, et dabo lapides prægrandes desuper irruentes, et ventum procellæ dissipantem. ¹²Siquidem ecce cecidit paries: numquid non dicetur vobis: Ubi est litura quam linistis? ¹³Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, et imber inundans in furore meo erit, et lapides grandes in ira in consumptionem. ¹⁴Et destruam parietem quem linistis absque temperamento, et adæquabo eum terræ, et revelabitur fundamentum ejus: et cadet, et consumetur in medio ejus, et scietis quia ego sum Dominus. ¹⁵Et complebo indignationem meam in pariete, et in his qui liniunt eum absque temperamento: dicamque vobis: Non est paries, et non sunt qui liniunt eum: ¹⁶prophetæ Israël, qui prophetant ad Jerusalem, et vident ei visionem pacis, et non est pax, ait Dominus Deus.] ¹⁷Et tu, fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui quæ prophetant de corde suo: et vaticinare super eas, ¹⁸et dic: [Hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas: et cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum ! ¹⁹Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, et vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. ²⁰Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas volantes: et dirumpam eos de brachiis vestris, et dimittam animas quas vos capitis, animas ad volandum. ²¹Et dirumpam cervicalia vestra, et liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultra in manibus vestris ad prædandum: et scietis quia ego Dominus. ²²Pro eo quod mœrere fecistis cor justî mendaciter, quem ego non contristavi, et confortastis manus impii, ut non reverteretur a via sua mala, et viveret: ²³propterea vana non videbitis, et divinationes non divinabitis amplius, et eruum populum meum de manu vestra: et scietis quia ego Dominus.]

14 Et venerunt ad me viri seniorum Israël, et sederunt coram me. ²Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ³Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, et scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam: numquid interrogatus respondebo eis? ⁴Propter hoc loquere eis, et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Homo, homo de domo Israël, qui posuerit immunditias suas in corde suo, et scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, et venerit ad prophetam interrogans per eum me: ego Dominus respondebo ei in multitudine

immunditiarum suarum, ⁵ ut capiatur domus Israël in corde suo, quo recesserunt a me in cunctis idolis suis. ⁶ Propterea dic ad domum Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Convertimini, et recedite ab idolis vestris, et ab universis contaminationibus vestris avertite facies vestras. ⁷ Quia homo, homo de domo Israël, et de proselytis quicumque advena fuerit in Israël, si alienatus fuerit a me, et posuerit idola sua in corde suo, et scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, et venerit ad prophetam ut interroget per eum me: ego Dominus respondebo ei per me: ⁸ et ponam faciem meam super hominem illum, et faciam eum in exemplum et in proverbium, et disperdam eum de medio populi mei: et scietis quia ego Dominus. ⁹ Et propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum, et extendam manum meam super illum, et delebo eum de medio populi mei Israël. ¹⁰ Et portabunt iniquitatem suam: juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit: ¹¹ ut non erret ultra domus Israël a me, neque polluat in universis prævaricationibus suis: sed sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum. ¹² Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ¹³ [Fili hominis, terra cum peccaverit mihi, ut prævaricaretur prævaricans, extendam manum meam super eam, et conteram virgam panis ejus, et immittam in eam famem, et interficiam de ea hominem et jumentum. ¹⁴ Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel, et Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. ¹⁵ Quod si et bestias pessimas induxero super terram ut vastem eam, et fuerit invia, eo quod non sit pertransiens propter bestias: ¹⁶ tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. ¹⁷ Vel si gladium induxero super terram illam, et dixero gladio: Transi per terram: et interfecero de ea hominem et jumentum, ¹⁸ et tres viri isti fuerint in medio ejus: vivo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios neque filias, sed ipsi soli liberabuntur. ¹⁹ Si autem et pestilentiam immisero super terram illam, et effudero indignationem meam super eam in sanguine, ut auferam ex ea hominem et jumentum, ²⁰ et Noë, et Daniel, et Job fuerint in medio ejus: vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt, sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas. ²¹ Quoniam hæc dicit Dominus Deus: Quod etsi quatuor judicia mea pessima, gladium, et famem, ac bestias malas, et pestilentiam, immisero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus, ²² tamen relinquetur in ea salvatio educientium filios et filias: ecce ipsi ingredientur ad vos, et videbitis viam eorum et adinventiones eorum, et consolabimini super malo quod induxi in Jerusalem, in omnibus quæ importavi super eam. ²³ Et consolabuntur vos, cum videritis viam eorum et adinventiones eorum: et cognoscetis quod non frustra fecerim omnia quæ feci in ea, ait Dominus Deus.]

15 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ² [Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum quæ sunt inter ligna silvarum? ³ numquid tolletur de ea lignum ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus ut dependeat in eo quodcumque vas? ⁴ Ecce igni datum est in escam: utramque partem ejus consumpsit ignis, et medietas ejus redacta est in favillam: numquid utile erit ad opus? ⁵ Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus: quanto magis cum illud ignis devoraverit et combusserit, nihil ex eo fiet operis? ⁶ Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quomodo lignum vitis inter ligna silvarum, quod dedi igni ad devorandum, sic tradam habitatores Jerusalem. ⁷ Et ponam faciem meam in eos: de igne egredien-

tur, et ignis consumet eos: et scietis quia ego Dominus, cum posuero faciem meam in eos, ⁸ et dederō terram inviam et desolatam, eo quod prævaticatores extiterint, dicit Dominus Deus.]

16 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ² Fili hominis, notas fac Jerusalem abominationes suas, ³ et dices: Hæc dicit Dominus Deus Jerusalem: Radix tua et generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa. ⁴ Et quando nata es, in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, et aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. ⁵ Non pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his, misertus tui: sed projecta es super faciem terræ in abjectione animæ tuæ in die qua nata es. ⁶ Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo: et dixi tibi cum esses in sanguine tuo: Vive, dixi, inquam, tibi: in sanguine tuo vive. ⁷ Multiplicatam quasi germen agri dedi te: et multiplicata es, et grandis effecta, et ingressa es, et pervenisti ad mundum muliebrem: ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit: et eras nuda, et confusione plena. ⁸ Et transivi per te, et vidi te: et ecce tempus tuum, tempus amantium: et expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam: et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, et facta es mihi. ⁹ Et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo. ¹⁰ Et vestivi te discoloribus, et calceavi te janthino, et cinxi te bysso, et indui te subtilibus: ¹¹ et ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum: ¹² et dedi inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo. ¹³ Et ornata es auro et argento, et vestita es bysso et polymito et multicoloribus: similam, et mel, et oleum comedisti: et decora facta es vehementer nimis, et profecisti in regnum. ¹⁴ Et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam, quia perfecta eras in decore meo quem posueram super te, dicit Dominus Deus. ¹⁵ Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo: et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres. ¹⁶ Et sumens de vestimentis tuis, fecisti tibi excelsa hinc inde consuta, et fornicata es super eis sicut non est factum, neque futurum est. ¹⁷ Et tulisti vasa decoris tui de auro meo atque argento meo, quæ dedi tibi, et fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es in eis. ¹⁸ Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, et operuisti illas, et oleum meum et thymiama meum posuisti coram eis. ¹⁹ Et panem meum quem dedi tibi, similam, et oleum, et mel, quibus enutrivisti te, posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis: et factum est, ait Dominus Deus. ²⁰ Et tulisti filios tuos et filias tuas quas generasti mihi, et immolasti eis ad devorandum. Numquid parva est fornicatio tua? ²¹ Immolasti filios meos, et dedisti, illos consecrans, eis. ²² Et post omnes abominationes tuas et fornicationes, non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda et confusione plena, conculcata in sanguine tuo. ²³ Et accidit post omnem malitiam tuam (væ, væ tibi ! ait Dominus Deus), ²⁴ et ædificasti tibi lupanar, et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis. ²⁵ Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ, et abominabilem fecisti decorem tuum: et divisisti pedes tuos omni transeunti, et multiplicasti fornicationes tuas: ²⁶ et fornicata es cum filiis Ægypti, vicinis tuis, magnarum carniū: et multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me. ²⁷ Ecce ego extendam manum meam super te, et auferam justificationem tuam, et dabo te in animas odientium te filiarum Palæstinarum, quæ erubescunt in via tua scelerata. ²⁸ Et fornicata es in filiis Assyriorum eo quod necdum fueris expleta: et postquam fornicata es, nec sic es satiata: ²⁹ et

multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldæis, et nec sic satiata es. ³⁰In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus, cum facias omnia hæc opera mulieris meretricis et procacis? ³¹Quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, et excelsum tuum fecisti in omni platea: nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium, ³²sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos. ³³Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, et dona donabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum. ³⁴Factumque est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, et post te non erit fornicatio: in eo enim quod dedisti mercedes, et mercedes non accepisti, factum est in te contrarium. ³⁵Propterea, meretrix, audi verbum Domini. ³⁶Hæc dicit Dominus Deus: Quia effusum est æs tuum et revelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos, et super idola abominationum tuarum, in sanguine filiorum tuorum quos dedisti eis, ³⁷ecce ego congregabo omnes amatores tuos quibus commista es, et omnes quos dilexisti, cum universis quos oderas: et congregabo eos super te undique, et nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt omnem turpitudinem tuam. ³⁸Et judicabo te judiciis adulterarum, et effundentium sanguinem: et dabo te in sanguinem furoris et zeli. ³⁹Et dabo te in manus eorum, et destruent lupanar tuum, et demolientur prostibulum tuum: et denudabunt te vestimentis tuis, et auferent vasa decoris tui, et derelinquent te nudam, plenamque ignominia: ⁴⁰et adducent super te multitudinem, et lapidabunt te lapidibus, et trucidabunt te gladiis suis: ⁴¹et comburent domos tuas igni, et facient in te judicia in oculis mulierum plurimarum. Et desines fornicari, et mercedes ultra non dabis: ⁴²et requiescet indignatio mea in te, et auferetur zelus meus a te: et quiescam, nec irascar amplius. ⁴³Eo quod non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, et provocasti me in omnibus his, quapropter et ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, et non feci juxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis. ⁴⁴Ecce omnis qui dicit vulgo proverbium, in te assumet illud, dicens: Sicut mater, ita et filia ejus. ⁴⁵Filia matris tuæ es tu, quæ projecit virum suum et filios suos: et soror sororum tuarum es tu, quæ projecerunt viros suos et filios suos: mater vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus. ⁴⁶Et soror tua major, Samaria, ipsa et filiæ ejus, quæ habitant ad sinistram tuam: soror autem tua minor te, quæ habitat a dextris tuis, Sodoma, et filiæ ejus. ⁴⁷Sed nec in viis earum ambulasti, neque secundum scelera earum fecisti pauxillum minus: pene sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis. ⁴⁸Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua, ipsa et filiæ ejus, sicut fecisti tu et filiæ tuæ. ⁴⁹Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ: superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus: et manum egeno et pauperi non porrigebant: ⁵⁰et elevatae sunt, et fecerunt abominationes coram me: et abstuli eas sicut vidisti. ⁵¹Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit: sed vicisti eas sceleribus tuis, et justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es. ⁵²Ergo et tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens ab eis: justificatae sunt enim a te: ergo et tu confundere, et porta ignominiam tuam, quæ justificasti sorores tuas. ⁵³Et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis, et conversione Samariæ et filiarum ejus, et convertam reversionem tuam in medio earum, ⁵⁴ut portes ignominiam tuam, et confundaris in omnibus quæ fecisti consolans eas. ⁵⁵Et soror tua Sodoma et filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam, et Samaria et filiæ ejus revertentur ad an-

tiquitatem suam, et tu et filiæ tuæ revertemini ad antiquitatem vestram. ⁵⁶ Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo in die superbiam tuam, ⁵⁷ antequam revelaretur malitia tua, sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, et cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum quæ ambiunt te per gyrum. ⁵⁸ Scelus tuum et ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus Deus. ⁵⁹ Quia hæc dicit Dominus Deus: Et faciam tibi sicut despexisti juramentum, ut irritum faceres pactum: ⁶⁰ et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ, et suscitabo tibi pactum sempiternum. ⁶¹ Et recordaberis viarum tuarum, et confunderis, cum receperis sorores tuas te majores cum minoribus tuis: et dabo eas tibi in filias, sed non ex pacto tuo. ⁶² Et suscitabo ego pactum meum tecum, et scies quia ego Dominus: ⁶³ ut recorderis, et confundaris, et non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua, cum placatus tibi fuero in omnibus quæ fecisti, ait Dominus Deus.

17 Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ² Fili hominis, propone ænigma, et narra parabolam ad domum Israël, ³ et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri. ⁴ Summitatem frondium ejus avulsit, et transportavit eam in terram Chanaan: in urbe negotiatorum posuit illam. ⁵ Et tulit de semine terræ, et posuit illud in terra pro semine, ut firmaret radicem super aquas multas: in superficie posuit illud. ⁶ Cumque germinasset, crevit in vineam latiore, humili statura, respicientibus ramis ejus ad eam, et radices ejus sub illa erant: facta est ergo vinea, et fructificavit in palmites, et emisit propagines. ⁷ Et facta est aquila altera grandis, magnis alis, multisque plumis: et ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam, ut irrigaret eam de areolis germinis sui. ⁸ In terra bona super aquas multas plantata est, ut faciat frondes, et portet fructum, ut sit in vineam grandem. ⁹ Dic: Hæc dicit Dominus Deus: Ergone prosperabitur? nonne radices ejus evellet, et fructus ejus distringet, et siccabit omnes palmites germinis ejus, et arescet, et non in brachio grandi, neque in populo multo, ut evelleret eam radicitus? ¹⁰ Ecce plantata est: ergone prosperabitur? nonne, cum tetigerit eam ventus urens, siccabitur, et in areis germinis sui arescet? ¹¹ Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ¹² Dic ad domum exasperantem: Nescitis quid ista significant? Dic: Ecce venit rex Babylonis in Jerusalem, et assumet regem et principes ejus, et adducet eos ad semetipsum in Babylonem. ¹³ Et tollet de semine regni, ferietque cum eo fœdus, et ab eo accipiet jusjurandum. Sed et fortes terræ tollet, ¹⁴ ut sit regnum humile, et non elevetur, sed custodiat pactum ejus, et servet illud. ¹⁵ Qui recedens ab eo misit nuntios ad Ægyptum, ut daret sibi equos et populum multum: numquid prosperabitur, vel consequetur salutem, qui fecit hæc? et qui dissolvit pactum, numquid effugiet? ¹⁶ Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in loco regis qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, et solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. ¹⁷ Et non in exercitu grandi, neque in populo multo, faciet contra eum Pharaon prælium: in jactu aggeris, et in extructione vallorum, ut interficiat animas multas. ¹⁸ Spreverat enim juramentum, ut solveret fœdus, et ecce dedit manum suam: et cum omnia hæc fecerit, non effugiet. ¹⁹ Propterea hæc dicit Dominus Deus: Vivo ego, quoniam juramentum quod sprevit, et fœdus quod prævaricatus est, ponam in caput ejus. ²⁰ Et expandam super eum rete meum, et comprehendetur in sagena mea: et adducam eum in Babylonem, et judicabo eum ibi in prævaricatione qua despexit me. ²¹ Et omnes profugi

ejus, cum universo agmine suo, gladio cadent: residui autem in omnem ventum dispergentur: et scietis quia ego Dominus locutus sum. ²²Hæc dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis, et ponam: de vertice ramorum ejus tenerum dstringam, et plantabo super montem excelsum et eminentem. ²³In monte sublimi Israëli plantabo illud, et erumpet in germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam: et habitabunt sub ea omnes volucres, et universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabit: ²⁴et scient omnia ligna regionis quia ego Dominus humiliavi lignum sublimem, et exaltavi lignum humile; et siccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, et feci.

18 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ²Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israëli, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt? ³Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israëli. ⁴Ecce omnes animæ meæ sunt: ut anima patris, ita et anima filii mea est: anima quæ peccaverit, ipsa morietur. ⁵Et vir si fuerit justus, et fecerit judicium et justitiam, ⁶in montibus non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israëli: et uxorem proximi sui non violaverit, et ad mulierem menstruatam non accesserit: ⁷et hominem non contristaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit: panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento: ⁸ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit: ab iniquitate averterit manum suam, et judicium verum fecerit inter virum et virum: ⁹in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem: hic justus est; vita vivet, ait Dominus Deus. ¹⁰Quod si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem, et fecerit unum de istis: ¹¹et hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, et uxorem proximi sui pollutentem: ¹²egenum et pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, et ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem: ¹³ad usuram dantem, et amplius accipientem: numquid vivet? Non vivet: cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur; sanguis ejus in ipso erit. ¹⁴Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, et non fecerit simile eis: ¹⁵super montes non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israëli, et uxorem proximi sui non violaverit: ¹⁶et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, et rapinam non rapuerit: panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento: ¹⁷a pauperis injuria averterit manum suam, usuram et superabundantiam non acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit: hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet. ¹⁸Pater ejus, quia calumniatus est, et vim fecit fratri, et malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua. ¹⁹Et dicitis: Quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet quia filius judicium et justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, et fecit illa, vivet vita. ²⁰Anima quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum. ²¹Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur. ²²Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor: in justitia sua quam operatus est, vivet. ²³Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? ²⁴Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas

operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione qua prævaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur. ²⁵ Et dixistis: Non est æqua via Domini ! Audite ergo, domus Israël: numquid via mea non est æqua, et non magis viæ vestræ pravæ sunt? ²⁶ Cum enim averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injustitia quam operatus est morietur. ²⁷ Et cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit iudicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit: ²⁸ considerans enim, et avertens se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, vita vivet, et non morietur. ²⁹ Et dicunt filii Israël: Non est æqua via Domini ! Numquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israël, et non magis viæ vestræ pravæ? ³⁰ Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo, domus Israël, ait Dominus Deus. Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. ³¹ Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum: et quare moriemini, domus Israël? ³² Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini, et vivite.

19 Et tu assume planctum super principes Israël, ² et dices: [Quare mater tua leæna inter leones cubavit? in medio leunculorum enutrivit catulos suos? ³ Et eduxit unum de leunculis suis, et leo factus est: et didicit capere prædam, hominemque comedere. ⁴ Et audierunt de eo gentes: et non absque vulneribus suis ceperunt eum, et adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti. ⁵ Quæ cum vidisset quoniam infirmata est, et periit exspectatio ejus, tulit unum de leunculis suis; leonem constituit eum. ⁶ Qui incedebat inter leones, et factus est leo: et didicit prædam capere, et homines devorare: ⁷ didicit viduas facere, et civitates earum in desertum adducere: et desolata est terra et plenitudo ejus a voce rugitus illius. ⁸ Et convenerunt adversus eum gentes undique de provinciis, et expanderunt super eum rete suum: in vulneribus earum captus est, ⁹ et miserunt eum in caveam: in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis, miseruntque eum in carcerem, ne audiretur vox ejus ultra super montes Israël. ¹⁰ Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus ejus et frondes ejus creverunt ex aquis multis. ¹¹ Et factæ sunt ei virgæ solidæ in scepra dominantium, et exaltata est statura ejus inter frondes, et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum. ¹² Et evulsa est in ira, in terramque projecta, et ventus urens siccavit fructum ejus: marcuerunt et arefactæ sunt virgæ roboris ejus: ignis comedit eam. ¹³ Et nunc transplantata est in desertum, in terra invia et sitiendi. ¹⁴ Et egressus est ignis de virga ramorum ejus, qui fructum ejus comedit: et non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium.] Planctus est, et erit in planctum.

20 Et factum est in anno septimo, in quinto, in decima mensis, venerunt viri de senioribus Israël ut interrogarent Dominum, et sederunt coram me. ² Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ³ Fili hominis, loquere senioribus Israël, et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Numquid ad interrogandum me vos venistis? vivo ego quia non respondebo vobis, ait Dominus Deus. ⁴ Si judicas eos, si judicas, fili hominis, abominationes patrum eorum ostende eis. ⁵ Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: In die qua elegi Israël, et levavi manum meam pro stirpe domus Jacob, et apparui eis in terra Ægypti, et levavi manum meam pro eis, dicens: Ego Dominus Deus vester: ⁶ in die illa levavi manum meam pro eis ut educerem eos de

terra Ægypti, in terram quam provideram eis, fluentem lacte et melle, quæ est egregia inter omnes terras. ⁷ Et dixi ad eos: Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, et in idolis Ægypti nolite pollui: ego Dominus Deus vester. ⁸ Et irritaverunt me, nolueruntque me audire: unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit, nec idola Ægypti reliquerunt. Et dixi ut effunderem indignationem meam super eos, et implerem iram meam in eis, in medio terræ Ægypti. ⁹ Et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus in quarum medio erant, et inter quas apparui eis ut educerem eos de terra Ægypti. ¹⁰ Ejeci ergo eos de terra Ægypti, et eduxi eos in desertum. ¹¹ Et dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis. ¹² Insuper et sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me et eos, et scirent quia ego Dominus sanctificans eos. ¹³ Et irritaverunt me domus Israël in deserto: in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis, et sabbata mea violaverunt vehementer. Dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto, et consumerem eos: ¹⁴ et feci propter nomen meum, ne violaretur coram gentibus de quibus ejeci eos in conspectu earum. ¹⁵ Ego igitur levavi manum meam super eos in deserto, ne inducerem eos in terram quam dedi eis, fluentem lacte et melle, præcipuam terrarum omnium: ¹⁶ quia judicia mea projecerunt, et in præceptis meis non ambulaverunt, et sabbata mea violaverunt: post idola enim cor eorum gradiebatur. ¹⁷ Et pepercit oculus meus super eos, ut non interficerem eos: nec consumpsi eos in deserto. ¹⁸ Dixi autem ad filios eorum in solitudine: In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini. ¹⁹ Ego Dominus Deus vester: in præceptis meis ambulate: judicia mea custodite, et facite ea, ²⁰ et sabbata mea sanctificate, ut sint signum inter me et vos, et sciatis quia ego sum Dominus Deus vester. ²¹ Et exacerbaverunt me filii: in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea non custodierunt ut facerent ea, quæ cum fecerit homo, vivet in eis, et sabbata mea violaverunt. Et comminatus sum ut effunderem furorem meum super eos, et implerem iram meam in eis in deserto. ²² Averti autem manum meam, et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus de quibus ejeci eos in oculis earum. ²³ Iterum levavi manum meam in eos in solitudine, ut dispergerem illos in nationes, et ventilarem in terras, ²⁴ eo quod judicia mea non fecissent, et præcepta mea reprobassent, et sabbata mea violassent, et post idola patrum suorum fuissent oculi eorum. ²⁵ Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent. ²⁶ Et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta sua: et scient quia ego Dominus. ²⁷ Quam ob rem loquere ad domum Israël, fili hominis, et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc et in hoc blasphemaverunt me patres vestri, cum sprevissem me contemntes, ²⁸ et induxissem eos in terram super quam levavi manum meam ut darem eis: viderunt omnem collem excelsum, et omne lignum nemorosum, et immolaverunt ibi victimas suas, et dederunt ibi irritationem oblationis suæ, et posuerunt ibi odorem suavitatis suæ, et libaverunt libationes suas. ²⁹ Et dixi ad eos: Quid est excelsum, ad quod vos ingredimini? et vocatum est nomen ejus Excelsum usque ad hanc diem. ³⁰ Propterea dic ad domum Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Certe in via patrum vestrorum vos polluimini, et post offendicula eorum vos fornicamini: ³¹ et in oblatione donorum vestrorum, cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie: et ego respondebo vobis, domus Israël? Vivo ego, dicit Dominus

Deus, quia non respondebo vobis. ³² Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium: Erimus sicut gentes et sicut cognationes terræ, ut colamus ligna et lapides. ³³ Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso, regnabo super vos. ³⁴ Et educam vos de populis, et congregabo vos de terris in quibus dispersi estis: in manu valida, et in brachio extento, et in furore effuso, regnabo super vos. ³⁵ Et adducam vos in desertum populorum, et iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem. ³⁶ Sicut iudicio contendi adversum patres vestros in deserto terræ Ægypti, sic iudicabo vos, dicit Dominus Deus. ³⁷ Et subjiciam vos scepro meo, et inducam vos in vinculis fœderis. ³⁸ Et eligam de vobis transgressores et impios, et de terra incolatus eorum educam eos, et in terram Israël non ingredientur: et scietis quia ego Dominus. ³⁹ Et vos, domus Israël, hæc dicit Dominus Deus: Singuli post idola vestra ambulate, et servite eis. Quod si et in hoc non audieritis me, et nomen meum sanctum pollueritis ultra in muneribus vestris et in idolis vestris: ⁴⁰ in monte sancto meo, in monte excelso Israël, ait Dominus Deus, ibi serviet mihi omnis domus Israël: omnes, inquam, in terra in qua placebunt mihi: et ibi quæram primitias vestras, et initium decimarum vestrarum, in omnibus sanctificationibus vestris. ⁴¹ In odorem suavitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis, et congregavero vos de terris in quas dispersi estis: et sanctificabor in vobis in oculis nationum. ⁴² Et scietis quia ego Dominus, cum induxero vos ad terram Israël, in terram pro qua levavi manum meam ut darem eam patribus vestris. ⁴³ Et recordabimini ibi viarum vestrarum, et omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis: et displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus malitiis vestris quas fecistis. ⁴⁴ Et scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum, et non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima, domus Israël, ait Dominus Deus. ⁴⁵ Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ⁴⁶ [Fili hominis, pone faciem tuam contra viam austri, et stilla ad africanum, et propheta ad saltum agri meridiani. ⁴⁷ Et dices saltui meridiano: Audi verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego succendam in te ignem, et comburam in te omne lignum viride, et omne lignum aridum: non extinguetur flamma succensionis: et comburetur in ea omnis facies ab austro usque ad aquilonem, ⁴⁸ et videbit universa caro quia ego Dominus succendi eam, nec extinguetur.] ⁴⁹ Et dixi: A, a, a, Domine Deus: ipsi dicunt de me: Numquid non per parabolas loquitur iste?

21 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ² [Fili hominis, pone faciem tuam ad Jerusalem, et stilla ad sanctuaria, et propheta contra humum Israël. ³ Et dices terræ Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, et ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium. ⁴ Pro eo autem quod occidi in te justum et impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem, ab austro usque ad aquilonem: ⁵ ut sciat omnis caro quia ego Dominus, eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem. ⁶ Et tu, fili hominis, ingemisce in contritione lumborum, et in amaritudinibus ingemisce coram eis. ⁷ Cumque dixerint ad te: Quare tu gemis? dices: Pro auditu: quia venit, et tabescet omne cor, et dissolventur universæ manus, et infirmabitur omnis spiritus, et per cuncta genua fluent aquæ: ecce venit, et fiet, ait Dominus Deus.] ⁸ Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ⁹ Fili hominis, propheta, et dices: Hæc dicit Dominus Deus: loquere: [Gladius, gladius exacutus est, et limatus: ¹⁰ ut cædat victimas, exacutus est: ut splendeat, limatus est: qui movet sceptrum filii mei, succidisti omne lignum. ¹¹ Et dedi eum ad

levigandum, ut teneatur manu: iste exacutus est gladius, et iste limatus est, ut sit in manu interficientis. ¹² Clama et ulula, fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israël qui fugerant: gladio traditi sunt cum populo meo: idcirco plaude super femur, ¹³ quia probatus est: et hoc, cum sceptrum subverterit, et non erit, dicit Dominus Deus. ¹⁴ Tu ergo, fili hominis, propheta, et percute manu ad manum: et duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum: hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit ¹⁵ et corde tabescere, et multiplicat ruinas. In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti, et limati ad fulgendum, amicti ad cædem. ¹⁶ Exacuere, vade ad dexteram sive ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus. ¹⁷ Quin et ego plaudam manu ad manum, et implebo indignationem meam: ego Dominus locutus sum.] ¹⁸ Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ¹⁹ Et tu, fili hominis, pone tibi duas vias, ut veniat gladius regis Babylonis: de terra una egredientur ambæ: et manu capiet conjecturam; in capite viæ civitatis conjiciet. ²⁰ Viam pones ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, et ad Judam in Jerusalem munitissimam. ²¹ Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas: interrogavit idola, exta consuluit. ²² Ad dexteram ejus facta est divinatio super Jerusalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones. ²³ Eritque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum, et sabbatorum otium imitans: ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum. ²⁴ Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod recordati estis iniquitatis vestræ, et revelastis prævaricationes vestras, et apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris, pro eo, inquam, quod recordati estis, manu capiemi. ²⁵ Tu autem, profane, impie dux Israël, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita: ²⁶ hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc est quæ humilem sublevavit, et sublimem humiliavit? ²⁷ Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam: et hoc non factum est, donec veniret cujus est iudicium, et tradam ei. ²⁸ Et tu, fili hominis, propheta, et dic: Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, et ad opprobrium eorum: et dices: [Mucro, mucro, evaginate ad occidendum: limate ut interficias et fulgeas: ²⁹ cum tibi viderentur vana, et divinarentur mendacia, ut dareris super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita. ³⁰ Revertere ad vaginam tuam, in loco in quo creatus es: in terra nativitatis tuæ iudicabo te. ³¹ Et effundam super te indignationem meam; in igne furoris mei sufflabo in te: daboque te in manus hominum insipientium, et fabricantium interitum. ³² Igni eris cibus; sanguis tuus erit in medio terræ; oblivioni traderis: quia ego Dominus locutus sum.]

22 Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ² Et tu, fili hominis, nonne iudicas, nonne iudicas civitatem sanguinum? ³ Et ostendes ei omnes abominaciones suas, et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Civitas effundens sanguinem in medio sui, ut veniat tempus ejus: et quæ fecit idola contra semetipsam, ut pollueretur. ⁴ In sanguine tuo, qui a te effusus est, deliquisti, et in idolis tuis, quæ fecisti, polluta es: et appropinquare fecisti dies tuos, et adduxisti tempus annorum tuorum: propterea dedi te opprobrium gentibus, et irrisionem universis terris. ⁵ Quæ juxta sunt, et quæ procul a te, triumphabunt de te, sordida, nobilis, grandis interitu. ⁶ Ecce principes Israël singuli in brachio suo fuerunt in te, ad effundendum sanguinem. ⁷ Patrem et matrem contumeliis affecerunt: in te advenam calumniati sunt in medio tui: pupil-

lum et viduam contristaverunt apud te. ⁸ Sanctuaria mea sprevisi, et sabbata mea polluisti. ⁹ Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem, et super montes comederunt in te: scelus operati sunt in medio tui. ¹⁰ Verecundiora patris discooperuerunt in te; immunditiam menstruatae humiliaverunt in te: ¹¹ et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem, et socer nurum suam polluit nefarie: frater sororem suam, filiam patris sui, oppressit in te. ¹² Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem: usuram et superabundantiam accepisti, et avare proximos tuos calumniabaris: meique oblita es, ait Dominus Deus. ¹³ Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam quam fecisti, et super sanguinem qui effusus est in medio tui. ¹⁴ Numquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ, in diebus quos ego faciam tibi? Ego Dominus locutus sum, et faciam. ¹⁵ Et dispergam te in nationes, et ventilabo te in terras, et deficere faciam immunditiam tuam a te. ¹⁶ Et possidebo te in conspectu gentium: et scies quia ego Dominus. ¹⁷ Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ¹⁸ Fili hominis, versa est mihi domus Israël in scoriā: omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis: scoria argenti facti sunt. ¹⁹ Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quod versi estis omnes in scoriā, propterea ecce ego congregabo vos in medio Jerusalem, ²⁰ congregatione argenti, et æris, et stanni, et ferri, et plumbi, in medio fornacis, ut succendam in ea ignem ad conflandum. Sic congregabo in furore meo, et in ira mea: et requiescam, et conflabo vos. ²¹ Et congregabo vos, et succendam vos in igne furoris mei, et conflabimini in medio ejus. ²² Ut conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio ejus: et scietis quia ego Dominus cum effuderim indignationem meam super vos. ²³ Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ²⁴ Fili hominis, dic ei: Tu es terra immunda, et non compluta in die furoris. ²⁵ Conjuratio prophetarum in medio ejus: sicut leo rugiens, rapiensque prædam, animas devoraverunt: opes et pretium acceperunt: viduas ejus multiplicaverunt in medio illius. ²⁶ Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam, et inter pollutum et mundum non intellexerunt: et a sabbatis meis averterunt oculos suos, et coinquinabar in medio eorum. ²⁷ Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, et ad perdendas animas, et avare ad sectanda lucra. ²⁸ Prophetæ autem ejus liniebant eos absque temperamento, videntes vana, et divinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus: cum Dominus non sit locutus. ²⁹ Populi terræ calumniabantur calumniam, et rapiebant violenter: egenum et pauperem affligebant, et advenam opprimebant calumnia absque judicio. ³⁰ Et quæsi de eis virum qui interponeret sepe, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: et non inveni. ³¹ Et effudi super eos indignationem meam; in igne iræ meæ consumpsi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.

23 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ² [Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt: ³ et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt: ibi subacta sunt ubera earum, et fractæ sunt mammæ pubertatis earum. ⁴ Nomina autem earum, Oolla major, et Ooliba soror ejus minor: et habui eas, et pepererunt filios et filias. Porro earum nomina, Samaria Oolla, et Jerusalem Ooliba. ⁵ Fornicata est igitur super me Oolla, et insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantem, ⁶ vestitos hyacintho, principes et magistratus, juvenes cupidinis, universos equites, ascensores equorum. ⁷ Et dedit fornicationes suas super eos electos,

filios Assyriorum universos: et in omnibus in quos insanivit, in immunditiis eorum polluta est. ⁸ Insuper et fornicationes suas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit: nam et illi dormierunt cum ea in adolescentia ejus, et illi confregerunt ubera pubertatis ejus, et effuderunt fornicationem suam super eam. ⁹ Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insanivit libidine. ¹⁰ Ipsi discooperuerunt ignominiam ejus, filios et filias ejus tulerunt, et ipsam occiderunt gladio: et factæ sunt famosæ mulieres, et judicia perpetraverunt in ea. ¹¹ Quod cum vidisset soror ejus Ooliba, plus quam illa insanivit libidine, et fornicationem suam super fornicationem sororis suæ: ¹² ad filios Assyriorum præbuit impudenter, ducibus et magistratibus ad se venientibus, indutis veste varia, equitibus qui vectabantur equis, et adolescentibus forma cunctis egregia. ¹³ Et vidi quod polluta esset via una ambarum. ¹⁴ Et auxit fornicationes suas: cumque vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, ¹⁵ et accinctos balteis renes, et tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis, terræque Chaldæorum, in qua orti sunt, ¹⁶ insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum, et misit nuntios ad eos in Chaldæam. ¹⁷ Cumque venissent ad eam filii Babylonis ad cubile mammaram, polluerunt eam stupris suis: et polluta est ab eis, et saturata est anima ejus ab illis. ¹⁸ Denudavit quoque fornicationes suas, et discooperuit ignominiam suam: et recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea a sorore ejus: ¹⁹ multiplicavit enim fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti. ²⁰ Et insanivit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt ut carnes asinorum, et sicut fluxus equorum fluxus eorum. ²¹ Et visitasti scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Ægypto ubera tua, et confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ.] ²² [Propterea, Ooliba, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua, et congregabo eos adversum te in circuitu: ²³ filios Babylonis, et universos Chaldæos, nobiles, tyrannosque, et principes, omnes filios Assyriorum, juvenes forma egregia, duces et magistratus universos, principes principum, et nominatos ascensores equorum: ²⁴ et venient super te instructi curru et rota, multitudo populorum: lorica, et clypeo, et galea armabuntur contra te undique: et dabo coram eis iudicium, et iudicabunt te iudiciis suis. ²⁵ Et ponam zelum meum in te, quem exercent tecum in furore: nasum tuum et aures tuas præcident, et quæ remanserint, gladio concident. Ipsi filios tuos et filias tuas capient, et novissimum tuum devorabitur igni: ²⁶ et denudabunt te vestimentis tuis, et tollent vasa gloriæ tuæ. ²⁷ Et requiescere faciam scelus tuum de te, et fornicationem tuam de terra Ægypti: nec levabis oculos tuos ad eos, et Ægypti non recordaberis amplius.] ²⁸ [Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego tradam te in manus eorum quos odisti, in manus de quibus satiata est anima tua. ²⁹ Et agent tecum in odio, et tollent omnes labores tuos, et dimittent te nudam et ignominia plenam: et revelabitur ignominia fornicationum tuarum, scelus tuum, et fornicationes tuæ. ³⁰ Fecerunt hæc tibi, quia fornicata es post gentes inter quas polluta es in idolis earum. ³¹ In via sororis tuæ ambulasti, et dabo calicem ejus in manu tua. ³² Hæc dicit Dominus Deus: Calicem sororis tuæ bibes profundum et latum: eris in derisum et in subsannationem quæ est capacissima. ³³ Ebrietate et dolore repleberis: calice mœroris et tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ. ³⁴ Et bibes illum, et epotabis usque ad fæces: et fragmenta ejus devorabis, et ubera tua lacerabis, quia ego locutus sum, ait Dominus

Deus. ³⁵ Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia oblita es mei, et projecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum et fornicationes tuas.] ³⁶ Et ait Dominus ad me, dicens: [Fili hominis, numquid iudicas Oollam et Oolibam, et annuntias eis scelera earum? ³⁷ Quia adulteratæ sunt, et sanguis in manibus earum, et cum idolis suis fornicatæ sunt: insuper et filios suos quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad devorandum. ³⁸ Sed et hoc fecerunt mihi: polluerunt sanctuarium meum in die illa, et sabbata mea profanaverunt. ³⁹ Cumque immolarent filios suos idolis suis, et ingrederentur sanctuarium meum in die illa ut polluerent illud, etiam hæc fecerunt in medio domus meæ. ⁴⁰ Miserunt ad viros venientes de longe, ad quos nuntium miserant: itaque ecce venerunt quibus te lavisti, et circumlinisti stibio oculos tuos, et ornata es mundo muliebri. ⁴¹ Sedisti in lecto pulcherrimo, et mensa ornata est ante te: thymiama meum et unguentum meum posuisti super eam. ⁴² Et vox multitudinis exsultantis erat in ea: et in viris, qui de multitudine hominum adducebantur, et veniebant de deserto, posuerunt armillas in manibus eorum, et coronas speciosas in capitibus eorum. ⁴³ Et dixi ei, quæ attrita est in adulteriis: Nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc. ⁴⁴ Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem: sic ingrediebantur ad Oollam et Oolibam, mulieres nefarias. ⁴⁵ Viri ergo justii sunt: hi iudicabunt eas iudicio adulterarum, et iudicio effundentium sanguinem: quia adulteræ sunt, et sanguis in manibus earum. ⁴⁶ Hæc enim dicit Dominus Deus: Adduc ad eas multitudinem, et trade eas in tumultum et in rapinam. ⁴⁷ Et lapidentur lapidibus populorum, et confodiantur gladiis eorum: filios et filias earum interficient, et domos earum igne succendent. ⁴⁸ Et auferam scelus de terra, et discent omnes mulieres ne faciant secundum scelus earum. ⁴⁹ Et dabunt scelus vestrum super vos, et peccata idolorum vestrorum portabitis: et scietis quia ego Dominus Deus.]

24 Et factum est verbum Domini ad me in anno nono, in mense decimo, decima die mensis, dicens: ² Fili hominis, scribe tibi nomen diei hujus, in qua confirmatus est rex Babylonis adversum Jerusalem hodie. ³ Et dices per proverbium ad domum irritatricem parabolam, et loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Pone ollam; pone, inquam, et mitte in eam aquam. ⁴ Congere frusta ejus in eam, omnem partem bonam, femur et armum, electa et ossibus plena. ⁵ Pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea: efferbuit coctio ejus, et discocta sunt ossa illius in medio ejus. ⁶ Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ civitati sanguinum, ollæ cujus rubigo in ea est, et rubigo ejus non exivit de ea ! per partes et per partes suas ejice eam: non cecidit super eam sors. ⁷ Sanguis enim ejus in medio ejus est; super limpidissimam petram effudit illum: non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere. ⁸ Ut superinducere indignationem meam, et vindicta ulciscerer, dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam, ne operiretur. ⁹ Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram ! ¹⁰ Congere ossa, quæ igne succendam: consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent. ¹¹ Pone quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat, et liquefiat æs ejus, et conflatur in medio ejus inquinamentum ejus, et consumatur rubigo ejus. ¹² Multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem. ¹³ Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis: sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te. ¹⁴ Ego Dominus locutus sum: veniet, et faciam: non transeam, nec parcam, nec placabor: juxta vias tuas, et juxta adinventiones tuas

judicabo te, dicit Dominus. ¹⁵ Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ¹⁶ Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga: et non planges, neque plorabis, neque fluent lacrimæ tuæ. ¹⁷ Ingemisce tacens: mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi, et calceamenta tua erunt in pedibus tuis: nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes. ¹⁸ Locutus sum ergo ad populum mane, et mortua est uxor mea vespere: fecique mane sicut præceperat mihi. ¹⁹ Et dixit ad me populus: Quare non indicas nobis quid ista significant quæ tu facis? ²⁰ Et dixi ad eos: Sermo Domini factus est ad me, dicens: ²¹ Loquere domui Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri, et desiderabile oculorum vestrorum, et super quo pavet anima vestra: filii vestri et filiæ vestræ quas reliquistis, gladio cadent. ²² Et facietis sicut feci: ora amictu non velabitis, et cibos lugentium non comedetis: ²³ coronas habebitis in capitibus vestris, et calceamenta in pedibus: non plangetis, neque flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris, et unusquisque gemet ad fratrem suum. ²⁴ Eritque Ezechiel vobis in portentum: juxta omnia quæ fecit, facietis cum venerit istud: et scietis quia ego Dominus Deus. ²⁵ Et tu, fili hominis, ecce in die qua tollam ab eis fortitudinem eorum, et gaudium dignitatis, et desiderium oculorum eorum, super quo requiescunt animæ eorum, filios et filias eorum: ²⁶ in die illa, cum venerit fugiens ad te ut annuntiet tibi: ²⁷ in die, inquam illa, aperietur os tuum cum eo qui fugit, et loqueris, et non silebis ultra: erisque eis in portentum, et scietis quia ego Dominus.

25 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ² Fili hominis, pone faciem tuam contra filios Ammon, et prophetabis de eis. ³ Et dices filiis Ammon: [Audite verbum Domini Dei. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dixisti: Euge, euge, super sanctuarium meum, quia pollutum est; et super terram Israël, quoniam desolata est; et super domum Juda, quoniam ducti sunt in captivitatem: ⁴ idcirco ego tradam te filiis orientalibus in hæreditatem: et collocabunt caulas suas in te, et ponent in te tentoria sua: ipsi comedent fruges tuas, et ipsi bibent lac tuum. ⁵ Daboque Rabbath in habitaculum camelorum, et filios Ammon in cubile pecorum: et scietis quia ego Dominus. ⁶ Quia hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod plausisti manu et percussisti pede, et gavisa es ex toto affectu super terram Israël, ⁷ idcirco ecce ego extendam manum meam super te, et tradam te in direptionem gentium, et interficiam te de populis, et perdam de terris, et conteram: et scies quia ego Dominus.] ⁸ [Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dixerunt Moab et Seir: Ecce sicut omnes gentes, domus Juda: ⁹ idcirco ecce ego aperiam humerum Moab de civitatibus, de civitatibus, inquam, ejus, et de finibus ejus, inclytas terræ Bethiesimoth, et Beelmeon, et Cariathaim, ¹⁰ filiis orientis cum filiis Ammon, et dabo eam in hæreditatem, ut non sit ultra memoria filiorum Ammon in gentibus. ¹¹ Et in Moab faciam judicia, et scient quia ego Dominus.] ¹² [Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod fecit Idumæa ultionem ut se vindicaret de filiis Juda, peccavitque delinquens, et vindictam expetivit de eis: ¹³ idcirco hæc dicit Dominus Deus: Extendam manum meam super Idumæam, et auferam de ea hominem et jumentum, et faciam eam desertam ab austro: et qui sunt in Dedan, gladio cadent. ¹⁴ Et dabo ultionem meam super Idumæam per manum populi mei Israël: et facient in Edom juxta iram meam et furorem meum, et scient vindictam meam, dicit Dominus Deus.] ¹⁵ [Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod fecerunt Palæstini vindictam, et ulti se sunt toto animo, interficientes, et implentes inimicitias veteres, ¹⁶ propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego extendam manum

meam super Palæstinos, et interficiam interfectores, et perdam reliquias maritimæ regionis, ¹⁷ faciamque in eis ultiones magnas, arguens in furore: et scient quia ego Dominus, cum dederò vindictam meam super eos.]

26 Et factum est in undecimo anno, prima mensis: factus est sermo Domini ad me, dicens: ² [Fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus de Jerusalem: Euge, contractæ sunt portæ populorum, conversa est ad me: implebor; deserta est: ³ propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego super te, Tyre, et ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans. ⁴ Et dissipabunt muros Tyri, et destruent turres ejus: et radam pulverem ejus de ea, et dabo eam in limpidissimam petram. ⁵ Siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus: et erit in direptionem gentibus. ⁶ Filiæ quoque ejus quæ sunt in agro, gladio interficientur: et scient quia ego Dominus.] ⁷ [Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab aquilone, regem regum, cum equis, et curribus, et equitibus, et cœtu, populoque magno. ⁸ Filias tuas quæ sunt in agro, gladio interficiet, et circumdabit te munitionibus, et comportabit aggerem in gyro, et elevabit contra te clypeum: ⁹ et vineas et arietes temperabit in muros tuos, et turres tuas destruet in armatura sua. ¹⁰ Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum: a sonitu equitum, et rotarum, et curruum, movebuntur muri tui, cum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum urbis dissipatæ. ¹¹ Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas: populum tuum gladio cædet, et statuæ tuæ nobiles in terram corruent. ¹² Vastabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas, et destruent muros tuos, et domos tuas præclaras subvertent: et lapides tuos, et ligna tua, et pulverem tuum in medio aquarum ponent. ¹³ Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum: et sonitus cithararum tuarum non audietur amplius. ¹⁴ Et dabo te in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis ultra, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. ¹⁵ Hæc dicit Dominus Deus Tyro: Numquid non a sonitu ruinæ tuæ, et gemitu interfectorum tuorum, cum occisi fuerint in medio tui, commovebuntur insulæ? ¹⁶ Et descendent de sedibus suis omnes principes maris, et auferent exuvias suas, et vestimenta sua varia abjicient, et induentur stupore: in terra sedebunt, et attoniti super repentino casu tuo admirabuntur: ¹⁷ et assumentes super te lamentum, dicent tibi: Quomodo peristi, quæ habitas in mari, urbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant universi? ¹⁸ Nunc stupebunt naves in die pavoris tui, et turbabuntur insulæ in mari, eo quod nullus egrediatur ex te. ¹⁹ Quia hæc dicit Dominus Deus: Cum dederò te urbem desolatam, sicut civitates quæ non habitantur; et adduxero super te abyssum, et operuerint te aquæ multæ; ²⁰ et detraxero te cum his qui descendunt in lacum ad populum sempiternum; et collocavero te in terra novissima sicut solitudines veteres, cum his qui deducuntur in lacum, ut non habiteris; porro cum dederò gloriam in terra viventium: ²¹ in nihilum redigam te, et non eris: et requisita non invenieris ultra in sempiternum, dicit Dominus Deus.]

27 Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ² Tu ergo, fili hominis, assume super Tyrum lamentum: ³ et dices Tyro, quæ habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas: [Hæc dicit Dominus Deus: O Tyre, tu dixisti: Perfecti decoris ego sum, ⁴ et in corde maris sita. Finitimi tui qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum: ⁵ abietibus de Sanir exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris: cedrum de Libano tulerunt ut facerent tibi malum. ⁶ Quercus de Basan

dolaverunt in remos tuos, et transtra tua fecerunt tibi ex ebore indico, et prætoriola de insulis Italiæ. ⁷ Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum ut ponere-tur in malo: hyacinthus et purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum. ⁸ Habitatores Sidonis et Aradii fuerunt remiges tui: sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui. ⁹ Senes Giblii et prudentes ejus habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ: omnes naves maris, et nautæ earum, fuerunt in populo negotiationis tuæ. ¹⁰ Persæ, et Lydii, et Libyes erant in exercitu tuo viri bellatores tui: clypeum et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo. ¹¹ Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu: sed et Pigmæi qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum: ipsi compleverunt pulchritudinem tuam. ¹² Carthaginenses negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas. ¹³ Græcia, Thubal, et Mosoch, ipsi institores tui: mancipia, et vasa ærea advexerunt populo tuo. ¹⁴ De domo Thogorma, equos, et equites, et mulos adduxerunt ad forum tuum. ¹⁵ Filii Dedan negotiatores tui; insulæ multæ, negotiatio manus tuæ: dentes eburneos et hebeninos commutaverunt in pretio tuo. ¹⁶ Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum: gemmam, et purpuram, et scutulata, et byssum, et sericum, et chodchod proposuerunt in mercatu tuo. ¹⁷ Juda et terra Israël, ipsi institores tui in frumento primo: balsamum, et mel, et oleum, et resinam proposuerunt in nundinis tuis. ¹⁸ Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diversarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi. ¹⁹ Dan, et Græcia, et Mosel, in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum: stacte et calamus in negotiatione tua. ²⁰ Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum. ²¹ Arabia et universi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuæ: cum agnis, et arietibus, et hædis, venerunt ad te negotiatores tui. ²² Venditores Saba et Reema, ipsi negotiatores tui: cum universis primis aromatibus, et lapide pretioso, et auro, quod proposuerunt in mercatu tuo. ²³ Haran, et Chene, et Eden, negotiatores tui; Saba, Assur, et Chelmad venditores tui. ²⁴ Ipsi negotiatores tui multifariam, involucris hyacinthi, et polymitorum, gazarumque pretiosarum, quæ obvolutæ et astrictæ erant funibus: cedros quoque habebant in negotiationibus tuis. ²⁵ Naves maris, principes tui in negotiatione tua: et repleta es, et glorificata nimis in corde maris.] ²⁶ [In aquis multis adduxerunt te remiges tui: ventus auster contrivit te in corde maris. ²⁷ Divitiæ tuæ, et thesauri tui, et multiplex instrumentum tuum: nautæ tui et gubernatores tui, qui tenebant supellectilem tuam, et populo tuo præerant: viri quoque bellatores tui, qui erant in te, cum universa multitudine tua quæ est in medio tui, cadent in corde maris in die ruinæ tuæ: ²⁸ a sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes. ²⁹ Et descendent de navibus suis omnes qui tenebant remum: nautæ et universi gubernatores maris in terra stabunt. ³⁰ Et ejulabunt super te voce magna: et clamabunt amare, et superjacent pulverem capitibus suis, et cinere conspergentur. ³¹ Et radent super te calvitium, et accingentur ciliciis: et plorabunt te in amaritudine animæ, ploratu amarissimo. ³² Et assument super te carmen lugubre, et plangent te: Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris? ³³ Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos: in multitudine divitiarum tuarum, et populorum tuorum, ditasti reges terræ. ³⁴ Nunc contrita es a mari: in profundis aquarum opes tuæ, et omnis multitudo tua quæ erat in medio tui, ceciderunt. ³⁵ Universi habitatores insularum obstupuerunt super te, et reges earum omnes tempestate perculti mutaverunt

vultus. ³⁶Negotiatores populorum sibilaverunt super te: ad nihilum deducta es, et non eris usque in perpetuum.]

28 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ²Fili hominis, dic principi Tyri: [Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris, cum sis homo, et non deus: et dedisti cor tuum quasi cor Dei: ³ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum a te: ⁴in sapientia et prudentia tua fecisti tibi fortitudinem, et acquisisti aurum et argentum in thesauris tuis: ⁵in multitudine sapientiæ tuæ, et in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem, et elevatum est cor tuum in robore tuo: ⁶propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quod elevatum est cor tuum quasi cor dei, ⁷idcirco ecce ego adducam super te alienos, robustissimos gentium: et nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, et polluent decorem tuum. ⁸Interficient, et detrahent te: et morieris in interitu occisorum in corde maris. ⁹Numquid dicens loqueris: Deus ego sum, coram interficientibus te, cum sis homo, et non deus, in manu occidentium te? ¹⁰Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.] ¹¹Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, leva planctum super regem Tyri, ¹²et dices ei: [Hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore. ¹³In deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius, et jaspis, chrysolithus, et onyx, et beryllus, sapphirus, et carbunculus, et smaragdus: aurum, opus decoris tui: et foramina tua, in die qua conditus es, præparata sunt. ¹⁴Tu cherub extensus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei: in medio lapidum ignitorum ambulasti, ¹⁵perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te. ¹⁶In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti: et ejeci te de monte Dei, et perdidisti te, o cherub protegens, de medio lapidum ignitorum. ¹⁷Et elevatum est cor tuum in decore tuo; perdidisti sapientiam tuam in decore tuo: in terram projecisti te; ante faciem regum dedi te ut cernerent te. ¹⁸In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitate negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, et dabo te in cinerem super terram, in conspectu omnium videntium te. ¹⁹Omnes qui viderint te in gentibus, obstupescunt super te: nihili factus es, et non eris in perpetuum.] ²⁰Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ²¹Fili hominis, pone faciem tuam contra Sidonem, et prophetabis de ea: ²²et dices: [Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, Sidon, et glorificabor in medio tui: et scient quia ego Dominus, cum fecero in ea iudicia, et sanctificatus fuero in ea. ²³Et immittam ei pestilentiam, et sanguinem in plateis ejus: et corruent interfecti in medio ejus gladio per circuitum, et scient quia ego Dominus. ²⁴Et non erit ultra domui Israël offendiculum amaritudinis, et spina dolorem inferens undique per circuitum eorum qui adversantur eis: et scient quia ego Dominus Deus. ²⁵Hæc dicit Dominus Deus: Quando congregavero domum Israël de populis in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis coram gentibus: et habitabunt in terra sua, quam dedi servo meo Jacob: ²⁶et habitabunt in ea securi, et ædificabunt domos, et plantabunt vineas, et habitabunt confidenter, cum fecero iudicia in omnibus qui adversantur eis per circuitum: et scient quia ego Dominus Deus eorum.]

29 In anno decimo, decimo mense, undecima die mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: ²Fili hominis, pone faciem tuam contra Pharaonem

regem Ægypti, et prophetabis de eo, et de Ægypto universa. ³ Loquere, et dices: [Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis: Meus est fluuius, et ego feci memetipsum. ⁴ Et ponam frenum in maxillis tuis, et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, et extraham te de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt. ⁵ Et projiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui: super faciem terræ cades; non colligeris, neque congregaberis: bestiis terræ et volatilibus cæli dedi te ad devorandum. ⁶ Et scient omnes habitatores Ægypti quia ego Dominus, pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israël: ⁷ quando apprehenderunt te manu, et confractus es, et lacerasti omnem humerum eorum: et innitentibus eis super te comminutus es, et dissolvisti omnes renes eorum. ⁸ Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam super te gladium, et interficiam de te hominem et jumentum. ⁹ Et erit terra Ægypti in desertum et in solitudinem: et scient quia ego Dominus, pro eo quod dixeris: Fluuius meus est, et ego feci eum. ¹⁰ Idcirco ecce ego ad te, et ad flumina tua: daboque terram Ægypti in solitudines, gladio dissipatam, a turre Syenes usque ad terminos Æthiopiæ. ¹¹ Non pertransibit eam pes hominis, neque pes jumenti gradietur in ea, et non habitabitur quadraginta annis. ¹² Daboque terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum, et civitates ejus in medio urbium subversarum, et erunt desolatæ quadraginta annis: et dispergam Ægyptios in nationes, et ventilabo eos in terras. ¹³ Quia hæc dicit Dominus Deus: Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis in quibus dispersi fuerant. ¹⁴ Et reducam captivitatem Ægypti, et collocabo eos in terra Phathures, in terra nativitatis suæ, et erunt ibi in regnum humile. ¹⁵ Inter cetera regna erit humillima, et non elevabitur ultra super nationes, et imminuam eos ne imperent gentibus. ¹⁶ Neque erunt ultra domui Israël in confidentia, docentes iniquitatem ut fugiant, et sequantur eos: et scient quia ego Dominus Deus.] ¹⁷ Et factum est in vigesimo et septimo anno, in primo, in una mensis: factum est verbum Domini ad me, dicens: ¹⁸ [Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversum Tyrum: omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est: et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus, de Tyro, pro servitute qua servivit mihi adversus eam. ¹⁹ Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti: et accipiet multitudinem ejus, et deprædabitur manubias ejus, et diripiet spolia ejus: et erit merces exercitui illius, ²⁰ et operi quo servivit adversus eam: dedi ei terram Ægypti pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus. ²¹ In die illo pullulabit cornu domui Israël, et tibi dabo apertum os in medio eorum, et scient quia ego Dominus.]

30 Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ² Fili hominis, propheta, et dic: [Hæc dicit Dominus Deus: Ululate: Væ, væ diei ! ³ quia juxta est dies, et appropinquat dies Domini, dies nubis: tempus gentium erit. ⁴ Et veniet gladius in Ægyptum, et erit pavor in Æthiopia, cum ceciderint vulnerati in Ægypto, et ablata fuerit multitudo illius, et destructa fundamenta ejus. ⁵ Æthiopia, et Libya, et Lydi, et omne reliquum vulgus, et Chub, et filii terræ fœderis, cum eis gladio cadent. ⁶ Hæc dicit Dominus Deus: Et corruent fulcientes Ægyptum, et destruetur superbia imperii ejus: a turre Syenes gladio cadent in ea, ait Dominus Deus exercituum. ⁷ Et dissipabuntur in medio terrarum desolataram, et urbes ejus in medio civitatum desertarum erunt: ⁸ et scient quia ego Dominus, cum dederò ignem in Ægypto, et attriti

fuerint omnes auxiliatores ejus. ⁹ In die illa egredientur nuntii a facie mea in trieribus ad conterendam Æthiopiæ confidentiam: et erit pavor in eis in die Ægypti, quia absque dubio veniet. ¹⁰ Hæc dicit Dominus Deus: Cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis. ¹¹ Ipse et populus ejus cum eo, fortissimi gentium, adducentur ad disperdendam terram: et evaginabunt gladios suos super Ægyptum, et implebunt terram interfectis. ¹² Et faciam alveos fluminum aridos, et tradam terram in manus pessimorum: et dissipabo terram et plenitudinem ejus manu alienorum: ego Dominus locutus sum. ¹³ Hæc dicit Dominus Deus: Et disperdam simulacra, et cessare faciam idola de Memphis: et dux de terra Ægypti non erit amplius, et dabo terrorem in terra Ægypti. ¹⁴ Et disperdam terram Phathures, et dabo ignem in Taphnis, et faciam judicia in Alexandria. ¹⁵ Et effundam indignationem meam super Pelusium, robur Ægypti, et interficiam multitudinem Alexandriae. ¹⁶ Et dabo ignem in Ægypto: quasi parturiens dolebit Pelusium, et Alexandria erit dissipata, et in Memphis angustiae quotidianae. ¹⁷ Juvenes Heliopoleos et Bubasti gladio cadent, et ipsae captivæ ducentur. ¹⁸ Et in Taphnis nigrescet dies, cum contrivero ibi scepra Ægypti, et defecerit in ea superbia potentiae ejus: ipsam nubes operiet, filiae autem ejus in captivitatem ducentur. ¹⁹ Et judicia faciam in Ægypto: et scient quia ego Dominus.] ²⁰ Et factum est in undecimo anno, in primo mense, in septima mensis: factum est verbum Domini ad me, dicens: ²¹ [Fili hominis, brachium Pharaonis regis Ægypti confregi, et ecce non est obvolutum ut restitueretur ei sanitas, ut ligaretur pannis, et fasciaretur linteolis, ut recepto robore posset tenere gladium. ²² Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad Pharaonem regem Ægypti, et comminuam brachium ejus forte, sed contractum: et dejiciam gladium de manu ejus, ²³ et dispergam Ægyptum in gentibus, et ventilabo eos in terris. ²⁴ Et confortabo brachia regis Babylonis, daboque gladium meum in manu ejus, et confringam brachia Pharaonis, et gement gemitibus interfecti coram facie ejus. ²⁵ Et confortabo brachia regis Babylonis, et brachia Pharaonis concident: et scient quia ego Dominus, cum dederò gladium meum in manu regis Babylonis, et extenderit eum super terram Ægypti. ²⁶ Et dispergam Ægyptum in nationes, et ventilabo eos in terras: et scient quia ego Dominus.]

31 Et factum est in anno undecimo, tertio mense, una mensis: factum est verbum Domini ad me, dicens: ² Fili hominis, dic Pharaoni regi Ægypti et populo ejus: [Cui similis factus es in magnitudine tua? ³ ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus. ⁴ Aquæ nutrierunt illum; abyssus exaltavit illum: flumina ejus manabant in circuitu radicum ejus, et rivus suos emisit ad universa ligna regionis. ⁵ Propterea elevata est altitudo ejus super omnia ligna regionis, et multiplicata sunt arbusta ejus, et elevati sunt rami ejus præ aquis multis. ⁶ Cumque extendisset umbram suam, in ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cæli: et sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiae saltuum, et sub umbraculo illius habitabat coetus gentium plurimarum. ⁷ Eratque pulcherrimus in magnitudine sua, et in dilatatione arbustorum suorum: erat enim radix illius juxta aquas multas. ⁸ Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei; abietes non adæquaverunt summitatem ejus, et platani non fuerunt æquæ frondibus illius: omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini ejus. ⁹ Quoniam speciosum feci eum, et multis condensisque frondibus, et æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis quæ erant in

paradiso Dei.] ¹⁰ [Propterea hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod sublimatus est in altitudine, et dedit summitatem suam virentem atque condensam, et elevatum est cor ejus in altitudine sua: ¹¹ tradidi eum in manu fortissimi gentium: faciens faciet ei: juxta impietatem ejus ejeci eum. ¹² Et succident eum alieni, et crudelissimi nationum, et projicient eum super montes: et in cunctis convallibus corrudent rami ejus, et confringentur arbusta ejus in universis rupibus terræ: et recedent de umbraculo ejus omnes populi terræ, et relinquent eum. ¹³ In ruina ejus habitaverunt omnia volatilia cæli, et in ramis ejus fuerunt universæ bestię regionis. ¹⁴ Quam ob rem non elevabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum, nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa atque frondosa, nec stabunt in sublimitate sua omnia quæ irrigantur aquis: quia omnes traditi sunt in mortem ad terram ultimam, in medio filiorum hominum, ad eos qui descendunt in lacum. ¹⁵ Hæc dicit Dominus Deus: In die quando descendit ad inferos, induxi luctum: operui eum abyssu, et prohibui flumina ejus, et coërcui aquas multas: contristatus est super eum Libanus, et omnia ligna agri concussa sunt. ¹⁶ A sonitu ruinæ ejus commovi gentes cum deducerem eum ad infernum cum his qui descendebant in lacum: et consolata sunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia atque præclara in Libano, universa quæ irrigabantur aquis. ¹⁷ Nam et ipsi cum eo descendunt in infernum ad interfectos gladio: et brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo ejus in medio nationum. ¹⁸ Cui assimilatus es, o inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis? ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam: in medio incircumcisorum dormies, cum eis qui interfecti sunt gladio: ipse est Pharaos, et omnis multitudo ejus, dicit Dominus Deus.]

32 Et factum est, duodecimo anno, in mense duodecimo, in una mensis: factum est verbum Domini ad me, dicens: ² Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem Ægypti, et dices ad eum: [Leoni gentium assimilatus es, et draconi qui est in mari: et ventilabas cornu in fluminibus tuis, et conturbabas aquas pedibus tuis, et conculcabas flumina earum. ³ Propterea hæc dicit Dominus Deus: Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, et extraham te in sagena mea. ⁴ Et projiciam te in terram; super faciem agri abjiciam te: et habitare faciam super te omnia volatilia cæli, et saturabo de te bestias universæ terræ. ⁵ Et dabo carnes tuas super montes, et implebo colles tuos sanie tua. ⁶ Et irrigabo terram foetore sanguinis tui super montes, et valles implebuntur ex te. ⁷ Et operiam, cum extinctus fueris, cælum, et nigrescere faciam stellas ejus: solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum. ⁸ Omnia luminaria cæli moerere faciam super te, et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus, cum ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus. ⁹ Et irritabo cor populorum multorum, cum induxero contritionem tuam in gentibus super terras quas nescis. ¹⁰ Et stupescere faciam super te populos multos, et reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cum volare cœperit gladius meus super facies eorum: et obstupescunt repente singuli pro anima sua in die ruinæ tuæ. ¹¹ Quia hæc dicit Dominus Deus: Gladius regis Babylonis veniet tibi. ¹² In gladiis fortium dejiciam multitudinem tuam: inexpugnabiles omnes gentes hæc, et vastabunt superbiam Ægypti, et dissipabitur multitudo ejus. ¹³ Et perdam omnia jumenta ejus, quæ erant super aquas plurimas: et non conturbabit eas pes hominis ultra, neque ungula jumentorum turbabit eas. ¹⁴ Tunc purissimas reddam aquas eorum, et flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus Deus, ¹⁵ cum

dederō terram Ægypti desolatam: deseretur autem terra a plenitudine sua quando percussero omnes habitatores ejus: et scient quia ego Dominus. ¹⁶ Planctus est, et plangent eum: filiæ gentium plangent eum: super Ægyptum et super multitudinem ejus plangent eum, ait Dominus Deus.] ¹⁷ Et factum est in duodecimo anno, in quintadecima mensis: factum est verbum Domini ad me, dicens: ¹⁸ [Fili hominis, cane lugubre super multitudinem Ægypti: et detrahe eam ipsam, et filias gentium robustarum, ad terram ultimam, cum his qui descendunt in lacum. ¹⁹ Quo pulchrior es? descende, et dormi cum incircumcisis. ²⁰ In medio interfectorum gladio cadent; gladius datus est: attraxerunt eam et omnes populos ejus. ²¹ Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus ejus descenderunt, et dormierunt incircumcisi interfecti gladio. ²² Ibi Assur, et omnis multitudo ejus: in circuitu illius sepulchra ejus, omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio. ²³ Quorum data sunt sepulchra in novissimis lacu, et facta est multitudo ejus per gyrum sepulchri ejus: universi interfecti, cadentesque gladio, qui dederant quondam formidinem in terra viventium. ²⁴ Ibi Ælam, et omnis multitudo ejus per gyrum sepulchri sui: omnes hi interfecti, ruentesque gladio, qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam; qui posuerunt terrorem suum in terra viventium, et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum. ²⁵ In medio interfectorum posuerunt cubile ejus in universis populis ejus: in circuitu ejus sepulchrum illius: omnes hi incircumcisi, interfectique gladio. Dederunt enim terrorem suum in terra viventium, et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum: in medio interfectorum positi sunt. ²⁶ Ibi Mosoch et Thubal, et omnis multitudo ejus: in circuitu ejus sepulchra illius: omnes hi incircumcisi, interfectique et cadentes gladio, quia dederunt formidinem suam in terra viventium. ²⁷ Et non dormient cum fortibus, cadentibusque, et incircumcisis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis, et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum: quia terror fortium facti sunt in terra viventium. ²⁸ Et tu ergo in medio incircumcisorum contereris, et dormies cum interfectis gladio. ²⁹ Ibi Idumæa, et reges ejus, et omnes duces ejus, qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio, et qui cum incircumcisis dormierunt, et cum his qui descendunt in lacum. ³⁰ Ibi principes aquilonis omnes, et universi venatores, qui deducti sunt cum interfectis, paventes, et in sua fortitudine confusi: qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio, et portaverunt confusionem suam cum his qui descendunt in lacum. ³¹ Vidit eos Pharao, et consolatus est super universa multitudine sua, quæ interfecta est gladio: Pharao, et omnis exercitus ejus, ait Dominus Deus. ³² Quia dedi terrorem meum in terra viventium, et dormivit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio: Pharao, et omnis multitudo ejus, ait Dominus Deus.]

33 Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ² Fili hominis, loquere ad filios populi tui, et dices ad eos: Terra, cum induxero super eam gladium, et tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis, et constituerit eum super se speculatorem: ³ et ille viderit gladium venientem super terram, et cecinerit buccina, et annuntiaverit populo: ⁴ audiens autem quisquis ille est sonitum buccinæ, et non se observaverit, veneritque gladius, et tulerit eum: sanguis ipsius super caput ejus erit. ⁵ Sonum buccinæ audivit, et non se observavit: sanguis ejus in ipso erit. Si autem se custodierit, animam suam salvabit. ⁶ Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius, et tu-

lerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. ⁷ Et tu, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. ⁸ Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. ⁹ Si autem annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur, porro tu animam tuam liberasti. ¹⁰ Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israël: Sic locuti estis, dicentes: Iniquitates nostræ et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo vivere poterimus? ¹¹ Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini, domus Israël? ¹² Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui: Justitia justi non liberabit eum, in quacumque die peccaverit, et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. ¹³ Etiamsi dixerō justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. ¹⁴ Si autem dixerō impio: Morte morieris: et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, ¹⁵ et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum: vita vivet, et non morietur. ¹⁶ Omnia peccata ejus quæ peccavit, non imputabuntur ei: judicium et justitiam fecit: vita vivet. ¹⁷ Et dixerunt filii populi tui: Non est æqui ponderis via Domini: et ipsorum via injusta est. ¹⁸ Cum enim recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis. ¹⁹ Et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque judicium et justitiam, vivet in eis. ²⁰ Et dicitis: Non est recta via Domini. Unumquemque juxta vias suas judicabo de vobis, domus Israël. ²¹ Et factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ, venit ad me qui fugerat de Jerusalem, dicens: Vastata est civitas. ²² Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere, antequam veniret qui fugerat: aperuitque os meum donec veniret ad me mane: et aperto ore meo, non silui amplius. ²³ Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ²⁴ Fili hominis, qui habitant in ruinosis his super humum Israël, loquentes aiunt: Unus erat Abraham, et hæreditate possedit terram: nos autem multi sumus: nobis data est terra in possessionem. ²⁵ Idcirco dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui in sanguine comeditis, et oculos vestros levatis ad immunditias vestras, et sanguinem funditis, numquid terram hæreditate possidebitis? ²⁶ Stetistis in gladiis vestris, fecistis abominationes, et unusquisque uxorem proximi sui polluit: et terram hæreditate possidebitis? ²⁷ Hæc dices ad eos: Sic dicit Dominus Deus: Vivo ego, quia qui in ruinosis habitant, gladio cadent: et qui in agro est, bestiis tradetur ad devorandum: qui autem in præsiidiis et speluncis sunt, peste morientur. ²⁸ Et dabo terram in solitudinem et in desertum, et deficiet superba fortitudo ejus: et desolabuntur montes Israël, eo quod nullus sit qui per eos transeat: ²⁹ et scient quia ego Dominus, cum dederō terram eorum desolatam et desertam, propter universas abominationes suas quas operati sunt. ³⁰ Et tu, fili hominis, filii populi tui, qui loquuntur de te juxta muros et in ostiis domorum, et dicunt unus ad alterum, vir ad proximum suum, loquentes: Venite, et audiamus quis sit sermo egrediens a Domino. ³¹ Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, et sedent coram te populus meus: et

audiunt sermones tuos, et non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum. ³² Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur: et audiunt verba tua, et non faciunt ea. ³³ Et cum venerit quod prædictum est (ecce enim venit), tunc scient quod propheta fuerit inter eos.

34 Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ² Fili hominis, propheta de pastoribus Israël: propheta, et dices pastoribus: [Hæc dicit Dominus Deus: Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos ! nonne greges a pastoribus pascuntur? ³ Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. ⁴ Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis: quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæstistis: sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. ⁵ Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor: et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt. ⁶ Erraverunt greges mei in cunctis montibus, et in universo colle excelso: et super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret: non erat, inquam, qui requireret. ⁷ Propterea, pastores, audite verbum Domini. ⁸ Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor: neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, et greges meos non pascebant: ⁹ propterea, pastores, audite verbum Domini. ¹⁰ Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores: requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos: et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultra eis in escam.] ¹¹ [Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas. ¹² Sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis. ¹³ Et educam eas de populis, et congregabo eas de terris, et inducam eas in terram suam, et pascam eas in montibus Israël, in rivis, et in cunctis sedibus terræ. ¹⁴ In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israël erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël. ¹⁵ Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. ¹⁶ Quod perierat requiram, et quod abjectum erat reducam, et quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo, et quod pingue et forte custodiam: et pascam illas in iudicio. ¹⁷ Vos autem, greges mei, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego iudico inter pecus et pecus, arietum et hircorum. ¹⁸ Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis: ¹⁹ et oves meæ his quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. ²⁰ Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos: Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue et macilentum: ²¹ pro eo quod lateribus et humeris impingebatis, et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras, ²² salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam, et iudicabo inter pecus et pecus.] ²³ [Et suscitabo super eas pastorem unum qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. ²⁴ Ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum. ²⁵ Et faciam cum eis pactum pacis, et

cessare faciam bestias pessimas de terra: et qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus. ²⁶ Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, et deducam imbrem in tempore suo: pluviae benedictionis erunt. ²⁷ Et dabit lignum agri fructum suum, et terra dabit germen suum, et erunt in terra sua absque timore: et scient quia ego Dominus, cum contrivero catenas jugi eorum, et eruero eos de manu imperantium sibi. ²⁸ Et non erunt ultra in rapinam in gentibus, neque bestiae terrae devorabunt eos: sed habitabunt confidenter absque ullo terrore. ²⁹ Et suscitabo eis germen nominatum, et non erunt ultra imminuti fame in terra, neque portabunt ultra opprobrium gentium. ³⁰ Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, et ipsi populus meus domus Israël, ait Dominus Deus. ³¹ Vos autem, greges mei, greges pascuae meae, homines estis: et ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.]

35 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ² Fili hominis, pone faciem tuam adversum montem Seir, et prophetabis de eo, et dices illi: ³ [Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, mons Seir: et extendam manum meam super te, et dabo te desolatum atque desertum. ⁴ Urbes tuas demoliar, et tu desertus eris: et scies quia ego Dominus. ⁵ Eo quod fueris inimicus sempiternus, et concluderis filios Israël in manus gladii in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ: ⁶ propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam sanguini tradam te, et sanguis te persequetur: et cum sanguinem oderis, sanguis persequetur te. ⁷ Et dabo montem Seir desolatum atque desertum, et auferam de eo euntem et redeuntem. ⁸ Et implebo montes ejus occisorum suorum: in collibus tuis, et in vallibus tuis atque in torrentibus, interfecti gladio cadent. ⁹ In solitudines sempiternas tradam te, et civitates tuæ non habitabuntur: et scietis quia ego Dominus Deus. ¹⁰ Eo quod dixeris: Duæ gentes et duæ terræ meae erunt, et hæreditate possidebo eas, cum Dominus esset ibi: ¹¹ propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quia faciam juxta iram tuam, et secundum zelum tuum, quem fecisti odio habens eos: et notus efficiar per eos, cum te judicavero. ¹² Et scies quia ego Dominus audivi universa opprobria tua quæ locutus es de montibus Israël, dicens: Deserti; nobis ad devorandum dati sunt. ¹³ Et insurrexistis super me ore vestro, et derogastis adversum me verba vestra: ego audivi. ¹⁴ Hæc dicit Dominus Deus: Lætante universa terra, in solitudinem te redigam: ¹⁵ sicuti gavisus es super hæreditatem domus Israël eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi: dissipatus eris, mons Seir, et Idumæa omnis: et scient quia ego Dominus.]

36 Tu autem, fili hominis, propheta super montes Israël, et dices: [Montes Israël, audite verbum Domini. ² Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod dixerit inimicus de vobis: Euge, altitudines sempiternæ in hæreditatem datæ sunt nobis: ³ propterea vaticinare, et dic: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod desolati estis, et conculcati per circuitum, et facti in hæreditatem reliquis gentibus, et ascendistis super labium linguæ et opprobrium populi, ⁴ propterea, montes Israël, audite verbum Domini Dei. Hæc dicit Dominus Deus montibus et collibus, torrentibus, vallibusque et desertis, parietinis et urbibus derelictis, quæ depopulatæ sunt et subsannatæ a reliquis gentibus per circuitum. ⁵ Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis gentibus, et de Idumæa universa, quæ dederunt terram meam sibi in hæreditatem cum gaudio, et toto corde et ex animo, et ejecerunt eam ut vastarent: ⁶ idcirco vaticinare super humum Israël, et dices montibus et collibus, jugis et vallibus: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo et in furore meo locutus sum, eo quod confusionem gentium sustinueritis. ⁷ Idcirco hæc

dicit Dominus Deus: Ego levavi manum meam, ut gentes quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent. ⁸ Vos autem, montes Israël, ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israël: prope enim est ut veniat. ⁹ Quia ecce ego ad vos, et convertar ad vos: et arabimini, et accipietis sementem. ¹⁰ Et multiplicabo in vobis homines, omnemque domum Israël: et habitabuntur civitates, et ruinosæ instaurabuntur. ¹¹ Et replebo vos hominibus et jumentis, et multiplicabuntur, et crescent: et habitare vos faciam sicut a principio, bonisque donabo majoribus quam habuistis ab initio: et scietis quia ego Dominus. ¹² Et adducam super vos homines, populum meum Israël, et hæreditate possidebunt te: et eris eis in hæreditatem, et non addes ultra ut absque eis sis. ¹³ Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dicunt de vobis: Devoratrix hominum es, et suffocans gentem tuam: ¹⁴ propterea homines non comedes amplius, et gentem tuam non necabis ultra, ait Dominus Deus. ¹⁵ Nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium, et opprobrium populorum nequaquam portabis: et gentem tuam non amittes amplius, ait Dominus Deus.] ¹⁶ Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ¹⁷ [Fili hominis, domus Israël habitaverunt in humo sua, et polluerunt eam in viis suis et in studiis suis: juxta immunditiam menstruatae facta est via eorum coram me. ¹⁸ Et effudi indignationem meam super eos pro sanguine quem fuderunt super terram, et in idolis suis polluerunt eam. ¹⁹ Et dispersi eos in gentes, et ventilati sunt in terras: juxta vias eorum et adinventiones eorum judicavi eos. ²⁰ Et ingressi sunt ad gentes ad quas introierunt: et polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis: Populus Domini iste est, et de terra ejus egressi sunt. ²¹ Et peperi nomini sancto meo, quod polluerat domus Israël in gentibus ad quas ingressi sunt. ²² Idcirco dices domui Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam, domus Israël, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus ad quas intrastis. ²³ Et sanctificabo nomen meum magnum quod pollutum est inter gentes, quod polluistis in medio earum: ut sciant gentes quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. ²⁴ Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram. ²⁵ Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. ²⁶ Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. ²⁷ Et spiritum meum ponam in medio vestri: et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini. ²⁸ Et habitabitis in terra quam dedi patribus vestris: et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum. ²⁹ Et salvabo vos ex universis inquinamentis vestris: et vocabo frumentum et multiplicabo illud, et non imponam vobis famem. ³⁰ Et multiplicabo fructum ligni, et genimina agri, ut non portetis ultra opprobrium famis in gentibus. ³¹ Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum: et displicebunt vobis iniquitates vestrae et scelera vestra. ³² Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis: confundimini, et erubescite super viis vestris, domus Israël.] ³³ [Hæc dicit Dominus Deus: In die qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, et inhabitari fecero urbes, et instauravero ruinosæ, ³⁴ et terra deserta fuerit exulta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris, ³⁵ dicent: Terra illa inculta facta est ut hortus voluptatis: et civitates desertæ, et destitutæ atque suffossæ, munitæ sederunt. ³⁶ Et scient gentes quæcumque derelictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus æd-

ificavi dissipata, plantavique inculata: ego Dominus locutus sim, et fecerim. ³⁷ Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc in hoc invenient me domus Israël, ut faciam eis: multiplicabo eos sicut gregem hominum, ³⁸ ut gregem sanctum, ut gregem Jerusalem in solemnitatibus ejus: sic erunt civitates desertæ, plenæ gregibus hominum: et scient quia ego Dominus.]

37 Facta est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu Domini, et dimisit me in medio campi qui erat plenus ossibus. ² Et circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer. ³ Et dixit ad me: Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus, tu nosti. ⁴ Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis, et dices eis: Ossa arida, audite verbum Domini. ⁵ Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis. ⁶ Et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem, et dabo vobis spiritum, et vivetis: et scietis quia ego Dominus. ⁷ Et prophetavi sicut præceperat mihi: factus est autem sonitus, prophetante me, et ecce commotio: et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam. ⁸ Et vidi, et ecce super ea nervi et carnes ascenderunt, et extenta est in eis cutis desuper: et spiritum non habebant. ⁹ Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritum: vaticinare, fili hominis, et dices ad spiritum: Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant. ¹⁰ Et prophetavi sicut præceperat mihi: et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt: steteruntque super pedes suos, exercitus grandis nimis valde. ¹¹ Et dixit ad me: Fili hominis, ossa hæc universa, domus Israël est. Ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus. ¹² Propterea vaticinare, et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulchris vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israël. ¹³ Et scietis quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra, et eduxero vos de tumulis vestris, popule meus, ¹⁴ et dederò spiritum meum in vobis, et vixeritis: et requiescere vos faciam super humum vestram, et scietis quia ego Dominus locutus sum, et feci, ait Dominus Deus. ¹⁵ Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ¹⁶ Et tu, fili hominis, sume tibi lignum unum, et scribe super illud: Judæ, et filiorum Israël sociorum ejus: et tolle lignum alterum, et scribe super illud: Joseph, ligno Ephraim, et cunctæ domui Israël sociorumque ejus. ¹⁷ Et adijunge illa unum ad alterum tibi in lignum unum: et erunt in unionem in manu tua. ¹⁸ Cum autem dixerint ad te filii populi tui, loquentes: Nonne indicas nobis quid in his tibi velis? ¹⁹ loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam lignum Joseph, quod est in manu Ephraim, et tribus Israël, quæ sunt ei adjunctæ, et dabo eas pariter cum ligno Juda, et faciam eas in lignum unum: et erunt unum in manu ejus. ²⁰ Erunt autem ligna super quæ scripseris in manu tua in oculis eorum. ²¹ Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israël de medio nationum ad quas abierunt: et congregabo eos undique, et adducam eos ad humum suam. ²² Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israël, et rex unus erit omnibus imperans: et non erunt ultra duæ gentes, nec dividantur amplius in duo regna, ²³ neque polluentur ultra in idolis suis, et abominationibus suis, et cunctis iniquitatibus suis: et salvos eos faciam de universis sedibus in quibus peccaverunt, et emundabo eos: et erunt mihi populus, et ego ero eis Deus. ²⁴ Et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum. In judiciis meis ambulabunt, et mandata mea custodient, et facient ea: ²⁵ et

habitabunt super terram quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri: et habitabunt super eam ipsi, et filii eorum, et filii filiorum eorum, usque in sempiternum: et David servus meus princeps eorum in perpetuum. ²⁶ Et percutiam illis foedus pacis: pactum sempiternum erit eis. Et fundabo eos, et multiplicabo, et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. ²⁷ Et erit tabernaculum meum in eis: et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. ²⁸ Et scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israël, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.

38 Et factus est sermo Domini ad me, dicens: ² Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch et Thubal, et vaticinare de eo. ³ Et dices ad eum: [Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, Gog, principem capitis Mosoch et Thubal. ⁴ Et circumagam te, et ponam frenum in maxillis tuis: et educam te, et omnem exercitum tuum, equos et equites vestitos lorice universos, multitudinem magnam, hastam et clypeum arripientium et gladium. ⁵ Persæ, Æthiopes, et Libyes cum eis, omnes scutati et galeati. ⁶ Gomer et universa agmina ejus, domus Thogorma, latera aquilonis, et totum robur ejus, populi que multi tecum. ⁷ Præpara et instrue te, et omnem multitudinem tuam quæ coacervata est ad te: et esto eis in præceptum. ⁸ Post dies multos visitaberis: in novissimo annorum venies ad terram quæ reversa est a gladio, et congregata est de populis multis ad montes Israël, qui fuerunt deserti jugiter: hæc de populis educta est, et habitabunt in ea confidenter universi. ⁹ Ascendens autem quasi tempesta venies, et quasi nubes, ut operias terram: tu et omnia agmina tua, et populi multi tecum.] ¹⁰ [Hæc dicit Dominus Deus: In die illa, ascendent sermones super cor tuum, et cogitabis cogitationem pessimam: ¹¹ et dices: Ascendam ad terram absque muro: veniam ad quiescentes habitantesque secure: hi omnes habitant sine muro; vectes et portæ non sunt eis: ¹² ut diripias spolia, et invadas prædam; ut inferas manum tuam super eos qui deserti fuerant, et postea restituti, et super populum qui est congregatus ex gentibus, qui possidere cœpit et esse habitator umbilici terræ. ¹³ Saba, et Dedan, et negotiatores Tharsis, et omnes leones ejus, dicent tibi: Numquid ad sumenda spolia tu venis? ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum et aurum, et auferas suppellectilem atque substantiam, et diripias manubias infinitas. ¹⁴ Propterea vaticinare, fili hominis, et dices ad Gog: Hæc dicit Dominus Deus: Numquid non in die illo, cum habitaverit populus meus Israël confidenter, scies? ¹⁵ Et venies de loco tuo a lateribus aquilonis, tu et populi multi tecum, ascensores equorum universi: cœtus magnus, et exercitus vehemens. ¹⁶ Et ascendes super populum meum Israël quasi nubes, ut operias terram. In novissimis diebus eris, et adducam te super terram meam: ut sciant gentes me cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, o Gog!] ¹⁷ [Hæc dicit Dominus Deus: Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis in manu servorum meorum prophetarum Israël, qui prophetaverunt in diebus illorum temporum, ut adducerem te super eos. ¹⁸ Et erit in die illa, in die adventus Gog super terram Israël, ait Dominus Deus, ascendet indignatio mea in furore meo. ¹⁹ Et in zelo meo, in igne iræ meæ locutus sum, quia in die illa erit commotio magna super terram Israël: ²⁰ et commovebuntur a facie mea pisces maris, et volucres cæli, et bestię agri, et omne reptile quod movetur super humum, cunctique homines qui sunt super faciem terræ: et subvertentur montes, et cadent sepes, et omnis murus corruet in terram. ²¹ Et convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium,

ait Dominus Deus: gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigitur. ²² Et judicabo eum peste, et sanguine, et imbre vehementi, et lapidibus immensis: ignem et sulphur pluam super eum, et super exercitum ejus, et super populos multos qui sunt cum eo. ²³ Et magnificabor, et sanctificabor, et notus ero in oculis multarum gentium: et scient quia ego Dominus.]

39 Tu autem, fili hominis, vaticinare adversum Gog, et dices: [Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego super te, Gog, principem capitis Mosoch et Thubal. ² Et circumagam te, et educam te, et ascendere te faciam de lateribus aquilonis, et adducam te super montes Israël. ³ Et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua, et sagittas tuas de manu dextera tua dejiciam. ⁴ Super montes Israël cades tu, et omnia agmina tua, et populi tui qui sunt tecum: feris, avibus, omnique volatili et bestiis terræ dedi te ad devorandum. ⁵ Super faciem agri cades, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. ⁶ Et immittam ignem in Magog, et in his qui habitant in insulis confidenter: et scient quia ego Dominus. ⁷ Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israël, et non polluam nomen sanctum meum amplius: et scient gentes quia ego Dominus, Sanctus Israël. ⁸ Ecce venit, et factum est, ait Dominus Deus: hæc est dies de qua locutus sum. ⁹ Et egredientur habitatores de civitatibus Israël, et succendent et comburent arma, clypeum et hastas, arcum et sagittas, et baculos manuum et contos: et succendent ea igni septem annis. ¹⁰ Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus: quoniam arma succendent igni, et deprædabuntur eos quibus prædæ fuerant, et diripient vastatores suos, ait Dominus Deus.] ¹¹ [Et erit in die illa: dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israël, vallem viatorum ad orientem maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes: et sepelient ibi Gog, et omnem multitudinem ejus, et vocabitur vallis multitudinis Gog. ¹² Et sepelient eos domus Israël, ut mudent terram septem mensibus. ¹³ Sepeliet autem eum omnis populus terræ: et erit eis nominata dies in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus. ¹⁴ Et viros jugiter constituent lustrantes terram, qui sepeliant et requirant eos qui remanserant super faciem terræ, ut emudent eam: post menses autem septem quærere incipient. ¹⁵ Et circuibunt peragrantes terram: cumque viderint os hominis, statuent juxta illud titulum, donec sepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog. ¹⁶ Nomen autem civitatis Amona: et mundabunt terram. ¹⁷ Tu ergo, fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Dic omni volucris, et universis avibus, cunctisque bestiis agri: Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israël, ut comedatis carnem, et bibatis sanguinem. ¹⁸ Carnes fortium comedetis, et sanguinem principum terræ bibetis: arietum, et agnorum, et hircorum, taurorumque et altilium, et pinguium omnium. ¹⁹ Et comedetis adipem in saturitatem, et bibetis sanguinem in ebrietatem, de victima quam ego immolabo vobis: ²⁰ et saturabimini super mensam meam de equo, et equite forti, et de universis viris bellatoribus, ait Dominus Deus. ²¹ Et ponam gloriam meam in gentibus: et videbunt omnes gentes judicium meum quod fecerim, et manum meam quam posuerim super eos. ²² Et scient domus Israël quia ego Dominus Deus eorum, a die illa et deinceps. ²³ Et scient gentes quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israël, eo quod dereliquerint me, et absconderim faciem meam ab eis, et tradiderim eos in manus hostium, et ceciderint in gladio universi. ²⁴ Juxta immunditiam eorum et scelus feci eis, et abscondi faciem meam ab illis.] ²⁵ [Propterea hæc dicit Dominus Deus: Nunc reducam captivitatem Jacob, et miserebor omnis domus Israël, et

assumam zelum pro nomine sancto meo. ²⁶ Et portabunt confusionem suam, et omnem prævaricationem qua prævaricati sunt in me, cum habitaverint in terra sua confidenter, neminem formidantes: ²⁷ et reduxero eos de populis, et congregavero de terris inimicorum suorum, et sanctificatus fuero in eis, in oculis gentium plurimarum. ²⁸ Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eo quod transtulerim eos in nationes, et congregaverim eos super terram suam, et non dereliquerim quemquam ex eis ibi. ²⁹ Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israël, ait Dominus Deus.]

40 In vigesimo quinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quartodecimo anno postquam percussa est civitas, in ipsa hac die, facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc. ² In visionibus Dei adduxit me in terram Israël, et dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad austrum. ³ Et introduxit me illuc: et ecce vir cujus erat species quasi species æris, et funiculus lineus in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ejus: stabat autem in porta. ⁴ Et locutus est ad me idem vir: Fili hominis, vide oculis tuis, et auribus tuis audi, et pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi, quia ut ostendantur tibi adductus es huc. Annuntia omnia quæ tu vides domui Israël. ⁵ Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique: et in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum et palmo: et mensus est latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno. ⁶ Et venit ad portam quæ respiciebat viam orientalem, et ascendit per gradus ejus: et mensus est limen portæ calamo uno latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudine. ⁷ Et thalamum uno calamo in longum, et uno calamo in latum: et inter thalamos, quinque cubitos. ⁸ Et limen portæ, juxta vestibulum portæ intrinsecus, calamo uno. ⁹ Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, et frontem ejus duobus cubitis: vestibulum autem portæ erat intrinsecus. ¹⁰ Porro thalami portæ ad viam orientalem, tres hinc et tres inde: mensura una trium, et mensura una frontium ex utraque parte. ¹¹ Et mensus est latitudinem liminis portæ decem cubitorum, et longitudinem portæ tredecim cubitorum. ¹² Et marginem ante thalamos, cubiti unius, et cubitus unus finis utrimque: thalami autem sex cubitorum erant hinc et inde. ¹³ Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum ejus, latitudinem viginti quinque cubitorum, ostium contra ostium. ¹⁴ Et fecit frontes per sexaginta cubitos, et ad frontem atrium portæ undique per circuitum. ¹⁵ Et ante faciem portæ quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos. ¹⁶ Et fenestras obliquas in thalamis et in frontibus eorum, quæ erant intra portam undique per circuitum: similiter autem erant et in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus, et ante frontes pictura palmarum. ¹⁷ Et eduxit me ad atrium exterius: et ecce gazophylacia, et pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum: triginta gazophylacia in circuitu pavimenti. ¹⁸ Et pavimentum in fronte portarum, secundum longitudinem portarum erat inferius. ¹⁹ Et mensus est latitudinem a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus: centum cubitos ad orientem et ad aquilonem. ²⁰ Portam quoque quæ respiciebat viam aquilonis atrii exterioris, mensus est tam in longitudine quam in latitudine. ²¹ Et thalamos ejus tres hinc et tres inde, et frontem ejus et vestibulum ejus secundum mensuram portæ prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem ejus, et latitudinem viginti quinque cubitorum. ²² Fenestræ autem ejus, et vestibulum, et sculpturæ secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad orientem: et septem graduum erat ascensus ejus, et

vestibulum ante eam. ²³ Et porta atrii interioris contra portam aquilonis et orientalem: et mensus est a porta usque ad portam centum cubitos. ²⁴ Et eduxit me ad viam australem: et ecce porta quæ respiciebat ad austrum: et mensus est frontem ejus et vestibulum ejus juxta mensuras superiores. ²⁵ Et fenestras ejus, et vestibula in circuitu, sicut fenestras ceteras: quinquaginta cubitorum longitudine, et latitudine viginti quinque cubitorum. ²⁶ Et in gradibus septem ascendebatur ad eam, et vestibulum ante fores ejus: et cælatæ palmæ erant, una hinc, et altera inde, in fronte ejus. ²⁷ Et porta atrii interioris in via australi: et mensus est a porta usque ad portam in via australi, centum cubitos. ²⁸ Et introduxit me in atrium interius ad portam australem: et mensus est portam juxta mensuras superiores. ²⁹ Thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus eisdem mensuris, et fenestras ejus, et vestibulum ejus in circuitu, quinquaginta cubitos longitudinis, et latitudinis viginti quinque cubitos. ³⁰ Et vestibulum per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum, et latitudine quinque cubitorum: ³¹ et vestibulum ejus ad atrium exterius, et palmas ejus in fronte: et octo gradus erant quibus ascendebatur per eam. ³² Et introduxit me in atrium interius, per viam orientalem: et mensus est portam secundum mensuras superiores. ³³ Thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus, sicut supra: et fenestras ejus, et vestibula ejus in circuitu, longitudine quinquaginta cubitorum, et latitudine viginti quinque cubitorum. ³⁴ Et vestibulum ejus, id est, atrii exterioris, et palmæ cælatæ in fronte ejus, hinc et inde: et in octo gradibus ascensus ejus. ³⁵ Et introduxit me ad portam quæ respiciebat ad aquilonem: et mensus est secundum mensuras superiores. ³⁶ Thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus, et fenestras ejus per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum, et latitudine viginti quinque cubitorum. ³⁷ Et vestibulum ejus respiciebat ad atrium exterius: et cælatura palmarum in fronte ejus, hinc et inde: et in octo gradibus ascensus ejus. ³⁸ Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum: ibi lavabant holocaustum. ³⁹ Et in vestibulo portæ, duæ mensæ hinc, et duæ mensæ inde, ut immoletur super eas holocaustum, et pro peccato et pro delicto. ⁴⁰ Et ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ quæ pergit ad aquilonem, duæ mensæ: et ad latus alterum, ante vestibulum portæ, duæ mensæ: ⁴¹ quatuor mensæ hinc, et quatuor mensæ inde: per latera portæ octo mensæ erant, super quas immolabant. ⁴² Quatuor autem mensæ ad holocaustum de lapidibus quadris exstructæ, longitudine cubiti unius et dimidii, et latitudine cubiti unius et dimidii, et altitudine cubiti unius: super quas ponant vasa in quibus immolatur holocaustum et victima. ⁴³ Et labia earum palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum: super mensas autem carnes oblacionis. ⁴⁴ Et extra portam interiorem, gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad aquilonem: et facies eorum contra viam australem: una ex latere portæ orientalis, quæ respiciebat ad viam aquilonis. ⁴⁵ Et dixit ad me: Hoc est gazophylacium quod respicit viam meridianam: sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi. ⁴⁶ Porro gazophylacium quod respicit ad viam aquilonis, sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris: isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum ut ministrent ei. ⁴⁷ Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, et latitudine centum cubitorum per quadrum: et altare ante faciem templi. ⁴⁸ Et introduxit me in vestibulum templi: et mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde: et latitudinem portæ trium cubitorum hinc, et trium cubitorum inde. ⁴⁹ Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, et lat-

itudinem undecim cubitorum, et octo gradibus ascendebatur ad eam. Et columnæ erant in frontibus: una hinc, et altera inde.

41 Et introduxit me in templum, et mensus est frontes: sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos latitudinis inde, latitudinem tabernaculi. ²Et latitudo portæ decem cubitorum erat: et latera portæ, quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde: et mensus est longitudinem ejus quadraginta cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum. ³Et introgressus intrinsecus, mensus est in fronte portæ duos cubitos: et portam, sex cubitorum: et latitudinem portæ septem cubitorum. ⁴Et mensus est longitudinem ejus viginti cubitorum, et latitudinem ejus viginti cubitorum, ante faciem templi. Et dixit ad me: Hoc est Sanctum sanctorum. ⁵Et mensus est parietem domus sex cubitorum: et latitudinem lateris quatuor cubitorum undique per circuitum domus. ⁶Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria: et erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum, ut continerent, et non attingerent parietem templi. ⁷Et platea erat in rotundum, ascendens sursum per cochleam, et in cœnaculum templi deferebat per gyrum: idcirco latius erat templum in superioribus: et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium. ⁸Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio: ⁹et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum: et erat interior domus in lateribus domus. ¹⁰Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique, ¹¹et ostium lateris ad orationem: ostium unum ad viam aquilonis, et ostium unum ad viam australem: et latitudinem loci ad orationem, quinque cubitorum in circuitu. ¹²Et ædificium, quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum: paries autem ædificii, quinque cubitorum latitudinis per circuitum: et longitudo ejus nonaginta cubitorum. ¹³Et mensus est domus longitudinem, centum cubitorum: et quod separatum erat ædificium, et parietes ejus, longitudinis centum cubitorum. ¹⁴Latitudo autem ante faciem domus, et ejus quod erat separatum contra orientem, centum cubitorum. ¹⁵Et mensus est longitudinem ædificii contra faciem ejus, quod erat separatum ad dorsum: ethecas ex utraque parte centum cubitorum: et templum interius, et vestibula atrii. ¹⁶Limina, et fenestras obliquas, et ethecas in circuitu per tres partes, contra uniuscujusque limen, stratumque ligno per gyrum in circuitu: terra autem usque ad fenestras, et fenestræ clausæ super ostia. ¹⁷Et usque ad domum interiorem, et forinsecus per omnem parietem in circuitu, intrinsecus et forinsecus, ad mensuram. ¹⁸Et fabrefacta cherubim et palmæ: et palma inter cherub et cherub, duasque facies habebat cherub. ¹⁹Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, et faciem leonis juxta palmam ex alia parte: expressam per omnem domum in circuitu. ²⁰De terra usque ad superiora portæ, cherubim et palmæ cælatae erant in pariete templi. ²¹Limen quadrangulum, et facies sanctuarii, aspectus contra aspectum. ²²Altaris lignei trium cubitorum altitudo, et longitudo ejus duorum cubitorum: et anguli ejus, et longitudo ejus, et parietes ejus lignei. Et locutus est ad me: Hæc est mensa coram Domino. ²³Et duo ostia erant in templo et in sanctuario. ²⁴Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola quæ in se invicem plicabantur: bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum. ²⁵Et cælata erant in ipsis ostiis templi cherubim, et sculpturæ palmarum, sicut in parietibus quoque expressæ erant: quam ob rem et grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus. ²⁶Super quæ fenestræ

obliquæ, et similitudo palmarum hinc atque inde in humerulis vestibuli, secundum latera domus, latitudinemque parietum.

42 Et eduxit me in atrium exterius, per viam ducentem ad aquilonem, et introduxit me in gazophylacium quod erat contra separatam ædificium, et contra ædem vergentem ad aquilonem. ²In facie longitudinis, centum cubitos ostii aquilonis, et latitudinis quinquaginta cubitos, ³contra viginti cubitos atrii interioris, et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus juncta porticui triplici. ⁴Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis, ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Et ostia eorum ad aquilonem: ⁵ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora, quia supportabant porticus quæ ex illis eminebant de inferioribus, et de mediis ædificii. ⁶Tristega enim erant, et non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum: propterea eminebant de inferioribus, et de mediis a terra cubitis quinquaginta. ⁷Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia: longitudo ejus quinquaginta cubitorum: ⁸quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum, et longitudo ante faciem templi, centum cubitorum. ⁹Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab oriente, ingredientium in ea de atrio exteriori. ¹⁰In latitudine periboli atrii quod erat contra viam orientalem, in faciem ædificii separati, et erant ante ædificium gazophylacia. ¹¹Et via ante faciem eorum, juxta similitudinem gazophylaciorum quæ erant in via aquilonis: secundum longitudinem eorum, sic et latitudo eorum, et omnis introitus eorum, et similitudines, et ostia eorum. ¹²Secundum ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad notum: ostium in capite viæ, quæ via erat ante vestibulum separatam per viam orientalem ingredientibus. ¹³Et dixit ad me: Gazophylacia aquilonis, et gazophylacia austri, quæ sunt ante ædificium separatam, hæc sunt gazophylacia sancta, in quibus vescuntur sacerdotes qui appropinquant ad Dominum in Sancta sanctorum: ibi ponent Sancta sanctorum et oblationem pro peccato et pro delicto: locus enim sanctus est. ¹⁴Cum autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius: et ibi reponent vestimenta sua in quibus ministrant, quia sancta sunt, vestienturque vestimentis aliis: et sic procedent ad populum. ¹⁵Cumque complisset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ quæ respiciebat ad viam orientalem: et mensus est eam undique per circuitum. ¹⁶Mensus est autem contra ventum orientalem calamo mensuræ, quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum. ¹⁷Et mensus est contra ventum aquilonis quingentos calamos in calamo mensuræ per gyrum. ¹⁸Et ad ventum australem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum. ¹⁹Et ad ventum occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ. ²⁰Per quatuor ventos mensus est murum ejus undique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, et latitudinem quingentorum cubitorum, dividentem inter sanctuarium et vulgi locum.

43 Et duxit me ad portam quæ respiciebat ad viam orientalem. ²Et ecce gloria Dei Israël ingrediebatur per viam orientalem: et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a majestate ejus. ³Et vidi visionem secundum speciem quam videram quando venit ut disperderet civitatem, et species secundum aspectum quem videram juxta fluvium Chobar: et cecidi super faciem meam. ⁴Et majestas Domini ingressa est templum per viam portæ quæ respiciebat ad orientem. ⁵Et elevavit me spiritus, et introduxit me in atrium interius: et ecce repleta erat

gloria Domini domus. ⁶ Et audivi loquentem ad me de domo: et vir qui stabat juxta me ⁷ dixit ad me: Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israël in æternum: et non polluent ultra domus Israël nomen sanctum meum, ipsi et reges eorum, in fornicationibus suis, et in ruinis regum suorum, et in excelsis. ⁸ Qui fabricati sunt limen suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos, et murus erat inter me et eos: et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt: propter quod consumpsi eos in ira mea. ⁹ Nunc ergo repellant procul fornicationem suam et ruinas regum suorum a me, et habitabo in medio eorum semper. ¹⁰ Tu autem, fili hominis, ostende domui Israël templum, et confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam, ¹¹ et erubescant ex omnibus quæ fecerunt. Figuram domus, et fabricæ ejus, exitus et introitus, et omnem descriptionem ejus, et universa præcepta ejus, cunctumque ordinem ejus, et omnes leges ejus ostende eis, et scribes in oculis eorum, ut custodiant omnes descriptiones ejus, et præcepta illius, et faciant ea. ¹² Ista est lex domus in summitate montis: omnis finis ejus in circuitu, Sanctum sanctorum est. Hæc est ergo lex domus. ¹³ Ista autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum et palmum: in sinu ejus erat cubitus, et cubitus in latitudine: et definitio ejus usque ad labium ejus, et in circuitu palmus unus: hæc quoque erat fossa altaris. ¹⁴ Et de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam duo cubiti, et latitudo cubiti unius: et a crepidine minore usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, et latitudo cubiti unius. ¹⁵ Ipse autem ariel quatuor cubitorum, et ab ariel usque ad sursum cornua quatuor. ¹⁶ Et ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulatum æquis lateribus. ¹⁷ Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus: et corona in circuitu ejus dimidii cubiti, et sinus ejus unius cubiti per circuitum: gradus autem ejus versi ad orientem. ¹⁸ Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Hi sunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum, ut offeratur super illud holocaustum, et effundatur sanguis. ¹⁹ Et dabis sacerdotibus et Levitis qui sunt de semine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato. ²⁰ Et assumens de sanguine ejus, pones super quatuor cornua ejus, et super quatuor angulos crepidinis, et super coronam in circuitu: et mundabis illud et expiabis. ²¹ Et tolles vitulum qui oblatu fuerit pro peccato, et combures eum in separato loco domus, extra sanctuarium. ²² Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato: et expiabunt altare sicut expiaverunt in vitulo. ²³ Cumque compleveris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, et arietem de grege immaculatum. ²⁴ Et offeres eos in conspectu Domini: et mittent sacerdotes super eos sal, et offerent eos holocaustum Domino. ²⁵ Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie: et vitulum de armento, et arietem de pecoribus immaculatos offerent. ²⁶ Septem diebus expiabunt altare et mundabunt illud, et implebunt manum ejus. ²⁷ Expletis autem diebus, in die octava et ultra, facient sacerdotes super altare holocausta vestra, et quæ pro pace offerunt: et placatus ero vobis, ait Dominus Deus.

44 Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem: et erat clausa. ² Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam: eritque clausa ³ principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino: per viam portæ vestibuli ingredietur, et per viam ejus egredietur. ⁴ Et

adduxit me per viam portæ aquilonis in conspectu domus: et vidi, et ecce implevit gloria Domini domum Domini: et cecidi in faciem meam. ⁵ Et dixit ad me Dominus: Fili hominis, pone cor tuum, et vide oculis tuis, et auribus tuis audi omnia quæ ego loquor ad te de universis cæremoniis domus Domini, et de cunctis legibus ejus: et pones cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctuarii. ⁶ Et dices ad exasperantem me domum Israë: Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiant vobis omnia scelera vestra, domus Israë: ⁷ eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo, et polluant domum meam: et offertis panes meos, adipem et sanguinem, et dissolvitis pactum meum in omnibus sceleribus vestris. ⁸ Et non servastis præcepta sanctuarii mei, et posuistis custodes observationum mearum in sanctuario meo vobismetipsis. ⁹ Hæc dicit Dominus Deus: Omnis alienigena incircumcisos corde, et incircumcisos carne, non ingreditur sanctuarium meum: omnis filius alienus qui est in medio filiorum Israë. ¹⁰ Sed et Levitæ qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israë, et erraverunt a me post idola sua, et portaverunt iniquitatem suam, ¹¹ erunt in sanctuario meo æditui, et janitores portarum domus, et ministri domus: ipsi mactabunt holocausta et victimas populi, et ipsi stabunt in conspectu eorum ut ministrent eis. ¹² Pro eo quod ministraverunt illis in conspectu idolorum suorum, et facti sunt domui Israë in offencilum iniquitatis: idcirco levavi manum meam super eos, ait Dominus Deus, et portabunt iniquitatem suam. ¹³ Et non appropinquabunt ad me ut sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne sanctuarium meum juxta Sancta sanctorum: sed portabunt confusionem suam, et scelera sua quæ fecerunt. ¹⁴ Et dabo eos janitores domus in omni ministerio ejus, et in universis quæ fient in ea. ¹⁵ Sacerdotes autem et Levitæ, filii Sadoc, qui custodierunt cæremonias sanctuarii mei, cum errarent filii Israë a me, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi: et stabunt in conspectu meo, ut offerant mihi adipem et sanguinem, ait Dominus Deus. ¹⁶ Ipsi ingredientur sanctuarium meum, et ipsi accedent ad mensam meam, ut ministrent mihi, et custodiant cæremonias meas. ¹⁷ Cumque ingredientur portas atrii interioris, vestibus lineis induentur: nec ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrant in portis atrii interioris et intrinsecus. ¹⁸ Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, et feminalia linea erunt in lumbis eorum, et non accingentur in sudore. ¹⁹ Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis in quibus ministraverant, et reponent ea in gazophylacio sanctuarii: et vestient se vestimentis aliis, et non sanctificabunt populum in vestibus suis. ²⁰ Caput autem suum non radent, neque comam nutrient: sed tondentes attondent capita sua. ²¹ Et vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius. ²² Et viduam et repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israë: sed et viduam quæ fuerit vidua a sacerdote, accipient. ²³ Et populum meum docebunt quid sit inter sanctum et pollutum, et inter mundum et immundum ostendent eis. ²⁴ Et cum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, et judicabunt: leges meas et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient, et sabbata mea sanctificabunt. ²⁵ Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur, nisi ad patrem et matrem, et filium et filiam, et fratrem, et sororem quæ alterum virum non habuerit: in quibus contaminabuntur. ²⁶ Et postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei. ²⁷ Et in die introitus sui in sanctuarium ad atrium interius, ut ministret mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo, ait Dominus Deus. ²⁸ Non erit autem eis hæreditas: ego hæreditas eorum. Et possessionem non dabitis

eis in Israël: ego enim possessio eorum. ²⁹Victimam et pro peccato et pro delicto ipsi comedent, et omne votum in Israël ipsorum erit. ³⁰Et primitiva omnium primogenitorum, et omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, sacerdotum erunt: et primitiva ciborum vestrorum dabitur sacerdoti, ut reponat benedictionem domui tuæ. ³¹Omne morticinum, et captum a bestia, de avibus et de pecoribus, non comedent sacerdotes.

45 Cumque cœperitis terram dividere sortito, separate primitias Domino, sanctificatum de terra, longitudine viginti quinque millia, et latitudine decem millia: sanctificatum erit in omni termino ejus per circuitum. ²Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariam per circuitum, et quinquaginta cubitis in suburbana ejus per gyrum. ³Et a mensura ista mensurabis longitudinem viginti quinque millium, et latitudinem decem millium: et in ipso erit templum, Sanctumque sanctorum. ⁴Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarii, qui accedunt ad ministerium Domini: et erit eis locus in domos, et in sanctuarium sanctitatis. ⁵Viginti quinque autem millia longitudinis, et decem millia latitudinis erunt Levitis qui ministrant domui: ipsi possidebunt viginti gazophylacia. ⁶Et possessionem civitatis dabitur quinque millia latitudinis, et longitudinis viginti quinque millia, secundum separationem sanctuarii, omni domui Israël. ⁷Principi quoque hinc et inde in separationem sanctuarii, et in possessionem civitatis, contra faciem separationis sanctuarii, et contra faciem possessionis urbis, a latere maris usque ad mare, et a latere orientis usque ad orientem: longitudinis autem juxta unamquamque partem, a termino occidentali usque ad terminum orientalem. ⁸De terra erit ei possessio in Israël, et non depopulabuntur ultra principes populum meum: sed terram dabunt domui Israël secundum tribus eorum. ⁹Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis, principes Israël: iniquitatem et rapinas intermittite, et iudicium et justitiam facite: separate confinia vestra a populo meo, ait Dominus Deus. ¹⁰Statera justa, et ephi justum, et batus justus erit vobis. ¹¹Ephi et batus æqualia et unius mensuræ erunt, ut capiat decimam partem cori batus, et decimam partem cori ephi: juxta mensuram cori erit æqua libratio eorum. ¹²Siclus autem viginti obolos habet: porro viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli, mnam faciunt. ¹³Et hæ sunt primitiæ quas tolletis: sextam partem ephi de coro frumenti, et sextam partem ephi de coro hordei. ¹⁴Mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est: et decem bati eorum faciunt, quia decem bati implent eorum. ¹⁵Et arietem unum de grege ducentorum, de his quæ nutriunt Israël, in sacrificium, et in holocaustum, et in pacifica, ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus. ¹⁶Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israël. ¹⁷Et super principem erunt holocausta, et sacrificium, et libamina, in solemnitatibus, et in calendis, et in sabbatis, et in universis solemnitatibus domus Israël: ipse faciet pro peccato sacrificium, et holocaustum, et pacifica, ad expiandum pro domo Israël. ¹⁸Hæc dicit Dominus Deus: In primo mense, una mensis, sumes vitulum de armento immaculatum, et expiabis sanctuarium. ¹⁹Et tollet sacerdos de sanguine quod erit pro peccato, et ponet in postibus domus, et in quatuor angulis crepidinis altaris, et in postibus portæ atrii interioris. ²⁰Et sic facies in septima mensis, pro unoquoque qui ignoravit, et errore deceptus est: et expiabis pro domo. ²¹In primo mense, quartadecima die mensis, erit vobis Paschæ solemnitas: septem diebus azyma comedentur. ²²Et faciet princeps in die illa, pro se et pro universo populo terræ, vitulum pro peccato. ²³Et in septem dierum solemnitate

faciet holocaustum Domino, septem vitulos et septem arietes immaculatos, quotidie septem diebus: et pro peccato hircum caprarum quotidie. ²⁴ Et sacrificium ephi per vitulum, et ephi per arietem faciet, et olei hin per singula ephi. ²⁵ Septimo mense, quintadecima die mensis, in solemnitate, faciet sicut supra dicta sunt per septem dies, tam pro peccato quam pro holocausto, et in sacrificio, et in oleo.

46 Hæc dicit Dominus Deus: Porta atrii interioris quæ respicit ad orientem, erit clausa sex diebus in quibus opus fit: die autem sabbati aperietur, sed et in die calendarum aperietur. ² Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, et stabit in limine portæ: et facient sacerdotes holocaustum ejus, et pacifica ejus: et adorabit super limen portæ, et egredietur: porta autem non claudetur usque ad vesperam. ³ Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in sabbatis et in calendis coram Domino. ⁴ Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino: in die sabbati, sex agnos immaculatos, et arietem immaculatum, ⁵ et sacrificium ephi per arietem, in agnis autem sacrificium quod dederit manus ejus, et olei hin per singula ephi. ⁶ In die autem calendarum vitulum de armento immaculatum, et sex agni et arietes immaculati erunt. ⁷ Et ephi per vitulum, ephi quoque per arietem faciet sacrificium: de agnis autem sicut invenerit manus ejus, et olei hin per singula ephi. ⁸ Cumque ingressurus est princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur, et per eandem viam exeat. ⁹ Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus, qui ingreditur per portam aquilonis ut adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ: porro qui ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ aquilonis. Non revertetur per viam portæ per quam ingressus est, sed e regione illius egredietur. ¹⁰ Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingrediatur, et cum egredientibus egredietur. ¹¹ Et in nudinis, et in solemnitatibus, erit sacrificium ephi per vitulum, et ephi per arietem: agnis autem erit sacrificium sicut invenerit manus ejus, et olei hin per singula ephi. ¹² Cum autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta quæ respicit ad orientem, et faciet holocaustum suum et pacifica sua, sicut fieri solet in die sabbati: et egredietur, claudeturque porta postquam exierit. ¹³ Et agnum ejusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino: semper mane faciet illud. ¹⁴ Et faciet sacrificium super eo cata mane mane sextam partem ephi, et de oleo tertiam partem hin, ut misceatur similæ: sacrificium Domino legitimum, iuge atque perpetuum. ¹⁵ Faciet agnum, et sacrificium, et oleum cata mane mane, holocaustum sempiternum. ¹⁶ Hæc dicit Dominus Deus: Si dederit princeps donum alicui de filiis suis, hæreditas ejus filiorum suorum erit: possidebunt eam hæreditarie. ¹⁷ Si autem dederit legatum de hæreditate sua uni servorum suorum, erit illius usque ad annum remissionis, et revertetur ad principem: hæreditas autem ejus filiis ejus erit. ¹⁸ Et non accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam, et de possessione eorum: sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis, ut non dispergatur populus meus unusquisque a possessione sua. ¹⁹ Et introduxit me per ingressum qui erat ex latere portæ, in gazophylacia sanctuarii ad sacerdotes, quæ respiciebant ad aquilonem: et erat ibi locus vergens ad occidentem. ²⁰ Et dixit ad me: Iste est locus ubi coquent sacerdotes pro peccato et pro delicto: ubi coquent sacrificium, ut non efferant in atrium exterius, et sanctificetur populus. ²¹ Et eduxit me in atrium exterius, et circumduxit me per quatuor angulos atrii: et ecce atriolum erat in angulo atrii, atriola singula per angulos atrii. ²² In quatuor angulis atrii atriola disposita, quadraginta cubitorum per

longum, et triginta per latum: mensuræ unius quatuor erant. ²³ Et paries per circuitum ambiens quatuor atriola: et culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum. ²⁴ Et dixit ad me: Hæc est domus culinarum, in qua coquent ministri domus Domini victimas populi.

47 Et convertit me ad portam domus, et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem: facies enim domus respiciebat ad orientem, aquæ autem descendebant in latus templi dextrum, ad meridiem altaris. ² Et eduxit me per viam portæ aquilonis, et convertit me ad viam foras portam exterioriorem, viam quæ respiciebat ad orientem: et ecce aquæ redundantes a latere dextro. ³ Cum egrediretur vir ad orientem, qui habebat funiculum in manu sua, et mensus est mille cubitos, et traduxit me per aquam usque ad talos. ⁴ Rursumque mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad genua. ⁵ Et mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari. ⁶ Et dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis. Et eduxit me, et convertit ad ripam torrentis. ⁷ Cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte. ⁸ Et ait ad me: Aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare et exhibunt: et sanabuntur aquæ. ⁹ Et omnis anima vivens quæ serpit quocumque venerit torrens, vivet: et erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ: et sanabuntur et vivent omnia ad quæ venerit torrens. ¹⁰ Et stabunt super illas piscatores: ab Engaddi usque ad Engalim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimia. ¹¹ In littoribus autem ejus et in palustribus, non sanabuntur, quia in salinas dabuntur. ¹² Et super torrentem orietur in ripis ejus, ex utraque parte, omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus: per singulos menses afferet primitiva, quia aquæ ejus de sanctuario egredientur: et erunt fructus ejus in cibum, et folia ejus ad medicinam. ¹³ Hæc dicit Dominus Deus: Hic est terminus in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israël: quia Joseph duplicem funiculum habet. ¹⁴ Possidebitis autem eam singuli æque ut frater suus, super quam levavi manum meam ut darem patribus vestris: et cadet terra hæc vobis in possessionem. ¹⁵ Hic est autem terminus terræ: ad plagam septentrionalem, a mari magno via Hethalon, venientibus Sedada, ¹⁶ Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci et confinium Emath, domus Tichon, quæ est juxta terminum Auran. ¹⁷ Et erit terminus a mari usque ad atrium Enon, terminus Damasci: et ab aquilone ad aquilonem, terminus Emath plaga septentrionalis. ¹⁸ Porro plaga orientalis de medio Auran, et de medio Damasci, et de medio Galaad, et de medio terræ Israël, Jordanis distermians ad mare orientale. Metiemini etiam plagam orientalem. ¹⁹ Plaga autem australis meridiana, a Thamar usque ad aquas contradictionis Cades, et torrens usque ad mare magnum: et hæc est plaga ad meridiem australis. ²⁰ Et plaga maris, mare magnum a confinio per directum, donec venias Emath: hæc est plaga maris. ²¹ Et dividetis terram istam vobis per tribus Israël: ²² et mittetis eam in hæreditatem vobis, et advenis qui accesserint ad vos, qui genuerint filios in medio vestrum: et erunt vobis sicut indigenæ inter filios Israël: vobiscum divident possessionem in medio tribuum Israël. ²³ In tribu autem quacumque fuerit advena, ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus.

48 Et hæc nomina tribuum a finibus aquilonis, juxta viam Hethalon, pergentibus Emath, atrium Enan terminus Damasci ad aquilonem, juxta viam Emath: et erit ei plaga orientalis mare, Dan una. ² Et super terminum Dan, a plaga orientali usque ad plagam maris, Aser una. ³ Et super terminum Aser, a plaga orientali usque ad plagam maris, Nephthali una. ⁴ Et super terminum Nephthali, a plaga orientali usque ad plagam maris, Manasse una. ⁵ Et super terminum Manasse, a plaga orientali usque ad plagam maris, Ephraim una. ⁶ Et super terminum Ephraim, a plaga orientali usque ad plagam maris, Ruben una. ⁷ Et super terminum Ruben, a plaga orientali usque ad plagam maris, Juda una. ⁸ Et super terminum Juda, a plaga orientali usque ad plagam maris, erunt primitiæ quas separabitis, viginti quinque millibus latitudinis et longitudinis, sicuti singulæ partes a plaga orientali usque ad plagam maris: et erit sanctuarium in medio ejus. ⁹ Primitiæ quas separabitis Domino, longitudo viginti quinque millibus, et latitudo decem millibus. ¹⁰ Hæ autem erunt primitiæ sanctuarii sacerdotum, ad aquilonem longitudinis viginti quinque millia, et ad mare latitudinis decem millia, sed et ad orientem latitudinis decem millia, et ad meridiem longitudinis viginti quinque millia: et erit sanctuarium Domini in medio ejus. ¹¹ Sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoc, qui custodierunt cæremonias meas, et non erraverunt cum errarent filii Israëli, sicut erraverunt et Levitæ. ¹² Et erunt eis primitiæ de primitiis terræ Sanctum sanctorum, juxta terminum Levitarum. ¹³ Sed et Levitis similiter, juxta fines sacerdotum, viginti quinque millia longitudinis, et latitudinis decem millia. Omnis longitudo viginti et quinque millium, et latitudo decem millium. ¹⁴ Et non venundabunt ex eo, neque mutabunt: neque transferentur primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt Domino. ¹⁵ Quinque millia autem quæ supersunt in latitudine per viginti quinque millia, profana erunt urbis in habitaculum et in suburbana: et erit civitas in medio ejus. ¹⁶ Et hæ mensuræ ejus: ad plagam septentrionalem, quingenta et quatuor millia: et ad plagam meridianam, quingenta et quatuor millia: et ad plagam orientalem, quingenta et quatuor millia: et ad plagam occidentalem, quingenta et quatuor millia. ¹⁷ Erunt autem suburbana civitatis ad aquilonem, ducenta quinquaginta: et ad meridiem, ducenta quinquaginta: et ad orientem, ducenta quinquaginta: et ad mare, ducenta quinquaginta. ¹⁸ Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundum primitias sanctuarii, decem millia in orientem, et decem millia in occidentem, erunt sicut primitiæ sanctuarii: et erunt fruges ejus in panes his qui serviunt civitati. ¹⁹ Servientes autem civitati, operabuntur ex omnibus tribubus Israëli. ²⁰ Omnes primitiæ viginti quinque millium, per viginti quinque millia in quadrum, separabuntur in primitias sanctuarii, et in possessionem civitatis. ²¹ Quod autem reliquum fuerit, principis erit ex omni parte primitiarum sanctuarii, et possessionis civitatis e regione viginti quinque millium primitiarum usque ad terminum orientalem: sed et ad mare, e regione viginti quinque millium, usque ad terminum maris, similiter in partibus principis erit: et erunt primitiæ sanctuarii, et sanctuarium templi, in medio ejus. ²² De possessione autem Levitarum, et de possessione civitatis in medio partium principis, erit inter terminum Juda et inter terminum Benjamin, et ad principem pertinebit. ²³ Et reliquis tribubus, a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Benjamin una. ²⁴ Et contra terminum Benjamin, a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Simeon una. ²⁵ Et super terminum Simeonis, a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Issachar una. ²⁶ Et super terminum Issachar, a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Zabulon

una. ²⁷ Et super terminum Zabulon, a plaga orientali usque ad plagam maris, Gad una. ²⁸ Et super terminum Gad, ad plagam austri in meridie: et erit finis de Thamar usque ad aquas contradictionis Cades: hæreditas contra mare magnum. ²⁹ Hæc est terra quam mittetis in sortem tribubus Israël, et hæ partitiones earum, ait Dominus Deus. ³⁰ Et hi egressus civitatis: a plaga septentrionali, quingentos et quatuor millia mensurabis. ³¹ Et portæ civitatis ex nominibus tribuum Israël: portæ tres a septentrione: porta Ruben una, porta Juda una, porta Levi una. ³² Et ad plagam orientalem, quingentos et quatuor millia, et portæ tres: porta Joseph una, porta Benjamin una, porta Dan una. ³³ Et ad plagam meridianam, quingentos et quatuor millia metieris, et portæ tres: porta Simeonis una, porta Issachar una, porta Zabulon una. ³⁴ Et ad plagam occidentalem, quingentos et quatuor millia, et portæ eorum tres: porta Gad una, porta Aser una, porta Nephthali una. ³⁵ Per circuitum, decem et octo millia: et nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.

INCIPIT LIBER DANIELIS PROPHETÆ

1 Anno tertio regni Joakim regis Juda, venit Nabuchodonosor, rex Babylonis, in Jerusalem, et obsedit eam: ²et tradidit Dominus in manu ejus Joakim, regem Juda, et partem vasorum domus Dei: et asportavit ea in terram Sennaar in domum dei sui, et vasa intulit in domum thesauri dei sui. ³Et ait rex Asphenez præposito eunuchorum ut introduceret de filiis Israël, et de semine regio et tyrannorum, ⁴pueros in quibus nulla esset macula, decoros forma, et eruditos omni sapientia, cautos scientia, et doctos disciplina, et qui possent stare in palatio regis, ut doceret eos litteras et linguam Chaldæorum. ⁵Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibus suis, et de vino unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis. ⁶Fuerunt ergo inter eos de filiis Juda, Daniel, Ananias, Misaël, et Azarias. ⁷Et imposuit eis præpositus eunuchorum nomina: Danieli, Baltassar; Ananiæ, Sidrach; Misaëli, Misach; et Azariæ, Abdenago. ⁸Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus: et rogavit eunuchorum præpositum ne contaminaretur. ⁹Dedit autem Deus Danieli gratiam et misericordiam in conspectu principis eunuchorum. ¹⁰Et ait princeps eunuchorum ad Danielelem: Timeo ego dominum meum regem, qui constituit vobis cibum et potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ ceteris adolescentibus coævis vestris, condemnabit caput meum regi. ¹¹Et dixit Daniel ad Malasar, quem constituerat princeps eunuchorum super Danielelem, Ananiam, Misaëlem, et Azariam: ¹²Tenta nos, obsecro, servos tuos, diebus decem, et dentur nobis legumina ad vescendum, et aqua ad bibendum: ¹³et contemplare vultus nostros, et vultus puerorum, qui vescuntur cibo regio: et sicut videris, facies cum servis tuis. ¹⁴Qui, audito sermone hujuscemodi, tentavit eos diebus decem. ¹⁵Post dies autem decem, apparuerunt vultus eorum meliores, et corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio. ¹⁶Porro Malasar tollebat cibaria, et vinum potus eorum: dabatque eis legumina. ¹⁷Pueris autem his dedit Deus scientiam et disciplinam, in omni libro et sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum. ¹⁸Completis itaque diebus, post quos dixerat rex ut introducerentur, introduxit eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor. ¹⁹Cumque eis locutus fuisset rex, non sunt inventi tales de universis, ut Daniel, Ananias, Misaël, et Azarias: et steterunt in conspectu regis. ²⁰Et omne verbum sapientiæ et intellectus, quod sciscitatus est ab eis rex, invenit in eis decuplum super cunctos ariolos et magos qui erant in universo regno ejus. ²¹Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis.

2 In anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, et conterritus est spiritus ejus, et somnium ejus fugit ab eo. ²Præcepit autem rex ut convocarentur arioli, et magi, et malefici, et Chaldæi, ut indicarent regi somnia sua. Qui cum venissent, steterunt coram rege. ³Et dixit ad eos rex: Vidi somnium, et mente confusus ignoro quid viderim. ⁴Responderuntque Chaldæi regi syriace: Rex, in sempiternum vive ! dic somnium servis tuis, et interpretationem ejus indicabimus. ⁵Et respondens rex ait Chaldæis: Sermo recessit a me: nisi indicaveritis mihi somnium, et conjecturam ejus, peribitis vos, et domus vestræ publicabuntur. ⁶Si autem somnium, et conjecturam ejus narraveritis, præmia, et dona, et honorem multum accipietis a me. Somnium igitur, et interpretationem ejus indicate mihi. ⁷Respon-

derunt secundo, atque dixerunt: Rex somnium dicat servis suis, et interpretationem illius indicabimus. ⁸ Respondit rex, et ait: Certe novi quod tempus redimitis, scientes quod recesserit a me sermo. ⁹ Si ergo somnium non indicaveritis mihi, una est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem, et deceptione plenam composueritis, ut loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, ut sciam quod interpretationem quoque ejus veram loquamini. ¹⁰ Respondentes ergo Chaldæi coram rege, dixerunt: Non est homo super terram, qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neque regum quisquam magnus et potens verbum hujuscemodi sciscitatur ab omni ariolo, et mago, et Chaldæo. ¹¹ Sermo enim, quem tu quæris, rex, gravis est: nec reperiatur quisquam qui indicet illum in conspectu regis, exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio. ¹² Quo audito, rex, in furore et in ira magna, præcepit ut perirent omnes sapientes Babylonis. ¹³ Et egressa sententia, sapientes interficiebantur: quærebanturque Daniel et socii ejus, ut perirent. ¹⁴ Tunc Daniel requisivit de lege atque sententia ab Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis. ¹⁵ Et interrogavit eum, qui a rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa. Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli, ¹⁶ Daniel ingressus rogavit regem ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi. ¹⁷ Et ingressus est domum suam, Ananiæque et Misaëli et Azariæ, sociis suis, indicavit negotium, ¹⁸ ut quærerent misericordiam a facie Dei cæli super sacramento isto, et non perirent Daniel et socii ejus cum ceteris sapientibus Babylonis. ¹⁹ Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est: et benedixit Daniel Deum cæli, ²⁰ et locutus ait: Sit nomen Domini benedictum a sæculo et usque in sæculum: quia sapientia et fortitudo ejus sunt. ²¹ Et ipse mutat tempora, et ætates: transfert regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam. ²² Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta: et lux cum eo est. ²³ Tibi, Deus patrum nostrorum, confiteor, teque laudo, quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi, et nunc ostendisti mihi quæ rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis. ²⁴ Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat rex ut perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est: Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me in conspectu regis, et solutionem regi narrabo. ²⁵ Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem, et dixit ei: Inveni hominem de filiis transmigrationis Juda, qui solutionem regi annuntiet. ²⁶ Respondit rex, et dixit Danieli, cujus nomen erat Baltassar: Putasne vere potes mihi indicare somnium, quod vidi, et interpretationem ejus? ²⁷ Et respondens Daniel coram rege, ait: Mysterium, quod rex interrogat, sapientes, magi, arioli, et aruspices nequeunt indicare regi: ²⁸ sed est Deus in cælo revelans mysteria, qui indicavit tibi, rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in novissimis temporibus. Somnium tuum, et visiones capitis tui in cubili tuo hujuscemodi sunt. ²⁹ Tu, rex, cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc: et qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt. ³⁰ Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plus quam in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est: sed ut interpretatio regi manifesta fieret, et cogitationes mentis tuæ scires. ³¹ Tu, rex, videbas, et ecce quasi statua una grandis: statua illa magna, et statura sublimis stabat contra te, et intuitus ejus erat terribilis. ³² Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento, porro venter et femora ex ære, ³³ tibiæ autem ferreæ: pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. ³⁴ Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte

sine manibus: et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus, et comminuit eos. ³⁵Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, et aurum, et redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram. ³⁶Hoc est somnium: interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex. ³⁷Tu rex regum es: et Deus cæli regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi. ³⁸et omnia, in quibus habitant filii hominum, et bestię agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, et sub ditione tua universa constituit: tu es ergo caput aureum. ³⁹Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: et regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ. ⁴⁰Et regnum quartum erit velut ferrum: quomodo ferrum comminuit, et domat omnia, sic comminuet, et conteret omnia hæc. ⁴¹Porro quia vidisti pedum, et digitorum partem testæ figuli, et partem ferream, regnum divisum erit: quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto. ⁴²Et digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum. ⁴³Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum misceri non potest testæ. ⁴⁴In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum. ⁴⁵Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum, Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt postea: et verum est somnium, et fidelis interpretatio ejus. ⁴⁶Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, et Danielem adoravit, et hostias, et incensum præcepit ut sacrificarent ei. ⁴⁷Loquens ergo rex, ait Danieli: Vere Deus vester Deus deorum est, et Dominus regum, et revelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum. ⁴⁸Tunc rex Danielem in sublime extulit, et munera multa et magna dedit ei: et constituit eum principem super omnes provincias Babylonis, et præfectum magistratum super cunctos sapientes Babylonis. ⁴⁹Daniel autem postulavit a rege, et constituit super opera provinciæ Babylonis Sidrach, Misach, et Abdenago: ipse autem Daniel erat in foribus regis.

3 Nabuchodonosor rex fecit statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, et statuit eam in campo Dura, provinciæ Babylonis. ²Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, et judices, duces, et tyrannos, et præfectos, omnesque principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ quam erexerat Nabuchodonosor rex. ³Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus, et judices, duces, et tyranni, et optimates, qui erant in potestatibus constituti, et universi principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex. Stabant autem in conspectu statuæ, quam posuerat Nabuchodonosor rex: ⁴et præco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, et linguis: ⁵in hora qua audieritis sonitum tubæ, et fistulæ, et citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphonix, et universi generis musicorum, cadentes adorete statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex. ⁶Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. ⁷Post hæc igitur, statim ut audierunt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ, et citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphonix, et omnis generis musicorum, cadentes omnes populi, tribus, et linguæ adoraverunt statuam auream, quam constituerat Nabu-

chodonosor rex. ⁸ Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusaverunt Judæos: ⁹ dixeruntque Nabuchodonosor regi: Rex, in æternum vive! ¹⁰ tu, rex, posuisti decretum, ut omnis homo, qui audierit sonitum tubæ, fistulæ, et citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphoniam, et universi generis musicorum, prosternat se, et adoret statuam auream: ¹¹ si quis autem non procidens adoraverit, mittatur in fornacem ignis ardentis. ¹² Sunt ergo viri Judæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sidrach, Misach, et Abdenago: viri isti contempserunt, rex, decretum tuum: deos tuos non colunt, et statuam auream, quam erexisti, non adorant. ¹³ Tunc Nabuchodonosor, in furore et in ira, præcepit ut adducerentur Sidrach, Misach, et Abdenago: qui confestim adducti sunt in conspectu regis. ¹⁴ Pronuntiansque Nabuchodonosor rex, ait eis: Verene Sidrach, Misach, et Abdenago, deos meos non colitis, et statuam auream, quam constitui, non adoratis? ¹⁵ nunc ergo si estis parati, quacumque hora audieritis sonitum tubæ, fistulæ, citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphoniam, omnisque generis musicorum, prosternite vos, et adorare statuam, quam feci: quod si non adoraveritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis: et quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea? ¹⁶ Respondentes Sidrach, Misach, et Abdenago, dixerunt regi Nabuchodonosor: Non oportet nos de hac re respondere tibi. ¹⁷ Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, o rex, liberare. ¹⁸ Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream, quam erexisti, non adoramus. ¹⁹ Tunc Nabuchodonosor repletus est furore, et aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach, et Abdenago: et præcepit ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat. ²⁰ Et viris fortissimis de exercitu suo jussit ut ligatis pedibus Sidrach, Misach, et Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardentis. ²¹ Et confestim viri illi vincti, cum braccis suis, et tiaris, et calceamentis, et vestibibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis: ²² nam jussio regis urgebat. Fornax autem succensa erat nimis: porro viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, et Abdenago, interfecit flamma ignis. ²³ Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, et Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati. ²⁴ Et ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, et benedicentes Domino. ²⁵ Stans autem Azarias oravit sic, aperiensque os suum in medio ignis, ait: ²⁶ [Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabile, et gloriosum nomen tuum in sæcula: ²⁷ quia justus es in omnibus, quæ fecisti nobis, et universa opera tua vera, et viæ tuæ rectæ, et omnia judicia tua vera. ²⁸ Judicia enim vera fecisti juxta omnia, quæ induxisti super nos, et super civitatem sanctam patrum nostrorum Jerusalem: quia in veritate et in iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra. ²⁹ Peccavimus enim, et inique egimus recedentes a te, et deliquimus in omnibus: ³⁰ et præcepta tua non audivimus, nec observavimus, nec fecimus sicut præceperas nobis ut bene nobis esset. ³¹ Omnia ergo, quæ induxisti super nos, et universa quæ fecisti nobis, in vero iudicio fecisti; ³² et tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, et pessimorum, prævaricatorumque, et regi injusto, et pessimo ultra omnem terram. ³³ Et nunc non possumus aperire os: confusio, et opprobrium facti sumus servis tuis, et his qui colunt te. ³⁴ Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, et ne dissipes testamentum tuum: ³⁵ neque auferas misericordiam tuam a nobis, propter Abraham, dilectum tuum, et Isaac, servum tuum, et Israël, sanctum tuum, ³⁶ quibus locutus es pollicens quod multiplicares semen eorum sicut stellas cæli, et sicut arenam quæ est in lit-

tore maris; ³⁷ quia, Domine, imminuti sumus plus quam omnes gentes, sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra. ³⁸ Et non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ³⁹ ut possimus invenire misericordiam tuam, sed in animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur. ⁴⁰ Sicut in holocausto arietum, et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, quoniam non est confusio confidentibus in te. ⁴¹ Et nunc sequimur te in toto corde; et timemus te, et quærimus faciem tuam. ⁴² Nec confundas nos, sed fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ. ⁴³ Et erue nos in mirabilibus tuis, et da gloriam nomini tuo, Domine; ⁴⁴ et confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala: confundantur in omni potentia tua, et robur eorum conteratur: ⁴⁵ et sciant quia tu es Dominus Deus solus, et gloriosus super orbem terrarum.] ⁴⁶ Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem, naphtha, et stuppa, et pice, et malleolis, ⁴⁷ et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem: ⁴⁸ et erupit, et incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis. ⁴⁹ Angelus autem Domini descendit cum Azaria, et sociis ejus in fornacem: et excussit flammam ignis de fornace, ⁵⁰ et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit. ⁵¹ Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, et glorificabant, et benedicebant Deum in fornace, dicentes: ⁵² [Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum: et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula. Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum: et laudabile, et superexaltatum in omnibus sæculis. ⁵³ Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ: et superlaudabilis, et supergloriosus in sæcula. ⁵⁴ Benedictus es in throno regni tui: et superlaudabilis, et superexaltatus in sæcula. ⁵⁵ Benedictus es, qui intueris abyssos, et sedes super cherubim: et laudabilis, et superexaltatus in sæcula. ⁵⁶ Benedictus es in firmamento cæli: et laudabilis et gloriosus in sæcula. ⁵⁷ Benedicite, omnia opera Domini, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁵⁸ Benedicite, angeli Domini, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁵⁹ Benedicite, cæli, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁶⁰ Benedicite, aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁶¹ Benedicite, omnes virtutes Domini, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁶² Benedicite, sol et luna, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁶³ Benedicite, stellæ cæli, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁶⁴ Benedicite, omnis imber et ros, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁶⁵ Benedicite, omnes spiritus Dei, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁶⁶ Benedicite, ignis et æstus, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁶⁷ Benedicite, frigus et æstus, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁶⁸ Benedicite, rores et pruina, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁶⁹ Benedicite, gelu et frigus, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁷⁰ Benedicite, glacies et nives, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁷¹ Benedicite, noctes et dies, Domino laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁷² Benedicite, lux et tenebræ, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁷³ Benedicite, fulgura et nubes, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁷⁴ Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in sæcula. ⁷⁵ Benedicite, montes et colles, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁷⁶ Benedicite, universa germinantia in terra, Domino: laudate et superexaltate eum

in sæcula. ⁷⁷ Benedicite, fontes, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁷⁸ Benedicite, maria et flumina, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁷⁹ Benedicite, cete, et omnia quæ moventur in aquis, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁸⁰ Benedicite, omnes volucres cæli, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁸¹ Benedicite, omnes bestię et pecora, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁸² Benedicite, filii hominum, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁸³ Benedicat Israël Dominum: laudet et superexaltet eum in sæcula. ⁸⁴ Benedicite, sacerdotes Domini, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁸⁵ Benedicite, servi Domini, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁸⁶ Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁸⁷ Benedicite, sancti et humiles corde, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. ⁸⁸ Benedicite, Anania, Azaria, Misaël, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula: quia eruit nos de inferno, et salvos fecit de manu mortis: et liberavit nos de medio ardentis flammæ, et de medio ignis eruit nos. ⁸⁹ Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. ⁹⁰ Benedicite, omnes religiosi, Domino Deo deorum: laudate et confitemini ei, quia in omnia sæcula misericordia ejus.] ⁹¹ Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, et surrexit prope, et ait optimatibus suis: Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Qui respondentes regi, dixerunt: Vere, rex. ⁹² Respondit, et ait: Ecce ego video quatuor viros solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est, et species quarti similis filio Dei. ⁹³ Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis, et ait: Sidrach, Misach, et Abdenago, servi Dei excelsi, egredimini, et venite. Statimque egressi sunt Sidrach, Misach, et Abdenago de medio ignis. ⁹⁴ Et congregati satrapæ, et magistratus, et iudices, et potentes regis contemplantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, et capillus capitis eorum non esset adustus, et sarabala eorum non fuissent immutata, et odor ignis non transisset per eos. ⁹⁵ Et erumpens Nabuchodonosor, ait: Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach, et Abdenago: qui misit angelum suum, et eruit servos suos, qui crediderunt in eum: et verbum regis immutaverunt, et tradiderunt corpora sua ne servirent, et ne adorarent omnem deum, excepto Deo suo. ⁹⁶ A me ergo positum est hoc decretum: ut omnis populus, tribus, et lingua, quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, et Abdenago, dispereat, et domus ejus vastetur: neque enim est alius deus, qui possit ita salvare. ⁹⁷ Tunc rex promovit Sidrach, Misach, et Abdenago in provincia Babylonis. ⁹⁸ Nabuchodonosor rex, omnibus populis, gentibus, et linguis, qui habitant in universa terra, pax vobis multiplicetur. ⁹⁹ Signa, et mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare ¹⁰⁰ signa ejus, quia magna sunt: et mirabilia ejus, quia fortia: et regnum ejus regnum sempiternum, et potestas ejus in generationem et generationem.

4 Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, et florens in palatio meo: ² somnium vidi, quod perterruit me: et cogitationes meæ in strato meo, et visiones capitis mei conturbaverunt me. ³ Et per me propositum est decretum ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, et ut solutionem somnii indicarent mihi. ⁴ Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi, et aruspices, et somnium narraui in conspectu eorum: et solutionem ejus non indicaverunt mihi, ⁵ donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar secundum nomen dei mei, qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso: et somnium coram

ipso locutus sum. ⁶ Baltassar, princeps ariolorum, quoniam ego scio quod spiritum sanctorum deorum habeas in te, et omne sacramentum non est impossibile tibi: visiones somniorum meorum, quas vidi, et solutionem earum narra. ⁷ Visio capitis mei in cubili meo: videbam, et ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia. ⁸ Magna arbor, et fortis, et proceritas ejus contingens cælum: aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. ⁹ Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius: et esca universorum in ea. Subter eam habitabant animalia et bestię, et in ramis ejus conversabantur volucres cæli: et ex ea vescebatur omnis caro. ¹⁰ Videbam in visione capitis mei super stratum meum, et ecce vigil, et sanctus, de cælo descendit. ¹¹ Clamavit fortiter, et sic ait: Succidite arborem, et præcidite ramas ejus: excutite folia ejus, et dispergite fructus ejus: fugiant bestię, quæ subter eam sunt, et volucres de ramis ejus. ¹² Verumtamen germen radicum ejus in terra sinite, et alligetur vinculo ferreo et aëro in herbis quæ foris sunt, et rore cæli tingatur, et cum feris pars ejus in herba terræ. ¹³ Cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei: et septem tempora mutentur super eum. ¹⁴ In sententia vigilum decretum est, et sermo sanctorum, et petitio: donec cognoscant viventes quoniam dominatur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, dabit illud, et humillimum hominem constituet super eum. ¹⁵ Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor rex: tu ergo Baltassar interpretationem narra festinus, quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi: tu autem potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est. ¹⁶ Tunc Daniel, cujus nomen Baltassar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora: et cogitationes ejus conturbabant eum. Respondens autem rex, ait: Baltassar, somnium et interpretatio ejus non conturbent te. Respondit Baltassar, et dixit: Domine mi, somnium his, qui te oderunt, et interpretatio ejus hostibus tuis sit. ¹⁷ Arborem, quam vidisti sublimem atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cælum, et aspectus illius in omnem terram; ¹⁸ et rami ejus pulcherrimi, et fructus ejus nimius, et esca omnium in ea, subter eam habitantes bestię agri, et in ramis ejus commorantes aves cæli: ¹⁹ tu es rex, qui magnificatus es, et invaluisti: et magnitudo tua crevit, et pervenit usque ad cælum, et potestas tua in terminos universæ terræ. ²⁰ Quod autem vidit rex vigilem, et sanctum descendere de cælo, et dicere: Succidite arborem, et dissipate illam, attamen germen radicum ejus in terra dimittite, et vinciaturo ferro et aëre in herbis foris, et rore cæli conspergatur, et cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora mutentur super eum: ²¹ hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super dominum meum regem, ²² Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et fœnum ut bos comedes, et rore cæli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicumque voluerit, det illud. ²³ Quod autem præcepit ut relinqueretur germen radicum ejus, id est arboris: regnum tuum tibi manebit postquam cognoveris potestatem esse cælestem. ²⁴ Quam ob rem, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis. ²⁵ Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem. ²⁶ Post finem mensium duodecim, in aula Babylonis deambulabat. ²⁷ Responditque rex, et ait: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei? ²⁸ Cumque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit a te, ²⁹ et ab hominibus ejicient te, et cum bestiis et feris erit

habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, det illud. ³⁰ Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, et ex hominibus abjectus est, et fœnum ut bos comedit, et rore cœli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues ejus quasi avium. ³¹ Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, et sensus meus redditus est mihi: et Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi et glorificavi: quia potestas ejus potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem. ³² Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cœli quam in habitatoribus terræ: et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei: Quare fecisti? ³³ In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, et ad honorem regni mei, decoremque perveni: et figura mea reversa est ad me, et optimates mei et magistratus mei requisierunt me, et in regno meo restitutus sum: et magnificentia amplior addita est mihi. ³⁴ Nunc igitur, ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico regem cœli: quia omnia opera ejus vera, et viæ ejus judicia, et gradientes in superbia potest humiliare.

5 Baltassar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille: et unusquisque secundum suam bibebat ætatem. ² Præcepit ergo jam temulentus ut afferrentur vasa aurea et argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Ierusalem, ut biberent in eis rex, et optimates ejus, uxoresque ejus, et concubinæ. ³ Tunc allata sunt vasa aurea, et argentea, quæ asportaverat de templo, quod fuerat in Ierusalem: et biberunt in eis rex, et optimates ejus, uxores et concubinæ illius. ⁴ Bibebant vinum, et laudabant deos suos aureos et argenteos, æreos, ferreos, ligneosque et lapideos. ⁵ In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: et rex aspiciebat articulos manus scribentis. ⁶ Tunc facies regis commutata est, et cogitationes ejus conturbabant eum: et compages renum ejus solvebantur, et genua ejus ad se invicem collidebantur. ⁷ Exclamavit itaque rex fortiter ut introducerent magos, Chaldæos, et aruspices. Et proloquens rex ait sapientibus Babylonis: Quicumque legerit scripturam hanc, et interpretationem ejus manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, et torquem auream habebit in collo, et tertius in regno meo erit. ⁸ Tunc ingressi omnes sapientes regis non potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem indicare regi. ⁹ Unde rex Baltassar satis conturbatus est, et vultus illius immutatus est; sed et optimates ejus turbabantur. ¹⁰ Regina autem pro re, quæ acciderat regi et optimatibus ejus, domum convivii ingressa est: et proloquens ait: Rex, in æternum vive ! non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur. ¹¹ Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum sanctorum habet in se, et in diebus patris tui scientia et sapientia inventæ sunt in eo: nam et rex Nabuchodonosor pater tuus principem magorum, incantatorum, Chaldæorum, et aruspicum constituit eum, pater, inquam, tuus, o rex: ¹² quia spiritus amplior, et prudentia, intelligentiaque et interpretatio somniorum, et ostensio secretorum, ac solutio ligatorum inventæ sunt in eo, hoc est in Daniele: cui rex posuit nomen Baltassar. Nunc itaque Daniel vocetur, et interpretationem narrabit. ¹³ Igitur introductus est Daniel coram rege: ad quem præfatus rex ait: Tu es Daniel de filiis captivitatis Judæ, quem adduxit pater meus rex de Judæa? ¹⁴ audivi de te, quoniam spiritum deorum habeas, et scientia, intelligentiaque ac sapientia ampliores inventæ sunt in te. ¹⁵ Et nunc introgressi sunt in

conspectu meo sapientes magi, ut scripturam hanc legerent, et interpretationem ejus indicarent mihi: et nequiverunt sensum hujus sermonis edicere. ¹⁶ Porro ego audivi de te, quod possis obscura interpretari, et ligata dissolvere: si ergo vales scripturam legere, et interpretationem ejus indicare mihi, purpura vestieris, et torquem auream circa collum tuum habebis, et tertius in regno meo princeps eris. ¹⁷ Ad quæ respondens Daniel, ait coram rege: Munera tua sint tibi, et dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, rex, et interpretationem ejus ostendam tibi. ¹⁸ O rex, Deus altissimus regnum et magnificentiam, gloriam et honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo. ¹⁹ Et propter magnificentiam, quam dederat ei, universi populi, tribus, et linguæ tremebant, et metuebant eum: quos volebat, interficiebat: et quos volebat, percutiebat: et quos volebat, exaltabat: et quos volebat, humiliabat. ²⁰ Quando autem elevatum est cor ejus, et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, et gloria ejus ablata est: ²¹ et a filiis hominum ejectus est, sed et cor ejus cum bestiis positum est, et cum onagris erat habitatio ejus: fœnum quoque ut bos comedebat, et rore cæli corpus ejus infectum est, donec cognosceret quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum, et quemcumque voluerit, suscitabit super illud. ²² Tu quoque, filius ejus Baltassar, non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia: ²³ sed adversum Dominatorem cæli elevatus es: et vasa domus ejus allata sunt coram te, et tu, et optimates tui, et uxores tuæ, et concubinæ tuæ vinum bibistis in eis: deos quoque argenteos, et aureos, et æreos, ferreos, ligneosque et lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti: porro Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, et omnes vias tuas, non glorificasti. ²⁴ Idcirco ab eo missus est articulus manus, quæ scripsit hoc quod exaratum est. ²⁵ Hæc est autem scriptura, quæ digesta est: Mane, Thecel, Phares. ²⁶ Et hæc est interpretatio sermonis. Mane: numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud. ²⁷ Thecel: appensus es in statera, et inventus es minus habens. ²⁸ Phares: divisum est regnum tuum, et datum est Medis, et Persis. ²⁹ Tunc, jubente rege, indutus est Daniel purpura, et circumdata est torques aurea collo ejus: et prædicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno suo. ³⁰ Eadem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus. ³¹ Et Darius Medus successit in regnum, annos natus sexaginta duos.

6 Placuit Dario, et constituit super regnum satrapas centum viginti ut essent in toto regno suo. ² Et super eos principes tres, ex quibus Daniel unus erat: ut satrapæ illis redderent rationem, et rex non sustineret molestiam. ³ Igitur Daniel superabat omnes principes et satrapas, quia spiritus Dei amplior erat in illo. ⁴ Porro rex cogitabat constituere eum super omne regnum: unde principes, et satrapæ quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regis: nullamque causam, et suspicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis esset, et omnis culpa, et suspicio non inveniretur in eo. ⁵ Dixerunt ergo viri illi: Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui. ⁶ Tunc principes et satrapæ surripuerunt regi, et sic locuti sunt ei: Dari rex, in æternum vive! ⁷ consilium inierunt omnes principes regni tui, magistratus, et satrapæ, senatores, et judices, ut decretum imperatorium exeat, et edictum: ut omnis, qui petierit aliquam petitionem a quocumque deo et homine usque ad triginta dies, nisi a te, rex, mittatur in lacum leonum. ⁸ Nunc itaque rex, confirma sententiam, et scribe decretum: ut non immutetur quod statutum est a Medis et Persis, nec prævaricari cuiquam liceat. ⁹ Porro rex Darius proposuit edictum, et statuit. ¹⁰ Quod cum Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum

suam: et fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo sicut et ante facere consueverat. ¹¹ Viri ergo illi curiosius inquirentes invenerunt Danielem orantem, et obsecrantem Deum suum. ¹² Et accedentes locuti sunt regi super edicto: Rex, numquid non constituisti ut omnis homo qui rogaret quemquam de diis et hominibus usque ad dies triginta, nisi te, rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex, ait: Verus est sermo iuxta decretum Medorum atque Persarum, quod prævaricari non licet. ¹³ Tunc respondentes dixerunt coram rege: Daniel de filiis captivitatis Juda, non curavit de lege tua, et de edicto quod constituisti: sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua. ¹⁴ Quod verbum cum audisset rex, satis contristatus est: et pro Daniele posuit cor ut liberaret eum, et usque ad occasum solis laborabat ut erueret illum. ¹⁵ Viri autem illi, intelligentes regem, dixerunt ei: Scito, rex, quia lex Medorum atque Persarum est ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari. ¹⁶ Tunc rex præcepit, et adduxerunt Danielem, et miserunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Danieli: Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te. ¹⁷ Allatusque est lapis unus, et positus est super os laci: quem obsignavit rex annulo suo, et annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem. ¹⁸ Et abiit rex in domum suam, et dormivit incœnatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper et somnus recessit ab eo. ¹⁹ Tunc rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit: ²⁰ appropinquansque lacui, Danielem voce lacrimabili inclamavit, et affatus est eum: Daniel serve Dei viventis, Deus tuus, cui tu servis semper, putasne valuit te liberare a leonibus? ²¹ Et Daniel regi respondens ait: Rex, in æternum vive! ²² Deus meus misit angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi: quia coram eo justitia inventa est in me: sed et coram te, rex, delictum non feci. ²³ Tunc vehementer rex gavisus est super eo, et Danielem præcepit educi de lacu: eductusque est Daniel de lacu, et nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo. ²⁴ Jubente autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusaverant Danielem: et in lacum leonum missi sunt, ipsi, et filii, et uxores eorum: et non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerunt. ²⁵ Tunc Darius rex scripsit universis populis, tribubus, et linguis habitantibus in universa terra: Pax vobis multiplicetur. ²⁶ A me constitutum est decretum, ut in universo imperio et regno meo, tremiscant et paveant Deum Danielis: ipse enim Deus vivens, et æternus in sæcula, et regnum ejus non dissipabitur, et potestas ejus usque in æternum. ²⁷ Ipse liberator atque salvator, faciens signa et mirabilia in cælo et in terra: qui liberavit Danielem de lacu leonum. ²⁸ Porro Daniel perseveravit usque ad regnum Darii, regnumque Cyri Persæ.

7 Anno primo Baltassar regis Babylonis, Daniel somnium vidit: visio autem capitis ejus in cubili suo: et somnium scribens, brevi sermone comprehendit: summamque perstringens, ait: ² Videbam in visione mea nocte: et ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. ³ Et quatuor bestię grandes ascendebant de mari diversæ inter se. ⁴ Prima quasi læna, et alas habebat aquilæ: aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, et sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit; et cor hominis datum est ei. ⁵ Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit: et tres ordines erant in ore ejus, et in dentibus ejus, et sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas. ⁶ Post hæc aspiciebam, et ecce alia quasi pardus, et alas habebat quasi avis, quatuor super se: et quatuor capita erant in bestia, et potestas data est ei. ⁷ Post hæc as-

piciebam in visione noctis, et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis, et fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat ceteris bestiis quas videram ante eam, et habebat cornua decem. ⁸ Considerabam cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum: et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus: et ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia. ⁹ Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit. Vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda: thronus ejus flammæ ignis: rotæ ejus ignis accensus. ¹⁰ Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei: judicium sedit, et libri aperti sunt. ¹¹ Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: et vidi quoniam interfecta esset bestia, et perisset corpus ejus, et traditum esset ad comburendum igni: ¹² aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, et tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus et tempus. ¹³ Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit: et in conspectu ejus obtulerunt eum. ¹⁴ Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur: et regnum ejus, quod non corrumpetur. ¹⁵ Horrui spiritus meus: ego Daniel territus sum in his, et visiones capitis mei conturbaverunt me. ¹⁶ Accessi ad unum de assistentibus, et veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, et docuit me: ¹⁷ Hæ quatuor bestię magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. ¹⁸ Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum usque in sæculum, et sæculum sæculorum. ¹⁹ Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valde ab omnibus, et terribilis nimis: dentes et ungues ejus ferrei: comedebat, et comminuebat, et reliqua pedibus suis conculcabat: ²⁰ et de cornibus decem, quæ habebat in capite, et de alio, quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua: et de cornu illo, quod habebat oculos, et os loquens grandia, et majus erat ceteris. ²¹ Aspiciebam, et ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, et prævalebat eis, ²² donec venit antiquus dierum, et judicium dedit sanctis Excelsi, et tempus advenit, et regnum obtinuerunt sancti. ²³ Et sic ait: Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, et devorabit universam terram, et conculcabit, et comminuet eam. ²⁴ Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt: et alius consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit. ²⁵ Et sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret: et putabit quod possit mutare tempora, et leges: et tradentur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis. ²⁶ Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem. ²⁷ Regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi: cujus regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei, et obedient. ²⁸ Hucusque finis verbi. Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar, et facies mea mutata est in me: verbum autem in corde meo conservavi.

8 Anno tertio regni Baltassar regis, visio apparuit mihi. Ego Daniel, post id quod videram in principio, ² vidi in visione mea, cum essem in Susis castro, quod est in Ælam regione: vidi autem in visione esse me super portam Ulai. ³ Et levavi oculus meos, et vidi: et ecce aries unus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, et

unum excelsius altero atque succrescens. Postea ⁴vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem, et contra aquilonem, et contra meridiem, et omnes bestiae non poterant resistere ei, neque liberari de manu ejus: fecitque secundum voluntatem suam, et magnificatus est. ⁵Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terrae, et non tangebatur terram: porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos. ⁶Et venit usque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, et cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suae. ⁷Cumque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, et percussit arietem: et comminuit duo cornua ejus, et non poterat aries resistere ei: cumque eum misisset in terram, conculcavit, et nemo quibat liberare arietem de manu ejus. ⁸Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cumque crevisset, fractum est cornu magnum, et orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos caeli. ⁹De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum: et factum est grande contra meridiem, et contra orientem, et contra fortitudinem. ¹⁰Et magnificatum est usque ad fortitudinem caeli: et dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas. ¹¹Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est: et ab eo tulit juge sacrificium, et dejecit locum sanctificationis ejus. ¹²Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccata: et prosternetur veritas in terra, et faciet, et prosperabitur. ¹³Et audivi unum de sanctis loquentem: et dixit unus sanctus alteri nescio cui loquenti: Usquequo visio, et juge sacrificium, et peccatum desolationis quae facta est: et sanctuarium, et fortitudo conculcabitur? ¹⁴Et dixit ei: Usque ad vesperam et mane, dies duo millia trecenti: et mundabitur sanctuarium. ¹⁵Factum est autem cum viderem ego Daniel visionem, et quaererem intelligentiam: ecce stetit in conspectu meo quasi species viri. ¹⁶Et audivi vocem viri inter Ulai: et clamavit, et ait: Gabriel, fac intelligere istam visionem. ¹⁷Et venit, et stetit juxta ubi ego stabam: cumque venisset, pavens corruí in faciem meam: et ait ad me: Intellige, fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio. ¹⁸Cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram: et tetigit me, et statuit me in gradu meo, ¹⁹dixitque mihi: Ego ostendam tibi quae futura sunt in novissimo maledictionis: quoniam habet tempus finem suum. ²⁰Aries, quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum. ²¹Porro hircus caprarum, rex Graecorum est; et cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus. ²²Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente ejus consurgent, sed non in fortitudine ejus. ²³Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie, et intelligens propositiones; ²⁴et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis: et supra quam credi potest, universa vastabit, et prosperabitur, et faciet. Et interficiet robustos, et populum sanctorum ²⁵secundum voluntatem suam, et dirigetur dolus in manu ejus: et cor suum magnificabit, et in copia rerum omnium occidet plurimos: et contra principem principum consurget, et sine manu conteretur. ²⁶Et visio vespere et mane, quae dicta est, vera est: tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit. ²⁷Et ego Daniel languí, et aegrotavi per dies: cumque surrexissem, faciebam opera regis, et stupebam ad visionem, et non erat qui interpretaretur.

9 In anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum, ²anno uno regni ejus, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni. ³Et posui faciem meam ad Dominum

Deum meum rogare et deprecari in jejuniis, sacco, et cinere. ⁴Et oravi Dominum Deum meum, et confessus sum, et dixi: Obsecro, Domine Deus magne et terribilis, custodiens pactum, et misericordiam diligentibus te, et custodientibus mandata tua: ⁵peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, et recessimus: et declinavimus a mandatis tuis ac judiciis. ⁶Non obedivimus servis tuis prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris, omnique populo terræ. ⁷Tibi, Domine, justitia: nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Juda, et habitatoribus Jerusalem, et omni Israël, his qui prope sunt, et his qui procul in universis terris, ad quas ejecisti eos propter iniquitates eorum, in quibus peccaverunt in te. ⁸Domine, nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, et patribus nostris, qui peccaverunt. ⁹Tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio, quia recessimus a te, ¹⁰et non audivimus vocem Domini Dei nostri ut ambularemus in lege ejus, quam posuit nobis per servos suos prophetas. ¹¹Et omnis Israël prævaricati sunt legem tuam, et declinaverunt ne audirent vocem tuam: et stillavit super nos maledictio et detestatio quæ scripta est in libro Moysi servi Dei, quia peccavimus ei. ¹²Et statuit sermones suos, quos locutus est super nos et super principes nostros, qui judicaverunt nos, ut superinduceret in nos magnum malum, quale numquam fuit sub omni cælo, secundum quod factum est in Jerusalem. ¹³Sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum hoc venit super nos: et non rogavimus faciem tuam, Domine Deus noster, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris, et cogitaremus veritatem tuam. ¹⁴Et vigilavit Dominus super malitiam, et adduxit eam super nos. Justus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis, quæ fecit: non enim audivimus vocem ejus. ¹⁵Et nunc Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu forti, et fecisti tibi nomen secundum diem hanc: peccavimus, iniquitatem fecimus. ¹⁶Domine, in omnem justitiam tuam avertatur, obsecro, ira tua et furor tuus a civitate tua Jerusalem, et monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, et iniquitates patrum nostrorum, Jerusalem et populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. ¹⁷Nunc ergo exaudi, Deus noster, orationem servi tui, et preces ejus: et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est propter temetipsum. ¹⁸Inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi: aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram, et civitatem super quam invocatum est nomen tuum: neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. ¹⁹Exaudi, Domine; placare Domine: attende et fac: ne moreris propter temetipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem et super populum tuum. ²⁰Cumque adhuc loquerer, et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israël, et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei: ²¹adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. ²²Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres. ²³Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadvertes sermonem, et intellige visionem. ²⁴Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. ²⁵Scito ergo, et animadvertes: ab exitu sermonis, ut iterum æd-

ificetur Jerusalem, usque ad christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt: et rursus ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. ²⁶ Et post hebdomades sexaginta duas occidetur christus: et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. ²⁷ Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

10 Anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Danieli cognomento Baltassar, et verbum verum, et fortitudo magna: intellexitque sermonem: intelligit enim est opus in visione. ² In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: ³ panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies. ⁴ Die autem vigesima et quarta mensis primi, eram juxta fluvium magnum, qui est Tigris. ⁵ Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce vir unus vestitus lineis, et renes ejus accincti auro obrizo: ⁶ et corpus ejus quasi chrysolithus, et facies ejus velut species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens: et brachia ejus, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis: et vox sermonum ejus ut vox multitudinis. ⁷ Vidi autem ego Daniel solus visionem: porro viri qui erant mecum non viderunt, sed terror nimius irruit super eos, et fugerunt in absconditum. ⁸ Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc: et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, nec habui quidquam virium. ⁹ Et audivi vocem sermonum ejus: et audiens jacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus hærebat terræ. ¹⁰ Et ecce manus tetigit me, et erexit me super genua mea, et super articulos manuum mearum. ¹¹ Et dixit ad me: Daniel vir desideriorum, intellige verba quæ ego loquor ad te, et sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens. ¹² Et ait ad me: Noli metuere, Daniel: quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: et ego veni propter sermones tuos. ¹³ Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus: et ecce Michaël, unus de principibus primis, venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum. ¹⁴ Veni autem ut docerem te quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus, quoniam adhuc visio in dies. ¹⁵ Cumque loqueretur mihi hujuscemodi verbis, dejeci vultum meum ad terram, et tacui. ¹⁶ Et ecce quasi similitudo filii hominis tetigit labia mea: et aperiens os meum locutus sum, et dixi ad eum, qui stabat contra me: Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium. ¹⁷ Et quomodo poterit servus domini mei loqui cum domino meo? nihil enim in me remansit virium, sed et halitus meus intercluditur. ¹⁸ Rursus ergo tetigit me quasi visio hominis, et confortavit me, ¹⁹ et dixit: Noli timere, vir desideriorum: pax tibi: confortare, et esto robustus. Cumque loqueretur mecum, convalui, et dixi: Loquere, domine mi, quia confortasti me. ²⁰ Et ait: Numquid scis quare venerim ad te? et nunc revertar ut prælier adversum principem Persarum. Cum ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. ²¹ Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis: et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michaël princeps vester.

11 Ego autem ab anno primo Darii Medi stabam ut confortaretur et roboraretur. ²Et nunc veritatem annuntiabo tibi. Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside, et quartus ditabitur opibus nimis super omnes: et cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversum regnum Græciæ. ³Surget vero rex fortis, et dominabitur potestate multa, et faciet quod placuerit ei. ⁴Et cum steterit, conteretur regnum ejus, et dividetur in quatuor ventos cæli: sed non in posteros ejus, neque secundum potentiam illius, qua dominatus est: lacerabitur enim regnum ejus etiam in externis, exceptis his. ⁵Et confortabitur rex austri: et de principibus ejus prævalebit super eum, et dominabitur ditone: multa enim dominatio ejus. ⁶Et post finem annorum fœderabuntur: filiaque regis austri veniet ad regem aquilonis facere amicitiam, et non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen ejus: et tradetur ipsa, et qui adduxerunt eam adolescentes ejus, et qui confortabant eam in temporibus. ⁷Et stabit de germine radicem ejus plantatio: et veniet cum exercitu, et ingredietur provinciam regis aquilonis: et abutetur eis, et obtinebit. ⁸Insuper et deos eorum, et sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti et auri, captiva ducet in Ægyptum: ipse prævalebit adversus regem aquilonis. ⁹Et intrabit in regnum rex austri, et revertetur ad terram suam. ¹⁰Filii autem ejus provocabuntur, et congregabunt multitudinem exercituum plurimorum: et veniet properans, et inundans: et revertetur, et concitabitur, et congregietur cum robore ejus. ¹¹Et provocatus rex austri egredietur, et pugnabit adversus regem aquilonis, et præparabit multitudinem nimiam, et dabitur multitudo in manu ejus. ¹²Et capiet multitudinem, et exaltabitur cor ejus, et dejiciet multa millia, sed non prævalebit. ¹³Convertetur enim rex aquilonis, et præparabit multitudinem multo majorem quam prius: et in fine temporum annorumque veniet properans cum exercitu magno, et opibus nimis. ¹⁴Et in temporibus illis multi consurgent adversus regem austri: filii quoque prævaricatorum populi tui extollentur ut impleant visionem, et corruent. ¹⁵Et venit rex aquilonis, et comportabit aggerem, et capiet urbes munitissimas: et brachia austri non sustinebunt, et consurgent electi ejus ad resistendum, et non erit fortitudo. ¹⁶Et faciet veniens super eum juxta placitum suum, et non erit qui stet contra faciem ejus: et stabit in terra inclyta, et consumetur in manu ejus. ¹⁷Et ponet faciem suam ut veniat ad tenendum universum regnum ejus, et recta faciet cum eo: et filiam feminarum dabit ei, ut evertat illud: et non stabit, nec illius erit. ¹⁸Et convertet faciem suam ad insulas, et capiet multas: et cessare faciet principem opprobrii sui, et opprobrium ejus convertetur in eum. ¹⁹Et convertet faciem suam ad imperium terræ suæ, et impinget, et corruet, et non invenietur. ²⁰Et stabit in loco ejus vilissimus, et indignus decore regio: et in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio. ²¹Et stabit in loco ejus despectus, et non tribuetur ei honor regis: et veniet clam, et obtinebit regnum in fraudulentia. ²²Et brachia pugnantis expugnabuntur a facie ejus, et conterentur: insuper et dux fœderis. ²³Et post amicitias, cum eo faciet dolum: et ascendet, et superabit in modico populo. ²⁴Et abundantes, et uberes urbes ingredietur: et faciet quæ non fecerunt patres ejus, et patres patrum ejus: rapinas, et prædam, et divitias eorum dissipabit, et contra firmissimas cogitationes inibit: et hoc usque ad tempus. ²⁵Et concitabitur fortitudo ejus, et cor ejus adversus regem austri in exercitu magno: et rex austri provocabitur ad bellum multis auxiliis, et fortibus nimis: et non stabunt, quia inibunt adversus eum consilia. ²⁶Et comedentes panem cum eo, conterent illum, exercitusque ejus opprimetur: et cadent interfecti plurimi. ²⁷Duorum quoque regum cor erit ut male-

faciant, et ad mensam mendacium loquentur: et non proficient, quia adhuc finis in aliud tempus. ²⁸ Et revertetur in terram suam cum opibus multis: et cor ejus adversum testamentum sanctum, et faciet, et revertetur in terram suam. ²⁹ Statuto tempore revertetur, et veniet ad austrum: et non erit priori simile novissimum. ³⁰ Et venient super eum trieres, et Romani: et percutietur, et revertetur, et indignabitur contra testamentum sanctuarii, et faciet: reverteturque, et cogitabit adversum eos qui dereliquerunt testamentum sanctuarii. ³¹ Et brachia ex eo stabunt, et polluent sanctuarium fortitudinis, et auferent jube sacrificium: et dabunt abominationem in desolationem. ³² Et impii in testamentum simulabunt fraudulententer: populus autem sciens Deum suum, obtinebit, et faciet. ³³ Et docti in populo docebunt plurimos: et ruent in gladio, et in flamma, et in captivitate, et in rapina dierum. ³⁴ Cumque corruerint, sublevabuntur auxilio parvulo: et applicabuntur eis plurimi fraudulententer. ³⁵ Et de eruditis ruent, ut conflentur, et eligantur, et dealbentur usque ad tempus præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit. ³⁶ Et faciet juxta voluntatem suam rex, et elevabitur, et magnificabitur adversus omnem deum: et adversus Deum deorum loquetur magnifica, et dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe est definitio. ³⁷ Et Deum patrum suorum non reputabit: et erit in concupiscentiis feminarum, nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget. ³⁸ Deum autem Maozim in loco suo venerabitur: et deum, quem ignoraverunt patres ejus, colet auro, et argento, et lapide pretioso, rebusque pretiosis. ³⁹ Et faciet ut muniat Maozim cum deo alieno, quem cognovit, et multiplicabit gloriam, et dabit eis potestatem in multis, et terram dividet gratuito. ⁴⁰ Et in tempore præfinito præliabitur adversus eum rex austri, et quasi tempestas veniet contra illum rex aquilonis in curribus, et in equitibus, et in classe magna, et ingredietur terras, et conteret, et pertransiet. ⁴¹ Et introibit in terram gloriosam, et multæ corruent: hæ autem solæ salvabuntur de manu ejus, Edom, et Moab, et principium filiorum Ammon. ⁴² Et mittet manum suam in terras: et terra Ægypti non effugiet. ⁴³ Et dominabitur thesaurorum auri, et argenti, et in omnibus pretiosis Ægypti: per Libyam quoque, et Æthiopiam transibit. ⁴⁴ Et fama turbabit eum ab oriente et ab aquilone: et veniet in multitudine magna ut conterat et interficiat plurimos. ⁴⁵ Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum et sanctum: et veniet usque ad summitatem ejus, et nemo auxiliabitur ei.

12 In tempore autem illo consurget Michaël princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui: et veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. ² Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium ut videant semper. ³ Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. ⁴ Tu autem Daniel, claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, et multiplex erit scientia. ⁵ Et vidi ego Daniel, et ecce quasi duo alii stabant: unus hinc super ripam fluminis, et alius inde ex altera ripa fluminis. ⁶ Et dixi viro qui erat indutus lineis, qui stabat super aquas fluminis: Usquequo finis horum mirabilium? ⁷ Et audivi virum qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum elevasset dexteram et sinistram suam in cælum, et jurasset per viventem in æternum, quia in tempus, et tempora, et dimidium temporis. Et cum completa fuerit dispersio manus populi sancti, com-

plebuntur universa hæc. ⁸Et ego audivi, et non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc? ⁹Et ait: Vade, Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad præfinitum tempus. ¹⁰Eligentur, et dealbabuntur, et quasi ignis probabuntur multi: et impie agent impii, neque intelligent omnes impii: porro docti intelligent. ¹¹Et a tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. ¹²Beatus qui exspectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque. ¹³Tu autem vade ad præfinitum: et requiesces, et stabis in sorte tua in finem dierum.

13 Et erat vir habitans in Babylone, et nomen ejus Joakim: ²et accepit uxorem nomine Susannam, filiam Helciæ, pulchram nimis, et timentem Deum: ³parentes enim illius, cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. ⁴Erat autem Joakim dives valde, et erat ei pomarium vicinum domui suæ: et ad ipsum confluebant Judæi, eo quod esset honorabilior omnium. ⁵Et constituti sunt de populo duo senes iudices in illo anno, de quibus locutus est Dominus: Quia egressa est iniquitas de Babylone a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. ⁶Isti frequentabant domum Joakim, et veniebant ad eos omnes qui habebant iudicia. ⁷Cum autem populus revertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna, et deambulabat in pomario viri sui. ⁸Et videbant eam senes quotidie ingredientem et deambulantem, et exarserunt in concupiscentiam ejus: ⁹et everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum justorum. ¹⁰Erant ergo ambo vulnerati amore ejus, nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum: ¹¹erubescabant enim indicare sibi concupiscentiam suam, volentes concumbere cum ea. ¹²Et observabant quotidie sollicitius videre eam. Dixitque alter ad alterum: ¹³Eamus domum, quia hora prandii est. Et egressi, recesserunt a se. ¹⁴Cumque revertissent, venerunt in unum: et sciscitantes ab invicem causam, confessi sunt concupiscentiam suam: et tunc in communi statuerunt tempus quando eam possent invenire solam. ¹⁵Factum est autem, cum observarent diem aptum, ingressa est aliquando sicut heri et nudiustertius, cum duabus solis puellis, voluitque lavari in pomario: æstus quippe erat: ¹⁶et non erat ibi quisquam, præter duos senes absconditos, et contemplantes eam. ¹⁷Dixit ergo puellis: Afferte mihi oleum, et smigmata, et ostia pomarii claudite, ut laver. ¹⁸Et fecerunt sicut præceperat: clauseruntque ostia pomarii, et egressæ sunt per posticum ut afferrent quæ jusserat; nesciebantque senes intus esse absconditos. ¹⁹Cum autem egressæ essent puellæ, surrexerunt duo senes, et accurrerunt ad eam, et dixerunt: ²⁰Ecce ostia pomarii clausa sunt, et nemo nos videt, et nos in concupiscentia tui sumus: quam ob rem assentire nobis, et commiscere nobiscum. ²¹Quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum juvenis, et ob hanc causam emiseris puellas a te. ²²Ingemuit Susanna, et ait: Angustia sunt mihi undique: si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. ²³Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. ²⁴Et exclamavit voce magna Susanna: exclamaverunt autem et senes adversus eam. ²⁵Et cucurrit unus ad ostia pomarii, et aperuit. ²⁶Cum ergo audissent clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per posticum ut viderent quidnam esset. ²⁷Postquam autem senes locuti sunt, erubuerunt servi vehementer, quia numquam dictus fuerat sermo hujusmodi de Susanna. Et facta est dies crastina. ²⁸Cumque venisset populus ad Joakim virum ejus, venerunt et duo presbyteri, pleni iniqua cogitatione adversus Susannam ut in-

terficerent eam. ²⁹ Et dixerunt coram populo: Mittite ad Susannam filiam Helciæ uxorem Joakim. Et statim miserunt. ³⁰ Et venit cum parentibus, et filiis, et universis cognatis suis. ³¹ Porro Susanna erat delicata nimis, et pulchra specie. ³² At iniqui illi jusserunt ut discooperiretur (erat enim cooperta), ut vel sic satiarentur decore ejus. ³³ Flebant igitur sui, et omnes qui noverant eam. ³⁴ Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput ejus. ³⁵ Quæ flens suspexit ad cælum: erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino. ³⁶ Et dixerunt presbyteri: Cum deambularemus in pomario soli, ingressa est hæc cum duabus puellis: et clausit ostia pomarii, et dimisit a se puellas. ³⁷ Venitque ad eam adolescens, qui erat absconditus, et concubuit cum ea. ³⁸ Porro nos cum essemus in angulo pomarii, videntes iniquitatem, cucurrimus ad eos, et vidimus eos pariter commisceri. ³⁹ Et illum quidem non quivimus comprehendere, quia fortior nobis erat, et apertis ostiis exilivit: ⁴⁰ hanc autem cum apprehendissemus, interrogavimus, quisnam esset adolescens, et noluit indicare nobis: hujus rei testes sumus. ⁴¹ Credidit eis multitudo quasi senibus et iudicibus populi, et condemnaverunt eam ad mortem. ⁴² Exclamavit autem voce magna Susanna, et dixit: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, ⁴³ tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: et ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt adversum me. ⁴⁴ Exaudivit autem Dominus vocem ejus. ⁴⁵ Cumque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel: ⁴⁶ et exclamavit voce magna: Mundus ego sum a sanguine hujus. ⁴⁷ Et conversus omnis populus ad eum, dixit: Quis est iste sermo, quem tu locutus es? ⁴⁸ Qui cum staret in medio eorum, ait: Sic fatui filii Israël, non judicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israël? ⁴⁹ revertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam. ⁵⁰ Reversus est ergo populus cum festinatione, et dixerunt ei senes: Veni, et sede in medio nostrum, et indica nobis: quia tibi Deus dedit honorem senectutis. ⁵¹ Et dixit ad eos Daniel: Separate illos ab invicem procul, et dijudicabo eos. ⁵² Cum ergo divisi essent alter ab altero, vocavit unum de eis, et dixit ad eum: Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operaberis prius: ⁵³ iudicans iudicia injusta, innocentes opprimens, et dimittens noxios, dicente Domino: Innocentem et justum non interficies. ⁵⁴ Nunc ergo, si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. Qui ait: Sub schino. ⁵⁵ Dixit autem Daniel: Recte mentitus es in caput tuum: ecce enim angelus Dei, accepta sententia ab eo, scindet te medium. ⁵⁶ Et, amoto eo, jussit venire alium, et dixit ei: Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum: ⁵⁷ sic faciebatis filiabus Israël, et illæ timentes loquebantur vobis: sed filia Juda non sustinuit iniquitatem vestram. ⁵⁸ Nunc ergo, dic mihi sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait: Sub prino. ⁵⁹ Dixit autem ei Daniel: Recte mentitus es et tu in caput tuum: manet enim angelus Domini, gladium habens, ut secet te medium, et interficiat vos. ⁶⁰ Exclamavit itaque omnis cœtus voce magna, et benedixerunt Deum, qui salvat sperantes in se. ⁶¹ Et consurrexerunt adversus duos presbyteros (convicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium), feceruntque eis sicut male egerant adversus proximum, ⁶² ut facerent secundum legem Moysi. Et interfecerunt eos, et salvatus est sanguis innoxius in die illa. ⁶³ Helcias autem et uxor ejus laudaverunt Deum pro filia sua Susanna cum Joakim marito ejus, et cognatis omnibus, quia non esset inventa in ea res turpis. ⁶⁴ Daniel autem factus est magnus in con-

spectu populi a die illa, et deinceps. ⁶⁵ Et rex Astyages appositus est ad patres suos, et suscepit Cyrus Perses regnum ejus.

14 Erat autem Daniel conviva regis, et honoratus super omnes amicos ejus. ² Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel: et impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim, et oves quadraginta, viniq̄ue amphoræ sex. ³ Rex quoque colebat eum, et ibat per singulos dies adorare eum: porro Daniel adorabat Deum suum. Dixitque ei rex: Quare non adoras Bel? ⁴ Qui respondens ait ei: Quia non colo idola manufacta, sed viventem Deum, qui creavit cælum, et terram, et habet potestatem omnis carnis. ⁵ Et dixit rex ad eum: Non videtur tibi esse Bel vivens deus? an non vides quanta comedat et bibit quotidie? ⁶ Et ait Daniel arridens: Ne erres, rex: iste enim intrinsecus luteus est, et forinsecus æreus, neque comedit aliquando. ⁷ Et iratus rex vocavit sacerdotes ejus, et ait eis: Nisi dixeritis mihi quis est qui comedat impensas has, moriemini. ⁸ Si autem ostenderitis quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blasphemavit in Bel. Et dixit Daniel regi: Fiat juxta verbum tuum. ⁹ Erant autem sacerdotes Bel septuaginta, exceptis uxoribus, et parvulis, et filiis. Et venit rex cum Daniele in templum Bel. ¹⁰ Et dixerunt sacerdotes Bel: Ecce nos egredimur foras: et tu, rex, pone escas, et vinum misce, et claude ostium, et signa annulo tuo: ¹¹ et cum ingressus fueris mane, nisi inveneris omnia comesta a Bel, morte moriemur, vel Daniel qui mentitus est adversum nos. ¹² Contemnebant autem, quia fecerant sub mensa absconditum introitum, et per illum ingrediebantur semper, et devorabant ea. ¹³ Factum est igitur postquam egressi sunt illi, rex posuit cibos ante Bel: præcepit Daniel pueris suis, et attulerunt cinerem, et cribravit per totum templum coram rege: et egressi clauserunt ostium, et signantes annulo regis abierunt. ¹⁴ Sacerdotes autem ingressi sunt nocte juxta consuetudinem suam, et uxores et filii eorum, et comederunt omnia, et biberunt. ¹⁵ Surrexit autem rex primo diluculo, et Daniel cum eo. ¹⁶ Et ait rex: Salvane sunt signacula, Daniel? Qui respondit: Salva, rex. ¹⁷ Statimque cum aperuisset ostium, intuitus rex mensam, exclamavit voce magna: Magnus es, Bel, et non est apud te dolus quisquam. ¹⁸ Et risit Daniel, et tenuit regem ne ingrederetur intro: et dixit: Ecce pavimentum: animadvertite cujus vestigia sint hæc. ¹⁹ Et dixit rex: Video vestigia virorum, et mulierum, et infantium. Et iratus est rex. ²⁰ Tunc apprehendit sacerdotes, et uxores, et filios eorum: et ostenderunt ei abscondita ostiola, per quæ ingrediebantur, et consumebant quæ erant super mensam. ²¹ Occidit ergo illos rex, et tradidit Bel in potestatem Danielis: qui subvertit eum, et templum ejus. ²² Et erat draco magnus in loco illo, et colebant eum Babylonii. ²³ Et dixit rex Danieli: Ecce nunc non potes dicere quia iste non sit deus vivens: adora ergo eum. ²⁴ Dixitque Daniel: Dominum Deum meum adoro, quia ipse est Deus vivens: iste autem non est deus vivens. ²⁵ Tu autem, rex, da mihi potestatem, et interficiam draconem absque gladio et fuste. Et ait rex: Do tibi. ²⁶ Tulit ergo Daniel picem, et adipem, et pilos, et coxit pariter: fecitque massas, et dedit in os draconis, et disruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebatis. ²⁷ Quod cum audissent Babylonii, indignati sunt vehementer: et congregati adversum regem, dixerunt: Judæus factus est rex: Bel destruxit, draconem interfecit, et sacerdotes occidit. ²⁸ Et dixerunt cum venissent ad regem: Trade nobis Danielelem, alioquin interficiemus te, et domum tuam. ²⁹ Vidit ergo rex quod irruerent in eum vehementer: et necessitate compulsus, tradidit eis Danielelem. ³⁰ Qui miserunt eum in lacum leonum, et erat ibi diebus sex. ³¹ Porro in lacu erant leones septem, et dabantur eis duo corpora

quotidie, et duæ oves: et tunc non data sunt eis, ut devorarent Danielelem. ³² Erat autem Habacuc propheta in Judæa, et ipse coxerat pulmentum, et intriverat panes in alveolo: et ibat in campum ut ferret messoribus. ³³ Dixitque angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium quod habes in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. ³⁴ Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, et lacum nescio. ³⁵ Et apprehendit eum angelus Domini in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. ³⁶ Et clamavit Habacuc, dicens: Daniel serve Dei, tolle prandium quod misit tibi Deus. ³⁷ Et ait Daniel: Recordatus es mei, Deus, et non dereliquisti diligentes te. ³⁸ Surgensque Daniel comedit. Porro angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo. ³⁹ Venit ergo rex die septimo ut lugeret Danielelem: et venit ad lacum, et introscepit, et ecce Daniel sedens in medio leonum. ⁴⁰ Et exclamavit voce magna rex, dicens: Magnus es, Domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu leonum. ⁴¹ Porro illos, qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum, et devorati sunt in momento coram eo. ⁴² Tunc rex ait: Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Danielis: quia ipse est salvator, faciens signa et mirabilia in terra: qui liberavit Danielelem de lacu leonum.

INCIPIT OSEE PROPHETA

1 Verbum Domini, quod factum est ad Osee, filium Beerī, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiaë, regum Juda; et in diebus Jeroboam, filii Joas, regis Israël. ²Principium loquendi Domino in Osee. Et dixit Dominus ad Osee: Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra a Domino. ³Et abiit, et accepit Gomer, filiam Debelaim: et concepit, et peperit ei filium. ⁴Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen ejus Jezrahel, quoniam adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu, et quiescere faciam regnum domus Israël. ⁵Et in illa die conteram arcum Israël in valle Jezrahel. ⁶Et concepit adhuc, et peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen ejus, Absque misericordia, quia non addam ultra misereri domui Israël, sed oblivione obliviscar eorum. ⁷Et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo; et non salvabo eos in arcu et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus. ⁸Et ablactavit eam quæ erat Absque misericordia. Et concepit, et peperit filium. ⁹Et dixit: Voca nomen ejus, Non populus meus, quia vos non populus meus, et ego non ero vester. ¹⁰Et erit numerus filiorum Israël quasi arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur. Et erit in loco ubi dicetur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filii Dei viventis. ¹¹Et congregabuntur filii Juda et filii Israël pariter; et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra, quia magnus dies Jezrahel.

2 Dicite fratribus vestris: Populus meus; et sorori vestræ: Misericordiam consecuta. ²[Judicate matrem vestram, judicate, quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus. Auferat fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum; ³ne forte expoliam eam nudam, et statuam eam secundum diem nativitatis suæ, et ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam eam siti. ⁴Et filiorum illius non miserebor, quoniam filii fornicationum sunt. ⁵Quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos; quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, oleum meum, et potum meum. ⁶Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet. ⁷Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos; et quæret eos, et non inveniet: et dicet: Vadam, et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. ⁸Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal. ⁹Idcirco convertar, et sumam frumentum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo. Et liberabo lanam meam et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus. ¹⁰Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus; et vir non eruet eam de manu mea; ¹¹et cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, et omnia festa tempora ejus. ¹²Et corrumpam vineam ejus, et ficum ejus, de quibus dixit: Mercedes hæc meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei; et ponam eam in saltum, et comedet eam bestia agri. ¹³Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, et ornabatur in aure sua, et monili suo. Et ibat post amatores suos, et mei obliviscebatur, dicit Dominus. ¹⁴Propter hoc ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. ¹⁵Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, et vallem Achor, ad aperendam spem; et canet ibi juxta dies juventutis suæ, et juxta

dies ascensionis suæ de terra Ægypti. ¹⁶ Et erit in die illa, ait Dominus: vocabit me, Vir meus, et non vocabit me ultra Baali. ¹⁷ Et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum. ¹⁸ Et percutiam cum eis foedus in die illa, cum bestia agri, et cum volucre cæli, et cum reptili terræ; et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra, et dormire eos faciam fiducialiter. ¹⁹ Et sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in justitia, et iudicio, et in misericordia, et in miserationibus. ²⁰ Et sponsabo te mihi in fide; et scies quia ego Dominus. ²¹ Et erit in die illa: exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, et illi exaudient terram. ²² Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum, et hæc exaudient Jezrahel. ²³ Et seminabo eam mihi in terra, et miserebor ejus quæ fuit Absque misericordia. ²⁴ Et dicam Non populo meo: Populus meus es tu; et ipse dicit: Deus meus es tu.]

3 Et dixit Dominus ad me: Adhuc vade, et dilige mulierem dilectam amico et adulteram, sicut diligit Dominus filios Israël, et ipsi respiciunt ad deos alienos, et diligunt vinacia uvarum. ² Et fodi eam mihi quindecim argenteis, et coro hordei, et dimidio coro hordæi. ³ Et dixi ad eam: Dies multos exspectabis me; non fornicaberis, et non eris viro; sed et ego exspectabo te. ⁴ Quia dies multos sedebunt filii Israël sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim. ⁵ Et post hæc revertentur filii Israël, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum: et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus, in novissimo dierum.

4 [Audite verbum Domini, filii Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. ² Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inunda-verunt, et sanguis sanguinem tetigit. ³ Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, et in volucre cæli; sed et pisces maris congregabuntur. ⁴ Verumtamen unusquisque non iudicet, et non arguatur vir: populus enim tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti. ⁵ Et corrues hodie, et corruet etiam propheta tecum. Nocte tacere feci matrem tuam. ⁶ Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi; et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego. ⁷ Secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi: gloriam eorum in ignominiam commutabo. ⁸ Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. ⁹ Et erit sicut populus, sic sacerdos; et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei. ¹⁰ Et comedent, et non saturabuntur; fornicati sunt, et non cessaverunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo. ¹¹ Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor. ¹² Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus ejus annuntiavit ei; spiritus enim fornicationum decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo. ¹³ Super capita montium sacrificabant, et super colles ascendebant thymiana; subtus quercum, et populum, et terebinthum, quia bona erat umbra ejus; ideo fornicabuntur filiæ vestræ, et sponsæ vestræ adulteræ erunt. ¹⁴ Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras cum adulteraverint, quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, et cum effeminatis sacrificabant; et populus non intelligens vapulabit. ¹⁵ Si fornicaris tu, Israël, non delinquat saltem Juda; et nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bethaven, neque juraveritis: Vivit Dominus ! ¹⁶ Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israël; nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine. ¹⁷ Particeps idolorum Ephraim: dimitte eum.

¹⁸Separatum est convivium eorum; fornicatione fornicati sunt: dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus. ¹⁹Ligavit eum spiritus in alis suis, et confundentur a sacrificiis suis.]

5 [Audite hoc, sacerdotes, et attendite, domus Israël, et domus regis, auscultate: quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor. ²Et victimas declinastis in profundum; et ego eruditor omnium eorum. ³Ego scio Ephraim, et Israël non est absconditus a me: quia nunc fornicatus est Ephraim; contaminatus est Israël. ⁴Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt. ⁵Et respondebit arrogantia Israël in facie ejus, et Israël et Ephraim ruent in iniquitate sua: ruet etiam Judas cum eis. ⁶In gregibus suis et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient: ablati sunt ab eis. ⁷In Dominum prævaricati sunt, quia filios alienos genuerunt: nunc devorabit eos mensis, cum partibus suis. ⁸Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama; ululate in Bethaven, post tergum tuum, Benjamin. ⁹Ephraim in desolatione erit in die correptionis; in tribus Israël ostendi fidem. ¹⁰Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum; super eos effundam quasi aquam iram meam. ¹¹Calumniam patiens est Ephraim, fractus iudicio, quoniam cœpit abire post sordes. ¹²Et ego quasi tineam Ephraim, et quasi putredo domui Juda. ¹³Et vidit Ephraim languorem suum, et Juda vinculum suum; et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem: et ipse non poterit sanare vos, nec solvere poterit a vobis vinculum. ¹⁴Quoniam ego quasi læna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda. Ego, ego capiam, et vadam; tollam, et non est qui eruat. ¹⁵Vadens revertar ad locum meum, donec deficiatis, et quæretis faciem meam.]

6 [In tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite, et revertamur ad Dominum, ²quia ipse cepit, et sanabit nos; percutiet, et curabit nos. ³Vivificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum: quasi diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ. ⁴Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda? misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens. ⁵Propter hoc dolavi in prophetis; occidi eos in verbis oris mei: et iudicia tua quasi lux egredientur. ⁶Quia misericordiam volui, et non sacrificium; et scientiam Dei plus quam holocausta. ⁷Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum: ibi prævaricati sunt in me. ⁸Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine. ⁹Et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem: quia scelus operati sunt. ¹⁰In domo Israël vidi horrendum: ibi fornicationes Ephraim, contaminatus est Israël. ¹¹Sed et Juda, pone messem tibi, cum convertero captivitatem populi mei.]

7 [Cum sanare vellem Israël, revelata est iniquitas Ephraim, et malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium; et fur ingressus est spolians, latrunculus foris. ²Et ne forte dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum, nunc circumdederunt eos adinventiones suæ: coram facie mea factæ sunt. ³In malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis suis principes. ⁴Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente; quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum. ⁵Dies regis nostri: cœperunt principes furere a vino; extendit manum suam cum illusoribus. ⁶Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis; tota nocte dormivit coquens eos: mane ipse succensus quasi

ignis flammæ. ⁷ Omnes calefacti sunt quasi clibanus, et devoraverunt iudices suos: omnes reges eorum ceciderunt; non est qui clamat in eis ad me. ⁸ Ephraim in populis ipse commiscebatur; Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur. ⁹ Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit; sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. ¹⁰ Et humiliabitur superbia Israël in facie ejus; nec reversi sunt ad Dominum Deum suum, et non quæsierunt eum in omnibus his. ¹¹ Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor. Ægyptum invocabant; ad Assyrios abierunt. ¹² Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum: quasi volucrum cæli detraham eos; cædam eos secundum auditionem cœtus eorum. ¹³ Væ eis, quoniam recesserunt a me ! vastabuntur, quia prævaricati sunt in me, et ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia. ¹⁴ Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis: super triticum et vinum ruminabant; recesserunt a me. ¹⁵ Et ego erudivi eos, et confortavi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam. ¹⁶ Reversi sunt ut essent absque jugo; facti sunt quasi arcus dolosus: cadent in gladio principes eorum, a furore linguæ suæ. Ista subsannatio eorum in terra Ægypti.]

8 [In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini, pro eo quod transgressi sunt fœdus meum, et legem meam prævaricati sunt. ² Me invocabunt: Deus meus, cognovimus te Israël. ³ Projecit Israël bonum: inimicus persequetur eum. ⁴ Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et non cognovi: argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent. ⁵ Projectus est vitulus tuus, Samaria; iratus est furor meus in eos. Usquequo non poterunt emundari? ⁶ Quia ex Israël et ipse est: artifex fecit illum, et non est deus; quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ. ⁷ Quia ventum seminabunt, et turbinem metent: culmus stans non est in eo; germen non faciet farinam: quod etsi fecerit, alieni comedent eam. ⁸ Devoratus est Israël; nunc factus est in nationibus quasi vas immundum. ⁹ Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi; Ephraim munera dederunt amatoribus. ¹⁰ Sed et cum mercede conduxerint nationes, nunc congregabo eos, et quiescent paulisper ab onere regis et principum. ¹¹ Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum; factæ sunt ei aræ in delictum. ¹² Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt. ¹³ Hostias offerent, immolabunt carnes et comedent, et Dominus non suscipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum: ipsi in Ægyptum convertentur. ¹⁴ Et oblitus est Israël factoris sui, et ædificavit delubra; et Judas multiplicavit urbes munitas; et mittam ignem in civitates ejus, et devorabit aedes illius.]

9 [Noli lætari, Israël; noli exsultare sicut populi: quia fornicatus es a Deo tuo; dilexisti mercedem super omnes areas tritici. ² Area et torcular non pascet eos, et vinum mentietur eis: ³ non habitabunt in terra Domini. Reversus est Ephraim in Ægyptum, et in Assyriis pollutum comedit. ⁴ Non libabunt Domino vinum, et non placebunt ei. Sacrificia eorum quasi panis lugentium; omnes qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum animæ ipsorum: non intrabit in domum Domini. ⁵ Quid facietis in die solemni, in die festivitatis Domini? ⁶ Ecce enim profecti sunt a vastitate: Ægyptus congregabit eos; Memphis sepeliet eos: desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum. ⁷ Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis. Scitote, Israël, stultum prophetam, insanum virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, et multitudinem amentię. ⁸ Speculator Ephraim cum Deo meo, propheta laqueus ruinæ factus est super omnes

vias ejus; insania in domo Dei ejus. ⁹Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa. Recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum. ¹⁰Quasi uvae in deserto inveni Israël, quasi prima poma ficulneae in cacumine ejus vidi patres eorum: ipsi autem intraverunt ad Beelphegor, et abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt. ¹¹Ephraim quasi avis avolavit; gloria eorum a partu, et ab utero, et a conceptu. ¹²Quod etsi enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus; sed et vae eis cum recessero ab eis! ¹³Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine; et Ephraim educet ad interfectorem filios suos. ¹⁴Da eis, Domine. Quid dabis eis? da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia. ¹⁵Omnes nequitiae eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos. Propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea ejiciam eos; non addam ut diligam eos: omnes principes eorum recedentes. ¹⁶Percussus est Ephraim; radix eorum excicata est: fructum nequaquam facient, quod etsi genuerint, interficiam amantissima uteri eorum. ¹⁷Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, et erunt vagi in nationibus.]

10 [Vitis frondosa Israël, fructus adaequatus est ei: secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terrae suae exuberavit simulacris. ²Divisum est cor eorum, nunc interibunt; ipse confringet simulacra eorum, depopulabitur aras eorum. ³Quia nunc dicent: Non est rex nobis, non enim timemus Dominum; et rex quid faciet nobis? ⁴Loquimini verba visionis inutilis, et ferietis foedus; et germinabit quasi amaritudo iudicium super sulcos agri. ⁵Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariae; quia luxit super eum populus ejus, et aeditui ejus super eum exultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo. ⁶Siquidem et ipse in Assur delatus est, munus regi ultori. Confusio Ephraim capiet, et confundetur Israël in voluntate sua. ⁷Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquae. ⁸Et disperdentur excelsa idoli, peccatum Israël; lappa et tribulus ascendet super aras eorum: et dicent montibus: Operite nos, et collibus: Cadite super nos. ⁹Ex diebus Gabaa peccavit Israël; ibi steterunt. Non comprehendet eos in Gabaa praelium super filios iniquitatis. ¹⁰Juxta desiderium meum corripiam eos: congregabuntur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates suas. ¹¹Ephraim vitula docta diligere tritum, et ego transivi super pulchritudinem colli ejus: ascendam super Ephraim, arabit Judas; confringet sibi sulcos Jacob. ¹²Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiae. Innovate vobis novale; tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam. ¹³Arastis impietatem, iniquitatem messuistis: comedistis frugem mendacii, quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum. ¹⁴Consurget tumultus in populo tuo; et omnes munitiones tuae vastabuntur, sicut vastatus est Salmana a domo ejus qui judicavit Baal in die praelii, matre super filios allisa. ¹⁵Sic fecit vobis Bethel, a facie malitiae nequitiarum vestrarum.]

11 [Sicut mane transiit, pertransiit rex Israël. Quia puer Israël, et dilexi eum; et ex Aegypto vocavi filium meum. ²Vocaverunt eos, sic abierunt a facie eorum; Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant. ³Et ego quasi nutritius Ephraim: portabam eos in brachiis meis, et nescierunt quod curarem eos. ⁴In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis; et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, et declinavi ad eum ut vesceretur. ⁵Non revertetur in terram Aegypti, et Assur ipse rex ejus, quoniam noluerunt converti. ⁶Coepit gladius in civitatibus ejus, et con-

sumet electos ejus, et comedet capita eorum. ⁷ Et populus meus pendebit ad reditum meum; jugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur. ⁸ Quomodo dabo te, Ephraim? protegam te, Israël? Quomodo dabo te sicut Adama, ponam te ut Seboim? Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. ⁹ Non faciam furorem iræ meæ; non convertar ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, et non homo; in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem. ¹⁰ Post Dominum ambulabunt; quasi leo rugiet, quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris. ¹¹ Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum: et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.] ¹² [Circumdedit me in negatione Ephraim, et in dolo domus Israël; Judas autem testis descendit cum Deo, et cum sanctis fidelis.]

12 [Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum; tota die mendacium et vastitatem multiplicat: et fœdus cum Assyriis iniit, et oleum in Ægyptum ferebat. ² Judicium ergo Domini cum Juda, et visitatio super Jacob: juxta vias ejus, et juxta adinventiones ejus reddet ei. ³ In utero supplantavit fratrem suum, et in fortitudine sua directus est cum angelo. ⁴ Et invaluit ad angelum, et confortatus est; flevit, et rogavit eum. In Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum. ⁵ Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus. ⁶ Et tu ad Deum tuum convertereris; misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper. ⁷ Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit. ⁸ Et dixit Ephraim: Verumtamen dives effectus sum; inveni idolum mihi: omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem quam peccavi. ⁹ Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti: adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis. ¹⁰ Et locutus sum super prophetas, et ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum. ¹¹ Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes; nam et altaria eorum quasi acervi super sulcos agri. ¹² Fugit Jacob in regionem Syriæ, et servivit Israël in uxorem, et in uxorem servavit. ¹³ In propheta autem eduxit Dominus Israël de Ægypto, et in propheta servatus est. ¹⁴ Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis: et sanguis ejus super eum veniet, et opprobrium ejus restituet ei Dominus suus.]

13 [Loquente Ephraim, horror invasit Israël; et deliquit in Baal, et mortuus est. ² Et nunc addiderunt ad peccandum; feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem idolorum: factura artificum totum est: his ipsi dicunt: Immolate homines, vitulos adorantes. ³ Idcirco erunt quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus præteriens; sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario. ⁴ Ego autem Dominus Deus tuus, ex terra Ægypti; et Deum absque me nescies, et salvator non est præter me. ⁵ Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis. ⁶ Juxta pascua sua adimpleti sunt et saturati sunt; et levaverunt cor suum, et oblii sunt mei. ⁷ Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. ⁸ Occurram eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora jecoris eorum, et consumam eos ibi quasi leo: bestia agri scindet eos. ⁹ Perditio tua, Israël: tantummodo in me auxilium tuum. ¹⁰ Ubi est rex tuus? maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis; et judices tui, de quibus dixisti: Da mihi regem et principes. ¹¹ Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea. ¹² Colligata est iniquitas Ephraim; absconditum peccatum ejus. ¹³ Dolores parturientis venient ei: ipse filius non sapiens: nunc enim non stabit in contritione filiorum. ¹⁴ De manu mortis liberabo eos; de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors ! morsus tuus ero, inferne ! consolatio abscondita est ab oculis meis. ¹⁵ Quia ipse inter fratres dividet: adducet urentem ventum Dominus de

deserto ascendentem, et siccabit venas ejus, et desolabit fontem ejus: et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.]

14 [Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum ! in gladio pereant, parvuli eorum elidantur, et foetæ ejus discendantur !] ² [Convertere, Israël, ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. ³ Tolle vobiscum verba, et convertimini ad Dominum; et dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, et reddemus vitulos laborum nostrorum. ⁴ Assur non salvabit nos: super equum non ascendemus, nec dicemus ultra, Dii nostri opera manuum nostrarum: quia ejus, qui in te est, misereberis pupilli. ⁵ Sanabo contritiones eorum; diligam eos spontanee: quia aversus est furor meus ab eis. ⁶ Ero quasi ros; Israël germinabit sicut liliium, et erumpet radix ejus ut Libani. ⁷ Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani. ⁸ Convertentur sedentes in umbra ejus; vivent tritico, et germinabunt quasi vinea; memoriale ejus sicut vinum Libani. ⁹ Ephraim, quid mihi ultra idola? Ego exaudiam, et dirigam eum ego ut abietem virentem; ex me fructus tuus inventus est. ¹⁰ Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, et justī ambulabunt in eis; prævaricatores vero corruent in eis.]

INCIPIT JOËL PROPHETA

1 Verbum Domini, quod factum est ad Joël, filium Phatuel. ² [Audite hoc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ: si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum? ³ Super hoc filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alteræ. ⁴ Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. ⁵ Expergiscimini, ebrii, et flete et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro. ⁶ Gens enim ascendit super terram meam, fortis et innumerabilis: dentes ejus ut dentes leonis, et molares ejus ut catuli leonis. ⁷ Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit; nudans spoliavit eam, et projecit: albi facti sunt rami ejus. ⁸ Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ. ⁹ Periit sacrificium et libatio de domo Domini; luxerunt sacerdotes, ministri Domini. ¹⁰ Depopulata est regio, luxit humus, quoniam devastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum. ¹¹ Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super frumento et hordeo, quia periit messis agri. ¹² Vineam confusa est, et ficus elanguit; malogranatum, et palma, et malum, et omnia ligna agri aruerunt, quia confusum est gaudium a filiis hominum. ¹³ Accingite vos, et plangite, sacerdotes: ululate, ministri altaris; ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei, quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium et libatio. ¹⁴ Sanctificate jejunium, vocate coetum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei vestri, et clamate ad Dominum: ¹⁵ A, a, a, diei ! quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet. ¹⁶ Numquid non coram oculis vestris alimenta perierunt de domo Dei nostri, lætitia et exultatio? ¹⁷ Computruerunt jumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ, quoniam confusum est triticum. ¹⁸ Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? quia non est pascua eis; sed et greges pecorum disperierunt. ¹⁹ Ad te, Domine, clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis. ²⁰ Sed et bestię agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te, quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, et ignis devoravit speciosa deserti.]

2 [Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: quia venit dies Domini, quia prope est. ² Dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis; quasi mane expansum super montes populus multus et fortis: similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis. ³ Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma. Quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum. ⁴ Quasi aspectus equorum, aspectus eorum; et quasi equites, sic current. ⁵ Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient, sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium. ⁶ A facie ejus cruciabantur populi; omnes vultus redigentur in ollam. ⁷ Sicut fortes current; quasi viri bellatores ascendent murum: viri in viis suis gradientur, et non declinabunt a semitis suis. ⁸ Unusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt; sed et per fenestras cadent, et non demolientur. ⁹ Urbem ingredientur, in muro current, domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur. ¹⁰ A facie ejus contremuit terra, moti sunt cæli, sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. ¹¹ Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia

multa sunt nimis castra ejus, quia fortia et facientia verbum ejus: magnus enim dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit eum? ¹² Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. ¹³ Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra; et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. ¹⁴ Quis scit si convertatur, et ignoscat, et relinquat post se benedictionem, sacrificium et libamen Domino Deo vestro? ¹⁵ Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum: ¹⁶ congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera; egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo. ¹⁷ Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, ministri Domini, et dicent: Parce, Domine, parce populo tuo; et ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominantur eis nationes. Quare dicunt in populis: Ubi est Deus eorum?] ¹⁸ [Zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo. ¹⁹ Et respondit Dominus, et dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum, et replebimini eis; et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus. ²⁰ Et eum qui ab aquilone est procul faciam a vobis, et expellam eum in terram inviam et desertam: faciem ejus contra mare orientale, et extremum ejus ad mare novissimum: et ascendet foetor ejus, et ascendet putredo ejus, quia superbe egit. ²¹ Noli timere, terra: exsulta, et lætare, quoniam magnificavit Dominus ut faceret. ²² Nolite timere, animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti; quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam. ²³ Et, filii Sion, exsultate, et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum, sicut in principio. ²⁴ Et implebuntur aræ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo. ²⁵ Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca: fortitudo mea magna quam misi in vos. ²⁶ Et comedetis vescentes, et saturabimini; et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum; et non confundetur populus meus in sempiternum. ²⁷ Et scietis quia in medio Israël ego sum, et ego Dominus Deus vester, et non est amplius; et non confundetur populus meus in æternum.] ²⁸ [Et erit post hæc: effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. ²⁹ Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. ³⁰ Et dabo prodigia in cælo et in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. ³¹ Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. ³² Et erit: omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit: quia in monte Sion et in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, et in residuis quos Dominus vocaverit.]

3 [Quia ecce in diebus illis, et in tempore illo, cum convertero captivitatem Juda et Jerusalem, ² congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat; et disceptabo cum eis ibi super populo meo, et hæreditate mea Israël, quos disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt. ³ Et super populum meum miserunt sortem; et posuerunt puerum in prostibulo, et puellam vendiderunt pro vino ut biberent. ⁴ Verum quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon, et omnis terminus Palæstinorum? numquid ultionem vos reddetis mihi? et si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. ⁵ Argentum enim meum et aurum tulistis, et desiderabilia mea et pulcherrima intulistis in delubra ves-

tra. ⁶ Et filios Juda et filios Jerusalem vendidistis filiis Græcorum, ut longe faceretis eos de finibus suis. ⁷ Ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos, et convertam retributionem vestram in caput vestrum. ⁸ Et vendam filios vestros et filias vestras in manibus filiorum Juda, et venundabunt eos Sabæis, genti longinquæ, quia Dominus locutus est. ⁹ Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscite robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores. ¹⁰ Concidite aratra vestra in gladios, et ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat: Quia fortis ego sum. ¹¹ Erumpite, et venite, omnes gentes de circuitu, et congregamini; ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. ¹² Consurgant, et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedeo ut judicem omnes gentes in circuitu. ¹³ Mittite falces, quoniam maturavit messis; venite, et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum. ¹⁴ Populi, populi, in valle concisionis, quia juxta est dies Domini in valle concisionis. ¹⁵ Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. ¹⁶ Et Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam, et movebuntur cæli et terra; et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israël. ¹⁷ Et scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo; et erit Jerusalem sancta, et alieni non transibunt per eam amplius. ¹⁸ Et erit in die illa: stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ; et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. ¹⁹ Ægyptus in desolationem erit, et Idumæa in desertum perditionis, pro eo quod inique egerint in filios Juda, et effuderint sanguinem innocentem in terra sua. ²⁰ Et Judæa in æternum habitabitur, et Jerusalem in generationem et generationem. ²¹ Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram; et Dominus commorabitur in Sion.]

INCIPIIT AMOS PROPHETA

1 Verba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue, quæ vidit super Israël in diebus Oziæ, regis Juda, et in diebus Jeroboam, filii Joas, regis Israël, ante duos annos terræmotus. ² Et dixit: [Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam; et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatu est vertex Carmeli. ³ Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum, eo quod triturerint in plaustris ferreis Galaad. ⁴ Et mittam ignem in domum Azaël, et devorabit domos Benadad. ⁵ Et conteram vectem Damasci: et disperdam habitatorem de campo idoli, et tenentem sceptrum de domo voluptatis: et transferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit Dominus. ⁶ Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum, eo quod transtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa. ⁷ Et mittam ignem in murum Gazæ, et devorabit ædes ejus. ⁸ Et disperdam habitatorem de Azoto, et tenentem sceptrum de Ascalone: et convertam manum meam super Accaron, et peribunt reliqui Philistinorum, dicit Dominus Deus. ⁹ Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Tyri, et super quatuor non convertam eum, eo quod concluderint captivitatem perfectam in Idumæa, et non sint recordati fœderis fratrum. ¹⁰ Et mittam ignem in murum Tyri, et devorabit ædes ejus. ¹¹ Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non convertam eum, eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et violaverit misericordiam ejus, et tenuerit ultra furorem suum, et indignationem suam servaverit usque in finem. ¹² Mittam ignem in Theman, et devorabit ædes Bosræ. ¹³ Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus filiorum Ammon, et super quatuor non convertam eum, eo quod disseuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum. ¹⁴ Et succendam ignem in muro Rabba, et devorabit ædes ejus in ululatu in die belli, et in turbine in die commotionis. ¹⁵ Et ibit Melchom in captivitatem, ipse et principes ejus simul, dicit Dominus.]

2 [Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non convertam eum, eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad cinerem. ² Et mittam ignem in Moab, et devorabit ædes Carioth: et morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ. ³ Et disperdam judicem de medio ejus, et omnes principes ejus interficiam cum eo, dicit Dominus.] ⁴ [Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non convertam eum, eo quod abjecerit legem Domini et mandata ejus non custodierit: deceperant enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum. ⁵ Et mittam ignem in Juda, et devorabit ædes Jerusalem. ⁶ Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israël, et super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento justum, et pauperem pro calceamentis. ⁷ Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium declinant: et filius ac pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum. ⁸ Et super vestimentis pignoris accubuerunt juxta omne altare, et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. ⁹ Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum, cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus, et fortis ipse quasi quercus; et contrivi fructum ejus desuper, et radices ejus subter. ¹⁰ Ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti, et duxi vos in deserto quadraginta annis, ut possideretis terram Amorrhæi. ¹¹ Et suscitavi de filiis vestris in prophetas, et de juvenibus vestris nazaræos. Numquid non ita est, filii Israël? dicit

Dominus. ¹²Et propinabitis nazaræis vinum, et prophetis mandabitis, dicentes: Ne prophetetis. ¹³Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno. ¹⁴Et peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam: ¹⁵et tenens arcum non stabit, et velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam: ¹⁶et robustus corde inter fortes nudus rugiet in illa die, dicit Dominus.]

3 [Audite verbum quod locutus est Dominus super vos, filii Israël, super omnem cognitionem quam eduxi de terra Ægypti, dicens: ²Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognitionibus terræ; idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. ³Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis? ⁴numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? ⁵numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit? ⁶si clanget tuba in civitate, et populus non expavescet? si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? ⁷Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. ⁸Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? ⁹Auditum facite in ædibus Azoti, et in ædibus terræ Ægypti, et dicite: Congregamini super montes Samariæ, et videte insanias multas in medio ejus, et calumniam patientes in penetrabilibus ejus. ¹⁰Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem et rapinas in ædibus suis. ¹¹Propterea hæc dicit Dominus Deus: Tribulabitur et circuietur terra: et detrahetur ex te fortitudo tua, et diripientur ædes tuæ. ¹²Hæc dicit Dominus: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israël, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, et in Damasci grabato. ¹³Audite, et contestamini in domo Jacob, dicit Dominus Deus exercituum; ¹⁴quia in die cum visitare cœpero prævaricationes Israël, super eum visitabo, et super altaria Bethel; et amputabuntur cornua altaris, et cadent in terram. ¹⁵Et percutiam domum hiemalem cum domo æstiva, et peribunt domus eburneæ, et dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.]

4 [Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis et confringitis pauperes; quæ dicitis dominis vestris: Afferte, et bibemus. ²Juravit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus. ³Et per aperturas exhibitis altera contra alteram, et projiciemini in Armon, dicit Dominus.] ⁴[Venite ad Bethel, et impie agite; ad Galgalam, et multiplicare prævaricationem: et afferte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras. ⁵Et sacrificate de fermentato laudem, et vocate voluntarias oblationes, et annuntiate; sic enim voluistis, filii Israël, dicit Dominus Deus. ⁶Unde et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris; et non estis reversi ad me, dicit Dominus. ⁷Ego quoque prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem: et plui super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui; pars una compluta est, et pars super quam non plui, aruit. ⁸Et venerunt duæ et tres civitates ad unam civitatem ut biberent aquam, et non sunt satiatae; et non redistis ad me, dicit Dominus. ⁹Percussi vos in vento urente, et in aurugine: multitudinem hortorum vestrorum et vinearum vestrarum, oliveta vestra et ficeta vestra comedit eruca: et non redistis ad me, dicit Dominus. ¹⁰Misi in vos mortem in via Ægypti; percussi in gladio juvenes vestros, usque ad captivitatem equorum ve-

strorum, et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras: et non redistis ad me, dicit Dominus. ¹¹ Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gommorrham, et facti estis quasi torris raptus ab incendio: et non redistis ad me, dicit Dominus. ¹² Quapropter hæc faciam tibi, Israël: postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui, Israël. ¹³ Quia ecce formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ: Dominus Deus exercituum nomen ejus.]

5 [Audite verbum istud, quod ego levo super vos planctum: domus Israël cecidit, et non adjiciet ut resurgat. ² Virgo Israël projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam. ³ Quia hæc dicit Dominus Deus: Urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum; et de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israël. ⁴ Quia hæc dicit Dominus domui Israël: Quærite me, et vivetis. ⁵ Et nolite quærere Bethel, et in Galgalam nolite intrare, et in Bersabee non transibitis, quia Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis. ⁶ Quærite Dominum, et vivite (ne forte comburatur ut ignis domus Joseph, et devorabit, et non erit qui extinguat Bethel: ⁷ qui convertitis in absinthium iudicium, et justitiam in terra relinquitis): ⁸ facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mane tenebras, et diem in noctem mutantem; qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ; Dominus nomen est ejus: ⁹ qui subridet vastitatem super robustum, et depopulationem super potentem affert. ¹⁰ Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt. ¹¹ Idcirco, pro eo quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis; vineas plantabis amantissimas, et non bibetis vinum earum. ¹² Quia cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra: hostes justis, accipientes munus, et pauperes deprimentes in porta. ¹³ Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. ¹⁴ Quærite bonum, et non malum, ut vivatis; et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis. ¹⁵ Odite malum et diligite bonum, et constituite in porta iudicium: si forte misereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Joseph. ¹⁶ Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum, dominator: In omnibus plateis planctus; et in cunctis quæ foris sunt, dicitur: Væ, væ ! et vocabunt agricolam ad luctum, et ad planctum eos qui sciunt plangere. ¹⁷ Et in omnibus vineis erit planctus, quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.] ¹⁸ [Væ desiderantibus diem Domini ! ad quid eam vobis? Dies Domini ista, tenebræ, et non lux. ¹⁹ Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus; et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber. ²⁰ Numquid non tenebræ dies Domini, et non lux; et caligo, et non splendor in ea? ²¹ Odi, et projecit festivitates vestras, et non capiam odorem coetuum vestrorum. ²² Quod si obtuleritis mihi holocaustomata, et munera vestra, non suscipiam; et vota pinguium vestrorum non respiciam. ²³ Aufer a me tumultum carminum tuorum; et cantica lyræ tuæ non audiam. ²⁴ Et revelabitur quasi aqua iudicium, et justitia quasi torrens fortis. ²⁵ Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israël? ²⁶ et portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus dei vestri, quæ fecistis vobis. ²⁷ Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus: Deus exercituum nomen ejus.]

6 [Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël ! ² Transite in Chalane, et

videte, et ite inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum: si latior terminus eorum termino vestro est. ³ Qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis; ⁴ qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris; qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti; ⁵ qui canitis ad vocem psalterii, sicut David putaverunt se habere vasa cantici, ⁶ bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph. ⁷ Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium, et auferetur factio lascivientium. ⁸ Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum: Detestor ego superbiam Jacob, et domos ejus odi, et tradam civitatem cum habitatoribus suis. ⁹ Quod si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur. ¹⁰ Et tollet eum propinquus suus, et comburet eum, ut efferat ossa de domo; et dicet ei, qui in penetralibus domus est: Numquid adhuc est penes te? ¹¹ Et respondebit: Finis est. Et dicet ei: Tace, et non recorderis nominis Domini. ¹² Quia ecce Dominus mandabit, et percutiet domum majorem ruinis, et domum minorem scissionibus. ¹³ Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis? quoniam convertistis in amaritudinem iudicium, et fructum justitiæ in absinthium. ¹⁴ Qui lætamini in nihilo; qui dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? ¹⁵ Ecce enim suscitabo super vos, domus Israël, dicit Dominus Deus exercituum, gentem, et conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti.]

7 Hæc ostendit mihi Dominus Deus: et ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, et ecce serotinus post tonsionem regis. ² Et factum est, cum consummasset comedere herbam terræ, dixi: Domine Deus, propitius esto, obsecro; quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? ³ Misertus est Dominus super hoc: Non erit, dixit Dominus. ⁴ Hæc ostendit mihi Dominus Deus: et ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus; et devoravit abyssum multam, et comedit simul partem. ⁵ Et dixi: Domine Deus, quiesce, obsecro; quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? ⁶ Misertus est Dominus super hoc: Sed et istud non erit, dixit Dominus Deus. ⁷ Hæc ostendit mihi Dominus: et ecce Dominus stans super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentarii. ⁸ Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus: [Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israël; non adjiciam ultra superinducere eum. ⁹ Et demolientur excelsa idoli, et sanctificationes Israël desolabuntur, et consurgam super domum Jeroboam in gladio.] ¹⁰ Et misit Amasias, sacerdos Bethel, ad Jeroboam, regem Israël, dicens: Rebellavit contra te Amos in medio domus Israël; non poterit terra sustinere universos sermones ejus. ¹¹ Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Jeroboam, et Israël captivus migrabit de terra sua. ¹² Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides, gradere: fuge in terram Juda, et comede ibi panem, et prophetabis ibi. ¹³ Et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes, quia sanctificatio regis est, et domus regni est. ¹⁴ Responditque Amos, et dixit ad Amasiam: Non sum propheta, et non sum filius prophetæ: sed armentarius ego sum vellicans sycomoros. ¹⁵ Et tulit me Dominus cum sequerer gregem, et dixit Dominus ad me: Vade, propheta ad populum meum Israël. ¹⁶ Et nunc audi verbum Domini: [Tu dicis: Non prophetabis super Israël, et non stillabis super domum idoli. ¹⁷ Propter hoc hæc dicit Dominus: Uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui et filiæ tuæ in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur: et tu in terra polluta morieris, et Israël captivus migrabit de terra sua.]

8 Hæc ostendit mihi Dominus Deus: et ecce uncinus pomorum. ²Et dixit: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: [Venit finis super populum meum Israël; non adjiciam ultra ut pertranseam eum. ³Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus: multi morientur; in omni loco projicietur silentium.] ⁴[Audite hoc, qui conteritis pauperem, et deficere facitis egenos terræ, ⁵dicentes: Quando transibit mensis, et venundabimus merces? et sabbatum, et aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras dolosas, ⁶ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calceamentis, et quisquillas frumenti vendamus? ⁷Juravit Dominus in superbiam Jacob: Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum. ⁸Numquid super isto non commovebitur terra, et lugebit omnis habitator ejus, et ascendet quasi fluvius universus, et ejicetur, et defluet, quasi rivus Ægypti? ⁹Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis: ¹⁰et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum, et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium: et ponam eam quasi luctum unigeniti, et novissima ejus quasi diem amarum. ¹¹Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. ¹²Et commovebuntur a mari usque ad mare, et ab aquilone usque ad orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, et non invenient. ¹³In die illa deficient virgines pulchræ et adolescentes in siti, ¹⁴qui jurant in delicto Samariæ, et dicunt: Vivit Deus tuus, Dan, et vivit via Bersabee; et cadent, et non resurgent ultra.]

9 Vidi Dominum stantem super altare, et dixit: [Percute cardinem, et commoveantur superliminaria: avaritia enim in capite omnium, et novissimum eorum in gladio interficiam; non erit fuga eis. Fugient, et non salvabitur ex eis qui fugerit. ²Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos; et si ascenderint usque in cælum, inde detraham eos. ³Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos; et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos. ⁴Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, et occidet eos: et ponam oculos meos super eos in malum, et non in bonum. ⁵Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, et tabescet, et lugebunt omnes habitantes in ea: et ascendet sicut rivus omnis, et defluet sicut fluvius Ægypti. ⁶Qui ædificat in cælo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundavit; qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ: Dominus nomen ejus. ⁷Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israël? ait Dominus. Numquid non Israël ascendere feci de terra Ægypti, et Palæstinos de Capadocia, et Syros de Cyrene?] ⁸[Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans: et conteram illud a facie terræ; verumtamen conterens non conteram domum Jacob, dicit Dominus. ⁹Ecce enim mandabo ego, et concutiam in omnibus gentibus domum Israël, sicut concutitur triticum in cribro, et non cadet lapillus super terram. ¹⁰In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt: Non appropinquabit, et non veniet super nos malum. ¹¹In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerant instaurabo: et reædificabo illud sicut in diebus antiquis, ¹²ut possideant reliquias Idumææ, et omnes nationes: eo quod invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc. ¹³Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et comprehendet arator messorum,

et calcator uvæ mittentem semen: et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colli culti erunt. ¹⁴Et convertam captivitatem populi mei Israël; et ædificabunt civitates desertas, et inhabitabunt; et plantabunt vineas, et bibent vinum earum, et facient hortos, et comedent fructus eorum. ¹⁵Et plantabo eos super humum suam, et non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.]

INCIPIT ABDIAS PROPHETA

1 Visio Abdiæ. [Hæc dicit Dominus Deus ad Edom: Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit: surgite, et consurgamus adversus eum in prælium. ²Ecce parvulum dedi te in gentibus: contemptibilis tu es valde. ³Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum; qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? ⁴Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. ⁵Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi? ⁶Quomodo scrutati sunt Esau; investigaverunt abscondita ejus? ⁷Usque ad terminum emiserunt te: omnes viri fœderis tui illuserunt tibi: invaluerunt adversum te viri pacis tuæ, qui comedunt tecum, ponent insidias subter te; non est prudentia in eo. ⁸Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau? ⁹Et timebunt fortes tui a meridie, ut intereat vir de monte Esau. ¹⁰Propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, et peribis in æternum. ¹¹In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, et extranei ingrediebantur portas ejus, et super Jerusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis. ¹²Et non despicias in die fratris tui, in die peregrinationis ejus: et non lætaberis super filios Juda in die perditionis eorum: et non magnificabis os tuum in die angustia. ¹³Neque ingredieris portam populi mei in die ruinae eorum; neque despicias et tu in malis ejus in die vastitatis illius. Et non emitteris adversus exercitum ejus in die vastitatis illius, ¹⁴neque stabis in exitibus ut interficias eos qui fugerint, et non concludes reliquos ejus in die tribulationis. ¹⁵Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi; retributionem tuam convertet in caput tuum. ¹⁶Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter: et bibent, et absorbebunt, et erunt quasi non sint. ¹⁷Et in monte Sion erit salvatio, et erit sanctus; et possidebit domus Jacob eos qui se possederant. ¹⁸Et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula: et succendentur in eis, et devorabunt eos, et non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est. ¹⁹Et hæreditabunt hi, qui ad austrum sunt, montem Esau, et qui in campestribus, Philisthiim: et possidebunt regionem Ephraim et regionem Samariæ, et Benjamin possidebit Galaad. ²⁰Et transmigratio exercitus hujus filiorum Israël, omnia loca Chananæorum usque ad Sareptam: et transmigratio Jerusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates austri. ²¹Et ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau, et erit Domino regnum.]

INCIPIIT JONAS PROPHETA

1 Et factum est verbum Domini ad Jonam, filium Amathi, dicens: ² Surge, et vade in Niniven, civitatem grandem, et prædica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me. ³ Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini, et descendit in Joppen: et invenit navem euntem in Tharsis, et dedit naulum ejus, et descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. ⁴ Dominus autem misit ventum magnum in mare: et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. ⁵ Et timuerunt nautæ, et clamaverunt viri ad deum suum, et miserunt vasa quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis; et Jonas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi. ⁶ Et accessit ad eum gubernator, et dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus. ⁷ Et dixit vir ad collegam suum: Venite et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam. ⁸ Et dixerunt ad eum: Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua, et quo vadis? vel ex quo populo es tu? ⁹ Et dixit ad eos: Hebræus ego sum, et Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare et aridam. ¹⁰ Et timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugeret, quia indicaverat eis. ¹¹ Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, et cessabit mare a nobis? quia mare ibat, et intumescebat. ¹² Et dixit ad eos: Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos. ¹³ Et remigabant viri ut reverterentur ad aridam, et non valebant, quia mare ibat, et intumescebat super eos. ¹⁴ Et clamaverunt ad Dominum, et dixerunt: Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti. ¹⁵ Et tulerunt Jonam, et miserunt in mare: et stetit mare a fervore suo. ¹⁶ Et timuerunt viri timore magno Dominum: et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota.

2 Et præparavit Dominus piscem grandem ut deglutiret Jonam: et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus. ² Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, ³ et dixit: [Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me; de ventre inferi clamavi, et exaudivisti vocem meam. ⁴ Et projecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt. ⁵ Et ego dixi: Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum; veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum. ⁶ Circumdede runt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum. ⁷ Ad extrema montium descendi; terræ vectes concluderunt me in æternum: et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus. ⁸ Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum: ut veniat ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum. ⁹ Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt. ¹⁰ Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.] ¹¹ Et dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam.

3 Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo, dicens: ² Surge, et vade in Niniven, civitatem magnam, et prædica in ea prædicationem quam ego loquor ad te. ³ Et surrexit Jonas, et abiit in Niniven juxta verbum Domini: et Ninive erat civitas magna, itinere trium dierum. ⁴ Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere

diei unius: et clamavit, et dixit: Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. ⁵ Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis, a majore usque ad minorem. ⁶ Et pervenit verbum ad regem Ninive: et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. ⁷ Et clamavit, et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens: Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam: nec pascantur, et aquam non bibant. ⁸ Et operiantur saccis homines et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine: et convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate quæ est in manibus eorum. ⁹ Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus? ¹⁰ Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: et misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.

4 Et afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est: ² et oravit ad Dominum, et dixit: Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis: scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia. ³ Et nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam a me, quia melior est mihi mors quam vita. ⁴ Et dixit Dominus: Putasne bene irasceris tu? ⁵ Et egressus est Jonas de civitate, et sedit contra orientem civitatis: et fecit sibimet umbraculum ibi, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati. ⁶ Et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, et protegeret eum (laboraverat enim): et lætatus est Jonas super hedera lætitia magna. ⁷ Et paravit Deus vermen ascensu diluculi in crastinum: et percussit hederam, et exaruit. ⁸ Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti: et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat: et petivit animæ suæ ut moreretur, et dixit: Melius est mihi mori quam vivere. ⁹ Et dixit Dominus ad Jonam: Putasne bene irasceris tu super hedera? Et dixit: Bene irascor ego usque ad mortem. ¹⁰ Et dixit Dominus: Tu doles super hedera in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret; quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit: ¹¹ et ego non parcam Ninive, civitati magnæ, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam, et jumenta multa?

INCIPIT MICHA PROPHETA

1 Verbum Domini, quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Joathan, Achaz, et Ezechiaë, regum Juda, quod vidit super Samariam et Jerusalem. ² [Audite, populi omnes, et attendat terra, et plenitudo ejus: et sit Dominus Deus vobis in testem, Dominus de templo sancto suo. ³ Quia ecce Dominus egredietur de loco suo, et descendet, et calcabit super excelsa terræ. ⁴ Et consumentur montes subtus eum, et valles scindentur sicut cera a facie ignis, et sicut aquæ quæ decurrunt in præceps. ⁵ In scelere Jacob omne istud, et in peccatis domus Israël. Quod scelus Jacob? nonne Samaria? et quæ excelsa Judæ? nonne Jerusalem? ⁶ Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro, cum plantatur vinea; et detraham in vallem lapides ejus, et fundamenta ejus revelabo. ⁷ Et omnia sculptilia ejus concidentur, et omnes mercedes ejus comburentur igne, et omnia idola ejus ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur. ⁸ Super hoc plangam, et ululabo; vadam spoliatus, et nudus; faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum: ⁹ quia desperata est plaga ejus, quia venit usque ad Judam; tetigit portam populi mei usque ad Jerusalem. ¹⁰ In Geth nolite annuntiare; lacrimis ne ploretis; in domo pulveris pulvere vos conspergite. ¹¹ Et transite vobis, habitatio pulchra, confusa ignominia: non est egressa quæ habitat in exitu: planctum domus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet. ¹² Quia infirmata est in bonum, quæ habitat in amaritudinibus; quia descendit malum a Domino in portam Jerusalem. ¹³ Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis: principium peccati est filiæ Sion, quia in te inventa sunt scelera Israël. ¹⁴ Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth, domus mendacii in deceptionem regibus Israël. ¹⁵ Adhuc hæredem adducam tibi quæ habitas in Maresa; usque ad Odollam veniet gloria Israël. ¹⁶ Decalvare, et tondere super filios deliciarum tuarum; dilata calvitium tuum sicut aquila, quoniam captivi ducti sunt ex te.]

2 [Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris ! In luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum. ² Et concupierunt agros, et violenter tulerunt: et rapuerunt domos, et calumniabantur virum, et domum ejus: virum, et hæreditatem ejus. ³ Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam malum, unde non auferetis colla vestra, et non ambulabitis superbi: quoniam tempus pessimum est. ⁴ In die illa sumetur super vos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate, dicentium: Depopulatione vastati sumus; pars populi mei commutata est: quomodo recedet a me, cum revertatur, qui regiones nostras dividat? ⁵ Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis in cœtu Domini. ⁶ Ne loquamini loquentes; non stillabit super istos, non comprehendet confusio. ⁷ Dicit domus Jacob: Numquid abbreviatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes ejus? nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte graditur? ⁸ et e contrario populus meus in adversarium consurrexit. Desuper tunica pallium sustulistis: et eos qui transibant simpliciter convertistis in bellum. ⁹ Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum; a parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum. ¹⁰ Surgite, et ite, quia non habetis hic requiem: propter immunditiam ejus corrumpetur putredine pessima. ¹¹ Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer ! Stillabo tibi in vinum et in ebrietatem; et erit super quem

stillatur populus iste. ¹² Congregatione congregabo, Jacob, totum te; in unum conducam reliquias Israël: pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum: tumultuabuntur a multitudine hominum. ¹³ Ascendet enim pandens iter ante eos: dividunt, et transibunt portam, et ingredientur per eam: et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum.]

3 [Et dixi: Audite, princeps Jacob, et duces domus Israël: numquid non vestrum est scire iudicium, ² qui odio habetis bonum, et diligitis malum; qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum; ³ qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebeta, et quasi carnem in medio ollæ? ⁴ Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos, et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis. ⁵ Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum: qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem; et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. ⁶ Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione; et occumbet sol super prophetas, et obtenebrabitur super eos dies. ⁷ Et confundentur qui vident visiones, et confundentur divini; et operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei. ⁸ Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio, et virtute, ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israël peccatum suum. ⁹ Audite hoc, principes domus Jacob, et iudices domus Israël, qui abominamini iudicium, et omnia recta pervertitis: ¹⁰ qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. ¹¹ Principes ejus in muneribus iudicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant: et super Dominum requiescebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala. ¹² Propter hoc, causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum.]

4 [Et erit: in novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles: et fluent ad eum populi, ² et properabunt gentes multæ, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob: et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus, quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. ³ Et iudicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum: et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultra bellicigare. ⁴ Et sedebit vir subtus vitem suam et subtus ficum suam, et non erit qui deterreat, quia os Domini exercituum locutum est. ⁵ Quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine dei sui; nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri, in æternum et ultra.] ⁶ [In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem, et eam quam ejeceram colligam, et quam afflixeram: ⁷ et ponam claudicantem in reliquias, et eam quæ laboraverat, in gentem robustam: et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum. ⁸ Et tu, turris gregis nebulosa filiæ Sion, usque ad te veniet, et veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. ⁹ Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem? ¹⁰ Dole et satage, filia Sion, quasi parturiens, quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem: ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum. ¹¹ Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur, et

aspiciat in Sion oculus noster. ¹² Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini, et non intellexerunt consilium ejus, quia congregavit eos quasi fœnum areæ. ¹³ Surge, et tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas; et comminues populos multos, et interficies Domino rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universæ terræ.]

5 [Nunc vastaberis, filia latronis. Obsidionem posuerunt super nos: in virga percutient maxillam judicis Israël.] ² [Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in milibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. ³ Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo parturiens pariet, et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israël. ⁴ Et stabit, et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui: et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. ⁵ Et erit iste pax: cum venerit Assyrius in terram nostram, et quando calcaverit domibus nostris, et suscitabimus super eum septem pastores et octo primates homines; ⁶ et pascent terram Assur in gladio, et terram Nemrod in lanceis ejus, et liberabit ab Assur cum venerit in terram nostram, et cum calcaverit in finibus nostris. ⁷ Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam, quæ non exspectat virum, et non præstolatur filios hominum. ⁸ Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum, qui cum transierit, et conculcaverit, et ceperit, non est qui eruat. ⁹ Exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui interibunt. ¹⁰ Et erit in die illa, dicit Dominus: auferam equos tuos de medio tui, et disperdam quadrigas tuas. ¹¹ Et perdam civitates terræ tuæ, et destruam omnes munitiones tuas: et auferam maleficia de manu tua, et divinationes non erunt in te: ¹² et perire faciam sculptilia tua et statuas tuas de medio tui, et non adorabis ultra opera manuum tuarum: ¹³ et evellam lucos tuos de medio tui, et conteram civitates tuas. ¹⁴ Et faciam, in furore et in indignatione, ultionem in omnibus gentibus quæ non audierunt.]

6 [Audite quæ Dominus loquitur: Surge, contende iudicio adversum montes, et audiant colles vocem tuam. ² Audiant montes iudicium Domini, et fortia fundamenta terræ; quia iudicium Domini cum populo suo, et cum Israël dijudicabitur. ³ Popule meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. ⁴ Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te, et misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam. ⁵ Popule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balach, rex Moab, et quid responderit ei Balaam, filius Beor, de Setim usque ad Galgalam, ut cognosceres justitias Domini. ⁶ Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? Numquid offeram ei holocaustomata et vitulos anniculos? ⁷ numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? ⁸ Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. ⁹ Vox Domini ad civitatem clamat, et salus erit timentibus nomen tuum: audite, tribus, et quis approbabit illud? ¹⁰ Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. ¹¹ Numquid justificabo stateram impiam, et saccelli pondera dolosa? ¹² In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta

in ore eorum. ¹³Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis. ¹⁴Tu comedes, et non saturaberis, et humiliatio tua in medio tui: et apprehendes, et non salvabis, et quos salvaveris, in gladium dabo. ¹⁵Tu seminabis, et non metes: tu calcabis olivam, et non ungeris oleo; et mustum, et non bibes vinum. ¹⁶Et custodisti præcepta Amri, et omne opus domus Achab, et ambulasti in voluntatibus eorum: ut darem te in perditionem, et habitantes in ea in sibilum, et opprobrium populi mei portabitis.]

7 [Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumnno racemos vindemiæ ! non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea. ²Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur; vir fratrem suum ad mortem venatur. ³Malum manuum suarum dicunt bonum: princeps postulat, et iudex in reddendo est; et magnus locutus est desiderium animæ suæ, et conturbaverunt eam. ⁴Qui optimus in eis est, quasi paliurus, et qui rectus, quasi spina de sepe. Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit: nunc erit vastitas eorum. ⁵Nolite credere amico, et nolite confidere in duce: ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. ⁶Quia filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam: nurus adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus.] ⁷[Ego autem ad Dominum aspiciam; exspectabo Deum, salvatorem meum: audiet me Deus meus. ⁸Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi: consurgam cum sedero in tenebris: Dominus lux mea est. ⁹Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, et faciat iudicium meum. Educet me in lucem: videbo iustitiam ejus. ¹⁰Et aspiciet inimica mea, et operietur confusione, quæ dicit ad me: Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem ut lutum platearum. ¹¹Dies, ut ædificentur maceriæ tuæ; in die illa longe fiet lex. ¹²In die illa et usque ad te veniet de Assur, et usque ad civitates munitas, et a civitatibus munitis usque ad flumen, et ad mare de mari, et ad montem de monte. ¹³Et terra erit in desolationem propter habitatores suos, et propter fructum cogitationum eorum.] ¹⁴[Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos, in saltu, in medio Carmeli. Pascentur Basan et Galaad juxta dies antiquos. ¹⁵Secundum dies egressionis tuæ de terra Ægypti, ostendam ei mirabilia. ¹⁶Videbunt gentes, et confundentur super omni fortitudine sua. Ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt. ¹⁷Lingent pulverem sicut serpentes; velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis. Dominum Deum nostrum formidabunt, et timebunt te. ¹⁸Quis, Deus, similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. ¹⁹Revertetur, et miserebitur nostri; deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. ²⁰Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis.]

INCIPIIT NAHUM PROPHETA

1 Onus Ninive. Liber visionis Nahum Elcesæi. ² [Deus æmulator, et ulciscens Dominus: ulciscens Dominus, et habens furorem: ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis. ³ Dominus patiens, et magnus fortitudine, et mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. ⁴ Increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan et Carmelus, et flos Libani elanguit. ⁵ Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt: et contremuit terra a facie ejus, et orbis, et omnes habitantes in eo. ⁶ Ante faciem indignationis ejus quis stabit? et quis resistet in ira furoris ejus? Indignatio ejus effusa est ut ignis, et petræ dissolutæ sunt ab eo. ⁷ Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. ⁸ Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus, et inimicos ejus persequentur tenebræ. ⁹ Quid cogitatis contra Dominum? Consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio, ¹⁰ quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium; consumentur quasi stipula ariditate plena. ¹¹ Ex te exhibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem. ¹² Hæc dicit Dominus: Si perfecti fuerint, et ita plures, sic quoque attendentur, et pertransibit: afflixi te, et non affligam te ultra. ¹³ Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo, et vincula tua dirumpam. ¹⁴ Et præcipiet super te Dominus; non seminabitur ex nomine tuo amplius: de domo Dei tui interficiam sculptile, et conflatile; ponam sepulchrum tuum, quia inhonoratus es. ¹⁵ Ecce super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem. Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua, quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial: universus interiit.]

2 [Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem: contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde. ² Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israël; quia vastatores dissipaverunt eos, et propagines eorum corruerunt. ³ Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis; igneæ habenæ currus in die præparationis ejus, et agitadores consopiti sunt. ⁴ In itineribus conturbati sunt; quadrigæ collisæ sunt in plateis: aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia. ⁵ Recordabitur fortium suorum; ruent in itineribus suis: velociter ascendent muros ejus, et præparabitur umbraculum. ⁶ Portæ fluviorum apertæ sunt, et templum ad solum dirutum. ⁷ Et miles captivus abductus est, et ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis. ⁸ Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus; ipsi vero fugerunt. State, state ! et non est qui revertatur. ⁹ Diripite argentum, diripite aurum: et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. ¹⁰ Dissipata est, et scissa, et dilacerata; et cor tabescens, et dissolutio geniculorum, et defectio in cunctis renibus, et facies omnium eorum sicut nigredo ollæ. ¹¹ Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum, ad quam ivit leo ut ingrederetur illuc catulus leonis, et non est qui exterreat? ¹² Leo cepit sufficienter catulis suis, et necavit læenis suis, et implevit præda speluncas suas, et cubile suum rapina. ¹³ Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et succendam usque ad fumum quadrigas tuas, et leunculos tuos comedet gladius, et exterminabo de terra prædam tuam, et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.]

3 [Væ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena ! non recedet a te rapina. ²Vox flagelli, et vox impetus rotæ, et equi frementis, et quadrigæ ferventis, et equitis ascendentis, ³et micantis gladii, et fulgurantis hastæ, et multitudinis interfectæ, et gravis ruinæ; nec est finis cadaverum, et corruent in corporibus suis. ⁴Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, et gratæ, et habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis. ⁵Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et revelabo pudenda tua in facie tua; et ostendam gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam. ⁶Et projiciam super te abominationes, et contumeliis te afficiam, et ponam te in exemplum. ⁷Et erit: omnis qui viderit te resiliet a te, et dicit: Vastata est Ninive. Quis commovebit super te caput? unde quæram consolatorem tibi? ⁸Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu ejus; cujus divitiæ, mare; aquæ, muri ejus. ⁹Æthiopia fortitudo ejus, et Ægyptus, et non est finis; Africa et Libyes fuerunt in auxilio tuo. ¹⁰Sed et ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem: parvuli ejus elisi sunt in capite omnium viarum, et super inclytos ejus miserunt sortem, et omnes optimates ejus confixi sunt in compedibus. ¹¹Et tu ergo inebriaberis, et eris despecta: et tu quæres auxilium ab inimico. ¹²Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis: si concussæ fuerint, cadent in os comedentis. ¹³Ecce populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis adapertione pendentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos. ¹⁴Aquam propter obsidionem hauri tibi: exstrue munitiones tuas, intra in lutum, et calca, subigens tene laterem. ¹⁵Ibi comedet te ignis, peribis gladio, devorabit te ut bruchus: congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta. ¹⁶Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sint cæli; bruchus expansus est, et avolavit. ¹⁷Custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigoris: sol ortus est, et avolaverunt, et non est cognitus locus earum ubi fuerint. ¹⁸Dormitaverunt pastores tui, rex Assur, sepelientur principes tui: latitavit populus tuus in montibus, et non est qui congreget. ¹⁹Non est obscura contritio tua; pessima est plaga tua. Omnes qui audierunt auditionem tuam compresserunt manum super te: quia super quem non transiit malitia tua semper?]

INCIPIT HABACUC PROPHETA

1 Onus quod vidit Habacuc propheta. ² [Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, et non salvabis? ³ Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre prædam et injustitiam contra me? Et factum est iudicium, et contradictio potentior. ⁴ Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem iudicium; quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur iudicium perversum. ⁵ Aspice in gentibus, et videte; admiramini, et obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur. ⁶ Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. ⁷ Horribilis et terribilis est: ex semetipsa iudicium et onus ejus egredietur. ⁸ Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis: et diffundentur equites ejus: equites namque ejus de longe venient; volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. ⁹ Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens; et congregabit quasi arenam captivitatem. ¹⁰ Et ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi ejus erunt; ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam. ¹¹ Tunc mutabitur spiritus, et pertransibit, et corruet: hæc est fortitudo ejus dei sui.] ¹² [Numquid non tu a principio, Domine, Deus meus, sancte meus, et non moriemur? Domine, in iudicium posuisti eum, et fortem, ut corripere, fundasti eum. ¹³ Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris. Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiore se? ¹⁴ Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. ¹⁵ Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur, et exultabit. ¹⁶ Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus. ¹⁷ Propter hoc ergo expandit sagenam suam, et semper interficere gentes non parcat.]

2 [Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem: et contemplanabor ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me.] ² Et respondit mihi Dominus, et dixit: [Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum. ³ Quia adhuc visus procul; et apparebit in finem, et non mentietur: si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit. ⁴ Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso; justus autem in fide sua vivet. ⁵ Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur: qui dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors, et non adimpletur: et congregabit ad se omnes gentes, et coacervabit ad se omnes populos. ⁶ Numquid non omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam ænigmatum ejus, et dicetur: Væ ei qui multiplicat non sua? usquequo et aggravat contra se densum lutum? ⁷ Numquid non repente consurgent qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? ⁸ Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, et iniquitatem terræ, civitatis, et omnium habitantium in ea. ⁹ Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali ! ¹⁰ Cogitasti confusionem domui tuæ; concidisti populos multos, et peccavit anima tua. ¹¹ Quia lapis de pariete clamabit, et lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respon-

debit. ¹² Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate ! ¹³ Numquid non hæc sunt a Domino exercituum? laborabunt enim populi in multo igne, et gentes in vacuum, et deficient. ¹⁴ Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare. ¹⁵ Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, et inebrians ut aspiciat nuditatem ejus ! ¹⁶ Repletus es ignominia pro gloria; bibe tu quoque, et consopire. Circumdabit te calix dexteræ Domini, et vomitus ignominia super gloriam tuam. ¹⁷ Quia iniquitas Libani operiet te, et vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, et iniquitate terræ, et civitatis, et omnium habitantium in ea. ¹⁸ Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud factor suus, conflatile, et imaginem falsam? quia speravit in figmento factor ejus, ut faceret simulacra muta. ¹⁹ Væ qui dicit ligno: Expergiscere; Surge, lapidi tacenti ! Numquid ipse docere poterit? ecce iste coopertus est auro et argento, et omnis spiritus non est in visceribus ejus. ²⁰ Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie ejus omnis terra !]

3 Oratio Habacuc prophetæ, pro ignorantibus. ² [Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud; in medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. ³ Deus ab austro veniet, et Sanctus de monte Pharan: operuit cælos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. ⁴ Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus. ⁵ Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus. ⁶ Stetit, et mensus est terram; aspexit, et dissolvit gentes, et contriti sunt montes sæculi: incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. ⁷ Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ; turbabuntur pelles terræ Madian. ⁸ Numquid in fluminibus iratus es, Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua? Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio. ⁹ Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es; fluvios scindes terræ. ¹⁰ Viderunt te, et doluerunt montes; gurges aquarum transiit: dedit abyssus vocem suam; altitudo manus suas levavit. ¹¹ Sol et luna steterunt in habitaculo suo: in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ. ¹² In fremitu conculcabis terram; in furore obstupefacies gentes. ¹³ Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum christo tuo: percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum ejus usque ad collum. ¹⁴ Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me: exsultatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito. ¹⁵ Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. ¹⁶ Audivi, et conturbatus est venter meus; a voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat: ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum. ¹⁷ Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis; mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum: abscindetur de ovili pecus, et non erit armentum in præsepibus. ¹⁸ Ego autem in Domino gaudebo; et exsultabo in Deo Jesu meo. ¹⁹ Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum: et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.]

INCIPIIT SOFONIAS PROPHETA

1 Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam, filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ, in diebus Josiæ, filii Amon, regis Judæ. ² [Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus: ³ congregans hominem et pecus, congregans volatilia cæli et pisces maris: et ruinæ impiorum erunt, et disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus. ⁴ Et extendam manum meam super Judam et super omnes habitantes Jerusalem: et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina ædituorum cum sacerdotibus; ⁵ et eos qui adorant super tecta militiam cæli, et adorant et jurant in Domino, et jurant in Melchom; ⁶ et qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum. ⁷ Silete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini: quia præparavit Dominus hostiam; sanctificavit vocatos suos. ⁸ Et erit: in die hostiæ Domini, visitabo super principes, et super filios regis, et super omnes qui induti sunt veste peregrina; ⁹ et visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa, qui complent domum Domini Dei sui iniquitate et dolo. ¹⁰ Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris a porta piscium, et ululatus a Secunda, et contritio magna a collibus. ¹¹ Ululate, habitatores Pilæ: conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes involuti argento. ¹² Et erit in tempore illo: scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, et non faciet male. ¹³ Et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum in desertum: et ædificabunt domos, et non habitabunt; et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum. ¹⁴ Juxta est dies Domini magnus: juxta est, et velox nimis. Vox diei Domini amara: tribulabitur ibi fortis. ¹⁵ Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustię, dies calamitatis et miserię, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, ¹⁶ dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos. ¹⁷ Et tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt; et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora. ¹⁸ Sed et argentum eorum et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.]

2 [Convenite, congregamini, gens non amabilis, ² priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini. ³ Quærite Dominum, omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati; quærite justum, quærite mansuetum, si quomodo abscondamini in die furoris Domini. ⁴ Quia Gaza destructa erit, et Ascalon in desertum: Azotum in meridie ejicient, et Accaron eradicabitur. ⁵ Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum ! verbum Domini super vos, Chanaan, terra Philisthinorum; et disperdam te, ita ut non sit inhabitator. ⁶ Et erit funiculus maris requies pastorum, et caulæ pecorum; ⁷ et erit funiculus ejus qui remanserit de domo Juda: ibi pascentur, in domibus Ascalonis ad vesperam requiescent, quia visitabit eos Dominus Deus eorum, et avertet captivitatem eorum. ⁸ Audivi opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobraverunt populo meo, et magnificati sunt super terminos eorum. ⁹ Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum, Deus Israël, quia Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorrha: siccitas spinarum, et acervi salis, et desertum usque in æternum: reliquiæ populi

mei diripient eos, et residui gentis meæ possidebunt illos. ¹⁰Hoc eis eveniet pro superbia sua, quia blasphemaverunt et magnificati sunt super populum Domini exercituum. ¹¹Horribilis Dominus super eos, et attenuabit omnes deos terræ: et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium. ¹²Sed et vos, Æthiopes, interfecti gladio meo eritis. ¹³Et extendet manum suam super aquilonem, et perdet Assur, et ponet speciosas in solitudinem, et in invium, et quasi desertum. ¹⁴Et accubabunt in medio ejus greges, omnes bestię gentium; et onocrotalus et ericius in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur ejus. ¹⁵Hęc est civitas gloriosa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo: Ego sum, et extra me non est alia amplius: quomodo facta est in deserto cubile bestię? omnis qui transit per eam sibilabit, et movebit manum suam.]

3 [Væ provocatrix, et redempta civitas, columba ! ²non audivit vocem, et non suscepit disciplinam; in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquavit. ³Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes; iudices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane. ⁴Prophetę ejus vesani, viri infideles; sacerdotes ejus polluerunt sanctum, injuste egerunt contra legem. ⁵Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem; mane, mane iudicium suum dabit in lucem, et non abscondetur; nescivit autem iniquus confusionem. ⁶Disperdidi gentes, et dissipati sunt anguli earum; desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat; desolatę sunt civitates eorum, non remanente viro, neque ullo habitatore. ⁷Dixi: Attamen timebis me, suscipies disciplinam; et non peribit habitaculum ejus, propter omnia in quibus visitavi eam: verumtamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas. ⁸Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meę in futurum: quia iudicium meum ut congregem gentes, et colligam regna, et effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra.] ⁹[Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno. ¹⁰Ultra flumina Æthiopię, inde supplices mei; filii dispersorum meorum deferent munus mihi. ¹¹In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis, quibus prævaricata es in me, quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbię tuę, et non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo. ¹²Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum: et sperabunt in nomine Domini. ¹³Reliquię Israël non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, et non invenietur in ore eorum lingua dolosa, quoniam ipsi pascentur, et accubabunt, et non erit qui exterreat. ¹⁴Lauda, filia Sion; júbila, Israël: lætare, et exsulta in omni corde, filia Jerusalem. ¹⁵Abstulit Dominus iudicium tuum; avertit inimicos tuos. Rex Israël Dominus in medio tui: non timebis malum ultra. ¹⁶In die illa dicetur Jerusalem: Noli timere; Sion: Non dissolvantur manus tuę. ¹⁷Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exsultabit super te in laude. ¹⁸Nugas, qui a lege recesserant, congregabo, quia ex te erant: ut non ultra habeas super eis opprobrium. ¹⁹Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo: et salvabo claudicantem, et eam quę ejecta fuerat congregabo: et ponam eos in laudem, et in nomen, in omni terra confusionis eorum, ²⁰in tempore illo quo adducam vos, et in tempore quo congregabo vos. Dabo enim vos in nomen, et in laudem omnibus populis terrę, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.]

INCIPIIT AGGÆI PROPHETÆ

1 In anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, ad Zorobabel, filium Salathiel, ducem Juda, et ad Jesum, filium Josedec, sacerdotem magnum, dicens: ²Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. ³Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: ⁴[Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta? ⁵Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. ⁶Seminatis multum, et intulistis parum; comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati; operuistis vos, et non estis calefacti; et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. ⁷Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras; ⁸ascendite in montem, portate ligna, et ædificate domum: et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus. ⁹Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus; et intulistis in domum, et exsufflavi illud: quam ob causam? dicit Dominus exercituum: quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam. ¹⁰Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen suum: ¹¹et vocavi siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vinum, et super oleum, et quæcumque profert humus, et super homines, et super jumenta, et super omnem laborem manuum.] ¹²Et audivit Zorobabel, filius Salathiel, et Jesus, filius Josedec, sacerdos magnus, et omnes reliquiæ populi, vocem Domini Dei sui, et verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos, et timuit populus a facie Domini. ¹³Et dixit Aggæus, nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens: Ego vobiscum sum, dicit Dominus. ¹⁴Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel, filii Salathiel, ducis Juda, et spiritum Jesu, filii Josedec, sacerdotis magni, et spiritum reliquorum de omni populo: et ingressi sunt, et faciebant opus in domo Domini exercituum, Dei sui.

2 In die vigesima et quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darii regis. ²In septimo mense, vigesima et prima mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: ³Loquere ad Zorobabel, filium Salathiel, ducem Juda, et ad Jesum, filium Josedec, sacerdotem magnum, et ad reliquos populi, dicens: ⁴[Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? et quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? ⁵Et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus; et confortare, Jesu, fili Josedec, sacerdos magne; et confortare, omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: et facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum) ⁶verbum quod pepigi vobiscum cum egrederemini de terra Ægypti: et spiritus meus erit in medio vestrum: nolite timere. ⁷Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum, et terram, et mare, et aridam. ⁸Et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. ⁹Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. ¹⁰Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.] ¹¹In vigesima et quarta noni mensis, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens: ¹²Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga sacerdotes legem, dicens: ¹³Si

tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes, dixerunt: Non. ¹⁴ Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, et dixerunt: Contaminabitur. ¹⁵ Et respondit Aggæus, et dixit: [Sic populus iste, et sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, et sic omne opus manuum eorum: et omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. ¹⁶ Et nunc ponite corda vestra a die hac et supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini. ¹⁷ Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, et fierent decem; et intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, et fiebant viginti. ¹⁸ Percussi vos vento urente, et aurugine, et grandine omnia opera manuum vestrarum: et non fuit in vobis qui reverteretur ad me, dicit Dominus. ¹⁹ Ponite corda vestra ex die ista, et in futurum, a die vigesima et quarta noni mensis: a die qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum. ²⁰ Numquid jam semen in germine est, et adhuc vinea, et ficus, et malogranatum, et lignum olivæ non floruit? ex die ista benedicam.] ²¹ Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vigesima et quarta mensis, dicens: ²² Loquere ad Zorobabel ducem Juda, dicens: [Ego movebo cælum pariter et terram, ²³ et subvertam solium regnorum, et conteram fortitudinem regni gentium: et subvertam quadrigam et ascensorem ejus, et descendent equi, et ascensores eorum, vir in gladio fratris sui. ²⁴ In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus: et ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.]

INCIPIT ZACCHARIAS PROPHETA

1 In mense octavo, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiae filii Addo prophetam, dicens: ² Iratus est Dominus super patres vestros iracundia. ³ Et dices ad eos: [Hæc dicit Dominus exercituum: Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum. ⁴ Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum: Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis: et non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus. ⁵ Patres vestri, ubi sunt? et prophetæ numquid in sempiternum vivent? ⁶ Verumtamen verba mea, et legitima mea, quæ mandavi servis meis prophetis, numquid non comprehenderunt patres vestros, et conversi sunt, et dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras, et secundum adinventiones nostras, fecit nobis?] ⁷ In die vigesima et quarta undecimi mensis Sabath, in anno secundo Darii, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiae filii Addo prophetam, dicens: ⁸ Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo, et post eum equi rufi, varii, et albi. ⁹ Et dixi: Quid sunt isti, domine mi? Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi quid sint hæc. ¹⁰ Et respondit vir qui stabat inter myrteta, et dixit: Isti sunt quos misit Dominus ut perambulent terram. ¹¹ Et responderunt angelo Domini, qui stabat inter myrteta, et dixerunt: Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur, et quiescit. ¹² Et respondit angelus Domini, et dixit: Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es? iste jam septuagesimus annus est. ¹³ Et respondit Dominus angelo qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria. ¹⁴ Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me: Clama, dicens: [Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno, ¹⁵ et ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi vero adjuverunt in malum. ¹⁶ Propterea hæc dicit Dominus: Revertar ad Jerusalem in misericordiis, et domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum, et perpendiculum extendetur super Jerusalem.] ¹⁷ Adhuc clama, dicens: [Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc affluent civitates meæ bonis, et consolabitur adhuc Dominus Sion, et eliget adhuc Jerusalem.] ¹⁸ Et levavi oculos meos, et vidi, et ecce quatuor cornua. ¹⁹ Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quid sunt hæc? Et dixit ad me: Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam, et Israël, et Jerusalem. ²⁰ Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros. ²¹ Et dixi: Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens: Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, et nemo eorum levavit caput suum: et venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super terram Juda ut dispergerent eam.

2 Et levavi oculos meos, et vidi, et ecce vir, et in manu ejus funiculus mensurum. ² Et dixi: Quo tu vadis? Et dixit ad me: Ut metiar Jerusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus. ³ Et ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur, et angelus alius egrediebatur in occursum ejus: ⁴ et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Jerusalem, præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus. ⁵ Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus. ⁶ [O, o, fugite de terra aquilonis,

dicit Dominus, quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus. ⁷ O Sion ! fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis: ⁸ quia hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliaverunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei: ⁹ quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt prædæ his qui serviebant sibi: et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. ¹⁰ Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus. ¹¹ Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui: et scies quia Dominus exercituum misit me ad te. ¹² Et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata, et eliget adhuc Jerusalem. ¹³ Sileat omnis caro a facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.]

3 Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum, stantem coram angelo Domini: et Satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei. ² Et dixit Dominus ad Satan: Inrepet Dominus in te, Satan ! et increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem ! numquid non iste torris est erutus de igne? ³ Et Jesus erat indutus vestibus sordidis, et stabat ante faciem angeli. ⁴ Qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis. ⁵ Et dixit: Ponite cidarim mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, et induerunt eum vestibus: et angelus Domini stabat. ⁶ Et contestabatur angelus Domini Jesum, dicens: ⁷ [Hæc dicit Dominus exercituum: Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris, tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea, et dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic assistunt. ⁸ Audi, Jesu sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt: ecce enim ego adducam servum meum Orientem. ⁹ Quia ecce lapis quem dedi coram Jesu: super lapidem unum septem oculi sunt: ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum, et auferam iniquitatem terræ illius in die una. ¹⁰ In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem et subter ficum.]

4 Et reversus est angelus qui loquebatur in me, et suscitavit me quasi virum qui suscitatur de somno suo. ² Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud, et septem infusoria lucernis quæ erant super caput ejus. ³ Et duæ olivæ super illud: una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus. ⁴ Et respondi, et aio ad angelum qui loquebatur in me, dicens: Quid sunt hæc, domine mi? ⁵ Et respondit angelus qui loquebatur in me, et dixit ad me: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi. ⁶ Et respondit, et ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum. ⁷ Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? In planum: et educet lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ ejus. ⁸ Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ⁹ Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam: et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. ¹⁰ Quis enim despexit dies parvos? Et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram. ¹¹ Et respondi, et dixi ad eum: Quid sunt duæ olivæ istæ, ad dexteram candelabri, et ad sinistram ejus? ¹² Et respondi secundo, et dixi ad eum: Quid sunt duæ spicæ olivarum quæ sunt juxta duo rostra aurea in quibus sunt suffusoria ex auro? ¹³ Et ait ad me, dicens: Numquid

nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi. ¹⁴Et dixit: Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.

5 Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi, et ecce volumen volans. ²Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum. ³Et dixit ad me: Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. ⁴Educam illud, dicit Dominus exercituum: et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter: et commorabitur in medio domus ejus, et consumet eam, et ligna ejus, et lapides ejus. ⁵Et egressus est angelus qui loquebatur in me, et dixit ad me: Leva oculos tuos, et vide quid est hoc quod egreditur. ⁶Et dixi: Quidnam est? Et ait: Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in universa terra. ⁷Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. ⁸Et dixit: Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os ejus. ⁹Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce duæ mulieres egredientes: et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi alas milvi, et levaverunt amphoram inter terram et cælum. ¹⁰Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quo istæ deferunt amphoram? ¹¹Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, et stabiliatur, et ponatur ibi super basem suam.

6 Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi: et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: et montes, montes ærei. ²In quadriga prima equi rufi, et in quadriga secunda equi nigri, ³et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii et fortes. ⁴Et respondi, et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quid sunt hæc, domine mi? ⁵Et respondit angelus, et ait ad me: Isti sunt quatuor venti cæli, qui egrediuntur ut stent coram Dominatore omnis terræ. ⁶In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram aquilonis: et albi egressi sunt post eos, et varii egressi sunt ad terram austri. ⁷Qui autem erant robustissimi, exierunt, et quærebant ire et discurrere per omnem terram. Et dixit: Ite, perambulate terram: et perambulaverunt terram. ⁸Et vocavit me, et locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra aquilonis. ⁹Et factum est verbum Domini ad me, dicens: ¹⁰Sume a transmigratione, ab Holdai, et a Tobia, et ab Idaia: et venies tu in die illa, et intrabis domum Josiæ filii Sophoniæ, qui venerunt de Babylone. ¹¹Et sumes aurum et argentum, et facies coronas, et pones in capite Jesu filii Josedec, sacerdotis magni: ¹²et loqueris ad eum, dicens: Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Ecce vir, Oriens nomen ejus, et subter eum orietur, et ædificabit templum Domino. ¹³Et ipse exstruet templum Domino: et ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo: et erit sacerdos super solio suo, et consilium pacis erit inter illos duos. ¹⁴Et coronæ erunt Helem, et Tobia, et Idaia, et Hem filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini. ¹⁵Et qui procul sunt, venient, et ædificabunt in templo Domini: et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

7 Et factum est in anno quarto Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Casleu. ²Et miserunt ad domum Dei Sarasar et Rogommelech, et viri qui erant cum eo, ad deprecandam faciem Domini: ³ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum, et prophetis, loquentes:

Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut jam feci multis annis? ⁴ Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: ⁵ Loquere ad omnem populum terræ, et ad sacerdotes, dicens: Cum jejunaretis, et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunastis mihi? ⁶ et cum comedistis et bibistis, numquid non vobis comedistis et vobismetipsis bibistis? ⁷ numquid non sunt verba quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Jerusalem habitaretur ut esset opulenta, ipsa et urbes in circuitu ejus, et ad austrum, et in campestribus habitaretur? ⁸ Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens: ⁹ Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. ¹⁰ Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari: et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. ¹¹ Et noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem, et aures suas aggravaverunt ne audirent. ¹² Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, et verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum: et facta est indignatio magna a Domino exercituum. ¹³ Et factum est sicut locutus est, et non audierunt: sic clamabunt et non exaudiam, dicit Dominus exercituum. ¹⁴ Et dispersi eos per omnia regna quæ nesciunt: et terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens et revertens: et posuerunt terram desiderabilem in desertum.

8 Et factum est verbum Domini exercituum, dicens: ² Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam. ³ Hæc dicit Dominus exercituum: Reversus sum ad Sion, et habitabo in medio Jerusalem: et vocabitur Jerusalem civitas veritatis, et mons Domini exercituum mons sanctificatus. ⁴ Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc habitabunt senes et anus in plateis Jerusalem, et viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum. ⁵ Et plateæ civitatis complebuntur infantibus et puellis, ludentibus in plateis ejus. ⁶ Hæc dicit Dominus exercituum: Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit? dicit Dominus exercituum. ⁷ Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego salvabo populum meum de terra orientis et de terra occasus solis. ⁸ Et adducam eos, et habitabunt in medio Jerusalem: et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, in veritate et in justitia. ⁹ Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur. ¹⁰ Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat: neque introëunti, neque exeunti erat pax præ tribulatione: et dimisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum. ¹¹ Nunc autem non juxta dies priores ego faciam reliquiis populi hujus, dicit Dominus exercituum, ¹² sed semen pacis erit: vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et cæli dabunt rorem suum: et possidere faciam reliquias populi hujus universa hæc. ¹³ Et erit: sicut eratis maledictio in gentibus, domus Juda et domus Israël, sic salvabo vos, et eritis benedictio. Nolite timere; confortentur manus vestræ. ¹⁴ Quia hæc dicit Dominus exercituum: Sicut cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocassent patres vestri me, dicit Dominus, ¹⁵ et non sum misertus: sic conversus cogitavi, in diebus istis, ut benefaciam domui Juda et Jerusalem. Nolite timere. ¹⁶ Hæc sunt ergo verba quæ facietis: loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: veritatem et iudicium pacis judicate in portis vestris. ¹⁷ Et unusquisque malum contra amicum suum

ne cogitetis in cordibus vestris, et iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus. ¹⁸Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: ¹⁹Hæc dicit Dominus exercituum: Jejuniū quarti, et jejuniū quinti, et jejuniū septimi, et jejuniū decimi erit domui Juda in gaudium et lætitiā et in solemnitates præclaras. Veritatem tantum et pacem diligite. ²⁰Hæc dicit Dominus exercituum, usquequo veniant populi et habitent in civitatibus multis: ²¹et vadant habitatores, unus ad alterum, dicentes: Eamus, et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum exercituum: vadam etiam ego. ²²Et venient populi multi, et gentes robustæ, ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, et deprecandam faciem Domini. ²³Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum: audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.

9 [Onus verbi Domini in terra Hadrach et Damasci requiei ejus, quia Domini est oculus hominis et omnium tribuum Israël. ²Emath quoque in terminis ejus, et Tyrus, et Sidon: assumpserunt quippe sibi sapientiam valde. ³Et ædificavit Tyrus munitionem suam, et coacervavit argentum quasi humum, et aurum ut lutum platearum. ⁴Ecce Dominus possidebit eam: et percutiet in mari fortitudinem ejus, et hæc igni devorabitur. ⁵Videbit Ascalon, et timebit, et Gaza, et dolebit nimis, et Accaron, quoniam confusa est spes ejus: et peribit rex de Gaza, et Ascalon non habitabitur. ⁶Et sedebit separator in Azoto, et disperdam superbiam Philisthinorum. ⁷Et auferam sanguinem ejus de ore ejus, et abominationes ejus de medio dentium ejus: et relinquetur etiam ipse Deo nostro, et erit quasi dux in Juda, et Accaron quasi Jebusæus. ⁸Et circumdabo domum meam ex his qui militant mihi euntes et revertentes: et non transibit super eos ultra exactor, quia nunc vidi in oculis meis.] ⁹[Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ. ¹⁰Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli: et loquetur pacem gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ. ¹¹Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. ¹²Convertimini ad munitionem, vincti spei: hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi. ¹³Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum: implevi Ephraim: et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia: et ponam te quasi gladium fortium. ¹⁴Et Dominus Deus super eos videbitur, et exhibit ut fulgur jaculum ejus: et Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine austri. ¹⁵Dominus exercituum proteget eos: et devorabunt, et subjicient lapidibus fundæ: et bibentes inebriabuntur quasi a vino, et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris. ¹⁶Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui, quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. ¹⁷Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?]

10 [Petite a Domino pluviam in tempore serotino, et Dominus faciet nives: et pluviam imbris dabit eis, singulis herbam in agro. ²Quia simulacra locuta sunt inutile, et divini viderunt mendacium: et somniatores locuti sunt frustra, vane consolabantur: idcirco abducti sunt quasi grex: affligentur, quia non est eis pastor. ³Super pastores iratus est furor meus, et super hircos visitabo: quia visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Juda, et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello. ⁴Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egredietur

omnis exactor simul. ⁵ Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio, et bellabunt, quia Dominus cum eis: et confundentur ascensores equorum. ⁶ Et confortabo domum Juda, et domum Joseph salvabo: et convertam eos, quia miserebor eorum: et erunt sicut fuerunt quando non projeceram eos: ego enim Dominus Deus eorum, et exaudiam eos. ⁷ Et erunt quasi fortes Ephraim, et lætabitur cor eorum quasi a vino: et filii eorum videbunt, et lætabuntur, et exsultabit cor eorum in Domino. ⁸ Sibilabo eis, et congregabo illos, quia redemi eos: et multiplicabo eos sicut ante fuerant multiplicati. ⁹ Et seminabo eos in populis, et de longe recordabuntur mei: et vivent cum filiis suis, et revertentur. ¹⁰ Et reducam eos de terra Ægypti, et de Assyrii congregabo eos, et ad terram Galaad et Libani adducam eos, et non inveniatur eis locus: ¹¹ et transibit in maris freto, et percutiet in mari fluctus, et confundentur omnia profunda fluminis: et humiliabitur superbia Assur, et sceptrum Ægypti recedet. ¹² Confortabo eos in Domino, et in nomine ejus ambulabunt, dicit Dominus.]

11 [Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas. ² Ulula, abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: ululate, quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus. ³ Vox ululatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum: vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Jordanis.] ⁴ Hæc dicit Dominus Deus meus: Pasce pecora occisionis, ⁵ quæ qui possederant occidebant, et non dolebant, et vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus ! divites facti sumus: et pastores eorum non parcebant eis. ⁶ Et ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus: ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui, et in manu regis sui: et concident terram, et non eruam de manu eorum. ⁷ Et pascam pecus occisionis propter hoc, o pauperes gregis ! et assumpsi mihi duas virgas: unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum: et pavi gregem. ⁸ Et succidi tres pastores in mense uno, et contracta est anima mea in eis, siquidem et anima eorum variavit in me. ⁹ Et dixi: Non pascam vos: quod moritur, moriatur, et quod succiditur, succidatur: et reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui. ¹⁰ Et tuli virgam meam quæ vocabatur Decus, et abscidi eam, ut irritum facerem fœdus meum quod percussi cum omnibus populis. ¹¹ Et in irritum deductum est in die illa: et cognoverunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est. ¹² Et dixi ad eos: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam: et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. ¹³ Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium quo appetiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini, ad statuarium. ¹⁴ Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Judam et Israël. ¹⁵ Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti. ¹⁶ Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, et contritum non sanabit, et id quod stat non enutriet, et carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvit. ¹⁷ O pastor, et idolum derelinquens gregem: gladius super brachium ejus, et super oculum dextrum ejus: brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.

12 Onus verbi Domini super Israël. [Dicit Dominus extendens cælum, et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo: ² Ecce ego ponam Jerusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu: sed et Juda erit in obsidione contra Jerusalem. ³ Et erit: in die illa ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis: omnes qui levabunt eam concisione lacerabuntur, et colligentur adversus eam om-

nia regna terræ. ⁴In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem, et ascensorem ejus in amentiam: et super domum Juda aperiam oculos meos, et omnem equum populorum percutiam cæcitate. ⁵Et dicent duces Juda in corde suo: Confortentur mihi habitatores Jerusalem in Domino exercituum, Deo eorum ! ⁶In die illa ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis, et sicut facem ignis in fœno: et devorabunt ad dexteram et ad sinistram omnes populos in circuitu, et habitabitur Jerusalem rursus in loco suo in Jerusalem. ⁷Et salvabit Dominus tabernacula Juda, sicut in principio, ut non magnifice gloriatur domus David, et gloria habitantium Jerusalem contra Judam. ⁸In die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem: et erit qui offenderit ex eis in die illa quasi David, et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum.] ⁹[Et erit in die illa: quæram contere omnes gentes quæ veniunt contra Jerusalem.] ¹⁰Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum: et aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. ¹¹In die illa, magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. ¹²Et planget terra: familiæ et familiæ seorsum: familiæ domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum: ¹³familiæ domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum: familiæ domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum: familiæ Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum: ¹⁴omnes familiæ reliquæ, familiæ et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum.]

13 [In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablu-tionem peccatoris et menstruata. ²Et erit in die illa, dicit Dominus exerci-tuum: disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra: et pseu-doprophetas, et spiritum immundum auferam de terra. ³Et erit: cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus et mater ejus, qui genuerunt eum: Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini: et configent eum pater ejus et mater ejus, genitores ejus, cum prophetaverit. ⁴Et erit: in die illa confundentur prophetæ, unusquisque ex visione sua cum prophetaverit: nec operientur pallio saccino, ut mentiantur: ⁵sed dicet: Non sum propheta: homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. ⁶Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.] ⁷Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percutite pastorem, et dispergentur oves: et convertam manum meam ad parvulos. ⁸Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea disper-gentur, et deficient: et tertia pars relinquetur in ea. ⁹Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam: Populus meus es: et ipse dicet: Dominus Deus meus.

14 Ecce venient dies Domini, et dividentur spolia tua in medio tui. ²Et congre-gabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium: et capiatur civitas, et vastabun-tur domus, et mulieres violabuntur: et egredietur media pars civitatis in captivi-tatem, et reliquum populi non auferetur ex urbe. ³Et egredietur Dominus, et præli-abitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis. ⁴Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad orientem: et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad orientem et ad occidentem, prærupto grandi valde: et separabitur medium montis ad aquilonem, et medium ejus ad meri-

diem. ⁵ Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam conjugetur vallis montium usque ad proximum: et fugietis sicut fugistis a facie terræmotus in diebus Oziæ regis Juda: et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. ⁶ Et erit in die illa: non erit lux, sed frigus et gelu. ⁷ Et erit dies una quæ nota est Domino, non dies neque nox: et in tempore vesperi erit lux. ⁸ Et erit in die illa: exhibunt aquæ vivæ de Jerusalem: medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum: in æstate et in hieme erunt. ⁹ Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum. ¹⁰ Et revertetur omnis terra usque ad desertum, de colle Remmon ad austrum Jerusalem: et exaltabitur, et habitabit in loco suo, a porta Benjamin usque ad locum portæ prioris, et usque ad portam angulorum, et a turre Hananeel usque ad torcularia regis. ¹¹ Et habitabunt in ea, et anathema non erit amplius, sed sedebit Jerusalem segura. ¹² Et hæc erit plaga qua percutiet Dominus omnes gentes quæ pugnaverunt adversus Jerusalem: tabescet caro uniuscujusque stantis super pedes suos: et oculi ejus contabescunt in foraminibus suis, et lingua eorum contabescet in ore suo. ¹³ In die illa erit tumultus Domini magnus in eis: et apprehendet vir manum proximi sui, et conseretur manus ejus super manum proximi sui. ¹⁴ Sed et Judas pugnabit adversus Jerusalem: et congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuitu, aurum, et argentum, et vestes multæ satis. ¹⁵ Et sic erit ruina equi, et muli, et cameli, et asini, et omnium jumentorum quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc. ¹⁶ Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum ut adorent regem, Dominum exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum. ¹⁷ Et erit: qui non ascenderit de familiis terræ ad Jerusalem ut adoret regem, Dominum exercituum, non erit super eos imber. ¹⁸ Quod etsi familia Ægypti non ascenderit et non venerit, nec super eos erit: sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. ¹⁹ Hoc erit peccatum Ægypti, et hoc peccatum omnium gentium quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. ²⁰ In die illa, erit quod super frenum equi est, sanctum Domino: et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari. ²¹ Et erit omnis lebes in Jerusalem et in Juda sanctificatus Domino exercituum: et venient omnes immolantes, et sument ex eis, et coquent in eis: et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo.

INCIPIT MALACHI PROPHETA

1 Onus verbi Domini ad Israël in manu Malachiæ. ²Dilexi vos, dicit Dominus, et dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob? dicit Dominus: et dilexi Jacob, ³Esau autem odio habui, et posui montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti. ⁴Quod si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt: hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, et ego destruam: et vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum. ⁵Et oculi vestri videbunt, et vos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israël. ⁶Filius honorat patrem, et servus dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum. Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis: In quo despeximus nomen tuum? ⁷Offertis super altare meum panem pollutum, et dicitis: In quo polluimus te? in eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est. ⁸Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? et si offeratis claudum et languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. ⁹Et nunc deprecamini vultum Dei ut misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc), si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum. ¹⁰Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. ¹¹Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur: et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. ¹²Et vos polluistis illud in eo quod dicitis: Mensa Domini contaminata est, et quod superponitur contemptibilis est, cum igne qui illud devorat. ¹³Et dixistis: Ecce de labore, et exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum: et intulistis de rapinis claudum et languidum, et intulistis munus: numquid suscipiam illud de manu vestra? dicit Dominus. ¹⁴Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino: quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus.

2 Et nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes. ²Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis, quoniam non posuistis super cor. ³Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assumet vos secum. ⁴Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum. ⁵Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis: et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat. ⁶Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus: in pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. ⁷Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. ⁸Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. ⁹Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege. ¹⁰Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo despicit

unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? ¹¹ Transgressus est Juda, et abominatio facta est in Israël et in Jerusalem, quia contaminavit Juda sanctificationem Domini, quam dilexit, et habuit filiam dei alieni. ¹² Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum, de tabernaculis Jacob, et offerentem munus Domino exercituum. ¹³ Et hoc rursus fecistis: operiebatis lacrimis altare Domini, fletu et mugitu, ita ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. ¹⁴ Et dixistis: Quam ob causam? Quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti: et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui. ¹⁵ Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus est? et quid unus quærit, nisi semen Dei? custodite ergo spiritum vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicerere. ¹⁶ Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israël: operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum. Custodite spiritum vestrum, et nolite despicerere. ¹⁷ Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis: In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent: aut certe ubi est Deus iudicii?

3 Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam: et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. ² Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum: ³ et sedebit conflans, et emundans argentum: et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. ⁴ Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui. ⁵ Et accedam ad vos in iudicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. ⁶ Ego enim Dominus, et non mutor: et vos filii Jacob, non estis consumpti. ⁷ A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, et non custodistis: revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis: In quo revertemur? ⁸ Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis et in primitiis. ⁹ Et in penuria vos maledicti estis, et me vos configitis gens tota. ¹⁰ Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea: et probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas cæli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam: ¹¹ et increpabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. ¹² Et beatos vos dicent omnes gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. ¹³ Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus. ¹⁴ Et dixistis: Quid locuti sumus contra te? Dixistis: Vanus est qui servit Deo: et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? ¹⁵ Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem, et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt. ¹⁶ Tunc locuti sunt timentes Dominum, unusquisque cum proximo suo: et attendit Dominus, et audivit, et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, et cogitantibus nomen ejus. ¹⁷ Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium: et parcam eis, sicut parcat vir filio suo servienti sibi. ¹⁸ Et con-

vertemini, et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei.

4 Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus: et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula: et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem et germen. ²Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus: et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento. ³Et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum. ⁴Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israël, præcepta et judicia. ⁵Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. ⁶Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.

INCIPIT LIBER TOBLÆ

1 Tobias ex tribu et civitate Nephthali (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam quæ ducit ad occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet)** ² cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captivitate tamen positus, viam veritatis non deseruit, ³ ita ut omnia quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, impertiret.†† ⁴ Cumque esset junior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere.‡‡ ⁵ Denique, cum irent omnes ad vitulos aureos quos Jeroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium. ⁶ Sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiva sua et decimas suas fideliter offerens,¶¶ ⁷ ita ut in tertio anno proselytis et advenis ministraret omnem decimationem. ⁸ Hæc et his similia secundum legem Dei puerulus observabat. ⁹ Cum vero factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei:§§ ¹⁰ quem ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato.* ¹¹ Igitur, cum per captivitatem devenisset cum uxore sua et filio in civitatem Niniven cum omni tribu sua ¹² (cum omnes ederent ex cibis gentilium), iste

**1.1 *Tobias*. BED., in Tob., tom. 2. Liber Tobie est in superficie litteræ salubris. Maximis enim vitæ moralis exemplis abundat, et monitis. Sed quantum poma foliis, tantum historiæ allegoria præcellit. Maxima enim Ecclesiæ continet sacramenta. Ipse enim Tobias populum Israël significat, qui cæteris gentibus idololatriæ deditis, fide recta et operibus Deo serviebat. Unde: *Cum irent, etc.* Jeroboam namque qui fabricavit ad deceptionem subditorum vitulos aureos, idololatriæ cultores exprimit, quorum complices significantur in subditis. *Nephthali*. ID., ibid. Latitudo, de qua: *Latum mandatum tuum nimis Psal. 118.*, cujus tribus, id est filii populus fidelis, ejus civitas Ecclesia, de qua: *Non potest civitas abscondi supra montem posita Matth. 15.. Supra Naasson*. Naasson augurium, hujus civitas superiora auguratur, id est, contemplatur cœlestia. BEDA ubi supra. Tobie captivitas humani generis captivitatem designat per regem omnium pravorum, id est diabolium, qui nos de patria cœlesti in hujus exsiliî vallem dejecit.

††1.3 *Ita ut omnia, etc.* ID., ibid. Sic populus Israël per doctores divini verbi eleemosynam non solum rudibus suæ gentis auditoribus, sed gentibus ad Judæismum venientibus ministrabat. Quidquid enim naturaliter boni habuit quod hostis captivans non abstulit, hoc suis in exemplum virtutis ostendebat, et portionem salutaris scientiæ tanquam decimam suæ substantiæ advenis, id est Gentilibus offerebat.

‡‡1.4 *Nihil tamen puerile*. Jam illud apostolicum gerebat in pectore: *Nolite, pueri, effici, etc. I Cor. 14.. Hoc autem secundum illos dictum est quod incedebant in mandatis Domini sine querela, secundum illam regulam Tyconii, qua tanquam de eodem agentes, aliquando propter bonos omnes laudamus, aliquando propter malos omnes vituperamus, quod est secunda regula.*

¶¶1.6 *Omnia primitiva* ID., ibid.. Videtur obloqui, quod prima decimatio cedebat in usus Levitarum, secunda in necessariis erogandis quando visitabatur templum. Sed tertii anni decimas quas tunc consueverant facere, concedebant pauperibus. Et ideo dicimus omnem illam vel omnes secundas, quia non poterat accedere ad templum timore custodum regis.

§§1.9 *Cum vero factus esset vir* ID., ibid.. Sic populus Israël, etc., usque ad unde: *Primogenitus meus Israël Exod. 4..*

*1.10 *Quem ab infantia timere*, etc., credendo et confitendo scilicet quod nunquam peccatum faceret, sed ipsum timoris Domini spiritu impleret.

custodivit animam suam, et numquam contaminatus est in escis eorum. ¹³ Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis, [†] ¹⁴ et dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset. ¹⁵ Pergebat ergo ad omnes qui erant in captivitate, et monita salutis dabat eis. ¹⁶ Cum autem venisset in Rages civitatem Medorum, et ex his quibus honoratus fuerat a rege, habuisset decem talenta argenti: [‡] ¹⁷ et cum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu ejus, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti. ¹⁸ Post multum vero temporis, mortuo Salmanasar rege, cum regnaret Sennacherib filius ejus pro eo, et filios Israël exosos haberet in conspectu suo, ¹⁹ Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, et consolabatur eos, dividebatque unicuique, prout poterat, de facultatibus suis: ²⁰ esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, et mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat. [†] ²¹ Denique cum reversus esset rex Sennacherib, fugiens a Judæa plagam quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, et iratus multos occideret ex filiis Israël, Tobias sepeliebat corpora eorum. [§] ²² At ubi nuntiatum est regi, jussit eum occidi, et tulit omnem substantiam ejus. ²³ Tobias vero cum filio suo et cum uxore suo fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum. ²⁴ Post dies vero quadraginta quinque occiderunt regem filii ipsius, ²⁵ et reversus est Tobias in domum suam, omnisque facultas ejus restituta est ei.

2 Post hæc vero, cum esset dies festus Domini, et factum esset prandium bonum in domo Tobia, ² dixit filio suo: Vade, et adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum. ³ Cumque abiisset, reversus nuntiavit ei unum ex filiis Israël jugulatum jacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunos pervenit ad corpus: ⁴ tollensque illud portavit ad domum suam occulte, ut dum sol occubisset, caute sepeliret eum. ⁵ Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu et tremore, ⁶ memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos prophetam: Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum. ⁷ Cum vero sol occubisset, abiit, et sepelivit eum. ⁸ Arguebant autem eum omnes proximi ejus, dicentes: Jam hujus rei causa interfici jussus es, et vix effugisti mortis imperium, et iterum sepelis mortuos? ⁹ Sed Tobias plus timens Deum quam regem, rapiebat corpora occisorum, et occultabat in domo sua, et mediis noctibus sepeliebat ea. ¹⁰ Contigit autem ut quadam die fatigatus a sepultura, veniens in do-

[†]1.13 *In conspectu Salmanasar*, etc. Non obloquitur quod alibi dicitur Salmanasar, qui et Sennacherib: erat enim binomius, vel generaliter omnes reges Medorum sic vocabantur sicut Ægypti Pharaones.

[‡]1.16 *Cum autem venisset*, etc. ID., ibid. Sic populus Dei, etc., usque ad et Scripturæ arcana pandunt.

[§]1.20 *Sepulturam exhibebat*, etc., peccatorum: ut nec memoria in illis remaneret. Tali sepultura voluerunt patres nostri honorari juxta sepulturam Christi. Unde Jacob in Judæa se voluit sepeliri, et Joseph de ossibus suis mandavit.

[†]1.21 *Denique cum reversus esset*, etc. Bene Sennacherib de Judæa fugit: diabolus enim veram confessionem pertimescit: et ante faciem ejus non subsistit

mum suam, jactasset se juxta parietem, et obdormisset,** 11 et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fieretque cæcus. 12 Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job. 13 Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum quod plaga cæcitatatis eveniret ei, 14 sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.†† 15 Nam sicut beato Job insultabant reges, ita isti parentes et cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes:‡‡ 16 Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas? 17 Tobias vero increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui: 18 quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo. 19 Anna vero uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, et de labore manuum suarum victum quem consequi poterat, deferebat. 20 Unde factum est ut hædum caprarum accipiens detulisset domi: 21 cujus cum vocem balantis vir ejus audisset, dixit: Videte, ne forte furtivus sit: reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. 22 Ad hæc uxor ejus irata respondit: Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt. 23 Atque his et aliis hujuscemodi verbis exprobrabat ei.

3 Tunc Tobias ingemuit, et cœpit orare cum lacrimis, 2 dicens: [Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ, misericordia, et veritas, et iudicium. 3 Et nunc Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. 4 Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, et captivitatem, et mortem, et in fabulam, et in improprium omnibus nationibus in quibus dispersisti nos. 5 Et nunc Domine, magna judicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, et non ambulavimus sinceriter coram te. 6 Et nunc Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quam vivere.] 7 Eadem itaque die, contigit ut Sara filia Raguelis in Rages civitate

**2.10 *Contigit*, etc. BED., in Tob., tom. 2. Nemo miretur si aliquando bonum typice malum, mala bonum significant. Si enim hoc non liceret nunquam nigro atramento, sed semper auro lucido nomen Dei scriberetur: quia Deus lux est. Sed si nomen diaboli calculo candido scribas, nihilominus tenebras significat. Cæcatus ergo Tobias populum Israël significat. *Cæcitas enim ex parte contigit in Israël Rom. 2.* Fatigatus a sepultura est cæcatus. Qui enim infatigabilis in bonis operibus persistit, fidei lumen non admittit. Ita spiritualer fatigatus dormit, qui vigilare, stare, viriliter agere, et confortari negligit. Cui dicitur: *Surge qui dormis et exsurge a mortuis Ephes. 5.* BED., ibid. Hirundines propter levem volatum, superbiam levitatemque significant: quarum immunditia quibus dominatur excæcat. Nido hirundineo suppositus dormit, qui levitati lasciviæ, ac superbiæ se incantus subjicit. Hæc cæcitas populo Israël, imminente Domini adventu in carne, maxime prævaluit, cum romanæ servitutis jugo laboraret, et divinæ legis præcepta male vivendo violaret.

††2.14 *Sed immobilis*, etc. Quia a domo Dei incipit iudicium. Unde: *A sanctuario meo incipite Ezech. 9.* Qui non corripitur non est filius: *Qui parcit virgæ, odit filium Prov. 13.* *Paulus tanquam puer colaphizatur, tanquam juvenis extollitur.*

‡‡2.15 *Insultabant reges*, etc. BED., ibid. Erant in populo, etc., usque ad unde: *Charitas patiens est, benigna est II Cor. 13.*

Medorum et ipsa audiret improperium ab una ex ancillis patris sui,[¶] ⁸ quoniam tradita fuerat septem viris, et dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam. ⁹ Ergo cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens: Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfecitrix virorum tuorum. ¹⁰ Numquid et occidere me vis, sicut jam occidisti septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ: et tribus diebus, et tribus noctibus non manducavit, neque bibit: ¹¹ sed in oratione persistens cum lacrimis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam. ¹² Factum est autem die tertia, dum compleret orationem, benedicens Dominum ¹³ dixit: Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum: qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te. ¹⁴ Ad te, Domine, faciem meam converto; ad te oculos meos dirigo. ¹⁵ Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me. ¹⁶ Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. ¹⁷ Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulat, participem me præbui. ¹⁸ Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea, consensi suscipere. ¹⁹ Et, aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni, quia forsitan viro alii conservasti me. ²⁰ Non est enim in hominis potestate consilium tuum. ²¹ Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit: quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; et si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. ²² Non enim delectaris in perdicionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis, et post lacrimationem et fletum, exultationem infundis. ²³ Sit nomen tuum, Deus Israël, benedictum in sæcula. ²⁴ In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei: ²⁵ et missus est angelus Domini sanctus Raphaël ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.

4 Igitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri ut mori potuisset, vocavit ad se Tobiam filium suum, ² dixitque ei: Audi, fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamentum construe. ³ Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus:^{§§} ⁴ memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. ⁵ Cum autem et ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me. ⁶ Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: et cave ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri. ⁷ Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. ⁸ Quomodo potueris, ita esto misericors. ⁹ Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. ¹⁰ Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis: ¹¹ quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. ¹² Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam. ¹³ Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam numquam patiaris crimen scire. ¹⁴ Su-

[¶]3.7 *Ut Sara, etc.* BED., in Tob. tom. 2. Turbam notionum signat, etc., usque ad Daniel in cœnaculo orat, et Elisæus habet cœnacula, et Christus in cœnaculo pascha celebrat.

^{§§}4.3 *Corpus meum sepeli.* Corpora sepeliendo quasi sacrosanctum depositum terræ commendamus, quæ reddenda et glorificanda in resurrectione credimus.

perbiam numquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. ¹⁵ Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. ¹⁶ Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. ¹⁷ Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege. ¹⁸ Panem tuum et vinum tuum super sepulturam iusti constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus. ¹⁹ Consilium semper a sapiente perquire. ²⁰ Omni tempore benedic Deum: et pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. ²¹ Indico etiam tibi, fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo, in Rages civitate Medorum, et chirographum ejus apud me habeo: ²² et ideo perquire quomodo ad eum pervenias, et recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, et restituas ei chirographum suum. ²³ Noli timere, fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene.

5 Tunc respondit Tobias patri suo, et dixit: Omnia quæcumque præcepisti mihi faciam, pater. ² Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro: ille me nescit, et ego eum ignoro: quod signum dabo ei? sed neque viam per quam pergatur illuc aliquando cognovi. ³ Tunc pater suus respondit illi, et dixit: Chirographum quidem illius penes me habeo: quod dum illi ostenderis, statim restituet. ⁴ Sed perge nunc, et inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salva mercede sua, ut dum adhuc vivo, recipias eam. ⁵ Tunc egressus Tobias, invenit juvenem splendidum stantem præinctum, et quasi paratum ad ambulandum. ⁶ Et ignorans quod angelus Dei esset, salutavit eum, et dixit: Unde te habemus, bone juvenis? ⁷ At ille respondit: Ex filiis Israël. Et Tobias dixit ei: Nosti viam quæ ducit in regionem Medorum? ⁸ Cui respondit: Novi: et omnia itinera ejus frequenter ambulavi, et mansi apud Gabelum fratrem nostrum, qui moratur in Rages civitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatani. ⁹ Cui Tobias ait: Sustine me obsecro, donec hæc ipsa nuntiem patri meo. ¹⁰ Tunc ingressus Tobias, indicavit universa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogavit ut introiret ad eum. ¹¹ Ingressus itaque salutavit eum, et dixit: Gaudium tibi sit semper. ¹² Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video? ¹³ Cui ait juvenis: Forti animo esto: in proximo est ut a Deo cureris. ¹⁴ Dixit itaque illi Tobias: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages civitatem Medorum? et cum redieris, restituam tibi mercedem tuam. ¹⁵ Et

*5.7 *Ex filiis Israël.* Erat enim ex numero angelorum, qui sunt filii Israël, quia semper vident Deum facie ad faciem, et sæpe mittuntur in custodia filiorum Israël, id est videntium Deum. Unde: *Constitui terminos populorum juxta numerum filiorum Israël Deut. 52.*

†5.10 *Tunc ingressus,* etc. BED., ubi supra. Apparuit angelus Tobie et socium se præbuit et Filius Dei hominem assumpsit, et visibiliter cum hominibus conversatus humanum genus salvavit. Introduxit Tobias angelum ad patrem, etc., et Dominus per miracula quæ in carne fecit populo Judæorum, ex quo carnem susceperat, ostendit: quia est filius et angelus, id est nuntius paternæ voluntatis, cui etiam gaudium perpetuæ salutis prædicavit, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum. Matth. 3.* Et desperantibus de lumine cœlesti *Ego sum, inquit, lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris Joan. 8.*

dixit ei angelus: Ego ducam, et reducam eum ad te.[‡] ¹⁶ Cui Tobias respondit: Rogo te, indica mihi de qua domo aut de qua tribu es tu. ¹⁷ Cui Raphaël angelus dixit: Genus quæris mercenarii, an ipsum mercenarium qui cum filio tuo eat? ¹⁸ sed ne forte sollicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius.[¶] ¹⁹ Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris quod voluerim cognoscere genus tuum. ²⁰ Dixit autem illi angelus: Ego sanum ducam, et sanum tibi reducam filium tuum. ²¹ Respondens autem Tobias, ait: Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro, et angelus ejus comitetur vobiscum. ²² Tunc paratis omnibus quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo et matri suæ, et ambulaverunt ambo simul.[§] ²³ Cumque profecti essent, cœpit mater ejus flere, et dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti, et transmisisti a nobis. ²⁴ Numquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum: ²⁵ sufficiebat enim nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum. ²⁶ Dixitque ei Tobias: Noli flere: salvus perveniet filius noster, et salvus revertetur ad nos, et oculi tui videbunt illum. ²⁷ Credo enim quod angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnia quæ circa eum geruntur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos. ²⁸ Ad hanc vocem cessavit mater ejus flere, et tacuit.

6 Profectus est autem Tobias, et canis secutus est eum, et mansit prima mansione juxta fluvium Tigris.^{**} ² Et exivit ut lavaret pedes suos, et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum.^{††} ³ Quem expavescens Tobias clamavit voce magna, dicens: Domine, invadit me.^{‡‡} ⁴ Et dixit ei angelus: Apprehende branchiam ejus, et trahe eum ad te. Quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, et palpitare cœpit ante

[‡]5.15 *Et dixit ei angelus.* ID., ibid. Promittit angelus Tobia ducere filium suum in civitatem Medorum et reducere, etc., usque ad interrogante angelum Tobia unde esset.

[¶]5.18 Ego sum, inquit, Azarias Ananiæ magni filius, ID., ibid. Azarias *adjutor*, Ananias *gloria Dei*. Christus quoque fidelibus suis indicat, quia ipse est de quo dicitur: *Adjutor meus et liberator meus es tu, Domine, ne moreris Psal. 69.. Et vidimus gloriam ejus, quasi unigeniti a Patre Joan. 1..*

[§]5.22 *Tunc paratis.* BED., ubi supra. Apparente Domino in carne, etc., usque ad et sic ad salutem gentium per apostolos pervenit.

^{**}6.1 *Profectus est,* etc. BEDA, in Esdr., tom. 2. Domino veniente ad gentes salvandas, etc., usque ad et oves spirituales a furibus et bestialibus spiritibus et hæreticis defendunt.

^{††}6.2 *Et ecce piscis,* etc. BEDA, ubi supra. Dominicæ passionis sacramentum manifeste significatur, etc., usque ad nec in eo princeps mundi veniens quidquam habuit. *Exivit.* ID., ibid. Christus mortem cui nil debebat accepit, ut pedes, scilicet suos, id est membra sua a contagione peccati et mortis ablueret. Occurrit piscis eum devorare cupiens, et Domino in cruce passo diabolus, quo movente crucifixus erat, advenit, quærens si quid peccati in eo invenisset.

^{‡‡}6.3 *Quem expavescens,* etc. Christus imminente mortis articulo cœpit pavere et tædere, non diabolus, sed mortem, quæ invidia diaboli intravit in orbem, naturali carnis fragilitate perhorrescens; unde: *Pater, transfer calicem hunc a me Marc. 14..*

pedes ejus.[¶] ⁵Tunc dixit ei angelus: Exentera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter.^{§§} ⁶Quod cum fecisset, assavit carnes ejus, et secum tulerunt in via: cetera salierunt, quæ sufficerent eis, quousque pervenirent in Rages civitatem Medorum.* ⁷Tunc interrogavit Tobias angelum, et dixit ei: Obsecro te, Azaria frater, ut dicas mihi quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servare jussisti? ⁸Et respondens angelus, dixit ei: Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum sive a viro, sive a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. ⁹Et fel valet ad unguendos oculos in quibus fuerit albugo, et sanabuntur. ¹⁰Et dixit ei Tobias: Ubi vis ut maneamus? ¹¹Respondensque angelus, ait: Est hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, et hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum neque feminam ullam habet aliam præter eam. ¹²Tibi debetur omnis substantia ejus, et oportet eam te accipere conjugem.† ¹³Pete ergo eam a patre ejus, et dabit tibi eam in uxorem. ¹⁴Tunc respondit Tobias, et dixit: Audio quia tradita est septem viris, et mortui sunt: sed et hoc audivi, quia dæmonium occidit illos. ¹⁵Timeo ergo, ne forte et mihi hæc eveniant: et cum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. ¹⁶Tunc angelus Raphaël dixit ei: Audi me, et ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. ¹⁷Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent sicut equus et mulus quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos. ¹⁸Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, et nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea. ¹⁹Ipsa autem nocte, incenso jecore piscis, fugabitur dæmonium. ²⁰Secunda vero nocte in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris. ²¹Tertia autem nocte, benedictionem consequeris, ut filii ex

[¶]6.4 *Apprehende branchiam*, etc. BED., ibid. Apprehendit Christus di bolum qui eum capere in cruce voluit, et moriendo vicit. Apprehendit ergo branchiam, ut caput nequissimum a corpore, potentiæ suæ dextera separaret, id est nequitiam antiqui hostis ab his, quos sibi corpus fecerat, auferret, et hos corpori suo, id est Ecclesiæ inferret. Branchiam enim habet piscis in confinio capitis et corporis, est autem Christus caput Ecclesiæ, quæ est corpus ejus, et diabolus caput iniquorum, qui sunt corpus ejus. *Quod cum fecisset*. Quia cum Dominus nequitiam diaboli manifestaret, molitus est adhuc electis suis persecutionem commovere: hi enim sunt pedes ejus per quos ambulat in terra qui per omnia regnat in celo.

^{§§}6.5 *Exentera hunc piscem*. Dominus piscem exenteravit, cum nequitiam diaboli latius sanctis aperuit: et quasi arcana insidiarum ejus reseravit. Reposuit sibi cor ejus, quia calliditatem ejus in Scripturis indicavit, de quo dicitur: *Serpens erat calidior cunctis animantibus terræ Gen. 3.*, et alibi: *Num ignoramus astutius ejus II Cor. 2.* Fel quoque reposuit, quia quanto malitiæ furore contra genus humanum sæviat, ad cautelæ studium scribi et conservari voluit. Jecur reposuit, quia maligna ejus consilia adversum nos per doctores veritatis insinuavit: Aiunt enim physici: quia calore et occulta virtute jecoris excoquantur et digerantur cibi. Cum vero quæ agere disponimus, sedula cogitatione, quo ordine sint agenda requirimus, quasi acceptos in stomacho cibos, ardore jecoris excoquimus. *Sunt enim hæc necessaria*. Astutia diaboli et nequitia cognita nobis ad medelam proficiunt: quanto enim ea certius exploramus, tanto certius declinamus

*6.6 *Assavit carnes ejus*, etc. BEDA, ubi supra. Quidquid sibi ex hoc pisce assumpserit, etc., usque ad donec in gentibus Ecclesiæ fundamenta locarentur.

†6.12 *Et oportet*. ID., ibid. Raguel populum gentium signat, etc., usque ad et qui audire dignus sit: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos Joan. 15.*

vobis procreentur incolomes. ²²Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abraham benedictionem in filiis consequaris.

7 Ingressi sunt autem ad Raguel, et suscepit eos Raguel cum gaudio. ²Intuensque Tobiam Raguel, dixit Annæ uxori suæ: Quam similis est juvenis iste consobriño meo ! ³Et cum hæc dixisset, ait: Unde estis juvenes fratres nostri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephthali sumus, ex captivitate Ninive. ⁴Dixitque illis Raguel: Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Novimus. ⁵Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est. ⁶Et misit se Raguel, et cum lacrimis osculatus est eum, et plorans supra collum ejus ⁷dixit: Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri filius es. ⁸Et Anna uxor ejus, et Sara ipsorum filia, lacrimatæ sunt. ⁹Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, et parari convivium. Cumque hortaretur eos discumbere ad prandium, ¹⁰Tobias dixit: Hic ego hodie non manducabo neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, et promittas mihi dare Saram filiam tuam. ¹¹Quo audito verbo Raguel expavit, sciens quid evenerit illis septem viris qui ingressi sunt ad eam: et timere cœpit ne forte et hunc similiter contingeret. Et cum nutaret, et non daret petenti ullum responsum, ¹²dixit ei angelus: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur conjux filia tua: propterea alius non potuit habere illam. ¹³Tunc dixit Raguel: Non dubito quod Deus preces et lacrimas meas in conspectu suo admiserit. ¹⁴Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, ut ista conjungeretur cognationi suæ secundum legem Moysi: et nunc noli dubium gerere quod tibi eam tradam. ¹⁵Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dexteræ Tobisë tradidit, dicens: Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse jungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. ¹⁶Et accepta carta, fecerunt conscriptionem conjugii. ¹⁷Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum. ¹⁸Vocavitque Raguel ad se Annam uxorem suam, et præcepit ei ut præpararet alterum cubiculum. ¹⁹Et introduxit illuc Saram filiam suam, et lacrimata est. ²⁰Dixitque ei: Forti animo esto, filia mea: Dominus cæli det tibi gaudium pro tædio quod perpessa es.

8 Postquam vero cœnaverunt, introduxerunt juvenem ad eam. ¹²Recordatus itaque Tobias sermonum angeli, protulit de cassidili suo partem jecoris, posuitque eam super carbones vivos. ³Tunc Raphaël angelus apprehendit dæmonium, et

³7.11 *Quo audito verbo Raguel expavit*, etc. BEDA, ubi supra. Audiens populus gentium verbum fidei, etc., usque ad ut qui stulta dicerent, stulte perirent.

⁴8.1 *Postquam vero cœnaverunt*, etc. BEDA, in Tobiam, tom. 2. Introductus Tobias ad cubiculum protulit, etc. Deus accepturus Ecclesiam de gentibus, in desponsationis initio, jubet eam abrenuntiare diabolo, et omnibus pompis ejus et confiteri fidem sanctæ Trinitatis in remissionem peccatorum: quod est intima piscis viscera vivis cremare carbonibus. BEDA, ubi supra. Quia post abrenuntiationem diaboli, post confessionem veræ fidei, sequitur peccatorum remissio, per aquam baptismi expulso diabolo, diabolus ligavit: quia a fidelium læsione cessando compescuit, quos etsi aliquando tentare probationem permittitur, superare tamen prohibetur.

religavit illud in deserto superioris Ægypti.[§] ⁴Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exsurge, et deprecemur Deum hodie, et cras, et secundum cras: quia his tribus noctibus Deo jungimur; tertia autem transacta nocte, in nostro erimus conjugio. ⁵Filii quippe sanctorum sumus, et non possumus ita conjungi sicut gentes quæ ignorant Deum. ⁶Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, ut sanitas daretur eis. ⁷Dixitque Tobias: Domine Deus patrum nostrorum, benedicant de cæli et terræ, mareque et fontes, et flumina, et omnes creaturæ tuæ quæ in eis sunt. ⁸Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adiutorium Hevam. ⁹Et nunc Domine, tu scis quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum. ¹⁰Dixit quoque Sara: Miserere nobis Domine, miserere nobis, et consenescamus ambo pariter sani. ¹¹Et factum est circa pullorum cantum, accersiri jussit Raguel servos suos, et abierunt cum eo pariter ut foderent sepulchrum.** ¹²Dicebat enim: Ne forte simili modo evenerit ei, quo et ceteris illis septem viris qui sunt ingressi ad eam. ¹³Cumque parassent fossam, reversus Raguel ad uxorem suam, dixit ei: ¹⁴Mitte unam de ancillis tuis, et videat si mortuus est, ut sepeliam eum antequam illucescat dies. ¹⁵At illa misit unam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, reperit eos salvos et incolumes, secum pariter dormientes. ¹⁶Et reversa nuntiavit bonum nuntium: et benedixerunt Dominum, Raguel videlicet et Anna uxor ejus, ¹⁷et dixerunt: Benedicimus te, Domine Deus Israël, quia non contigit quemadmodum putabamus.†† ¹⁸Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, et exclusisti a nobis inimicum persequentem nos. ¹⁹Misertus es autem duobus unicis. Fac eos, Domine, plenius benedicere te, et sacrificium tibi laudis tuæ et suæ sanitatis offerre, ut cognoscat universitas gentium quia tu es Deus solus in universa terra. ²⁰Statimque præcepit servis suis Raguel ut replerent fossam quam fecerant priusquam elucesceret. ²¹Uxori autem suæ dixit ut instrueret convivium, et præpararet omnia quæ in cibos erant iter agentibus necessaria. ²²Duas quoque pingues vaccas, et quatuor arietes, occidi fecit, et parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisque ami-

§8.3 *Religavit.* Desertum et Ægyptus corda infidelium significant, quæ a Deo deserta. quia ejus habitatione indigna, et juxta interpretationem Ægypti perfidiæ suæ tenebris obscurata. Merito autem et qui a Deo deseritur a dæmonio repletur. Angelus vero dæmonem qui Tobiam occidere volebat, in deserto ligavit, qui cohibitum a fidelibus, qui sunt membra Christi, diabolium in infidelibus tantum dominari permittit, in quibus tamen tenet eum ligatum, quia nec ipsos tantum lædere permittitur quantum nititur.

**8.11 *Et factum est.* etc. ID., ibid. Cantus pullorum, etc., usque ad veraciter Christum hoste superato sponsum esse sanctæ Ecclesiæ cognoverunt.

††8.17 *Benedicimus te, Domine Deus.* ID., ibid. Lætatur Raguel de vita Tobia, etc., usque ad sunt crassi gratia supernæ dilectionis referti.

cis.‡ 23 Et adjuravit Raguel Tobiam ut duas hebdomadas moraretur apud se.¶ 24 De omnibus autem quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiaë, et fecit scripturam, ut pars dimidia quæ supererat, post obitum eorum Tobiaë dominio deveniret.

9 Tunc vocavit Tobias angelum ad se, quem quidem hominem existimabat, dixitque ei: Azaria frater, peto ut auscultes verba mea. 2 Si meipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ: 3 tamen obsecro te ut assumes tibi animalia sive servitia, et vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum, reddasque ei chirographum suum, et recipias ab eo pecuniam, et roges eum venire ad nuptias meas.‡ 4 Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies, et si tardavero una die plus, contristatur anima ejus. 5 Et certe vides quomodo adjuravit me Raguel, cujus adjuramentum spernere non possum. 6 Tunc Raphaël assumens quatuor ex servis Raguelis, et duos camelos, in Rages civitatem Medorum perrexit: et inveniens Gabelum, reddidit ei chirographum suum, et recepit ab eo omnem pecuniam. 7 Indicavitque ei de Tobia filio Tobiaë omnia quæ gesta sunt, fecitque eum secum venire ad nuptias. 8 Cumque ingressus esset domum Raguelis, invenit Tobiam discumbentem: et exiliens, osculati sunt se invicem: et flevit Gabelus, benedixitque Deum, 9 et dixit: Benedicat te Deus Israël, quia filius es optimi viri et justi, et timentis Deum, et eleemosynas facientis: 10 et dicatur benedictio super uxorem tuam, et super parentes vestros, 11 et videatis filios vestros, et filios filiorum vestrorum, usque in tertiam et quartam generationem: et sit semen vestrum benedictum a Deo Israël, qui regnat in sæcula sæculorum. 12 Cumque omnes dixissent: Amen: accesserunt ad convivium: sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.

10 Cum vero moras faceret Tobias, causa nuptiarum, sollicitus erat pater ejus Tobias, dicens: Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi? 2 Putasne Gabelus mortuus est, et nemo reddet illi pecuniam? 3 Cœpit autem contristari nimis ipse, et Anna uxor ejus cum eo: et cœperunt ambo simul flere, eo quod die statuto minime reverteretur filius eorum ad eos. 4 Flebat igitur mater ejus irremediabilibus lacrimis, atque dicebat: Heu, heu me, fili mi ! ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? 5 omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis. 6 Cui dicebat Tobias: Tace, et noli turbari: sanus est filius noster: satis fidelis

‡8.22 *Duas quoque*, etc. ID., ibid. Apostolus gentium eos qui ad fidem venerant, etc., usque ad qui epulas ex eis quorum reficiuntur exemplis accipiunt. *Quatuor arietes*. Quia sancti doctores et martyres quatuor libros Evangelii fide et opere conservant, prudentia, justitia, fortitudine, temperantia muniuntur, et quatuor partibus mundi instruunt Ecclesiam Dei. *Occidi fecit*. Quia alii sponte mortificant corpora sua, ut sint hostia viva: alii inter manus infidelium subeunt martyria: per arma justitiæ a dextris et a sinistris, id est, in prosperis et adversis hostem vincentes antiquum.

¶8.23 *Et adjuravit Raguel Tobiam*. BEDA, ibid. Adjuramus Christum ut maneat nobiscum, donec perfectionem quietis per Spiritus sancti gratiam consequamur, qua requiescamus et a peccatis in corpore, et a pravis cogitationibus in mente.

‡9.3 *Tamen obsecro te*. BEDA, ex Isid. Aliquos de credentibus servientes tibi quibus prædicandi committas officium ad colligendas gentes, quæ nondum fidei mysterium susceperunt, sed tamen famam audierunt: et talentum verbi quod fama didicerunt, per fidei obedientiam reddant. Novus quotidie populus in Ecclesia colligitur, potest tamen specialiter intelligi, qui litteram legis septuaginta interpretes acceperunt, et ideo fidem citius susceperunt.

est vir ille, cum quo misimus eum. ⁷Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circumspiciebat, et circuibat vias omnes per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem. ⁸At vero Raguel dicebat ad generum suum: Mane hic, et ego mittam nuntium salutis de te ad Tobiam patrem tuum.* ⁹Cui Tobias ait: Ego novi quia pater meus et mater mea modo dies computant, et cruciatur spiritus eorum in ipsis. ¹⁰Cumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, et ille eum nulla ratione vellet audire, tradidit ei Saram, et dimidiam partem omnis substantiæ suæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, et in vaccis, et in pecunia multa: et salvum atque gaudentem dimisit eum a se,† ¹¹dicens: Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducaturque vos incolumes, et inveniatis omnia recte circa parentes vestros, et videant oculi mei filios vestros priusquam moriar. ¹²Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam: et dimiserunt ire, ¹³monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et seipsam irreprehensibilem exhibere.

11 Cumque reverterentur, pervenerunt ad Charan, quæ est in medio itinere contra Niniven, undecimo die. ²Dixitque angelus: Tobia frater, scis quemadmodum reliquisti patrem tuum. ³Si placet itaque tibi, præcedamus, et lento gradu sequantur iter nostrum familiæ, simul cum conjuge tua, et cum animalibus.‡ ⁴Cumque hoc placuisset ut irent, dixit Raphaël ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piscis: erit enim necessarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, et abierunt. ⁵Anna autem sedebat secus viam quotidie in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo. ⁶Et dum ex eodem loco specularetur adventum ejus, vidit a longe, et illico agnovit venientem filium suum: currensque nuntiavit viro suo, dicens: Ecce venit filius tuus. ⁷Dixitque Raphaël ad Tobiam: At ubi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum: et gratias agens ei, accede ad patrem tuum, et osculare eum. ⁸Statimque lini super oculos ejus ex felle isto piscis, quod portas tecum: scias enim quoniam mox aperientur oculi ejus, et videbit pater tuus lumen cæli, et in aspectu tuo gaudebit. ⁹Tunc præcurrit canis, qui simul fuerat in via: et quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.¶ ¹⁰Et consurgens cæcus pater ejus, cœpiti offendens

*10.8 *At vero Raguel*, etc. BED., ubi supra. Cum plenitudo gentium intraverit, nemo prohibere potest, quin Dominus salutem Israël tribuat, et cæcitatem ejus, quæ ex parte contigit, respiciat. Recordata est enim divina clementia, quoniam tristitia magna et continuus dolor est Judæis credentibus pro fratribus infidelibus.

†10.10 *Tradidit*, etc. Remittuntur in fine doctores Ecclesiæ ad Christum, cum ipsa Ecclesia, virtutum divitiis plena, ad fidem illustrandam, bonorumque operum substantia ditandam Judæorum gentem, ex qua Dei Filius sumpsit carnem.

‡11.3 *Præcedamus*. BEDA, ubi supra. Postquam illuminatus est populus gentium, præcedit divina gratia ad illuminandam cæcitatem Judæorum, ut in libris suis cognoscant Christum verum hominem et verum Deum, et sic tandem quasi viso angelo et filio suo quos diu non viderant, multum gaudeant; tandem, scilicet, se Ecclesiæ de gentibus, congregatæ mysteriorum communionem jungant.

¶11.9 *Blandimento*. BED., ubi supra. Canis gaudebat dum tecta minorum diu invisæ reviseret. Gaudent doctores de effectu sui operis, cum Judæam a Domino recolligendam intelligant. Gaudent de præmio vitæ æternæ, et cunctis eodem præmio corda exhilaranda prædicunt, et statim adventuram gratiam sancti Spiritus edunt.

pedibus currere: et data manu puero, occurrit obviam filio suo.[§] ¹¹ Et suscipiens osculatus est eum cum uxore sua, et cœperunt ambo flere præ gaudio. ¹² Cumque adorassent Deum, et gratias egissent, consederunt. ¹³ Tunc sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui.^{**} ¹⁴ Et sustinuit quasi dimidiam fere horam: et cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi.^{††} ¹⁵ Quam apprehendens Tobias, traxit ab oculis ejus: statimque visum recepit. ¹⁶ Et glorificabant Deum, ipse videlicet et uxor ejus, et omnes qui sciebant eum. ¹⁷ Dicebatque Tobias: Benedico te, Domine Deus Israël, quia tu castigasti me, et tu salvasti me: et ecce ego video Tobiam filium meum. ¹⁸ Ingressa est etiam post septem dies Sara uxor filii ejus et omnis familia sana, et pecora, et cameli, et pecunia multa uxoris; sed et illa pecunia, quam receperat a Gabelo.^{‡‡} ¹⁹ Et narravit parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa eum per hominem qui eum duxerat. ²⁰ Veneruntque Achior et Nabath consobrini Tobiae gaudentes ad Tobiam, et congratulantes ei de omnibus bonis quæ circa illum ostenderat Deus. ²¹ Et per septem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gavisi sunt.

12 Tunc vocavit ad se Tobias filium suum, dixitque ei: Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? ² Respondens Tobias, dixit patri suo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? ³ Me duxit et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit: gaudium parentibus ejus fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? ⁴ Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus quæ allata sunt, sibi assumere. ⁵ Et vocantes eum, pater scilicet et filius, tulerunt eum in partem: et rogare cœperunt ut dignaretur dimidiam partem omnium quæ attulerant acceptam habere. ⁶ Tunc dixit eis occulte: Benedicite Deum cæli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. ⁷ Etenim sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. ⁸ Bona est oratio cum jejuniis, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere: ⁹ quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et viam æternam. ¹⁰ Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. ¹¹ Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. ¹² Quando orabas cum lacrimis, et sepeliebas mortuos,

[§]11.10 *Exsurgens.* Audito a doctoribus verbo salutis, exsurgit populus Judæorum de perfidia suæ cæcitate longa, et amore currit ad Dominum; sed offendens gressibus operum, donec renatus instructus in Christo, fidei et operationis lumen percipiat.

^{**}11.13 *Tunc sumens.* BEDA, *ibid.* Dominus credentibus aperte revelat quanta sit antiqui hostis malitia, qui ipsum in passione devorare gestivit; sed per hoc occisus, membra sua, id est, eos quos ante tenebat, amisit.

^{††}11.14 *Albugo.* BED., *ibid.* Habet adhuc populus Judæorum velamen ante faciem cordis, etc., usque ad qui autem fragilitatis et ignorantiae conscii dicunt, Domine Deus, illumina tenebras meas; a Domino illuminantur.

^{‡‡}11.18 *Ingressa est,* etc. ID., *ibid.* Lucem gratiæ spiritualis, quæ septiformis est, significat. Post septem dies illuminationis ingreditur uxor: quia postquam Judæa per fidem illuminata fuerit, postquam gratiam Spiritus sancti acceperit; ingreditur ad eam Ecclesia, ut sit unum ovile et unus pastor, et sit domus Christi una, uno lapide angulari firmata.

et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. ¹³ Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. ¹⁴ Et nunc misit me Dominus ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem. ^{¶¶} ¹⁵ Ego enim sum Raphaël angelus, unus ex septem qui adstamus ante Dominum. ¹⁶ Cumque hæc audissent, turbati sunt, et trementes ceciderunt super terram in faciem suam. ¹⁷ Dixitque eis angelus: Pax vobis: nolite timere. ¹⁸ Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, et cantate illi. ¹⁹ Videbar quidem vobiscum manducare et bibere: sed ego cibo invisibili, et potu qui ab hominibus videri non potest, utor. ²⁰ Tempus est ergo ut revertar ad eum qui me misit: vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus. ²¹ Et cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, et ultra eum videre non potuerunt. ²² Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum: et exsurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.

13 Aperiens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum, et dixit: [Magnus es, Domine, in æternum, et in omnia sæcula regnum tuum: ^{§§} ² quoniam tu flagellas, et salvas; deducis ad inferos, et reducis: et non est qui effugiat manum tuam. ³ Confitemini Domino, filii Israël, et in conspectu gentium laudate eum: ⁴ quoniam ideo dispersit vos inter gentes quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus, et faciatis scire eos quia non est alius deus omnipotens præter eum. ⁵ Ipse castigavit nos propter iniquitates nostras, et ipse salvabit nos propter misericordiam suam. ⁶ Aspice ergo quæ fecit nobiscum, et cum timore et tremore confitemini illi: regemque sæculorum exaltate in operibus vestris. ⁷ Ego autem in terra captivitatis meæ confitebor illi: quoniam ostendit majestatem suam in gentem peccatricem. ⁸ Convertimini itaque peccatores, et facite justitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam. ⁹ Ego autem et anima mea in eo lætabimur. ¹⁰ Benedicite Dominum omnes electi ejus: agite dies lætitiæ, et confitemini illi. ¹¹ Jerusalem civitas Dei, castigavit te Dominus in operibus manuum tuarum. ¹² Confitere Domino in bonis tuis, et benedic Deum sæculorum: ut reædificet in te tabernaculum suum, et revocet ad te omnes captivos, et gaudeas in omnia sæcula sæculorum. ¹³ Luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt te. ¹⁴ Nationes ex longinquo ad te venient, et munera deferentes adorabunt in te Dominum, et terram tuam in sanctificationem habebunt: ¹⁵ nomen enim magnum invocabunt in te. ¹⁶ Maledicti erunt qui contempserint te, et condemnati erunt omnes qui blasphemaverint te: benedictique erunt qui ædificaverint te. ¹⁷ Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dominum. ¹⁸ Beati omnes qui diligunt te, et qui gaudent super pace tua. ¹⁹ Anima mea, benedic Dominum, quoniam liberavit Jerusalem civitatem suam a cunctis tribulationibus ejus Dominus Deus noster. ²⁰ Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem. ²¹ Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide

^{¶¶}12.14 *Et nunc*, etc. BEDA, in Tobiam. Rediturus in cœlum angelus apertius quid sit et quare venerit, et quo reversurus sit exponit: et Christus eidem populo latius proficienti conditionem suam patefecit, ostendens, quod ipse in Patre, et Pater in Filio sit. Angelus redit ad Deum, Tobias remanet apud Patrem, et Christus a fidelibus suis intelligitur divinitate Patri æqualis, humanitate hominibus consubstantialis.

^{§§}13.1 *Aperiens autem Tobias os suum*. BEDA, in Tobiam. Confessus est veritatem et misericordiam, etc., usque ad cœlestis patriæ gaudia prædicando.

pretioso omnis circuitus murorum ejus. ²² Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternerentur, et per vicos ejus alleluja cantabitur. ²³ Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, et sit regnum ejus in sæcula sæculorum super eam. Amen.]

14 Et consummati sunt sermones Tobiaë. Et postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, et vidit filios nepotum suorum.* ² Completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorifice in Ninive. ³ Quinquaginta namque et sex annorum lumen oculorum amisit, sexagenarius vero recepit.† ⁴ Reliquum vero vitæ suæ in gaudio fuit, et cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace. ⁵ In hora autem mortis suæ vocavit ad se Tobiam filium suum, et septem juvenes filios ejus nepotes suos, dixitque eis:‡ ⁶ Prope erit iteritus Ninive: non enim excidit verbum Domini: et fratres nostri, qui dispersi sunt a terra Israël, revertentur ad eam. ⁷ Omnis autem deserta terra ejus replebitur, et domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur: ibique revertentur omnes timentes Deum, ⁸ et relinquent gentes idola sua, et venient in Jerusalem, et inhabitabunt in ea: ⁹ et gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes regem Israël. ¹⁰ Audite ergo, filii mei, patrem vestrum: servite Domino in veritate, et inquirete ut faciatis quæ placita sunt illi: ¹¹ et filiis vestris mandate ut faciant justitias et eleemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore in veritate, et in tota virtute sua. ¹² Nunc ergo filii, audite me, et nolite manere hic: sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in uno sepulchro, ex eo dirigite gressus vestros ut exeatis hinc: ¹³ video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei. ¹⁴ Factum est autem post obitum matris suæ, Tobias abscessit ex Ninive cum uxore sua, et filiis, et filiorum filiis, et reversus est ad soceros suos:¶ ¹⁵ invenitque eos incolumes in senectute bona: et curam eorum gessit, et ipse clausit oculos eorum: et omnem hæreditatem domus Raguelis ipse percepit: viditque quintam generationem, filios filiorum suorum. ¹⁶ Et completis annis nonaginta novem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum.§ ¹⁷ Omnis autem cognatio ejus et omnis generatio ejus in bona vita et in sancta conversatione permansit, ita ut accepti essent tam Deo quam hominibus, et cunctis habitantibus in terra.

*14.1 *Et postquam illuminatus est Tobias*, etc., quadragenarius numerus laboriosus est, jejunii et abstinentiæ. Nos autem omnes hujus vitæ labores debemus sustinere, cum Dei et proximi dilectione, et sic fructificabimus.

†14.3 *Quinquaginta namque et sex annorum lumen oculorum amisit*, etc. Sacramentum numerum quinquagenarium manserat, nec ad sexagenarium, qui perfectionem, propter senarium, in quo omnia facta sunt, significat, pervenerat.

‡14.5 *In hora autem mortis suæ vocavit ad se Tobiam*. BEDA, in Esdras. Tobias, id est, doctores Judæorum, qui de hoc mundo exituri propinquis suis annuntiant: quia mundus ad finem appropinquat, et futuræ vitæ bona in proximo futura.

¶14.14 *Tobias abscessit ex Ninive cum uxore sua, et filiis et filiorum filiis*, etc. ID., ibid. Hoc quotidie facit Christus, etc., usque ad diu vivens animi levitatem non deserit.

§14.16 *Sepelierunt*. Sepultura Tobiaë finem mundi designat, quo Dominus nos ter cum corpore suo, quod est Ecclesia, in requiem intrat angelis de societate hominum congratulantibus, et singulos per diversas mansiones pro meritorum qualitate collocantibus.

INCIPIT LIBER IUDITH

1 Arphaxad itaque, rex Medorum, subjugaverat multas gentes imperio suo, et ipse ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis,** ² ex lapidibus quadratis et sectis: fecit muros ejus in altitudinem cubitorum septuaginta, et in latitudinem cubitorum triginta: turres vero ejus posuit in altitudinem cubitorum centum. ³ Per quadrum vero earum latus utrumque vicenorum pedum spatio tendebatur, posuitque portas ejus in altitudinem turrium: ⁴ et gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, et in gloria quadrigarum suarum. ⁵ Anno igitur duodecimo regni sui, Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive civitate magna, pugnavit contra Arphaxad, et obtinuit eum ⁶ in campo magno qui appellatur Ragau, circa Euphraten, et Tigrin, et Jadason, in campo Erioch regis Elicorum.†† ⁷ Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, et cor ejus elevatum est: et misit ad omnes qui habitabant in Cilicia, et Damasco, et Libano, ⁸ et ad gentes quæ sunt in Carmelo et Cedar, et inhabitantes Galilæam in campo magno Esdreton, ⁹ et ad omnes qui erant in Samaria, et trans flumen Jordanem usque ad Jerusalem, et omnem terram Jesse quousque perveniatur ad terminos Æthiopiæ. ¹⁰ Ad hos omnes misit nuntios Nabuchodonosor rex Assyriorum: ¹¹ qui omnes uno animo contradixerunt, et remiserunt eos vacuos, et sine honore abjecerunt. ¹² Tunc indignatus Nabuchodonosor rex ad-

**1.1 *Præfatio* RAB. expos. in lib. Judith, tom. 3. Quæritur quo tempore quibusve regibus historia Judith fuerit, etc., usque ad nisi forte dicatur quod Cambyses qui gentes finitimas impugnasse, et Ægyptum superasse dicitur, cum regnum Assyriorum atque Persarum unum esset, aliquem regem nomine Arphaxat in Media repugnantem vicerit, atque suo imperio subj. averit. *Arphaxat*. RAB., ubi supra. Mystice, per Arphaxat superbi exprimuntur, quorum conatus et labor qui per vastum tumoris et elationis agitur facile in potestatem Nabuchodonosor, id est diaboli cadit: ipse est enim rex super omnes filios superbiæ: *Quam appellavit*. Quæ Mediæ provinciæ metropolis est, quam Deiocus Medorum rex condidit, sed Arphaxat mirabiliter amplificavit, sicut Daniel propheta, secundum Josephum sub Dario rege in eadem civitate Mediæ mausolæum valde præclarum constructum mira arte posuit, quod quacunque die cernitur eadem constructum putatur, quia sic pulchritudo nova et materia solida. Ibi usque hodie reges Persarum atque Medorum sepeliuntur et cui hæc cura committetur sacerdos Judæus est. *In gloria*. Hi in curribus et hi in equis, etc. Sed Deus currum Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare: ergo qui gloriatur, in Domino gloriatur.

††1.6 *In campo magno*. RAB., ubi supra. Nominibus locorum, etc., usque ad et demum victorias ad Chaldæos vel Assyrios concesserint. *Tunc exaltatum est*. Cum diabolus perditorum multitudinem suæ voluntati subjicit, elevatur cor ejus, propriæ illud assignans virtuti, non divinæ permissioni: et eo magis ardescit ad plurimorum perditorum destructionem, quo se videt quibusdam prævalere per pravam suggestionem, unde sequitur. *Et misit ad omnes*. RAB., ibid. Diabolus per diversas provincias legatos mittit, etc., usque ad unde: *Omnes uno animo contradixerunt, etc.*

versus omnem terram illam, juravit per thronum et regnum suum quod defenderet se de omnibus regionibus his.††

2 Anno tertiodecimo Nabuchodonosor regis, vigesima et secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum ut defenderet se. ² Vocavitque omnes majores natu, omnesque duces et bellatores suos, et habuit cum eis mysterium consilii sui: ³ dixitque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio. ⁴ Quod dictum cum placuisset omnibus, vocavit Nabuchodonosor rex Holofernem principem militiæ suæ, ⁵ et dixit ei: Egredere adversus omne regnum occidentis, et contra eos præcipue, qui contempserunt imperium eum. ⁶ Non parcet oculus tuus ulli regno, omnemque urbem munitam subjugabis mihi. ⁷ Tunc Holofernes vocavit duces et magistratus virtutis Assyriorum, et dinumeravit viros in expeditionem sicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, et equitum sagittariorum duodecim millia.¶ ⁸ Omnemque expeditionem suam fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum, cum his quæ exercitibus sufficerent copiose, boum quoque armenta, gregesque ovium, quorum non erat numerus. ⁹ Frumentum ex omni Syria in transitu suo parari constituit. ¹⁰ Aurum vero et argentum de domo regis assumpsit multum nimis. ¹¹ Et profectus est ipse, et omnis exercitus cum quadrigis, et equitibus, et sagittariis: qui cooperuerunt faciem terræ sicut locustæ. ¹² Cumque pertransisset fines Assyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui sunt a sinistro Ciliciæ: ascenditque omnia castella eorum, et obtinuit omnem munitionem. §§ ¹³ Effregit autem civitatem opinatissimam Melothi, prædavitque omnes filios Tharsis et filios Ismaël qui erant contra faciem deserti, et ad austrum terræ Cellon.* ¹⁴ Et transivit Euphraten, et venit in Mesopotamiam: et fregit omnes civitates excelsas quæ erant ibi, a torrente Mambre usquequo perveniatur ad mare: ¹⁵ et occupavit terminos ejus, a Cilicia usque ad fines Japheth qui sunt ad austrum. ¹⁶ Abduxitque omnes filios Madian, et prædavit omnem locupletationem eorum, omnesque resistentes sibi occidit in ore gladii. ¹⁷ Et post hæc descendit in campos Damasci in diebus messis, et succendit omnia sata, omnesque arbores, et vineas fecit incidi:† ¹⁸ et cecidit timor illius super omnes inhabitantes terram.

††1.12 **Tunc indignatus Nabuchodonosor.** Diabolus propria superbia excæcatus, arrogat sibi imperium totius orbis, contendens ut abstractos a cultu pietatis, consortes suæ faciat impietatis: qui de potentia regni exsultans, ait: **Ascendam in cælum, et ponam sedem meam in Aquilonem, et similis milis ero Altissimo.** Et in Evangelio: **Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.**

¶2.7 Tunc Holofernes. RAB., in lib. Judith, tom. 3. Holofernes ille principes gentium, qui Ecclesias persecuti sunt significat, etc., usque ad ut omnes adorent draconem, qui bestiam talem dedit potestatem.

§§2.12 **Cumque pertransisset.** ID., ibid. Per diversas provincias, et nomina locorum, quæ in historia continentur, personarum distinctiones et graduum, et dignitatum, designantur, ex quibus diabolus vindicat sibi aliquam partem, nec pugnae formidat difficultatem, sed grandis potentiæ grandem certat efficere ruinam.

*2.13 **Prædavitque omnes.** Scientiæ utilitatem auferens, et cætera quibus servire debuerant Deo: et in usum servitii sui convertens: resistentes occidit in ore gladii, quia quos flectere ad consensum nequit, corporaliter occidit.

†2.17 **Descendit in campos.** Damascus potus sanguinis interpretatur, in qua principes gentium exprimuntur, qui sitiunt sanguinem fidelium: maxime in tempore messis, id est, in consummatione sæculi debacchante per latitudinem orbis furore Antichristi.

3 Tunc miserunt legatos suos universarum urbium ac provinciarum reges ac principes, Syriæ scilicet Mesopotamiæ, et Syriæ Sobal, et Libyæ, atque Ciliciæ: qui venientes ad Holofernem, dixerunt:³ ² Desinat indignatio tua circa nos: melius est enim ut viventes serviamus Nabuchodonosor regi magno, et subditi simus tibi, quam morientes cum interitu nostro ipsi servitutis nostræ damna patiamur. ³ Omnis civitas nostra, omnisque possessio, omnes montes, et colles, et campi, et armenta boum, gregesque ovium, et caprarum, equorumque et camelorum, et universæ facultates nostræ atque familiæ, in conspectu tuo sunt: ⁴ sint omnia nostra sub lege tua. ⁵ Nos, et filii nostri, servi tui sumus. ⁶ Veni nobis pacificus dominus, et utere servitio nostro, sicut placuerit tibi. ⁷ Tunc descendit de montibus cum equitibus in virtute magna, et obtinuit omnem civitatem, et omnem inhabitantem terram. ⁸ De universis autem urbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes, et electos ad bellum. ⁹ Tantusque metus provinciis illis incubuit, ut universarum urbium habitatores principes et honorati simul cum populis exirent obviam venienti, ¹⁰ excipientes eum cum coronis et lampadibus, ducentes choros in tympanis et tibiis. ¹¹ Nec ista tamen facientes, ferocitatem ejus pectoris mitigare potuerunt: ¹² nam et civitates eorum destruxit, et lucos eorum excidit. ¹³ Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex, ut omnes deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur deus ab his nationibus quæ potuissent Holofernis potentia subjugari. ¹⁴ Pertransiens autem Syriam Sobal, et omnem Apameam, omnemque Mesopotamiam, venit ad Idumæos in terram Gabaa, ¹⁵ accepitque civitates eorum, et sedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit universum exercitum virtutis suæ.

4 Tunc audientes hæc filii Israël qui habitabant in terra Juda, timuerunt valde a facie ejus. ² Tremor et horror invasit sensus eorum, ne hoc faceret Jerusalem et templo Domini, quod fecerat ceteris civitatibus et templis earum. ³ Et miserunt in omnem Samariam per circuitum usque Jericho, et præoccupaverunt omnes vertices montium: ⁴ et muris circumdederunt vicos suos, et congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ. ⁵ Sacerdos etiam Eliachim scripsit ad universos qui erant contra Esdreton, quæ est contra faciem campi magni juxta Dothain, et universos per quos viæ transitus esse poterat, ⁶ ut obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Jerusalem, et illic custodirent ubi angustum iter esse poterat inter montes. ⁷ Et fecerunt filii Israël secundum quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim. ⁸ Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus, ipsi et mulieres eorum. ⁹ Et induerunt se sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, et altare Domini operuerunt cilicio: ¹⁰ et clamaverunt ad Dominum Deum Israël unanimiter ne darentur in prædam infantes eorum, et uxores eorum in divisionem, et civitates eorum in terminium, et sancta eorum in pollutionem, et fierent opprobrium gentibus. ¹¹ Tunc

³3.1 *Tunc mise unt,* etc. Potentes sæculi et voluptatum amatores, qui principem mundi student reconciliare sibi, ut mortis periculum et voluptatis, detrimentum evadere possint; de quibus dicitur: **Qui vult esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur.** In his enim solli itudo hujus sæculi, et fallaci divitiarum suffocat verbum, et fructum non facit, hi enim secundum nomina harum provinciarum superbia extolluntur, vanitatem sequuntur: terram duabus viis ingrediuntur, et cætum lugentium vel luxuriæ suæ pœnas luentium in inferno sociabuntur: ubi ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium, *et vermibus eorum non morietur, et ignis non exstinguetur.*

Eliachim sacerdos Domini magnus circuevit omnem Israëlm, allocutusque est eos, ¹² dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini. ¹³ Memores estote Moysi servi Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, et in potentia sua, et in exercitu suo, et in clypeis suis, et in curribus suis, et in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit: ¹⁴ sic erunt universi hostes Israëlm, si perseveraveritis in hoc opere quod cœpistis. ¹⁵ Ad hanc igitur exhortationem ejus deprecantes Dominum, permanebant in conspectu Domini, ¹⁶ ita ut etiam hi qui offerebant Domino holocausta, præincti ciliciis offerrent sacrificia Domino, et erat cinis super capita eorum. ¹⁷ Et ex toto corde suo omnes orabant Deum, ut visitaret populum suum Israëlm.

5 Nuntiatumque est Holoferni principi militiæ Assyriorum, quod filii Israëlm præpararent se ad resistendum, ac montium itinera conclusissent: ² et furore nimio exarsit in iracundia magna, vocavitque omnes principes Moab et duces Ammon, ³ et dixit eis: Dicite mihi quis sit populus iste, qui montana obsidet: aut quæ, et quales, et quantæ sint civitates eorum: quæ etiam sit virtus eorum, aut quæ sit multitudo eorum, vel quis rex militiæ illorum: ⁴ et quare præ omnibus qui habitant in oriente, isti contempserunt nos, et non exierunt obviam nobis ut susciperent nos cum pace? ⁵ Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens, ait: Si digneris audire, domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto qui in montanis habitat, et non egredietur verbum falsum ex ore meo. ⁶ Populus iste ex progenie Chaldæorum est. ⁷ Hic primum in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum. ⁸ Deserentes itaque cæremónias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant, ⁹ unum Deum cæli coluerunt, qui et præcepit eis ut exirent inde et habitarent in Charan. Cumque operuisset omnem terram fames, descenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, ut dinumerari eorum non posset exercitus. ¹⁰ Cumque gravaret eos rex Ægypti, atque in ædificationibus urbium suarum in luto et latere subjugasset eos, clamaverunt ad Dominum suum, et percussit totam terram Ægypti plagis variis. ¹¹ Cumque eiecissent eos Ægyptii a se, et cessasset plaga ab eis, et iterum eos vellent capere, et ad suum servitium revocare, ¹² fugientibus his, Deus cæli mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, et isti pede sicco fundum maris perambulando transirent. ¹³ In quo loco dum innumerabilis exercitus Ægypti-

⁴4.13 *Memores estote.* Per exempla sanctorum corroborat, unde Job Cap. 12.: *Instauras testes contra me,* et Paulus ad Hebræos fidei virtutem laudans patrum copiosa induxit exempla, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam.

⁵5.5 *Tunc Achior dux,* etc. Quasi princeps hæreticorum qui ibet idololatriæ deditus, qui de divinis operibus et miraculis cognovit quæ sæpe aliis dicit, quamvis fidem catholicam perfecte non didicerit, et Christi baptisinate renatus non sit. Vel per Achior hæretici designantur, qui licet per omnia viam veritatis non teneant, tamen in doctrina sua multa vera prædicant, quæ nostræ fidei concordant. Hi contra Ecclesiam catholicam pugnant, sed ratione superati veritatem omnino non celant, hæretici enim bona malis permiscunt; quia si semper mala dicerent, latere non possent; sicut qui veneni poculum porrigit, labrum calicis melle tangit, ut quod dulce est, primo sentiat, ne quod mortiferum est timeatur. Aliquando tamen corre ti salvantur, sicut Achior videns victoriam Judith, consociatus populo Dei circumcidit carnem præputii sui: leprosi quoque evangelici hæreticos expriment, qui dum rectis prava inserunt, quasi colorem sanum maculis aspergunt.

tiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, ut non remaneret vel unus, qui factum posteris nuntiaret. ¹⁴ Egressi vero mare Rubrum, deserta Sina montis occupaverunt, in quibus numquam homo habitare potuit, vel filius hominis requievit. ¹⁵ Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, et per annos quadraginta anonomam de cælo consecuti sunt. ¹⁶ Ubicumque ingressi sunt sine arcu et sagitta, et absque scuto et gladio, Deus eorum pugnavit pro eis, et vicit. ¹⁷ Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit a cultu Domini Dei sui. ¹⁸ Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædium, et in gladium, et in opprobrium. ¹⁹ Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse a cultura Dei sui, dedit eis Deus cæli virtutem resistendi. ²⁰ Denique Chananæum regem, et Jebusæum, et Pherezæum, et Hethæum, et Hevæum, et Amorrhæum, et omnes potentes in Hesebon prostraverunt, et terras eorum et civitates eorum ipsi possederunt: ²¹ et usque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona: Deus enim illorum odit iniquitatem. ²² Nam et ante hos annos cum recessissent a via quam dederat illis Deus ut ambularent in ea, exterminati sunt præliis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. ²³ Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana hæc omnia, et iterum possident Jerusalem, ubi sunt sancta eorum. ²⁴ Nunc ergo mi domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum: ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, et subjugati erunt sub iugo potentiæ tuæ. ²⁵ Si vero non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos: et erimus in opprobrium universæ terræ. ²⁶ Et factum est, cum cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis, et cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum: ²⁷ Quis est iste, qui filios Israël posse dicat resistere regi Nabuchodonosor et exercitibus ejus, homines inermes, et sine virtute, et sine peritia artis pugnæ? ²⁸ Ut ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos, ascendamus in montana: et cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eisdem gladio transverberabitur: ²⁹ ut sciat omnis gens quoniam Nabuchodonosor deus terræ est, et præter ipsum alius non est.

6 Factum est autem cum cessassent loqui, indignatus Holofernes vehementer, dixit ad Achior: ² Quoniam prophetasti nobis, dicens quod gens Israël defendatur a Deo suo, ut ostendam tibi quoniam non est deus nisi Nabuchodonosor, ³ cum percusserimus eos omnes, sicut hominem unum, tunc et ipse cum illis Assyriorum gladio interibis, et omnis Israël tecum perditione disperiet: ⁴ et probabis quoniam Nabuchodonosor dominus sit universæ terræ: tuncque gladius militiæ meæ transiet per latera tua, et confixus cades inter vulneratos Israël, et non respirabis ultra, donec extermineris cum illis. ⁵ Porro autem si prophetiam tuam veram existimas, non concidat vultus tuus: et pallor qui faciem tuam obtinet abscedat a te, si verba mea hæc putas impleri non posse. ⁶ Ut autem noveris quia simul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo sociaberis, ut, dum dignas mei gladii pœnas exceperint, ipse simul ultioni subjaceas. ⁷ Tunc Holofernes præcepit servis suis ut comprehenderent Achior, et perducerent eum in Bethuliam, et traderent eum in manus filiorum Israël. ⁸ Et accipientes eum servi Holofernis, profecti sunt per campestria: sed cum appropinquassent ad montana, exierunt contra eos fundibularii. ⁹ Illi autem divergentes a latere montis, ligaverunt Achior ad arborem manibus et pedibus, et sic vincuntum restibus dimiserunt eum, et reversi sunt ad dominum suum. ¹⁰ Porro filii Israël

descendentes de Bethulia, venerunt ad eum: quem solventes, duxerunt ad Bethuliam, atque in medium populi illum statuentes, percunctati sunt quid rerum esset quod illum vinctum Assyrii reliquissent.**¹¹ In diebus illis erant illic principes Ozias filius Micha de tribu Simeon, et Charmi, qui et Gothoniel.¹² In medio itaque seniorum, et in conspectu omnium, Achior dixit omnia quæ locutus ipse fuerat ab Holoferne interrogatus: et qualiter populus Holofernis voluisset propter hoc verbum interficere eum,¹³ et quemadmodum ipse Holofernes iratus iusserit eum Israëlitis hac de causa tradi, ut dum vicerit filios Israël, tunc et ipsum Achior diversis jubeat interire supplicii, propter hoc quod dixisset: Deus cæli defensor eorum est.¹⁴ Cumque Achior universa hæc exposuisset, omnis populus cecidit in faciem, adorantes Dominum, et communi lamentatione et fletu unanimes preces suas Domino effuderunt,¹⁵ dicentes: Domine Deus cæli et terræ, intuere superbiam eorum, et respice ad nostram humilitatem, et faciem sanctorum tuorum attende, et ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te: et præsumentes de se, et de sua virtute gloriantes, humilias.¹⁶ Finito itaque fletu, et per totam diem oratione populorum completa, consolati sunt Achior,¹⁷ dicentes: Deus patrum nostrorum, cujus tu virtutem prædicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem, ut eorum magis tu interitum videas.¹⁸ Cum vero Dominus Deus noster dederit hanc libertatem servis suis, sit et tecum Deus in medio nostri: ut sicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus converseris nobiscum.¹⁹ Tunc Ozias, finito consilio, suscepit eum in domum suam, et fecit ei cœnam magnam.^{††}²⁰ Et vocatis omnibus presbyteris, simul expleto jejunio refecerunt.²¹ Postea vero convocatus est omnis populus, et per totam noctem intra ecclesiam oraverunt, petentes auxilium a Deo Israël.

7 Holofernes autem altera die præcepit exercitibus suis ut ascenderent contra Bethuliam.² Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, et equites viginti duo millia, præter præparationes virorum illorum quos occupaverat captivitas, et abducti fuerant de provinciis et urbibus universæ juventutis.³ Omnes paraverunt se pariter ad pugnam contra filios Israël, et venerunt per crepidinem montis usque ad apicem, qui respicit super Dothain, a loco qui dicitur Belma usque ad Chelmon, qui est contra Esdremon.⁴ Filii autem Israël, ut viderunt multitudinem illorum, prostraverunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, unanimes orantes ut Deus Israël misericordiam suam ostenderet super populum suum.⁵ Et assumentes arma sua bellica, sederunt per loca quæ ad angusti itineris tramitem dirigunt inter montosa, et erant custodientes ea tota die et nocte.⁶ Porro Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit quod fons qui influebat, aquæductum illorum a parte australi ex-

**6.10 *Porro filii Israël descendentes de Bethulia venerunt.* Filii: doctores Ecclesiæ ad arborem ligatum solvunt, cum catechumenos suos, nec persecutorum rabiem, nec mortem pertimescere docent. Quasi ad arborem ligatum solvunt, cum a formidine crucis mentem pavidam eruunt, et ad patiendum instruunt, hoc autem melius fit, si exemplo Ozias et Carmin qui confortantes Achior, preces devotas cum omni populo Domino effuderunt magistri Ecclesiæ cum cæteris fidelibus auditores suos Domino commendaverint devotis precibus, ut ejus dono habeatur, quod humana infirmitas non meretur.

††6.19 *Et fecit ei cœnam magnam.* Expleto jejunio facit, qui animam diu languidam, et pane verbi Domini egentem, evangelica doctrina et dapibus virtutum reficit. Huic convivio advocantur omnes presbyteri, ut eorum exhortationibus et exemplis corroborentur neophyti ad fidem accipiendam vel conservandam.

tra civitatem dirigeret: et incidi præcepit aquæductum illorum. ⁷ Erant tamen non longe a muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandum potius quam ad potandum. ⁸ Sed filii Ammon et Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes: Filii Israël non in lancea nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, et muniunt illos colles in præcipitio constituti. ⁹ Ut ergo sine congressione pugnae possis superare eos, pone custodes fontium, ut non hauriant aquam ex eis, et sine gladio interficias eos, vel certe fatigati tradent civitatem suam, quam putant in montibus positam superari non posse. ¹⁰ Et placuerunt verba hæc coram Holoferne et coram satellitibus ejus, et constituit per gyrum centenarios per singulos fontes. ¹¹ Cumque ista custodia per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ et collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam, ita ut non esset intra civitatem unde satiarentur vel una die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie. ¹² Tunc ad Oziam congregati omnes viri feminæque, juvenes et parvuli, omnes simul una voce ¹³ dixerunt: Judicet Deus inter nos et te, quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Assyriis, et propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum. ¹⁴ Et ideo non est qui adjuvet, cum prosternamur ante oculos eorum in siti, et perditione magna. ¹⁵ Et nunc congregate universos qui in civitate sunt, ut sponte tradamus nos omnes populo Holofernens. ¹⁶ Melius est enim ut captivi benedicamus Dominum viventes, quam moriamur, et simus opprobrium omni carni, cum viderimus uxores nostras et infantes nostros mori ante oculos nostros. ¹⁷ Contestamur hodie cælum et terram, et Deum patrum nostrorum, qui ulciscitur nos secundum peccata nostra, ut jam tradatis civitatem in manu militiæ Holofernens, et sit finis noster brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate sitis. ¹⁸ Et cum hæc dixissent, factus est fletus et ululatus magnus in ecclesia ab omnibus, et per multas horas una voce clamaverunt ad Deum, dicentes: ¹⁹ Peccavimus cum patribus nostris: injuste egimus, iniquitatem fecimus. ²⁰ Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, et noli tradere confitentes te populo qui ignorat te, ²¹ ut non dicant inter gentes: Ubi est Deus eorum? ²² Et cum fatigati ex his clamoribus et his fletibus lassati siluissent, ²³ exurgens Ozias infusus lacrimis, dixit: Æquo animo

‡7.7 *Erant tamen non longe a muris fontes.* Sicut in libro Regum Philisthiim fabros ferrarios auferunt, ne faciant Hebræis aut lanceam, aut gladium. Et descendit omnis Israël ad Philisthiim, ut exaceret vomerem, et ligonem et securim, et sarculum. Hoc enim maxime diabolus studet, ut doctrinæ fluentia et virtutum arma auferat, et sic nequitiam suam in interitum servorum Dei velociter expleat: hinc principes gentium et Julianus apostata non solum divinam, sed et humanam Christianis interdicit philosophiam.

¶7.12 *Tunc ad Oziam congregati.* Carnales qui dicunt *Domine, Domine, cor autem eorum longe est a me Matth. 7, 15.* Sunt enim in sagena Domini et boni et mali pisces, usque ad littus futuri iudicii, qui præsentis vitæ incommoda graviter ferentes, malunt præsentibus uti deliciis, quam cœlestia bona sibi in futuro reservari, qui magistros suos importunis quærimoniis affligunt, et sibi ad luxum sæculi assentire cogunt, unde sequitur:

estote, fratres, et hos quinque dies expectemus a Domino misericordiam.^{§§ 24} Forsitan enim indignationem suam abscindet, et dabit gloriam nomini suo.²⁵ Si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba quæ locuti estis.

8 Et factum est cum audisset hæc verba Judith vidua, quæ erat filia Merari filii Idox filii Joseph filii Oziæ filii Elai filii Jamnor filii Gedeon filii Raphaim filii Achitob filii Melchiæ filii Enan filii Nathaniæ filii Salathiel filii Simeon filii Ruben,^{*} ² et vir ejus fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ:[†] ³ instabat enim super alligantes manipulos in campo, et venit æstus super caput ejus, et mortuus est in Bethulia civitate sua, et sepultus est illic cum patribus suis.⁴ Erat autem Judith relicta ejus vidua jam annis tribus et mensibus sex.⁵ Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur,⁶ et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata et neomenias et festa domus Israël.⁷ Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas, et familiam copiosam, ac possessiones armentis boum,

§§7.23 *Et hos quinque dies*, etc. Quinque dies quinque sensus corporis, quibus præsens vita ducitur, quasi quinque dierum inducias doctor iners expetit, qui corporale vitium solatium auditoribus indiscrete promittit, quasi in potestate sua sit summi datoris magnificentia, cum magis tempus tribuendi, et modus, in dantis quam accipientis potestate consistat: si enim præsentis vitæ negatur solatium, subditos deserunt, ut cedentes persecutionibus, corporale devitent supplicium. Hanc conventionem nostra Judith, id est Ecclesia, respuit et contemnit.

*8.1 *Et factum est cum*, etc., sequitur *Filia Merari*. Id est amaritudinis. Ecclesia enim per amaritudinem et tribulationem ad futuræ vitæ gaudia generatur: ubi Dominum laudabit in æternum. Quod enim quindecim generatione progenita narratur, significat quod Ecclesia per hebdoadem legis et ogdoadem evangelii, de patriarchis et apostolis est edita, et ad cœlestem gratiam ascensura; unde hic numerus graduum in Psalterio ponitur, futuræ ad cœlos ascensionis figurativus, quo sancti venientes merito dicunt, *Ecce nunc benedicite Domino*.

†8.2 *Et vir ejus fuit Manasses*, etc. Manasses interpretatur obliviosus vel necessitas, cui Judith conjugio copulata quasi decalogo legis vel ritibus gentilium obnoxia. Sed veniente Christo et luce Evangelii clarescente in mundo, omnis illa observantia cessit, et quasi vilis collectio messis velociter transiit; unde Apostolus: *Ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogō. Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu Gal. 3.* Et ad Romanos ait: *Mortificati estis legi per corpus Christi Jesu, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit Rom. 7.* Et vir Manasses, Christus Ecclesiæ sponsus. Bene Manasses dicitur, quia nos facit oblivisci calamitatis pristinæ per consolationem vitæ futuræ. Hic in tempore messis hordeaceæ, id est collectionis plebis Judaicæ, cum mitteret apostolos suos prædicare et manipulos credentium congregare: venit æstus persecutionis super caput ejus, id est super divinitatem ejus. *Caput enim Christi Deus II Cor. 2.* Inde enim maxime scandalizabantur Judæi, quod dicebat se esse Filium Dei. Unde, *Facis teipsum Deum Joan. 10.* Et alibi: *Quia Filium Dei se fecit Ibid. 19.* Passus est Jesus in gente sua, et sepultus in horto. Hujus sponsa ablato sponso, jejunio, et orationi operam dat, usque ad consummationem sæculi, nec erroribus hæreticis dignatur pollui. Cui vir suus reliquit divitias spiritualis sapientiæ et virtutis: et familiam, id est gentium multitudinem, aggregavit.

et gregibus ovium plenas.[‡] ⁸ Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. ⁹ Hæc itaque cum audisset quoniam Ozias promississet quod transacto quinto die traderet civitatem, misit ad presbyteros Chabri et Charmi. ¹⁰ Et venerunt ad illam, et dixit illis: Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis si intra quinque dies non venerit vobis adjutorium? ¹¹ et qui estis vos, qui tentatis Dominum? ¹² non est iste sermo qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, et furorem accendat.[¶] ¹³ Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrio vestrum, diem constituistis ei. ¹⁴ Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, et indulgentiam ejus fuis lacrimis postulemus: ¹⁵ non enim quasi homo sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. ¹⁶ Et ideo humiliemus illi animas nostras, et in spiritu constituti humiliato, servientes illi ¹⁷ dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam: ut sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum, ita etiam de nostra humilitate gloriemur: ¹⁸ quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, et adoraverunt deos alienos, ¹⁹ pro quo scelere dati sunt in gladium, et in rapinam, et in confusionem inimicis suis: nos autem alterum deum nescimus præter ipsum. ²⁰ Expectemus humiles consolationem ejus, et exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, et humiliabit omnes gentes, quæcumque insurgunt contra nos, et faciet illas sine honore Dominus Deus noster. ²¹ Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, ut memores sint quia tentati sunt patres nostri, ut probarentur si vere colerent Deum suum. ²² Memores esse debent quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. ²³ Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. ²⁴ Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, et impatientiam suam et improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, ²⁵ exterminati sunt ab exterminatore, et a serpentibus perierunt. ²⁶ Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur, ²⁷ sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi servi corripimur ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus. ²⁸ Et dixerunt illi Ozias et presbyteri: Omnia quæ locuta es, vera sunt, et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio.[§] ²⁹ Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, et timens Deum. ³⁰ Et dixit illis Judith: Sicut quod

[‡]8.7 *Cui vir suus reliquerat divitias multas.* Ex veteris legis et ex philosophiæ instructione, moralisque disciplinæ, multiplices opes ad Christum veniens attulit Ecclesia; unde et Paulus se ad pedes Gamaliel nutritum gloriatur, et Moyses omni sapientia Ægyptiorum eruditus legitur.

[¶]8.12 *Non est iste sermo.* Cum afflictus sumus, nec tempus, nec modum præscribere Domino debemus, sed magis arbitrio ejus cuncta relinquamus. Unde quidam patrum in oratione sua dixisse legitur: *Fili Dei, fili Dei, sicut scis, et sicut vis, miserere mei Matth. 6.* Regnum tantum Dei quærere debemus, et omnia adjicientur. Præsens vita sit fidelibus in usu, futura in fructu. Sit res temporalis in itinere, desideretur æterna in perventione.

[§]8.28 *Et dixerunt.* Quæcumque loquitur Ecclesia in confessione fidei in doctrina religionis, laudabilia et irreprehensibilia sunt, hæc singulos fideles orando præmonet, si quisque sicut probavit verum esse quod docet, ita operibus implet: unde subditur:

potui loqui, Dei esse cognoscitis,** ³¹ ita quod facere disposui, probate si ex Deo est, et orate ut firmum faciat Deus consilium meum. ³² Stabitis vos ad portam nocte ista, et ego exeam cum abra mea: et orate, ut sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israël. ³³ Vos autem nolo ut scrutemini actum meum, et usque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum. ³⁴ Et dixit ad eam Ozias princeps Juda: Vade in pace, et Dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum. Et revertentes abierunt.

9 Quibus ascendentibus, Judith ingressa est oratorium suum: et induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum: et prosternens se Domino, clamabat ad Dominum, dicens:†† ² Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, et denudaverunt femur virginis in confusionem:‡‡ ³ et dedisti mulieres illorum in prædam, et filias illorum in captivitatem: et omnem prædam in divisionem servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum: subveni, quæso te, Domine Deus meus, mihi viduæ. ⁴ Tu enim fecisti priora, et illa post illa cogitasti: et hoc factum est quod ipse voluisti. ⁵ Omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, et tua judicia in tua providentia posuisti. ⁶ Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es, quando post servos tuos armati currebant, confidentes in quadrigis, et in equitatu suo, et in multitudine bellatorum. ⁷ Sed aspexisti super castra eorum, et tenebræ fatigaverunt eos. ⁸ Tenuit pedes eorum abyssus, et aquæ operuerunt eos. ⁹ Sic fiant et isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, et in curribus suis, et in contis, et in scutis, et in sagittis suis, et in lanceis gloriantur,¶¶ ¹⁰ et nesciunt quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, et Dominus nomen est tibi. ¹¹ Erige brachium tuum sicut ab initio, et allide virtutem illorum in virtute tua: cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua, et polluere tabernaculum nominis tui, et dejicere gladio suo cornu altaris tui. ¹² Fac, Domine, ut gladio proprio ejus superbia amputetur: ¹³ capiatur laqueo oculorum suorum in me, et percuties eum ex labiis caritatis meæ. ¹⁴ Da mihi in animo constantiam ut contempnam illum, et virtutem, ut evertam illum. ¹⁵ Erit enim hoc memoriale nominis tui, cum manus feminæ dejecerit eum. ¹⁶ Non enim in multitudine est virtus tua, Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. ¹⁷ Deus cælorum, creator aquarum, et Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, et de tua misericordia præsumentem. ¹⁸ Memento, Domine, testamenti tui, et da verbum in

**8.30 *Et dixit illis Judith.* Judith, id est Ecclesia, commendat præbyteris portam, id est castrorum Dei sollicitam custodiam, ut pervigili et solerti cura contra hostium insidias semper parati assistant et orationibus muniti.

††9.1 *Quibus abscedentibus.* Postquam ad presbyteros locuta est, oratorium ingreditur Judith, quia sollicitudo sanctorum post prædicationis obsequium, redit ad cordis sui secretum, ut ibi compleat puræ ascensionis incensum: secundum illud, Cum oraveris, intra in cubiculum tuum.

‡‡9.2 *Domine Deus.* Bene in oratione actum Simonis commemorat, qui cum fratre Levi stuprum sororis in alienigenas vindicavit. Futurum enim erat, ut Holofernes qui in Judith voluit explere immunditiam libidinis, gladio feriretur ultionis.

¶¶9.9 *Respice castra.* Sicut luxuriosos luxuriosis comparat, ita nunc superbis superbos, Assyrios, scilicet Ægyptiis; quia sicut potentia divina est in illis, ita manifestari potest et his subversis, quia idem Dominus, eadem potentia, eadem justitia.

ore meo, et in corde meo consilium corrobora, ut domus tua in sanctificatione tua permaneat: ¹⁹et omnes gentes agnoscant quia tu es Deus, et non est alius præter te.

10 Factum est autem, cum cessasset clamare ad Dominum, surrexit de loco in quo jacuerat prostrata ad Dominum. ²Vocavitque abram suam, et descendens in domum suam, abstulit a se cilicium, et exiit se vestimentis viduitatis suæ,^{§§} ³et lavit corpus suum, et unxit se myro optimo, et discriminavit crinem capitis sui, et imposuit mitram super caput suum, et induit se vestimentis jucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola, et lilia, et inaures, et annulos, et omnibus ornamentis suis ornavit se. ⁴Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat: et ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.* ⁵Imposuit itaque abra suæ ascoperam vini, et vas olei, et polentam, et palathas, et panes, et caseum, et profecta est.† ⁶Cumque venissent ad portam civitatis, invenerunt expectantem Oziam et presbyteros civitatis. ⁷Qui cum vidissent eam, stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem ejus. ⁸Nihil tamen interrogantes eam, dimiserunt transire, dicentes: Deus patrum nostrorum det tibi gratiam, et omne consilium tui cordis sua virtute corroboret, ut gloriatur super te Jerusalem, et sit nomen tuum in numero sanctorum et justorum. ⁹Et dixerunt hi qui illic erant omnes una voce: Fiat, fiat. ¹⁰Judith vero orans Dominum, transivit per portas, ipsa et abra ejus. ¹¹Factum est autem cum descenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Assyriorum, et tenuerunt eam, dicentes: Unde venis? aut quo vadis? ¹²Quæ respondit: Filia sum Hebræorum, ideo ego fugi a facie eorum, quoniam futurum agnovi quod dentur vobis in deprædationem, pro eo quod contemnentes vos, noluerunt ultro tradere seipsos ut invenirent misericordiam in conspectu vestro. ¹³Hac de causa cogitavi mecum, dicens: Vadam ad faciem principis Holofernus, ut indicem illi secreta illorum, et ostendam illi quo aditu possit obtinere eos, ita ut non cadat vir unus de exercitu ejus. ¹⁴Et cum audissent viri illi verba ejus, considerabant faciem ejus, et erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem ejus mirabantur nimis. ¹⁵Et dixerunt ad eam: Conservasti animam tuam, eo quod tale reperisti consilium, ut descenderes ad dominum nostrum. ¹⁶Hoc autem scias, quoniam cum steteris in conspectu ejus, bene tibi faciet, et eris gratissima in corde ejus. Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofernus, annuntiantes eam. ¹⁷Cumque

§§10.2 *Abstulit a se cilicium, et exiit se vestimentis viduitatis suæ*, etc. Quia sancta Ecclesia aliquando pro peccatis suis, pœnitentiæ gerit affectum: sed tamen spe remissionis et futuri præmii exhilarat animum.

*10.4 *Ut incomparabili decore*. Quia justum est, ut qui Dei fervet amore, omnibus habeatur dignus honore, unde: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate Psal. 44.*

†10.5 *Et panes et caseum*. Hæc omnia Abra pro dispensatione dominæ suæ observat. Justum est enim, ut qui non novit moderamina vitæ suæ tenere, non subito fiat rector alienæ. *Dixeruntque*, etc. Sub dominatione sæcularium principum libere manere permiserunt. Sicut Trajanus licet inprimis Christi Confessores persecutus sit, Plinio secundo admonente, levioribus decretis edictum suum temperavit. Ælius quoque Adrianus per Quadratum discipulum apostolorum, et Aristidem Atheniensem virum, de Christiana religione eruditus, ad Munitium Fundanum proconsulem Asiæ epistolam misit, ut nemini liceret Christianum sine criminis objectione aut probatione damnare.

intrasset ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holofernes. ¹⁸Dixeruntque ad eum satellites ejus: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus? ¹⁹Videns itaque Judith Holofernem sedentem in conopeo, quod erat ex purpura, et auro, et smaragdo, et lapidibus pretiosis intextum, ²⁰et cum in faciem ejus intendisset, adoravit eum, prosternens se super terram. Et elevaverunt eam servi Holofernis, jubente domino suo.

11 Tunc Holofernes dixit ei: Æquo animo esto, et noli pavere in corde tuo: quoniam ego numquam nocui viro qui voluit servire Nabuchodonosor regi: ²populus autem tuus, si non contempsisset me, non levassem lanceam meam super eum. ³Nunc autem dic mihi, qua ex causa recessisti ab illis, et placuit tibi ut venires ad nos? ⁴Et dixit illi Judith: Sume verba ancillæ tuæ, quoniam si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum. ⁵Vivit enim Nabuchodonosor rex terræ, et vivit virtus ejus, quæ est in te ad correptionem omnium animarum errantium: quoniam non solum homines serviunt illi per te, sed et bestię agri obtemperant illi. ⁶Nuntiatur enim animi tui industria universis gentibus, et indicatum est omni sæculo quoniam tu solus bonus et potens es in omni regno ejus: et disciplina tua omnibus provinciis prædicatur. ⁷Nec hoc latet, quod locutus est Achior, nec illud ignoratur, quod ei jusseris evenire. ⁸Constat enim Deum nostrum sic peccatis offensum, ut mandaverit per prophetas suos ad populum quod tradat eum pro peccatis suis. ⁹Et quoniam sciunt se offendisse Deum suum filii Israël, tremor tuus super ipsos est. ¹⁰Insuper etiam fames invasit eos, et ab ariditate aquæ jam inter mortuos computantur. ¹¹Denique hoc ordinant, ut interficiant pecora sua, et bibant sanguinem eorum: ¹²et sancta Domini Dei sui, quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino, et oleo, hæc cogitaverunt impendere, et volunt consumere quæ nec manibus deberent contingere: ergo quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur. ¹³Quod ego ancilla tua cognoscens, fugi ab illis, et misit me Dominus hæc ipsa nuntiare tibi. ¹⁴Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te: et exiet ancilla tua, et orabo Deum, ¹⁵et dicet mihi quando eis reddat peccatum suum, et veniens nuntiabo tibi, ita ut ego adducam te per mediam Jerusalem, et habebis omnem populum Israël, sicut oves quibus non est pastor, et non latrabit vel unus canis contra te: ¹⁶quoniam hæc mihi dicta sunt per providentiam Dei, ¹⁷et quoniam iratus est illis Deus, hæc ipsa missa sum nuntiare tibi. ¹⁸Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, et coram pueris ejus, et mirabantur sapientiam ejus, et dicebant alter ad alterum: ¹⁹Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum. ²⁰Et dixit ad illam Holofernes: Benefecit Deus, qui misit te ante populum, ut des illum tu in manibus nostris: ²¹et quoniam bona est promissio tua, si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit et Deus meus, et tu in domo Nabuchodonosor magna eris, et nomen tuum nominabitur in universa terra.

12 Tunc jussit eam introire ubi repositi erant thesauri ejus, et jussit illic manere eam, et constituit quid daretur illi de convivio suo. ²Cui respondit Judith, et dixit: Nunc non potero manducare ex his quæ mihi præcipis tribui, ne veniat su-

¹⁸11.4 *Et dixit illi Judith: Sume verba*, etc. AUG., serm. 229 de temp. Species custodit quæ blanditur, etc., usque ad sed sopor tibi quem ferias præparavit.

^{11.17} *Missa sum*. Prima via salutis fuit gentibus, prædicatores Evangelii gratanter recipere et fidem præbere, et per eorum doctrinam ad agnitionem veritatis venire.

per me offensio: ex his autem quæ mihi detuli, manducabo. ³ Cui Holofernes ait: Si defecerint tibi ista, quæ tecum detulisti, quid faciemus tibi? ⁴ Et dixit Judith: Vivit anima tua, domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea hæc quæ cogitavi. Et induxerunt illam servi ejus in tabernaculum quod præceperat. ⁵ Et petiit dum introiret, ut daretur ei copia nocte et ante lucem egrediendi foras ad orationem, et deprecandi Dominum. ⁶ Et præcepit cubiculariis suis ut sicut placeret illi, exiret et introiret ad adorandum Deum suum per triduum: ⁷ et exibat noctibus in vallem Bethuliae, et baptizabat se in fonte aquæ. ⁸ Et ut ascendeat, orabat Dominum Deum Israël ut dirigeret viam ejus ad liberationem populi sui. ⁹ Et introiens, munda manebat in tabernaculo usque dum acciperet escam suam in vespere. ¹⁰ Et factum est, in quarto die Holofernes fecit cœnam servis suis, et dixit ad Vagao eunuchum suum: Vade, et suade Hebræam illam ut sponte consentiat habitare mecum. ¹¹ Fœdum est enim apud Assyrios, si femina irrideat virum agendo ut immunis ab eo transeat. ¹² Tunc introivit Vagao ad Judith, et dixit: Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus, ut manducet cum eo, et bibat vinum in jucunditate. ¹³ Cui Judith respondit: Quæ ego sum, ut contradicam domino meo? ¹⁴ omne quod erit ante oculos ejus bonum et optimum, faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ. ¹⁵ Et surrexit, et ornavit se vestimento suo, et ingressa stetit ante faciem ejus. ¹⁶ Cor autem Holofernes concussum est: erat enim ardens in concupiscentia ejus. ¹⁷ Et dixit ad eam Holofernes: Bibe nunc, et accumbe in jucunditate, quoniam invenisti gratiam coram me. ¹⁸ Et dixit Judith: Bibam, domine, quoniam magnificata est anima mea hodie præ omnibus diebus meis. ¹⁹ Et accepit, et manducavit et bibit coram ipso ea quæ paraverat illi ancilla ejus. ²⁰ Et jucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis, quantum numquam biberat in vita sua.

13 Ut autem sero factum est, festinaverunt servi illius ad hospitia sua, et conclusit Vagao ostia cubiculi, et abiit. ² Erant autem omnes fatigati a vino, ³ eratque Judith sola in cubiculo. ⁴ Porro Holofernes jacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus. ⁵ Dixitque Judith puellæ suæ ut staret foris ante cubiculum, et observaret. ⁶ Stetitque Judith ante lectum, orans cum lacrimis, et labiorum motu in silentio, ⁷ dicens: Confirma me, Domine Deus Israël, et respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut, sicut promisisti, Jerusalem civitatem tuam erigas: et hoc quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam. ⁸ Et cum hæc dixisset, accessit ad columnam quæ erat ad caput lectuli ejus, et pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exsolvit. ⁹ Cumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis ejus, et ait: Confirma me, Domine Deus, in hac hora. ¹⁰ Et percussit bis in cervicem ejus, et abscidit caput ejus, et abstulit conopeum ejus a columnis, et evolvit corpus ejus truncum. ¹¹ Et post pusillum exivit, et tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, et jussit ut mitteret

§12.19 *Et accepit.* Non inquinatur cibus gentilium aut superstitione. Ecclesia enim inter gentes habitans, idololatria non polluitur, sed his quæ devotio fidelium per obedientiam præparat, utitur, unde: **Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris Joan. 4.**

13.4 *In lecto.* Nefandæ securitatis, qua se impune peccare confidit; unde: **Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit Prov. 18.

illud in peram suam.^{††} ¹² Et exierunt duæ, secundum consuetudinem suam, quasi ad orationem, et transierunt castra, et gyrantes vallem, venerunt ad portam civitatis. ¹³ Et dixit Judith a longe custodibus murorum: *Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israël.*^{‡‡} ¹⁴ Et factum est cum audissent viri vocem ejus, vocaverunt presbyteros civitatis. ¹⁵ Et concurrerunt ad eam omnes, a minimo usque ad maximum: quoniam sperabant eam jam non esse venturam. ¹⁶ Et accendentes luminaria, congraverunt circa eam universi: illa autem ascendens in eminentiore locum, jussit fieri silentium. Cumque omnes tacuissent,[¶] ¹⁷ dixit Judith: *Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se,* ¹⁸ et in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israël: et interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte.^{§§} ¹⁹ Et proferens de pera caput Holofernis, ostendit illis, dicens: *Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorum, et ecce conopeum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua, ubi per manum feminae percussit illum Dominus Deus noster.* ^{*} ²⁰ Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me angelus ejus et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis gaudentem in victoria sua, in evasione mea, et in liberatione vestra. ²¹ Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. ²² Universi autem adorantes Dominum, dixerunt ad eam: *Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* ²³ Porro Ozias princeps populi Israël dixit ad eam: *Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.* ²⁴ *Benedictus Dominus, qui creavit cælum et terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum:* ²⁵ *quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ propter angus-*

^{††}13.11 *Caput Holofernis.* Recordationem confecti belli sollicitè jubet memorari, unde: *Sobrii estote et vigilate I Petr. 5..*

^{‡‡}13.13 *Custodibus murorum.* Id est doctoribus, qui verbo et exemplo Ecclesiam muniunt, et ad vitam æternam introducunt, de quibus dicitur: *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes Isa. 61..* Vel angelicis spiritibus, qui nobis in custodiam missi, malignos spiritus excludunt. *Aperite portas.* Id est devotionem cordis, unde dicitur: *Qui habet aures audiendi audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis Apoc. 1..* Secundum illud: *Beatus qui causam suam loquitur in aure audientis Eccl. 25..* Dominus virtutem populo suo dabit, cum quo scilicet, apicem cœlestis regni ascendit, unde: *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cœlo Joan. 3..*

[¶]13.16 *Illam autem ascendens.* Ad cœlestia dogmata sermonem convertens, et ad laudandum Deum pro beneficiis suis auditores attollens.

^{§§}13.18 *Et interfecit.* De quo: *Ipsa conteret caput, etc. Gen. 2..* Et in Evangelio: *Dabo vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones et super omnes virtutes inimici Luc. 10..*

^{*}13.19 Et ecce, etc. Scitote quanta sit malignitas, quanta fraus inimici nostri, quanta pietate a nobis superatus sit, quos Dominus illæsos ab omni fraude et erroris contaminatione custodit, ut his inspectis Conditori et Redemptori nostro gratias agatis, unde: *Sobrii estote et vigilate I Petr. 5..* Et: *Timeo ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita et sensus nostri corrumpantur II Cor. 2..* Et item: *Confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus: et induite vos arma Dei Ephes. 6..*

tias et tribulationem generis tui, sed subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri.[†]
²⁶ Et dixit omnis populus: Fiat, fiat. ²⁷ Porro Achior vocatus venit, et dixit ei Judith: Deus Israël, cui tu testimonium dedisti quod ulciscatur se de inimicis suis, ipse caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea. ²⁸ Et ut probes quia ita est, ecce caput Holofernis, qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israël contempsit, et tibi interitum minabatur, dicens: Cum captus fuerit populus Israël, gladio perforari præcipiam latera tua. ²⁹ Videns autem Achior caput Holofernis, angustiatum præ pavore cecidit in faciem suam super terram, et æstuavit anima ejus.[‡] ³⁰ Postea vero quam resumpto spiritu recreatus est, procidit ad pedes ejus, et adoravit eam, et dixit: ³¹ Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israël.

14 Dixit autem Judith ad omnem populum: Audite me, fratres: suspendite caput hoc super muros nostros: ² et erit, cum exierit sol, accipiat unusquisque arma sua, et exite cum impetu, non ut descendatis deorsum, sed quasi impetum facientes. ³ Tunc exploratores necesse erit ut fugiant ad principem suum excitandum ad pugnam. ⁴ Cumque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, et invenerint eum truncum in suo sanguine volutatum, decidet super eos timor. ⁵ Cumque cognoveritis fugere eos, ite post illos securi, quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris. ⁶ Tunc Achior, videns virtutem quam fecit Deus Israël, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, et circumcidit carnem præputii sui, et appositus est ad populum Israël, et omnis successio generis ejus usque in hodiernum diem. ⁷ Mox autem ut ortus est dies, suspenderunt super muros caput Holofernis, accepitque unusquisque vir arma sua, et egressi sunt cum grandi strepitu et ululatu. ⁸ Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt. ⁹ Porro hi qui in tabernaculo erant, venientes, et ante ingressum cubiculi perstreptentes, excitandi gratia, inquietudinem arte moliebantur, ut non ab excitantibus, sed a sonantibus Holofernes evigilaret. ¹⁰ Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire. ¹¹ Sed cum venissent ejus duces ac tribuni, et universi majores exercitus regis Assyriorum, dixerunt cubiculariis: ¹² Intrate, et excitate illum, quoniam egressi mures de cavernis suis, ausi sunt provocare nos ad prælium. ¹³ Tunc ingressus Vagao cubiculum ejus, stetit ante cortinam, et plausum fecit manibus suis: suspicabatur enim illum cum Judith dormire.[†] ¹⁴ Sed cum nullum motum jacentis sensu aurium

[†]13.25 *Quia hodie nomen tuum*, etc. Laus Ecclesiæ non recedet de ore hominum, qui memores sunt studii et operum ejus, quæ per dilectionem Dei et proximi præsentem tribulationem secunda sustinet, fide plena et spe firma, attendens eminentiam cœlestium præmiorum, ubi sociabitur beatitudini angelorum.

[‡]13.29 *Videns autem Achior*. Per Achior principem Ammonitarum pagani vel hæretici designantur, qui videntes Ecclesiæ fidem hostium superasse ferocitatem, nimio pavore concutiuntur et superbiam suam humiliantes Ecclesiam venerantur; et sequaces suos errorem relinquere et fide liberi sese sociare hortantur; unde Isaias: *Venient ad te curvi filii eorum qui te humiliaverunt, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi Isa. 60.*

[†]14.13 *Tunc ingressus*. Duces persecutorum deos suos contra Ecclesiam poscentes auxilium, inveniunt eos propria fœditate spurcissimos et omni virtute destitutos, unde fugæ se commendantes relinquunt ea in quibus temporaliter confidebant. *Non est enim prudentia, non est sapientia nec consilium contra Deum;* unde Hieremias ait: *Non fugiet velox et non salvabitur fortis*, etc. Hier. 46..

caperet, accessit proximans ad cortinam, et elevans eam, vidensque cadaver absque capite Holofernus in suo sanguine tabefactum jacere super terram, exclamavit voce magna cum fletu, et scidit vestimenta sua. ¹⁵ Et ingressus tabernaculum Judith, non invenit eam, et exiliit foras ad populum, ¹⁶ et dixit: Una mulier hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor: ecce enim Holofernus jacet in terra, et caput ejus non est in illo. ¹⁷ Quod cum audissent principes virtutis Assyriorum, sciderunt omnes vestimenta sua, et intolerabilis timor et tremor cecidit super eos, et turbati sunt animi eorum valde. ¹⁸ Et factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum.

15 Cumque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens et consilium ab eis, et solo tremore et metu agitati, fugæ præsidium sumunt, ² ita ut nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus, evadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audiebant, fugientes per vias camporum et semitas collium. ³ Videntes itaque filii Israël fugientes, secuti sunt illos. Descenderuntque clangentes tubis, et ululantes post ipsos. ⁴ Et quoniam Assyrii non adunati, in fugam ibant præcipites: filii autem Israël uno agmine persequentes debilitabant omnes quos invenire potuissent. ⁵ Misit itaque Ozias nuntios per omnes civitates et regiones Israël. ⁶ Omnis itaque regio, omnisque urbs electam juventutem armatam misit post eos, et persecuti sunt eos in ore gladii, quousque pervenirent ad extremitatem finium suorum. ⁷ Reliqui autem qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, et prædam quam fugientes Assyrii reliquerant, abstulerunt, et onustati sunt valde. ⁸ Hi vero qui victores reversi sunt ad Bethuliam, omnia quæ erant illorum attulerunt secum, ita ut non esset numerus in pecoribus et jumentis et universis mobilibus eorum, ut a minimo usque ad maximum omnes divites fierent de prædationibus eorum. ⁹ Joacim autem summus pontifex de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis ut videret Judith. ¹⁰ Quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu gloria Jerusalem; tu lætitia Israël; tu honorificentia populi nostri: ¹¹ quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris: ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum. ¹² Et dixit omnis populus: Fiat, fiat. ¹³ Per dies autem triginta, vix collecta sunt spolia Assyriorum a populo Israël. ¹⁴ Porro autem universa quæ Holofernus peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Judith in auro, et argento, et vestibus, et gemmis, et omni suppellectili:

§15.3 *Videntes itaque*, etc. Gedeon contra Madianitas pugnaturus, non hastam, non clypeum, sed tubas et lampades tulit, præfigurans Evangelii præcones, quibus non est colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra spiritualia nequitiae in coelestibus, etc, et pugnant prædicationis voce et miraculorum fulgore. *Omnis itaque*. Ad prædicationem verbi Dei ex singulis gentibus et provinciis probatæ personæ et viribus accinctæ ad malitiam Domini veniunt; unde Isaias: *Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab Aquilone et mari Isa. 49.*, etc.

**15.13 *Per dies autem*. Qui universum præsentis vitæ tempus significant, quo populus Dei de hoste triumphans spiritualiter expoliatur; unde de Ecclesia dicitur: *Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit Prov. 31.*

et tradita sunt omnia illi a populo.^{††} ¹⁵ Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, et virginibus, et juvenibus, in organis et citharis.^{‡‡}

16 Tunc cantavit canticum hoc Domino Judith, dicens: ² [Incipite Domino in tympanis; cantate Domino in cymbalis; modulamini illi psalmum novum: exaltate, et invocate nomen ejus. ³ Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi. ⁴ Qui posuit castra sua in medio populi sui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum. ⁵ Venit Assur ex montibus ab aquilone in multitudine fortitudinis suæ: cujus multitudo obturavit torrentes, et equi eorum cooperuerunt valles. ⁶ Dixit se incensurum fines meos, et juvenes meos occisurum gladio; infantes meos dare in prædam, et virgines in captivitatem. ⁷ Dominus autem omnipotens nocuit eum, et tradidit eum in manus feminae, et confodit eum. ⁸ Non enim cecidit potens eorum a juvenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi: sed Judith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum. ⁹ Exiit enim se vestimento viduitatis, et induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israël. ¹⁰ Unxit faciem suam unguento, et colligavit cincinnos suos mitra; accepit stolam novem ad decipiendum illum. ¹¹ Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus; pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus: amputavit pugione cervicem ejus. ¹² Horruerunt Persæ constantiam ejus, et Medi audaciam ejus.^{¶¶} ¹³ Tunc ululaverunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei, arescentes in siti. ¹⁴ Filii puellarum compunxerunt eos, et sicut pueros fugientes occiderunt eos: perierunt in prælio a facie Domini Dei mei. ¹⁵ Hymnum cantemus Domino; hymnum novum cantemus Deo nostro. ¹⁶ Adonai Domine, magnus es tu, et præclarus in virtute tua: et quem superare nemo potest.^{§§} ¹⁷ Tibi serviat omnis creatura tua, quia dixisti, et facta sunt; misisti spiritum tuum, et creata sunt: et non est qui resistat voci tuæ. ¹⁸ Montes a fundamentis movebuntur cum aquis; petræ, sicut cera, liquescent ante faciem tuam. ¹⁹ Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia. ²⁰ Væ genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis; in die iudicii visitabit illos. ²¹ Dabit enim ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum.]^{*} ²² Et factum est post hæc, omnis populus post victoriam venit in Jerusalem ado-

^{††}15.14 **Porro autem.** Sic populus Dei ab Ægypto recedens, ipsam spoliavit, unde tabernaculum construxit. Sic reges justi sub Testamento Veteri quæ hostibus abstulerunt, in ministerio templi consecraverunt.

^{‡‡}15.15 **Juvenibus.** Quia tunc neque nubent neque nubentur, quia resurgent omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Unde in resurrectione Domini, juvenis coopertus stola candida angelus apparuit.

^{¶¶}16.12 **Horruerunt.** Notare debet lector, utrum opinio vera sit, quod Cambyses filius Cyri a plerisque iste Nabuchodonosor dictus sit, qui Persis, Medis, et Assyriis imperavit.

^{§§}16.16 **Adonai Domine.** Unum de decem nominibus apud Hebræos significans, quod Dominus creaturæ dominetur. Et notandum, quod ubicunque bis ponitur, Dominus: primum nomen, tetragrammaton est, et proprie ad Deum pertinet, et ineffabile dicitur: secundum commune, quod convenit hominibus. Et bene Adonai Dominus filius Dei dicitur: quia Deus et homo, Dominus et Deus, quod omnibus dominetur vel ab omnibus timeatur.

^{*}16.21 **In carnes eorum.** Quas amaverunt, de quibus nascitur fetor vermium. Caro et sanguis vermes creat: quia delectatio carnalis, cui sal continentia non resistit, pœnam æternam generat luxuriosis; unde: **Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur Isa. 66..**

rare Dominum: et mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, et vota, et repromissiones suas.[†] ²³ Porro Judith universa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, et conopeum quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis. ²⁴ Erat autem populus jucundus secundum faciem sanctorum: et per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est cum Judith. ²⁵ Post dies autem illos, unusquisque rediit in domum suam: et Judith magna facta est in Bethulia, et præclarior erat universæ terræ Israël. ²⁶ Erat enim virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus. ²⁷ Erat autem, diebus festis, procedens cum magna gloria. ²⁸ Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, et dimisit abram suam liberam: et defuncta est ac sepulta cum viro suo in Bethulia.[‡] ²⁹ Luxitque illam omnis populus diebus septem.[¶] ³⁰ In omni autem spatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret Israël, et post mortem ejus annis multis. ³¹ Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur a Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem.

[†]16.22 *Et factum est.* Adepta victoria de hostibus suis, quisque electus ab omni labe purgatus, properat in supernam Dei civitatem, ubi vera visio pacis, ubi reddit vota sua conditori.

[‡]16.28 Centum quinque, etc. Pro æterna beatitudine centenarius numerus a læva transit in dextram. *Abram suam.* Abram carnalium conversationem, quæ semper timori obnoxia est in libertatem gratiæ et ad securitatem charitatis ducendo et exhortando perducit, ut non timore, sed amore serviat.

[¶]16.29 *Luxitque illam omnis populus diebus septem.* Electi Dei per omne tempus, quod septem diebus evolvitur, propter peregrinationem præsentis Ecclesiæ, in dolore et gemitu non affliguntur ex desperatione, sed futuræ vitæ recordatione, juxta illud: *Flevimus, dum recordaremur Sion Psal. 136.*

INCIPIIT LIBER SAPIENTIAE SOLOMONIS

1 [Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum:[§] ² quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum. ³ Perversæ enim cogitationes separant a Deo; probata autem virtus corripit insipientes. ⁴ Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.** ⁵ Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate. ⁶ Benignus est enim spiritus sapientia, et non liberabit medicum a labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, et linguæ ejus auditor.†† ⁷ Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.‡‡ ⁸ Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium.¶¶ ⁹ In cogitationibus enim impii interrogatio erit; sermonum autem illius

§1.1 **Prologus** Liber Sapientia apud Hebræos nusquam est. Unde et ipse stylus Græcam magis eloquentiam redolet. Hunc Judæi Philonis esse affirmant. Qui proinde Sapientia nominatur, quia in eo Christi adventus, qui est sapientia Patris et passio ejus, evidenter exprimitur. *Diligite justitiam*, etc. RAB. in lib. Sap., tom. 3. Hunc librum Hieronymus asserit non a Salomone, etc., *usque ad Diligite justitiam*, etc. **Terram.** Carnem, scilicet discrete reprimitis, ne superbiat contra spiritum. Quasi: **Primum quærite regnum Dei** Matth. 6., etc. **In simplicitate.** Id est voluntati illius vos subjicite: et mandata custodite; quasi dicat: Qui non intelligitis, nolite reprehendere, quia secreta Dei non possunt humana ratione comprehendi, quia incomprehensibilia sunt iudicia ejus, et investigabiles viæ ejus Rom. 11..

1.4 **Quoniam in malevolam, etc. Id est in animali homine, juxta illud: **Animalis homo non percipit** I Cor. 2., etc. Et ideo non dixit spiritum, id est animam spiritualem. RAB. Frustra sibi blandiuntur philosophi, et hæretici, et falsi Christiani. Soli enim mundo corde sapientiam Dei possunt cipere.

††1.6 **Benignus.** Contra illos invehitur, qui cogitationes bonas et malas dicunt a Deo immitti; cum Deus velit omnes salvos fieri homines, et ad cognitionem veritatis venire. Ipse enim neminem tentat, ut decipiat, sed ut probet, unde: **Tentavit Deus Abraham** Gen. 22.; et, **Proba me et tenta me** Psal. 25., etc. Unusquisque autem tentatur a concupiscentia sua, et justo Dei iudicio permittitur cadere, qui spiritui veritatis noluit obedire.

‡‡1.7 **Et hoc quod continet omnia.** Id est Spiritus, qui omnia gubernat et regit. Vel, qui attingit a fine usque ad finem, **scientiam habet vocis**, id est, intelligentiam Scripturarum præstat hominibus. Vel, **quod continet omnia**, id est, homo qui convenientem habet cum omni creatura. **Scientiam habet vocis**, id est diversarum linguarum Spiritu sancto, qui dedit apostolis loqui diversis linguis magnalia Dei. Vel **quod continet omnia**, id est Spiritus sanctus, qui omnia replet sua essentia, **scientiam habet vocis**, id est Verbi Dei, id est ejusdem est scientia cum Verbo. Vel, **hoc quod continet omnia**, id est Ecclesiam, in qua **alii datur sermo scientia**, etc. RAB. Qui in principio **ferebatur super aquas**, et majestate sua omnem creaturam implet et continet.

¶¶1.8 **Propter hoc.** RAB. Sicut electi donum scientia et pietatis per Spiritum accipiunt: sic reprobi, superbia sua inflati, errorem suum impudenter proferunt; quoniam spiritum Dei celare non possunt, nec justam poenam evadunt: quia sicut oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum, ita vultus Domini super facientes mala.

auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. ¹⁰ Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. ¹¹ Custodite ergo vos a murmuratione quæ nihil prodest, et a detractioe parcite linguæ: quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit, os autem quod mentitur occidit animam.]^{§§} ¹² [Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.* ¹³ Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. ¹⁴ Creavit enim ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum: et non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra. ¹⁵ Justitia enim perpetua est, et immortalis. ¹⁶ Impii autem manibus et verbis accersierunt illam, et æstimantes illam amicam, defluerunt; et sponsiones posuerunt ad illam, quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.][†]

2 [Dixerunt enim cogitantes apud se non recte: Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis.‡ ² Quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tamquam non fuerimus. Quoniam fumus flatus est in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum:¶ ³ qua extincta, cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tamquam mollis aër; et transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur quæ fugata est a radiis solis, et a calore illius aggravata. ⁴ Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum. ⁵ Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, et nemo revertitur. ⁶ Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter. ⁷ Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis. ⁸ Coronemus nos rosis antequam marcescant; nullum pratium sit quod non pertranseat luxuria nostra: ⁹ nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ. Ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors. ¹⁰ Opprimamus pauperem justum, et non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis:§ ¹¹ sit autem fortitudo nostra lex justitiæ; quod enim infirmum est, inutile invenitur. ¹² Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et impropereat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. ¹³ Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat. ¹⁴ Factus est nobis

§§1.11 *Custodite ergo.* RAB. Perniciosæ sunt murmurationes et detractioes, unde: *Susurrone enim et detractores Deo sunt odibiles* Rom. 1.; unde: *Qui detrahit alicui rei, in futurum se obligat* Prov. 13.. *Os quod mentitur.* ID. Est mendacium levioris culpæ, etc., usque ad et ipsum bonum remunerat.

*1.12 *Nolite zelare.* ID. Enumeravit, quæ sunt homini noxia, etc., usque ad sed potius ex vitio.

†1.16 *Et sponsiones.* Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.

‡2.1 *Dixerunt enim.* RAB. Vox perditorum, etc., usque ad et in nihilum redigemur.

¶2.2 *Quoniam fumus.* Vere nihil erimus, quia *fumus et flatus est in naribus nostris.* id est, in corpore nostro, id est corpus nostrum fumo et flatui comparatur, qui simul oriuntur et deficiunt. *Et sermo scintilla.* Id est anima comparabilis scintillæ, quæ statim fit nihil, *sermo* dico, id est, anima. *Ad commovendum cor nostrum.* Id est vegetat corpus. Et quod ita sit exponendum, probat subdens. *Quia extinctus cinis,* et post, *spiritus diffundetur*

§2.10 *Opprimamus.* RAB. Generaliter pertinent hæc ad eos, etc., usque ad nec ipsi capiti parent, sed blasphemant, et arguunt.

in traductionem cogitationum nostrarum. ¹⁵Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus. ¹⁶Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur patrem se habere Deum. ¹⁷Videamus ergo si sermones illius veri sint, et tentemus quæ ventura sunt illi, et sciemus quæ erunt novissima illius. ^{**} ¹⁸Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum. ¹⁹Contumelia et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius. ²⁰Morte turpissima condemnemus eum; erit enim ei respectus ex sermonibus illius. ^{††} ²¹Hæc cogitaverunt, et erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum. ²²Et nescierunt sacramenta Dei: neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. ²³Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. ^{‡‡} ²⁴Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum: ²⁵imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.]

3 [Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tangent illos tormentum mortis. ^{¶¶} ²Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum, ³et quod a nobis est iter exterminium; illi autem sunt in pace: ⁴etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. ⁵In paucis vexati sunt, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. ⁶Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. ⁷Fulgebunt justi et tamquam scintillæ in arundinetis discurrunt. ^{§§} ⁸Judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum. ^{*} ⁹Qui confidunt in illo intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum et pax est electis ejus. ¹⁰Impii autem secundum quæ cogitaverunt correptionem habebunt: qui neglexerunt justum, et a Domino recesserunt. ¹¹Sapientiam enim et disciplinam qui abjicit infelix est: et vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum. [†] ¹²Mulieres eorum insensatæ sunt, et nequissimi filii eorum. ¹³Maledicta creatura eorum, quoniam felix est sterilis; et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum

^{**}2.17 *Videamus*. RAB. Similia in Evangelio dicuntur, ubi pontifices et Pharisei consilium inierunt, quomodo Jesum morti traderent: et in cruce posito illudebant, dicentes: *Alios salvos fecit, seipsum autem, etc. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce* Matth. 27., etc.

^{††}2.20 *Morte turpissima*. Cruce, scilicet, quæ usque ad passionem Christi pœna reorum fuit, nunc tropæum est victoriæ.

^{‡‡}2.23 *Quoniam Deus*. Id est, non est auctor malorum Deus; ad immortalitatem enim creavit hominem, qui diabolicæ consentiens suggestioni, mortis sententiæ subjectus est.

^{¶¶}3.1 *Justorum autem animæ*. RAB. In priori capite iniquorum sententia expressa est, etc., usque ad unde: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* Psal. 115..

^{§§}3.7 *Scintillæ*. Scintilla duo facit, scilicet mutat cito arundinetum, et vindicat.

^{*}3.8 *Et regnabit Dominus*. Cum quo et membra regnabunt. Unde in Daniele: *Regnum et potestas, et magnitudo regni, quæ est super cœlum, dabitur populo sanctorum Altissimi* Dan. 7..

[†]3.11 *Sapientiam*. RAB. Possunt hæretici in hac sententia notari, etc., usque ad sed operationem reproborum maledictione æterna dignum esse ostendit.

in respectione animarum sanctarum;‡ 14 et spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima. 15 Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, et quæ non concidat radix sapientiæ. 16 Filii autem adulterorum in inconsummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur. 17 Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum: 18 et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem.¶ 19 Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.]

4 [O quam pulchra est casta generatio, cum claritate ! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.§ 2 Cum præsens est, imitantur illam, et desiderant eam cum se eduxerit; et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.** 3 Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, et spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.†† 4 Etsi in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, a vento commovebuntur, et a nimietate ventorum eradicabuntur. 5 Confringentur enim rami inconsummati; et fructus illorum inutiles et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti. 6 Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiae adversus parentes in interrogatione sua. 7 Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit;‡‡ 8 senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, 9 et ætas senectutis vita immaculata. 10 Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est.¶¶ 11 Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. 12 Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.§§ 13 Consummatus in brevi, explevit tempora multa; 14 placita enim erat Deo anima illius: propter hoc prooperavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, et non intelli-

‡3.13 *Quoniam felix.* ID. Potest in *sterili* et in *spadone* virginum ordo intelligi, etc., usque ad in voluntate animi, non debilitate corporis.

¶3.18 *In die agnitionis.* Id est, iudicii, quando electi a iudice suo agniti, ad regnum possidendum invitabuntur; mali autem nulla spe restaurationis consolabuntur, sed in æternum cruciandi a conspectu summi regis expellentur.

§4.1 *O quam pulchra est,* etc. RAB. Vituperatis et hæreticis et schismaticis laudat catholicos, etc., usque ad et ideo ait: *Cum claritate,* etc.

**4.2 *Præmium vincens.* Præmium datum pro certamine transitorio, quod majus est illis certaminibus et persecutionibus.

††4.3 *Multigena autem impiorum.* Alternatim de catholicis et hæreticis loquitur, ut horum laudabilem sapientiam, illorum vituperabilem demonstret versutiam. *Plantationes.* Quoniam Græce, vitulus Latine dicitur; quidam non intellexerunt esse plantationes, et *vitulamina* interpretati sunt: qui error tam multos codices præoccupavit, ut vix inveniatur aliter scriptum.

‡‡4.7 *Justus,* etc. RAB. Cum dixisset de malorum interitu, etc., usque ad illi de vita ad mortem æternam.

¶¶4.10 *Placens Deo.* RAB. Non ideo tollit Deus, etc., usque ad unde Petrus, *Novit Deus pius de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii cruciandos reservare* I Petr. 1..

§§4.12 *Fascinatio.* ID. Notatur hac sententia, etc., usque ad Deus enim eos a malorum societate separavit, ut *absconderet eos in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum* Psal. 30..

gentes, nec ponentes in præcordiis talia, ¹⁵ quoniam gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius. ¹⁶ Condemnat autem justus mortuus vivos impios, et juvenis celerius consummata longam vitam injusti. ¹⁷ Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, et quare munierit illum Dominus. ¹⁸ Videbunt, et contemnent eum; illos autem Dominus irridebit. ¹⁹ Et erunt post hæc decedentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam dirumpet illos inflatos sine voce, et commovebit illos a fundamentis, et usque ad supremum desolabuntur, et erunt gementes, et memoria illorum peribit.* ²⁰ Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.]

5 [Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum.† ² Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis; ³ dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. ⁴ Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore; ⁵ ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. ⁶ Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis. ⁷ Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus. ⁸ Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? ⁹ Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius percurrrens,‡ ¹⁰ et tamquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus cum præterierit non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus; ¹¹ aut tamquam avis quæ transvolat in aère, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aërem: commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius; ¹² aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aër continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius: ¹³ sic et nos nati continuo desivimus esse; et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. ¹⁴ Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt:¶ ¹⁵ quoniam spes impii tamquam lanugo est quæ a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis quæ a procella dispergitur, et tamquam fumus qui

* 4.19 *Dirumpet illos inflatos sine voce*, quia erunt inexcusabiles: *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in pravis cogitationibus suis* Rom. 1..

† 5.1 *Tunc*, etc. *Lassati sumus*, etc. RAB. Lassati sunt philosophi, etc., usque ad unde dicunt dolentes, *Quid nobis profuit superbia?*

‡ 5.9 *Tanquam umbra*. RAB. Per *umbram*, oblivionem mentis, etc., usque ad quæ præcedunt occasum vitæ corruptibilis. ID. Per *avem*, excellentiam, etc., usque ad gementes nulla voce consolationis relevabuntur.

¶ 5.14 *Talia dixerunt in inferno hi qui*. Adhuc quatuor species alias introducit, quibus stultam spem iniquorum demonstrat, qua præsentia mensura tantum putant, vel evadere se impunitos.

a vento diffusus est, et tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis.^{§ 16} Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum.^{** 17} Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos.¹⁸ Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum.^{†† 19} Induet pro thorace iustitiam, et accipiet pro galea iudicium certum; ²⁰ sumet scutum inextinguibile æquitatem. ²¹ Acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. ²² Ibunt directe emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arca nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient.^{‡‡ 23} Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines; excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter.^{¶¶ 24} Contra illos stabit spiritus virtutis, et tamquam turbo venti dividet illos; et ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, et malignitas evertet sedes potentium.]

6 [Melior est sapientia quam vires, et vir prudens quam fortis.^{§§ 2} Audite ergo, reges, et intelligite; discite, iudices finium terræ. ³ Præbete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum. ⁴ Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo: qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. ⁵ Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. ⁶ Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsumunt fiet. ⁷ Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.* ⁸ Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem ejus cuiusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.† ⁹ Fortioribus autem fortior instat cruciatio. ¹⁰ Ad vos ergo, reges, sunt

§5.15 *Lanugo est, quæ a vento tollitur.* Quæ ex flore herbarum marcido oriens, carnis fragilitatem exprimit, quæ a vento ægritudinis, vel molestia corporis cito tollitur, *quia omnis caro fenum. Et tanquam spuma gracilis.* Spuma ex aquis edita super aquam enatat. Hic est appetitus humani favoris, et jactantiæ vulgaris, quæ procella tentationis vel discussione iudicii dissolvitur, vel dispergitur, id est quam vana fuit probatur.

**5.16 *Justi autem in perpetuum vivent.* RAB. Post peccatorum pœnas, etc., usque ad Dei fruuntur, in quo totam suam spem posuerunt.

††5.18 *Accipiet armaturam.* RAB. Creator omnium, etc., usque ad cum resistere non valeant.

‡‡5.22 *Et ad certum locum.* Quacunque necesse est: non enim potest esse confusum, quod est divina sapientia ordinatum.

¶¶5.23 *Et flumina,* id est, persecutionum commotiones, plerumque enim corda pravorum quæ prædicatio non emollit, flagellum collectionis frangit.

§§6.1 *Melior est sapientia,* etc. RAB. Monet rectores Ecclesiæ, etc., usque ad non solum opera, sed cognitiones et voluntates iudicabit.

*6.7 *Exiguo enim conceditur misericordia.* His scilicet, qui per ignorantiam, vel fragilitatem, vel necessitatem peccaverunt, et humili pœnitentia deleverunt. *Potentes autem potenter,* etc., qui, scilicet, mandata Dei contemnendo, gravia peccata commiserunt, nec pœnituerunt. Sicut enim potentiores fuerunt in impietate, fortiora sustinebunt tormenta gehennæ. ANAST. Quamnam ob causam, etc., *usque ad cui autem multum, multum quoque exigitur ab eo.*

†6.8 *Non enim subtrahet personam.* Unde: *Non est personarum acceptor Deus, unumquemque juxta vias suas iudicat* Act. 10..

hi sermones mei: ut discatis sapientiam, et non excidatis.[‡] ¹¹ Qui enim custodierint justa juste, justificabuntur; et qui didicerint ista, invenient quid respondeant. ¹² Concupiscite ergo sermones meos; diligite illos, et habebitis disciplinam.[¶] ¹³ Clara est, et quæ numquam marcescit, sapientia: et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. ¹⁴ Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.[§] ¹⁵ Qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inveniet.^{**} ¹⁶ Cogitare ergo de illa sensus est consummatus, et qui vigilaverit propter illam cito securus erit. ¹⁷ Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, et in viis ostendit se hilariter, et in omni providentia occurrit illis. ¹⁸ Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia. ¹⁹ Cura ergo disciplinæ dilectio est, et dilectio custodia legum illius est; custoditio autem legum consummatio incorruptionis est; ²⁰ incorruptio autem facit esse proximum Deo. ²¹ Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. ²² Si ergo delectamini sedibus et sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis:^{††} ²³ diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis.] ²⁴ [Quid est autem sapientia, et quemadmodum facta sit, referam, et non abscondam a vobis sacramenta Dei: sed ab initio natiuitatis investigabo, et ponam in lucem scientiam illius, et non præteribo veritatem. ²⁵ Neque cum invidia tabescente iter habeo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.^{‡‡} ²⁶ Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum, et rex sapiens stabilimentum populi est. ²⁷ Ergo accipite disciplinam per sermones meos, et proderit vobis.]^{¶¶}

7 [Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius qui prior factus est: et in ventre matris figuratus sum caro; ² decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine: ex semine hominis, et delectamento somni conveniente. ³ Et ego natus accepi communem aërem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans. ⁴ In involumentis nutritus sum, et curis magnis: ⁵ nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium.^{§§} ⁶ Unus

[‡]6.10 *Ad vos ergo reges,* etc. Finito sermone ad potentes, et eorum duritia duris sermonibus increpata; ad rectores Ecclesiæ exhortationem convertit, et sapientiam miris præconiis extollit.

[¶]6.12 *Diligite,* etc., *et habebitis disciplinam.* Qui diligit sapientiam, servat in moribus disciplinam. Non enim amat sapientiam, qui non servat disciplinam. Unde: *Si diligitis me, mandata mea servate* Joan. 14..

[§]6.14 *Præoccupat qui se concupiscunt.* Gratis se offerens. Ipse enim est *via, veritas, et vita* Joan. 14.: per ipsum itur, in ipsum tenditur, ad ipsum pervenitur.

^{**}6.15 *Assidentem illam,* etc. Semper paratam, scilicet auxiliari, unde: *Ecce ego sto ad ostium, et pulso, si quis aperuerit mihi, introibo ad eum et cænabo cum illo, et ipse mecum* Apoc. 3.. In præsentī studendum est sapientiæ, et secundum normam disciplinæ ejus vivendum.

^{††}6.22 *Si ergo delectamini.* RAB. Reges admonet, etc., usque ad regni cœlestis coronam assequetur.

^{‡‡}6.25 *Neque cum invidia tabescente.* Invidia non communicat sapientiæ, quia per invidiam diaboli introivit mors in mundum, et per sapientiam liberatur ab ea genus humanum.

^{¶¶}6.27 *Ergo accipite.* RAB. Ostensura sapientia, etc., usque ad perfectiores et sanativi et vitales esse dicuntur.

^{§§}7.5 *Nemo enim ex regibus.* RAB. Ostendit quod omnis homo, etc., usque ad sicut perfectus Deus, ita et perfectus homo est Jesus Christus.

ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus. ⁷ Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae: ⁸ et praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. ⁹ Nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tamquam lulum aestimabitur argentum in conspectu illius. ¹⁰ Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. ¹¹ Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius; ¹² et laetatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam quoniam horum omnium mater est. ¹³ Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo. ¹⁴ Infinitus enim thesaurus est hominibus; quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati. ¹⁵ Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, et praesumere digna horum quae mihi dantur: quoniam ipse sapientiae dux est, et sapientium emendator. ¹⁶ In manu enim illius et nos et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia, et disciplina. ¹⁷ Ipse enim dedit mihi horum quae sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, ¹⁸ initium, et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, et commutationes temporum, ¹⁹ anni cursus, et stellarum dispositiones, ²⁰ naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum. ²¹ Et quaecumque sunt absconsa et improvisa didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.] ²² [Est enim in illa spiritus intelligentiae, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, ²³ humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. ²⁴ Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam. ²⁵ Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera, et ideo nihil inquinatum in eam incurrit: ²⁶ candor est enim lucis aeternae, et specu-

^{*7.9} *Nec comparavi*, etc. Unde: Inventa una pretiosa margarita, vendit omnia, et emit eam. Qui enim caelestem sapientiam veraciter invenit, id est verbum Dei, despicit omnia emolumenta praesentis vitae, philosophiam, eloquentiam, et divinae theoricæ vacare contendit.

^{†7.11} *Venerunt*, etc. RAB. Hoc expertus Salomon, etc., usque ad unde et sol, quia solus in die inter astra luceat, sic nominatur.

^{‡7.15} *Ipsae sapientiae dux*. RAB. Deus Pater incarnati Filii, cui dedit omnem potestatem in caelo et in terra.

^{¶7.17} *Ipse enim*. RAB. De Salomone dicit Scriptura, Deus dedit, etc., usque ad ipse enim illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *quem qui sequitur, non ambulat in tenebris* Joan. 1.

^{§7.22} *Est enim in illa spiritus intelligentiae sanctus*, etc. RAB. Ut Isaias ostendit, omnia dona Spiritus sancti in humanitate Salvatoris existunt, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, et plenitudo Divinitatis, cui non datur spiritus ad mensuram. ID. Spiritus qui implet omnia, mobilis simul et stabilis dicitur. *Homo* enim ubique discurrit, ubique obviam venit, et repente, ubi non creditur, invenitur. Omnipotens ergo Spiritus, ut ubique praesens signetur, stabilis simul et mobilis dicitur. ID. Unde: *Splendor gloriae et figura substantiae ejus* Heb. 1., regens omnia verbo, etc., usque ad in tempore Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.

lum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. ²⁷ Et cum sit una, omnia potest; et in se permanens omnia innovat: et per nationes in animas sanctas se transfert; amicos Dei et prophetas constituit. ²⁸ Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. ²⁹ Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum: luci comparata, invenitur prior. ³⁰ Illi enim succedit nox; sapientiam autem non vincit malitia.]

8 ² [Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.]**
² [Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et quæsi vi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius. ³ Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei; sed et omnium Dominus dilexit illum.†† ⁴ Doctrix enim est disciplinæ Dei, et electrix operum illius.‡‡ ⁵ Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius quæ operatur omnia? ⁶ Si autem sensus operatur, quis horum quæ sunt magis quam illa est artifex? ⁷ Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.¶¶ ⁸ Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, et de futuris æstimat; scit versutias sermonum, et dissolutiones argumentorum; signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum et sæculorum. ⁹ Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei. ¹⁰ Habebo propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis; ¹¹ et acutus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me:§§ ¹² tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermocinante me plura, manus ori suo imponent. ¹³ Præterea habeo per hanc immortalitatem, et memoriam æternam his qui post me futuri sunt relinquam. ¹⁴ Disponam populos, et nationes mihi erunt subditæ: ¹⁵ timebunt me audientes reges horrendi. In multitudine videbor bonus, et in bello fortis. ¹⁶ Intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius,

**8.1 *Attingit a fine.* Id est a principio mundi usque ad adventum Christi, mirifica opera et sincera testimonia per Vetus Testamentum fortiter asserit, et ab incarnatione Verbi usque ad finem mundi suavitatem Evangelii exponit. *A fine ergo usque ad finem fortiter pertingit*, quia ubique perfecte agit: finis enim perfectionem significat.

††8.3 *Glorificat contubernium*, id est, repræsentat *generositatem illius*, scilicet Patris, qui est ei coæternus et coomnipotens, vel partim de temporali nativitate, partim de æterna potest legi. Habet *contubernium Dei*. Id est, humanitatem, in qua habitat Deus, qui est sapientia Patris. Vel *glorificat generositatem illius*, id est Dei Patris, id est, ejusdem essentiæ est cum Patre ab æterno genita, nata in tempore de matre.

‡‡8.4 *Doctrix enim est disciplinæ.* De plenitudine ejus omnes accepimus: per quem gratia et veritas facta est, id est revelata. *Deum nemo vidit unquam, sed Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* Joan. 1..

¶¶8.7 *Et labores hujus.* Nihil enim desidiosum in operibus ejus. Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, agit, et agenda suis committit. *Sobrietatem enim et sapientiam.* RAB. Qui temperans est, etc., usque ad et dedit illam Jacob puero suo.

§§8.11 *Admirabilis.* Partus Virginis omnibus fuit admirandus, quia in resurrectionem et ruinam multorum exstitit, qui stat in signum populorum, super quem continebunt reges os suum, ipsum gentes deprecabuntur.

sed lætitiā et gaudium.*¹⁷ Hæc cogitans apud me et commemorans in corde meo, quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ,¹⁸ et in amicitia illius delectatio bona, et in operibus manuum illius honestas sine defectione, et in certamine loquelæ illius sapientia, et præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibam quærens, ut mihi illam assumerem.¹⁹ Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam.[†]²⁰ Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.[‡]²¹ Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis:]

9 [Deus patrum meorum, et Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo,² et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ quæ a te facta est,³ ut disponat orbem terrarum in æquitate et justitia, et in directione cordis iudicium iudicet:⁴ da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis:⁵ quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ; homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii et legum.⁶ Nam etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.⁷ Tu elegisti me regem populo tuo, et iudicem filiorum tuorum et filiarum:[†]⁸ et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, et in civitate habitationis tuæ altare: similitudinem tabernaculi sancti tui quod præparasti ab initio.⁹ Et tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ et affuit tunc cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid esset placitum oculis tuis, et quid directum in præceptis tuis.¹⁰ Mitte illam de cælis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te:¹¹ scit enim illa omnia, et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia.¹² Et erunt accepta opera mea, et disponam populum tuum iuste, et ero dignus sedium patris mei.¹³ Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?[§]¹⁴ Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ

*8.16 *Intrans in domum.* RAB. Post prædicationem, post operis laborem, quibus auditoribus sancti solatium præbent, ad se redeuntes divinæ contemplationi vacant, ubi supernæ dulcedinis quietem inveniunt. ID. ex Greg. Corporales deliciæ, etc., usque ad unde David: *Gustate et videte quoniam suavis* Psal. 33., etc. ORIG. Qui aperit os mutum, etc., usque ad justitia autem quod distributor et iudex meritorum sit.

†8.19 *Puer autem,* etc. RAB. Salomon in pueritia postulaverat a Deo sapientiam, et ut recte iudicaret populum, et discerneret inter bonum et malum: factus est ergo sapientissimus, et videtur sortitus animam bonam, qui habuit cor sapiens et intelligens. Sed quomodo convenit ei quod dicitur:

‡8.20 *Veni ad corpus incoinquinatum,* etc., cum mulierem alienigenam amaverit, et idola ædificaverit? Videtur ergo magis convenire populo sanctorum qui in baptismo regeneratus est, et fide Salvatoris imbutus, pueritiam indolis suæ bonæ, et simplicis innocentiae perceperit, et cunctis studiis certaverit pervenire ad culmen virtutum: unde sequitur: *Et cum essem magis bonus,* etc. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio. Hujus membra facti sunt imitantes eum.

†9.7 *Tu autem elegisti,* etc. RAB. David, quia vir, etc., usque ad virtus et sapientia Dei, et imago Dei invisibilis.

§9.13 *Quis enim hominum.* Admiratur excellentiam Dei. Quasi: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Rom. 11. *Et, Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Isa. 40.

nostræ; ¹⁵ corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. ¹⁶ Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore: quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? ¹⁷ Sensum autem tuum, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis, ^{** 18} et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, et quæ tibi placent didicerint homines? ¹⁹ Nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio.]

10 [Hæc illum qui primus formatus est a Deo patre orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit,†† ² et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia. ³ Ab hac ut recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraterni deperit.‡‡ ⁴ Propter quem cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans. ⁵ Hæc et in consensu nequitiae, cum se nationes contulissent, scivit justum, et conservavit sine querela Deo, et in filii misericordia fortem custodivit.¶¶ ⁶ Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim:§§ ⁷ quibus in testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores: et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis. ⁸ Sapientiam enim prætereuntes, non tantum in hoc lapsi sunt ut ignorarent bona, sed et insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his quæ peccaverunt nec latere potuissent. * ⁹ Sapientia autem hos qui se observant a doloribus liberavit. ¹⁰ Hæc profugum iræ fratris justum

****9.17 Sensum autem.** Nemo scit quæ fiunt in corde hominis nisi spiritus hominis, et nemo novit quæ sunt Dei nisi Spiritus Dei. Spiritus autem omnia scrutatur, etiam profunda Dei qui illuminat corda sanctorum.

††10.1 **Hæc illum, qui primus.** RAB. Bonitate Dei primus homo creatus, in paradiso locatus, cunctis animantibus prælatus: per transgressionem mandati, in miseriis huius sæculi dejectus est; et per Dei sapientiam, id est Christum, reparatus, magnum pietatis divinæ indicium est.

‡‡10.3 **Injustus in ira.** Ut Cain, qui fratrem non juste peremit, cujus piaculi vindicta in diluvio soluta est, et generatio Cain deleta: sed Dei sapientia Noë, de stirpe Seth, ad reparationem orbis cum filiis suis in arca servavit.

¶¶10.5 **Hæc et in consensu superbiae,** etc. RAB. Diabolus per superbiam, etc., usque ad humilitas Christi adunavit.

§§10.6 **Hæc justum,** etc. Hinc Petrus ait: Civitatem *Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens eversione damnavit; exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens, et justum Lot oppressum a nefandorum injuriis, ac luxuriosa conversatione eripuit* II Petr. 2., etc. Uxor Lot retro respiciens, in statuam salis conversa est, ne qui per gratiam Dei ad vitam vocati sumus, veterem hominem respiciamus, media via remanentes. In statuam salis versa alios salit, unde: **Mementote uxoris Lot** Luc. 17., ne scilicet tanquam fatui negligamus, sed prudenter caveamus.

*10.8 **Sapientiam enim,** etc. **Hæc autem,** etc. Jacob fugiens Esau fratrem suum venit ad Laban avunculum suum, et in itinere per somnium vidit scalam erectam, et angelos Dei ascendentes et descendentes, et ipsum Dominum innixum scalæ dicentem sibi: **Ego sum Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac; terram in qua dormis dabo tibi, et semini tuo** Gen. 28.. Veniens autem in Mesopotamiam Liam et Rachel duxit, pro quibus oves Laban diu pavit. Qui eum mercede sua fraudulenter privare voluit. Sed per sapientiam Dei privatus est Laban, et Jacob ditatus, cum multis opibus rediit. Mystice vero hæc ad martyres pertinent, quos Christi misericordia a persecutoribus liberavit, confortans eos gratia Spiritus sancti et spe futuræ mercedis; et tandem victis hostibus, ad regnum cælorum perduxit, ad laudem et gloriam nominis sui.

deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum; honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. ¹¹ In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum. ¹² Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. ¹³ Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum; descenditque cum illo in foveam,† ¹⁴ et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos qui eum deprimebant: et mendaces ostendit qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam.] ¹⁵ [Hæc populum justum et semen sine querela liberavit a nationibus quæ illum deprimebant.‡ ¹⁶ Intravit in animam servi Dei, et stetit contra reges horrendos in portentis et signis. ¹⁷ Et reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili: et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem; ¹⁸ transtulit illos per mare Rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam. ¹⁹ Inimicos autem illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo justi tulerunt spolia impiorum, ²⁰ et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter: ²¹ quoniam sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.]¶

11 [Direxit opera eorum in manibus prophetæ sancti. § ² Iter fecerunt per deserta quæ non habitabantur, et in locis desertis fixerunt casas. ³ Steterunt contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt. ⁴ Sitierunt, et invocaverunt te, et data est illis aqua de petra altissima, et requies sitis de lapide duro.]** ⁵ [Per quæ enim poenas passi sunt inimici illorum a defectione potus sui, et in eis cum abundarent filii Israël lætati sunt:†† ⁶ per hæc, cum illis deessent, bene cum illis actum est. ⁷ Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti injustis. ⁸ Qui cum minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperate, ⁹ ostendens per sitim quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, et adversarios illorum necares. ¹⁰ Cum enim tentati sunt, et quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt quemadmodum cum ira iudicati impii tormenta

†10.13 *Hæc venditum justum*, etc. RAB. Mystice Sapientia Dei martyres de persecutionibus eripuit, et exaltavit in regno cœlesti. Unde cum Christo venturi sunt iudices hostium suorum.

‡10.15 *Hæc populum justum*. RAB. Mystice. Liberat Deus electos suos a persecutoribus, etc., usque ad ad præmia regni, ubi perpetuo decantant laudes liberatori suo.

¶10.21 *Quoniam sapientia*, etc. Sine sapientia Dei nec humana mens aliquid digne cogitare, nec os proferre potest: ab ipso ergo et sapientia et eloquentia petenda est.

§11.1 *Dixerit opera*, etc. RAB. Populus Christianus per desertum hujus mundi prophetiam sequitur, ut perveniat ad patriam regni cœlestis; unde Petrus: *Habemus propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco* II Petr. 1., etc.

**11.4 *De petra altissima*, etc. Petra autem erat Christus, qui virga crucis percussus, quæ erat in manibus, id est in scripturis prophetarum, fudit aquam vivam.

††11.5 *Per quæ enim poenas*, etc. RAB. Memoratis beneficiis, etc., usque ad sive ergo patiantur, sive non, gloria est eis.

paterentur.^{‡‡} ¹¹ Hos quidem tamquam pater monens probasti; illos autem tamquam durus rex interrogans condemnasti. ¹² Absentes enim, et præsentēs, similiter torquebantur. ¹³ Duplex enim illos acceperat tædium et gemitus, cum memoria præteritorum.^{¶¶} ¹⁴ Cum enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus. ¹⁵ Quem enim in expositione prava projectum deriserunt, in finem eventus mirati sunt, non similiter justis sitiētes.^{§§} ¹⁶ Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quod quidam errantes colebant mutos serpentes et bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam;^{*} ¹⁷ ut scirent quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. ¹⁸ Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisā, immittēre illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, ¹⁹ aut novi generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes; ²⁰ quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed et aspectus per timorem occidere. ²¹ Sed et sine his uno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis, et dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura, et numero et pondere disposuisti.[†] ²² Multum enim valere, tibi soli supererat semper: et virtuti brachii tui quis resistet? ²³ Quoniam tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.[‡] ²⁴ Sed misereris omnium, quia omnia potes; et dissimulas peccata hominum, propter pœnitentiam. ²⁵ Diligis

^{‡‡}11.10 *Cum enim tentati*. RAB. Isrælitas peccantes dignis plagis corripuit Deus, et pœnitentes consolatus est, Ægyptios et Chananæos tanquam misericordia indignos exterminavit. *Tormēta*, etc. A Pharaone, ubicunque scilicet essent. Vel, non tam hi quos Isrælitæ recenti clade per singulas civitates peremerunt, puniti sunt; sed et omnes Chananæi audientes victoriam populi Dei; unde Raab dicit: *Irruit in nos terror vester* Jos. 2., etc. Mystice autem, Judæi, qui incarnationem Filii Dei, et prædicationem despiciebant, ubique terrarum vagi, et pro fugi variis cladibus affliguntur. Gentiles vero ad fidem conversi, et suscipientes paternam correctionem a Dei misericordia non recedunt: ut qui fuerant in capite, sint in cauda, et e converso.

^{¶¶}11.13 *Duplex*, etc. Præteritorum malorum recordatio non minuitur, et præsentium tempestas augetur. Unde nec habent spem remedii, quia pœnitentiam simulantes, non student emendationi; unde: *Cum occideret eos, quærebant eum, et dilexerunt eum* Psal. 77., etc.

^{§§}11.15 *Non similiter justis*, etc. Quia non similiter peccant. Septies enim cadit justus, et resurgit: impius autem, cum in profundum venerit malorum, contemnit.

^{*}11.16 *Quod quidam errantes*, etc. RAB. Dignum fuit, etc., usque ad tota enim intentio est eorum genus humanum persequi, et cruciare id omnibus modis.

[†]11.21 *Sed omnia in mensura*, etc. RAB. Quia omnia secundum veritatem, etc., usque ad quando illuminabuntur abscondita tenebrarum, et revelabuntur consilia cordium.

[‡]11.23 *Momentum stateræ*, etc. Simile dicit Isaias: *Ecce gentes sicut stilla situlæ, et quasi momentum stateræ repulatae sunt* Isa. 40.; vult enim intelligi, quod mens, et ratio, et sensus Domini, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil, ille sit de quo dicitur: *Verbo Domini cœli firmati sunt* Psal. 32., etc. *Omnes gentes quæ non cognoverunt creatorem suum*, ad comparationem Dei *quasi stilla situlæ sunt, et quasi momentum stateræ* quod leviter declinatur, *et sicut gutta roris antelucani* Sap. 11., quæ primo aspectusolis siccatur. Vel sicut situlæ stilla, si fluit a portante despicitur, vel negligitur: ita gentium multitudo cœlesti splendori, supernis mysteriis, et angelorum multitudini comparata, pro nihilo ducitur.

enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti.[¶] ²⁶ Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset conservaretur? ²⁷ Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.]

12 [O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! [§] ² Ideoque eos qui exerrant partibus corripis, et de quibus peccant admones et alloqueris, ut relicta malitia credant in te, Domine.] ³ [Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti,^{**} ⁴ quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina et sacrificia injusta, ⁵ et filiorum suorum necatores sine misericordia, et comestores viscerum hominum, et devoratores sanguinis a medio sacramento tuo, ⁶ et auctores parentes animarum inauxiliarum, perdere voluisti per manus parentum nostrorum: ⁷ ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium carior est terra. ⁸ Sed et his tamquam hominibus pepercisti, et misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent. ⁹ Non quia impotens eras in bello subdicere impios justis, aut bestiis sævis, aut verbo duro simul exterminare: ¹⁰ sed partibus judicans, dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. ¹¹ Semen enim erat maledictum ab initio; nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum. ¹² Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?^{††} ¹³ Non enim est alius deus quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas quoniam non injuste iudicas iudicium. ¹⁴ Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti. ¹⁵ Cum ergo sis justus, juste omnia disponis; ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas a tua virtute.^{‡‡} ¹⁶ Virtus enim tua

[¶]11.25 *Diligis enim*, etc. Bonus opifex, et opus suum diligit et regit: et si homo aliquando peccat, sustinet in multa patientia, et per pœnitentiam in melius convertit. Unde: *Solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* Matth. 5.; impœnitentes autem justo iudicio damnantur: *Justus enim Dominus, et justitias dilexit* Psal. 10..

[§]12.1 *O Quam bonus et suavis*, etc. Per eos quos reple, vel per alios quos volueris; unde: *Ille arguet mundum de peccato, et de justitia, et de iudicio* Joan. 16..

^{**}12.3 *Illos enim antiquos inhabitatores*. RAB. Historialiter dicit, etc., usque ad virtutes adjuvante Spiritu sancto, utiles fructus afferent.

^{††}12.12 *Quis enim dicet*, etc. RAB. Manifesta ratione ostendit, quod non est contradicendum Creatori, si creaturam suam secundum propriam disponit voluntatem: quia in voluntate ejus universa sunt posita, et non est qui possit resistere ei. *Justus est in omnibus viis suis* Psal. 144.; unde sequitur, *Cum ergo sis justus* Rom. 9., etc.

^{‡‡}12.15 *Cum ergo*, etc. Unde: *Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit* Psal. 31.. Magna distantia est inter iudicium electorum et reproborum. Illos Dominus corripit, ut emendet; hi superbiam et perfidiam poenas luunt, ut contra dominatorem omnium se repugnare non posse cognoscant. Felix iudex qui pietatem et bonitatem sui iudicis semper inspicit. *Judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam*. Jac. 2..

justitiæ initium est, et ob hoc quod Dominus es, omnibus te parcere facis.^{¶¶} 17 Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, et horum qui te nesciunt audaciam traducis. 18 Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos: subest enim tibi, cum volueris posse.] 19 [Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse et humanum; et bonæ spei fecisti filios tuos, quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ. 20 Si enim inimicos servorum tuorum, et debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus et locum per quæ possent mutari a malitia: 21 cum quanta diligentia judicasti filios tuos, quorum parentibus juramenta et conventiones dedisti bonarum promissionum ! 22 Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus judicantes, et cum de nobis judicatur, speremus misericordiam tuam. 23 Unde et illis qui in vita sua insensate et injuste vixerunt, per hæc quæ coluerunt dedisti summa tormenta.^{§§} 24 Etenim in erroris via diutius erraverunt, deos æstimantes hæc quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viventes. 25 Propter hoc tamquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti. 26 Qui autem ludibriis et increpationibus non sunt correcti, dignum Dei iudicium experti sunt.* 27 In quibus enim patientes indignabantur per hæc quos putabant deos, in ipsis cum exterminarentur videntes, illum quem olim negabant se nosse, verum Deum agnoverunt; propter quod et finis condemnationis eorum venit super illos.]†

13 [Vani autem sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei; et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus

^{¶¶}12.16 *Virtus enim*, etc. Quia iudicium Dei, sive in correctione electorum, sive in damnatione malorum, summæ æquitatis perfectio est: et ideo per bonitatem suam diu differendo suspendit iudicium, ut plures habeat, quibus reddat beneficium. Quando enim creatura se erigit contra Creatorem justa punitur vindicta, ut se inferiorem cognoscat. Possunt hæc ad passionem Christi referri, quem Pater pro nobis in mortem tradidit, et eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: qui nisi indebitam mortem susciperet, non nos a debita morte liberaret. Pater ergo justus justum puniens, juste omnia disponit. Omnipotens Deus cum summa tranquillitate iudicat omnia: humani tamen affectus et membra, ei tropica locutione ascribuntur, ut secundum capacitatem nostram conformentur eloquia divina. Leguntur enim in Scripturis: oculi Domini, aures, manus, os, pedes, ira, furor, et hujusmodi, cum simplex natura nunquam recipiat varietatem, nec vera unitas divisionem. Multiplicia vero et diversa unus et idem operatur: Unde: *Mutabis eos, et mutabuntur: tu autem ipse es, et anni tui* Psal. 101., etc. Et alibi: *Ego sum Deus, et non mutor* Mal. 3.. Et alibi: *Apud quem non est transmutatio* Jac. 1., etc. Docuisti autem populum tuum: per mirifica opera Dei instruuntur fideles, ne complicitur iniquis; sed studeant se incontaminatos servare confitendo, et sperando in Domino, et non negligant pœnitentiæ tempus.

^{§§}12.23 *Insensate*, etc., ut qui nolebant Creatorem agnoscere et honorare, digne traditi in reprobum sensum, facerent, ea, quæ non conveniunt, contumeliis afficientes corpora sua in semetipsis: *Quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et servierunt creature potius quam Creatori* Rom. 1..

*12.26 *Qui autem ludibriis*, etc. Id est, qui a Deo flagellati non sunt correcti, condignam damnationem experti sunt: ad hoc corripit Deus, ut emendet. Qui autem ingratus et impatiens murmurat, de temporali tormento ducitur ad æternum.

†12.27 *In his enim*, etc. RAB. Gentilitas dum idolis serviebat, etc., usque ad incorrectis æternam pœnam infligit.

attendentes agnoverunt quis esset artifex:[‡] 2 sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. 3 Quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit. 4 Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam qui hæc fecit fortior est illis: 5 a magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. 6 Sed tamen adhuc in his minor est querela; et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, et volentes invenire.[¶] 7 Etenim cum in operibus illius conversentur inquirunt, et persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur. 8 Iterum autem nec his debet ignosci. 9 Si enim tantum potuerunt scire ut possent æstimare sæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt? 10 [Infelices autem sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum: aurum et argentum, artis inventionem, et similitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ.[§] 11 Aut si quis artifex faber de silva lignum rectum secuierit, et hujus docte eradat omnem corticem, et arte sua usus diligenter fabricet vas utile in conversationem vitæ;^{**} 12 reliquiis autem ejus operis ad præparationem escæ abutatur, 13 et reliquum horum quod ad nullos usus facit, lignum curvum et vorticibus plenum sculpat diligenter per vacuitatem suam, et per scientiam suæ artis figuret illud, et assimilet illud imagini hominis, 14 aut alicui ex animalibus illud comparet: perliniens rubrica, et rubicundum faciens fuco colorem illius, et omnem maculam quæ in illo est perliniens; 15 et faciat ei dignam habitationem, et in pariete ponens illud, et confirmans ferro 16 ne forte cadat, prospiciens illi: sciens quoniam non potest adjuvare se: imago enim est, et opus est illi adiutorium. 17 Et de substantia sua, et de filiis suis, et de nuptiis votum faciens inquit:

[‡]13.1 *Scientia*. Timor scilicet et reverentia. Unde: Ecce timor Domini, ipse est sapientia, et recedere a malo intelligentia. Recedit enim a malo, qui recedit a cultura idolorum: Deum timet, qui mandata ejus custodit: quia *Initium sapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum* Psal. 110.. *De his* operibus, scilicet hominis, potuerunt cognoscere bonum artificem, qui proprie est, quia immutabilis, et semper idem, semper in se manens, regit omnia. Vanissima ergo vanitas hominum, qui pro Creatore creaturas venerantur. *Neque operibus*. Alii ignem colebant, quem Vulcanum vocabant; alii ætherem vel ærem, quem Jovem et Junonem dicebant; alii nimiam aquam, id est Neptunum; alii gyrum stellarum, qui diversis figuris animalium, positiones et cursum distribuebant astrorum; alii solem, quem Phœbum vocabant; alii lunam, id est, Dianam. RAB. Dupliciter peccant, etc., usque ad in quibus cupiditas hominis damnatur.

[¶]13.6 *Sed tamen*, etc. Hinc Paulus ait: *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent; quia quod nolum est Dei, manifestum est in illis* Rom. 1., etc. Notitia Dei ex mundi fabrica percipitur. Ut enim Deus invisibilis ex invisibilibus cognosceretur, opus ab eo factum est, quod opificem manifestaret, ut Deus omnium intelligeretur, qui hoc fecit, quod non possunt alii. Sed *cum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* RAB.

[§]13.10 *Infelices*, etc. Qui scilicet Deos honorant, ut aurum oculis hauriant, et nitorem levigati marmoris vel eboris, aut insignes gemmis et coloribus vestes: et quanto ornatiores sunt templa, et pulchriora simulacra, tanto plus majestatis habent, vel habere dicuntur. Religio ergo est, vel creditur, quod cupiditas humana miratur.

^{**}13.11 *Aut si quis artifex*. RAB. Insultat sapientia his, etc., *usque ad Quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum* Philip. 3..

non erubescit loqui cum illo qui sine anima est. ¹⁸ Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, et pro vita rogat mortuum, et in adiutorium inutilem invocat. ¹⁹ Et pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest; et de acquirendo, et de operando, et de omnium rerum eventu, petit ab eo qui in omnibus est inutilis.]

14 [Iterum alius navigare cogitans, et per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se, fragilius lignum invocat. ^{††} ² Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, et artifex sapientia fabricavit sua. ³ Tua autem, Pater, providentia gubernat: quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam, ^{‡‡} ⁴ ostendens quoniam potens es ex omnibus salvare, etiam si sine arte aliquis adeat mare. ⁵ Sed ut non essent vacua sapientiae tuae opera, propter hoc etiam et exiguu ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt. ^{¶¶} ⁶ Sed et ab initio cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit saeculo semen nativitatis quae manu tua erat gubernata. ⁷ Benedictum est enim lignum per quod fit iustitia; ⁸ per manus autem quod fit idolum, maledictum est et ipsum, et qui fecit illud: quia ille quidem operatus est, illud autem cum esset

^{††}14.1 *Iterum alius navigare*, etc. Hæc quoque contra idololatriam dicuntur. Maxima enim recordia est, ut homo ad imaginem Dei editus, rationabilem ab ipso habens animum, quo excogitavit quomodo transiret fluctus, navem fabricans secundum artis suae peritiam, non honoret illum qui hanc sibi dedit scientiam, et invocet idolum, quod simili arte et majori vanitate formavit. Cum enim major sit qui fecit quam quod fit, facturam suam adorare insanire est. A Deo navigandi cursus petendus, a quo navigii præparatio. Hæretici autem, qui vana fingunt simulacra errorum, ideo in fluctibus sæculi pereunt, quia navem Ecclesiae reliquerunt, et gubernatorem Deum.

^{‡‡}14.3 *Quoniam dedisti*. Israëlitas per mare Rubrum sicco vestigio traduxit Dei potentia, et Jordanis aquas divisit, ut terrorem incuteret gentibus exterminandis, fidelibus quoque inter sæculi fluctus et persecutiones, præparat semitam fidei et constantiae, ut transeant illæsi, nec est humani solatii opus, ubi Deus ostendit mirabiles effectus virtutis suae.

^{¶¶}14.5 *Sed ut non essent*, etc. Creator dedit scientiam creaturæ suæ, qua sibi in præsentia consuleret, ut ejus voluntati deserviret. Unde Noë arcam facere jussit, in qua ipse et progenies ejus salvaretur, et cætera animantia ad restaurationem orbis reservarentur, cum genus humanum pro iniquitate sua diluvio deleretur; unde Petrus: *In qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam: quod et nos nunc similis formæ salvos fecit baptisma* Petr. 3., etc. Arca de lignis levigatis constructa, Ecclesiam significat, quæ fit de collectione fidelium, artificio prædicatorum. Pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam mundo pereunte: quia ad comparisonem reproborum parvus numerus est electorum. Pauci enim sunt qui viam vitæ inveniunt. Aqua diluvii extra positos occidit, quia hæreticum licet habentem baptismi sacramentum, ipsæ aquæ demergunt ad inferos, quæ arcam levaverunt ad cælos. Octonarius quoque significat Ecclesiam, quod in sacramento Dominicæ resurrectionis percipit lavacrum baptismi. Ut sicut ipse resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus aqua regenerationis abluti. Hinc Jeremias: *Stultus factus est omnis homo a scientia sua, confusus est factor in sculpsit: quia mendax conflator ejus, nec est spiritus in eis. Vana enim sunt opera, et digna risu, et in tempore visitationis peribunt* Jerem. 10..

fragile, deus cognominatus est.^{§§} ⁹ Similiter autem odio sunt Deo impius et impietas ejus; ¹⁰ etenim quod factum est, cum illo qui fecit tormenta patietur. ¹¹ Propter hoc et in idolis nationum non erit respectus, quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.* ¹² Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum, et adinventio illorum corruptio vitæ est.[†] ¹³ neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum.[‡] ¹⁴ Supervacuitas enim hominum hæc advenit in orbem terrarum, et ideo brevis illorum finis est inventus.] ¹⁵ [Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem; et illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam deum colere cœpit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia. ¹⁶ Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta. ¹⁷ Et hos quos in palam homines honorare non poterant propter hoc quod longe essent, e longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem regis quem honorare volebant fecerunt, ut illum qui aberat, tamquam præsentem colerent sua sollicitudine. ¹⁸ Provexit autem ad horum culturam et hos qui ignorabant artificis eximia diligentia. ¹⁹ Ille enim, volens placere illi qui se assumpsit, elaboravit arte sua ut similitudinem in melius figuraret. ²⁰ Multitudo autem hominum, abducta per speciem operis, eum qui ante tempus tamquam homo honoratus fuerat, nunc deum æstimaverunt. ²¹ Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt.][¶] ²² [Et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam, sed et in magno viventes inscientiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellat. ²³ Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut

^{§§}14.8 *Et qui fecit illud.* Simulacrum et cultura falsorum deorum. Diabolus enim inde punietur, quod sibi divinum honorem usurpat; et homo, qui pro Creatore creaturam honorat. Lignum vero sæpe hominem significat. Benedictus ergo homo, qui veritatem dicit et facit. Hæreticus autem, qui figmenta sua colit, maledictus est, et perditioni deditus, et opus, id est, doctrina ejus.

[†]14.11 *Propter hoc.* Non est ignoscendum idolis, vel eorum inhabitatoribus, id est, dæmonibus, quia homines ad imaginem Dei factos ab ipso retrabunt, et in erroris muscipula subvertunt. Hæretici quoque, qui homines seducunt, districtum non evadent iudicium.

[‡]14.12 *Initium.* Pessimum enim genus est fornicationis, quo anima recedit a Deo, et fornicatur cum idolis, vel divini dogmatis veritatem relinquit, et sequitur falsitatem hæreticæ pravitatis, vel opinionis. Hinc Paulus avaritiam idolorum servitutem appellat. Unde constat, omnem malam concupiscentiam fornicationem vocari, qua anima relicta superiori lege inferiorum voluptate, turpi naturarum quasi mercede, prostrata vel prostituta corrumpitur.

[‡]14.13 *Non enim,* etc. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et omnes qui loquuntur mendacium* Psal. 11.. Hinc Jeremias: *Dii, qui cælos et terram non fecerunt, pereant de terra* Jer. 11., etc.; LACT. t. 1.. Propter hominum stultitiam, etc., usque ad divinos honores parentibus detulerunt, deferrique jusserunt.

[¶]14.21 *Incommunicabile nomen.* Incommunicabile Dei scilicet omnipotentis nomen; qui solus est incomprehensibilis, insensibili et fragili materiæ vel imagini ascripserunt.

insaniæ plenas vigiliis habentes,^{§ 24} neque vitam, neque nuptias mundas jam custodiunt: sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contristat,²⁵ et omnia commista sunt: sanguis, homicidium, furtum et fictio, corruptio et infidelitas, turbatio et perjurium, tumultus bonorum,^{** 26} Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ et impudicitia.²⁷ Infandorum enim idolorum cultura omnis mali causa est, et initium et finis.^{††}²⁸ Aut enim dum lætantur insaniunt, aut certe vaticinantur falsa, aut vivunt injuste, aut pejerant cito.^{‡‡}²⁹ Dum enim confidunt in idolis quæ sine anima sunt, male jurantes noceri se non sperant.³⁰ Utraque ergo illis evenient digne, quoniam male senserunt de Deo, attendentes idolis, et juraverunt injuste, in dolo contemnes justitiam.³¹ Non enim juratorum virtus, sed peccantium pœna, perambulat semper injustorum prævaricationem.]

15 [Tu autem, Deus noster, suavis et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia.[¶]² Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam; et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati.³ Nosse enim te, consummata justitia est; et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.^{§§}⁴ Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio,

§14.23 **Aut enim filios suos.** Sicut in sacris Saturni, cui propter odium Jovis, sine respectu pietatis parvulos suos immolabant, et Bellonæ ipsi sacerdotes proprio sanguine sacrificabant. Unde Quintilianus: Istud, inquit, si cogit Deus iratus est: et si iratus est, non acceptat sacrificia vestra. **Aut obscura sacrificia.** Sicut in sacris Isidis Ægyptiæ, et Cereris Eleusinæ faciebant. Nam sicut ibi Osiris planctu matris inquiritur, ita hic ad incestum patrum Plutonis matrimonium, rapta Proserpina. Quam quia facibus ex Ætna accensis, quæsisse Ceres in Sicilia dicitur, ideo sacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrabantur. Similiter in sacris Liberi patris insaniunt, et magnæ matris, ubi ad exemplum deorum qui in festivitate satiati, noctem luxibus totam duxerunt ludunt. Quia per libidinem et immunditiam diis suis placere putabant.

14.25 **Omnia commista. Omnia enim confusa erant: ibi nulla ratio, nulla religio vera. Quanto quis sceleratior erat, tanto magis deo suo placere putabat.

††14.27 **Infandorum enim.** Nulla major dementia, quam Deum vivum deserere, et mortuis deservire. Cum enim mens se a creatore suo avertit, omnibus implicatur sceleribus. **Initium enim omnis peccati, superbia est** Eccli. 10. **Finis.** Consummatio et plenitudo. Qui enim pro Deo colunt idolum, omnia reputantur in eis in peccatum.

‡‡14.28 **Aut enim dum lætantur.** Quia dum jurant, nomen Dei polluant, qui ait: **Non assumes nomen Dei tui in vanum, et per nomen deorum externorum ne juretis** Exod. 20.; sed cum Deum illudere se æstimant, in æternam mortem semetipsos præcipitant. Hæretici autem errorum suorum simulacra colentes, perditionis suæ causa fiunt, quorum et doctrina falsa, vita injusta, lætitia insana, mors nefanda: quia cum injuste jurant in idolo, nec sperant in Deo suo, ideo meritorum suorum recipient vindictam. Unde sequitur: **Non enim jurantium est virtus.**

¶15.1 **Tu autem,** etc. RAB. Justo enim judicio damnati sero pœnitentes agnoscunt, quod antea credere noluerunt; unde: **Cognoscetur Dominus judicium faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator** Psal. 9.; unde Joannes: **Qui habet spem in eo, sanctificat sicut et ille sanctus est: et omnis qui in eo manet, non peccat** I Joan. 3..

§§15.3 **Nosse enim te,** etc. Perceptio est incorruptionis, et in futuro contemplationis; unde: **Hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te verum Deum** Joan. 17., etc.

nec umbra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores:^{*} ⁵ cuius aspectus insensato dat concupiscentiam, et diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima. ⁶ Malorum amatores digni sunt qui spem habeant in talibus, et qui faciunt illos, et qui diligunt, et qui colunt.][†] ⁷ [Sed et figulus mollem terram premens, laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas; et de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et similiter quæ his sunt contraria: horum autem vasorum quis sit usus, iudex est figulus. ⁸ Et cum labore vano deum fingit de eodem luto ille qui paulo ante de terra factus fuerat, et post pusillum reducit se unde acceptus est, repetitus animæ debitum quam habebat. ⁹ Sed cura est illi non quia laboraturus est, nec quoniam brevis illi vita est: sed concertatur aurificibus et argentariis; sed et ærarios imitatur, et gloriam præfert, quoniam res supervacuas fingit. ¹⁰ Cinis est enim cor ejus, et terra supervacua spes illius, et luto vilior vita ejus:[‡] ¹¹ quoniam ignoravit qui se finxit, et qui inspiravit illi animam quæ operatur, et qui insufflavit ei spiritum vitalem. ¹² Sed et æstimaverunt ludum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere. ¹³ Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia vasa et sculptilia fingit.[¶] ¹⁴ Omnes enim insipientes, et infelices supra modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, et imperantes illi: ¹⁵ quoniam omnia idola nationum deos æstimaverunt, quibus neque oculorum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed et pedes eorum pigri ad ambulandum. ¹⁶ Homo enim fecit illos; et qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit deum fingere. ¹⁷ Cum enim sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse his quos colit,

^{*}15.4 *Non enim in errorem.* Ex persona fidelium loquitur, qui Dei gratia muniti, non miscuere se gentilium iniquitati vel idololatriæ: quia sine fructu justitiæ est labor iste, et mortem meretur æternam.

[†]15.6 *Malorum amatores,* etc. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* Psal. 134.. Inventores quoque falsorum dogmatum, et cultores digni sunt morte. Disperdet enim Deus virum qui hæc fecerit, id est magistrum et discipulum ejus. Reprobavit superius lignea, lapidea, vel ærea idola, nunc etiam fictilia damnat. Juste enim retributum est eis; ut qui de terra facti sunt, quia meliorem sui partem, id est animam, ad imaginem Dei creatam ad notandum Deum vivum, sequi nolebant; viliorem sui partem, id est, corpus terrenum imitando, luteum adorarent Deum, et sine boni operis fructu terræ insensibili, de qua sumpti sunt insensati, inutiles redderentur. Mystice autem hæretici et schismatici, qui veritatem Dei in injustitia detinent, et mendacium pro veritate in doctrinæ suæ simulacris colunt, licet eloquentia aut ficta virtute pallient, fragilia tamen et lutea sunt, quæ fingunt.

[‡]15.10 *Cinis est cor eorum,* et foeda cogitatio eorum, et vita cæno sordidior; quia ignorant factorem suum, et evanescunt in cogitationibus suis. Sensum autem sanctorum patrum spernunt, et errores novos quasi ludos vanos propter favorem humanum et terrenum lucrum fingunt; errantes, scilicet et in errorem mittentes, ut inexcusabiles sint: cum judicabit Deus occulta cordium, et reddet unicuique secundum opera sua.

[¶]15.13 *Hic enim scit,* etc. Nullam excusationem habent hæretici; quia scienter peccant, dum fidem sanam et rectam doctrinam nolunt imitari: magis terrenum sensum et fragilem quam spiritualem sequentes.

quia ipse quidem vixit, cum esset mortalis, illi autem numquam.]^{§ 18} [Sed et animalia miserrima colunt; insensata enim comparata his, illis sunt deteriora.]^{** 19} Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest conspiciere: effugerunt autem Dei laudem et benedictionem ejus.]

16 [Propter hæc et per his similia passi sunt digne tormenta, et per multitudinem bestiarum exterminati sunt. ²Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum, quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui novum saporem, escam parans eis ortygometa:†† ³ut illi quidem, concupiscentes escam propter ea quæ illis ostensa et missa sunt, etiam a necessaria concupiscentia averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, novam gustaverunt escam. ⁴Oportebat enim illis sine excusatione quidem supervenire interitum exercentibus tyrannidem; his autem tantum ostendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur. ⁵Etenim cum illis supervenit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur. ⁶Sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ.‡‡ ⁷Qui enim conversus est, non per hoc quod videbat sanabatur, sed per te, omnium salvatorem. ⁸In hoc autem ostendisti inimicis nostris quia tu es qui liberas ab omni malo. ⁹Illos enim locustarum et muscarum occiderunt morsus, et non est inventa sanitas animarum illorum, quia digni erant ab hujusmodi exterminari.¶¶ ¹⁰Filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adveniens sanabat illos. ¹¹In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, et velociter salvabantur: ne in altam incidentes oblivionem non possent tuo uti adiutorio. ¹²Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos: sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. §§ ¹³Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis. ¹⁴Homo autem occidit quidem per malitiam; et cum exierit spir-

[§]15.17 *Melior est.* Quia melior est homo idolis secundum rationem creationis; quia vivit et intelligit, illa autem nunquam. Sed quia magis sequitur vanitatem erroris, quam veritatis scientiam, *cum in honore sit, non intelligit: et comparatur jumentis insipientibus* Psal. 48..

^{**}15.18 *Insensata.* Quasi: nec discretionem habebant. In veritate enim viventia meliora sunt mortuis, sensibilia insensibilibus, rationalia irrationalibus. Sed dignum fuit, ut qui ignorabant Creatorem, in creaturis distinctionem non scirent. Qui enim laudem et benedictionem Dei in se habere negligit, in discretionem animalium seipsum errare ostendit.

^{††}16.2 *Pro quibus,* etc. RAB. Populus Israël in deserto carnes concupivit, etc., usque ad ideo eis cruciandi juste traditi sunt.

^{‡‡}16.6 *Sed non in perpetuum.* RAB. Non enim serpens æneus, etc., usque ad quia mortuus per humanitatem, quasi æneus est per Divinitatem.

^{¶¶}16.9 *Illos enim,* etc. Probantur electi per afflictionem, et monentur ut peccata caveant, et bona faciant. Reprobi disperguntur, quia non corriguntur. Ideo idololatrias parva animalia interimunt. Israelitas vero Dei cultores serpentes exterminare non possunt; quia novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in die iudicii reservare cruciandos.

^{§§}16.12 *Sed tuus, Domine, sermo.* Id est, Filius, per quem omnia, cujus potestas ubique, qui omnia quæcunque voluit fecit; ipse curat corpora, ipse a spiritualibus bestiis animas salvat.

itus, non revertetur, nec revocabit animam quæ recepta est.*¹⁵ Sed tuam manum effugere impossibile est.¹⁶ Negantes enim te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt: novis aquis, et grandinibus, et pluviis persecutionem passi, et per ignem consumpti.†¹⁷ Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex est enim orbis justorum.¹⁸ Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia, sed ut ipsi videntes scirent quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem.‡¹⁹ Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat undique, ut iniquæ terræ nationem exterminaret.²⁰ Pro quibus angelorum esca nutritivi populum tuum, et paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.¶²¹ Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat; et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.²² Nix autem et glacies sustinebant vim ignis, et non tabescebant: ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine et pluvia coruscans;²³ hic autem iterum ut nutrirentur justi, etiam suæ virtutis oblitus est.²⁴ Creatura enim tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos, et lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.§²⁵ Propter hoc et tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat, ad voluntatem eorum qui a te desiderabant:**²⁶ ut scirent filii tui quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint conservat.²⁷ Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat:²⁸ ut notum omnibus esset quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare.††²⁹ Ingrati enim spes tamquam hibernalis glacies tabescet, et disperiet tamquam aqua supervacua.]

*16.14 *Homo autem occidit.* CHRYS. Homo per malitiam, etc., usque ad liber est ab omni crimine.

†16.16 *Negantes enim nosse,* etc. RAB. Diversis plagis afflicti sunt Ægyptii, etc., usque ad quia ad Creatoris voluntatem omnia consentiunt.

‡16.18 *Quodam enim tempore.* RAB. Sicut in Genesi legitur: Pluit Dominus super Sodomam et Gomorrhā ignem et sulphur, ut disperderet impios: et in Exodo, grandinem pariter et ignem. In libro Numerorum: Misit ignitos serpentes contra murmurantes, ut cognoscant impii quod omnis creatura parata est ulcisci injuriam Creatoris.

¶16.20 *Pro quibus,* etc. RAB. In deserto datum est manna filiis Israël, etc., usque ad *Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit* Psal. 31..

§16.24 *Creatura enim,* etc. RAB. Confundantur hic peccatores: qui cum cæteræ creaturæ factori suo deserviant, ipsi repugnant. Unde creaturarum omnium concordia flagellantur: et si non poenituerint, perpetuo cruciabuntur; bonis autem vera bona præparantur.

**16.25 *Propter hoc,* etc. RAB. Pluit Deus manna de cælo, etc., usque ad tanquam præparator legis in æternum peribit.

††16.28 *Ut notum omnibus,* etc. RAB. Iste cibus historialiter pascebat, etc., usque ad ad ortum vero solis, id est, Christi dicamus: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

17 [Magna sunt enim iudicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinatae animae erraverunt. ^{‡‡} ² Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctae, vinculis tenebrarum et longae noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuae providentiae jacuerunt. ³ Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrende, et cum admiratione nimia perturbati. ⁴ Neque enim quae continebat illos spelunca sine timore custodiebat, quoniam sonitus descendens perturbabat illos, et personae tristes illis apparentes pavorem illis praestabant. [¶] ⁵ Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen praebere, nec siderum limpidae flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. ⁶ Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus; et timore percussi illius quae non videbatur faciei, aestimabant deteriora esse quae videbantur. ^{§§} ⁷ Et magicæ artis appositi erant derisus, et sapientiae gloriae correptio cum contumelia. ⁸ Illi enim qui promittebant timores et perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant. ⁹ Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium et serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant, et aërem quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre. ^{*} ¹⁰ Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim praesumit sæva, perturbata conscientia: ¹¹ nihil enim est timor nisi proditio cogitationis auxiliorum. [†] ¹² Et dum ab intus minor est exspectatio, majorem compu-

^{‡‡}17.1 *Magna enim.* RAB. Mystice. Omnes persecutores Ecclesiae Christi, scelerum suorum tenebras patiuntur, nec unquam securi esse possunt, quos vexant rectores tenebrarum harum usque ad exteriores tenebras, ubi erit fletus et stridor dentium; unde: *Omnis qui male agit, odit lucem* Joan. 3., etc. Hinc Paulus: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino* Ephes. 5., etc.

[¶]17.4 *Neque enim.* Semper enim tenebras comitatur horror: et quanto minus discernit quis, quae circa se sunt, tanto magis metuit, undique adversa pavitans. Sic Aegyptii triduo maximas tenebras patiebantur, quas nec sol, nec stellae poterant illuminare, et unicuique jacebant, nimio terrore pavebant; quod autem dicit. *Tristes personas* eos terruisse, potuit fieri, ut daemones aliqua phantasmata ingererent, qui eos ad augmentum poenarum exterrerent. Persecutores quoque fidei et veritatis, circumdant tenebrae peccatorum, quia ignorant solem justitiae, nec praedicatorum illustrant eos fulgore doctrinae. Hos etiam *sonitus descendens*, id est comminatio caelestis perturbat, et *personae tristes*, id est daemones, quandoque torturi terrificant; nec tamen agunt fructuose poenitentiam: sed desperantes thesaurizant sibi iram in die iudicii.

^{§§}17.6 *Timore plenus.* Quia undique poenas formidabant. Quanto enim sunt graviores dolores, tanto majores timentur horrores. *Et magicæ artis*, etc. RAB. Cum Magi in Aegypto, etc., usque ad et antiquum serpentem cum angelis suis saevum patienter inimicum.

^{*}17.9 *Et aërem*, etc. RAB. Nimietatem timoris notat, quem imminentibus poenis redarguente conscientia patiuntur, cum autem semper timida nequitia, pavoris sui dat indicium, supplicio condemnata est.

[†]17.11 *Proditio*, etc. Timor scilicet prodit infirmitatem superbientis, qui vana spe auxiliorum se extollit cogitando, cum posse se sperat, quod efficere non potest vel possit: et dum virtus minor est, valetudo rerum quas extrinsecus patitur, majorem putat esse potentiam, hoc in persecutoribus fidelium frequenter evenit, qui se potentes aestimant, cum sanctos cruciant, potentia eorum victi, mentis angustia contristati cognoscunt se non posse quod cupiebant et majorem esse fortitudinem Dei, qui sic vincit in militibus suis.

tat inscientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat. ¹³ Illi autem qui impotentem vere noctem, et ab infimis et ab altissimis inferis supervenientem, eundem somnum dormientes, [‡] ¹⁴ aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: subitaneus enim illis et insperatus timor supervenerat. ¹⁵ Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur in carcere sine ferro reclusus. ¹⁶ Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem; ¹⁷ una enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimium, ¹⁸ aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo: deficientes faciebant illos præ timore. ¹⁹ Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, et non impeditis operibus continebatur. [¶] ²⁰ Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum quæ superventura illis erat: ipsi ergo sibi erant graviore tenebris.][§]

18 [Sanctis autem tuis maxima erat lux, et horum quidem vocem audiebant, sed figuram non videbant. Et quia non et ipsi eadem passi erant, magnificabant te; ^{**} ² et qui ante læsi erant, quia non lædebantur, gratias agebant, et ut esset differentia, donum petebant. ³ Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, et solem sine læsura boni hospitii præstitisti. ⁴ Digni quidem illi carere luce, et pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari.]^{††} ⁵ [Cum cogitarent justorum occidere infantes, et uno exposito filio et liberato, in traductionem illorum, multitudinem filiorum abstulisti, et pariter illos perdidisti in aqua valida. ⁶ Illa enim nox ante cognita est a patribus nostris, ut vere scientes quibus juramentis crediderunt, animæquiore essent. ⁷ Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem justorum, injustorum autem exterminatio. ⁸ Sicut enim læsisti adversarios, sic et nos provocans magnificasti. ⁹ Absconse enim sacrificabant justus pueri bonorum, et justitiæ legem in concordia disposuerunt; similiter et bona et mala recepturos justos, patrum jam de-

[‡]17.13 *Illi autem*, etc. RAB. Ægyptii scilicet horrore tenebrarum circumdati, etc., usque ad tanquam periculosum formidabant.

[¶]17.19 *Omnis enim orbis*. Quasi: impii erant in tenebris, sed ubicunque habitabant filii Israël, lux erat.

[§]17.20 *Imago tenebrarum*. Graviore sunt tenebræ spirituales corporalibus: quia ducunt homines ad exteriores tenebras, ubi erit fletus et stridor dentium, quas Ægyptiæ tenebræ figurant. Sicut enim corpora ibi nullo bono operi utilia: ita et hic animæ simul et corpora æterno carcere damnantur; ubi nec ratio, nec locus, nec tempus est operandi.

^{**}18.1 *Santis autem tuis*. RAB. Isrælitæ in Ægypto, etc., usque ad in prosperis et in adversis protegit.

^{††}18.4 *Digni quidem*, etc. RAB. Merito Ægyptii tenebrarum pœnam patiebantur, etc., usque ad cujus mysterii ratio in antiquis patribus figurata, et in adventu Christi completa est.

cantantes laudes.‡‡ 10 Resonabat autem inconueniens inimicorum vox, et flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium. 11 Simili autem pœna servus cum domino afflictus est, et popularis homo regi similia passus. 12 Similiter ergo omnes, uno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles: nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant, quoniam uno momento quæ erat præclarior natio illorum exterminata est. 13 De omnibus enim non credentes, propter veneficia; tunc vero primum cum fuit exterminium primogenitorum, sponderunt populum Dei esse. 14 Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, 15 omnipotens sermo tuus de cælo, a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit,¶¶ 16 gladius acutus insimulatum imperium tuum portans: et stans, replevit omnia morte, et usque ad cælum attingebat stans in terra. 17 Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos, et timores supervenerunt insperati. 18 Et alius alibi projectus semivivus, propter quam moriebatur causam demonstrabat mortis. 19 Visiones enim quæ illos turbaverunt hæc præmonebant, ne inscii quare mala patiebantur perirent. §§ 20 Tetigit autem tunc et justos tentatio mortis, et commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua.* 21 Prosperans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus. 22 Vicit autem turbas non in virtute corporis, nec armaturæ potentia: sed verbo illum qui se vexabat subiecit, iuramenta parentum et testamentum commemorans. 23 Cum enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, et amputavit impetum, et divisit illam quæ ad vivos ducebat viam. 24 In veste enim poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum; et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat. † 25 His autem cessit qui exterminabat, et hæc extimuit: erat enim sola tentatio iræ sufficiens.]

‡‡18.9 *Absconse enim sacrificabant.* RAB. Populus Israël in Ægypto jussu Domini Pascha celebravit, etc., usque ad sed in abscondito cordis semper Domino sacrificant, unde: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* Psal. 50.. Et alibi: *In me sunt, Deus, vota tua* Psal. 55., etc. ID. Memorat Deum percussisse primogenita Ægypti, ubi nec sicut prius simulaverunt Ægyptii, sed palam cogebant exire populum Dei dicentes: *Omnes moriemur* Exod. 11..

¶¶18.15 *Omnipotens sermo tuus.* Filius de quo dicitur: *In principio erat Verbum* Joan. 1., etc., hic brachium et dextera nominatur: propter effectivam divinæ virtutis potentiam, hic tunc per angeli ministerium judicia sua fecit in primogenitis Ægyptiorum, qui postmodum sanctificavit sibi primogenitos Hebræos. Nunc quoque per aquam baptismi salvat multitudinem credentium, et interficit multitudinem spirituum aliorum hostium.

§§18.19 *Visiones.* RAB. Hoc divinæ bonitatis est, quæ peccantes castigat ut abstineant, et pœnitentiam agant. Si autem patientia Dei abutuntur, sine excusatione in æternum punientur.

*18.20 *Tetigit autem tunc et justos.* RAB. Memorat, etc., usque ad per quos interitum possimus evadere.

†18.24 *In veste enim poderis.* RAB. Byssum terræ deputant Hebræi, etc., usque ad in figura pontificali, Christum futurum prænoscebat, sed quia viderat carne indutum, non Deum sed hominem purum credidit; unde: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* I Cor. 2..

19 [Impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit. Præsciebat enim et futura illorum:‡² quoniam cum ipsi permisissent ut se educerent, et cum magna sollicitudine præmisissent illos, consequebantur illos, pœnitentia acti.³ Adhuc enim inter manus habentes luctum, et deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ, et quos rogantes projecerant, hos tamquam fugitivos persequebantur.⁴ Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas; et horum quæ acciderant commemorationem amittebant, ut quæ deerant tormentis repleret punitio:⁵ et populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem novam mortem invenirent.⁶ Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi.⁷ Nam nubes castra eorum obumbrabat, et ex aqua quæ ante erat, terra arida apparuit, et in mari Rubro via sine impedimento, et campus germinans de profundo nimio:⁸ per quem omnis natio transivit quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia et monstra.⁹ Tamquam enim equi depaverunt escam, et tamquam agni exsultaverunt, magnificantes te, Domine, qui liberasti illos.¹⁰ Memores enim erant adhuc eorum quæ in incolatu illorum facta fuerant: quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas, et pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum.[§]
¹¹ Novissime autem viderunt novam creaturam avium, cum, adducti concupiscentia, postulaverunt escas epulationis.¹² In allocutione enim desiderii ascendit illis de mari ortygetra: et vexationes peccatoribus supervenerunt, non sine illis quæ ante facta erant argumentis per vim fulminum: juste enim patiebantur secundum suas nequitas.]¹³ [Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt: alii quidem ignotos non recipiebant advenas; alii autem bonos hospites in servitum redigebant.¹⁴ Et non solum hæc, sed et alius quidam respectus illorum erat, quoniam inviti recipiebant extraneos.¹⁵ Qui autem cum lætitia receperunt hos qui eisdem usi erant justitiis, sævissimis afflixerunt doloribus.¹⁶ Percussi sunt autem cæcitate: sicut illi in foribus justi, cum subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostii sui quærebat.¹⁷ In se enim elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, et omnia suum sonum custodiunt: unde æstimari ex ipso

‡19.1 *Impiis autem*, etc. Inimicis populi Dei: vindicta usque ad consummationem supervenit, quia nec vitam nec mores correxerunt, fictis enim argumentis simulabant pœnitentiam, et ideo non meruerunt indulgentiam. Unde Pharaon cum plagis afflicto, populum Dei se dimissurum promitteret, paululum respirans ad domesticam crudelitatem reversus est, donec in mari Rubro fluctibus submersus est. Persecutores enim Christiani nominis si perstiterint in malitia sua, sentient in pœna quantum valeat Dei justitia.

⁹19.8 *Videntes tua mirabilia*. Sic nos oportet liberatori nostro exsultantes gratias agere dicentes: *Benedic, anima mea, Dominum* Psal. 103.. Unde Apostolus: *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite* I Thess. 5..

§19.10 *Produxit terra*. Nota quod inimicis Dei terra produxit muscas, et fluvius ranas; cultoribus autem Dei terra dedit fructum, et mare carnis alimentum. Dignum est enim, ut fidelibus suis per opera sua nutrimentum, divina procuret providentia. Inimicis vero condignum tormentum per subditam sibi creaturam inferat. *Juste enim patiebantur*. RAB. Qui antiquos Dei servos, etc., usque ad viam veritatis non agnoscit, et ostium quod Christus est, non invenit.

visu certo potest.** 18 Agrestia enim in aquatica convertebantur, et quæcumque erant natantia, in terram transibant. 19 Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, et aqua extinguentis naturæ obliscebatur. 20 Flammæ e contrario corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec dissolvebant illam, quæ facile dissolvebatur sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum, Domine, et honorasti, et non despexisti, in omni tempore et in omni loco assistens eis.]††

**19.17 *In se elementa.* Sicut in organo diversi soni ad concordiam melodiam temperamento consentiunt, ita discrepantia elementa servato jure naturæ ad Creatoris voluntatem flectuntur: non enim creaturam sibi condidit contrariam, sed per omnia voluntati suæ consentaneam. *Unde æstimari,* etc. RAB. Homines enim et jumenta, etc., usque ad ut appareret quod elementa mundi non suæ tantum conditioni, sed Creatoris deservirent voluntati.

††19.20 *In omnibus enim magnificasti.* Misericors et miserator Dominus semper adest fidelibus suis, quos semper protegit et regit: quos aliquando in martyrio purgat. Unde: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* Eccl. 27.. Multæ enim tribulationes justorum, et de omnibus his liberavit eos Dominus.

INCIPIT LIBER IESU FILII SIRACH

1 *Prologus* Multorum nobis et magnorum per legem, et prophetas, aliosque qui secuti sunt illos, sapientia demonstrata est, in quibus oportet laudare Israël doctrinæ et sapientiæ causa, quia non solum ipsos loquentes necesse est esse peritos, sed etiam extraneos posse et dicentes et scribentes doctissimos fieri. Avus meus Jesus, postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis legis, et prophetarum, et aliorum librorum qui nobis a parentibus nostris traditi sunt, voluit et ipse scribere aliquid horum quæ ad doctrinam et sapientiam pertinent, ut desiderantes discere, et illorum periti facti, magis magisque attendant animo, et confirmentur ad legitimam vitam. Hortor itaque venire vos cum benevolentia, et attentiori studio lectionem facere, et veniam habere in illis, in quibus videmur, sequentes imaginem sapientiæ, deficere in verborum compositione. Nam deficiunt verba hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam: non autem solum hæc, sed et ipsa lex, et prophetæ, ceteraque aliorum librorum non parvam habent differentiam quando inter se dicuntur. Nam in octavo et trigesimo anno temporibus Ptolemæi Evergetis regis, postquam perveni in Ægyptum, et cum multum temporis ibi fuisset, inveni ibi libros relictos, non parvæ neque contemnendæ doctrinæ. Itaque bonum et necessarium putavi et ipse aliquam addere diligentiam et laborem interpretandi librum istum: et multa vigilia attuli doctrinam in spatio temporis, ad illa quæ ad finem ducunt, librum istum dare, et illis qui volunt animum intendere, et discere quemadmodum oporteat instituire mores, qui secundum legem Domini proposuerint vitam agere. [Omnis sapientia a Domino Deo est: et cum illo fuit semper, et est ante ævum.†† 2 Arenam maris, et pluviae guttas, et dies sæculi, quis dinumeravit? altitudinem cæli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi, quis dimensus est?¶¶ 3 sapientiam Dei præcedentem omnia, quis investigavit? 4 Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo. §§ 5 Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, et ingressus illius

††1.1 *Omnis sapientia*, etc. RAB. in Eccli., tom. 3. Incipit ab æterna Dei sapientia, quæ Christus est, qui cum Patre est semper ante sæcula, secundum illud: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* Joan. 1.. *A Domino Deo est.* Quia Christus fons vitæ, lux vera, de Patre nascitur, *et omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* Ibid.. Quisquis hac sapientia caret, in tenebris ambulat, et nescit quo vadat. *Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum; et prudentia carnis, mors* Sap. 11..

¶¶1.2 *Arenam maris et pluviae guttas.* RAB. ubi supra. Corporalia spiritualibus comparat, ut ex difficillimis, quod omnino impossibile est, æstimetur. Si enim hæc quæ in certo numero et mensura, et pondere condita sunt, nemo potest dinumerare; quanto minus sapientiam Dei sine initio et sine fine inenarrabilem inæstimabilem poterit investigare?

§§1.4 *Prior omnium creata est.* Creata secundum humanitatem in consilio Dei patris, scilicet pro salute humani generis prædestinata est incarnari. Notandum autem quod propter unitatem personæ aliquando Christus dicitur genitus, aliquando creatus.

mandata æterna.* ⁶ Radix sapientiæ cui revelata est? et astutias illius quis agnovit?†
⁷ disciplina sapientiæ cui revelata est et manifestata? et multiplicationem ingres-
 sus illius quis intellexit? ⁸ Unus est altissimus, Creator omnipotens, et rex potens
 et metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus. ⁹ Ipse creavit
 illam in Spiritu Sancto, et vidit, et dinumeravit, et mensus est:‡ ¹⁰ et effudit illam
 super omnia opera sua, et super omnem carnem, secundum datum suum, et præbuit
 illam diligentibus se.] ¹¹ [Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona
 exultationis.¶ ¹² Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiā, et gaudium, et lon-
 gitudinem dierum.§ ¹³ Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis
 suæ benedicetur. ¹⁴ Dilectio Dei honorabilis sapientiā: ** ¹⁵ quibus autem apparuerit
 in visu diligunt eam in visione, et in agnitione magnalium suorum. ¹⁶ Initium sapi-
 entiæ timor Domini: et cum fidelibus in vulva concreatus est: cum electis feminis
 graditur, et cum justis et fidelibus agnoscitur. ¹⁷ Timor Domini scientiæ religiosi-
 tas: †† ¹⁸ religiositas custodiet et justificabit cor; jucunditatem atque gaudium dabit.
¹⁹ Timenti Dominum bene erit, et in diebus consummationis illius benedicetur. ‡‡
²⁰ Plenitudo sapientiæ est timere Deum, et plenitudo a fructibus illius. ²¹ Omnem
 domum illius implebit a generationibus, et receptacula a thesauris illius. ²² Corona
 sapientiæ timor Domini, replens pacem et salutis fructum: ²³ et vidit, et dinumeravit

*1.5 *Fons sapientiæ.* Origo omnis sapientiæ a Verbo Dei procedit, quod Deus ex Deo semper cum Patre manet in cœlis; sed ingressus mundum per dispensationem humanitatis dedit mandata salutis, unde, *Verba vitæ æternæ habes* Joan. 6..

†1.6 *Radix sapientiæ.* Ostendit neminem posse profunditatem Dei penetrare, vel magnitudinē bonitatis ejus et misericordiæ. Unde ad liberationem et illuminationem humani generis homo fieri dignatus est, unde: *Generationem ejus quis enarrabit* Isa. 53.?

‡1.9 *Ipse creavit illam.* Unigeniti scilicet adventum, per Verbum sibi coæternum cum Spiritu sancto dispensavit: quomodo per Virginis partum ad salutem mundi veniret, et creaturas repararet, et hominem ad agnitionem et dilectionem sui revocaret, dans illi donum Spiritus sancti, ut ejus munere solvetur in æternum.

¶1.11 *Timor Domini gloria,* etc. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. Gloria et divitiæ in domo ejus* Psal. 3., etc. *Timor Domini.* Duæ species sunt timoris. De altera dicitur, *Timor* [non est in charitate] *animæ in charitate,* Joan. 4., etc. Qui hunc habent propter metum gehennæ peccare desinunt, et vitam corrigunt: hic introducit charitatem, sed et foras mittitur. Qui enim sic timet, nondum amat nec desiderat bona, sed cavet mala; sed tamen se corrigit, et bona desiderare incipit. De altera scriptum est, *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi* Psal. 18.. Timet enim unusquisque ne amittat bona, et Dei præsentiam, quæ in æternum frui desiderat, de quo dicitur:

§1.12 *Timor Domini delectabit cor.* Hic suavitatem tribuit internam, et in futuro vitam æternam.

**1.14 *Dilectio,* RAB. Charitas Dei vera est sapientiā, etc., usque ad ipsa in futuro remuneratio erit; unde: *Adimplebis me lætitiā cum vultu tuo, delectationes in dextera tua* Psal. 15., etc.

††1.17 *Timor Domini.* Sine timore Dei, et observatione mandatorum ejus, nulla religio est; unde: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* Jac. 1..

‡‡1.19 *Timenti Dominum.* Qui scilicet timore Dei in fide et doctrina et operatione regulam justitiæ servat.

eam: utraque autem sunt dona Dei.^{¶¶} 24 Scientiam et intellectum prudentiæ sapientia compartietur, et gloriam tenentium se exaltat. 25 Radix sapientiæ est timere Dominum, et rami illius longævi.^{§§} 26 In thesauris sapientiæ intellectus et scientiæ religiositas: execratio autem peccatoribus sapientia.* 27 Timor Domini expellit peccatum:† 28 nam qui sine timore est non poterit justificari: iracundia enim animositatis illius subversio illius est. 29 Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis. 30 Bonus sensus usque in tempus abscondet verba illius, et labia multorum enarrabunt sensum illius.‡ 31 In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ: 32 execratio autem peccatori cultura Dei. 33 Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi.¶ 34 Sapientia enim et disciplina timor Domini: et quod beneplacitum est illi,§ 35 fides et mansuetudo, et adimplebit thesaurus illius. 36 Ne sis incredibilis timori Domini, et ne accesseris ad illum duplici corde.** 37 Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris in labiis tuis.†† 38 At-

¶¶1.23 *Et vidit.* RAB. In conspectu ejus sunt omnia, unicuique conservat dignam retributionem.

§§1.25 *Rami.* Per sapientiam, divinam habet homo scientiam vitandi malum, et intellectum faciendi bonum, utrumque enim in auditore operatur in fine; unde: *Qui audit me, non confundetur, et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt* Eccli. 24.. *Initium sapientiæ, timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum* Psal. 110..

*1.26 *In thesauris.* In legis meditatione utrumque declaratur, quomodo scilicet vitanda sunt mala, et quomodo discenda spiritualis sapientia, et exercenda bona opera, in quibus est religio vera. *Sapientiæ intellectus.* Quæ prohibet peccata, et carnalia desideria; unde: *Non amat pestilens eum qui se corrigit, nec ad sapientes graditur* Prov. 15..

†1.27 *Timor,* etc. Quia per pœnitentiam mundat a præteritis peccatis, vel prohibet a committendis. Quia qui per timorem Dei sese non corrigit, in peccati voraginem cadit.

‡1.30 *Bonus sensus.* Unde in Proverbiis, *Labia sapientium custodiunt eos* Prov. 14.. Et alibi: *Astutus omnia agit cum consilio: qui autem fatuus est aperuit stultitiam* Ibid. 31.. Sapientis ergo hominis est verba tenere, et omnia modeste peragere. *Enarrabunt sensum.* Æquanimiter, non mala pro malis, sed bona pro bonis tribuens.

¶1.33 *Fili, concupiscens sapientiam.* Qualiter ad sapientiam pervenias, ipsa sapientia monstrat, quia sine conservatione justitiæ, nemo pervenit ad culmen sapientiæ, unde Jacobus: *Quis sapiens, inquit, et disciplinatus inter vos? ostendat conversationem bonam in mansuetudine sapientiæ* Jac. 3..

§1.34 *Sapientia enim et disciplina.* RAB. Sicut sæpe dictum est, *Timor Domini sapientiæ et disciplinæ custodia est* Prov. 13., cui convenit fides recta, et morum temperantia, quia sine fide impossibile est placere Deo, et bonorum vita semper tranquilla est; unde in Matthæo: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* Matth. 11.. Qui enim vere timet Deum, non potest esse sine fide, et operibus bonis, quæ replent hominem virtutibus, et Deo acceptabilem faciunt. Unde: *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam et scientiam et lætitiæ. Peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluum* Eccl. 2..

**1.36 *Duplici corde.* Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis, qui scilicet vult gaudere cum sæculo et regnare cum Christo.

††1.37 *Hypocrita.* Aliud corde gestans, et aliud opere monstrans. Unde: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium* Matth. 7..

tende in illis, ne forte cadas, et adducas animæ tuæ inhonorationem:‡ 39 et revelet Deus absconsa tua, et in medio synagogæ elidat te: 40 quoniam accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia.]

2 [Fili, accedens ad servitutum Dei sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.¶ 2 Deprime cor tuum, et sustine: inclina aurem tuam, et suscipe verba intellectus: et ne festines in tempore obductionis. 3 Sustine sustentationes Dei: conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua. 4 Omne quod tibi applicitum fuerit accipe: et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe:§§ 5 quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. 6 Crede Deo, et recuperabit te: et dirige viam tuam, et spera in illum: serva timorem illius, et in illo veterasce.]* 7 [Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus: et non deflectatis ab illo, ne cadatis.† 8 Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra.‡ 9 Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectationem veniet vobis misericordia.¶ 10 Qui timetis Dominum, dilig-

‡1.38 *Attende in illis*, etc. Manifestum est, quod qui sequitur hæreticos, animæ suæ acquirit damnationem, quia in iudicio revelabuntur occulta cordium, et reddetur unicuique secundum opera sua, *Disperdet enim Deus omnes qui loquuntur mendacium* Psal. 61.. Qui abominatur virum sanguinum et dolosum; unde: *Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*. Et alibi: *Veniet Dominus servi illius, et dividet eum; partemque ejus ponet cum hypocritis, ibi erit fletus et stridor dentium* Matth. 24..

¶2.1 *Fili, accedens*, etc. Demonstravit quid sit vitandum, nunc demonstrat quid sit agendum, dicens: *Fili, accedens ad servitutum Dei sta in justitia et timore*. Qui enim vult ab illecebris mundi se abstinere, et in Christo pie vivere, persecutionem patitur. Dum enim accingi divino servitio præparat, bellum diaboli contra se excitat, et dum alia vitia subdit, aliis reluctatur, et divina dispensatione agitur, ut superet et superetur, ne extollatur. Sed quia humilitas et patientia illi necessaria est, sequitur, *Deprime cor tuum, et sustine*, etc.

§§2.4 *Patientiam habe*. Quasi: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* Luc. 21., quia scilicet radix et custos omnium virtutum patientia est. Sciendum autem est, quod patientia tribus modis exercetur. A Deo enim flagellamur, sed cavendum est ne murmuremus; a proximo persecutiones, et damna, et contumelias sustineamus, et cavendum est ne mala pro malis retribuamus; ab adversario tentamur, sed prospiciendum est ne ad delectationem peccati vel consensum flectamur, vel pro his præsentia quæramus, sed futura exspectemus.

*2.6 *Crede Deo et recuperabit te*. RAB. Credere oportet afflictum, et dirigere gressus operum in Dei conspectum, et sperare in illum; unde: *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet*. Psal. 36.. Hinc Jeremias ait: *Beatus qui confidit in Domino, et erit Deus fiducia ejus* Jer. 17., etc.

†2.7 *Metuentes Dominum*, etc. *Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordiam ejus* Psal. 146.. Qui enim veraciter metuit, patienter sustinet miserationem ejus: *Qui autem dereliquerint Deum, confundentur et in terra scribentur* Jer. 17..

‡2.8 *Qui timetis Dominum, credite illi*. Hortatur timentes Dominum ut credant illi, qui ad certam mercedem perveniant; unde: *Justus enim ex fide vivit* Rom. 1.; unde: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* Matth. 9.. Et alibi: *Fides tua te salvum fecit* Ibid., 10..

¶2.9 *Qui timetis Dominum, sperate in illum*. Tria commendat timentibus Deum: credere, sperare, diligere; quia fide, spe et charitate vere colitur Deus, et ad contemplationem pervenitur, quæ est beatitudo æterna.

ite illum, et illuminabuntur corda vestra. ¹¹ Respicite, filii, nationes hominum: et scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est. [§] ¹² Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum? ¹³ Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata, et protector est omnibus exquirentibus se in veritate.] ¹⁴ [Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis! ^{**} ¹⁵ Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, et ideo non protegentur ab eo! ^{††} ¹⁶ Væ his qui perdidit sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas! ¹⁷ Et quid faciant cum inspicere cœperit Dominus? ^{‡‡} ¹⁸ Qui timent Dominum non erunt incredibiles verbo illius: et qui diligunt illum conservabunt viam illius. ^{¶¶} ¹⁹ Qui timent Dominum inquirent quæ beneplacita sunt ei, et qui diligunt eum replebuntur lege ipsius. ^{§§} ²⁰ Qui timent Dominum præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. ^{§§} ²¹ Qui timent Dominum custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, ²² dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum. ²³ Secundum enim magnitudinem ipsius, sic et misericordia illius cum ipso est.]

§2.11 *Respicite*, etc. RAB. Hic quoque tria dicit, etc., usque ad quia *sacrificium Deo spiritus contribulatus* Psal. 50., etc. Et, *Prope est Deus omnibus invocantibus se in veritate* Psal. 144..

**2.14 *Væ duplici corde*, etc. Admonuit, ne quis duplici corde accederet ad Deum; nunc autem dicit, *Væ duplici corde et labiis scelestis*. Qui enim prava cogitat, et loquitur, et pravis insistit operibus, nisi pœniterit, in æternum peribit. *Duabus viis terram ingredientis* qui facit mala, et sperat bona; vel, qui carnis sectatur opera, et spiritus sanctificationem se arbitratur perficere in timore; vel, quod Dei est opere exhibet, et quod mundi est, cogitatione quærit. Tales vero inconstantes sunt in omnibus viis suis, quia facile in adversis terrentur, et prosperis irretiuntur.

††2.15 *Dissolutis corde*, etc. RAB. Adhuc docet errorem cavere, etc., usque ad his, qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, etc.

‡‡2.17 *Inspicere*, etc. Licet omni tempore inspiciat omnia Deus, tunc tamen inspicere dicitur, cum probare vel improbare aliquid dignoscitur.

¶¶2.18 *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles*, etc. Alternando de amore et dilectione Dei agit, *quia timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi* Psal. 18., *et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum* I Joan. 4.. Qui vero timet Deum, et diligit, et credit Scripturis, servat operando præcepta Dei, et semper meditando quærit quæ beneplacita sunt illi, replebitur ergo sapientia et charitate Dei. *Finis enim præcepti charitas, et qui diligit proximum, legem implevit*.

§§2.20 *Qui timent Dominum præparabunt*, etc. Felix anima, quæ quotidie munit cor suum ut suscipiat habitatorem Deum, cujus possessor nullo eget bono, quia omnium bonorum auctorem in se habet. Et quia ad hoc necessaria est mandatorum custodia, et boni operis patientia, qua pervenitur ad agnitionem veritatis, sequitur: *Qui timent Dominum custodiunt mandata illius*, etc. Justus in primis accusator est sui. Sicut enim humilitati præmium, sic superbiam restat supplicium; unde Joannes: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus* II Joan. 1.. Qui vere sapiens est, verus justitiæ cultor est, quia sapientia dictat justitiæ normam.

3 [Filii sapientiæ ecclesia justorum, et natio illorum obedientia et dilectio. ² Judicium patris audite, filii, et sic facite, ut salvi sitis. ³ Deus enim honoravit patrem in filiis: et iudicium matris exquirens, firmavit in filios. ⁴ Qui diligit Deum exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis, et in oratione dierum exaudietur. [†] ⁵ Et sicut qui thesaurizat, ita et qui honorificat matrem suam. ⁶ Qui honorat patrem suum iucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudietur. [‡] ⁷ Qui honorat patrem suum vita vivet longiore, et qui obedit patri refrigerabit matrem. ⁸ Qui timet Dominum honorat parentes, et quasi dominis serviet his qui se genuerunt. ⁹ In opere, et sermone, et omni patientia, honora patrem tuum, [¶] ¹⁰ ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat. ¹¹ Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta. [§] ¹² Ne glories in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria ejus confusio. ¹³ Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore. ¹⁴ Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius: ¹⁵ et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua: eleemosyna enim patris non erit in oblivione. ^{**} ¹⁶ Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum: ¹⁷ et in justitia ædificabitur tibi, et in die tribulationis commemorabitur tui, et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. ¹⁸ Quam malæ famæ est qui derelinquit patrem, et est maledictus a Deo qui exasperat matrem !] ¹⁹ [Fili, in mansuetudine opera tua perface, et super hominum gloriam diligeris. ^{††} ²⁰ Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies

^{*3.2} *Judicium patris.* Dei, *ex quo omnis paternitas in cælo et in terra.* Quia ex ipsa sunt omnia. Qui diligit ea, quæ fecit, et ut in eo maneant, quo facta sunt, cujus iudicium, qui audierit, et præcepta ejus fecerit, salvus erit: cujus mandatum est, ut etiam patri temporali, et matri reverentia exhibeatur; unde: *Honora patrem tuum* Deut. 5., etc.; unde sequitur: *Qui honorat patrem suum.* Cui Deum honorem constituit, non debet a filiis inhonorari: quia Deus iudicio suo exquiret qualiter præceptum suum servetur.

^{†3.4} *Qui diligit.* Qui scilicet mandata servat, et abstinet a peccatis, et tamen pro excessoribus orare non desinit, quia scit misericordem iudicem omni tempore preces exaudire.

^{‡3.6} *In filiis.* RAB. In sobole vel in discipulis, etc., usque ad honorare parentes primum mandatum est in promissione.

^{¶3.9} *In opere et sermone,* non in vulva scilicet unde ostenditur, et spiritualis pater maxime dignus honore; unde Paulus: *Per Evangelium ego vos genui* I Cor. 4.. Et alibi: *Qui bene præsent presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in doctrina et verbo* I Tim. 5..

^{§3.11} *Benedictio patris,* etc. RAB. Benedixerunt patriarchæ filiis, etc., usque ad illusores sævissime laniaverunt.

^{**3.15} *Eleemosyna.* Scilicet quæ peccatum delet. Hostia enim quæ pro peccato, peccatum vocatur. Qui autem parentibus, vel cæteris pauperibus miseretur, justitiæ præmium recipiet a peccatis absolutus. *Beati misericordes, quoniam* Matth. 5., etc. Et alibi: *Feneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Prov. 19.. Hinc Daniel ad Nabuchodonosor: *Consilium meum, o rex, placeat tibi: peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum* Dan. 4., si forsitan ignoscat Deus delictis tuis. Hinc Dominus ait: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* Luc. 11..

^{††3.19} *Fili in mansuetudine.* Mansuetudo et humilitas gratiam, superbia et furor pariunt ruinam; unde: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* Matth. 11., etc. Et alibi: *Qui se exaltat, humiliabitur* Luc. 14., etc.

gratiam: ²¹ quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. ²² Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. ²³ Non est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. ²⁴ In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, et in pluribus operibus ejus non eris curiosus. ²⁵ Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi: ²⁶ multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum. ²⁷ Cor durum habebit male in novissimo, et qui amat periculum in illo peribit. ²⁸ Cor ingrediens duas vias non habebit successus, et pravus corde in illis scandalizabitur. ²⁹ Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum. ³⁰ Synagogæ superbiorum non erit sanitas, frutex enim peccati radicabitur in illis, et non intelligetur. ³¹ Cor sapientis intelligitur in sapientia, et auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. ³² Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis, et in operibus justitiæ successus habebit.] ³³ [Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis: ³⁴ et Deus prospector est ejus qui reddit gratiam: meminit ejus in posterum, et in tempore casus sui inveniet firmamentum.]

4 [Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere. ² Animam esurientem ne despexeris, et non exasperes pauperem in inopia sua. ³ Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti. ⁴ Rogationem contribulati ne abjicias, et non avertas faciem tuam ab egeno. ⁵ Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram: et non relinquant quærentibus tibi retro maledicere. ⁶ Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum qui fecit illum. ⁷ Congregationi pauperum affabilem te facito:

³³3.21 *Quanto magnus es*, etc. RAB. Docuit superius mansuetudinem, etc., usque ad sufficit homini ea pie cogitare, et opere implere, quæ præcepit Deus.

³⁴3.24 *In supervacuis rebus*, etc. RAB. Id est, ne scruteris supervacue, etc., usque ad disputantes in errores incidunt, et a veritate recedunt.

³⁵3.27 *Cor durum*. Quia *secundum duritiam tuam thesaurizas tibi iram in die judicii* Rom. 2..

³⁶3.28 *Cor ingrediens*. Quod non curat, nec studet vitare, et quod ea diligit, quæ ducunt ad interitum, ut hæreses et profanæ novitates; unde sequitur: *Cor ingrediens duas vias, non habebit successus*, etc.

³⁷4.1 *Fili, eleemosynam pauperis*, etc. RAB. Quantum eleemosyna valet, etc., usque ad qui ex corde corripit verbis, vel factis.

³⁸4.3 *Cor inopis*, etc. Non est eleemosyna differenda, cum adsittribuendi facultas; unde: *Ne dicas amico tuo: Vade et revertere, cum cito possis dare* Prov. 3.. Et alibi: *Qui despicit proximum, peccat: qui miseretur pauperis, beatus erit* Ibid. 14.. Eleemosyna autem facienda est, non ex necessitate, *Hilarem enim datorem diligit Deus* I Cor. 9.. Et alibi: Vidua paupercula plus omnibus misit in gazophylacium, quia non quantitatem muneris pensat Deus, sed devotionem cordis.

³⁹4.5 *Ab inope ne avertas*, etc. Non per iram exasperandus est pauper, sed blanda locutione placandus, *Ira enim viri justitiam Dei non operatur* Jac. 1.. Et, *Qui obturat aurem ad clamorem pauperis, clamabit, et non exaudiet Dominus* Prov. 21.. Qui enim potest tribuere, debet: quia munus absconditum exstinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam. Qui autem non potest, sermo bonus est ei super datum optimum. *Qui autem habuerit substantiam mundi: et viderit fratrem suum necesse habentem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* I Joan. 3. Fides enim si non habeat opera, mortua est. Non ergo diligamus lingua et verbo, sed opere et veritate.

et presbytero humilia animam tuam, et magnato humilia caput tuum.^{§ 8} Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, et redde debitum tuum, et responde illi pacifica in mansuetudine.⁹ Libera eum qui injuriam patitur de manu superbi, et non acide feras in anima tua.^{** 10} In iudicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum:^{†† 11} et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam mater.]¹² [Sapientia filiis suis vitam inspirat: et suscipit inquirentes se, et præibit in via iustitiæ.¹³ Et qui illam diligit, diligit vitam, et qui vigilaverint ad illam complectentur placorem ejus.^{‡‡ 14} Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt: et quo introibit benedicit Deus.¹⁵ Qui serviunt ei obsequentes erunt sancto: et eos qui diligit illam, diligit Deus.^{¶¶ 16} Qui audit illam iudicabit gentes: et qui intuetur illam permanebit confidens.¹⁷ Si crediderit ei, hæreditabit illam, et erunt in confirmatione creaturæ illius:¹⁸ quoniam in tentatione ambulat cum eo, et in primis eligit eum.¹⁹ Timorem, et metum, et probationem inducet super illum: et cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, et credat animæ illius.^{§§ 20} Et firmabit illum, et iter adducet directum ad illum, et lætificabit illum:²¹ et denudabit absconsa sua illi, et thesaurizabit super illum scientiam et intellectum iustitiæ.²² Si autem oberraverit, derelinquet eum, et tradet eum in manus inimici sui.]²³ [Fili, conserva tempus, et devita a malo.^{*} 24 Pro anima tua ne confundaris dicere verum:²⁵ est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam.²⁶ Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium.²⁷ Ne reverearis proximum tuum in casu suo,²⁸ nec

§4.7 *Congregationi pauperum.* In his commendatur mansuetudo et humilitas, quia mansuetudo neminem spernit, humilitas se omnibus subjicit. Decet autem Christianum æqualibus et inferioribus affabilem esse et mitem, senioribus humilem; unde: **Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei** Psal. 130..

** 4.9 *Libera,* etc. RAB. Sicut largitionem in pauperes elemosynam esse dixit, sic liberationem inique oppressi misericordiam esse ostendit; unde, **Erue illos qui ducuntur ad mortem.**

†† 4.10 *In iudicando.* RAB. Nullam elemosynæ speciem, etc., usque ad ita et viduæ viri solatium.

‡‡ 4.13 *Et qui vigilaverint,* etc. **Beatus homo qui audit me, et vigilat ante fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei** Prov. 8.. Per fores autem potes Scripturas et eorum doctores intelligit.

¶¶ 4.15 *Qui serviunt,* etc. Qui diligit eum, qui genuit, diligit eum qui natus est ex Deo, et quem diligit Pater, diligit Filius, unde: Qui diligit me, diligitur a Patre meo, et eum diligam. Sed quia **probatio dilectionis exhibitio est operis,** sequitur: **Qui audit illam, iudicabit gentes.** Unde: **Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël** Matth. 19..

§§ 4.19 *Timorem et metum,* etc. Sapientia inhabitans dirigit opera, in variis tentationibus præparat exercendo et probando ad futuræ vitæ gaudia, quod hac sententia confirmatur: **Timorem et metum et probationem,** etc. Quia tribulatio patientiam operatur, et patientia probationem, probatio vero spem, quod non confundit, quia charitas Dei diffusa est in sanctis per Spiritum sanctum.

* 4.23 *Fili, conserva tempus,* etc. Supra commendavit sapientiæ donum, nunc ostendit ipsius factum. Quicumque enim servat præcepta sapientiæ, cautus est in temporum mutatione, nec deserit viam iustitiæ in tempore persecutionis et angustiae. Ideo sapientia exhortatur filios, ut conservent tempus, quia tempus omni rei sub cælo: et tempus est belli, et tempus pacis.

retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore suo:[†]
²⁹ in lingua enim sapientia dignoscitur: et sensus, et scientia, et doctrina in verbo
 sensati, et firmamentum in operibus justitiæ.³⁰ Non contradicas verbo veritatis ullo
 modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere.[‡] ³¹ Non confundaris confiteri
 peccata tua, et ne subjicias te omni homini pro peccato.³² Noli resistere contra faci-
 eiem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.³³ Pro justitia agonizare pro anima
 tua, et usque ad mortem certa pro justitia: et Deus expugnabit pro te inimicos tuos.
³⁴ Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis, et remissus in operibus tuis.[¶] ³⁵ Noli esse
 sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.[§] ³⁶ Non
 sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.]

5 [Noli attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris: Est mihi sufficiens vita:
 nihil enim proderit in tempore vindictæ et obductionis. ² Ne sequare in fortitu-
 dine tua concupiscentiam cordis tui, ³ et ne dixeris: Quomodo potui? aut, Quis me
 subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. ⁴ Ne dixeris: Peccavi: et
 quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. ⁵ De propitiatio pec-
 cato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. ⁶ Et ne dicas:
 Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: ⁷ mis-
 ericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. ⁸ Non
 tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: ⁹ subito enim veniet ira
 illius, et in tempore vindictæ disperdet te. ¹⁰ Noli anxius esse in divitiis injustis: non
 enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ.] ¹¹ [Non ventiles te in omnem
 ventum, et non eas in omnem viam: sic enim omnis peccator probatur in duplici
 lingua.^{**} ¹² Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui et scientia: et pros-
 equatur te verbum pacis et justitiæ. ¹³ Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut
 intelligas, et cum sapientia proferas responsum verum.^{††} ¹⁴ Si est tibi intellectus,
 responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo
 indisciplinato, et confundaris. ¹⁵ Honor et gloria in sermone sensati: lingua vero im-
 prudentis subversio est ipsius. ¹⁶ Non appelleris susurro, et lingua tua ne capiaris et

[†]4.28 *Non abscondas sapientiam tuam*, etc. RAB. Non est abscondenda sapien-
 tia his, qui audire volunt. Qui enim abscondit frumentum, maledicetur in populis,
 benedictio autem super caput vendentium; unde: *Negotia, dum venio* Luc. 19..

[‡]4.30 *Non contradicas*. Obediendum est majoribus, si veritati concordant et justi-
 tiæ, nec aliter, sed pro recta fide, et vera religione, in quibus est animæ salus, decer-
 tandum est; unde: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te* Matth.
 5.. Et, *Si quis vult venire post me, abneget* Luc. 9., etc.

[¶]4.34 *Noli citatus esse in lingua tua*. RAB. Mors et vita, etc., usque ad scriptum est:
Non in sermone regnum Dei, sed in virtute I Cor. 4..

[§]4.35 *Noli esse sicut leo*. In Ecclesia sunt hæretici quasi leones, qui per linguæ
 volubilitatem seducunt corda innocentium, et per insolentiam morum conturbant
 mansuetudinem simplicium.

^{**}5.11 *Non ventiles te*, etc. RAB. Levitatem reprehendit, etc., usque ad duplicitas
 doctrinæ eorum, in qua modo vera, modo falsa proferunt, peccatores esse ostendit.

^{††}5.13 *Esto mansuetus*. Bonum est mansuete audire, et suscipere verbum veritatis,
 et modeste ac prudenter proferre; unde: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tar-
 dus ad loquendum et tardus ad iram*. Jac. 1.. Et paulo post: *In mansuetudine
 suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras* Ibid. In Proverbiis
 quoque dicitur: *Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda
 est, quam correctio illius* Prov. 29..

confundaris: ¹⁷ super furem enim est confusio et poenitentia, et denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, et inimicitia, et contumelia. ¹⁸ Justifica pusillum et magnum similiter.]

6 [Noli fieri pro amico inimicus proximo: improprius enim et contumeliam malus hæreditabit: et omnis peccator invidus et bilinguis.]^{‡‡} ² [Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam: ³ et folia tua comedat, et fructus tuos perdat, et relinquantur velut lignum aridum in eremo. ⁴ Anima enim nequam disperdet qui se habet, et in gaudium inimicis dat illum, et deducet in sortem impiorum.]^{¶¶} ⁵ [Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos, et lingua eucharis in bono homine abundat. ⁶ Multi pacifici sint tibi: et consiliarius sit tibi unus de mille.]^{§§} ⁷ Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei.* ⁸ Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis. ⁹ Et est amicus qui convertitur ad inimicitiam, et est amicus qui odium et rixam et convitia denudabit. ¹⁰ Est autem amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis. ¹¹ Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi cœqualis, et in domesticis tuis fiducialiter aget. ¹² Si humiliaverit se contra te, et a facie tua absconderit se, unanimem habebis amicitiam bonam. ¹³ Ab inimicis tuis separare, et ab amicis tuis attende.† ¹⁴ Amicus fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum.‡ ¹⁵ Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. ¹⁶ Amicus fidelis medicamentum vitæ et immortalitatis: et qui metuunt Dominum, invenient illum.¶ ¹⁷ Qui timet Deum æque habebit amicitiam bonam, quoniam secundum illum erit amicus illius.][§] ¹⁸ [Fili, a

^{‡‡}6.1 *Nolite fieri*, etc. RAB. Vim veræ charitatis ostendit, etc., usque ad allidetur virtus ipsius.

^{¶¶}6.4 *Nequam*. Bonæ voluntatis succedit boni operis fructus, et malitosæ menti nihil prosperitatis. Si enim desit charitas, frustra operam virtuti impendis; unde: *Qui in uno offendit, omnium reus est* Jac. 2.. Et, *ei qui non habet, et hoc quod habet, auferetur ab eo* Luc. 19..

^{§§}6.6 *Multi pacifici*, etc. Cum omnibus pax est habenda, quantam permittit nostra fragilitas, sed non cum multis consilium, quia scriptum est: *Misericordes vocantur, virum autem fidem quis inveniet?* Prov. 20.

*6.7 *Si possides amicum*, etc. RAB. Per diversas species falsos amicos exprimens, tandem ad verum pervenit amicum: quia multi amicos se esse profitentur in prosperis, et inimici apparent in adversis. Unde: *Si humiliaverit se contra te*, etc.

†6.13 *Attende*. RAB. Id est, discretionem habe, etc., *usque ad: Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula faciunt* Rom. 16..

‡6.14 *Amicus fortis*. Amicus amoris consors, cui sic animum tuum applica ut ex duobus unum fiat, cui te tanquam tibi committas, a quo nihil timeas: et nihil inhonestum petas. Non est enim amicitia vectigalis, sed plena decoris; unde: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis* Joan. 15., etc. Dedit nobis Dominus formam amicitiae quam sequamur, ut faciamus amici voluntatem, aperiamus ei secreta, et ipse nobis; unde: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* Ibid..

¶6.16 *Amicus fidelis*. Secundum Deum scilicet. Hic ad medicamentum vitæ æternæ et immortalitatis necessaria, cum amico tractat: unde Cicero dicit amicitiam non nisi inter bonos esse posse, et libera debet esse amicitia, et ad omnem felicitatem proclivis.

§6.17 *Qui timet Dominum*. RAB. Plena et perfecta amicitiae gratia, etc., usque ad ut de hoc mundo credas te quotidie migraturum.

juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. ¹⁹ Quasi is qui arat et seminat accede ad eam, et sustine bonos fructus illius. ²⁰ In opere enim ipsius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius. ²¹ Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus ! et non permanebit in illa excors. ²² Quasi lapidis virtus probatio erit in illis: et non demorabuntur projicere illam. ²³ Sapientia enim doctrinæ secundum nomen est ejus, et non est multis manifestata: quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei. ²⁴ Audi, fili, et accipe consilium intellectus, et ne abjicias consilium meum. ²⁵ Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. ²⁶ Subjice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris vinculis ejus. ²⁷ In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tua conserva vias ejus. ^{**} ²⁸ Investiga illam, et manifestabitur tibi: et continens factus, ne derelinquas eam: ²⁹ in novissimis enim invenies requiem in ea, et convertetur tibi in oblectationem. ³⁰ Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ: ³¹ decor enim vitæ est in illa, et vincula illius alligatura salutaris. ³² Stolam gloriæ indues eam, et coronam gratulationis superpones tibi. ³³ Fili, si attenderis mihi, disces: et si accommodaveris animum tuum, sapiens eris. ^{††} ³⁴ Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam: et si dilexeris audire, sapiens eris. ³⁵ In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbialia laudis non effugiant a te. ^{‡‡} ³⁶ Et si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exerat pes tuus. ³⁷ Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, et in mandatis illius maxime assiduus esto: et ipse dabit tibi cor, et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.] ^{¶¶}

7 [Noli facere mala, et non te apprehendent: ^{§§} ² discede ab iniquo, et deficient mala abs te. ³ Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum. ⁴ Noli quærere a Domino ducatum, neque a rege cathedram honoris. ^{*} ⁵ Non te justifies ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est: et penes regem noli velle

^{**}6.27 *In omni animo tuo.* RAB. Corde, non corpore accedendum est ad sapientiam, etc., usque ad perceptio veritatis; unde: *Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum* Joan. 17., etc.

^{††}6.33 *Fili, si attenderis.* Monet sapientia, ut in divina lege assidue meditemur. Primum hortatur ut discamus; post, ut animam ad hoc applicemus, tandem, ut inclinemus; demum, ut diligentiam ad audiendum adhibeamus. Sic enim sapientia sapientem esse promittit. Necesse est enim, ut qui veræ sapientiæ, quæ Christus est, agnitionem desiderat, primum catholicis magistris se humiliter subdat, et omnes affectus animæ suæ disciplinæ eorum. Dehinc intentionem cordis ab omni pravo desiderio avertens ad audiendum verbum Dei adhibeat diligenter, caveatque ut meditationem legis non pro terrenarum rerum mercede, vel laudis humanæ, sed pro ipsius boni amore impendat, ut veræ sapientiæ fructum percipiat.

^{‡‡}6.35 *In multitudine.* Quasi: Ne sis sapiens tibi ipsi. Ne confidas proprio ingenio, hæreticos superbiæ fastus maxime supplantavit.

^{¶¶}6.37 *Cogitatum habe in præceptis.* RAB. Merito illi datur, etc., usque ad et assidue legem meditatet et opere exsequitur.

^{§§}7.1 *Non metes ea in septuplum.* RAB. Perfectam ultionem, etc., *usque ad Assumit septem alios spiritus nequiores se* Luc. 11..

^{*}7.4 *Neque a rege cathedram honoris.* Non potest exercere opus justii regiminis, qui sententiam neglexit veræ pietatis; unde: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor* Luc. 22..

videri sapiens.[†] ⁶ Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua.[‡] ⁷ Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum:[¶] ⁸ neque alliges duplicia peccata, nec enim in uno eris immunis. ⁹ Noli esse pusillanimis in animo tuo: ¹⁰ exorare et facere eleemosynam ne despicias. ¹¹ Ne dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus, et offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet. ¹² Non irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim qui humiliat et exaltat circumspector Deus. ¹³ Noli amare mendacium adversus fratrem tuum, neque in amicum similiter facias.[§] ¹⁴ Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona. ¹⁵ Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, et non iteres verbum in oratione tua.^{**} ¹⁶ Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo. ¹⁷ Non te reputes in multitudine indisciplinatorum. ¹⁸ Memento iræ, quoniam non tardabit. ¹⁹ Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis et vermis.]^{††} ²⁰ [Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrem carissimum auro spreveris.^{‡‡} ²¹ Noli discedere a muliere sensata et bona, quam sortitus es in timore Domini: gratia enim verecundiæ illius super aurum.^{¶¶} ²² Non lædas servum

[†]7.5 **Quoniam agnitor.** Nulla præsumptio perniciosior, quam de propria justitia, aut scientia superbire; unde: **Non est homo super terram, qui faciat bonum, et non peccet** Ecl. 7.. Et alibi: **Vidisti hominem sapientem sibi videri, et magis illo spem habet stultus** Prov. 26..

[‡]7.6 **Noli quærere fieri iudex, nisi valeas.** Debet quisque proprias virtutes perpendere, et pro quantitate virium curam aliorum suscipere: ne dum delectatur loco gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ; et qui gravatur pondere suarum, velit fieri iudex alienarum culparum.

[¶]7.7 **Non pecces in multitudinem.** Qui ratione pollet, et liberi arbitrii potestate prævalet, subditorum insolentia non peccet, sed constanter resistat alienæ nequitiae: nec se putet impune peccare, si plurimorum acquiescit voluntati; unde: **Non solum autem qui ea faciunt, sed qui consentiunt facienti** Rom. 1., etc.

[§]7.13 **Noli amare mendacium.** Omne mendacium malum; et proximis inferre scandalum perniciosum est. Multo magis ergo amico fraudem moliri, crimen imponere: quoniam testis mendax peribit; unde in Proverbiis: **Sicut noxius, qui mittit sagittas in mortem, sic qui fraudulentè nocet amico** Prov. 20..

^{**}7.15 **Noli verbosus esse.** Quasi. Noli sensum tuum docere, audi sapientiam seniorum. Tutius est enim audire, quam loqui; unde: **Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram** Jac. 1.. **Non oderis laboriosa opera.** Peccanti homini scientia data est, ut labore manuum quæreret sibi victum; unde: **In sudore vultus tui vesceris pane** Gen. 3., etc.

^{††}7.19 **Quoniam vindicta carnis,** etc. Quia caro peccatorum, quæ luxuria defluit, igne inferni et vermibus cruciabitur, ubi vermis non moritur, et ignis non exstinguitur: in **verme** putredo gehennæ, in **igne** ardor signatur. Vel **vermis,** est sera scelerum pœnitentia, quæ in tormentis conscientiam peccatorum mordere non cessat, ut ignis sit pœna extrinsecus sæviens, vermis autem dolor interius accusans.

^{‡‡}7.20 **Noli prævaricari in amicum pecuniam.** RAB. Multi perierunt pro avaritia, etc., **usque ad: qui odit munera, vivet** Prov. 1..

^{¶¶}7.21 **Gratia enim verecundiæ.** Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Potest per hanc mulierem sapientia intelligi, quæ alibi pretiosa margarita dicitur, quam spiritualis negotiator inveniens vendit omnia, et emit eam. Unde: **Vive vitam cum muliere quam dilexisti;** quasi, sapientiam sequere, et scientiam Scripturarum, et quasi conjugem tibi copula.

in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam.^{§§ 23} Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.*²⁴ Pecora tibi sunt, attende illis: et si sunt utilia, perseverent apud te.²⁵ Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum.²⁶ Filiae tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.^{† 27} Trade filiam, et grande opus feceris: et homini sensato da illam.²⁸ Mulier si est tibi secundum animam tuam, non projicias illam: et odibili non credas te. In toto corde tuo^{‡ 29} honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris:³⁰ memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: et retribue illis, quomodo et illi tibi.]³¹ [In tota anima tua time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica.³² In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, et ministros ejus ne derelinquas.^{¶ 33} Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica sacerdotes, et propurga te cum brachiis.³⁴ Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum et purgationis, et de negligentia tua purga te cum paucis.³⁵ Datum brachiorum tuorum, et sacrificium sanctificationis offeres Domino, et initia sanctorum.^{§ 36} Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua.³⁷ Gratia dati in conspectu omnis viventis, et mortuo non prohibeas gratiam.**³⁸ Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula.³⁹ Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.⁴⁰ In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.]

8 [Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius.^{†† 2} Non contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi:^{‡‡ 3} multos enim

§§7.22 *Non lædas servum.* Qualiter servi nutriendi sunt, aperte monstratur, affectu, scilicet, filiorum pro jure naturæ; et disciplinandi pro mentis instabilitate; unde in sequentibus, *Cibaria et virga et onus asino; panis et disciplina et opus servo.*

*7.23 *Neque inopem derelinquas illum.* Oppressum violentia servitutis. *Sive enim servi, sive liberi, omnes in Christo unum sumus* I Cor. 12..

†7.26 *Filiae,* etc. Sicut bonos servos affectu filiorum habendos, sic ancillas, quasi filias habendas esse docet, sed cum disciplina: unde, *Lacta filium, et paventem te faciet: lude cum eo, et contristabit te. Non arrideas illi, ne doleas, et in novissimo obstupescant dentes tui* Eccli. 30..

‡7.28 *Mulier.* Conjugalem commendat pudicitiam, removens omnem detestabilem copulam. Mystice autem admonet ut catholicam fidem in vera religione, quam primum post baptismi perceptionem sortiti sumus, firmiter tenentes, hæreticorum perfidiam abjiciamus.

¶7.32 *Dilige,* etc. RAB. Timorem Dei et amorem, etc., usque ad quia charitas operit multitudinem peccatorum.

§7.35 *Datum brachiorum.* Superius pro his quæ offeruntur ministris Dei promisit peccatorum purgationem: nunc autem pro eleemosynis veniam et benedictionis gratiam, quia sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccata.

**7.37 *Et mortuo.* Ad eleemosynam pertinet sepultura mortuorum, multo magis ergo consolatio vivorum: unde Paulus docet gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Probatio dilectionis exhibitio est operis: unde, *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* I Joan. 3.

††8.1 *Non litiges cum homine potente.* RAB. Superbo. Unde, *Non respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis* Prov. 26.: quia inter superbos semper jurgia sunt, servum autem Domini non oportet litigare.

‡‡8.2 *Locuplete.* Qui avaritiæ æstibus anhelat. Inde enim oriuntur invidiæ, contentiones, et hujusmodi, *Radix enim omnium malorum est cupiditas* I Tim. 6..

perdidit aurum et argentum, et usque ad cor regum extendit et convertit. ⁴ Non litiges cum homine linguato, et non strues in ignem illius ligna. ⁵ Non communices homini indocto, ne male de progenie tua loquatur. ⁶ Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei: memento quoniam omnes in correptione sumus. ⁷ Ne spernas hominem in sua senectute, etenim ex nobis senescunt. ⁸ Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens quoniam omnes morimur, et in gaudium nolumus venire. ⁹ Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbii eorum conversare: ¹⁰ ab ipsis enim disces sapientiam et doctrinam intellectus, et servire magnatis sine querela. ¹¹ Non te prætereant narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis: ¹² quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum. ¹³ Non incendas carbones peccatorum arguens eos, et ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum.[¶] ¹⁴ Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo. ¹⁵ Noli fœnerari homini fortiori te: quod si fœneraveris, quasi perditum habe.^{§§} ¹⁶ Non spondeas super virtutem tuam: quod si sponderis, quasi restituens cogita. ¹⁷ Non iudices contra iudicem, quoniam secundum quod justum est iudicat.* ¹⁸ Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala sua in te: ipse enim secundum voluntatem suam vadit, et simul cum stultitia illius peries. ¹⁹ Cum iracundo non facias rixam, et cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, et ubi non est adiutorium, elidet te. ²⁰ Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ eis placent. ²¹ Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet. ²² Non omni homini cor tuum manifestes, ne forte inferat tibi gratiam falsam, et convicietur tibi.]

9 [Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam.† ² Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris. ³ Ne respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius.‡ ⁴ Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.¶ ⁵ Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.§ ⁶ Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te et hæreditatem tuam. ⁷ Noli circumspicere in vicis

[¶]8.13 *Non incendas carbones.* ID. Unde Apostolus: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis* Gal. 6..

^{§§}8.15 *Noli fœnerari.* RAB. Unde: Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui habeto solus.

*8.17 *Non iudices contra iudicem.* Quasi esto subjectus præpositis et iudicibus, qui secundum Deum iudicant.

†9.1 *Non zeles mulierem,* etc. RAB. Docet pudicitiam, etc., usque ad non consentit hæreticæ pravitati.

‡9.3 *Mulierem multivolam.* Hæreticorum Synagogam, quæ per diversos errores volitat.

¶9.4 *Cum saltatrice ne assiduus sis.* Hæreticorum turba, quæ per diversos errores dissilit, ut quem eloquentiæ suæ amatorem conspexerit ad se trahat quasi meretrix; unde: *Irrevitit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum traxit eum* Prov. 7., etc.

§9.5 *Virginem ne conspicias.* Averte oculos tuos, ne videant vanitatem: ne libeat videre quæ non licet concupiscere. Mystice autem non debemus decorem eloquentiæ hæreticæ amare, nec simulatas virtutes attendere.

civitatis, nec oberraveris in plateis illius.**⁸ Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam.⁹ Propter speciem mulieris multi perierunt: et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.¹⁰ Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.¹¹ Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit.¹² Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum:¹³ et non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, et sanguine tuo labaris in perditionem.]¹⁴ [Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit similis illi.††¹⁵ Vinum novum amicus novus: veterascet, et cum suavitate bibes illud.‡‡¹⁶ Non zeles gloriam et opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit illius subversio.¹⁷ Non placeat tibi injuria injustorum, sciens quoniam usque ad inferos non placebit impiis.¹⁸ Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi, et non suspicaberis timorem mortis.¹⁹ Et si accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne forte auferat vitam tuam.²⁰ Communionem mortis scito, quoniam in medio laqueorum ingredieris, et super dolentium arma ambulabis.²¹ Secundum virtutem tuam cave te a proximo tuo, et cum sapientibus et prudentibus tracta.²² Viri justi sint tibi convivæ, et in timore Dei sit tibi gloriatio:²³ et in sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio tua in præceptis Altissimi.²⁴ In manu artificum opera laudabuntur, et princeps populi in sapientia sermonis sui, in sensu vero seniorum verbum.²⁵ Terribilis est in civitate sua homo linguosus: et temerarius in verbo suo odibilis erit.]¶¶

10 [Judex sapiens judicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. §§² Secundum judicem populi, sic et ministri ejus: et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.³ Rex insipiens perdet populum suum: et civitates inhabitabuntur per sensum potentium.⁴ In manu Dei potestas terræ: et utilem rectorem suscitabit in tempus super illam.⁵ In manu Dei prosperitas hominis, et super faciem scribæ imponet honorem suum.]*⁶ [Omnis injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ.⁷ Odibilis coram Deo est et hominibus superbia, et execrabilis omnis iniquitas gentium.⁸ Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos.†⁹ Avaro autem nihil est

**9.7 *In vicis civitatis*, etc. Idem sub alia figura. Vici enim civitatis, hæreticorum conventicula sunt: quæ se a civitate separant, de qua dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* Psal. 86..

††9.14 *Ne derelinquas amicum*. Major est fiducia ex parte rei cognitæ, quam ignotæ. Doctrinam quoque sanctorum Patrum non debemus declinare et novos doctores audire.

‡‡9.15 *Vinum novum*, etc. Novus doctor studere debet, ut sanam doctrinam et operationem firmiter percipiat: et postea sibi et aliis proficiat.

¶¶9.25 *Linguosus*. Hæreticus, qui semper contentiosus, et ideo odibilis Deo et hominibus.

§§10.1 *Judex sapiens*, etc. RAB. Factus est principatus super humerum ejus. Unde: *Væ terræ cujus rex puer est* Isa. 9., diabolus, scilicet qui semper diligit novitates, et principes cujus primo mane comedunt, id est, ante diem mortis, dicentes: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur* Isa. 22..

*10.5 *Super faciem scribæ*. ID. Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis, quia vice sua mittit ad prædicandum.

†10.8 *Regnum a gente*. RAB. Hoc fere omnes etc., *usque ad: auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus* Matth. 21..

scelestius. Quid superbit terra et cinis?[‡] 10 Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua. 11 Omnis potentatus brevis vita; languor prolixior gravat medicum. 12 Brevem languorem præcidit medicus: sic et rex hodie est, et cras morietur.[¶] 13 Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. 14 Initium superbiæ hominis apostatare a Deo:[§] 15 quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia. Qui tenuerit illam adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem. 16 Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usque in finem. 17 Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. 18 Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. 19 Terras gentium evertit Dominus, et perdidit eas usque ad fundamentum.^{**} 20 Arefecit ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum a terra. 21 Memoria superborum perdidit Deus, et reliquit memoriam humilium sensu. 22 Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum.]^{††} 23 [Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.^{‡‡} 24 In medio fratrum rector illorum in honore: et qui timent Dominum erunt in oculis illius. 25 Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est.^{¶¶} 26 Noli despiciere hominem justum pauperem, et noli magnificare virum peccatorem divitem. 27 Magnus, et iudex, et potens est in honore:

[‡]10.9 **Avaro.** Post mutationem regni agit de avaritia, pro qua vis regiminis maxime negligitur: **Radix enim omnium malorum cupiditas** I Tim. 6.. Avaritiam autem superbia comitatur, unde, **Præcipe divitibus non altum sapere** Ibid..

[¶]10.12 **Et rex hodie est.** Potestas et divitiæ non possunt prolongare vitam. Positus est terminus qui præteriri non potest. Jucunditas carnis convertetur in putredinem et fœtores, et tandem in vermes. Mystice autem homo, qui in peccatis vivit et non respiscit, morietur æterna morte: et diabolum serpentem antiquum et bestias ejus, id est, dæmones non evadet.

[§]10.14 **Initium superbiæ.** Non est enim major apostasia quam creaturam a Creatore recedere, quæ merito ascribitur superbiæ. Superbia enim est si creatura velit æquari Creatori. Hæc et diabolo et homini fuit initium perditionis: unde, **Quoniam initium omnis peccati est superbia.** Quamvis alibi dicatur: **Radix omnium malorum cupiditas** I Tim. 6.. Non est cupiditas sine superbia, nemo enim superbus nisi cupidus et econverso. De superbia nascuntur hæreses, schismata, detractiones, invidia, verboritas, jactantia, contentiones et hujusmodi, quæ ex cupiditate procedunt. Gulosos vero, intemperantes, ebriosos, fornicarios et hujusmodi cupiditas facit, quæ sine superbia esse non possunt. Caveamus ergo cupiditatem et superbiam, non duo mala, sed unum a quo omnia trahunt initium.

^{**}10.19 **Terras.** RAB. Quando Jerusalem per Romanos, etc., usque ad deleta est posteritas eorum, et gloria martyrum exaltata est; unde: **Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet** Psal. 144..

^{††}10.22 **Non est creata.** ID. Vitia non sunt creata, etc., usque ad surgit iracundia, quam virtutis superat constantia.

^{‡‡}10.23 **Semen hominum honorabitur.** Doctores sancti in honore sunt apud bonos, maxime qui timent Dominum: unde, **Qui bene præsumt presbyteri, duplici honore digni habeantur** I Tim. 5., etc.

^{¶¶}10.25 **Gloria divitum,** etc. Vere gloria est timere Deum. Qui eum timet, justitiam servat in omnibus: unde, **Nolite in personarum acceptione Jesu fidem habere** Jacob. 2..

et non est major illo qui timet Deum.^{§§ 28} Servo sensato liberi servient: et vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus, et inscius non honorabitur.*²⁹ Noli extollere te in faciendo opere tuo, et noli cunctari in tempore angustiae.³⁰ Melior est qui operatur et abundat in omnibus, quam qui gloriatur et eget pane.^{† 31} Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum.³² Peccantem in animam suam quis justificabit? et quis honorificabit exhonorentem animam suam?³³ Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum: et est homo qui honorificatur propter substantiam suam.³⁴ Qui autem gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia ! et qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur.]

11 [Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere illum faciet.^{‡ 2} Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo.³ Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius.⁴ In vestitu ne glorieris umquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera Altissimi solius, et gloriosa, et absconsa, et invisata opera illius.⁵ Multi tyranni sederunt in throno: et insuspicabilis portavit diadema.^{¶ 6} Multi potentes oppressi sunt valide, et gloriosi traditi sunt in manus alterorum.⁷ Priusquam interrogas, ne vituperes quemquam: et cum interrogaveris, corripe juste.]⁸ [Priusquam audias, ne respondeas verbum: et in medio sermonum ne adjicias loqui.^{§ 9} De ea re quæ te non molestat, ne certeris: et in iudicio peccantium ne consistas.¹⁰ Fili, ne in multis sint actus tui: et si dives fueris, non eris immunis a delicto. Si enim secutus

§§10.27 **Magnus est iudex.** Licet potestas terrena magna sit, timentem Dominum præcellere non valet: timentibus enim Deum, nihil deest, *Divites autem egerunt et esurierunt* Psal. 33., etc.

*10.28 **Servo sensato.** Hoc ad litteram sæpe evenit, ut ignobilis genere nobilitatis scientia et fide, nobilibus præferatur: unde, *Servus sapiens dominabitur filiis stultis* Prov. 17.. Mystice autem servus ecclesiasticus, qui devote servat religionem Christianam, præponitur Synagogæ; unde, *Major serviet minori.* Et, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* Gen. 25..

†10.30 **Melior est.** Quasi dicat: Melius est, ut studeas semper in bono opere laborare, unde reddatur tibi merces justitiæ, quam ut consumas dies tuos in vanitate, et egeas illo pane, qui de cælo descendit. Qui in timore Dei, et observantia religionis, statuet gloriam suam: unde, *Qui gloriatur, in Domino gloriatur* II Cor. 10..

‡11.1 **Sapientia humiliati exaltabit caput.** Sequitur: *Non laudes virum*, etc. Quasi: Ne juxta speciem corporis æstimes qualitatem mentis: unde, *Non respicias vultum ejus nec altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis iudico* I Reg. 16.. Homo enim videt ea quæ patent. Dominus autem intuetur cor. In honoribus mundanis non est superbiendum, quia transit mundus et concupiscentia ejus.

¶11.5 **Multi tyranni.** RAB. Divina dispensatione fit, etc., usque ad benedictionem patriarcharum hæreditavit.

§11.8 **Priusquam audias.** Qui prius respondet quam audiat, id est, qui doctor esse desiderat antequam discat; vel, aliorum causas judicare, priusquam dignoscat: stultum se esse demonstrat.

fueris, non apprehendes: et non effugies, si præcucurreris.^{**} ¹¹ Est homo laborans et festinans, et dolens: impius, et tanto magis non abundabit.^{††} ¹² Est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate: ¹³ et oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus: et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum.] ¹⁴ [Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas, a Deo sunt: ¹⁵ sapientia, et disciplina, et scientia legis, apud Deum: dilectio, et viæ bonorum, apud ipsum. ¹⁶ Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exsultant in malis senescunt in malo. ¹⁷ Datio Dei permanet justis, et profectus illius successus habebit in æternum. ¹⁸ Est qui locupletatur parce agendo, et hæc est pars mercedis illius.^{‡‡} ¹⁹ In eo quod dicit: Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus: ²⁰ et nescit quod tempus præteriet, et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis, et morietur. ²¹ Sta in testamento tuo, et in illo colloquere, et in opere mandatorum tuorum veterasce. ²² Ne manseris in operibus peccatorum: confide autem in Deo, et mane in loco tuo. ²³ Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem. ²⁴ Benedictio Dei in mercedem justis festinat, et in hora veloci processus illius fructificat. ²⁵ Ne dicas: Quid est mihi opus? et quæ erunt mihi ex hoc bona? ²⁶ Ne dicas: Sufficiens mihi sum: et quid ex hoc pessimabor? ²⁷ In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum: ²⁸ quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. ²⁹ Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, et in fine hominis denudatio operum illius. ³⁰ Ante mortem ne laudes hominem quemquam: quoniam in filiis suis agnoscitur vir.]^{¶¶} ³¹ [Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi. ³² Sicut enim eructant præcordia foetentium, et sicut perdix inducitur in caveam, et ut caprea in laqueum: sic et cor superbiorum, et sicut prospector videns casum proximi sui.^{§§} ³³ Bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. ³⁴ A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis: homo vero peccator sanguini insidiatur. ³⁵ Attende tibi a pestifero,

^{**}11.10 *Fili, ne in multis*, etc. Quasi diceret: De superfluis ne sis curiosus, et peccantium pravitati non consentias. Non solum enim qui faciunt mala, sed qui consentiunt facientibus digni sunt morte. *Fili, ne in multis*, etc. Multi sunt actus hæreticorum, qui unitatem fidei, et tramitem veritatis non custodiunt, et laborem unum in libris componendis expendunt. Rhetorica et dialectica arte copiosi: nec immunes sunt a dilecto, quia meditatio eorum est in dolo. Unde Ecclesiasticus: *Fili, ne facias multos libros, quibus non est finis*. Omnes autem libri divinæ Scripturæ quia consentiunt unus liber sunt: unde, *In capite libri scriptum est de me* Psal. 36., etc. *Fili, ne in multis*, terrenis lucris, vel quibuslibet negotiis, quia pluribus intentus minor est ad singula sensus. Suscepta cura regiminis impar invenitur quisque ad singula, dum dividitur ad multa: nec sua damna considerat, dum aliena pertractat.

^{††}11.11 *Est homo laborans*. Christiana opera designat, in quibus pauperes spiritu abundant omnibus bonis, et egent qui laborant in acquirendis divitiis: unde, *Divites egruerunt, et esurierunt*, etc.

^{‡‡}11.18 *Est qui locupletatur*, etc. RAB. Thesaurizat, et ignorat, etc., usque ad sed aliis relinquunt qui veritatem et falsitatem dignoscunt.

^{¶¶}11.30 *Ante mortem*, etc. ID. Stultum est laudare, etc., usque ad qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

^{§§}11.32 *Sicut enim eructant*, etc. RAB. Similitudinem sagaciorum animalium, etc., usque ad in caveam erroris et laqueum deceptionis præcipitent.

fabricat enim mala, ne inducat super te subsannationem in perpetuum. ³⁶ Admitte ad te alienigenam: et subvertet te in turbine, et abalienabit te a tuis propriis.]

12 [Si benefeceris, scito cui feceris, et erit gratia in bonis tuis multa. ² Benefac justo, et invenies retributionem magnam: et si non ab ipso, certe a Domino. ³ Non est enim ei bene qui assiduus est in malis, et eleemosynas non danti: quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et misertus est poenitentibus. ⁴ Da misericordii, et ne suscipias peccatorem: et impiis et peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in diem vindictæ. ⁵ Da bono, et non receptoris peccatorem. [†] ⁶ Benefac humili, et non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit: ⁷ nam duplicia mala invenies in omnibus bonis quæcumque feceris illi, quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam.] ⁸ [Non agnosceatur in bonis amicus, et non abscondetur in malis inimicus. [‡] ⁹ In bonis viri, inimici illius in tristitia: et in malitia illius, amicus agnitus est. ¹⁰ Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim ærumentum æruginat nequitia illius: [¶] ¹¹ et si humiliatus vadat curvus, adice animum tuum, et custodi te ab illo. ¹² Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne forte conversus in locum tuum, inquiret cathedram tuam, et in novissimo agnosces verba mea, et in sermonibus meis stimuleris. ¹³ Quis miserebitur incantatori a serpente percusso, et omnibus qui appropiant bestiis? et sic qui comitatur cum viro iniquo, et obvolutus est in peccatis ejus. ¹⁴ Una hora tecum permanebit: si autem declinaveris, non supportabit. ¹⁵ In labiis suis indulcat inimicus, et in corde suo insidiatur ut subvertat te in foveam. [§] ¹⁶ In oculis suis lacrimatur inimicus, et si invenerit tempus, non satiabitur sanguine. ¹⁷ Et si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem. ¹⁸ In oculis suis lacrimatur inimicus, et quasi ad-

*12.3 *Non est enim*, etc. Gravissimum peccatum est nolle poenitere, nec peccata eleemosynis redimere, sed peccata peccatis addere: unde, *Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eam* Amos, 1.. Dubiam et dolosam doctrinam, quam in expositione divinæ Scripturæ expendunt.

†12.5 *Da bono*, etc. Simile in Tobia legitur: *Panem tuum et vinum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus* Tob. 4.. Id est pro eo quod peccatores sunt, noli communicare; sicut qui nutriunt histriones, cum esuriant Christi pauperes. Qui autem dat indigenti peccatori, non quia peccator est sed quia homo est, non peccatorem sed justum nutrit: quia culpam non diligit, sed naturam. Si peccatorem et impium hæreticum intelligit dum in errore sunt, non est communicandum cum illis: unde, *Nolite sanctum dare canibus* Matth. 7..

‡12.8 *Non agnosceatur in bonis amicus*. Facilius amicus et inimicus in adversitate probantur, quia multi amici mensæ, qui non permanent in die necessitatis. Verus igitur erat amicus qui dicebat: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* II Cor. 11.

¶12.10 *Non credas inimico*. Historice de falsis amicis agit, a quibus cavere debemus. Mystice vero hæreticos notat, qui non vere sunt amici, quorum doctrina plena est rubigine erroris, et nequitiae: quorum sermo serpit ut cancer, quamvis fideles et catholicos se fingunt. Non ergo eis obsentiamus, nec potestatem tribuamus, quam significat *dextera*: ne a loco nostro, id est, statu rectæ fidei nos dejiciant. Nituntur enim cathedram nostram, id est doctrinam, malitiose subvertere. *Quis medebitur*. Hæretico qui officium doctoris gerit, et dicit se medicum animarum: *Si enim sal infatuatum fuerit, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras* Matth. 5..

§12.15 *In labiis suis*. His sententiis notat eos, qui in corde loquuntur et insidiantur ut interficiant innocentem: qui cum aliquem deceperint, movent caput, plaudunt manu, et lætantur cum male fecerint.

juvans suffodiet plantas tuas. ¹⁹ Caput suum movebit, et plaudet manu, et multa susurrans commutabit vultum suum.]

13 [Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: et qui communicaverit superbo induet superbiam.** ² Pondus super se tollat qui honestiori se communicat, et ditiori te ne socius fueris.†† ³ Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur. ⁴ Dives injuste egit, et fremet: pauper autem læsus tacebit. ⁵ Si largitus fueris, assumet te: et si non habueris, derelinquet te. ⁶ Si habes, convivet tecum, et evacuabit te: et ipse non dolebit super te. ⁷ Si necessarius illi fueris, supplantabit te, et subridens spem dabit, narrans tibi bona, et dicit: Quid opus est tibi? ⁸ Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis et ter: et in novissimo deridebit te, et postea videns derelinquet te, et caput suum movebit ad te. ⁹ Humiliare Deo, et exspecta manus ejus. ¹⁰ Attende ne seductus in stultitiam humilieris. ¹¹ Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.‡‡ ¹² Advocatus a potentiore, discede: ex hoc enim magis te advocabit.¶¶ ¹³ Ne improbus sis, ne impingaris: et ne longe sis ab eo, ne eas in oblivionem. ¹⁴ Ne retineas ex æquo loqui cum illo, nec credas multis verbis illius: ex multa enim loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis. ¹⁵ Immitis animus illius conservabit verba tua: et non parcat de malitia, et de vinculis. ¹⁶ Cave tibi, et attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subversione tua ambulas:§§ ¹⁷ audiens vero illa, quasi in somnis vide, et vigilabis. ¹⁸ Omni vita tua dilige Deum, et invoca illum in salute tua.* ¹⁹ Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi.† ²⁰ Omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sui sociabitur. ²¹ Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo. ²² Quæ communicatio sancto homini ad canem?

**13.1 *Qui tetigerit picem inquinabitur.* RAB. Per similitudinem ostendit, etc., usque ad ne mala quæ frequenter aspiciunt, imitari velint.

††13.2 *Pondus super se tollet.* ID. Hæc moraliter nos instruunt, ut humilia sequamur, superba fugiamus: *Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* Jacob. 4.. Mystice autem docet, etc., usque ad quia æterna confusione dignos ostendent, cum in æternum cruciabantur.

‡‡13.11 *Noli esse,* etc. Non virtutem humilitatis abhorret: sed auctoritatem firmam contra expugnatores veritatis docet tenere, quibus fortiter resistendum.

¶¶13.12 *Advocatus.* Modeste agendum est cum potentibus hujus sæculi, qui frequenter derident innocentium simplicitatem: quibus tamen debitum honorem conferre debemus, sed non contra Deum, vel contra mandata ejus. Unde, *Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timeate, regem honorificate* I Petr. 2..

§§13.16 *Cave tibi, et attende.* Quasi: nihil tutum apud amatores mundi, qui mutabilia sequuntur et cum illis mutantur. Unde: *Stultus ut luna mutatur* Eccle. 27.. Possunt in his hæretici et falsi Christiani intelligi, quibus non est credendum, quia inconstantes sunt in omnibus viis suis.

*13.18 *Omni vita.* RAB. Cæteris refutatis, etc., usque ad quia prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.

†13.19 *Omne animal.* Ad superiora respicit, ut divitum, scilicet, et potentum societatem declines, et ei conjungaris, qui studio et religione tibi consors est. Hæc est enim amicitia firma, quam similitudo virtutum sociat. *Si communicabit.* Rapacitas lupi cum agni innocentia non convenit, nec avari rabies cum modestia simplicis. Nulla enim communicatio munditiæ cum immunditia: *Sicut enim canis revertitur ad vomitum, ita qui iterat stultitiam suam* Prov. 6.. Nulla ergo parilitas superbi divitis cum humilitate pauperis Christi.

aut quæ pars diviti ad pauperem? ²³ Venatio leonis onager in eremo: sic et pascua divitum sunt pauperes. ²⁴ Et sicut abominatio est superbo humilitas, sic et execratio divitis pauper. ²⁵ Dives commotus confirmatur ab amicis suis: humilis autem cum ceciderit, expelletur et a notis. ²⁶ Diviti decepto multi recuperatores: locutus est superbia, et justificaverunt illum. ²⁷ Humilis deceptus est, insuper et arguitur: locutus est sensate, et non est datus ei locus. ²⁸ Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducunt. ²⁹ Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic? et si offenderit, subvertent illum.] ³⁰ [Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia: et nequissima paupertas in ore impii. ³¹ Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala. ³² Vestigium cordis boni et faciem bonam difficile invenies, et cum labore.][§]

14 [Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti. ^{**} ² Felix qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit a spe sua. ³ Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia: et homini livido ad quid aurum? ^{††} ⁴ Qui acervat ex animo suo injuste, aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur. ⁵ Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? et non jucundabitur in bonis suis. ^{‡‡} ⁶ Qui sibi invidet, nihil est illo nequius: et hæc redditio est malitiæ illius. ⁷ Et si bene fecerit, ignoranter et non volens facit: et in novissimo manifestat malitiam suam. ^{¶¶} ⁸ Nequam est oculus lividi: et avertens faciem suam, et despiciens animam suam. ⁹ Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam. ^{§§} ¹⁰ Oculus malus ad mala, et non saturabitur pane, sed

[‡]13.25 *Dives commotus.* Quod de divite et paupere increpat, exsequitur: quia multi sunt qui divitis facta et dicta extollunt: pauci qui doctrinam humilium et virtutem intelligunt. Arrogantes inveniunt prædicatores, humiles vero contemptores. Unde: *Divitiæ addunt amicos plurimos, a paupere vero, et hi, quos habuit, separantur* Prov. 19..

[¶]13.31 *Cor hominis immutat.* In iudicio vultus, mentis mutatio deprehenditur: unde, *Cor gaudens exhilarat faciem, in mærore animi dejicitur spiritus.*

[§]13.32 *Vestigium cordis boni.* Quia multi simulati et ficti: ideo difficile invenitur in quo cor et facies, id est cogitatio et operatio atque doctrina, in bono convenient: cum autem hoc invenies, da gloriam Deo, quia hoc ejus donum est.

^{**}14.1 *Beatus vir,* etc. RAB. Peccando. Hinc Jacobus ait: *Qui in verbo non offendit, perfectus est* Jacob. 3.. Illo, scilicet verbo cujus offensionem humana potest vitare fragilitas.

^{††}14.3 *Viro cupido et tenaci.* Avaritiæ pestem describit quæ excruciat avarum ne consequatur laboris sui fructum, *Qui thesaurizat et ignorat cui congregabit ea* Psal. 38..

^{‡‡}14.5 *Qui sibi nequam.* Hæc ad litteram mentem avari et invidi describunt, qui de bonis suis non lætantur. Allegorice vero significant philosophos et hæreticos qui sine fide Christi congregant divitias pravi dogmatis, quæ nihil proficiunt eis, imo poenam conferunt æternam.

^{¶¶}14.7 *Et si bene.* ID. Dixerat nihil esse nequius, etc., usque ad nunc vero idem repetit.

^{§§}14.9 *Insatiabilis oculus.* Quia sine fructu bonorum consumit vitam, et sterilem animam gehennæ ignibus tradit cruciendam.

indigens et in tristitia erit super mensam suam.* ¹¹ Fili, si habes, benefac tecum, et Deo dignas oblationes offer.† ¹² Memor esto quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi: testamentum enim hujus mundi morte morietur. ¹³ Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigens da pauperi. ¹⁴ Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat. ¹⁵ Nonne aliis relinques dolores et labores tuos in divisione sortis? ¹⁶ Da et accipe, et justifica animam tuam. ¹⁷ Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum. ¹⁸ Omnis caro sicut fœnum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi.‡ ¹⁹ Alia generantur, et alia dejiciuntur: sic generatio carnis et sanguinis, alia finitur, et alia nascitur. ²⁰ Omne opus corruptibile in fine deficiet, et qui illud operatur ibit cum illo. ²¹ Et omne opus electum justificabitur, et qui operatur illud honorabitur in illo.] ²² [Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei:¶ ²³ qui excogitat vias illius in corde suo, et in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi investigator, et in viis illius consistens: ²⁴ qui respicit per fenestras illius, et in januis illius audiens: ²⁵ qui requiescit juxta domum illius, et in parietibus illius figens palum, statuet casulam suam ad manus illius, et requiescent in casula illius bona per ævum.§ ²⁶ Statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur. ²⁷ Protegetur sub tegmine illius a fervore, et in gloria ejus requiescet.]

15 [Qui timet Deum faciet bona, et qui continens est justitiæ apprehendet illam: ² et obviabit illi quasi mater honorificata, et quasi mulier a virginitate suscipiet illum. ³ Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum: et firmabitur in illo, et non flectetur:** ⁴ et continebit illum, et non confundetur: et exaltabit illum apud proximos suos, ⁵ et in medio ecclesiæ aperiet os ejus, et adimplebit illum spiritu sapientiæ et intellectus, et stola gloriæ vestiet illum.†† ⁶ Jucunditatem et exultationem thesaurizabit super illum, et nomine æterno hæreditabit illum. ⁷ Homines stulti non apprehendent illam, et homines sensati ob-

*14.10 *Oculus malus ad mala.* Hæreticorum oculus semper malis est intentus, et panem coelestem, id est intellectum divinæ sapientiæ non meretur, et in Scripturæ mensa marcescit indigentia.

†14.11 *Fili, si habes.* Hortatur ut, contempta mundi luxuria, bonorum operum oblationes Deo offeramus: quia breve est spatium vitæ in quo operari possumus: post mortem enim, quæ festinat, non est tempus operandi, sed mercedem recipiendi: Unde, *Operamini dum dies est: venit enim nox, quando jam non licet operari.*

‡14.18 *Omnis caro.* Sicut fenum in terra vel folium in arbore nascitur, crescit, virescit, siccatur et dejicitur, ita caro nostra nascitur ex prole parentum, crescit infantia et pueritia, florescit in adolescentia, maturescit in juventute, arescit in senectute, dejicitur in morte.

¶14.22 *Beatus vir, etc. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus.* Psal. CXVIII.

§14.25 *Statuet casulam.* Id est doctoris officium agens, sanæ doctrinæ opera justitiæ conjunget, ut auditoris verbo et exemplo instruat.

**15.3 *Aqua sapientiæ.* RAB. gratia Spiritus sancti: unde, *Qui biberit aquam quam ego dabo vobis, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* Joan. 14., id est non cedit persecutioni, vel hæreticæ pravitati.

††15.5 *Et in medio Ecclesiæ.* Apostolos, prædicatores Evangelii significat, quos Dei sapientia, id est Christus, Ecclesiæ præposuit.

viabunt illi. Homines stulti non videbunt eam: longe enim abest a superbia et dolo.^{‡‡}
⁸ Viri mendaces non erunt illius memores: et viri veraces inveniuntur in illa, et successum habebunt usque ad inspectionem Dei.^{¶¶} ⁹ Non est speciosa laus in ore peccatoris,^{§§} ¹⁰ quoniam a Deo profecta est sapientia. Sapientiae enim Dei astabit laus, et in ore fideli abundabit, et Dominator dabit eam illi.] ¹¹ [Non dixeris: Per Deum abest: quae enim odit ne feceris. ¹² Non dicas: Ille me implanavit: non enim necessarij sunt ei homines impii.* ¹³ Omne execrumentum erroris odit Dominus, et non erit amabile timentibus eum. ¹⁴ Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilij sui:† ¹⁵ adjecit mandata et praecipua sua. ¹⁶ Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere.‡ ¹⁷ Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris porrigere manum tuam. ¹⁸ Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei dabitur illi: ¹⁹ quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.¶ ²⁰ Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis. ²¹ Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi:§ ²² non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium.]

16 [Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. ² Non credas vitae illorum, et ne respexeris in labores eorum. ³ Melior est enim unus timens Deum, quam mille filij impii: ⁴ et utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios. ⁵ Ab uno sensato inhabitabitur patria: tribus impiorum deseretur.** ⁶ Multa talia vidit oculis meus, et fortiora horum audivit auris mea.†† ⁷ In synagoga peccantium exardebit ignis, et in gente incredi-

^{‡‡}15.7 *Homines stulti*, etc. Pagani, et idololatrae et Judaei, qui crucifigunt Filium Dei, sequentes umbram legis, et respuentes veritatem Evangelij: vel haeretici, qui Scripturas pervertunt.

^{¶¶}15.8 *Et viri veraces*. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.

^{§§}15.9 *In ore peccatoris*. Haeticorum, qui doctrinam Patrum despiciunt, et simplices decipiunt. Donum largitatis non invidet Deus alicui, qui vult omnes homines salvos fieri.

*15.12 *Non dicas*. ID. Non sunt mala nostra Deo imputanda, cui non sunt necessaria: *Deus intentator malorum est* Jacob. 1..

†15.14 *Constituit hominem* ad imaginem et similitudinem suam, et liberum arbitrium dedit ei.

‡15.16 *Si volueris*. Id est si volueris implere opera et mandata Dei, habebis consolationem: si contempseris gehennae ardorem.

¶15.19 *Quoniam multa sapientia*. ID. Nullus potest praescientiam Dei, etc., usque ad nihil faciat homo, nisi quod dignum sit conspectui divino.

§15.21 *Nemini mandavit*. Non est auctor Deus peccandi, nec spatium concedit in quo homo impune peccare possit; semper bona praecipit, et mala interdicit. Solummodo placet ei quod bonum est, infidelitas autem et inutilitas displicet, *quoniam justus Deus, et justitias dilexit*. Psal. 10.

**16.5 *Ab uno sensato inhabitabitur patria*. RAB. Qui secundum sanam regulam Scripturae fide et opere permanet in semita justitiae. *A tribus impiis deseretur*. Scilicet qui cogitatione, locutione, opere seipsos sequestrant a societate bonorum.

††16.6 *Multa talia vidit oculus*. Quanto quis ardentius legem Dei discit, tanto magis illustratur lumine scientiae: unde, *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui me diligit. Qui autem diligit me, diligitur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* Joan. 14..

bili exardescet ira. ⁸ Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti. ⁹ Et non pepercit peregrinationi Lot, et execratus est eos præ superbia verbi illorum. ¹⁰ Non misertus est illis, gentem totam perdens, et extollentem se in peccatis suis. ¹¹ Et sicut sexcenta millia peditum, qui congregati sunt in duritia cordis sui: et si unus fuisset cervicatus, mirum si fuisset immunis. ¹² Misericordia enim et ira est cum illo: potens exoratio, et effundens iram. ¹³ Secundum misericordiam suam, sic correptio illius homines secundum opera sua iudicat. ¹⁴ Non effugiet in rapina peccator, et non retardabit sufferentia misericordiam facientis. ¹⁵ Omnis misericordia faciet locum unicuique, secundum meritum operum suorum, et secundum intellectum peregrinationis ipsius.] ¹⁶ [Non dicas: A Deo abscondar: et ex summo, quis mei memorabitur? ¹⁷ in populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? ¹⁸ Ecce cælum et cæli cælorum, abyssus, et universa terra, et quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur. ¹⁹ Montes simul, et colles, et fundamenta terræ, cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur. ²⁰ Et in omnibus his insensatum est cor, et omne cor intelligitur ab illo. ²¹ Et vias illius quis intelligit, et procellam quam nec oculus videbit hominis? ²² Nam plurima illius opera sunt in absconsis: sed opera justitiæ ejus quis enuntiabit, aut quis sustinebit? longe enim est testamentum a quibusdam, et interrogatio omnium in consummatione est. ²³ Qui minoratur corde cogitat inania, et vir imprudens et errans cogitat stulta.] ²⁴ [Audi me, fili, et discite disciplinam sensus, et in verbis meis attende in corde tuo: ²⁵ et dicam in æquitate disciplinam, et scrutabor enarrare sapientiam: et in verbis meis attende in corde tuo, et dico in æquitate spiritus virtutes quas posuit Deus in opera sua ab initio, et in veritate enuntio scientiam ejus. ²⁶ In iudicio Dei opera ejus ab initio, et ab institutione ipsorum distinxit partes illorum, et

⁸16.8 **Non exoraverunt pro peccatis.** RAB. Antiqui gigantes, desideriis terrenis irretiti, et sarcina peccatorum gravati; vel hæretici, qui confidunt in virtute sua, et in divitiis dialecticæ et rhetoricæ gloriantur.

¹²16.12 **Misericordia enim et ira cum illo.** RAB. Divina censura æqualitatem servat, etc., *usque ad: Qui sequitur justitiam et misericordiam, inveniet vitam et justitiam et gloriam* Prov. 21.

¹⁶16.16 **Non dicas: A Deo abscondar.** Reprehendit eos, qui Deum credunt non curare mortalia: unde Eliphaz, *Quid enim novit Deus? Et quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat* Job. 22.. Hinc Paulus ait, *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis* Hebr. 4..

¹⁸16.18 **Ecce cælum, et cæli cælorum.** Quasi: Si majora pro voluntate sua dispensat, et comprehendit: minora eum latere non possunt, ad cuius nutum omnia pavent et contremiscunt; et non est qui possit ejus resistere voluntati.

²²16.22 **Et opera justitiæ.** Nemo enuntiare potest altitudinem justitiæ ejus, nec sustinere justitiæ distractionem. **A quibusdam; et interrogatio hominum,** etc. Idololatrias, hæreticis, vel falsis catholicis: unde, **Non enim auditores legis justificantur, sed factores** Rom. 2..

²⁵16.25 **Et dicam in æquitate.** RAB. Qui intento corde desiderat, etc., usque ad sed statum sanctæ Ecclesiæ aperte manifestat.

initia eorum in gentibus suis.[¶] 27 Ornavit in æternum opera illorum: nec esurierunt, nec laboraverunt, et non destiterunt ab operibus suis. 28 Unusquisque proximum sibi non angustiat in æternum: 29 non sis incredibilis verbo illius.[§] 30 Post hæc Deus in terram respexit, et implevit illam bonis suis: 31 anima omnis vitalis denuntiavit ante faciem ipsius, et in ipsam iterum reversio illorum.]**

17 [Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum:†† 2 et iterum convertit illum in ipsam, et secundum se vestivit illum virtute.‡‡ 3 Numerum dierum et tempus dedit illi, et dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram.¶¶ 4 Posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est bestiarum et volatilium. 5 Creavit ex ipso adjutorium simile sibi: consilium, et linguam, et oculos, et aures, et cor dedit illis excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos.‡‡ 6 Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis. 7 Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum: 8 ut nomen sanctificationis collaudent, et gloriari in mirabilibus illius; ut magnalia enarrent operum ejus. 9 Addidit illis disciplinam, et legem vitæ hæreditavit illos.* 10 Testamentum æternum constituit cum illis, et iustitiam et iudicia sua ostendit illis. 11 Et magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, et honorem vocis audierunt aures illorum. Et dixit illis: Attendite ab omni iniquo. 12 Et mandavit illis unicuique de proximo suo. 13 Viæ illorum coram ipso sunt semper: non sunt absconsæ ab oculis

[¶]16.26 *Distinxit partes illorum.* Singularum gentium originem per diversas partes mundi discrevit, ut quæque gens parentis sui vocabulo denominata proprias sedes possideret. Mystice autem divina sapientia Ecclesiam instituens, per totius orbis partes dilatavit, et in singulis gentibus collocavit: ut in diversis locis diversa nomina vindicaret sibi, unde Joannes in Apocalypsi: *Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe* Apoc. 2., et Pergami et Thyatiræ et cæteris.

[§]16.29 *Non sis incredibilis verbo illius.* Dixit superius, quomodo ab initio Deus in scientia et iudicio ordinavit opera sua: nunc interposita sententia auditorem hortatur, ne incredibilis verbo illius a statu rectitudinis flectatur, et ad narrationem redit, ostendens quomodo clementia Dei genus humanum reparavit sic: *Post hæc Deus in terram respexit,* etc.

**16.31 *Denuntiavit,* cogitationis arcana: unde, *Intellexisti cogitationes meas de longe* Psal. 138.. Et, *Dominus novit cogitationes hominum* Psal. 93..

††17.1 *Deus creavit.* RAB. Ut sic vivat, sapiat, etc., usque ad ita homo charitatem habeat, ut sit bonus et justus; etc.

‡‡17.2 *Et secundum se vestivit,* etc. Unde: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et veritatis sanctitate* Ephes. 9..

¶¶17.3 *Et dedit illi potestatem.* Quia in hoc quoque factus est homo ad imaginem Dei, quo irrationabilibus ratione antecellit, et ea regit et dominatur in eis, et omnium creatorem agnoscit. Sed quia honorem suum non intellexit, *comparatus est jumentis insipientibus* Psal. 48..

‡‡17.5 *Creavit ex ipso.* Sicut de latere Adæ dormientis formata est Eva, sic de latere Christi in cruce morientis exivit sanguis et aqua, de quibus formatur Ecclesia.

*17.9 *Et legem vitæ.* Naturalem, quam dedit omni homini, ut subjiceretur suo creatori, et bonorum operum in se honorificentiam custodiret. Vel, legem litteræ, quam ad correctionem morum, et reparationem naturalis legis, scribi voluit; hoc enim naturalis lex et litteralis insinuat, ut Deum toto corde, tota anima, tota virtute diligamus: et mandata ejus in Dei et proximi dilectione custodiamus.

ipsius.[†] ¹⁴ In unamquamque gentem præposuit rectorem:[‡] ¹⁵ et pars Dei Israël facta est manifesta. ¹⁶ Et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei: et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum. ¹⁷ Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, et omnes iniquitates eorum in conspectu Dei. ¹⁸ Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservavit. ¹⁹ Et postea resurget, et retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipsorum, et convertet in interiores partes terræ. ²⁰ Pœnitentibus autem dedit viam justitiæ, et confirmavit deficientes sustinere, et destinavit illis sortem veritatis.] ²¹ [Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua:[¶] ²² precare ante faciem Domini, et minue offendicula. ²³ Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito execrationem: ²⁴ et cognosce justitias et judicia Dei, et sta in sorte propositionis, et orationis altissimi Dei. ²⁵ In partes vade sæculi sancti, cum vivis et dantibus confessionem Deo. ²⁶ Non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere: a mortuo, quasi nihil, perit confessio. ²⁷ Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis: et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius.[§] ²⁸ Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se ! ²⁹ Nec enim omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiæ placuerunt. ³⁰ Quid lucidius sole? et hic deficiet; aut quid nequius quam quod excogitavit caro et sanguis? et hoc arguetur.^{**} ³¹ Virtutem altitudinis cæli ipse conspicit: et omnes homines terra et cinis.]

18 [Qui vivet in æternum creavit omnia simul. Deus solus justificabitur, et manet invictus rex in æternum.^{††} ² Quis sufficit enarrare opera illius? ³ quis enim investigabit magnalia ejus? ⁴ virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? aut quis adjiciet enarrare misericordiam ejus? ⁵ Non est minuere neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei.^{‡‡} ⁶ Cum consummaverit homo, tunc incipiet: et cum quieverit, aporiabitur. ⁷ Quid est homo? et quæ est gratia illius? et quid bonum

[†]17.13 *Coram illo.* RAB. Unde: *Novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit* Psal. 1..

[‡]17.14 *Rectorem.* Angelos, quibus commisit Deus custodiam singularum gentium! Unde, *Statuit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei.* Deut. 32. Vel, doctores quos ad prædicandum misit.

[¶]17.21 *Convertere.* Ostensa conditione hominis, quomodo scilicet ad imaginem Dei creatus sit, et cæteris prælatus creaturis: hortatur ut post lapsum peccati revertatur ad factorem suum, relinquens errorem, quo semetipsum decepit; et deprecetur Deum pro offensionibus suis, et tota mente refugiat ad divinam misericordiam, spernens idololatriam, et diabolicæ servitutis fallaciam. Discat et mandatorum Dei regulam, ut in sorte sanctitatis, qua electus est, permaneat, et in laudibus Altissimi perseveret.

[§]17.27 *Confiteberis vivens.* RAB. In præsentī vita, postquam non est tempus operandi, sed præmium recipiendi: Unde, *Currite dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant* Joan. 12..

^{**}17.30 *Quid lucidius sole?* ID. Ostendit mundi machinam transitoriam esse: nec lux corporalis perpetuo eadem manet; quanto minus vana cogitatio humanæ fragilitatis.

^{††}18.1 *Qui vivit in æternum.* RAB. Rerum substantia simul creata est, etc., usque ad magnitudinem virtutis scire vel enarrare: unde, *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* Matth. 11..

^{‡‡}18.5 *Non est minuere.* ID. Nihil de Scripturis sanctis est minuendum, nihil addendum: unde, *Si quis apposuerit ad hæc, apponet super illum Deus plagas scriptas in libro isto* Apoc. 22., etc.

aut quid nequam illius? ⁸ Numerus dierum hominum, ut multum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt: et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. ^{¶¶} ⁹ Propter hoc patiens est Deus in illis, et effundit super eos misericordiam suam. ¹⁰ Vidit præsumptionem cordis eorum, quoniam mala est: et cognovit subversionem illorum, quoniam nequam est. ¹¹ Ideo adimplevit propitiationem suam in illis, et ostendit eis viam æquitatis. ¹² Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem. ^{§§} ¹³ Qui misericordiam habet, docet et erudit quasi pastor gregem suum. ¹⁴ Miseretur excipientis doctrinam miserationis, et qui festinat in iudiciis ejus.]* ¹⁵ [Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali. † ¹⁶ Nonne ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quam datum. ‡ ¹⁷ Nonne ecce verbum super datum bonum? sed utraque cum homine justificato. ¹⁸ Stultus acriter improperebit: et datus indiscipline tabescere facit oculos. ¶ ¹⁹ Ante iudicium para justitiam tibi, et antequam loquaris, disce. § ²⁰ Ante languorem adhibe medicinam: et ante iudicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem. ** ²¹ Ante languorem humilia te, et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam. ²² Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum. ²³ Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. †† ²⁴ Memento iræ in die consummationis, et tempus retributionis in conversatione faciei. ‡‡ ²⁵ Memento paupertatis in tempore abundantiae, et necessitatum paupertatis in die divitiarum. ¶¶

¶¶18.8 *Centum anni.* ID. Paucitatem dierum nostrorum comparat guttæ maris, et calculo arenæ: quia ad comparationem æternæ felicitatis nimia est brevitatis, et miseria maxima: unde, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseris* Job. 14..

§§18.12 *Miseratio hominis.* Pauci sunt, qui misereantur proximo: cum misericordia Dei redundat per universum mundum, qui solem suum facit oriri super bonos et malos.

*18.14 *Excipiens doctrinam.* Hortatur eos qui doctrinam Evangelii accipiunt, ut misericordiam proximis impendant: et festinent diem iudicii misericordiæ operibus prævenire; unde: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* Matth. 5..

†18.15 *Verbi mali.* Lingua eucharis gratiosum hominem facit; unde: *Qui moderatur sermones suos doctus et prudens est* Prov. 17..

‡18.16 *Nonne ardorem.* Segetes defendit ros ab ardore solis: et verbum bonum largientem a nequitia irascentis; unde: *Sermo durus suscitatur rixas, lenis mitigatur suscitatur* Prov. 15..

¶18.18 *Stultus acriter improperebit.* RAB. In ore stulti iurgia, etc., usque ad polluunt verbo mendaci.

§18.19 *Para justitiam.* Ut videas quid in te Deo placeat vel displiceat, et delicta corrigas.

**18.20 *Ante iudicium.* RAB. Hæc monent ut semper parati simus, nec stulta securitate nobis blandiamur: sed in Dei servitute laboremus usque ad finem vitæ.

††18.23 *Ante orationem.* Cum stabis ad orandum, dimitte si quid habeas adversus aliquem.

‡‡18.24 *Memento.* Unde: *Justus Dominus, et justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus* Psal. 10..

¶¶18.25 *Paupertatis.* Futuræ post hanc vitam, ut facias amicos qui recipiant te in æterna tabernacula.

²⁶ A mane usque ad vesperam immutabitur tempus, et hæc omnia citata in oculis Dei. ^{§§} ²⁷ Homo sapiens in omnibus metuet, et in diebus delictorum attendet ab inertiā. ^{*} ²⁸ Omnis astutus agnoscit sapientiam, et inveniēti eam dabit confessionem. [†] ²⁹ Sensati in verbis et ipsi sapienter egerunt, et intellexerunt veritatem et justitiam, et impleverunt proverbialia et iudicia. [‡] ³⁰ [Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. ³¹ Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciat te in gaudium inimicis tuis. ³² Ne oblecteris in turbis nec in modicis: assidua enim est commissio illorum. ³³ Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, et est tibi nihil in sacco: eris enim invidus vitæ tuæ.] [¶]

19 [Operarius ebriosus non locupletabitur: et qui spernit modica paulatim decidet. [§] ² Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. ^{**} ³ Et qui se jungit fornicariis erit nequam: putredo et vermes hæreditabunt illum: et extolletur in exemplum majus, et tolletur de numero anima ejus.] ^{††} ⁴ [Qui credit cito levis corde est, et minorabitur: et qui delinquit in animam suam, insuper habebitur. ⁵ Qui gaudet iniquitate, denotabitur: et qui odit correptionem, minuetur vita: et qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. ⁶ Qui peccat in animam suam, pœnitebit: et qui jucundatur in malitia, denotabitur. ⁷ Ne iteres verbum nequam et durum, et non minoraberis. ^{‡‡} ⁸ Amico et inimico noli narrare sensum tuum: et si est

^{§§}18.26 *Hæc omnia.* Ver, æstas, autumnus, hiems, dies et nox, nunquam omnia requiescunt; et tamen omnia æternitati comparata cito transeunt: et omnia coram oculis Domini certo fine clauduntur. Ipse autem semper idem est, et anni ejus non deficient.

^{*}18.27 *Homo sapiens.* Beatus est homo qui semper est pavidus ut a peccatis suis caveat, et præcepta Domini impleat: Quia *initium sapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum* Psal. CX..

[†]18.28 *Inveniēti.* Id est, cum invenerit, et agnitionem ejus perceperit, ipsa dabit confessionem rectæ prædicationis, et studium bonæ operationis.

[‡]18.29 *Sensati.* Quasi astuti agnoscunt sapientiam, et sensati in verbis opere demonstrant prudentiam.

[¶]18.33 *Ne fueris mediocris.* Provocat nos ad opera misericordiæ. Si enim pigri fuimus, non modo deerunt nobis solatia temporalia, imo animæ nostræ bona futura: quando temporalis eleemosyna remunerabitur mercede æterna.

[§]19.1 *Operarius ebriosus.* RAB. Ad superiora respicit ubi ait, *Non oblecteris in turbis*, quibus scilicet ebrietatis vitium leve esse putatur, cum sit detrimentum bonarum rerum, et multiplicatio scelerum. *Modica.* Verbum otiosum, risum, comestiones, potationes, et hujusmodi.

^{**}19.2 *Et mulieres.* RAB. Fornicatio, qua derelicta veritate fidei, junguntur dæmoniis.

^{††}19.3 *Jungit fornicariis.* Reprehensibiles ostendit; quia relicta vera sapientia stulti facti sunt, et fornicariis se jungunt. *Qui credit*, etc. Levitas animi describitur, quæ infirma et mutabilis est: unde, *Stultus ut luna mutatur. Qui credit.* De charitate dicit Apostolus, *Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* I Cor. 12.. Sed ibi perfectio bonæ voluntatis, quæ semper prompta est ad omne opus bonum. Hic autem Levitas animi describitur, quæ statum firmitatis non habet.

^{‡‡}19.7 *Ne iteres verbum durum et nequam.* RAB. Id est, post fletum, etc., usque ad factum ne replices pessimo.

tibi delictum, noli denudare:^{¶¶} 9 audiet enim te, et custodiet te, et quasi defendens peccatum, odiet te, et sic aderit tibi semper. ¹⁰ Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.^{§§} ¹¹ A facie verbi parturit fatuus, tamquam gemitus partus infantis. ¹² Sagitta infixata femori carnis, sic verbum in corde stulti. ¹³ Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat: Non feci: aut, si fecerit, ne iterum addat facere. ¹⁴ Corripe proximum, ne forte non dixerit: et si dixerit, ne forte iteret. ¹⁵ Corripe amicum, sæpe enim fit commissio:^{*} ¹⁶ et non omni verbo credas. Est qui labitur lingua, sed non ex animo:[†] ¹⁷ quis est enim qui non deliquerit in lingua sua?] [Corripe proximum antequam commineris, ¹⁸ et da locum timori Altissimi: quia omnis sapientia timor Dei, et in illa timere Deum, et in omni sapientia dispositio legis. ¹⁹ Et non est sapientia nequitiae disciplina, et non est cogitatus peccatorum prudentia. ²⁰ Est nequitia, et in ipsa execratio, et est insipiens qui minuitur sapientia.[‡] ²¹ Melior est homo qui minuitur sapientia, et deficiens sensu, in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi.[¶] ²² Est solertia certa, et ipsa iniqua:[§] ²³ et est qui emittit verbum certum enarrans veritatem. Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo: ²⁴ et est qui se nimium submittit a multa humilitate: et est qui inclinatur faciem suam, et fingit se non videre quod ignoratum est: ²⁵ et si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet. ²⁶ Ex visu cognoscitur vir, et ab occurso faciei cognoscitur sensatus.^{**} ²⁷ Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis, enuntiant de illo. ²⁸ Est correptio mendax in ira contumeliosi, et est iudicium quod non probatur esse bonum: et est tacens, et ipse est prudens.]

^{¶¶}19.8 **Amico et inimico.** Hortatur ut cautelam et discretionem habeamus: ne amico et inimico, id est catholico et hæretico nostra pandamus occulta: quia inimicus, licet blandiatur, decipere tentat.

^{§§}19.10 **Audisti,** etc. Non æqualiter stultum et sapientem commovet stultum verbum. Stultus enim perturbat sensum, ut gemitum doloris exprimat per actum nefandum: sed non conturbat ictum quidquid acciderit. Sed cavendum est illi, qui de firmitate cordis confidit, ne memoriam retineat verbi duri.

^{*}19.15 **Corripe amicum.** Corripere debemus amicos delinquentes cum omni patientia, quia aliquando per ignorantiam, aliquando per negligentiam, aliquando per inobedientiam et contemptum peccant, si forte cum discretionem correpti agant pœnitentiam, et in futuro habeant diligentiam et cautelam: unde, **Instruite hujusmodi in spiritu lenitatis** Gal. 6..

[†]19.16 **Est qui labitur lingua sua.** Magna differentia est inter eum, qui peccat per simplicitatem vel ignorantiam, et eum qui peccat per malitiam. Potest enim fieri, ut quis offendat in verbo, quod tamen non putat esse malum; sed magis peccat qui plenus est dolo et nequitia.

[‡]19.20 **Minuitur sapientia.** Mysteriorum intelligentia, non tamen a mandatorum Dei custodia. Unde sequitur:

[¶]19.21 **Melior est,** etc. Qui scilicet timore Dei implet quod novit: unde, **Qui enim scit voluntatem domini et non facit, vapulabit paucis** Luc. 12.: exiguus enim conceditur misericordia.

[§]19.22 **Est solertia certa,** etc. Incipit dare differentiam inter sanctos et hypocritas. RAB. Sic hæretici et hypocritæ ostendunt virtutum speciem, sed veritatem ejus non habent: et ut peccandi locum invenerint, ostendunt quod in corde habebant.

^{**}19.26 **Ex visu.** ID. Exterioribus indicibus cognoscitur affectus animi, unde: **Non est arbor bona, quæ fructus malos facit** Luc. 6., etc. **Et ex abundantia cordis os loquitur** Matth. 12..

20 [Quam bonum est arguere, quam irasci, et confitentem in oratione non prohibere !†† 2 Concupiscentia spadonis devirginabit juvenculam:‡‡ 3 sic qui facit per vim iudicium iniquum. 4 Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam ! sic enim effugies voluntarium peccatum. 5 Est tacens qui invenitur sapiens: et est odibilis qui procax est ad loquendum.¶¶ 6 Est tacens non habens sensum loquelæ: et est tacens sciens tempus aptum. 7 Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lascivus autem et imprudens non servabunt tempus.§§ 8 Qui multis utitur verbis lædet animam suam: et qui potestatem sibi sumit injuste, odietur. 9 Est processio in malis viro indisciplinato, et est inventio in detrimentum. 10 Est datum quod non est utile, et est datum cuius retributio duplex. 11 Est propter gloriam minoratio, et est qui ab humilitate levabit caput. 12 Est qui multa redimat modico pretio, et restituens ea in septuplum.* 13 Sapiens in verbis seipsum amabilem facit: gratiæ autem fatuorum effundentur. 14 Datus insipientis non erit utilis tibi: oculi enim illius septemplices sunt.† 15 Exigua dabit, et multa improperebit: et apertio oris illius inflammatio est. 16 Hodie fœneratur quis, et cras expetit: odibilis est homo hujusmodi.‡ 17 Fatuo non erit amicus, et non erit gratia bonis illius:¶ 18 qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ sunt. Quoties et quanti irridebunt eum !§ 19 neque enim quod habendum erat directo sensu distribuit; similiter et quod non erat habendum. 20 Lapsus falsæ linguæ quasi qui in pavimento cadens: sic casus malorum festinanter veniet.** 21 Homo

††20.1 *Quam bonum est.* RAB. Prohibuit iracundiam in iudicio, etc., usque ad et doctrina omnis per patientiam dignoscitur.

‡‡20.2 *Concupiscentia.* Probat exemplo, quod bonum sit non irasci: quia sicut concupiscentia spadonis maculat virginem, nec generat sobolem: ita violentia iniqui simulat iudicium, sed non servat æquitatis modum.

¶¶20.5 *Est tacens.* Hic laudatur modestus, et culpatur temerarius. *Est autem tacens,* etc. Exponit quam taciturnitatem laudet. Alii enim tacent, quia nesciunt loqui: alii autem quia sciunt esse tempus tacendi, et tempus loquendi.

§§20.7 *Homo sapiens,* etc. Prudentes moderantur sermones suos, et tempus servant: stultus vero totum spiritum suum profert.

*20.12 *Est qui multa,* etc. RAB. Qui scilicet per confessionem humilitatis ab omni reatu solvitur. *Et restituens,* etc. Quando in locum vitiorum subrogat multiplicem numerum virtutum: Ut *ubi abundavit delictum, superabundet gratia* Rom. 5..

†20.14 *Oculi enim,* etc. Id est, intentio, scilicet variis nequitiiis maculata, semper ad nocendum parata. Septenarius enim universitatem significat.

‡20.16 *Hodie fœneratur,* etc. Instabilitatem hæreticorum ostendit: quia sensum sui erroris violenter ab auditoribus extorquent, et ideo odibiles sunt Deo et hominibus. Vel, qui de eleemosyna in præsentem retributionem quærit, odibilem se facit: unde, *Voca pauperes et debiles, cæcos, claudos, et beatus eris: quia non habent retribuere tibi. Retribuetur autem tibi in resurrectione iustorum* Luc. 14..

¶20.17 *Fatuo non erit amicus,* etc. Quia laboris præmium in vita hac quærit, vel hæreticus qui gloriam humanam appetit.

§20.18 *Quoties et quanti,* etc. Detestabilis est cœtus hæreticorum, quia Scripturam Dei pravo sensu interpretantur, et expositionem suam inique prædicant.

**20.20 *Lapsus falsæ linguæ,* etc. Sicut in planitie pavimenti, ubi offendicula non sunt, frustra quis cadit: sic hæreticorum sensus propria nequitia excæcatus, in semita veritatis quæ aperta est, casum invenit.

acharis quasi fabula vana, in ore indisciplinatorum assidua erit.†† 22 Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore suo.]‡‡ 23 [Est qui vetatur peccare præ inopia, et in requie sua stimulabitur.¶¶ 24 Est qui perdet animam suam præ confusione, et ab imprudenti persona perdet eam: personæ autem acceptione perdet se. §§ 25 Est qui præ confusione promittit amico, et lucratus est eum inimicum gratis.* 26 Opprobrium nequam in homine mendacium: et in ore indisciplinatorum assidue erit. 27 Potior fur quam assiduitas viri mendacis: perditionem autem ambo hæreditabunt.† 28 Mores hominum mendacium sine honore, et confusio illorum cum ipsis sine intermissione. 29 Sapiens in verbis producet seipsum, et homo prudens placebit magnatis.‡ 30 Qui operatur terram suam inaltabit æcerum frugum, et qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur: qui vero placet magnatis effugiet iniquitatem. 31 Xenia et dona excæcant oculos iudicum, et quasi mutus, in ore avertit correptiones eorum. 32 Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?¶ 33 Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.]

21 [Fili, peccasti, non adjicias iterum: sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. § 2 Quasi a facie colubri fuge peccata: et si accesseris ad illa, suscipient te.** 3 Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum.†† 4 Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas: plagæ illius non est sanitas. 5 Objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam, et domus quæ nimis locuples est annullabitur superbia:

††20.21 *Homo acharis*, etc. Sine gratia Spiritus sancti; vel amarus, quia amarum ex noxium sensum ingerit auditoribus.

‡‡20.22 *Fatui reprobabitur parabola*, etc. RAB. Judæi, qui adhuc putant, etc., usque ad hæretici, qui sophisticis argumentis nituntur evertere veritatem Evangelii.

¶¶20.23 *Est qui vetatur*. Reprehensa falsitate hæreticorum, intentionem pravæ voluntatis vituperat. Sunt enim, qui cum non possunt actu peccare, nolunt in voluntate quiescere.

§§20.24 *Est qui perdet animam suam*. Quia timens hujus mundi potestatem, non audeat profiteri Evangelii veritatem: unde, *Qui erubuerit me et meos sermones, hunc erubescet Filius hominis* Luc. 9..

*20.25 *Est qui præ confusione*, etc. Sunt qui plura promittunt, et pauca reddunt, et eos quibus mentiendo promittunt, inimicos sibi faciunt.

†20.27 *Potior fur*. Non excusat furem, sed ejus comparatione ingravat mentiendi assiduitatem. Mystice autem fures, sunt Judæi, quibus dicitur, *Qui prædicas non furandum, furaris* Rom. 2.. Hæretici vero mendaces qui pejores sunt, quia post perceptam baptismi gratiam ad vomitum redierunt, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerunt.

‡20.29 *Sapiens in verbis*, etc. Quia sapientiam mentis demonstrat in bene dictis: unde, *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum* Matth. 12..

¶20.32 *Sapientia absconsa*. Nulla est utilitas thesauri, qui absconditus est et non scitur, et sapientiæ sine discretione absconsæ.

§21.1 *Fili, peccasti*, etc. RAB. Consilium dat, cum peccamus: *Non est enim qui faciat bonum, et non peccet* Eccle. 7., ne iterum peccemus; sed de præteritis pœnitentiam agamus, deprecantes ut nobis dimittantur.

**21.2 *Colubri*. ID. Diaboli qui semper colit umbras peccati, et regnat in filiis tenebrarum.

††21.3 *Dentes leonis*, etc. *Adversarius noster diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret* I Petr. 5..

sic substantia superbi eradicabitur.‡‡ 6 Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet, et iudicium festinato adveniet illi.¶¶ 7 Qui odit correptionem vestigium est peccatoris, et qui timet Deum convertetur ad cor suum.§§ 8 Notus a longe potens lingua audaci, et sensatus scit labi se ab ipso.* 9 Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligat lapides suos in hieme.† 10 Stupa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis. 11 Via peccatorum complanata lapidibus: et in fine illorum inferi, et tenebræ, et pœnæ.‡‡ 12 [Qui custodit iustitiam, continebit sensum ejus. 13 Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus. 14 Non erudietur qui non est sapiens in bono.¶ 15 Est autem sapientia quæ abundat in malo, et non est sensus ubi est amaritudo. 16 Scientia sapientis tamquam inundatio abundabit, et consilium illius sicut fons vitæ permanet. 17 Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. 18 Verbum sapiens quodcumque audierit sciens, laudabit, et ad se adjiciet: audivit luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum.§ 19 Narratio fatui quasi sarcina in via: nam in labiis sensati invenietur gratia. 20 Os prudentis quæritur in ecclesia, et verba illius cogitabunt in cordibus suis. 21 Tamquam domus exterminata, sic fatuo sapientia: et scientia insensati inenarrabilia verba. 22 Compedes in pedibus, stulto doctrina: et quasi vincula manuum super manum dextram.** 23 Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit.†† 24 Ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextro. 25 Pes fatui facilis in domum proximi: et homo peritus confundetur a persona potentis.‡‡ 26 Stultus a fenestra respiciet in

‡‡21.5 *Objurgatio et injuriæ*, etc. ID. Concordia minimæ res crescunt, etc., usque ad quia veritatem fidei et unitatem pacis abominatur.

¶¶21.6 *Deprecatio pauperis*, etc. Quia iudicabit Deus impios, qui affligunt sanctos.

§§21.7 *Correptionem*. Id est, iudicium sui peccati, quia mentem suam induravit, ne obediret veritati.

*21.8 *Notus a longe*. Manifestatur præsumptio hæretica in lingua temeraria, quæ loquitur adversus Deum iniquitatem.

†21.9 *Qui ædificat domum*, etc. Hæreticum significat, qui Scripturæ testimonia a pravo sensu aliena, ad confirmationem sui erroris congregat. Sed vindicta ultionis justæ dissolvitur duritia nefandæ actionis; vel tropologice: Avarum raptorem, qui ex alienis rebus auget divitias, et vacuus omnibus bonis in die iudicii pro iniquitate sua punietur.

‡‡21.11 *Via peccantium*. Ideo velox malorum interitus, quia via, id est vita illorum plena est doloribus: et duris peccatorum operibus.

¶21.14 *Non erudietur*, etc. RAB. His sentiis confundit, etc., usque ad et ipse immiscuit se infinitis quæstionibus.

§21.18 *Displicet illi*, etc. Unde: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt* Luc. 16..

**21.22 *Compedes in pedibus*, etc. ID. Quia gressibus eorum, quibus incedunt, ruina iniquitatis contradicit, actiones eorum damnando reprehendit.

††21.23 *Fatuus in risu*, etc. Coetus hæreticorum plausibili operatione per rhetoricam artem docendo quærit auditorum favorem. Sancti vero doctores jucunditatem locutione sic intermiscent prædicationi, ut non recedant a tramite veritatis.

‡‡21.25 *Pes fatui*, etc. Quia hæretici auctorum suorum sectam in domicilio scriptorum suorum latitantem student imitari.

domum: vir autem eruditus foris stabit. ¶[¶] 27 Stultitia hominis auscultare per ostium: et prudens gravabitur contumelia. 28 Labia imprudentium stulta narrabunt; verba autem prudentium statera ponderabuntur. 29 In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientum os illorum. 30 Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. §§[§] 31 Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur, et qui cum eo manserit odiosus erit: tacitus et sensatus honorabitur.]

22 [In lapide luteo lapidatus est piger: et omnes loquentur super aspersionem illius.* 2 De stercore boum lapidatus est piger: et omnis qui tetigerit eum excutiet manus.] 3 [Confusio patris est de filio indisciplinato: filia autem in deminoratione fiet. 4 Filia prudens hæreditas viro suo: nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris. 5 Patrem et virum confundit audax, et ab impiis non minorabitur: ab utrisque autem inhonorabitur. 6 Musica in luctu importuna narratio: flagella et doctrina in omni tempore sapientia.] † 7 [Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. ‡ 8 Qui narrat verbum non audientis, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. 9 Cum dormiente loquitur qui enarrat stulto sapientiam: et in fine narrationis dicit: Quis est hic? 10 Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus: et supra fatuum plora, defecit enim sensus. ¶ 11 Modicum plora super mortuum, quoniam requievit: 12 nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui. 13 Luctus mortui septem dies: fatui autem et impii omnes dies vitæ illorum. 14 Cum stulto ne multum loquaris, et cum insensato ne abieris. § 15 Serva te ab illo, ut non molestiam habeas, et non coinquinaberis peccato illius. 16 Deflecte ab illo, et invenies requiem, et non acediaberis in stultitia illius. 17 Super plumbum quid gravabitur? et quod illi aliud nomen quam fatuus? ** 18 Arenam, et salem, et massam ferri facilius est ferre quam hominem imprudentem, et fatuum, et impium.] 19 [Loramentum ligneum colligatum in fun-

¶¶21.26 *Stultus a fenestra.* ID. Notat hæreticorum calliditatem, et catholicorum simplicitatem.

§§21.30 *Dum maledicit.* Non quia maledictum dicit diabolum, sed quia quem maledictum novit, non cessat imitari. Dum enim mavult diabolum imitari, quam Christum, jure damnatur.

*22.1 *In lapide,* etc. RAB. Quando peccatorum duris Scripturarum sententiis fœditas, etc., usque ad a prædicatoribus improperatur.

†22.6 *Musica.* Eos notat, qui in Ecclesia plausum populi et favorem quærunt, nec magis compunctionem lacrymarum excitant.

‡22.7 *Qui docet fatuum.* Testa multo labore confecta fragilitatem suam non evadit. Fatuus quoque quamvis sollicitè erudiatur, vix ad perfectionem perducitur.

¶22.10 *Supra mortuum.* ID. Altera est mors corporis, etc., usque ad mors enim corporis, finis laboris mundani

§22.14 *Cum stulto.* ID. Docet cum stultis sermonem non esse protrahendum, etc., usque ad: *Qui enim dixerit ei ave, communicat ejus operibus malignis* II Joan. 1..

**22.17 *Super plumbum.* Hinc Salomon ait: *Grave est saxum et onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior* Prov. 27.. Pejus peccat hæreticus quam catholicus, in multitudine multorum malorum; vel philosophus qui humana nititur sapientia; vel gentilis, qui non pervenit ad fidem, et ignoranter peccat: unde, *Servus enim qui scit voluntatem domini sui, et non facit: vapulabit multis* Luc. 12.. Qui autem nescit, paucis.

damento ædificii non dissolvetur, sic et cor confirmatum in cogitatione consilii.^{††}
²⁰ Cogitatus sensati in omni tempore metu non depravabitur. ²¹ Sicut pali in excelsis, et cæmenta sine impensa posita, contra faciem venti non permanebunt:^{‡‡} ²² sic et cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet. ²³ Sicut cor trepidum in cogitatione fatui omni tempore non metuet, sic et qui in præceptis Dei permanet semper.]^{¶¶} ²⁴ [Pungens oculum deducit lacrimas, et qui pungit cor profert sensum. ²⁵ Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa: sic et qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam.^{§§} ²⁶ Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus. Ad amicum* ²⁷ si aperueris os triste, non timeas: est enim concordatio: excepto convitio, et improprio, et superbia, et mysterii revelatione, et plaga dolosa: in his omnibus effugiet amicus.[†] ²⁸ Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut et in bonis illius læteris. ²⁹ In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut et in hæreditate illius cohæres sis.[‡] ³⁰ Ante ignem camini vapor et fumus ignis inaltatur: sic et ante sanguinem maledicta, et contumeliæ, et minæ.[¶] ³¹ Amicum salutare non confundar, a facie illius non me abscondam: et si mala mihi evenerint per illum, sustinebo.[§] ³² Omnis qui audiet cavebit se ab eo.]^{**} ³³ [Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me?]

23 [Domine, pater et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum, nec sinas me cadere in illis.^{††} ² Quis superponet in cogitatu meo flagella, et in corde meo doctrinam sapientiæ, ut ignorationibus eorum non parcant mihi, et non

^{††}22.19 *Loramentum*. Ligna justos signant, qui fructum dant in tempore, quorum folia non decidunt: et omnia quæ faciunt prosperantur; fundamentum autem ædificii, apostolos vel prophetas, quorum prædicatio Ecclesiam sustinet. *Loramentum ergo ligneum colligatum fundamento ædificii non dissolvitur*: quia fides passionis Christi in cordibus hominum adjuncta doctrinæ apostolorum, indissolubile facit Ecclesiæ ædificium.

^{‡‡}22.21 *Sicut paleæ*, etc. Unde: Qui audit verba mea, et non facit ea, similis est viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam.

^{¶¶}22.23 *Sicut cor*. RAB. Sicut limpidae paries, etc., usque ad sic cor fatui spernit scelerum recordationem nec pœnas timet æternas.

^{§§}22.25 *Mittens lapidem*. Ostendit quid amicum bonum conservet, vel potius alienet. *Mittens lapidem*. Sicut lapidis ictu volatus avium dejicitur, ita convicii verbo vis amicitiae dissolvitur.

*22.26 *Non desperes*. De amicitia ejus, quia agnita correctionis utilitate regreditur ad jus pristinae amicitiae.

[†]22.27 *Effugiet amicus*. Non rediturus, nec post reconciliationem; unde: Amico reconciliatione credas in æternum.

[‡]22.29 *In tempore tribulationis*. In adversitate magis probatur amicus. Multi enim amici mensæ, et non permanent in die necessitatis.

[¶]22.30 *Ante ignem*, etc. Sicut fumus præcedit ignis incendium, sic dura verba homicidium; unde, *Sermo durus suscitatur rixas* Prov. 15.. Et alibi: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio* Matth. 5..

[§]22.31 *Amicum salutare*. Multa bona sunt in amicitia vera: congauget enim verus amicus in bonis tuis, et contristatur in malis.

^{**}22.32 *Omnis qui audiet*. Id est, qui cognoscit quanta bona sint in amicitia vera, cavebit ne injuria, vel convicio amicum lædat.

^{††}23.1 *Domine pater*. RAB. Quasi: Tuo munere defendar a voragine vitiorum.

appareant delicta eorum,^{‡‡} 3 et ne adincrescant ignorantiae meae, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea abundant, et incidam in conspectu adversariorum meorum, et gaudeat super me inimicus meus? 4 Domine, pater et Deus vitae meae, ne derelinquas me in cogitatu illorum. 5 Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium averte a me. 6 Aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiae ne apprehendant me, et animae irreverenti et infrunitae ne tradas me.] 7 [Doctrinam oris audite, filii: et qui custodierit illam non periet labiis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis. 8 In vanitate sua apprehenditur peccator: et superbus et maledicus scandalizabitur in illis.] 9 Jurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa.^{§§} 10 Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus sanctorum non admiscearis, quoniam non erit immunis ab eis. 11 Sicut enim servus interrogatus assidue a livore non minuitur, sic omnis jurans et nominans in toto a peccato non purgabitur. 12 Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. 13 Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit: et si dissimulaverit, delinquit dupliciter.* 14 et si in vacuum juraverit, non justificabitur: replebitur enim retributione domus illius. 15 Est et alia loquela contraria morti: non inveniatur in hereditate Jacob.† 16 Etenim a misericordibus omnia haec auferentur, et in delictis non volutabuntur. 17 Indisciplinatae loquelae non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati.‡ 18 Memento patris et matris tuae: in medio enim magnatorum consistis: 19 ne forte obliviscatur te Deus in conspectu illorum, et assiduitate tua infatuatus, improprium patiaris, et maluisses non nasci, et diem nativitatis tuae maledicas. 20 Homo assuetus in verbis improprietatis in omnibus diebus suis non erudietur.] 21 [Duo genera abundant in peccatis, et tertium adducit iram et perditionem. 22 Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat:† 23 et homo nequam in ore carnis suae non desinet donec incendat ignem. 24 Homini fornicario omnis panis dulcis: non fatigabitur transgrediens usque ad finem. 25 Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, et dicens: Quis me videt? 26 Tenebrae circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur

‡‡23.2 *Quis superponet.* Desiderat in cogitatu suo flagella disciplinae, et in corde doctrinam sapientiae: ne forte per ignorantiam non agnoscat delictorum pericula, et multiplicentur ei crimina, pro quibus cadat in manus adversariorum.

††23.8 *In vanitate.* ID. Quia illam praeponebat amori Dei et desiderio aeternae beatitudinis.

§§23.9 *Jurationi,* etc. Vetat iuramentum, ne fiat perjurium; unde: *Nolite jurare, neque per caelum neque per terram* Jacob. 5..

*23.13 *Dupliciter.* ID. Quia per simulationem celat veritatem, et alios per falsitatem mittit in errorem.

†23.15 *Est alia loquela.* Blasphemia, quae supradictis pejor est: unde oportet ut non inveniatur *in hereditate Jacob*, id est, populo Ecclesiae, qui supplantat vitia, et in virtutibus servit Deo.

‡23.17 *Indisciplinatae.* Quasi: Disciplinam ne deseras, et indiscipulato ore sermones tuos ne proferas.

††23.22 *Anima callida.* ID. Haeretici et schismatici ardentem animam habent, etc., usque ad sedem virum priorem relinquentes, cum idolis fornicati sunt.

Altissimus.[§] 27 Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit a se timorem Dei hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum: 28 et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda, intuentes in absconditas partes.** 29 Domino enim Deo antequam crearentur omnia sunt agnita: sic et post perfectum respicit omnia. 30 Hic in plateis civitatis vindicabitur, et quasi pullus equinus fugabitur, et ubi non speravit apprehendetur.†† 31 Et erit dedecus omnibus, eo quod non intellexerit timorem Domini. 32 Sic et mulier omnis relinquens virum suum, et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio:‡‡ 33 primo enim in lege Altissimi incredibilis fuit: secundo in virum suum deliquit: tertio in adulterio fornicata est, et ex alio viro filios statuit sibi. 34 Hæc in ecclesiam adducetur, et in filios ejus respicietur:¶¶ 35 non tradent filii ejus radices, et rami ejus non dabunt fructum:§§ 36 derelinquet in maledictum memoriam ejus, et dedecus illius non delebitur. 37 Et agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est quam timor Dei, et nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini. 38 Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo.]*

24 [Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur, 2 et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur,† 3 et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur, 4 et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur, dicens: 5 Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.‡ 6 Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi

§23.26 *Tenebræ circumdant.* ID. Qui castitatis virtutem perdit, etc., usque ad cum vultus Domini sit super facientes mala.

**23.28 *Oculi Domini.* Quia illi nihil præteritum, et nihil futurum est: omnia præsentia sunt.

††23.30 *Hic in plateis.* Adulter libidinosus, de quo superius dictum est, qui quasi equus et mulus lascivendo discurrit per latam et spatiosam viam, quæ ducit ad mortem.

‡‡23.32 *Sic et mulier.* Æqualiter et in viro et in femina damnatur adulterium, et germen hujus copulæ abominabile est Deo. Mystice autem hæreticorum Synagoga, vel anima hæretica pravitate decepta, abominabilis est Deo, quia relinquit virum priorem, qui sibi eam in baptisate copulavit, et ornamento virtutum decoravit.

¶¶23.34 *Hæc in Ecclesia.* Quia ejus perversitas in conventu fidelium, per solertiam doctorum declaratur.

§§23.35 *Et rami.* Quia secta illius fundamentum veritatis non habet, fructum bonorum operum gignere non potest.

*23.38 *Longitudo,* etc. Quia in æterna beatitudine in æternum permanebunt qui sequuntur Deum.

†24.2 *Et in medio populi,* etc. RAB. Quia in ostensione miraculorum ad laudem Dei provocabat populum. *Virtutis illius,* etc. Angelorum, religiosorum.

‡24.5 *Ego ex ore.* Quia Verbum consubstantiale, coæternum. Quia non sum creatura. Dicitur tamen primogenitus omnis creaturæ, non tempore, scilicet, sed honore Exod. 4..

omnem terram.^f ⁷Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis.[§]
⁸Gyrum cæli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi. ⁹Et in omni terra steti: et in omni populo, ¹⁰et in omni gente primatum habui: ¹¹et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi. Et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. ¹²Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. ^{** 13}Et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israël hæreditate, et in electis meis mitte radices.]^{††}
¹⁴[Ab initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam: et in habitatione sancta coram ipso ministravi.]^{‡‡} ¹⁵Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea.^{¶¶} ¹⁶Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.] ¹⁷[Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion:^{§§} ¹⁸quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho:^{*} ¹⁹quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis.][†] ²⁰Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha

^f24.6 *Ego feci in cælis.* RAB. In cælis oritur lumen, nebula tegitur caro, quia sicut claritate sua præcellit obscuritatem nebulæ, sic spiritualis creatura corporalem præcellit dignitatem.

[§]24.7 *Thronus meus.* ID. Humanum corpus nullo pondere peccati prægravatum, sed Dei virtute sublimatum, in quo potentia divinitatis iudicia sua exercuit.

^{**}24.12 *Creavit me,* etc. Secundum humanitatem singulari puritate de Spiritu sancto conceptam, de Virgine editam.

^{††}24.13 *In Jacob.* Incarnatione Salvatoris specialiter Judæis uti concessum est, et specialiter ad Judæos venit. Unde per *Jacob* figurantur Judæi; per *Israel* vero, Gentiles.

^{‡‡}24.14 *Ab initio.* Sacramentum incarnationis ante sæcula præscitum et prædestinatum, permanet in sæculum sæculi. Et inhabitationes Ecclesiæ, id est ritum veræ religionis disposuit.

^{¶¶}24.15 *Et sic in Sion.* RAB. Sion Ecclesia, quæ et Jerusalem, quæ a primo justo usque ad novissimum ædificatur, et in qua sapientia quotidie fructificat.

^{§§}24.17 *In Libano.* RAB. *Libanus* mons est Phœnicis, etc., usque ad constantiam et actionem eorum exprimens, qui altioribus Ecclesiam ornant virtutibus.

^{*}24.18 *Quasi palma.* Arbor diurnus foliis, et suavibus pomis; palma dicta quia victricis manus est ornatus: vel quia in modum humanæ palmæ ramus expandit, hanc Græci dicunt, quia Phœnix avis multo tempore vivit. Huic comparatur Ecclesia, quæ incurvari ad terrena despiciens, ad, cœlestia se sustollit: ut finito agone cœlestem palmam suscipiat, et quasi folia diurna, verba rectæ confessionis perpetuo conservat.

[†]24.19 *Quasi oliva.* Græce, fructus scilicet: enim arbor dicitur, succus oleum. Est autem arbor pacis insignis: per hanc Ecclesia signatur, quæ campos totius mundi decore illustrat, et speciali gratia per unctionem chrismatis sanctificat. *Quasi platanus.* Platanus ab altitudine dicta, vel quia patula et ampla. Nam Græci amplum vocant. Nomen ergo, et formam arboris expressit dicens: Quasi platanus dilatata sum in plateis. Est autem tenerrima, et mollis foliis, et vitibus similis, et Christum significat, qui per membra sua in orbe dilatatur mitis et mansuetus.

electa dedi suavitate[m] odoris:‡ 21 et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mistum odor meus.¶ 22 Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ.§ 23 Ego quasi vitis fructificavi suavitate[m] odoris: et flores mei fructus honoris et honestatis. 24 Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. 25 In me gratia omnis viæ et veritatis: in me omnis spes vitæ et virtutis. 26 Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini: 27 spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. 28 Memoria mea in generatione sæculorum. 29 Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitiunt.** 30 Qui audit me non confundetur, et qui operantur in me non peccabunt: 31 qui elucidant me, vitam æternam habebunt.] 32 [Hæc omnia liber vitæ, et testamentum Altissimi, et agnitio veritatis. 33 Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, et hæreditatem domui Jacob, et Israël promissiones. 34 Posuit David, puero suo, excitare regem ex ipso fortissimum, et in throno honoris sedentem in sempiternum.†† 35 Qui implet quasi Phison sapientiam, et sicut Tigris in diebus

‡24.20 *Sicut cinnamomum.* Cinnamomum et balsamum aromaticæ arbores sunt. Cinnamomum dictum, quia cortex ejus in modum cannæ rotundus et gracilis. Gignitur in India et Ethiopia, frutice brevi duorum tantum cubitorum, colore subnigro vel cinereo, tenuissimarum virgarum. Nam quod crassum est despicitur; gracilius vero charius: quod cum frangitur, visibile spiramentum emittit in modum nebulæ vel pulveris.

¶24.21 *Balsamum.* RAB. Aspaltum dicit Plinius, in eodem curriculo cœli nascitur, etc., usque ad memores Dominicæ passionis pro Domino parati sunt pati. *Quasi myrrha.* Myrrha est in Arabia arbor quinque cubitis alta, spinæ similis, quam vocant Græci, cujus gutta viridis et amara, unde et nomen accepit: quæ omnia conveniunt mortificationi carnis, quæ amara ad tempus sentitur, sed in spe semper virentis patriæ libenter suscipitur. Spinæ autem comparatur, quia ut mentem salvet corpus affligit. Gutta sponte manans pretiosior est; elicita corticis vulnere vilior, quia majoris est virtutis corpus sanum cui aridet copia rerum mortificare, quam ægrotum, vel paupertate afflictum. *Quasi storax.* ID. Storax, galbanus, etc., usque ad storax dicta, quia est gutta arboris profluens et congelata, nam Græci guttam dicunt. *Et galbanus.* Galbanus ID. etc., usque ad ad similitudinem ammoniaci minimeque lignosum. *Ungula.* Ungula est quæ in Exodo onycha dicitur. Græce enim, Latine ungula, quia humano ungui assimilatur. *Gutta.* ID. Gutta quæ et ammoniaci dicitur, etc., usque ad quanto virtus virtuti jungitur, tanto incensum sincerius exhibetur. *Libanus.* Libanus, ut aiunt, arbor est ID. etc., usque ad incisus arboribus lacryma fluit, quia compuncta humilium corda puram Deo orationem emittunt. Libanus in Hebræo candorem significat: in Græco,. Unde in Canticis, ubi legimus *ad collem thuris* Cant. 4., quidam codices habent *ad collem libani*. *Balsamum non mistum.* ID. Balsami arbor in Judæa, etc., usque ad et salutis sacramenta profudit. Unde, *Et quasi balsamum non mistum odor meus.*

§24.22 *Terebinthus,* etc. ID. Arbor est, etc., usque ad et sine macula sunt ante thronum Dei.

**24.29 *Qui edunt me,* etc. ID. Edimus sapientiam, etc., *usque ad: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* Psal. 33., etc.

††24.34 *Posuit David.* ID. Quatuor paradisi flumina, etc., usque ad qui mittit disciplinam sicut lucem, quia præcepta ejus vitam æternam tribuunt, unde: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; docentes servare omnia quæcunque mandavi vobis* Matth. 27..

novorum:‡‡ 36 qui adimplet quasi Euphrates sensum, qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis:¶¶ 37 qui mittit disciplinam sicut lucem, et assistens quasi Gehon in die vindemiæ. §§ 38 Qui perficit primus scire ipsam, et infirmior non investigabit eam.* 39 A mari enim abundavit cogitatio ejus, et consilium illius ab abyso magna. † 40 Ego sapientiam effudi flumina: 41 ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio: ego quasi fluvii dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso. ‡ 42 Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum. 43 Et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare: 44 quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum. 45 Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. 46 Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quærentibus sapientiam, et non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum. ¶ 47 Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem.]§

25 [In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus: 2 concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi

‡‡24.35 *Quasi Phison*. ID. Phison, qui et Ganges, etc., usque ad et fertur sicut Nilus super Orientis terras exundare. *Sicut Tigris*, etc. ID. Tigris fluvius Mesopotamiæ, etc., usque ad quia sicut Tigris bestia velociter fertur.

¶¶24.36 *Quasi Euphrates*. ID. Euphrates fluvius Mesopotamiæ, etc., usque ad teraque quæ ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur. *Quasi Jordanis*. Jordanis fluvius Judææ, a duobus fontibus nominatur: *Jor*, scilicet et *Dan*, quibus foederatis colligitur. Oritur sub Libano monte, et dividit Judæam et Arabiam, et juxta Jericho influit mari Mortuo.

§§24.37 *Quasi Geon*. Geon hic Æthiopiæ cingit, sic vocatus quia irrigat terram Ægypti. *Ge* enim Græce terram significat: qui apud Ægyptios Nilus vocatur propter limum quem trahit, qui fecunditatem efficit, unde et Nilus dictus est.

*24.38 *Non investigabit*. RAB. Christus auctor est sapientiæ, etc., *usque ad: Nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem quis novit, nisi Filius* Matth. 11., etc.

†24.39 *A mari enim*. Mare significat profunditatem sapientiæ inæstimabilem, et incomprehensibilem esse: quoniam nemo penetrare potest nisi unus et solus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, qui seipsum vere novit, et consilium suum, et dat tantum nosse creaturæ suæ, quantum expedit.

‡24.41 *Quasi trames*. ID. Quia Deus de Deo, lumen de lumine. Tropice dicitur Pater origo Divinitatis: quia de Patre gignitur Filius et procedit Spiritus sanctus, qui per aquam significatur: unde, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* Job. 7.. *Aqua sapientiæ salutaris potavit illum* Eccli. 15.. *Ego quasi fluvius Dorix*. Sapientia comparatur fluvio rapidissimo, etc., usque ad unde tertia lingua Græcorum Dorica dicitur.

¶24.46 *Adhuc doctrinam*. RAB. Significat hujus operis scriptor librum esse mysticum, et utilem ad legendum. Historice enim moralitatem docet, et allegorice fidei sacramentum.

§24.47 *Videte*, etc. Ecclesiasticus doctor non solum sibi, sed et aliis scribendo et docendo proficit: unde, *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* Dan. 12..

consentientes. ** 3 Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animæ illorum:††
 4 pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insensatum.] 5 [Quæ in
 juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies?‡‡ 6 Quam specio-
 sum canitiei iudicium, et presbyteris cognoscere consilium !¶¶ 7 Quam speciosa vet-
 eranis sapientia, et gloriosus intellectus et consilium ! 8 Corona senum multa peritia,
 et gloria illorum timor Dei.] 9 [Novem insuspicabilia cordis magnificavi: et decimum
 dicam in lingua hominibus:§§ 10 homo qui jucundatur in filiis, vivens et videns sub-
 versionem inimicorum suorum. 11 Beatus qui habitat cum muliere sensata, et qui
 lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se. 12 Beatus qui invenit am-
 icum verum, et qui enarrat justitiam auri audienti. 13 Quam magnus qui invenit
 sapientiam et scientiam ! sed non est super timentem Dominum.* 14 Timor Dei su-
 per omnia se superposuit. 15 Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei: qui
 tenet illum, cui assimilabitur? 16 Timor Dei initium dilectionis ejus: fidei autem ini-
 tium agglutinandum est ei.]† 17 [Omnis plaga tristitia cordis est, et omnis malitia
 nequitia mulieris.‡ 18 Et omnem plagam, et non plagam videbit cordis:¶ 19 et omnem
 nequitiam, et non nequitiam mulieris: 20 et omnem obductum, et non obductum
 odientium: 21 et omnem vindictam, et non vindictam inimicorum. 22 Non est caput
 nequius super caput colubri,§ 23 et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni
 et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. 24 Nequitia mulieris immu-
 tat faciem ejus: et obcæcat vultum suum tamquam ursus, et quasi saccum ostendit. In
 medio proximorum ejus 25 ingemuit vir ejus, et audiens suspiravit modicum. 26 Bre-

**25.2 *Vir et mulier.* RAB. Unde Paulus, *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Chris-
 tus Ecclesiam* Eph. 5.. Possumus in viro spiritum, in muliere animam accipere, qui
 si in timore et dilectione Dei consenserint, quidquid petierint fiet eis, unde: *Si duo
 consenserint ex vobis, fiet illis* Matth. 18..

††25.3 *Tres species.* ID. Possunt hæc ad diabolum transferri, etc., usque ad quia
 Conditori suo subjici noluit.

‡‡25.5 *Quæ in juventute.* Qui in juventute non discit sapientiam, in senectute fruc-
 tum ejus non habet. Unde, *Egestatem operata est manus remissa, manus autem
 fortium divitias parat* Prov. 10.. *Qui autem meditatur in lege Domini, dabit fruc-
 tum in tempore suo* Psal. 1..

¶¶25.6 *Quam speciosum.* ID. Canum caput decet, etc., usque ad non licet eis ignorare
 legis scientiam et sapientiam.

§§25.9 *Novem insuspicabilia,* etc. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio
 fit ad salutem* Rom. 10.. Novem ergo sunt insuspicabilia, id est ab omni suspicione
 falsitatis aliena, quæ parit homini fides recta.

*25.13 *Sapientiam.* Quæ est malum cavere. Unde, *Et ecce timor Domini ipse est
 sapientia, et recedere a malo intelligentiam* Job. 28.. Hinc est quod unum speciebus
 virtutum superadditur.

†25.16 *Timor Dei.* RAB. Quia sicut novenarius imperfectus est, etc., usque ad sed
 ne te deserat præsentia Dei, quam amplecteris, et in æternum frui desideras.

‡25.17 *Omnis plaga.* Non est major gratia quam vera lætitia mentis, nec major plaga
 quam tristitia fraudulentum cordis in idololatria vel in hæresi, quia in ejus nequitia
 omnis malitia est.

¶25.18 *Et omnem plagam.* Videt plagam cordis qui intelligit injuriam suæ pravitatis,
 sed non videt, qui per pœnitentiam non corrigit.

§25.22 *Non est caput,* etc. RAB. Nequitia hæreticorum comparata, etc., usque ad
 ideo ejus cohabitatio omnibus noxia est.

vis omnis malitia super malitiam mulieris: sors peccatorum cadat super illam.** 27 Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto. 28 Ne respicias in mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie. 29 Mulieris ira, et irreverentia, et confusio magna. 30 Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo.†† 31 Cor humile, et facies tristis, et plaga cordis, mulier nequam. 32 Manus debiles et genua dissoluta, mulier quæ non beatificat virum suum. 33 A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur. 34 Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum: nec mulieri nequam veniam prodeundi. 35 Si non ambulaverit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum. 36 A carnibus tuis absconde illam, ne semper te abutatur.]

26 [Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex.‡‡ 2 Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit. 3 Pars bona mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis: 4 divitis autem et pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris.¶¶ 5 A tribus timuit cor meum, et in quarto facies mea metuit:§§ 6 delaturam civitatis, et collectionem populi: 7 calumniam mendacem super mortem omnia gravia: 8 dolor cordis et luctus, mulier zelotypa. 9 In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans. 10 Sicut boum jugum quod movetur, ita et mulier nequam: qui tenet illam quasi qui apprehendit scorpionem. 11 Mulier ebriosa ira magna, et contumelia: et turpitudine illius non tegetur.† 12 Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnoscetur.‡ 13 In filia non avertente se, firma custodiam, ne inventa occasione utatur se. 14 Ab omni irreverentia oculorum ejus cave, et ne mireris si te neglexerit. 15 Sicut viator sitiens ad fontem os aperiet, et ab omni aqua proxima bibet, et contra

**25.26 *Brevis omnis malitia.* Parva est omnis malitia ad comparisonem idololatriæ et pravitate hæreticæ, quia peccant, non per fragilitatem carnis, sed per superbiam mentis.

††25.30 *Mulier si primatum habeat.* Historice ostendit, quam noxius sit primatus mulieris, etc., usque ad contraria erit viro, id est doctori catholico perversa sentiendo et prava docendo.

‡‡26.1 *Mulieris bonæ.* RAB. Sicut prius mulierem nequam vituperavit, etc., usque ad et in futuro gaudebit de perceptione præmiorum.

¶¶26.4 *Divitis autem.* Dives vel pauper ad gratiam Christi devota mente perveniens, jucunditate visionis Dei perpetuo fruatur, quia non est personarum acceptor Deus.

§§26.5 *Tribus.* His similitudinibus vocat eos, qui ab unitate veræ religionis separati sunt, id est, Judæos, paganos, hæreticos, et falsos Christianos.

*26.6 *Delaturam civitatis.* Insipientia stultorum. Sicut enim bruta animalia nesciunt discernere inter amicum et inimicum, et inter bonum et malum; ita insipientes ignorant distantiam catholicæ doctrinæ et hæreticæ, sed veris et falsis doctoribus obediunt æque. Contra quos dicitur alibi, *Statim eam sequitur quasi bos ad victimam, et quasi agnus lascivens, et ignorat quod ad victimam pertrahatur* Prov. 7.. Sed hæreticorum astutia non aperta fronte, sed dolose incautos decipit.

†26.11 *Mulier ebriosa.* Habitum meretricis describit, quæ motu corporis et motu oculorum ostentat libidinem. Mystice autem hæreticum significat, qui in superbia sensus et facundia verborum fornicationem suam jactat, ut novitatum amatores facilius attrahat prurientes auribus, qui a veritate auditum avertunt et ad fabulas convertuntur.

‡26.12 *Fornicatio mulieris.* RAB. Per hæc tria curiositatem humanæ mentis ostendit, etc., usque ad per superbiam vitæ, cum adderet, *Eritis sicut dii* Gen. 3..

omnem palum sedebit, et contra omnem sagittam aperiet pharetram donec deficiat. ¹⁶ Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. ¹⁷ Disciplina illius datum Dei est. ¹⁸ Mulier sensata et tacita, non est immutatio eruditæ animæ. ¹⁹ Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata. ²⁰ Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. ²¹ Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus. ²² Lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei super ætatem stabilem. ²³ Columnæ aureæ super bases argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. ²⁴ Fundamenta æterna supra petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctæ.] ²⁵ [In duobus contristatum est cor meum, et in tertio iracundia mihi advenit: ²⁶ vir bellator deficiens per inopiam; et vir sensatus contemptus; ²⁷ et qui transgreditur a justitia ad peccatum: Deus paravit eum ad rhomphæam.] ²⁸ [Duæ species difficiles et periculosæ mihi apparuerunt: difficile exiit negotians a negligentia, et non justificabitur caupo a peccatis labiorum.]]^{‡‡}

27 [Propter inopiam multi deliquerunt: et qui quærit locupletari avertit oculum suum. ¹ ² Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum: ³ conteretur cum delinquente delictum. ⁴ Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.] ⁵ [Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius. ⁶ Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. ⁷ Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis. ⁸ Ante sermonem non laudes virum: hæc enim tentatio est hominum. ⁹ Si sequaris justitiam, apprehendes illam, et indues quasi poderem honoris: et inhabitabis cum ea, et proteget te in sempiternum, et in die agnitionis invenies firmitamentum. ¹⁰ Volatilia ad sibi similia conveniunt: et veritas ad eos qui operantur

¹⁶26.16 *Ossa illius impinguabit.* Charitate scilicet, unde: *Qui servat mandata mea, ille est qui diligit me, et diligetur a Patre meo, et ego diligam eum* Joan. 14..

¹⁸26.18 *Mulier,* etc. Quia sapientia Dei animas electorum imbuat, et tribuit eis custodiam oris et efficaciam operis, nec eos a se declinare permittit, quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat, fidem, scilicet violando, vel charitatem: *Quia semen Dei,* id est verbum, quo renatus est, *in se habet.*

²³26.23 *Columnæ aureæ.* Doctores sapientia fulgentes, super bases argenteas locantur, cum in sancta Scriptura prædicatione sua insigneantur.

²⁵26.25 *In duobus.* RAB. Notat sapientia, etc., usque ad vel deserto tramite veritatis sequitur devia erroris.

²⁸26.28 *Difficile exiit.* RAB. Actus pessimus, non res honesta damnatur. Ille negotiator abominandus, qui per immoderatam ambitionem merces suas plus perjurio onerat quam pretio.

¹27.1 *Propter inopiam,* etc., RAB. Sicut in medio. Hic comparatione, etc., usque ad et in futuro pœna æterna manet.

⁵27.5 *Sicut in percussura cribri.* ID. Sicut cribrum, etc., *usque ad: Satanæ expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.*

⁷27.7 *Sicut rusticatio de ligno.* ID. Unaquæque arbor, etc., usque ad cultura ergo ligni in fructu manifestat qualitatem ejus.

⁸27.8 *Ante sermonem.* Quia sermo indicat cogitationem. Quasi dicat: Nemo laudet eum, quem manifestis indiciis non cognovit laude dignum. Potest autem sermo pro bono opere accipi, ut neminem ante probationem bonorum operum laudemus. Unde: *Non laudes ante mortem quemquam.*

illam revertetur. ¹¹ Leo venationi insidiatur semper: sic peccata operantibus iniquitates. ¹² Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur. ¹³ In medio insensatorum serva verbum tempori: in medio autem cogitantium assiduus esto. ¹⁴ Narratio peccantium odiosa, et risus illorum in deliciis peccati. ¹⁵ Loquela multum jurans horripilationem capiti statuet, et irreverentia ipsius obturatio aurium. ¹⁶ Effusio sanguinis in rixa superbiorum, et maledictio illorum auditus gravis. ¹⁷ Qui denudat arcana amici fidem perdit, et non inveniet amicum ad animum suum. ¹⁸ Dilige proximum, et conjungere fide cum illo. ¹⁹ Quod si denudaveris absconsa illius, non persequeris post eum. ²⁰ Sicut enim homo qui perdit amicum suum, sic et qui perdit amicitiam proximi sui. ²¹ Et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum, et non eum capies. ²² Non illum sequaris, quoniam longe abest: effugit enim quasi caprea de laqueo, quoniam vulnerata est anima ejus: ²³ ultra eum non poteris colligare. Et maledicti est concordatio: ²⁴ denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.] ²⁵ [Annuens oculo fabricat iniqua, et nemo eum abjiciet. ²⁶ In conspectu oculorum tuorum condulcabit os suum, et super sermones tuos admirabitur: novissime autem pervertet os suum, et in verbis tuis dabit scandalum. ²⁷ Multa odivi, et non coæquavi ei, et Dominus odiet illum. ²⁸ Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet: et plaga dolosa dolosi dividet vulnera. ²⁹ Et qui foveam fodit incidet in eam: et qui statuit lapidem proximo offendet in eo: et qui laqueum alii ponit, peribit in illo. ³⁰ Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non agnoscet unde adveniat illi. ³¹ Illusio et improprium superbiorum, et vindicta sicut leo insidiabitur illi. ³² Laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum, dolor autem consumet illos antequam moriantur.] ³³ [Ira et furor utraque execrabilia sunt, et vir peccator continens erit illorum.]

28 [Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. ² Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. ³ Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam: ⁴ in hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur. ⁵ Ipse cum caro sit reservat iram, et propitiationem petit a Deo: quis exorabit pro delictis illius?

[‡]27.13 *In medio.* RAB. Temperantiam et cautelam loquendi docet, etc., *usque ad: Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum* Matth. 5..

[¶]27.15 *Loquela,* etc. Quia sicut actio eorum bonis contraria: et loquela ad mala dicendum prona, ad audiendum gravis.

[§]27.17 *Qui denudat.* Ostendit in quo maxime læditur amicitia, in malo, scilicet prodicionis, quæ fidem, scilicet perdit, nec amicitiae æquitatem custodit, et ideo dissipat charitatem.

^{**}27.22 *Quasi caprea.* Caprea, capra sylvestris, dicta quasi capiens ardua. Capreae autem ibices vel avices dicuntur, eo quod ad instar avium alta et excelsa teneant: et in sublimibus habitent, ita ut de sublimitate vix humanis obtutibus pateant. Hæ si quando adversitatem ferarum, vel hominum præenserint: de altis cacuminibus sese præcipitantes, suis se cornibus in ramis arborum recipiunt illæsas.

^{††}27.24 *Denudare autem,* etc. RAB. Proditoris inconstantiam morum ostendit, etc., *usque ad: Homo apostata, vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede,* etc. Prov. 6..

^{‡‡}27.30 *Facienti nequissimum consilium.* Quia non prospicit quod veniat dies ejus. Æstimat enim hæreticus vel schismaticus, quod melior sit ejus secta quam veritas catholica: unde illudit seipsum.

⁶ Memento novissimorum, et desine inimicari: ⁷ tabitudo enim et mors imminent in mandatis ejus. ⁸ Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo.[¶] ⁹ Memorare testamentum Altissimi, et despice ignorantiam proximi. ¹⁰ Abstine te a lite, et minues peccata. ¹¹ Homo enim iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittet inimicitiam. ¹² Secundum enim ligna silvæ sic ignis exardescit: et secundum virtutem hominis sic iracundia illius erit, et secundum substantiam suam exaltabit iram suam. ¹³ Certamen festinatum incendit ignem, et lis festinans effundit sanguinem: et lingua testificans adducit mortem.^{§§} ¹⁴ Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit: et si expueris super illam, extinguetur: utraque ex ore proficiscuntur.] ¹⁵ [Susurro et bilinguis maledictus, multos enim turbabit pacem habentes. ¹⁶ Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem. ¹⁷ Civitates muratas divitum destruxit, et domus magnatorum effodit. ¹⁸ Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. ¹⁹ Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas laboribus suis.* ²⁰ Qui respicit illam non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. ²¹ Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa.† ²² Multi ceciderunt in ore gladii: sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. ²³ Beatus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, et qui non attraxit jugum illius, et in vinculis ejus non est ligatus: ²⁴ jugum enim illius jugum ferreum est, et vinculum illius vinculum æreum est; ²⁵ mors illius mors nequissima: et utilis potius infernus quam illa. ²⁶ Perseverantia illius non permanebit, sed obtinebit vias injustorum, et in flamma sua non comburet justos. ²⁷ Qui relinquunt Deum incident in illam, et exardebit in illis, et non extinguetur, et immittetur in illos quasi leo, et quasi pardus lædet illos. ²⁸ Sepi aures tuas spinis: linguam nequam noli audire: et ori tuo facito ostia et seras.‡ ²⁹ Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos: ³⁰ et attende ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem.]

29 [Qui facit misericordiam fœneratur proximo suo: et qui prævalet manu mandata servat. ² Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius: et iterum redde proximo in tempore suo. ³ Confirma verbum, et fideliter age cum illo: et in omni tempore invenies quod tibi necessarium est. ⁴ Multi quasi inventionem aestimaverunt fœnus, et præstiterunt molestiam his qui se adjuverunt. ⁵ Donec accipi-

[¶]28.8 *Memorare.* RAB. Qui Deum timet, iram vel furorem compescit, et non obliviscitur testamenti Dei, qui ait: *Dimittite et dimittetur vobis* Luc. 9..

^{§§}28.13 *Certamen.* Indiscreta actio: unde, *Noli esse nimium justus, neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas.* Disciplina ergo immoderata excitat furoris ardorem, et procax loquela effusionem sanguinis.

*28.19 *Lingua tertia.* Hæretica doctrina, quæ nec Veteri nec Novo Testamento concordat, et auditorum corda conturbat, et de gente in gentem pergens, seditionem excitat.

†28.21 *Plaga autem.* Pejor est interitus animæ quam occidunt hæretici, quam quilibet cruciatus corporis. *Beatus qui tectus.* Beatus, qui non consentit hæreticis, et cujus cor eorum eloquentia non subvertit, quia sicut alienus est ab eorum malitia, ita separatur a pœna.

‡28.28 *Sepi aures.* Postquam malum linguæ extirpavit, ad doctrinam auditoris se convertit.

ant, osculantur manus dantis, et in promissionibus humiliant vocem suam:[¶] 6 et in tempore redditionis postulabit tempus, et loquetur verba tædii et murmurationum, et tempus causabitur. 7 Si autem potuerit reddere, adversabitur: solidi vix reddet dimidium, et computabit illud quasi inventionem: 8 sin autem, fraudabit illum pecunia sua, et possidebit illum inimicum gratis: 9 et convitia et maledicta reddet illi, et pro honore et beneficio reddet illi contumeliam. 10 Multi non causa nequitiae non foenerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.[§] 11 Verumtamen super humilem animo fortiori esto, et pro eleemosyna non trahas illum. 12 Propter mandatum assume pauperem, et propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.^{**} 13 Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem.^{††} 14 Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, et proderit tibi magis quam aurum. 15 Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo. 16 Super scutum potentis^{‡‡} 17 et super lanceam 18 adversus inimicum tuum pugnabit.] 19 [Vir bonus fidem facit pro proximo suo: et qui perdiderit confusionem derelinquet sibi. 20 Gratiam fidejussoris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam.^{¶¶} 21 Repromissorem fugit peccator et immundus. 22 Bona repromissoris sibi ascribit peccator: et ingratus sensu derelinquet liberantem se. 23 Vir repromittit de proximo suo: et cum perdiderit reverentiam, derelinquetur ab eo.^{§§} 24 Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes, et commovit illos quasi fluctus maris. 25 Viros potentes gyrans migrare fecit, et vagati sunt in gentibus alienis. 26 Peccator transgrediens mandatum Domini incidet in promissionem nequam: et qui conatur multa agere incidet in iudicium. 27 Recupera proximum secundum virtutem tuam, et attende tibi ne incidas.]^{*} 28 [Initium vitæ hominis, aqua et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem.[†] 29 Melior est victus pauperis sub tegmine

[¶]29.5 *Donec accipiant.* RAB. Hujusmodi morbum melius curat timor Dei. Qui enim Deum quasi semper præsentem pertimescit, neminem fraudare intendit.

[§]29.10 *Multis,* etc. ID. Illos notat, qui neminem lædere volunt, sed præ timore periturarum rerum prodesse nolunt. Contra quos dicitur: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra* Matth. 6..

^{**}29.12 *Propter mandatum.* Omnibus indigentibus misericordia est facienda, nec pro avaritia charitas proximi amittenda.

^{††}29.13 *Et non abscondas.* Qui enim viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?

^{‡‡}29.16 *Super scutum potentis,* etc. Magis valet eleemosyna contra jacula inimici, quam arma terrena: quia hæc dubiam, illa certissimam parit victoriam, ut absorbeatur mors in victoria.

^{¶¶}29.20 *Gratiam fidejussoris,* etc. Doctorem scilicet qui pro fide et bonis operibus promittit vitam æternam. Hæc sententia Pelagium reprehendit qui liberum arbitrium gratiæ præponit, cum per solam gratiam liberentur electi.

^{§§}29.23 *Qui perdidit,* etc. Id est, qui unitatem fidei, et sinceritatem legis non custodit, sed implicatur erroribus variis.

^{*}29.27 *Recupera proximum.* Consulit, ut secundum vires proximo præbeas solatium, et sic tibi prævideas, ne in laqueum cadas.

[†]29.28 *Initium vitæ,* etc. RAB. Fragilitatem, et hospitalitatem et honestatem docet, etc., usque ad et Dominus primis parentibus pelliceas tunicas post peccatum fecit.

asserum quam epulæ splendidæ in peregre sine domicilio.[‡] ³⁰ Minimum pro magno placeat tibi, et impropriū peregrinationis non audies.[¶] ³¹ Vita nequam hospitandi de domo in domum: et ubi hospitabitur non fiducialiter aget, nec aperiet os. ³² Hospitabitur, et pascet, et potabit ingratos, et ad hæc amara audiet: ³³ transi, hospes, et orna mensam, et quæ in manu habes ciba ceteros.[§] ³⁴ Exi a facie honoris amicorum meorum: necessitudine domus meæ hospitio mihi factus est frater.^{**} ³⁵ Gravia hæc homini habenti sensum: correptio domus, et impropriū fœneratoris.]

30 [Qui diligit filium suum assiduatur illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia.^{††} ² Qui docet filium suum laudabitur in illo, et in medio domesticorum in illo gloriabitur. ³ Qui docet filium suum in zelum mittit inimicum, et in medio amicorum gloriabitur in illo. ⁴ Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. ⁵ In vita sua vidit, et lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis: ⁶ reliquit enim defensorem domus contra inimicos, et amicis reddentem gratiam. ⁷ Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, et super omnem vocem turbabuntur viscera ejus. ⁸ Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet præceps.^{‡‡} ⁹ Lacta filium, et paventem te faciet: lude cum eo, et contristabit te. ¹⁰ Non corrideas illi, ne doleas, et in novissimo obstupescant dentes tui. ¹¹ Non des illi potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius. ¹² Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus dum infans est, ne forte induret, et non credat tibi, et erit tibi dolor animæ. ¹³ Doce filium tuum, et operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.] ¹⁴ [Melior est pauper sanus, et fortis viribus, quam dives imbecillis et flagellatus malitia.^{¶¶} ¹⁵ Salus animæ in sanctitate justitiæ melior est omni auro et argento: et corpus validum quam census immensus.^{§§} ¹⁶ Non est census super censum salutis corporis, et non est oblectamentum super cordis gaudium. ¹⁷ Melior est mors quam

[‡]29.29 *Melior est victus pauperis*, etc. Ad litteram. Melius est tenuem victum sub vili tugurio sumere in securitate, quam splendidas epulas cum fatigatione in incertis locis quærere. ID. Allegorice. Melior est victus, etc., usque ad ubi labor et superflua cura.

[¶]29.30 *Minimum*. ID. Sufficiat tibi quod habes, etc., usque ad melius est nomen bonum quam deliciæ multæ.

[§]29.33 *Transi*. Quasi: Qui alieno delectaris hospitio, redi ad propria, et de labore tuo te et alios pasce. Noli de aliena domo pastum tibi superfluum quærere. Sufficit tibi susceptio proximorum.

^{**}29.34 *Impropriū*. RAB. Mystice autem monetur vir ecclesiasticus, etc., usque ad in futuro autem examine æternum confusionis impropriū sustineat.

^{††}30.1 *Qui diligit filium*. RAB. Patres tam carnales quam spirituales monet, ut filios suos diligenter erudiant, ut honeste vivant, ne lasciviendo per aliorum dogmata discurrant.

^{‡‡}30.8 *Equus indomitus*. Equus indomitus in præcipitium vadit; filius indisciplinatus in peccatum ruit. Docet ergo spirituales patres, ut filios suos erudiant et corrigant; ne eis immoderate frena relaxent, ne cadant in turpitudinem vitiorum, et ipsi ignominiam sustineant sempiternam.

^{¶¶}30.14 *Melior est pauper*. Dulcis est somnus operanti, sive multum comedat, sive parum. Saturitas enim divitis non sinit dormire eum.

^{§§}30.15 *Salus animæ*. Vera salus animæ justitia est, cui aurum et argentum non valent comparari, quia non proderunt divitiæ in die ultionis. Justitia autem animam liberabit a morte.

vita amara, et requies æterna quam languor perseverans. ¹⁸ Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro. * ¹⁹ Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabit. ²⁰ Sic qui effugatur a Domino, portans mercedes iniquitatis: ²¹ videns oculis et ingemiscens, sicut spado complectens virginem, et suspirans. † ²² Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas temetipsum in consilio tuo. ²³ Jucunditas cordis, hæc est vita hominis, et thesaurus sine defectione sanctitatis: et exsultatio viri est longævitas. ‡ ²⁴ Miserere animæ tuæ placens Deo, et contine: congrega cor tuum in sanctitate ejus, et tristitiam longe repelle a te. ²⁵ Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa. ²⁶ Zelus et iracundia minuunt dies, et ante tempus senectam adducet cogitatus. ¶ ²⁷ Splendidum cor et bonum in epulis est: epulæ enim illius diligenter fiunt.]

31 [Vigilia honestatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius auferet somnum. § ² Cogitatus præscientiæ avertit sensum, et infirmitas gravis sobriam facit animam. ³ Laboravit dives in congregatione substantiæ, et in requie sua replebitur bonis suis. ⁴ Laboravit pauper in diminutione victus, et in fine inops fit. ⁵ Qui aurum diligit non justificabitur, et qui insequitur consumptionem replebitur ex ea. ⁶ Multi dati sunt in auri casus, et facta est in specie ipsius perditio illorum. ⁷ Lignum offensionis est aurum sacrificantium: væ illis qui sectantur illud ! et omnis imprudens deperiet in illo. ⁸ Beatus dives qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. ⁹ Quis est hic? et laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita sua. ¹⁰ Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit. ¹¹ Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum.] ¹² [Supra mensam magnam sedisti? non aperiatis super illam faucem tuam prior. ** ¹³ Non dicas sic: Multa sunt, quæ super illam sunt. †† ¹⁴ Memento quoniam malus est oculus nequam. ¹⁵ Nequius oculo quid creatum est? ideo ab omni facie sua lacrimabitur, cum viderit. ¹⁶ Ne extendas manum tuam prior, et invidia contaminatus erubescas. ¹⁷ Ne comprimaris in convivio. ¹⁸ Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso. ¹⁹ Utere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur: ne, cum

*30.18 *Bona abscondita*. RAB. Contra eos loquitur, qui talentum verbi abscondunt; quorum scientia virtutibus inutilis, sicut epulæ mortuis et thesaurus.

†30.21 *Sicut spado*. Non facit ad complexum virginis, sic adoratio idoli, adorantibus incongrua et inutilis.

‡30.23 *Jucunditas cordis*. Quia nulla virtus sine ea consistit. *Major autem horum est charitas* I Cor. 13..

¶30.26 *Minuunt dies*, etc. *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos* Psal. 54.. ID. Id est, prosperitatem, quam sibi promittunt, non possunt habere in perpetuum.

§31.1 *Lignum offensionis*. RAB. Sicut Adam in ligno vetito, etc., usque ad quæ splendore eloquentiæ nitet, et curiosos seducit.

**31.12 *Supra mensam*. ID. Ad litteram, continentiam, etc., usque ad sed sanctorum doctorum viam teneamus.

††31.13 *Non dicas*, etc. ID. Quasi diceret: Ne præsumptione aliquid agas, vel antequam discas ad scribendum manum mittas.

manducas multum, odio habearis.^{‡‡} ²⁰ Cessa prior causa disciplinæ: et noli nimius esse, ne forte offendas. ²¹ Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere. ²² Quam sufficiens est homini eruditio vinum exiguum ! et in dormiendo non laborabis ab illo, et non senties dolorem.^{¶¶} ²³ Vigilia, cholera et tortura viro infrunito, ²⁴ somnus sanitatis in homine parco: dormiet usque mane, et anima illius cum ipso delectabitur.^{§§} ²⁵ Et si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, evome, et refrigerabit te, et non adduces corpori tuo infirmitatem. ^{*} ²⁶ Audi me, fili, et ne spernas me, et in novissimo invenies verba mea. ²⁷ In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi.[†] ²⁸ Splendidum in panibus benedicent labia multorum, et testimonium veritatis illius fidele.[‡] ²⁹ Nequissimo in pane murmurabit civitas, et testimonium nequitiae illius verum est. ³⁰ Diligentes in vino noli provocare: multos enim exterminavit vinum.[¶] ³¹ Ignis probat ferrum durum: sic vinum corda superbiorum arguet in ebrietate potatum.[§] ³² Æqua vita hominibus vinum in sobrietate: si bibas illud moderate, eris sobrius.^{**} ³³ Quæ vita est ei qui minuitur vino? ³⁴ Quid defraudat vitam? mors. ³⁵ Vinum in iucunditatem creatum est, et non in ebrietatem ab initio. ³⁶ Exsultatio animæ et cordis vinum moderate potatum. ³⁷ Sanitas est animæ et corpori sobrius potus. ³⁸ Vinum multum potatum irritationem, et iram, et ruinas multas facit. ³⁹ Amaritudo animæ vinum multum potatum. ⁴⁰ Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, et faciens vulnera. ⁴¹ In convivio vini non arguas proximum, et non de-

^{‡‡}31.19 *Uttere*, etc. Quasi: Sobrietatem dilige, temperanter age, et ne quid nimis, ne in scandalum confusionis incidas. Convenit ergo Christiano ante omnia humilitatem diligere, in lectione Scripturæ cautum esse, rectam fidem tenere, modum in scientia servare, et charitatis regulam, ut probatus sit coram Deo et hominibus.

^{¶¶}31.22 *Quam sufficiens*. Tenuis victus tam animæ quam corpori utilis est, superfluous vero e contra. *Vinum exiguum*. Vinum quoque spirituale sumptum moderate, utile est tam corpori quam animæ: immoderate enim insanire facit, et a Deo disjungit, unde anxia cura, et turbatio maxima, et perpetua tortura.

^{§§}31.24 *Somnus sanitatis*. Subtilior est somnus in parvo victu. Mystice autem qui sobrius est in spirituali vino, in contemplatione veritatis quiescit usque in mane resurrectionis.

^{*}31.25 *Et vomere*, etc. Aiunt medici, quod vomitus stomachum purgat: choleram minuit. Mystice autem qui transgreditur mensuram et gravatur carnalibus delictis, per confessionem peccati foeditatem evomat, et per corporis castigationem ad sanitatem redeat.

[†]31.27 *In omnibus operibus*. Monet ne tempus perdamus, bene operemur, ut mandata Dei custodientes requiem inveniamus animabus nostris.

[‡]31.28 *Splendidum*. Ad litteram: ad eleemosynam invitatur: Quia *qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* II Cor. 9.. Mystice autem qui panem verbi fideliter dispensat, et testimonium veritatis non occultat, in præsentem, et in futuro benedicetur.

[¶]31.30 *Multos enim*, etc. RAB. Id est ebrietas multos subvertit, quæ sensum minuit, iram excitat, libidinem inflamat, animi secreta revelat.

[§]31.31 *Ignis*. Id est sicut ignis ferri durtiam mollit, et candescere facit; sic vinum corda superbiorum inflamat, ad facinus impellit.

^{**}31.32 *Æqua vita*. Vinum sobrie potatum vitam æquitatis non tollit; sed sobrietatem, et cætera virtutum ornamenta adducit. *Vinum*. Patet irritationem, iram, et ruinas multas ebrietate nasci, et amaritudinem animæ, et scelerum vulnera multiplicari.

spicias eum in iucunditate illius. ⁴² Verba impropertii non dicas illi, et non premas illum repetendo.]

32 [Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis.†† ² Curam illorum habe, et sic conside, et omni cura tua explicita recumbe: ³ ut læteris propter illos, et ornamentum gratiæ accipias coronam, et dignationem consequaris corrogationis. ⁴ Loquere major natu: decet enim te ⁵ primum verbum diligenti scientia, et non impediās musicam. ⁶ Ubi auditus non est, non effundas sermonem, et importune noli extolli in sapientia tua. ⁷ Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini.‡‡ ⁸ Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in iucundo et moderato vino. ⁹ Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. ¹⁰ Adolescens, loquere in tua causa vix. ¹¹ Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. ¹² In multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et quærens. ¹³ In medio magnatorum non præsumas: et ubi sunt senes non multum loquaris. ¹⁴ Ante grandinem præibit coruscatio: et ante verecundiam præibit gratia, et pro reverentia accedet tibi bona gratia.¶¶ ¹⁵ Et hora surgendi non te trices: præcurre autem prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude,§§ ¹⁶ et age conceptiones tuas, et non in delictis et verbo superbo: ¹⁷ et super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit, et inebriantem te ab omnibus bonis suis.] ¹⁸ [Qui timet Dominum excipiet doctrinam ejus: et qui vigilaverint ad illum invenient benedictionem. ¹⁹ Qui quærit legem replebitur ab ea, et qui insidiosè agit scandalizabitur in ea. ²⁰ Qui timent Dominum invenient iudicium justum, et iustitias quasi lumen accendent. ²¹ Peccator homo vitabit correptionem, et secundum voluntatem suam invenient comparisonem. ²² Vir consilii non disperdet intelligentiam: alienus et superbus non pertimescet timorem.* ²³ etiam postquam fecit cum eo sine consilio, et suis insectationibus arguetur. ²⁴ Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.† ²⁵ In via ruinæ non eas, et non offendes in lapides: nec credas te viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum. ²⁶ Et a filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende. ²⁷ In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ, hoc est enim conservatio mandatorum. ²⁸ Qui credit Deo attendit mandatis: et qui confidit in illo non minorabitur.]

33 [Timenti Dominum non occurrent mala: sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis. Sapiens non odit mandata et iustitias, ² et non illidetur quasi in procella navis. ³ Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis.]

††32.1 *Rectorem*. RAB. Qui dignitate præest, non debet superbire: *Qui major est vestrum, fiat sicut minor*, etc. Matth. 10..

‡‡32.7 *Gemmula carbunculi*. RAB. Ardentium gemmarum principatum tenet, etc., usque ad et mysteria Dominicæ passionis digno veneratur sacramento.

¶¶32.14 *Ante grandinem*. ID. Fulgor coruscationis præibit pondus grandinis; sic nitor gratiæ verecundiam.

§§32.15 *Hora surgenti*. ID. Admonet ne simus tristes, etc., usque ad qui per gratiam nos fecit, et bonis [operibus] omnibus replevit.

*32.22 *Vir consilii*. Quanto quis prudentior, tanto utitur proximorum consilio, ut addat sibi intelligentiam.

†32.24 *Fili, sine consilio*. Possunt hæc de catholico et hæretico accipi. Catholicus enim Deum timens omnia agit doctorum consilio et Scripturarum documento. Hæreticus vero propria confidens sapientia, et propriis instat inventionibus: sed cum stultitia ejus apparuerit, per sanctos prædicatores divinis arguetur sententiis

⁴ [Qui interrogationem manifestat parabit verbum, et sic deprecatus exaudietur: et conservabit disciplinam, et tunc respondebit. ⁵ Præcordia fatui quasi rota carri, et quasi axis versatilis cogitatus illius.[‡] ⁶ Equus emissarius, sic et amicus subsannator: sub omni supra sedente hinnit.][¶] ⁷ [Quare dies diem superat, et iterum lux lucem, et annus annum a sole?[§] ⁸ A Domini scientia separati sunt, facto sole, et præceptum custodiende. ^{**} ⁹ Et immutavit tempora, et dies festos ipsorum, et in illis dies festos celebraverunt ad horam. ¹⁰ Ex ipsis exaltavit et magnificavit Deus, et ex ipsis posuit in numerum dierum: et omnes homines de solo et ex terra unde creatus est Adam.^{††} ¹¹ In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos, et immutavit vias eorum. ¹² Ex ipsis benedixit et exaltavit, et ex ipsis sanctificavit, et ad se applicavit, et ex ipsis maledixit, et humiliavit, et convertit illos a separatione ipsorum. ¹³ Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud et disponere.^{‡‡} ¹⁴ Omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus: sic homo in manu illius qui se fecit, et reddet illi secundum iudicium suum. ¹⁵ Contra malum bonum est, et contra mortem vita: sic et contra virum justum peccator, et sic intueri in omnia opera Altissimi, duo et duo, et unum contra unum.]^{¶¶} ¹⁶ [Et ego novissimus evigilavi, et quasi qui colligit acinos post vindemiatores. ¹⁷ In benedictione Dei et ipse speravi, et quasi qui vindemiat replevi torcular. ¹⁸ Respicite quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam.^{§§} ¹⁹ Audite me, magnates et omnes populi: et rectores ecclesiæ, auribus percipite.]^{*} ²⁰ [Filio et mulieri, fratri et amico, non des potestatem super te in vita tua: et non dederis alii possessionem tuam, ne forte pœniteat te, et depreceris pro

[‡]33.5 *Præcordia fatui*. RAB. Sicut rota carri et axis, etc., *usque ad: Cor stultorum dissimile erit* Prov. 15..

[¶]33.6 *Equus*, etc. ID. Sicut jumento nulla est ratio, etc., usque ad sed per oris officia æqualiter utrique pandit secreta.

[§]33.7 *Quare dies*. ID. Quia superius stultum vituperavit, etc., usque ad ut sint in signa et tempora, et dies, et annos.

^{**}33.8 *Facto sole*. ID. Præcepit Deus in lege, etc., usque ad et maxime placere quod ordine et ratione fit.

^{††}33.10 *Ex ipsis exaltavit*. ID. Id est, sua discretione illos distinxit, quos pro benefactis remuneravit, et quibus pro malefactis dignam mercedem retribuit. *Et omnes homines*. Post dispositionem siderum, etc., usque ad impios vero æterna maledictione damnavit.

^{‡‡}33.13 *Quasi lutum*, etc. RAB. In manu sua habet conditor massam humani generis, etc., usque ad et quem debeat indurare secundum iustitiam.

^{¶¶}33.15 *Contra malum*. Investigator operum Dei invenit in ipsis quamdam contrarietatem, sed mirabiliter a Deo ordinatam. Non est ergo mali conditor Deus, qui fecit omnia bona valde; nec mortem fecit, nec lætatur in perditione mortuorum, sed universitatis est mirabilis ordinator. Naturæ ergo bonæ sunt, et a Deo sunt: vitia vero non ex Deo.

^{§§}33.18 *Respicite*. Omnes communiter admonet, ut juris sui rationem non omittant, quia non aliter potest habere pacem et quietem. Qui enim primatus sui auctoritatem perdit, in despectionem et angustiam se mittit: qui autem locum suum sapienter custodit, se et suos ad profectum virtutis dirigit.

^{*}33.19 *Audite*. Ad litteram patres docet, ut filios regant, et cum disciplina nutriant, donec veniant ad ætatem perfectam, ut digni hæredes patrum suorum possint esse. Spiritualiter vero instruit rectores Ecclesiæ, ut dignitatem suam usque ad finem teneant et discipulos suos bene nutritos hæredes sui laboris relinquunt. Tenere debent rectores exterius quod pro aliorum utilitate suscipiunt.

illis. ²¹ Dum adhuc superes et aspiras, non immutabit te omnis caro. ²² Melius est enim ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum. ²³ In omnibus operibus tuis præcellens esto. ²⁴ Ne dederis maculam in gloria tua. In die consummationis dierum vitæ tuæ, et in tempore exitus tui, distribue hæreditatem tuam.] ²⁵ [Cibaria, et virga, et onus asino: panis, et disciplina, et opus servo.† ²⁶ Operatur in disciplina, et quærit requiescere: laxa manus illi, et quærit libertatem. ²⁷ Jugum et lorum curvata collum durum, et servum inclinant operationes assiduæ. ²⁸ Servo malevolo tortura et compedes: mitte illum in operationem, ne vacet: ²⁹ multam enim malitiam docuit otiositas. ³⁰ In opera constitue eum: sic enim concedet illum. Quod si non obaudierit, curva illum compedibus, et non amplifies super omnem carnem: verum sine iudicio nihil facias grave. ³¹ Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta, quoniam in sanguine animæ comparasti illum.‡ ³² Si læseris eum injuste, in fugam convertetur: ³³ et si extollens discesserit, quem quæras et in qua via quæras illum nescis.]

34 [Vana spes et mendacium viro insensato: et somnia extollunt imprudentes. ² Quasi qui apprehendit umbram et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia.¶ ³ Hoc secundum hoc visio somniorum, ante faciem hominis similitudo hominis. ⁴ Ab immundo, quid mundabitur? et a mendace, quid verum dicitur? ⁵ Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia malefacientium, vanitas est: ⁶ et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur. Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum: ⁷ multos enim errare fecerunt somnia, et ex-ciderunt sperantes in illis. ⁸ Sine mendacio consummabitur verbum legis, et sapientia in ore fidelis complanabitur.]§ ⁹ [Qui non est tentatus quid scit? vir in multis expertus cogitabit multa: et qui multa didicit enarrabit intellectum.** ¹⁰ Qui non est expertus pauca recognoscit: qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam.†† ¹¹ Qui tentatus non est qualia scit? qui implanatus est abundabit nequitia. ¹² Multa vidi errando, et plurimas verborum consuetudines.‡‡ ¹³ Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa, et liberatus sum gratia Dei.] ¹⁴ [Spiritus timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicetur. ¹⁵ Spes enim illorum in salvantem illos, et oculi Dei in diligentes se. ¹⁶ Qui timet Dominum nihil trepidabit: et non

†33.25 *Cibaria et virga*, etc. RAB. Necesse est ut iniqui servi, etc., usque ad ut habeant, scilicet victum et vestitum, non vagandi otium.

‡33.31 *Si est tibi fidelis*, etc. ID. Boni servi legem tradidit, etc., usque ad non est enim homo persequendus, sed vitia.

¶34.2 *Quasi qui apprehendit*. RAB. Significat somnia fallacia, etc., usque ad ut sciant quid a bono spiritu percipiant, vel quid ab illusionem patiantur.

§34.8 *Sine mendacio*. Abiectis somniis hortatur credendum esse doctrinæ sapientiæ, quæ in ore fidelis viri complantata sine mendacio consummat verbum.

**34.9 *Enarrabit intellectum*. Aliis instruendis: unde, *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus consolari eos qui in omni pressura sunt* II Cor. 12..

††34.10 *Qui autem in multis*, etc. Mutabilis, scilicet mente, instabilis est actione. Vel, qui fidei unitate perdita multiplices sequitur hæreticorum sectas, multis impietatibus servit.

‡‡34.12 *Plurimas verborum* RAB. Scripturam significat; qui intente Scripturam meditatur, et humiliter Dominum deprecatur, et rerum et verborum scientiam adipiscitur.

pavebit, quoniam ipse est spes ejus. ¹⁷ Timentis Dominum, beata est anima ejus. ¹⁸ Ad quem respicit, et quis est fortitudo ejus? ¹⁹ Oculi Domini super timentes eum: protector potentiae, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani: ²⁰ deprecatio offensionis, et adiutorium casus: exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem.] ²¹ [Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, et non sunt beneplacitae subsannationes iniquorum. ²² Dominus solus sustententibus se in via veritatis et justitiae. ²³ Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. ¶ ²⁴ Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. ²⁵ Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum homo sanguinis est. ²⁶ Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. §§ ²⁷ Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. ²⁸ Unus aedificans, et unus destruens: quid prodest illis, nisi labor? * ²⁹ Unus orans, et unus maledicens: cujus vocem exaudiet Deus? ³⁰ Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? † ³¹ Sic homo qui jejunit in peccatis suis, et iterum eadem faciens: quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?]

35 [Qui conservat legem multiplicat oblationem. ‡ ² Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate. ³ Et propitiationem litare sacrificii super injustitias: et deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia. ¶ ⁴ Retribuet gratiam qui offert similaginem: et qui facit misericordiam offert sacrificium. § ⁵ Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate: et deprecatio pro peccatis recedere ab injustitia. ⁶ Non apparebis ante conspectum Domini vacuus: ⁷ haec enim omnia propter mandatum Dei fiunt. ⁸ Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi. ⁹ Sacrificium justi acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus. ¹⁰ Bono animo gloriam redde Deo, et non minuas primi-

¶¶34.23 *Dona iniquorum.* Valde detestabile est sacrificium, quod orbatu patris dolori comparatur. Quidam pensant quanta tribuunt, et non quanta rapiunt. Et congregant mercedes, et mittunt eas in saccum pertusum. In sacco pertuso videtur, quando pecunia mittitur, sed non quando amittitur. Qui ergo quanta largiuntur aspiciunt, sed non quanta rapiunt, in sacculo pertuso mercedes mittunt, quia eas in spem fiduciae suae intuentes congerunt, sed non se intuentes perdunt.

§§34.26 *Qui aufert.* RAB. In sudore vultus sui pauper acquirit panem. Qui hunc violenter tollit, quasi qui occidit proximum suum.

*34.28 *Unus aedificans.* Hoc est quod supra dixit, sacrificium de rapina non esse acceptabile. Qui offert de rapina, videtur sibi aedificium virtutum praeparare, non crimen avaritiae attendit et rapinae.

†34.30 *Qui baptizatur.* ID. Lavamini, etc., usque ad et rursum flenda committunt.

‡35.1 *Qui conservat.* RAB. Bene orat, etc., usque ad quia bene operando servat justitiam.

¶35.3 *Propitiationum.* Inter *litare et sacrificare* hoc distat. Nam sacrificat qui sacrificium facit. Litat qui sacrificium facit, et quod sacrificio petiit, impetrat.

§35.4 *Retribuet,* etc. Utrumque, scilicet gratum Deo, et quod in altari in commemorationem Jesu Christi offertur, et quod per charitatem proximo tribuitur.

tias manuum tuarum.**¹¹ In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exultatione sanctifica decimas tuas.¹² Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo ad-
 inventionem facito manuum tuarum,¹³ quoniam Dominus retribuens est, et septies tantum reddet tibi.^{††}¹⁴ Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa.^{‡‡}¹⁵ Et noli inspicere sacrificum injustum, quoniam Dominus iudex est, et non est apud illum gloria personæ.¹⁶ Non accipiet Dominus personam in pauperem, et deprecationem læsi exaudiet.¹⁷ Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus.¹⁸ Nonne lacrimæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas?¹⁹ A maxilla enim ascendunt usque ad cælum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis.²⁰ Qui adorat Deum in oblectatione suscipietur, et deprecatio illius usque ad nubes propinquabit.]²¹ [Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet non consolabitur, et non discedet donec Altissimus aspiciat.^{¶¶}²² Et Dominus non elongabit: et iudicabit justos, et faciet iudicium: et Fortissimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorsum ipsorum:²³ et gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum, et scepra iniquorum contribulet:²⁴ donec reddat hominibus secundum actus suos, et secundum opera Adæ, et secundum præsumptionem illius:²⁵ donec iudicet iudicium plebis suæ, et oblectabit justos misericordia sua.²⁶ Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.]

36 [Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum:^{§§}² et immitte timorem tuum super gentes quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est deus nisi tu, et enarrent magnalia tua.³ Alleva manum tuam super gentes alienas, ut videant potentiam tuam.⁴ Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis:⁵ ut cognoscant te, sicut et nos cognovimus quoniam non est deus præter te, Domine.⁶ Innova signa, et immuta mirabilia.⁷ Glorifica manum et brachium dextrum.^{*}⁸ Excita furorem, et effunde iram.⁹ Tolle adversarium, et afflige inimicum.¹⁰ Festina tempus, et memento finis, ut enarrent mirabilia tua.¹¹ In ira flammæ devoretur qui salvatur: et qui pessimant plebem tuam inveniunt perditionem.¹² Con-

**35.10 *Bono animo.* ID. Quidquid bono animo non datur, apud Deum gratiam non meretur. Homo enim videt in facie, Deus autem in corde. *Et non minuas*, etc. Mystice. Primitiæ frugum, etc., usque ad a quo et boni operis initium et perfectio donatur.

††35.13 *Septies tantum.* Perfectam, scilicet remunerationem. Septenarius enim, etc., usque ad sed etiam quatuor principalium virtutum operationem præbet.

‡‡35.14 *Noli offerre munera,* etc. Apud Deum non est quantitas muneris; nec persona potentis aspicitur: sed dilectio et humilitas cordis. Ideo non debet offerri sacrificium de iniquitate, sed de justo labore.

¶¶35.21 *Et donec propinquet,* etc. Ad superiora respicit, affirmans, quia Dominus orationem humilium misericorditer exaudit, qui non cessant, donec consolationem accipiant.

§§36.1 *Miserere nostri.* RAB. Ex persona fidelium dirigit orationem ad Deum, ut illos defendat et inimicos deprimat, ut digne correcti Deum iterum agnoscant, et idola deserant.

*36.7 *Glorifica manum,* etc. ID. Optat, ut divina majestas per manum et dextrum brachium, id est, per Christum, per quem antiqua miracula facta sunt, innovet tempore gratiæ, ut veteris legis et novæ idem intelligatur esse Deus.

tere caput principum inimicorum, dicentium: Non est alius præter nos. ¹³ Congrega omnes tribus Jacob, ut cognoscant quia non est deus nisi tu, et enarrent magnalia tua, et hæreditabis eos sicut ab initio. ¹⁴ Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum, et Israël quem coæquasti primogenito tuo. ¹⁵ Miserere civitati sanctificationis tuæ, Jerusalem, civitati requiei tuæ. [†] ¹⁶ Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, et gloria tua populum tuum. [‡] ¹⁷ Da testimonium his qui ab initio creaturæ tuæ sunt, et suscita prædicationes quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores. [¶] ¹⁸ Da mercedem sustententibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur: et exaudi orationes servorum tuorum, ¹⁹ secundum benedictionem Aaron de populo tuo: et dirige nos in viam justitiæ, et sciant omnes qui habitant terram quia tu es Deus conspexitor sæculorum.] [§] ²⁰ [Omnem escam manducabit venter: et est cibus cibo melior. ^{**} ²¹ Fauces contingunt cibum feræ, et cor sensatum verba mendacia. ²² Cor pravum dabit tristitiam, et homo peritus resistet illi. ²³ Omnem masculum excipiet mulier: et est filia melior filia. ²⁴ Species mulieris exhilarat faciem viri sui, et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium. ^{††} ²⁵ Si est lingua curationis, est et mitigationis et misericordiæ: non est vir illius secundum filios hominum. ^{‡‡} ²⁶ Qui possidet mulierem bonam inchoat possessionem: adjutorium secundum illum est, et columna ut requies. ^{¶¶} ²⁷ Ubi non est sepes, diripietur possessio: et ubi non est mulier, ingemiscit egens. ²⁸ Quis credit ei qui non habet nidum, et deflectens ubicumque obscuraverit, quasi succinctus latro exiliens de civitate in civitatem?]^{§§}

[†]36.15 *Extolle adversarium*, etc. RAB. Significat per adventum Christi, etc., usque ad pro statu Ecclesiæ et fidelium salute.

[‡]36.16 *Sion*, etc. Notitia Scripturæ, in qua prædicatur inenarrabilis virtus Dei.

[¶]36.17 *Et suscita*, etc., Omnes prophetæ incarnationi Christi dant testimonium, quod Deus homo factus Ecclesiam sibi desponsaret.

[§]36.19 *Secundum benedictionem*, etc. ID. Ordinem scilicet, et ritum sacerdotii, etc., usque ad quod Aaron figuravit in temporalibus sacrificiis, hoc impleat in spiritualibus Evangelii.

^{**}36.20 *Omnem escam*. ID. Postquam prædixit vocationem gentium, etc., usque ad sic veracem doctrinam discernamus, et fallacem.

^{††}36.24 *Species mulieris*. Christi gratia, quæ per prædicationem animas curat, et carnis concupiscentiam mitigat. Hæc in Ecclesia abundat, cujus desiderium est super omnem concupiscentiam hominis, quia in ea decor virtutum et pulchritudo doctrinæ. *Super omnem*. Nulla concupiscentia hominis huic desiderio potest comparari: quia, *Fallax gratia et vana est pulchritudo; mulier timens Deum ipsa laudabitur* Prov. 31..

^{‡‡}36.25 *Non est vir*. Christus qui excedit humanam naturam. Unde, *Speciosus forma præ filiis hominum* Psal. 44.. Hic enim peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus.

^{¶¶}36.26 *Adjutorium*. Adjutorium Ecclesiæ est secundum dispensationem Christi. Unde, *Justum adjutorium meum a Domino* Psal. 7., etc. Ipse est infinitatis ejus columna, et laboris requies.

^{§§}36.28 *Qui non habet nidum*. Id est, Ecclesiam, ubi electorum animæ filios bonorum operum nutriunt. Unde, *Invenit sibi passer domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos*. Psal. 83..

37 [Omnis amicus dicit: Et ego amicitiam copulavi: sed est amicus solo nomine amicus. Nonne tristitia inest usque ad mortem?]* 2 sodalis autem et amicus ad inimicitiam convertentur.† 3 O præsumptio nequissima, unde create es cooperire aridam malitia et dolositate illius?‡ 4 Sodalis amico conjucundatur in oblectationibus, et in tempore tribulationis adversarius erit. 5 Sodalis amico condolet causa ventris, et contra hostem accipiet scutum.¶ 6 Non obliviscaris amici tui in animo tuo, et non immemor sis illius in opibus tuis. 7 Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, et a zelantibus te absconde consilium.] 8 [Omnis consiliarius prodit consilium, sed est consiliarius in semetipso. § 9 A consiliario conserva animam tuam: prius scito quæ sit illius necessitas: et ipse enim animo suo cogitabit: 10 ne forte mittat sudem in terram, et dicat tibi: 11 Bona est via tua: et stet et contrario videre quid tibi eveniat. 12 Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, et cum injusto de justitia, et cum muliere de ea quæ æmulatur, cum timido de bello, cum negotiatore de traiectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis, 13 cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de omni opere, 14 cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione. Non attendas his in omni consilio:** 15 sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei: 16 cujus anima est secundum animam tuam, et qui, cum titubaveris in tenebris, condolebit tibi. 17 Cor boni consilii statue tecum: non est enim tibi aliud pluris illo. 18 Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.†† 19 Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.] 20 [Ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile. 21 Verbum nequam immutabit cor: ex quo partes quatuor oriuntur: bonum et malum, vita et mors: et dominatrix illorum est assidua lingua. Est vir astutus multorum eruditor, et animæ suæ inutilis

*37.1 *Omnis amicus.* RAB. Superius diligentius expressit verum amicum et falsum, dicens: *Et non permanebit in die tribulationis.*

†37.2 *Sodalis autem.* Verus amicus toto animo diligit, et opere proficit. Unde, *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate* I Joan. 3..

‡37.3 *O Præsumptio.* Detestatur hypocrisim, cum malus se bonum esse simulat *cooperiendō aridam malitiam*, in qua scilicet non est pinguedo charitatis vel misericordiæ.

¶37.5 *Causa ventris.* Pro gula, non pro amicitia. Possunt in falsis amicis hæretici intelligi, qui omnia recte faciunt, quasi animarum consultores, cum sint proditores. Unde, *Attendite a falsis prophetis qui* Matth. 7., etc. *Cum socero.* Socer, qui a parte feminea est cognatus, muliebrem et mutabilem ostendit animum, similiter et zelus qui præcipue est animarum.

§37.8 *Omnis consiliarius.* Adhuc docet cautelam omnem habendam in suscipiendis amicis et consiliariis. Multi enim se amicos et consiliarios fingunt, et insidias tendunt. Unde Jeremias, *Unusquisque se a proximo suo custodiat* Jer. 9..

**37.14 *Non attendite.* RAB. Diversas species consiliantium enumeravit, in quibus plures personas notavit, quæ a veritate discordant. Unde præcepit cum talibus non esse consiliandum, quorum consilium periclitatur. Prævidenda est ergo consiliarii prudentia, fides, voluntas, et religio.

††37.18 *Anima sancti viri.* Consiliariorum, diversitate ostensa, adjungit, quantum humanæ sapientiæ sanctorum excellat scientia a Spiritu sancto infusa.

est. ²²Vir peritus multos erudit, et animæ suæ suavis est. ²³Qui sophisticè loquitur odibilis est: in omni re defraudabitur. ²⁴Non est illi data a Domino gratia, omni enim sapientia defraudatus est. ²⁵Est sapiens animæ suæ sapiens, et fructus sensus illius laudabilis. ²⁶Vir sapiens plebem suam erudit, et fructus sensus illius fideles sunt. ²⁷Vir sapiens implebitur benedictionibus, et videntes illum laudabunt. ²⁸Vita viri in numero dierum: dies autem Israël innumerabiles sunt. ²⁹Sapiens in populo hæreditabit honorem, et nomen illius erit vivens in æternum.] ³⁰[Fili, in vita tua tenta animam tuam, et si fuerit nequam non des illi potestatem: ³¹non enim omnia omnibus expediunt, et non omni animæ omne genus placet. ³²Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam: ³³in multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram. ³⁴Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est adjiciet vitam.]

38 [Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus.* ²A Deo est enim omnis medela, et a rege accipiet donationem. ³Disciplina medici exaltabit caput illius, et in conspectu magnatorum collaudabitur. ⁴Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa. ⁵Nonne a ligno indulcata est aqua amara?† ⁶Ad agnitionem hominum virtus illorum: et dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. ⁷In his curans mitigabit dolorem: et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis: et non consummabuntur opera ejus.‡ ⁸Pax enim Dei super faciem terræ. ⁹Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum: sed ora Dominum, et ipse curabit te. ¹⁰Averte a delicto, et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum.¶ ¹¹Da suavitatem et memoriam similaginis, et impingua oblationem, et da locum medico:§ ¹²etenim illum Dominus creavit, et non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria. ¹³Est enim tempus quando in manus illorum incurras: ¹⁴ipsi vero Dominum deprecabun-

‡37.22 *Vir peritus.* Quia de lingua prædixerat: de bonis malisque doctoribus continuat.

¶37.28 *Vita viri.* ID. Præsens vita hominum in incerto non est apud eum. Unde, *Breves dies hominis sunt, numerus mensium apud te est* Job. 14..

§37.32 *Noli avidus.* Juxta historiam, parcimoniam laudat, crapulam vituperat, quæ ad infirmitatem perducit devorantem. Mystice vero admonet, ut in temporalibus simus temperantes. Unde, *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi* Prov. 25., etc. Et alibi: *Non plus sapere quam oportet* Rom. 12..

*38.1 *Honora medicum.* RAB. Discretos vult nos esse, etc., usque ad utriusque ergo honorandi, sed spirituales præferendi.

†38.5 *Nonne a ligno.* Antiquam tangit historiam quia in deserto Sur invenerunt filii Israël aquam amaram, sed Deus ostendit Moysi lignum, quod immissum aquam indulcavit; ubi juxta historiam demonstratur ligni medicina indulcari aquas Mystice autem aqua amara significat legem, cui si confessio crucis et sacramentum jungatur, potabilis efficitur.

‡38.7 *In his curans.* ID. Contra diversas infirmitates, diversa opponunt medici, cibos scilicet et potus, emplastra, et unguenta: ut morbis convenient medicamenta. Similiter faciet medici spirituales.

¶38.10 *Averte.* Simile est illud: *Declina a malo, et fac bonum. Et ab omni,* etc., et non tantum corpus, sed ut sis *innocens manibus et mundo corde.*

§38.11 *Da suavitatem.* Panis et vini sacrificium in memoriam Dominicæ passionis oblatum, præcipue curat vulnera animarum nec solum vivis, sed et mortuis valde necessarium est.

tur, ut dirigat requiem eorum, et sanitatem, propter conversationem illorum. ¹⁵ Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum, incidet in manus medici.]** ¹⁶ [Fili, in mortuum produc lacrimas, et quasi dira passus incipe plorare: et secundum iudicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius.†† ¹⁷ Propter delaturam autem amare fer luctum illius uno die, et consolare propter tristitiam: ¹⁸ et fac luctum secundum meritum ejus uno die, vel duobus, propter detractionem: ¹⁹ a tristitia enim festinat mors, et cooperit virtutem, et tristitia cordis flectit cervicem. ²⁰ In abductione permanet tristitia, et substantia inopis secundum cor ejus. ²¹ Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam a te, et memento novissimorum.‡‡ ²² Noli oblivisci, neque enim est conversio: et huic nihil proderis, et teipsum pessimabis.¶¶ ²³ Memor esto iudicii mei: sic enim erit et tuum: mihi heri, et tibi hodie. ²⁴ In requie mortui requiescere fac memoriam ejus, et consolare illum in exitu spiritus sui.]§§ ²⁵ [Sapientia scribæ in tempore vacuitatis, et qui minoratur actu sapientiam percipiet, qua sapientia replebitur. ²⁶ Qui tenet aratrum, et qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agit, et conversatur in operibus eorum, et enarratio ejus in filiis taurorum.* ²⁷ Cor suum dabit ad versandos sulcos, et vigilia ejus in sagina vaccarum. ²⁸ Sic omnis faber et architectus, qui noctem tamquam diem transigit: qui sculpsit signacula sculptilia, et assiduitas ejus variat picturam: cor suum dabit in similitudinem picturæ, et vigilia sua perficiet opus.† ²⁹ Sic faber ferrarius sedens juxta incudem, et considerans opus ferri: vapor ignis uret carnes ejus, et in calore fornacis concertatur. ³⁰ Vox mallei innovat aurem ejus, et contra similitudinem vasis oculus ejus. ³¹ Cor suum dabit in consummationem operum, et vigilia sua ornabit in perfectionem. ³² Sic figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum, et in numero est omnis operatio ejus. ³³ In brachio suo

**38.15 *Incidet in manus medici.* ID. Ægritudinis et molestiæ, etc., usque ad et instanter Dominum deprecantur ut dirigat opera eorum, et refrigerium præstet infirmantibus.

††38.16 *Fili,* etc. Quia de infirmitatibus, et medicorum curationibus disputavit, de mortuorum exsequiis adjungit.

‡‡38.21 *Memento novissimorum.* ID. Ad monitio bonorum patrum ut filii præparent sibi viaticum bonorum operum.

¶¶38.22 *Neque enim est conversio.* Quasi diceret: Ergo cautus esto in omnibus, ne forte in obitu proximi plus æquo doleas.

§§38.24 *In requie.* Quasi: Morituri memoriam continuo conserva, et confide, et spe conforta, ne in ultimo articulo deficiat.

*38.26 *Qui tenet aratrum.* Prædicatores sanctos significat, qui omni tempore docendo, exhortando, auditores suos instruunt ut interioris hominis virtutem eliciant, et animam humanam ad imaginem Dei reformat. Unde, *Ut sapiens architectus fundamentum posui* I Cor. 3.. Et alibi: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus* Gal. 4.. Quot species virtutum sunt, tot operationes et documenta mentibus electorum doctrina imprimunt.

†38.28 *Sic omnis faber,* etc. Ordo prædicatorum, qui per diversa officia ministerium suum agunt, doctrinam secundum auditores temperant: qui fragiles et infirmos verbis et exemplo formant, ut vasa in honorem faciant. *Cor suum dabit.* Cum præsentis vitæ volubilem conversationem per vestigia bonorum operum subjectis ostendit immutabilem.

formabit lutum, et ante pedes suos curvabit virtutem suam.[‡] ³⁴ Cor suum dabit ut consummet linitionem, et vigilia sua mundabit fornacem. ³⁵ Omnes hi in manibus suis speraverunt, et unusquisque in arte sua sapiens est. ³⁶ Sine his omnibus non ædificatur civitas, ³⁷ et non inhabitabunt, nec inambulabunt, et in ecclesiam non transilient. ³⁸ Super sellam iudicis non sedebunt, et testamentum iudicii non intelligunt, neque palam facient disciplinam et iudicium, et in parabolis non inveniuntur: ³⁹ sed creaturam ævi confirmabunt: et deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam suam, et conquirentes in lege Altissimi.]

39 [Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetis vacabit. ² Narrationem virorum nominatorum conservabit, et in versutias paraboliarum simul introibit. ³ Occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis paraboliarum conversabitur. ⁴ In medio magnatorum ministrabit, et in conspectu præsidis apparebit. ⁵ In terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim et mala in hominibus tentabit. ⁶ Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. ⁷ Aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur. ⁸ Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum: ⁹ et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, et in oratione confitebitur Domino: ¹⁰ et ipse diriget consilium ejus, et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur. ¹¹ Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Domini gloriabitur. ¹² Collaudabunt multi sapientiam ejus, et usque in sæculum non delebitur. ¹³ Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem. ¹⁴ Sapientiam ejus enarrabunt gentes, et laudem ejus enuntiabit ecclesia. ¹⁵ Si permanserit, nomen derelinquet plus quam mille: et si requieverit, proderit illi.][†] ¹⁶ [Adhuc consiliabor ut enarrem: ut furore enim repletus sum. ¹⁷ In voce dicit: Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.[§] ¹⁸ Quasi Libanus odorem suavitatis habete. ¹⁹ Florete flores quasi liliū: et date odorem, et frondete in gratiam: et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. ²⁰ Date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in canticis labiorum, et citharis: et sic dicetis in confessione:^{**} ²¹ Opera Domini universa bona valde. ²² In verbo ejus stetit aqua sicut congeries: et in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum:^{††} ²³ quoniam in præcepto ipsius placor fit, et non est minoratio in salute ipsius. ²⁴ Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus.^{‡‡} ²⁵ A sæculo

[‡]38.33 *In brachio suo.* RAB. Quia multis exemplis, etc., usque ad ut in fornace cordis operationem discipulorum igne solidet charitatis.

[†]39.15 *Si permanserit.* RAB. Christi, cujus sunt membra, a suo habent omnia: qui est virtus et sapientia Patris.

[§]39.17 *Obaudite me.* ID. Intelligite doctrinam meam, mentes electorum per baptismum generatæ, et fructum martyrii facite in decursu mortalis vitæ.

^{**}39.20 *Et citharis.* ID. Unde: *Confitemini Domini in cithara* Psal. 32.. Cithara est ligni ventris in imo concavitas, etc., usque ad quæ secundum formam psalterii de superius ad nos conveniunt.

^{††}39.22 *In verbo ejus.* ID. Quando congregavit aquas, etc., usque ad vel aqua persecutionis, Dei dispensatione restringitur.

^{‡‡}39.24 *Opera omnis carnis.* Præsentia Dei antecedit omnia, et quidquid fit temporaliter ei sine tempore præsens est. *Nihil ergo novum, neque mutabile est in conspectu ejus* Act. 1..

usque in sæculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus. ²⁶ Non est dicere: Quid est hoc, aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur. ^{¶¶} ²⁷ Benedictio illius quasi fluvius inundavit. ^{§§} ²⁸ Quomodo cataclysmus aridam inebriavit, sic ira ipsius gentes quæ non exquisierunt eum hæreditabit. ²⁹ Quomodo convertit aquas in siccitatem, et siccata est terra, et viæ illius viis illorum directæ sunt, sic peccatoribus offensiones in ira ejus. ³⁰ Bona bonis creata sunt ab initio: sic nequissimis bona et mala. ³¹ Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, et ferrum, sal, lac, et panis similagineus, et mel, et botrus uvæ, et oleum, et vestimentum. ^{*} ³² Hæc omnia sanctis in bona, sic et impiis et peccatoribus in mala convertentur. ³³ Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua. ³⁴ In tempore consummationis effundent virtutem, et furorem ejus qui fecit illos placabunt. ³⁵ Ignis, grando, fames, et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt: [†] ³⁶ bestiarum dentes, et scorpium, et serpentes, et rhomphæa vindicans in exterminium impios. ³⁷ In mandatis ejus epulabuntur: et super terram in necessitatem præparabuntur, et in temporibus suis non præterient verbum. [‡] ³⁸ Propterea ab initio confirmatus sum, et consiliatus sum, et cogitavi, et scripta dimisi. [¶] ³⁹ Omnia opera Domini bona, et omne opus hora sua subministrabit. ⁴⁰ Non est dicere: Hoc illo nequius est: omnia enim in tempore suo comprobabuntur. [§] ⁴¹ Et nunc in omni corde et ore collaudate, et benedicite nomen Domini.] ^{**}

40 [Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium. ² Cogitationes eorum, et timores cordis, adinventio exspectationis, et dies finitionis, ^{††} ³ a residente super sedem gloriosam, usque ad humiliatum in terra et cinere: ⁴ ab eo qui utitur hyacintho et portat coronam, usque ad eum qui operitur lino crudo: furor, zelus, tumultus, fluctuatio, et timor mortis, iracundia perseverans, et contentio: ⁵ et in tempore refectionis in cubili, somnus noctis

^{¶¶}39.26 **Non est dicere**, etc. Prohibet nos esse curiosos, et perscrutari quæ scire non convenit. Omnia enim in tempore suo manifestabuntur, cum illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.

^{§§}39.27 **Benedictio**, etc. Sicut post diluvii effusionem aquæ redibant, ut apparet arida et germinaret; sic post extinctionem impiorum, datur electis facultas fructificandi.

^{*}39.31 **Initium necessariæ**. Ante diluvium, fructu terræ naturali cibo nutriebantur homines, nedum erant concessæ carnes.

[†]39.35 **Ignis, grando**. RAB. Omnia homini ante peccatum obediebant; post peccatum vero pugnat contra eum orbis terrarum. Inde fames et mors, et mille pericula mortis, bestię quoque contra cum sæviunt, et rhomphæa cœlestis vindictæ.

[‡]39.37 **In mandatis**. Quia juxta supernam sententiam, in tempore opportuno digna ultio peccatores vastabit.

[¶]39.38 **Propterea ab initio, confirmatus sum**. Ad superiora respicit, ubi ait: **Non est dicere**, etc. Videt enim incomprehensibilia Dei judicia, et investigabiles vias, nec audet inde aliquid temere loqui vel scribere: sed temperate de his disputans, non causam, sed modum divino consilio manifestum dimisit.

[§]39.40 **Non est dicere**. Utile dat consilium, ut opera ei non incaute discutiamus, sed Creatorem in omnibus laudemus et benedicamus.

^{**}39.41 **Et nunc in omni tempore suo**. Quasi dicat: Ne dicas priora tempora meliora fuere quam nunc sunt. Virtutes faciunt dies bonos, vitia malos.

^{††}40.2 **Cogitationes**. RAB. Enumerat mala quæ homo pro peccatis sustinet.

immutat scientiam ejus. ⁶ Modicum tamquam nihil in requie, et ab eo in somnis, quasi in die respectus. ⁷ Conturbatus est in visu cordis sui, tamquam qui evaserit in die belli: in tempore salutis suæ exsurrexit, et admirans ad nullum timorem: ⁸ cum omni carne, ab homine usque ad pecus, et super peccatores septuplum. ⁹ Ad hæc mors, sanguis, contentio, et rhomphæa, oppressiones, fames, et contritio, et flagella: ¹⁰ super iniquos creata sunt hæc omnia: et propter illos factus est cataclysmus.] ¹¹ [Omnia quæ de terra sunt in terram convertentur, et omnes aquæ in mare revertentur. ^{*} ¹² Omne munus et iniquitas delebitur, et fides in sæculum stabit. ¹³ Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur, et sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt. [†] ¹⁴ In aperiendo manus suas lætabitur: sic prævaricatores in consummatione tabescent. ¹⁵ Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos: et radices immundæ super cacumen petræ sonant. [‡] ¹⁶ Super omnem aquam viriditas, et ad oram fluminis ante omne fœnum evelletur.] ¹⁷ [Gratia sicut paradisis in benedictionibus, et misericordia in sæculum permanet. ¹⁸ Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur, et in ea invenies thesaurum. [¶] ¹⁹ Filii et ædificatio civitatis confirmabit nomen: et super hæc mulier immaculata computabitur. ²⁰ Vinum et musica lætificant cor: et super utraque dilectio sapientiæ. [§] ²¹ Tibiæ et psalterium suavem faciunt melodiam: et super utraque lingua suavis. ²² Gratiam et speciem desiderabit oculus tuus: et super hæc virides sationes. ^{**} ²³ Amicus et sodalis in tempore convenientes, et super utrosque mulier cum viro. ²⁴ Fratres in adiutorium in tempore tribulationis: et super eos misericordia liberabit. ²⁵ Aurum et argentum est constitutio pedum: et super utrumque consilium beneplacitum. ²⁶ Facultates et virtutes exaltant cor, et

^{‡‡}40.6 **Modicum.** Quia caro mortua et insensibilis ad tempus requiescere videtur, anima jam sentit dolorem, et post resurrectionem cum corpore suo in pœnis vivet æternis.

^{¶¶}40.7 **Conturbatus est.** ID. Ideo mali cruciabuntur in pœna, etc., usque ad nobilium scilicet et ignobilium.

^{§§}40.10 **Et propter illos factus est cataclysmus.** Peccanti homini multiplex pœna deputata est, ut correctus pœniteat, et deinceps caveat; sed quia negligit, et in pœnis proficit, inducit Deus diluvium orbi, ut hominem deleret quem creavit. Ad compactionem vero futuræ pœnæ nihil est quod homo patitur in præsentem.

^{*}40.11 **Et aquæ omnes.** ID. Opera scilicet peccatorum supernæ mercedis fructum non acquirunt, sed pœnarum interitum.

[†]40.13 **Substantiæ injustorum.** Inchoant germinare, sed fluctuant in tentatione, et subito arescunt ad primum persecutionis æstum.

[‡]40.15 **Nepotes impiorum non multi.** Sæpe videmus progeniem impiorum cito deficere, maxime cum filii imitantur iniquitatem patrum.

[¶]40.18 **Vita sibi sufficientis.** Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat. **Invenies thesaurum.** Vere enim Christianum se esse probat, qui Christi mandata credit et facit.

[§]40.20 **Vinum et musica lætificant cor.** Hæc naturaliter mulcent et exhilarant animam, sed dilectio sapientiæ et lingua suaviter docens multo plus confortat intellectum.

^{**}40.22 **Gratiam et speciem desiderabit oculus.** Ornatum scilicet templi et culturæ diversitatem, quæ prior populus sub lege habuit, prædicatio Evangelii in orbe seminata, bonorum operum virore excellit

super hæc timor Domini.^{††} 27 Non est in timore Domini minoratio: et non est in eo inquirere adiutorium. 28 Timor Domini sicut paradisi benedictionis, et super omnem gloriam operuerunt illum.] 29 [Fili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius est enim mori quam indigere. 30 Vir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in cogitatione victus: alit enim animam suam cibus alienis:^{‡‡} 31 vir autem disciplinatus et eruditus custodiet se. 32 In ore imprudentis condulcabitur inopia, et in ventre ejus ignis ardebit.]^{¶¶}

41 [O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis:^{§§} 2 viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum ! 3 O mors, bonum est iudicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus, 4 defecto ætate, et cui de omnibus cura est, et incredibili, qui perdit patientiam ! 5 Noli metuere iudicium mortis: memento quæ ante te fuerunt, et quæ superventura sunt tibi: hoc iudicium a Domino omni carni.* 6 Et quid superveniet tibi in beneplacito Altissimi? sive decem, sive centum, sive mille anni: 7 non est enim in inferno accusatio vitæ.] 8 [Fili abominationum fiunt filii peccatorum, et qui conversantur secus domos impiorum.† 9 Filiorum peccatorum periet hæreditas, et cum semine illorum assiduitas opprobrii. 10 De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.‡ 11 Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi ! 12 Et si nati fueritis, in maledictione nascemini: et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. 13 Omnia quæ de terra sunt in terram convertentur: sic impii a maledicto in perditionem.¶ 14 Luctus hominum in corpore ipsorum: nomen autem impiorum delebitur. 15 Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi et magni.§ 16 Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum.] 17 [Disciplinam in pace conservate, filii: sapientia enim abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? 18 Melior est homo qui abscondit stultitiam suam, quam homo qui ab-

^{††}40.26 *Facultates et virtutes.* RAB. Divitiæ datæ in Domino, etc., usque ad et hæc et omnes facultates mundi.

^{‡‡}40.30 *Vir respiciens.* Stultum est enim otiari, et de alieno labore mercedem quærere. Percipiet enim unusquisque secundum opera sua.

^{¶¶}40.32 *In ore imprudentis conculcabitur inopia,* etc. Cui placet otiose torpere, nec proximis docendo prodesse, tandem doloribus inferni et sera poenitentia æstuabit.

^{§§}41.1 *O mors,* etc. RAB. Qui prosperitatem mundi et divitias amat, amara est illi mors corporalis, quia futuræ vitæ gaudia negligit.

*41.5 *Hoc iudicium.* ID. Commune est omni carni, nec quisquam evadere potest, etiamsi centum aut mille annos vixerit aut ultra; unde: *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?* Psal. 88..

†41.8 *Fili abominationum.* Abominabiles sunt filii peccatorum, qui scilicet, impios patres imitati sunt.

‡41.10 *De patre impio.* Qui male filios nutrit, vel exemplo perdit, reus est eorum perditionis. Vel, qui mala opera de prava voluntate gignit, damnabitur pro eis

¶41.13 *In perditionem.* Superioribus respondet, in quibus de morte temporali disputavit: quia sicut homo de terra creatus pro peccato originali in terram redit, quamvis in incorruptione surrecturus; sic impii pro peccatis suis maledicti, in æternam perditionem cum corpore et anima ibunt.

§41.15 *Curam habe de bono nomine,* etc. Ut bene et religiose vivas. Sic autem acquiritur bonum nomen.

scondit sapientiam suam. ** 19 Verumtamen reveremini in his quæ procedunt de ore meo: †† 20 non est enim bonum omnem reverentiam observare, et non omnia omnibus bene placent in fide. †† 21 Erubescite a patre et a matre de fornicatione: et a præside et a potente de mendacio: 22 a principe et a iudice de delicto: a synagoga et plebe de iniquitate: 23 a socio et amico de injustitia, et de loco in quo habitas: 24 de furto, de veritate Dei, et testamento: de discubitu in panibus, et ab obfuscatione dati et accepti: 25 a salutantibus de silentio, a respectu mulieris fornicariæ, et ab aversione vultus cognati. 26 Ne avertas faciem a proximo tuo, et ab auferendo partem et non restituendo. ¶ 27 Ne respicias mulierem alieni viri, et ne scruteris ancillam ejus, neque steteris ad lectum ejus. §§ 28 Ab amicis de sermonibus improperii: et cum dederis, ne impropere.]

42 [Non duplices sermonem auditus de revelatione sermonis absconditi: et eris vere sine confusione, et invenies gratiam in conspectu omnium hominum. Ne pro his omnibus confundaris, et ne accipias personam ut delinquas: * 2 de lege Altissimi, et testamento, et de iudicio justificare impium, 3 de verbo sociorum et vitorum, et de datione hæreditatis amicorum, 4 de æqualitate stateræ et ponderum, de acquisitione multorum et paucorum, † 5 de corruptione emptionis et negotiatorum, et de multa disciplina filiorum, et servo pessimo latus sanguinare. ‡ 6 Super mulierem nequam bonum est signum. 7 Ubi manus multæ sunt, claude: et quodcumque trades, numera et appende: datum vero et acceptum omne describe. ¶ 8 De disciplina insensati et fatui, et de senioribus qui iudicantur ab adolescentibus: et

** 41.18 *Melior est homo qui abscondit stultitiam suam*, etc. Qui abscondet frumentum, maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.

†† 41.19 *Verumtamen revertimini in his quæ procedunt*. Quia bonum nomen et bonam et vitam utilem esse prædixit, et occultantes scientiam reprehendit, suadet ut revertantur ad studium docendi, quia non est bonum irreverentem et inobedientem esse suo doctore.

†† 41.20 *Non est bonum omnem irreverentiam observare*. Juxta litteram, nos instruit ut a vitiis caveamus, et virtutibus operam demus, et ne spretris melioribus, eligamus pejora, quæ sequitur confusio sempiterna.

¶ 41.26 *Non avertas faciem tuam a proximo tuo*, etc. RAB. Cum angeli colligent de Ecclesia omnia scandala, etc., usque ad et fornicationibus hæreticorum se miscuit.

§§ 41.27 *Ne respicias mulierem alieni viri*, etc. Cupiditatem carnalem quæ debet subesse spiritui, hanc non debemus scrutari et suggestionibus ejus subjici.

* 42.1 *Non duplices sermonem*, etc. RAB. Prohibet de occulto cordis bonum et malum simul dicere; unde: Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam?

† 42.4 *De æqualitate stateræ*, etc. ID. Ubique sequenda est æquitas, etc., usque ad subjectos quoque cum discretionem disciplinæ regamus. *De æqualitate stateræ*. Quantum hypocrisis et dolus Domino displiceat ostenditur his verbis: *Statera dolosa abominatio est apud Deum*. Qui aliter causam pauperis quam potentis librat; vel sua errata leviora quam aliorum putat; vel qui imponunt in humeros hominum onera importabilia; vel qui bona in publico, mala in occulto agit, abominabilis est Domino.

‡ 42.5 *Et servo pessimo*. Significat servum qui verbis non corrigitur, verberibus esse coercendum. Servus quoque vitiorum severa disciplina corrigendus est.

¶ 42.7 *Ubi manus multæ*, etc. Admonet ubi diversæ sunt voluntates spirituali lucro inhiantes, caute esse dispensandum. Alii enim tentandi, alii discendi voto quærunt verbum, sed non omnia omnibus conveniunt.

eris eruditus in omnibus, et probabilis in conspectu omnium vivorum.]^{§ 9} [Filia patris abscondita est vigilia, et sollicitudo ejus aufert somnum: ne forte in adolescentia sua adulta efficiatur, et cum viro commorata odibilis fiat.]^{** 10} nequando polluat in virginitate sua, et in paternis suis gravida inveniatur: ne forte cum viro commorata transgrediatur, aut certe sterilis efficiatur. ¹¹ Super filiam luxuriosam confirma custodiam, nequando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detractio in civitate, et objectione plebis, et confundat te in multitudine populi.^{†† 12} Omni homini noli intendere in specie, et in medio mulierum noli commorari: ¹³ de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. ¹⁴ Melior est enim iniquitas viri quam mulier benefaciens, et mulier confundens in opprobrium.]^{‡‡ 15} [Memor ero igitur operum Domini, et quæ vidi annuntiabo. In sermonibus Domini opera ejus.]^{¶¶ 16} Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus ejus. ¹⁷ Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua? ¹⁸ Abyssum et cor hominum investigavit, et in astutia eorum excogitavit. ¹⁹ Cognovit enim Dominus omnem scientiam, et inspexit in signum ævi, annuntians quæ præterierunt et quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum.]^{§§ 20} Non præterit illum omnis cogitatus, et non abscondit se ab eo ullus sermo. ²¹ Magnalia sapientiæ suæ decoravit, qui est ante sæculum et usque in sæculum: neque adjectum est, ^{*} ²² neque minuitur, et non eget alicujus consilio. ²³ Quam desiderabilia omnia opera ejus! et tamquam scintilla quæ est considerare! [†] ²⁴ Omnia hæc vivunt, et manent in sæculum, et in omni necessitate omnia obaudiunt ei. ²⁵ Omnia duplicia, unum contra unum, et non fecit quidquam deesse. [‡] ²⁶ Uniuscujusque confirmavit bona: et quis satiabitur videns gloriam ejus?]

§42.8 *De disciplina.* Qui congrua disciplina unumquemque arguit, eruditum se et probabilem doctorem in conspectu sanctorum ostendit. Nec ætas juvenilis in doctore despicienda, quem vita et discretio commendat.

**42.9 *Filia patris.* RAB. Mystice filia patris, etc., usque ad vel transgrediatur legem Dei facta sterilis in omnibus bonis. *Filia patris.* Docet, ad litteram, parentes sobolis suæ curam gerere, et cum disciplina nutrire, et ne lasciviæ et voluptati frena relaxent.

††42.11 *Super filiam luxuriosam,* etc. Quæ diligentem quærit custodiam. Si enim dimittitur suæ voluntati, doctorem confundit et in multitudine populi erubescere facit. Unde, periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis. Nam impudici oculi non norunt animæ pulchritudinem considerare, sed corporum.

‡‡42.14 *Melior est enim iniquitas viri,* etc. ID. Mulier aut sexum significat, etc., usque ad quia res confusione dignas gerit.

¶¶42.15 *Memor ero igitur operum,* etc. ID. Hucusque de diversis rebus disputavit, etc., usque ad et postea patrum fortia facta describit.

§§42.19 *Cognovit enim Dominus,* etc. Quia omnes ætates mundi præsentis sunt ei, apud quem nihil præteritum, nihil futurum est; ipse solus revelat mysteria, qui scit singulorum corda, qui omnes cogitatus et sermones inspicit.

*42.21 *Magnalia sapientiæ.* Quando prophetis scilicet et apostolis sacramentum consilii sui absconditum a sæculis et generationibus fidelibus revelavit. Ipse enim est ante omnes, et post omnes, cui nihil additur, nihil minuitur.

†42.23 *Et tanquam scintilla.* Tanquam scintillam in opera Dei consideramus, quia vix parvam notitiam inde percipimus.

‡42.25 *Omnia duplicia,* etc. RAB. Ita ordinavit Deus omnia, ut quæ sibi videntur esse contraria convenient, ut elementa vel quatuor tempora.

43 [Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus est, species cæli in visione gloriæ.[¶] ²Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi. ³In meridiano exurit terram, et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? fornacem custodiens in operibus ardoris:[§] ⁴tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans, et refulgens radiis suis obcæcat oculos. ⁵Magnus Dominus qui fecit illum, et in sermonibus ejus festinavit iter.]^{**} ⁶[Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis, et signum ævi.^{††} ⁷A luna signum diei festi: luminare quod minuitur in consummatione.^{‡‡} ⁸Mensis secundum nomen ejus est, crescens mirabiliter in consummatione. ⁹Vas castrorum in excelsis, in firmamento cæli resplendens gloriose.^{¶¶} ¹⁰Species cæli gloria stellarum: mundum illuminans in excelsis Dominus.^{§§} ¹¹In verbis Sancti stabunt ad iudicium, et non deficient in vigiliis suis.]^{*} ¹²[Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo.[†] ¹³Gyravit cælum in circuitu gloriæ suæ: manus Excelsi aperuerunt illum.[‡] ¹⁴Imperio suo acceleravit nivem, et accelerat coruscationes emittere iudicii sui. ¹⁵Propterea aperti sunt thesauri, et evolaverunt nebulæ sicut aves. ¹⁶In magnitudine sua posuit nubes, et confracti sunt lapides grandinis.[¶] ¹⁷In conspectu ejus commovebuntur montes, et in voluntate ejus aspirabit notus.[§] ¹⁸Vox tonitruï ejus verberavit terram, tempestas

[¶]43.1 *Altitudinis*, etc. ID. pulchritudo firmamenti, etc., usque ad nullus corporeis oculis divinitatis splendorem potest sufferre.

[§]43.3 *Fornacem custodiens*. Quia superbos, pro cogitatione, locutione, et operatione mala, excruciat æterna flamma.

^{**}43.5 *Et in sermonibus ejus*, etc. ID. Mysticis verbis superborum ludit intellectum. *Festinavit*, etc. Cum in prædicatione Evangelii præparata est via salutis et aditus regni cœlestis.

^{††}43.6 *Et luna*, etc. ID. Postquam de sole disputavit, etc., usque ad sed rectius aprili deputatur, quia in ipso vel incipit, vel desinit, vel totus includitur.

^{‡‡}43.7 *Luminare quod minuitur*, etc. Luna non habet nativum splendorem, sed a sole accipit: sic et Ecclesia a Christo, quæ in persecutione videtur minui, sed in parte clarescit; crescit enim mirabiliter in consummatione.

^{¶¶}43.9 *Vas castrorum*, etc. Quia in ipsa consistit multitudo fidelium, quæ in firmamento veritatis et divinæ prædicationis per totum orbem gloriose resplendet.

^{§§}43.10 *Species cæli*, etc. Ornatus Ecclesiæ, sanctorum plenitudo, quos Deus excelsus ordinavit, ut prædicatione Evangelii illustrarent. Hi *in verbis sanctis* et in doctrina veræ fidei permanentes, exspectant iudicium Dei.

^{*}43.11 *In verbis*. Quia in patientia sua possident animas, præcincti lumbos; et lucernas tenentes in manibus suis, exspectant Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

[†]43.12 *Vide arcum*, etc. Scriptum Veteris vel Novi Testamenti. Hic fidelibus suave jugum ostenditur, contumacibus arma terribilia.

[‡]43.13 *Gyravit cælum*, etc. Quando per virtutem et sapientiam Dei, id est, Christum, Vetus et Novum Testamentum conditum est.

[¶]43.16 *Et confracti sunt lapides grandinis*. Doctores, qui terram humani cordis irrigant, et tempestatem increpationis in se gerunt, et in tempore effundunt, et confringunt lapides grandinis; increpando, scilicet duritiam pravi cordis lapident vitale gramen.

[§]43.17 *Aspirabit Notus*. RAB. Qui et Auster, etc., usque ad potentes ad Christiani nominis persecutionem, et aliquando ad pœnitentiam.

aquilonis, et congregatio spiritus:** 19 et sicut avis deponens ad sedendum, aspergit nivem, et sicut locusta demergens descensus ejus. 20 Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus, et super imbrem ejus expavescet cor. 21 Gelu sicut salem effundet super terram: et dum gelaverit, fiet tamquam cacumina tribuli.†† 22 Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua: super omnem congregationem aquarum requiescet, et sicut lorica induet se aquis: 23 et devorabit montes, et exuret desertum, et extinguet viride, sicut igne. 24 Medicina omnium in festinatione nebulæ: et ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum.‡‡ 25 In sermone ejus siluit ventus, et cogitatione sua placavit abyssum: et plantavit in illa Dominus insulas. 26 Qui navigant mare enarrant pericula ejus, et audientes auribus nostris admirabimur.¶¶ 27 Illic præclara opera et mirabilia, varia bestiarum genera, et omnium pecorum, et creatura belluarum. 28 Propter ipsum confirmatus est itineris finis, et in sermone ejus composita sunt omnia.] 29 [Multa dicemus, et deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum ipse est in omnibus. 30 Gloriantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua. 31 Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. 32 Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc: et admirabilis magnificentia ejus. 33 Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude. 34 Exaltantes eum, replemini virtute, ne laboretis, non enim comprehenditis.§§ 35 Quis videbit eum et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? 36 Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus. 37 Omnia autem Dominus fecit, et pie agentibus dedit sapientiam.]

44 [Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. * 2 Multam gloriam fecit Dominus: magnificentia sua a sæculo. 3 Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute et prudentia sua præditi, nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum: 4 et imperantes in præsentī populo, et virtute prudentiæ populis sanctissima verba: 5 in peritia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina Scripturarum: 6 homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. 7 Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam

**43.18 *Tempestas*. Varia tentamenta per malignos spiritus Deus irrogat, ut fervorem fidei et dilectionem frigescere faciant.

††43.21 *Gelu sicut salem*, etc. Id est, sterilitatem; ubi enim sal spargitur, sterilitas sequitur: diabolus vero per frigus infidelitatis terrena corda ad bona opera sterilia facit.

‡‡43.24 *Medicina*, etc. Omnis eloquentia deficit in comparatione ejus, nec sufficit virtutem ejus enarrare.

¶¶43.26 *Qui navigant mare*, etc. Multa sunt ad litteram pericula maris, et ibi mirabilia Dei opera in variis bestiis, sicut naturalium rerum scriptores tradiderunt. In mari quoque hujus mundi sunt multa monstra dæmoniorum et multæ eorum insidiæ.

§§43.34 *Ne laboretis*, etc. RAB. Comprehendere quod est incomprehensibile. Unde non quæras opes ad quas pertingere non possis.

*44.1 *Laudemus viros*, etc. Moraliter disputando, allegoriamque et anagogem in plerisque tangendo, mysteria divini sacramenti edidit; nunde sanctis patribus narrare incipit. *Parentes nostros*. Patriarchas, qui divina locutione et visione fruebantur; et Prophetas, qui, Spiritu sancto repleti, multa Christi et Ecclesiæ mysteria præcinerunt.

adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. ⁸ Qui de illis nati sunt reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. ⁹ Et sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint: et nati sunt quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis. ¹⁰ Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt. ¹¹ Cum semine eorum permanent bona: ¹² hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum:† ¹³ et filii eorum propter allos usque in æternum manent: semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. ¹⁴ Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. ¹⁵ Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet ecclesia.] ¹⁶ [Enoch placuit Deo, et translatus est in paradysum, ut det gentibus pœnitentiam.‡ ¹⁷ Noë inventus est perfectus, justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.¶ ¹⁸ Ideo dimissum est reliquum terræ, cum factum est diluvium. ¹⁹ Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluvio omnis caro.] ²⁰ [Abraham magnus pater multitudinis gentium, et non est inventus similis illi in gloria: qui conservavit legem Excelsi, et fuit in testamento cum illo. ²¹ In carne ejus stare fecit testamentum, et in tentatione inventus est fidelis.§ ²² Ideo jurejurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum,** ²³ et ut stellas exaltare semen ejus, et hæreditare illos a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos terræ. ²⁴ Et in Isaac eodem modo fecit, propter Abraham patrem ejus. ²⁵ Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum confirmavit super caput Jacob. ²⁶ Agnovit eum in benedictionibus suis, et dedit illi hæreditatem, et divisit illi partem in tribubus duodecim.†† ²⁷ Et conservavit illi homines misericordiæ, invenientes gratiam in oculis omnis carnis.]

45 [Dilectus Deo et hominibus Moyses, cujus memoria in benedictione est. ² Similem illum fecit in gloria sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit. ³ Glorificavit illum in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam. ⁴ In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. ⁵ Audivit enim eum, et vocem ipsius, et induxit illum in nubem. ⁶ Et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et dis-

†44.12 *In Testamentis stetit*, etc. RAB. Hæc juxta historiam de patriarchis, etc., usque ad quando semen bonorum operum cœlesti mercede compensabitur.

‡44.16 *Henoeh placuit Deo*. Non ab Adam, etc., usque ad ut det hominibus consilium pœnitendi.

¶44.17 *Nœ inventus est*, etc. Quando pereunte mundo diluvio reservatus est, ut pœnitentiam gentibus prædicaret, et exemplo demonstraret quod qui Deo devote serviunt, ab æterno interitu liberantur. Cum eo Deus pactum statuit, ne ultra perderet aquis diluvii omnem carnem Gen. 17.. Significat autem rectores, qui inter fluctus sæculi arcam, id est Ecclesiam, regunt, et prædicant baptismum pœnitentiæ, orationibus et sacrificiis Deum placantes humano generi.

§44.21 *In carne ejus facit stare testamentum*, etc. RAB. Ut significaretur renovata natura nostra per baptismum Christi, post expoliationem veteris hominis.

**44.22 *Ideo jurejurando*, etc. Duplex est promissio Abrahæ. In arena maris exprimuntur steriles Judæi; in similitudine stellarum, fideles Christiani, qui resurrectionis lumine coruscabunt sicut astra cœli.

††44.26 *Et dedit illi hæreditatem*, etc. Gentilis populi, qui posterior ad gratiam fidei et baptismi regenerationem accessit, cui plenitudo paternæ benedictionis provenit.

ciplinae, docere Jacob testamentum suum, et iudicia sua Israël.]⁷ [Excelsum fecit Aaron fratrem ejus, et similem sibi, de tribu Levi. ⁸ Statuit ei testamentum æternum, et dedit illi sacerdotium gentis, et beatificavit illum in gloria: ⁹ et circumcinxit eum zona gloriæ, et induit eum stolam gloriæ, et coronavit eum in vasis virtutis.[¶] ¹⁰ Circumpedes, et femoralia, et humerale posuit ei: et cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro: ¹¹ dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in templo in memoriam filiis gentis suæ. ¹² Stulam sanctam auro, et hyacintho, et purpura, opus textile viri sapientis, iudicio et veritate præditi: ¹³ torto cocco opus artificis gemmis pretiosis figuratis in ligatura auri, et opere lapidarii sculptis, in memoriam secundum numerum tribuum Israël. ¹⁴ Corona aurea super mitram ejus expressa signo sanctitatis, et gloria honoris: opus virtutis, et desideria oculorum ornata.^{§§} ¹⁵ Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem. ¹⁶ Non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantum filii ipsius soli, et nepotes ejus per omne tempus. ¹⁷ Sacrificia ipsius consumpta sunt igne quotidie.* ¹⁸ Complevit Moyses manus ejus, et unxit illum oleo sancto. ¹⁹ Factum est illi in testamentum æternum, et semini ejus, sicut dies cæli, fungi sacerdotio, et habere laudem, et glorificare populum suum in nomine ejus. ²⁰ Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum, et bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo: ²¹ et dedit illi in præceptis suis potestatem, in testamentis iudiciorum: docere Jacob testimonia, et in lege sua lucem dare Israël. ²² Quia contra illum steterunt alieni, et propter invidiam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan et Abiron, et congregatio Core in iracundia. ²³ Vidit Dominus Deus, et non placuit illi, et consumpti sunt in impetu iracundiæ. ²⁴ Fecit illis monstra, et consumpsit illos in flamma ignis. ²⁵ Et addidit Aaron gloriam, et dedit illi hæreditatem, et primitias frugum terræ divisit illi. ²⁶ Panem ipsis in primis paravit in satietatem: nam et sacrificia Domini edent, quæ dedit illi et semini ejus. ²⁷ Ceterum in terra gentes non hæreditabit, et pars non est illi in gente: ipse est enim pars ejus, et hæreditas.] ²⁸ [Phinees, filius Eleazari, tertius in gloria est, imitando eum in timore Domini,† ²⁹ et stare in reverentia gentis: in bonitate et alacritate animæ suæ placuit Deo pro Israël. ³⁰ Ideo statuit illi testamentum pacis, principem sanctorum et gentis suæ, ut sit illi et semini ejus sacerdotii dignitas in æternum. ³¹ Et testamentum David regi filio Jesse de tribu Juda, hæreditas ipsi et semini ejus: ut daret sapientiam in cor nostrum, iudicare gentem

⁷45.6 *Præcepta*. In monte Sinai, scilicet legem dedit ei et præcepta vitæ, cum eo loquens in nube.

[¶]45.9 *Et circumcinxit eum*, etc. Describit ritum veteris sacerdotii et ornatum pontificis, quæ omnia figura erant Novi Testamenti, et veri sacerdotis Jesu Christi. *Et induit*. Vestimenta pontificis sunt opera virtutum: sapientia, doctrina.

^{§§}45.14 *Corona aurea*, etc. In qua erat nomen omnipotentis Dei, quæ significat honorificentiam divinæ majestatis, quoniam super omnia statuere debemus, ut in omnibus actibus nostris et sermonibus honorificetur Deus *per Jesum Christum, qui est caput nostrum* I Petr. 4..

*45.17 *Sacrificia*. RAB. Quomodo Moyses Aaron, etc., usque ad Christi enim sacerdotium et ritus sacrificiorum in æternum manebit.

†45.28 *Phinees filius Eleazari*. ID. Phinees, sicut scriptum est in libro Numerorum Cap. 25., etc., usque ad ad montem fortitudinis, id est Christum, feliciter pervenit.

suam in iustitia, ne abolerentur bona ipsorum: et gloriam ipsorum in gentem eorum æternam fecit.][‡]

46 [Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum,[¶] ² maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israël. ³ Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, et jactando contra civitates rhomphæas ! ⁴ Quis ante illum sic restitit? nam hostes ipse Dominus perduxit.[§] ⁵ An non in iracundia ejus impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo? ⁶ Invocavit Altissimum potentem, in oppugnando inimicos undique: et audivit illum magnus et sanctus Deus, in saxis grandinis virtutis valde fortis. ⁷ Impetum fecit contra gentem hostilem, et in descensu perdidit contrarios: ⁸ ut cognoscant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile. Et secutus est a tergo potentis: ⁹ et in diebus Moysi misericordiam fecit, ipse, et Caleb filius Jephone, stare contra hostem, et prohibere gentem a peccatis, et perfringere murmur malitiæ. ^{**} ¹⁰ Et ipsi duo constituti a periculo liberati sunt a numero sexcentorum millium peditum, inducere illos in hæreditatem, in terram quæ manat lac et mel. ¹¹ Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, et usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum, et semen ipsius obtinuit hæreditatem, ¹² ut viderent omnes filii Israël quia bonum est obsequi sancto Deo.] ¹³ [Et iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non aversi sunt a Domino,^{††} ¹⁴ ut sit memoria illorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo:^{‡‡} ¹⁵ et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria.] ¹⁶ [Dilectus a Domino Deo suo Samuel, propheta Domini, renovavit imperium, et unxit principes in gente sua.^{¶¶} ¹⁷ In lege Domini congregationem iudicavit, et vidit Deus Jacob: et in fide sua probatus est propheta, ¹⁸ et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis. ¹⁹ Et invocavit Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes undique, in oblatione agni inviolati. ²⁰ Et intonuit de cælo Dominus, et in sonitu magno auditam fecit vocem suam: ²¹ et contrivit principes Tyrriorum, et omnes duces Philistiim: ²² et ante tempus finis vitæ suæ et sæculi, testimonium præbuit in conspectu Domini et christi: pecunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, et non accusavit illum homo. ²³ Et

[‡]45.31 *Et testamentum David.* ID. Significat quod David in distributione ministeriorum Dei, etc., usque ad et in tabernaculo ministrorum vices ordinavit.

[¶]46.1 *Fortis in bello Jesus Nave.* RAB. Jesus et opere et sermone Christum significat, etc., usque ad triumphans principatus et potestates in semetipso.

[§]46.4 *Quis ante illum,* etc. ID. Quomodo in occurso Josue impeditus est sol, etc., usque ad breviabuntur in tempore perditionis.

^{**}46.9 *A peccatis.* Desperationis, quando exploratorum rumoribus auditis desperaverunt intrare terram.

^{††}46.13 *Et iudices singuli,* etc. RAB. Post Josue, successerunt iudices qui populum Dei ab hostibus defendebant; et post Christi passionem, apostoli rectores Ecclesiæ Dei.

^{‡‡}46.14 *Ut sit memoria illorum,* etc. Quia in recta fide perseveraverunt, ut memoria eorum perpetua benedictione firmaretur. *Ossa.* Robur bonorum operum mercede donatur, ut memoria nominis eorum ad posteros cum gloria transferatur.

^{¶¶}46.16 *Dilectus a Domino,* etc. RAB. Narrat historia quod Dominus Samueli infanti, etc., usque ad pronuntiat malis rectoribus poenam futuram et mortem perpetuam.

post hoc dormivit: et notum fecit regi, et ostendit illi finem vitæ suæ: et exaltavit vocem suam de terra in prophetia, delere impietatem gentis.]

47 [Post hæc surrexit Nathan, propheta in diebus David. §§² Et quasi adeps separatus a carne, sic David a filiis Israël.*³ Cum leonibus lusit quasi cum agnis, et in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium, in juventute sua.†⁴ Numquid non occidit gigantem, et abstulit opprobrium de gente? ⁵ In tollendo manum, saxo fundæ dejecit exultationem Goliæ: ⁶ nam invocavit Dominum omnipotentem, et dedit in dextera ejus tollere hominem fortem in bello, et exaltare cornu gentis suæ. ⁷ Sic in decem millibus glorificavit eum: et laudavit eum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ: ⁸ contrivit enim inimicos undique, et extirpavit Philisthiim contrarios usque in hodiernum diem: contrivit cornu ipsorum usque in æternum. ⁹ In omni opere dedit confessionem Sancto, et Excelso in verbo gloriæ. ¹⁰ De omni corde suo laudavit Dominum: et dilexit Deum, qui fecit illum, et dedit illi contra inimicos potentiam: ¹¹ et stare fecit cantores contra altare, et in sono eorum dulces fecit modos. ¹² Et dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, ut laudarent nomen sanctum Domini, et amplificarent mane Dei sanctitatem. ¹³ Dominus purgavit peccata ipsius, et exaltavit in æternum cornu ejus: et dedit illi testamentum regni, et sedem gloriæ in Israël.] ¹⁴ [Post ipsum surrexit filius sensatus, et propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum.‡¹⁵ Salomon imperavit in diebus pacis, cui subjecit Deus omnes hostes, ut conderet domum in nomine suo, et pararet sanctitatem in sempiternum. Quemadmodum eruditus es in juventute tua, ¹⁶ et impletus es, quasi flumen, sapientia, et terram retexit anima tua. ¹⁷ Et replesti in comparationibus ænigmata: ad insulas longe divulgatum est nomen tuum, et dilectus es in pace tua. ¹⁸ In cantilenis, et proverbiiis, et comparationibus, et interpretationibus, miratæ sunt terræ: ¹⁹ et in nomine Domini Dei, cui est cognomen Deus Israël. ²⁰ Collegisti quasi auricalcum aurum, et ut plumbum complesti argentum: ²¹ et inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo. ²² Dedisti maculam in gloria tua, et profanasti semen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos, et incitari stultitiam tuam: ²³ ut faceres imperium bipartitum, et ex Ephraim imperare imperium durum.¶²⁴ Deus autem non derelinquet misericordiam suam: et non corrumpet, nec delebit opera sua, neque perdet a stirpe nepotes electi sui, et semen ejus qui diligit Dominum non corrumpet. ²⁵ Dedit autem reliquum Jacob, et David de ipsa stirpe. ²⁶ Et finem habuit Salomon cum patribus suis.] ²⁷ [Et dereliquit post se de semine suo, gentis stultitiam,§²⁸ et imminutum a prudentia,

§§47.1 *Post hæc surrexit Nathan.* Ad litteram, facta David commemorat, de quibus liber Regum et Paralipomenon plenissime narrat.

*47.2 *Quasi adeps.* Significat eum gratia Spiritus sancti repletum, a carnalium consortio vita et moribus separatum.

†47.3 *Cum leonibus lusit.* RAB. David significat Christum, etc., usque ad et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

‡47.14 *Post ipsum surrexit filius sensatus.* ID. Mystice, Salomon, etc., usque ad sicut in una area bonos significant grana, malos vero palea.

¶47.23 *Ut faceres imperium,* etc. ID. Quia decem tribus secutæ sunt Jeroboam, et duæ Roboam; de Ephraim fuit Jeroboam, qui primus in decem tribubus crudeliter regnavit.

§47.27 *Et dereliquit post se,* etc. ID. Mystice, Roboam, qui interpretatur *latitudo populi,* etc., usque ad in regula catholicæ fidei permansit.

Roboam, qui avertit gentem consilio suo:** 29 et Jeroboam filium Nabat, qui peccare fecit Israël, et dedit viam peccandi Ephraim: et plurima redundaverunt peccata ipsorum. 30 Valde averterunt illos a terra sua. 31 Et quæsivit omnes nequitas, usque dum perveniret ad illos defensio, et ab omnibus peccatis liberavit eos.]

48 [Et surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.†† 2 Qui induxit in illos famem: et irritantes illum invidia sua pauci facti sunt: non enim poterant sustinere præcepta Domini.‡‡ 3 Verbo Domini continuit cælum, et dejecit de cælo ignem ter. 4 Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi? 5 qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis, in verbo Domini Dei: 6 qui dejecisti reges ad pernicem, et confregisti facile potentiam ipsorum, et gloriosos de lecto suo: 7 qui audis in Sina iudicium, et in Horeb iudicia defensionis: 8 qui ungis reges ad penitentiam, et prophetas facis successores post te: 9 qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum: 10 qui scriptus es in iudiciis temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob. 11 Beati sunt qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sunt. 12 Nam nos vita vivimus tantum: post mortem autem non erit tale nomen nostrum.] 13 [Elias quidem in turbine tectus est, et in Eliseo completus est spiritus ejus: in diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum:¶¶ 14 nec superavit illum verbum aliquod, et mortuum prophetavit corpus ejus. 15 In vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est.] 16 [In omnibus istis non poenituit populus, et non recesserunt a peccatis suis, usque dum ejecti sunt de terra sua, et dispersi sunt in omnem terram: 17 et relicta est gens perpauca, et princeps in domo David. §§ 18 Quidam ipsorum fecerunt quod placeret Deo: alii autem multa commiserunt peccata. 19 Ezechias munivit civitatem suam, et induxit in medium ipsius aquam: et fodit ferro rupem, et ædificavit ad aquam puteum. * 20 In diebus ipsius ascendit Sennacherib, et misit Rabsacen, et sustulit manum suam contra illos: et extulit manum suam in Sion, et superbus factus est potentia sua. 21 Tunc mota sunt corda et manus ipsorum: et doluerunt quasi parturientes mulieres. 22 Et invocaverunt Dominum misericordem, et expandentes manus suas extulerunt ad cælum: et Sanctus, Dominus Deus, audivit cito vocem ipsorum. 23 Non est commemoratus peccatorum illorum,

** 47.28 *Avertit gentem consilio suo.* Credens scilicet consilio juvenum.

†† 48.1 *Et surrexit Elias.* RAB. Qui duos quinquagenarios ab Ozia rege missos cœlesti igne combussit IV Reg. 1..

‡‡ 48.2 *Qui induxit.* ID. Mystice, fames trium annorum verbi Dei et fidei Trinitatis inediam figuravit, etc., usque ad ut postea veniret qui nec translatus nec subvectus, cœlum æthereum sua virtute penetraret.

¶¶ 48.13 *Elias quidem in turbine,* etc. ID. Cum non sit discipulus super magistrum, etc., usque ad qui enim firma fide tangit mortem Christi, particeps est ejus resurrectionis. *In Eliseo completus.* Qui oravit die: *Fiat spiritus tuus duplex in me,* et obtinuit. Unde in patientia et virtute insuperabilis fuit, qui in vita et in morte multa signa fecit.

§§ 48.17 *Relicta est gens perpauca.* Quia domus David, et tribus Juda, et Benjamin, non penitus abjecerunt culturam Dei, sed alii eorum fuerunt idolatræ, sicut Joram et Achaz: alii adhæserunt Deo, sicut Ezechias et Josias.

* 48.19 *Ezechias munivit civitatem suam,* etc. RAB. Quod Ezechias fontem obturat, etc., usque ad civitatem exstinctis hostibus liberatam in Paralipomenon plene ostenditur.

neque dedit illos inimicis suis: sed purgavit eos in manu Isaiaë sancti prophetæ. ²⁴Dejecit castra Assyriorum, et contrivit illos angelus Domini: ²⁵nam fecit Ezechias quod placuit Deo, et fortiter ivit in via David patris sui, quam mandavit illi Isaïas, propheta magnus, et fidelis in conspectu Dei. ²⁶In diebus ipsius retro rediit sol, et addidit regi vitam. ²⁷Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion usque in sempiternum. ²⁸Ostendit futura, et abscondita antequam evenirent.]

49 [Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii.† ²In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, et ut musica in convivio vini. ³Ipsè est directus divinitus in pœnitentiam gentis, et tulit abominationes impietatis. ⁴Et gubernavit ad Dominum cor ipsius, et in diebus peccatorum corroboravit pietatem.] ⁵[Præter David et Ezechiam et Josiam, omnes peccatum commiserunt:‡ ⁶nam reliquerunt legem Altissimi reges Juda, et contempserunt timorem Dei. ⁷Dederunt enim regnum suum aliis, et gloriam suam alienigenæ genti. ⁸Incenderunt electam sanctitatis civitatem, et desertas fecerunt vias ipsius in manu Jeremiaë.¶ ⁹Nam male tracterunt illum qui a ventre matris consecratus est propheta, evertere, et eruere, et perdere, et iterum ædificare, et renovare: ¹⁰Ezechiel, qui vidit conspectum gloriæ quam ostendit illi in curru cherubim.§ ¹¹Nam commemoratus est inimicorum in imbre, benefacere illis qui ostenderunt rectas vias.** ¹²Et duodecim prophetarum ossa pullulent de loco suo: nam corroboraverunt Jacob, et redemerunt se in fide virtutis.] ¹³[Quomodo amplificemus Zorobabel? nam et ipse quasi signum in dextera manu:†† ¹⁴sic et Jesum filium Josedec, qui in diebus suis ædificaverunt domum, et exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.‡‡ ¹⁵Et Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, qui erexit domos nostras.]¶¶ ¹⁶[Nemo natus est in terra qualis Henoch, nam et ipse receptus est a terra:§§ ¹⁷neque ut Joseph, qui natus est

†49.1 **Memoria Josiæ.** RAB. Memoria Josiæ regis, etc., usque ad ipse zelo Dei mundat terram Judæ et Jerusalem ab omnibus abominationibus, qui ait: **Zelus domus tuæ comedit me.**

‡49.5 **Præter David, et Ezechiam, et Josiam,** etc. Hi tres comparatione aliorum non dicuntur peccasse. Quod enim peccaverunt, condigna pœnitentia deleverunt, et devotione et pietate Deo placuerunt.

¶49.8 **Incenderunt electa civitatem sanctitatis,** etc. ID. Quidam hunc locum in persona Christi intelligunt, etc., usque ad his autem destructis, ædificavit Ecclesiam Dei.

§49.10 **Ezechiel qui vidit,** etc. ID. Mystice, Ezechiel, etc., usque ad et pœnitentibus prædixisse remedia.

49.11 **In imbre. Significat quod prædicaverit super peccatores venturam esse pluviam vindictæ, et per viam mandatorum Dei gradientibus promiserit consolationem misericordiæ.

††49.13 **Nam et ipse,** etc. Quia Christum signat, qui est imago Dei: ut quicumque crediderit in Deum, hic quasi annulo signetur.

‡‡49.14 **Et Jesum filium Josedec.** Quia per gratiam Jesu Christi, qui est rex noster et sacerdos, post captivitatem diabolicæ oppressionis, reædificatur Ecclesia.

¶¶49.15 **Nehemias.** RAB. **Consolator Deus,** vel **consolatus a Domino,** etc., usque ad qui ædificat civitatem Dei, id est Ecclesiam, et consolatur mœrentes.

§§49.16 **Nemo,** etc. Enoch, **dedicatio.** Hic Christum significat, qui ædificavit et consecravit Ecclesiam sanguine suo; qui sine peccato venit in mundum, et cum gloria suscepturus est in cœlum.

homo princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi:^{*} 18 et ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt.[†] 19 Seth et Sem apud homines gloriam adepti sunt, et super omnem animam in origine Adam.][‡]

50 [Simon, Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum.[¶] 2 Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, et excelsi parietes templi. 3 In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, et quasi mare adimpleti sunt supra modum.[§] 4 Qui curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione: 5 qui prævaluit amplificare civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis, et ingressum domus et atrii amplificavit.^{**} 6 Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena, in diebus suis lucet: 7 et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. 8 Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, et quasi thus redolens in diebus ætatis: 9 quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne: 10 quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso: 11 quasi oliva pullulans, et cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, et vestiri eum in consummationem virtutis.^{††} 12 In ascensu altaris sancti gloriam dedit sanctitatis amictum. 13 In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, et ipse stans iuxta aram: et circa illum corona fratrum: quasi plantatio cedri in monte Libano,^{‡‡} 14 sic circa illum steterunt quasi rami palmæ: et omnes filii Aaron in gloria sua. 15 Oblatio autem Domini in manibus ipsorum coram omni synagoga Israël: et consummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelsi Regis,^{¶¶} 16 porrexit manum suam in libatione, et libavit de sanguine uvæ. 17 Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelso Principi.^{§§} 18 Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis productilibus sonuerunt: et auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram

^{*}49.17 *Ut Joseph.* Joseph, sicut Jacob pater ejus, terram promissionis desiderabat, Ægyptum detestabatur; instruens nos ut desideremus terram viventium, ut quiescamus in pace.

[†]49.18 *Et ossa ipsius visitata sunt.* RAB. Significat quod Joseph, etc., usque ad et sepelierunt in Sichem, quæ est Neapolis, urbs Samaritanorum.

[‡]49.19 *Seth et Sem,* etc. Seth filius Adam, et Sem primogenitus Noë, tam fide quam moribus hominibus sui temporis prælati sunt; in quibus Christus significatur, qui Deus et homo est.

[¶]50.1 *Simon Oniæ filius.* RAB. Ad homines in tempore suo pervenit, etc., usque ad cum vitam Simonis et mores tam expresse describat Jesus.

[§]50.3 *Putei aquarum.* Profunditates Scripturarum, quæ in divinis libris sub figuris latent, sed ore prædicatorum redundant, quasi mare ad saturitatem plurimorum.

^{**}50.5 *Et ingressum domus atrii amplificavit.* Quia in rudibus, quos signat atrium; et in perfectis, qui signantur per domum, magistrorum excrescit meritum.

^{††}50.11 *In accipiendo ipsum stolam,* etc. Ordo prædicatorum accipiendo stolam gloriæ, et vestiendo se consummatione virtutum, iudicium dignitatis suæ, et ornatum fidei, et vestitum bonæ operationis demonstrat. Hæc enim debent in sacerdotibus apparere, ut digne possint docere.

^{‡‡}50.13 *In accipiendo autem partes de manu sacerdotis.* Partes accipit de manu sacerdotis, qui bonæ operationis actum exigit a ministris.

^{¶¶}50.15 *Et consummatione fungens in ara.* Consummata oblatio datur excelso Regi, quando corpus Christi offertur Deo.

^{§§}50.17 *Effudit in fundamento.* In commemorationem Christi, qui est fundamentum Ecclesiæ, hujus oblationis est odor suavissimus Deo omnipotenti.

Deo.* ¹⁹Tunc omnis populus simul properaverunt, et ceciderunt in faciem super terram, adorare Dominum Deum suum, et dare preces omnipotenti Deo excelso.[†] ²⁰Et amplificaverunt psallentes in vocibus suis, et in magna domo auctus est sonus suavitatis plenus. ²¹Et rogavit populus Dominum excelsum in prece, usque dum perfectus est honor Domini, et munus suum perfecerunt.[‡] ²²Tunc descendens, manus suas extulit in omne congregationem filiorum Israël, dare gloriam Deo a labiis suis, et in nomine ipsius gloriari.[¶] ²³et iteravit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei.[§] ²⁴Et nunc orate Deum omnium, qui magna fecit in omni terra, qui auxit dies nostros a ventre matris nostræ, et fecit nobiscum secundum suam misericordiam: ²⁵det nobis jucunditatem cordis, et fieri pacem in diebus nostris in Israël per dies sempiternos: ²⁶credere Israël nobiscum esse Dei misericordiam, ut liberet nos in diebus suis.] ²⁷[Duas gentes odit anima mea: tertia autem non est gens quam oderim:^{**} ²⁸qui sedent in monte Seir, et Philistiim, et stultus populus qui habitat in Sichimis.] ²⁹[Doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus, filius Sirach, Jerosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo.^{††} ³⁰Beatus qui in istis versatur bonis: qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper. ³¹Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit, quia lux Dei vestigium ejus est.]

51 Oratio Jesu filii Sirach. [Confitebor tibi, Domine rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum.^{‡‡} ²Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, ³et liberasti corpus meum a perditione: a laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium mendacium: et in conspectu astantium factus es mihi adjutor.

^{*}50.18 *Tunc exclamaverunt filii Aaron.* Christi sacerdotes prædicationem exhibuerunt per passionem consummatam. Ductiles tubæ bene dicuntur, quia prædicatores tanto crescunt quanto tribulationum malleis percutiuntur.

[†]50.19 *Tunc omnis populus,* etc. Cum officium ecclesiasticum per ministros altaris agitur in memoriam Christi, populus, ad laudem Dei provocatus, prosternit se in faciem, id est, cordis sui exhibet humilitatem. *Dare preces Omnipotenti.* Quia quidquid amore Dei agitur, coram Deo est oratio et odor suavitatis; quia omnis Ecclesia satagit ut perseveret in prece usque ad finem mundi, quando corpus Christi in incorruptione honorabitur, et membra capiti suo conjungentur.

[‡]50.21 *Et rogavit populus,* etc. RAB. Quia quidquid in unitate fidei Deo offertur, apud eum recipitur; quidquid extra, impietati deputatur. Magnus fit in Ecclesia sonus, quando orantibus sacerdotibus et benedicientibus respondet omnis populus: Amen: qui sonus tam ad clamorem vocis quam ad devotionem cordis pertinet.

[¶]50.22 *Tunc descendens,* etc. Cætus sanctorum exsultans. *Extulit.* Quando gratias agit pro perfectione laboris in salute universi populi, tunc laudes multiplicat, orationem iterat, quia nunquam a laudibus cessat.

[§]50.23 *Ostendere virtutem Dei.* Prædicare scilicet misericordiam ejus, qui dat nobis jucunditatem cordis, et pacem in temporibus æternis, ut omnes viri Israëlita, et amatores Regis æterni, prædicent potentiam et bonitatem Dei in liberatione populi sui.

^{**}50.27 *Duas gentes,* etc. Ruina duplex, gentilitas scilicet, quæ idololatria polluta est et conversatione vana.

^{††}50.29 *Doctrinam sapientiæ,* etc. Opus suum commendat, ostendens quam utile sit legenti, meditati et operanti.

^{‡‡}51.1 *Oratio Jesu filii Sirach.* Melius ad totam Ecclesiam refertur, quam ad unam personam, quia in ea multæ species tribulationum et diversa solatia describuntur. *Confitebor tibi, Domine rex.* RAB. JesusChristus adjutor et protector est sponsæ suæ, qui tradidit semetipsum pro ea, ut liberaret eam a perditione originalis peccati.

⁴Et liberasti me, secundum multitudinem misericordiæ nominis tui, a rugientibus præparatis ad escam: ⁵de manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum quæ circumdederunt me; [¶]⁶a pressura flammæ quæ circumdedit me, et in medio ignis non sum æstuatus; ^{§§}⁷de altitudine ventris inferi, et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii, a rege iniquo, et a lingua injusta. ⁸Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, ⁹et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. ^{*}¹⁰Circumdederunt me undique, et non erat qui adjuvaret: respiciens eram ad adiutorium hominum, et non erat. [†]¹¹Memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, et operationis tuæ, quæ a sæculo sunt: ¹²quoniam eruis sustinentes te, Domine, et libera eos de manibus gentium. ¹³Exaltasti super terram habitationem meam, et pro morte defluente deprecatus sum. ¹⁴Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore superbiorum, sine adiutorio. ¹⁵Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione: et exaudita est oratio mea, ¹⁶et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo. ¹⁷Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini.] ¹⁸[Cum adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam palam in oratione mea. ¹⁹Ante templum postulabam pro illis, et usque in novissimis inquiram eam: et effloruit tamquam præcox uva. ²⁰Lætatum est cor meum in ea: ambulavit pes meus iter rectum: a juventute mea investigabam eam. ²¹Inclinavi modico aurem meam, et excepi illam. ²²Multam inveni in meipso sapientiam, et multum profeci in ea. ²³Danti mihi sapientiam dabo gloriam: ²⁴consiliatus sum enim ut facerem illam. Zelatus sum bonum, et non confundar. ²⁵Colluctata est anima mea in illa, et in faciendo eam confirmatus sum. ²⁶Manus meas extendi in altum, et insipientiam ejus luxi; ²⁷animam meam direxi ad illam, et in agnitione inveni eam. ²⁸Possedi cum ipsa cor ab initio: propter hoc, non derelinquar. ²⁹Venter meus conturbatus est quærendo illam: propterea bonam possidebo possessionem. ³⁰Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, et in ipsa laudabo eum. ³¹Appropriate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ. ³²Quid adhuc retardatis? et quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer. ³³Aperui os meum, et locutus sum: Comparete vobis sine argento, ³⁴et collum vestrum subjicite jugo: et suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim invenire eam. ³⁵Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem. ³⁶Assumite disciplinam in multo numero argenti, et copiosum aurum possidete in ea. ³⁷Lætetur anima vestra in misericordia ejus, et non confundemini in laude ipsius. ³⁸Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.]

[¶]51.5 *Portis tribulationum.* Hæc sunt ora principum et tyrannorum, unde minæ prodeunt et fraudulentia, quæ servos Dei negare fidem compellunt.

^{§§}51.6 *A pressura flammæ.* Hoc tribus pueris contigit in camino ignis corporaliter; sed omnes sancti ab æstu persecutionis liberantur spiritualiter.

^{*}51.9 *Et vita mea appropinquans erat inferno.* Quia vita carnis quotidie deficiendo ad mortem tendit. Mortem enim *infernum* vocat, quia mors carnis, primi peccati vindicta est, sicut infernus peccantium animarum pœna perpetua.

[†]51.10 *Circumdederunt me undique,* etc. Videns Ecclesia se ab hostibus circumdari, et humanum deesse solatium, a Deo quærit adiutorium, a quo est omne bonum, cui attribuit quod liberatur ab inimicis.

INCIPIIT LIBER BARUCH

1 Et hæc verba libri quæ scripsit Baruch filius Neriæ, filii Maasiæ, filii Sedeciæ, filii Sedei, filii Helciæ, in Babylonia, ² in anno quinto, in septimo die mensis, in tempore quo ceperunt Chaldæi Jerusalem, et succenderunt eam igni. ³ Et legit Baruch verba libri hujus ad aures Jechoniæ filii Joakim regis Juda, et ad aures universi populi venientis ad librum, ⁴ et ad aures potentium, filiorum regum, et ad aures presbyterorum, et ad aures populi, a minimo usque ad maximum eorum, omnium habitantium in Babylonia, ad flumen Sodi. ⁵ Qui audientes plorabant, et jejunabant, et orabant in conspectu Domini. ⁶ Et collegerunt pecuniam, secundum quod potuit uniuscujusque manus, ⁷ et miserunt in Jerusalem ad Joakim filium Helciæ filii Salom sacerdotem, et ad sacerdotes, et ad omnem populum qui inventi sunt cum eo in Jerusalem: ⁸ cum acciperet vasa templi Domini, quæ ablata fuerant de templo, revocare in terram Juda, decima die mensis Sivan, vasa argentea quæ fecit Sedecias filius Josiæ rex Juda, ⁹ posteaquam cepisset Nabuchodonosor rex Babylonis Jechoniam, et principes, et cunctos potentes, et populum terræ, ab Jerusalem, et duxit eos vinctos in Babylonem. ¹⁰ Et dixerunt: Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocaustomata et thus: et facite manna, et offerte pro peccato, ad aram Domini Dei nostri: ¹¹ et orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, et pro vita Baltassar filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies cæli super terram: ¹² et ut det Dominus virtutem nobis, et illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor regis Babylonis, et sub umbra Baltassar filii ejus, et serviamus eis multis diebus, et inveniamus gratiam in conspectu eorum. ¹³ Et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum, quia peccavimus Domino Deo nostro, et non est aversus furor ejus a nobis usque in hunc diem. ¹⁴ Et legite librum istum quem misimus ad vos recitari in templo Domini, in die solemnibus et in die opportuno: ¹⁵ et dicetis: [Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostræ, sicut est dies hæc omni Juda, et habitantibus in Jerusalem: ¹⁶ regibus nostris, et principibus nostris, et sacerdotibus nostris, et prophetis nostris, et patribus nostris. ¹⁷ Peccavimus ante Dominum Deum nostrum, et non credidimus, diffidentes in eum: ¹⁸ et non fuimus subjectibiles illi, et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularem in mandatis ejus, quæ dedit nobis. ¹⁹ A die qua eduxit patres nostros de terra Ægypti, usque ad diem hanc, eramus incredibiles ad Dominum Deum nostrum: et dissipati recessimus, ne audiremus vocem ipsius: ²⁰ et adhæserunt nobis multa mala et maledictiones quæ constituit Dominus Moysi servo suo, qui eduxit patres nostros de terra Ægypti, dare nobis terram fluentem lac et mel, sicut hodierna die. ²¹ Et non audivimus vocem Domini Dei nostri, secundum omnia verba prophetarum quos misit ad nos: ²² et abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni, operari diis alienis, facientes mala ante oculos Domini Dei nostri.]

2 [Propter quod statuit Dominus Deus noster verbum suum, quod locutus est ad nos, et ad iudices nostros qui judicaverunt Israël, et ad reges nostros, et ad principes nostros, et ad omnem Israël et Juda: ² ut adduceret Dominus super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cælo quemadmodum facta sunt in Jerusalem, secundum quæ scripta sunt in lege Moysi, ³ et manducaret homo carnes filii sui et carnes filiæ suæ. ⁴ Et dedit eos sub manu regum omnium qui sunt in circuitu nostro,

in improperium et in desolationem in omnibus populis in quibus nos dispersit Dominus: ⁵ et facti sumus subtus, et non supra, quia peccavimus Domino Deo nostro, non obaudiendo voci ipsius. ⁶ Domino Deo nostro justitia, nobis autem et patribus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc: ⁷ quia locutus est Dominus super nos omnia mala hæc quæ venerunt super nos: ⁸ et non sumus deprecati faciem Domini Dei nostri, ut reverteremur unusquisque nostrum a viis nostris pessimis. ⁹ Et vigilavit Dominus in malis, et adduxit ea super nos: quia justus est Dominus in omnibus operibus suis quæ mandavit nobis, ¹⁰ et non audivimus vocem ipsius ut iremus in præceptis Domini, quæ dedit ante faciem nostram.] ¹¹ [Et nunc, Domine Deus Israël, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu valida, et in signis, et in prodigiis, et in virtute tua magna, et in brachio excelso, et fecisti tibi nomen sicut est dies iste: ¹² peccavimus, impie egimus, inique gessimus, Domine Deus noster, in omnibus justitiis tuis. ¹³ Avertatur ira tua a nobis, quia derelicti sumus pauci inter gentes ubi dispersisti nos. ¹⁴ Exaudi, Domine, preces nostras et orationes nostras, et educ nos propter te, et da nobis invenire gratiam ante faciem eorum qui nos abduxerunt: ¹⁵ ut sciat omnis terra quia tu es Dominus Deus noster, et quia nomen tuum invocatum est super Israël, et super genus ipsius. ¹⁶ Respice, Domine, de domo sancta tua in nos, et inclina aurem tuam, et exaudi nos. ¹⁷ Aperi oculos tuos et vide: quia non mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, dabunt honorem et justificationem Domino: ¹⁸ sed anima quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens, dat tibi gloriam et justitiam Domino. ¹⁹ Quia non secundum justitias patrum nostrorum nos fundimus preces et petimus misericordiam ante conspectum tuum, Domine Deus noster: ²⁰ sed quia misisti iram tuam et furorem tuum super nos, sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum, dicens: ²¹ Sic dicit Dominus: Inclinate humerum vestrum et cervicem vestram, et opera facite regi Babylonis, et sedebitis in terra quam dedi patribus vestris. ²² Quod si non audieritis vocem Domini Dei vestri, operari regi Babylonis, defectionem vestram faciam de civitatibus Juda, et a foris Jerusalem, ²³ et auferam a vobis vocem jucunditatis et vocem gaudii, et vocem sponsi et vocem sponsæ, et erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam. ²⁴ Et non audierunt vocem tuam, ut operarentur regi Babylonis: et statuisti verba tua, quæ locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum, ut transferrentur ossa regum nostrorum et ossa patrum nostrorum de loco suo: ²⁵ et ecce projecta sunt in calore solis et in gelu noctis, et mortui sunt in doloribus pessimis, in fame et in gladio, et in emissionem. ²⁶ Et posuisti templum in quo invocatum est nomen tuum in ipso sicut hæc dies, propter iniquitatem domus Israël et domus Juda. ²⁷ Et fecisti in nobis, Domine Deus noster, secundum omnem bonitatem tuam et secundum omnem miserationem tuam illam magnam: ²⁸ sicut locutus es in manu pueri tui Moysi, in die qua præcepisti ei scribere legem tuam coram filiis Israël, ²⁹ dicens: Si non audieritis vocem meam, multitudo hæc magna convertetur in minimam inter gentes, quo ego eos dispergam: ³⁰ quia scio quod me non audiet populus: populus est enim dura cervice. Et convertetur ad cor suum in terra captivitatis suæ, ³¹ et scient quia ego sum Dominus Deus eorum: et dabo eis cor, et intelligent; aures, et audient: ³² et laudabunt me in terra captivitatis suæ, et memores erunt nominis mei, ³³ et avertent se a dorso suo duro, et a malignitatibus suis: quia reminiscuntur viam patrum suorum, qui peccaverunt in me. ³⁴ Et revocabo illos in terram quam juravi patribus eorum, Abraham, Isaac,

et Jacob: et dominabuntur ejus, et multiplicabo eos, et non minorabuntur: ³⁵ et statuat illis testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum: et non movebo amplius populum meum, filios Israëli, a terra quam dedi illis.]

3 [Et nunc, Domine omnipotens, Deus Israëli, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te. ² Audi, Domine, et miserere, quia Deus es misericors: et miserere nostri, quia peccavimus ante te: ³ quia tu sedes in sempiternum, et nos, peribimus in ævum? ⁴ Domine omnipotens, Deus Israëli, audi nunc orationem mortuorum Israëli, et filiorum ipsorum qui peccaverunt ante te, et non audierunt vocem Domini Dei sui, et agglutinata sunt nobis mala. ⁵ Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum, sed memento manus tuæ et nominis tui in tempore isto: ⁶ quia tu es Dominus Deus noster, et laudabimus te, Domine: ⁷ quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris, et ut invocemus nomen tuum, et laudemus te in captivitate nostra, quia convertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccaverunt ante te. ⁸ Et ecce nos in captivitate nostra sumus hodie, qua nos dispersisti in improperium, et in maledictum, et in peccatum, secundum omnes iniquitates patrum nostrorum, qui recesserunt a te, Domine Deus noster.] ⁹ [Audi, Israëli, mandata vitæ: auribus percipe, ut scias prudentiam. ¹⁰ Quid est, Israëli, quod in terra inimicorum es, ¹¹ inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum? ¹² Dereliquisti fontem sapientiæ: ¹³ nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. ¹⁴ Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax. ¹⁵ Quis invenit locum ejus? et quis intravit in thesauros ejus? ¹⁶ Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias quæ sunt super terram? ¹⁷ qui in avibus cæli ludunt, ¹⁸ qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant, et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum? ¹⁹ Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt. ²⁰ Juvenes viderunt lumen, et habitaverunt super terram, viam autem disciplinæ ignoraverunt, ²¹ neque intellexerunt semitas ejus, neque filii eorum susceperunt eam: a facie ipsorum longe facta est; ²² non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. ²³ Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiæ et intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus. ²⁴ O Israëli, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! ²⁵ magnus est, et non habet finem: excelsus, et immensus. ²⁶ Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. ²⁷ Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt: propterea perierunt, ²⁸ et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. ²⁹ Quis ascendit in cælum, et accepit eam, et eduxit eam de nubibus? ³⁰ Quis transfretavit mare, et invenit illam, et attulit illam super aurum electum? ³¹ Non est qui possit scire vias ejus, neque qui exquirat semitas ejus: ³² sed qui scit universa novit eam, et adinvenit eam prudentia sua qui præparavit terram in æterno tempore: et replevit eam pecudibus et quadrupedibus ³³ qui emittit lumen, et vadit, et vocavit illud, et obedit illi in tremore. ³⁴ Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, et lætatae sunt: ³⁵ vocatae sunt, et dixerunt: Adsumus, et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. ³⁶ Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum. ³⁷ Hic adinvenit

omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo.
³⁸Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.]

4 [Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam pervenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem. ²Convertere, Jacob, et apprehende eam: ambula per viam ad splendorem ejus contra lumen ejus. ³Ne tradas alteri gloriam tuam, et dignitatem tuam genti alienæ. ⁴Beati sumus, Israël, quia quæ Deo placent manifesta sunt nobis.] ⁵[Animæquior esto, populus Dei, memorabilis Israël: ⁶venundati estis gentibus non in perditionem: sed propter quod in ira ad iracundiam provocastis Deum, traditi estis adversariis. ⁷Exacerbastis enim eum qui fecit vos, Deum æternum, immolantes dæmoniis, et non Deo. ⁸Obliti enim estis Deum qui nutrit vos, et contristastis nutricem vestram Jerusalem. ⁹Vidit enim iracundiam a Deo venientem vobis, et dixit: Audite, confines Sion: adduxit enim mihi Deus luctum magnum. ¹⁰Vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum et filiarum, quam superduxit illis Æternus. ¹¹Nutrivit enim illos cum jucunditate; dimisi autem illos cum fletu et luctu. ¹²Nemo gaudeat super me viduam et desolatam: a multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum, quia declinaverunt a lege Dei. ¹³Justitias autem ipsius nescierunt, nec ambulaverunt per vias mandatorum Dei, neque per semitas veritatis ejus cum justitia ingressi sunt. ¹⁴Veniant confines Sion, et memorentur captivitatem filiorum et filiarum mearum, quam superduxit illis Æternus. ¹⁵Adduxit enim super illos gentem de longinquo, gentem improbam, et alterius linguæ, ¹⁶qui non sunt reveriti senem, neque puerorum miserti sunt, et abduxerunt dilectos viduæ, et a filiis unicam desolaverunt. ¹⁷Ego autem, quid possum adjuvare vos? ¹⁸qui enim adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum. ¹⁹Ambulate, filii, ambulate: ego enim derelicta sum sola. ²⁰Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis, et clamabo ad Altissimum in diebus meis. ²¹Animæquiores estote, filii; clamate ad Dominum, et eripiet vos de manu principum inimicorum. ²²Ego enim speravi in æternum salutem vestram, et venit mihi gaudium a Sancto, super misericordia quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro. ²³Emisi enim vos cum luctu et ploratu: reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio et jucunditate in sempiternum. ²⁴Sicut enim viderunt vicinæ Sion captivitatem vestram a Deo, sic videbunt et in celeritate salutem vestram a Deo, quæ superveniet vobis cum honore magno et splendore æterno. ²⁵Filii, patienter sustinete iram quæ supervenit vobis: persecutus est enim te inimicus tuus: sed cito videbis perditionem ipsius, et super cervices ipsius ascendes. ²⁶Delicati mei ambulaverunt vias asperas: ducti sunt enim ut grex direptus ab inimicis. ²⁷Animæquiores estote, filii, et proclamate ad Dominum: erit enim memoria vestra ab eo qui duxit vos. ²⁸Sicut enim fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum: ²⁹qui enim induxit vobis mala, ipse rursus adducet vobis sempiternam jucunditatem cum salute vestra.] ³⁰[Animæquior esto, Jerusalem: exhortatur enim te, qui te nominavit. ³¹Nocentes peribunt, qui te vexaverunt: et qui gratulati sunt in tua ruina, punientur. ³²Civitates quibus servierunt filii tui, punientur, et quæ accepit filios tuos. ³³Sicut enim gavisus est in tua ruina, et lætata est in casu tuo, sic contristabitur in sua desolatione, ³⁴et amputabitur exsultatio multitudinis ejus, et gaudimonium ejus erit in luctum. ³⁵Ignis enim superveniet ei ab Æterno in longiturnis diebus, et habitabitur a dæmoniis in multitudine temporis. ³⁶Circumspice, Jerusalem, ad orientem, et vide jucunditatem a Deo tibi venientem. ³⁷Ecce

enim veniunt filii tui, quos dimisisti dispersos: veniunt collecti ab oriente usque ad occidentem, in verbo Sancti, gaudentes in honorem Dei.]

5 [Exue te, Jerusalem, stola luctus et vexationis tuæ, et indue te decore, et honore ejus, quæ a Deo tibi est, sempiternæ gloriæ. ² Circumdabit te Deus diploide justitiæ, et imponet mitram capiti honoris æterni. ³ Deus enim ostendet splendorem suum in te, omni qui sub cælo est. ⁴ Nominabitur enim tibi nomen tuum a Deo in sempiternum: pax justitiæ, et honor pietatis. ⁵ Exsurge, Jerusalem, et sta in excelso: et circumspice ad orientem, et vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verbo Sancti, gaudentes Dei memoria. ⁶ Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis: adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore sicut filios regni: ⁷ constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum et rupes perennes, et convalles replere in æqualitatem terræ, ut ambulet Israël diligenter in honorem Dei. ⁸ Obumbraverunt autem et silvæ, et omne lignum suavitatis Israël ex mandato Dei. ⁹ Adducet enim Deus Israël cum jucunditate in lumine majestatis suæ, cum misericordia et justitia quæ est ex ipso.]

6 Propter peccata quæ peccastis ante Deum, abducemini in Babyloniam captivi a Nabuchodonosor rege Babylonis. ² Ingressi itaque in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, et temporibus longis, usque ad generationes septem: post hoc autem educam vos inde cum pace. ³ Nunc autem videbitis in Babylonia deos aureos et argenteos, et lapideos et ligneos, in humeris portari, ostentantes metum gentibus. ⁴ Videte ergo ne et vos similes efficiamini factis alienis, et metuatis, et metus vos capiat in ipsis. ⁵ Visa itaque turba de retro et ab ante, adorantes dicite in cordibus vestris: Te oportet adorari, Domine. ⁶ Angelus enim meus vobiscum est: ipse autem exquiram animas vestras. ⁷ Nam lingua ipsorum polita a fabro; ipsa etiam inaurata et inargentata: falsa sunt, et non possunt loqui. ⁸ Et sicut virgini amanti ornamenta, ita accepto auro fabricati sunt. ⁹ Coronas certe aureas habent super capita sua dii illorum: unde subtrahunt sacerdotes ab eis aurum et argentum, et erogant illud in semetipsos. ¹⁰ Dant autem et ex ipso prostitutis, et meretrices ornant: et iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant deos suos. ¹¹ Hi autem non liberantur ab æruginem et tinea. ¹² Opertis autem illis veste purpurea, extergunt faciem ipsorum propter pulverem domus qui est plurimus inter eos. ¹³ Sceptrum autem habet ut homo, sicut iudex regionis, qui in se peccantem non interficit. ¹⁴ Habet etiam in manu gladium et securim, se autem de bello et a latronibus non liberat. Unde vobis notum sit quia non sunt dii: ¹⁵ non ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur, tales sunt et dii illorum. ¹⁶ Constitutis illis in domo, oculi eorum pleni sunt pulvere a pedibus introëuntium. ¹⁷ Et sicut alicui qui regem offendit circumseptæ sunt januæ, aut sicut ad sepulchrum adductum mortuum: ita tutantur sacerdotes ostia clausuris et seris, ne a latronibus expolientur. ¹⁸ Lucernas accendunt illis, et quidem multas, ex quibus nullam videre possunt: sunt autem sicut trabes in domo. ¹⁹ Corda vero eorum dicunt elingere serpentes qui de terra sunt, dum comedunt eos, et vestimentum ipsorum, et non sentiunt. ²⁰ Nigræ fiunt facies eorum a fumo qui in domo fit. ²¹ Supra corpus eorum et supra caput eorum volant noctuæ, et hirundines, et aves etiam, similiter et cattæ. ²² Unde sciatis quia non sunt dii: ne ergo timueritis eos. ²³ Aurum etiam quod habent ad speciem est: nisi aliquis exterserit æruginem, non fulgebunt: neque enim dum conflarentur, sentiebant. ²⁴ Ex omni pretio empta sunt, in quibus spiritus non inest ipsis. ²⁵ Sine

pedibus, in humeris portantur, ostentantes ignobilitatem suam hominibus: confundantur etiam qui colunt ea. ²⁶ Propterea si ceciderint in terram, a semetipsis non consurgunt: neque si quis eum statuerit rectum, per semetipsum stabit: sed sicut mortuis munera eorum illis apponentur. ²⁷ Hostias illorum vendunt sacerdotes ipsorum, et abutuntur: similiter et mulieres eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti, aliquid impertiunt. ²⁸ De sacrificiis eorum foetæ et menstruatæ contingunt. Sciens itaque ex his quia non sunt dii, ne timeatis eos. ²⁹ Unde enim vocantur dii? quia mulieres apponunt diis argenteis, et aureis, et ligneis: ³⁰ et in domibus eorum sacerdotes sedent habentes tunicas scissas, et capita et barbam rasam, quorum capita nuda sunt. ³¹ Rugiunt autem clamantes contra deos suos sicut in cœna mortui. ³² Vestimenta eorum auferunt sacerdotes, et vestiunt uxores suas et filios suos. ³³ Neque si quid mali patiuntur ab aliquo, neque si quid boni, poterunt retribuere: neque regem constituere possunt, neque auferre. ³⁴ Similiter neque dare divitias possunt, neque malum retribuere. Si quis illis votum voverit et non reddiderit, neque hoc requirunt. ³⁵ Hominem a morte non liberant, neque infirmum a potentiori eripiunt. ³⁶ Hominem cæcum ad visum non restituunt; de necessitate hominem non liberabunt. ³⁷ Viduæ non miserebuntur, neque orphanis beneficient. ³⁸ Lapidibus de monte similes sunt dii illorum, lignei, et lapidei, et aurei, et argentei: qui autem colunt ea, confundentur. ³⁹ Quomodo ergo æstimandum est aut dicendum illos esse deos? ⁴⁰ Adhuc enim ipsis Chaldæis non honorantibus ea: qui cum audierint mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel, postulantes ab eo loqui: ⁴¹ quasi possint sentire qui non habent motum! Et ipsi, cum intellexerint, relinquent ea: sensum enim non habent ipsi dii illorum. ⁴² Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succedentes ossa olivarum: ⁴³ cum autem aliqua ex ipsis, attracta ab aliquo transeunte, dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis ejus diruptus sit. ⁴⁴ Omnia autem quæ illi fiunt, falsa sunt: quomodo æstimandum aut dicendum est illos esse deos? ⁴⁵ A fabris autem et ab aurificibus facta sunt: nihil aliud erunt, nisi id quod volunt esse sacerdotes. ⁴⁶ Artifices etiam ipsi, qui ea faciunt, non sunt multi temporis: numquid ergo possunt ea, quæ fabricata sunt ab ipsis, esse dii? ⁴⁷ Reliquerunt autem falsa et opprobrium postea futuris. ⁴⁸ Nam cum supervenerit illis prælium et mala, cogitant sacerdotes apud se ubi se abscondant cum illis. ⁴⁹ Quomodo ergo sentiri debeant quoniam dii sunt, qui nec de bello se liberant, neque de malis se eripiunt? ⁵⁰ Nam cum sint lignea, inaurata et inargentata, scietur postea quia falsa sunt ab universis gentibus et regibus: quæ manifesta sunt quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, et nullum Dei opus cum illis. ⁵¹ Unde ergo notum est quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, et nullum Dei opus in ipsis est. ⁵² Regem regioni non suscitant, neque pluviam hominibus dabunt. ⁵³ Judicium quoque non discernent, neque regiones liberabunt ab injuria, quia nihil possunt, sicut corniculæ inter medium cæli et terræ. ⁵⁴ Etenim cum inciderit ignis in domum deorum ligneorum, argenteorum et aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient, et liberabuntur: ipsi vero sicut trabes in medio comburentur. ⁵⁵ Regi autem et bello non resistent. Quomodo ergo æstimandum est aut recipiendum quia dii sunt? ⁵⁶ Non a furibus, neque a latronibus se liberabunt dii lignei, et lapidei, et inaurati, et inargentati: quibus hi qui fortiores sunt, ⁵⁷ aurum et argentum, et vestimentum quo operti sunt, auferent illis, et abibunt, nec sibi auxilium ferent. ⁵⁸ Itaque melius est esse regem ostentantem virtutem suam, aut vas in

domo utile, in quo gloriabitur qui possidet illud, vel ostium in domo, quod custodit quæ in ipsa sunt, quam falsi dii. ⁵⁹Sol quidem et luna ac sidera, cum sint splendida et emissa ad utilitates, obaudiunt: ⁶⁰similiter et fulgur cum apparuerit, perspicuum est: id ipsum autem et spiritus in omni regione spirat: ⁶¹et nubes, quibus cum imperatum fuerit a Deo perambulare universum orbem, perficiunt quod imperatum est eis: ⁶²ignis etiam missus desuper, ut consumat montes et silvas, facit quod præceptum est ei: hæc autem neque speciebus, neque virtutibus, uni eorum similia sunt. ⁶³Unde neque existimandum est, neque dicendum illos esse deos, quando non possunt neque iudicium judicare, neque quidquam facere hominibus. ⁶⁴Scientes itaque quia non sunt dii, ne ergo timueritis eos. ⁶⁵Neque enim regibus maledicent, neque benedicent. ⁶⁶Signa etiam in cælo gentibus non ostendunt: neque ut sol lucebunt, neque illuminabunt ut luna. ⁶⁷Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum ac prodesse sibi. ⁶⁸Nulla itaque modo nobis est manifestum quia sunt dii: propter quod ne timeatis eos. ⁶⁹Nam sicut in cucumerario formido nihil custodit, ita sunt dii illorum lignei, et argentei, et inaurati. ⁷⁰Eodem modo et in horto spina alba, supra quam omnis avis sedet, similiter et mortuo projecto in tenebris, similes sunt dii illorum lignei, et inaurati, et inargentati. ⁷¹A purpura quoque et murice, quæ supra illos tineant, scietis itaque quia non sunt dii: ipsi etiam postremo comeduntur, et erunt opprobrium in regione. ⁷²Melior est homo justus qui non habet simulacra, nam erit longe ab opprobriis.

INCIPIIT LIBER PRIMUS MACCHABEORUM

1 Et factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egressus de terra Cethim, Darium regem Persarum et Medorum: ² constituit prælia multa, et obtinuit omnium munitiones, et interfecit reges terræ, ³ et pertransiit usque ad fines terræ: et accepit spolia multitudinis gentium, et siluit terra in conspectu ejus. ⁴ Et congregavit virtutem, et exercitum fortem nimis: et exaltatum est, et elevatum cor ejus: ⁵ et obtinuit regiones gentium, et tyrannos: et facti sunt illi in tributum. ⁶ Et post hæc decidit in lectum, et cognovit quia moreretur. ⁷ Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute: et divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret. ⁸ Et regnavit Alexander annis duodecim, et mortuus est. ⁹ Et obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco suo: ¹⁰ et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem ejus, et filii eorum post eos annis multis, et multiplicata sunt mala in terra. ¹¹ Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses: et regnavit in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum. ¹² In diebus illis, exierunt ex Israël filii iniqui, et suaserunt multis, dicentes: Eamus, et disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala. ¹³ Et bonus visus est sermo in oculis eorum. ¹⁴ Et destinaverunt aliqui de populo, et abierunt ad regem: et dedit illis potestatem ut facerent justitiam gentium. ¹⁵ Et ædificaverunt gymnasium in Jerosolymis secundum leges nationum: ¹⁶ et fecerunt sibi præputia, et recesserunt a testamento sancto, et juncti sunt nationibus, et venundati sunt ut facerent malum. ¹⁷ Et paratum est regnum in conspectu Antiochi, et cœpit regnare in terra Ægypti ut regnaret super duo regna. ¹⁸ Et intravit in Ægyptum in multitudine gravi, in curribus, et elephantis, et equitibus, et copiosa navium multitudine: ¹⁹ et constituit bellum adversus Ptolemæum regem Ægypti, et veritus est Ptolemæus a facie ejus, et fugit, et ceciderunt vulnerati multi. ²⁰ Et comprehendit civitates munitas in terra Ægypti, et accepit spolia terræ Ægypti. ²¹ Et convertit Antiochus, postquam percussit Ægyptum in centesimo et quadragesimo tertio anno: et ascendit ad Israël, ²² et ascendit Jerosolymam in multitudine gravi. ²³ Et intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et universa vasa ejus, et mensam propositionis, et libatoria, et phialas, et mortariola aurea, et velum, et coronas, et ornamentum aureum, quod in facie templi erat: et comminuit omnia. ²⁴ Et accepit argentum, et aurum, et vasa concupiscibilia: et accepit thesauros occultos, quos invenit: et sublatis omnibus, abiit in terram suam. ²⁵ Et fecit cædem hominum, et locutus est in superbia magna. ²⁶ Et factus est plancus magnus in Israël, et in omni loco eorum: ²⁷ et ingemuerunt principes et seniores; virgines et juvenes infirmati sunt: et speciositas mulierum immutata est. ²⁸ Omnibus maritus sumpsit lamentum, et quæ sedebant in thoro maritali, lugebant: ²⁹ et commota est terra super habitantes in ea, et universa domus Jacob induit confusionem. ³⁰ Et post duos annos dierum, misit rex principem tributorum in civitates Juda, et venit Jerusalem cum turba magna. ³¹ Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo: et crediderunt ei. ³² Et irruit super civitatem repente, et percussit eam plaga magna, et perdidit populum multum ex Israël. ³³ Et accepit spolia civitatis: et succendit eam igni, et destruxit domos ejus, et muros ejus in circuitu: ³⁴ et captivas duxerunt

mulieres, et natos et pecora possederunt. ³⁵ Et ædificaverunt civitatem David muro magno et firmo, et turribus firmis, et facta est illis in arcem: ³⁶ et posuerunt illic gentem peccatricem viros iniquos, et convaluerunt in ea: et posuerunt arma, et escas, et congregaverunt spolia Jerusalem: ³⁷ et reposuerunt illic: et facti sunt in laqueum magnum. ³⁸ Et factum est hoc ad insidias sanctificationi, et in diabolum malum in Israël: ³⁹ et effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis, et contaminaverunt sanctificationem. ⁴⁰ Et fugerunt habitatores Jerusalem propter eos, et facta est habitatio exteriorum, et facta est externa semini suo, et nati ejus reliquerunt eam. ⁴¹ Sanctificatio ejus desolata est sicut solitudo; dies festi ejus conversi sunt in luctum, sabbata ejus in opprobrium, honores ejus in nihilum. ⁴² Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus, et sublimitas ejus conversa est in luctum. ⁴³ Et scripsit rex Antiochus omni regno suo ut esset omnis populus unus: et relinqueret unusquisque legem suam. ⁴⁴ Et consenserunt omnes gentes secundum verbum regis Antiochi: ⁴⁵ et multi ex Israël consenserunt servituti ejus, et sacrificaverunt idolis, et coinquinaverunt sabbatum. ⁴⁶ Et misit rex libros per manus nuntiorum in Jerusalem, et in omnes civitates Juda, ut sequerentur leges gentium terræ, ⁴⁷ et prohiberent holocausta et sacrificia, et placationes fieri in templo Dei, ⁴⁸ et prohiberent celebrari sabbatum, et dies solemnes: ⁴⁹ et jussit coinquinari sancta, et sanctum populum Israël. ⁵⁰ Et jussit ædificari aras, et templa, et idola, et immolari carnes suillas, et pecora communia, ⁵¹ et relinquere filios suos incircumcisos, et coinquinari animas eorum in omnibus immundis, et abominationibus, ita ut obliviscerentur legem, et immutarent omnes justificationes Dei: ⁵² et quicumque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur. ⁵³ Secundum omnia verba hæc scripsit omni regno suo: et præposuit principes populo, qui hæc fieri cogèrent. ⁵⁴ Et jusserunt civitatibus Juda sacrificare. ⁵⁵ Et congregati sunt multi de populo ad eos qui dereliquerant legem Domini, et fecerunt mala super terram: ⁵⁶ et effugaverunt populum Israël in abditis, et in absconditis fugitivorum locis. ⁵⁷ Die quintadecima mensis Casleu, quinto et quadragesimo et centesimo anno, ædificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, et per universas civitates Juda in circuitu ædificaverunt aras: ⁵⁸ et ante januas domorum et in plateis incendebant thura, et sacrificabant: ⁵⁹ et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos: ⁶⁰ et apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Domini, et quicumque observabat legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum. ⁶¹ In virtute sua faciebant hæc populo Israël, qui inveniebatur in omni mense et mense in civitatibus. ⁶² Et quinta et vigesima die mensis sacrificabant super aram, quæ erat contra altare. ⁶³ Et mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur secundum jussum regis Antiochi, ⁶⁴ et suspendebant pueros a cervicibus per universas domos eorum: et eos, qui circumciderant illos, trucidabant. ⁶⁵ Et multi de populo Israël definierunt apud se, ut non manducarent immunda: et elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis: ⁶⁶ et noluerunt infringere legem Dei sanctam, et trucidati sunt: ⁶⁷ et facta est ira magna super populum valde.

2 In diebus illis surrexit Mathathias filius Joannis filii Simeonis, sacerdos ex filiis Joarib, ab Jerusalem, et consedit in monte Modin: ² et habebat filios quinque, Joannem, qui cognominabatur Gaddis: ³ et Simonem, qui cognominabatur Thasi: ⁴ et Judam, qui vocabatur Machabæus: ⁵ et Eleazarum, qui cognominabatur Abaron: et Jonathan, qui cognominabatur Apphus: ⁶ hi viderunt mala, quæ fiebant in populo

Juda, et in Jerusalem. ⁷ Et dixit Mathathias: Væ mihi ! ut quid natus sum videre contritionem populi mei, et contritionem civitatis sanctæ, et sedere illic, cum datur in manibus inimicorum? ⁸ Sancta in manu extraneorum facta sunt: templum ejus sicut homo ignobilis. ⁹ Vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt: trucidati sunt senes ejus in plateis, et juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum. ¹⁰ Quæ gens non hæreditavit regnum ejus et non obtinuit spolia ejus? ¹¹ Omnis compositio ejus ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla. ¹² Et ecce sancta nostra, et pulchritudo nostra, et claritas nostra desolata est, et coinquinaverunt ea gentes. ¹³ Quo ergo nobis adhuc vivere? ¹⁴ Et scidit vestimenta sua Mathathias, et filii ejus: et operuerunt se ciliciis, et planxerunt valde. ¹⁵ Et venerunt illuc qui missi erant a rege Antiocho, ut cogèrent eos, qui confugerant in civitatem Modin, immolare, et accendere thura, et a lege Dei discedere. ¹⁶ Et multi de populo Israël consentientes accesserunt ad eos: sed Mathathias et filii ejus constanter steterunt. ¹⁷ Et respondentes qui missi erant ab Antiocho, dixerunt Mathathiæ: Princeps, et clarissimus et magnus es in hac civitate, et ornatus filiis et fratribus: ¹⁸ ergo accede prior, et fac jussum regis, sicut fecerunt omnes gentes, et viri Juda, et qui remanserunt in Jerusalem: et eris tu, et filii tui, inter amicos regis, et amplificatus auro, et argento, et muneribus multis. ¹⁹ Et respondit Mathathias, et dixit magna voce: Etsi omnes gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum, et consentiat mandatis ejus: ²⁰ ego et filii mei, et fratres mei, obediemus legi patrum nostrorum: ²¹ propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem, et justitias Dei: ²² non audiemus verba regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus altera via. ²³ Et ut cessavit loqui verba hæc, accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin, secundum jussum regis: ²⁴ et vidit Mathathias, et doluit, et contremuerunt renes ejus, et accensus est furor ejus secundum judicium legis, et insiliens trucidavit eum super aram: ²⁵ sed et virum, quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, et aram destruxit: ²⁶ et zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi. ²⁷ Et exclamavit Mathathias voce magna in civitate, dicens: Omnis qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me. ²⁸ Et fugit ipse, et filii ejus in montes, et reliquerunt quæcumque habebant in civitate. ²⁹ Tunc descenderunt multi quærentes judicium, et justitiam, in desertum: ³⁰ et sederunt ibi ipsi, et filii eorum, et mulieres eorum, et pecora eorum: quoniam inundaverunt super eos mala. ³¹ Et renuntiatum est viris regis, et exercitui qui erat in Jerusalem civitate David, quoniam discessissent viri quidam, qui dissipaverunt mandatum regis, in loca occulta in deserto, et abiissent post illos multi. ³² Et statim perrexerunt ad eos, et constituerunt adversus eos prælium in die sabbatorum, ³³ et dixerunt ad eos: Resistitis et nunc adhuc? exite, et facite secundum verbum regis Antiochi, et vivetis. ³⁴ Et dixerunt: Non exhibimus, neque faciemus verbum regis, ut polluamus diem sabbatorum. ³⁵ Et concitaverunt adversus eos prælium. ³⁶ Et non responderunt eis, nec lapidem miserunt in eos, nec oppilaverunt loca occulta, ³⁷ dicentes: Moriamur omnes in simplicitate nostra: et testes erunt super nos cælum et terra, quod injuste perditis nos. ³⁸ Et intulerunt illis bellum sabbatis: et mortui sunt ipsi, et uxores eorum, et filii eorum, et pecora eorum usque ad mille animas hominum. ³⁹ Et cognovit Mathathias et amici ejus, et luctum habuerunt super eos valde. ⁴⁰ Et dixit vir proximo suo: Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, et non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris

et justificationibus nostris, nunc citius disperdent nos a terra. ⁴¹ Et cogitaverunt in die illa, dicentes: Omnis homo, quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus adversus eum: et non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis. ⁴² Tunc congregata est ad eos synagoga Assidæorum fortis viribus ex Israël, omnis voluntarius in lege: ⁴³ et omnes, qui fugiebant a malis, additi sunt ad eos, et facti sunt illis ad firmamentum. ⁴⁴ Et collegerunt exercitum, et percusserunt peccatores in ira sua, et viros iniquos in indignatione sua: et ceteri fugerunt ad nationes, ut evaderent. ⁴⁵ Et circivivit Mathathias et amici ejus, et destruxerunt aras: ⁴⁶ et circumciderunt pueros incircumcisos quotquot invenerunt in finibus Israël: et in fortitudine. ⁴⁷ Et persecuti sunt filios superbiæ, et prosperatum est opus in manibus eorum: ⁴⁸ et obtinuerunt legem de manibus gentium, et de manibus regum, et non dederant cornu peccatori. ⁴⁹ Et appropinquaverunt dies Mathathiæ moriendi, et dixit filiis suis: Nunc confortata est superbia, et castigatio, et tempus eversionis, et ira indignationis. ⁵⁰ Nunc ergo, o filii, æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, ⁵¹ et mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: et accipietis gloriam magnam, et nomen æternum. ⁵² Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, et reputatum est ei ad justitiam? ⁵³ Joseph in tempore angustiae suæ custodivit mandatum, et factus est dominus Ægypti. ⁵⁴ Phinees pater noster, zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotii æterni. ⁵⁵ Jesus dum implevit verbum, factus est dux in Israël. ⁵⁶ Caleb dum testificatur in ecclesia, accepit hæreditatem. ⁵⁷ David in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula. ⁵⁸ Elias, dum zelat zelum legis, receptus est in cælum. ⁵⁹ Ananias et Azarias et Misaël credentes, liberati sunt de flamma. ⁶⁰ Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. ⁶¹ Et ita cogitate per generationem et generationem: quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur. ⁶² Et a verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est: ⁶³ hodie extollitur, et cras non invenietur: quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit. ⁶⁴ Vos ergo filii, confortamini, et viriliter agite in lege: quia in ipsa gloriosi eritis. ⁶⁵ Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est: ipsum audite semper, et ipse erit vobis pater. ⁶⁶ Et Judas Machabæus, fortis viribus a juventute sua, sit vobis princeps militiæ, et ipse aget bellum populi. ⁶⁷ Et adducetis ad vos omnes factores legis: et vindicate vindictam populi vestri. ⁶⁸ Retribuite retributionem gentibus, et intendite in præceptum legis. ⁶⁹ Et benedixit eos, et appositus est ad patres suos. ⁷⁰ Et defunctus est anno centesimo et quadragesimo sexto: et sepultus est a filiis suis in sepulchris patrum suorum in Modin, et planxerunt eum omnis Israël planctu magno.

3 Et surrexit Judas, qui vocabatur Machabæus, filius ejus, pro eo: ² et adjuvabant eum omnes fratres ejus, et universi qui se conjunxerant patri ejus, et præliabantur prælium Israël cum lætitia. ³ [Et dilatavit gloriam populo suo, et induit se lorica sicut gigas, et succinxit se arma bellica sua in præliis, et protegebat castra gladio suo. ⁴ Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione. ⁵ Et persecutus est iniquos perscrutans eos: et qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis: ⁶ et repulsi sunt inimici ejus præ timore ejus, et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt: et directa est salus in manu ejus. ⁷ Et exacerbat reges multos, et lætificabat Jacob in operibus suis, et in sæculum memoria ejus in benedictione. ⁸ Et perambulavit civitates Juda, et perdidit impios ex eis, et avertit iram ab Israël. ⁹ Et nominatus est usque ad novissimum terræ, et congregavit

pereuntes.] ¹⁰ Et congregavit Apollonius gentes, et a Samaria virtutem multam et magnam ad bellandum contra Israël. ¹¹ Et cognovit Judas, et exiit obviam illi: et percussit, et occidit illum: et ceciderunt vulnerati multi, et reliqui fugerunt. ¹² Et accepit spolia eorum: et gladium Apollonii abstulit Judas, et erat pugnans in eo omnibus diebus. ¹³ Et audivit Seron princeps exercitus Syriæ, quod congregavit Judas congregationem fidelium, et ecclesiam secum, ¹⁴ et ait: Faciam mihi nomen, et glorificabor in regno, et debellabo Judam, et eos qui cum ipso sunt, qui spernebant verbum regis. ¹⁵ Et præparavit se: et ascenderunt cum eo castra impiorum fortes auxiliarii ut facerent vindictam in filios Israël. ¹⁶ Et appropinquaverunt usque ad Bethoron: et exivit Judas obviam illi cum paucis. ¹⁷ Ut autem viderunt exercitum venientem sibi obviam, dixerunt Judæ: Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, et tam fortem, et nos fatigati sumus jejuniis hodie? ¹⁸ Et ait Judas: Facile est concludi multos in manus paucorum: et non est differentia in conspectu Dei cæli liberare in multis, et in paucis: ¹⁹ quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est. ²⁰ Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci, et superbia, ut disperdant nos, et uxores nostras, et filios nostros, et ut spolient nos: ²¹ nos vero pugnabimus pro animabus nostris, et legibus nostris: ²² et ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram: vos autem ne timueritis eos. ²³ Ut cessavit autem loqui, insiluit in eos subito: et contritus est Seron et exercitus ejus in conspectu ipsius: ²⁴ et persecutus est eum in descensu Bethoron usque in campum, et ceciderunt ex eis octingenti viri, reliqui autem fugerunt in terram Philistiim. ²⁵ Et cecidit timor Judæ ac fratrum ejus, et formido super omnes gentes in circuitu eorum: ²⁶ et pervenit ad regem nomen ejus, et de præliis Judæ narrabant omnes gentes. ²⁷ Ut audivit autem rex Antiochus sermones istos, iratus est animo: et misit, et congregavit exercitum universi regni sui, castra fortia valde: ²⁸ et aperuit ærarium suum, et dedit stipendia exercitui in annum: et mandavit illis ut essent parati ad omnia. ²⁹ Et vidit quod defecit pecunia de thesauris suis, et tributa regionis modica propter dissensionem et plagam quam fecit in terra, ut tolleret legitima, quæ erant a primis diebus: ³⁰ et timuit ne non haberet ut semel et bis, in sumptus et donaria, quæ dederat ante larga manu: et abundaverat super reges qui ante eum fuerant. ³¹ Et consternatus erat animo valde, et cogitavit ire in Persidem, et accipere tributa regionum, et congregare argentum multum. ³² Et reliquit Lysiam hominem nobilem de genere regali, super negotia regia, a flumine Euphrate usque ad flumen Ægypti, ³³ et ut nutriret Antiochum filium suum, donec rediret. ³⁴ Et tradidit ei medium exercitum, et elephantos: et mandavit ei de omnibus quæ volebat, et de inhabitantibus Judæam, et Jerusalem: ³⁵ et ut mitteret ad eos exercitum ad conterendam et extirpandam virtutem Israël, et reliquias Jerusalem, et auferendam memoriam eorum de loco: ³⁶ et ut constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum, et sorte distribueret terram eorum. ³⁷ Et rex assumpsit partem exercitus residui, et exivit ab Antiochia civitate regni sui anno centesimo et quadragesimo septimo: et transfretavit Euphraten flumen, et perambulabat superiores regiones. ³⁸ Et elegit Lysias Ptolemæum filium Dorymini, et Nicanorem, et Gorgiam, viros potentes ex amicis regis: ³⁹ et misit cum eis quadraginta millia virorum, et septem millia equitum, ut venirent in terram Juda, et disperderent eam secundum verbum regis. ⁴⁰ Et processerunt cum universa virtute sua, et venerunt, et applicuerunt Emmaum in terra campestri. ⁴¹ Et audierunt mercatores regionum nomen eorum: et acceperunt

argentum, et aurum multum valde, et pueros, et venerunt in castra ut acciperent filios Israël in servos, et additi sunt ad eos exercitus Syriæ, et terræ alienigenarum. ⁴² Et vidit Judas et fratres ejus, quia multiplicata sunt mala, et exercitus applicabant ad fines eorum: et cognoverunt verba regis, quæ mandavit populo facere in interitum et consummationem: ⁴³ et dixerunt unusquisque ad proximum suum: Erigamus dejectionem populi nostri, et pugnemus pro populo nostro, et sanctis nostris. ⁴⁴ Et congregatus est conventus ut essent parati in prælium, et ut orarent et peterent misericordiam et miserationes. ⁴⁵ Et Jerusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum: non erat qui ingrederetur et egrederetur de natis ejus. Et sanctum conculcabatur: et filii alienigenarum erant in arce; ibi erat habitatio gentium: et ablata est voluptas a Jacob, et defecit ibi tibia et cithara. ⁴⁶ Et congregati sunt, et venerunt in Maspha contra Jerusalem, quia locus orationis erat in Maspha ante in Israël. ⁴⁷ Et jejunaverunt illa die, et induerunt se ciliciis, et cinerem imposuerunt capiti suo, et disciderunt vestimenta sua: ⁴⁸ et expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum: ⁴⁹ et attulerunt ornamenta sacerdotalia, et primitias, et decimas: et suscitaverunt Nazaræos, qui impleverant dies, ⁵⁰ et clamaverunt voce magna in cælum, dicentes: Quid faciemus istis, et quo eos ducemus? ⁵¹ et sancta tua conculcata sunt, et contaminata sunt, et sacerdotes tui facti sunt in luctum, et in humilitatem: ⁵² et ecce nationes convenerunt adversum nos ut nos disperdant: tu scis quæ cogitant in nos. ⁵³ Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu, Deus, adjuves nos? ⁵⁴ Et tubis exclamaverunt voce magna. ⁵⁵ Et post hæc constituit Judas duces populi, tribunos, et centuriones, et pentacontarchos, et decuriones. ⁵⁶ Et dixit his, qui ædificabant domos, et sponsabant uxores, et plantabant vineas, et formidolosis, ut redirent unusquisque in domum suam secundum legem. ⁵⁷ Et moverunt castra, et collocaverunt ad austrum Emmaum. ⁵⁸ Et ait Judas: Accingimini, et estote filii potentes, et estote parati in mane, ut pugnetis adversum nationes has quæ convenerunt adversum nos disperdere nos, et sancta nostra: ⁵⁹ quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, et sanctorum. ⁶⁰ Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat.

4 Et assumpsit Gorgias quinque millia virorum, et mille equites electos: et moverunt castra nocte, ² ut applicarent ad castra Judæorum, et percuterent eos subito: et filii, qui erant ex arce, erant illis duces. ³ Et audivit Judas, et surrexit ipse et potentes percutere virtutem exercituum regis, qui erant in Emmaum: ⁴ adhuc enim dispersus erat exercitus a castris. ⁵ Et venit Gorgias in castra Judæ noctu, et neminem invenit: et quærebat eos in montibus, quoniam dixit: Fugiunt hi a nobis. ⁶ Et cum dies factus esset, apparuit Judas in campo cum tribus millibus virorum tantum, qui tegumenta et gladios non habebant: ⁷ et viderunt castra gentium valida, et loricatedos et equitatus in circuitu eorum, et hi docti ad prælium. ⁸ Et ait Judas viris, qui secum erant: Ne timueritis multitudinem eorum, et impetum eorum ne formidetis. ⁹ Mementote qualiter salvi facti sunt patres nostri in mari Rubro, cum sequeretur eos Pharao cum exercitu multo. ¹⁰ Et nunc clamemus in cælum: et miserabitur nostri Dominus, et memor erit testamenti patrum nostrorum, et conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie: ¹¹ et scient omnes gentes quia est qui redimat et liberet Israël. ¹² Et elevaverunt alienigenæ oculos suos, et viderunt eos venientes ex adverso. ¹³ Et exierunt de castris in prælium, et tuba cecinerunt hi qui erant cum Juda. ¹⁴ Et congressi sunt: et contritæ sunt gentes, et fugerunt in campum.

¹⁵ Novissimi autem omnes ceciderunt in gladio, et persecuti sunt eos usque Gezeron, et usque in campos Idumææ, et Azoti, et Jamniæ: et ceciderunt ex illis usque ad tria millia virorum. ¹⁶ Et reversus est Judas, et exercitus ejus sequens eum. ¹⁷ Dixitque ad populum: Non concupiscatis spolia: quia bellum contra nos est, ¹⁸ et Gorgias et exercitus ejus prope nos in monte: sed state nunc contra inimicos nostros, et expugnate eos, et sumetis postea spolia securi. ¹⁹ Et adhuc loquente Juda hæc, ecce apparuit pars quædam prospiciens de monte. ²⁰ Et vidit Gorgias quod in fugam conversi sunt sui, et succenderunt castra: fumus enim, qui videbatur, declarabat quod factum est. ²¹ Quibus illi conspectis timuerunt valde, aspicientes simul et Judam, et exercitum in campo paratum ad prælium. ²² Et fugerunt omnes in campum alienigenarum: ²³ et Judas reversus est ad spolia castrorum, et acceperunt aurum multum, et argentum, et hyacinthinum, et purpuram marinam, et opes magnas. ²⁴ Et conversi, hymnum canebant, et benedicebant Deum in cælum, quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia ejus. ²⁵ Et facta est salus magna in Israël in die illa. ²⁶ Quicumque autem alienigenarum evaserunt, venerunt, et nuntiaverunt Lysias universa quæ acciderant. ²⁷ Quibus ille auditis, consternatus animo deficiebat: quod non qualia voluit, talia contigerunt in Israël, et qualia mandavit rex. ²⁸ Et sequenti anno, congregavit Lysias virorum electorum sexaginta millia, et equitum quinque millia, ut debellaret eos. ²⁹ Et venerunt in Judæam, et castra posuerunt in Bethoron, et occurrit illis Judas cum decem millibus viris. ³⁰ Et viderunt exercitum fortem, et oravit, et dixit: Benedictus es, salvator Israël, qui contrivisti impetum potentis in manu servi tui David, et tradidisti castra alienigenarum in manu Jonathæ filii Saul, et armigeri ejus. ³¹ Conclude exercitum istum in manu populi tui Israël, et confundantur in exercitu suo et equitibus. ³² Da illis formidinem, et tabefac audaciam virtutis eorum, et commoveantur contritione sua. ³³ Dejice illos gladio diligentium te: et collaudent te omnes, qui noverunt nomen tuum, in hymnis. ³⁴ Et commiserunt prælium: et ceciderunt de exercitu Lysias quinque millia virorum. ³⁵ Videns autem Lysias fugam suorum, et Judæorum audaciam, et quod parati sunt aut vivere, aut mori fortiter, abiit Antiochiam, et elegit milites, ut multiplicati rursus venirent in Judæam. ³⁶ Dixit autem Judas, et fratres ejus: Ecce contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta, et renovare. ³⁷ Et congregatus est omnis exercitus, et ascenderunt in montem Sion. ³⁸ Et viderunt sanctificationem desertam, et altare profanatum, et portas exustas, et in atriis virgulta nata sicut in saltu vel in montibus, et pastophoria diruta. ³⁹ Et sciderunt vestimenta sua, et planxerunt planctu magno, et imposuerunt cinerem super caput suum, ⁴⁰ et ceciderunt in faciem super terram, et exclamaverunt tubis signorum, et clamaverunt in cælum. ⁴¹ Tunc ordinavit Judas viros ut pugnarent adversus eos qui erant in arce, donec emundarent sancta. ⁴² Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei: ⁴³ et mundaverunt sancta, et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. ⁴⁴ Et cogitavit de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret. ⁴⁵ Et incidit illis consilium bonum ut destruerent illud: ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud gentes, et demoliti sunt illud. ⁴⁶ Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret propheta, et responderet de eis. ⁴⁷ Et acceperunt lapides integros secundum legem, et ædificaverunt altare novum secundum illud quod fuit prius: ⁴⁸ et ædificaverunt sancta, et quæ intra domum erant intrinsecus: et ædem, et atria sanctificaverunt. ⁴⁹ Et fecerunt vasa sancta nova, et

intulerunt candelabrum, et altare incensorum, et mensam, in templum. ⁵⁰ Et incensum posuerunt super altare, et accenderunt lucernas quæ super candelabrum erant, et lucebant in templo. ⁵¹ Et posuerunt super mensam panes, et appenderunt vela, et consummaverunt omnia opera quæ fecerant. ⁵² Et ante matutinum surrexerunt quinta et vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragésimi octavi anni: ⁵³ et obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum novum, quod fecerunt. ⁵⁴ Secundum tempus et secundum diem in qua contaminaverunt illud gentes, in ipsa renovatum est in canticis, et citharis, et cinyris, et in cymbalis. ⁵⁵ Et cecidit omnis populus in faciem, et adoraverunt, et benedixerunt in cælum eum, qui prosperavit eis. ⁵⁶ Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, et obtulerunt holocausta cum lætitia, et sacrificium salutaris et laudis. ⁵⁷ Et ornaverunt faciem templi coronis aureis et scutulis, et dedicaverunt portas et pastophoria, et imposuerunt eis januas. ⁵⁸ Et facta est lætitia in populo magna valde, et aversum est opprobrium gentium. ⁵⁹ Et statuit Judas, et fratres ejus, et universa ecclesia Israël, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo a quinta et vigesima die mensis Casleu, cum lætitia et gaudio. ⁶⁰ Et ædificaverunt in tempore illo montem Sion, et per circuitum muros altos et turres firmas, nequando venirent gentes, et conculcarent eum sicut antea fecerunt. ⁶¹ Et collocavit illic exercitum, ut servarent eum, et munivit eum ad custodiendum Bethsuram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.

5 Et factum est, ut audierunt gentes in circuitu quia ædificatum est altare et sanctuarium sicut prius, iratæ sunt valde: ² et cogitabant tollere genus Jacob, qui erant inter eos, et cœperunt occidere de populo, et persequi. ³ Et debellabat Judas filios Esau in Idumæa, et eos qui erant in Acrabathane, quia circumsedebant Israëlitas: et percussit eos plaga magna. ⁴ Et recordatus est malitiam filiorum Bean, qui erant populo in laqueum et in scandalum, insidiantes ei in via. ⁵ Et conclusi sunt ab eo in turribus, et applicuit ad eos, et anathematizavit eos, et incendit turres eorum igni cum omnibus qui in eis erant. ⁶ Et transivit ad filios Ammon, et invenit manum fortem, et populum copiosum, et Timotheum ducem ipsorum: ⁷ et commisit cum eis prælia multa, et contriti sunt in conspectu eorum, et percussit eos: ⁸ et cepit Gazer civitatem et filias ejus, et reversus est in Judæam. ⁹ Et congregatæ sunt gentes quæ sunt in Galaad adversus Israëlitas, qui erant in finibus eorum, ut tollerent eos: et fugerunt in Datheman munitionem. ¹⁰ Et miserunt litteras ad Judam et fratres ejus, dicentes: Congregatæ sunt adversum nos gentes per circuitum, ut nos auferant, ¹¹ et parant venire, et occupare munitionem, in quam confugimus: et Timotheus est dux exercitus eorum. ¹² Nunc ergo veni, et eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis. ¹³ Et omnes fratres nostri, qui erant in locis Tubin, interfecti sunt: et captivas duxerunt uxores eorum, et natos, et spolia, et peremerunt illic fere mille viros. ¹⁴ Et adhuc epistolæ legebantur, et ecce alii nuntii venerunt de Galilæa conscissis tunicis, nuntiantes secundum verba hæc: ¹⁵ dicentes convenisse adversum se a Ptolemaida, et Tyro, et Sidone: et repleta est omnis Galilæa alienigenis, ut nos consumant. ¹⁶ Ut audivit autem Judas et populus sermones istos, convenit ecclesia magna cogitare quid facerent fratribus suis, qui in tribulatione erant, et expugnabantur ab eis. ¹⁷ Dixitque Judas Simoni fratri suo: Elige tibi viros, et vade, et libera fratres tuos in Galilæa: ego autem et frater meus Jonathas ibimus in Galaaditim. ¹⁸ Et reliquit Josephum filium Zachariæ, et Azariam, duces populi, cum residuo exercitu

in Judæa ad custodiam: ¹⁹ et præcepit illis, dicens: Præstote populo huic: et nolite bellum committere adversum gentes, donec revertamur. ²⁰ Et partiti sunt Simoni viri tria millia, ut iret in Galilæam: Judæ autem octo millia in Galaaditim. ²¹ Et abiit Simon in Galilæam, et commisit prælia multa cum gentibus: et contritæ sunt gentes a facie ejus, et persecutus est eos usque ad portam ²² Ptolemaidis: et ceciderunt de gentibus fere tria millia virorum. Et accepit spolia eorum, ²³ et assumpsit eos qui erant in Galilæa et in Arbatis, cum uxoribus, et natis, et omnibus quæ erant illis, et adduxit in Judæam cum lætitia magna. ²⁴ Et Judas Machabæus, et Jonathas frater ejus, transierunt Jordanem, et abierunt viam trium dierum per desertum. ²⁵ Et occurrerunt eis Nabuthæi, et susceperunt eos pacifice, et narraverunt eis omnia quæ acciderant fratribus eorum in Galaaditide, ²⁶ et quia multi ex eis comprehensi sunt in Barasa, et Bosor, et in Alimis, et in Casphor, et Mageth, et Carnaim: hæc omnes civitates munitæ et magnæ. ²⁷ Sed et in ceteris civitatibus Galaaditidis tenentur comprehensi, et in crastinum constituerunt admovere exercitum civitatibus his, et comprehendere, et tollere eos in una die. ²⁸ Et convertit Judas et exercitus ejus viam in desertum Bosor repente, et occupavit civitatem: et occidit omnem masculum in ore gladii, et accepit omnia spolia eorum, et succendit eam igni. ²⁹ Et surrexerunt inde nocte, et ibant usque ad munitionem. ³⁰ Et factum est diluculo, cum elevassent oculos suos, ecce populus multus, cujus non erat numerus, portantes scalas et machinas ut comprehenderent munitionem, et expugnarent eos. ³¹ Et vidit Judas quia cœpit bellum, et clamor belli ascendit ad cælum sicut tuba, et clamor magnus de civitate: ³² et dixit exercitui suo: Pugnate hodie pro fratribus vestris. ³³ Et venit tribus ordinibus post eos, et exclamaverunt tubis, et clamaverunt in oratione. ³⁴ Et cognoverunt castra Timothei quia Machabæus est, et refugerunt a facie ejus: et percusserunt eos plaga magna. Et ceciderunt ex eis in die illa fere octo millia virorum. ³⁵ Et divertit Judas in Maspha, et expugnavit, et cepit eam: et occidit omnem masculum ejus, et sumpsit spolia ejus, et succendit eam igni. ³⁶ Inde perrexit, et cepit Casbon, et Mageth, et Bosor, et reliquas civitates Galaaditidis. ³⁷ Post hæc autem verba congregavit Timotheus exercitum alium, et castra posuit contra Raphon trans torrentem. ³⁸ Et misit Judas speculari exercitum: et renuntiaverunt ei, dicentes: Quia convenerunt ad eum omnes gentes quæ in circuitu nostro sunt, exercitus multus nimis: ³⁹ et Arabas conduxerunt in auxilium sibi, et castra posuerunt trans torrentem, parati ad te venire in prælium. Et abiit Judas obviam illis. ⁴⁰ Et ait Timotheus principibus exercitus sui: Cum appropinquaverit Judas, et exercitus ejus, ad torrentem aquæ: si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum, quia potens poterit adversum nos; ⁴¹ si vero timuerit transire, et posuerit castra extra flumen, transfretamus ad eos, et poterimus adversus illum. ⁴² Ut autem appropinquavit Judas ad torrentem aquæ, statuit scribas populi secus torrentem, et mandavit eis, dicens: Neminem hominem reliqueritis, sed veniant omnes in prælium. ⁴³ Et transfretavit ad illos prior, et omnis populus post eum, et contritæ sunt omnes gentes a facie eorum, et projecerunt arma sua, et fugerunt ad fanum, quod erat in Carnaim. ⁴⁴ Et occupavit ipsam civitatem, et fanum succendit igni cum omnibus qui erant in ipso: et oppressa est Carnaim, et non potuit sustinere contra faciem Judæ. ⁴⁵ Et congregavit Judas universos Israëlitas, qui erant in Galaaditide, a minimo usque ad maximum, et uxores eorum, et natos, et exercitum magnum valde, ut venirent in terram Juda. ⁴⁶ Et venerunt usque Ephron: et hæc civitas magna in ingressu posita, munita valde, et non erat declinare

ab ea dextera vel sinistra, sed per mediam iter erat. ⁴⁷ Et incluserunt se qui erant in civitate, et obstruxerunt portas lapidibus: et misit ad eos Judas verbis pacificis, ⁴⁸ dicens: Transeamus per terram vestram, ut eamus in terram nostram: et nemo vobis nocebit, tantum pedibus transibimus. Et nolebant eis aperire. ⁴⁹ Et præcepit Judas prædicare in castris, ut applicarent unusquisque in quo erat loco: ⁵⁰ et applicuerunt se viri virtutis, et oppugnavit civitatem illam tota die et tota nocte, et tradita est civitas in manu ejus: ⁵¹ et peremerunt omnem masculum in ore gladii, et eradicavit eam, et accepit spolia ejus: et transivit per totam civitatem super interfectos. ⁵² Et transgressi sunt Jordanem in campo magno, contra faciem Bethsan. ⁵³ Et erat Judas congregans extremos, et exhortabatur populum per totam viam, donec venirent in terram Juda: ⁵⁴ et ascenderunt in montem Sion cum lætitia, et gaudio, et obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset donec reverterentur in pace. ⁵⁵ Et in diebus quibus erat Judas et Jonathas in terra Galaad, et Simon frater ejus in Galilæa contra faciem Ptolemaidis, ⁵⁶ audivit Josephus Zachariæ filius, et Azarias princeps virtutis, res bene gestas, et prælia quæ facta sunt, ⁵⁷ et dixit: Faciamus et ipsi nobis nomen, et eamus pugnare adversus gentes quæ in circuitu nostro sunt. ⁵⁸ Et præcepit his qui erant in exercitu suo, et abierunt Jamniam. ⁵⁹ Et exivit Gorgias de civitate, et viri ejus obviam illis in pugnam. ⁶⁰ Et fugati sunt Josephus et Azarias usque in fines Judææ: et ceciderunt illo die de populo Israël ad duo millia viri, et facta est fuga magna in populo: ⁶¹ quia non audierunt Judam, et fratres ejus, existimantes fortiter se facturos. ⁶² Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israël. ⁶³ Et viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israël, et gentium omnium ubi audiebatur nomen eorum. ⁶⁴ Et convenerunt ad eos fausta acclamantes. ⁶⁵ Et exivit Judas et fratres ejus, et expugnabant filios Esau in terra quæ ad austrum est, et percussit Chebron et filias ejus: et muros ejus, et turres succendit igni in circuitu. ⁶⁶ Et movit castra ut iret in terram alienigenarum, et perambulabat Samariam. ⁶⁷ In die illa ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium. ⁶⁸ Et declinavit Judas in Azotum in terram alienigenarum, et diruit aras eorum, et sculptilia deorum ipsorum succendit igni: et cepit spolia civitatum, et reversus est in terram Juda.

6 Et rex Antiochus perambulabat superiores regiones, et audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissimam, et copiosam in argento et auro, ² templumque in ea locuples valde, et illic velamina aurea, et lorice, et scuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnavit primus in Græcia. ³ Et venit, et quærebat capere civitatem, et deprædari eam: et non potuit, quoniam innotuit sermo his qui erant in civitate: ⁴ et insurrexerunt in prælium, et fugit inde, et abiit cum tristitia magna, et reversus est in Babyloniam. ⁵ Et venit qui nuntiaret ei in Perside, quia fugata sunt castra quæ erant in terra Juda: ⁶ et quia abiit Lysias cum virtute forti in primis, et fugatus est a facie Judæorum, et invaluerunt armis, et viribus, et spoliis multis, quæ ceperunt de castris, quæ exciderunt: ⁷ et quia diruerunt abominationem, quam ædificaverat super altare quod erat in Jerusalem: et sanctificationem, sicut prius, circumdederunt muris excelsis, sed et Bethsuram civitatem suam. ⁸ Et factum est ut audivit rex sermones istos, expavit, et commotus est valde: et decidit in lectum, et incidit in languorem præ tristitia, quia non factum est ei sicut cogitabat. ⁹ Et erat illic per dies multos, quia renovata est in eo tristitia magna, et arbitratus est se mori. ¹⁰ Et vocavit omnes amicos suos, et dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis,

et concidi, et corruī corde præ sollicitudine: ¹¹ et dixi in corde meo: In quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum: qui jucundus eram, et dilectus in potestate mea ! ¹² Nunc vero reminiscor malorum quæ feci in Jerusalem, unde et abstuli omnia spolia aurea et argentea quæ erant in ea, et misi auferre habitantes Judæam sine causa. ¹³ Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista: et ecce pereō tristitia magna in terra aliena. ¹⁴ Et vocavit Philippum, unum de amicis suis, et præposuit eum super universum regnum suum: ¹⁵ et dedit ei diadema, et stolam suam, et annulum, ut adduceret Antiochum filium suum, et nutrirēt eum, et regnaret. ¹⁶ Et mortuus est illic Antiochus rex anno centesimo quadragesimo nono. ¹⁷ Et cognovit Lysias quoniam mortuus est rex, et constituit regnare Antiochum filium ejus, quem nutritiv adolescentem: et vocavit nomen ejus Eupator. ¹⁸ Et hi qui erant in arce, concluderant Israël in circuitu sanctorum: et quærebant eis mala semper, et firmamentum gentium. ¹⁹ Et cogitavit Judas disperdere eos: et convocavit universum populum, ut obsiderent eos. ²⁰ Et convenerunt simul, et obsederunt eos anno centesimo quinquagesimo, et fecerunt ballistas et machinas. ²¹ Et exierunt quidam ex eis qui obsidebantur: et adjunxerunt se illis aliqui impii ex Israël, ²² et abierunt ad regem, et dixerunt: Quousque non facis iudicium, et vindicas fratres nostros? ²³ Nos decrevimus servire patri tuo, et ambulare in præceptis ejus, et obsequi edictis ejus: ²⁴ et filii populi nostri propter hoc alienabant se a nobis, et quicumque inveniebantur ex nobis, interficiebantur, et hæreditates nostræ diripiebantur. ²⁵ Et non ad nos tantum extenderunt manum, sed et in omnes fines nostros: ²⁶ et ecce applicuerunt hodie ad arcem Jerusalem occupare eam, et munitionem Bethsuram munierunt: ²⁷ et nisi præveneris eos velocius, majora quam hæc facient, et non poteris obtinere eos. ²⁸ Et iratus est rex, ut hæc audivit: et convocavit omnes amicos suos, et principes exercitus sui, et eos qui super equites erant: ²⁹ sed et de regnis aliis et de insulis maritimis venerunt ad eum exercitus conductitii. ³⁰ Et erat numerus exercitus ejus, centum millia peditum, et viginti millia equitum, et elephanti triginta duo, docti ad prælium. ³¹ Et venerunt per Idumæam, et applicuerunt ad Bethsuram, et pugnaverunt dies multos: et fecerunt machinas, et exierunt, et succenderunt eas igni, et pugnaverunt viriliter. ³² Et recessit Judas ab arce, et movit castra ad Bethzacharam contra castra regis. ³³ Et surrexit rex ante lucem, et concitavit exercitus in impetum contra viam Bethzacharam: et comparaverunt se exercitus in prælium, et tubis cecinerunt: ³⁴ et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori, ad acuendos eos in prælium: ³⁵ et diviserunt bestias per legiones, et astiterunt singulis elephantis mille viri in loriceis concatenatis, et galeæ æreæ in capitibus eorum: et quingenti equites ordinati unicuique bestię electi erant. ³⁶ Hi ante tempus, ubicumque erat bestia, ibi erant: et quocumque ibat, ibant, et non discedebant ab ea. ³⁷ Sed et turres ligneæ super eos firmæ protegentes super singulas bestias: et super eas machinæ: et super singulas viri virtutis triginta duo, qui pugnant desuper: et Indus magister bestię. ³⁸ Et residuum equitatum hinc et inde statuit in duas partes, tubis exercitum commovere, et perurgere constipatos in legionibus ejus. ³⁹ Et ut refulsit sol in clypeos aureos et æreos, resplenduerunt montes ab eis, et resplenduerunt sicut lampades ignis. ⁴⁰ Et distincta est pars exercitus regis per montes excelsos, et alia per loca humilia: et ibant caute et ordinate. ⁴¹ Et commovebantur omnes inhabitantes terram a voce multitudinis, et incessu turbæ, et collisione armorum: erat enim exercitus magnus valde, et fortis. ⁴² Et appropriavit Judas et exercitus ejus in prælium, et ce-

ciderunt de exercitu regis sexcenti viri. ⁴³ Et vidit Eleazar filius Saura unam de bestiis loricateam loricis regis: et erat eminens super ceteras bestias, et visum est ei quod in ea esset rex: ⁴⁴ et dedit se ut liberaret populum suum, et acquireret sibi nomen æternum. ⁴⁵ Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens a dextris et a sinistris, et cadebant ab eo huc atque illuc. ⁴⁶ Et ivit sub pedes elephantis, et supposuit se ei, et occidit eum: et cecidit in terram super ipsum, et mortuus est illic. ⁴⁷ Et videntes virtutem regis, et impetum exercitus ejus, diverterunt se ab eis. ⁴⁸ Castra autem regis ascenderunt contra eos in Jerusalem, et applicuerunt castra regis ad Judæam, et montem Sion. ⁴⁹ Et fecit pacem cum his qui erant in Bethsura: et exierunt de civitate, quia non erant eis ibi alimenta conclusi, quia sabbata erant terræ. ⁵⁰ Et comprehendit rex Bethsuram: et constituit illic custodiam servare eam. ⁵¹ Et convertit castra ad locum sanctificationis dies multos: et statuit illic ballistas, et machinas, et ignis jacula, et tormenta ad lapides jactandos, et spicula, et scorpios ad mittendas sagittas, et fundibula. ⁵² Fecerunt autem et ipsi machinas adversus machinas eorum, et pugnaverunt dies multos. ⁵³ Escæ autem non erant in civitate, eo quod septimus annus esset: et qui remanserant in Judæa de gentibus, consumpserant reliquias eorum, quæ repositæ fuerant. ⁵⁴ Et remanserunt in sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames: et dispersi sunt unusquisque in locum suum. ⁵⁵ Et audivit Lysias quod Philippus, quem constituerat rex Antiochus cum adhuc viveret, ut nutriret Antiochum filium suum, et regnaret, ⁵⁶ reversus esset a Perside et Media, et exercitus qui abierat cum ipso, et quia quærebat suscipere regni negotia: ⁵⁷ festinavit ire, et dicere ad regem, et duces exercitus: Deficimus quotidie, et esca nobis modica est; et locus, quem obsidemus, est munitus, et incumbit nobis ordinare de regno. ⁵⁸ Nunc itaque demus dextras hominibus istis, et faciamus cum illis pacem, et cum omni gente eorum: ⁵⁹ et constituamus illis ut ambulent in legitimis suis sicut prius: propter legitima enim ipsorum, quæ despeximus, irati sunt, et fecerunt omnia hæc. ⁶⁰ Et placuit sermo in conspectu regis et principum: et misit ad eos pacem facere, et receperunt illam. ⁶¹ Et juravit illis rex et principes, et exierunt de munitione. ⁶² Et intravit rex montem Sion, et vidit munitionem loci: et rupit citius juramentum quod juravit, et mandavit destruere murum in gyro. ⁶³ Et discessit festinanter, et reversus est Antiochiam, et invenit Philippum dominantem civitati: et pugnavit adversus eum, et occupavit civitatem.

7 Anno centesimo quinquagesimo primo, exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma, et ascendit cum paucis viris in civitatem maritimam, et regnavit illic. ² Et factum est, ut ingressus est domum regni patrum suorum, comprehendit exercitus Antiochum et Lysiam, ut adducerent eos ad eum. ³ Et res ei innotuit, et ait: Nolite mihi ostendere faciem eorum. ⁴ Et occidit eos exercitus. Et sedit Demetrius super sedem regni sui. ⁵ Et venerunt ad eum viri iniqui et impii ex Israël: et Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos. ⁶ Et accusaverunt populum apud regem, dicentes: Perdidit Judas et fratres ejus omnes amicos tuos, et nos dispersit de terra nostra. ⁷ Nunc ergo mitte virum, cui credis, ut eat, et videat exterminium omne quod fecit nobis, et regionibus regis: et puniat omnes amicos ejus, et adjutores eorum. ⁸ Et elegit rex ex amicis suis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen magnum in regno, et fidelem regi: et misit eum, ⁹ ut videret exterminium quod fecit Judas: sed et Alcimum impium constituit in sacerdotium, et mandavit ei facere ultionem in filios Israël. ¹⁰ Et surrexerunt, et venerunt cum exercitu magno in terram Juda: et miserunt

nuntios, et locuti sunt ad Judam et ad fratres ejus verbis pacificis in dolo. ¹¹ Et non intenderunt sermonibus eorum: viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno. ¹² Et convenerunt ad Alcimum et Bacchidem congregatio scribarum requirere quæ justa sunt: ¹³ et primi, Assidæi qui erant in filiis Israël: et exquirebant ab eis pacem. ¹⁴ Dixerunt enim: Homo sacerdos de semine Aaron venit; non decipiet nos: ¹⁵ et locutus est cum eis verba pacifica, et juravit illis, dicens: Non inferemus vobis malum, neque amicos vestris. ¹⁶ Et crediderunt ei: et comprehendit ex eis sexaginta viros, et occidit eos in una die, secundum verbum quod scriptum est: ¹⁷ Carnes sanctorum tuorum, et sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret. ¹⁸ Et incubuit timor et tremor in omnem populum: quia dixerunt: Non est veritas, et iudicium in eis: transgressi sunt enim constitutum, et jusjurandum quod juraverunt. ¹⁹ Et movit Bacchides castra ab Jerusalem, et applicuit in Bethzecha: et misit, et comprehendit multos ex eis qui a se effugerant: et quosdam de populo mactavit, et in puteum magnum projecit. ²⁰ Et commisit regionem Alcimo, et reliquit cum eo auxilium in adiutorio ipsi. Et abiit Bacchides ad regem: ²¹ et satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotii sui: ²² et convenerunt ad eum omnes, qui perturbabant populum suum, et obtinuerunt terram Juda, et fecerunt plagam magnam in Israël. ²³ Et vidit Judas omnia mala quæ fecit Alcimus et qui cum eo erant filiis Israël, multo plus quam gentes: ²⁴ et exiit in omnes fines Judææ in circuitu, et fecit vindictam in viros desertores, et cessaverunt ultra exire in regionem. ²⁵ Vidit autem Alcimus quod prævaluit Judas et qui cum eo erant, et cognovit quia non potest sustinere eos: et regressus est ad regem, et accusavit eos multis criminibus. ²⁶ Et misit rex Nicanorem, unum ex principibus suis nobilioribus, qui erat inimicitias exercens contra Israël: et mandavit ei evertere populum. ²⁷ Et venit Nicanor in Jerusalem cum exercitu magno, et misit ad Judam et ad fratres ejus verbis pacificis cum dolo, ²⁸ dicens: Non sit pugna inter me et vos: veniam cum viris paucis, ut videam facies vestras cum pace. ²⁹ Et venit ad Judam, et salutaverunt se invicem pacifice: et hostes parati erant rapere Judam. ³⁰ Et innotuit sermo Judæ quoniam cum dolo venerat ad eum: et conterritus est ab eo, et amplius noluit videre faciem ejus. ³¹ Et cognovit Nicanor quoniam denudatum est consilium ejus: et exivit obviam Judæ in pugnam juxta Capharsalama. ³² Et ceciderunt de Nicanoris exercitu fere quinque millia viri, et fugerunt in civitatem David. ³³ Et post hæc verba ascendit Nicanor in montem Sion: et exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace, et demonstrare ei holocaustata, quæ offerebantur pro rege. ³⁴ Et irridens sprevit eos, et polluit: et locutus est superbe, ³⁵ et juravit cum ira, dicens: Nisi traditus fuerit Judas et exercitus ejus in manus meas, continuo cum regressus fuero in pace, succendam domum istam. Et exiit cum ira magna. ³⁶ Et intraverunt sacerdotes, et steterunt ante faciem altaris et templi, et flentes dixerunt: ³⁷ Tu, Domine, elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo: ³⁸ fac vindictam in homine isto et exercitu ejus, et cadant in gladio: memento blasphemias eorum, et ne dederis eis ut permaneant. ³⁹ Et exiit Nicanor ab Jerusalem, et castra applicuit ad Bethoron: et occurrit illi exercitus Syriæ. ⁴⁰ Et Judas applicuit in Adarsa cum tribus millibus viris: et oravit Judas, et dixit: ⁴¹ Qui missi erant a rege Sennacherib, Domine, quia blasphemaverunt te, exiit angelus, et percussit ex eis centum octoginta quinque millia: ⁴² sic contere exercitum istum in conspectu nostro hodie: et sciant ceteri quia male locutus est super sancta tua: et

judica illum secundum malitiam illius. ⁴³Et commiserunt exercitus prælium tertidecima die mensis Adar: et contrita sunt castra Nicanoris, et cecidit ipse primus in prælio. ⁴⁴Ut autem vidit exercitus ejus quia cecidisset Nicanor, projecerunt arma sua, et fugerunt: ⁴⁵et persecuti sunt eos viam unius diei ab Adazer usquequo veniatur in Gazara, et tubis cecinerunt post eos cum significationibus: ⁴⁶et exierunt de omnibus castellis Judææ in circuitu, et ventilabant eos cornibus, et convertebantur iterum ad eos, et ceciderunt omnes gladio, et non est relictus ex eis nec unus. ⁴⁷Et acceperunt spolia eorum in prædam: et caput Nicanoris amputaverunt, et dexteram ejus, quam extenderat superbe, et attulerunt, et suspenderunt contra Jerusalem. ⁴⁸Et lætatus est populus valde, et egerunt diem illam in lætitia magna. ⁴⁹Et constituit agi omnibus annis diem istam tertidecima die mensis Adar. ⁵⁰Et siluit terra Juda dies paucos.

8 Et audivit Judas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus, et acquiescunt ad omnia quæ postulantur ab eis, et quicumque accesserunt ad eos, statuerunt cum eis amicitias: et quia sunt potentes viribus. ²Et audierunt prælia eorum, et virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, et duxerunt sub tributum: ³et quanta fecerunt in regione Hispaniæ, et quod in potestatem redegerunt metalla argenti et auri, quæ illic sunt, et possederunt omnem locum consilio suo, et patientia: ⁴locaque quæ longe erant valde ab eis, et reges, qui supervenerant eis ab extremis terræ, contriverunt, et percusserunt eos plaga magna: ceteri autem dant eis tributum omnibus annis. ⁵Et Philippum et Persen Ceteorum regem, et ceteros qui adversum eos arma tulerant, contriverunt in bello, et obtinuerunt eos: ⁶et Antiochum magnum regem Asiæ, qui eis pugnam intulerat habens centum viginti elephantos, et equitatum, et currus, et exercitum magnum valde, contritum ab eis: ⁷et quia ceperunt eum vivum, et statuerunt ei ut daret ipse, et qui regnarent post ipsum, tributum magnum, et daret obsides, et constitutum, ⁸et regionem Indorum, et Medos, et Lydos, de optimis regionibus eorum: et acceptas eas ab eis, dederunt Eumeni regi, ⁹et quia qui erant apud Helladam, voluerunt ire, et tollere eos: et innotuit sermo his, ¹⁰et miserunt ad eos ducem unum, et pugnaverunt contra illos, et ceciderunt ex eis multi, et captivas duxerunt uxores eorum et filios, et diripuerunt eos, et terram eorum possederunt, et destruxerunt muros eorum, et in servitutem illos redegerunt usque in hunc diem: ¹¹et residua regna, et insulas, quæ aliquando restiterant illis, exterminaverunt, et in potestatem redegerunt. ¹²Cum amicis autem suis, et qui in ipsis requiem habebant, conservaverunt amicitiam, et obtinuerunt regna, quæ erant proxima, et quæ erant longe: quia quicumque audiebant nomen eorum, timebant eos: ¹³quibus vero vellent auxilio esse ut regnarent, regnabant: quos autem vellent, regno deturbabant: et exaltati sunt valde. ¹⁴Et in omnibus istis nemo portabat didama, nec induebatur purpura, ut magnificaretur in ea. ¹⁵Et quia curiam fecerunt sibi, et quotidie consulebant trecentos viginti consilium agentes semper de multitudine, ut quæ digna sunt, gerant: ¹⁶et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ, et omnes obediunt uni, et non est invidia, neque zelus inter eos. ¹⁷Et elegit Judas Eupolemum filium Joannis filii Jacob, et Jasonem filium Eleazari, et misit eos Romam constituere cum illis amicitiam et societatem: ¹⁸et ut auferrent ab eis jugum Græcorum, quia viderunt quod in servitutem premerent regnum Israël. ¹⁹Et abierunt Romam viam multam valde, et introierunt curiam, et dixerunt: ²⁰Judas Machabæus, et fratres ejus, et populus Judæo-

rum, miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem et pacem, et conscribere nos socios et amicos vestros. ²¹ Et placuit sermo in conspectu eorum. ²² Et hoc rescriptum est quod rescripserunt in tabulis æreis, et miserunt in Jerusalem, ut esset apud eos ibi memoriale pacis et societatis: ²³ Bene sit Romanis, et genti Judæorum, in mari et in terra in æternum: gladiusque et hostis procul sit ab eis. ²⁴ Quod si institerit bellum Romanis prius, aut omnibus sociis eorum in omni dominatione eorum, ²⁵ auxilium feret gens Judæorum, prout tempus dictaverit, corde pleno: ²⁶ et præliantibus non dabunt, neque subministrabunt triticum, arma, pecuniam, naves, sicut placuit Romanis: et custodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes. ²⁷ Similiter autem et si genti Judæorum prius acciderit bellum, adjuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit: ²⁸ et adjuvantibus non dabitur triticum, arma, pecunia, naves, sicut placuit Romanis: et custodient mandata eorum absque dolo: ²⁹ secundum hæc verba constituerunt Romani populo Judæorum. ³⁰ Quod si post hæc verba hi aut illi addere aut demere ad hæc aliquid voluerint, facient ex proposito suo: et quæcumque addiderint, vel dempserint, rata erunt. ³¹ Sed et de malis, quæ Demetrius rex fecit in eos, scripsimus ei, dicentes: Quare gravasti jugum tuum super amicos nostros, et socios Judæos? ³² si ergo iterum adierint nos, adversum te faciemus illis iudicium, et pugnabimus tecum mari terraque.

9 Interea, ut audivit Demetrius quia cecidit Nicanor et exercitus ejus in prælio, apposuit Bacchidem et Alcimum rursus mittere in Judæam, et dextrum cornu cum illis. ² Et abierunt viam quæ ducit in Galgala, et castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbellis: et occupaverunt eam, et peremerunt animas hominum multas. ³ In mense primo anni centesimi et quinquagesimi secundi, applicuerunt exercitum ad Jerusalem: ⁴ et surrexerunt, et abierunt in Beream viginti millia virorum, et duo millia equitum. ⁵ Et Judas posuerat castra in Laisa, et tria millia viri electi cum eo: ⁶ et viderunt multitudinem exercitus, quia multi sunt, et timuerunt valde: et multi subtraxerunt se de castris, et non remanserunt ex eis nisi octingenti viri. ⁷ Et vidit Judas quod defluxit exercitus suus, et bellum perurgebat eum, et confractus est corde, quia non habebat tempus congregandi eos, et dissolutus est. ⁸ Et dixit his qui residui erant: Surgamus, et eamus ad adversarios nostros, si poterimus pugnare adversus eos. ⁹ Et avertebant eum, dicentes: Non poterimus, sed liberemus animas nostras modo, et revertamur ad fratres nostros, et tunc pugnabimus adversus eos: nos autem pauci sumus. ¹⁰ Et ait Judas: Absit istam rem facere ut fugiamus ab eis: et si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ. ¹¹ Et movit exercitus de castris, et steterunt illis obviam: et divisi sunt equites in duas partes, et fundibularii et sagittarii præibant exercitum, et primi certaminis omnes potentes. ¹² Bacchides autem erat in dextro cornu, et proximavit legio ex duabus partibus, et clamabant tubis: ¹³ exclamaverunt autem et hi qui erant ex parte Judæ etiam ipsi, et commota est terra a voce exercituum: et commissum est prælium a mane usque ad vesperam. ¹⁴ Et vidit Judas quod firmior est pars exercitus Bacchidis in dextris, et convenerunt cum ipso omnes constantes corde: ¹⁵ et contrita est dextera pars ab eis, et persecutus est eos usque ad montem Azoti. ¹⁶ Et qui in sinistro cornu erant, viderunt quod contritum est dextrum cornu, et secuti sunt post Judam, et eos qui cum ipso erant, a tergo: ¹⁷ et ingravatam est prælium, et ceciderunt vulnerati multi ex his et ex illis. ¹⁸ Et Judas cecidit, et ceteri fugerunt. ¹⁹ Et Jonathas et Simon tulerunt Judam fratrem suum, et sepelierunt eum

in sepulchro patrum suorum in civitate Modin. ²⁰ Et flevērunt eum omnis populus Israhēl planctu magno, et lugebant dies multos, ²¹ et dixerunt: Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum Israhēl ! ²² Et cetera verba bellorum Judæ, et virtutum, quas fecit, et magnitudinis ejus, non sunt descripta: multa enim erant valde. ²³ Et factum est: post obitum Judæ emerserunt iniqui in omnibus finibus Israhēl, et exorti sunt omnes qui operabantur iniquitatem. ²⁴ In diebus illis facta est fames magna valde, et tradidit se Bacchidi omnis regio eorum cum ipsis. ²⁵ Et elegit Bacchides viros impios, et constituit eos dominos regionis: ²⁶ et exquirebant, et perscrutabantur amicos Judæ, et adducebant eos ad Bacchidem, et vindicabat in illos, et illudebat. ²⁷ Et facta est tribulatio magna in Israhēl, qualis non fuit ex die qua non est visus propheta in Israhēl. ²⁸ Et congregati sunt omnes amici Judæ, et dixerunt Jonathæ: ²⁹ Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros, Bacchidem et eos qui inimici sunt gentis nostræ. ³⁰ Nunc itaque, te hodie elegimus esse pro eo nobis in principem, et ducem ad bellandum bellum nostrum. ³¹ Et suscepit Jonathas tempore illo principatum, et surrexit loco Judæ fratris sui. ³² Et cognovit Bacchides, et quærebat eum occidere. ³³ Et cognovit Jonathas, et Simon frater ejus, et omnes qui cum eo erant: et fugerunt in desertum Thecuæ et consederunt ad aquam lacus Asphar. ³⁴ Et cognovit Bacchides, et die sabbatorum venit ipse et omnis exercitus ejus trans Jordanem. ³⁵ Et Jonathas misit fratrem suum ducem populi, et rogavit Nabuthæos amicos suos, ut commodarent illis apparatus suum, qui erat copiosus. ³⁶ Et exierunt filii Jambri ex Madaba, et comprehenderunt Joannem et omnia quæ habebat, et abierunt habentes ea. ³⁷ Post hæc verba, renuntiatum est Jonathæ et Simoni fratri ejus, quia filii Jambri faciunt nuptias magnas, et ducunt sponsam ex Madaba filiam unius de magnis principibus Chanaan cum ambitione magna. ³⁸ Et recordati sunt sanguinis Joannis fratris sui: et ascenderunt, et absconderunt se sub tegumento montis. ³⁹ Et elevaverunt oculos suos, et viderunt: et ecce tumultus, et apparatus multus: et sponsus processit, et amici ejus, et fratres ejus obviam illis cum tympanis, et musicis, et armis multis. ⁴⁰ Et surrexerunt ad eos ex insidiis, et occiderunt eos, et ceciderunt vulnerati multi, et residui fugerunt in montes: et acceperunt omnia spolia eorum: ⁴¹ et conversæ sunt nuptiæ in luctum, et vox musicorum ipsorum in lamentum. ⁴² Et vindicaverunt vindictam sanguinis fratris sui: et reversi sunt ad ripam Jordanis. ⁴³ Et audivit Bacchides, et venit die sabbatorum usque ad oram Jordanis in virtute magna. ⁴⁴ Et dixit ad suos Jonathas: Surgamus, et pugnemus contra inimicos nostros: non est enim hodie sicut heri et nudius tertius: ⁴⁵ ecce enim bellum ex adverso, aqua vero Jordanis hinc et inde, et ripæ, et paludes, et saltus: et non est locus divertendi. ⁴⁶ Nunc ergo, clamate in cælum, ut liberemini de manu inimicorum vestrorum. Et commissum est bellum. ⁴⁷ Et extendit Jonathas manum suam percutere Bacchidem, et divertit ab eo retro: ⁴⁸ et desiliit Jonathas, et qui cum eo erant, in Jordanem, et transnaverunt ad eos Jordanem. ⁴⁹ Et ceciderunt de parte Bacchidis die illa mille viri. Et reversi sunt in Jerusalem, ⁵⁰ et ædificaverunt civitates munitas in Judæa, munitionem quæ erat in Jericho, et in Ammaum, et in Bethoron, et in Bethel, et Thamnata, et Phara, et Thopo muris excelsis, et portis, et seris. ⁵¹ Et posuit custodiam in eis, ut inimicitias exercebant in Israhēl: ⁵² et munivit civitatem Bethsuram, et Gazaram, et arcem, et posuit in eis auxilia, et apparatus escarum: ⁵³ et accepit filios principum regionis obsides, et posuit eos in arce in Jerusalem in custodiam. ⁵⁴ Et anno centesimo quinquagesimo tertio,

mense secundo, præcepit Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris, et destrui opera prophetarum: et cœpit destruere. ⁵⁵ In tempore illo percussus est Alcimus: et impedita sunt opera illius, et occlusum est os ejus, et dissolutus est paralyti, nec ultra potuit loqui verbum, et mandare de domo sua. ⁵⁶ Et mortuus est Alcimus in tempore illo cum tormento magno. ⁵⁷ Et vidit Bacchides quoniam mortuus est Alcimus, et reversus est ad regem. Et siluit terra annis duobus. ⁵⁸ Et cogitaverunt omnes iniqui, dicentes: Ecce Jonathas, et qui cum eo sunt, in silentio habitant confiderentes: nunc ergo adducamus Bacchidem, et comprehendet eos omnes una nocte. ⁵⁹ Et abierunt, et consilium ei dederunt. ⁶⁰ Et surrexit ut veniret cum exercitu multo: et misit occulte epistolas sociis suis qui erant in Judæa, ut comprehenderent Jonathan, et eos qui cum eo erant: sed non potuerunt, quia innotuit eis consilium eorum. ⁶¹ Et apprehendit de viris regionis, qui principes erant malitiæ, quinquaginta viros, et occidit eos: ⁶² et secessit Jonathas, et Simon, et qui cum eo erant, in Bethbessen, quæ est in deserto: et extruxit diruta ejus, et firmaverunt eam. ⁶³ Et cognovit Bacchides, et congregavit universam multitudinem suam: et his, qui de Judæa erant, denunciavit. ⁶⁴ Et venit, et castra posuit desuper Bethbessen: et oppugnavit eam dies multos, et fecit machinas. ⁶⁵ Et reliquit Jonathas Simonem fratrem suum in civitate, et exiit in regionem, et venit cum numero: ⁶⁶ et percussit Odaren et fratres ejus, et filios Phaseron in tabernaculis ipsorum: et cœpit cædere, et crescere in virtutibus. ⁶⁷ Simon vero, et qui cum ipso erant, exierunt de civitate, et succenderunt machinas, ⁶⁸ et pugnaverunt contra Bacchidem, et contritus est ab eis: et afflixerunt eum valde, quoniam consilium ejus et congressus ejus erat inanis. ⁶⁹ Et iratus contra viros iniquos, qui ei consilium dederant ut veniret in regionem ipsorum, multos ex eis occidit: ipse autem cogitavit cum reliquis abire in regionem suam. ⁷⁰ Et cognovit Jonathas: et misit ad eum legatos componere pacem cum ipso, et reddere ei captivitatem. ⁷¹ Et libenter accepit, et fecit secundum verba ejus, et juravit se nihil facturum ei mali omnibus diebus vitæ ejus. ⁷² Et reddidit ei captivitatem, quam prius erat prædatus de terra Juda: et conversus abiit in terram suam, et non apposuit amplius venire in fines ejus. ⁷³ Et cessavit gladius ex Israël: et habitavit Jonathas in Machmas, et cœpit Jonathas ibi judicare populum, et exterminavit impios ex Israël.

10 Et anno centesimo sexagesimo, ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis, et occupavit Ptolemaidam: et receperunt eum, et regnavit illic. ² Et audivit Demetrius rex, et congregavit exercitum copiosum valde, et exivit obviam illi in prælium. ³ Et misit Demetrius epistolam ad Jonathan verbis pacificis, ut magnificaret eum. ⁴ Dixit enim: Anticipemus facere pacem cum eo, priusquam faciat cum Alexandro adversum nos: ⁵ recordabitur enim omnium malorum, quæ fecimus in eum, et in fratrem ejus, et in gentem ejus. ⁶ Et dedit ei potestatem congregandi exercitum, et fabricare arma, et esse ipsum socium ejus: et obsides, qui erant in arce, jussit tradi ei. ⁷ Et venit Jonathas in Jerusalem, et legit epistolas in auditu omnis populi, et eorum qui in arce erant. ⁸ Et timuerunt timore magno, quoniam audierunt quod dedit ei rex potestatem congregandi exercitum. ⁹ Et traditi sunt Jonathæ obsides, et reddidit eos parentibus suis: ¹⁰ et habitavit Jonathas in Jerusalem, et cœpit ædificare et innovare civitatem. ¹¹ Et dixit facientibus opera ut extruerent muros, et montem Sion in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem: et ita fecerunt. ¹² Et fugerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus quas Bacchides ædificaverat: ¹³ et reliquit unusquisque locum suum, et abiit in terram suam: ¹⁴ tan-

tum in Bethsura remanserunt aliqui ex his qui reliquerant legem et præcepta Dei: erat enim hæc eis ad refugium. ¹⁵ Et audivit Alexander rex promissa, quæ promisit Demetrius Jonathæ: et narraverunt ei prælia, et virtutes quas ipse fecit, et fratres ejus, et labores quos laboraverunt: ¹⁶ et ait: Numquid inveniemus aliquem virum talem? et nunc faciemus eum amicum, et socium nostrum. ¹⁷ Et scripsit epistolam, et misit ei secundum hæc verba, dicens: ¹⁸ Rex Alexander fratri Jonathæ salutem. ¹⁹ Audivimus de te quod vir potens sis viribus, et aptus es ut sis amicus noster: ²⁰ et nunc constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tuæ, et ut amicus voceris regis (et misit ei purpam, et coronam auream) et quæ nostra sunt sentias nobiscum, et conserves amicitias ad nos. ²¹ Et induit se Jonathas stola sancta septimo mense, anno centesimo sexagesimo, in die solemnī scenopægiæ: et congregavit exercitum, et fecit arma copiosa. ²² Et audivit Demetrius verba ista, et contristatus est nimis, et ait: ²³ Quid hoc fecimus, quod præoccupavit nos Alexander apprehendere amicitiam Judæorum ad munimen sui? ²⁴ scribam et ego illis verba deprecatoria, et dignitates, et dona, ut sint mecum in adiutorium. ²⁵ Et scripsit eis in hæc verba: Rex Demetrius genti Judæorum salutem. ²⁶ Quoniam servastis ad nos pactum, et mansistis in amicitia nostra, et non accessistis ad inimicos nostros, audivimus, et gavisi sumus. ²⁷ Et nunc perseverate adhuc conservare ad nos fidem, et retribuemus vobis bona pro his quæ fecistis nobiscum: ²⁸ et remitemus vobis præstationes multas, et dabimus vobis donationes. ²⁹ Et nunc absolvo vos et omnes Judæos a tributis, et pretia salis indulgeo, et coronas remitto, et tertias seminis: ³⁰ et dimidiam partem fructus ligni, quod est portionis meæ, relinquo vobis ex hodierno die, et deinceps, ne accipiatur a terra Juda, et a tribus civitatibus quæ additæ sunt illi ex Samaria et Galilæa; ex hodierna die et in totum tempus: ³¹ et Jerusalem sit sancta, et libera cum finibus suis: et decimæ et tributa ipsius sint. ³² Remitto etiam potestatem arcis, quæ est in Jerusalem: et do eam summo sacerdoti, ut constituat in ea viros quoscumque ipse elegerit, qui custodiant eam. ³³ Et omnem animam Judæorum, quæ captiva est a terra Juda in omni regno meo, relinquo liberam gratis, ut omnes a tributis solvantur, etiam pecorum suorum. ³⁴ Et omnes dies solemnes, et sabbata, et neomeniæ, et dies decreti, et tres dies ante diem solemnem, et tres dies post diem solemnem, sint omnes immunitatis et remissionis omnibus Judæis, qui sunt in regno meo: ³⁵ et nemo habebit potestatem agere aliquid, et movere negotia adversus aliquem illorum in omni causa. ³⁶ Et ascribantur ex Judæis in exercitu regis ad triginta millia virorum: et dabuntur illis copiæ ut oportet omnibus exercitibus regis, et ex eis ordinabuntur qui sint in munitioibus regis magni: ³⁷ et ex his constituentur super negotia regni, quæ aguntur ex fide, et principes sint ex eis, et ambulent in legibus suis, sicut præcepit rex in terra Juda. ³⁸ Et tres civitates, quæ additæ sunt Judææ ex regione Samariæ, cum Judæa reputentur: ut sint sub uno, et non obediant alii potestati, nisi summi sacerdotis. ³⁹ Ptolemaida et confines ejus, quas dedi donum sanctis qui sunt in Jerusalem, ad necessarios sumptus sanctorum. ⁴⁰ Et ego do singulis annis quindecim millia siclorum argenti de rationibus regis, quæ me contingunt: ⁴¹ et omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant qui super negotia erant annis prioribus, ex hoc dabunt in opera domus. ⁴² Et super hæc quinque millia siclorum argenti, quæ accipiebant de sanctorum ratione per singulos annos: et hæc ad sacerdotes pertineant, qui ministerio funguntur. ⁴³ Et quicumque confugerint in templum quod est Jerosolymis, et in omnibus finibus ejus, obnoxii regi in omni negotio

dimittantur, et universa quæ sunt eis in regno meo, libera habeant. ⁴⁴ Et ad ædificanda vel restauranda opera sanctorum, sumptus dabuntur de ratione regis: ⁴⁵ et ad extruendos muros Jerusalem, et communiendos in circuitu, sumptus dabuntur de ratione regis, et ad construendos muros in Judæa. ⁴⁶ Ut audivit autem Jonathas et populus sermones istos, non crediderunt eis, nec receperunt eos: quia recordati sunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Israël, et tribulaverat eos valde. ⁴⁷ Et complacuit eis in Alexandrum, quia ipse fuerat in princeps sermonum pacis, et ipsi auxilium ferebant omnibus diebus. ⁴⁸ Et congregavit rex Alexander exercitum magnum, et advovit castra contra Demetrium. ⁴⁹ Et commiserunt prælium duo reges, et fugit exercitus Demetrii, et insecutus est eum Alexander, et incubuit super eos. ⁵⁰ Et invaluit prælium nimis, donec occidit sol: et cecidit Demetrius in die illa. ⁵¹ Et misit Alexander ad Ptolemæum regem Ægypti legatos secundum hæc verba, dicens: ⁵² Quoniam regressus sum in regnum meum, et sedi in sede patrum meorum, et obtinui principatum, et contrivi Demetrium, et possedi regionem nostram, ⁵³ et commisi pugnam cum eo, et contritus est ipse et castra ejus a nobis, et sedimus in sede regni ejus: ⁵⁴ et nunc statuamus ad invicem amicitiam: et da mihi filiam tuam uxorem, et ego ero gener tuus, et dabo tibi dona, et ipsi, digna te. ⁵⁵ Et respondit rex Ptolemæus, dicens: Felix dies, in qua reversus es ad terram patrum tuorum, et sedisti in sede regni eorum. ⁵⁶ Et nunc faciam tibi quod scripsisti: sed occurre mihi Ptolemaidam, ut videamus invicem nos, et spondeam tibi sicut dixisti. ⁵⁷ Et exivit Ptolemæus de Ægypto, ipse et Cleopatra filia ejus, et venit Ptolemaidam anno centesimo sexagesimo secundo. ⁵⁸ Et occurrit ei Alexander rex, et dedit ei Cleopatram filiam suam: et fecit nuntias ejus Ptolemaidæ, sicut reges in magna gloria. ⁵⁹ Et scripsit rex Alexander Jonathæ, ut veniret obviam sibi. ⁶⁰ Et abiit cum gloria Ptolemaidam, et occurrit ibi duobus regibus, et dedit illis argentum multum, et aurum, et dona: et invenit gratiam in conspectu eorum. ⁶¹ Et convenerunt adversus eum viri pestilentes ex Israël, viri iniqui interpellantes adversus eum: et non intendit ad eos rex. ⁶² Et jussit spoliari Jonathan vestibus suis, et indui eum purpura: et ita fecerunt. Et collocavit eum rex sedere secum. ⁶³ Dixitque principibus suis: Exite cum eo in medium civitatis, et prædicate, ut nemo adversus eum interpellat de ullo negotio, nec quisquam ei molestus sit de ulla ratione. ⁶⁴ Et factum est, ut viderunt qui interpellabant gloriam ejus, quæ prædicabatur, et opertum eum purpura, fugerunt omnes: ⁶⁵ et magnificavit eum rex, et scripsit eum inter primos amicos, et posuit eum ducem, et participem principatus. ⁶⁶ Et reversus est Jonathas in Jerusalem cum pace et lætitia. ⁶⁷ In anno centesimo sexagesimo quinto, venit Demetrius filius Demetrii a Creta in terram patrum suorum. ⁶⁸ Et audivit Alexander rex, et contristatus est valde, et reversus est Antiochum. ⁶⁹ Et constituit Demetrius rex Apollonium ducem, qui præerat Coelesyriæ: et congregavit exercitum magnum, et accessit ad Jamniam: et misit ad Jonathan summum sacerdotem, ⁷⁰ dicens: Tu solus resistis nobis: ego autem factus sum in derisum, et in opprobrium, propterea quia tu potestatem adversus nos exerces in montibus. ⁷¹ Nunc ergo si confidis in virtutibus tuis, descende ad nos in campum, et comparemus illic invicem: quia mecum est virtus bellorum. ⁷² Interroga, et disce quis sum ego, et ceteri qui auxilio sunt mihi, qui et dicunt quia non potest stare pes vester ante faciem nostram, quia bis in fugam conversi sunt patres tui in terra sua: ⁷³ et nunc quomodo poteris sustinere equitatum et exercitum tantum in campo, ubi non est lapis, neque saxum, neque locus fugiendi? ⁷⁴ Ut audivit autem Jonathas sermones

Apollonii, motus est animo: et elegit decem millia virorum, et exiit ab Jerusalem, et occurrit ei Simon frater ejus in adiutorium: ⁷⁵ et applicuerunt castra in Joppen, et exclusit eum a civitate, quia custodia Apollonii Joppe erat: et oppugnavit eam. ⁷⁶ Et exterriti qui erant in civitate, aperuerunt ei, et obtinuit Jonathas Joppen. ⁷⁷ Et audivit Apollonius, et admovit tria millia equitum, et exercitum multum. ⁷⁸ Et abiit Azotum tamquam iter faciens, et statim exiit in campum, eo quod haberet multitudinem equitum, et confideret in eis. Et insecutus est eum Jonathas in Azotum, et commiserunt prælium. ⁷⁹ Et reliquit Apollonius in castris mille equites post eos occulte. ⁸⁰ Et cognovit Jonathas quoniam insidiæ sunt post se, et circuierunt castra ejus, et jecerunt jacula in populum a mane usque ad vesperam. ⁸¹ Populus autem stabat, sicut præceperat Jonathas: et laboraverunt equi eorum. ⁸² Et ejecit Simon exercitum suum, et commisit contra legionem: equites enim fatigati erant: et contriti sunt ab eo, et fugerunt. ⁸³ Et qui dispersi sunt per campum, fugerunt in Azotum, et intraverunt in Bethdagon idolum suum, ut ibi se liberarent. ⁸⁴ Et succendit Jonathas Azotum, et civitates quæ erant in circuitu ejus, et accepit spolia eorum, et templum Dagon: et omnes qui fugerunt in illud, succendit igni. ⁸⁵ Et fuerunt qui ceciderunt gladio, cum his qui succensi sunt, fere octo millia virorum. ⁸⁶ Et movit inde Jonathas castra, et applicuit ea Ascalonem: et exierunt de civitate obviam illi in magna gloria. ⁸⁷ Et reversus est Jonathas in Jerusalem cum suis, habentibus spolia multa. ⁸⁸ Et factum est, ut audivit Alexander rex sermones istos, addidit adhuc glorificare Jonathan. ⁸⁹ Et misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis regum. Et dedit ei Accaron, et omnes fines ejus, in possessionem.

11 Et rex Ægypti congregavit exercitum, sicut arena quæ est circa oram maris, et naves multas: et quærebat obtinere regnum Alexandri dolo, et addere illud regno suo. ² Et exiit in Syriam verbis pacificis, et aperiebant ei civitates, et occurrebant ei: quia mandaverat Alexander rex exire ei obviam, eo quod socer suus esset. ³ Cum autem introiret civitatem Ptolemæus, ponebat custodias militum in singulis civitatibus. ⁴ Et ut appropriavit Azoto, ostenderunt ei templum Dagon succensum igni, et Azotum, et cetera ejus demolita, et corpora projecta, et eorum, qui cæsi erant in bello, tumulos quos fecerant secus viam. ⁵ Et narraverunt regi quia hæc fecit Jonathas, ut invidiam facerent ei: et tacuit rex. ⁶ Et occurrit Jonathas regi in Joppen cum gloria, et invicem se salutaverunt, et dormierunt illic. ⁷ Et abiit Jonathas cum rege usque ad fluvium qui vocatur Eleutherus: et reversus est in Jerusalem. ⁸ Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium civitatum usque Seleuciam maritimam, et cogitabat in Alexandrum consilia mala. ⁹ Et misit legatos ad Demetrium, dicens: Veni, componamus inter nos pactum, et dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, et regnabis in regno patris tui: ¹⁰ pœnitet enim me quod dederim illi filiam meam: quæsivit enim me occidere. ¹¹ Et vituperavit eum, propterea quod concupierat regnum ejus. ¹² Et abstulit filiam suam, et dedit eam Demetrio, et alienavit se ab Alexandro, et manifestæ sunt inimicitiae ejus. ¹³ Et intravit Ptolemæus Antiochiam, et imposuit duo diademata capiti suo, Ægypti et Asiæ. ¹⁴ Alexander autem rex erat in Cilicia illis temporibus: quia rebellabant qui erant in locis illis. ¹⁵ Et audivit Alexander, et venit ad eum in bellum: et produxit Ptolemæus rex exercitum, et occurrit ei in manu valida, et fugavit eum. ¹⁶ Et fugit Alexander in Arabiam, ut ibi protegeretur: rex autem Ptolemæus exaltatus est. ¹⁷ Et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, et misit Ptolemæo. ¹⁸ Et rex Ptolemæus mortuus est in die tertia: et qui er-

ant in munitionibus, perierunt ab his qui erant intra castra. ¹⁹ Et regnavit Demetrius anno centesimo sexagesimo septimo. ²⁰ In diebus illis congregavit Jonathas eos qui erant in Judæa, ut expugnarent arcem quæ est in Jerusalem: et fecerunt contra eam machinas multas. ²¹ Et abierunt quidam qui oderant gentem suam viri iniqui ad regem Demetrium, et renuntiaverunt ei quod Jonathas obsideret arcem. ²² Et ut audivit, iratus est: et statim venit ad Ptolemaidam, et scripsit Jonathæ ne obsideret arcem, sed occurreret sibi ad colloquium festinato. ²³ Ut audivit autem Jonathas, jussit obsidere: et elegit de senioribus Israël, et de sacerdotibus, et dedit se periculo. ²⁴ Et accepit aurum, et argentum, et vestem, et alia xenia multa, et abiit ad regem Ptolemaidam: et invenit gratiam in conspectu ejus, ²⁵ et interpellabant adversus eum quidam iniqui ex gente sua. ²⁶ Et fecit ei rex sicut fecerant ei qui ante eum fuerant: et exaltavit eum in conspectu omnium amicorum suorum, ²⁷ et statuit ei principatum sacerdotii, et quæcumque alia habuit prius pretiosa, et fecit eum principem amicorum. ²⁸ Et postulavit Jonathas a rege ut immunem faceret Judæam, et tres toparchias, et Samariam et confines ejus: et promisit ei talenta trecenta. ²⁹ Et consensus rex: et scripsit Jonathæ epistolas de his omnibus, hunc modum continentes: ³⁰ Rex Demetrius fratri Jonathæ salutem, et genti Judæorum. ³¹ Exemplum epistolæ, quam scripsimus Lastheni parenti nostro de vobis, misimus ad vos ut sciretis: ³² Rex Demetrius Lastheni parenti salutem. ³³ Genti Judæorum amicis nostris, et conservantibus quæ justa sunt apud nos, decrevimus benefacere propter benignitatem ipsorum, quam erga nos habent. ³⁴ Statuimus ergo illis omnes fines Judææ, et tres civitates, Lydan, et Ramathan, quæ additæ sunt Judææ ex Samaria, et omnes confines earum, sequestrari omnibus sacrificantibus in Jerosolymis pro his quæ ab eis prius accipiebat rex per singulos annos, et pro fructibus terræ et pomorum. ³⁵ Et alia quæ ad nos pertinebant decimarum et tributorum ex hoc tempore, remittimus eis: et areas salinarum, et coronas, quæ nobis deferebantur, ³⁶ omnia ipsis concedimus: et nihil horum irritum erit, ex hoc, et in omne tempus. ³⁷ Nunc ergo curate facere horum exemplum, et detur Jonathæ, et ponatur in monte sancto, in loco celebri. ³⁸ Et videns Demetrius rex quod siluit terra in conspectu suo, et nihil ei resistit, dimisit totum exercitum suum, unumquemque in locum suum, excepto peregrino exercitu, quem contraxit ab insulis gentium: et inimici erant ei omnes exercitus patrum ejus. ³⁹ Tryphon autem erat quidam partium Alexandri prius: et vidit quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetrium, et ivit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri: ⁴⁰ et assidebat ei, ut traderet eum ipsi, ut regnaret loco patris sui: et enuntiavit ei quanta fecit Demetrius, et inimicitias exercituum ejus adversus illum. Et mansit ibi diebus multis. ⁴¹ Et misit Jonathas ad Demetrium regem, ut ejiceret eos qui in arce erant in Jerusalem, et qui in præsidiis erant: quia impugnabant Israël. ⁴² Et misit Demetrius ad Jonathan, dicens: Non hæc tantum faciam tibi, et genti tuæ, sed gloria illustrabo te, et gentem tuam, cum fuerit opportunum. ⁴³ Nunc ergo recte feceris, si miseris in auxilium mihi viros: quia discessit omnis exercitus meus. ⁴⁴ Et misit ei Jonathas tria millia virorum fortium Antiochiam: et venerunt ad regem, et delectatus est rex in adventu eorum. ⁴⁵ Et convenerunt qui erant de civitate, centum viginti millia virorum, et volebant interficere regem. ⁴⁶ Et fugit rex in aulam: et occupaverunt qui erant de civitate, itinera civitatis, et cœperunt pugnare. ⁴⁷ Et vocavit rex Judæos in auxilium, et convenerunt omnes simul ad eum, et dispersi sunt omnes per civitatem: ⁴⁸ et occiderunt in illa die centum

millia hominum, et succenderunt civitatem, et ceperunt spolia multa in die illa, et liberaverunt regem. ⁴⁹ Et viderunt qui erant de civitate, quod obtinuissent Judæi civitatem sicut volebant: et infirmati sunt mente sua, et clamaverunt ad regem cum precibus, dicentes: ⁵⁰ Da nobis dexteram, et cessent Judæi oppugnare nos, et civitatem. ⁵¹ Et projecerunt arma sua, et fecerunt pacem, et glorificati sunt Judæi in conspectu regis, et in conspectu omnium qui erant in regno ejus, et nominati sunt in regno: et regressi sunt in Jerusalem habentes spolia multa. ⁵² Et sedit Demetrius rex in sede regni sui: et siluit terra in conspectu ejus. ⁵³ Et mentitus est omnia quæcumque dixit, et abalienavit se a Jonathæ, et non retribuit ei secundum beneficia quæ sibi tribuerat, et vexabat eum valde. ⁵⁴ Post hæc autem reversus est Tryphon, et Antiochus cum eum puer adolescens, et regnavit, et imposuit sibi diadema. ⁵⁵ Et congregati sunt ad eum omnes exercitus, quos disperserat Demetrius, et pugnaverunt contra eum: et fugit, et terga vertit. ⁵⁶ Et accepit Tryphon bestias, et obtinuit Antiochiam. ⁵⁷ Et scripsit Antiochus adolescens Jonathæ, dicens: Constituo tibi sacerdotium, et constituo te super quatuor civitates, ut sis de amicis regis. ⁵⁸ Et misit illi vasa aurea in ministerium, et dedit ei potestatem bibendi in auro, et esse in purpura, et habere fibulam auream: ⁵⁹ et Simonem fratrem ejus constituit ducem a terminis Tyri usque ad fines Ægypti. ⁶⁰ Et exiit Jonathas, et perambulabat trans flumen civitates: et congregatus est ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium, et venit Ascalonem, et occurrerunt ei honorifice de civitate. ⁶¹ Et abiit inde Gazam: et concluderunt se qui erant Gazæ: et obsedit eam, et succendit quæ erant in circuitu civitatis, et prædatus est ea. ⁶² Et rogaverunt Gazenses Jonathan, et dedit illis dexteram: et accepit filios eorum obsides, et misit illos in Jerusalem: et perambulavit regionem usque Damascum. ⁶³ Et audivit Jonathas quod prævaricati sunt principes Demetrii in Cades, quæ est in Galilæa, cum exercitu multo, volentes eum remove a negotio regni: ⁶⁴ et occurrit illis: fratrem autem suum Simonem reliquit intra provinciam. ⁶⁵ Et applicuit Simon ad Bethsuram, et expugnabat eam diebus multis, et conclusit eos. ⁶⁶ Et postulaverunt ab eo dexteram accipere, et dedit illis: et ejecit eos inde, et cepit civitatem, et posuit in ea præsidium. ⁶⁷ Et Jonathas et castra ejus applicuerunt ad aquam Genesar, et ante lucem vigilaverunt in campo Asor: ⁶⁸ et ecce castra alienigenarum occurrebant in campo, et tendebant ei insidias in montibus: ipse autem occurrit ex adverso. ⁶⁹ Insidiæ vero exsurrexerunt de locis suis, et commiserunt prælium. ⁷⁰ Et fugerunt qui erant ex parte Jonathæ omnes, et nemo relictus est ex eis, nisi Mathathias filius Absolomi, et Judas filius Calphi, princeps militiæ exercitus. ⁷¹ Et scidit Jonathas vestimenta sua, et posuit terram in capite suo, et oravit. ⁷² Et reversus est Jonathas ad eos in prælium, et convertit eos in fugam, et pugnaverunt. ⁷³ Et viderunt qui fugiebant partis illius, et reversi sunt ad eum, et insequerantur cum eo omnes usque Cades ad castra sua, et pervenerunt usque illuc: ⁷⁴ et ceciderunt de alienigenis in die illa tria millia virorum: et reversus est Jonathas in Jerusalem.

12 Et vidit Jonathas quia tempus eum juvat, et elegit viros, et misit eos Romam statuere et renovare cum eis amicitiam: ² et ad Spartiatis, et ad alia loca misit epistolas secundum eandem formam: ³ et abierunt Romam, et intraverunt curiam, et dixerunt: Jonathas summus sacerdos, et gens Judæorum miserunt nos, ut renovaremus amicitiam et societatem secundum pristinum. ⁴ Et dederunt illis epistolas ad ipsos per loca, ut deducerent eos in terram Juda cum pace. ⁵ Et hoc est exemplum epistolarum, quas scripsit Jonathas Spartiatis: ⁶ Jonathas summus sacerdos,

et seniores gentis, et sacerdotes, et reliquus populus Judæorum, Spartiatis fratribus salutem. ⁷ Jampridem missæ erant epistolæ ad Oniam summum sacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri, sicut rescriptum continet, quod subjectum est. ⁸ Et suscepit Onias virum, qui missus fuerat, cum honore: et accepit epistolas, in quibus significabatur de societate et amicitia. ⁹ Nos cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, ¹⁰ maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem et amicitiam, ne forte alieni efficiamur a vobis: multa enim tempora transierunt, ex quo misistis ad nos. ¹¹ Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solemnibus, et ceteris, quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis quæ offerimus, et in observationibus, sicut fas est, et decet meminisse fratrum. ¹² Lætatur itaque de gloria vestra. ¹³ Nos autem circumdederunt multæ tribulationes, et multa prælia, et impugnaverunt nos reges qui sunt in circuitu nostro. ¹⁴ Noluimus ergo vobis molesti esse, neque ceteris sociis et amicis nostris in his præliis: ¹⁵ habuimus enim de cælo auxilium, et liberati sumus nos, et humiliati sunt inimici nostri. ¹⁶ Elegimus itaque Numenium Antiochi filium, et Antipatrem Jasonis filium, et misimus ad Romanos renovare cum eis amicitiam et societatem pristinam. ¹⁷ Mandavimus itaque eis ut veniant etiam ad vos, et saluent vos, et reddant vobis epistolas nostras de innovatione fraternitatis nostræ. ¹⁸ Et nunc benefacietis respondentibus nobis ad hæc. ¹⁹ Et hoc est rescriptum epistolarum quod miserat Oniæ: ²⁰ Arius rex Spartiatarum Oniæ sacerdoti magno salutem. ²¹ Inventum est in scriptura de Spartiatis, et Judæis, quoniam sunt fratres, et quod sunt de genere Abraham. ²² Et nunc ex quo hæc cognovimus, benefacitis scribentes nobis de pace vestra. ²³ Sed et nos rescripsimus vobis: Pecora nostra, et possessiones nostræ, vestræ sunt: et vestræ, nostræ: mandavimus itaque hæc nuntiari vobis. ²⁴ Et audivit Jonathas quoniam regressi sunt principes Demetrii cum exercitu multo supra quam prius, pugnare adversus eum: ²⁵ et exiit ab Jerusalem, et occurrit eis in Amathite regione: non enim dederat eis spatium ut ingrederentur regionem ejus. ²⁶ Et misit speculatores in castra eorum: et reversi renuntiaverunt quod constituunt supervenire illis nocte. ²⁷ Cum occidisset autem sol, præcepit Jonathas suis vigilare, et esse in armis paratos ad pugnam tota nocte: et posuit custodes per circuitum castrorum. ²⁸ Et audierunt adversarii quod paratus est Jonathas cum suis in bello: et timuerunt, et formidaverunt in corde suo: et accenderunt focos in castris suis. ²⁹ Jonathas autem, et qui cum eo erant, non cognoverunt usque mane: videbant autem luminaria ardentia, ³⁰ et secutus est eos Jonathas, et non comprehendit eos: transierant enim flumen Eleutherum. ³¹ Et divertit Jonathas ad Arabas, qui vocantur Zabadæi: et percussit eos, et accepit spolia eorum. ³² Et junxit, et venit Damascus, et perambulabat omnem regionem illam. ³³ Simon autem exiit, et venit usque ad Ascalonem, et ad proxima præsidia: et declinavit in Joppen, et occupavit eam ³⁴ (audivit enim quod vellent præsidium tradere partibus Demetrii), et posuit ibi custodes ut custodirent eam. ³⁵ Et reversus est Jonathas, et convocavit seniores populi, et cogitavit cum eis ædificare præsidia in Judæa, ³⁶ et ædificare muros in Jerusalem, et exaltare altitudinem magnam inter medium arcis et civitatis, ut separaret eam a civitate, ut esset ipsa singulariter, et neque emant, neque vendant. ³⁷ Et convenerunt ut ædificarent civitatem: et cecidit murus qui erat super torrentem ab ortu solis, et reparavit eum, qui vocatur Caphetetha: ³⁸ et Simon ædificavit Adiada in Sephela, et munivit eam, et imposuit portas et seras. ³⁹ Et cum cogitasset Tryphon regnare Asiæ,

et assumere diadema, et extendere manum in Antiochum regem: ⁴⁰ timens ne forte non permetteret eum Jonathas, sed pugnaret adversus eum, quærebat comprehendere eum, et occidere. Et exurgens abiit in Bethsan. ⁴¹ Et exivit Jonathas obviam illi cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium, et venit Bethsan. ⁴² Et vidit Tryphon quia venit Jonathas cum exercitu multo ut extenderet in eum manus: timuit, ⁴³ et excepit eum cum honore, et commendavit eum omnibus amicis suis, et dedit ei munera: et præcepit exercitibus suis ut obedirent ei, sicut sibi. ⁴⁴ Et dixit Jonathæ: Ut quid vexasti universum populum, cum bellum nobis non sit? ⁴⁵ et nunc remitte eos in domos suas: elige autem tibi viros paucos, qui tecum sint, et veni mecum Ptolemaidam, et tradam eam tibi, et reliqua præsidia, et exercitum, et universos præpositos negotii: et conversus abibo: propterea enim veni. ⁴⁶ Et credidit ei, et fecit sicut dixit: et dimisit exercitum, et abierunt in terram Juda. ⁴⁷ Retinuit autem secum tria millia virorum: ex quibus remisit in Galilæam duo millia: mille autem venerunt cum eo. ⁴⁸ Ut autem intravit Ptolemaidam Jonathas, clauserunt portas civitatis Ptolemenses, et comprehenderunt eum: et omnes qui cum eo intraverant, gladio interfecerunt. ⁴⁹ Et misit Tryphon exercitum et equites in Galilæam et in campum magnum, ut perderent omnes socios Jonathæ. ⁵⁰ At illi cum cognovissent quia comprehensus est Jonathas, et periit, et omnes qui cum eo erant, hortati sunt semetipsos, et exierunt parati in prælium. ⁵¹ Et videntes hi qui insecuti fuerant, quia pro anima res est illis, reversi sunt: ⁵² illi autem venerunt omnes cum pace in terram Juda. Et planxerunt Jonathan, et eos qui cum ipso fuerant, valde: et luxit Israël luctu magno. ⁵³ Et quæsierunt omnes gentes quæ erant in circuitu eorum contere eos: dixerunt enim: ⁵⁴ Non habent principem et adjuvantem: nunc ergo expugnemus illos, et tollamus de hominibus memoriam eorum.

13 Et audivit Simon quod congregavit Tryphon exercitum copiosum ut veniret in terram Juda, et attereret eam. ² Videns quia in tremore populus est, et in timore, ascendit Jerusalem, et congregavit populum: ³ et adhortans dixit: Vos scitis quanta ego, et fratres mei, et domus patris mei, fecimus pro legibus et pro sanctis, prælia, et angustias quales vidimus: ⁴ horum gratia perierunt fratres mei omnes propter Israël, et relictus sum ego solus. ⁵ Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis: non enim melior sum fratribus meis. ⁶ Vindicabo itaque gentem meam, et sancta, natos quoque nostros, et uxores: quia congregatæ sunt universæ gentes contere nos inimicitia gratia. ⁷ Et accensus est spiritus populi simul ut audivit sermones istos: ⁸ et responderunt voce magna, dicentes: Tu es dux noster loco Judæ, et Jonathæ fratris tui: ⁹ pugna prælium nostrum: et omnia, quæcumque dixeris nobis, faciemus. ¹⁰ Et congregans omnes viros bellatores, acceleravit consummare universos muros Jerusalem, et munivit eam in gyro. ¹¹ Et misit Jonathan filium Absalomi, et cum eo exercitum novum in Joppen, et ejectis his qui erant in ea, remansit illic ipse. ¹² Et movit Tryphon a Ptolemaida cum exercitu multo, ut veniret in terram Juda, et Jonathas cum eo in custodia. ¹³ Simon autem applicuit in Addus contra faciem campi. ¹⁴ Et ut cognovit Tryphon quia surrexit Simon loco fratris sui Jonathæ, et quia commissurus esset cum eo prælium, misit ad eum legatos, ¹⁵ dicens: Pro argento, quod debebat frater tuus Jonathas in ratione regis propter negotia quæ habuit, detinuimus eum. ¹⁶ Et nunc mitte argenti talenta centum, et duos filios ejus obsides, ut non dimissus fugiat a nobis, et remitteremus eum. ¹⁷ Et cognovit Simon quia cum dolo loqueretur secum: jussit tamen dari ar-

gentum et pueros, ne inimicitiam magnam sumeret ad populum Israël, dicentem: ¹⁸ Quia non misit ei argentum, et pueros, propterea periit. ¹⁹ Et misit pueros, et centum talenta: et mentitus est, et non dimisit Jonathan. ²⁰ Et post hæc venit Tryphon intra regionem, ut contereret eam: et gyrauerunt per viam quæ ducit Ador: et Simon et castra ejus ambulabant in omnem locum quocumque ibant. ²¹ Qui autem in arce erant, miserunt ad Tryphonem legatos, ut festinaret venire per desertum, et mitteret illis alimonias. ²² Et paravit Tryphon omnem equitatum, ut veniret illa nocte: erat autem nix multa valde, et non venit in Galaaditim. ²³ Et cum appropinquasset Bascaman, occidit Jonathan et filios ejus illic. ²⁴ Et convertit Tryphon, et abiit in terram suam. ²⁵ Et misit Simon, et accepit ossa Jonathæ fratris sui, et sepelivit ea in Modin civitate patrum ejus. ²⁶ Et planxerunt eum omnis Israël planctu magno, et luxerunt eum dies multos. ²⁷ Et ædificavit Simon super sepulchrum patris sui et fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito retro et ante. ²⁸ Et statuit septem pyramidas, unam contra unam, patri et matri, et quatuor fratribus: ²⁹ et his circumposuit columnas magnas: et super columnas arma, ad memoriam æternam: et juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare: ³⁰ hoc est sepulchrum, quod fecit in Modin usque in hunc diem. ³¹ Tryphon autem cum iter faceret cum Antiocho rege adolescente, dolo occidit eum: ³² et regnavit loco ejus, et imposuit sibi diadema Asiæ, et fecit plagam magnam in terra. ³³ Et ædificavit Simon præsidia Judææ, muniens ea turribus excelsis, et muris magnis, et portis, et seris: et posuit alimenta in munitionibus. ³⁴ Et elegit Simon viros, et misit ad Demetrium regem ut faceret remissionem regioni: quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant gesti. ³⁵ Et Demetrius rex ad verba ista respondit ei, et scripsit epistolam talem: ³⁶ Rex Demetrius Simoni summo sacerdoti et amico regum, et senioribus, et genti Judæorum, salutem. ³⁷ Coronam auream, et bahem, quam misistis, suscepimus: et parati sumus facere vobiscum pacem magnam, et scribere præpositis regis remittere vobis quæ indulsimus. ³⁸ Quæcumque enim constituimus, vobis constant: munitiones, quas ædificastis, vobis sint: ³⁹ remittimus quoque ignorantias et peccata usque in hodiernum diem, et coronam quam debebatis: et si quid aliud erat tributarium in Jerusalem, jam non sit tributarium. ⁴⁰ Et si qui ex vobis apti sunt conscribi inter nostros, conscribantur, et sit inter nos pax. ⁴¹ Anno centesimo septuagesimo, ablatum est jugum gentium ab Israël. ⁴² Et cœpit populus Israël scribere in tabulis, et gestis publicis, anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce, et principe Judæorum. ⁴³ In diebus illis applicuit Simon ad Gazam, et circumdedit eam castris, et fecit machinas, et applicuit ad civitatem, et percussit turrem unam, et comprehendit eam. ⁴⁴ Et eruperant qui erant intra machinam in civitatem, et factus est motus magnus in civitate. ⁴⁵ Et ascenderunt qui erant in civitate cum uxoribus et filiis supra murum, scissis tunicis suis, et clamaverunt voce magna, postulantes a Simone dexteras sibi dari, ⁴⁶ et dixerunt: Non nobis reddas secundum malitias nostras, sed secundum misericordias tuas. ⁴⁷ Et flexus Simon, non debellavit eos: ejecit tamen eos de civitate, et mundavit ædes in quibus fuerant simulacra, et tunc intravit in eam cum hymnis benedicens Dominum: ⁴⁸ et ejecta ab ea omni immunditia, collocavit in ea viros qui legem facerent: et munivit eam, et fecit sibi habitationem. ⁴⁹ Qui autem erant in arce Jerusalem, prohibebantur egredi et ingredi regionem, et emere ac vendere: et esurierunt valde, et multi ex eis fame perierunt, ⁵⁰ et clamaverunt ad Simonem ut dexteras acciperent: et dedit illis: et ejecit eos inde, et mundavit arcem

a contaminationibus: ⁵¹ et intraverunt in eam tertia et vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo, cum laude, et ramis palmarum, et cinyris, et cymbalis, et nablis, et hymnis, et canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israël. ⁵² Et constituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia. ⁵³ Et munivit montem templi, qui erat secus arcem, et habitavit ibi ipse, et qui cum eo erant. ⁵⁴ Et vidit Simon Joannem filium suum, quod fortis prælii vir esset: et posuit eum ducem virtutum universarum: et habitavit in Gazaris.

14 Anno centesimo septuagesimo secundo, congregavit rex Demetrius exercitum suum, et abiit in Mediam ad contrahenda sibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem. ² Et audivit Arsaces rex Persidis et Mediæ, quia intravit Demetrius confines suos: et misit unum de principibus suis ut comprehenderet eum vivum, et adduceret eum ad se. ³ Et abiit, et percussit castra Demetrii: et comprehendit eum, et duxit eum ad Arsacem, et posuit eum in custodiam. ⁴ Et siluit omnis terra Juda omnibus diebus Simonis, et quæsivit bona genti suæ: et placuit illis potestas ejus et gloria ejus omnibus diebus. ⁵ Et cum omni gloria sua accepit Joppen in portum, et fecit introitum in insulis maris. ⁶ Et dilatavit fines gentis suæ, et obtinuit regionem. ⁷ Et congregavit captivitatem multam, et dominatus est Gazaræ, et Bethsuræ, et arci: et abstulit immunditias ex ea, et non erat qui resisteret ei. ⁸ Et unusquisque colebat terram suam cum pace: et terra Juda dabat fructus suos, et ligna camporum fructum suum. ⁹ Seniores in plateis sedebant omnes, et de bonis terræ tractabant, et juvenes induebant se gloriam, et stolas belli. ¹⁰ Et civitatibus tribuebat alimonias, et constituebat eas ut essent vasa munitionis quoadusque nominatum est nomen gloriæ ejus usque ad extremum terræ. ¹¹ Fecit pacem super terram, et lætatus est Israël lætitia magna. ¹² Et sedit unusquisque sub vite sua, et sub ficulnea sua: et non erat qui eos terreret. ¹³ Defecit impugnans eos super terram: reges contriti sunt in diebus illis. ¹⁴ Et confirmavit omnes humiles populi sui, et legem exquisivit, et abstulit omnem iniquum et malum: ¹⁵ sancta glorificavit, et multiplicavit vasa sanctorum. ¹⁶ Et auditum est Romæ quia defunctus esset Jonathas, et usque in Spartiatis: et contristati sunt valde. ¹⁷ Ut audierunt autem quod Simon frater ejus factus esset summus sacerdos loco ejus, et ipse obtineret omnem regionem, et civitates in ea, ¹⁸ scripserunt ad eum in tabulis æreis, ut renovarent amicitias et societatem quam fecerant cum Juda et cum Jonatha, fratribus ejus. ¹⁹ Et lectæ sunt in conspectu ecclesiæ in Jerusalem. Et hoc exemplum epistolarum, quas Spartiatæ miserunt: ²⁰ Spartianorum principes et civitates, Simoni sacerdoti magno, et senioribus, et sacerdotibus, et reliquo populo Judæorum, fratribus, salutem. ²¹ Legati, qui missi sunt ad populum nostrum, nuntiaverunt nobis de vestra gloria, et honore, ac lætitia: et gavisus sumus in introitu eorum. ²² Et scripsimus quæ ab eis erant dicta in conciliis populi, sic: Numenius Antiochi, et Antipater Jasonis filius, legati Judæorum, venerunt ad nos, renovantes nobiscum amicitiam pristinam. ²³ Et placuit populo excipere viros gloriose, et ponere exemplum sermonum eorum in segregatis populi libris, ut sit ad memoriam populo Spartiatarum. Exemplum autem horum scripsimus Simoni magno sacerdoti. ²⁴ Post hæc autem misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarum mille, ad statuendam cum eis societatem. Cum autem audisset populus Romanus ²⁵ sermones istos, dixerunt: Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, et filiis ejus? ²⁶ restituit enim ipse fratres suos, et expugnavit inimicos Israël ab eis, et statuerunt ei libertatem, et descripserunt in tabulis æreis, et posuerunt in tit-

ulis in monte Sion. ²⁷ Et hoc est exemplum scripturæ: Octavdecima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo, anno tertio sub Simone sacerdote magno in Asaramel, ²⁸ in conventu magno sacerdotum, et populi, et principum gentis, et seniorum regionis, nota facta sunt hæc: quoniam frequenter facta sunt prælia in regione nostra, ²⁹ Simon autem Mathathiæ filius, ex filiis Jarib, et fratres ejus, dederunt se periculo, et restiterunt adversariis gentis suæ, ut starent sancta ipsorum, et lex: et gloria magna glorificaverunt gentem suam. ³⁰ Et congregavit Jonathas gentem suam, et factus est illis sacerdos magnus, et appositus est ad populum suum. ³¹ Et voluerunt inimici eorum calcare et atterere regionem ipsorum, et extendere manus in sancta eorum. ³² Tunc restitit Simon, et pugnavit pro gente sua, et erogavit pecunias multas, et armavit viros virtutis gentis suæ, et dedit illis stipendia: ³³ et munivit civitates Judææ, et Bethsuram, quæ erat in finibus Judææ, ubi erant arma hostium antea: et posuit illic præsidium viros Judæos. ³⁴ Et Joppen munivit, quæ erat ad mare, et Gazaram, quæ est in finibus Azoti, in qua hostes antea habitabant: et collocavit illic Judæos, et quæcumque apta erant ad correptionem eorum, posuit in eis. ³⁵ Et vidit populus actum Simonis, et gloriam quam cogitabat facere genti suæ, et posuerunt eum ducem suum, et principem sacerdotum, eo quod ipse fecerat hæc omnia, et justitiam, et fidem, quam conservavit genti suæ, et exquisivit omni modo exaltare populum suum. ³⁶ Et in diebus ejus prosperatum est in manibus ejus, ut tollerentur gentes de regione ipsorum, et qui in civitate David erant, in Jerusalem in arce, de qua procedebant, et contaminabant omnia quæ in circuitu sanctorum sunt, et inferebant plagam magnam castitati: ³⁷ et collocavit in ea viros Judæos ad tutamentum regionis, et civitatis, et exaltavit muros Jerusalem. ³⁸ Et rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium. ³⁹ Secundum hæc fecit eum amicum suum, et glorificavit eum gloria magna. ⁴⁰ Audivit enim quod appellati sunt Judæi a Romanis amici, et socii, et fratres, et quia susceperunt legatos Simonis gloriose, ⁴¹ et quia Judæi et sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum, et summum sacerdotem in æternum, donec surgat propheta fidelis: ⁴² et ut sit super eos dux, et ut cura esset illi pro sanctis, et ut constitueret præpositos super opera eorum, et super regionem, et super arma, et super præsidia: ⁴³ et cura sit illi de sanctis: et ut audiatur ab omnibus, et scribantur in nomine ejus omnes conscriptiones in regione: et ut operiatur purpura et auro: ⁴⁴ et ne liceat ulli ex populo et ex sacerdotibus irritum facere aliquid horum, et contradicere his quæ ab eo dicuntur, aut convocare conventum in regione sine ipso, et vestiri purpura, et uti fibula aurea: ⁴⁵ qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit. ⁴⁶ Et complacuit omni populo statuere Simonem, et facere secundum verba ista. ⁴⁷ Et suscepit Simon, et placuit ei ut summo sacerdotio fungeretur, et esset dux et princeps gentis Judæorum, et sacerdotum, et præesset omnibus. ⁴⁸ Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis æreis, et ponere eas in peribolo sanctorum, in loco celebri: ⁴⁹ exemplum autem eorum ponere in ærario, ut habeat Simon, et filii ejus.

15 Et misit rex Antiochus filius Demetrii epistolas ab insulis maris Simoni sacerdoti, et principi gentis Judæorum, et universæ genti: ² et erant continententes hunc modum: Rex Antiochus Simoni sacerdoti magno, et genti Judæorum salutem. ³ Quoniam quidem pestilentes obtinuerunt regnum patrum nostrorum, volo autem vindicare regnum, et restituere illud sicut erat antea: et electam feci multitudinem exercitus, et feci naves bellicas. ⁴ Volo autem procedere per regionem ut ulciscar in

eos, qui corruperunt regionem nostram, et qui desolaverunt civitates multas in regno meo. ⁵ Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes, quas remiserunt tibi ante me omnes reges, et quæcumque alia dona remiserunt tibi: ⁶ et permitto tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua: ⁷ Jerusalem autem sanctam esse, et liberam: et omnia arma, quæ fabricata sunt, et præsidia, quæ construxisti, quæ tenes, maneant tibi. ⁸ Et omne debitum regis, et quæ futura sunt regi, ex hoc et in totum tempus remittuntur tibi. ⁹ Cum autem obtinuerimus regnum nostrum, glorificabimus te, et gentem tuam, et templum, gloria magna, ita ut manifestetur gloria vestra in universa terra. ¹⁰ Anno centesimo septuagesimo quarto exiit Antiochus in terram patrum suorum, et convenerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relictis essent cum Tryphone. ¹¹ Et insecutus est eum Antiochus rex, et venit Doram fugiens per maritimam: ¹² sciebat enim quod congregata sunt mala in eum, et reliquit eum exercitus: ¹³ et applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti millibus virorum belligeratorum, et octo millibus equitum: ¹⁴ et circumvit civitatem, et naves a mari accesserunt: et vexabant civitatem a terra et mari, et neminem sinebant ingredi vel egredi. ¹⁵ Venit autem Numenius, et qui cum eo fuerant, ab urbe Roma, habentes epistolas regibus et regionibus scriptas, in quibus continebantur hæc: ¹⁶ Lucius consul Romanorum, Ptolemæo regi salutem. ¹⁷ Legati Judæorum venerunt ad nos amici nostri, renovantes pristinam amicitiam et societatem, missi a Simone principe sacerdotum et populo Judæorum. ¹⁸ Attulerunt autem et clypeum aureum mnarum mille. ¹⁹ Placuit itaque nobis scribere regibus et regionibus, ut non inferant illis mala, neque impugnent eos, et civitates eorum, et regiones eorum: et ut non ferant auxilium pugnantibus adversus eos. ²⁰ Visum autem est nobis accipere ab eis clypeum. ²¹ Si qui ergo pestilentes refugerunt de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni principi sacerdotum, ut vindicet in eos secundum legem suam. ²² Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi, et Attalo, et Ariarathi, et Arsaci, ²³ et in omnes regiones: et Lampsaco, et Spartiatis, et in Delum, et in Myndum, et in Sicyonem, et in Cariam, et in Samum, et in Pamphyliam, et in Lyciam, et in Alicarnassum, et in Coo, et in Siden, et in Aradon, et in Rhodum, et in Phaselidem, et in Gortynam, et Gnidum, et Cyprum, et Cyrenen. ²⁴ Exemplum autem eorum scripserunt Simoni principi sacerdotum, et populo Judæorum. ²⁵ Antiochus autem rex applicuit castra in Doram secundo, admovens ei semper manus, et machinas faciens: et conclusit Tryphonem, ne procederet: ²⁶ et misit ad eum Simon duo millia virorum electorum in auxilium, et argentum, et aurum, et vasa copiosa: ²⁷ et noluit ea accipere, sed rupit omnia, quæ pactus est cum eo antea, et alienavit se ab eo. ²⁸ Et misit ad eum Athenobium unum de amicis suis, ut tractaret cum ipso, dicens: Vos tenetis Joppen, et Gazaram, et arcem, quæ est in Jerusalem, civitates regni mei: ²⁹ fines earum desolastis, et fecistis plagam magnam in terra, et dominati estis per loca multa in regno meo. ³⁰ Nunc ergo tradite civitates quas occupastis, et tributa locorum in quibus dominati estis extra fines Judææ: ³¹ sin autem, date pro illis quingenta talenta argenti, et exterminii, quod exterminastis, et tributorum civitatum alia talenta quingenta: sin autem, veniemus, et expugnabimus vos. ³² Et venit Athenobius amicus regis in Jerusalem, et vidit gloriam Simonis, et claritatem in auro, et argento, et apparatus copiosum: et obstupuit, et retulit ei verba regis. ³³ Et respondit ei Simon, et dixit ei: Neque alienam terram sumpsimus, neque aliena detinemus: sed hæreditatem patrum nostrorum, quæ injuste ab inimicis nostris aliquo tempore

possessa est. ³⁴Nos vero tempus habentes, vindicamus hæreditatem patrum nostrorum. ³⁵Nam de Joppe et Gazara quæ expostulas, ipsi faciebant in populo plagam magnam, et in regione nostra: horum damus talenta centum. Et non respondit ei Athenobius verbum. ³⁶Reversus autem cum ira ad regem, renuntiavit ei verba ista, et gloriam Simonis, et universa quæ vidit, et iratus est rex ira magna. ³⁷Tryphon autem fugit navi in Orthosiada. ³⁸Et constituit rex Cendebæum ducem maritimum, et exercitum peditum et equitum dedit illi. ³⁹Et mandavit illi movere castra contra faciem Judææ: et mandavit ei ædificare Gedorem, et obstruere portas civitatis, et debellare populum. Rex autem persequabatur Typhonem. ⁴⁰Et pervenit Cendebæus Jamniam, et cœpit irritare plebem, et conculcare Judæam, et captivare populum, et interficere, et ædificare Gedorem. ⁴¹Et collocavit illic equites et exercitum, ut egressi perambularent viam Judææ, sicut constituit ei rex.

16 Et ascendit Joannes de Gazaris, et nuntiavit Simoni patri suo quæ fecit Cendebæus in populo ipsorum. ²Et vocavit Simon duos filios seniores, Judam et Joannem, et ait illis: Ego, et fratres mei, et domus patris mei expugnavimus hostes Israël ab adolescentia usque in hunc diem: et prosperatum est in manibus nostris liberare Israël aliquoties. ³Nunc autem senui: sed estote loco meo, et fratres mei, et egressi pugnate pro gente nostra: auxilium vero de cælo vobiscum sit. ⁴Et elegit de regione viginti millia virorum belligeratorum, et equites: et profecti sunt ad Cendebæum, et dormierunt in Modin. ⁵Et surrexerunt mane, et abierunt in campum: et ecce exercitus copiosus in obviam illis peditum et equitum: et fluvius torrens erat inter medium ipsorum. ⁶Et admovit castra contra faciem eorum ipse et populus ejus, et vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem: et transfretavit primus, et viderunt eum viri, et transierunt post eum. ⁷Et divisit populum et equites in medio peditum: erat autem equitatus adversariorum copiosus nimis. ⁸Et exclamaverunt sacris tubis, et in fugam conversus est Cendebæus et castra ejus: et ceciderunt ex eis multi vulnerati: residui autem in munitionem fugerunt. ⁹Tunc vulneratus est Judas frater Joannis: Joannes autem insecutus est eos, donec venit Cedronem, quam ædificavit: ¹⁰et fugerunt usque ad turres, quæ erant in agris Azoti, et succendit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorum, et reversus est in Judæam in pace. ¹¹Et Ptolemæus filius Abobi constitutus erat dux in campo Jericho, et habebat argentum et aurum multum: ¹²erat enim gener summi sacerdotis. ¹³Et exaltatum est cor ejus, et volebat obtinere regionem, et cogitabat dolum adversus Simonem et filios ejus, ut tolleret eos. ¹⁴Simon autem, perambulans civitates quæ erant in regione Judææ, et sollicitudinem gerens earum, descendit in Jericho ipse, et Mathathias filius ejus, et Judas, anno centesimo septuagesimo septimo, mense undecimo: hic est mensis Sabath. ¹⁵Et suscepit eos filius Abobi in munitiunculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam ædificavit: et fecit eis convivium magnum, et abscondit illic viros. ¹⁶Et cum inebriatus esset Simon et filii ejus, surrexit Ptolemæus cum suis, et sumpserunt arma sua, et intraverunt in convivium: et occiderunt eum, et duos filios ejus, et quosdam pueros ejus: ¹⁷et fecit deceptionem magnam in Israël, et reddidit mala pro bonis. ¹⁸Et scripsit hæc Ptolemæus, et misit regi ut mitteret ei exercitum in auxilium, et traderet ei regionem, et civitates eorum, et tributa. ¹⁹Et misit alios in Gazaram tollere Joannem: et tribunis misit epistolas, ut venirent ad se, et daret eis argentum, et aurum, et dona. ²⁰Et alios misit occupare Jerusalem et montem templi. ²¹Et præcurrrens quidam, nuntiavit Joanni in Gazara quia periit pater ejus

et fratres ejus, et quia misit te quoque interfici. ²²Ut audivit autem, vehementer expavit: et comprehendit viros, qui venerant perdere eum, et occidit eos: cognovit enim quia quærebant eum perdere. ²³Et cetera sermonum Joannis, et bellorum ejus, et bonarum virtutum, quibus fortiter gessit, et ædificii murorum, quos extruxit, et rerum gestarum ejus: ²⁴ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotii ejus, ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum.

MACCHABEORUM INCIPIT LIBER SECUNDUS

1 Fratribus qui sunt per Ægyptum Judæis, salutem dicunt fratres qui sunt in Jerosolymis Judæi, et qui in regione Judææ, et pacem bonam. ²Beneficiat vobis Deus, et meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, et Isaac, et Jacob servorum suorum fidelium: ³et det vobis cor omnibus ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem, corde magno et animo volenti. ⁴Adaperiat cor vestrum in lege sua, et in præceptis suis, et faciat pacem. ⁵Exaudiat orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. ⁶Et nunc hie sumus orantes pro vobis. ⁷Regnante Demetrio, anno centesimo sexagesimo nono, nos Judæi scripsimus vobis in tribulatione et impetu qui supervenit nobis in istis annis, ex quo recessit Jason a sancta terra, et a regno. ⁸Portam succenderunt, et effuderunt sanguinem innocentem: et oravimus ad Dominum, et exauditi sumus, et obtulimus sacrificium et similaginem, et accendimus lucernas, et proposuimus panes. ⁹Et nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu. ¹⁰Anno centesimo octogesimo octavo, populus qui est Jerosolymis et in Judæa, senatusque et Judas, Aristobolo magistro Ptolemæi regis, qui est de genere christorum sacerdotum, et his qui in Ægypto sunt Judæis, salutem et sanitatem. ¹¹De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi, utpote qui adversus talem regem dimicavimus. ¹²Ipse enim ebullire fecit de Perside eos qui pugnaverunt contra nos et sanctam civitatem. ¹³Nam cum in Perside esset dux ipse, et cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Naneæ, consilio deceptus sacerdotum Naneæ. ¹⁴Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus et amici ejus, et ut acciperet pecunias multas dotis nomine. ¹⁵Cumque proposuissent eas sacerdotes Naneæ, et ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum fani, clausurunt templum, ¹⁶cum intrasset Antiochus: apertoque occulto aditu templi, mittentes lapides percusserunt ducem et eos qui cum eo erant: et diviserunt membratim, et capitibus amputatis foras projecerunt. ¹⁷Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios. ¹⁸Facturi igitur quinta et vigesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis: ut et vos quoque agatis diem scenopegiæ, et diem ignis, qui datus est quando Nehemias ædificato templo et altari obtulit sacrificia. ¹⁹Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri, sacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus et siccus, et in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus. ²⁰Cum autem præterissent anni multi, et placuit Deo ut mitteretur Nehemias a rege Persidis, nepotes sacerdotum illorum qui absconderant, misit ad requirendum ignem: et sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam. ²¹Et jussit eos haurire, et afferre sibi: et sacrificia quæ imposita erant, jussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua: et ligna, et quæ erant superposita. ²²Utque hoc factum est, et tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. ²³Orationem autem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium, Jonatha inchoante, ceteris autem respondentibus. ²⁴Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum: Domine Deus omnium creator, terribilis et fortis, justus et misericors, qui solus est bonus rex, ²⁵solus præstans, solus justus et omnipotens et æternus, qui liberas Israël de omni malo; qui fecisti patres electos, et sanctificasti eos: ²⁶accipe sacrificium pro universo populo tuo Israël, et custodi

partem tuam, et sanctifica. ²⁷ Congrega dispersionem nostram, libera eos qui serviunt gentibus, et contemptos et abominatos respice, ut sciant gentes quia tu es Deus noster. ²⁸ Afflige opprimentes nos, et contumeliam facientes in superbia. ²⁹ Constitue populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses. ³⁰ Sacerdotes autem psallebant hymnos usquequo consumptum esset sacrificium. ³¹ Cum autem consumptum esset sacrificium, ex residua aqua Nehemias jussit lapides majores perfundi. ³² Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est: sed ex lumine quod refulsit ab altari, consumpta est. ³³ Ut vero manifestata est res, renuntiatum est regi Persarum quod in loco in quo ignem absconderent hi qui translati fuerant sacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemias, et qui cum eo erant, purificaverunt sacrificia. ³⁴ Considerans autem rex, et rem diligenter examinans, fecit ei templum, ut probaret quod factum erat: ³⁵ et cum probasset, sacerdotibus donavit multa bona, et alia atque alia munera: et accipiens manu sua, tribuebat eis. ³⁶ Appellavit autem Nehemias hunc locum Nephthar, quod interpretatur Purificatio: vocatur autem apud plures Nephi.

2 Invenitur autem in descriptionibus Jeremiæ prophetæ, quod jussit eos ignem accipere qui transmigrabant, ut significatum est, et ut mandavit transmigratis. ² Et dedit illis legem, ne obliviscerentur præcepta Domini, et non exerrarent mentibus, videntes simulacra aurea et argentea, et ornamenta eorum. ³ Et alia hujusmodi dicens, hortabatur ne legem amoverent a corde suo. ⁴ Erat autem in ipsa scriptura, quomodo tabernaculum et arcam jussit propheta divino responso ad se facto comitari secum, usquequo exiit in montem in quo Moyses ascendit, et vidit Dei hæreditatem. ⁵ Et veniens ibi Jeremias, invenit locum speluncæ: et tabernaculum, et arcam, et altare incensi intulit illuc, et ostium obstruxit. ⁶ Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum: et non potuerunt invenire. ⁷ Ut autem cognovit Jeremias, culpans illos dixit: Quod ignotus erit locus donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat: ⁸ et tunc Dominus ostendet hæc, et apparebit majestas Domini, et nubes erit, sicut et Moysi manifestabatur, et sicut cum Salomon petiit ut locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc. ⁹ Magnifice etenim sapientiam tractabat: et ut sapientiam habens, obtulit sacrificium dedicationis et consummationis templi. ¹⁰ Sicut et Moyses orabat ad Dominum, et descendit ignis de cælo et consumpsit holocaustum, sic et Salomon oravit, et descendit ignis de cælo et consumpsit holocaustum. ¹¹ Et dixit Moyses: Eo quod non sit comestum quod erat pro peccato, consumptum est. ¹² Similiter et Salomon octo diebus celebravit dedicationem. ¹³ Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiæ hæc eadem: et ut construens bibliothecam congregavit de regionibus libros et prophetarum et David, et epistolas regum, et de donariis. ¹⁴ Similiter autem et Judas ea quæ deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, et sunt apud nos. ¹⁵ Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis. ¹⁶ Acturi itaque purificationem scripsimus vobis: bene ergo facietis, si egeritis hos dies. ¹⁷ Deus autem, qui liberavit populum suum, et reddidit hæreditatem omnibus, et regnum, et sacerdotium, et sanctificationem, ¹⁸ sicut promisit in lege, speramus quod cito nostri miseribitur, et congregavit de sub cælo in locum sanctum. ¹⁹ Eripuit enim nos de magnis periculis, et locum purgavit. ²⁰ De Juda vero Machabæo, et fratribus ejus, et de templi magni purificatione, et de aræ dedicatione, ²¹ sed et de præliis quæ pertinent ad Antiochum Nobilem et filium ejus Eupatorem, ²² et de illuminationibus quæ de cælo factæ sunt ad eos qui pro Judæis fortiter fecerunt, ita ut universam

regionem, cum pauci essent, vindicarent, et barbaram multitudinem fugarent, ²³ et famosissimum in toto orbe templum recuperarent, et civitatem liberarent, et leges quæ abolitæ erant, restituerentur, Domino cum omni tranquillitate propitio facto illis. ²⁴ Itemque ab Jasone Cyrenæo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare. ²⁵ Considerantes enim multitudinem librorum, et difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum, ²⁶ curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio: studiosis vero, ut facilius possint memoriæ commendare: omnibus autem legentibus utilitas conferatur. ²⁷ Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus. ²⁸ Sicut hi qui præparant convivium, et quærunt aliorum voluntati parere propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus. ²⁹ Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes. ³⁰ Sicut enim novæ domus architecto de universa structura curandum est; ei vero qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum exquirenda sunt: ita æstimandum est et in nobis. ³¹ Etenim intellectum colligere, et ordinare sermonem, et curiosius partes singulas quasque disquirere, historiæ congruit auctori: ³² breviter vero dictionis sectari, et executiones rerum vitare, brevianti concedendum est. ³³ Hinc ergo narrationem incipiemus: de præfatione tantum dixisse sufficiat. Stultum etenim est ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi.

3 Igitur cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem, et animos odio habentes mala, ² fiebat ut et ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent: ³ ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. ⁴ Simon autem de tribu Benjamin, præpositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum, iniquum aliquid in civitate moliri. ⁵ Sed cum vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tharsææ filium, qui eo tempore erat dux Cœlesyriæ et Phœnicis: ⁶ et nuntiavit ei pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Jerosolymis, et communes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum: esse autem possibile sub potestate regis cadere universa. ⁷ Cumque retulisset ad regem Apollonium de pecuniis quæ delatæ erant, illæ accitum Heliodorum, qui erat super negotia ejus, misit, cum mandatis ut prædictam pecuniam transportaret. ⁸ Statimque Heliodorus iter est aggressus, specie quidem quasi per Cœlesyriam et Phœnicen civitates esset peragraturus, re vera autem regis propositum perfecturus. ⁹ Sed cum venisset Jerosolymam, et benigne a summo sacerdote in civitate esset exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum, et cujus rei gratia adesset, aperuit: interrogabat autem si vere hæc ita essent. ¹⁰ Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse hæc, et victualia viduarum et pupillorum: ¹¹ quædam vero esse Hircani Tobiæ viri valde eminentis, in his quæ detulerat impius Simon: universa autem argenti talenta esse quadringenta, et auri ducenta: ¹² decipi vero eos qui credidissent loco et templo quod per universum mundum honoratur pro sui veneratione et sanctitate, omnino impossibile esse. ¹³ At ille pro his quæ habebat in mandatis a rege, dicebat omni genere regi ea esse deferenda. ¹⁴ Constituta autem die, intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica vero per universam civitatem erat trepidatio. ¹⁵ Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus jactaverunt se, et

invocabant de cælo eum qui de depositis legem posuit, ut his qui deposuerant ea salva custodiret. ¹⁶ Jam vero qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur: facies enim et color immutatus declarabat internum animi dolorem: ¹⁷ circumfusa enim erat mœstitia quædam viro, et horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis ejus efficiebatur. ¹⁸ Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo quod in contemptum locus esset venturus. ¹⁹ Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant: sed et virgines quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam vero per fenestras aspicebant: ²⁰ universæ autem protendentes manus in cælum, deprecabantur: ²¹ erat enim misera commistæ multitudinis, et magni sacerdotis in agone constituti expectatio. ²² Et hi quidem invocabant omnipotentem Deum, ut credita sibi his qui crediderant, cum omni integritate conservarentur. ²³ Heliodorus autem, quod decreverat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. ²⁴ Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem et formidinem converterentur. ²⁵ Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit: qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. ²⁶ Alii etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, et ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. ²⁷ Subito autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum ejecerunt. ²⁸ Et is, qui cum multis cursoribus et satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute: ²⁹ et ille quidem per divinam virtutem jacebat mutus, atque omni spe et salute privatus. ³⁰ Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificabat locum suum: et templum, quod paulo ante timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio et lætitia impletum est. ³¹ Tunc vero ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut invocaret Altissimum ut vitam donaret ei qui in supremo spiritu erat constitutus. ³² Considerans autem summus sacerdos ne forte rex suspicaretur malitiam aliquam ex Judæis circa Heliodorum consummatum, obtulit pro salute viri hostiam salutarem. ³³ Cumque summus sacerdos exoraret, iidem juvenes eisdem vestibus amicti astantes Heliodoro, dixerunt: Oniæ sacerdoti gratias age: nam propter eum Dominus tibi vitam donavit. ³⁴ Tu autem a Deo flagellatus, nuntia omnibus magnalia Dei, et potestatem. Et his dictis, non comparuerunt. ³⁵ Heliodorus autem, hostia Deo oblata, et votis magnis promissis ei qui vivere illi concessit, et Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad regem. ³⁶ Testabatur autem omnibus ea quæ sub oculis suis viderat opera magni Dei. ³⁷ Cum autem rex interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel Jerosolymam mitti, ait: ³⁸ Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, et flagellatum eum recipies, si tamen evaserit: eo quod in loco sit vere Dei quædam virtus. ³⁹ Nam ipse, qui habet in cælis habitationem, visitor et adjutor est loci illius, et venientes ad malefaciendum percutit ac perdit. ⁴⁰ Igitur de Heliodoro et ærarii custodia ita res se habet.

4 Simon autem prædictus, pecuniarum et patriæ delator, male loquebatur de Onia, tamquam ipse Heliodorum instigasset ad hæc, et ipse fuisset incensor malorum: ² provisoremque civitatis, ac defensorem gentis suæ, et æmulatorem legis Dei, aude-

bat insidiatorem regni dicere. ³Sed cum inimicitiae in tantum procederent ut etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent, ⁴considerans Onias periculum contentionis, et Apollonium insanire, utpote ducem Coelesyriae et Phoenicis, ad augendam malitiam Simonis ad regem se contulit, ⁵non ut civium accusator, sed communem utilitatem apud semetipsum universae multitudinis considerans. ⁶Videbat enim sine regali providentia impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonem posse cessare a stultitia sua. ⁷Sed post Seleuci vitae excessum, cum suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Jason frater Oniae summum sacerdotium: ⁸adito rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, et ex redditibus aliis talenta octoginta, ⁹super haec promittebat et alia centum quinquaginta, si potestati ejus concederetur, gymnasium et ephebiam sibi constituere, et eos qui in Jerosolymis erant, Antiochenos scribere. ¹⁰Quod cum rex annuisset, et obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre coepit, ¹¹et amotis his quae humanitatis causa Judaeis a regibus fuerant constituta per Joannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia et societate functus est legatione legitima, civium jura destituens, prava instituta sanciebat. ¹²Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, et optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere. ¹³Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, et profectus gentilis et alienigenae conversationis, propter impii et non sacerdotis Jasonis nefarium, et inauditum scelus: ¹⁴ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo et sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palaestrae et praebitionis ejus injustae, et in exercitiis disci. ¹⁵Et patrios quidem honores nihil habentes, graecas glorias optimas arbitrabantur: ¹⁶quarum gratia periculosa eos contentio habebat, et eorum instituta aemulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hoste et peremptores habuerant. ¹⁷In leges enim divinas impie agere impune non cedit: sed hoc tempus sequens declarabit. ¹⁸Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, et rex praesens esset, ¹⁹misit Jason facinorosus ab Jerosolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis: quas postulaverunt hi qui asportaverant ne in sacrificiis erogarentur, quia non oporteret, sed in alios sumptus eas deputari. ²⁰Sed haec oblatae sunt quidem ab eo qui miserat in sacrificium Herculis: propter praesentes autem datae sunt in fabricam navium triremium. ²¹Misso autem in Aegyptum Apollonio Mnesithei filio propter primates Ptolemaei Philometoris regis, cum cognovisset Antiochus alienum se a negotiis regni effectum, propriis utilitatibus consulens, profectus inde venit Joppen, et inde Jerosolymam. ²²Et magnifice ab Jasone et civitate susceptus, cum facularum luminibus et laudibus ingressus est: et inde in Phoenicem exercitum convertit. ²³Et post triennii tempus, misit Jason Menelaum supradicti Simonis fratrem portantem pecunias regi, et de negotiis necessariis responsa perlaturum. ²⁴At ille commendatus regi, cum magnificasset faciem potestatis ejus, in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Jasoni talenta argenti trecenta. ²⁵Acceptisque a rege mandatis, venit, nihil quidem habens dignum sacerdotio: animos vero crudelis tyranni, et ferae beluae iram gerens. ²⁶Et Jason quidem, qui proprium fratrem captivaverat, ipse deceptus profugus in Ammanitem expulsus est regionem. ²⁷Menelaus autem principatum quidem obtinuit: de pecuniis vero regi promissis, nihil agebat, cum exactionem faceret Sostratus, qui arci erat praepositus, ²⁸nam ad hunc exactio vectigalium pertinebant: quam ob causam utrique ad regem sunt

evocati. ²⁹ Et Menelaus amotus est a sacerdotio, succedente Lysimacho fratre suo: Sostratus autem prælatus est Cyprii. ³⁰ Et cum hæc agerentur, contigit Tharsenses et Mallotas seditionem movere, eo quod Antiochidi regis concubinæ dono essent dati. ³¹ Festinanter itaque rex venit sedare illos, relicto suffecto uno ex comitibus suis Andronico. ³² Ratus autem Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quædam vasa e templo furatus donavit Andronico, et alia vendiderat Tyri, et per vicinas civitates. ³³ Quod cum certissime cognovisset Onias, arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiæ secus Daphnem. ³⁴ Unde Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat ut Oniam interficeret. Qui cum venisset ad Oniam, et datis dextris cum iurejurando (quamvis esset ei suspectus) suavisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus justitiam. ³⁵ Ob quam causam non solum Judæi, sed aliæ quoque nationes indignabantur, et moleste ferebant de nece tanti viri injusta. ³⁶ Sed regressum regem de Ciliciæ locis adierunt Judæi apud Antiochiam, simul et Græci, conquerentes de iniqua nece Oniæ. ³⁷ Contristatus itaque animo Antiochus propter Oniam, et flexus ad misericordiam, lacrimas fudit, recordatus defuncti sobrietatem et modestiam: ³⁸ accensisque animis Andronicum purpura exutum, per totam civitatem jubet circumduci: et in eodem loco in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita privari, Domino illi condignam retribuente pœnam. ³⁹ Multis autem sacrilegiis in templo a Lysimacho commissis Menelai consilio, et divulgata fama, congregata est multitudo adversum Lysimachum multo jam auro exportato. ⁴⁰ Turbis autem insurgentibus, et animis ira repletis, Lysimachus armatis fere tribus millibus iniquis manibus uti cœpit, duce quodam tyranno, ætate pariter et dementia provecto. ⁴¹ Sed ut intellexerunt conatum Lysimachi, alii lapides, alii fustes validos arripuerunt: quidam vero cinerem in Lysimachum jecere. ⁴² Et multi quidem vulnerati, quidam autem et prostrati, omnes vero in fugam conversi sunt: ipsum etiam sacrilegum secus ærarium interfecerunt. ⁴³ De his ergo cœpit iudicium adversus Menelaum agitari. ⁴⁴ Et cum venisset rex Tyrum, ad ipsum negotium detulerunt missi tres viri a senioribus. ⁴⁵ Et cum superaretur Menelaus, promisit Ptolemæo multas pecunias dare ad suadendum regi. ⁴⁶ Itaque Ptolemæus in quodam atrio positum quasi refrigerandi gratia regem adiit, et deduxit a sententia: ⁴⁷ et Menelaum quidem universæ malitiæ reum criminibus absolvit: miseros autem qui, etiamsi apud Scythas causam dixissent, innocentes iudicarentur, hos morte damnavit. ⁴⁸ Cito ergo injustam pœnam dederunt, qui pro civitate, et populo, et sacris vasis causam persecuti sunt. ⁴⁹ Quam ob rem Tyrii quoque indignati, erga sepulturam eorum liberalissimi extiterunt. ⁵⁰ Menelaus autem, propter eorum qui in potentia erant avaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia ad insidias civium.

5 Eodem tempore, Antiochus secundam profectionem paravit in Ægyptum. ² Contigit autem per universam Jerosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes, auratas stolas habentes et hastis, quasi cohortes armatos: ³ et cursus equorum per ordines digestos, et congressiones fieri cominus, et scutorum motus, et galeatorum multitudinem gladiis districtis, et telorum jactus, et aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum. ⁴ Quapropter omnes rogabant in bonum monstra converti. ⁵ Sed cum falsus rumor exisset, tamquam vita excessisset Antiochus, assumptis Jason non minus mille viris, repente agressus est civitatem: et civibus ad murum convolantibus ad ultimum apprehensa civitate, Menelaus fugit in arcem: ⁶ Jason vero non parcebat in cæde civibus suis, nec cogita-

bat prosperitatem adversum cognatos malum esse maximum, arbitrans hostium et non civium se trophæa capturum. ⁷ Et principatum quidem non obtinuit, finem vero insidiarum suarum confusionem accepit, et profugus iterum abiit in Ammanitem. ⁸ Ad ultimum, in exitium sui conclusus ab Areta Arabum tyranno fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus, ut refuga legum et execrabilis, ut patriæ et civium hostis, in Ægyptum extrusus est: ⁹ et qui multos de patria sua expulerat, peregre periit, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus: ¹⁰ et qui insepultos multos abjecerat, ipse et illamentatus et insepultus abjicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulchro participans. ¹¹ His itaque gestis, suspicatus est rex societatem deserturos Judæos: et ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis, civitatem quidem armis cepit. ¹² Jussit autem militibus interficere, nec parcere occurrentibus, et per domos ascendentes trucidare. ¹³ Fiebant ergo cædes juvenum ac seniorum, et mulierum et natorum exterminia, virginumque et parvulorum neces. ¹⁴ Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati. ¹⁵ Sed nec ista sufficiunt: ausus est etiam intrare templum universa terra sanctius, Menelao ductore, qui legum et patriæ fuit proditor: ¹⁶ et scelestis manibus sumens sancta vasa, quæ ab aliis regibus et civitatibus erant posita ad ornatum loci, et gloriam, contrectabat indigne, et contaminabat. ¹⁷ Ita alienatus mente Antiochus, non considerabat quod propter peccata habitantium civitatem, modicum Deus fuerat iratus: propter quod et accidit circa locum despectio: ¹⁸ alioquin nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, sicut Heliodorus, qui missus est a Seleuco rege ad expoliandum ærarium, etiam hic statim adveniens flagellatus, et repulsus utique fuisset ab audacia. ¹⁹ Verum non propter locum, gentem: sed propter gentem, locum Deus elegit. ²⁰ Ideoque et ipse locus particeps factus est populi malorum: postea autem fiet socius bonorum, et qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, iterum in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur. ²¹ Igitur Antiochus mille et octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, existimans se præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem. ²² Reliquit autem et præpositos ad affligendam gentem: Jerosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso a quo constitutus est: ²³ in Garizim autem Andronicum et Menelaum, qui gravius quam ceteri imminebant civibus. ²⁴ Cumque appositus esset contra Judæos, misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti et duobus millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac juvenes vendere. ²⁵ Qui cum venisset Jerosolymam, pacem simulans, quievit usque ad diem sanctum sabbati: et tunc feriatis Judæis arma capere suis præcepit. ²⁶ Omnesque qui ad spectaculum processerant, trucidavit: et civitatem cum armatis discurrens, ingentem multitudinem peremit. ²⁷ Judas autem Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat: et fœni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis.

6 Sed non post multum temporis, misit rex senem quemdam Antiochenum, qui compelleret Judæos ut se transferrent a patriis et Dei legibus: ² contaminare etiam quod in Jerosolymis erat templum, et cognominare Jovis Olympii: et in Garizim, prout erant hi qui locum inhabitabant, Jovis hospitalis. ³ Pessima autem et universis gravis erat malorum incursio: ⁴ nam templum luxuria et comessationibus gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus: sacratisque ædibus mulieres

se ultro ingerebant, intro ferentes ea quæ non licebat. ⁵ Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur. ⁶ Neque autem sabbata custodiebantur, neque dies solemnes patrii servabantur, nec simpliciter Judæum se esse quisquam confitebatur. ⁷ Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia: et cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire. ⁸ Decretum autem exiit in proximas gentilium civitates, suggerentibus Ptolemæis, ut pari modo et ipsi adversus Judæos agerent, ut sacrificarent: ⁹ eos autem qui nolent transire ad instituta gentium, interficerent: erat ergo videre miseriam. ¹⁰ Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse: quas, infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt. ¹¹ Alii vero, ad proximas coeuntes speluncas, et latenter sabbati diem celebrantes, cum indicati essent Philippo, flammis succensi sunt, eo quod verebantur propter religionem et observantiam manu sibimet auxilium ferre. ¹² Obsecro autem eos qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus: sed reputent ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. ¹³ Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. ¹⁴ Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter exspectat, ut eas cum iudicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat: ¹⁵ ita et in nobis statuit ut, peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. ¹⁶ Propter quod numquam quidem a nobis misericordiam suam amovet: corripiens vero in adversis, populum suum non dereliquit. ¹⁷ Sed hæc nobis ad commotionem legentium dicta sint paucis. Jam enim veniendum est ad narrationem. ¹⁸ Igitur Eleazarus, unus de primoribus scribarum, vir ætate proventus, et vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. ¹⁹ At ille gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium. ²⁰ Intuens autem quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. ²¹ Hi autem qui astabant, iniqua miseratione commoti propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto rogabant afferri carnes quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse sicut rex imperaverat de sacrificii carnibus, ²² ut hoc facto, a morte liberaretur: et propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem. ²³ At ille cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, et ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conversationis actus: et secundum sanctæ et a Deo conditæ legis constituta, respondit cito, dicens præmitti se velle in infernum. ²⁴ Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere: ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, ²⁵ et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, et per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. ²⁶ Nam etsi in præsentī tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus, effugiam. ²⁷ Quam ob rem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo: ²⁸ adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. His dictis, confestim ad supplicium trahebatur. ²⁹ Hi autem qui eum ducebant, et paulo ante fuerant mitiores, in iram conversi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur. ³⁰ Sed cum plagis perimeretur, ingemuit, et dixit: Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis quia cum a morte

possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior. ³¹ Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum juvenibus, sed et universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens.

7 Contigit autem et septem fratres una cum matre sua apprehensos compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris et taureis cruciatis. ² Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid quæris, et quid vis discere a nobis? parati sumus mori, magis quam patrias Dei leges prævaricari. ³ Iratus itaque rex, jussit sartagine et ollas æneas succendi: quibus statim succensis, ⁴ jussit ei qui prior fuerat locutus amputari linguam, et cute capitis abstracta, summas quoque manus et pedes ei præscindi, ceteris ejus fratribus et matre inspicientibus. ⁵ Et cum jam per omnia inutilis factus esset, jussit ignem admoveri, et adhuc spirantem terri in sartagine: in qua cum diu cruciaretur, ceteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter, ⁶ dicentes: Dominus Deus aspiciet veritatem, et consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses: Et in servis suis consolabitur. ⁷ Mortuo itaque illo primo hoc modo, sequentem deducebant ad illudendum: et cute capitis ejus cum capillis abstracta, interrogabant si manducaret, priusquam toto corpore per membra singula puniretur. ⁸ At ille respondens patria voce, dixit: Non faciam. Propter quod et iste, sequenti loco, primi tormenta suscepit: ⁹ et in ultimo spiritu constitutus, sic ait: Tu quidem scelestissime in præsentī vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. ¹⁰ Post hunc tertius illuditur, et linguam postulatus cito protulit, et manus constanter extendit: ¹¹ et cum fiducia ait: E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero: ¹² ita ut rex, et qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quod tamquam nihilum duceret cruciatus. ¹³ Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes. ¹⁴ Et cum jam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam non erit. ¹⁵ Et cum admovissent quintum, vexabant eum. At ille respiciens in eum, ¹⁶ dixit: Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum: ¹⁷ tu autem patienter sustine, et videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te et semen tuum torquebit. ¹⁸ Post hunc ducebant sextum, et is, mori incipiens, sic ait: Noli frustra errare: nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, et digna admiratione facta sunt in nobis: ¹⁹ tu autem ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris. ²⁰ Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem quam in Deum habebat: ²¹ singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia: et, femineæ cogitationi masculinum animum inserens, ²² dixit ad eos: Nescio qualiter in utero meo apparuistis, neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi: ²³ sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus. ²⁴ Antiochus autem, contemni se arbitratus, simul et exprobrantis voce despecta, cum adhuc adolescentior superesset, non solum verbis hortabatur, sed et cum juramento affirmabat se divitem et beatum facturum, et translatum a patriis

legibus amicum habiturum, et res necessarias ei præbiturum. ²⁵ Sed ad hæc cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit rex matrem, et suadebat ei ut adolescenti fieret in salutem. ²⁶ Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasurum se filio suo. ²⁷ Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce: Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi et alui, et in ætatem istam perduxi. ²⁸ Peto, nate, ut aspicias ad cælum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus: ²⁹ ita fiet, ut non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. ³⁰ Cum hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: Quem sustinetis? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen. ³¹ Tu vero, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. ³² Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur. ³³ Et si nobis propter increpationem et correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est: sed iterum reconciliabitur servis suis. ³⁴ Tu autem, o scelesteste, et omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus: ³⁵ nondum enim omnipotentis Dei, et omnia inspicientis, iudicium effugisti. ³⁶ Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu vero iudicio Dei justas superbiæ tuæ poenas exsolves. ³⁷ Ego autem, sicut fratres mei, animam et corpus meum trado pro patriis legibus, invocans Deum maturius genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis et verberibus confiteri quod ipse est Deus solus. ³⁸ In me vero et in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum juste superducta est. ³⁹ Tunc rex accensus ira in hunc, super omnes crudelius desævit, indigne ferens se derisum. ⁴⁰ Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens. ⁴¹ Novissime autem post filios, et mater consumpta est. ⁴² Igitur de sacrificiis et de nimiis crudelitibus satis dictum est.

8 Judas vero Machabæus, et qui cum illo erant, introibant latenter in castella: et convocantes cognatos et amicos, et eos qui permanserunt in Iudaismo assumptes, eduxerunt ad se sex millia virorum. ² Et invocabant Dominum, ut respiceret in populum qui ab omnibus calcabatur, et misereretur templo quod contaminabatur ab impiis: ³ misereretur etiam exterminio civitatis, quæ esset illico complananda, et vocem sanguinis ad se clamantis audiret: ⁴ memoraretur quoque iniquissimas mortes parvulorum innocentum, et blasphemias nomini suo illatas, et indignaretur super his. ⁵ At Machabæus, congregata multitudine, intolerabilis gentibus efficiebatur: ira enim Domini in misericordiam conversa est. ⁶ Et superveniens castellis et civitatibus improvisus, succendebat eas: et opportuna loca occupans, non paucas hostium strages dabat: ⁷ maxime autem noctibus ad hujusmodi excursus ferebatur, et fama virtutis ejus ubique diffundebatur. ⁸ Videns autem Philippus paulatim virum ad profectum venire, ac frequentius res ei cedere propere, ad Ptolemæum ducem Cœlesyriæ et Phœnicis scripsit ut auxilium ferret regis negotiis. ⁹ At ille velociter misit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei de permistis gentibus, armatis non minus viginti millibus, ut universum Judæorum genus deleret, adjuncto ei Gorgia viro militari, et in bellicis rebus experientissimo. ¹⁰ Constituit autem Nicanor, ut regi tributum, quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum de captivitate Judæorum suppleret: ¹¹ statimque ad maritimas civitates misit, convocans ad cœmptionem Judaicorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento

distracturum, non respiciens ad vindictam quæ eum ab Omnipotente esset consecutura. ¹² Judas autem ubi comperit, indicavit his qui secum erant Judæis Nicanoris adventum. ¹³ Ex quibus quidam formidantes, et non credentes Dei justitiæ, in fugam vertebantur: ¹⁴ alii vero si quid eis supererat vendebant, simulque Dominum deprecabantur ut eriperet eos ab impio Nicanore, qui eos priusquam cominus veniret, vendiderat: ¹⁵ etsi non propter eos, propter testamentum tamen quod erat ad patres eorum, et propter invocationem sancti et magnifici nominis ejus super ipsos. ¹⁶ Convocatis autem Machabæus septem millibus qui cum ipso erant, rogabat ne hostibus reconciliarentur, neque metuerent inique venientium adversum se hostium multitudinem: sed fortiter contenderent, ¹⁷ ante oculos habentes contumeliam quæ loco sancto ab his injuste esset illata, itemque et ludibrio habitæ civitatis injuriam, adhuc etiam veterum instituta convulsa. ¹⁸ Nam illi quidem armis confidunt, ait, simul et audacia: nos autem in omnipotente Domino, qui potest et venientes adversum nos, et universum mundum, uno nutu delere, confidimus. ¹⁹ Admonuit autem eos et de auxiliis Dei, quæ facta sunt erga parentes: et quod sub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt: ²⁰ et de prælio quod eis adversus Galatas fuit in Babylonia, ut omnes, ubi ad rem ventum est, Macedonibus sociis hæsitantibus, ipsi sex millia soli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cælo, et beneficia pro his plurima consecuti sunt. ²¹ His verbis constantes effecti sunt, et pro legibus et patria mori parati. ²² Constituit itaque fratres suos duces utrique ordini, Simonem, et Josephum, et Jonathan, subjectis unicuique millenis et quingentenis. ²³ Ad hoc etiam ab Esdra lecto illis sancto libro, et dato signo adjutorii Dei, in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore. ²⁴ Et facto sibi adjutore Omnipotente, interfecerunt super novem millia hominum: majorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt. ²⁵ Pecuniis vero eorum, qui ad emptionem ipsorum venerant, sublatis, ipsos usquequaque persecuti sunt: ²⁶ sed reversi sunt hora conclusi, nam erat ante sabbatum: quam ob causam non perseveraverunt insequentes. ²⁷ Arma autem ipsorum, et spolia congregantes, sabbatum agebant, benedicentes Dominum, qui liberavit eos in isto die, misericordiæ initium stillans in eos. ²⁸ Post sabbatum vero debilibus, et orphanis, et viduis dividerunt spolia: et residua ipsi cum suis habuere. ²⁹ His itaque gestis, et communiter ab omnibus facta obsecratione, misericordem Dominum postulabant ut in finem servis suis reconciliaretur. ³⁰ Et ex his qui cum Timotheo et Bacchide erant contra se contententes, super viginti millia interfecerunt, et munitiones excelsas obtinuerunt: et plures prædas dividerunt, æquam portionem debilibus, pupillis, et viduis, sed et senioribus facientes. ³¹ Et cum arma eorum diligenter collegissent, omnia composuerunt in locis opportunis: residua vero spolia Jerosolymam detulerunt: ³² et Philarchen, qui cum Timotheo erat, interfecerunt, virum scelestum, qui in multis Judæos afflixerat. ³³ Et cum epinicia agerent Jerosolymis, eum qui sacras januas incenderat, id est, Callisthenem, cum in quoddam domicilium refugisset, incenderunt, digna ei mercede pro impietatibus suis reddita. ³⁴ Facinorosissimus autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Judæorum venditionem adduxerat, ³⁵ humiliatus auxilio Domini ab his quos nullos existimaverat, deposita veste gloriæ, per mediterranea fugiens, solus venit Antiochiam, summam infelicitatem de interitu sui exercitus consecutus. ³⁶ Et qui promiserat Romanis se tributum restituere de captivitate Jerosolymorum, prædi-

cabat nunc protectorem Deum habere Judæos, et ob ipsum invulnerabiles esse, eo quod sequerentur leges ab ipso constitutas.

9 Eodem tempore, Antiochus inhoneste revertebatur de Perside. ²Intraverat enim in eam quæ dicitur Persepolis, et tentavit expoliare templum, et civitatem opprimere: sed multitudine ad arma concurrente, in fugam versi sunt: et ita contigit ut Antiochus post fugam turpiter rediret. ³Et cum venisset circa Ecbatanam, recognovit quæ erga Nicanorem et Timotheum gesta sunt. ⁴Elatus autem in ira, arbitrabatur se injuriam illorum qui se fugaverant posse in Judæos retorquere: ideoque jussit agitari curram suam sine intermissione agens iter, cælesti eum judicio perurgente, eo quod ita superbe locutus est se venturum Jerosolymam, et congeriem sepulchri Judæorum eam facturum. ⁵Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israël, percussit eum insanabili et invisibili plaga. Ut enim finivit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta: ⁶et quidem satis juste, quippe qui multis et novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo a sua malitia cessaret. ⁷Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Judæos, et præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, et gravi corporis collisione membra vexari. ⁸Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans: ⁹ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius et fœtore exercitus gravaretur: ¹⁰et qui paulo ante sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. ¹¹Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. ¹²Et cum nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, ita ait: Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. ¹³Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. ¹⁴Et civitatem, ad quam festinans veniebat ut eam ad solum deduceret ac sepulchrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere: ¹⁵et Judæos, quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed avibus ac feris diripiendos traditurum, et cum parvulis exterminaturum dixerat, æquales nunc Atheniensibus facturum pollicetur: ¹⁶templum etiam sanctum, quod prius expoliaverat, optimis donis ornaturum, et sancta vasa multiplicaturum, et pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis præstaturum: ¹⁷super hæc, et Judæum se futurum, et omnem locum terræ perambulaturum, et prædicaturum Dei potestatem. ¹⁸Sed non cessantibus doloribus (supervenerat enim in eum justum Dei judicium), desperans scripsit ad Judæos in modum deprecationis epistolam hæc continentem: ¹⁹Optimis civibus Judæis plurimam salutem, et bene valere, et esse felices, rex et principes Antiochus. ²⁰Si bene valetis, et filii vestri, et ex sententia vobis cuncta sunt, maximas agimus gratias. ²¹Et ego in infirmitate constitutus, vestri autem memor benigne reversus de Persidis locis, et infirmitate gravi apprehensus, necessarium duxi pro communi utilitate curam habere: ²²non desperans memetipsum, sed spem multam habens effugiendi infirmitatem. ²³Respicens autem quod et pater meus, quibus temporibus in locis superioribus ducebat exercitum, ostendit qui post se susciperet principatum: ²⁴ut si quid contrarium accideret, aut difficile nuntiaretur, scientes hi qui in regionibus erant, cui esset rerum summa derelicta, non turbarentur. ²⁵Ad

hæc, considerans de proximo potentes quosque et vicinos temporibus insidiantes, et eventum exspectantes, designavi filium meum Antiochum regem, quem sæpe recurrens in superiora regna multis vestrum commendabam: et scripsi ad eum quæ subjecta sunt. ²⁶ Ora itaque vos, et peto memores beneficiorum publice et privatim, ut unusquisque conservet fidem ad me et ad filium meum. ²⁷ Confido enim eum modeste et humane acturum, et sequentem propositum meum, et communem vobis fore. ²⁸ Igitur homicida et blasphemus pessime percussus, et ut ipse alios tractaverat, peregre in montibus miserabili obitu vita functus est. ²⁹ Transferebat autem corpus Philippus collactaneus ejus: qui, metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit.

10 Machabæus autem, et qui cum eo erant, Domino se protegente, templum quidem et civitatem recepit: ² aras autem quas alienigenæ per plateas extruxerant, itemque delubra demolitus est: ³ et purgato templo, aliud altare fecerunt, et de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post biennium, et incensum, et lucernas, et panes propositionis posuerunt. ⁴ Quibus gestis, rogabant Dominum prostrati in terram, ne amplius talibus malis inciderent: sed et, siquando peccassent, ut ab ipso mitius corriperentur, et non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur. ⁵ Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, vigesima quinta mensis qui fuit Casleu. ⁶ Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis diem solemnem tabernaculorum in montibus et in speluncis more bestiarum egerant. ⁷ Propter quod thyrsos, et ramos virides, et palmas præferebant ei qui prosperavit mundari locum suum. ⁸ Et decreverunt communi præcepto et decreto universæ genti Judæorum omnibus annis agere dies istos. ⁹ Et Antiochi quidem, qui appellatus est Nobilis, vitæ excessus ita se habuit. ¹⁰ Nunc autem de Eupatore Antiochi impii filio quæ gesta sunt narrabimus, breviantes mala quæ in bellis gesta sunt. ¹¹ Hic enim suscepto regno, constituit super negotia regni Lysiam quemdam, Phœnicis et Syriæ militiæ principem. ¹² Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, justitiam erga Judæos esse constituit, et præcipue propter iniquitatem quæ facta erat in eos, et pacifice agere cum eis. ¹³ Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem, cum frequenter proditor audiret, eo quod Cyprum creditam sibi a Philometore deseruisset, et ad Antiochum Nobilem translatus etiam ab eo recessisset, veneno vitam finivit. ¹⁴ Gorgias autem cum esset dux locorum, assumptis advenis, frequenter Judæos debellabat. ¹⁵ Judæi vero qui tenebant opportunas munitiones, fugatos ab Jerosolymis suscipiebant, et bellare tentabant. ¹⁶ Hi vero qui erant cum Machabæo, per orationes Dominum rogantes ut esset sibi adjutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum: ¹⁷ multaque vi insistentes, loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, et omnes simul non minus viginti millibus trucidaverunt. ¹⁸ Quidam autem cum confugissent in duas turres valde munitas, omnem apparatus ad repugnandum habentes, ¹⁹ Machabæus ad eorum expugnationem relicto Simone, et Josepho, itemque Zachæo, eisque qui cum ipsis erant satis multis, ipse ad eas quæ amplius perurgebant pugnas conversus est. ²⁰ Hi vero qui cum Simone erant, cupiditate ducti, a quibusdam qui in turribus erant, suasi sunt pecunia: et septuaginta millibus didrachmis acceptis, dimiserunt quosdam effugere. ²¹ Cum autem Machabæo nuntiatum esset quod factum est, principibus populi congregatis accusavit quod pecunia fratres vendidissent, adversariis eorum dimissis. ²² Hos igitur proditores factos interfecit, et

confestim duas turres occupavit. ²³ Armis autem ac manibus omnia prospere agendo in duabus munitionibus plus quam viginti millia peremit. ²⁴ At Timotheus, qui prius a Judæis fuerat superatus, convocato exercitu peregrinæ multitudinis, et congregato equitatu Asiano, advenit quasi armis Judæam capturus. ²⁵ Machabæus autem et qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque cilicii præincti, ²⁶ ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, et adversariis adversaretur, sicut lex dicit. ²⁷ Et ita post orationem, sumptis armis, longius de civitate procedentes, et proximi hostibus effecti, resederunt. ²⁸ Primo autem solis ortu utrique commiserunt: isti quidem victoriæ et prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant. ²⁹ Sed cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Judæis præstantes: ³⁰ ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela et fulmina jaciebant, ex quo et cæcitate confusi et repleti perturbatione, cadebant. ³¹ Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, et equites sexcenti. ³² Timotheus vero confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chæreas. ³³ Machabæus autem et qui cum eo erant, lætantes obsederunt præsidium diebus quatuor. ³⁴ At hi qui intus erant, loci firmitate confisi, supra modum maledicebant, et sermones nefandos jactabant. ³⁵ Sed cum dies quinta illucesceret, viginti juvenes ex his qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum, et feroci animo incedentes ascendebant: ³⁶ sed et alii similiter ascendentes, turres portasque succendere aggressi sunt, atque ipsos maledicos vivos concremare. ³⁷ Per continuum autem biduum præsidio vastato, Timotheum occultantem se in quodam repertum loco peremerunt: et fratrem illius Chæream et Apollophanem occiderunt. ³⁸ Quibus gestis, in hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israël, et victoriam dedit illis.

11 Sed parvo post tempore, Lysias procurator regis et propinquus, ac negotiorum præpositus, graviter ferens de his quæ acciderant, ² congregatis octoginta millibus, et equitatu universo, veniebat adversus Judæos, existimans se civitatem quidem captam gentibus habitaculum facturum, ³ templum vero in pecuniæ quæstum, sicut cetera delubra gentium, habiturum, et per singulos annos venale sacerdotium: ⁴ nusquam recogitans Dei potestatem, sed mente effrenatus in multitudine peditum, et in millibus equitum, et in octoginta elephantis confidebat. ⁵ Ingressus autem Judæam, et appropians Bethsuræ, quæ erat in angusto loco, ab Jerosolyma intervallo quinque stadiorum, illud præsidium expugnabat. ⁶ Ut autem Machabæus et qui cum eo erant cognoverunt expugnari præsidia, cum fletu et lacrimis rogabant Dominum, et omnis turba simul, ut bonum angelum mitteret ad salutem Israël. ⁷ Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, ceteros adhortatus est simul secum periculum subire, et ferre auxilium fratribus suis. ⁸ Cumque pariter prompto animo procederent, Jerosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. ⁹ Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, et convaluerunt animis: non solum homines, sed et bestias ferocissimas, et muros ferreos parati penetrare. ¹⁰ Ibant igitur prompti, de cælo habentes adiutorem et miserantem super eos Dominum. ¹¹ Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum, et equitum mille sexcentos: ¹² universos

autem in fugam verterunt, plures autem ex eis vulnerati nudi evaserunt. Sed et ipse Lysias turpiter fugiens evasit. ¹³ Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans factam erga se diminutionem, et intelligens invictos esse Hebræos, omnipotentis Dei auxilio innitentes, misit ad eos: ¹⁴ promisitque se consensurum omnibus quæ justa sunt, et regem compulsurum amicum fieri. ¹⁵ Annuit autem Machabæus precibus Lysiaë, in omnibus utilitati consulens: et quæcumque Machabæus scripsit Lysiaë de Judæis, ea rex concessit. ¹⁶ Nam erant scriptæ Judæis epistolæ a Lysia quidem hunc modum continentes: Lysias populo Judæorum salutem. ¹⁷ Joannes et Abesalom, qui missi fuerant a vobis, tradentes scripta, postulabant ut ea quæ per illos significabantur, implerem. ¹⁸ Quæcumque igitur regi potuerunt perferri, exposui: et quæ res permittebat, concessit. ¹⁹ Si igitur in negotiis fidem conservaveritis, et deinceps bonorum vobis causa esset, tentabo. ²⁰ De ceteris autem per singula verbo mandavi et istis, et his, qui a me missi sunt, colloqui vobiscum. ²¹ Bene valete. Anno centesimo, quadragesimo octavo mensis Dioscori, die vigesima et quarta. ²² Regis autem epistola ista continebat: Rex Antiochus Lysiaë fratri salutem. ²³ Patre nostro inter deos translato, nos volentes eos qui sunt in regno nostro sine tumultu agere, et rebus suis adhibere diligentiam, ²⁴ audivimus Judæos non consensisse patri meo ut transferrentur ad ritum Græcorum, sed tenere velle suum institutum, ac propterea postulare a nobis concedi sibi legitima sua. ²⁵ Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse, statuentes judicavimus templum restitui illis, ut agerent secundum suorum majorum consuetudinem. ²⁶ Bene igitur feceris, si miseris ad eos et dexteram dederis: ut cognita nostra voluntate, bono animo sint, et utilitatibus propriis deserviant. ²⁷ Ad Judæos vero regis epistola talis erat: Rex Antiochus senatui Judæorum, et ceteris Judæis salutem. ²⁸ Si valetis, sic estis ut volumus: sed et ipsi bene valemus. ²⁹ Adiit nos Menelaus, dicens velle vos descendere ad vestros, qui sunt apud nos. ³⁰ His igitur qui commeant usque ad diem trigesimum mensis Xanthici, damus dextras securitatis, ³¹ ut Judæi utantur cibis et legibus suis, sicut et prius: et nemo eorum ullo modo molestiam patiat de his quæ per ignorantiam gesta sunt. ³² Misimus autem et Menelaum, qui vos alloquatur. ³³ Valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, Xanthici mensis quintadecima die. ³⁴ Miserunt autem etiam Romani epistolam, ita se habentem: Quintus Memmius et Titus Manilius legati Romanorum, populo Judæorum salutem. ³⁵ De his quæ Lysias cognatus regis concessit vobis, et nos concessimus. ³⁶ De quibus autem ad regem judicavit referendum, confestim aliquem mittere, diligentius inter vos conferentes, ut decernamus, sicut congruit vobis: nos enim Antiochiam accedimus. ³⁷ Ideoque festinate rescribere, ut nos quoque sciamus cujus estis voluntatis. ³⁸ Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, quintadecima die mensis Xanthici.

12 His factis pactionibus, Lysias pergebat ad regem, Judæi autem agriculturæ operam dabant. ² Sed hi qui resederant, Timotheus, et Apollonius Gennæi filius, sed et Hieronymus, et Demophon super hos, et Nicanor Cypriarches, non sinebant eos in silentio agere et quiete. ³ Joppitæ vero tale quoddam flagitium perpetrarunt: rogaverunt Judæos cum quibus habitabant, ascendere scaphas quas paraverant, cum uxoribus et filiis, quasi nullis inimicitiis inter eos subjacentibus. ⁴ Secundum commune itaque decretum civitatis, et ipsis acquiescentibus, pacisque causa nihil suspectum habentibus: cum in altum processissent, submerserunt non minus ducentos. ⁵ Quam crudelitatem Judas in suæ gentis homines factam ut cog-

novit, præcepit viris qui erant cum ipso: et invocato justo iudice Deo, ⁶ venit adversus interfectores fratrum, et portum quidem noctu succendit, scaphas exussit, eos autem qui ab igne refugerant, gladio peremit. ⁷ Et cum hæc ita egisset, discessit quasi iterum reversurus, et universos Joppitas eradicaturus. ⁸ Sed cum cognovisset et eos qui erant Jamniæ, velle pari modo facere habitantibus secum Judæis, ⁹ Jamnitis quoque nocte supervenit, et portum cum navibus succendit: ita ut lumen ignis appareret Jerosolymis a stadiis ducentis quadraginta. ¹⁰ Inde cum jam abiissent novem stadiis, et iter facerent ad Timotheum, commiserunt cum eo Arabes quinque millia viri, et equites quingenti. ¹¹ Cumque pugna valida fieret, et auxilio Dei prospere cessisset, residui Arabes victi petebant a Juda dextram sibi dari, promittentes se pascua daturos, et in ceteris profuturos. ¹² Judas autem arbitratus vere in multis eos utiles, promisit pacem: dextrisque acceptis, discessere ad tabernacula sua. ¹³ Aggressus est autem et civitatem quamdam firmam pontibus murisque circumseptam, quæ a turbis habitabatur gentium promiscuarum: cui nomen Casphin. ¹⁴ Hi vero qui intus erant, confidentes in stabilitate murorum et apparatu alimoniarum, remissius agebant, maledictis lacescentes Judam et blasphemantes, ac loquentes quæ fas non est. ¹⁵ Machabæus autem, invocato magno mundi Principe, qui sine arietibus et machinis temporibus Jesu præcipitavit Jericho, irruit ferociter muris: ¹⁶ et capta civitate per Domini voluntatem, innumerabiles cædes fecit, ita ut adjacens stagnum stadiorum duorum latitudinis sanguine interfectorum fluere videretur. ¹⁷ Inde discesserunt stadia septingenta quinquaginta, et venerunt in Characa ad eos, qui dicuntur Tubianæi, Judæos: ¹⁸ et Timotheum quidem in illis locis non comprehenderunt, nulloque negotio perfecto regressus est, relicto in quodam loco firmissimo præsidio. ¹⁹ Dositheus autem et Sosipater, qui erant duces cum Machabæo, peremerunt a Timotheo relictos in præsidio, decem millia viros. ²⁰ At Machabæus, ordinatis circum se sex millibus, et constitutis per cohortes, adversus Timotheum processit, habentem secum centum viginti millia peditum, equitumque duo millia quingentos. ²¹ Cognito autem Judæ adventu, Timotheus præmisit mulieres et filios, et reliquum apparatus, in præsidium quod Carnion dicitur: erat enim inexpugnabile, et accessu difficile propter locorum angustias. ²² Cumque cohors Judæ prima apparuisset, timor hostibus incussus est ex præsentia Dei, qui universa conspicit: et in fugam versi sunt alius ab alio, ita ut magis a suis dejicerentur, et gladiatorum suorum ictibus debilitarentur. ²³ Judas autem vehementer instabat puniens profanos, et prostravit ex eis triginta millia virorum. ²⁴ Ipse vero Timotheus incidit in partes Dosithei et Sosipatris: et multis precibus postulabat ut vivus dimitteretur, eo quod multorum ex Judæis parentes haberet ac fratres, quos morte ejus decipi eveniret. ²⁵ Et cum fidem dedisset restitutum se eos secundum constitutum, illæsum eum dimiserunt propter fratrum salutem. ²⁶ Judas autem egressus est ad Carnion, interfectis viginti quinque millibus. ²⁷ Post horum fugam et necem, movit exercitum ad Ephron civitatem munitam, in qua multitudo diversarum gentium habitabat: et robusti juvenes pro muris consistentes fortiter repugnabant: in hac autem machinæ multæ et telorum erat apparatus. ²⁸ Sed cum Omnipotentem invocassent, qui potestate sua vires hostium confringit, ceperunt civitatem: et ex eis qui intus erant, viginti quinque millia prostraverunt. ²⁹ Inde ad civitatem Scytharum abierunt, quæ ab Jerosolymis sexcentis stadiis aberat. ³⁰ Contestantibus autem his, qui apud Scythopolitas erant, Judæis, quod benigne ab eis haberentur, etiam temporibus infelicitatis quod modeste secum egerint: ³¹ gratias

agentes eis, et exhortati etiam de cetero erga genus suum benignos esse, venerunt Jerosolymam die solemnī septimanarum instante. ³² Et post Pentecosten abierunt contra Gorgiam præpositum Idumææ. ³³ Exivit autem cum peditibus tribus millibus, et equitibus quadringentis. ³⁴ Quibus congressis, contigit paucos ruere Judæorum. ³⁵ Dositheus vero quidam de Bacenoris eques, vir fortis, Gorgiam tenebat: et, cum vellet illum capere vivum, eques quidam de Thracibus irruit in eum, humerumque ejus amputavit: atque ita Gorgias effugit in Maresa. ³⁶ At illis qui cum Esdrim erant diutius pugnantes et fatigatis, invocavit Judas Dominum adiutorem et ducem belli fieri: ³⁷ incipiens voce patria, et cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incussit. ³⁸ Judas autem collecto exercitu venit in civitatem Odollam: et cum septima dies superveniret, secundum consuetudinem purificati, in eodem loco sabbatum egerunt. ³⁹ Et sequenti die venit cum suis Judas, ut corpora prostratorum tolleret, et cum parentibus poneret in sepulchris paternis. ⁴⁰ Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum quæ apud Jamniam fuerunt, a quibus lex prohibet Judæos: omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse. ⁴¹ Omnes itaque benedixerunt justum judicium Domini, qui occulta fecerat manifesta: ⁴² atque ita ad preces conversi, rogaverunt ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur. At vero fortissimus Judas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorum qui prostrati sunt. ⁴³ Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans ⁴⁴ (nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis), ⁴⁵ et quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. ⁴⁶ Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

13 Anno centesimo quadragesimo nono, cognovit Judas Antiochum Eupatorem venire cum multitudo adversus Judæam, ² et cum eo Lysiam procuratorem et præpositum negotiorum, secum habentem peditum centum decem millia, et equitum quinque millia, et elephantos viginti duos, currus cum falcibus trecentos. ³ Commiscuit autem se illis et Menelaus: et cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patriæ salute, sed sperans se constitui in principatum. ⁴ Sed Rex regum suscitavit animos Antiochi in peccatorem: et suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, jussit (ut eis est consuetudo) apprehensum in eodem loco necari. ⁵ Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris: hæc prospectum habebat in præceps. ⁶ Inde in cinerem dejecti jussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. ⁷ Et tali lege prævaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum. ⁸ Et quidem satis juste: nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cujus ignis et cinis erat sanctus: ipse in cineris morte damnatus est. ⁹ Sed rex mente effrenatus veniebat, nequiorem se patre suo Judæis ostensurus. ¹⁰ Quibus Judas cognitis, præcepit populo ut die ac nocte Dominum invocarent, quo, sicut semper, et nunc adjuvaret eos, ¹¹ quippe qui lege, et patria, sanctoque templo privari vererentur: ac populum, qui nuper paululum respirasset, ne sineret blasphemis rursus nationibus subdi. ¹² Omnibus itaque simul id facientibus, et petentibus a Domino misericordiam cum fletu et jejuniis, per triduum continuum prostratis, hortatus est eos Judas ut se præpararent. ¹³ Ipse vero cum senioribus cogitavit priusquam rex admoveret exercitum ad Judæam et

obtineret civitatem, exire, et Domini iudicio committere exitum rei. ¹⁴ Dans itaque potestatem omnium Deo mundi creatori, et exhortatus suos ut fortiter dimicarent, et usque ad mortem pro legibus, templo, civitate, patria, et civibus starent, circa Modin exercitum constituit. ¹⁵ Et dato signo suis Dei victoriae, juvenibus fortissimis electis nocte aggressus aulam regiam, in castris interfecit viros quatuor millia, et maximum elephantorum cum his qui superpositi fuerant: ¹⁶ summoque metu ac perturbatione hostium castra replentes, rebus prospere gestis, abierunt. ¹⁷ Hoc autem factum est die illucescente, adjuvante eum Domini protectione. ¹⁸ Sed rex, accepto gustu audaciae Judaeorum, arte difficultatem locorum tentabat: ¹⁹ et Bethsuræ, quæ erat Judaeorum præsidium munitum, castra admovebat: sed fugabatur, impingebat, minorabatur. ²⁰ His autem qui intus erant, Judas necessaria mittebat. ²¹ Enuntiavit autem mysteria hostibus Rhodocus quidam de judaico exercitu, qui requisitus comprehensus est, et conclusus. ²² Iterum rex sermonem habuit ad eos qui erant in Bethsuris: dextram dedit, accepit, abiit: ²³ commisit cum Juda, superatus est. Ut autem cognovit rebellasse Philippum Antiochiæ, qui relictus erat super negotia, mente consternatus, Judæos deprecans, subditusque eis, jurat de omnibus quibus justum visum est: et reconciliatus obtulit sacrificium, honoravit templum, et munera posuit. ²⁴ Machabæum amplexatus est, et fecit eum a Ptolemaide usque ad Gerrenos ducem et principem. ²⁵ Ut autem venit Ptolemaidam, graviter ferebant Ptolemenses amicitiae conventionem, indignantes ne forte foedus irrumperent. ²⁶ Tunc ascendit Lysias tribunal, et exposuit rationem, et populum sedavit, regressusque est Antiochiam: et hoc modo regis profectio et reditus processit.

14 Sed post triennii tempus, cognovit Judas et qui cum eo erant Demetrium Seleuci cum multitudine valida et navibus per portam Tripolis ascendisse ad loca opportuna, ² et tenuisse regiones adversus Antiochum, et ducem ejus Lysiam. ³ Alcimus autem quidam, qui summus sacerdos fuerat, sed voluntarie coinquinatus est temporibus commistionis, considerans nullo modo sibi esse salutem neque accessum ad altare, ⁴ venit ad regem Demetrium centesimo quinquagesimo anno, offerens ei coronam auream et palmam, super hæc et thallos, qui templi esse videbantur. Et ipsa quidem die siluit. ⁵ Tempus autem opportunum dementiae suæ nactus, convocatus a Demetrio ad consilium, et interrogatus quibus rebus et consiliis Judæi niterentur, ⁶ respondit: Ipsi qui dicuntur Assidæi Judaeorum, quibus præest Judas Machabæus, bella nutriunt, et seditiones movent, nec patiuntur regnum esse quietum: ⁷ nam et ego defraudatus parentum gloria (dico autem summo sacerdotio) huc veni: ⁸ primo quidem utilitatibus regis fidem servans, secundo autem etiam civibus consulens: nam illorum pravitate universum genus nostrum non minime vexatur. ⁹ Sed oro his singulis, o rex, cognitis, et regioni et generi, secundum humanitatem tuam pervulgatam omnibus, prospice: ¹⁰ nam, quamdiu superest Judas, impossibile est pacem esse negotiis. ¹¹ Talibus autem ab hoc dictis, et ceteri amici hostiliter se habentes adversus Judam, inflammaverunt Demetrium. ¹² Qui statim Nicanorem præpositum elephantorum ducem misit in Judæam: ¹³ datis mandatis ut ipsum quidem Judam caperet: eos vero qui cum illo erant, dispergeret, et constitueret Alcimum maximi templi summum sacerdotem. ¹⁴ Tunc gentes quæ de Judæa fugerant Judam, gregatim se Nicanori miscebant, miserias et clades Judaeorum prosperitates rerum suarum existimantes. ¹⁵ Audito itaque Judæi Nicanoris adventu, et conventu nationum, conspersi terra rogabant eum qui populum suum constituit, ut in æter-

num custodiret, quique suam portionem signis evidentibus protegit. ¹⁶ Imperante autem duce, statim inde moverunt, conveneruntque ad castellum Dessau. ¹⁷ Simon vero frater Judæ commiserat cum Nicanore: sed conterritus est repentino adventu adversariorum. ¹⁸ Nicanor tamen, audiens virtutem comitum Judæ, et animi magnitudinem quam pro patriæ certaminibus habebant, sanguine iudicium facere metuebat. ¹⁹ Quam ob rem præmisit Posidonium, et Theodotium, et Matthiam, ut darent dextras atque acciperent. ²⁰ Et cum diu de his consilium ageretur, et ipse dux ad multitudinem retulisset, omnino una fuit sententia amicitii annuere. ²¹ Itaque diem constituerunt, qua secreto inter se agerent: et singulis sellæ prolatae sunt, et positæ. ²² Præcepit autem Judas armatos esse locis opportunis, ne forte ab hostibus repente mali aliquid oriretur: et congruum colloquium fecerunt. ²³ Morabatur autem Nicanor Jerosolymis, nihilque inique agebat: gregesque turbarum quæ congregatæ fuerant, dimisit. ²⁴ Habebat autem Judam semper carum ex animo, et erat viro inclinatus. ²⁵ Rogavitque eum ducere uxorem, filiosque procreare. Nuptias fecit: quiete egit, communiterque vivebant. ²⁶ Alcimus autem, videns caritatem illorum ad invicem et conventiones, venit ad Demetrium, et dicebat Nicanorem rebus alienis assentire, Judamque regni insidiatorem successorem sibi destinasse. ²⁷ Itaque rex exasperatus, et pessimis hujus criminationibus irritatus, scripsit Nicanori, dicens graviter quidem se ferre de amicitiae conventionem, jubere tamen Machabæum citius vinctum mittere Antiochiam. ²⁸ Quibus cognitis, Nicanor consternabatur, et graviter ferebat, si ea quæ convenerant irrita faceret, nihil læsus a viro: ²⁹ sed quia regi resistere non poterat, opportunitatem observabat qua præceptum perficeret. ³⁰ At Machabæus, videns secum austerius agere Nicanorem, et consuetum occursum ferocius exhibentem, intelligens non ex bono esse austeritatem istam, paucis suorum congregatis, occultavit se a Nicanore. ³¹ Quod cum ille cognovit, fortiter se a viro præventum, venit ad maximum et sanctissimum templum: et sacerdotibus solitas hostias offerentibus, jussit sibi tradi virum. ³² Quibus cum juramento dicentibus nescire se ubi esset qui quærebatur, extendens manum ad templum, ³³ juravit, dicens: Nisi Judam mihi vinctum tradideritis, istud Dei fanum in planitiem deducam, et altare effodiam, et templum hoc Libero patri consecrabo. ³⁴ Et his dictis abiit. Sacerdotes autem protendentes manus in cælum, invocabant eum qui semper propugnator esset gentis ipsorum, hæc dicentes: ³⁵ Tu, Domine universorum, qui nullius indiges, voluisti templum habitationis tuæ fieri in nobis. ³⁶ Et nunc, Sancte sanctorum, omnium Domine, conserva in æternum impollutam domum istam, quæ nuper mundata est. ³⁷ Razias autem quidam de senioribus ab Jerosolymis delatus est Nicanori, vir amator civitatis, et bene audiens: qui pro affectu pater Judæorum appellabatur. ³⁸ Hic multis temporibus continentiae propositum tenuit in Judaismo, corpusque et animam tradere contentus pro perseverantia. ³⁹ Volens autem Nicanor manifestare odium quod habebat in Judæos, misit milites quingentos ut eum comprehenderent. ⁴⁰ Putabat enim, si illum decepisset, se cladem Judæis maximam illaturum. ⁴¹ Turbis autem irruere in domum ejus, et januam dirumpere: atque ignem admove cupientibus, cum jam comprehenderetur, gladio se petiit, ⁴² eligens nobiliter mori potius quam subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos indignis injuriis agi. ⁴³ Sed cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset, et turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum præcipitavit semetipsum viriliter in turbas: ⁴⁴ quibus velociter locum dantibus casui ejus, venit per mediam cervicem. ⁴⁵ Et

cum adhuc spiraret, accensus animo, surrexit, et cum sanguis ejus magno fluxu deflueret, et gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit: ⁴⁶ et stans supra quamdam petram præruptam, et jam exsanguis effectus, complexus intestina sua, utrisque manibus projecit super turbas, invocans dominatorem vitæ ac spiritus ut hæc illi iterum redderet: atque ita vita defunctus est.

15 Nicanor autem, ut comperit Judam esse in locis Samariæ, cogitavit cum omni impetu die sabbati committere bellum. ² Judæis vero qui illum per necessitatem sequebantur, dicentibus: Ne ita ferociter et barbare feceris, sed honorem diei sanctificationis, et honora eum qui universa conspicit: ³ ille infelix interrogavit si est potens in cælo, qui imperavit agi diem sabbatorum. ⁴ Et respondentibus illis: Est Dominus vivus ipse in cælo potens, qui jussit agi septimam diem: ⁵ at ille ait: Et ego potens sum super terram qui impero sumi arma, et negotia regis impleri. Tamen non obtinuit ut consilium perficeret. ⁶ Et Nicanor quidem cum summa superbia erectus, cogitaverat commune trophæum statuere de Juda. ⁷ Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxiliium sibi a Deo affuturum: ⁸ et hortabatur suos ne formidarent ad adventum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de cælo, et nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam. ⁹ Et allocutus eos de lege et prophetis, admonens etiam certamina quæ fecerant prius, promptiores constituit eos: ¹⁰ et ita animis eorum erectis simul ostendebat gentium fallaciam, et juramentorum prævaricationem. ¹¹ Singulos autem illorum armavit, non clypei et hastæ munitione, sed sermonibus optimis et exhortationibus, exposito digno fide somnio, per quod universos lætificavit. ¹² Erat autem hujuscemodi visus: Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus proponentem orare pro omni populo Judæorum. ¹³ Post hoc apparuisse et alium virum ætate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum. ¹⁴ Respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, et populi Israël: hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei. ¹⁵ Extendisse autem Jeremiam dextram, et dedisse Judæ gladium aureum, dicentem: ¹⁶ Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israël. ¹⁷ Exhortati itaque Judæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, et animi juvenum confortari, statuerunt dimicare et confligere fortiter: ut virtus de negotiis judicaret, eo quod civitas sancta et templum periclitarentur. ¹⁸ Erat enim pro uxoribus et filiis, itemque pro fratribus et cognatis, minor sollicitudo: maximus vero et primus pro sanctitate timor erat templi. ¹⁹ Sed et eos qui in civitate erant, non minima sollicitudo habebat pro his qui congressuri erant. ²⁰ Et cum jam omnes sperarent judicium futurum, hostesque adessent atque exercitus esset ordinatus, bestiarum equitesque opportuno in loco compositi, ²¹ considerans Machabæus adventum multitudinis, et apparatus varium armorum, et ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. ²² Dixit autem invocans hoc modo: Tu Domine, qui misisti angelum tuum sub Ezechia rege Juda, et interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia: ²³ et nunc, dominator cælorum, mitte angelum tuum bonum ante nos in timore et tremore magnitudinis brachii tui, ²⁴ ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroravit. ²⁵ Nicanor autem et qui cum ipso erant, cum tubis

et canticis admovebant. ²⁶ Judas vero et qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt: ²⁷ manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentiā Dei magnifice delectati. ²⁸ Cumque cessassent, et cum gaudio redirent, cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis. ²⁹ Facto itaque clamore, et perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant. ³⁰ Præcepit autem Judas, qui per omnia corpore et animo mori pro civibus paratus erat, caput Nicanoris, et manum cum humero abscissam, Jerosolymam perferri. ³¹ Quo cum pervenisset, convocatis contribulibus et sacerdotibus ad altare, accersiit et eos qui in arce erant. ³² Et ostenso capite Nicanoris, et manu nefaria quam extendens contra domum sanctam omnipotentis Dei magnifice gloriatus est. ³³ Linguam etiam impii Nicanoris præcisam jussit particulatim avibus dari: manum autem dementis contra templum suspendi. ³⁴ Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus qui locum suum incontaminatum servavit. ³⁵ Suspendit autem Nicanoris caput in summa arce, ut evidens esset, et manifestum signum auxilii Dei. ³⁶ Itaque omnes communi consilio decreverunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire: ³⁷ habere autem celebritatem tertiadecima die mensis Adar, quod dicitur voce syriaca, pridie Mardochei diei. ³⁸ Igitur his erga Nicanorem gestis, et ex illis temporibus ab Hebræis civitate possessa, ego quoque in his faciam finem sermonis. ³⁹ Et si quidem bene, et ut historiæ competit, hoc et ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi. ⁴⁰ Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est; alternis autem uti, delectabile: ita legentibus si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consummatus.

INCIPIT EVANGELIUM SECUNDUM MATTHEUM

1 Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.‡ 2 Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, et fratres ejus.†

‡1.1 **Prologus** Incipit Matthæus cum primo prædicasset Evangelium in Judæa, volens transire ad gentes, primus Evangelium scripsit Hebraice: quod fratribus a quibus ibat, ad memoriam reliquit. Sicut enim necesse fuit ad confirmationem fidei Evangelium prædicare, sic et contra hæreticos scribi. Cum autem plures Evangelium scripserint, quatuor tantum habent auctoritatis testimonium: quia per quatuor mundi partes fidem nuntiant Trinitatis, et sunt quasi quatuor rotæ in quadriga Domini, quæ vehit eum per prædicationem Evangelii, et genus humanum quadrifida morte peremptum eorum erat prædicatione vivificandum: unde et aliorum evangelia deciderunt, nec recepta sunt: quia nolebant præfinitum numerum cessari propter virtutum sacramenti. Designantur etiam evangelistæ quatuor figuris, quæ non sunt deceptoræ, sed jucundi mysterii sibi conscia. Matthæus in homine intelligitur: quia circa humanitatem Christi principaliter immoratur. Marcus in leone, quia agit de resurrectione. Lucas in vitulo, agens de sacerdotio. Joannes in aquila, scribens sacramenta Divinitatis. Christus vero quem describunt, homo fuit de virgine natus: vitulus in immolatione, leo in resurrectione, aquila in ascensione. Vel in homine humanitas, in vitulo sacerdotium, in leone regnum, in aquila exprimitur Divinitatis sacramentum. **Liber generationis.** HIER. Hebræi voluminibus suis a principiis nomen imponunt, ut liber Genesis, etc., usque ad sed hic mos est in multis, maxime in prophetis, ut visio Isaia, subaudis hæc est. **Filii David.** Ordo præposterus ne præmisso Abraham, generationis contextio interrumperetur. Horum duorum specialiter dicitur Filius: quia unus primus inter patriarchas, alter inter reges ad quos facta est de Christo promissio, ut Judæis Christum ex lege venturum aperiret, in quo viderent vaticinia impleri. **Filii David filii Abraham.** Hos duos de omnibus elegit quorum Filius dicitur Christus, ut Judæis quibus scribit, scientibus ex lege Christum venturum, appareret hic esse qui diu erat promissus, in quo viderentur impleri omnia vaticinia; his enim solis in Veteri Testamento legitur facta promissio Abrahamæ, **et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ** Gen. 22.. Abraham et David sunt duæ columnæ versantes in lege quasi in vestibulo ante ostium quod est Christus: quas ambit funiculus duodecim cubitorum, id est fides apostolorum. Amplectitur hos in genealogia patres, de quorum medio ostium Christus aperitur credentibus.

†1.2 **Abraham genuit Isaac: Isaac autem genuit Jacob.** Ab eo congrue sit generatio nis exordium cui promissus est primum, in quo est benedictio omnium. Matthæus generationem incipit ab exordio promissionis. Et etiam usque in finem libri hæc agitur, ut qui ex hac generatione natus est, Deus et homo intelligatur. Ab initio ab eo cui primum facta est promissio fidei incipit, ut in hoc patre discant cui primum facta est promissio, qui et quales esse debeant qui volunt in ejus semine benedici. Matthæus generationem descendendo incipit vel computat: quia humanitatem Christi ostendit, per quam Deus ad homines descendit. Lucas ascendendo referens formam sacramenti aperit. A baptismo enim incipiens usque ad Deum ascendit, ostendens baptizatos ascendere ad hoc, ut sint filii Dei. **Genuit.** Matthæus ponit, **genuit:** qui naturæ filios tantum numerat. Lucas: **Qui fuit:** qui aliquos secundum legem vel per adoptionem filios interponit. Matthæus ponit genuit, et non generavit, forsitan ut ille cognosceretur in fine ostensus de quo dicitur: **Ego hodie genui te** Psal. 2.. **Judam et fratres.** Ideo solus Judas nominatim exprimitur, ut eum cognosceres qui ex ejus stirpe fuerat promissus. Fratres Judæ memorat prætermisiss fratribus Isaac et Jacob: quia illi a populo Dei quasi alieni sunt repulsi: hi velut hæredes in libro vitæ scripti, et quasi patriarchæ duodecim, in quibus et numerus apostolorum signatur. Sed nominatim non exprimuntur, ne ultra numerum sacramenti generatio extendatur. In semine prædictorum patrum Christus intravit in Ægyptum quod præsagens inimicus populum premebat, et non feminas, sed mares interimebat, ut eum exstingeret. De Juda Christus quem omnes gentes susceperunt: quo veniente jam Herodes alienigena principabatur.

³Judas autem genuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram.[§] ⁴Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon.^{**} ⁵Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit

§1.3 *Judas autem.* Judas genuit Phares et Zaram antequam intraret Ægyptum in quam ambo postea cum patre transierunt. *Phares autem genuit Esrom.* In Ægypto genuit Phares Esrom, et Esrom Aram, et Aram Aminadab, et Aminadab Naasson: et tunc Moyses eduxit eos de Ægypto. Naasson fuit dux sub Moyse in tribu Juda per desertum, in quo genuit Salmon. Iste Salmon fuit princeps in tribu Juda, qui cum Josue in terram promissionis intravit. Iste Salmon in terra promissionis genuit Booz de Raab. Christus est Phares, id est divisio, quia separabit oves ab hædis. Ipse est Esrom, id est sagitta vel atrium, quia penetrat corda auditorum. Habet etiam latitudinem charitatis, qua et inimicos dilexit.

**1.4 *Aram autem.* Aram *Christus electus* vel *excelsus* interpretatur: Electus de quo propheta: *Ecce puer meus quem elegi* Ose. 11.. Et alibi: *Excelsus super omnes gentes Dominus* Psal. 112.. Ipse est Aminadab, id est voluntarius, qui dicit: *Voluntarie sacrificabo tibi* Ibid. 33.. Idem est Naasson, id est augurium, qui novit præterita, præsentia et futura. Vel Naasson serpentinus, quia Christus more serpentis omnes cavet insidias.

David regem.^{††} ⁶David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ.^{‡‡} ⁷Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa.^{¶¶} ⁸Asa autem genuit Josophat. Josophat autem genuit Joram. Joram autem

^{††}1.5 *Salmon autem genuit Booz.* Christus est Salmon, id est, *sensibilis*, quia omnia sentit. Ipse accepit Raab, id est Ecclesiam de gentibus. Raab, *fames*, vel *beatitudo*, vel *impetus*: quia Ecclesia gentium esurit et sitit justitiam, et dilatata per orbem terrarum impetu doctrinæ philosophos et reges convertit. Raab ostendit coccinum in fenestra, id est in ore per confessionem Christi passionem declarat. Raab meretrix quæ nuntios Josue suscepit, quam Salmon princeps tribus Juda sibi copulavit, significat Ecclesiam de gentibus, quæ principi ex Juda, id est Christo copulatur. Et sola cum suis salvatur, dum Jericho, id est præsens sæculum, septem muris vitiorum vallatum, septem dierum tempore tubis prædicationum circumvallatur, donec *in novissima tuba* omnes muri corruant, et novissima mors destruatur. *Booz autem.* Booz Christus de quo dicitur: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet* Isa. 40.. Nota nullam de sanctis feminis in genealogia Christi assumi, sed quas Scriptura reprehendit. Debuit enim de peccatoribus nasci, qui pro peccatoribus venerat, ut discerent sui peccata patrum sibi non obesse. Unde agnus in Pascha immolandus jussus est assumi ex capris et ovis id est ex justis et peccatoribus generandus *Ex Ruth.* Moabitude, ut ostendat impletum vaticinium Isaia: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ* Isa. 16.. Per hanc semen Abraham ad Christum deducitur. Ecclesia de gentibus per Ruth significata, priusquam ad Booz, id est ad Christum veniret, ex patre diabolo erat. Ruth significat Ecclesiam quæ est de Moab, id est de gentibus, quæ ex patre diabolo et petra deserti propter idololatriam de qua Deus suscitavit filios Abraham: oblita prioris gentis venit ad Booz, qui fortis dicitur, id est ad Christum, qui suscitavit semen fratris sui, id est Moysi qui obiit sine liberis, *quia nihil ad perfectum adduxit lex* Hebr. 7.. Ruth *videns* vel *festinans*; quia Ecclesia puro corde Deum videt quæ festinat ad bravium supernæ visionis et diffinit perseverare in fide et dilectione. *Jesse autem.* Pater David sæpius nominatur Isai, sed binomius fuit. Hic autem ideo dicitur Jesse: ut sciret eum venisse; de quo Isaia: *Egredietur virga de radice Jesse* Isa. 11., etc. Hic est flos quem odorat Isaac, dicens: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni* Gen. 27., quia Spiritus eum abundantissime replevit. *Regem.* Non quod solus in hac genealogia rex, sed quia primus rex de Juda et regum principium, propter quem et cæteri in solio regni servantur: et per istum ordo generationis decurrit ad Christum qui habet regnum David.

^{‡‡}1.6 *David autem rex.* Mystice David, id est Christus qui Goliath, id est diabolus superavit. Ipse est manu fortis, vel visu desiderabilis. De eodem dicitur: *Dominus fortis et potens* Psal. 23., etc. Et iterum: *Speciosus forma præ filiis hominum* Ibid. 44.. *Uriæ.* Uria, lux mea Dei scilicet, id est, diabolus, qui dixit: *Similis ero Altissimo* Isa. 14.: cui Ecclesiam conjugatam Christus de solarario paternæ majestatis adamavit, et pulchram factam sibi matrimonio copulavit. Urias qui est figura diaboli, *lux mea Deus* interpretatur, qui adhuc transformatur se in angelum lucis, et lucem Dei se facit.

^{¶¶}1.7 *Salomon autem.* Christus est Salomon, id est *pacificus*, quia ipse est pax nostra qui fecit utraque unum. Ipse est Roboam, id est impetus populi, qui velociter populos convertit ad fidem. *Roboam.* De isto dicitur: *Dabo ipsi Roboam tribum Judam, ut remaneat lucerna David cunctis diebus in Israël* III Reg. 11.. Quod ad litteram non potest accipi, quia nec Israël cunctis diebus exstitit, nec de David post Christum dux aliquis in Israël fuit. Sed Christus lucerna est æterna in cœlesti Israël, et ideo servatur semper. Super solium autem David dicitur sedere Christus, quia regnum David temporale figuravit æternum Christi regnum. *Abias.* Pater Dominus, id est, Christus, qui dicit: *Ego ero illi in Patrem, quia tanquam Dominus omnia quæcunque voluit fecit* Psal. 113.. Qui etiam est Asa, id est, attollens, quia ipse abstulit peccata mundi.

genuit Oziam.^{§§ 9} Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam.*¹⁰ Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam.^{† 11} Josias autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigracione Babylonis.^{‡ 12} Et post transmigracionem Babylonis: Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.^{¶ 13} Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.^{§ 14} Azor

§§1.8 *Josaphat*, etc. *Judicans* vel *judicium Dei*, scilicet Christus qui judicat orbem terræ in æquitate. *Joram autem genuit*. Christus est Joram, id est excelsus, qui ait: *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo filius hominis qui est in cælo* Joan. 3..

*1.9 *Ozias autem*. Sub Ozia, Joathan, Achaz et Ezechia, prophetavit Isaias de Christo. Propter peccata principum claudebantur ora prophetarum. *Ezechias*. Fortis Dominus, ipse est qui dicit apostolis: *Nolite timere*. Ezechia cum esset sine liberis dictum est: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu et non vives* Isa. 38.. Ideo flevit non propter longiorem vitam, cum sciret inde placuisse Deo Salomonem, quia non petiisset ampliores annos: sed quia dubitabat ne promissio Dei impleretur cum se sciret esse de genere David per quem oportebat venire Christum: et ipse erat sine liberis unde et dicebat Ibid. 38.: *Non videbo Dominum Deum*, item, *non aspiciam hominem ultra*, etc. E contra credebat, quia fidelis est qui promiserat. Deus autem sententiam quam dederat, ad probationem fidei immutat, et spatium generandi dat.

†1.10 *Manasses*. Obliviosus. Iste est qui quasi converso peccatori dixit: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor* Ezech. 18.. *Amon*, id est *fidelis* vel *nutritius*, significans Christum de quo dicitur: *Fidelis Dominus in omnibus viis suis, qui convocat filios, ut gallina pullos suos* Psal. 144..

‡1.11 *Josias*, id est *salus Domini* vel *incensum*. Ille est qui dicit: *Dirigatur oratio mea sicut incensum* Psal. 140., etc. Josias, rex justus, quod non filii ejus quos genuit, non in transmigracione, quia nunquam transmigravit: sed secundum prædeterminationem Dei ad transmigrandum, Jechoniam et fratres ejus simul ponit, ut quorum est communis iniquitas similis sit et miseria. Jechonias preparatio Domini, quia tam patrem quam filium Dominus ad transmigrandum præparavit. ISID. Veritas historię habet, quod duo fuerunt Jechoniæ, ut unus scilicet pater sit in fine præcedentis tesseradecadis, alter in principio sequentis Sed mystice secundum Augustinum unus et idem est in fide præcedentis et in principio sequentis. Sed quare prætermisus est Joachim pater Jechoniæ? forsitan ut typum Christi faceret Jechoniam bis numeravit, et Joachim ne numerus augetur prætermisit. Omnes qui a David usque ad transmigracionem Babylonis numerantur, reges fuerunt. *Jechonias*. Prior Jechonias, *resurrectio Domini*, sequens Jechonias *præparatio Domini* dicitur. Utrumque congruit Christo, qui est *resurrectio et vita* Joan. 11..

¶1.12 *Salathiel*. Petitio mea Deus, Christo convenit qui dicit: *Pater sancte, serva eos quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos* Joan. 17..

§1.13 *Zorobabel autem genuit Abiud*. Magister Babylonis, id est confusionis. Illi convenit qui mundum ab errore idololatriæ ad viam veritatis revocavit. Fuerunt viri studiosi ex Judæis dicti Heriles propter propinquitatem generis Christi, erantque Nazaræi, qui ordinem genealogię Christi partim memoriter, partim ex libris Dierum, partim ab avis et proavis retinentes secundum ordinem scripserunt. *Abiud*, id est, *pater meus*. Iste Christo convenit, de quo dicitur: *Ipse invocavit me: pater meus es tu* Psal. 88., etc. *Eliachim*. Dominus resuscitans. Ille qui dicit: *Omnis qui videt Filium et credit in eum, habebit vitam æternam, et ego resuscitabo eum* Joan. 6., etc.

autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.**
¹⁵Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob.†† ¹⁶Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.** ¹⁷Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim: et a David usque ad transmigracionem Babylonis, generationes quatuordecim: et a transmigracione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.¶¶ ¹⁸Christi autem generatio sic erat: cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spir-

** 1.14 **Azor.** Adjutus. Ille est qui dicit: *Ecce Deus adjovit me, Dominus susceptor est animæ meæ* Psal. 53.. **Sadoch.** Justus, id est Christus, de quo dicitur: *Justus Dominus et justitias dilexit* Ibid. 10.. **Achim,** id est, *frater meus iste.* Quis alius quam ille qui homo fieri voluit, ut possit habere fratres, de quibus diceret: *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis* Ibid. 21.. **Eliud,** id est, Deus meus convenit Christo qui dicit: *Deus meus ut quid dereliquisti me* Matth. 27.?

†† 1.15 **Eleazar,** id est, *Deus meus adjutor.* Ille est qui ex persona hominis dicit: *Deus meus sperabo in eum* Psal. 90.. **Mathan.** Donans vel donatus. Ille est qui dedit bona hominibus, et de quo dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum daret* Joan. 3.. Per hos patres Christus in mundum, et omnium horum in se gerebat officium. Et dignum est ut per eandem lineam sanctitatis ad eum ascendamus, per quam ad nos descendere est dignatus.

¶¶ 1.16 **Joseph.** Apponens Christus qui Judæis gentes apposuit, qui et pater Christi dicitur, quem de sua conjuge natum adoptive suscepit: sed et putative pater dicitur. **Joseph** Matthæus dicit filium Jacob, et Jacob filium Mathan. Lucas Joseph filium Heli, et Heli filium Mathat, sed Mathan et Mathat de eadem uxore Hesta nomine singulos genuerunt. Mathan qui per Salomonem descendit, eam prius duxit, et relicto uno filio Jacob obiit, et postea Mathat qui per Mathan descendit de David, eandem duxit et genuit Heli, sic Jacob et Heli fratres sunt uterini. Jacob autem uxorem Heli fratris sui sine liberis defuncti, ad suscitandum semen ejus, accipiens, genuit Joseph natura suum, sed secundum legem Heli filium. Quod dicitur filius nomine ejus vocari cui suscitatur, non est verum cum Booz eum quem genuit ex Ruth, non Elimelech cui suscitatur, sed Obeth vocavit. **Virum Mariæ.** Quid ad Christum generatio ex David deducta ad Joseph, cum Christus non ex semine Joseph? Sed non est consuetudo Scripturarum, ut ordo mulierum in generationibus texatur; et ideo non per Mariam, sed per Joseph inducitur, cum de una Joseph et Maria tribu fuerint. Unde et eam quasi propinquam cogebatur accipere, ne tribus in aliam se confunderet: unde etiam simul tanquam de una stirpe profitentur in Bethlehem redire cum singulis in suam civitatem. Exemplo Mariæ liquet fidelibus conjugatis servato pari consensu continentiam posse permanere, conjugiumque vocari non permisto corporeo sexu, sed custodito mentis affectu. Unde et Joseph vir Mariæ dicitur, quia conjugium verum est ubi conservatur amoris effectus, et in Maria fructus nuptiarum invenitur.

¶¶ 1.17 **Omnes itaque.** Decurso ordine generationis tandem, in fine concludendo, evangelista recapitulat sub mystico numero.

itu Sancto. §§ 19 Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. * 20 Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. † 21 Pariet autem filium: et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. ‡ 22 Hoc

§§1.18 **Christi autem generatio.** Sine additamento, Jesu, ponit, ut eum intelligas de quo propheta: **Unxit te Deus tuus.** Jesus, quod substantialiter illi convenit, angelo reservat, ut qui post dicturus est conceptum de Spiritu sancto, nomen ei proprium ex salvationis officio sublimius declaret. **Sic erat.** Sicut dictum est, ut ex Joseph, origo Mariæ, quæ et de David claresceret: et Christus, non ex ejus semine, ut Deus et homo, per genealogiam homo, per hoc, de virgine de Spiritu sancto Deus ostenditur. Sic, inquam, erat ut præscripta est et mox dicitur, sicut postea signis et prodigiis manifestatur, ut totus liber Deum et hominem natum demonstret: quod est credendum ut possit intelligi. Hic enim sensus deficit humanus, ubi non est natura, sed virtus: qui non credit non intelligit quod virgo peperit, quod verbum caro factum est. **Cum esset desponsata.** ORIG. Ideo desponsata ut significaret Ecclesiam, quæ virgo est et sponsa: et ut per Joseph, etc., usque ad desponsatio fiebat per aliquot dies ante assiduam cohabitationem, et interim erat uxor sub custodia viri. **Antequam convenirent.** Non quod postea convenerint: ut si diceremus antequam pœniterit, morte præventus est. Non quod postea convenerint; sed ostendit proximum tempus nuptiarum, in quo nuptiarum solemnia celebrantur. **Inventa est in utero habens.** Invenit Joseph in utero habere, sed non de Spiritu sancto sciebat esse: cum postea ut dubius deliberaret dimittere eam, apostolus autem hoc addit ne interim surreperet suspicio lectori. Quomodo hoc factum sit, et quo ordine, vel in qua civitate Christi conceptio sit celebrata, hoc prætermissum a Luca exponitur.

*1.19 **Justus.** Per fidem, qua credebat Christum de virgine nasciturum, et voluit se humiliare ante tantam gratiam. Quod justus erat, hoc est testimonium castitatis Mariæ, ut qui servat innocentem, justus dicatur: sed et pius dum nollet propalare, ex conscientia castitatis justus, ex timore pius. Sciebat illam esse inculpabilem: sed unde vel quid esset ignorabat: et ideo mediam elegit viam effugiendi, ut neque innocentem proderet, neque rei incognitæ consentiendo se reum faceret coram Deo. Vera virtus est, cum nec pietas sine justitia, nec sine pietate justitia, quæ separata ab invicem dilabuntur. **Et nollet eam.** Quam desponsaverat in conjugium ducere, ne videretur quod ignorabat celare. Vel traducere ad pœnam in qua noverat non esse infamiam, quia sciebat se eam virginem accepisse, intactam servasse.

†1.20 **Hæc autem eo cogitante.** Hic docemur diu deliberandum esse in incertis, ne peccetur temeritate levitatis. **Ecce angelus Domini.** Quia sic pie cogitat, consolari meretur, et consilium suum meliori consilio mutatur. **Fili David.** Recognosce quod promissum est domui David, de qua tu es et Maria, et vide impletum in ea. **Noli timere.** Quamvis tantum sit quantum credis, et ne timeas pro reatu, sed amplectere charitatis intuitu. **Conjugem.** Conjux erat non concubitu, sed affectu, non conjunctione corporis, sed copulatione animorum. Nota conjugem dici a prima fide desponsationis. Igitur dispensationis est, si quis permittitur aliam ducere post sacramentum sponsonis, et si nunquam debitum solvere possit. Bene Joseph vir, et Maria conjux dicitur, cum in eo servatur affectus amoris, quod verum conjugium, et in ea sine coitu est fructus nuptiarum. **In ea natum est.** De ea nasci, est in lucem produci. In ea vero nasci, est concipi, vel secundum præsentiam angeli quam habet ex Deo: cui futurum quasi præteritum, natum dicitur. **De Spiritu sancto est.** Spiritus sanctus dicitur Deus, et donum Dei, et charitas, et sola charitas eum incarnari fecit.

‡1.21 **Pariet.** Ne videretur Joseph non esse necessarius ei, subdit: **Pariet.** Et ita eris necessarius procurationi. **Et vocabis nomen ejus Jesum.** Idem dicit isti quod prædixerat Mariæ ut promissum Salvatore jam venisse tam viris quam feminis repræsentet ex voce. **Ipse enim.** Nomen interpretatur.

autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem:[¶] 23 Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus.[§] 24 Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam. ^{**} 25 Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: et vocavit nomen ejus Jesum.^{††}

[¶]1.22 *Hoc autem*, etc. Quod propinquo est desponsata: quod inventa est in utero habens: quod peperit virgo: quod Jesus vocatus est: quod salvat. Hoc enim ait Evangelista, quando jam omnia impleta erant. *Ut adimpleretur*. Isaiaë prophetia, signum est præscientiæ Dei, quia quod dicit certum est a Deo præsciri: et ideo ab homine debet timeri. Nullum autem signum quod designat, efficit: sed tantum signat quod ostendit, sic prophetia non necessitatem eorum facit quæ prædicat, sed signum est præscientiæ Dei. HIER. Non est necessitas rerum ex eloquio prophetarum, sed sola exhibitio veritatis. Prophetia non fecit necessitatem eorum quæ dicit, sed signum est præscientiæ Dei. Prophetia alia est ex prædestinatione Dei, quam necesse est omnibus modis evenire, ut sine nostro impleatur arbitrio: ut hæc de qua hic agitur. Alia est ex præscientia Dei cui nostrum admiscetur arbitrium. Alia est, quæ comminatio dicitur, quæ fit ob signum animadversionis divinæ, ut fugiant a facie arcus electi, et juste pereant incauti, et non ex præscientia: quia longe aliter scitur, quam futurum comminetur.

[§]1.23 *Ecce virgo*. Admiratur propheta Isaias, et quasi omnes de somno suscitans, ait: *Ecce virgo in utero habebit* Isa. 7.. Spiritui sancto præsens erat quod in tempore nondum erat. *Ecce virgo*, etc. Dicunt Judæi quod non est hoc nomen integritatis, sed ætatis puella. Sed quomodo tunc est signum? Sensum Isaiaë sequitur, non verba. Pro concipiet, ponit: *In utero habebit*: et vocabunt, pro vocabis, vel vocabitur. *Emmanuel*. Proprium est Christi, ut Jesus, quia cum his quos salvat, semper adjuvando perseverat. Tribus de causis de Veteri Testamento astruit ea quæ ponit in Evangelio: pro testificatione, ut habeat testimonium a lege et prophetis: pro confirmatione fidei, quia facilius credimus cum videmus impleta quæ sunt prædicta: pro conjunctione Novi et Veteris Testamenti.

^{**}1.24 *Exsurgens autem Joseph*, etc. BEDA. Moraliter. Quisquis a Deo movetur, solvat moras, surgat a somno: faciat quod jubetur. *Fecit sicut præcepit*. Perfecta obedientia. Fecit non tantum quod præcepit angelus, sed etiam sicut præcepit. Exhibitione servitutis, et effectu amoris obediens recte dicitur fecisse sicut præcepit ei. *Angelus Domini*. Non relinquitur mentiendi locus, ubi officium angelorum celebratur. *Et accepit conjugem*, etc. Ad vitandam virginis infamiam, ad celandum Salvatoris adventum, ad necessarium pueri nascentis obsequium.

^{††}1.25 *Donec peperit*. Non quod post, quod magis constat: cum multis modis cognovit Deum esse qui natus est. Non quod postea cognoverit: sed ponitur *donec*, pro *et*, vel pro *æterno*, ut: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* Psal. 109.. Dicitur quod Joseph Mariam facie ad faciem videre non poterat, quam Spiritus sanctus a conceptione impleverat penitus. Et ideo non cognoscebat facie ad faciem quam desponsaverat, donec uterus evacuaretur: de quo hic non agitur. *Primogenitum*, etc. Primogenitum dicitur omne quod aperit vulvam, sive aliud sequatur sive non. Vel primogenitus inter omnes electos per gratiam. Proprie autem unigenitus Dei Patris vel Mariæ dicitur.

2 Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente venerunt Jerosolymam, ^{‡‡} ² dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum. ^{¶¶} ³ Au-

^{‡‡}2.1 *Cum ergo natus*, etc. Quamvis Matthæus nativitatem prætermittat, tamen adventum magorum referens, breviter eam commemorat, sic dicens: *Cum ergo*. RAB. Quatuor hic ponuntur a prophetis roborata, nativitas, nomen, locus et tempus, etc., usque ad de adventu magorum Lucas tacet, et Matthæus exponit. *Bethehem Judæ*. Ad differentiam illius quæ est in Galilæa, in tribu Zabulon. Duæ enim sunt Bethlehem: Bethlehem prius dicta est Ephratha, Bethlehem domus panis, quia ibi nasciturus erat Panis vivus qui de cælo descendit, qui ponitur in præsepio: ut irrationabiles pastos, faciat socios angelorum. Significat autem Ecclesiam, quæ est domus in qua panis vivus comeditur. *In diebus*. HIER. Hoc non ponit tantum pro tempore, sed ut videatur impletum, etc., usque ad Judæi locum insinuant: tempus adventus non cognoscunt. AUG. Manifestatus est Jesus non doctis nec justis: prævalet namque, etc., usque ad ut nullus magnus superbiret, nullus infirmus desperaret. *Venerunt*. Magi, non post annum: quia tunc non inveniretur in præsepio, sed in Ægypto, sed decima tertia die. Fuerunt autem de terra Persarum ubi et Saba fluvius a quo regio nominatur, juxta quam et Arabia est, ubi Magi fuerunt reges. Qui etsi tria munera obtulisse dicuntur, non ideo non plures quam tres fuisse probantur, sed ut per eos gentes quæ ex tribus filiis Noë natæ sunt, venturæ ad fidem præfigurentur: vel tot fuerunt principes, qui multos duxerunt in suo comitatu. Ideo Magi apud Jerosolymam præcipue rogant: quia per Balaam de Israël nasciturum audierunt. Nova enim stella novum hominem indicabat. Stella, Christum quem sequi debemus, qui nisi in cordibus oriatur, rex Judæorum in Oriente non quæritur.

^{¶¶}2.2 *Ubi est, qui natus est rex*, etc. Confusio Judæorum est, ubi Christi nativitatem a gentibus discunt, et si non credunt, inexcusabiles sunt. *Vidimus enim stellam*. Hæc stella Dominicæ nativitatis nuntia nunquam prius apparuit, sed eam tunc puer creavit, et Magis deputavit: quæ mox peracto officio esse desiit. Christum nondum loquentem muta stella prædicat, postea loquentem apostoli nuntiaverunt Judæis, tanquam ratione utentibus; substantia rationalis, id est, angelus ortum Christi nuntiavit. Magos vero primitias gentium nondum ratione utentium irrationalis, id est stella, perduxit. Pastoribus angeli, Magis stella, utrisque tamen loquitur lingua cælorum, quia jam cessabat lingua prophetarum. Utrum stella orta sit in oriente, an ipsi ibi positi natam ad occidentem viderint, ambiguum est. Potuit enim nasci in oriente, et eos in Jerusalem perducere. Sed dum humanum quasi ex lege quærunt auxilium, divino deseruntur. Per stellam intellexerunt eum in Judæa natum, et ideo Jerusalem veniunt, ubi locum discentes tunc aggressi iter primum habent stellam præviam quam recognoscunt. Allegorice. Stella est illuminatio fidei quæ ad Christum ducit. Dum divertunt ad Judæos, eam amittunt: quia dum a malis consilium quærunt, veram illuminationem perdunt. LEO. Sequuntur tres viri superni luminis ductum et prævii fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis, etc., usque ad ut eos tantæ visionis mysterium non lateret, et quod oculis ostendebatur insolitum, animis non esset obscurum.

diens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.^{§§ 4} Et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.*⁵ At illi dixerunt: In Bethlehem Judæ: sic enim scriptum est per prophetam:†⁶ [Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.]‡⁷ Tunc Herodes clam vocatis magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis:¶⁸ et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, et interrogate diligenter de puero: et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.§⁹ Qui cum audissent regem, abierunt, et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer.**¹⁰ Videntes autem stellam gavisii sunt gaudio magno valde.††¹¹ Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum: et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, au-

§§2.3 **Audiens autem Herodes,** etc. Rex dicitur, ut collatione ejus qui quæritur, hic intelligatur extraneus, quia jam defecerat proprius. **Audiens autem Herodes.** Alium regem Judæorum quam se quæri, volebat enim cum esset alienigena legitimus rex videri: et ideo codices quibus genealogia textitur cremavit. **Turbatus est,** etc. Vel quia exitum regni sui timet, vel propter iram Romanorum si hoc pateretur, qui decreverant ne quis rex vel dominus sine eorum consilio diceretur. Nato rege cœli, rex terræ turbatus est, quia nimirum terrena altitudo confunditur cum cœlestis celsitudo prædicatur. **Cum illo.** Propter favorem: quia sæpe populus plus eis injuste favet, quos crudeles sustinent. Unde Salomon: **Rex injustus omnes ministros impios habet** Prov. 29..

*2.4 **Et congregans omnes principes sacerdotum.** Nota diligentiam inquirentis, ut si invenerit faciat quod post se velle ostendit: sin autem, excusatus sit Romanis. Explorabat etiam, si rex eorum tristes vel lætos faciat Judæos. **Ubi Christus nasceretur.** A Judæis quærit locum, a Magis tempus, ut de utroque fiat certus.

†2.5 **In Bethlehem Judæ.** Locum nativitatis exprimit, quem testimonio Scripturæ didicerunt, ut ipsa eorum scientia illis fieret ad testimonium damnationis, nobis ad adjutorium fidei. Ex hoc patet, quia non ex ignorantia, sed ex cordis durtia credere noluerunt.

‡2.6 **Et tu, Bethlehem.** Hoc sic ponit, ut ab eis dictum est, quia etsi non verba, veritatem sensus quodammodo ponunt.

¶2.7 **Clam vocatis Magis.** Remotis sacerdotibus et scribis; timebat enim ne Judæi quasi ex Dei oraculo promissum occultarent, si se velle eum perimere sentirent. Ideo etiam promisit se adorare, ne quis sentiret dolum ejus: sed sine suspitione ob gratiam favoris ei renuntiarent.

§2.8 **Adorem eum.** Herodes devotionem pro mittit, sed gladium acuit: malitiam cordis depingens colore humilitatis. Finxit se vultu et verbis adorare eum, quem invida mente cogitabat occidere. Cujus personam repræsentant hypocritæ, qui fite Deum quærunt, nunquam merentur invenire.

2.9 **Et ecce stella quam viderant. Ingressi Judæam deseruntur indicio stellæ, ut cogantur ex lege inquirere. Vel divino deseruntur auxilio qui quærunt humanum. Nec decebat signum infidelibus datum apparere domesticis legis et prophetarum; quia, **si Moysen et prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis,** etc. Non tenuit æthereas vias: sed multum domui vicina, aliter non discernent domum. Moraliter. Stella est bona exhortatio ducens ad Christum. Vel potius fides quæ est mentis illuminatio, per quam ingrediens Christum videt qui est stella matutina: et eo viso gaudet gaudio et adorare non desinit.

††2.10 **Gavisii sunt gaudio magno,** etc. Gaudio gaudet, qui propter Deum (qui verum gaudium est) gaudet. Addit et magno, quo nihil est majus. Et valde gavisii, quia de magno potest alius plus, alius minus gaudere.

rum, thus, et myrrham.†† 12 Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.¶¶ 13 Qui cum recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. §§ 14 Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum: * 15 et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. 16 Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus

††2.11 *Et intrantes domum*, etc. Tres Magi uno itinere Deum veniunt adorare: quia in uno Christo (qui est via) inseparabilis Trinitas ab eis erat adoranda. *Puerum cum Maria matre ejus*, etc. Sæpe puer nominatur, ut eum agnoscant, de quo dictum est: *Puer natus est nobis*. Cur non et Joseph cum Maria inventus est a Magis? Ne aliqua inde malæ suspitionis occasio daretur gentibus, quæ primitias suas statim nato Salvatore ad eum adorandum miserunt. *Adoraverunt eum*. Sic confitentes Deum, quem actum esse hominem intelligunt, et moriturum quod per myrrham ostendunt. *Et apertis*, etc. Fidem suam mysticis protestantur muneribus: Munera clausa, fides est cordis; munera aperta, etc., usque ad vel per hæc tria in eodem Christo intimantur, regia potestas, divina majestas, humana mortalitas.

¶¶2.12 *Et responso accepto*. Sicut Moyses tacens clamabat, sic isti pio affectu interrogabant quid divina juberet voluntas. Hæc responsio non fit per angelum, sed per ipsum Deum, quia nullus alius viam reversionis instituit, nisi ille qui dicit: *Ego sum via, veritas, et vita*. Non loquitur puer ad eos, ne divinitas ante tempus revelaretur, et vera humanitas habeatur. Unde et mox in Ægyptum mittitur: quia et fides nutrienda erat ad præmium, et vita doctrinæ præparanda est ad eundem. *Per aliam viam*, etc. In hoc forma datur credentibus, ut devoti ad Deum veniant: et quod jubeat intendant, scilicet, ne ad diabolum redeant: sed per semitas virtutum ad patriam veniant, et qui ceciderunt contemnendo resurgant obediendo. LEO. Adorant in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, et in hominis veritate Dominum majestatis, etc., usque ad quia quod erat in substantiis proprium, non erat in persona diversum.

§§2.13 *Accipe puerum*, etc. HILAR. Cum desponsatam eam justo significabat, conjugem nuncupavit, sed post partum mater tantum Jesu ostenditur, ut quemadmodum justo Joseph deputaretur Mariæ in virginitate conjugium, ita venerabilis ejus ostenderetur in Jesu matris virginitas.

*2.14 *Qui consurgens*. Joseph figura prædicatorum, qui Christum, cum matre, id est, fidem Christi, et Ecclesiæ tulerunt ad gentes, relicto Herode, id est Judæorum infidelitate. *Nocte*. Quia occulte per fugam ad illustrandam Ægyptum descendit, relicta nocte Judæis. Nocte tulit in Ægyptum, quia nocte ignorantia his a quibus ipse recessit reliquit incredulis. Quando redit, noctis non fit mentio, quia in fine mundi, Judæi fidem tanquam Christum ab Ægypto revertentem suscipientes illuminabuntur. *In Ægyptum, et erat ibi*, etc. Omnigenum Deum monstrat venerantem: quia Christus a Judæis non receptus, per prædicationem transit ad gentes. Fugit in Ægyptum sicut natus est, ut corruptam repararet naturam. Sic fugit, ut fugaces revocaret. Quod fugit, sacramenti fuit non timoris, ut exemplum fugiendi daret suis. Non fugit mortem qui mori venerat: nec insidias expavit qui venerat aperire versutias diaboli. De hac fuga prædixit Isaias: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem*, id est, carnem sine peccato: *ingredieturque Ægyptum* Isa. 19.. Septem autem annis in Ægypto latuit. *Ex Ægypto vocavi*. In Osæa juxta Hebraicam veritatem hoc invenitur: vel in libro Numerorum, ut quidam asserunt: quia totum dispositione Dei factum est.

ejus, a bimatu et infra secundum tempus, quod exquisierat a magis.†¹⁷ Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem:‡¹⁸ [Vox in Rama audita est ploratus, et ululatus multus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari,

†2.16 *Tunc Herodes videns.* Verisimile est, quod cum Herodi nihil renuntiatum esset a Magis, credidit illos fallaci stella deceptos esse, et ideo ad se non esse reversos: unde et tandiu quievit a pueri inquisitione. Deinde vulgatis his quæ in templo facta dictave fuerant, se a Magis sensit illusum, et in mortem Christi properans pueros occidit. Verisimile est per annum et quatuor dies a nativitate Christi Herodem in pueros desævuisse: quod forsitan ideo distulit, quia Romam profectus est, vel ibi accusatus, vel ut Romanos consulere super his quæ de Christo dicebantur. Ideo forsitan tandiu ab inquisitione pueri se continuit, ut sollicitius eum deprehenderet, neque elabi aliquo modo posset. **Occidit omnes pueros.** Quam cito Christus apparuit mundo, incepit in eum pesecutio: quæ figuravit persecutionem sanctorum: et dum infans quæritur, infantes occiduntur; in quibus forma martyrii nascitur, ubi infantia Ecclesiæ dedicatur. Figurat mors parvulorum passionem omnium martyrum, qui parvuli, humiles et innocentes occisi sunt: qui non in Judæa tantum, sed ubique passi sunt ab impiis, quos significat Herodes. Quod bimi: quia doctrina et operatione perfecti. Illis occisis Christus evasit: quia corpora possunt perimi, divinitas non contingi. **Et in omnibus finibus ejus.** Non est contentus vastatione Bethlehem, sed adjacentia loca vastavit; nec ullam misericordiam ætatis habuit a filio unius noctis usque ad filium duorum annorum, quin omnes occideret. **A bimatu.** Ideo a bimatu, ut sicut præoccupaverat Herodes fines civitatis, ita et præoccuparet alium annum. Ideo etiam a bimatu: quia timebat, ne puer cui famulabantur sidera, paulo supra ætatem vel infra speciem sibi conformaret.

‡2.17 *Tunc adimpletum est.* Adimpletum dicitur: quia antequam fieret legentibus erat semiplenum, quia quod in littera sonabat, aliquid futurum occulte promittebat. CHRYSOST. Dicit quod stella per annum apparuit, sicut in destructione Romanorum signa apparuerunt in cœlo, quando vox angelorum audita est: Transeamus ab his sedibus.

quia non sunt. J[¶] 19 Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, § 20 dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israël: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. ** 21 Qui consurgens, accepit puerum, et matrem ejus, et venit in terram Israël. †† 22 Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire: et admonitus in

¶2.18 **Vox in Rama.** Id est, in excelso longe lateque diffusa est. Allegorice. Vel, vox Ecclesiæ de nece membrorum gementis usque ad solium superni ascendit judicis. **Vox in Rama.** Propter uxorem Levitæ fornicatione preceptam, secundum numerum tribuum in duodecim partes divisam, omnis Israël tribum Benjamin præter trecentos viros delevit: eorum qui superfuerunt ploratus et ululatus auditus est usque Rama, qui est locus juxta Gabaa duodecimo milliario a Bethlehem. **Audita.** Exaggerat, ut hyperbolice Rachel jam mortua, dolentis affectu filios jam flere dicatur. Unde per hoc de Chaldæis historia textitur quod similis esset ab eis cladi priori populo Judæorum futura vastatio. Sed verius revelante per evangelistam spiritu, prophetia de nece puerorum accipitur. Dicit ergo, quod tunc completum sit quod dictum est, quia etsi ad imminentem captivitatem sermo prophetiæ respicit, tamen in eo sicut in umbra, futura veritas cædis infantium pronuntiatur. **Rachel.** Quia sepulta est juxta Bethlehem, et ex terreno corporis hospitio matris nomen accepit. Vel quia multi de Benjamin et Joseph occisi sunt. De Rachel natus est Benjamin, ad cujus sortem non pertinet Bethlehem, sed ad tribum tantum Juda. Sed quia contiguæ tribus sunt Juda et Benjamin in finibus Bethlehem, multi quoque de tribu Benjamin occisi sunt. Nota quod melius per Rachel (quam si per Bethlehem plorasse diceretur) figura sacramenti innuitur, quia per eam in omnibus schema Ecclesiæ commendatur, quæ plorat non tam morte translato, quam supplicio preceptos. **Rachel.** Id est Ecclesia, suos teneros agnos plorat preceptos: neque vult consolari in præsentem, quia non sunt: sed omnem spem et consolationem ad æternam transmittit vitam. Plorat Ecclesia, et non vult consolari hic: quia filii sui non sunt de hoc mundo. Vel plorat: quia dum parit, justitiam habet unde dicitur: **Vos plorabitis,** etc., sed additur consolatio: **Tristitia vestra vertetur in gaudium** Joan. 16..

§2.19 **Defuncto autem Herode, ecce,** etc. Quia sopita Judæorum perfidia, et Helia et Enoch prædicantibus, Judæa verbum Dei recipiet. Defuncto rege illico complices ejus pereunt, sic cessante persecutione Ecclesiæ ad cœlestia invitatur.

2.20 **In terram. Non determinat in quam partem, ut dubitante Joseph angelus revertatur: et frequenti ejus allocutione Joseph certior reddatur. Quia non distinxit in quam partem, ideo Josephus intellexit Judæam quæ dignior pars regni erat. **Defuncti.** Tradunt quidam quia fecit Herodes super funus suum nobiliores Judæorum occidere, ut sic cogeret Judæos mortem suam flere.

††2.21 **Qui consurgens.** Allegorice. Joseph gerit figuram apostolorum, quorum officio Christus circumfertur. Apostoli primum venerunt in terram Israël: quia primum prædicaverunt Judæis. Sed pro Herode, id est, manente hæreditaria infidelitate, metuunt et recedunt admoniti gratiam gentibus prædicare, et ad eas Christum transferre. Nominata terra Israël visum est Joseph non alicubi talem puerum debere habitare, nisi in Jerusalem ubi erat templum et celebratio prophetarum. Tamen angelus intelligi voluit Galilæam, quam et Judæi incolebant, quod ostendit sic fuisse prædestinatum, quia Nazareus vocabitur.

somnis, secessit in partes Galilææ.†† 23 Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.¶¶

3 In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, §§ 2 et dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.* 3 Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: [Vox clamantis in deserto:

††2.22 *Timuit illo ire.* Si timuit Judæam pro Archelao hærede paternæ crudelitatis, cur non et Galilæam, ubi Herodes alius frater ejus regnabat? Quia Archelaus post patrem monarchiam totius regni obtinuit: sed insolescens a Tiberio Cæsare dejectus est Lugdunum in exilium, et tunc divisum est regnum in quatuor tetrarchias, quarum unam, id est Galilæam, Herodes frater ejus obtinuit. Quæritur: quare non timuit Joseph ire in Galilæam sicut in Judæam, cum et ibi regnaret Archelaus? Sed melius potuit in Nazareth (quæ remota erat) latere quam in Jerusalem, ubi erat caput regni et assiduus Archelaus. *Secessit in partes.* Quod Christus illuc non transfertur ubi regnabat Archelaus, significat, quia illis abscondetur Christus, in quibus regnabit Antichristus.

¶¶2.23 *Nazareth.* Nazareth, *germen novellum* vel *flos campi* interpretatur, de cujus radice germinis sanctus sanctorum ad significandum æternitatis suæ substantiam ascendisse legitur. Sicut ergo eligit tempus quo nasceretur et locum, ita et civitatem in qua coalesceret: cujus nomen indicio est, quod ipsa sanctitas, in sanctitate nutritus, sanctus sanctorum recte dicitur: unde et discipuli ejus prius Nazaræi dicti sunt, sed postea a Christo Christiani vocati sunt. Nazareth Galilææ quo transfertur, partem ejusdem gentis quæ fidem susceptura erat, significat: unde *flos* interpretatur: quia Ecclesia quo ardentius a terrenis ad cœlestia transmigrat, eo magis virtutum flore et germine abundat. *Per prophetas.* Prophetas pluraliter dicit, quia non habemus fixum de Scriptura exemplum: ostendit sensum non verba se sumpsisse. Vel eisdem verbis in Isaia juxta Hebraicam veritatem: *Nazaræus de radice ejus ascendet* Isa. 11..

§§3.1 *In diebus autem.* Præterit multa, et transit ad prædicationem Joannis. *In diebus.* Non solum pueritiæ annos, sed omnes usque ad prædicationem Joannis comprehendit, id est, cum fere esset triginta annorum. Lucas significantius tempora exprimit: Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris. *Prædicans.* Manifestavit se qui prius siluerat, baptizando, viam præparans Domino. *In deserto Judææ.* Quia Judæi a Deo deserti erant, quibus necessaria est pœnitentia, ut redeant.

*3.2 *Pœnitentiam.* Hoc præco nuntiat, quod post per seipsam Veritas; pœnitentia præcedit, sequitur promissio regni: qui vere pœnitet, in se præteritos errores, deinde erigit animum ad cœleste regnum. Si gratis in baptismo fit remissio, cur prædicatur pœnitentia? Sed triplex est modus pœnitentiæ. Primus, errores et omnia mala ante baptismum abrenuntiare et condemnare: quod necesse est ad Christum venturis. Secundus, post baptismum lapsos per pœnitentiam revocari. Tertius, quo sancti quotidie a talibus purgantur peccatis sine quibus vita non agitur. Pœnitere est ante acta deflere, et deflenda non committere. Pœnitentibus regnum cœlorum adesse dicitur. Non terrena, ut in veteri lege: et hoc per obedientiam Christi. Et hoc regnum cœlorum primus Joannes prædicavit: *Pœnitentiam agite.* Prima virtus est, per pœnitentiam perimere veterem hominem, et vitia odisse: quod qui non facit, non modo virtutes non comprehendit, sed nec etiam supplicia fugit. Pœnitentiæ virtus timore concipitur, qui est initium sapientiæ. Pœnitentia a puniendo, qua quisque punit quod illicite commisit. Pœnitentiam agere est dignos fructus pœnitentiæ facere. *Regnum cœlorum.* Id est Christus, per quem sancti regnant in cœlestibus. Vel Evangelium, quo invitat ad regnum. *Appropinquavit enim,* etc. Nisi appropinquaret, nemo redire posset: quia infirmi et cæci via (quæ est Christus) carebant: quam parans Joannes pœnitenti anteponebat.

Parate viam Domini; rectas facite semitas ejus.]^{† 4} Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem ejus erat locustæ, et mel silvestre.^{‡ 5} Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem;^{¶ 6} et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.^{§ 7} Videns autem multos pharisæorum, et sadducæorum, venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?^{** 8} Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.^{†† 9} Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quoniam potens est Deus de

[†]3.3 **Vox clamantis.** Joannes vox, Christus verbum, qui clamat in Joanne: Nullum verbum sine voce auditur, nec vox sine intelligentia verbi valet. Vox viam verbo præparat, ut recipiatur. Unde: **Paravi lucernam Christo meo** Psal. 131.. **In deserto.** Forma pœnitentibus: locus conversationis, non frequentia hominum, sed desertum. Vestitus non mollis ad fluxum, sed asper: victus tenuis et inusitatus. Typice, desertum significat sanctorum vitam a mundi illecebris segregatam. **Viam Domini.** Via Domini ad cor dirigitur, cum sermo ejus diligenter auditur.

[‡]3.4 **Ipse autem Joannes.** Qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ præten- dit. In eo vilitas vestis et cibi laudatur, quorum usus in divite arguitur. Ipse autem Joannes in semetipso erudit pœnitentes, et formam vitæ exhibet in deserto habitans, de locustis vivens, pilos cameli vestiens. Servus Dei non debet habere vestimentum ad decorem vel ad delectationem, sed tantum ad tegendam nuditatem. Inde Joannes pilis vestiebatur.

[¶]3.5 **Tunc exibat ad eum,** etc. Quia nisi quis a malis exeat, non abluitur. Unde apte sequitur: **Baptizabantur ab eo in Jordane:** qui **descensio** interpretatur, quia de superbia veteris hominis ad humilitatem confessionis et emendationis descendebant. Jam tunc enim baptizandis exemplum dabatur confitendi peccata et promittendi meliora.

[§]3.6 **In Jordane.** Quia in eo figura baptismi præcessit, et ex nomine descensum de superbia exigit, quod congruit baptizatis. **Confitentes.** Confessio peccatorum, conscientia est testimonium timentis Deum. Qui enim timet judicium Dei, peccata non erubescit confiteri. Perfectius timor solvit omnem pudorem. Confessio peccati pudorem habet, et ipsa erubescencia est gravis pœna. Ideoque jubemur confiteri peccata, ut erubescenciam patiamur pro pœna. Nam hoc ipsum pars est divini judicii.

^{**}3.7 **Multos Pharisæorum,** etc. Hi sunt ex hæreticis Judæorum, et Pharisæi obser- vationum et traditionum præferunt justitiam. Unde et Pharisæi, id est, divisi a populo per privatam justitiam dicuntur. Sadducæi, id est justi: vindicant enim sibi quod non sunt: hi negant resurrectionem, dicentes animam interire cum corpore: quinque libros Moysi recipiunt, prophetas respuunt. Hos venientes ad baptismum Joannes increpat: quia maxime indigebant correctione et pœnitentia. **Progenies viperarum,** etc., id est, venenati venenatorum filii: quia bonis invident eosque persequuntur, proximos lædunt ut patres eorum. Vipera patrem suum occidit, sic Judæi prophetas qui erant patres eorum.

^{††}3.8 **Facite ergo fructus dignos.** BEDA. Quasi diceret: Quare prius venena non deponitis, ut sic ad baptismum, etc., usque ad gratia est quæ sentit, sentiens quærit sanctitatem.

lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.†† 10 Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.¶¶ 11 Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos bap-

††3.9 **Dico enim.** A carne retrahit, ut cogitent opera prædestinationis Dei. Prima sunt rudimenta fidei, credere Deum posse quidquid voluerit, ut omnia qui de nihilo creavit, possit de lapidibus vel de pulvere filios Abrahæ formare. **De lapidibus.** Demonstrative ad illos lapides quos Josue de Jordane transferre fecit, ad quos quasi digitum extendens ait. Josue duodecim lapides de medio Jordanis in terram transportari fecit, et alios ex terra in eodem alveo restitui: per quos excæcatio Judæorum et gentium ad lucem transformatio præsignatur. Vel gentiles lapides vocat: et est sensus: Ne gloriemini de semine carnis: quia hi tantum sunt filii Dei, qui per gratiam sunt illuminati et interius suscitati. Suscitare signanter dicit, quia Christus Saram, id est Ecclesiam, accepit, et suscitavit per gratiam filios Abrahæ defuncto sine liberis, ne tantus patriarcha privaretur promissis. In cujus rei præsigium olim Deus de Sara genuit filium.

¶¶3.10 **Jam enim securis.** Ne autem viderentur immunes, si se a talibus sacramentis separarent, comminatur. **Securis.** Christus, qui ex manubrio constat et ferro, id est, humanitate qua tenetur, et divinitate quia incidit. **Posita est:** quia etsi per patientiam exspectat, videt tamen quid est factururus. **Ad radicem.** Id est, finem Judaici populi, ut auferat de terra viventium eos qui in Christo non credunt. Vel, securis, sententia judicii, vel prædicatio Evangelii. **Ad radicem.** Nota non ad ramos, sed ad radicem. Cum enim filii malorum tolluntur, quid aliud quam rami infructuosæ arboris abscinduntur? Cum tota progenies simul cum parente tollitur, arbor radicitus abscinditur, ne quid remaneat unde iterum aliquid germinis oriatur. Radices sunt cogitationes, quibus plantati, vel sursum cœlo sustolluntur, vel ad ima inferni mittuntur. Arbor humanum genus: hujus rami, alii sunt aridi, id est, pagani incendio apti. Alii virides, sed sine fructu: ut hypocritæ, qui speciem sanctitatis prætendunt, sed intus vacui: alii fructuosi, sed venenosi, id est, hæretici: qui prædicando fructum pariunt, sed mortalem. Alii, id est, catholici, qui bonum fructum ferunt. **Omnis ergo arbor,** ut gentiles, hypocritæ, qui nullum, et hæretici, qui malum.

tizabit in Spiritu Sancto, et igni.^{§§} ¹² Cujus ventilabrum in manu sua: et permundabit aream suam: et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* ¹³ Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizare-

§§3.11 **Ego quidem.** Ne videatur sua auctoritate minari, incipit aperire quantæ sit dignitatis: cujus præsentia comminatur, vel cujus beneficii persuadet: **Ego quidem baptizo vos in aqua.** Tantum corpora lavo, quia peccata solvere nequeo, ut sicut nascendo, prædicando, præcurro sic baptizando: ut pœnitentes, quos ego hoc signaculo ab impœnitentibus discerno, ad baptismum Christi dirigam. **Post me venturus est.** Et si moneo dignos fructus pœnitentiæ facere, superbiam abjicere: non tamen possum a peccatis solvere. **Fortior me est.** Quia ego baptizo in pœnitentiam, ille in remissionem. Ego spiritum habeo, ille dat. Ego regnum cœlorum prædico, ille dat. **Cujus non sum,** etc. Alii scribunt: Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere. Potuit autem Joannes utrumque dicere, vel contextim vel diverso tempore: ut alius evangelista hoc, alius illud assumere. Omnes tamen verum narraverunt. Intendit autem in hoc ostendere excellentiam Christi et suam humilitatem. Vel secundum allegoriam. Calceamentum est incarnationis mysterium; corrigia, mysterii ligatura. Non ergo valet Joannes corrigiam solvere, quia incarnationis mysterium non sufficit investigare. Vel, Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus, id est, nomen sponsi mihi non usurpo, nec sponsus credi vel dici, sed amicus sponsi volo. Mos enim erat ut si quis eam quæ sibi competeret accipere in uxorem nollet, ille ei calceamentum solveret qui ad hanc sponsus jure propinquitatis accederet. Joannes ergo, qui non sponsus, ait: Non sum dignus, etc. Ac si dicat. Ego redemptoris vestigia non valeo denudare: quia nomen sponsi non mihi usurpo. Vel simpliciter se humiliat, vel Evangelii sacramenta non est dignus circumferre prædicando, quod non sibi deputatum, apostolis est commissum. Non sum dignus explicare naturam Divinitatis ad humanitatem. Vel, non sum dignus Evangelii prædicationem portare, vel nomen sponsi usurpare. Joannes ut purus homo spiritum dare non poterat, quo remittitur culpa. Christus vero dat, quia Deus: et baptizat in verbo, de quo dicitur: **Et vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis** Joan. 15.; et alibi: **Mundans eos lavacro aquæ in verbo vitæ sanctificatæ** Ephes. 5.. **In Spiritu sancto.** Vel spiritu sanctificationis, et igne, id est probatione tribulationis. Vel spiritu in præsentia abluit: post, si quæ macula surrepit, igne purgatorio ad purum exuret: quod de levioribus credendum est peccatis. Unde in Levitico, super altare semper ignis missus de cœlo ardebat, id est, ignis divini amoris, qui omnes in Christo (id est, qui super altare offeruntur), quasi rebaptizat et exurit carnis eorum vitia.

*3.12 **Cujus ventilabrum.** Ventilabrum in manu est examen judicii quo discernuntur leves et vacui a fructu boni operis. **In manu,** quia Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. **Permundabit,** id est, quotidie a variis tentationibus mundat. Vel, **Permundabit,** dum ob manifesta peccata perversus de Ecclesia ejicitur, vel post mortem damnatur. **Paleas autem.** Paleæ de origine unde et triticum oriuntur, id est de semine, zizania vero de diversa. Paleæ ergo sunt qui fidei sacramentis imbuuntur, sed solidi non sunt: zizania vero qui et opere et professione secernuntur ab electis. De his dicitur: **Qui non credit, jam judicatus est,** et ideo non fit hic mentio de illis. **Inextinguibili.** Quia non exstinguetur neque exstinguet cruciatos, sed æternaliter puniet. Dicitur autem ad differentiam illius de quo dicitur: **Ignem nos examinasti** Psal. 65., etc.

tur ab eo.[†] ¹⁴ Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? ¹⁵ Respondens autem Jesus, dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum.[‡] ¹⁶ Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei cæli: et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se.[¶] ¹⁷ Et ecce vox de cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

[†]3.13 **Tunc venit.** Quando Joannes prædicabat et baptizabat, scilicet quando Jesus triginta erat annorum, ostendens nullum debere sacerdotem vel prædicatorem fieri nisi utilis ætatis. Sicut Joseph tricenarius regnum Ægypti suscepit. David regnum ea ætate inchoavit: Ezechiel prophetiam promeruit. Venit Jesus his de causis ut baptismata Joannis comprobaret, et ut (quia homo erat) omnem impleteret justitiam et legis humilitatem: et ut aquas sanctificans, per columbam in lavacro, adventum Spiritus sancti ostenderet. Venit enim non necessitate ablutionis, sed ut nemo quantumlibet sanctus baptismi gratiam superfluum judicaret. **A Galilæa in Jordanem.** Galilæa, transmigratio: Jordanis, descensus. Qui ergo vult baptizari transmigret a vitiis, et descendens humilietur.

[‡]3.15 **Sine modo.** Sine modo me a te baptizari, ut postea quod a me quæris in spiritu baptizeris. Sicut enim decet dare exemplum implendæ omnis justitiæ, ut discant omnes neminem sine unda baptismi esse perfectum. **Tunc dimisit.** Cum tali ordine cognovisset implendam justitiam. Dimisit, quia vere est humilitas, quam non deserit comes obedientia. Spiritus in momento eum docuit, quod prius nescivit et ideo quod prius timuit humiliter, devotus implevit.

[¶]3.16 **Baptizatus autem.** Christus aquas baptismi sanctificavit: quia cujus est creare, ejusdem est et sanctificare. Sicut homo constat duobus, id est, corpore et anima, ita duobus renascitur: aqua quæ purgat sordes et consepelit Christo: et igne spiritus quo conflagranti ad cælum rapimur. Sic Ecclesia post baptismum culmen virtutum quibusdam incrementis appetit, ut Christus baptizatus de aqua ascendit. Sic post baptismum ascendunt, qui ad virtutes proficiunt: et qui prius carnales et filii Adæ, fiunt spirituales et filii Dei. **Aperti sunt,** etc. Et hoc ad impletionem justitiæ. Non enim tunc primum sibi patuere coelestia vel Spiritus sanctus est datus: sed nobis per acceptum baptismum aditum cœli patere, et Spiritum sanctum dari monstravit. Quod enim cœli aperti, quod Spiritus sanctus venit, quod vox Patris insonuit, etc., hæc mystica insunt nobis. Patet renatis aditus in cælum per Christum, qui per Adam clausus fuit. **Sicut columbam.** Verum corpus formatum ad horam habuit in specie columbæ: quia aliter spiritus ab hominibus videri non posset sicut columba, non quia vera columba esset, sed quia spiritus in corporali specie, non tamen ipse corpus. Ita de hac figura sentitur sicut de aliis in quibus Deus apparuit: quæ expleto officio resolvebantur. Bene spiritus in columba quæ simplex et mansueta descendit, ut et suæ naturæ simplicitatem, et eum in quem descendebat, mitem misericordiæ præconem datoremque indicaret. Similiter omnes baptismo renati septem virtutibus in columba significatis debent repleri. Columba a malitia fellis est aliena, in quo prohibemur ab ira. Nullum ore vel unguibus lædit, in quo notatur innocentia. Nec minimas aviculas invadit, in quibus aliæ aves se et pullos suos nutriunt: in quo prohibemur a rapina. Puro pascitur grano: in quo notatur abstinentia, alienos tanquam pullos suos fovet, ecce charitas. Gemitum dat pro cantu, ecce compunctio. Super aquas sedet ut accipitrem prævisa in aquis umbra declinet: ecce sollicitudo. In columba super Dominum spiritus apparuit: quia venit nos per mansuetudinem colligere. Super discipulos in igne quos ad consumendam rubiginem peccati contra seipsos veniebat accendere. Adam peccando cælum amisit, Christus a Spiritu sancto per columbam glorificatus apparuit: flammam vibrantem quæ viam prohibuit aqua baptismi extinxit: quia aqua est contraria igni. **Complacui.** Id est, bene placitum meum constitui, ut tu in quo nihil nisi bonum placeas, et per te alii non in se, sed in te, id est, tibi fide et claritate uniti placeant.

4 Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.^{§ 2} Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.^{** 3} Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.^{†† 4} Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.^{‡‡ 5} Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et sta-

§4.1 **Tunc Jesus.** Post baptismum, quia nulla est mora a tentatione: Ut mox doceat baptizatos de mundo exire, in quiete Deo vacare: sic filii Israël post transitum maris per desertum ascendunt, et manna comedunt donec veniant ad terram promissionis. **Tunc Jesus ductus est,** etc. RAB. Hic est ordo rectæ conversationis, ut post acceptam Spiritus sancti gratiam contra diabolum arctius accingamur: ea via Samaritanus descendit, quia carne indutus easdem tentationes sustinuit. **Spiritui** Sancto, qui quos replet ad pugnam mittit fortes. Sine hoc spiritu qui ad pugnam vadit, cito cadit. **Ut tentaretur a diabolo.** Non tentatur a diabolo, nisi quia ad desertum exierit, id est, bono studere cœperit.

4.2 **Et cum jejunasset. BEDA. Jejunat ut tentetur, tentatur quia jejunat, et exemplum jejunandi nobis dat, etc., usque ad et sic quandiu hic sumus, semper peccata ploremus: quia hoc numero præsens vita ostenditur. LEO. Dum per varias actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere, etc., usque ad ut in cujus sumus resurrectione conresuscitati, in ipsius inveniamur passione commortui. **Postea esuriit.** Hoc est vere humanitatis: et per hoc est occasio tentandi. Latet potestas, patet infirmitas.

††4.3 **Non accedens.** Quia esuries est signum infirmitatis. Et sic nobis in abstinentia non deest tentatio. Per exteriorem infirmitatem Christum tentat in quo nullam legem peccati inveniebat. **Si Filius Dei es.** Aliud horum explorantis est, aliud tentantis, dum Deum confiteri videtur, et hujusmodi illudere conatur. Sic enim tentat ut exploret quod veretur. Sic explorat, ut tentando decipiat. **Si Filius Dei es.** Noverat Filium Dei venisse in mundum, seu per prophetas seu per angelos nuntiantes, seu per Joannem demonstrantem: sed quia humilia in eo videbat, quod de Deitate suspicatus est, ex superbia ei in dubium venit. Unde et callide exquirat: Nec indignum fuit Christum tentari qui venerat occidi, ut tentationes superando nobis potestatem daret superandi tentationes, sicut sua morte abstulit nostram mortalitatem. RAB. Christus non nisi post baptismum se tentari permisit, insinuans ad se euntes graviores passuros, etc., usque ad Christum vero sola suggestionem tentatus fuit: quia delectatio peccati mentem ejus non momordit.

‡‡4.4 **Scriptum est.** Non utitur potestate, sed Scripturarum auctoritate, docens nos magis doctrina quam miraculis pugnare. **Non in solo pane vivit homo.** Quasi: Persuasio tua tentatio est: quia agis de cibo corporis, et non de cibo mentis. Inferior pars hominis pane sustentatur, alia verbo Dei reficitur: quia vero agis de inferiori, patet quod tentator sis. **Sed in omni verbo,** etc. Omne verbum charitas, in qua complentur omnia quæ procedunt de ore Dei, quia cujuscunque ministerio dicantur, non ejus sunt, sed Dei: sed si adversum quid inseritur, hoc non est Dei. De uno verbo, id est, sapientia Dei procedit quidquid loquuntur sancti qui sunt os ejus.

tuit eum super pinnaculum templi,^{¶ 6} et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. ⁷ Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. ⁸ Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum,^{§§ 9} et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* ¹⁰ Tunc dicit ei Jesus: Vade Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.† ¹¹ Tunc

[¶]4.5 *Tunc assumpsit.* Prima et ultima tentatio in deserto, media quoque historialiter, ultima fuit postquam regressus est Jerusalem. Quia Matthæus non secundum ordinem historiæ, sed secundum tentationem Adæ prosequitur: Lucas vero ut res gesta est. Quia ex responsione Christi victus et incertus remansit: post primam ad secundam accessit tentationem. Quod permisit se assumi, non infirmitas fuit, sed patientia: in diabolo vero non virtus, sed superbia. Nota hæc omnia corporeis sensibus esse completa. Nec mirum si se permisit circumferri: si sic accipitur assumptio, qui permisit se crucifigi. *Supra pinnaculum.* RAB. In Palæstina desuper plana erant tecta, et ibi erat sedes doctorum, unde, etc., usque ad ostendit ut cuicumque bona et alta imperanti obediamus, sed præcipitare volenti contræamus. *Si filius.* BEDA. In omnibus tentationibus hoc agit, ut intelligat, etc., usque ad in specie hominis diabolum apparuisse verisimile est. *Mitte.* Hæc vox convenit illi, qui omnes præcipitare satagit: in quo infirmus ostenditur, quod nulli nocere possit, nisi prius ille se deorsum miserit. Suggerebat enim, ut aliquo signo exploraret quantum apud Deum posset. Sed nemo debet tentare Deum, quando habet ex humana ratione quid faciat. Unde quamvis omnia posset, ait tamen suis: *Si persecuti vos fuerint in civitate ista, fugite in aliam.* Et ipse idem fugit et abiit et latuit. Nunc autem poterat aliter de templo descendere, quam per jactantiam se præcipitare. Postquam deficit humana ratio, commendet se homo Deo, non tentando, sed devote confitendo. *Quia angelis suis mandavit de te.* BEDA. Quod bene dicitur de corpore, diabolus male interpretatur de capite, etc., usque ad sed de auxilio angelorum quasi ad infirmum loquitur, de sua conculcatione tacet.

^{§§}4.8 *Iterum assumpsit.* Hæc tentatio ordine præcessit, sed narratur præpostero, secundum quod factum est Adæ. *Ostendit,* etc. Non quod visum ejus qui omnia videt ampliaverit, sed vanitatem mundanæ pompæ quam amabat, quasi speciosam, etc., usque ad Non quod eam concupiscentiæ oculo intueretur sicut nos, sed sic hæc ostensio fuit in mente, sicut medici vident morbos sine læsione.

*4.9 *Hæc omnia tibi dabo.* Hæc de arrogancia dicit: non quod totus mundus suus sit. A principio quod Dei erat ut sibi usurparet diabolus laboravit: unde ut in eis coleretur, idola invenit. In his tribus notantur gula, avaritia, superbia. RAB. Lucas avaritiam mediam ponit, ultimam superbiam, etc., usque ad in his tribus omnia genera tentationum comprehenduntur.

†4.10 *Scriptum est.* David Goliath tribus lapidibus de torrente prostravit, et Christus diabolum tribus testimoniis de lege. *Dominum Deum tuum.* Hoc vel ad diabolum dicitur: non quia ex devotione sit impleturus sed ut, econtra, quam ipse moliebatur scriptum ostendatur quod non ipse, sed Deus sit adorandus: vel, non diabolo, sed sibi secundum humanitatem et cuilibet homini hoc præceptum esse insinuat. Similiter, et illud: *Non tentabis Dominum Deum tuum,* scilicet Filium et Patrem et Spiritum sanctum, qui est unus Deus. Deus adoratur, et specialiter ei propter se servitur. Hic ostenditur, quod homo Christus, ut Deus et Dominus sit adorandus ex debito. *Servies.* Græce: enim servitus dicitur. Servitus communis Deo et homini et cuicumque, Græce dicitur. Illa vero quæ soli Deo debetur, latratria dicitur: unde idololatria, quæ quod soli Deo debet, idolis dat. Nota diabolum in his vinci in quibus Adam vicit. Quem de gula tentavit, dum de ligno vetito gustare rogavit. De vana gloria, cum dixit Gen. 3.: *Eritis sicut dii.* De avaritia, cum ait: *Scientes bonum et malum.*

reliquit eum diabolus: et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.[‡] 12 Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam:[¶] 13 et, relicta civitate Nazareth, venit, et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim:[§] 14 ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam: 15 [Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium:^{**} 16 populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.]^{††} 17 Exinde cœpit Jesus prædicare, et dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.^{‡‡} 18 Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus,

[‡]4.11 **Accesserunt.** Non quasi tunc primum adeuntes, sed agonem Domini procul aspicientes, ne videatur eorum præsidio eguisse vel vicisse. Sed ut ille victus abiit, parati ad obsequium venerunt. Sicut in hoc agone militia nostra præstruitur, ita in obsequium angelorum gloriosa remuneratio docetur.

[¶]4.12 **Cum autem audisset.** RAB. Hic Matthæus, sicut Marcus et Lucas, prætermittit primum adventum Domini in Galilæam, postquam, etc., **usque ad, Hoc fecit initium signorum Jesus.** Et iterum: **Nondum Joannes missus erat in carcerem. Joannes,** etc. Quod erat propter Evangelium. Jesus hoc idem perfectius prædicans ad tempus cedit et fugit, ut sit exemplum suis. **In Galilæam.** Duæ sunt Galilææ: una dicitur Judæorum, altera gentium propter inhabitationem gentium, quam partem dedit Salomon regi Tyri qui gentes ibi posuit.

[§]4.13 **Nazareth.** RAB. Unde Christus Nazaræus dicitur, vicus est in Galilæa juxta montem Thabor, etc., usque ad quia in medio gentium ad dilatandum verbum Dei fortiter consistit, ut credentibus refugium periclitantibus ostendat fidei portum.

^{**}4.15 **Terra Zabulon.** ID. Quod primo positum est prætermittit evangelista; scilicet: **Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthalim** Isa. 9.: sicut et quod in medio est, etc., usque ad sed pro figura eorum qui vocandi sunt de gentibus, ea quæ gentium est hic memoratur.

^{††}4.16 **Populus.** AUG. Populus iste qui prior ductus est in captivitatem, et in tenebris vitiorum erat, prior lucem prædicationis Christi vidit. Deinde in omnes Evangelium disseminatum est. Unde sequitur: **Habitantibus in regione. Umbræ mortis.** Mors est in inferno. Umbra hujus mortis sunt peccata, quæ nunquam sine morte. Qui ergo vult fugere mortem, vitet umbram.

^{‡‡}4.17 **Exinde.** Postquam baptizatus est. Baptismus idoneos facit ad prædicandum. **Exinde,** id est, tradito Joanne: quia lege desinente sequitur Evangelium, ut auro-ram sol. Humilis magister qui doctrinam discipuli non impedit, sed exspectat donec consummet cursum suum. In quo docet, ne quis ab inferiore persona sermonem contemnat. Unde Apostolus. **Si cui revelatum fuerit, prior taceat. Pœnitentiam agite.** Eadem quæ præco prædicat: ut ostendatur non alius quam qui in voce clamaverat. Christus enim verbum quod clamat in Jordane organo et in omnibus qui ab initio aliquid divinitus dixerunt: et tamen iste solus vox, quia per eum præsens verbum ostenditur quod alii longe nuntiaverunt. Inter enim vocem et verbum nihil est medium, sed ut vox sonuit, mox verbum percipitur: sicut Joannes clausus desitit: Christus virtutibus claruit. Unde Joannes est figura prophetarum et legis, qui vere sunt vox clamantis sapientiæ Dei, quorum Joannes est finis, quibus cessantibus solum verbum, quod in eis sonuerat, per se ostenditur. RAB. Hæc prædicatio Christi in Capharnaum coruscantibus miraculis incepta, dicitur, etc., usque ad Baptista in carcerato prædicare incepit.

mittentes rete in mare (erant enim piscatores),^{¶¶} 19 et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.^{§§} 20 At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.* 21 Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: et vocavit eos.† 22 Illi autem statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum. 23 Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni: et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo.‡ 24 Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, et tormentis

¶¶4.18 **Qui vocatur Petrus.** Vel quando primum Andræas adduxit eum, hoc nomen inditum est ei, dum dicitur: **Tu vocaberis Cephias** Joan. 1., quod interpretatur **Petrus**: quanquam hic videtur de futuro promittere. Vel quando confessus est: **Tu es Christus Filius Dei vivi**, dictum est ei: **Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam** Matth. 16.. BEDA. Petrus, **agnoscens**: Andræas, **virilis**: quod doctoribus convenit: quia hi soli, etc., usque ad quia vero primus homo inobediens exivit, secundus obediens ingressus est RAB. Matthæus dicit post habitationem Capharnaum discipulos vocasse. Joannes dicit, etc., usque ad ante autem quam veniret Jesus in Cana Galilææ, Andræas Petrum adduxit, sed nondum discipuli. **Mittentes rete.** Quia quos sæpe terrenis lucris inhiare considerat, cœlestibus desideriiis advocat, et per eos retibus Evangelii, alios de profundo iniquitatis eripit, unde subdit: **Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum** Joan. 1..

§§4.19 **Piscatores.** Piscaturus per piscatoria vadit loca. Mystice. Cum incarnatus carnem suscepit, divinitus vidit in mari mundi spirituales piscatores: et aliis quid essent ostendit, quos ab æterno prævidit.

*4.20 **Continuo.** Perfecta obedientia est sua imperfecta relinquere. Relictis retibus: quia et si postea resumunt, non cupiditate et proprietatis amore. In his datur forma volentibus sequi. Mutatur intentio non piscatio, mutantur retia in doctrinam, cupiditas in amorem animarum: fit mare sæculum, navis Ecclesia, pisces boni et mali homines.

†4.21 **Vidit alios duos.** Ecce in his quatuor numerus evangelistarum præfiguratur, qui animas a mundo extrahunt de quatuor partibus mundi. Bini et bini vocantur, quia charitas non nisi inter duos est. Vocatio dicitur: Vel secundum electionem gratiæ. Unde dicitur: **Quos vocavit** Rom. 8., etc. Vel secundum illud: **Multi sunt vocati** Matth. 10.. AUG. Quæritur quomodo Matthæus et Marcus dicant binos vocasse Jesum: primo Petrum et Andræam, etc., usque ad ideo autem piscatores illitteratos misit prædicare, ut fides in virtute Dei, non eloquentia hominum putetur. **Zebedæi et Joannem.** Zebedæus fugitivus, id est, diabolus. Jacobus, supplantator qui adjuvatur a Joanne, id est, a gratia Dei. **Et vocavit eos. Illi autem,** etc. Vocavit et alios, sed sufficit nominare istos.

‡4.23 **Et circuibat Jesus totam Galilæam.** Coadjutoribus vocatis prædicationi insistit, docens impigrum esse debere doctorem. **Docens in synagogis.** Docens de moribus, vitæ activæ subditos. Prædicans de futuris vitæ contemplativæ perfectis. Docens naturales justitias, castitatem scilicet et humilitatem et similia quæ homo naturaliter habet. Prædicans Evangelium regni. Ad Evangelium pertinet mysterium justitiæ, bonum initium, beatitudinis promissio, peccatorum remissio, adoptio, resurrectio, cœlestis hæreditas, angelorum societas. **In synagogis.** Nec otiosus doctor in vacuum discurrat, sed ubi sunt plures prædicet. **Evangelium.** Quia justitia est molestia viventi in carne, labor justitiæ non suscipitur, nisi merces operis expectetur. Ideo Christus evangelizat beatitudinem, ut excitet ad boni operis patientiam. **Et sanans.** Curare languorem et infirmitatem non fuit magnum, cum postea morituri. Sed ideo factum, ut sic erigerentur ad regnum. Moraliter instruens prædicatores etiam terrena subsidia subditis ministrare, et sic ad regnum trahere.

comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos:[¶]
²⁵ et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, et Decapoli, et de Jerosolymis, et de
 Judæa, et de trans Jordanem.[§]

5 Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt
 ad eum discipuli ejus,^{** 2} et aperiens os suum docebat eos dicens:^{†† 3} Beati pau-
 peres spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.^{‡‡ 4} Beati mites: quoniam ipsi

[¶]4.24 *Et abiit opinio.* BEDA. Opera salutis sine fama boni odoris non satis relucent auditoribus, nec fama sine opere proficit: sine quibus, etc., usque ad curat corpora, ut paratius audiant invisibilia. Aliter parum erat mox morituris curam impendere.

[§]4.25 *Secutæ sunt.* AUG. Quadripartitæ turbæ, scilicet. Alii, etc., usque ad alii, per invidiam volentes eum accusare et in aliquo capere.

^{**}5.1 *Videns autem Jesus.* AUG. Huic rei consentit Lucas dicens: *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare* Luc. 6., etc. Sed Lucas dicit, etc., usque ad non enim omnes omnia possunt: quod verius putatur quamvis idem utriusque simul possit videri factus. *Ascendit.* Docens suos ascendere nec in turba remanere: altiorum docturus justitiam, quam illam quæ est Scribarum et Phariseorum. Ascendit ipse mons in montem, ut altiora virtutum culmina doceret, et Ecclesiam supra quam sedet prædicans præceptum Domini sublimius erigendam ostenderet quam eadem doctrina usque ad finem sæculi plenius erudiret. Apostolos præeminentius abducit, ut a monte prius suscipiant montes pacem populo. *Sedisset.* Sessio humanitatis per quam cognoscitur. Unde: *Et mundus eum non cognovit,* ante incarnationem. *Accesserunt.* Ut vicinius audiant, qui ad implendum animo properant.

^{††}5.2 *Et aperiens.* Apertio oris profunditatem significat sacramenti. Quasi abyssum, quasi thesaurum aperuit, quasi fluvium paradisi. In hoc monte Novum Testamentum in cordibus filiorum scribit, incipiens a beatitudine qui in monte Sinai Vetus Testamentum in lapidibus servis dedit incipiens a terrore. AUG. Sermonem quem locutus est Dominus noster in monte, sicut in Evangelio, etc., *usque ad, Omnis qui audit verba mea hæc et faciat, assimilabo eum viro sapienti* Matth. 7..

^{‡‡}5.3 *Beati.* GREG. NYSS. Beatitudo, ut mea fert opinio, comprehensio est omnium earum rerum quæ, etc., usque ad miseria enim est in acerbis et tristibus nostraque voluntate non occidentibus casibus et calamitatibus ærumna. *Beati pauperes.* Sententiarum numerus diligenter est attendendus. Incipit enim beatitudo ab humilitate. HIER. *Beati pauperes spiritu.* Quia non necessitas sed fides, et devotio paupertatis beatos facit, etc., usque ad sicut initium sapientiæ timor Domini, sic paupertas est principium beatitudinis. CHRYSOST. Pauperes spiritu sunt humiles et contriti corde. Spiritum autem hic animam et voluntatem dixit. Quoniam autem multi sunt humiles non spontanei, sed astricti necessitate, primos vocat beatos.

possidebunt terram.^{¶¶} ⁵ Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.^{§§} ⁶ Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* ⁷ Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.[†] ⁸ Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. ⁹ Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.* ¹⁰ Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.[¶] ¹¹ Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum

^{¶¶}5.4 **Beati mites.** Mites sunt qui malis moribus dominantur: perfecta virtus est morum possessio. THEOPH. Mites sunt, non qui prorsus non irascuntur, etc., usque ad sic doctrina viri per patientiam dignoscitur. **Possidebunt terram.** AUG. Illam terram ego credo de qua in Psalmo dicitur: *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium* Psal. CLXI.

^{§§}5.5 **Beati qui lugent.** Pro suis vel aliorum peccatis, qui est ab irriguo inferiori, sed qui fit ab irriguo superiori est ex desiderio cœlestis patriæ. Ille lavat præsentis sordes, hic accendit acrius æternorum amatores. Qui autem peccata deposuit, mores mansuetudine correxit, flevit etiam, jam potest esurire et sitire iustitiam, quod prius non poterat. Hæc virtus sine spiritu fortitudinis non impletur: quia per eum esuriendo ad satietatem quandoque veniemus. **Beati qui lugent.** Restat post prædicta ruinarum colluvionem luctu purgare. Luctus pro peccatis vel pro desiderio cœlesti consolationem meretur et non alius. Hi scientiæ spiritu illustrantur, ut sciant quibus malis involvantur. HILAR. Lugentibus non orbitates, aut contumelias, aut damna mœrentibus, sed peccata vetera flentibus, et crimum quibus obsordescimus conscientia ærumnosa, hæc sedula in cœlo consolatio præparatur.

*5.6 **Beati qui esuriunt.** Amatores verbi boni, quibus non satis est quod iusti sunt, sed semper sitiunt opus iustitiæ. Iustitia est sua cuique tribuere, sibi, et proximis, et Deo. Hæc iustitia non plene implebitur, donec Deus sit omnia in omnibus: ideo hic possumus esurire, non saturari. Iustitiæ lumen est misericordia, misericordiæ virtus iustitia; hæc misericordia eget spiritu consilii, sine quo nemo circumspice miseretur. Initium est sui misereri, finis est pro alio mori. Ordo enim est miserendi ut unusquisque incipiat a se. Finem Christus insinuat, pro peccatoribus mortuus ex misericordia.

†5.7 **Beati misericordes.** Misericordia nascitur de præcedentibus, quia si præcesserit vera humilitas et animus mansuescat, et suos et aliorum casus fleat, et iustitiam esuriat, post nascitur vera misericordia. Tunc enim miserias alienas faciet suas et pro viribus juvabit: et si juvandi facultas deest, compassio non deerit: **Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est** Luc. 6., id est, ad hoc misereamini ad quod et Deus, ut bonitas redundet in omnibus: misericordia sine iustitia remissio et tepiditas; iustitia sine misericordia severitas et austeritas dicitur.

*5.9 **Beati pacifici.** RAB. Pacifici sunt qui omnes motus animi componunt et rationi subijciunt, quia his nihil repugnat qui similes patri, etc., usque ad cum autem Deus erit omnia in omnibus, tunc beatitudo adoptionis dabitur.

¶5.10 **Beati qui persecutionem.** In prædictis septem est perfectionis ostensio et probatio. Qui prædicta habent, pati possunt persecutionem: et recte tenet prædicta quæ accepit qui pro eis paratus est mori.

vos mentientes, propter me:^{§ 12} gaudete, et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.^{** 13} Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.^{†† 14} Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita,^{‡‡ 15} neque accendunt lucernam, et ponunt

§5.11 *Beati estis cum maledixerint.* Hucusque generaliter sententias posuit quasi ad absentes, cum et ad præsentis pertinerent, nunc ad eos verba convertit (quamvis et hoc aliis conveniat), prædicens quanta pro nomine ejus essent passuri: quia dignitatem gradus eorum eis intimare volebat dicens: **Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi;** ut ex tristibus humilitatem, ex lætis acciperent consolationem. **Maledixerint.** Antiqua translatio habet: **Cum oderint vos homines, et dixerint omne malum, et expulerint.** Idem tamen sensus in nostra, cum maledicta ex odio cordis fiant. Qui gloriam cæli optat, non timet opprobrium in terra; quantum quisque de laude hominum lætatur, tantum de opprobrio tristatur. Quem laus extollit, vituperatio deprimit: ubi quis quærit laudari tantum apud Deum, non timet confundi in conspectu hominum. **Mentientes.** Hoc addit ne gloriatur de quo vere mala dicuntur. Etiam addit: **Propter me,** quia aliquando falsa dicuntur, quod accedit temeritate hominum, non tamen propter Christum hoc patiuntur, quem non sequuntur.

5.12 *Quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Non in volubilibus, cum non in rebus volubilibus merces æterna esse debeat, sed in spiritualibus firmamentis, ubi habitat sempiterna justitia. Jam ergo sentiunt hanc mercedem qui spiritualibus bonis gaudent. Sed perficietur cum mortale hoc induet immortalitatem. **Sic enim persecuti, etc. Temperat exemplo rigorem passionis. Tribus modis fit persecutio: odio cordis, dictis, factis.

††5.13 *Vos estis sal terræ.* Hic jam ostenditur apostolorum officium, scilicet quod sunt sal terræ et lux mundi. Hoc specialiter ad apostolos, qui prædictis virtutibus, paupertate scilicet et aliis, debent ornari, ut sint sal optimum condientes alios doctrina, et vitæ suæ exemplo. Sal, salus a corruptione. Unde propheta: **Posui te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extrema terræ. Quod si sal,** etc. Id est, si vos, per quos alii condiendi sunt, adversis vel prosperis cesseritis: per quos a vobis error auferetur, cum vos Deus tollere aliis elegerit? Ad nihilum valet: quia (ut alius evangelista ait) nec terræ utilis est quam suo injectu germinare prohibet, nec sterquilinio quod non fecundare sinit. Sic qui retro vadit, nec ipse fructum fert, nec alios valet excolere, sed ab Ecclesia ejicitur, et in hæc verba ridetur: **Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare. Si sal evanuerit** Luc. 4.. Id est, si timore vel cupidine doctor sapientiam omiserit, per quem fatuitas ejus emendabitur? Hoc solis apostolis convenit: Quod sequitur, omnibus magistris: **Ad nihilum valet ultra,** etc. In fine de omnibus concludit sic: **Nisi abundaverit justitia,** etc. **Et conculcetur ab hominibus.** Sanctus et verus minister Christi, etsi a malis ridetur, conculcari non potest, quia mente fixus in cœlo manet.

‡‡5.14 *Vos estis lux mundi.* Prius sal quam lux, quia prius vita quam doctrina: vita ducit ad scientiam veritatis. Qui Deum timet, scientia non caret. **Lux mundi.** Alia causa est quare non debent deficere: quia illuminati a Christo verbo et exemplo: quocunque illati mundanis lucem fidei et scientiæ debent ministrare. Et sicut (quia sunt sal) debent corruptionem pellere: sic et tenebras (quia lux sunt) fugare. **Non potest civitas,** etc. Quia apostoli fundamenta sunt, apte civitas dicuntur. **Supra montem.** Locus montem justitiæ innuit, qui excelsus est, quo propalamini ne vos abscondatis. Non enim facultas subterfugiendi vel clam aliquid faciendi; ideo subditos misericorditer intus consilio regite, et extra contra adversarios pro justitia pugnando defendite: quod pertinet ad spiritum consilii et fortitudinis.

eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.[¶]
¹⁶ Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.^{§§} ¹⁷ Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* ¹⁸ Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum et terra, jota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.[†] ¹⁹ Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.[‡] ²⁰ Dico enim vobis, quia nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.[¶] ²¹ Aud-

[¶]5.15 *Neque accendunt lucernam.* Domesticis exemplis docet, ne celent lucem verbi sibi commissam. Non accendunt, id est, non ideo data est doctrina prædicationis ut celent eam et subjiciant servituti corporis, dum aliqua timent. Sed corpus suum ministerio Dei subjiciant, ut per vocem et cætera corporis officia lux excellentior cæteris appareat. Unde dicitur I Cor. 9.: *Castigo corpus meum*, etc. Vel, Christus lucernam accendit, dum testam humanæ naturæ flamma suæ divinitatis implevit: quam nec credentibus abscondit, nec modio, id est mensura legis, vel terminis unius gentis inclusit. Sed super candelabrum, id est, Ecclesiam fidem suæ incarnationis affixit, ubi omnes possint intueri, qui in domo, id est, Ecclesia sunt vel mundo. Unde subdit: *Sic luceat*, etc. *Candelabrum.* Sicut lucerna Christus, candelabrum crux est, super quam erat levandus. Candelabrum Ecclesia, quæ verbum vitæ præsentis bajulat.

^{§§}5.16 *Sic luceat*, etc. Et hæc omnia ita agite, ut non finem boni operis in laudibus hominum constituatis. *Ut videant*, etc. Opera requiro, ut videantur, et sic doctrina confirmetur: et hoc non ad gloriam vestram.

*5.17 *Nolite putare.* Postquam hortatus est omnia pati pro veritate, et non celare, et gloriam Dei facere, incipit docere quid docturi sint. Quasi diceret: Quid est quod vetas abscondi, pro quo jubes omnia pati? an est aliquid contra legem? *Non veni solvere legem, sed adimplere*, vel faciendo quod dicit, vel supplendo quod deerat et imperfectum erat.

[†]5.18 *Iota.* BEDA. Hic ostenditur, quod quæ minima putantur in lege, sacramentis spiritualibus plena sunt, et omnia, etc., usque ad quia iota decem significat, id est decalogum, cujus apex est Evangelii perfectio. *Omnia fiant.* Spiritualiter impleantur, vel imperfecta perficiantur, et significantia, id est impletione, consummentur.

[‡]5.19 *Qui ergo solverit*, etc. Minima sunt crux Christi et passio, quam qui erubescit minimus est; qui confitetur magnus. Vel Pharisæos notat, qui mandata Dei dimiserunt pro suis traditionibus, quæ nihil valent, dum vel minimum, quod in lege est, prætereunt. Moraliter autem solvit qui non implet, sed tenet sicut infirmis data sunt. Vel qui non intelligit spiritualiter. Solvere, non est agere, quod recte intelligit, vel non intelligere quod non depravat, aut minuere integritatem superadditionis Christi. *Minimus vocabitur*, etc. In regno cælorum minimus vocabitur qui erit in eo indignus, in quo nullus minimus sed omnes magni. *Qui autem fecerit.* Qui non solverit, et sic docet, non minimus, non tamen magnus: sed facit quod docet. *Soli enim factores legis justi sunt apud Deum* Rom. 2..

[¶]5.20 *Dico autem vobis.* Cum ait, dico, magnam vim et profundam intelligentiam cogitandi incussit: ostendit quomodo superaddit. Et non quæ prius mandaverat, absolvit. Plus etiam est diligere inimicos quam non odisse: non cupere, quam non adulterari: non irasci, quam non occidere. *Nisi*, etc. Id est, non solum minima legis præcepta impleveritis, sed et ea quæ addo: quia dum fiunt addita ad perfectionem, etiam hæc plenius aguntur quæ præmissa sunt ad inchoationem: quia qui non videt mulierem ad concupiscendum eam, nec fornicatur: nec occidit qui non irascitur. *Iustitia vestra.* Iustitiam Pharisæorum vocat omnia illa ad cultum Dei actualiter præcepta: seu figurarum mystica tantum ad litteram instituta.

istis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio.[§]
²² Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, *raca*: reus erit concilio. Qui autem dixerit, *fatue*: reus erit gehennæ ignis.^{**} ²³ Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te:^{††} ²⁴ relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum.^{**} ²⁵ Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro: et in carcerem mittaris.^{¶¶} ²⁶ Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.^{§§} ²⁷ Audistis quia dictum est an-

§5.21 *Audistis*, etc. Exponit quæ est justitia Pharisæorum, quam qui adimplet non statim magnus, sed aliquem gradum conscendit.

**5.22 *Ego autem*, etc. Perfectionem quam venit implere incipit explanare, et quomodo justitia eorum debeat superabundare. *Omnis qui irascitur*. Quia nesciebant homicidium esse nisi peremptionem: aperit omnem motum animi ad nocendum, in homicidium computari. Mandatum Christi non est contrarium legi, sed latius legem in se continens. Qui non irascitur, non occidit. Sed non econtra, licentia irascendi causa homicidii. Tolle iram, et homicidium non fit.

††5.23 *Si ergo offers munus tuum*. Explanat ampliorem justitiam ostendendo quod si non licet fratri irasci, multo minus in animo retinere quod in odium quærat converti. Si quidquam mali contra proximum in animo habemus, Deo placite offerre non possumus. *Si ergo offers*. Secundum litteram hoc absurdum est. Est ergo in interiori templo altare, id est fides, cui quodlibet munus, id est, psalmus, hymnus, oratio, et hujusmodi, nisi sit innixum non est Deo placiturum. *Et ibi*, etc., id est, cum in corde (quod est templum interius) tale munus oblaturus es, si in mentem venerit quod frater tuus habet aliquid adversum te, quem tu læsisti. Si enim ipse te læsit, non ipse, sed tu habes adversum eum: nec tunc oportet te veniam petere, sed dare sicut vis tibi dimitti.

**5.24 *Relinque ibi*, etc. Non ait refer: quia quod recte offertur immutari non licet. Sed relinque, donec placabilius offeras: non enim munus repellit, sed charitatem proximi quærit, sine qua nemo ad charitatem Dei pervenit. Unde: Prius charitatem proximo exsolvat qui munus suum Deo placere optat. *Vade*. Non pedibus, sed animo humiliter ei prosternas in conspectu illius cui oblaturus es. Vel petendo veniam si præsens est. *Offeres*. Hoc ex spiritu pietatis quo mitis fit, et divinum verbum pie intelligit, intelligendo obedit, et ad implendum cor erigit.

¶¶5.25 *Esto consentiens*. Sicut jam præcepit fratri reconciliari et post jubet inimicos diligere, ita hic dum currimus in via hujus sæculi, ad pacem et concordiam hortatur, sicut dicitur: *Si fieri potest quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes* Rom. 12.. Et pro consentiens ex Græco habetur benignus vel benevolus. *Cito*, ne differas in crastinum: *Dum es in via*, dum adhuc licet operari. Si fratrem læsisti, reconciliare ei. Si adversarius exstiterit, esto benevolus, ut fiat amicus. *In via cum eo*. Sermo divinus, nobiscum est in Christi via. Adversarius nobiscum in via sæculi. Sermo divinus nobis via est qua currimus. Unde: *Viam mandatorum tuorum curre, cum dilatasti cor meum* Psal. 118.. *Ne forte tradat*. Sic temperavit, ut pœnitentiæ locum non afferret: putaretur enim, quod si obiisset adversarius et non posset ei in via esse benevolus, necessario iudici traderetur. Sed et locum pœnitentiæ reliquit, et impœnitentem iudici tradidit, dicens: Iudex tradat te ministro. *Tradat*, id est, causa sit cur tradaris in manus Christi, cui Pater omne iudicium dedit. Christus ministro, id est angelo, qui colliget zizania.

§§5.26 *Novissimum quadrantem*. Id est, minuta peccata, quia nihil erit impunitum. Vel per quadrantem novissimum, significantur terrena peccata, quia prima pars mundi cœlum; secunda, ær; tertia aqua; quarta, novissima terra. Ergo donec reddas novissimum quadrantem, id est, donec luas peccata quæ de terra contraxisti.

tiquis: Non mœchaberis.* ²⁸Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. ²⁹Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.† ³⁰Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.‡
³¹Dictum est autem: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.¶
³²Ego autem dico vobis: quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicatio-

*5.27 **Audistis.** RAB. Adhuc qui dixit: **Non veni solvere legem, sed adimplere** Marc. 11.. Addit: quantum debeat abundare, etc., usque ad quando anima relicta superiori lege, turpi voluntate inferiorum prostituta corrumpitur. **Viderit mulierem.** BEDA. Magna superadditio. Visus ponitur pro omni motu qui est, etc., usque ad quia non secundum quod quisque potuit et non licuit, sed secundum quod voluit et proposuit ex conscientia accusatur vel defenditur. **Ad concupiscendum.** Ut transeat in affectum cordis, ut facere disponat, ubi non deest voluntas, sed occasio: quod passio dicitur, quæ est mors in domo. Propassio est animi subitus affectus vel iræ, vel amoris. Passio est animi forma vel deliberatio ex consensu. Unde dicitur aliquis iracundus vel amator. ISID. Si contemplatio vertitur in tædium vel in arrogantiam, dimitte eam, et transi ad activam: quia melius est per activam salvari, quam per contemplativam perire.

†5.29 **Erue eum.** Ad litteram nullum membrum erui præcipitur, sed interior visus qui dexter, et exterior qui sinister dicitur, per studium pii laboris si nocet est revocandus vel removendus: et etiam longe faciendus, ut scilicet nec in memoria habeatur. Eruiat oculus cum frangitur malus usus. Projicitur, cum ex toto annihilatur, nec intrare permittitur.

‡5.30 **Dextera manus tua.** Prospera operatio, vel aliquis adjutor strenuus intra vitæ negotia: qui si scandalum est in lege Dei, melius est illo præciso salvari, quam cum illo damnari. **Abscinde eam,** etc. Si quis hoc prædicat de membris, affectu pietatis non debet audiri. Sed ut improbitas morum et pravitas actionum inde resecetur, ut quidquid in oculo mentis de via justitiæ et morum probitate nos subvertit, et quidquid contra operationem virtutum extra pulsat, procul pellatur. **In gehennam.** Nomen gehennæ in veteribus non invenitur: sed prius a Domino ponitur. Cujus nominis occasio est. Idolum Baal fuit juxta Jerusalem ad radicem montis Moria ubi Siloë fuit. Hæc vallis irrigua fuit et nemorosa et plena deliciis, et locus in ea idolis consecratus: populus autem Israël adeo insanivit, ut relicto templo ibi immolarent, et filios suos incenderent dæmoniis. Et dicebatur locus iste Gehennon, id est, vallis Ennon. Comminatur autem Deus se impleturum locum illum cadaveribus, ut vocetur polyandrum, id est, tumulus mortuorum: hujus ergo loci nomine futura supplicia designantur.

¶5.31 **Det illi.** AUG. Scripsit Moyses in Deuteronomio, quod si uxor non placet viro propter aliquam fœditatem, dimittat eam. Quod Christus exponit, etc., usque ad sicut diligit inimicum, non in hoc quod inimicus et malus, sed quod homo ut secum sit salvus. CHRYSOST. Permisit Moyses dari libellum repudii, ne propter odium funderetur sanguis. Permisit fieri mala, etc., usque ad quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus.

nis causa, facit eam mœchari: et qui dimissam duxerit, adulterat. § 33 Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. ** 34 Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est: 35 neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis: 36 neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. †† 37 Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est. †† 38 Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, et dentem pro dente. ¶ 39 Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed

§5.32 **Causa fornicationis.** Quia in hoc fides castitatis et connubii rumpitur: et ille non facit eam mœchari, sed ipsa causa est reatus sui. Si autem pro fornicatione dimittit, a fornicatione debet esse immunis, nec aliam ducere licet dum illa vivit. **Fornicationis causa.** Feminæ, quæ fornicata est, vel viri ne fornicetur, scilicet si uxor cogat ad idololatriam, vel ad avaritiam, vel ad alias illicitas concupiscentias. Non enim fornicatio est tantum stupri, sed generaliter quæ a lege Dei aberrare facit. **Et qui,** etc. CHRYSOST. Non dicas quoniam vir suus eam dimisit, quia etiam postquam dimissa est, remanet dimittentis uxor.

5.33 **Reddes autem. Si jurare contigerit: per Creatorem jurabis: non per creaturam. Hoc enim per quod jurat quilibet veneratur: hoc amat, hoc timet. Ideo lex præcipit ut non juretur nisi per Deum. **Ego autem,** etc. Docet nil tam vile in creaturis quod quis pejorare debeat, dum a summo usque ad imum, juramentum vetat, id est, a cœlo usque ad capillum. In Deum pejorare convincitur, cujus thronus est cœlum, et cujus est quidquid est. **Per cœlum.** Illi vel cœlum plus aliquid suspicabantur, vel per illud jurantes non putabant se juramento teneri: ideo sententiam sic temperat, ut et cœlum creatura Dei credatur, non plus aliquid: et quia thronus ejus est perjurium timeatur. Sic et de terra, quia scabellum pedum ejus. Qui ergo per creaturam jurat, illi debet juramentum qui eam creavit et regit, nec alii recte putatur reddi. Non juremus per creaturas ut veneremus eas ultra quam debemus per eas, ut viles existimemus, ut scilicet cum per eas juremus nihil jurare putemus. **Neque per terram.** Alii per salutem Pharaonis, qui Dei judicio positus est in infimis. **Non est potestas nisi a Deo** Rom. 13.: et in hoc Deum juras. **Neque,** etc. Quod non est tuum opus, sed Dei: et ita in minimis Deum jurando perjurium incurrere potes. Qui per caput jurat, illi debet cujus figura et potestas in eo manet.

††5.36 **Quia non potes,** etc. Hæc prædicta cum sint ardua et difficilia, nemo sine spiritu fortitudinis servat. Compellit ad perfectionem, dum tollit jurandi occasionem.

††5.37 **Est, est; non, non.** Ideo bis dicit, ut quod ore dicis, operibus probes. Quod verbis negas, factis non comprobes vel confirmes. Non penitus jurare prohibuit, sed occasione perjurii. Quod perfectius est docuit ostendens quod ulterius est a malo esse. Apostolus jurat, ut fidem persuadeat: Ecclesia etiam pro fœdere pacis ac fidei suos jurare concedit. Sed Christus quod perfectius est docuit, quod infirmitatis indulsit, quod superstitiosum resecauit. Veritas Evangelii juramentum non recipit, sed alterius infirmitas id cogit, dum veritati non credit. **A malo est.** Non quidem malum, quia etsi non bonum, tamen necessarium, sed a malo est, non tuo sed illius a quo cogeris jurare, id est, ab infirmitate illius quæ malum est.

¶5.38 **Audistis.** AUG. Lex modum ultionis instituit: oculum pro oculo. Quod si dici potest, etc., usque ad sed pro dilectione justitiæ, justum pro injusto, quod est bonum pro malo, quod etiam iudex facit. Quod dicit, **oculum pro oculo, dentem pro dente:** non alterum vult tollere, sed utrumque conservare, dum minatur talionem. Quam etiam cum modo facit, ut injuriam vindicta non transeat: et hæc est pacis inchoatio, et quasi justitiæ inceptio.

si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram:^{§§ 40} et ei, qui vult tecum iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium:^{*} ⁴¹ et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.^{† 42} Qui petit a te, da ei: et volenti mutuari a te, ne avertaris.^{‡ 43} Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.^{¶ 44} Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persecquentibus et ca-

§§5.39 **Non resistere.** Justitia legis rudes instruit in initio justitiæ, id est, non plus quam est illatum reddere. Justitia Evangelii (quæ ducit homines ad regnum) est non resistere malo: **Non resistere:** ut ipse idem: **Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde** Matth. 11.. Et David: **Si reddidi retribuentibus mihi mala** Psal. 7.. Jerem. **Et maxillam dedi percutienti** Thren. 3.. Ecce idem Dominus legis et Evangelii. **Præbe illi.** Non tantum non repercutias, sed si vult alteram ferire, patienter feras: hoc de injuria corporis. De necessariis autem si perdidisti unum, sine tolli et reliquum. Quid ergo de superfluis? **Alteram.** CHRYSOST. Primum indigna res est ut nomo fidelis stet in iudicio ante conspectum iudicis infidelis. Nam et si infidelis, etc., usque ad Si semel in iudicium ingressus fueris, non jam desideras ut veritas causæ appareat, sed ut quocunque modo victor exsistas.

*5.40 **Et ei qui,** etc. Consilium est antequam contendas. Licet quidem infirmis sua repetere, sed non contendere. Lucas e converso: Qui aufert vestem, etiam tunicam noli prohibere. Quod non de his solis, sed de omnibus temporalibus faciendum est. **Tunicam tuam.** Vel, tunica est anima, quam si quis perdere noluerit, dimittat pallium, id est, corpus ad martyrium. Spiritualiter, doctor tunicam tollit, cum interiora vitia facit confiteri, ut est invidia, superbia, et hujusmodi. Ille addit: **Et pallium;** qui et exteriora, ut furtum et fornicationem, non erubescit confiteri.

†5.41 **Mille passus.** Hoc est iter sabbati, quo designatur perfectio spiritualis: quia non licet in sabbato servile opus facere. **Alia duo.** Vadit et alia duo qui dum corpore tantum in servitutem redigitur, spiritu et anima, id est ratione et voluntate, redigi est paratus.

‡5.42 **Da ei.** Quæ honeste et juste possunt dari. Si deest facultas, da affectum verbo vel obsequio. **Da ei.** Ita, scilicet, ut nec tibi noceat, nec alii: pensanda est enim justitia. Ita enim omni petenti dabis, et si non id quod petit, sed melius cum injuste petentem correxeris. **Et volenti.** Duo genera præstandi complectitur. Vel enim benevole damus, vel reddituro commodamus. Et quandoque qui donat, non vult commodare, quasi nihil mercedis in eo sit cum rem acceptam debitor persolvit. Sed vere ille qui etiam hoc jubet, retribuit. Dicit ergo: **Ne avertaris,** id est, nec alienes voluntatem tuam. **Hilarem enim datorem diligit Deus** II Cor. 9., sic et spiritualis doctor verbi divini fœnus auditoribus debet accommodare, ut boni operis retributionem ab illis possit accipere, et a Deo mercedem sperare.

¶5.43 **Audistis.** Qui legem implere venit, in fine ad charitatem plenam perducit, quæ est impletio legis. **Odio habebis.** Forsitan intelligendum est juxta hoc quod supra: **Oculum pro oculo,** etc. Vel subtrahendo officia humanitatis.

lumniantibus vos;^{§ 45} ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos et malos: et pluit super justos et injustos. ^{** 46} Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt?^{†† 47} Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt?^{‡‡ 48} Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est.^{¶¶}

6 Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est.^{§§ 2} Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt

§5.44 **Diligite.** Contra Ecclesiam pugnatur tribus modis: odio, verbis, cruciatu corporis. Ecclesia econtra diligit, benefacit, orat. Hoc est novum mandatum, hoc de filiis iræ facit filios Dei; unde sequitur: **Ut sitis filii.** Adoptio filiorum sola charitate acquiritur. **Benefacite.** Ministrando cibum mentis vel corporis. Quod facit etiam qui dicit eum hujusmodi nec cibum sumere. Omnia enim ea spectant, ut fratres fiant. Singulis singula opponuntur, ut omnes partes malitiæ bonitate vincantur. Videntur contra esse imprecationes prophetarum quæ non dicuntur voto optantium, sed spiritu prævidentium. **Orate.** AUG. Non ait hoc pro fratribus in quibus sunt aliquando peccata persecutione inimicorum graviora, etc., usque ad cum etsi peccasse fateantur, et fecisse mala vehementer eos pœniteat, tamen hujusmodi affectiones mentis habent ut se non humiliant ad petendam veniam. Movere autem potest, quod Joannes in Epistola de dilectione Dei et proximi tantum monere videtur, ut fratres diligamus, cum Dominus dicat et pro inimicis orandum. Sed fratres intelliguntur non solum qui jam credunt, sed qui credituri sunt, pro quibus orandum est, ut fraterno fœdere nobis socientur.

5.45 **Filii. Non degeneres. Quasi diceret: Accepta potestate operibus agite ut sitis filii renascendo per charitatem. **Patris.** Jam dicitur pater. Videte ut sitis filii renati ex Deo qui est charitas. **Qui solem.** Hunc visibilem. Nam inquit in libro Salomonis, **Sol justitiæ non illuxit nobis** Sap. 5.. Et de pluvia doctrinæ propheta dicit: **Super unam civitatem pluit, et non super alteram. Solem suum** Amos. 4., etc. Quasi dicat: Quem fecit, cujus proprie sunt omnia quæ de nihilo creavit. Quid ergo nos faciemus de his quæ de munere ejus accepimus?

††5.46 **Publicani.** Exactores Romanorum, quos Judæi sic vocant, quia de republica curam gerebant. Dicuntur et nomen traxisse a Publio Romano rege, qui prius eos ordinavit.

‡‡5.47 **Et si salutaveritis.** Si pro his tantum oraveritis, qui aliqua affinitate vobis sint conjuncti, quid amplius habet beneficium vestrum quam infidelium? Oportet fratres diligere, et humiliter salutare: sed parum est.

¶¶5.48 **Perfecti.** In charitate Dei et proximi. Cumulus perfectionis diligere etiam inimicos, et orare pro illis, sicut et Christus fecit.

§§6.1 **Attendite,** etc. Qui hucusque præcepit de misericordia, nunc præcipit de cordis munditia qua Deus videtur. Si enim non simplici intentione sed pro hominum laude, non probantur a Deo opera misericordiæ. Laus hominum non debet appeti, sed subsequi, ut exemplo alios invitet. Hactenus de justitia Evangelii, quæ est super justitiam Scribarum et Phariseorum. Nunc qua munditia cordis eadem justitia debeat impleri: quod in eleemosyna servatur et oratione. Non enim monet hic vel orare vel eleemosynam facere: sed quo animo debemus facere. Agitur enim hic de mundando corde. **Apud Patrem vestrum.** Cujus gloriam filii quærere debent, et omnia bona ad hoc ut placeant ei, referre.

mercedem suam.*³ Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua:†⁴ ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.‡⁵ Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam.¶⁶ Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.§⁷ Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.**⁸ Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester,

*6.2 *Cum ergo*, etc. A toto in partes, ut exponat quæ bona non sint pro hominum laude facienda. *Tuba canere*. Forsitan convocandi gratia hoc fecerunt: ut omnes irent quasi ad spectaculum. *Ante te*. Ante se tuba canit qui ante alios vult laudari: ut appareat major illis. *Receperunt*. A Deo cordis inspectore fallaciæ supplicium de quibus dicitur: *Recedite a me, operarii dolosi: nomen enim meum habuistis: sed opera mea non fecistis*.

†6.3 *Nesciat*. Sinistra, vitia: dextera, virtutes. Quod ergo agit virtus, nesciat elatio, vel vana gloria, seu aliquod vitium: sed lux rectæ operationis fuget tenebras peccati.

‡6.4 *In abscondito*. In abscondito eleemosyna fit, quæ nullis miscetur tenebris: lux intus est, tenebræ extra. *Videt in abscondito*. Videre Dei est approbare. Illa autem tantum approbat quæ sunt abscondita, quæ extra sunt non placent ei neque approbat.

¶6.5 *Et cum oratis*. Ad superiora conjungitur hæc sententia. Supra dixerat: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*; hic subdit: *Et cum oratis*. Non prohibet orare, sed in orando hypocritis similes esse. *In angulis*. Quasi absconsores precum, et tamen in plateis ut videantur, et per hoc amplior gloria. Allegorice. In angulo orat qui in abscondito se orare simulat: et tamen in platea cum famam captat. Anguli platearum sunt ubi via per transitum viæ ducitur, et quadrivium reddit. Non enim nefas est videri, sed appetere videri. *Receperunt*. In his non solum vera merces prava intentione evacuatur: sed vitium simulationis et irrisionis contra Deum augetur.

§6.6 *Tu autem*. Hoc simpliciter intellectum, docet vanam gloriam mundi fugiendam. Sed magis videtur præcipi, ut, inclusa pectoris cogitatione labiisque compressis, oret Deum. Cubiculum autem est cordis secretum. Ostium, carnalis sensus per quem hæc exteriora improbe se ingerunt, et turbæ phantasmatum orantibus obstrepunt. Parum est ergo cubiculum intrare, si importunis cogitationibus ostium patet. Sed resistendum est carnali sensui, ut oratio spiritualis ex intimis cordis dirigatur ad Deum. *Clauso ostio*. Sensibus clausis, ne turbæ phantasmatum exteriorum occurrant. Vel ostium vocat amorem vel timorem hujus sæculi. Sicut enim omne bonum ex timore et amore est Dei, sic omne malum ex amore et timore sæculi. His clausis, id est ablatis, ora. CHRYSOST. Quid ergo, inquis? in Ecclesia non oportet orare? Et valde quidem, sed cum hac voluntate ut illum unum intuearis, qui habet donandi quod petieris potestatem. Ubique enim Deus, quo aliquid facias intuitu, spectat. *Patrem*. Quem intus habes per fidem; unde: *Apud me oratio Deo vitæ meæ* Psal. 41..

**6.7 *Orantes autem*. Sicut hypocritarum est ostendi et placere hominibus, ita gentilium est multiloquium, a quibus et cœpit. Hi enim exercendæ linguæ magis operam dant, quam menti mundandæ: ut hoc nugatorii officii genus, etiam ad Deum prece flectendum transferant, putantes quod sicut orator judicem, ita et ipsi Deum flectere queant. CHRYSOST. Si paucis orandum est, cur parabolam proposuit Lucas ad montem semper esse orandum, etc., usque ad Si quidem et Christus et Paulus jussit breves, sed crebras fieri orationes ex paucis intervallis. CASS. Utilius censent (Patres) breves quidem orationes, sed creberrimas, etc., usque ad succincta brevitate vitemus. *Putant enim*. Putantes quod persuasibilibus verbis Deus mulceatur. Vel si absens est vocetur: et quod nescit, verborum ambagibus doceatur.

quid opus sit vobis, antequam petatis eum.††⁹ Sic ergo vos orabitis: [Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum.‡‡¹⁰ Adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua,

††6.8 *Nolite ergo assimilari eis.* Non enim apud Deum agendum est verbis, sed rebus, intentione cordis, affectu simplici. Quæ cum dicimus, non eum docemus, sed nos tempore orandi recordamur. *Scit enim pater.* Cur ergo scienti loquimur? Non ut nostræ faciamus indicium voluntatis, sed ut excitemus piæ devotionis obsequium.

‡‡6.9 *Pater noster.* BEDA. Inter cætera salutaria monita et divina, quibus consulit credentibus, formam orandi proposuit, etc., usque ad et hi sunt veri adoratores, qui Filii per gratiam adorant Patrem in spiritu et veritate. Nulla oratio magis spiritualis est quam illa quæ ex ore Filii, qui est Veritas, processit. *Pater noster.* Cui non timore, sed amore hæreditatis servimus. Dum Pater dicitur, de adoptione cogitemus, ut Patri pium affectum rependamus. Dum dicitur *noster*, fraternitatis admonetur, cum sit communis adoptio omnibus. Nemo dicat meus, quod proprie filio convenit, cui pater est per naturam. Unde alibi. *Vado ad Patrem meum* Joan. 7., specialiter per naturam: et vestrum, conjunctum per gratiam. *Pater noster dicitur*, quod commune omnibus, nemo dicat meus: quod solum Christo convenit, qui filius est per naturam; aliis conceditur communis gratia adoptionis. RAB. Monetur nobilis et dives non superbire, etc., usque ad Quid negabit filiis, qui jam dedit quod pater est? AUG. Nusquam invenitur præceptum populo Isræel, ut diceret: *Pater noster*, aut oraret, etc., usque ad si ab ejus mandatis non aberrarent. Sicut est illud: *Filios genui et exaltavi* Isa. 1., etc *In cælis.* Spiritualibus, ut ad spiritualitatem in qua habitat, festinare discamus, et cœlestia ab eo quæramus. *Sanctificetur nomen tuum.* Videnda est harum distinctio septem petitionum. Nam cum vita nostra temporaliter agitur speraturque æterna, priora sunt, etc., usque ad liberatio enim facit liberos, id est, filios, ut dicamus spiritu adoptionis, Abba Pater. *Amen*, significat in omnibus his petitionibus indubitanter a Domino tribui quod petitur, si ultimæ conditionis pactum servare non negligimus. Unde subdit: *Si dimiseritis*, etc. *Sanctificetur*, etc. Hic spiritum sapientiæ oramus, ne a sanctificatione nominis primus in aliquo discrepemus: sed patris nomen in filiis moribus et vita ostendatur. Nomen patris in nobis est, qui filii dicimur: quod petimus sanctificari. Non ut ipse sanctior sit, sed ut in nobis operetur augmentum suæ sanctificationis: nam sanctificatio filiorum nomini ejus attribuitur. Ita dicitur sanctificari sicut clarificari, et magnificari in nobis: *Sanctificetur*, id est, ita sicut est sanctum, habeatur hominibus: et ita innotescat illis Deus, ut non putent aliquid sanctius.

sicut in cælo et in terra.^{¶¶} ¹¹ Panem nostrum supersubstantialiorem da nobis hodie,^{§§}
¹² et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* ¹³ Et

^{¶¶}6.10 **Adveniat regnum tuum.** Hic spiritus intelligentiæ petitur, quo mundatur cor ut Deus videatur. Duritia et potestas diaboli excluditur, et in futuro perfectius, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem, et tradetur regnum Deo Patri. Congrue sequitur, ut post adoptionem filiorum regnum petamus quod filiis debetur. Regnum Dei semper est: sed veniat, id est, manifestetur hominibus a quibus ut lux cæcis non videtur, quod nullus ignorare poterit, cum Filius judicare venerit. In quo regnabunt et sancti, ut dicitur, **Percipite regnum quod vobis paratum** Matth. 25., etc. Spiritu intelligentiæ regnum futurum ingredientibus declaratur, et munditia cordis attribuitur, per quam Deus ibidem regnans sicut est videbitur, ubi spiritus sapientiæ complebitur septima sanctificatio nominis ejus. In perfectione senarii adventus regni poscitur, ut curramus omnes in virum perfectum: deinde in eo quiescentibus sanctificetur ipse in nobis dum nos in illo sanctificamur. Ejus requiem jure poscimus in nobis sanctificari, ut perenniter in eo sanctificati requiescamus, in qua sanctificatione pax beatitudinis firmatur et plena sapientia donatur. **Fiat voluntas tua.** Hic petitur spiritus consilii, per quem voluntas Dei inquiritur, ut a nobis impleatur. Voluntas Dei in terris sicut in cælo spiritu consilii regitur. Nobis etiam opus est spiritu consilii: ut voluntas Dei dirigatur in nobis, ut misericordes in re esse possimus. Voluntas Dei semper fit: sed oramus ut libertas nostri arbitrii societur per gratiam suæ voluntati, quæ est sanctificatio nostra et vita æterna. Voluntas Dei est præceptorum ejus custodia. **Sicut in cælo.** Sicut in angelis, ita in hominibus. Vel sicut justis, ita in peccatoribus conversis. Vel sicut in Christo, ita in Ecclesia. Vel sicut mente servio legi Dei, ita et in carne. Secundum spiritum cælum, secundum carnem terra sumus. Oramus ergo ut sicut in cælo, id est in spiritu, ita in terra fiat voluntas: ut caro et spiritus sit homo spiritualis de quo dicitur: **Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.** Nec tantum oratur ut bona velimus, sed fiat voluntas in nobis, ut vivamus tibi, non nobis. Hæc tria perfectius habentur in futuro, sed hic interim ex parte oramus, ut postea perfectius habeantur. Quatuor sequentia præsentis vitæ sunt præsidia.

^{§§}6.11 **Panem.** Esuries justitiæ ut ad saturitatem pertingat, fulcitur spiritu fortitudinis. Ideo oramus: Panem nostrum quotidianum da nobis: sine quo fame moreremur. Panis, corpus Christi est, vel verbum Dei, vel ipse Deus, quo quotidie egemus, vel qui est super omnes substantias. **Hic est panis vivus qui de cælo descendit** Joan. 6., cujus naturæ sublimitas super omnes substantias est. **Nostrum.** Quia Christus noster est factus, et Deus Pater cum Christo omnia nobis donavit. Ideo oramus ut quod nostrum est per donum, quotidie detur per effectum. **Supersubstantialiorem.** Vel quotidianum. Quia **qui edunt me adhuc esurient** Eccl. 44.. Hic quotidianus, in patria æternus. Hic panis assidue per fidem et charitatem interius reficere debet: quia sine eo nemo vivere potest. Vel panis dicuntur spiritualia præcepta, quæ semper sunt exercenda vel conservanda.

* 6.12 **Et dimitte,** etc. Post cibum petit veniam peccatorum, ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat, et ad vitam æternam perveniat. Cum dicimus: **Dimitte nobis debita nostra:** spiritum scientiæ rogamus, quæ delicta intelligimus, quæ sine spiritu scientiæ non intelliguntur. Scientia quippe ad usum temporalium pertinet, quæ virtus est, in vitandis malis et petendis bonis, ut nostra et aliorum contagia ploremus, bona cupiamus. **Sicut.** Ecce qua cautione constringimur, in qua etiam nos adinvicem ad misericordiam inflectit, et peccantibus in se veniam promittit, et nobis et per nos aliis veniam promittit. Culpæ veniam non debemus negare; unde: **Cum oratis, remittite si quid habetis adversus aliquem: aliter enim Pater vester non dimittet vobis peccata vestra.** Pecuniam alicui repetere conceditur, sed debita peccatorum petenti veniam nunquam juste negamus.

ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.][†] ¹⁴ Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet et vobis Pater vester cælestis delicta vestra.[‡] ¹⁵ Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.[¶] ¹⁶ Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt

[†]6.13 *Et ne nos inducas.* Sed spiritu scientiæ illustra, ut sciamus quibus malis involvimur, et ut lacrymæ prosint rogamus: *Dimitte nobis debita nostra. Et ne nos,* etc. Non quod ipse inducat, sed quia deserit et ire permittit. Non vero precatur non tentari, sed nec ad modicum vinci. Tentatio enim est necessaria ad coronam. *Et ne nos,* etc., deserens in tentatione sinas vinci: etsi sinas tentari, sine qua nullus probatus est. *Sed libera nos a malo.* Hæc una petitio, tantum continet quantum omnes superiores. Ut spiritu timoris Dei omnia noxia intus et exterius pellantur: et sub paupertate beate vivamus. *Sed libera nos.* In illam quæ nondum est ne sinas induci, et ab ea in qua sumus ducti, libera: quo facto nihil est metuendum, nihil restat orandum. *A malo,* omni, visibili et invisibili. Hæc liberatio quotidie necessaria est, dum sine malo animæ et corporis non vivitur, sed in fine complebitur, quando immortales et impassibiles erimus. De imis ad summa gradatim sic ascenditur. A malo per spiritum timoris liberamur: inde liberati pauperes spiritu et rebus esse cupimus, dum dicimus, Ne nos inducas in tentationem. Spiritum pietatis rogamus, ut homo interior mansuescat et mitis fiat, ne tentatione moveatur.

[‡]6.14 *Si enim dimiseritis.* Formam imposuit qualiter velimus judicari. Unde indulgentibus coram Deo fiducia respondet impetrandi: exigentes vero, pœna remordet ultionis vel damnationis.

[¶]6.15 *Si autem non dimiseritis.* Nulla excusatio relinquatur, quia unusquisque secundum hanc sententiam in futuro judicabitur. Ex hoc patet, quod unusquisque in sua infidelitate condemnatur.

mercedem suam.^{§ 17} Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava,^{**}
¹⁸ ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito: et Pater tuus,
 qui videt in abscondito, reddet tibi.^{†† 19} Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra:
 ubi ærugo, et tinea demolitur: et ubi fures effodiunt, et furantur.^{‡‡ 20} Thesaurizate
 autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures
 non effodiunt, nec furantur.^{¶¶ 21} Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.^{§§}
²² Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum cor-

§6.16 *Cum jejunatis.* Postquam docuit quomodo orandum sit, docet de jejunio quod iterum pertinet ad munditiam cordis, ne non sit simplex ad Deum, dum ad exteriora rapitur. *Nolite fieri.* Non prohibet virtutem, sed fictam virtutis speciem. Bonum est jejunio pro peccatis tristes esse ad pœnitentiam, et humiliare animam nostram; unde: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias* Psal. 50.. Sed tristitiam quæ pro laude est, prohibet. Unde non ait simpliciter: Nolite jejunare, sed addit: sicut hypocritæ, tristes. *Exterminant.* Id est, extra terminos humanæ conditionis obducunt. Sicut de nitore vestium jactantia est: sic de nimio squalore et macie. Demoliri est quasi dissipare: et venustatem vultus quasi ad nihilum redigere. *Facies suas.* Luctuosis sordibus in quibus etiam jactantia est: et magis sub specie religionis decipiunt. Nota non debere oves pelles suas deponere, sed vestiri, si aliquando lupi eis se contegunt.

^{**}6.17 *Unge caput tuum.* Spirituali lætitia mentem refice diebus abstinentiæ: ut dilectionis odor fragret in operibus misericordiæ. Conscientiam lava lacrymis: ut sit munda coram Deo. Non enim sufficit opus misericordiæ sine munda conscientia: nec hoc sine illo. Palæstinis mos erat in festis caput ungere: ergo caput unge, id est, festivum et hilarem te exhibe: et mentem spirituali oleo refice: et de jejunio non quæras laudem exterius. Sed quia sic a sæculo averteris, coram Deo gaudeas: et sic faciem, id est cor, mundabis a sordibus: quibus remotis, Deum videre licebit. *Unge caput tuum.* Ecce nondum omnia in Novo Testamento ad litteram. Ridiculi enim essent in jejunio oleo delibuti: sed de spiritu amoris ejus, cujus passionibus debemus participare nos macerandum, mens debet inungi et non oleo adulationis: aliter vana sunt jejunia. Christus factus est unguentum nobis: quod effusum per passionem mortis Ecclesiam suam suo odore implevit. Ideo non alterius causa jejunare debemus: sed ejus perfusi spiritu per abstinentiam macerantes carnem ejus passioni participemus. Illo ergo ungamur: ut opera misericordiæ cumulentur: et charitas interius diffundatur: quia sine illo calix nostri jejunii non inebriatur affectu pietatis. Deo jejunat qui pro amore ejus se macerat et quod sibi subtrahit alteri largitur.

^{††}6.18 *Et Pater tuus.* Pater per fidem intus est: et remunerat in abscondito facta. Ibi ergo jejunandum quo ipse videat. Et necesse est ut jejunans sic jejunet, ut ei placeat quem in pectore portat.

^{‡‡}6.19 *Nolite thesaurizare.* Ad munditiam cordis terrena erogari præcipit.

^{¶¶}6.20 *Thesaurizare autem.* Quasi: Cum jejunatis aut aliquid boni operis agitis: ibi recondite ubi corruptio non possit accedere. *In cælo.* Id est, omnem spem in cœlestibus ponite: fide gradientes, charitatem amplectantes. *In cælo,* id est, in spiritali firmamento: quod non transit: *Cœlum et terra transibunt: verba autem mea non transibunt.* Si ergo cor est in cœlo, mundum est, quia munda sunt cœlestia. Si autem in terra volutatur, quomodo mundum est? id est, si quid agit ut terrena consequatur, quomodo mundum est? Si etenim illa in genere suo munda tamen sordescit res dignior dum inferiori miscetur: ut aurum argento, argentum plumbo.

^{§§}6.21 *Ubi enim est thesaurus.* Si in terra, cor est deorsum; si in cœlestibus, cor est in Christo fixum.

pus tuum lucidum erit.* ²³ Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?† ²⁴ Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diligit: aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ.‡ ²⁵ Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus

*6.22 *Lucerna*. Prosequitur munditiam cordis. Sicut oculus membra ad operandum dirigit, sic intentio et lux fidei omnes virtutes. Lucerna est lumen in testa, sic charitas in fide. Cum fides cessabit, sola charitas lux erit. De exteriori, docet officium interioris hominis, intentione mentis et luce fidei omnes virtutes illustrantur, ut redant lucidum corpus. Item ad munditiam cordis per se hoc capitulum est, vel gratia priorum operum quæ palam apparent. *Si fuerit oculus*, etc. Si pura intentione, quæ potes bona agis, opera sunt lucis, etiamsi non ita hominibus videatur. Si perversa intentio est, pravum est quidquid agitur, etsi videatur rectum. Oculus unus et simplex est, scilicet charitas, quæ modo lucet in fide sicut in testa.

†6.23 *Si autem oculus*. Si intentio non est ex fide, totus homo interior tenebrosus est. Quia quod non est ex fide, peccatum est. *Tenebrosus erit*. Quandoquidem intentio sequens opus informat. Ergo si bona quæ agis, quia mala intentione fiunt, tenebræ sunt, quid ea quæ per se mala sunt, et mala intentione fiunt? *Si ergo lumen*. Intentio qua facimus quodcumque, quæ in nobis est nota, lumen dicitur; exitus vero rei incertus est, ut cum quid alicui do vel ago nescio utrum cedat ei bono an malo: et ideo tenebras vocat. Dicit ergo: Si intentio qua facis (quæ tibi nota est) appetitu temporalium sordidatur: quanto magis ipsum factum cujus dubius est exitus? quia etsi bene cedat alii, quod non bona intentione facis, nihil tibi proderit: quia quomodo feceris tibi imputatur, non quomodo illi evenerit.

*6.24 *Nemo potest*, etc. Quasi: non poteritis ad oculum hominum bona agere, et ex his Deo placere. Non simul in cœlo et in terra thesaurizare, nec et vitii et virtutibus deservire. Quidquid facis, vel ex amore Dei, vel servitute diaboli. Cum regnum Dei et diaboli dissideant inter se, in utroque nemo potest simul militare: unde qui baptizantur, diabolo abrenuntiant et operibus ejus. *Aut enim unum odio*. Nihil est medium. Quidquid enim facis, aut ex amore Dei, vel ex servitute diaboli. AUG. Diabolus enim semper est odio habendus: Deus vero, etc., usque ad sed contemnunt, victi concupiscentia sua et persuasione diabolica. *Aut unum sustinebit*. ID. Non quidem diligit: nemo enim diabolum diligit, sed sua cupiditate implicatus, etc., usque ad etsi non amet illum cujus ancillam diligit. *Alterum contemnet*. Non quidem odio habebit: nullius enim conscientia Deum potest odisse, quod retractavit idem Augustinus, dicens: Non video fuisse dicendum. Multi enim sunt de quibus scriptum est: *Superbia eorum qui te oderunt* Psal. 3., etc. *Et mammonæ*. Mammona, Syra lingua, divitiarum, quibus servire Deum negare est. Non dicit habere: quod fieri licet ut bene dispenset, sed servire, quod est avari. Dicitur hoc nomen esse dæmonis qui præest divitiis, non quod in ejus ditione sunt: sed quod his utitur ad decipiendum, irretiendo laqueis divitiarum.

plus quam vestimentum?^f 26 Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?[§] 27 Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?^{**} 28 Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent.^{††} 29 Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.^{‡‡} 30 Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?^f 31 Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid

^f6.25 **Ideo dico vobis**, etc. **Quia non potestis Deo servire et mammonæ.** Ne sitis solliciti, quod est servire divitiis. Contemptum sæculi et fiduciam futurorum toto sermone præcepit, dum et mala sustinere et non ulcisci, et inimicos diligere jussit, et humanam gloriam fugere. Nunc vult confirmare per fidem in spe æternorum, quia plures sunt quos amor præsentium et desperatio futurorum torpentes facit. In sudore vultus paratur panis, sed labor est exercendus, sollicitudo tollenda est, quæ mentem perturbat: dum timet ne aut possessa dispereant aut elaborata non contingant. **Animæ vestræ.** Id est animalitati cui hæc necessaria sunt. Totam spem Deo committite, quia nihil, nisi quod decrevit ille, potestis acquirere vel retinere. Anima hic ponitur pro vita, quæ cibo sustentatur, ut ibi: **Qui amat animam suam, perdet eam** Joan. 12.. Animalitas cibo alitur: et ponitur hic pro vita: vivit cum pecoribus. Quam qui perdit propter Christum, inveniet eam spiritualem in vitam æternam. **Nonne anima?** etc. Non vita propter escam, nec corpus propter vestimentum, sed econtra. Ideo non sit sollicitus animus, ut percipiat quod propter se creatum est. Quasi dicat: Qui dedit majora, id est vitam et corpus, dabit et minora, id est victum et vestes. In his promissis veritatis nemo dubitet: Sit homo quod esse debet, mox adduntur ei omnia propter quem sunt facta.

[§]6.26 **Respicite.** Hoc ad escam. Sancti merito comparantur avibus, quia cælum petunt, et quidam ita remoti sunt a mundo, ut jam in terris nil agant, sed sola contemplatione jam in cælo degunt. De quibus dicitur: **Qui sunt hi, qui ut nubes volant?** Isa. 60., etc. Hæc exempla non prohibent providentiam ne laboret, sed sollicitudinem, ut tota fiducia vestra sit in Deo, cum et aves sine cura vivant. **Et Pater vester.** Exaggerat fiduciam filiorum et confirmat: quia si bonitas Patris etiam ad illa se extendit, quanto magis ad filios adoptionis?

^{**}6.27 **Quis autem vestrum**, etc. Illi autem curam regendi corporis relinquite, qui illud ad hanc mensuram fecit pervenire.

^{††}6.28 **Et de vestimentis.** Non quod laborare et providere hoc non deceat, sed omnis sollicitudo abjicienda est, et spes in Deo habenda est. **Considerate lilia agri.** Exhortationem de indumento satis congruo confirmat exemplo.

^{‡‡}6.29 **Quoniam nec Salomon**, etc. Quæ purpura regum, quæ pictura textricum potest floribus comparari? Ipse color dicitur operimentum florum, sicut dicimus: operuit istum rubor.

^f6.30 **Si enim fenum agri.** Si ista quæ ad usum sunt temporis tantum, et cito decidua igne cremabuntur, Deus tam venuste adornat. Cras pro futuro ponitur in Scripturis, dicente Jacob: **Exaudiet me cras justitia mea** Gen. 30.. **In clibanum mittitur.** Alii libri habent: in ignem vel in acervum qui habet speciem clibani. **Quanto magis vos**, scilicet vestiet; et ideo omnis fiducia in eo habenda; quod si nec de his fidentes sumus, quomodo invisibilia speramus? Permodica fides est, quæ nec de minimis certa est. Ideo et de æternis ingerit fiduciam, et condemnat infidelitatem. **Modicæ fidei.** Quicumque in aliqua promissione dubitat, modicus est fidei, et quanto plus dubitat, tanto minus invenit ea pro quibus sollicitus fuit.

bibemus, aut quo operiemur?^{§§ 32} hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.*³³ Quærite ergo primum regnum Dei, et iustitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis.^{† 34} Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.[‡]

7 Nolite judicare, ut non judicemini.^{¶ 2} In quo enim iudicio judicaveritis, judicabimini: et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.^{§ 3} Quid autem vides

^{§§}6.31 *Nolite ergo solliciti*, etc. Plenius inculcat et revolvit, quod a principio sermonis docuit, ut absque sollicitudine vivamus. *Nolite*, etc. Hic videntur argui hi qui, spreto victu vel vestitu communi, lautiora sibi vel austeriora præ his cum quibus vivunt, alimenta quærunt vel indumenta. *Solliciti esse*. Sollicitudo suffocat verbum Dei, ne fructum referat, et facit similem gentili, id est infidelem.

*6.32 *Hæc enim omnia*. Quid ergo amplius habet a gentili: cujus infidelitas animum sollicitat, et curis vitæ hujus fatigat? *Gentes*. Quibus de futuris cura non est, sed filiorum est quærere regnum. *Scit enim*. Provisa sunt hæc a Deo, qui novit nobis hæc in via sua esse necessaria. *Pater vester*. Sic filios de bonitate et providentia patris securos reddit, absque cura scilicet.

†6.33 *Quærite ergo*. Hic aperte ostendit ista non esse petenda tanquam bona nostra, etsi necessaria. Regnum autem Dei petendum est, et in eo finis noster est ponendus, propter quem omnia faciamus: verbi gratia: Manducemus ut evangelizemus, non evangelizamus ut manducemus. Cum dicit primum, significat hoc posterius, non tempore, sed dignitate. Illud enim petendum est, hoc propter illud necessarium: ergo primum quærite regnum Dei, id est, præponite omnibus rebus cæteris. *Et hæc omnia*. Quia omnia sunt filiorum: et ideo hæc omnia adjicientur, etiam non quærentibus, quibus si subtrahuntur, ad probationem est; si dantur, ad gratiarum actionem; quia omnia cooperantur in bonum.

‡6.34 *Solliciti*. Timore, mœrore, et anxietate curarum, quæ mentem perturbant. *In crastinum*. AUG. In futurum, de præsentibus concedit: unde Apostolus: *Nocte ac die operabamur ne quem gravaremus* I Thes. 2.. De futuris quæ divina procurat ordinatio, non convenit, etc., usque ad quia ille qui hoc præcepit cui ministrabant angeli, propter hoc exemplum dandum loculos habuit: unde necessaria usibus præberet, quorum custos erat Judas. *Dies*. Non quem fecit Dominus, sed cui maledixit Job et Jeremias, scilicet quem diabolus invenit. *Sufficit*. Et quia cura præsentis mentes obruitur, non debet germinari malitia Dei.

¶7.1 *Nolite judicare*. De dubiis, quia de manifestis judicatur, et non de illis de quibus incertum est quo animo fiant: de quibus nemo sine periculo judicat. Iudicium temerarium est quando, quibus commissum non est, judicant, sive sit de manifestis, sive de occultis. Committitur autem iudicium vel magistris Ecclesiæ vel principibus terræ. Hi ergo si de manifestis judicent, quæ scilicet sunt convicta, vel confessa, non temere judicant; si autem de incertis, temere judicant hæc iudicia prohibet.

§7.2 *In quo enim*. Quasi diceret: In qua voluntate benefeceris, in ea liberaberis; et in qua male, in eadem punieris. De his enim agitur in quibus vel temere judicantes offendimus, vel recte agentes excusamus; et ideo addit: *In qua mensura*. Et iuste quorum voluntas non habuit finem peccandi, quamvis cum fine peccaverint, non habent finem ultionis; et quibus iudicium fuit sine misericordia, sine misericordia judicabuntur. *In qua mensura*. Potest in hac mensura in qua aliud mensuratum est, ut triticum, aliud mensurari, ut hordeum: et alia quantitas, ut si unus modius de uno, centum de alio. Ita facit Deus, et non inique ut illi in æternum. Et ipsa infamia, vel malum quod tuleris, causa est cur poenam debitam incurras. Iuste qui æternaliter peccato perfrui volunt, æternam poenam et inveniunt: quorum voluntas non habuit finem peccandi, nec habebit finem torquendi.

festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? ^{** 4} aut quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabs est in oculo tuo? ^{††} ⁵ Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. ^{‡‡} ⁶ Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos. ^{¶¶} ⁷ Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. ^{§§} ⁸ Omnis enim qui petit, accipit: et qui quærit, invenit: et pulsanti aperietur. ^{*} ⁹ Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? [†] ¹⁰ aut

^{**7.3} **Quid autem vides.** Ecce moderamen judicii, et præventus majoribus, alium non judicat de minoribus. Multi enim præventi majoribus, leviora in fratre magis volunt vituperare et damnare quam emendare. Ut si pleni odio vel invidia, vel malitia, damnent in eo quod delinquit ira; quæ est ut festuca, odium, ut trabs. Iratus alicui vult aliquando eum corrigi; qui odit hoc velle nequit: et ideo impossibile dicitur ut festucam fratri demat, qui trabem gestat; prius ergo trabs odii, invidiæ, simulationis et totius malitiæ rejicienda est, ut sic misericorditer respectu Dei, non nostri, fratrem possimus increpare: ut, sive prosit illi correctio, sive non, nos tamen de simplicitate nostri oculi simus securi. Vix invenitur alicui ab hoc vitio alienus, quia unusquisque suis favens, aliena facile reprehendit: et aliena gravius tolerando quam sua, sumit auctoritatem arguendi sine exemplo suæ emendationis. Salutem in eo quod temere judicant in oculo habent trabem.

^{††7.4} **Aut quomodo dicis fratri tuo.** Id est, non poteris minus (ut iram) in fratre emendare, donec majus, id est odium, vel invidiam pepuleris de corde tuo.

^{‡‡7.5} **Hypocrita, ejice.** Hi enim odio et livore suscipiunt omnia accusare, et volunt videri consultores sine exemplo emendationis suæ. Non enim est idoneus doctor alii mederi, qui nondum se sanaverit.

^{¶¶7.6} **Nolite sanctum,** etc. Purgato oculo, possunt dispensatores Ecclesiæ alios castigare, sed non sanctum canibus dare; quia sicut periculosum est abscondere, ita prodigum est canibus dare. Talibus mystica non sunt aperienda, sed velo tegenda sancta sanctorum: apertiora vero et quasi viliora dici possunt. **Nolite.** Eadem dicitur sanctum et margarita, id est Evangelium et sacramenta ecclesiastica. **Sanctum,** quia natura inviolabile, nec debet ab aliquo corrumpi. **Margarita,** quæ in abscondito latet: et de figuris, quasi apertis conchis eruitur, gemma est pretiosa quæ non potest corrumpi. Canes vere sunt qui oblatrant, et quod integrum est dilacerant; porci qui vilipendunt et conculcant: vel canes ad vomitum reversi, porci nondum conversi, sed in luto vitiorum versati. **Et conversi.** Ne forte adhuc aliquid audire dirumpant, non margaritas quas conculcant, sed vos indignatione. Non enim facile potest inveniri quod talibus gratum sit.

^{§§7.7} **Petite.** His gradibus via, veritas, et vita legitime certantibus, præstatur: Christus est via qua ambulatur, veritas qua invenitur, ostium ad quod pulsatur, ut ad ipsum per ipsum ingrediamur. AUG. Operose quidem quod ista tria inter se differant exponendum putavi, sed longe melius, etc., usque ad non enim dixit petentibus, et quærentibus, et pulsantibus.

^{*}7.8 **Omnis enim,** etc. Ut præbeat constantiam perseverandi, diligentiam quærendi, fiduciam impetrandi, addit. **Omnis,** etc. Supra docuit quid petamus, regnum scilicet. Hic confidentiam, ut nihil hæsitantes petamus. Non denegat se petentibus qui sponte obtulit se non petentibus: et quærentes invenient eum qui non quærentibus dedit ut invenirent, et pulsantibus aperiet, qui clamat: **Ecce ego sto ad ostium et pulso** Apoc. 3..

[†]7.9 **Aut quis.** Explanat quid petendum sit, et ex humana circa filios benevolentia diligentiam Patris circa nos commendat. Petentibus Christum, recta fide non datur lapis offensionis nec duritia cordis. Ita si petieritis patrem vestrum charitatem, sine qua nil sunt cætera, ut sine pane inops est mensa cui contraria est cordis duritia.

si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?[‡] ¹¹ Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?[¶] ¹² Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex, et prophetæ.[§] ¹³ Intrate per angustam portam: quia lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam.^{**} ¹⁴ Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam: et pauci sunt qui inveniunt eam!^{††} ¹⁵ Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis

[‡]7.10 *Si piscem.* Per piscem, fides quæ sub fluentis Spiritus sancti nutritur. Piscem dicit invisibilium fidem: vel propter aquam baptismi, vel quia de invisibilibus locis capitur, vel quia fluctibus hujus mundi non frangitur. In Evangelio Lucæ sequitur comparatio ovi et scorpionis. In ovo et spes accipitur, quia in eo nondum est foetus persecutus; sed fovendo speratur. In scorpione, cujus aculeus retro timendus est, accipitur contrarium spei, scilicet retro aspicere, cum spes se debeat in anteriora extendere.

[¶]7.11 *Si ergo vos.* Quandoquidem patres bona tribuunt filiis, ergo multo magis Pater noster, qui bonus est incomparabiliter, bona dabit petentibus se filiis. **Nostis bona.** Secundum sensum eorum bona qui ea pro bonis habent, quanquam et in rerum natura bona sunt, et in vitam istam pertinentia, quæ malus non de suo dat. **Domini enim est terra** Psal. 23., etc. Vel apostoli mali dicuntur, quantum ad se respectu Dei qui solus bonus, ex quo omnes boni. **Dabit bona.** Id est Spiritum sanctum. Vel bona scilicet æterna, quæ non dantur nisi filiis. **Potentibus se.** Omnium bonorum spiritualium distributorem ut opera charitatis impleantur.

[§]7.12 *Omnia ergo,* etc. Quia amare amantem naturæ est; non amantem vero cogi beneficiis ad amorem, perfectionis Christi est. Cum nos priores, ut nobis fieri velimus aliis facere juberet, mox eundem sensum astruit dicens: **Omnia ergo quæcumque,** etc., id est, bona quæ vultis accipere ab aliis, eadem facite illis ut charitas proximi impleatur, quæ sine dilectione recte non potest perfici. Et ideo addit: **Hæc est lex et prophetæ,** etc.; quia nec Deus sine proximo, nec proximus diligitur sine Deo, quia non ex odio vel ex invidia judicandus est proximus: ergo qua charitate velletis moneri, facite aliis. **Ut faciant vobis homines.** Quia addit, homines, dicit tantum de dilectione proximi. Unde nec subdit, tota lex, relinquit vero de dilectione Dei. Quod si dixisset: Omnia quæcumque vultis fieri vobis, facite aliis: utrumque complexus esset, in quibus tota lex, propter salutem hominum scriptum est in prophetis et lege.

^{**}7.13 *Intrate.* Etsi difficile sit ut aliis facias quod tibi vis fieri, tamen sic faciendum est ut intremus. **Per angustam.** Angusta quæritur, nec ab omnibus invenitur. Nec omnes qui inveniunt per eam ingrediuntur, quia capti sæculo retroeunt. **Et spatiosa.** Hanc etsi non quærant, omnes tamen inveniunt, quia in ea nati. Voluptas, ut meretrix importuna, suis oblectamentis omnes invitat: et ideo multi intrant per eam.

^{††}7.14 *Quam angusta.* Satis angustum est omnia prætermittere, unum solum diligere, unum quærere, ad unum quotidie pulsare, prospera non ambire, adversa non timere. **Et pauci.** Si pauci inveniunt, pauciores per eam intrare contendunt. Nemo intrat sine labore, et sine animi puritate.

ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces:‡¹⁶ a fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?¶¹⁷ Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. §§¹⁸ Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere.*¹⁹ Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.†²⁰ Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.‡²¹ Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intra-

‡7.15 **Attendite.** Cum dixisset arctam viam a paucis inveniri, ne forte sui implicarentur erroribus pseudo-prophetarum, adjecit: Attendite: **Attendite.** Quod supra latam portam dixit, falsos prophetas apertius dicit. **Attendite.** Licet hoc de omnibus qui aliud habitu et sermone, aliud opere ostendunt, possit accipi; tamen specialiter de hæreticis qui quadam pietatis veste tecti, venenato animo et intentione nocendi lupi sunt rapaces, vel exterius si copia datur persequendo, vel interius corrumpendo. **Ad vos in vestimentis ovium.** In conspectu hominum similes ministris justitiæ dum jejunant, orant, eleemosynas dant: sed non sunt eorum fructus, quia pro vitio eis reputatur. **A fructibus eorum.** HIER. Non a veste, sed ab operibus quod de manifestis, etc., usque ad sed non debent oves pelles suas deponere, etsi aliquando eis lupi se contegant.

¶7.16 **Nunquid.** Allegorice. Spinæ et tribuli sunt hæretici a quibus nullus sapientum sanctitatem vel veritatem poterit invenire: sed conscindunt et cruentant approximantes. Vel spinæ et tribuli, curæ sunt sæculi, punctionesque vitiorum. Uva et ficus, dulcedo novæ conversationis quam Christus in nobis esuriit, et fervor dilectionis, qui lætificat cor hominis. Non ergo de spinis et tribulis uva et ficus: quia mens adhuc veteris hominis consuetudine pressa, potest simulare non ferre fructus novi hominis. Quod si aliquando dicta vel facta malorum prosunt bonis, non hoc faciunt mali, sed fit de illis consilio Dei: quia non eorum fructus est, sed vitis quæ super spinas aliquando exuberat. Sed carpendus est botrus, spina cavenda. Vitis Christus. Sui, palmites qui ferunt uvas, id est opera spiritus quæ inebriant mentem.

§§7.17 **Sic omnis arbor.** Id est secundum prædictam impossibilitatem: quia de mala radice non potest fructus suavitatis erumpere. Exspectandi sunt boni fructus de bona arbore. Arbor bona vel mala non natura quæ in omnibus bona a Deo est creata, sed voluntas bona vel mala. Fructus, opera quæ nec bona malæ voluntatis possunt esse, nec mala bonæ voluntatis. Fructus bonæ arboris gaudium, pax, patientia, longanimitas, etc.; quos fructus non nisi bona voluntas parturit. Sic econtrario malos mala intentio nutrit.

*7.18 **Non potest.** Non ait: Non potest mala arbor bona fieri, vel bona mala; quia Paulus de persecutore factus apostolus, et anima manente integra natura, affectu voluntatis corrumpitur, vel in melius mutatur. Voluntas uniuscujusque arbor bona vel mala. Et sicut arbor radicator in terra, sic voluntas in anima. Fructus malæ arboris sunt opera carnis, scilicet fornicatio immunda, luxuria.

†7.19 **Omnis arbor.** Hac sententia hypocritas et pseudoprophetas damnat, et quod supra docuit de cordis munditia, hoc exemplo confirmat, quod nemo de mala intentione fructum bonum percipit, nec de bona nisi bonum metit.

‡7.20 **Igitur ex fructibus.** Quasi dicat: A falsis prophetis attendite, et ex fructibus eos cognoscite.

bit in regnum cælorum.[¶] 22 Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?[§] 23 Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem.^{**} 24 Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram,^{††} 25 et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat super petram.^{‡‡} 26 Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam.^{¶¶} 27 et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.^{§§} 28 Et factum est: cum con-

[¶]7.21 **Non omnis qui dicit.** Sicut cavendi sunt qui habent speciem bonæ vitæ propter dogma nequitiae, sic et hic econtrario qui, cum integræ fidei et doctrinæ sint, turpiter vivunt. Utrumque enim necesse est, ut et opus sermone et sermo operibus comprobetur. **Qui dicit: Domine, Domine.** Iter regni Dei est obedientia, non nominis nuncupatio. Non est hoc illud vere et proprie dicere ubi prolatio discordat a voluntate. De quo Apostolus ait: **Nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto** I Cor. 12..

[§]7.22 **Multi dicent.** Maxime autem cavendum est ab his qui propter nomen Christi etiam miracula habent, quæ cum propter infideles Dominus fecerit, monuit tamen ne a talibus decipiamur: putantes ibi esse invisibilem sapientiam, ubi est visibile miraculum; unde adjungit: **Multi dicent.** Quam mundo ergo et simplici oculo opus est, ut inveniatur via sapientiæ inter tot deceptiones.

^{**}7.23 **Nunquam novi vos.** Non novit lux tenebras, id est, non aspicit, quia si aspiceret, tenebræ non essent. **Qui operamini iniquitatem.** Non qui operati estis, ne tollat poenitentiam, sed qui in iudicio; licet non habeatis facultatem peccandi, tamen habetis affectum.

^{††}7.24 **Omnis ergo.** Quasi dicat: Omnia prædicta bene tenenda sunt, quia qui tenet assimilabitur Christo; qui non tenet, diabolo. **Qui autem,** quæ in monte habita sunt: quod dicit ut ostendat sermonem in monte habitum, omnibus præceptis quibus Christiana vita informatur, esse perfectum. **Assimilabitur.** Quia sicut Christus de personis variis unam Ecclesiam construit, erudit, regit in vitam dedicaturus æternam, sic iste variis virtutibus perpetuam mansionem sibi ædificat, et in futura dedicatione cum Christo lætabitur. **Viro.** Illi qui dicit: Ut sapiens architectus, fundamentum posui in Christo. **Qui ædificavit.** Ille ædificat in Christo, qui quod audit ab illo facit. **Supra petram.** A qua Petrus nomen accepit pro firmitate fidei, id est, super seipsum ædificavit Ecclesiam.

^{‡‡}7.25 **Et descendit.** Tribus modis diabolus impugnat: carnis concupiscentia, exterioribus mundi oblectamentis, vel per se, cum universos ventus impulsione laxat. **Pluvia.** Concupiscentia, a qua quisque tentatur, quæ sensum rigorem fidei emollit, quæ si non proficit, majora flumina eveniunt.

^{¶¶}7.26 **Qui audit verba mea,** etc., exterius. Et ideo non habet excusationem, sed est ruina ejus magna: quia monita salutis contempsit. **Viro stulto.** De quo dicitur: **Inimicus homo hoc fecit, cujus** opera omnia instabilia sunt, et ruinæ patent. **Super arenam.** Qualiacunque sint quæ super concupiscentiam vitiorum fundantur, non stabunt.

^{§§}7.27 **Et cecidit fuitque ruina ejus magna.** Omnis conscientia quæ fixa in Deum spe non permanet, in tentationibus non valet subsistere; et tanto amplius agitur, quanto plus in his quæ mundi sunt a superioribus disjungitur: et vere omnes mali vel fecte boni, ingruente qualibet tentatione pejores fiunt.

summasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus.* 29 Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribæ eorum, et pharisæi.

8 Cum autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ:† 2 et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.‡ 3 Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo: mundare. Et confestim mundata est lepra ejus.¶ 4 Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis.§ 5 Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum, 6 et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. 7 Et ait illi Jesus: Ego veniam, et curabo eum.** 8 Et respondens centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.†† 9 Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade, et vadit: et alii: Veni, et venit: et servo meo: Fac hoc, et facit.‡‡ 10 Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. 11 Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abra-

*7.28 *Turbæ.* Vel aliqui in turba, quia infideles, vel potius omnes de excellentia sapientiæ.

†8.1 *Cum autem descendisset.* Post descensionem Domini de monte, etc., usque ad ostendit post quantum temporis intervallum. *Cum autem descendisset.* Secundum Lucam, et in campestri loco sermonem quem jam forsitan supra habuerat ei fecisset. *Secutæ sunt.* Alii propter charitatem, alii propter doctrinam, alii propter admirationem et curationem.

‡8.2 *Adorabat eum dicens: Domine.* Priusquam peteret, cultum divinitatis ostendit. *Si vis, potes me mundare.* De voluntate non quasi pietatis incredulus, dubito; sed quasi meæ colluvionis conscius non præsumo.

¶8.3 *Extendens.* Post sermonem et miracula facit, quibus sermo apud auditores confirmatur. *Tetigit.* Non quia sine tactu sanare posset, sed ut indicet se non subjectum esse legi, sed Dominum legis, qui non timet contagium. *Tetigit.* Propter humanitatem, ut nos doceret nullum spernere pro aliqua corporis maculatione. Apparet supra legem (quæ leprosum excludit) esse gratiam, quæ sanat eum; ut ait: *Non veni solvere legem, sed adimplere,* etc. *Volo.* Eo sanavit genere quo fuerat obsecratus, deinde imperat: *Mundare.* Ecce potestas.

§8.4 *Vide, nemini,* etc. Tacere jussit, nec tamen tacere potuit. Non quod aliquid voluit et non potuit, sed dat exemplum, ut sui in magnis quæ faciunt latere velint: sed ut prosint aliis, prodantur inviti. *Nemini dixeris* Marc. 1.. Hunc tamen Marcus ubi quod hoc prædicasse dicit quasi Evangelista factus sit. *Vade.* Mittit ad sacerdotes propter humilitatem, ut sacerdotibus deferat honorem quibus lex jubet mundatos munera offerre, et ut videntes credant ei: vel si non credunt, inexcusabiles sint, et ne legem frangere videretur. *Ostende te sacerdoti.* Ut sacerdos non legis ordine, sed gratia Dei supra legem curatum esse intelligat. *Offer,* etc. Quia legem non solvo, quia nondum cœpit verum sacrificium. *In testimonium.* Id est, Domino credant, si impietatis lepra discendat. *In testimonium.* Spiritualis curationis, offerendum est munus spirituale homo ipse.

**8.7 *Ego veniam et curabo eum. Et respondens centurio ait,* etc. Magna humilitas, etc., usque ad ob impotentiam virium corporaliter ire putaretur.

††8.8 *Non sum dignus.* Propter conscientiam vitæ gentilis, magis timet gravari præsentia quam juvari, quia et si erat fide præditus, nondum tamen erat sacramentis imbutus. Sed quod nec infirmitas nostra præsumit gratia dare novit.

‡‡8.9 *Nam et ego,* etc. Si ego homo, etc., usque ad ut Cornelius dicitur *vir justus et timens Deum* Act. 10..

ham, et Isaac, et Jacob in regno cælorum:¶¹² filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.¶¹³ Et dixit Jesus centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. ¹⁴ Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, et febricitantem: * ¹⁵ et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris, et surrexit, et ministrabat eis. † ¹⁶ Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: et ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit:‡ ¹⁷ ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: [Ipse infirmitates nostras accepit: et ægrotationes nostras portavit.] ¹⁸ Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum. ¶ ¹⁹ Et accedens unus scriba, ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris. § ²⁰ Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidus; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. ** ²¹ Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permittite me primum ire, et sepelire patrem meum. †† ²² Jesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. ‡‡ ²³ Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus: ¶¶ ²⁴ et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus:

¶¶8.11 *Ab oriente et occidente venient et recumbent.* Vel oriens, qui illuminati statim transeunt; occidens, qui passiones usque ad mortem tolerant. Per istas duas partes mundi ex quibus gentes vocandæ erant designantur.

§§8.12 *Filii autem regni ejicientur.* Quia in hoc mundo fruuntur beneficiis Dei; secundum illud: *Pluit super justos et injustos.* Nunc videntur in facie Domini, sed tunc minime. *In tenebras exteriores.* Quia a Domino foras expellentur, etc., usque ad pœnitentem quod deliquit pertinaciter. *Fletus.* Per hoc ostenditur magnitudo tormentorum. Per fletum, tormentum animæ; per stridorem dentium, corporis.

*8.14 *Et cum venisset,* etc. Quando hoc sit factum non expressit Matthæus, etc., usque ad narranda recordationi ejus suggerere. *Et febricitantem.* Febris Græce, fervor Latine dicitur: et si quando hæc passio faciat tremere, naturæ est humanæ.

†8.15 *Et tetigit,* etc. Lucas dicit, quod rogaverunt, etc., usque ad ut *Delicta quis intelligit: ab occultis meis munda me* Psal. 8.. *Et surrexit,* etc. Naturale est febricitantibus incipiente sanitate lassescere, etc., usque ad ministrat in spiritu.

‡8.16 *Vespere autem facto,* etc. Occasus solis, mors est Christi, per quam plures sanavit dæmoniacos, quam ante vivens in carne ægrotos.

¶8.18 *Videns autem Jesus.* Manifestum est alium esse diem, etc., usque ad amarus sæculi fluctus transeamus.

§8.19 *Et accedens.* Quod Matthæus dicit hoc factum quando jussit ire trans fretum: Lucas vero *ambulantibus illis in via:* non est contrarium: quia via ambulabant ut venirent ad fretum. *Magister.* Quasi unus sit de pluribus. Et ipse litterator erat, non spiritalis auditor. *Magister.* Non dixit, Domine, sed magister: unum de pluribus magistris æstimans.

**8.20 *Vulpes foveas habent.* Quasi dicat: Quid me propter lucra sæculi, etc., usque ad divinitati Christi non est locus. *Filius autem hominis non habet,* etc. Cum homines vocent eum Filium Dei, ipse seipsum vocat Filium hominis, humilitatis causa.

††8.21 *Alius autem.* Nota hunc vocatum esse a Jesu. *Domine.* Ille qui ingressit se vocat eum magister, ut elatus Pharisæus, alter qui receptus est, Dominum vocat humiliter, sicut publicanus.

‡‡8.22 *Mortuos suos.* Qui culpa exierunt, ut ipsi cum culpa vivunt. Mortuos sepelire, est peccatores in peccato fovere.

¶¶8.23 *Et ascendente.* Qui magna fecit in terra, transit ad mare, ut et ibi faciat, et Dominus terræ et maris appareat.

ipse vero dormiebat.^{§§ 25} Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos: perimus.*²⁶ Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna.[†]
²⁷ Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?[‡]
²⁸ Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.[¶]
²⁹ Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis et tibi, Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?[§]
³⁰ Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens.³¹ Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.^{**}
³² Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: et mortui sunt in aquis.^{††}
³³ Pastores autem fugerunt: et venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, et de eis qui dæmonia habuerant.^{‡‡}
³⁴ Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu: et viso eo, rogabant ut transiret a finibus eorum.^{¶¶}

§§8.24 *Ecce motus.* Non ex se orta est tempestas, sed ejus imperio: ut discipuli magis timeant et rogent: et rogantibus ostendat potentiam. *Dormiebat.* Dormit in nobis Dominus, id est fides Domini, cum negligentius agimus, et ideo tempestas. Si vero fides resurgit, imperat ventis et fluctibus.

*8.25 *Suscitaverunt.* Primum est Jesus in tribulationibus orationibus excitandus, ut post increpationem surgens imperet ventis et mari, et sit tranquillitas magna.

†8.26 *Modicæ,* etc. Si novistis potentem in terra, cur non creditis etiam in mari? Qui parum credit, arguitur: qui nihil, contemnitur. *Imperavit,* etc. Cui imperatur, imperantem sentit. Nota quod omnis creatura creatorem sentit. Quæ apud nos insensibilia, isti sunt sensibilia.

‡8.27 *Qualis est hic,* etc. ORIG. Qualis est iste, major Moyse, etc., usque ad non habent auditum obtemperant.

¶8.28 *In regionem Gerasenorum.* Geraza urbs est Arabiæ, etc., usque ad a Christo visitata per prædicatores. *Duo habentes.* Marcus et Lucas dicunt unum, etc., usque ad foeditatem corporum ostendebant. *Sævi.* Marcus dicit quod nullus jam dæmoniacum, etc., usque ad impugnant aliquem transire.

§8.29 *Jesu fili Dei.* HILAR. Magis suspicati quam nosse credendi sunt. AMBR. *Jesu fili Dei.* Tantum eis innotuit quantum voluit, etc., usque ad videbant in eo, non credebant. *Ante tempus.* Sciebant enim sibi futuram in Dei judicio, etc., usque ad fuerunt enim duo millia, ut Marcus ait. *Torquere nos.* Præsentia Christi tortura est eis; vel, torquentur dum de corporibus ejiciuntur, in quorum tortura delectabantur, sicut præsentia Dei refectio angelorum.

**8.31 *Mitte nos.* Nota multo minus eos sua potestate nocere hominibus, qui nec pecoribus possunt. Nisi quis more porci vixerit, diabolus in eum potestatem non accipit, nisi forte ad probandum.

††8.32 *Et ecce magno.* Dignior homo bestiis, cum propter salutem duorum hominum duo millia porcorum perierunt. Liberato populo gentium, increduli agunt malos ritus in abditis: cæca et profunda curiositate submersi.

‡‡8.33 *Pastores autem fugerunt.* Quia etiam quidam principes impiorum, et, si fugiunt fidem Christi, tamen potentiam ejus mirando nuntiare non cessant.

¶¶8.34 *Exiit obviam.* BED. Prodeuntes, signant quosdam consuetudine ligatos, mirari quidem et venerari legem Christi, sed nolle pati: unde transire rogant. *Et invenerunt hominem* (ut Lucas ait) *vestitum et sana mente sedere ad pedes Jesu* Luc. 8.. *Rogabant eum.* Rogant non de superbia de humilitate judicantes se indignos, ut Petrus fecit, et vidua de Elia. Timebant ne destrueret eos præsentia sanctitatis ejus propter peccata sua, sicut destruxerat porcos.

9 Et ascendens in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam.^{§§ 2} Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*³ Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphematur.⁴ Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?⁵ Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge, et ambula?^{† 6} Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.^{‡ 7} Et surrexit, et abiit in domum suam.^{¶ 8} Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.⁹ Et, cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum.^{§ 10} Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbabant cum Jesu, et discipulis ejus.^{** 11} Et videntes pharisæi, dicebant discip-

§§9.1 *In civitatem.* Ne putes hanc esse Nazareth, etc., usque ad Capharnaum quasi metropolis.

*9.2 *Offerebant.* Doctores sunt, qui sublevant et offerunt Christo monendo et intercedendo. *Fidem.* Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valuit aliena, ut intus et extra sanaret hominem. *Confide, fili, remittuntur tibi.* Lucas dicit: Homo, etc., usque ad tollens causam morbi, post curat corpus.

†9.5 *Quid est.* Nota infirmitates aliquando contingere propter peccata, etc., usque ad unde: *Duplici contritione conteret eos Dominus.* BED. *Quid est facilius,* sed quoniam hoc spirituale non creditis, probetur signo visibili quod non minoris constat esse potentiae, ut in Filio hominis latentem cognoscatis potentiam majestatis, quæ potest dimittere peccata ut Deus.

‡9.6 *Tunc ait paralytico.* Ecce per remissionem pœnæ, dimissionem culpæ intellige. *Surge.* Surgere, est animam a carnalibus desideriis abstrahere. Lectum tollere, est carnem a terrenis desideriis ad voluntatem spiritus attollere. Domum ire, est ad paradisum redire, vel ad internam sui custodiam, ne iterum peccet. *Tolle lectum tuum et vade in domum tuam.* Ut quod fuit testimonium infirmitatis, sit probatio sanitatis.

¶9.7 *Et surrexit.* Magna virtus, ubi sine mora imperium salus comitatur. Unde merito, qui aderant relictis blasphemis stupentes, ad laudem convertuntur tantæ majestatis.

§9.9 *Vidit hominem.* Hic probabilius videtur, quod prætermissa memoret, cum duodecim elegit ante sermonem. *In telonio.* Græce, Latine vectigal. Matthæus Hebraice, Latine donatus, qui tantum munus gratiæ accepit: Levi, additus vel assumptus, quia divina electio eum assumpsit, et numero apostolorum addidit. *Matthæum.* Cæteri Evangelistæ propter verecundiam, etc., usque ad sermo supradictus fuit. *Surgens.* BED. Lucas plenius dicit: relictis omnibus, secutus est eum tam corpore quam mente. Non levitate ductus, sed veritate operum, et divina potentia intus operante tractus, perfecta obedientia, et perfecta abrenuntiatio, et lucra reliquit, cupidus sequendi Christum.

**9.10 *In domo.* Non dicit cujus, sed Lucas exprimit, etc., usque ad conversione poenitentium ostenditur. *Ecce multi publicani.* Bonum præsagium: jam ejus exemplo multi convertuntur. Jam post se multos trahit, Apostolus et doctor gentium futurus. HIER. *Publicanis et peccatoribus.* Tertullianus dicit hos fuisse ethnicos, etc., usque ad præcepit: *In viam gentium ne abieritis. Peccatores venientes discumbabant.* Poenitentes, exemplo Matthæi, veniam sperantes: unde Marcus dicit hic: *quia multi sequebantur eum* Marc. 2..

ulis ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?†† 12 At Jesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.‡‡ 13 Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.¶¶ 14 Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos, et pharisæi, jejunamus frequenter: discipuli autem tui non jejulant?§§ 15 Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: et tunc jejunabunt.* 16 Nemo autem immittit remissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, et pejor scissura fit.† 17 Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt: et ambo conservantur.‡ 18 Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet.¶ 19 Et surgens Jesus, sequebatur eum, et discipuli ejus. 20 Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus.§ 21 Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.** 22 At Jesus conversus, et

††9.11 **Quare cum publicanis.** Omnis quæstio, etc., usque ad et omnia quæ gessit, salutari serviunt.

‡‡9.12 **At Jesus audiens, ait.** Et susceptos pœnitentes amplius in fide confortat, et superbos ad humilitatis et pietatis gratiam provocat. **Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.** Medicus est Christus, etc., usque ad Dei verbum recipiunt, esurire non possunt.

¶¶9.13 **Euntes autem dicite.** Tumentibus de falsa justitia consilium correctionis dat, etc., usque ad ove, et drachma, et duobus filiis. **Non enim veni vocare justos.** Nonne Nathanæl, et Petrum, et Andream, etc., usque ad jam non justis sibi videntur.

§§9.14 **Discipuli autem tui non jejulant.** Joannes, Marcus et Lucas, etc., usque ad gratiam et potestatem intelligas.

*9.15 **Nunquid possunt.** Quasi dicat: Facturi estis, ut lugentes, etc., usque ad sed ab omnibus terrenis. **Lugere quamdiu cum illis est sponsus.** Hoc verbo exprimit illud jejunium, etc., usque ad postea jejunabunt, non lugebunt. **Et tunc jejunabunt.** Luctus de absentia sponsi, nec ante incarnationem defuit in patribus, nec post passionem, nisi quamdiu in carne cum discipulis conversatus est. **Jejunabunt.** A mundi amore, non solum a cibis. Spirituale enim jejunium cum sit pars vitæ novæ, nondum eis convenit, qui per alia dediti sunt veteri vitæ.

†9.16 **Nemo autem.** Quasi dicat: Carnales nondum fide passionis et resurrectionis solidati, etc., usque ad ipsi vetustati non convenit. **Tollit enim.** Id est perfectio novæ vitæ quæ una est dividitur, et veteri fides quam habet aufertur, cui perfectio novæ debebatur.

‡9.17 **Neque mittunt.** Eisdem discipulos veteribus utribus comparat, etc., usque ad in novitate sensus intus reformamur.

¶9.18 **Ecce princeps unus accessit.** Marcus et Lucas dicunt archisynagogum, etc., usque ad cœpit remedium sperare et quærere.

§9.20 **Mulier quæ.** Salutem Judæis paratam, spe certa præripuit gentilitas. **Duodecim annis.** Duodecim annis fluxit, sicut et illa filia creverat duodenis: quia ex quo Synagoga cœpit Deo famulari, cœpit gentilitas idololatria et peccato pollui. **Accessit.** Credidit, dixit, quia his tribus fide et opere omnis salus acquiritur.

9.21 **Si tetigero. Fimbriam, non vestem. Quia non vidit in carne Dominum, sed suscepit per apostolos incarnationis verbum. Beatus qui vel extremam partem verbi fide tangit.

videns eam, dixit: Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora.†† 23 Et cum venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat:‡‡ 24 Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum.¶¶ 25 Et cum ejecta esset turba, intravit: et tenuit manum ejus, et surrexit puella.§§ 26 Et exiit fama hæc in universam terram illam. 27 Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, et dicentes: Miserere nostri, fili David.* 28 Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine. 29 Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram, fiat vobis. 30 Et aperti sunt oculi eorum: et comminatus est illis Jesus, dicens: Videte ne quis sciat. 31 Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa. 32 Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem.† 33 Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, et miratæ sunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit sic in Israël. 34 Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.‡ 35 Et circuibat Jesus omnes civitates, et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem. 36 Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem. 37 Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. 38 Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

10 Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.¶ 2 Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus, Simon, qui dicitur Petrus: et Andreas frater ejus,§ 3 Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus, Philippus, et Bartholomæus, Thomas, et Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, et

††9.22 *Confide, filia.* Credidit utique quæ petiit, sed inculcat robur et perseverantiam in fide.

‡‡9.23 *Vidisset.* Tibicines sunt carmen lugubre canantes. Hi sunt magistri mœrore suo subditos demulcentes, et turbam Judæorum adversus doctrinam Christi calcitrantium. *Et turbam.* Quia Synagoga lætitiæ Dominicæ inhabitationis, etc., usque ad paruit in susceptione.

¶¶9.24 *Non est.* Vobis mortua est. Deo autem qui suscitare potest, dormit, tam in anima quam corpore.

§§9.25 *Et cum ejecta esset.* Id est, cum reprobati essent irrisores, intravit in electorum mentes. *Et tenuit manum.* Nisi prius manus Judæorum, etc., usque ad secreta potest deleri poenitentia.

†9.27 *Transeunte.* Id est, de domo principis in tuam domum. Domus principis Synagoga est, sua domus cœlestis Jerusalem. *Duo cæci,* etc. Duo cæci, duo populi inscii, etc., usque ad idem factum, sed aliud simile.

†9.32 *Hominem.* Significat gentilem populum: vel omne genus hominum, quo ducto per prædicationem ad Christum, et ablata idololatria, confessus est Christum. Græce usitatius, sed tamen indifferenter, et mutus et surdus dicunt.

‡9.34 *Pharisæi autem.* In Pharisæis infidelitas Judæorum signatur.

¶10.1 *Et convocatis.* A curatione socrus Petri, etc., usque ad curatum centurionis servum. *Duodecim.* Hi sunt operarii qui mittendi erant, et quadrati orbis partes ad fidem Trinitatis vocaturi. Quorum prædicatio ut pondus haberet auctoritatis, datur eis potestas curandæ omnis infirmitatis.

§10.2 *Petrus et Andreas.* Apostolorum paria jugaque sociat, etc., usque ad Christum in quem credebat.

Thaddæus, ** 4 Simon Chananæus, et Judas Iscariotes, qui et tradidit eum. †† 5 Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis: ‡‡ 6 sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israël. 7 Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cælorum. ¶¶ 8 Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date. §§ 9 Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: * 10 non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo. † 11 In quacumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit: et ibi manete donec exeatis. ‡ 12 Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. 13 Et siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. 14 Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones

** 10.3 **Thomas.** Abyssus: quia altitudinem divinæ virtutis in resurrectione certa fide penetravit. Vel, Thomas geminus, quod est Græce didymus, propter dubium cor in credendo.

†† 10.4 **Et Judas Scariothis.** Magnum in nobis exemplum doctrinæ, cum qui omnia noverat non dubitaret proditorem in discipulum eligere, atque apostolum ordinare. Habet enim Christus conscium munditiæ testem, cum suum non dubitet eligere proditorem.

‡‡ 10.5 **In viam.** Post resurrectionem dicit: **Docete omnes gentes.** Sed hoc ante: quia prius oportet Judæis prædicari, ne causam habeant non recipiendi, quia ad gentes apostolos misit.

¶¶ 10.7 **Appropinquabit regnum cælorum.** Per fidem prope est regnum. Sicut enim sit peccans terra, ita justus sit cælum, in quo Deus præsidet; unde dicitur: **Regnum Dei intra vos est** Luc. 17., etc. Ecce quid debeant prædicare: Appropinquabit regnum cælorum.

§§ 10.8 **Infirmos curate.** Ecclesia infirmos statu boni operis confortat, mortuos in peccatis, vel sine fide, suscitatur; leprosos erroribus aspersos mundat, dæmones per exorcismos fugat. **Gratis accepistis.** Ne Judas, qui loculos habebat, de prædicta potestate pecuniam congregare vellet, nequitiam ejus supprimit Dominus, dicens: **Gratis accepistis,** etc. Damnat etiam hic perfidiam Simoniacæ hæreseos. Dona spiritualia pretio vilescunt.

* 10.9 **Aurum neque argentum.** Qui hæc haberent, viderentur non causa salutis prædicare, sed lucri. **Neque pecuniam in zonis vestris.** Duo sunt genera necessariorum: unum quo emuntur necessaria, aliud ipsa necessaria. Per pecuniam in zonis, illud unde emuntur: per peram quod emitur, quod ibi reponitur. De hoc in passione: **Quando misi vos sine sacco et pera, nunquid defuit vobis aliquid? At illi dixerunt: Non.**

† 10.10 **Neque calceamenta.** Et Plato dicit duas corporum summitates non esse velandas, nec assuetam fieri debere mollitiem capitis et pedum: Cum autem hæc habuerint firmitatem, cætera robustiora sunt. **Neque virgam.** Matthæus et Lucas dicunt **neque virgam;** Marcus **non nisi virgam:** quo nomine, etc., usque ad iter prædicationis pergere debeat, ostendatur. **Dignus est.** Unde ergo necessaria? Tantum accipite, quantum ad necessitatem sufficit, ut inde securi æternis melius vacetis.

‡ 10.11 **Interrogate quis.** Testimonio vicinorum eligendus est hospes, ne hujus infamia prædicatio lædatur. **Dignus sit.** Ut sciat se magis accipere gratiam quam dare. **Ibi manete.** AMBR. Dat constantiæ generale mandatum ut hospitalis necessitudinis jura custodiant: ideo domus eligenda, ut mutandi hospitii necessitudinisque violandæ causa non suppetat.

vestros: exeunte foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.[¶]
¹⁵ Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die iudicii, quam illi civitati. ¹⁶ Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.[§] ¹⁷ Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos: ¹⁸ et ad præsidēs, et ad reges ducemini propter me in testimonium illis, et gentibus.**
¹⁹ Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini:†† ²⁰ non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. ²¹ Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient:‡‡ ²² et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.¶¶ ²³ Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israël, donec veniat Filius hominis.§§ ²⁴ Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum:* ²⁵ sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, et servo, sicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?† ²⁶ Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non revelabitur: et occultum, quod non sciatur.‡ ²⁷ Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, prædicate super tecta.¶
²⁸ Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. ²⁹ Nonne

¶10.14 *Excutite pulverem de pedibus.* Per excussionem pulveris, intelligitur amissio itineris. *Excutite* pulverem, ad contestationem terreni laboris quem pro eis inaniter susceperant, etc., usque ad per ipsum Salvatorem narrantur abluti.

§10.16 *Ecce ego mitto.* Illis sua pœna servabitur in futurum, etc., usque ad mala inferre non debet, sed tolerare. *Sicut serpentes.* Serpentis astutia est, etc., usque ad veterem exiit hominem.

**10.18 *In testimonium.* Ut inde perversi pereant, etc., usque ad testimonium ipsorum innocentiae.

††10.19 *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Voluntatem vestram pro Christo offerte; Christus vero loquetur pro se.

‡‡10.21 *Tradet autem frater,* etc. Minorem dolorem ingerunt mala quæ ab extraneis: majorem quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus: quia cum damno corporis, mala nos cruciant amissæ charitatis.

¶¶10.22 *Qui autem,* etc. Docet virtutem longanimitatis et patientiæ, etc., usque ad hoc ipsum incipimus possidere quod sumus.

§§10.23 *Cum autem.* Hoc ad illud tempus pertinet, quo dictum est.: *In via gentium ne abieritis,* quod persecutiones non debeant timere, sed declinare: ut tribulationis occasio sit Evangelii seminarium.

*10.24 *Non est discipulus,* etc. Ne indignemini tolerare quod tolero qui Dominus sum, faciens quod volo, et magister docens quod utile scio.

†10.25 *Si patrem familias.* Ostendit calumnias suas, ut suo exemplo ferant injurias. Unde dixit: *Sufficit diei malitia sua. Beelzebub.* Beel ipse est Bel, Zebub, musca, etc., usque ad vir muscarum, sive habens muscas.

‡10.26 *Ne ergo timueritis eos.* Eorum sævitiam vel blasphemias, quia veniet dies cum Deus judicabit occulta hominum, ubi et nequitia discooperietur, et vestra intentio, nunc soli Deo cognita, ab omnibus sciatur.

¶10.27 *Quod dico.* Hoc est, in quo volo vos constantes esse, etc., usque ad calcato carnis domicilio *prædicate.*

duo passeret asse veneunt? et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. §
³⁰ Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. ** ³¹ Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. ³² Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. †† ³³ Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. ‡‡ ³⁴ Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium: ¶¶ ³⁵ veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam: §§ ³⁶ et inimici hominis, domestici ejus. ³⁷ Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. * ³⁸ Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. † ³⁹ Qui invenit animam suam, perdet illam: et qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. ‡ ⁴⁰ Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum qui me misit. ¶ ⁴¹ Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. ⁴² Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. §

§10.29 **Super.** Loquitur juxta morem Palestinæ, etc., usque ad in toto mundo dicite. **Nonne duo passeret?** Lucas: **Nonne quinque passeret veneunt dipondio** Luc. 12.? Nec multum distat, ut duo asse et quinque dipondio. Dipondio enim est ex duobus assibus. Quod autem in numeris est unus, hoc in pondere as: et quod duo, hoc dipondius. **Et unus ex illis.** Quomodo ergo Apostolus: **Nunquid de bobus cura est Deo** Luc. 9.? Sed aliud est cura, aliud scientia.

10.30 **Numerati. Hoc est, scientia Dei, etc., usque ad parva otiosaque dicta eum lateant.

††10.32 **Qui confitebitur.** Vel confitetur quis Jesum ea fide, quæ per dilectionem operatur: negat qui præceptis Dei non obedit.

‡‡10.33 **Qui autem.** Negatur a Filio apud Patrem, cui non manifestatur in divinitatis potentia Filius et Pater. Confitetur a Filio apud Patrem, qui per Filium habet accessum ad Patrem.

¶¶10.34 **Pacem.** Missum est bellum bonum, ut rumperetur pax mala.

§§10.35 **Veni enim.** Hic Lucas ait: **Erunt quinque in una domo divisi, tres in duo et duo in tres dividuntur.** Quomodo ergo, etc., usque ad circumcisionem cæterasque carnales observantias. **Separare.** Id est, privatos carnis affectus exstinguere, quibus ita invicem diliguntur, ut Deo minus serviant. Vel penitus avertantur, non quod non sint honorandi pater et mater, sed post Deum; hic est ordo charitatis.

*10.37 **Qui amat patrem.** Post Deum amandi sunt, sed si utrumque non potest servari, odium in suos, pietas est in Deum.

†10.38 **Et qui non accipit,** etc. Crux duobus modis portatur, etc., usque ad amor Christi ostendatur. **Et sequitur me.** Aliquis enim carnem macerat pro inani gloria, vel proximo carnaliter compatitur ut culpæ faveat: Hic crucem ferre videtur, sed Dominum non sequitur.

‡10.39 **Qui invenit,** etc. Nomine animæ vita præsens designatur.

¶10.40 **Qui recipit,** etc. Cum ad prædicationem mittit, etc., usque ad debere stipendia accipere.

§10.42 **Et quicumque.** Qui periculum non suscipientium testimonio excussi pulveris denunciavit, meritum recipientium ultra speratum commendat. Nota Deum magis ad pium affectum respicere quam ad quantitatem rei exhibitæ. **Uni ex minimis.** Minimi sunt qui nihil penitus habent in hoc mundo, et iudices erunt cum Christo.

11 Et factum est, cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde ut doceret, et prædicaret in civitatibus eorum. ² Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ^{** 3} ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? ^{†† 4} Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, et vidistis. ⁵ Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: ⁶ et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. ^{‡‡ 7} Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? ^{¶¶ 8} Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. ^{§§ 9} Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam. ^{* 10} Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. ^{† 11} Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cælorum, major est illo. ^{† 12} A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum

** 11.2 *Joannes autem.* Et dum Christus prædicaret, etc., usque ad quis ordinem rei gestæ teneat, non apparet.

†† 11.3 *Tu es.* Non ait *qui venisti*, quasi dicat: Cum ad inferna descensurus sum: debeo te nuntiare inferis, qui nuntiavi superis. An conveniat Filio Dei mori, an alium ad hæc sacramenta missurus es?

‡‡ 11.6 *Qui non fuerit.* Qui de divinitatis potentia non dubitaverit, hoc non contra Joannem dixisse putandus est quem mox adeo commendat.

¶¶ 11.7 *De Joanne.* Præcursor Christi de Christo certificare discipulos voluit, quia sensit eos dubitare. De præcursore, Christus turbas dubitantes ne dubitent docuit, mollem eum levemque putantes.

§§ 11.8 *Ecce qui mollibus,* etc. *Qui ponunt pulvinaria sub cubito,* qui vitam peccantium palpant, non pungunt. Rigida vita et prædicatio debet declinare mollium palatia, quæ frequentant mollibus indutis adulantes. CLEM. ALEX. Beatus Joannes, despectis quique ovium pilis, qui delicias redoleant, pilos camelorum, etc., usque ad ab omni inani studio, vanaque boni specie, sordidoque ac illiberali decore, se removit.

* 11.9 *Plusquam propheta.* BEDA. Quia angelus non natura sed officio.

† 11.11 *Major Joanne.* In hoc non præfertur patriarchis, et cunctis hominibus, sed æqualis cæteris sanctis ostenditur. *Qui autem.* Id est, omnis sanctus qui jam est cum Deo, major est eo qui adhuc in mundo. Vel ego quem minorem facit multorum opinio, in Ecclesia sanctorum illi prælatus sum. Vel novissimus angelus cœli melior est quovis homine. *In regno.* Regnum cœlorum duobus modis accipitur: aut superum, in quo nondum sumus: aut præsens Ecclesia, in qua adhuc vivimus, et jam quodammodo regnamus.

cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.[‡] 13 Omnes enim prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt:[¶] 14 et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.[§] 15 Qui habet aures audiendi, audiat. 16 Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro: qui clamantes coæqualibus^{**} 17 dicunt: Cecinimus vobis, et non saltastis: lamentavimus, et non planxistis.^{††} 18 Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt: Dæmonium habet.^{‡‡} 19 Venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis.^{¶¶} 20 Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non

[‡]11.12 **A diebus Joannis.** Apostolos Dominus ad oves quæ perierunt domus Isræl ire jusserat, ut ad regnum reducerentur. Sed hæc prædicatio ad profectum publicanorum et peccatorum versa est qui crediderunt. Cæterum Joanni a plebe non creditur, Christi opera non auctorisantur, quia crux est scandalo. Jam prophetia cessat, jam lex expletur; Christus aliis prædicatur, et ab aliis recipitur: sui respuunt, inimici accipiunt. Itaque regnum cælorum vim patitur, quia gloria Isræl patribus debita, a prophetis nuntiata, a Christo oblata, fide gentium occupatur et rapitur. Vel a diebus Joannis, qui præsentiam prædicavit, qua peccator reviviscit: et non ante, quia lex pœnam intulit et non per pœnitentiam vivificavit. Patria cœlestis vim patitur dum peccator ad eam quasi in alienum locum intrat per pœnitentiam. Grandi violentia est in terra nasci et cœlum capere, et habere per virtutem quod non possumus per naturam.

[¶]11.13 **Omnes enim.** Non quod post Joannem non fuerint aliqui, ut Agabus, sed quia quidquid prophetaverunt, de Domino vaticinati sunt. **Omnes enim.** Quia quidquid illi dixerunt, de venturo locuti sunt, hic vero venientem ostendit.

[§]11.14 **Et si vultis recipere.** Ut minus excusabiles sitis, quia eum non recepistis. Ipse est Elias in virtute, non in persona, par in vitæ severitate, mentis rigore præcedens Christi primum adventum, ut ille secundum.

^{**}11.16 **Cui autem,** etc. Laudato Joanne transit ad increpandum illos, qui nec prædicatione Joannis moti sunt: vel ipsius Christi prædicationem despiciunt. Joannes talis ac tantus ut dixi, et adeo dignus, ut ei debeat credi: sed vos cui estis assimilandi, qui nolulistis credere ei? **Similis est pueris.** Pueri doctores sunt humiles spiritu. Horum synagoga, vel ipsa Jerusalem, ubi jura præceptorum Dei recondebantur. Coæquales contribules quos solebant exprobrare, quod ad laudes Dei non assurrexerunt corde devoto, membrorum agilitate quod notat saltus. Nec per lamenta prophetarum pro excidiis jam factis vel faciendis ad pœnitentiam conversi sunt.

^{††}11.17 **Cecinimus vobis.** Ut David: **Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob** Psal. 80., et hujusmodi. **Lamentavimus.** Ut: **Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio et fletu et planctu** Joel. 2., et hujusmodi

^{‡‡}11.18 **Venit enim.** Sicut tunc ita et nunc utramque viam salutis respuitis. Lamentavimus ad Joannem, cecinimus ad Christum. Hæc est summa. Generatio ista nec plorat cum Joanne plorante, neque gaudet cum Christo gaudente. Nec mirum si duplicem viam salutis contemnunt, cum et jejunium et saturitatem petitur spernunt; si jejunium placet, cur Joannes displicet? si saturitas, cur Filius hominis?

^{¶¶}11.19 **Et justificata est sapientia,** etc. Ostendit filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo, nec in manducando esse justitiam: sed in æquanimitate tolerandi inopiam, et temperantiam non se corrumperendi per abundantiam. Non est regnum Dei esca et potus: quorum non usus sed concupiscentia reprehenditur, in quibusdam libris habetur: Justificata est sapientia ab operibus suis, quia sapientia non quærit vocis testimonium, sed operum.

egissent poenitentiam:^{§§ 21} Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.*²² Verumtamen dico vobis: Tyro et Sidoni remissius erit in die iudicii, quam vobis.²³ Et tu Capharnaum, numquid usque in cælum exaltaberis? usque in infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem.^{† 24} Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicii, quam tibi.²⁵ In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis.^{‡ 26} Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.^{¶ 27} Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi

§§11.20 **Tunc.** Qui hactenus Judæos communiter increpavit, nunc nominatim civitates exprimit, quæ frequenter audita doctrina et visis tot signis credere noluerunt, quibus non optat mala, sed prædicat ventura

*11.21 **Væ tibi,** etc. Supra ubi legitur, quia circumibat Jesus civitates et omnes vicos, curans omnem languorem: intelligendum est inter alias etiam in Corozaim et Bethsaida Dominum fecisse virtutes. Corozaim interpretatur *mysterium meum*; Bethsaida *domus fructuum* vel *venatorum*. *Si in Tyro,* etc. Hoc impletum modo videmus, quia Corozaim et Bethsaida præsentem Domino credere noluerunt. Tyrus et Sidon postea prædicantibus Apostolis crediderunt: adeo devoti, ut Paulum Tyro abeuntem omnes cum uxoribus et liberis usque ad naves prosequerentur. Cur ergo non credituris prædicavit, credituros evitavit: ipse scit cuius viæ sunt misericordia et veritas. Proposuit tamen fines Judææ non excedere, ne justam Pharisæis et sacerdotibus persecutionis occasionem daret. Et erant tunc qui in Corozaim essent vocandi: nec tamen de contemptu gravius puniendi. Tyrus, *angustia*. Sidon, *venatio*.

†11.23 **Et tu, Capharnaum.** Non solum Corozaim et Bethsaidæ væ erit, sed et tibi Capharnaum. *Nunquid usque in cælum exaltaberis?* Nonne tu es quæ fama hospitii mei, et signorum in te factorum famosa efficeris, et contra prædicationem meam superbissime restitisti? Capharnaum interpretatur *villa pulcherrima*, in qua condemnatur perfida Jerusalem, cui dicitur: *Justificata est Sodoma soror tua ex te*, id est, ex tui comparatione cum illa, quæ non est exemplo Loth correctæ, tu Filii Dei verbis et miraculis semper *exististi* ingrata.

‡11.25 **Respondens Jesus.** Respondens tacitæ objectionis quasi quæreretur, quæ ratio quod Judaicus populus Dei cultor, Dei Filium in carne venientem tam obstinatus rejecit, quem gentilitas tam prona recepit? *Domine cæli et terræ.* Qui facis cælos, et relinquis in terrenitate quos vis, vel ad litteram. *Parvulis.* Sapientibus et prudentibus non opponit insipientes et hebetes, sed parvulos, ut probet se tumorem damnare, non acumen.

¶11.26 **Ita pater.** Blandientis affectu loquitur ut inceptum in apostolis beneficium compleatur. Hic exemplum humilitatis accipimus, ne temere discutere præsumamus superna consilia de vocatione horum, et repulsionem illorum; cum enim utrumque attulisset, non mox rationem reddidit, sed sic Deo placitum dixit, ostendens quia injustum esse non potest quod justo placet. In omnibus ergo quæ exterius disponuntur, apertæ causa rationis est, occultæ justitia voluntatis. *Quoniam sic fuit placitum ante te.* Ne quis iterum quærat cur humiles eligat, sapientes reprobet.

Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.^{§ 28} Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.²⁹ Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris.^{** 30} Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.^{††}

12 In illo tempore abiit Jesus per sata sabbato: discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, et manducare.^{‡‡ 2} Pharisei autem videntes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis.^{¶¶ 3} At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant:^{§§ 4} quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his

§11.27 *Omnia mihi*, etc. Tradentem Patrem, accipientem Filium, mystice intellige. Alioquin, si juxta fragilitatem nostram accipis, cum cœperit habere qui accepit, incipiet non habere qui dedit per omnia coomnipotentem nota, per tradita, Filium, cui per naturam omnia pro unius substantiæ jure sunt propria, non data per gratiam. Tradita autem omnia non cœlum et terra et cætera quæ fecit: sed hi qui per Filium accessum habent ad Patrem, et ante rebelles, Dominum postea sentire cœperunt. *Et nemo novit Filium*, etc. Seipsum revelare. Et nemo novit Patrem nisi Filius, et cui Patrem voluit revelare. Ad utrumque enim illud subditum refertur. Verbo enim suo Pater se declarat. Et Verbum seipsum declarat, quia mentis nostræ lumen est. *Nisi Filius, et cui Filius voluerit*, etc. Mutua cognitio, quæ est æqualitate naturæ. Illa autem tantilla quæ in nobis est, dignatione revelantis est.

**11.29 *Tollite jugum*, etc. Jugum Christi, Evangelium est, quod Judæos et gentes in una fide conjungit. *Tollite super vos*. Id est, in honore habete: non subtus, ut contemnatis. Qui laboratis, difficultate legis, et onerati peccatis, scilicet, reficiam, si jugum tollitis, id est, præcepta mea. Et quid jugo ejus suavius? quid onere levius? probabilem fieri, abstinere a malo, bonum velle, amare omnes, æterna sequi, præsentibus non capi, nolle alii facere quod pati non vis. *Discite a me*. Docente verbo et exemplo, ut sitis humiles mentibus, mites moribus. Humiles, ut neminem contemnant; mites, ut nullum lædant. Corde, ut idem extra in opere sit et in corde, ne lateat serpens in specie columbæ.

††11.30 *Jugum enim meum*. Quomodo Evangelium lege levius est, cum ibi opera, hic et concupiscentia damnatur? Sed in lege multa jubentur, quæ Apostolus impleri non posse dicit: hic voluntas quæritur quæ in arbitrio nostro est, et quæ sola sufficere potest et præmium habere. Item quomodo jugum Christi suave, cum supra dicitur: *Arcta via est quæ ducit ad vitam*. Sed angusta, quia non nisi angusto initio incipitur, processu vero temporis ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur. *Onus meum. Quia illud momentaneum nostræ tribulationis æternum pondus gloriæ operatur in cœlis* I Cor. 4..

‡‡12.1 *In illo tempore*. Narrata prædicatione et miraculis unius anni ante quæstionem Joannis factis, transit ad illa quæ facta sunt alio anno, scilicet, post mortem Joannis, quando jam in omnibus Christo contradicitur. *Esurientes*, etc. Quia, ut alius ait evangelista, nec locum vescendi habebant pro turbis: propter nimiam importunitatem eorum. Alii Evangelistæ addunt: *manibus confricasse* Luc. 6.. Unde et Petro dicitur: *Macta et manduca* Act. 10..

¶¶12.2 *Non licet*. Secundum præceptum legis. Sed quia alia scriptura dicit: *Misericordiam malo quam sacrificium* Ose. 6., melius fuit hominem de famis periculo liberare, quam sacrificium Deo offerre, quia hostia placens est salus hominum. De vastatione frugum non arguitur, quia licet per legem inde edere.

§§12.3 *At ille dixit*, etc. In hoc facto nihil aliud instruimus, nisi ut sabbatum non ad litteram, sed spiritualiter intelligamus. *Non legistis*. Si David et Abimelech non reprehenditur, quorum uterque mandatum legis probabili necessitate transgressus est, et hic similis causa famis est, cur non idem probatis in apostolis?

qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* ⁵ aut non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?† ⁶ Dico autem vobis, quia templo major est hic.‡ ⁷ Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium: numquam condemnassetis innocentes:¶ ⁸ dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.§ ⁹ Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum. ¹⁰ Et ecce homo manum habens aridam, et interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare? ut accusarent eum.** ¹¹ Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam?†† ¹² Quanto magis melior est homo ove? itaque licet sabbatis benefacere. ¹³ Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est sanitati sicut altera.‡‡ ¹⁴ Exeuntes autem pharisæi, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum. ¹⁵ Jesus autem sciens recessit inde: et secuti sunt eum multi, et curavit eos

*12.4 **Panes propositionis.** Quod significavit sacerdotalem cibum transiturum in usum populorum. Vel quia omnes sacerdotes debemus imitari. Vel quod omnes sacerdotes sumus.

†12.5 **Quia sabbatis sacerdotes.** Hic sine necessitate ostendit sabbatum violari ab ipsis qui calumniantur. Unum exemplum datum est regie potestatis de David: aliud sacerdotalis, de his qui per ministerium templi sabbatum violant, ut multo minus ad ipsum pertineat crimen spicarum sabbato vulsarum, qui verus rex et sacerdos est et dominus sabbati.

‡12.6 **Dico autem vobis.** Quasi dicat: Si figurale templum potuit defendere sacerdotes sibi servientes, cur spirituale non potest defendere discipulos sibi credentes?

¶12.7 **Si autem.** Et vos ostenderet omnia futuri temporis speciem continere, adjecit: **Si autem sciretis,** id est, quia Deus per gratiam disposuit liberare populum, et non per exteriores observantias, non reprehenderetis meos, si vetera omittunt.

§12.8 **Dominus est enim.** Si David pastus et sacerdotes templi ministerio sabbatum violantes sine crimine sunt, quanto magis Filius hominis, qui verus est rex et sacerdos et dominus sabbati?

12.10 **Et ecce homo. Iste homo dicitur cæmentarius fuisse, quia manus cui spiritualis ædificii cura commissa fuit, arida erat usque ad tempus Christi. **Ecce homo manum,** etc. Significat humanum genus in foecunditate boni operis arefactum pro manu ad pomum extensa, quam sanavit manus innocens in cruce extensa. Bene manus in Synagoga erat arida, quia ubi majus donum scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ. **Interrogabant.** Quia discipulos de violatione sabbati probabili exemplo excusaverat, ipsum volunt calumniari, ut si non curet, crudelitatis, vel imbecillitatis: vel si curet, transgressionis arguant. **Sabbatis,** etc. Præcipue sabbatis docet et operatur Jesus, non solum propter speciale sabbatum, sed et propter celebriorem populi conventum, quærens salutem omnium.

††12.11 **Quis erit.** Competenti exemplo solvit quæstionem, ut eos ostendat sabbatum violare in opere cupiditatis, qui eum violare arguunt in opere charitatis. Arguit eos qui legem male interpretantur, qui dicunt in sabbato a bonis operibus feriandum. Sed a malis tantum feriandum est; unde dicitur: **Omne opus servile non facietis in eo** Levit. 23.. Id est, peccatum. Sic et in æterna requie a malis tantum feriabuntur, non a bonis.

‡‡12.13 **Extende.** Quia nil plus valet curationi eleemosynarum largitate, unde dicitur: **Non sit manus tua ad accipendum porrecta, sed ad dandum collecta** Eccl. 4.. Quia frustra pro peccatis rogaturus manus ad Deum expandit, qui has ad pauperes pro posse non extendit. **Sicut altera.** Homo ante adventum Christi dexteram habuit languidam, quia ab eleemosynis torpebat: sinistram sanam quia suæ utilitati intendebat: sed veniente Christo dextera sanatur ut sinistra: quia quod congregaverat avide, modo distribuit charitate.

omnes:^{¶¶} 16 et præcepit eis ne manifestum eum facerent.^{§§} 17 Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: 18 [Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, et iudicium gentibus nuntiabit.* 19 Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus: 20 arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam iudicium:† 21 et in nomine ejus gentes sperabunt.] 22 Tunc oblatum est ei dæmonium habens, cæcus, et mutus, et curavit eum ita ut loqueretur, et videret.‡ 23 Et stupebant omnes turbæ, et dicebant: Numquid hic est filius David? 24 Pharisei autem audientes, dixerunt: Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.¶ 25 Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum divisum contra se desolabitur: et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit.§ 26 Et si Satanas Satanam ejicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus?¶¶ 27 Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? ideo ipsi iudices vestri erunt.†† 28 Si autem ego in Spiritu Dei eji-

^{¶¶}12.15 *Recessit inde.* Nota exemplum: *Si vos persecuti sunt in una civitate, fugite in aliam* Matth. 10.. *Secuti sunt.* Docti visis virtutibus persequuntur, indocti opinione ejus ducti amando sequuntur, unde et curari merentur.

^{§§}12.16 *Et præcepit.* Non timore, ne proditus occideretur, sed parcendo Judæis, ne invidia trucidarentur in ejus innocentia et mansuetudine. Hic mystice nos instruit, ne cum aliquid magnificimus, laudem foris quæramus.

^{*}12.18 *Animæ meæ.* Per animam omnis affectus demonstratur.

[†]12.20 *Arundinem.* Judæos, omni vento cedentes, qui ab invicem discrepando dissipati sunt, non mox damnabit, sed supportabit. *Arundinem quassatam.* Qui peccanti non porrigit manum, nec portat onus fratris, quassatum calamum confringit. Et qui fidei modicam scintillam contemnit in parvulis, linum fumigans exstinguit: quod Christus non fecit, qui potius venit quærere quod perierat; patientiam namque servavit, donec iudicium quod in eo agebatur, ad victoriam perveniret, et expulso mundi principe ad regnum rediret, in dextera Patris sedens, donec ponat inimicos sub pedibus. *Linum fumigans.* Gentes, quas naturalis legis ardore fere extincto fumus erroris amarissimus, et odoris noxius involvit: quas non exstinxit, sed de parva scintilla in magnum ardorem ignis Dei suscitavit. *Donec.* Tandiu prædicatio ejus nullis insidiis superata mundo lucet, donec ponat in terra iudicium, et impleatur: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra.*

[‡]12.22 *Et curavit.* Tria signa simul facta sunt quæ et quotidie in conversione hominum fiunt, ut expulso dæmone lumen fidei videant et Deum laudent.

[¶]12.24 *In Beelzebub.* Beel, id est, Baal: muscarum, ob sordes immolatitii sanguinis: deus est Accaron, quo nomine vocant principem dæmoniorum.

[§]12.25 *Omne regnum.* Necessaria complexione eos arguit. Vel enim Christus virtute Dei dæmones ejicit, vel in principe dæmoniorum. Si virtute Dei, frustra calumniantur. Si in principe dæmoniorum, regnum ejus divisum est, nec stabit: et ideo a regno ejus recedant: quod innuit eos sibi elegisse, dum in se non credunt.

^{¶¶}12.26 *Et omnis civitas.* Eadem ratio est civitatis et domus, quæ regni. Civitas Jerusalem semper gloriosa, postquam in Christum et in Apostolos exarsit, facta divisione, excidio cecidit.

^{††}12.27 *Et si ego in Beelzebub.* Si expulsio dæmonum in filiis vestris Deo non dæmonibus deputatur, quare in me idem opus eandem non habet causam? *Ipsi,* etc. Contemptibilia mundi in quibus sancta simplicitas meæ virtutis apparet. Vel ita potius: Filii, id est, Apostoli qui bene sibi conscius erant, nihil malæ artis ab eo didicisse: ideo ipsi testes mei iudicii, judicantes duodecim tribus Israël.

cio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. † 29 Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet. ¶ 30 Qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mihi, spargit. §§ 31 Ideo dico vobis: Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. * 32 Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. † 33 Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, et fructum ejus malum:

‡12.28 *Si autem ego.* Illa pars: *Si ego in Beelzebub ejicio dæmones*, ad plura inconvenientia perducta est, modo agitur de alia parte complexionis. *Si autem ego in spiritu Dei.* Hic Lucas ait: *in digito* Luc. 11.. Digitus dicitur Spiritus sanctus pro partitione donorum. Regnum Dei, vel seipsum dicit. Unde alibi: *Medius inter vos stetit, quem vos nescitis* Luc. 11, Joan. 1.. Vel, regnum quod Joannes et ipse Jesus prædicavit. *Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cœlorum* Matth. 21.. Est et tertium regnum Scripturæ sanctæ, quod aufertur a Judæis et datur genti facienti fructum ejus. Vel regnum, id est, omnes mundi partes, Apostolis et successoribus eorum ad convertendum distribuit.

¶12.29 *Aut quomodo potest.* Ostendit ergo Dominus per manifestam parabolam, quod non concordat in fallaci operatione cum dæmonibus sicut calumniabantur, sed virtute divinitatis homines a dæmonio liberaret; ideoque grande scelus committunt, qui quod Dei esse cognoverant, diaboli esse clamabant. Neque enim possunt esse concordēs: quorum opera diversa sunt. Unde addit: *Qui non est mecum*, etc. *Domum illius.* Vel domum, id est, omnes mundi partes Apostolis et eorum successoribus ad convertendum distribuit.

§§12.30 *Qui non est mecum*, etc. Id est, qui dissimilia meis facit opera, contrarius mihi est: ille trahit ad vitia, ego ad virtutes.

*12.31 *Omne peccatum et blasphemia.* Quod humana fragilitate contrahitur, remissibile est, si congregatio non deseratur. Si vero diabolica obstinatione de dispersione ad congregationem nunquam reditur, peccatum insolubile judicatur. *HIER. Omne peccatum.* Non omnia peccata omnibus remittuntur, sed his, etc., usque ad omnes veniam consecutus post universale iudicium, transactis licet multis sæculis, asserens. *Spiritus autem.* Qui manifeste opera Dei intelligit, cum de virtute negare non possit, si stimulatus: invidia calumniatur, et dicit esse Beelzebub, isti non dimittetur. Non quod et ei negetur remissio si pœniteret: sed quia hic blasphemus, exigentibus meritis suis malis, sicut nunquam ad remissionem, ita nec ad pœnitentiam perventurus sit. Sicut Joannes evangelista de quibusdam blasphemiarum suarum merito excæcatis ait: *Propterea non poterant credere* Joan. 10.. Quod iterum dixit Isaias: *Excæcavit oculos eorum* Isa. 6.. Qui Spiritum sanctum non esse, vel minorem Patre credunt, et dicunt: quia non invidia diabolica, sed humana ignorantia hoc faciunt, irremissibili crimine non tenentur. Sed qui in similitudine diaboli contra conscientiam suam majestatem Dei oppugnant, non habent remissionem in æternum, sicut Marcus aperte declarat: qui posito hoc testimonio Domini subjunxit: *Quoniam dicebant, spiritum immundum habet* Matth. 3..

†12.32 *Et quicumque.* *AMBR.* Etiam qui scandalizatus infirmitate carnis meæ, purum hominem vel voratorem suspicatus fuerit, remissibile erit. *Qui autem.* Gratiam sancti Spiritus qua pœnitentia inspiratur et ad congregationem reditur, non cognoscens impœnitenti corde permanserit: cum hoc jam non sit humanum, sed diabolicum, irremissibile erit. *Neque in hoc sæculo.* Quædam enim culpæ in hoc sæculo laxantur: quædam vero (parvæ scilicet) etiam in futuro. Quæ quidem post mortem gravant, sed et dimittuntur, si homo bonis actibus in vita, ut ibi dimittantur, promeruit. *Neque in futuro.* Quia sunt quædam levia, quæ si in hac vita nondum sunt remissa, post mortem gravant, sed et remittuntur, si digni sunt.

siquidem ex fructu arbor agnoscitur.[‡] 34 Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.[¶] 35 Bonus homo de bono thesauro profert bona: et malus homo de malo thesauro profert mala.[§] 36 Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.^{**} 37 Ex verbis enim tuis justificaberis et ex verbis tuis condemnaberis.^{††} 38 Tunc responderunt ei quidam de scribis et pharisæis, dicentes: Magister, volumus a te signum videre.^{‡‡} 39 Qui respondens ait illis: Generatio mala et adultera signum quærit: et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.^{¶¶} 40 Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.^{§§} 41 Viri Ninivitæ surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in

[‡]12.33 **Aut facite.** Nihil enim medium quin boni auctoris bona tantum sint opera, et mali mala. Coarctat eos hinc inde complexione, et utroque cornu premit. Si malus est diabolus, non facit bona; si bona sunt, non sunt diaboli. **Aut facite,** etc. Mystice arbor bona, Christus; fructus, prædicatio Evangelii; curationes, redemptio. Arbor mala diabolus et sui, id est, Scribæ et Pharisæi: et cæteri mali fructus, invidia, detractio, blasphemia, hæresis et hujusmodi.

[¶]12.34 **Progenies viperarum,** etc. Ostendit eos malam arborem: et fructus afferre blasphemiam. **Ex abundantia.** Homo sæpe fallitur, qui pensat cor ex ore, et opere. Sed Deus opus et verba ex corde quod novit iudicat. Illi ergo ex abundantia cordis os loquitur qui scit ex qua intentione exit.

[§]12.35 **Bonus homo.** Thesaurus cordis intentio est, ex qua Deus iudicat opera, ut et aliquando minora majorem, majora minorem habeant mercedem. Hoc in loco, vel Judæos ostendit de quali thesauro proferant blasphemiam. Vel cum superioribus hæret, quod sicut bonus homo non potest proferre mala, vel malus bona, sic nec Christus mala, nec diabolus bona opera potest facere.

^{**}12.36 **Verbum otiosum.** Si de otioso verbo reddet homo rationem in die iudicii, quanto magis vos qui opera sancti Spiritus dicitis esse Beelzebub. GREG. Otiosum verbum est, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis caret, quod scilicet, etc., usque ad hic non otiosi verbi sed criminosi tenebitur reus.

^{††}12.37 **Ex verbis.** Mors et vita in manibus linguæ.

^{‡‡}12.38 **Tunc responderunt.** Cum Scribæ et Pharisæi verba nullatenus possent improbare, in operibus quærun tentare, quærentes signa videre, quasi non fuerint signa quæ viderant.

^{¶¶}12.39 **Nisi signum Jonæ.** Ostendit Judæos ad instar Ninivitarum criminosos, et nisi pœniteant subversioni proximos. Sed sicut illis et denunciatur supplicium, et demonstratur remedium: ita Judæi non debent desperare veniam, si saltem postquam Christus resurrexit a mortuis, commoniti egerint pœnitentiam: quia mors Christi reconciliatio est mundi.

^{§§}12.40 **Sicut enim fuit Jonas.** Jonas, id est, dolens, significat illum qui dolores nostros portavit. Vel columba: Piscis qui voravit in pelago, mors quam passus est in mundo. Sicut ejectus est in aridam, sic Christus surrexit in gloriam. **Tribus diebus.** More antiquorum, qui diem cum nocte præcedente computabant. Partem diei qua sepultus est cum præterita nocte, pro nocte et die accipe, hoc est pro toto die per synecdochen. Sabbati noctem et diem integre. Noctem Dominicam cum eadem die illucescente, partem pro toto, et ita habes tres dies et tres noctes. Primi dies propter futurum hominis lapsum a luce in noctem. Isti propter hominis reparationem a tenebris ad lucem computantur. Mystice. **Tres dies,** tria tempora, ante legem, sub lege, sub gratia. Tres noctes, tres mortui quos suscitavit Dominus.

prædicatione Jonæ, et ecce plus quam Jonas hic.* 42 Regina austri surget in iudicio cum generatione ista, et condemnabit eam: quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic. 43 Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens quietem, et non invenit.† 44 Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam.‡ 45 Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi: et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit et generationi huic pessimæ.¶ 46 Adhuc eo loquente ut turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei.§ 47 Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te.** 48 At ipse respondens dicenti

*12.41 **Viri Ninivite.** Et est sensus: Jonas paucis diebus et sine signis prædicavit genti incredulæ, et profecit: ego longo tempore, et populo Dei, et compluribus signis, in vanum prædico. Eo magis indigni sunt venia, qui ex lege sunt infideles, quo plus est fidei in his, qui legem nescierunt. Ninive, **speciosa:** signat gentilitatem quam Christus amavit fœdam, ut faceret pulchram. In Ninivitis et regina Austri, fides Ecclesiæ signatur, quæ non minus per pœnitentiam peractæ insipientiæ quam per industriam descendæ sapientiæ Deo conciliatur. Duæ enim partes sunt Ecclesiæ, quæ peccare nescit, et quæ peccare desistit, pœnitentia enim peccatum abolet, sapientia cavet.

†12.43 **Cum autem,** etc. Quasi dicat: Vos non estis similes Ninivitis vel reginæ Austri: quia me prædicante pœnitentiam non pœnitistis, et me docente sapientiam non didicistis. Sed estis similes homini a quo diabolus exclusus iterum ingreditur. Distat inter opera mea qui polluta mundo, et Satanæ, qui mundata gravius contaminat. **Ambulat per loca.** Explorat corda fidelium a mollitie fluxæ cogitationis purgata, si quos gressus ibi figere possit quod, quia nequit, ad humida redit.

‡12.44 **Revertar in domum.** Sub umbra dormit, in secreto calami, et locis humentibus. Umbra tenebrosa, conscientia: calamus foris nitidus, intus vacuus, simulator: locus humidus, lasciva mollisque mens.

¶12.45 **Septem alios spiritus.** Septem vitia, septem virtutibus spiritualibus contraria. **Nequiores.** Quia non modo habet vitia, sed et bona simulat. Tanto nequiores, quanto callidiores. Septem, quia tot erant gratiæ cum Christo destinatæ. Septem vitia, septem dæmonia septem spiritibus contraria spiritui sapientiæ et intellectus, etc. **Sic erit,** etc. Quod de una sola re dixit, hoc in hac tota gente fit. Immundus Spiritus a Judæis exivit, quando legem acceperunt. Ambulavit ad gentes, quæ cum postea Domino crederent, non invento loco in eis dixit: Revertar in Judæos vacantes præsidio Dei et angelorum, increpationibus et correptionibus mundatos, ornatos superfluis observationibus. Adduntur septem, quia multo majore numero dæmonum possidentur blasphemantes Jesum quam in Ægypto possessi fuerunt. Contra septem spiritus virtutum est numerus vitiorum.

§12.46 **Ecce mater ejus.** RAB. Mystice. Mater et fratres populus est Judæorum qui Jesu intus docente non possunt intrare, quia spiritualiter ejus verba, etc., usque ad Fratres Domini sunt consobrini ejus, filii Mariæ materteræ ejus: quæ dicitur mater Jacobi minoris et Joseph, et Judæ et Simonis.

12.47 **Dixit autem ei. Insidiose, utrum spirituali operi carnem præferat: et ideo se nosse dissimulat matrem et proximos per cognitionem, sed per conjunctionem spiritus esse sibi proximos dicit.

sibi, ait: Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?†† 49 Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei. 50 Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

13 In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare.‡‡ 2 Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut naviculam ascendens sederet: et omnis turba stabat in littore,¶¶ 3 et locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui seminat, seminare.§§ 4 Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres cæli, et comederunt ea.* 5 Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ:† 6 sole autem orto æstuaverunt; et quia non habebant radicem, aruerunt. 7 Alia autem ceciderunt in spinas: et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea. 8 Alia autem ceciderunt in terram bonam: et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.‡ 9 Qui habet aures audiendi, audiat.¶ 10 Et accedentes discipuli dixerunt

††12.48 *Quæ est mater mea?* Non recusat obsequia matris, sed præfert ministeria Patris: fratres non contemnit, sed opus spirituale præfert cognationi, ut et nos carni spiritum præferamus. Unde: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* Matth. 10.. *Ecce mater mea,* etc. Hi sunt mater mea, qui me in credentium cordibus generant. Hi sunt fratres, qui faciunt opera Patris mei. Fratres et soror credendo, mater prædicando.

‡‡13.1 *In illo die.* Per hoc indicat hoc gestum consequenter, nisi forte dies ponatur pro tempore, more Scripturæ. Marcus eundem tenet ordinem. Lucas in aliud transit, sed nec repugnat huic. RAB. Non solum facta et dicta Domini, sed et itinera, etc., usque ad ad quæ Judæi non intraverunt, foris in littera fixi.

¶¶13.2 *Turba stabat.* Hi sunt qui nuper audire venerunt, qui et a fluctibus maris secreti sunt, necdum cœlestibus mysteriis quæ desiderant imbuti cum Christo ascendunt.

§§13.3 *Locutus est multa.* Quia turba non unius est sententiæ sed diversarum voluntatum, loquitur eis multis parabolis, ut juxta varias voluptates, diversas recipiant disciplinas. *Qui seminat.* Ipse Christus, qui verbum veritatis quod apud Patrem vidit, hominibus per se vel per suos seminavit. Qui discipulis sacramenta loquebatur, exiit seminare Dei verbum in turbas.

*13.4 *Secus viam.* Via est, mens malarum cogitationum sedulo meatu trita et arefacta. Ubi dupliciter perit semen, quia et transitu cogitationum conculcatur, ut Lucas ait, et a volucris rapitur. Dæmones dicuntur volucres, seu quia cœlestis spiritualisque naturæ, seu quia per æra volitant. *Et venerunt.* Secundum Lucam ab hominibus conculcatum est, quia prava persuasionem impiorum sublaturum est. *Et comederunt.* Quia a mentibus hominum illud surripuerunt.

†13.5 *In petrosa.* Petrosa cito quærunt germinare, sed non figitur radix, quia non est alta terra, id est, quia parum inest desiderii salutaris. In hac expositione Domini discimus, quia res non semper in eadem significatione ponuntur. Nam petra hic pro durtia, terra pro lenitate mentis, sol pro fervore persecutionis. Cum sol alibi in bono: *Fulgebunt justi sicut sol* Matth. 13., et petra in fundamento, pro fortitudine fidei, et terra pro terrenis cogitationibus. *Altitudinem terræ.* Altitudo terræ est probitas animi disciplinis cœlestibus eruditi, et in tentationibus probati.

‡13.8 *Scaagesimum.* Quia in numero senario mundi ornatus expletus est, per hunc bona operatio signatur.

¶13.9 *Qui habet aures audiendi.* Quoties hæc admonitio in Evangelio vel in Apocalypsi Joannis interponitur, mysticum quod dicitur insinuat.

ei: Quare in parabolis loqueris eis?[§] 11 Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum.^{**} 12 Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit: qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo.^{††} 13 Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt.^{‡‡} 14 Et adimpletur in eis prophetia Isaïæ, dicentis: [Auditu audietis, et non intelligetis: et videntes videbitis, et non videbitis.^{¶¶} 15 Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clausurunt: nequando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.]^{§§} 16 Vestri autem beati oculi quia vident, et aures vestræ quia audiunt.^{*} 17 Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ et iusti cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt: et audire quæ auditis, et non audierunt.[†] 18 Vos ergo audite parabolam seminantis.[‡] 19 Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus: hic est qui secus viam seminatus est. 20 Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, et

§13.10 *Et accedentes discipuli*, etc. Quomodo accedunt discipuli cum Dominus in navi sederet? Sed forte intelligendum, quod dudum cum ipso navem conscenderint: et ibi stantes quærunt.

**13.11 *Vobis datum est*. Nota non solum verba Domini, sed et facta, parabolas esse: id est, signa mysticarum rerum, quæ non intelligebant multi qui foris sunt.

††13.12 *Qui enim habet*. Id est, apostolis habentibus fidem, si quid minus virtutum habent, conceditur Judæis, qui non credunt in Filium Dei, etiam si quid boni per naturam habent, tollitur. Nam nihil possunt sapienter intelligere qui caput non habent sapientiæ. *Auferetur ab eo*. Nulla veræ sapientiæ dulcedine gaudebit.

‡‡13.13 *Ideo in parabolis*. Dicitur quod ideo excæcati sunt, et sententiæ Domini per parabolas eis occultatæ sunt, ut post salubrius converterentur. Nam quia obscure dicta non intellexerunt, ideo non crediderunt in eum, et sic crucifixerunt, et sic post resurrectionem miraculis territi, majoris criminis reatu compuncti sunt. Unde accepta indulgentia ampliori flagrant dilectione. Sed Joannes hunc locum ita dicit: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaïas: Excæcavit oculos eorum, ut non videant* Joan. 11.. Ubi aperte dicit non ideo factam excæcationem, ut ea commoniti, et dolentes se non intelligere, converterentur aliquando: non enim hoc possent nisi crederent, sed potius ideo excæcati, ut non crederent, quod aliis peccatis meruerunt. *Videntes non vident*. Sicut avarus multas habet opes et nullas, quia inutiles sunt ei.

¶¶13.14 *Auditu audietis*. Hæc de turbis prophetata sunt, quia stant in littore, et Domini non merentur audire sermonem.

§§13.15 *Oculos suos*. Id est, ipsi sibi causa fuerunt ut Deus eis oculos clauderet. *Ne quando*. Id est, ideo, quia oculos et aures aperire noluerunt, non meruerunt aliquando converti: quod tamen misericorditer factum est eis.

*13.16 *Beati*. Vere beati, quia hoc etiam præsentialiter videre et audire meruerunt, quod nullus priorum quantivis meriti meruit, quamvis multum desideraverit.

†13.17 *Et iusti*. Lucas justos reges dicit, quia motus suos bene regunt

‡13.18 *Vos ergo audite*. Primam parabolam exponit, ut idem attendant in cæteris. Exponit non secundum singula verba, sed summam sententiæ. AUG. sup. Gen. Proinde quod narravit evangelista (etiam factum est) Dominum scilicet talia fuisse locutum. Ipsius autem, etc., usque ad illud quippe scripsit narrator rerum præteritarum, hoc prænuntiator tantummodo futurorum.

continuo cum gaudio accipit illud:[¶] 21 non habet autem in se radicem, sed est temporalis: facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. 22 Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.[§] 23 Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum.^{**} 24 Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo:^{††} 25 cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.^{‡‡} 26 Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. 27 Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? 28 Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea?^{¶¶} 29 Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.^{§§} 30 Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania,

[¶]13.20 *Super petrosa*. Super petram et in spinis seminantur, qui bene accipiunt: sed vel adversa terrendo, vel prospera blandiendo, retardant eos ne perficiant. Divitiis jungitur sollicitudo custodiæ, quæ affligit, et voluptas, quæ effluere facit.

[§]13.22 *Fallacia divitiarum*. CHRYSOST. Suffocantur spinis quæ audivimus, non quidem ipsarum spinarum culpa, sed ejus qui illas, etc., usque ad duo quippe vitia inter se opposita in divitiis sunt, unum quod incendit sollicitudinem, et offuscaturis: alterum quod molliores deliciis reddit.

^{**}13.23 *Aliud quidem centesimum*. RAB. Tres differentiæ sunt in bona terra, sicut fuere in mala. Triginta enim refertur ad nuptias. Sexaginta ad, etc., usque ad tricesimum conjugatorum, quia hæc est ætas præliantium, et his est major conflictus ne libidine superentur.

^{††}13.24 *Aliam parabolam*. Quasi dives paterfamilias invitatos diversis reficit cibus, ut unusquisque secundum naturam stomachi sui varia alimenta susciperet. Unde et dixit aliam parabolam et non alteram, ut plures sequi intelligantur. Hæc parabola proponitur, dimissis turbis, domi rogantibus discipulis exponitur. Et docet hic bonam voluntatem, et cautelam, et patientiam, et discretionem, et longanimitatem, et justitiam.

^{‡‡}13.25 *Homines*. Qui aliis ad tutelam et custodiam deputati sunt prælati in Ecclesia: vel cum dormitionem mortis accipiant apostoli.

^{¶¶}13.28 *Vis, imus*. Cum spiritualis homo audit hoc esse a diabolo qui nihil valet contra voluntatem Dei, potest ei voluntas suboriri, ut tales auferat de mundo si facultatem habeat. Sed consulit justitiam Dei, an facere debeat, et an Deus velit esse hoc officium hominum. Sed Veritas respondet: Non nosse hominem in hac vita qualis futurus sit qui modo errat, et quid bonis conferat ejus error: et ideo eos non esse tollendos, ne forte interficiantur, qui forte futuri sunt: vel ne bonis obsit, quibus prosunt, etc. Tunc vero opportune fieri, cum jam non est commutandæ vitæ tempus et proficiendi aliis: et tunc non ab hominibus, sed ab angelis dicit fieri.

^{§§}13.29 *Et ait: Non*, etc. Ecce patientia. Non enim audito dolore exarsit in iram, nec mox ulcisci voluit, ita et nos læsi patienter feramus. *Ne forte*. Hic datur locus penitentiæ et monemur non cito amputare: quia qui errat hodie, cras forte defendet veritatem. Si ergo modo avelleretur, triticum quod futurum erat eradicaretur. Vel necesse est ut mali permisti sint bonis per quos exerceantur. Vel quorum comparatione nitantur ad melius, quibus sublatis altitudo charitatis marcescit quod est eradicari. Ibi patienter tolerandi sunt mali, ubi aliqui inveniuntur quibus adjuventur boni. AUG. Multitudo non est excommunicanda, nec princeps populi.

et alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.* ³¹ Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo:† ³² quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cæli veniant, et habitent in ramis ejus.‡ ³³ Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.¶ ³⁴ Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas: et sine parabolis non loquebatur eis:§ ³⁵ ut impleretur quod dictum erat per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum; eructabo abscondita a constitutione mundi. ³⁶ Tunc, dimissis turbis, venit in domum: et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. ³⁷ Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. ³⁸ Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regnum. Zizania autem, filii sunt nequam. ³⁹ Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio sæculi est. Messores autem, angeli sunt. ⁴⁰ Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi. ⁴¹ Mittet Filius hominis angelos suos, et colli-

*13.30 *Sinite*. Hoc videtur contrarium illi apostolico: *Auferte malum ex vobis* I Cor. 5.. Sed sicut inter lolium et triticum quamdiu herba est, parum distat: ita monet Dominus ne de ambiguo judicemus, quod Dominus in die judicii non suspiciose, sed manifeste damnabit. In patiando justitiam meditemur: in judicando justitiam non negligamus. *Et in tempore*. Qui longanimiter tulit per justitiam, digna retribuit: discretæ enim sunt virtutes, sed non contrariæ. *Et alligate*. In hac vita non est alligatio, alioquin non tot ab errore resipiscerent.

†13.31 *Simile est regnum*, etc. Regnum cælorum, prædicatio est Evangelii, de qua alibi: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus* Matth. 21.. Vel notitia Scripturarum. *Grano sinapis*. Grano sinapis comparatur pro fervore fidei, quia dicitur venena expellere, id est, omnia dogmata pravitatis. Potest in grano sinapis humilitas Dominicæ incarnationis intelligi. Quo accepto homo misit in hortum suum, quia corpus crucifixi Salvatoris accipiens Joseph in horto sepelevit. Expandit ramos in quibus volucres cæli requiescent, quia prædicatores dispersit in mundum, in quorum dictis et consolationibus fideles ab hujus vitæ fatigatione respirarent.

‡13.32 *Cum autem creverit*. Toto mundo vel in animo singulorum: quia nemo repente perfectus. Crevit et factum est in arborem, quia surrexit et ascendit in cælum. Vel creverit, id est, mentibus hominum quantæ sit virtutis innotuerit. Cætera apparent olera, quæ cito crescunt et corruunt: non vivida, sed marcida: illa non olus, sed arbor fit, ubi folia cum fructu, et in ejus diversis sententiis spirituales quiescunt. *Oleribus et fit arbor*. Id est, dogmatibus philosophorum, quæ cito crescunt et corruunt, nil vitale promittentia.

¶13.33 *In farinæ satis*. Ut spiritus, anima, et corpus in unum redacta non discrepent inter se. Vel tres animæ virtutes in unum rediguntur, ut in ratione possideamus prudentiam, in ira odium vitiorum, in cupiditate desiderium virtutum. Vel, mulier, Ecclesia, fidem hominum farinæ tribus satis miscet, credulitati Patris et Filii et Spiritus sancti. Cumque in unum fuerit fermentatum, non nos ad triplicem Deum, sed unius deitatis notitiam perducit, quia non est diversa natura in singulis. *Donec fermentatum*. Tandiu charitas in mente recondita crescere debet, donec mentem totam in sui perfectionem commutet, ut nihil præter Deum diligat vel recolat, quod hic incipitur, in alia vita perficitur.

§13.34 *In parabolis ad turbas*. Quia quidquid ibi dicitur de exercitu Isræel, et omnia signa occulta sunt sacramenta.

gent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem: ⁴² et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium. ⁴³ Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. ⁴⁴ Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. ^{** 45} Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. ^{†† 46} Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. ^{‡‡ 47} Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. ^{¶¶ 48} Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonis in vasa, malos autem foras miserunt. ^{§§ 49} Sic erit in consummatione sæculi: exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, ⁵⁰ et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium. ⁵¹ Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. ⁵² Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. ^{* 53} Et factum est, cum consummasset Jesus parabolam istam, transiit inde. ⁵⁴ Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, et dicerent: Unde huic sapientia hæc, et virtutes? ^{† 55} Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, et

^{**}13.44 *Thesauro abscondito in agro.* Thesaurus potest accipi verbum Dei, qui in carne Christi absconditur. Vel Scriptura, in qua reposita est notitia Salvatoris. Vel, duo Testamenta in Ecclesia, pro quorum intelligentia omnibus renuntiatur ut in otio discantur. Terrenis regnum cælorum similatur, ut per cognita surgat ad incognita animus, et diligat. *Abscondit et præ gaudio illius.* Ut servetur a malignis spiritibus et laudibus hominum. Sic sit opus in publico, ut intentio maneat occulta.

^{††}13.45 *Negotiatori.* Beatitudinem qua exuti sumus culpa primi hominis, debemus omnes, intelligendo recte et operando bene, negotiari. *Bonas margaritas.* Bonæ margaritæ, lex et prophetæ. Una pretiosa, scientia Salvatoris, pro qua homo, ut Paulus, omnibus mysteriis legis et observationibus renuntiavit.

^{‡‡}13.46 *Inventa autem.* Id est, Christo, qui præest omnibus hominibus, vel spirituali præcepto dilectionis. Vel intellecto verbo, quod erat apud Deum penetrata carnis testudine. Vel cœlestis vitæ dulcedine, pro qua omnia vilescunt.

^{¶¶}13.47 *Sagenæ missæ.* Impletur Jeremiæ vaticinium: *Ecce ego mitto ad vos pisces multos* Jer. 16.. Postquam audierunt Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes: *Sequimini me, faciam vos pisces hominum:* contexuerunt sibi sagenam ex Veteri et Novo Testamento, et in mare sæculi miserunt, quæ usque hodie trahitur, et in fluctibus tenditur: capiens quidquid incidit, bonos et malos, quos ad littus trahit, id est, ad finem mundi, ut tunc fiat divisio. Unde sequitur: *Sic erit in consummatione sæculi,* etc. Sagenæ comparatur Ecclesia vel prædicatio evangelica, quæ a fluctibus sæculi ad, cœlum trahit.

^{§§}13.48 *Et secus littus.* Littus, finis sæculi, in quo boni ad cœlum, mali ad tenebras mittentur: in præsentem enim erant permisti.

^{*}13.52 *Ideo omnis Scriba doctus,* etc. Quia intelligitis mysteria quæ vobis revelo: ideo faciam vos prædicatores, et eritis mihi similes qui de thesauro scientiæ meæ, nova et vetera profero, ut vos similiter faciatis. Apostoli sunt scribæ et notarii Christi, verba ejus signantes in tabulis cordis, et pollutem opibus patrifamilias, ejicientes de thesauro doctrinarum suarum nova et vetera, quia quidquid in Evangelio prædicatur, legis et prophetarum vocibus comprobant.

[†]13.54 *Ut mirarentur.* Magna cæcitas, quem verbis et factis Christum cognoscunt, ob generis notitiam contemnunt.

fratres ejus, Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas?[‡] 56 et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? unde ergo huic omnia ista? 57 Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua.[¶] 58 Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.[§]

14 In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu:^{**} 2 et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo.^{††} 3 Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum; et posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui.^{‡‡} 4 Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.^{¶¶} 5 Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant.^{§§} 6 Die autem natalis Herodis saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi: 7 unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo.^{*} 8 At illa præmonita a matre sua: Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ. 9 Et contristatus est rex: propter juramentum autem, et eos qui pariter recumbebant,

[‡]13.55 *Fabri filius.* Non sine re voluit dici fabri filius, non illius quem putant, sed fabricatoris omnium. Sed hujus sacramenti Judæi ignari divinæ virtutis opera carnalis prosopiæ contemplatione contemnunt. Non enim considerant præsentia ejus opera, sed fragilem recordantur infantiam.

[¶]13.57 *Propheta.* Christus dicitur propheta. Unde Moses dicit: *Prophetam suscitabit vobis Dominus de semine vestro* Deut. 18.. *In patria.* Id est, in populo Judæorum: majora autem facit in gentibus.

[§]13.58 *Et non fecit.* Fecit virtutes aliquas, sed non multas, ne incredulos condemnaret. Vel despectus pauca facit, ne penitus excusabiles sint, majora autem in gentibus facit.

^{**}14.1 *In illo tempore audivit Herodes.* Lucas vero ita: *Audivit autem Herodes tetrarcha* Luc. 9., etc. Quod ergo ait; *Hic est Joannes* Joan. 4.. Vel confirmatus quorundam sententia post hæsitationem dixit, vel adhuc dubius: hæc enim verba ad utrumque se habent.

^{††}14.2 *Et ait.* Nota invidiam Judæorum. Hic alienigena dicit resurrexisse Joannem, qui nullum signum fecit. Illi Jesum tot virtutibus approbatum non resurrexisse contendunt. *Et ideo.* Senserunt enim quod majoris virtutis sunt futuri sancti a mortuis resurgentes, quam fragili carne gravati.

^{‡‡}14.3 *Herodes enim.* Quia dixit de opinione resurrectionis cum nihil de morte dixisset, revertitur et narrat qualiter et cur obierit. Herodes iste et Philippus fratres fuerunt filii Herodis, sub quo Dominus fugit in Ægyptum. *Herodiadem uxorem.* Herodias filia Arethæ regis, quam ipse pater tulit Philippo, et in dolorem ejus dedit Herodi inimico illius.

^{¶¶}14.4 *Non licet.* Herodes forsitan legem Judæorum tenebat, et ideo Joannes eum ab adulterio prohibebat.

^{§§}14.5 *Timuit populum.* Populum timebat, sed amor superabat, pro quo et Deum postponebat. Timor Dei corrigit, timor hominum differt, sed voluntatem non aufert: unde et avidiores reddit ad crimen quos aliquando suspendit a crimine.

^{*}14.7 *Cum juramento.* Ad hoc forte juravit ut occasionem pararet, qua videretur facere invitum quod faciebat spontaneus. Non enim hoc impleset de aliquo amato, quod implevit de propheta: quod et ante fecisset, si excusabiliter posset. BEDA. Si quid nos forte incaute jurasse contigerit, etc., usque ad nec aliquid culpæ se tali perjurio contraxisse doluit. ISID. Non est conservandum sacramentum quo malum incaute promittitur, velut si, etc., usque ad tolerabilius enim est non implere sacramentum, quam manere in stupro.

jussit dari.[†] ¹⁰ Misitque et decollavit Joannem in carcere.[‡] ¹¹ Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et attulit matri suæ. ¹² Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud: et venientes nuntiaverunt Jesu. ¹³ Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula, in locum desertum seorsum: et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.[¶] ¹⁴ Et exiens vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum. ¹⁵ Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, et hora jam præterit: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.[§] ¹⁶ Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.^{**} ¹⁷ Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces.^{††} ¹⁸ Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. ¹⁹ Et cum jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.^{‡‡} ²⁰ Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et tulerunt reliquias,

[†]14.9 **Constristatus.** Ut discumbentibus videbatur. Talis quippe erat tristitia Herodis, qualis pœnitentia videlicet Pharaonis.

[‡]14.10 **Et decollavit.** Minutus est Joannes capite, exaltatus est in cruce Christus: quia illius fama decrevit, istius crevit; unde: **Illum oportet crescere, me autem minui** Joan. 3.. In truncato capite Joannis, ostenduntur Judæi Christum (qui est caput omnium prophetarum) perdidisse. Moraliter. Mors Joannis finem significat legis, qua finita merito migratur ad Christum, qui est finis legis ad justitiam omni credenti.

[¶]14.13 **Quod cum audisset Jesus.** Postquam apud Judæos lex et propheta caput perdit et vocem: Jesus transit ad desertum Ecclesie locum, quæ ante non habebat virum. **Secessit.** Non fugit timore, sed secessit parcens inimicis ne homicidium homicidio jungerent, dans exemplum vitandæ temeritatis. Vel **secessit**, ut probaret fidem credentium; unde: **Et cum audissent turbæ**, etc. **Pedestres.** Proprio labore, ut ardorem mentis ostenderent. Relinquunt civitates, id est, pristinas conversationes. Habent voluntatem, sed non vires perveniendi. Ideo Jesus obviam exit, et misertus curat, ut plena fides statim præmium habeat. Ecce quantum delectatur devotione credentium.

[§]14.15 **Vespere autem facto**, etc. Recedit Jesus de Judæa, vadit in desertum, turbæ sequuntur, quibus obviat et curat. Hoc non mane vel meridie, sed vespere quando sol justitiæ occubuit et finis mundi appropinquavit. **Discipuli ejus.** Carnales, et de futuro miraculo refectionis ignari, quibus dictum erat: **In viam gentium ne abieritis** Matth. 10.. Mystice. Fastidiunt Judæi gentes recipi et murmurant: quorum voce utitur Isaias Isa. 40.: **Ecce gentes quasi stilla situlæ.** Iterum: **Omnes gentes quasi non sint, sed sunt coram eo.** Sed Dominus per apostolos reficere decrevit; unde subdit: **Jesus autem**, etc. **Dimitte turbas.** Diu est quod idola sequitur, ideoque non est a nobis pascenda pane verbi Dei.

^{**}14.16 **Date illis.** Provocat ad dandum, ut illis se non habere testantibus notior sit magnitudo signi, ubi etiam innuit, quod per eos sunt pascenda jejuna corda.

^{††}14.17 **Quinque panes et duos pisces.** Per quinque panes et duos pisces, totum Vetus Testamentum significatur. Per quinque panes, quinque libri Moysi, qui bene hordeacei, qui cibus est jumentorum, rudibus enim aspera et grossa danda. **Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei** I Cor. 1.. Intus tamen latet medulla suavissimi sensus. Per duos pisces, prophetæ et psalmi: unde et post resurrectionem ait: **Quæ scripta sunt in lege et prophetis plurimis de me** Luc. 24..

^{‡‡}14.19 **Acceptis quinque**, etc. Accepit quinque panes, non novos creavit, quia veniens in carne non alia quam prædicta erant prædicavit, et opere implevit. **Benedixit.** Cum aperiens sensum, ut intelligerent Scripturas, dono internæ suavitatis multiplicavit. Fregit cum mysteria legis in medium protulit.

duodecim cophinos fragmentorum plenos.^{¶¶} 21 Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis.^{§§} 22 Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.* 23 Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi:† 24 navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.‡ 25 Quarta enim vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare.¶ 26 Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt.§ 27 Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere.** 28 Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.†† 29 At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum.‡‡ 30 Videns vero ventum validum, timuit: et cum cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me

^{¶¶}14.20 *Reliquias.* Secretiora quæ a rudibus capi nequeunt, non sunt negligenter habenda, sed a duodecim apostolis qui per cophinos duodecim significantur, et ab eorum successoribus diligenter inquirenda. Cophinis servilia opera geruntur. **Et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia** I Cor. 1..

^{§§}14.21 *Exceptis mulieribus et parvulis.* Sexus fragilis et minor ætas sunt numero indigni. Significat infirmos in fide nondum idoneos pugnæ.

*14.22 *Et statim compulit,* etc. RAB. Qui, ut ait Joannes, **venturi erant ut facerent eum regem** Joan. 6., qui miraculum panum viderant, etc., usque ad pro quibus ne nos emolliant, oremus.

†14.23 *Ascendit.* Pavit turbam ut Deus, ascendit orare ut homo. Non quod omnia non habens in potestate, sed ut formam hominis impleret. In hoc officium pietatis est, sequitur insigne potestatis miraculum. **Vespere autem.** Merito dicitur hæc tempestas esse in vespere, quia dum Ecclesia in tribulatione est, dicitur esse quasi in nocte, et sol justitiæ se abscondisse videtur.

‡14.24 *Navicula autem.* Navis in medio mari, solus Jesus in terra: quia aliquando ita est Ecclesia non modo afflicta, sed et foedata ut prorsus videatur derelicta a Deo: sed Deus eam non relinquit. Unde Marcus ait: **Vidit eos laborantes remigando** Marc. 6.. Etsi non præsens, et si differt, tamen videt et corroborat.

¶14.25 *Quarta autem.* Tota nocte periclitantur, quia cum se homo considerat, nihil invenit nisi tenebras angustiarum et æstus hostium. **Venit ad eos.** Marcus ait: **Volens præterire eos,** pro quibus tamen liberandis venit. Quod fit ut ad horam turbati, sed mox liberati amplius stupeant, et gratias agant, quod idem sæpe fit in passionibus sanctorum.

§14.26 *Et videntes,* etc. Quia sæpe fit ut cum aliqua subito diutinæ tribulationis oritur sedatio, non statim credatur vera liberatio. Ideoque permanente priori formidine intensa, ad liberationem dirigitur oratio.

14.27 *Ego sum, nolite timere.* Non supponit quis, quia ex voce sibi nota poterant eum cognoscere. Vel quia ipse est qui dixit: **Qui est misit me ad vos Exod. 3..

††14.28 *Domine, si tu es.* Si tu es ille liberator, jube me venire ad tuam imitationem superando pressuras.

‡‡14.29 *Et descendens.* De humano desperans adiutorio, mente calcat pressuras, ut Jesu sit conformis. **Ambulabat,** etc. Ecce homo super aquas ambulat. Ne ergo dubites Christum verum corpus esse, quia super aquas ambulavit. Super mare ambulare fecit, ut ostendat divinam potestatem. Mergi facit, ne infirmitatem obliviscatur, ne putet se æqualem Deo, et ne superbiat.

fac. ¶³¹ Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum: et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? ³² Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus. §§³³ Qui autem in navicula erant, venerunt, et adoraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es. * ³⁴ Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. † ³⁵ Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes: ³⁶ et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. ‡

15 Tunc accesserunt ad eum ab Jerosolymis scribæ et pharisæi, dicentes: ¶¹ Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant. §³ Ipse autem respondens ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: **⁴ Honora patrem, et matrem: et, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. ††⁵ Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus, quodcumque est ex me, tibi proderit: ‡‡⁶ et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. ⁷ Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: ¶⁸ [Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe

¶^{14.30} *Et cum cœpisset*, etc. Paululum relinquitur tentationi, ut augeatur fides; ut enim credidit se ejus imperio posse fluctibus sustentari, sic dum mergitur, posse ejus virtute salvari.

§§^{14.32} *Cessavit ventus*. In quocunque Deus per gratiam adest, mox universa bella quiescunt.

*^{14.33} *Et adoraverunt*, etc. Viso signo Filium Dei confitentur: cur ergo Arius creaturam esse perducatur?

†^{14.34} *In terram Genesar*. Allegorice. Genesar interpretatur *hortus principum*. Per typum ergo apostolorum et navis, intelligendum est Ecclesiam de persecutionibus liberatam a Domino duci ad littus, id est quietem, ubi paradisi restituatur hæreditas et primæ stolæ jucunditas.

‡^{14.36} *Fimbriam vestimenti*, etc. Id est, minimum mandatum, vel caro qua ad verbum Dei venimus, quem qui credendo tangit, ab omni morbo impietatis sanatur.

¶^{15.1} *Tunc accesserunt*. Homines Genesar, minus docti, credunt, sed qui sapientes videntur ad pugnam veniunt. CHRYSOST. Tunc, inquit, quando scilicet innumera signa operatus est, quando, etc., usque ad ut magnam eorum malitiam ostenderet.

§^{15.2} *Non enim lavant*. Intus nihil arguunt, qui intus livore polluti sunt. In vanum quidem sua baptismata servant, qui suorum cordium et corporum sordes abluere negligunt.

**^{15.3} *Quare et vos*. Si vos mandata Dei contemnitis propter traditiones hominum, quare arguitis discipulos, qui mandata hominum dimittunt, ut scita Dei custodiant?

††^{15.4} *Honora patrem*. HIER. Honor in Scripturis, non tantum in salutationibus et officiis deferendis, quantum, etc., usque ad ut filii honorarent etiam in vitæ necessariis ministrandis parentes suos.

‡‡^{15.5} *Vos autem dicitis*, etc. Vestra autem traditio contraria est. Hoc filios dicere parentibus compellit: quod Deo oblaturus eram in tuos consumo cibos, tibi que prodest, o pater, ut timeat consecrata comedere. Vel quod Deo offero, tibi ipsi prodest. *Quicumque dixerit*. Scilicet, vita æterna dignus erit. Vel *dixerit*, id est, dicere proderit. *Proderit*. Quasi dicat: Non, imo sacrilegus esses, si acciperes, quia Deo devovi, *Vel tibi proderit*: si Deo dedero.

¶^{15.7} *Bene prophetavit*, etc. In spiritu simulationem Judæorum, quod in dolo re-pugnarent Evangelio.

est a me. §§ 9 Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.]
 10 Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, et intelligite. 11 Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. * 12 Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt? † 13 At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur. 14 Sinite illos: cæci sunt, et duces cæcorum; cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. ‡ 15 Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. ¶ 16 At ille dixit: Adhuc et vos sine intellectu estis? 17 Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur? 18 Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquant hominem: 19 de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: § 20 hæc sunt, quæ coinquant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquant hominem. ** 21 Et egressus inde Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis. †† 22 Et ecce mulier chananæa a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei, Domine fili David: filia mea male a dæmonio vexatur. ‡‡ 23 Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos. ¶¶ 24 Ipse autem respondens ait:

§§ 15.8 *Labiis me honorat. Magister, scimus quia verax es* Marc. 12.. Vel exteriorem munditiam commendando, interior et quæ vera est, in eis non est.

* 15.11 *Non quod intrat.* Nihil est extra hominem quod interius inquinat, nec idolothitum in hoc quod Dei creatura est; uno sermone omnis superstitio observationum eliditur, cum in discernendis cibis religio putetur.

† 15.12 *Tunc accedentes.* Pharisæorum magna est religio in cibis, qui audito verbo hoc scandalizati sunt, id est, indignati sunt. *Scandalizati sunt.* Græce, nos offendiculum vel ruinam vel impactionem pedis possumus dicere. Unde: Qui scandalizaverit aliquem, id est, occasionem ruinæ dederit.

‡ 15.14 *Sinite,* etc. Permittite suo arbitrio, quia irrevocabiles sunt. Unde Paulus: *Hæreticum hominem post primam et secundam correctionem devita* Tit. 3..

¶ 15.15 *Edissere.* Quod aperte est dictum, putant apostoli per parabolam dictum. Vitiosus est auditor, qui vel obscura manifeste, vel manifeste dicta obscure vult intelligere.

§ 15.19 *De corde,* etc. Non enim a diabolo immittuntur, sed ex propria voluntate nascuntur. Diabolus enim incentor est non auctor, quia nec interiora nisi per habitus et gestus novit.

** 15.20 *Non lotis.* Spiritualia dicta prophetarum, de cordis et corporis castigatione, ut hæc: *Lavamini, mundi estote* Isa. 1.. Pharisæi carnaliter de solo corpore accipiebant, quod vanum est fieri.

†† 15.21 *Et egressus,* etc. Relictis calumniatoribus intra fines Tyri et Sidonis, ut filiam liberaret, et per fidem gentilis feminæ perfidiam Scribarum argueret. Relictis calumniatoribus significat quod post resurrectionem relicturus esset perfidiam Judæorum, per prædicationem iturus ad gentes.

‡‡ 15.22 *Clamavit,* etc. Per fidem clamat, unde, novit vocare filium David, Christi incarnationem confitens. Rogat pro filia, id est, pro populo suo nondum credente, ut ipsa fraude diaboli absolvantur. Vel, filia est anima vel conscientia cujuslibet intra Ecclesiam diabolo mancipata, pro qua mater Ecclesia rogat, vel ipse homo pro foedata conscientia.

¶¶ 15.23 *Qui non respondit.* Non de superbia, sed ne sit contrarius sententiæ suæ: *In viam gentium ne abieritis* Matth. 10.. Unde vitat calumniam Judæorum, gentium autem salus, passionis et resurrectionis tempori servatur.

Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël. §§ 25 At illa venit, et adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me. 26 Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* 27 At illa dixit: Etiam Domine: nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. † 28 Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora. ‡ 29 Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ: et ascendens in montem, sedebat ibi. ¶ 30 Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, et alios multos: et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos, § 31 ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: et magnificabant Deum Israël. 32 Jesus autem, convocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, et non habent quod manducant: et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.** 33 Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam

§§15.24 *Non sum missus.* Quasi dicat: Prius oportet me sacramentum mei adventus complere in Judæis, et sic adducere alias oves, et hoc de signo petitionem hujus differendo.

*15.26 *Panem filiorum.* Verbum salutis, quod prius debetur Judæis, non est bonum dare canibus vel gentibus, canina rabie latrantibus semper.

†15.27 *Etiam, Domine.* Sub persona mulieris, mira fides Ecclesiæ, et patientia, et humilitas prædicatur. Fides, quia credit posse sanari filiam. Patientia, quia toties despecta in precibus perstat. Humilitas, quia se non canibus, sed catellis comparat. *Nam et catelli.* Mensa, est sacra Scriptura; micæ puerorum, sunt interna mysteria quibus humiles reficiuntur sub mensa: quia Scripturæ humiliter subditi, catelli gentes humiles. Parvuli edunt non panes, non crustas, id est, non litteræ superficiem, sed medullam.

‡15.28 *Magna est fides.* Sic superius de centurione: *Non inveni tantam fidem in Israël* Matth. 8., qui similiter (ut hæc Chananeæ) fidem gentium præsignabat. Magna est fides gentium, quæ in auditu auris obediunt: et in Deo salutem sibi suisque impetrat. Quod puerum centurionis et filiam Chananeæ non veniens ad eos sanat, significat gentes, ad quas non venit per præsentiam, salvandas per verbum suum. *Et sanata est.* Ubi datur exemplum catechizandi et baptizandi infantes, qui nec sapere, nec facere aliquid possunt, sed per fidem et confessionem parentum liberantur a diabolo.

¶15.29 *Et cum transisset.* Cum in filia Chananitidis salutem gentium præsignasset, revertitur in Judæam, quia cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israël salvus fiet. *In montem.* Dominus in monte, verbum in alto sedet: quia in sua majestate non posset intelligi.

§15.30 *Cæcos.* Cæci sunt qui non intelligunt, etiamsi obediunt jubentibus. Surdi, qui non obediunt, etiamsi intelligant.

**15.32 *Jesus autem.* Convocat discipulos, ut doceat magistros cum minoribus communicare consilia sua. Vel ut ex locutione intelligant signi magnitudinem. *Misereor turbæ.* Turba triduo sustinet Dominum, quia fideles poenitentes se ad Dominum in opere et sermone et cogitatione convertunt, qui in præsentis vitæ via deficerent, si in sua conscientia sine doctrinæ pabulo dimitterentur. In superiori signo propinqui memorantur, et vicini quinque sensuum et eorum non recordatur Dominus, sed discipuli in vespera jam inclinatio sole. Hic Dominus se misereri dicit, et quare, quia triduo jam perseverant mecum. In toto sæculo tertium tempus est, quo gratia datur, primum ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia, quartum est in futuro: ubi dies erit sine nocte, ad quod tendens reficitur in via.

tantam?^{††} ³⁴ Et ait illis Jesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, et paucos pisciculos. ³⁵ Et præcepit turbæ ut discumberent super terram. ³⁶ Et accipiens septem panes, et pisces, et gratias agens, fregit, et dedit discipulis suis, et discipuli dederunt populo. ^{‡‡} ³⁷ Et comederunt omnes, et saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. ³⁸ Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres. ³⁹ Et, dimissa turba, ascendit in naviculam: et venit in fines Magedan. ^{¶¶}

16 Et accesserunt ad eum pharisæi et sadducæi tentantes: et rogaverunt eum ut signum de cælo ostenderet eis. ^{§§} ² At ille respondens, ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum. ^{*} ³ Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum. [†] ⁴ Faciem ergo cæli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? Generatio mala et adultera signum quærit: et signum non dabitur

^{††}15.33 *In deserto panes.* Panes prædicatores, desertum sese, id est, infecundos dicunt. Quasi dicat: Unde nobis tanta facundia ut possimus tam avidis auditoribus sufficere?

^{‡‡}15.36 *Et accipiens.* Ut ostendat se congaudere de salute hominum et nos ad agendas gratias informat etiam de temporalibus. *Septem panes.* Septiformi Spiritu pascit, adjuncta apostolica auctoritate, quasi paucorum piscium sapore qui nos reficiunt exemplo suæ vitæ vel mortis. Septem panes, Scriptura Novi Testamenti in quo gratia Spiritus sancti et revelatur et datur. Nec sunt hordeacei, ut supra, quia hic non (ut in lege) vitale alimentum animæ figuris, quasi tenacissima palea tegitur. Hic non duos pisces (ut in lege duo ungebantur, rex et sacerdos), sed pauci, id est, sancti Novi Testamenti, qui de fluctibus sæculi sunt erepti, et sustinent turbulentum mare, et exemplo suo nos reficiunt, ne in via deficiamus. BEDA. Ibi supra fenum, ut desideria carnis comprimantur, hic super terram ubi et ipse mundus, etc., usque ad utraque refectio in monte celebrata est, quia utriusque Testamenti Scriptura altitudinem coelstium præceptorum mandat et præmiorum: utraque altitudinem Christi prædicat. *Et quod superfuit.* Altiora mysteria quæ non capit communis turba, apostoli sustollunt et implent septem sportas, id est, perfectorum corda septiformi Spiritus gratia ad intelligendum illustrata. *Septem sportas.* Sportæ junco et palmarum foliis solent contexi, et significant sanctos, qui radicem cordis in ipso fonte vitæ collocant, ne arescant, ut juncus in aqua: et palmam æternæ retributionis in corde retinent.

^{¶¶}15.39 *Et dimissa turba.* Hic docet quod prædicatores ministrato turbæ verbo, ipsi intra cubiculum cordis virtutum debent refici pomis. *In fines.* Magedan quæ alio nomine dicitur Dalmanuta, quæ est regio circa Gerasam. Et interpretatur *poma* vel nuntia, et significat hortum de quo dicitur: *Hortus conclusus, fons signatus,* ubi crescunt poma virtutum. Et ibi nuntiatur nomen Domini.

^{§§}16.1 *Et accesserunt,* etc. *Ut signum de cælo,* etc. Ut qui pavit multos paucis: manna plueret quo omnes reficeret. Unde Joannes post edulium panum: *Quod signum facis, ut videamus et credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducarunt manna in deserto* Joan. 6.. Petebant tentando ut in morem Eliæ ignem de sublimi mitteret, vel in similitudinem Samuelis æstivo tempore mugire tonitrua faceret, quasi non possent et illa calumniari, et dicere ex occultis et variis æris passionibus accidisse.

^{*}16.2 *Facto vespere.* Increpat eos, quod ex ordine elementorum discernant dies, sed signa temporum ignorant, cum omnis lex et prophetæ, adventus sui indicia ex operum quæ gereret admiratione significant.

[†]16.3 *Rutilat enim.* Patiuntur apostoli post resurrectionem, per quos me judicare in futuro scire potestis, quia cum non parco meis bonis quin patiantur, non parcam aliis in futuro.

ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Et relictis illis, abiit.[‡] ⁵ Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere.[¶] ⁶ Qui dixit illis: Intuemini, et cavete a fermento pharisæorum et sadducæorum.[§] ⁷ At illi cogitabant intra se dicentes: Quia panes non accepimus. ⁸ Sciens autem Jesus, dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis?^{**} ⁹ Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis? ¹⁰ neque septem panum in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis? ¹¹ Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete a fermento pharisæorum et sadducæorum?^{††} ¹² Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina pharisæorum et sadducæorum. ¹³ Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi: et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis?^{‡‡} ¹⁴ At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis.^{¶¶} ¹⁵ Dicit illis Jesus: Vos autem, quem me esse dicitis? ¹⁶ Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. ¹⁷ Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non

[‡]16.4 **Signa.** Ad tempus gratiæ pertinentia prophetis prædicta, non possunt vobis fidem facere de meo adventu. **Signa autem.** Signa temporum dixit de adventu suo vel passione cui simile est roseum cælum vespere. Et item de tribulatione ante adventum futurum, cui simile est roseum cælum cum tristitia. **Non dabitur ei.** Sed datur fidelibus de cælo quando videntibus apostolis in cælum ascendit, et Spiritum sanctum misit.

[¶]16.5 **Obliti sunt panes accipere.** Quomodo panes non habent qui modo impletis sportis navem ascenderunt et navigantes audiunt ut caveant a fermento Pharisæorum. Sed tamen ait Scriptura quod obliti sunt tollere panes secum unius veri et interni panis (qui cum eis erat) dulcedine capti, parum se curare judicantes de cura corporis et necessariis, cum et ipsa naturalis refectio a mente excesserat.

[§]16.6 **A fermento.** Fermentum est perversa doctrina, quæ vel modica totam massam corrumpit, et in suum saporem trahit.

^{**}16.8 **Quid cogitatis.** Quid cogitatis me dixisse de terrenis panibus de quibus non est vobis dubitandum, cum de tam paucis tantas feci abundare reliquias?

^{††}16.11 **Cavete a fermento Pharisæorum.** A superstitiona doctrina, quæ more fermenti veri panis simulat se substantiam habere. Per hoc innuit, quid significant quinque panes vel septem. Si enim fermentum dicit hæretica dogmata, panes sunt vera doctrina.

^{‡‡}16.13 **In partes Cæsareæ Philippi.** Iste locus est, ubi Jordanus oritur ad radicem Libani, ex Jor et Dan duobus fontibus. **Homines esse.** Homines sunt qui de Filio hominis loquuntur: dii enim qui Deitatem intelligunt. **Filium hominis?** Dominus de se humilitatem humanitatis profitetur, discipuli Deitatem intelligunt.

^{¶¶}16.14 **Alii Joannem Baptistam.** Sic poterant errare in Elia vel in cæteris aliis, sicut Herodes erravit in Joanne cum ait: **Joannes quem ego decollavi surrexit a mortuis: et ideo virtutes operantur in eo** Marc. 6.. Ideo vult exponi errores eorum, ut eis repulsis discipuli veritatem proferant, non ex vulgi opinione, sed ex Domini revelatione.

revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. §§ 18 Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. * 19 Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis. † 20 Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus. ‡ 21 Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere. ¶ 22 Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Absit a te, Domine: non erit tibi hoc. § 23 Qui conversus, dixit Petro: Vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. ** 24 Tunc Jesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget

§§16.17 **Respondens Simon Petrus.** Ideo unus respondens, et uni respondetur pro omnibus ut unitas in omnibus observetur. **Dei vivi.** Ad distinctionem falsorum deorum, quos gentes vel de mortuis hominibus, vel de sensibili materia sibi instituerunt. **Barjona.** Bene filius columbæ, quia Dominum pia simplicitate sequebatur, vel quia plenus spirituali gratia erat. Filius Spiritus sancti dicitur, qui ostensus est in columba ab eo quem Filium Dei vivi vocaverat, et filio columbæ pater revelat, quia una est operatio Patris et Filii cum sancto Spiritu. Revelat, inquam, mysterium fidei, quia caro et sanguis non revelare potuit, id est, homines carnali sapientia inflati, qui non columbæ filii, et ideo a sapientia Spiritus alieni; de quibus supra: **Alii Joannem Baptistam, alii autem Etiam,** etc.

*16.18 **Tu es.** Non dico vocaberis, sed tu es Petrus ob fortitudinem fidei et confessionis constantiam. **Petrus.** A me petra, ita tamen ut mihi retineam dignitatem fundamenti: tu super me ordinabis lapides mundos, et abjicies leprosos. Sicut lumen et cætera nomina, ut: **Vos estis sal terræ,** a Domino sortiti sunt, apostoli, sic Simoni a se nomen Petri dedit. **Et portæ.** Portæ inferi sunt peccata, minæ, blandimenta, hæreses, quibus infirmi ruunt in mortem, qui non vere supra petram, sed super arenam domum professionis suæ credendi sunt ædificavisse, id est, non simplici et vera intentione Christum sequi, sed ob terrenam quamlibet causam habitum præterdisse. Qui enim in intimo cordis amore fidem Christi percipit, quidquid ingruit extra, facile vincit.

†16.19 **Et quodcumque ligaveris.** Id est, quem in peccatis persistentem æternis pœnis adjudicaveris: vel quem humilem et vere pœnitentem absolveris, sic erit et in cælis. **Et quodcumque ligaveris super terram.** HIER. Habent quidem eandem judiciariam potestatem alii apostoli, quibus post resurrectionem ait: **Accipite Spiritum sanctum** Joan. 20., etc., usque ad unde in Levitico ostendere se sacerdotibus jubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos, sed discernunt qui mundi vel immundi sunt, ita et hic.

‡16.20 **Ut nemini,** etc. Supra adventum suum prædicare præcipit, hic ne dicant eum esse Jesum. Sed aliud est prædicare Christum, quod est commune nomen dignitatis: aliud Jesum, quod est proprium Salvatoris. Quasi dicat: Non prodest publice prædicari majestatem populis: qui visuri sunt me multa pati, quod tunc demum licebit, cum resurrectio potentiam Deitatis ostenderit. **Jesus Christus.** Salvator, ne scandalizarentur in eo quem paulo post visuri sunt conspui et crucifigi.

¶16.21 **Exinde,** etc. Ecce causa prohibitæ prædicationis, quasi dicat: Tunc me prædicate cum ista passus fuero, quia non ante prodest.

§16.22 **Absit.** Non vult Petrus destrui confessionem suam: nec putat Filium Dei posse occidi.

16.23 **Vade. Supra: omnia illa gloriosa in futurum promissa sunt, non in præsentia data. **Ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves,** etc. Quæ si statim dedisset, nunquam postea locum error invenisset in eo. **Quia non.** Non placet tibi, ut per mortem meam mundum redimam, quæ est voluntas Patris: sed carnaliter hæc sapis.

semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.^{††} 25 Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. 26 Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animam vero suam detrimentum patiat? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?^{‡‡} 27 Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.^{¶¶} 28 Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.^{§§}

17 Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum.* 2 et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.†

^{††}16.24 *Si quis vult.* Prædicta apostolis passione et resurrectione, hortatur ad sequendum tam eos quam turbas. *Abneget semetipsum.* Quod per vetustatem est, ut capiat quod ultra se est. Remotis vitiis, virtus sequatur: tollat crucem suam, et sequatur me. Quod erat per vetustatem, abnegaverat ille qui dicebat: *Vivo autem ego, jam non ego.* Quod vero ultra se erat, coeperat: *vivit vero in me Christus* Gal. 2.. *Tollat crucem.* Scilicet: Crux tollitur vel cum per abstinenciam corpus, vel cum per compassionem proximi animus affligitur. Crucem abstinenciam habuit Paulus, dum dicebat II Cor. 11.: *Castigo corpus meum et in servitute redigo.* Compassionis quoque cum ait: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?*

^{‡‡}16.26 *Quid enim prodest.* Ecclesia habet tempus persecutionis: habet et tempus pacis. Hæc tempora designat in præceptis. Nam tempore persecutionis ponenda est anima, et tempore pacis frangenda sunt terrena desideria. *Aut quam,* etc. Nec luca, nec timor, nec aliquid aliud retrahat a salute: quia *quam commutationem dabit homo,* etc. *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* Psal. 115.. Vel nihil terrenum pro anima perdita poterit homo dare.

^{¶¶}16.27 *Filius enim.* Nec durum videatur hoc pati: *Quia non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* Rom. 8..

^{§§}16.28 *Sunt quidam.* Quia rudes erant apostoli, etiam in præsentī vita promittitur eis aliqua consolatio, ut certius credant de futuro. *In regno.* In regno beatitudinis æternæ, vel ostendendo suam potestatem in præsentī Ecclesia.

*17.1 *Et post dies,* etc. Idem Marcus dicit, sed Lucas octo. Hi ergo ponunt medios, Lucas addit, etc., usque ad et in futuro omni modo separabuntur, cum abscondet eos in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum. *Petrum.* Nomina istorum conveniunt. Quisque debet esse Petrus, id est firmus in fide. Inde Jacobus, id est supplantator vitiorum. Inde Joannes, id est, omnia gratiæ divini ascribens contra superbiam vitæ, quæ solet oriri ex virtutibus.

†17.2 *Transfiguratus est.* Speciem quam habebat per naturam, ostendit non amittens carnem quam assumpserat voluntate. Illud autem corpus quod habuit per naturam, dedit discipulis suis in cœna, non mortale, non corruptibile. *Resplenduit facies.* In exemplum futuræ beatitudinis et claritatis, quam videbunt justī, prius sublatis impiis. *Vestimenta autem,* etc. Facta sunt alba quod non ante, quia nondum apparuit quod enim, sed cum apparuerit, similes ei erimus. Marcus ait, qualia fullo super terram non potest facere. Id est, Deus in hac vita tam claras nequit facere, quia nullus sine peccato. Nullus mundator sui in terra faciet, quod Deus in cœlo, mundans vestem suam ab omni inquinamento. Fullo est doctor animarum, vel mundator sui corporis.

³Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes.[‡] ⁴Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. ⁵Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.[¶] ⁶Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde.[§] ⁷Et accessit Jesus, et tetigit eos: dixitque eis: Surgite, et nolite timere.^{**} ⁸Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.^{††} ⁹Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.^{‡‡} ¹⁰Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?^{¶¶} ¹¹At ille respondens, ait eis: Elias jam venit, et restituet omnia. ¹²Dico autem vobis, quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic et Filius hominis passurus est ab eis. ¹³Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.^{§§} ¹⁴Et cum venisset ad turbam, acces-

[‡]17.3 *Et ecce.* Quales vel quid locuti, Lucas dicit: *Visi in majestate, et dicebant excessum ejus quem completurus erat in Jerusalem* Luc. 9., id est, passionem et resurrectionem. Significant oracula, etc., usque ad quod si Petrus, videns glorificatam humanitatem, tanto afficitur gaudio, ut nunquam velit ab ejus intuitu secerni, quid putandum est de his qui Divinitatem videre meruerunt.

[¶]17.5 *Adhuc eo loquente.* Ut discat qui tabernaculum quæsit, in resurrectione non tegmine domorum, sed Spiritus sancti gratia protegendos esse. *Ecce nubes lucida,* etc. Sicut baptizato Domino, sic et clarificato mysterium sanctæ Trinitatis ostenditur: quia gloriam ejus quam in baptismo confitemur credendo, in resurrectione laudabimus videndo. Spiritus sanctus ibi in columba, hic in nube lucida. Quia qui modo simplici corde fidem servat, tunc aperta visione quod crediderit contemplabitur, et ea gratia qua illustrabitur, protegetur. *Et ecce vox,* etc. Quia imprudenter quæsit, responsonem Domini non meruit: sed vox Patris de Filio testatur, docetque Petrum, et in eo cæteros veritatem. *Hic est Filius.* Moyses et Elias sunt servi, et nobiscum debent in cordibus Domino præparare tabernaculum. *Ipsium audite.* Hoc jam Pater præcipit, quod Moyses incarnationi testimonium dans prædixit: *Prophetam suscitabit* Deut. 18., etc. Quasi diceret: Iste est quem Moyses promisit.

[§]17.6 *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem.* Altiozem enim sensu unam utriusque intellexerunt Deitatem. Timuerunt, vel quia se errasse cognoverunt, vel quia nubes operuit eos, vel quia vocem Patris audierunt.

^{**}17.7 *Surgite,* etc. Pulso metu, doctrina datur, quo manente non audiretur.

^{††}17.8 *Levantes autem oculos,* etc. Ablata nube vident Jesum, et Moysen et Eliam evanuisse: quia postquam legis et prophetarum umbra discessit, quæ velamento suo apostolos texerat, verum lumen in Evangelio reperitur. *Nisi solum Jesum.* Si enim Moyses et Elias cum Jesu perseverassent, vox Patris videretur incerta, cui potius dedisset testimonium.

^{‡‡}17.9 *Nemini dixeritis nisi,* etc. Ne gloria futuri regni præostensa incredibilis esset, et apud rudes sequens crux scandalum faceret.

^{¶¶}17.10 *Quod Eliam oporteat,* etc. Traditio Pharisæorum est juxta Malachiam prophetam, quod Elias veniet ante adventum Salvatoris, et reducet corda patrum ad filios et filiorum ad patres, et restituet omnia in antiquum statum. Æstimant ergo apostoli transformationem gloriæ ultimam hanc esse quam viderant et dicunt. Si jam venisti in gloria, quomodo præcursor tuus non apparet, maxime quia et Eliam viderant recessisse.

^{§§}17.13 *Tunc intellexerunt,* etc. Ex indicio passionis suæ quam sæpe dixerat, et præcursoris sui quam completam videbant.

sit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur: nam sæpe cadit in ignem, et crebro in aquam.*
¹⁵ Et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum.[†] ¹⁶ Respondens autem Jesus, ait: O generatio incredula, et perversa, quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me.[‡] ¹⁷ Et increpavit illum Jesus, et exiit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illa hora.[¶] ¹⁸ Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto, et dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum? ¹⁹ Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis.[§] ²⁰ Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium.**
²¹ Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum:^{††} ²² et occident eum, et tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.^{‡‡} ²³ Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma?^{¶¶} ²⁴ Ait: Etiam. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis?^{§§} ²⁵ Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii.* ²⁶ Ut autem

*17.14 *Et cum venisset.* Loca rebus congruunt, etc., usque ad infirmos confortat, docet, castigat. *Quia lunaticus est.* Hunc Marcus surdum et mutum dicit, etc., usque ad per creaturam infamet creatorem.

†17.15 *Et obtuli,* etc. Latenter accusat discipulos, cum sæpe impossibilitas curandi non vitio curantium, sed eorum qui curandi sunt, proveniat.

‡17.16 *Respondens.* Non tædio superatus, qui mitis est in verba erumpit, sed sicut medicus ægroto contra sua præcepta agenti.

¶17.17 *Et increpavit.* Quia iratus est non homini, sed vitio: et per unum hominem Judæos arguit infidelitatis. Unde addit: *Afferte illum huc ad me. Et exiit ab eo dæmonium.* Marcus dicit, etc., usque ad quam prius quando possidebat quietus.

§17.19 *Propter incredulitatem.* Ecce quando non exaudimur, non est impossibilitas præstantis, sed culpa deprecantis. Nam ex opposito si fides vestra tam fervens esset quam tribulata, magis et magis calesceret. *Sicut granum sinapis.* Fidem perfectam grano sinapis comparat, quæ sit in facie humilis, et in pectore fervens: vilis videntibus, et nullarum virium apparens, sed pressuris trita, quod intus habet ostendit.

**17.20 *Hoc autem genus.* Quomodo protervitas diaboli superetur ostendit, ut graviora quæque sciamus jejuniiis et orationibus superanda: et iram Dei in nos hoc remedio posse placari. *Nisi per orationem.* Ista carnalium voluptatum mutabilitas non mutatur, etc., usque ad unde dicitur: *Sine intermissione orate* I Thess. 5.

††17.21 *Filius hominis.* Semper lætis miscet tristitia, ut cum venerint quasi prævisa minus moleste ferantur.

‡‡17.22 *Et contristati.* Hoc non de infidelitate provenit, sed de dilectione: quia nihil humile de eo patiuntur audire.

¶¶17.23 *Et cum venissent Capharnaum.* Per Augustum Cæsarem Judæa facta est tributaria, etc., usque ad utrum reddat tributa, an contradicat Cæsari.

§§17.24 *Quid tibi videtur.* Antequam Petrus suggerat, Dominus interrogat ne scandalizentur discipuli ad postulationem tributi, cum videant eum nosse quæ eo absente gesta sunt. *Reges terræ.* Dominus noster, et secundum carnem filius regis erat ex David natus, et omnipotentis verbum: ergo ut filius regum tributa non debebat, sed pro humilitate carnis decet eum implere omnem justitiam.

*17.25 *Ergo liberi,* etc. Liberi sunt filii regni in omni regno, tunc multo magis liberi sunt filii illius regni, sub quo sunt omnia regna in quolibet terreno regno.

non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum: et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me et te.

18 In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cælorum?[†] ²Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum,[‡] ³et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. ⁴Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum.[¶] ⁵Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit: ⁶qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.[§] ⁷Væ mundo a scandalis ! Necessè est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.^{**} ⁸Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscede eum, et projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.^{††} ⁹Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. ¹⁰Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.^{‡‡} ¹¹Venit enim Filius hominis salvare quod perierat. ¹²Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oves, et erravit una ex eis: nonne relinquit nonaginta

[†]18.1 *Quis putas*, etc. Ex æqualitate pretii qua in tributi redditione Domino fuerat comparatus, arbitrati sunt Petrum omnibus apostolis prælatum. *In regno cælorum*. Vel regnum Dei, doctrina est Evangelii, cui obedire simpliciter et sine ulla retractatione debemus, sicut puer non contradicit doctoribus.

[‡]18.2 *Et advocans*. Secundum Marcum puerum Jesus complectitur, significans humiles dignos suo complexu et dilectione. *Parvulum*, etc. Parvulum ætate, ut similitudinem demonstraret. Vel se statuit in medio qui non venit ministrari, sed ministrare. Vel *parvulum*, id est, Spiritum sanctum posuit in cordibus eorum, ut humilitate superbiam vitarent.

[¶]18.4 *Quicumque ergo humiliaverit*, etc. Invitat discipulos suos, et omnes alios Dominus, ut quod puer habet per naturam, id est innocentiam et humilitatem, hoc habeant discipuli et omnes alii per virtutem. *Sicut parvulus iste*. Innocens erit sicut iste parvulus, qui non perseverat in ira: Jesus non meminit: visam mulierem non cupit.

[§]18.6 *Qui autem scandalizaverit*. Etsi hoc generaliter dicitur contra omnes, etc., usque ad nos oportet consulere expedit, etc. *Expedit*. Quia multo melius est pro culpa brevem suscipere poenam quam æternis servari cruciatibus. *Non enim judicabit Deus bis in idipsum*.

^{**}18.7 *Væ homini*. Quia non judicatur secundum utilitatem quæ inde provenit, sed secundum exitum quem intendit.

^{††}18.8 *Si autem manus tua*. Docuit supra ne scandalizemus credentes, etc., usque ad per occasionem pietatis pateas scandalis. *Bonum tibi est*, etc. Melius est vitam solitariam ducere, quam ob vitæ præsentis necessaria vitam æternam perdere.

^{‡‡}18.10 *Videte ne contemnatis*. Sic præcipio vobis severitatem dimittendi omnes amicitias, etc., usque ad salutem infirmorum quantum potestis. *Quia angeli eorum*. Cur non sunt contemnendi? quia pro eis quotidie mittuntur angeli. HIER. Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. *Semper vident*, etc. Visione Dei manifesta perfruuntur, etc., usque ad intra ipsum currunt qui ubique est.

novem in montibus, et vadit quærere eam quæ erravit?^{¶¶} 13 Et si contigerit ut inveniatur eam: amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt.^{§§} 14 Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis. 15 Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* 16 Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. 17 Quod si non audierit eos: dic ecclesiæ. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.[†] 18 Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.[‡] 19 Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quæcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est. 20 Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.[¶] 21 Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? 22 Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies. 23 Ideo assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.[§] 24 Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. 25 Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi.** 26 Procidens autem servus

^{¶¶}18.12 *Si fuerint alicui centum*, etc. Dominus centum oves habuit, etc., usque ad quibus ad perfectionem unitas deest. *Nonne relinquet*, etc. GREG. Quia *seipsum exinanivit formam servi accipiens*, etc., usque ad cum tantum sit si quod male gessit damnat injustus.

^{§§}18.13 *Gaudebit*, etc. Magis Dominus gaudet de nostra reparatione (quia magis nos gaudere facit) quam de angelorum immutabilitate. Major enim Dei virtus et humilitas in nostra reparatione cognoscitur quam in nostra creatione.

*18.15 *Si autem peccaverit in te*, etc. Si enim in Deum, non est nostri arbitrii. Hoc ordine scandala vitare debemus ne quem lædamus: et peccantem zelo justitiæ corripiamus, et pœnitenti misericordiæ viscera pandamus. *Corripe eum*, etc. Non passim jubet peccanti dimittere; sed pœnitenti. Ita peccat qui videns fratrem peccare tacet: sicut qui pœnitenti non indulget. Nam quod dixit: si pœnitet dimitte, præmisit, si peccaverit increpa. Nec difficilis sit venia nec remissa indulgentia.

[†]18.17 *Dic Ecclesiæ*. Ut detestationi eum habeat, etc., usque ad damnantur humanam sententiam divina sententia corroborari. *Sicut Ethnicus*. Detestabilior est qui sub nomine fidelis agit, etc., usque ad per furta et per perjuriam.

[‡]18.18 *Amen dico*, etc. Adeo vestra sententia confirmatur divina vel ad recipiendum pœnitentem, vel ad abjiciendum contumacem.

[¶]18.20 *Si duo*. Typice. Ubi spiritus anima et corpus consenserint, ut non sit inter eos bellum, carne cupiente contra spiritum et spiritu contra carnem, quidquid petunt fiet. Quia si corpus vult quæ spiritus vult, tantum bonarum rerum est petitio. *Ibi sum in me*. Omnis sermo scilicet ad concordiam provocat et pacem quam adeo commendat, ut dicat Deum in medio esse eorum, quia pax et charitas sedem sibi in pacificis constituit, et unitatis merito omnia petenda impetranda esse confirmat.

[§]18.23 *Ideo assimilatum*. Ut sciatis dimittendum esse conservis, ostendam per similitudinem, quia si ille rex et dominus dimisit servo, multo magis homo conservis suis.

**18.25 *Et uxorem*. Eum non solum populum, sed etiam prælatos et subditos simul cum tota familia vel substantia eorum pro magnitudine delictorum tradidit exteris nationibus: ut quod noluerunt voto, solvant tormento. Jussit pro cupiditate et operibus quasi uxore et filiis pœnas solvere.

ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. ²⁷ Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. ^{††} ²⁸ Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios: et tenens suffocavit eum, dicens: Redde quod debes. ^{‡‡} ²⁹ Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. ³⁰ Ille autem noluit: sed abiit, et misit eum in carcerem donec redderet debitum. ³¹ Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde: et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant. ³² Tunc vocavit illum dominus suus: et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me: ^{¶¶} ³³ nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? ³⁴ Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. ³⁵ Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

19 Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilæa, et venit in fines Judææ trans Jordanem, ² et secutæ sunt eum turbæ multæ, et curavit eos ibi. ³ Et accesserunt ad eum pharisæi tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa? ^{§§} ⁴ Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? Et dixit: ^{*} ⁵ Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. [†] ⁶ Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. [‡] ⁷ Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare

^{††}18.27 *Misertus autem.* Misericors Dominus non solum captivitatem Judaicam absolvit, sed etiam peccatorum omnium veniam in adventu Christi se dare promisit, si persistent in incepto. *Dimisit ei.* Id est, pondere carnalium observationum absolvit, et debitum dimisit, id est priores transgressiones.

^{‡‡}18.28 *Invenit unum.* Gentilem populum, quasi sibi debitorem fatigabat: gratiam Christi non esse eis ad salutem dicens, carnales observantias ab eis non modo persuasionibus, sed etiam tormentis exspectabat.

^{¶¶}18.32 *Serve nequam.* Sæpe debita dimisi tibi, quando in angustiis rogasti; sed liberatus compassionem non habuisti, quin potius prophetas et apostolos persequeris, et ingratus et de justitia præsumens spernis gentes, indignas tua societate in Christo judicans.

^{§§}19.3 *Et accesserunt.* Quasi complexione capiatur. Si diceret: Dimittenda est quacumque ex causa, et ducenda alia: pudicitiae prædicator contra se facit. Si dicit non est dimittenda, contra doctrinam Moysi et Dei facit. Ideo responsum temperat naturalem legem, primamque Dei sententiam secundo opponens, quæ non voluntate Dei, sed peccantium necessitate concessa est.

^{*}19.4 *Et feminam.* Non ait feminas, ut unum conjugium sit non plura, quod ex repudio priorum quærebatur.

[†]19.5 *Adhærebit uxori.* Si malum moribus, si luxuriosa, seu quidlibet hujusmodi sit uxor, velimus nolimus sustinenda est. Cum enim liberi essemus, volentes nos subjecimus servituti. Si ancilla libero, vel servus liberæ supponitur, non reputatur conjugium postquam detectum fuerit: sic et de consanguineis. *Et erunt duo in carne.* Præmium nuptiarum est ex duobus una caro: Castitas conjuncta spiritui unus spiritus efficitur. Salubri consilio Dei factum est, ut portionem sui corporis vir amplecteretur in femina, ne a se putaretur diversum esse, quod de se cognosceret fabricatum.

[‡]19.6 *Homo non separet.* Homo separat, quando pro desiderio secundæ primam dimittit: Deus separat (qui et conjungit) quando ex consensu propter cultum Dei, eo quod tempus in arcto sit, sic habemus uxores quasi non habentes.

libellum repudii, et dimittere?[¶] ⁸ Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. ⁹ Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur: et qui dimissam duxerit, mœchatur.[§] ¹⁰ Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.^{**} ¹¹ Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. ¹² Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.^{††} ¹³ Tunc oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Discipuli autem increpabant eos. ¹⁴ Jesus vero ait eis: Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cœlorum.^{‡‡} ¹⁵ Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.^{¶¶} ¹⁶ Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?^{§§} ¹⁷ Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* ¹⁸ Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falsum testimonium dices; ¹⁹ honora

[¶]19.7 *Quid ergo Moyses*, etc. CHRYS. Displacet peccatoribus doctrina, etc., usque ad veritatis interpretatio taceatur.

[§]19.9 *Et aliam duxerit mœchatur. Et qui dimissam.* Quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, et ob secundam crimen impingeret primæ uxori: sic priorem dimittere jubet, ut ea vivente secundam non habeat. Et ne uxor idem faciat viro eadem cautela præcipitur ne secundum habeat virum. Et quia adultera non timet opprobrium, viro dicitur, quod si talem ducit, sub adulterii crimine sit, dicit Scriptura: *Qui adulteram tenet stultus et impius est* Prov. 18..

^{**}19.10 *Non expedit.* Videbant grave pondus uxorum, quod iracundæ, ebriosæ et hujusmodi, quæ quidem sunt sustinendæ, quia, cum essemus liberi, subjecimus nos servituti.

^{††}19.12 *Sunt enim.* Tria sunt genera eunuchorum, duo carnalia, eorum qui sic nascuntur, et qui captivitate et deliciis dominarum abscissi sunt. Tertium spirituale, qui, eum possent esse viri, propter Christum continent. *Qui facti sunt.* Inter hos computantur etiam hi qui specie religionis simulant castitatem. *Qui potest.* Vox est hortantis non jubentis, quasi unusquisque vires suas consideret, an queat virginitatis et pudicitia implere præcepta.

^{‡‡}19.14 *Sinite parvulos.* Si sancti sunt futuri, cur vetatis venire ad patrem? Si mali, cur sententiam profertis ante culpam. *Talium.* Nam quales sunt modo, meum quidem est, quod honorate: quales post futuri sunt, ipsorum est, quod miseremini. Non ait istorum sed talium: ut ostendant non ætatem regnare, sed mores: et his qui similem habent innocentiam et simplicitatem, præmium promittit.

^{¶¶}19.15 *Et cum imposuisset.* Imponit manus parvulis, quando humilibus auxilium gratiæ tribuit.

^{§§}19.16 *Et ecce unus.* BED. Audierat ille similes parvulo condignos esse regno, vultque certius non per parabolas sed aperte exponi, quibus meritis vitam possit consequi. HIER. Iste adolescens et dives et superbus erat. Et secundum alium evangelistam eum non voto discentis sed tentantis interrogat.

^{*}19.17 *Quid me interrogas de bono?* Quia bonum dixit magistrum, et non Deum, vel Dei Filium confessus est: dicit quemlibet sanctum hominem comparatione Dei non esse bonum. Christus autem non renuit testimonium bonitatis, sed magistri absque Deo excludit errorem. Non se magistrum bonum esse negat, sed magistrum absque Deo nullum bonum esse dicit. *Serva mandata.* Iste quæsierat, quid faciam? contra non ait, disce: quia Deus eum docuerat factor rationalis creaturæ: ostendens quia ille non est bonus qui quærit de bono, sed qui facit quod bonum est.

patrem tuum, et matrem tuam, et diliges proximum tuum sicut teipsum. ²⁰ Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi a juventute mea: quid adhuc mihi deest? [†] ²¹ Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo: et veni, sequere me. ²² Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones. ²³ Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. [‡] ²⁴ Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum. [¶] ²⁵ Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse? [§] ²⁶ Aspiciens autem Jesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possible sunt. ^{**} ²⁷ Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? ²⁸ Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. ^{††} ²⁹ Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. ^{‡‡} ³⁰ Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

[†]19.20 *Dicit ei adolescens.* BED. Non putandus iste (ut quidam aiunt) vel Dominum tentasse, vel de sua vita mentitus esse, sed simpliciter ut vixit, confessus est: alioquin (ut alius Evangelista ait) non, intuitus arcana cordis ejus, diligere eum diceretur Jesus. Diligit enim eos qui mandata legis custodiunt, sed quod ibi minus est his qui perfecti volunt esse, adjungit; unde sequitur: *Si vis perfectus esse. Omnia hæc.* HIER. Mentitur. Si enim diligeret proximum suum sicut seipsum, opere complexset, non esset tristis cum sua pauperibus dare juberetur.

[‡]19.23 *Dives difficile.* Divites non manentes, sed qui esse desierunt intrabunt. De omnibus tutius est, nec habere nec amare divitias.

[¶]19.24 *Quam divitem.* ISID. Nullus dives intrabit, id est, confidens in divitiis, ut Jesus secundum Marcum exponit.

[§]19.25 *Mirabantur.* Quia in numero divitum deputabant omnes qui amant divitias, etsi non habeant. Aliter enim cum sit major turba pauperum, non dicerent: *Quis poterit salvus esse?*

^{**}19.26 *Deum.* Qui ab amore terrenorum ad charitatem æternorum convertit: non quod cupidi et superbi intrent.

^{††}19.28 *In regeneratione.* Duæ sunt regenerationes, prima ex aqua et Spiritu sancto, secunda in resurrectione. Ita duæ adoptiones et duæ resurrectiones. *Filius hominis.* Id est, cum servi forma quæ judicata est judicariam exercuerit potestatem, eritis et vos mecum iudices. *Super sedes duodecim.* Per duodecim sedes, universitas judicantium. Per duodecim tribus, universitas judicandorum intelligitur. Qui reliquerunt omnia, et secuti sunt Dominum, hi iudices erunt: qui licita habentes recte usi sunt, judicabuntur, quibus dicetur: *Venite, benedicti Patris mei: Esurivi enim et dedistis mihi manducare.* Duo enim sunt ordines bonorum.

^{‡‡}19.29 *Centuplum.* Id est, qui carnalia pro Domino dimiserit, spiritualia accipiet quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi parvo numero centenarius comparetur. Marcus ait: *Centies tantum nunc in tempore hoc cum persecutionibus fratres et sorores, et in futuro vitam æternam* Marc. 10., id est, in hac vita persecutionibus plena gaudium regni degustant, et omnium electorum sincera dilectione fruuntur. Sed quia multi tepescunt vel retrocedunt, subdit: *Multi autem erunt primi* Luc. 15., etc.

20 Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.[¶] ²Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.^{§§} ³Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, ⁴et dixit illis: Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis. ⁵Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam: et fecit similiter. ⁶Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? ⁷Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam meam. ⁸Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos. ⁹Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. ¹⁰Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos denarios. ¹¹Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, ¹²dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et æstus. ¹³At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? ¹⁴Tolle quod tuum est, et vade: volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. ¹⁵Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? ^{*} ¹⁶Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. [†] ¹⁷Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis: ¹⁸Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et condemnabunt eum morte,[‡] ¹⁹et tradent eum

[¶]20.1 *Simile est regnum.* Ostendit per parabolam, quia primi erunt novissimi, et novissimi primi. Pater iste familias conditor noster est, qui habet vineam, universalem Ecclesiam, quæ ab Abel usque ad ultimum electum qui in fine nasciturus est quotquot sanctos protulit, tot palmites misit. Hic pater exiit ad excolendam vineam mane hora tertia, sexta, nona, undecima operarios conduxit a mundi hujus initio usque ad finem: ad erudiendam fidelium plebem prædicatores mittere non desistit. *Simile est regnum.* Non homini solum, sed toti negotio ab homine gesto, et in similibus similiter. *Primo mane.* Manifeste cœpit a primo justo æterna mercede prædicatores ad plantandam Ecclesiam invitare.

^{§§}20.2 *Conventione.* Id est, confirmata promissione quod ad imaginem Dei reformandi essent, si Ecclesiam ædificando mandatis decalogi insisterent. *Ex denario.* HIER. Denarius habet imaginem regis, etc., usque ad vel in ultimis respiscite. *A novissimis usque,* etc. Quia qui in adventu Domini vocati sunt ad regnum, sine aliqua tarditate perveniunt, æquales his qui ab initio mundi cœperunt, omnes quidem idem cœlum, sed stella differt a stella in claritate. A novissimis incoepit, dum prius latronem quam Petrum in paradisu introduxit. Quia prius aliquando remunerantur sero venientes, quia prius de corpore exeunt, quam qui in pueritia vocati sunt.

^{*}20.15 *Aut non licet.* Stulta quæstio contra bonitatem Dei. Quærendum esset, non si daret quod non deberet: sed si non quod deberet. *An oculus tuus,* etc. Vere Judæi pravam intentionem habuerunt qui prohibuerunt apostolos gentibus loqui, ut salvæ fierent.

[†]20.16 *Sic erunt novissimi primi.* AUG. Id est, Judæi de capite vertentur in caudam: et gentes de cauda in caput. Unde Moyses in Deuteronomii libro: *Advena qui tecum moratur, ascendet super te: ille erit in caput, et tu eris in caudam.* Sed tamen nec omnes primi nec omnes novissimi ad numerum electorum pertinent.

[‡]20.18 *Ecce ascendimus,* etc. HIER. Hoc sæpe eis dixerat, etc., usque ad resurrecturum non dubitent.

gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget.[¶]
²⁰Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo.[§] ²¹Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.^{**} ²²Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.^{††} ²³Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.^{‡‡} ²⁴Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.^{¶¶} ²⁵Jesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. ²⁶Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: ²⁷et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. ²⁸Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis. ²⁹Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa, ³⁰et ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt quia Jesus transiret: et clamaverunt, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.^{§§} ³¹Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. ³²Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait: Quid vultis ut faciam

[¶]20.19 *Ad illudendum*, etc. Ideo Dominus in mundo noluit prosperari sed gravia pati, ut ostenderet nos qui per delectationem cecidimus cum qua amaritudine redire debeamus.

[§]20.20 *Tunc accessit ad eum*. Audita resurrectione putavit eum illico (immemor secundi adventus) regnaturum, et aviditate feminea præsentia cupit, immemor futurorum.

^{**}20.21 *Dic ut*, etc. Bonum desiderium, sed inconsiderata petitio. Et ideo non voluntas, non propositum culpatur, sed ignorantia: et si impetrare non debet simplicitas, non meretur confundi.

^{††}20.22 *Nescitis*. Qui sedem gloriæ petitis vel quæritis, quam nondum meruistis, delectat culmen honoris quos nondum exercuit via laboris. *Potestis*. Et hoc sciebat, quod ejus passionem poterant imitari; sed hoc dicit, ut eo interrogante, et illis respondentibus, omnes audiamus: quia nemo potest cum Christo regnare, nisi passionem ejus sit imitatus.

^{‡‡}20.23 *Calicem*. Ut Jacobus ab Herode truncatus, et Joannes in ferventis olei dolium missus, et in Pathmos relegatus, animo non defuit martyrium. *Non est meum dare*. Hoc est regnum cælorum non est dantis sed accipientis. *Non enim personarum acceptio est apud Deum*: sed quicumque dignus est accipit, quod non paratum personæ est, sed vitæ. Si itaque tales estis qui consequamini, quod victoribus pater paravit, accipietis. Vel, non est meum dare superbis, quod adhuc estis, sed aliis quibus paratum est. Ergo et vos nolite esse quod estis, sed estote alii, id est, humiliamini qui jam vultis exaltari, et est paratum vobis.

^{¶¶}20.24 *Et audientes decem*. Ut illi carnaliter petiverunt esse super omnes, sic et isti carnaliter contristati sunt esse aliquem ante se.

^{§§}20.30 *Et ecce duo cæci*. De istis unum commemorat Marcus, quia fuerat in illa civitate famosissimus: qui ex magna felicitate ejectus notissimæ erat miseriæ. Cæcus nempe et mendicus, unde et nomen ejus memorat, et nomen patris ejus Barthimæus Thimæi filius, quod in aliis non facile occurrit, nisi in Jairo, qui et in illo loco nobilis fuit. Famositas autem illuminati, magnam famam miraculo comparavit. Veniens Jericho unum illuminat quod Lucas ait, quia morti propinquans lumen Evangelii prædicavit Judæis, exiens duos, quia post resurrectionem Judæis, et gentibus. De quibus Marcus unum ponit, qui gentibus scribit.

vobis? ³³ Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. ³⁴ Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, et secuti sunt eum.

21 Et cum appropinquassent Jerosolymis, et venissent Bethphage ad montem Oliveti: tunc Jesus misit duos discipulos, ^{*} ² dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite, et adducite mihi: [†] ³ et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: et confestim dimittet eos. ⁴ Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem: ⁵ [Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis.] [‡] ⁶ Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus. ⁷ Et adduxerunt asinam, et pullum: et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. [¶] ⁸ Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via: [§] ⁹ turbæ autem, quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini: hosanna in

^{*}21.1 *Et cum appropinquassent.* Hic prætermittit Matthæus ea quæ facta sunt antequam intraret Jerosolymam, quæ alii prolixius tractant. *Et cum appropinquassent.* Dominus spiritualiter Jerusalem appropinquavit quando incarnatus, Ecclesiam in qua est visio pacis visitavit, quam per confessionem sibi reconciliavit. Bethphage enim domus buccæ dicitur. *Bethphage.* Bethphage erat viculus sacerdotum in monte Oliveti, in cujus montis latere est civitas Bethania. Bethphage, domus buccæ. Bethania, domus obedientiæ. Has Dominus pergens, Jerusalem sua præsentia sublimat, quia multos ante passionem docendo donis piæ confessionis et obedientiæ implevit. Sita autem sunt illæ civitates in monte Olivarum, id est, in Christo Domino, a quo unctio et lux omnibus venit; unde: *Non potest civitas abscondi super montem posita*

[†]21.2 *Et pullum.* Pullus est populus gentium cui nullus doctorum frenum correctionis imposuit, liber et lascivus, qui et ipse vinculis peccatorum irretitus erat. *Omnes enim peccaverunt et egent gratia Dei* Rom. 3.. Alii de solo pullo: Matthæus qui Hebræis scribit, et de asina dicit docens non desperari salutem Hebræis si poeniteant. Marcus dicit pullum ante januam in bivio inventum. Janua Christus, extra quam populus gentium stabat ligatus: non in una via fidei, sed in diversis erroribus.

[‡]21.5 *Dicite filiæ Sion.* Filia Sion, est Jerusalem sita in monte Sion. Mystice. Ecclesia pertinens ad supernam Jerusalem quæ est mater omnium nostrum, cujus non minima pars tunc erat in populo Israël. *Rex.* Ne dicatis: *Non habemus regem, nisi Cæsarem* Joan. 19.. *Tibi.* Si credis; contra te si non credis. *Super asinam,* etc. Non ad litteram super utrumque sedit, sed in præcordiis utriusque populi. Potuit Dominus super utrumque ascendere, descendens de uno, et ascendens super alium.

[¶]21.7 *Et adduxerunt.* Sic et apostoli mundum virtute Christi a potestate diaboli solverunt, et imposuerunt vestimenta super eum. Sed cætera turba, id est, Judæi vestimenta, id est, legis mandata sternunt, quia a Christianis erant conculcanda, in via, id est, in Christo. *Super eos.* Vestes apostolorum sunt præcepta divina, et gratia spiritualis, quibus turpitudinis carnis nostræ tegitur. His prius nudi populi, sed modo per apostolos ornatu Christum habent sessorem. Minor turba non ponit vestes super asinam, sed in via nec ubi offendat: quia sancti martyres carnem exuentes, simplicioribus viam per exemplum suo sanguine parant.

[§]21.8 *Ramos de arboribus,* etc. Ramos vel frondes cædunt, quia verba et sententias de libris Patrum excerpserunt vel exempla.

altissimis.**¹⁰ Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?^{††}¹¹ Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ.¹² Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit:^{‡‡}¹³ et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.^{¶¶}¹⁴ Et accesserunt ad eum cæci, et claudi in templo: et sanavit eos.^{§§}¹⁵ Videntes autem principes sacerdotum et scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: Hosanna filio David: indignati sunt,^{*}¹⁶ et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique. Numquam legistis: Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?[†]¹⁷ Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam: ibique mansit.[‡]¹⁸ Mane autem revertens in civitatem, esuriit.¹⁹ Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: et nihil

**21.9 *Osanna*. HIER. Osi, id est, salva, salvifica. Anna interjectio deprecantis, quasi salva obsecro. Osanna totum Hebraicum est, et significat quod adventus Christi salus mundi sit: unde sequitur: *Benedictus. Osanna*, id est salva. *In excelsis*. Quia adventus Christi non tantum hominum sed totius mundi salus est, terrena conjungens cœlestibus, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* Phil. 2.. *In excelsis*. Quia et angelorum salus quorum numerum implet.

††21.10 *Cum intrasset*. Frequenter ingressus est civitatem Jerusalem, sed non cum his laudibus: non rex vocatur, quod semper fugerat, nisi modo cum ascendit passurus. Quod ideo factum est, ut amplius illorum adversum se excitaret invidiam, quia jam tempus passionis instabat.

‡‡21.12 *Et ejiciebat*. AUG. Ejecerat et ante alia vice, quod Joannes solus dicit: sed de hac ultima ejectione dicunt et alii. *Mensas numulariorum*. Quia de omnibus partibus ad templum veniebant, vendebant sacerdotes non habentibus omnia animalia, etiam columbas quas pauperes offerrent, ut vendita postea reciperent oblationes. Sed quia aliqui nihil habebant unde emerent, posuerunt numularios, qui mutuo darent: et quia lex vetat usuram, pro ea varias species, id est, poma, uvas et hujuscemodi accipiebant; hos ejicit. Sic et mystice quotidie de Ecclesia ejicit. Et habet unius oriminis reos vendentes et ementes ecclesiastica officia. *Et cathedras vendentium*. Quæ magistrorum sunt, id est, sacerdotium eorum destruit qui de impositione manus, per quam Spiritus sanctus datur, pretium accipiunt. Hinc est, quod hæresis Simonis damnatur. Ad litteram autem absurdum est dicere institores columbarum in cathedris sedere.

¶¶21.13 *Latronum*. Latro est qui lucra sectatur, qui et non dantes corporaliter persequitur, et dantes necat spiritualiter, et dum læsionem proximi cogitat, quasi latro sedet in spelunca.

§§21.14 *Et accesserunt*. Mystice. Simples peccatores ad se per pœnitentiam accedentes, prius cæcos in cognitione et claudos in operatione illuminando, et in vitam rectitudinis dirigendo quotidie sanat.

*21.15 *Mirabilia quæ*, etc. Ut flagello unius et vilis tot ejici, mensas subverti, quo nihil mirabilius egit. Igneum et sidereum aliquid radiat ex ejus oculis, lucet in facie majestas deitatis.

†21.16 *Dixit eis*. Non patet calumniæ, non, ait, bene faciunt vel male, vel ætati parcite, sed temperat, et se tacente verba puerorum testimonio Scripturæ confirmat. *Infantium et lac*. Testes miraculorum. Christi infantes dicuntur, non ætate, sed simplicitate. Lactentes quasi lacte, id est, miraculorum suavitate delectati, quæ dicuntur lac, panis vero doctrina perfecta.

‡21.17 *Abiit foras*. Quia pauper, nullique adulatus, nullum in tanta urbe invenit hospitem, sed apud Lazarum receptus est.

invenit in ea nisi folia tantum, et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.[¶] 20 Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes: Quomodo continuo aruit?[§] 21 Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis: Tolle, et jacta te in mare, fiet.^{**} 22 Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.^{††} 23 Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, et seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? et quis tibi dedit hanc potestatem? 24 Respondens Jesus dixit eis: Interrogabo vos et ego unum sermonem: quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate hæc facio.^{‡‡} 25 Baptismus Joannis unde erat? e cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes: 26 Si dixerimus, e cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannem sicut prophetam. 27 Et respondentes Jesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis et ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.^{¶¶} 28 Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea.^{§§} 29 Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem, poenitentia motus, abiit. 30 Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domine, et non ivit: 31 quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.^{*} 32 Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei: publicani autem et meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec

[¶]21.19 **Fici arborem.** Sicut multa dixit in parabolis, ita et fecit. Cur enim in ficu fructum quæreret, cujus tempus nondum esse quilibet sciret, et ob id æternæ sterilitati damnetur, nisi quia plebem quam docebat verbo terruit hic factio; ne quis habens folia, id est verba justitiæ sine fructu operum, mereatur excidi. **Folia.** Traditiones Pharisæorum sine fructu veritatis, unde alius evangelista: nondum erat tempus salvationis Israël, eo quod populus gentium nondum subintrasset, vel quia præterit tempus fidei, cum spretus ad gentes transiit. **Nunquam ex te fructus.** Non facit injuriam creator possidenti, si creatura sua ad arbitrium suum utitur, et ad utilitatem aliorum.

[§]21.20 **Et videntes.** Passurus Dominus et scandalum crucis portaturus, discipulorum animos debuit signi anticipationem signare, unde et mirabantur, quod ficus aruit: potuit eadem virtute inimicos siccare nisi per patientiam eorum expectasset salutem.

^{**}21.21 **Fidem.** Perfectam fidem habet, qui per dilectionem operatur: hic potest montes transferre. Alii de peccato veniam obtinent si ipsi aliis dimittunt.

^{††}21.22 **Accipietis.** Et si differatur ad tempus opportunum, et si non his quibus petitur tamen qui digne petunt.

^{‡‡}21.24 **Interrogabo,** etc. Poterat aperte confutare eos: sed ideo interrogat, ut suo vel silentio vel sententia damnetur, et in qua potestate hoc facit cognoscant per se, secundum illud: **Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum.**

^{¶¶}21.27 **Nec ego dico vobis.** Duabus de causis occultatur veritas, vel quia non sunt capaces auditores, unde: **Habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo;** vel quia sunt contemptores, unde **Nolite sanctum dare canibus.**

^{§§}21.28 **Homo quidam habebat duos filios, et accedens,** etc. Facta sacerdotibus cauta responsione, statim infert parabolam, quæ et illos impietatis arguat, et ad gentes regnum Dei transferendum doceat.

^{*}21.31 **Dicunt ei.** In quibusdam codicibus habetur, **pro** primus, novissimus. Intelligunt enim veritatem, sed tergiversando nolunt dicere quod sentiunt, ut de baptismo Joannis.

pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.[†] ³³ Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.[‡] ³⁴ Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.[¶] ³⁵ Et agricolæ, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. ³⁶ Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter. ³⁷ Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.[§] ³⁸ Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus.^{**} ³⁹ Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.^{††} ⁴⁰ Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? ⁴¹ Aiunt illi: Malos male perdet: et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. ⁴² Dicit illis Jesus: Numquam legistis in Scripturis: [Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?]^{‡‡} ⁴³ Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. ⁴⁴ Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum. ⁴⁵ Et cum audissent principes sacerdotum et pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret. ⁴⁶ Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.

[†]21.32 *Joannes in via justitiæ.* Joannem Judæi contemnentes, nec viam justitiæ comprehenderunt, nec de operibus malis pœnitentiam egerunt. **Vos autem.** GREG. Quia aperte nolebant respondere sapientiæ, in parabolis capiuntur.

[‡]21.33 *Vineam.* De qua Isaias cap. 4.. *Vinea Domini saba,* etc. *Fodit in ea torcular.* In fossione timor notatur, quia præcepta illa legalia non amore sed timore servabant.

[¶]21.34 *Tempus fructuum appropinquasset,* etc. Bene tempus fructuum, non fructus: quia nullus fuit in illo contumaci populo.

[§]21.37 *Novissime,* etc. Vide patrisfamilias patientiam qui exspectat ad pœnitentiam. *Verebuntur.* Quasi faciam quod meum est, ipsi videant quod suum est.

^{**}21.38 *Hic est hæres.* Patet principes sacerdotum non per ignorantiam, sed per invidiam occidisse Jesum, cum scirent eum esse, cui dicitur: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* Psal. 2.; unde et consulentes sibi aiebant: *Si dimittimus eum sic* Joan. 2., etc. *Habebimus hæreditatem.* Hæreditas Christi quam resurgens possedit, Ecclesia est, quam moliebantur præripere Judæi: dum fide ejus extincta justitiam quæ ex lege est, gentibus persuadere conabantur.

^{††}21.39 *Ejecerunt extra vineam.* Marcus mutat hunc ordinem, dicens: *Occiderunt et ejecerunt extra vineam* Luc. 20., quasi vile cadaver. In quo notat pertinaciam, quia occiso Domino et resuscitato, a suis finibus eum excluserunt, et gentibus miserunt.

^{‡‡}21.42 *Ædificantes.* Qui de subdita plebe quasi Deo domum struere videbantur. *Et qui ceciderit,* etc. Qui credit, et tamen peccat: cadit super illum lapis et non conteritur: sed constringitur, quia per patientiam ad salutem reservatur, sed cui lapis irruit, id est, qui negat, penitus conteritur, ut nec testa remaneat; vel cadit super eum qui modo contemnit et injuriis afficit, necdum penitus interiit, sed quassatur ut non ambulet rectus. Cadit super illum lapis, quando veniens in judicio opprimit, cum dicit: *Ite in ignem æternum.*

22 Et respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: ² Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. ^{¶¶} ³ Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire. ⁴ Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias. ^{§§} ⁵ Illi autem neglexerunt: et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam: ^{*} ⁶ reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt. ⁷ Rex autem cum audisset, iratus est: et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. [†] ⁸ Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni: [‡] ⁹ ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. ¹⁰ Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos: et impletæ sunt nuptiæ discumbentium. ¹¹ Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. [¶] ¹² Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. [§] ¹³ Tunc dicit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. ^{**} ¹⁴ Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. ^{††} ¹⁵ Tunc abeuntes pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone. ¹⁶ Et mittunt ei

^{¶¶}22.2 *Simile factum.* Iterum arguit per parabolas: non tacet quia exasperati sunt, sed pejorem iram Dei per aliam parabolam dicit eis esse venturam. *Nuptias.* Nuptiarum thalamus est virginis uterus. De invitatis ad nuptias solus Matthæus narrat. Aliud simile ex parte Lucas dicit de cœna, id est, æterno convivio, de quo nemo ingressus repellitur, sicut de præsentī Ecclesia.

^{§§}22.4 *Tauri.* Quia prius prophetæ, et post apostoli ab infidelibus passi sunt: qui vobis modo sunt in exemplum quid sit vobis credendum. Venite, fide, cæteris concordando. Tauri sunt patres Veteris Testamenti, quibus indulta est licentia inimicos quasi cornu feriendi. Altilia ab alendo, id est pingua interna charitate præcones Novi Testamenti, contemplationis penna superna petentes. Occisa, vel ab eo quod fuerant, vel per mortem carnis jam in requiē positi.

^{*}22.5 *Alius in villam.* In villam ire est terreno labori immoderate incumbere. Negotiari vero, terrenis lucris inhiare.

[†]22.7 *Rex autem.* Supra homo dum invitabat et opera clementiæ agebat, nunc in ultione rex tan tum. *Et missis,* etc. Missis exercitibus, id est, angelis per quos iudicium exercebit, persequentes perdit: et civitatem, id est, carnem in qua habitaverunt cum anima in gehenna cremabit.

[‡]22.8 *Nuptiæ quidem paratæ.* Omne sacramentum incarnationis peractum est, natiuitas et passio. *Ad exitus,* etc. Actiones sunt viæ: exitus, defectus actionum: quia plerumque facile convertuntur quos in terrenis actibus prospera nulla comitantur.

[¶]22.11 *Ut videret discumbentes.* Id est, videri faciat iudicandorum merita, et discernat. *Non restitum veste nuptiali.* Confutatis autem Pharisæis supponit non omnes qui sunt in Ecclesia, esse dignos regno, ne torpeant sui.

[§]22.12 *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Amicus, quia ad nuptias invitatus. *Quomodo,* impudentiæ arguit.

^{**}22.13 *Ligatis manibus et pedibus.* Ligantur pœna qui hic a malo noluerunt ligari, id est, cohiberi. Manus quæ non extensæ ad eleemosynam. Pedes tardi ad bonum. Ibi singula membra pœnis subjiciuntur, quæ hic singulis vitiis servierunt. *Exteriores,* etc. Quia hic interiores habent tenebras cordis.

^{††}22.14 *Multi autem sunt vocati, pauci vero electi.* Repulso uno, in quo omne corpus malorum exprimitur, generalis sententia infertur. *Multi autem sunt vocati.* Quasi dicat: Et si de uno dixi, de multis est intelligendum.

discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum:‡ 17 dic ergo nobis quid tibi videtur, licet census dare Cæsari, an non? 18 Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritæ?¶ 19 ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. 20 Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, et superscriptio? 21 Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei, Deo.§§ 22 Et audientes mirati sunt, et relicto eo abierunt. 23 In illo die accesserunt ad eum sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: et interrogaverunt eum,* 24 dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo. 25 Erant autem apud nos septem fratres: et primus, uxore ducta, defunctus est: et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. 26 Similiter secundus, et tertius usque ad septimum. 27 Novissime autem omnium et mulier defuncta est. 28 In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam. 29 Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.† 30 In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in cælo.‡ 31 De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis:¶ 32 Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est

‡22.16 *Cum Herodianis dicentes.* Tanquam ignotis, ut facilius deciperent, quia timebant turbas. Quod per se non audent, præsidis manibus attentant. *Cum Herodianis.* Id est, militibus Herodis. Sub Cæsare Augusto quando descriptio facta est, Judæa facta est tributaria. His tributis præpositus est Herodes Antipatris filius alienigena et proselytus, rex Judæis ab Augusto constitutus. Erat ergo seditio in populo, aliis dicentibus debere dari tributa, pro securitate et quiete, cum Romani pro omnibus militent. Pharisæis contra nitentibus, non debere populum Dei qui decimas solvit, et cætera quæ lex dicit, humanis legibus subjacere. Mittunt igitur Pharisæi si possent decipere. *Non est tibi cura,* etc. Illuc provocant, ut Deum magis timeat quam Cæsarem: et ideo non debere solvi tributa dicat, ut Herodiani quasi auctorem seditionis teneant.

¶22.18 *Hypocritæ.* Quia aliud sunt, et aliud simulant.

§§22.21 *Reddite ergo.* Vel sicut Cæsar exigit impressionem suæ imaginis, sic et Deus animam lumine sui vultus signatam.

*22.23 *Sadducæi,* etc. Duæ erant hæreses in Judæis. Pharisæorum qui præferebant justitiam traditionum et observationum: et Sadducæorum, qui et ipsi vindicabant sibi, quod nondum erant, id est justi. Sadducæi namque *justi* interpretantur, qui resurrectionem corporum non credunt, et animas interire putant cum corpore, turpitudinem fabulæ fingunt, quæ deliramenti eos arguat qui resurrectionem asserunt. Potest autem fieri ut in gente eorum hoc aliquando acciderit.

†22.29 *Erratis.* Ideo quia nescitis Scripturas, Unde sequitur, ut nesciant virtutem Dei.

‡22.30 *In resurrectione.* Resurgent quidem corpora, quæ possent nubere et nubi: quod de his dicitur, qui habent membra genitalia: sed alia ratione non nubent.

¶22.31 *Non legistis.* In Moyse quem recipitis, alioquin posset apertiora de resurrectione testimonia prophetarum dare: sed prophetas Sadducæi non recipiunt.

Deus mortuorum, sed viventium.^{§ 33} Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus.³⁴ Pharisei autem audientes quod silentium imposuisset sadducæis, convenerunt in unum.^{** 35} et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum:^{†† 36} Magister, quod est mandatum magnum in lege?³⁷ Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.^{‡‡ 38} Hoc est maximum, et primum mandatum.³⁹ Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.⁴⁰ In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ.⁴¹ Congregatis autem pharisæis, interrogavit eos Jesus,⁴² dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David.^{¶¶ 43} Ait illis: Quomodo ergo videtur in spiritu vocat eum Dominum, dicens:⁴⁴ Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?^{§§ 45} Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?^{* 46} Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.[†]

23 Tunc Jesus locutus est ad turbas, et ad discipulos suos,^{‡ 2} dicens: Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi.³ Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, et facite: secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt.⁴ Alligant enim onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros

§22.32 *Deus Abraham*, etc. Qui jam mortui erant, quando hæc dicebat, ergo per hoc animas probat permanere post mortem: non enim diceretur Deus non existentium. Et sic introducitur et corporum resurrectio, quæ cum animabus bona vel mala gesserunt: *Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob*. Per hoc probat æternitatem animarum, et statim infert: *Non est Deus mortuorum*, etc., ut cum probaverit animas permanere post mortem, consequenter introduceretur etiam corporum resurrectio, quæ cum animabus bona vel mala gesserunt.

**22.34 *Silentium*. Nota venena invidiæ superari posse, sed difficile conquiescere. *Convenerunt*. Ut multitudine vincerent quem non poterant ratione. In tentando conveniunt qui in doctrina contrarii sunt. Jam confutati erant in ostensione denarii, jam viderant etiam Sadducæos obmutescere, sed tamen malevolentia et livor nutrit impudentiam.

††22.35 *Tentans eum*. Marcus ait, quod ei sapienter respondenti Dominus dixerit: *Non longe es a regno Dei*. Potuit enim fieri, ut qui tentans venit, responso Dominico conversus sit. Vel tentatio non est mala quasi volentis decipere, sed causa volentis amplius experiri ignotum.

‡‡22.37 *Diliges Dominum Deum tuum*. Fictam conscientiam interrogantis Dominus primo responso percutit. *Deus tuus unus est. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Observa diem sabbati*. Hæc tria ad dilectionem Dei pertinent: Cujus cogites unitatem, veritatem, voluntatem. *Ex toto corde*. Integritas fidei exprimitur. In tota anima, perfecta obedientia, exigitur. In tota mente, perseverantia ostenditur.

¶¶22.42 *De Christo*. Sive venit, sive futurum creditis, quem purum hominem asseritis.

§§22.44 *Dixit*. Istud dicere est æqualem sibi filium generare. *Domino*. Non secundum quod de eo natus, sed quod de patre semper fuit.

*22.45 *Quomodo*. Repugnantia sunt hæc secundum vestrum intellectum.

†22.46 *Et nemo poterat*, etc. Nota venena invidiæ superari posse, sed difficile conquiescere.

‡23.1 *Tunc locutus est*. Illis confutatis qui dolosi sunt, instruit eos qui idonei sunt, nihilominus hortans eos subjici illis propter sacerdotium et nominis dignitatem: non opera, sed doctrinam considerantes.

hominum: digito autem suo nolunt ea movere.[¶] ⁵ Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.[§] ⁶ Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, ⁷ et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi. ⁸ Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis.^{**} ⁹ Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim pater vester qui in cœlis est.^{††} ¹⁰ Nec vocemini magistri: quia magister vester unus est, Christus. ¹¹ Qui major est vestrum, erit minister vester. ¹² Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: et qui se humiliaverit, exaltabitur. ¹³ Væ autem vobis scribæ et pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines! vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.^{‡‡} ¹⁴ Væ vobis scribæ et pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes! propter hoc amplius accipietis iudicium. ¹⁵ Væ vobis scribæ et pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare, et aridam, ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.^{¶¶} ¹⁶ Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit in auro templi, debet.^{§§} ¹⁷ Stulti et cæci: quid enim majus est? aurum, an templum, quod sanctificat aurum? ¹⁸ Et quicumque juraverit in altari, nihil est: quicumque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet. ¹⁹ Cæci: quid enim majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum? ²⁰ Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, et in omnibus quæ super illud sunt. ²¹ Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo qui habitat in ipso: ²² et qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, et in eo qui sedet

[¶]23.4 **Onera gravia.** Legis mandata permistis suis traditionibus, secundum ea suadentes vivere: et non venire ad facilem et delectabilem gratiam Christi; unde supra: **Venite ad me qui laboratis et onerati estis.**

[§]23.5 **Omnia vero.** Dixit tales doctores audiendos esse, non imitandos: nunc ostendit causam propter quam non possunt credere Christo, id est quia omnia faciunt ut videantur ab hominibus. Non potest enim Christo cœlestia prædicanti credere, qui gloriam terrenam cupit.

^{**}23.8 **Vos autem.** Duplici ratione ab his attendere jubet, ne eorum simulatione seducamur, vel ne æmulatione inflammemur.

^{††}23.9 **Unus est.** Qui illuminat hominem, quod non alius homo, sed tantum exercet, docendo non intellectum præstat. **Pater vester.** Deus dicitur Pater et Magister natura, homo indulgentia. Pater, ut honor ætati deferatur, non ut auctor vitæ habeatur. Magister, ex consortio veri magistri tanquam ejus nuntius: et pro reverentia ejus a quo mittitur, honoratur.

^{‡‡}23.13 **Clauditis.** Vel malo exemplo, vel mysteria Scripturarum tollendo. Exemplo enim et doctrina eorum qui magistri sunt, alii quidem Christum non recipiunt.

^{¶¶}23.15 **Circuitis.** In toto orbe Evangelio detrahitis: et si quis vobis adhæret, duplæ poenæ filius est: quia neque remissionem peccatorum accipit, et in eorum societatem incidit qui Christum sunt persecuti. Quisquis ejus Filius dicitur cujus opera agit. **proselytum.** Proselyti sunt de gentibus in Synagogam recepti, quorum raritas per unum significatur, quia vix aliquis post Christum.

^{§§}23.16 **Quicumque.** Pharisæi qui omnia fecerunt propter lucrum dicebant esse etiam sanctiora oblata quam templum vel altare: ut homines promptiores essent ad offerenda dona, quam ad preces fundendas in templo vel justitias faciendas. In quo non Dei timorem, sed suam cupiditatem attendebant. Ideo arguit eos Dominus stultitiæ et fraudulentæ.

super eum. * 23 Væ vobis scribæ et pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, iudicium, et misericordiam, et fidem ! hæc oportuit facere, et illa non omittere. † 24 Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. ‡ 25 Væ vobis scribæ et pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis; intus autem pleni estis rapina et imunditia ! ¶ 26 Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis, et paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. § 27 Væ vobis scribæ et pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero pleni sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia ! 28 Sic et vos a foris quidem paretis hominibus iusti: intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. 29 Væ vobis scribæ et pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, et ornatis monumenta iustorum, ** 30 et dicitis: Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum ! † 31 itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. †† 32 Et vos implete mensuram patrum vestro-

*23.22 *In caelo.* Per creaturam: ubi non putatis perjurium esse, jurat in caelo, id est, per subjectam creaturam jurat, et per divinitatem præsentem creaturæ.

†23.23 *Væ vobis.* Et hic arguit eos avaritiæ: quia nihil prætermittunt de his quæ ad commodum suum sunt. *Qui decimatis.* Quia Deus præceperat omnium rerum decimas offerri propter alimoniam sacerdotum. Nota quod per eleemosynam aliqua impunitas non emitur in iniquitate manentibus. *Hæc oportuit.* Ne eleemosynas fructum terræ videretur respuere, hæc addidit.

‡23.24 *Duces cæci.* Opinione religionis in minimis quæ lucrum habent diligentiam ostenditis: sed magna præcepta de iudicio, fide et misericordia devoratis et negligitis. *Excolantes.* Mystice. Culicis nomine seditiosus homicida Barabbas signatur: quia hoc animal strepando inquietat et sanguine delectatur. Cameli nomine propter humilitatem ad subeunda onera, Dominus intelligitur. Colunt ergo Judæi culicem, in est, minima observant, quia Barabbam qui non solverat sabbatum, dimiserunt, et camelum glutiant, id est, majora contemnunt: quia Christum spiritualiter sabbatum insinuantem per iudicium et misericordiam et fidem (quæ illi contemnunt) occiderunt.

¶23.25 *Væ vobis.* Diversis similitudinibus simulationis et mendacii arguit pharisæos qui aliud hominibus ostendunt, aliud domi agunt. *Qui mundatis.* Frustra sanctitatem exterius prætentis, sicut si quis calicem mundet exterius, intus autem relinquat sordes: cum ejus usus sit interior. Lucas ita. *Stulte, qui fecit quod deforis est etiam id quod intus est, fecit* Luc. 11., id est, qui utramque naturam hominis fecit, utramque mundari voluit. Nemo igitur putet fornicationem et hujusmodi corporalia vitia solummodo gravia esse, et avaritiam, et superbiam, et iram, et cætera spiritualia levia esse.

§23.26 *Calicis.* Per similitudinem, non quod in calice et paropside sit eorum superstitionis.

**23.29 *Qui ædificatis.* Extruitis memoriam occisorum propter favorem vulgi, ut iusti videamini, arguitis etiam facinora patrum vestrorum.

††23.31 *Itaque.* Quia scelera patrum detestamini pro specie quidem sanctitatis; dum Christum persequendo et apostolos eadem facitis, facto probatis vos esse filios non solum carne, sed imitatione iniqua: et patet eos scientes peccare. Id est contra vos loquimini dum patres damnatis: similiter enim facitis.

rum.^{‡‡} ³³ Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennæ?^{¶¶}
³⁴ Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occide-
 tis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de
 civitate in civitatem:^{§§} ³⁵ ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est
 super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiae,
 quem occidistis inter templum et altare.* ³⁶ Amen dico vobis, venient hæc omnia
 super generationem istam.[†] ³⁷ Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lap-
 idas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum
 gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?^{‡‡} ³⁸ Ecce relinquetur vobis domus
 vestra deserta.[¶] ³⁹ Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedic-
 tus, qui venit in nomine Domini.[§]

24 Et egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent
 ei ædificationes templi. ² Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc om-

^{‡‡}23.32 *Et vos.* Probato quod filii sunt homicidarum, ponit id ad quod tendebat: *Et vos implete*, quod illis defuit implete, illi prophetas, vos Dominum prophetarum occidite. Non jubet, sed quod facturi sunt ostendit.

^{¶¶}23.33 *Quomodo fugietis.* HIER. Sepulcra sanctorum ædificando, an potius corda a malitia mundando. Liberabunt vos sancti, quorum sepulcra ornatis? Non certe. Sancti non sunt amici inimicis Dei: frustra sanctos honorant, qui sanctitatem spernunt.

^{§§}23.34 *Sapientes.* Qui sciunt quem proferant sermonem. *Scribas.* In lege peritos.

*23.35 *Ut veniat super vos.* Non hos tantum præsentem dicit, sed omnem generationem malorum præcedentem et futuram: quia omnes una civitas sunt, unum corpus diaboli. *Abel iusti.* Justitia Abel approbata est per munus acceptionem. *Usque ad sanguinem.* Cur usque adhuc, cum multi post hunc occisi ante natalem Christi, et Christo nato mox pueri ab hac generatione sunt preempti? Sed quia Abel pastor ovium fuit necatusque in agro: Zacharias sacerdos necatus est in atrio templi: utriusque gradus martyres et laicos et officio altaris mancipatos, sub eorum voluit intimare vocabulis. Zacharias qui occisus est a rege Joas inter templum et altare, ut historia Regum narrat, filius fuit Joiadæ, et in Evangelio quo utuntur Nazaræi, pro filio Barachiae legitur filius Joiadæ. Sed ut justitia Joiadæ sacerdotis prædicetur, ipse Barachias vocatur, id est, benedictus Domini. Iste Zacharias de duodecim prophetis unus erat, sicut pater Joannis de prophetis unus erat.

[†]23.36 *Super generationem.* Quæ a primo parricida usque ad ultimum perditionis filium computatur: quasi, similes erunt in pœna sicut sunt et in culpa.

^{‡‡}23.37 *Jerusalem.* Quasi dicat: Rei estis sanguinis, et merito, quia multoties misi ad vos congregandos, et noluistis. *Quoties.* Ac si dicat: Ego volui, et tu noluisti, et quotquot congregavi mea voluntate semper efficaci te nolente feci, quia semper ingrata fuisti. *Gallina.* Hoc animal magnum affectum habet in filios, ita ut eorum infirmitate affecta infirmetur, et eos alis protegens contra milvum pugnet. Sic Dei sapientia per carnem infirmata, protegit nos et defendit a diabolo.

[¶]23.38 *Relinquetur.* Civitas auxilio Dei nudata suæ ditioni relinquetur, quæ bene derelicta est, cum a Deo derelinquitur.

[§]23.39 *Benedictus qui venit.* Hoc turbæ dixerunt Domino venienti Jerusalem. Quod autem his transactis hic Dominus dicit, cogit mystice intelligi de adventu charitatis suæ, ubi confitebuntur Filium quem crucifixerunt.

nia? amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruat. **
³Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? et quod signum adventus tui, et consummationis sæculi?†† ⁴Et respondens Jesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat:‡‡ ⁵multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: et multos seducent.¶¶ ⁶Audituri enim estis prælia, et opiniones præliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis:§§ ⁷consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentia, et fames, et terræmotus per loca: ⁸hæc autem omnia initia sunt dolorum.* ⁹Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos: et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.† ¹⁰Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem. ¹¹Et multi pseudoprophetae surgent, et seducent multos.‡ ¹²Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum: ¹³qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. ¹⁴Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc

**24.2 *Non relinquetur hic lapis super lapidem.* Mystice. Recedente Domino de templo omnia legis ædificia et compositio mandatorum ista destructa est, ut nihil possit a Judæis impleri. Divinitus autem provisum est, ut crescente Evangelii gratia templum illud cum suis caremoniis tolleretur, ne quis infirmus in fide illis stantibus Judaismi occasionem haberet. Idem qui comminatus est verbo, ostendit signo, dum egreditur ab illis facta comminatione.

††24.3 *Sedente autem.* Ubi Marcus ait, *contra templum.* Sedet contra templum cum de ruina ejus et excidio gentis disputat ut et corporis situs verbis suis congruat. Mystice. Sedet in monte Oliveti, id est in Ecclesia quietus manens superbiorum detestatur arrogantiam. *Dic nobis.* Quia dixit omnia destruenda, tempus et signa destructionis quærunt. Tria quærunt: quo tempore destruenda Jerusalem sit? quo venturus Christus? quo consummatio sæculi ventura sit?

‡‡24.4 *Videte.* Cum hæc fient, ne putemus instare diem Domini, cujus signum perspicue ponitur in sequentibus. Præmunit ne turbentur vel deficient per deceptionem, ut per Simonem Magum, vel per tribulationem et persecutionem, ut per Neronem. Nota hæc venientia ante excidium Jerusalem similia sunt et eadem fere cum his quæ fient in comminatione sæculi, et loquitur ita de uno quasi de alio.

¶¶24.5 *multi.* Imminente Jerusalem excidio multi fuerunt principes qui se dicerent esse Christos, et tempus libertatis prope esse. Multi in Ecclesia temporibus apostolorum, qui præter alia falsa dicerent instare diem Domini.

§§24.6 *Audituri.* Hæc in Judæa a passione Domini abundaverunt: quibus ne territi apostoli Jerusalem et Judæam deserant admonentur, quia non statim finis, sed post quadraginta duos annos.

†24.8 *Hæc autem.* Hæc autem omnia sunt initia, non consummatio quasi præconia Antichristi, vel excidii urbis. Hæc partim ad eversionem Judæorum, partim ad diem iudicii pertinent, quia ita apostoli interrogaverunt de utroque.

†24.9 *Tunc tradent.* Quo merito hæc Judæis eveniant subdit, qui post occisionem Christi, nominis et fidei ejus præcones persecuti sunt.

‡24.11 *Et multi pseudoprophetae.* Quidam hoc ad eversionem Judæorum referunt. Sed tunc inter eos, quia nullus erat fidelis, ad quem fieret exhortatio; melius hoc accipitur de hæreticis, quorum primus Simon Magus fuit. Extremus major omnibus, Antichristus est. Diligenter intuendum est, quod signorum ad excidium urbis, quod ad diem Domini referatur. Respondit enim Dominus, quæ ex illo tempore erant secutura sive de excidio Jerusalem sive de adventu suo.

veniet consummatio.[¶] ¹⁵ Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat:[§] ¹⁶ tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes:^{**} ¹⁷ et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: ¹⁸ et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam. ¹⁹ Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus ! ²⁰ Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato: ²¹ erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. ²² Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.^{††} ²³ Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. ²⁴ Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae: et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errore inducantur (si fieri potest) etiam electi.^{‡‡} ²⁵ Ecce prædixi vobis. ²⁶ Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire; Ecce in penetralibus, nolite credere.^{¶¶} ²⁷ Sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem: ita erit et adventus Filii hominis. ²⁸ Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ. ²⁹ Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo, et virtutes cælorum commovebuntur: ³⁰ et tunc parebit signum Filii hominis in cælo: et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa et majestate. ³¹ Et mittet angelos suos cum tuba, et voce magna: et congregabunt electos ejus a quatuor ven-

[¶]24.14 *Et prædicabitur.* Quia noverat Dominus corda discipulorum de excidio et perditione suæ gentis contristanda, hæc solatio relevat ut scirent multo plures socios gaudii æterni de toto orbe colligendos. Adhuc tenete hoc signum, quod non instet dies Domini vel desolatio Jerusalem antequam apostoli toto orbe dispersi sint, præter duos Jacobos, qui primitus in Judæa interfecti sunt. Dispersi, inquam, ut si dolerent de perditione suæ gentis, solatium habeant plures socios de omni gente collectos.

[§]24.15 *Abominationem,* etc. Vel si de excidio urbis, abominatio, id est idolum. Pilatus enim posuit imaginem Cæsaris in templo desolato. Vel hoc dicitur de statua Adriani equestri, quæ in ipso sanctorum loco longo tempore stetit.

^{**}24.16 *Tunc qui in Judæa.* Hæc ad litteram facta sunt, cum, appropinquante exterminio Judæorum, oraculo moniti omnes Christiani fugerunt in regnum Agrippæ qui parebat Romanis.

^{††}24.22 *Et nisi.* Quæ ergo spes electis, nisi gratia Dei, quæ dat patientiam piis, ut citius demat potentiam impiis? Quanto enim erit hæc tribulatio gravior, tanto erit brevitate moderatior. Vel dierum nomine, ipsa mala significantur. *Breviati fuissent.* Non mensura, sed numero, ne mora temporum fides concutiatur credentium. Erunt enim hæc mala tribus annis, et dimidio tantum. *Ecce hic Christus.* Habet unaquæque hæresis, vel certas mundi partes, unde dicitur: *Ecce hic et ecce illic.* Vel in occultis aut in obscuris conventiculis curiositatem hominum decipit, unde dicitur: *Ecce in cubilibus, ecce in deserto.* Multi erunt qui non credent Christum esse communem salutem omnium, sed quorundam, unde dicitur: *hic aut illic.*

^{‡‡}24.24 *Si fieri posset.* Id est, si aliquo modo fieri posset, ut Dei præfinitio mutaretur, et ideo non de veris intelligi potest electis. *Electi.* Non quod divina electio frustretur, sed qui judicio humano videntur electi.

^{¶¶}24.26 *Ecce in deserto.* Multi etiam credunt non venire in publicum, sed in deserto. Multi credunt Christum dedisse secretiora præcepta fidei aliis, non omnibus, unde dicitur, *in penetralibus. Nolite credere,* quod Christus in deserto vel in penetralibus, sed quod fides ejus ab Oriente in Occidentem in catholicis fulget clara et manifesta. Ne ergo credatur schismaticis. Nomine Orientis et Occidentis totum orbem designat.

tis, a summis cælorum usque ad terminos eorum. §§ 32 Ab arbore autem fici discite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas: * 33 ita et vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est, in januis. 34 Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. 35 Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. † 36 De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater. ‡ 37 Sicut autem in diebus Noë, ita erit et adventus Filii hominis: † 38 sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptum tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam, § 39 et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis. 40 Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, et unus relin-

§§24.31 **A summis cælorum.** Ne quis putaret a quatuor plagis terræ, et non a cunctis finibus ejus, simul et mediterraneis regionibus electos esse congregandos, subditur: **A summo terræ usque ad summum cæli,** id est, ab extremis terræ finibus per directum usque ad ultimos terminos ejus: ubi longe aspicientibus circulus cæli terræ videtur insidere.

*24.32 **Ab arbore.** Mystice. A populo Israël, in quo cæcitas ex parte contigit: et fuit ficus damnata. Sed cum de arido ligno ramus fidei et charitatis in eo viruerit, et folia, id est, verba prædicationis exorta fuerint, prope est æstas, quæ expectatur, id est, æterna serenitas et renascentium desiderata novitas. Cum enim tandem ablata perfidia Israël omnis salvus fiet, prope esse diem judicii non dubitandum est.

†24.35 **Cælum et terra.** Innovabuntur, deposita priori forma, permanente autem substantia, unde dicitur: **Terra in æternum stabit.**

‡24.36 **De die.** Ne forte auditis signis, quærent etiam illius diei certum terminum, ait: De die novissima, post quot annos vel dies ventura sit, nolite esse solliciti, nulli diffinitum est, quod vel in die vel in nocte judicium futurum sit, sed pro manifestatione dicitur dies, vel pro occultatione nox. **Nemo scit,** etc. In quibusdam codicibus additur, **neque Filius.** Qui quidem omnia scit cum Patre, sed non facit homines scire, sicut Apostolus ait: **In eo esse absconditos thesauros sapientiæ et scientiæ** II Col. 2.. Non facit scire, quia inutiliter sciretur. Sed semper simus incerti de adventu judicis, ut sic quotidie vivamus quasi in alia die judicandi simus. Neque electi angeli quemquam scire fecerunt. Vel nulli sanctorum angelorum concessit Deus notitiam diei hujus, neque filio adoptivo, id est, neque ulli sanctorum hominum.

†24.37 **Sicut autem.** Subitum adventus sui diem plurimis affirmat exemplis: nam et fulguri cito omnia transvolanti comparavit et diebus Nœ, vel Loth secundum alium evangelistam æquiparat.

§24.38 **Comedentes et bibentes, nubentes,** etc. Non alimenta et nuptiæ, sed immoderatus licitorum usus arguitur. Post bella, famas, terræmotus, etc., tunc brevis sequetur pax, ut fidelis probetur, an transactis malis speret judicem venturum, unde dicitur: **Cum enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus** I Thess. 5..

quetur.**⁴¹ Duæ molentes in mola: una assumetur, et una relinquetur.^{††}⁴² Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.^{‡‡}⁴³ Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.^{¶¶}⁴⁴ Ideo et vos estote parati: quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.⁴⁵ Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam ut det illis cibum in tempore?^{§§}⁴⁶ Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem.*⁴⁷ Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.[†]⁴⁸ Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram fecit dominus meus venire:⁴⁹ et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis:[‡]⁵⁰ veniet dominus servi il-

**24.40 *Tunc*, etc. Lucas, *in illa nocte*, id est, in illa tribulatione qua probantur, in qua alii permanent, alii cadunt. *Duo erunt*. Duæ differentiæ prædictorum sunt in Ecclesia, quasi in agro laborantium, eorum qui sincere Christum annuntiant, et eorum qui verbum Dei adulterant.

††24.41 *Duæ molentes*. Duæ differentiæ sequentium orbem rerum mobilium, qui feminino genere designantur, quia majorum consilio reguntur feminae a viris. *Duo in lecto*. Qui otium eligunt et quietem, quæ significantur nomine lecti, nec sæcularibus, nec ecclesiasticis negotiis occupati. *Unus assumetur*. Qui propter Deum continere studet, ut sine sollicitudine vivens cogitet quæ Dei sunt. Qui autem humana laude vel aliqua vitiorum corruptione monasticam vitam elegerit, relinquetur a Deo. Non sunt alia genera hominum, quam hæc tria in Ecclesia. Unde Ezechiel tres viros liberatos vidit, Noë, Daniel et Job, id est rectores ut Noë, continentes ut Daniel, conjugatos ut Job. Et secundum hæc tria genera hominum, tres supponit parabolas. In prima agit de laborantibus in agro, quod est ubi dicit: *Vigilate ergo*. In secunda agit de existentibus in lecto, quod est ubi dicit: *Simile est regnum cœlorum decem virginibus*. In tertia agit de molentibus in mola, quod est ubi dicit: *Sicut enim homo peregre proficiscens*, etc.

‡‡24.42 *Vigilate ergo*. HIER. Non dixit quia nescimus, sed quia nescitis, ut ostendat se diem iudicii non ignorare.

¶¶24.43 *Si sciret*, etc. Nesciente patrefamilias fur domum perfodit, quia dum a sui custodia spiritus dormit, improvisa mors carnis habitaculum irrumpit, et ad supplicium trahit. Furi autem resisteret si vigilaret, quia adventum iudicii occulte venientem præcavens occurreret pœnitendo.

§§24.45 *Quis putas est fidelis servus*. Tribus similitudinibus, fulguris, furis, et submersionis Pentapolis, terrorem iudicii introduxit communiter ad omnes, ut vigilarient et parati essent. Nunc specialiter ad prælatos loquitur qui humiles, prudentes, non appetentes bonum propter lucrum temporale, sed verbo et exemplo et opere debent pascere oves. *Quis putas*, quasi dicat: Admonendi estis. Nam quam rarus est Domino propter Dominum serviens, oves Christi non ad lucrum, sed amore Christi pascens. *Prudens*. In futuro sibi providens. *Quem constituit*. Quam rarus qui sit vocatus a Deo tanquam Aaron et non magis se ingesserit, et qui non magis se pascat quam oves.

*24.46 *Beatus ille*. Æterna autem beatitudine glorificandus est qui Domino veniente ad iudicium repertus fuerit fideliter annonam verbi ministrans et in cura gregis vigilans. Rarus invenitur fidelis vel prudens, sed qui talis invenitur beatus est.

†24.47 *Super*. Id est, super omnia cœlestis regni gaudia, cæteros, id est, bonos auditores faciet discumbere, et transiens ministrabit eis.

‡24.49 *Percutere conservos*. Injuriis afficere vel infirmorum conscientias pravo verbo vel exemplo vitare. Unde Lucas ait *servos vel ancillas* Luc. 12., quorum quanta infirmior est ætas vel sexus, tanto facilius est ruina.

lius in die qua non sperat, et hora qua ignorat: ⁵¹ et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit fletus et stridor dentium.[¶]

25 Tunc simile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ.[§] ² Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes:^{**} ³ sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: ⁴ prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. ⁵ Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.^{††} ⁶ Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.^{‡‡} ⁷ Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. ⁸ Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.^{¶¶} ⁹ Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis.^{§§} ¹⁰ Dum autem irent emere, venit sponso: et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. ^{* 11} Novissime vero veniunt et reliquæ virgines, dicentes: Domine, domine, aperi nobis.[†] ¹² At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. ¹³ Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque

[¶]24.51 *Cum hypocritis*, etc. Cum illis scilicet qui erant in agro et qui molebant, et nihilominus derelicti sunt. Qui dicuntur hypocritæ, et in agro, et in mola, id est, qui bona videbantur facere, sed exitus diversæ voluntatis apparuit. *Fletus* Per similitudinem membrorum magnitudo ostenditur tormentorum.

[§]25.1 *Decem virginibus*. Virgines sunt omnes qui se a luxu sæculi continent. *Et sponsæ*. Omnes simul sunt sponsa quæ modo desponsata est virgo a corruptione sæculi. Nubet, cum mortalis immortalis conjungetur.

^{**}25.2 *Quinque*. Quia quinquepartita est continentia in carnalibus illecebris, videlicet ut in quinque sensibus contineant se a voluptatibus.

^{††}25.5 *Moram autem faciente sponso*. Quia non est parum temporis inter priorem et secundum adventum Christi. *Dormitaverunt omnes et dormierunt*. Quia postea suscitandi.

^{‡‡}25.6 *Media autem nocte clamor factus est*. Id est, nullo sciente vel sperante. Unde *Dies Domini sicut fur in nocte veniet* I Thess. 3..

^{¶¶}25.8 *Date nobis de oleo*, etc. Quorum facta aliena fulciuntur, laude eadem subtracta deficiunt, et de consuetudine id semper inquirunt, unde gaudere animus solet. Itaque hominum qui corda non vident, testimonium volunt habere apud Deum, qui cordis inspector est. *Extinguuntur*. Id est, adventu judicis intus obscurantur, et a Deo non habent mercedem, quia receperunt laudem.

^{§§}25.9 *Ne forte*. Quia quisque pro se rationem reddet, nec alieno testimonio jுவatur quis apud Deum, cui secreta patent, et vix sibi quisque sufficit ut ei perhibeat testimonium conscientia sua. *Ne forte* unusquisque pro suis operibus mercedem suscipiet, nec possunt in die judicii aliorum virtutes, aliorum vitia sublevare. *Ad vendentes*. Vendentes sunt adulatores, quia dant laudem et accipiunt aliquam mercedem.

^{*}25.10 *Dum autem*. Inclinantibus se illis in ea quæ foris sunt, et solita gaudia requirentibus, cum interna non noverunt, venit ille qui judicat. *Clausæ est*. Post judicium magna est ejus severitas, cujus est ante ineffabilis misericordia.

[†]25.11 *Novissime vero*. Per veram poenitentiam, per infructuosas lacrymas pulsant foris relictæ. Non dicitur quod emerunt oleum: quia nullo jam remanente gaudio de alienis laudibus, in angustiis redeunt ad implorationem Dei.

horam.[‡] 14 Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.[¶] 15 Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem; et profectus est statim.[§] 16 Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque.^{**} 17 Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. 18 Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. 19 Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.^{††} 20 Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.^{‡‡} 21 Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, et fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium domini tui.^{¶¶} 22 Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.^{§§} 23 Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, et fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium domini tui. 24 Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es; metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti.* 25 et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est.[†] 26 Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male, et

[‡]25.13 **Vigilate.** Videlicet ut testimonium bonæ conscientiae nobis præparemus, ne cum fatuis virginibus foris remaneamus. **Nescitis diem neque horam.** Non solum diem iudicii, sed diem mortis cujusque, vel horam in qua qui paratus invenitur, et tunc paratus invenietur. Et quia paratos nos invenire desiderat, subjicit aliam de eadem re parabolam.

[¶]25.14 **Peregre proficiscens vocavit servos suos,** etc. Locus carnis terra est, ergo Christi carnem nostram ad peregrina duxit, quando cælum ascendit.

[§]25.15 **Et profectus est statim.** Non locum mutans, sed liberam eis potestatem operandi permittens.

^{**}25.16 **Operatus est in eis.** A visibilibus se custodiendo, alios pro posse exhortando, ut de visibilibus ad invisibilia transeant. Vel utriusque sexui prædicando, et de bonis moribus informando geminavit accepta talenta.

^{††}25.19 **Posuit autem.** Cœpit singulorum actus discutere accusante conscientia unumquemque vel excusante.

^{‡‡}25.20 **Ecce alia quinque.** Quotquot ab errore convertit, tot Domino obtulit, testimonium sibi dante conscientia, quod per gratiam sibi datam non tantum sibi profuit, sed etiam quos potuit lucrificat.

^{¶¶}25.21 **Super pauca.** Pauca sunt bona præsentis vitæ quamvis multa videantur, quia non sine alicujus molestiæ admistione sunt. Multa autem bona æterna, quæ sunt sine omni corruptionis molestia. **Intra in gaudium Domini tui.** Admistus choris angelorum: sic intus lætare de munere, ut jam non sit quod exterius doleas de corruptione.

^{§§}25.22 **Qui duo talenta acceperat.** Iste viribus suis quidquid in lege Dei didicerat, in Evangelio duplicavit. Sive conscientiam et opera præsentis vitæ futuræ beatitudinis typos intellexit.

^{*}25.24 **Durus es.** Quia ardua est via quæ ducit ad vitam, et quia quanto gradus altior, tanto casus gravior.

[†]25.25 **Et timens abii,** etc. Et timens aggredi altioris vitæ gradum, ne alterius salutem quærens ipse periclitarer. **Abscondi talentum tuum.** Non prædicavi quod te donante intellexi.

piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi:[‡] 27 oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.[¶] 28 Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta:[§] 29 omni enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.^{**} 30 Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, et stridor dentium. 31 Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae:^{††} 32 et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis:^{‡‡} 33 et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris.^{¶¶} 34 Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi:^{§§} 35 esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: 36 nudus, et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me. 37 Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te: sitientem, et dedimus tibi potum?^{*} 38 quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te: aut nudum, et cooperuimus te? 39 aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te? 40 Et respondens rex, dicet illis: Amen

[‡]25.26 *Sciebas quia*, etc. Quare ista cogitatio non incussit tibi timorem ut scires me mea diligentius quæsiturum? Quod dixit pro excusatione vertitur in culpam.

[¶]25.27 *Numulariis*. Vel cæteris doctoribus, ut apostolis et episcopis. Vel, cunctis credentibus qui possunt pecuniam duplicare.

[§]25.28 *Et date ei*, etc. Hoc in Ecclesia fieri plerumque videmus, quia plerique dum bene ministrant exteriora quæ accipiunt per adjunctam gratiam ad intellectum quoque mysticum perducuntur.

^{**}25.29 *Omni enim*, etc. Multi enim natura licet sapientes et acuti, si sint desides, perdunt bonum naturæ, et præmium quod erat eis promissum, videtur transire ad alios qui quod habent minus, per naturam acquirunt per industriam. Vel qui habet fidem et bonam voluntatem, etiam si minus habet in opere dabitur ei a bono judice. Sed qui in fide non habet etiam virtutes quas naturaliter habet, perdit sine qua non sunt virtutes. Vel qui habet amorem verbi, datur ei sensus intelligendi. Qui vero non habet, etiam si naturali studio callet, deficit. Vel qui non habet charitatem, amittit omne bonum quod habet. Nota quod hoc quod cuique datur in rebus mundanis vel spiritualibus, pro talento imputatur de quo est rationem redditurus.

^{††}25.31 *Cum autem*. Tradendus in proximo cruci præmisit gloriam triumphantis, ut secutura scandala hac promissione compensaret. Post parabolas de fine mundi nunc exsequitur Dominus modum futuri judicii.

^{‡‡}25.32 *Oves ab*, etc. Duo ordines erunt in judicio electorum scilicet et reproborum: sed electorum alii judicabunt, quibus dicitur: *Sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes tribus Israël*. Alii judicabuntur quibus dicitur: *Esurivi et dedistis mihi manducare*. Item reproborum alii qui extra Ecclesiam sunt, non judicabuntur: alii qui judicabuntur, quibus dicitur: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare*, etc.

^{¶¶}25.33 *Hædos*. Hædus est animal petulcum et olidum, qui pro peccatis offerebatur in lege, et significat peccatores: nec dicit capras quæ possunt habere fetus.

^{§§}25.34 *Benedicti Patris*. Beneficio Patris mei promoti ad obtinendam gloriam, in qua sine corruptione regnetis, ad quam prædestinati estis a constitutione mundi.

^{*}25.37 *Tunc respondebunt*. Non diffidentes de verbis Domini, sed vel stupentes pro magnitudine majestatis regis; vel quia parum videtur illis omne bonum quod fecerunt, unde dicitur: *Non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam* Rom. 8., etc.

dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.^{† 41} Tunc dicet et his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus:⁴² esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non desistis mihi potum:^{‡ 43} hospes eram, et non collegistis me: nudus, et non cooperuistis me: infirmus, et in carcere, et non visitastis me.⁴⁴ Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi?^{¶ 45} Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.⁴⁶ Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.[§]

26 Et factum est: cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis:^{** 2} Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur.³ Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas:⁴ et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.⁵ Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.⁶ Cum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi,^{†† 7} accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius

[†]25.40 *De his fratribus.* Fratres mei et mater sunt qui faciunt voluntatem Patris mei.

[‡]25.42 *Non dedistis,* etc. Quid meretur qui aliena rapuit, si æternaliter damnatur quid de suo non dedit?

[¶]25.44 *Domine, quando,* etc. Excusare se satagunt quasi Deum fallere possint qui homines falebant. Sed non habent excusationem qui converti a malis et agere eleemosynas noluerunt; unde subdit: *Quamdiu non fecistis uni,* etc.

[§]25.46 *In supplicium æternum.* Frustra ergo Origenes spondet liberationem post multos annos malis hominibus et ipsis dæmonibus. *In supplicium æternum.* AUG. Qua in re misericordior profecto fuit Origenes qui et ipsum diabolium atque angelos ejus post graviora pro meritis et diuturniora supplicia ex illis cruciatibus eruendos atque sociandos sanctis angelis credidit. Sed illum et propter hoc et propter alia nonnulla, et maxime propter alternantes sine cessatione beatitudines et misérias et statutis sæculorum intervallis, ab illis ad istas itus ac reditus interminabiles non immerito reprobavit Ecclesia.

^{**}26.1 *Et factum est cum consummasset.* De consummatione sæculi et discretione iudicii: vel ab initio Evangelii usque ad passionem omnia faciendo et prædicando compleverat. Post sermonem quo se venturum in claritate prædixit, passurum se ostendit, ut sacramentum crucis admistum esse gloriæ æternitatis admoneat.

^{††}26.6 *Cum autem.* Habito consilio ordo narrationis illuc transit, *tunc abiit unus de duodecim,* ut factum Judæe conjungatur ad consilium sacerdotum. Redit autem ad eum diem, qui erat ante sex dies paschæ dicens: *Cum autem,* etc. *Simonis.* Permanet pristinum nomen ut virtus curantis appareat. Per eam domum accipe illam partem populi quæ credidit Domino et curata est. *Simon,* id est obediens.

recumbentis.‡‡ 8 Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Ut quid perditio hæc?¶ 9 potuit enim istud venundari multo, et dari pauperibus. 10 Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. 11 Nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habetis. §§ 12 Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* 13 Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus. 14 Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum: 15 et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.† 16 Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet. 17 Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?‡ 18 At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.¶ 19 Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha. § 20 Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. 21 Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me

‡‡26.7 **Accessit.** HIER. Diligenter observa, quæ de duabus super caput. Siquidem peccatrix, super pedes, et ea quæ dicitur non fuisse peccatrix, super caput. **Mulier habens.** Maria Magdalena soror Lazari modo justa et familiaris, quæ quondam peccatrix venit et pedes lacrymis lavit, nunc caput et pedes unxit, pedes nunc, ut Joannes dicit. **Unguenti pretiosi.** Marcus: nardi spicati, id est, de spicis et foliis confecti, quod pretiosius est. Joannes nardi pistici, id est, fidelis, non adulterati aliis herbis: Græce, fides Latine. **Mystice.** Hæc devotio Mariæ fidem significat Ecclesiæ, quæ dum deitatem Christi prædicat, caput ungit: dum humanitatem, pedes. De hoc unguento in domo Simonis leprosi in Bethania dicunt, et Matthæus et Marcus et Joannes. Lucas vero aliud dicit simile huic factum ante in domo alterius Simonis pharisæi non leprosi, neque in Bethania, sed de eadem muliere quæ tunc accessit peccatrix.

¶26.8 **Discipuli indignati.** Joannes dicit hæc Judam locutum, et hoc gratia cupiditatis: alii potuerunt verbis ejus consentire, vel etiam idem dicere, sed propter curam pauperum.

§§26.11 **Me autem,** etc. Corporali præsentia, alioquin dicit alibi: **Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.**

*26.12 **Mittens enim.** Officium est sepulturæ quod vos perditionem esse putatis. Nec mirum, si mihi dat fidei odorem, pro qua mox fusurus sum sanguinem.

†26.15 **Quid vultis.** Quasi vile mancipium tradens, ponit in potestate eminentium quantum velint dare.

‡26.17 **Ubi vis,** etc. Non erat eis certa domus: in quo improbatum ædificatio superfluum.

¶26.18 **Ad quemdam.** Eundem significat, quem Marcus et Lucas dicunt patremfamilias. Qui ergo ait ad quemdam, tanquam ex persona sua (et non Domini) studio brevitatis illum compendio insinuavit. **Ad quemdam.** Non ad quemlibet, sed ad aliquem certum, quem ex persona sua loquens recte posuisset. Modo autem cum verba Domini posuit, **Ite in civitatem:** interponit ipse, **ad quemdam:** non quia Dominus hoc dixerit, sed ut ipse nobis insinuaret tacito nomine proprio fuisse ibi quemdam ad quem mittebantur.

§26.19 **Et fecerunt discipuli sicuti.** In alio Evangelio scribitur: **Invenerunt cœnaculum grande stratum.** Cœnaculum, lex spiritualis est, quæ de angustiis litteræ egrediens in sublimi loco recipit Salvatorem. Nam qui litteram sequitur in imo pascha facit. Sed qui aquæ bajulum, id est præconem gratiæ, in domum Ecclesiæ sequitur, hic per spiritum litteram transcendens in alto mentis Christo refectorem parat.

traditurus est. ** 22 Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine? †† 23 At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. ‡‡ 24 Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur! bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. ¶¶ 25 Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. §§ 26 Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: hoc est corpus meum. * 27 Et accipiens calicem, gratias egit: et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. † 28 Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 29 Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis usque

**26.21 *Quia unus.* Qui prædixit de passione, prædicat de proditore, ut videns se non latere pœniteret facti. Mittit crimen in numero, ut agat conscius pœnitentiam, non tamen designat specialiter, ne impudentior fieret.

††26.22 *Cœperunt singuli.* Quia plus credunt magistro quam sibi: et timentes etiam fragilitatem suam, quærunt de peccato cujus non habent conscientiam.

‡‡26.23 *Qui intingit.* Aliis contristatis et a cibo manum retrahentibus, ea impudentia qua tradidit, manum cum magistro mittit, ut audacia bonam conscientiam mentiretur. Ecce humilitas et patientia, qua proditorem ad mensam admittit. *In paropside.* Marcus: *in catino.* Paropsis est vas escarum quadrangulum a paribus absidibus, id est, ab æquis lateribus dictum: catinum vas fictile aptum ad immittendum liquorem, et potuit fieri ut mensa fictile vas et quadrangulum contineret. Pœna prædicatur, ut quem pudor non vicerat, corrigant denuntiata supplicia.

¶¶26.24 *Bonum erat ei.* Multo melius esset omnino non esse quam male esse, usitate et simpliciter hoc dicit. Non potest enim ei bene esse qui non est. An diabolo dicit non nasci ad peccatum: an etiam bonum illi erat ut Christo non nasceretur per vocationem, ne esset apostata per prodicionem? Vel solemus dicere simpliciter, melius esset non esse quam male esse. *Rabbi.* Alii dicunt, Domine, iste, rabbi. Quasi minus peccatum habens prodere magistrum quam Dominum, vel blandiendo.

§§26.25 *Tu dixisti.* Nec hic aperte dicitur an ipse esset: potest enim intelligi, quasi dicat, non ego dixi.

*26.26 *Cœnantibus autem,* etc. Finitis solemnibus gaudiis veteris paschæ quæ in memoriam liberationis populi Dei de Ægypto agebantur, transit ad novum quod in sui memoriam Ecclesiam frequentare volebat. Ut videlicet pro carne agni ac sanguine, sui corporis et sanguinis sacramentum substitueret, ipsumque esse monstraret, cui *juravit Dominus et non pœnitebit eum: tu es sacerdos* Psal. 109., etc. *Accipit.* HIER. Postquam typicum pascha fuerat impletum, et agni carnes cum apostolis comederat, assumit panem. *Et benedixit ac fregit.* Quia hominem assumptum ita morti subdidit, ut ei immortalitatis potentiam inesse, et ideo cito resurrecturum esse monstraret. *Fregit,* ut ostendat corporis sui fractionem non sine sua sponte fore. Benedixit prius, quia naturam quam assumpsit cum Patre et Spiritu sancto, gratia divinæ virtutis implevit. Ideo post cœnam corpus suum dedit, quia necesse erat pascha typicum prius consummari, et sic veteri paschæ sacramenta post substitui. Nos vero pro reverentia tanti sacramenti prius reficimur Dominicæ passionis sacramentis, quam corporalibus escis.

†26.27 *Gratias egit.* Ostendit quod quisque facere debet in flagello culpæ propriæ, cum ipse æquanimitè tulit alienæ: quia panis corpus confirmat, vinum sanguinem operatur.

in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.[‡] 30 Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.[¶] 31 Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.[§] 32 Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.^{**} 33 Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.^{††} 34 Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.³⁵ Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt.³⁶ Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis: Sedete hic donec vadam illuc, et orem.^{‡‡} 37 Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse.^{¶¶} 38 Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate mecum.^{§§} 39 Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo,

[‡]26.29 **Non bibam.** Non delectabor cæremoniis hujus populi, in quibus sacra paschalis agni præcipua sunt. Post passionem non assumam carnem, donec assumam eam novam quæ modo mortalis est. **Novum in regno Patris.** Dicens illud **novum**, hoc vetus, ostendit corpus: scilicet, de veteri Adam quod immortalitate immutabitur. **Vobiscum**, per hoc et suis immortalitas promittitur, etsi non eodem tempore. **De hoc genimine**, quia eadem corpora resurrectura. Erit autem dies meæ resurrectionis, cum in regno Dei, id est, immortalitatis gloria sublimatus, de salute ejusdem populi spirituali gratia regenerati, novo vobiscum gaudio perfundar.

[¶]26.30 **Et hymno.** Hoc est quod psalmus dicit: **Edent pauperes et saturabuntur** Psal. 21., etc. Vel hymnum secundum Joannem Patri gratias agens cantabat, in quo pro se et discipulis et credituris precabatur. **Exierunt in montem**, etc. Ut per sacramentorum perceptionem et suam intercessionem ad altiora charismata quibus corde perungamur nos conscendere doceat: ubi laboris refectio, doloris solatium.

[§]26.31 **Omnes vos scandalum pati.** Prædicit illis quid passuri sunt, ut post eum tum non desperent, sed pœnitentia liberentur.

^{**}26.32 **Postquam.** Sicut prædixit locum passionis, sic prædicit locum resurrectionis, ut sicut sunt tristes ex passione, sic lætentur glorificati resurrectione vel visione. **Præcedam vos**, etc. Ut infirmitatem eorum sponsonie reditus sui consolaretur.

^{††}26.33 **Etsi omnes.** Non est mendacium nec temeritas, sed fides et ardens dilectio, intantum ut imbecillitatem suam et fidem verborum Dei non contueretur.

^{‡‡}26.36 **Et orem.** Proxima morte apte orat in valle pinguedinis, quia per humilitatem et charitatis pinguedinem pro nobis subiit mortem.

^{¶¶}26.37 **Cœpit contristari.** Non timore passionis, qui ad hoc venerat, sed pro scandalo apostolorum et perditione impiorum. **HIER. Cœpit contristari**, ut veritatem assumpti hominis probaret. Vere contristatus est, sed non passio ejus animo dominatur: verum propassio est, unde ait: **Cœpit contristari.** Contristatur autem non timore patiendi, qui ad hoc venerat, sed propter infelicem Judam et scandalum apostolorum et ejectionem Judæorum et eversionem Jerusalem.

^{§§}26.38 **Tristis.** Anima est quæ timet et tristatur. Petrus inferior non timet, dicens: **Animam meam ponam pro te:** quia ut homo vim mortis ignorat. Christus timet, quia, ut Deus in corpore constitutus, fragilitatem carnis exponit: qui corpus suscepit omnia debuit subire quæ corporis sunt. **Usque ad mortem.** **HIL.** Non propter mortem, sed donec apostolos sua liberet passione. Non mors, sed tempus mortis in metu est, quia post virtutem resurrectionis, fides est firmanda credentium.

sed sicut tu.* ⁴⁰ Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? ⁴¹ Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.† ⁴² Iterum secundo abiit, et oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.‡ ⁴³ Et venit iterum, et invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati. ⁴⁴ Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eundem sermonem dicens.† ⁴⁵ Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis: Dormite jam, et requiescite: ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. ⁴⁶ Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet. ⁴⁷ Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi a principibus sacerdotum, et senioribus populi.§ ⁴⁸ Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.** ⁴⁹ Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave Rabbi. Et osculatus est eum.†† ⁵⁰ Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum. ⁵¹ Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum amputavit auriculam ejus. ⁵² Tunc ait illi Jesus: Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim, qui acceperint gladium,

*26.39 *Si possibile est.* Hoc non pro timore, sed pro misericordia, ne Judæi, qui excusationem ignorantiae non habent, non occidant; unde ait: *iste*, id est populi Judæorum non simpliciter calix: *Si possibile est*, ut sine interitu Judæorum credant gentiles, passionem recuso. Sin autem illi excæcandi sunt ut gentes intrent, fiat non mea, sed tua voluntas. *Non sicut ego volo.* AUG. Transfiguratur in se suos, qui nihil aliud vult quam Pater, ut ibi: *Esurivi et dedistis mihi manducare. Et quid me persequeris?* Docet autem eos privatam voluntatem corrigere et dirigere juxta divinam. AMBR. Hominem quem veritate corporis demonstrabat, æquabat affectu, ut diceret: *Sed non sicut ego volo, sed sicut tu.* Suscepit voluntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino qui crucem prædico.

†26.41 *Caro autem.* Non de se utique hoc dicit, sed de his qui dixerunt se nunquam negaturos.

‡26.42 *Iterum secundo.* Secundo orat, id est, si non potest Ninive salvari aliter, nisi aruerit cucurbita, id est populus Judæorum, qui prius fuit ejus tabernaculum, ut me occidat.

†26.44 *Oravit tertio.* Tribus vicibus oravit, ut et nos a præteritis peccatis veniam, et a pœnitentibus malis tutelam, et a futuris periculis cautelam oremus, et ut omnem orationem ad Patrem et Filium et Spiritum sanctum dirigamus. Item sicut est trina tentatio cupiditatis, ita et timoris. Est enim concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et ambitio sæculi. Est et timor mortis, et timor utilitatis, et timor doloris, contra quæ omnia docet nos debere muniri oratione. Unde et propter trinam tentationem passionis potest intelligi Dominus ter orasse.

§26.47 *Cum gladiis et fustibus.* Factum congruit mutatæ menti. Jam enim venit cum fustibus qui quandiu cum pace fuit tranquillius se egit.

**26.48 *Dedit eis signum.* Putabat signa quæ viderat non divinitus, sed magice facta: et quem in monte transformatum audierat, timebat ne tali modo nunc de manibus eorum laberetur: et ideo dabat signum. *Quemcumque osculatus.* Habebat adhuc aliquid de verecundia discipuli, cum non eum palam tradidit persecutionibus, sed per signum osculi.

††26.49 *Et osculatus est.* Suscepit Dominus osculum non quo simulare nos doceat, sed ne prodicionem fugere videatur, unde: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* Psal. 119..

gladio peribunt.‡‡ 53 An putas, quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?¶¶ 54 Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? 55 In illa hora dixit Jesus turbis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis.‡‡ 56 Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. 57 At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi scribæ et seniores convenerant.* 58 Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem.† 59 Principes autem sacerdotum, et omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent: 60 et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, 61 et dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud. 62 Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? 63 Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei. 64 Dicit illi Jesus: Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cæli.‡ 65 Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus tibus? ecce nunc audistis blasphemiam:¶ 66 quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. 67 Tunc exspuerunt in faciem

‡‡26.52 *Gladio peribunt.* Gladio illo quo igneus vertitur ante paradysum, id est, divinæ vindictæ, et gladio spiritus, id est, verbi Dei.

¶¶26.53 *An putas quia,* etc. Quasi dicat non indigeo auxilio apostolorum duodecim qui possum habere duodecim legiones angelorum, in quibus sunt septuaginta duo millia quibus omnium gentium lingua exprimitur. Innuat autem non esse verendum, si contra Jesum omnes nationes insurgant, cum multo fortiores ipse habeat exercitus angelorum. Aliter: Hic numerus significat omne genus hominum cum Romano imperio contra Judæos certaturum. Hi sunt angeli Dei, qui post resurrectionem anno quadragesimo secundo, cum Tito et Vespasiano perdidierunt, homicidas illos, et civitatem illorum succenderunt.

‡‡26.55 *Existis cum gladiis.* Stultum est cum gladiis et fustibus quærere eum qui ultro se tradit, et in nocte per proditorem investigare quasi latitantem, qui quotidie in templo docebat. Sed in tenebris congregamini, quia potestas vestra in tenebris.

*26.57 *Ad Caipham.* Convenit nomen actioni. Caiphas, id est, investigator vel sagax ad implendam, scilicet doli sui nequitiam. Vel vomens ore, quia impudens ad proferendum mendacium et ad petendum homicidium.

†26.58 *A longe.* Merito a longe, qui in proximo fuerat negaturus, significat Ecclesiam imitaturam passionem Christi longe differenter, quia Ecclesia patitur pro se, sed Christus pro Ecclesia.

‡26.64 *Tu dixisti.* Marcus: *Ego sum:* quod idem est: Et est similis contra Pilatum et Caipham responsio, ut a propria sententia condemnentur. *Filium hominis.* Me in forma quam judicatis exaltatum et habentem nomen quod est super omne nomen.

¶26.65 *Scidit vestimenta.* Furor qui fecit de solio surgere, facit et vestem scindere. Magno mysterio: cum vestis Domini nec a militibus scindi potuit. Significat enim sacerdotum eorum pro sceleribus pontificatum esse penitus solvendum: sed soliditas Ecclesiæ (quæ vestis Dei dicitur) usque in finem sæculi indirupta manebit. Mos est Judæorum cum aliquid blasphemiam audiunt, scindunt vestimenta. Quod Paulus et Barnabas fecerunt in Licaonia, cum dicti sunt Jupiter et Apollo.

ejus, et colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt,^{§ 68} dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? ^{** 69} Petrus vero sedebat foris in atrio: et accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jesu Galilæo eras. ^{†† 70} At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. ⁷¹ Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno. ⁷² Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem. ^{** 73} Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro: Vere et tu ex illis es: nam et loquela tua manifestum te facit. ^{¶¶ 74} Tunc cœpit detestari et jurare quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit. ^{§§ 75} Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare.*

27 Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. ^{† 2} Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi. ³ Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, et senioribus, ⁴ dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. At

[§]26.67 *Tunc exspuerunt.* Sicut tunc consputus est salivis infidelium, ita nunc opprobriis exhonoratur falsorum fidelium, et colaphis, id est, blasphemiiis eorundem cœditur.

^{**}26.68 *Prophetiza.* Dicunt contumeliam ei qui se prophetam haberi voluit a populis. Velaverunt enim faciem ejus secundum Marcum, non ut eorum scelera non videat, sed ut a seipsis gratiam cognitionis ejus abscondant. Sicut velum fuit super faciem Moysi, quod usque hodie manet.

^{††}26.69 *Una ancilla.* Cur prima ancilla prodit cum viri magis poterant cognoscere, nisi ut iste sexus ostendatur in necem Domini peccasse: et per passionem redemptus. Et ideo, mulier prima resurrectionis mysterium accepit: et mandata custodivit, ut veterem prævaricationis aboleret errorem. Sicut per feminam hostis antiquus primum parentem seduxit, ita per mulierem ad magistrum negandum quem Christum Filium Dei confessus fuerat, principem Ecclesiæ compellit.

^{**}26.72 *Non novi hominem.* Quam noxia pravorum colloquia, quæ cogunt Petrum negare Christum, vel hominem se nosse, quem confessus est inter discipulos Dei Filium.

^{¶¶}26.73 *Qui stabant.* Joannes et Lucas unum dicunt cognatum Malchi. Sed vel est plurale pro singulari. Vel unus erat qui eum viderat, et præcipue dicebat, quem secuti cæteri similiter arguebant.

^{§§}26.74 *Et continuo gallus cantavit.* Post tertiam negationem sequitur galli cantus. Sacramenta rerum per statum temporum designantur. Media nocte negat, in galli cantu pœnitet, post resurrectionem sub luce quem ter negaverat ter se amare professus est: quia quod in tenebris oblivionis erravit, speratæ jam lucis rememoratione correxit: et ejusdem veræ lucis præsentia plene quidquid mutaverat, erexit.

^{*}26.75 *Recordatus est.* In alio Evangelio dicitur, *Respexit Dominus Petrum* Luc. 22., et intuitu provocavit ad lacrymas, quasi in mentem ei reducens quoties negaverat, et quod ei prædixerat, nec potuit in tenebris permanere, quem lux mundi respexit. *Et egressus.* Ab impiorum consilio seclusus culpam lavat, quod non intus. Ob hoc hæsitare permissus est ut in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur, et nemo auderet de sua virtute confidere.

[†]27.1 *Mane autem.* Matthæus et Marcus contexerunt narrationem de his quæ cum Domino acta sunt usque ad mane, sed postea redeunt usque ad negationem Petri narrandam: qua terminata redeunt iterum ad mane, ut inde cætera contexerent.

illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.[‡] ⁵ Et projectis argenteis in templo, recessit: et abiens laqueo se suspendit.[¶] ⁶ Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium sanguinis est.[§] ⁷ Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. ⁸ Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, Ager sanguinis, usque in hodiernum diem. ⁹ Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israël:^{**} ¹⁰ et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. ¹¹ Jesus autem stetit ante præsidem, et interrogavit eum præses, dicens: Tu es rex Judæorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis.^{††} ¹² Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit. ¹³ Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? ¹⁴ Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer. ¹⁵ Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent: ¹⁶ habebat autem tunc vinctum insignem, qui

[‡]27.4 **Peccavi tradens**, etc. Quasi in potestate sua esset mutare persecutorum sententiam: licet autem mutaverit voluntatem, tamen primæ voluntatis exitum non mutavit. **Quid ad nos.** Quid ad nos pertinet de hoc? **tu videris**, tu scias quid fecisti. Vel quid videris pertinere ad nos. Quid ad nos pertinet pretium acceptum: tu istud probaveras, tu inde fac quod vis. Qui ad mortem peccant, tantam habent ignorantiam et cæcitatem, ut nec turbentur in sceleribus suis, nec pœnitentiæ dolore crucientur.

[¶]27.5 **Et projectis.** Sicut pœnitentia ejus fuit infructuosa, sic et hæc oblatio in templo est execrabilis. **Et abiens.** HIER. Nihil profuit Judæ egisse pœnitentiam, per quam scelus corrigere non potuit. Sed quando frater sic peccat in fratrem, ut emendare valeat quod peccavit, potest ei dimitti. Sin autem permanent opera, frustra voce assumitur pœnitentia. Hoc est quod de eo dicitur: **Et oratio ejus fiat in peccatum** Psal. 108.: ut non solum emendare nequiverit proditionis nefas, sed proprii homicidii scelus addiderit, unde scelestior.

[§]27.6 **Non licet eos.** Vere colentes culicem et camelum glutientes: si enim ideo non mittunt pecuniam in corbonam, id est, in gazophylacium, id est, inter dona Dei, quia pretium sanguinis est, cur ergo ipse sanguis effunditur? Et quid præmii eis, si inde ager emitur in sepulturam pauperum?

^{**}27.9 **Per Jeremiam.** HIER. Hoc non in Jeremia, sed in Zacharia legitur: tamen aliis verbis. Legi nuper Jeremiæ apocryphum, in quo hæc verba scripta reperi. Sed tamen magis mihi videtur hoc sumptum de Zacharia more apostolorum, qui verborum ordine prætermisso, sensus tantum de Veteri Testamento proferunt. **A filiis Israël**, etc. A quibus minus oportuerat, qui magnificare debuerant.

^{††}27.11 **Tu es rex Judæorum.** Secundum Lucam duo objecerant, scilicet quod prohibebat dari census Cæsari, et quod diceret se regem. De regno ergo Pilatus, quia nescit, interrogat. De tributis: quia audierat eum respondisse: **Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari** Zac. 2.: quasi apertum mendacium invidorum negligit. Unde Marcus: **Et non erant convenientia testimonia eorum** Marc. 24.. In hoc quod Pilatus nihil aliud criminis interrogat, nisi an sit rex Judæorum: arguuntur impietatis Judæi, qui nec falso invenire potuerunt quod objicerent Salvatori.

dicebatur Barrabas.^{‡‡} 17 Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus?^{¶¶} 18 Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. 19 Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, et justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum.^{§§} 20 Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent. 21 Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam.* 22 Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?[†] 23 Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes: Crucifigatur. 24 Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis.[‡] 25 Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.[¶] 26 Tunc dimisit illis Barabbam: Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.[§] 27 Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: 28 et exuentes eum, chlamydem

^{‡‡}27.16 *Qui dicebatur Barabbas.* Barabbas in Evangelio secundum Hebræos *filius patris* vel *magister eorum* interpretatur. Ipse est Antichristus, quem illi Christo præferunt, quibus dicitur: *Vos ex patre diabolo estis* Joan. 8.. Pilatus qui *os malleatoris* interpretatur, diabolum significat, qui est malleus universæ terræ, per quem Dominus vasa sua permittit probari: et ad ultimum conterit, quando in extrema damnatione confringet.

^{¶¶}27.17 *Quem vultis.* Populo volens satisfacere dat optionem quamvis non dubitet Christum eligendum sciens per invidiam traditum. *Qui dicitur Christus.* Idem quod Marcus ait: regem Judæorum, quorum rex Christus vocabatur.

^{§§}27.19 *Pro tribunali.* Tribunal sedes judicum, ut solium regum, cathedra doctorum. *Uxor ejus.* Uxor viri gentilis hoc in visione intelligit, quod Judæi vigilantes intelligere noluerunt. *Nihil tibi.* Nunc demum diabolus intelligens per Christum se spolia amissurum, sicut primum per mulierem mortem intulit; ita modo per mulierem vult Christum de manibus Judæorum liberare, ne per mortem ejus mortis amittat imperium.

*27.21 *Barabbam,* etc. Filium diaboli elegerunt pro Filio Dei, ut Salvatorem cum sua salute perderent, et proditorem liberarent, quæ sua petitio hodie etiam hæret eis, amissa gente et loco et libertate: quia datorem libertatis perdere voluerunt.

†27.22 *Quid igitur faciam de Jesu.* Multas quærebat occasiones, ut eum cum benevolentia populi liberaret. Primo, latronem justo conferens. Deinde: *Quid ergo faciam de Jesu, qui dicitur Christus?* Et cum dicerent: *crucifigatur,* non statim acquievit, sed juxta suggestionem uxoris ait: *Quid enim mali fecit?* Quo dicto Pilatus absolvit Christum.

‡27.24 *Lavit manus.* Gentilem populum ab impietate Judæorum alienum designans, qui clamaverunt: *Crucifige, crucifige eum.*

¶27.25 *Sanguis ejus.* Perseverat usque hodie imprecatio, et sanguis Christi non aufertur ab eis.

§27.26 *Tunc dimisit illis Barabbam.* Barabbas latro seditiosus et homicidiorum auctor, dimissus est populo Judæorum. ISID. Diabolus qui jam olim ob superbiam a patria lucis expulsus, et in tenebrarum carcerem fuerat missus. Et ideo Judæi pacem habere non possunt, quia seditionum principem eligere maluerunt. Vel Barabbas typum gerebat Antichristi. *Jesum vero flagellatum.* Ideo credendus est Pilatus Jesum flagellasse et militibus ad illudendum dedisse, ut satiati pœnis ejus et opprobriis, Judæi ejus mortem ultra non sitirent. *Jesum vero.* Serviens Romanis legibus, quæ crucifigendos prius jubent flagellari.

coccineam circumdederunt ei,** 29 et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave rex Judæorum. 30 Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus. 31 Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent. 32 Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus.†† 33 Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.‡‡ 34 Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere.¶¶ 35 Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.§§ 36 Et sedentes servabant eum. 37 Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Hic est Jesus rex Judæorum.* 38 Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: unus a dextris, et unus a sinistris.† 39 Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua,‡ 40 et dicentes: Vah ! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reedificas: salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce.¶ 41 Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus dicebant: 42 Alios salvos fecit, seipsum non potest

**27.28 *Chlamydem coccineam.* HIER. In chlamyde coccinea opera gentium cruenta sustentat. In corona spinea, maledictum solvit antiquum. In calamo, venenata occidit animalia. Vel calamum tenet in manu, ut sacrilegium scriberet Judæorum. In suis vestibus non illuditur, sed in his quæ propter peccata nostra portavit. Cum crucifigeretur suum recepit ornamentum statim: quia elementa turbantur, et Creatori testimonium dat creatura.

††27.32 *Cyrenæum.* Ecce non Hebræus, sed alienigena opprobrio Christi subditur, ut plenitudo sacramentorum transire a circumcissione ad præputium ostendatur.

‡‡27.33 *Golgotha.* Syrum est, et interpretatur *Calvariæ*, non ob calvitium Adæ quem mentiuntur ibi sepultum, sed ob decollationem damnatorum. Adam juxta Hebron in libro Jesu legitur sepultus.

¶¶27.34 *Cum felle mistum.* Alius evangelista dicit *mirrhatum*, id est, amarissimum. Et potuit utraque esse commistio fellis et myrrhæ. *Et cum gustasset noluit.* Hoc Marcus tacet: *noluit bibere.* Hoc est quod Marcus ait: *non accepit*, scilicet ut biberet.

§§27.35 *Diviserunt.* Hoc Joannes distinctius: vestimenta in quatuor partes ut Ecclesia in quatuor partibus mundi signetur. Tunica sortita significat omnium partium unitatem vinculo charitatis, quæ sorte, id est, gratia Dei provenit, non humano arbitrio.

*27.37 *Causam.* Pro quam eum Judæi Pilato tradiderunt. Rex per crucem non perdidit, sed confirmavit imperium, velint nolint Judæi.

†27.38 *Unus a dextris.* Unus a dextris per quem mortificatio significatur carnis pro cœlesti gloria: unus a sinistris, per quem iterum significatur mortificatio carnis pro aliqua mundi causa.

‡27.39 *Blasphemabant.* Prædictum erat in libro Sapientiæ Cap. 2.: *Morte turpissima condemnemus eum. Erit enim respectus in sermonibus illius. Si enim vere Filius Dei est, suscipiet illum et liberabit illum de manu contrariorum.* Quia ergo crucifigebatur, et non liberabatur, credebant illum non esse Dei Filium: propterea pendenti in ligno insultant, et caput agitant:

¶27.40 *Si Filius Dei es.* Si insultantibus cedens descenderet de cruce, virtutem patientiæ non demonstraret.

salvum facere: si rex Israëel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei:^{§ 43} confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum: dixit enim: Quia Filius Dei sum. ⁴⁴ Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. ^{** 45} A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. ^{†† 46} Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?^{‡‡ 47} Quidam autem illic stantes, et audientes, dicebant: Eliam vocat iste. ^{¶¶ 48} Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. ⁴⁹ Ceteri vero dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. ^{§§ 50} Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. ⁵¹ Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum: et terræ mota est, et petræ scissæ sunt, ^{*} ⁵² et monumenta aperta sunt: et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. ^{† 53} Et

[§]27.42 *Et credemus ei.* Fraudulenta promissio: majus facit surgens de sepulcro, et non creditis: si ergo de cruce descenderet, non crederetis. Sed hoc dæmones immiserunt; statim enim senserunt virtutem crucis, et suas vires fractas et hoc agunt ut de cruce descendat. Sed sciens hoc Dominus, permanet ut diabolum destruat.

^{**}27.44 *Idipsum autem et latrones.* Prius uterque blasphemavit, deinde visis signis unus credidit. Ita uterque populus Deum prius blasphemavit: sed alter signis territus pœnituit, et nunc Judæos arguit.

^{††}27.45 *A sexta autem hora.* Nota, sole a centro mundi recessuro crucifigitur Dominus, quia propter peccata moritur, et Adam post meridiem cum peccasset vocem Domini audivit. Et ordo est rationis, ut quo tempore prævaricanti Adæ clausit, eo tempore pœnitenti latroni januam reseret paradisi. Quod Marcus ait hora tertia crucifixisse Dominum, ideo est, ut Judæos qui se excusant, magis crucifixisse ostendat linguis, quam milites quorum manibus factum est: qui hora tertia ut crucifigeretur inclamaverunt. Quando enim crucifixus est, hora erat quasi sexta, id est non adhuc plene sexta.

^{‡‡}27.46 *Et circa horam nonam.* Cum inclinata est dies ad vesperam et tepefactus est sol a fervore, passionem consummat, ostendens se mori propter peccata nostra quibus a divina luce et dilectione in hanc noctem cecidimus. Mane surrexit Dominus, docens resuscitados in anima se esse producturum in lucem æternæ felicitatis. *Eli, Eli, lamma.* Quorum suscipit naturam, eorumdem plorat miseriam. In quo ostendit quantum ipsi flere debent qui peccant. Ne mireris verborum humilitatem et querimonias derelicti, cum formam servi sciens scandalum crucis videas.

^{¶¶}27.47 *Quidam autem.* Non omnes, forsitan Romani, Hebræi sermonis ignorantes proprietatem. Vel aliqui Judæi Christum minorem Elia reputantes, ut ejus auxilium deprecetur.

^{§§}27.49 *Sine videamus.* Quia vocem Domini male intelligebant, frustra Eliæ expectabant adventum.

^{*}27.51 *Et ecce velum templi.* Ut arca testamenti et omnia sacramenta legis quæ tegebantur appareant, et ad gentes transeant. Josephus ait virtutes angelicas præsidet quondam templi tunc pariter conclamasse: transeamus de his sedibus. Velum quod dicebatur exterius: quia nunc ex parte videmus; cum autem venerit quod perfectum est, tunc velum interius dirumpetur. *Terra mota est.* Omnia elementa suum Dominum crucifixum demonstrant. Terra movetur, Dominum suum pendentem ferre non sustinens. *Petræ.* Id est corda gentilium, vel vaticinia prophetarum, qui petræ dicuntur a petra Christo, ut quidquid in eis duro legis velamine clausum erat, scissum pateret gentibus.

[†]27.52 *Et monumenta.* Et tamen cum monumenta aperta sunt, non ante surrexerunt, quam Dominus resurgeret, ut esset primogenitus ex multis fratribus. *Corpora sanctorum.* Hi credendi sunt cum Domino ascendente similiter ascendisse cum corpore.

exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.[‡] 54 Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræmotu, et his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste.[¶] 55 Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei:[§] 56 inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi.^{**} 57 Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu:^{††} 58 hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus. 59 Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda,^{‡‡} 60 et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.^{¶¶} 61 Erant autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulchrum.^{§§} 62 Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum et pharisæi ad Pilatum, 63 dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam.^{*} 64 Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit a mortuis: et erit novissimus error pejor

[‡]27.53 *In sanctam civitatem.* Jerusalem quæ sancta dicitur propter templum, et Sancta sanctorum, quod nulla alia.

[¶]27.54 *Centurio autem.* Hi in scandalo crucis confitentur Deum. Arius in Ecclesia prædicat creaturam, quem cæci Judæi nec tot miraculis credunt. In centurione fides Ecclesiæ designatur, quæ velo cœlestium mysteriorum per mortem Domini reserato, Jesum Filium Dei tacente Synagoga confirmat.

[§]27.55 *Mulieres multæ.* Matthæus et Lucas dicunt Mariam Magdalenam a longe stetisse. Joannes vero juxta crucem, quia tanto intervallo aberat, ut juxta diceretur: quia præsto erat in conspectu ejus, et longe comparatione turbæ propioris. Possumus etiam dicere quod illæ quæ erant cum matre Domini postquam eam commendavit discipulo, abire cœperint jam, ut a densitate turbæ eruerent se et cætera quæ facta sunt longius intuerentur. *Ministrantes ei.* Consuetudinis Hebraicæ erat, ut mulieres de substantia sua præceptoribus suis ministrarent: quod Dominus accepit, ut exemplum daret apostolis.

^{**}27.56 *Jacobi.* Jacobus Alphæi minor dicitur ad differentiam Jacobi, qui inter primos apostolos vocatus est et electus a Domino.

^{††}27.57 *Homo dives.* Quia ad præsidem nisi dives accedere non poterat, non quod divitias commendet evangelista. Dictus est et decurio, quia fuit de ordine curiæ et officium curæ ministrabat, per hoc potuit habere facultatem, per hoc quod discipulus, hoc ministerio dignus fuit. *Discipulus erat Jesu. Hic accessit ad Pilatum.* Etsi occultus, vitans prius inimicitias Judæorum, in hoc extremo officio nihil curat de illis.

^{‡‡}27.59 *In sindone munda.* Mystice. Sindone munda Jesum involvit, qui pura mente eum suscepit. Hinc etiam mos Ecclesiæ habet, ut sacrificium altaris non serico, non panno tincto, sed puro lineo celebretur.

^{¶¶}27.60 *In monumento suo novo.* Quia si in monumento, ubi alius positus esset, poneretur, alius fortasse resurrexisset fingeretur. In petra, ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis ablatus furto diceretur.

^{§§}27.61 *Erant autem ibi.* Aliis notis Jesu ad sua redeuntibus, solæ mulieres quæ arcitius amabant, obsequium funeris inspiciebant, exspectantes quod promiserat Jesus: et ideo primæ resurrectionem vident.

^{*}27.63 *Post tres.* A parte totum, sexti diei quo crucifixus est cum sua nocte pro uno die. Sabbatum integre. Tertius dies a parte prima, id est, nocte totius cum suo diurno, et sic est triduum.

priore. ⁶⁵ Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. ⁶⁶ Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.†

28 Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulchrum.‡ ² Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum:¶ ³ erat autem aspectus ejus sicut fulgur: et vestimentum ejus sicut nix.§ ⁴ Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. ⁵ Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis.** ⁶ Non est hic: surrexit enim, sicut dixit: venite, et videte locum ubi positus erat Dominus. ⁷ Et cito euntes, dicite discipulis ejus quia surrexit: et ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis.†† ⁸ Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus.‡‡ ⁹ Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.¶¶ ¹⁰ Tunc ait illis Jesus: Nolite timere: ite, nuntiare fratribus meis ut eant in Galilæam; ibi me videbunt.§§ ¹¹ Quæ cum abissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. ¹² Et congregati cum senioribus consilio

†27.66 **Munierunt sepulchrum.** Diligentia eorum nostræ profuit fidei. Nam quanto amplius servabatur, tanto magis virtus resurrectionis ostenditur.

‡28.1 **Vespere,** etc. HIER. Quod diversa tempora istarum mulierum, etc., usque ad adire non potuerunt, mane adeunt. **Maria Magdalene, et altera Maria.** Duæ unius nominis et devotionis mulieres, duas significant plebes pari devotione Christi passionem et resurrectionem amplectentes.

¶28.2 **Terræ motus.** Sicut in passione et in resurrectione fit motus terræ: significat autem corda terrenorum per fidem passionis et resurrectionis ad pœnitentiam movenda. **Revolvit lapidem.** Clauso potuit exire sepulcro, qui clauso natus est virginis utero. Revolutio lapidis significat reserationem sacramentorum Christi, quæ velo litteræ tegebantur: quo ablato, resurrectio, mortis abolitio, vita æterna cœpit toto orbe prædicari.

§28.3 **Sicut fulgur.** In candore vestis significabat blandum justis, in terrore fulguris, significat terribilem futurum reprobis.

28.5 **Nolite timere. Quæ vestros concives videtis. Illi timeant qui ad eorum societatem non pertinent.

††28.7 **Et cito euntes.** Nec concessum est nobis hoc gaudium occulto cordis tenere, sed similiter amantibus pandere.

‡‡28.8 **Cum timore et gaudio.** Duplex est affectus in eis, timoris et gaudii. Alter de magnitudine miraculi, alter ex desiderio resurgentis, et uterque gradum femineum concitabat.

¶¶28.9 **Et ecce Jesus,** etc. Sic omnibus iter virtutum inchoantibus adjuvando occurrit Christus. **Et tenuerunt.** Superius dictum est clauso exisse monumento, ut immortale corpus intelligeres: hic tenentur pedes, ut veram carnem comprobes. Et quia tantam visionem tremebant, primum pellitur timor: **Nolite timere,** ut mente placida possint audire quæ dicuntur. Istæ tenent pedes quæ adorant resuscitatum: sed illa quæ nesciebat adhuc resurrexisse Filium Dei, audit merito: **Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum** Joan 20..

§§28.10 **Nuntiate.** Ut mulier mortifera serpentis verba narravit, ita modo verba vivificatoris, ut a qua tunc mors, modo ab ea vita. **Fratribus meis.** Ante etiam servos vocavit, modo fratres, ut post resurrectionem eandem humanitatem resumpsisse, et illos idem sperare doceat.

accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus,* ¹³ dicentes: Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus.† ¹⁴ Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. ¹⁵ At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem. ¹⁶ Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem ubi constituerat illis Jesus.‡ ¹⁷ Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt.¶ ¹⁸ Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.§ ¹⁹ euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.** ²⁰ docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.††

*28.12 *Pecuniam copiosam.* HIER. Qui rebus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum et Pharissæorum et sacerdotum redimentium mendacium et sanguinem Salvatoris.

†28.13 *Furati sunt eum nobis dormientibus.* AUG. Si dormierunt, quomodo viderunt? Si non viderunt, quomodo testes esse potuerunt? Avaritia quæ captivavit discipulum comitem Domini, decepit et milites custodes sepulcri: et sic Judæos seduxit, unde subdit: *Et divulgatum est.*

‡28.16 *Abierunt.* A Jerusalem in Galilæam. *In montem:* quia corpus de communi terra susceptum super omnia terrena erat elevatum. Et monet nos, ut si eum videre volumus, ad superna de infimis elevemur. Præcessit Christus primitiæ dormientium, sequuntur alii in suo ordine, et videntes eum adorant, id est, sine fine laudant.

¶28.17 *Quidam autem dubitaverunt,* ut Lucas ait: existimantes se spiritum videre, quem moriendo tradidit.

§28.18 *Et accedens.* Et ideo pius magister et illos ad fidem confortat, et dubios ad fidem vocat intimans ad quantam pervenerit gloriam. *Data est.* Hoc non de coæterna Patris divinitate, sed de assumpta dicit humanitate, in qua minor angelis, in qua etiam gloria et honore coronatus est et omnibus superpositus.

**28.19 *Euntes.* Qui jam in lucem venit, quod hactenus quibusdam de causis dubium hominibus fuerat. *Docete.* Congruus ordo. Primo enim docendus est auditor. Deinde fidei sacramentis imbuendus, tunc ad servanda mandata instruendus. Quia nisi prius anima fidem recipiat, non est dandus baptismus, nec valet mundari, si post non insistat bonis operibus.

††28.20 *Et ecce ego vobiscum sum.* Quæ autem merces piæ conversationis, quodve pignus futuræ beatitudinis etiam in præsentis sit fidelibus, subdit: *Ecce ego vobiscum sum,* etc. Quod apostolis per successiones universali Ecclesiæ promittit. Nota quod usque in finem sæculi non sunt desituri qui divina mansione sunt digni. AUG. Prima sabbati diluculo, etc., usque ad dicente eis angelo: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum* Act. 1..

INCIPIIT SECUNDUM MARCUM

1 Initium Evangelii Jesu Christi, Filii Dei.^{††} ² Sicut scriptum est in Isaia propheta: [Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.^{¶¶} ³ Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.]^{§§} ⁴ Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* ⁵ Et egrediebatur ad eum omnis Judæa regio, et Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes pec-

^{††}1.1 *Initium Evangelii.* ISID. Evangelium, *bona annuntiatio*, quod proprie ad regnum Dei et remissionem peccatorum pertinet. Unde: *Pœnitementini et credite Evangelio: et appropinquavit regnum cœlorum.* HIER. Quatuor Evangelia unum sunt, et unum quatuor. Itaque et Marci liber dicitur Evangelium, et similiter aliorum: quia unum omnia, et omnia unum. *Jesu Christi.* HIER. Jesus Hebraice, Soter Græce, Salvator Latine, Christus Græce, Messias Hebraice, unctus Latine, id est, rex sacerdos: dicitur de genere David regis, et Levitico. *Filii Dei.* BEDA. Matthæus dicit: *fili David filii Abraham* Matth. 1.. Marcus dicit: *fili Dei*, ut paulatim a minoribus ad majora, etc., usque ad Joannes ab æternitate Verbi Dei inchoat, in resurrectione Domini consummat.

^{¶¶}1.2 *Sicut scriptum est.* Marcus prophetarum testimonia præmittit quibus hæc vetera et non nova, sed a prophetis præscita et prædicta asserit, in quo et Judæos qui legem et prophetas susceperant ad Evangelium invitavit: et gentiles qui Evangelium tenebant ad venerationem legis et prophetarum provocat, ne quis juxta hæreticos alterum sine altero suscipiat. *Ecce mitto.* BEDA. Angelus dicitur Joannes non societate naturæ, ut mentitur Origenes, sed officii dignitate: sicut et sacerdotes, de quibus dicitur: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* Mal. 2.. ID. Nota quod hoc testimonium: *Ecce ego mitto angelum*, etc., Malachiæ est, utrumque tamen dicit Isaia esse, quia, etc., usque ad omnes prophetæ uno spiritu locuti sunt quasi uno ore.

^{§§}1.3 *Clamantis.* ISID. Ad Judæos surdos propter peccata longe positos, indignationis clamore dignos. *In deserto.* In deserto fit vox et clamor: quia deserta domus Judæa vacans scopata sine spiritu Dei, propheta, rege, sacerdote. Unde Jesus et Joannes quæerunt quod in deserto amissum est. Ubi vicit diabolus, ibi vincitur: ubi cecidit homo, ibi resurgit. *Parate.* ISID. Pœnitentiam agite et prædicate. Unde Parasceve ante sabbatum, etc., usque ad ut possideamus quieti terram desiderabilem. *Viam Domini.* HIER. Via Domini qua ad homines ingreditur, pœnitentia est, per quam ad nos Deus descendit, et nos ad illum ascendimus. Unde angeli ascendentes descendentesque memorantur super Filium hominis. *Rectas facite semitas.* ISID. Præcipit, ut regia via euntes, proximos diligamus ut nos, et nos, etc., usque ad ut non separetur os ab opere, nec opus ab ore. Semitæ post viam, quia mandata moralia post pœnitentiam secundum Marcum vel Matthæum explanantur. Paratur via per fidem et baptismum et pœnitentiam. Rectæ semitæ per austera indicia vestis, zonæ, cibi, potus, vocis humillimæ.

^{*}1.4 *Joannes.* ISID. Gratia Dei. A gratia Dei incipit, unde sequitur: *Baptizans*, etc. Per baptismum peccata dimittuntur; unde: Quod *gratis accepistis, gratis date* Matth. 10.. Et Apostolus: *Gratia salvati estis* Ephes. 2.. *Baptizans.* HIER. Baptismum pœnitentiæ dedit, baptismum in remissionem peccatorum prædicavit, tamen non dedit. Sicut prædicatione, etc., usque ad nunc per amicum sponsi inducitur sponsa, ut Rebecca Isaac, per puerum pallio albo velata.

cata sua.^{† 6} Et erat Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus, et locustas et mel silvestre edebat.^{‡ 7} Et prædicabat dicens: Venit fortior post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.^{¶ 8} Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.^{§ 9} Et factum est: in diebus illis venit Jesus a Nazareth Galilææ: et baptizatus est a Joanne in Jordane.^{** 10} Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos, et Spiritum tamquam columbam descenden-

[†]1.5 *In Jordane* ID. Jordanis aliena descensio, ubi peccata absolvuntur. Arca enim, etc., usque ad corpus Christi, non mundatis non proficit, sed in deterius mutat. **Confitentés**, etc. ID. **Confessio et pulchritudo in conspectu ejus** Psal. 115., id est sponsi. Unde desilit sponsa de camelo, cum se humiliat Ecclesia Christo, qui figuratur per Isaac, in cujus nativitate risum fecit Deus Saræ. Sicut ad Mariam dicitur, quæ est princeps cum Deo: **Benedicta tu in mulieribus** Luc. 1.. BEDA. Confitentes peccata sua baptizantur. Debent enim melioris vitæ novitatem promittere, qui baptismum, etc., usque ad et sic mundatos Christianam religionem promittentes in Ecclesiæ membra commuta.

[‡]1.6 *Et erat Joannes*, etc. HIER. Vestis prophetæ et cibus et potus, totam austeram vitam prædicantium significant, et gentes, etc., usque ad quia omnia a gratia Evangelii, in qua non est distinctio Judæi et Græci. BEDA. **Vestitus pilis cameli**. Quia peccata non fovit, sed aspere increpavit, dicens: **Genimina viperarum**, etc. Zona pellicea, etc., usque ad in melle enim dulcedo, in locusta alacer volatus, sed cito decedens.

[¶]1.7 *Fortior me*. HIER. Quis fortior est gratia qua abluuntur peccata? Ille qui, etc., usque ad et usque ad centum quadraginta quatuor millia pervenit. **Solvere corrigiam**. BEDA. Modus fuit apud veteres, ut si quis eam quæ sibi competeret, accipere uxorem nollet, ille, etc., usque ad Redemptoris vestigia nudare non valeo, quia sponsi nomen mihi non usurpo. HIER. Corrigia calcamentorum, id est mysterium Incarnationis Dei. Calx enim, etc., usque ad sponsa in patriarchis, amica in prophetis, proxima in Maria et Joseph, dilecta in Joanne Baptista, columba in Christo et apostolis.

[§]1.8 *Ego baptizavi vos aqua*. BEDA. Nondum Joannes dicit Deum aut Dei Filium esse aperte, quia rudes erant auditores: sed paulatim per humanitatem glorificatam ad fidem divinitatis ducit, dicens: **Ille vero baptizabit vos Spiritu sancto**. Sed postea cum capaciores jam videret, Dei Filium jam aperte prædicat dicens: **Testimonium perhibuit, quia hic est Dei Filius** Joan. 3.. ISID. **Ego baptizo vos aqua, ille**, etc. Dei fluvius semper plenus, semper æqualis, de quo: **Fluminis impetus lætificat civitatem Dei** Psal. 45.. Multum distat, etc., usque ad unctio Christi de amaritudine passionis pervenit ad gloriam resurrectionis; unde Apostolus: **Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu**, etc., usque: **Propter quod et Deus illum exaltavit** Phil. 2..

^{**}1.9 *Et baptizatus est in Jordane*. Tribus causis: Ut justitiam et humilitatem impleret; ut baptismum Joannis comprobaret; ut Jordanis aquas sanctificans per descensionem columbæ Spiritum sanctum in baptismo adesse monstraret. HIER. Marcus: Sicut cervus desiderans ad fontes aquarum saltus dat, culmina pratorum carpit, palmas in vertice portat, velut apis melliflua flores agri (cui odor veri Isaac similatur) summatim gustat. Unde a Nazareth Galilææ venientem Jesum ad baptismum, etc., **usque ad: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei** Apoc. 2..

tem, et manentem in ipso.^{††} ¹¹ Et vox facta est de cælis: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.^{‡‡} ¹² Et statim Spiritus expulit eum in desertum.^{¶¶} ¹³ Et erat in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus: et tentabatur a Satana: eratque cum bestiis, et angeli ministrabant illi.^{§§} ¹⁴ Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei,^{*} ¹⁵ et dicens: Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei: pœnitementi, et credite Evangelio.[†] ¹⁶ Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem, et Andream fratrem ejus, mit-

^{††}1.10 *Vidit apertos cælos*, etc. BEDA. Mysterium Trinitatis in baptismo demonstratur: Filius baptizatur, Spiritus est in columba, Pater in voce sonat. Aperiuntur cæli, etc., usque ad apud nos manebit et in nobis erit juxta mensuram fidei Spiritus. De Christo autem dicitur: *Plenum gratiæ et veritatis* Joan. 1.. *Manentem in ipso*. Manet in eo Spiritus, non ex quo baptizatus, sed ex quo conceptus. Quod autem in baptismo descendit, significat nobis gratiam spiritualem in baptismo dari, quibus in remissionem peccatorum ex aqua et Spiritu regeneratis solet amplior Spiritus gratia per impositionem manus episcopi coelitus dari.

^{‡‡}1.11 *Tu es Filius meus dilectus*. BEDA. Non quod nesciebat docetur, sed nobis quod credere debeamus ostenditur, ipsum scilicet, etc., usque ad bene autem in specie columbæ descendit Spiritus, quæ simplex animal et sine felle: quia simplices quærit, nec habitat in mentibus impuris.

^{¶¶}1.12 *Spiritus*. ID. Ne dubium quis spiritus, Lucas consulte præmittit: *Jesus plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane*; deinde intulit: *et agebatur a Spiritu in desertum, ne putetur immundus* spiritus quidquam contra eum potuisse.

^{§§}1.13 *Quadraginta diebus*. ID. Totum tempus significat, quo membra ejus diabolus tentat. Quadripartitus enim mundus per observantiam decem præceptorum contra diabolum certando Domino famulatur. Quater vero decem quadraginta faciunt. Ubique et semper adest adversarius, qui iter nostrum impedire non cessat. *Eratque cum bestiis*. Nos quoque si in eremo sanctæ conversationis bestiales hominum mores impolluta mente toleramus, mysterium angelorum meremur, a quibus corpore absoluti in cœlum transferamur

^{*}1.14 *Postquam autem*. ISID. Accepimus gratiam pro gratia, carnalia decollantur, spiritualia vivificantur. Cessante umbra, adest veritas. Joannes in carcere, lex in Judæa, Jesus in Galilæa, salus in gentibus. *Prædicans*, etc. HIER. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsi possidebunt* Matth. 5., etc. Regno terreno succedit paupertas, paupertati Christianorum regnum sempiternum; unde: *Regnum meum non est de hoc mundo* Joan. 18.: omnis enim honor terrenus, spuma, fumus, somnus.

[†]1.15 *Pœnitementi*. HIER. Amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat: pericula maris spes portus delectat, dolorem medicinæ spes salutis mitigat. Qui desiderat nucleum, nucem frangat: pœnitentiam agat, qui vult æterno adhærere bono. Præconia Christi narrare possunt, qui ad palmam indulgentiæ pervenire meruerunt. Unde post pœnitentiam prædicatores eliguntur.

tentes retia in mare (erant enim piscatores),[‡] 17 et dixit eis Jesus: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. 18 Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum. 19 Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, et ipsos componentes retia in navi: 20 et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum. 21 Et ingrediuntur Capharnaum: et statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos. 22 Et stupebant super doctrina ejus: erat enim docens eos quasi potestatem habens, et non sicut scribæ.[¶] 23 Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo: et exclamavit, 24 dicens: Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei.[§] 25 Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, et exi de homine.** 26 Et discernens eum spiritus immundus, et exclamans voce magna, exiit ab eo.^{††} 27 Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova?

[‡]1.16 *Vidit Simonem.* HIER. Simon, *obediens*; Andræas, *virilis*; Jacobus, *supplantator*; Joannes, *gratia*. His nominibus, etc., usque ad per prudentiam obediimus, per justitiam viriliter agimus, per temperantiam serpentes calcamus, per fortitudinem Dei gratiam meremur. ID. Quem non inebriat eloquentia sæcularis? Difficile homines potentes, et nobiles, et divites, et multo his difficilius eloquentes credunt Deo. Obcæcatur mens eorum divitiis et opibus atque luxuria, et circumdati vitiis non possunt videre virtutes, simplicitatemque Scripturæ sanctæ, non ex majestate sensuum, sed ex verborum judicant utilitate. ID. Vocantur quatuor piscatores, Simon, Andræas, Jacobus et Joannes: relictis omnibus sequuntur. Hac quadriga vehimur ad æthera, etc., usque ad pellibus Salomonis tegimur, quibus sponsa se gloriatur formosam. BEDA. Quæritur quomodo primum Petrum et Andream et post pusillum Jacobum et Joannem vocaverit, sicut narrat, etc., usque ad tunc enim non subductis ad terram navibus tanquam cura redeundi, sed tanquam vocantem et jubentem secuti sunt. *Et ingrediuntur.* HIER. Marcus dicta Evangelii in semetipso disponens, ordinem historiæ non secutus, mysteriorum ordinem servat, unde in sabbatis primam virtutem narrat dicens: *Et ingrediuntur, etc. Capharnaum.* ID. Capharnaum villa consolationis, sabbatum requies. Homo in spiritu immundo, genus humanum, in quo immunditia, etc., usque ad Pharaonem dimissus ab Israël, persequimur eum, diabolus contemptus surgit in scandala. BEDA. Quod sabbato maxime curat et docet, ostendit se non sub lege esse, sed supra: et docet nos verum sabbatum, ut salutem scilicet animarum studentes, ab omni opere servili, id est, ab omnibus illicitis abstinemus. [¶]1.22 *Erat enim,* etc. BEDA. Scribæ dicebant quæ scripta erant in Moysæ et prophetis; Jesus, ut Deus et Dominus, ipsius Moysi libere quæ deerant legi addebat vel commutabat; unde in Matthæo: *Audistis quia dictum est antiquis, etc. Ego autem dico vobis.*

[§]1.24 *Quid nobis,* etc. ID. Non est hic voluntatis confessio, sed necessitatis extorsio: sicut servus fugitivus visum dominum timet, et de verberibus deprecatur. Dæmones enim in terris Dominum cernentes, se continuo judicandos credebant esse.

**1.25 *Obmutesce.* ID. Congruo ordine lingua serpentina quæ prima virus sparsit, ne ultra spargat primo obcluditur, deinde, etc., usque ad ut sit idem ordo restorationis in Domino, qui perditionis in protoplasto.

^{††}1.26 *Discernens.* ID. Vel convexans, sicut quidam codices habent. Lucas autem dicit quia nihil ei nocuit. Sed quod Marcus ait, *discernens,* idem est quod Lucas: *cum projecisset eum in medium.* Quod vero addidit, *nihilque nocuit:* intelligendum est quia illa jactatio non eum debilitavit: sicut exeunt dæmones amputatis vel avulsis aliquibus membris. ID. Virum a dæmonio liberatum, animum ab immunda cogitatione purgatum intelligimus. Femmam vero a febribus consequenter curatam, carnem a concupiscentiæ fervore per continentiæ præcepta frenatam.

quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei.†† 28 Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ. 29 Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis et Andreae, cum Jacobo et Joanne. 30 Decumbat autem socrus Simonis febricitans: et statim dicunt ei de illa.¶¶ 31 Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus: et continuo dimisit eam febris, et ministrabat eis.§§ 32 Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, et dæmonia habentes: * 33 et erat omnis civitas congregata ad januam.† 34 Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, et dæmonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.‡ 35 Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.¶ 36 Et persecutus est eum Simon, et qui cum illo erant. 37 Et cum invenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærent te. 38 Et ait illis: Eamus in proximos vicos, et civitates, ut et ibi prædicem: ad hoc enim veni.§ 39 Et erat prædicans in synagogis eorum, et in omni Galilæa, et dæmonia ejiciens.** 40 Et venit ad eum leprosus deprecans eum: et genu flexo dixit ei: Si vis, potes me

††1.27 *Quidnam est?* Per ea quæ vident ad inquisitionem eorum quæ audierant excitantur. Ad hoc enim et ipse Dominus signa facit, et discipulis facere dedit, ut per hoc Evangelio certius credatur, dum qui coelestia promittunt terrenis, coelestia et divina opera operentur in terris.

¶¶1.30 *Et statim dicunt ei,* etc. Lucas dicit quia rogaverunt pro illa. Modo enim Salvator rogatus, modo ultro curat, ut contra vitiorum quoque passiones, et se precibus fidelium semper adesse, et quæ non intelliguntur, vel intelligenda dare, vel non intellecta, dimittere pie petentibus ostendat. Unde: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me* Psal. 18..

§§1.31 *Apprehensa.* Socrus Petri febricitans apprehensa manu levatur. Febris intemperantia est, de qua nos filii Synagogæ per manum disciplinæ et levationem desiderii sanamur, et hujus qui sanat nos ad vesperam declinantis a nobis ministramus voluntati. *Ministrabat eis.* BEDA. Tropologice: Id est, membra quæ servierant immunditiæ, serviant justitiæ.

*1.32 *Vespere autem.* ID. Occasus solis mors Christi. *Afferebant ad eum omnes male habentes.* Plures enim per apostolos post mortem suam sanavit, quam cum in carne vivens Judæis prædicavit.

†1.33 *Ad januam.* HIER. Janua regni moraliter pœnitentia est cum fide, quæ operatur salutem variis languoribus. Varia enim sunt vitia, quibus languescit civitas mundi.

‡1.34 *Quoniam sciebant eum.* BEDA. Lucas dicit apertius: *Exibant dæmonia a multis,* etc., *quia sciebant eum esse Christum.* Dæmonia ergo Christum esse sciunt et Filium Dei, etc., usque ad unde Paulus: *Nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* I Cor. 2..

¶1.35 *Et diluculo.* ID. Sicut per occasum solis mors, sic per diluculum resurrectio Christi cujus manifesta luce abiit in desertum gentium et in fidelibus orabat, quia eorum corda ad orationem excitabat.

§1.38 *Ad hoc enim veni.* VICT. ANT. Commode hoc subdit evangelista. Neque enim solo illius divinitatis auctoritas per hoc adumbratur, verum etiam spontaneæ evacuationis humilitas. Lucas autem, quo verbi œconomiam exprimat, *ad hoc enim missus sum,* scribit. Quare is Patris de Verbi incarnatione beneplacitum apostolatus nomine designat.

**1.39 *Et erat prædicans in synagogis.* BEDA. In hac prædicatione intelligitur etiam sermo ille habitus in monte quem refert Matthæus; nam, etc., *usque ad: Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare* Matth. 8..

mundare.^{†† 41} Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam: et tangens eum, ait illi: Volo: mundare.^{‡‡ 42} Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est.⁴³ Et comminatus est ei, statimque ejecit illum,⁴⁴ et dicit ei: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, et offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyses in testimonium illis.^{¶¶ 45} At ille egressus cœpit prædicare, et diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, et conveniebant ad eum undique.^{§§}

2 Et iterum intravit Capharnaum post dies,² et auditum est quod in domo esset, et convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam, et loquebatur eis ver-

^{††}1.40 *Et genu flexo*, etc. BEDA. Humilis pudibundus. Debet enim quisque de maculis vitæ suæ erubescere, sed confessionem verecundia non reprimat: ostendat vulnus, remedium poscat. HIER. Leprosus genuflexo Domini voluntatem deprecans mundatur qui non vult mortem peccatoris, sed, etc., *usque ad: Date eleemosynam: et ecce omnia munda sunt*. Luc. 11.. BEDA. Leprosus genus humanum significat, qui, secundum Lucam, lepra plenus fuisse perhibetur. *Omnes enim*, etc., usque ad et vero sacerdoti offerre *corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* Rom. 12.. *Si vis potes*. ID. In voluntate tribuit potestatem, nec dubitat ut incredulus de voluntate Domini, sed colluvionis suæ conscius non præsumit. ID. Qui exclusus a lege Domini se potestate curari postulat, supra legem judicat gratiam esse. Ut enim in Domino potestatis auctoritas, sic in illo fidei constantia.

^{‡‡}1.41 *Extendit manum*. ID. Leprosus tangi lex prohibet, sed quia Dominus legis est, non obsequitur legi, sed legem facit. Non ideo tangit, quia sine tactu curare non poterat, sed sic probat, quia legi subjectus non erat. *Volo, mundare*. ID. Illud mirabile, quo rogatur eo sanat genere. *Volo, mundare: et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra*. Nihil medium inter opus et præceptum. *Dixit et facta sunt* Psal. 32.. Vides quia voluntas potestas est. Itaque, etc., *usque ad: Volo* enim dicit propter Potinum, imperat propter Arium, tangit propter Manichæum.

^{¶¶}1.44 *Vide*, etc. ID. Non quia voluit quod non potuit, quia *omnia quæcunque voluit fecit* Psal. 113.. Sed docet nostra beneficia reprimi, non tantum a mercede pecuniæ, sed etiam gratiæ. *Ostende te*, etc. ID. Ut intelligat non legis ordine, sed gratia quæ super legem est esse curatum. Offerre jubet, ut ostendat quia non legem solvit, sed implet, dum secundum legem gradiens supra legem sanat, quos remedia legis non sanabant. Nec sacrificium significans cessare debebat, cum nondum significatum confirmatum erat constitutione apostolorum et fide credentium.

^{§§}1.45 *At ille egressus*. ID. Unius salvatio multos ad Dominum cogit. Non potest tacere beneficium, etiam jussus ab eo qui dedit. Præcepit Dominus abscondi. Vult enim, ut in bonis quæ agimus latere velimus, quod est humilitatis; et inviti prodamur ut aliis prosimus, quod magnæ est sublimitatis, cum etiamsi ipsi velimus, opera non possunt taceri. *Ita ut jam*, etc. HIER. Non omnibus manifestatus est Jesus, qui latis atque plataneis serviunt laudibus et propriis voluptatibus, sed his, etc., usque ad quos nihil potest separare a charitate Dei.

bum. *³ Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur. †⁴ Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat: et patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus jacebat. ‡⁵ Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua. ¶⁶ Erant autem illic quidam de scribis sedentes, et cogitantes in cordibus suis: §⁷ Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? **⁸ Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris? ⁹ Quid est facilius dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula? ††¹⁰ Ut autem sciat quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico), ‡‡¹¹ tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam. ¶¶¹² Et statim surrexit ille: et, sublato gra-

*2.2 *Ita ut non caperet*, etc. BEDA. Prædicante Domino, in domo non capiuntur, neque ad januam: quia prædicante in Judæa Christo gentiles ad audiendum nondum intrare voluerunt, ad quos tamen (etsi foris positos) doctrinæ suæ verba direxit per prædicatores suos.

†2.3 *Paralyticum*. HIER. Paralysis typus est torporis, quo piger jacet in mollitie carnis, habens desiderium salutis: sed turbis, etc., usque ad ut per aliam viam cum Magis in suam regionem redeat. *A quatuor portabatur*. BEDA. Quia quatuor virtutibus ad Dominum fiducia mentis erigitur. De quibus dicitur in libro Sapientiæ: *Sobrietatem et sapientiam docet, et scientiam et virtutem* Sap. 8., quas alii prudentiam, fortitudinem, temperantiam et justitiam nuncupant.

‡2.4 *Nudaverunt tectum ubi erat*. Tectum domus in qua Christus docet, sublimitas est Scripturæ, *in qua corrigit adolescentior viam suam, in custodiendo sermones tuos* Psal. 118.. BEDA. Domus Jesu secundum alium evangelistam tegulis tecta dicitur, quia vilitate litteræ sensus spiritualis tegitur. Cum grabato ante Jesum deponitur, quia cognoscere Jesum debet etiam in carne hac constitutus.

¶2.5 *Cum autem vidisset*. ID. Multum valet apud Deum fides propria, ubi tantum valuit aliena: ut homo interius et exterius sanatus repente exurgeret, aliorumque meritis sua ei relaxarentur errata. *Fili*. Mira humilitas, despectum ab omnibus, dissolutum totis artibus, filium vocat. Aut certe ideo, quia dimittuntur ei peccata.

§2.6 *Dimittuntur tibi peccata*. Ostendit propter peccata fuisse morbo percussus, et ideo non posse sanari nisi prius his dimissis. Sicut paralytico ad piscinam: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi contingat* Joan. 5.. BEDA. Quinque de causis afficiuntur homines molestiis carnis. Aut propter merita augenda, ut Job et martyres. Aut propter humilitatem, etc., usque ad Lazarus, cujus infirmitas non fuit ad mortem, sed pro gloria Dei, aut ad initium æternæ damnationis, ut Herodes.

**2.7 *Quis potest dimittere*. ID. Verum dicunt: Solus Deus hoc potest, solus etiam per eos dimittit quibus potestatem dimittendi peccata tribuit, ideo vere Deus. Verum testantur, sed personam Christi negando falluntur. Errant igitur, quia ut Deum esse, et peccata dimittere credunt, Christum tamen esse eum non credunt. Sed dementius Ariani, qui et Christum esse et peccata dimittere negare non audent: Deum esse negare non timent.

††2.9 *Quid est*. ID. Quasi dicat: Qua potentia cordis occulta intueor, eadem peccata dimitto. Quasi dicat: Ex vobis intelligite quid consequatur paralyticus.

‡‡2.10 *Filius hominis*. ID. Solus Deus dimittit peccata, et Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata: ergo idem Deus et Filius hominis est. Ita homo Christus per divinitatem dimittit peccata, per humanitatem pro peccatoribus potest mori.

¶¶2.11 *Vade in domum tuam*. ID. Qui languerat, grabatum domum reportat, cum anima peccatorum remissione curata, se ad diurnam sui custodiam cum ipso corpore refert: ne quid iterum unde feriatur admittat.

bato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, et honorificent Deum, dicentes: Quia numquam sic vidimus. ¹³ Et egressus est rursus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos. ^{§§} ¹⁴ Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium, et ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum. ^{*} ¹⁵ Et factum est, cum accumberet in domo illius, multi publicani et peccatores simul discumbebant cum Jesu et discipulis ejus: erant enim multi, qui et sequebantur eum. [†] ¹⁶ Et scribæ et pharisæi videntes quia manducaret cum publicanis et peccatoribus, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit Magister vester? ¹⁷ Hoc audito Jesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui male habent: non enim veni vocare justos, sed peccatores. [‡] ¹⁸ Et erant discipuli Joannis et pharisæi jejunantes: et veniunt, et dicunt illi: Quare discipuli Joannis et pharisæorum jejulant, tui autem discipuli non jejulant? [¶] ¹⁹ Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum

§§2.13 *Et egressus*, etc. ID. Post curationem paralytici in Capharnaum ad mare egreditur, quia non solum cives, sed et maris habitatores instruit, et fluctivos mundi motus fidei firmitate, etc., usque ad et ab undis cupiditatum separatos ad solitudinem, quiete conversationis quæ est in spe coelestium, pertrahit.

*2.14 *Levi*. HIER. Levi additus, quia a telonio negotiorum sæcularium sequitur solum verbum quod dicit: quia *qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* Luc. 14.. BEDA. Marcus et Lucas verecundiæ causa et honore evangelistæ nomen vulgatum non ponunt. Ipse (secundum hoc quod scriptum est: *Justus in primis accusator est sui* Prov. 18.; Matthæum se et publicanum nominat: ut ostendat nullum conversum debere de salute diffidere cum apostolus et evangelista de publicano sit factus repente. *Secutus est eum*. ID. Lucas plenius: *Et relictis omnibus secutus est eum* Luc. 5.. Sequitur, qui ut pauperem Christum non tam corporis gressu quam mentis affectu possit sequi, omnia relinquit, etc., usque ad merito ergo qui obediendo humana contempsit negotia, divinorum dispensator factus est talentorum.

†2.15 *Et factum est*. ID. Lucas: *Fecit eis convivium magnum Levi in domo sua* Luc. 5.. Qui enim Christum intus recipit, voluptatum delectatur ubertate, et Dominus libenter ingreditur, et in ejus recumbit affectu. Hoc est spirituale convivium bonorum pauperum, quo dives eget, pauper epulatur. *Publicani*. Qui publica vectigalia exigunt, vel sæculi lucra sectantes, qui exemplo publicani conversi jam de salute præsumunt, nec ut Pharisæi calumniantur in vitiis permanentes, sed poenitentes. BEDA. Ad convivium peccatorum vadit: ut docendi occasionem habeat, et spirituales cibos impertiat. Eundo ad peccatores, Domini humilitas ostenditur: in conversione poenitentium patet doctrinæ ejus potentia. ID. Per vocationem Matthæi fides gentium: quæ, relictis lucris sæculi, epulis charitatis et operum bonorum cum Domino convivantur. Per pharisæorum supercilium, de salute gentium Judæorum invidia designatur, quibus dicitur: *Publicani et meretrices præcedent vos in regno Dei* Matth. 21..

‡2.17 *Non necesse*. ID. Si medicum dicit, qui miro medicandi genere vulneratus est propter *iniquitates nostras, et livore ejus sanati sumus* Isa. 53..

¶2.18 *Et erant discipuli*. ID. Alii evangelistæ dicunt pharisæos et discipulos Joannis hoc quævisse. Hic videtur dicere, quod alii quæsierunt quos ejusdem rei cura movisset. Unde colligitur hoc a pluribus fuisse objectum, a pharisæis, a discipulis Joannis, a convivis, vel quibuslibet aliis. ID. Discipuli Joannis et Pharisæorum jejulant, quia qui operibus legis gloriantur, vel (quod pejus est) traditiones sequuntur, etc., usque ad manducavit cum peccatoribus, ut gratiam cernens potestatem agnosceres.

sponsum, non possunt jejunare.^{§ 20} Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: et tunc jejunabunt in illis diebus.²¹ Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri: alioquin aufert supplementum novum a veteri, et major scissura fit.^{** 22} Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin dirumpet vinum utres, et vinum effundetur, et utres peribunt: sed vinum novum in utres novos mitti debet.^{†† 23} Et factum est iterum Dominus sabbatis ambularet per sata, et discipuli ejus cœperunt progredi, et vellere spicas.^{‡‡ 24} Pharisei autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet? ²⁵ Et ait illis: Numquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, et esuriit ipse, et qui cum eo erant?^{¶¶ 26} quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, et dedit eis qui cum eo erant?^{§§ 27} Et

§2.19 **Nunquam possunt.** Matthæus ita: **Nunquid possunt filii sponsi lugere quandiu cum illis est sponsus,** etc. Matth. 9. Sponsus Christus, sponsa Ecclesia, de quo spirituali connubio apostoli creati sunt, qui lugere et jejunare non possunt, quandiu sponsum cum sponsa vident. Quando transierint nuptiæ, ac passionis et resurrectionis tempus advenerit, tunc jejunabunt. BEDA. Quandiu sponsus nobiscum est, in lætitia sumus, nec jejunare possumus, nec lugere; cum vero pro peccato recedit et avolat, tunc jejunium indicendum, tunc luctus multiplicandus.

2.21 **Nemo assumentum. ID. Discipulos, vestimenta vetera dicit, id est, adhuc carnales, necdum innovatos fidei firmitate, etc., usque ad vinum, fervor fidei, spei et charitatis, quo in conspectu Dei intus sensus novitate reformamur.

††2.22 **Sed vinum novum.** Erant autem novi, cum post ascensionem desiderio consolationis ejus sperando et orando innovabantur: tunc Spiritum sanctum acceperunt, quo quasi novo musto novi utres repleti sunt.

‡‡2.23 **Cum sabbatis.** BEDA. Nota primo apostolos litteram sabbati æstruere contra Ebionitas, qui, cum alios discipulos recipiant, Paulum quasi transgressorem legis repudiant. **Et vellere spicas.** Esuriunt ut homines, præ turba manducandi spatium non habentes. Sed exemplum austerioris vitæ præbent, non præparatas epulas, sed simplices quærunt. BEDA. Discipuli per sata transeunt, cum prælati subditos pia sollicitudine circumspiciunt, et qualiter quemque ad fidem trahant, sedule, etc., usque ad hoc Dominus sabbati probat, stulti defensores sabbati improbant, qui solam litterarum superficiem diligunt, mentis refectionem nesciunt, requiem animarum non norunt.

¶¶2.25 **Nunquam legistis,** etc. Præ cæteris in medium affert Davidem, qui legis sanctioni adversatus videri potuit. Facit autem hoc eo consilio quo per honorem et reverentiam quam Davidi deferebant, compescat impudentem sycphantiam, quam apostolis maligne intentarunt. Quasi diceret: An non Davidem legis servitute obstrictum meministis? Ego autem, etsi Filius hominis dicar, sabbati Dominus sum.

§§2.26 **Sub Abiathar,** etc. Non te turbet quod alii dicunt Achimelech, ambo enim tunc illic aderant. Achimelech pater, et Abrathar filius: qui occiso patre a Saule, comes exsiliis David factus est, et eo regnante summus pontifex majoris nominis quam pater: et ideo dignus cujus Dominus mentionem faceret, quasi summi sacerdotis, etiam patre vivente. **Panes propositionis.** BEDA. Quasi dicat: Si David et Achimelech a nobis non reprehenduntur, sed pro fame excusantur, cur in his causam improbatam quam in cæteris probatis? quamvis sit, etc., usque ad et omnes filii Ecclesie sacerdotes sunt, juncti in sacerdotium sanctum, offerentes seipsos spirituales hostias Deo. **Et dedit eis.** Hoc secutus. **Misericordiam volo, et non sacrificium** Ose. 6.: melius judicavit a famis periculo homines liberare quam sacrificium offerre. Hostia Deo placabilis, hominum salus.

dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum.*
²⁸ Et itaque Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.†

3 ² Et introivit iterum in synagogam: et erat ibi homo habens manum aridam.‡
³ Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. ⁴ Et dicit eis: Licet sabbatis benefacere, an male? animam salvam facere, an perdere? At illi tacebant. ⁵ Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus illi.§ ⁶ Exeuntes autem pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum quomodo eum perderent. ** ⁷ Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare: et multa turba a Galilæa et Judæa secuta est eum,†† ⁸ et ab Jerosolymis, et ab Idumæa, et trans Jordanem: et qui

*2.27 *Homo propter sabbatum.* BEDA. Ita sabbatum custodiri præceptum est, ut si necessitas fuerit, non sit reus, etc., usque ad si quis jejunium fregerit ægrotus, reus non tenetur.

†2.28 *Itaque Dominus.* Quasi dicat: Si David rex et sacerdotes (secundum alium evangelistam) propter templi ministerium sabbatum violantes, crimine carent, quanto magis Filius hominis verus Rex et Sacerdos! et ideo Dominus sabbati in sabbato vulsarum spicarum crimine non tenetur reus.

‡3.1 *Manum aridam.* BEDA. Quæ ad fructum vetitum extensa est, a bono opere aruit, per manus Christi in cruce extensas, bonorum operum succis restituta. HIER. Homo iste significat avaros, qui, nolentes dare, volunt accipere, prædari et non largiri: quibus dicitur ut extendant manus suas, id est, qui *furabatur jam non furetur, magis autem laborem operans manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti* Ephes. 4..

¶3.2 *Et observabant.* BEDA. Quia discipulos probabiliter excusaverat: ipsum observant, ut si in sabbato curet, transgressionis: si non curet, crudelitatis aut imbecillitatis arguant. *Licet sabbatis benefacere.* ID. Arguit, quod legis præcepta prava interpretatione violant, æstimantes in sabbato a bono feriandum, cum lex dicat, etc., usque ad similitudinem præposuit de ove, et conclusit quod *licet sabbato benefacere. Animam.* ID. Hominem totum per partem significat. Vel quia propter animam hoc faciebat, vel quod hæc manus sanatio animæ salutem significat. *Perdere.* ID. Non quod summe pius quemquam possit perdere, sed ejus non salvare est perdere. Sicut dicitur indurasse cor Pharaonis, non quod obduravit, sed obduratum non emollivit.

§3.5 *Extende manum.* BEDA. Infructuosa debilitas animæ non melius curatur quam eleemosynæ largitione; unde: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: et qui habet escas, similiter faciat* Luc. 3.. Et in Ecclesiastico: *Fili, non sit manus tua porrecta ad capiendum et ad dandum collecta* Eccl. 4.. Frustra enim in oratione manus ad Dominum expandit, qui eas ad rogantem viduam non extendit. *Et restituta est manus illi.* Magnum studium nequitiae in crimen reputant., quod ad verbum illius sanata est manus. Neque et sabbato potest convinci laborasse, qui dixit et facta sunt: cum ipsi in sabbatis cibos portent, calices porrigant, et cætera victui necessaria.

**3.6 *Exeuntes autem.* Qui per se non possunt, socios iniquitatis quærunt. *Cum Herodianis.* Ministri Herodis propter inimicitias quas ipse adversus hominem exercebat, Jesum insidiis et odiis persequebantur quem Joannes prædicabat.

††3.7 *Secessit.* Fugit ut homo, quia nondum venerat hora ejus, et passionis ejus extra Jerusalem non erat locus. BEDA. De synagoga secedit ad mare, etc. Judæam relinquit, ad gentes venit cum discipulis, scilicet prædicantibus apostolis corda gentium adiit: et sic multos ad se venientes suscepit, et desideratam salutem dedit. *Et multa turba.* ID. Magistri plebis et ministri regis odio persequantur: vulgus indocum dilectione sequitur, et plurimi sanari merentur.

circa Tyrum et Sidonem multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. ⁹ Et dicit discipulis suis ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum: ¹⁰ multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum ut illum tangerent, quotquot habebant plagas. ¹¹ Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei: et clamabant, dicentes: ¹² Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum. ¹³ Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse: et venerunt ad eum. ¹⁴ Et fecit ut essent duodecim cum illo: et ut mitteret eos prædicare. ¹⁵ Et dedit illis potestatem curandi infirmitates et ejiciendi dæmonia. ¹⁶ Et imposuit Simoni nomen Petrus: ¹⁷ et Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem

^{3.9} **Navicula.** Ecclesia de gentibus congregata fluctus sæculi mente transgressa: quæ quanto sinum cordis gratiæ recipiendæ dilatata, tanto fluctus sæculi securius calcata. **Ne comprimerent.** Comprimunt, qui Ecclesiæ pacem turbant. Tangunt, qui fidem vero corde et dilectione suscipiunt, qui tetigere sanati esse perhibentur: fugiens comprimentes naviculam ascendit.

^{3.11} **Et spiritus immundi,** etc. BEDA. Uterque et plagas habentes, et immundi spiritus. Sed infirmi pia intentione salutis: dæmoniacy, vel potius in eis dæmones: non solum timore coacti ad procidendum, verum etiam ad confitendum majestatem ejus. Præsentia enim ejus perterriti, quem Filium Dei esse jamjamque noverant, celare non poterant. Saniores Arianis, qui etiam hodie negant Filium Dei esse.

^{3.12} **Ne manifestarent.** ID. Non solum dæmones, qui inviti, vel ab eo sanati, qui sponte confitentur: sed et apostoli toto orbe post passionem prædicaturi, ante passionem tacere jubentur, ne divina majestate prædicata passio differretur, et sic salus mundi.

^{3.13} **Et ascendens.** ID. Postquam immundos spiritus se prædicare prohibuit, sanctos elegit, qui eum prædicarent et nefandos spiritus ejicerent. Mons iste significat altitudinem justitiæ, qua instruendi, et quam prædicaturi erant, per locum admonet ad cœlestia erigi, sic et legem in monte dedit. HIER. Consuetudo divini Scripturæ est allegorice loqui: sed nos sic excelsa sensibus nostris applicemus, ut historiæ veritatem, etc., usque ad in montem vocantur excelsi et merito et verbo, ut locus congruat meritis altis.

^{3.14} **Ut essent duodecim.** Speciem Jacob dilexit Deus cum videret excelsus gentes, et separaret filios Adam. Statuit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël, ut sint super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. Quibus data est potestas, quam Filius accepit a Patre secundum carnem, ut opera quæ ipse fecit et ipsi faciant, et majora horum faciant. BEDA. Dedit etiam potestatem mortuos suscitandi, sicut Matthæus dicit, ut virtus ostensa fidem, etc., usque ad quia *linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus* I Cor. 14..

^{3.16} **Et imposuit.** ID. Non modo primum, sed cum adducto ab Andræa dixit: **Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus** Joan. 1.. Sed hic evangelista te attentum reddit dicens, quod, etc., usque ad vel audiens tristitiam mortis, scilicet cum ei dicitur: **Alius te cinget et ducet quo tu non vis** I Cor. 4..

Jacobi, et imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filii tonitruui:[¶] 18 et Andræam, et Philippum, et Bartholomæum, et Matthæum, et Thomam, et Jacobum Alphæi, et

[¶]3.17 **Et Jacobum.** Qui supplantata habet desideria carnis. Et Joannem, qui gratia accepit quod alii per laborem. **Et imposuit eis nomen Boanerges, quod est filii tonitruui.** Quorum sublime meritum in monte meretur audire tonitruum Patris per nubem de Filio tonantis: **Hic est Filius meus dilectus** Matth. 17., ut per nubem carnis et ipsi Christi ignem ac fulgura in pluviam spargerent in terris. quoniam Dominus in pluviam fulgura fecit, ut exstinguat misericordia quod judicium exurit; unde: **Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine** Psal. 100.. **Jacobum.** Qui curam carnis Domino vocante supplantavit, et ipsam carnem Herode trucidante contempsit. **Joannem.** BEDA. In quo est gratia, vel **Domini gratia,** qui ob amoris præcipui gratiam quam virginali gloria promeruit, supra Redemptoris sui pectus in pœna recubuit. **Filii.** ID. Quorum unus intonans, vocem theologam (quam nemo prius edere noverat) emisit: **In principio erat Verbum,** etc. Joan. 1. Quam tanto pondere gravidam reliquit, ut si aliquanto plus intonare voluisset, nec ipse mundus capere potuisset.

Thaddæum, et Simonem Cananæum,^{§ 19} et Judam Iscariotem, qui et tradidit illum.**
²⁰ Et veniunt ad domum: et convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare.††²¹ Et cum audissent sui, exierunt tenere eum: dicebant enim: Quoniam

§3.18 **Et Andream.** HIER. Qui viriliter vim facit perdicionis suæ ut responsum mortis semper in se habeat et animam semper in manibus suis. **Et Philippum.** ID. Qui **os lampadis** est, qui illuminat ore quod accepit, cui datum est opus oris illuminati. Hoc locutionis genus sæpe Scriptura commemorat, quando nomina propter mysteria sunt posita: quod nunc evangelista, ex Dei persona vehementer affectans interserit. **Et Bartholomæum.** ID. Qui est filius suspendentis aquas, illius scilicet qui dixit: **Mandabo nubibus meis ne pluant** Isa. 5.. Nomen vero filii Dei per pacem et dilectionem acquiritur: **Beati enim pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur** Matth. 5.. Et: **Diligite inimicos vestros** ut sitis **filii Dei** Luc. 6.. **Et Matthæum.** Qui est **donatus**: cui non solum remissio peccatorum, sed etiam in apostolorum numero esse datur, **ut leo et bos simul comedant, et lupus cum agno** Isa. 11.. Nota, quod alii evangelistæ Matthæum præponunt, et publicanum non dicunt. Ipse post Thomam se ponit, et publicanum se dicit. **Et Thomam.** ID. Qui est **abyssus**. Multi enim profunda sciunt, sed non proferunt. **Unde scio hominem in Christo,** etc., usque: **quæ non licet homini loqui** II Cor. 12.. BEDA. Thomas abyssus: quia altitudinem virtutis in resurrectione penetravit. Vel geminus, græce quod dicitur **didymus**, id est, dubius propter dubium cor, quia resurrectionem vix credit. **Et Jacobum Alphæi.** Id est, docti vel millesimi, cujus **a latere cadent mille, et decem millia a dextris tuis** Psal. 90.. BEDA. Jacobum Alphæi, qui et frater Domini dicitur: quia Maria Alphæi fuit soror, etc., usque ad post resurrectionem statim Jerosolymorum ordinatur episcopus, tanquam doctus vel docti filius. **Thaddæum.** Custos cordis. Hunc Lucas in Evangelio, et in Actibus apostolorum Judam Jacobi nominat, quia frater Jacobi fratris Domini. Unde dicitur filius Mariæ matris Jacobi et Joseph et Judæ et Simonis. HIER. **Et Thaddæum,** qui est **corculus**, id est, cordis cultor qui servat cor suum omni custodia. Munditia namque cordis videtur Deus ut per vitrum mundum. **Et Simonem.** BEDA. Simon Cananæus a Cana vico Galilææ, qui et Simon **Zelotes**, id est, æmulator. Cana, Zelus; Cananæus, Zelotes. **Et Simonem Cananæum.** Qui et Zelotes Simon ponens vel habens trinitiam. **Beati** namque **qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur** Matth. 5.. Trinum luctum implet qui consolationem quærit futuram. Deflet propria peccata cum David et Maria. Cum Paulo flet cum flentibus. Et flet multum cum Joanne qui dicebat: **Et ego flebam multum: quia nemo dignus inventus est aperire librum et solvere signacula ejus** Apoc. 5.. Zelotes autem dicitur quem comedit zelus domus Dei, ut Phinees: **Et cessavit quassatio** Num. 25..

3.19 **Et Judam Scariotem. Qui non delet peccatum suum per pœnitentiam, nec illud deletur per memoriam. Unde: **Et peccatum matris ejus non deleatur. Fiat contra Dominum semper** Psal. 108.. Judas **confitens** vel **gloriosus**; Scarioth **memoria mortis**. Confessores multi sunt in Ecclesia superbi et gloriosi quorum primus Simon Magus, et alii hæretici, quorum memoria mortalis in Ecclesia celebratur: ut deleatur. HIER. Judas Scarioth a vico in quo ortus, aut a tribu Issachar. Issachar **merces**, pretium scilicet perdicionis: Scarioth, etc., usque ad quos unius exemplum ad timorem humiliat, ut angelos luciferi casus, ut **Non gloriatur sapiens in sapientia sua** Jer. 9., sed **qui gloriatur, in Domino gloriatur** I Cor. 1.. **Et veniunt,** etc. BEDA. Qui aliorum curam susceperunt, sollicite custodire debent conscientiæ donum, ut se prius, inde alios regant.

††3.20 HIER. Domus in qua conveniunt, primitiva Ecclesia est. Turbæ quæ impediunt panem manducare, peccata et vitia sunt, quia **qui manducat corpus Domini indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini** I Cor. 11.. Unde Dominus in furorem vertitur cum dicit: **Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam** Joan. 6..

in furorem versus est. ^{‡‡} 22 Et scribæ, qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia. ^{¶¶} 23 Et convocatis eis in parabolis dicebat illis: Quomodo potest Satanas Satanam ejicere? ^{§§} 24 Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare. 25 Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare. 26 Et si Satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, et non poterit stare, sed finem habet. 27 Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet. * 28 Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiam quibus blasphemaverint: 29 qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. † 30 Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet. 31 Et veniunt mater ejus et fratres: et foris stantes miserunt ad eum vocantes eum, ‡ 32 et sedebat circa eum turba: et dicunt ei: Ecce mater tua et fratres tui foris quærunt te. 33 Et respondens eis, ait: Quæ est mater

^{‡‡}3.21 *Et cum audissent*, etc. Turba frequentat eum, sui tanquam furiosum despicunt, in quo salus gentium notatur, et invidia Judæorum reprobatur, de quibus: *In propria venit, et sui eum non receperunt* Joan. 6..

^{¶¶}3.22 *Et Scribæ*. BEDA. Si qui tarditate mentis non intelligunt verbum Dei, remanet tamen spes salutis; si forte intelligant, nulla. Qui autem intelligere nolunt et invertunt quod intelligunt, nulla spes est. Unde, *Scribæ*, id est sapientes, etc. *Ab Hierosolymis*. Quod significat eum a civibus suis esse persequendum usque ad mortem. Legimus supra quia secuta est eum turba a Galilæa et Jerosolymis, et trans Jordanem et circa Tyrum et Sidonem, quæ sunt civitates gentilium: et Scribæ ab Jerosolymis blasphemabant: quia turba populi Judæorum illum cum palmis et laudibus perduxit; gentiles desiderabant; Scribæ et seniores populi de nece ejus tractabant. *Beelzebub habet*. Vir muscarum sive habens muscas: quo nomine principem dæmoniorum cognominabant propter sordes immolatitii cruoris.

^{§§}3.23 *Quomodo potest Satanas*, etc. BEDA. Eligant quod volunt. Si Satanas Satanam non potest ejicere, nihil contra Dominum dicunt. Si autem potest, recedant a regno ejus, quod divisum stare non potest.

^{*}3.27 *Et tunc domum ejus diripiet*. ID. Domum diripuit, quia omnes mundi partes a diabolo possessas, apostolis et eorum successoribus quasi divisas provincias, ut populos ad fidem converterent, distribuit.

[†]3.29 *Qui autem blasphemaverit*. HIER. Quia non meretur poenitentiam agere ut recipiatur, qui Christum intelligens principem dæmoniorum esse dicebat, etc., *usque ad: Qui enim fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum* Matth. 5.. BEDA. Matthæus dicit Matth. 12.: *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum vel verbum*, etc. Ubi ostendit quædam revelari in futuro. Quod de minimis intelligendum est, ut de sermone otioso, de risu nimio; quorum etiam hæc vita veniam promeruit. *In æternum*. Hoc contra Origenem, qui omnibus peccatoribus veniam promittit post judicium transactis innumeris sæculis. *Reus erit æterni delicti*. BEDA. Non quia spiritum non esse: vel quia esse, sed non Deum esse: vel Deum esse, sed minorem Patre et Filio: quia hoc non invidia diabolica, sed humana ignorantia, etc.

[‡]3.31 *Fratres*. HIER. Non filii Mariæ semper Virginis, ut mentitur Helvidius: vel Joseph ex alia uxore, sicut alii garriunt, sed cognati. BEDA. Mater et fratres, populus Judæorum ex quibus Christus secundum carnem, foris stant in litterali sensu. Turba in domo, gentes in spirituali mysterio. Foris volunt Judæi videre Christum, quia, spiritualem intelligentiam non quærantes, potius ad carnalia docenda eum exire cogunt vel quærunt.

mea et fratres mei?[¶] 34 Et circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant, ait: Ecce mater mea et fratres mei.[§] 35 Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est.

4 Et iterum cœpit docere ad mare: et congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, et omnis turba circa mare super terram erat:^{**} 2 et docebat eos in parabolis multa, et dicebat illis in doctrina sua:^{††} 3 Audite: ecce exiit seminans ad seminandum. 4 Et dum seminavit, aliud cecidit circa viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt illud.^{‡‡} 5 Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam: et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ: 6 et quando exortus est sol, exæstuavit: et eo quod non habebat radicem, exaruit. 7 Et aliud cecidit in spinas: et ascenderunt spinæ, et suffocaverunt illud, et fructum non dedit. 8 Et aliud cecidit in terram bonam: et dabat fructum ascendentem et crescentem, et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum. 9 Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat. 10 Et cum esset singularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam. 11 Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt: 12 ut videntes videant, et non videant: et audientes audiant, et non in-

[¶]3.33 *Quæ est mater.* ID. Non refutat obsequi matri qui dicit: **Honora patrem et matrem** Exod. 20.: sed ostendit se plus debere paternis mysteriis, quam maternis affectibus, idem exemplo monstravit, quod verbo ait: **Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus** Matth. 10.. Nec fratres injuriose contemnit, sed opus spirituale præficit cognationi, docens meliorem esse copulam cordium quam corporum.

[§]3.34 *Ecce mater mea,* etc. HIER. Ut sciamus nos esse et fratres ejus et matrem si voluntatem Patris ejus fecerimus, ut cohæredes simus, quia non in sexibus, sed in factis discernit. Soror et frater credendo, mater prædicando, dum per prædicationem amor Christi quasi ipse Christus in corde auditoris generatur.

^{**}4.1 *Et iterum cœpit docere.* BEDA. Exiens de domo ubi dæmonium habere dicitur, docet ad mare, ut ostenderet se ob perfidiæ culpam Judæam relicturum et ad gentes transiturum. Unde apte præmittitur, quia prædicante eo in domo, mater et fratres foris steterunt. HIER. Cœpit docere ad mare, ut locus indicet auditores amaros et instabiles. Et ideo, etc., usque ad qui amara dulcificat, tristia convertit in gaudium, ægritudinem in salutem. **Navim ascendens,** etc. BEDA. Ecclesiam, quæ est in mari inter infideles, quam Deus gratia suæ visitationis illustrat et dilectam sibi mansionem consecrat. **Et omnis turba circa mare.** HIER. Hi sunt qui nuper ad audiendum verbum venerunt, et inde pietate animi, ab amaritudine reproborum tamquam a mari secuti sunt: sed nondum cum Domino in navi sunt, quia nondum cœlestibus mysteriis vel sacramentis quæ desiderant imbuti sunt.

^{††}4.2 *In parabolis multa.* Parabola est rerum natura discrepantium sibi sub aliqua similitudine facta comparatio. More suæ prudentiæ loquitur, ut qui cœlestia sapere non poterant, per similitudinem terrenam auditam percipere potuissent. Græce similitudo dicitur quando quod intelligi volumus, per aliquas comparationes indicamus, ut ferrum, aliquem durum, velocem, ventis comparamus et avibus. Idem fit in tricesimo sexagesimo et centesimo fructu, id est lege, prophetia et Evangelio, quod in ore trium testium mysterium regni in monte ostensum, id est, Moysi, Eliæ et Jesu, consistit.

^{‡‡}4.4 *Aliud cecidit secus viam,* etc. Lucas: **Et conculcatum est, et volucres cœli comederunt** Luc. 8.. Via mens, metu carnalium cogitationum trita: unde semen perit nec fructum affert, et a volucribus rapitur, id est a dæmonibus, qui volucres cœli dicuntur sive quia cœlestis et spiritualis naturæ, vel, quia in ære habitant.

telligant: nequando convertantur, et dimittantur eis peccata. ¹³ Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? Et quomodo omnes parabolas cognoscetis? ¹⁴ Qui seminat, verbum seminat. ¹⁵ Hi autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, et cum audierint, confestim venit Satanas, et aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum. [¶] ¹⁶ Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur: qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud: ¹⁷ et non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur. ¹⁸ Et alii sunt qui in spinas seminantur: hi sunt qui verbum audiunt, ¹⁹ et ærumnæ sæculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur. ^{§§} ²⁰ Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, et suscipiunt, et fructificant, unum triginta, unum sexaginta, et unum centum. ²¹ Et dicebat illis: Numquid venit lucerna ut sub modo ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur? ^{*} ²² Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, sed ut in palam veniat. [†] ²³ Si quis habet aures audiendi, audiat. ²⁴ Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, et adjicietur vobis. [‡] ²⁵ Qui enim habet, dabitur illi: et qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. [¶] ²⁶ Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, [§] ²⁷ et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat dum nescit ille. ²⁸ Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. ²⁹ Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest

[¶]4.15 *Hi autem*, etc. Differentias ponit eorum qui audiunt verbum. Sunt autem quidam, ut gentiles, qui nec audiunt.

^{§§}4.19 *Reliqua concupiscentiæ*, etc. Quod præceptum est. Præcipitur enim: *Concupisces sapientiam: serva mandata* Prov. 7., etc. Et alibi: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis* Psal. 3.. Hæ concupiscentiæ bonæ: qui reliqua concupiscit, aberrat.

^{*}4.21 *Lucerna*, etc. HIER. Lucerna verbum Dei. Modius aut lectus, auditus inobedientium. Candelabrum, apostoli, quos illuminavit verbum Dei. Absconditum et occultum, quod palam fit cum a Domino tractatur. BEDA. Modius, vita nostra divina præscientia mensurata. Lectus, caro, in qua, etc., usque ad quia ei carnis concupiscentias præponit. *Nonne ut super candelabrum ponatur?* ID. Ut dominetur prædicatio veritatis, subsit servitus corporis, per quam tamen excelsior appareat doctrina tanquam per candelabrum lucerna.

[†]4.22 *Non est enim aliquid*, etc. Quasi dicat: Nolite erubescere Evangelium, quia nihil occultum modo, quod non fiat palam in iudicio, *quando illuminabit Deus abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* Matth. 10.; ubi vobis a Deo laus, illis autem poena æterna.

[‡]4.24 *In qua mensura*, etc. HIER. Etenim secundum mensuram fidei unicuique dividitur intelligentia mysteriorum, et adjicietur nobis donum scientiæ, etiam adjicientur virtutes.

[¶]4.25 *Qui enim habet*, etc. Scilicet qui fidem habet, habebit virtutem, et qui habet opus verbi, habebit intelligentiam mysterii. Et econtra, qui non habet fidem, deficit virtute; et qui non habet opus verbi ejus intelligentia caret; et qui non intelligit, auditum perdit, ac si non audisset.

[§]4.26 *Sic est regnum Dei*. HIER. Scriptura divina per terrenas similitudines monstrat celestia sacramenta, sicut per totum Evangeliorum corpus constat. *Regnum Dei* est Ecclesia quæ, etc., *usque ad: Quoniam adest messis*, id est consummatio sæculi, in qua justi gaudebunt qui in lacrymis seminaverunt.

messis.**³⁰ Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?³¹ Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terra:^{††}³² et cum seminatum fuerit, ascendit, et fit majus omnibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cæli habitare.^{‡‡}³³ Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire:³⁴ sine parabola autem non loquebatur eis: seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.^{¶¶}³⁵ Et ait illis in illa die, cum sero esset factum: Transeamus contra.³⁶ Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat in navi: et aliæ naves erant cum illo.^{§§}³⁷ Et facta est procella magna venti, et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.³⁸ Et erat ipse in puppi super cervical dormiens: et excitant eum, et dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus?^{*}³⁹ Et exsurgens comminatus est vento, et dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit ventus: et facta est tranquillitas magna.[†]⁴⁰ Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? et timuerunt tim-

**4.29 *Mittit falcem.* VICT. ANT. Messis quidem tempus consummationis, falx Dei verbum omni gladio ancipiti penetrabilis. Cæterum falx hoc loco non denotat, etc., usque ad omnes enim ferunt frumentum, etsi non æque multum omnes.

††4.31 *Sicut granum.* HIER. Hoc semen iterum comparat grano sinapis, quod minimum in timore est, magnum in charitate, quæ major est omnibus oleribus, quia Deus charitas est, et omnis caro fenum, et qui infirmus est, olera manducet. Et facit ramos misericordiæ et compassionis. Cujus sub umbra pauperes Christi qui sunt cœli animalia delectantur habitare. *Seminatum fuerit.* A Christo sive ab homine in terra, vel in agro, id est in corde suo. Hic homo est sensus noster et animus, qui fovens granum prædicationis humore fidei facit pullulare in agro pectoris sui. *Minus est,* etc. Quasi contemptibilia prædicans, et primo non creditur, quia prædicat Deum hominem mortuum, crucifixum, hoc eloquentiæ et sapientiæ philosophorum comparatum minus invenitur.

‡‡4.32 *Ascendit,* etc. Quæ altitudine, amplitudine, annositate transcendit herbarum naturam: Alta est, quia ad cœlestia sustollit; ampla, quia totum mundum occupavit; annosa, quia non poterit finiri. *Oleribus.* BEDA. Philosophicis disciplinis, quæ tanto apertius excrescunt, viliores fiunt: quia sicut olera herbarum cito decident.

¶¶4.34 *Sine parabola.* ID. Non quod nullum sermonem turbis apertum faceret, sed quia nullus sermo ejus invenitur in quo aliquid parabolæ non inveniatur. *Seorsum autem discipuli.* HIER. Illi enim digni erant audire mysteria in intimo penetrali sapientiæ, qui, remotis cogitationum tumultibus, in solitudine virtutum permanebant. Sapientia enim est in tempore otii discenda.

§§4.36 *In navi.* BEDA. Allegorice: Mare sæculi æstus. Navicula, crux qua mundi fluctus ascendimus et ad littus patriæ cœlestis pervenimus. Aliæ naves, etc., usque ad erant enim forsitan illæ naves nuper factæ et in portum tantum deductæ, vel post maris pericula ad portum reductæ.

*4.38 *In puppi.* HIER. Puppis mortuis pellibus vivos continet et fluctus arcet, et ligno solidatur, etc., *usque ad: Tranquillitas magna;* pax Ecclesiæ post pressuras, sive theoricæ post activam vitam. *Dormiens.* BEDA. Discipulis navigantibus Christus obdormit, quia fidelibus regni futuri quietem meditantibus et Spiritus sancti secundo flatu vel remigio proprii conatus mundi fluctus post terga jactantibus, subito Christi passio advenit, quo ascendente, etc., usque ad sed ad gubernatorem recurramus, illum sedulo excitemus, qui non servit, sed imperat ventis, qui omnia sedabit, qui portum salutis indulgebit.

†4.39 *Tace, obmutesce.* Nota quod omnis creatura sentit imperium Creatoris. Non quod omnia animata, ut mentiuntur hæretici, sed majestate conditoris quæ nobis insensibilia, illi sunt sensibilia.

ore magno, et dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste, quia et ventus et mare obediunt ei?[‡]

5 Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum.[¶] ² Et exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo,[§] ³ qui domicilium habebat in monumentis, et neque catenis jam quisquam poterat eum ligare:^{**} ⁴ quoniam sæpe compedibus et catenis vinctus, dirupisset catenas, et compedes minuisset, et nemo poterat eum domare: ⁵ et semper die ac nocte in monumentis, et in montibus erat, clamans, et concidens se lapidibus. ⁶ Videns autem Jesum a longe, cucurrit, et adoravit eum: ⁷ et clamans voce magna dixit: Quid mihi et tibi, Jesu Fili Dei altissimi? adjuro te per Deum, ne me torqueas.^{††} ⁸ Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. ⁹ Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.^{‡‡} ¹⁰ Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem. ¹¹ Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens. ¹² Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos ut in eos introeamus.^{¶¶} ¹³ Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi in-

[‡]4.40 *Quid timidi estis?* BEDA. Quasi dicat: Quid me præsentem timetis? Cui simile est, quod post resurrectionem *exprobravit incredulitatem illorum, et duritiam cordis, quia hi qui viderunt eum resurgere, non crediderunt* Marc. 16.. Et item: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ! Nonne oportuit pati Christum et sic intrare in gloriam suam* Luc. 24.? *Et timuerunt.* Matthæus: *Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est,* etc. Matth. 8. Non ergo discipuli, sed alii qui in navi erant mirabantur, de eo dubitantes, cui mare et ventus obedirent. Vel etiam ipsi discipuli recte homines dicti, quia necdum noverant potentiam Salvatoris.

[¶]5.1 *Et venerunt,* etc. BEDA. Gerasa urbs insignis Arabiæ, trans Jordanem, juncta monti Galaad in tribu Manasse, non longe a stagno Tiberiadis, in quo porci præcipitati sunt, significat, etc., usque ad et qui erat longe, factus est prope in sanguine Christi.

[§]5.2 *Homo in spiritu.* ISID. Homo iste desperatissimus est populus gentium quem enumerat Apostolus. Elatus, superbus, immundus, sanguinarius, idololatra, ignominiosus, etc., usque ad flagellato enim stulto sapiens sapientior fit vel prudentior.

^{**}5.3 *Et neque catenis,* etc. BEDA. Catenis et compedibus graves, et duæ leges gentium signantur, quibus peccata in re eorum publica cohibebantur. Ruptis catenis (ut Lucas scribit) subito agebatur a Domino in deserto, quia etiam transgressis illis legibus ad ea scelera cupiditate raptabantur, quæ jam vulgarem excederent consuetudinem.

^{††}5.7 *Torqueas.* ID. Magnum tormentum ei a læsione hominis cessare, et tanto dimittit gravius quanto possidet diutius.

^{‡‡}5.9 *Quod tibi nomen est?* BEDA. Non quasi nescius interrogat, sed ut confessa publica peste quam toleraverat, virtus curantis gratior appareat. Sed etiam sacerdotes nostri temporis qui per exorcismum dæmones ejiciunt solent dicere: non aliter patientes posse curari, nisi quantum sapere possunt, omne quod a dæmonibus visu, auditu, vel quolibet sensu corporis aut animi vigilantes dormientesve pertulerunt, patenter confiteantur. *Legio mihi nomen est.* ID. Significat populum gentilem innumeris idololatriæ cultibus mancipatum: cui contra, est, etc., usque ad reprobos autem plures sectæ quam linguæ dissociando confundunt.

^{¶¶}5.12 *Mitte nos.* ID. Lucas: *Et rogabant eum ne imperaret illis, ut in abyssum irent* Luc. 8.. Sciebant ergo aliquando futurum ut per adventum ejus mitterentur in abyssum, non futura, etc., usque ad nam nisi quis porci more vixerit, in eum diabolus potestatem non accipit, nisi forte ad probandum, non autem ad perdendum.

troierunt in porcos: et magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, et suffocati sunt in mari.^{§§ 14} Qui autem pascebant eos, fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem et in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum.*¹⁵ et veniunt ad Jesum: et vident illum qui a dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, et sanæ mentis, et timuerunt.^{† 16} Et narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat, et de porcis.¹⁷ Et rogare cœperunt eum ut discederet de finibus eorum.^{‡ 18} Cumque ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui a dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo,¹⁹ et non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui.^{¶ 20} Et abiit, et cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus: et omnes mirabantur.²¹ Et cum transcendisset Jesus in navi rursus trans fretum, convenit turba multa ad eum, et erat circa mare.²² Et venit quidam de archisynagogis nomine Jairus, et videns eum procidit ad pedes ejus,^{§ 23} et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est, veni, impone manum super eam, ut salva sit, et vivat.**

§§5.13 *Grex præcipitatus est.* BEDA. Quia jam clarificata Ecclesia, et liberato populo gentium a dæmonum dominatione, in abditis agunt sacrilegos ritus, etc., usque ad quoniam ob unius hominis salutem duo millia porcorum suffocantur.

†5.14 *Qui autem.* Quia quidam primates impiorum, quamvis Christianam legem fugiant, potentiam tamen ejus stupendo et mirando per gentes prædicant.

†5.15 *Et vident illum.* BEDA. Lucas: *Sedentem ad pedes ejus.* quod signat eos qui a peccatis correcti sunt, fixa mentis intentione vestigia Salvatoris quæ sequantur, intueri. *Vestitum.* Virtutum studio, quod vesana mente perdiderat. Unde filius prodigus ad patrem rediens, mox stola prima cum annulo induitur: quia quisquis vero corde pœnituerit potest donante Christi gratia pristina justitiæ opera, de quibus ceciderat, cum annulo inviolatæ fidei recuperare. *Et timuerunt.* Multi enim antiqua suavitate delectati honorare se, sed pati nolle Christianam legem dicunt, quia eam implere non possunt, admirantes tamen fidelem populum a pristina conversatione sanatum.

‡5.17 *Et rogare cœperunt eum.* RAB. Ut Petrus: *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum,* etc. Luc. 5. Ne tangant arcam Dei, ut Oza.

¶5.19 *Vade in domum tuam.* BEDA. Sic quisque post resurrectionem peccatorum in conscientiam bonam redeat et propter aliorum salutem Evangelio serviat: ut post cum Christo quiescat, ne dum præpropere vult jam esse cum Christo, negligat prædicationis mysterium fraternæ redemptioni accommodatum. HIER. Homo sanatus mittitur in domum suam, id est, in spiritualem legis observantiam: et prædicat, etc., usque ad quia moralia ad litteram observanda sunt. BEDA. Matthæus duos, Marcus et Lucas unum a dæmone curatum dicunt, quia unus eorum clarioris nominis, est famosioris: et ideo curatio ejus est famosior. Allegorice: Duo, gentes significant de duobus filiis Nœ. Cum enim Nœ tres filios genuerit, unus assumptus est in possessionem Dei, duo idolis dediti.

§5.22 *Et venit quidam,* etc. HIER. Post hæc Jairus archisynagogus venit, quia cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israël, etc., usque ad Abraham et Moyses et Samuel rogant pro plebe mortua, et sequitur Jesus preces eorum. BEDA. Jairus *illuminans* vel *illuminatus:* quia verbis vitæ populum illuminavit: et ut hoc posset, a Spiritu sancto illuminatus est.

**5.23 *Quoniam filia mea.* BEDA. Lucas: *Quia filia unica erat illi fere annorum duodecim, et hæc moriebatur* Luc. 8.. Filia Archisynagogi est Synagoga sola legali institutione, etc., usque ad subito errorum languore consternata, spirituales vias desperabiliter omisit.

²⁴ Et abiit cum illo, et sequebatur eum turba multa, et comprimebant eum.†† ²⁵ Et mulier, quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim,‡‡ ²⁶ et fuerat multa perpessa a compluribus medicis: et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat:¶¶ ²⁷ cum audisset de Jesu, venit in turba retro, et tetigit vestimentum ejus:§§ ²⁸ dicebat enim: Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero. ²⁹ Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus: et sensit corpore quia sanata esset a plaga. ³⁰ Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat de illo, conversus ad turbam, aiebat: Quis tetigit vestimenta mea? ³¹ Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, et dicis: Quis me tetigit?* ³² Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. ³³ Mulier vero timens et tremens, sciens quod factum esset in se, venit et procidit ante eum, et dixit ei omnem veritatem.† ³⁴ Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te salvam fecit: vade in pace, et esto sana a plaga tua. ³⁵ Adhuc eo loquente, veniunt ab archisynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua est: quid ultra vexas magistrum?‡ ³⁶ Jesus autem audito verbo quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere: tantummodo crede.¶ ³⁷ Et non admisit quemquam se sequi nisi Petrum,

††5.24 *Et comprimebant.* Dum ad puellam sanandam vadit, a turba comprimitur: quia Judæis salutis monita præbens, quibus ægram eorum conscientiam erigeret, noxia carnalium populorum consuetudine gravatus est.

‡‡5.25 *Et mulier,* etc. Pergente Domino ad filiam archisynagogi, morbosa mulier annis duodecim præripit sanitatem, et post filia sanata est et suscitata est: quia sic dispensata est salus humani generis, ut primo aliqui ex Israël, deinde plenitudo gentium, et sic omnis Israël salvus fiet. BEDA. Notandum quod puella duodenam et mulier duodecim annis sanguine fluxit, etc., usque ad hæc dum Christus Judæam sanare discerneret, jam paratam aliisque promissam salutem spe certa prævenit.

¶¶5.26 *Multa perpessa,* etc. ID. Falsis theologis, philosophis, legum sæcularium doctoribus, qui se utilia vivendi præcepta dare promittebant. Dæmones quoque, etc., usque ad cœperunt languoris sui et sperare et inquirere remedium.

§§5.27 *Venit in turba.* ID. *Si quis mihi ministrat, me sequatur* Joan. 12.. Et alibi: *Post Dominum Deum ambulabis* Ose. 11.. Vel quia Deum præsentem in carne non videt, sed post ad fidei agnitionis gratiam, etc., usque ad sacramentis Evangelicis, quasi suis vestimentis, fontes obsцени sanguinis emundat.

*5.31 *Tetigit.* BEDA. Sola fidelis mulier Dominum tangit, quem passim comitans turba comprimit. Quia qui diversis inordinate glomerantium hæresibus, vel perveris moribus gravatur, solo fideli Ecclesiæ corde tangitur; unde: *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum* Joan. 20.. Quia veraciter tangere est eum æquale Patri credere. HIER. Septima virtute suscitatur mortua, sed inter viam tangit fimbriam retro mulier sanguinaria, quæ cum salute substantiam, etc., usque ad cymbalum confessionem; malum punicum, martyrii voluntatem significat et virtutum candorem.

†5.33 *Mulier autem.* BEDA. Ecce quo tendebat interrogatio, ut mulier scilicet confiteatur veritatem diuturnæ infirmitatis, et subitæ credulitatis et sanationis: et ita ipsa confirmaretur in fide et aliis præberet exemplum.

‡5.35 *Adhuc,* etc. BEDA. Muliere sanata statim nuntiatur puella mortua: quia Ecclesia gentium a labe vitiorum curata, et ob fidei meritum, etc., usque ad sed quod hominibus est impossibile, Deo est possibile.

¶5.36 *Archisynagogo.* Archisynagogus coetus est doctorum legis de quibus: *Super cathedram Moysis sederunt scribæ et Pharisei* Matth. 28.. Qui si credere voluerint, etiam subjecta eis Synagoga salva erit.

et Jacobum, et Joannem fratrem Jacobi.[§] 38 Et veniunt in domum archisynagogi, et videt tumultum, et flentes, et ejulantes multum.^{**} 39 Et ingressus, ait illis: Quid turbamini, et ploratis? puella non est mortua, sed dormit.^{††} 40 Et irridebant eum. Ipse vero ejectis omnibus assumit patrem, et matrem puellæ, et qui secum erant, et ingreditur ubi puella erat jacens.^{‡‡} 41 Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella (tibi dico), surge.^{¶¶} 42 Et confestim surrexit puella, et ambulabat: erat autem annorum duodecim: et obstupuerunt stupore magno. 43 Et præcepit illis vehementer ut nemo id sciret: et dixit dari illi manducare.

6 Et egressus inde, abiit in patriam suam: et sequebantur eum discipuli sui: 2 et facto sabbato cœpit in synagoga docere: et multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? et quæ est sapientia, quæ data est illi, et virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur?^{§§} 3 Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et Simonis? nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo.* 4 Et dicebat illis Jesus: Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua.[†] 5 Et

[§]5.37 *Et non admisit*, etc. BEDA. Blasphemis et irrisoribus non sunt revelanda mysteria, sed fidelibus qui honorent. Unde alibi: *Justificata est sapientia ab omnibus filiis suis* Matth. 11..

^{**}5.38 *Flentes et ejulantes*. ID. *Lætentur omnes qui sperant in Domino, et in æternum exsultabunt, et habitabis in eis* Psal. 5.. Hanc lætitiâ merito infidelitatis Synagoga amisit: et ideo inter flentes et ululantes mortua jacet. Sed Jesus eam funditus intrare non patitur.

^{††}5.39 *Non est mortua*. Mihi, in cujus dispositione et anima recepta vivit, et caro suscitanda quiescit. Hinc mos est Christianis, ut mortui qui resurrecturi non dubitantur, dormientes vocentur; unde: *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus* I Thess. 4.. BEDA. Cum anima quæ peccaverit moriatur, ea tamen quam Dominus ad vitam æternam prævidet, nobis quidem mortua fuisse, sed ei obdormisse non incongrue dici potest.

^{‡‡}5.40 *Ejectis omnibus*. ID. Turba ejicitur ut puella suscitetur: quia nisi sæcularium curarum multitudo a corde ejiciatur, anima quæ intus jacet mortua non suscitatur. Dum enim se per universas cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullo modo colligit.

^{¶¶}5.41 *Talitha cumi*. In Syro sermone quem evangelista ponit, non plus est quam: Puella, surge. Sed forte ad vim Dominicæ jussionis exprimendam hoc addidit: *Tibi dico, surge*, et magis sensum loquentis quam verba intimare curavit. Sic sæpe apostoli et evangelistæ cum aliquod testimonium assumunt, magis sensum quam verba ponunt. HIER. Ad puellam dicitur *Talitha cumi*, id est, Puella, surge. Archisynagogo, etc., usque ad unde dicitur: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* Jac. 2.. BEDA. Quod Christus tres mortuos suscitavit, tria genera animarum significat. Puellam suscitavit, etc., usque ad quartum mortuum annuntiante discipulo audivit: sed quia vivi qui pro eo precarentur defuerunt: *Dimitte*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos* Matth. 8..

^{§§}6.2 *Unde huic*, etc. Mira cæcitas. In factis et dictis Christum cognoscere possunt, ob solam generis notitiam contemnunt.

^{*}6.3 *Faber*. BEDA. Qui operatur igni et spiritu; unde: *Ipse baptizabit vos in igne et spiritu* Joan. 1.. Faber est qui fabricatus est auroram et solem.

[†]6.4 *Non est propheta*. Prope naturale est cives civibus invidere quia non opera, sed infantiam quam viderunt recordantur. ISID. Comitatur sæpe vilitas originem. Ut, *Quis est filius Isai* III Reg. 12.. Sed: *Humilia Dominus respicit, et alta a longe cognoscit* Psal. 137..

non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit:[‡] 6 et mirabatur propter incredulitatem eorum, et circuibat castella in circuitu docens.[¶] 7 Et vocavit duodecim: et cœpit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum.[§] 8 Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum: non peram, non panem, neque in zona æs,^{**} 9 sed calceatos sandaliis, et ne induerentur duabus tunicis.^{††} 10 Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde: 11 et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis.^{‡‡} 12 Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent: 13 et dæmonia multa eiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant.^{¶¶} 14 Et audivit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen ejus), et dicebat: Quia Joannes Baptista resurrexit a mortuis: et propterea virtutes operantur in illo.^{§§} 15 Alii autem dicebant: Quia Elias est; alii vero dicebant: Quia propheta est, quasi unus ex prophetis. 16 Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit. 17 Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiam uxorem Philippi

[‡]6.5 *Et non poterat*, etc. Ne cives incredulos pejus condemnaret faciens multas virtutes. Vel quia in patria sua despicitur, paucas ibi virtutes fecit et signa, ne penitus excusabiles sint. Majora quotidie in gentibus signa facit, non tam in corporum sanatione quam animarum.

[¶]6.6 *Et mirabatur*. BEDA. Non quasi de improvviso, sed quasi mirandum ostendit, quia nec prophetis credunt, nec ipsi quem præsentem cernunt.

[§]6.7 *Et vocavit*. HIER. Mittuntur duodecim apostoli, et datur eis potestas præcepta docendi ut comitetur verbum simul et factum: et cum promissis invisibilibus virtutes misceantur, et sic cum unguent ægros oleo, infirmitatem fidei virtute corroborant. *Et dabat illis*, etc. Benignus Dominus et magister non invidet discipulis et servis potestatem suam. Sed ipse potestate sua agit, illi sua infirmitate, si quid agunt, et Domini virtutem confitentur dicentes: *In Jesu nomine surge et ambula* Act. 3..

^{**}6.8 *Ne quid tollerent*, etc. Tanta sit in Domino fiducia, ut nihil deesse certissime sciant, ne dum sibi provident temporalia, minus aliis provideant æterna. BEDA. Mattheus et Lucas memorant Dominum discipulis dixisse, ut nec virgam ferrent: Marcus ne quid tollerent nisi virgam. Sed illi realiter virgam accipiunt. Marcus per virgam potestatem accipiendi necessaria a subditis intelligit.

^{††}6.9 *Calceatos sandaliis*. ID. Ut pes neque tectus sit neque nudus ad terram, id est, nec Evangelium occultetur, nec terrenis commodis innitatur. *Ne induerentur duabus tunicis*. ID. Quod est ut simpliciter ambulent, non dupliciter.

^{‡‡}6.11 *Excutite pulverem de pedibus*. ID. Pulvis excutitur de pedibus in testimonium laboris sui, quod ingressi sunt civitatem, quod prædicatio usque ad illos pervenerit. Vel quod nihil ab eis acceperint ad victum necessarium qui Evangelium spreverunt.

^{¶¶}6.13 *Et ungebant oleo*. ID. Jacobus dicit: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum ungentes eum oleo* Jac. 5., etc. Unde patet ab apostolis hunc morem esse traditum ut energumeni et alii ægroti ungantur oleo a pontifice consecrato.

^{§§}6.14 *Et audivit rex*. ID. Lucas Luc. 9.: *Audivit Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant*, etc. Unde intelligendum, aut confirmatum eum ex aliorum verbis credendo dixisse, aut adhuc hæsitando, etc., usque ad non resurrexisse, sed sublevatum esse furtim credere maluerunt.

fratris sui, quia duxerat eam.*¹⁸ Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.[†]¹⁹ Herodias autem insidiabatur illi: et volebat occidere eum, nec poterat.²⁰ Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum: et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat.²¹ Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilææ:²² cumque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete a me quod vis, et dabo tibi:²³ et juravit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.[‡]²⁴ Quæ cum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptistæ.²⁵ Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens: Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.²⁶ Et contristatus est rex: propter jusjurandum, et propter simul discumbentes, noluit eam contristare.[¶]²⁷ sed misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere,[§]²⁸ et attulit caput ejus in disco: et dedit illud puellæ, et puella dedit matri suæ.²⁹ Quo audito, discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus: et posuerunt illud in monumento.^{**}³⁰ Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia quæ egerant, et docuerant.^{††}³¹ Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant et redibant multi: et nec spatium

*6.17 *Philippi fratris sui.* BEDA. Vetus historia narrat Philippum majoris Herodis fuisse filium, et fratrem Herodis sub quo passus est Dominus, et duxisse Herodiadem, filiam Arethæ, et postea Aretham ortis simultatibus filiam suam tulisse, et Herodi inimico Philippi in dolorem ipsius nuptiis copulasse. Egesippus vel Josephus tamen longe aliter.

†6.18 *Non licet tibi habere,* etc. ID. Qui venerat in spiritu et virtute Eliæ, Herodem arguit et Herodiadem, sicut, etc., usque ad homo enim ad laborem nascitur, et sancti per mortem transeunt ad requiem.

‡6.23 *Et juravit.* BEDA. Non excusatur a perjurio per juramentum. Ideo enim forte juravit, ut occasionem inveniret occidendi. Et si illa patris aut matris interitum postulasset, non utique concessisset Herodes.

¶6.26 *Et contristatus,* etc. ID. Consueto more Scripturæ contristatus, non re, sed multorum opinione. Sicut et ipse Joseph, etc., usque ad ut sub occasione pietatis impius fieret.

§6.27 *Caput ejus in disco.* ID. Caput legis quod est Christus, a corpore abscinditur, etc., usque ad Christus autem, qui est lux mundi, cum incipiunt crescere dies.

**6.29 *Et tulerunt.* ID. Josephus narrat Joannem vinctum, in castellum Macheronta adductum ibique truncatum. Ecclesiastica narrat historia, in Sebaste urbe Palæstinæ, quæ dicta est quondam Samaria. Tempore vero Juliani, etc., usque ad expurgato a sordibus templo Serapis ossa eadem ibi posuit, et basilicam in honore sancti Joannis consecravit.

††6.30 *Et convenientes.* HIER. Ad locum unde exeunt flumina redeunt. Deo gratias semper referunt super his quæ acceperunt. *Omnia.* Non solum quæ ipsi egerant et docuerant apostoli Domino renuntiant, sed etiam quæ Joannes eis docentibus passus sit. Vel sui vel ejusdem Joannis discipuli, sicut Matthæus scribit.

manducandi habebant.^{‡‡} ³² Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum.^{¶¶} ³³ Et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi: et pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, et prævenerunt eos.^{§§} ³⁴ Et exiens vidit turbam multam Jesus: et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, et cœpit docere multa.* ³⁵ Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, et jam hora præteriit:[†] ³⁶ dimitte illos, ut euntes in proximas villas et vicos, emant sibi cibos, quos manducant. ³⁷ Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare.[‡] ³⁸ Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, et videte. Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, et duos pisces.[¶] ³⁹ Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum.[§] ⁴⁰ Et discubuerunt

^{‡‡}6.31 **Venite seorsum.** BEDA. Non solum requisitionis causa, sed mystice significat quod, relicta Judæa, quæ, etc., usque ad venit seorsum, ducit quos eligit, ut inter male viventes mala non attendant, ut Loth in Sodomis, et Job in terra Hus, et Abdias in domo Achab. **Requiescite.** Ut aves in ramis sinapis. Pusilla hic requies sanctis, longus labor: sed post dicitur illis ut requiescant a laboribus suis. **Erant enim,** etc. HIER. In arca Noë animalia quæ intus erant, foras mittebantur, et quæ foris erant, intus erumpebant. Sic in Ecclesia Judas, etc., usque ad tunc cessabit ventus et procella, Jesu sedente et regnante in navi, quæ est universalis Ecclesia.

^{¶¶}6.32 **Abierunt in deserto.** BEDA. Petendo solitudinem fidem turbarum an se sequatur explorat, et exploratam digna mercede remunerat. Turbæ autem non jumentis, non vehiculis, sed proprio labore pedum, iter deserti arripiunt, et salutis desiderium ostendunt. Rursus ipse excipiendo fatigatos, docendo inscios, sanando ægrotos, recreando jejunos, quantum devotione credentium delectetur insinuat.

^{§§}6.33 **Et pedestres.** Nota quia non in aliam maris ripam sine Jordanis navigio pervenerunt. Sed transito aliquo freto vel stagno, proximos ejusdem regionis locos adierunt, quo etiam pedestres indigenæ pervenire potuerunt.

*6.34 **Et misertus est.** BEDA. Quomodo misertus sit, Matthæus plenius exponit hoc modo: **Et misertus est eis, et curavit languores eorum.** Hoc est enim pauperum et non habentium pastorem veraciter misereri, et viam veritatis aperire, et languidos curare et jejunos reficiendo ad laudem supernæ largitatis animare; quæ sequentia eum fecisse declarant.

[†]6.35 **Et cum jam hora.** Die declinata Salvator turbas reficit, quia vel fine sæculi propinquante, vel cum sol justitiæ pro nobis occubuit, a diutina spiritalis inediæ sumus liberati fame. BEDA. Christum deserta gentium petentem multæ. fidelium catervæ relictis mœnibus priscae conversationis, neglectoque variorum dogmatum præsidio, sequuntur, et cum primum notus in Judæa Deus, tunc exaltatus est super celos et super omnem terram gloria ejus.

[‡]6.37 **Date illis.** Provocat apostolos ad fractionem panis, ut illis se non habere testantibus, magnitudine signi notesceret. Et insinuans, quia quotidie per eos jejuna corda sunt pasceda, cum eorum exemplis vel verbis ad amanda coelestia suscitamur. Notandum, quod hoc panum miraculum Joannes scripturus præmisit, quod proximum esset Pascha. Matthæus et Marcus hoc, interfecto Joanne, continuo esse factum dicunt: unde colligitur Joannem imminente Pascha fuisse decollatum, et alio sequente Pascha crucifixum Dominum.

[¶]6.38 **Quinque.** BEDA. Quinque panes, quinque Mosaicæ legis libri, quibus divina æternitatis cognitio, mundi creatio, cursus habentis sæculi, et vera Deo serviendi religio, etc., usque ad ad ultimum vero magno munere dat electis ut edant et bibant super mensam suam in regno suo.

[§]6.39 **Secundum contubernia.** ID. Diversi discubitus, distincti ordines ecclesiarum qui unam catholicam faciunt.

in partes per centenos et quinquagenos.** 41 Et acceptis quinque panibus et duobus pisces, intuens in cælum, benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos: et duos pisces divisit omnibus.†† 42 Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. 43 Et sustulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, et de piscibus.‡‡ 44 Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.¶¶ 45 Et statim coëgit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.§§ 46 Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare.* 47 Et cum sero esset, erat navis in medio mari et ipse solus in terra.† 48 Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) et circa quar-

**6.40 *Per centenos et quinquagenos.* Per quinquaginta jubilæi requies. Quinquagenarius autem bis ductus centum facit; et ideo utriusque quietis perfectionem significat, scilicet, corporis et mentis. Qui enim quiescit ab actibus pravis, requiem habet corporis. Qui autem a cogitationibus etiam perversis, requiem habet mentis. Bene autem super viride fenum discumbentes, Dei pascuntur alimentis, qui per studium abstinentiæ, calcatis illecebris carnis, audiendis implendisque verbis Dei operam impendunt. Ideo alii quinquageni, alii centeni, quia requiescitur prius a malo opere, ut post sit etiam requies in mente.

††6.41 *Et acceptis.* Non nova cibaria creat quia incarnatus, non alia quam quæ scripta erant prædicat: sed legem et prophetas mysteriis grava esse demonstrat. *Fregit.* Et ante turbas ponenda distribuit discipulis suis, quia sacramenta sanctis doctoribus, qui hæc toto orbe prædicent, patefecit.

‡‡6.43 *Et sustulerunt,* etc. BEDA. Secretiora mysteria quæ rudes capere nequeunt, perfectiores diligenter inquirunt. Nam per cophinos, duodecim apostoli: et per apostolos sequentes doctores figurantur, foris despecti, intus salutaris cibi reliquiis ad alenda humilium corda cumulati. In cophinis enim servilia geruntur opera: sed ille eos panis fragmentorum implevit, qui infirma mundi, ut frangat vel confundat, elegit.

¶¶6.44 *Quinque millia.* ID. Propter quinque sensus corporis. Hi Dominum secuti, significant eos qui in sæculari adhuc habitu positi, exterioribus quæ possident bene uti norunt. Qui recte quinque panibus aluntur: quia necesse est ut tales legalibus adhuc præceptis instruantur. Qui autem mundo omnino renuntiant, et quatuor sunt millia et septem panibus refecti, hoc est evangelica perfectione sublimes, et spirituali gratia intus eruditi.

§§6.45 *Et statim coëgit.* Exemplum dat nobis ut in omnibus bonis quæ agimus humani favoris retributionem vitemus: ne nos operatio virtutum ad concupiscentiam flectat temporalium. Quod ipse Dominus nobis insinuans, cum hi qui virtutes ejus admirabantur, regem eum facere vellent, fugit in montem orare. Crucifixoribus promptus occurrit, ut scilicet parati simus ad adversa toleranda, cauti ad blandimenta si arriiserint, et ne nos, si affluant, emolliendo decipiant, crebris a Domino precibus imploremus. *Ad Bethsaidam.* BEDA. Bethsaida civitas est in Galilæa Andreæ et Petri et Philippi prope stagnum Genesareth. Sed Marcus dicit, etc., usque ad quæ ambæ sunt civitates in Galilæa juxta stagnum Genesareth: quod etiam Tiberiadis a Tiberiade civitate sic vocatur.

*6.46 *Abiit in montem.* ID. Bene orat qui Deum orando quærit, a terrenis ad superiora progrediens, verticem curiæ sublimioris ascendit. Qui de divitiis, etc., usque ad omnia quæ vult potest, quia advocatus et judex noster est; alterum pietatis officium, alterum potestatis insigne.

†6.47 *Et ipse solus,* etc. Qui aliquando omnino in periculis Ecclesiam deseruisse videtur; unde: *Ut quid, Domine, recessisti longe* Psal. 10. etc. Sed quia differt auxilium, non aufert subsidium.

tam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare: et volebat præterire eos.[‡]
⁴⁹ At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt.[¶] ⁵⁰ Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, et dixit eis: Confidite, ego sum: nolite timere.[§] ⁵¹ Et ascendit ad illos in navim, et cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant: ⁵² non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.^{**} ⁵³ Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth, et applicuerunt. ⁵⁴ Cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum:†† ⁵⁵ et percurrerent universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse. ⁵⁶ Et quocumque introibat, in vicis, vel in villas aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, et quotquot tangebant eum, salvi fiebant.^{‡‡}

7 Et conveniunt ad eum pharisæi, et quidam de scribis, venientes ab Jerosolymis.^{¶¶}
² Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt.^{§§} ³ Pharisæi enim, et omnes Judæi, nisi cre-

[‡]6.48 **Et circa quartam.** BEDA. Stationes et vigiliæ militares, horarum spatio dividuntur: patet ergo eos, etc., usque ad Lucifer namque tres horas noctis, id est, totam vigiliam matutinam illuminare dicitur. **Et volebat præterire eos.** ID. Ut ad horam, scilicet, conturbati: sed continuo liberati, plus liberationis suæ miraculum stupere, et ereptori suo, etc., usque ad Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te;

[¶]6.49 **Putaverunt.** BEDA. Adhuc hæretici putant phantasma esse, nec veram carnem de virgine assumpsisse. Theodorus enim, etc., usque ad et qualiter non infusis pedibus corporale pondus habentibus et materiale onus, deambulabat in humidam et instabilem substantiam.

[§]6.50 **Nolite timere.** Prima subventio est pellere timorem; secunda, tempestatem præsentia suæ virtute compescere. Nec mirum si Domino ascendente in navim cessat ventus: quia in quocumque corde per gratiam sui amoris adest, mox universa vitiorum et adversantis mundi et malignorum spirituum bella quiescunt.

^{**}6.52 **Non enim intellexerunt.** BEDA. Miraculo panum, quod esset rerum conditor ostendit. Ambulando super undas, quod totum corpus habebat liberum ab omni gravedine peccati. Placando ventos et undas, quod elementis dominaretur ostendit. Sed carnales adhuc discipuli magnitudine quidem virtutum stupebant, sed divinæ majestatis veritatem non cognoscebant.

^{††}6.54 **Cognoverunt.** Rumore, non facie vel magnitudine signorum: etiam vultu plurimis notus erat.

^{‡‡}6.56 **Fimbriam vestimenti.** BEDA. Minimum mandatum quod qui transgressus fuerit, minimus vocabitur in regno cœlorum: vel assumptionem carnis per quam venimus ad Verbum Dei.

^{¶¶}7.1 **Et conveniunt.** ID. Patet quam vera sit confessio Domini ad Patrem qua dicitur: **Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis** Matth. 11.. Indocti veniunt, infirmos adducunt, ut vel fimbriam ejus contingant, et ideo cupita salute patiuntur. Pharisæi vero et Scribæ, qui doctores populi esse debebant, non ad verbum audiendum, non quasi ad medicum, sed ad quæstionum pugnas concurrunt.

^{§§}7.2 **Communibus manibus.** HIERON. Immundis, vel communibus manibus communionem gentium significat. Munditia Pharisæorum sterilis est, communio apostolorum non tota extendit palmites suos usque ad mare. **Non lotis.** De non lotis corporis manibus vituperant, cum in eorum operibus nihil immunditiæ inveniatur. Ipsi aqua exterius loti, conscientia livore intus sunt polluti.

bro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: * 4 et a foro nisi baptizentur, non comedunt: et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et ærumentorum, et lectorum: † 5 et interrogabant eum pharisæi et scribæ: Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem? † 6 At ille respondens, dixit eis: Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: [Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me: † 7 in vanum autem me colunt, docentes doctrinas, et præcepta hominum.] 8 Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum et calicum: et alia similia his facitis multa. 9 Et dicebat illis: Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. § 10 Moyses enim dixit: Honora patrem tuum, et matrem tuam. Et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. 11 Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit: ** 12 et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri, 13 rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis: et similia hujusmodi multa facitis. 14 Et advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, et intelligite. 15 Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt illa sunt quæ communicant hominem. †† 16 Si quis habet aures audiendi, audiat. 17 Et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam. 18 Et ait illis: Sic et vos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus in-

*7.3 *Pharisæi*. BEDA. Superstitiosa hominum traditio crebrius lavari, ob manducandum et hujusmodi. Sed necessaria doctrina veritatis eos jubet, qui panem vitæ qui de cœlo descendit manducare desiderant, crebro eleemosynarum, aliorumque justitiæ fructuum lamento sua opera purgare.

†7.4 *Baptismata*. Frustra vasorum baptismata servant, qui cordium suorum et corporum sordes negligunt. Non enim hoc de materialibus manibus dictum est, sed pro mentium emundatione, et operum castigatione, et animarum sanctimonia et salute.

‡7.5 *Quare discipuli tui*, etc. Mira stultitia! Filium Dei arguunt, quia non servat præcepta hominum. Manus autem, id est, opera non corporis sed animæ lavandæ sunt, ut fiat in illis Verbum Dei.

†7.6 *Bene prophetavit*. HIERON. Latratum Pharisæorum reprimit furca rationis, id est, Moysi et Isaiæ increpatione, ut et nos hæreticos verbis Scripturæ vincere possimus.

§7.9 *Bene irritum*. Falsam calumniam vera ratione confutat, quasi, Vos propter traditionem hominum præcepta Dei contemnitis et negligitis, quare ergo meos discipulos arguitis, qui jussa seniorum parvipendunt, ut custodiant mandata Dei?

**7.11 *Vos autem dicitis*. BEDA. Consulens Dominus imbecillitati, vel ætatum vel penuriæ parentum, præcepit, etc., usque ad qui verus Pater est, oblatio Domini præponatur. *Tibi profuerit*. ISID. In tuos usus consumitur, quod sacrilegium est. Vel interrogative. Quasi dicat: Proderit tibi? Non debet: Hoc metuentes patres afficiebantur inedia.

††7.15 *Nihil est extra*, etc. BEDA. Nec idolothyrum in quantum cibus est, in quantum Dei creatura est, sed dæmoniorum invocatio hoc facit immundum. Unde: *Non potestis bibere calicem Domini et calicem dæmoniorum* I Cor. 10.. Judæi se partem Dei jactant, communes cibos vocant, quibus omnes homines utuntur, ut ostrea, lepores, et hujusmodi animalia, quæ unquam non findunt, nec ruminant, nec squamosa in piscibus sunt.

troiens in hominem, non potest eum communicare:‡‡ 19 quia non intrat in cor ejus, sed in ventrum vadit, et in secessum exit, purgans omnes escas?¶ 20 Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. 21 Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,§§ 22 furta, avaritiæ, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. 23 Omnia hæc mala ab intus procedunt, et communicant hominem. 24 Et inde surgens abiit in fines Tyri et Sidonis: et ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere. * 25 Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, et procidit ad pedes ejus.† 26 Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus. 27 Qui dixit illi: Sine prius saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.‡ 28 At illa respondit, et dixit illi: Utique Domine, nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.¶ 29 Et ait illi: Propter hunc sermonem vade:

‡‡7.18 *Et vos imprudentes.* Corripiuntur, quia quæ per se patent, mystica putant. Ex quo advertimus vitiosum esse auditorem, qui obscura manifeste, aut manifeste dicta obscure vult intelligere.

¶7.19 *Et in secessum.* BEDA. Hinc calumniatur quidam hæretici, quod Dominus physica ignarus putet omnes cibos, etc., usque ad per occultos meatus (quos Græci poros vocant) ad inferiora dilabitur et in secessum vadit. AUG. Quædam sic accedunt ut etiam mutant et mutantur, sicut et ipse cibus amittens speciem suam, in corpus nostrum vertitur, et nos refecti in robur mutamur.

§§7.21 *De corde hominum.* BEDA. Animæ locus principalis non juxta Platonem in cerebro, sed juxta Christum in corde est. Arguuntur etiam, etc., usque ad ut si pulchram mulierem nos crebro viderit inspicere, intelligit nos amare.

*7.24 *Et inde surgens.* Relictis Scribis et Pharisaïs calumniatoribus, in partes Tyri et Sidonis secessit, ut Tyrios Sidoniosque curaret. *Neminem.* BEDA. Quamvis latere non potuerit, non tamen factum est quod voluit. Sed exemplum, etc., usque ad ut filiam Syrophœnissæ a dæmonio liberaret et per fidem gentilis feminæ Scribarum et Pharisaëorum perfidiam argueret.

†7.25 *Mulier enim.* Marcus dicit Dominum fuisse in domo, cum venit ad eum mulier. Matthæus dicit quod *clamat post nos* Matth. 15.. Per quod innuit quod post ambulantes preces emiserit. Venit ergo ad eum mulier in domum, sed quia Matthæus ait: *Non respondit ei verbum,* dedit intelligere quod ambo tacuerunt, et cum silentio ingressi sunt. Et ita cætera contextuntur, quæ in nullo dissentiant. HIER. Mulier est mater nostra Romana Ecclesiæ. Nata, dæmoniaca occidentalis barbaries, cujus fides fecit de cane ovem. Micas intellectus quærit, non panem infractum litteræ cupit. BEDA. Mulier gentilis, sed cum fide ad Dominum veniens Ecclesiam significat de gentibus collectam, quæ pro filia, etc., usque ad qui priscas suæ perfidiæ mansiones relinquunt, atque in domum Dei, id est Ecclesiam, pia se devotione transferunt.

‡7.27 *Sine prius saturari filios.* Quasi dicat: Futurum est ut et vos gentes salutem consequamini: sed prius oportet Judæos, qui antiqua electione filii Dei nominantur, pane cœlesti refici, et sic tandem gentibus vitæ pabula ministrari. *Filiorum.* BEDA. Mira conversio: nam Israël quondam filius, nos canes. Pro diversitate fidei ordo nominum mutatur. De illis dicitur: *Circumdederunt me canes multi* Psal. 21.. De nobis: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili* Joan. 10..

¶7.28 *De micis.* Non integros cibos digna sum recipere, reliquii catellorum contenta sum, ut sic veniam ad panem integrum. BEDA. *De micis,* etc. Mensa, scriptura, unde: *Parasti in conspectu meo mensam,* etc. Psal. 22.. Micæ puerorum, etc., usque ad ut ad speranda superna quæ a Domino promissa sunt præmia in cœlo, merito se humilitatis erigant.

exiit dæmonium a filia tua.^{§ 30} Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, et dæmonium existiisse.³¹ Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.^{** 32} Et adducunt ei surdum, et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum.^{†† 33} Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: et exspuens, tetigit linguam ejus:^{‡‡ 34} et suscipiens in cælum, ingemuit, et ait illi: Ephphetha, quod est, Adaperire.^{¶¶ 35} Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte.^{§§ 36} Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcip-

§7.29 *Propter hunc sermonem.* BEDA. Hic datur exemplum catechizandi et baptizandi infantes, quia per fidem et confessionem parentum in baptismo liberantur a dæmonio parvuli, qui necdum per se sapere vel aliquid agere boni possunt aut mali.

**7.31 *Tyri.* HIERON. Tyrus angustia significans Judæam, cui Dominus: *Coangustatum est stratum et pallium breve, utrumque operire non potest, ut transferat se ad alias gentes* Isai. 18.. *Sidonem.* HIERON. Sidon, venatio, fera indomita, nostra regio vel natio est. *Decapoleos.* BEDA. Regio decem urbium trans Jordanem ad Orientem. Quod autem dicitur: *Venit ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos*, non ipsos eum intrasse significat, neque enim mare transnavigasse dicitur, sed usque ad mare venisse, atque ad locum qui medios fines Decapoleos longe trans mare positos respiciebat. HIERON. Salvator ad salvandas gentes ab apostolis deducitur, et docet quod adolescenti interroganti respondit: *Nosti mandata, hæc fac et vives* Luc. 18..

††7.32 *Surdum et mutum.* BEDA. Qui scilicet, nec aures verbis Dei audiendis, nec os pro loquendis aperit. Quales necesse est ut hi qui audire et loqui verbum Dei longo usu didicerunt, Domino sanandos offerant, ut eos quos humana fragilitas nequit, gratiæ dextera salvet. HIERON. Genus humanum tanquam unus homo varia peste absumptus in protoplasto, cæcatur dum videt, surdus fit dum audit, dum odorat emungitur, obmutescit dum loquitur, mancus fit dum manus erigit, incurvatur dum erigitur, hydropicus fit dum concupiscit, claudus dum progreditur, lepra suffunditur dum mundatur, dæmone impletur dum divinitatem appetit, moritur morte dum audacter excusat. *Et deprecabantur.* Incarnationem Domini prophetæ et patriarchæ cupiebant.

‡‡7.33 *Et apprehendens eum,* etc. Seorsum a turbulentis cogitationibus et actibus inordinatis serminobusque incompositis educitur qui sanari meretur. Digni qui in aures mittuntur, verba Spiritus sancti, de quo dicitur: *Digitus Dei est hic* Exod. 8.. Et: *Opera digitorum tuorum sunt cæli* Psal. 8.. *Tetigit linguam,* etc. Spuma de carne Domini, divina sapientia, quæ solvit ignorantiam humani generis, ut dicat: Credo in Deum Patrem omnipotentem, etc. *Seorsum.* BEDA. Prima salutis via est de turba educi. De turba educit Dominus infirmum, cum mentem peccatis, etc., usque ad exspuens ergo linguam muti ut loqui valeat, tangit, cum ora diu bruta ad verba sapientiæ proferenda contactu suæ pietatis informat.

¶¶7.34 *Et suscipiens,* etc. HIERON. *Ingemuit.* Gemere nos docuit, et in cælum thesaurum nostri cordis erigere, quod per compunctionem cordis a frivola carnis lætitia purgatur, ut dicitur: *Rugiebam a gemitu cordis mei; Domine, ante te omne desiderium meum,* etc. *Et ait illi: Ephpheta, quod est Adaperire. Corde creditur ad justitiam* Rom. 10., etc. *Et statim apertæ,* etc. Aures apertæ sunt ad hymnos et cantica et psalmos. Solvitur lingua, ut eructet verbum bonum, quod non possunt nec minæ nec verba cohibere vel prohibere. Unde Paulus: *Ego vincutus sum, sed verbum Dei non est alligatum in me* I Tim. 2..

§§7.35 *Et loquebatur recte.* BEDA. Ille solus recte loquitur vel Dominum confitendo, vel aliis prædicando, cujus auditum ut cœlestibus possit auscultare et obsecundare mandatis divina gratia referat. Cujus linguam Dominus tactu sapientiæ, quæ ipse est, ad loquendum instruit. Hic talis dicere potest: *Domine, labia mea aperies* Psal. 5., etc.

iebat, tanto magis plus prædicabant: *³⁷ et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: et surdos fecit audire, et mutos loqui.

8 In diebus illis iterum cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: ²Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducant:† ³ et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt.* ⁴ Et responderunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit saturare panibus in solitudine? ⁵ Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem.† ⁶ Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt turbæ.† ⁷ Et habebant pisciculos pau-

*7.36 *Et præcepit illis ne cui dicerent.* Non in virtutibus gloriandum esse docuit, sed in cruce et in humiliatione. *Quanto autem eis,* etc. Civitas in monte posita undique circumspecta abscondi non potest Matth. 15.: humilitas semper præcedit gloriam. *Adaperire.* Ad aures proprie. Aures enim ad audiendum aperiendæ, lingua ut loqui possit erat solvenda. Unde sequitur: *Statim apertæ,* etc. *Quanto autem eis præcipiebat,* etc. Sciebat ille qui omnia novit antequam fiant, quod magis prædicarent, et hoc præcipiendo pigris voluit ostendere, quanto studiosius quantoque frequentius [ferventius] prædicare debeant, quibus jubet ut prædicarent: quando illi qui prohibentur tacere non poterant.

†8.2 *Misereor super turbam.* Quia verus homo miseretur et compatitur affectu humanæ fragilitatis. Quod de septem panibus et paucis pisciculis quatuor millia hominum satiavit, divinæ potentiæ opus est contra Eutichetis errorem. *Triduo sustinent.* Quare triduo sustinerent Matthæus dicit sic Matth. 15.: *Et ascendens in montem sedebat ibi, et accesserunt ad eum,* etc. Turba triduo Dominum sustinet propter sanationem infirmorum suorum, cum electi quique fide sanctæ Trinitatis lucidi Domino, pro suis suorumque peccatis, animæ peccantis, scilicet, languoribus instanter supplicant. Turba multa triduo Dominum sustinet, cum multitudo fidelium peccata sua per poenitentiam declinans ad Dominum se in opere, in locutione et cogitatione convertit. BEDA. Hoc miraculo designatur, quod viam præsentis sæculi, aliter incolumes transire nequimus, alimento verbi sui Christus nos reficiat. Hoc vero typice, etc., usque ad ipse ab infimis delectationibus abstractam pane cœli reficit, atque ad appetitum supernæ suavitatis cibi spiritualis dato pignore accendit.

‡8.3 *Si dimisero eos.* Quia conversi peccatores in præsentis vitæ via deficient, si in sua conscientia sine doctrinæ pabulis dimittantur. *De longe.* Moraliter. Qui nihil carnalis corruptionis expertus, ad servitutem Dei festinat, de longinquo non venit; qui etiam nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatus, solum autem conjugium expertus, nec iste de longinquo. Alii post multa flagitia veniunt: et ideo de longinquo.

¶8.5 *Septem.* BEDA. Mysterium est Novi Testamenti, in quo septiformis Spiritus gratia plenius creditur et datur. Nec sunt panes hordeacei, sicut illi quinque de quibus quinque millia hominum satiata sunt, ne, sicut in lege, vitalis animæ alimentum corporalibus sacramentis tegetur. Hordei enim medulla tenacissima tegitur palea. HIER. Septem panes, septem dona Spiritus sancti. Quatuor millia, annus Novi Testamenti cum quatuor temporibus. Septem sportæ, septem primæ Ecclesiæ. Fragmenta panum mystici intellectus primæ septimanæ sunt. Pisciculi benedicti: libri Novi Testamenti, quomodo piscis assi partem resurgens postulat, et piscem superpositum prunis discipulis in captura piscium porrigit.

§8.6 *Super terram.* BEDA. In refectioe quinque panum turba supra fenum discubuit; quæ autem septem panibus reficienda est, super terram discumbere præcipitur: quia per legem carnis, etc., usque ad hic autem remota omni cupiditate carnali convivas Novi Testamenti spei permanentis firmamentum tanquam ipsius montis soliditas nullo feno interposito continet.

cos: et ipsos benedixit, et iussit apponi.** 8 Et manducaverunt, et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas.†† 9 Erant autem qui manducaverunt, quasi quatuor millia: et dimisit eos. 10 Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.‡‡ 11 Et exierunt pharisæi, et cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cælo, tentantes eum.¶¶ 12 Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.§§ 13 Et dimittens eos, ascendit iterum navim et abiit trans fretum.* 14 Et obliti sunt panes sumere: et nisi unum panem non habebant secum in navi. 15 Et præcipiebat eis, dicens: Videte, et cavete a fermento pharisæorum, et fermento Herodis. 16 Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: quia panes non habemus. 17 Quo cognito, ait illis Jesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoscetis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum?† 18 ocu-

** 8.7 **Pisciculos.** ID. Sanctos illius temporis, per quos eadem condita est Scriptura: vel quorum ipsa Scriptura, fidem, vitam et passiones continet; qui de fluctibus sæculi erepti, et divina benedictione consecrati refectionem nobis, ne in hujus mundi excursu deficiamus, vitæ suæ et mortis suæ exemplo præbuere.

††8.8 **Manducaverunt.** ID. Sunt multi qui quamvis omnia sua relinquere, et altiora hujus mundi nequeant implere, tamen esurientes et sitientes justitiam saturantur, cum audientes mandata Dei ad vitam perveniunt æternam. **Quod superaverat.** ID. Altiora præcepta vel exhortamenta, et consilia, quæ generalis fidelium multitudo nequit attingere, sicut hic: **Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes** Matth. 19., etc. **Septem sportas.** Septem sportæ, Spiritus sancti gratia septiformi repleti. Fiunt enim sportæ de junco, et palmarum foliis. Juncus nascitur super aquas, palma victorem coronat. Sancti quoque ne ab humore æternitatis arescant, in ipso vitæ fonte se collocant, et æternæ retributionis palmam exspectant.

‡‡8.10 **Et statim.** Pro hoc in Matthæo habemus: **Ascendit in naviculam, et venit in fines Magedan.** Sed non est dubitandum eumdem locum esse sub utroque nomine. Nam plerique codices habent Magedan etiam secundum Marcum.

¶¶8.11 **Quærentes,** etc. Quasi ea quæ viderant, non fuissent signa. Sed quid quærant per hoc determinatur, de cælo, vel in morem Eliæ ignem de sublimi, vel ad similitudinem Samuelis æstivo tempore mugire tonitrua, vel fulgura vel imbres, quasi non possent et hæc calumniari qui ea calumniabantur quæ oculis viderant, manu tangebant, utilitate sentiebant. Vel signa de cælo, manna, ut qui paucis panibus multa hominum millia satiavit, nunc sicut Moyses manna cœlitus misso populum omnem passim reficiat. Unde Joannes post edulium panum turbas quæsisse dicit: **Quid operaris? Patres nostri manducaverunt manna in deserto** Joan. 6., etc.

§§8.12 **Si dabitur.** AUG. De concordia evangelistarum. In Marco ita scriptum esse dicit: et signum non dabitur ei. BEDA. Generationi isti, id est tentantium Deum et contradicentium verbis ejus, non dabitur signum de cælo, quod tentantes, etc., usque ad ad impositionem manuum apostolorum gratiam sancti Spiritus de cælo plurimis credentibus infudit.

*8.13 **Ascendit navim.** ID. Septem sportis modo impletis, statim ascenderunt in naviculam, et venerunt in fines Magedan, et ibi navigantibus dictum est quod caverent a fermento Pharisæorum et sadducæorum. Sed Scriptura dicit quod obliti sunt panes tollere, in quo ostenditur quod modicam curam carnis haberent intenti Domini præsentia.

†8.17 **Quid cogitatis.** BEDA. Accepta occasione, docet quid significant quinque panes et septem, et pauci pisciculi, quinque millia hominum aut quatuor. Si enim fermentum Pharisæorum et Herodis traditiones perversas et hæretica significat dogmata, quare cibi quibus nutritus est populus Dei non veram doctrinam integramque significat?

los habentes non videtis? et aures habentes non auditis? nec recordamini, ¹⁹ quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. ²⁰ Quando et septem panes in quatuor millia: quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. ²¹ Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis? ²² Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei cæcum, et rogabant eum ut illum tangeret. ²³ Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: et exspuens in oculos ejus impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret.[‡] ²⁴ Et aspiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes.[¶] ²⁵ Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus: et cœpit videre: et restitutus est ita ut clare videret omnia.[§] ²⁶ Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam: et si in vicum introieris, nemini dixeris.^{**} ²⁷ Et egressus est Jesus, et discipuli ejus in castella Cæsareæ Philippi: et in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines?^{††} ²⁸ Qui responderunt illi, dicentes: Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero quasi unum de prophetis. ²⁹ Tunc dicit illis: Vos vero quem me esse dicitis? Respondens

[‡]8.23 *Ex exspuens.* ID. Sputum ab intus a capite Domini procedit. Manus vero membra corporis exterius posita. Exspuens ergo in oculos cæci, manus suas imponit, ut videat: quia cæcitate humani generis et per invisibilia divinæ pietatis dona et per ostensa a foris sacramenta assumpta humanitatis abstersit. Quem uno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, ut magnitudinem humanæ cæcitatibus ostendat: et quæ vix et quasi per gradus ad lucem redeat, et gratiam suam nobis indicat, per quam singula perfectionis incrementa adjuvant.

[¶]8.24 *Video homines,* etc. HIER. Omnes æstimat sibi superiores, se indignum judicans: ut David se vocari hominem, sed canem mortuum et pulicem unum. Primo autem, etc., usque ad huic Dominus secunda impositione manuum, lucem omnia clara videndi restituit: scilicet quid credendum, quomodo vivendum, quæ præmia sunt speranda.

[§]8.25 *Deinde iterum,* etc. HIER. Ut clare videret omnia, id est per opera visibilia invisibilia intelligeret, et quæ oculus non vidit, et clarum, animæ suæ statum post rubiginem peccati mundi cordis oculo contemplaretur. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* Matth. 5..

^{**}8.26 *Et misit.* HIER. Ut videret in se quod ante non vidit. Non enim putat desperans homo de salute omnino posse se quod facere illuminatus per spem potest perficere. Mystice. Admonet Dominus omnes qui agnitione veritatis illustrantur, ut ad cor redeant, et quantum sibi donatum fuerat sollicita mente perpendant, et beneficium Dei digna operatione respondeant. *Nemini dixeris.* BEDA. Quod sanationem silere jubet, exemplum est suis, ne si miranda faciant, favorem quærant, sed divinis aspectibus sint placere contenti.

^{††}8.27 *Quem me dicunt?* Pulchre primo sententiam hominum interrogat, ne confessio eorum vulgi opinione, sed veritatis agnitione videatur infirmata: ne sicut Herodes de auditis hæsitare putentur. Unde Petro secundum Matthæum dicit: *Caro et sanguis non revelavit tibi* Matth. 16., id est doctrina hominum. *Homines.* Pulchre qui hominum more diversam de Domino sententiam ferunt, homines dicuntur. Nam qui veritatem potentiæ ejus pia mente cognoscunt, non homines, sed dii appellari merentur. Unde dicit illis: *Vos vero,* etc. Quasi dicat: Illi, homines, humana opinantes; sed vos, dii, quem me esse dicitis?

Petrus, ait ei: Tu es Christus.^{‡‡} 30 Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo.[¶] 31 Et cœpit docere eos quoniam oportet Filium hominis pati multa, et reprobari a senioribus, et a summis sacerdotibus et scribis, et occidi: et post tres dies resurgere.^{§§} 32 Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.* 33 Qui conversus, et videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me Satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.[†] 34 Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, denegat semetipsum: et tollat crucem suam, et sequatur me.[‡] 35 Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me, et Evangelium, salvam faciet eam. 36 Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum et detrimentum animæ suæ faciat? 37 Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? 38 Qui enim me confusus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis.[¶] 39 Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam

^{‡‡}8.29 *Tu es Christus.* BEDA. Omnia complectitur qui et naturam et nomen exprimit, in quo summa virtutum. Paulus dicit, etc., usque ad non licet tamen nescire generationis fidem.

[¶]8.30 *Et comminatus est.* BEDA. Noluit se ante passionem et resurrectionem prædicari: quia completo sanguinis sacramento apostolis opportunius dicit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* Matth. 18.. Quia non prodesset eum publice prædicari, quem flagellatum sunt visuri, et crucifixum multa pati.

^{§§}8.31 *Quoniam oportet,* etc. HIER. Sicut gubernator peritus tempestatem in tranquillitate præcavens, nautas paratos vult esse suos. Sicut alibi: *Si quis vult venire post me, abneget se* Matth. 16., etc.

^{*}8.32 *Et apprehendens.* BEDA. Amantis affectu dicens: *Absit a te, Domine.* Vel ut melius in Græco habetur: *Propitius esto,* etc., usque ad apprehenditque eum in affectum suum, vel separatim ducit, ne præsentibus cæteris magistrum videatur arguere.

[†]8.33 *Vade retro.* ID. Multi putant quod non Petrus, sed adversarius Spiritus sit correctus, quo suggerente hoc Apostolus dicebat: Sed mihi error Apostoli de pietatis affectu veniens, nunquam inventum videbitur diaboli. Diabolo dicitur: *Vade retro, Satanas.* Petro: *Vade retro me,* etc., id est sequere sententiam meam. *Quæ Dei sunt,* etc. Mea est voluntas et Patris, ut pro salute hominum moriar: tu non vis granum frumenti in terram cadere, ut multum fructum afferat.

[‡]8.34 *Si quis vult,* etc. BEDA. Postquam mysterium suæ passionis et resurrectionis ostendit, hortatur omnes ad imitandum passionis exemplum, et omnibus salutem promittit animarum. Sed perfectioribus, quanta passurus quod a mortuis resurrecturus esset aperuit, formam tribuens prædicandi, ut scilicet, pro suo quisque modo instruat, neque infirmis altiora committantur. *Deneget.* Non valet apprehendere quod ultra ipsum est si nescierit mactare quod est. Nisi quis a semetipso deficiat, ad Deum, qui supra ipsum est, non appropinquat. *Tollat crucem.* Vel per abstinentiam macerando corpus, vel per compassionem animum. De corpore dicit Paulus: *Castigo corpus meum, et in servitum redigo* II Cor. 9., etc. Idem de compassione animi: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* II Cor. 11.

[¶]8.38 *Qui enim.* BEDA. Duo tempora Ecclesia significat, aliud persecutionis, quando ponenda est anima; aliud pacis, quando frangenda sunt desideria terrena. *Qui enim me,* etc. Quia multi avaritiam vineunt, labentia despiciunt, sed fidei rectitudinem quam habent verecundia impediti, non exprimunt voce. Addit: *Qui enim me,* etc.

de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei veniens in virtute.[§]

9 Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ducit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis.^{** 2} Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.^{†† 3} Et apparuit illis Elias cum Moysse: et erant loquentes cum Jesu.^{‡‡ 4} Et respondens Petrus, ait Jesu: Rabbi, bonum est nos hic esse: et faciamus tria tabernacula, tibi unum, et Moysi unum, et Eliæ unum.^{¶¶ 5} Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti.⁶ Et facta est nubes obumbrans eos: et venit vox de nube, dicens: Hic est Filius meus carissimus: audite illum.^{§§ 7} Et sta-

§8.39 **Amen dico.** BEDA. Cum de futura vita loqueretur, ideo necessarium fuit ut hoc promitteret de poenitenti vita, ut rudes adhuc discipuli hac consolatione confortarentur, sicut de Judaico populo dicitur: **Dedit illis regiones gentium et labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant** Psal. 104.. **Regnum Dei**, etc. Id est, Ecclesiam contra mundi hujus gloriam erectam. Vel futuram in cœlis beatitudinem quam in monte viderunt. Quod pia provisione factum est, ut æternum gaudium, tametsi ad breve momentum prælibatum, ad adversa ferenda fortius animaret.

9.1 **Et post dies, etc. HIER. Post comminationem crucis resurrectionis gloria ostenditur, unde sequitur: **Et post dies**, etc. Ut non timerent opprobria crucis, qui oculis suis viderant gloriam futuræ resurrectionis. BEDA. **Et post dies sex.** Lucas: Factum est autem post hæc verba fere dies octo, etc., usque ad ne in octavo retributionis tempore ab irato iudice corripiamur. **In montem excelsum.** In montem ut oraret, etc., usque ad tunc æterna ejus visione merebuntur lætari. **Transfiguratus.** Non veram substantiam carnis amisit, sed gloriam futuræ suæ, vel nostræ resurrectionis ostendit. Talis post iudicium cunctis apparebit electis: in iudicio, in forma servi et bonis et malis, ut impii quem sprevere, quem Judæi negavere, milites quem crucifixere, Pilatus Herodesque quem iudicavere nequeant iudicem agnoscere.

††9.2 **Et vestimenta.** Vestimenta Domini, sancti. Unde: **Qui in Christo baptizati estis Christum induistis** Gal. 3.. Hæc Domino in mundo manente videbantur despecta, sed ipso montem petente novo candore refulgent. **Quia nunc quidem filii sumus Dei, sed nondum apparuit quid erimus. Cum ergo apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est** I Joan. 3.. Unde subditur.

‡‡9.3 **Et apparuit**, etc. Moyses sanctus mortuus, Elias vivus in cœlum raptus, visi in majestate cum Domino (ut Lucas dicit) futuram in illo omnium sanctorum gloriam significant: qui tempore iudicii vel vivi in carne reperientur vel mortui. **Elias cum.** BEDA. Legislator et eximius prophetarum apparent: loquuntur cum Domino in carne vivente, ostendentes ipsum esse quem lex et prophetæ promiserunt; non in infimis, sed in monte cum illo, quia qui terrena desideria mente transeunt solvi majestatem Scripturæ sanctæ, quæ in Domino impleta est, perspiciunt.

¶¶9.4 **Rabbi.** Quamvis stupefactus, etc., usque ad unum habentia tabernaculum, id est Ecclesiam Dei. **Bonum est.** Multo ergo melius choris sanctorum interesse, Deitatis perfrui visione: si sic delectat humanitas Christi transfigurata, et duorum societatis ad punctum ostensa.

§§9.6 **Nubes obumbrans.** Unde quia quæsitivum materiale tabernaculum, nubis accepit umbraculum, ut discat in resurrectione non tegmine domorum, sed Spiritus sancti sanctos esse protegendos. **Hic est.** Quasi dicat: Hic vere est ille quem Moyses iste vobis promisit, etc., usque ad ipsaque illustrabitur gratia et in perpetuum protegetur.

tim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum.*⁸ Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent, narrarent: nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit.[†]⁹ Et verbum continuerunt apud se: conquirentes quid esset, cum a mortuis resurrexerit.[‡]¹⁰ Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt pharisæi et scribæ, quia Eliam oportet venire primum?[¶]¹¹ Qui respondens, ait illis: Elias cum venerit primo, restituet omnia: et quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur.[§]¹² Sed dico vobis quia et Elias venit (et fecerunt illi quæcumque voluerunt) sicut scriptum est de eo.¹³ Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, et scribas conquirentes cum illis.^{**}¹⁴ Et confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus est, et expaverunt, et accurrentes salutabant eum.¹⁵ Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis?^{††}¹⁶ Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum:¹⁷ qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit: et dixi discipulis tuis ut ejicerent illum,

*9.7 *Et statim.* BEDA. Cum fieret vox super Filium hominis, inventus est ipse solus. Quia cum manifestaverit seipsum electis, erit Deus omnia in omnibus: imo ipse cum suis unus per omnia Christus, id est, caput cum corpore splendebit, unde: **Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo** Joan. 3..

†9.8 *Præcepit illis.* Non vult gloriam regni futuri et triumphi quam in monte ostenderat publice prædicari: ne et incredibile esset pro magnitudine, et post tantam gloriam apud rudes animos sequens crux scandalum faceret.

‡9.9 *Verbum continuerunt.* HIER. Id est, cum absorpta mors fuerit in victoria, non erunt in memoria priora, cum abstulerit Dominus sordem filiæ Sion, auferens omnem lacrymam ab oculis sanctorum.

¶9.10 *Quid ergo.* Tradunt scribæ, secundum Malachiam, quod Elias veniet ante adventum Salvatoris, et reducet corda patrum ad patres eorum, et restituet omnia in antiquum statum. Existimant ergo discipuli hanc adventus gloriam esse, quam viderant in monte, et dicunt: Si jam venisti in gloria, quare præcursor tuus non apparet? maxime quia vident recessisse Eliam.

§9.11 *Restituet,* etc. Scilicet **convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres.** Restituet enim morti quod debet et diu vivendo sustulit, unde addit: **Quomodo scriptum.** Quasi dicat: Sicut de Christi passione prophetæ multifarie scripserunt: sic et Eliam multa passurus est. Restituet ergo omnia. Primo, corda hominum illius temporis ad credendum in Christo, resistendum Antichristo. Deinde, ponet animam pro Christo.

9.13 *Turbam magnam.* HIER. Non est requies sub sole: semper occidit parvulos invidia, magnos percutiunt fulgura montes, alii discentes cum fide, alii invidentes cum fastu, ad Ecclesiam veniunt. **Conquirentes. BEDA. Quid conquirant Evangelista non dicit, sed potest intelligi de hoc quæstionem motam fuisse, quare discipuli dæmoniaco qui in medio erat, non possent liberare: hoc enim ex sequentibus concipi potest.

††9.15 *Et interrogavit.* ID. Nota quod loca rebus congruunt. In monte orat, transformatur, discipulis arcana suæ majestatis aperit, in imo a turba excipitur, miserorum fletu pulsatur. Sursum discipulis mysteria regni reserat, deorsum turbis peccata infidelitatis exprobrat. Sursum vocem Patris his qui audire poterant pandit, deorsum malos spiritus expellit. Nunc pro meritorum qualitate aliis ascendere, aliis non desistit descendere. **Et interrogavit.** HIER. Scit et interrogat, ut confessio pariat salutem, et murmur cordis nostri sermonibus solvatur prius ut est: Dic iniquitates tuas prius, ut justificeris.

et non potuerunt.‡‡ 18 Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me.¶¶ 19 Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum: et elisus in terram, volutabatur spumans.‡‡ 20 Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia.* 21 et frequenter eum in ignem, et in aquas misit ut eum perderet: sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.† 22 Jesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. 23 Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrimis aiebat: Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam. 24 Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: et amplius ne introëas in eum. 25 Et exclamans, et multum discernens eum, exiit ab eo, et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus est.‡ 26 Jesus autem tenens manum ejus elevavit eum, et surrexit. 27 Et cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum? 28 Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.¶ 29 Et inde profecti prætergredebantur Galilæam: nec volebat quemquam scire. 30 Docebat autem discipulos suos, et dicebat illis: Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertia die resurget.§ 31 At illi ignorabant verbum: et timebant interrogare eum.** 32 Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat eos: Quid

‡‡9.17 *Et dixi discipulis.* Latenter culpam obliquat in discipulos, cum sæpe curatio non curantium, sed curandorum impediatur vitio.

¶¶9.18 *O generatio.* Non homini irascitur, sed vitio. Non tædio affectuum hoc dicit, sed ut medicus ægro contra præcepta agentis. Et arguit per unum Judæos incredulitatis.

‡‡9.19 *Statim spiritus.* Quia dum post peccatum ad Dominum converti volumus, magis a diabolo impugnamur, ut vel excutiat virtutem, vel vindicet suam expulsionem.

*9.20 *Ab infantia.* HIER. Significat gentilem populum cui natiuitate increvit cultus idolorum, ut stulte immolaret filios suos dæmoniis, unde sequitur:

†9.21 *Et frequenter eum,* etc. Alii enim ignem, alii aquam venerabantur. *Adjuva.* HIER. Credulitas nostra, ut rostrata lingua infirma est, nisi innixa adjutorio Dei. Fides cum lacrymis optata vota capit, ut est: *Fiat tibi secundum fidem tuam* Matth. 15..

‡9.25 *Discernens,* etc. HIER. Discernit diabolus appropinquantem ad salutem, quod est ei esca dilecta, quos in ventrem suum trahere desiderat per terrores et damna, ut Job: *Factus,* etc. ISID., RAB. etc. Sanatis enim dicitur: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* Col. 3.. Unde infirmitas Christianorum non est mors, sed mortis similitudo.

¶9.28 *Hoc genus nonullo.* HIER. Stultitia ad luxuriam carnis pertinet et jejunio sanatur. Ira et ignavia oratione depellitur. Medicina cujusque vulneris adhibenda est ei. Non sanat oculum quod calcaneum, jejunio passiones corporis, oratione sanantur pestes mentis.

§9.30 *Occident eum,* etc. Prosperis miscet tristitia, ut cum venerint, non impræmeditatis ferantur animis. Si contristat eos, quia occidendus est, debet lætificare quia die tertia resurrecturus est.

**9.31 *Ignorabant.* Non tam ingenii tarditate quam amore, quia Deum verum cognoverunt, moriturum credere nequibant. Et quia eis in figuris loqui consueverunt, horrentes ejus mortem, in his quoque eum loqui figurate putabant.

in via tractabatis?^{††} ³³ At illi tacebant: siquidem in via inter se disputaverunt: quis eorum major esset. ^{‡‡} ³⁴ Et residens vocavit duodecim, et ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister. ^{¶¶} ³⁵ Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum: quem cum complexus esset, ait illis:^{§§} ³⁶ Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me. ^{*} ³⁷ Respondit illi Joannes, dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum. [†] ³⁸ Jesus autem ait: Nolite prohibere eum: nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me:[‡] ³⁹ qui enim non est adversum vos, pro vobis est. ⁴⁰ Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. ⁴¹ Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis

^{††}9.32 *Capharnaum*. HIER. Villa consolationis: congruit prædictæ sententiæ: *Occisus die tertia resurget* Joan. 12.. Granum frumenti moritur, ut multiplicius colligatur: si non moritur, solum manet. *Quid in via*, etc. In via tractabant de principatu: similis tractatio loco. Principatus enim vi ingreditur, sic deseritur, et dum tenetur labitur: et incertum in qua mansione, id est, in qua die finiatur; unde dicit: *Qui vult esse primus*, etc.

^{‡‡}9.33 *Inter se disputaverunt*. BEDA. Hinc exorta videtur disputatio, quia viderant Petrum et Jacobum et Joannem seorsum ductos in montem, et aliquod secretum ibi esse creditum eis, sed et Petro, sicut Matthæus dicit, claves regni cælorum promissas, et Ecclesiam super petram fidei, a qua ipse nomen acceperit, ædificandam. Putabant ergo vel illos tres cæteris, vel omnibus Petrum esse prælatum.

^{¶¶}9.34 *Et residens*, etc. Illi euntes disputabant de principatu, et ipse sedens docet humilitatem. Principes enim laborant, humiles quiescunt. Desiderium gloriæ vult humilitate sanare, et primo simplici monet imperio, mox innocentiae puerilis exemplo.

^{§§}9.35 *Complexus*. Significat humiles dignos esse suo complexu, qui jure possunt gloriari et dicere: *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* Cant. 2..

^{*}9.36 *Quisquis unum*. Vel simpliciter pauperes Christi ab his qui velint esse majores, pro ejus honore ostendit esse recipiendos. Vel ipsos malitia parvulos esse suadet, ut tanquam parvuli simplices sint. *Et quicumque*. Quia in pueris se recipi docebat, ut caput in membris, ne putaretur hoc solum esse quod videbatur, adjunxit: *Et quicumque me susceperit*, etc.

[†]9.37 *Respondit illi*. Quia dixerat: *Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit, me recipit*, intelligit Joannes quod in nomine ejus eos non recipiant, qui non sincere ambulant; unde ait: *Magister, vidimus quemdam*. Quasi dicat: Hic in nomine tuo non debet suscipi. *Et prohibuimus eum*. Putavit eum excludendum a beneficio qui non utitur officio, sed docetur neminem a bono quod ex parte habet arcendum, sed ad hoc potius quod non habet provocandum: unde: *Nolite prohibere*.

[‡]9.38 *Nolite prohibere*. BEDA. Hinc Apostolus: *Sed sive occasione sive veritate Christus annuntietur*, etc., usque ad detestari et prohibere debemus.

si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur.[¶] 42 Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem,[§] 43 ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.^{**} 44 Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, 45 ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. 46 Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, 47 ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. 48 Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur.^{††} 49 Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.^{‡‡}

¶9.41 *Et quisquis scandalizaverit.* Quanquam hoc generale sit, potest tamen secundum consequentiam sermonis contra apostolos dici, qui de primatu disputabant et eos quos ad fidem vocabant, exemplo suo perdere poterant. BEDA. Nota quod in bono opere nostro aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando pro nihilo habendum: in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem pro veritate scandalum sumitur, utilius nasci permittitur quam veritas relinquatur. *Mola asinaria.* HIER. Secundum morem provinciæ, etc., usque ad tolerabilior utcunque eum inferni pœna cruciaret.

§9.42 *Et si scandalizaverit.* Quia supra docuit, ne scandalizemus eos qui credunt in eum, admonet quantum debemus eos cavere qui scandalizant. Græce offendiculum vel ruina vel impactio pedis. Vel, ut alii, scrupulus. Ille ergo scandalizat fratrem qui ei dicto vel facto occasionem ruinæ præbet. *Manus tua.* Amicus, cujus ope et consilio indigemus quotidie. Sed si hic lædere in causa animæ voluerit, excludendus est a nostra societate, ne si cum perditio in hac vita partem habere volumus, simul cum illo pereamus. *Quam duas manus.* HIER. Duæ manus principatus, humilitas et superbia. Abscinde superbiam, tene humile principatum.

**9.43 *Ubi vermis.* BEDA. Fetor vermium de corruptione carnis et sanguinis, ideoque caro recens sale conditur, ut exsiccat humore sanguineo, vermis esse nequeat. Caro ergo et sanguis vermes creat, quia delectatio carnalis cui condimentum continentia non resistit, pœnam luxuriosis generat æternam. Debemus ergo corpus continentia sale, et mentem condimento sapientia ab erroris et vitiorum labe castigare.

††9.48 *Omnis enim igne.* Quia tertio mentionem fecit ignis et vermis, ostendit quomodo utrumque valeamus vitare. *Omnis enim igne,* mire dictum est: Quod enim sale salitur, vermis putredinem arcet. Quod vero igne, id est, in igne, asperso sale carnem quoque consumit. Hæc secundum legem in hostiis fiebant quæ in altari cremabantur, ubi in omni victima et sacrificio sal offerri præceptum est. *Omnis victima sale salietur.* Ille enim vere Domini victima est qui corpus et animam, etc., usque ad dilectos et proximos nobis abnegare. *Omnis victima sale salietur.* HIER. Victima genus humanum, quod hic sapientia sale vel ratione salitur, dum corruptio sanguinis, custodia putredinis, et mater vermium hic consumitur, et post purgatorio igne examinabitur.

‡‡9.49 *Quod si sal,* etc. Id est, si quis semel condimentis veritatis reffectus ad apostasiam redierit: quo alio doctore corrigitur, qui eam quam gustavit sapientiam, vel adversis territus, vel prosperis illectus respuit? Unde: *Quis medebitur incantatori a serpente percusso?* Eccli. 12. In hoc Judam et socios ejus significare creditur, qui phylargyria corruptus, et apostolatam perdere, et Dominum tradere non dubitavit. Quia autem sunt multi quos dum major scientia erigit, ab aliorum societate disjungit, et quo plus sapiunt, eo plus a concordia virtute desipiunt. subjungit: *Habete in vobis sal et pacem.* BEDA. Habere sal sine pace, non virtutis est donum, sed damnationis argumentum. Quo enim quisque melius sapit, eo deterius delinquit.

10 Et inde exsurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem: et conveniunt iterum turbæ ad eum: et sicut consueverat, iterum docebat illos.^{¶¶} ²Et accedentes pharisæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere: tentantes eum.^{§§} ³At ille respondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses? ⁴Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere. ⁵Quibus respondens Jesus, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud: ⁶ab initio autem creaturæ masculinum et feminam fecit eos Deus. ⁷Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit ad uxorem suam: ⁸et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.[†] ⁹Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.[‡] ¹⁰Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum.[¶] ¹¹Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.[§] ¹²Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nuserit, mœchatur. ¹³Et offerebant illi parvulos ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus.^{**} ¹⁴Quos cum videret Jesus, indigne tulit, et ait illis: Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei.^{††} ¹⁵Amen dico vobis: Quisquis non receperit reg-

^{¶¶}10.1 *Et inde exsurgens.* Hucusque ea quæ in Galilæa fecit et docuit: hinc narrat quæ in Judæa fecit, et docuit, et passus est. Et primo quæ trans Jordanem ad orientem: deinde quæ cis Jordanem, quando venit Jericho, et Bethaniam, et Jerusalem. Cum enim omnis Judæorum provincia generaliter ad distinctionem aliarum gentium Judæa dicta sit, specialius tamen meridiana plaga dicitur Judæa ad distinctionem Galilææ Decapolis, et cæterarum in eadem provincia regionum.

^{§§}10.2 *Pharisæi interrogabant.* Magna distantia inter turbas et Phariseos. Hæ conveniunt, ut doceantur, et infirmi curentur, sicut Matthæus aperte dicit: Illi ut tentando decipiant. Has enim devotio pietatis: illos adducit stimulus livoris. *Si licet viro.* BEDA. Cornuto syllogismo tentavit, etc., usque ad sed peccantium necessitate concessa est.

^{*}10.5 *Ad duritiam cordis.* ID. Nunquid Deus contrarius sibi est, etc., usque ad per odia et homicidia perseverare nuptiarum copulam.

[†]10.8 *Et erunt,* etc. Præmium nuptiarum est e duobus unam carnem fieri. Castitas juncta spiritui unus spiritus efficitur.

[‡]10.9 *Homo non separet.* Desiderio secundæ uxoris. Deus separat: qui conjungit, quando ex consensu utriusque propter servitutem Dei (eo quod tempus breve sit), sic habent uxores quasi non habentes.

[¶]10.10 *Et in domo,* etc. HIER. Non discipuli interrogaverunt prius, etc., usque ad ut panis cor hominis confirmet, ut est: *Si quis vult post me venire* Luc. 9., etc.

[§]10.11 *Quicumque dimiserit.* BEDA. Matthæus plenius: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur* Matth. 5.. Una ergo solummodo causa est carnalis, fornicatio: una spiritualis, timor Dei, ut uxor dimitatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur. Nulla autem causa est Dei lege præscripta, ut alia ducatur vivente ea quæ est relicta.

^{**}10.13 *Discipuli autem comminabantur offerentibus.* Non quia nollent eis et manu et voce Salvatoris benedici, sed nondum plenam fidem habentes putabant eum more hominum offerentium importunitate lassari.

^{††}10.14 *Talium enim est regnum Dei.* Talium significanter dicit, non istorum. Quasi dicat: Mores regnant, non ætas. His promittitur regnum cœlorum qui similem habent simplicitatem et innocentiam, quibus congruit illud apostolis: *Nolite effici parvuli sensibus, sed malitia parvuli estote* I Cor. 14..

num Dei velut parvulus, non intrabit in illud.^{‡‡} 16 Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos. 17 Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam?^{¶¶} 18 Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus.^{§§} 19 Præcepta nosti: ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudum feceris, honora patrem tuum et matrem. * 20 At ille respondens, ait illi: Magister, hæc omnia observavi a juventute mea.[†] 21 Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei: Unum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo: et veni, sequere me.[‡] 22 Qui contristatus in verbo, abiit mœrens: erat enim habens multas possessiones. 23 Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt![¶] 24 Discipuli autem obstupescabant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens ait illis: Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire! 25 Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.[§] 26 Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos: Et quis potest salvus fieri?^{**} 27 Et intuens illos Jesus, ait: Apud homines impossibile

^{‡‡}10.15 *Quisquis non receperit regnum.* Qui non perseverat in ira, læsus non meminit, videns pulchram mulierem non concupiscit, non aliud habet in ore, aliud in corde. Quasi dicat: Si tales non fueritis, non intrabitis in regnum cœlorum. **Regnum Dei.** Id est, doctrinam Evangelii sicut parvuli accipere jubemur, id est, sicut parvulus doctoribus non contradicit, rationes adversus eos non componit, sed fideliter suscipit, cum metu obtemperat et quiescit: ita et nos obediendo simpliciter, et sine omni contradictione verba Domini debemus suscipere.

^{¶¶}10.17 *Procurrens quidam genu.* BEDA. Audierat, credo, iste a Domino tantum eos qui volunt parvulis esse similes introitu regni cœlestis esse dignos, et ideo certior esse desiderat, non per parabolas, sed aperte: quibus operum meritis vitam æternam consequi possit.

^{§§}10.18 *Quid me dicis.* ID. Quia magistrum vocaverat bonum, etc., usque ad sed absque Deo, nullum bonum esse testatur.

^{*}10.19 *Ne adulteres.* ID. Hæc est puerilis innocentia castitas, quæ nobis imitanda proponitur, si regnum Dei intrare velimus. Notandum sane, quod justitia legis suo tempore custodita, non solum bona temporalia, sed etiam vitam conferebat æternam.

[†]10.20 *Magister.* ID. Non putandus est voto tentantis, etc., usque ad unde addit: **Vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus** Matth. 5., etc.

[‡]10.21 *Et veni, sequere me.* ID. Quasi dicat: Post contemptas divitias Salvatorem imitare, id est, relictis malis fac bona. Facilius saccus contemnitur quam concupiscentia vel voluptas.

[¶]10.23 *Quam difficile.* ID. Qui multiplicandis divitiis incumbunt, etc., usque ad intrare possint regnum Dei.

[§]10.25 *Facilius est camelum.* Quomodo ergo in Evangelio Matthæus et Zachæus, et Joseph et in Veteri Testamento quam plurimi divites intravere? Forte quia divitias pro nihilo habuere vel ex toto contemnere didicerunt, unde David: **Unicus et pauper sum ego** Psal. 24.. Et idem: **Divitiæ si affluent, nolite cor apponere** Ibid. 61.. Non ait, nolite suscipere.

^{**}10.26 *Et quis potest.* Cum plures sint pauperes quam divites, non hoc dixissent nisi in divitum numero intellexissent cunctos qui divitias adipisci vellent.

est, sed non apud Deum: omnia enim possibilia sunt apud Deum.^{†† 28} Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.^{‡‡ 29} Respondens Jesus, ait: Amen dico vobis: Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me et propter Evangelium,³⁰ qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc: domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam.^{¶¶ 31} Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.^{§§ 32} Erant autem in via ascendentes Jerosolymam: et præcedebat illos Jesus, et stupebant: et sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei eventura.^{*}
³³ Quia ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus:
³⁴ et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum: et tertia die resurget.
³⁵ Et accedunt ad eum Jacobus et Joannes filii Zebedæi, dicentes: Magister, volumus ut quodcumque petierimus, facias nobis.^{† 36} At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis?
³⁷ Et dixerunt: Da nobis ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.
³⁸ Jesus autem ait eis: Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?[‡]
³⁹ At illi dixerunt ei: Possumus. Jesus autem ait eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis; et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini.^{¶ 40} sedere autem ad dexteram

^{††}10.27 *Apud Deum.* Qui a cupiditate terrenorum ad charitatem æternorum convertere potest, et superbos facere humiles.

^{‡‡}10.28 *Ecce nos dimisimus.* Grandis fiducia: piscator erat, dives non erat, victum manu et arte quærebat, et tamen confidenter dicit: *Ecce nos reliquimus omnia. Et secuti sumus.* Quia non sufficit sic dimittere, jungit quod perfectum est, *et secuti sumus te.* Quasi dicat: Fecimus quod jussisti: quid ergo dabis præmii?

^{¶¶}10.30 *Centies tantum.* BEDA. Hac occasione quidam Judaicam mille annorum fabulam post resurrectionem justorum dogmatizant, etc., usque ad patriæ cœlestis, quæ per dexteram significatur, omnium pariter electorum verissima dilectione fruuntur.

^{§§}10.31 *Multi autem.* Quia multi incipiunt sed non perficiunt, terribilis sententia subditur: *Multi autem,* etc. Latro in cruce confessor eodem die quo pro peccatis suis crucifixus est, gratia fidei cum Christo in paradiso gaudet. Quotidie quoque videmus multos laicos magis vitæ meritis excellere, et alios a prima ætate spirituali studio ferventes, ad extremum otio torpescere.

^{*}10.32 *Et stupebant.* Ideo scilicet quia meminerant quod se passurum multa a summis sacerdotibus et scribis prædixerat, et occidendum. Metuebant ergo ne vel ipsi cum eo occiderentur, vel ille, cujus vita et magisterio gaudebant, occideretur. *Et assument.* BEDA. Prævidens discipulorum animos ex passione sua perturbandos, etc., usque ad locum mortis quasi intrepidus adit.

[†]10.35 *Et accedunt.* Audita resurrectione, immemores secundi adventus putant eum more hominum regnare. Matthæus dicit matrem postulasse, sed Marcus dicit ipsos, desiderium eorum volens aperire quorum consilio mater petebat.

[‡]10.38 *Aut baptismo.* Idem quod calix. Unde alibi de passione sua dicit: *Baptismo habeo baptizari: et quomodo coarctor usque dum perficiatur.*

[¶]10.39 *Calicem quidem.* BED. Jacobus ab Herode capite truncatur, Joannes in fermentis olei dolium missus. Inde ad coronam martyrii athleta Christi processit, statimque in Pathmos relegatus. Itaque et martyrio animo non defuit, et calicem confessionis bibit quem biberunt in camino tres pueri, licet persecutor sanguinem non fuderit.

meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.^{§ 41} Et audientes decem, cœperunt indignari de Jacobo et Joanne.^{** 42} Jesus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis: et principes eorum potestatem habent ipsorum.^{†† 43} Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister:⁴⁴ et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus.⁴⁵ Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis.⁴⁶ Et veniunt Jericho: et proficiscente eo de Jericho, et discipulis ejus, et plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat juxta viam mendicans.^{‡‡ 47} Qui cum audisset quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare, et dicere: Jesu fili David, miserere mei.^{¶¶}
⁴⁸ Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili David, miserere mei.^{§§ 49} Et stans Jesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum, dicentes ei: Animæquior esto: surge, vocat te.^{* 50} Qui projecto vestimento suo exiliens, venit

§10.40 *Sedere autem.* Quasi, Vultis ut hoc tribuam vobis? Sed regnum cœlorum non est dantis, sed accipientis. **Non enim personarum acceptio est apud Deum** Act. 10., sed quicumque dignus fuerit, accipiet quod non personæ sed vitæ paratum. **Vobis.** Adhuc superbis, quasi dicat: Si vultis accipere, nolite esse quod estis: aliis paratum est, et vos alii estote, et vobis paratum est, quod est, prius humiliamini qui jam vultis exaltari.

**10.41 *Indignati sunt.* Non de matre, sed de filiis, qui ignorantes mensuram suam immodica cupiditate ardebant.

††10.42 *Jesus autem vocans eos.* Humilis magister, et pius et mitis, nec cupiditatis immodicæ duos arguit, nec decem indignationis increpat et livoris, sed docet majorem esse qui minor fuerit, et dominum qui servus sit. Frustra igitur, aut illi ad majora suspirant aut hi super desiderio eorum dolent, cum ad summam virtutum non potentia sed humilitas ducat. Suis denique proponit exemplum, ut si dicta parvipenderent, ad opera erubescerent. **Nam et Filius hominis, etc.**

‡‡10.46 *Et veniunt Jericho.* HIER. Jericho luna vel anathema, quod congruit appropinquanti passioni. Defectus carnis Christi, præparatio est cœlestis Jerusalem, unde Jericho deserentes, Jerusalem, id est visioni pacis, appropinquant. **Et proficiscente eo.** BEDA. Quia ascendente ad cœlos Domino et fidelibus sequentibus, etc., usque ad eosque ad illuminationem omnium populorum in mundum dispersit. **Bartimæus cæcus.** HIER. Cæcitas Judæorum quæ illustrabitur in fine in adventu Eliæ et Enoch.

¶¶10.47 *Qui cum audisset.* Populus gentium audita fama Christi, cujus particeps quærebat fieri, contradicebant multi, primo Judæi post etiam gentiles, ne illuminandus sanandusque mundus Christum invocaret, nec tamen ad vitam præordinatos æternam poterat impugnantium furor prohibere. **Fili David.** HIER. Per merita patriarcharum illuminatur Judaicus populus, cui adest misericors Deus et miserator illuminans cæcos et erigens elisos.

§§10.48 *At illo multo magis.* Ingravescente bello vitiorum, manus levandæ sunt ad lapidem adjutorii cum clamore, id est, ad Jesum. HIER. Conveniens ordo salutis, etc., usque ad apostolos in altis considerans.

*10.49 *Et vocant cæcum.* BEDA. Allegorice, cæcum clamantem Dominus vocat, dum populo gentium scientiam veritatis desideranti, per sanctos prædicatores verbum fidei committit. Qui vocantes cæcum animæquiorum esse et surgere, ad eumque venire, præcipiunt, cum prædicando spem salutis habere, de vitiorum torpore surgere, atque ad virtutum studia quibus illuminari mereatur, accingi jubent quasi dicat: **Accedite ad eum et illuminamini** Psal. 33.. **Et, surge qui dormis** Ephes. 5., etc.

ad eum.[†] 51 Et respondens Jesus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni, ut videam.[‡] 52 Jesus autem ait illi: Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur eum in via.[¶]

11 Et cum appropinquarent Jerosolymæ et Bethaniæ ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis suis,[§] 2 et ait illis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: solvite illum, et adducite.^{**} 3 Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est: et continuo illum dimittet huc. 4 Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio: et solvunt eum.^{††} 5 Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum? 6 Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus, et dimiserunt eis.^{‡‡} 7 Et duxerunt pullum ad Jesum: et imponunt illi vestimenta sua, et sedit super eum.^{¶¶} 8 Multi autem vestimenta sua straverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, et sternebant in via.^{§§} 9 Et qui præibant, et qui sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna: benedictus

[†]10.50 **Qui, projecto vestimento suo.** Id est, abjectis mundi curis, expedito mentis gressu ad datorem lucis properat. **Exsiliens.** Promptam voluntatem completionem desiderii remunerat, unde: **Quodcumque petieritis in oratione credentes accipietis.**

[‡]10.51 **Rabboni, et videam.** Non aurum quærit, sed lumen. Cæcus enim divitias habere potest, sed non videt quod habet. Exemplo hujus non falsas divitias quæramus, sed lucem quam cum solis angelis videre possumus ad quam via fides est. Unde illuminato cæco dicitur: **Vade, fides tua salvum te fecit.**

[¶]10.52 **Vidit et sequebatur.** BEDA. Videt et sequitur qui quod bene intelligit operatur. Sequi, imitari. Unde: **Si quis mihi ministrat, me sequatur** Joan. 12.. **In via.** Consideremus qua via graditur, et sequamur per humilitatem, per labores. Via quæ dicit: **Ego sum via, veritas et vita** Joan. 14.. Hæc est via angusta quæ ducit ad ardua, Hierosolymæ et Bethaniæ ad montem Olivarum, qui est mons luminis et consolationis.

[§]11.1 **Bethaniæ.** BEDA. Bethania villa sive civitas in latere montis Oliveti, etc., usque ad duos propter veritatis scientiam et operis munditiam. **Duos ex discipulis.** HIER. Bini vocantur, bini mittuntur, etc., usque ad inter duo cherubim Dominum cognoscant, spiritu mente psallentes.

^{**}11.2 **Et statim.** BEDA. Introeuntes mundum prædicatores invenerunt populum nationum, etc., usque ad qui autem mundus et sanctus est, solius Dei est.

^{††}11.4 **Pullum ligatum.** HIER. Pullus ligatus et indomitus, quem solvunt et domant, populus gentilis est. Ante januam fidei, cum vinculis peccatorum suorum in bivio stat: in libertate arbitrii dubitat inter mortem et vitam.

^{‡‡}11.6 **Et dimiserunt.** BEDA. Qui in solvendo contradicebant, etc., usque ad quo Christo sessore fiant digna operiunt.

^{¶¶}11.7 **Et sedit.** HIER. Cœpit regnare ut non regnet peccatum in mortali vel lasciva carne: sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto.

^{§§}11.8 **Multi autem straverunt.** Quia multi martyres se propriæ carnis amictu exeuntes, simplicioribus viam suo sanguine parant, ut inoffensi ad supernam civitatem, ad quam ducit Jesus, incedant. HIER. **Multi,** etc. Pedes sunt extremi quos ad jungendum constituit Apostolus, qui etsi non sunt dorsum in quo sedit Dominus, tamen cum militibus a Joanne instruuntur. **Alii autem.** ID. Justi ut palma floreant, angusti in radicibus, lati in floribus et fructibus: quoniam bonus odor Christi sunt, et sternunt viam mandatorum Dei bona fama. BEDA. Alii autem frondes vel ramos de arboribus cædunt, qui in doctrina veritatis verba et sententias Patrum de eorum excerptunt libris. Et hæc in via Dei ad animum auditoris venientis humili prædicatione submittunt.

qui venit in nomine Domini.*¹⁰ benedictum quod venit regnum patris nostri David: hosanna in excelsis.[†]¹¹ Et introivit Jerosolymam in templum: et circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.[‡]¹² Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit.¹³ Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea: et cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.¹⁴ Et respondens dixit ei: Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli ejus.[¶]¹⁵ Et veniunt in Jerosolymam. Et cum introisset in templum, cœpit ejicere vendentes et ementes in templo: et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit:[§]¹⁶ et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum:^{**}¹⁷ et docebat, dicens eis: Nonne scriptum est: Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem fecistis eam speluncam latronum.¹⁸ Quo auditio principes sacerdotum et scribæ, quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus.¹⁹ Et cum vespera facta esset, egrediebatur de

*11.9 *Et qui præibant.* Præcessit Judaicus populus, secutus est gentilis. Et quia omnes qui fideles sunt vel fuerunt in Christum crediderunt et credunt, et qui præeunt, et qui sequuntur, hosanna clamant: quod Salva nos, Latine dicitur: ab ipso enim omnes priores etiam salutem quæsierunt.

†11.10 *Benedictus qui venit.* Quoniam una fides, una spes omnium. Illi exspectabant et venturum credebant, et nos venisse credimus. BEDA. Per hoc quod jungitur: hosanna in excelsis: quod est salus, significat quod adventum Christi non solum hominum salus est, sed totius mundi terrena jungens cœlestibus, ut *ei omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* Philip. 2.. HIER. Hoc Gabrieli consonat: qui ait: *Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur*, etc., usque ad per ipsum verbum obsecrationis.

‡11.11 *Et introivit.* ID. Jam appropinquante passione in loco passioni præfinito ante sæcula vult esse, etc., usque ad jam sacramentum beatæ immolationis inchoavit. *In templum.* Exemplum dedit nobis, ut quocumque veniremus, primum ad domum orationis si ibi sit divertamus: et cum nos per orationis studium Deo commendaverimus, ad ea propter quæ venimus agenda secedamus. *Et circumspectis*, etc. Non semel hoc fecit, sed per omnes quinque dies. Per diem in templo docebat, noctibus exiens in monte Oliveti morabatur, sicut Lucas ait. Docendo enim incredulis officium correctionis sedulus impendebat, manendo apud fideles gratiam benignitatis propitius exhibebat. *Cumque vidisset.* BEDA. Sicut per parabolas loquitur, ita facit, etc., usque ad miracula faciendo, et non invenit: ideo damnavit.

¶11.14 *Jam non amplius.* ID. Tu quoque si non vis audire in judicio a Christo, *Discedite a me, mali, in ignem æternum, quia esurivi et non dedistis mihi, manducandum* Matth. 25., arbor sterilis esse caveto, sed potius Christo pauperi et esurienti fructum pietatis quo indiget offer.

§11.15 *Cœpit ejicere.* In ipsa re ostendit quod per figuram in ficu fecit. Ficus enim non peccavit si ante tempus fructum non habuit, sed sacerdotes. *Vendentes.* BEDA. Ea scilicet quæ qui de longinquo venerunt ab indigenis offerenda emebant, etc., usque ad semper privantur sacerdotio.

**11.16 *Et non sinebat.* Futuri iudicii exemplum præmittit, quando omnes reprobos ab Ecclesia repellit: et ne ultra ad eam turbendam intrent æterno verberare compescit. *Vos autem fecistis.* Ad hoc enim in templo erant, ut vel non dantes corporaliter persequerentur, vel dantes spiritualiter necarent. Templum et domus Dei mens est et conscientia fidelium, quæ in læsione proximi perversas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones resident, et simpliciter gradientes interficiunt: et sic mens jam non domus Dei, sed spelunca est latronum.

civitate. ²⁰ Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus. ^{††} ²¹ Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit. ^{‡‡} ²² Et respondens Jesus ait illis: Habete fidem Dei. ²³ Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. ^{¶¶} ²⁴ Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. ²⁵ Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quis habetis adversus aliquem: ut et Pater vester, qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra. ^{§§} ²⁶ Quod si vos non dimiseritis: nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra. ²⁷ Et veniunt rursus Jerosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, et scribæ, et seniores: ²⁸ et dicunt ei: In qua potestate hæc facis? et quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias? ^{*} ²⁹ Jesus autem respondens, ait illis: Interrogabo vos et ego unum verbum, et respondete mihi: et dicam vobis in qua potestate hæc faciam. [†] ³⁰ Baptismus Joannis, de cælo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. ³¹ At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus: De cælo, dicet: Quare ergo non credidistis ei? [‡] ³² Si dixerimus: Ex hominibus, timemus populum: omnes enim habebant Joannem quia

^{††}11.20 *Aridam factam.* BEDA. A radicibus arefacta est ficus, ut ostenderetur gens impia non ad tempus, vel ex parte corripienda externorum incursum, et per pœnitentiam liberanda, sicut sæpe factum est, sed omni et æterna damnatione ferienda. Aliter. Arefacta est a radicibus, ut ostendatur non solum humano extrinsecus, sed divino intus favore funditus destituenda: nam et vitam perdidit in cœlis et patriam in terris.

^{‡‡}11.21 *Recordatus Petrus.* Petrus agnoscit aridam, et abscissam radicem cui succedit oliva pulcherrima fructifera vocata a Domino. Unde sequitur: **Amen, dico vobis,** etc.

^{¶¶}11.23 *Quicumque dixerit.* BEDA. Solent quidam dicere, quod nostri nondum plenam fidem habuerunt, etc., usque ad quanto a piorum læsione se expulsus gemit. HIER. Sed hoc factum est: quando dixerunt apostoli: **Digne transferimur ad gentes, quia vos indignos judicatis** Matth. 21.. BEDA. Notanda est distinctio deprecantium, etc., usque ad si tamen in se peccantibus primo dimittunt.

^{§§}11.25 *Et cum stabitis.* HIER. Marcus suo more, septem versus orationis Dominicæ una oratione comprehendit. Is namque cui dimissa sunt omnia, quid amplius rogabit, nisi quod perseveret in eo quod obtinuit?

^{*}11.28 *In qua potestate.* De Dei dubitant potestate, et volunt subintelligi diaboli esse quod facit.

[†]11.29 *Interrogabo.* Poterat aperta responsione calumniam tentatorum confutare: sed prudenter interrogat, ut vel silentio suo vel sententia condemnentur.

[‡]11.31 *Si dixerimus.* HIER. De lucerna mundi obscurantur, unde dicit: **Paravi lucernam Christo meo: inimicos ejus induam confusione** Psal. 131.. **Quare ergo,** etc. Quasi dicat: Quem confitemini de cælo habuisse prophetiam, mihi testimonium perhibuit et ab illo audistis in qua potestate hæc facio.

vere propheta esset.^{¶ 33} Et respondentes dicunt Jesu: Nescimus. Et respondens Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.[§]

12 Et cœpit illis in parabolis loqui: Vineam pastinavit homo, et circumdedit sepem, et fodit lacum, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.^{** 2} Et misit ad agricolas in tempore servum ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.³ Qui apprehensum eum ceciderunt, et dimiserunt vacuum.⁴ Et iterum misit ad illos alium servum: et illum in capite vulneraverunt, et contumeliis affecerunt.⁵ Et rursum alium misit, et illum occiderunt: et plures alios: quosdam cædentes, alios vero occidentes.⁶ Adhuc ergo unum habens filium carissimum, et illum misit ad eos novissimum, dicens: Quia verebuntur filium meum.^{†† 7} Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est hæres: venite, occidamus eum: et nostra erit hæreditas.^{‡‡ 8} Et apprehendentes eum, occiderunt: et ejecerunt extra vineam.^{¶¶ 9} Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet, et perdet colonos, et dabit vineam aliis.¹⁰ Nec scripturam hanc legistis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli:^{§§ 11} a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?¹² Et quærebant eum tenere: et timuerunt turbam: cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.¹³ Et mittunt ad eum quosdam ex pharisæis, et herodianis, ut eum caperent in verbo.^{* 14} Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, et non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Licet dari tributum Cæsari, an

[¶]11.32 *Si dixerimus.* Quodlibet horum respondeant: vident se in laqueum ruituros, timent lapidationem: sed magis confessionem veritatis.

[§]11.33 *Neque ego dico vobis.* BED. Duabus de causis scientia veritatis occultatur quærentibus, cum aut hic cui quærit minus intelligit, aut odio aut contemptu veritatis indignus est qui debeat aperiri. Propter alterum dicitur: *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo.* Propter alterum, *Nolite sanctum dare canibus.*

^{**}12.1 *Lacum,* sive torcular aut altare, aut illa torcularia quorum titulo quidam psalmi prænotantur. *Peregre profectus.* Dans liberum arbitrium operandi non mutatione loci, quia ubique Deus, et omnia complet.

^{††}12.6 *Quia verebuntur.* Non hoc ignorando dixit, quia omnia novit, sed semper ambigere dicitur Deus, ut libera voluntas homini reservetur. BEDA. Interrogamus Arium, et Eunomium, ecce pater dicitur ignorare, et sententiam temperat, et quantum in nobis est dicitur esse mentitus. Quidquid pro patre responderint, hoc intelligant pro filio, qui se dicit ignorare consummationis diem.

^{‡‡}12.7 *Coloni autem.* ID. Probat Judæorum principes non per ignorantiam Christum crucifixisse, etc., usque ad et suam justitiam quæ ex lege est, præferre nitebantur.

^{¶¶}12.8 *Et ejecerunt.* Notat pertinaciam eorum: qui nec crucifixo ac resuscitato Domino ad prædicationem apostolorum credere voluerunt, sed quasi vile cadaver projecerunt: quia quantum in se erat, a suis finibus excludentes gentibus suscipiendum dederunt. BEDA. Cuicumque fidelium mysterium baptismi, etc., usque ad Dominum crucifigere et ostentatui habere gaudebit.

^{§§}12.10 *Lapidem quem reprobaverunt.* HIER. Lapis reprobus, quem gessit angulus, conjungens in coena agnum cum pane, finiens Vetus, Novum inchoans Testamentum, hic præstat mira in oculis nostris.

^{*}12.13 *Et mittunt ad eum.* BEDA. Turbam timebant, atque quod per se non poterant, etc., usque ad et regnum et omnia perdere maluerint, quam esse tributarii.

non dabimus?[†] ¹⁵ Qui sciens versutiam illorum, ait illos: Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam.[‡] ¹⁶ At illi attulerunt ei. Et ait illis: Cujus est imago hæc, et inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. ¹⁷ Respondens autem Jesus dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.[¶] ¹⁸ Et venerunt ad eum sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse: et interrogabant eum, dicentes:[§] ¹⁹ Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cujus frater mortuus fuerit, et dimiserit uxorem, et filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, et resuscitet semen fratri suo. ²⁰ Septem ergo fratres erant: et primus accepit uxorem, et mortuus est non relicto semine.^{**} ²¹ Et secundus accepit eam, et mortuus est: et nec iste reliquit semen. Et tertius similiter. ²² Et acceperunt eam similiter septem: et non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est et mulier. ²³ In resurrectione ergo cum resurrexerint, cujus de his erit uxor? septem enim habuerunt eam uxorem. ²⁴ Et respondens Jesus, ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei? ²⁵ Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in cælis.^{††} ²⁶ De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum, quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob?^{‡‡} ²⁷ Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis. ²⁸ Et accessit unus de scribis, qui audierat illos

[†]12.14 *Magister, scimus.* ID. Blanda et fraudulenta interrogatio ad hoc provocat respondentem, ut magis Deum quam Cæsarem timeat, et dicat non debere tributa solvi, ut audientes Herodiani seditionis contra Romanos auctorem teneant.

[‡]12.15 *Qui sciens versutiam.* Qui putant interrogationem Salvatoris ignorance esse, non dispensationem, ex hoc loco discant, quod potuit scire cujus imago esset. Sed interrogat, ut ad sermonem eorum competenter respondeat. *Denarium.* Denarius genus nummi qui pro decem nummis computatur, et habet imaginem Cæsaris.

[¶]12.17 *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris.* Hoc ipse fecit: pro se et pro Petro solvendo tributa. *Quæ sunt Dei Deo.* Hoc quoque fecit Patris implens voluntatem. Aliter: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Impressionem suæ imaginis. *Quæ sunt Dei Deo.* Animam lumine vultus ejus illustratam, Unde: *Signatum est super nos lumen vultus tui* Psal. 4., etc.

[§]12.18 *Sadducæi,* etc. Duæ hæreses erant in Judæis, Phariseorum et Sadducæorum. Pharisei traditionum et observationum (quas illi vocant) justitiam præferant: unde et divisi vocantur a populo. Sadducæi autem, id est, justi, et corporis et animæ resurrectionem negabant. *Sadducæi,* etc. BEDA. Qui resurrectionem corporum esse negant, vel non credunt animas judicantes interire cum corporibus; recte hujusmodi fabulam fingunt, quæ deliramenti arguat eos quiasserunt resurrectionem corporum. Potuit autem et in gente eorum aliquando hoc accidere.

^{**}12.20 *Septem ergo,* etc. ID. Turpitudinem fabulæ opponit, ut resurrectionem negent. Sed mystice, septem fratres sine filiis defuncti, omnibus reprobis congruunt: qui per totam vitam (quæ septem diebus volvitur) a bono opere steriles sunt, quibus viritim morientibus ad ultimum et ipsa mundana conversatio moritur, id est, transit, quasi uxor infecunda, quam illi sine fructu boni operis exegerunt. HIER. Mulier sterilis, nec relinquens semen ex septem fratribus, etc., usque ad quia *initium sapientiæ timor Domini.*

^{††}12.25 *Neque nubent, neque,* etc. BEDA. Græco idiomati Latina consuetudo non respondet: nubere enim proprie mulieres dicuntur: et viri ducere. Sed nos simpliciter dictum intelligamus, *neque nubent* viri, *neque nubentur* mulieres.

^{‡‡}12.26 *Ego sum Deus,* etc. BED. Cum multa apertiora testimonia de resurrectione posset proferre, etc., usque ad quæ cum animabus vel bona vel mala gesserunt.

conquirentes, et videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum.[¶] 29 Jesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est: 30 et diliges Dominum Deum tuum ex tota corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. 31 Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est. 32 Et ait illi scriba: Bene, Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum.^{§§} 33 Et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine, et diligere proximum tamquam seipsum, majus est omnibus holocaustibus, et sacrificiis. 34 Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.* 35 Et respondens Jesus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt scribæ Christum filium esse David? 36 Ipse enim David dicit in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.[†] 37 Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde est filius ejus? Et multa turba eum libenter audivit. 38 Et dicebat eis in doctrina sua: Cavete a scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro,[‡] 39 et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discutitus in cœnis: 40 qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius iudicium.[¶] 41 Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, et multi divites jactabant

[¶]12.28 *Interrogavit eum.* HIER. Quid sibi vult hæc quæstio, cum hoc sciant omnes periti in lege? Sed diverse in Exodo et Levitico et Deuteronomio ordinantur mandata. De his enim duobus uberibus super pectora sponsæ levatis nostra infantia. *Primum omnium*, etc. Maximum quod ante omnia debemus in corde, quasi unicum pietatis fundamentum locare, hoc est, scilicet cognitio atque confessio divinæ unitatis cum executione divinæ operationis, quæ in dilectione Dei et proximi perficitur: hæc est *fides quæ per dilectionem operatur*.

^{§§}12.32 *Bene magister.* BEDA. Ostendit scriba in hac responsione inter scribas et Pharisæos gravem quæstionem diu versatam esse, etc., usque ad nemo autem absque fide et dilectione in qua sententia scriba iste declarat se fuisse.

*12.34 *Non longe es a regno Dei*, etc. ISID. Quamvis ad tentandum venerit: longior namque est ignorantia quam scientia, ut Sadducæis dicitur: *Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei* Matth. 22.. BEDA. Matthæus dicit, quia tentando quærebat, etc., usque ad secundum illud: *Qui facile credit levis est corde, et minorabitur* Eccl. 19.. *Et nemo.* Quia in sermonibus confutantur, ultra non interrogant; sed aperte comprehensum Romanæ potestati tradunt, unde patet venena invidiæ superari posse, sed difficile quiescere.

[†]12.36 *Sede a dextris.* Nam in hoc infirmitatem filii, sed quia alter in altero operatur ostendit. Nam et filius subjicit inimicos Patri, et Deum Patrem glorificat super terram.

[‡]12.38 *Cavete.* BEDA. Nota, quia non vetat eos qui hujus officii sunt, etc., usque ad simulationem seducamur, vel æmulatione ad idem inflammemur.

[¶]12.40 *Qui devorant domos viduarum.* Quasi patroni in iudicio futuri, ab infirmis et peccatorum conscientia turbatis pecuniam accipere non dubitant: cum commendet Deo orationem manus porrecta ad dandum, non collecta ad accipiendum: quibus illud congruit: *Oratio ejus fiat in peccatum.*

multa.^{§ 42} Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans,^{** 43} et convocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.⁴⁴ Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum.^{††}

13 Et cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, et quales structuræ.^{‡‡ 2} Et respondens Jesus, ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruat. ³ Et cum sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas:^{¶¶ 4} Dic nobis, quando ista fient? et quod signum erit, quando hæc omnia incipient consumari? ⁵ Et respondens Jesus cœpit dicere illis: Videte ne quid vos seducat.^{§§ 6} multi enim venient in nomine

§12.41 *Gazophylacium*. BEDA. Græce, servare Latine. Gaza, Persice, divitiæ, Gazophylacium locus quo divitiæ servantur, et arca, scilicet, in qua populi donaria congregabantur ad usus templi. Unde in libro Regnum: *Tulit Joiada pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper* IV Reg. 12., etc., et porticus in quibus servabantur. Unde: *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo. Aspiciebat quomodo*. Sicut appetitores primatus et vanæ gloriæ cavendos esse dixit, et simulatione orantibus prolixius iudicium prædixit, sic etiam offerentes justo examine discernit, ut retribuatur singulis, secundum cor et opera, quod et hodie facit in Ecclesia. *Divites*. BEDA. Divites, Judæi de justitia legis elati, etc., usque ad cunctis superborum Judæorum operibus, præstant.

**12.42 *Vidua pauper*. HIER. Hæc pauperula me et similes signat, qui mitto quod possum et desidero quod non possum vobis explanare. Non quantum, sed ex quanto desiderat Deus. Unusquisque quadrantem potest offerre. Hæc est torta panis in Levitico, quæ est voluntas prompta. Quadrans, quia ex tribus consistit, cogitatu, verbo et facto. *Quadrans*. Quadrantem vocant calculatores quartam partem cujusque rei, scilicet, loci, temporis, pecuniæ. Forsitan ergo hic quartam partem sicli, id est, quinque obolos significat.

††12.44 *Omnes enim*. BEDA. Judæus ex abundante mittit in munera, etc., *usque ad Deus meus misericordia ejus præveniet me* Psal. 58..

‡‡13.1 *Et cum egrederetur*. BEDA. Recedent de templo Domino, etc., usque ad erat luitura, et ædificia ruitura. *Vides has*, etc. Divinitus autem procuratum est, ut, patefacta per orbem fidei evangelicæ gratia, ipsum templum cum cæremoniis tolleretur: ne forte aliquis parvulus adhuc, ac lactens in fide, si videret manere illa a prophetis facta a Domino instituta admirando sanctum sæculare, paulatim ad Judaismum relaberetur. Aufertur ergo umbra, et palmam tenet veritas per orbem declarata. HIER. Prænuntiat cladem novissimi temporis, id est destructionem templi cum plebe et littera sua. De qua: *Lapis super lapidem non relinquetur* Luc. 21.: id est, testimonia prophetarum super eos in quos Judæi retorquebant ea ut in Esdram, in Zorobabel, in Machabæos.

¶¶13.3 *Et cum*, etc. BED. In sanctis quietus manet: dum superborum detestatur amentiam. Mons enim Olivarum fructiferam Ecclesiæ celsitudinem significat: mons ille non infructuosas arbores, sed oliveta gignit, quibus lumen alitur, requies lassibus tribuitur, infirmitas solvitur.

§§13.5 *Et respondens*. ID. A tempore Dominicæ passionis in populo Judæorum qui latronem seditiosum elegerunt, Christum Salvatorem abjecerunt, nec bella hostium nec seditiones civium cessaverunt; sed apostoli ne his adventantibus terreantur, et ne Hierosolymam Judæamque deserant, admonentur, *quia non statim finis*. In quadragesimum enim annum desolatio provinciæ et ultimum urbis ac templi excidium prolatum est.

meo, dicentes quia ego sum: et multos seducent.* ⁷ Cum audieritis autem bella, et opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri: sed nondum finis. ⁸ Exsurgit enim gens contra gentem, et regnum super regnum, et erunt terræmotus per loca, et fames. Initium dolorum hæc.† ⁹ Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in consiliis, et in synagogis vapulabitis, et ante præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis.‡ ¹⁰ Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium.¶ ¹¹ Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus. ¹² Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos. ¹³ Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinerit in finem, hic salvus erit. ¹⁴ Cum autem videritis abominationem desolationis stantem, ubi non debet, qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes:§ ¹⁵ et qui super tectum, ne descendat in domum, nec introëat ut tollat quid de domo sua: ¹⁶ et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum. ¹⁷ Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.** ¹⁸ Orate vero ut hieme non fiant. ¹⁹ Erunt enim dies illi tribulationes tales quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus usque nunc, neque fient. ²⁰ Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breviavit dies. ²¹ Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis.†† ²² Exsurgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et

*13.6 **Multi enim venient.** Imminente excidio multi venerunt qui se esse Christos, et jam tempus libertatis adesse mentirentur. Multi etiam in Ecclesia temporibus apostolorum inter cætera diem Domini instare minati sunt. Multi in nomine Christi venire Antichristi, quorum primus Simon Magus, **cui auscultabant omnes qui erant in Samaria a minimo usque ad maximum dicentes: Hic est virtus Dei quæ vocatur magna: eo quod multo tempore magicis artibus dementasset eos.**

†13.8 **Exsurgit enim.** BEDA. Hæc omnia ante ultimos et acerbissimos dolores, etc., usque ad qui contra se invicem dimicantes, Ecclesiæ victoriam faciunt.

‡13.9 **Videte autem.** BEDA. Quare hæc omnia inferantur, dicit **Videte**, etc. Ea enim vel sola maxima causa est excidii, quia post occisionem Domini, nominis quoque ac fidei præcones similes et confessores impia crudelitate vexabant.

¶13.10 **Et in omnes gentes.** ID. Quia noverat Dominus corda discipulorum de perditione suæ gentis tristanda, hoc modo consolatur, ut sciant amissis Judæis se socios regni coelestis ex toto orbe habituros. Sicut enim ecclesiasticæ historiæ testantur multo ante excidium Judææ, omnes apostoli ad prædicandum Evangelium per totum orbem sunt dispersi, exceptis Jacobo Zebedæi, et Jacobo fratre Domini, qui prius in Judæa pro verbo Evangelii sanguinem fuderunt.

§13.14 **Cum autem videritis,** etc. ID. Potest abominatio intelligi, vel Antichristus, vel imago Cæsaris quam Pilatus in templo posuit, etc., usque ad semper parebat imperio Romanorum.

13.17 **Væ autem prægnantibus, etc. Quia vel uteri pondere vel filiorum sarcina gravatæ fugere non poterunt. Unde in libro Historiarum legitur uxorem Jonathæ turbatam fuga, filium sinu suo lapsus recepisse perpetuo claudum.

††13.21 **Et tunc si quis.** BED. Quidam hoc ad captivitatem Judaicam referunt, quando multi Christos se esse dicentes, populum post se deceptum trahebant. Sed ibi nullus erat fidelis, quem Deus exhortaretur, ne perversos magistros sequeretur. Omnes et obsidentes et obsessi alieni a Christo obdurabant, unde melius de hæreticis accipiendum, qui contra Ecclesiam venientes, se Christos esse mentiuntur: quorum primus Simon Magus; extremus Antichristus.

dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. ²³ Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia. ²⁴ Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum: ²⁵ et stellæ cæli erunt decedentes, et virtutes, quæ in cælis sunt, movebuntur. ²⁶ Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa et gloria. ²⁷ Et tunc mittet angelos suos, et congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terræ usque ad summum cæli. ²⁸ A ficu autem discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas: ²⁹ sic et vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit, in ostiis. ³⁰ Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant. ³¹ Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. ³² De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater. ³³ Videte, vigilate, et orate: nescitis enim quando tempus

²³13.24 *Sed in illis diebus*, etc. ID. Sidera in iudicio videbuntur obscura, etc., usque ad tunc fiet quod idem propheta alibi dicit: *Et erit lux lunæ sicut sol, et lux solis erit septempleriter sicut lux septem dierum* Isa. 3..

²⁵13.25 *Decedentes*. A lumine quando pene deerit semen Abrahæ, cui assimilatae sunt stellæ. *Et virtutes quæ*, etc. BEDA. Quid mirum tremere homines, cum aspectu iudicii tremant angelicæ potestates? Unde Job: *Columnæ cæli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus* Job. 26.. Et quid patitur virgula deserti, ubi concutitur cedrus paradisi? *Movebuntur*. HIER. Ad iram vindictæ quando mittentur a Filio hominis veniente in nubibus cæli cum virtute, quæ prius sicut pluvia in vellus descendit in humilitate.

²⁷13.27 *A quatuor ventis*. Ab oriente et occidente, austro, aquilone, et non tantum ab his; sed a summo terræ usque ad summum cælum, id est, ab extremis finibus terræ per directum usque ad ultimos terminos ejus, ubi longe aspicientibus circulus cæli terræ videtur insidere.

²⁸13.28 *A ficu autem*. Quasi dicat, quomodo cum fuerint in ficu teneri cauliculi, et gemma in florem erumpit, intelligitis adventum ætatis et veris et favonii; sic cum hæc quæ scripta sunt videritis, non putetis jam adesse finem mundi, sed quasi præcursores venire, qui ostendant prope esse. BEDA. Ficus Synagoga, quæ quia ad se veniente Domino fructum justitiæ non habuit, etc., usque ad et ætatem veræ lucis et pacis. HIER. Fici parabola, id est, prophetia. Folia nata, verba sunt præsentia, æstas vero proxima dies est iudicii, in quo unaquæque arbor manifestabit quod intus habuit an aridum ad comburendum, an viride ad plantandum in Eden cum ligno vitæ cujus folia in salutem gentium, id est, verba quibus dicetur, *Venite, benedicti Patris mei*, etc.

³¹13.31 *Cælum et terra transibunt*. Cælum æreum, a quo aves cæli et nubila cæli, unde Petrus: *Cæli autem qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt et igni reservati* II Pet. 3., aperte docens, quia alii cæli sunt igne perituri quam aqua perdit, id est, inania et nebulosa. Aqua enim diluvii quæ tantum quindecim cubitis cacumina montium transcendit ultra æris ætherisque confinia non pervenit. Ecclesiastes Cap. 1.: *Generatio præterit, et generatio advenit: terra vero in æternum stat*. Sic ergo cælum et terra transeunt, secundum imaginem, manent in æternum secundum essentiam.

³²13.32 *Neque filius*. *In eo enim sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*. Ideo absconditi, quia nobis scire non expedit, unde ait: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate* Act. 1.. In quo ostendit quod sciat, sed nosse apostolis non expedit, ut semper incerti de adventu iudicis, sic quotidie vivant quasi alia die iudicandi. Scit ergo filius sibi, sed non nobis, ut semper simus solliciti, unde: *videte, vigilate*, etc. HILAR. Filius et Spiritus sanctus, quia non sunt a se, de die illa nesciunt a se: Pater autem, quia a se est, scit a se.

sit. ³⁴ Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet, [¶] ³⁵ vigilate ergo (nescitis enim quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane), ³⁶ ne, cum venerit repente, inveniat vos dormientes. [§] ³⁷ Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

14 Erat autem Pascha et azyma post biduum: et quærebant summi sacerdotes et scribæ quomodo eum dolo tenerent, et occiderent. ^{**} ² Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. ^{††} ³ Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, et recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi: et fracto alabaastro, effudit super caput ejus. ^{‡‡} ⁴ Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, et dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est? ^{¶¶} ⁵ poterat enim unguentum istud venundari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam. ^{§§} ⁶ Jesus autem dixit: Sinite eam, quid illi

[¶]13.34 *Et janitori*, etc. HIER. Ei, scilicet, qui prædicat. Cui dicitur: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram* Ezech. 3. *Vigilate ergo*. Præmisso patrisfamilias exemplo, cur consummationis diem reticeat, dicit: *vigilate ergo*. Qui dormit, non corpora, sed phantasias videt, cum evigilat nihil habet de his quæ viderat. Sic sunt quos mundi amor rapit in vita, deserit post vitam.

[§]13.36 *Quod autem vobis*. Non solum rectores Ecclesiæ, sed et omnes vigilare præcipimur, januas cordium custodientes; ne antiqui hostis mala suggestio subintret, ne nos Dominus dormientes inveniat, unde Paulus: *Vigilate, justi, et nolite peccare*.

^{**}14.1 *Erat autem pascha*. HIER. Pascha, transitus interpretatur, phase vero immolatio, etc., usque ad et armati virtute comedamus dicentes: *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus* Matth. 26. BEDA. Pascha, quod Hebraice phase, a transitu, non a passione, etc., usque ad iter scilicet admonet subire virtutum. *Et quærebant summi sacerdotes*. HIER. A principibus egressa est iniquitas, qui templum parare, et vasa, et se purificare secundum legem ad esum agni debuerant.

^{††}14.2 *Non in die festo*. ID. Vitant diem festum, quod convenit illis: non est festivitas eis qui vitam et misericordiam perdiderunt.

^{‡‡}14.3 *Et cum esset Bethaniæ*. ID. Hinnulus cervorum semper ad lectulum suum redit, id est, Filius obediens Patri usque ad mortem: obedientiam a nobis petit. Simon enim obediens dicitur. *Simonis leprosi*. Simon leprosus mundum infidelem primo, postea fidelem significat. *Et recumberet, venit*, etc. Recumbente seipso, id est, humiliante se, ut eum tangeret fides peccatricis: quæ de pedibus ascendit ad caput, a capite descendit per fidem, id est, a Christo ad membra ejus. *Mulier*. BEDA. Maria Magdalena soror Lazari quem suscitavit Dominus, etc., usque ad ut Matthæus et Marcus perhibent, oleo sancto perfudit. *Alabastrum*. Alabastrum marmor candidum variis guttis distinctum unguenta incorrupta servat. *Nardi spicati*. Pistica nardus dicitur mista, quia non solum de radice, sed de spicis et de foliis compositum erat: quod est pretiosius. *Et fracto*. HIER. Domus impleta odore, cælum et terra est. Fractum alabastrum carnale est desiderium, quod frangitur ad caput: ex quo omne corpus compaginatum est. BED. Devotio Mariæ, fidem et pietatem designat Ecclesiæ, etc., usque ad pia prædicatione et devotis veneratur obsequiis.

^{¶¶}14.4 *Erant autem quidam*. ID. Per synecdochen plurale pro singulari posuit, etc., usque ad cujus hac de causa furandi consuetudinem intinare curavit. *Ut quid perditio ista*. HIER. Perditus de salute perditionem invenit, ut in ficu fructifera mortis laqueum nancisceretur.

^{§§}14.5 *Poterat enim unguentum*. ID. Sub prætextu avaritiæ mysterium loquitur fidei, etc., usque ad spolia dividamus ad vesperam.

molesti estis? Bonum opus operata est in me: * 7 semper enim pauperes habetis vobiscum: et cum volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. † 8 Quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere corpus meum in sepulturam. ‡ 9 Amen dico vobis: Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus. ¶ 10 Et Judas Iscariotes, unus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. § 11 Qui audientes gavisi sunt: et promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum oportune traderet. ** 12 Et primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, et paremus tibi ut manduces Pascha? †† 13 Et mittit duos ex discipulis suis, et dicit eis: Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ

*14.6 **Bonum opus operata.** ID. Qui credit in Deum, reputatur ei in opus justitiæ. Aliud enim est credere ei, aliud est credere in eum, id est, totum se injicere in illum.
 †14.7 **Me autem non semper.** BEDA. Corporali præsentia et familiaritate conjunctum sicut nunc. Unde Apostolus: *Etsi noverimus Christum secundum carnem, sed nunc jam novimus* II Cor. 5.. Spiritualiter autem semper est nobiscum, unde: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi omnibus diebus.* HIER. Ita intelligendum est: Me autem non semper habebitis in corporali præsentia, ut prius in convictu et familiaritate.

‡14.8 **Quod habuit.** Quod putatis perditionem esse unguenti, officium sepulturæ est. Nec mirum si mihi dedit odorem fidei bonum, cum ego pro ea fusurus sum sanguinem meum.

¶14.9 **Amen dico vobis.** BEDA. Nota in Christo notitiam futurorum, passuros post paucos dies præscit Evangelium suum toto orbe prædicandum. Notandum, quod sicut Maria toto orbe quo est Ecclesia diffusa gloriam meruit de pio obsequio, quod Domino devote exhibuit: sic et Judas qui ei detraxit, perfidiæ nota longe lateque infamatur. Sed Dominus bonum pia laude remunerat, futura impii contumelias tacet.

§14.10 **Uno de duodecim.** HIER. Unus numero, non merito, nomine non numine, corpore non animo, unde sponsus ad sponsam: *Vulnerasti cor meum, soror mea, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui* Cant. 4.. Oculus et crinis sapientia est et virtus, quoniam Judæ cum cæteris dicitur: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei* Matth. 13.. Et: *Dedi vobis potestatem* Luc. 10., etc. *Abiit ad,* etc. Ille abiit ad principes: et postquam exivit, intravit in eum Sathanas. Hic *nox nocti indicat scientiam. Unumquodque animal ad sibi simile juugitur* Matth. 28.. Maria currit ad apostolos ut dies diei eructet verbum; Judas ad Judæos, ut nox nocti indicet scientiam.

14.11 **Et quærebat quomodo illum, etc. HIER. Promittit se tradere, ut magister ejus ante dicebat: Tibi dabo hanc potestatem universam. BEDA. Multi hodie scelus Judæ exhorrent nec tamen cavent, etc., usque ad ut amotis arbitris mendacio veritatem, crimine mutent virtutem.

††14.12 **Et prima die azymorum.** ID. Quarta decima luna, quando abjecto fermento agnus occidebatur ad vesperum, etc., usque ad ipsius immolationis, id est, suæ passionis exordium sacrauit. ISID. Cum amaritudine comeditur azyma, quæ est redemptio nostra. Amaritudo enim est passio Domini.

bajulans: sequimini eum,^{‡‡ 14} et quocumque introierit, dicite domino domus, quia magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?¹⁵ Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum: et illic parate nobis.^{¶¶}
¹⁶ Et abierunt discipuli ejus, et venerunt in civitatem: et invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt Pascha.¹⁷ Vespere autem facto, venit cum duodecim.^{§§ 18} Et discumbentibus eis, et manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.^{* 19} At illi cœperunt contristari, et dicere ei singulatim: Numquid ego?^{† 20} Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.^{‡ 21} Et Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo: vae autem homini illi per quem Filius hominis tradetur ! bonum erat ei, si non esset natus homo ille.^{¶ 22} Et manducantibus illis, accepit Jesus panem: et benedicens fregit, et

^{‡‡}14.13 *Ite in civitatem.* BED. Indicium est præscientiæ divinitatis, etc., usque ad et ad tollenda mundi crimina vivifici fontis baptisma consecratur. HIER. Civitas est Ecclesia quæ muro fidei cingitur: homo occurrens primitivus populus est, amphora aquæ lex litteræ. *Homo lagenam aquæ.* BEDA. Consulte et aquæ bajuli, et Domini domus tacita sunt vocabula, ut omnibus verum pascha celebrare volentibus, id est sacramentis Christi imbui, eumque suæ mentis hospitio suscipere quærentibus, facultas danda signetur. *Sequimini.* HIER. Qui ducit in altum ubi refectio Christi, unde Raab exploratoribus mandat, ut non per ima sed per excelsa irent.

^{¶¶}14.15 *Cœnaculum grande.* ID. Ecclesia magna, quæ narrat nomen Domini, strata varietate virtutum et linguarum, unde: *Circumamicta varietate* Psal. 44. virtutum, in qua paratur Domino pascha. Dominus domus Petrus apostolus cui Dominus domum suam credidit: ut sit una fides sub uno pastore. BED. Cœnaculum lex spiritualis, quæ de angustiis litteræ egrediens in sublimi loco recipit Salvatorem, etc., usque ad quia cuncta paschæ sacramenta et cætera legis decreta ejus esse sacramenta cognoscit.

^{§§}14.17 *Vespere autem.* HIER. Vespera diei vesperam indicat mundi. Circa undecimam namque horam veniunt novissimi: qui primi denarium accipiunt vitæ æternæ: quia ante crucem Abraham erat in inferno, et post crucem latro in paradiso.

^{*}14.18 *Amen dico,* etc. Sicut de passione prædixerat: ita de proditore prædicit, dans locum poenitendi, ut cum intellexisset cogitationes suas præsciri a Deo, poeniteret eum facti sui. Non tamen ex nomine designat, ne aperte redargutus impudentior fiat. Mittit crimen in numerum: ut conscius poenitentiam agat. *Unus ex vobis.* Dum falsitas arguitur, veritas comprobatur et impletur. *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem* Psal. 40.. Omnes tanguntur ut fiat harmonia in cithara. Omnes nervi bene suspensi consona voce respondent: *Nunquid ego sum, Domine?* Unus remissus et pecuniæ amore affectus dixit: *Nunquid ego sum, Rabbi?*

[†]14.19 *Contristari.* Sicut undecim quia nihil mali contra Dominum cogitaverant: sed plus credunt magistro quam sibi, et timentes fragilitatem suam, tristes de peccato suo interrogant, cujus non habebant conscientiam.

[‡]14.20 *Unus ex duodecim.* HIER. Separat seorsum ovem lupus quam cupit. Ovis quæ de ovili egreditur, lupi patet morsibus. *Qui intingit.* BEDA. Mira Domini patientia. Prius dixit: *Unus ex vobis tradet me,* perseverat proditor in malo. Apertius arguit: et tamen non proprie designatur. Judas aliis contristatis et manum retrahentibus a cibis temeritate et impudentia qua Dominum tradit; etiam manum cum magistro in catino mittit ut audacia bonam conscientiam mentiretur.

[¶]14.21 *Vae autem.* ID. In sempiternum vae homini illi qui ad mensam Domini indigne accedit, etc., usque ad pœna prædicitur ut qui pudore non vincitur, timore corrigatur.

dedit eis, et ait: Sumite, hoc est corpus meum.^{§ 23} Et accepto calice, gratias agens dedit eis: et biberunt ex illo omnes.^{** 24} Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.²⁵ Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.^{†† 26} Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum.^{‡‡ 27} Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est: Percutiam pastorem, et dispergentur oves.^{¶¶ 28} Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.²⁹ Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.^{§§ 30} Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.^{* 31} At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant.³² Et veniunt in prædium, cui nomen

§14.22 **Manducantibus.** ID. Finito veteri pascha quod in commemoratione liberationis populi Dei ab Ægypto agebatur, etc., usque ad ideoque velocius a morte resuscitandum. **Accipit.** HIER. Figurans corpus suum in pane, etc., usque ad extinguuntur inimici quæ sunt mysteria Ecclesiæ Christi. BEDA. Panis qui confirmat cor hominis, etc., usque ad vel nos sine illius passione salvari.

14.23 **Gratias. Gratias egit et benedixit jam proximus passioni, qui poenam alienæ iniquitatis suscipit: qui nihil dignum passione egit: ut ostendat quam æquanimiter unusquisque propriæ culpæ flagella sustinere debeat. **Biberant.** HIER. Ebrietas felix: salutaris satietas, etc., usque ad sanguis enim Novi Testamenti qui pro multis effunditur non omnes emundat.

††14.25 **Jam non bibam.** ID. Hic mutat sacrificium, sed non mutat tempus; ut nos nunquam cœnam Jesu ante quartam decimam lunam faciamus. Qui facit in quarta decima resurrectionem, in undecima cœnam Domini facit, quod nunquam inventum est nec in Novo nec in Vetere Testamento. **Vitis.** BEDA. Vitis vel vinea Domini Synagoga, etc., usque ad de salute ejusdem populi baptismo regenerati novo vobiscum gaudio perfundat.

‡‡14.26 **Et hymno dicto.** ID. Potest intelligi hymnus quem secundum Joannem Patri gratias agens decantabat, etc., usque ad et charismata sancti Spiritus quibus in corde perungamur, debere conscendere. **In montem Olivarum.** HIER. In monte Oliveti tenetur Jesus: et inde ascendit ad cœlos: ut sciamus quia inde ascendimus ad cœlos unde vigilamus, et oramus, et ligamur, nec repugnamus in terra. **Omnes scandalizabimini.** BEDA. Prædicat quid passuri sint: ut cum passi fuerint non desperent, sed poeniteant.

¶¶14.27 **In nocte ista. Qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt** I Thess. 5., et qui scandalizantur, nocte scandalizantur, id est, mente obscurati. HIER. Omnes cadunt, sed non omnes jacent. **Nunquid quia dormit non adjiciet ut resurgat?** Zach. 13. Carnale est cadere: diabolicum est jacere. **Percutiam pastorem.** Percute pastorem. Propheta postulat passionem Domini: Pater respondet: **Percutiam pastorem.** Precibus sanctorum Filius a Patre mittitur: id est, incarnatur et percutitur, et patitur: dispergentur oves pastore capto. Resurrectio promittitur ut spes non exstinguatur.

§§14.29 **Petrus autem.** ID. Avis sine pennis in altum volare nititur: sed corpus aggravat animam ut, timore humanæ mortis, timor Domini superetur.

*14.30 **Bis gallus vocem.** BEDA. Alii simpliciter: **Priusquam gallus cantet, ter me negabis,** etc., usque ad sicut et illud: **Qui viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam** Matth. 5.. HIER. Gallus cantat: Petrus negat ter, etc., usque ad et trinæ negationis sordes lavit lacrymis.

Gethsemani. Et ait discipulis suis: Sedete hic donec orem.^{† 33} Et assumit Petrum, et Jacobum, et Joannem secum: et cœpit pavere et tædere.^{‡ 34} Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate.^{¶ 35} Et cum processisset paululum, procidit super terram, et orabat ut, si fieri posset, transiret ab eo hora.^{§ 36} Et dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc a me: sed non quod ego volo, sed quod tu.^{** 37} Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuisti una hora vigilare?^{†† 38} vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma.^{‡‡ 39} Et iterum abiens oravit, eumdem sermonem dicens.⁴⁰ Et reversus, denuo invenit eos dormientes (erant enim oculi eorum gravati), et ignorabant quid responderent ei.⁴¹ Et venit tertio, et ait illis: Dormite jam, et requiescite. Sufficit: venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.⁴² Surgite, eamus: ecce qui me tradet, prope est.^{¶¶ 43} Et, adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes unus de duodecim, et cum eo turba multa cum gladiis et lignis, a summis sacerdotibus, et scribis, et senioribus.⁴⁴ Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute.^{§§ 45} Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi:

[†]14.32 *Gethsemani*. ID. Id est, vallis pinguium, ubi tauri pingues obsederunt eum et vituli multi circumdederunt eum. *Sedete hic*. ISID. Separantur in oratione qui separantur in passione: quia ille orat, illi dormiunt pinguedine cordis oppressi. *Donec orem*. BED. Cum Dominus in monte orat, etc., usque ad unde: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. Et majorem hac dilectionem nemo habet ut ponat quis animam suam pro amicis suis* Phil. II; Joan. 15..

[‡]14.33 *Et cœpit pavere*. HIER. Pavere et tristari docemur ante iudicium mortis, qui non possumus per nos dicere nisi per illum: *Venit princeps hujus mundi et in me non habet quidquam* Joan. 14..

[¶]14.34 *Tristis est*, etc. BED. Non propter mortem tristis est, etc., usque ad sed a somno infidelitatis et torpore mentis.

[§]14.35 *Et orabat*. ID. Hæc vox est sonus infirmitatis nostræ, etc., usque ad sed quia aliter non fiet, *Non quod ego volo, sed quod tu*. HIER. Hoc contra Eutychianos qui dicunt unam tantum in Christo operationem, unam voluntatem: hic autem ostendit humanam quæ per infirmitatem carnis recusat passionem, et divinam quæ prompta est perficere dispensationem.

^{**}14.36 *Sed non quod*. HIER. Usque in finem non cessat docere nos patribus obedire: et voluntatem eorum voluntati nostræ præponere.

^{††}14.37 *Et ait Petro*, etc. Qui dixerat: *Et si oporteat me mori tecum, non te negabo: etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego* Matth. 26.; nunc tristitiæ magnitudine somnium vincere non potest.

^{‡‡}14.38 *Ut non intretis*. Non ait ut non tentemini, sed *ut non intretis in tentationem*, id est, ut tentatio vos non superet, non teneat intra suos casses. HIER. In tentationem intrat qui orare negligit. Ter discipuli dormiunt, ter Dominus orans suscitatur. Trina dormitio, tres mortuos quos Dominus suscitavit significat. Primus in domo, secundus ad sepulcrum, tertius de sepulcro. Trina Domini vigilia tres personas nos habere in orando docet, et de præteritis et de præsentibus, et futuris veniam rogare. *Caro autem infirma*. BEDA. Caro namque pondere suo ad ima semper trahit.

^{¶¶}14.42 *Surgite*. Postquam tertio oravit, apostolorum timorem poenitentia corrigendum docuit, securus ad passionem perguit, dicens: *Surgite, eamus*. Quasi dicat nos non inveniant timentes, sed ultro eamus obviam, ut passuri gaudium et confidentiam videant.

^{§§}14.44 *Signum*. HIER. Dat signum osculi cum veneno diaboli: sicut Cain obtulit sacrificium subdolum et reprobatum, unde vinum cum aceto in cruce ponunt.

et osculatus est eum.* 46 At illi manus injecerunt in eum, et tenuerunt eum. 47 Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis, et amputavit illi auriculam.† 48 Et respondens Jesus, ait illis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me?‡ 49 quotidie eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturæ. 50 Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt.¶ 51 Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: et tenuerunt eum. 52 At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis.§ 53 Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem: et convenerunt omnes sacerdotes, et scribæ, et seniores.** 54 Petrus autem a longe secutus est eum usque intro in atrium summi sacerdotis: et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se.†† 55 Summi vero sacerdotes et omne concilium quærebant adversus Jesum testimonium ut eum morti traderent: nec inveniebant. 56 Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum: et convenientia testimonia non erant.‡‡ 57 Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes: 58 Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manu factum, et per triduum aliud non manu factum ædificabo. 59 Et non erat conveniens testimonium illorum. 60 Et exsurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens: Non re-

*14.45 *Rabbi*. BEDA. Impudens et scelerata confidentia magistrum vocat, etc., usque ad illud etiam complet: *Cum his qui oderunt pacem* Psal. 119., etc.

†14.47 *Unus*. ID. Petrus secundum Joannem eodem ardore mentis quo cætera. Sciebat enim quod Phinees puniendo sacrilegos, mercedem justitiæ et sacerdotii perennis acceperat. Lucas ait: *Quod Dominus tetigit auriculam et sanavit eam* Luc. 22.. Ipse enim pietatis nunquam obliviscitur, hostes etiam suos vulnerari non patitur. Mystice: Docens eos qui in suæ mortis consensione vulnus animæ contraxerunt, si digne pœnituerunt salutem posse mereri.

‡14.48 *Tanquam ad latronem*. ID. Quasi dicat: Stultum est cum gladiis et fustibus comprehendere, qui ultro se vobis tradit: et in nocte quasi latitantem investigare per proditorem, cum quotidie in templo doceat. Sed ideo adversum me congregamini in tenebris, quia potestas vestra in tenebris est.

¶14.50 *Tunc*, etc. ID. Impletur quod dixit, quod omnes scandalizarentur, etc., usque ad et a Deo revocandi, adversariis dare didicerunt.

§14.52 *At ille*, etc. Sicut Joseph relicto pallio nudus de manibus impudicæ dominæ effugit. Qui autem vult effugere manus iniquorum, relinquens mente quæ mundi sunt, post Jesum fugiat. *Ab eis*. Quorum et præsentiam detestabatur et facta. Non a Domino, cujus amorem etiam absens corpore fixum servavit in mente.

**14.53 *Summum*, etc. Caipham scilicet, qui secundum Joannem erat pontifex anni illius, de quo consentaneum scribit Josephus, quod pontificium sibi absque merito dignitatis emerat a principe Romano: quid ergo mirum, si iniquus pontifex inique judicat?

††14.54 *A longe*. BEDA. Quia negationi proximus, si Christo proximus fuisset non negasset: in hoc tamen admirandus est, quod Dominum non reliquit etiamsi timeat. Quod timeat naturæ est, quod sequitur devotionis est: quod negat obreptionis est, quod pœnitet fidei est. *Atrium*. HIER. Atrium, sæcularis circumitus est. Ministri, dæmonia sunt. Ignis desiderium carnale, cum quibus qui manet, flere peccata non valet. *Et calefaciebat se*. BEDA. Est ignis charitatis; de quo dicitur, etc., usque ad moxque sui cordis arcana prunis inflammavit amoris.

‡‡14.56 *Falsum testimonium*. ID. Falsus est qui non in eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur, etc., usque ad ut proprie de templo Judaico videatur dixisse.

spondes quidquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his?¶⁶¹ Ille autem tacebat, et nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti? ⁶² Jesus autem dixit illi: Ego sum: et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cæli. ^{§§} ⁶³ Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? * ⁶⁴ Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. † ⁶⁵ Et cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et colaphis eum cædere, et dicere ei: Prophetiza: et ministri alapis eum cædebant. ‡ ⁶⁶ Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis: ⁶⁷ et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Jesu Nazareno eras. ⁶⁸ At ille negavit, dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit. ¶ ⁶⁹ Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est. ⁷⁰ At ille iterum negavit. Et post pusillum rursus qui

¶⁶¹14.60 *Et exurgens*, etc. Iratus, quia non invenit locum calumniæ, motu corporis insaniam mentis demonstrat. *Non respondens*, etc. Ad responsum provocat, ut ex qualibet occasione sermonis locum accusandi inveniat. Jesus autem non respondit, quia prævidit quidquid responderet in calumniam verti. *Tu es Christus*. HIER. Quem exspectabat a longe non videbat prope: sicut Isaac caligantibus oculis, Jacob sub manibus non agnoscebat, sed longe post de eo futura canit.

§§14.62 *Et videbitis*. Sacerdos interrogat Filium Dei; Jesus respondit Filium hominis; ut intelligamus eundem Filium Dei esse et Filium hominis, ne quaternitatem faciamus in Trinitate, et homo in Deo, et Deus in homine sit. *A dextris virtutis*. Quia *humiliavit seipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen* Phil. 2.. *Cum nubibus cæli*. HIER. Ascendit in nube, cum nube venit: id est cum corpore solo suo quod assumpsit a virgine ascendit, et cum multiformi Ecclesia, quæ est corpus ipsius et plenitudo ad judicium venturus est, sicut dicit Matthæus: Cum autem venerit Filius hominis, et omnes angeli cum eo, etc.

*14.63 *Summus autem sacerdos*. BEDA. Eadem rabies quæ prius de sede excusserat, etc., usque ad cum in Lycaonia quasi dii honorarentur, fecerunt. *Vestimenta sua*, etc. HIER. Hoc est, ephod in quo Judæi habebant honorem, amiserunt, etc., usque ad ejus tamen inviolata permanet castitas usque ad consummationem sæculi in illis, quos sors electionis invenerit.

†14.64 *Qui omnes*, etc. HIER. Quo reatu suo nostrum reatum solveret, etc., usque ad hinc propheta: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Psal. CXV.

‡14.65 *Velare faciem*, etc. Non ut scelera eorum non videat, sed, ut ipsi quondam Moysi fecerunt, a se gratiam cognitionis ejus abscondant. Hoc velamentum usque hodie manet super cor eorum, quod in Christum credentibus est ablatum. Unde eo moriente velut templum scissum est, et sancta sanctorum arcana patefacta. *Alapis eum cædebant*. BEDA. Qui tunc cæsus est alapis, et nunc cæditur blasphemis falsorum Christianorum. Qui consumptus salivis infidelium, nunc vesanis fidelium opprobriis exonoratur.

¶14.68 *At ille*, etc. Nota, quod negat Christum qui se negat ejus esse discipulum. Dominus enim non dixit: Negabis te discipulum meum, sed *me negabis*. Negavit ergo eum cum se negavit ejus esse discipulum. *Et exiit foras*, etc. HIER. Petrus sine spiritu, voci ancillæ cessit, etc., usque ad et foras eximus extra quod fuimus.

astabant, dicebant Petro: Vere ex illis es: nam et Galilæus es.^{§ 71} Ille autem cœpit anathematizare et jurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis.⁷² Et statim gallus iterum cantavit. Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus: Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.^{**}

15 Et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus, et scribis, et universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt, et tradiderunt Pilato.^{†† 2} Et interrogavit eum Pilatus: Tu es rex Judæorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis.^{‡‡ 3} Et accusabant eum summi sacerdotes in multis.⁴ Pilatus autem rursus interrogavit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant.^{¶ 5} Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus.⁶ Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vincitis, quemcumque petissent.⁷ Erat autem qui dicebatur Barrabas, qui cum seditiosis erat vincitus, qui in seditione fecerat homicidium.⁸ Et cum ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis.⁹ Pilatus autem respondit eis, et dixit: Vultis dimittam vobis regem Judæorum? ¹⁰ Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.¹¹ Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis.^{§§ 12} Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Judæorum? ¹³ At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum.¹⁴ Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi

§14.70 *Nam et Galilæus.* BEDA. Eadem lingua Galilæis et Hierosolymitis est, sed tamen quæcunque provincia et regio habet proprium loquendi sonum mutare, etc., usque ad quia nomen illud aliter Hierosolymitæ, aliter Galilæi sonabant.

**14.72 *Et recordatus est.* ID. Petrus nocte negat, ad galli cantum pœnitet. In die quem tertio negaverat, se tertio amare professus est. Quod enim, etc., usque ad egreditur foras (ut alii Evangelistæ narrant), ut ab impiis secretus, negationis culpam liberius abluat fletibus.

††15.1 *Et confestim,* etc. Sequitur: *Vincientes Jesum.* Mos erat Judæis, ut quem morte adjudicassent, vincitum judici traderent. Et notandum, quod non tunc primum ligaverant, sed mox comprehensum nocte in horto, ut Joannes dicit: Et sic *adduxerunt eum ad Annam primum* Joan. 18.. HIER. Adest Samson vincitus a Dalila. Samson interpretatur, etc., usque ad et fontem perennis vitæ sitientibus nobis, id est corporis sui, aperit.

‡‡15.2 *Tu es rex Judæorum?* Cum Pilatus nihil criminis interrogat nisi an sit rex Judæorum, arguitur impietas eorum qui nec falso quidem quod objiciant invenerunt. *Tu dicis.* Sic temperat responsum, ut verum dicat, nec tamen calumniæ pareat. Et nota, quod Pilato qui invitus fert sententiam, aliqua in parte responderit: sacerdotibus autem et principibus respondere noluerit, indignosque sermone suo judicaverit.

¶15.4 *Vide,* etc. Ethnicus condemnat Jesum, sed causam refert in populum Judæorum. *Vide in quantis,* etc.

§§15.11 *Ut magis Barabbam.* BEDA. Adhæret Judæis usque hodie petitio sua, quam toto labore impetraverunt. Data enim optione sibi, pro Jesu latronem, pro Salvatore interfectorem elegerunt. Merito ergo salutem et vitam perdidierunt et latrociniis ac seditionibus in tantum se subdiderunt, ut regnum et patriam perderent, et libertatem corporis et animæ nunquam reciperent.

magis clamabant: Crucifige eum.* ¹⁵ Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur.† ¹⁶ Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, et convocant totam cohortem, ¹⁷ et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam.‡ ¹⁸ Et cœperunt salutare eum: Ave rex Judæorum. ¹⁹ Et percutiebant caput ejus arundine: et conspuebant eum, et ponentes genua, adorabant eum.¶ ²⁰ Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis: et educunt illum ut crucifigerent eum.§ ²¹ Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum venientem de villa,

*15.14 *Pilatus vero.* Multas ocasiones dedit Pilatus liberandi Salvatorem, primo justo conferens latronem, deinde inferens: **Quid ergo vultis faciam regi Judæorum?** Cumque respondissent: **Crucifigatur**, non statim acquievit, sed secundum suggestionem uxoris quæ mandaverat ei (ut Matthæus dicit): **Nihil tibi et justo illi** Matth. 27., respondens ait: **Quid enim mali fecit?** Quod dicendo, Jesum absolvit. **At illi magis**, etc. David: **Circumdederunt me canes multi** Psal. 21., etc. Isaias: **Exspectavi ut faceret iudicium, et ecce iniquitas: et justitiam, et ecce clamor** Isa. 5.. Jeremias: **Facta est hæreditas mea mihi sicut leo in silva: dedit contra me vocem** Jer. 12..

†15.15 *Barabbam, et tradidit*, etc. HIER. Hi sunt duo hirci, unus apompeius, id est emissarius, cum peccato populi in desertum inferni absolutus dimittitur. Alter pro peccatis absolutorum, ut agnus occiditur. Pars Domini semper mactatur, pars diaboli, qui est magister eorum, effrenata in tartara præcipitatur. **Jesum flagellis.** Ut nos flagellis liberaret; unde: **Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo** Psal. 90.: cum prius diceretur: **Multa flagella peccatoris** Psal. 31.. BEDA. **Jesum flagellis cæsum.** Cæsus est ab ipso Pilato, unde Joannes: **Apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit:** et post subjunxit: **Et milites plectentes coronam de spinis** Joan. 19., etc. Et militibus illudendum præbuit. Quod ideo fecit, ut ejus poenis et opprobriis saturati ultra mortem non sitirent.

‡15.17 *Et induunt.* BEDA. Matthæus ita: **Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei** Marc. 27.. Quod idem est. Pro regia enim purpura data est, etc., usque ad purpura vel cocco vestitur, cum triumpho gloriosorum martyrum gloriatur.

¶15.19 *Et percutiebant*, etc. Caput Christi Deus est. Caput ergo Christi percutiunt qui eum denegant esse Deum. Et qui Scripturæ auctoritate errorem suum defendunt (quia scriptura arundine solet fieri), quasi arundine caput ejus feriunt. In faciem ejus spuunt qui præsentiam gratiæ ejus exsecrandis verbis ex interna cæcæ mentis insaniam conceptis respuunt, et eum in carne venisse negant. **Adorabant eum.** Quasi falso se dixisset Deum. Sed hodie (quod est gravioris insaniam) quidam eum certa fide ut Deum verum adorant, sed perversis actibus mox verba ejus quasi fabulosa despiciunt, ac promissa regni illius temporalibus illecebris postponunt. **Et educunt illum.** HIER. Hic educitur Abel in agrum a fratre ut perimatur. Hic adest Isaac, etc., usque ad hic adest Jonas de ligno navis foris et in mare ventremque ceti triduo missus.

§15.20 *Ut crucifigerent.* HIER. Ipsa crucis species quid est nisi forma quadrati mundi? Oriens de virtute fulget, arcton dextera tenet, auster læva consistit, occidens sub plantis firmatur. Unde Apostolus: **Ut sciamus quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum** Ephes. 3.. Aves in forma crucis ad æthera volant, homo adoratur, et natat in forma crucis, navis per maria antenna cruci assimilata sufflatur. Tau littera signum salutis et crucis demonstrat.

patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem ejus.^{** 22} Et perducunt illum in Golgotha locum: quod est interpretatum Calvariæ locus.^{†† 23} Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: et non accepit.^{‡‡ 24} Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.^{¶¶ 25} Erat autem hora tertia: et crucifixerunt eum.^{§§ 26} Et erat titulus causæ ejus inscriptus: Rex Judæorum.^{* 27} Et cum eo

^{**}15.21 *Et angariaverunt.* BEDA. Ipse Dominus primo crucem suam portavit, sicut Joannes dicit: Post iste Simon, de quo et alii dicunt, et hoc satis congruo ordine mysterii. *Christus enim passus pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus* Joan. XIX; I Petr. 2.. HIER. Simon qui portat crucem in angaria, hic est qui laborat pro laude humana. Cogunt eum homines huic labori quem non cogit timor vel dilectio Dei. *Patrem Alexandri.* Magnæ opinionis Simon iste videtur esse, cum et filii ejus tanquam noti omnibus ex nomine designantur. HIER. Alii per merita patrum suorum commemorantur, alii per merita filiorum. Hic autem Simon, etc., usque ad unde: per Jeremiam ad Judæam dicitur: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.*

^{††}15.22 *Calvariæ locus.* HIER. Tradunt Judæi quod in hoc loco montis immolatus fuerit aries pro Isaac Gen. 22., ut ibi decalvetur Christus, id est carne sua, scilicet Judæa carnali, separetur. BEDA. Extra portam truncabantur capita damnatorum, et calvariæ decollatorum loca dicuntur. Ideo ibi crucifixus Dominus ut ubi erat area damnatorum, ibi erigantur vexilla martyrum. Et quoniam pro nobis factum est maledictum crucis et flagellatus et crucifixus pro salute omnium, quasi noxius inter noxios voluit crucifigi.

^{‡‡}15.23 *Et dabant.* BEDA. Matthæus, *cum felle mistum* Matth. 27., quod idem est. Fel enim pro amaritudine posuit. Myrrhatum enim vinum est amarissimum; quamquam fieri possit ut et felle et myrrha amarissimum redderent vinum. HIER. *Et dabant,* etc. Hoc aceto succus lethalis pomi abstergitur. *Et non accepit.* Id pro quo patitur. Unde de eo: *Quæ non rapui tunc exsolvebam* Psal. 68.. *Et non accepit.* Matthæus: *Et cum gustasset, noluit bibere.* Indicat Matthæus quod pro nobis amaritudinem mortis gustaverit, sed die tertia resurrexit.

^{¶¶}15.24 *Et crucifigentes eum.* HIER. Hic figitur salus in ligno. Primo infixæ est mors in ligno. Lignum primum, scientiæ boni et mali; secundum boni tantum et vitæ nobis lignum est. Extensio primæ manus ad lignum mortem apprehendit; extensio secundæ vitam quæ perierat invenit. Ligno hoc vehimur per mare undosum ad terram viventium. *Vestimenta sua.* BEDA. Quadripartita vestis Christi secundum numerum militum, significat Ecclesiam quatuor partibus orbis æqualiter, id est concorditer distributam. HIER. Vestimenta Domini mandata sunt quibus tegitur corpus ejus, quod est Ecclesia, quia dividuntur inter milites gentium ut sint quatuor ordines cum sit una fides, id est conjugati, viduati, præpositi, separati. Sortiti sunt tunicam indivisam quæ est pax et veritas in cunctis in modum regalis amictus vel annuli. *Mittentes sortem.* ID. Super tunicam, scilicet quæ erat inconsutilis. Hic sortita, etc., usque ad et sors solius Dei judicio venit vel cedit.

^{§§}15.25 *Erat autem hora ter.* HIER. Hoc proprie Marcus, nam sexta hora tenebræ suffuderunt terram, ut non quis posset movere caput. A tricesimo namque, etc., usque ad qui magis dicendi sunt eum crucifixisse quamvis nitantur hoc dissimulare, quam milites qui secundum officium suum duci suo paruere.

^{*}15.26 *Et erat titulus.* BEDA. Titulus ostendit quod nec occidendo potuerunt efficere quod non esset eis rex; unde: *Ego autem constitutus sum rex ab eo,* etc. Bene enim simul est rex et pontifex, cum eximiam Patri suæ carnis hostiam offerret in altari crucis, et regis dignitatem titulo prætenderet, ut cunctis insinuaret quod per crucis patibulum non perdiderit, sed confirmaverit imperium.

crucifigunt duos latrones: unum a dextris, et alium a sinistris ejus.[†] 28 Et impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. 29 Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah ! qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reædificas,[‡] 30 saluum fac temetipsum descendens de cruce. 31 Similiter et summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum scribis dicebant: Alios salvos fecit; seipsum non potest saluum facere.[¶] 32 Christus rex Israël descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.[§] 33 Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam.^{**} 34 Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens: Eloi, eloi, lamma sabachthani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? 35 Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat.^{††} 36 Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.^{**} 37 Jesus autem emissa voce magna

[†]15.27 *Et cum eo crucifigunt.* BEDA. Sicut dicit Apostolus: *Vetus homo noster simul cum illo crucifixus est ut destruat corpus peccati, ut ultra non dominetur super nos peccatum.* Quandiu ergo agunt opera nostra ut evacuetur corpus peccati, quandiu, etc., usque ad unde Apostolus: *Ut in charitate radicati et fundati possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum* Ephes. 3.. *Duos latrones.* ID. Latrones qui cum Domino crucifixi sunt signant eos qui fide et confessione Christi, vel agone sui martyrii, vel quamlibet arctam continentiam subeunt. Et qui hoc pro æterna gloria gerunt, dextri latronis merito et fide signantur. Qui autem pro humana gloria vel qualibet minus digna intentione, sinistri latronis mentem imitatur et actus. HIER. Cum iniquis veritas deputata unum relinquit sinistrum, alterum assumit dextrum; sic faciet in die iudicii, ex simili crimine dissimiles sortiuntur vias. Alter præcedit Petrum in paradysum, alter Judam in infernum. Confessio brevis vitam acquirit longam, et blasphemia finita pœna plectitur æterna. Hic pullus Judæe ligatur ad vitem, id est, pallium tingitur in sanguine uvæ, hic lacerant hædi vineam.

[‡]15.29 *Moventes capita.* HIER. Emittitur mors iniquorum quando excitantur vincula inferni usque ad cervicem, quæ est cervix humani generis.

[¶]15.31 *Alios salvos.* HIER. Etiam nolentes confitentur quod alios fecit salvos, et se propria damnant sententia, quia alios salvos fecit et se si vellet salvare poterat.

[§]15.32 *Descendat nunc.* Plus est de sepulcro surgere, et tamen non crediderunt. *Hi omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt* Psal. 13.. *Et qui cum eo.* BEDA. Secundum Lucam Luc. 23. unus latro blasphemabat dicens: *Si tu es Christus, saluum fac te et nos.* Alter, etc., usque ad qui cœlestia petunt, ad ea sine dubio Christo mediante et miserante perveniunt.

^{**}15.33 *Et facta hora sexta.* BEDA. Notandum quod hora sexta, id est sole recessuro a centro mundi, crucifixus sit, et diluculo, oriente sole resurrexit, etc., usque ad et qua hora primus Adam peccando mundo mortem intulit, eadem hora secundus Adam mortem moriendo destrueret. *Tenebræ.* HIER. Hic adest Nœ inebriatus ac nudatus cœlo ac terra ebrioso pallio tectus, et ab homine irrisus hic stillavit de ligno sanguis.

^{††}15.35 *Et quidam,* etc. Non omnes. Forsitan milites Romani non intelligentes proprietatem Hebræi sermonis, ex eo quod dicitur Eloi, putaverunt Eliam ab eo vocari. Vel Judæi solito sibi sermone verba Domini depravantes, imbecillitatis infamabant eum quod Eliæ vocaret auxilium.

^{**}15.36 *Currens autem,* etc. BEDA. Joannes plenius dicit: *Postea sciens Jesus,* etc. Quasi: Hoc minus fecistis, date quod estis. Erant enim, etc., usque ad de quo: *Dominus plantavit vineam Soreth: et quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ: et exspectavi ut faceres uvas, et fecisti spinas* Isa. 5..

expiravit.[¶] 38 Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum.^{§§} 39 Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.* 40 Erant autem et mulieres de longe aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris, et Joseph mater, et Salome:[†] 41 et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, et ministrabant ei, et aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam. 42 Et cum jam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum),[‡] 43 venit Joseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu.[¶] 44 Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accessit centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset. 45 Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph. 46 Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum involvit sindone, et posuit eum in monumento quod erat excisum de petra, et advolvit lapidem

[¶]15.37 *Jesus autem*, etc. BEDA. Quid dixerit Lucas aperit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et hoc dicens expiravit* Luc. 23.. Quod autem dicit Joannes: *Cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est: et inclinato capite tradidit spiritum* Joan. 19.. Inter hoc quod ait: *Consummatum est*, et illud: *inclinato capite emisit spiritum*, emissa est vox illa magna, quam Joannes tacet, cæteri commemorant: *In manus tuas*, etc. HIER. Infirmata etenim carne mox virtus divina invaluit quæ dicit: *Aperite mihi portas justitiæ* Psal. 117., etc. Nos autem cum nulla, vel una voce morimur qui de terra sumus; ille enim cum exaltata voce expiravit qui de cœlo descendit.

^{§§}15.38 *Et velum templi*. Ut arcam testamenti, et omnia legis sacramenta quæ tegebantur appareant, et ad gentes transeant. Ante dicebatur: *Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus* Psal. 75.; nunc autem: *Exaltare super cœlos Deus* Ibid. 56., *et in omni*, etc.; et in Evangelio prius: *In viam gentium ne abieritis* Matth. 10.; et post passionem: *Ite, et docete omnes gentes* Ibid. 28..

^{*}15.39 *Videns autem*, etc. Ostenditur quare centurio miratur, quia vidit eum sic expirasse, id est spiritum emisisse. Nullus enim habet potestatem emittendi spiritum, nisi conditor animarum. *Vere*, etc. HIER. Nota quod centurio ante crucem in ipso scandalo passionis vere Filium Dei confitetur: et Arius, etc., usque ad et vere Filium Dei Synagoga tacente confirmat.

[†]15.40 *Erant autem*. ID. Sicut non excluditur muliebris sexus a salute per Mariam virginem: ita non repellitur a mysterio crucis scientiæ et resurrectionis per viduam Mariam Magdalenam et cæteras matres. *Jacobi minoris et Joseph*. BEDA. Minorem Jacobum dicit Jacobum Alpei, qui et frater Domini, eo quod esset filius Mariæ materteræ Domini. De qua Joannes: *Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus* Joan. 19., etc. Cleophæ videtur eam dicere a patre vel a cognatione.

[‡]15.42 *Et cum jam sero esset*, etc. ID. Græce, præparatio Latine. Hoc nomine Judæi inter Græcos morantes sextam sabbati appellabant, quia in eo quæ sabbato erant necessaria præparabant secundum quod, etc., usque ad donec octava veniente ætate et ipsa corpora resurrectione glorificata cum animabus simul incorruptionem æternæ hæreditatis accipiant.

[¶]15.43 *Venit Joseph*. HIER. Joseph venit sero parasceve ab Arimathia, quæ interpretatur *deponens*, ad deponendum corpus Christi, etc., *us que ad* aspicientibus a longe electis qui sunt stellæ maris, quando, si fieri potest, scandalizabuntur etiam electi.

ad ostium monumenti.^{§ 47} Maria autem Magdalene et Maria Joseph aspiciebant ubi poneretur.**

16 Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum.^{†† 2} Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.^{‡‡ 3} Et dicebant ad invicem: Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti?^{¶¶ 4} Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.^{§§ 5} Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt.*⁶ Qui dicit illis: Nolite expavescere: Jesum quaeritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic,

[§]15.46 *Joseph autem*, etc. BEDA. Ex simplici sepultura Domini, ambitio divitum condemnatur, qui nec in tumultis, etc., usque ad lineo terreno celebrat, sicut corpus Domini in syndone munda sepultum est: sic a papa Sylvestro statutum est. **Quod erat excisum.** BEDA. Dicitur quod monumentum Domini domus rotunda fuit de subjacente rupe excisa tantæ altitudinis ut homo rectus consistens vix extenta manu culmen possit attingere. Et habet introitum, etc., usque ad color autem monumenti et loculi albo et rubeo dicitur esse permistus.

^{**}15.47 *Maria autem*, etc. ID. Lucas dicit: **Quia astabant omnes noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ fuerant eum** Luc. 23.. Sed aliis deposito corpore ejus ad sua remeantibus, solæ mulieres, etc., usque ad et si forte valeant imitari pia curiositate, quo ordine sit ejus passio amplectenda, perpendunt.

^{††}16.1 *Et cum transisset.* BEDA. Lucas dicit quia revertentes a monumento paraverunt aromata et unguenta, et sabbato siluerunt, quia mandatum erat ut sabbati silentium, etc., usque ad illuminata facie decussis vitiorum tenebris odorem bonorum operum Domino et orationum suavitatem offerre. HIER. Nunc cum aromatibus redolentibus cum sponsa et adolescentulis currunt, post eam conspergimus librum, id est cubile, etc., usque ad et Domino in eo cum triumpho resurgente et dicente: **Hæc est dies quam fecit Dominus**, etc. PSAL. 117..

^{‡‡}16.2 *Et valde mane.* HIER. Quod alius dicit diluculo. Diluculum est inter tenebras noctis et diei claritatem in qua salus venit in Ecclesia declaranda more solis, qui consurgens roseam præmittit auroram, ut tantus splendor præparatis oculis possit videri, cum tempus Dominicæ resurrectionis illuxit, ut tunc laudes Christi tota cantaret ecclesia sanctarum feminarum, quando vitam præstitit et lumen credulitatis infundit.

^{¶¶}16.3 *Et dicebant ad invicem.* HIER. Aquilæ congregantur ad corpus, martyres et apostoli vident lapidem revolutum, qui est lex mortis, quasi dicat: **Ubi est, mors, aculeus tuus** I Cor. 15.?

^{§§}16.4 *Revolutum lapidem.* BEDA. Quomodo lapis per angelum sit revolutus, Matthæus dicit? Allegorice autem, lapidis revolutio resurrectionem sacramentorum Christi quæ velamine litteræ legis tecta erant, insinuat. Lex etenim in lapide scripta est cujus ablato tegmine, gloria resurrectionis ostensa est, et abolitio mortis antiquæ, et vita nobis speranda perpetua toto orbe cœpit prædicari.

^{*}16.5 *Juvenem.* HIER. Non senem, non infantem, sed jucundum ætate, ut dicitur: **Lætare, juvenis, in adolescentia tua** Eccle. 11., quæ non est hic vera dum senio mista. BEDA. Mulieres angelos vident quæ cum aromatibus venerunt, quia illæ mentes supernos cives aspiciunt, quæ cum virtutibus ad Deum per sancta desideria veniunt. **Sedentem in dexteris.** BEDA. Ad meridianam partem loci illius, ubi positum fuerat, etc., usque ad intrantes in monumentum duos angelos ibi stantes invenerunt. GREG. Per sinistram vita præsens, per dexteram vita æterna, etc., usque ad et ad angelorum numerum restituens cœlestis patriæ damna reparavit.

ecce locus ubi posuerunt eum.^{† 7} Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.^{‡ 8} At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: invaserat enim eas tremor et pavor: et nemini quidquam dixerunt: timebant enim.^{¶ 9} Surgens autem mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia.^{§ 10} Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus.^{|| 11} Et illi audientes quia viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt.^{** 12} Post hæc autem duobus ex his ambulans ostensus est

[†]16.6 *Nolite expavescere.* GREG. Quasi: Paveant illi qui non amant adventum Domini vel supernorum civium, qui vitiis pressi de eorum societate desperant. Vos autem, quid timetis quæ vestros concives videtis? Unde Matthæus angelum apparuisse describens ait: *Erat aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix* Matt. 28.. *Jesum.* Salutare. Sed quia multi non substantialiter sed nuncupative hoc nomine dicebantur, determinat per locum Nazarenum, et causam subdit: *Crucifixum.* Atque addit: *Surrexit, non est hic.* Per præsentiam carnis, qui tamen nusquam deest per præsentiam majestatis. *Ecce locus.* Ostenditur mortalitas mortalibus ad actionem gratiarum debitam, ut intelligamus quid simus et fuerimus, et sciamus quid erimus.

[‡]16.7 *Et Petro.* BEDA. Petrus vocatur ex nomine, ne desperet ex negatione. Nisi enim, etc., usque ad ut qui futurus erat pastor Ecclesiæ in sua culpa disceret quomodo aliis misereri deberet. *Et Petro.* HIER. Qui se indignum discipulatu indicat, cum ter magistrum negat. Sed peccata præterita non nocent, quando non placent. *Præcedit vos.* Bene de Redemptore nostro dicitur: de Galilæa namque transmigratio facta interpretatur. Jam enim a passione ad resurrectionem, a morte ad vitam, a poena ad gloriam transmigraverat. Et bene post resurrectionem in Galilæa a discipulis videtur, quia resurrectionis ejus gloriam post læti videbimus, si modo a vitiis ad virtutum celsitudinem transmigramus. Qui ergo in sepulcro nuntiatur, in transmigratio ostenditur; et qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratio mentis videtur. BEDA. Nota quod Marcus dicit: *Præcedit vos in Galilæam,* etc. Nec tamen ibi visum retulit. Matthæus autem, etc., usque ad sicut in illa æternitate cognoscetur, quo et nos perducet propter formam servi, ut liberi contemplerur formam Domini.

[¶]16.8 *Fugerunt.* HIER. De futura vita dicitur: *Fugiet dolor et gemitus.* Imitantur mulieres ante resurrectionem omnium quod faciunt post, id est, quod facturæ sunt fugiunt mortem et pavorem. *Et nemini.* HIER. Quia illi soli mysterium resurrectionis vident qui meruerunt, unde, secundum Joannem: *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum,* ut videret quæ audivit.

[§]16.9 *Surgens autem.* Mane surrexit, sero sepultus est, ut hoc adimpleret: *Ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum lætitia* Psal. 29.. Sepultus ergo sexta sabbati quæ vocatur parasceve circa ve peram sequenti nocte et die sabbati, cum sequenti nocte in monumento positus, die tertia, id est primo mane prima sabbati, surrexit. Et bene una die et duabus noctibus in sepulcro jacuit, quia lucem suæ simplæ mortis nostræ duplæ mortis tenebris adjunxit. In morte enim animæ et spiritus tenebamur, unde ad nos suam, id est carnis mortem attulit, et duas nostras solvit: simplam suam duplæ nostræ contulit, et duplam nostram moriens abstulit. *Apparuit primo Mariæ Magdalene.* Mariæ Magdalene primo ostenditur, de qua ejecerat septem dæmonia: quia meretrices, et publicani præcedunt Synagogam in regnum Dei, ut latro præcessit apostolos. Apostoli flent et lugent, quia necdum viderunt, sed cito consolabuntur. BEDA. In principio mulier auctor culpæ viro fuit, executor vir erroris, etc., usque ad ut ipsis evangelistis et apostolis resurrectionem evangelizaret.

^{**}16.11 *Et illi audientes.* BEDA. Quod discipuli resurrectionem tarde credunt, non tam est illorum infirmitas, quam nostra firmitas; dubitantibus enim resurrectio per multa argumenta monstrata est, quibus et nos firmius solidamur.

in alia effigie, euntibus in villam:†† 13 et illi euntes nuntiaverunt ceteris: nec illis crediderunt. 14 Novissime recumbentibus illis undecim apparuit: et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.‡‡ 15 Et dixit eis: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.¶¶ 16 Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.§§ 17 Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis:* 18 serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, et bene habebunt.† 19 Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, et sedet a dextris Dei.‡ 20 Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.¶

††16.12 *Duobus ex his.* BEDA. Hoc Lucas apertius Luc. 24.: *Oculi eorum,* etc. Post cognoverunt eum in fractione panis. Et sicut Lucas ait: *Surgentes eadem hora reversi sunt in Hierusalem,* etc. *Ambulantibus.* HIER. Fides hic laborat agens activam vitam, illic contemplativa, etc., usque ad oblitus carnis suæ postulat in ista vita quod post illam speramus in futura.

‡‡16.14 *Novissime,* etc. BEDA. Quadragesimo die, quando erat jam ab eis recessurus in cælum, hoc eis maxime, etc., *usque ad: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium. Duritiam cordis,* etc. HIER. Ut succedat cor carneum charitate plenum: hinc quod catervæ martyrum mortem hujus sæculi libenter affectant, quia norunt pro temporali interitu perpetuo se esse victuros.

¶¶16.15 *Omni creaturæ.* Omni nationi gentium. Ante enim dictum erat: *In viam gentium ne abieritis* Matth. 10.: ut scilicet apostolorum prius a Judæa repulsa prædicatio, tunc gentibus in adjutorium fieret. HIER. Omni generi humano, quod habet aliquid commune omni creaturæ, angelis, pecoribus, lignis, lapidibus, igni et aquæ, calido et frigido, humido et arido, quia minor mundus homo dicitur.

§§16.16 *Qui crediderit,* etc. Per alios parvuli credunt, sicut ex aliis ea quæ in baptismo eis remittuntur, peccata extraxerunt.

*16.17 *Signa autem,* etc. Nunquid si signa non faciamus, non credimus? Sed hæc in exordio necessaria fuerunt, ut fides miraculis nutrireretur, fide autem Ecclesiæ jam confirmata non sunt necessaria. *Dæmonia ejicient,* etc. Hoc hodie spiritualiter facit Ecclesia, cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponit, et malignos spiritus expellit. *Linguis loquentur novis.* Hoc fit dum fideles veteris vitæ sæcularia verba relinquunt, et sancta mysteria insonant, et Dei laudes et potentiam quantum valent extollunt.

†16.18 *Si mortiferum,* etc. Dum pestiferas persuasiones audiunt, nec ad operationes usque perducunt, quod inde eis non nocet si mortiferum bibunt. *Super ægros manus,* etc. Dum proximos in bono opere confirmatos roborant exemplo bonæ operationis, super ægros manus imponunt, et bene habebunt. Hæc miracula tanto majora, quanto spiritualia; per hoc enim animæ suscitantur, non corpora.

‡16.19 *In cælum.* AUG. Nota quod aliquando cælos pluraliter et aliquando cælum singulariter, etc., usque ad ubi fidelium credulitas plus actibus quam locutionibus eruditur. *Et sedet a dextris.* BEDA. Et nunc omnia judicans, in fine omnium Judex venturus est. Stephanus autem vidit eum stantem, quia in certamine habuit eum adjutorem.

¶16.20 *Illi autem,* etc. BEDA. Nota quod Marcus Evangelium suum quanto inchoavit tardius, tanto, etc., usque ad quo apostoli idem Evangelii verbum per totum orbem seminaverunt.

INCIPIIT SECUNDUM LUCAM

1 Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum:[§] ²sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis: ³visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile,^{**} ⁴ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. ⁵Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth.^{††} ⁶Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.^{‡‡} ⁷Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis.^{¶¶} ⁸Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum,^{§§} ⁹secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini:^{*} ¹⁰et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. ¹¹Apparuit autem illi angelus

§1.1 *Quoniam quidem*, etc. BEDA. Lucas de omnibus quæ fecit Jesus et docuit, etc., usque ad magis ordinarent narrationem quam historiæ texerent veritatem.

**1.3 *Omnia*. ID. Non omnia quæ assecutus, sed de omnibus quæ ad fidem legentium confirmandam credit idonea. Ex consulto enim multa præterit, quæ alii dicunt, ut diversa in Evangelio gratia refulgeret, et propriis quibusdam libri singuli mysteriorum gestorumque miracula emerent. *Theophile*. Theophilus, amans Deum, etc., usque ad fidem perpetuæ divinitatis et temporaneæ dispensationis illius debet ordinem nosse.

††1.5 *Fuit in diebus Herodis regis Judææ*. AMBR. Vitulus sacerdotalis hostia. Per vitulum ergo hoc Evangelium figuratur, in quo a sacerdotibus inchoatur, et in vitulo consummatur, id est in Christo, qui pro mundi vita immolatur. *Sacerdos quidam*. Implevit ordinem, dixit regem, et regionem in qua fuit, sacerdotem et gentem ejus et uxorem illius indicat. *Zacharias*. Zacharias, memor Domini: cui apparet Angelus a dextris altaris, quia ei qui memor Domini est demonstratur mysterium. *De vice Abia*. BEDA. Abia, Pater Dominus, etc., usque ad sicut per septem Testamentum declaratur Vetus. *Elisabeth*. Elisabeth, Dei mei saturitas, signat Mariam quæ plena Deo fuit.

‡‡1.6 *Erant autem ambo*. BEDA, AMBR. Plena laudatio quæ genus in majoribus, mores in æquitate, officium in sacerdotio, factum in mandatis, judicium in justificationibus comprehendit. *Justi ante Deum*. AMBR. Non enim omnis qui justus est ante homines justus est ante Deum; aliter enim vident homines, aliter Deus: homines in facie, Deus in corde. Ideoque fieri potest, ut aliquis affectata bonitate populari justus videatur mihi, justus tamen non sit ante Deum, si justitia non ex mentis simplicitate formetur, sed adulatione simuletur.

¶¶1.7 *Et non erat illis*. BEDA. Divinitus procuratum fuit, ut de propectis diuque fructu conjugii privatis Joannes nasceretur, ut inopinato ortu proles et ipsos donum Dei gratius afficeret, et cæteros stupor miraculi pararet auditui futuri prophetiæ. Unde postea subditur: *Posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit?*

§§1.8 *Factum est autem*. Cum ex præcepto Moysi uno sacerdote decedente, unus succedere jubeatur, tempore David statutum est ut vicissim ministrantes per octonos dies a sabbato usque ad sabbatum tempore vicis suæ, singuli castimoniam studerent, nec interea domum tangerent.

*1.9 *Sorte*. BEDA. Non nova tunc sorte electus, quando incensum erat adolendum, etc., usque ad prædicatur dum ille promittitur præcursorus.

Domini, stans a dextris altaris incensi. ¹² Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. [†] ¹³ Ait autem ad illum angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem: [‡] ¹⁴ et erit gaudium tibi, et exsultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt: [¶] ¹⁵ erit enim magnus coram Domino: et vinum et siceram non bibet, et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: [§] ¹⁶ et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum: ^{**} ¹⁷ et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. ^{††} ¹⁸ Et dixit Zacharias ad angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. ^{‡‡} ¹⁹ Et respondens angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare. ^{¶¶} ²⁰ Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. ²¹ Et erat plebs expectans Zachariam: et mirabantur quod tardaret ipse in templo. ²² Egressus autem non poterat loqui ad illos, et cognoverunt quod visionem vidisset

[†]1.12 *Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum*, etc. AMBR. Solemus turbari et a nostro affectu alienari quando perstringimur superioris potestatis occurso. Sed sicut humani defectus est terreri, ita angelicæ benignitatis est paventem suo aspectu blandiendo solari; contra, dæmones, si quos sua præsentia territos senserint, ampliore horrore concutiunt.

[‡]1.13 *Quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus*. Exaudita est magis quam petisti. Rogasti pro liberatione plebis, et donatus est tibi præcursor. AMBR. Multa divina beneficia hic sunt congesta. Primum, deprecationis fructus, deinde sterilis partus. Tum lætitia plurimorum, et magnitudo virtutis, Altissimi etiam prophetia promittitur. Quinetiam ne qua esset dubitatio, futuri nomen designatur. Tantis igitur supra votum fluentibus, non immerito diffidentia poena plectitur silentii.

[¶]1.14 *Et erit gaudium*, etc. BEDA. Singularis meriti est indicium quoties hominibus a Deo vel imponitur nomen, vel mutatur, etc., usque ad quia hic salutem multis prædicat, ille vero omnibus dat. AMBR. *Gaudium et exsultatio*. Monentur parentes non minus gratias agere, etc., usque ad matres quia honorantur præmiis conjugii.

[§]1.15 *Vinum et siceram*, etc. BEDA. Magnæ coram Deo virtutis est prædicare in deserto gaudia cœlestia, etc., usque ad et jam erat spiritus gratiæ.

^{**}1.16 *Et multos filiorum Israël convertet*. ID. Cum Joannes Christo testimonium perhibens, in fide Christi baptizans, dicatur filios Israël ad Deum convertisse, patet Christum esse Dominum Deum Israël.

^{††}1.17 *Præcedet ante*. ID. Sicut Elias præco judicis, etc., usque ad ille cum eo manifestatur in gloria. *In spiritu et virtute*. AMBR. Bene junguntur spiritu et virtute. Non enim sine virtute spiritus, nec sine spiritu virtus est. Elias virtutem habuit abstinentiæ, et patientiæ, et convertendi animos populorum a perfidia ad fidem, spiritum autem prophetandi habuit. *Convertat*, etc., BEDA. Corda patrum in filios convertit, etc., usque ad fere eadem verba quæ angelus de Joanne, Malach, prædixit de Elia.

^{‡‡}1.18 *Unde*, etc. ID. Si homo esset qui promittebat, impune liceret quærere signum, etc., usque ad et infidelitatis esset poena quam meruit.

^{¶¶}1.19 *Ante Deum*. ID. Cum ad nos veniunt angeli, sic exterius implent ministerium, ut tamen ante Deum interius per contemplationem assistant. Quia etsi angelus est spiritus circonscripatus, summus spiritus qui Deus est, incirconscripatus est, intra quem currit angelus quocunque moveatur vel mittatur.

in templo. Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus.^{§§ 23} Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam.*²⁴ post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens:†²⁵ Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.‡²⁶ In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth,¶²⁷ ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David: et nomen virginis Maria.^{§ 28} Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.**²⁹ Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio.††³⁰ Et ait angelus ei: Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum.‡‡³¹ Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum:¶¶³² hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum,^{§§ 33} et regni ejus non erit finis.³⁴ Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?³⁵ Et respondens angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit

§§1.22 *Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus*, etc. Sine voce corporales actus indicare moliens, nec exprimens voluntatem. Cui similis populus Judæorum, actuum suorum impotens reddere rationem.

*1.23 *Ut impleti sunt*, etc. Quia vicis suæ tempore, pontifices templi tantum officii mancipati, non solum a complexu uxorum, sed etiam a domorum ingressu abstinebant. Nostris autem sacerdotibus quibus non carnalis successio, sed spiritalis perfectio quæritur, qui quotidie præsto debent esse altari, perpetua castitas indicitur.

†1.24 *Occultabat*. AMBR. Occultat quia partus sui erubescit ætatem, etc., usque ad neque enim ea quæ senilem non erubesceret coitum, erubesceret partum.

‡1.25 *Quia sic fecit*. BEDA. Gesta sunt hæc, inquit Joannes Chrysostomus, etc., usque ad quia per ipsum afflictio pœnitentiæ erat prædicanda.

¶1.26 *In mense autem sexto*. HIER. Sicut sexto mense missus est Gabriel angelus a Deo in civitatem Galilææ, ita sexto millenario missus est Christus, *Gabriel*. BEDA. Ideo angeli ex nomine aliquando signantur, ut ex ipso nomine quid ministraturi veniant, demonstratur. Gabriel fortitudo Dei, quia illum nuntiat qui ad debellandum diabolus veniebat.

§1.27 *Ad virginem*. Mulier a diabolo seducta mortem intulit: contra mulier ab angelo edocta salutem edidit.

**1.28 *Dominus tecum*. Quam novo castitatis amore ad coelestia sustulit, et post mediante humana natura, omni plenitudine divinitatis consecravit. *Benedicta tu in mulieribus*. Quæ, sine exemplo muliebris conditionis, et virgo et mater est, et Deum genuit.

††1.29 *Turbata est*, etc. Quia nesciebat si præteritum an futurum esset, quod angelus dixit.

‡‡1.30 *Et ait angelus ei: Ne timeas, Maria*. Turbatam insolita salutatione quasi familiaris notam vocat ex nomine. Ne timeat jubet, et quare gratia plenam vocaverit, plenius explicat.

¶¶1.31 *Jesum*. Jesus salvator, sive salutaris dicitur. Ipse enim salvum faciet, non populum Israël, sed suum populum, sive ex præputio, sive ex circumcissione, in unum ovile sub uno pastore congregatum.

§§1.32 *Sedem David patris ejus*. BEDA. Id est Isræliticam plebem, etc., usque ad in his qui de oleastro incisi in olivam bonam sunt inserti.

tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* ³⁶ Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis:† ³⁷ quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. ³⁸ Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus.‡ ³⁹ Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda:¶ ⁴⁰ et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.§ ⁴¹ Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus: et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth.** ⁴² et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.†† ⁴³ Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?‡‡ ⁴⁴ Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo.¶¶ ⁴⁵ Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. ⁴⁶ Et ait Maria: [Magnificat anima mea Dominum:§§ ⁴⁷ et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* ⁴⁸ Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam

*1.35 **Sanctum vocabitur Filius Dei.** Jesus nascitur sanctus, qui conditionem naturæ corruptibilis vinceret, et commistione copulæ carnalis conceptus non est. Nos conditione corruptibilis naturæ constricti, per gratiam possumus sanctificari. Et congruit, ut quæ contra morem virgo concepit, supra morem humanæ consuetudinis Dei Filium generet.

†1.36 **Et ecce,** etc. BEDA. Ne virgo desperet de partu, etc., usque ad præcursores quoque de anu sterili nasciturum cognosceret. **Cognata tua.** Quia de tribu Levi, id est de tribu Dei. BEDA. Legimus, quod Aaron qui de tribu Levi erat, etc., usque ad quæ secundum Deum spiritualis cognationis consortio non carebant.

‡1.38 **Ecce ancilla Domini.** Non de singularitate meriti se extollit, sed suæ conditionis et divinæ cognationis per omnia memor, se ancillam illius esse fatetur, cujus mater eligitur, et cum magna devotione promissionem angeli optat impleri.

¶1.39 **Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda.** AMBR. Non incredula de oraculo, etc., usque ad dum subditur: **Et factum est ut audivit.**

§1.40 **Et intravit in domum Zachariæ.** Hinc discant sanctæ mulieres, quam sedulitatem prægnantibus debeant exhibere cognatis. **Et salutavit Elisabeth.** BEDA. Prior salutatur, quia decet ut quanto castior, tanto humilior sit.

1.41 **Exsultavit, etc. Quia lingua non poterat, animo exsultante salutatur, et suæ præcurSIONIS officium inchoat. Ecce apparet quod angelus dixerat: **Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.**

††1.42 **Benedicta tu.** BEDA, AMBR. Conveniunt verba Evangelii cum verbis psalmi in quo promittitur David: **De fructu ventris tui ponam super sedem tuam** Psal. 131.. Et eadem voce Maria benedicitur ab Elisabeth qua a Gabriele, ut et angelis et hominibus veneranda, et nostris feminis præferenda monstretur.

‡‡1.43 **Mater Domini.** Sentio miraculum, mysterium cognosco, mater Domini verbo feta, Deo plena.

¶¶1.44 **Ut facta.** Ipso momento quo vox intrat ad aures corporis, virtus spiritualis cor intrat audientis, et non solum matrem, sed etiam sobolem amore advenientis accendit. **Exsultavit.** BEDA. Revelante Spiritu quo impleta erat, etc., usque ad credidit virgo, ubi sacerdos negavit.

§§1.46 **Magnificat anima mea Dominum.** ID. Primo dona sibi spiritualiter concessa profitetur, etc., usque ad in ejus præceptis observandis impendo.

*1.47 **Et exsultavit.** ID. ID. Quia terrena non curo, prosperitas non emollit me, adversitas non frangit, sed sola illius memoria delectat, a quo salus speratur æterna, illius divinitate lætor cujus temporalis conceptione mea caro fetatur.

me dicent omnes generationes,[†] 49 quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen ejus,⁵⁰ et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.⁵¹ Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.⁵² Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.⁵³ Esurientes implevit bonis: et divites dimisit inanes.[‡] 54 Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ: 55 sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula.][¶] 56 Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: et reversa est in domum suam.[§] 57 Elisabeth autem impletum est tempus pariendo, et peperit filium.⁵⁸ Et audierunt vicini et cognati ejus quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.⁵⁹ Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam.^{**} 60 Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes.⁶¹ Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.⁶² Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.^{††} 63 Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi.⁶⁴ Aper- tum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum.⁶⁵ Et factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana Judææ divulga- bantur omnia verba hæc:⁶⁶ et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo.⁶⁷ Et Zacharias pa- ter ejus repletus est Spiritu Sancto: et prophetavit, dicens:^{‡‡} 68 [Benedictus Dominus

[†]1.48 **Quia respexit.** ID. Ecce quam vilia de se sentit, etc., usque ad et de parvis et infirmis magnos facit et fortes. **Quia fecit mihi magna.** Quia in me carnem sumpsit, et me a peccatis mundavit, et dona Spiritus sancti mihi contulit. **Et misericordia.** BEDA. A specialibus donis ad generalia Dei judicia se convertit, etc., usque ad subdit quid contemptores mereantur.

[‡]1.53 **Esurientes implevit bonis.** ID. Qui æterna toto studio desiderant; saturabun- tur, cum Christus apparuerit in gloria. Sed qui terrenis gaudent, in ultimo inanes totius beatitudinis dimittuntur. In præsentem etiam videmus humiles divina gratia impleri, superbos lumine veritatis privari.

[¶]1.55 **Sicut locutus est ad patres nostros.** Memoriam patrum quibus hæc salus reve- lata est faciens, Abraham nominatim exprimit, cui primo ipsa incarnatio manifestata est. **Et semini ejus in sæcula.** Non tam carne genitis, quam fidei vestigia secutis, quibus adventus Salvatoris in sæcula est promissus, quia ipsa promissio hæreditatis nullo fine claudetur. Nam et usque in finem sæculi credentes non deerunt, et beati- tudinis erit gloria perennis.

[§]1.56 **Mansit autem Maria.** BEDA. Tandiu mansit, donec videret præcursoris nativ- itatem, propter quam maxime venerat. Nec causa sola familiaritatis tandiu mansit, sed ut tanto tempore et Elizabeth et Joannis cresceret profectus. Nam si in primo ad- ventu Mariæ, Spiritu sancto sunt repleti, multum est illis superadditum tanta mora mansionis.

^{**}1.59 **Die octavo.** Per circumcisionem resurrectio Domini figuratur, quia et octava die, id est post sabbatum, facta est. Et sicut illa a reatu mortis absolvere solebat, sic ista immortalis vitæ nativitatem, et in auctore nostro exhibuit, et in nobis mon- stravit sperandam. **Et vocabant eum.** BEDA. Joannis celebrata nativitas, est Novi Testamenti inchoata gratia, etc., usque ad gratiam Evangelii si recte intelligatur exprimit.

^{††}1.62 **Innuebant autem patri ejus,** etc. Qui innuunt patri de nomine pueri, signif- icant illos qui testimonio legis intendunt astruere gratiam fidei.

^{‡‡}1.67 **Et prophetavit dicens.** BEDA. Magna largitas divinæ pietatis. Ecce loquela quæ sola ablata est diffidenti, cum spiritu prophetiæ restituta est credenti.

Deus Israë̄l, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ:^{¶¶} 69 et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui,^{§§} 70 sicut locutum est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus: 71 salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos:^{*} 72 ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: et memorari testamenti sui sancti:[†] 73 jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis 74 ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi 75 in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. 76 Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus,[‡] 77 ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum 78 per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto: 79 illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.]^{¶¶} 80 Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu: et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israë̄l.

2 Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis.[§] 2 Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino:^{**} 3 et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. 4 Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo et familia David,^{††} 5 ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. 6 Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut

^{¶¶}1.68 **Benedictus.** Qui dum bonitatem Dei rogavit, pro liberatione præcursor donatus est. **Visitavit.** Quod proxime faciendum cognoverat, prophetico more quasi jam factum narrat.

^{§§}1.69 **Cornu salutis nobis.** BEDA. Per cornu quod carnem excedit, cum omnia ossa carne tegantur, regnum Christi significatur, quo mundus et gaudia carnis superantur. In cujus figuram David et Salomon cornu olei, sunt in regni gloriam consecrati, ut prius Saul lenticula.

^{*}1.71 **Salutem ex inimicis nostris, et de manu,** etc. Erexit nobis salutem ex inimicis, et est explanatio superioris versiculi, in quo breviter idem præmiserat: **Et erexit cornu salutis nobis.**

[†]1.72 **Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti,** etc. Locutus est, et erexit nobis salutem ad faciendam misericordiam, ut misericordiam quam patribus promisit impleat in nobis, et juramentum quod fecit patribus de liberatione nostra, in nobis per Christum compleatur.

[‡]1.76 **Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare,** etc. BEDA. Non mirum si alloquitur infantem octo dierum, etc., usque ad quæ agnoscebat se in filios suscepisse.

^{¶¶}1.79 **Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Puer autem crescebat,** etc. Ut per omnia gressus nostrorum operum illuminatoris nostri gratiæ concordent, donec ad mansionem perpetuæ pacis intremus.

[§]2.1 **Exiit edictum a Cæsare.** AUG., BED. Augustus duodecim annis circa nativitatem Christi in pace regnavit, etc., usque ad hic primum Judæa facta est stipendiaria Romanis.

^{**}2.2 **Prima.** BEDA. Jam diversis temporibus, pleræque partes terrarum leguntur descriptæ, sed hæc est prima earum quæ totum orbem concluderunt, quæ professio est mentium, quia nullus excluditur. Vel certe tunc primum cœpit, quando Cyrinus a Cæsare in Syriam missus est, censor patrimoniorum futurus.

^{††}2.4 **Nazareth.** ID. Quotidie Dominus in Nazareth concipitur, etc., usque ad quod instantia loquentis magistri nihil valet nisi augmentum superni juvaminis ut audiatur acceperit.

pareret.‡‡ 7 Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio.¶¶ 8 Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. §§ 9 Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno.* 10 Et dixit illis angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: 11 quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. 12 Et hoc vobis signum: inuenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.† 13 Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, et dicentium: 14 [Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.]‡ 15 Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cælum: pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. 16 Et venerunt festinantes: et inveniunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.¶ 17 Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. § 18 Et omnes qui audierunt, mirati sunt: et de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos.** 19 Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. 20 Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audier-

‡‡2.6 **Factum est autem.** Alibi concipi, alibi nasci Dominus voluit, ut insidiantis Herodis furorem facilius evaderet. Humilitas Christi commendatur, quia non solum incarnari, sed etiam illo tempore nasci voluit, quo mox natus censui Cæsaris propter nostram liberationem subderetur.

¶¶2.7 **Pannis eum involvit.** Vilibus induitur pannis, ut stolam immortalitatis reciperemus. Manus et pedes stringuntur; ut manus nostræ ad bene operandum, pedes in viam pacis dirigantur; parvulus factus, ut nos perfecti simus.

§§2.8 **Et pastores.** BEDA. Nato summo pastore, pastores ab insidiis noctis, etc., usque ad super quos divina gratia largius coruscat.

*2.9 **Et ecce angelus Domini.** ID. Et concipiendum, et conceptum, et natum Dominum, cæli cives testantur, ut et mortales sufficienter imbuant, et suum auctori servitium impendant.

†2.12 **Infantem pannis involutum.** ID. Crebris infantia Salvatoris et angelorum testimoniiis, et evangelistarum est inculcata, ut mentibus nostris altius infigatur quid pro nobis sit factus: In quo humilitas commendatur: **Quia cum esset dives, pauper pro nobis factus est, ut inopia sua nos ditaret** II Cor. 8..

‡2.14 **Et in terra pax.** Quando peccando eramus a Deo extranei, extraneos nos angeli deputabant; sed quia cognovimus regem nostrum, recognoverunt nos angeli cives suos. Et timet angelus adorari ab humana natura quam in suo rege considerat. **Hominibus bonæ voluntatis.** BEDA. Qui suscipiunt natum Christum, non his qui audita ejus nativitate sunt turbati et eum persecuti. **Non est pax impiis, dicit Dominus** Isa. 48..

¶2.16 **Et venerunt festinantes.** BEDA. Non cum desidia Christi quærenda est præsentia, etc., usque ad quasi in præsepio invenient.

§2.17 **Videntes autem.** Visio vel cognitio Dei est, et hæc est sola vita hominum ut cognoscant verum Patrem, et quem misit Jesum Christum esse unum Deum.

2.18 **Mirati sunt. Mirantur et de mysterio incarnationis et de tanta pastorum atestatione, qui fingere audita nescirent, sed simplici facundia vera prædicarent. Sed Dominus non rethores, sed piscatores ad evangelizandum destinavit. Sic et in Vetere Testamento suæ dispensationis nuntios pastores ordinavit. Ideo non est parvipendenda pastorum attestatio.

ant et viderant, sicut dictum est ad illos.^{††} 21 Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur. 22 Et postquam impleti sunt dies purificationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino,^{‡‡} 23 sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur:^{¶¶} 24 et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.^{§§} 25 Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus, et timoratus, expectans consolationem Israël: et Spiritus Sanctus erat in eo.* 26 Et responsum acceperat a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. 27 Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo,[†] 28 et ipse accepit eum in ulnas suas: et benedixit Deum, et dixit: 29 [Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace:[‡] 30 quia viderunt oculi mei salutare tuum, 31 quod parasti ante faciem omnium populorum: 32 lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israël.] 33 Et erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. 34 Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël, et in signum cui contradicetur:[¶] 35 et tuam ipsius animam pertransibit gladius ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.[§] 36 Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus

^{††}2.20 *Et reversi*, etc. BEDA. Sic spirituales pastores modo dormientibus aliis contemplando coelestia subvehuntur, etc., usque ad dum dicunt: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*.

^{‡‡}2.22 *Tulerunt illum*. Parvuli qui de toto regno Judæorum ad templum portabantur, si erant de tribu Levi, in ministerium domus perpetuo detinebantur. Si de alia tribu, pretio dato a parentibus primogeniti redimebantur ad propria referendi.

^{¶¶}2.23 *Sicut scriptum*. BEDA. Scriptum est in lege: *Mulier quæ suscepto*, etc., usque ad cum bonorum operum fructibus supernæ beatitudinis gaudia subit.

^{§§}2.24 *Par turturum*. ID. Hæc oblatio pauperum erat, qui non sufficerent offerre agnum, ut per omnia humilitas Domini pateat.

*2.25 *Et ecce homo*. Non solum angeli, sed omnis ætas et sexus testimonium nato reddunt puero. Et sicut ab omnium sæculorum fidelibus præ sagiebatur, ita veniens omnium sanctorum laude prædicatur.

[†]2.27 *Puerum*. Cum pueritia post septem annos infantia incipiat, Jesus frequenter puer dicitur, non tam ætate quam pro servitio, unde Propheta: *Ecce puer meus*, quia *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* Isa. 42.

[‡]2.29 *Nunc dimittis servum tuum*. AMBR. Qui vult dimitti, veniat in Hierusalem, etc., usque ad tunc dimittetur ut non videat mortem, quia viderat vitam.

[¶]2.34 *Ecce positus est hic*. In ruinam illorum qui steterant, et resurrectionem illorum qui ceciderant; vel in ruinam vitiorum, et in resurrectionem virtutum. Non in se tantum, sed in suis quoque prædicatoribus positus est in ruinam et resurrectionem, unde Apostolus: *Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt*. Bono enim odore, alii salvantur, alii pereunt II Cor. 2..

[§]2.35 *Gladius*. BEDA. Dolor Dominicæ passionis, etc., usque ad zizania germinare conspicit. *Ut revelentur*. Ante erat incertum qui Judæorum Christi gratiam reciperent, qui conspuerent: sed audita nativitate revelantur cogitationes, et Herodes et alii turbantur, quidam ad Christi magisterium accedunt.

multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.** 37 Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. 38 Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino: et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israël.†† 39 Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. 40 Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia: et gratia Dei erat in illo.‡‡ 41 Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemnibus Paschæ.¶¶ 42 Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, 43 consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. 44 Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos. 45 Et non inveniētes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. §§ 46 Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos.* 47 Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. 48 Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quærebat te. 49 Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?† 50 Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. 51 Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis.

**2.36 *Et erat Anna*, etc. Quia per virum et mulierem vita totius mundi perdita est, in testimonio vitæ per Christum redeuntis Anna conjungitur Simeoni. Convenit mysteriis Ecclesiæ, quod Anna gratia interpretatur, quæ est filia Phanuel, qui facies Dei dicitur, unde supra: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* Psal. 4.. *De tribu Aser*. Id est beati, descendit, qui inter duodecim patriarchas ordine nascendi octavus est, propter mysterium resurrectionis. Quinque sunt Annæ. Prima mater Samuel, secunda uxor Raguel, tertia mater Tobia, quarta filia Phanuel, quinta mater Mariæ. *Processerat in diebus*. BEDA. Juxta historiam, Anna, et devotæ conversationis, etc., usque ad multiplicantur propter apostolicam doctrinam.

††2.38 *Omnibus qui*, etc. Omnibus fidelibus qui jugo Herodis alienigenæ gravati, liberationem civitatis et populi expectabant, promittebat per adventum Christi in proximo redemptionem a tyrannide alieni.

‡‡2.40 *Puer autem*. BEDA. In eo quod puer erat, etc., usque ad homo fieri cœpisset, perfectus esset ut Deus.

¶¶2.41 *Et ibant parentes*, etc. ID. Merito Lucas inter quatuor animalia vitulo comparatur, etc., usque ad discipulos Domini in templo laudantes in fine Evangelii sui concludit.

§§2.45 *Et non inveniētes*. ID. Si quæritur quomodo potuit a parentibus obliviscendo relinqui, etc., usque ad cum altero parente reversum.

*2.46 *In medio*. ID. Quasi fons, medius doctorum sedet, sed quasi exemplar humilitatis, prius interrogat et audit quam instruat, ne parvuli a senioribus doceri erubescant, ne infirmus docere audeat.

†2.49 *Quid est quod me quærebatis?* ID. Non quod eum quasi filium quærunt vituperat, sed quis sit sibi verus Pater insinuat, et quid potius debeat ei cui est æternus Filius, mentis oculos attollere cogit. Quia enim Deus et homo est, nunc excelsa Deitatis, nunc infirma præfert humanitatis. Quasi Filius Dei in templo commoratur, quasi Filius hominis cum parentibus quo jubent regreditur.

Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.[‡] 52 Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.[†]

3 Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ, et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, ² sub principibus sacerdotum Anna et Caïpha: factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto.[§] ³ Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,^{**} ⁴ sicut scriptum est in libro sermonum Isaiaë prophetæ: [Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini; rectas facite semitas ejus.^{††} ⁵ omnis vallis implebitur, et omnis mons, et collis humiliabitur: et erunt prava in directa, et aspera in vias planas:^{‡‡} ⁶ et videbit omnis caro salutare Dei.]^{¶¶} ⁷ Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?^{§§} ⁸ Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.^{*} ⁹ Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. ¹⁰ Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? ¹¹ Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: et qui habet escas, similiter faciat.[†] ¹² Venerunt autem et publicani ut baptizarentur, et

[‡]2.51 *Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Omnia quæ de Domino, vel a Domino facta cognovit, sive quæ intellexit, sive quæ nondum intelligere potuit, omnia in memoria recondebat, ut, quando tempus prædicandæ seu scribendæ incarnationis ejus adveniret, sufficienter universa prout essent gesta posset explicare quærentibus. Sic nos crebra factorum et dictorum Domini meditatione importunos cogitatus repellamus, et alios instruere laboremus.

[†]2.52 *Proficiebat sapientia.* BEDA. Sicut est carnis ætate proficere, etc., usque ad utraque pariter salvaretur.

[§]3.2 *Factum est verbum,* etc. BEDA. Congregaturus Ecclesiam, Dei Filius primum operatur in servulo, etc., usque ad unum itaque dixit, et omnia declaravit.

^{**}3.3 *Prædicans baptismum pœnitentiæ,* etc. ID. Joannes baptismum pœnitentiæ prædicavit, et quibusdam etiam dedit, etc., usque ad præcurreretur suo baptisate quo peccata solvi non possunt.

^{††}3.4 *Vox clamantis.* Vox, quia prænuntius verbi. *In deserto.* Quia desertæ et destitutæ Judææ solatium redemptionis annuntiat. Nullum verbum sine voce auditur, nec vox sine verbi intelligentia valet. *Parate viam Domini,* etc. Qui fidem et bona opera prædicat, quid aliud quam venienti Domino? ad corda audientium viam parat, ut hæc vis gratiæ illustret, ut rectas Deo semitas faciat, dum mundas cogitationes in animo per sermonem prædicationis format.

^{‡‡}3.5 *Et erunt prava.* BEDA. Prava, id est, malorum corda per injustitiam distorta ad regulam justitiæ dirigentur.

^{¶¶}3.6 *Et videbit.* ID. In hac vita omnis homo Christum videre non potuit, sed in die judicii, in sede majestatis et electi et reprobi pariter videbunt, ut justii remunerentur, et mali in æternum gemant. Unde et subditur:

^{§§}3.7 *Quis ostendit,* etc.? AMBR. Quis ostendit in prudentia miseratione Dei infusa, etc.? usque ad quam ad gentes transferendam prophetat.

^{*}3.8 *Dico enim vobis.* ID. Qui amisso sensu rationis, etc., usque ad replentur fructibus, vestiuntur frondibus.

[†]3.11 *Qui habet duas.* BEDA. Tunica plus sui necessaria quam pallium, etc., usque ad sed quod habet cum paupere partiat.

dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus?[‡] 13 At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis. 14 Interrogabant autem eum et milites, dicentes: Quid faciemus et nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: et contenti estote stipendiis vestris. 15 Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus,[¶] 16 respondit Joannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni:[§] 17 cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 18 Multa quidem et alia exhortans evangelizabat populo. 19 Herodes autem tetrarcha cum corripere ab illo de Herodiade uxore fratris sui, et de omnibus malis quæ fecit Herodes,^{**} 20 adjecit et hoc super omnia, et inclusit Joannem in carcere. 21 Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est cælum:^{††} 22 et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: et vox de cælo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.^{‡‡} 23 Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat,^{¶¶} 24 qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, 25 qui fuit Mathathia, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, 26 qui fuit Mahath, qui fuit Mathathia, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda,^{§§} 27 qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salatheil, qui fuit Neri, 28 qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, 29 qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi,^{*} 30 qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim, 31 qui fuit

[‡]3.12 **Publicani.** ID. Qui vectigalia publica exigunt, etc., usque ad tandem ad propria cum proximis communicanda pertingerent.

[¶]3.15 **Existimante autem.** ID. Non solum cogitabant, etc., usque ad per virginem venisse non credunt.

[§]3.16 **Veniet autem.** Ideo baptizo aqua, quia ille venit qui baptizabit spiritu, et oportet, ut illi via præparetur. **Cujus non sum dignus.** BEDA. Non sum dignus mysterium incarnationis investigare, etc., usque ad evangelica prædicatio, qua calceati sunt apostoli.

^{**}3.19 **Herodes.** Antequam Lucas aliquid narrat de actibus Jesu, dicit Joannem ab Herode captum, ut ostendat se solummodo ea facta descripturum, quæ eo anno gesta sunt, quo Joannes vel captus est, vel punitus.

^{††}3.21 **Et Jesu baptizato.** BEDA. Baptizatur Dominus, non mundari indigens, etc., usque ad jam edoctus Dei Filium aperte prædicat.

^{‡‡}3.22 **In te complacui.** Non aliena in filio, sed sua laudatur, quasi dicat: Quæcunque habes tu, mea sunt.

^{¶¶}3.23 **Annorum triginta.** BEDA. Quod tricennalis baptizatur, etc., usque ad ut in Jeremia et Daniele.

^{§§}3.26 **Qui fuit Mathathia, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli.** BEDA. Mathath qui per Salomonem descendit, etc., usque ad qui per carnalem generationem ostenditur factus Filius hominis.

^{*}3.29 **Qui fuit Levi.** Non autem hi quatuor qui hoc loco inferuntur Jacob filii fuerunt, sed quod eorum nominibus participabant. BEDA. Quasi nominibus alludens quod in illis figuratum est, etc., usque ad genera virtutum diversa præcederent.

Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Natham, qui fuit David,^{† 32} qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson,³³ qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ,³⁴ qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,³⁵ qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,³⁶ qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech,³⁷ qui fuit Methusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan,^{‡ 38} qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.[¶]

4 Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane: et agebatur a Spiritu in desertum^{§ 2} diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis: et consummatis illis esuriit.^{** 3} Dixit autem illi diabolus: Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat.^{†† 4} Et respondit ad illum Jesus: Scriptum est: Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.^{‡‡ 5} Et duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis,^{¶¶ 6} et ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, et cui volo do illa.^{§§ 7} Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia.^{* 8} Et respondens Jesus, dixit illi: Scriptum est: Dominum Deum tuum adora-

[†]3.31 **Nathan.** ID. Quod Matthæus per Salomonem, etc., usque ad cui iudicium a Deo rege defertur: **Sacerdos est in æternum secundum ordinem Melchisedech.**

[‡]3.37 **Mathusale.** AMBR. Anni Mathusale ultra diluvium numerantur, significat Christum, cujus vita ætatem nescit. **Qui fuit Enoch.** BEDA. A baptizato Dei Filio usque ad Deum Patrem ascendens, septuagesimo gradu Enoch ponit, etc., usque ad quos in resurrectione immutabili Dei sapientiæ contemplandæ per sæcula monstrat esse jungendos.

[¶]3.38 **Seth.** Seth posterior Adæ filius, non siletur, ut cum duæ populi sint generationes, significet Christum in posteriore potius quam in priore generatione numerandum. **Qui fuit Dei.** A Filio Dei generatio incipit, terminatur in Filium Dei, præcedit creatus in figura, ut sequatur natus in veritate; præit factus ad imaginem, ut propter eum imago descendat.

[§]4.1 **Et agebatur.** AMBR. Agebatur in desertum, hoc consilio, ut diabolum provocaret; nam nisi ille certasset, iste mihi non vicisset; mysterio, ut Adam de exsilio liberaret; exemplo, ut ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus invidere. **In desertum.** Historialiter: in illo deserto quod est inter Hierusalem et Hiericho, ubi figuraliter dixerat Adam a diabolo victum fuisse.

^{**}4.2 **Esuriit.** BEDA. Non est scriptum de Moyse vel Elia, etc., usque ad esurit autem non tam cibum corporis quam salutem animæ.

^{††}4.3 **Si Filius Dei es.** AMBR. Noverat Dei Filium venturum, sed venisse per infirmitatem corporis non putabat, etc., usque ad qui hoc verbo non vescitur, non vivit.

^{‡‡}4.4 **Scriptum est.** Docet magis doctrina quam miraculis pugnare, humilitati quam potentia, nihil pro diaboli arbitrio, nec declarandæ virtutis consideratione faciendum.

^{¶¶}4.5 **Et duxit.** Lucas sicut res gesta est exsequitur, mediam ponens avaritiam, ultimam superbiam, secundum mores præsentis temporis, quia superbia post omnes virtutes sævit. Matthæus non sequitur ordinem historiæ, sed tentationum Adæ.

^{§§}4.6 **Tibi dabo.** Hæc de arrogancia dicit, non quod totus mundus sit suus, sunt enim aliqui boni. **Mihi traditur.** Non a diabolo est potestas, sed obnoxia tamen insidiis diaboli. Nec ideo mala ordinatio potestatum, quia malo sunt obnoxia potestates.

^{*}4.7 **Tu ergo.** BEDA. Dicens diabolus Salvatori: **Si procidens adoraveris me,** e contrario audit, quod ipse magis adorare eum debeat, Dominum et Deum suum.

bis, et illi soli servies.[†] ⁹ Et duxit illum in Jerusalem, et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc deorsum.[‡] ¹⁰ Scriptum est enim quod angelis suis mandavit de te, ut conservent te:[¶] ¹¹ et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. ¹² Et respondens Jesus, ait illi: Dicitur est: Non tentabis Dominum Deum tuum. ¹³ Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.[§] ¹⁴ Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam, et fama exiit per universam regionem de illo.^{**} ¹⁵ Et ipse docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus.^{††} ¹⁶ Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere.^{‡‡} ¹⁷ Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat: ¹⁸ Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde,^{¶¶} ¹⁹ prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum et diem retributionis. ²⁰ Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum.^{§§} ²¹ Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. ²² Et omnes testimonium illi dabant: et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant: Nonne hic est filius Joseph? ²³ Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum: quanta audivimus facta in Caphar-

[†]4.8 *Si Filius Dei.* In omnibus tentationibus hoc agit, ut intelligat si Filius Dei sit. Sed Christus sic responsum temperat, ut ambiguum relinquat: **Mitte te deorsum.** Quem nec gula nec avaritia vicit, tentat vana gloria, si forte illum vel ipsa victoriæ suæ jactantia valeat dejicere. **Mitte.** Hæc vox ei convenit qui omnes præcipitare satagit. In quo infirmus ostenditur qui nulli possit nocere, nisi prius ille se deorsum miserit.

[‡]4.9 *Scriptum est.* Quia Scripturarum exemplum prætulera, Scripturarum vincitur exemplis. Utitur autem diabolus per hæreticos testimoniis Scripturarum, non ut doceat, sed ut fallat.

[¶]4.10 *Angelis.* BEDA. Hæc prophetia non de Christo est, sed de sancto viro. Quæ etiamsi de Christo esset, etiam quod sequitur debuerat meminisse: **Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem** Psal. 90.. Sed de angelorum auxilio quasi ad infirmum loquitur, de sua conculcatione quasi tergiversator tacet.

[§]4.13 *Et consummata.* ID. Tribus tentationibus victis, omnem tentationem dicit consummatam, etc., usque ad tamen formidat instare, ne frequentius triumphetur.

^{**}4.14 *Et fama exiit.* Non tantum a præsentibus propter visa miracula honoratur, sed apud absentes fama divulgabatur.

^{††}4.15 *Docebat.* Post miracula ecce sapientia, qua docet, qua doctrina per miracula præcedentia magnificat.

^{‡‡}4.16 *Et surrexit legere.* BEDA. Qui non venerat ministrari, sed ministrare, etc., usque ad vel prophetiæ lectionis attestazione corrigetur.

^{¶¶}4.18 *Spiritus.* ID. In superioribus prophetiæ Salvator de gentium vocatione et Ecclesiæ confirmatione loquens, etc., usque ad quia Spiritus Domini est super eum. **Evangelizare pauperibus,** etc. Gentes intelligit quæ erant vere pauperes. Neque enim Dei cognitionem, neque legem, neque prophetas, neque aliud quidquam in bonis habebant, et cæteris omnibus spiritualibus opibus erant destitutæ.

^{§§}4.20 *Et cum plicuisset.* BEDA. Audientibus illis qui aderant legit, etc., usque ad sed pro capacitate audientium committit doctori dispensandum verbum.

naum, fac et hic in patria tua.* 24 Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.† 25 In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cælum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra:‡ 26 et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.¶ 27 Et multi leprosi erant in Israël sub Eliseo propheta: et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.§ 28 Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. 29 Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem: et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitent eum.** 30 Ipse autem transiens per medium illorum, ibat. 31 Et descendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis.†† 32 Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius. 33 Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, et exclamavit voce magna,‡‡ 34 dicens: Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei.¶¶ 35 Et increpavit illum Jesus, dicens: Obmutesce, et exi ab eo. Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.§§ 36 Et factus est pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt? 37 Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. 38 Surgens autem Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: et

*4.23 **Medice.** Sicut fabri filium, ita eadem erroris dementia; medicum vocant, sed in errore illorum veritas latet. Vere enim erat filius fabri, qui per ipsum in principio omnia fecit, qui operatur in Spiritu sancto et igni, qui in magna domo hujus mundi facit vasa diversi generis. Est et medicus, quia per ipsum omnia quæ in cœlis et quæ in terra sunt restaurata. Qui de se dicit: **Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus** Matth. 9..

†4.24 **Amen dico vobis.** BEDA. Non solum Dominus et caput prophetarum, etc., usque ad miracula suæ virtutis avertit.

‡4.25 **In diebus Eliæ.** ID. Quasi dicat: Non est contrarium exemplo prophetarum, etc., usque ad quia nulla erat cognoscendæ divinitatis ubertas.

¶4.26 **Viduam.** ID. Vidua ad quam Elias mittitur, gentium figurat Ecclesiam, etc., usque ad in qua nobis vitæ æternæ præparatur panis.

§4.27 **Naaman Syrus.** ID. Naaman, qui decor interpretatur, populum significat nationum, etc., usque ad quia oportet baptizatos Dominici corporis participatione confirmari.

4.29 **Et duxerunt. ID. Pejores Judæi discipuli, diabolo magistro, etc., usque ad veluti divini Sculptoris expressa manu servantur.

††4.31 **Et descendit,** etc. ID. Nec indignatione commotus, nec scelere offensus, etc., usque ad nec solvitur lex, si sit renovatio hominis jam labentis.

‡‡4.33 **Et in Synagoga.** ID. In Synagoga est homo habens spiritum immundum, quia Spiritum sanctum amiserat. Introierat enim diabolus, unde Christus spiritualiter exierat.

¶¶4.34 **Scio te.** Per opera potuit probari Filius Dei. Sed nonne dixit Apostolis: **Majora facietis?** Solutio, per opera, id est modum operationis. Alii dicebant: **In nomine Jesu,** etc. Ipse dicebat: **Tibi dixi,** etc.

§§4.35 **Et cum projecisset.** BEDA. Curandus permittitur a dæmone in medium projici, ut virtus patefacta plures ad salutem invitet.

*4.36 **Et virtute.** Non ut homines qui in verbo Dei dæmonia ejiciunt, sed propria potestate virtutes operatur.

rogaverunt illum pro ea.† 39 Et stans super illam imperavit feбри: et dimisit illam. Et continuo surgens, ministrabat illis. 40 Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.‡ 41 Exhibant autem dæmonia a multis clamantia, et dicentia: Quia tu es Filius Dei: et increpans non sinebat ea loqui: quia sciebant ipsum esse Christum.¶ 42 Facta autem die egressus ibat in desertum locum, et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum: et detinebant illum ne discederet ab eis.§ 43 Quibus ille ait: Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. 44 Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

5 Factum est autem, cum turbæ irruerunt in eum ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth.** 2 Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, et lavabant retia.†† 3 Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas.‡‡ 4 Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.¶¶ 5 Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.§§ 6 Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum. 7 Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.* 8 Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi a me, quia homo pecca-

†4.38 *In domum Simonis.* Domus Petri, circumcisio est ejus apostolatui commissa. Socrus, est Synagoga quæ quodammodo mater est Ecclesiæ Petro commissæ. Hæc febricitat, quia invidiæ æstibus laborabat, persequens Ecclesiam. Sed Jesus stans super eam sanat, quia ubi timor Dei incipit esse, talis æstuatio solet recedere.

‡4.40 *Cum sol autem occidisset.* BEDA. Solis occubitus, passio Christi, per quam plures sanantur dæmoniaci, quam ante vivens in carne ægrotos sanaverat, quia in carne vivens paucos Judæorum docuit, post resurrectionem gentibus apparuit.

¶4.41 *Tu es Filius Dei.* ID. Cum jejuniis fatigatum diabolus videret, etc., usque ad quia, *si cognovissent Dominum gloriæ, nunquam crucifixissent* Matth. 1..

§4.42 *Facta autem die.* Mystice: manifesta luce resurrectionis a credentium turmis requiritur: et in gentium deserto inventus, ne abeat, retinetur.

**5.1 *Factum est autem.* Nec tempore, nec loco turba a studio sanandi cohibetur; vesper incumbit, et tamen sequitur; stagnum occurrit, et turba urget, et ideo ascendit in navim Petri. *Secus stabat.* BEDA. Stagnum, præsens sæculum designat. Dominus autem jam non in stagno quasi jam non in carne passibili, sed secus stagnum, quia in ea carne in qua passus est stabilitatem perpetuæ quietis adiit.

††5.2 *Vidit duas naves.* ID. Duæ naves, mystice, circumcisionem et præputium significant quas vidit, quia in utroque populo *novit qui sunt ejus*, quorum corda a fluctibus sæculi ad futuræ vitæ tranquillitatem, quasi ad littus misericorditer vivendo, provenit.

‡‡5.3 *Rogavit eum.* ID. Quod primo rogat navim a terra reduci pusillum, etc., usque ad ad remotiores gentes quibus postea prædicatum est pertinet.

¶¶5.4 *Duc in altum.* AMBR. Etsi aliis imperatur ut laxent retia, etc., usque ad vel de Spiritu sancti profluentibus donis instruitur Ecclesia, et armatur.

§§5.5 *In verbo,* etc. BEDA. Nisi verbo gratiæ laxata fuerint instrumenta disputationum, etc., usque ad etiam inter persequentium scandala.

*5.7 *Et impleverunt.* ID. Hæc impletio usque in finem sæculi crescit, etc., usque ad et talis humilitas meretur piam Domini consolationem.

tor sum, Domine. ⁹ Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant: ¹⁰ similiter autem Jacobum et Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens. [†] ¹¹ Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum. ¹² Et factum est, cum esset in una civitatum, et ecce vir plenus lepra, et videns Jesum, et procidens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. [‡] ¹³ Et extendens manum, tetigit eum dicens: Volo: mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. [¶] ¹⁴ Et ipse præcepit illi ut nemini diceret: sed, Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. [§] ¹⁵ Perambulabat autem magis sermo de illo: et conveniebant turbæ multæ ut audirent, et curarentur ab infirmitatibus suis. ^{**} ¹⁶ Ipse autem secedebat in desertum, et orabat. ^{††} ¹⁷ Et factum est in una dierum, et ipse sedebat docens. Et erant pharisæi sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, et Judææ, et Jerusalem: et virtus Domini erat ad sanandum eos. ^{‡‡} ¹⁸ Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: et quærebant eum inferre, et ponere ante eum. ^{¶¶} ¹⁹ Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt

[†]5.10 *Ex hoc jam.* ID. Hoc ad ipsum Petrum specialiter pertinet, cui exponitur quid captura significet piscium. Sed sicut tunc per retia pisces, sic per verba aliquando capiet homines, in quo Petro est typus totius Ecclesiæ.

[‡]5.12 *In una civitatum.* Hic duo adventus in Capharnaum notantur. Primus, incarcerato Joanne, quando fecit continue illa tria miracula; secundus, quando descendit de monte electis apostolis, quando fit istud miraculum de leproso.

[¶]5.13 *Tetigit.* Propter humilitatem, ut nos doceret nullum spernere pro aliqua corporis maculatione. Tangit non dedignatus, imperat non diffisus, adhibet operis testimonium. **Volo.** Dicit propter Fotinum, imperat propter Arium, tangit propter Manichæum.

[§]5.14 *Præcepit illi.* BEDA. Taceri jubet, nec taceri potest. Non quod aliquid voluerit et non potuerit, sed dat exemplum ut sui in magnis quæ faciunt latere velint, sed ut prosint aliis, prodantur inviti.

^{**}5.15 *Et conveniebant turbæ,* etc. BEDA. Sanatio hujus multas ad Dominum cogit turbas. Ut enim ipse interius et exterius se sanatum doceret: perceptum beneficium etiam jussus non tacet. Sed et Marcus ait, evangelico functus officio: **Mox egressus, cœpit prædicare et diffamare sermonem** Marc. 1..

^{††}5.16 *Et orabat.* Quando orat, theoreticam vitam, quando sanat activam informat. BEDA. Sanat ut Deus, orat ut homo. In urbe, etc., usque ad per interna desideria silenter loquatur.

^{‡‡}5.17 *Et factum est.* etc., ID. Ubi sedens docuerit Lucas breviandi gratia præterit, etc., usque ad quam non nascendo, sed virtutibus illustrando suam fecerat. **Et erant.** AMBR. Inter cæterorum remedia debilium, convenientibus, etc., usque ad acuumque nostrorum clauda vestigia verbi cœlestis remedio reformatur.

^{¶¶}5.18 *Viri portantes.* Allegorice: id est, erigentes ad superiora animum hominum, quamvis exterioris hominis debilitate torpentem; quorum rursus adminiculis, et attollere et humiliare se facilius ante Jesum docetur, Dominico dignus videri aspectu. Humilitatem enim respicit Deus. **Et quærebant,** etc. BEDA. Desiderant offerre, sed turba interposita recluduntur, quia sæpe anima, etc., usque ad quia ad Christi humilitatem fidei pietate descenditur, et ad Christi notitiam venit.

supra tectum, et per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum.^{§§}
²⁰ Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.* ²¹ Et cœperunt cogitare scribæ et pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?† ²² Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris?‡ ²³ Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, et ambula? ²⁴ Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.¶ ²⁵ Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo jacebat: et abiit in domum suam, magnificans Deum. ²⁶ Et stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.[§] ²⁷ Et post hæc exiit, et vidit

§§5.19 *Et per tegulas.* ID. Domus Jesu tegulis tecta describitur, quia sub contemptibili litterarum velamine, si adsit doctor, qui reseret divina, spiritualis gratiæ virtus invenitur. Quod cum lecto deponitur, significat ab homine adhuc in ista carne constituto Christum debere cognosci.

*5.20 *Quorum fidem.* BEDA. Multum valet fides propria cujusque, cum per alienam fidem homo interius et exterius sit salvatus. ID. Hæc curatio paralytici significat salvationem animæ suspirantis ad Deum, etc., usque ad quæ sunt prudentia, fortitudo, temperantia, justitia. *Homo, remittuntur,* etc. Tu homo peccator, ego Deus qui peccata remitto, qui aliorum merito tibi peccata relaxo. Qui ergo peccatis gravatur, adhibeat Ecclesiam quæ pro eo precetur. Quia pro culpa animæ etiam corpus infirmabatur, ideo sanaturus corpus, prius sanat animam.

†5.21 *Quis potest dimittere?* Nemo dimittit peccata nisi Deus, qui per eos quoque dimittit quibus potestatem dimittendi dedit. Cum ergo Christus dimittat, vere Deus probatur. Verum testimonium Deo reddunt, sed personam Christi negando falluntur. Perfidia enim confiteri potest, credere non potest. Itaque testimonium non deest Divinitati, fides deest saluti. Deus autem volens salvos facere peccatores, et occultorum cognitione se Deum esse demonstrat, et admiratione factorum illis respondens: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Eadem majestate et potentia qua cogitationes vestras intueor, possum hominibus delicta dimittere. Ex vobis intelligite quid paralyticus consequatur. Sed quia spiritualem gratiam non cognoscitis, nec creditis quod interius factum est, probetur signo visibili quod non minoris constet esse potentiæ, ut in Filio hominis latentem cognoscatis potentiam majestatis qua potest peccata dimittere ut Deus.

‡5.22 *Ut autem cognovit,* etc. AMBR. Magnus sacerdos lepram videbat in cordibus Judæorum, et pejores ostendit illo leproso cui purgato jussit se offerre sacerdoti. Sed hos summus sacerdos repudiat ne alios quoque eorum lepra contamine.

¶5.24 *Tibi dico, surge.* BEDA. Surgere, est animam a carnalibus desideriis abstrahere. Lectum tollere, etc., usque ad per missionem pœnæ, remissionem culpæ intellige.

§5.26 *Et stupor.* AMBR. Spectant surgentem increduli, mirantur abeuntem, et divini operis miracula malunt timere quam credere; nam si crederent, non timerent, sed diligerent. *Perfecta enim dilectio foras mittit timorem* I Joan., 4..

publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium, et ait illi: Sequere me.^{** 28} Et relic-
tis omnibus, surgens secutus est eum.²⁹ Et fecit ei convivium magnum Levi in domo
sua: et erat turba multa publicanorum, et aliorum qui cum illis erant discumbentes.
³⁰ Et murmurabant pharisæi et scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus: Quare cum
publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis?^{†† 31} Et respondens Jesus, dixit ad
illos: Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent.^{‡‡ 32} Non veni vocare
justos, sed peccatores ad pœnitentiam.^{¶¶ 33} At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli
Joannis jejunant frequenter, et obsecrationes faciunt, similiter et pharisæorum: tui
autem edunt et bibunt?^{§§ 34} Quibus ipse ait: Numquid potestis filios sponsi, dum
cum illis est sponsus, facere jejunare?^{* 35} Venient autem dies, cum ablatu fuerit ab

^{**}5.27 *Levi*. BEDA. Idem Levi qui et Matthæus. Sed Lucas, etc., usque ad de telonario
in evangelistam sit mutatus. BEDA, AMBR. Reliquit propria, qui rapiebat aliena. Nec
solum lucra reliquit vectigalium, sed et periculum contemnit, quod poterat venire
a principibus sæculi, quia rationes vectigalium incompositas reliquerit. Et quia in
nullo prorsus hujus vitæ respectum vel cogitationem sibi reservavit, dominicorum
talentorum fidelis dispensator esse meruit. BEDA. Per Matthæi electionem, fides gen-
tium, quæ prius mundanis inhiabant, sed nunc corpus Christi sedula devotione refi-
ciunt, exprimitur. Per superbiam Pharisæorum insinuat Judæorum invidia, quæ
de gentium salute torquetur.

^{††}5.30 *Quare*, etc. AMBR. Omnis quæstio ex lege quæ tenax justitiæ, non habet,
etc., usque ad et ambulatio et omnia quæ gessit, saluti serviunt. AMBR., BEDA. Qui
domicilio Christum recipit interno, maximis exuberantium pascitur delectationibus
voluptatum. Itaque Dominus ingreditur, et in ejus qui credidit recumbit affectu. Sed
rursus accenditur invidia perfidorum, futuræ pœnæ species præfiguratur. Epulan-
tibus enim fidelibus et in regno cœlorum recumbentibus, perfidia jejuna torquebitur.
Ostenditur etiam quantum intersit inter æmulos legis et gratiæ, quia qui legem sequ-
untur, mentis famem patientur æternam. Qui vero in interioribus verbum receperint,
alimenti cœlestis et fontis ubertate recreati, esurire et sitire non possunt, et ideo qui
animo jejunant murmurant, dicentes: *Quare cum publicanis*, etc.? Filii diaboli, ve-
nenum serpentis diffundunt. Serpens primam vocem emisit, dicens Evæ: Quid utique
Deus dixit: *Nolite manducare ex omni ligno?* Gen. 3. Hunc imitantur isti.

^{‡‡}5.31 *Medico*. Christus medicus qui, miro medicandi genere, *vulneratus est
propter iniquitates nostras*. Hoc medicamine serpentis venenum excluditur. Qui
hoc medicamento utitur, non remanet ejunus.

^{¶¶}5.32 *Vocare justos*. BEDA. Justos vocat eos qui, *Dei justitiam ignorantes et suam
volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti*; et de lege præsumentes, gra-
tiam Evangelii non quærunt; peccatores qui sua mala attendentes, nec per legem se
posse justificari putantes, Christi se gratiæ pœnitendo submittunt.

^{§§}5.33 *Quare discipuli*. BEDA. Matthæus dicit ipsos discipulos hoc quæsisse. Sed
sciendum, quia utrique quæsierunt. ID. Spiritualiter: discipuli Joannis et Pharisæo-
rum jejunant, quia qui opera legis, etc., usque ad manducat cum peccatoribus, ut
gratiam et potestatem intelligas.

^{*}5.34 *Nunquid enim potestis*. ID. Quandiu sponsus nobiscum est et in lætitia sumus,
nec jejunare possumus, etc., usque ad tunc filii sponsi jejunabunt, desiderantes Ju-
dicis adventum.

illis sponsus: tunc jejunabunt in illis diebus.^{† 36} Dicebat autem et similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram a novo vestimento immittit in vestimento vetus: alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura a novo.^{‡ 37} Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt.^{† 38} sed vinum novum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur.^{§ 39} Et nemo bibens vetus, statim vult novum: dicit enim: Vetus melius est.

6 Factum est autem in sabbato secundo, primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, et manducabant confricantes manibus.^{** 2} Quidam autem

[†]5.35 *Venient autem.* ID. Quasi dicat: Facturi estis, ut lugentes jejument, quia estis, etc., usque ad quandiu cum discipulis Dominus in carne conversatus est. *Tunc jejunabunt,* etc. De utroque jejunio quod est in tribulatione vel gaudio respondet: *Cum ablati fuerit sponsus,* tunc erunt in mœrore et luctu, donec per Spiritum sanctum consolatio tribuatur; quo dono percepto, jejunium quod fit per lætitiã, jam renovati in vitam spiritualem celebrabunt. Et hic prius agit de jejunio quod pertinet ad humilitatem tribulationis. Illud autem quod ad gaudium mentis pertinet (quando mens ad spiritualia suspenditur, et ideo a cibis corporeis alienatur) sequentibus similitudinibus significat, ostendens quod carnalibus et ob hoc adhuc veterem sensum trahentibus, hoc genus jejunii non congruit.

[‡]5.36 *A vestimento novo.* BEDA. Veteri vestimento comparantur discipuli, qui adhuc sunt vetus homo. Quibus novus pannus, etc., usque ad unde Apostolus: *Exuite veterem hominem cum actibus suis, et induite novum* Ephes. 4..

[†]5.37 *Vinum.* Vino intus reficimur, veste foris tegimur. Vestis ergo sunt bona opera quæ foris agimus, quibus coram hominibus lucemus. Vinum, fervor fidei, spei et charitatis, quo in conspectu Dei in novitate sensus intus reformamur. *In utres.* BEDA. Veteribus etiam utribus comparantur, qui novo vino, id est, spiritualibus præceptis, facilius dirumpuntur quam contineant. Erunt autem novi utres, cum post ascensionem, accepto Spiritu, desiderio consolationis ejus orando innovabuntur. Aliter: animæ nondum innovatæ, sed in vetustate malitiæ perseveranti novorum mysteriorum sacramenta non debent committi. Aliter: veteres utres sunt scribæ et Pharisei; novus pannus et novum vinum, præcepta Evangelii, quæ non possunt sustinere Judæi, ne major scissura fiat, cum quibus Galatæ præcepta legis miscebant in utres veteres vinum novum. Conveniunt autem apostolis non his qui traditionibus majorum depravati, sinceritatem præceptorum Christi nequeunt custodire; unde subditur: *Et nemo,* quia Judæis veteris vitæ salivis imbutis novæ gratiæ præcepta sordebant, quia majorum traditionibus accumulati, dulcedinem spiritualium verborum percipere non valebant.

[§]5.38 *Sed vinum.* Fragilitas humanæ conditionis aperitur, cum corpora nostra exuviis defunctorum animalium comparantur. Sed renovatis utribus, nova vina conducuntur, cum sacramenta quæ accepimus inviolata servamus. Hos utres, si pleni sunt, gratia servat, si vacui, tinea et ærugo consumit: semper ergo sint pleni.

^{**}6.1 *Factum est autem,* etc. BEDA. Dicit quod sabbati littera solvi cœperat, etc., usque ad post secundum, ab eo quo præcedentia sunt dicta vel facta. *Per sata,* etc. Mystice: ager mundus; agri seges, humani generis fecunditas; spicæ, fructus Ecclesiæ, quibus saturantur apostoli nostro se alentes profectu. *Vellebant discipuli,* etc. Non habentes discipuli spatium manducandi, propter importunitatem turbarum, esuriebant ut homines, sed vellentes spicas inedia consolantur, quod est indicium austerioris vitæ, non præparatas escas, sed cibos simplices quærere. Et nota quod apostoli litteram sabbati jam destruunt adversus Ebionitas, qui alios apostolos recipiunt, Paulum quasi legis transgressorem repudiant. BEDA. Mystice: discipuli esurientes salutem hominum transeunt per sata, id est per regiones quæ, etc., usque ad arguens doctores legis nescire legem.

pharisæorum, dicebant illis: Quid facitis quod non licet in sabbatis?^{††} ³ Et respondens Jesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit David, cum esurisset ipse, et qui cum illo erant?^{‡‡} ⁴ quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis sumpsit, et manducavit, et dedit his qui cum ipso erant: quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus?^{¶¶} ⁵ Et dicebat illis: Quia dominus est Filius hominis etiam sabbati. ⁶ Factum est autem in alio sabbato, ut intraret in synagogam, et doceret. Et erat ibi homo, et manus ejus dextra erat arida.^{§§} ⁷ Observabant autem scribæ et pharisæi si in sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum.* ⁸ Ipse vero sciebat cogitationes eorum: et ait homini qui habebat manum aridam: Surge, et sta in medium. Et surgens stetit. ⁹ Ait autem ad illos Jesus: Interrogo vos si licet sabbatis benefacere, an male: animam salvam facere, an perdere?[†] ¹⁰ Et circumspicis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit: et restituta est manus ejus.[‡] ¹¹ Ipsi autem repleti sunt insipientia, et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jesu.[¶] ¹² Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.[§] ¹³ Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos: et

^{††}6.2 **Dicebant illis**, etc. Alii dicunt ipsi Domino hæc fuisse objecta. Sed a diversis et ipsi Domino, et discipulis potuerunt objici, et cuiunque objectum sit ad ipsum maxime respicit. **In sabbatis**. Sabbata significant feriaciones; vel quæ in hoc sæculo aguntur a vacantibus superstitionibus Judæorum; vel quæ in futuro agentur, quando in perpetua solemnitate manducabimus bona terræ.

^{‡‡}6.3 **Nec hoc legistis**, etc. BEDA. Quomodo Domino ad crimen objicitur, quod in servo pro crimine non tenetur? Verus rex, etc., usque ad omnes filii Ecclesiæ sunt sacerdotes, uncti Spiritu sancto ut seipsos offerant.

^{¶¶}6.4 **Intravit in domum Dei**. Magna hospitalitatis gratia, proposito mortis periculo, non declinat hospitem animus sacerdotis. Et sic nos debemus aliena pericula in nos transferre. Sed et verum David hospitio mentis nec pro periculo mortis veri excludunt sacerdotes.

^{§§}6.6 **Homo**. BEDA. Mystice homo iste humanum genus significat in fecunditate boni operis arefactum, per manum in primo parente ad lignum extensam, quam sanat manus innocens in cruce extensa. Et bene manus in Synagoga erat arida, quia ubi majus donum scientiæ, ibi majori transgressor subjacet culpæ.

^{*}6.7 **Observabant**. ID. Quia destructione sabbati, quam in discipulis arguebant, probabili magistri excusavit exemplo, nunc ipsum observando magistrum, calumniari volunt, ut si non curet, crudelitatis vel imbecillitatis, si curet, transgressionis arguant.

[†]6.9 **Interrogo vos**. BEDA. Præveniens calumniam quam sibi parabant, arguit eos, etc., usque ad non est auctor mali Deus, sed quos non salvat, perdere dicitur.

[‡]6.10 **Extende**. ID. Infructuosæ debilitas animæ nullo melius ordine curatur, quam eleemosynarum largitate; unde dicitur: **Non sit manus tua ad accipiendum porrecta, et ad dandum collecta** Eccles., 4.. Quia frustra pro peccatis rogaturus, manus ad Deum extendit, qui has ad pauperes pro posse non extendit.

[¶]6.11 **Insipientia**. Quia solo livore permoti sunt, non enim in culpa fuit vel hominis manum extendere, vel Jesum sanare. Magna insipientia erat de nece ejus tractare cujus beneficiis plurimum indigebant.

[§]6.12 **Exiit in montem orare**. Mons in quo apostolos eligit et docet, altitudinem significat justitiæ, quia instituendi erant et prædicaturi, ne infirmis remaneant, sed ad superna erigantur. Sic et lex in monte data fuit. Apostolos præeminentius adducit, ut a monte prius montes suscipiant pacem populo annuntiandam. Sic et Moyses, solus legem spiritualiter intelligens, montis verticem in quo Deus erat ascendit.

elegit duodecim ex ipsis (quos et apostolos nominavit):** 14 Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem ejus, Jacobum, et Joannem, Philippum, et Bartholomæum,†† 15 Matthæum, et Thomam, Jacobum Alphæi, et Simonem, qui vocatur Zelotes,‡‡ 16 et Judam Jacobi, et Judam Iscariotem, qui fuit proditor. 17 Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis,¶¶ 18 qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur.§§ 19 Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* 20 Et ipse elevatis oculis in discipulis

** 6.13 *Discipulos*. De quibus elegit duodecim quos apostolos, id est suo loco missos, nominavit; unde: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* Joan. 20.. In montem ascendens ad se vocat, elegit quos vult, quia non illorum est studii sed divinæ gratiæ, ut in apostolatam vocarentur; unde: *Non vos me elegistis, sed ego eleghi vos* Ibid., 15.. Non sapientes, non divites, non nobiles elegit, ne duxisse pro prudentia, ne remeisse divitiis, ne potentiæ nobilitatisque auctoritate aliquos ad gratiam traxisse videretur.

†† 6.14 *Cognominavit*. Non modo primum, sed longe prius cum ab Andræa adductus dicitur: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Sed volens Lucas nomina duodecim apostolorum nominare, cum necesse haberet Petrum dicere, breviter voluit innuere, quod non antea vocaretur; sed ita Dominus cognominavit, ut non casu factum putetur, sed ex commutatione sacramentum petræ audientibus commendaretur.

‡‡ 6.15 *Matthæum*. Matthæus compari suo Thomæ, in ordine causa humilitatis se supponit, cum a cæteris evangelistis prælatus sit.

¶¶ 6.17 *Et descendens*, etc. Electurus apostolos Dominus in montana subiit; turbas docturus ad campestria redit, quia non nisi in humili turbæ Christum videre sufficiunt, et raro invenitur quod vel turba Dominum ad altiora sequatur, vel quispiam debilis in monte curetur, sed exstincta febre libidinum et succensa luce scientiæ, pedetentim quisque subiit culmen virtutum. *Maritima*. Non a proximo mari Galilææ, quia hoc non miraculi loco ponunt, sed a mari magno cognominatur. In quo etiam Tyrus et Sidon comprehendi poterant. Sed quia sunt civitates gentium, consulte nominatim ponuntur, ut quanta sit virtus Christi intimetur, quæ etiam exteras civitates excitat.

§§ 6.18 *Ut audirent*. Si dicamus duos esse sermones, ascendit in montem, et habuit ibi discipulos; et post, descendit et fecit istum ad turbam. Si dicimus unum fuisse, ita intelligendum est, quod ascendit in montem, et post aliquantulum descendit, et ibi fecit sermonem, ubi erat planities.

* 6.19 *Eum tangere*. Tangit Christum qui fideliter credit in eum. Tangitur a Christo qui firmatur in illo. Qui sic tangit et tangitur, spiritus ipsius virtute sanatur.

suis, dicebat: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.[†] ²¹ Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.[‡] ²² Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et eijecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. ²³ Gaudete in illa die, et exsultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo: secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum.[¶] ²⁴ Verumtamen vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.[§] ²⁵ Vae vobis, qui saturati estis: quia esurietis. Vae vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis et flebitis.^{**} ²⁶ Vae cum benedixerint vobis homines: secundum hæc enim faciebant pseudoprophetae patres eorum.^{††} ²⁷ Sed vobis dico, qui auditis: diligite in-

[†]6.20 *Et ipse elevatis*, etc. Etsi generaliter omnibus loquitur, specialiter in discipulos oculos levat, ut qui intenta cordis aure verbum Dei percipiunt, latius saporis intimi lumen accipiant, quibus os in monte sedens aperit, ut magna proferret in eos, stans in campo oculos dirigit, ut audita patienter intelligant. *Beati pauperes*, etc. Qui nondum consummata virtutis arcem conscendere possunt, generalis interim perfectionis sunt beatitudine perfovendi, ut paulatim ad meliora progressi, dum Domino in planitie stante libenter auscultant, ad hunc quandoque in monte sedentem sublimiter ascendant. Nam quorum cordibus adhuc edomandis insistit, hos quasi stans affatur. Quos longo studio exercitatos et jam dociles invenit, his quasi quietus residens mystica intimat. BEDA. Quod apud Matthæum plenarie per octo beatitudines dicitur in sermone perfectionis ad apostolos in summo montis, hoc apud Lucam, etc., usque ad sed quia fide præstitit, fide præ cæteris meruit principatum.

[‡]6.21 *Qui nunc esuritis*. Qui esurit esurienti compatitur: compatiendo largitur, largiendo fit justus; æqualem se inferioribus præstat, dolum excludit, veritatem requirit. *Qui nunc fletis*. Qui propter divitias hæreditatis Christi, propter panem vitæ æternæ, propter spem cælestium gaudiorum fletus, esuriam, paupertatemque desiderat, beatus est; multo beator, qui has virtutes inter adversa servare non trepidat.

[¶]6.23 *Gaudete et exsultate*. Inter odia cordium, inter probra linguarum, inter manus persequentium, lætiori corde versamini, intuitu supernæ mercedis. *Secundum hæc*. Exemplo prophetarum confortat illos, quia vera dicentes persecutionem solent pati.

[§]6.24 *Verumtamen vae*, etc. Matthæus in monte, beatitudines solummodo proborum; Lucas vero in campo, etiam vae describit improborum, quia rudes adhuc auditores minis et terroribus ad bona sunt compellendi, perfectos satis est præmiis invitari. *Verumtamen vae*. Cum supra regnum cælorum pauperum esse dicatur: ex opposito apparet, quod ab hoc regno se alienat qui consolationem quærit in temporalibus. Nec tam divitiæ quam amor divitiarum in culpa est. Mystice: dives populus Judaicus, vel hæreticus, vel philosophus mundi, qui, ubertate verborum et facundia patrociniis delectati, simplicitatem veræ fidei supergressi thesauros inutiles condiderunt, secundum usum sæculi de generatione Christi disputantes, qui in futuro egestatem fidei suæ recognoscent, cibumque perfidia quæ in præsentem eructant, æterno macerati jejuniis causam tanti supplicii esse scient. Eritque tempus cum risus suos lugeant. Quibus bene dicitur: *Vae, cum benedixerint vobis homines*; quia dum hic placent potentibus, maledicto perpetuo se subdunt, quia sicut pauperes esurientes, flentes, improbitate malorum probantur, sic divitiis, epulis, risuique vacantes, mala obsequentium clientela, majorem foventur ad pœnam.

^{**}6.25 *Qui saturati estis*, etc. Qui inter divites amplius abundatis, sicut dives qui induebatur purpura, et bysso, et epulis, qui de digito Lazari quærit guttam aquæ. *Vae vobis, qui nunc ridetis*, etc. Salomon: *Cor sapientis ubi est tristitia, cor stultorum ubi est lætitia* Eccl. 7.; docens stultitiam ridentibus, prudentiam flentibus ascribendam.

^{††}6.26 *Benedixerint vobis*, etc. Magna pars pœnæ est peccatorum sua scelera non modo non argui, sed insuper quasi bene gesta laudari.

imicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.‡ 28 Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos.¶ 29 Et qui te percutit in maxillam, præbe et alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. §§ 30 Omni autem petenti te, tribue: et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. * 31 Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. † 32 Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam et peccatores diligentes se diligunt. ‡ 33 Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt. 34 Et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus foenerantur, ut recipiant æqualia. 35 Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes: et erit merces

‡6.27 *Diligite inimicos.* Dicto quid ab inimicis possint pati, supponit qualiter ad ipsos se debeant habere inimicos. Et hic Ecclesia non lacte imbuitur, sed validiore charitatis cibo roboratur. Non sufficit non odisse, sed quod ultra humanam naturam est, præcipitur diligere. Et cum lex vicissitudinem imperet ultionis, Evangelium inimicitias charitatem, odii benignitatem, maledictis vota, persequentibus patientiam, esurientibus etiam gratiam remunerationis impertit.

¶6.28 *Orate pro calumniantibus vos.* Quod prophetæ videntur imprecari, non vota sunt optantium sed prænuntiationes futurorum: ipsi enim pro inimicis orabant.

§§6.29 *Et qui te percutit.* Cum charitas patiens sit, debet patientiam verberantis sustinere, cum benigna sit, non debet respondere maledictis. Si *non quærit quæ sua sunt*, non debet resistere rapienti, si *non æmulatur* I Cor. 13., non debet odisse inimicum. *Præbe illis*, etc. Medicus animarum quos ad curandos proximos instruit, omnia quæ ad salutem proximorum valere possunt tolerare præcipit. Et pertinet ad misericordiam, ut tanquam a filiis ægrotantibus et phreneticis, si salus illorum hoc exigat, multa patiantur, donec infirmitas transeat. Quid tam mirum quam percutienti maxillam præbere? Imo omnis indignantis impetus frangitur, ira sedatur; et per patientiam ille invitatur ad poenitentiam. *Vestimentum.* Quod de vestimento et tunica dicitur et in aliis est faciendum, quæ aliquo jure temporaliter nostra esse dicimus. Si enim de necessariis hoc imperatur, multo magis superflua contemnere præcipitur.

*6.30 *Ne repetas.* Quia *charitas est patiens, benigna est* I Cor. 3.; non tantum injurias inimici fortiter sustinet, sed etiam amici quoque gratiam benigne prævenit, ut beneficiis aliis trahantur.

†6.31 *Et prout vultis.* Ne videatur legem dissolvere, in beneficiis vicem servat, quam negligit in injuriis. Nec ait prout faciunt, sed *prout vultis ut faciant vobis homines, et vos faciatis illis*, ut vicissitudo sit cumulator, cum votis actus æquatur. Et non tantum jam ad amicos opera charitatis extendite, sed etiam ad inimicos, ut amici esse incipiant, et prius affectum dilectionis, et postmodum opera extendite charitatis.

‡6.32 *Et si diligitis.* Quantum vobis gradus professionis eximior, ita necesse est ut cura virtutis sit uberior, ut etiam non amantes charitatis sinu amplectamini. Duo sunt genera beneficii: vel cum benevole donamus quod damus, vel cum reddituro commodamus.

vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.[¶]
³⁶ Estote ergo misericordes sicut et Pater vester misericors est.[§] ³⁷ Nolite iudicare, et non iudicabimini: nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimitte, et dimittemini.^{**} ³⁸ Date, et dabitur vobis: mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.^{††} ³⁹ Dicebat autem illis et similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?^{‡‡} ⁴⁰ Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.^{¶¶} ⁴¹ Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?^{§§} ⁴² aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine ejiciam festucam de

[¶]6.35 *Verumtamen*, etc. Postquam dilectionem et mutuuum beneficium peccatorum quasi infructuosa redarguit, nunc qualiter hæc a fidelibus fructuose fieri debeant ostendit, quasi dicat: Quamvis peccatoribus non prosit talis dilectio et mutuuum beneficium, tamen vos diligite, non tantum ductu naturæ, sicut illi amicos, sed altiori gradu virtutis inimicos. Philosophi in tres partes dividunt justitiam: unam in Deum, quæ pietas dicitur; alteram in parentes, vel reliquum humanum genus; tertiam in mortuos, ut his exsequiarum justa solvantur. Sed Dominus legis oraculum et prophetiæ fastigium supergressus, in eos quoque qui læserint pietatis porrexit officium. *Nihil inde sperantes: et erit.* Non in hominem spem mercedis figentes. Qui sive reddat quod commodastis, reddet tamen et Deus quo jubente fecistis, sive non reddat, hæreditas vestra in æternum erit.

[§]6.36 *Estote ergo misericordes*, etc. Pluit super malos, proventus terra non negat, idem sol bonos et malos illuminat. Mystice: populum Judæorum prophetis pluviis irrigat, et non merentibus radius æterni solis refulsit. Si ergo illi crediderint, estote eis misericordes, docendo, et extollendo, et nolite temere iudicare, ne quis sui conscius delicti, in alterum cogatur ferre sententiam.

^{**}6.37 *Nolite iudicare.* Sunt quædam media et incerta quo animo fiant, quia bene et male possunt fieri. Nescimus etiam qualis futurus est, qui nunc apparet malus, de cuius correctione desperare, eumque quasi abjectum reprehendere temerarium est. De apertis quæ bono animo fieri non possunt, permittitur nobis iudicare.

^{††}6.38 *Eadem quippe mensura.* Generaliter de omnibus potest accipi, quæ mente, manu, lingua, aguntur, quia secundum opera singulorum reddet Deus. *Eadem quippe*, AMBR. Non iniqua mensura rependet Deus, sed est ac si dicat: Ipsa temeritas iudicandi et iniqua mensura tibi nocet, te punit, et sæpe non illum de quo hoc agis. Vel si recte iudicas et metiris, tibi prodest, te salvat, etsi aliquando non illum cui hæc impendis.

^{‡‡}6.39 *Dicebat.* Per quam invitat ad eleemosynam dandam et ad dimittendam injuriam. *Nunquid potest.* Si contra violentum ira te cæcaverit: si contra petentem avarus eris, nunquid vitiata mente tua, vitium ejus curare poteris? Nec solum qui tibi injuriam fecit, sed etiam tu qui ferre nescis, reus eris. Sed si improbitas illius te tranquillum invenit, et ille pœnitebit, et tu de patientia coronaberis, quia cæcum vidente oculo, id est, sereno corde ad lumen ducere curasti.

^{¶¶}6.40 *Sicut magister.* Deus non suas ulciscitur injurias, sed tolerando persecutores mitiores reddere voluit; discipuli, qui homines sunt, hanc regulam perfectionis debent imitari.

^{§§}6.41 *Quid autem vides*, etc. Vere peccans peccantem castigare non valet, quia qui superbia, vel odio, vel alio vitio præventi, levia hæc vel nulla judicantes, graviter increpant illos quos a statu mentis vident, vel ira vel aliquo levi peccato perturbatos, hi tales amant magis vituperare et condemnare, quam corrigere et emendare. *Non consideras.* Apertus oculus male videt, scilicet jactantiam sui, dum aliis vult mederi, sed cæcus se non valet intueri dum in hoc deterius cadit.

oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo: et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.* ⁴³ Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum.† ⁴⁴ Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam.‡ ⁴⁵ Bonus homo de bono thesauro profert bonum: et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abun-

*6.42 *Hypocrita*. Si quem vis reprehendere, primum vide si similis ei sis. Quod si es, pariter ingemisce et noli eum tibi obtemperare, sed pariter conari mone. Quod si non es similis, tamen quia olim fuisti, vel esse potuisti, condescende, et non ex odio sed misericordia argue. Raro ergo non sine magna necessitate sunt objurgationes adhibenda, et non nisi respectu Dei, remota ab oculo trabe. Hi enim odio vel livore omnia accusare suscipiunt et volunt videri consultores, sine exemplo suæ emendationis. Sed prius debent auferre trabem invidiæ, vel malitiæ, vel simulationis de occulto sui cordis, ut valeant ejicere festucam iræ vel alicujus livoris culpæ de oculo fratris.

†6.43 *Non est arbor*, etc. Arbor bona vel mala, non natura, quæ a Deo in omnibus bona creata est, sed bona vel mala voluntas. Fructus, opera, quæ nec bona malæ voluntatis possunt esse, nec mala bonæ voluntatis. *Neque arbor*. Si veram vis habere justitiam et non fictam, quæ verbis ostendis, factis imple, ut sis bona arbor, et bonis fructibus orneris. Quia etsi fingat hypocrita, non est bonus qui facit opera bona, et si reprehendit insontem, non ideo malus est qui facit opera bona. Et nota quod de manifestis hic agitur.

‡6.44 *Unaquæque enim arbor*. Mali suo fructu noscuntur, dum bonos opprimunt, et Deum si non verbis, blasphemant factis: et maxime per impatientiam dignoscuntur in tempore adversitatis. Jejunia enim et oratio, et hujusmodi sunt simulatis ut et bonis: sed non debent oves pelles suas deponere, etiam si aliquando lupi eis se contegant. *Cognoscitur*. Non a veste, sed ab operibus quæ fiunt ab eis, cognoscuntur. Quia ut spina non facit uvam, sic bona arbor bonum, mala malum, et non e converso. *Neque enim de spinis*. Non de spinis, id est sollicitudinibus mundi, ficus, id est dulcedo resurrectionis, neque de rubo, id est punctione vitiorum, uva, id est fructus animæ. Quæ sicut uva proxima terrenis, corrumpitur, in superioribus maturatur. Vel de carne quæ generat spinas et tribulos, non vindemiamus Christum, qui sicut uva pependit in ligno. Spina et rubus, hæreticis, a quibus nullus sapientium sanctitatem vel virtutem poterit invenire, sed conscindunt et cruentant approximantes. Vel spinæ et rubi, curæ sæculi et punctiones vitiorum. Uva et ficus, dulcedo novæ conversationis quam Christus in nobis esurit, et fervor dilectionis qui lætificat cor hominis. Non de spinis et rubis uva vel ficus, quia mens adhuc hominis veteris pressa consuetudine, potest quidem simulare, sed non ferre fructum novi hominis. Quod si quando facta vel dicta malorum prosunt bonis, non hoc faciunt mali, sed fit de illis consilio Dei.

dantia enim cordis os loquitur.[¶] 46 Quid autem vocatis me Domine, Domine: et non facitis quæ dico?[§] 47 Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit:^{**} 48 similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram: inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere: fundata enim erat super petram.^{††} 49 Qui autem audit, et non facit, similis est homini ædificanti domum suam super

[¶]6.45 *Profert bonum.* Diligit inimicum. Omni petenti tribuit, et huiusmodi. *Profert malum,* etc. Odit amicum, aufert aliena, non dat sua, et huiusmodi, quæ Deus iudicat secundum intentionem cordis. Et vere, quia de bono vel malo corde procedit, bonus vel malus debet iudicari fructus, quia ex abundantia cordis quod interius latet loquitur os, id est procedit exterius effectus, tam in verbis quam in factis. Hoc est quantum ad divinum examen cui loquitur os cordis, quia ex qua intentione verba procedunt, non ignorat. Quia etiam verba quæ exterius bona videntur, quia ex mala radice procedunt, non bona esse iudicat; unde subdit: *Quid autem vocatis me Domine?* Quasi dicat: Quid folia rectæ confessionis vos germinare jactatis, qui nullos boni operis fructus ostenditis? *Ex abundantia.* Per oris locutionem, universa quæ actu vel cogitatu de corde proferuntur, Dominus significat. Nam et verbum pro facto solet poni; unde: *Non fuit verbum, quod non ostenderet eis* Isa. 39..

[§]6.46 *Quid autem,* etc. Hæc vocatio videtur fructus bonæ arboris, sed quia non procedit de pinguedine charitatis, Deus non bonum iudicat. Quæ autem bonorum malorumve fructuum vera discretio sit, sub alia figura supponit:

^{**}6.47 *Omnis qui venit,* etc. Postquam de aperte malis, de vere et simulatis bonis diu disputavit, bonos auditores verbi sibi ipsis, malos diabolo assimilat. Quia sicut Christus variis hominum personis unam Ecclesiam construit, erudit, gubernat, in vitam æternam perductorus; sic bonus auditor variis virtutibus supernam sibi mansionem ædificat in futuro cum Christo de dedicatione lætaturus. Et sicut diabolus obediens sibi de cœlis ad terrena et ad peccata trahit, ubi non est fundamentum, quia malum est sine substantia, et semper in deteriora præcipitat: sic malus auditor, sive sit initiatus mysteriis Christi, sive ex toto alienus, quasi in puteum sine fundo præcipitatus, non invenit ubi se retineat, sed cum venerit in profundum malorum, contemnit.

^{††}6.48 *Fodit in altum.* Fodit in altum qui præceptis humilitatis terrena omnia de suorum cordibus funditus eruit, ne propter aliquod fluxibile Deo serviat, ut inconcussam in eis habeat mansionem. *Posuit fundamentum.* Fundamenta pluraliter, doctores; singulariter fundamentum, doctor doctorum Christus. Moraliter. Fundamenta domus, intentiones bonæ conversationis, quas per humilitatem Christianam exhaustis supervacuarum cogitationum rudibus perfectus auditor in se inserit, hoc in se spiritualiter agens, quod Christus in universa Ecclesia generaliter agit. *Inundatione.* Hanc inundationem alibi portas inferi appellat. *Et portæ inferi non prævalent adversus eam* Matth. 16.. Hæc inundatio tribus modis fit, quia tentatur quisque a propria concupiscentia, vel falsorum fratrum improbitate, vel aperta exteriorum impugnatione. *Illisum.* Potest per impetum fluminis, extremi iudicii discrimen intelligi, quando Ecclesia utraque est consummata. *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* Luc. 14.. *Domui illi.* Singulæ nostræ domus, quotidie, vel immundorum spirituum, vel improborum hominum, vel suæ ipsius mentis, vel carnis inquietudine pulsantur. Et quantum propriis viribus fidunt, inclinantur: quantum invictissimæ petræ adhærent, labefactari nequeunt.

terram sine fundamento: in quam illisus est fluuius, et continuo cecidit: et facta est ruina domus illius magna.††

7 Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum.¶¶
 2 Centurionis autem cuiusdam servus male habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus. 3 Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret et salvaret servum ejus. §§ 4 At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicitate, dicentes ei: Quia dignus est ut hoc illi præstes: 5 diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.* 6 Jesus autem ibat cum illis. Et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari: non

††6.49 *Supra terram*, etc. Diabolus mundum qui in maligno positus est super terram ædificat, quia ad terrenorum amorem trahit. Sine fundamento ædificat, quia peccatum in propria natura non subsistit, quia malum substantia non est, quod tamen ubicunque fit in bona natura coalescit vel sine fundamento, id est sine fundo. Sicut ergo qui in puteo mergitur, putei in fundo retinetur, sic anima lapsa quasi in quodam loco fundi consistit, si in aliqua peccati mensura se retinet. Sed cum peccato in quo labitur non potest esse contenta, dum ad deteriora quotidie ducitur, quasi in puteo quo concidit fundum quo figatur non invenit. **Concidit et facta est ruina**, etc. Omnis conscientia, quæ spe fixa in Deum non permanet, in tentationibus non valet persistere, et tanto plus agitur, quanto plus in illis quæ mundi sunt a superioribus disjungitur. Et vere omnes mali vel fecte boni ingruente qualibet tentatione, pejores fiunt.

¶¶7.1 *Cum autem implesset*. Pulchre ubi præcepta complevit, formam docet suorum exsequendi præceptorum. Nam statim gentilis centurionis servus Domino sanandus offertur, in quo gentiles qui mundana servitute ægri tenebantur, beneficio Dei salvandi exprimuntur. **Intravit Capharnaum. Centurionis**, etc. Non ante intravit quam verba terminasset, etsi statim post hæc verba non intravit. Priusquam enim intraret, in ipso intervallo mundatus est leprosus, ut Matthæus ponit.

§§7.3 *Misit ad eum seniores*, etc. Divina providentia seniores Judæorum mittuntur, et eis præsentibus languidus sanatur, ut inexcusabiles sint si credere noluerint. Centurio amicos mittit, ne præsentia sua verecundiam Domini gravare videretur, et officium officio provocasse. Significat autem, quia nos qui de gentibus credimus ad Dominum, non ipsi venire possumus quem in carne videre non possumus, sed ad residentem in dextera Patris. Gentilis populus quasi centurio stipatur milite virtutum et spiritualium perfectione, quæ in centum significatur. Sublimis, nihil terrenum a Domino sibi suisque requirens, sed sola æternæ salutis gaudia: et hi pro servis, id est, pro his qui adhuc spiritu servitutis in timore premuntur, Domino supplicant, ut eis paulatim ad superiora provecis, **perfecta dilectio foras mittat timorem** I Joan. 4.. Matthæus dicit centurionem accessisse, quod per fidem intelligendum est. Per fidem enim vere ad Deum acceditur, quæ in centurione a Domino commendatur: **Non inveni tantam fidem in Israël**. Porro Lucas ordine quo gestum est exsequitur, ut intelligere cogemur, quomodo eum accessisse dicit Matthæus.

*7.5 *Gentem nostram*. Mystice. Gentilis populus (cujus figuram gestat centurio) non longe habet a domo Jesum, tametsi sub tecto invitare non audet, quia, **prope times eum salutare ipsius**. Qui naturali lege recte utitur, ut bona quæ novit operatur, eo illi qui vere bonus est appropriat. At illis quos errore gentilitatis crimina vinxerant, aptari potest, quod alibi dicitur: **Quidam enim ex his de longe venerunt** Marc. 8..

enim sum dignus ut sub tectum meum intres:† 7 propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te: sed dic verbo, et sanabitur puer meus. 8 Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: et dico huic, Vade, et vadit: et alii, Veni, et venit: et servo meo, Fac hoc, et facit.‡ 9 Quo audito Jesus miratus est: et conversus sequentibus se turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Israël tantam fidem inveni.¶ 10 Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum.§ 11 Et factum est: deinceps ibat in civitatem quæ vocatur Naim: et ibant cum eo discipuli ejus et turba copiosa.** 12 Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ: et hæc vidua erat: et turba civitatis multa cum illa.†† 13 Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.‡‡ 14 Et accessit, et tetigit loculum. (Hi autem qui portabant, steterunt.) Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. 15 Et resedit qui erat

†7.6 *Jesus autem ibat.* Solo verbo potenter curaturus, ad humilitatis commendationem visitare dignatur languentem; et qui ad sanandum reguli filium ire noluit, ne divitias honorasse videretur, ad servum vadit, ne servilem conditionem sprevisse putaretur. Elucet fides in operibus dum sanat, sed plus operatur humilitas in affectibus dum vadit. **Non sum dignus.** Propter vitæ gentilis conscientiam, gravari se magis dignatione putavit Domini quam juvari, nec posse habere hospitem Christum, cujus etsi fide præditus, nondum tamen sacramentis imbutus. Sed quia quod infirmitas humana non præsumit, divina gratia dare novit in figuram gentilis populi, et suam fidem nondum catechizatus a Domino laudari et famulum sanari promeruit.

‡7.8 *Nam et ego,* etc. Si ego homo sub alio possum imperare minoribus, quanto magis tu, qui super omnia habens famulantes angelos, potes per eorum ministeria sine corporis præsentia dicere infirmitati ut recedat, et recedet, et sanitati ut veniat, et veniet.

¶7.9 *Nec in Israël.* Fides istius etiam electioribus et Deum videntibus antefertur. Etiam in isto uno fides gentium præfertur Israël.

§7.10 *Et reversi sunt.* Matthæus planius explicat, quod dicente Domino: **Sicut credidisti fiat tibi, sanatus sit puer** Matth. 8.. Sed mos est beato Lucæ ab aliis plane exposita breviare, vel etiam de industria præterire quæ breviter dicta ab aliis, vel omissa solertius dilucidare. **Invenerunt servum.** Credente Domino sanatur servus, quia potest meritum Domini etiam servis suffragari, non tantum fidei merito, sed etiam studio disciplinæ.

7.11 *Et factum est,* etc. Post sanatum infirmum suscitatur mortuum, quia infirmitas præcedit mortem. **Quæ vocatur Naim. Naim est civitas Galilææ in secundo miliario a Thabor contra meridiem juxta Endor, qui est vicus grandis. Naim autem interpretatur **fluctus** vel **commotio**.

††7.12 *Cum autem appropinquaret,* etc. BEDA. Cum Verbum caro factum, gentilem populum per portas fidei, etc., usque ad quod et interim in paucis Judæorum conversis, et tandem in plenitudine imperat. **Ecce defunctus efferebatur,** etc. Defunctus, qui coram multis extra portam effertur, significat criminaliter peccantem, et peccatum non cordis cubili tegentem, sed indicio operis vel locutionis, quasi per ostia suæ civitatis aliis propalantem. Quem sicut unicum deflet mater Ecclesia, quæ licet ex multis collecta personis, una est tamen virgo mater Ecclesia, singuli autem filii. Porta qua effertur, aliquis est de sensibus quo aliquis in peccatum corrui. Ut qui videt ad concupiscendum, qui autem otiosus vel turpibus audiendis, qui linguam commodat litigiis. **Filius unicus matri suæ.** AMBR. Adam de terra portatur a quatuor elementis, unde homo constat. Tangitur loculus, etc., usque ad quando avaritiam cogitat, vel quando pro nimia febre tangi non potest.

‡‡7.13 *Et turba.* Multi cum Domino, multi cum vidua, ut viso miraculo multi Dei laudatores et testes fiant.

mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ.^{¶¶} 16 Accepit autem omnes timor: et magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis: et quia Deus visitavit plebem suam.^{§§} 17 Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, et in omnem circa regionem. 18 Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his.* 19 Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, et misit ad Jesum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? 20 Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Joannes Baptista misit nos ad te dicens: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? 21 (In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et cæcis multis donavit visum.) 22 Et respondens, dixit illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis: quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur:† 23 et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.‡ 24 Et cum discessissent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatum?¶ 25 Sed quid existis videre? hominem mollibus vestibus indutum? Ecce qui

^{¶¶}7.15 *Et resedit.* Tres mortuos suscitavit Dominus: filiam archisynagogi in domo, id est, cogitatione; filium unicum matris in porta, id est in verbo; Lazarum in monumento, id est in opere.

^{§§}7.16 *Visitavit.* Dum et Verbum semel incorporari constituit, et quotidie Spiritum sanctum in corda hominum, ut suscitentur mittit.

*7.18 *Et nuntiaverunt.* AMBR. Non simplici corde, sed invidia stimulante, etc., usque ad et correcti credant in Jesum et magistro interrogante sibi dicant: *Tu es qui venturus es.* BED., GREG. Non ait, qui venisti, etc., usque ad quia lapsus amoris fidem non impedit, talis enim lapsus est religiosus.

†7.22 *Et respondens dixit illis: Euntes renuntiate Joanni quæ vidistis,* etc. Sciens Jesus neminem sine Evangelio plene posse credere, quia sicut fides a Veteri incipit Testamento, ita impletur in Novo. Interrogatus de se, non verbo aliquo, sed factis se esse signavit, non respondens ad ea quæ interrogabantur, sed ad scandalum nuntiorum.

‡7.23 *Beatus.* Quasi dicat: Mira quidem facio, sed abjecta pati non dedignor, et cavendum est hominibus ne in me despiciant mortem, qui signa venerantur. *Qui non.* GREG. Qui de potentia divinitatis non dubitaverit. Hoc non contra Joannem, quem mox adeo commendat, sed non credentes a perfidia revocat, et Joanni exponit quod quærebat, quia *Deus salvos faciendi, et Domini Domini exitus mortis* Psal. 67.. Visis tot signis et virtutibus, fidelis non potuit de morte ejus dubitare, sed admirari, sed infidelium mens scandalum in illo pertulit, cum et post miracula morientem vidit.

¶7.24 *Quid.* Ubi monuit discipulos Joannis in crucem Dominicam esse credendum: conversus ad turbas, ad virtutem pauperes provocat, ne exaltati corde, mente instabiles, consilio infirmi, speciosa utilibus æternis caduca præferrent, sed crucem potius quam mundi phaleras tollant. Et ideo laudat personam Joannis, qui posthabito amore vitæ etiam justitiæ formam nec mortis timore mutavit. Deserto mundus comparatur, quia adhuc incultus et sterilis in quem non est ita prodeundum, ut homines mente carnis inflatos et virtutis vacuos, et de fragilis mundi gloria jactantes, putemus esse imitandos. *Arundinem vento.* BED. Per arundinem carnalis animus, qui cum favore vel detractatione tangitur, in quamlibet partem inclinatur. Sed Joannes non est arundo vento agitata, quia illum nec gratia blandum nec cujuslibet ira faciebat asperum, nec prospera erigebant, nec adversa inclinabant.

in veste pretiosa sunt et deliciis, in domibus regum sunt.^{§ 26} Sed quid existis videre? prophetam? Utique dico vobis, et plus quam prophetam:^{** 27} hic est, de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.²⁸ Dico enim vobis: major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est: qui autem minor est in regno Dei, major est illo.^{†† 29} Et omnis populus audiens et publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis.^{‡‡ 30} Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo.³¹ Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis hujus? et cui similes sunt?^{¶¶ 32} Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis: lamentavimus, et non plorastis.^{§§ 33} Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis: Dæmonium habet.³⁴ Venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicitis: Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum.^{* 35} Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.^{† 36} Rogabat autem illum quidam de pharisæis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisæi discubuit.^{‡ 37} Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubisset in domo

§7.25 *Mollibus vestimentis indutum.* Per vestem, corpus humanum intelligitur. Prophetico ergo exemplo ad virtutem subeundæ virtutis hortatur. Ecce quæ in veste pretiosa. Quibus fluida divitiis membra solvuntur, exteros cœlestis regni, sub jure dæmonum (qui sunt reges tenebrarum) intra habitacula hujus mundi consenescent.

**7.26 *Plusquam prophetam.* Quia angelus: non natura, sed officio, qui supernum judicem nuntiare mittitur.

††7.28 *Dico autem.* In hoc non præfertur patriarchis et cunctis hominibus, sed æqualis cæteris sanctis ostenditur. *Qui autem.* Omnis sanctus qui jam est cum Deo, major est eo qui adhuc est mundo. Vel, ego quem minorem facit multorum opinio, in Ecclesia sanctorum illi prælatus sum. Vel novissimus angelus cœli melior est quovis homine.

‡‡7.29 *Et omnis populus.* Si hoc a Domino dictum esse intelligitur: audiens Joannem, populus intelligitur esse designatus. Si ab evangelista dicitur interpositum: audiens ipsum Dominum, de Joannis magnitudine disputantem, restat intelligi.

¶¶7.31 *Cui ergo,* etc. Laudato Joanne, transit ad increpandum illos qui nec prædicatione Joannis moti sunt, vel ipsius Christi prædicationem despiciunt.

§§7.32 *Similes sunt pueris.* Pueri, doctores sunt spiritu humiles. Forum, synagoga, vel ipsa Jerusalem, in qua jura præceptorum Dei condebantur, quia contribulibus solebant exprobrare quod nec psalmis allecti ad laudes Dei assurrexerunt corde devoto, membrorum agilitate (quod notat saltus) nec threnis (id est lamentationibus) prophetarum pro excidiis jam factis vel faciendis) ad pœnitentiam sunt conversi.

†7.34 *Venit Filius hominis manducans et bibens.* Venit sicut tunc, ita et nunc, utramque viam salutis respuitis. Lamentavimus ad Joannem, cantavimus ad Christum.

†7.35 *Justificata est sapientia.* Ostendit filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo, nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam et temperantiam, non se corrumpendi per abundantiam. *Non est regnum Dei esca et potus* Rom. 14.. Quorum non usus, sed concupiscentia reprehenditur. *Justificata,* etc. Quidquid me putetis, ego tamen Dei virtus et Dei sapientia juste facere intelligor ab apostolis, quibus Pater revelavit quæ prudentibus abscondit.

‡7.36 *Rogabat.* Sicut proposuerat verbis, ita factis etiam astruit justificatam sapientiam ab omnibus filiis, quia etiam a Maria pœnitente post culpam.

pharisæi, attulit alabastrum unguenti:¶ 38 et stans retro secus pedes ejus, lacrimis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. § 39 Videns autem pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est. 40 Et respondens Jesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquuid dicere. At ille ait: Magister, dic. 41 Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. 42 Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? 43 Respondens Simon dixit: Æstimo quia is cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte judicasti.** 44 Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrimis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit.†† 45 Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. 46 Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos.‡‡ 47 Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.¶¶ 48 Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. 49 Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic qui etiam peccata dimittit?§§ 50 Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit: vade in pace.*

¶7.37 *In domo.* In cujuscunque domo interiore cognoveris sapientiam et justitiam recumbentem, recurre ad pedes, id est, ad extremam sapientiæ partem, inquire lacrymis, confitere peccata, expande capillos, id est, sterne ante eum cunctas corporis tui dignitates, osculare, id est, nihil nisi sapientiam loqueris. **Attulit.** Quot habuit in se oblectamenta, tot de se invenit holocausta. **HIER.** Alabastrum unguenti, id est, corpus cum fide, etc., usque ad id est, peccata Judæorum.

§7.38 *Cœpit rigare.* Maria soror Lazari bis eodem functa est officio: semel in Galilæa cum primo accedit cum humilitate et lacrymis, ubi remissionem peccatorum accepit. Secundo, in Bethania, non jam peccatrix nominata, sed casta, et ideo devota: ibi pedes, hic caput inungit.

7.43 *Is cui plus.* Secundum homines plus fortasse offendit, cui plus debuerit. Sed per misericordiam Domini causa mutatur, ut amplius diligit qui amplius debuit, tamen gratiam consequatur. **Recte judicasti. Sua sententia Pharisæus vincitur, quia sicut phreneticus funem portat ex quo ligetur.

††7.44 *Intravi in domum.* Intravi carne assumpta in populum Judæorum.

‡‡7.46 *Oleo caput meum non unxisti.* Et si populus ille in Deum se credere et non in hominem fatebatur, tamen ipsam potentiam divinitatis quæ per miracula apparebat, digna laude prædicare neglexit. Sed gentilitas dum mysterium incarnationis credit, summa laude etiam infirma ejus prædicat.

¶¶7.47 *Remittuntur ei peccata.* In domo Pharisæi, id est, in custodia legis et prophetarum, non Pharisæus incredulus, sed peccatrix pœnitens glorificatur, quia ardor charitatis in ea rubiginem delictorum combussit.

§§7.49 *Et cœperunt qui simul.* Sanata ægra, de salute ejus aliis ægrotant.

*7.50 *Fides tua te salvam fecit.* Fides salvam fecit, quia quod petiit, posse accipere non dubitavit, quia jam spem ab illo acceperat, a quo salutem quærebat.

8 Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates, et castella prædicans, et evangelizans regnum Dei: et duodecim cum illo,[†] ² et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus malignis et infirmitibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant,[‡] ³ et Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, et Susanna, et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.[¶] ⁴ Cum autem turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem:[§] ⁵ Exiit qui seminat, seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cæli comederunt illud.^{**} ⁶ Et aliud cecidit supra petram: et natum aruit, quia non habebat humorem.^{††} ⁷ Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. ⁸ Et aliud cecidit in terram bonam: et ortum

[†]8.1 *Et factum est.* More aquilæ provocantis ad volandum pullos suos, paulatim Dominus discipulos suos in nido fidei plumis virtutum induit, quibus postea sublimius volare, et alios instruere valeant. Prius docet in synagogis, miracula facit, famam ubique dispergit, turbas suscipit, curat, instruit, hic discipulos facit, ex quibus duodecim elegit, quos primo præsentem turba docet, et miseris solita præstat beneficia, jam vero solos ipsos secum retinet, ut eum familiarius audiant solis illis occultiora exponit mysteria, et sic demum virtutum suarum ostensione quasi alarum protectione firmatis, dat ipsis potestatem curandi, et mittit prædicare regnum Dei.

[‡]8.2 *Maria quæ vocatur Magdalene.* Cum Maria iter faceret cum Domino, et ei ministrare commemoratur, celebri eam vocabulo Magdalenam vocat: ubi eandem peccatricem describit, reverenter eam generali nomine mulierem dicit, ne nomen tantæ famæ quod hodie veneramus, prisci erroris nota fuscaret. *Maria*, amarum mare, propter insitum pœnitentiæ rugitum, quo ipsa vel nos singula mala deflemus. *Dæmonia septem.* Eandem Ecclesiam de gentibus a sordibus vitiorum mundatam, quam Maria significat, significat et Joanna prius cultibus idolorum deditam, sed jam Christi pietate redemptam, et gratia impletam, quæ quasi uxor erat prius diaboli.

[¶]8.3 *Et Joanna,* etc. Joanna, Dominus gratia ejus, vel Dominus misericors. cujus est omne quod vivimus. *Procuratoris Herodis.* Cum quilibet malignus spiritus pro regno diaboli ad decipiendum laborat, quasi Herodis impiissimi procurator existit. *De facultatibus,* etc. Antiquus mos erat Judæorum, nec ducebatur in culpam, ut mulieres sua substantia pascere et vestirent doctores. Hic quia hoc in gentibus scandalum poterat facere, Paulus se memorat abstinuisse. Ministrabant ergo Domino carnalia, cujus metebant spiritualia, ut formam daret prædicatoribus quod victu et vestitu deberent esse contenti accipiendo a plebibus.

[§]8.4 *Cum autem turba,* etc. Quotiens in Evangelio turbæ vocabulum interseritur, sicut diversitas hominum, ita etiam diversitas intimatur voluntatum. Non enim omnes eadem voluntate, sed diversis ex causis Christum sequebantur: quidam pro bono, quidam pro malo, omnibus tamen Dominus beneficia præstat, docendo, alendo, sanando. *Exiit qui seminat,* etc. Exiit Filius Dei de sinu Patris, quo creaturæ non erat accessus, ut seminaret semen suum, venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati. Unde secundum alios evangelistas hanc parabolam dicturus de domo exisse, mare adisse, navem conscendisse memoratur, id ipsum situ corporis quod processu sermonis insinuans.

^{**}8.5 *Secus viam.* Via, est cor sedulo malarum cogitationum transitu attritum et arefactum, ne semen verbi possit accipere vel germinare, sed a pessimis cogitationibus conculcatur, et a dæmonibus rapitur. Qui ideo volucres cæli dicuntur, quia cœlestis et spiritualis sunt naturæ, vel quia per ærem discurrent.

^{††}8.6 *Supra petram.* Petra indomitum cor nullo veræ fidei vomere penetratum, in quo non est verus amor et perseverantiæ virtus.

fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.‡‡
 9 Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola.¶¶ 10 Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: ut videntes non videant, et audientes non intelligant.‡‡ 11 Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. 12 Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. * 13 Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: et hi radices non habent: qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.† 14 Quod autem in spinas cecidit: hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, et non referunt fructum.‡ 15 Quod autem in bonam terram: hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.¶ 16 Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.‡ 17 Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, et in

‡‡8.8 *Centuplum*, etc. Cum denarius pro perfectione soleat accipi (quia in decem legis præceptis custodia continetur), centenarius qui per multiplicatum denarium surgit, pro magna perfectione ponitur: cor igitur centuplum facit fructum quod per amorem proximi activam, et per amorem Dei contemplativam adipiscitur vitam, et spiritualium ornatur perfectione virtutum.

¶¶8.9 *Hæc parabola*. Nota hanc esse primam parabolam quæ cum interpretatione sua posita sit. Et cavendum est ubicunque Dominus rogatus a discipulis intrinsecus sermones suos disserit, ne vel aliud vel plus vel minus intelligere velimus, quam ab eo expositum est. Ideo autem hanc parabolam per seipsum dignatur ostendere, ut se figurate loqui innotesceret, et rerum significationes etiam in his quæ exponere noluit, quærendas esse doceret.

‡‡8.10 *Videntes*. Doctores Judæorum qui cum merito perversitatis suæ excæcati sunt, mendaciter se videntes putant.

*8.12 *Quod autem secus viam*. Secus viam seminantur, qui nulla fide, nullo intellectu, nulla saltem tentante utilitatis occasione, percipere dignantur. Porro super petram et in spinis seminantur, qui audiunt quidem et utilitatem verbi probant et desiderium gustant, sed ne perveniant ad id quod gestiunt: vel per adversa terrendo, vel prospera blandiendo retardant. His tribus generibus quicunque verbum auditum non faciunt designantur.

†8.13 *Ad tempus credunt*. Multi audientes disputationem contra avaritiam vel luxuriam, dicunt contemptores sæculi et castos homines esse beatos: sed ubi species concupiscibiles eorum obtutibus præsentantur, mox recedunt ab eis quidquid recte cogitaverant.

‡8.14 *Suffocantur*. Quia voluptates et divitiæ suis importunis cogitationibus guttur mentis, ne bonum desiderium ad cor possit intrare quasi aditum vitalis strangulant flatus.

¶8.15 *In terram bonam*, etc. In bonos auditores qui verbum audire satagunt, et in ventrem memoriæ recondunt, et sic opportuno tempore fructum operationis proferunt, inter prospera et adversa sæculi patientes. Et bona terra cum patientia fructum reddit, quia bona agit, et mala proximorum æquanimiter tolerat, et dum humiliter flagella suspiciunt, post flagella in requiem suscipiuntur.

‡8.16 *Nemo autem*. Hæc verba ponuntur secundum similitudinem humanæ consuetudinis.

palam veniat.** 18 Videte ergo quomodo audiatis? Qui enim habet, dabitur illi: et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.†† 19 Venerunt autem ad illum mater et fratres ejus, et non poterant adire eum præ turba. 20 Et nuntiatum est illi: Mater tua et fratres tui stant foris, volentes te videre. 21 Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt. 22 Factum est autem in una dierum: et ipse ascendit in naviculam, et discipuli ejus, et ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. 23 Et navigantibus illis, obdormivit, et descendit procella venti in stagnum, et complebantur, et periclitabantur. 24 Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum, et tempestatem aquæ, et cessavit: et facta est tranquillitas.‡‡ 25 Dixit autem illis: Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes: Quis putas hic est, quia et ventis, et mari imperat, et obediunt ei?¶¶ 26 Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. 27 Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.§§ 28 Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum: et exclamans voce magna,

**8.17 *Non enim*, etc. Quasi dicat. Timor carnalium non vos retardet, sed nec mala opinio, quæ de vobis modo habetur apud incredulos quia etsi viles apparetis, quandoque claritas vestra apparebit, cum *Dominus illuminabit abscondita tenebrarum*, tunc et vos coronabimini, et punientur vestri adversarii.

††8.18 *Qui enim habet*, etc. Hæc specialiter apostolis, quibus ex charitate nosse mysteria datur, et perfidis Judæis (qui per parabolas quod non intelligunt audiunt) dicta videntur. Potest et generaliter accipi, quia et ingeniosus, negligendo, sapientia vera se privat et simplex studiosus laborando degustat. Quia qui amorem verbi habet, dabitur et sensus intelligendi quod amat. Sed qui non habet amorem audiendi, etiamsi naturali ingenio vel labore studioso se intelligere putat, nullam tamen veræ scientiæ dulcedinem gustabit. *Et quicumque non*. Ideo desidiosus ingenium accipit sæpe, ut de negligentia jutius puniatur, qui scire contempsit quod sine labore assequi potuit, et aliquando studiosus tarditate intelligentiæ premitur, ut eo majora præmia inveniat, quo studiosius elaborat.

‡‡8.24 *Et cessavit, et facta est tranquillitas*. Nota quod omnis creatura sentit Creatorem. Imperat, increpat, sentiunt imperantem, non quod secundum hæresim quorundam sint animantia, sed majestati conditoris sunt sensibilia, quæ apud nos sunt insensibilia.

¶¶8.25 *Mirati sunt ad invicem*. Non discipuli, sed nautæ et alii qui in navi erant mirantur. Unde Matthæus: *Porro homines illi mirati sunt, dicentes: Qualis est hic?* Matth. 8. Quod si discipulos dicimus miratos fuisse, merito et ipsi homines sunt appellati. *Ad regionem Gerasenorum*. Gerasa civitas Arabiæ juxta montem Galaad in tribu Manasse, non longe a stagno Tiberiadis, significat gentes quas post passionem et resurrectionem Dominus per prædicatores visitavit, unde Gerasa sive Gergesi colonum ejiciens, id est diabolium a quo prius incolebatur vel advena propinquans, qui longe erat in tempore.

§§8.27 *In monumentis*. Quid aliud sunt perfidorum corpora, nisi quædam defunctorum sepulcra, in quibus non habitant Dei verba?

dixit: Quid mihi et tibi est, Jesu Fili Dei Altissimi? obsecro te, ne me torqueas.*
²⁹Præcipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, et vinciebatur catenis, et compedibus custoditus. Et ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta.† ³⁰Interrogavit autem illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum.‡ ³¹Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent.¶ ³²Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: et rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis.§ ³³Exierunt ergo dæmonia ab homine, et intraverunt in porcos: et impetu abiit grex per præceps in stagnum, et suffocatus est. ³⁴Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem et in villas.** ³⁵Exierunt autem videre quod factum est, et venerunt ad Jesum, et invenerunt hominem sedentem, a quo dæmonia exierant, vestitum ac sana mente, ad pedes ejus, et timuerunt.††
³⁶Nuntiaverunt autem illis et qui viderant, quomodo sanus factus esset a legione: ³⁷et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum ut discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est.‡‡ ³⁸Et rogabat illum vir, a quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum

*8.28 *Jesu Fili Dei.* Arius contendit esse creaturam, quem dæmon confitetur esse Filium Dei. Judæi dicunt: *In principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, quem dæmonia negant aliquid secum commune habere. Tormentum est diaboli ad hominis læsione cessare, et quantum diutius possederat, tantum difficilior dimittit. Caveat ergo aliquis læsus a diabolo, ut cito ejus jugum dirumpat, quia tanto facilius quanto citius ejus dominium evitatur.

†8.29 *Vinciebatur catenis.* Catenæ et compedes, duræ et graves sunt gentium leges, quibus, et in eorum republica cohibebantur peccata. His tamen legibus ruptis, ad ea scelera cupiditate ducebantur, quæ vulgarem consuetudinem excedebant.

‡8.30 *Quia intraverunt dæmonia multa,* etc. Multa dæmonia quæ unum premunt, signant multos cultus idololatriæ in uno gentium populo. E contra dicitur: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* Act. 4.. Unde bene in Babylone unitas linguarum scissa, in Jerusalem est adunata.

¶8.31 *Et rogabant.* Sciebant dæmones per adventum Domini se aliquando in abyssum mergendos: non ipsi futura prædivinantes, sed prophetarum de se dicta recolentes.

§8.32 *Grex porcorum.* Porci sunt homines vocis et rationis expertes, lutulentis actibus dediti, in monte superbiæ pascentes. Et nisi quis more porci vixerit, diabolus in eo potestatem non accipit, vel ad probandum tantum, non autem ad perdendum accipit.

**8.34 *Fugerunt et nuntiaverunt in civitatem, et in villas.* Pastores fugerunt, quia nec philosophi gentium, nec principes Synagogæ pereuntibus possunt conferre medicinam, et licet Christianam fugiant legem, potentiam tamen ejus stupendo et mirando prædicant.

††8.35 *Exierunt autem videre quod factum est, et venerunt ad Jesum, et invenerunt hominem,* etc. Significat multitudinem sua venusta vita delectatam, honorare quidem, sed nolle pati religionem Christianam, dum dicunt quod eam implere non possunt. Mirantur et fidelem populum a pristina conversatione sanatum, et sedere ad pedes Domini, id est, sano mentis examine vestigia Salvatoris quæ sequatur intueri, et vestitum studii virtutum, quæ deceptus amiserat.

‡‡8.37 *Et rogaverunt.* Conscii fragilitatis, præsentia Domini se indignos judicant, non capientes verbum Dei, et in firma mente pondus sapientiæ non sustinentes, et ideo diutius molestus non fuit, sed regreditur quia non dignatur curare invitos, sed cito deserit infirmos, quibus oneri videt esse suam præsentiam.

Jesus, dicens: ³⁹Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus. ¶[¶] ⁴⁰Factum est autem cum rediisset Jesus, excepit illum turba: erunt enim omnes exspectantes eum. ⁴¹Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, et ipse princeps synagogæ erat: et cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret in domum ejus, ⁴²quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, et hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, a turba comprimebatur. ⁴³Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari: ^{§§} ⁴⁴accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus: et confestim stetit fluxus sanguinis ejus. * ⁴⁵Et ait Jesus: Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, et affligunt, et dicis: Quis me tetigit?† ⁴⁶Et dicit Jesus: Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exiisse. ‡ ⁴⁷Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, et procidit ante pedes ejus: et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: et quemadmodum confestim sanata sit. ¶ ⁴⁸At ipse dixit ei: Filia, fides tua salvam te fecit: vade in pace. ⁴⁹Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum. ⁵⁰Jesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantum, et salva erit. ⁵¹Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, et patrem, et matrem puellæ. § ⁵²Flebant autem omnes, et plangebant illam. At ille dixit: Nolite

¶[¶]8.39 **Redi in domum**, etc. Allegorice. Post remissionem peccatorum redeundum est in bonam conscientiam, et serviendum Evangelio, propter aliorum etiam salutem, ut deinde cum Christo requiescat, ne cum jam prope vult esse cum Christo, negligat mysterium prædicationis accommodatum fraternæ liberationi, unde Apostolus: **Cupio dissolvi, et esse cum Christo** Philip. 1., multo melius, **manere autem in carne necessarium propter vos**.

§§8.43 **In medicos**. Medici, dæmones, qui quasi consulentes hominibus, pro Deo se coli exigunt, quibus servierat gentilitas.

‡8.44 **Tetigit fimbriam**. Fimbriam tangit, qui Incarnationis mysteria perfecte amat et credit, donec ad majora capienda perveniat. Si consideremus quanta sit fides nostra, et intelligamus quantus sit Filius Dei, videmus quia, comparatione ejus, fimbriam tantummodo tangimus, superiorem vestimenti ejus partem nequimus attingere. **Et confestim**, etc. Suscitaturus mortuam rediit ad fidem faciendam, prius curat hemorrhoidam. Sic Elisabeth sterilis paritura indicatur ut conceptura virgo credatur.

†8.45 **Quis est**. Non quærit ut doceatur quæ nesciat, sed ut fides mulieris appareat.

‡8.46 **Nam et ego novi**. Non latet quicumque tangit: Deus non indiget oculis ut videat, nec corporaliter sentit, sed in se habet cognitionem omnium. Etiam virtus quæ propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, et sanat omnes infirmitates nostras, non ex nobis, sed ex Deo exit.

¶8.47 **Videns autem mulier**. Hæc mulier verecunda fimbriam tangit, fidelis accessit, religiosa credidit: sapiens se esse sanatam cognoscit: sic plebs gentium quæ Deo credidit, peccatum erubuit ut desereret, fidem detulit ut crederet, devotionem exhibuit ut rogaret, sapientiam induit ut sanitatem suam et ipsa sentiret, fiduciam sumpsit ut fateretur quod præripiebat alienum.

§8.51 **Patrem puellæ**. Pater puellæ, cœtus doctorum legis, scilicet Scribæ et Pharisei, qui si credere voluerint etiam subjecta Synagoga salva erit.

flere: non est mortua puella, sed dormit.** 53 Et deridebant eum, scientes quod mortua esset.†† 54 Ipse autem tenens manum ejus clamavit, dicens: Puella, surge.‡‡ 55 Et reversus est spiritus ejus, et surrexit continuo. Et jussit illi dari manducare. 56 Et stupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.¶¶

9 Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent.§§ 2 Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos. 3 Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* 4 Et in quacumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis.† 5 Et quicumque non receperint vos: exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.‡ 6 Egressi autem circuibant per castella evangelizantes, et curantes ubique. 7 Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, et hæsitabat eo quod diceretur 8 a quibusdam: Quia Joannes surrexit a mortuis: a quibusdam vero: Quia Elias apparuit: ab aliis autem: Quia propheta unus de an-

**8.52 *Flebant autem.* Flent qui Synagogam a Deo, qui vita est, vident alienam et dolent, nec amplius posse vivificari putant, et illa quæ sponsi præsentiam qua vivere debet, amisit, quasi inter plangentes mortua jacens, nec hoc ipsum quidem quare plangatur, intelligit. *Nolite flere.* Flent mortuos suos, qui putant mortuos, ubi est fides resurrectionis non est mors, sed spes quietis. *Non est mortua,* etc. Mortua est puella hominibus qui suscitare non possunt: non Deo, cui anima vivit, et caro suscitando quiescit.

††8.53 *Deridebant,* etc. Merito exclusi sunt, qui deridere quam credere malebant, indigni videre resurrectionis miraculum.

‡‡8.54 *Tenens manum.* Tenet manum, quia nisi manus Judæorum (quæ sanguine plenæ) prius fuerint mundatæ, Synagoga non surget. *Puella, surge.* Quisquis a morte animæ, a Christo manum sibi confortante respicit, a sordibus vitiorum debet exurgere, et (sicut Marcus ait) in bonis operibus ambulare, et cœlesti pane necesse est ut mox satietur, id est, verbi Dei et altaris.

¶¶8.56 *Quibus præcepit.* Sicut publica noxa publico eget remedio, ita levia peccata leviori et secreta queunt deleri pœnitentia. Unde puella in domo jacens, paucis arbitris exurgit, eisdemque ne miraculum vulgarent interdicitur.

§§9.1 *Convocatis autem Jesus.* Concessa primum potestate signorum mittuntur prædicare regnum Dei, ut magnitudini promissorum attestetur etiam magnitudo factorum, et fidem verbis daret virtus ostensa, et nova facerent qui nova prædicarent.

*9.3 *Nihil tuleritis.* In Marco legitur, *ut nihil tollerent in via nisi virgam tantum* Marc. 6.. Sed sciendum est, quia utrumque præceptum est a Domino, ut nihil nisi virgam ferrent, et ut nec virgam ferrent. Non ferre virgam, est non esse sollicitum de his quæ necessaria sunt humanæ sustentationi, quia hæc debentur prædicatoribus ab his quibus prædicant, quando sine scandalo possunt accipi. Nihil ferre nisi virgam, est uti illa potestate accipiendi necessaria quæ data est prædicatoribus. *Duas tunicas.* Simplex vestimentum est quidquid est necessarium alicui secundum qualitatem loci vel temporis. Duplex est, quod ultra necessitatem est. Allegorice, in duabus tunicis, duplicitatem prohibet.

†9.4 *Ibi manete.* Ne excursetis per domos et inviolabilis hospitii jura mutetis. Unde secundum Matthæum, domus in qua manere debeant prius eligenda est, ut mutandi hospitii necessitas auferatur.

‡9.5 *Pulverem pedum vestrorum.* Pulvis excutitur in testimonium laboris sui quod ingressi sunt in civitatem, et usque ad illos prædicatio pervenit. Vel, excutitur, ut nihil ab eis accipiant qui Evangelium spreverunt, nec etiam necessaria vitæ.

tiquis surrexit.[¶] ⁹ Et ait Herodes: Joannem ego decollavi: quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum. ¹⁰ Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt: et assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ.[§] ¹¹ Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum: et excepit eos, et loquebatur illis de regno Dei, et eos, qui cura indigebant, sanabat.^{**} ¹² Dies autem cœperat declinare, et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quæ circa sunt, divertant, et inveniant escas: quia hic in loco deserto sumus.^{††} ¹³ Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces: nisi forte nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas.^{‡‡} ¹⁴ Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.^{¶¶} ¹⁵ Et ita fecerunt: et discumbere fecerunt omnes.^{§§} ¹⁶ Acceptis autem quinque panibus et duobus piscibus, respexit in cælum, et benedixit illis: et fregit, et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas.^{*} ¹⁷ Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et subla-

[¶]9.8 *Joannes surrexit.* Qui Joannem, cujus nullum signum viderant, resurrexisse dicebant, per summam malitiam Jesum resurrexisse negabant, multa mirabilia opera viderant, in cujus passione multa miranda contigerant.

[§]9.10 *Narraverunt.* Narrant apostoli Domino quæ fecerint, et quomodo docuerint, quomodo Joannes dum ipsi docerent passus sit. Unde sequitur: *Et assumptis.* Non otiosis, non in civitate Synagogæ, id est, sæcularis dignitatis residentibus, sed inter deserta Christum quærentibus cœlestis gratiæ alimonia impertitur. Qui enim non fastidiunt, a Christo suscipiuntur, et spiritualiter et corporaliter, etiam si indigent curantur. Et nota, quia postquam perfecta est mentio passionis Joannis, Christus reficit, quia post defectum legis, evangelicus cibus incipit. Denique postquam curata est mulier quæ gestat figuram Ecclesiæ, et postquam apostoli ad prædicandum sunt missi, fit mentio refectiois, quia per apostolos in Ecclesia vera refectio fit.

^{**}9.11 *Secutæ sunt illum.* Non jumentis, non vehiculis, sed proprio labore pedum, ut ardorem mentis ostenderent. *Sanabat.* Nemo cibum Christi accipit nisi antea sanatus fuerit, quia post remissionem peccatorum tribuitur alimonia cœlestis.

^{††}9.12 *Dies autem cœperat.* Declinata die reficit, quia vel fine sæculorum propinquante, vel cum sol justitiæ occubuit, a spirituali fame sumus salvati. Et nota ordinem mysterii: prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuitur, postea alimonia mensæ cœlestis expenditur.

^{‡‡}9.13 *Nisi forte.* Nondum intellexerant apostoli fidem populi credentis non esse venalem, sed noverant nos potius esse redimendos per suas escas gratuitas.

^{¶¶}9.14 *Quinque millia.* Per quinque millia significantur, qui in sæculari adhuc habitu per quinque sensus corporis exterioribus quæ possident, bene uti noverunt. Qui quinque panibus aluntur, quia tales necesse est legalibus adhuc præceptis instrui, et legali timore comprimi. Nam qui mundo integre renuntiant et quatuor sunt millia propter evangelicam doctrinam, et septem panibus, id est, septiformis spiritus reficiuntur gratia.

^{§§}9.15 *Et discumbere omnes.* Secundum alium evangelistam quinque millia super fenum discumbunt, quia illi quibus adhuc sunt corporales sensus, melioribus delectantur. *Omnis enim caro fenum.* Quatuor millia super terram recumbunt, plus est enim terra premere quam super feno jacere.

^{*}9.16 *Distribuit discipulis suis.* Provocat apostolos ad fractionem panis, ut illis non habere testantibus magnitudo signi notior fiat. Insinuat quod per eorum doctrinam, jejuna corda quotidie sunt pascenda.

tum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.^{† 18} Et factum est cum solus esset orans, erant cum illo et discipuli: et interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ?^{‡ 19} At illi responderunt, et dixerunt: Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero quia unus propheta de prioribus surrexit.^{¶ 20} Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Christum Dei.^{§ 21} At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc,^{** 22} dicens: Quia oportet Filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus, et principibus sacerdotum, et scribis, et occidi, et tertia die resurgere.²³ Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.^{†† 24} Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: nam qui perdidit animam suam propter me, salvam faciet illam.^{‡‡ 25} Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?²⁶ Nam qui me erubuerit, et meos sermones: hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majes-

[†]9.17 **Et saturati sunt.** Quod manducans populus satiatur, significat famem in perpetuum ab electis repellendam, quia non esuriet qui acceperit Christi cibum. Quod apostoli ministrant, futuram divisionem Dominici corporis et sanguinis pronuntiat. **Cophini duodecim.** Cur quinque millibus hominum plus redundat, quatuor millibus minus? Quia quatuor millia triduo cum Christo fuerunt, et ideo amplius cœlestis pabuli receperunt.

[‡]9.18 **Et factum est.** Post miraculum cum turbæ vellent eum facere regem, dimissa turba, fugit et ascendit in montem solus orare, et antequam discipuli ascenderent in naviculam, aderant cum ipso. Ipse autem solus orat Patrem. Possunt enim sancti fide et amore Domino conjungi, et eum hominibus excellentiorem intueri, et conversationem ejus in carne passibus humilitatis subsequi, sed incomprehensibilia paternæ positionis arcana solus penetrat, et solus quod orandum novit, orat. Cum discipulis autem non reperitur orasse, sed solus obsecrat, quia Dei consilium humana corda non capiunt, nec quisquam potest interiorum particeps esse cum Christo. **Quem me dicunt esse turbæ?** Exploraturus fidem discipulorum, prius vulgi sententiam inquirat, ne apostolorum fides firmata videatur vulgari opinione, sed veritatis agnitione. Merito turbæ nominantur quæ diversas de Domino ferunt sententias, quorum sermo et sensus instabilis est et vagus, a quibus suos distinguens ait. **Vos autem quem me esse dicitis?**

[¶]9.19 **Joannem Baptistam.** Opinio de Joanne ideo forte erat, quia in utero matris positus, Domini præsentiam sentiebat. De Elia, quia raptus est in cœlum, et venturus creditur. De Jeremia, quia in matris utero sanctificatus est.

[§]9.20 **Vos autem.** Qui tractat debet audientium considerare personas, ne prius irideatur quam audiatur. **Christum Dei.** Complexus est omnia, qui et naturam et nomen expressit. In nomine enim Christi et divinitatis et incarnationis est expressio et fides passionis. Hæreticus etsi nomen Christi non negat Christum tamen negat, qui non omnia quæ Christi sunt confitetur.

^{**}9.21 **Præcepit ne,** etc. Jubet tacere discipulos ut fallat principem mundi, et ut declinet jactantiam, doceat humilitatem. Simul ne adhuc rudes et imperfecti discipuli majoris prædicationis mole opprimerentur.

^{††}9.23 **Dicebat autem.** Quæ ad fidem Dominicæ nativitatis vel passionis pertinent, solis seorsum discipulis aperuit, sed hæc ad omnes. **Abneget semetipsum.** Nisi quis a seipso deficiat, ad eum qui super se est non appropinquat: et novitatem ad quam vocatur, non apprehendit, nisi macet vetustatem, in qua natus fuit; et cum cessat a vitiis exquirat etiam virtutes, unde subjungitur:

^{‡‡}9.24 **Nam qui.** GREG. Sicut persecutionis tempore ponenda est anima, ita in pace frangenda sunt desideria terrena, ut quanto videtur homo securior, tanto sit ad sui custodiam sollicitior.

tate sua, et Patris, et sanctorum angelorum.^{¶¶} 27 Dico autem vobis vere: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.^{§§} 28 Factum est autem post hæc verba fere dies octo, et assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem ut oraret.* 29 Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera: et vestitus ejus albus et refulgens.† 30 Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias,[‡] 31 visi in majestate: et dicebant excessum ejus, quem

^{¶¶}9.26 *Hunc filius hominis.* Non sufficit ad probationem fidei vox professionis, quam defendit a verecundia professio generalitatis.

^{§§}9.27 *Aliqui hic stantes.* Qui stat cum Christo non gustat mortem, quia nec tenuem mortis æternæ sensum habebit, qui Christi consortia meruerit, cui nec in morte interrompitur ordo vivendi. *Donec videant regnum.* Quia arduum erat animam periculis, corpus morti offerre, sustentat infirmitatem humanæ mentis remuneratione præsentium, ne frangatur desperatione vel tædio. Visa enim æterna gloria, etsi transitu et ad breve momentum, fortiores tamen contra mundi adversa redduntur. Promittit itaque futuram gloriam in transitu videndam in terra, ut certius in cælo speretur æterna. Vel promittit aliquos de discipulis visuros dilationem Ecclesiæ antequam per mortem recedant de mundo, ut in præsentem contra mundi gloriam erecti, certius credantur in cælo regnaturi.

^{*}9.28 *Post hæc verba.* Alii qui sex dies tantum numerant post sex ætates sæculi sanctis a labore quiescendum signant. Lucas qui et primum quo promittitur, et ultimum quo promissio impletur connumerat, octava innuit resurgendum. Nam sicut Christus post sextam sabbati qua crucem ascendit, et post septimam sabbati, qua in sepulcro quievit, octava die resurrexit: sic nos post sex sæculi ætates quibus pro Domino patimur et laboramus, et post septimam quietis animarum quæ interim in alia vita geritur, octava ætate resurgemus. *Assumpsit Petrum.* Tres tantum dicit, quia *multi vocati, pauci electi* Matth. 20., et qui fidem Trinitatis inviolatam servant, æterna merentur visione lætari. Scit meritorem cognitor perfectione fuisse cæteris tres apostolos. Signant illos qui habent fidem, spem, charitatem. Vel per Petrum, præpositi sive conjugati, per Jacobum pœnitentes vel actuales, per Joannem, virgines vel theorici.

[†]9.29 *Et factus est.* Transfiguratus non substantiam veræ carnis amisit, sed gloriam, vel suæ vel nostræ resurrectionis ostendit, qui qualis tunc apostolis, talis post judicium cunctis apparebit electis. Nam in ipso judicio et bonis et malis in forma servi apparebit ut videant in quem pupugerunt. *Et vestitus ejus.* Vestes Domini sancti sunt qui Christum induerunt. Quæ vestis Domino in terris consistente despicibilis, et aliorum similis visa est, sed Domino montem ascendente fulget, quia *nondum apparuit quid erimus, sed tandem similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est.* Vel vestimenta verbi sermones sunt Scripturarum, et quædam indumenta divini intellectus. Quia sicut illis apostolis in altera specie apparuit ipse et vestis ejus refulsit, ita et oculis mentis tuæ jam divinarum sensus albescit lectionem.

[‡]9.30 *Ecce duo viri.* Notandum est, non corpora vel animas Eliæ vel Moysi apparuisse, sed ex aliqua subjecta creatura illa corpora formata fuisse: potest etiam credi angelico ministerio illud factum esse, ut angeli eorum personas assumerent. Mortuus et vivus apparent, ut significant Christum moriturum et post victurum, et ut vivamus Christo, et moriamur mundo. Etiam apostolis dat signum de cælo, ut fides eorum augeatur. Sed scribis tentantibus dare noluit, ut indurarentur. *Erant autem Moyses, et Elias visi.* Per Moysen, infernales; per Eliam, cœlestes; per apostolos, terrestres ad judicium venturi significantur.

completurus erat in Jerusalem.[¶] 32 Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros qui stabant cum illo.[§] 33 Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præceptor, bonum est nos hic esse: et faciamus tria tabernacula, unum tibi, et unum Moysi, et unum Eliæ: nesciens quid diceret.^{**} 34 Hæc autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos: et timuerunt, intransibus illis in nubem.^{††} 35 Et vox facta est de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.³⁶ Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant.^{‡‡} 37 Factum est autem in sequenti die, descendantibus illis de monte, occurrit illis turba multa.^{¶¶} 38 Et ecce vir de turba exclamavit, dicens: Magister, obsecro te,

[¶]9.31 *Dicebant excessum.* Moyses, id est legislator, et Elias prophetarum eximius apparent cum verbo, ut ostendant ipsum esse qui locutus est in lege et prophetis, et quem lex et prophetæ promiserunt. Qui non in infimis, sed in monte visi sunt, quia soli mente excelsi majestatem Scripturæ, quæ in Domino impleta est, perspiciunt.

[§]9.32 *Gravati erant somno.* Somno gravantur, quia splendore incomprehensibilis deitatis premitur sensus humani corporis. Vel somno gravantur, ut resurrectionis gloriam post corporis quietem viderent, et sancti eo verius majestatem Domini vident, quo carnis suæ in qua mortem vicerant immortalitate gaudebunt. Tunc Moysen et Eliam speculabuntur in gloria, quia melius intelligent quomodo *unum iota aut unus apex non præteribit a lege* Matth. 5., et quomodo Dominus legem et prophetas non solverit, sed adimpleverit.

^{**}9.33 *Bonum est nos hic esse.* Qui ad montana conscenderat non vult ad terrena descendere, sed semper in sublimi perseverare, et est Petrus in persona ingredientium regnum Dei. *Bonum est nos hic esse.* Bonum est in regno Dei esse. Quasi dicat: Nos soli hac luce fruemur, non Judæi invidi. *Tria tabernacula.* Id est, verba, cogitationes, opera. *Unum Moysi.* Quomodo noscunt quos antea non viderunt? Per majestatem super eos venientem, sicut in futura resurrectione unusquisque alterum cognoscet, et desiderata in altero alter per charitatem intelliget.

^{††}9.34 *Facta est nubes, et obumbravit eos.* Etsi Petrus ex infirmitate ignorat, placet tamen obsequii devotio. Unde et nubes obumbrat, divini Spiritus est ista obumbratio quæ non caligat affectibus hominum, sed revelat occulta, cujus perfectus ostenditur audita voce dicentis: *Hic est Filius meus.* Quia materiale quæsivit tabernaculum, nubis accepit obumbraculum, ut discat in resurrectione, non regimine domorum, sed Spiritus sancti gloria sanctos esse protegendos. *Et timuerunt.* Timent, quia humana fragilitas conspectum majoris gloriæ ferre non sustinet, et quanto quis ampliora quæsierit, tanto magis ad inferiora collabitur, si mensuram suam ignoraverit.

^{‡‡}9.36 *Et vox.* Vox Patris Petrum sublato terrore docet veritatem. Et nota quod, sicut Domino baptizato, sic et transfigurato mysterium Trinitatis declaratur, quia gloriam quam in baptizate confitemur, in resurrectione videbimus. Spiritus in columba, hic in nube lucida, quia qui nunc simplici corde fidem servat, tunc aperta luce visionis contemplabitur quod credidit, ipsaque qua illustrabitur gratia, protegetur. *Inventus est Jesus solus.* Non Elias, non Moyses, sed quem solum videtis, huic figendum est tabernaculum in corde. Recedunt ergo illi ubi Dominus cœpit designari, ne ad servos vox Patris missa putetur.

^{¶¶}9.37 *Factum est autem in sequenti die, descendantibus illis de monte.* Pro qualitate meritorum, quotidie Dominus aliis ascendit, dum perfectos, quorum conversatio in cœlis est, sublimius extollendo glorificat, et de æternis instruit et docet quæ a turba non audiri valeant. Aliis descendit, dum terrenos et incipientes confortat et docet et castigat. *Occurrit illis turba.* In monte orat, docet, majestatem suam demonstrat, Patris vocem apostolis aperit, descendens a turba excipitur, miserorum fletu pulsatur, infidelitatis peccata exprobrat, malos spiritus expellit.

respice in filium meum quia unicus est mihi: ³⁹ et ecce spiritus apprehendit eum, et subito clamat, et elidit, et dissipat eum cum spuma, et vix discedit dilanians eum: ^{§§} ⁴⁰ et rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, et non potuerunt. ⁴¹ Respondens autem Jesus, dixit: O generatio infidelis, et perversa, usquequo ero apud vos, et patiar vos? adduc huc filium tuum. ⁴² Et cum accederet, elisit illum dæmonium, et dissipavit. ⁴³ Et increpavit Jesus spiritum immundum, et sanavit puerum, et reddidit illum patri ejus. [†] ⁴⁴ Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum. [‡] ⁴⁵ At illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos ut non sentirent illud: et timebant eum interrogare de hoc verbo. [¶] ⁴⁶ Intravit autem cogitatio in eos quis eorum major esset. [§] ⁴⁷ At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, et statuit illum secus se, ⁴⁸ et ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est. ^{**} ⁴⁹ Respondens autem Joannes dixit: Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum: quia

^{§§}9.39 **Et ecce spiritus apprehendit.** Matthæus lunaticum, Marcus surdum et mutum describit. Significat autem illos qui ut luna mutantur, nunquam in eodem statu manentes, sed per diversa vitia crescunt et decrescunt, qui nec fidem confitentur, nec ipsius fidei audire volunt sermonem.

^{*}9.42 **Et cum accederet.** Dum puer ad Dominum accedit, eliditur, quia conversi ad Dominum plerumque a dæmonio gravius pulsantur, ut vel ad vitia reducantur, vel de sua expulsionem diabolus se vindicet. Sicut in principio nascentis Ecclesiæ multa et gravia opposuit certamina illis quos suo regno subtrahi videbat.

[†]9.43 **Et increpavit.** Non puer vim patiens, sed diabolus vim inferens increpatur, quia qui peccantem vult sanare, vitium debet arguere et depellere, sed hominem amando refovere donec sanatum spiritualibus reddat patribus Ecclesiæ.

[‡]9.44 **Ponite vos.** Vos qui meo discipulatu adhæretis, quibus arcana mea manifestius aperui, pretiosi sanguinis quo mundus redimendus est, eventum mente recondite, dum cæteri mirantur tanta facta divinæ altitudinis. **Futurum est ut tradatur.** Inter magnalia potentiæ divinæ sæpius replicat abjecta passionis humanæ, ne subito veniens terreat, sed levius feratur præcogitata.

[¶]9.45 **At illi ignorabant.** Hæc ignorantia non tam de tarditate, quam de amore nascitur, quia adhuc carnales, et mysterii crucis ignari, quem Deum cognoverunt, moriturum credere nequeunt, sed sicut per figuras loquentem audire solebant, sic etiam quod de sua traditione loquebatur, figuraliter aliud significare putabant.

[§]9.46 **Intravit autem cogitatio.** Quia viderant Petrum et Jacobum et Joannem in montem seorsum ductos, secretumque aliquod eis esse traditum. Sed et Petro superius claves regni cælorum esse promissas, Ecclesiamque super eum esse ædificandam rati sunt; vel, istos tres cæteris, vel, omnibus apostolis Petrum esse prælatum: vel quia in tributi solutione Petrum ipsi Domino parificatum viderant, ipsum cæteris præferendum arbitrabantur. Sed sciendum est istam quæstionem et ante tributum et post tributum solutum esse factam.

^{**}9.48 **Quicumque susceperit puerum.** Vel simpliciter: pauperes Christi ab his qui volunt esse majores, pro ejus docet esse honore suscipiendos. Vel parvulos malitia docet esse, ut puerilis innocentie simplicitatem conservent, ut formam virtutis quam natura duce puer observat, ipsi pro nomine Christi sequantur ex industria. **Me recipit.** Qui imitatore Christi recipit, Christum recipit, et qui imaginem Dei recipit, Deum recipit.

non sequitur nobiscum.^{††} 50 Et ait ad illum Jesus: Nolite prohibere: qui enim non est adversum vos, pro vobis est.^{‡‡} 51 Factum est autem dum complerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem. 52 Et misit nuntios ante conspectum suum: et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut parerent illi. 53 Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. 54 Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus et Joannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo, et consumat illos?^{¶¶} 55 Et conversus increpavit illos, dicens: Nescitis cujus spiritus estis.^{§§} 56 Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum. * 57 Factum est autem: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris.[†] 58 Dixit illi Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidus: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.[‡] 59 Ait autem ad alterum: Sequere me: ille autem dixit: Domine, permittite mihi primum ire, et sepelire patrem meum.[¶] 60 Dixitque ei Jesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, et annuntia regnum Dei.[§] 61 Et ait alter: Sequar te

^{††}9.49 **Joannes dixit.** Joannes diligens Deum et a Domino dilectus, excludendum putat a beneficio qui non utatur obsequio, ideo docetur neminem a bono quod ex parte habet, esse arcendum, sed ad hoc potius quod nondum habet esse provocandum. Tales etiam ob aliorum salutem admittendi censentur. Igitur in hæreticis vel in malis catholicis, non sacramenta communia in quibus nobiscum sunt, et adversum nos non sunt, sed divisionem paci veritatique contrariam, qua adversum nos sunt, et Dominum non sequuntur nobiscum, detestari et prohibere debemus.

^{‡‡}9.50 **Nolite prohibere. Qui enim.** Non reprehenditur Joannes quia amore faciebat, sed docetur ut noverit infirmorum esse firmorumque distantiam, quia Dominus, etsi remunerat fortiores, non excludit infirmos.

^{¶¶}9.54 **Domine, vis.** BED. Apostoli adhuc rudes et modum vindicandi ignorantes, etc., usque ad talis potestas sanctis viris a Deo collata est. **Dicimus ut ignis descendat de cælo.** Ad sermonem istorum ignis de cælo descenderet, quia sunt filii tonitruui. **Et consumat illos? Et conversus increpavit illos et dixit.** In similitudine Eliæ, qui et propria manu et igne divinitus impetrato, presbyteros Baal morte affecit. Et in hoc quod apostoli potestatem talis prophetæ sibi præsumunt, ostenditur in ipsis fuisse meritum prophetarum. AMBR. Non peccant apostoli, qui legem sequuntur, etc., usque ad vindictam non quærit qui non timet.

^{§§}9.55 **Nescitis cujus spiritus estis.** Cujus spiritu signati estis, cujus acta imitamini, nunc pie consulentes, sed in futuro juste judicantes.

*9.56 **Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare,** etc. Perfecta virtus non habet studium ultionis, nec ulla est iracundia, ubi est charitatis plenitudo. BED. Non semper in eos qui peccant est vindicandum, etc., usque ad a quibus hoc loco ignis arcetur.

[†]9.57 **Dixit quidam.** ID. Iste signorum magnitudine motus vult sequi, etc., usque ad et finxit obsequium discipuli, quæ fictio per vulpem figuratur.

[‡]9.58 **Vulpes foveas habent.** ID. Vulpes animal fallax, insidiis intentum, rapinas fraudis exercens, etiam inter ipsa hominum hospitia habitans in foveis: ita hæreticus domum fidei non habens alios in suam fraudem trahit et a fide seducit.

[¶]9.59 **Ait autem ad alterum.** Attende Dominum non culpas aspernatum, sed fraudes, quia qui repudiavit fraudulentum, elegit innocentem, sed eum cujus patrem sciebat mortuum, illum patrem de quo dicitur: **Obliviscere domum patris tui** Psal. 44., etc.

[§]9.60 **Sine ut mortui.** BED. Mystice. Non revocatur ab officio patris filius, etc., usque ad diaboli perfidias in se sepelire non debet.

Domine, sed permittite mihi primum renuntiare his quæ domi sunt.** 62 Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.

10 Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus.†† 2 Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam.‡‡ 3 Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.¶¶ 4 Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis.§§ 5 In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: 6 et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. 7 In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.* 8 Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos,

**9.61 *Renuntiare his.* Si discipulus Deum secuturus arguitur, quod renuntiare domui velit, quid fiet illis qui nulla utilitate sæpe visitat domos suorum quas dereliquerunt.

††10.1 *Post hæc autem,* etc. BED. Sicut in apostolis est, forma episcoporum, etc., usque ad sicut sol triduanum suæ lucis ambitum per septuaginta duas horas efficere solet. *Misit illos binos.* Per hoc quod binos mittit, innuitur quod nemo prædicationis officium debet suscipere, qui erga alium charitatem non habet. Vel bini mittuntur, secundum quod bina animalia missa sunt in arcam, id est masculus et femina, immunda prius in carnali generatione, sed mundata Ecclesiæ sacramento per spiritualem gratiam in discipulorum prædicatione.

‡‡10.2 *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Messis, turba credentium, operarii apostoli et sequaces eorum. Et licet messis verbo Dei sit sata, tamen cultura labore et sollicitudine munus operarii requirit, ne aves cœli sparsa semina dissipent.

¶¶10.3 *Sicut agnos inter lupos.* Sicut lupus ovibus, sic hæreticus insidiatur fidelibus. Et sicut lupus ovile circumit nocte, non audens intrare, canis somnum pastoris absentiam vel desidiam explorans, sic hæreticus nocte suæ interpretationis fideles decipere conatur Ecclesiam non intrans, pastores Ecclesiæ vel vitare, vel necare, vel in exsilium mittere contendit. Lupus natura corporis rigidus, se inflectere facile non potest, sic hæreticus intentionem duri cordis non solet ab errore revocare.

§§10.4 *Nolite ergo portare sacculum neque peram.* Tanta prædicatori debet esse fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus etsi non prævideat, tamen sibi non defecturos certissime sciat, ne dum occupatur mens ad temporalia, minus prædicet æterna. *Neminem per viam salutaveritis.* Festinare jubet contendere, ne alicujus obvii confabulatione reflectantur ab injuncto itinere. Nec simpliciter ait: *Neminem salutaveritis* cum sit usus humanitatis alios salutare, sed addidit, *in via*, quia non salutationis sedulitas aufertur, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur, ut quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana.

*10.7 *In eadem autem domo.* Si pax vestra recipitur, dignum est ut in ea maneatis, carnalia stipendia ab eis accipientes, quibus cœlestia offeritis. Ecce qui saccum et peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concedit, sic tamen ut oblato cibo et potu sint contenti. *Manete.* Non est de domo in domum vaga facilitate demigrandum, ut in hospitali amore servetur constantia, ne coalita amicitia necessitudo facile resolvatur. *Dignus est enim.* Nota quod uni operi prædicatorum duæ mercedes debentur: una in via, quæ nos in labore sustentat; alia in patria, quæ nos in resurrectione remunerat.

manducate quæ apponuntur vobis:† 9 et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei. 10 In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite: 11 Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei.‡ 12 Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati.¶ 13 Væ tibi Corozain ! væ tibi Bethsaida ! quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent.§ 14 Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis. 15 Et tu Capharnaum, usque ad cælum exaltata, usque ad infernum demergeris. 16 Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.** 17 Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.†† 18 Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgor de cælo cadentem. 19 Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici: et nihil vobis nocebit.‡‡ 20 Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod

†10.8 *Et in quamcumque civitatem.* Descripto diverso domus hospitio, quid etiam in civitatibus agere debeant docet, piis scilicet, in omnibus communicare, ab impiorum per omnia societate secerni.

‡10.11 *Etiam pulverem.* Pulverem excutere jubet: vel ad contestationem terreni laboris, quem pro illis inaniter susceperunt; vel ut ostendant usque adeo se ab ipsis nihil terrenum quærere, ut etiam pulvere de terra eorum non sibi patiantur adhærere.

¶10.12 *Quia Sodomis in die illa.* Sodomitæ, etsi in vitiis exardebant, et inhospitales erant, tamen apud illos nulli hospites tales quales apud Judæos prophetæ, quales apostoli reperti sunt. Loth inter eos etsi justus, non tamen aliquid docuit, nulla signa fecit. Et ideo *cui multum donatum est, multum ab eo quæritur, et potentes potenter tormenta patientur* Sap. 6..

§10.13 *Væ tibi, Corozaim.* Corozaim, Bethsaida, Capharnaum, et Tyberias civitates sunt Galileæ, in littore laci Genesareth. Has plangit Dominus, quia post tanta miracula et virtutes non pœniterunt: et sunt pejores gentilibus, naturale solummodo jus dissipantibus, quia post descriptæ legis contemptum, Filium quoque Dei conculcare, gratiamque ingrati spernere non timuerunt. *Et cinere sedentes.* Impleta videmus verba Salvatoris, quia cum illæ civitates prædictæ, Domino præsentem credere noluerunt, Tyrus et Sidon olim fuerunt amicæ David et Salomoni, et postea evangelizantibus Christi discipulis, devote fidem susceperunt. Quare autem sit prædicatum non credituris, et non prædicatum credituris, novit ille qui omnia novit.

**10.16 *Qui vos audit me audit.* In audiendo vel spernendo Evangelii prædicatorem, quisque sciat se non viles personas, sed ipsum Salvatorem spernere vel audire, quia in discipulo magister auditur, et in Filio Pater honoratur.

††10.17 *Domine, etiam.* Bene confitentur deferentes honorem nomini Christi: sed quia infirma adhuc fide, gaudent in virtutibus, et de signorum operatione efferuntur, exemplo terrentur, et ad humilitatem revocantur. Quia si diabolus propter superbiam de cælo est præcipitatus, multo magis isti de terra editi, si superbierunt, humiliabuntur.

‡‡10.19 *Supra serpentes et scorpiones.* Serpentes sunt mali homines vel dæmones qui inchoandis virtutibus venena pravæ persuasionis objiciunt. Scorpiones, qui consummandas virtutes ad finem vitiare contendunt.

nomina vestra scripta sunt in cælis.[¶] 21 In ipsa hora exsultavit Spiritu Sancto, et dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli et terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Etiam Pater: quoniam sic placuit ante te.^{§§} 22 Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater: et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. 23 Et conversus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. 24 Dico enim vobis quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt: et audire quæ auditis, et non audierunt.* 25 Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, et dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?† 26 At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? 27 Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus virtutibus tuis, et ex omni mente tua: et proximum tuum sicut teipsum.‡ 28 Dixitque illi: Recte respondisti: hoc fac, et vives. 29 Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum:

[¶]10.20 *Nolite gaudere, quia spiritus vobis,* etc. Malos spiritus ejicere et alias virtutes facere, aliquando non est meritum illius qui illa operatur, sed invocatio nominis Christi hoc agit ad condemnationem eorum qui invocant, vel ad utilitatem eorum qui vident et audiunt: ubi licet homines despiciant signa facientes, Deum tamen honorant, ad cujus invocationem miracula fiunt. Prohibet gaudere de humiliatione diaboli, qui propter superbiam cecidit, sed gaudeant de sua sublimatione: ut unde illi ceciderunt sublevati, isti ascendant humiliati. *Gaudete autem.* Si quis cœlestia sive terrestria opera gesserit, per hæc quasi litteris adornatus apud Dei memoriam æternaliter est affixus.

^{§§}10.21 *In ipsa hora.* Cum de subjectione immundorum spirituum, de nominibus scriptis in cœlo loqueretur, ostendit per quid hæc tanta celsitudo data sit hominibus, scilicet per humilitatem fidei Christianæ. *Confiteor tibi, Domine.* Gratias ago, quia apostolis adventus mei aperuisti sacramenta, quæ ignorant scribæ et Pharisei, qui sibi sapientes videntur. *Revelasti ea.* Non ait, insipientibus et hebetibus, sed parvulis, id est humilibus, ut probet se tumorem damnassee, non acumen. *Quia sic.* Non rationem reddit cur hos elegit, illos reprobaverit, sed sic Deo placitum dicit. In quo accipimus exemplum humilitatis, ne temere discutiamus de supernis consiliis. *Omnia mihi,* etc. Commendata humilitate, per quam ad fidem venit, pulchre de ipsa fide locus connectitur, cum omnia sibi tradita dicit, non elementa quæ ipse creavit, sed illos parvulos, quibus Pater sacramenta Filii revelavit. Cum audis omnia, agnoscis omnipotentem, non decolorem, non degenerem Patris. Cum audis tradita, confiteris Filium cui per naturam unius substantiæ omnia jure sunt propria, non dono collata per gratiam.

*10.24 *Quod multi prophetæ.* Prophetæ et justi a longe Domini gloriam viderunt per speculum et in ænigmate; sed apostoli præsentem Dominum habentes, et ab ipso quæ volebant interrogantes, non per angelos vel varias visionum species docebantur.

†10.25 *Legisperitus surrexit.* Leges doctor qui sine fide in lege jacebat, surgit ut stet: stat dum magistrum vocat, sed et stando tentat Deum tacendo quod erat.

‡10.27 *Ille respondens dixit.* Dixit quod legerat, sed non implevit quod scriptum erat, quia in præsentia habebat Dominum quem diligere debebat, sed hunc magistrum, non Deum, vocat.

Et quis est meus proximus?[¶] 30 Suscipiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descende-
 debat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum:
 et plagis impositis abierunt semivivo relicto. 31 Accidit autem ut sacerdos quidam
 descenderet eadem via: et viso illo præterivit.[§] 32 Similiter et Levita, cum esset secus
 locum, et videret eum, pertransiit. 33 Samaritanus autem quidam iter faciens, venit
 secus eum: et videns eum, misericordia motus est.^{**} 34 Et appropians alligavit vul-
 nera ejus, infundens oleum et vinum: et imponens illum in jumentum suum, duxit in
 stabulum, et curam ejus egit.^{††} 35 Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabu-
 lario, et ait: Curam illius habe: et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero
 reddam tibi. 36 Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in la-
 trones? 37 At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu
 fac similiter.^{‡‡} 38 Factum est autem, dum irent, et ipse intravit in quoddam castel-
 lum: et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam,^{¶¶} 39 et huic
 erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum

[¶]10.29 **Ille autem volens.** Legisperitus ut sapienter respondisse dicatur, primum se legis fatetur ignorare mandatum, quia humiliari recusans, et seipsum justificare volens, arcana non potest videre quæ revelantur parvulis Christi; cui Christus ita responsum temperat, ut et omnis qui misericordiam facit proximus intelligatur, et specialiter ipse Dei Filius qui nobis per humanitatem proximus factus est designetur. **Quis est meus.** Nemo proximior homini quam Deus, qui intrinsecus et extrinsecus novit, et omnia curare potest, sed omnis incredulus vel tentator nec Deum nec hominem proximum habet. **Homo quidam,** etc. AUG. Homo iste Adam intelligitur in genere humano, etc., usque ad proximior fuit quam sacerdos vel Levita ejusdem gentis.

[§]10.31 **Accidit autem,** etc. Sacerdos Dei legem annuntiat: descendit quidem lex per Moysen in mundum, et nullam sanitatem contulit hujusmodi. Descendit Levita, qui typum ostendit prophetarum, sed et hic nullum sanat, quia lex peccata arguit, sed pertransit, quia indulgentiam non largitur.

^{**}10.33 **Misericordia motus.** Hoc de sacerdote et Levita non est dictum, quia lex non habet misericordiam, sed iudicium et vindictam.

^{††}10.34 **Duxit in stabulum.** Non domum, sed stabulum vocat, quo nomine miseras, et fetores hujus vitæ signat, ne homo in hoc exsilio tanquam in patria gaudeat.

^{‡‡}10.37 **Qui fecit.** Cognatio non facit proximum, sed misericordia, quæ misericordia est secundum naturam. Nihil enim tam secundum naturam quam naturæ juvare consortem.

^{¶¶}10.38 **Factum est, dum,** etc. Habito sermone de dilectione Dei et proximi, supponitur exemplum utriusque dilectionis, non tam in solo verbo, quam in operis exhibitione. Per istas enim duas sorores, duæ significantur vitæ spirituales. Per Martham, operibus actiosa devotio, qua proximo in charitate sociamur. Per Mariam religiosa mentis intentio in Dei verbo, qua in Dei amore suspiramus. Activa panem vel corporalem esurienti, vel doctrinæ ignoranti tribuit, errantem corrigit, superbum ad humilitatem revocat, quæ singulis expediant dispensat: contemplativa, charitatem Dei et proximi retinet, sed ab exteriori actione quiescit, soli conditoris desiderio inhæret, et calcatis omnibus curis ad videndum faciem Creatoris inardescit, et desiderat miseri supernis civibus, de æterna in conspectu Domini incorruptione gaudentibus. **In domum suam.** Intrante Jesu in domum, vita iniqua, etsi aliquando fuerat, aufugit, remanent duæ vitæ innocentes, laboriosa et otiosa, inter eas medius est ipse fons vitæ.

illius.^{§§} ⁴⁰ Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, et ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adjuvet.* ⁴¹ Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima,[†] ⁴² porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.‡

11 Et factum est: cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos.[¶] ² Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. ³ Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. ⁴ Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. ⁵ Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes,[§] ⁶ quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum, ⁷ et ille de intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, et dare tibi.** ⁸ Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter

^{§§}10.39 *Sedens secus.* Quanto humiliter sedet, tanto amplius cadit. Aqua confluit ad convallem de tumoribus collis. Maria sedet, quia contemplativa pacatis vitiorum tumultibus, optata jam in Christo mentis quiete fruitur. Martha stat, quia activa laboriosa desudat in certamine.

*10.40 *Martha autem.* Intenta erat Maria quomodo pasceretur a Domino, intenta erat Martha: quomodo pasceret Dominum: hæc convivium parat Domino, in convivio Domini illa jam jucundatur.

†10.41 *Et respondens.* Maria non respondet, sed causam suam tanquam otiosa committit judici. Si enim pararet respondendi sermonem remitteret audiendi intentionem. *Martha, Martha.* Repetitio indicium est dilectionis, vel forte monendæ intentionis, ut audiret attentius.

‡10.42 *Porro unum est.* Præponitur unum multis. Non enim a multis unum, sed multa ab uno, et tamen multa sunt necessaria tendentibus ad unum. *Maria optimam.* Non reprehenditur pars Marthæ, quia et ipsa bona, sed laudatur pars Mariæ, quæ quare sit optima, subinfertur.

¶11.1 *Et factum est.* Post historiam sororum (quæ duas vitas significant) inducit Dominum orasse, et discipulos ad orandum informasse, quia et oratio quam docuit utriusque vitæ in se continet mysterium, et ipsarum perfectio vitarum non nostris viribus, sed precibus est obtinenda. *Ut cessavit.* Ideo sæpe Salvator orans inducitur, ut discipulos ad orationis studium inducat. Unde finita oratione, a discipulis sciscitatur, ut doceat qualiter debeant orare.

§11.5 *Quis vestrum habet amicum.* Postquam formam orationis rogantibus proposuit, instantiam etiam et frequentiam orandi illis injungit, ut non solum diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur, qui enim media nocte panes ab amico petit, et in petendi intentione persistit, non fraudatur orans.

**11.7 *Noli mihi.* Non aufert spem impetrandi, sed vehementius accendit desiderium orandi, ostensa difficultate consequendi. *Jam ostium.* Ostium quod Paulus sibi aperiri petit ad loquendum mysterium Christi, et quod Joannes sibi apertum vidit, intelligentia est divini sermonis, quod est clausum tempore famis verbi Dei, cum intelligentia non datur. Et pueri, id est, illi qui evangelicam sapientiam tanquam panem erogantes per orbem terrarum prædicaverunt, jam cum Domino sunt in æterna quiete, et tamen orando efficitur, ut orans accipiat intellectum ab ipso Domino, etiamsi homo desit per quem sapientia prædicetur. *Non possum surgere.* AMBR. Nemo timet ne excitet dormientem, quem scit semper orare vigilantem.

improbritatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.†† 9 Et ego dico vobis: Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.‡‡ 10 Omnis enim qui petit, accipit: et qui quærit, invenit: et pulsanti aperietur.¶¶ 11 Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi?§§ 12 aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? 13 Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* 14 Et erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ.† 15 Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.‡ 16 Et alii tentantes, signum de cælo quærebant ab eo. 17 Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. 18 Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me

††11.8 *Propter improbitatem tamen ejus*, etc. Multæ sunt insidiæ, et gravis corporis somnus, quia si dormire mens incipit, vigorem suæ virtutis amittit. Excita ergo somnum tuum, ut pulses Christi ostium, ut cum intraveris aperiantur tibi thesauri absconditi, et tenebrosi in Christo Jesu.

‡‡11.9 *Petite et dabitur vobis*. Si amicus homo surgit, et dat non amicitia, sed tædio compulsus, quanto magis dat Deus qui sine tædio largissime donat quod petitur. Ne ergo animus ab erroris vanitate conversus spirituali inopia diutius tabescat, petamus epulas verbi, quæramus amicum qui det, pulsemus ostium ubi servantur abscondita. Magnam enim spem tribuit, qui promittendo non decipit. *Omnis enim qui petit accipit*. Opus est perseverantia, ut consequamur. Quod si petenti datur, et quærens invenit, et pulsanti aperitur, cui ergo non datur, et qui non invenit, et cui non aperitur, apparet quod non bene quæsierit, petierit et pulsaverit.

¶¶11.10 Quærite et invenietis

§§11.11 *Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem*, etc. BED. Mystice. Panis signat charitatem propter majorem appetitum et necessarium usum, etc., usque ad in ea quæ ante sunt se extendat.

*11.13 *Quanto magis*. Aperta comparatio. Si enim homo peccator adhuc fragili carne gravatus, petentibus filiis temporalia dare non abnegat, multo magis Pater coelestis filiis suo timore et amore præditis, non deficientia bona largitur in cælis.

†11.14 *Et erat ejiciens*. Post prædicationis verba quæ humilibus proposuit etiam miracula operatur, ut qui prædicanti non credunt, visis miraculis credant. Matthæus hunc dæmoniacum etiam cæcum fuisse dicit. In quo tria miracula a Domino fiunt: videt, loquitur, a dæmone liberatur. Quod autem tunc in uno carnaliter factum est, quotidie fit in conversione gentium, ut primum expulso dæmone, et omni spurcitia idololatriæ, fidei lumen videant, deinde tacentia prius ora ad laudem Dei laxarentur.

‡11.15 *In Beelzebub*. Ninus rex, conditor Ninive, Belo patri suo statuam consecravit, eique divinos honores instituit, cujus simulacri similitudinem suscipientes Chaldæi Bel vocabant. Palæstini suscipientes, Baal dicebant, Moabitæ Beelphegor. Judæi autem unius Dei cultores propter derisionem gentium Beelzebub appellabant. Baal enim vir dicitur, Zebub musca, inde Beelzebub, id est, vir muscarum, sive habens muscas, propter sordes cruoris, qui in templo ejus immolabatur. Aserebant etiam Judæi in hoc simulacro principem dæmoniorum habitare, per cujus potestatem dicebant Jesum dæmonia pellere.

ejicere dæmonia.[¶] ¹⁹ Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia: filii vestri in quo ejiciunt? ideo ipsi judices vestri erunt.[§] ²⁰ Porro si in digito Dei ejicio dæmonia: profecto pervenit in vos regnum Dei.^{**} ²¹ Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.^{††} ²² Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, uni-

[¶]11.18 *Ipse autem ut vidit cogitationes eorum.* Hoc sibi proprium Dominus reservavit, ut cogitationes intueatur et judicet. Proprium est Judæorum quærere signa, unde Paulus: *Judæi signa petunt, gentes sapientiam* I Cor. 1.. *Ipse autem ut vidit.* Non ad verba, sed ad cogitata respondet: in quo dat certum potentiæ suæ signum qua secreta cordium rimatur. Juxta litteram patet, quod omne regnum solidum, et firmum si per partes dividitur, in solitudinem redigitur, vacuatum ab habitatoribus, et domus supra domum cadet cum habitatoribus unius domus ab alterius domus familia vel opprimuntur vel puniuntur. Quo autem hæc spiritualiter tendant, exponit cum adjungit: *Si autem et Satanas in seipsum divisus est.* Si ego, ut vos dicitis, in principe dæmoniorum ejicio dæmonia, ergo regnum diaboli est divisum contra se, et ita potestas malitiæ ejus stare non potest. Si autem dæmon dæmonem non potest expellere, falso dicitis me in principe dæmoniorum dæmonia ejicere. Si vero potest sicut dicitis, prospicite vobis, ut de regno ejus quod divisum est exeatis, ne in ruina ejus pariter involvamini. In quo autem Dominus ejiciat dæmones, ne dæmoniorum principem existiment, attendant quod sequitur.

[§]11.19 *Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii.* Filios Judæorum apostolos vocat, qui inter alia miracula quæ a Domino acceperant, etiam dæmones pellebant. Quam expulsionem non diabolo, sed Deo assignabant, qui sibi conscii erant nihil malarum artium a Domino didicisse. Ideo ipsi ignobilia et contemptibilia mundi eligentes, in quibus nulla malitia artificiosa fuit, sedebunt *super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israël.* Vel, *filii*, id est, exorcistæ illius gentis, qui invocato nomine Domini dæmones expellebant. Quasi dicat: Si expulsio dæmonum in illis, non diabolo sed Deo deputatur, cur idem opus in me non habeat eandem causam? *Ideo ipsi judices vestri erunt.* Non potestate, sed comparatione, dum illi expulsionem, non diabolo sed Deo assignant. *Si autem.* Quasi dicat: Regnum divisum stare non potest, sed regnum Satanæ est divisum, ut vos dicitis, quod Satanas Satan expellat, ergo, etc.

^{**}11.20 *Porro, si in digito.* Filius dicitur manus vel brachium Patris: Spiritus sanctus dicitur digitus propter differentiam variorum donorum, quæ per Spiritum sanctum hominibus dantur, sicut digiti inter se discreti sunt: nec nocet inæqualitas membrorum. Licet enim brachium majus sit digito, tamen brachium cum digito unum est corpus. Hoc digito scripta est lex in tabulis. Hunc digitum magi confessi sunt in Ægypto. *Profecto pervenit,* etc., *regnum.* Id est, judiciaria potestas *Dei:* qua bonos a malis scernet in die judicii. Vel, *Regnum,* id est, superna beatitudo. Quasi dicat: Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia, sine dubio sciatis aditum regni cœlestis patefactum credentibus.

^{††}11.21 *Cum fortis atrium.* Quasi dicat: Si ego in Beelzebub, sicut dicitis, ejicerem dæmonia, tunc in aliquo operibus diaboli consentirem, sed nullo modo cum illo consensio, sed potius illum superare et ejicere a meis fidelibus festino. *Cum* diabolus, *fortis.* Ad nocendum, *armatus,* multis spiritualibus nequitiis: *custodit,* in sua servitute, *atrium suum,* id est mundum, qui in maligno positus est, in quo usque ad adventum Filii Dei diabolus sine contradictione principabatur, et male pacato utebatur imperio in cordibus infidelium.

versa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.‡‡ 23 Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit.¶¶ 24 Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: et non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi.‡‡ 25 Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam, et ornatam.* 26 Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.† 27 Factum est autem, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.‡ 28 At ille dixit:

‡‡11.22 **Si autem fortior.** Fortiorem se vocat, qui non concordi pace et operatione, sicut calumniabantur, sed fortiori potentia ipsum stravit, mundumque ab ipsius dominatione liberavit. Arma diaboli quæ abstulit, calidissimæ sunt versutiæ spiritualis nequitia. Spolia, sunt animæ ab eo deceptæ, quæ victor Christus distribuit, quod est insignium triumphantis, quia **captivam ducens captivitatem, dedit dona hominibus, quosdam quidem apostolos, alios evangelistas** Ephes, 4., etc.

¶¶11.23 **Qui non est,** etc. Et vere opera mea non conveniunt cum operibus Satanæ, quia ego ipse in nullo convenio cum illo, sed omnino contrarii sumus, quia ego humilis, benignus, animas volens salvare: ille superbus, invidus cupit perdere. Ego prædicatione mea virtutes congrego; ille spargit et separat ab unitate Ecclesiæ. **Et qui non colligit.** Hæc de omnibus hæreticis vel schismaticis ex superfluo possunt intelligi, qui omnes excluduntur a regno Dei.

‡‡11.24 **Cum immundus spiritus.** Quia subtrahitis vos a meo regno, attribuentes opera mea diabolo, ideo diabolus habitat in vobis, sicut in suo regno gravius quam in principio. **Exierit.** Exivit diabolus a Judæis, quando legem et cultum unius Dei populus iste suscepit, et transivit ad gentes quæ erant a pinguedine Spiritus sancti et dilectione proximi aridæ et steriles. In quibus jam non invenit requiem, quia jam a cordibus gentium suscepta fide Christi expellitur, quando dicit: Repetam Judæos quos ante dimisi. Et invenit scopis mundatam illam plebem, id est superfluis observationibus Pharisæorum et cæremoniis legis, quæ jam nihil valent post adventum Christi. Et ut firmius possideat, assumit universitatem dæmonum. Et modo deteriores Israëlita sunt, blasphemantes Christum in suis conventiculis, quam olim fuissent in Ægypto ante perceptam legem, quia major infidelitas est venientem non suscipere, quam venturum non credere. **Quærens requiem et non invenit.** Quia qui in pravis cogitationibus et actibus pascitur, in mentibus fidelium omnia sua tentamenta cessare perpendit. Tunc dicit: **Revertar in domum meam unde exivi.** Revertar ad illius conscientiam, unde in baptismo ejectus fueram, et pristinam possessionem consueto dominio mihi subjiciam.

*11.25 **Et cum venerit invenit eam scopis mundatam.** Quia cum hujusmodi reprobum delictis cogentibus repetierit, invenit conscientiam peccatoris a vitiis in baptismo mundatam, sed nullo bono opere cumulatam.

†11.26 **Tunc assumit septem.** Plenitudinem omnium vitiorum. Qui scilicet tales spiritus, **nequiores,** diabolo dicuntur, quia cum diabolus malus sit, illi tamen qui suis meritis impellentibus, vitiis mancipantur, non solum mali sunt, sed etiam speciem bonitatis affectatis virtutibus per hypocrisim ostentare nituntur. **Et fiunt novissima hominis.** Melius erat viam veritatis ignorare, quam post agnitionem converti retrorsum.

‡11.27 **Beatus.** Hic Maria laudatur quæ Dominum portavit. Et pravitas tam præsentium Judæorum quam futurorum hæreticorum qui veram Christi humanitatem negant, confutatur, quia verum Dei Filium adversus blasphemos Judæos confitetur, et verum hominis filium testatur, matri consubstantialem. Nisi enim esset una caro cum matre, frustra venter ille virginis et ubera beatificarentur. **Et ubera.** Secundum physicos ex eodem fonte et lacte nutriendis et semen procreandis pueris emanat, ergo de semine virginis potuit concipi, qui ejus lacte potuit nutriri.

Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.[¶] 29 Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est: signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.[§] 30 Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis, ita erit et Filius hominis generationi isti. 31 Regina austri surget in iudicio cum viris generationis hujus, et condemnabit illos: quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis: et ecce plus quam Salomon hic.^{**} 32 Viri Ninivitæ surgent in iudicio cum generatione hac, et condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, et ecce plus quam Jonas hic. 33 Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.^{††} 34 Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosus erit. 35 Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint.^{‡‡} 36 Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te. 37 Et cum loqueretur, rogavit

[¶]11.28 **Quinimo.** Quasi dicat: Non solum laudanda Maria, quia Verbum Dei portavit in utero, sed maxime beata est, quia præcepta Dei servavit in opere. Sic etiam omnes beati sunt qui verbum Dei auditu fidei concipiunt, et boni operis custodiam in suo vel proximorum corde pariunt et nutriunt. **Qui audiunt.** In laude Ecclesiæ. E contrario damnantur Pharisæi, qui verbum Dei nec audire nec implere, sed blasphemare quærebant.

[§]11.29 **Cœpit dicere.** Quidam calumniabantur opera ejus, quibus hucusque respondit. Alii tentantes, signum quærebant de cœlo, et illis hic respondet. **Signum quærit et signum non dabitur illi,** etc. Discipulis signum dedit divinitatis, et prius transfiguratus in monte, et postea ipsis videntibus sublevatus in cœlum. Sed incredulis de inferiori humanitatis passione.

^{**}11.31 **Regina austri surget.** Hic condemnata plebe Judæorum, Ecclesiæ mysterium exprimitur, quæ in Ninivitis per pœnitentiam (quæ peccatum abolet) in regina austri studium percipiendæ sapientiæ (quæ peccatum cavet) de totis finibus orbis congregatur, ut veri Pacifici verba cognoscat. Ex duobus enim constat Ecclesia, ut aut peccare desistas, aut peccare nescias. **In iudicio.** Non mille annis ante iudicium sicut Judæi fingunt, sed in ipso iudicio surget. **Cum viris.** BED. Ecce communis ostenditur resurrectio, tam bonorum quam malorum. **Condemnabit.** Non potestate iudicii sed comparatione melioris facti, quia, relicto imperio, venit in Judæam audire hominem sapientia famosum, sed Judæi veram Dei sapientiam cum ipsis conversantem, non audiunt sed blasphemant. **In prædicatione.** Jonas paucis diebus, Christus longo tempore prædicavit. Ille peregrinis, Christus suis civibus. Ille signum non fecit, Christus multa fecit.

^{††}11.33 **Nemo.** BED. Qui in figura reginæ et Ninivitarum Ecclesiam prætulit Synagogæ, etc., usque ad apertam lucis januam nolunt ingredi credendo.

^{‡‡}11.35 **Vide ergo ne,** etc. Post institutionem rectæ fidei etiam de bonis operibus et bona intentione instruit, ut non tantum opera, sed etiam cogitationes et cordis intentiones mundentur, quasi dicat: Ego lucernam fidei in vestris sensibus accendo, et in Ecclesiam pono. Vos autem, quantum ex vobis est, lucernas vestras accendite, id est intentiones cordis vestri mundate, ut ex intentione munda placeant etiam opera. Hæc contra hypocrisim Pharisæorum subdole signa quærentium specialiter dicta, nos juxta moralem sensum generaliter instruunt.

illum quidam pharisæus ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit.^{¶¶} ³⁸ Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. ³⁹ Et ait Dominus ad illum: Nunc vos pharisæi, quod deforis est calicis et catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate.^{§§} ⁴⁰ Stulti ! nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit? ⁴¹ Verumtamen quod superest, date eleemosynam: et ecce omnia munda sunt vobis.* ⁴² Sed vae vobis, pharisæis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et præteritis iudicium et caritatem Dei: hæc autem oportuit facere, et illa non omittere.[†] ⁴³ Vae vobis, pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro. ⁴⁴ Vae vobis, quia estis ut monumenta, quæ non apparent, et homines ambulantes supra, nesciunt.[‡] ⁴⁵ Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.[¶] ⁴⁶ At ille ait: Et vobis legisperitis vae: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas. ⁴⁷ Vae vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum: patres autem vestri

^{¶¶}11.37 *Et cum loqueretur.* Non ait, cum loqueretur hæc, sed *cum loqueretur.* In quo innuitur, non statim finitis his verbis, sed aliis interpositis ad Pharisæum divertisse, quia finito hoc sermone adhuc eo loquente, ecce mater et fratres quærebant loqui ei. De quibus postquam nuntianti sibi respondit: **Qui facit voluntatem Patris mei, hic frater meus et soror et mater est,** postea intravit ad convivium Pharisæi. **Quare non baptizatus.** Judæi frequenter lavant manus antequam manducant, tenentes traditionem seniorum, et a foro revertentes nisi baptizentur non comedunt.

^{§§}11.39 *Calicis.* Marcus refert, Judæos baptismata calicis et urceorum lectorumque et ærumentorum solitos observare. Calix, vas vitreum; catinus, fictile de terra. Per hoc figuratur fragilitas humani corporis, in quo exterius prætendunt sanctitatem et simulant justitiam, quod foris erat lavabant, intus nequissimi. **Quod autem intus est vestrum.** Nemo putet fornicationem et hujusmodi corporalia vitia solummodo gravia esse, et spiritualia vitia esse levia, sicut avaritiam, iram, superbiam, etc., sicut Pharisæi putabant.

*11.41 *Verumtamen quod superest.* Jam bonus doctor, quomodo contagium corporis mundari debeat, docet. Et hic latius explicatur quod supra breviter dixerat de mundando cordis oculo. Totus enim hic locus ad hoc dirigitur, ut nos ad studium simplicitatis invitet, et superflua Judæorum et terrena condemnet, qui secundum corpus intelligendo legem vitro et catino propter fragilitatem comparantur. In quo etsi graviter peccant, ipsis tamen absolutio peccati promittitur, si misericordiam facere nitantur. Quod necessario victui et vestimento superest, date pauperibus. Vel do consilium, quod restat solummodo post tanta scelera, date eleemosynam. Prima eleemosyna est mederi animabus vestris credendo in me qui corda mundo, et per fidem mundatis cordibus omnia etiam exteriora erunt munda. Qui ordinate vult dare eleemosynam, a semetipso incipit, et eam sibi primum dat. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, unde dicitur: **Miserere animæ tuæ placens Deo.**

[†]11.42 *Præteritis iudicium.* Breviter multa eorum vitia perstrinxit, qui ad vilia decimanda intendentes, futuri iudicii metum, et Dei charitatem non habent. Prætereunt iudicium, quia non omnia quæ agunt in iudicium referunt. Charitatem prætereunt, quia non ex affectu Deum diligunt. Sed rursus, ne fidei vos studiosos faciat operum negligentes, perfectionem fidelis viri supponit, ut post fidem operetur.

[‡]11.44 *Qui estis ut monumenta.* Hic superstitionem ipsorum doctorum redarguit, qui foris speciem rectæ doctrinæ prætendunt, foeditatem vero quam intus gerunt, occultant.

[¶]11.45 *Repondens autem.* Audito verbo Dei Pharisæus ex mala conscientia sibi contumeliam fieri putat, et commemorata pœna perfidorum, intelligit se dammandum.

occiderunt illos.^{§ 48} Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.**

⁴⁹ Propterea et sapientia Dei dixit: Mittam ad illos prophetas, et apostolos, et ex illis occident, et persequentur.^{†† 50} ut inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista,^{‡‡ 51} a sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare et ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.^{¶¶ 52} Væ vobis, legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ: ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis.^{§§ 53} Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt pharisæi et legisperiti graviter insistere, et os ejus opprimere de multis,^{*} ⁵⁴ insidiantes ei, et quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

12 Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite a fermento pharisæorum, quod est hypocrisis.^{† 2} Nihil autem opertum est, quod non reveletur: neque absconditum,

[§]11.47 **Væ vobis.** Non arguuntur quod exornant monumenta prophetarum, sed quia interfectores prophetarum imitantur, ædificando sepulchra, accusant paterna facinora. Sed persequendo Christum et apostolos imitantur scelera patrum, et sententiam damnationis quam in patres proferebant, in seipsos retorquent.

^{**}11.48 **Profecto.** Propter vulgi favorem captandum ædificatis, quasi exhorreatis scelera eorum, sed ipso opere ostenditis, quod perfidiæ eorum, consentitis, quia hoc bonum non bene facitis sed pro vana gloria. **Vos autem.** Propterea quia estis imitatores illorum, ut impleatis quod patribus defuit, scilicet ut me et meos persequamini, quem illi persecuti sunt in prophetis.

^{††}11.49 **Prophetas et apostolos, et ex illis occident, et persequentur.** Mentiuntur hæretici, qui alium Veteris, alium Novi Testamenti dicunt institutorem.

^{‡‡}11.50 **A generatione.** Omnes mali una generatio sunt, una civitas, unum corpus diaboli, sicut omnes boni una generatio, et unum corpus sunt dicti.

^{¶¶}11.51 **Usque ad sanguinem Zachariæ.** Cur usque ad hunc, cum post hunc multi occisi ante natale Christi, et nato Christo mox pueri ab hac generatione sunt preempti? Sed quia Abel pastor ovium fuit, necatusque in agro, Zacharias sacerdos necatus in atrio templi, duos ordines martyrum signant, laicos, et eos qui altaris officio mancipantur.

^{§§}11.52 **Quia tulistis clavem.** Clavis, humilitas Christi, quam qui habent, Scripturas intelligunt. Hanc legisperiti, nec ipsi lege et prophetis intelligunt, nec ab aliis intelligi volunt. Intrare clavem, est non esse contentum superficie litteræ sed usque ad arcana intelligenda penetrare. Vel doctor si illos quos verbo ædificat exemplo scandalizat, nec ipse regnum Dei intrat et illos qui intrare poterant excludit.

^{*}11.53 **Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisei, et legisperiti.** Quam vera perfidiæ simulationis et impietatis suæ crimina audierint, ipsi testantur qui tanto intonante turbine non respiscunt, sed doctorem veritatis aggrediuntur.

[†]12.1 **Attendite.** Ad hoc fermentum pertinent omnia quæ superius in domo Pharisei disputavit, unde et Apostolus: **Non in fermento veteri neque in fermento malitiæ** I Cor. 5., etc. **Attendite a fermento.** Pulcher locus tenendæ simplicitatis et æmulandæ fidei, ne more Judæorum aliud promamus affectu, aliud voce simulemus, cum sciamus in die iudicii non posse esse latebram fraudis.

quod non sciatur.[‡] ³ Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: et quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. ⁴ Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. [†] ⁵ Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timeate.[§] ⁶ Nonne quinque passeress veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo?^{**} ⁷ sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos.^{††} ⁸ Dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei:^{‡‡} ⁹ qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei. ¹⁰ Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem qui in Spiritum Sanctum

[‡]12.2 **Neque absconditum quod non sciatur.** Ideo ne æmulemini simulatores, quia profecto veniet tempus in die iudicii in quo et vestra virtus et illorum hypocrisis omnibus revelabitur, unde sequitur. **Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur.** Non solum in futuro omnia patebunt, sed etiam in præsentis tempore in tota Ecclesia per orbem terræ publice prædicabuntur, quæ in tenebris, id est, in umbra pressurarum et carcerum locuti estis, quando actus vestri legentur in excelsis. **Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur.** AMBR. Quod in tenebris, id est in timore dixistis, dicetur in lumine, id est in fiducia veritatis accepto Spiritu sancto. Et quod in aure, id est secreto locuti, super tecta, id est calcato carnis domicilio prædicabitur.

[†]12.4 **Dico autem vobis.** ID. Cum gemina sit causa perfidiæ, etc., usque ad ita fidei fundamentum est fortitudo.

[§]12.5 **Ostendam autem vobis.** Quia duo sunt genera persecutorum, unum aperte persequentium, alterum fraudulenter blandientium. Sicut supra contra hypocrisim, ita hic armat contra carnifices. Totus hic locus ad subeundam pro confessione Domini passionem vel contemptu mortis, vel spe præmii, vel mansuros in denuntiatione supplicii instruit.

^{**}12.6 **Nonne quinque.** AMBR. Quinque passeress, quinque corporis sensus; vel duo secundum Matthæum, corpus et anima, etc., usque ad non dubium fidelium contemplationem apud illum valituram. **Veneunt dipondio.** Dipondius est pondus ex duobus assibus compositum. Quod autem in numeris est unum, hoc in ponderibus as: quod duo, hoc dipondius est. **Et unus ex,** etc. Simpliciter affectum inspiraverat, virtutem mentis erexerat, sola fides nutabat, hanc de vilioribus roborat. Quomodo dicit Apostolus: **Nunquid de bobus cura est Deo?** I Cor. 9. Sed aliud est cura, aliud est scientia.

^{††}12.7 **Sed et capilli.** Non actu computationis, sed facultate cognitionis, a similitudine pecuniæ quæ numeratur ut servetur. Ubi magna providentia Dei, quod nec parva nec otiosa dicta eum lateant.

^{‡‡}12.8 **Omnis quicumque.** Ne quis tempore persecutionis sufficere sibi putaret fidem cordis, dicit: **Omnis quicumque confessus fuerit.** Confitetur quis Jesum ea charitate quæ per dilectionem operatur, negat qui præceptis non obedit. **Filius hominis.** Confitetur Filius apud Patrem illum, qui per Filium habet accessum ad Patrem. Negatur a Filio apud Patrem, cui non manifestatur in divinitatis potentia Filius et Pater. Et ne putetur una conditio omnium et eorum qui studio et eorum qui infirmitate vel ignorantia negant, subdit: **Et omnis qui dicit verbum in Filio hominis remittetur.**

blasphemaverit, non remittetur.[¶] ¹¹ Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus, et potestates, nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis.^{§§} ¹² Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. ¹³ Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.* ¹⁴ At ille dixit illi: Homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem super vos?† ¹⁵ Dixitque ad illos: Videte, et cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet.‡ ¹⁶ Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit:¶ ¹⁷ et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?§ ¹⁸ Et dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, et majora faciam: et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea, ¹⁹ et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.** ²⁰ Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus

[¶]12.10 *Ei autem.* Ei etiam qui scandalizatus in infirmitate carnis me purum hominem vel voratorem suspicatus fuerit, remissibile erit, sed qui gratiam Spiritus sancti (qua pœnitentia inspiratur, et ad congregationem reditur) non cognoscens impenitenti corde permanserit, cum hoc jam non sit humanum sed diabolicum, irremissibile erit.

^{§§}12.11 *Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus, et potestates.* Terror talium conventuum solet auferre libertatem loquendi. *Nolite solliciti esse.* Voluntatem vestram pro Christo offerte. Christus vero loquetur pro se.

*12.13 *Magister.* Commendanti gratiam supernæ pacis et unitatis, vult iste ingerere molestiam terrenæ divisionis, unde et homo dicitur, id est terrenus. Inter quos enim hujusmodi zelus et contentio est, homines sunt et secundum hominem ambulant. Inter fratres, patrimonium, non iudex medius, sed pietas debet sequestra dividere, quamvis immortalitatis patrimonium non sit pecunia hominibus petendum.

†12.14 *Quis me constituit.* Non sum dissensionis Deus, sed pacis et unitatis, qui veni homines pacificare cum angelis, ut multi unum cor et unam animam habeant. Non ut dividantur, sed ut habeant omnia communia, nec sit aliquis egens inter eos. Ille qui non colligit mecum, est divisor fraternitatis et dissensionis auctor.

‡12.15 *Ab omni avaritia.* Nemo putaret crimen esse, hæreditatem dividere, fructus in horrea congregare, sed et hoc avaritiam indicat supernus iudex, unde et subjungit: *hominis cujusdam divitis.* Sicut supra contra Pharisæos et hypocritas, ita hic occasione stultæ petitionis contra avaritiam disputat. *Non in abundantia. Non in solo pane vivit homo, sed in verbo Dei* Deut. 8., nec temporalis vita multitudine divitiarum protenditur.

¶12.16 *Dixit autem,* etc. Post præceptum subdit exemplum ad declinandam avaritiam temporalium. *Hominis cujusdam divitis uberes fructus.* Non reprehenditur dives quod terram coluerit, vel fructus condiderit in horrea, sed quod fiduciam vitæ posuerit in illis, nec pauperibus erogaverit, ut ab eis reciperetur in æternis tabernaculis.

§12.17 *Quid faciam,* etc. Fructus suos, et sua bona esse computans non erogat pauperibus quæ supersunt, sed suæ luxuriæ reservare in futurum studet, et ignarus quis congregatis sit usurus.

**12.19 *Bona mea et dicam.* AMBR. Non sunt hominis bona, quæ secum auferre non potest. Sola enim misericordia comes est defunctorum. *Requiesce.* Ecce cum pesti avaritiæ jungitur pestis desidiæ, ut nec pro temporalibus Deum interpellaret.

erunt?^{††} 21 Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.^{‡‡} 22 Dixitque ad discipulos suos: Ideo dico vobis, nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.^{¶¶} 23 Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum. 24 Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis?^{§§} 25 Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? 26 Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis?^{*} 27 Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis.[†] 28 Si autem fœnum, quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos pusillæ fidei?[‡] 29 Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: et nolite in sublime tolli.[¶] 30 hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit

^{††}12.20 **Dixit autem.** Dicere Dei, est ad hominem pravæ ejus machinationes subita animadversione compescere. **Stulte.** Quia longa tibi tempora divitiarum promittas, hac nocte præreptus aliis congregata relinques. **Repetunt,** etc. In nocte aufertur anima, quæ in obscuritate cordis quod poterat pati, prævidere noluit.

^{‡‡}12.21 **Et non est in Deum dives.** In Deum dives est qui transitoria contemnens pauperibus distribuit, cujus exspectatio Dominus est, cujus substantia, id est conscientiæ possessio qua sustentatur et pascitur, est apud Deum, non in sacculis terræ.

^{¶¶}12.22 **Dixitque ad discipulos suos.** Apostolos per fidem in spe æternorum confirmat, quia plures sunt quos torpentes facit amor præsentium et desperatio futurorum. **Nolite solliciti.** Perfectius esset pauperibus omnia dare, et de mammona iniquitatis amicos facere; sed quia plerumque devotio fidei infirmitate revocatur, non prohibet providentiam, per quam in sudore vultus panis præparatur, sed vetat sollicitudinem quæ mentem perturbat et ab æternis revocat.

^{§§}12.24 **Considerate.** Sancti merito avibus comparantur, qui nihil in mundo habentes, nec laborantes, sola contemplatione æterna petunt, jam similes angelis. **Quanto magis.** Si volatilibus non laborantibus, nec communes fructus aliquo sibi dominatu specialius vindicantibus providentia Dei necessaria largitur, verum est causam inopiæ nostræ avaritiam indicare, qui communia quasi propria vindicamus et aliis invidemus.

^{*}12.26 **Si ergo neque.** Si nec in augmentatione corporis vestri operari potestis, quæ operatio est Deo minima ad comparisonem spiritualis creaturæ, quid solliciti estis de cæteris majoribus, id est de animæ conservatione.

[†]12.27 **Considerate lilia.** Aperta comparatio. Lilia non sicut cæteri fructus aliquem agrorum cultum requirunt. Solet etiam per liliam cœlestis beatitudo significari, ad quam nos invitat Dominus. Lilia non silvis sed in hortis nascuntur, sic et nos in hortis virtutum nasci debemus. **Nec Salomon.** AMBR. Salomon et hic vestitus, et alibi coopertus gloria dicitur, qui infirmitatem corporeæ naturæ veluti quadam virtute mentis adoperatam, operum gloria vestiebat. **Vestiebat sicut unum.** Quæ purpura regum, quæ pictura texturicum potest floribus comparari? Ipse color dicitur vestimentum floris, sicut dicitur: Operuit istum rubor.

[‡]12.28 **Cras in clibanum.** Cras in Scripturis pro futuro ponitur, dicente Jacob: **Exaudiet me cras justitia mea** Gen. 30..

[¶]12.29 **Nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis.** Non ait: Nolite quærere vel solliciti esse de cibo vel vestimento, sed expressius **quid manducetis aut quid bibatis.** In quo videtur argui hi qui, spreto victu vel vestitu communi, lautiora vel austeriora præ his cum quibus vivunt, alimenta vel indumenta requirunt. **Nolite in sublime.** Prohibita sollicitudine victus vel vestitus, quæ sunt ad necessitatem, prohibet etiam superbiam quæ solet de istis superabundantibus consequi: ideo hæc ne requiratis, quia talis sollicitudo facit infidelibus similes.

quoniam his indigetis.^{§ 31} Verumtamen quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis.³² Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.^{** 33} Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis: quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit.^{†† 34} Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.^{‡‡ 35} Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris,^{¶¶ 36} et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis: ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.^{§§ 37} Beati servi illi quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.*³⁸ Et si venerit in se-

§12.30 *Et hæc omnia.* Quia omnia sunt filiorum, ideo hæc omnia adjicientur vobis, etiam non quærentibus, ut nec in præsentibus nec in futuro desit aliqua gratia fidelibus, quibus si hæc subtrahuntur, ad probationem est, si dantur ad gratiarum actionem, quia *omnia cooperantur in bonum bonis.*

**12.32 *Nolite timere.* Regnum quærite, et de regno ne diffidatis; quia Pater complacita bonitate dabit vobis regnum, non vestris meritis. *Pusillus.* Vel ob comparisonem majoris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis devotionem, per quam humilitatem crescit Ecclesia, per quam pervenitur ad regnum.

††12.33 *Vendite.* Non tantum non timeatis ne propter regnum militantibus vitæ necessaria desint, sed etiam possessa vendite propter eleemosynam, quæ est via ad regnum, dum per eam peccata redimuntur. Non tantum cibos vestros communicate pauperibus, sed etiam vendite vestras possessiones, ut omnibus vestris semel pro Domino spretis postea labore manuum vestrarum operemini, unde vivatis vel eleemosynam faciatis. *Date eleemosynam.* Qui pro cælo omnia mundana spernit vendat quæ habet et distribuatur: qui non est tantæ virtutis, de his quæ habet eleemosynam det. *Non deficientem.* Temporalia, vel ex sua fragilitate deficiunt, vel si quid solidum superest, ut lapides pretiosi, a furibus possunt tolli. Sed data pro Christo æternum fructum conferunt in cælis.

‡‡12.34 *Ubi enim thesaurus.* Universaliter, et de pecunia et de omnibus voluptatibus. Gulosi thesaurus est venter, ubi habet cor, sic et de aliis. Nam si in terra, cor est deorsum; si in cælestibus, est in Christo fixum. Necessè est enim, ut quo præcesserit dilectionis thesaurus, illic et cogitationis sequatur affectus.

¶¶12.35 *Sint lumbi,* etc., *et lucernæ.* Deo non placet unum sine altero cum quis vel bona agit nondum refrenata luxuria, vel caste vivit, non exercens se per bona opera. Et ut ab amore temporalium possitis removeri, et bona quæ agitis, simplici intentione æternorum agatis, cingite lumbos, id est motus carnalium desideriorum refrenate, et habete lucernas ardentes, ut in operatione vestra solo Dei amore ardeatis et aliis exemplum præbeatis.

§§12.36 *Expectantibus.* Sive vitatis mala sive facitis bona, nihil mundamini, sed solum adventum Redemptoris expectetis. *Quando revertatur.* Ad nuptias Dominus ivit, cum post resurrectionem novus homo angelorum multitudinem sibi copulavit: a quibus revertitur, cum nobis per judicium manifestatur. Unde et bene de expectantibus subdit: *Ut cum venerit, confestim aperiant ei.* Non vult aperire judici pulsanti, qui timens videre iratum quem contempsit, de corpore exire metuit. Aperit qui iudicem lætus et securus sustinet, et de propinqua morte gaudet, unde subditur: *Beati servi illi, quos cum venerit,* etc.

*12.37 *Vigilantes.* Vigilat qui oculos apertos in vero lumine tenet, ut tenebras negligentiae evitet; qui etiam quod credidit operatur, qui sollicitus est in cura gregis sibi commissi. Quid vero vigilantibus debeatur subdit: *Amen dico vobis.*

cunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.[†]
³⁹Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. ⁴⁰Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.[‡] ⁴¹Ait autem et Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes?[¶] ⁴²Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?[§] ⁴³Beatus ille servus quem, cum venerit dominus, invenerit ita facientem. ^{**} ⁴⁴Vere dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum.^{††} ⁴⁵Quod si dixerit servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: et cœperit percutere servos, et ancillas, et edere, et bibere, et ine-

[†]12.38 *Et si venerit in secunda*, etc. Vigiliis vocat a similitudine excubantium. In nocte hujus mundi semper debemus esse contra hostem solliciti, et exspectare lucem venturam, id est adventum judicis. Prima ergo vigilia custodia pueritiæ est, secunda juventutis, tertia senectutis. Si quis vero in pueritia vigilare neglexerit, non tamen desperet, sed etiam in juventute vel saltem tandem in senectute respiscat, quia pius judex moras nostras patienter exspectat. Qui ad excutiendam mentis desidiam exteriorum damnatorum similitudinem inducit, ut per hoc animus ad custodiam sui suscitetur. Unde, *Hoc autem scitote quoniam si sciret paterfamilias*. Nesciente paterfamilias fur domum perfodit, quia dum a sui custodia spiritus dormit, improvisa mors carnis habitaculum irrumpit, et ad supplicia trahit. Furi autem resisteret si vigilaret, quia adventum judicis occulte venientem præcavens, pœnitendo occurreret.

[‡]12.40 *Qua hora non putatis Filius hominis veniet?* Ultimam horam semper ignorari voluit Dominus, ut semper sit suspecta, et ad eam semper præparetur.

[¶]12.41 *Ait autem ei Petrus*. Cum Dominus duo proposuerit, scilicet et se subito venturum, et illos exspectando paratos esse debere, quærit Petrus si illa sublimia instituta coelestis vitæ, quæ sunt necessaria se præparantibus, ad apostolos solum et similes eorum, an ad omnes salvandos pertineant.

[§]12.42 *Dixit autem Dominus*. Respondens ad interrogata Dominus, primum et secundum judicium cunctis affuturum, et singulos pro meritis vel remunerandos vel damnandos dicit. Deinde, quod maxime quæsierat, supponit scilicet gratiam virtutum quam mundo attulerat, a singulis quantum potest esse sectandam, quod est ibi: *Ignem veni mittere in terram. Quis putas esse fidelis dispensator?* Quasi dicat: Vobis, qui dispensatores estis instituti, hoc specialius convenit de custodia et præparatione, ut et vos et alios præparetis in adventum judicis, quia pauci sunt qui commissam sibi bene administrant dispensationem. *Et prudens quem constituit Dominus super familiam suam, ut*, etc. Quam rarus est Domino propter Dominum serviens, oves Christi non ad lucrum, sed amore Christi pascens, prudens in futuro, sibi providens quem constituit; id est, quam rarus qui sit vocatus a Deo tanquam Aaron, et non magis se ingesserit, et qui non magis se pascat quam oves!

^{**}12.43 *Beatus*. Quasi dicat: Pauci sunt fideles. Iste autem qui repertus fuerit fideliter annonam verbi ministrat, et in curam gregis vigilans, æterna beatitudine glorificabitur.

^{††}12.44 *Super omnia quæ possidet*. Quanta inter bonos auditores et bonos doctores est distantia meritorum, tanta et præmiorum. Auditores bonos facit discumbere et transiens ministrat, dispensatores constituit super omnia quæ possidet, non ut soli, sed ut præ cæteris habeant æterna, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia.

briari:‡ 46 veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.¶ 47 Ille autem servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non facit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: 48 qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. §§ 49 Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? * 50 Baptismo autem habeo baptizari: et quomodo coarctor usque dum perficiatur? † 51 Putatis quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, sed separationem: † 52 erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, et

‡12.45 *Quod si dixerit servus.* Nota inter vitia servi ascriptum, quod tardum putat domini reditum. In virtutibus boni non annumerantur, quod hunc cito speraverit, sed tantum quod fideliter ministravit. Nihil ergo est melius, quam ut patienter sustineamus ignorare quod sciri non potest, sed tamen laboremus ut idonei inveniamur. **Et edere.** Id est, cunctis sceleribus et illecebris sæculi, quæ mentem errare faciunt, occupari, vel ad litteram, si sit deditus gulæ et ebrietati.

¶12.46 *Partemque.* Mali cum infidelibus punientur, sed differenter. Illi enim qui scienter peccant, gravius punientur. Minus graviter, qui peccant ex ignorantia. Et inter injustos tanto quisque tolerabilior habebit damnationem, quanto minorem habuit iniquitatem.

§§12.48 *Paucis.* Mitissima omnium pœna est eorum qui præter originale nullum insuper addiderunt delictum. AMBR. Multi existimantes se minus vapulatos, si nesciant, etc., usque ad sed contemptores judicantur. **Omni autem.** Merito malus cognoscens plus, et non cognoscens minus vapulabit quia illi plus, isti minus, commissum est: et ab omni cui plus committitur, plus exigitur.

*12.49 *Ignem,* etc. Quasi dicat: Tu quærebas, an omnes moneam accinctis lumbis, ardentibus lucernis adventum Domini præstolari? Sed ego qui tantum ob hoc veni in mundum ut a cupiditatibus mundi ad cœlestia homines accenderem, nil aliud volo, nisi ut incendii hujus jubar usque ad finem sæculi cunctas mundi partes illustret, et ut in cordibus fidelium ita ignescat, ne aliquo impetu fluctuum vel flatuum exstinguatur. **Baptismo autem habeo,** etc. Et ut ignis iste in fidelium cordibus queat accendi, ita ut omnia temporalia perfecte et seipsos possint despiciere, prius habeo baptismo baptizari, hoc est unctione proprii sanguinis perfundi: non enim daretur spiritus, nisi Jesus primum glorificaretur. **Et quomodo.** Tanta est dignatio Domini, ut infundendæ nobis devotionis et consummandæ perfectionis in nobis, et maturandæ pro nobis studium passionis sibi inesse testetur, qui cum in se nil haberet unde doleret, nostris tamenangebatur ærumnis, et tempore mortis moestitiam prætendebat, quam non ex metu mortis suæ, sed mora redemptionis nostræ assumpserat. **Usque dum perficiatur.** Qui usque ad perfectionem angitur de perfectione est securus, nec de ipsa angitur, sed potius mors corporis absolutio est anxietatis, non coacervatio doloris.

†12.51 *Putatis.* Quomodo post baptismam passionis, et post adventum ignis terra sit arsura, dicit: Quia ad fidem Christi totus orbis contra se est divisus, unaquæque domus habuit fideles et infideles, his contra fidem, illis pro fide pugnantibus.

duo in tres[‡] 53 dividuntur: pater in filium, et filius in patrem suum, mater in filiam, et filia in matrem, socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam. 54 Dicebat autem et ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbis venit: et ita fit.[¶] 55 Et cum austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit: et fit. 56 Hypocritæ ! faciem cæli et terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?[§] 57 quid autem et a vobis ipsis non iudicatis quod justum est? 58 Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, et iudex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem.** 59 Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.^{††}

[‡]12.52 *In domo una.* Unusquisque homo, domus una est, vel Dei, vel diaboli. Itaque homo spiritualis domus spiritualis est. *Divisi.* Prima causa est religionis ad Deum, secunda pietatis ad proximum. Oportet enim ut divinis humana posthabeas. Non est ergo pignoribus renuntiandum, sed Deus omnibus præferendus. Etenim naturæ pignora sunt Dei beneficia, nec debet plus amari beneficium quod accipitur, quam Deus a quo beneficium acceptum servatur. *Tres in duos.* Id est, filius et filia et nurus, in patrem et matrem, et duo in tres, id est, pater et mater, ubi etiam socrus intelligitur, in filium et filiam et nurum.

[¶]12.54 *Dicebat autem.* Cum apostolos etiam de suo primo adventu informasset, insinuans quid in eo factum sit, et de futuro, qualiter eum expectare debeant, admonuisset, vertit sermonem ad turbas, in quibus Pharisæi erant, ut Matthæus indicat: Quia nec primum adventum factum credentes, nec secundum recte expectantes, signum de cælo quærebant tentantes. Hos ergo arguit, quia si vellent attendere, posset ex verbis prophetarum certum utriusque adventus habere indicium. *Cum videritis.* Mystice. Nubes ab occasu oriens, carnem Christi a morte resurgentem significat, ex quo tempore imber Evangelicæ prædicationis omnibus terris est infusus. Auster flans ante æstum, leviores tribulationes ante iudicium significat. *Nimbus venit.* Ad litteram manifestus est sensus: Qui ex elementorum immutatione aurarum statum possunt prænoscere, possent etiam tempus utriusque adventus scire, tum ex dictis prophetarum, tum ex magnificentia operum.

[§]12.56 *Hypocritæ,* etc. Et ne aliqui rudes in turba de imperitia sua sibi blandientes se excusarent, dicentes se legem et prophetas ignorare, supponit eos per naturalem rationem posse discernere, vel eum qui opera facit quæ nullus alius fecerat, supra hominem et Deum esse: vel post tot sæculi injustitias, justum Creatoris iudicium esse venturum.

^{**}12.58 *Cum autem vadis.* Cum in hac vita præparas te ad placatam faciem iudicis videndam, quamvis sermo Dei sit contrarius tuæ carni, tamen eo utere sicut custodia data tibi in hoc itinere, ne contemptus te accuset. *Cum adversario.* Adversarius noster in via est sermo Dei, contrarius nostris carnalibus desideriis in præsentī vita, a quo liberatur qui præceptis ejus humiliter subditur: alioquin ex sermonis contemptu reus, in examine iudicis tenebitur peccator, quem iudex exactori, id est diabolo, tradet; quia permittit ut diabolus animam ejus ad pœnam trahat, et ipse exactor qui pœnam exigit pro reatu quem suggestit, eam retrudet in gehennam. *Da operam,* etc. Hæc etiam ad calcandas mundi illecebras et ad iudicis adventum præstolandum pertinent. Quasi dicat: Quandoquidem constat districtum iudicem esse venturum, ergo hic ita vivite, ne in illo iudicio damnemini.

^{††}12.59 *Reddas.* Reddit semper pœnas pro peccatis patiendo, sed nunquam veniam consequendo.

13 Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.^{‡‡} ²Et respondens dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? ³Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.^{¶¶} ⁴Sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloë, et occidit eos: putatis quia et ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem?^{§§} ⁵Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. ⁶Dicebat autem et hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit.* ⁷Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non

^{‡‡}13.1 *Aderant autem.* Dum magister veritatis præsentibus instrueret qualiter se præparare deberent ad adventum iudicis, et qualiter qui se non præparant sunt damnandi, nuntiatur ei de Galilæis, quod quasi iuste ideo petierunt, quod non bene se præparaverunt: et respondet Dominus, et illos vere fuisse peccatores et iuste perisse, et similiter alios peccatores perituros, si se peccatores non attendunt. *Nuntiantes.* Quasi dicant: Apparet istos fuisse peccatores et damnandos in æternum, qui tam scelerata morte ab impio præside inter sua sacrificia occisi sunt. *De Galilæis.* Galilæi impie scelerata morte scelerum suorum pœnas solvunt, quibus tamen non ipsa mors obfuit, ut in secundam mortem mitterentur, sed improba vita. Puniti sunt autem ad correctionem viventium, ut flagellato pestilente stultus sapientior fiat, vel ad exemplar corrigi nolentium, ideoque pessime peritorum.

^{¶¶}13.3 *Omnes,* etc. Hoc impletum est post passionem Domini quando Romani impœnitentes Judæos incipiendo a Galilæa adeo devastaverunt, ut non solum atria templi, sed etiam interiora domus, quo Galilæorum accessus non erat, humano sanguine fœdarentur.

^{§§}13.4 *Sicut illi decem.* Isti Hierosolymitæ sicut et Galilæi non soli peccatores fuerunt, sed in terrorem reliquorum puniti sunt; qui ruina turris pressi significant Judæos qui pœnitere noluerunt, cum suis mœnibus esse perituros. Nec frustra decem et octo, qui numerus apud Græcos ex iota et ita exprimitur, hoc est ex eisdem litteris quibus nomen Jesus incipit. Significat autem Judæos hinc maxime perituros, qui nomen Salvatoris recipere noluerint. Illa turris significat illum qui est turris fortitudinis, quæ merito in Siloa, quia Siloa, quod interpretatur *missus*, significat eum qui missus a Patre venit in mundum, qui omnes super quos ceciderit conteret.

^{*}13.6 *Arborem fici.* In origine humani generis Adam et Eva cum peccassent de foliis ficulneæ succinctoria sibi fecerunt. Per folia ergo ficulneæ intelliguntur peccata. Erant autem sub arbore fici, tanquam sub umbra mortis, de quibus dictum est: *Qui sedebant sub umbra mortis lumen ortum est eis* Isa. 9..

invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?[†] ⁸ At ille respondens, dicit illi: Domine dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mit-
tam stercora,[‡] ⁹ et siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.[¶]
¹⁰ Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis.[§] ¹¹ Et ecce mulier, quæ habebat
spiritum infirmitatis annis decem et octo: et erat inclinata, nec omnino poterat sur-

[†]13.7 *Quærens fructum. Vineam Domini sabaoh, domus Israël est*, in qua domo Synagoga condita est sicut ficus in vinea. Sed qui in vinea peccantem a viatoribus permisit diripi, hanc etiam ficum iussit excidi. In qua quærit fructum, non qui adesse nesciret, sed ostendit in figura, quia in Synagoga jam fructum habere deberet. Nec ante tempus quærit qui per triennium venit. Qui per Moysen Synagogam instituit, ipse in carne apparens in Synagoga crebris docet, fructum fidei quærit, sed in Pharisæis non reperit. *Dixit autem ad cultorem vineæ.* Cultor vineæ, doctores sunt et apostoli quorum precibus et monitis assidua Dei cura suggeritur, quibus Dominus sæpe de infructuosa gente Judæorum conqueritur, quod per tres annos suæ visitationis, id est, in legalibus edictis, propheticis contestationibus, Evangelii gratia, negligens exstiterit. *Ut quid etiam terram,* etc. Potest per terram sterili ficu occupatam Judaica plebs signari, quæ noxia præpositorum umbra premitur, ne lumen veritatis videat et exemplis eorum impeditur, ne sole dilectionis calescat; unde Matth. 23.: *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi,* etc. Terram occupat, qui locum quem tenet bonis operibus non exercet, qui exemplo pravitatis impedimentum præstat cæteris.

[‡]13.8 *Usquedum fodiam,* etc. Donec radicem infructuosæ mentis humilem, et præsentium pressurarum, et æternæ damnationis incutendo metum. Fossa quippe in imo est, et increpatio, dum mentem sibi demonstrat, humiliat. Novit cultor terram excolere, qui novit vitia reprehendere. Intellexit duritiam et superbiam Judæorum causam esse sterilitatis. Pollicetur itaque dura corda apostolicis ligonibus esse fodienda, et superbientia ad humilitatem revocanda. *Mittam stercora.* Id est, malorum quæ fecit abominationem ad animum reducam, et compunctionis gratiam cum fructibus boni operis quasi de pinguedine stercoris exsuscitem. Peccata enim carnis stercora dicuntur, quæ immittuntur ad radicem arboris, quando pravitatis conscientia tangitur cogitationis memoria, et dum inde pœnitet quasi per tactum stercoris redit ad fecunditatem operis.

[¶]13.9 *Et si quidem.* Cum pœnitentiæ ordo exigeret, ut apponeret, reservabitur vel aliquid tale, nihil tamen subjunxit, sed suspendit sententiam. *Sin autem.* Scilicet, non fecerit fructum, continue iudicium venturæ damnationis annexuit, quia procliviores ad negandum quam ad credendum videbat.

[§]13.10 *Erat autem docens.* Hanc similitudinem de ficulnea dicitur Dominus docuisse in Synagoga, ut intimetur ad ipsam Synagogam pertinuisse parabolam. Quod enim fructum quærit in ficulnea nec invenit, significat quod verbum commodat Synagogæ, nec illa recipit, quam tamen non ex toto extirpandam, sed reliquias per fidem salvandas intelligens, mox ibidem primitivæ Ecclesiæ sanatio sub specie incurvæ mulieris subsequitur. Idem enim significat ficulnea reservata quod mulier erecta. *Sabbatis.* Sabbatis docet et curvam erigit, quia per verbum prædicationis a temporalibus ad æterna erectos ad quietem resurrectionis perducit.

sum respicere.** 12 Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. 13 Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum. 14 Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari: in his ergo venite, et curamini, et non in die sabbati.†† 15 Respondens autem ad illum Dominus, dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, et ducit adaquare?‡‡ 16 Hanc autem filiam Abraham, quam alligavit Satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?¶¶ 17 Et cum hæc diceret, erubescabant omnes adversarii ejus: et omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo.§§ 18 Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud?* 19 Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam: et volucres cæli

** 13.11 *Ecce mulier*, etc. Hæc mulier non nisi post decem et octo annos erigi potuit, quia humana natura hanc corruptionem deponere et ad induendam incorruptionem æternæ beatitudinis erigi non poterit, nisi prius impleverit legem quæ in decem præceptis continetur, et gratiam in qua Christi resurrectio facta est et nostra expectatur. *Annis*, etc. Senarius in quo mundi creatura perfecta est, operum perfectionem signat, qui per tres multiplicatos decem et octo reddit, et signat eos qui in tribus temporibus Dominicæ visitationis, scilicet ante legem et sub lege et sub gratia, perfectionem operum habent. Hoc ergo tempore Judæa a suæ mentis rectitudine curvata fuit, quæ magis terrena quam cœlestia noverat, operatur.

†† 13.14 *Quia Sabbato*. Deus ab operibus mundi Sabbato requievit. Unde et Moyses Sabbato a servili et noxia actione feriandum præcepit, præfigurans tempus quo nostra sæcularia opera, non vero religiosa, id est laudandi Deum cessabunt. In signum hujus rei etiam Sabbato Dominus curat. Hoc autem non intelligens archisynagogus fallitur et fallit, quia lex in Sabbato non hominem curare, sed servilia opera facere, id est peccatis gravari prohibuit.

‡‡ 13.15 *Hypocritæ*. Merito hypocritas, id est simulatores vocat, qui cum magistri plebium videri appetant, sanationem hominis non reverentur postponere curæ pecoris. *Non solvit bovem*. Mystice. Bos qui cognovit possessorem suum et asinus qui novit præsepe domini sui, Judaicum et Gentilem populum significant, qui uterque peccati vinculis absolutus, sitim æstumque hujus mundi per haustum Dominici fontis deposuit. In his ergo duobus animalibus vocationem duorum populorum, adversantibus Judæis, prænuntiat Dominus.

¶¶ 13.16 *Hanc autem*, etc. Filia Abraham, quæque fidelis anima filia Abraham, Ecclesia de utroque populo ad fidem collecta, quæ tempore legis et Dominicæ resurrectionis impleto, per septiformem gratiam Spiritus sancti vincula longæ captivitatis erupit: et sic idem est bovem vel asinum a præsepio solutos ad potum agi, quod est filiam Abraham a vinculo noxiæ inclinationis erigi

§§ 13.17 *Erubescabant omnes*. Qui de dictis Salvatoris erubescunt, ficulneæ sterili se similes ostendunt. Qui ergo gaudent de miraculis, pertinent ad filiam Abraham, id est Ecclesiam, Deum de sua erectione glorificantem. *Adversarii*. Scribæ et Pharisæi, qui nec aperte veritati contradicere possunt, nec propter invidiam credere volunt. *Omnis populus gaudebat*. Simples, humiles verba veritatis et miracula amantes, et isti sunt figura gentium, quæ excæcatis Judæis congregandæ sunt ad fidem per humilitatem. Unde et Salvator fidem eorum commendat sub comparatione grani sinapis.

* 13.18 *Dicebat ergo*. Quandoquidem aderant gaudentes et glorificantes, dicebat ad commendationem et instructionem illorum qui per humilitatem et fidei fervorem exaltandi sunt in Ecclesia.

requieverunt in ramis ejus.[†] ²⁰ Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei? ²¹ Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae sata tria, donec fermentaretur totum.[‡] ²² Et ibat per civitates et castella, docens, et iter faciens in Jerusalem.[¶] ²³ Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt, qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos: ²⁴ Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt.[§] ²⁵ Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis: et respondens dicet vobis: Nescio vos unde sitis.^{**} ²⁶ tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti.^{††} ²⁷ Et dicet vobis: Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis. ²⁸ Ibi erit fletus et stridor dentium: cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas

[†]13.19 *Simile est*, etc. Granum sinapis, res vilis et simplex, sed, si teritur, vim suam fundit. Regnum ergo cœlorum, id est fides per quam venit ad regnum, comparatur grano sinapis: quia primo humilis et quasi abjecta et amari saporis propter infirmitatem Christi et scandalum crucis; sed trita adversis, gratiam suæ virtutis effundit et odore suo circumstantes adimplet, dum gloriam resurrectionis et ascensionis etiam post mortem prædicavit toto orbe terrarum. Vel corpus Christi granum sinapis, quod accipiens Joseph in horto sepelivit, quod postea in resurrectione et ascensione crevit. Expandit ramos, prædicatores per totum mundum mittens, in quorum dictis et consolationibus fideles a fatigatione mundi respirant.

[‡]13.21 *Quod acceptum*, etc. Mulier Ecclesia, cujus farina sumus, quotquot timoris et spei exercitio quasi mola superiore et inferiore conterimur, ut unus panis multi simus in Christo. Abscondit ergo Ecclesia fermentum dilectionis in farinae sata tria, quia præcipit ut diligamus Deum toto corde, tota anima, tota virtute.

[¶]13.22 *Et ibat*, etc. Ubique indifferenter prædicabat, non personas discernens, sed salutem credentibus quærens.

[§]13.24 *Contendite intrare*, etc. Quasi diceret: Vere pauci, et illi cum magnis laboribus, quia nisi mentis intentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam anima ad ima semper revocatur.

^{**}13.25 *Cum autem*, etc. Paterfamilias Christus, cum ubique ex Divinitate sit, illis jam intus esse dicitur, quos in cœlo præsens sua visione lætificat, sed quasi foris est his quos in hac peregrinatione certantes occultus adjuvat. Intrabit ergo cum totam Ecclesiam ad sui contemplationem perducet. Claudet ostium, cum reprobis locum poenitentiae tollet, qui foris stantes pulsabunt, id est a justis segregati, misericordiam quam contempserunt frustra implorabunt. *Incipietis foris stare*. Modo tempore misericordiae contendite, quia tempore iudicii reprobis tollitur locus poenitentiae, qui nunc aperitur cunctis pie quærentibus. *Nescio vos*. Non novit lux tenebras, id est non aspicit, quia, si aspiceret, tenebræ non essent.

^{††}13.26 *Manducavimus*, etc. Non festivitatum epulatio juvat, quæ fidei pietas non commendat. Non scientia Scripturarum notum Deo facit, quem operum iniquitas indignum ostendit. Vel de Judæis simpliciter intelligendum est, qui respuentes mysteria fidei, gratos se Deo arbitrantur, quod in templo victimis oblati coram Domino epulantur, et lectionem prophetarum auscultant. Vel mystice: Manducat coram Domino et bibit, qui verbi pabulum avidè suscipit. *In plateis*, etc. Scriptura in obscurioribus cibus est, quia quasi exponendo frangitur, et manducando glutitur. Potus enim in apertioribus, ubi ita absorbetur sicut invenitur. Et occulta ergo et aperta se intellexisse testantur, qui, reprobante iudice, quod manducaverunt conqueruntur.

in regno Dei, vos autem expelli foras.‡²⁹ Et venient ab oriente, et occidente, et aquilone, et austro, et accumbent in regno Dei.¶³⁰ Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi. ³¹ In ipsa die accesserunt quidam pharisæorum, dicentes illi: Exi, et vade hinc: quia Herodes vult te occidere. ³² Et ait illis: Ite, et dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie, et cras, et tertia die consummor.§³³ Verumtamen oportet me hodie et cras et sequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Jerusalem.* ³⁴ Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti?† ³⁵ Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me donec veniat cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini.‡

‡13.28 *Ibi erit fletus*, etc. Fletus de ardore, stridor dentium de frigore solet excitari, quia ibi transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium. Vel stridor prodit indignantis affectum, quod sero pœnitet, quod deliquit pertinaciter. Vel stridebunt dentibus, qui hic de edacitate gaudebunt. Flebunt oculi qui hic per concupiscentias vagabuntur. Et nota per fletum qui est oculorum, et stridorem dentium, veram impiorum resurrectionem.

¶13.29 *Et venient*. Multi prius ferventes postea torpent. Multi prius frigidi, subito ardescunt. Multi in sæculo despecti, in futuro sunt glorificandi. Alii apud homines gloriosi, in futuro sunt damnandi. Vel gentiles, qui diu sine fide vixerant, ad fidem sunt vocandi, Judæi execrandi.

§13.32 *Dicite vulpi*, etc. Vulpis animal dolosum, in fovea ad insidias latens, odore fetens, nunquam rectis itineribus incedens. Hæc omnia hæreticis (quorum typum tenet Herodes) congruunt, qui Christum, id est humilitatem Christianæ fidei, in credentibus conantur extinguere. *Ecce ejicio dæmonia*, etc. Quasi diceret: Nec Herodes, nec hæretici quorum ipse figura est, poterunt perturbare quod intendo facere. Intendo autem ejicere dæmonia de cordibus hominum, ut relictis vanitatibus in me credant; et perficere sanitates, ut secundum mea præcepta vivant; postea consummor in meo corpore, quod est Ecclesia, quam in die resurrectionis glorificatam ad consortium angelorum perducam.

*13.33 *Verumtamen oportet*. Non poterit perturbare Herodes quin ita agam et ita consummar, sed nec mortem corporis mei poterit operari, quam in Jerusalem oportet fieri, ubi non ipse sed Pilatus dominatur. *Hodie et cras*, etc. Prima dies, est per Dei gratiam abrenuntiare vanitatibus. Secunda, concordare veritati moribus et vita. Tertia, est ultima glorificatio.

†13.34 *Jerusalem*, etc. Ubi prophetæ mei, ibi ego caput prophetarum debeat immolari, pro quo peccato juste ipsa destruetur, cui destructioni eorum sicut pius pater condoleo. *Quoties volui congregare*. Ac si dicat: Ego volui et tu noluisti: et quotquot congregavi mea voluntate semper efficaci, te nolente feci, quia ingrata semper fuisti. *Filios tuos*. In hoc quod dicit: *Quoties volui congregare filios tuos*, etc., omnes retro prophetas a se missos testatur. *Quemadmodum avis*, etc. Pulchre qui Herodem de sua nece tractantem vulpem vocaverat, se avi comparat, quia fraudulenta vulpes semper avibus insidias tendit.

‡13.35 *Domus vestra*. Templum vel civitas, quia, occiso Domino, Romani quasi vacuum nidum diripientes, tulerunt locum et gentem. *Non videbitis me*, etc. Nisi pœnitentiam egeritis et confessi fueritis me Filium omnipotentis Patris, in secundo adventu faciem meam non videbitis. *Cum dicetis*, etc. Hoc quidem turbæ dixerunt Domino veniente in Jerusalem. Sed quia Lucas non dicit Dominum ad Galilæos postea reversum, ut ab illis hoc ei decantaretur, cogit mystice hoc de adventu claritatis intelligi.

14 Et factum est cum intraret Jesus in domum cujusdam principis pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum.[¶] ² Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. ³ Et respondens Jesus dixit ad legisperitos et pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare?[§] ⁴ At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.^{**} ⁵ Et respondens ad illos dixit: Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati?^{††} ⁶ Et non poterant ad hæc respondere illi. ⁷ Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:^{‡‡} ⁸ Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo.^{¶¶} ⁹ Et veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.^{§§} ¹⁰ Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco: ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit

[¶]14.1 *Et factum est*, etc., aqua, inde hydropis, morbus aquosus subcutaneus, de vitio vesicæ natus cum inflatione turgente et anhelitu fetido. Et est proprium hydropici, quanto plus bibit, tanto plus sitit, et ideo comparatur ei quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat, comparaturque diviti avaro.

[§]14.3 *Si licet*, etc. Sabbatis præcipue docet et operatur Jesus, non solum propter spirituale sabbatum, sed et propter populi celebriorem conventum, quærens salutem omnium.

^{**}14.4 *At illi tacuerunt*. Merito tacent, qui contra se dicturum quidquid dixerat vident. Si enim licet, cur observant? Si non licet, cur pecora curant? *Ipse vero*. Ideo ante Pharisæos hydropicum sanat, et mox contra avaritiam disputat, ut ipsos avaritiæ arguat per quam sabbatum violant, et legem male interpretantur. In sabbato enim non a bonis, sed a malis operibus feriandum est, unde dicitur: *Omne opus servile non facietis in eo* Lev. 23., id est peccatum. Sic in æterna requie a malis tantum feriabitur, non a bonis.

^{††}14.5 *Cujus vestrum*. Competenti exemplo solvit quæstionem, ut ostendat eos sabbatum violare in opere cupiditatis, qui eum violare arguunt in opere charitatis. *Bos in puteum*. Congruè animali quod decidit in puteum hydropicum comparat, quia noxio humore peribat. Et bene bovem et asinum nominat, ut vel sapientes vel hebetes, vel utrumque populum signat, scilicet Judæum pressum jugo legis, et gentilem nulla ratione domitum, sed stolidum et brutum, quos omnes a puteo concupiscentiæ demersos extrahit: *Omnes enim peccaverunt, et egent gratia Dei* Rom. 35..

^{‡‡}14.7 *Dicebat autem*. Postquam convicerat illos de avaritia et violatione sabbati, incipit docere de Evangelica gratia illos qui aderant idonei, invitans illos ad humilitatem contra tumorem quem habebant in lege Pharisæi, vel intendens in doctrina sua quomodo debeant accubitus in Ecclesia eligere.

^{¶¶}14.8 *Cum invitatus fueris*: Cum per gratiam fidei vocatus a prædicatore, membris Ecclesiæ te junxeris, non te de meritis gloriando, quasi cæteris sublimior extollas. *Ne forte honoratior*. Honoratiori post invitato locum dat, qui de suæ conversationis confidentia securior factus, cito illorum qui se in Christo secuti sunt agilitate præitur. Et cum rubore novissimum locum tenet, etc., cum de aliis meliora cognoscens, quidquid de sua operatione altum senserat, humiliat, dicens cum Propheta: *Exaltatus autem humiliatus sum et confusus* Psal. 87..

^{§§}14.9 *Et tunc incipias*, etc. Et tunc, erubescens quod de te aliquando majora præsumpsisti, incipies ad poenitentiam humiliari, et te minoris cognoscere meriti, ne nunc incipias quærere quod tibi servatur in fine, quia hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissima benedictione deficit.

tibi gloria coram simul discumbentibus: * 11 quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur. 12 Dicebat autem et ei, qui invitaverat: Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne forte te et ipsi reinventent, et fiat tibi retributio; † 13 sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos: ‡ 14 et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. ¶ 15 Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno Dei. § 16 At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. ** 17 Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent,

*14.10 *Tunc erit tibi gloria*, etc. Quotidie Dominus, dum convivas suos visitat et dijudicat, tanta spiritus sui humilibus dona præstat, ut eos cœtus fidelium cum admiratione glorificet; stupensque in auctoris sui laudem prosiliat, dicens: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus* Psal. 138..

†14.12 *Dicebat autem*. Secundum ordinem litteræ. Postquam monuit invitatos qualiter debeant accumbere, monet et invitatores quos debeat invitare, ne temporalis expansio bonorum quam facit cedat in vacuum, vel forsitan augmentet peccatum: sed ita expendat temporalia, ut per hæc pateat via ad æterna. *Et ei qui se invitaverat*. Principi Pharisæorum loquitur, qui forsitan superbire poterat, quia tot ad convivium quasi ex misericordia vocaverat; vel sicut ex verbis Domini potest concipi, ideo potius invitaverat, ut ab illis iterum invitaretur, et sic nulla specialis retributio sequeretur. *Noli vocare amicos*. Fratres, amicos, et divites alterutrum convivia celebrare, non quasi scelus interdicit, sed ostendit non valere ad præmia vitæ. Sunt autem et quædam talium divitum convivia, quæ non solum in præsentibus retributionibus, sed etiam damnationem percipiunt futuro; unde Apostolus: *Non in comessationibus et ebrietatibus* Rom. 8., id est in luxuriosis conviviis, quæ aut collatione omnium celebrantur, aut vicibus contubernalibus solent exhiberi, ubi neminem pudeat aliquid inhonestum facere vel dicere. *Ne forte*. Quasi dicat: Si intendis invitare, ut inviteris, ibi potes falli; sed si distribueris pauperibus, de mercede non falleris.

‡14.13 *Voca pauperes*. Qui pauperes vocat in futuro præmium percipiet. Qui amicos et fratres et divites vocat, recepit mercedem suam. Sed si hoc propter Deum facit, in exemplum filiorum Job, sicut cætera fraternæ dilectionis officia, ipse qui jussit remunerat. Qui luxuriosos propter lasciviam vocat, pœna non carebit.

¶14.14 *In resurrectione*. Cum omnes resurrecturi sint, tamen singulariter et quasi propria dicitur resurrectio justorum, qui in ea sunt immutandi.

§14.15 *Hæc cum audisset*, etc. Illectus dulcedine auditæ resurrectionis in laudem ejus prorumpit, et in ea vere beatos fore assertit, etsi non bene intelligat quibus meritis ad illam beatitudinem possit attingi. *Beatus*, etc. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* Joan. 6.. Si quis incarnationis sacramento perfecte incorporatus, divinæ majestatis visione frui meruerit, hic æterna beatitudine gaudebit. Sed quia multi fide tenus quasi orando percipiunt, dulcedinem vero ejus veraciter attingere fastidiunt, torpor eorum redarguitur.

**14.16 *Homo quidam*, etc. Verbum incarnatum satietatem internæ dulcedinis multis præparavit, sed pauci veniunt, quia multi qui per fidem ei subjiciuntur male vivendo ei continuo contradicunt. *Cœnam magnam*. Hoc convivium, non prandium sed cœna dicitur, quia post prandium de quo Matthæus agit, cœna restat, post cœnam nullum convivium restat: de prandio multi, et de cœna nullus ejicitur.

quia jam parata sunt omnia.†† 18 Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam: rogo te, habe me excusatum.‡‡ 19 Et alter dixit: Juga boum emi quinque, et eo probare illa: rogo te, habe me excusatum.¶¶ 20 Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire. §§ 21 Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis: et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc. 22 Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. * 23 Et ait dominus servo: Exi in vias, et sæpes: et compelle intrare, ut impleatur domus mea.† 24 Dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. 25 Ibant autem turbæ multæ cum eo: et conversus dixit ad illos:‡ 26 Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et

††14.17 *Et misit servum.* Hora cœnæ finis sæculi; unde Apostolus: Nos scimus *in quos fines sæculorum devenerunt* I Cor. 10.. In hoc fine mittitur servus, id est ordo prædicatorum ad invitatos per legem et prophetas, ut repulso fastidio ad gustandam cœnam se præpararent, quia omnia jam sunt parata. Christo enim immolato, introitus regni patet.

‡‡14.18 *Et cœperunt,* etc. Ideo excusant, quia nemini intercluditur regnum, nisi quem suæ vocis professio excluserit. Excusat autem se omnis qui plus terrena quam cœlestia diligit, etiamsi ad cœlestia se tendere dicat. *Villam emi.* Villa, id est terrena substantia. Exit ergo videre villam, qui sola exteriora cogitat propter substantiam, et hoc est quod ab amatoribus mundi prius quæritur, scilicet substantia corporis. AUG. In empta villa, dominatio notatur et superbia. Habere enim villam, etc., usque ad amor rerum terrenarum viscus est spiritualium pennarum. *Rogo te.* Dum dicit: *Rogo te, habe me excusatum,* humilitas sonat in voce dum venire contemnit, superbia in actione.

¶¶14.19 *Juga boum.* Quinque juga boum, quinque corporis sensus, qui recte juga dicuntur, qui in utroque sexu geminantur; qui quoniam non interna, sed sola exteriora cognoscunt et tangunt, recte per eos curiositas designatur, quæ dum exterius investigat vitam proximi, sua intima nescit. Et curiosi animus quanto est peritus alieni, tanto ignarus sui. Nec discrepant verba excusantis a significatione sui vitii, dum dicit: *Eo probare illa.* Quia probatio ad curiositatem solet pertinere.

§§14.20 *Uxorem duxi.* Quia multi non propter fecunditatem, sed propter desideria carnis uxores ducunt, ideo per rem istam carnis voluptas designatur, propter quam ad cœnam Dei fastidiosus venire recusat.

*14.22 *Factum est,* etc. Multos tales ex Judæis ad cœnam tuam collegimus, sed isti locum convivii tui non implent, superest locus ubi gentium numerositas suscipiatur.

†14.23 *Exi in vias et sæpes,* etc. Nota quod in hac tertia invitatione non dicitur: Invita, sed Compelle intrare. Qui enim hujus mundi adversitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, atque a præsentis vitæ desideriis corriguntur, illi non nisi compulsi intrant. Quidam autem vocantur et contemnunt, qui domum intellectus accipiunt, sed opere non implent. Quidam vocantur et veniunt, qui acceptam intelligentiam opere adimplent.

‡14.25 *Ibant autem turbæ,* etc. Turbæ quæ sequuntur Jesum iter facientem in Jerusalem, signant eos qui ad cœnam invitati vel compulsi veniunt, et tota intentione Jesum imitantur, præcedentem ad æternæ pacis visionem. Hos ergo instruit qui sincero amore patriam illam debeant appetere, et pro ea carnalis pietatis affectibus renuntiare.

sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.[¶] 27 Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.[§] 28 Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum,^{**} 29 ne, posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei,^{††} 30 dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare? 31 Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?^{‡‡} 32 Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. 33 Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.[¶] 34 Bonum est sal: si autem sal evanuerit, in quo condietur?^{§§} 35 Neque in terram,

[¶]14.26 **Si quis venit.** Simul et odisse et diligere possumus: ut et cognitione conjunctos, et divino præcepto diligamus, et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus. **Adhuc.** Tunc bene animam odimus, cum ejus carnalibus desideriis non acquiescimus, sed reluctamur et frangimus.

[§]14.27 **Et qui non bajulat.** Crux duobus modis bajulatur: cum vel per abstinentiam caro afficitur, vel per compassionem proximi affligitur animus. **Et venit post me.** Aliquis enim carnem lacerat pro inani gloria, vel proximo carnaliter compatitur ut culpæ faveat, hic crucem ferre videtur, sed Deum non sequitur.

^{**}14.28 **Quis enim ex vobis.** Postquam Dominus sequentibus se in Jerusalem dedit sublimia præcepta de contemptu mundi, et de abjectione corporis, supponit præceptum de perseverantia, ad quam necessaria est cum humilitate patientia. Et hoc per simile ædificantis. **Turrim ædificare.** Quia sublimia præcepta dedit, ædificandæ sublimitatis comparisonem subjungit. **Computat sumptus.** Ille computat sumptus, qui discernit esse erogandam temporalem pecuniam, et cor avertendum a cupiditatibus mundi, et animam præparandam contra adversa mundi.

^{††}14.29 **Omnes qui vident.** Sicut ait Apostolus: **Facti sumus spectaculum mundo, angelis et hominibus** II Cor. 4.. Et in omni quod agimus, considerare occultos adversarios debemus, qui nostris operibus insidiantur, et nisi contra eos vigilemus, patimur irrisores quos habemus ad malum suasores.

^{‡‡}14.31 **Aut quis,** etc. Post similitudinem de turre ædificanda, supponit similitudinem majoris rei, de rege pugnatio. In quo ostenditur per impletionem præcedentium mandatorum nullum ad gloriam posse pertingere, nisi severi judicis sententia temperetur per misericordiam. In conspectu enim Dei omnis homo imperfectus. **Si possit.** Quasi cum decem millibus occurrit Deo, qui offert opera decem mandatorum quæ exterius gessit. Sed Deus quasi cum duplicato numero contravenit, cum vix illum præparatum in solo opere, discutit simul de opere et cogitatione. Et ideo, dum adhuc longe est per dilationem judicii, nos fragilitatis nostræ insufficientiam attendentes, ad impetrandam severi judicis pacem debemus præmittere legationem lacrymarum, bonorum operum, piorum affectum.

^{¶¶}14.33 **Sic ergo,** etc. Infert a præmissis similitudinibus. Quandoquidem non bene potest ædificare qui non computat sumptus, nec secure potest occurrere qui non præmittit legationem, ergo nec meus potest esse discipulus qui non renuntiat omnibus.

^{§§}14.34 **Bonum.** Vere qui vult meus esse discipulus oportet ut renuntiet omnibus, quia ita erit bonum sal, id est dignus constitui in numero apostolorum, ad condienda corda auditorum spiritualia sapientia.

neque in sterquilinum utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.*

15² Erant autem appropinquantēs ei publicani, et peccatores ut audirent illum, et manducat cum illis. ³ Et ait ad illos parabolam istam dicens: ⁴ Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdidit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?† ⁵ Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens:‡ ⁶ et veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.¶ ⁷ Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.§ ⁸ Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam unam, nonne

*14.35 **Neque in sterquilinum.** Sal sterilem facit terram. Unde ira victorum destructas urbes sale seminabat, ne in eis germen oriretur. Ita apostoli, destructo peccati regno, germen vitiorum compescunt. Sal cibos condit, carnes siccatur. Prædicatio in vermibus et putredine vitiorum illasam servat suo Creatori humanam naturam.

†15.4 **Qui ex vobis,** etc. Didiceras in superioribus abnegare negligentiam, vitare arrogantiam, devotionem sumere, sæcularibus occupationibus non teneri, caduca non præferre perpetuis. Sed quia fragilitas humana firmum nequit in tanto sæculi lubrico tenere vestigium, etiam adversus errorem remedium ibi medicus demonstrat, scilicet, iudex spem veniæ non negat. **Centum oves.** Quia centenarius numerus perfectus est. Deus centum oves, id est perfectum numerum habuit, cum angelorum et hominum substantiam creavit; sed una periit, quando homo pascua vitæ peccando dereliquit: ergo quia rationalis creaturæ numerus pereunte homine erat diminutus, quærit in terra hominem ut summa integretur. **Nonne dimittit.** Quasi dicat: Murmuratis, quia peccatores recipio, sed ego non veni nisi ut aberrantes colligam, sicut unusquisque vestrum aberrantem ovem reducere laborat.

‡15.5 **Imponit in humerum.** Ovem in humeris posuit, qui, humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portavit: unde humeri Christi crucis brachia sunt, illic peccata nostra deposuit, in illa nobilis patibuli cervice requievit.

¶15.6 **Et veniens.** Reparato homine ad cælum redit pastor, ibi angelorum chorus invenit. Qui amici, quia in stabilitate sua voluntatem ejus continue custodiunt; qui et vicini, quia claritate visionis ejus fruuntur. Et nota, quod non dicit: Congratulamini ovi inventæ, sed **mihi,** quia gaudium ejus est vita nostra.

§15.7 **Dico vobis.** In nonaginta novem, justorum numerus intelligitur; in una ove, peccatorum. **Gaudium.** Angeli, quia rationales, gaudent de reconciliato sibi homine, quod incendit nos ad probitatem: agamus quod illis gratum sit, quorum et affectare patrociniū, et offensam timere debemus. **Quam super.** Si in nonaginta novem justis qui non erraverunt nec indigent pœnitentia, angeli intelliguntur, majus videtur impios justificare quam justos creare et conservare, quia etsi utrumque æqualis potentia, hic majoris misericordiæ et majoris gaudii.

accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniatur? ^{** 9} Et cum invenerit convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. ¹⁰ Ita, dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. ¹¹ Ait autem: Homo quidam habuit duos filios: ^{†† 12} et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et divisit illis substantiam. ^{‡‡ 13} Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. ^{¶¶ 14} Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere. ^{§§ 15} Et abiit, et adhæsit uni civium regionis illius: et misit illum in villam suam ut pasceret porcos. ^{*} ¹⁶ Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: et nemo

^{**}15.8 **Aut quæ mulier.** Mulier, id est Dei sapientia, decem drachmas habuit, cum homines et angelos ad imaginem suam creavit. Sed unam perdidit, cum homo a similitudine Creatoris recessit. Sed Dei sapientia lucernam ad quærendum accendit, cum in carne apparuit, quia lucerna est lux in testa, id est verbum in carne. Quod ubi inter homines claruit, domum evertit, quia conscientias hominum de reatu suo perturbavit, et sic drachma reperitur, dum in homine similitudo Conditoris reparatur. **Habens drachmas decem.** Angelorum et hominum naturam, quam ad æternitatem Dominus consistere voluit, ad suam similitudinem creavit. Decem ergo drachmas mulier habuit, cum novem ordinibus angelorum additus est homo, ut compleretur decimus electorum numerus. Qui nec post culpam a Creatore periit, quia eum sapientia Dei per carnem miraculis coruscans, ex lumine testæ reparavit. **Convocat.** Amicæ et vicinæ supernæ potestates, quæ tanto Deo juxta sunt, quanto eum vicinius contemplantur. Quas vocat, dum per exhibitionem gratiæ hominibus impensæ ad amorem sui vehementius accendit.

^{††}15.11 **Homo quidam.** Duabus præmissis parabolis, quantum ipse cum angelis gaudeat de pœnitentium salute insinuat. In hac tertia non solum gaudium ostendit, sed etiam murmur invidentium reprehendit.

^{‡‡}15.12 **Et dixit,** etc. Sicut Deus non habet alium a quo formetur, a quo negatur, sic iste vult sua potestate uti, ut nullo formante, nullo regente vivat. **Pater, da.** Dimidium patrimonium petentibus datur, nec est culpa patris qui dat adolescentiori. Nulla in regno Dei infirma ætas, nec fides gravatur annis, nisi ipse certe se judicaverit inidoneum qui poscit. Si iste non recessisset a patre, impedimentum nescisset ætatis, sed perægre profectus merito patrimonium vastat. **Et divisit.** Fidelibus suæ gratiæ protectionem, quam desiderabant, impertiendo: infidelibus vero naturalibus solum ingenii quo contenti erant, beneficium concedendo.

^{¶¶}15.13 **Non post multos.** Non multo post institutionem humani generis, placuit animæ liberum arbitrium ferre secum, quasi quamdam potentiam naturæ suæ, et deserere eum a quo condita est, confidens viribus suis. Et has vires tanto citius consumat quanto datorem deserit. Hæc est prodiga vita, quæ amat fundere et spatiari in pompis exterioribus, relinquens eum qui sibi est interior

^{§§}15.14 **Et ipse cœpit.** Quia nihil satis est prodigæ voluptati, quia voluptas semper habet famem sui; merito ergo eget, qui thesauros sapientiæ, divitiarumque cœlestium altitudinem reliquit.

^{*}15.15 **Uni civium.** Unus civium ille est qui concupiscentiis terrenis merito pravitate suæ præpositus princeps mundi vocatur. Qui in villam mittit, quia cupiditati mundialis substantiæ subjugat. Porcos pascit, cum ea quibus immundi spiritus gaudent, operatur. **Ut pasceret porcos.** Porcus immundum animal, quod sordibus delectatur; sic diabolus, qui in idolis cruore pecudum pascitur, et morte ipsius hominis. Misit ergo in villam, id est suum fecit famulum, ut pasceret porcos, immolans ei animam suam.

illi dabat.^{† 17} In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo !^{‡ 18} surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in cælum, et coram te:^{¶ 19} jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.^{§ 20} Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.^{** 21} Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cælum, et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus.²² Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus:^{†† 23} et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur:^{‡‡ 24} quia hic filius meus mortuus erat, et revixit: perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari.^{¶¶ 25} Erat autem filius ejus senior in agro: et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam

[†]15.16 *Et cupiebat.* Cibus dæmonum est ebrietas, fornicatio et hujusmodi, quæ blanda sunt et ad sui usum provocant. Neque alia cura est luxuriosis nisi ut ventrem suum impleant, *quorum deus venter est* Philip. 3.. Sed eis non potest saturari, quia voluptas semper habet famem sui. *Nemo illi dabat.* Quia diabolus cum aliquem suum facit, ultra ad vitiorum abundantiam non procurat, sciens esse jam mortuum.

[‡]15.17 *Quanti mercenarii.* Qui futuræ mercedis intuitu digna operari satagunt, quotidianis supernæ gratiæ reficiuntur alimentis. Sed fame perit, qui extra domum patris, id est sine fide vivens, vitam beatam in inani philosophia inquirat.

[¶]15.18 *Pater, peccavi.* Etsi Deus omnia novit, vocem tamen exspectat confessionis. Sine periculo prodas quod scis jam esse cognitum: habes causam ut pro te interveniat Christus, nec pro te gratis mortuus sit; habet et causam ignoscendi Pater, quia quod vult Filius vult et Pater.

[§]15.19 *Fac me,* etc. Ad Filii affectum, qui omnia quæ Patris sunt sua esse non ambit, aspirare non præsumit, sed mercenarii statum jam pro mercede serviturus desiderat, sed nec hunc etiam nisi paterna dignatione se promereri posse testatur. AMBR. Distat inter servum, mercenarium et filium. Servus, etc., usque ad quod post osculum patris generosissime dedignatur.

^{**}15.20 *Cum autem adhuc longe esset,* etc. Antequam intelligeret Deum, sed tamen cum jam pie eum quæreret, tamen nondum dignus operibus rediret, per Verbum incarnatum anticipat filii reditum. Ante ad terras venit quam ille ad domum confessionis, ipsum verbum non deserens, sed in verbo usque ad peregrinationem nostram descendens. Brachium, id est filium in amplexum revertentis humiliavit. Pater super filii collum cecidit, dum leve jugum suæ dilectionis sibi imposuit, et osculatus est eum, ut ostenderetur quod alibi dicitur: *Osculetur me osculo oris sui* Cant. 1.. Rediens, osculum charitatis a patre accipit, dum per gratiam certificatur de indulgentia.

^{††}15.22 *Cito proferte,* etc. Stola prima, vestis innocentiae, in qua primus homo conditus, sed post culpam se nudum novit, et pellicium, id est mortale sumpsit indumentum. *Annulum.* Id est signaculum fidei, quo signantur promissa in cordibus credentium. *In manu.* Id est operatione: ut per opera fides clarescat, et per fidem opera firmentur. *Et calceamenta.* Id est exempla priorum munite in officio prædicandi, ut et opus ornetur bene vivendo, et cursus ad æterna præparando.

^{‡‡}15.23 *Adducite vitulum.* Prædicare Christum et mortem ejus insinuate, ut et corde credat, occisum imitando, et ore percipiat passionis sacramentum ad emendationem.

^{¶¶}15.24 *Et cœperunt epulari.* Non solum filius pro quo vitulus occisus est, reficitur, sed et pater et servi ejus, quia refectio Dei et sanctorum est salus peccatorum. Et nota, quod post datam stolam, annulum, calceamentum, vitulus immolatur, quia nisi quis spem primæ immortalitatis induerit, nisi annulo fidei opera præmunierit, nisi ipsam fidem confitendo prædicaverit, cœlestibus non potest interesse sacramentis.

et chorum:§§ 26 et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent. * 27 Isque dixit illi: Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. 28 Indignatus est autem, et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.† 29 At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, et numquam mandatum tuum præterivi: et numquam dedisti mihi hædum ut cum amicis meis epularer.‡ 30 Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.¶ 31 At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt: 32 epulari autem, et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est.

16 Dicebat autem et ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.§ 2 Et vocavit illum, et ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare. 3 Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubescio. 4 Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. 5 Convocatis

§§15.25 *Erat autem filius*, etc. Filius, id est populus Israël, qui nec ad colenda idola elongaverat. Neque in domo erat, quia interiora legis non penetrabat: litterali sensu, contentus, terrena operans, terrena exspectans. Hic est qui agrum emit, et quinque juga boum, legis onere pressus, terrenis sensibus fruitor, et uxorem duxit in affectu carnis. *Et cum veniret*. Appropinquat filius domum cum aliquis in populo illo spiritualiter legem intelligens, labores servilis operis improbat, et Ecclesiæ libertatem considerat. Audit symphoniam et chorum, id est spiritu plenos vocibus consonis Evangelium prædicare. Vocat unum de servis, cum sumit ad legendum aliquem de prophetis. Et eum interrogat, dum in eo scrutatur quæ sint hæc festa Ecclesiæ in quibus se esse non videt.

*15.26 *Interrogavit*. Et nunc quærit Israël cur Deus lætetur in assumptione gentium, et propter invidiam nescit patris voluntatem, et foris stat, quamvis per præcones rogetur.

†15.28 *Indignatus*. Indignabantur Judæi et conquerebantur, quia Jesus cum gentibus epularetur. Et adhuc de gentium salute indignantur nec volunt introire. Sed cum plenitudo gentium introierit, egredietur pater ad rogandum Israël, quando manifesta erit vocatio Judæorum.

‡15.29 *Ecce tot annis*. HIER. Justitiam legis secutus, justitiæ Dei non est subjectus. Quæ enim major est justitia Dei quam ignoscere poenitentibus? *Mandatum tuum*, etc. Quasi non sit præterire, salutem alterius invidere, vel de justitia se jactare.

¶15.30 *Occidisti illi vitulum*. Confitentur venisse Christum, sed invidia non vult vari. Sic de Judæo et gentili. Generaliter autem de justo et peccatore potest accipi. *Devoravit substantiam*, etc. Meretrices sunt superstitiones gentilium, cum quibus substantiam dissipat, qui, relicto connubio verbi Dei, cum dæmone feda cupiditate fornicatur. *Filii, tu semper*, etc. Non quasi mentientem redarguit, sed secum perseverantiam ejus approbans, et ad perfruitionem potioris exsultationis invitans. *Omnia mea*, etc. In æterna beatitudine, et omnium singula, et singulorum omnia.

§16.1 *Ad discipulos*. Quia Pharisæi superbi et avari sicut petentibus veniam, ita egentibus pecuniam negabant; ideo Salvator nunc ad illos, nunc illis audientibus, ad discipulos de pietate verba facit. *Homo quidam*. Villicus proprie, villæ custos, sed ponitur hic pro œconomo, id est dispensatore, qui universam substantiam domus dispensat. In hoc quippe dispensatore non omnia ad imitandum debemus sumere, scilicet ut fraudulenter erga Deum agamus. Sed econtrario istæ similitudines dantur, ut intelligamus si laudari potuit a Domino qui fraudem faciebat, quanto magis placet Deo qui secundum ejus præceptum opera illa facit.

itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? ⁶ At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: et sede cito, scribe quinquaginta. ^{** 7} Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, et scribe octoginta. ⁸ Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. ^{†† 9} Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. ^{** 10} Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est: et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est. ^{¶¶ 11} Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis quod verum est, quis credet vobis? ^{§§ 12} Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? ^{* 13} Nemo servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet, et alterum diliget: aut uni adhærebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ. ^{† 14} Audiebant autem omnia hæc pharisæi, qui erant avari: et deridebant illum. ^{‡ 15} Et ait illis: Vos estis qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem

^{**}16.6 **Centum cados.** Cadus Græce, amphora dicitur Latine, continens tres urnas. Chorus modis triginta impletur. Simpliciter sic potest accipi; quisquis indigentiam pauperis, vel ex dimidia, vel ex quinta parte alleviat misericordiæ suæ mercede donandus est.

^{††}16.8 **Et laudavit Dominus.** Si dispensator iniqui mammonæ Domini voce laudatur quod de re iniqua sibi justitiam præparavit, et passus dispendium, tamen laudat prudentiam ejus, non quod adversum Dominum fraudulenter egerit, sed quod pro se prudenter fecerit: quanto magis Christus qui nullum damnum sustinere potest, et pronus est ad clementiam, laudabit discipulos, si in sibi creditos misericordes fuerint. **Filii hujus sæculi.** Cujus quisque opera agit, ejus et filius dicitur; unde: **Filii hujus sæculi**, id est tenebrarum; et filii lucis, æternæ vitæ.

^{**}16.9 **Facite vobis.** Mammona lingua Syrorum divitiarum iniquitatis, quia de iniquitate collectæ sunt. Si ergo iniquitas bene dispensata vertitur in justitiam, quanto magis epulæ divini sermonis, in quo nulla est iniquitas, bonum dispensatorem levant in cælum.

^{¶¶}16.10 **Qui fidelis.** In pecunia cum paupere participanda. **Et in majori.** Adhærens Creatori, et cum eo spiritus unus effectus. Sed qui temporalia quæ possidet non bene dispensat, æternorum sibi gloriam de qua tumet evacuat.

^{§§}16.11 **Si ergo,** etc. Qui non dat fratribus ad utendum quod a Deo pro omnibus est creatum, iniquus erit in spirituali pecunia dividenda, ut non pro necessitate, sed pro personis doctrinam Domini dividat.

^{*}16.12 **Et si in alieno.** Si carnales divitias quæ labuntur non bene dispensatis, veras et æternas divitias quis dabit vobis?

[†]16.13 **Nemo servus.** Corripiens avaritiam dicit amatores pecuniæ Deum amore non posse; qui ergo Deum amat pecuniam contemnit: non valet enim simul transitoria et æterna diligere. **Aut uni adhærebit.** AUG. Non quidem diliget. Nemo enim diligit, etc., usque ad et de bonitate ejus et impunitate sibi blanditur. **Non potestis,** etc. Non ait habere divitias, sed servire. Servit qui custodit ut servus; sed qui servitutis excussit jugum, distribuit ut Dominus. Qui servit mammonæ, illi utique servit qui merito suæ perversitatis rebus istis præpositus princeps mundi a Domino dicitur.

[‡]16.14 **Audiebant autem.** Monebat Dominus scribas et Pharisæos non superbe sapere, non de sua justitia præsumere, sed peccatores pœnitentes suscipere: et sua quæ forte inciderent peccata, eleemosynis redimere. Sed illi præceptorem misericordiæ, humilitatis, et parcimoniæ, derident, quasi minus utilia et nunquam facienda noxius imperaret, vel certe utilia, sed a se jam perfecta superfluis ingereret.

novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.[¶]
¹⁶ Lex et prophetæ usque ad Joannem: ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit.[§]¹⁷ Facilius est autem cælum et terram præterire, quam de lege unum apicem cadere.^{**}¹⁸ Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mœchatur: et qui dimissam a viro ducit, mœchatur.^{††}¹⁹ Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.^{‡‡}²⁰ Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus,^{¶¶}²¹ cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat: sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.^{§§}²² Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.*

[¶]16.15 *Et ait*, etc. Dum peccatores quasi infirmos et desperatores contemnitis, et vos perfectos in omnibus cunctæque fragilitatis expertes, eleemosynarum remedio non egere creditis. Sed hæc tumoris altitudo quam juste damnanda sit, videt ille qui illuminat abscondita tenebrarum, et manifestat consilia cordium.

[§]16.16 *Lex et prophetæ*. Disputantem contra philargyriam deridebant, quasi contrarium legi et prophetis: cum in lege multi divites Deo placuerunt, et cum lex suis observatoribus bona terræ promittat, quibus occurrit docens distantiam esse inter legem et Evangelium: quia in lege carnalibus propter terram præcipiuntur minora, et in Evangelio spiritualibus propter cælum præcipiuntur majora. *Et omnis*. Magna vis est cum de terra genitu cælum quærit possidere per virtutem, quod non potuit tenere per naturam, cum linguas etiam deridentium contemnit, sicut Dominus irritus est a Pharisæis. Omnis qui vim facit, vehementi studio properat, non torpenti lentescit affectu. Est ergo fidei religiosa violentia, segnitias criminosa. Faciamus ergo vim naturæ, ut non ad terrena demergat, sed ad superna se erigat.

^{**}16.17 *Facilius est*. Quamvis dicam, *Lex et prophetæ usque ad Joannem*, tamen non prædico legis destructionem: quia facilius est maxima mundi elementa quam minima legis præcepta transire, quia etiam illa quæ levia vel superstitiosa videntur, non vacant a sacramentis spiritualibus quando omnia et in Evangelio recapitulatur.

^{††}16.18 *Omnis* etc. AMBR. Non omne conjugium est a Deo. Non enim gentilibus Christianæ copulantur, cum lex prohibeat. Ubi est impar conjugium, lex Dei non est.

^{‡‡}16.19 *Homo quidam*. Contra derisores avaros quod proposuit exemplo astruit, scilicet quod dives apud inferos torquetur, qui Lazarum non fecit sibi amicum, a quo posset recipi in æterna tabernacula, et magis videtur narratio quam parabola. *Qui induebatur purpura*, etc. GREG. Purpura color regii habitus est, conchis marinis, etc., usque ad quia viscera pietatis ignoravit, quia præcepta pretio redimere noluit.

^{¶¶}16.20 *Et erat quidam*. Si qua reprehensibilia in pauperibus videmus, despiciere non debemus, quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat. *Ulceribus plenus*. Hujus ulcera dives fastidiosus exhorret, ne inter pretiosas epulas, unguentatosque convivas, fetorem ulcerum lambentibus canibus sustineat.

^{§§}16.21 *Cupiens*. In una re duo judicia Dei explentur: ex visione pauperis diviti non miserenti cumulus damnationis infertur; et rursum ex visione divitis, tentatus quotidie pauper probatur, quem ad majorem ipsius probationem paupertas simul et ægritudo, et visa divitis copia, et nulla sibi adhibita consolatio, afficiunt. *Canes*. Potest in lingua canum lingua significari adulantium qui vulnera lingunt, dum mala quæ in nobis reprehendimus improbo favore laudant.

^{*}16.22 *In sinum Abrahæ*. Sinus Abrahæ est requies beatorum pauperum, quorum est regnum celorum, in quo post hanc vitam recipiuntur. Sepultura inferni pœnarum profunditas est, quæ superbos et immisericordes post hanc vitam vorat. *Et sepultus est*. In lege non tenacia, sed rapina damnatur; in Evangelio dives quod sua non dedit torquetur.

²³ Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus:† ²⁴ et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.‡ ²⁵ Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris:† ²⁶ et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est: ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.§ ²⁷ Et ait: Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei:** ²⁸ habeo enim quinque fratres: ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. ²⁹ Et ait illi Abraham: Habent Moysen et prophetas: audiant illos. ³⁰ At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. ³¹ Ait autem illi: Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.††

17 Et ait ad discipulos suos: Impossibile est ut non veniant scandala: vae autem illi per quem veniunt.** ² Utilius est illi si lapis molaris imponatur circa col-

†16.23 *Elevans autem.* A longe vident infideles, dum in imo positi ante diem iudicii fideles super se in requie attendunt, quorum gaudia post contemplari non possunt. Longe est quod conspiciunt, quia illuc per meritum non attingunt. *Vidit Abraham.* GREG. Credendum est, quod ante retributionem extremi iudicii iniusti in requie, etc., usque ad et de illorum pœna torquentur quos inutiliter amaverunt.

‡16.24 *Ut intingat.* Qui micæ cadentes de mensa Lazaro non dedit, de extremo ejus digito aquam distillari in ore suo cupit, et qui minima in vita non dedit, in inferno minima quærit.

*16.25 *Quia recepisti.* AUG. Nota quod dives iste aliquid boni habuit, ex quo bonum transitorium in hac vita recepit, et Lazarus aliquid mali habuit, sed ignis inopia purgavit.

§16.26 *Et in his omnibus.* Sicut reprobi a pœnis ad gloriam sanctorum transire volunt, ita justi per misericordiam mente ire volunt ad positos in tormentis, ut eos liberent; sed non possunt, quia justorum animæ etsi in naturæ suæ bonitate misericordiam habent, jam tamen auctoris sui justitiæ conjunctæ, tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur.

**16.27 *Rogo ergo.* Postquam ardenti de se spes tollitur, animus ad propinquos recurrit, quia reproborum mentem pœna sua quandoque inutiliter erudit ad charitatem, ut jam tunc etiam suos spiritualiter diligant, qui hic dum peccata diligerent, nec se amabant. Servatur ergo diviti ad pœnam, et cognitio pauperis quem despexit, et memoria fratrum quos reliquit, ut de visa despecti gloria, et de pœna inutiliter amatorum amplius torqueatur. *Ut mittas.* Serius dives iste magister incipit esse, cum jam nec discendi tempus habeat, nec docendi.

††16.31 *Si Moysen.* Qui verba legis despiciunt, Redemptoris præcepta qui ex mortuis surrexit, quanto subtiliora sunt, tanto hæc difficiliora implebunt, et cujus dicta implere renuunt, ei procul dubio credere recusant.

**17.1 *Et ait ad discipulos.* Sciendum cum Dominus de misericordia loqueretur, Pharisæi avari in irrisione perseverabant, in quo infirmis auditoribus scandalum, ne attenderent, faciebant. Hos ergo increpat loquens apostolis, scilicet quod illi suo vitio faciebant, ut evenirent scandala per se quæ non poterant non evenire in mundo ærumnis et erroribus plenissimo.

lum ejus, et projiciatur in mare quam ut scandalizet unum de pusillis istis.[¶] ³ Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: et si pœnitentiam egerit, dimitte illi.^{§§} ⁴ Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi.* ⁵ Et dixerunt apostoli Domino: Aduge nobis fidem.[†] ⁶ Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, et transplantare in mare, et obediet vobis.[‡] ⁷ Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe:[¶] ⁸ et non dicat ei: Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi donec manducem, et bibam, et post hæc tu manducabis, et bibes?[§] ⁹ Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat? ¹⁰ non puto. Sic et vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus

[¶]17.2 *Si lapis molaris*, etc. Secundum ritum provinciæ ubi erat ista criminum pœna, ut alligato saxo in profundum demergerentur. Et vere utilius innoxium pœna gravissima vitam finire, quam lædendo fratrem mortem mœneri perpetuam. **De pusillis.** Non ætate, sed fide et animo, qui ocasiones quærunt quomodo scandalizentur, ideo consulere oportet vos his ne occasione vestri recedant a fide et a salute.

^{§§}17.3 **Attendite vobis.** Quo ordine, scandala declinare et væ perpetuum evitare possimus, insinuat. Sed si nos attendimus ne quem lædamus, si pœnitentem zelo justitiæ corripimus, si ex corde pœnitenti dimittimus, nec jubemur passim peccanti, sed pœnitentiam agenti dimittere. Primum ergo est peccantem increpare, ut postea pœnitenti possimus dimittere. Ita enim peccat qui peccantem videns tacet, sicut qui pœnitenti non indulget. **Et si pœnitentiam.** Aliter fratri pœnitenti, aliter inimico persequenti veniam dare præcipimur. Fratri concessa remissione socia charitate communicamus, persecutori malum nobis volenti, vel si potest facienti, bona volumus et facimus quod possumus.

*17.4 **Septies.** Solet universitas septenario designari. Præcipitur ergo ut omnia peccata dimittantur, vel semper pœnitenti dimittatur.

†17.5 **Aduge.** Cum supra dixisset Luc. 16.: **Qui fidelis est in minimo**, etc. Apostoli qui in alieno et in minimo, id est in terrenorum contemptu fuerant fideles, in suo et majori fidem postulant augeri, ut qui ex fide jam habent exordia virtutis, in eadem proficiant, donec ad perfectionem veniant.

‡17.6 **Arbori moro.** Per morum colore sanguineo cujus fructus et virgulta rubent, Evangelium crucis exprimitur, quæ per fidem apostolorum de gente Judæorum (in qua velut in stirpe generis tenebatur verbum prædicationis) est eradicata et in mare gentium transplantata, cui etiam convenit subjecta parabola de ministris verbi. Folia mori serpenti subjecta necem inferunt, et verbum crucis ut cuncta salutaria confert, cuncta noxia tollit. Fructus mori in flore albet, formatus irrutilat, maturitate nigrescit: sic diabolus, flore angelicæ naturæ et potestate rutilantis prævaricando terror inhorruit odore, qui per fidem excluditur.

¶17.7 **Quis autem**, etc. Servus arans aut pascentis doctor est Ecclesiæ, de quo dicitur: **Nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro, aptus est regno** Luc. 9. Dei. Et Dominus Petro dicit: **Pasce oves meas** Joan. 21.. Qui servus de agro regreditur, cum intermisso opere prædicandi, quasi ad curiam conscientiæ rediens sua dicta vel facta pertractat, cui Dominus non statim jubet ab hac vita transire, et æterna quiete refoveri, sed domi parare quod cœnet, id est post laborem apertæ locutionis, humilitatem propriæ conversationis exhibere, in tali enim conscientia Deus cœnat.

§17.8 **Et ministra mihi.** Ministrat conditori qui ejus naturam considerans, et ejus judicia pertimescens, de suis se virtutibus humiliat. Minister enim a minori statu dicitur.

facere, fecimus.** 11 Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.†† 12 Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe:‡‡ 13 et levaverunt vocem, dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri.¶¶ 14 Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt.§§ 15 Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum,* 16 et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens: et hic erat Samaritanus.† 17 Respondens autem Jesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? 18 Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. 19 Et ait illi: Surge, vade: quia fides

**17.10 *Sic et vos.* Postquam ad perfectionem fidei exhortatus est, per quam fiunt mirabilia opera, etiam contra rerum naturam monet, ne quis de suis operibus gloriatur, sed quanto fides est foris virtutibus excellentior, tanto conscientia intus sit humilior, quia Domino jure debemus obsequium. *Servi inutiles.* Si homo ab homine servo non uniforme, sed multiplex ministerium exigit, nec gratiam habet, quanto magis vos qui sine me nihil potestis, non unius usum operis vel laboris exercere debetis, sed semper novis studiis augere priora, nec vos jactetis, quia bene servitis. *Quod debuimus facere.* Qui venit ministrare non ministrari, nos debitores sibi fecit, ne nostris operibus confidentes, sed ejus examen paventes, omnibus impletis quæ præcepta sunt, nos imperfectos esse recognoscamus, quandiu peregrinamur a Deo.

††17.11 *Et factum est.* Post parabolam qua invitatur ad humanitatem et perseverantiam in diversis officiis Dei, reprehenduntur ingrati de impensis beneficiis.

‡‡17.12 *Occurrerunt,* etc. Leprosi sunt hæretici, qui quasi varios colores habentes in eodem corpore, varias sectas, nunc falsitatis, nunc veritatis, permiscunt in eadem prædicatione. Hi autem quia vitantur et ab Ecclesia removentur longe, necesse habent ut magno clamore interpellent. *Qui steterunt,* etc. Qui contra Decalogum peccaverunt, nec amando Deum (de quo male sentiunt), nec proximum, a quo dividuntur, sub denario ad Deum clamant et sanantur, dum in Ecclesiæ societate doctrinam integram veramque assequuntur, et omnia secundum Catholicæ fidei regulam disserunt, et varietate mendaciorum quasi lepra carent. Sed unus gratias agit, id est qui in unitate Ecclesiæ per humilitatem remanent; qui vero per superbiam elati mundatori sunt ingrati, novem sunt, quia per unitatem a perfectione denarii deficiunt.

¶¶17.13 *Et levaverunt vocem.* Quia in verbis Salvatoris se errasse cognoscunt, salvandi præceptorem vocant, et per cognitionem præceptoris redeunt ad formam salutis.

§§17.14 *Ite,* etc. Quisquis hæretica pravitate, vel gentili superstitione, vel Judaica perfidia, vel fraterno schismate per Dei gratiam mundatus caruerit, necesse est ut ad Ecclesiam veniat, coloremque fidei verum aliis similem ostendat.

*17.15 *Unus autem.* Unus autem regressus significat unius Ecclesiæ devotam in Christo humilitatem, qui cadens ad pedes ejus gratias agens, quia repressis præsumptionis cogitationibus, quam sit infirmus videt, nihil virtutis sibi tribuit; bona quæ agit de misericordia intelligit.

†17.16 *Et cecidit in faciem.* Cadit in faciem, qui de perpetratis malis erubescit. Ibi enim cadit homo, ubi confunditur. Qui in faciem cadit, videt quo cadat; qui retro cadit, non videt. Boni ergo in faciem cadunt, quia humiliant se in his visibilibus, ut ad invisibilia erigantur; mali retro cadunt, quia cadunt in invisibilibus, ubi non vident quid eos sequatur.

tua te salvum fecit.[‡] 20 Interrogatus autem a pharisæis: Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum observatione:[¶] 21 neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.[§] 22 Et ait ad discipulos suos: Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis.^{**} 23 Et dicent vobis: Ecce hic, et ecce illic. Nolite ire, neque sectemini:^{††} 24 nam, sicut fulgur coruscans de sub cælo in ea quæ sub cælo sunt, fulget: ita erit Filius hominis in die sua.^{‡‡} 25 Primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac.^{¶¶} 26 Et sicut factum est in diebus Noë, ita erit et in diebus Filii hominis:^{§§} 27 edebant et bibebant: uxores ducebant et dabantur ad nuptias, usque in

[‡]17.19 *Surge.* Qui infirmitatem suam agnoscens humiliter ante Deum jacuit, divina consolatione surgere ad fortiora opera, et ire crescendo usque ad perfectiora iubetur. *Fides tua.* Fides quæ ad agendas gratias inclinavit, econtra perfidia illos damnat qui de acceptis beneficiis sunt ingrati. *Te salvum fecit.* In superiori parabola decernitur fidem per humilitatem debere augeri. In ista rebus ipsis manifeste ostenditur, non fidei tantum agnitam rationem, sed fidei executam operationem esse, quæ salvum faciat credentem.

[¶]17.20 *Interrogatus.* Ideo interrogant, quia, sicut Lucas inferius aperuit, existimabant quod, veniente Domino Hierosolymam, confestim regnum ejus manifestaretur. *Non venit regnum Dei,* etc. Quia, quando veniet, neque ab angelis, neque ab hominibus potest observari, sicut Dominicæ incarnationis tempus, et prophetarum vaticiniis præfixum, et angelorum est præconiis manifestatum, adeo ut conceptus est, natus, baptizatus, prædicans, moriens, resurgens, ad cælos ascendens, comitantibus indesinenter, vel angelorum, vel hominum, vel certe miraculorum sit declaratus indicis.

[§]17.21 *Ecce enim regnum.* Non poterit observari, quia regnum meum non est corporale, ut putatis, sed spirituale, quod fide jam incepit. *Regnum Dei.* Vel sic potest accipi responsio Domini: *Regnum Dei intra vos est,* qui quandoque venturus Judæam omnium, nunc etiam regnat in cordibus fidelium. Sed cum hæretici turbant Ecclesiam pravis dogmatibus, desiderant fideles ut Dominus, una die ad terras rediens, si fieri posset, veritatem fidei intimaret. Sed non videbunt, quia quod semel Evangelico fulgore est exhibitum, non est opus corporali visione Domini firmari.

^{**}17.22 *Venient dies.* Noluit dicere quando veniret, sed venturum dixit, ut incuteret omnibus terrorem imminentis iudicii, nec securitatem afferret dilationis. *Desideretis.* Post meam ascensionem, quando vos in hoc exsilio mundi ingemiscentes desiderabitis me videre in gloria mea, quæ voluntas laudanda, non tamen in hoc mundo implenda. *Unum diem.* Bene unum dicit, quia in illa gloria, de qua propheta ait: *Melior est dies una in atris tuis super millia* Psal. 83., nulla est tenebrarum interruptio, nulla saltem memoria miseræ vel doloris. Hujus diei præsentiam bonum est desiderare, non tamen magnitudine desiderii nobis fingere somnia, quasi instet dies Domini, quod ab aliquibus faciendum prædicit.

^{††}17.23 *Et dicent,* etc. Fuere quidam qui computantes curricula ætatum, consumptionis sæculi, certum annum, diem et horam se dicerent invenisse.

^{‡‡}17.24 *Nam sicut,* etc. Nolite illis credere, quia secundus adventus repentinus erit, et ita manifestus, quod nullus poterit ignorare de sub cælo, quia discrimen iudicii sub cælo, hoc est, in æris medio geritur.

^{¶¶}17.25 *Primum autem,* etc. Loquens de gloria adventus, inserit etiam de passione, ut cum morientem viderent quem regnaturum audierant, dolorem passionis, spe promissæ claritatis mitigarent.

^{§§}17.26 *Et sicut factum est.* Subitum adventus sui diem pluribus astruit exemplis, et quem fulguri (cito omnia transvolanti) comparaverat, diebus Noë, vel Loth æquiparat, quando repentinus mortalibus supervenit interitus.

diem, qua intravit Noë in arcam: et venit diluvium, et perdidit omnes.* ²⁸ Similiter sicut factum est in diebus Lot: edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et ædificabant:† ²⁹ qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem et sulphur de cælo, et omnes perdidit: ³⁰ secundum hæc erit qua die Filius hominis revelabitur.‡ ³¹ In illa hora, qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa: et qui in agro, similiter non redeat retro.¶ ³² Memores estote uxoris Lot.§ ³³ Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam: et quicumque perdidit illam, vivificabit eam.** ³⁴ Dico vobis: In illa nocte erunt duo in lecto uno: unus assumetur, et alter relinquetur:†† ³⁵ duæ erunt molentes in unum: una assumetur, et altera relin-

*17.27 **Edebant**, etc. Non connubia vel alimenta damnantur, cum in his successionis, in illis naturæ posita sint subsidia, sed immoderatus licitorum usus arguitur. Quia enim his se totos dando, Dei judicia contemnebant, igne vel aqua perierunt. **Usque in diem.** Allegorice: Noë arcam ædificat, cum Dominus fideres in Ecclesia congregat. Quam et consummatam ingreditur cum hanc in die iudicii præsentia sua illustrat. Sed dum arca ædificatur, iniqui luxuriantur, et dum intratur, æterna damnatione plectuntur.

†17.28 **Similiter**, etc. Prætermisso maximo Sodomitarum scelere, sola ea commemorat quæ vel levia, vel nulla esse putarentur, ut intelligas quali pœna feriantur illicita, si licita et ea sine quibus vita non ducitur, immoderatus acta, igne et sulphure puniuntur. **Loth.** Allegorice: Loth, qui interpretatur **declinans**, est populus electorum, qui dum in Sodomis, id est inter reprobos ut advena moratur, quantum valet scelera eorum declinat. Exeunte Loth, Sodoma perit, quia **in consummatione sæculi exhibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis** Matth. 13..

‡17.30 **Filius hominis.** Qui interim apparens omnia videt, tunc apparens omnia iudicabit, quando cunctos iudiciorum suorum oblitos huic sæculo conspexerit mancipatos, ut merito debeant cum ipso quem inhabitant orbe deleri.

¶17.31 **In illa die.** Hucusque de hoc quod regnum, id est Christus, non cum observatione, sed insperatus adveniat: nunc a qualibus ipse adventus exspectari debeat. In tecto est, qui carnalia excedens velut in aura libera spiritualiter vivit. Vasa ejus in domo, sunt concupiscentiæ carnales, quas prius amaverat, sed superna petens in mundo reliquerat, quas imminente iudicio necesse est ne repetat. **Et qui in agro.** Quod dixerat: Eum qui in agro est retro non debere redire, ne de his tantum dictum videretur, qui aperte de agro redituri sunt, id est Dominum palam negaturi; ostendit multos qui cum faciem in anteriora videntur tenere, animo tamen retro respiciunt.

§17.32 **Memores estote.** Uxor Loth significat illos qui in tribulatione retro respiciunt, et se a spe divinæ promissionis avertunt, et ideo statua salis facta est, quia admonendo homines ne similia faciant, corda eorum condit ne sint fatui.

17.33 **Quicumque. Qui vitam carnalem (negando Christum) in mundo salvare voluerit, in futuro perdet eam; vel qui æternam salutem animæ quærit, non dubitet eam dare ad mortem hujus temporis.

††17.34 **In illa nocte.** Id est in illa tam tenebrosa tribulatione **ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi** Matth. 24.. **Duo in lecto.** Illi scilicet qui otium eligunt, neque sæcularibus, neque ecclesiasticis negotiis occupati.

quetur: duo in agro: unus assumetur, et alter relinquetur.†† 36 Respondentes dicunt illi: Ubi Domine? 37 Qui dixit illis: Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ.††

18 Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare et non deficere, 2 dicens: Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur.§§ 3 Vidua autem quædam erat in civitate illa, et veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adversario meo.* 4 Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor: 5 tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me. 6 Ait autem Dominus: Audite quid iudex iniquitatis dicit: 7 Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? 8 Dico vobis quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?† 9 Dixit autem et ad quosdam qui in se confidebant tamquam justi, et aspernabantur ceteros, parabolam istam: 10 Duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus pharisæus et alter publicanus.‡ 11 Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ce-

††17.35 *Altera relinquetur.* Qui vel humana laude, vel qualibet corruptione statum vitæ qua imbutus est, deserit. De quo Jeremias: *Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus* Thren. 1.. *Duæ erunt,* etc. Duæ differentiæ, sequentium orbem rerum mobilium. Quæ femineo genere designantur, quia majorum consilio reguntur, ut femina a viris, quæ tamen in unum molunt inquantum de suis negotiis Ecclesiæ usibus deserviunt. Sed quidam tantum propter æterna, *qui habent tanquam non habentes,* quidam propter temporalia, *qui in incerto divitiarum sperant* I Tim 6..

††17.37 *Qui dixit illis.* Duo quærentibus unum respondet, sanctos scilicet secum assumendos, aliud subjiciendo innuit, malos scilicet a se repulsos cum diabolo damnandos. *Ubicunque,* etc. Ubicumque fuerit Dominus corporaliter, illo congregabuntur electi, qui ejus passionem humiliter imitando tanquam de carne ejus saturantur, quorum per resurrectionem renovabitur ut aquilæ juvenus.

§§18.2 *Judex quidam.* Hæc parabola ad orandum et credendum, et non de nobis, sed de Deo præsumendum hortatur.

*18.3 *Vidua autem.* Hæc vidua potest habere similitudinem Ecclesiæ, quæ desolata videtur donec veniat Dominus, qui tamen in secreto etiam nunc curam ejus gerit. *Vindica me.* Cum justi pro persecutoribus orare moneantur, tamen de malis salva justitia hanc vindictam expetunt: ut pereant omnes mali, vel conversi ad justitiam, vel amissa per supplicium potestate quam nunc contra bonos quandiu hoc ipsum bonis expedit vel temporaliter aliquid possunt. Quem finem cum justi venire desiderant, quamvis pro inimicis orent, tamen non absurde vindictam desiderare dicuntur.

†18.8 *Verumtamen.* Dico me facturum vindictam justorum, sed illi erunt valde pauci, quia cum in die iudicii in forma Filii hominis apparuero, tanta erit raritas justorum, ut non tam ob clamorem fidelium injuste damnatorum, quam ob eorum torporem juste damnandorum totius jam mundi sit acceleranda ruina. *Putas.* In verbo increpatur dubitationis infidelitas, non opinatur Divinitas. Scit enim omnia per quem sunt omnia, sed dubitando increpat infidelium corda.

‡18.10 *Duo homines.* Quia parabola qua ad orandum invitavit, ita conclusit, ut diceret, veniente Judice, difficile fidem in terra reperiendam. Ne quis sibi de supervacua fidei cognitione, vel etiam confessione blandiretur, in hac parabola, diligentius ostendit a Deo non fidei verba, sed opera examinanda, inter quæ maxime regnat humilitas, quam quia non habent superbi de sua justitia præsumentes, et infirmos despicientes, quasi vacui fide, cum orant non exaudiuntur.

teri hominum: raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus:[¶] 12 jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.[§] 13 Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.^{**} 14 Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.^{††} 15 Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos.^{‡‡} 16 Jesus autem convocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos: talium est enim regnum Dei.^{¶¶} 17 Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.^{§§} 18 Et interrogavit eum

[¶]18.11 *Deus, gratias*, etc. Quatuor sunt species tumoris: cum vel quis bonum quod habet, a se habere æstimat: aut si datum a Deo credit, pro meritis datum putat; aut cum jactat se habere quod non habet; aut cum despectis cæteris appetit singulariter videri habere quæ habet. Hac Pharisæus peste laborabat, qui ideo non justificatus descendit, quia merita bonorum operum sibi singulariter tribuens, publicano se prætulit.

[§]18.12 *Jejuno bis*. Ecce Pharisæus ad exhibendam abstinenciam, ad impetrandam misericordiam, ad referendas Deo gratias oculum habet, ad humilitatis custodiam non habet. Et quid prodest si tota civitas custodiatur, et unum foramen per quos hostes intrent relinquatur?

^{**}18.13 *Et publicanus*. Sicut humilis, non audet appropinquare, ut ad eum Deus appropinquet: non aspicit ut aspiciatur; premit conscientiam, sed spem sublevat; percutit pectus, poenas de se exigit ut Deus parcat; confitetur ut Deus ignoscat; ignoscit Deus quod ille agnoscit. *Deus, propitius*. Publicanus humiliter orans ad illos pertinet de quibus dicitur: Deus non faciet vindictam electorum ad se clamantium. Pharisæus merita jactans, ad illos de quibus subditur: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?*

^{††}18.14 *Quia omnis*, etc. Posita Pharisæi et publicani controversia, ponitur judicis sententia, ut caveatur superbia.

^{‡‡}18.15 *Afferebant autem*. Post dictam controversiam, post datam sententiam humili magistro, offeruntur infantes, ut ostendatur quod innocens et simplex ætas ad gratiam pertineat. Increpant apostoli, non quod nollent infantes manu et voce Salvatoris benedici, sed quia nondum perfecti in fide, putabant eum in similitudinem hominum lassari importunitate offerentium. *Increpabant*. Hoc fortasse ideo, quia prius populum Judæorum ex quo secundum carnem erant, salvari volebant, sed et pro Chananæa muliere supplicaverunt. Sciebant ergo mysterium, quod utriusque populi vocatio deberetur, sed fortasse adhuc nesciebant ordinem.

^{¶¶}18.16 *Sinite pueros*. Nemo prohibeat languidos venire ad medicum. Isti in ramo nihil adhuc commiserunt, sed in radice perierunt. Qui pro se agere non possunt, causam suam majoribus commiserunt. Tangat medicus, et *benedicat pusillis cum majoribus* Psal. 113.. *Talium est enim*. Non ait istorum, sed qui habent ex studio innocentiam et simplicitatem quam isti habent per naturam, quia non ætas regnat, sed mores. Non enim est virtus non posse peccare, sed nolle. Sicut puer non perseverat in ira, læsus non meminit, non concupiscit mulierem, non cogitat vel loquitur malum, sic vos nisi talem innocentiam et animi puritatem habueritis, non intrabitis in regnum cælorum.

^{§§}18.17 *Regnum Dei*. Id est doctrinam Evangelii sicut puer jubemur accipere. Puer in discendo non contradicit doctoribus. Non rationes et verba componit ad resistendum, sed fideliter suscipit, obtemperat et quiescit.

quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo? ¹⁹ Dixit autem ei Jesus: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus. [†] ²⁰ Mandata nosti: non occides; non mœchaberis; non furtum facies; non falsum testimonium dices; honora patrem tuum et matrem. ²¹ Qui ait: Hæc omnia custodivi a juventute mea. ²² Quo audito, Jesus ait ei: Adhuc unum tibi deest: omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo: et veni, sequere me. ²³ His ille auditis, contristatus est: quia dives erat valde. [‡] ²⁴ Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrant! ²⁵ Facilius est enim camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum Dei. [¶] ²⁶ Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest salvus fieri? [§] ²⁷ Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. ²⁸ Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te. ²⁹ Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, ^{**} ³⁰ et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam. ^{††} ³¹ Assumpsit autem Jesus duodecim, et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio

*18.18 *Et interrogavit eum.* BEDA. Audierat hic princeps similes puerorum dignos esse, etc., usque ad his qui perfecti esse volunt, adjungit: ***Omnia vende et da pauperibus*** Marc. 10.. ***Magister bone.*** Quia bonum magistrum dixit, et non Deum vel Dei Filium confessus est dicit quamvis sanctum hominem comparatione Dei bonum non esse. Christus autem non renuit testimonium bonitatis, sed magistri absque Deo excludit bonitatem.

†18.19 *Dixit autem.* AMBR. Versuta interrogatio, et ideo arguta responsio. Tentator enim, etc., usque ad cum his verbis definiatur contra naturam esse dives misericors. ***Mandata nosti.*** Hæc est puerilis innocentiae castitas, quæ nobis imitanda proponitur, si regnum Dei ingredi volumus.

‡18.23 *Dives erat.* Nullus dives, id est confidens divitiis suis, intrabit, ut Jesus secundum Matthæum exponit. Non ergo divites manentes, sed qui esse desierunt intrabunt.

¶18.25 *Facilius est enim.* Mystice. Facilius est Christum pati pro dilectoribus sæculi, quam dilectores sæculi ad Christum converti. Camelus dicitur Christus, quia sponte humiliatus, infirmitatis nostræ onera sustulit. Acus punctio, per quam angustias passionis significat, qua passione velut acu, naturæ nostræ quasi scissa vestimenta resarcire dignatus est, id est reparare post lapsum. Aliter: facilius est gentilem populum gibbo peccatorum deformem per angustam vitæ viam ingredi, quam Judæum de meritis gloriantem, et ad subeundum leve onus Christi se humiliare nolentem.

§18.26 *Quis potest?* Intelligunt in numero divitum deputandos omnes qui amant divitias, etsi non habent: aliter enim, cum sit turba major pauperum, non dicerent: ***Quis potest salvus fieri?***

18.29 *Nemo.* Qui carnalia pro Domino dimiserit, spiritualia accipiet. Marcus ait: *Centies tantum nunc,*** etc. Marc. 10., id est, in hac vita persecutionibus plena gaudium regni degustant, et omnium electorum sincera dilectione fruuntur.

††18.30 *Recipiat,* etc. Qui pro Domino omnes divitias dimiserit, et carnis affectus contempserit, multo plura recipiet in præsentem, et a fratribus et sororibus propositi sui glutino spirituali colligatis, multo gratiosorem in hac vita recipiet charitatem.

hominis:‡ 32 tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur: 33 et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget. 34 Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur.¶ 35 Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans.§§ 36 Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. 37 Dixerunt autem ei quod Jesus Nazarenus transiret. 38 Et clamavit, dicens: Jesu, fili David, miserere mei. 39 Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei.* 40 Stans autem Jesus iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum,† 41 dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam.‡ 42 Et Jesus dixit illi: Respice, fides

‡18.31 **Assumpsit.** Prævidens ex passione sua discipulos perturbandos, prædicit et passionis pœnam, et resurrectionis gloriam, ut cum morientem cernerent, resurrectorum non dubitarent. **Et consummabuntur.** In hoc ostendit quidquid prophetæ prædixerunt ad suæ dispensationis mysterium intendisse. In quo percutit hæreticos, qui dicunt Christum legi et prophetis contrarium prædicasse, et alium Veteris, alium Novi esse Deum Testamenti. Confutat etiam paganorum dementiam, quia ejus crucem derident cum proximæ suæ passionis, et tempus quasi futurorum præscius ostendit, et locum quasi mortem non timens adiit.

¶18.34 **Et ipsi,** etc. Discipuli sermonem Dominicæ passionis toties replicatum ideo intelligere non valent, quia quem maxime videre desiderant, ejus mortem audire non possunt, et quem non solum hominem innocentem, sed etiam verum Deum esse sciunt, mori posse non putant.

§§18.35 **Cæcus.** Cæcus significat humanum genus, quod a superna claritate exclusum damnationis suæ patitur tenebras, sed a Domino appropinquante Jericho curatur. Jericho *luna* interpretatur, per quam defectus mortalitatis intelligitur. Dum ergo Verbum Dei infirmitatem nostræ carnis suscipit, homo ad cognoscenda redit. Cæcus sedet juxta viam dum incipit credere in ipsum, qui dicit: **Ego sum via** Joan. 14.. Mendicat, dum rogat.

*18.39 **Et qui præibant,** etc. Qui Jesum præeunt venientem, significant cæcum carnalium vitiorum, quæ dissipant cogitationem hominis et perturbant vocem orationis, ne Jesus ad illuminandum venire possit cor hominis, sed jam sentiens se gravari phantasmate priorum vitiorum, et vocem orationis suæ impediri, ne pro se exorari possit, ardentius clamat.

†18.40 **Stans autem,** etc. Transiens, cæcum audit, stans illuminat, quia per humanitatem suam nostræ cæcitatibus vocibus compatitur, sed per potentiam Divinitatis lumen nobis gratiæ infundit. **Adduci ad se.** Qui prætereuntem aliquatenus sentiebat, dum in oratione patitur phantasmatum turbas, vehementius insistens orationi ducitur ad stantem, et recipit lumen, quia Deus in corde firmo figitur, et sic lux amissa reparatur.

‡18.41 **Quid tibi,** etc. Non ex ignorantia quærit, sed ideo ut rogetur, ut mentem ad orationem excitet. Quod intelligens, cæcus subjungit: **Domine, ut videam.** Non petit cæcus aurum vel aliquid temporale, sed tantum lumen. Imitemur ergo eum, quem mente et corpore audivimus sanatum; petamus a Domino lucem æternæ visionis, et dicet nobis: **Respice, fides tua salvum te fecit.**

tua te salvum fecit. ⁴³ Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.[†]

19 Et ingressus perambulabat Jericho.[§] ² Et ecce vir nomine Zachæus: et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives: ³ et quærebat videre Jesum, quis esset: et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.^{**} ⁴ Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret eum: quia inde erat transiturus.^{††} ⁵ Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum: Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere.^{‡‡} ⁶ Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. ⁷ Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset.^{¶¶} ⁸ Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: et si quid aliquem de-

[†]18.43 *Et confestim vidit.* Videt et sequitur, qui bonum quod intelligit operatur, et Jesum præsentem vel prætereuntem imitatur. Et hic talis non solum pro impetrato in Deum proficit, sed etiam alios ad laudem Dei accendit. *Et omnis plebs.* Laudat plebs Deum non solum pro impetrato munere lucis, sed et pro merito fidei impetrantis, quia non solum laudat quod potenter et misericorditer illuminat, sed quia clamorem fidei firmiter clamantis exaudit.

[§]19.1 *Et ingressus,* etc. Ecce camelus deposita sarcina gibbi per foramen acus transit, dum contempto censu fraudium, angustam portam quæ ducit ad vitam ascendit. Et quia devotione fidei ad videndum Salvatorem, quod natura minus habebat, ascensu arboris supplet, juste quod rogare non audebat, Dominicæ susceptionis benedictionem accipit quam desiderabat. Mystice, Zachæus, qui interpretatur *justificatus*, significat credentes ex gentibus qui per occupationem temporalium depressi erant, et minimi, sed a Domino sanctificati. *Et ipse dives.* Quis de se desperet, cum venit iste ad Deum cui census ex fraude? Per hunc apparet, quia non omnis dives avarus.

^{**}19.3 *Præ turba.* Quæ turba, nisi imperitæ confusio multitudinis, quæ verticem sapientiæ videre nequit? Zachæus ergo non in turba, sed plebem transgressus Mes-siam quem desiderat aspicit.

^{††}19.4 *Sycomorum.* Sycomorus arbor est, moro foliis similis, sed altitudine præstans, et interpretatur *ficus fatua*, id est crux. Quæ credentes ut ficus pascit, ab infidelibus irridetur ut fatua. Quam pusillus ascendit, dum quilibet humilis et propriæ infirmitatis conscius, in virtute crucis gloriatur, et per hanc laudabilem fatuitatem transeuntem prope Dominum cernit, quia si nondum ita solide ut est jam, tamen raptim, et quasi in transitu luci sapientiæ cœlestis intendit. *Quia inde erat transiturus.* ISID. Illa parte ubi sycomorus, vel ubi crediturus, etc., usque ad velut in fecunda altitudine operis eminebat.

^{‡‡}19.5 *Et cum venisset.* Per præmissos præcones verbi sui, in quibus erat Jesus et loquebatur, venit ad populum nationum, qui passionis ejus fide jam sublimis, etiam divinitatem ejus agnoscere ardet, suspiciens videt, quia per fidem a terrenis elevatum elegit eligentem se, et amat amantem se. *Descende.* Quod descendere de sycomoro, et sic in domo parare mansionem jubetur, hoc est quod Apostolus ait: *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed jam non novimus. Si enim mortuus est ex infirmitate, sed jam vivit ex virtute Dei* II Cor. 5, 13.. *Manere.* Manebat aliquando Dominus in domo principis Phariseorum, id est id est in Judæorum Synagoga docebat.

^{¶¶}19.7 *Murmurabant.* Manifestum est Judæos semper gentium odisse, vel non intellexisse salutem. Unde et adversus Petrum dicitur: *Quare introisti ad gentes præputium habentes* Act. 9.?

fraudavi, reddo quadruplum. §§ 9 Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eo quod et ipse filius sit Abrahæ. * 10 Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat. † 11 Hæc illis audientibus adjiciens, dixit parabolam, eo quod esset prope Jerusalem: et quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur. ‡ 12 Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. ¶ 13 Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiamini dum venio. § 14 Cives autem ejus oderant eum: et miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. 15 Et factum est ut rediret accepto regno: et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. ** 16 Venit autem primus dicens: Domine,

§§19.8 *Stans autem*, etc. Aliis calumniantibus hominem peccatorem, ipse et Zachæus stans, id est in ea quam cœperat fidei veritate persistens, non solum se ex peccatore conversum, sed etiam inter innocentes probat conversatum, cum etiam ante conversionem innocenter vixit, et qui ante conversionem dimidium, post conversionem potest dare et totum. *Si quid*, etc. Primum est secundum legem reddere, deinde quod remanet pauperibus erogare. Hunc fructum vitæ publicanus de sycomoro per sapientem stultitiam legit quod rapta reddit, propinqua relinquit, visibilia contemnit, ejus quem nondum videt sequi vestigia concupiscit.

*19.9 *Filius sit*. Non carne, sed fide, quia sicut Abraham jussu Dei patriam ob spem futuræ hæreditatis deseruit, sic et iste qui thesaurum in cœlis acquirit spe.

†19.10 *Venit*, etc. Etiam murmurantibus sua mysteria non dedignatur exponere, quod propter pœnitentiam peccatorum suspiciendam maxime ipse in terram venerit, ubi et se appellat Filium hominis, ut insinuet nobis dispensationem suæ pietatis.

‡19.11 *Hæc illis*, etc. Suscepta et commendata pœnitentia publicani divitis, per parabolam docet sibi magis pœnitentiam peccatorum, quam justitiam placere superborum, latiusque in gentibus de ignorantia legis humilibus, quam in Judæis de justitia legis superbientibus se esse regnaturum. *Eo quod*. Non solum qui justiperseverant, sed etiam qui de injustitia convertuntur ad filios promissionis pertinent.

¶19.12 *Nobilis abiit*. Hic est nobilis cui cæcus clamabat: *Miserere mei, fili David*, et cui tubæ clamabant: *Hosanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini rex Israël*, qui constitutus est a Patre rex, cui datæ sunt gentes in hæreditatem. *Longinquam*. Excæcatos Judæos relinquens, transit ad illuminandas gentes, quæ longe (quia a finibus terræ) clamant ad Dominum, vel quia *longe a peccatoribus salus* Psal. 118.: Deus, qui ubique præsens, longe ab his qui idola colunt, sed et ipsi prope facti sunt in sanguine.

§19.13 *Vocatis autem decem*. Vocat decem servos, dum elegit discipulos littera Decalogi imbutos. Dat decem mnas, dum post resurrectionem surgit, et aperit sensum, ut spiritualiter intelligat legis dicta Mna decem drachmas appendit. Et omnis Scripturæ sermo, quia vitæ cœlestis perfectionem suggerit, quasi centenarii numeri pondere fulget. *Negotiamini*. Verba legis mystica interpretatione discussa populis offerte, et ab eis confessionem fidei, morumque probitatem recipite.

**19.15 *Et factum est*. Quotidie Christus accepto regno a Patre redit, quia peregrinantis in terra Ecclesiæ semper statum conspicit. Huic servo pecuniam negotiaturus commodat, in altero modum consummati operis examinat. Hunc prudenter laborantem ampliori gratia donat, illum luxuriosa sectantem, etiam quod dederat privat. In judicio vero multi qui ad docendum idonei videbantur, ob negligentiam suam inter indoctos reputabuntur. Quidam simplicioris observationis devotionem inter apostolicos summa præmia percipient. *Qui enim recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet* Matth. 10..

mna tua decem mnas acquisivit.†† 17 Et ait illi: Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.‡‡ 18 Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas.¶¶ 19 Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates. 20 Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario:§§ 21 timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti.* 22 Dicit ei: De ore tuo te judico, serve nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi:† 23 et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?‡ 24 Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet.¶ 25 Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. 26 Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit: ab eo autem qui non habet,

††19.16 **Venit autem.** Primus servus, ordo doctorum in circumcissione missus, qui unam mnam negotiaturus accepit, quia unum Deum, unam fidem, unum baptisma missus est prædicare. Sed decem acquirit dum populum sub lege constitutum docendo sibimet associat.

‡‡19.17 **In modico fuisti fidelis.** Modicum est quidquid in præsentī percipimus donorum ad comparationem futurorum. **Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus** I Cor. 13.. **Decem civitates.** Decem civitates sunt animæ, per legis verba ad gratiam Evangelii pervenientes, quibus tunc glorificandus præponitur, qui eis pecuniam verbi digne Deo commendaverit; unde Apostolus: **Quæ est spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum Jesum** I Thes. 2.?

¶¶19.18 **Et alter,** Bonus ordo, vocaturus gentes, et Judæos missurus interfici, qui noluerunt super se Christum regnare, hanc præmisit comparationem, ne diceretur: Nihil dederat populo Judæorum unde melior possit fieri, ut quod exigeretur ab eo qui nihil recipit? Ex una mna quinque facit, qui moralia habet propter quinque sensus.

§§19.20 **Et alter,** etc. Qui ad præputium missus est, cui Dominus mnam unam eandemque fidem, quæ circumcissioni credita est, ad prædicandum commisit. Quæ quinque mnas facit, quia gentes quinque sensibus corporis mancipatas, ad gratiam fidei evangelicæ convertit. **In sudario,** etc. In sudario pecuniam reponit, qui ad prædicandum idoneus, officium prædicandi vel suscipere renuit, vel susceptum non bene gerit, sed percepta dona sub otio temporis abscondit secum, dicens: Sufficit mihi ut de me rationem reddam, cur aliis prædicem, vel de aliis cogar reddere rationem? cum etiam apud Deum illi sunt inexcusabiles quibus lex data non est, neque audito Evangelio dormierunt, quia per creaturam poterant Creatorem cognoscere.

*19.21 **Metis quod.** Metit enim Deus ubi non seminavit, id est etiam eos impietatis reos tenet quibus legis verbum vel Evangelii non ministravit. Timens ergo periculum iudicii, requiescam ab administratione verbi.

†19.22 **Sciebas,** etc. Quod putaverat pro excusatione dixisse vertitur in culpam. Si me ita durum et crudelem noveras, quare ista cogitatio non incussit tibi timorem, ut scires me mea diligentius quæsiturum?

‡19.23 **Pecuniam.** Id est evangelicam prædicationem paratisque fidelium cordibus non intimasti. **Meam ad mensam.** Non tuam. Unde Apostolus: **Si quis loquitur, quasi sermones Dei** I Petr. 4.. **Cum usuris.** Qui verbi pecuniam a doctore emit credendo, necesse est ut cum usuris solvat operando. Vel, de accepto verbi fenore usuras solvit, qui ex eo quod audit, etiam alia studet intelligere.

¶19.24 **Auferte,** etc. Collatam gratiam amittit, qui prædicando aliis communicare neglexit. Augetur vero illi qui in ea laboravit. Sicut regium chrisma quod superbiendo Saul amisit, David obediendo promeruit. Spiritus enim Domini qui a Saul recessit, directus est a die illa et deinceps in David.

et quod habet auferetur ab eo.^{§ 27} Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc: et interficite ante me.²⁸ Et his dictis, præcedebat ascendens Jerosolymam.^{** 29} Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage et Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos,^{†† 30} dicens: Ite in castellum quod contra est: in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo umquam hominum sedit: solvite illum, et adducite.^{‡‡ 31} Et si quis vos interrogaverit: Quare solvitis? sic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus desiderat.³² Abierunt autem qui missi erant: et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum.³³ Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid solvitis pullum?^{¶¶ 34} At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet.³⁵ Et duxerunt illum ad Jesum. Et jacentes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum.^{§§ 36} Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via:³⁷ et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes

§19.26 **Et abundabit.** Mystice: cum omnis Isræl salvus erit, tunc plenitudo spiritualis gratiæ quam modo torpenter exercemus, doctoribus illius temporis abundanter conferetur.

19.28 **Et his dictis. Finita parabola, vadit Hierosolymam, ut ostenderet de ejusdem maximæ civitatis eventu parabolam fuisse præmissam, quæ non longe post, et ipsum occisura ob odium regni ejus hostili clade sit peritura.

††19.29 **Ad Bethphage.** Bethphage, viculus sacerdotum in monte Oliveti, et interpretatur **domus buccæ.** Bethania villa vel civitas in latere ejusdem montis, et dicitur **domus obedientiæ.** Has Dominus Hierosolymam venturus præsentia sua sublimavit, quia multos ante passionem suam docendo piæ confessionis donis et obedientiæ spiritualis implevit. Quæ bene in monte Oliveti sunt positæ, id est in ipso Domino qui nos unctioe spiritualium chrismatum, et conscientiæ pietatisque luce refovet. Et quia non vult abscondi civitatem supra se positam, mittit discipulos in castellum, quod est contra eos, ut per eos totius contra positi orbis munitiones penetret.

‡‡19.30 **Intrœuntes invenietis.** Intrœuntes in mundum prædicatoresveniunt populum nationum, perfidiæ vinculis irretitum, liberum et lascivum. **Cui nemo,** etc., id est, nullus rationalis doctor frænum correctionis posuit, qui vel linguam a malo prohiberet, vel in arctam viam vitæ ire cogeret. Nemo indumenta salutis quibus **calefieret,** utilia suadendo contulit. **Nemo sedit,** quia nullus stultitiam ejus deprimendo correxerat. **Alligatum.** Alligatus vinculis perfidiæ, in quo addictus vel astrictus Domino errore famulabatur, sed dominatum sibi vindicare non poterat, quem Dominum fecerat non natura, sed culpa. Et ideo cum Dominus dicitur, unus agnoscitur. Nam, etsi multi dii et domini, generaliter tamen unus Deus et unus Dominus.

¶¶19.33 **Solventibus autem,** etc. Non despicias hunc asellum, quia sicut in vestitu ovium sunt lupi rapaces, ita sub exuviis corporis (quod nobis est commune cum belluis) mens Deo plena vegetatur. **Dixerunt.** Multos habebat dominos qui non uni superstitioni deditus, sed pro libitu immundorum spirituum raptabatur ad varios errores. **Quid solvitis.** Qui solvendo pullo contradixerant, audito nomine quiescunt, quia magistri errorum qui doctoribus ad salutem gentium venientibus obsistunt, suas tenebras defendunt, donec miraculis attestantibus veri possessoris virtus emineat. Sed postquam Dominicæ fidei potestas apparet, cedentibus adversariorum querelis, cœtus qui Deum corde portet adducitur.

§§19.35 **Vestimenta.** Vestimenta apostolorum doctrina virtutum, vel discretio Scripturarum, et gratia spiritualiter, quibus illi corda hominum prius nuda et frigida contegunt, ut mereantur habere sessorem Christum. **Imposuerunt.** Dum populus gentium portat Christum, discipuli in via vestimenta sternunt, quia corporis sui exuentes amictum simplicibus sanguine suo viam parant, ut inoffenso gressu mentis, Hierosolymam, quo Christus ducit, tendant, id est ad veram pacis visionem.

laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus,* ³⁸ dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini: pax in cælo, et gloria in excelsis.† ³⁹ Et quidam pharisæorum de turbis dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos.‡ ⁴⁰ Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.¶ ⁴¹ Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens: ⁴² Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. ⁴³ Quia venient dies in te: et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te: et coangustabunt te undique: ⁴⁴ et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.§ ⁴⁵ Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes,** ⁴⁶ dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum. ⁴⁷ Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, et scribæ, et princeps plebis quærebant illum

*19.37 *Ad descensum.* Descendente Domino de monte Oliveti, id est, humiliante se ad infirmitatem nostræ carnis illo qui erat in forma Dei, cum eo descendunt turbæ, id est, humiliatur qui ejus misericordia indigent, ut ab eo exaltentur. *Gaudentes.* Frequenter ingressus est civitatem Hierusalem, sed non rex vocatus, quod semper fugerat, nisi modo cum ascendit passurus. Quod ideo factum est, ut amplius eorum adversum se excitaret invidiam, quia jam tempus passionis instabat. *Super.* Maxime de resurrectione Lazari, quæ nuper facta erat. Nam et propterea obviam venit ei turba, quia hoc signum factum audierant ab eo. Laudant etiam de signis et doctrina, quæ fecit cum ascendit ad diem scenopegiæ, quod Joannes narrat.

†19.38 *Benedictus.* Turba post modicum crucifixura, regem appellat, expectatum secundum carnem David filium venisse declarat, ut adversum se testimonium extorqueatur invitis. *Pax.* Sicut nascente Domino hominum et angelorum agmina cœlestia decantabant: *Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus,* etc. Sic eidem mox triumphaturo homines concinunt: Pax in cælo, et gloria in excelsis.

‡19.39 *Magister.* Mira invidentium dementia, quem vera docentem noverant, cum magistrum appellari audiunt, discipulos ejus quasi melius edocti redarguendos æstimant, quos ille instituerat, quem Deum apparet esse per miracula.

¶19.40 *Lapides.* Crucifixo Domino apostolis præ timore tacentibus, petræ quæ scissæ sunt, apertis monumentis Deum et mundi Dominum aperte clamabant. Mystice: si cæcitas contigerit in Israël, ut a laude Dei conticeat, populus gentium mollito corde lapideo Creatorem suum credet et annuntiabit.

§19.44 *Et non relinquent.* Perversus enim cum perversionem adjicit, quasi lapidem super lapidem struit. Sed cum anima ad ultionem rapitur, talis cogitationum constructio dissipatur, et hoc ideo, *quia non cognoveris tempus.* Perversam enim animam Deus visitat, aliquando præcepto, aliquando miraculo. Sed quia superbiens contemnit, nec de malis suis erubescit, in extremo inimicis tradetur, cum quibus in æterno judicio damnationis societate colligitur. *Ad pacem,* etc. Dum carnem das voluptatibus mala ventura non prospiciens, habes bona præsentia quæ ad pacem possunt esse temporalem. Et cur hoc, subdit, scilicet, quia non prævidet mala quæ ei eventura sunt. Si enim prævideret, in præsentibus prosperis lætata non fuisset.

**19.45 *Et ingressus.* Post enumerata mala, ingressus templum ejecit vendentes et ementes, per hoc innuens, quod ruina populi, maxime ex sacerdotum culpa fuit; dum enim vendentes et ementes percutit, ostendit unde radix perditionis processit.

perdere:†† 48 et non inveniabant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

20 Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo, et evangelizante, convenerunt principes sacerdotum, et scribæ cum senioribus, 2 et aiunt dicentes ad illum: Dic nobis in qua potestate hæc facis? aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem?‡‡ 3 Respondens autem Jesus, dixit ad illos: Interrogabo vos et ego unum verbum. Respondete mihi:¶¶ 4 baptismus Joannis de cælo erat, an ex hominibus?§§ 5 At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus: De cælo, dicet: Quare ergo non credidistis illi? 6 Si autem dixerimus: Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos: certi sunt enim Joannem prophetam esse. 7 Et responderunt se nescire unde esset. 8 Et Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio. 9 Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam, et locavit eam colonis: et ipse peregre fuit multis temporibus.* 10 Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem.† 11 Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes,

††19.47 *Et erat docens.* Domus Dei est conscientia fidelium, quam facit speluncam latronum qui, relicta simplicitate sanctitatis, illud meditatur agere, unde proximum innocentem possit lædere. Sed econtra Dominus mentes fidelium ad cavenda mala erudit. *Quærebant illum perdere.* Ideo non poterant illum perdere, quia timebant tumultum populi, vel ideo volebant perdere, quia, neglecto, suo magisterio, totum populum videbant ad ejus doctrinam confluere.

‡‡20.2 *In qua potestate.* De Dei potestate dubitant, et subintelligi volunt diaboli esse quod facit. Unde addunt: *Aut quis est,* etc. In quo plane negant Dei Filium, quem non suis viribus, sed alienis signa facere credunt.

¶¶20.3 *Interrogabo vos,* etc. Poterat aperta responsione tentatorum calumniam confutare, sed prudenter interrogat, ut vel suo silentio vel sua sententia condemnentur.

§§20.4 *Baptismus Joannis,* etc. Quem confitemini de cælo habuisse prophetiam mihi perhibuit testimonium, et ab illo audistis in qua potestate ego faciam. Quod illi intelligentes, dubitant quid debeant respondere. *Neque ego,* etc. Propter duas causas veritas quærentibus est abscondenda. Vel, quia minus capaces sunt ad audiendum; unde dicitur: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* Joan. 16.. Vel quia ex odio et contemptu quærun; unde dicitur: *Nolite sanctum dare canibus* Matth. 7..

*20.9 *Cœpit autem.* Principibus sacerdotum et scribis de sua interrogatione confutatis, Dominus quod cœperat, exsequitur, et illis audientibus plebem, quod sua verba libentius audiat alloquitur, inferens parabolam qua et illos impietatis arguat, et regnum Dei ad gentes transferendum ostendat. *Vineam.* Moraliter: *Vinea Domini sabaoth, domus Israël* Isa. 5.: coloni, operarii, qui ad excolendum prima hora, tertia, sexta et nona sunt conducti. *Et ipse peregre,* etc. Qui ubique est, diligentibus se præsentior est, negligentibus abest, et longo tempore abfuit, ne perperam videretur exactio. Nam quo indulgentior liberalitas eo inexcusabilior pervicacia.

†20.10 *Et in tempore.* Primus servus qui mittitur, Moyses legislator. Qui per quadraginta annos fructum legis quam dederat, a cultoribus inquirebat, sed cæsum dimittunt inanem.

et afficientes contumelia, dimiserunt inanem.[‡] 12 Et addidit tertium mittere: qui et illum vulnerantes ejecerunt. 13 Dixit autem dominus vineæ: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum: forsitan, cum hunc viderint, verebuntur. 14 Quem cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, ut nostra fiat hæreditas.[¶] 15 Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?[§] 16 veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Absit.^{**} 17 Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc quod scriptum est: Lapidem quem repronaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?^{††} 18 Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.^{‡‡} 19 Et quærebant principes sacerdotum et scribæ mittere in illum manus illa hora, et timerunt populum: cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.^{¶¶} 20 Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos

[‡]20.11 *Et addidit*, etc. Alter servus David propheta, qui post Moysem colonos vineæ psalmodiæ modulamine et citharæ dulcedine ad exercitium boni operis invitavit, sed et hunc contumelia affectum, dimittunt inanem, dicentes: *Quæ nobis pars in David, aut quæ hæreditas in filio Isai* Reg. 12.? Qui tamen pro hac vinea, ne penitus exstirpetur exorat: *Domine Deus virtutum, converte et respice de cælo, et vide et visita vineam istam* Psal. 77.. Tertius servus chorus prophetarum. Qui populum corripiebant, et mala quæ vineæ imminerent prædicabant, sed et illos persecuti sunt et occiderunt.

[¶]20.14 *Quem cum vidissent*. Aperte probat Judæos, non per ignorantiam crucifixisse Filium Dei, sed per invidiam. Intellexerunt enim hunc esse cui dictum est: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* Psal. 117.. Et ideo consulentes sibi dicunt: *Ecce mundus totus post eum abiit* Joan. 12., etc. Hæreditatem ergo Ecclesiæ quam non moriens Pater reliquit, sed ipse sua morte emptam resurgendo possedit, hanc Judæi eripere volunt, dum fidem, quæ per eum est, exstinguere conantur, justitiæ Dei non subjecti, sed suam constituere volentes. *Hic est hæres*: Christus hæres, quia morti propriæ supervixit, et testamentorum quæ ipse condidit, quasi hæreditaria in nostris profectibus emolumenta consequitur.

[§]20.15 *Et ejectum illum*. Marcus ordinem mutat: *Occiderunt et ejecerunt extra vineam* Marc. 12.. In quo pertinacia eorum notatur, qui post resurrectionem prædicantibus apostolis credere noluerant, sed quasi utile cadaver projicientes, gentibus suscipiendum dederunt.

^{**}20.16 *Absit*. Contradicunt sententiæ quam contra perfidiam suam dictam esse cognoscunt. Quod enim in mente gerebant, in parabola contineri intelligunt. Negantibus ergo Judæis justum fore, divinæ scientiæ legis (quam ipsi spernebant) ad gentes transferri, quid Salvator respondeat attende.

^{††}20.17 *Quid est*, etc. Quomodo implebitur hæc propheta? Nisi quia Christus a vobis reprobat, credituris gentibus est prædicandus, ut in se uno angulari lapide duos condat parietes. *Ædificantes*. Qui supra coloni, hic ædificantes dicuntur, quia qui plebem ad ferendos fructus excolere, hanc ipsi Domino inhabitatore dignam quasi domum constituere jubebantur.

^{‡‡}20.18 *Omnis qui ceciderit*. Qui credit et tamen peccat, cadit super lapidem, et non conteritur, sed confringitur, quia per patientiam ad salutem reservatur. Sed cui lapis irruit, id est, qui negat penitus, conteritur, ut nec testa remaneat. Vel cadit super eum, qui modo contemnit, et injuriis afficit, necdum penitus interit, sed quassatur, ut non ambulet rectus. Cadit super eum lapis, quem veniens in iudicio opprimit.

^{¶¶}20.19 *Et quærebant*, etc. Quasi mentientem quærunter interficere in quo vera probantur quæ dixerat. Ipse est enim hæres, illi pravi coloni qui solo humano terrore retardantur donec veniret hora ejus.

simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui, et potestati præsidis.^{§§ 21} Et interrogaverunt eum, dicentes: Magister, scimus quia recte dicis et doces: et non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces.²² Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?^{*} ²³ Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis?²⁴ ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem et inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Cæsaris.^{† 25} Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei, Deo.^{‡ 26} Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: et mirati in responso ejus, tacuerunt.²⁷ Accesserunt autem quidam sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, et interrogaverunt eum,^{¶ 28} dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, et suscitet semen fratri suo.^{§ 29} Septem ergo fratres erant: et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis.³⁰ Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio.³¹ Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem, et non reliquerunt semen, et mortui sunt.³² Novissime omnium mortua est et mulier.³³ In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem.³⁴ Et ait illis Jesus: Filii hujus sæculi nubunt, et traduntur ad nuptias:³⁵ illi vero qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores:^{** 36} neque enim ultra mori potuerunt:

§§20.20 *Et observantes.* Quod præ timore populi, per se non possunt, inanibus præsidiiis efficere volunt, velut immunes a morte ipsius videantur.

*20.22 *Licet nobis,* etc. Cum nuper sub Augusto Judæa Romanis stipendiaria facta esset, Pharisei qui de justitia sibi applaudebant, qui decimas et primitiva Deo dabant, tributa homini solvenda negabant, pro qua seditione postea regnum et tota patria destructa sunt.

†20.24 *Cujus habet,* etc. Alia imago Dei, alia mundi. Si ergo Christus non habuit imaginem Cæsaris, cur census dedit? Non de suo dedit, sed mundo reddidit quæ erant mundi. Et tu si non vis esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ sunt mundi. Si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis terreno regi nihil debere, omnia tua relinque et Christum sequere. Et bene prius quæ Cæsaris sunt reddenda decernit. Non enim potest quis esse Domini, nisi prius mundo renuntiaverit.

‡20.25 *Reddite ergo.* Sicut Cæsar exigit impressionem suæ imaginis, sic et Deus animam lumine vultus sui signatam.

¶20.27 *Accesserunt autem,* etc. Duæ hæreses erant in Judæis: Phariseorum, qui præferebant justitiam traditionum et observationum, unde et divisi vocabantur a populo, et Saducæorum, qui et ipsi vindicabant sibi quod non erant, id est justii.

§20.28 *Magister.* Qui resurrectionem corporum non credunt, et animas putant interire cum corporibus, turpitudinem fabulæ fingunt, quæ deliramenti arguit eos qui resurrectionem asserunt. Potest autem fieri, ut in gente eorum hoc aliquando acciderit. *Ut accipiat,* etc. In lege litteræ cogebatur nubere in vita. Sed in lege spiritus commendatur castitas.

**20.35 *Illi vero,* etc. Cum omnes boni et mali sint resurrecturi et absque nuptiis mansuri, Dominus tamen ut ad gloriam resurrectionis incitet, de solis electis disserit. Si autem in resurrectione neque ducent uxores, resurgent ergo corpora quæ possunt nubere et ducere. Quod dicitur de his qui habent membra genitalia, sed nulla voluptate vel necessitate nubendi mancipabuntur. Et nota quod cum insidiatoribus et conculcatoribus secreta mysteria loquatur, non tamen sanctum dat canibus, sed aderant multi idonei quos propter aliorum immunditiam non oportebat negligi. *Neque nubent,* etc. Cum connubia propter filios, filii propter successionem, successio propter mortem, ubi ergo non est mors, neque connubia.

æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. ³⁷ Quia vero resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob. ^{††} ³⁸ Deus autem non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim vivunt ei. ³⁹ Respondentes autem quidam scribarum, dixerunt ei: Magister, bene dixisti. ⁴⁰ Et amplius non audebant eum quidquam interrogare. ^{‡‡} ⁴¹ Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum filium esse David? ^{¶¶} ⁴² et ipse David dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, ⁴³ donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. ^{§§} ⁴⁴ David ergo Dominum illum vocat: et quomodo filius ejus est? ⁴⁵ Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis: ⁴⁶ Attendite a scribis, qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis, ^{*} ⁴⁷ qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem: hi accipient damnationem majorem.

21 Respiciens autem, vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites. [†] ² Vidit autem et quamdam viduam pauperulam mittentem æra minuta duo. ³ Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit. ⁴ Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit. [‡] ⁵ Et quibusdam dicentibus de

^{††}20.37 *Quia vero resurgent mortui.* Postquam propositæ quæstioni de resurrectionis conditionibus satisfacit, de ipsa resurrectione contra eorum infidelitatem agit.

^{‡‡}20.40 *Et amplius,* etc. Confutati in sermonibus non amplius interrogant, sed aperte comprehensum Romanæ potestati tradunt, ex quo intelligimus venena invidiæ posse quidem superari, sed difficile conquirere.

^{¶¶}20.41 *Quomodo dicunt,* etc. Consummaturus præcepta Dominus, in fine testamenti sui fidem concludit ut Dominum Jesum verum Deum et verum hominem ad dexteram Patris sedere credamus.

^{§§}20.43 *Donec ponam.* Quod a Patre subjiciuntur inimici, non infirmitatem Filii, sed unitatem naturæ, qua in altero aliter operatur, significat. Nam et Filius subjicit inimicos Patri, quia Patrem clarificat super terram.

^{*}20.46 *Attendite a scribis.* Duplici ratione jubemur attendere a vanæ gloriæ cupidis, ne vel eorum simulatione decipiamur, vel eorum exemplo ad amorem temporalium inflammemur. *Et amant salutationes in foro.* Non salutari in foro, nec primas sedes vetat eis quibus debentur ex ordine officii, sed eis qui indebite amant. Animum enim, non gradum redarguit. Nec vero caret culpa, si is fori litibus interesse velit, qui desiderat sedere in cathedra Moysi. *Qui devorant,* etc. Marcus: *Sub obtentu proluxæ orationis,* qui ut religiosiores appareant, proluxius orant, ubi ab infirmis quibuslibet, et peccatorum suorum conscientia turbatis, quasi patroni laudes et pecunias accipiunt, quorum oratio fit in peccatum, ut non solum pro aliis non possint intercedere, sed nec sibi ad salutem proficere, imo pro ipsis orationibus magis damnabuntur. *Hi accipient damnationem.* In hoc insinuat illos etiam, qui in angulis stantes orant, ut videantur ab hominibus, damnationem quidem mereri, sed istos majorem.

[†]21.1 *Respiciens autem,* etc. Qui appetitores primatus, et vanæ gloriæ cavendos esse monerat, etiam dona ferentes in domum Domini certo examine discernit, ut retribuatur singulis secundum intentionem cordis.

[‡]21.4 *Ex abundanti.* Judæus ex abundantia mittit, qui de justitia præsumens, ita orat apud se Luc. 18.: *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum.* Omnem victum Ecclesia in munera Dei mittit, quæ omne quod innuit, non sui meriti, sed divini muneris intelligit, dicens: *Deus, propitius esto mihi peccatori.*

templo quod bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit:¶⁶ Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. ⁷ Interrogaverunt autem illum, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, et quod signum cum fieri incipient?§⁸ Qui dixit: Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum: et tempus appropinquavit: nolite ergo ire post eos.**⁹ Cum autem audieritis prælia et seditiones, nolite terri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.††¹⁰ Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum.‡‡¹¹ Et terræmotus magni erunt per loca, et pestilentia, et fames, terroresque de cælo, et signa magna erunt. ¹² Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, et persequentur tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et præsidis propter nomen meum: ¹³ continget autem vobis in testimonium.¶¶¹⁴ Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis: ¹⁵ ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. ¹⁶ Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis:§§¹⁷ et eritis odio omnibus propter nomen meum: ¹⁸ et capillus de capite vestro non peribit.*¹⁹ In patientia vestra possidebitis animas

¶21.5 *Et quibusdam.* Post oblationem viduæ in qua Ecclesia de gentibus signatur, destructio templi supponitur, ut velamento litteræ occultantis, recondita sacramenta Ecclesiæ incipiant patescere. Curavit enim Deus civitatem et templum et omnia figuralia subvertere, ne quis post adventum Christi ad illa recurreret.

§21.7 *Interrogaverunt.* Quia laudantibus ædificationes templi prædixerat omnia destruenda, discipuli (sicut Marcus ait) Petrus, Jacobus, et Joannes et Andræas separatim quærent tempus, et signa prædictæ destructionis.

**21.8 *Multi enim.* Imminente Hierosolymorum excidio, multi fuere principes qui se Christos esse, et tempus libertatis appropinquare dicerent. Temporibus quoque apostolorum hæresiarchæ multi prodierunt, qui inter cæteras falsitates diem Domini instare prædicabant, quos et Apostolus redarguit.

††21.9 *Prælia et seditiones.* Hæc a passione Domini in Judæa abundaverunt, quibus ne territi apostoli Jerusalem et Judæam deserant, admonentur, *quia non statim finis*, sed post quadragesimum secundum annum.

‡‡21.10 *Tunc dicebat.* Horum alia a cælo, alia e terra, alia ab elementis, alia ab hominibus. Mystice. Regnum adversus regnum, et pestilentia eorum quorum sermo, ut cancer serpit, et fames, audiendi verbum Dei, commotio terræ, a vera fide separatio in hæreticis intelligi debet, qui contra se invicem dimicantes, Ecclesiæ victoriam faciunt. *Et signa magna.* Hæc etiam eo tempore impleta apud Josephum inveniuntur, qui narrat stellam gladio similem per annum supra Hierosolymam pependisse, et currus equitesque armatos quadraginta diebus in ære debellasse, et vitulam inter manus immolantium agnam peperisse.

¶¶21.13 *Continget autem,* etc. Eorum qui vel persequuntur, vel vivendo non mutantur. Mors enim justorum bonis est in adiutorium, malis in testimonium damnationis ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiunt, ut vivant.

§§21.16 *A parentibus,* etc. Majus tormentum, cum aliquis ab illis patitur, de quibus præsumebat, quia cum damno corporis mala cruciant amissæ charitatis. Et quia dura sunt quæ prædicuntur de afflictione mortis, subditur consolatio de gaudio resurrectionis.

*21.18 *Et capillus.* Quasi dicat: Cur timetis ne pereat, quod incisum dolet, quandoquidem nec illuc potest perire in vobis, quod incisum non dolet? Caro enim incisa dolet, capillus non dolet.

vestras.[†] ²⁰ Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus: ²¹ tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes, et qui in medio ejus, discedant: et qui in regionibus, non intrent in eam,[‡] ²² quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. ²³ Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus ! erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic.[¶] ²⁴ Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum.[§] ²⁵ Et erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, et fluctuum.^{**} ²⁶ arescentibus hominibus præ timore, et exspectatione, quæ superve-
nient universo orbi: nam virtutes cælorum movebuntur: ²⁷ et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.^{††} ²⁸ His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.^{‡‡} ²⁹ Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, et omnes arbores:^{¶¶} ³⁰ cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. ³¹ Ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. ³² Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. ³³ Cælum et terra transibunt: verba

[†]21.19 *In patientia vestra.* Patientia radix et custos est omnium virtutum. In hac ergo animas, quæ corpus possident, possidemus, cum ipsas animas ad patiendum ratione regimus. Vera autem patientia est aliena mala æquanimiter perpeti; contra eum qui mala irrogat, nullo dolore moveri.

[‡]21.21 *Et qui in regionibus.* Ecclesiastica historia narrat Christianos qui in Judæa erant, imminente excidio ab angelo monitos fuisse, et trans Jordanem in civitate Pella, donec desolatio Judææ impleteretur, habitasse.

[¶]21.23 *Erit enim pressura,* etc. Hæc pressura et ira usque hodie populo illi per omnes gentes disperso durat. Non tamen in æternum durabit.

[§]21.24 *Donec impleantur,* etc. Id est, *Donec plenitudo gentium intraverit, et sic omnis Israël salvus* Rom. 11., et quasi ad solium propriæ nativitatis gavisurus redeat. Quid enim impletis temporibus nationum, et omni Israël salvato sequatur, Dominus ex ordine ponit. Nam et hæc secundum Matthæum apostoli quæsierunt, non solum tempus evertendi templi, sed et signum adventus ejus, et consummationis sæculi.

^{**}21.25 *Et erunt signa.* Hæc de ipso adventu, cum omnes virgines prudentes et fatuæ, insolito clamore suscitatae, lampades ornant, id est, opera secum numerant, pro quibus maximo cum timore jam instantem æterni discriminis exspectant eventum. Appropinquante extremo judicio, sonitus maris et fluctuum confunditur, terrarumque orbis prementibus undique colonis inficitur: maxima cœli luminaria novo horrore percussis radiis, turbatam faciem velant, quia, appropinquante termino suo, elementa quasi paventia nutant et fremunt.

^{††}21.27 *Et tunc videbunt.* Quem in humilitate positum audire noluerunt, ut virtutem ejus tanto tunc districtius sentiant, quanto nunc corda ad ejus patientiam non inclinant. Quia vero contra reprobos hæc dicta sunt, mox ad consolationem electorum supponit.

^{‡‡}21.28 *His autem fieri incipientibus.* Id est, cum plagæ crebrescunt, cum terror judicii commotis virtutibus ostenditur. *Levate capita.* Exhilarate corda vestra, quia, dum finitur mundus cui amici non estis, prope est redemptio quam quæritis. Quod vero mundus despici debeat, provida comparatione manifestatur.

^{¶¶}21.29 *Videte ficulneam.* Regnum Dei æstati comparat, quia tunc mœroris nostri nubila transibunt, et æterni dies vitæ sub claritate solis fulgebunt. Sicut enim ex fructu arborum vicina æstas cognoscitur, ita et ex ruina mundi prope esse cognoscitur regnum Dei. Ex his verbis ostenditur, quia fructus mundi ruina est. Ad hoc enim crescit ut cadat, ad hoc germinat ut quæcunque germinaverit, cladibus consumat.

autem mea non transibunt.^{§§ 34} Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa: ³⁵ tamquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ. ³⁶ Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis. ³⁷ Erat autem diebus docens in templo: noctibus vero exiens, morabatur in monte qui vocatur Oliveti.* ³⁸ Et omnis populus manebat ad eum in templo audire eum.

22 Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha:† ² et quærebant vero plebem.^{‡ 3} Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim:¶ ⁴ et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum, et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. ⁵ Et gavisus sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare. ⁶ Et spopondit, et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine

§§21.33 *Cœlum et terra.* Nihil in corporum natura cœlo et terra durabilius est. Nihil transit velocius quam sermo. Verba quousque imperfecta sunt verba non sunt, si perfecta sint jam omnino non sunt: neque enim perfici nisi transeundo possunt. Ait ergo: *Cœlum et terra transibunt.* Quasi dicat: Omne quod apud vos durable non est, et omne quod apud me transire cernitur, fixum et sine transitu tenetur, quia sermo meus, qui transit, sententias manentes exprimit. *Verba autem mea non transibunt.* Et cum verba mea ita absque dubio sint implenda, videte ne contra contestationem verborum meorum sitis dediti crapulæ, et ebrietati, et sæcularibus curis, sicut quidam erunt tempore imminentis iudicii: De quibus dicitur: *Cum dixerint: Pax et securitas, superveniet repentinus interitus* I Thess. 5..

*21.37 *Erat autem,* etc. Quod verbo docuit exemplo astruit. Qui ante universale iudicium, et singulorum incertum exitum voluptatibus et curis sæculi renuntiare, et vigilare monuit et orare, ipse imminente sua passione, doctrinæ, vigiliis, precibusque instat, et eos pro quibus passurus erat, verbo provocat, et oratione Patri commendat. Sic et nos cum inter prospera juste et pie conversamur, inter adversa de divina misericordia non desperemus. Diebus docemus in templo, quia fidelibus boni operis formam præbemus; noctibus in monte Oliveti moramur, quia in tenebris angustiarum gaudii spiritualis consolatione respiramus.

†22.1 *Appropinquabat,* etc. *Qui dicitur Pascha,* etc. Pascha non a passione, sed a transitu nominatur, quod illa die transivit exterminator per Ægyptum, vel Dominus liberans populum suum, quo nomine significabatur Agnus in hac die de mundo ad Patrem transiturum. Inter Pascha vero et azyma hoc distat, quod Pascha vocatur solus dies, in quo agnus occidebatur ad vesperam, id est decima quarta luna primi mensis. Dies azymorum erant a quinta decima luna usque ad vigesimum primum diem ejusdem mensis. Sed evangelistæ indifferenter ponunt, et diem Azymorum pro Pascha, et Pascha pro diebus Azymorum, unde hic Lucas: *Dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha* Luc. 12., quia et Paschæ dies in azymis panibus celebrari præcipiebantur. Et nos quasi perpetuum Pascha facientes, semper ex hoc mundo transire præcipimur: uno die immolato agno ad vesperam sequuntur septem dies Azymorum, quia Christus in plenitudine temporum semel pro nobis passus, toto tempore sæculi (quod septem diebus agitur) in azymis sinceritatis et veritatis præcepit esse vivendum.

‡22.2 *Et quærebant,* etc. Hæc ante biduum Paschæ congregatis principibus sacerdotum et scribis in atrium Caiphæ Matthæus gesta testatur.

¶22.3 *Intravit.* Dicit Joannes, quod post buccellam a Domino traditam intravit Satanas in Judam. Sed et ante buccellam invaserat eum Satanas, et quem prius intraverat ut deciperet, postmodum intravit, ut jam sibi traditum plenius possideret.

turbis. ⁷ Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.⁸ ⁸ Et misit Petrum et Joannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, ut manducemus. ⁹ At illi dixerunt: Ubi vis paremus? ¹⁰ Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, in quam intrat,^{**} ¹¹ et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? ¹² Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, et ibi parate.^{††} ¹³ Euntes autem invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha. ¹⁴ Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim apostoli cum eo. ¹⁵ Et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.^{‡‡} ¹⁶ Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.^{¶¶} ¹⁷ Et accepto calice gratias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos.^{§§} ¹⁸ Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis donec regnum Dei

§22.7 **Venit autem dies.** Licet sequenti die, id est quintadecima luna sit crucifixus, hac tamen nocte qua Agnus immolabatur, et carnis sanguinisque suis discipulis sacramenta celebranda tradidit, et a Judæis tentus, ligatus, ipsius immolationis, id est passionis suæ, sacravit exordium.

22.10 **Ecce introeuntes. Sicut Deus cunctorum præscius, cum discipulis loquitur de his quæ alibi geruntur. Et bene paraturis Pascha amphoram aquæ portans occurrit, ut ostendatur, quod hujus Paschæ mysterium pro ablutione mundi per aquam baptismi sit celebrandum ubi veri Paschæ cultoribus typicus de limine fervor aufertur, et ad tollenda peccata vivifici fontis baptismum consecratur. Amphora significat perfectam mensuram expleti temporis, quo dignum erat hæc geri. **Homo amphoram.** Sine nomine designatur, ut pauper et ignobilis æstimetur, qui a Domino eligitur. Cujus sanctitas in hoc apparet, quod in strato ejus Dominus cum discipulis, cum sublimium virtutum delectatione requiescit. **Sequimini.** Consulte prætermittuntur nomina, vel bajuli aquæ, vel Domini domus, ut omnibus volentibus imbui sacramentis Christi (quod est Pascha celebrare) Christum suæ mentis hospitio suscipere quærentibus, facultas danda signetur.

††22.12 **Cœnaculum magnum.** Spiritualis est lex, quæ de angustiis terræ egrediens in sublimi loco recipit Salvatorem. Qui in littera remanet, intimis Pascha facit, sed qui aquæ bajulum, id est, gratiæ præconem in domum Ecclesiæ sequitur, transcendens litteræ superficiem, in mentis solio refectionem parat Christo, dum cuncta vel Paschæ sacramenta, vel cætera legis decreta de eo intelligit scripta.

‡‡22.15 **Desiderio desideravi,** etc. Desiderat primo typicum Pascha manducare, et sic passionis suæ mysteria mundo declarare, ut et antiqui Paschæ probator existat, et hoc ad suæ dispensationis figuram pertinuisse demonstrans, jam adveniente veritate umbra cessare debeat. In cujus rei figura defecit manna, postquam comederunt filii Israël de frugibus terræ, nec usi sunt ultra cibo illo.

¶¶22.16 **Non manducabo.** Non ultra Mosaicum Pascha celebrabo, donec in Ecclesia quod est regnum Dei spiritualiter intellectum compleatur. In hoc regno usque hodie manducatur Christus, cum ea quæ Moyses rudi populo carnaliter observanda præcepit, in membris suis spiritualiter exercet.

§§22.17 **Et accepto calice.** Hic calix ad vetus Pascha, cui finem imponebat, pertinet. Quo accepto gratias agit, ideo scilicet, quia vetera transierunt et nova omnia erant ventura. **Gratias egit.** Ostendit quid quisque facere debet in flagello culpæ propriæ, cum ipse æquanimitè flagella tulit alienæ.

veniat.* ¹⁹ Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.† ²⁰ Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. ²¹ Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.‡ ²² Et quidem Filium hominis, secundum quod definitum est, vadit: verumtamen vœ homini illi per quem tradetur. ²³ Et ipsi cœperunt quærere inter se quis esset ex eis qui hoc facturus esset. ²⁴ Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.¶ ²⁵ Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum: et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.§ ²⁶ Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: et qui præcessor est, sicut ministrator. ²⁷ Nam qui maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.** ²⁸ vos autem estis, qui permansistis mecum in

*22.18 **Dico enim vobis.** Sicut typicum esum agni, sic et typicum Paschæ potum negat se bibiturum, donec ostensa resurrectionis gloria, regnum Dei, id est fides mundi adveniat, ut per horum duorum immutationem sacramentorum, cætera legis sacramenta vel iussa ad spiritualem observantiam doceat transferenda. Potest tamen simpliciter accipi, quod ab hora cœnæ usque ad tempus resurrectionis quo in regno Dei erat venturus, vinum non erat bibiturus. Post resurrectionem enim cum discipulis manducavit et bibit.

†22.19 **Et accepto.** Finitis veteris Paschæ solemnibus transit ad novum, quod in suæ redemptionis memoria in Ecclesiam frequentare desiderat, ut pro carne et sanguine agni, suæ carnis et sanguinis sacramentum in panis et vini figura substituat. Frangit et porrigit, ut ostendat sui corporis fractionem non sine sua sponte futuram. Agit gratias de veteribus terminatis, et novis incipiendis. **Pane,** etc. Quia panis corpus confirmat, vinum operatur sanguinem.

‡22.21 **Verumtamen,** etc. Sicut de passione prædixit, sic prædixit et de proditore, ut videns se latere non posse, pœniteat facti. Nec designat ex nomine, ne manifeste correctus impudentior fiat. Mittit ergo culpam in numero, ut conscius pœnitentiam agat prædixit et pœnam, ut quem pudor non convicerat, denunciata supplicia cœrceant. **Manus tradentis me.** Exemplo Judæ Filium hominis tradit, qui illud inviolabile Dominici corporis sacramentum violare præsumit. Vendit, qui ejus timore et amore neglecto caduca amare convincitur et criminosa

¶22.24 **Facta est,** etc. BEDA. Causa contentionis nobis incognita, sed non est incredibile, etc., usque ad quid spiritualis magister jusserit videamus. AMBR. Caveamus ergo impendio, etc., usque ad ut non de prælatione jactantia sit, sed de humilitate contentio.

§22.25 **Dixit autem eis.** Pius magister non initæ contentionis arguit, sed formam humilitatis quam sequantur, describit; quasi dicat: Vos more sæcularium per prælationem pervenire vultis ad regni possessionem, sed ad summam virtutum non potentia venit, sed humilitate. Necesse est autem ut correctionem subditus et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina, aut ne districtio rigida, aut pietas sit remissa.

22.27 **Nam quis, etc. Ad verba exhortationis explendæ exemplum de se exponit. Hinc Joannes scribit Joan. 13.: **Si ego lavi pedes vestros Dominus et magister,** etc. Possunt et in verbo ministrandi omnia quæ Dominus in carne gessit, non tantum prædicando vel miraculis admovendo, sed etiam animam quam pro nobis accepit, ponendo, ut et nos pro invicem ponere animas discamus.

tentionibus meis.^{††} 29 Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum,³⁰ ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël.^{‡‡} 31 Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum:^{¶¶} 32 ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.^{§§} 33 Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.^{*} 34 At ille dixit: Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis:³⁵ Quando misi vos sine sacco, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?[†] 36 At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat;

^{††}22.28 *Permansistis mecum.* Infirmitas mea non conturbavit vos, sed in bono cœpto perseverastis. Sicut ergo mihi perseveranti usque ad mortem dedit Pater *nomen quod est super omne nomen* Phil. 3.: sic et ego perseverantes vos mecum ducam ad æternum regnum. Intelligendum est Judam jam recessisse, et multos alios jam retro abisse, auditis verbis incomprehensibilis sacramenti quando hæc loquebatur Dominus.

^{‡‡}22.30 *Et sedeatis super thronos.* Hæc mutatio dextræ Excelsi, ut qui humiles nunc gaudent ministrare conservis, tunc sublimes super mensam Domini perpetuis dapibus alantur, et qui in tentationibus injuste iudicati cum Domino permanent, illic cum eo super tentatores suos justi iudices veniant. Quanto enim hic despectiores, tanto illic majori culmine potestatis excrescent. *Judicantes duodecim.* Per duodecim, non duodecim personæ, sed multitudo judicantium significatur, propter duas partes septenarii, quo universitas significatur, id est tria et quatuor per quas duodecim multiplicantur.

^{¶¶}22.31 *Ait autem Dominus.* Ne glorientur duodecim quod soli de tot millibus cum Domino in tentationibus permansisse dicerentur, admonet eos eadem procella potuisse conteri, nisi divina gratia fuissent protecti. Cum vero Satanas expetit tentare, et velut qui triticum purgat ventilando concutere, docetur nullus a diabolo, nisi Deo permittente tentari. *Ecce Satanas,* etc. Satanas bonos ad cribrandum petit, cum ad eorum afflictionem æstibus anhelat malitiæ. Quo enim invidens eorum tentationem appetit, eo illorum quasi probationem deprecans petit.

^{§§}22.32 *Ego autem rogavi.* Non ut tenteris, sed ne deficiat fides tua, ut post lapsum negationis ad pristinum statum pœnitendo resurgas. Utile est enim sanctis et tentationibus examinari, ut vel tentati quam fortes fuerint appareat, vel cognita per tentationem sua infirmitate fortiores fieri discant, et sic cum probati fuerint accipiant coronam vitæ.

^{*}22.33 *Qui dixit ei,* etc. Quia Dominus dixerat se pro Petro orasse, conscius ille præsentis affectus et ferventis fidei, sed nescius casus futuri, non credit se ab eo posse deficere. Sed ille qui novit quid sit in homine, ne quis de suo statu incaute confidat, vel de casu incautius diffidat, sicut Deus modum, tempus, numerum negationis ejus prædicat, et sicut misericors auxilium suæ defensionis promittit.

[†]22.35 *Quando misi vos.* Non eadem regula vivendi persecutionis tempore qua pacis discipulos informat. Missis siquidem discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via præcepit; ordinans scilicet, ut qui *Evangelium nuntiat, de Evangelio vivat.* Instante vero mortis articulo, et tota illa gente pastorem simul et gregem persequente, congruam temporis regulam decernit, permittens necessaria victui, donec sopita persecutorum insania tempus evangelizandi redeat.

similiter et peram: et qui non habet, vendat tunicam suam et emat gladium.[‡] ³⁷ Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me finem habent. ³⁸ At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est.[¶] ³⁹ Et egressus ibat secundum consuetudinem in monte Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli.[§] ⁴⁰ Et cum pervenisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem.^{**} ⁴¹ Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis: et positis genibus orabat,^{††} ⁴² dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.^{‡‡} ⁴³ Apparuit autem illi angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius

[‡]22.36 *Sed nunc*, etc. In hoc nobis quoque datur exemplum, ut nonnunquam causa instante, quædam de nostri propositi rigore sine culpa possimus intermittere. Verbi gratia: si per inhospitales regiones iter agimus, plura viatici causa licet portare quam domi habeamus. **Et qui non habet.** Gladium vel habitum sumere, vel non habitum jubet emere, ut sciant legentes non facultatem resistendi deesse discipulis, sed amorem magistro potius inesse patiendi, ubi etsi nulla alia causa esset evaginandi gladium, sufficere potest illa ut, amputata servi auricula, tactu Domini sanaretur. In quo admonemur, ne iram percussi sustineamus, sed fidem resurgentes suscipiamus.

[¶]22.38 *Ecce gladii duo.* Duo gladii promuntur, unus Novi, alter Veteris Testamenti, quibus adversus diaboli munimur insidias. Et dicitur: **Satis est.** Duo gladii sufficiunt ad testimonium sponte passi Salvatoris. Unus qui et apostolis audaciam certandi pro Domino et evulsa ictu ensis auricula Domino etiam morituro pietatem virtutemque medicandi inesse doceret. Alter qui nequaquam exemptus vagina, ostenderet eos non totum quod potuere, pro ejus defensione facere permissos.

[§]22.39 *Et egressus.* Tradendus a discipulo Dominus consuetum locum adit, ubi facile posset inveniri, ne mortem putaretur timuisse. Et bene discipulos sanguinis et corporis sui mysteriis imbutos, in montem Oliveti educit ut omnes in morte ipsius baptizatos designaret, altissimo sancti Spiritus charismate confirmandos.

^{**}22.40 *Orate.* Impossibile est hominem non tentari, nec ait, ut non tentemini, sed, **ne intretis in tentationem. Orate,** id est, ne tentatio vos superet, et intra casses suos teneat.

^{††}22.41 *Et ipse,* etc. Dato apostolis præcepto orandi, et ipse avulsus est ab eis. Solus orat pro omnibus qui solus pro omnibus passurus erat, innuens orationem suam, tantum quantum et passionem a nostra distare. **Jactus est lapidis,** etc. In hoc mystice innuit, ut in idipsum dirigant lapidem, id est usque ad ipsum perducant intentionem legis, quæ scripta erat lapide: usque ad illum enim potest pervenire ille lapis, quoniam **finis legis est Christus omni credenti ad justitiam** Rom. 10..

^{‡‡}22.42 *Orabat dicens.* Orat non tam timore patiendi, quam misericordia prioris populi, ne ab illo bibat calicem propinatum. Unde et signanter dicit: **Istum,** id est, populi Judæorum qui non habent excusationem ignorantiae in meam mortem, quia quotidie annuntiat illis in lege et prophetis. Si ergo fieri potest, ut sine interitu Judæorum credat multitudo gentium, recuso passionem. Si vero illi excæcandi sunt, ut alii videant, non mea, sed tua fiat voluntas. **Pater, si vis,** etc. AMBR. Pro me doluit cum pro se nihil habuit quod doleret. Suscepit enim tristitiam meam ut mihi largiretur suam lætitiā. Confidenter ergo tristitiam nomino, qui crucem prædico. **Verumtamen,** etc. Appropinquans Dominus passioni, infirmantium vocem et timorem ut abstraheret, in se suscepit: et rursus per obedientiam fortitudinem mentis ostendit, ut cum nobis imminet quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus ne fiat, ut tamen per fortitudinem parati simus ad implendum conditoris voluntatem potius quam nostram.

orabat. ⁴⁴ Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. ^{¶¶} ⁴⁵ Et cum surrexisset ab oratione et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia. ⁴⁶ Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem. ⁴⁷ Adhuc eo loquente, ecce turba: et qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos, et appropinquavit Jesu ut oscularetur eum. ^{§§} ⁴⁸ Jesus autem dixit illi: Juda, osculo Filium hominis tradis? ⁴⁹ Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? ^{*} ⁵⁰ Et percussit unus ex illis servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam ejus dexteram. [†] ⁵¹ Respondens autem Jesus, ait: Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. ⁵² Dixit autem Jesus ad eos qui venerant ad se principes sacerdotum, et magistratus templi, et seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus? [‡] ⁵³ Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. ⁵⁴ Comprehendentes autem eum, duxerunt

^{¶¶}22.44 *Et factus est sudor.* Appropinquante morte certamen mentis nostræ in se expressit, qui merito quamdam vim terrori patimur, cum post pusillum sumus inventuri quod in æternum duret. *Sanguinis decurrentis in terram.* Per terram sanguine irrigatam declaratur, quod effectum suæ precis jam obtineret, ut fidem scilicet discipulorum quam terrena adhuc fragilitas arguebat, suo sanguine purgaret, et quidquid illa scandali de morte ejus pertulisset, hoc totum ipse moriendo deleret, sed et totum mundum peccatis mortuum ad vitam resuscitaret.

^{§§}22.47 *Ut oscularetur.* Suscipit Dominus osculum, non quod simulare nos doceat, sed ut nec proditorem refugere videretur, et plus afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret. Unde dicitur: *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus* Psal. 119..

^{*}22.49 *Domine, si percutimus in gladio.* Ordo: Cum interrogassent dicentes: *Domine, si percutimus in gladio,* tunc respondit: *Sinite usque huc.* Id est, non vos moveat quod futurum est. Permittendi sunt hucusque progredi, ut me apprehendant, et impleantur quæ de me scripta sunt. Sed inter moras verborum interrogantium et respondentis, Petrus, aviditate defensionis majore commotus, pro Domino percussit. Sed non potuerunt simul dici, quæ potuerunt simul fieri. Non ergo dicitur: Sinite usque huc, quasi Domino placuerit factum Petri, cum apud Matthæum legatur dixisse: *Converte gladium tuum in locum suum,* quod post factum apparet dixisse Jesum.

[†]22.50 *Servum,* etc. Mystice: Servus est populus Judæorum, principibus, scilicet indebite mancipatus, qui in passione Domini dexteram aurem, id est, spiritualem intelligentiam perdidit. Sinistra, id est, vilitate litteræ contentus, non Petro tollente, sed divino judicio ablatam pendente. Quæ auris in his qui credere maluerunt, pietate Domini restituitur.

[‡]22.52 *Venerant ad se,* etc. Juxta alios evangelistas non venerant ad Jesum principes sacerdotum et magistratus, sed in atrio Caiphæ expectaverant. Sed quia illi de nece Domini ita agebant, ut quasi innoxii viderentur, cum per discipulum traditus, a tribuno et turbis comprehensus, a præside damnatus, a Romanis crucifixus, a populis etiam Barabbas est electus, volens evangelista eos maxime esse reos, quorum consilio cuncta gerebantur, dicit eos venisse ad comprehendendum Salvatorem qui suæ jussionis potestate venerunt. *Quasi ad latronem,* etc. Stultum est cum gladiis et fustibus quærere, qui ultro se eorum offert manibus, et in nocte quasi latitantem et vestros oculos declinantem investigare per proditorem, qui quotidie in templo docet. Sed ideo adversum me in tenebris congregamini, quia potestas vestra qua contra lucem armamini, in tenebris est.

ad domum principis sacerdotum: Petrus vero sequebatur a longe.^{¶ 55} Accenso autem igne in medio atrii et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.^{§ 56} Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat.^{** 57} At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum.^{†† 58} Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait: O homo, non sum.⁵⁹ Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere et hic cum illo erat: nam et Galilæus est.^{‡‡ 60} Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Et continuo, adhuc illo loquente, cantavit gallus.⁶¹ Et conversus Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis.^{¶¶ 62} Et egressus foras Petrus flevit amare.^{§§ 63} Et viri qui tenebant

[¶]22.54 *Principis sacerdotum.* Caiphæ, qui pontificatum unius anni pretio sibi emerat a Romano principe: prius tamen ad Annam, ut Joannes ait: *Sequebatur a longe.* Merito a longe qui in proximo fuerat negaturus. Significat Ecclesiam imitaturam Christi passionem longe differenter, quia Ecclesia patitur pro se, Christus pro Ecclesia.

[§]22.55 *Ignem in medio.* Ignis cupiditatis instinctu maligni spiritus accensus, in atrio Caiphæ ad negandum et blasphemandum Deum linguas perfidorum armabat. Quod enim intus in domo principis sacerdotum maligna synodus gerebat, hoc ignis inter frigora noctis foris accensus typice demonstrabat. Hoc frigore ad horam torpens Petrus, quasi prunis ministrorum calefieri cupiebat, quia temporalis commodi solatium perfidorum societate quærebat. Sed hanc infidelitatem Domino respiciente reliquit et post resurrectionem in captura piscium, cum prunas positas, et pisces superpositum vidisset, cor suum prunis amoris inflammavit.

^{**}22.56 *Ancilla quædam.* Cur prima ancilla prodit, cum viri magis poterant cognoscere? Nisi ut iste sexus ostendatur in nece Domini peccasse, per passionem redempturus. Et ideo mulier prima resurrectionis mysterium accepit, et mandata custodit, ut veterem prævaricationis errorem aboleret.

^{††}22.57 *At ille negavit.* Non in monte, non in templo, non in domo sua Petrus negat, sed in prætorio Judæorum, in domo principis sacerdotum ubi non est veritas, ubi Christus captus et ligatus. Quid nisi erraret, quem intromisit ostiaria Judæorum? Eva male induxit Adam, Petrum male introduxit femina.

^{‡‡}22.59 *Homo, nescio quid dicis.* Non solum negat Christum, qui dicit illum non esse Christum, sed etiam qui cum sit, negat se esse Christianum, et ita impletur quod dicit Dominus: *Tu me negabis. Galilæus est.* Hierosolymitæ et Galilæi æque sunt Hebræi et unius linguæ, sed unaquæque provincia habet suas proprietates, vernaculum loquendi sonum mutare non potest. *Et continuo.* Post tertiam negationem sequitur galli cantus. Sacramenta rerum per statum temporum designantur. Media nocte negat, galli cantu poenitet. Post resurrectionem sub luce quem ter negaverat, ter se amare professus est, quia qui in tenebris oblivionis erravit speratæ jam lucis rememoratione corripuit et ejusdem veræ lucis præsentia plene quidque putaverat erexit.

^{¶¶}22.61 *Et conversus Dominus.* Intuitu provocavit ad lacrymas, quasi in mentem ei reducens quoties negaverat, quod ei prædixerat, nec potuit in tenebris remanere quem lux mundi respexit.

^{§§}22.62 *Et egressus foras.* Ab impiorum concilio seclusus culpam lavat, quæ non intus ob hoc permissus est hæsitare ut in Ecclesiæ principe conderetur remedium poenitentiae, et nemo auderet de sua virtute confidere.

illum, illudebant ei, cædentes.* 64 Et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus: et interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit?† 65 Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. 66 Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et scribæ, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis.‡ 67 Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi:¶ 68 si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. 69 Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei.§ 70 Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum.** 71 At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus.††

23 Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.‡‡ 2 Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. 3 Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es rex Judæorum? At ille respondens ait: Tu dicis.¶¶ 4 Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas: Nihil invenio

*22.63 *Illudebant*, etc. Impleta est propheta: *In virga percutietur maxilla iudicis Israël*. Et item: *Dedi maxillam meam alapis*. Sed qui tunc cædebatur colaphis Judæorum, nunc cæditur blasphemii falsorum Christianorum. Velaverunt faciem, non ut eorum scelera non videret, sed ut a se (sicut quondam Moysi fecerunt) gratiam cognitionis ejus abscondant: *Si enim crederent Moysi, crederent et Domino* Joan. 8.. Hoc velamen usque hodie manet super corda eorum, sed credentibus est ablatum: cum illo moriente velum templi scissum est.

†22.64 *Prophetiza*. Contumelia in eum qui se prophetam dicebat. Sed et hæretici et Judæi, qui usque hodie Christum negant, et mali Christiani qui reprobis actibus exacerbant, dum suas cogitationes et opera tenebrarum ab illo videri non putant, quasi illudentes aiunt: *Prophetiza: Quis est qui te percussit?*

‡22.66 *Si tu es Christus*. Non veritatem desiderant, sed calumniam parant. Intelligebant Christum purum hominem de David nasciturum. Secundum hoc ergo quærun, ut si diceret, Ego sum Christus, calumniarentur quod sibi arrogaret regiam potestatem.

¶22.67 *Si vobis dixero*. Sæpe dixerat se esse Christum. Interrogaverat etiam eos quomodo dicerent Christum filium David cum eum David Dominum vocet, ut per hoc ad credendum Deum provocaret: sed illi nec dicenti credere, nec interroganti respondere, nec eum qui innoxius erat dimittere volebant.

§22.69 *Ex hoc autem erit*. Qui semen David calumniari quærebant plus etiam audiunt, quod per contemptum sit venturus ad gloriam.

**22.70 *Vos dicitis*. Ita temperat responsionem ut et verum dicat, et sermo calumniæ non pateat. Maluit se Christum Filium Dei probare, quam dicere, ut condemnandi causa tolleretur his qui fatentur quod objiciunt.

††22.71 *Ipsi enim audivimus*. Ubi dixit: *Erit Filius hominis sedens ad dexteram virtutis Dei*. Sua se sententia damnant qui eum morti tradunt quem oris et operis sui testimonio Deum esse cognoscunt.

‡‡23.1 *Duxerunt illum*. Tradiderunt Romanæ potestati, ut eo modo Judæi ab ejus interfectione alienos se esse ostenderent, in quo non eorum innocentia, sed insania monstratur.

¶¶23.3 *Pilatus autem*. etc. Cum duo objecta fuerint, scilicet quod attributa reddi prohiberet, et se Christum diceret, Pilatus potuit audire quod de tributis dixerat: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, et inde hoc quasi apertum mendacium nihilipendens, solum quæ nesciebat quæsit. *Tu dicis*. Eodem verbo quo principibus sacerdotum, respondet et præsidî, ut propria sententia ambo condemnentur.

causæ in hoc homine.^{§§} ⁵ At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.* ⁶ Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. ⁷ Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus.† ⁸ Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. ⁹ Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. ¹⁰ Stabant autem principes sacerdotum et scribæ constanter accusantes eum. ¹¹ Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum.‡ ¹² Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem.¶ ¹³ Pilatus autem, convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe, ¹⁴ dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni

§§23.4 **Nihil invenio.** Pridie quam pateretur Dominus, ait discipulis: **Venit princeps mundi hujus, et non habet in me quidquam** Luc. 20.. Sed quia princeps, id est Pilatus, eum absolvit, in quo nihil damnationis invenit, vide quid agant Judæi qui non æquitatis amore verum investigant, sed invidiæ stimulo justum damnare laborant.

*23.5 **Commovet populum.** Non illum, sed se accusant. Docuisse enim populum, et a pristina corporis ignavia docendo commovisse, talique actu a Galilæa usque ad Judæam, id est totam promissionis terram, a fine usque ad finem pertransisse, non criminis, sed judicium est virtutis. Denique Pilatus nec interrogandum Salvatorem de hoc ratus, sed magis nacta occasione, liberum ab eo judicando cupit reddere.

†23.7 **Et ut cognovit.** Ne contra insontem, et quem traditum per invidiam noverat, sententiam dare cogere, Herodi mittit audiendum, ut a suo tetrarcha vel absolveretur vel damnaretur, sed ne qua Judæis excusatio remaneret, Herodes quoque qui natu et religione Judæus erat, quid de Christo senserit, ostendere permissus est, ut utraque regio, et Judæa in qua Christus natus, et Galilæa in qua nutritus erat, in ejus necem conspirasse monstrarentur. **At ipse nihil respondit.** Tacuit et nihil fecit, quia et Herodis incredulitas non merebatur videre divina, et Dominus jactantiam declinabat. Significantur autem in Herode omnes impii, qui non credunt legi et prophetis, et in Evangelio Christi opera videre non possunt. Principibus ergo sacerdotum accusantibus, apud Pilatum pauca, apud Herodem nulla respondet, ne crimen diluens dimissus a principe crucis utilitatem differret.

‡23.11 **Et illusit.** Quod in alba veste spernitur et illuditur, significat quod pro totius mundi peccatis in carne casta immolatus agnus est passus et sepultus: quod hic alba, juxta alios Evangelistas purpurea vel coccinea veste illuditur, indutus, signat geminum martyrii genus, quo in passionibus Ecclesia adornatur, ut sit candidus actione, rubicundus sanguine. Ipse enim membrorum flosculus vernans, in pace lilia gignit, bello rosas. **Et remisit ad Pilatum.** Ad Herodem mittitur, ad Pilatum remittitur, et si uterque reum non pronuntiat, alienæ tamen iniquitatis stimulis obsequitur.

¶23.12 **Et facti sunt amici.** Nefandum foedus, quod Herodes et Pilatus in occidendo Christum pepigerunt, successores eorum hæreditario jure custodiunt, dum Judæi et gentiles, sicut genere et religione, ita mente quoque dissidentes, in Christianis tamen perseguendis, et fide Christi perimenda consentiunt. In typo Herodis et Pilati qui per Jesum amici facti sunt, Judæorum gentiumque figura servatur, ut per passionem Christi utriusque populi concordia facta sit ventura, ita tamen ut Gentilis prius capiat regnum Dei, et ad Judæum fidei suæ devotionem transmittat, ut illi quoque gloria majestatis suæ corpus vestiant Christi, quem antea despexerant.

in homine isto ex his in quibus eum accusatis.[§] ¹⁵ Sed neque Herodes: nam remisit vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. ^{**} ¹⁶ Emendatum ergo illum dimittam. ^{††} ¹⁷ Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum. ¹⁸ Exclamavit autem simul universa turba, dicens: Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam: ^{‡‡} ¹⁹ qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium missus in carcerem. ²⁰ Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum. ²¹ At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. ^{¶¶} ²² Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum et dimittam. ^{§§} ²³ At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigere- tur: et invalescebant voces eorum. ²⁴ Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. ²⁵ Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Jesum vero tradidit voluntati eorum. ^{*} ²⁶ Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem venientem de villa: et im-

§23.14 *Obtulistis*. Quantum studium dimittendi Jesum Pilatus habeat, attende. Primo illis accusantibus dicit se nihil causæ in eo invenisse, deinde tamen in in- cœpto persistentibus mittit ad Herodem, ut exploret an ille aliquid sceleris in eo invenire possit, an dimittendum decernat. Denique Herodis agnita voluntate, nec invento in Jesu facinore, plebis sententiam quærit, cui unum in Pascha oportet dimitti. Iterum etiam tertio volens dimittere, interrogat. Sed quanto curiosius dimit- tere quærit, tanto crinosiores ad mortem ejus invenit.

**23.15 *Sed neque Herodes*. Ad exprobandam duritiam Judæorum vel Gentilium fatetur Pilatus, nec se, nec Herodem aliquid in occidendo Christo et illudendo in- venisse, sed alienæ crudelitatis clamoribus obtemperasse.

††23.16 *Emendatum ergo*, etc. Pilatus absolvit Jesum quem probat insontem, sed ut implerentur Scripturæ, absolvit quidem iudicio, quem tamen crucifigit mysterio.

‡‡23.18 *Tolle hunc*, etc. Quia pro Jesu latronem, pro Salvatore interfectorem, pro datore vitæ ademptorem elegerunt, merito salutem perdidierunt et vitam, et la- trociniis et seditionibus in tantum se subdiderunt, ut et patriam regnumque quod Christo prætulerant, perderent, et hactenus libertatem animæ vel corporis quam vendiderant, non reciperent. *Barabbam*, etc. Barabbas, qui filius magistri vel pa- tris eorum interpretatur, ipse est Antichristus, quem illi Christo præferunt, quibus dicitur: *Vos ex patre diabolo estis*. Pilatus os malleatoris interpretatur, diabolum significat, qui est malleus universæ materiæ, per quem Deus vasa probare permittit, et tandem conterit, cum in extrema damnatione confringit.

¶¶23.21 *Crucifige, crucifige eum*. Magna crudelitas: non solum occidere, sed cruci- figere quærunt, ut manibus et pedibus ad lignum confixis producta morte necaretur, ne dolor citius finiretur, et ut in cruce diu videretur.

§§23.22 *Corripiam*, etc. Hanc correptionem deridendo et flagellando nefandorum desiderii exhibuit, ne usque ad crucifigendum sævirent. Quod et verba Joannis evangelistæ, et ipsa columna testatur ad quam ligatus fuit Dominus, quæ usque hodie Dominici sanguinis cernentibus certa signa demonstrat. Sed licet Pilatus hoc agat, insatiabilis tamen sacrilegorum furor non cessat, sed magis instat quia accu- sationem, quam contra Dominum detulerant, sollicita Pilati interrogatione viderant evacuatam. Tandem impudici ad solas preces se convertunt, ut quod criminando vel quasi ratiocinando nequiverant, jam postulando et vociferando et perficiendo perficiunt.

*23.25 *Dimisit autem*, etc. Auctor seditionis et homicidiorum Judæis dimittitur, id est diabolus, qui ob culpam a lucis patria depulsus, et in tenebrarum carcerem fuerat missus, et ideo pacem habere non possunt, quia pacis auctorem non elegerunt.

posuerunt illi crucem portare post Jesum.[†] 27 Sequebatur autem illum multa turba populi et mulierum, quæ plangebant et lamentabantur eum.[‡] 28 Conversus autem ad illas Jesus, dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros.[¶] 29 Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt.[§] 30 Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos.^{**} 31 Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?^{††} 32 Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.^{‡‡} 33 Et postquam venerunt in locum qui vocatur Calvariæ,

[†]23.26 *Apprehenderunt quemdam*, etc. Primo Dominus crucem portavit, sed postea imposita est Simoni, quem exeuntes obviam habuerunt, et hoc congrue: **Christus enim passus est pro nobis ut sequamini vestigia ejus** I Petr. 2.. Qui vero eum vult sequi, tollat crucem suam et sequatur. Quia vero Simon non Isrælita, sed Cyrenæus erat, per eum Gentiles designantur, prius peregrini et hospites testamentorum, sed nunc in fide cives et domestici Dei et cohæredes Christi, unde Simon obediens Cyrenææ hæres interpretatur. Sed Simon venit de villa, id est de pago, a quo pagani, qui a civitate Dei alieni urbanæ sunt conversationis ignari. Sed Simon pago egrediens crucem portat post Jesum, cum populi gentium paganis ritibus derelictis obedienter amplectuntur vestigia Dominicæ passionis.

[‡]23.27 *Sequebatur*, etc. Sed non eadem mente crucem sequitur: Mali sequuntur ut morientem læti aspiciant. Mulieres, ut quem vivere desiderabant, moriturum, morientem, et mortuum plorarent. Nec ideo inducitur solus mulierum plangitio, quando et multi viri dolerent, sed quia femineus sexus quasi contemptibilior, liberius poterat præsentibus principibus sacerdotum, quod contra eos senserit ostentare. Quia vero **novit Dominus qui sunt ejus** II Tim. 2., prætermissa furentis populi turba, ad amantes et plangentes se feminas oculos et ora convertit. **Quæ plangebant**. Tristabantur de vita mortali, quæ morte erat finienda, non de cæcis qui medicum occidebant.

[¶]23.28 *Filiæ Hierusalem*. Nota cum filios Hierusalem vocat, quod non solæ quæ cum eo venerant a Galilæa, sed etiam ejusdem urbis cives ei multæ mulieres adhæserant. **Nolite flere**. Ne lamentemini me moriturum, cujus cito resurrectio mortem solvere potest, cujus mors mortem et ipsum mortis auctorem destruet. Vos potius vestramque progeniem dignis lacrymarum fontibus abluite, ne cum perfidis damnemini in ultionem meæ crucis.

[§]23.29 *Ecce venient dies*. Dies Romanæ obsidionis et captivitatis. Naturale est imminente captivitate, hostilique per agros urbesque clade fervente, cunctos qui evadere queant, alta quæque vel abdita refugia quibus abscondantur, requirere.

^{**}23.30 *Cadite super nos*. Potest hoc ex superfluo intelligi de his qui utrolibet sexu seipsos castraverunt propter regnum celorum.

^{††}23.31 *Quia si in viridi ligno*. Viride lignum Christus et sui electi, aridum impii et peccatores, unde ait: Si ergo ego qui peccatum non feci, qui lignum vitæ merito appellatus duodenos fructus gratiæ per singulos menses affero, sine igne passionis de hoc mundo non exeo, quæ tormenta manent illos qui fructibus sunt vacui, insuper et lignum vitæ flammis dare non timent? **Et si nunc est tempus, ut incipiat iudicium de domo Dei, et omnes qui volunt pie vivere Christo persecutionem patiuntur**, qui finis eorum qui non credunt Evangelio? I Petr. IV; I Tim. 3..

^{‡‡}23.32 *Ducebantur autem*. Impletur quod dictum est: **Et cum iniquis deputatus est** Isa. 53.. In morte deputatur cum iniquis, ut in resurrectione vivificet iniquos qui propter homines homo factus, hominibus dedit potestatem filios Dei fieri.

ibi crucifixerunt eum: et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris.^{¶¶} 34 Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes.^{§§} 35 Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus.* 36 Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei,[†] 37 et dicentes: Si tu es rex Judæorum, salvum te fac. 38 Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris græcis, et latinis, et hebraicis: Hic est rex Judæorum.[‡] 39 Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac teipsum et nos. 40 Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es.[¶] 41 Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. 42 Et dicebat ad Jesum:

^{¶¶}23.33 *Calvariæ locum.* Extra portam Hierusalem erant loca in quibus truncabantur capita damnatorum, et dicebantur loca Calvariæ, id est decollatorium. Ibi crucifigitur, ut, ibi erat area damnatorum, erigantur vexilla martyrii. *Et latrones,* etc. Exsecrabilis in facto iniquitas Judæorum, quæ quasi latronem crucifigit omnium Redemptorem, bonus tamen in mysterio latro, qui insidiatus est diabolo, ut vasa ejus auferret. Per illum qui a dextris significatur mortificatio carnis pro cœlesti gloria, per illum qui a sinistris mortificatio carnis pro aliqua mundi causa.

^{§§}23.34 *Jesus autem,* etc. Quia Lucas Christi sacerdotium scribere disposuit, recte Dominus apud Deum pro persecutoribus jure sacerdotis intercedit, et latroni confitenti paradisum pandit, nec frustra orat, sed pro eis qui post passionem ejus crediderunt, impetrat. Non pro eis orat, qui per invidiam et superbiam Filium Dei intellexerunt, negant et crucifigunt, sed pro eis qui zelam Dei habentes, sed non secundum scientiam, nescierunt quid fecerunt. *Dividentes.* De his Joannes latius. Quadripartita vestis significat Ecclesiam toto orbe, quæ quatuor partibus constat, diffusam, omnibus partibus æqualiter, id est, concorditer distributam. Tunica sortita, omnium partium significat unitatem, quæ charitatis vinculo continetur. *Sortes.* In sorte Dei gratia commendata est. Sic quippe in uno ad omnes pervenit, cum sors omnibus placuit, quia et Dei gratia in unitate ad omnes pervenit, et cum sors mittitur, non personæ cujusquam vel meritis, sed occulto Dei judicio creditur.

*23.35 *Alios salvos fecit.* Sua se sententia damnant, qui etiam nolentes quod alios salvos fecerit, confitentur. Poterat quidem se salvare, sed quia ipse Christus Dei electus, de cruce descendere noluit. Nam qui ideo venit, ut pro nobis crucifigeretur, ideo, se de cruce salvare neglexit, quia cum cæteris peccatoribus etiam crucifixores moriendo curavit salvare.

†23.36 *Illudebant autem ei,* etc. Nota quod Judæi vocabulum Christi et Filii Dei auctoritate Scripturæ sibi traditum irrident. Milites vero Scripturarum inscii non Christo Dei electo, sed regi Judæorum insultant. *Et acetum offerentes.* Acetum erant Judæi, a vino patriarcharum degenerantes. Hoc aceto milites potant Dominum, quem illorum suggestionem morti tradunt.

‡23.38 *Erat autem,* etc. Hæ tres linguæ præ cæteris eminebant. Hebræa, propter Judæos in lege gloriantes: Græca propter Gentilium sapientiam: Latina propter Romanos imperantes. Ergo velint nolint Judæi, omne regnum mundi, omnis mundana sapientia, omnia divina legis sacramenta testantur, quod Jesus est imperator credentium et confitentium. *Hic est rex Judæorum.* Titulus qui Christum regem testatur, non infra, sed supra crucem ponitur, quia licet in cruce hominis infirmitate dolebat, super crucem tamen regis majestate fulgebat, et ideo immolato titulus est supra positus, ut cunctis legere, id est, credere volentibus pateat, quia per crucem non perdidit, sed corroboravit imperium.

¶23.40 *Increpabat eum.* Ipsa increpatio futurum crucis scandalum etiam circa credentes revelat, quorum alii a dextris, alii a sinistris.

Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum.^{§ 43} Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.^{** 44} Erat autem fere hora sexta, et tenebræ factæ sunt in universam terram usque ad horam nonam.^{†† 45} Et obscuratus est sol, et velum templi scissum est medium.^{‡‡ 46} Et clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit.⁴⁷ Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat.^{¶¶ 48} Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.^{§§ 49} Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres, quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes.⁵⁰ Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus et justus:^{* 51} hic non consenserat consilio, et actibus eorum: ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat et ipse regnum Dei:

§23.42 **Domine, memento mei.** Magna gratia in hoc latrone eminet. Nullum membrum a supplicio liberum habet, præter cor et linguam, totum quod liberum habet, offert. Corde credit, ore confitetur. Fidem habuit qui regnaturum credidit quem secum morientem vidit. Spem habuit, qui aditum postulavit. Charitatem firmiter tenuit, qui latronem et de sua iniquitate arguit, et vitam quam cognoverat ei prædicavit. Magna virtus, confitetur quem videt humana infirmitate morientem, quem negabant apostoli, quem viderant miracula divina virtute facientem.

23.43 **Amen dico tibi. Pulcherrimum affectandæ conversionis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur, et uberior gratia quam precatio. Semper enim Dominus plus tribuit quam rogatur; Ille rogabat: **Memento mei,** etc. Dominus ait: **Hodie mecum eris,** etc. Cito ignoscit Dominus, quia ille cito convertitur.

††23.44 **Et tenebræ,** etc. Sol retraxit radios ne aut pendentem videret Dominum, aut ne impii blasphemantes sua luce fruerentur. Et nota quod sexta hora, id est sole recessuro a centro mundi, crucifigitur; diluculo, id est oriente sole, resurgit, quia **mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram** Rom. 18.. Adam peccante post meridiem, id est inclinata luce fidei, vox Domini auditur, eodem igitur temporis articulo, quo tunc peccanti Adæ obluserat, nunc latroni poenitenti Dominus paradysum reserat.

‡‡23.45 **Velum templi,** etc. Hoc exspirante Domino gestum est, sed Lucas præoccupat, volens miraculum solis conjungere miraculo veli. Scinditur autem velum, ut arca testamenti et omnia sacramenta legis quæ tegebantur appareant, et ad gentes transeant. Josephus ait: Virtutes angelicas præsidet quondam templi tunc pariter conclamasse: **Fugiamus ab his sedibus. Pater,** etc. Patrem invocans, se Filium Dei declarat. Spiritum commendans, non defectum virtutis, sed confidentiam ejusdem cum parte potestatis insinuat. Amat enim dare gloriam Patri, in quo nos informat, ut gloriam demus Creatori.

¶¶23.47 **Videns autem centurio.** Videns quod ita haberet potestatem mittendi spiritum, quod non habet nisi conditor animarum, ipse qui crucifixerat in ipso passionis scandalo, confitetur Dei Filium, quem Judæi post tot miracula credere renuerunt. Unde per centurionem fides Ecclesiæ designatur, quæ, velo mysteriorum cœlestium per mortem Domini reserato, mox justum et Dei Filium tacente Synagoga confirmat.

§§23.48 **Percutientes pectora.** Quod percutiunt pectora in signum poenitiæ et luctus dupliciter potest intelligi. Sive enim cujus vitam dilexerant, injuste occisum dolebant: sive cujus mortem se impetrasse meminerant, hunc in morte amplius glorificatum tredebant. Sed quæcunque causa pectus tundere cœgerit, videamus distantiam gentis et gentis. Gentiles, moriente Domino Deum timentes, apertæ confessionis voce glorificant: Judæi percutientes solum pectora, silentes domum redeunt.

*23.50 **Nomine Joseph.** Joseph per nobilitatem potentiæ sæcularis corpus accipere, per justitiam meritorum dignus est sepelire.

52 hic accessit ad Pilatum et petiit corpus Jesu:† 53 et depositum involvit sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.‡ 54 Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat.¶ 55 Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus.§ 56 Et revertentes paraverunt aromata, et unguenta: et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.**

†23.52 *Hic accessit*, etc. Non apostoli, sed Joseph justus et constans, et Nicodemus, in quo non erat dolus, sepeliunt. Talis est etiam sepultura Christi, quæ fraudem iniquitatemque non habet, in quo obstruitur tergiversatio Judæorum. Nam si apostoli sepelissent, dicerent non sepultum quem dixerunt raptum.

‡23.53 *Syndone*. Ex simplici sepultura Domini ambitio divitum condemnatur, qui nec mortui carere possunt divitiis. Mystice: In syndone munda Jesum involvit, qui pura mente eum suscipit. Hinc etiam mos Ecclesiæ habet, ut sacrificium altaris non serico, non panno tincto, sed puro lineo celebretur. *Et posuit eum*. Bene ergo Christus in monumento justus conditur, ut habeat Filius hominis ubi reclinet caput, et justitiæ habitatione quiescat. Bene novo, ut in novitate vitæ qui Christum suscipit ambulet. Non sepelit Christum, nisi qui credit in Christum. *In monumento exciso*. Solus Dominus tumulo includitur, ut sepultura illius et resurrectio a nostræ fragilitate naturæ dissimilis monstretur. Sepultus est, sed quandiu voluit: resurrexit, sed quando voluit. *In quo nondum*. Si in monumento ubi alius positus fuisset, ponere-tur, alius resurrexisse fingeretur. In petra exciso, ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, fossis tumuli fundamentis, furto ablatum diceretur.

¶23.54 *Et dies erat*, etc. Sexta die factus homo, sabbato quievit Deus. Sexta ergo crucifixus præparationis implet arcanum. Sabbato sepulcro quiescens, resurrectionis expectat eventum. Sic nos in sexta mundi ætate debemus pati pro Domino. In septima, id est, quando morimur, corpus in tumulo, anima cum Domino post opera manet in quiete, donec in octava resurgant corpora.

§23.55 *Mulieres*. Aliis notis Jesu post depositum corpus recedentibus, solæ mulieres, quæ arctius amabant, officium funeris inspiciebant, ut congruo tempore munus devotionis suæ offerrent, expectantes quod Jesus promiserat, et ideo primæ viderunt.

**23.56 *Et revertentes*. Inspecta Domini sepultura revertentes parant aromata et unguenta, qui lecta, audita, recordata, passione Domini, ad opera virtutum quibus Christus delectetur se convertunt, et sabbato silent. Post sabbatum cum muneribus venturi ad Dominum, cum finita præsentis vitæ parasceve in beata quiete gaudentes expectant tempus resurrectionis, quo Christo occurrunt cum redolentibus actionum aromatis. *Et sabbato*, etc. Mandatum erat, ut sabbati silentium a vespera usque ad vesperam servaretur. Ideo mulieres sepulto Domino, quandiu licebat operari, in unguentis præparandis occupantur parasceve usque ad solis occasum, et trans-acto sabbato occidente sole, ut mane venientes ungerent eum, quia vesperæ sabbati, præoccupante jam noctis articulo, monumentum adire non poterant.

24 Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata:†† 2 et invenerunt lapidem revolutum a monumento.‡‡ 3 Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. 4 Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.¶¶ 5 Cum timerent autem, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis?§§ 6 non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset,* 7 dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. 8 Et recordatæ sunt verborum ejus.† 9 Et regressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et ceteris omnibus.‡ 10 Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc. 11 Et visa sunt

††24.1 *Una autem sabbati*, etc. Una sabbati idem est quod prima sabbati, id est, una dies a die sabbati vel sabbatorum, quæ nunc Dominica dicitur. Quod valde mane mulieres ad monumentum venerunt, magnus fervor charitatis quærendi et inveniendi Dominum ostenditur. Mystice: Exemplum datur, ut, illuminata fide, decussisque vitiorum tenebris, ad sacrum corpus Domini accedamus. Nam sepulcrum figura est altaris, in quo celebratur mysterium corporis et sanguinis Domini. Aromata quæ deferunt odorem virtutum, et suavitatem orationum, cum quibus altari propinquare debemus, significat.

‡‡24.2 *Lapidem revolutum*. Revolutio lapidis significat reserationem sacramentorum Christi, quæ velo litteræ tegebantur. Lex in lapide scripta est, cujus ablato tegmine Domini corpus mortuum non invenitur, sed vivum evangelizatur: *quia etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus* II Cor. 5.. Potuit autem clauso exire sepulcro, qui clauso exivit utero.

¶¶24.4 *Mente consternatæ*. Mente consternantur, quia et lapidem immensæ magnitudinis revolutum stupebant, et corpus tam venerabile non inventum dolebant. Sicut tentato in solitudine Domino, expleta victoria angeli ministrabant ei, ita modo post devictam mortem venerunt angeli, qui non solum verbo, sed etiam fulgenti habitu gloriam annuntiant triumphantis. Et sicut corpori in sepulcro astiterunt, sic etiam corpori consecrato in altari quotidie assistunt.

§§24.5 *Declinarent vultum*. Nota quod nec sanctæ mulieres in terram cecidisse, nec aliquis sanctorum in resurrectione Domini prostratus in terram adorare legitur; unde mos cœpit in Ecclesia paschali tempore non flecti genua in oratione, sed vultu in terram declinato orare.

*24.6 *Recordamini*. Die tertia, sicut ex hoc loco habemus, inter discipulos etiam feminis quæ eum sequebantur, Dominus resurrecturum se prædixit. Parasceve hora nona exspiravit, mane prima sabbati resurrexit. Merito autem una die et duabus noctibus in sepulcro jacuit, quia lucem suæ simplæ mortis (quæ tantum in carne erat) tenebris duplæ nostræ mortis quæ in corpore erat et anima, apposuit, et utramque nostram curavit. Si enim utramque suscepisset, nos a neutra liberasset.

†24.8 *Et recordatæ sunt*. Sicut mulieres in monumento Domini stantes, recordantur verborum quæ de sua dispensatione præfatus erat, sic nos inter Dominicæ passionis mysteria celebranda, non solum passionis, sed et resurrectionis debemus recordari.

‡24.9 *Nuntiaverunt*. Sicut in principio mulier auctor culpæ viro fuit, vir executor fuit erroris, ita nunc quæ mortem prior gustaverat, resurrectionem vidit, et ne perpetui reatus opprobrium apud viros sustineret, quæ culpam viro transfuderat, transfudit et gratiam. Et quia constantiam prædicandi non habet inferior sexus ad exsequendum infirmior, mandatur viris officium evangelizandi.

ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis.[¶] 12 Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: et procumbens vidit lintheamina sola posita, et abiit secum mirans quod factum fuerat.[§] 13 Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus.^{**} 14 Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. 15 Et factum est, dum fabularentur, et secum quærent: et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis:^{††} 16 oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. 17 Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? 18 Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?^{‡‡} 19 Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo: 20 et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum: 21 nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël: et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt.^{¶¶} 22 Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,^{§§} 23 et non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. 24 Et abierunt quidam ex

[¶]24.11 **Et non crediderunt.** Quod discipuli tarde credunt, non tam illorum infirmitas quam nostra futura firmitas fuit, nam illis dubitantibus resurrectio multis argumentis monstratur, quæ dum legentes agnoscimus, quid aliud quam de eorum dubitatione solidamur?

[§]24.12 **Petrus autem surgens.** Joannes commemorat, quod et ipse et Petrus simul cucurrerunt, et quod Petro intus introeunte in monumentum, et vidente lintheamina et sudarium, ipse Joannes inclinans se, vidit lintheamina, nec introivit. Sed intelligendum est Petrum primo procumbentem vidisse quod Lucas commemorat, Joannes tacet: post vero ingressum, ut diligentius interiora dignosceret, ingressum tamen antequam Joannes intraret.

^{**}24.13 **Nomine Emmaus.** Emmaus ipsa est metropolis civitas insignis Palæstinæ, quæ post expugnationem Judææ sub Marco Aurelio Antonio principe restaurata, cum statu mutavit et nomen.

^{††}24.15 **Dum fabularentur.** Loquentes de se Dominus appropinquans comitatur, ut et fidem resurrectionis eorum mentibus incendat, et quod se promiserat facturum, impleat: **Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum** Matth. 28.. **Appropinquans,** etc. **Oculi,** etc. Apparuit quidem in specie propria, sed speciem quam recognoscerent, non ostendit. Sicut et ipsi et intus amabant, et tamen dubitabant, sic ipse foris et præsens adest, et quis sit, non ostendit. De se ergo loquentibus præsentiam exhibet, sed de se dubitantibus speciem cognitionis aufert.

^{‡‡}24.18 **Peregrinus es,** etc. **Quibus,** etc. Peregrinum putant, quem non agnoscunt. Et vere peregrinus erat eis, a quorum fragilitate per gloriam resurrectionis jam longe stabat, a quorum fide resurrectionis nescia extraneus manebat. **Vir propheta,** etc. **Et quomodo tradiderunt,** etc. Prophetam et magnum fatentur, Filium Dei tacent, vel quia nondum perfecta credunt, vel si credunt timent tradi in manus Judæorum, nescientes cum quo loquuntur.

^{¶¶}24.21 **Nos autem,** etc. Quodammodo redarguunt seipsos, quod in illum redemptionem speraverint, quem mortuum viderant, nec resurrecturum credebant, et maxime dolent eum sine culpa occisum, quem innocentem noverant, et ex hoc tristes incedebant.

^{§§}24.22 **Terruerunt nos,** etc. Merito dicuntur teruisse eos quibus de non invento corpore plus mœstitiam addiderunt, quam de nuntiata resurrectione gaudium quo recrearentur, afferunt.

nostris ad monumentum: et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt. * 25 Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ !† 26 Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? 27 Et incipiens a Moyse, et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. 28 Et appropinquerunt castello quo ibant: et ipse se finxit longius ire.‡ 29 Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit cum illis. 30 Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis.¶ 31 Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum: et ipse evanuit ex oculis eorum.§ 32 Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?*** 33 Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem: et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant, 34 dicentes: Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.†† 35 Et ipsi narrabant

*24.24 *Abierunt quidam*, etc. Cum supra dixerit Petrum cucurrisse ad monumentum, et modo dicat Cleophas: *Quidam ex nostris abierunt ad monumentum*, etc. Intelligendum est, quod duo simul ierunt. Sed Petrum solum primo commemoravit, quia primitus illi nuntiavit Maria.

†24.25 *O stulti et tardi corde*. Hic gemina humiliandi necessitas incumbit, qui nec in Scripturis quantum oportet edocti, nec ad implenda quæ novimus quantum decet, sumus intenti. Nam si Moyses et prophetæ de Christo locuti sunt, et eum per passionem et gloriam intraturum prædixerant, quomodo gloriatur se esse Christianum, qui neque in Scripturis qualiter ad Christum pertinent investigat, neque ad gloriam quam cum Christo habere cupit, per passiones attingere desiderat?

‡24.28 *Et ipse*, etc. *Mane nobiscum*, etc. Talem se exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente. Probandi erant, si hunc quem nondum ut Deum diligebant, saltem ut peregrinum diligerent. Sed quia extranei a claritate esse non possunt, cum quibus veritas gradiebatur, ad hospitium vocant, imo cogunt. Quo exemplo colligitur, quia peregrini non solum ad hospitium sunt vocandi, sed etiam trahendi.

¶24.30 *Fregit*, etc. Quem in expositione Scripturæ non cognoverunt, in fractione panis noverunt, quia non audiores legis, sed factores justificabuntur, et veritas melius operando quam audiendo intelligitur.

§24.31 *Aperi sunt*, etc. Subtrahitur carnalibus oculis species infirmitatis, ut mentibus incipiat apparere gloria resurrectionis.

***24.32 *Et dixerunt*, etc. Mystice: Ideo in Christo illis ostensa est alia effigies, ne eum nisi in fractione panis cognoscerent, ut omnes intelligant se Christum non agnoscere, nisi fiant participes corporis ejus, id est Ecclesiæ, cujus unitatem commendat Apostolus in sacramento panis, dicens: *Unus panis, unum corpus multi sumus* I Cor. 10.. Cum ergo panem benedictum porrigit, aperiuntur oculi ut eum cognoscant, et removetur impedimentum quod a Satana in oculis erat, ne agnosceretur Jesus. Et hoc impedimentum permittit inesse Dominus donec ad sacramentum panis veniatur. Sed participata unitate corporis, aufertur impedimentum inimici, ut possit Christus agnosci. *Ardens*. GREG. Exaudito sermone, cor prius torpore incredulitatis et timoris frigidum igne sancti Spiritus est accensum, ut jam superno desiderio ardeat, et ad credendam veritatem se extendat. Quot præceptis instruitur homo, quasi tot facibus inflammat.

††24.34 *Surrexit Dominus*. Jam fama erat quod resurrexerat Jesus ab illis mulieribus facta, et a Simone Petro cui apparuerat, hæc loquentes invenerant isti duo, sed et ipsi prius audierant quod resurrexerat, sed timuerunt dicere in via quando tantummodo angelos dixerunt visos mulieribus. Ignorantes enim eum cum quo loquebantur, poterant timere ne inciderent in manus Judæorum, si quid passim dicerent de Christi resurrectione.

quæ gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. ³⁶ Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere. ³⁷ Conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre. ³⁸ Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? ³⁹ videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. ⁴⁰ Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. ⁴¹ Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? ⁴² At illi obtulerunt ei partem piscis assi et

^{‡‡}24.36 *Stetit Jesus*, etc. Hæc ostensio est illa, de qua Joannes ait Joan. 20.: *Cum sero esset die*, etc., *et dixit eis: Pax vobis*. Quod vero dicit Joannes Thomam non fuisse cum illis: cum Lucas dicat istos duos invenisse undecim congregatos, et eos qui cum eis erat, intelligendum est quod Thomas inde exisset antequam Dominus eis hoc loquentibus appareret.

^{¶¶}24.37 *Spiritum videre. Et dixit eis*. Noverant discipuli fuisse verum hominem, sed postquam mortuus est, non credunt tertia die potuisse veram carnem de sepulcro resurgere. Putant ergo se videre spiritum quem emisit in passione, sed hunc errorem aufert Dominus. *Quid turbati estis*. AMBR. Credebant apostoli, sed tamen turbantur, etc., usque ad quod clausis januis, Dominus cum corpore suo se improvisus infuderit. *Cogitationes*, etc. Falsæ non desuper descendentes, sed sicut mala herba in corde ascendentes, fidem quam in vobis plantavi exigo, quod ex vobis ortum est condemno, si non est veritas resurrectionis, perditus est fructus passionis.

^{§§}24.39 *Palpate et videte*. Multis documentis persuadet resurrectionem præbendo se, et oculis videndum, et manibus contrectandum, qui dum palpando ossa carnemque monstrat, statum suæ vel nostræ resurrectionis signat, in qua corpus nostrum, et subtile erit per effectum spiritualis potentiæ, et palpabile per veritatem naturæ. Post resurrectionem Dominus in corpore suo duo contraria ostendit, et palpabile ejusdem naturæ ut informet ad fidem, et incorruptibile alterius gloriæ, ut invitet ad præmium.

^{*}24.40 *Ostendit eis manus*, etc. Ut ostensa vulnere cicatrice infidelitatis vulnus sanaret, quas cicatrices et tunc servavit, et in judicio servaturus est. Primo ad fidem resurrectionis astruendam: deinde ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit semper ostendat: tertio, ut sua morte redemptis quam misericorditer sint adjuti, propositis ejusdem mortis insinuat indicia. Sed postremo, ut in judicio quam juste damnentur impii denuntiet, ostensa quam ab illis accepit cicatrice. Non ergo ex impotentia curandi cicatrices servavit, sed ut perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum.

[†]24.41 *Habetis hic aliquid*. Ad insinuandam veritatem resurrectionis, non solum tangi, sed convesci voluit, non quod vel ipse vel nos post resurrectionem cibo debeamus indigere, sed ut corpus, non spiritum esse manifestaret, manducavit potestate, non necessitate. Aliter absorbet aquam terra sitiens aliter solis radius calens: illa indigentia, iste potentia.

favum mellis.[‡] 43 Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.[¶] 44 Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et Psalmis de me. 45 Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas,[§] 46 et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die:^{**} 47 et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. 48 Vos autem testes estis horum. 49 Et ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.^{††} 50 Eduxit autem eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis benedixit eis.^{‡‡} 51 Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cælum. 52 Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno: 53 et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen.^{¶¶}

[‡]24.42 **Piscis assi.** Piscis assus, ipse mediator passus, in aquis humani generis captus laqueo mortis, assatus tempore passionis. Ipse et favus mellis nobis est in resurrectione. Favus mellis in cera, id est Divinitas in humanitate. In hujus mellis comestione signatur, quia illos in corpore suo ad æternam quietem suscipit, qui cum tribulationes pro Deo sentiunt, ab amore internæ dulcedinis non recedunt. Qui hic assantur, illic vera dulcedine satiabuntur.

[¶]24.43 **Et cum manducasset.** Omnes ambages aufert: visus est, tactus est, manducavit, et ne in aliquo sensus humanos ludificasse videretur, mittit manus ad Scripturas, ut etsi magicis artibus videatur potuisse quod voluit, sicut dicunt pagani, saltem videant prophetare non potuisse antequam natus fuit.

[§]24.45 **Tunc aperuit.** Post visum, post contactum, post commemoratam legem aperuit sensum, ut quod vident et legunt, intelligant, deinde post sui corporis commendatam veritatem commendat Ecclesiæ unitatem: **Et prædicari in nomine ejus.**

^{**}24.46 **Oportebat,** etc. Oportebat ut ministri qui pœnitentiam et remissionem erant prædicaturi in omnes gentes, inciperent ab Hierosolymis. Non solum quia illis credita sunt eloquia Dei, et quia eorum est adoptio filiorum, et gloria testamenta, et legislatio; sed ideo etiam ut gentes variis erroribus et facinoribus implicitæ, hoc maxime indicio divinæ pietatis ad spem veniæ provocentur, quod eis qui Filium Dei crucifixerunt, veniam relaxat.

^{††}24.49 **Vos autem sedete.** Postquam discipulos de virtute prædicationis perfecte instruxit, cum repente si vellet posset eos roborare, distulit, dicens: **Vos autem sedete.** Ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare ante tempus præsumant. In civitate sedet, qui intra mentis claustra se constringit, ne loquendo exterius evagetur, ut cum divina virtute perfecte fuerit indutus, tunc quasi a seipso foras exeat, alios instruendo.

^{‡‡}24.50 **Eduxit autem eos.** Prætermisiss omnibus quæ per quadraginta dies gesta sunt, primo resurrectionis diei tacite conjungit novissimum quo ascendit in cælum. Et pulchre benedicturus discipulos, educit in Bethaniam, quæ domus obedientiæ dicitur, quia qui propter inobedientiam perversorum descendit, propter obedientiam conversorum ascendit.

^{¶¶}24.53 **In templo.** Ut in loco orationis inter laudum devotiones, promissum sancti Spiritus adventum, paratis per omnia cordibus expectent. Sic nos post celebrata in Hierosolymis, id est visione pacis, passionis et resurrectionis solemnia, Domino duce petamus Bethaniam, ut mente quieta corporis et sanguinis ejus sacramentis imbuamur, et domus obedientiæ esse curemus. **Laudantes et benedicentes.** Lucas qui sacerdotium Christi cæteris amplius exponendum suscepit, et ideo Evangelium suum a ministerio templi per sacerdotium Zachariæ cœpit, pulchre hoc in templi devotione complevit, cum apostolis ibi ministros, scilicet, novi sacerdotii futuros, non in victimarum sanguine, sed in laude Dei et benedictione concludit.

INCIPIT SECUNDUM IOHANNEM

1 [In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.^{§§}
² Hoc erat in principio apud Deum. ³ Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso
factum est nihil, quod factum est. * ⁴ In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: † ⁵ et
lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. ⁶ Fuit homo missus a

§§1.1 **Prologus** Omnibus divinæ Scripturæ paginis, Evangelium excellit, quia quod lex et prophetæ futurum prædixerunt, hoc completum dicit Evangelium. Inter ipsos autem evangeliorum scriptores Joannes eminent in divinorum mysteriorum profunditate, qui a tempore Dominicæ Ascensionis per annos sexaginta quinque verbum Dei absque admiculo scribendi usque ad ultima Domitiani prædicavit tempora. Sed occiso Domitiano, cum permittente Nerva de exilio redisset Ephesum, compulsus ab episcopis Asiæ de cœterna Patri divinitate Christi scripsit adversus hæreticos, qui eo absente irruperant in ejus ecclesias, qui Christum ante Mariam fuisse negabant. Unde merito in figura quatuor animalium aquilæ volanti comparatur, quæ volat altius cæteris animalibus, et solis radios irreverberatis aspicit luminibus. Cæteri quippe evangelistæ, qui temporalem Christi nativitatem et temporalia ejus facta, quæ gessit in homine sufficienter exponunt, et de divinitate pauca dixerunt, quasi animalia gressibilia, cum Domino ambulant in terra. Hic autem pauca de temporalibus ejus gestis edisserens, sed divinitatis potentiam sublimius contemplan, cum Domino ad cœlum volat. Qui enim supra pectus Domini in cœna recubuit, cœlestis haustum sapientiæ cæteris excellentius de ipso Domini pectoris fonte potavit. Legerat siquidem evangelia trium evangelistarum, et approbaverat fidem eorum et veritatem in quibus deesse vidit aliqua gestarum rerum historiæ, et ea maxime quæ Dominus gessit primo prædicationis suæ tempore, scilicet, antequam Joannes Baptista clauderetur in carcere. Hæc ergo quasi dimissa ab illis, scribit Joannes quæ fecit Jesus antequam Joannes traderetur, sed maxime divinitatem Christi et Trinitatis mysterium commendare curavit. Tres siquidem alii evangelistæ, dicta et facta Domini temporalia, quæ ad informandos mores vitæ præsentis maxime valent, copiosius consecuti, circa activam vitam sunt versati. In qua laboratur, ut cor mundetur ad videndum Deum. Joannes vero pauca Domini facta dicit, verba vero Domini quæ Trinitatis unitatem, et vitæ æternæ felicitatem insinuant, diligentius conscribit, et sic in contemplativa vita virtute commendanda, intentionem suam et prædicationem tenuit. In qua contemplativa vacatur, ut Deus videatur. Iste siquidem est Joannes quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit, et cui matrem virginem virgini commendavit. **In principio erat Verbum.** Contra eos qui propter temporalem Christi nativitatem dicebant Christum non semper fuisse, incipit de æternitate Verbi dicens: **In principio erat Verbum.**

*1.3 **Omnia per ipsum facta sunt.** AUG. Non est creatura per quem omnis creatura facta est, etc., usque ad quæ concordant cuncti potentia Divinitatis. **Et sine ipso factum est nihil.** ORIG. Ita distinguit: **Et sine ipso factum est nihil.** Ordo: **Nihil est quod factum est sine ipso.**

†1.4 **Quod factum est, erat vita in ipso.** AUG. Joannes Chrysostomus: **Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est.** Hilarius: **Sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso.**

Deo, cui nomen erat Joannes.^{‡7} Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.⁸ Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.⁹ Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.^{¶10} In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.¹¹ In propria venit, et sui eum non receperunt.^{§12} Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus:^{**}
¹³ qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.¹⁴ Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis.^{††15} Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens: Hic erat quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.^{‡‡16} Et de plenitudine ejus nos

[‡]1.6 *Fuit homo missus.* Postquam sublimes volatu ultra omnem naturam in altitudinem theologiæ ascendit, quia Verbum apud Patrem semper fuisse contemplatus est, mox ad humilitatem humanæ naturæ, et specialiter præcursoris Verbi descendit contra illos qui dicebant humanam naturam in primo parente ex toto perditam et ad nihilum redactam. *Homo missus.* Homo, non angelus, ut hæretici volunt, missus a Deo. Ideo potuit dicere de Deo.

[¶]1.9 *Erat lux vera.* Omnis homo dicitur illa natura in homine, quæ ad imaginem et ad similitudinem Dei facta est. Alia omnia quæ sunt in homine inferiores partes hominis sunt, et quodammodo extra hominem sunt. In illa scilicet, anima velut in quodam mundo superiori vera lux lucet, et in illum mundum venientes, et per gratiam renascentes illuminat, quia quorum vita et conversatio in cœlis est, quasi in alio mundo sunt.

[§]1.11 *Et sui eum non receperunt.* Ab initio mundi nullum tempus erat in quo receptores divini verbi non essent, unde addit: *Quotquot autem receperunt.*

^{**}1.12 *Filios Dei fieri.* Mirabilis potestas ut qui filii diaboli erant, et filii Dei et fratres Christi per eum liberati dicantur, quo autem ordine filii Dei fiant, et quomodo hæc generatio distat a carnali, subditur: *Qui non ex sanguinibus.*

^{††}1.14 *Et Verbum caro factum est.* Ut autem secure credamus homines nasci ex Deo, subdit Deum nasci ex homine, ex hac susceptione infirmitatis sanatur nostra infirmitas, ut possimus filii Dei fieri. Et hoc est: *Et Verbum caro factum est.* Quod superius erat, inferius descendit. Quid mirum: si quod erat inferius, in id quod superius est ascendit? Nec mirum, si homines nascuntur ex Deo, quia Deus ex homine est natus. *Plenum gratiæ et veritatis.* Homo Christus plenus fuit gratia, quia nullis præcedentibus meritis ex quo conceptus est, fuit Deitas in eo implens hominem illum omni plenitudine redundante, in omnes sanctos, unde et mater ejus non tantum dicitur mater hominis, sed et mater Dei. Nec mirum, si dicitur, homo etiam Deus, cum Deus dicatur etiam homo, hæc autem gratia dicitur et veritas, quia sic olim promissum est, et modo exhibitum, scilicet, ut Deus sit in homine implens eum omni bono, et per eum suos.

^{‡‡}1.15 *Hic erat quem dixi.* Per demonstrativum pronomen innuitur Christum affuisse in illo loco. Sæpe enim ipse Dominus adhuc ignotus antequam baptizaretur et prædicaret, ad Joannem solitus erat venire. *Qui post me venturus est.* Qui post me natus, post me prædicaturus, baptizaturus, moriturus. Non quod jam non esset natus, quando hæc dixit, quia etiam baptizatus: sed venturus in prædicatione, in morte, sed non in resurrectione. *Ante me factus est, quia prior me erat.* Ex Græco, coram me factus est, id est, apparuit mihi quidem, scilicet, quia prior me erat.

omnes accepimus, et gratiam pro gratia:^{¶¶} 17 quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.^{§§} 18 Deum nemo vidit umquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.]^{*} 19 Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad eum ut interrogarent eum: Tu quis es?[†] 20 Et confessus est, et non negavit, et confessus est: Quia non sum ego Christus.[‡] 21 Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit:

^{¶¶}1.16 *Et de plenitudine.* Exposito testimonio præcursoris, redit evangelista ad testimonium suæ assertionis. Quasi dicat: **Verbum caro factum est: vidimus gloriam ejus plenam gratiæ et veritatis, et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.** Gratiam, ut ipsum credamus, et veritatem qua illum intelligemus. **Accepimus.** AUG. Non solum gratiam, quæ plane gratis datur, non pro merito ut fidem quæ per dilectionem operatur, ex qua justus vivit, sed pro ista, gratiam, id est beatitudinem æternam, quæ et merces justitiæ dicitur, et etiam gratiam, quia meritum ex gratia. **Gratiam pro gratia.** Gratia in conceptione boni per gratiam datur. Gratia simpliciter quæ non est meriti, si postea cum illa operamur, in bonis consuescimus, et tunc datur gratia pro gratia priori.

^{§§}1.17 *Per Moysen.* Per Moysen servum prænuntiatio, per Dominum Jesum salutis impletio.

^{*}1.18 *Deum nemo vidit unquam.* Id est, nullus purus homo vivens in hoc corpore vidit Deum ut est, unde dictum est Moysi: **Non videbit me homo et vivet** Exod. 33., id est, nemo vivens in corpore videbit divinitatem meam. Unde ista adjecit Deus Moysi: **Sta in foramine petræ, et cum pertransiero videbis posteriora mea** Ibid.. Petra, id est, Christus, foramen, crucis patibulum, pertransiero, id est, transiero de mundo ad Patrem. Posteriora, ortus ejus, passio, resurrectio, ascensio, per quæ credita ad ejus beatitudinem et visionem pervenimus. Quod legitur Deum apparuisse hominibus sive visibiliter carnalibus oculis, sive invisibiliter prophetis visionibus per subjectam creaturam, intelligendum est, visiones enim prophetarum quadam spirituali creatura factæ sunt, quibus Deum vidisse perhibentur. **Unigenitus Filius,** etc. Quæ sit summa gratiæ et veritatis, breviter subdit, scilicet cognitio ipsius Trinitatis, unde: **Hæc est vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.** Quæ in hac vita non plene est, quia nemo in carne vidit Deum ut est. Unde nec ipse Moyses nedum per eum data sit gratia, sicut etiam ipse post omnia visa in typo Dei dixit: **Ostende mihi teipsum** Exod. 33., sed Filius qui est in secreto Patris narravit, **quia nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare** Luc. 10.. Ipse narrat suis quid de Trinitate deitatis sentiendum sit, quomodo ad eam perveniendum, et ad ipsam introducit.

[†]1.19 *Et hoc.* Et hæc et cætera sequentia testimonia Joannis, exhibita sunt post baptismum Christum, cum jam Jesus veniret invitare discipulos, quos Joannes suis testimoniis mittit ad eum. Testimonium contra hoc, quod occultus Christus: occultus quia humilis: humilis ut possit sperni et occidi, ut redimeret mundum. **Tu quis es.** Putabant Judæi Joannem esse Christum, qui in lege promittebatur. Alii putabant eum esse Eliam, propter nimiam abstinentiam et castitatem, et solitariam vitam, et asperitatem delictorum reprehensionem, et durissimum futuræ vindictæ terrorem. Alii dicebant eum esse unum de prophetis resuscitatum, propter prophetiæ gratiam.

[‡]1.20 *Confessus est.* Confessus est, ut postea dicit, non quod erat Christus. Non negavit quod erat, id est, quod esset præcursor, ut post interrogatus dicit: **Ego vox clamantis.** Ordo verborum, et confessus est et non negavit quando miserunt.

Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.[¶] 22 Dixerunt ergo ei: Quis es ut responsum demus his qui miserunt nos? quid dicis de teipso? 23 Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.[§] 24 Et qui missi fuerant, erant ex pharisæis.^{**} 25 Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?^{††} 26 Respondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.^{‡‡} 27 Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.^{¶¶} 28 Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.^{§§} 29 Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et

[¶]1.21 *Elias es tu?* Cum omnes scirent nomen Christi, sciebant etiam quod Elias præcessurus sit eum. Sed ipse Elias præcessurus, in potestate iudicaturum, Joannes figuraliter Elias eumdem iudicandum, ut sint duo præcones sicut duo adventus ejusdem, unde: **Non sum Elias**, id est, non præco: potentiam indicans; sed in quam offenditis ostendo humilitatem: quasi dicat: Servite humili antequam excelsus iudicet. Ecce nec ego Christus, nec a parte potentiæ iudex.

[§]1.23 *Ego vox clamantis in deserto.* Non dicit, Ego sum homo, vel Joannes, vel filius Zachariæ. Non considerat humanam subsistentiam vel generationem, sed ultra hæc omnia exaltatus præcursor Verbi, deserit omnia quæ intra mundum continentur. Ascendit in altum factus vox Verbi, nullam in se substantiam fatetur præter abundantiam gratiæ, qua excedit omnem creaturam, ut sit vox Verbi. Vox est interpres animi, animus autem, id est intellectus omnium est Filius Dei. Joannes ergo vox est et interpres hujus animi, quia primo mundo eum demonstravit: **Ecce agnus Dei. Isaias**, Hoc de Joanne prophetavit: **Ego vox clamantis in deserto**, in qua verbum sonat, id est prophetia, et ostensio et lucerna verbi præsentis.

^{**}1.24 *Ex Pharisæis.* Id est, ex principibus Judæorum, qui doctrinam non quærunt, sed invident. Qui tamen ad Joannem ideo veniunt, quia audiunt eum prædicasse communem omnium resurrectionem, quam et ipsi credebant, unde et ipsi in multis Christo consentiunt. Paulum quoque apostolum in multis audierunt.

^{††}1.25 *Quid ergo baptizas.* Audiebant Pharisæi in prophetis Christum venturum et baptizaturum, scientes Jordanem figuram baptismi gessisse, eumque Eliam et Elisæum siccis pedibus transisse, figuramque baptismi in Elia et Elisæo non dubitabant præcessisse, unde et nunc eos surrexisse putabant et baptizasse, unde nec interrogant, Es tu unus prophetarum? sed solummodo: Es tu propheta? ille videlicet qui præfiguravit baptismum.

^{‡‡}1.26 *Ego baptizo in aqua.* Non imputetur audaciæ quod ago, quia corpora ablui aqua, non aufero peccata, ut sicut nascendo et prædicando præcursor sum, sic et baptizando, sed iste medius inter vos est qui peccata tollit.

^{¶¶}1.27 *Cujus ego non sum dignus,* etc. Non ait non solvam. Solvit enim, quoniam ipsum manifestavit et de divinitate et humanitate ipsius multa aperuit; sed, Non sum dignus, quia indignum ad hoc agendum se reputat, in quo simpliciter indicatur humilitas.

^{§§}1.28 *Hæc in Bethania.* Duæ sunt Bethaniæ. Una trans Jordanem, altera circa non longe ab Hierusalem, ubi Lazarus suscitatus est. Illa quæ trans Jordanem est significat humanam naturam sub lege naturali ante fluentia gratiæ, quæ gratia post incarnationem Christi abundans fuit, quæ natura ad hoc creata erat; ut legi naturæ obediret in qua Joannes baptizat, quia a peccato non liberat. Baptizat ultra fluentia divinatorum donorum, quæ nondum in Christo inchoaverant in humanam naturam descendere. Illa quæ est citra Jordanem significat eamdem humanam naturam obedientem sub lege gratiæ, quæ est proxima Hierusalem, id est visioni pacis, per charitatem, in qua Christus mortuum suscitavit quia a peccato liberat.

ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* ³⁰ Hic est de quo dixi: Post me venit vir qui ante me factus est: quia prior me erat:† ³¹ et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans.‡ ³² Et testimonium perhibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendantem quasi columbam de caelo, et mansit super eum.¶ ³³ Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendantem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.§ ³⁴ Et ego vidi: et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei. ³⁵ Altera die iterum stabat Joannes, et ex discipulis

*1.29 **Altera die vidit Joannes Jesum.** Typice. Joannes, id est populus gratiæ, altera die, id est post legem, cognoscit agnum quo redimitur. **Venientem ad se, et ait.** Non solum gressibus corporis, sed etiam interioris suæ contemplationis accessibus, quia dignatus est a Joanne cognosci secundum divinitatem et humanitatem. **Ecce agnus Dei,** etc. Tria ministrat agnus possidentibus se, lac simplicis doctrinæ quo parvuli nutriuntur, lanam, id est incrementa virtutum, esum carnis suæ. **Peccata mundi.** Peccatum mundi dicitur originale peccatum quod est commune totius mundi quo tota humana natura simul et semel condita leges divinas per inobedientiam transgressa est in paradiso, quod originale, singulaque superaddita gratia relaxat.

†1.30 **Post me venit vir.** Christus est vir in quo nobis congruit et pro nobis solvit, et Filius Dei in quo Patri congruit et peccata dimittendo reconciliat nos ei.

‡1.31 **Ut manifestetur.** Hic est agnus qui tollit peccata, quod non ego quem etiam melius modo novi, sed propterea baptizo ut manifestetur Israël. Ne enim propter insolentiam minus baptizarentur a Christo in spiritu, usu baptizandi ei viam paravit, unde postquam ad ipsum, qui via est, ventum est, baptismus ejus cessat. In baptismo etiam Joannis manifestatur humilitas Christi, quæ est impletio totius justitiæ; sicut enim opus est Christum nasci et mori, sic et baptizari. Si enim ipse qui non eget a servo baptizatur, non dedignentur quantumcunque sapientes et sancti a Domino baptizari, sine quo permanent in peccatis. **Baptizans.** Christus a Joanne baptizatur, ut indicetur omnis humilitas quæ est omnis justitia. Sed non solus, ne baptisma Joannis sanctius et majus, in quo Deus homo baptizatus est, videretur baptismum Christi, in quo homines baptizantur. Baptizantur autem alii a Joanne, ut usus baptizandi præparet viam baptismum Christi.

§1.32 **Et testimonium.** Sicut dixit se venisse ut manifestaret Christum, ita perhibuit testimonium, scilicet **vidit spiritum.** In quo didicit, quod prius nescivit: venerat etiam prædicare poenitentiam, id est, facere præparationem prædicationis Christi, sed tantum de præparatione baptismi ponit singulariter, quia baptismus Christi est summum sacramentum inter alia. **Spiritum descendantem.** Non quod modo primum descenderit, sed ut per hoc descendere ostendatur, et manere in baptizatis aqua et non aliter, et ut Joannes per eum de Christo excellentius intelligeret.

§1.33 **Et ego nesciebam.** AUG. Visa columba, dicit se per eam didicisse, quod prius nesciebat, etc., usque ad unde Apostolus: **In labore et mente sunt differentes, in operatione indifferentes.** HIER. Ostendit Joannem non scire per baptismum Christi, id est mundum esse redemptum, nam sciebat bat eum Filium Dei esse, et natum in carne. Aug. dicit Joannem ignorasse hoc tantum utrum sibi retineat vim baptizandi, an alicui suorum tribuat. **Et manentem.** AUG. Spiritualiter dicitur spiritum manere in Christo, a quo nunquam per peccatum recessit, in quo semper mirabiliter vixit et mirabiliter operatus est; in sanctos venit, et per peccata recedit. Manet tamen semper in eis ad aliquid, ut Christus eis promisit, scilicet ut bonis semper insistant. Ad aliquid non manet, scilicet ut ex eo prophetent, vel miracula faciant, et ideo hoc quod dicit est primum signum agnoscendi Christum. **Qui baptizat.** Baptizat Christus in spiritu, non solum remittendo peccata in aqua, sed et post purgando, et amorem accendendo, et donis implendo. **Hic est Filius Dei.** Hic testatur Filium Dei quem superius virum vocabat: ut ab eo habeatur testimonium utriusque naturæ.

ejus duo.** 36 Et respiciens Jesum ambulans, dicit: Ecce agnus Dei. 37 Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum.†† 38 Conversus autem Jesus, et videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum Magister), ubi habitas?‡‡ 39 Dicit eis: Venite et videte. Venerunt, et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima.¶¶ 40 Erat autem Andreas, frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant a Joanne, et secuti fuerant eum.§§ 41 Invenit hic primum fratrem suum Simonem, et dicit ei: Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus).* 42 Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon, filius Jona; tu vocaberis

**1.35 *Altera die iterum stabat Joannes.* Typice. Stat Joannes, cessat lex, tamen testimonium perhibens Christo. Ambulat Jesus, id est gratia hinc inde colligens.

††1.37 *Secuti sunt Jesum.* Secuti sunt, ut eum jam potius quam Joannem audirent, non tamen adhuc ei penitus adhærentes, sed ut videant ubi habitat, ut assidue ad eum veniant, et ab eo erudiantur, et postea perfecte sunt secuti, quando eos de navi vocavit. Duo sequuntur, quia qui sequuntur gemina charitate debent accendi.

‡‡1.38 *Conversus.* Quasi a tergo viderant, sed quasi faciem præbuit illis dum de majestate descendit, ut posset videri, dum pro umbra legis Evangelii lucem exhibuit. *Quid quæritis?* Interrogat non ignorans, sed ut mercedem habeant respondentes, qui rem, non personam, quid, non quem, ne se videatur ostendere, illi personam respondent. *Ubi habitas?* Mystice. Volunt ostendi sibi in quibus Christus habitet, ut se illis assimilent. Vel, qui incarnationem vident, pie quærunt ostendi sibi æternam mansionem quomodo sit apud Patrem.

¶¶1.39 *Venite.* Quasi sermone non potest explicari, sed opere demonstratur, venite credendo et operando, et intelligetis; venite testimonio Joannis et a lege recedite, et gratiam recipietis. *Die illo.* Ostendit Novum Testamentum, sive præsentem vitam. *Hora autem erat quasi decima.* Quia ex lege venerant, decalogus ad Christum misit, hora decima quærunt ab eo doceri, quia non alius docet legem, nisi qui dedit eam. Docet autem cum misericordia et implentur quæ implere non poterant, vel hora decima vesperam mundi indicat.

§§1.40 *Frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant a Joanne, et secuti fuerant.* Frater junior natu prior credit, non enim est ordo fidei inanis. Forte ad dignitatem Andreas dicitur esse frater Petri, super quem, id est super cujus fidem fundanda erat Ecclesia.

*1.41 *Invenit hic primum.* Vera pietas statim inventum thesaurum nuntiat fratri, ut sicut est sanguine, sit et germanus in fide. *Invenimus Messiam,* etc. Christus Græce, Messias Hebraice, unctus Latine, vere enim unctus est a Spiritu sancto specialiter, a qua unctione Christiani appellantur. Quod Jacob erexit lapidem post visionem in titulum quem olei superfusio unxit, jam divinitus per illam petram, futuram petram, scilicet Christum Spiritu sancto ungendum figuraliter intellexit, in qua petra sic fundari Ecclesiam præfigurabat, etc.

Cephas, quod interpretatur Petrus.[†] 43 In crastinum voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum. Et dicit ei Jesus: Sequere me.[‡] 44 Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreae et Petri.[¶] 45 Invenit Philippus Nathanaël, et dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth.[§] 46 Et dixit ei Nathanaël: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni et vide.^{**} 47 Vidit Jesus Nathanaël venientem ad se, et dicit de eo: Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est.^{††} 48 Dicit ei Nathanaël: Unde me nosti? Respondit Jesus, et dixit ei: Priusquam te Philippus vocavit, cum esses sub ficu, vidi te.^{‡‡} 49 Respondit

[†]1.42 **Tu es Simon filius.** Prius dicit nomen ut habet a parentibus, ut significetur mutatio, dum de Simone Petrum dicit. In mutatione autem notatur vivacitas mysterii, sed nec prius nomen caret virtute. Est enim Simon obediens filius gratiæ vel columbæ, dum venit ad Jesum, sequens fratrem, unde a petra Christo dicitur Petrus, infirmus in illo, in figura Ecclesiæ quæ in petra fundatur. **Tu es Simon.** CHRYS. Ideo nomen mutavit ut ostendat quia ipse est qui Vetus Testamentum dedit, et nomina transmūtavit, quia Abram Abraham vocavit, et Sarai Saram, et Jacob Israël. Igitur multis quidem et a nativitate nomina imposuit, ut Isaac et Samson, aliis autem post eam quæ a progenitoribus est nuncupationem, ut Petro et filiis Zebedæi. Nam quibus quidam a prima ætate debebat virtus clarescere, ex tunc nomina susceperunt: quibus autem postea debebat augeri, postea nuncupatio posita est. **Filius Joanna,** etc. Jona dicitur et Joanna indifferenter. Jona **columba,** Joanna **gratia** interpretatur.

[‡]1.43 **In Galilæam et invenit Philippum.** Galilæa dicitur transmigratio, vel revelatio. Transmigrat enim homo de vitiis ad virtutes, et post de virtute in virtutem, et sic fit ei revelatio, ut videatur Deus deorum in Sion. Vocaturus ergo discipulum ad sequendum, id est ad imitandum exit in Galilæam, ipso loco innuens, ut sicut ipse proficiebat sapientia, et sicut per passiones intravit in gloriam, sic et sequaces.

[¶]1.44 **A Bethsaida civitate.** Non frustra nominatur civitas, nec frustra dicitur Philippi, Petri et Andreae. Sonat enim domus venatorum, in quo notatur animus et officium istorum: sunt enim venatores in capiendis animabus, unde Philippus, antequam fiat apostolus, sponte vocat Nathanælem.

[§]1.45 **Invenit Philippus,** etc. Nathanæel peritissimus Scripturarum intelligit quod non alii, scilicet a Nazareth exire singularem Nazarenum: quia autem doctissimus, non est in apostolum electus: omnes enim apostoli primum de idiotis, ut confundantur sapientes. **Quem scripsit Moyses.** Ut cautus venator multis rationibus veritatem fratri astruit, scilicet quod Jesus est qui prænuntiatur in lege et prophetis. Filius Joseph, qui est de domo David, ut per eum (non quod de eo natus) cum Maria matre ejus (quam sciebat ex prophetis virginem peperisse) notetur esse ex David.

^{**}1.46 **Et dixit ei Nathanæel.** Vel dubitando interrogat vel affirmat ut legisperitus, a civitate tanti nominis posse esse aliquem bonum vel eximium doctorem, vel summum Salvatorem. Dicitur enim Nazareth, flos vel germen munditiæ, vel sanctitas. Utrique autem pronuntiationi congrue subditur: **Veni et vide,** etc.

^{††}1.47 **Ecce vere Israëlita.** Dolus, id est simulatio. Si enim habet peccata, confitetur. Non ergo negat peccatorem, sed in eo laudat confessionem. Pharisei autem sunt dolosi qui se bonos prædicant cum sint mali.

^{‡‡}1.48 **Unde me nosti?** Cognoscens Dominum loqui de sua conscientia, non ex indignatione quærit, sed admirando, unde et ex qua virtute. **Sub ficu vidi te.** AUG. Nathanæel, id est donum Dei, est verus populus Israël donum Dei, qui erat sub ficu abditus, id est subditus sub consuetudine peccandi et umbra mortis, ut primi parentes sub fici foliis se texerunt, ubi prius visus esset a Domino et quæsitus, quam Dominum videret et quæreret, et ante etiam quam per apostolos vocaret.

ei Nathanaël, et ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israël.^{¶¶} ⁵⁰ Respondit Jesus, et dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis; majus his videbis. ⁵¹ Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis.^{§§}

2 Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat mater Jesu ibi.* ² Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus, ad nuptias.[†] ³ Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent.[‡] ⁴ Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.[¶] ⁵ Dicit mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. ⁶ Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.[§] ⁷ Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.^{**} ⁸ Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. ⁹ Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant

^{¶¶}1.49 *Rabbi, tu es Filius Dei.* Quia cognovit Nathanæl Christum absentem vidisse quæ ipse in alio loco gesserat, id est, quomodo et ubi vocatus sit a Philippo, quod est indicium Deitatis, fatetur non solum magistrum, sed et Dei Filium, et regem Israël, id est Christum in quo probatur esse Isrælita, ut dicitur, id est videns Deum.

^{§§}1.51 *Videbitis cælum apertum.* Nathanæl Isrælita, dicitur visurus apertum cælum, et angelos Dei descendentes et ascendentes, ut olim patriarcha Jacob vidit scalam, et angelos ascendentes et descendentes, qui per benedictionem vocatus est Isræel. *Angelos Dei.* Sæpe hoc miraculum apparuit quod angeli ascendebant et descendebant super Christum. *Super Filium hominis.* Christus dicit se Filium hominis, affirmans quod minus est, scilicet humanitatem, Nathanæl et Petrus Filium Dei, quod majus est, affirmantes divinitatem. Ecce confirmatio utriusque naturæ in Christo. Isti confitentes deitatem, merentur ascendere, ille asserens humanitatem, testatur se ad redimendum venisse. *Super Filium hominis.* Confirmat se esse hominem ne aliqui errarent, credentes ipsum tantum esse Deum ut etiam Petrus cum dixit: *Absit a te, Domine.*

^{*}2.1 *Et die tertia.* AUG. Post ostensionem Christi per testimonia Joannis ipse se miraculo ostendit. *Et die.* Significat tertia die, id est tempore gratiæ, post tempus, id est ante legem et sub lege Christum ad nuptias Ecclesiæ per carnem venisse.

[†]2.2 *Vocatus est autem.* In quo ostendit non despiciendas nuptias quas fecit, et sacramentum nuptiarum insinuat.

[‡]2.3 *Deficiente.* Vinum deficit, ut mirabiliter vino de aqua facto, virtus latentis Deitatis appareat. AUG. Major virtus est in creatione et gubernatione cœli et terræ, etc., usque ad per quæ virtus quæ in majoribus etiam operatur, ad memoriam reducitur.

[¶]2.4 *Quid mihi.* ID. In his non negat matrem, ut hæretici dicunt, etc., usque ad intrationem ad Deum intelligit, vinum bibit.

[§]2.6 *Binas vel.* ID. Æstimantis est hoc dicere, ut ipsas diceret binas quas et ternas, etc., usque ad tribus filiis Nœ disseminatæ.

^{**}2.7 *Et impleverunt.* Quod jussu ejus impletæ sunt hydriæ, significat quod etiam illa Scriptura a Domino est, sed dum in ea sub velamine, id est adopertione litteræ, latet Christus, sapit aquam insipidam. Cum autem aufertur velamen, est vinum inebrians. Potuit quidem vacuas implere vino, qui cuncta creat ex nihilo, sed maluit de aqua vinum facere, ut doceret se non solvere legem, sed implere, nec in Evangelio alia facere vel docere quam quæ prophetia prædixit.

aquam: vocat sponsum architriclinus,^{††} 10 et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est. Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. 11 Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ; et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.^{‡‡} 12 Post hoc descendit Capharnaum ipse, et mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus: et ibi manserunt non multis diebus.^{¶¶} 13 Et prope erat Pascha Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam:^{§§} 14 et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et numularios sedentes.* 15 Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, et boves, et numulariorum effudit æs, et mensas subvertit.† 16 Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.[‡] 17 Recordati sunt vero discipuli ejus quia scriptum

^{††}2.9 *Ut autem gustavit.* Triclinium, id est tres ordines discumbentium, altitudine distantes inter se, id est doctores, continentes, conjugati. Architriclinus aliquis legisperitus, qui bibit spiritualem sensum legis. Unde spiritualem sensum in Scripturis aperire discipulis est aquam in vinum convertere, ut quando post resurrectionem aperuit illis sensum, intelligerent Scripturas. *Aquam vinum factam.* Per aquam baptismus Joannis, per vinum passio Christi, unde et vinum prius fertur architriclino, id est Joanni qui ante bibit passionem quam Christus.

^{‡‡}2.11 *Hoc fecit.* HIER. In initio signorum quæ mortalis mortalibus erat daturus, aquam vertit in vinum, sicut jam immortalis discipulis aperuit sensum, ut in lege et prophetis intelligerent Christum, ita carnales mentes prius sapore sapientiæ imbuunt, postea resuscitatos majori gloria completurus.

^{¶¶}2.12 *Post hæc,* etc. Post initium signorum de vino, subdit aliud indicium divinæ majestatis in ejectione vendentium de templo. Typice. Filius Dei ut humilis, descendit Capharnaum, id est in mundum, secundum quod habet matrem et fratres.

^{§§}2.13 *Et prope erat Pascha.* Pascha agimus, dum a vitiis ad virtutes transimus. Ad hoc Jesus venit dum Ecclesiam quotidie visitat, et actus cujusque considerat, et eos ejecit qui inter sanctos, vel fide bona, vel aperte mala faciunt. Per boves qui arant, prædicatores doctrinæ cœlestis significantur, hos vendunt qui non amore Dei, sed pro quæstu temporalis prædicant. Oves innocentes sua vellera vestiendis præbent, per has signantur opera munditiæ et pietatis, quæ venduntur, dum pro humana laude geruntur. Spiritus ut columba apparuit, unde per columbam spiritus accipitur, quam vendunt Simoniaci. Nummos dant mutuo in Ecclesia, qui non simulate cœlestibus, sed aperte terrenis serviunt. Hi omnes ejiciuntur de parte sortis sanctorum, qui vel fide bona, vel aperte mala faciunt, et funiculis peccatorum modo flagellantur ad correctionem; qui, si incorrecti permanserint, in fine ligabuntur. Oves quoque et boves ejecit, quia talium vitam et doctrinam ostendit reprobam. Et mensas subvertit, quia in fine ipsæ res quas dilexerunt, destruuntur. *Et ascendit.* Si ipse qui dedit decreta Dei, custodit, docet quanta cura hominibus debet esse vacare orationibus et Dei solemnitatibus. Bis legitur ad Pascha ascendisse. Semel primo anno prædicationis, nondum incarcerato Joanne, unde hic agitur. Secundo cum ad passionem iret, et in utroque vendentes ejecit de templo.

*2.14 *Et invenit in templo.* Si in figurali templo quod est domus orationis, prohibet negotiationem quæ honesta putatur, cum sit de his quæ in templo offeruntur, quanto magis prohibet potationes et cætera graviora?

†2.15 *De funiculis.* Funiculi quibus ejiciuntur sunt incrementa actionum malarum, unde Isaias: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis* Isa. 5.. Et Salomon: *Funiculis peccatorum suorum quisque constringitur* Prov. 5..

‡2.16 *Qui columbas.* Non solum vendentes columbas, sed etiam alii domum Dei faciunt domum negotiationis, id est omnes qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.

est: Zelus domus tuæ comedit me.[¶] 18 Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?[§] 19 Respondit Jesus, et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. 20 Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?^{**} 21 Ille autem dicebat de templo corporis sui. 22 Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, et crediderunt scripturæ et sermoni quem dixit Jesus. 23 Cum autem esset Jerosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quæ faciebat.^{††} 24 Ipse autem Jesus non credebatur semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes,²⁵ et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

3 Erat autem homo ex pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum.^{‡‡} 2 Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.^{¶¶} 3 Respondit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non

[¶]2.17 *Zelus domus tuæ.* AUG. Bonus zelus est fervor animi, quo mens, abjecto humano timore, pro defensione veritatis accenditur. Ab eo comeditur, qui quælibet prava quæ viderit, corrigere satagit; si nequit, tolerat et gemit.

[§]2.18 *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondit.* Quia signum quærent quare solita commercia de templo ejicit? et ait: *Solvite.* Quasi dicat: Quia hoc templum significat templum corporis in quo nulla est macula et merito hoc figurale purgo, qui illud ab hominibus morte solutum divina potentia suscitare queo.

^{**}2.20 *Dixerunt ergo.* Carnales carnaliter sapiebant, ille spiritualiter loquebatur. Quod Evangelista nobis aperit: *Ille autem dicebat de templo corporis sui. Quadraginta et sex.* AUG. Anatole Græce oriens, dysme occidentis, arctos septentrio, etc., usque ad qui senarium numerum quadragies sexies habent. *Ædificatum.* AUG. Ædificatio Salomonis septem annis perfecta est, etc., usque ad unde dicitur electos esse congregandos a quatuor ventis.

^{††}2.23 *Cum autem.* Conventus adibat, ut verbis et signis plures converteret. Et quia aliqui solis signis moti credebant in eum, vere quidem, sed tamen ita, ut possent postea in passione ejus scandalizari, et quia nondum erant renati ex aqua et spiritu, non erant digni quibus se crederet Jesus, et familiariter cohabitaret. Sciebat enim quid esset in illis, melius quam ipse homo de se. Hæc fides convenit catechumenis, qui credunt in eum, sed quia non sunt renati, non creditur eis communio corporis et sanguinis Christi. De talibus erat Nicodemus, qui credens dicit eum a Deo venisse, propter signa quæ viderat, sed nondum renatus erat, et ideo nocte venit, non die, quia nondum illuminatus cœlesti lumine.

^{‡‡}3.1 *Erat autem homo,* etc. Hic erat unus ex his, qui per signa crediderant. *Nicodemus nomine.* Nicodemus, victoria populi, vel victor populi gestans figuram omnium qui ex Judaico populo in Christum credentes per fidem vincunt mundum.

^{¶¶}3.2 *Hic venit,* etc. Nox significat litteram legis, vel ignorantiam cordis, vel timorem. Et nocte ideo forsitan venit, quia magister in Israël palam dicere erubesceret, vel pro metu Judæorum. Hic quia prudenter aperta signa notavit, plenius mysteria fidei requirit, et ideo meruit doceri de deitate Christi et ipsius utraque nativitate, de passione, de resurrectione et ascensione, de secunda generatione, et ingressu regni cœlorum, et de aliis pluribus.

potest videre regnum Dei.^{§§ 4} Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire et renasci? ⁵ Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* ⁶ Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est.[†] ⁷ Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo. ⁸ Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex spiritu.[‡] ⁹ Respondit Nicodemus, et dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? ¹⁰ Respondit Jesus, et dixit ei: Tu es magis-

§§3.3 **Amen, amen dico.** Non interroganti secundam nativitatem exponit, ne credat Nicodemus solam fidem, quapropter visa signa crediderat in Jesum sufficere ad salutem absque spiritualis regenerationis virtute, et absque sacramentis. Etiam quia hominem purum intelligebat eum Nicodemus ut Joannem Baptistam, vel quemlibet ex prophetis, ideo incœpit eum instruere Jesus de secunda regeneratione, qua intelligit eum Filium Dei, et se posse Filium Dei fieri. AUG. Secunda nativitas de qua docet Jesus spiritualis est, quæ est ex Deo et Ecclesia ad vitam, sed ille solam carnalem sapit quæ est ex Adam et Eva ad mortem. Sed sicut carnalem dicit iste non posse iterari, sic et spiritualis a quocunque facta non potest iterari. Ex semine enim veri Abraham sunt nati, sive per liberam sive per ancillam. **Nisi quis.** Necessarium est visibile sacramentum aquæ ad abluionem visibilis corporis, sicut est necessaria doctrina invisibilis fidei, et ad sanctificationem animæ invisibilis. **Renatus fuerit.** CHRYS. Hoc est, si tu non natus fueris desuper, et dogmatum susceperis certitudinem alicubi, extra erras et longe es a regno cœlorum, seipsum hic ostendens et indicans, quoniam non est hoc tantum quod videtur, sed aliis oculis opus est ad videndum Deum.

*3.5 **Ex aqua.** Ex aqua visibili sacramento, et spiritu, invisibili intellectu, ut symbolum baptismi visibiliter accipiat, et spiritualement intellectum ipsius symboli perficiat. Vel ex aqua visibili et Spiritu sancto.

†3.6 **Quod natum.** Hanc spiritualement nativitatem distinguit a carnali, dicens: **Quod natum est. Ex carne.** Id est, ex primo homine per carnis successionem carnale est. Nomine carnis, non solum carnem, sed totum carnalem hominem significat. Sic econtra totus homo spiritualis anima et corpore spiritus dicitur. **Et quod,** etc. Verbo et sacramento spiritus invisibiliter adest quo natus ex Adam ad mortem nascitur, Filius Dei ad vitam, qui non tantum spiritualis dicitur, sed spiritus, quia sicut substantia spiritus est invisibilis, ita invisibiliter per visibile sacramentum efficitur Dei Filius. **Spiritus est.** Non autem mireris, si sic natum dico spiritum, quia sicut spiritus ubi vult spirat, et nescis unde venit, aut quo vadat, sic est omnis qui natus est ex spiritu.

‡3.8 **Spiritus ubi vult.** Qua in potestate habet cujus cor illustret. Vocem ejus audis in Scripturis, vel dum loquitur aliquis plenus Spiritu sancto, quæ et si audis, nescis unde venit, id est, quomodo cor illius intravit, vel quomodo redierit, quia natura ejus est invisibilis. Sic est omnis qui natus est ex Spiritu sancto, quia ipse invisibiliter agente Spiritu incipit esse quod non erat, ita ut infidelis nesciat unde veniat, et quo vadat, id est, qua gratia venit in adoptionem Filii, et vadit in regnum Dei. Quæ quia incognita sunt carnali, iterum quærit? Quomodo possunt hæc fieri, non habens spiritualement intellectum in littera legis; impossibile putat quod dicitur de nativitate per spiritum, unde redarguitur a Domino: **Tu es magister,** etc. **Et vocem ejus,** etc. Vox spiritus est vox Christi, quam audivit Nicodemus, sed quia nondum est natus de spiritu, nescit unde veniat, aut quo vadat, id est, qua occasione velit nasci hominem in spiritu, aut quo vadat, id est, ad quam perfectionem dicat ipsum nascentem ex se. Nam qui ex eo nascitur, unus cum ipso spiritus per gratiam efficitur, sicut etiam ipse spiritus unus est per naturam.

ter in Israël, et hæc ignoras?[¶] 11 amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis.[§] 12 Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis?^{**} 13 Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.^{††} 14 Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis:^{‡‡} 15 ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 16 Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.^{¶¶} 17 Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. 18 Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, jam iudicatus est: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. 19 Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum,

[¶]3.10 *Tu es magister*, etc. Non insultat ei, ut superior eo habeatur qui omnibus præest, sed quia vult eum nasci ex spiritu, quod nequit nisi humilis, tumidum ex magisterio humiliat. Quasi dicat: Superbus princeps, nil nosti, humiliare ut ille qui seipsum exinanivit, et natus est ex spiritu, scies quod modo nescis.

[§]3.11 *Quod scimus loquimur*. Id est quia ipse est scientia, locutio et sermo Patris. *Et quod vidimus testamur*. Quia ipse visio, et verum testimonium et veritas Patris. Quod pluraliter mysterium Trinitatis innuit.

^{**}3.12 *Si terrena dixi vobis*. AUG. Et quia non accipitis terrena, quomodo potestis capere cælestia, id est cælestem spiritus nativitatem? cum non solum non credatis, sed nec intelligatis terrena, quod de templo corporis mei (quod de terra accepi) dixi a vobis solvendo, a me suscitando.

^{††}3.13 *Nisi qui descendit*. Hoc pertinet ad secundam nativitatem in spiritu, quia nemo in Christo ad Patrem ascendit, nisi qui ex spiritu nascitur. Nemo salvatur per mortem Christi, nisi qui ex spiritu nascitur. Nemo nascitur ex spiritu, nisi in morte Christi. Et cum dicit Filius hominis, dat nobis certitudinem ascendendi, cum filii hominum simus.

^{‡‡}3.14 *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto*. Supponit de morte sua quæ est origo et causa habendi prædicta, in cuius fide eum instruit. Et quia carnalis erat, et notus in lege, ideo quamdam legis partem adducit, quam ostendit esse figuram et mortis suæ significativam, ut etiam sic pateat de aliis partibus legis, quod sint in figura. Et quia mors intelligitur per serpentem, et Christus mortuus serpens dicitur, quem qui fide intuetur, liberatur, sicut intuitu illius in figura ab ignitis serpentibus liberantur qui significant incentiva vitiorum. *Ita exaltari oportet Filium hominis*, etc. Magistrum legis ad significationem legis invitat. Et quia dixerat de Filio hominis, ne hoc solum putet Nicodemus, subdit eundem etiam esse Filium Dei. *Sic enim dilexit Deus*. Aperit causam humanæ salutis, scilicet dilectionem Dei Patris, ex quo omnis restauratio est per Filium suum in Spiritu sancto.

^{¶¶}3.16 *Mundum*. Cosmos Græce, quod Latine *mundus* interpretatur, ornatus dicitur. Per mundum igitur humana natura significatur, non quod secundum corpus ex quatuor elementis constet, sed quia secundum animam a Deo est ornata, et ad imaginem Dei est facta, qua ad hoc diligit Deus ut eam æternam faciat. *Ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit*, etc. Ecce idem dicit de Filio Dei quod supra de Filio hominis, ut per quem in deitate conditi sumus, per eundem in homine restauremur.

et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera.^{§§}
²⁰ Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: ²¹ qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. * ²² Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in terram Judæam: et illic demorabatur cum eis, et baptizabat. † ²³ Erat autem et Joannes baptizans, in Ænnon, juxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, et veniebant et baptizabantur. ²⁴ Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem. ‡ ²⁵ Facta est autem quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione. ¶ ²⁶ Et venerunt ad Joannem, et dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. § ²⁷ Respondit Joannes, et dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo. ** ²⁸ Ipsi vos mihi tes-

§§3.19 *Hoc est autem iudicium.* Cur qui non credit iudicatur? quia lux venit quæ excitat homines et admonet cognoscere sua mala, in quibus omnes sunt, sed alii oderunt admonentem lucem, et fugiunt, ne arguantur eorum mala quæ diligunt. Alii admoniti per lucem accusant sua mala, quod est facere veritatem et sic illuminantur. *Erant enim eorum.* Qui est in tenebris, et diligit lucem, non est malus, sed ille dicitur malus, et opera ejus mala, qui postquam lux venit, odit lucem et diligit mala Et hoc est quod dicit: *Erant enim opera eorum mala.* Opera, id est impietas, et incredulitas, et odium æternæ lucis, et nolle eam aspicere, sed velle in tenebris peccatorum remanere.

*3.21 *Qui autem facit.* Ostenso qua justitia damnetur qui non credit, ostendit qua iustitia salvetur qui credit. *Qui autem facit.* Id est, cui displicent mala sua et accusat, non sibi ignoscit, non sibi parcat, sed venit ad lucem. Et incipit agere cum Deo qui mala accusat, quia initium boni est accusatio mali, ergo opera ejus, hæc scilicet, quod se accusat sicut Deus accusat, manifestat, quia in Deo sunt facta, nisi enim Dei lux sibi luceret, sibi non displiceret.

†3.22 *Post hæc.* Non continuo post disputationem cum Nicodemus quæ facta est in Hierosolymis, sed peracto spatio temporis de Galilæa in Judæam rediit. *In terram Judam, et illic demorabatur,* etc. Moraliter. Ubi est confessio peccatorum vel divinarum laudum, illuc venit Jesus, et discipuli ejus, id est doctrina et illuminatio ejus, ubi moratur purgando a delictis, unde sequitur, *et ibi morabatur et baptizabat. Erat autem.* Christo jam baptizante adhuc baptizat Joannes, quia adhuc permanet umbra. Nec debet præcursor cessare donec manifestetur veritas.

‡3.24 *Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem.* Ecce aperte notat facta Christi ante Joannem incarcerationum quæ alii præterierunt, incipientes ab his quæ facta sunt post Joannem missum in carcerem, quando, cessante baptismo præcursoris, aperte incæpit baptismus Christi.

¶3.25 *Facta est autem quæstio ex discipulis Joannis,* etc. Dum Joannes prædicat, et schola ejus durat, Christus latenter prædicat et operatur, sed palam baptizat, ut oriatur quæstio de baptismo Joannis, et de baptismo Christi, et illa solvatur testimoniis Joannis.

§3.26 *Et venerunt ad Joannem et dixerunt ei: Rabbi,* etc. Volentes accusare Christum quem paulo ante viderant a Joanne baptizatum.

**3.27 *Respondit Joannes, et dixit,* etc. Quia ultra consuetudinem humanæ naturæ sum natus ex parentibus propectæ ætatis, putatis me esse ultra homines. Sed scitote quia purus sum homo, ille Deus, a quo habeo quidquid habeo. Ex me infirmitas, ex illo gratiæ sublimitas. Putatis ut aliquid dicam contra meum testimonium? Ego non baptizo in remissionem peccatorum, sed ille. *Non potest.* Quasi dicat: Ego purus homo, nil habeo nisi quod datum est a Deo, id est baptizare in pœnitentiam non in remissionem, quia non ego Christus, sed ille ut scitis me testatum fuisse vobis, ideo ad illum currite.

timonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illum.^{††} ²⁹ Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.^{‡‡} ³⁰ Illum oportet crescere, me autem minui.^{¶¶} ³¹ Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de cælo venit, super omnes est.^{§§} ³² Et quod vidit, et audivit, hoc testatur: et testimonium ejus nemo accipit. ³³ Qui accepit ejus testimonium signavit, quia Deus verax est.^{*} ³⁴ Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum. ³⁵ Pater diligit Filium et omnia dedit in manu ejus. ³⁶ Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.[†]

^{††}3.28 *Non sum ego Christus.* Non sum unctus a Patre plenitudine spiritus, sed de plenitudine illius accepi, ut illum præcurrerem.

^{‡‡}3.29 *Hoc ergo gaudium.* In hoc gaudium meum est plenum, quod factus sum amicus sponsi, et quia sto et gaudeo.

^{¶¶}3.30 *Illum oportet crescere.* Gaudeo ad vocem sponsi. Ille sponsus crescit, id est inveniatur esse Christus, qui putabatur propheta. Ego minuar, quia ejus propheta inveniar, qui Christus putabar. *Illum oportet crescere.* Id est exaltari, id est dum peccata dimittit, gratiam dat, in quo gloria ejus quæ in se semper est perfecta, crescit in hominem, dum eam homo plus videt et habet. Homo minuitur qui ante in se gloriabatur, dummodo peccata confitetur, et accipit quod ille dat. Cui rei attestatur passio utriusque: Christus in cruce exaltatur, Joannes capite minuitur. Attestatur et creatura. Joannes natus est decrescentibus diebus, Christus vero crescentibus.

^{§§}3.31 *Me autem minui.* Joannes figura legis est, Christus, veritas, lex minuitur, apparente veritate. *Qui desursum venit, super omnes est,* etc. ALC. Id est, de altitudine humanæ naturæ ante peccatum primi parentis, etc., usque ad secundo juxta altitudinem Patris, cui est æqualis. *De terra.* Id est, qui est de terrenis parentibus natus, a quibus peccatum et pœnam peccati contraxit, ex se nihil est nisi terra. *Et quod vidit.* Cum ipse Filius Dei sit verbum Patris, non aliud verbum Patris audit vel hominibus testatur, sed se verbum quod Pater locutus est, id est, edidit et genuit ex se, scit et indicat hominibus esse ex Patre. Hoc Evangelista dicit, ut potuit, quod plene dici vel intelligi nequit.

^{*}3.33 *Signavit quia Deus.* Hoc est, signum posuit in corde suo quasi speciale aliquid, scilicet hunc esse verum Deum, qui missus est ad salutem hominum. *Verax est. Quem enim misit Deus.* Omnis homo ex se mendax; non enim vera dicere potest, nisi illuminatus a Deo. Quem enim misit Deus Pater, verba Dei loquitur, quod est? Quem misit Deus, Deus est: ideo verba Dei loquitur, ergo verba Filii de se testimonium perhibentis quod Deus sit, verba Dei sunt. *Verba Dei loquitur.* In hoc se distinguit a Christo, sed quia missus et verba Dei loquitur, apertius addit: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit Filium et omnia dedit in manu ejus.* Hominibus dat ad mensuram, filio non dat ad mensuram, sed sicut totum ex seipso toto genuit Filium suum, ita incarnato Filio suo totum spiritum suum dedit, non particulatim, non per subdivisiones, sed generaliter et universaliter, et non ob aliud dat nisi quia Pater diligit Filium.

[†]3.36 *Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui autem,* etc. Ac si diceret, qui credit in Filium habet ipsum Filium, et per hoc habet vitam. *Sed ira Dei manet super eum.* Ira cum qua natus est, permanet, et ideo non ait, venit, sed manet, quia per Filium missum, qui est vita, non tollitur effectus illius iræ, scilicet mors, corruptio, etc., quæ omnia manent.

4 Ut ergo cognovit Jesus quia audierunt pharisæi quod Jesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Joannes[‡] ² (quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus),[¶] ³ reliquit Judæam, et abiit iterum in Galilæam.[§] ⁴ Oportebat autem eum transire per Samariam. ^{**} ⁵ Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo.^{††} ⁶ Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.^{‡‡} ⁷ Venit mulier

[‡]4.1 *Ut ergo cognovit.* Sciebat Jesus scientiam eorum et invidiam, quod non ideo didicerant de eo ut eum sequerentur, sed persequerentur, et ideo fugit, docens suos cedere malis, non timens, vel evadere eos impotens. *Et baptizat.* Quod vere dicitur, ipse enim semper mundat in spiritu invisibiliter et dono, sed ejus baptismus fit etiam in corpore, qui est in duobus, scilicet in aqua et verbo vitæ; unde Paulus: *Mundas eam lavacro aquæ et verbo vitæ* Ephes. 5..

[¶]4.2 *Sed discipuli.* In quorum baptismo dabatur spiritus, licet non ita manifeste, ut post Ascensionem datus est ineffabili et inexcogitabili modo.

[§]4.3 *Reliquit Judæam.* Id est Pharisæos incredulos, qui cogitabant eum persequi, propter bapisma ipsius quod crescebat, et quia per doctrinam ejus, legem evacuari intelligebant. *Et abiit.* Postquam paucos de Judaico populo suscepit, reliquit incredulos legis litteram sequentes, quæ neminem ad perfectum ducit. *Et abiit in Galilæam,* id est in spirituales ipsius litteræ intelligentiam. *In Galilæam.* In Galilæa transformatio Domini creditur facta, per quam significatur transmutatio humanæ naturæ in pristinam gloriam. In Galilæa dedit discipulis in monte doctrinam per quam ad vitam transituri sunt credentes.

^{**}4.4 *Oportebat.* Inter Judæam et Galilæam Samaria est, id est, inter legem litteræ, quæ per Judæam et divinas leges circa Deum revolutas, quarum figura est Galilæa, est lex naturalis in medio constituta, quia ergo ex lege sumpsit fundamenta Ecclesiæ, oportebat eum ad gentes transire constitutas sub lege naturæ, ut cum utrisque in Galilæam æternæ beatitudinis rediret.

^{††}4.5 *Venit ergo.* Ut agnoscerent et converterentur ad eum Samaritani, vindicantes sibi hæreditatem patriarchæ Israël. *Quæ dicitur Sichar.* Sichar, id est conclusio, vel ramus, id est gentilis populus conclusus sub peccato, qui est ramus de oleastro excisus et olivæ insertus.

^{‡‡}4.6 *Erat autem,* etc. Quia naturalis ratio non aliunde surgit nisi a causa omnium bonorum, ideo pulchre dicitur fons esse Jacob, id est ratio infinita Patris altitudine procedens. *Jesus ergo fatigatus,* etc. Allegorice. Iter Jesu carnis est assumptio in qua est fatigatio, id est infirmitas, relevans hominem quem creavit potentia: sessio est humilitas. Sexta hora, sexta ætas qua venit, puteus profunditas hujus sæculi. Samaritana Ecclesia venit non jam justa, sed justificanda. Aqua putei voluntas hujus sæculi, quæ quasi de profundo extrahitur submissis et inclinatis ad eam hominibus, præmissa cupiditate quasi hydria. *Sedebat.* Quasi lassitudinem relevans in quo indicatur magister docturus accedentes et possessurus. *Supra.* Fons dicitur ubicunque manat aqua de terra, sed si in superficie fons tantum, si in profundo etiam dicitur puteus.

de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere.^{¶ 8} (Discipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent.)^{§§ 9} Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis.*¹⁰ Respondit Jesus, et dixit ei: Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.^{† 11} Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam?^{‡ 12} Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus?^{¶ 13} Respondit Jesus, et dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum:^{§ 14} sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.**¹⁵ Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.¹⁶ Dicit ei Jesus: Vade, voca

[¶]4.7 **Venit.** In figura Ecclesiæ de gentibus, quæ prius hauriebat aquam, id est voluptatem de profundo sæculi cujus fidem sitit Jesus et petit ab ea potari. GREG. Vel mulier, id est Synagoga, quæ venit haurire aquam, etc., usque ad primitivam Ecclesiam. **Da mihi.** Jesus sedens supra fontem petit a primitiva Ecclesia quam de gentibus elegerat potum fidei, qua in eum credatur, petit a natura potum rationis, qua conditor et redemptor investigetur. Apostoli missi in civitatem, id est in mundum, emere spirituales escas, id est fidem, et actionem, et cognitionem, quibus magistri satiantur Ecclesiæ. **Da mihi.** Licet Jesus post fatigationem sitire posset, tamen hunc potum non exigit, sed ut cor Ecclesiæ gentium pro laboris ejus cognitione potus ei efficiatur, desiderat.

^{§§}4.8 **Discipuli enim.** In civitatem discipuli abierunt, scilicet ad Judæos, qui legis valle muniti, et prophetiæ sunt telis armati, ut cibos emerent ipsorum, scilicet corda prædicatione fidei Deo præparantes.

*4.9 **Dicit ergo.** Nesciens quem potum petit ab ea, putans quod de aqua opponit se esse de alienigenis vasculis, quorum etiam conversatione non utuntur Judæi, sed Jesus qui fidem petebat, ei spiritum dare cupiebat, et eam admonet ut petat, spiritus est autem et donum Dei et viva aqua. **Non enim,** etc. Samaritanos Judæi execrantur et supplantatores vocant, quia eos hæreditate patris sui Jacob privaverunt abstinendo a cibus et vasis eorum.

†4.10 **Respondit Jesus.** Pedetentim et simplicibus verbis instruit, ut tandem donum Dei, id est spiritum possit accipere.

‡4.11 **Dixit ei mulier.** Aqua viva dicitur non alia, nisi quæ ubi oritur, excipitur, de qua mulier carnaliter sapiens dixit: Cum hauritorium non habeas, et puteus altus sit, quomodo habes aquam vivam? Sed ne forte alium fontem promittere videretur, subdit: Nunquid tu melior es, id est potes melior esse Jacob qui cum suis usus est isto? Contra quod ergo aperte Christus ostendit se non carnaliter, sed spiritualiter loqui, dicens non sitire eum qui suam aquam biberit.

¶4.12 **Numquid tu.** Alienigena Jacob patrem suum vocat, quia ipsa sub lege Moysi vixerat, et prædium quod Jacob filio suo dederat, possidebat. AUG. Vasculum cupiditas, aqua voluptas, reficitur, non exstinguitur. **Et ipse ex eo.** De puteo bibunt homines et pecora, et similiter de ratione, quasi depravata et obscurata magno labore foditur et exercetur: bibunt autem quidam ut homines qui ea ratione ad bonum utuntur, ut sancti. Quidam ut pecora, qui utuntur ea ad malum ut philosophi.

§4.13 **Qui autem.** Quicumque meæ prædicationi cor accommodaverit et gratiæ donum cognoverit, fides quæ per dilectionem operatur in eo nascitur, et sic tandem in vitam transibit æternam.

4.14 **Aqua. Aqua corporalis deorsum fluit, aqua spiritualis sursum salit et secum eos qui eam bibunt in æternam gloriam subvehit.

virum tuum, et veni huc.†† 17 Respondit mulier, et dixit: Non habeo virum. Dicit ei Jesus: Bene dixisti, quia non habeo virum;‡‡ 18 quinque enim viros habuisti, et nunc, quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixisti.¶¶ 19 Dicit ei mulier: Domine, video quia propheta es tu.§§ 20 Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus ubi adorare oportet. * 21 Dicit ei Jesus: Mulier, crede mihi, quia

††4.16 **Vade, voca virum tuum,** etc. Ut eo duce ad contemplationem spiritualis intelligentiæ ascendas: **vade, voca virum tuum.** Tu sensualis voca rationalem intellectum, quo ut viro regaris, tu quæ modo carnaliter sapis, hunc ego lux et caput viri illuminabo. Quasi dicat: Hæc quæ dico non carnaliter, ut tu animalis facis, sed spiritualiter sunt intelligenda et ductu rationis accipienda, et ideo tu para intellectum mihi et veni, intelligendo hæc spiritualia quæ dico.

‡‡4.17 **Respondit mulier.** Revera hæc mulier tunc non habebat virum, sed utebatur quodum non legitimo, de quo respondet adhuc carnaliter sapiens, qui nondum vocaverat virum, id est intellectum. **Dicit ei Jesus.** Paulatim ea attollens adhuc mysteria loquitur, ut paulatim perduceret eam ad cognoscendum quis cum ea loqueretur. Et non opus bonum, non prudentem mulieris laudat responsionem, sed veritatis laudat confessionem.

¶¶4.18 **Quinque enim viros.** Quinque viri sunt quinque leges humanæ naturæ datæ. Prima, in paradiso ante peccatum in prohibitione ligni. Secunda, post prævaricationem et expulsionem de paradiso, de multiplicatione humanæ propaginis. Tertia, Noe ante diluvium de fabricanda arca. Quarta, post diluvium de divisionibus gentium. Quinta, Abraham de circumcissione et immolatione filii. His quinque legibus quasi quinque viris humana anima ab initio mundi usque ad Moysen subjecta fuit: postea data est lex litteræ, quæ nullam salutem contulit, unde dicitur: **Quem nunc habes, non est tuus vir.** Dimitte litteram, vade ad spiritum litteræ ad Novum Testamentum, a quo spirituales virtutum prolem concipias. AUG. Quinque viri, id est quinque sensus corporis te rexerunt, nunc in tempore discretionis non te regit vir, id est intellectus sapientiæ, sed adulter, id est error corrumpit, dum carnaliter quæ dico accipis, et ideo voca virum, ut (sicut dico) spiritualiter intelligas. Ideo quinque sensus in minori ætate dicuntur viri, quia sunt legitimi. Post lapsum enim hominis et decreto Dei naturaliter regitur illa ætas, non ad æterna, sed ad ista temporalia appetenda si mulcent, vitanda si offendunt.

§§4.19 **Quia propheta tu es.** Mulier ex auditis proficiens, jam cœperat aliquatenus habere intellectum, unde et prophetam vocat, sed non plenum, quia non credit venisse Christum.

*4.20 **Panes nostri,** etc. Propheta es tu, et ideo judica de hac contentione, quæ me movet. Judæi se præferabant Samaritanis pro templo quod ædificavit Salomon, in quo adorabant. Econtra Samaritani adversum Judæos pro monte, in quo et non in templo patres adoraverunt, qui Deo placuerunt. Et sic patriarchæ in montibus, Judæi in templo adoraverunt, præfigurantes modum bene orandi.

venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.[†]
²² Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.
²³ Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum.[‡] ²⁴ Spiritus est Deus: et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.[¶] ²⁵ Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus): cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.[§] ²⁶ Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum. ²⁷ Et continuo venerunt discipuli ejus, et mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris? aut, Quid loqueris cum ea?^{**} ²⁸ Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus:^{††} ²⁹ Venite, et videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipse est Christus?^{‡‡} ³⁰ Exierunt ergo de civitate

[†]4.21 **Mulier.** In hoc loco Dominus jactantiam Samaritanorum reprimit, qui putabant se non minoris religionis fuisse quam Judæos. Loquitur ergo in persona prophetarum et omnium qui in Christum credunt; unde ait: **Vos adoratis Patrem quem nescitis**, quia nullus adorat Patrem nisi Filium adoret, per quem ad notitiam Patris venit, sed nos scimus Filium, et per Filium Patrem, unde sequitur: **Quia salus ex Judæis est**, etc., id est. quia Christus, qui est salus, ex Judæis est, non solum origine carnis, sed etiam ex eis orta est fides et primitiva Ecclesia. **Crede mihi.** Quia jam est in te vir qui potest credere et ideo crede: **Quia nisi credideris non intelliges** Isa. 7.. **Quando neque in monte.** Ecce pariter mons vester et templum Judæorum reprobabitur, sed in hoc estis impares, quod vos Samaritani adoratis quod nescitis, sed nos Judæi non omnes, sed electi adoramus quod scimus, quia nobis cognitio Dei testamentum; prophetia promissa: de nobis Christus, et hoc est, **quia salus ex Judæis est**, sed quamvis ita simus differentes, tamen non præfero locum Judæorum loco Samaritanorum, et hoc est.

[‡]4.23 **Sed venit hora, et nunc est, quando.** Priusquam venirem in carne, nemo potuit adorare Patrem in spiritu et veritate, præter patriarchas et prophetas, quibus mea incarnatio revelata fuit, sed per meam præsentiam in carne fient veri adoratores. **In spiritu et veritate.** Non in templo, non in hoc monte, sed interius in intimo templo cordis et in veritate cognitionis Patrem esse adorandum.

[¶]4.24 **Spiritus est Deus.** Cum Deus sit spiritus et non corpus, non quærit corporeum locum, montem vel templum in quo oretur, sed spiritus purus est ejus templum, in quo oretur, non de visibilibus quæ transeunt, sed de æternis quæ veritas sunt.

[§]4.25 **Scio quia Messias venit, qui dicitur,** etc. Jam per verba docentis amplius proventa, scit a quo perfecte debeat instrui, id est a Messia. **Ille nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Jesus.** Qualiter spreto templo vel monte in spiritu et veritate adoremus ostendet, et abjectis umbris veritate illustremur. **Ego sum qui loquor.** Quem venturum exspectas, venisse cognosce: et adducto tecum viro qui te regat, quæ fidei sunt necessaria discere labora. Et quia sciebat jam quis eam posset docere cum eum jam docentem non agnosceret, digna erat cui ipse se manifestaret, unde dicit: **Ego sum Messias**, qua manifestatione accepta non habet quid ultra quærat, unde sequitur: **Reliquit ergo hydriam,** etc. Sed Evangelista interserit de discipulis.

^{**}4.27 **Et mirabantur quia.** Non mirabantur quod cum muliere loquitur, cum quibus loqui consueverat, sed quia cum alienigena, ignorantes mysterium Ecclesiæ de gentibus futuræ. Et non malum suspicantur, sed clementiam mirantur, quia gentilem erroneam docet sicut **qui venit quærere quod perierat.**

^{††}4.28 **Reliquit ergo.** Audito **ego sum**, jam habens in intellectu mulier Christum caput viri, reliquit hydriam, id est cupiditatem, et cucurrit evangelizare. Hic discant evangelizaturi prius deponere curam, et onus hujus sæculi.

^{‡‡}4.29 **Venite et videte.** Pedetentim inducit ad veritatem illos rudes; nec statim affirmat Christum, ne irascerentur et indignarentur.

et veniebant ad eum. ³¹ Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. ³² Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. ³³ Dicebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare? [¶] ³⁴ Dicit eis Jesus: Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus. ^{§§} ³⁵ Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis: levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. ^{*} ³⁶ Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam: ut et qui seminatur, simul gaudeat, et qui metit. [†] ³⁷ In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminatur, et alius est qui metit. ³⁸ Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. [‡] ³⁹ Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. ⁴⁰ Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. [¶] ⁴¹ Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. ⁴² Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere

[¶]4.33 **Nunquid aliquis attulit.** Non ausi sunt interrogare Dominum timentes ne ab eo reprehendantur, si incaute interrogaverint.

^{§§}4.34 **Meus cibus est.** Non intellexerunt escam, sicut mulier supra non intellexit aquam, unde magister eos instruit non per circuitum ut illam, sed jam aperte dicens: **Meus cibus est ut faciam,** etc. **Voluntatem ejus.** Patris. Voluntas Patris est ut credatur in eum, id est in Filium quem ipse misit. Opus Patris est nostra salus. Christi ergo cibus, nostra fides et nostra salus. Facit ergo voluntatem docendo credere in se, facit opus maturando mysterium redemptionis.

^{*}4.35 **Nonne vos dicitis.** Cum quærat fidem et salutem populorum, fervet in opus, et operarios mittere disponit. **Levate oculos vestros.** Intellectu mentis considerate quod, transacta hieme, id est infidelitate, adest calor fidei et parata sunt corda, ut opera justitiæ ex eis colligatis, quasi dicat: Juvate ad implendum voluntatem Patris. Et bene potestis, quia parata est messis, id est, videte gentes faciles credentes.

[†]4.36 **Ut et qui seminatur.** Utroque opus erat, seminatore et messore, quia in hoc apparet probabile verbum, quia alius seminatur, alius metit; nisi enim parati essent per prophetas, non audirent apostolos.

[‡]4.38 **Ego misi vos.** Vos facio messores ibi ubi alii seminaverunt, id est in Judæa, ubi prima seges collecta est, unde aliqui exeuntes in toto mundo seminaverunt, unde alia messis quasi de granis surgit colligenda in fine sæculi messoribus angelis. **Laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.** Multi enim labores fuerunt patriarchis et prophetis, in quibus omnibus erat prophetia Christi, et multa passi sunt quasi in frigore seminationis.

[¶]4.40 **Cum venissent.** Prius audierunt famam, post conspexerunt præsentem, nec satis est eis, sed apud se manere faciunt, ut ipsius verbis instruerentur, quæ præferunt verbis mulieris. In quibus omnibus econtrario arguitur duritia Judæorum, qui nec miraculis credunt. **Et mansit ibi duos.** Moraliter. Sic quotidie apud illos qui foris sunt, nuntiatur Christus per mulierem, id est Ecclesiam, et credunt per istam famam. Inde apud eos manet per duos dies sine mentione noctis, ut lux eorum duobus præceptis charitatis instruat.

Salvator mundi.^{§ 43} Post duos autem dies exiit inde, et abiit in Galilæam.^{** 44} Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet.^{††}
⁴⁵ Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Jerosolymis in die festo: et ipsi enim venerant ad diem festum.⁴⁶ Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.^{‡‡ 47} Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium ejus: incipiebat enim mori.^{¶¶ 48} Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.^{§§ 49} Dicit ad eum regulus: Domine, descende priusquam moriatur

§4.42 **Et mulieri dicebant.** Postquam Dominus carnis præsentia Judæis spiritualiter edoctis gratiam suæ cognitionis infudit mulieri, id est legi, dicebant, jam non propter tuam loquelam credimus.

4.43 **Ipsi enim audivimus. Quia sibi primum moratus miracula fecerat, nec nisi pauci in eum crediderunt, unde super viso signo crediderunt in eum discipuli ejus, non alii: et ideo a Samaritanis qui facile nullo signo viso crediderunt, revertitur ad istos, ut qui per priora non crediderunt, modo credant. Significat quod a gentibus facile conversis, in fine sæculi revertetur ad Judæos qui sunt sua patria, quia prius in eis honorem non habuerat.

††4.44 **Quia propheta.** Allegorice. Patria Christi est populus Judæorum, ubi sine honore est, quia pauci de his credunt quod de Galilæis civibus Christi dicitur. Ecclesia gentium facile credens similis est Samaritanis, et hi multi solo verbo prædicationis, illi per miracula et pauci. Ecce cur venit, ideo revertitur, quia testatus est quod propheta non habet honorem in patria; alioquin videtur non debuisse ad hos reverti, ubi honorem non habet, sed manere apud illos ubi bene receptus est.

‡‡4.46 **Et erat quidam regulus cujus filius.** Iste regulus potest figurare aliquem gentis Judaicæ doctorem, qui tandem post plenam Ecclesiæ gentium conversionem ad quam Dominus a Judæis expulsus per discipulos transmigravit, pro filio, Judaico populo, quem non nisi in fine sæculi fidem accepturum cognoscit, orat, ut de longa perfidiæ infirmitate sanetur.

¶¶4.47 **Et rogabat.** Jam credens quod posset sanare filium ejus, sed quia per deitatem, quæ ubique est, non credit filio adesse, rogat ut descenderet et præsens corpore sanaret, unde infidelitatis arguitur: **Nisi signa et prodigia**, etc. Econtrario centurio laudatur, qui dicit: **Dic verbo et sanabitur puer meus** Matth. 8.; unde: **Non inveni tantam fidem in Israël.** Vel forsitan cupiebat tentare qualis esset Christus, unde arguitur: **Nisi signa et prodigia.** Propter salutem filii credidit ipse et domus ejus tota.

§§4.48 **Nisi signa.** In hoc redarguitur de incredulitate, quod non ubique credebatur eum esse, et per hujus duritiam significatur duritia Judæorum, qui nec visis miraculis credunt. Vere econtra per Samariam signatur fides gentium, quæ solo verbo credit, hoc autem, quantum ad allegoriam, a primo Christi adventu usque post regnum Antichristi in perfidis Judæis durabit. **Et prodigia.** Prodigium quasi porro dictum, quasi quod aliquid significat. Vel, prodigium quasi procul a digito, quia præfiguratur aliquod remotum et futurum.

filius meus.* ⁵⁰ Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Jesus, et ibat. ⁵¹ Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret. ⁵² Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. ⁵³ Cognovit ergo pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit; et credidit ipse et domus ejus tota. ⁵⁴ Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam.†

5 Post hæc erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam. ² Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. ³ In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum. ⁴ Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.‡ ⁵ Erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua.¶ ⁶ Hunc autem cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri?§ ⁷ Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. ⁸ Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum et ambula.** ⁹ Et statim sanus factus est homo ille: et sustulit grabatum suum, et ambulabat. Erat autem sabbatum

*4.49 *Descende.* Quasi aliter non posset sanare, nisi præsens esset. Unde Dominus indicans se non deesse ubi invitatur, solo jussu sanat, unde: *Vade, filius tuus.* Ad filium reguli non vadit, ne divitias honorare videatur, ad servum centurionis ire promittit qui naturam hominis non despicit: in quo superbiam destruit quæ in hominibus non pensat naturam, sed quæ extra patent. *Credidit ipse.* Non alii cives, in quo paucitas fidei Judæorum signatur, quamvis signa viderint, unde infert: *Hoc iterum secundum signum fecit Jesus.* Sicut supra multitudo gentium solo verbo convertendarum in Samaritanis signabatur.

†4.54 *Hoc iterum secundum signum fecit Jesus cum venisset a Judæa in Galilæam.* De omnibus miraculis quæ fecit Jesus in anno ante mortem Joannis, non facit Joannes mentionem nisi de istis, et de disputatione Christi cum Judæis, quæ supra ponitur. Cæteri enim Evangelistæ quæ hic reticet, dixerunt plane.

‡5.4 *Angelus autem.* Ecce duo miracula: unum invisibiliter per angelum in piscina, alterum visibiliter a Domino. In utroque unus sanatus, ut unitas commendetur. Alioquin nec in potestate ideo magnum et in benignitate parum fuit, unum de tot sanari ab eo qui omnes uno poterat erigere verbo. Sed in his corporalibus plus intendit æternam salutem animarum.

¶5.5 *Triginta et octo.* Id est duobus minus quadraginta, qui numerus constat ex quater decem, et significat perfectionem operum, in decem præceptis legis et quatuor Evangelis, a quo duo minus habet qui charitate Dei et proximi caret.

§5.6 *Vis sanus fieri.* Non nescit quid velit, sed accendit ad amorem sanitatis, de qua jam desperabat, unde jam conquerebatur, quod non haberet qui eum mitteret in aquam.

**5.8 *Tolle grabatum tuum.* Dilige proximum infirma ejus tolerando, qui te infirmum patienter tulit, et non solum ætate de tua erectione, sed etiam de proximum sollicitus esto salute. Ecce angelus magni consilii latens in carne, turbata aqua Judæorum sanum fecit unum.

in die illo.†† 10 Dicebant ergo Judæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.‡‡ 11 Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum et ambula.¶¶ 12 Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum et ambula? 13 Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit a turba constituta in loco.§§ 14 Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit illi: Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* 15 Abiit ille homo, et nuntiavit Judæis quia Jesus esset, qui fecit eum sanum. 16 Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato.† 17 Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor.‡ 18 Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, et dixit eis:¶ 19 Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fe-

††5.9 **Et ambulabat.** Diligendo Deum festina usque ad visionem ejus, nec fratrem propter amorem ejus ad quem pergis deserens, nec propter fratrem ab illo quærendo cessans.

‡‡5.10 **Dicebant ergo.** Judæi observatores litteræ nescientes gratiam qua lex impletur, quæ ab omni servili opere, id est a peccato cessare jubet, unde hic dicitur: **Tolle grabatum,** etc. **Non licet.** Non calumniantur de salute qui in sabbato curant animalia, sed de lecti portatione.

¶¶5.11 **Respondit eis.** Non cedit objicientibus, sed sanatoris mandatis obediens, auctoritatem sanationis suæ objicit calumniantibus.

§§5.13 **Nesciebat quis esset.** In turba positus non agnovit Jesum, sed post in templo. In quo docemur, ut quisquis vult ad visionem Dei pervenire, fugiat turbam suorum affectuum et nequitiam hominum, et adeat templum internæ orationis.

*5.14 **In templo.** Non in turba, sed in templo, quia si gratiam conditoris cognoscere volumus, oportet ut conventicula fugiamus, et templum efficiamur. **Noli peccare.** Innuit quod propter peccata languebat, sed ipse Jesus illum sicut exterius, ita intus sanavit, unde præmonet ne iterum peccando gravius judicetur.

†5.16 **Quia hæc faciebat in sabbato.** Quasi solutor legis agens contra Deum qui requievit in sabbato, sex diebus primo operatus. Contra quod ait Jesus: Non sex diebus tantum ut putatis operatus est Deus, sed usque modo operatur, quia qui sex diebus condidit nova, a quibus requievit die septimo, postea operatur usque in finem gubernando, sustentando, renovando, propagando, ut permaneant condita. Et cum semper operatur Deus, constat sacramentum esse quod de requie sabbati legitur.

‡5.17 **Jesus autem respondit.** Quasi dicat cæci in lege cur mihi invidetis, si hominem in sabbato sano, qui Deus cum Patre semper operor.

¶5.18 **Respondit itaque Jesus.** Quia commoti sunt de audita æqualitate ejus quem putant hominem purum cum Deo Patre, subdit se esse Filium æqualem Patri, ejusdem voluntatis, ejusdem potestatis, ejusdem operationis. In his autem disserendis hoc genere loquendi utitur, quo mentes parvulorum possit excitare, et si non implere, et quo mentes adultorum exercentur et pascantur. Dicit enim de deitate Filii. Non potest a se facere, nisi quod videt Patrem facere, et demonstrat ei Pater, quæ omnia non secundum litteram ut in hominibus fieret accipienda sunt, sed mystice. Ille autem hæc secreta dicit, ut conturbentur, vel ut forte turbati medicum quærant. Propter nos etiam ut nobis scriberentur, quæ non bene intellecta in errorem, bene intellecta in veritatem ducerent.

cerit, hæc et Filius similiter facit.^{§ 20} Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit: et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.^{** 21} Sicut enim Pater suscitatur mortuos, et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat.^{†† 22} Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio,²³ ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem; qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.^{‡‡ 24} Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in iudicium non venit, sed transit a morte in vitam.^{¶¶ 25} Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando

§5.19 **Amen, amen dico vobis.** Agit hic de identitate sua cum Patre, et minoritate sua secundum hominem, et quid in his faciat, scilicet utramque resurrectionem, corporis scilicet et animæ. **Non potest filius.** Ita sum æqualis Patri, ut non ipse a me, sed ego sim ab eo. Non facit a se, nec potest a se, qui non est a se, sed ab eo facit et potest a quo est. **Hæc et Filius.** Videtur corpus omne facere quod animus, sed non similiter, cum animus imperet corpori; Pater vero et Filius eadem et similiter operantur, quia una natura, una substantia Patris et Filii, et una voluntas, et una potestas, et una operatio.

5.20 **Omnia demonstrat. Demonstrare Patrem Filio est cuncta operari per Filium, ut æque habeantur in fide nostra, Pater et Filius. Et ne aliquo modo minus sentiatur de Filio, addit: **Et majora his demonstrabit ei,** hoc est, per eum majora faciet. Quæ? **Sicut enim Pater suscitatur mortuos et vivificat.** Majus est suscitare mortuos quam languidum sanare, unde agebatur. **Majora his.** Suscitatur Pater animas per Filium, ut animæ vivant ex substantia Patris et Filii, et ei Filio homini facto in tempore demonstrabit majora, id est resurrectionem corporum, ut miremini eam fieri per Filium.

††5.21 **Sicut enim Pater suscitatur.** Incipit ostendere quod Filius secundum quod æqualis est Patri, faciat, scilicet animas a morte resuscitat. Et est prima resurrectio a vitiiis. In sequenti vero ostendit etiam resurrectionem mortuorum corporum secundum quod Filius hominis est et potestatem dedit ei, id est Filio. **Sic et Filius.** AUG. Quia Pater et Filius sunt eadem vita. Iudicat autem et suscitatur corpora, etc., usque ad hæc causa redditur, **quia Filius hominis est.**

‡‡5.23 **Ut omnes honorificent.** Honorat Deum qui commendat Creatorem, omnipotentem, æternum. Honorat Patrem, qui credit eum habere Filium æqualem sibi. Honorat Filium, qui credit eum esse æqualem Patri. **Qui non honorificat.** AUG. Si enim minor crederetur Filio, Pater inhonoraretur, quod vel invidus nollet eum genuisse æqualem, vel infirmus non posset, et sic non esse Deus convinceretur, quia impotens.

¶¶5.24 **Quia qui,** etc. Quia æqualis sum Patri et uno honore cum eo honorandus, ergo qui audit verbum meum, id est, qui credit me Filium, et credit eum Patrem, habet vitam æternam, quia hæc est vita æterna, ut post dicit, ut cognoscant te quem misi Jesum Christum esse unum verum Deum. **Audit et credit.** Cur ait: Audit verbum meum et credit, non mihi, sed ei qui me misit: quia verbum ejus est in me, imo ego sum verbum ejus. Qui ergo ei credit, credit verbo ejus, id est mihi. **Sed transit.** Hic a morte infidelitatis ad vitam fidei et justitiæ, post a corruptione ad æternitatem. De prima autem resurrectione apertius subdit: **Amen, amen dico vobis, quia venit hora et nunc est,** etc.

mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent.^{§§} 26 Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso: 27 et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* 28 Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei:† 29 et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii. 30 Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, iudico: et iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.‡ 31 Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.¶ 32 Alius est qui testimonium perhibet de me: et scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me. 33 Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati. 34 Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico ut vos salvi sitis.§ 35 Ille erat lucerna ardens et lucens: vos autem voluistis ad horam exsultare in

§§5.25 **Quia venit.** Dixi quia Filius suscitatur et vivificatur, quod verum est, quia venit hora, etc., et ostensio Patris sui, hic enim de suscitatione animæ a peccatis agitur. **Vocem Filii.** Hoc solum iustis convenit, qui sic audiunt de incarnatione eius, ut credant quia Filius Dei est. **Sicut enim Pater.** AUG. Vita quæ est ipse Pater et Filius pertinet ad animam, non ad corpus, etc., usque ad vitam et ipsa est vita corporis. **In semetipso.** Non aliunde, sed ipse est vita, sic et Filius in semetipso est vita. Sed differunt, quia Pater est vita non nascendo, Filius est vita ex Patre nascendo, unde ait: Dedit, non quod aliquando Filius fuerit sine vita, sed nascitur ex eo vita, dedit ergo, id est, vita genuit vitam.

†5.27 **Et potestatem.** Postquam dixit de resurrectione animæ, subdit de resurrectione carnis. Et potestatem quam habet Filius cum Patre in occulto, dedit Pater ei, quia Filius hominis est, in qua forma iudicans bonis et malis videbitur. Visio enim formæ Dei solis mundis corde promittitur, unde: **Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt** Matth. 5.. AUG. Christus in eo quod est Filius Dei, etc., usque ad per verbum factum in carne Filium hominis fit corporum resurrectio.

†5.28 **Quia veniet hora.** Sicut supra auctor de resurrectione mentis in vitam æternam, ita etiam hic est auctor de resurrectione carnis, aliter nemo crederet.

‡5.30 **Non possum ego a meipso facere.** Dedit mihi potestatem iudicii, non tamen possum a me, id est, qui non est a se, non facit a se, et ita qui culpatur eum de opere sabbati, culpatur Patrem. **Sicut autem.** Audio per unitatem substantiæ, id est, scio quia non est aliud audire, quam scire vel esse. Vel, ego Filius hominis nihil a me possum, sed sicut audio a Deo iudico, et hoc iudicium meum de quibuscunque est iustum, ideo quia non quæro voluntatem meam, id est hominis, sed Patris, quæ est de salute hominum, qui ad hoc me misit, id est, incarnari fecit. **Non quæro.** Loquitur nunc secundum quod æqualis est Patri, ut probetur in eo vera deitas, nunc secundum quod minor, ut probetur vera humanitas.

¶5.31 **Si ego testimonium.** Dico de identitate essentiæ suæ cum Patre, ex qua vivunt non corpora quæ non sentiunt, sed animæ rationales mediæ inter Deum et corpora: dicto etiam de minoritate humanitatis, in qua scilicet moritur, resurgit, suscitatur corpora et iudicatur: supponit de testimoniis suis quæ non indiget habere ab homine, quia habet ab operibus quæ Pater dedit et ab ipso Patre. Habet tamen et ab hominibus, sed ut a lucernis, id est a Joanne et a Moyse, qui si non possunt conjungere animas Deo, possunt tamen confutare inimicos.

§5.34 **Sed hæc.** Sed tamen testimonium Joannis induco, ut per Joannem vos homines ad veritatem ipsam ducamini, et credentes salvi sitis.

luce ejus.^{**} ³⁶Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: ³⁷et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem ejus umquam audistis, neque speciem ejus vidistis:^{††} ³⁸et verum ejus non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis. ³⁹Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me: ⁴⁰et non vultis venire ad me ut vitam habeatis. ⁴¹Claritatem ab hominibus non accipio.^{‡‡} ⁴²Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.^{¶¶} ⁴³Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.^{§§} ⁴⁴Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? ⁴⁵Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. ⁴⁶Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. ⁴⁷Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis creditis?

6 Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis:^{*} ²et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.[†] ³Subiit ergo in montem Jesus et ibi sedebat cum discipulis suis. ⁴Erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum. ⁵Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?[‡] ⁶Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. ⁷Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes

^{**}5.35 *Ille erat*, etc. Qui me exterius oculis hominum visibilem exhibuit, interius corda hominum ad me cognoscendum accendit. Etiam omnes prophetæ et apostoli sunt lucernæ: Christus verum lumen, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.

^{††}5.37 *Neque vocem*. Et si in Sina vocem ejus audisse et speciem vidisse putetis.

^{‡‡}5.41 *Claritatem*. Nec ideo hoc loquor, ut quæram gloriam meam, sed vobis errantibus condoleo, qui non habetis dilectionem Dei, et ad viam veritatis reducere volo.

^{¶¶}5.42 *Quia dilectionem*. Dilectio Dei non est in vobis, quia me non accipitis, id est non creditis, quia veni ut per me Pater glorificetur.

^{§§}5.43 *Si alius*. Antichristus, qui propriam gloriam quærit non Dei, id est in nomine suo venit, hoc est quod Apostolus ait, ut credant mendacio, qui non crediderunt veritati.

^{*}6.1 *Trans mare*. Tiberiadis et Capharnaum in eodem littore ex parte nostra, ultra in alio littore opposito, locus est ubi miraculum istud factum est. Nec proprie vocatur mare, sed quædam magna Jordanis reflexio.

[†]6.2 *Et sequebatur*. Viso hoc miraculo, gentium magna turba sequitur, quia sicut eos quos a corporis infirmitate sanabat, intus spiritus reintegrabat, sic ipsos a morbo incredulitatis sanabat.

[‡]6.5 *Cum sublevasset*. Exemplo suo nos admonet levare oculos cordis nostri, ut si forte eo ducente ad altitudinem actionis et scientiæ ascendere permittamur, turba sequentium carnalium cogitationum nos non perturbet, nec ab altitudine contemplationis deiciat, sed eam spiritualibus escis, quantum capere possit, pascere curemus.

non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.^{¶ 8} Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas, frater Simonis Petri: ⁹ Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos?^{§ 10} Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discumberunt ergo viri, numero quasi quinque millia.^{** 11} Accipit ergo Jesus panes: et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter et ex piscibus quantum volebant. ¹² Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. ¹³ Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superauerunt his qui manducaverant. ¹⁴ Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.^{†† 15} Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.^{‡‡ 16} Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare. ¹⁷ Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum: et tenebræ jam factæ erant et non venerat ad eos Jesus. ¹⁸ Mare autem, vento magno flante, exsurgebat. ¹⁹ Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Jesum ambulans supra mare, et proximum navi fieri, et timuerunt.^{¶¶ 20} Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere. ²¹ Voluerunt ergo accipere eum in navim et statim navis fuit ad terram, in quam

[¶]6.7 **Ducentorum.** Centenarius duplicatus significat perfectionem bonæ actionis et rationalis scientiæ, quæ erudiendis in fide non sufficiunt, nisi eis altitudo theologiæ addatur, quæ animas per bonam operationem purgatas, et per scientiam rerum creaturarum illuminatas, ad consummatam spiritualium refectorum plenitudinem perducit.

[§]6.9 **Est puer unus.** Hic puer est Moyses legislator, cujus lex neminem ad perfectum perduxit. Unus, quia vanitatem Ecclesiæ futuram præfigurabat. Hic, id est, in Veteri Testamento quod quamvis Novo clarescente jam vilescit, adhuc tamen omnino non recessit. **Sed hæc,** etc. Quasi dicat: Legis littera, vel corporei sensus quid prosunt ad multitudinem in te creditorum, qui spiritualia alimenta sunt petaturi, quæ omnem litteram omnemque corporeum sensum superant?

^{**}6.10 **Facite homines.** Magister veritatis prius in simplicitate litteræ quasi in infimis locis, et in simplicitate visibilis creaturæ auditores erudit, ut sic in altitudinem contemplationis erigantur.

^{††}6.14 **Illi ergo homines cum vidissent quod,** etc. Illi nondum plena fide proficiebant, quare hunc Deum dicere nesciebant. Nos certiores illis dicimus: Hic est Verbum, sine quo non est propheta vel angelus.

^{‡‡}6.15 **Jesus ergo.** Qui volunt rapere et regem facere significant discipulos et alios credentes, qui volunt prævenire tempus regni ejus, putantes eum sic venisse, ut jam regnaret. Sed hoc tempore colligitur regnum, quod in fine erit manifestum, cum dicet: **Percipite regnum quod vobis paratum est.** Fugit ergo non timens teneri, qui postea eisdem colloquitur, sed signare volens quod altitudo ejus non potest intelligi. Fugit in montem, id est ascendit coelos, solus sacerdos interpellans pro populo foris constituto, qui interim jactatur fluctibus, unde subdit: **Ut autem sero factum est.** Sero mundi est post ascensionem Christi in quo discipuli descendunt ad labores mundi, et regunt navem, id est Ecclesiam.

^{¶¶}6.19 **Timuerunt.** Quod discipuli qui omnium in Ecclesia futurorum figuram gerebant, viso Domino super fluctum maris ad se venientem timuerunt, et ut alius evangelista apertius dicit, phantasma crediderunt eum, mysterio non vacat, quia adhuc hodie multi in Ecclesia, cum audiunt sibi persuaderi ut præsentia bona et caduca pro æternis quæcunque habendis dimittant, timent et se deceptos credunt, quibus Dominus ait: **Nolite timere, ego sum.**

ibant. ²² Altera die, turba, quæ stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent:^{§§} ²³ aliæ vero supervenerunt naves a Tiberiade juxta locum ubi manducaverunt panem, gratias agente Domino. ²⁴ Cum ergo vidisset turba quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum quærentes Jesum. ²⁵ Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? ²⁶ Respondit eis Jesus, et dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis.† ²⁷ Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.‡ ²⁸ Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei? ²⁹ Respondit Jesus, et dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.¶ ³⁰ Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum ut videamus et credamus tibi? quid operaris? ³¹ Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cælo dedit eis manducare. ³² Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.§ ³³ Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, et dat vitam mundo.** ³⁴ Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem

§§6.22 **Altera die.** Insinuatum est turbæ hoc miraculum, quod super aquas Jesus ambulasset, quia non fuerit ibi nisi navis una, et in eam non intravit Jesus cum discipulis, unde ergo factus esset transitus, nisi super aquas ambulasset?

*6.25 **Et cum invenissent.** Ecce præsens est eis quos fugerat, ne eum regem facerent. Cur ergo fugerat, nisi pro prædicto sacramento? Iterum præsens loquitur eis, ut quorum satiavit ventres, eorum satiet et mentes, dicens: **Amen, amen dico vobis**, docens eos quos doctores instituit, fugere laudem et terrenum imperium, sed tamen insistere prædicationi.

†6.26 **Amen, amen dico vobis.** Postquam de divinitate sua qua idem est cum Patre tractavit, et eodem honore honorandus, et de humanitate sua qua de morte liberat et suscitatur grandi honore dignus, vult tractare de cibo vitæ, id est verbo Dei. Et hæc continuatio quantum ad sententiam. Ad litteram vero sic: Vos quæritis me, non propter me, sed propter panes qui pereunt. Ergo operamini, id est, quærite me propter me, non propter aliud. Ipse est enim cibus ille qui permanet in vitam æternam, ut post aperte dicet. Similiter quotidie quærunt multi Jesum, non propter Jesum, sed ut bene sit eis in tempore.

‡6.27 **Signavit Deus.** Quasi proprio signo a cæteris discrevit, quia qui est Filius hominis, est et Filius Dei et ideo me nolite contemnere Filium hominis, sed petite a me cibum spiritualem.

¶6.29 **Hoc est opus Dei.** Fides per dilectionem operans, est opus, quia si desit facultas, non quæritur nisi voluntas. Merito etiam fides quæ per dilectionem operatur, opus dicitur, quæ est initium et finis totius boni.

§6.32 **Dixit ergo.** Quod præferabant opus Moysi suo operi, ostendit illud esse minus, quia non fuit panis de cælo, sed tantum figura illius et suum majus, qui est panis de cælo qui dat vitam, et hic est cibus quem supra dixit permanere in vitam æternam.

6.33 **Panis enim verus. Angeli purum verbum solidum cibum comedunt: nos vero verbum, sed in lac versum, quia si non possumus comedere, possumus sugere. Nisi enim incarnaretur, a nobis non cognosceretur, a nobis non gustaretur.

hunc.†† 35 Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet umquam. 36 Sed dixi vobis quia et vidistis me, et non creditis.‡‡ 37 Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: et eum qui venit ad me, non ejiciam foras:¶¶ 38 quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. 39 Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, Patris: ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.§§ 40 Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* 41 Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi,† 42 et dicebant: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo descendi? 43 Respondit ergo Jesus, et dixit eis: Nolite murmurare in invicem:‡ 44 nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; et ego resuscitabo eum in novissimo die.¶ 45 Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre, et

††6.34 *Domine, semper,* etc. Sicut mulier Samaritana audiens: *Qui biberit de hac aqua, non sitiet in æternum,* secundum corpus accepit, et tamen labore et indigentia carere volens, dixit: *Da mihi hanc aquam,* sic isti quærunt panem qui eos reficiat, et nunquam deficiat, propter quod eum regem facere voluerunt. Sed Jesus ad se revocat, et quem panem dixit evidentius aperit, *Ego sum panis vitæ.* Potero dare vitam, quia sum panis vivificans, igne Spiritus sancti in clibano uteri virginialis coctus et formatus, et mundo ad pellendum famem ignorantiae Dei donatus.

‡‡6.36 *Sed dixi vobis.* Quasi dicat: Non dixi de hoc pane, qui sciam vos esse satiandos, sed ad improperium vestræ infidelitatis, quia videtis et non creditis.

¶¶6.37 *Omne quod dat mihi Pater,* etc. Id est, quæcunque Pater trahit ad me, Pater dat Filio. Pater trahit ad Filium illos qui ideo credunt in Filium, quia credunt eum Patrem habere Deum. *Veniet.* Mihi unitur humilis humili, et ideo non foras ejicitur, quod est tantum superbi, qui nihil habet in bono interiori, neque hic neque in futuro.

§§6.39 *Hæc est enim voluntas ejus qui misit me Patris,* etc. Non est voluntas Dei ut pereat unus de pusillis, de tumentibus perit, de pusillis nihil. *Non perdam,* etc. Id est, quia videt me et credit in me, qui sum vita sicut et Pater, et ideo modo habet vitam quæ non est ei sola, sed et resuscitabo eum.

*6.40 *Ut omnis,* etc. Supra dicebat: *Qui audit verbum meum et credit ei qui me misit;* hic dicitur: *Qui videt Filium et credit in eum.* Non dicit: Qui credit in Patrem, quia hoc est credere in Filium quod et in Patrem, quia sicut Pater habet vitam in semetipso, sic et Filius habet vitam in semetipso.

†6.41 *Murmurabant.* Nescientes hunc panem, nec Patrem ejus cœlestem, quia inflati de sua justitia in qua de viribus suis præsumunt, justitiam Dei quæ de cælo venit, non esuriunt.

‡6.43 *Nolite murmurare.* Quasi non sim panis qui de cælo descendi, quia vere sum, sed nemo potest venire ad me nisi a Patre tractus, et ideo vos non creditis me esse Patrem, quia non estis tracti a Patre.

¶6.44 *Nisi Pater.* AUG. Illum Pater trahit ad Filium, qui ideo credit in Filium, quia cogitat, etc., usque ad in quo commendatur magna gratia. *Et ego resuscitabo,* etc. Ego æqualis Patri faciam eum videre quod credit, manducare quod esurit, habere quod amavit et desideravit, quod non potest esse in præsentī, ubi tantum trahitur.

didicit, venit ad me.^{§ 46} Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem.^{** 47} Amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam æternam.⁴⁸ Ego sum panis vitæ.^{†† 49} Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.⁵⁰ Hic est panis de cælo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.⁵¹ Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.⁵² Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.^{‡‡ 53} Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? ⁵⁴ Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.^{¶¶ 55} Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die.^{§§ 56} Caro enim mea vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus;^{* 57} qui manducat meam carnem et bibit

§6.45 *Est scriptum.* Vere nemo venit ad me nisi Pater docuerit, quia ita testantur prophetiæ. Omnes homines regni illius, id est Christianæ fidei, *erunt docibiles Dei*, quia etsi homines foris loquuntur, tamen Deus solus intus sensum aperit, intus instruit veritatis cognitione et amore, ita quicumque audit et discit a Patre, venit ad me. *In prophetis.* Prophetis, dicit pluraliter, quia omnes prophetæ uno et eodem spiritu repleti, licet diversa prophetarant, tamen ad idem tendebant.

**6.46 *Non quia Patrem,* etc. Id est ego novi Patrem, quia ab illo sum, et ideo credite, quia qui credit in me habet vitam æternam. Potuit dicere, habet me, sed revelat quod ipse sit vita æterna, quia verbum est vita hominum quod et carni suæ quam susceperat, cui intervenit mors ut mortem tolleret, dat vitam in resurrectione, et aliis credentibus in se.

††6.48 *Ego sum panis vitæ. Patres vestri,* etc. Manna de quo superbitis, patribus murmuratoribus quorum estis filii, murmurando non fuit panis vitæ, quia non intellexerunt in eo spiritualem cibum, sic et vos qui me auditis, non spiritualiter intelligitis. Vixit autem Moyses et alii electi de manna, quia spiritualiter manducaverunt. Sic et qui modo verba mea spiritualiter accipiunt. *Ego sum panis vitæ.* Ecce sacramentum verbis tegit, ut Judæi et etiam aliqui discipuli non credentes verbis illius magis scandalizentur, et humiles apostoli humiliter credentes probentur; unde Petrus: *Verba vitæ æternæ habes.*

‡‡6.52 *Et panis,* etc. Quomodo sit panis determinat non solum secundum verbum quo vivunt omnia, sed etiam secundum carnem assumptam pro mundi vita. Humana enim caro quæ erat peccato obnoxia, et ideo mortua, carni ejus mundæ unita, incorporata, unum cum illo effecta, vivit de spiritu ejus, sicut vivit corpus de suo spiritu: qui vero non est de corpore Christi, non vivit de spiritu Christi. Quia autem Judæi non erant hujus unitatis, litigabant, nec talibus exponitur quomodo Dominus carnem suam det ad manducandum, sed audivit, unde magis moveatur.

¶¶6.54 *Nisi manducaveritis carnem,* etc. AUG. Hunc cibum et potum societatem vult intelligere, etc., usque ad ut ex multis granis unus panis sit, et ex multis acinis vinum confluit.

§§6.55 *Qui manducat.* Exponunt quidam sancti de comestione altaris, et bene dicunt, sed quærunt quomodo fiat in vitam æternam, cum quidam ad mortem, ut dicit Apostolus. Si quis comedit in altari cum hac comestione de qua agit hic, scilicet cum fide operante et dilectione, hic comedit in vitam æternam. Si quis vero aliter, in mortem.

*6.56 *Caro enim.* Vere vivet anima et corpus ex hoc cibo, quia *caro mea vere est cibus.* Qui solus facit immortales, ut neque esurient neque sitient, alius cibus hoc non præstat, etiam si in eo hoc appetatur.

meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.[†] 58 Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me.[‡] 59 Hic est panis qui de cælo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.[¶] 60 Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum. 61 Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?[§] 62 Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? 63 si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?^{**} 64 Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam: verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.^{††} 65 Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.^{‡‡} 66 Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.^{¶¶} 67 Ex hoc multi discip-

[†]6.57 **Qui manducat.** Jam exponit quomodo fiat quod dixit, et quid sit manducare carnem, et bibere sanguinem, hoc est manere in Christo, et Christum habere in se manentem. Qui vero non manet in Christo, et in quo non manet Christus, non manducat spiritualiter, et sic sacramentum sibi sumit in iudicium corporaliter.

[‡]6.58 **Sicut misit me.** Me æqualem sibi misit, id est, hominem fecit, et inde est ut ad eum referam vitam meam quasi ad majorem. **Et ipse vivet.** Ut vivam ex Patre, mea exinanitio facit: ut homo vivat ex me, participatio facit quæ me manducat.

[¶]6.59 **Hic est panis.** Et ita constat quod hic est vere panis de cælo, non manna, quia illud manducantes patres vobis similes mortui sunt in æternum: hunc panem homo qui vitam non habebat manducans, vivet in æternum. Supra dixerat, **Ego sum panis qui de cælo descendi.** Hic dicit: Hic, id est Filius hominis, ad esum cujus carnis invito, est ille **panis qui de cælo descendit:** ergo idem est Filius hominis et Filius Dei.

[§]6.61 **Multi ergo.** Multi carnaliter sapientes, quasi particulatim carnem qua indutus erat se eis distributurum promitteret, contra naturam esse putant, ut cibum hominum humanam carnem daret. **Durus est,** etc. AUG. Sic oportebat dici ut ab hominibus non intelligeretur, sed secretum Dei verbis tegetur: secretum Dei intentos debet facere, non adversos.

^{**}6.63 **Si ergo,** etc. Suspenditur oratio, Quasi dicat: Tunc intelligetis quod non eodem modo quo putatis ergo corpus, et quod hæc gratia morsibus non consumitur, sed spirituali gratia me illis dando, ipsos in corpus meum converto; hinc plane solvit quod ipsos moverat; putabant enim quod corpus distribueret, ille dicit in cælum se ascensurum utique integrum. Quid ergo tenendum sit, aperte subdit:

^{††}6.64 **Spiritus est qui vivificat.** Caro, sicut intelligitis; sicut quæ in macello emitur, sicut alius cibus non prodest, ipsa tamen vas spiritus, qui in ea salutem operatur multum prodest, sicut sola scientia inflat, ipsa tamen non est mala, sed per charitatem ædificat. **Verba quæ ego,** etc. Quibus dixi manducandum me esse, manere in me et me in ipso. Ut autem aliquis maneat in Christo ut membrum, et Christus in ipso ut in templo, unitas facit. Unitas autem ex charitate est, charitas autem ex spiritu, ergo spiritus qui vivificat compaginata membra non separat.

^{‡‡}6.65 **Sed sunt quidam,** etc. Propheta. Nisi credideritis, non intelligetis: per fidem copulamur, per intellectum vivificamur. **Et quis traditurus.** Quia Judas inter scandalizatos recedit, sed manet ad insidiandum, quem nec silet, nec aperte ostendit, ut omnes timeant dum unus perit.

^{¶¶}6.66 **Quia nemo potest,** etc. Causam quare quidam non credant subdit: Quia non est a Deo datum; fides enim non est hominibus a se, quasi propria, sed a Deo quasi gratia.

ulorum ejus abierunt retro: et jam non cum illo ambulabant.^{§§ 68} Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire? ⁶⁹ Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: ⁷⁰ et nos credidimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei. ⁷¹ Respondit eis Jesus: Nonne ego vos duodecim elegi: et ex vobis unus diabolus est? ⁷² Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

7 Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam: non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. ^{† 2} Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia. ^{‡ 3} Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis. ^{¶ 4} Nemo quippe in occulto quid facit, et quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. ^{§ 5} Neque enim fratres ejus credebant in eum. ⁶ Dicit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advenit: tempus autem vestrum semper est paratum. ^{** 7} Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera ejus mala sunt. ⁸ Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est. ^{†† 9} Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. ¹⁰ Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto. ^{‡‡ 11} Judæi ergo quærebant eum in die festo, et dicebant: Ubi est ille? ¹² Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit

^{§§}6.67 *Ex hoc*, etc. Nota esse caute loquendum, sed si tamen ex verbis tuis aliquis scandalizabitur, habet consolationem in eo, ex cujus dicto multi scandalizati sunt, qui hoc fecit ut tibi esset exemplum.

^{*}6.71 *Nonne ego vos*, etc. Duodecim numerus sacratus est qui permanet, etsi Judas inde perit. Elegit undecim ad permanendum, elegit Judam ut per eum divinæ dispensatio misericordiæ in salutem mundi impleretur, utens malo ad bonum, ut mali utuntur bonis Dei ad malum.

[†]7.1 *Post hæc autem*. Dominus in carne manens frequenter in Galilæam ambulabat, ut eum imitari volentes, de vitiis ad virtutes transmigrare discant: quod illa figurabat. Vel ut illius temporis sancti de Judæa ad gentes verbi Dei transitum exspectarent.

[‡]7.2 *Dies festus*. Non quod unus, sunt enim septem, sed more eorum quotquot sunt, quasi unus dicuntur propter unam festivitatem scenopegia festivitas tabernaculorum, quia mense septimo Judæi habitabant in tabernaculis: in memoriam illorum in quibus patres eorum habitaverunt in deserto.

[¶]7.3 *Ut et discipuli*. Opera quæ veri discipuli sciebant, laudibus divinis et non populari favore efferenda.

[§]7.4 *Nemo*. Gloria ejus consulunt. Quasi: Mira facis, scilicet in abscondito, sed innotescere, ut ab omnibus lauderis.

^{**}7.6 *Tempus*. Ideo non est nunc tempus meum, sed vestrum, quia non sum amator mundi ut vos, sed accusator, et ideo non audit vos mundus suos falsos testes, qui dicitis bona mala et mala bona.

^{††}7.8 *Ego enim non ascendo*. AUG. Quidam dicunt hoc ad passionem pertinere, quia non in festivitate scenopegiæ, sed in paschali qua agnus occidi solet, crucem ascendit.

^{‡‡}7.10 *Non manifeste*, etc. Typice: Christus occultus ascendit in festivitatem, quia in omnibus illis figuralibus latuit qui modo est manifestus nobis. Et quod latuit, exemplum est vitandi malos: quod palam loquitur et non tenetur ab his qui quærebant, potestatis est.

turbas. ¹³ Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum. ¹⁴ Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat. ¹⁵ Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? ¹⁶ Respondit eis Jesus, et dixit: Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. ¶ ¹⁷ Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar. ¹⁸ Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est. § ¹⁹ Nonne Moyses dedit vobis legem: et nemo ex vobis facit legem? * ²⁰ Quid me quæritis interficere? Respondit turba, et dixit: Dæmonium habes: quis te quæret interficere? † ²¹ Respondit Jesus et dixit eis: Unum opus feci, et omnes miramini: ‡ ²² propterea Moyses dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex patribus), et in sabbato circumciditis hominem. ¶ ²³ Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? § ²⁴ Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. ** ²⁵ Dicebant ergo quidam ex

¶7.16 **Respondit eis: Mea doctrina**, hominis, **non est mea**, sed Dei. Vel quia non est verbum nullius, sed alicujus doctrina ejus, id est ipse verbum, doctrina ejus non est sua, sed ejus a quo est: quod est - Ego non sum a meipso. Et quia hoc profundum vidit non omnes intellecturos, dedit consilium: Si vis intelligere, crede. Hoc est: Si quis credit me Filium Dei, cognoscet de doctrina, id est, intelliget quod doctrina mea non est mea.

§7.18 **Qui a semetipso**. Antichristus non est verax, et injustitia in illo est, quia quærit gloriam suam, non Dei, a quo non est missus, sed venire permissus. **Qui autem**, etc. Id est, ego qui licet æqualis Patri, tamen in servi forma quæro gloriam Patris, non meam, in hoc exemplum humilitatis tribuit, ut omnia bona Deo tribuamus.

*7.19 **Nonne Moyses**, etc. Ego ex Deo loquor et gloriam ejus quæro, verax, justus: sed vos qui gloriamini in lege, contra legem quæ vetat occidere, quæritis me interficere.

†7.20 **Dæmonium**. Quærent occidere et, quod pejus est, dicunt eum dæmonium habere, qui dæmonia pellit.

‡7.21 **Unum opus feci**. De uno miramini, quid si omnia videretis? Unum opus fuit, quod totum hominem sanavit in sabbato, unde turbati sunt stulti observatores sabbati, sed convincit eos Moyses, jubens circumcidere octava die, quod aliquando occurrit in sabbato fieri. Et hoc est: Propterea ne quis turbetur, si salus semper fit etiam in sabbato. Et sciant omnes semper debere fieri quæ salutis sunt.

¶7.22 **Circumcisionem**. ALC. Propter tres causas data fuit circumcisio. Primo, etc., usque ad et cor a cupiditatibus spoliatur.

§7.23 **Si circumcisionem**, etc. Quasi vos qui in lege gloriamini contra legem quæ me nuntiat, de morte mea tractatis, sed non est contra legem, quod totum hominem sanum feci in sabbato ego Dominus sabbati. Custodia enim sabbati sicut cætera omnia propter salutem hominis sunt, sicut vos ipsi circumcidentes in sabbato, (quia ad salutem pertinet) non solvere vos sabbatum creditis.

7.24 **Nolite judicare, etc. Non debetis mihi irasci de salvatione hominis in sabbato, sicut non irascemini de circumcisione in sabbato, quia non est judicandum secundum faciem, id est actionem personarum, ut quod licuit Moysi, mihi non liceat, sed justum judicium, id est, secundum veritatem rerum: qua cognita, nec me nec Moysen damnabitis, nec me contrarium illi dicetis. In quo illos arguit, nos instruit, ne in judicandis causis personas accipiamus, non quod pro diversitate graduum diversimode personas non honoremus.

Jerosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere?^{††} 26 et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus? 27 Sed hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. 28 Clamabat ergo Jesus in templo docens, et dicens: Et me scitis, et unde sim scitis: et a meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis.^{‡‡} 29 Ego scio eum: quia ab ipso sum, et ipse me misit.^{¶¶} 30 Quærebant ergo eum apprehendere: et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.^{§§} 31 De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit? 32 Audierunt pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: et miserunt principes et pharisæi ministros ut apprehenderent eum.^{*} 33 Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: et vado ad eum qui me misit.[†] 34 Quæretis me, et non invenietis: et ubi ego sum, vos non potestis venire.[‡] 35 Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos: Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem

^{††}7.25 **Dicebant ergo.** Quia etsi occultus ad festum ascendit, palam loquitur, et apparet potestas quæ putabatur timiditas. Mirantur aliqui, quia potentia non tenetur cujus mors tantopere quærebatur, et nondum plene intelligentes ejus esse potentiam, putant esse scientiam principum, quia cognoverunt eum esse Christum, unde sibi ipsis objiciunt non esse hunc Christum, cum nemo sciat unde sit Christus, quia etsi per prophetas dicitur locus nativitatis et hujusmodi, tamen æterna nativitas ejus ex Patre nascitur, unde Propheta: **Generationem ejus quis enarrabit** Isa. 53. Unde Christus ad utrumque respondet, et de infirmitate, et de majestate.

^{‡‡}7.28 **Et me scitis.** Id est, effigiem vultus mei, **et unde sim** nativitatem et parentes, quod est: secundum carnem me noscitis, sed non secundum Divinitatem, quia **a me ipso non veni.** Nesciebant eum Dei Filium esse, nec a Patre missum: nesciebant etiam Deum Patrem qui verus est genitor ipsius veritatis. Sed unde possunt scire, subdit: **Ego scio.** Ergo a me quærite, in me credite, quia **nemo novit Patrem nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare** Marc. 11..

^{¶¶}7.29 **Sed scio eum.** Ideo scio eum, **quia ab ipso sum ipse,** etc. Breviter utrumque complectatur, **ab ipso sum,** quia Filius de Patre, Pater non de alio, et in carne me videtis, quia ipse me misit. In quo ei magna generantis auctoritas et sibi communis cum hominibus natura.

^{§§}7.30 **Hora ejus.** Non quod necessitas sit facti, sed opportunitas voluntatis. Voluit enim opportuno tempore nasci, præmissa longa serie præconum. Similiter prædicator Evangelii voluit opportuno tempore mori.

^{*}7.32 **Audierunt Pharisæi.** Principes insani, audito murmure quo Christus a turba glorificabatur, quærunt occidere, quem tamen nondum volentem apprehendere non potuerunt, sed docentem audierunt.

[†]7.33 **Adhuc modicum tempus.** Quasi dicat: Quod modo vultis, post facturi estis, sed non modo, quia adhuc modicum tempus vobiscum sum, quod dispensationem meam implere debeo, et tunc vado ad eum qui me misit, tunc pati debeo. Et qui modo non vultis audire præsentem et miracula facientem, quæretis me post resurrectionem et assensionem cum tanta miracula fient per apostolos mea virtute, et cum tanta credet multitudo. Tunc enim compuncti de tanto scelere mortis Christi dixerunt Petro: **Quid faciemus? Vobiscum sum et vado.** Non ait ero, sed sum, quia et si secundum quod homo mutat loca, secundum quod Deus non mutat, cum ubique sit. Unde alibi: **Filius hominis qui est in cælo,** quasi dicit, loquens in terra.

[‡]7.34 **Non potestis venire.** Non ait poteritis, sed potestis. Tales enim tunc erant qui non possent, sicut et alibi dicit Petro: **Non potes me sequi modo, sequeris autem postea** Joan. 13., sic nec de istis datur desperatio.

gentium iturus est, et docturus gentes?[¶] 36 quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, et non invenietis: et ubi sum ego, vos non potestis venire?[§] 37 In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, et clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat.^{**} 38 Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. 39 Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.^{††} 40 Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones ejus, dicebant: Hic est vere propheta. 41 Alii dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid a Galilæa venit Christus? 42 nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? 43 Dissensio itaque facta est in turba propter eum. 44 Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus. 45 Venerunt ergo ministri ad pontifices et pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum?^{‡‡} 46 Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo. 47 Responderunt ergo eis pharisæi: Numquid et vos seducti

[¶]7.35 *Ad semetipsos*, etc. Unde Domino dicere nescierunt, et tamen illud quod futurum erat nescientes pronuntiaverunt. Quod etsi non præsentia per apostolos, tamen iturus est ad gentes credituras.

[§]7.36 *Quis est hic?* Cum ignorantes prophetassent veritatem, replicantes eandem quæstionem, ostendunt se prophetasse ex ignorantia, ut potius ignorasse videantur quam prophetasse.

^{**}7.37 *In novissimo autem*. Post dissensiones Judæorum de Jesu, et post verba quæ dixit, quibus alii conderentur, alii docerentur, in ultimo die scenopegiæ vocat non solum loquendo, sed et clamando, ut qui sitit veniat ad eum. *Si quis sitit*. Bibat spiritum, ut post exponit, *et cum biberit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Venter est conscientia cordis, quæ bibito spiritu purgata vivit, et habet fontem. Et ipsa est fons vel fluvius, qui manat benevolentia, dum proximo vult consulere, qui bona sua putat sibi soli sufficere, non fuit ille fons. HIER. Audacter et tota libertate pronuntio, ex eo tempore, etc., usque ad quamobrem cum duceretur Jesus ad passionem negat, et Christum se nescire jurant.

^{††}7.39 *Nondum enim*, etc. Et si prophetæ acceperunt eundem spiritum: et Joannes et alii ante resurrectionem Christi; tamen erat alius modus donationis futurus apertior et plenior: post resurrectionem enim, quando primum apparuit apostolis, insufflavit in faciem eorum, qui flatu primo homini animam indidit, et de limo erexit. Significans ergo se esse eundem, insufflavit spiritum apostolis, ut de luto exurgerent. Deinde post ascensionem plenius Spiritum misit in igneis linguis, ut omnes gentes docerent, sicut illi tunc omnibus linguis: sic nunc unitas Ecclesiæ loquitur omnibus linguis, a qua unitate præcisus non habet spiritum. *Quia Jesus nondum erat glorificatus*, etc. *Ex illa ergo turba*, etc. Postquam autem baptizantur Spiritu sancto, et effunditur gratia Spiritus sancti in eis; tunc libere loquuntur ad principes Judæorum: *Oportet obedire magis Deo quam hominibus* Act. 5.: mortuos suscitant, inter flagella lætantur, sanguinem fundunt, et aliis suppliciis coronantur. Nondum ergo erat Spiritus in apostolis, nec de ventre eorum fluebant gratiæ spirituales: quia nondum fuerat Dominus glorificatus.

^{‡‡}7.45 *Venerunt ergo*. Missi ad capiendum eum redierunt immunes a crimine, pleni admiratione divinæ doctrinæ testes.

estis?[¶] 48 numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex pharisæis?^{§§} 49 sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. 50 Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis: 51 Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat?^{*} 52 Responderunt, et dixerunt ei: Numquid et tu Galilæus es? scrutare Scripturas, et vide quia a Galilæa propheta non surgit.[†] 53 Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

8 Jesus autem perrexit in montem Oliveti:[‡] 2 et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos. 3 Adducunt autem scribæ et pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: et statuerunt eam in medio,[¶] 4 et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. 5 In lege autem Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? 6 Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.[§] 7 Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. 8 Et iterum

[¶]7.47 *Nunquid et vos*, etc. Laudabiliter seducti erant qui dimisso malo infidelitatis transierant ad fidem.

^{§§}7.48 *Nunquid ex principibus aliquis*, etc. Qui docent legem contemnunt eum qui misit legem, sed qui non noverant legem, credunt in eum qui dedit legem, ut impleatur quod dicitur: *Ut non videntes videant, et videntes cæci fiant* Joan. 9..

^{*}7.51 *Nunquid lex*. Quia illi perversi volebant prius esse damnatores quam cognitores, iste vero putabat quod si patienter eum præsentem audirent, forsan essent similes ministris qui maluerunt credere quam tenere. Auctoritate ergo legis vult eos inducere, ut eum prius velint audire.

[†]7.52 *Et tu Galilæus es*, etc. *Et reversi sunt*, etc. Galilæus dicebatur Jesus, quoniam de Nazareth erant parentes ejus.

[‡]8.1 *Jesus autem*. Quia mos ei erat die docere in templo, vespere reverti in Bethaniam, quæ est in monte Oliveti. Mystice: Signat altitudinem misericordiæ, unde nobis crisma, id est unctio. Mane redit ad templum. Mane est ortus novæ lucis post tenebras legis, quo fidelibus, id est, in templo ejus misericordiam venit pandere et dare. Sessio est humilitas Incarnationis, qua miseretur et docet, unde libentius populus venit ad eum, sed inimici Pharisæi de justitia tentant, an contra eam dicat. Sciebant mansuetum et misericordiæ prædicatorem, unde placebat populo, unde putabant dicturum dimittendam esse adulteram, et in hoc diceretur hostis legis contrarius Moysi et Deo auctori et cum adultera reus mortis. Quod si secundum legem diceret lapidandam, deriderent, quasi non haberet mansuetudinem quam prædicabat pro qua amabatur. Ipse autem neutra capitur calumnia, sed servata mansuetudine respondet quod est veræ justitiæ: *Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat*. Non autem statim iudicat, sed inclinans se digito scribit in terram.

[¶]8.3 *Adducunt*. Mystice: Mulier in adulterio deprehensa signat Synagogam, quæ adulteravit legem Moysi, sequendo traditiones patrum. Vel quæ dimissa lege Moysi, jam sequitur fidem Christi, unde Judæus jam quasi adulteram accusat. Vel signat Ecclesiam, quæ relinquens Deum, fornicata erat cum dæmonibus, quam Judæus accusat, quod ad Christum accedat, et quasi novum idololatriæ genus reputata est.

[§]8.6 *Jesus autem inclinans se deorsum*. Quid scriberet in terra, sive verba illorum, sive quid aliud, non est diffinitum, secundum quod se inclinat, et digito scribit. Docet tamen ut antequam iudicium fiat, nos debere inclinare, id est, condescendere in iudicio aut faciendo uti discretione.

se inclinans, scribebat in terra. **⁹ Audientes autem unus post unum exhibant, incipientes a senioribus: et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans. ¹⁰ Erigens autem se Jesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnavit? ¹¹ Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo: vade, et jam amplius noli peccare. ††¹² Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. ‡‡¹³ Dixerunt ergo ei pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum. ¶¶¹⁴ Respondit Jesus, et dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio unde veni et quo vado; vos autem nescitis, unde venio aut quo vado. §§¹⁵ Vos secundum carnem iudicatis: ego non iudico quemquam; *¹⁶ et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego et qui misit me, Pater. †¹⁷ Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. ‡¹⁸ Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me qui misit me, Pater. ¹⁹ Dicebant ergo ei: Ubi est Pater tuus? Respondit Jesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan et Patrem meum

** 8.8 *Et iterum se inclinans.* Data sententia justitiæ qua illi conscii malorum, percussi sunt, iterum scribit in terram ex more, vultum alio vertens: ut illis sit liberum exire, quos prævidebat citius exituros quam plura interrogaturos. Docet autem nos sicut et ante correctionem alterius, ita et post nos ipsos humiliter investigare, ne idem vel aliud simile in nobis sit.

†† 8.11 *Nec ego te condemnabo.* Sed quia poterat timere ne iste qui sine peccato est eam puniret, dicit ei, ut misericors præterita peccata dimittens: ***Nec ego te condemnabo***, ut justus ne amplius peccet interdicens.

‡‡ 8.12 *Iterum ergo.* Repulsis tentatoribus, sanata culpa mulieris, apertius subdit quid possit ex Divinitate, ne ambigant de eo homine an possit peccata dimittere. ***Ego sum lux mundi.*** Quæ nube carnis tegitur, et sic toleranda hominibus efficitur, unde et peccata possum dimittere et etiam hominem illuminare.

¶¶ 8.13 *Testimonium.* Putant non credendum ei. Quasi: Solus de se testatur oblii præmissarum lucernarum, et ipsius Joannis Baptistæ, qui de eo evidenter ostendit.

§§ 8.14 *Verum est testimonium.* Meum testimonium ideo verum est habendum, quia scio unde venio, hoc est, quia testimonio Patris confirmatur. veni missus a Patre, non tamen eum deserens, et impleto ministerio ad Patrem redeo, nec tamen mundum relinquo.

* 8.15 *Vos secundum carnem iudicatis.* Quia illud nescitis, ideo vos secundum carnem iudicatis, hoc est, hominem putatis, cui in laude sua credendum non sit, et etiam damnatis. ***Ego non iudico quemquam.*** Ego non iudico, quasi, secundum carnem, ut nos, vel penitus non iudico hoc primo adventu, sed salvo, sed quia secundo adventu iudicabit, subdit hoc: ***Et si iudico ego,*** etc.

† 8.16 *Quia solus* AUG. Ideo verum, quia non solus, sed ego et Pater. Ecce ergo duo in personis, licet unum in substantia; quod est: Ideo verum est iudicium meum, quia verus Dei Filius sum, unde probatur quod Filius, quia non solus, sed Pater mecum.

‡ 8.17 *Et in lege vestra scriptum est.* ID. Dicto de iudicio quod suum et Patris testimonium verum sit, probat ab auctoritate legis. Dicitur enim, etc., usque ad ut accusata Susanna habuit.

sciretis.[¶] ²⁰ Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo: et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus.[§] ²¹ Dixit ergo iterum eis Jesus: Ego vado, et quæretis me, et in peccatis vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire.^{**} ²² Dicebant ergo Judæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire?^{††} ²³ Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.^{‡‡} ²⁴ Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.[¶] ²⁵ Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui et loquor vobis.^{§§} ²⁶ Multa habeo de vobis loqui, et judicare; sed qui me misit, verax est; et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. ²⁷ Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum.^{*} ²⁸ Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: ²⁹ et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum: quia ego quæ placita

[¶]8.19 *Dicebant ergo ei.* Secundum carnem judicantes, Patrem Christi carnaliter acceperunt; sed erat homo in aperto, Verbum Patris in occulto. *Ubi est Pater tuus.* Quasi dicant: Te videmus sed non Patrem tecum. Quibus econtra dicitur: Sed nec me scitis, quia si hominem quem videtis, non quod in occulto sum scitis, et ideo nec Patrem scitis. Sed si me sciretis, quod est prius, me cognoscite, et sic Patrem sciretis, quia unum sumus. *Forsitan et Patrem,* etc. Non dubitat, sed dubitantes quasi irridet et increpat; ut et dominus servo, forsitan Dominus tuus sum.

[§]8.20 *Hæc verba,* etc. Gazæ divitiæ, Phylaxe servare. Typice: Gazophylacium est mysteria Scripturarum, quæ sunt in templo, id est in Christo. Hæc secreta post resurrectionem aperuit apostolis, sed in his modo loquitur per parabolas non intelligentibus Judæis. *Et nemo apprehendit eum.* Id est, loquentem de Deitate.

^{**}8.21 *Ego vado.* Quasi sponte, et ideo frustra laboratis. Vadit illo unde venerat, et unde non discesserat. *Quæretis,* ideo persecuentes assumptum in cælis non ut amici habere cupientes. Unde eis pœnam prædicit: *In peccato vestro moriemini.*

^{††}8.22 *Numquid interficiet semetipsum?* Stulta verba quasi si de morte diceret, non possent eum sequi ad mortem. Dicebat ergo non de morte, sed de gloria ad quam ibat per mortem, unde illis carnalibus subdit:

^{‡‡}8.23 *Vos deorsum estis.* Et ideo terram sapitis, sicut serpens terram comeditis.

[¶]8.24 *Dixi ergo vobis.* Hic exponit quid sit esse de mundo, id est, esse peccatores infideles terrena sapientes, unde hoc eis exponit. *Si enim.* Sed econtrario spem dat credituris. *Credideritis.* Credideritis dicit, non perceperitis, quia nemo nunc capit immutabilem essentiam. *Ego sum, moriemini,* etc. Non dicit quid, vel Christus, vel Filius Dei, vel aliud hujusmodi, sed ad istos utitur verbo æternæ essentiæ, sicut olim ad Moysen quem mittebat ad liberandum Israël. Quasi dicat: Qui misi Moysen ad liberandum filios Israël, ego per meipsum veni liberare perditos. Cætera vero omnia quæ mittuntur, non vere sunt.

^{§§}8.25 *Principium.* AUG. Credite me principium, etc., usque ad ipse manus dextera, fortitudo, sapientia, et Verbum est Patris. ID. Ecce quid est esse, quia principium in se manet, innovat omnia, et mutari non potest. *Loquor vobis.* Et habeo vobis multa loqui, docendo, si credideritis, accusando si non credideritis, et qui modo non judico, sed salvo, habeo post judicare. Habeo dico, sed totum ex Patre qui verax est ex se, ex quo ego sum veritas quam genui ex se, et ideo vera dico, et judico. Ecce quomodo dat gloriam Patri cui æqualis est, ut doceat nos minores dare gloriam Deo.

^{*}8.27 *Et non cognoverunt.* Cum dicit, *qui misit me, verax est,* non intellexerunt quod de Patre diceret, quia adhuc habebant clausos oculos, et ideo subdit eis: *Cum exaltaveritis Filium,* etc., ubi ostendit aliquos ibi esse, qui post passionem suam essent credituri et cognituri quis ipse esset.

sunt ei, facio semper.† 30 Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.‡ 31 Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis,¶ 32 et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. 33 Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus umquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis?§ 34 Respondit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. 35 Servus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum.** 36 Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis. 37 Scio quia filii Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.†† 38 Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: et vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. 39 Responderunt, et dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus: Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.‡‡ 40 Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo: hoc Abraham non fecit.¶¶ 41 Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione

†8.29 *Quia ego sum.* Esse est immutabile divinæ substantiæ. Sed ne ipse qui loquitur, intelligeretur esse Pater, subdit: *Et a meipso facio nihil*; quia a meipso non sum, sed a Patre. *Quia ego,* etc. Semper ipsa æqualitas est. Semper non ex quodam initio et deinceps, sed sine initio et fine. Dei enim generatio non habet initium temporis, quia per Unigenitum facta sunt tempora.

‡8.30 *Multi crediderunt in eum.* Fides est credere quod non vides, veritas est videre quod credidisti. Non cognoscimus ut credamus, sed credimus ut cognoscamus: ideo Christus homo in terra fidem jacit, post se videndum dabit, quod est merces fidei.

¶8.31 *Vere discipuli.* Ad hanc altitudinem pervenietis ex fide quæ est humilis, et contemnitur, et est granum sinapis.

§8.33 *Liberi.* Hoc verbum Dominus posuit a libertate, non ut plerumque Latine dici solet, liberari aliquis ab infirmitate. Et non dixerat Dominus: liberi eritis, sed: *Veritas liberabit vos,* in quo tamen verbo non intellexerunt nisi libertatem carnalem. *Respondit eis,* etc. Non illi qui crediderunt, sed alii in turba qui non crediderunt, qui audito *liberabit vos,* indignati sunt se vocari servos, putantes dixisse de carnali libertate. *Et nemini servivimus.* Mentiuntur. Joseph servivit in Ægypto, patres in Ægypto servierunt in luto, isti eidem tributis Cæsaris. *Amen, amen dico,* etc. Amen Hebraice, verum dicitur Latine, quod nullus interpres mutavit, ne vilesceret nudatum, sed honorem habeat secretum, et est quasi juramentum, unde Hieronymus super Isaïam: Jurat Dominus per semetipsum, quoniam sententiam oris sui et verbum quod semel protulit, nequaquam irritum facit, hoc est, per semetipsum juravit.

**8.35 *Servus autem,* etc. In hoc terruit nos. Quæ ergo spes est libertatis his qui non sunt sine peccato?

††8.37 *Scio,* etc. Exposito a Domino contra gloriantes de vana libertate carnis, et vera servitute peccati, et vera libertate per se filium, concedens istis, scilicet quod filii Abrahæ sunt per carnem, tales liberos ostendit non esse filios Abrahæ, per imitationem fidei et justitiæ, sed esse filios homicidæ diaboli, quærentes se occidere, et ita esse vere servos.

‡‡8.39 *Responderunt et dixerunt ei.* Quia arguit eos facere mala patris, fatentes patrem suum esse Abraham, provocant aliqua maledicere contra Abraham, ut sit eis occasio faciendi quod volebant, sed Dominus Abraham laudat et istos degeneres damnat, dicens: *Si filii Abrahæ,* etc.

¶¶8.40 *Nunc autem quæritis,* etc. Non dicit (quod poterat) se esse dominum Abrahæ, ne sit occasio calumniæ, nec filium Dei, sed quod invident, et quod possunt occidere.

non sumus nati: unum patrem habemus Deum.^{§§ 42} Dixit ergo eis Jesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis utique et me; ego enim ex Deo processi, et veni: neque enim a meipso veni, sed ille me misit.*⁴³ Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.^{† 44} Vos ex patre diabolo estis: et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit: quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus.^{‡ 45} Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.⁴⁶ Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?^{¶ 47} Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.⁴⁸ Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?^{§ 49} Respondit Jesus: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.^{** 50} Ego autem non quæro gloriam meam: est qui

§§8.41 **Vos facitis opera.** Jam innuit alium patrem quam Abraham, cujus filii sunt, non natura, sed imitatione. **Dixerunt**, etc. **Nos**, etc. Jam intelligentes non de origine carnis, sed de vita Dominum loqui, et ex usu Scripturarum scientes fornicationem spiritualiter dici, cum anima falsis diis subjicitur, mutant responsionem et tacent jam de patre Abraham, ne eis dicatur: Cur de eo gloriamini, cujus vitam non imitamini? et dicunt patrem Deum, volentes videre quid ad hoc posset eis dicere.

*8.42 **Dixit ergo.** Sicut præostendit de Abraham, ita nunc ostendit Deum non patrem eis esse eorum, quia non cognoscunt Filium quem misit nec eum diligunt. **Ego enim.** Processio ex Patre æterna est, in qua est Filius unigenitus Patri æqualis; venit homo factus, in quo frater hominibus.

†8.43 **Quare loquelam.** Ita res est ut dico, sed non potestis quod dico cognoscere, quia non potestis audire, cum non velitis credendo corrigi. Et hoc quare? Quia ex diabolo estis: filii diaboli perseverare elegistis.

‡8.44 **Vos ex patre**, etc. Ecce jam determinat quis sit pater eorum, cujus filii sunt non nascendo, ut Manichæi dicunt, sed imitando; unde et Judæis dicitur: **Pater tuus Amorrhæus est, mater tua Cethæa** Ezech. 16.. **Et desideria.** Ideo filii diaboli quia **desideria patris vestri vultis facere**, et occidere me in carne, quia non potestis in mente. **Ille homicida.** Nota homicidam non solum qui ferro, sed etiam qui verbo occidit, ut diabolus primos parentes, unde in psalmo: **Lingua eorum gladius acutus** Psal. 56.. **Et in veritate non stetit.** Quare non stetit? **Quia non est in eo veritas.** Id est, Verbum et sapientia Patris. Cum dicitur, in Christo est veritas, ita dicitur, ut ipse sit veritas. Si ergo diabolus stetisset in veritate, in Christo stetisset, sed non stetit in ea, quia non est ipsa in eo. **Ex propriis loquitur, quia mendax est.** Et hoc non sufficit, quia et homo mendax est qui non habet de proprio, sed ab alieno coepit, id est a diabolo, ideo addidit: **Et pater ipsius.** Scilicet mendacii quod invenit. **Ex propriis.** Quia non aliunde habet, sed a se postquam cecidit a veritate; unde subditur esse pater mendacii quod ex se genuit, ut Deus ex se veritatem.

¶8.46 **Quis ex vobis**, etc. Non dedignatur ex ratione ostendere se non esse peccatorem, etc.

§8.48 **Nonne**, etc. Quia convicti sunt non esse filii Abrahæ vel Dei, sed diaboli, ingerunt convicia, quia non poterant resistere.

8.49 **Honorifico. Non me (ne arrogans vobis videar) facio quod debeo, sed vos non facitis quod debetis, quia non honorastis me, quem si cognosceretis, sicut ego honorifico Patrem, sic vos me honoraretis

quærat, et iudicet.†† 51 Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.‡‡ 52 Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, et prophetæ; et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.¶¶ 53 Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis?§§ 54 Respondit Jesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est,* 55 et non cognovistis eum: ego autem novi eum. Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo.† 56 Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit, et gavisus est.‡ 57 Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? 58 Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. 59 Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.¶

††8.50 *Ego autem.* Audito convicio, *Dæmonium habes*, econtra de gloria sua hoc solum dicit: *Honorifico Patrem*, omnia tribuendo ei, et ego non quæro gloriam meam ut homines, qui illatis contumeliis aliquid reddunt, sed Patri reservo, et *est qui quærat et iudicet*. Duæ sunt tentationes. Una probationis, de qua: *Tentat vos Deus* Deut. 13.. Alia deceptionis, de qua: *Deus intentator malorum est* Jac. 2.. Sic et duo timores: unus quem charitas foras mittit, alter qui permanet in sæculum sæculi. Sic et duo judicia: unum damnationis, quo non iudicat Pater, sed omne iudicium dedit Filio: alterum discretionis; unde: *Judica me, Deus, et discerne causam meam* Psal. 42.. Secundum hoc dicitur: Est Pater qui quærat gloriam meam, et discernat a gloria vestra, quia vos secundum sæculum gloriamini, ego non, sed ea gloria quam habui apud Patrem antequam mundus esset, quæ est ab humana inflatione discreta.

‡‡8.51 *Amen, amen dico vobis.* Non ego, sed Pater quærit gloriam meam; ego autem dico, Si vos dicitis, Dæmonium habes, ego vos ad vitam voco. Hinc discat homo Jesus, non malum, sed bonum reddere. *Non videbit.* Quod dicitur, videbit vel gustabit, nihil aliud est quam experietur.

¶¶8.52 *Nunc cognoscimus.* Sicut accepta contumelia bonus fit melior, ita malus de beneficio pejor.

§§8.53 *Quem teipsum facis?* Secundum illos se faciebat Filium Dei, æqualem sibi, quasi non esset, sed non faciebat, imo vere erat; unde Apostolus: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* Philip. 2.. Ideo non qui es, sed quem teipsum facis?

*8.54 *Respondit Jesus.* Contra hoc quod dicunt: *Quem te facis?* refert gloriam suam ad Patrem, de quo est quod Deus est.

†8.55 *Est Pater meus.* Aperte dicit Patrem suum esse Deum qui annuntiatus est Judæis: non recentem Deum vobis annuntio, sed illum de cujus cognitione soletis gloriari. *Qui glorificat.* Vox Patris glorificat Filium in baptismo, in monte, et in aliis hujusmodi. *Et non cognovistis.* Non cognovistis spiritualiter, dum pro terrenis servistis. Ecce videt aperte eos sibi resistere, sed tamen non desinit se eis prædicare. *Et si dixero*, etc. Ne in hoc arrogans videatur gloriari, addit, *et si dixero*. Arrogantia sic caveatur, ut veritas non relinquantur.

‡8.56 *Abraham.* Credens exultavit sperando, ut videret intelligendo tantum mysterium. *Diem meum.* AUG. Incertum est in diem temporalem, etc., usque ad et quod ipsum caro factum est?

¶8.59 *Et exivit.* Exiens de templo, id est, de figuris Judæorum, videamus quid fecerit in templo gentium.

9 Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate:^{§ 2} et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? ³ Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo.^{** 4} Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari: ⁵ quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.^{†† 6} Hæc cum dixisset, exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus,^{‡‡ 7} et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus). Abiit ergo, et lavit, et venit videns.^{¶¶ 8} Itaque vicini, et qui viderant eum prius quia mendicose erat, dicebant: Nonne hic est qui sedebat, et mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est. ⁹ Alii autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum. ¹⁰ Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? ¹¹ Respondit: Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit: et unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, et lava. Et abii, et lavi, et video. ¹² Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio. ¹³ Adducunt eum ad pharisæos, qui cæcus fuerat. ¹⁴ Erat autem sabbatum quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus. ¹⁵ Iterum ergo interrogabant eum pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et video. ¹⁶ Dicebant ergo ex pharisæis quidam: Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.^{§§ 17} Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est.^{* 18} Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus,

§9.1 *Et præteriens.* Non stans in via peccatorum, sed secus viam nostræ mortalitatis. *Cæcum.* Cæcus significat humanum genus, in quo cæcitas naturalis, quia peccante primo homine, vitium propter naturam inolevit, unde secundum mentem omnis homo cæcus natus est.

**9.3 *Neque hic peccavit.* Peccaverunt quidem, sed non illo peccato factum est, ut cæcus nasceretur, sed hæc est causa, *ut manifestentur opera Dei in illo.* Ut eum illuminando et per eum quid in cæcitate humani generis facturus sit significando, Filius Dei manifestetur; unde subdit: *Me oportet operari.*

††9.5 *Quamdiu sum in mundo.* Non solum tunc Christus lumen erat in mundo, sed et semper usque ad consummationem sæculi per fidem est cum electis, et est tempus operandi. Nox illa est infernalis, in qua nulli licet operari, ut nec ardenti diviti licuit, sed tantum est tempus recipiendi.

‡‡9.6 *Et fecit lutum.* Sicut primum hominem de limo terræ formavit, ita per idem genus luti genus humanum reformavit. De saliva lutum fecit, quia Verbum caro factum est. Saliva est sapientia quæ ex ore Altissimi prodiit. Terra est caro Christi. *Unxit oculos.* Id est, catechumenum fecit, qui credit Verbum carnem factum. Unctus nondum videt, sed mittitur ut lavet, id est, baptizetur in Misso, id est in Christo, propter quod nomen piscinæ interpretatur. Baptizatus a peccatis lumen recepit.

¶¶9.7 *Et venit videns,* etc. Quæritur quomodo istum sine fide sanaverit, cum legatur neminem sine sanatione interiore, exterius sanasse? Sed hoc dicitur de illis qui propter peccata infirmabantur: iste non propter peccatum, sed propter gloriam Dei languebat.

§§9.16 *Non est hic homo a Deo,* etc. Ille spiritualiter custodit sabbatum, qui est sine peccato; illi non, qui servi sunt peccati.

*9.17 *Tu quid dicis,* etc. Quærent calumniam, ut ille de synagoga pelleretur, sed a Christo inveniretur. *Ille autem dixit,* etc. Adhuc inunctus in corde, qui confitetur, non tamen mentitur.

qui viderat:[†] 19 et interrogaverunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? quomodo ergo nunc videt? 20 Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est: 21 quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus; ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur. 22 Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos: jam enim conspiraverunt Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. 23 Propterea parentes ejus dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate. 24 Vocaverunt ergo rursus hominem qui fuerat cæcus, et dixerunt ei: Da gloriam Deo: nos scimus quia hic homo peccator est. 25 Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio; unum scio, quia cæcus cum essem, modo video. 26 Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? 27 Respondit eis: Dixi vobis jam, et audistis: quod iterum vultis audire? numquid et vos vultis discipuli ejus fieri? 28 Maledixerunt ergo ei, et dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.[¶] 29 Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit.[§] 30 Respondit ille homo, et dixit eis: In hoc enim mirabile est quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos: 31 scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. 32 A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. 33 Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. 34 Responderunt, et dixerunt ei: In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.^{††} 35 Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras: et cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? 36 Respondit ille, et dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? 37 Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.^{¶¶} 38 At ille ait: Credo, Domine. Et prociens adoravit eum. 39 Et dixit Jesus: In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant,

[†]9.18 *Donec vocaverunt*, etc. Mystice: Parentes, id est diabolus vel vitia, qui dicunt. Ætatem habet, ipse de se loquatur, qui nolunt hominem confiteri Christum. *Da gloriam Deo: Nos scimus*, etc. Dare gloriam Deo, est veritatem de aliquo quasi præsentem Deo dicere, hoc est: Confiteri istum non esse Deum sicut nos, sed peccatorem.

[‡]9.27 *Quid iterum*, etc. AUG. Stomachatur contra duritiam eorum, de cæco factus videns, et cæcos jam non ferens.

[¶]9.28 *Maledixerunt ergo ei*. Secundum cor eorum maledictio est. Sed quod dicitur optabile est omnibus, ut discipuli Christi sint.

[§]9.29 *Hunc autem nescimus*. Superius dixerant: *Hunc scimus*: unde hinc dicunt se nescire, sed nescire nos dicimus quæ abjicimus. Ille nescitur, latet humilitate, proditur signorum virtute: nescitur unde sit, et ut Deus cæcos illuminat.

^{**}9.33 *Nisi esset hic a Deo*, etc. Spreta eorum ira, libere veritatem confitetur. Hæc enim non nisi a Domino, nec a discipulis fierent, nisi Deus in eis.

^{††}9.34 *In peccatis natus est totus*. Id est, cum clausis oculis, quod dicunt esse pro peccatis parentum, sed Christus totum sanat, extra oculos, intus cor aperit. *Et tu doces nos? Et ejecerunt eum foras*. Toties interrogando ut discerent, magistrum fecerant, sed ingrati docentem projecerunt. Sed quia expulsus, magis factus est Christianus.

^{‡‡}9.36 *Quis est*, etc. Adhuc inunctus his verbis ostendit se jamdudum cor ad credendum habuisse paratum, sed in quem credere debeat, ignorasse.

^{¶¶}9.37 *Et vidisti*. Jam Dominus lavat faciem inuncti, jam cordis oculos illuminat et ille non tantum Filium hominis, sed etiam confitetur Filium Dei.

et qui vident cæci fiant.^{§§} 40 Et audierunt quidam ex pharisæis qui cum ipso erant, et dixerunt ei: Numquid et nos cæci sumus? 41 Dixit eis Jesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis, Quia videmus: peccatum vestrum manet.

10 Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* 2 Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.† 3 Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias ovas vocat nominatim, et educit eas.‡ 4 Et cum proprias oves emiseric, ante eas vadit: et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. 5 Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum. 6 Hoc proverbium dixit eis Jesus: illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.¶ 7 Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. 8 Omnes quotquot venerunt, fures sunt, et latrones, et non audierunt eos oves.§ 9 Ego sum ostium. Per me si quis

§§9.39 *Ut qui non vident.* Id est, qui se videre putant, quærunt ut videant, et qui vident, id est, qui se videre putant, et medicum non quærunt, et hoc est iudicium, id est discretio quod discernit causam credentium a superbis. Iudicium enim damnationis non modo, sed in fine faciet; unde: *Ego non iudico quemquam.*

*10.1 *Amen, amen dico vobis.* Quia Pharisæi jactabant se videre, quod possent, si oves Christi essent, Dominus contra eorum arrogantiam de grege suo, et de ostio quo intratur in ovile similitudinem proponit, ostendens quod nec sapientia, nec observatio legis, nec bona vita quidquam valet nisi per eum: sine eo nihil sunt in quocunque Judæo, vel gentili et philosopho vel Pharisæo qui docent beate vivere: vel hæretico sub nomine Christi: nec tamen in Christo prædicante, sed omnes sine eo rapiunt et occidunt. *Per ostium.* Id est per me, ut post exponit. Hæc janua est humilis: qui per hanc vult intrare, oportet ut se humiliet, ne, si erectus est, offendat in humilem januam. *Fur.* Quia quod alienum est suum dicit, id est, oves Dei suas facit. Latro, quia quod furatus est occidit. Sed omnes qui veritatem tenent et docent in Christo pastore, sunt unus pastor.

†10.2 *Pastor est ovium.* Christus proprie pastor est secundum officium pascendi oves, ut ipse post exponit, qui per se ostium intrat in ovile ovium. Sed quia alii participes sunt ei pastoralis officii, quæ de eo proprie dicuntur, etiam eis suo modo congruunt. Ostium est quo intratur, Christus ergo pastor per se ostium, et quicumque sub eo pastor, per ipsum ostium intrat in corda ovium; quia si aliud, prædicat, non audiunt oves, si Christum, oves Christi hanc vocem agnoscunt.

‡10.3 *Huic ostiarius aperit.* Ostiarius, id est Christus qui se aperit, vel Scriptura quæ ducit ad Christum, vel Spiritus sanctus qui docet omnem veritatem. *Et oves,* etc. AUG. Aliqui sunt veræ oves, quia novit Dominus, etc., usque ad hanc nullus proprius contemnit, nullus alienus audit.

¶10.6 *Illi autem non cognoverunt.* Prædestinatæ oves ad tempus se nesciunt, nec vocem pastoris audiunt, sed in fine perseverant, e contra lupi ad tempus audiunt, sed in fine perseverant.

§10.8 *Omnes,* etc. Fur est qui per simoniam vel aliquo alio modo contra Christum intrat, et postquam intraverit malo exemplo occidit et sic aperte latro. Nec talis dicendus est mercenarius, ideo lupo veniente non resistit, sed pro mercede cedit. Si lupo violenter distrahente non resistit, mercedem hanc recipit, quod non distrahitur cum ovibus, sed postea male vivendo oves corrumpit, et jam in aliam partem relapsus fit fur vel latro, nomen mercenarii amittens.

introierit, salvabitur: et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.** 10 Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.†† 11 Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. 12 Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves;‡‡ 13 mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. 14 Ego sum pastor bonus: et cognosco meas, et cognoscunt me meæ.¶¶ 15 Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis.§§ 16 Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, quæ non sunt unum ovile et unus pastor.* 17 Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.† 18 Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo. 19 Dissensio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos. 20 Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, et insanit: quid eum auditis? 21 Alii dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis:

10.9 *Si quis.* Hic evidenter ostendit, non solum pastorem, sed et oves intrare per ostium. **Et ingredietur. Intus bene cogitando, egredietur extra exemplo aliorum bene operando. Vel ingredietur in Ecclesiam, ut hic vivat per fidem. Unde post dicit: **Ut vitam habeant.** Et egredietur de ista vita, ut in æternum vivat. Unde post et abundantius habeat vitam et pascua inveniet ingrediens et egrediens.

††10.10 *Nisi ut furetur,* etc. Furetur alienam rem sibi usurpando, mactet, a fide retrahendo, perdat in æternam damnationem.

‡‡10.12 *Mercenarius autem,* etc. Mercenarius est qui quærit quæ sua sunt, non quæ Christi, qui servit Deo non propter Deum, sed pro aliqua mercede; qui culpabilis est, et non est filius, sed tamen necessarius et tolerandus. Fur vero semper est cavendus. Præpositi vero qui filii sunt, sunt et pastores, et tamen unus est pastor, quia illi omnes sunt membra illius cuius sunt oves propriæ. **Et lupus rapit.** Lupus est vel violentus qui corporaliter vastat, vel diabolus qui spiritualiter dissipat, cui qui non animas ovium, sed sua quærit, non occurrit resistendo vel mala arguendo, quod est fugere, quia timor est fuga animi: fugit ne perdat quod diligit, unde reddens causam fugæ subdit: **Quia mercenarius est,** et non amat oves, sed sua: pastores autem non dicuntur fugere si cedunt persecutioni, et servant se ovium utilitati, quibus etiam corpore absentes, sunt spiritu præsentem.

¶¶10.14 *Ego sum pastor.* Post culpam ficti, iterum formam veri pastoris opponit. **Ego sum pastor bonus et animam pono pro ovibus.** Quod non ipse unus fecit, nisi quod omnes sui et ipse unus sunt, quia ipse sine illis hoc potuit, illi non sine eo sine quo nihil possunt.

§§10.15 *Et ego.* Filius per se agnoscit Patrem, nos per illum, sicut alibi, **Deum nemo vidit unquam, nisi Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarraverit** Matth. 11.. Item **nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare** Matth. XI; Luc. 10.. **Et animam meam pono.** Hoc est probatio dilectionis ad Patrem, et ad oves. Sic et Petrus tertio confitens amorem, jubetur pascere oves, et pro eis mori. **Pro ovibus.** Pro ovibus domus Israël quæ perierant, ad quas corporaliter missus, a quibus non sunt dissimiles illæ quæ sunt de gentibus, unde dicit:

*10.16 *Oportet me.* Quamvis per suos, quia in illis ipse. **Et vocem meam.** Non dicit meorum, quia in ipsis ille loquitur.

†10.17 *Quia ego,* etc. AUG. Verbum ex quo suscepit hominem, id est carnem et animam, etc., usque ad non potestate sua, sed potestate inhabitantis carnem Deitatis, scilicet.

numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? ²² Facta sunt autem Encænïa in Jerusalem, et hiems erat. ²³ Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis. ²⁴ Circumdederunt ergo eum Judæi, et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. ²⁵ Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me: ²⁶ sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. ²⁷ Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me: ²⁸ et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. ²⁹ Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: et nemo potest rapere de manu Patris mei. ³⁰ Ego et Pater unum sumus. ³¹ Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. ³² Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis? ³³ Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. ³⁴ Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra, Quia ego dixi: Dii estis? ³⁵ Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura: ³⁶ quem Pater sanctificavit, et misit in mundum vos dicitis: Quia blasphemias, quia dixi: Filius Dei sum? ³⁷ Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. ³⁸ Si autem

[‡]10.22 **Facta sunt autem encænïa**, etc. Cænön, id est novum. Inde encænïa, id est initiare. Encænïa festa dedicationis templi, quæ facta est a Juda Machabæo tempore hiemis. Hiems autem hic commemoratur, ut significet Judæos frigidos, qui non accedunt ad ignem, id est, non credunt in Christum. Salomon autem facto templo in autumnö illud dedicavit III Reg. 8.. Zorobabel, et Jesus sacerdos post captivitatem reædificatum templum, in vere dedicaverunt II Esdr. 6.. Judas Machabæus pro profanatione Antiochi in hieme I Machab. 4..

[¶]10.23 **In porticu**. Porticus quibus templum cingebatur, solent significari nomine templi.

[§]10.24 **Circumdederunt ergo eum Judæi**. Domino patienter inter opprobria veritatem prædicante excæcati non obsequuntur, sed tentant, **Quousque animam nostram tollis?** Calumniantur illum tollere animas qui salvat, quem purum hominem putabant, sed præ omnibus regnaturum. **Si tu es Christus, dic nobis palam**. Non veritatem desiderant, sed parant calumniam, ut si dixerit se regem, contra Augustum facientem potestati tradant. Sed Dominus sic temperat responsum, ut nec illis sit locus calumniæ, et fidelibus propter quos hæc referuntur manifeste appareat quod ipse sit Christus, non homo tantum, ut illi putant, sed Filius Dei.

^{**}10.29 **Et nemo potest rapere de manu Patris mei**. Quia ex hoc quod sum ex Patre, major sum ad protegendum, quam illi ad impugnandum.

^{††}10.30 **Ego et Pater unum sumus**. His verbis non solum Judæorum solvit quæstionem, qui ut tentarent accesserunt, sed etiam futurorum hæreticorum damnat insaniam.

^{‡‡}10.31 **Sustulerunt ergo lapides**. Hoc jam non ferunt qui cætera tulerunt, sed duri ad lapides currunt. Sed quia Jesus non patitur nisi quod vult, adhuc loquitur.

^{¶¶}10.33 **Facis teipsum**. Intellexerunt non posse dici. **Ego et Pater unum sumus**, nisi ubi est æqualitas Patris et Filii, quod Arius non intellexit; Christus autem, quia vidit illos tardos non ferre splendorem veritatis, temperavit eum in his verbis: **Nonne scriptum est**, etc.

^{§§}10.34 **Quia ego**. Tribus modis dicitur Deus, natura, adoptione, ut **Ego dixi: Dii falso**, ut dæmones et idola.

^{*}10.35 **Si illos dixit deos**. Si per sermonem Dei participando fiunt homines dii, quomodo ille qui per naturam est Filius quo participant, non est Deus?

facio: etsi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.^{† 39} Quærebant ergo eum apprehendere: et exivit de manibus eorum.^{‡ 40} Et abiit iterum trans Jordanem, in eum locum ubi erat Joannes baptizans primum, et mansit illic;⁴¹ et multi venerunt ad eum, et dicebant: Quia Joannes quidem signum fecit nullum.^{¶ 42} Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

11 Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ sororis ejus.^{§ 2} (Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus infirmabatur.)³ Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.^{** 4} Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.^{†† 5} Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.^{‡‡ 6} Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus;^{¶¶ 7} deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Judæam iterum.^{§§ 8} Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterum vadis il-

[†]10.38 **Operibus credite.** Fidem adhibete operibus, ut merito fidei amplius cognoscendo opera, veniatis ad fidem deitatis.

[‡]10.39 **Quia in me est Pater.** Pater est in Filio, Filius in Patre, ut æqualis in eo cui æqualis est; unde et potest dicere: **Ego et Pater unum sumus.** Et **qui videt me, videt et Patrem;** et hoc est ei proprium. Munus autem est homini per participationem quod dicitur esse in Deo continente et Deus in eo, ut in vase.

[¶]10.41 **Et multi venerunt.** Isti apprehendunt permanentem, non quomodo iniqui apprehendere volebant discedentem. **Quia Joannes,** etc. Nullum in Hierusalem fecit ut iste, et quidquid dicebat testimonium huic perhibebat, quasi per lucernam veniamus ad diem.

[§]11.1 **Erat autem.** Dum moratur trans Jordanem, infirmatur Lazarus, et mittunt ad eum sorores illuc. Istæ sorores Lazari figura sunt Judæorum in æterna beatitudine jam receptorum, qui pro fratre sanando, id est pro reliquis in tenebris ignorantiae adhuc errantibus, Domino supplicant ex notissima actione. **Languens Lazarus.** Lazarus figura est Judæorum qui infirmi erant in fide Christi: Martha et Maria significant doctrinam bonorum Judæorum.

^{**}11.3 **Ecce quem amas,** etc. Lazarus, per quem peccator significatur, qui a Domino amatur, quia non venit vocare justos, sed peccatores. Sorores, peccatoris sunt bonæ cogitationes, quæ pro peccatis dissolvendis orant.

^{††}11.4 **Pro gloria Dei,** etc. Id est, ut glorificetur Filius Dei. Ecce se Deum dicit, contra illos qui dicunt Filium Dei non esse Deum.

^{‡‡}11.5 **Diligebat.** Diligebat languentium Salvator et mortuorum suscitator Lazarum, quia languens et mortuus.

^{¶¶}11.6 **Duobus diebus.** Ut quadriduum impieretur. Prima enim die quo nuntiatum est ei, mortuus est languidus trans Jordanem; per duos dies mansit, ecce tres: quarto autem die venit.

^{§§}11.7 **Eamus in Judæam.** Mystice: Significat fidem redituram ad Judæos in fine per Eliam et Enoch.

luc? ⁹ Respondit Jesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt: [†] ¹⁰ si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. ¹¹ Hæc ait, et post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut a somno excitem eum. ¹² Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit. ¹³ Dixerat autem Jesus de morte ejus: illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret. ¹⁴ Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est: ¹⁵ et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum. [‡] ¹⁶ Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus et nos, ut moriamur cum eo. ¹⁷ Venit itaque Jesus: et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. [¶] ¹⁸ (Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim.) ¹⁹ Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. ²⁰ Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. ²¹ Dixit ergo Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: ²² sed et nunc scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. [§] ²³ Dicit illi Jesus: Resurget frater tuus. ²⁴ Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. ²⁵ Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: ^{**} ²⁶ et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? ²⁷ Ait illi: Utique Domine, ego credidi quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. ²⁸ Et cum hæc dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, et vocat te. ^{††} ²⁹ Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum; ³⁰ nondum enim venerat Jesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. ³¹ Judæi ergo, qui erant cum

^{*}11.8 *Dicunt ei discipuli.* Territi, volentes consilium dare magistro ne moreretur, sicut et alibi Petrus: *Abstine a te, Domine*, non fiet tibi istud. Sed sicut Petrus laudatur de alieno: *Beatus es, Simon Barjona, quia Pater revelavit tibi*, culpatur de suo. *Redi post me, Satana, quia sapis non quæ Dei, sed quæ hominis sunt.* Ita et hos corripuit dicens se diem in quo debent ambulare ne offendant, et sine eo ambulantes offendant, ut modo nolentes eum mori qui pro hominibus venit mori. Illos autem dicit esse horas quæ diem sequuntur, non dies eas, sed dies eas illuminat. Duodecim est sacratus numerus qui permanet plenus: dejecto enim Juda, qui non lucebat inter horas, alius subrogatur.

[†]11.9 *Nonne duodecim sunt horæ.* HIER. Dies Christus, et aliter dies apostoli, quomodo Christus, etc., usque ad ipsi intelliguntur duodecim apostoli.

[‡]11.15 *Ut credatis.* Non quod modo inciperent credere, sed ut robustius crederent. Semper enim fides eorum miraculis augebatur.

[¶]11.17 *Et invenit.* AUG. Mystice: Quatuor sunt dies mortis. Nascitur homo, etc., usque ad sed nec tales relinquit misericordia.

[§]11.22 *Sed et nunc scio.* Hoc scio, quia potes suscitare si vis, quod tuo relinquo arbitrio, non autem præsumo, neque rogo ut suscites, quæ nescio an sit utilis fieri resurrectio.

^{**}11.25 *Etiam si mortuus fuerit.* Tres mortuos suscitavit Jesus, unum in domo, id est in corde; secundum in porta, id est in ore; tertium in monumento, id est in opere et consuetudine peccandi. *Vivet.* Ut vivit Abraham, Isaac et Jacob, quorum Deus dicitur sicut vivorum. Credens etiam mortuus vivit, sicut non credens etiam vivens mortuus est.

^{††}11.28 *Silentio.* Quia si audissent Judæi eam vocatam fuisse a Jesu, non sequeretur, et ita non viderent miraculum. Sed quia putaverunt eas ad sepulcrum fratris ituras, secuti sunt. *Et vocat te.* Causa brevitatis in verbis Marthæ ostendit non prius dictum, id est quod Dominus Mariam vocaverit.

ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit, et exiit, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. ³² Maria ergo, cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. ³³ Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum, ³⁴ et dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, et vide. ³⁵ Et lacrimatus est Jesus. ³⁶ Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum. ³⁷ Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? ³⁸ Jesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei. ³⁹ Ait Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatruiduanus est enim. ⁴⁰ Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? ⁴¹ Tulerunt ergo lapidem: Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. ⁴² Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti. ⁴³ Hæc cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras. ⁴⁴ Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus: Solvite eum et sinite abire. ⁴⁵ Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam, et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. ⁴⁶ Quidam autem ex ipsis abierunt ad pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus. ⁴⁷ Collegerunt ergo pontifices et pharisæi concilium, et dicebant: Quid faciamus, quia hic homo multa signa facit? ⁴⁸ Si

³²11.31 *Secuti sunt.* Hæc ideo evangelista narrare curavit, ut videamus quæ occasio fecerit ut plures haberet testes resurrectio quatruiduani.

³⁴11.33 *Infremuit spiritu.* Nota potestatem: Ipse fremuit et turbavit se, quem alius turbare non potuit, sicut omnia hujusmodi suscepit, quia voluit. Significat autem quantum homo turbari debeat, pressus tanta mole peccati. Quando autem peccator computans quæ bona Dei accepit, quæ mala reddidit, fremuit in spiritu et turbatur: Christus fremuit in eo et turbatur, quia fides de Christo, Christus est in corde. Fremuit vero fides in homine dum de peccatis increpat se.

³⁵11.34 *Ubi posuistis eum?* Qui absens scivit mortuum, scit et ubi sit sepultus, sed sic dicens, se quasi nescire perditum hominem significat; unde dicitur: *Non novi vos* Matth. 7.. Et: *Ubi est Adam?* Gen. 3.

³⁷11.38 *Jesus ergo,* etc. Difficultatem ostendit vivificationis talis peccatoris. *Erat autem spelunca.* Moraliter: Unusquisque peccator mole peccatorum pressus et sua lege gravatus, et consuetudine sua mala jam fetens, alios exemplo suo malo aperte corrumpit: sorores, cogitationes aliquæ, quia quandoque cogitans se male fecisse, dolet.

³⁹11.39 *Domine, jam fetet.* Timebat remoto lapide potius fetorem excitari, quam fratrem resuscitari.

⁴⁰11.42 *Sea propter populum,* etc. His verbis se gloriam Patris quærere, sicut in aliis operibus ostendit. Nam quia secundum hominem minor erat Patre, ab eo petit suscitationem Lazari, et ideo se exauditum dicit, et hoc propter circumstantes, ut sic crederent Dei Filium.

⁴³11.43 *Voce magna.* Fremuit, lacrymavit, clamavit, quia difficile surgit quem moles malæ consuetudinis premit, sed tamen post magnam vocem surgit, id est, per magnam Dei gratiam vivificatur dum pœnitet.

⁴⁴11.44 *Et statim prodiit.* Dum peccator contemnit, sepultus jacet; quando pœnitet, surgit; quando confitetur, prodit, quasi de occultis exeundo manifestus. *Solvite eum.* Christus per se vivificat intus, ministris tribuit potestatem solvendi.

dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem. ** 49 Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, 50 nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. 51 Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente, †† 52 et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. ‡ 53 Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. 54 Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. 55 Proximum autem erat Pascha Judæorum, et ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos. ¶ 56 Quærebant ergo Jesum, et colloquebantur ad invicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem pontifices et pharisæi mandatum ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

12 Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. §§ 2 Fecerunt autem ei cœnam ibi, et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. 3 Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis: et domus impleta est ex odore unguenti. * 4 Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus: 5 Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis? 6 Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. † 7 Dixit

11.48 **Credent in eum. Et venient Romani. Et quia sentiebant doctrinam ejus esse contra templum et paternas leges, timebant ne si omnes crederent in Christum, nemo remaneret qui contra Romanos civitatem Dei et templum defenderet. **Et venient Romam.** De temporalibus timent, non de æternis, et utraque perdiderunt. Locus est Hierusalem quem perdiderunt, gentem suam perdiderunt ubique dispersi.

††11.51 **Hoc a semetipso.** AUG. Nota etiam malos per spiritum prophetiæ prædicere futura, etc., usque ad quod non licet nisi summo sacerdoti, ut de Zacharia legitur.

‡11.52 **Pro gente.** Judæorum, scilicet in qua erant oves, hoc tantum Caiphas. Sed quia noverat evangelista esse alias oves, addidit: **Sed ut filios Dei qui erant dispersi congregare.** Filii prædestinatione, sicut et oves in Israël, nondum enim erant, quia nondum crediderant.

¶11.55 **Proximum autem.** Imminente Pascha figurali in quo jam verus agnus immolandus est, consilium erat inter Judæos de eo occidendo, et ipse appropinquat passionis loco.

§§12.1 **Venit in Bethaniam.** Ideo prius Bethaniam venit, ut resuscitatio Lazari altius memoriæ omnium traderetur, et inexcusabiles Judæi confunderentur, tractantes de morte tanti suscitatoris.

*12.3 **Maria ergo.** Pretiosum unguentum fit de nardo maxime de spicis, hic autem dicitur pistici a loco unde erat. Et interpretatur fidelis, non alia admixtione corrupti. **Dixit ergo unus.** Judas etsi malus tamen inter apostolos numeratur, ut doceamur malos tolerare, ne corpus Christi dividamus, et malos bonis non obesse.

†12.6 **Non quia,** etc. Quantum ad suam intentionem ad eum non pertinebat de egenis, quia non curabat de ipsis, non quia commissum esset ei dispensare pauperibus. **Loculos habens,** etc. Cui ministrant angeli, loculos habet in sumptus pauperum, condescendens infirmis.

ergo Jesus: Sinite illam ut in diem sepulturæ meæ servet illud.‡⁸ Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis.¶⁹ Cognovit ergo turba multa ex Judæis quia illic est, et venerunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.§¹⁰ Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent:**¹¹ quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum.¹² In crastinum autem, turba multa quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam,††¹³ acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israël.‡‡¹⁴ Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est:¹⁵ Noli timere, filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ.¶¶¹⁶ Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum: sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo, et hæc fecerunt ei.¹⁷ Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis.¹⁸ Propterea et obviam venit ei turba: quia audierunt fecisse hoc signum.¹⁹ Pharisei ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.§§²⁰ Erant autem quidam gentiles, ex his qui ascenderant ut adorerent in die festo.²¹ Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, et rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jesum videre.*²² Venit Philippus, et dicit Andreæ; Andreas rursus et Philippus dixerunt Jesu.²³ Jesus autem respondit

‡12.7 **Sinite illam.** Novit furem, sed non prodit, docens tolerare malos. Tantum obsequium Mariæ commendat, ostendens quod esset moriturus, et ad sepeliendum aromatibus unguendus. Ideo Mariæ cui non licuit mortuum ungere, datum est viventem officio funeris donare, unde secundum Marcum dicitur, quod habuit, id est potuit, hoc fecit, *prævenit ungere corpus meum in sepulturam.*

¶12.8 **Me autem non semper habetis.** Corporali præsentia. Vel non habebitis, tu Juda et qui sunt hujusmodi, quia si mali jam communicant sacramentis, postea tamen non habent Dominum ut boni.

§12.9 **Et venerunt.** Curiositas hos, non charitas adduxit. Nos econtra, si cognoscimus Jesum obedientis animæ domum in qua habitat invenisse, veniamus illum contemplatione, non propter hominem tantum quem in anima suscitatum videmus, sed ut bonam vitam imitemur, et per hoc ad visionem Jesu perveniamus.

12.10 **Cogitaverunt. Quia non poterant occultare vel negare miraculum, stulte volunt occidere, quasi non possit suscitare occisum qui suscitavit defunctum.

††12.12 **In crastinum.** Ecce oves ex Israël veniunt ad pastorem. Rami sunt laudes significantes victoriam superaturi diabolum et mortem.

‡‡12.13 **Clamabant.** AUG. Osanna vox obsecrantis magis indicans affectum quam rem aliquam significans, sicut interjectiones. **Rex Israël.** Rex non terreno more, quod parum est, sed quia regit, et ad mentes, et ad regna cœlorum ducit, et est miserationis non indignationis.

¶¶12.15 **Noli timere, filia.** In reprobo populo erat filia Sion, id est, Jerusalem, scilicet oves quæ devote occurrunt venienti, quibus divinitus dicitur: Agnoscite quem laudatis, et ne timeatis cum patitur qui est vestra redemptio. Pullus in quo nemo sederat, populus est gentium qui legem Dei non acceperat.

§§12.19 **Ecce totus.** Per passionem et resurrectionem totum mundum redemit, et secutus est eum. Et quid mirum si mundus post eum vadit per quem factus est mundus?

*12.21 **Hi ergo accesserunt.** Ostendit gentes per prædicationem apostolorum conversas.

eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.[†] ²⁴ Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ²⁵ ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.[‡] ²⁶ Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.[¶] ²⁷ Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc:[§] ²⁸ Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: Et clarificavi, et iterum clarificabo.^{**} ²⁹ Turba ergo, quæ stabat, et audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est. ³⁰ Respondit Jesus, et dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.^{††} ³¹ Nunc iudicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.^{‡‡} ³² Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. ³³ (Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.) ³⁴ Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum: et quomodo tu di-

[†]12.23 *Jesus autem.* De Judæis erant, qui clamabant: *Benedictus qui venit in nomine Domini*; modo gentiles quærunt videre, ecce duo parietes concurrentes. Dicit itaque angularis lapis. *Venit hora ut clarificetur.* Hæc non est clarificatio de istis volentibus videre, sed occasione horum annuntiat venturam plenitudinem gentium eo in cælis glorificato. Sed hanc altitudinem glorificationis præcedit humilitas passionis, unde: *Amen, amen dico vobis,* etc. Ubi se dicit granum mortificandum et multiplicandum, ad quam passionem jam exhortatus subdit: *Qui amat animam suam,* etc. *Nisi granum frumenti.* AUG. Ipse est frumentum quo vivere debet fidelis anima. Granum, de quo spiritualis seges debet surgere. Cum sint multa grana seminum, nulli se comparat nisi frumento, unde mos cœpit Ecclesiæ de hoc solo grano confici corpus Domini.

[‡]12.25 *Qui amat.* AUG. Qui amat in hac vita, perdit in futuro quod magis congruit, unde subdit: *Qui odit animam,* etc. Non amat, sed odit animam in hoc mundo, qui diligendo Deum, potius quam in eum peccet eligi occidi.

[¶]12.26 *Si quis mihi ministrat.* Pretium operis quo illi ministratur est esse cum illo, sine quo nusquam bene est esse, et cum quo nusquam male est esse, unde et apertius subdit, *si quis mihi ministrat.*

[§]12.27 *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam?* Prædicta passione et ad eam supposita exhortatione quasi data voce fortitudinis suæ subdit affectum infirmitatis nostræ quam vere suscepit, sed ex voluntate pro nobis ne de hac infirmitate desperemus: in qua etiam docet quid dicere debeamus, et quo confugere. Quasi dicat: Con-turbatur anima mea, quid dicam? quo confugiam? quem invocem? in quem sperem? in Patrem qui salvat, cui voluntatem meam propono, quia propterea ut hæc patiar veni in hanc horam, unde et clarificatio mihi sic fit et in membris meis.

^{**}12.28 *Pater, clarifica.* Salvationem quæro, sed passionem non recuso, propter quam passionem clarifica me quod est gloria tui nominis.

^{††}12.30 *Non propter me vox.* Ostendit hanc vocem non sibi indicasse quod sciebat, sed eis quibus indicari oportebat.

^{‡‡}12.31 *Nunc iudicium est.* Discretionis scilicet, quod est ante ultimum damnationis, quia nunc per passionem jure diaboli destructo multi liberabuntur, unde exponendo subjungit: Patior, turbor, et per hæc, etc. *Ejicietur.* A redemptis expelletur, prædicantibus apostolis plene expelletur qui olim a paucis etsi extra tentetur, non lædit intus.

cis: Oportet exaltari Filium hominis? ^{¶¶} 35 Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant; et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. ^{§§} 36 Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus, et abiit et abscondit se ab eis. ^{*} 37 Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum; ³⁸ ut sermo Isaiaë prophetæ impleretur, quem dixit: [Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?] [†] 39 Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaia: [‡] 40 [Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos.] ⁴¹ Hæc dixit Isaia, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo. ⁴² Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter pharisæos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur. ⁴³ Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. [¶] 44 Jesus autem clamavit, et dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. [§] 45 Et qui videt me, videt eum qui misit me. ^{**} 46 Ego lux

^{¶¶}12.34 *Et quomodo tu,* etc. Quomodo in cruce morietur? Hoc enim eum dixisse putabant quod facere cogitabant. Filium hominis. Quia hoc memoriter tenebant, quod sæpe dixerat se Filium hominis, non quod hic dixisset, *si exaltatus fuerit Filius hominis. Quis est iste Filius hominis?* Si enim Christus est, manet in æternum. Si manet in æternum, quomodo exaltabitur a terra, id est, morietur in cruce?

^{§§}12.35 *Ambulate.* Id est, totum intelligite, et moriturum Christum ut redimat vic-turum in æternum in cælo quo perducatur. Vel dum Christum vobiscum habetis ne tenebræ ignorantia et mortis perpetua vos comprehendant. *Nescit quo vadat.* Qui non credit mortem Christi, nescit quo vadit, sed offendit in petram scandali, quod est Christus, Judæis contemnentibus et irridentibus mortuum.

^{*}12.36 *Dum lucem habetis.* Id est, dum aliquid veri intelligitis de æternitate Christi, credite in veritatem addendo de humilitate, ut renascamini in veritate. *Ab eis.* Non ab his qui credere incoeperant, sed ab his qui invidabant. Quod abscondit se, nostræ infirmitati consuluit, non suæ potestati derogavit.

[†]12.38 *Ut sermo Isaiaë impleretur.* Quem omnibus modis impleri necesse est, non tamen necessitate faciendum, sed voluntate, præscivit enim Deus et prædixit, non credituros et peccaturos, non tamen cœgit ad hoc, sed ut fit sic præscivit et prædixit.

[‡]12.39 *Non poterant.* AUG. Non quod non possunt homines mutari in melius, sed quandiu tales non possunt credere.

[¶]12.43 *Gloriam Dei.* Ideo crux in fronte credentium, ubi est sedes verecundiæ, figitur, ut de nomine Christi nullus erubescat, et magis gloriam Dei quam hominum quærat.

[§]12.44 *Jesus.* Aliis non credentibus, aliis vero credentibus, vel palam cum palmis et laudibus, vel in occulto jam appropinquante sua passione, clamat Jesus qui latebat quandiu passio non erat complenda. *Qui credit in me.* Quia homo apparebat, et Deus in homine latebat, ne putarent eum hoc tantum esse quod videbant, vult se credi talem et tantum qualis et quantus pater est.

^{**}12.45 *Et qui me videt, videt et eum qui,* etc. Usque adeo nihil distat inter me et eum, ut qui videt me videat eum. Hæc visio non carnalis, sed intellectualis est mundo corde. *Qui videt me.* Non ait non videt me, sed eum qui me misit, sicut dixit, *qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me,* quia illud dixit, ne sicut videbatur crederetur tantum Filium hominis; hoc autem dixit, ut crederetur æqualis Patri. Neutrum horum diceret alius missus, id est apostolus, quia tantum servus. Potest autem dicere alia Filio communia, ut qui audit vel recipit me audit eum et recipit qui me misit, quia Dominus honoratur in servo et Pater in Filio.

in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.^{††} 47 Et si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non iudico eum; non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum. 48 Qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die. 49 Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me, Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar.^{‡‡} 50 Et scio quia mandatum ejus vita æterna est: quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.^{¶¶}

13 Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.^{§§} 2 Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ:^{*} 3 sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit: 4 surgit a cœna, et ponit vestimenta sua, et cum accepisset linteam, præcinxit se.[†] 5 Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus.[‡] 6 Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? 7 Respondit Jesus, et dicit ei: Quod ego facio, tu nescis modo: scies autem postea. 8 Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus: Si non laverō te, non habebis partem

^{††}12.46 *Ego lux.* De alio non dicitur: Lux venit in mundum, nisi de eo qui illuminat, cæteri ut illuminati sunt lux, quia vita eorum lucet hominibus. *Sermo quem locutus sum.* Manifeste dicit se iudicaturum in novissimo die, quia ipse est sermo Patris qui seipsum locutus est, seipsum annuntiavit.

^{‡‡}12.49 *Mandatum.* Non dedit Pater Filio mandatum per angelum vel aliam creaturam. Nec mandatum quod aliquando nescisset: sed dum verbum et sapientiam in qua sunt omnia mandata, genuit, dedit: sicut Filio qui est vita, eo dedit vitam quo genuit vitam, quia gignendo vitam, dedit esse vitam, quæ sine vitio fuit.

^{¶¶}12.50 *Et scio.* Cum dicat mandatum esse vitam æternam, et ipse sit vita æterna, aperte dicit se mandatum Dei. *Quæ ergo ego loquor sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Intelligentibus mentibus, ut est nata veritas ex Pater, sed sic loquitur veritas intus sine sono, sicut dixit ei Pater ut crederent homines quod nondum possunt intelligere, ex ore carnis verba sonuerunt, quæ prolata et litteris signata, nos ad ipsam veritatem aliquatenus erigunt.

^{§§}13.1 *Ut transeat.* Interpretatur nobis evangelista nomen paschæ, id est transitus et significationem, quia sicut illi de Ægypto, sic Christus de mundo. Sic et nos, sanguine Agni insigniti, de vitiis ad virtutes, de mundo ad coelum. *In finem dilexit.* In finem, id est in Christum qui est finis consummans, id est, ut ejus dilectione transeant quo ipse transit. Vel in finem, id est in mortem, non quod morte terminetur ejus dilectio, sed in tantum dilexit quod usque ad mortem dilectio eum perduxit, in quo exemplum dedit ut omnes in Dei veritate permaneant usque in finem.

^{*}13.2 *Et cœna facta.* Cœna significat passionem. Sicut enim post cœnam non fit prandium, sic et Christus postquam semel passus est, non iterum patitur. Surgit a cœna, post passionem ponit vestimenta, secundum priorem infirmitatem linteo præcinxit se, eadem carne jam immortalis, mittit aquam in pelvim, id est gratiam baptismi, lavat pedes et tergit a peccatis in baptismo, *accepit vestimenta,* id est Judæos in fine sæculi, quos prius excæcatos deposuit.

[†]13.4 *Surgit a cœna.* Ab illa cœlesti refectio, qua cum angelis reficiebatur, deponit vestimenta, gloriam æternæ beatitudinis. *Et ponit vestimenta.* Prætermisit altitudinem, suppositurum ejus humilitatem, ut perfecte commendetur humilitas homini cum tam altus sic se humiliaverit, ut et pedes traditoris lavaret.

[‡]13.5 *Deinde mittit.* Sanguinem in terram fudit, ut vestigia credentium mundaret, quæ terrenis peccatis erant sordida.

mecum.[¶] ⁹ Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput.[§] ¹⁰ Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.^{**} ¹¹ Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum; propterea dixit: Non estis mundi omnes. ¹² Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua, cum recubisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?^{††} ¹³ Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis: sum etenim. ¹⁴ Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. ¹⁵ Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. ¹⁶ Amen, amen dico vobis: non est servus major domino suo: neque apostolus major est eo qui misit illum. ¹⁷ Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. ¹⁸ Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim; sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.^{‡‡} ¹⁹ Amodo dico vobis, priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum.^{¶¶} ²⁰ Amen, amen dico vobis: qui accipit si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.^{§§} ²¹ Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu: et protestatus est, et dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* ²² Aspiciebant ergo ad

[¶]13.8 *Dicit ei Petrus*, etc. Pro altitudine promissi mysterii nondum permittit fieri, nondum potest sustinere Deum ad pedes humiliari, pavore perterritus. **Respondit.** Qui non lavatur per baptismum et confessionem pœnitentiæ, non habet partem cum Jesu.

[§]13.9 *Dicit ei Simon.* Error Petri hic nobis profuit. Erravit enim ne nos erraremus. Erravit, cum se totum lavandum Deo obtulit, quem Deus correxit, ostendens semel baptizatum non esse baptizandum.

^{**}13.10 *Qui lotus.* Ex his verbis intelligimus baptizatos apostolos, etsi non legimus ubi vel quando. *Qui lotus.* Baptismo lotus est mundus. Sed quia iterum pulvere terrenæ habitationis inquinatur, iterum opus est pedes lavare, quos lavat Dominus interpellans pro nobis, et nos ipsi orando. Ille etiam qui in otio studet veritati, dum in aliis pulsanti sponso aperire pergit, pedes inquinat, quia veritas humiliter auditur, sed sine periculo non potest prædicari, sed hos pedes Dominus discipulis lavat.

^{††}13.12 *Et cum recubisset, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me*, etc. Sicut prius exemplo, sic etiam nunc verbo instruit eos magister veritatis. Et quod dicit magna de se non est arrogantia, sed veritas quæ prodest auditoribus, sicut facit et Paulus. GREG. Incauti sunt humiles qui se mendacio illaqueant dum arrogantiam vitant, quia contra veritatem se erigunt quam relinquunt. Qui enim necessitate cogente vera de se et bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto veritati sociatur.

^{‡‡}13.18 *Non de omnibus.* Non omnes facietis hoc unde beati sitis, sed qui manducat meum panem, non ut proficiat, sed ut lateat, *levabit contra me calcaneum suum*, id est me calcabit, ut impleatur Scriptura quæ hoc prædixit, non quod cogat, sed quia quod futurum erat non tacuit.

^{¶¶}13.19 *Amodo dico vobis.* Quasi dicat: Hucusque toleravi et tacui, sed jam noto proditorem antequam fiat quod mox faciendum est, uti cum factum fuerit credatis quia ego sum ille de quo Scriptura illa prædixit.

^{§§}13.20 *Amen, amen dico vobis.* Postquam exemplo suo eos docuit humiliationem et calcanei passionem, supponit quo consoletur eos honore, quod ipse et Pater in eis recipitur.

^{*}13.21 *Cum hæc dixisset Jesus* Nostra infirmitas in eo vere turbata est, non sua potestas, sicut et vere passa. Voluntarie autem accepit turbationem, ne desperet servus turbatus necessitate. Quod autem turbatur significat turbandos spirituales ex charitate, cum urgens causa et zizania a tritico ante messem cogitur separare.

invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. ²³ Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. ²⁴ Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei: Quis est, de quo dicit? ²⁵ Itaque cum recubisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine, quis est? ²⁶ Respondit Jesus: Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ. [†] ²⁷ Et post buccellam, introivit in eum Satanus. Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citius. [‡] ²⁸ Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. ²⁹ Quidam enim putabant, quia oculus habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret. [¶] ³⁰ Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox. [§] ³¹ Cum ergo exisset, dixit Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo. ³² Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso: et continuo clarificabit eum. ³³ Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me; et sicut dixi Judæis, quo ego vado, vos non potestis venire: et vobis dico modo. ^{**} ³⁴ Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem: sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. ^{††} ³⁵ In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. ³⁶ Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Jesus: Quo ego vado non potes me modo sequi: sequeris autem postea. ^{‡‡} ³⁷ Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te

[†]13.26 *Et cum intinxisset panem.* Panis intinctio significat fictionem Judæ, qui fictus amicus venit ad cœnam. Quæ enim tinguntur, non mundantur, sed inficiuntur. Si autem bonum aliquid significat intinctio, eidem bono ingratum, non immerito secuta est damnatio. *Dedit Judæ Simonis Scariothis,* etc. Non, ut quidam putant, nunc Judas corpus Christi accepit. Sciendum est enim, quod jam omnibus Dominus distribuerat sacramentum corporis et sanguinis, inter quos et Judas fuit, deinde per buccellam intinctam, exprimitur ipse traditor, etc.

[‡]13.27 *Quod facis.* Non præcepit, sed prædicit Judæ malum, nobis bonum, quia hoc vult cito fieri, non tam festinando in illius pœnam quam in salutem fidelium.

[¶]13.29 *Quia oculos habebat.* In quibus oblata scrutantur suorum necessitatibus et aliis indigentibus. In quo datur forma Ecclesiæ servandi necessaria, quæ jubetur non cogitare de crastino, ne pro terrenis serviat, vel timore inopiæ justitiam deserat.

[§]13.30 *Erat autem.* Nox congruit sacramento. Erat enim qui exivit filius tenebrarum faciens opera tenebrarum. *Nunc clarificatus est Filius hominis.* AUG. Exeunte Juda pro quo dicebatur: *Non estis mundi omnes,* etc., usque ad quasi sit factum quod mox est futurum.

^{**}13.33 *Filioli.* ID. Quia dixerat quod Deus est cito clarificaturus eum, etc., usque ad non potest hoc accipi; quia non conveniret quod sequitur. *Quo ego vado vos non potestis venire.* Nunc non poterant apostoli nondum spiritu confirmati sequi Dominum, id est mori pro Domino et justitia, vel venire ad vitam immortalem ad quam ipse ibat, securituri autem erant postea. Quomodo autem idonei possint esse et pergere quo ille antecedit, docet. *Mandatum novum do.* AUG. Non quod hoc non sit in antiqua lege, *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* etc., usque ad quæ dilectio facit mori sæculo.

^{††}13.34 *Ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Non putetur hæc prætermissa dilectio Dei quæ est in dilectione proximi, in proximo enim non nisi Deus diligitur, sicut et Christus in nobis diligit Deum, et non quod hoc habeamus, sed ut haberemus sicut medicus in ægro, non morbum, sed salutem quam venit dare.

^{‡‡}13.36 *Domine, quo,* etc. Audito, quo ego vado, et intellecta via qua sequi potest, id est dilectione, dicit Petrus ut sequi paratus. Et quia hunc ejus animum novit Dominus, dixit non modo eum posse, in quo non abstulit spem futuri, sed confirmavit. *Sequeris autem postea.*

ponam.[¶] ³⁸ Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones? amen, amen dico tibi: non cantabit gallus, donec ter me neges.^{§§}

14 Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. ^{*} ² In domo Patris mei mansiones multæ sunt; si quominus dixissem vobis: quia vado parare vobis locum.[†] ³ Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum: ut ubi sum ego, et vos sitis.[‡] ⁴ Et quo ego vado scitis, et viam scitis.[¶] ⁵ Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis: et quomodo possumus viam scire?[§] ⁶ Dicit ei Jesus: Ego sum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. ⁷ Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis: et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum.^{**} ⁸ Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. ⁹ Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?

[¶]13.37 *Animam meam.* Multum præsumit qui animam pro eo ponere promittit, qui nondum pro Petro animam dedit, quasi præire possit. AUG. Voluntatem suam, sed non vires suas cognoscens, ut infirmus voluntatem suam jactat, sed inspiciebat invaliditudinem medicus. Ille promittebat, ille prænoscebat, et qui nesciebat audiebat, qui præsciebat docebat.

^{§§}13.38 *Non cantabit gallus,* etc. Petrus ante primum galli cantum trinam negationem incipit, totam autem perficit ante secundum galli cantum.

^{*}14.1 *Non turbetur cor vestrum,* etc. AUG. Ne autem mortem tanquam hominis timerent, et ideo turbarentur, etc., usque ad alia claritas lunæ, alia claritas stellarum.

[†]14.2 *In domo,* etc. Domus Dei, templum Dei, regnum Dei. Regnum cœlorum, sunt homines justi, in quibus sunt multæ differentiæ inter se. Et hæ sunt mansiones ipsius domus. AUG. Modo justus sunt regnum Dei et regnum cœlorum, etc., usque ad quod eratis in spe, sitis in re. *Si quo minus,* etc. Id est, si non prædestinasset mansionem, quod est inconveniens quantum ad Deum qui omnia bona ante omnia tempora prædestinavit, tunc modo præpararem, id est, prædestinarem, quod iterum est inconveniens, quantum ad Deum præsentialem aliquid prædestinare. ID. Confirmat esse, quia si non essent dixisset, ibo et parabo, etc., usque ad et hæc multitudo mansionum est.

[‡]14.3 *Et si abiero.* ID. Abiit latendo, venit apparendo, sed manet regendo, ut proficiamus bene vivendo, et sic paratur locus. ID. Fides quæ non videt credit, nam si videret, etc., usque ad desiderium dilectionis, præparatio est mansionis.

[¶]14.4 *Et quo ego vado.* Hoc dictum est secundum quosdam qui sciebant et Filium et Patrem. Thomas vero etsi putaret se nescire, convincitur per hoc quod ipsum novit, et viam scire et vitam, id est, Filium et Patrem. De istis scientibus subditur: Amodo cognoscetis eum per me cognitum, et vidistis eum in corde, dum me per omnia similem ei vidistis.

[§]14.5 *Dicit ei Thomas,* etc. Quo et qua itur, dixit eos scire qui non mentitur, sed Thomas dicit eos utrumque nescire, nesciens eos scire, sed Christus convincit eos scire, quia si eum sciebant, et ipse est via, viam sciebant, et si ipsum sciebant, et ipse est veritas et vita, tunc sciebant veritatem et vitam ad quam vadit: ipse ergo per se viam, ad se veritatem et vitam et ad Patrem, quia cum Patre unum est, vadit.

^{**}14.7 *Si cognovissetis me.* Quia dixerat, nullum venire ad Patrem, nisi per se, qui est inseparabiliter idem cum Patre, ne quærent quis est Pater, ostendit ex se noto nosci Patrem, quod nondum quidam cognoverant, quos arguit dicens: *Si cognovissetis,* etc. *Et vidistis eum.* Ut de duobus omnino similibus dicitur: Si istum vidisti, illum vidisti; viderant ergo quam simillimum Filium, sed monendi erant, ut talem etiam Patrem intelligerent, et non dissimilem.

Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem?^{††}
¹⁰ Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse fecit opera. ¹¹ Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? ¹² alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.^{‡‡} ¹³ Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio. ¹⁴ Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. ¹⁵ Si diligitis me, mandata mea servate:^{¶¶} ¹⁶ et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum,^{§§} ¹⁷ Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.* ¹⁸ Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.[†] ¹⁹ Adhuc modicum, et mundus me jam non videt. Vos autem videtis me: quia ego vivo, et vos vivetis.[‡] ²⁰ In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.[¶] ²¹ Qui habet mandata mea, et servat ea: ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligitur a Patre meo: et

^{††}14.9 **Quomodo tu dicis.** Et cum omnino similis. **Quomodo tu dicis,** etc. Quasi diceret: Video quo animo dicas, non quæris alterum similem, sed putas meliorem. **A meipso.** Quia non sum a meipso qui loquor: ei tribuit quod facit, de quo est ipse qui facit.

^{‡‡}14.12 **Qui credit in me.** Ego et Pater indifferenter operamur. Et quicumque credit in me (ne de solis apostolis hoc acciperetur) opera quæ ego facio per me, ipse faciet, id est, ego facio in eo vel per eum, et etiam majora. **Opera quæ ego facio.** Non tamen ex se, sed ex me. **Non est servus major domino.** Ipse enim sine eis multa, illi sine eo nihil, nisi peccatum. **Majora horum.** AUG. Quia si ipse fimbria, Petrus umbra sanavit. Vel opus ejus, etc., usque ad quia si utrumque æqualis potentiæ, hoc est majoris misericordiæ.

^{¶¶}14.15 **Si diligitis me.** Quomodo monet diligere et servare mandata, ut accipiant spiritum, quem nisi habeant non possunt diligere et servare? Sed quod habebant minus occulte, accepturi erant amplius manifeste, ut eis innotesceret quod habebant.

^{§§}14.16 **Et ego rogabo Patrem.** THEOPH. Rogabo, hoc est, obsecrabo Patrem et alium Paraclitum mittet vobis, etc., usque ad quod omnino superveniat eis Spiritus paraclitus ejusque gratia condescendens, illis dicit: **Rogabo Patrem.**

^{*}14.17 **Quia non videt,** etc. Non habent spirituales oculos mundi amatores quibus Spiritum sanctum videant. Nec vero carnalibus oculis possunt videre, quia Spiritus sanctus non apparuit indutus humanitate. **Et in vobis.** Erit in vobis, non manebit ut sit, quia prius est esse alicubi quam manere. Ne quis ergo putet sic manere, ut hospes apud alium visibiliter, sed in eis cognosci potest, non ab aliis.

[†]14.18 **Non relinquam.** Non ita dabitur Spiritus pro me, ut ego etiam non sim vobiscum. Orphani Græce, pupilli Latine est.

^{*}14.19 **Adhuc modicum et mundus.** Sed mundus qui modo videt oculis carnis, post modicum non videbit, quia resuscitatus se eis non ostendit, sed totum tempus modicum est, quo finito auferetur impius ne videat gloriam Dei, quam justii videbunt. **Quia ego vivo, et vos vivetis.** Præsenti utitur quia mox futura est ejus resurrectio. Ad illos utitur futuro quorum in fine futura resurrectio.

[¶]14.20 **Et vos in me et ego in vobis.** Hoc modo est, et cognoscitur quodammodo per fidem; sed tunc cognoscetur per speciem, quando hæc conjunctio perficietur quæ modo inchoatur.

ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.^{§ 22} Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, et non mundo? ^{**} 23 Respondit Jesus, et dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus;†† 24 qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem, quem audistis, non est meus: sed ejus qui misit me, Patris. 25 Hæc locutus sum vobis apud vos manens.‡‡ 26 Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixerō vobis.¶¶ 27 Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.^{§§} 28 Audistis quia ego dixi vobis: Vado, et venio

§14.21 **Qui habet**, etc. Non solum vos apostoli vivetis et cognoscetis, sed et quicumque habet in memoria et servat in vita. Vel, habet faciendo, servat perseverando. Vel qui habet in sermonibus servat in moribus. Vel, habet audiendo, servat faciendo. **Et ego diligam eum.** Ad hoc diligam, ut manifestem, quia et nunc diligit, sed non ad hoc, sed potius ut credamus et mandata servemus, ut mereamur quod post capiamus. **Et manifestabo ei.** Qui habet meum mandatum, ille me cognoscit, et hoc est ibi: **Manifestabo ei meipsum.** Sed præmittit causam mandati, quia diligit me, et qui me diligit, Pater meus diligit eum, et quia Pater, tunc ego diligam eum, et inde est manifestatio.

** 14.22 **Dicit ei Judas**, etc. Audito quod mundus modo videbit eum, sed ipsi videbunt, pro omnibus quæsiturus quærit Judas causam hujus discretionis. Hæc autem causa est secundum responsonem Domini, dilectio, per quam solam et non per aliam discernitur gens sancta a non sancta.

†† 14.23 **Ad eum veniemus.** Venit Deus ad hominem, dum homo venit ad Deum. Venit homo credendo, obediendo, intuendo, capiendo; Deus venit subveniando, illuminando, implendo. **Et mansionem**, etc. Caritas facit habitare in domo in qua Pater et Filius facit mansionem, unde et dabit manifestationem de qua ille quæsierat.

‡‡ 14.25 **Hæc locutus sum vobis.** Hæc de mansione in dilectoribus suis in quo significatur Ecclesia futura spiritualis, in qua beati, a quibus non recedit. **Apud vos manens.** Hic Ecclesia præsens corporalis in qua visitat liberando, et redit.

¶¶ 14.26 **Paraclitus.** Consolari cum sit opus Trinitatis, ad personam tamen maxime Spiritus sancti pertinet, quia in Scriptura nomine bonitatis Spiritus sanctus designatur: per bonitatem ergo Deus nos consolatur, per eam omnia bona sua nobis tribuit. **Ille vos.** Quia etsi Filius doceat nos et revelet Patrem, hoc totum facit per suam bonitatem. **Ille vos docebit omnia.** Docebit quæ dixerō, non quod dicat Filius et Spiritus doceat, quia quod dicit et docet, et ipsa Trinitas dicit et docet. Sed quia Trinitas est, oportet singulas personas insinuari, quos nos distincte audire, inseparabiliter intelligere debemus. Cum ergo dicimus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, non eos simul dicimus, cum non possint esse non simul.

§§ 14.27 **Pacem relinquo vobis.** Iturus ad Patrem. **Pacem**, etc. Et repetens de eodem. **Pacem meam do.** Et hoc est quod Propheta dicit: **Pacem super pacem** Isa. 27.. Pax est in hoc sæculo, in qua manentes hostem vincimus, invicem diligimus, et de occultis invicem non judicamus. Pax erit in futuro cum sine hoste regnabimus, ubi alter ab altero non poterit dissentire, ubi **omnia aperta et laus unicuique** I Cor. 4.. In illo autem et ab illo est utraque pax. **Ipsa enim est pax nostra** Ephes. 2., et eum credimus, quia est, et eum videbimus sicuti est. Unde quod dicit meam, a posteriori, etiam ad prius subaudiendum est. Vel pax in hoc sæculo est nostra, quæ est aliqua et non plena, et ab illo in futuro sua est pax ubi nihil repugnat qualiter ipse habet. **Non turbetur.** Quia in pace vos relinquo, non turbetur cor vestrum de eo quod dixi, Vado, quasi pastoris absentia lupus invadit, quia sicuti homo vado, ut Deus præsens sum.

ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est.* ²⁹ Et nunc dixi vobis priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis. ³⁰ Jam non multa loquar vobiscum: venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.† ³¹ Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

15 Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.‡ ² Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. ³ Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.¶ ⁴ Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest fere fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. ⁵ Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.§ ⁶ Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.** ⁷ Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.†† ⁸ In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei

*14.28 *Si diligeretis.* AUG. Hoc erat ire ad eum, et recedere a nobis, etc., usque ad ut incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram Patris. *Gauderetis,* etc. Quia humanæ naturæ congratulandum est, quæ levatur ad dexteram Patris, in quo idem sibi sperant cæteri. *Credatis.* Non quod factum videritis quia non est laus vel meritum fidei, imo nec fides est de eo quod, videtur, sed de eo quod non videtur. Sed credatis me Filium Dei, non nova fide, quia etiam prius crediderant, sed aucta fide et relecta, quia et modo cum hæc diceret parva erat, et cum moreretur, nulla.

†14.30 *Et in me,* etc. Noluit Dominus habere quod perderet; pauper venit ne haberet diabolus quod auferret.

‡15.1 *Ego sum vitis vera.* Et me præcedentem ad passionem debetis sequi, quia ego sum vitis, id est caput vestrum ejusdem naturæ vobiscum, ut in me possit fructificare humana natura. *Et Pater,* etc. Ego etiam agricola cum Patre, quia sum mundator palmitum, quod est agricolæ, non vitis officium, qui etiam palmites operarios facit, licet non de suo, nec per ipsos, sed per meipsum.

¶15.3 *Propter sermonem,* etc. Non ait: propter aquam baptismi, quia et ipsa sine verbo est solum aqua, per verbum fit sacramentum.

§15.5 *Ego sum,* etc. Qui se a se ferre fructum existimat, non est in vite. Unde cum repetitione et superiorum explanatione supponit: *Ego sum vitis, vos palmites.* Mihi quasi viti adherentis. *Qui manet in me.* Et ideo quicumque (non solum vos) manet in me credendo, obediendo, perseverando. *Et ego in eo.* Illuminando, subveniando, perseverantiam dando. *Hic fert.* Et si secundum hominem Christus est vitis. tamen hanc gratiam palmitibus non daret, nisi etiam Deus esset.

**15.6 *Si quis.* Sarmenta præcisa cæteris liguis sunt viliora, quia nullis usibus deputantur, sed igni, vel in vite sunt vel in igne.

††15.7 *Et verba.* Verba Dei tunc dicuntur manere in nobis, quando facimus quæ præcipit et diligimus quæ promittit. Qui autem hoc non facit, tangit, non cohæret, et ideo non sunt ei in beneficium sed in testimonium damnationis. *Petetis.* Si quid petit fidelis et non fit, non petit hoc quod habet mansio in eo, nec quod habet verba ejus quæ sunt in eo, sed quod habet cupiditas et infirmitas carnis.

discipuli.[‡] ⁹ Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. ¹⁰ Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione. ¹¹ Hæc locutus sum vobis: ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.[¶] ¹² Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.^{§§} ¹³ Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat qui pro amicis suis.* ¹⁴ Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. ¹⁵ Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.[†] ¹⁶ Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. ¹⁷ Hæc mando vobis: ut diligatis invicem.[‡] ¹⁸ Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.[¶] ¹⁹ Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.[§] ²⁰ Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.^{**} ²¹ Sed hæc omnia facient vobis propter nomen

[‡]15.8 *In hoc clarificatus*, etc. Qui manet in me fructum multum fert, quod est ex gratia Dei, et ita est gloria ejus non hominis, et hoc est: *In hoc*, etc. *Ut fructum plurimum*. Sicut non æqualitatem ostendit nostræ naturæ et suæ, sed gratiam qua Mediator est, nam Pater diligit nos, sed in Filio. *Efficiamini*. Quomodo? Si me dilexeritis. Ex qua dilectione? ex præceptorum observatione. Si me dilexeritis sicut dilexit me Pater, non quantum. Non enim notatur æqualitas, sed similitudo dans eis æternam æternitatem.

[¶]15.11 *Ut gaudium*. Gaudium Dei de nobis qui præscivit et prædestinavit semper est plenum, in nobis incipit ex fide, crescit imo et perficietur in resurrectione.

^{§§}15.12 *Hoc est praeceptum*, etc. Et supra de dilectione proximo, sed repetitio est confirmatio: ibi tamen dicit: Mandatum do, quasi non ante fuerit; hic autem, hoc est quasi non aliud sit. Ibi Novum, ne in vetustate remaneamus, hic, Meum, ne contemnatur.

*15.13 *Majorem hac*. Diffinit plenitudinem mutuæ dilectionis quam habere præcipit.

[†]15.15 *Jam non dicam*. Commendata dilectione addit quod dignationis est, ut bonos servos (qui sciunt faciendo quæ præcipit) dicat amicos, et eis tollit nomen servi, qui est ex timore foras mittendo, qui nescit quid faciat Dominus. Quia cum aliquid facit, sic extollitur quasi ipse faciat, non dominus.

[‡]15.17 *Hæc manao*, etc. Hic ostendit quis sit fructus quem dixerat, pro quo et dabit Pater quod petimus, qui et hoc dedit, ut diligamus. *Ut diligatis*. AUG. Merito sæpe dilectionem commendat, quasi sola præcipienda sit sine qua non possunt cætera, quæ sine cæteris non potest haberi. Pro hac autem patienter debemus sustinere etiam omnia adversa mundi. Unde subdit:

[¶]15.18 *Si mundus*. Nomine mundi aliquando boni, aliquando mali designantur, quia una massa est quæ tota in Adam periit, de qua sunt alia vasa in honorem, alia in contumeliam.

[§]15.19 *Mundus quod suum*. Si malus punit scelus mali, ex parte odit mundus quod suum est; dum punit ex parte amat, quia malus favet malis.

^{**}15.20 *Sermonis mei*. Hoc scilicet: *Non est*. Et illius superioris: *Scitote, quia me priorem vobis odio habuit*. Et subdit causam: *Non est servus major*, etc. Quia exemplo sui (quo aliud melius non est) monuit ad ferenda odia mundi, subdit quare debeant, eum in hoc imitari, quia ipse Dominus, illi servi.

meum: quia nesciunt eum qui misit me. ²² Si non venissem, et locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. ^{††}
²³ Qui me odit, et Patrem meum odit. ²⁴ Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum. ^{‡‡} ²⁵ Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. ^{¶¶} ²⁶ Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me; ^{§§}
²⁷ et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

16 Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. ^{*} ² Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo. [†] ³ Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. ⁴ Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi

^{††}15.22 *Si non venissem.* Hic expressius Judæos ostendit, ad quos venit, de quibus sub nomine mundi superiora dixerat. Et quia ad eos venit, hic inexcusabiles de omnibus malis ostendit. *Excusationem*, etc. Illi quibus non venit nec locutus est, habent excusationem non de omni peccato, sed de hoc quod in Christum non crediderint. Hi vero quibus in apostolis venit et locutus est, non excusantur. Priores vero *qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* Rom. 2.. *De peccato.* Quod non credunt me sed oderunt, et persequuntur in meipso et in meis, sed hoc peccatum in me, etiam redundat in Patrem, quia qui me odit et Patrem meum odit. Et quod est gravissimum, non solum veni et locutus sum, sed opera feci, quæ videntes oderunt et me et Patrem.

^{‡‡}15.24 *Quæ nemo*, etc. AUG. Quod pavit tot millia de paucis, quod super aquas ivit, etc., usque ad et quia ipse per seipsum fecit, nemo sine eo. *Oderunt*, etc. Judæi dicunt se diligere Deum et tamen nescientes oderunt, quia qui volunt esse mali nolunt esse veritatem qua damnantur. Et sicut oderunt suam poenam, oderunt veritatem quæ irrogat poenam, nescientes eum esse veritatem. Et si oderunt veritatem, oderunt eum de quo nata est veritas, et ita Patrem nescientes de eo natam veritatem oderunt.

^{¶¶}15.25 *Quia odio.* Gratis odit, qui nullum ex odio commodum quærit vel incommodum fugit. Sic impii oderunt Christum. Sic justii diligunt gratis, non propter aliud sed propter ipsum.

^{§§}15.26 *Cum autem.* Nunc videntes opera oderunt gratis et me et Patrem. Sed cum venerit Paraclitus, manifestiore testimonio convincet eos qui viderunt et oderunt, sed et quosdam eorum compunctos de tanto scelere convertet. *Quem ego mittam.* Die Pentecostes venit Spiritus sanctus in centum viginti homines congregatos, cum quibus erant omnes apostoli in domo ubi cœna fuerat. *Qui a Patre.* Spiritus procedit a Patre et Filio, sed Filius dicitur a Patre procedere, quia ad Patrem solet referre, et quod ipsius est de quo ipse est. A quo ergo habet ut sit, ab illo habet ut de illo procedat Spiritus.

^{*}16.1 *Hæc locutus sum*, etc. Postquam exemplo suo docuit ferre odia in quo sciunt quid debeant facere, sed non possunt postquam etiam promisit Spiritum quo poterunt resistere, etiam addit: *Hæc locutus sum*, etc. Quod est exemplum de Spiritu qui confirmabit, ut, ita charitate diffusa in cordibus vestris, sit vobis multa pax et non scandalum.

[†]16.2 *Sed venit hora.* Quasi dicat: Si pulsi ab eis tot acquiratis mihi (unde vobis gaudendum) ut non satis sit eis vos pellere. Sed non sinant vivere, ne omnes acquiratis, ut a Judaismo avertatis, in quo Deum Israël credunt deseri et sancta sua.

vobis.[‡] ⁵Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?[¶] ⁶sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. ⁷Sed ego veritatem dico vobis: ex-pedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.[§] ⁸Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de iudicio.^{**} ⁹De peccato quidem, quia non crediderunt in me. ¹⁰De justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.^{††} ¹¹De iudicio autem, quia princeps hujus mundi jam iudicatus est.^{‡‡} ¹²Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. ¹³Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.^{¶¶} ¹⁴Ille me clarificabit, quia de meo accipiet,

[‡]16.4 *Hæc autem.* Postquam dixit futuras eorum passiones et consolatorem Spiritum eis esse dandum, subdit: *Hæc non dixi*, etc. Quod si de passionibus accipimus, non solummodo post cœnam sed et ante proximum Pascha, et ab initio missionis duodecim apostolorum prædixerat; sed de consolatione Spiritus eis ventura non prædixerat, quia ipse cum eis corporali præsentia advocatus vel consolator erat; sed quia jam iturus est, opus erat ut illum diceret venturum qui confirmaret eos contra abjicientes et interficientes.

[¶]16.5 *Vado ad eum.* Ita palam ut nemo interroget quod visu corporali cernat, viderunt eum in nube ascendentem certi de gloria qui prius prædicta passione quæsierant: *Domine, quo vadis?*

[§]16.7 *Si enim*, etc. Non quod positus in terra non posset dare, sed quia illi non sunt idonei accipere, nisi eum secundum carnem desistant nosse. *Si autem.* Mentibus vestris sic raptis ad cœlestia aderit Spiritus simul Pater et Filius. Spirituales enim ex carnalibus facti, capacius fuerant Trinitatem habituri, sicut promissum erat.

^{**}16.8 *Ille arguet.* Non quod Filius non arguat, sed quia Spiritus dabit eis charitatem et pellet timorem, ut sit eis libertas arguendi. AUG. Arguitur de peccato qui in Christum non credit. Arguitur, etc., usque ad ne cum mundi principe iudicentur quem iudicatum imitantur. *Et de justitia.* Non de sua, sed de credentium justitia mundus arguitur, quorum comparatione damnatur. Unde non ait: Non videbit me mundus, sed *Non videbitis me*, vos apostoli. Contra infideles qui dicunt, Quo-modo credemus quod non videmus? Est vera justitia credere quod non videtur, ut qui viderunt hominem crediderunt Deum. Et cum per ascensionem forma hominis subtracta est visibus, tunc ex omni parte impletum est: *Iustus ex fide vivit.*

^{††}16.10 *Et jam*, etc. Id est, nunquam videbitis me talem ut modo, id est mortalem iudicandum, sed glorificatum iudicem. Et hoc est justitia fidei, de qua Apostolus: *Et si novimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus* II Cor. 5., quam quia mundus ab istis non vult accipere arguitur.

^{‡‡}16.11 *De iudicio.* Quia si damnatum illum sequuntur cum eo damnantur, et ne sibi credant parci terrentur supplicio illius superbi.

^{¶¶}16.13 *Omnem veritatem*, etc. Promittit quod totum facturum est Spiritus, non quod in hac vita totum compleatur. *A semetipso*, etc. AUG. Quia non est a seipso, quia solus Pater, etc., usque ad semper scivit, scit et sciet.

et annuntiabit vobis.^{§§ 15} Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.*¹⁶ Modicum, et jam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me: quia vado ad Patrem.^{† 17} Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem?¹⁸ Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit: Modicum? nescimus quid loquitur.¹⁹ Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis: De hoc quæritis inter vos quia dixi: Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me.²⁰ Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.^{‡ 21} Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.²² Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum: et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.²³ Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.^{¶ 24} Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.²⁵ Hæc in proverbii locutus sum vobis. Venit hora cum jam non in proverbii loquar

§§16.14 *Ille me clarificabit.* Quia spirituales faciendo vos declarabit quomodo Patri Filius est æqualis quem secundum carnem ut hominem noverant, vel timorem tollendo faciet vos gloriam meam annuntiare toti mundo, quæ non mihi, sed hominibus prosit. *De meo.* Non quod Spiritus sit minor Filio. Cur autem hoc dixit, explanat: *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt.* Propterea dixi quia de meo accipiet. Ergo de Patre accipit Spiritus, unde accipit Filius, quia in hac Trinitate de Patre natus est Filius, de Patre procedit Spiritus. Qui autem de nullo natus est de nullo procedit, Pater est solus.

*16.15 *Omnia,* etc. AUG. De Spiritu dicit Christus. *Spiritus Patris,* etc., usque ad ita aperte ostenditur Patris et Filii esse Spiritus.

†16.16 *Modicum.* Id est, parvum tempus restat usque ad hoc quod patiar et claudar sepulcro, et iterum parvum tempus usquequo me videatis resuscitatum. Vel parvum tempus est, id est triduum quo clausus non videbo. Et iterum parvum, id est quadraginta dies, quo resuscitatus videbor. *Quia vado.* Hoc est quia tempus est ut, deposita mortalitate, humanam naturam cœlis inferam.

‡16.20 *Quia plorabitis.* Me occiso, de quo inimici gaudebunt. Similiter plorant omnes boni in ærumnis hujus sæculi; sed mundi amatores gaudent. Boni autem comparantur parienti quæ genuit in partu; sed lætatur de fructu, et plus gaudet de adventu futuræ prolis quam tristis est de præsentis dolore.

¶16.23 *Si quid petieritis.* AUG. Ita sane intelligendum est, quod ait, dabit vobis, ut ea beneficia significata sciantur quæ ad eos qui petunt proprie pertinent. Exaudiuntur enim sancti pro seipsis, non autem pro omnibus aliis amicis vel inimicis. *Dabit vobis.* In futuro non rogabitis, sed modo petite et dabitur vobis quod ad vos pertinet, et si non omnibus illis quibus petitis, et ideo dicitur vobis.

vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis:§ 26 in illo die in nomine meo petetis: et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis: 27 ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi.** 28 Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.†† 29 Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis:‡‡ 30 nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia a Deo existi.¶¶ 31 Respondit eis Jesus: Modo creditis?§§ 32 ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis: et non sum solus, quia Pater mecum est.* 33 Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

§16.25 *Hæc in proverbiiis.* Quæ hucusque dixi quasi in proverbiiis (quæ solent homines audire sed non intelligere) dixi, quia animales estis. *Animalis autem qui non percipit quæ sunt Spiritus Dei* I Joan. 1.. Quæcunque dicuntur de incorporea et immutabili substantia, habet quasi proverbialia. *Sed venit hora.* Qua dato Spiritu faciam vos spirituales, ut certissima intelligentia mentis (etsi non ut in futuro) Deum videatis, et tunc palam de Patre nuntiabo, ut ipsum et me ejusdem substantiæ intelligatis, et tunc, *In nomine meo petite.* Quia tunc vere cognoscetis et scietis quod si ut homo rogo Patrem, ut Deus exaudio cum Patre; unde dicit: *Et non dico vobis, quoniam ego rogabo Patrem.*

**16.27 *Ipse enim.* Amat nos Pater quia amamus Filium, cum a Patre et Filio accepimus ut amemus Patrem et Filium: data charitate per Spiritum, quem et ipsum amamus cum Patre et Filio, prior amans facit in nobis quod ametur.

††16.28 *Iterum relinquo mundum.* Reliquit mundum corporali præsentia. Vadit ad Patrem, quia humanitatem ad invisibilia paternæ majestatis induxit. Reliquit mundum, quia ab aspectu amatorum mundi quod viderant abstulit. Redit ad patriam, quia amatoribus suis se æqualem credendum docuit Patri.

‡‡16.29 *Dicunt ei discipuli ejus.* Cum nondum venisset hora quam promisit: *Ecce nunc palam loquitur.* Illa quæ Dominus scit non intelligentibus esse proverbialia: illi usque adeo nobis intelligunt, ut nec saltem se non intelligere intelligant. De qua eorum infirmitate admonens respondit: *Modo creditis,* etc.

¶¶16.30 *Nunc scimus quia scis omnia.* Aperte ostendunt, quia loquens de eis, ad eos maxime agebat quæ illos delectabant audire: et quæ ipsi interrogare volebant, hæc ipse præveniens ultro proferebat, et ideo illum, quia cogitationes noverat, confitentur scire omnia quasi Deum et Dei Filium. *Et non opus est tibi,* etc. Cum scias omnia, non est opus ut interrogas aliquem a quo aliquid scias. Vel etiam interrogeris ab aliquo præsciens quid ille velit. Si autem aliquando interrogavit vel interrogatus est, non eis, sed aliis opus fuit.

§§16.31 *Modo creditis.* Ut parvuli, quibus quæcunque alta adhuc proverbialia sunt, creditis, sed venit hora passionis, et jam prope est, in qua ita perturbemini, ut quod modo creditis, relinquatis, non modo corpore, sed etiam mentis fide; unde: *Sperabamus quod redempturus esset Israël.*

*16.32 *Et non sum,* etc. Ecce profecerunt, sed ad majus vult eos extendi, ut cum dixerint: *A Deo existi,* dicat: *Pater mecum est,* nec sic putent a Deo exisse, ut putent etiam recessisse. *Quia Pater mecum est.* Dixerat *Relinquo mundum et vado ad Patrem,* nunc dicit: *Pater mecum est,* quod intelligenti est verbum, non intelligenti proverbium. Cui si non est cibus, tamen lactis est alimentum. Ex quo est, quod sciebant eum nosse omnia.

17 Hæc locutus est Jesus: et sublevatis oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora: clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te:[†] ² sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. ³ Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.[‡] ⁴ Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam:[¶] ⁵ et nunc clarifica me tu, Pater, apud te ipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.[§] ⁶ Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: tui erant, et mihi eos dedisti: et sermonem tuum servaverunt.^{**} ⁷ Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt:^{††} ⁸ quia verba quæ dedisti mihi,

[†]17.1 *Hæc locutus est.* Non solum quæ in cœna hac de causa dicit dicta, ut in illo pacem habent. Hæc pax est pro qua Christiani sumus, pro qua sacramentis imbuimur, pro qua omnimodis erudimur, pro qua Spiritum in pignus accepimus, pro qua in eum credimus et speramus et amore ejus accendimur. Hæc est pressuris consolatio et liberatio. **Pater, venit hora.** Potuit orare silentio, sed in orando est etiam doctor, et notam facit orationem quæ et præsentium et futurorum ædificatio. **Venit hora.** Non urgente fato, sed disponente Deo, qui sine tempore ordinavit omnia quæ fiant per tempora ordine congruo. **Clarifica Filium.** Humilitas in passione, claritas in resurrectione cœpit. Venit hora passionis, seminandæ humilitatis, non differas gloriam resurrectionis, **ut Filius tuus clarificet te.** Et sic claritas Patris nec augeri nec minui potest in se. Apud homines minor erat dum in Judæa sola notus, sed per resurrectionem Filii ubique innouit. **Ut Filius tuus clarificet te.** In cognitione hominum, sicut dedisti, usque **ut cognoscant te, et quem misisti.** Non enim potest cognitione hominem clarificari Pater, nisi ille cognoscatur per quem clarificatur, id est populus innotescat, et hæc est clarificatio Patris, quæ non circa solos apostolos sed etiam circa omnes credentes sit.

[‡]17.3 *Hæc est autem,* etc. Ordo, **Ut cognoscant te, et quem misisti,** id est Christum cum Spiritu, qui est amborum, esse unum et solum verum Deum. Si ergo eo modo te clarificat Filius sicut dedisti ei potestatem omnis creaturæ, et sic dedisti, **ut omne quod dedisti ei det eis vitam æternam:** Et **hæc est vita æterna, ut cognoscant te.** Sic te ergo Filius clarificat, ut omnibus quos dedisti ei te cognitum faciat. **Ut cognoscant te.** Quod hic est ex Patre, in futuro erit plene. Qui ergo proficit in cognitione, magis vivere tendit. Quando autem erit plena cognitio, erit sine fine laudatio. Et hæc est illa clarificatio, sed prius hic clarificatur dum innotescit fidelibus; unde: **Ego te clarificavi super terram.**

[¶]17.4 *Opus consummavi.* Id est, si aperte futurum diceret, clarificabo, gentibus prædicando. Opus consummabo, quia jam factum prædestinatione; et pro jam facto est habendum, quod certissime est futurum. Hanc prædestinationem in sua clarificatione manifestus aperit, dicens: **Quam habui apud te priusquam mundus esset;** id est, sicut tunc in prædestinatione habui apud te ante tempora, ita nunc in re fac in mundo in tempore. **Dedisti mihi,** etc. In quo notatur gratia. Nihil enim habet in homine quod non acceptit.

[§]17.5 *Hominibus.* Possunt hæc omnia dici de omnibus fidelibus futuris. Et est hæc clarificatio qua clarificatus Filius clarificat Patrem super terram, secundum quod est præteritum pro futuro.

^{**}17.6 *Tui erant.* AUG. Patris erant hi sicut omnia, etc., usque ad quia nondum erat homo.

^{††}17.7 *Cognoverunt.* Ne putaretur cognitio jam facta per speciem, addit: Crediderunt vere; non eo modo quo cum dixit: Modo creditis, venit hora ut dispergamini. Sed nec adhuc tales erant, sed prænuntiat quales sint futuri accepto Spiritu, sine quo nec servaverunt sermonem quem dixerat.

dedi eis: et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti. ⁹Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi: quia tui sunt: ¹⁰et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt: et clarificatus sum in eis. ¹¹Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut et nos. ¹²Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi: et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. ¹³Nunc autem ad te venio: et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. ¹⁴Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. ¹⁵Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. ¹⁶De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. ¹⁷Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. ¹⁸Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum: ¹⁹et pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate. ²⁰Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ²¹ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et

^{17.9} *Ego pro eis rogo.* Prima oratio fuit: **Clarifica Filium, ut Filius clarificet te**, et de his exsecutus est et conclusit in fide credentium. Jam pro eis rogat ut Pater servet eos quos ipse corpore reliquit.

^{17.10} *Et mea omnia.* Non enim quia Filio dedit Pater amisit, cum Filio adhuc addat: **Mea omnia tua et tua mea sunt.** Unigeniti Filii sunt omnia quæ Patris, per hoc quod etiam Deus est ipse, etiam de Patre natus, Patri est æqualis.

^{17.11} *Serva eos.* Ut sint unum in natura sua, sicut et nos in nostra sumus unum; et ideo non ait, ut sint unum nobiscum, aut ut simus unum ipsi et nos sicut nos unum sumus, quia non sunt ejusdem naturæ cum Deo, sicut Filius, secundum quod Deus, unum est cum Patre.

^{17.12} *Cum essem.* Non debemus intelligere, quod Pater et Filius alternatim servant quasi alter post alterum. Simul enim servant Pater et Filius et Spiritus sanctus qui est unus Deus. Sed Scriptura nos non levat, nisi ad nos descendat. Cum ita loquitur, intelligamus distinguere personas, non separare naturam. Gaudium quod supra expressit, ut sint unum sicut et [...] hæc est pax illa et beatitudo in futuro sæculo, propter quam omnia fiunt, propter quam se esse locutum dicit in mundo.

^{17.17} *Sanctifica.* Sicut ex gratia tua incæpta est sanctificatio per quam jam non sunt de mundo, eadem gratia fac sanctiores, ut perseverent in veritate, cujus umbra fuerunt veteres sanctificationes; id est, in me qui sum veritas, quod subdendo aperit: **Sermo tuus veritas est**, quod est, ego sum veritas. Græce, Latine verbum vel sermo, qui est unigenitus Patris.

^{17.19} *Et pro eis ego sanctifico.* Id est, ut pro eis prosit, ego me hominem sanctificabo in me Verbo quod est ab initio Incarnationis suæ quando Verbum factum est caro. Ita autem illis prodest, quia et ipsos, qui sunt ego, quia caput et corpus sunt unus Christus, sanctifico in meipso, unde addit: **ut sint et ipsi** sicut ego, **sanctificati in veritate** et in me.

^{17.20} *Non pro eis.* Jam non de solis apostolis, vel de cæteris membris incipit: Non autem orat pro his qui jam sunt in fide ejus defuncti, sed pro his qui sunt in tentationibus. **Sed et pro eis qui.** Usque in finem mundi, vel jam credunt ubicunque sunt, non tamen tam perfecte, ut post credituri sunt post resurrectionem. **Per verbum.** Per verbum Evangelii, quod est eorum, non quod per eos tantum sit prædicatum, sed et per Paulum et alios quoslibet, sed quia eis primo et principaliter commissum sit ad prædicandum. Hoc est verbum fidei, verbum Dei, per quod credidit latro, credidit Paulus, et quicumque credit.

ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti.[§] ²² Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut et nos unum sumus. ²³ Ego in eis, et tu in me: ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti. ²⁴ Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi.** ²⁵ Pater juste, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi: et hi cognoverunt, quia tu me misisti. ²⁶ Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.††

18 Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli ejus.‡‡ ² Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. ³ Judas ergo cum accepisset cohortem, et a pontificibus et pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis.¶¶ ⁴ Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, et dixit eis: Quem quæritis? ⁵ Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis.§§ ⁶ Ut ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.* ⁷ Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum

§17.21 *Ut omnes unum sint.* Non ait, Omnes unum sumus, sed ut illi omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, subaudi unum sumus: Ita et Pater in Filio et Filius in Patre, ut unum sint, quia unius substantiæ. Nos vero possumus esse in Patre et Filio et Spiritu sancto. Vel Pater et Filius et Spiritus sanctus in nobis esse possunt, unum tamen cum Deo esse non possumus, quia non unius substantiæ. Deus vero in nobis est ut in templo, nos in illo ut creatura in Creatore. *Ut et ipsi.* In nobis dicit, ut quod unum sunt fide et charitate, gratiæ Dei tribuant, ut nunc autem lux in Domino. *Ut mundus.* Mundus hic accipitur pro omnibus illis qui unum sunt. Nec hoc quod sunt facit causam ut credant, quia potius credendo unum sunt quamvis unum essent natura, dissentiendo tamen ab uno non erant unum, sed orando dixit ut mundus credat, sicut orando dixit ut omnes unum sint, acsi tertio subaudiatur, rogo ut mundus credat.

**17.24 *Quos dedisti.* Id est, traxisti ad me, sic et ego elegi eos de mundo: alii non sunt dati ei, non sunt sui, etsi potestas sit ei omnium. *Volo.* Non potest non fieri quod vult Omnipotens, sed illa voluntas est hominis, de qua dicit: *Non sicut ego volo* Matth. 26.. *Videant.* Cum in forma servi clarificata viderint iudicantem bonum et malum, tolletur impius ne videat claritatem Dei qua Deus est, quam soli mundi corde videbunt quod erit eis vita æterna.

††17.26 *Ut dilectio.* Dilectio qua Pater diligit Filium est in omnibus justis, quia membra ejus sunt et diliguntur in illo qui totus diligitur, ideo subdit: *Et ego in ipsis sum.* Quasi dicat: Quia ego sum in ipsis, aliter est in nobis ut in templo, nos in illo aliter; quia nos sumus ille, cum secundum hominem ejus capitis sumus corpus.

‡‡18.1 *Ubi erat.* In horto capitur ut deleret peccatum commissum in horto deliciarum, in quem hujus sæculi torrentem transiens discipulos introduxit.

¶¶18.3 *Cohortem.* Non Judæorum, sed militum a præside servato ordine legitimæ potestatis, ut illis tenentibus nullus auderet resistere; vel etiam si quis auderet, contra tot non posset. *Venit illuc.* Nocte traditur, ut sine turbis, quæ in die frequentes aderant, inveniretur.

§§18.5 *Ego sum.* Hac una voce tot feroces et fortes moriturus prostravit virtute latentis Deitatis: quia volebat quidem comprehendere, sed non nisi quando voluit.

*18.6 *Abierunt retrorsum et ceciderunt in terram.* Sic modo, per Evangelium ubique dicit Christus, Ego sum, et Judæi exspectantes Antichristum retro abeunt et in terrena, quæ amant, cadunt.

Nazarenum. ⁸ Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire. [†] ⁹ Ut impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quemquam. ¹⁰ Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: et percussit pontificis servum, et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. ¹¹ Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? [‡] ¹² Cohors ergo, et tribunus, et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum. [¶] ¹³ Et adduxerunt eum ad Annam primum: erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. [§] ¹⁴ Erat autem Caiphæ, qui consilium dederat Judæis: Quia expedit unum hominem mori pro populo. ¹⁵ Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Jesu in atrium pontificis. ^{**} ¹⁶ Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ: et introduxit Petrum. ¹⁷ Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. ^{††} ¹⁸ Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se: erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se. ¹⁹ Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. ²⁰ Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. ²¹ Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. ^{‡‡} ²² Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alampam

[†]18.8 *Sinite hos abire.* AUG. Faciunt quod jubet, sinunt eos abire quos non vult perire, non quin post sint morituri, sed quia sic nondum credebant quomodo credunt qui non pereunt.

[‡]18.11 *Mitte.* Acsi diceret: Quiescat vindicta. Aliter: Converte gladium in locum suum, id est verbum prædicationis converte ad gentes, ubi secundum Paulum ostium apertum et ingens inveniatur. Aliter, postquam plenitudo subintraverit, dicit Petro, per quem totus ordo prædicatorum designatur: Mitte verbum prædicationis ad Israël. *Omnes enim qui gladium acceperint gladio peribunt* Matth. 26.. Quo gladio? Illo qui igneus vertitur ante paradisum: et gladio spiritus, qui in Dei scribitur armatura.

[¶]18.12 *Cohors autem.* Mos erat Judæis, ut quem morte dignum judicarent vincitum præsidii traderent.

[§]18.13 *Et adduxerunt eum.* Erant eo tempore duo sacerdotum principes (ut Lucas ait), Annas et Caiphæ, qui vicissim annos suos agebant. Sed tunc erat annus Caiphæ, et voluntate ejus primum ductus est Jesus ad Annam, non quia collega sed quia socer ejus erat. Vel domus sic erant positæ, ut non deberet Annas a transeuntibus præteriri.

^{**}18.15 *Et alius discipulus.* Quis sit iste, quia hic tacetur, non temere definiatur. Solet tamen iste Joannes sic se significare.

^{††}18.17 *Dicit ille: Non sum.* AUG. Non solum negat Christum qui dicit eum non esse Christum, sed qui etiam negat se esse Christianum, et ita hoc impletur quod Dominus dixit: *Ter me negabis* Matth. 26..

^{‡‡}18.21 *Quid me interrogas?* Id est, a quo veritatem audire non desideras. Interroga magis eos de quorum dictis non habeas invidiam. Ita temperat responsionem, ut nec veritatem taceret, nec defendere se videretur.

Jesu, dicens: Sic respondes pontifici?[¶] 23 Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?^{§§} 24 Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. 25 Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, et dixit: Non sum.* 26 Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscedit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? 27 Iterum ergo negavit Petrus: et statim gallus cantavit. 28 Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. Erat autem mane: et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.† 29 Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? 30 Responderunt, et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31 Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam.‡ 32 Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. 33 Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus: et vocavit Jesum, et dixit ei: Tu es rex Judæorum? 34 Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?[¶] 35 Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum? gens tua et pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?[§] 36 Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc

[¶]18.22 *Hæc autem.* Objicitur, cur non fecerit quod docuit. Debuit non sic respondere, sed alteram maxillam præbere. Sed veraciter et mansuete et juste respondit, et non modo maxillam, sed totum corpus ferienti paravit. Et hinc potius ostendit præcepta patientiæ, non ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda, potest enim quis maxillam visibiliter præbere iratus. Melius ergo respondet vere placatus, et ad ferenda graviora tranquillo animo paratus.

^{§§}18.23 *Si male locutus.* Male loquitur qui contra veritatem loquitur. Si male locutus sum, da testimonium quo probes mendacem.

*18.25 *Erat autem.* AUG. Dicto, quod Annas misit Jesum ad Caipham, redit ad locum narrationis ubi reliquerat Petrum, ut explicet quid in domo Annæ de trina Petri negatione contigerat.

†18.28 *In prætorium.* Id est, ubi præses Pilatus habitabat. Sed si ad Caipham, quomodo in prætorium? forsitan, aliqua causa urgente, de domo Annæ ad audiendum Jesum ambo convenerant. Caiphas perrexit ad prætorium præsidis, et socero suo Jesum reliquit ad audiendum; vel in domo Caiphæ Pilatus acceperat prætorium, et tanta erat domus, ut seorsum habitaret dominus, seorsum Pilatus. *Ut non contaminarentur.* Quia diebus azymorum, contaminatio erat illis in alienigenæ habitaculum intrare.

‡18.31 *Nobis non,* etc. Hoc dicunt propter diei festi sanctitatem. Lex enim præcipit, ne parcant malefactoribus, præsertim seducentibus a Deo suo, qualem istum dicebant esse; et contra seipsos dicunt, quia interficiebant quem interficiendum offerebant, sicut et Pilatus interfecit, non tamen manibus suis. Cum Pilatus vellet Jesum tradere Judæis, ut secundum legem suam judicarent eum, noluerunt recipere, dicentes: *Nobis non licet interficere quemquam;* et sic impletur sermo Jesu quem de sua morte prædixit, ut eum a Judæis traditum gentes interficerent, quasi sic essent alieni a scelere qui magis peccant, in quo non eorum innocentia, sed dementia monstratur.

[¶]18.34 *A temetipso hoc dicis,* etc. Scit Jesus quid ipse interrogat et quid ille responsurus est, sed tamen dici voluit non ut sciret, sed ut scriberetur quod scire voluit.

[§]18.35 *Quid fecisti.* Quasi: Si hæc culpa non est, quod te regem dixeris, quid aliud fecisti? Quasi non est mirum si judici traderis puniendus qui te regem dicis. Sed si hæc causa non esset, tunc forte alia quærenda esset; quasi: confirma si hæc causa est quæ objicitur, an alia.

mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. ** 37 Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. †† 38 Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, et dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam. †† 39 Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum? ¶ 40 Clamaverunt ergo rursus omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. §§

19 Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. * 2 Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: et veste purpurea circumdederunt eum. † 3 Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave, rex Judæorum: et dabant ei alapas. 4 Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. † 5 (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum.) Et dicit eis: Ecce homo. ¶ 6 Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, et crucifigite: ego enim non invenio in eo causam. 7 Responderunt ei Judæi: Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. § 8 Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. 9 Et ingressus est prætorium iterum: et dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non

**18.36 *Regnum.* Hoc est quod nos scire voluit, sed prius vicissim interrogando voluit ostendere quæ esset de regno suo hominum opinio, Judæorum vel gentilium, qua ostensa utrisque aptius respondet: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quasi, decepti estis; non enim impedio dominationem vestram in hoc mundo, ne vane timeatis et serviatis, sed ad regnum cœleste credendo venire.

††18.37 *Tu dicis.* Non se regem timet confiteri, sed ita liberatum est, ut neque se regem neget, nec de mundo se fateatur esse, ut ille sentiebat qui dixit: *Ergo rex es tu?* Cui respondit: *Tu dicis, quia rex sum ego.* Quasi dicat, carnalis carnaliter dicis.

††18.38 *Iterum.* Non expectat responsum, ne cum vellet dimittere mora fieret, subito enim venit in mentem consuetudo qua posset per Pascha dimitti.

¶18.39 *Est autem.* Quia in Pascha a servitute liberati sunt, in Pascha hæc consuetudo dimittendi eis fuit.

§§18.40 *Erat autem Barabbas latro.* Id est filius magistri, id est diaboli, qui latroni in suo scelere Judæis in perfidia magister fuit. Vel Barabbas, id est filius patris, id est diaboli.

*19.1 *Tunc ergo.* Hoc fecit Pilatus, id est, milites facere permisit, vel etiam jussit ut Judæi satiati de pœnis a morte desisterent.

†19.2 *Coronam de spinis imposuerunt.* In spinea corona nostrorum notatur susceptio peccatorum, pro qua mortalis fieri voluit. Unde præcursor: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Spinæ namque in peccatorum significatione ponuntur. Unde Dominus: *Terra tua spinas et tribulos germinabit* Gen. 3.. Id est, conscientia tua punctiones, et aculeos vitiorum procreare non desistet.

†19.4 *Exivit ergo.* Ecce implentur quæ de se prædixerat Jesus occulta potentia, commendatur patientia qua informantur martyres.

¶19.5 *Et dicit eis.* Hic apparet non ignorante Pilato hæc a militibus esse facta, sive jusserit, sive permisit, ut satiatis Judæis hæc sufficerent, sed magis inardescunt et clamant: *Crucifige, crucifige.*

§19.7 *Filium Dei.* Ecce altera major invidia, quia parva videbatur illicita affectatio regni, et tamen utrumque vere erat Christus, et rex et Filius Dei.

dedit ei. ^{** 10} Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? ¹¹ Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. ¹² Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. ^{†† 13} Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum: et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. ¹⁴ Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis: Ecce rex vester. ^{‡‡ 15} Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. ^{¶¶ 16} Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. ^{§§ 17} Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, hebraice autem Golgotha: ^{* 18} ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Jesum. ^{† 19} Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus, Rex Judæorum. ^{‡ 20} Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus, et erat scriptum hebraice, græce, et latine. ²¹ Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum: Noli scribere: Rex Judæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum.

^{** 19.9} *Jesus autem.* Hic et in aliis locis legitur siluisse Christus ut prophetia impleatur: *Sicut agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum* Isa. 53.. Quæ similitudo de agno data est, ut in suo silentio non reus sed innocens habeatur. Non enim ut conscius convincitur, sed ut mansuetus pro aliis immolatur.

^{†† 19.12} *Et exinde.* Id est, ex hac causa, ne haberet peccatum occidendi innocentem (et si minus illis invidis) quærebat dimittere, non quod tunc primum quæreret, sed si prius volebat modo quærebat. *Si hunc dimittis, non es amicus.* Supra legem proposuerunt, secundum quam deberet mori, quia Filium Dei se fecit: sed quia ille legem gentis alienæ non timet, sed magis timet occidere Filium Dei, terrent eum a Cæsare, quem non potest ut auctorem potestatis suæ contemnere.

^{‡‡ 19.14} *Erat autem parasceve.* AUG. Parasceve quod interpretatur *præparatio*, etc., *usque ad* et eadem est sexta præparationis.

^{¶¶ 19.15} *Regem vestrum crucifigam?* Adhuc terror quem de Cæsare ingerunt superare conatur, dicens: *Regem vestrum crucifigam?* De ignominia eorum volens eos frangere, quos de ignominia Christi non poterat mitigare.

^{§§ 19.16} *Tunc ergo.* Quia profitentur Cæsarem aperte contra eum esse si alium regem velit eis ingerere, dimittendo impunitum quem propter hos ausus tradiderant occidendum. Victus ergo timore, tradidit eis Jesum ut crucifigatur. *Tradidit eis Jesum ut crucifigeretur.* Eis, non quod ipsi manibus eum acciperent, qui supra hoc excusaverant, sed ut crimine impliciti videantur a quo alieni esse conantur, cum non nisi pro eis hoc faceret Pilatus, unde nec ait ut crucifigerent, sed ut crucifigeretur iudicio et potestate Pilati.

^{* 19.17} *Bajulans.* Portabat crucem suam Jesus. Grande ludibrium impiis, grande mysterium piis gloriantibus, quasi in sceptro regni, et est crux candelabrum lucernæ quæ non erat sub modio ponenda. Primo Dominus crucem portat, quia prior passus est; postea imposita est Simoni Cyrenæo, quia debemus sequi vestigia.

^{† 19.18} *Et cum eo.* Latro qui permansit in perfidia significat Judæos; qui confitetur, gentes significat.

^{‡ 19.19} *Et erat scriptum.* Hæ tres linguæ cæteris eminebant: Hebræa propter Judæos in lege Dei gloriantes; Græca propter gentium sapientes; Latina propter Romanos tunc pene omnibus gentibus imperantes.

²² Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. ²³ Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.[†] ²⁴ Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. ²⁵ Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. ²⁶ Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus.[§] ²⁷ Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.^{**} ²⁸ Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. ²⁹ Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. ³⁰ Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. ³¹ Judæi ergo (quoniam parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. ³² Venerunt ergo milites: et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. ³³ Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ³⁴ sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. ³⁵ Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit: ut et vos credatis. ³⁶ Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. ³⁷ Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. ³⁸ Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum), ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu. ³⁹ Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ et aloës, quasi libras centum. ⁴⁰ Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. ⁴¹ Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. ⁴² Ibi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

20 Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum: et vidit lapidem sublatum a monumento. ² Cucurrit ergo,

[†]19.23 *Milites ergo cum crucifixissent eum.* Ecce quæ gesta sunt juxta crucem, cum jam crucifixus esset. *Quatuor.* Quadripertita vestis signat Ecclesiam toto orbe, qui quatuor partibus constat diffusam omnibus partibus æqualiter, id est concorditer distributam. Tunica sortita omnium partium significat unitatem, quæ charitatis vinculo continetur. *Desuper.* Quia charitas supereminet omnibus per totum, quia nemo est ejus expers qui pertinere videatur ad totum, a quo toto, sicut Græca indicat lingua, catholica vocatur Ecclesia, quæ in sorte Dei gratia commendatur.

[§]19.26 *Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem quem diligebat.* Qui divina facturus, quasi repulit ignotam matrem; jam ostendit venisse horam, quam tunc prædixit, in qua agnoscit de qua fuerat mortaliter natus. Et docet ut a piis filiis impendatur cura parentibus, unde et Apostolus: *Si quis suorum curam non habet, fidem negat* I Tim. 5., etc.

^{**}19.27 *Et ex illa hora accepit eam discipulus.* Qui etsi jam non haberet propria, in illa societate centupliciter acceperat, ubi erant omnia communia, nihil habens et omnia possidens.

et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum, quem amabat Jesus, et dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. ³ Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. ⁴ Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. ^{††} ⁵ Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina: non tamen introivit. ⁶ Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita, ⁷ et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. ^{‡‡} ⁸ Tunc ergo introivit et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum: et vidit, et credidit: ⁹ nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. ^{¶¶} ¹⁰ Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. ¹¹ Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum: ^{§§} ¹² et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. ^{*} ¹³ Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum: et nescio ubi posuerunt eum. [†] ¹⁴ Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem: et non sciebat quia Jesus est. [‡] ¹⁵ Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti

^{††}20.4 *Currebant autem.* Joannes significat Synagogam, quæ prior venit ad monumentum sed non intravit, quia prophetias de incarnatione et passione audivit, sed et mortuum credere noluit. Petrus Ecclesiam, quæ cognovit carne mortuum, viventem credidit Deum, post quem et in Judæa in fine intrabit.

^{‡‡}20.7 *Separatur.* Quia sacramenta Divinitatis incomprehensibilia a nostræ infirmitatis cognitione remota sunt. In involuto, nec finis nec initium aspicitur. Sic celsitudo Divinitatis nec cœpit esse, nec desinit. *In unum locum.* Quia in scissura mentium Deus non est, sed in unitate. Vel, sudarium capitis passio Christi, cujus sacramenta infidelibus sunt occultata seorsum, quia longe a nostra, quia ille sponte et sine culpa passus, nos inviti cum culpa.

^{¶¶}20.9 *Nondum enim.* Scilicet, usque adeo, ut cum ab ipso Domino aperte diceretur propter consuetudinem ab eo audiendi parabolas, non intelligerent.

^{§§}20.11 *Plorans.* Jam plus de sublato quam de occiso plorat, quia tanti magistri cujus vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat et iste dolor ibi eam tenebat. *Dum ergo,* etc. Cum eum sciret ibi non esse, sed quia nimis dolet, nec suis oculis, nec oculis illorum duorum credentium putavit. Vel potius divino instinctu hoc factum est.

^{*}20.12 *Vidit duos.* Angeli, id est nuntii, significant Evangelium Christi a capite usque ad pedes, id est ab initio usque ad finem esse nuntiandum. Et ille ex passione sua erat nuntiandus, quia Deus est ante sæcula, et homo in fine sæculi. Sedet ergo angelus ad caput, cum dicit: *In principio erat Verbum.* Ad pedes, cum dicit: *Verbum caro factum est.* Vel duo angeli duo Testamenta, unum prius, aliud sequens. Conjuncta dum pari sensu incarnatum, mortuum, resuscitatum nuntiant.

[†]20.13 *Quid ploras?* Quasi dicat: *Noli peccare.* Prohibent lacrymas quodammodo nuntiantes gaudium. At illa putans eos interrogare nescientes, prodit causam lacrymarum: *Quia tulerunt Dominum meum,* id est corpus Domini mei.

[‡]20.14 *Et non sciebat quia Jesus,* etc. Quia tergum ad eum habebat quem non resurrexisse credebatur; quia amabat et dubitabat, videbat et non cognoscebat.

eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam.[¶] 16 Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister).[§] 17 Dicit ei Jesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. 18 Venit Maria Magdalene annuntians discipulis: Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi.^{**} 19 Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum: venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis.^{††} 20 Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisus sunt ergo discipuli, viso Domino.^{‡‡} 21 Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.^{¶¶} 22 Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum:^{§§} 23 quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.^{*} 24 Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus.[†] 25 Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et

[¶]20.15 *Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei.* Non quod dubitet quem requireret, sed quia illa quem quærit ignoret, non enim quærit Christum, sed quem putat raptum. *Domine.* Quem putat hortulanum dicit Dominum, ut honorificaret hominem a quo rogabat beneficium. Nec sic dicit eum Dominum, sicut illum quem quærit sublatum. Jesum vero agnoscens vocat magistrum, quia recolit eum a quo discernere humana et divina discebat. *Si tu sustulisti eum.* Non dicit quem, quia hoc in animo agit vis amoris, ut quem semper cogitat nullum alium ignorare credat.

[§]20.16 *Maria. Conversa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Jesus.* Postquam communi nomine vocavit, et non est agnitus, vocat ex nomine, ac si dicat, Recognosce eum a quo recognosceris.

^{**}20.18 *Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, quia vidit Dominum,* etc. Ibi culpa abscinditur undet processit. Mulier mortem viro propinavit, modo mulier vitam nuntiat viris, et quæ tunc verba serpentis modo narrat verba vivificatoris, ac si ipsis rebus dicat Deus: De qua manu illatus est potus mortis, de ipsa suscipite potum vitæ.

^{††}20.19 *Cum ergo,* etc. Hoc ipso in die resurrectionis factum est, in quo quinquies Jesus apparuit. Primo Mariæ Magdalene, secundo eidem cum aliis currenti nuntiare discipulis volentibus, tertio Petro, quarto Cleophæ et socio ejus, quinto discipulis januis clausis prædictis duobus jam reversis.

^{‡‡}20.20 *Ostendit eis manus et latus.* Post resurrectionem in corpore suo Dominus duo contraria ostendit, et palpabile ejusdem naturæ ut formet ad fidem, et incorruptibile alterius gloriæ ut invitet ad præmium.

^{¶¶}20.21 *Dixit ergo eis iterum. Pax vobis,* etc. Pacem offert, qui propter pacem venit, iterat, ut monstret per suum sanguinem esse pacificata quæ in cœlis sunt, et quæ in terra.

^{§§}20.22 *Accipite Spiritum sanctum.* AUG. In terra datur spiritus ut diligatur proximus, e cœlo datur Spiritus, ut diligatur Deus.

^{*}20.23 *Quorum remiseritis peccata.* Ecce charitas, quæ per Spiritum sanctum infunditur cordibus eorum. Qui participes sui sunt, peccata dimittit; eorum qui non sunt, tenet. Et ideo postquam dixit: *Accipite Spiritum sanctum,* continuo subjicit: *Quorum remiseritis peccata.*

[†]20.24 *Thomas autem unus.* Non casu, sed divina dispositione defuit Thomas et audita non credidit; unde palpandum se ei Dominus præbuit, quia ejus dubitatione et facta sibi probatione nulli relinquitur jam dubitare. *Qui dicitur Didymus.* Didymus, id est geminus, quia dubius Thomas, id est abyssus: quia dubitando profundius novit.

mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. ²⁶ Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis. ²⁷ Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis. ²⁸ Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus et Deus meus. ²⁹ Dixit ei Jesus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt. ³⁰ Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. ³¹ Hæc autem scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei: et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

21 Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic: ² erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanaël, qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. ³ Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim: et illa nocte nihil prendiderunt. ⁴ Mane autem facto stetit Jesus in littore: non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. ⁵ Dixit ergo eis Jesus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. ⁶ Dicit eis: Mitte in dexteram navigii rete, et invenietis. Miserunt ergo: et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. ⁷ Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. ⁸ Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis), trahentes rete piscium. ⁹ Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem. ¹⁰ Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. ¹¹ Ascendit Simon Petrus et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. ¹² Dicit eis Jesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia Dominus est. ¹³ Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter. ¹⁴ Hoc jam

²⁶20.28 *Respondit.* Videbat et tangebatur hominem, et super hoc Deum credebat jam remota dubitatione, et confitebatur quem non videbat.

²⁹20.29 *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* Non ait tetigisti, sed vidisti: quia visus quodam modo generalis sensus est qui de aliis quatuor dici solet. Forsitan non fuit ausus tangere; sed aspiciendo tantum, seu etiam tangendo credit. *Beati.* Commendat fidem gentium, sed præterito utitur, ut qui quod erat futurum, in sua prædestinatione noverat jam factum.

^{21.1} *Postea manifestavit.* Relictis omnibus secuti fuerunt Jesum. Quod si post mortem Jesu antequam redderetur eis vivus, repetissent priorem artem, possent videri ex desperatione hoc fecisse; sed post redditum vivum, post acceptum ejus insufflationis spiritum, post verba ejus: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* subito fiunt quod fuerunt, piscatores, non hominum sed piscium. Sed sciendum est non prohibitos fuisse sua arte licita victum quærere, apostolatus integritate servata, cum unde viverent non haberent, et sic illis laborantibus adjecit Deus necessaria quæ promisit, hic autem penuria eorum disposita est, ut in piscatione tanta exhiberentur sacramenta.

tertio manifestatus est Jesus discipulis suis cum resurrexisset a mortuis.** 15 Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.†† 16 Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. 17 Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: Amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.‡‡ 18 Amen, amen dico tibi: cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis.¶¶ 19 Hoc autem dixit significans qua morte clarificatur esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me.§§ 20 Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus

**21.14 *Hoc jam.* Non quod ter tantum manifestatus sit, sed ad dies, refert, primo die quo resurrexit, post octo dies, hoc die quando hoc fecit de piscibus. Secundum dies ergo manifestationes numerantur. Prima, quotiescunque sit facta, uno die resurrectionis. Secunda, post octo dies, et hæc est tertia. In hac tertia manifestatione hoc Evangelium terminatur.

††21.15 *Cum ergo prandissent.* Jesus scit quod interrogat an plus diligat, Petrus quod de se novit, dicit, id est quod amat. Et quia de aliis quantum diligant, nescit, ideo utrum plus illis diligat, tacet. Ecce docet, non temere definire de occultis, et priori periculo negationis cautius de se respondit. *Pasce agnos meos.* Si me diligis, *pasce agnos meos.* Non ut tuos gloriam meam in eis quære, non tuam; mea lucra, non tua, quia dilectio Dei probatur in dilectione proximi. Qui vero opus pietatis negat proximis, minus Deum diligit. Hæc autem charitas ex divina datur gratia. Quod tacite innuit Joannes dum interrogans de amore dicit hic quod non alibi: *Simon Joannis*, id est obediens Dei gratia, quia quod ardentius cæteris diligit et obedit, non est nisi Dei gratia.

‡‡21.17 *Dicit ei tertio.* Interrogat quod sciebat non semel, sed iterum et tertio; et tertio audit a Petro se diligi, et tertio jubet pascere oves. Trina negationi redditur trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori. Et sicut fuit iudicium timoris negare pastorem, sic officium amoris pascere Domini gregem. *Contristatus est Petrus.* AUG. Etiam remissis peccatis tolerat homo miseriam, in quam tamen ex peccato venit. Productor enim pœna est quam culpa, nec parva videretur culpa, si cum illa auferretur pœna. Est ideo vel ad demonstrationem debitæ miseriam, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ temporaliter tenet hominem pœna, etiam quem jam reum non tenet culpa, et hæc est horum dierum flenda, sed non reprehendenda conditio. *Pasce.* Pascere oves est credentes ne deficiant confortare, terrena subsidia, si necesse est, subditis providere, exempla virtutum præbere, adversariis obsistere, peccantes corrigere.

¶¶21.18 *Cum autem senueris.* Passurum prædicat qui negaturum prædixerat, hoc jam poterat resurrectione firmatus, quod immature pollicebatur infirmus. Jam non meuit hujus vitæ interitum, quia resurgente Domino vitæ alterius præcessit exemplum.

§§21.19 *Et cum hoc dixisset.* His dictis, cœpit Jesus abire, et nondum intellecto quod audivit, *Sequere me*, cœpit Petrus incessu pedum sequi, secutus est et Joannes qui sciebat se diligi.

ejus, et dixit: Domine, quis est qui tradet te? * 21 Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu: Domine, hic autem quid? † 22 Dicit ei Jesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. ‡ 23 Exiit ergo sermo iste inter fratres quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus: Non moritur, sed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? ¶ 24 Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc: et scimus quia verum est testimonium ejus. § 25 Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. **

*21.20 **Quem diligebat Jesus.** Diligebat et alios, sed familiarius istum donavit potiore dulcedine sui amoris, quia virgo electus ab ipso virgo permansit, unde et matrem ei commendavit. AUG. Tacito nomine discernitur Joannes a cæteris, etc., usque ad qui virgo est Joannes convenit futuræ vitæ, ubi neque nubent neque nubentur. **Super pectus.** In pectore Jesu sunt **omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi**, super quod recubuit quem majori cæteris sapientiæ et scientiæ singularis munere donat, in quo figurabatur quanta arcana divinitate præ cæteris esset scripturus.

†21.21 **Domine, hic autem quid?** Quia audierat Petrus se crucifigendum, voluit etiam fratris cognoscere exitum.

‡21.22 **Sic eum volo manere, donec veniam.** Nolo eum per martyrium consummare, sed exspectare eum placidam carnis suæ absolutionem, quando ego veniens recipiam eum in æternam beatitudinem.

¶21.23 **Et non dixit ei.** Non est intelligendum quod Joannes non sit mortuus in carne, sed quiddid ante passus, quod ultimum in pace senium finiret. Non enim magnum erat dare dilecto non mori, cum dissolvi et esse cum Christo sit multo melius.

§21.24 **Hic est,** etc. Hic aperte suam designat personam ex officio, quod noluit designare ex vocabulo.

21.25 **Nec ipsum arbitror mundum. AUG. Non spatio locorum, credendum est mundum capere non posse, etc., usque ad sicut alii tropi, hoc est locutionum modi. **Nec ipsum.** Non dicit spatio non posse capi, sed capacitate legentium, quamvis salva fide rerum plerumque verba videantur excedere fidem per hyperbolen.

INCIPIT LIBER ACTUUM APOSTOLORUM

1 Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere^{†† 2} usque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est:^{‡‡ 3} quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.^{¶¶ 4} Et convescens, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum:^{§§ 5} quia Joannes quidem bapti-

^{††}1.1 *Sermonem feci.* Id est, scripsi: quia scribere est operari. Vel hoc ita dicit, quia factis meruit esse scriptor Evangelii. *Feci.* Totus liber Evangelii unus sermo dicitur, eo quod habeat unum sensum: aut singulare pro plurali. Evangelium est bona annuntiatio, qua annuntiatu requies post laborem, regnum post servitium, vita post mortem. *De omnibus.* Dictis et factis Christi quæ judicavit officio digna vel idonea suæ dispensationi. *Theophile.* Theophilus idem est quod Dei amicus, vel Dei amator: et si tu sis amicus Dei, tibi scribitur. *Quæ cœpit Jesus facere.* A baptismo Joannis quo Jesus baptizatus est, *usque in diem* quo assumptus est in cœlum: quia de toto illo tempore Lucas sermones texuit, qui in fine Evangelii ita scripsit: *Cum benedixisset, recessit ab eis et ferebatur in cœlum. Facere.* Bonum doctorem instituit vel instruit, qui faciat quod docet.

^{‡‡}1.2 *Præcipiens apostolis* prædicare Evangelium *per Spiritum sanctum*, per quem prædicatum est Evangelium, quia verba inspirabat, et fiduciam tribuebat. Vel, *præcipiens per Spiritum sanctum*, id est, quod Filius præcipit, præcipit et hoc Spiritus sanctus. Vel, propter Spiritum præcepit, quia non præciperet nisi Spiritus venturus esset. *Elegit.* Hoc ad laudem apostolorum, quorum actus scribere proponit, vertitur. *Assumptus.* A Divinitate, vel a nube assumptus, quasi verus homo.

^{¶¶}1.3 *Vivum.* Corpus vivum et proprium, non phantasticum quod et apostoli cognoverunt tanquam notissimum. Aut vivum, eo quod post mortem vivebat. Vel vivum, id est amplius non moriturum. *Per dies.* Non tamen eis per quadraginta dies continuos apparuit: post diem enim resurrectionis alios quatuor dies intervenisse Joannes dicit. Post quos rursus apparuit per quadraginta: quia quadraginta horis mortuus fuerat, quadraginta diebus se vivere confirmat. Et per quadraginta typus præsentis sæculi, quo Christus in Ecclesia versatur, potest intelligi: sive quia homo quatuor constans elementis, eruditur contra transgressionem Decalogi.

^{§§}1.4 *Convescens.* Signa veri corporis annuntiat, quia non uno corporis sensu, sed visu, auditu, tactu, apparendo, loquendo, convescendo probavit se resurrexisse. *Promissionem*, quam promisit per Joël, ut habetur in sequentibus: et si a Christo facta, a Patre tamen complebitur. Vel *Patris* dicitur, quia in ejus Verbo, id est Christo, promittitur.

zavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.*⁶ Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?⁷ Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate:^{†8} sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.^{‡9} Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est: et nubes suscepit eum ab oculis eorum.^{¶10} Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis,^{¶11} qui et dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet

*1.5 *Quia Joannes.* BEDA. Cum diceret Dominus: Quia Joannes baptizavit aqua, vos autem, etc., usque ad quod in baptismo Joannis non fiebat. Baptisma datur in duabus naturis, corporali scilicet et spirituali: quia homo qui baptizatur, duobus constat: corpore scilicet et anima, tamen unum est baptisma, sicut unus homo. **Vos autem,** etc. Quando Petrus negavit, non erant apostoli baptizati; non aqua, sed spiritu: post resurrectionem enim dictum est: **Vos vero baptizabimini Spiritu sancto.** Nondum enim resurrectione Christi et missione Spiritus confirmati erant. Sicut autem justis circumcisio non fuit necessaria, antequam imperaretur Abraham et posteritati suæ: sic postquam sacramentum Novi Testamenti, id est baptisma, circumcisionis loco datum est a Domino dicente: **Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto** Joan. 3., etc., certum est nullum ad corpus Christi pertinere, nisi baptizatum, præter eos quibus passio deputatur pro baptismo. Item scriptum est, quando Paulus baptizatus est: et non est scriptum quando alii apostoli baptizati sunt: sed debemus intelligere baptizatos esse propter illud: **Nisi quis renatus fuerit,** etc.

†1.7 *Non est vestrum nosse.* Non ait, non erit, sed **non est:** notans adhuc esse infirmos, et ideo ad secretum cognoscendum non esse idoneos: Cum vero ait: **Non est vestrum nosse,** ostendit quod ipse sciat, cujus sunt omnia quæ Patris, sed eis non expedit nosse, sed ita vivant quasi quotidie judicandi. **Quæ Pater.** Illius, inquit, regni tam secretum est tempus, ut tantum scientiæ Patris pateat, **sed accipietis virtutem Spiritus sancti,** ut quod propter infirmitatem carnis non potestis, possitis ex virtute Spiritus sancti. **In sua potestate.** Hoc ut verus homo excusabiliter dixit, sed tantum una est Patris et Filii et Spiritus sancti potestas: Filius etiam potestas Patris est.

‡1.8 *Sed accipietis.* Tollitur scientia temporum, sed divinum, quo indigent, adhibetur auxilium: hoc modo, cum pueris aliquid tollitur, aliud datur ne penitus tristen- tur. **Supervenientis Spiritus sancti.** Cum superveniet Spiritus in vos, non regnum Israël, sive regnum Dei in Israël, ut putatis, afferet, sed virtutem testificandi de me vobis præstabit, tantumque illius regni tempus longe est, ut prius non solum Hierosoly- mam, sed omnes fines Judææ et Samariæ, mundi etiam terminos per circuitum fama Evangelii percurrat. **In Jerusalem et in omni Judæa.** Consequentia ordinis in vocabulis locorum conservata est: Jerusalem succedit proxima Judææ provincia, cui Samaria situ conjungitur, dehinc omnis terræ communio subinfertur. **In Jerusalem.** Mystice: in visione pacis, in confessione veræ fidei: custodia præceptorum Dei: et in his qui se in alienos fecerint a terra prædicaturos eos prædixit, per quos quasi rotæ radios de medio terræ ubi salutem operatus est, gratia spiritualis et salutaris doctrina per totum orbem defluxit.

¶1.9 *Et cum hæc dixisset.* Aliter Marcus commemorat dicens: **Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum** Matth. 28.. Sed quia Lucas significantius adjecit: **Cum hæc dixisset, elevatus est,** completis illis sermonibus quos commemoraverat Dominum ascendisse cælos ostendit.

quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.^{§ 12} Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter.^{** 13} Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus, et Joannes, Jacobus, et Andreas, Philippus, et Thomas, Bartholomæus, et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi.^{†† 14} Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus.^{‡‡ 15} In diebus illis, exurgens Petrus in medio fratrum, dixit (erat autem turba hominum simul, fere centum viginti):¹⁶ Viri fratres, oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum:¹⁷ qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus.¹⁸ Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius: et diffusa sunt

§1.11 *Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* In quibus debet esse prudentior sensus, quia Galilæi cæteris Judæis in sapientia præcellerant. Vel, Galilæi volubiles, quia instabilitate sui sensus obliiti erunt præcepta Dei.

**1.12 *Tunc reversi sunt*, etc. Reversio apostolorum de monte Oliveti Jerusalem, significat Ecclesiam quæ de activa in contemplativam ascendens, iterum descendit in conversationem activalem. Mons enim Oliveti ab antiquis mons trium luminum vocabatur: lucernæ scilicet de templo resplendentis, ac solis ex altera parte orientis, et olei in ipso monte naturalis lucis: quæ tria conveniunt perfectioni propter divini Verbi lucem de Ecclesia fulgentem, propter solis justitiæ fulgorem, propter puræ conscientiae nitorem.

††1.13 *Et cum introissent*. In Græco ita ponitur: *Cum introissent civitatem, in cœnaculum ascenderunt, ubi erant manentes Petrus*, etc. In Græco sic est ordo nominum: *Petrus et Andræas, Jacobus et Joannes, Simon Zelotes et Judas Jacobi. Cœnaculum*, etc. BEDA. Locus est in superiori, designans quod a terra sublatis ad superiora scientiæ et virtutis conscendunt. Cœnaculum dicitur tertium tectum, figura charitatis fidei superædificatæ et spei. Charitas autem diffusa est in cordibus nostris per Spiritum. *Petrus et Joannes*. Petrus primus ponitur, quia princeps et pastor. Petrus et Joannes merito primi ponuntur, qui simul cucurrerunt ad monumentum, quia plus cæteris amabant. Primus (si fas est dici) plus cæteris dilexit: alium, plurimum Jesus amavit. Catalogus apostolorum ideo ponitur, ne extra hos aliqui falsi recipiantur: paria et ponuntur loca singulorum, distinguentibus gradibus meritum. Hi sunt duodecim filii Jacob; duodecim fontes deserti, quos Israël reperit in Elim; duodecim panes propositionis; duodecim lapides in veste pontificis; duodecim signa zodiaci; duodecim lapides altaris; duodecim lapides de Jordane elevati; duodecim boves sub æneo mari; duodecim stellæ in corona sponsæ; duodecim fundamenta; duodecim portæ; duodecim menses anni; duodecim horæ diei; duodecim fructus ligni vitæ. *Zelotes*. BEDA. Zelotes ipse est qui in Evangeliiis dicitur Chananæus. Chana *zelus* interpretatur. Erat enim de vico Galilææ ubi Dominus aquam convertit in vinum. Hic post Jacobum fratrem suum, rexit Ecclesiam Hierosolymorum. Filio pereunte perditionis, imperfectus numerus apostolorum remansit, juxta similitudinem enim lunæ crescit et decrescit Ecclesia: sed vetera transeunt, et nova fiunt.

‡‡1.14 *Maria*, etc. Virgo a mulieribus distinguitur, quæ tamen aliquando mulier non pro corruptione, sed pro sexu appellatur. Ecce principium nascentis Ecclesiæ adornatur flore virginitatis. *In medio fratrum*. Id est filiorum, quorum unus est Pater in cœlis. In medio Petrus stetisse dicitur: quasi communi miseratione condescendens. Hoc exemplum sumendum est pastoribus Ecclesiæ. Hic numerus centum et viginti congruit ætati Moysi, ut sicut sub hoc numero, Moyse defuncto, Jesus successit, qui populum in terram promissionis induxit, sic veteri legi in Ecclesia principatus Christi successit, ducens verum Israël ad regnum cœli.

omnia viscera ejus.[¶] 19 Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis.^{§§} 20 Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea: et episcopatum ejus accipiat alter.* 21 Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, 22 incipiens a baptisate Joannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. 23 Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Mathiam.[†] 24 Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, 25 accipere locum ministerii hujus et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas ut abiret in locum suum. 26 Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam: et annumeratus est cum undecim Apostolis.

2 Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco:[‡] 2 et factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehemen-

[¶]1.18 *Possedit agrum.* Non quia agrum possederit, sed quia ipsius fuerat pretium agri qui Dominum vitæ vendidit. Amissa terra viventium, agrum sanguinis et mortis, æterna sceleris et nominis sui memoria possidet Judas. Emptum tamen pretio sanguinis agrum figuli non possedit, qui traditionis crimen in se protinus mulctavit, sed *possedit* dictum est pro *possideri fecit*. Quidam agrum a Juda possessum ridicule exponunt infernum. Alii possedisse agrum illum existimant, ex eo quod cum peregrinis in eo sepultus fuit. *Viscera.* Viscera quæ sunt sedes fraudis, tanto scelere dirupta, se cohibere non valuerunt. Merito autem per sedem doli viscera funduntur, non per locum osculi, id est os quo osculatus est Jesum, quamvis falsa superficie, sed per alium cui virus occultæ malitiæ inerat.

^{§§}1.19 *Eorum,* id est habitantium Jerusalem, quia etsi utrique loquebantur Hebraice, distabat tamen proprietas linguæ Hierosolymorum a Galilæis, de quibus apostoli erant: quod in passione Domini ostenditur, ubi etiam Petrus nolens lingua sua proditus est esse Galilæus.

*1.20 *Deserta, et non sit,* etc. Donec electus pro eo assumatur Matthias. Vel, non sit ipse Judas, qui habitet in ea, sed alius assumatur pro eo qui pœnitentia indignus judicatus est.

[†]1.23 *Duos.* Clemens refert hos duos qui ad sortem apostolatus statuti sunt, de numero septuaginta discipulorum fuisse. *Qui cognominatus.* In laude Barnabæ immoratur: quia pro laude Matthæus habet, quod sorte eligitur. Barnabæ laus cumulat, ne velut indignus repelli videretur: quod postea declaratum est; quia cum Paulo gentium apostolus ordinatur, illi officio reservatus. *Justus.* Aut Latinum est, aut Hebræum: et interpretatur *parcens,* vel *elevatus.* *Et Mathiam,* qui *donatus,* vel *donum Dei* interpretatur: cui donum apostolatus a Domino collatum est, vel *Dei pannus* interpretatur. Merito parvi transcenditur ille laude hominum qui justus erat, inquit Arator.

[‡]2.1 *In eodem loco.* Cœnaculo scilicet, in quod ascenderant. Qui Spiritum desiderat, carnis domicilium mentis contemplatione transcendens calcatur.

tis, et replevit totam domum ubi erant sedentes.[†] ³ Et apparuerunt illis dispersitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum:[§] ⁴ et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.^{**} ⁵ Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.^{††} ⁶ Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.^{‡‡} ⁷ Stupebant autem omnes, et mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt?

†2.2 *De cælo.* Datur Spiritus de cælo, ut diligatur Deus; in terra datur, ut diligatur proximus: bis enim post resurrectionem est datus ad duo præcepta charitatis commendanda. *Sonus.* Potest dici locutio linguarum de ore apostolorum sonans. *Spiritus.* Ante passionem datus est apostolis Spiritus ad gratiam doctrinæ et sanitatum; post resurrectionem insufflavit Jesus spiritum, et ait: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* Joan. 20., etc. Quod donum soli Petro prius dederat: sed ut creditur tunc per anticipationem, nunc cum cæteris per completionem etiam Petro tribuitur: et potestas data est dimittendi illis quos ad officium mittebat prædicationis. *Vehementis.* Comparatione præcedentium vehemens dicitur gratia apostolorum, vel in similitudinem venti vehementis Spiritus venit. *Totam domum.* In una domo sedentibus infunditur Spiritus, ut Ecclesiæ unitas commendetur, in cœnaculo tertia lege incipiente. In datione legis plebs longe stabat præ timore; hic veniente Spiritu congregati erant in unum ex amore. *Sedentes.* Ut compleatur quod dictum erat eis: *Sedete hic in civitate.* Sessio est indicium humilitatis et stabilitatis: quibus præparatur sedes Spiritui sancto, qui super humiles requiescit. GREG. In igne apparuit Spiritus, sed per seipsum, etc., usque ad et voce sive sonitu docta sunt corda.

§2.3 *Dispersitæ.* Dispersio linguarum est facta in turre, sed quod dispersit superbia, recolligit humilitas: in superbia dispersio, in humilitate fit concordia. Ecce completur sententia Domini quæ ait: *Non vos relinquam orphanos, sed mittam Spiritum paracletum* Joan. 14., qui eorum advocatus, pro eis omnibus linguis locutus est. Linguas attulit, qui pro Verbo venit, cognitionem enim habet lingua cum verbo, ut ab invicem non possint separari. Sic Verbum Patris, id est Filius, et Spiritus sanctus inseparabiles sunt, imo et unius naturæ. *Tanquam ignis.* Idem in igne Spiritus venit: quia peccatores *Spiritus purgat, illuminat, accendit, urit.* Ignis enim quatuor habet naturas, *urit, purgat, calefacit, illuminat.* Similiter Spiritus exurit peccata, purgat corda, torporem excutit, ignorantias illustrat. Ignis incorporeus et invisibilis est in sua natura; sed assumpto aliquo corpore videtur, diversi coloris apparens, propter materias in quibus ardet. Sic Spiritus videri non poterit, nisi per creaturas in quibus operatur.

**2.4 *Et cœperunt.* Ecce signum plenitudinis: plenum vas erumpit. Ignis in sinu non potest occultari. *Variis linguis.* Quia linguis omnibus loquebantur, vel sua, id est Hebræa lingua, loquentes, ab omnibus ita intelligebantur, ac si propriis singulorum loquerentur, secundum illud Prophetæ: In aliis linguis, et labiis aliis, loquar populo huic, etc.

††2.5 *Ex omni natione,* etc. RAB. Ac si diceretur: Ubicumque nati. Judæos autem in omnibus gentibus nasci captivitas fecit, quæ sub Antiocho facta est non multis temporibus ante.

‡‡2.6 *Confusa.* Confusio ista confusio linguarum opponitur, a qua Babel vocabulum sortita est. Sic humilitas apostolorum humanæ superbiam respondet. *Unusquisque.* Linguæ omnes dicuntur esse septuaginta duæ: unde et discipuli secundi ordinis sub hoc numero sunt electi, ut numerus prædicatorum concordaret numero linguarum.

⁸et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus?[¶]
⁹Parthi, et Medi, et Ælamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam, et Cappadociam, Pontum, et Asiam,^{§§} ¹⁰Phrygiam, et Pamphyliam, Ægyptum, et partes Libyæ quæ est circa Cyrenen: et advenæ Romani,^{*} ¹¹Judæi quoque, et Proselyti, Cretes, et Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. ¹²Stupebant autem omnes, et mirabantur ad invicem, dicentes: Quidnam vult hoc esse? ¹³Alii autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti. ¹⁴Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis: Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea.[†] ¹⁵Non enim, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia: ¹⁶sed hoc est quod dictum est per prophetam Joël: ¹⁷[Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, et juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt.[‡] ¹⁸Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt: ¹⁹et dabo prodigia in cælo sursum, et signa in terra deor-

[¶]2.8 *Audivimus.* In hoc significabatur unam Ecclesiam omnium gentium linguas locuturam. BEDA. Quæritur utrum hi qui loquebantur, etc., usque ad magis videbatur audientium esse miraculum quam loquentium.

^{§§}2.9 *Cappadociam,* etc. Istæ quinque provinciæ quæ post Judæam ponuntur, Græce quidem loquuntur: sed ex patria consuetudine est in sono diversitas. Unde mira fuit in apostolis gratia, quæ non solum diversitatem eos docuit, sed etiam distantiam proprietatum in unaquaque linguarum juxta numerum provinciarum in eorum loquela fecit.

^{*}2.10 *Advenæ Romani.* In Græco, peregrinantes Romani, id est, Judæi qui peregrinam vitam Romæ gerebant.

[†]2.14 *Viri Judæi.* Id est, duæ causæ sunt prudentiæ, nimirum quod Judæi, et quod habitarent Jerusalem, quam decet sobrietas.

[‡]2.17 *Effundam.* Hoc verbo largitatem muneris ostendit, quia non ut olim prophetis et sacerdotibus tantum, sed omnibus passim in utroque sexu personis Spiritus erat dandus. *De Spiritu.* Ad diversa dona respicit dum hoc dicit, non autem ad subsantiæ imminutionem. *Super omnem carnem.* Quæ sit omnis caro consequenter exponit ibi: *Et prophetabunt filii,* etc. RAB. Super omnem carnem masculi et feminæ, vel circumcisi et ethnici, secundum illud: *Non est masculus et femina, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber* Gal. 3.. *Et prophetabunt.* Lex et prophetæ usque ad Joannem: ex eo regnum evangelizatur. Sed aliud est de Christo prophetare, aliud ventura prædicere et docere.

sum, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi:¶²⁰ sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus. ²¹ Et erit: omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.] ²² Viri Israëlitæ, audite verba hæc: Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis: ²³ hunc, definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis:§²⁴ quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.** ²⁵ David enim dicit in eum: [Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear:††²⁶ propter hoc lætatum est

¶2.19 *Et dabo.* Mystice prodigia in cælo, labores sunt in Ecclesia. Signa, super terram. Vindictæ, in terrenis. Sanguis, in martyrio. Ignis, Evangelii vel Spiritus sancti. Vapor fumi, animæ vel cordis compunctio. *Prodigia in cælo.* Etenim Christo nascente, novum sidus apparuit; eo ascendente crucem, sol obscuratus est et cælum tenebris obductum. *Sanguinem.* Non solum vulneris, sed etiam sudoris, quando in oratione factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis, quod inter signa Deitatis ponitur, quia in humana natura non invenitur. Ergo significat orbem universum sanguine Christi abluendum, ut sicut tabernaculum sanguine victimarum fuerat consecratum, ita populus fidelis sanguine ejusdem dedicaretur: et ut non solum Hierosolymis locus esset orationis, sed in omni loco dominationis ejus levarent manus electi per orationes ad Dominum. *Vaporem fumi.* Compunctionis et fletuum, scilicet vaporem. Quia sicut fumus ab igne, ita compunctio a Spiritu sancti ardore. *Sol convertetur,* etc. Hoc in passione Christi partim factum partim ante judicii diem creditur venturum. Tunc enim sol obscuratus est, sed luna in sanguinem versa hominibus apparere non potuit: quia tunc (utpote in Pascha) quintadecima existens, interdiu fuerat visibus humanis objectu terræ occultata.

§2.23 *Definito consilio.* RAB. In hoc solo Judæi fuere notabiles, quia non obedienti animo fecerunt. *Et præscientia Dei,* etc. ID. In Græco sic est: *Præscientia sic traditum accipientes.* Traditus est enim a præside in potestatem illorum, ut ipsum sive latronem eligerent, sed latroni concessa vita, Jesum per manus militum occiderunt. **2.24 *Suscitavit.* Non usitata cum cæteris, atque communi resurrectione quæ in finem differtur, sed quæ die tertia celebraretur, ut assertio hujus resurrectionis testimonium esset Deitatis. RAB. Suscitavit, secundum humanitatem, quam maxime oderant Judæi. *Solutis doloribus.* Videtur esse sensus hujus sententiæ, quod Domino ad inferos descendente dolores poenarum soluti sint, quia eum tangere non potuerunt, sed juxta Græcum in quo scriptum est: *Solvens per ipsum mortis dolores, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo,* patet, quia per descensum ejus liberati sunt sancti a locis infernorum; qui licet in sinu Abrahæ, id est in consolatione quietis essent, a dolore tamen mortis sive inferi non erant soluti ex toto, quia non meruerant gaudia cæli intrare, donec fieret illud Prophetæ: *In sanguine testamenti eduxisti victos tuos de lacu, in quo non est aqua* Zach. 5.. Victi enim erant antequam educerentur.

††2.25 *Providebam Dominum.* Vox Christi post resurrectionem exsultantis ad dexteram. Sinistra, est præsens vita; dextera, æterna. *Ne commovear.* Post resurrectionem omnia erunt immobilia. *Et exsultavit lingua.* Quia requies post laborem data est: laboravit enim in spe vitæ æternæ. *Non derelinques.* Non iterum movear corruptione iteratæ crucis et mortis. *Notas mihi fecisti.* Scio me semper esse victurum. *Replebis me* plena lætitia, id est, iterum non moriar. *Quoniam a dextris.* Causa quare non moveatur, est quia Dominus a dextris opitulatur, sinistra non prævalente. Si enim a dextris non fuerit, illam partem diabolus occupat, sicut de Juda dicitur: *Et diabolus stet a dextris ejus* Psal. 108..

cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe:^{‡‡} 27 quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.^{¶¶} 28 Notas mihi fecisti vias vitæ: et replebis me jucunditate cum facie tua.]^{§§} 29 Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, et sepultus: et sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. 30 Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus: 31 providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. 32 Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. 33 Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis et auditis.* 34 Non enim David ascendit in cælum: dixit autem ipse: [Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis,† 35 donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.] 36 Certissime sciat ergo omnis domus Israël, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.‡ 37 His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos: Quid

^{‡‡}2.26 *Et exsultavit.* In passione dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem* Matth. 26.: et cœpit pavere et tædere: ut se verum hominem in anima et corpore, et veraciter passibilem monstraret. Exsultavit vero postea anima et lingua, quia passione sua genus humanum salvandum erat.

^{¶¶}2.27 *In inferno.* Constat animam non derelictam in inferno, quæ, ablatis illis pro quibus descenderat, mox ad superna rediit, nec caro est corrupta, sed veloci resurrectione glorificata.

^{§§}2.28 *Notas mihi fecisti.* Non solum hæc de illo intelliguntur, qui semel accepta plenitudine divinæ virtutis et sapientiæ, per se mortem destruxit, resurgens ad vitam; sed et de justis qui per eum via veritatis inventa ad vitam redibunt et jucundabuntur videntes faciem ejus: quia ille visus est super omnia et beatitudo perfecta.

^{*}2.33 *Promissione Spiritus sancti accepta.* Christus eam accepit sicut verus homo, et tanquam Deus effundit Spiritum, sicut Jøel dicit: *Effundam,* etc. Item accipiunt apostoli ab ipso promissionem Spiritus qui dicitur a Patre mittendus in Evangelio. *Effudit hunc,* etc. Qui prius Jesum suscitatum a Deo dixit, nunc fidem auditorum altius erigens, hunc esse Dominum assignat, quem effudisse Spiritum confirmat: hoc enim est signum. Et pulchre verbo effusionis usus est: quod prophetam Jøel posuisse supra memoravit, ut ex hoc etiam constet ipsum esse Dominum Jesum, qui ante assumptionem carnis loqui consuevit in prophetis, qui signa et prodigia dat in cœlo et in terra, qui omnes invocantes se salvat. Et cætera quæ propheta describit, quasi verus Deus, explet.

[†]2.34 *Sede a dextris.* RAB. Manifeste Petrus ex hoc psalmo regnum Christi non terrenum, sed cœleste, etc., usque ad in altera, ejusdem est Dominus.

[‡]2.36 *Dominum eum.* Ponens nomen majestatis et potestatis, ostendit eum esse cui omnis creatura debet subjici. Christus regis sive pontificalis dignitatis nomen est. In lege ungebantur reges et pontifices, in figura illius. *Et Christum.* Ille vere est Christus omni plenitudine Spiritus sancti unctus, qui de eodem Spiritu potentialiter dedit quibus voluit. *Jesum quem,* etc. Jesus est Dominus et Christus, una in duabus naturis existente persona, quia in Divinitate æternaliter ex Patre natus in humanitate temporaliter factus, cum operante Spiritu sancto in utero virginis est incarnatus.

faciemus, viri fratres?[¶] ³⁸ Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum: et accipietis donum Spiritus Sancti.[§] ³⁹ Vobis enim est re promissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.^{**} ⁴⁰ Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, et exhortabatur eos, dicens: Salvamini a generatione ista prava.^{††} ⁴¹ Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt: et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. ⁴² Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. ⁴³ Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat magnus in universis. ⁴⁴ Omnes etiam qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia. ⁴⁵ Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. ⁴⁶ Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, ⁴⁷ collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum.

3 Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. ² Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introëuntibus in templum.^{‡‡} ³ Is cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. ⁴ Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos. ⁵ At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. ⁶ Petrus autem dixit: Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula.^{¶¶} ⁷ Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ. ⁸ Et exiliens stetit, et ambulabat: et intravit cum illis in templum ambulans,

[¶]2.37 **Compuncti.** Impletur prophetia Joëlis, quia post ignem Spiritus sancti sequitur vapor compunctionis. Fumus lacrymas excutere solet, incipiunt flere qui iriserant, tundunt pectus, dant Deo precem sicut sacrificium, ut sanguinem illum gustare valeant, per eum salvandi, quem super se et super filios suos prius fuerant imprecati.

[§]2.38 **In nomine.** In honore, vel in hac forma, quia in uno trium fides continetur.

^{**}2.39 **Et omnibus.** Hoc ad illud testimonium prophetiæ respicitur, quod ultimum posuit, scilicet **Omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit:** quod ad Gentium vocationem pertinet specialiter; quæ a filiis Israël longe factæ, per invocationem nominis Domini salvandæ erant.

^{††}2.40 **Testificatus est,** etc., id est testificatio et exhortatio. **Salvamini.** Hæc est testificationis qualitas et exhortationis, sed Lucas plurima verba Petri brevi conclusit sententia. **A generatione.** Duæ sunt generationes, una bonorum, alia malorum.

^{‡‡}3.2 **Portam templi,** etc. Hanc portam ædificavit Joathan filius Ozia rex Juda, sublimissimam. Omnes siquidem portæ templi in terra fuerunt, excepta Speciosa quæ pendebat: quæ ab Hebræis vocatur Porta Joathan. BEDA. Porta templi Speciosa Dominus est, per quam, etc., usque ad claves coeli sunt datæ.

^{¶¶}3.6 **Argentum,** etc. Memor erat Petrus illius præcepti: **Nolite possidere aurum et argentum.** Pecuniam etiam quæ ad pedes apostolorum ponebatur, non sibi recondebant, sed ad usum pauperum, qui sua patrimonia reliquerant, servabant.

et exiliens, et laudans Deum.^{§§} ⁹Et vidit omnis populus eum ambulantem et laudantem Deum. ¹⁰Cognoscebant autem illum, quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: et impleti sunt stupore et extasi in eo quod contigerat illi.* ¹¹Cum teneret autem Petrum et Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quæ appellatur Salomonis, stupentes. ¹²Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? ¹³Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.† ¹⁴Vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis: ¹⁵autorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus.‡ ¹⁶Et in fide nominis ejus, hunc quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus: et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.¶ ¹⁷Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.§ ¹⁸Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.** ¹⁹Pœnitementi igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra:†† ²⁰ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum qui prædicatus est vobis, Jesum Christum,‡‡ ²¹quem oportet quidem cælum suscipere usque in tempora restitutionis omnium quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum a sæculo prophetarum.¶¶ ²²Moyse quidem dixit: Quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tamquam me:

§§3.8 *Et exiliens stetit*, etc. Ordo perfectionis: primo surgit qui jacuerat, deinde iter virtutum arripit, et sic regni januam cum apostolis intrat.

*3.10 *Stupore et extasi*. Id est, pavore et excessu mentis. Dicitur etiam extasis, cum mens a pavore non alienatur, sed inspiratione revelationis assumitur. *Cucurrit*, etc. BEDA. Salvato Israël per apostolos, cucurrit omnis mundus, etc., usque ad solus per orbem pacificum tenet imperium.

†3.13 *Deus Abraham*, etc. RAB. Tres memorantur nullo impio intercedente, vel propter principatum justitiæ, vel, etc., usque ad quod etiam in spiritali generatione similiter observatur.

‡3.15 *Interfecistis*, voluntate et verbo, et hoc contra legem, quæ dicit: Qui occiderit hominem volens, et ipse occidetur.

¶3.16 *Integram sanitatem*. In duobus quæ prædicta sunt.

§3.17 *Per ignorantiam*. Duo cooperata sunt: ignorantia vestra, et præscientia Dei.

**3.18 *Per os omnium*, etc. Ideo necesse erat impleri, quia non unus, sed omnes prophetaverant.

††3.19 *Ut deleantur peccata*. Tunc plene debentur peccata, cum virtute resurrectionis mors destruetur novissima.

‡‡3.20 *Ut cum venerint*, etc. Continuative ad præcedentia hæc dicuntur, scilicet, *ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini*, tunc deleantur peccata vestra.

¶¶3.21 *Quem oportet*, etc. Id est, Ecclesiam per fidem, vel in cœlo ad dexteram Patris sedere.

ipsum audietis juxta omnia quaecumque locutus fuerit vobis.^{§§ 23} Erit autem: omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe.*²⁴ Et omnes prophetæ, a Samuel et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos.²⁵ Vos estis filii prophetarum, et testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.^{† 26} Vobis primum Deus suscitans filium suum, misit eum benedicentem vobis: ut convertat se unusquisque a nequitia sua.

4 Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt sacerdotes, et magistratus templi, et sadducæi,^{‡ 2} dolentes quod docerent populum, et annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis:^{¶ 3} et injecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim jam vespera.⁴ Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt: et factus est numerus virorum quinque millia.^{§ 5} Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum, et seniores, et scribæ, in Jerusalem:⁶ et Annas princeps sacerdotum, et Caiphas, et Joannes, et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali.⁷ Et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?⁸ Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus,

§§3.22 **Moses quidem.** Exempla ponit, non de omnibus qui locuti sunt, vel quæ, sed de aliquibus duntaxat. **Quoniam prophetam,** etc. Filius Dei de populo Israël carnem assumpsit, apparens in similitudine Moysi, ut sicut ille carnalem Israël cæremoniis et sacris legibus instructum et purificatum in terram promissionis introduxit, ita et Jesus per gratiam Evangelii spirituales Israël ad cælum duxit. Et sicut contemptores legis Moysi de terra promissionis ab inimicis sunt ejecti, sic qui doctrinam Evangelii despiciunt per ultores spiritus de cœtu sanctorum pellentur. **De fratribus vestris.** RAB. Josue de Ephraim, Jesum de Juda Deus suscitavit.

*3.23 **Exterminabitur de plebe.** Id est, a sorte sanctorum, et extorris reddetur. Vel, extra terminos beatitudinis ejicietur. RAB. Resistentes Josue, de carnali plebe projecti sunt; at resistentes Christo, de spirituali exterminantur. utramque inobedientiam mors sequitur sive carnalis sive spiritualis. **A Samuele et deinceps.** Sub Samuele regum tempora cœperunt in Judæa.

†3.25 **Testamenti.** BEDA. Ex illo testamento quod ad Moysen, etc., **usque ad, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Patres.** Posuit plurale **patres,** et non singulare **patrem,** quia non soli Abraham, sed Isaac et Jacob promissum est. **In semine tuo,** etc. BEDA. Semen Abraham Christus est - in fide cujus omnibus familiis, Judæis scilicet et gentibus, benedictio promissa est. **Omnes familiæ.** Non quod omnes, sed quia nulla benedicitur nisi in eo, sicut et illud: **Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum** Joan. 1.. **Benedicentur.** In Adæ peccato maledictæ, in Christo benedictæ sunt, in quo et illi benedicuntur qui incarnationem præcesserunt: quia idem homo Deus januum cœli aperuit, et in fine dicet omnibus electis: **Venite, benedicti Patris** Matth. 25., etc.

‡4.1 **Sacerdotes et magistratus,** etc. Hi doctores et iudices populi esse videbantur. **Sadducæi.** Hi negabant resurrectionem: et ideo in doctrina apostolorum qui annuntiabant resurrectionem, dolebant.

¶4.2 **Dolentes,** quod ad audiendos apostolos conflueret multitudo. **Resurrectionem.** Hoc est maxime contra Sadducæos: utriusque vero dolebant quod Jesum, quem ut hominem occiderant, apostoli a Deo Patre glorificatum affirmabant.

§4.4 **Et factus est,** etc. Si in quinque millibus hominum quos in eremo Dominus pavit, populus legis a Christo liberatus accipitur, possunt et hic quinque millia ab apostolis instructa populum gentium designare: ejusdem legis spiritualiter mysteria secuturum. Et bene utique vesperi cœlesti munere donantur, quia cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum in terris, etc.

dixit ad eos: Principes populi, et seniores, audite: ⁹ si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, ¹⁰ notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israël, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. ¹¹ Hic est lapis qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli:^{**} ¹² et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. ¹³ Videntes autem Petri constantiam, et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris, et idiotæ, admirabantur, et cognoscebant eos quoniam cum Jesu fuerant:^{††} ¹⁴ hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. ¹⁵ Jusserunt autem eos foras extra concilium secedere: et conferebant ad invicem, ¹⁶ dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, et non possumus negare. ¹⁷ Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum. ¹⁸ Et vocantes eos, denunciaverunt ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Jesu. ¹⁹ Petrus vero et Joannes respondentes, dixerunt ad eos: Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate.^{‡‡} ²⁰ Non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui.^{¶¶} ²¹ At illi comminantes dimiserunt eos, non inventientes quomodo punirent eos propter populum: quia omnes clarificabant id quod factum fuerat in eo quod acciderat.^{§§} ²² Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis. ^{*} ²³ Dimissi autem venerunt ad suos, et annuntiaverunt eis quanta ad eos principes sacerdotum et seniores dixissent. ²⁴ Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt: Domine, tu es qui fecisti cælum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt:[†] ²⁵ qui Spiritu Sancto per os patris nostri

^{**}4.11 *Hic est lapis.* RAB. Hic respondens ad interrogata de Christo prædicat, et maxime de David, cui, veluti patriarchæ suo, præ cæteris crediderent. **Reprobatus.** AUG. De lapide reprobato historia non habetur.

^{††}4.13 *Sine litteris,* etc. Non quia litteras omnino nescirent, sed quia grammaticæ artis peritiam non haberent, hæc dicebantur. **Idiotæ.** Idiotæ dicebantur, quia proprium ingenium non exercuerant per doctrinam: Græce, Latine proprietatis. BEDA. Illitterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium non Dei virtute, sed eloquentia fieri putaretur: secundum illud: **Non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi** I Cor. 1..

^{‡‡}4.19 *Petrus vero,* etc. RAB. Qui estis iudices, vestrum facite officium, non sermonem pravum proferendo, sed juste iudicando. Ecce plenum frumentum in spica invenitur: quod ante quasi in herba flectebatur.

^{¶¶}4.20 *Non enim possumus.* Id est, nolumus, vel in naturam versum est (ut angelis confirmatis) non peccare.

^{§§}4.21 *Clarificabant.* In Græco: Omnes clarificabant in eo, quod factum est: et non habetur in eo quod acciderat. Clarificantur facta vel dicta, quando fama vulgante in notitiam plurimorum deferuntur. Deus autem glorificatur in factis hominum, quod est proprium Christianæ pietatis et humilitatis, ipso dicente: **Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est** Matth. 5..

^{*}4.22 *Annorum enim,* etc. Unde apparuit amplior gloria vel gratia virtutis, et ideo non ætatem hominis, sed tempus infirmitatis dicit.

[†]4.24 *Unanimiter,* etc. Sine sono. Vel perfectione unanimatis, secundum illud: Si duo vel tres convenerint in unum in nomine meo, de omni re quam petierint, fiet illis.

David pueri tui dixisti: [Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?[‡]
²⁶ Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et
adversus Christum ejus.][¶] ²⁷ Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanc-
tum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus
et populis Israël,[§] ²⁸ facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri. ²⁹ Et
nunc, Domine, respice in minas eorum, et da servis tuis cum omni fiducia loqui
verbum tuum,^{**} ³⁰ in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, et signa, et prodi-
gia fieri per nomen sancti filii tui Jesu.^{††} ³¹ Et cum orassent, motus est locus in
quo erant congregati: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum
Dei cum fiducia.^{‡‡} ³² Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una:
nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis om-
nia communia.^{¶¶} ³³ Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis
Jesu Christi Domini nostri: et gratia magna erat in omnibus illis.^{§§} ³⁴ Neque enim
quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum
erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant,³⁵ et ponebant ante pedes
Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. ³⁶ Joseph autem,
qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum, Filius conso-

[‡]4.25 *Fremuerunt gentes.* Fremitus est vox leonis. Unde Jeremias: *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylva: dedit super me vocem* Jer. 12.. *Meditati sunt inania.* De Christo venturo, vel ut in morte detineretur.

[¶]4.26 *Convenerunt.* Herodes et Pilatus convenerunt in amicitiam.

[§]4.27 *Unxisti.* Nomen Christi exponunt. Christi, a chrismate, id est unctione, secundum illud: *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* Psal. 44..

^{**} 4.29 *Cum omni fiducia.* Hoc Deum postulant, ut cum omni fiducia possint loqui verbum Dei.

^{††}4.30 *Per nomen.* In Græco: *Per nomen pueri tui Jesu*, quod magis apostolorum votis congruit, qui satagebant, ut homo crucifixus a Judæis clarescentibus miraculis, per nomen ejus, qui est in cælum assumptus, ipsemet Dei Filius innotesceret.

^{‡‡}4.31 *Motus est locus.* Magna virtus orationis fidelium, hoc autem ad suscitandas mentes factum est.

^{¶¶}4.32 *Erat cor unum.* Qui mundum reliquerant, non de nobilitate generis gloriantes se aliis præferebant, sed sicut unius ejusdemque matris Ecclesiæ visceribus editi, eodem fraternitatis amore gaudebant. *Nec quisquam eorum.* Virtutes quas possident justī, non suas judicant esse, sed eorum quorum utilitati dispensant. *Communia.* Græce unde cœnobitæ, id est communiter viventes. Cœnobia habitacula eorum.

^{§§}4.33 *Reddebant apostoli.* Discernit ordinem doctorum et auditorum. Nam multitudo credentium, rebus temporalibus spretis, copula charitatis invicem jungebantur. Apostoli vero, virtute fulgentes, mysteria Christi pandebant.

lationis), Levites, Cyprius genere, * 37 cum haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium, et posuit ante pedes Apostolorum.

5 Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore suo vendidit agrum, ² et fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: et afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit. ³ Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri?† ⁴ nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate? quare posuisti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, sed Deo.‡ ⁵ Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, et expiravit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt.¶ ⁶ Surgentes autem juvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt. ⁷ Factum est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit. § ⁸ Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti.** ⁹ Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad ostium, et efferent te.†† ¹⁰ Confestim cecidit ante pedes ejus, et expiravit. Intranses autem juvenes invenerunt illam mortuam: et extulerunt, et sepelierunt ad virum suum. ¹¹ Et factus est timor

*4.36 *Joseph*. RAB. Auctus Barnabas *filius consolationis* interpretatur, actus incremento et profectu spiritualis boni. *Quod est interpretatum*. Ubicumque Scriptura nomina rerum vel personarum cum interpretatione ponit, sensum sacratiorem eisdem inesse significat. Merito filius consolationis vocatur, qui, spretis præsentibus, spe futurorum se consolatur. Nam et Spiritus sanctus paracletus ideo vocatur, quia in mundo pressuram habentibus infusione sui, paraclesim, id est consolationem tribuit, sicut etiam Petrus propter gratiam Spiritus Barjona, id est filius columbæ, vocatus est. *Filius consolationis*. RAB.. Vel propter eleemosynam qua pauperes consolatus est, vel pro mercedis consolatione quam meruit a Deo accipere, vel quia dignus habitus est qui pro Juda consolaretur apostolos.

†5.3 *Tentavit*. RAB. Præteritum *tentavit* ponit, quia perfecta erat tentatio. Tribus modis tentatio agitur, suasionem, delectationem, consensum: quod totum impletum est in Anania. *Et fraudare*. ID. In hoc videtur mendacium fuisse, quia totum voverat. Melius est autem non vovere quam post votum non solvere Spiritui sancto.

‡5.4 *Sed Deo*. Supra dixerat: *Spiritui sancto*: patet ergo Spiritum sanctum esse Deum.

¶5.5 *Cecidit*. RAB. Legum initia semper vindictis commendantur. Duo filii Aaron ignem offerentes consumuntur: Oza sustinens arcam mortuus est. Cecidit ille, ut cæteri prævaricatores exemplo ejus terreantur. *Et factus est timor*, etc. BEDA. Anticipatio: quoniam solius viri morte ante uxoris exitum pauci audierant, quamvis de paucis dici potuerit, quod timerunt.

§5.7 *Horarum*, etc. RAB. Parvum tempus poenitentiae datur uxori, cujus culpa magis est venialis quam mariti, utpote quæ consensit capiti.

**5.8 *Dic mihi*, etc. ID. Culpam uxoris, interrogans, declarat ex ipsius confessione, quam maritus suam monstraverat in opere.

††5.9 *Quid utique*, etc. Increpative dictum? vel sic distinguendum: quid? quasi: Quid est hoc: deinde sibi ipse respondet et dicit: Utique convenit inter vos tentare Spiritum Domini? *Tentare*, etc. RAB. Tentatio Spiritus in hoc erat quod probaverunt quanta sit ejus scientia. *Sepelierunt*. ID. Ex hoc multi exemplum sumunt, ut uxores ad viros suos sepeliant. Alii indignum putant, ut de prævaricatoribus exempla capiant, quibus in crimine simul et morte et sepultura meritum, æquale fecerat consortium.

magnus in universa ecclesia, et in omnes qui audierunt hæc.^{‡‡} ¹² Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.^{¶¶} ¹³ Ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis: sed magnificabat eos populus.^{§§} ¹⁴ Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum,^{*} ¹⁵ ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis et grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. ¹⁶ Concurrerat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, et vexatos a spiritibus immundis: qui curabantur omnes. ¹⁷ Exsurgens autem princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis sadducæorum), repleti sunt zelo:[†] ¹⁸ et injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica. ¹⁹ Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, et educens eos, dixit: ²⁰ Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus.[‡] ²¹ Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, et docebant. Adveniens autem princeps sacerdotum, et qui cum eo erant, convocaverunt concilium, et omnes seniores filiorum Israël: et miserunt ad carcerem ut adducerentur. ²² Cum autem venissent ministri, et aperto carcere non invenissent illos, reversi nuntiaverunt, ²³ dicentes: Carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, et custodes stantes ante januas: aperientes autem neminem intus invenimus.[¶] ²⁴ Ut autem audierunt hos sermones magistratus templi et principes sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret.[§] ²⁵ Adveniens autem quidam, nuntiavit eis: Quia ecce viri quos posuistis in carcerem, sunt in templo, stantes et docentes

^{‡‡}5.11 *Et factus est.* Prius Ananias a Saphira in conspectu Ecclesiæ cito mortui sunt, ut apostolica auctoritas, quanta esset, ostenderetur: et quam magnum peccatum esset, quod oblatum est, iterum ab Ecclesia retrahere monstraretur, et cæteri hujus exemplo castigarentur.

^{¶¶}5.12 *Apostolorum.* Dicitur pluraliter apostolorum, quia non per manum solius Petri; licet enim pro honore ejus cæteri taceantur, non tamen facta eorum tacentur.

^{§§}5.13 *Cæterorum,* etc. Exemplo Ananiæ et uxoris: pœna enim duorum qui fraudulenter eis se conjunxerant, cæteris tribuit exemplum.

^{*}5.14 *Augebatur,* etc. RAB. Tanta erat multitudo credentium, ut fidei crescente fortitudine, sola sufficeret umbra. Vel: Tot erant tunc infirmi a credentibus allati, ut omnes non possent contingere.

[†]5.17 *Hæresis.* RAB. Hæresis *scissio* interpretatur, quia hæreticus, spretis aliorum dictis, quod sequendum putat eligit. *Sadducæorum repleti,* etc. Sadducæi interpretantur *justi*, dicti a Sadoch sacerdote, vel propter genus, vel propter mores; justificantes autem seipsos vindicabant sibi quod non erant: corporum resurrectionem negantes, animas cum carne perire dicebant: sed nec angelum, neque spirituum ullum esse credebant, omnes Scripturas præter libros Moysi respuebant: et ideo maxime principibus in persecutione apostolorum consentiebant qui virtute et signis reddebant testimonium resurrectionis Christi.

[‡]5.20 *Vitæ hujus.* RAB. Christianæ, vel æternæ. Hoc autem ideo non additur, quia famosa erat secta Christianorum, pro qua traditi erant carceri.

[¶]5.23 *Carcerem quidem,* etc. Insani Judæi qui stimulante invidia dicunt furantibus apostolis Jesu de monumento sublatum, cujus furto dicant apostolos de carcere clauso ablatos.

[§]5.24 *Magistratus.* Secundum Græcum *magistratus* legendum est in singulari numero, sicut et in sequenti ubi dicitur: Tunc abiit magistratus cum ministris. *Ambigebant.* Nec sic credunt: malitia enim interior cor perfidum signis etiam manifestis obdurat.

populum. ²⁶ Tunc abiit magistratus cum ministris, et adduxit illos sine vi: timebant enim populum ne lapidarentur. ²⁷ Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio: et interrogavit eos princeps sacerdotum, ²⁸ dicens: Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto, et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra: et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.** ²⁹ Respondens autem Petrus et Apostoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis quam hominibus. ³⁰ Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.†† ³¹ Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israëli, et remissionem peccatorum: ³² et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.‡‡ ³³ Hæc cum audissent, dissecabantur, et cogitabant interficere illos. ³⁴ Surgens autem quidam in concilio pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor, honorabilis universæ plebi, jussit foras ad breve homines fieri,¶¶ ³⁵ dixitque ad illos: Viri Israëlitæ, attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis. ³⁶ Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est, et omnes qui credebant ei, dissipati sunt, et redacti ad nihilum.§§ ³⁷ Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, et avertit populum post se: et ipse periit, et omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.* ³⁸ Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, et sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur: ³⁹ si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi. ⁴⁰ Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jesu, et dimiserunt eos.† ⁴¹ Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine

**5.28 *Præcipiendo* etc. In Græco: *Nonne præcipiendo præcepimus vobis?* Nam sic loqui, magis convenit interroganti. *Replestis Jerusalem.* Principem civitatum, in qua etiam nos conversamur. In hoc ignoranter laudant apostolos, qui nec territi minis cessant prædicare. *Super nos sanguinem.* RAB. Patet per antiphrasim dictum esse: *Sanguis ejus super nos.* Temeraria interrogatio pontificis refutatur responsione prudenti. ID. Interrogant, solet enim in verbis esse dubietas, cum in corde firma teneatur sententia.

††5.30 *Deus patrum.* RAB. Non novus, nec a nobis nuper inventus: hoc autem dicit, ut eorum inobedientia sit inexcusabilis.

‡‡5.32 *Spiritus sanctus.* Nos Spiritus sanctus roboravit, ut vobis etiam resistentibus magnalia Dei firmiter prædicemus, in nobis loquens format verba quæ auditis. *Omnibus.* RAB. Non nobis solis, sed omnibus obedientibus, etiam vobis, si velitis accipere. In hoc ad pœnitentiam provocat.

¶¶5.34 *Gamaliel.* Hic erat discipulus apostolorum, ut putatur, remanens apud Judæos consilio Apostolorum, ut pessima destrueret consilia, et furorem eorum mitigaret.

§§5.36 *Theodas.* BEDA. Theodas persuasit multis sublatis ex urbe facultatibus suis ripas Jordanis obsidere, et cum esset magus, prophetam se dicebat, et diviso fluvio se præbere transitum promittebat. Cui jussu Fadi procuratoris equitum turba superveniens, multis peremptis aut captis, ipsius caput Hierosolymam revexit.

*5.37 *Judas Galilæus,* etc. De hoc Josephus dicit quia cogebat populum ne tributa solvendo Romanis libertatem amitteret: proferens ex lege soli Deo serviendum, et eos qui decimas dabant, tributa non dare debere. Quæ hæresis intantum crevit, ut Pharisæi et multa pars populi Christum interrogarent, an liceret tributa dare Cæsari.

†5.40 *Cæsis,* etc. RAB. Ecce fortitudo fidei patet, quæ nec verbis cohiberi poterat, nec flagellis. Prius sunt sermone prohibiti, modo flagellis cæsi.

Jesu contumeliam pati.[‡] 42 Omni autem die non cessabant in templo et circa domos, docentes et evangelizantes Christum Jesum.[¶]

6 In diebus illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.[§] 2 Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.^{**} 3 Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenus Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus.^{††} 4 Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.^{‡‡} 5 Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu Sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum.^{¶¶} 6 Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: et orantes imposuerunt eis manus.^{§§} 7 Et verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.^{*} 8 Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.[†] 9 Surrexerunt autem quidam de synagoga quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia, et Asia, disputantes cum Stephano: 10 et non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui qui loquebatur. 11 Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiam in Moysen et in Deum. 12 Commoverunt itaque plebem, et seniores, et scribas: et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt

[‡]5.41 *Quoniam digni.* Non putabant se laborare, sed maximum munus percipere: quia *Beati qui persecutionem patiuntur propter Deum* Matth. 6..

[¶]5.42 *Omni autem die,* etc. Sæpe talia interponuntur capitula, breviter multa colligentia, ut quasi finis præterito sermoni, et fundamentum statuatur sequenti.

[§]6.1 *Græcorum.* RAB. Sive advenarum gentilium in civitate conversantium: sive, etc., usque ad quotidiano ministerio gravabantur. *Despicerentur.* ID. Ex defectu plus gravarentur.

^{**}6.2 *Non est æquum nos,* etc. Ostendunt Apostoli episcopos et doctores Ecclesiæ non debere corporalibus rebus implicari.

^{††}6.3 *Considerate,* etc. BEDA. Hinc jam decreverunt apostoli, etc., usque ad non sine septenarii numeri mysterio.

^{‡‡}6.4 *Nos vero,* etc. De seipsis non interrogant, sed judicant.

^{¶¶}6.5 *Et elegerunt,* etc. RAB. Hic ordo servandus est in ordinandis: eligat populus, ordinet episcopus. *Stephanum.* Hic primus ponitur, et solus laudatur, ut in uno omnes laudentur, aut primo martyrii honor feratur.

^{§§}6.6 *Et orantes.* Communis dispensatio exigebat ut ministri eligerentur, qui ut digni inventi sunt, crescente gradatim providentia consilii salutaris, placuit eosdem ipsos sacri altaris et Dominici sanguinis, sicut refectionis, et mensæ communis ministros ordinari. Quod probatur inde, quia dictum est: *Orantes imposuerunt eis manus:* hoc est proprium eorum qui ad sacrosancti altaris promoventur officium. Hoc exemplo orationes fiunt in ordinibus, licet oratio apostolorum non sit scripta.

^{*}6.7 *Et verbum,* etc. RAB. Quasi recapitulatio videtur, quia dixerat: *Omni die non cessabant docentes,* etc., et in hoc ipsum redit, dicens: *Et verbum Domini crescebat.* ID. Sæpe in hoc libro, et in Evangelio etiam talia interponuntur capitula, etc., usque ad quia prius crescente plebe zelus fuerat concitatus.

[†]6.8 *Stephanus,* Græce; Latine, *corona:* qui quod præcepturus erat in re, præ sagio nominis præoccupabat: quia post crucem Christi primus martyrio coronatus est sublimiter, qui lapidatus est humiliter. Hebraice interpretatur Stephanus *norma nostra,* qui primo passus, sequentibus martyribus factus est forma mori pro Christo.

in concilium, ¹³ et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, et legem: ¹⁴ audivimus enim eum dicentem quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses. ¹⁵ Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem angeli.

7 Dixit autem princeps sacerdotum: Si hæc ita se habent? ² Qui ait: Viri fratres et patres, audite: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, ³ et dixit ad illum: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi. ⁴ Tunc exiit de terra Chaldæorum, et habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis. ⁵ Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, et semini ejus post ipsum, cum non haberet filium. ⁶ Locutus est autem ei Deus: Quia erit semen ejus accola in terra aliena, et servituti eos subjicient, et male tractabunt eos annis quadringentis: ⁷ et gentem cui servierint, judicabo ego, dixit Dominus:

³6.13 *Homo iste*. Ex despectu, non vocant eum proprio nomine, sed hominem quasi carnalem et infimum appellant.

⁴7.2 *Viri fratres et patres*. Quia Stephanus insimulabatur blasphemasse in Moysen et Deum, in principio sui sermonis illorum calumniæ occurrit, dicens Deum qui loquebatur patribus et prophetis Deum esse majestatis et gloriæ. Moysen etiam laudat: sed illos rebelles et semper inobedientes comprobat. Sed arte loquendi usus est ad rebelles, incipiens quasi timeret eos: sic, *Viri fratres et patres*: lenis sermo et clemens conciliat auditorem, ut commendet actorem. Blande cœpit, ut diu audiretur, et qui recusabat contra Deum, et legem loqui, verum Deum prædicat in principio orationis. Legem etiam sic exposuit, ut ejus esset prædicator cujus accusabatur destructor: in processu etiam sermonis errores eorum redarguens, vigorem animi, et quod liber erat a timore inimici perdocuit. *Deus gloriæ*, etc. Memor Stephanus præcepti illius: *Diligite inimicos vestros* Luc. 6., etc., persecutoribus suis salutem nuntiavit. *In Mesopotamia*. Mesopotamia in capite Syriæ constituta ad aquilonem. RAB. Mesopotamia et Charram in Chaldæa sunt, de Mesopotamia transmigravit in Charram.

⁵7.3 *Et dixit*, etc. In Genesi videtur contineri quod post mortem patris sui locutus est Dominus Abrahæ qui in Charra mortuus est, ubi cum eo filius habitavit. Sed priusquam in civitate habitaret, cum esset in Mesopotamia, dictum est ei: *Exi de terra tua*, etc. Terram et cognationem Abrahæ Chaldæorum patriam, genusque appellat, unde jam exierat, degens modo in Mesopotamia; sed adhuc tenebatur spe et desiderio redeundi, et ideo audit: *Exi de terra et de cognatione tua*; non ut corpus extraheret (quod jam fecerat), sed amorem cordis evelleret. RAB. Tertium Stephanus prætermisit, id est, *et de domo patris tui*: quod factum est propter nimiam populi peritiam vel imperitiam.

⁶7.4 *Tunc exiit*, etc. RAB. De Ur Chaldæorum Abraham exivit. Ur, etc., usque ad mortuo patre dictum est ei: *Exi de terra tua*, etc. *Pater ejus*, etc. ID. Redit ad originem generis Israël, et amicitiae divinæ exordium, ut nihil prætermittat in quo blasphemare videatur. *Vos habitatis*. Dixit vos, non vero nos, quia jam quodammodo apostoli terram reliquerant, et Stephanus, qui jam quasi in morte positus erat

⁷7.6 *Quia erit semen*, etc. BEDA. Non ita intelligendum est, quasi male tractandum, etc., usque ad sive in terra Chanaan, sive in Ægypto. *Annis quadringentis*. RAB. Sic est jungendum: *Accola*, etc., usque ad ad distributionem terræ promissionis completus est.

et post hæc exhibunt, et servient mihi in loco isto.†† 8 Et dedit illi testamentum circumcisionis: et sic genuit Isaac, et circumcidit eum die octavo: et Isaac, Jacob: et Jacob, duodecim patriarchas.††† 9 Et patriarchæ æmulantes, Joseph vendiderunt in Ægyptum: et erat Deus cum eo,§§ 10 et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus, et dedit ei gratiam et sapientiam in conspectu pharaonis regis Ægypti: et constituit eum præpositum super Ægyptum, et super omnem domum suam. 11 Venit autem fames in universam Ægyptum et Chanaan, et tribulatio magna: et non inveniebant cibos patres nostri. 12 Cum audisset autem Jacob esse frumentum in Ægypto, misit patres nostros primum: 13 et in secundo cognitus est Joseph a fratribus suis, et manifestatum est Pharaoni genus ejus. 14 Mittens autem Joseph, accersivit Jacob patrem suum et omnem cognationem suam, in animabus septuaginta quinque. * 15 Et descendit Jacob in Ægyptum: et defunctus est ipse, et patres nostri.† 16 Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem.‡ 17 Cum autem appropinquaret tempus promissionis quam confessus erat Deus Abrahæ, crevit populus, et multiplicatus est in Ægypto, 18 quoadusque

††7.7 *Judicabo.* ID. Judicium aliquando discretionem significat, ut ibi: *Judica me, Deus, et discerne causam meam* Psal. 42.. Aliquando pœnam, ut: *Judica illos, Deus* Psal. 5..

†††7.8 *Testamentum circumcisionis.* ID. Foedus sive signum ideo factum, ut populus Israël, etc., usque ad signatur vitandam esse jactationem gloriæ in circumcissione spiritali. *Die octavo.* RAB. Octo diebus mysterium circumcisionis nostræ ostenditur, qui per octavam Novi Testamenti (quæ in resurrectione Domini, et octo beatitudinibus continetur) a vitiis octava die circumcidimur.

§§7.9 *Vendiderunt in Ægyptum.* Breviter narrans transit ad finem, non enim primo Ægyptiis, sed Ismælitis negotiatoribus, et Madianitis venditus est, et illi vendiderunt eum in Ægyptum Putiphar sacerdoti.

*7.14 *In animabus.* Hoc secundum editionem Septuaginta interpretum dicitur. In Hebræo septuaginta tantum reperiuntur. RAB. Si Jacob et Joseph cum duobus filiis non numerantur, etc., usque ad quam pro Hebraica veritate sermonem suum suspectum facere.

†7.15 *Et descendit.* Secundum situm locorum descensus est de terra promissionis in Ægyptum, et quia libertati successerat servitus, Jacob cum progenie descendisse in Ægyptum dicitur.

‡7.16 *Translati.* RAB. Per synecdochen dicuntur translati propter Joseph, cui Jacob, etc., *usque ad, Ferte ossa mea hinc vobiscum* Gen. 50.. BEDA. De solo Joseph Scriptura testatur, quod ossa ejus, etc., usque ad duodecim patriarchæ non sunt sepulti in Arbe, sed in Sichem. *Et posili sunt,* RAB. Docet Genesis Abraham ab Ephron filio Seor Ethæi, etc., usque ad nec Moysi, nec Domino servire voluerunt. *In sepulchro,* etc. Hoc de solo Jacob, cujus corpus filii de Ægypto tollentes sepelierunt in spelunca duplici, ubi Abraham cum Sara sepultus est, et Isaac cum Rebecca: et ibi Lia condita est: unde civitas illa vocatur Hebron, id est conjugium, quia patres ibi cum conjugibus sepulti sunt. Duas autem historias confundit, et alteram alteri implicat. Non enim a filiis Emor filiis Sichem emit Abraham, sed Jacob ab illis emit Sichem; ideo sic jungendum est: Translati sunt in Sichem a filiis Emor filii Sichem: quasi diceretur, in Sichem illam quam emit Jacob a filiis Emor filii Sichem. In Genesi legitur Sichem filius fuisse Emor, unde putant quidam duos fuisse Sichem, quorum alter a Luca dicitur pater Emor, alter a Genesi filius. Quidam jungunt principium et finem sermonis, dicentes, a filiis Sichem, et post inferunt, Emor filii, ut hic locus congruat Genesi.

surrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Joseph.[¶] 19 Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros ut exponerent infantes suos, ne vivificarentur.[§] 20 Eodem tempore natus est Moyses, et fuit gratus Deo: qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.^{**} 21 Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, et nutritvit eum sibi in filium. 22 Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, et erat potens in verbis et in operibus suis.^{††} 23 Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israël. 24 Et cum vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum, et fecit ultionem ei qui injuriam sustinebat, percusso Ægyptio.^{‡‡} 25 Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt. 26 Sequenti vero die apparuit illis litigantibus: et reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis: ut quid nocetis alterutrum?^{¶¶} 27 Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem et judicem super nos?^{§§} 28 Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium?^{*} 29 Fugit autem Moyses in verbo isto: et factus est advena in terra Madian, ubi generavit filios duos.[†] 30 Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi.[‡] 31 Moyses autem videns, admiratus est visum. Et accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens: 32 Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare.[¶] 33 Dixit autem illi Dominus: Solve calceamentum pedum tuorum: locus

[¶]7.18 *Rex alius.* Rex iste diabolus est, qui effeminatos diligit, masculos odit.

[§]7.19 *Genus nostrum,* etc. Patres nostros dicit, et, genus nostrum, ne patres blasphemare videatur.

^{**}7.20 *Gratus Deo,* etc. Ostendit beatus Stephanus quod Moyses non blasphemaverit.

^{††}7.22 *Moses.* RAB. Moyses idem valet quod *aquaticus*, quia de aqua est assumptus, vel *liniens*, quia inventus est in fiscella, bitumine lita. Moyses typus est Salvatoris, qui, percusso diabolo, genus suum liberavit.

^{‡‡}7.24 *Vindicavit illum,* etc. Ostendit illum qui injuriam faciebat non esse de genere suo.

^{¶¶}7.26 *Apparuit illis.* RAB. Sic Christus post ascensionem apparuit per apostolos, litigantibus Judæis et infidelibus qui resistebant apostolis.

^{§§}7.27 *Quis te constituit,* etc. Quasi respondeat Moyses: Nullus, sed: Solus Deus. Non est potestas nisi a Deo. Hinc tale a Christo responsum quidam acceperat: *O homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos* Luc. 12. *Quis te constituit,* etc. In contentione sua illos redarguit jam tunc legi et Moysi fuisse contrarios.

^{*}7.28 *Nunquid,* etc. Quidam putant illum qui defensus est ex ira rem protulisse.

[†]7.29 *Fugit.* Moyses fuit in Madian, id est, Christus in gentes.

[‡]7.30 *In igne flammæ,* etc. Ignis in rubo Spiritus sanctus, peccata populi quasi spinæ, quia ardor Spiritus sancti peccata illius populi non consumpsit qui densas nequitiae spinas beneficiis Dei opposuit. RAB. Ideo forma ignis (quæ non est imitabilis) ostensa est illis, ne aliquam, etc., usque ad quam promptum homini calceamentum tollere.

[¶]7.32 *Ego sum. Sum,* proprium Dei verbum est, secundum illud: *Ego sum qui sum,* etc.: *Qui est, misit me ad vos.* Serpentes non sunt timendi, ubi Deus præsens loquitur.

enim in quo stas, terra sancta est.[§] ³⁴ Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto, et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eos. Et nunc veni, et mittam te in Ægyptum.^{**} ³⁵ Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes: Quis te constituit principem et judicem? hunc Deus principem et redemptorem misit, cum manu angeli qui apparuit illi in rubo.^{††} ³⁶ Hic eduxit illos faciens prodigia et signa in terra Ægypti, et in rubro mari, et in deserto annis quadraginta. ³⁷ Hic est Moyses, qui dixit filiis Israël: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me: ipsum audietis.^{‡‡} ³⁸ Hic est qui fuit in ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis.^{¶¶} ³⁹ Cui noluerunt obedire patres nostri: sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis in Ægyptum, ⁴⁰ dicentes ad Aaron: Fac nobis deos qui præcedant nos: Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei.^{§§} ⁴¹ Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, et lætabantur in operibus manuum suarum. ⁴² Convertit autem Deus, et tradidit eos servire militiæ cæli, sicut scriptum est in libro prophetarum: [Numquid victimas et hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israël?]* ⁴³ Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus dei vestri Rempham, figuras quas fecistis adorare eas: et transferam vos trans Babylonem.][†] ⁴⁴ Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto,

§7.33 *Solve calceamentum.* Hoc nos admonet, ut stantes in Ecclesia (quæ est sancta terra), mortuis operibus renuntiemus.

**7.34 *Videns,* etc. RAB. Deus totus est visus, totus est auditus, omnia videt, omnia audit, sed videre et audire dicitur quando miseretur. *Vidi afflictionem.* ID. Qui licet aliquem tentari permittam, non tamen putandum est quod nesciam.

††7.35 *Quem negaverunt.* Synecdoche. Multi dicuntur negasse, cum unus dixisset, vel forsitan quia plures consenserunt uni neganti. *Principem.* Magna laus, quod princeps et redemptor et eductor populi dicitur.

‡‡7.37 *Hic est Moyses.* In eos culpam retorquet, quam ipsi inobedientes et increduli in Moysen refundebant.

¶¶7.38 *Verba vitæ.* RAB. Id est, duas tabulas cum Decalogo, et mandata cætera, de quibus dicitur: *Qui fecerit ea, vivet in eis.*

§§7.40 *Ad Aaron.* ID. Quasi ad principem. Quasi ignari Divinitatis loquuntur. Deus enim verus non est factus, sed omnia fecit, nec creatura est, sed Creator omnium. *Fac nobis deos.* ID. Deos dicunt, propter duas columnas, etc., usque ad columna ignis in nocte populum præcedebat.

*7.42 *Militiæ cæli.* Militia cæli aliquando dicitur exercitus angelorum, sed in hoc loco, sidera militiam cæli nominat, cum protinus addat, *sidus Dei vestri. In libro,* etc. Quamvis multi sint prophetæ, unus tamen liber dicitur esse, et apud Hebræos unus est liber. *Nunquid victimas.* RAB. Quamvis necessitate serviendi Deo libarent, mente tamen, etc., usque ad semper corde in Ægyptum sunt reversi. Quæritur quomodo non obtulerint Deo, cum legatur Deo eos quædam obtulisse, non voluntate, sed metu poenarum? Deus autem non quæ offeruntur, sed voluntatem offerentium accipit.

†7.43 *Figuras,* etc. RAB. Sidus Dei vestri est Lucifer, cui assignaverunt figuras. Iidem dii in figuris et stellis adorabantur. ID. Quidam sic dicunt sidus Dei vestri, ut ad Deum pertineat verbum, quia non ipsum Dominum, sed ejus sidus susceperunt. *Et transferam.* Propter hæc sacrilegia trans Babylonem ducemini captivi. Non est putandus primus martyr errasse, qui pro eo quod in propheta scriptum est, Trans Damascum ducti sunt, dixit, trans Babylonem: magis enim intelligentiam quam verbum posuit, quia trans Damascum ducti sunt in Babylonem, sive trans Babylonem.

sicut disposuit illis Deus loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam quam viderat.[‡] 45 Quod et induxerunt, suscipientes patres nostri cum Jesu in possessionem gentium quas expulit Deus a facie patrum nostrorum, usque in diebus David, 46 qui invenit gratiam ante Deum, et petiit ut inveniret tabernaculum Deo Jacob.[†] 47 Salomon autem ædificavit illi domum. 48 Sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut propheta dicit:[§] 49 [Cælum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi? dicit Dominus: aut quis locus requietionis meæ est?]** 50 Nonne manus mea fecit hæc omnia?] 51 Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis: sicut patres vestri, ita et vos.^{††} 52 Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis:^{‡‡} 53 qui accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis. 54 Audientes autem hæc, dissecebantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. 55 Cum autem esset plenus Spiritu Sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos, et Filium hominis stantem a

[‡]7.44 *Tabernaculum.* Quia dicebant eum contra sanctum locum agere, ostendit quod in sanctum locum non est locutus blasphemiam *Secundum formam.* RAB. Quam ei in Sina ostenderat, quia et secundum formam factum, ostenditur ipsum tabernaculum formam fuisse. ID. Historice cum Jesu dicitur, quia Moyses erat defunctus.

[†]7.46 *Ut inveniret tabernaculum.* Id est verum templum, cujus illud figura, quod loco non mutaretur, id est Ecclesiam quam prævidebat futuram firmam et immutabilem, de qua Apostolus: *Firmum fundamentum Domini stat* II Tim. 2, 9. Et alibi: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter illud quod positum est, quod est Christus Jesus* I Cor. 3..

[§]7.48 *Sed non Excelsus.* RAB. Ex sententia Salomonis Judæos convincit, etc., usque ad non in solo templo Judæorum eum habitare. *Sicut per prophetam,* etc. De tabernaculo primo, quod fuit umbra et non veritas, prius dixit, postea testimonium posuit dicentis de tabernaculo quod verius fuit. *Si introiero in tabernaculum Domini,* etc., ad ultimam sententiam posuit Deum. Ut *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

^{**}7.49 *Cælum mihi.* Sic demonstrat se circumdare omnia; unde alibi, cælum se palmo metiri, et terram pugillo se concludere asserit. *Terra autem.* Terræ exemplo designat omnem creaturam Creatoris.

^{††}7.51 *Dura cervice.* RAB. Purgatus a crimine, de quo falsi testes eum arguebant, incipit Judæos arguere, quia qui sine crimine est, dignus est doctoris officio. *Et incircumcisis,* etc. Ostendit eis circumcisionem, de qua contra gratiam Evangelii gloriabantur, non valere ad salutem, iis qui cogitationem et auditum habebant immundum.

^{‡‡}7.52 *Patres vestri.* RAB. Supra *patres nostri* dicebat, persuadendo loquens, nunc increpando, patres illorum tantum vocat, quibus similes sunt in malitia. *Et occiderunt.* RAB. Tres gradus malitiæ eorum ponit: primus est, quod spiritui resisterent; secundus quod prophetas persecuti sunt; tertius, quod crescente malitia eos occiderunt.

dextris Dei.^{¶¶} ⁵⁶ Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. ⁵⁷ Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant: et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur Saulus.^{§§} ⁵⁸ Et lapidabant Stephanum invocantem, et dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum. * ⁵⁹ Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus.[†]

8 Facta est autem in illa die persecutio magna in ecclesia quæ erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ præter Apostolos.[‡] ² Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.[¶] ³ Saulus autem devastabat ecclesiam per domos intrans, et trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam.[§] ⁴ Igitur qui dispersi erant pertransibant, evangelizantes verbum Dei. ⁵ Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabant illis

^{¶¶}7.55 **Stantem.** Immobiliter, quia non ite rum casurus, vel indicatur habitus auxiliantis, et injurias judicantis, et pro servo pugnantis. **Video cælos.** RAB. Migraturus a terra, cælos vidit apertos, ut qui terrenam vitam pro Christo contempsit, mereatur hæreditatem cœli, et ideo in ipsa passione videt præmium. **Filium hominis.** Cum Christus sit Filius Dei, maluit tamen appellare Filium hominis, ut confundatur Judæorum infidelitas, qui eum ut purum hominem crucifixerunt, quem Deum credere noluerunt.

^{§§}7.57 **Et ejicientes.** RAB. In hoc se implere legem glorificabant. Moyses enim de blasphemante dixit: **Educ eum foras extra castra, et lapidet eum populus** Lev. 24..

[¶]7.58 **Domine Jesu, suscipe spiritum meum,** in cœlum quod video apertum. Christus dixit Patri: **Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.** Stephanus, quasi servus Domino, **Domine,** etc. **Quia nesciunt.** RAB. Multi eorum, occidendo Stephanum, æstimabant se implere legem, quia blasphemum eum credebant. Hoc et Christus prædixerat: **Veniet, inquit, hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur se obsequium præstare Deo** Joan. 16..

[†]7.59 **Obdormivit.** Pulchre dictum est, **Obdormivit,** et non, **Mortuus est,** quia obtulit sacrificium dilectionis, et obdormivit in spe resurrectionis. Sancti non moriuntur, quia in melius mutantur, et vita temporalis in æternum vertitur. **Saulus autem,** etc. Non quidem lapidavit, sed lapidantibus consensit. Unde periret, nisi gratia Dei et pœnitentia ei subveniret; quia qui faciunt et consentiunt, digni sunt morte.

[‡]8.1 **In illa die.** RAB. Qua Stephanus occisus est, non quia tunc solum facta, sed quia ab illa die cœpit persecutio magna, occiso uno de principibus Ecclesiæ. **Ecclesia.** Collectio vel congregatio, sive vocatio. **Dispersi sunt.** Hoc est quod Dominus præcepit: **Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam** Matth. 10.. Ejus enim nutu gerebatur: ut occasione tribulationis fieret seminarium Evangelii.

[¶]8.2 **Curaverunt autem Stephanum viri timorati,** id est, Deum timentes, sive Christiani, qui postea sunt dispersi, sive Judæi timentes Deum etsi nondum Christiani.

[§]8.3 **Saulus.** RAB. A Saule persecutore qui rex Israël fuit de tribu Benjamin, de qua et Paulus; etenim juxta antiquorum consuetudinem a majoribus posterius nomina trahunt. **Devastabat.** ID. Quasi lupo gregem, juxta prophetiam Jacob: **Benjamin lupus rapax mane comedet prædam, sero dividet spolia** Gen. 49.. **Trahens.** Trahebat, non occidebat, quia fortasse manus ejus custodiebat Dominus, ne sanguine innocentum polluerentur. **Dispersi.** RAB. Quamvis timore dispersi, tamen stabiles erant in prædicatione Evangelii.

Christum.^{**} ⁶ Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa quæ faciebat.^{††} ⁷ Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. Multi autem paralytici et claudi curati sunt. ⁸ Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate. ⁹ Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum: ¹⁰ cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. ¹¹ Attendebant autem eum: propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos.^{‡‡} ¹² Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres.^{¶¶} ¹³ Tunc Simon et ipse credidit: et cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.^{§§} ¹⁴ Cum autem audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem.^{*} ¹⁵ Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum: ¹⁶ nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.[†] ¹⁷ Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.[‡] ¹⁸ Cum vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, ¹⁹ dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum:[¶] ²⁰ Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam

^{**}8.5 *Philippus*. De numero disseminatorum fuit, qui primus Christum prædicavit Samariæ. Diaconus secundus a Stephano. Secundus post ipsum narratur quasi hæres et ejusdem gradus.

^{††}8.6 *Intendebant*. RAB. Credebant audientes verba, et videntes signa. Duæ causæ fidei: Verba prædicationis, et signa virtutum. Ex præsentī capitulo et samaritanæ mulieris historia probatur animos hujus gentis ad credendum promptos fuisse, ait Beda.

^{‡‡}8.11 *Magis*. RAB. Magi de singulis philosophantur, de natura mundi, cursu siderum, et motibus. *Seducens*. Seorsum et a veritate ducens, vel in excessum, sive stuporem et admirationem convertens, per præstigias suas. *Dementasset*. Dementare est rationalem mentem absentare.

^{¶¶}8.12 *Philippo*. RAB. Dicunt quidam istum Philippum fuisse apostolum, et unum de duodecim, sed non videtur verum secundum seriem hujus libri. *Jesu Christi*. ID. Cujus erant ignari vel (ut prædictum est) in nomine Jesu Trinitatem prædicavit, et qui tantum unam personam de Trinitate perfecte credit, credulitate aliarum duarum carere non potest.

^{§§}8.13 *Tunc Simon*. ID. Vel credidit Domino, verbis Philippi et virtute, etc., usque ad Ecclesiam fraudulenter ingressi, baptisma furantur.

^{*}8.14 *Miserunt*. Petrus Joannem sociat sibi, quia virginitas Ecclesiæ grata est, et placet.

[†]8.16 *In nomine*. Non est sic legendum, *in nomine Jesu tantum*, ut aliæ personæ excludantur, sed sic: *tantum baptizati erant*, etc., id est necdum confirmati. *Jesu*. Tamen ante, in Patrem credebant et in Spiritum sanctum, sicut alii Judæi. Vel, plena fides unius personæ fidem Trinitatis confirmat.

[‡]8.17 *Imponebant manus*. BEDA. Philippus, qui Samariæ evangelizabat, unus de septem, etc., usque ad cum tradit Spiritum paracletem baptizatis.

[¶]8.19 *Potestatem*. RAB. Non baptizandi tantum in aqua et prædicandi, sive virtutes faciendi quam habebat Philippus, sed cuicumque imponendi manus, etc.

donum Dei existimasti pecunia possideri.^{§ 21} Non est tibi pars neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo.²² Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.^{**}
²³ In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis, video te esse.²⁴ Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis.^{†† 25} Et illi quidem testificati, et locuti verbum Domini, redibant Jerosolymam, et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant.²⁶ Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, et vade contra meridianum, ad viam quæ descendit ab Jerusalem in Gazam: hæc est deserta.^{‡‡ 27} Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiops, eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem:^{¶¶ 28} et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam.^{§§ 29} Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, et adjuuge te ad currum istum.³⁰ Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam prophetam, et dixit: Putasne intelligis quæ legis?^{* 31} Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum ut ascenderet, et sederet secum.^{† 32} Locus autem Scripturæ quem legebat, erat hic: [Tamquam ovis ad occisionem ductus est: et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.³³ In humilitate iudicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarra-

§8.20 *Pecunia tua.* Non nostra, qui non cupimus, sed *tua*, quam Spiritui comparas, ut illam pro eo vendas, et illam Spiritu emas. Ideo Spiritum emere volebat, ut aliis vendens eum, plus accipere posset. *Pecunia.* RAB. Ex hoc exemplum capitur, ut perditurum eleemosyna non recipiatur. Apostoli nolentes pecuniam, dicunt, *sit tecum*, id est tuam retine, et hoc, in perditionem, ut, pecunia injuste congregata, poenam æternam luas.

**8.22 *Pœnitentiam age.* Pro cupiditate, et pravo sensu quo putasti de Spiritu commercium fieri posse. RAB. Ut omnes videant id quod es. Non quod ignoret Petrus eum pœnitentiam non acturum, sed quia omnibus justum est prædicare, suum facit officium, ut ille sit inexcusabilis. Coram omnibus etiam arguitur ne amplius ab eo fallantur. *Roga Deum.* Cui patet cor, de quo Propheta: *Quam bonus Israël Deus* Psal. 72.; quem fallere nemo potest, quia *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum* Sap. 1..

††8.24 *Precamini.* Causa desperationis non audet ipse precari, sed apostolos rogat, ut pro se precentur, nec pro se audet orare, qui non credit se exaudiendum esse. Apostolis etiam fecte loquitur. *Quæ dixistis.* Non quæ credidi, sed quasi infidelis eis imputat quæ ventura sunt.

‡‡8.26 *Angelus autem.* Post reditum apostolorum, de Philippo historia textitur. *Ad viam*, etc. Nam via descendit, et per viam descenditur ex natura loci.

¶¶8.27 *Æthiops.* Natura et merito. Æthiops enim tenebrosus. Unde: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo* Psal. 67.. *Potens*, etc. BEDA. Regina Æthiopum thesaurarium præmittens, etc., *usque ad, Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam* Psal. 44., etc. *Candacis reginæ.* Mos erat illius regionis a feminis regi, et eas Candaces vocari.

§§8.28 *Revertebatur.* Incipiebat reverti legens Isaiam. Ubicunque in Novo Testamento salutis narratur principium, de Isaiâ sumitur testimonium, qui interpretatur *salus Domini.*

*8.30 *Putasne intelligis*, etc. RAB. Suas invicem linguas agnoscunt, vel per doctrinam eunuchi vel per spiritum Philippi.

†8.31 *Quomodo*, etc. Hic arguit illorum audaciam qui existimant sine doctore Scripturam divinam intelligere.

bit? quoniam tolletur de terra vita ejus.]³⁴ Respondens autem eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? ³⁵ Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum.[¶] ³⁶ Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam: et ait eunuchus: Ecce aqua: quid prohibet me baptizari?[§] ³⁷ Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum.^{**} ³⁸ Et jussit stare eum: et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum. ³⁹ Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.^{††} ⁴⁰ Philippus autem inventus est in Azoto, et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.^{‡‡}

9 Saulus autem adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum,^{¶¶} ² et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. ³ Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco: et subito circumfulsit eum lux de cælo. ⁴ Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?^{§§} ⁵ Qui dixit: Quis es, domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare.^{*} ⁶ Et tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? ⁷ Et Dominus ad eum: Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi qui comitabantur

[¶]8.33 **In humilitate.** BEDA. Etenim iudex omnium, veritatem iudicii non reperit, sed sine ulla sua culpa, seditione Judæorum, et voce Pilati, damnatus est. **Humilitate.** RAB. Passione qua **humiliavit se factus obediens usque ad mortem** Philip. 2. **Tolletur.** Secundus homo de cælo cælestis, sanctitate segregatus a terrenis, vel, de vita in mortem transibit.

[¶]8.35 **Aperuit.** RAB. Thesaurum scientiæ aperuit. Vel aperuit os, ut Spiritus loquatur in eo, secundum illud: **Dilata os tuum, et implebo illud** Psal. 80. Mystice, os Ecclesiæ Philippus aperuit, ut ex hoc Gentibus is prædicetur quem prius nesciebant. **Evangelizavit.** Solvit quæstionem illius interrogantis: **De quo propheta dixit?** Demonstrat autem quod de Jesu prophetatum est.

[§]8.36 **Ad quamdam aquam.** Ad hoc enim prædicatio duxerat, ut aqua indigeret, quæ de baptismo in via audierat.

^{**}8.37 **Si credis.** RAB. Non ignorabat ejus fidem, sed volebat manifestam confessionem, ut baptizaturis et baptizandis daretur exemplum interrogandi et confitendi.

^{††}8.39 **Spiritus Domini.** RAB. Vel Spiritus irruit in eum fortiter, sicut et in apostolos, etc., usque ad in quos Spiritus descenderat?

^{‡‡}8.40 **Inventus est.** Ab hominibus qui in raptu non inveniebatur, quia ambulavit in solitudine, vel nimia velocitate. **Cæsaream.** BEDA. Cæsaream Palæstinæ dicit ubi infra domum habuisse describitur, quæ usque hodie demonstratur, necnon et cubiculum filiarum quatuor ejus prophetantium virginum.

^{¶¶}9.1 **Saulus autem.** Redit ad hoc quod supra dixerat: **Saulus adhuc devastabat Ecclesiam. Minarum,** etc. Minis terrens cæde afficiebat præsentis: dubitatur utrum occideret seu flagellaret, vel utrumque faceret. **Spirans.** Spirat in modum ignis, non ab alio incitatus ipse alios accendebat.

^{§§}9.4 **Et cadens.** Territus ad terram refugit, vel quasi adorans in faciem cadit. **Quid me,** etc. BEDA. Non ait: Cur persequeris etc., **usque ad, Quandiu uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis** Matth. 25..

^{*}9.5 **Ego sum Jesus.** Non Deum vel Dei Filium se vocat, sed humilitatis meæ, inquit, infirma suscipe, et superbiæ tuæ squamas depone.

cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.[†]
⁸ Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.[‡] ⁹ Et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit.[¶] ¹⁰ Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: et dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine.[§]
¹¹ Et Dominus ad eum: Surge, et vade in vicum qui vocatur Rectus: et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat.^{**} ¹² (Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, et imponentem sibi manus ut visum recipiat.) ¹³ Respondit autem Ananias: Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem: ¹⁴ et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum. ¹⁵ Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israël.^{††} ¹⁶ Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. ¹⁷ Et abiit Ananias, et introivit in domum: et imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas, et implearis Spiritu Sancto.^{‡‡} ¹⁸ Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, et visum recepit: et surgens baptizatus est.^{¶¶} ¹⁹ Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot. ²⁰ Et continuo in synagoga prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei.^{§§} ²¹ Stupebant autem omnes qui audiebant, et dicebant: Nonne hic est qui expugnabat in Jerusalem eos qui invoca-

[†]9.7 *Surge*. Impiger operare ut bos, et esto doctor Ecclesiæ. In lege scriptum est: **Non alligabis os bovi trituranti** I Cor. 9.. *Ingrederere*. RAB. Ingressurus civitatem terretur, ne sanctis tristitiam inferat; dehinc Dominus jubetur ingredi, ut fidem discat quam impugnaverat. *Et dicetur*. Exemplum discendi datur, et superbia increpatur, ut nullus alium indignum existimet a quo doceatur quod ignorat.

^{*}9.8 *Apertis oculis*. RAB. Ostenditur ei in corpore quod prius patiebatur in anima. Sicut enim apertus oculus sine visu, sic lex inutilis sine fide Christi. BEDA. Oculis non posset rursus bene videre, nisi prius exæcatus, et propriam sapientiam, quæ turbatur, excludens, fidei se committeret.

[¶]9.9 *Et erat*. RAB. Hic datur forma poenitentibus, ut ex triduo incipiant, hoc etiam triduo catechumenorum gradus dedicatur. *Tribus diebus*. Apparet quod per triduum cæcatus lucem gratiæ exspectabat, non torpens otio, sed illustratus a Deo cœlestia rimabatur. Credibile est quod etiam eo tempore dispensationem Evangelii edoctus sit. *Non videns*. Quia non credebat Deum tertia die resurgendo mortem vicisse, suo exemplo instruitur, qui tenebras tridui luce reversa mutavit. *Non manducavit*. RAB. Hoc animæ suæ acciderat, quæ cibum interiorum non habuerat et potum. Ex inedia autem corporis et siti ostenditur animam indigentem satiari oportere.

[§]9.10 *Anania*. ID. Indicium familiaritatis aliquem vocari suo nomine.

^{**}9.11 *In vicum*. ID. Vici dicuntur agri, aut civitatibus, aut sibi intrinsecus in civitate proximi.

^{††}9.15 *Vade*, etc. Non est timendus quasi persecutor, sed amplexandus ut frater: quia mala quæ sanctis intulit, paratus est sustinere.

^{‡‡}9.17 *Introivit*. Impleta est prophetia Isaïæ dicentis: **Habitabit lupus cum agno**, id est, Saulus cum Anania.

^{¶¶}9.18 *Ceciderunt*, etc. BEDA. Serpentis corpus squamis tegitur, etc., usque ad quod lumen recepit in mente. RAB. Quod cadunt squamæ, similitudo est interioris visionis renovatæ de legis velamine.

^{§§}9.20 *Et continuo*. Implet sermonem Domini dicentis: **Qui vult venire post me, abneget semetipsum** Luc. 9., etc.

bant nomen istud: et huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum? ^{*} 22 Saulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Judæos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. 23 Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judæi ut eum interficerent. 24 Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem et portas die ac nocte, ut eum interficerent. [†] 25 Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentem in sporta. 26 Cum autem venisset in Jerusalem, tentabat se jungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. [‡] 27 Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos: et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu. [¶] 28 Et erat cum illis intrans et exiens in Jerusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini. 29 Loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum. [§] 30 Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, et dimiserunt Tarsum. ^{**} 31 Ecclesia quidem per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam habebat pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritus replebatur. ^{††} 32 Factum est autem, ut Petrus dum pertransiret universos, deveniret ad sanctos qui habitabant Lyddæ. 33 Invenit autem ibi hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus. ^{‡‡} 34 Et ait illi Petrus: Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus: surge, et sterne tibi. Et continuo surrexit. ^{¶¶} 35 Et viderunt eum omnes qui habitabant Lyddæ et Saronæ: qui conversi sunt ad Dominum. ^{§§} 36 In Joppe autem fuit quædam discipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus

^{*}9.21 *Nonne*. RAB. Exemplum dat non erubescendi, ubi potest veritas mutare sententias suas.

[†]9.24 *Custodiebant*. Non Judæi, sed cives cum rege suo Aretha, ut ipse scribit ad Galatas. Judæis enim concordabant Gentiles in persecutione Christianorum.

[‡]9.26 *Cum autem venisset*. Non quam cito baptizatus est: venit in Jerusalem ad apostolos, sed (sicut Galatis scribit) primo abiit in Arabiam, et inde reversus est Damascum; deinde post annos tres venit Jerusalem videre Petrum, etc. Deinde, ut Lucas testatur, venit in partes Syriæ et Ciliciæ.

[¶]9.27 *Barnabas*. BEDA. Hic fuit Cyprius genere, Levites, qui pretium agri ad pedes apostolorum supra memoratur attulisse.

[§]9.29 *Cum Græcis*. Græci Judæi dicuntur, quod inter Græcos dispersione sunt nati.

^{**}9.30 *Cæsaream*. Cæsarea Philippi civitas est Syriæ. Tharsus civitas est Ciliciæ.

^{††}9.31 *Ecclesia*. Talia, ut supra dictum est, in fine narrationum, et principio interseruntur sæpe, ad laudem apostolorum et ecclesiasticæ fidei. *Et consolatione*. Consolatio in labore datur, unde patet quod Ecclesia tentabatur.

^{‡‡}9.33 *Nomine Æneam*. RAB. Æneas signat genus humanum languens, etc., usque ad qui infirmatur voluptate carnis, et delectatione sæculi.

^{¶¶}9.34 *Surge*. Quem de paralyti curaverat, surgere et sternere sibi præcepit, insinuans ut qui fides in corde perceperat, non solum torporem discutiât, sed etiam opera paret in quibus quiescat.

^{§§}9.35 *Lyddæ et Saronæ*. Duæ civitates fuerunt conversæ ad Deum, ideo enim fiebant virtutes in eis.

bonis et eleemosynis quas faciebat.* 37 Factum est autem in diebus illis ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo. 38 Cum autem prope esset Lydda ad Joppen, discipuli, audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire ad nos. 39 Exsurgens autem Petrus, venit cum illis. Et cum advenisset, duxerunt illum in cœnaculum: et circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, et ostendentes ei tunicas et vestes quas faciebat illis Dorcas.†
 40 Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit: et conversus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos: et viso Petro, resedit.‡ 41 Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos et viduas, assignavit eam vivam.¶
 42 Notum autem factum est per universam Joppen: et crediderunt multi in Domino.
 43 Factum est autem ut dies multos moraretur in Joppe, apud Simonem quemdam coriarium.

10 Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, centurio cohortis quæ dicitur Italica,§ 2 religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper.** 3 Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, angelum Dei introëuntem ad se, et dicentem sibi: Corneli.††
 4 At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. 5 Et nunc

*9.36 **Nomine Tabitha.** RAB. Tabitha de Hebræo in Latinum **Dorcas** transfertur, vel **Damula**, ut in quibusdam exemplaribus invenitur. **Dorcas.** Allegorice: Dorcas est damula vel caprea: significat autem animam studio virtutis sublimem, sed hominum opinione contemptibilem. Interpretationem autem nominis Lucas ponens, mysterium inesse significat. Hæc animalia morantia in montibus, acute vident: unde ab acumine visus dorcades Græce vocantur. Sic meritis operum excelsi superius intendunt, et sibi circumspicere invigilant, simpliciter vivunt discreto gradu operis, quasi fissa ungula incedunt, verbum Dei assidua meditatione ruminant.

†9.39 **In cœnaculo.** RAB. In loco superiori ponitur, vel propter altitudinem meriti, vel propter sublimitatem miraculi, quod faciendum erat de ea.

‡9.40 **Ejectis.** ID. Juxta exemplum Christi filiam archisynagogi principis resuscitantis hoc factum est, ad vitandam elationem, vel ne indigni signum viderent. **Aperuit.** BEDA. Rectus est ordo resurgentium, ut prius oculos mentis aperiat, postea agnita voce Petri resedeat, lumen suæ circumspectionis amissum recipiat, ut ad doctrinam eorum qui adjuvant, vivat. **Aperuit oculos.** Isti sunt tres gradus resuscitationis.

¶9.41 **Dans autem.** Contacta manu Petri Tabitha resurgit, quia anima languens in peccatis, nullo melius ordine quam sanctorum exemplis convalescit.

§10.1 **Vir autem,** etc. RAB. Merito perfectionis et opere virili hic centurio dicitur vir, secundum illud: **Vir erat in terra Hus, nomine Job. Cornelius.** BEDA. Non virtutibus ad fidem, sed fide pertingebat ad virtutes. GREG. Cornelius, cujus eleemosynæ ante baptismum angelo testante, etc., usque ad in fide vero solidatur per opera.

10.2 **Religiosus, etc. RAB. Hæc omnia bono naturæ, etc., usque ad sine virili semine, id est, doctrina magistri concepisse credatur.

††10.3 **Is vidit.** RAB. Non in nocte, non in somnis, quia Gentiles grosso sensu, etc., usque ad sicut prius in Petri et Joannis exemplo ostensum fuit. **Angelum Dei.** ID. Non Satanæ. In hoc excusantur apostoli gentibus prædicantes et eas baptizantes: quomodo enim zelaretur ab homine quod manifestabatur ab angelo? **Introëuntem,** ad se forsitan, vocantem cum, et datur excusandi occasio Petro Judæis contra eum disceptantibus et dicentibus: **Cur introisti ad viros præputium habentes** Act. 11., etc. **Corneli.** Familiaritas ostenditur, qua nomen gentilis hominis notitiæ angelorum est insertum.

mitte viros in Joppen, et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus:‡‡
 6 hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare:
 hic dicit tibi quid te oporteat facere.¶¶ 7 Et cum discessisset angelus qui loquebatur
 illi, vocavit duos domesticos suos, et militem metuentem Dominum ex his qui illi
 parebant. §§ 8 Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Joppen. 9 Postera autem die,
 iter illis facientibus, et appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora ut
 oraret circa horam sextam.* 10 Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem il-
 lis, cecidit super eum mentis excessus:† 11 et vidit cælum apertum, et descendens vas
 quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram,‡ 12 in
 quo erant omnia quadrupedia, et serpentina terræ, et volatilia cæli.¶ 13 Et facta est vox
 ad eum: Surge, Petre: occide, et manduca. § 14 Ait autem Petrus: Absit Domine, quia
 numquam manducavi omne commune et immundum.** 15 Et vox iterum secundo ad
 eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. 16 Hoc autem factum est per

‡‡10.5 *Et nunc mitte viros*, etc. RAB. Hic incipit retributio, ut qui misericors est misereatur tui Deus, quia: **Beati misericordes, quoniam misericordiam**, etc. Matth. 5.. **Joppen**. ID. Civitas est terræ promissionis mari Tyrrheno proxima, et in ipsius orientali littore sita, in quam Jonas descendens intravit navem, ut fugeret.

¶¶10.6 *Hospitatur*, etc. Hospitatur Petrus in domo Simonis, id est, obedientis, qui est coriarius, quia doctor Ecclesiæ ibi libenter habitat, ubi sunt obedientes, qui castigant corpus et servituti subjiciunt, transgressi fluctus sæculi libertate mentis. Constantia enim fidei fluxam gloriam mundi et terrores contemnunt.

§§10.7 *Et cum discessisset*. RAB. Non ait, cum evigilasset Cornelius, quia ei nec per somnium, nec in exstasi, sed manifeste angelus visus est. **Militem**. ID. Non dicit domesticos metuentes Dominum, quia in principio dixerat eum religiosum fuisse, timentem Dominum cum omni domo sua.

*10.9 *Appropinquantibus*, etc. Alia littera: **Apparentibus illis**, scilicet qui a Cornelio missi sunt, id est, ita propinquantibus, ut videri possent a domo Simonis coriarii. RAB. Pro, **in superiora**, alia littera habet, **in cœnaculum**, et bene: quia gentilis populus est quasi superior domus: Synagoga vero est infra, quia mundo immersa. Dicens **in superiora**, significavit Ecclesiam, relicta cupiditate terrenorum, conversationem in cœlis habituram. Sexta hora Petrus inter preces esurit, salutem utique mundi, quem Jesus sexta ætate sæculi quærere et salvare venit: quod indicavit cum eadem hora super puteum Samariæ sedit.

†10.10 *Cum esuriret*. RAB. Salutem gentium compatiendo esurit, quæ nunc in visione ostenditur, quæ ideo sexta hora est visa, quia sexta ætate sæculi est facta.

‡10.11 *Cælum apertum*. BEDA. Apertio cœli revelatio est sacramentorum cœlestium proxime futura gentibus. Designat autem in hoc cœlos gentibus esse apertos, et introitum esse pandendum. **Vas quoddam**. ID. Vas illud designat Ecclesiam, etc., usque ad per quos Ecclesia cœlesti dono imbuta sublimatur. **Linteum**. Pro Ecclesia, pro candore sanctitatis, et mortificatione carnis. **De cælo in terram**. RAB. Inde monemur, ut ubi caput nostrum est et radix (cujus rami sumus) illuc penetret anchora spei nostræ.

¶10.12 *Omnia quadrupedia*. Omnes gentes credituræ et in unitatem corporis Christi assumendæ, ut omnes efficiantur membra ejus.

§10.13 *Occide*. Munda, mortifica, et macta, ut hostias Deo facias, ut eruti de vetustate in novitate transeat.

**10.14 *Mundacavi*, etc. BEDA. Qui manducat cibum foris positum in suum trahit corpus. Præcepit ergo gentes per incredulitatem, foris positas, societati Ecclesiæ (quam Petrus significat) inseri. ID. Gentiles Petrus immundos putabat, etc., usque ad sed in sola Dei dilectione constringat.

ter: et statim receptum est vas in cælum. ¹⁷ Et dum intra se hæsitaret Petrus quidnam esset visio quam vidisset, ecce viri qui missi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis astiterunt ad januam. ¹⁸ Et cum vocassent, interrogabant, si Simon qui cognominatur Petrus illic haberet hospitium. ¹⁹ Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunte te. ²⁰ Surge itaque, descende, et vade cum eis nihil dubitans: quia ego misi illos. ²¹ Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum, quem quæritis: quæ causa est, propter quam venistis? ^{††} ²² Qui dixerunt: Cornelius centurio, vir justus et timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Judæorum, responsum accepit ab angelo sancto accersire te in domum suam, et audire verba abs te. ^{‡‡} ²³ Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die, surgens profectus est cum illis, et quidam ex fratribus ab Joppe comitati sunt eum. ^{¶¶} ²⁴ Altera autem die introivit Cæsaream. Cornelius vero exspectabat illos, convocatis cognatis suis et necessariis amicis. ^{§§} ²⁵ Et factum est cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, et procidens ad pedes ejus adoravit. ²⁶ Petrus vero elevavit eum, dicens: Surge: et ego ipse homo sum. ²⁷ Et loquens cum illo intravit, et invenit multos qui convenerant: ^{*} ²⁸ dixitque ad illos: Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem. ²⁹ Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me? ³⁰ Et Cornelius ait: A nudiusquarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, et ecce vir stetit ante me in veste candida, et ait: [†] ³¹ Corneli, exaudita est oratio tua, et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. ³² Mitte ergo in Joppen, et accersi Simonem qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarii juxta mare. ³³ Confestim ergo misi ad te: et tu benefecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt a Domino. ³⁴ Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi quia non

^{††}10.21 *Descendens*. BEDA. Descendere de tecto, et ad prædicandum ire jubetur, etc., *usque ad, Sanctorum vero conversatio est in cælis* Philipp. 3. *Ecce ego*, etc. Ostendit se scire adventum illorum, humilitatis etiam dans exemplum, dimittens circuitum verborum. *Quæ causa est*, etc. Spiritus adesse milites dixit, et qua de causa venerant tacuit, quia ad conservandam humilitatem aliquando prophetiæ spiritus ex parte animum tangit, et ex parte non tangit.

^{‡‡}10.22 *Responsum accepit*. Eleemosynis et orationibus ejus per angelum respondit Dominus. *In domum*. Per hoc suadent quia angelus jussit introire in domum ejus, quamvis gentilis esset.

^{¶¶}10.23 *Introducens*, etc. Hic incipit communio apostolorum cum gentibus, quia descenderat ad eos, qui audierant ab angelo præceptum ut intrarent in domum gentilis, ideo gentiles hospitio recepit.

^{§§}10.24 *Convocatis cognatis*, etc. Duplex causa convocationis; proximitas cognitionis, et amicitia.

^{*}10.27 *Et loquens*, etc. BEDA. Communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, sicut in Ananiæ et Sapphiræ culpa zelus ultionis ejus aperuit potestatis.

[†]10.30 *Et ecce vir*, etc. Non dicit angelum, adeo alienus erat a fastu, et inquit: *Corneli, exaudita est oratio tua, et eleemosynæ tuæ in memoria habitæ sunt coram Deo. In conspectu Dei*. RAB. In Græco, *In conspectu Dei adsumus*. Hoc recte dicitur ab eo qui Deo promptus erat obtemperare, credens eum ubique præsentem esse.

est personarum acceptor Deus;[‡] 35 sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. 36 Verbum misit Deus filiis Israël, annuntians pacem per Jesum Christum (hic est omnium Dominus). 37 Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim a Galilæa post baptismum quod prædicavit Joannes,[¶] 38 Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.[§] 39 Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Judæorum, et Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. 40 Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, 41 non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo: nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis.** 42 Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum. 43 Huic omnes prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. 44 Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum. 45 Et obstupuerunt ex circumcissione fideles qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est.^{††} 46 Audiebant enim illos loquentes linguis, et magnificantes Deum. 47 Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos?^{‡‡}

[‡]10.34 *Non est personarum acceptor*, etc. BEDA. Patet Deum non esse personarum acceptorem, etc., usque ad sed omnes credentes acciperent.

[¶]10.37 *Vos scitis*, etc. RAB. Sic legendum: Scitis Jesum ut prædicavit Joannes: Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum, etc. Vel: hoc prædicavit Joannes, quod unxit eum, non quidem terreno more, sed spiritu et virtute signorum.

[§]10.38 *Qui pertransiit*, etc. In Græco additur, *per quadraginta dies*, non quod quotidie cum illo manducarent et biberent, nam esset contrarium Joanni, qui octo dies interponit quibus eis visus non est, ut tertio manifestaretur, et totidem diebus jejunavit ante mortem, cibo indigens, quod manducavit post resurrectionem jam cibo non indigens. Jejunavit ante mortem, ut nos abstinemus a desideriis hujus sæculi. Manducavit, docens per hoc quod nobiscum est usque ad consummationem sæculi. Jejunium est in certamine, quia qui in agone est, ab omnibus se abstinet. Cibus est in spe pacis, quæ perfecta erit, cum mortale hoc induerit immortalitatem. Nos autem cum viam Domini carpinus, a vanitate sæculi jejunamus, et futura repromissione reficimur. RAB. Per quadraginta dies, non assidue, sed quibusdam vicibus in illo quadragenario dierum numero factis.

^{**}10.41 *Et bibimus*. BEDA. Hic exponit Petrus quod in Evangelio tacetur, post resurrectionem se bibisse cum Christo, nisi forte illic credamus indicatum, ubi ait: *Donec illud bibam vobiscum in regno Patris mei* Matth. 26..

^{††}10.45 *Spiritus*. Spiritus, domum Dei est, inquantum eis datur qui per eum diligunt Deum; apud se autem Deus est, etiamsi nulli datur, Patri et Filio coæternus. Nec, quia illi dant, et ipse datur, minor est illis. Ita enim datur sicut donum Dei, ut seipsum det sicut Deus: *Spiritus enim ubi vult spirat* Joan. 3..

^{‡‡}10.47 *Nunquid aquam*, etc. Quasi Deus quod majus est, prius dedit, et ordinem præposteravit, nunquid quod minus est, potest prohibere Vos venistis ad hoc ut testes sitis, ergo judicate.

⁴⁸Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus.^{¶¶}

11 Audierunt autem Apostoli et fratres qui erant in Judæa, quoniam et gentes receperunt verbum Dei. ²Cum autem ascendisset Petrus Jerosolymam, disceptabat adversus illum qui erant ex circumcissione, ³dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis? ⁴Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens: ⁵Ego eram in civitate Joppe orans, et vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteam magnum quatuor initiis summitti de cælo, et venit usque ad me. ⁶In quod intuens considerabam, et vidi quadrupedia terræ, et bestias, et reptilia, et volatilia cæli.^{§§} ⁷Audivi autem et vocem dicentem mihi: Surge, Petre: occide, et manduca. ⁸Dixi autem: Nequaquam Domine: quia commune aut immundum numquam introivit in os meum. ⁹Respondit autem vox secundo de cælo: Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris. ¹⁰Hoc autem factum est per ter: et recepta sunt omnia rursum in cælum. ¹¹Et ecce viri tres confestim astiterunt in domo in qua eram, missi a Cæsarea ad me. ¹²Dixit autem Spiritus mihi ut irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum et sex fratres isti, et ingressi sumus in domum viri. ¹³Narravit autem nobis quomodo vidisset angelum in domo sua, stantem et dicentem sibi: Mitte in Joppen, et accersi Simonem qui cognominatur Petrus, ¹⁴qui loquetur tibi verba in quibus salvus eris tu, et universa domus tua. ¹⁵Cum autem cœpisssem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut et in nos in initio. ¹⁶Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. ¹⁷Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis qui credidimus in Dominum Jesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere Deum? ¹⁸His auditis, tacuerunt: et glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* ¹⁹Et illi quidem qui dispersi fuerant a tribulatione quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicen, et Cyprum, et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis.† ²⁰Erant autem quidam ex eis viri Cyprii et Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur et ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum.‡

^{¶¶}10.48 *In nomine Christi.* Cum sit regula Ecclesiæ, baptismum tradi in nomine Trinitatis. Lucas tamen testatur in nomine Jesu Christi illum dari. Quod Ambrosius solvens, dicit per unitatem nominis mysterium plenum fieri, quia qui Christum dicit, et Patrem a quo Filius, et Spiritum sanctum etiam designat: qui etiam Patrem dicit, et Filium et Spiritum paritet ostendit: et qui Spiritum nominat, Patrem a quo procedit Spiritus, et Filium, cujus etiam Spiritus est, nuncupat. Unde, ut rationi copuletur auctoritas, etiam in Spiritu baptizatur, secundum illud: *Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto* Act. 11., et Apostolus: *In uno Spiritu baptizati sumus* I Cor. 12..

^{§§}11.6 *Quadrupedia terræ,* etc. RAB. Miror quosdam hoc interpretari super escis, etc., usque ad mysterium hujus visionis exposuit.

*11.18 *Ergo et gentibus,* etc. Hoc est quod in Job legitur: Ab Aquilone aurum veniet, et ad Deum formidolosa laudatio, quia prius frigidus gentium in pectore splendor fidei exortus est, et pro eadem inopinata fide, Judæa Deum tremendo glorificat.

†11.19 *Et illi quidem,* etc. Revertitur ad id quod dixerat: igitur qui *dispersi erant, pertransibant evangelizantes verbum.* Interserta est autem narratio de Philippo, Petro, Joanne, Paulo.

‡11.20 *Erant autem quidam.* RAB. Non de illis qui fuerant dispersi ab Jerusalem, sed, etc., usque ad inter Græcos conversati sunt in dispersione.

²¹ Et erat manus Domini cum eis: multusque numerus credentium conversus est ad Dominum.[¶] ²² Pervenit autem sermo ad aures ecclesiæ quæ erat Jerosolymis super istis: et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam.[§] ²³ Qui cum pervenisset, et vidisset gratiam Dei, gavisus est: et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino:^{**} ²⁴ quia erat vir bonus, et plenus Spiritu Sancto, et fide. Et apposita est multa turba Domino. ²⁵ Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum: quem cum invenisset, perduxit Antiochiam.^{††} ²⁶ Et annum totum conversati sunt ibi in ecclesia: et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, christiani.^{‡‡} ²⁷ In his autem diebus supervenerunt ab Jerosolymis prophetæ Antiochiam: ²⁸ et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. ²⁹ Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus: ³⁰ quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli.

12 Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclesia. ² Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. ³ Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. Erant autem dies Azymorum. ⁴ Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo.^{¶¶} ⁵ Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebant sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. ⁶ Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: et custodes ante ostium custodiebant carcerem.^{§§} ⁷ Et ecce angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitac-

[¶]11.21 *Multusque numerus.* BEDA. Jam post revelationem evangelicæ syndonis (in qua sancta animalia superna spe quiescerent) cœpit Ecclesia crescere, cum per exterarum provinciarum, insularum et civitatum non solum Judæis, sed etiam gentibus Evangelium prædicatur.

[§]11.22 *Et miserunt Barnabam.* RAB. Barnabas virilis in bonitate. Barnabas sæpe in hoc libro laudatur, ne ob indignitatem meriti apostolatu caruisse credatur, qui postea ab apostolis gentium apostolus est ordinatus.

^{**}11.23 *Et hortabatur,* etc. Nihil mutavit vel addidit, sed perseverantiam docuit, quia vera et plena fides erat in eis.

^{††}11.25 *Tarsum.* Dictum est enim superius quod fratres deduxerunt eum nocte Cæsariam et dimiserunt Tarsum. *Ut quæreret Saulum.* Ecce bonitas Barnabæ, qui non solus præsumit docere plebem, sed apostolatus quærit consortem.

^{‡‡}11.26 *Discipuli, Christiani. In his,* etc. Videntur discipuli in hoc non servasse mandatum Dei dicentis: *Nolite solliciti esse de crastino* Matth. 6.. Sed constat non hoc eum improbare, si quis humano more ista procuret, sed non pro eis Deo militet, ut in opere suo non regnum Dei, sed temporalia intueatur. Ad hanc ergo regulam hoc præceptum redigitur, ut in horum provisione regnum Dei attendamus: sed in militia Dei ista non cogitemus. *Prophetæ.* RAB. De quibus dictum est: *Et prophetabunt filii vestri* Joël. 2.. Laus est Antiochiæ quo multi perfecti conveniebant.

^{¶¶}12.4 *Quatuor quaternionibus.* Quaternio dicitur princeps quatuor militum. Sicut enim centurio centum, ita quaternio quatuor sub se milites habet. *Volens,* etc. RAB. Amplius enim gratia esset, si ipsi eum occiderent Judæi, quia princeps erat, non ipse Herodes, sicut et Jacobus.

^{§§}12.6 *Milites, vinctus,* etc. RAB. Quatuor difficultates cumulant custodiam: milites, catenæ carcer, custodes.

ulo: percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus.^{* 8} Dixit autem angelus ad eum: Præcingere, et calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me.⁹ Et exiens sequebatur eum, et nesciebat quia verum est, quod fiebat per angelum: existimabat autem se visum videre.¹⁰ Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem: quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum: et continuo discessit angelus ab eo.¹¹ Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Judæorum.^{† 12} Consideransque venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, et orantes.¹³ Pulsante autem eo ostium januæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode.^{‡ 14} Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens nuntiavit stare Petrum ante januam.¹⁵ At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus ejus est.^{¶ 16} Petrus autem perseverabat pulsans. Cum autem aperuissent, viderunt eum, et obstupuerunt.¹⁷ Annuens autem eis manu ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque: Nuntiate Jacobo et fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum.^{§ 18} Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro.¹⁹ Herodes autem cum requisisset eum et non invenisset, inquisitione facta de custodibus, jussit eos duci: descendensque a Judæa in Cæsaream, ibi commoratus est.²⁰ Erat autem iratus Tyrii et Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, et persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo.²¹ Statuto autem die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos.²² Populus autem acclamabat: Dei voces, et non hominis.²³ Confestim autem percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo: et consumptus a vermibus, expiravit.^{** 24} Verbum autem Domini crescebat, et multiplicabatur.²⁵ Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Jerosolymis expleto ministerio assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus.

^{*}12.7 *Lumen*. Signum præsentia angelus Dei cuius præsentia soli Petro lumen præbebat, nec aliis refulgebat. *Percussoque*. RAB. Tactum corporalem, corpore ex ære sumpto, potuit habere angelus.

[†]12.11 *Ad se reversus*. A culmine contemplationis ad hoc reversus est, quod in intellectu communi prius fuit.

[‡]12.13 *Processit puella*, etc. Et Dominum de tumulo egressum prima omnium mulier discipulis nuntiavit, ut ubi abundavit delictum, superabundaret et gratia.

[¶]12.15 *Angelus ejus est*. HIER. Magna dignitas animarum: ut unaquæque ab ortu nativitatis habeat angelum in custodiam sui delegatum. ID. Quod autem unusquisque nostrum habeat angelos, etc., usque ad isti sunt qui ascendunt et descendunt super Filium hominis.

[§]12.17 *Tacerent*, etc. Donec narraret virtutem: vel tacere jubet, ne clamore gaudentium adventus ejus in civitate cognoscatur.

^{**}12.23 *Confestim*, etc. Dum impietatem illicitæ adulationis non exhorreret, respiciens paulo post imminentem et insistentem capiti suo vidit angelum, eumque sensit continuo exitii sui ministrum, quem prius noverat provisorem bonorum. Inde continuis septem diebus ventris dolore cruciatus, vitam violenter abruptit.

13 Erant autem in ecclesia quæ erat Antiochiæ, prophetæ et doctores, in quibus Barnabas, et Simon qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, et Saulus.^{††} ² Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. ³ Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. ⁴ Et ipsi quidem missi a Spiritu Sancto abierunt Seleuciam: et inde navigaverunt Cyprum.^{‡‡} ⁵ Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagoga Judæorum. Habebant autem et Joannem in ministerio. ⁶ Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pseudopropheta, Judæum, cui nomen erat Barjesu, ⁷ qui erat cum proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba et Saulo, desiderabat audire verbum Dei.^{¶¶} ⁸ Resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen ejus), quærens avertere proconsulem a fide.^{§§} ⁹ Saulus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu Sancto, intuens in eum,^{*} ¹⁰ dixit: O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. ¹¹ Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo et tenebræ: et circuiens quærebat qui ei manum daret.[†] ¹² Tunc proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini. ¹³ Et cum a Papho navigassent Paulus et qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphylia. Joannes autem discedens ab eis, reversus est Jerosolymam. ¹⁴ Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidia: et ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt.[‡] ¹⁵ Post lectionem autem legis et prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. ¹⁶ Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens, ait: Viri Israëlitæ, et qui timetis Deum, audite: ¹⁷ Deus plebis Israël elegit patres nostros, et plebem exaltavit cum essent incolæ in terra Ægypti, et in brachio excelso eduxit eos ex ea, ¹⁸ et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in

^{††}13.1 *Erant autem in Ecclesia*, etc. Iidem erant prophetæ et doctores. Vel, alii eorum prophetæ, alii doctores fuerunt. **Niger**. RAB. A colore, si Latinum est. Vel, *ascendens* interpretatur, si Hebræum.

^{‡‡}13.4 *Missi a Spiritu sancto*. RAB. Ab hominibus dimissi, mox a Spiritu sancto mittuntur ad Seleuciam. Dux itineri eorum fuit, qui eos separavit a cæteris. **Abierunt Seleuciam**. ID. In quibusdam exemplaribus invenitur: **Abierunt Seleuciam, quæ est Salamina**; duo autem sunt nomina unius civitatis.

^{¶¶}13.7 *Sergio Paulo*. Duo unius nomina sunt, Sergius et Paulus.

^{§§}13.8 *Elymas*. RAB. Elymas, secundum quosdam interpretatur, **Dei mei mensura**, vel **Magus**, et ideo resistebat. **Avertere**. ID. Eum qui incepterat converti, a fide ad transgressionem volebat convertere juxta nomen suum.

^{*}13.9 *Saulus*. ID. Saulus interpretatur **Tentatio respicientis**, vel **securitas**, vel **mirabilis. Qui et Paulus**. BEDA. A Sergio Paulo proconsule (quem fidei subegit) sortitus est nomen Pauli. Apte gentium apostolus de gentili nomen sortitur. RAB. A Sergio Paulo dictus est apostolus, Paulus, e c., **usque ad, Ego sum minimus apostolorum** I Cor. 15..

[†]13.11 *Et nunc*, etc. **Eris cæcus**, etc. Oportuit Paulum miracula agere ad consumptionem apostolatus, quem diu contra stimulos calcitrantem Dominus elegerat.

[‡]13.14 *Antiochiam Pisidia*. RAB. Ad differentiam alterius Antiochiæ, ut creditur; sed a multis eadem esse putatur. **Sederunt**. ID. Quasi audituri legem, non prædicaturi. Ecce exemplum humilitatis.

deserto. ¹⁹ Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, [¶] ²⁰ quasi post quadringentos et quinquaginta annos: et post hæc dedit iudices, usque ad Samuel prophetam. [§] ²¹ Et exinde postulaverunt regem: et dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta: ²² et amoto illo, suscitavit illis David regem: cui testimonium perhibens, dixit: Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. ²³ Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israël salvatorem Jesum, ²⁴ prædicante Joanne ante faciem adventus ejus baptismum pœnitentiæ omni populo Israël. ²⁵ Cum impleret autem Joannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego: sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere. ²⁶ Viri fratres, filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. ^{**} ²⁷ Qui enim habitabant Jerusalem, et principes ejus hunc ignorantes, et voces prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt, ^{††} ²⁸ et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato ut interficerent eum. ²⁹ Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. ³⁰ Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his ³¹ qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. ³² Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: ³³ quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. ³⁴ Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta David fidelia. ³⁵ Ideoque et alias dicit: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. ^{‡‡} ³⁶ David enim in sua generatione cum administrasset, voluntati Dei dormivit: et appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem. ³⁷ Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem. ³⁸ Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi justificari, ³⁹ in hoc omnis qui credit, justificatur. ⁴⁰ Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in prophetis: ⁴¹ [Videte contemptores, et admiramini, et disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod

[¶]13.19 *Terra Chanaan*, etc. RAB. Id est promissionis, quæ ideo (ut plerisque videtur) Israël est data, etc., usque ad et ideo maledici meruit.

[§]13.20 *Dedit*, etc. Tempus iudicium transit ad probandam patientiam Dei.

^{**}13.26 *Vobis*. RAB. Judæis. *Non veni nisi ad oves quæ perierunt domus Israël* Matth. 15.. Vel vobis, qui estis dispersi, quia (ut sequitur) habitatores Jerusalem repulerunt illud.

^{††}13.27 *Judicantes*. ID. Jesum esse reum mortis. Vel, judicantes voces prophetarum, id est non credentes: qui enim detrahit fratri, detrahit legi, et iudicat legem, quanto magis Christo detrahentes? *Sancta David fidelia*. BEDA. Isaias Novi Testamenti mysteria prægustans, ait: *Constituam vobis testamentum æternum sancta David fidelia*. In Hebræo: *Et feriam vobiscum pactum sempiternum misericordias David fideles*.

^{‡‡}13.35 *Non dabis*, etc. ID. Post resurrectionem non moritur, mors illi ultra non dominabitur, et ideo dicit sancta fidelia, id est incorrupta et æternaliter permansura.

non credetis, si quis enarraverit vobis.]^{¶¶} 42 Exeuntibus autem illis rogabant ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc. 43 Cumque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Judæorum, et colentium advenarum, Paulum et Barnabam: qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia Dei.^{§§} 44 Sequenti vero sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei. 45 Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes. 46 Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* 47 Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.† 48 Audientes autem gentes, gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini: et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.‡ 49 Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. 50 Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam: et ejecerunt eos de finibus suis.[¶] 51 At illi excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium.[§] 52 Discipuli quoque replebantur gaudio, et Spiritu Sancto.

14 Factum est autem Iconii, ut simul introirent in synagogam Judæorum, et loquerentur, ita ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo. 2 Qui vero increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt et ad iracundiam concitaverunt animas gentium adversus fratres. 3 Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa et prodigia fieri per manus eorum. 4 Divisa est autem multitudo civitatis: et quidam quidem erant

^{¶¶}13.41 *Videte contemptores.* In Græco: Audite contemptores, et respicite et disperdimini. *Admiramini.* RAB. Sic junge: *Admiramini et dispergimini* ab Assyriis et Chaldæis, novissime a Romanis, quia opus operor utriusque vindictæ. *Non credetis,* etc. Vel propter utriusque vindictæ magnitudinem, non credere dicuntur donec completæ fuerint.

^{§§}13.43 *Et colentium.* ID. Bene legitur *colentium Deum*, sicut in Græco habetur. Significat autem eos qui natura gentiles erant, sed religione Judæi, Græce vocati proselyti.

*13.46 *Primum.* ID. Primo filiam principis curare venit Jesus, sed mulier fluxum sanguinis patiens præripuit sanitatem. *Æternæ vitæ.* Non quia scirent vitam æternam esse quam respuebant, sed ex suo sensu et fide sua locuti sunt apostoli.

†13.47 *Sic enim,* etc. ID. Prophetia est præceptum immobile nobis: primum dicitur, deinde infertur Prophetæ testimonium ad personam Patris loquentis ad Filium. *Posui te.* Non ait, *Posui vos*, quia quod Christo dicitur, hoc ad apostolos, qui membra ejus sunt, pertinet. *Posui te in lumen gentibus.* BEDA. Hoc dictum est specialiter Christo, et tamen idem sibi dictum esse arbitrantur apostoli, quia membra ipsius sunt: sicut propter ejusdem corporis unionem dictum est, *Saule, Saule, quid me persequeris?* etc.

‡13.48 *Præordinati.* Ordo hic est, ut post labores præsentis et mortificationem carnis, vita sequatur.

¶13.50 *Religiosas mulieres.* RAB. Sive de Judæis qui legis religionem servabant, sive de gentibus religionem salvare incipientes.

§13.51 *Excusso pulvere,* etc. Secundum præceptum Evangelii, excutitur pulvis in testimonium quod inanem fecerunt laborem. RAB. Merito excutitur pulvis, quia in judicio sic a Christo ejicientur, sicut *pulvis quem projicit ventus a facie terræ* Psal. 1.. Si vero apostolos reciperent, pedes suos, id est sensus, a pulvere, id est vitiis, solverent.

cum Judæis, quidam vero cum Apostolis. ⁵ Cum autem factus esset impetus gentilium et Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent, et lapidarent eos, ⁶ intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ Lystram et Derben, et universam in circuitu regionem, et ibi evangelizantes erant. ^{**7} Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ, qui numquam ambulaverat. ⁸ Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, et videns quia fidem haberet ut salvus fieret, ⁹ dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, et ambulabat. ¹⁰ Turbæ autem cum vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam lycaonice, dicentes: Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. ^{††11} Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi. ¹² Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros et coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare. ^{‡‡13} Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas et Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes ¹⁴ et dicentes: Viri, quid hæc facitis? et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt: ¹⁵ qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. ¹⁶ Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cælo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra. ^{¶¶17} Et hæc dicentes, vix sederunt turbas ne sibi immolarent. ¹⁸ Supervenerunt autem quidam ab Antiochia et Iconio Judæi: et persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. ^{§§19} Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, et postera die profectus est cum Barnaba in Derben. ²⁰ Cumque evangelizassent civitati illi, et docuissent multos, reversi sunt Lystram, et Iconium, et Antiochiam, ²¹ confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide: et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. ^{*} ²² Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt. ²³ Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam, ²⁴ et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam: ²⁵ et inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei in opus quod compleverunt. ²⁶ Cum autem venissent, et congregassent eccle-

^{**}14.6 *Confugerunt*. RAB. Fuga apostolorum non plus fuit ex timore, quam amore verbi Dei. *Et universam*, etc. Quod in Græco sequitur: *Deus autem pacem fecit*, quidam Latini codices minus habent.

^{††}14.10 *Levaverunt*. RAB. In hoc notatur petulantia. Vel, altior erat sententia quam sua lingua barbara et unius Dei ignara.

^{‡‡}14.12 *Coronas*. ID. Ut faciem templi juxta ritum gentium ornaret, vel eis (quasi diis immolaturus) imponeret. Mos erat gentilium: ut deorum suorum honori sacrificantes sumerent coronas, victimis simul coronatis.

^{¶¶}14.16 *Implens cibo*, etc. ID. De carnalibus loquitur, quia lætitia est de cibus et vino quod lætificat cor hominis.

^{§§}14.18 *Traxerunt*. ID. Ad lapidandum sicut cadaver, de hoc ipse ad Corinthios: *Semel lapidatus sum* II Cor. 11., etc.

^{*}14.21 *Ut permanerent in fide*. ID. Contra multas tribulationes: quia multitudo tribulationum fidei postulat perseverantiam. *Quoniam per multas tribulationes*. Labor præmittitur, dehinc regni introitus prædicatur, quia spes præmii solatium est laboris.

siam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset gentibus ostium fidei.²⁷ Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

15 Et quidam descendentes de Judæa docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.² Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabæ adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem super hac quæstione.[†]³ Illi ergo deducti ab ecclesia pertransibant Phœnicen et Samariam, narrantes conversionem gentium: et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.⁴ Cum autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab ecclesia, et ab Apostolis et senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis.⁵ Surrexerunt autem quidam de hæresi pharisæorum, qui crediderunt, dicentes quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi.⁶ Conveneruntque Apostoli et seniores videre de verbo hoc.[‡]⁷ Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere.[¶]⁸ Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut et nobis,⁹ et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum.[§]¹⁰ Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?¹¹ sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi.¹² Tacuit autem omnis multitudo: et audiebant Barnabam et Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos.^{**}¹³ Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me.^{††}¹⁴ Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo.¹⁵ Et huic concordant verba prophetarum: sicut scriptum est:¹⁶ [Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David quod decidit: et diruta ejus reædificabo, et erigam illud:^{‡‡}¹⁷ ut requirant ceteri hominum Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum,

[†]15.2 *Seditione.* A Paulo et Barnaba, contra illos, qui hæc dicebant. *Statuerunt.* RAB. Scilicet hi qui descenderant de Judæa, etc., usque ad ad fidem venisse probatur.

[‡]15.6 *Conveneruntque apostoli.* ID. Hic datur exemplum faciendi conventus, ad discernenda ea quæ fidei sunt necessaria.

[¶]15.7 *Per os meum.* ID. Non alterius ex apostolis, quasi dicat: Qui primus prædicavi gentibus, primus ab eis jugum legis excutiam. Nam eunucho nullus apostolorum prædicavit: sed Philippus diaconus, et gratuito impletus est dono.

[§]15.9 *Fide purificans.* CHRYS. A sola fide, inquit, illa assecuti sunt, et non operibus vel circumcissione. Etenim hæc non dicunt solum pro gentibus rationem reddentes, sed etiam illos a lege abducere cupientes: verum jam hoc nondum dicunt.

^{**}15.12 *Tacuit autem omnis multitudo.* Notandus ordo loquendi vel loquentium, quia singulis loquentibus tacent, primum Petro.

^{††}15.13 *Et postquam,* etc. CHRYS. Hic erat episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, etc., usque ad ubi scilicet et finem imponit operibus.

^{‡‡}15.16 *Revertar et reædificabo,* etc. Revertar ad gentes, quas prius dixerat ingredi vias suas, cui sensui firmando Jacobus testimonium intulit. Hoc aperte testimonium concordat verbis Simonis. RAB. Umbra legis, quæ traditionibus Pharisæorum corrupta, Domino revelante, id est Domino in carne apparente, per gratiam est erecta, ut non tantum Judæi, sed etiam gentes nomen ejus requirant.

dicit Dominus faciens hæc.[¶] 18 Notum a sæculo est Domino opus suum.] 19 Propter quod ego judico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum,^{§§} 20 sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine.* 21 Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. 22 Tunc placuit Apostolis et senioribus cum omni ecclesia eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba: Judam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam, viros primos in fratribus:† 23 scribentes per manus eorum: Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, et Syriæ, et Ciliciæ, fratribus ex gentibus, salutem.‡ 24 Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus,[¶] 25 placuit nobis collectis in unum eligere viros, et mittere ad vos cum carissimis nostris Barnaba et Paulo, 26 hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi. 27 Misimus ergo Judam et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem. 28 Visum est enim Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria:§ 29 ut abstinenceis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione: a quibus custodientes vos, bene agetis. Valeté.** 30 Illi ergo dimissi, descenderunt Antiochiam: et congregata multitudo tradiderunt epistolam. 31 Quam cum legissent, gavisus sunt super consolatione. 32 Judas autem et Silas, et ipsi cum essent prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt. 33 Facto autem

[¶]15.17 *Super quas invocatum.* ID. Secundum illud: *Invocabunt sacerdotes nomen meum super filios Israël* Num. 6.; et alibi: *Moyses et Aaron sacerdotibus ejus* Psal. 98., etc. *Invocatum est.* Pro futuro, more prophético.

^{§§}15.19 *Ego judico.* RAB. Recte judicandum erat, quod trium testimonio firmatur, duorum apostolorum et prophetarum.

* 15.20 *Et suffocatis.* Suffocatum est morticinum, de quo Ezechiel dicit: *Omne morticinum et captum a bestia de avibus et pecoribus, sacerdotes non comedant* Ezech. 4.. Hoc præceptum convenit servare illis, qui uncti sunt oleo spirituali, ne comedant illud, cujus sanguis non est effusus, quod epistola apostolorum servandum decrevit. *Et sanguine.* RAB. Effusione humani sanguinis, etc., usque ad sed ut casti sint et abstineant.

† 15.22 *Tunc placuit.* ID. Dicente Petro narrantibus Barnaba et Paulo, judicante Jacobo Jerosolymorum episcopo, merito placuit sententia. *Placuit mittere Antiochiam.* Missi a Christo legati suos possunt mittere legatos.

‡ 15.23 *Apostoli et seniores.* Apostolorum communis titulus præponitur, ne aliqua dissensionis relinquatur occasio. *Fratribus ex gentibus.* RAB. Primum styli beneficium est, quod apostoli gentiles vocant fratres, id est unius Dei filios. *Salutem.* Eclipsis, quia latitudine charitatis omne verbum angustius est, et ideo nullum verbum ponitur, ut omnia simul bona eis velle intelligantur.

¶ 15.24 *Evertentes animas.* In Græco: *Evertentes animas vestras, dicentes: Circumcidi oportet, et observare legem quibus non mandavimus.*

§ 15.28 *Visum est.* Id est placuit. *Spiritui sancto.* Qui arbiter suæ potestatis, ubi vult spirat, et quæ vult loquitur. *Spiritui sancto.* RAB. Et nobis humano quidem sensu, sed sano. *Et nobis.* Non tamen solum voluntate nostra, sed instinctu ejusdem Spiritus. *Quam hæc necessaria.* RAB. Hæc necessaria sunt sine quibus non est salus, sed circumcisio necessaria non est: verum ea quæ vobis fieri non vultis, alii ne faciatis.

** 15.29 *Ut abstinenceis vos,* etc. TERT. Propterea igitur quoniam utraque species, etc., usque ad quorum munditia magis ad Deum pertinet, quam intestinorum.

ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos qui miserant illos. ³⁴ Visum est autem Silæ ibi remanere: Judas autem solus abiit Jerusalem. ^{††} ³⁵ Paulus autem et Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. ³⁶ Post aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes visitemus fratres per universas civitates in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. ³⁷ Barnabas autem volebat secum assumere et Joannem, qui cognominabatur Marcus. ³⁸ Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, et non isset cum eis in opus) non debere recipi. ³⁹ Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem, et Barnabas quidem, assumpto Marco, navigaret Cyprum. ^{‡‡} ⁴⁰ Paulus vero, electo Sila, profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus. ^{¶¶} ⁴¹ Perambulabat autem Syriam et Ciliciam, confirmans ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum.

16 Pervenit autem Derben et Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, patre gentili. ^{§§} ² Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant et Iconio fratres. ³ Hunc voluit Paulus secum proficisci: et assumens circumcidit eum propter Judæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater ejus erat gentilis. ^{*} ⁴ Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodiri dogmata quæ erant decreta ab Apostolis et senioribus qui erant Jerosolymis. [†] ⁵ Et ecclesiæ quidem confirmabantur fide, et abundabant numero quotidie. [‡] ⁶ Transeuntes autem Phrygiam et Galatiæ regionem, vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia. ⁷ Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: et non permisit eos Spiritus Jesu. [¶] ⁸ Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem: ⁹ et visio per noctem Paulo ostensa est: vir

^{††}15.34 *Visum est autem* RAB. Materia est futuri sermonis: **Solus autem Judas abiit Jerusalem.**

^{‡‡}15.39 *Dissensio.* Non in hoc delinquebant, quia non omnis commotio est peccatum, sed irrationabilis, et quæ juste non fit. **Assumpto Marco.** Hic erat affinitatis vinculo conjunctus Barnabæ, unde et leguntur fuisse consobrini. Barnabas a Paulo dimissus, patriam insulam repetiit, et nihilominus opus Evangelii sibi injunctum exercuit.

^{¶¶}15.40 *Electo Sila.* RAB. Ad hoc remanere eum fecit Dominus, juxta illud: **Visum est autem Silæ ibi remanere,** ut Paulo cooperaretur sicut Marcus Barnabæ. Fuit enim in hoc divinum consilium.

^{§§}16.1 *Viduxæ filius.* RAB. Vel Judææ. Eam vero fuisse genere Judæam, apparet ex hoc quod ait **patre gentili** fuisse oriundum.

^{*}16.3 *Et circumcidit.* ID. Timotheum circumcidit pro scandalo Judæorum, ne legem Moysi videretur damnare, sed eam quasi non necessariam gentibus non imponere. Titum non circumcidit, ne occasionem circumcidendi acciperent gentes ab eo. Et quod est quod dicit: **Sed propter subintroductos fratres falsos,** etc.

[†]16.4 *Custodire dogmata, quæ erant.* ID. Non prædicabant quod ipsi fecerant, sed id quod propter voluntatem Dei apostoli decreverant. Et est exemplum recte docendi etiam quod non feceris. In figura hujus facti feminalibus induebantur sacerdotes, velut seminariis opus non autem tanquam facturi.

[‡]16.5 *Et ecclesiæ quidem,* etc. ID. Hoc es superioribus capitulis sæpius expositum, cum diximus hujusmodi sententia superiorem claudi narrationem, et initium fieri sequentis.

[¶]16.7 *Tentabant ire.* ID. Permittuntur apostoli velle, sed non ire, etc., usque ad Lucas in Bithyniam, etc.

Macedo quidam erat stans et deprecans eum, et dicens: Transiens in Macedoniam, adjuva nos.[§] ¹⁰ Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus evangelizare eis. ¹¹ Navigantes autem a Troade, recto cursu venimus Samothraciam, et sequenti die Neapolim.^{**} ¹² et inde Philippos, quæ est prima partis Macedonia civitas, colonia. Erasmus autem in hac urbe diebus aliquot, conferentes.^{††} ¹³ Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse: et sedentes loquebamur mulieribus quæ convenerant. ¹⁴ Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo.^{‡‡} ¹⁵ Cum autem baptizata esset, et domus ejus, deprecata est, dicens: Si judicatis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, et manete. Et coëgit nos.^{¶¶} ¹⁶ Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando. ¹⁷ Hæc subsecuta Paulum et nos, clamabat dicens: Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis.^{§§} ¹⁸ Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, et conversus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora. ¹⁹ Videntes autem domini ejus quia exivit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum et Silam, perduxerunt in forum ad principes: ²⁰ et offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi: ²¹ et annuntiant morem quem non licet nobis suscipere neque facere, cum simus Romani. ²² Et cucurrit plebs adversus eos: et magistratus, scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi. ²³ Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi ut diligenter custodiret eos. ²⁴ Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno. ²⁵ Media autem nocte Paulus et Silas orantes, laudabant

§16.9 **Vir Macedo.** Angelus illius gentis assimilatus viro Macedoni, proprietate linguæ, vel forma speciali, vel judicio verbi. **Adjuva nos.** RAB. Hoc ex persona hominis dictum, non enim angeli humano auxilio indigent. Vel hoc dicit angelus propter illos quibus præsidet, ut baptizentur et salvi fiant. **Adjuva nos.** Ostendit Macedones vel angelos a Deo inspirari, vel aliquos doctores cœpisse doceri.

16.11 **Samothraciam. Thracia, Neapolis et Philippi, civitates sunt.

††16.12 **Aliquot, conferentes.** In quibusdam libris invenitur: Conferentes verbum Domini die sabbati.

‡‡16.14 **Purpuraria.** Regina induta regali purpura vel purpuræ tatrix, vel purpuram vendens, significat Ecclesiam quæ purpuram vendit, dum sanguinem pro Christo fundit, ut vita mercari possit. Purpura recte sanguine colore et natura designat, quia de sanguine conchyliorum est confecta. Lydda apostolum, cum sociis suis domum intrare cœgit: quia repulsam prædicationem a Judæis Ecclesia devoto corde suscepit.

¶¶16.15 **Cœgit nos.** RAB. Hic datur exemplum vel duo exempla dantur: unum hospites cogendi, alterum ad nuper conversos intrandi.

§§16.17 **Subsecuta Paulum.** ID. Quamvis obviasset, non in facie, sed post eos clamat femina, servans pudicitiam.

*16.23 **Miserunt eos in carcerem.** ID. Per hoc major virtus est liberantis. Ad idem spectat et quod sequitur: **Misit in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno.**

Deum: et audiebant eos qui in custodia erant.[†] ²⁶ Subito vero terræmotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia: et universorum vincula soluta sunt.[‡] ²⁷ Expergefactus autem custos carceris, et videns januas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. ²⁸ Clamavit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: universi enim hic sumus. ²⁹ Petitoque lumine, introgressus est: et tremefactus procidit Paulo et Silæ ad pedes.[¶] ³⁰ et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? ³¹ At illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum, et salvus eris tu, et domus tua. ³² Et locuti sunt ei verbum Domini cum omnibus qui erant in domo ejus. ³³ Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum: et baptizatus est ipse, et omnis domus ejus continuo.[§] ³⁴ Cumque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, et lætatus est cum omni domo sua credens Deo.^{**} ³⁵ Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos. ³⁶ Nuntiavit autem custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt magistratus ut dimittamini: nunc igitur exeuntes, ite in pace. ³⁷ Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publice, indemnatos homines Romanos, miserunt in carcerem: et nunc occulte nos ejiciunt? Non ita: sed veniant, ³⁸ et ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem magistratibus lictores verba hæc. Timueruntque audito quod Romani essent: ³⁹ et venientes deprecati sunt eos, et educentes rogabant ut egrederentur de urbe. ⁴⁰ Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: et visis fratribus consolati sunt eos, et profecti sunt.

17 Cum autem perambulassent Amphipolim et Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum. ² Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis, ³ adaperiens et insinuans quia Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis: et quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis. ⁴ Et quidam ex eis crediderunt et adjuncti sunt Paulo et Silæ: et de colentibus gentilibusque multitudo magna, et mulieres nobiles non paucæ.^{††} ⁵ Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, et turba facta, concitaverunt civitatem: et assistentes domui Jasonis quærebant eos producere in populum. ⁶ Et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem et quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes: Quoniam hi qui urbem concitant, et huc

[†]16.25 *Media autem nocte*, etc. Orandum est media nocte et in periculis servanda diligentia orationis.

[‡]16.26 *Terræ motus factus est magnus*, etc. Devotio orantium et virtus orationis exprimitur, quia illis in carcere hymnos canentibus, laus eorum terram movet: carceris fundamenta concutit, ostia aperit, catenas victorum solvit.

[¶]16.29 *Procidit*, etc. RAB. Propter potentiam et scientiam: potentia, quia terræmotu ostia sunt aperta: scientia, quia cognovit Paulus cur se vellet interficere: ideo præ omnibus Paulo et Silæ procidit ad pedes.

[§]16.33 *Lavit plagas eorum*. BED. Pulchra rerum varietas. Quibus plagas vulneris lavit, per eos plagas criminis amisit. *Continuo*. RAB. Velocitas obedientiæ signatur. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.

^{**}16.34 *Cumque perduxisset, apposuit eis mensam*, etc. ID. Optimum utriusque exemplum: ingressus domus, et mensæ appositio.

^{††}17.4 *Et de colentibus gentilibusque*. Id est, et de his qui gentilem ritum Judaismo mutaverunt, et de his qui gentiles permanserant multi ad Christum confluebant. RAB. Prima causa malitiæ est quod ii sint de vulgo; secunda quod et mali erant præ vulgo.

venerunt,^{‡‡} 7 quos suscepit Jason, et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, Jesum.^{¶¶} 8 Concitaverunt autem plebem et principes civitatis audientes hæc. 9 Et accepta satisfactione a Jasone et a ceteris, dimiserunt eos. 10 Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum et Silam in Berœam. Qui cum venissent, in synagogam Judæorum introierunt. 11 Hi autem erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. 12 Et multi quidem crediderunt ex eis, et mulierum gentilium honestarum, et viri non pauci. 13 Cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi quia et Berœæ prædicatum est a Paulo verbum Dei, venerunt et illuc commoventes, et turbantes multitudinem.^{§§} 14 Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, ut iret usque ad mare: Silas autem et Timotheus remanserunt ibi. 15 Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque Athenas, et accepto mandato ab eo ad Silam et Timotheum ut quam celeriter venirent ad illum, profecti sunt.* 16 Paulus autem cum Athenis eos exspectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem. 17 Disputabat igitur in synagoga cum Judæis et colentibus, et in foro, per omnes dies ad eos qui aderant. 18 Quidam autem epicurei et stoici philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere? Alii vero: Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia Jesum et resurrectionem annuntiabat eis.[†] 19 Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire quæ est hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina?[‡] 20 nova enim quædam infers auribus nostris: volumus ergo scire quidnam velint hæc esse. 21 (Athenienses autem omnes, et advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere aut audire aliquid novi.) 22 Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait:

^{‡‡}17.6 *Trahebant Jasonem.* BED. in Græco: *Jasonem et quosdam alios fratres.* Unde intelligendum est Jasonem fratrem et fidelem fuisse.

^{¶¶}17.7 *Regem alium.* RAB. Præter Cæsarem. Hoc contra decretum Cæsaris erat, unde in Evangelio: *Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari* Joan. 18.. Apostoli vero contradicebant Christum regem esse Judæorum, id est confitentium, unde et Judæi ipsum Christum accusabant.

^{§§}17.13 *A Paulo.* Qui erat dux verbi: et ideo postea solus dimissus est, ut iret de Macedonia ad mare.

^{*}17.15 *Profecti.* RAB. Ab Athenis fratres illi qui duxerunt Paulum, profecti sunt. Quidam de Sila dictum putant et Timotheo, quod de Macedonia ad Paulum profecti sint.

[†]17.18 *Epicurei.* ID. Vocantur sic ab auctore suo, qui dicitur voluptatis assertor. Stoici Græce, Latine elementa; qui contendebant paria esse peccata, id est omne peccatum uniforme esse. *Quid vult seminiverbius.* Seminiverbius est qui verbum seminat; vel seminiverbius, id est sermologus; quia semen est verbum Dei; unde: Si vobis seminavimus, etc. AUG. Legimus Paulum apostolum dictum fuisse seminatore verborum, quod dictum est ab irridentibus, sed non respuendum a credentibus; erat quippe seminator verborum, sed messor morum. Et nos, licet parvuli, nec illi comparandi in agro Dei (quod est cor vestrum) seminamus verbum Dei, exspectantes uberem frugem, vel fructum de moribus vestris. *Alii vero.* RAB. A Judæis audierunt vocabulum dæmoniorum esse abominabile, et ideo huic abominationi comparant doctrinam Pauli; vel Judæi sunt qui hoc dicunt, id est sadducæi.

[‡]17.19 *Ad Areopagum.* RAB. Nomen est curiæ apud Athenas, dictum ab idolo Martis, quod apud eos Arios vocatur.

Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video.[¶] 23 Præteriens enim, et videns simulacra vestra, inveni et aram in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. 24 Deus, qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt, hic cæli et terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat,[§] 25 nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia: 26 fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum,^{**} 27 quærere Deum si forte attrahent eum, aut invenient, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. 28 In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus: sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus.^{††} 29 Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, et cogitationis hominis, divinum esse simile.^{‡‡} 30 Et tempora quidem hujus ignorantia despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique poenitentiam agant,^{¶¶} 31 eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.^{§§} 32 Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. 33 Sic Paulus exivit de medio eorum. 34 Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis.*

[¶]17.22 *Viri Atheniensis*, etc. *Quod ignorantes colitis, hoc annuntio*. Respondet ad hoc quod dixerant vel præmiserant: *Nova quædam infers*, quasi dicat: Nova quæ infero inter vetera vestra habetis. Hoc autem dicit ad persuadendum, ne quasi nova refutent sua verba. *Ignoto Deo*. RAB. Id est, vero Deo, quem nemo novit ut est, etc., usque ad quod tacetur, vel simpliciter scriptum erat: *Ignoto Deo*.

[§]17.24 *Deus, qui fecit mundum*. Nota ordinem hujus disputationis, quia primo unum Deum auctorem mundi omnium docet esse, in quo vivimus, movemur, et sumus, cujus et genus sumus: ut non solum pro luce et vita, sed etiam pro cognatione generis, diligendus ostendatur.

^{**}17.26 *Ex uno omne genus hominum*. In Græco: *ex uno sanguine*, quia sanguis propaginem carnis designat, et per carnem homo intelligitur.

^{††}17.28 *In ipso enim vivimus*. AUG. Quia id operatur in nobis, quod *vivimus, movemur et sumus*, etc., usque ad quia quid non ex ipso de quo dicitur: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* Rom. 2.? *Sicut et quidam vestrorum poetarum*. His qui prophetas non recipiebant, non Moysi, non Isaia, vel alicujus prophetarum, sed auctorum suorum loquitur testimonium, versum Arati ponens, et de falsis eorum quibus contradicere non poterant, suam veritatem conservat et confirmat. *Ipsius enim*, etc. De Arato poeta hoc sumptum est testimonium, non de divina pagina, ne nova videatur inferre.

^{‡‡}17.29 *Genus ergo*, etc., *non debemus*. RAB. Homo in medio est, habens Deum superiorem, aurum ex argenteo, cum cæteris hujusmodi inferiora, quæ non debent ei comparari.

^{¶¶}17.30 *Despiciens Deus*. ID. Id est, ignoscens ut venialia, et tunc despiciens, id est, indigna iudicans sua notitia.

^{§§}17.31 *Fidem præbens omnibus*. ID. Resurrectionis suæ exemplo: vel statuit iudicare, et post sic jungendum est, fidem præbens omnibus quod resurgent.

[~]17.34 *Dionysius*. BED. Hic est Dionysius qui, postea episcopus Corinthiorum ordinatus, bene rexit Ecclesiam, ad cujus utilitatem etiam multa reliquit volumina, cognomen a loco cui præerat accipiens. Areopagus est Athenarum curia, nomen trahens a Marte, qui Græce Arios dicitur, pagus, villa.

18 Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum: ²et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem ejus (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma), accessit ad eos. [†] ³Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur. (Erant autem scenofactoriæ artis.) [‡] ⁴Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu: suadebatque Judæis et Græcis. ⁵Cum venissent autem de Macedonia Silas et Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Judæis esse Christum Jesum. ⁶Contradicientibus autem eis, et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego: ex hoc ad gentes vadam. [¶] ⁷Et migrans inde, intravit in domum cujusdam, nomine Titi Justi, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta synagogæ. [§] ⁸Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: et multi Corinthiorum audientes credebant, et baptizabantur. ⁹Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, et ne taceas: ¹⁰propter quod ego sum tecum, et nemo apponetur tibi ut noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac civitate. ¹¹Sedit autem ibi annum et sex menses, docens apud eos verbum Dei. ¹²Gallione autem proconsule Achaïæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, et adduxerunt eum ad tribunal, ¹³dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum. ¹⁴Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos: Si quidem esset iniquum aliquid aut facinus pessimum, o viri Judæi, recte vos sustinerem. ¹⁵Si vero quæstiones sunt de verbo, et nominibus, et lege vestra, vos ipsi videritis: judex ego horum nolo esse. ^{**} ¹⁶Et minavit eos a tribunali. ¹⁷Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: et nihil eorum Gallioni curæ erat. ¹⁸Paulus vero cum adhuc sustinisset dies multos fratribus valefaciens, navigavit in Syriam (et cum eo Priscilla et Aquila), qui sibi totonderat in Cenchrus caput: habebat enim votum. ^{††} ¹⁹Devenitque Ephesum, et illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam, disputabat cum Judæis. ²⁰Rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit, ²¹sed valefaciens, et dicens: Iterum revertar ad vos, Deo volente: profectus est ab Epheso. ²²Et descendens Cæsaream, ascendit,

[†]18.2 *Eo quod præcepisset Claudius discedere omnes.* BED. Hoc Josephus nono anno Claudii factum narrat. Suetonius dicit quod Claudius Judæos Roma expulit.

[‡]18.3 *Sceno factoriæ artis.* ID. Quasi exsules et peregrini tentoria sibi quibus in via utantur ædificant, etc., usque ad et a ventis insidiarum verbo et opere defendit.

[¶]18.6 *Sanguis vester.* CHRYS. Hoc facit, ut non solo verbo terreat, et vehementius disserit, utpote multis persuasis.

[§]18.7 *Titi Justi, colentis Deum.* Titus Justus aut proprium nomen viro fuit, aut merito justitiæ sic cognominatus est. Non fuit hic Titus discipulus Pauli cui ipse Epistolam scripsit, et Cretæ episcopum ordinavit; cum quo et Barnabas ascendens Jerosolymam, contulit Evangelium cum apostolis, inquirens in concilio eorum an recte prædicaret per baptismum fidei gentes sine circumcissione salvari, non quia ipse de hoc dubitaret, sed ut mentes dubitantium apostolorum auctoritate confirmaret.

^{**}18.15 *Si vero quæstiones sunt de verbo.* Nunc nimirum declarato et narrato, id est Evangelio: *et nominibus* (Jesus) et (Dei) vel (Dei Patris). In Græco: *Apprehendentes omnes Græci Sosthenem,* etc.

^{††}18.18 *Qui sibi totonderat.* RAB. Qui sibi totonderint caput est incertum, fuere tamen Paulus vel Aquila; vel timore Judæorum, vel aviditate convertendi eos? Ambigue tamen hoc dictum est, sed secundum Hieronymum, de Paulo est intelligendum.

et salutavit ecclesiam, et descendit Antiochiam.^{‡‡} ²³ Et facta ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, et Phrygiam, confirmans omnes discipulos. ²⁴ Judæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in scripturis. ²⁵ Hic erat edoctus viam Domini: et fervens spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea quæ sunt Jesu, sciens tantum baptisma Joannis. ²⁶ Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla et Aquila, assumpserunt eum, et diligentius exposuerunt ei viam Domini. ²⁷ Cum autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserunt discipulis ut susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his qui crediderant.^{¶¶} ²⁸ Vehementer enim Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas esse Christum Jesum.

19 Factum est autem cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos: ² dixitque ad eos: Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. ³ Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismo. ⁴ Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Jesum.^{§§} ⁵ His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. ⁶ Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. ⁷ Erant autem omnes viri fere duodecim. ^{*} ⁸ Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans et suadens de regno Dei. ⁹ Cum autem quidam indurarentur, et non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie

^{‡‡}18.22 *Cæsaream*. ID. Cæsarea metropolis est Cappadociæ. Nondum enim in Syriam Phœnicis venerat.

^{¶¶}18.27 *Contulit multum*. Alia translatio: *Profuit multum credentibus*, per gratiam, hoc est quod Apostolus scribit: *Ego plantavi, Apollo rigavit* I Cor. 3., etc.

^{§§}19.4 *Joannes baptizavit*. BED. Non peccata Joannes suo baptismo remisit, sed poenitentiam docuit. Nam sicut circumcisio in patriarchis signaculum fidei quam habebant fuit. ita et hoc lavacrum populus poenitens quasi signaculum suæ devotionis accepit: quod Christi baptisma, in quo fit remissio, figurabat. RAB. Non est baptisma, quod non datur in nomine Trinitatis. Baptizati a Juda non rebaptizantur, quia in fide Trinitatis; sed baptizati a Joanne, quia Joannes in aqua tantum at Christus in Spiritu sancto baptizat. Cum ergo bonus vel malus minister baptizat, si plena est Trinitatis fides, Dominus baptizat; in aqua vero sola a Joanne baptizati, a Paulo sunt baptizati. BED. Quæstio est, utrum ille qui per ignorantiam forte a non baptizato, sed tamen rectæ fidei baptizatus est debeat rebaptizari? Quam hoc capitulo expositam reor. Quid enim differt, an tunc ante initium baptismi Christi, an nunc a quopiam sine susceptione ejusdem quisquam baptizaretur? cum quos Joannes in fide et nomine Christi venturi baptizavit, iterum baptizandos prædicavit, dicens: *Ego baptizo in aqua, ille baptizabit in Spiritu sancto*.

^{*}19.7 *Erant autem omnes*. RAB. Judicia Dei abyssus multa. Ecce Asia apostolorum visitatione indigna, nunc apostolico numero sacra et prophetiæ munere est sublimata. Et notandum quod Spiritus sanctus hic in duodecim discipulos, et supra in centum et viginti (qui numerus perficitur duodenario decies ducto) adventus sui signa monstravit illud in Jerusalem, hoc in Epheso, quæ est civitas Græcorum. In quo ostenditur illos tantum (sive de Judæis, sive de gentibus) spiritum replere, qui sunt in catholica unitate.

disputans in schola tyranni cujusdam.[†] ¹⁰ Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes qui habitabant in Asia audirent verbum Domini, Judæi atque gentiles.[‡] ¹¹ Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ¹² ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.[¶] ¹³ Tentaverunt autem quidam et de circumeuntibus Judæis exorcistis invocare super eos qui habebant spiritus malos nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat.[§] ¹⁴ Erant autem quidam Judæi, Scævæ principis sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant.^{**} ¹⁵ Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Jesum novi, et Paulum scio: vos autem qui estis? ¹⁶ Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, et dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa. ¹⁷ Hoc autem notum factum est omnibus Judæis, atque gentilibus qui habitabant Ephesi: et cecidit timor super omnes illos, et magnificabatur nomen Domini Jesu. ¹⁸ Multi que credentium veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos. ¹⁹ Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus: et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.^{††} ²⁰ Ita fortiter crescebat verbum Dei, et confirmabatur. ²¹ His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia et Achaia, ire Jerosolymam, dicens: Quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam videre.^{‡‡} ²² Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum et Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.^{¶¶} ²³ Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini. ²⁴ Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ,

[†]19.9 *Quotidie disputans in schola.* BED. Ab hora quinta usque ad horam nonam et decimam: sicut traditur a quibusdam: quia horas operi quinque, alias quinque doctrinæ, duas dabat cibo et orationi, quod nulla tamen auctoritate firmatur. *In schola tyranni.* RAB. Tyranni nomen positum est pro dignitate, vel est proprium nomen, et interpretatur *continens* eos, vel *confirmans*.

[‡]19.10 *Per biennium.* Hoc tempore, Paulus in Epheso scripsit primam Epistolam ad Corinthios.

[¶]19.12 *Semicinctia* RAB. Vestes ex uno latere pendentes, vel zonæ sive vestes nocturnæ, vel genus sudarii, quo Hebræi utuntur in capite.

[§]19.13 *Exorcistis.* Excogitavit Salomon, et docuit suam gentem modos exorcismi, id est conjurationis quibus immundi spiritus expulsi non audebant ad homines reverti. Fit autem hoc per reprobos ad condemnationem ipsorum et utilitatem eorum qui vident et audiunt: quia licet illos despiciant qui signa faciunt, tamen Deum honorant, ad cujus invocationem fit.

^{**}19.14 *Septem filii,* etc. BED. Quoniam Satanas transfiguratur se in angelum lucis, etc., usque ad ostendit de quibus custodibus Ecclesiæ præcipitur: *Capite nobis vulpeculas quæ devastant vineas* Cant. 2..

^{††}19.19 *Multi autem ex eis qui curiosa fuerant sectati.* BED. Magicæ artis industriam: cujus sectatores merito libros incendunt, licet pretio magno æstimatos, quia dæmones (quibus servierant) Jesum appellare et apostolos ejus vident honorare.

^{‡‡}19.21 *His autem expletis,* etc. CHRYS. Sat diu conversatus in civitate, etc., usque ad ita ubique contexit opera. *Romam videre.* RAB. Hanc prius non viderat forsitan, vel quia levem ducebat tribulationem quam ibi passurus erat; *videre* tantum dicit, non autem multa pati.

^{¶¶}19.22 *In Macedoniam.* RAB. Transire volebat de Asia, in qua est Ephesus, in Europam, ubi Macedonia et Achaia sunt; et sic rursus ire in Asiam, id est Jerusalem cum eleemosyna, de qua scripsit Corinthiis.

præstabat artificibus non modicum quæstum: ²⁵ quos convocans, et eos qui hujusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: ²⁶ et videtis et auditis quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt. ²⁷ Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed et magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed et destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia et orbis colit. ²⁸ His auditis, repleti sunt ira, et exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum. ²⁹ Et impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum, raptò Gajo et Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli. ³⁰ Paulo autem volente intrare in populum, non permisit discipuli. ³¹ Quidam autem et de Asiæ principibus, qui erant amici ejus, miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum: ³² alii autem aliud clamabant. Erat enim ecclesia confusa: et plures nesciebant qua ex causa convenissent. ³³ De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo. ³⁴ Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta una est omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum. ³⁵ Et cum sedasset scribe turbas, dixit: Viri Ephesii, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Jovisque prolis? ³⁶ Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, et nihil temere agere. ³⁷ Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram. ³⁸ Quod si Demetrius et qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, et proconsules sunt: accusent invicem. ³⁹ Si quid autem alterius rei quæritis, in legitima ecclesia poterit absolvi. ⁴⁰ Nam et periclitamur argui seditio- nis hodiernæ, cum nullus obnoxius sit de quo possimus reddere rationem concursus istius. Et cum hæc dixisset, dimisit ecclesiam. [¶]

20 Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, et exhortatus eos, valedixit, et profectus est ut iret in Macedoniam. ² Cum autem perambulasset partes illas, et exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam: ³ ubi cum fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ a Judæis navigaturo in Syriam: habuitque consilium ut reverteretur per Macedoniam. ⁴ Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Berœensis, Thessalonicensium vero Aristarchus, et Secundus, et

§§19.28 *Magna Diana Ephesiorum.* BED. Quam Demetrius perituram dixit Dianam, illi econtrario magnam esse mirantur.

*19.32 *Alii autem aliud clamabant.* Illud aliud quod clamabant erat, vel ut raparentur in theatrum, vel quod alius esset Deus magnus, vel quod aliud idolum, vel etiam in Paulum opprobria jaciebant.

†19.34 *Vox facta est una omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum.* Merito extrahunt Judæi scribam Alexandrum de turba illa quæ tota Dianam adorabat.

‡19.37 *Neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram.* RAB. Sacrilegi dicuntur a profana diligentia. Sacrum enim mundum et profanum significat.

¶19.40 *Et cum hæc dixisset.* Hoc loquitur quasi Judæus, nolens Judæos ab idolorum cultoribus occidi; aut quasi Christianus locutus est.

§20.2 *Ad Græciam.* Græcia provincia Achaia; ad hanc venit Paulus post Macedoniam: quia sic proposuerat, ut supra dictum est; transit autem a Macedonia et Achaia ire Jerusalem.

Gajus Derbeus, et Timotheus: Asiani vero Tychicus et Trophimus.** 5 Hi cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade: 6 nos vero navigavimus post dies azymorum a Philippis, et venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem. 7 Una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem.†† 8 Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati. 9 Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergere-tur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, et sublatus est mortuus.‡‡ 10 Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum: et complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est.¶¶ 11 Ascendens autem, frangensque panem, et gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est. 12 Adduxerunt autem puerum viventem, et consolati sunt non minime. 13 Nos autem ascendentes navem, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum: sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus. 14 Cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenen. 15 Et inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, et alia applicuimus Samum, et sequenti die venimus Miletum. 16 Pro-posuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis. §§ 17 A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit majores natu ecclesiæ. 18 Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis: Vos scitis a prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, 19 serviens Domino cum omni humilitate, et lacrimis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum: 20 quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis et docerem vos, publice et per domos, 21 testificans Judæis atque gentilibus in Deum poenitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. 22 Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem: quæ in ea ventura sint mihi, ignorans: 23 nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent. 24 Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosiore quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei. 25 Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. 26 Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. 27 Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. 28 Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos

**20.4 *Sosipater*. In Hebræo Sosipater interpretatur idem esse quod *narrans dispersionem*, vel *salvans dispersos*.

††20.7 *Una autem sabbati*. Nomen diei dicitur, ut sit præparatio virtutis faciendæ et dicendæ. BED. Cœnaculum, altitudo charismatum. Nox, obscuritas Scripturarum, etc., usque ad subjunxit: *Hæc autem sunt duo Testamenta*.

‡‡20.9 *Eutichus*, etc. ID. Hebraice *amens*, Græce *fortunatus* interpretatur, etc., usque ad memoria etiam magistri jam discessuri arctius menti infigatur.

¶¶20.10 *Cum descendisset Paulus, incubuit*. ID. Descendit et incubuit, complexus est, etc., usque ad et sole justitiæ afflante, redivivus adducitur. *Anima enim ipsius in ipso est*. RAB. Id est non ex toto discessit, vel rediit. Hoc propter incredulos dixit, ut: *Non est mortua puella, sed dormit*: sic enim desperatio tollitur.

§§20.16 *Pentecosten*. Constat Paschæ tempus et Pentecostes temporibus apostolorum celebratum esse.

regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. ²⁹Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. ³⁰Et ex vobis ipsi exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. ³¹Propter quod vigilate, memoria retinentes quoniam per triennium nocte et die non cessavi, cum lacrimis monens unumquemque vestrum.* ³²Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, et dare hæreditatem in sanctificationis omnibus. ³³Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ³⁴ipsi scitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. ³⁵Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos ac meminisse verbi Domini Jesu: quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere.† ³⁶Et cum hæc dixisset, positus genibus suis oravit cum omnibus illis. ³⁷Magnus autem fletus factus est omnium: et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, ³⁸dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

21 Cum autem factum esset ut navigarem abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, et sequenti die Rhodum, et inde Pataram.‡ ²Et cum invenissemus navem transfretantem in Phœnicen, ascendentes navigavimus. ³Cum apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam, et venimus Tyrum: ibi enim navis expositura erat onus. ⁴Inventis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem: qui Paulo dicebant per Spiritum ne ascenderet Jerosolymam. ⁵Et expletis diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis usque foras civitatem: et positus genibus in littore, oravimus. ⁶Et cum valefecissemus invicem, ascendimus navem: illi autem redierunt in sua. ⁷Nos vero navigatione expleta a Tyro descendimus Ptolemaidam: et salutatis fratribus, mansimus die una apud illos. ⁸Alia autem die profecti, venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud eum.¶ ⁹Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.§ ¹⁰Et cum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam a Judæa propheta, nomine Agabus. ¹¹Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli: et alligans sibi pedes et manus, dixit: Hæc dicit Spiritus Sanctus: Virum, cujus est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, et tradent in manus

*20.31 *Memoria retinentes.* RAB. Quod ipsis dixerat, vult illud esse memoria retinendum, non enim parva est custodia, divini præcepti memoria.

†20.35 *Beatius est.* ID. Hoc in Evangelio non legitur, non enim omnia scripta sunt, sed Paulus forsitan hoc ab apostolis audivit, vel a Spiritu sancto accepit, vel potest dici quod, si non verba, sensum istum Jesus indicavit, dicens: *Omni petenti da;* et alibi: *Nolite accipere aurum,* etc. BED. Non illis qui relictis omnibus secuti sunt Dominum, divites eleemosynarios præponit, sed illos maxime glorificat, qui cunctis quæ possident in semet renuntiantes, nihilominus laborant operando manibus ut habeant unde tribuant necessitatem patienti. Vos igitur episcopi, estote solliciti de alendis pupillis, etc.

‡21.1 *Cum autem,* etc. *Coum, Rhodum, inde Pataram.* RAB. Cous et Patara insulæ sunt.

¶21.8 *Philippi evangelistæ.* Ob promptum prædicationis officium evangelista meruit vocari.

§21.9 *Huic autem erant filiæ.* RAB. Alibi filiæ Philippi apostoli prophetissæ leguntur fuisse, sed veritati hujus loci non est contradicendum, nisi fortasse uterque filias prophetissas habuisse intelligatur.

gentium.** 12 Quod cum audissemus, rogabamus nos, et qui loci illius erant, ne ascenderet Jerosolymam. 13 Tunc respondit Paulus, et dixit: Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu. 14 Et cum ei suadere non possemus, quievimus, dicentes: Domini voluntas fiat. 15 Post dies autem istos, præparati ascendebamus in Jerusalem. 16 Venerunt autem et ex discipulis a Cæsarea nobiscum, adductentes secum apud quem hospitaremur Mnasonem quemdam Cyprium, antiquum discipulum. 17 Et cum venissemus Jerosolymam, libenter exceperunt nos fratres. 18 Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum, omnesque collecti sunt seniores. 19 Quos cum salutasset, narrabat per singula quæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius. 20 At illi cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides, frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis. 21 Audierunt autem de te quia discessionem doceas a Moyse eorum qui per gentes sunt Judæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi.†† 22 Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem: audient enim te supervenisse. 23 Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se. 24 His assumptis, sanctifica te cum illis, et impende in illis ut radant capita: et scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem.‡‡ 25 De his autem qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus judicantes ut abstineant se ab idolis immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. 26 Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. 27 Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asia erant Judæi, cum vidissent eum in templo, concitaverunt omnem populum, et injecerunt ei manus, clamantes:¶¶ 28 Viri Israëlitæ, adjuvate: hic est homo qui adversus populum, et legem, et locum hunc, omnes ubique docens, insuper et gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum. 29 Viderant

**21.11 *Hæc dicit Spiritus sanctus.* BED. Prophetas veteres imitatur, qui dicere solebant: *Hæc dicit Dominus Deus*, quia Spiritus sanctus, æque ut Pater et Filius, Dominus et Deus est, nec eorum separari operatio potest quorum natura et voluntas una est.

††21.21 *Dicens non debere.* BED. Quasi dicerent: In doctrina Christi damnas velut sacrilega, etc., usque ad sed Judæi non prohibebantur. *Neque secundum.* Non sunt prohibiti eo tempore Judæi in Christum credentes, secundum legem ingredi, stante adhuc templo et sua religione, quamvis in sacramentis Novi Testamenti salutem habituri, sed credentes ex gentibus prohibebantur ad legem converti, qui tamen legis mandata ad mores et munditiam corporis pertinentia, ut est: *Non concupisces*, etc., diligenter observare jubebantur. Quadruplex synodus Jerosolymis habita est: prima fuit de electione alterius apostoli pro Juda; secunda de electione septem diaconorum; tertia de circumcisione non imponenda illis qui credebant de gentibus; quarta hæc de Judæis illo tempore non prohibendis (ubi necessitas exigeret,) legalibus cæremoniis initiari propter scandalum eorum qui putabant apostolos legem Moysi sicut idololatræ dogmata damnare.

‡‡21.24 *Quia quæ de te,* etc. Non enim ita reprobas legalia sicut dictum est, si autem ideo celebraret, ut actione simulata suam occultaret sententiam, non hoc diceret Jacobus.

¶¶21.27 *Cum autem septem dies,* etc. Nondum consummati erant, sed eorum cursus agebatur adhuc, etc., usque ad ne venirent Romani et tollerent locum et gentem.

enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem æstimaverunt quoniam in templum introduxisset Paulus. ³⁰ Commotaque est civitas tota, et facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum: et statim clausæ sunt januæ. ³¹ Quærentibus autem eum occidere, nuntiatum est tribuno cohortis quia tota confunditur Jerusalem. ³² Qui statim, assumptis militibus et centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum vidissent tribunum et milites, cessaverunt percutere Paulum. ³³ Tunc accedens tribunus apprehendit eum, et jussit eum alligari catenis duabus: et interrogabat quis esset, et quid fecisset. ³⁴ Alii autem alii clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, jussit duci eum in castra. ³⁵ Et cum venisset ad gradus, contigit ut portaretur a militibus propter vim populi. ³⁶ Sequebatur enim multitudo populi, clamans: Tolle eum. ³⁷ Et cum cœpisset induci in castra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græce nosti?* ³⁸ nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, et eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum? ³⁹ Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Judæus a Tarso Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.† ⁴⁰ Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus annuit manu ad plebem, et magno silentio facto, allocutus est lingua hebræa, dicens:

22 Viri fratres, et patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem. ² Cum audissent autem quia hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstitērunt silentium. ³ Et dicit: Ego sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista civitate, secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut et vos omnes estis hodie:‡ ⁴ qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans et tradens in custodias viros ac mulieres, ⁵ sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, et omnes majores natu: a quibus et epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jerusalem ut punirentur. ⁶ Factum est autem, eunte me, et appropinquante Damasco media die, subito de cælo circumfulsit me lux copiosa: ⁷ et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris?¶ ⁸ Ego autem respondi: Quis es, domine? Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. ⁹ Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum.§ ¹⁰ Et dixi: Quid faciam, domine? Dominus autem dixit ad me: Sur-

§§21.35 *Et cum venisset ad gradus.* Gradus non descensionis de templo, sed ascensionis in castra significat.

*21.37 *Græce nosti?* RAB. Interrogatio est vel affirmatio, quia (ut putatur) tribunus Græca lingua loquebatur, vel, ne Judæi cognoscerent.

†21.39 *A Tarso,* etc. ID. Quo captus cum parentibus commigravit.

‡22.3 *Natus in Tarso.* BED. Natus in oppido Galilææ Giscali nomine fuit Paulus, etc., usque ad sic Christus, in Bethleem natus, Nazarenus est appellatus. *Æmulator legis.* In Græco: *Æmulator legis Dei existentis,* secundum illud: *Testimonium illis perhibeo, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam* Rom. 10..

¶22.7 *Saule, Saule.* RAB. Quædam exemplaria habent: *Saul, Saul,* ut ostendatur de nomine Saulis Saulum nominatum esse.

§22.9 *Audierunt.* ID. Intellexerunt, sed solum sonum vocis Pauli, vel ejus qui Paulo loquebatur.

gens vade Damascus: et ibi tibi dicitur de omnibus quæ te oporteat facere.** 11 Et cum non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus a comitibus, veni Damascus. 12 Ananias autem quidam vir secundum legem, testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judæis, 13 veniens ad me et astans, dixit mihi: Saule frater, respice. Et ego eadem hora respexi in eum.†† 14 At ille dixit: Deus patrum nostro- rum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et videres justum, et audires vocem ex ore ejus:‡‡ 15 quia eris testis illius ad omnes homines eorum quæ vidisti et audisti. 16 Et nunc quid moraris? Exsurge, et baptizare, et ablue peccata tua, invo- cato nomine ipsius. 17 Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem, et oranti in templo, fieri me in stupore mentis,¶¶ 18 et videre illum dicentem mihi: Festina, et exi velociter ex Jerusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me. 19 Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem, et cædens per syn- agogas eos qui credebant in te: 20 et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, et consentiebam, et custodiebam vestimenta interficientium illum.§§ 21 Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te. 22 Audiebant autem eum usque ad hoc verbum, et levaverunt vocem suam, dicentes: Tolle de terra hu- jusmodi: non enim fas est eum vivere. 23 Vociferantibus autem eis, et projicientibus vestimenta sua, et pulverem jactantibus in aërem, 24 jussit tribunus induci eum in castra, et flagellis cædi, et torqueri eum, ut sciret propter quam causam sic accla- marent ei. 25 Et cum astrinxissent eum loris, dicit astanti sibi centurioni Paulus: Si hominem Romanum et indemnatum licet vobis flagellare? 26 Quo audito, centurio accessit ad tribunum, et nuntiavit ei, dicens: Quid acturus es? hic enim homo civis Romanus est. 27 Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. 28 Et respondit tribunus: Ego multa summa civilitatem hanc conse- cutus sum. Et Paulus ait: Ego autem et natus sum.* 29 Protinus ergo discesserunt ab illo qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit postquam rescivit, quia civis Ro- manus esset, et quia alligasset eum. 30 Postera autem die volens scire diligentius qua ex causa accusaretur a Judæis, solvit eum, et jussit sacerdotes convenire, et omne concilium: et producens Paulum, statuit inter illos.

**22.10 *Et ibi*. ID. Exemplum humilitatis, contra doctores non disputandi, nec de nobis præsumendi, quasi a Deo simus edocti.

††22.13 *Saule frater, respice*. ID. Duo erant in oculis Pauli, excæcatio et illuminatio: et ideo merito credidit.

‡‡22.14 *Præordinavit te*. ID. Conveniens ordo: primo, præordinatus in præscientia Dei; deinde cognoscit veritatem, videt Justum, audit ex ore ipsius; postea fit testis eorum quæ cognovit, vidit, audivit.

¶¶22.17 *Fieri me in stupore mentis*. Hoc non narrat ad elationem, sed propter necessitatem, ut videatur idoneus evangelizare gentibus.

§§22.20 *Consentiebam*. Confitendo quod consensit, notat quia non occidit, nisi cæ- dens accipiatur pro occidens, vel occidere curans.

*22.28 *Ego multa summa*. Alia editio manifestius insinuat quid dixerit tribunus. Dixit tribunus: tam facile dicis civem Romanum te esse? ego enim quanto pretio civilitatem possedi istam. *Civilitatem*. Id est socialem inter cives conversationem, vel reipublicæ administrationem. Non enim tribunus civitatis Romanæ civis esse non posset, sed consortium civitatis emerat, ut esset particeps. Paulus eo magis erat civis Romanus, quod non comparando, sed hoc nascendo habebat.

23 Intendens autem in concilium Paulus, ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem. ²Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os ejus. ³Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbata. Et tu sedens iudicas me secundum legem, et contra legem iubes me percuti?† ⁴Et qui astabant dixerunt: Summum sacerdotem Dei maledicis. ⁵Dixit autem Paulus: Nesciebam, fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.‡ ⁶Sciens autem Paulus quia una pars esset sadducæorum, et altera pharisæorum, exclamavit in concilio: Viri fratres, ego pharisæus sum, filius pharisæorum: de spe et resurrectione mortuorum ego iudicor. ⁷Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter pharisæos et sadducæos, et soluta est multitudo. ⁸Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum: pharisæi autem utraque confitentur. ⁹Factus est autem clamor magnus. Et surgentes quidam pharisæorum, pugnabant, dicentes: Nihil mali invenimus in homine isto: quid si spiritus locutus est ei, aut angelus?¶ ¹⁰Et cum magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere, et rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.§ ¹¹Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet et Romæ testificari. ¹²Facta autem die collegerunt se quidam ex Judæis, et devoverunt, se dicentes neque manducatuos, neque bibituos donec occiderent Paulum.** ¹³Erant autem plus quam quadraginta viri qui hanc conjurationem fecerant: ¹⁴qui accesserunt ad principes sacerdotum et seniores, et dixerunt: Devotione devovimus nos nihil gustatuos, donec occidamus Paulum. ¹⁵Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos, tamquam aliquid certius cognituri de eo. Nos vero priusquam appropiet, parati sumus interficere illum. ¹⁶Quod cum audisset filius sororis Pauli insidias, venit, et intravit in castra, nuntiavitque Paulo. ¹⁷Vocans autem Paulus ad se unum ex centurionibus, ait: Adolescentem hunc perduc ad tribunum, habet enim aliquid indicare illi. ¹⁸Et ille quidem assumens eum duxit ad tribunum, et ait: Vincit Paulus rogavit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi. ¹⁹Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, et interrogavit illum: Quid est quod habes indicare mihi? ²⁰Ille autem dixit: Judæis convenit rogare te ut crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo: ²¹tu vero ne credideris illis: insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta, qui se devoverunt non manducare, neque bibere donec inter-

†23.3 *Percutiet te.* RAB. Non dicit *percutiat*, quia prophetia est, non maledictio, etc., usque ad sed inspiratione divina dixit Apostolus.

‡23.5 *Nesciebam, fratres.* Id est non cognoscebam esse Ananiam; vel subtiliter dicit se nescire principem, quia sacerdotium Judæorum reprobatum est.

¶23.9 *Quid si spiritus?* RAB. Hic apparet juxta Hieronymum sadducæos spiritum non confiteri et angelos, et ideo Pharisæi spiritum nominant et angelum, quia hoc noverant contrarium esse illis.

§23.10 *Ne discerperetur Paulus ab ipsis.* ID. Sadducæis volentibus eum rapere, vel ab utrisque simul contendentibus.

**23.12 *Devoverunt se dicentes.* Græce, anathematizaverunt: hoc verbum quantæ sit auctoritatis norunt qui anathemate sacerdotali a societate Christi et Ecclesiæ alienantur.

ficiant eum: et nunc parati sunt, exspectantes promissum tuum. ²² Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur quoniam hæc nota sibi fecisset. ²³ Et vocatis duobus centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos ut eant usque Cæsaream, et equites septuaginta, et lancearios ducentos a tertia hora noctis, ^{††} ²⁴ et iumenta præparate ut imponentes Paulum, salvum perducerent ad Felicem præsidem. ²⁵ (Timuit enim ne forte raperent eum Judæi, et occiderent, et ipse postea calumniam sustineret, tamquam accepturus pecuniam.) ²⁶ Scribens epistolam continentem hæc: Claudius Lysias optimo præsidi Felici, salutem. ²⁷ Virum hunc comprehensum a Judæis, et incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui, cognito quia Romanus est. ²⁸ Volensque scire causam quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum. ²⁹ Quem inveni accusari de quæstionibus legis ipsorum, nihil vero dignum morte aut vinculis habentem criminis. ³⁰ Et cum mihi perlatum esset de insidiis quas paraverant illi, misi eum ad te, denuntians et accusatoribus ut dicant apud te. Vale. ³¹ Milites ergo secundum præceptum sibi assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem. ³² Et postera die dimissis equitibus ut cum eo irent, reversi sunt ad castra. ³³ Qui cum venissent Cæsaream, et tradidissent epistolam præsidi, statuerunt ante illum et Paulum. ³⁴ Cum legisset autem, et interrogasset de qua provincia esset, et cognoscens quia de Cilicia: ³⁵ Audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Jussitque in prætorio Herodis custodiri eum.

24 Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum Ananias, cum senioribus quibusdam, et Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem adversus Paulum. ² Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace agamus per te, et multa corrigantur per tuam providentiam, ³ semper et ubique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione. ⁴ Ne diutius autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia. ⁵ Invenimus hunc hominem pestiferum, et concitantem seditiones omnibus Judæis in universo orbe, et auctorem seditionis sectæ Nazarenorum: ⁶ qui etiam templum violare conatus est, quem et apprehensum voluimus secundum legem nostram judicare. ⁷ Superveniens autem tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, ⁸ jubens accusatores ejus ad te venire: a quo poteris ipse judicans, de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. ⁹ Adjecerunt autem et Judæi, dicentes hæc ita se habere. ¹⁰ Respondit autem Paulus (annuente sibi præside dicere): Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. ¹¹ Potes enim cognoscere quia non plus sunt mihi dies quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem: ¹² et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, neque in civitate: ¹³ neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant. ¹⁴ Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam quam dicunt hæresim, sic deservio Patri et Deo meo, credens omnibus quæ in lege et prophetis scripta sunt: ^{††} ¹⁵ spem habens in Deum, quam et hi ipsi exspectant, resurrectionem futuram justorum et iniquorum. ¹⁶ In hoc et ipse studeo sine offenculo conscientiam habere ad Deum et ad homines semper. ¹⁷ Post annos autem plures eleemosynas

^{††}23.23 *Parate milites ducentos*, etc. RAB. Hoc fieri jubet, ne eum Judæi auferrent, et ipse tribunus criminis accusaretur apud præsidem, tanquam accepturus pecuniam a Judæis, et pretium mortis Pauli.

^{††}24.14 *Patri et Deo meo*. RAB. Cujus filius demonstror, non *servus*, ut in aliis codicibus habetur.

facturus in gentem meam, veni, et oblationes, et vota, ¹⁸ in quibus invenerunt me purificatum in templo: non cum turba, neque cum tumultu. ¹⁹ Quidam autem ex Asia Judæi, quos oportebat apud te præsto esse, et accusare si quid haberent adversum me: ²⁰ aut hi ipsi dicant si quid invenerunt in me iniquitatis cum stem in concilio, ²¹ nisi de una hac solummodo voce qua clamavi inter eos stans: Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis.^{¶¶} ²² Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos. ²³ Jussitque centurioni custodire eum, et habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.^{§§} ²⁴ Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem quæ est in Christum Jesum. ²⁵ Disputante autem illo de justitia, et castitate, et de judicio futuro, tremefactus Felix, respondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te.* ²⁶ simul et sperans quod pecunia ei daretur a Paulo, propter quod et frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. ²⁷ Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum.†

25 Festus ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascendit Jerosolymam a Cæsarea.[‡] ² Adieruntque eum principes sacerdotum et primi Judæorum adversus Paulum: et rogabant eum, ³ postulantes gratiam adversus eum, ut juberet perducere eum in Jerusalem, insidias tendentes ut interficerent eum in via. ⁴ Festus autem respondit servari Paulum in Cæsarea: se autem maturius profecturum. ⁵ Qui ergo in vobis, ait, potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum. ⁶ Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo aut decem, descendit Cæsaream, et altera die sedit pro tribunali, et jussit Paulum adduci. ⁷ Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Jerosolyma descenderant Judæi, multas et graves causas objicientes, quas non poterant probare: ⁸ Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi. ⁹ Festus autem volens gratiam præstare Judæis, respondens Paulo, dixit: Vis Jerosolymam ascendere, et ibi de his judicari apud me? ¹⁰ Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto: ibi me oportet judicari: Judæis non nocui, sicut tu melius nosti. ¹¹ Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si vero nihil est eorum quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. ¹² Tunc Festus cum concilio locutus, respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis. ¹³ Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex et Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum. ¹⁴ Et cum dies plures ibi demor-

^{¶¶}24.21 *Nisi de una hac.* ID. Hoc loquitur per antiphrasim, sciebat enim hoc eis placere: quasi dicat nihil commisi, nisi quia prædicavi quod et ipsi credunt.

^{§§}24.23 *De suis ministrare.* ID. Discipulis et sociis; aliter, jussit non prohibere quemquam ministrare ei de suis rebus vel facultatibus.

*24.25 *Tremefactus,* etc., *et sperans.* ID. Sic junge: tremefactus et sperans, pro his duobus dimisit eum liberæ custodiæ, præ timore Dei et spe pecuniæ.

†24.27 *Reliquit Paulum vinctum.* ID. Utrum Felix vivens an moriens Paulum reliquerit, incertum est; sed tamen melius videtur, quod vivens Judæis gratiam præstiterit.

‡25.1 *Festus ergo cum venisset in provinciam,* etc. RAB. Palæstinæ provinciam intellige, sicut Palæstinæ præsidis alii semper aliis succedentes a Romanis mittebantur.

arentur, Festus regi indicavit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus a Felice vinctus,¹⁵ de quo cum essem Jerosolymis, adierunt me principes sacerdotum et seniores Judæorum, postulantes adversus illum damnationem.¹⁶ Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem priusquam is qui accusatur præsentem habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.¹⁷ Cum ergo huc convenissent sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, jussi adduci virum.¹⁸ De quo, cum stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum.[¶]¹⁹ Quæstiones vero quasdam de sua superstitione habebant adversus eum, et de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere.[§]²⁰ Hæsitans autem ego de hujusmodi quæstione, dicebam si vellet ire Jerosolymam, et ibi judicari de istis.²¹ Paulo autem appellante ut servaretur ad Augusti cognitionem, jussi servari eum, donec mittam eum ad Cæsarem.²² Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam et ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum.²³ Altera autem die cum venisset Agrippa et Bernice cum multa ambitione, et introissent in auditorium cum tribunis et viris principalibus civitatis, jubente Festo, adductus est Paulus.^{**}²⁴ Et dicit Festus: Agrippa rex, et omnes qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Jerosolymis, petentes et acclamantes non oportere eum vivere amplius.²⁵ Ego vere comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, judicavi mittere.²⁶ De quo quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, et maxime ad te, rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam quid scribam.²⁷ Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, et causas ejus non significare.

26 Agrippa vero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere:² De omnibus quibus accusor a Judæis, rex Agrippa, æstimo me beatum apud te cum sim defensurus me hodie,³ maxime te sciente omnia, et quæ apud Judæos sunt consuetudines et quæstiones: propter quod obsecro patienter me audias.⁴ Et quidem vitam meam a juventute, quæ ab initio fuit in gente mea in Jerosolymis, noverunt omnes Judæi:⁵ præscientes me ab initio (si velint testimonium perhibere) quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi pharisæus.⁶ Et nunc, in spe quæ ad patres nostros repromissionis facta est a Deo, sto iudicio subjectus:⁷ in quam duodecim tribus nostræ nocte ac die deservientes, sperant devenire. De qua spe accusor a Judæis, rex.⁸ Quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitatur?^{††}⁹ Et ego quidem existimaveram me adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere,¹⁰ quod et feci

[¶]25.18 *De quibus*, etc. ID. His causis, vel rebus, sive verbis: de quibus ego suspicabar, id est ab accusatoribus exspectabam, vel mala de quibus suspicabar; aliter, de quibus, id est accusatoribus suspicabar malum: quia nullam causam dignam morte deferebant.

[§]25.19 *Sua superstitione*. RAB. Amborum, id est Pauli et Judæorum legem vocabat superstitionem.

^{**}25.23 *Cum multa ambitione*. ID. Id est multa turba ambiente eos, vel cum multo desiderio Paulum audiendi. Pro ambitione in Græco ponitur phantasia, id est multiplex apparatus et pompa regalis officii: qua illam ambiente undique stipabatur.

^{††}26.8 *Quid incredibile?* RAB. Vel sic: Rex quid dicis? incredibile judicatur apud vos? etc., interrogando, quasi dicat: Non est incredibile. Suscitavit quidem ante mortuos in exemplum futuri, vel suscitatur.

Jerosolymis, et multos sanctorum ego in carceribus inclusi, a principibus sacerdotum potestate accepta: et cum occiderentur, detuli sententiam.^{‡‡} ¹¹ Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare: et amplius insaniens in eos, persequabar usque in exterarum civitates. ¹² In quibus dum irem Damascum cum potestate et permissu principum sacerdotum, ¹³ die media in via vidi, rex, de caelo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, et eos qui mecum simul erant. ¹⁴ Omnesque nos cum decidissemus in terram, audivi vocem loquentem mihi hebraica lingua: Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.^{¶¶} ¹⁵ Ego autem dixi: Quis es, domine? Dominus autem dixit: Ego sum Jesus, quem tu persequeris. ¹⁶ Sed exsurge, et sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum, et testem eorum quae vidisti, et eorum quibus apparebo tibi, ¹⁷ eripiens te de populo et gentibus, in quas nunc ego mitto te, ¹⁸ aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos, per fidem quae est in me. ¹⁹ Unde, rex Agrippa, non fui incredulus caelesti visioni: ²⁰ sed his qui sunt Damasci primum, et Jerosolymis, et in omnem regionem Judææ, et gentibus, annuntiabam, ut poenitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna poenitentiae opera facientes. ²¹ Hac ex causa me Judæi, cum essem in templo, comprehensum tentabant interficere. ²² Auxilio autem adjutus Dei usque in hodiernum diem, sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens quam ea quae prophetæ locuti sunt futura esse, et Moyses, ²³ si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo et gentibus. ²⁴ Hæc loquente eo, et rationem reddente, Festus magna voce dixit: Insanis, Paule: multæ te litteræ ad insaniam convertunt.^{§§} ²⁵ Et Paulus: Non insanio, inquit, optime Feste, sed veritatis et sobrietatis verba loquor. ²⁶ Scit enim de his rex, ad quem et constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum gestum est. ²⁷ Credis, rex Agrippa, prophetis? Scio quia credis. ²⁸ Agrippa autem ad Paulum: In modico suades me christianum fieri. ²⁹ Et Paulus: Opto apud Deum, et in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt hodie fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his. ³⁰ Et exsurrexit rex, et præses, et Bernice, et qui assidebant eis. ³¹ Et cum secessissent, loquebantur ad invicem, dicentes: Quia nihil morte aut vinculis dignum quid fecit homo iste. ³² Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

^{‡‡}26.10 *Cum occiderentur detulit sententiam.* ID. Alia editio: Occidendisque detulit sententiam, id est qualiter occiderentur ipse sententiam dedi. *Detuli sententiam.* Judicavi illos occidendos: non ait occidi, nisi forte ad occisionem pertineat quod sequitur: *Puniens eos*, etc., *et amplius insaniens*, etc.

^{¶¶}26.14 *Contra stimulum.* ID. Hucusque sine stimulo restitisti, sed nunc si resistis contra stimulum calcitrabis, quod satis durum est. Stimulus est ipsa correctio. *Insanis, Paule.* BED. Insaniam putat, quod homo vincus loco defendendi accepto, etc., usque ad et Propheta: *Non respexit in vanitates et insanias falsas* Psal. 39.

^{§§}26.24 *Multæ te.* RAB. Philosophi gentium multa legendo sectas commutabant. *Ad insaniam*, subaudi mutabilitatis; vel insaniam dicit resurrectionem mortuorum, quam annuntiat.

27 Ut autem iudicatum est navigare eum in Italiam, et tradi Paulum cum reliquis custodiis centurioni nomine Julio cohortis Augustæ,* ² ascendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Asiæ loca, sustulimus, perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi.† ³ Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humane autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, et curam sui agere. ⁴ Et inde cum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii. ⁵ Et pelagus Ciliciæ et Pamphyliaë navigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ:‡ ⁶ et ibi inveniens centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam. ⁷ Et cum multis diebus tarde navigarem, et vix devenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnavigavimus Cretæ juxta Salmonem: ⁸ et vix juxta navigantes, venimus in locum quemdam qui vocatur Boniportus, cui juxta erat civitas Thalassa. ⁹ Multo autem tempore peracto, et cum jam non esset tuta navigatio eo quod et jejunium jam præteriisset, consolabatur eos Paulus,¶ ¹⁰ dicens eis: Viri, video quoniam cum injuria et multo damno non solum oneris, et navis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse navigatio. ¹¹ Centurio autem gubernatori et nauclero magis credebat, quam his quæ a Paulo dicebantur. ¹² Et cum aptus portus non esset ad hiemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent, devenientes Phœnicen hiemare, portum Cretæ respicientem ad Africum et ad Corum.§ ¹³ Aspirante autem austro, æstimantes propositum se tenere, cum sustulissent de Asson, legebant Cretam.** ¹⁴ Non post multum autem misit se contra ipsam ventus typhonicus, qui vocatur Euroaquilo.†† ¹⁵ Cumque arrepta esset navis, et non posset conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur. ¹⁶ In insulam autem quamdam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham. ¹⁷ Qua sublata, adjutoriis utebantur, accingentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent, summisso vase sic ferebantur.‡‡ ¹⁸ Valida autem nobis tempestate jactatis, sequenti die jactum fecerunt: ¹⁹ et tertia die suis manibus armamenta navis projecerunt. ²⁰ Neque autem sole, neque sideribus apparentibus

*27.1 *Ut autem iudicatum est eum navigare*, etc. In Græco: Ut iudicatum est nos navigare in Italiam, tradiderunt Paulum et quosdam alios vinctos centurioni.

†27.2 *Adrumetinam*. RAB. Id est ad Romam navigantem secundum quosdam, sed melius derivatur de nomine civitatis Africæ quæ Adrumetis dicitur.

‡27.5 *Venimus Lystram*. BED. Pro Lystra, in Græco Smyrna scriptum est. Hieronymus vero Myrrham ponit.

¶27.9 *Jejunium*. RAB. Fames magna in navigio infirmiores reddens nautas. Alii dicunt tunc fuisse quadragesimam ante natale Domini, quod non est probabile. Melius jejunium septimum putandum est, in quo occisus erat Godolias. Vel dies jejunii decimi in Januario, quando cogoverunt in Babylone captivi templum esse destructum.

§27.12 *Portum*, etc. ID. Portus Cretæ dicitur qui est in Phœnice e regione Cretæ: portum autem Cretæ petebant, quia Cretam navigabant. *Ad Africum*, etc. Africus stat inter meridianam plagam et occidentalem, magis vergens ad occidentalem; Corus inter septentrionalem et occidentalem, plus deflexus ad occidentem; et provincia Phœnicis Cretam habebat ad occidentem.

**27.13 *Asson*. RAB. Nomen est loci sic vocati, quia inde solvebantur naves in mare progredientes.

††27.14 *Typhonicus*. Alia translatio: ventus tempestuosus. *Euroaquilo*. RAB. Id est Boreas, ventus inter aquilonem et orientem; hic ventus erat contrarius navi navigaturæ in Phœnicen.

‡‡27.17 *Syrtim*. ID. Angustia sive tribulatio dicitur Syrtis.

per plures dies, et tempestate non exigua imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostræ. ²¹ Et cum multa jejunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, o viri, audito me, non tollere a Creta, lucrique facere injuriam hanc et jacturam. [¶] ²² Et nunc suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis. ²³ Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cujus sum ego, et cui deservio, ²⁴ dicens: Ne timeas, Paule: Cæsari te oportet assistere: et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. ²⁵ Propter quod bono animo estote, viri: credo enim Deo quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi. ²⁶ In insulam autem quamdam oportet nos devenire. ^{§§} ²⁷ Sed posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem. ^{*} ²⁸ Qui et summittentes bolidem, invenerunt passus viginti: et pusillum inde separati, invenerunt passus quindecim. ²⁹ Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri. ³⁰ Nautis vero quærentibus fugere de navi, cum misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent a prora anchoras extendere, ³¹ dixit Paulus centurioni et militibus: Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis. ³² Tunc absciderunt milites funes scaphæ, et passi sunt eam excidere. ³³ Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes jejuni permanetis, nihil accipientes. ³⁴ Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peribit. [†] ³⁵ Et cum hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium: et cum fregisset, coepit manducare. ³⁶ Animæquiores autem facti omnes, et ipsi sumpserunt cibum. ³⁷ Eramus vero universæ animæ in navi ducentæ septuaginta sex. [‡] ³⁸ Et satiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare. ³⁹ Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant: sinum vero quemdam considerabant habentem littus, in quem cogitabant si possent ejicere navem. ⁴⁰ Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes juncturas gubernaculorum: et levato artemone secundum auræ flatum, tendebant ad littus. ⁴¹ Et cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem: et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur

[¶]27.21 *Oportebat quidem*, etc. ID. Quasi dicat: Deum non audistis, quod supra hortabatur eos Paulus; vel oportebat me audito, id est ut audiretis me.

^{§§}27.26 *In insulam autem quamdam oportet nos devenire*. ID. Quasi dicat: Pro signo est prophetia veritatis de insula, ut, cum ad illam venerint, de salute sua certi sint.

[~]27.27 *In Adria*. Regio est ad quam navigabant; vel, nomen cujusdam freti in Tyrrenc mari, seu potius videtur nomen illius terræ de qua Adriaticus sinus vocatur. Aliter, Adria pluraliter accipitur pro scopulis, et ideo putabant nautæ regionem apparere. In libro Hebræorum nominum, Adria, continens mala, vel locus malorum dicitur.

[†]27.34 *Sumere cibum*. BED. Nemo sæculi tempestates evadit, nisi qui pane vitæ pascitur, et qui in nocte tribulationum, sapientiæ, fortitudini, temperantiæ et justitiæ innititur, auxilio Domini coruscante portum salutis consequitur, ita ut sæculo expeditus, flammam dilectionis qua calefiunt interiora, quærat.

[‡]27.37 *Eramus universæ animæ*. RAB. Non ait viri, quia fortasse erant et mulieres; vel, propter confusionem Christianorum, militum et nautarum ita dicitur.

a vi maris.[¶] ⁴² Militum autem consilium fuit ut custodias occiderent, ne quis cum enatasset, effugeret. ⁴³ Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri: iussitque eos qui possent natate, emittere se primos, et evadere, et ad terram exire: ⁴⁴ et ceteros, alios in tabulis ferebant, quosdam super ea quæ de navi erant. Et sic factum est, ut omnes animæ evaderent ad terram.

28 Et cum evasissemus, tunc cognovimus quia Melita insula vocabatur. Barbari vero præstabant non modicam humanitatem nobis. ² Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes propter imbrem qui imminebat, et frigus.[§] ³ Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, et imposuisset super ignem, vipera a calore cum processisset, invasit manum ejus. ⁴ Ut vero viderent barbari pendentem bestiam de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere. ⁵ Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. ⁶ At illi existimabant eum in tumorem convertendum, et subito casurum et mori. Diu autem illis exspectantibus, et videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se, dicebant eum esse deum. ⁷ In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine Publii, qui nos suscipiens, triduo benigne exhibuit. ⁸ Contigit autem patrem Publii febribus et dysenteria vexatum jacere. Ad quem Paulus intravit: et cum orasset, et imposuisset ei manus, salvavit eum.^{**} ⁹ Quo facto, omnes qui in insula habebant infirmitates, accedebant, et curabantur: ¹⁰ qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, et navigantibus imposuerunt quæ necessaria erant. ¹¹ Post menses autem tres navigavimus in navi Alexandrina, quæ in insula hiemaverat, cui erat insigne Castorum. ¹² Et cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo. ¹³ Inde circumlegentes devenimus Rhegium: et post unum diem, flante austro, secunda die venimus Puteolos:^{††} ¹⁴ ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem: et sic venimus Romam. ¹⁵ Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii forum, ac tres Tabernas. Quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.^{**} ¹⁶ Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite. ¹⁷ Post tertium autem diem convocavit primos Judæorum. Cumque convenissent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Jerosolymis traditus sum in manus Romanorum, ¹⁸ qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. ¹⁹ Contradicientibus autem Judæis, coactus sum appellare Cæsarem, non

[¶]27.41 *Bithalassum*. BED. Græci Thalassan vocant mare, etc., usque ad et mare a Græcis dicitur Thelasson.

[§]28.2 *Pyra*. RAB. Quidam dicunt pyram nomen ligni esse.

^{**}28.8 *Dysenteria* vel *dysin*. BED. Est passio intestinorum. *Salvavit eum*. Cur infidelem infirmum prece salvat, qui Timotheum, Trophimumque infirmos fideles sic tractat, ut unum curet, alterum relinquat? nisi quia ille per miraculum foris sanandus erat, qui interius non vivebat: hoc autem non indigebant, qui intus salubriter vivebant.

^{††}28.13 *Puteolos*. Puteoli locus est ultra Romam ubi Virgilius fecit balnea medicinalia, singula propriis inscripta titulis (ut dicitur) contra quam, scilicet valerent ægritudinem. Unde Salernitani invidia ducti, supervenientes in manu forti, titulos destruxerunt, et ædificia mutilaverunt.

^{**}28.15 *Audissent fratres*. RAB. Christiani Romæ habitantes unde? patet Paulum non primo prædicasse Romanis.

quasi gentem meam habens aliquid accusare. ²⁰ Propter hanc igitur causam rogavi vos videre, et alloqui. Propter spem enim Israël catena hac circumdatus sum. ²¹ At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te a Judæa, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit, aut locutus est quid de te malum. ²² Rogamus autem a te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur. ²³ Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex lege Moysi et prophetis a mane usque ad vesperam. ²⁴ Et quidam credebant his quæ dicebantur: quidam vero non credebant. ²⁵ Cumque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros, ²⁶ dicens: Vade ad populum istum, et dic ad eos: [Aure audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non perspicietis. ²⁷ Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt: ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.] ²⁸ Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient. ²⁹ Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem. ³⁰ Mansit autem biennio toto in suo conducto: et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, [¶] ³¹ prædicans regnum Dei, et docens quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni fiducia, sine prohibitione. ^{§§}

[¶]28.30 *Conductu.* Id est in libera custodia per quam conducebatur, vel in sua concione qua contra Judæos disputabat.

^{§§}28.31 *Sine prohibitione.* RAB. Post passionem Domini vigesimo quinto anno, etc., usque ad Petrus et Paulus martyrio coronati sunt.

INCIPIT EPISTULA AD ROMANOS

1 Paulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei,*
 2 quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis† 3 de Filio suo,
 qui factus est ei ex semine David secundum carnem,‡ 4 qui prædestinatus est Filius
 Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu

*1.1 **Argumentum** Romani sunt partis Italiæ. Hi præventi sunt a falsis apostolis, et sub nomine Domini nostri Jesu Christi in legem et prophetas erant inducti. Hos revocat Apostolus ad veram evangelicam fidem, scribens eis a Corintho. **Paulus.** BED. Super Actus apostolicos Paulum anno secundo passionis et resurrectionis Christi ad fidem venisse dicit, etc., usque ad juxta conductum apostolorum ad magisterium gentium est profectus. AUG. lib. de Spiritu et litt., c. 7. Non ob aliud hoc nomen elegit, etc., usque ad Saulus **inquietudo** et **tentatio** interpretatur. AMB. Porro ex more sanctorum apostolorum illud fecisse perhibetur, qui virtutibus proficientes mutato nomine sunt vocati, ut et ipso nomine essent novi, ut et Cephæ et filii tonitruum. HIER. Com. in Ep. ad Philem. Paulus a primo spolio quod Ecclesiæ contulit, scilicet a Sergio Paulo proconsule quem apud Cyprum convertit, hoc sibi nomen assumpsit. **Servus.** Ex servo et humili fecit Deus apostolum et sublimem, ita et vos humiles sitis: **Qui enim se humiliat, exaltabitur** Luc. XIV. AUG. Utrumque ponendo, unam Dei hominis personam esse testatur. Alterum pro Judæis, alterum pro gentibus ponit. Christus enim, hoc nomen Judæis est cognitum, quo nomine Dei Filium designatum vident, et audiunt in lege promissum, quibus etsi alium prædicare, non crederent. Gentibus vero quia in aliquo non legerant, præmittit Salvatorem, id est Jesum. Christus, quamvis non sit proprium, sed nomen sacramenti, sicut propheta et sacerdos, Judæis tamen cognitum recte præponitur: etsi pluribus indita hæc nomina, tamen sola figura; hic enim solus verus Rex et Sacerdos. **Vocatus.** Non a se, sed a Deo; vel vocatus, ab hominibus dictus privilegio nominis. **Apostolus.** Ecce de humili altus. **Segregatus.** A doctrina scribarum et Pharisæorum: hoc contra Judæos; vel, ab aliis apostolis, corpore et non mente unde: **Segregate mihi Barnabam et Paulum in opus ad quod assumpsi eos** Act. 13.. **Evangelium.** HAYM. Bona annuntiatio est, etc. **Dei.** Non ab homine inventum.

†1.2 **Quod ante** completionem, non venit ut subitum, sed longe ante promissum. Unde in hoc verbum verum est: **Quia alius est qui seminat, et alius qui metit.**

‡1.3 **Qui factus est ei.** Qui factus secundum carnem, opere sancti Spiritus de virgine, id est natus. Impietati hæreticorum occurritur, qui obtuso corde capitulum hoc intelligentes, Christum tantum hominem accipiunt. Addendo ergo, **secundum carnem**, divinitati suam dignitatem reservavit, in qua Christus Dei Verbum est, per quem facta sunt omnia. AUG. Qui erat, etc., usque ad ut carnalibus congruenter appareret, indutum. ID. Expos. in hanc epist. Christus ergo una persona est geminæ substantiæ: nec tamen Deus et homo pars hujus personæ dici potest: alioquin Filius Dei, antequam formam servi susciperet, non erat totus, et crevit cum homo divinitati ejus accessit.

Christi Domini nostri:[¶] ⁵ per quem accepimus gratiam, et apostolatam ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus,[§] ⁶ in quibus estis et vos vocati Jesu Christi:^{**} ⁷ omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.^{††} ⁸ Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.^{‡‡} ⁹ Testis enim mihi est Deus, cui servo in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio^{¶¶} ¹⁰ semper in orationibus meis: obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. ¹¹ Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos:^{§§} ¹² id est, simul consolari in vobis per eam quæ invicem est, fidem vestram atque meam.* ¹³ Nolo autem vos ignorare fratres: quia sæpe proposui venire ad vos (et prohibitus sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in ceteris gentibus.[†] ¹⁴ Græcis ac barbaris, sapientibus, et

[¶]1.4 *Qui prædestinatus est.* AUG., Tract. 105 in Joan. Prædestinata est ista humanæ naturæ tanta et tam celsa et summa subvectio, ut quo attolleretur, altius non haberet: sicut pro nobis ipsa divinitas, quousque se deponeret, humilior non habuit, quam suscepta natura hominis cum infirmitate carnis usque ad mortem crucis. AUG., lib. I de Prædest. sanct., c. 15. Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis et gratiæ ipse mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, etc., usque ad ut qui futurus erat secundum carnem filius David, esset in virtute Filius Dei. *Mortuorum Jesu Christi.* Christi pro ejus vel suorum, proprium nomen pro pronomine posuit more Hebraico, quæ locutio in Scripturis præcipue veteribus est usitatissima, ut: *Fecit Moyses sicut præcepit Dominus Moysi.* CHRYS. Hoc est, non nos hoc virtute nostra præstitimus, quod apostoli simus, neque enim nostris multis sudoribus ac laboribus hanc dignitatem sortiti sumus, sed gratiam invenimus.

[§]1.5 *In omnibus gentibus.* Non solum Judæis, cum quibus (quia sine lege vocati) non debent sub lege agere. *Pro nomine ejus.* Pro ejus gloria, non nostra sicut vos facitis.

^{**}1.6 *Vocati Jesu Christi.* Id est ab eo, scilicet Jesu Christo. Genitivus pro ablativo more Græco.

^{††}1.7 *Vocatis sanctis.* Non ideo vocati sunt quia sancti, sed ideo sancti effecti quia vocati: et ideo vocati, quia dilecti.

^{‡‡}1.8 *Gratias ago.* Gratias agere est sentire omnia a Deo data esse, et pro eo laudare corde, voce et opere. *Deo meo.* AUG., lib. de Ovibus. Non enim vox ista esse potest nisi sanctorum, quorum Deus dicitur, sicut Deus Abraham, Isaac, et Jacob. Cum enim omnium unus sit Deus per naturam, eorum tamen proprie per gratiam esse dicitur, qui merito fidei et justitiæ ejus cultores esse probantur. *Pro omnibus vobis.* Cum pro aliis, primum pro vobis, de quibus magna utilitas venit per Christum mediatorem, per quem vobis Deus dedit bona omnia. *Quia fides.* AMBR. Congaudet de bono incepto eorum, per quod charitatem erga illos ostendit, et hortatur ad profectum. Hæc autem omnia se agere dicit, quia multis proficit fides eorum.

^{¶¶}1.9 *Testis.* Quod habetis fidem Domino imputo. Nam habenda oro ab eo; vel exponit quando gratias agat, in orationibus scilicet, quomodo? sine intermissione.

^{§§}1.11 *Desidero enim.* Ut quæ verbis suadere non poterat, præsens suaderet virtute miraculorum.

*1.12 *Consolari.* Modo ego sum desolatus, sicut et vos: etsi non sentitis, sed sic, consolaremur.

†1.13 *Fratres.* Quia renati, et aliqui recti; vide supra: *Vocatis sanctis.*

insipientibus debitor sum:[‡] 15 ita (quod in me) promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizare. 16 Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco.[¶] 17 Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit.[§] 18 Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent:^{**} 19 quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit.^{††} 20 Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas: ita ut sint inexcusabiles.^{‡‡} 21 Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum

[‡]1.14 *Græcis*. De Judæis tacet, quia magister gentium. *Græcis*. Græcos præponit, quia ab eis omnis philosophia mundana exordium habuit. *Barbaris*. Barbaros dicit, qui sunt quasi exleges, qui scilicet nec Hebræi, nec Græci, nec Latini sunt. Nulli specialius debetur hæc prædicatio. *Debitor*, quia missus ad omnes.

[¶]1.16 *Virtus enim Dei*, etc. Quia signis firmatur incredibilis prædicatio: quod non est in falsis præconibus.

[§]1.17 *Justitia enim Dei*. AMBR. Est quæ gratis justificat impium per fidem sine operibus legis, etc., usque ad qui negant hunc esse Christum quem promisit Deus. *Revelatur*. AUG. Aggreditur gentiles secundum priorem statum, etc., usque ad quod inflati per se in idola ceciderunt. *Ex fide*, etc., AMBR. Dei promittentis, in fidem hominis qui credit ei, etc., usque ad in fidem rerum et speciei. AUG. Fides est qua creduntur ea quæ non videntur, etc., usque ad in fidem rerum qua credita obtinebimus. *Sicut scriptum est*. In Abacuc cap. 2. ita est: *Justus autem ex sua fide vivet*. Sed hoc et talia plura testimonia quæ ponit, ab Hebraicæ veritatis translatione, qua nunc utimur, videntur discordare: quia aliquando sumit a LXX interpretibus, aliquando sicut loquens eodem spiritu quo prophetæ sensum sumit tantummodo, suis utens verbis suaque dispositione.

^{**}1.18 *Super omnem impietatem*. Impietas est in Deum peccasse, iniquitas in homines; vel impius, infidelis sicut idololatra: iniquus, qui pravitate operis ab æquitate discordat. *Eorum qui veritatem*. Quasi dicat: Cur eis ira de impietate, cum non cognoverint Deum? Ad quod respondet: Poterant quidem cognoscere, sed ipsi nolunt, malentes morari injuste in sua voluptate. *Veritatem Dei detinent*. Quia, ut dicitur, quod est de Deo noscibile est in illis; quasi dicat: in se habent unde noscant, scilicet naturalem rationem. *In injustitia detinent*. Bonum est quod tenent, sed malum est ubi tenent; veritatem enim tenent, sed in iniquitate. Invenisti Deum? invenisti veritatem, et ipsum detinens in injustitia; etiam quod per Dei opera cognovisti, per hominis opera perdidisti.

^{††}1.19 *Notum est Dei*. GREG., lib. X Moral., c. 4. Notum est quod ex hujus mundi dispositione et naturali ordine assequi possumus. Ignotum vero Dei, quod omnem latet creaturam: ut ratio substantiæ ejus vel naturæ, et mysterium humanæ liberationis. *Manifestum est in illis*. AUG. Quia non solum ratio naturalis ad hoc profuit, sed et Deus quotidie adjuvit, ne sola natura sufficere videretur.

^{‡‡}1.20 *A creatura*. GREG., lib. XXIX Moral., c. 8. Ab homine per excellentiam, quia excellit inter alias creaturas, vel propter convenientiam quam habet cum omnibus creaturis: est enim localiter in loco cum corporibus, sentit cum animalibus, intelligit cum angelis, unde: *Prædicate Evangelium omni creaturæ* Marc. 16.. *Cum cognovissent*, etc. AUG., Serm. LV de Verb. Dom. Viderunt quo veniendum esset, etc., usque ad quod enim Deus dederat gratis, tulit ingratis.

est insipiens cor eorum:[¶] 22 dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.^{§§} 23 Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.* 24 Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis:[†] 25 qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen.[‡] 26 Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ: nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam.[¶] 27 Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui

[¶]1.21 **Obscuratum.** AMBR. Nebula enim erroris texit cor illorum, quia cum Creatorem ex iis quæ fecit pulchra, amplius honorificare debuerint, obtusi sunt, relicto illo.

^{§§}1.22 **Stulti facti sunt.** Ecce quomodo obscuratum est cor, quod est vindicta: sapientes in naturis rerum, stulti in Deo.

*1.23 **Et mutaverunt.** AUG., epist. CXIX, c. 6, ad Januarium. Hic damnat simulacra impiorum. Alii terram, alii solem et hujusmodi venerabantur. **In similitudinem imaginis.** Exaggerat stultitiam ad cumulum hebetudinis ostendendum. **Hominis et volucrum,** etc. Mos fuit ab antiquo Romanis adorare simulacra hominum, ut Romuli, Jovis, et aliorum, maxime ab adventu Ænææ in Italiam. Volucrum autem et quadrupedum et serpentium, ex quo Alexandria ab Augusto victa est et Romæ subjugata. AMBR. Primi enim Babylonii Deum vocaverunt figmentum Belis, etc., usque ad et volucres quia coracina sacra habent pagani. AUG., lib. VII de Civit. Dei, c. 33. Per hanc (Christi) religionem unam et veram, potuit aperiri deos gentium esse immundissimos dæmones sub defunctorum occasionibus animarum vel creaturarum specie mundanarum, deos se putari cupientes.

[†]1.24 **Tradidit,** etc. AUG., lib. de Grat. et libero arbit., c. 21. Manifestum est Deum operari in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates, sive ad bona, pro misericordia sua, sive ad mala pro meritis eorum, iudicio utique suo aliquando occulto, aliquando aperto, semper autem justo. **Afficiant.** GREG., Homil. 11 in Ezech. Peccatum quod pœnitentiæ lamento non diluitur, etc., usque ad Deum permittit ut cæcata mens etiam in alia labatur.

[‡]1.25 **Quia commutaverunt.** Exsequitur latius per partes culpam et pœnam, ut comparet. **Quia commutaverunt.** Ostendit per partes mutasse gloriam Dei, scilicet quod Deum putaverunt, qui non erat, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori. Et exsequitur partes immunditiæ, quod feminæ in feminas, masculi in masculos: in quibus comparat pœnam culpæ, ut sicut contra naturam creantem peccaverunt, ita in natura propria punirentur, unde concludit: **Et mercedem. Commutaverunt veritatem.** AMBR. Nomen Dei qui est verus, dederunt his qui non sunt dii. AUG. Veritas creaturæ a Deo est, sed non Deus, quam illi in mendacium converterunt, creaturas tanquam Creatorem colentes. **Et coluerunt,** etc. Sed ne dicant, non colo simulacra, sed res eorum, ut solem, addit: **Et servierunt creaturæ.** Hic damnat quæ in simulacris intelligebant. **Amen.** Quasi dicat: Verum est, quod Deo vero benedictio est in sæcula: diis autem gentium ad tempus impietas dat honorem. Ideo quod illi dicunt, est falsitas.

[¶]1.26 **Passiones.** Id est voluptates quæ, etsi delectent, sunt passiones tamen, naturæ non nominandæ. **Naturalem usum.** AUG., lib. III cont. Jul. Pelag., c. 20. Putas Juliane Apostolum ex hoc laudasse libidinem, etc., usque ad contra naturam est et flagitiosum.

in semetipsis recipientes. § 28 Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, ** 29 repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate: susurrone, †† 30 detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, 31 insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. †† 32 Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. ¶¶

2 Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. §§ 2 Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. 3 Existimas autem hoc, o homo, qui iudicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? * 4 an divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis?

§1.27 *Et mercedem*, etc. AUG. Sed istas pœnas pauci vident, etc., usque ad peccata sunt et pœnæ. *Oportuit*. Hic causa propter quam traditi sunt, sine ulla ambiguitate monstratur.

** 1.28 *Et sicut*, etc. Item quia nondum respiscunt, in alia cadunt pro eadem culpa. Per *sicut*, pœnam peccato assimilât, quod sicut peccaverunt in sensu Dei, sic puniti sunt in proprio sensu. *Non probaverunt*. Quia non noverunt Deum habere in notitia quod ratio probabat: vel quia putaverunt Deum nescire et negligere mala. *Tradidit*, etc.

†† 1.29 *Omni iniquitate*. Enumerat partes, ut apertius accuset malitiam, quando quis damnum molitur alicui. Nequitia est temeritas quando audet quod nequit, vel intemperantia sui. Contentio est impugnatio veritatis per confidentiam clamoris. Malignitas est mala voluntas, cum ultra non potest vel de beneficiis gratiam non referre. *Detractores*: qui aliorum bona negant, vel invertunt. *Deo odibiles*. Ne levis putetur susurratio vel detractio, quia in verbis sunt, addit de eis: *Deo odibiles*, ut intelligant se per solam susurrationem et detractionem æternam incurrere posse damnationem. *Elatos*. Elati sunt qui nolunt pati priorem, vel parem.

†† 1.31 *Incompositos*. Incompositio corporis indicat qualitatem mentis.

¶¶ 1.32 *Digni sunt morte*. Ne putentur his tantum pœnis affligi quibus delectantur, addit ultimam, mortem æternam. *Qui consentiunt facientibus*, etc. Consentire est tacere, cum possis arguere; vel errorem fovere.

§§ 2.1 *Propter quod*, etc. Hoc communiter de gentibus et Judæis. Judæus iudicabat gentilem, propter priorem statum: gentilis Judæum: uterque homo, non spiritus. Si Judæus iudicat gentilem de idololatria, et ipsi idololatræ. Si gentilis Judæum de legis prævaricatione, et ipse prævaricator naturalis legis. *Inexcusabilis*. Quia tu ipse testis es damnationis tuæ, dum alium iudicas: quare hoc? quia eadem agis. *Qui iudicas*. In quo ostendit se esse quod non est, id est justum. *Eadem enim agis*. Inanem excusationem gentium et Judæorum sua auctoritate destruit Apostolus: posset enim excusationem peccati sui dicere Judæus: Etsi agam eadem, tamen me Judæum defendit genus et lex, me gentilem ignorantia. Contra Apostolus, *Qui iudicas*, etc. THEOD. Est autem manifestum iis qui sapiunt, quod qui se inique gerunt, divina sententia puniuntur.

* 2.3 *Existimas autem*. Communiter legitur hoc capitulum contra Judæos et gentiles; potest tamen et specialiter legi contra superciliosum quemlibet Ecclesiæ prælatum. *Quia tu effugies*. Peccas, dum tibi impunitatem promittis, gravius: quia contemnis bonum Dei, et ignoras te contemnere, et hoc facis? Inrepatio, quasi diceret: Mirum est.

ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?† 5 Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi iudicii Dei,‡ 6 qui reddet unicuique secundum opera ejus:¶ 7 iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam: 8 iis autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio.§ 9 Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum, et Græci:** 10 gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum, et Græco: 11 non enim est acceptio personarum apud Deum.†† 12 Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: et quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur.‡‡ 13 Non enim

†2.4 *An divitias bonitatis.* AMBR. Copiosa est bonitas quæ multa et multis, etc., usque ad sed ad impunitatem vertit.

‡2.5 *Secundum autem.* Sunt enim quidam quibus mala quæ agunt displicent, et ducti pœnitentia cordis, quatenus eis datur ex eis exire, laborant: de quibus hic non loquitur. Sunt alii quibus placent mala, et de misericordia Dei nimis præsumentes in eis pertinaciter perdurant, in quo illius ostendunt patientiam, et suam cumulant sarcinam deterius peccando. Sunt et alii quibus displicent quidem mala, sed quoniam gravia esse intelligunt, putant sibi jam non posse ignosci, sicut ille qui dixit: *Major est iniquitas mea* Gen. 4., etc. Illi ergo nimia spe Deum non justum autumant: isti vero desperatione Deum non bonum æstimant. Ex utroque ergo periclitabuntur, et sperando et desperando, contrariis rebus et contrariis affectionibus laborantes, peribunt. *Iusti iudicii.* CYPR. Justum iudicium Dei dixit esse, etc., usque ad non potest pœnitentia prodesse peccanti.

¶2.6 *Qui reddet unicuique.* Qui modo illis quos liberat, non reddit, quoniam erga iniquos modo larga est ejus bonitas. In futuro autem reddet mala pro malis, quoniam justus: bona pro malis, quoniam bonus et justus. Tantum mala pro bonis non reddet, quoniam injustus non est. GREG. Ad justitiam pertinet, ut nunquam supplicio careant, quorum mens, etc., usque ad æternaliter puniri hominem.

§2.8 *Indignatio.* Ne videatur irasci, et non vindicare: unde tribulatio et angustia.

**2.9 *Tribulatio et angustia.* Interim in anima sola ante iudicium, post iudicium autem ira et indignatio. *In omnem.* Quod supra indefinite, ibi: *His autem qui,* hic universaliter, ut includat Judæum et gentilem. *Animam* dicit, quia de incredulo agit anima, pro cujus perfidia arctabitur spirituali pœna. *Judæi primum.* AMBR. Judæum semper antepōnit: quia sicut credens honorificentior est propter Abraham, ita diffidens pejus tractandus est, quia promissa patribus refutavit.

††2.11 *Non est enim,* etc. Coæquat Judæum et gentilem in pœna et gloria: quia Deus iudicat non secundum personas, sed secundum merita: quia utrosque secundum modum peccati damnat. AMBR. Prærogativam generis non sequitur Deus ut suscipiat, causa patrum, diffidentem, vel abjiciat a se, propter indignitatem parentum, credentem, sed unumquemque proprio merito aut remunerat, aut condemnat.

‡‡2.12 *Sine lege.* AUG. Ideo Apostolus gentiles sine lege dixit, quia Moysi legem scriptam non acceperant, quam se accepisse gloriabantur Judæi. *In lege.* ID. Qui noverunt divina mandata, aufertur ab eis excusatio, etc., usque ad vel additamento propriæ voluntatis. *Iudicabuntur.* Non ut quasi per ignem salvi fiant, ut quidam dicunt, sed prorsus peribunt. Dicit enim Christus quod tolerabilius erit Sodomæ in iudicio, quam Judæis in Christum non credentibus. Et item dicit quod excusationem non habebunt de peccato infidelitatis, quia venit et locutus est eis: de quo habent excusationem illi, quibus nec per se nec per suos locutus est, qui tamen non effugient damnationem: quia *qui sine lege,* etc. Leviora tamen passuri quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur.

auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.^{¶¶} 14 Cum autem gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex:^{§§} 15 qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus,^{*} 16 in die, cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum per Jesum Christum. 17 Si autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo,[†] 18 et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora, instructus per legem, 19 confidis teipsum esse ducentem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt,[‡] 20 eruditorem insipientium, magistrum infantum, habentem formam scientiæ, et veritatis in lege.[¶] 21 Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: 22 qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis: 23 qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. 24 (Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est.)[§] 25 Circumcisio quidem prodest, si legem observes:

^{¶¶}2.13 **Non enim auditores.** Nonne sola lex sulvat? Non, quia non facit justos, et hoc est: Non enim pro auditu, sed factores quicumque, quod quidem est per gratiam. **Sed factores,** id est, qui credunt in Christum, quem lex promisit, quicumque sint, quod non est nisi per gratiam. AUG., lib. de Spir. et lit., c. 26. **Factores legis justificabuntur,** id est, justi deputabuntur, vel justi fient non qui ante erant factores justificabuntur, quia etiam gentes.

^{§§}2.14 **Cum enim,** etc. Supra dixerat gentilem damnari, si male operaretur; salvari, si bene: sed cum legem non habeat, quasi nesciat quid sit bonum quidve malum, videtur sibi neutrum debere imputari. Contra Apostolus: Etsi non habeat scriptam legem, habet tamen naturalem: qua intelligit et sibi conscius est quid sit bonum et quid sit malum, vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia. Non enim usque adeo in humana anima imago terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea lineamenta remanserint. Non omnino deletum est quod ibi per imaginem Dei, cum homo crearetur, impressum est. Proinde vitio sanato per gratiam, naturaliter fiunt ea quæ legis sunt. Non quod per naturam negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura: qua gratia in interiori homine renovato lex justitiæ rescribitur, quam deleverat culpa.

^{*}2.15 **Opus legis.** Est fides, quam ultro habent in cordibus, id est, intimo affectu, ubi fides per dilectionem operatur.

[†]2.17 **Si autem tu,** etc. Hic Judæos aggreditur, gravius accusans eos de peccatis, eo quod plura haberent auxilia.

[‡]2.19 **Decem esse.** Cæcos et in tenebris existentes dicit gentiles, qui et ratione privati cæci sunt; et si quid sciunt, tamen in tenebris sunt.

[¶]2.20 **Habentem formam.** Ut aliis exemplum scientiæ legis sis et veritatis. Quidam enim scientiam et intellectum alicujus libri habent et ita sentiunt sicut auctor ipse sensit, non tamen habent inde veritatem: quia nesciunt quomodo sit verum, nec etiam esse verum: sed Judæus jactat se habere sensum legis, et scire verum esse sensum illum legis, ita ut aliis scire volentibus sit exemplar.

[§]2.24 **Nomen enim Dei.** Inter gentes blasphematur nomen Dei per Judæos: quia credentibus Judæi suadere nitebantur Christum non esse Deum dicendum. Vel quia olim gentes non animadvertabant Judæos sibi traditos pro noxis suis, sed idolis suis dabant gloriam de victoria sua, quasi Judæorum Deum vicissent in Judæis.

si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est.^{**} 26 Si igitur præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?^{††} 27 et judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es?^{‡‡} 28 Non enim qui in manifesto, Judæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio:^{¶¶} 29 sed qui in abscondito, Judæus est: et circumcisio cordis in spiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.^{§§}

3 Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis?^{*} 2 Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.[†] 3 Quid enim si quidam illorum non crediderunt? numquid incredulitas illorum fidem Dei

^{**}2.25 *Circumcisio quidem.* Ostendit supra legem non juvare eos, modo circumcisionem non juvare ad obtinendam justitiam. **Prodest, si legem,** etc. Quia obediendo Deo, signum facit veritatis, dum populus rudis sub timore Dei custoditur. **Prodest.** Quæritur quomodo hic dicit circumcisionem prodesse, cum in sequentibus dicat: Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit? Respondetur: Secundum statum diversorum temporum hoc vult intelligi. Nam secundum statum veteris legis olim profuit circumcisio, sed non profuit ad salutem sine spirituali legis observantia, de quo hic. Modo autem, scilicet tempore gratiæ, postquam exhibita est veritas, non modo non prodest, sed etiam obest, de quo in sequentibus.

^{††}2.26 **Nonne.** Gentilis comparatione sui te, o Judæe, damnabilem ostendit, qui non per naturam, neque per circumcisionem, sed per legem novisti, quod ille per naturam, id est Christum?

^{‡‡}2.27 **Judicabit,** etc. ORIG. In carne est circumcisio. Circumcidere est ex genitali membro, etc., usque ad in quibus non carnis circumcisio, sed legis observatio est.

^{¶¶}2.28 **Non enim.** Quasi: bene potest fieri Judæus gentilis, et gentilis Judæus, sicut dictum est. **Judæus.** Interpretatur **confitens:** qui enim vere credit et recte confitetur, vere est Judæus.

^{§§}2.29 **Circumcisio cordis.** ORIG. Est quæ purificat animam, et vitiorum maculas abscindit. **Cujus laus.** AMBR. Laudat Deus credentem, etc., usque ad quod coram hominibus apparebat in opere. **Non ex hominibus.** AUG. Circumcisionem autem cordis dicit, puram scilicet ab omni illicita concupiscentia voluntatem: quod non fit littera docente et minante, sed spiritu adjuvante atque sanante.

^{*}3.1 **Quid ergo amplius.** Objicit sibi quod videt posse objici, ut solvat. Quandoquidem Judæus fit gentilis, et e converso. Ergo quid est plus Judæo, qui dicitur populus peculiaris Dei, quam gentili qui dicitur canis immundus? aut quid consecutus est de circumcisione? Ad hoc respondet: Valuit quidem olim, sed non ideo digniores sunt in fide, et hoc est: Multum est plus Judæo secundum priorem statum, quam gentili, et hoc per omnem modum. Omnis modus est vel in administratione temporalium, vel reseratione spiritualium in quo utroque multa Judæis Deus fecit, quæ non gentibus: et ita secundum priorem statum digniores fuerunt.

[†]3.2 **Primum quidem,** etc. Quasi: Ut alia minora de temporalibus prætermittam, hoc primum et præcipuum pono, quia eloquia Domini, id est lex et prophetæ, eis ut amicis sunt credita: per quæ intelligerent futuram redemptionem. Sed dices: Non ideo plus factum est eis quia non crediderunt eloquiis, ut Christum promissum reciperent quidam eorum. Ad quod respondetur: Non ideo tamen minus profuit credentibus, et hoc est: Nam etsi quidam non crediderunt, non ideo tamen fides evacuata est.

evacuabit? Absit.[‡] 4 Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: [Ut justificeris in sermonibus tuis: et vincas cum judicaris.][¶] 5 Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram?[§] 6 secundum hominem dico. Absit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? 7 Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius: quid adhuc et ego tamquam peccator judicor?^{**} 8 et non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio justa est.^{††} 9 Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse,^{‡‡} 10 sicut scriptum est: [Quia non est justus quisquam: 11 non est intelligens, non est requirens Deum.^{¶¶} 12 Omnes declinaverunt,

[‡]3.3 **Nunquid incredulitas.** AMBR. Non, inquit, quia aliqui credere noluerunt, præjudicabitur cæteris Judæis, ne digni dicantur accipere quod Deus promisit fidelibus, quippe cum sic facta sit promissio ut credentibus proficeret. **Fidem.** ORIG. Eam intelligimus quam habet Deus cum his quibus credit eloquia sua, vel eam qua quidam credunt Deo.

[¶]3.4 **Omnis autem.** Hoc addit, ut appareat promissionem Dei factam esse et completam, non propter aliquam hominis dignitatem, sed propter misericordiam: ut gratia detur indignis, et commendabilior sit gratia. Deus autem dicitur verax, id est invariabilis, tam in essentia quam in promissione. Homo mendax, id est nec verum esse habens naturæ, et per peccata defluens. **Omnis homo mendax.** Qui negat Deum implese promissa: hoc maxime Judæus, quem vincit Deus, cum dat promissa. **Omnis homo.** Etiam Judæus, ne dignior videatur in novo statu quam gentilis.

[§]3.5 **Si autem iniquitas.** Dixit quod Deus verax et omnis homo mendax, et quod indignis dat bona, in quo commendabilior apparet ejus justitia et gratia: unde carnalis dicens Deum uti malis, quasi instrumento ad gloriam suam, eo rem deducit, ut dicat iniquum Deum qui punit peccata quæ sibi prosunt. Quod removet, dicens: **Nunquid iniquus.** Deus verax et homo mendax. Si autem hoc est, et ita iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid sequi videtur? Quod Deus iniquus est. Sed nunquid iniquus Deus qui infert mala?

^{**}3.7 **Si enim veritas.** Interjecta remotione iniquitatis Dei redit Apostolus ad probationem carnalis nitentis probare quod Deus sit iniquus si punit malos, quia si inde gloriosior: quid etiam nunc et non solum in futuro judicor quasi peccator, quod non sum? Vel: **Adhuc,** id est post conversionem postquam dedit dona indigno. Nam cum ante male mererer ex meis, non erat gloriosior: ac si diceret: Quod ante remissionem videri poterat, post videri non debet, scilicet quod ego peccator judicandus sim, quasi dicat: Certum est quod dimittendi veritas non abundasset in gloriam nisi peccassem.

^{††}3.8 **Et non sicut.** Quasi: Et si istud es quod veritas Dei in peccato abundet, cur non facimus mala ut veniant bona, sicut imponitur nobis hoc sentire (quod est blasphemia) et etiam prædicare occasione hujusmodi verborum: ubi abundavit delictum, superabundavit gratia? Vel: Propius jungatur cum præcedenti littera quam ante. Quasi: Quomodo judicabit Deus? Quasi: Non recte, quia nec modo juste judicaret me quasi peccatorem, quod non sum, et vere non.

^{‡‡}3.9 **Quid ergo.** Quasi: Plus fecit Judæo in priore statu; et, quia bona eis implevit non ex aliquo eorum merito. **Quid igitur? præcellimus eos?** Vere, cum omnis homo sit mendax; ergo non præcellimus nos Judæi gentiles in hoc statu gratiæ, quamvis præcellentiores in priori statu fuerimus per omnem modum. **Nequaquam.** Quia non est personarum acceptio apud Deum, **sed in omni gente qui timet Deum acceptus est illi** Act. 10..

^{¶¶}3.11 **Non est requirens.** Ex operibus poterant quærere et invenire quod Christus erat Deus.

simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.^{§§} 13 Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labiis eorum: 14 quorum os maledictione, et amaritudine plenum est: 15 veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: * 16 contritio et infelicitas in viis eorum: † 17 et viam pacis non cognoverunt: 18 non est timor Dei ante oculos eorum.] 19 Scimus autem quoniam quaecumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur: ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo: ‡ 20 quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. ¶ 21 Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est: testificata a lege et prophetis. § 22 Iustitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum: non enim est

§§3.12 *Omnes declinaverunt*, etc. Non totam penitus plebem significat, sed alteram partem plebis. Semper enim duo populi sunt in una plebe: unde Jeremias: *Tunc omnes insurrexerunt in prophetam Domini, volentes eum occidere*. Et subiecit: *Omnis autem populus non permisit illos* Jer. 38.. Omnes dixit insurrexisse, id est malos; omnem populum non permisisse, scilicet bonos. *Non est usque ad unum*. Christus enim tantum facit bonum in se et in suis.

*3.15 *Veloces pedes eorum*. De quibus Dominus: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas* Matth. 23.. Et item: *Generatio mala et adultera* Ibid. 16.. Et de quibus Isaias: *Væ genti peccatrici, semini nequam* Isa. 1., etc.

†3.16 *Contritio*. Talia faciunt, unde conterantur in hoc sæculo, per Titum et Vespasianum, et in futuro erunt infelices, puniti in anima et corpore.

‡3.19 *In lege*. Lex aliquando appellatur generaliter Vetus Testamentum, ut ibi: *Aperuit Dominus discipulis sensum, ut intelligerent de eo quæ scripta erant in lege et prophetis et psalmis* Luc. XXIV; Joan. X; Psal. 81.. Nonnunquam psalmi lex vocantur. Sicut Dominus ait: *In lege vestra scriptum est. Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes* Et alibi: *Ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis* Joan. XV; Psal. 34.. *Ut omne os obstruatur*, etiam Judæorum a sua gloria jactantium se pro meritis suis ad fidem venisse; vel ita obstruatur os Judæorum, sicut superius gentilium qui de bona natura se jactabant.

¶3.20 *Quia ex operibus*. Sicut abstulit gloriam de circumcissione, ita et de cæteris operibus legis vult facere. Et est nova sententia, quamvis jungatur præcedentibus per: *Quia ex operibus legis*, etc. Opera legis dicuntur quæ in lege instituta et terminata sunt, ut erant cæremonialia et figurativa, quæ nunquam valuerunt conscientiam mundare, etiamsi cum charitate et devotione fierent, quia non fuerunt instituta in justificationem, sed in futurorum significationem et peccati infirmitatis ostensionem, quia lex non venit peccata tollere, sed ostendere et punire. *Non iustificabitur omnis caro*, etc. Secundum cæremonialia intellige, non moralia, quæ utique iustificat et in Evangelio consummantur. *Coram illo*. Qui intima videt, scilicet utrum ex amore justitiæ quid agatur, vel timore pœnæ, quod non vident homines. *Per legem enim*. Hic incipit de lege, ut ostendat justitiam non esse ea. *Per legem enim cognitio peccati*. Hoc dicit, non quod prius peccata nescirentur, sed quod omnia non impune futura essent apud Deum cognita sunt per legem. Quædam peccata ante legem cognoscebantur, ut cum apud Pharaonem Joseph accusatus de crimine adulterii missus fuit in carcerem. Et fratres ejus dixerunt: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum* Gen. 39.. Quædam autem cognita sunt per legem quæ ante ignorabantur, ut concupiscentia et originale peccatum. Quædam etiam graviora per legem cognita sunt quam ante putabantur.

§3.21 *Testificata*, etc. Quia lex eam multis sacramentis figuravit, eo ipso perhibet testimonium justitiæ Dei, quia in ea nemo iustificatur. Prophetæ perhibent testimonium, id prænuntiando uod Christi implevit adventus.

distinctio:** 23 omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.†† 24 Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu,‡‡ 25 quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum¶¶ 26 in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore: ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.§§ 27 Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei.* 28 Arbitramur enim justificari hominem per

**3.22 *Justitia autem*, etc. Non qua ipse justus est essentialiter, sed qua induit impium: quando misericorditer de infideli facit fidelem. Idcirco autem Dei justitia dicitur quæ magis proprie videtur dici misericordia, quia de promissione originem habet: et cum promissum Dei redditur, justitia Dei dicitur. Justitia enim est quia exsolutum est quod promissum est, et cum suscipit confugientes ad se justitia Dei dicitur quia non suscipere iniquitas est.

††3.23 *Egent gloria*, id est, indulgentia et venia peccatorum.

‡‡3.24 *Justificati gratis*. Non per legem, non per propriam voluntatem, sed per gratiam Christi, non tamen quod sine nostra voluntate fiat. Sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem: ut sanet gratia voluntatem, et sanata voluntas impleat legem, non constituta sub lege nec indigens lege. *Gratis*, id est nullis operum præcedentibus meritis, alioqui gratia jam non est gratia, quandoquidem ideo datur non quia bona opera fecimus, sed ut ea facere valeamus.

¶¶3.25 *Proposuit Deus*, etc. Ad hoc ut ostenderet se veracem in promissis, quæ ostensio necessaria fuit, non solum pro remissione præsentium, sed et eorum quæ præcesserunt in sustentatione Dei, Deo scilicet patiente et non puniente, tum ut ostenderet in hoc tempore Christi quod nullo alio tempore fieri potuit, ut sit justus et justificans eum qui ex fide est Jesu. *Fidem in sanguine*, id est, fidem passionis, vel per fidem et per passionem: neutrum enim sine altero valet. *Propter remissionem*. Duplex effectus remissionis est, scilicet carere poena et frui gloria. Primum habuerunt ante Christi mortem justis, quia poenam actualem non sentiebant. Sed post Christi mortem data est eis gloria divinæ visionis, a qua differebantur Deo sustentante eorum delicta.

§§3.26 *In sustentatione*. Patienter sustinuit Deus peccata eorum qui fuerunt ante legem, et sub lege: non punivit, neque remisit, ita ut gloriam haberent, donec venit qui delicta tam præcedentium, quam subsequentium pretio sui sanguinis solveret.

*3.27 *Exclusa est*. Sive glorificationem dixerit laudabilem quæ in Domino est, eamque exclusam scilicet non ut abscederet, pulsam, sed ut emereret, expressam. Unde et exclusores dicuntur artifices argentarii; unde Psalmista: *Ut excludantur qui probati sunt* Psal. 67., etc. Sive gloriationem vitiosam commemorare voluerit, eam per legem fidei dicit exclusam, id est ejectam et abjectam, quia per legem fidei quisque cognoscit, si quid bene vivit, Dei gratia se habere.

fidem sine operibus legis.† 29 An Judæorum Deus tantum? nonne et gentium? Immo et gentium: 30 quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. 31 Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.‡

4 Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?¶ 2 Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. 3 Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatam est illi ad justitiam.§ 4 Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.** 5 Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat

†3.28 **Justificari hominem.** Non quin credens post per dilectionem non debeat operari, ut et Abraham filium immolare voluit. Sequuntur enim opera justificatum, non præcedunt justificandum, sed sola fide sine operibus præcedentibus homo fit justus, ut non magis sint justus, qui opera legis timore fecerant, cum fides per dilectionem operetur in corde, etiam si foris non exit in opere. Unde et non meritis priorum operum ad justitiam fidei venit, in quo Judæi se præferebant. Bona enim opera quæ dicuntur ante fidem, inania sunt, ita ut videantur esse magnæ vires, et cursus celerrimus præter viam. Ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. **Sine operibus.** Præcedentibus, non sequentibus, sine quibus est inanis fides, ut Jacobus ait: **Fides sine operibus mortua est** Jac. 2.; et ipse Paulus: **Si habuero omnem fidem** I Cor. 13., etc. **Per fidem.** AUG., Ench., c. 107. Ipsa est fides Christi quam commendat Apostolus quæ per dilectionem operatur.

‡3.31 **Absit.** Lex enim non destruitur, cum impleta secundum spiritum, cessat secundum litteram. **Statuimus.** Quia ostendimus completum quod lex dicit, vel statuimus, id est firmamus, quia hæc gratia fidei est, qua lex impletur, lex quæ sine fide infirma esset. Legis enim status firmatur, quia mystica et cæremonialia spiritualiter implentur, et quod minus in moralibus pertinebat, in Evangelio additur. et quod lex venturum promittebat, fides Evangelii advenisse testatur. Mystica ergo et pro mitentia, in Evangelio impleta sunt secundum spiritualem intelligentiam, littera autem occidens tollitur.

¶4.1 **Secundum carnem.** Id est ex operibus legis. Quasi dicat: Dicemus quod fuit justus ex eis? non, quia si ex carnali observatione est justus, habet gloriam æternam quæ ex justitia sequitur: sed a se habet eam, non a Deo. Vel, hæc justificatio est in opinione hominum, et non apud Deum. Ad Deum autem habet gloriam: non ergo ex operibus justificatus est. Si ergo non ex operibus justificatus est, unde justificatus est? Sequitur et dicit unde, etc.

§4.3 **Credidit.** Credere, sufficiens causa fuit ei justitiæ, et est aliis, sed tamen qui habet tempus operandi, ei non dabitur merces secundum gratiam tantum, sed secundum debitum operationis suæ; sed ei qui non habet tempus operandi, si credit, sola fides sufficit ad justitiam, et ita ad salutem secundum gratiam propositam omnibus, vel secundum quod Deus legem ante posuit.

4.4 **Ei autem, etc. Quasi dicat: Abraham est justus ex fide: sed ei qui operatur illa carnalia, vel aliqua bona ut gratiam mereatur, si merces est ei, non est ex gratia, sed ex meriti sui debito. Illi vero qui non facit hæc carnalia vel aliqua bona, sed tantum credit, fides sufficit ad justitiam, et ita attribuit aliis quod dixit Abraham, scilicet quod si est justus ex operibus, habet gloriam, sed non apud Deum, et ideo ex fide. **Secundum gratiam.** Si gratia est, gratis datur seu gratis constat. Nihil boni fecisti, et datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua et inveniuntur omnia mala. **Sed secundum debitum.** AUG. Non tibi blandiaris de meritis, etc., usque ad ipsius dono et largitione faciamus.

impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei.†† 6 Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus: 7 [Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.‡‡ 8 Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.] 9 Beatitudo ergo hæc in circumcissione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam.¶¶ 10 Quomodo ergo reputata est? in circumcissione, an in præputio? Non in circumcissione, sed in præputio.§§ 11 Et signum accepit circumcissionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio: ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam: 12 et sit pater circumcissionis non iis tantum, qui sunt ex circumcissione, sed et iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. 13 Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus ut hæres esset mundi: sed per justitiam fidei.* 14 Si enim qui ex lege, hæredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio.† 15 Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex,

††4.5 **Credenti autem**, etc. Non dicit ei. Credit enim illi qui credit vera esse quæ ille loquitur, quod et mali faciunt. Credere illum est credere quod ille sit Deus, quod et diaboli faciunt. Sed credere in eum, est illum credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari. **Secundum propositum**. Quasi dicat: Sine operibus præcedentibus justificatur impius, et hoc secundum propositum gratiæ Dei, id est, secundum gratiam Dei propositam omnibus credentibus, vel secundum quod Deus longe ante posuit.

‡‡4.7 **Remissæ**. Remittere, tegere, non imputare, ejusdem rationis et sensus sunt verba. **Iniquitates**. Intelligitur per iniquitates originale peccatum, scilicet fomes peccati, qui dicitur concupiscentia vel concupiscibilitas, sive lex membrorum, sive languor naturæ et aliis nominibus. Et illa ante baptismum culpa est et pœna, post baptismum autem pœna est et non culpa, quæ parvulum habilem concupiscere, sed, non concupiscere, facit: adultum vero etiam concupiscere, quæ quidem in baptismo remittitur et transit secundum reatum, sed remanet secundum actum. Originale autem dicitur, quia ex vitiosa originis nostræ conditione trahitur, et quia ex vitiosa lege concipiendi ex peccato primi hominis accidenti concepti sumus, id est, carnis concupiscentia, ideo peccati rei sumus quod originale dicitur. **Tecta sunt peccata**. AUG. Non sic intelligatis quod dixit: peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant. Tecta ergo dixit, ut non viderentur, Dei autem videre peccatum, punire est.

¶¶4.9 **In circumcissione**, id est, tempore circumcissionis reputata est fides Abrahæ ad justitiam.

§§4.10 **Sed in præputio**, id est, tempore præputii.

*4.13 **Non enim per legem promissio**. Promissiones aliæ sunt factæ Christo quam Abrahæ. Abrahæ enim factæ sunt ita, ut qui eum ita imitarentur, a Christo benedicerentur, Christo autem non sic, sed ita ut non tantum esset exemplar et forma institutionis morum et operum, sed quod benediceret benedictione æterna imitantibus eum. **Semini ejus**. Id est credentibus omnibus qui sunt semen Abrahæ, non carne, sed imitatione. Vel Christo cui facta dicitur promissio, quia in eo implenda erat.

†4.14 **Si enim**, etc. Quasi dicat: Vere Abraham non est hæres mundi per legem: quia filii ejus per legem, non sunt ii qui filii dicuntur hæredes, scilicet quod ipse habet possidentes. Nam si hoc esset, hæc inconvenientia inde sequerentur: Quod fides esset frustrata, qua constat justum fuisse Abraham, quod promissio esset abolita, id est inexpleta, ut nulli sint hæredes: lex enim nullos facit hæredes, nam potius iram operatur, ita prævaricationem; nam ex ea est prævaricatio, quia sine ea non est. Ideo quia si ex lege ista sequerentur: tunc ex fide sunt hæredes, et sic est firma promissio.

nec prævaricatio.[‡] ¹⁶ Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum[¶] ¹⁷ (sicut scriptum est: Quia patrem multarum gentium posui te) ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt: ¹⁸ qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium secundum quod dictum est ei: Sic erit semen tuum.[§] ¹⁹ Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum mortuum, cum jam fere centum esset annorum, et mortuam vulvam Saræ.^{**} ²⁰ In repositione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo:^{††} ²¹ plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est et facere. ²² Ideo et reputatum est illi ad justitiam. ²³ Non est autem scriptum tantum propter ipsum quia reputatum est illi ad justitiam: ²⁴ sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis,^{‡‡} ²⁵ qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.^{¶¶}

[‡]4.15 *Lex iram operatur.* Ut reos faceret delinquentes, non efficiendi causa, sed non adjuvante gratia, vel reos faceret temporalibus pœnis iram operaretur, quia prævaricationem, quod qualiter sit, aperit, dicens: *Ubi enim,* etc. ORIG. Ostendit quod prævaricatio esse non possit nisi lex fuerit; non tamen si lex sit, omni genere prævaricatio erit: potest enim fieri ut sit lex, et prævaricatio non sit, at non e converso. *Nec prævaricatio.* Non ait: Non est iniquitas. Omnis enim legem præteriens iniquus, sed non e contra. Qui enim legem non acceperunt, iniqui dici possunt, prævaricatores autem dici non possunt.

[¶]4.16 *Non ei qui ex lege.* Quia hic talis a gratia excidit, et ideo causa fidei a lege recedendum est, ut firma sit promissio: lex enim sine gratia promissionis non solum non aufert, verum etiam auget peccatum.

[§]4.18 *Qui contra spem.* Incipit commendare fidem Abrahæ, ut imitemur eum qui per fidem justitiam et talem promissionem accepit. *Sic erit semen,* etc. Sciendum quoniam Abraham Deum prius trinum et unum cognovit, et per hoc fidei meritum, omnium peccatorum remissionem adeptus est. Post justitiam vero, ut multarum pater fieret gentium, a Deo promissionem accepit. Deinde facta fuit sibi rursus promissio quod ita fieret semen suum sicut stellæ, etc.

^{**}4.19 *Non est infirmatus.* Aliqui ratione mundi inflati, Deum neglexerunt: ideo quæ mundo sunt impossibilia, Deus fecit, ut per hæc credentes, salvarentur.

^{††}4.20 *In repositione.* Isaac contra naturam humanæ generationis promissus, in signum fuit Dei Filium contra humanam naturam nasciturum ex homine: filiosque hominum per spiritum regenerationis ex peccatoribus filios Dei, ex mortalibus immortales generandos.

^{‡‡}4.24 *In eum qui suscitavit Jesum,* etc. Sermonem de Domino apte aggressus est, et ait, non propter peccata sua mortuus est, nam hoc modo non debuisset resurgere, sicuti neque quispiam ante illum, sed propter peccata nostra, ut nos ab eis liberaret. Quemadmodum et Abraham ac Saræ matricem senectute ac sterilitate jam mortuos vitæ restituit, filiorumque procreationi.

^{¶¶}4.25 *Qui traditus.* Mors Christi sola interitum veteris vitæ signat, et in sola resurrectione nova vita significatur, quæ a justificatione incipit, et in immortalitate perficietur.

5 Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum:^{§§ 2} per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.^{* 3} Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur:^{† 4} patientia autem probationem, probatio vero spem,⁵ spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.^{‡ 6} Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus, pro impiis mortuus est?^{¶ 7} vix enim pro justo quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.^{§ 8} Commendat autem caritatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus,^{** 9} Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc

§§5.1 *Ex fide.* Superius dixit, justificati gratis per gratiam, ne ipsa fides superba sit. Non dicat fidelis: ut merear justificationem, habeo fidem: respondetur enim ei: quid habes quod non accepisti? *Pacem habeamus*, qui ei reconciliati per ministrum gratiæ Christum.

†5.2 *Per quem.* Enumerat beneficia quæ a Christo habentur.

†5.3 *Tribulatio.* Quod tribulatio non tollit patientiam, facit caritas quæ est proprium donum Spiritus sancti. *Spem.* Id est certitudinem gloriæ futuræ, quæ humanæ rationi vana videtur: sed testimonio virtutis, id est patientiæ vel miraculorum, firmatur.

‡5.5 *Spes autem.* Quia est in Deo qui non fallit, non in homine mendace, cujus spei pignus est Spiritus: legitur enim: *Fons aquæ tuæ sit tibi proprius, et nemo alienus communicet tibi* Eccli. 5.; ipse est Spiritus, quem non possunt accipere mali, et caritas est, quam habere et malus esse non potest aliquis. Sed nomen Christi habere et baptismum, corpus Domini sumere, et cætera sacramenta habere, et malus esse potest. Caritas ergo est proprium donum Spiritus, et singularis fons. *Charitas Dei.* Vel Deus late nos diligit: et hoc habemus in cordibus nostris per Spiritum qui facit nos intelligere charitatem Dei erga nos.

¶5.6 *Ut quid enim.* Cum Deus nos diligit, vel nos eum per Spiritum, spes implebitur: quia nisi ita sit, frustra est passus Christus. Et hoc est cur Christus pro impiis, id est pro dilectione impiorum vel pro vice eorum, pro impiis, non qui olim fuissent, et non tunc, sed cum essemus infirmi in peccatis. *Secundum tempus,* id est, per triduum tantum, ne desperes de ejus potentia cujus apparet in morte benevolentia: a quo tales arrhas accipimus, quod donavit impiis mortem suam, qui servat justis vitam suam. Mortuus est pro te, o homo mortalis, ut vivas cum illo. Suscepit mortem nostram, ut donaret nobis vitam suam: accepit ex te, unde moreretur pro te. Induit se, ubi pro te moreretur: induet te, ubi cum illo vivas. Induit se carne mortali in virginitate matris: induet te vita perenni in æqualitate Patris.

§5.7 *Vix.* Dicit, *pro justo.* Forsitan pro bono: ostendit utrumque difficile et raram, sed alterum difficilium et rarius. *Pro justo,* etc. Justus pro exercitio, qui et bonus; sed est et bonus qui non justus, id est qui natus est in simplicitate: innocens qui nondum laboravit, ut amplificaret se bonis, ut sunt parvuli in baptismo mundati; et licet justus melior, causa tamen innocentiae miserabilior quam justitiæ, quia non est hujusmodi justitia sine severitate.

**5.8 *Cum adhuc.* Ecce dum oderat secundum peccata, amabat secundum quod opus ejus: quod et fecit ante mundi constitutionem. Dicendum erat quantum nos dilexit, ne desperaremus; et quales, ne superbiremus. Fuit et alius modus possibilis Deo qui omnia potest, sed nullus nostræ miseræ sanandæ convenientior. Quid enim nos tantum erigit, et a desperatione immortalitatis liberat, quam quod tanti nos fecit, ut homo pro nobis moreretur?

justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.††¹⁰ Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.‡‡¹¹ Non solum autem: sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.¹² Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.¶¶¹³ Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.§§¹⁴ Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.*¹⁵ Sed non

††5.9 **Multo igitur.** Gravius est pro peccato mori et peccatum tollere, quam jam justos etiam cooperantes salvare. **In sanguine.** Quia sic superatur justitia diabolus, non potentia. Justitia, quia immeritum, scilicet Christum diabolus occidit: unde et alios jure perdit. Non potentia, quia diabolus amator potentiae, deserit justitiam est, in quo homines magis eum imitantur. Placuit igitur Deo ut non potentia, sed justitia vincens hominem erueret, in quo homo eum imitaretur: postea vero in resurrectione secuta est potentia, quia revixit mortuus, nunquam postea moriturus.

‡‡5.10 **Inimici essemus.** Non quoquomodo peccatores. **Reconciliati sumus.** Quia prius juste eramus sub potestate diaboli natura depravata peccato.

¶¶5.12 **Propterea.** Dixit per Christum esse justitiam et vitam. Et quod possit esse per eum, per similitudinem in minori probare intendit. **Per unum.** Adam scilicet non unam Evam dixit Apostolus: consuetudinem tenens, dum successionem posteritatis humanæ (quæ peccato et morti ex eo venienti succumbit) non mulieri, sed viro attribuit. Non enim ex muliere posteritas, sed ex viro nominari solet. Vel, quia mulier de viro est, et utriusque una caro. Sive ergo ab Eva, sive ab Adam dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet: et per hoc Apostolus peccatum originale propagationis intelligi voluit cujus princeps Adam, non imitationis, cujus princeps diabolus; unde: **Invidia diaboli mors intravit in hunc mundum. In omnes homines.** Quia etiam ante legem, cum non ita videretur lege non docente; imputa batur quidem peccatum apud homines, sed non apud Deum ut putabant peccatores apud quem putabatur impune futurum, cum nesciretur judicaturus: sed ubi lex data est, noverunt Deum curare humana et judicare. Ante non imputabatur, sed regnavit mors secure, possidente homines diabolo pro impunitate credita usque ad Moysen per quem rediit cognitio unius Dei. Regnavit ergo mors (ut habet alia littera), non tamen in omnes, sed in similes prævaricatori Adæ, qui, neglecto Deo, creaturæ servierunt, sicut ille loco Dei, diabolo consensit. Tales erant fere omnes usque ad legem. Perpauci, ut Abraham, uni Deo servierunt, et in eos non regnavit mors, imo sub spe servati sunt in adventu Christi liberandi.

§§5.13 **Usque ad legem,** etc. Id est quia nec lex potuit auferre peccatum, sed auxit, sive naturalis, sive scripta: sed non imputabatur, id est ignorabatur: regnavit tamen usque ad Moysen, id est legem: quia nec ipsa potuit regnum mortis auferre, quæ regnat dum non sinit reatus peccati ad vitam æternam venire, sed ad gehennam trahit. Hoc regnum sola gratia Christi destruxit etiam in antiquis: præter quos in omnes regnavit: etiam in eos qui non sua propria voluntate peccaverunt, sicut Adam, sed originali vitio tenebantur ut pueri.

*5.14 **Sed regnavit.** Non imputabatur, sed effectus indicabat, quia mors corporalis regnavit quotidie per aliquas passiones, tandem dissolvendo usque ad Moysen, cum minus videretur. **Qui est forma.** Adam est forma Christi: quia sicut ille est pater omnium secundum carnem, sic Christus secundum fidem; et sicut ex latere illius formata est Eva, sic ex hujus latere profluxerunt sacramenta, per quæ salvatur Ecclesia. Ideoque sicut ille communicare potuit filiis suis peccatum et mortem, sic iste suis justitiam suam et vitam, et etiam iste plus boni suis confert, quam ille mali: et ideo magis potest salvare quam ille perdere.

sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.[†] 16 Et non sicut per unum peccatum, ita et donum. Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem. 17 Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.[‡] 18 Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.[¶] 19 Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi.[§] 20 Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia:^{**} 21 ut sicut regnavit peccatum in mortem: ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.^{††}

[†]5.15 *Sed non sicut*, etc. Forma est in hoc, quod unus emendat, unus peccavit, sed causa Adæ non talis est qualis Christi: quia unum est delictum Adæ, quo multi, id est similiter prævaricantes mortui sunt, sed Christi gratia in plures: quia et in hos, et in non similiter prævaricantes.

[‡]5.17 *Si enim*. AMBR. Mors regnavit, non regnat, quia qui per legem, etc., usque ad non enim generalis damnatio vel justificatio in omnibus. *Per unum regnavit*, etc. Quia quas vires in illo habuit, in omnes posteriores exercuit, quorum materia fuit: sicut et culpa, quæ ejus solius fuit; in omnes transfusa est. *Multo magis*, etc. Quia æternaliter, cum in eis regnaverit mors temporaliter et cum fine.

[¶]5.18 *Per unius justitiam*, etc. Non quod omnes geniti ab Adam regenerentur per Christum, sed sicut nullius carnalis generatio est nisi per Adam, sic spiritualis nullius nisi per Christum. Si qui essent præter Adam generati, et si qui præter Christum regenerati, non diceret *omnes* et *omnes*. Sicut autem nullus homo præter illam generationem, sic nullus justus præter istam. Eisdem post dicit *multos*.

[§]5.19 *Sicut enim*, etc. Determinat delictum unius et justitiam unius, ut sicut ille merito peccati perdidit, ita iste merito justitiæ nos liberasse videatur. *Ita et per unius*, etc. Hominis ait, non, Dei vel Verbi fidem, ne putes antiquos justos in solo Verbo Dei, id est solius Verbi fide sine fide incarnationis liberari.

^{**}5.20 *Lex autem*, etc. Ostenderat Christum dimittere omnia peccata tam originalia quam actualia: hic addit quod et a peccato legis liberat, id est prævaricatione, ut Judæi Christo magis sint obnoxii; quasi dicat: Prima est justificatio, lex autem latenter intravit. AMBR. Dicit hic Apostolus quid provenerit data lege, etc., usque ad Deum omnia dimisit. *Lex autem subintravit*. Natis in peccatis datur lex ad domandam superbiam quasi: Non deest qui jubeat, sed deest qui impleat, quia in peccato natus implere non potest: ideo natus est Christus, id est gratia quæ sanaret. *Ut abundaret delictum*. Ut scilicet qui in sordibus erat prævaricando magis sordesceret, ut mediocris pædagogum haberet, perfectus signum, et durus sentiret flagellum. *Superabundavit*. Quia et gratia Christi etiam his proficit quos diabolus vincere non potuit: et quia peccatum ad tempus regnavit, gratia in æternum.

^{††}5.21 *Sicut regnavit peccatum in mortem*. Non addit, per unum vel per Adam: quia non de illo solum agit quod ex Adam traxerunt homines, sed et de eo quod sua voluntate addiderunt. Sed cum dicit: *Gratia regnet*, addit, *per Jesum Christum*, etc., quia per eum non tantum originalis, sed et voluntariorum fit remissio peccatorum.

6 Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato ut gratia abundet?^{‡‡} ² Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?^{¶¶} ³ an ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?^{§§} ⁴ Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* ⁵ Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul et resurrectionis erimus. ⁶ Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, et ultra non serviamus peccato.[†] ⁷ Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. ⁸ Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo, ⁹ scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur:

^{‡‡}6.1 *Permanebimus.* Hoc perversi accipiunt ex illo: *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Hoc dicere est esse ingratos gratiæ. Et quia gratia viget, ubi delictum abundavit, non est permanendum in peccato, ut quidam æstimant pro majori gratia. Non enim peccantis merito, sed subvenientis auxilio superabundavit gratia, ubi abundavit delictum. Non ergo permanendum in peccato, sed potius debemus et possumus esse peccato quasi mortui et sepulti per ipsam gratiam et resurgere in justitiam, et post, in vitam æternam.

^{¶¶}6.2 *Mortui sumus.* Id est liberati a peccato per baptismum, ut jam non dominetur in nobis per gratiam. Mori enim peccato, est liberari a peccato. *Quomodo adhuc,* etc. Cum enim hoc præstiterit gratia, ut moreremur peccato, quid aliud facimus si vivimus in eo, nisi ut gratiæ simus ingrati?

^{§§}6.3 *An ignoratis.* Mortui peccato quod fit in baptismo, non debemus ei iterum vivere, ut iterum mori sit ei necesse: quia in morte Christi, id est, in similitudine mortis Christi ut sicut semel mortuus est carne, et semper vivit, ita nos semel mortui malo per baptismum, semper vivamus bono. Vel *in morte* dicit: quia mors est causa hujus purificationis.

^{*}6.4 *Consepulti.* Quidquid gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione, in ascensione, in sedere ad dextram, ita gestum est, ut his rebus mystice non tantum dictis, sed etiam gestis configuretur vita Christiana. Attende singula Christi, qui vixerat vetus homo secundum pœnam, famem, sitim et hujusmodi, non secundum culpam: hoc modo vetustatem finivit et disposuit, ut dolorem crucis sustinens, sic haberet membra distenta et fixa, ne ad priores actus moverentur, a quibus etiam sepultus quievit, humanis substractis aspectibus, exigens a nobis, ut vetustatem peccatorum cum dolore et gemitu pœnitentiæ deponamus: membra per continentiam et justitiam confixa sint, ne ad priora mala redeamus, a quibus ita perfecte quiescimus, ut nec eorum visio, nec memoria habeatur: et non solum hoc a nobis exigit in sacramento passionis, sed et eum si volumus imitari, efficit. *Surrexit a mortuis.* Mors et resurrectio Christi etiam sacramenta sunt.

[†]6.6 *Vetus homo.* Id est, veteres actus sunt crucifixi, id est, mortui. Vetustas nostra et maledictio in duobus consistit, scilicet, in culpa et pœna. Christus autem sua simpla vetustate nostram duplam consumpsit. In sepulcro enim uno die et duobus noctibus quievit. Per unum diem simpla ejus vetustas signatur, per duas vero noctes gemina nostra; unde: Culpam nostram Christus delevit præsentem, præteritam, et futuram. Præteritam remittendo, præsentem ab ea retrahendo, futuram ut vitaremus gratiam conferendo. Pœnam quoque similiter consumpsit, gehennalem prorsus delendo, ut eam vere pœnitentes non sentiant. Temporalem vero non penitus quidem tulit: manet enim fames, sitis, mors et hujusmodi; sed regnum et dominium ejus dejecit, et in novissimo penitus exterminabit.

mors illi ultra non dominabitur.‡¹⁰ Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.¶¹¹ Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.§¹² Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ut obediatis concupiscentiis ejus.**¹³ Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes: et membra vestra arma justitiæ Deo.¹⁴ Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia.¹⁵ Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.††¹⁶ Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam?‡‡¹⁷ Gratias autem Deo quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis.¶¶¹⁸ Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ.¹⁹ Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in

‡6.9 *Scientes quod Christus.* AUG. Unus resurrexit jam non moriturus. Resurrexit Lazarus, sed moriturus; resurrexit filia archisynagogi, sed moritura; resurrexit filius viduæ, sed moriturus: resurrexit Christus non moriturus. Audi Apostolum, *Christus resurgens*, etc. Talem spera resurrectionem, et propter hoc esto Christianus, non propter felicitatem terræ hujus.

¶6.10 *Quod enim mortuus est peccato.* AUG. Sacramentum baptismatis Apostolus commendat, ut quomodo ille semel moriendo similitudine peccati mortuus prædicatur, ita quicumque fuerit in illo baptizatus, eidem rei, cujus illa fuit similitudo, moriatur, id est, peccato; et vivat a lavacro renascendo, sicut ille a sepulcro resurgendo.

§6.11 *Ita et vos.* Quidquid supra dixit esse hominibus per gratiam Christi, hic Romanis attribuit.

**6.12 *Non ergo.* Quia supra dixit nos mortuos esse peccatis, et non debere vivere in eo, cum nemo sine peccato: determinat a quibus maxime est cavendum, quasi concludat quod supra quærebatur: Permanebimus in peccato. *Obediatis concupiscentiis.* Concupiscentia aliquando nomen est fomitis, scilicet vitii innati; aliquando actus interioris, qui est etiam in primo motu, qui dicitur propassio, et in secundo qui dicitur delectatio, et in tertio qui dicitur consensus. Hic non prohibet concupiscentiam, quæ est in primo motu, quia non est in potestate nostra quando surgat: sed Dei gratia compescere possumus, ne usque ad delectationem et consensum perve niat, quod prohibet.

††6.15 *Quid ergo?* Quia lex a Deo, peccat qui eam dimittit pro gratia. *Quid ergo? Peccabimus.* Quia non sub lege, quæ terret, sed sub gratia, quæ bene promittit? quid ergo? peccabimus? Hoc quidam, qui legem quasi cohærentem vel cœrcentem prædicant, et tenendam.

‡‡6.16 *An nescitis quoniam,* etc. Ne Deum profitentes verbis, facti simus diaboli, præmonet nos esse servos ejus cujus voluntatem facimus.

¶¶6.17 *Gratias autem Deo,* etc. Et eorum mutationem ostendit, et quam sit ei hoc gratum aperuit, Deo hymnum offerens. Eratis enim, inquit, servi peccati: vestra autem sponte liberaque animi voluntate illius dominium excussistis, et spiritualem doctrinam amplexati estis. *Formam doctrinæ.* Nostra doctrina est forma, quæ imaginem Dei deformatam restituit.

sanctificationem.^{§§ 20} Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.*²¹ Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est.^{† 22} Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.^{‡ 23} Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.

7 An ignoratis, fratres (scientibus enim legem loquor), quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit?^{¶ 2} Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri.^{§ 3} Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus,

^{§§6.19} **Humanum**, etc. Hactenus ostendit Apostolus non esse peccandum. Hic dicit quid deinceps sit agendum ut scilicet serviatur iustitiæ, de qua nullus est qui possit se excusare, quia nullus est qui non possit bene operari, saltem voluntate: quod idem est per gratiam. **Sicut enim exhibuistis**, etc. AUG. Si non plus, vel quantum tunc, ne fides quasi aspera et importabilis fugeretur. Sicut tunc nullus timor cœgit, sed libido voluptasque peccati duxit, sic modo delectatio iustitiæ adultæ, etsi nondum perfecta; unde dixit: **Humanum. Ita nunc**. Quia plus etiam deberet amari iustitia, quam tunc fuit iniquitas, ut pro iustitia toleret homo dolores, et contemnat omnia, etiam mortem.

^{*6.20} **Liberi**. Libertas servi est, quando eum peccare delectat, quod est ex libero arbitrio. Liberaliter servit, qui voluntatem Domini libenter facit; sic et iustitiæ libere servit, qui amat, qui lætatur.

^{†6.21} **Quem ergo fructum**. Hæc rememoratio facit priora abhorrere, et magis obnoxios gratiæ. **Erubescitis**. Est enim quædam temporalis confusio, scilicet, perturbatio animi respicientis peccata sua, et respectione horrentis, et horrore erubescens, et erubescendo corrigentis. **Finis illorum**, etc. Quia mors est digna retributio pro peccato: sed vita æterna, quæ est finis justorum, sola gratia datur per Christum, quia et merita ex gratia, et reddetur gratia pro gratia.

^{‡6.22} **Nunc vero liberati**. AUG. Liberos dixit iustitiæ, non liberatos: nunc a peccato non liberos, ne sibi hoc tribuant, sed dicit proinde liberatos, ad sententiam Domini: **Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis** Joan. 8.. **Stipendia**. Merito stipendium, quia militiæ diabolicæ mors æterna tanquam debitum redditur. Cui redderet coronam justus Judex, si non donasset gratiam misericors Pater? quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratia gratuito donaretur? AUG. Cum genus humanum peccata longe separaverint a Deo, per mediatorem, qui solus sine peccato natus est, vixit et occisus est, reconciliari nos oportebat, ut et humana superbia per humilitatem Dei argueretur ac sanaretur, et demonstraretur homini quam longe a Deo recesserat, etc.

^{¶7.1} **An ignoratis**. Hactenus de vi gratiæ: nunc, quod lex ultra non est tenenda, et agit de fine legis, et priori ejus inutilitate: non ergo mirentur Romani quia Apostolus dicit: **Non estis sub lege, sed sub gratia**: supra dicebatur non justificare, hic debere cessare; quia data usque ad Christum. Ordo: An ignoratis hoc scilicet: quia lex naturalis in homine dominatur quanto tempore vivit, quod non debetis ignorare; quia legem scitis, et ego loquor scientibus legem? in qua quod dico manifestatur, si spiritualiter intelligatur, vel lex Moysi dominatur in homine, ut ei obediat; quia et vos scitis legem Moysi, **scientibus enim**, etc. Et sic dupliciter potest legi littera, vel de lege naturali, vel de lege Mosaica. **Vivit**. Mortua enim dicitur lex, cum cessat ejus auctoritas.

^{§7.2} **Nam quæ sub viro**. Ut firmet animos eorum, exemplo humanæ legis utitur. Sciunt legem Romani, quia non sunt Barbari, sed naturalem justitiam comprehenderunt, partim ex Græcis, sicut Græci et Hebræi.

liberata est a lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.** 4 Itaque fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi: ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo.†† 5 Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.‡‡ 6 Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ.¶¶ 7 Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.§§ 8 Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.* 9 Ego autem vivebam sine lege aliquando: sed cum venis-

**7.3 *Igitur vivente marito*, etc. Si servans legem mortuam, vult esse fidei, adulter est in utroque, nec prodest ei Christus. *Si autem mortuus fuerit vir*. Sic finita lege non prævaricatur, qui ad Christum transit dimissis figuris.

††7.4 *Per corpus Christi*. Quia Christus fuit impletio et veritas: legalia vero figura et umbra Christi fuerunt, et eorum quæ in Christo impleta sunt.

‡‡7.5 *Cum enim essemus*. Hic quatuor actus hominis ponit, ante legem, sub lege, sub gratia: deinde in alia vita ubi nullum bellum.

¶¶7.6 *Nunc autem*, etc. AUG. In præcedenti similitudine tria sunt: vir, etc., usque ad quod eum non vincant. *A lege mortis*. Aucta est enim concupiscentia cum lex prohiberet ubi non erat fides, et ad cumulum peccatorum, prævaricationis crimen adjectum est; quia ubi non est lex, nec prævaricatio. *In novitate spiritus*. Operibus novi hominis, quæ non nostris viribus vel lege attingimus, sed gratia, scilicet spiritus in quibus sic est immorandum, ut nihil addatur de legis operibus, quæ vetusta sunt.

§§7.7 *Quid ergo dicemus*. Quandoquidem lex mortis est et auxit vires peccati, detinens a bona operatione; videtur ergo lex peccatum, id est docens peccare, vel talis pro qua donata peccavit auctor ejus, quasi malæ rei. Non, sed potius bonum est: peccatum fecit agnoscere, quia prius nesciebantur quædam vel esse peccata, vel adeo esse gravia, vel esse punienda. *Absit. Sed peccatum*. Ostendit legem non esse peccatum, sed indicem peccati: ut sic anima reatus sollicitudine ad percipiendam gratiam converteretur. AUG. *Absit*. Uno verbo legem absolvit, etc., usque ad magna est Apostoli defendentis auctoritas. THEOD. Illud autem, *Non cognovi*, et *Nesciebam*, non hic ignorationem omnino significant, sed hoc dicit: Naturalis discretionis exactionem cepi cognitionem per legem. *Nam concupiscentiam*. Hoc legit Apostolus generale, unde omnia. Bona lex, quæ dum hoc prohibet, omnia prohibet. *Concupiscentiam*. Aliqui generalem intelligunt. Alii illam de qua in Decalogo: *Non concupisces rem proximi tui vel uxorem* Exod. 20.. Generalem, quia ex ea omne malum. *Nesciebam*. In sua persona generalem agit causam.

*7.8 *Occasione autem accepta*. Quia talis est nostra carnalitas, ut ardentius desideret prohibita: quibus non memoratis, jaceret quasi sopita. Et diabolus videns legem in auxilium hominibus datam, magis exarsit et magis institit, ut eam verteret illis in perniciem, cum prius quasi secure possidens minus tentaret, vel occasione accepta in ipsis rebus, ut visa muliere vel auro. AUG. Minor erat concupiscentia quando ante legem securus peccabas, etc., usque ad omnis est, quando transcendit legem. AMBR. *Omnem concupiscentiam*, dicens, cuncta peccata signat. Erat enim ante peccatum, sed non omne, quando crimen prævaricationis adhuc deerat. Sed omne peccatum modo accessit, quia etiam prævaricatio. AUG. Aucta est enim concupiscentia ex prohibitione legis, quando adhuc gratia deerat liberantis.

set mandatum, peccatum revixit.† ¹⁰ Ego autem mortuus sum: et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.‡ ¹¹ Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit. ¹² Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.¶ ¹³ Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.§ ¹⁴ Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.**
¹⁵ Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. ¹⁶ Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam

†7.9 **Ego autem vivebam.** Patet: quia non ex sua, sed ex persona hominis generaliter loquitur. **Ego autem vivebam.** Nota duos homines in eodem, interiorem et exteriorem, id est rationem et fomitem, qui est in carne. Interiorem dicit consentire legi, et ejus testimonio bonam esse legem approbat. Exteriorem vero contra interiorem et contra legem repugnare et captivare et per legem majorem potestatem peccandi habere. **Sed cum venisset,** etc. Hic secundus actus sub lege. Id est: Hic loquitur Apostolus in statu hominis positi sub lege. **Revixit.** Cœpit apparere et rebellare. **Revixit,** ait, non vixit. Vixerat enim aliquando in paradiso, quando contra præceptum datum satis apparebat admissum. Sed cum homines nati peccatores sine mandato viverent, tanquam mortuum latebat sine cognitione, quia sine cohibitione: sed data lege, in notitia hominis revixit, quod in notitia primi hominis aliquando vixerat.

‡7.10 **Inventum.** Ante erat sibi ignoratus peccator, sed modo factus manifestus sibi prævaricator. **Nam.** Quasi dicat: Quomodo mihi datum est ad mortem? Quia per illud seductus falsa dulcedine. **Occasione accepta,** etc. Quod concupiscitur, fit dulcius dum vetatur, et sic fallit peccatum per mandatum. Ex prohibitione, namque ubi charitas deficit desiderium mali crescit: quo acto dulcius fit quod prohibetur, et ita fallit falsa dulcedine. Fallax enim dulcedo est, quam plures atque majores pœnarum amaritudines sequuntur. **Seduxit.** A bono ad malum traxit, et per hoc ad æternam damnationem perduxit. **Occidit.** AUG. Gladio tuo quem portabas, etc., usque ad esto ergo humilis et poteris vincere.

¶7.12 **Itaque lex quidem.** Ipsa est sancta, sane docens. **Et mandatum,** id est quod per eam præcipitur. **Sanctum,** in se. **Et justum,** id est justificans peccatorem. **Et bonum.** Id est utile, acquires vitam. Et cum constet mihi quod lex bona, et tamen ex ea mihi mors, ut supra dictum est, ergo quod bonum est, factum est mors, id est datur mihi a Deo, ita ut sit efficiens causa mortis? Non: sed fomes est efficiens, qui bonam rem vertit in malum.

§7.13 **Ut appareat peccatum.** Non dico, ut sit, quia etiam erat, quando non apparebat, ut supra. Concupiscentiam nesciebam. Non dixit, Non habebam. **Per bonum.** Legem. Non utique efficientem peccatum, sed potius demonstrantem et prohibentem illud. **Ut fiat supra modum.** Quia per legem non defecit, sed magis solitis cupiditatibus crevit.

7.14 **Ego autem. Hucusque legem excusavit, quod non debet refundi in eam culpa; hic dicit, quod nec in principalem naturam, id est rationem, secundum hic quod a Deo habet; et ita non in Creatorem, sed in homines, qui ex se vitati sunt, ut pravis motibus resistere nequeant. **Carnalis sum.** Non indecenter hoc etiam de seipso dicit Apostolus, secundum carnem quandiu hic vivit, propter carnis motus. Et hoc bene dicit omnis sanctus. **Venundatus sub peccato.** Et hoc ex culpa primi hominis, qui pro delectatione cibi vetiti, se et omnes alios vendidit. Vel, sub peccato, id est servi peccati sint. Vel unusquisque vendidit se consuetudine propriæ voluntatis.

bona est.†† 17 Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.‡‡ 18 Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio.¶¶ 19 Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. §§ 20 Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.* 21 Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet:† 22 condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem:‡ 23 video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in mem-

††7.16 **Quod enim operor.** Probat, quod servus est peccati: quia quod operor secundum exteriorem dimittendo bona vel faciendo mala, intelligo secundum interiorem non esse operandum. Vere operor quod non intelligo, quia et dimitto bonum quod volo, et facio malum quod nolo. **Non intelligo.** Quia aliud video me per legem scire, et aliud agere. **Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod.** Subjectus peccato, facit quod non vult. **Facio.** Concupisco, non quod post concupiscentiam Apostolus eat, et eum ad mala trahat: luctabatur, non subjugabatur: de se hoc tibi proponit, ne de hoc desperes in te.

‡‡7.17 **Nunc autem.** Jam redemptus: jam accepta gratia Christi qui fuit ante sub peccato venundatus. **Non ego.** Libera est mens, caro captiva. **Habitat,** etsi non consentiendo ei, vivit ex fide. Sunt desideria, sed si non regnant ipse non facit, faceret autem si consentiret. **Sed quod habitat in me.** Quomodo habitat, cum non sit substantia sed privatio boni? Ecce primi hominis corpus corruptum est per peccatum. Ipsaque corruptio per conditionem offensionis manet in corpore, robur tenens divinæ sententiæ datæ in Adam, cujus consortio anima maculatur peccato.

¶¶7.18 **Nam velle.** Velle non: quia velle bonum adjacet mihi, quia juxta carnem jacet et quiescit, impotens surgere ab bonum operandum. Juxta: quia naturale est quodammodo bonum velle per rationem, sed tale est hoc velle, quod semper vi carnis superatur: velle autem Dei carnem superat. **Velle.** Bona sunt quæ jubet lex, adeo ut naturaliter amet, et facere velit, sed deest virtus perficiendi. **Velle.** AUG. Semper bonus vult penitus non concupiscere, sed nunquam hoc perficit in hac vita. **Perficere.** Non ait facere, sed perficere, quia non nihil facit. Agit bonum: quia concupiscentiæ non consentit; sed non perficit ut omnino non concupiscat, sic et hostis agit malum, dum movet desiderium, sed non perficit, quia non pertrahit ad malum.

§§7.19 **Non enim quod volo.** Bonum perficere non invenio, quia nec bonum illud quod volo. A parte a qua minus videretur ostendit, sed econtrario malum, quia etiam illud quod nolo, etc. Vel, non invenio bonum, quia non est ibi. Multi enim stulti non inveniunt bonum in aliqua re, quod tamen est ibi. AUG. Aliud est non concupiscere, aliud post concupiscentias suas non ire. Non concupiscere, omnino perfecti est; post concupiscentias suas non ire, pugnantis est, luctantis est. Ubi fervet pugna, quare desperatur victoria?

*7.20 **Si autem,** etc. Concludit superiorem sententiam: ergo ego non operor illud, scilicet malum, ex quo prior quæstio concluditur, scilicet quod consentit legi Dei. **Sed quod habitat in me peccatum.** Pressus peccato ejus voluntatem facit quod tamen est vitio hominis. Hoc dicit, ut notet de quantis Deus hominem eruit.

†7.21 **Invenio igitur.** Dixerat legem bonam, naturam bonam quæ idem vult et ei consentit: hic adjungit bonam legem bonæ naturæ adjutricem; et tamen exterior homo conjuncta illa duo vincit: ut homo per neutrum posse evadere videns, obnoxius sit gratiæ. **Volenti.** Tantum: quia perficere non possum, quia malum rationi prope est, insidians in carne est quasi ad januas animæ, et aliud cogit facere, quam vult homo et lex.

‡7.22 **Secundum interiorem.** AMB. Quia caro ex Adam traducitur peccatum in se habet, si anima traduceretur, et in ipsa habitaret peccatum: quia anima Adæ peccavit, si vero anima peccatum in se haberet, homo non se cognosceret.

bris meis.[¶] ²⁴ Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?[§] ²⁵ gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei: carne autem, legi peccati.**

8 Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu: qui non secundum carnem ambulant.^{††} ² Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.^{‡‡} ³ Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati et de peccato, damnavit peccatum in carne,^{¶¶} ⁴ ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.^{§§} ⁵ Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt.* ⁶ Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita

[¶]7.23 *Video autem.* AUG. Ad corpus mortis pertinet, ut lex membrorum repugnet legi mentis dum caro adversus spiritum concupiscit. Sed lex peccati non regnat, cum non obeditur desideriis ejus. *Legem in membris.* Recte fomes peccati lex dicitur: quia legitime factum est, ut qui non obedit suo superiori, ei non serviat suum inferius, id est caro. *Captivum.* Ex carne, ex parte: quia mens repugnat, et condelectatur legi Dei. Sic de ipso Apostolo legitur: mens non consentit peccato, mors contendit, mens non consentit. Est in me quiddam mortuum, quiddam vivum: quid inde sperandum?

[§]7.24 *Infelix.* Non in mente, sed in carne. *Quis me liberabit?* Liberabitur cum mortale hoc induet immortalitatem, ubi nulla concupiscentia permanebit.

^{**}7.25 *Igitur ego ipse.* Hic tertius actus in lege spiritus. Sed quia dicit gratia se esse liberatum, ne quis torpeat securus, quasi peccatum non ultra noceat, determinat quomodo sit liberatio si in gratia manserit. Alioquin peccatum iterum occupabit. *Ego ipse.* Ego in carne, ego in mente: non duo, sed unus ex utroque; mente non consentio, carne concupisco.

^{††}8.1 *Nihil igitur nunc.* Etsi ante, non nunc: cum in Christo. *Nihil damnationis.* Quia per gratiam baptismatis et lavacrum regenerationis solutus est et ipse reatus, cum quo eras natus, et quidquid ante commisisti. AUG. Etsi habent desideria carnis quibus non consentiunt, etc., usque ad sed hoc bonum fecit regeneratio.

^{‡‡}8.2 *Lex enim spiritus.* Hic ostendit per quid gratia liberet, scilicet per Spiritum sanctum, quia *lex spiritus.* Est Spiritus sanctus qui docet quid sit agendum, et quid non qui est dator vitæ, et hoc per Christum qui dat Spiritum: et quomodo in Christo exponit.

^{¶¶}8.3 *Nam quod impossibile.* Quomodo in Christo facta sit liberatio, ostendit. *Per carnem.* Per carnalitatem, quæ rebellabat, et audita lege amplius est incitata; sic infirmata est lex litteræ per carnem, et ideo erat ei impossibile liberare a lege peccati et mortis. *Filium suum mittens.* AUG. Non ubi non erat: qui ubique est, etc., usque ad quia visibilis mundo apparuit. *In similitudinem,* etc. Non in carnem peccatricem; quia non eum mater concupiscentia sed gratia concepit. Non peccatrix ergo fuit, quia nec in libidinis concupiscentia concepta, nec peccati causam in se habuit, nec in ea peccavit. In pœna ergo similis nostræ, non in qualitate peccati. *Et de peccato.* ORIG. Hoc est: Per hostiam carnis suæ quam obtulit in ara crucis, damnavit peccatum, et ad nihilum redegit in carne sua. *Damnavit.* Id est destruxit diabolum, id est pro peccato quod facit in carne Christi. Vel peccatum, id est fomitem procedentem de peccato Adæ damnavit, id est debilitavit.

^{§§}8.4 *Ut justificatio.* Ita damnatur peccatum per Christum ut justitia quam lex Moysi promisit consummaretur.

^{*}8.5 *Qui enim secundum carnem.* Ambuens secundum carnem non est justus, quia nec qui est secundum eam. Cur non? quia carnalia pro summis bonis concupiscit, quod repugnat justitiæ.

et pax:† 7 quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.‡ 8 Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. 9 Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.¶ 10 Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem.§ 11 Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.** 12 Ergo fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. 13 Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.†† 14 Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.‡‡ 15 Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore,

†8.6 *Nam prudentia.* Qui hæc quæ carnis sunt sapit, non est justus; nam prudentia carnis mors est. *Vita et pax.* Vita quidem ad id relatum, *affectus carnis mors*; pax autem ad id quod sequitur: *affectus carnis inimicitia est ad Deum.*

‡8.7 *Quoniam sapientia carnis.* Hæc enumerando deterret a carnis obedientia. *Inimica est.* Dum nil putat Deum posse, præter quod in naturis rerum videtur.

¶8.9 *Si tamen.* Ambigue loquitur, quia nondum sunt perfectæ fidei, sed spes est perficiendi. *Spiritus Dei.* Spiritus Christi, quia idem est Spiritus Dei et Spiritus Christi.

§8.10 *Corpus quidem.* Nomine corporis hominem totum significat, sicut Ezechiel econverso nomine animæ, cum inquit: *Anima quæ peccavit*, etc. Et sensus est: Si spiritus Christi in vobis est, licet corpus mortuum, id est homo mortuus fuerit propter peccata, id est in peccatis, spiritus tamen, id est anima quæ fuerat impia, vivit: quia Deo, qui est vita, jungitur, et hoc propter justificationem, id est peccatorum remissionem, quæ est ex Spiritu sancto. *Mortuum*, ait, non mortale. Ante peccatum enim corpus animale, id est mortale fuit, scilicet potens mori. Sed quod non necesse erat mori: modo mortuum dicitur propter peccatum, id est quod est necesse mori. *Propter peccatum* vitandum, reservatur hæc infirmitas, ut exinde peccare magis timeat.

**8.11 *Quod si Spiritus.* AUG. Attende quod Spiritus sanctus, etc., usque ad sicut et generationem Filii quis enarrabit? *Vivificabit et mortalia.* ID. Ecce quartus actus. In prima actione, etc., usque ad quia nos superiorem nobis Deum deserueramus. *Mortalia.* Non mortua, quia in resurrectione cum mortale hoc induet immortalitatem, non solum necessitas moriendi, quam modo habet propter peccatum, sed nec mortalitas, quam habuit corpus animale ante peccatum, remanebit. *Propter inhabitantem.* Evidentissime apparet non tantum Spiritus, sed etiam corporis morte propter peccatum hominem meruisse, et per Spiritum sanctum, utrumque liberatum a Christo.

††8.13 *Si autem Spiritu.* Vel Spiritu sancto vel nostro: quod tamen non est, nisi agente Spiritu sancto.

‡‡8.14 *Aguntur.* Aguntur dicit, non reguntur. Plus est enim agi quam regi: agi enim dicimus aliquem, quasi vix aliquid agentem; regi autem quasi jam aliquid agentem, qui ideo regitur, ut recte agat. Sed aguntur, non quod nihil per se, sed quod, ut aliquid agant, impetu gratiæ impelluntur. AUG., lib. de Correp. et Grat., c. 2. Non se itaque fallant qui dicunt: Ut quid nobis, etc., usque ad accepisse se gaudeant.

sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater).^{¶¶} 16 Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei.^{§§} 17 Si autem filii, et hæredes: hæredes, quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur ut et conglorificemur.* 18 Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 19 Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat.[†] 20 Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe:[‡] 21 quia et ipsa creatura

^{¶¶}8.15 **Non enim accepistis**, etc. Filii esse debetis, non servi, quia non accepistis spiritum servitutis: qui invitos timore pœnæ servire faciat. **Sed accepistis spiritum adoptionis**. Idem est spiritus, sed propter diversa opera dissimiliter appellatur: Spiritus iræ Ægyptiis dicitur, quibus aqua spiritu divisa nocuit. Filius Israël non dicitur iræ, quibus aqua divisa profuit. Spiritus timoris est, his qui per legem, de peccatis et sua infirmitate convicti, gratiam spiritus non intelligebant. Spiritus libertatis ejus opere istis quibus regeneratio in vitam æternam et fides, quæ per dilectionem operatur, impertita est. Unus ergo spiritus qui duos timores facit. Qui et duo genera servorum faciunt. Est enim servus qui et filius, qui timet Dominum et honorat patrem, unde Malachias: **Si Dominus sum, ubi est timor meus? Si pater, ubi est honor meus?** Malach. 1.. Et est servus qui timet pœnam, sed non diligit justitiam. Et quia de timoribus fit mentio, sciendum est præter naturalem timorem, qui omnibus inest, quatuor esse timores, scilicet: mundanum, qui malus est nec a Deo; et servilem, qui bonus est et a Deo, sed non est sufficiens; initialem, qui bonus est et sufficiens; et castum, qui bonus est et perficiens, de quo hic agitur: **Ipse enim generat nos filios Dei. In quo clamamus**. Hoc iterum ex dono Spiritus, quod ita nos facit clamare **Abba**, Hebraice, **pater** Latine. **Abba pater**. Propter sacramentum, utrumque posuit Apostolus. Et in passione dixit Christus, **Abba pater**, quia Ecclesia est de utroque populo, cui compatiens in se ostendit filios ejus (martyres scilicet) non debere desperare, si qua tempore passionis ex humana fragilitate tristitia irrepit.

^{§§}8.16 **Quod sumus filii Dei**. Hoc recognoscere facit Spiritus sanctus, dum in Ecclesia fit remissio peccatorum; quam etsi tota Trinitas faciat, ad Spiritum sanctum tamen intelligitur pertinere, quia communis est Patri et Filio, amborumque unio; per quam fit societas et unitas, qua efficimur unum corpus unici Filii Dei. Unitas enim nos compaginatur, quam facit charitas, quæ non est nisi a Spiritu sancto. Hæc dicuntur, ut amemus unitatem, et timeamus separationem.

*8.17 **Hæredes**. Etsi non decedat Deus, quod dicitur humanis legibus. Vel decedet, ut non videatur per speculum in ænigmate sicut nunc, sed facie ad faciem. Potest etiam dici, quod Christus caput nostrum ad passionem decedens, nobis reliquit pacis ecclesiasticæ possessionem, sicut ipse ait: **Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis** Joan. 14.. Christus etiam est hæreditas nostra. Unde: **Dominus pars hæreditatis meæ** Psal. 15., etc. **Si tamen compatimur**. Mortificare facta carnis, unde vita erit, nemo potest sine molestia, cui necessaria est patientia.

[†]8.19 **Nam exspectatio creaturæ**. Creatura, sunt boni, qui in creatione Dei manent, vel quia sunt causa omnium. Corruptio est vanitas, cui subjecta est creatura. Omnia enim quæ nascuntur infirma et corruptibilia sunt, et per hoc vana: quia statum suum tenere non possunt. AUG. Quod ait, **nam exspectatio**, etc. Sic intelligendum est, ut neque sensum, etc., usque ad laborat et corruptioni subjacet.

[‡]8.20 **Non volens**, etc. Sponte peccavit, sed non sponte fert pœnam, quod subiecitur fallaciæ: sed propter justitiam et clementiam ejus qui et peccatum punit, et sanare intendit.

liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.[¶] 22 Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.[§] 23 Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes: et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri.^{**} 24 Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?^{††} 25 Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam exspectamus. 26 Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.^{‡‡} 27 Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis. 28 Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.^{¶¶} 29 Nam quos præcivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis

[¶]8.21 *Quia et ipsa creatura.* AUG. Modo creatura tantum cum nondum filiorum forma perfecta, etc., usque ad homo enim, signaculo imaginis amisso, remansit tantum creatura. *Liberabitur.* Revelabitur, exspectat revela; subjecit liberabitur. Hæc omnia per Spiritum.

[§]8.22 *Omnis creatura.* AUG. Homo. Omnis creatura est vel corporalis, etc., usque ad etsi non in omnibus hominibus. *Omnis creatura.* AMBR. Omnia elementa cum labore sua explent officia, quod est nostri causa: unde quiescent nobis assumptis; et ideo diligenter nos paremus. *Ingemiscit.* Semper in hoc nova est, quod notatur per inchoativum verbum, et pro desiderio patriæ cœlestis. *Parturit.* Id est dolet. *Usque adhuc.* AUG. Quia etsi aliquis in sinu Abrahæ dolere destitit, tamen adhuc in his qui nondum sunt liberati, omnis creatura ingemiscit.

^{**}8.23 *Non solum,* etc. AUG. Id est, non solum in homine corporis, sed et nos in nobis ipsis præter corpus, exceptis corporis molestiis. *Non solum.* AUG., in expos. propos. in 53. in epist. ad Rom. Non solum ipsa quæ tantummodo creatura dicitur in hominibus, etc., usque ad aut sollicitante molestia. *Primitias spiritus.* Id est, quorum jam spiritus quasi in sacrificium oblatis sunt Deo, et divino charitatis igne succensit. *Adoptionem.* Ut corpus etiam beneficium adoptionis accipiat, et ex omni parte filii Dei sint.

^{††}8.24 *Spe enim.* Ideo dicit ut majus meritum spei videatur et ideo debeat salvare. *Spiritus adjuvat infirmitatem.* AUG. Quia ingemiscimus et petimus liberari, sed ne vel ante tempus vel contrarie petamus, Spiritus adjuvat. Quod oratio impetrat, donum Dei est evidenter, sed et orare est ex gratia.

^{‡‡}8.26 *Inenarrabilibus.* Quommodo enim enarraretur, quando desideratur, quod ignoratur? Non tamen omnino ignoratur. Nam si penitus ignoraretur, non desideraretur. Et rursus si videretur, gemitibus non quæreretur. *Scrutatur.* AMBR. Non quasi quærens quod nesciat cui nihil est occultum, cuique nota est precatio omnium spirituum.

^{¶¶}8.28 *Scimus autem quoniam diligentibus,* etc. Quasi dicat: Non solum hoc facit Spiritus sanctus, sed etiam facit omnia diligentibus se provenire in bonum, prospera vel adversa; talis enim Deus consolatur prosperis, exercet adversis. Prosunt ergo mala quæ fideles pie perferunt, vel ad emendanda sive demenda peccata, vel ad exercendam probandamque justitiam, vel ad demonstrandam hujus vitæ miseriam. Quamvis enim mors carnis de peccato primi hominis originaliter venerit, tamen bonus ejus usus gloriosissimos martyres fecit. Ideoque non solum ipsa, sed et omnia sæculi mala remissis peccatis remanere debuerunt, ut haberet homo cum quibus pro veritate certaret, et unde exercitaretur virtus fidelium. *Secundum propositum.* Quasi dicat: Quod vocati sunt, non aliunde est quam a prædestinatione Dei. Et inde est, quod *omnia cooperantur in bonum:* non ex merito.

fratribus.^{§§ 30} Quos autem prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit. *³¹ Quid ergo dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, qui contra nos?^{† 32} Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?[‡]
³³ Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, ³⁴ quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.[¶] ³⁵ Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?[§] ³⁶ (Sicut scriptum est: [Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.]) ³⁷ Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. ³⁸ Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus,

§§8.29 **Nam quos**, Deus, **prædestinavit**, id est, per appositam gratiam præparavit ut verbo prædicationis crederent: illos **præscivit**, id est longe ante prænovit, **feri conformes Filii**, qui est imago Patris, usquequaque eadem cum Patre. Unde dicitur: **Qui videt me, videt et Patrem** Joan. 14.. **Imaginis**. Ut portemus imaginem cœlestis, sicut portavimus imaginem terreni. Vel **primogenitus**. Quia ante omnem creaturam non factus sed natus est, et quia primus sine peccato natus, et primus impassibilis resurgens, in quo habet fratres.

*8.30 **Vocavit**. Vocatio exterior fit per prædicatores et est communis bonorum et malorum. Interior vero tantum electorum. De exteriori dicitur: **Multi sunt vocati, pauci vero electi**. Vocatione impletur prædestinatio. Vocare, est cognitionem de fide adjuvare vel compungere eum quem faciat audire, et hoc est electorum tantum. **Magnificavit**. Hoc de præscitis, de aliis non, qui etsi ad tempus credant et boni videantur, tamen quia non permanent, non magnificantur. **Magnificavit**, vel **magnificabit**: hoc autem futurum est, sed dicitur præteritum: quia dicitur Deus fecisse quæ ab æterno disposuit facere; unde Isaias: **Qui fecit quæ futura sunt** Isa. 44.. Talibus omnia in bonum, etiam quod deviant, ut inde cautiore sint, et in se non confidentes. Sunt hic quatuor memorata: prædestinatio, vocatio, justificatio, magnificatio. Unum est in Deo, et tria in nobis. Prædestinatio enim nostra non in nobis est, sed in occulto apud ipsum in ejus præscientia. Tria vero reliqua in nobis sunt.

†8.31 **Si Deus pro nobis**. AUG. Deus pro nobis ut prædestinaret nos ante quam essemus, ut vocaret nos cum aversi essemus, ut justificaret nos cum peccatores essemus, et glorificaret nos cum mortales essemus.

‡8.32 **Tradidit**. Dicitur hoc quia Pater tradidit Filium, verum auctor calicis hujus est etiam ipse qui bibit. Unde Apostolus: **Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis** Ephes. 5.. Si ergo Pater Filium tradidit, et Filius seipsum, Judas quid fecit? Pater tradendo Filium, bene fecit; Filius tradendo seipsum, bene fecit; Judas tradendo magistrum pro avaritia, male fecit. Non enim quod nobis præstitum est de passione Christi, malitiæ Judæ deputabitur; habebit ille mercedem malitiæ, Christus laudem gratiæ. **Omnia**. Minus est nobis omnia dare, quam nostri causa morti Christum tradere. Itaque omnia superiora, scilicet Deus trinitas, nostra sunt ad videndum sive fruendum. Æqualia, scilicet angeli quibus æquabimur in futuro ad convivendum, modo vero sumus inferiores. Inferiora quoque nostra sunt ad dominandum. Et similiter quædam etiam superiora, ut sublimes angeli, et universa ministeria cœlestia Dei nostra sunt, non dominio, sed usu; sicut res Domini, famulorum sunt; ad victum, scilicet vel ornamentum vel aliud hujusmodi.

¶8.34 **Ad dexteram Dei**. In honore quo Deus cujus postulatio non potest contemni. **Interpellat**. Dum quotidie hominem quem assumpsit, et grave genus mortis quod pro nobis sustinuit, vultui paterno offert.

§8.35 **Quis nos separabit**, etc. CYPR. Nihil horum potest separare credentes, etc., usque ad ut et nos propter ipsum patiamur: **Sed in his omnibus superamus**.

neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo,** 39 neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.††

9 Veritatem dico in Christo, non mentior: testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto:‡‡ 2 quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. 3 Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem,¶¶ 4 qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa: 5 quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. 6 Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitæ:§§ 7 neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen:* 8 id est, non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. 9 Promissionis enim verbum hoc est: Secundum hoc tempus veniam: et erit Saræ filius. 10 Non solum autem illa: sed et Rebecca ex

**8.38 *Neque angeli, neque principes, neque virtutes.* Hi ordines accipiuntur de malis angelis, et de bonis si fieri posset.

††8.39 *Neque altitudo, neque profundum.* Id est nec prospera vel adversa, unde Salomon: *Divitias et paupertates ne dederis mihi: ne repletus mendax fiam, vel pauper rapiam, et perjurem nomen Dei* Prov. 30.. Multi peccant altitudine, multi necessitate. Contra hoc proponitur Achaz in Isaia, qui nolebat petere signum neque in alto neque in profundo. Remedium de Christo, qui neque elatus potestate qua æqualis Patri, nec turbatus de ejectione mortis, qui est signum in alto, et in profundo: ne ille vel regia potestate extolleretur, vel ærumna turbaretur, sicut tunc erat pro bello Assyriorum.

‡‡9.1 *Veritatem dico.* Modo nihil me potest separare, sed olim fui separatus; unde modo doleo, et sic mala jam in bonum convertuntur. *Veritatem dico.* AMBR. Quia contra Judæos loqui visus est, etc., usque ad Job tamen fuit ex filiis Esau quintus, scilicet ab Abraham, hoc est nepos Esau.

¶¶9.3 *Pro fratribus.* Judæis, vel etiam pro his retrahendis qui modo sunt fratres in fide, qui sunt et cognati mei: et ita gravius peccabam. AUG. Tam perfecta hic filii eminentia declaratur, etc., *usque ad: Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* I Tim. 2..

§§9.6 *Non autem quod exciderit.* Consolatur dolorem suum Apostolus. Quis enim plangat eum qui olim mortuus habebatur; hos olim Deus salvandos non decrevit præsciat, non personarum acceptor. Nullum enim damnat antequam peccet, nullum coronat antequam vincat; sed præscientia definitum habet, qualis unicuique futura sit voluntas, ex qua damnetur vel coronetur. Quia dolebat de Judæis, consolatur se, inveniens scriptum: non omnes esse salvandos, sed tantum similes Isaac. In his ostendit quod sola gratia Dei faciet filios Dei. *Non autem quod exciderit verbum Dei.* Ex hoc quod dixit quod promissio æternæ hæreditatis facta est Judæis, qui ipsi ex magna parte non crediderunt, videbatur verbum Dei non esse impletum. Ad quod respondet: Etsi in quibusdam non est impletum, in aliis tamen, scilicet in gentibus credentibus impletum est, qui modo veri sunt filii Abrahæ. *Non autem exciderit.* Quasi dicat: Etsi ita laboravit; etsi non omnes credunt, non tamen excidit verbum Dei; vel, non dico quod exciderit. Verbum Dei excidere, est promissa non impleri.

*9.7 *In Isaac.* Id est in Christo, vocante gratia, congregantur. In Isaac promissione præfigurati sunt, non qui seipsos justos, sed quos Deus facit; hi sunt filii liberæ quæ sursum est, quæ est mater nostra. Filii carnis sunt terrenæ Jerusalem, quæ servit cum filiis suis. Sicut Isaac non meruit ut nasciturus promitteretur, sic et isti, sed sola gratia promissa est et eis data filiorum adoptio.

uno concubitu habens, Isaac patris nostri.† 11 Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret),‡ 12 non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei quia major serviet minori,¶ 13 sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.§ 14 Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit.** 15 Moysi enim dicit: Miserebor cujus misereor: et misericordiam præstabo cujus miserebor.†† 16 Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.‡‡ 17 Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam: et ut annuntietur nomen meum in universa

†9.10 *Non solum autem illa.* Sara habuit promissionem, sed et Rebecca habuit promissionem, habens scilicet duos filios *ex uno concubitu Isaac patris nostri*. Ex uno concubitu dicit, ne videantur merita parentum differentia in generatis, sed patris, id est institutoris nostri, quem imitemur, si volumus esse filii Dei. Promissio facta Saræ ostendit quod propter genus nullus salvatur. Ista autem promissio facta Rebecca, ostendit quod propter nullum meritum suum vel parentum aliquis eligitur, sed sola gratia.

‡9.11 *Cum enim nondum nati.* Rebecca habuit promissionem hanc: *Major serviet minori*, id est Esau, persequendo Jacob, ei proficiet.

¶9.12 *Non ex operibus.* Futuris quæ bona vel mala non erant futura, nisi apposita gratia vel subtracta. AUG. Quod si futuros eorum mores dicitur divinum discrevisse iudicium, etc., usque ad quomodo enim futura dicuntur, quæ nulla erunt?

§9.13 *Major serviet minori.* Hoc ad litteram: quia Idumæi qui de Esau (qui et Edom dicitur), subditi fuerunt filiis Israël; sed magis in hac prophetia intenditur, quod populus Judæorum major, id est in cultu unius Dei prior, minori, id est posteriori Christiano esset serviturus. *Jacob dilexi*, etc. In Jacob nihil invenit amandum, nisi misericordiæ suæ donum. In Esau nihil odit, nisi originale peccatum. Sed quo modo hoc recte, cum nihil egissent? Quia res est stupenda, sibi objicit: *Quid ergo dicemus?* Ex misericordia, est velle et currere; quod apparet in aliis ex eadem massa cui debita est perditio.

**9.14 *Quid ergo.* Quia sine merito hunc elegit, hunc reprobavit, dicitur iniquus Deus? Non quia hunc per misericordiam elegit, illum per justitiam reprobavit. In quo neutro est iniquitas; hunc per misericordiam, quia ita dicit Moyses; hunc per justitiam, quia ita dicit Scriptura inducens Deum loquentem Pharaoni. *Absit.* Constat quod nullus liberatur, nisi gratuita misericordia; nullus damnatur, nisi æquissima justitia. Sed cur potius hunc quam hunc liberet; scrutetur qui potest tam profundum iudicium, verumtamen caveat præcipitium.

††9.15 *Miserebor cui misertus.* Id est, cui præscio miserendum, et apud me mansurum: hoc est dare illi cui dandum est, non dare illi cui dandum non est; ut eum vocet, quem sciat obaudire; ut David qui post veniam tam bene perstitit. Saul non auditus in prece non perstitit, sed ad idola conversus est; unde juste reprobatus esse a præscio videtur.

‡‡9.16 *Igitur non volentis*, etc. Tanquam diceret: Non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei. Cui dicitur, econtra: Non sufficit etiam misericordia Dei, si non sit voluntas hominis; ac per hoc si recte dictum est illud, cur etiam a contrario non recte dicitur: Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis? Restat ergo ut recte dictum hoc intelligatur, ut totum Deo detur: qui hominis voluntatem bonam, et præparat ad juvandam, et adjuvat præparatam: volentem prævenit ut velit, volentem subsequitur ne frustra velit. AUG. Quis porro tam impie desipit, ut dicat Deum malas hominum voluntates, etc., usque ad sicut ex misericordia sua gratiam præstat.

terra.^{¶¶} 18 Ergo cuius vult miseretur, et quem vult indurat.^{§§} 19 Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit? * 20 O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? † 21 an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? ‡ 22 Quod si Deus volens ostendere iram, et notum facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ¶ 23 ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. § 24 Quos et vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam in gentibus, 25 sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: et non dilectam, dilectam: et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. ** 26 Et erit: in loco, ubi dictum est eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi. 27 Isaias autem clamat pro Israël: Si fuerit numerus filiorum Israël tamquam arena maris, reliquæ salvæ fient. †† 28 Verbum enim consummans, et abbrevians in æquitate: quia verbum

¶¶9.17 *Excitavi.* Vel suscitavi, vel servavi. AMBR. In hoc ipsum te servavi, etc., usque ad sed ut te indurato ostendam virtutem meam signis Ægypti.

§§9.18 *Ergo cuius vult.* Meritum misericordiæ nullum est, meritum obdurationis peccatum massæ totius damnatæ. Nec obdurat impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam, sicut nec digni sunt, quod facit æquitate occulta; et ab humanis sensibus remota, quia non aperit Apostolus, sed miratur: O altitudo divitiarum. *Indurat.* AUG., epist. CV. Non quasi quemquam peccare cogat, sed tantum quia quibusdam peccantibus misericordiam justificationis suæ non largitur, ob hoc eos obdurare dicitur, quia eorum non miseretur, non quia impellit ut peccent. Eorum autem non miseretur quibus gratiam non esse præbendam æquitate occultissima, et ab humanis sensibus remotissima judicat.

*9.19 *Quid adhuc.* Postquam constat ex voluntate Dei esse, quare inquiritur unde alius sit bonus, alius sit malus? Non est opus, quia talis erit quisque qualem vult Deus esse, et ideo injuste alium damnat, alium salvat: vel quid queritur, id est cur nititur aliquis bene agere, cum nihil possit, nisi quod Deus velit?

†9.20 *O Homo.* Hoc non ex inopia rationis reddendæ, sed hominem ad se revocat.

‡9.21 *Ex eadem massa.* Sic tota massa humani generis juste corrupta, et lutosa est: si inde vas in honorem, misericordia est; si in contumeliam, justum est, quia hoc erat ex natura: ecce justitia in his qui non habent tempus operandi; de his autem qui habent tempus subdit: *quid si Deus volens*, scilicet quid respondeas Deo. *Aliud in contumeliam.* Vas in honorem, sed in contumeliam: si vile est; ex se lutum habet, non ex figulo. *Quid si Deus*, etc. AUG., lib. 1, ad Simplicianum, quæst. 2. Quasi dicat: Jam ostensum est; quod etsi Deus nihil boni det, non tamen iniquus est, etc., usque ad sed abusi sunt hac gratia.

¶9.22 *Sustinuit.* Sustinet Deus malos ut ordinate disperdat; et utitur illis tanquam instrumento ad salutem bonorum. Nullum enim Deus, vel angelorum, vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciret, nisi pariter nosset eos, quibus bonorum usibus commodaret.

§9.23 *Ut ostenderet.* Quasi dicat: Ad hoc patitur malos, et præostendit iram, et ad notitiam sui trahit, ut ostenderet in vasa misericordiæ, id est in electis per misericordiam, divitias gloriæ, id est quam dives, et quam magna sit et gloriosa misericordia; ob hoc tot bona dat malis, ut vincat eos juste damnari, ut fideles eum magis diligant quibus gratiam ipsam conservavit.

**9.25 *Sicut in Osee.* Cum ostensum sit, quod ex sola gratia sint filii, incipit probare per prophetas quod hi sunt ex utroque populo.

††9.27 *Si fuerit.* Ecce sic dicitur salus Judeorum, ut major pars sit excæcata.

breviatum faciet Dominus super terram:^{‡‡} 29 et sicut prædixit Isaias: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuisset. 30 Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: justitiam autem, quæ ex fide est. 31 Israël vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit.^{¶¶} 32 Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis,^{§§} 33 sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali: et omnis qui credit in eum, non confundetur.*

10 Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem.[†] 2 Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem Dei habent,

^{‡‡}9.28 **Verbum enim.** Subdit propheta per quid salvi fiant, scilicet per verbum Evangelii, ut gloria operum legalium excludatur. Verbum enim Evangelii quod dicitur consummans, ad perfectionem ducit, et omnia legalia in uno Christo abbreviat: tamen æquum est, priori verbo legis; unde additur, **in æquitate**, id est ut nihil desit ad justitiam de omnibus præfiguratis, vel quia quæ æqua sunt retinet, ut moralia; et quæ jus est tolli, ut sunt figuræ, rescindit. **Et abbrevians in æquitate.** Ut compendio fidei per gratiam salvet, non per innumeras observationes. Ne quis autem dubitet, Propheta adjungit: **Nisi Dominus sabaoth.** Dominus fecit verbum, quod tam necessarium erat, quod nisi esset semen, id est verbum, etc. Vel per semen intelliguntur reliquiæ salvandæ, id est apostoli et alii boni, et nisi per illas prædicatum esset verbum Dei, gentes periissent. Et hoc est: Nisi Dominus exercituum, quando alios excæcavit, reliquisset nobis, id est ad nostram utilitatem, semen, id est apostolos, de quibus seges Christi crevit. **Et sicut Gomorrha similes.** Utrumque posuit, ut notet similitudinem culpæ et pœnæ, quasi dicat: Pares essemus in pœna, quia similes essemus in culpa.

^{¶¶}9.31 **Israel.** Israel vero secutus est legem quasi retro, quia nunquam attingit spirituales intelligentiam. **Sectando justitiam.** Lex Moysi est lex justitiæ, si bene sit intellecta. Vel sectando justitiam legis, id est quæ est ex timore pœnæ, non amore justitiæ, non pervenit, etc.

^{§§}9.32 **Quia non ex fide.** Non enim ex fide quærebat justificari, et quia justitiam non petivit a Deo, non credidit in eum qui justificat impium, non credens Deum operari in homine quo justificetur. Unde vero contigerit ut non crederent, supponit. **Offenderunt.** Ad similitudinem parvi lapidis, a quo non cavetur, Christus habilis fuit offendere, latens in humilitate. Cui attestatur Isaias cap. 8.. **Ecce in evidenti pono,** id est nasci facio, **in Sion,** id est in Judæis, Christum **lapidem offensionis,** a quo parvo non caveatur, et **petram scandali,** id est ex toto conterentem malos in futuro, et contristantem. Lapis autem offensionis dicitur Christus secundum statum quo apparuit hic malis. Petra vero scandali, secundum quod in futuro faciet malis.

^{*}9.33 **Et petram scandali.** Petra dicitur ante politionem et lapis post politionem. Politiõ autem Christi, passio fuit, qua infirmitatis miseriam deposuit. Christus ergo ante passionem fuit petra scandali, quo tempore scandalizati sunt Judæi irascentes et indignantes, quia se Filium Dei faceret. Lapis per politionem, Christus in passione, quando iidem Judæi maxime offenderunt, et excæcati sunt; Deum non esse credentes quem mortuum videbant. **Non confundetur.** AUG. Qui enim crediderit in eum, non habebit suam justitiam quæ ex lege est, quamvis sit bona lex, sed implebit ipsam legem, non sua justitia, sed data a Deo. Ita enim non confundetur.

[†]10.1 **Et obsecratio.** Voluntatis enim, ut ad vera credenda moveatur non sibi sufficit, nisi per gratiam Deus sibi opituletur, unde: **Nemo venit ad me, nisi cui datum fuerit a Patre meo** Joan. 4..

sed non secundum scientiam.[‡] ³ Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.[¶] ⁴ Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti.[§] ⁵ Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea.^{**} ⁶ Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cælum? id est, Christum deducere:^{††} ⁷ aut, Quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare. ⁸ Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus.^{‡‡} ⁹ Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.^{¶¶} ¹⁰ Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.^{§§} ¹¹ Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. ¹² Non enim est distinctio Judæi et Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* ¹³ Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. ¹⁴ Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient

[‡]10.2 *Testimonium enim perhibeo illis quod.* AMBR. De his dicit, qui non ex invidia, sed ex errore Christum non receperunt, quibus Petrus: **Scio quod per ignorantiam hoc egistis** Act. 3.. **Non secundum scientiam.** Stultum enim est legem venerari, et Deum legis persequi.

[¶]10.3 *Ignorantes enim Dei justitiam.* Non qua Deus justus, sed quæ homini inest ex Deo. **Justitiæ Dei non sunt subjecti.** Hæc est justitia Dei, quæ non in præcepto legis quo timor incutitur, sed in adjutorio gratiæ Christi constituta est.

[§]10.4 *Finis.* Non consumens, sed perficiens: perficit ergo justitiam per fidem sine operibus legis. **Christus.** Ex Christo est justitia; quia si per legem scriptam vel naturalem esset, et non fide Christi, ergo Christus gratis moreretur. **Ad justitiam.** Non humanam, sed divinam. Est enim humana et divina: de humana ibi, **Moyses**; de divina ibi: **Quæ autem ex,** etc. **Scriptura.** In Numeris et Levitico ita habetur: **Qui fecerit ea, vivet in illis.**

^{**}10.5 *Vivet in ea.* Habet istud præmium, scilicet ne ista morte puniatur. Non est autem magna justitia, timere, nec habet meritum apud Deum.

^{††}10.6 *Id est Christum deducere.* Id est negare Christum ascendisse.

^{‡‡}10.8 *Prope est verbum.* Id est utile est, vel non est aliquid inconveniens vel dicere vel credere. Vel **prope**, quia non est longe a natura animorum: et loquendi ratione, quod nobis dicitur ut credamus. **Hoc est verbum.** AUG., Tract. 80, in Joannem. De quo Dominus ait: **Nam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis,** etc., usque ad nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus remanens.

^{¶¶}10.9 *Quia si confitearis.* AUG. Ecce lans fidei et merces. Laus fidei est, si credideris, quia Dominus est Jesus, etc., usque ad qui eam in resurrectione sibi congrua, hoc est in justificatione præcedit.

^{§§}10.10 *Corde creditur.* Cætera potest nolens, sed credere non potest nisi volens. **Confessio.** AUG., in Psal. 30, concione 3. Confiteri est dicere, quid sit in corde, etc., usque ad quia ita credit, ita et in ore debet, ut ita prædicet.

^{*}10.12 *Qui invocant.* Orans invocatur; sed hoc certe non potest, nisi prius credat. Qui ergo invocant, non modo credunt, sed etiam orant, ut postquam crediderit alicujus animus, non desinat id postulare, quod promisit Deus toto corde vigilantibus, quia credere dat remissionem peccatorum. Invocare autem impetrat promissa Dei.

sine prædicante?† 15 quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona !‡ 16 Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro?† 17 Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.§ 18 Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.** 19 Sed dico: Numquid Israël non cognovit? Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam.†† 20 Isaias autem audet, et dicit: Inventus sum a non quæren-

†10.14 **Quomodo ergo invocabunt**, etc. Probato, quod de utroque assumitur populo, ostendit per quid, scilicet per missionem utrisque factam, quam qui non receperit, inexcusabilis est. Invocatio salvat, ergo oportet credere: quia, **quomodo**, etc. **Aut quomodo credent**, etc. Quasi dicat: Non credent, nisi audiant. Nec enim olim aliquis credidit qui non aliquo modo audivit vel interius vel exterius. Dicit autem quod credere ex auditu sit, audire ex prædicatione, prædicare ex missione Dei; ita ut totum descendat ex fonte gratiæ. Prædicatio autem vere est ex missione, quia et pseudo bene nuntiantes, misit Deus qui in bonum malo novit uti. Aliquando etiam malos malis mittit in iram, id est prædicare permittit malos malis ad eorundem pœnam, ut vicissim per se, sicut justum est, pereant. AUG. Apostolus quod ait: **Quomodo credent ei quem non audierunt?** De gentibus dixit, etc., usque ad prædicatores Christi esse mittendos.

‡10.15 **Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur?** Ecce apparet quod et ad gentes missi sunt prædicatores. **Quam speciosi**. Quia mundum illuminant, in quo apparet a Deo missos, alioquin hoc non poterant. **Pacem**. Reconciliationem inter populum et populum diruta maceria legalis ritus in Judæis, et idololatriæ in gentibus. Et inter Deum impios per fidem justificantem, et homines in eum credentes. **Evangelizantium bona**. Pacem super pacem, quia et regnum Dei pax est.

†10.16 **Isaias enim dicit**, etc. Præscius Deus prædixit infidelitatem Judæorum, sed non fecit; neque præscisset mala eorum, nisi ea haberent. Sic etiam excæcat quod est deserendo, non autem faciendo et hoc meruit voluntas. Si dicitur non possunt Judæi credere quia Isaias prædixit, dico non possunt, quia nolunt. Quod Deus præscivit, prædixit; sed non fecit. Non possunt, dum superbi, dum tales, ut scilicet omnia suis viribus attribuerent, et negarent sibi necessarium esse divinum auxilium ad bene operandum.

§10.17 **Fides ex**, etc. Etsi Deus intus doceat, tamen præco exterius annuntiat. **Per verbum**. Id est per gratiam Christi doctores verbi evangelici nobis mittentis. Nisi enim dicatur aliquid, nec audiri potest nec credi.

10.18 **Et quidem. Vel equidem, id est certe, et ita inexcusabiles, sicut in Psalmis ostendit David dicens: **In omnem terram exivit sonus eorum**. AUG., epist. 80, quæ est ad Hesyeh. Non hoc tempore Apostoli impletum est, etc., usque ad sic et illud: **Testes mihi eritis usque ad ultimum terræ** Act. 1..

††10.19 **Sed dico: Nunquid Israël**. Probavit omnes audiisse, et ita Judæos audisse. Sed quia possent et audisse et non cognovisse, affirmat eos etiam cognovisse. **Cognovit**. Israël dicitur cognovisse doctrinam Evangelii et adventum Christi, quia contradicere non potuit ratione vel auctoritate; sed non vere cognovit, ut menti eorum bene sederet. **Ad æmulationem**. Invidia Judæis est, dum gentes eorum Deum suum dicunt, et promissiones et legem eorum et prophetas ad se pertinere. **In non gentem**. Gentiles non prius dicebantur gens sancta, quia sine lege erant; vel modo non gens, quia non gentiliter vivunt. **In gentem insipientem**. In id est, contra gentem insipientem, id est contra gentiles qui Deum verum non noverant.

tibus me: palam apparui iis qui me non interrogabant. ²¹ Ad Israël autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem. ^{‡‡}

11 Dico ergo: Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam et ego Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin: [¶] ² non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura? quemadmodum interpellat Deum adversum Israël: ^{§§} ³ Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: et ego relictus sum solus, et quærum animam meam. ⁴ Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. ^{*} ⁵ Sic ergo et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. [†] ⁶ Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. [‡] ⁷ Quid ergo? Quod quærebat Israël, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est: ceteri vero excæcati sunt: [¶] ⁸ sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos ut non videant, et aures ut non audiant, usque in hodie-

^{‡‡}10.21 *Tota die.* Toto tempore quo cum eis commoratus sum, et mundum illumina-
navi, opera et affectus ample ostendi Judæis; vel in parte diei totius, in cruce expandi
manus meas, etc. *Expandi manus.* Quasi dicat: Ampliora ostendi Judæis. Etenim
nullum eis beneficium negavit; nam mortuos illorum suscitavit, diversas eorum in-
firmittates curavit. Ille autem dicitur manus expandere, qui poscentibus beneficia
largiter tribuit.

[¶]11.1 Vers. 1

^{§§}11.2 *Præscivit.* Pro prædestinavit, posuit præscivit. Sic enim debet accipi, ut ex
sequentibus patet; ideo autem dixit, præscivit, ne iterum Judæi superbiant ex eo quo
dixit eos non repulsos, et plebem Dei. AUG. An quisquam dicere audebit Deum non
præscisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex
eis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit, profecto beneficia sua, quibus
nos dignatur liberare, præscivit. Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est quam
præscientia, scilicet et preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur
quicumque liberantur. *An nescitis.* Quasi dicat: ita reliquias in hoc tempore non
repulit Dominus, sed salvavit; sicut tempore Eliæ multos sibi reservavit, cum Elias
solus sibi videretur, qui si ignoravit et alios præter se reservados, non mirum si isti
ignorent.

^{*}11.4 *Septem millia.* Per septenarium universitas, per millenarium perfectio
designatur.

[†]11.5 *Sic ergo.* Quasi dicat: Tunc erant multi etsi nesciret Elias. Ergo sic, id est ita
latenter; vel sic, id est per eandem gratiam.

[‡]11.6 *Alioquin gratia jam non est gratia.* Hoc est, si aliter salvi facti sunt (quod
non potest fieri nisi gratia Dei), ergo ipsa gratia jam non erit gratia, sed debitum.

[¶]11.7 *Quid ergo?* Audito quod reliquiæ salvæ factæ sunt gratia, et non ex operibus,
quid ergo dicendum est? *Electio autem consecuta est.* Electio gratiæ est, non mer-
itorum. Excæcatio vero meritorum est. Excæcati enim sunt, quia credere noluerunt,
sicut illi quia voluerunt, crediderunt. Misericordia igitur et iudicium in ipsis vol-
untatibus facta sunt a Deo, illis vel per misericordiam gratiam apponente, ipsos
vero per iudicium excæcari permittente. Quicumque enim cum intellexisset credere
noluit, id debet consequi quod vult, scilicet ne de cætero possit credere. In volun-
tate ergo sua adjuti sunt, non immissa malitia, sed deferente gratia; ut quia scientes
verum, dicebant esse falsum, de cætero non intelligerent quod verum est. Hoc mere-
tur invidia malæ voluntatis, non ita est de his qui errore hoc agunt.

num diem.[§] ⁹ Et David dicit: Fiat mensa eorum in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in retributionem illis.^{**} ¹⁰ Obscurentur oculi eorum ne videant: et dorsum eorum semper incurva.^{††} ¹¹ Dico ergo: Numquid sic offenderunt ut caderent? Absit. Sed illorum delicti sunt mundi, et diminutio eorum divitiarum gentium: quanto magis plenitudo eorum?^{¶¶} ¹³ Vobis enim dico gentibus: Quamdiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo,^{§§} ¹⁴ si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis. ¹⁵ Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi: quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? ¹⁶ Quod si deli-

[§]11.8 *Dedit illis spiritum compunctionis.* Malam compunctionem hoc signat, quia sæpe fit ut etiam bonum sit homini molestum, ut Pharisæis doctrina Christi; et sic spiritum compunctionis appellat mentem invidentem, qua invidetur doctrinæ Christi. *Usque in hodiernum diem.* Id est, quandoiu poterit dici hodiernus dies, id est usque in præsentem diem, omnium ad quos hoc scriptum perveniet.

^{**}11.9 *Mensa.* Id est Scriptura: *eorum*, id est quæ ipsis primo oblata est, et *coram ipsis* posita, quia in ejus carnalibus observationibus delectantur; vel, *coram eis*, quia si rationem vellent attendere, possent intelligere. *In laqueum*, etc. Sicut seipsos acetum mihi obtulerunt, sic fiat ipsis iniquitas laqueus, quia iniquitatem noverunt, et in ea perstiterunt. *In laqueum*, etc. Scriptura quæ intelligentibus est panis, illaqueat dum male intelligitur et pro ea prædicatio Christi respuitur. Item Scriptura legis fuit causa captivitatis, dum zelo ejus Christum occiderunt, et in illa captivitate fuit causa eis scandali et opprobrii, et post erit causa æternæ damnationis, quæ specialiter retributio Dei dicitur.

^{††}11.10 *Obscurentur oculi.* Quia sine causa non viderunt, fiat eis non videre. *Obscurentur oculi.* Hæc verba non optantis voto, sed prædicentis officio dicuntur.

^{¶¶}11.11 *Dico ergo, Nunquid.* Quia dico excæcatos auctoritate prophetarum, putatis quod irrecuperabiliter et sine utilitate ceciderunt? quasi dicat, non. Sed casus eorum prodest, et possunt restitui, ne quis eos despiciat. *Nunquid sic offenderunt, ut caderent?* AUG. Hoc non ideo dicit quia non ceciderunt, etc., usque ad sed magis caveant ne dum superbiunt, cadant. *Salus.* Dum divisi per mundum in testimonium sunt non fictas de Christo esse prophetias. *Ut illos æmulentur.* Potest sic accipi: ut Judæi imitentur gentiles in bono. Hoc sæpe factum est, et plenius fiet in fine sæculi, quando Judæi Christianos sequentur in fine Christi. Tunc enim manus Moysi revocabitur in sinum, tunc Moyses noster revertetur ad matrem et ad fratres. Potest etiam intelligi, ut gentes Judæos æmulentur, id est credant, sicut et ipsi credebant. Velut gentes Dei æmulatione circa opera Judæorum mala moveantur.

^{¶¶}11.12 *Quod si*, etc. Quasi dicat: Dixi delictum Judæorum prodesse; quod si est, tunc magis conversio eorum proderit. *Quanto magis.* Id est, si malum eorum vertit Deus in bonum, id est in divitias mundi, multo magis bonum eorum, cum in fine plenitudo eorum conversa ditabit gentes doctrina et exemplo. In quo ostendit nec inutilem, nec irrecuperabilem casum eorum.

^{§§}11.13 *Quandiu.* ANSELM. Etsi apostolus sim gentium, tamen honorificabo ministerium superaddendo ultra hoc quod debeo, ut etiam de Judæis laborem tentans; si hac non succedit via, aggrediar alia, quod non facerem, si de salute eorum desperarem. CHRYS. Rursus mala suspicione seipsum liberare satagit. Videtur autem eos quidem qui ex gentibus erant, objurgare, mentesque illorum humiliare; sensim tamen Judæum vellicat.

batio sancta est, et massa: et si radix sancta, et rami.*¹⁷ Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivæ factus es,[†]¹⁸ noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris: non tu radicem portas, sed radix te.[‡]¹⁹ Dices ergo: Fracti sunt rami ut ego inserar.[¶]²⁰ Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.[§]²¹ Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat.²² Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris.**²³ Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus iterum inserere illos.²⁴ Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam: quanto magis ii qui secundum naturam inserentur suæ olivæ?^{††}²⁵ Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes), quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret,^{‡‡}²⁶ et sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, et avertat impi-

*11.16 *Quod si delibatio.* Dixi quod assumptio eorum erit multum utilis; quam ne dicatis gentiles non posse fieri, quasi totum genus sit repudiatum, dico quod si delibatio, id est pauci de illis assumpti, ut apostoli et alii discipuli sunt sancti. *Et massa.* Id est, genus potest sanctificari. *Et si radix.* Id est patriarchæ, a quibus contrahunt sancti humorem fidei. *Et rami.* Qui de eorum genere excreverunt in eorum fide fundati.

†11.17 *Cum oleaster esses, insertus,* etc. ANSELM. Videamus quemadmodum et ipse Dominus prænuntiet insertionem oleastri et fractionem ramorum, etc., usque ad quod Dominus prædixit faciendum *Socius.* In spe promissionis: hoc contra morem. Bona enim arbor in non bonam inseri solet, hic non bona in bonam.

‡11.18 *Noli gloriari,* etc. ANSELM. Gentes jam in Christum credentes erigebant se contra Judæos, quia crucifixerant Christum, cum et de ipsis veniret alius paries ad angularem lapidem, et ideo reprimit illas Apostolus. *Noli,* inquit, *gloriari,* etc., id est, non es stabilis si illos per quos stas destruis.

¶11.19 *Dicis ergo fracti.* Quasi dicat: si non contra stantes, tamen contra eos licet gloriari, qui causa insertionis meæ repulsi sunt; quod removet Apostolus, ita: Bene dicis, quia verum est quod fracti sunt propter incredulitatem; tu stas fide, id est non merito tuo, sed gratia Dei; et ideo noli superbire, ne et tu frangaris per superbiam, ut illi per incredulitatem. Non es stabilis, si per quos stas destruis. Facile decipitur, qui alienis malis gaudet.

§11.20 *Fide stas.* Dei est beneficium quod tu stas, non tuum meritum. *Sed time.* Ne tantæ gratiæ beneficium amittas, et in supplicium incidas. Castus enim timor est cum cavet anima ne Deus illam desertus deserat.

**11.22 *Si permanseris in bonitate.* Si digna Dei benignitate operatus fueris, neque enim tibi sola fide opus est. *Severitatem autem Dei.* Quod eis non pepercerit, eo quod patrum virtute indignos ipsos invenerit.

††11.24 *Contra naturam.* Dicitur id contra naturam quod est contra consuetudinem naturæ, ut si surculus fructum radicis ferat. Deus tamen nihil contra naturam facit, quia id est natura quod facit. *Olivam.* Per olivam intelligitur hic fides Patrum.

‡‡11.25 *Nolo enim vos ignorare,* etc. AUG. Legis defensores, legis tractatores, legis doctores, legis intellectores, auctorem legis crucifixerunt. O cæcitas! Ipsa est quæ ex parte cecidit in Israël, ut crucifigeretur Christus, et plenitudo gentium intraret.

etatem a Jacob.^{¶¶} 27 Et hoc illis a me testamentum: cum abstulero peccata eorum.^{§§} 28 Secundum Evangelium quidem, inimici propter vos: secundum electionem autem, carissimi propter patres.* 29 Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei. 30 Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum:† 31 ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam: ut et ipsi misericordiam consequantur.‡ 32 Conclisit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.¶ 33 O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!§ 34 Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? 35 aut quis

^{¶¶}11.26 *Impietatem.* Id est infidelitatem, vel legalis observantiæ cultum. Cultus enim Judæorum ab adventu Christi cognito est impietas.

^{§§}11.27 *Abstulero.* Hoc erit in fine quando prædicatione Eliæ et Enoch convertentur Judæi, unde per Malachiam: *Mittam vobis Eliam Thesbitem qui convertet corda patrum ad filios, et corda filiorum ad patrem* Mal. 4.; ut intelligant filii ut patres, id est ut prophetæ intellexerunt.

*11.28 AUG. *Secundum Evangelium,* etc. Vel ita: tunc converterentur; sed modo inimici quidem sunt Christi, et quidem nostri. Iterum ex se, ex suo scilicet vitio. Sed hoc est secundum Evangelium et propter vos, id est ad profectum Evangelii et vestrum. *Inimici propter.* Ostendit hoc ex Dei dispositione provenire. Ex se enim possunt inimicari, quod proficit Evangelio, Deo utente malis ad bonum, ut cum faciant contra voluntatem Dei impleatur voluntas Dei sapienter omnia disponens. *Propter patres.* Electi sunt dilecti propter patres, quibus hæc promissa sunt; quia non sunt vocati ea vocatione qua multi non præsciti, qui tamen pereunt, de qua dictum est: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* Marc. 20.; sed ea qua vocantur electi, quæ est sine mutatione: quia qui audit a Patre venit ad Filium, qui non perdit quidquam de omni dato; quisquis vero perit, non inde fuit; unde: *A nobis exierunt, sed ex nobis non fuerunt* I Joan. 2.. *Secundum electionem et propter patres* Aug., lib. de Prædest. sanc., c. 16. Sunt salvandi: quia *dona,* id est promissiones, etc., usque ad quia eos dolore non vident.

†11.30 *Sicut enim.* Id est qua ratione vos olim permisit Deus non credere, scilicet ne causam superbiendi haberetis postea conversi.

‡11.31 *Ut et ipsi.* Experti non per legem esse salutem, sed per gratiam: ut et sic per humilitatem consequentur misericordiam.

¶11.32 *Conclisit.* Id est permisit concludi. Hic videtur aliquo modo mysterium exponere. *Conclisit enim Deus omnia in infideli,* ut de amaritudine infidelitatis suæ pœnitentiam confusi, ad dulcedinem misericordiæ Dei credendo conversi, humiliores permanerent, ut et gratia muneris esset gratissima, et clamarent: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine* Psal. 30. *Omnium.* Id est Judæorum et gentium, non quod nullum damnaturus sit, quod quidam falso opinati sunt.

§11.33 *O altitudo,* etc. Præmiserat sententiam miræ profunditatis, cujus profunditatis veluti horrore percussus, exclamat *o altitudo,* etc. Valde enim parvum sensum habemus ad discutiendam justitiam judiciorum Dei, ad discutiendam gratiam gratuitam nullis meritis præcedentibus redditam. Nec tam movet nos, quod gratia præstatur indignis, quam quod æque indignis aliis denegatur. AUG., lib. de Spirit, et lit., c. 36 in fine. Scio quod sicut impossibilitas, et ita iniquitas non est apud Deum, etc., usque ad ut prius permetteret eos concludi in infidelitate. ID. Aliquando filiis infidelium præstatur Dei gratia, etc., usque ad et si non in hac vita, certe in altera, etc. *Viæ ejus.* Id est impletiones dispositionis, quia nec in exhibitione potest cognosci quod disposuit. *Consiliarius.* Patris consiliarius est unigenitus Filius ejus, qui et Angelus magni consilii appellatur. Sed ex hominibus et angelis nullus fuit ei consiliarius.

prior dedit illi, et retribuetur ei? ^{** 36} Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen. ^{††}

12 Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. ^{‡‡ 2} Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. ^{¶¶ 3} Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. ^{§§ 4} Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent. ^{* 5} ita multi unum corpus sumus in Christo,

^{**}11.35 *Aut quis prior.* Etsi judicia Dei non possumus scire, saltem hoc constat quod ex sola gratia dat bona, et non ex præcedenti merito. AUG. Deus debitor factus est, non aliquid a nobis accipiendo, etc., usque ad et hoc tu fecisti qui laborantes juvisti, etc.

^{††}11.36 *Quoniam ex ipso,* etc. *Ex, per, in,* distinctionem personarum indicant; ipse vero idem pronomen repetitum, identitatem substantiæ; et quia talis ipsi gloria, non iustis ipsis. AUG., lib. de Natura boni, cap. 27, Ex ipso. Non de ipso sunt omnia, etc., usque ad singula horum trium referri ad singulos voluit. *Omnia.* Cum audivimus *omnia esse ex Deo,* omnes utique naturas intelligere debemus, et omnia quæ naturaliter sunt; neque enim ex ipso sunt peccata quæ naturam vitiant, quæ ex voluntate peccantium nascuntur.

^{‡‡}12.1 *Obsecro vos.* Hucusque satis utramque partem humiliavit, et gloriam de priori statu annullavit, modo quasi finito negotio deinceps ad moralitatem tendit. *Obsecro vos.* Hucusque ne alter adversus alterum superbiret; hinc ut alter de alterius utilitate laboret. *Obsecro per,* etc. Id est per apostolatum misericorditer a Deo mihi commissum, vel misericordiam a Deo vobis factam et exhibitam. *Hostiam,* etc. AUG., lib. 10, de Civit., cap. 6. Verum sacrificium est omne opus quod agit, etc, usque ad adjungit dicens: *Sed reformamini in novitate mentis vestræ,* etc.

^{¶¶}12.2 *Nolite conformari.* Generalis prohibitio. *Sed reformamini.* Regularis jussio. Ibi continentia, hic justitia. Illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere; illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiscendo enim vestustate exspoliamur, et diligendo novitate induimur. *Reformamini.* Quia in Adam partim amissa est imago Dei, ut incipiat ab illo reformari a quo formata est. Non enim reformare seipsam potest sicut potuit deformare.

^{§§}12.3 *Dico enim.* Hoc est sacrificium Christianorum, ut multi unum corpus sint in Christo. Hoc enim in Sacramento altaris fidelibus voto demonstratur Ecclesiæ, quæ in ea re quam offert, significatur. Sicut enim panis ex multis granis conficitur, ita ex multis fidelium membris sancta constat Ecclesia, qui Creatoris sui participatione congaudent; cujus munere sancti sunt et unum, quod et in sequenti ostenditur, ubi ait: *Multi unum corpus sumus in Christo* I Cor. 10.. Quod non potest fieri, nisi sapiant ad sobrietatem, quod hic præcipitur. *Sapere ad sobrietatem.* Id est, quod, justitiæ terminos non egrediatur quod nobis solum utile sit, et nulli obsit. *Mensuram fidei.* Secundum fidem quam mensurate partitur Deus, hæc est fides per charitatem operans sine qua nulla cujusquam existimanda sunt opera. Christo non ad mensuram datus est spiritus, sed cæteris omnibus datur et datus additur; unde Joannes de Christo ait: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum,* cæteris dividitur, non quidem Spiritus, sed dona ejus.

^{*}12.4 *Sicut enim in uno.* AUG. Nemo poterit esse justus, quandiu fuerit ab unitate hujus corporis separatus, etc., usque ad sed bene utendi pietate possideant.

singuli autem alter alterius membra.[†] ⁶ Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem fidei, ⁷ sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, ⁸ qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.[‡] ⁹ Dilectio sine simulatione: odientes malum, adhærentes bono: ¹⁰ caritate fraternitatis invicem diligentes: honore invicem prævenientes: ¹¹ sollicitudine non pigri: spiritu ferventes: Domino servientes:[¶] ¹² spe gaudentes: in tribulatione patientes: orationi instantes:[§] ¹³ necessitatibus sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes. ¹⁴ Benedicite persequentibus vos: benedicite, et nolite maledicere. ¹⁵ Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: ¹⁶ idipsum invicem sentientes: non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos:^{**} ¹⁷ nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. ¹⁸ Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: ¹⁹ non vosmetipsos defendentes carissimi, sed

[†]12.5 *Singuli autem alter alterius membra, habentes*, etc. Ad hoc habentes bona differentia. Vel singuli sumus membra, igitur in differentibus donis hoc agatur; quæ autem sunt illæ gratiæ ex quarum diversitate dicimur membra, et qualiter in illis, nobis invicem subservire debeamus, aperit dicens: *Sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium*, etc. Habentes, simus membra aliorum, ut illis prophetemus. Habentes dico *secundum rationem fidei*, quia prout exigit fides eorum, vel auditorum prophetia datur. Nota quod in enumeratione gratiarum a prophetia incipit, quia prima probatio quod fides nostra sit rationabilis, est quod credentes accepto Spiritu prophetabant.

[‡]12.8 *Qui miseretur*. Hæc miseratio est quotidiana medicina quotidianis vulneribus etsi levioribus; tamen *judicium sine misericordia fiet ei qui non facit misericordiam* Jac. 2., et hoc utique justum est ut dimittatur dimittenti et detur danti. Quisquis vero quasi nimis justus et securus iudicium exspectat sine misericordia, sibi iram provocat. Misericordia hæc multiplex est, scilicet peccanti ignoscere, oppresso subvenire, etc.; et ideo subdit de misericordia ponendo unum ejus membrum cum præmissum sit aliud membrum, ubi autem *qui tribuit, in simplicitate*. Simplicitas excludit hypocrisim, hilaritas gaudium ostendit, et fretum spe futuri.

[¶]12.11 *Non pigri*. Maledictus est qui facit opus Dei negligenter, piger sine spe est in conversatione divina. Et ideo ut frigus pigritiæ pellatur, *Sitis ferventes*, etc. *Spiritu ferventes*. THEOD. Spiritum, gratiam appellavit, etc., usque ad hoc enim dixit. *Orationi instantes*. Id est, assidue hoc facientes. *Domino servientes*, etc. Quasi dicat: Quamvis dixerim ut spiritu ferventes sitis, non tamen passim et importune verba Dei ingeratis, sed temporis opportunitate sitis ferventes, ut aptis locis, personis et tempore verba fidei loquamini. *Ferventes*. Spiritus ignis est quo fervet charitas, unde Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ardeat?* Luc. 12.

[§]12.12 *Spe gaudentes*. Certi de futuris gaudent, et ideo patientes in tribulatione.

^{**}12.16 *Consentientes*. Quod non fit ore tantum, quia tunc est vera humilitas, si non est in sola lingua, ne præsumentes de se non condoleant aliis, sed exprobrant.

date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.^{††}
²⁰ Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.^{‡‡} ²¹ Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

13 Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.^{¶¶} ² Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt:^{§§}
³ nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac: et habebis laudem ex illa:^{*} ⁴ Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei qui malum agit.[†] ⁵ Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. ⁶ Ideo enim et tributa præstatis: min-

^{††}12.19 *Date locum.* Non præcipit ut vindicari nolint sancti a Deo, quod in Apocalypsi clamant sancti, non quidem propter exsaturandum odium, sed quia scriptum est: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam.* Præcipit autem, ut ipsi se non vindicantes dent locum iræ Dei qui dicit: *Mihi vindictam, et ego retribuam.* Si ergo vult bonus, ut Deus inimicum puniat, non est hoc reddere malum pro malo. Cum ergo homo justus et homo malus de inimicis suis a Deo velit vindicari, in quo discernuntur? Bonus magis cupit corrigi inimicum quam puniri, et cum Deus punit non delectatur de pœna inimici, sed hoc ei placet quod et Domino, quia eum diligit, et Deus est quem sequitur in hoc: *Qui pluit super justos et injustos* Prov. 25.; et tamen etiam in hoc sæculo asperius pertinaces corripit et in fine damnabit, cui proinde reservanda est vindicta. Ille dat locum iræ adversarii, qui permittit adversarium facere quod vult.

^{‡‡}12.20 *Sed si esurierit.* Nota insolentiam, *sed*, conjunctionis. Ita enim prosequendum est, quasi non interposita utraque sit conjunctio. Vel etiam ita potest legi, ut neutra superfluat conjunctio, quasi dicat, non solum non defendatis vos, sed si, etc.

^{¶¶}13.1 *Omnis anima.* AUG. Expositio prop. 720 ex epist. ad Rom. Quod ait Apostolus hic rectissime admonet, etc., usque ad tamen omnis homo subditus sit superiori se. *Non est enim potestas.* Potestas est a Deo; sed quæ a Deo sunt, ordinata sunt; ergo potestas est ordinata. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, de bona potestate patet, quod eam perfecit Deus. Rationabiliter de mala videri potest, dum et boni per eam purgantur, et mali damnantur, et ipsa in deterius præcipitatur. Et scias, quod nomine potestatis interdum accipitur potestas ipsa, quæ datur alicui a Deo, aliquando ipse homo habens potestatem; quod diligens lector distinguat. *Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt.* Id est, rationabiliter a Deo disposita, unde: *Deus potentes non abjicit, cum et ipse potens sit* Job. 36.. GREG. Deum quippe imitari desiderat, qui fastigium potentia, etc., usque ad quia nequaquam justa potentia, sed actio prava damnatur.

^{§§}13.2 *Qui autem resistit.* AUG. Quid si jubeat quod non licet? hic sane contemnet potestatem, timendo potestatem majorem; ergo si aliud imperator, et aliud Deus jubeat, cor tempto illo obtemperandum est Deo.

^{*}13.3 *Principes.* Dicit illos esse principes Apostolus, qui propter corrigendam vitam et prohibenda adversa creantur, Dei habentes imaginem, ut sub uno cæteri sint. *Non sunt timore boni,* etc. Si bonus est princeps, bene operantem non punit, sed diligit. Sin malus, non nocet bono, sed purgat eum. Malus ergo subditus debet timere, quia instituti sunt principes ut mala puniant. *Habebis laudem ex illa.* Si justa est, ipsa laudante; si iniqua, ipsa tibi laudis occasionem præbente.

[†]13.4 *Dei enim minister.* Ideo dati sunt rectores, ne mala fiant. *Vindex in iram.* Id est, propter iram Dei vindicandam, vel vindex in iram Dei ostendendam; quia hæc punitio indicat persistentes in malo gravius puniendos.

istri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.[‡] ⁷ Reddite ergo omnibus debita: cui tributatum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.[¶] ⁸ Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit.[§] ⁹ Nam: Non adultabis: non occides: non furaberis: non falsum testimonium dices: non concupisces: et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut teipsum. ¹⁰ Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. ¹¹ Et hoc scientes tempus: quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.^{**} ¹² Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tene-

[‡]13.6 **Ideo enim.** Subditi esse debetis, quia etiam ideo, id est propter ostendendam subjectionem, præstatis tributa, quod est signum subjectionis. Non ait, solvitis, sed præstatis, quasi redditis; quia reddunt dum pugnant pro patria, et dum agunt iudicia, vos præstatis servientes Deo. Per hoc enim, quod illi tributa datis, Deo servitis, quia ministri Dei sunt. Vel præstatis tributa, quia ministri Dei sunt, ut boni laudentur, mali puniantur.

[¶]13.7 **Tributum.** Vel tributum quod dominis solvitur. Vectigal quod ad domum domini vehitur.

[§]13.8 **Nemini quidquam.** Pax ad omnes, dilectio inter fratres. Aliter enim vere fratres non sunt. **Diligatis.** Mentio fit hic de charitate, quia valet ad hanc humilitatem. Sola enim charitas est, quæ etiam reddita semper retinet debitorem. Redditur enim cum impenditur, debetur autem etiam si reddita fuerit, quia nullum est tempus quo impendenda non sit. Nec cum redditur, amittitur, sed potius reddendo multiplicatur; habendo enim redditur, non carendo, ut pecunia quæ reddi non potest, nisi habeatur; nec haberi, nisi reddatur, imo cum redditur ab homine, crescit in homine; et tanto major acquiritur, quanto pluribus redditur. **Diligit proximum.** Cum duo præcepta sint charitatis, pro utroque unum sæpe ponitur, quia nec Deus sine proximo, nec sine Deo proximus diligitur vel potest diligi. Dilectio proximi in factis apparet, dilectio Dei amplius latet, et ideo hanc specialius ponit, de qua Dominus ait: **Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem,** ubi illud mandatum majus dilectionis Dei videtur esse prætermissum. Sed bene intelligentibus utrumque invenitur in singulis; quia qui diligit Deum, nec potest eum contemnere quem Deus præcipit diligi, et qui sancte ac spiritualiter diligit proximum, quid in illo diligit nisi Deum? **Proximum, legem implevit.** Omnem hominem intelligi oportet per proximum, quia nemo est, cum quo sit operandum malum. Qui ergo amat homines, aut quia justus sunt, aut ut justus sint amare debet. Sic enim et seipsum amare debet, scilicet, vel quia justus est, vel ut justus sit. Qui enim aliter se diligit, injuste se diligit, quia ad hoc se diligit ut sit injustus, ad hoc ergo ut sit malus: ergo jam se non diligit; qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.

^{**}13.11 **Et hoc scientes.** Scilicet quia hora est, vel sicut quidam libri habent: hoc tempus, scilicet gratiæ, scientes. Jam ex quo dilectionem habuimus; est hora, id est opportunitas, sed brevis. **Somno surgere.** Somnus est negligentia vel ignorantia. **Nunc enim.** Causæ interpositæ, quare surgere debeamus. **Propior est.** Bene operans vicinus est æternæ vitæ. Baptismus enim est ad veniam, vita bona ad coronam. Vel **propior,** quia plus morti proximi sumus.

brarum, et induamur arma lucis.†† 13 Sicut in die honeste ambulemus: non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudiciis, non in contentione, et æmulatione:‡‡ 14 sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriiis.

14 Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum.¶¶ 2 Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet.§§ 3 Is qui manducat, non manducantem non spernat: et qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum assumpsit.* 4 Tu quis es, qui iudicas alienum servum? domino suo stat, aut cadit: stabit autem: potens est enim Deus statuere illum.† 5 Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem: unusquisque in suo sensu abundet.‡ 6 Qui sapit diem, Domino sapit, et qui

††13.12 **Nox præcessit.** Item quare surgere debent ostenditur: quia **nox** infidelitatis et ignorantiae **præcessit**, id est fuit; sed modo non est cuius memoria monet, ut caveatis. **Dies autem**, id est æterna beatitudo, **appropinquavit**, dum peccata remissa, dum estis iusti per gratiam. **Nox** vetus homo, qui in baptismo præterit; **Dies**, sol iustitiæ Christus, cuius luce veritatem didicerunt, ut sciant quid agendum sit. **Opera tenebrarum.** Opera mala, quæ ex tenebris ignorantiae venerunt, vel tenebras amant, et ad tenebras ducunt

‡‡13.13 **Non in comessationibus.** Nota in his Romanos tangi; et ideo non est eis jus gloriandi. AUG. Horum autem morborum superbia est mater, et humanæ mentis aviditas, quæ etiam hypocrisis sæpe generat; huic non resistitur, nisi crebris divinatorum librorum testimoniis incutiatur timor et charitas.

¶¶14.1 **Infirmum autem.** Perfectæ fidei est nullum cibum discernere, vel immundum putare, quia **omnia munda mundis.** Sed quidam infirmi censebant a quibusdam abstinendum, et ita inter Romanos contentio; unde præcipit tales assumere, non abjicere, sed patiendo exemplo et verbo ad fidem erigere. Et si incognitum est quo quis animo faciat, non inde disceptare. **Non in disceptationibus.** Non est damnandus cuius cogitatio non est aperta, vel de quo nescimus qualis post sit futurus.

§§14.2 **Infirmus.** Ille est infirmus qui cibos discernit, putans alios mundos, alios immundos, eo quod Judæi prohibiti sunt edere, hunc autem suo iudicio relinquendum dicit, ne cum scrupulo edat. Vel, licet sit perfecta fides, quæ omnia licere credit, tamen infirmus et pronus ad casum, qui facile impetu libidinis sternitur, edat olus, id est tenues et aridos cibos, qui non sunt fomentum vitiorum, et abstineat ab illis quibus libido excitatur. Crassitudo enim carniū et deliciosæ epulæ provocant corpus ad libidinem.

*14.3 **Is qui manducat.** Supra præcepit non disceptare de cogitationibus aliorum, hic præcipit non spernere. **Non iudicet.** AUG., lib. II de Ser. Dom. in monte. De manifestis iudicandum, non de occultis, etc., usque ad quicumque humani cibi indifferenter sumi.

†14.4 **Domino suo stat.** De incognito corde alieni servi tu non habes iudicare, sed suos Dominus ad cuius honorem stat, qui stat; ad quem pertinet et casus cadentis, qui potest erigere vel iudicare. **Stat, aut cadit**, ideo dicit: quia ambiguum est, forsan stat, qui putatur cadere. **Stat aut cadit.** Per hoc ostendit se nescire quo animo ille se agat in dubiis. **Stabit autem.** Hic innuit, quod ambigua debemus in meliorem partem vertere, et plus salutem quam mortem reorum optare, et in futuro spem boni habere, etsi aliter sit in præsenti. **Stabit autem.** Quia neque si edit, reus est; neque si non edit, si tamen devotione hoc agit.

‡14.5 **Nam alius.** Supra dixit, quod alii omnia manducant, alii non omnia; de generibus ciborum agens hoc dicit, quod alii omni tempore, alii aliquo certo tempore abstinēt, et utrumque recte fieri posse dicit. **In suo sensu.** Id est in suo consilio dimitatur ne scandalum passus a charitate, quæ est mater omnium virtutum, recedat.

manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo.^{¶ 7} Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur.^{§ 8} Sive enim vivemus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. ⁹In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit: ut et mortuorum et vivorum dominetur. ¹⁰Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? omnes enim stabimus ante tribunal Christi.^{** 11} Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectere omne genu: et omnis lingua confitebitur Deo. ¹²Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. ¹³Non ergo amplius invicem iudicemus: sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.^{†† 14} Scio, et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esset, illi commune est.^{‡‡ 15} Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulat. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. ¹⁶Non ergo blasphemetur bonum nostrum.^{¶¶ 17} Non est enim regnum Dei esca et

[¶]14.6 *Qui sapit.* In suo sensu dico, ut abundans: quia qui sapit diem, vel omnem, vel diem interpositum, Domino sapit. *Et qui manducat, Domino manducat.* Id est ad honorem Domini, cujus omnia creata credit munda, et quia ei serviturus illis sustentatur.

[§]14.7 *Nemo enim nostrum sibi vivit.* Qui enim lege frenatur, non sibi, sed Deo, qui legem dedit, vivit. Si lex non esset, sibi quisque viveret. *Sibi.* Sed Domino, quo iudice damnatur vel coronatur; vel, *sibi,* id est ad laudem suam, sed Dei. Sicut enim magnitudinis ejus non est finis, sic nostræ laudis non erit finis. Non enim cum mortui fuerimus in hac carne, desinemus laudare Deum. Et secundum hoc de fidelibus tantum agit. *Vel sibi,* id est a se iudicandus, sed a Domino secundum hoc de bonis et malis accipitur.

^{**}14.10 *Ante tribunal.* Hoc a simili dicitur: tribunal enim sedes iudicis est, quæ in excelso locatur, ut iudex ab omnibus videatur et ipse ex eminente loco omnes valeat intueri. Ita et Christus quasi in tribunali sedebit, quia ab omnibus videbitur, et ipse omnium conscientias videbit, et causas dijudicabit.

^{††}14.13 *Non ergo amplius.* Non usurpemus nobis quod ad nos non pertinet. Non reprehendamus ea quæ nescimus quo animo fiant; vel etiam si aperta, non ita reprehendamus, ut de sanitate desperemus. In his enim duobus temerarium est iudicium, et vel superbia, vel inevidentia, unde dicitur: *Nolite iudicare et non iudicabimini* Luc. 6..

^{‡‡}14.14 *Scio et confido.* Quasi dicat dico: Ne ponatis offendiculum fratribus. Non autem dico offendiculum vel scandalum, eo quod cibis sit immundus; quia scio per hoc, quod fiducia est in Jesu, qui postquam venit, absolvit a lege. Commune ponit pro immundo, ut tractum a vasis quæ ante omnibus usibus erant communia, quorum quædam postea sacrificiis dedicata non amplius communia, sed sancta dicebantur; vel tractum est a Judæis quia ipsi Judæi dicebantur proprius populus Dei, alii vero omnes communes et immundi.

^{¶¶}14.16 *Non ergo blasphemetur bonum.* Quia qui habet opera bona, si reprehendatur in re minima, bonum suum obfuscatur, et incipit bonum ejus blasphemari per malum. Unde Ezechiel: *Justitia justi non proficiet ei, si erraverit* Ezech. 33.. *Non ergo blasphemetur bonum.* Bona in se comestio blasphemabilis est dum aliis nocet: et quia nocet, abstinence, quia non est causa regni Dei esca.

potus: sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto:^{§§ 18} qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus.*¹⁹ Itaque quæ pacis sunt, sectemur: et quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus.²⁰ Noli propter escam destruere opus Dei, omnia quidem sunt munda: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.²¹ Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.†²² Tu fidem habes? penes te metipsum habe coram Deo. Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat.‡²³ Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.¶

15 Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.² Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.³ Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Impropria impropertantium tibi ceciderunt super me.⁴ Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus.⁵ Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum:^{§ 6} ut unanimes, uno ore honorificetis Deum et patrem Domini nostri Jesu Christi.⁷ Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei.⁸ Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse cir-

§§14.17 **Non est enim regnum Dei esca et potus.** Non usus ciborum, sed concupiscentia refrenanda est. Non interest quid alimentorum vel quantum pro congruentia hominum et personæ suæ et pro valetudinis suæ necessitate quis capiat, sed quam facile et læto animo careat his, cum his vel oportet vel necesse est carere. **Gaudium in Spiritu sancto. Qui enim,** etc. Non utique in epulis, ut multi solent, sed in Spiritu sancto hoc gaudium oritur de fraterna pace; sicut in disceptatione ira, ubi non est spiritus, quia in solis pacificis est; cujus etiam gratia hæc tria sunt in aliquo: justitia, pax et gaudium, quæ in istis Romanis non erant

*14.18 **Placet Deo, et probatus est hominibus.** Secundum quod gaudium est in Spiritu sancto. Probatus autem habetur hominibus secundum justitiam, et pacem etiam, quia disceptatio discordiam parit, ideo dimissis temerariis judiciis, sectemur quæ pacis non discordiæ, et quæ ædificationis, ut cæteri ædificentur, vel jam ædificati conserventur invicem Judæus ad gentilem, et gentilis ad Judæum.

†14.21 **Offenditur.** Perturbatus nesciens quid teneat. Offenditur, qui a fide recta discedit.

‡14.22 **Beatus.** Beatum dicit qui non facit aliud quam quod utile probat, sed illum proprio judicio censet damnandum, qui, quod dicit se debere facere, non facit.

¶14.23 **Omne autem.** Non tamen omne quod fit cum fide bonum est, quia ignorantia quæ est ex culpa, nocet. Omnis vita infidelium peccatum est, quia omnis infideliter vivens vel agens, vehementer peccat, et nihil bonum sine summo bono, ubi deest agnitio veritatis æternæ. Falsa virtus est etiam in optimis moribus. Opera quæ videntur probabilia, præter fidem sic sunt, ut magnæ vires et cursus celerrimus extra viam. **Non est ex fide.** Fides nostra vult ut homo agat hoc quod bene intelligit esse agendum, et peccatum est quod aliter fit, quam probatum est.

§15.5 **Idipsum sapere.** Quasi dicat: Nisi idem sapiatis, Deum honorare non poteritis.

cumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum:**⁹ gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo.^{††}¹⁰ Et iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe ejus.¹¹ Et iterum: Laudate omnes gentes Dominum: et magnificate eum omnes populi.¹² Et rursus Isaias ait: Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt.^{‡‡}¹³ Deus autem spei repleat vos omni gaudio, et pace in credendo: ut abundetis in spe, et virtute Spiritus Sancti.^{¶¶}¹⁴ Certus sum autem fratres mei et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere.^{§§}¹⁵ Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte, tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data est mihi a Deo,^{*}¹⁶ ut sim minister Christi Jesu in gentibus: sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, et sanctificata in Spiritu Sancto.¹⁷ Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum.[†]¹⁸ Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo et factis:¹⁹ in virtute signorum, et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti: ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi.²⁰ Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem:[‡]²¹ sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: et qui non audierunt, intelligent.[¶]²² Propter quod et impediabar plurimum venire ad vos, et prohibitus

** 15.8 *Circumcisionis.* Id est Judæorum ad quos corporaliter venit; unde: **Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël** Matth. 15.. **Propter veritatem.** Non repulit Judæos, quibus proprie veritas, gentibus misericordia, quibus nulla promissio facta erat. **Promissiones.** Promiserat enim Abraham: **In semine tuo benedicentur omnes gentes** Gen. 22.. Et David: **De fructu ventris tui ponam super sedem tuam** Psalm. 131.. Et item Jacob dixit: **Orietur stella ex Jacob** Num. 24..

†† 15.9 *Confitebor.* Confessio autem non tantum peccatorum est, sed et laudis.

‡‡ 15.12 *Erit radix Jesse.* Et ex hac radice erit ille qui exsurget, etc. Jesse, radix: David, arbor, quæ per ramum, id est Mariam, fecit fructum, id est Christum.

¶¶ 15.13 *Et pace.* Ut possitis gaudere, det pacem et concordiam ad invicem; et hoc erit, si sit sana fides. **Ut abundetis.** Id est, ut per ista habita certiores sitis de æterna beatitudine, et abundetis in virtute Spiritu sancti, id est, fortitudine bonæ operationis, quæ datur per Spiritum sanctum.

§§ 15.14 *Certus sum.* Ne videretur Apostolus omnes intelligere discordes et ad corrigendum insipientes, removet quod ideo incipit, ut admoneat perfectiores de correctione minorum; et inde præponit se exemplum qui laborat de aliis, et opus est ut isti hoc faciant, cum ipse aliis impeditus ad eos venire non possit. **Repleti omni sapientia.** Per hanc laudem provocat ad meliora, more exhortantis. Unde nec dicit docere, sed monere; quasi dicat quod sciatur, sed subterfugit animo. Hoc enim solet moneri, quod cum sciatur, aliquando subterfugit animo, aut negligenter habetur.

* 15.15 *Propter gratiam.* Non temere scribit; sed Apostolus gentium audet scribere omnibus gentibus auctoritate sibi tradita per gratiam.

† 15.17 *Habeo igitur.* Sic et vos si de fratribus laboratis. Hoc ideo dicit ut nihil minus se posse probet quam apostolos qui cum Christo fuerant.

‡ 15.20 *Non ubi nominatus,* etc. Quia sciebat pseudoapostolos et alios sub nomine Christi falsa docere, quod postea corrigere maximi erat laboris; ideo sollicitus erat prævenire, et veritatem integre tradere, ubi nondum erat nuntiatus Christus; quod testimonio prophetæ probat.

¶ 15.21 *Et qui non audierunt,* etc. Ut verus esset et inviolabilis de verbo Dei intellectus, festinavit gentes veritate imbuere.

sum usque adhuc. ²³Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis: ²⁴cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruius fuero. ²⁵Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis. ²⁶Probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem.[§] ²⁷Placuit enim eis: et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis. ²⁸Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. ²⁹Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam. ³⁰Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum,^{**} ³¹ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis,^{††} ³²ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum. ³³Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.^{‡‡}

16 Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio ecclesie, quæ est in Cenchrus:^{¶¶} ²ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis: et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque astitit multis, et mihi ipsi.^{§§} ³Salutate Priscam et Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu ⁴(qui pro anima mea suas cervices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed et cunctæ ecclesie gentium),[†] ⁵et domesticam ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo. ⁶Salutate Mariam, quæ

§15.26 *Probaverunt enim.* Ad hujusmodi opera Romanos invitat, quia qui per misericordiam Dei vivit, pius debet esse confratri. *In pauperes.* Hi totos se dederunt divinis obsequiis, nihil mundanum curantes, exemplum bonæ conversationis daban fidelibus.

**15.30 *Ut adjuvetis.* Multi minimi dum congregantur unanimes, fiunt magni, et multorum preces impossibile est ut non impetrent. Si ergo eum videre cupiunt, orent ut liberatum eum recipiant cum gaudio charitatis; unde sequitur *ut liberer.*

††15.31 *Accepta.* Ut illi intellecta charitate illius erga se, cum illo unanimes Deo gratias agant. Magnus enim profectus est ei, cujus ministerio multi facti læti Deum laudant.

‡‡15.33 *Deus autem pacis.* Christus, qui ait: *Pacem meam do vobis, et pacem meam relinquo vobis* Joan. 14.; qui cum suis est usque ad consummationem sæculi, ita et sit vobiscum; ipse enim est qui ait: *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi* Matth. 28..

¶¶16.1 *Commendo autem vobis.* Amodo multos justos Apostolus proponit, quibus credere debeant Romam, quasi dicat: Ita facite ut dixi, hos autem imitamini. *Phœben.* Scilicet Phœbe ditissima et nobilissima mulier fuit, quæ Ecclesiam in loco qui dicitur Cenchrus, sua substantia sustentabat. Ea vero tunc temporis pro aliquo negotio Romam profecta est, per quam forsitan hanc misit Epistolam.

§§16.2 *Suscipiatis digne.* Vel, ut alii codices habent, valde honeste et honorifice.

*16.3 *Priscam et Aquilam.* Aquila est vir Priscillæ: hi coadjutores Pauli Romam ad confirmationem Romanorum venerant. Sic et omnes alii quos salutatur, Romæ fuisse intelliguntur.

†16.4 *Ecclesie gentium.* Quia hi laborant ad profectum gentium exhortantes fidem Christi, qui etiam pericula pro Apostolo pati non recusaverunt; unde et Romani eis obedire debent.

multum laboravit in vobis. ⁷ Salutate Andronicum et Juniam, cognatos, et concaptivos meos: qui sunt nobiles in Apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo. ⁸ Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. ⁹ Salutate Urbanum adiutorem nostrum in Christo Jesu, et Stachyn dilectum meum. ¹⁰ Salutate Apellen probum in Christo. ¹¹ Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcisi domo, qui sunt in Domino. ¹² Salutate Tryphænam et Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidem carissimam, quæ multum laboravit in Domino. ¹³ Salutate Rufum electum in Domino, et matrem ejus, et meam. ¹⁴ Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, et qui cum eis sunt, fratres. ¹⁵ Salutate Philologum et Juliam, Nereum, et sororem ejus, et Olympiadem, et omnes qui cum eis sunt, sanctos. ¹⁶ Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes ecclesiæ Christi. ¹⁷ Rogo autem vos fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. ¹⁸ Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. ¹⁹ Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo. ²⁰ Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. ²¹ Salutat vos Timotheus adiutor meus, et Lucius, et Jason, et Sosipater cognati mei. ²² Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino. ²³ Salutat vos Cajus hospes meus, et universa ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius

^{16.10} **Appellen.** Per tentationes inventus est fidelis in Christo: etsi non suus amicus, vel particeps operis.

^{16.11} **Aristoboli.** Solebat iste Aristobolus congregare fratres in Christo, quos Apostolus salutat adeo probans factum illius. **Ex Narcissi.** Narcissus dicitur fuisse presbyter, sicut legitur in aliis codicibus, qui peregrinando confirmabat sanctos fratres, qui quia præsens tunc non aderat, suos salutavit; et quia non omnium illorum merita noverat, discernit, subdens: **qui sunt in Domino**, id est eos quos dignos noveritis.

^{16.12} **Laboravit.** Labor hic, de quo crebrius Apostolus, est in exhortatione et in ministerio sanctorum, et in pressura et in egestate propter Deum.

^{16.13} **Et meam.** Pro sanctitate ejus vocat suam matrem, cujus filium præposuit pro ecclesiastico officio.

^{16.15} **Et omnes.** Omnes, quibus scribit et quos nominat, jubet se salutare invicem in osculo sancto, id est in pace Christi, ut religiosa sint oscula, non carnalia.

^{16.16} **Christi.** Id est quæ in Christo confidunt, non in alia re.

^{16.17} **Ut observetis.** Pseudoapostolos tangit, quos in tota Epistola cavendos esse monet.

^{16.19} **Vestra enim.** Ideo moneo vos vitare illos, quia vestra fides et obedientia ubique laudatur: quia estis in capite mundi, et sic exemplo vestro jam possent alii corrumpi. Vel, rogo vos vitare illos, quia leviter obedistis, quod bonum est, et inde gaudeo; sed volo ut sitis sapientes in bono discernendo, et sine aliqua parte mali.

^{16.20} **Deus autem.** Vos sitis sapientes: Deus autem **conterat Satanam**, id est falsos prædicatores, vel quemlibet vobis adversantem hominem, vel diabolium. **Sub pedibus.** Ut caput, id est primos motus suggestionum contemnatis, et si diabolus est, conteratis ejus caput sicut Evæ in figura Ecclesiæ, vel sensualitatis dictum est. **Gratia.** Gratiam quam promisit in adventu suo, jam optat eis.

^{16.21} **Salutat vos.** Quasi dicat: Tot et tanti congaudent vestro cœpto, et ideo perseverare vos decet.

civitatis, et Quartus, frater.‡²⁴ Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. ²⁵ Ei autem, qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, et prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti[¶]²⁶ (quod nunc patefactum est per Scripturas prophetarum secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei), in cunctis gentibus cogniti,[§]²⁷ soli sapienti Deo, per Jesum Christum, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.**

‡16.23 *Et universa.* Supra dixerat omnes Ecclesias; sed hic dicit Ecclesiam alterius provinciæ, unde Caius erat.

¶16.25 *Ei autem.* Sic ego vos moneo. Ei autem qui potest vos confirmare, sit gloria, a quo solo bono sunt bona omnia; in quo epistolæ notatur summa, quia hic principaliter intendit Apostolus illos monere ut omnia attribuant gratiæ Dei. *Secundum revelationem.* Mysterium dicit incarnationem Christi, etc., quæ æternis temporibus erant abscondita: quia licet ex aliqua parte antiquis patribus fuissent cognita, plene tamen a nullo fuerunt scita, quousque suo tempore per ipsum Christum sunt revelata.

§16.26 *Per Scripturas prophetarum.* Ab eo reseratas, testimonium dantes huic prædicationi. *Patefactum* in cunctis gentibus ad obediendum, id est ut obediant fidei bene operando. *Taciti* aliis, sed cogniti soli Deo: quia etsi sit modo hominibus revelatum, tamen soli Deo cognitum est, quia solus novit cur ita factum est. In quo reprimit inquisitores qui quærunt cur tantum distulit Deus? cur tot gentes perire permisit.

**16.27 *Cui honor.* AUG. Quod additur: Cui gloria, etc., usque ad quia per eum innotuit hominibus Deus Trinitas, quod est mysterium.

INCIPIT AD CORINTHIOS I

1 Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Sosthenes frater,^{††}
² ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis,
 cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipso-
 rum et nostro.^{‡‡} ³ Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.^{¶¶}
⁴ Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo
 Jesu: ⁵ quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni sci-
 entia.^{§§} ⁶ Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: ⁷ ita ut nihil vobis
 desit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, ⁸ qui
 et confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu
 Christi. ⁹ Fidelis Deus: per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu Christi Do-
 mini nostri. ¹⁰ Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi: ut
 idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eo-
 dem sensu, et in eadem sententia.* ¹¹ Significatum est enim mihi de vobis fratres
 mei ab iis, qui sunt Chloës, quia contentiones sunt inter vos.[†] ¹² Hoc autem dico,
 quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego
 vero Cephæ: ego autem Christi.[‡] ¹³ Divisus est Christus? numquid Paulus crucifixus

^{††}1.1 **Argumentum** Corinthii sunt Achaici, et hi similiter ab Apostolo audierunt ver-
 bum veritatis, et subversi sunt multifarie a falsis apostolis. Quidam a philosophiae
 verbosa eloquentia, alii secta legis Judaicae inducti sunt. Hos revocat Apostolus ad
 veram fidem et Evangelicam sapientiam, scribens eis ab Epheso, per Timotheum dis-
 cipulum suum. **Paulus vocatus.** Id est ab omnibus privilegio nominis dictus **Apos-
 tolus Jesu Christi.** Hic non servum se nominat: quia potius erat opus auctoritate et
 commendatione contra superbiam Corinthiorum, apud quos viluerat. **Et Sosthenes.**
 Ecce per eum qui inter eos versabatur, culpas eorum se rescisse innuit. **Frater.** Per
 hoc removet, quod non malo animo ei notificaverit, sed ex charitate et desiderio
 correctionis.

^{‡‡}1.2 **Cum omnibus.** Et omnibus scribit suffraganeis Corinthiis, qui in eisdem vitiis
 laborabant.

^{¶¶}1.3 **Gratia.** Primum proponit de bonis, ut his alii conformentur. **Et Domino Jesu
 Christo.** Qui a Patre personali quidem proprietate distinctus est, sed unus cum ipso
 unitate substantiae Deus.

^{§§}1.5 **In omnibus.** Supponit partes aliquas in omni verbo, id est in omni genere
 linguarum, vel in omni modo praedicandi, id est minoribus, mediocribus, et perfectis.

*1.10 **Obsecro.** Hucusque bonos laudavit. His laudatis, invitat a hos ad horum
 similitudinem.

[†]1.11 **Chloës.** Nomen est loci vel personae. Aliquibus enim videtur locus esse, ac
 si diceretur: ab his qui sunt Antiochiae. Aliquibus autem femina fuisse videtur Deo
 devota cum qua multi essent colentes Deum.

[‡]1.12 **Hoc autem dico.** Hic contra baptistas agere incipit, de quibus illi gloriabantur.
Ego quidem. Sub suo nomine et apostolorum notat pseudo, ne si diceret: in nomine
 ipsius vel illius, videretur eis invidere, et sibi velle attribuere. Vel posuit nomina
 bonorum apostolorum ut ostendat quod si in nomine majorum non est gloriandum,
 nec in nomine illorum quorum doctrina prava est, gloriandum est.

est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?[¶] 14 Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium:[§] 15 ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. 16 Baptizavi autem et Stephanæ domum: ceterum nescio si quem alium baptizaverim. 17 Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare: non in sapientia verbi, ut non evacuatur crux Christi. ** 18 Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. †† 19 Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.^{‡‡} 20 Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? 21 Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.^{¶¶} 22 Quoniam et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt: 23 nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, 24 ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, et Dei sapientia: 25 quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. 26 Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non

[¶]1.13 *Divisus est* secundum vos *Christus*, quasi dicat: Multos facitis Christos, id est datores gratiarum. Vel qui operatur idem in omnibus divisus est, dum creditur in isto plus operari, in illo minus. Vel quia hoc dicitis, modo a vobis divisus est Christus, id est separatus: *Nunquid Paulus crucifixus est?* Per hoc verum quod Corinthii tenebant, facit eos erubescere de falsis: sicut per Christi resurrectionem, quam credebant, probat resurrectionem mortuorum, quam negabant.

[§]1.14 *Gratias ago Deo*, etc. AUG. Paulus gratias agit Deo, quod neminem ipsorum baptizaverit, qui tanquam obliti in cujus nomine baptizati essent, per hominum se nomina devidebant. Cum enim tantum valet baptismus per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus, ita nec illius, sed Christi esse cognoscitur, etc.

^{**}1.17 *Sed evangelizare*. Perfecte enim baptizare etiam minus docti possunt. Perfecte autem evangelizare multo difficilius est et rarioris operis. Ideo doctor gentium pluribus excellentior, evangelizare se missum dicit, non baptizare. Hoc tamen necessitate instante interdum egit. *Non in sapientia*. Contra sapientiam sæculi. *Non in sapientia verbi*. Sapientiam dicit philosophorum quæ sic dicitur, etsi non sit: attamen illa est quæ verbosus facit, per quam crux, id est mors Christi, evacuatur; et impossibile secundum naturam judicatur, ut Deus immortalis moreretur. *Verbi*. Ibi compositio verborum quæritur, ubi teste virtute ipsa veritas se non commendat.

^{††}1.18 *Pereuntibus*. Id est sapientibus mundi, quorum et sapientia perit, et falsa ostenditur, et ipsi damnandi sunt. *Dei virtus*. Dum occisus diabolus vicit, et hominem liberavit, vel virtutem dat credentibus per quam fiunt miracula, cum res exigit.

^{‡‡}1.19 *Scriptum est enim*. Ideo non misit me in sapientia, quia prædixerat quod eam non reciperet in prædicatione evangelica, sed perderet et reprobareret de collegio prædicatorum suorum: et sic factum est.

^{¶¶}1.21 *Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*. Id est crucis fide æternitatem provenire mortalibus: ut ibi salus reperiretur, ubi stultitia creditur.

multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles:§§ 27 sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia:* 28 et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret: 29 ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus.† 30 Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio:‡ 31 ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriatur.

2 Et ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. 2 Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.¶ 3 Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos: 4 et sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis: 5 ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. 6 Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur:§ 7 sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram,** 8 quam nemo principum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.†† 9 Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum:‡‡ 10 nobis

§§1.26 **Videte enim.** Vere stultum et infirmum Dei, est sapientius et fortius hominibus. Quod in vobis potestis experiri. Insipientes enim et infirmi vos vocaverunt, inter stulta et infirma Dei enumerati sunt tales vocatores, qui tamen confundunt sapientes et fortes. Et vere sunt tales, **quia non multi.** Non autem ait, **nulli**, forsitan pro se, qui solus inter apostolos sæcularium litterarum peritus, terrenarum opum dives, Romanæ dignitatis parentela conspicuus fuit; qui tamen hæc nihili pendit, nec usus est eis.

*1.27 **Sed quæ stulta.** Ecce contra ordinationem Dei faciunt aperte, quia sapientiam sæculi jactant, cum Deus humilitatem proponat. Venit enim humilis Deus quærens humiles, non altos. Qui etsi primum elegerit pauperes, indoctos, infirmos, non tamen relinquit sapientes, divites, nobiles, sed si eos primos eligeret, merito talium rerum sibi viderentur eligi; et ita in eis esset superbia qua homo cecidit. Nisi fideliter præcederet piscator, non humilis sequeretur orator. Unde Nathanæl doctus, in apostolum non est electus.

†1.29 **Ut non gloriatur.** De se, sed de Deo, quod ibi ostenditur: qui gloriatur, in Domino gloriatur.

‡1.30 **Ex ipso autem.** Non gloriatur quis ex se, sed tamen est alia gloria, quia ex ipso vos estis.

¶2.2 **Non enim judicavi.** Qui minus capaci altiora loquitur, non utilitatem, sed sui ostentationem facit.

§2.6 **Perfectos.** Non cognitores et doctores, quibus opus non est, sed auditores jam capaces.

2.7 **In mysterio. Exponendo mysteria Veteris Testamenti in quibus Christus significatus est, ut in hostia Abel, vel Abrahæ. **Quæ abscondita.** Quia non verbis, sed in virtute: non humana ratione comprehensibilis, sed spiritus efficacia credibilis.

††2.8 **Si enim cognovissent.** Vel minores illum esse Messiam in lege promissum, vel majores Deum esse, vel Dei Filium: **nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.**

‡‡2.9 **Nec in cor hominis.** Infra cor hominis est quod in cor ascendit; super cor est æternum ad quod cor ascendit. Vel non est homo, sed spiritus qui novit. **Ascendit.** Res dicitur in corde ascendere, quando bene intellecta placet.

autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.^{¶¶} ¹¹ Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. ¹² Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis:^{§§} ¹³ quæ et loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.* ¹⁴ Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur.[†] ¹⁵ Spiritualis autem judicat omnia: et ipse a nemine judicatur.[‡] ¹⁶ Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? nos autem sensum Christi habemus.

3 Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo, ² lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.[¶] ³ Cum enim sit inter vos zelus, et contentio: nonne carnales estis, et secundum hominem ambu-

^{¶¶}2.10 *Scrutatur*, etc. Scrutari dicitur spiritus Dei omnia, non ut quod nescit, inveniat, sed quia nihil relinquit omnino quod nesciat, vel quia scrutari te facit; quod enim dono ipsius tu facis, ille facere dicitur, quia sine illo tu non faceres.

^{§§}2.12 *Sed Spiritum qui ex Deo est*. Spiritus sanctus utique Patris et Filii est, nec non et noster. Quod enim datum est, etiam ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus dedit. Itaque Spiritus sanctus non tantum Patris et Filii qui dederunt, sed etiam noster est qui accepimus. Et non est iste spiritus noster in quo sumus: quia ipse spiritus noster in quo sumus ipse spiritus est hominis, qui in ipso est. Et ipsum tamen spiritum qui hominis est accepimus. Sed aliud est quod accipimus, ut essemus, aliud quod accepimus ut sancti essemus. Spiritus autem hominis in Scriptura accipitur, pro ipsa anima vel ipsius animæ potentia rationalis. Dedit enim nobis naturam ut essemus, animam ut viveremus, mentem, ut intelligeremus. *Ut sciamus*. Multi habent dona Dei, et nesciendo a quo habeant impia vanitate jactantur. Nemo donis Dei beatus, qui danti est ingratus, unde in Evangelio: *Qui habet, dabitur ei*. Plene habere est scire unde habeat. *Qui ergo non habet*, id est, qui nescit unde habeat, *et quod habet, auferetur ab eo* Luc. 8..

*2.13 *Spiritualia*. Quod Corinthii non estis; et ideo culpa vestra est, non nostra, quod majora non diximus.

[†]2.14 *Animalis autem homo*. Dicitur animalis homo vita, qui fertur dissoluta lascivia animæ suæ, quam intra naturalis ordinis metas spiritus rector non continet, eo quod ipse Deo regendum se non subjicit. Animi vero sensu dicitur animalis, qui Deo juxta corporum phantasiam, vel legis litteram, vel rationem philosophicam judicat. *Quia spiritualiter examinatur*. Animalis non potest intelligere spiritualia, quia examinatur, id est, examinatio et comprobatio fit illorum spiritualium, tantum spiritualiter, id est, a spirituali homine, et personaliter legitur: examinatur. Vel ita: Animalis non intelligit spiritualia, quia spiritualiter, id est, per spiritualia tantum probatur quod animalis est; quia audita improbat, et non ob aliud ei proponuntur, nisi ut examinetur.

[‡]2.15 *Spiritualis autem homo*. Est vel vita vel scientia: spiritualis est vita, qui spiritum Domini habens rectorem, animam regit; scientia vero spiritualis est qui, etsi ex parte et per speculum videt, tamen de eo secundum imagines corporum, vel legis litteram, vel humanam philosophiam non sapit, sed spiritui. Dei subjectus certissime ac fideliter judicat. *Omnia*. Non quidem universa quæ continet divina scientia, sed quæ ad justitiam et vitam sufficiunt, id est, omnia judicanda.

[¶]3.2 *Adhuc enim carnales*. Arguit eos qui querebantur se dudum non audisse spiritualia, cum adhuc indigni essent audire. *Ministri ejus*. AUG. Homo exterius ministrat quasi servus, etc., usque ad quia Deus operatur velle et perficere.

latis? ⁴ Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli; alius autem: Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? ⁵ ministri ejus, cui credidistis, ut unicuique sicut Dominus dedit. ⁶ Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. ⁷ Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus. ⁸ Qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. ⁹ Dei enim sumus adjutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. ¹⁰ Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. ¹¹ Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. ¹² Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, ¹³ uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. ¹⁴ Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. ¹⁵ Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per

§3.8 **Unum sunt.** Posset videri quod si nihil ex se dant, tamen Deus magis per hunc quam per illum.

3.9 **Adjutores. In colendo agro dominico; non depravatores, ut quidam aiunt. Quod inde patet, quia vos estis agricultura. **Agricultura.** Quia colit vos ad fructum. **Ædificatio,** quia qui colit habitat in vobis. Et ita idem est ager et ædificium, quod non in rebus visibilibus. Nos colimus Deum adorando, non ornando. Ille autem sic nos colit, quod meliores nos reddit.

††3.11 **Fundamentum enim.** AUG., lib. de Fide et operibus, c. 15. Fides gratiæ christianæ, id est, ea quæ per dilectionem operatur, etc., usque ad de qua scriptum est: **Vasa figuli probat fornax, et homines tentatio tribulationis probat** Eccli. 27.. **Christus.** Id est, fides Christi, quæ per dilectionem operatur, per quam Christus habitat in cordibus. Aliud non est fundamentum. Hæc autem neminem perire sinit.

‡‡3.12 **Si quis autem.** In auro, argento, lapidibus pretiosis præclara doctrina significatur, in tribus aliis vana doctrina signatur, quæ si modo fallit, in igne apparebit: quia ardebit bona permanente, et erit ei bonæ, scilicet doctrinæ merces vita æterna. **Ligna, fenum, stipulam.** Non hæc de malis operibus accipienda sunt quasi fides sine operibus salvet, quod non est. AUG., in psal. 30. Non sibi polliceatur quisquam habens nefaria opera regnum Dei, etc., usque ad peccata minima atque levissima, quæ ignis facile consumat.

¶¶3.13 **Dies enim.** Hic, dies est hominis pro nutu suo agentis, sed in iudicio vel morte cujusque, dies est Domini secundum merita judicantis, imo et hic iudicium incipit a domo Dei, id est, a salvandis incipit pœna, quæ consummabitur in reprobis. Ideo enim puniuntur electi, ut ibi non puniantur. In quo die est ignis tribulationis quo uritur amor rerum temporalium, dum contristantur de amissis, unde et dicitur: **Tribulationem carnis habebunt hujusmodi.** Ignis vero extremi iudicii tam diu durabit, quousque purgati sint qui salvandi erunt. **Ignis probabit.** Duos ignes futuros legimus. Unum æternum, quo æternaliter punientur reprobi, qui sequetur iudicium. Alterum qui præcedet, quo exuretur facies mundi hujus, qui emendabit eos qui superædificaverunt lignum, fenum, stipulam. Qui autem aurum, argentum, lapides pretiosos de utroque igne securi sunt.

§§3.14 **Mercedem.** Non solum post finem, sed et in hac vita habet requiem suæ animæ contemnentis omnia.

ignem. ¹⁶ Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? ¹⁷ Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. ¹⁸ Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. ¹⁹ Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. ²⁰ Et iterum: Dominus novit cogitationes sapientium quoniam vanæ sunt. ²¹ Nemo itaque glorietur in hominibus. ²² Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt. ²³ vos autem Christi: Christus autem Dei. [§]

4 Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteryorum Dei. ^{**}
² Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. ^{††} ³ Mihi autem

*3.16 *Nescitis*, etc. Hoc præmisit ut illos compungat, qui turpiter viventes corpora sua violant; maxime ille qui uxorem patris habet. Hic agit de structoribus super fundamentum.

†3.17 *Si quis autem*. Iste salvus per ignem, sed si quis voluerit templum quod vos estis, disperdet illum. Et nescitis hoc. *Templum*. AUG. In quibus Deus habitat per fidem sunt templum Dei, etc., qualiter etiam nunc sunt templum Angeli Dei. AUG. Talis congregatio ædificatio est templi Dei; talem congregationem non generatio carnalis, sed regeneratio spiritualis facit. Habitat itaque in singulis Deus tanquam in templis suis, et in omnibus simul congregatis, tanquam in templo suo. Deus igitur ubique præsens est, et ubique totus præsens, nec ubique habitans, sed in templo suo, cui per gratiam benignus est et propitius. Capitur autem habitans ab aliis amplius, ab aliis minus. Habitare autem ideo in animalibus hominibus et parvulis non carnis ætate, sed mentis, quia in eis occulte agit ut sint templum ejus, idque in proficientibus et proficiendo perseverantibus perficit. ID. Sed diceret aliquis: Antequam faceret Deus cœlum et terram, antequam, etc., usque ad beatissimi autem sunt illi, quibus hoc est Deum habere quod nosse. *Sapientia enim hujus mundi*, etc. AMBR. Abusive ponitur sapientia pro astutia.

‡3.21 *Nemo*, etc. Baptistis vel doctoribus. *Nemo*. Quia vestri sunt ipsi; quia universa sunt ad serviendum vobis data, et non est gloriandum, nisi de rebus excellentioribus. *In hominibus*. Quia non sunt datores gratiarum, sive boni sive mali sint, sed tantum ministri.

§3.22 *Omnia enim*. Singulos non sibi defendant doctores vel baptistas, cum omnibus utantur. Mundus est noster si cursus ejus in Dei voluntate ponimus. Vita præsens, nostra, si modeste et cum gloria Dei agitur. Mors nostra est, si spe futuri libenter pro Christo morimur. Præsentia sunt nostra, si sic utimur eis, ne offendamus. Futura, si ea credentes magis optamus. *Sive vita*, etc. Et vita et mors doctorum ad ædificationem subditis esse debent. Vel per vitam, sanctos homines et angelos accipe: qui student profectui fidelium, per mortem, diabolum et membra ejus, qui dum persequuntur, utilitati servorum Dei inserviunt.

§3.23 *Vos autem Christi*. Ut sicut hæc nobis, ita nos Christo subjiciamur. *Christus autem Dei*. Proprius Filius ejus voluntatem ejus faciens, ut et nos faciamus ipsius. Cur ergo ad injuriam Christi de hominibus aliquid speratis?

**4.1 *Sic nos*. Hactenus de gloria pseudo: hic de suo contemptu agit. *Sic nos*. Hoc ideo ait Apostolus, quia de eo minus sentiebant; sed sic homo sentiat, ut Deus qui eum elegit. *Et dispensatores*. AUG. Non solum boni, sed etiam mali dispensatores sunt, etc., usque ad est, illius esse participem.

††4.2 *Hic jam quæritur*. Ita de nobis æstimandum, sed hic inter vos quod non alibi. *Jam* in præsentī cum expectandum esset, donec Deus judicet.

pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die: sed neque meipsum judico.‡‡
 4 Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est.¶ 5 Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus: qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo.§§ 6 Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo, propter vos: ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio.* 7 Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?† 8 Jam saturati estis, jam divites facti estis: sine nobis regnatis: et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus.‡ 9 Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti desti-

‡‡4.3 **Meipsum.** Periculum est vobis de ignotis cordis mei vel aliorum iudicare. Tanta enim profunditas credenda est esse in homine quæ lateat etiam ipsum hominem in quo est, ut in Petro profunditas infirmitatis latebat, cum se Domino commoriturum temere promittebat. Cum ergo quisque de se aut non omnino aut vix possit veram ferre sententiam, quomodo potest de alio iudicare, cum nemo sciat quid agatur in homine, nisi spiritus hominis? **Ab humano.** Id est ab hominibus, dum sunt in suo die, et non est dies Domini. **Humano.** Quia est dies Domini, quo iudicabit quando unusquisque pro se rationem reddet, et tunc secreta cordium patebunt.

¶4.4 **Nihil enim conscius sum.** AMBR. Ne dicatis: Non peccavimus. Dixit sanctus Paulus: *Etsi nihil mihi conscius sum;* addidit tamen, *sed in hoc justificatus non sum.* Et vos etiam, si nihil estis conscii, confiteamini tamen Domino, ne quid sit quod vos prætereat.

§§4.5 **Quoadusque veniat Dominus.** Aliter injuria iudici fit: quia iudicis injuria est si ante iudicium ejus a servo procedat sententia. **Illuminabit.** Id est aperta faciet abscondita tenebrarum, id est peccatorum. **Tunc laus erit unicuique.** Bene agenti vel cogitanti; hic autem nescitur quis sit laude dignus.

*4.6 **Me et Apollo.** Proposui figuram pro omnibus, ut ab omnibus abhorreatur sicut a nobis. **Ne** etc., **unus,** etc. Ab illo, id est meliori quam ille, id est, quasi sit alius ab illo qui nullus est, quantum ad se vel quantum ad ministerium.

†4.7 **Quis enim te discernit.** A massa perditorum? Nullus nisi Deus. Vel si baptizatus es a Petro, quomodo discerneris ab eo qui a Paulo? Nihil ille habet a baptista, nihil tu. Vel redarguit illos eosdem, qui gloriabantur de magisterio pseudo. Quasi dicat: Gloriaris pro illis, sed quid habes ab illis quod non a me? et si a me, quid contra me gloriaris, quasi non idem a me acceperis? **Quid autem,** etc. Aliud genus arrogantiae amovere conatur, scilicet ne homo superbiat propter aliquam gratiam a Deo sibi datam, putans se eam habere a se vel a ministro. **Si autem accepisti.** Hoc dicit contra illos, qui eadem quæ ab Apostolo audientes, de magisterio pseudoapostolorum gloriabantur, qui per eloquentiam commendantes, gloriam in se vertebant; cum Apostolus contemptibilem se videri fecerat, ut gloriam Deo faceret. Ideo Apostolus ironice eis loquitur, quasi concedens quod eis de seipsis videbatur, cum subdit.

‡4.8 **Jam saturati estis.** Quasi: Inquire a vobis, Quid gloriaris, etc.; sed non recte videor hoc facere; quia vos, **jam saturati, jam divites,** ironia est, ac si diceret: Non est ita. Irascentis enim verba sunt, non confirmantis. **Regnetis.** Vere regnare est de spe et promissis Dei securum esse, et in adversis gaudere.

natos: quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus.[¶] 10 Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles.[§] 11 Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, 12 et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, et benedicimus: persecutionem patimur, et sustinemus: 13 blasphemamur, et obsecramus: tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.^{**} 14 Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos carissimos moneo.^{††} 15 Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.^{‡‡} 16 Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. 17 Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus, et fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni ecclesia doceo. 18 Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. 19 Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit: et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem.^{¶¶} 20 Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.^{§§} 21 Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate, et spiritu mansuetudinis?

5 Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.^{*} 2 Et vos inflati estis: et non magis luc-

[¶]4.9 *Puto enim.* Quasi dicat: Nullatenus putandum est. Ironice enim loquitur. Dico *sine nobis*, quia per mala quæ patimur, *Deus ostendit nos apostolos novissimos*, de quibus non curetur, *tanquam morti destinatos*, id est ad nullam utilitatem, sed ad mortem reservatos: quod per hoc videtur, quia ad spectaculum nostrum quasi ad monstrum conveniunt homines; per quod magis probamur amici Dei. Vel ideo deberetis nobiscum regnare, quia puto et certus sum quod nos sumus similes novissimis Eliæ et Enoch in tribulationibus. *Et angelis.* Boni angeli et boni homines laudant, mali irrident: hæc sunt dextera et sinistra. His utimur ad feriendum hostem, id est diabolum, nec illa elevant, nec ista frangunt.

[§]4.10 *Propter Christum.* Cujus crucem prædicamus, quod vos tacentes, videmini in Christo prudentes.

^{**}4.13 *Tanquam purgamenta.* Per hæc omnia probamur in Christo prudentes et fortes.

^{††}4.14 *Non ut confundam vos.* Aspera blandis mitigat, ut salutaris medicus.

^{‡‡}4.15 *Pædagogorum.* Dum pædagogos nominat, pueros significat. *Per Evangelium.* Addidit *per Evangelium*, ne ipsius putaretur esse quod Dei est. Ait enim Dominus in Evangelio: *Ne vobis dicatis Patrem in terra, unus est enim Pater Deus* Matth. 23.; non ut hoc nomen cæteris tollatur, sed ne gratia Dei qua in æternam vitam generamur, naturæ vel potestati, vel etiam sanctitati cujusquam hominis tribuatur.

^{¶¶}4.19 *Si Dominus voluerit.* Ideo dicit, ut ostenderet, quod si non iret, Deum noluisse, causa utique indignitatis illorum.

^{§§}4.20 *In virtute.* Terroris verba infert, ut inflati humiliarentur, et se præpararent ad recipiendum eum. Absit autem, ut pii filii dicerent: Si in virga venturus es, noli venire. Melius enim est erudiri in virga patris, quam perire in blandimento prædonis.

^{*}5.1 *Omnino auditur.* Incipit agere de fornicatione, et redarguit illum fornicatorem qui uxorem patris tenebat, et eos qui eum tolerabant. Erant enim et ipsi participes, dum paterentur reum tam ingentis peccati secum incorruptum convenire. Non solum ergo illum reum mortis, sed etiam inhærentes illi, non esse immunes a crimine demonstravit.

tum habuistis ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.† 3 Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam iudicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, 4 in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu,‡ 5 tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.¶ 6 Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?§ 7 Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.** 8 Itaque epulemur: non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiae: sed in azymis sinceritatis et veritatis.†† 9 Scripsi in epistola: Ne commisceamini fornicariis: 10 non utique fornicariis huius mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiisse.‡‡ 11 Nunc autem scripsi vobis non commiseri: si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum

†5.2 *Inflati estis.* Vento superbiae, quae pellit misericordiam; quia si unum membrum patitur, compatiuntur et caetera.

‡5.4 *In nomine Domini.* Hoc modo iudicavi, ut vos congregati in unum sine aliqua dissensione (quibus mea auctoritas et virtus Christi cooperabitur) tradatis huiusmodi Satanæ.

¶5.5 *Tradere,* etc. Hanc potestatem dicitur Apostolus habuisse, ut dum aliquem a stultitia non posset amovere, diabolo eum vexandum traderet; quousque poenitentiam profitens, a malo desisteret. *Ut spiritus salvus sit.* Sic Apostolus non crudeliter, sed amabiliter Satanæ tradit. Sic Moyses in cultores idolorum paucos quidem iudicavit in præsens terrens, in posterum disciplinam sanciens. Sic et Elias et alii boni: quia sic et metus aliis incutitur, et ipsis peccatum minuitur. Unde hoc exemplum Eliæ non reprehendit Christus in discipulis suis; sed quia odio et non amore correctionis desiderabant vindictam ignis in eos qui sibi hospitium non præbuerunt; sic et Petrus in Anania et uxore ejus vindicasse legitur, vel tradit, ut Spiritus sanctus quo contaminati nudantur, salvus sit eis, non amissus in die iudicii.

§5.6 *Totam massam.* Participes erant, dum paterentur reum. Sed si quis potestatem non habet, quem scit reum abjicere, vel probare non valet, immunis est. Et iudicis non est sine accusatore damnare, ut nec Christus Judam abjecit.

**5.7 *Consersio.* Est farina per aquam conglutinata sine fermento, id est, azyma. Vult ergo ut isti sint unum quid per dilectionem, puri a corruptione peccati, novum hominem induti sicut in baptismo sunt facti. Zyma Græce, fermentum Latine. Pascha immolatio est, non transitus, sicut quibusdam videtur, prius enim Pascha et sic transitus: quia ante exemplum est Salvatoris, et sic salus. AUG. Hæc vitæ nostræ innovatio est quidam transitus de morte ad vitam, etc., usque ad quoniam pascha nostrum immolatus est Christus.

††5.8 *Sinceritatis.* Novæ vitæ et veritatis, sine omni fraude, ut sinceritas mundam vitam faciat, et veritatis omnem fraudem excludat.

‡‡5.10 *Alioquin,* etc. Non possent tales Christo lucrari, si colloquium eorum vitarent et convivium; unde et Dominus cum publicanis et peccatoribus comedebat.

sumere.[¶] ¹²Quid enim mihi de iis qui foris sunt, iudicare? nonne de iis qui intus sunt, vos iudicatis? ¹³nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.

6 Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos, et non apud sanctos?^{§§} ²an nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis?^{*} ³Nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia? ⁴Sæcularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles, qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum.[†] ⁵Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum?[‡] ⁶Sed frater cum fratre iudicio contendit: et hoc apud infideles? ⁷Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? ⁸Sed vos injuriam facitis, et fraudatis: et hoc fratribus.[¶] ⁹An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri,[§] ¹⁰neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. ¹¹Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.^{**} ¹²Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed ego sub nullis redigar

[¶]5.11 **Nunc autem.** Tunc scripsi vobis, et non bene accepistis, nunc autem determinate scribo. **Nominatur.** Eam nominationem voluit intelligi Apostolus: quæ in quemquam, cum sententia, et ordine iudiciario, atque integritate, profertur. Nam si quælibet nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpe falso in quoquam crimina nominantur. Dicendo **nominatur**, ostendit satis non temere, et quolibet modo, sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ conjunctione, aut si per iudicium auferri non possunt, tollerentur potius, ne perverse malos evitando quisque ab Ecclesia discedens, eos quos fugere videtur mittat ad gehennam.

^{§§}6.1 **Audet aliquis.** Occasione hujusmodi iudicii incipit agere de iudiciis, in quibus multis modis peccabant Corinthii, velut, quod contemptis fidelibus infideles iudices adibant, vel stultos iudices constituiebant, et litigabant, et fraudabant, et alia hujusmodi faciebant.

^{*}6.2 **Quoniam.** Quia exemplo fidei illorum, perfidia hujusmodi damnabitur.

[†]6.4 **Sæcularia igitur iudicia.** Quia dixerat Apostolus eos posse de his minimis iudicare, determinat, qui ad hujusmodi negotia definienda sint constituendi, scilicet, contemptibiles qui sunt in Ecclesia. Majores enim spiritualibus intendere debent. AUG., lib. de opere Monac. c. 20. Sapientes igitur qui in locis consistebant fideles, etc., usque ad vel interveniendo præcidendis.

[‡]6.5 **Ad verecundiam.** Terrenas causas examinent qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt. Qui autem spiritualibus donis dotati sunt, terrenis non debent negotiis implicari; ut dum non coguntur inferiora bona disponere, valeant bonis superioribus deservire. Cavendum est tamen, ut hi qui donis spiritualibus emicant, nequaquam proximorum infirmantium negotia funditus deserant, sed vel aliis quibus dignum est tractanda committant, vel per se gerant.

[¶]6.8 **Fratribus.** Quos juvare deberetis, et sic regnum perditis, et pejus, quia scientes.

[§]6.9 **An nescitis.** Nota quod toties repetit, **Nescitis**; quasi: Me sequendo, hoc scire deberetis; sed sequentes pseudo, stulti facti estis.

^{**}6.11 **Sed sanctificati estis.** Nota **sed**, repetitam conjunctionem, non parvum pondus dare sententiæ.

potestate.^{†† 13} Esca ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino: et Dominus corpori.^{‡‡ 14} Deus vero et Dominum suscitavit: et nos suscitabit per virtutem suam.¹⁵ Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.^{¶¶ 16} An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una.^{§§ 17} Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.^{*} ¹⁸ Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.^{† 19} An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?^{‡ 20} Empti enim estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.[¶]

7 De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere:[§] ² propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. ³ Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro. ⁴ Mulier

^{††}6.12 *Omnia mihi licent.* Quia dixit potius ferendum esse, quam causas male agere, ne quis putet sua nullo modo esse repetenda, supponit: Omnia mea mihi licet repetere, sed tamen non repetam, quia non omnia expediunt ad cursum meum, sed impediunt. Item per aliam causam idem ostendit. Quasi: Licita sunt, sed non repetam, quia cum sim liber, nolo redigi suo potestate iudicis: vel, nolo esse sub dominio alicujus rei, ut causa ejus fratrem offendam.

^{‡‡}6.13 *Esca ventri.* Propter hæc non sunt repetenda, tamen esca debetur ventri. Per hæc nota necessaria naturæ, et ideo licet repeti. Sed non multum pro his laborandum, quia destruentur, et ideo licet de his fieri iudicium vel prætermitti.

^{¶¶}6.15 *Corpora.* Non potest non esse sanctum corpus, quo sanctificatus utitur Spiritus. *Membra sunt,* etc. Sicut membra omnia quæ una eademque anima reguntur, unum corpus sunt, ita omnes qui eodem Spiritu sancto vivificantur, unum in Christo corpus efficiuntur. *Christi.* Quia corpus accepit, et corporum caput est.

^{§§}6.16 *Unum corpus.* Tradunt physici, quod adeo uniuntur, quod si sanguis eorum commiseretur, omnino conjungeretur.

^{*}6.17 *Qui autem adhæret,* etc. Non substantiæ identitate sed participatione, cum ei sic adhæret hic per fidem accedens, ut sit particeps beatitudinis ejus, quod tunc plene erit, cum satiabitur desiderium ejus in bonis immutabilibus, scilicet in ipsa Trinitate Domino suo cuius est imago.

[†]6.18 *Fugite fornicationem.* Cum aliis vitiis potest exspectari conflictus, sed hanc fugite, ne approximatis, quia non aliter potest melius vinci. *Omne enim peccatum.* Nullum peccatum intantum dehonestat et coinquinat corpus, ut illud. *Qui autem fornicatur.* Non dicitur propter quantitatem fornicationis, quod ipsa sola sit in corpore, et alia extra corpus. Plura enim adeo magna, ut fornicatio, vel majora. Sed propter qualitatem, quia turpius coinquinat corpus quam alia peccata.

[‡]6.19 *Templum.* Ex hoc patet quod Spiritus sanctus est Deus; si enim non esset Deus, templum utique nosipsos non haberet. Non solum autem Spiritus sanctus, sed etiam Pater et Filius templum nos habent. Templum ergo Dei, hoc est totius Trinitatis, sancta Ecclesia est.

[¶]6.20 *Et portate Deum.* Portare Deum est imaginem Dei in rebus bene gestis ostendere. *In corpore.* Si non parcis tibi propter te, parce vel propter Deum qui te sibi fecit domum. Quam si evertis, peccas in Deum, quod grave est genus peccati; aliud vero genus est peccare in hominem.

[§]7.1 *De quibus.* Occasione fornicationis quam prohibet, continuat de nuptiis, unde illi quæsierant. Et agit tripliciter, secundum consilium, secundum indulgentiam, secundum præceptum.

sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. ⁵Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. ⁶Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. ^{**7} Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. ^{††8} Dico autem non nuptis, et viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. ⁹ Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri. ^{‡‡10} Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: ¹¹ quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. ^{¶¶12} Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. ^{§§13} Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: ¹⁴ sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. ^{*15} Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus. ^{†16} Unde enim scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies? ^{‡17} Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, et

****7.6 *Hoc autem*, etc**

††7.7 *Unusquisque*, etc. Non debet quis constringi, ne prohibitus a licitis admittat illicita, sed ipse quid sequatur eligat, attamen in hoc propensioem esse melius est.

‡‡7.9 *Uri*, est desideriiis agi vel vinci. Non ergo ideo dicit **melius**, quasi bonum sit uri et nubere melius, sed consuetudinem locutionis est secutus.

¶¶7.11 *Quod si discesserit*. Aliud est discedere, aliud ex communi consensu continere. Illud enim malum est, hoc bonum. AMBR.. Ideo non subdit de viro sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere, quia inferior non omnino hac lege utitur, quia potior quod a falsariis dicitur esse appositum. **Et vir uxorem.** Non debet vir dimittere uxorem, quia faceret eam mœchari. Quod si illa est adultera non facit, sed adulteram dimittit. Causa quam Christus excepit hic tacetur, quia notissima est, scilicet fornicationis.

§§7.12 *Nam cæteris*. Ubi uterque fidelis hoc præceptum Domini dedit Apostolus. Nam cæteris ubi non est uterque fidelis (quod in initio Ecclesiæ contigit, cum Evangelium prædicari cœpit), ego dico, etc. **Si quis frater**, etc. Idololatria et quælibet noxia superstitione fornicatio est, et Dominus causa fornicationis quidem permisit uxorem dimitti, sed non jussit, et sic dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit, non dimittat infidelem, quo forsitan possit fieri fidelis.

***7.14 *Sanctificatus est*.** Quia hoc sæpe contingit quod alter per alterum ad fidem convertitur. Vel mundus est vir infidelis quantum ad fidelem mulierem, et nullam ex ejus conjunctione immunditiam patitur mulier fidelis. **Alioquin.** Si dimittitis, invicem nolentes cohabitare et aliis vos copulatis, adulteri estis, et filii vestri spurii, et ideo immundi; nunc, sancti, quia de licitis conjugis nati, et sub Creatoris veneratione nati.

†7.15 *Non enim*. Non est tantum conjugium quod sine Dei devotione est: et ideo non est peccatum ei qui dimittit propter Deum si alii se copulavit. Si vero ambo crediderint, per cognitionem Dei confirmatur conjugium. **In pace.** Non oportet litigare cum discedente, quia odio Dei discedit.

‡7.16 *Unde enim*. Hortatus est supra per ea quæ evenerunt, nunc quia eadem fieri possunt, ad idem hortatur. Hæc autem non lege jubente, sed libera charitate fiunt.

sicut in omnibus ecclesiis doceo.[¶] 18 Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur.[§] 19 Circumcisio nihil est, et præputium nihil est: sed observatio mandatorum Dei. 20 Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.^{**} 21 Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed et si potes fieri liber, magis utere.^{††} 22 Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.^{‡‡} 23 Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum.^{¶¶} 24 Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. 25 De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.^{§§} 26 Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.* 27 Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. 28 Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. 29 Hoc itaque dico, fratres: tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint:[†] 30 et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes: 31 et

[¶]7.17 *Divisit Dominus.* Cuique Deus dedit quando salvetur, id est, scit quando credet, et sustinet donec credat, sic et tu exspecta.

[§]7.18 *Circumcisus aliquis.* Nusquam aufert Apostolus consuetudinem, quæ servata non impedit salutem, monens ne in talibus spes salutis ponatur, cum tantum pro offensione infirmorum serventur. Unde dicit nihil ea esse, subdens: *Circumcisio nihil est.*

^{**}7.20 *Unusquisque in ea.* Hoc ad eas condiciones vel vitæ consuetudines respicit, quæ nihil obsunt fidei bonisque moribus. Sicut enim conjux, sic et latro ad Christi fidem vocatur. Sed ille in conjugio, non a conjugio. Iste vero non in latrocinio, sed a latrocinio. Non enim necesse est, ut conjuges desinant esse conjuges propter fidem Christi, sicut necesse est ut latrones desinant esse latrones.

^{††}7.21 *Servus,* etc. Supra posuit unum exemplum de ritu vivendi, hic aliud de conditione officii. *Magis utere.* Quia quanto quis propter Deum despectior est in hoc sæculo, tanto magis exaltabitur in futuro.

^{‡‡}7.22 *Libertus.* Quia ereptus a peccatis, quæ servos faciunt. Ergo nec servus conditione despiciatur, nec liber ereptus elatus servo se præponat.

^{¶¶}7.23 *Empti estis.* Reddite vicem, ut vos servi sitis Christi, non hominum. Hi sunt servi hominum, qui humanis se subjiciunt superstitionibus. *Servi hominum.* Quod contingit vobis si dicatis: *Ego sum Pauli, ego Apollo,* etc.

^{§§}7.25 *De virginibus.* Causa illius fornicatoris, de omni fornicatione vitanda docet.

*7.26 *Necessitatem* dicit penuriam sæculi quam sæpe patiuntur conjugati. Infirmis infirmam rationem præterdit. Posset enim digniorem reddidisse virginitatis rationem, ejus munus amplius commendando. Supergreditur enim virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines angelis assimilantur. Major tamen victoria virginum est quam angelorum. Angeli enim sine carne vivunt, virgines vero in carne triumphant.

[†]7.29 *Hoc itaque dico.* Hic ad temperantiam monet, quasi diceret: Quando jungemini, ut id sine peccato possit fieri; hoc consilium do vobis, ut qui habent *Tamquam non habentes sint.* Hoc facit qui habens uxorem, reddit et non exigit debitum; qui propter infirmitatem propriam ducit uxorem, plangens potius quia sine uxore esse non potuit, quam gaudens quia duxit, et maxime quia pari consensu continentiam servant. Beatiora sane conjugia indicanda sunt, quæ sive filiis procreatis, sive prole contempta continentiam pari consensu servare potuerunt.

qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. ³²Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. ³³Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. ³⁴Et mulier innupta, et virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. ³⁵Porro hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. ³⁶Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat. ³⁷Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit. ³⁸Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit, melius facit. ³⁹Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. ⁴⁰Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam. ⁴¹

^{37.34} **Cogitat**, etc. Hæc enim de damnatione non timens et de salute segura, cogitat tantum quæ Domini sunt. **Ut sit sancta**, etc. Hoc et nupta, sed amplius innupta, quæ libera a necessitatibus mundanis, quibus astricta est nupta, intensius vacat cœlestibus præceptis.

^{7.35} **Non ut laqueum**. Sed ad id tendens dico, quod honestum est, ut homo sit castus corpore et animo, non quod turpe sit conjugium, sed quod hoc honestius et facilitatem habeat Deum orandi.

^{7.36} **Si quis autem**, etc. Sicut de virginibus determinavit, sic de custodibus determinat.

^{7.38} **Melius facit**. Quia apud Deum, meritum illi collocat, et a sæculi sollicitudine liberat illam. Et ideo recte ait: Melius est enim quod licet et expedit, quam quod licet et non expedit.

^{7.39} **Mulier alligata**. Dixerat mulierem causa fornicationis a viro recedentem manere innuptam, aut viro suo reconciliari, et non dixerat, an maneret toto tempore vitæ suæ, an tempore viri; hoc ergo determinat. Itaque virgo semper potest nubere cui vult, sed mulier, id est conjugata, etiam causa fornicationis dimissa, et separata a viro, vivente viro alligata est legi, etc. **Quod si dormierit**. Non dicit, primus, vel secundus, vel quotus, nec enim nobis diffiniendum quod non diffinit Apostolus: unde nec ullas debeo damnare nuptias, nec eis verecundiam numerositas inferre. Dominus autem septemviram non damnat, nec dicit in resurrectione non posse esse. Sed tantum: **neque nubent, neque nubentur**. Unde nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, ut quoties voluerint, nubant, nec ex corde meo quaslibet nuptias condemnare. Quod dicitur univiræ, hoc omni viduæ.

^{7.40} **Beatior**, etc. Satis ostendit beatam esse etiam post mortem viri iterum nubentem fidelem, sed beatiorem non nubentem. **Puto autem**. Non dubitat Apostolus, sed contemptores increpat, ut et Dominus dicens: **Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis**: Vel, **Putas inveniet fidem in terra?** verbo dubitationis infidelitatem arguit.

8 De iis autem quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, caritas vero ædificat.^{¶¶} ² Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. ³ Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo.^{§§} ⁴ De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus. ^{*} ⁵ Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in cælo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, et domini multi):[†] ⁶ nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.[‡] ⁷ Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur.[¶] ⁸ Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus. ⁹ Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. ¹⁰ Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? ¹¹ Et peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est? ¹² Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.[§] ¹³ Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

^{¶¶}8.1 *De his.* Quasi dicat: scitis æque ac ego, quod licet ea comedere; quia omnes scientiam habemus. Hoc de his dicit qui habentes scientiam cum offendiculo edebant. Quos primum arguit, nec sufficienter scire dicit. Alii autem ignari sub veneratione idoli comedebant. **Scientia inflat.** Per se inutilis est scientia, cum charitate utilis. Per se inflat in superbiam, ut dæmones qui Græco nomine a scientia sic sunt nominati. Propter elationem scientiæ reprimendam datus est Paulo stimulus. Melius est scire infirmitatem nostram, quam naturas rerum; hanc scientiam qui apponit, apponit dolorem peregrinationis ex desiderio patriæ.

^{§§}8.3 *Si quis autem diligit Deum.* Hic diligit Deum, qui charitatis causa scientiam mitigat, ut prosit fratri pro quo Christus mortuus est.

^{*}8.4 *De escis.* Vituperata scientia eorum, tandem aperit quæ est ea vera. **Idolum nihil est in mundo.** Id est, inter creaturas mundi. Materiam enim Deus formavit, sed stultitia hominum formam dedit. Quæcunque enim sunt in creaturis, facta sunt per Verbum. Sed forma hominis in idolo non est facta per Verbum, sicut nec peccatum per Verbum. Sed est nihil, et nihil fiunt homines cum peccant. **Nisi unus.** Hoc dicit ne putetur Deus esse in idolo.

[†]8.5 *Si quidem sunt dii multi.* Id est gentibus plures: quos terret Deus noster, id est dæmones qui volentes videri dii sibi exigunt quæ vero Deo debentur, aras, sacrificia, et alia. Noster vero homines deos facit.

[‡]8.6 *Deus.* Tribus modis Deus dicitur. Substantive dicitur Deus, Trinitas. Adoptive, sancti qui per adoptionis gratiam dii sunt. Nuncupative, dæmones et idola. **Ex quo.** Omnia a Patre, sed per Filium creata sunt. Nec alia per Filium, alia per Patrem, sed eadem: alioquin jam non omnia per Patrem, nec omnia per Filium; si autem omnia per Patrem, et omnia per Filium; ergo eadem per Patrem quæ et per Filium facta sunt; æqualis est ergo Patri Filius, et inseparabilis operatio utriusque. **Et unus.** De Christo pro humanitate subdit, sed de Spiritu sancto non oportuit.

[¶]8.7 *Polluitur.* Per illos scilicet qui habent scientiam unius Dei, sed non cum charitate, per quos in hunc errorem infirmi inducebantur, quorum non cibus polluitur, sed conscientia.

[§]8.12 *In Christum.* In Christum peccare, est Christum negare.

9 Non sum liber? non sum Apostolus? nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? nonne opus meum vos estis in Domino? ^{**} 2 Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino. ³ Mea defensio apud eos qui me interrogant, hæc est: ⁴ Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? ^{††} 5 numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut et ceteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas? ⁶ aut ego solus, et Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi? ^{‡‡} 7 Quis militat suis stipendiis umquam? quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? ^{¶¶} 8 Numquid secundum hominem hæc dico? an et lex hæc non dicit? ^{§§} 9 Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? ^{*} 10 an propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe qui arat, arare: et qui triturat, in spe fructus percipiendi. ¹¹ Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? ¹² Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. [†] ¹³ Nescitis quoniam qui in sacrario operantur quæ de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant? [‡] ¹⁴ Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. ¹⁵ Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc ut ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori,

^{**}9.1 **Non sum liber.** Incipit se proponere in exemplum, ut sicut ipse abstinet a licitis pro scandalo fratrum, ita et illi. Quasi diceret: Abstinete ab hoc licito, quia ego habeo libertatem accipiendi stipendia, et tamen non accipio. Etsi sic inductum sit, intendit tamen se comprobare apostolum, quia occasione pseudoapostolorum minus de eo senserunt Corinthii.

^{††}9.4 **Nunquid,** etc. BEDA. Permisit enim Dominus, non jussit, etc., usque ad potestas igitur est, non jussio Domini, accipere sumptus. **Sororem mulierem.** Dominus in comitatu suo mulieres habuit ne viderentur alienæ a salute, quæ et ministrabant ei; sic et apostoli.

^{‡‡}9.6 **Operandi.** Verbum operandi, honestius quam accipiendi.

^{¶¶}9.7 **Quis militat.** Ne, quia abstinet, coapostolos reprehendisse videretur, addit: **Quis militat.** CHRYS. **Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit?** Per illud pericula; hoc autem laborem et miseriam multam et curam ostendit, et tertium item addit exemplum his verbis. **Quis pascit,** etc. ID. Multam diligentiam, et magistro debitam erga subditos ostendit. Quod ex his apparet: Etenim milites, et agricolæ, et pastores erant apostoli, non bellorum, neque terræ, neque brutorum animantium, sed ratione præditarum animarum, et ejus exercitus qui adversus dæmones armatur. **Et de lacte.** Lac gregis dicitur quidquid a plebe præpositis datur.

^{§§}9.8 **Nunquid,** etc., ID. Hoc est: Nunquid ego humanis duntaxat exemplis rem meam confirmo? an et lex hæc non dicit?

^{*}9.9 **Nunquid de bobus.** Curæ quidem sunt; verum non ita, ut de iis legem instituat.

[†]9.12 **Ne quod offendiculum.** Id est, ne dicatur de nobis, quod causa quæstus et lucri temporalis potius prædicemus Evangelium, quam causa salutis animarum et remunerationis æternæ, habeaturque Evangelium venale.

[‡]9.13 **Nescitis.** Redit rursus ad illud quod incœperat, ostendens quia sibi liceat, et tamen non faciat. Naturalis etiam ratio hoc habet, ut quis inde vivat ubi laborat.

quam ut gloriam meam quis evacuet.[¶] 16 Nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi est, si non evangelizavero.[§] 17 Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est.^{**} 18 Quae est ergo merces mea? ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio. 19 Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.^{††} 20 Et factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer:^{‡‡} 21 iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem: iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos qui sine lege erant.^{¶¶} 22 Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.^{§§} 23 Omnia autem facio propter Evangelium: ut particeps ejus efficiar. 24 Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis.* 25 Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.[†] 26 Ego

[¶]9.15 *Ego autem.* Abstinet Apostolus a sumptibus, ne sit forma pseudoapostolis rapacibus. *Bonum est*, etc. Quisquis enim eo quod sibi debetur uti non vult, amplius impendit Ecclesiæ. Maximam ergo habebat gloriam Apostolus apud Deum, non exigendo stipendium ab infirmis, vel de suis laboribus transigendo quotidianum victum. *Gloriam.* Quam habeo apud Deum infirmis compatiens.

[§]9.16 *Nam et si*, etc. Pro mercede: Vel, si ita evangelizavero, *non est mihi gloria*; quia tunc esset pro necessitate, quia *væ*, id est, penuria esset sicut pseudoapostolis. *Necessitas*, hujus vitæ sustentandæ. *Væ.* Quia unde vivam non habeo.

^{**}9.17 *Si enim volens.* Quia ex voluntate est merces. Videamus quomodo, scilicet si ita ex dilectione facio, ut potius patiar penuriam quam abutar potestate. *Si autem invitus.* Ut quod necessitate cogar, aliis prodero, at non mihi. *Dispensatio mihi.* Hic dispensatio talis intelligitur, ut quasi servus alienum census dispenset, unde ipse nihil capiat præter cibaria. Alibi dispensator dicitur qui ut filius ministrat Evangelium cohæredibus. Non debemus ideo evangelizare, ut manducemus, sed ideo manducare, ut evangelizemus; ut cibus non sit bonum quod appetitur, sed necessarium quod adjicitur.

^{††}9.19 *Ex omnibus.* Negotiis hominum, nihil ab eis accipiendo; *Omnium*, subaudi hominum, *me servum feci*, supportando omnes, veluti bonus procurator supportat infirmos, maxime vos, o Corinthii, per meam patientiam. Feci autem hoc non calliditatis astutia, sed compatiens affectu, *ut plures lucrifacerem Christo.*

^{‡‡}9.20 *Tanquam Judæus.* HIER. Non vere Judæus, sicut nec vere gentilis, quibus in cibus, etc., usque ad quomodo sibi serviri velit, si ægrotaret.

^{¶¶}9.21 *His qui sub lege*, etc. Samaritanis qui libros Moysi recipiunt, quibus non coutuntur Judæi. Sunt autem ex origine Persarum, quos sublato Israël posuit rex Assyriorum vel Persarum ad incolenda loca Samariæ.

^{§§}9.22 *Omnibus omnia.* Omnibus cessit, non tamen religionem excessit.

^{*}9.24 *Nescitis*, etc. Ostendit quanta sit utilitas legis nostræ, in qua non uni, sed omnibus promissa est palma; et qui prior venit, exspectat ut coronetur cum posteriori. *Bravium.* Est præmium cursus.

[†]9.25 *Omnis enim*, etc. De rebus non laudandis trahuntur multæ similitudines, ut in Evangelio de iniquo iudice, qui viduam nolebat audire, et pigro qui non ex amicitia, sed ex tædio panes commodabat; ita hic non commendantur agonistica et ludicra.

igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans:[‡] 27 sed castigo corpus meum, et in servitatem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.[¶]

10 Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt,[§] 2 et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari:^{**} 3 et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt,^{††} 4 et omnes eundem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus):^{‡‡} 5 sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. 6 Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt. 7 Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere.^{¶¶} 8 Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. 9 Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt.^{§§} 10 Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.* 11 Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad cor-

[‡]9.26 **Non quasi.** In incertum currit qui talia facit, ut ex quibusdam sperare, ex aliis desperare possit.

[¶]9.27 **Castigo corpus meum.** Apostolus suo timore nos terruit. Quid enim faciet agnus, ubi aries tremit? **Ne forte,** etc. Quod cito contingere posset; tunc aliis magis cavendum, ne offendendo sint reprobi.

[§]10.1 **Nolo enim.** Volenti comprehendere sic est agendum; non enim baptisma et sacramenta sufficienti, ut quidam putant; sicut nec Judæis beneficia Dei valuerunt, cum post peccarent. **Quoniam patres.** Exemplo Judæorum, qui negligentia sua offenderunt, sollicitos facit. **Sub nube.** Quia omnia in figura nostri illis contingebant.

^{**}10.2 **In Moyse baptizati.** In ducatu Moysi purgati per visa signa illa. Vel, signum baptismi acceperunt, quod credentibus idem valuit. **Baptizati sunt,** quia a morte liberati et per eam mundati ab ignorantia Dei, quæ premebat omnes gentes, et præparati ad accipiendam legem. Vel baptizati dicuntur, quia gerebant formam nostri sacramenti. Moyses Christum, nubes Spiritum sanctum, mare baptismum significat.

^{††}10.3 **Eandem escam.** Id est fide: diversa in tempore, diversa in specie. **Spiritalem.** Id est, spirituale aliquid significantem. Cum dicit **spiritalem,** ostendit spiritualiter intelligi in Christo et hoc de omnibus innuit, unum exponit: **Petra erat Christus.**

^{‡‡}10.4 **Consequente eos petra.** Id est, satisfaciente voluntati eorum, quia quoquo irent, aquæ inundantes secutæ sunt; sic Christus in deserto hujus mundi suos comitatur. Vel, **consequente,** id est, secuturam veritatem significantem. **Petra autem.** Solet res, quæ significatur nomine rei quam significat nominari. **Petra.** Id est Christus, sequebatur, quia ubi humanum deficiebat suffragium, aderat.

^{¶¶}10.7 **Neque idololatræ,** etc. Illos tangit, qui in idolio epulabantur, putantes se immunes a crimine. **Sedit populus.** Per commemorationem illorum notat ea quæ in Corinthiis sunt, ostendens quam graviter punita sint in Judæis. **Ludere.** Id est adorare, quod ludo puerorum simile. Facilis namque ad lusum est pueritia. Quid autem lusui puerili tam simile est quam idola adorare?

^{§§}10.9 **Neque tentemus Christum.** Nota Christum Deum quem tentaverunt Judæi, et ideo a serpentibus perierunt, donec serpens æneus erectus est, quem qui intuebantur, a morsibus sanabantur.

^{*}10.10 **In figura.** Ecce ostendit cur signa illa jam non observantur, cum res manifesta sit ad correctionem nostram.

reptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.[†] 12 Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.[‡] 13 Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.[¶] 14 Propter quod, carissimi mihi, fugite ab idolorum cultura:[§] 15 ut prudentibus loquor, vos ipsi iudicate quod dico. 16 Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?^{**} 17 Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.^{††} 18 Videte Israël secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?^{‡‡} 19 Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum, sit aliquid?^{¶¶} 20 Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum:^{§§} 21 non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum; non

[†]10.11 *Scripta sunt.* Non propter nos tantum. Per hæc enim exempla ad correctiorem vitam provocamur, ut aut præmium, si obediens fuerimus, aut propensioem pœnam inobedientes mereamur. *Fines sæculorum.* Quia in ultima ætate sumus, et tot exemplis priorum magis corrigi debemus. Vel fines sæculi devenerunt in nos, sæcularitas in nobis finitur; et ideo turpius si peccamus.

[‡]10.12 *Videat ne cadat.* Ut qui præsumentes de scientia, cum scandalo fratrum edebant idolothyta, et de pseudo gloriantes, iudicabant apostolum cum ipsi essent rei.

[¶]10.13 *Tentatio vos,* etc. Hortatur ut humana tentatio illos apprehendat, non alia. Humana enim tentatio est, ut in necessitate vel pressura non diffidat homo de Deo, auxilium humanum requirendo. Propter Christum ergo pati, humana tentatio est, per quam proficitur apud Deum. *Possitis sustinere.* Quod fit per humilitatem. Humiles enim in omni tentatione custodit, ut illi non crepent in fornace, qui non habent ventum superbiæ.

[§]10.14 *Propter quod,* etc. Quia sola sacramenta non salvant, et quia qui cadit punitur, et quia auxilium Dei non deest, fugite ab idolorum cultu. Vel, ne comedant sapientes idolothyta cum offendiculo infirmorum, quibus idololatræ viderentur. Vel, ne ipsi infirmi idololatræ sint, et ut fugiatis loquor altum aliquid quasi prudentibus, et ideo diligenter diiudicate. Vel. modo loquor infirmis, ut supra prudentibus.

^{**}10.16 *Calix benedictionis.* Ideo fugiendum a cultura idolorum, quia ut comedens idolothytum unum est cum dæmone, sic per corpus Christi unum est cum Christo. *Panis quem frangimus.* BEDA. Christus quando manducatur, vita manducatur. Sed quis audeat, etc., usque ad manebat apud Patrem integer, ut angelos pasceret.

^{††}10.17 *Quoniam unus,* etc. Unus panis unione fidei, spei et charitatis. Corpus est per subministrationem charitatis: quia unum sumus, et unum sentire debemus. Hæc autem dicit ut fides una unum habeat sensum et opus.

^{‡‡}10.18 *Videte.* Similitudo est ad intelligendum quod supra dictum est. Ideo addidit, *secundum carnem,* quia est Israël secundum spiritum, qui veteres umbras jam non sequitur, sed eam consequentem (quæ illis umbris præcedentibus significata est) veritatem; et immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis, ex quo Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum.

^{¶¶}10.19 *Quid ergo?* Quia dixi, fugite a cultura idolorum, videor dicere, quod *idolis immolatum sit aliquid* magnum, sed non hoc dico, sed potius dico, quod ea quæ gentes immolant, dæmoniis immolant: quia idolo diabolus colitur, qui pejor est idolo.

^{§§}10.20 *Socios fieri dæmoniorum.* AUG., lib. II de Doctrin. Christ., c. 20, 21, etc. Ad hoc genus etiam pertinent consultationes et pacta, etc., usque ad mathematici, qui conantur actionum eventus prædicere, dicuntur.

potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. ²² An æmulamur Dominum? numquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* ²³ Omnia mihi licent, sed non omnia ædificat.† ²⁴ Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. ²⁵ Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.‡ ²⁶ Domini est terra, et plenitudo ejus. ²⁷ Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. ²⁸ Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis: nolite manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam.¶ ²⁹ conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?§ ³⁰ Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago? ³¹ Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.** ³² Sine offensione estote Judæis, et gentibus, et ecclesiæ Dei:†† ³³ sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis: ut salvi fiant.‡‡

*10.22 **An æmulamur Dominum.** Videntur æmulari et invidere Domino, cujus regnum diminuerunt, qui cum scandalo fratrum comedunt.

†10.23 **Omnia mihi licent.** Potestate liberi arbitrii et doctrina legis naturalis. Non quia omnia liceant etiam illicita, sed ecce ponamus licere omnia.

‡10.25 **Omne quod in macello.** Quia licita sunt, et tamen non est utendum eis semper, determinat quomodo liceat edere vel non edere.

¶10.28 **Propter illum.** Quia qui idolis servit, per hoc gloriabitur et confirmabitur in errore, et fratribus malum datur exemplum.

§10.29 **Ut quid enim.** Quasi: Quid opus est, ut puter causa venerationis edere? Judicor enim non distare ab idololatra.

10.31 **Sive ergo manducatis. Non solum ergo vox tua sonet laudes Dei, sed etiam opera tua concordent cum voce tua. Cum enim voce cantaveris, silebis aliquando vita. Sed sic canta, ut nunquam sileas. Si enim ore clamas, et fraudem cogitas, siluisti a laude Dei, et quod gravius est, in blasphemiam perrexisti. Cum enim laudatur Deus de bono opere tuo, laudas Deum: et cum blasphematur Deus de malo opere tuo, blasphemas Deum. Si ergo quod manducas et bibis, ad refectionem corporis sumis, reparationemque membrorum, gratias agens ei qui tibi tribuit mortali et fragili ista supplementorum solatia, cibus tuus et potus laudat Deum. Si vero modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, et vinolentia te ingurgites, quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat.

††10.32 **Ecclesiæ Dei.** Quantum ad infirmos quibus fiunt offendicula, dum eorum exemplo adhærent his quæ inimica sunt Deo.

‡‡10.33 **Omnibus placeo.** Qui hominibus propter veritatem placet, jam non ipse illis, sed veritas placet. Si propter seipsum placet homo, superbia est; hoc est quod alibi dixit: **Si hominibus placerem, servus Christi non essem** Gal. 1.. Sed nunquid placebat persecutoribus suis? Placebat omni generi hominum, quod Christi congregabat Ecclesiam, sive jam intus positus, sive introducendis in eam.

11 Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.[¶] ²Laudo autem vos fratres quod per omnia mei memores estis: et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.^{§§} ³Volo autem vos scire quod omnis viri caput, Christus est: caput autem mulieris, vir: caput vero Christi, Deus.* ⁴Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. ⁵Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: unum enim est ac si decalvetur. ⁶Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum. ⁷Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est.[†] ⁸Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. ⁹Etenim non est creatura vir propter mulierem, sed mulier propter virum. ¹⁰Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter angelos. ¹¹Verumtamen neque vir sine muliere: neque mulier sine viro in Domino.[‡] ¹²Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem: omnia autem ex Deo.[¶] ¹³Vos ipsi iudicate: decet mulierem non velatam orare Deum?[§]

[¶]11.1 *Imitatores.* Sunt gradus in Ecclesia majorum et minorum, ut illi exemplo præcedant, hi imitatione sequantur. Sed et qui præcedunt, si neminem sequuntur, errabunt: sequuntur ergo aliquem, id est Christum.

^{§§}11.2 *Laudo,* etc. Incipit hic agere de velationibus in quibus arguit illos suas traditiones non servantes: quia illorum aliqui viri velato capite, et aliquæ mulieres non velato capite orabant, aut prophetabant. Unde et succenset eis Apostolus, quia cum esset eis Apostolus, immemores erant traditionum ejus, quasi. Etsi de aliis culpo, laudo tamen de hoc: ironia.

*11.3 *Viri,* etc. Potest nomine viri intelligi hic spiritus, non ille Spiritus sanctus qui cum Patre et Filio immutabilis manet, et dignis animis incommutabiliter datur; sed spiritus hominis, qui quasi animæ maritus, animale affectionem tanquam conjugem regit. *Caput Christus est.* Quia spiritus hominis regitur a sapientia Dei, quæ Christus est: in quo sicut in capite sunt omnes sensus spirituales, id est, plenitudo gratiarum, de qua accipit vir iste, et per hoc est vir caput mulieris, id est, rector animalitatis, quæ regitur a spiritu tanquam mulier a viro. *Orans.* Quia in aliis ubi est, potest velare, sed nondum suo iudici se offert et colloquitur, ubi conditionem suam necesse est profiteri.

†11.7 *Quoniam imago.* Imago et similitudo pro se invicem accipiuntur, sed tamen in hoc proprie est similitudo animæ cum Deo, quod incircumscripita, quod ubique tota et simul. AUG., lib. XII de Trin. c. 7, 8, 9. Homo dicitur imago Dei, et ad imaginem: quia non æqualis, etc., usque ad ut male viventes bene loquendo turpitudinem suam contegant.

‡11.11 *Verumtamen.* Quamvis in prima conditione non sit vir de femina, sed converso: etiam in sequenti generatione non est hoc. *In Domino.* Id est in operatione Domini, in qua alter sine altero non creatur.

¶11.12 *Omnia autem.* Postquam singula dixit, ut omnia Deo uni principio subjiceret, addit *omnia ex Deo,* ut neque mulier de subiectione doleat, neque vir de exaltatione superbiat.

§11.13 *Vos ipsi.* Quia Corinthii ejus traditionem non servaverant (quod eis succenset), jam non ex auctoritate traditionis suadet, sed ex natura. *Natura nos docet, quia vir si comam nutriat,* etc. Coma est gloria mulieri, quia naturaliter eam habet pro velamine: coma enim indicium velaminis est ut naturæ voluntas addatur. Et ideo vir non est naturaliter comatus, quia non est velandus, et lex prohibet virum esse comatum.

¹⁴ Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi:**
¹⁵ mulier vero si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. ¹⁶ Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei. ¹⁷ Hoc autem præcipio: non laudans quod non in melius, sed in deterius convenitis.†† ¹⁸ Primum quidem convenientibus vobis in ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo. ¹⁹ Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.‡‡ ²⁰ Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare.¶¶ ²¹ Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum, et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.§§
²² Numquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo.* ²³ Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem,† ²⁴ et gratias agens fregit, et dixit:

**11.14 *Si comam*, etc. Coma Samuelis et prophetarum pro velamine veteris legis, in revelatione Evangelii deponitur: unde cum transieris ad Christum, auferetur velamen.

††11.17 *Hoc autem præcipio*. Non deserentis solertia requiratur, sed præcipientis auctoritas attendatur. *Non laudans*. Incipit de Dominica cœna dicere, in qua multum peccabant.

‡‡11.19 *Oportet et hæreses*, etc. Non vult nec optat Apostolus esse hæreses, sed quia sic futurum est, dicit. Et ad quid hoc sit utile, subdit: Ut non tantum reprobi (qui dicunt: *Ego sum Pauli*), sed et qui probati sunt, manifesti fiant. Hæreses dicit pro his qui dubitant de resurrectione. Scissuræ erant pro donis spiritualibus: et hi malo suo prosunt catholicis. Omnes enim inimici Ecclesiæ vel errore cæcati vel malitia depravati prosunt Ecclesiæ: quia si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam. Si vero male sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam.

¶¶11.20 *Dominicam cœnam*. Dominicam cœnam dicit acceptionem Eucharistiæ, quam non debent pransi sumere, vel mensis suis miscere, ut hi quos Apostolus arguit, sed jejuni, in honorem tanti sacramenti. Licet enim post cœnam discipulis suis dederit corpus et sanguinem suum, non tamen jam calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper sumitur. Nam Salvator quo vehementius commendaret mysterii hujus altitudinem, voluit hoc ultimum infigere cordibus et memoriæ eorum. Quo ordine autem post sumeretur, ab apostolis per quos ecclesias dispositurus erat, servavit docendum.

§§11.21 *Unusquisque enim*, etc. Notat illos qui munera quæ offerebant altaribus pro sacrificio conficiendo, peracto illo, sibi resumebant, nec aliis non habentibus communicari sinebant, sed soli sumebant: ita ut inde etiam inebriarentur, aliis esurientibus. AMBR. Munus oblatum totius fit populi, etc., usque ad formam quæ a Christo in hujusmodi re data est iterat.

*11.22 *Ecclesiam*. Ecclesia sunt fideles; de quibus dicitur: *Ut exhiberet sibi Ecclesiam gloriosam*. Hoc tamen nomine vocari ipsam domum orationis Apostolus testatur, dicens, *Aut Ecclesiam Dei*, etc. *Laudo vos?* Vel sic distingue: *Laudo vos in hoc?* utique non laudo.

†11.23 *Ego enim accepi*, etc. Ostendit mysterium Eucharistiæ inter cœnandum celebratum, non cœnam esse. Medicina enim spiritualis est, et memoria redemptionis, ut majora consequamur, quia morte Christi liberati sumus. Hujus in edendo et bibendo memores esse debemus, Novum Testamentum in hoc consecuti: quia beneficii divini sanguis est testis, unde ad tuitionem corporis et animæ percipimus: quia caro Christi pro salute corporis, sanguis pro anima nostra: ideoque non manducandum prædixit lex sanguinem. *In qua nocte*. In nocte passus ad lucem resurrectionis venit.

Accipite, et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.[‡] ²⁵ Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. ²⁶ Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.[¶] ²⁷ Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.[§] ²⁸ Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat. ²⁹ Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.^{**} ³⁰ Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.^{††} ³¹ Quod si nosmetipsos dijudicarem, non utique iudicaremur. ³² Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.^{‡‡} ³³ Itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate.^{¶¶} ³⁴ Si quis esurit, domi manducet, ut non in iudicium conveniatis. Cetera autem, cum venero, disponam.

12 De spiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres.^{§§} ² Scitis quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes.^{*} ³ Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. Et nemo potest

[‡]11.24 *Fregit.* In sacramento scilicet, secundum quod videbatur et integrum esse a fidelibus credebatur. Unum omnibus dedit, ut in unitate permanerent: sed cum fregit, spontaneam passionem suam ostendit.

[¶]11.26 *Quotiescumque.* Exponit in quam Christi commemorationem, mortem scilicet. *Donec veniat.* Quia hoc non mutabitur sicut sacramenta Judæorum.

[§]11.27 *Indigne.* Non quia manducat aliquis non ad salutem, ideo minus est corpus et sanguis quod accipit.

^{**}11.29 *Judicium sibi manducat.* Quæritur quomodo hoc, cum Dominus dicat: *Qui manducat me, ipse vivet propter me?* Sed duo sunt modi manducandi: unus sacramentalis, quo manducant tam boni quam mali; alius spiritualis, quo soli boni. Et hoc est non solum Christum manducare et in sacramento ejus corpus accipere, sed in ipso manere, et habere ipsum in se manentem. Spiritualiter enim manducat, qui in unitate Ecclesiæ (quam ipsum sacramentum significat) manet. Nam qui discordat a Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit, etsi tantæ rei sacramentum ad iudicium quotidie sumat.

^{††}11.30 *Ideo inter vos.* Hoc fit ad correctionem aliorum.

^{‡‡}11.32 *Dum iudicamur,* etc. Eisdem qui patiuntur etiam pœna propria, est aliquando purgatio, ut prophetæ Addo, qui prohibitus comedit: qui vivus potuit terri vel contristari de eo quod non erat sensurus mortuus. Dictum est enim ei: *Non inferetur cadaver tuum in sepulcro patrum tuorum* III Reg. 13.. Et per hoc inobedientia prophetæ puniri potuit, ne ad supplicium tartareum ejus anima raperetur. *Corripimur.* In paucis est omnium emendatio, quatenus timore pœnæ nostræ alii emendantur.

^{¶¶}11.33 *Invicem exspectare.* Ut multorum oblatio simul celebretur, et omnibus ministretur.

^{§§}12.1 *De spiritualibus.* Agere incipit Apostolus de bonis sancti Spiritus, pro quorum majoribus alii superbiebant, minores invidebant et despiciebant, quasi nunquam habituri essent.

^{*}12.2 *Scitis.* Spiritualia, traditurus priora commemorat, ut sicut fuerunt tunc imago idolorum, ita nunc sint imago Dei.

dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.[†] ⁴ Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus:[‡] ⁵ et divisiones ministrarum sunt, idem autem Dominus:[¶] ⁶ et divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus.[¶] ⁷ Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.[§] ⁸ Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum:^{**} ⁹ alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu:^{††} ¹⁰ alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.^{‡‡} ¹¹ Hæc autem omnia operantur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.^{¶¶} ¹² Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus.^{§§} ¹³ Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus,

[†]12.3 **Ideo notum.** Quia per singula charismata hominibus magis gloriam quam Deo dabant, nescientes hoc a Spiritu sancto ministrari; in omnibus ostendit laudem Dei esse et gratiam, ut sicut tunc imago idoli totum malum fuit ex homine, ita nunc ex Spiritu Dei omnia bona credantur. **Nemo in spiritu,** etc. Cogitando, loquendo, operando. **Dicit** similiter tribus modis, scilicet, corde, ore et opere anathema Jesu, id est aliquam separationem, a Jesu, id est quodlibet peccatum: quasi: Abstinetur per spiritum a malo. **Nisi in Spiritu sancto.** Quasi: Bene operari et omne bonum est per Spiritum sanctum, et ideo major non despiciat minorem, quia nihil habet nisi a Spiritu sancto.

[‡]12.4 **Divisiones.** Hoc commune omnibus: sed gratiæ sunt divisæ, ne minor desperet: ne major, dum audit gratias, superbiat.

[¶]12.6 **Idem vero Deus.** Hoc ait, ne Pater et Filius et Spiritus sanctus alia separatim operari videantur, ex eo quod Spiritui gratias, et Domino ministraciones, et Deo operationes supposuerat, omnia referens ad unum Deum subdit: **Quia Deus operatur. Omnia in omnibus.** Non uni omnia tribuit, sed in omnibus omnia operatur, ut quod non habet quis in se, habeat in alio, et sic maneat charitas et humilitas.

[§]12.7 **Unicuique.** Divisa sunt bona, et non ad meritum alicujus singulariter dantur, sed ad utilitatem ædificandæ Ecclesiæ. Accepimus et nos Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam, si charitate compaginamur, si catholico nomine et fide gaudemus. Credamus, fratres, quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum sanctum.

^{**}12.8 **Sapientiæ.** Sapientia est in contemplatione æternorum. Scientia in actione temporalium. Unde in Job: **Ecce pietas.** Id est, cultus, Dei **est sapientia,** qui Græce **theosebia.** Et quis hic cultus ejus, nisi amor et cognitio ejus? abstinere autem a malis scientia est: mala autem in temporalibus sunt, in quibus caute et prudenter versandum est. Cui datur sapientia, est quasi sol; cui scientia, luna in nocte sæculi; quibus cætera dantur, stellæ sunt: quia hæc in nocte sunt necessaria.

^{††}12.9 **Alteri fides.** Et fides inter dona Dei et munera est. Non ergo sola charitas, sed charitas cum fide a Deo nobis est.

^{‡‡}12.10 **Sermonum.** Sermones sunt allegoricæ pronuntiationes quæ in prophetis et in Evangeliiis apparent.

^{¶¶}12.11 **Unus atque idem spiritus.** Quod supra dixit tres operari, hic nominat spiritum: quia enim unius sunt naturæ, quod unus operatur, tres operantur. Unus et idem, inquit, ne tot putentur quot sunt opera: non quod sine Patre et Filio Spiritus operetur. Inseparabilis est enim operatio Trinitatis. **Dividens singulis.** Unde nec huic dolendum, nec illi superbiendum. **Ut vult.** Qui solus novit quod conveniat, et gratis, non ad meritum hominum.

^{§§}12.12 **Ita et Christus.** Caput et corpus dicitur Christus, propter ineffabilem unitatem capitis et membrorum. Unus spiritus faciet omnia in membris corporis Christi, sicut una anima videt in oculo, audit in aure, et in cæteris omnibus omnia facit.

sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi: et omnes in uno Spiritu potati sumus.*
¹⁴ Nam et corpus non est unum membrum, sed multa.[†] ¹⁵ Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? ¹⁶ Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo est de corpore? ¹⁷ Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus: ubi odoratus? ¹⁸ Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit.[¶] ¹⁹ Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? ²⁰ Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. ²¹ Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii.** ²² Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt: ²³ et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorum circumdamus: et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorum honestatem habent.^{††} ²⁴ Honestam autem nostram nullius egent: sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat, abundantiorum tribuendo honorem,[‡] ²⁵ ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra.^{¶¶} ²⁶ Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia

*12.13 *Etenim.* Ostendit quomodo corpus Christi sit unum quia omnes baptizati, id est abluti et in uno spiritu ducti sumus in hoc, ut simus unum corpus, id est unanimes pro illum unum spiritum, ut totum corpus hominis una anima vegetatur. Et quia omnes potati sumus in acceptione diversorum donorum Spiritus sancti, *in uno spiritu*: quia omnia dona ad unum efficiendum dirigit. Non illius persona contemnenda vel præferenda, nec hominibus gloria Dei danda: quia unus et idem in omnibus operatur.

†12.14 *Nam et corpus.* Ostendit per similitudinem humani corporis unitatem corporis Christi, id est Ecclesiæ, habere varietatem officiorum et diversitatem hanc non tollere unitatem: sicut humani corporis unitas non in singularitate consistit, sed in multis membris, ut invicem sibi præstent quod debent.

‡12.17 *Si totum.* Quasi dicat: Si in Ecclesia omnes essent unius officii, quomodo impleretur necessitas corporis, cujus gubernationi diversis opus est?.

¶12.18 *Memora, unumquodque eorum sicut voluit.* Ut nihil desit illi: ita et in Ecclesia diversas personas quibus tribuit munera diversa.

§12.19 *Quod si essent omnia unum,* non modo multitudo sensuum periret, sed etiam corpus. Ita si in Ecclesia omnes essent unius officii et dignitatis, non discernentur membra neque corpus.

**12.21 *Aut iterum caput pedibus.* Ipsa dignitas contemptibilis est sine subjectis. Officium enim est per quod dignitas constat. Magnus imperator necessarium habet exercitum.

††12.23 *Inhonestam sunt.* Absit ut in membris sanctorum aliqua sit turpitudine: sed dicuntur inhonestam, quia non habent eam speciem decoris quam habent ea quæ in promptu sunt. Vel propter legem membrorum quæ de peccato venit; usus membrorum illicitus turpis est, non membra ipsa. Intelliguntur etiam quidam fratres qui cum honesti sunt egestate et habitu, aliquando tamen vitæ mundioris sunt. Vel intelliguntur illi qui in Ecclesia per aliquod peccatum inhonesti, abundantius adjuvantur consolationibus et orationibus, ut honesti fiant.

‡12.24 *Honestam autem.* Quasi dicat: Ita et fratribus in quibus studium peritiæ, conversationis ornavit honestas, nihil est quod addatur a nobis. *Sed Deus temperavit.* Remoto illo quod obest, ponit illud quod prodest, scilicet contemperationem.

¶¶12.25 *Sed in idipsum pro invicem.* Quasi dicat: Sollicita sint membra, ut tendant in idipsum, id est in id sollicitudinis quod sit ipsum, id est indifferens, ut non minus pro alio quam pro se.

membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.^{§§ 27} Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.*²⁸ Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, exinde doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.^{† 29} Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores?^{‡ 30} numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?³¹ Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.[¶]

13 Si linguis hominum loquar, et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.^{§ 2} Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam: et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.**³ Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.⁴ Caritas patiens est, benigna est.

^{§§}12.26 *Et si quid patitur.* Hoc de membris corporis ambiguum non est, quia si oculus vel pes capiatur aliqua ægritudine, totum corpus condolet. Ita et nos decet condolere fratribus si quid adversitatis emergerit, et lætari si bene cesserit.

*12.27 *De membro.* Vel Christo, vel a me cujus prædicatione instituti estis.

†12.28 *Et quosdam quidem.* Determinat hic de donis Dei, quæ altiora, et quæ sint inferiora. De his enim putabant Corinthii, quod minus esset majus, et quod majus esset minus. *Primum.* Dignitate et tempore *apostolos* vice Christi prædicantes et omnium iudices. *Secundo prophetas.* Id est mysteria Scripturarum vel futura revelantes. *Tertio doctores.* Præcepta vivendi dantes, vel qui pueros litteris imbuunt. *Genera linguarum.* CHRYS. Ecce donum Dei est, multas scire linguas. Et nota quod ultimum ponit illud, quod illi primum ponebant.

‡12.29 *Nunquid omnes pro,* etc. Qui hæc non habet in se amet in aliis ea: et in eis jam hæc habet, quæ in se non habet.

¶12.31 *Excellentiorem viam.* Charitatem, quia est majus omnibus prædictis donum; unde in fine, his qui dicunt, *Domine, in nomine tuo prophetavimus, dæmonia ejecimus, virtutes fecimus, dicet Dominus: Recedite a me, non novi vos, operarii iniquitatis* Matth. 7..

§13.1 *Si linguis,* etc. Probat hic quod charitas excellentior est: quia alia sine illa non valent, et illa sine istis prodest plurimum. *Charitatem autem.* Charitas est fons proprius et singularis bonorum cui alienus non communicat. Quæ ut oleum non potest premi in imo, sed superexcellit; quæ si desit, frustra habentur cætera: si adsit, habentur omnia? *Velut æs sonans,* etc. Sicut impulsu aliquo et non per se æs resonat, sic loquens linguis, non per se, qui nescit quod loquitur, sed virtute spiritus profert ea quibus audientes mulceat.

**13.2 *Et si habuero prophetiam.* Ut Balaam, et Caiphas, et Saul. *Noverim mysteria.* Ut et Judas cum apostolis, et diabolus qui (ut Ezechiel dicit) mysteria divina novit. *Scientiam.* Ut scribæ et Pharisæi, unde: *Vos habetis clavem scientiæ, sed nec intratis, nec alios intrare sinitis* Matth. 23.. Habent hæc utique et mali, qui et confitebuntur in iudicio, ubi non audebunt mentiri: quibus non dicitur: Non habuistis, sed *non novi vos:* quia ea sine charitate habuerunt.

Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur,^{†† 5} non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum,^{‡‡ 6} non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: ⁷ omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.^{¶¶ 8} Caritas numquam excidit: sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.^{§§ 9} Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. ¹⁰ Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* ¹¹ Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. ¹² Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.^{† 13} Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas.[‡]

14 ² Sectamini caritatem, æmulamini spiritualia: magis autem ut prophetetis. ³ Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria.^{¶ 3} Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, et exhortationem, et consolationem. ⁴ Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat: qui autem prophetat, ecclesiam Dei ædificat. ⁵ Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nam major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis; nisi forte interpretetur ut ecclesia ædificationem accipiat. ⁶ Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens: quid vobis prodero, nisi vobis lo-

^{††}13.4 *Charitas patiens est*, etc. Hæc sunt arma quibus miles Christi armatur. Cujus armaturæ quasi præcipua arma præmisit, patientiam et benignitatem. ORIG. Patientia illata a proximis mala æquanimiter portat, benignitas sua bona proximis desiderabiliter impendit. **Non æmulatur.** Quia non eam aliena felicitas contristat. **Non inflatur.** Quia non eam sua felicitas attollit.

^{‡‡}13.5 **Non quærit**, etc. Non est amatrix pecuniæ.

^{¶¶}13.7 **Omnia credit.** Non dicit omnibus credit, quia soli Deo. **Omnia sperat.** Sic in patribus, id est in populo Israël apparuit, qui sperabant habere quod promittebat Deus. **Omnia sustinet.** In capite, id est in Christo, qui patienter exspectavit gloriam resurrectionis et ascensionis.

^{§§}13.8 **Charitas.** Item in hoc est dignior quia nec in hoc sæculo, nec in futuro finitur, etsi quædam opera ejus cessent. **Nunquam excidit.** Si credendo et sperando diligimus quod nondum videtur, quanto magis cum videbitur?

*13.10 **Evacuabitur quod.** Destructio imperfectionis est, quando id quod imperfectum est impletur in totum.

[†]13.12 **Nunc.** Imagines veritatis per fidem videntur. **Tunc autem facie ad faciem.** Id est res ipsæ manifeste videbuntur. **Tunc cognoscam.** Id est videbo promissa, **sicut ipse est**, hoc est præsentem ad Deum esse, ubi Christus est. Vel sicut præscitus sum cognoscere quod modo est secretum, **Speculum.** Est anima: speculum vi cujus aliquo modo Deum noscimus, sed obscure. **Ænigma.** Est autem ænigma non omnis, sed obscura allegoria. Unde sicut per speculum significavit imaginem, ita nomine ænigmatis similitudinem quamvis, sed obscuram et ad percipiendum difficilem intelligit.

[‡]13.13 **Fides, spes,** etc. Quibus scientia et propheta militat sine quibus nullius justi est vita ista perfecta. **Major autem horum est caritas.** Caritas est cui hic fides et spes non potest deesse, sed fides et spes sine charitate possunt esse.

[¶]14.2 **Qui enim loquitur lingua,** etc. Hoc autem fiebat quando lingua loquens se non intelligebat, ut si quis alicujus linguæ prolationem et non significationem sciret

quar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina?[§] 7 Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara; nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur?^{**} 8 Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?^{††} 9 Ita et vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis: quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes. 10 Tam multa, ut puta genera linguarum sunt in hoc mundo: et nihil sine voce est.^{‡‡} 11 Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: et qui loquitur, mihi barbarus.^{¶¶} 12 Sic et vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem ecclesiæ quærite ut abundetis.^{§§} 13 Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. 14 Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.* 15 Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente.[†] 16 Ceterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet: Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit.[‡] 17 Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur. 18 Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.[¶] 19 Sed in ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam: quam decem millia verborum in lingua. 20 Fratres, no-

§14.6 **Nunc autem.** Dixi quod major est qui prophetat, quam qui loquitur lingua. In meipso autem videre potestis, quod lingua non prodest, prophetia autem prodest. **Nunc autem.** Si venero nunc ad vos, quando fideles estis, **linguis loquens**, quid vobis prodero? quasi dicat nihil, quid ergo tunc lingua proderat, quando infideles eratis? quasi dicat nihil. **Aut in revelatione.** Ut exponam revelationem. Revelatio est quando per figuras ostenduntur quædam mysteria, ut in Apocalypsi. **Aut in scientia.** Ut exponam ea quæ ad sciendum pertinent. Ea sunt quæ fidem illuminant, ut de natura Deitatis. **Aut in prophetia.** Ut exponam Scripturas quæ de futuris agunt. **Aut in doctrina.** Ut exponam Scripturas quæ mores informant.

14.7 **Tamen quæ sine, etc. Per me ostendi linguam non valere sine interprete. Per me dico, ostendi, qui sum rationalis, tamen per inanimata idem possum ostendere.

††14.8 **Etenim si incertam.** Item per aliam similitudinem. **Etenim si incertam,** etc. Judæus erat usus tubæ in festis et in bellis diversis sonis.

‡‡14.10 **Et sine voce.** Multæ sunt linguæ, sed habent proprias significationes vocum, ut intelligantur.

¶¶14.11 **Si ergo nesciero.** Et quia alii sine interprete non intelligerent, ego ero barbarus.

§§14.12 **Sic et vos.** Vel sub una distinctione, sic. Et propter hoc ne sitis barbari, et vos ut ego quærite ut abundetis.

*14.14 **Spiritus meus orat.** Spiritus vocatur vis animæ inferior mente, ubi corporalium rerum similitudines imprimuntur. Mens, altera superior vis animæ, ut supra. Spiritus Pharaonis infirmatus est, ut videret imagines mens Joseph illuminata est, ut intelligeret. **Sine fructu.** Ita est si lingua incognita quis loquatur, vel signa aliarum rerum sine intellectu proferat, sicut solent Latini homines Græce cantare, oblectari sono verborum, nescientes tamen quid dicant.

†14.15 **Orabo spiritu.** Id est, ita loqui approbo, ut signa rerum formentur in spiritu, et eorum intellectus refulgeat in mente. Vel, **Orabo** ore et mente.

‡14.16 **Amen.** Nota quod hoc verbum **amen**, nec Græcum, nec Latinum est, sed Hebræum, et interpretatur **verum**. Cumque posset dici, **verum**, non tamen dixit, sed **amen**. Nec Græcus, nec Latinus interpretis ausus est id facere, ne vilesceret nudatum, sed honorem haberet velamento secreti.

¶14.18 **Gratias ago Deo.** Proponit se exemplum, quod non debent loqui linguis nisi ad ædificationem, sicut ipse qui omnes novit.

lite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote: sensibus autem perfecti estote. §
 21 In lege scriptum est: Quoniam in aliis linguis et labiis aliis loquar populo huic: et nec sic exaudient me, dicit Dominus. ** 22 Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. †† 23 Si ergo conveniat universa ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles: nonne dicent quod insanitis? ‡‡ 24 Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, vincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: 25 occulta cordis ejus manifesta fiunt: et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit. 26 Quid ergo est, fratres? Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. ¶¶ 27 Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres, et per partes, et unus interpretatur. §§ 28 Si autem non fuerit interpret, taceat in ecclesia: sibi autem loquatur, et Deo. * 29 Prophetæ autem duo, aut tres dicant, et ceteri dijudicent. † 30 Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. ‡ 31 Potestis enim omnes per singulos prophetare: ut omnes discant, et omnes exhortentur: 32 et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt. 33 Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: sicut et in omnibus ecclesiis sanctorum doceo. ¶ 34 Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. 35 Si quid autem volunt discere, domi viros suos

§14.20 *Sed malitia parvuli estote.* Sitis remoti a malitia, ut parvuli, studentes his quæ prosunt, quod est perfectio sensus.

**14.21 *In lege.* Ratio quare non debet quærere linguas est quia in signum sunt infidelibus (quod ipsi jam non sunt) et non ad ædificationem quæ necessaria est jam fidelibus. *Aliis linguis.* Non de sabbato, et neomeniis, et circumcissione et hujusmodi, sed Novum Testamentum. Vel, non in revelatione, qua indigni sunt, sed in parabolis dicitur eis Evangelium. *Et nec sic exaudient.* Hoc de his prædixit quos præciit non credituros, quibus propter peccata non patet vel placet veritas.

††14.22 *Itaque linguæ in signum.* Id est sermones Dei incognita lingua et peregrina obscuri sunt ne videantur a perfidis, ut cum audiuntur, signum sit quia propter perfidiam factum est ne audientes intelligant: hoc utique fit infidelibus quibus teguntur sensus, fidelibus autem convenit prophetia et non lingua incognita.

‡‡14.23 *Si ergo conveniat.* Alia ratio datur hic cur non debeant loqui linguis, quasi dicat, quia *linguæ sunt in signum*, non ad ædificationem.

¶¶14.26 *Quid ergo.* Jam incipit determinare quo modo linguis sit utendum; quasi dicat: Quandoquidem hæc veniunt de locutione linguarum; ergo quid agendum de his est? quasi dicat: Utamini linguis ad ædificationem, sicut cætera agenda sunt. *Unusquisque,* etc. Ideo nullus se excuset. *Psalmum habet.* Laudem Dei, per canticum. *Doctrinam.* Sensus spirituales per prudentiam.

§§14.27 *Aut ut multum tres.* Non plus quam tres, ne loquens linguis occupet diem, et non sit locus prophetis Scripturas disserentibus.

*14.28 *Sibi autem loquatur.* Sibi loquitur qui compungitur ex his quæ dicit. Et ideo ad honorem Dei, quem laudat vel orat.

†14.29 *Prophetæ duo.* Quia sufficit sermo tot hominum, et in ore duorum vel trium stat omne verbum.

‡14.30 *Quod si alii.* Datur inferiori, quod non superiori.

¶14.33 *Non enim est dissensionis Deus.* Esset autem Deus dissensionis si eos quos replet, simul loqui compelleret. *Sicut in omnibus,* etc. Mulieres taceant, sicut ego doceo in omnibus ecclesiis.

interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia.^{§ 36} An a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit? ³⁷ Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.^{** 38} Si quis autem ignorat, ignorabitur.^{†† 39} Itaque fratres æmulamini prophetare: et loqui linguis nolite prohibere. ⁴⁰ Omnia autem honeste, et secundum ordinem fiant.

15 Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, ² per quod et salvamini: qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.^{‡‡ 3} Tradidi enim vobis in primis quod et accipi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas: ⁴ et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas:^{¶¶ 5} et quia visus est Cephæ, et post hoc undecim:^{§§ 6} deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt: ⁷ deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus: ⁸ novissime autem omnium tamquam abortivo, visus est et mihi.^{* 9} Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei. ¹⁰ Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum:^{† 11} sive enim ego, sive illi: sic prædicamus, et sic credidistis.^{‡ 12} Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mor-

§14.35 *Turpe est.* Quia contra disciplinam ecclesiasticam hoc est.

**14.37 *Si quis videtur propheta.* Quod utique non est, si non ita esse cognoscit: qui enim vere est, ita cognoscit, et qui hæc ignorat, ignorabitur, id est improbabitur. Pusilli in cruce gloriantes etiamsi ignorent quæ subtilissime disseruntur, ad gloriam tamen perveniunt, quia non perit unus de pusillis pro quibus Christus mortuus est. *Cognoscat.* Cum hoc dicit, innuit difficilia esse verba epistolarum, cum a propheta vel spirituali jubet cognosci.

††14.38 *Si quis autem ignorat.* Sed si quis hæc ignorat, et non vult credere esse mandata Dei, ignorabitur, ut in Evangelio: *Nescio vos,* id est non novi vos esse meos, vel inter prædestinatos.

‡‡15.2 *Per quod et salvamini.* Si retinetis illud Evangelium, id est resurrectionem mortuorum, ea ratione qua confirmavi vobis, id est per resurrectionem Christi. *Nisi frustra credidistis.* Quod est, si non tenetis resurrectionem mortuorum. Incassum est fides quæ non accipitur sub spe resurrectionis.

¶¶15.4 *Resurrexit tertia die.* Et hoc dixi secundum Scripturas. Inquit enim Osee: *Post biduum vivificabit nos, et in die tertio resurgemus in conspectu ejus* Ose. 6.. Si mortuus et sepultus resurrexit, ne dubitetis mortuos et sepultos resurgere.

§§15.5 *Visus est Cephæ.* Prius quam aliis viris quibus apparuisse legitur in Evangelio, aliter contrarium esset ei quod primo mulieribus apparuisse legitur.

*15.8 *Abortivo.* Abortivus dicitur quia extra tempus legitimum natus, id est antequam debeat, vel post et tardius renatus apostolatam accepit, jam Christo assumpto. Vel similis abortivo, quia sum minimus, vel tempore et vocatione, non dignitate, labore et prædicatione. Hoc causa humilitatis vere dixit, et probat dicens: *Non sum dignus.* Cur ergo Apostolus? *Gratia autem Dei* Primum sola gratia, cum non præcederent nisi mala merita. Sed post per gratiam incipiunt merita.

†15.10 *Abundantius.* Hoc magis impletum est, quia de opere manuum vixit, nec Evangelio minus fecit. Et ne voluntas sine gratia Dei putaretur aliquid posse, subdit: *Non ego, sed gratia,* etc

‡15.11 *Et sic credidistis.* Arguit eos: quia cum hæc manifesta fides esset apud omnes ecclesias, illi tamen inde desciverant.

tuorum non est? ¹³ Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit. ¹⁴ Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra: ¶ ¹⁵ invenimur autem et falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus adversus Deum quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. § ¹⁶ Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. ¹⁷ Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra: adhuc enim estis in peccatis vestris. ** ¹⁸ Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt. ¹⁹ Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. ²⁰ Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, ²¹ quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. †† ²² Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. ‡‡ ²³ Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. ¶¶ ²⁴ Deinde finis: cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. §§ ²⁵ Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. * ²⁶ Novissima autem inimica destruetur mors: om-

¶15.14 *Si autem Christus.* Hucusque Christum resurrexisse ostendit. Nunc per resurrectionem ejus probat resurrectionem mortuorum. Negabant pseudoapostoli Christum vere passum fuisse, aut sepultum, aut resurrexisse vel in carnem venisse.

§15.15 *Invenimur autem.* Hæc et alia ideo inferuntur, ut erubescant Corinthii sequentes errorem pseudoapostolorum, quem absurda hæc consequuntur, quæ etiam ipse damnat. Ne ergo in hoc errore remaneant, dicit: *Inveni*, etc. *Adversus Deum.* Non min re, sed majore fortassis scelere in Deo laudatur falsitas, quam vituperatur veritas.

** 15.17 *Quod si Christus non,* etc. Si Christus non resurrexit; Christus in morte retinetur. Et si in morte, tunc et in peccato, quod est causa mortis Et si in peccato tenetur, peccata vestra remittere non potuit. Et ita adhuc estis in peccatis vestris, quæ remissa vobis credebatis, et sic est vana fides vestra.

††15.21 *Quoniam quidem per hominem.* Ecce primitiæ, homo et homo, homo ad vitam, homo ad mortem, sed ille non nisi homo, iste Deus et homo.

‡‡15.22 *Et sicut.* Per *sicut*, notatur similitudo et causa, quia sicut ex corruptione Adæ ad mortem, ita ex spiritu Christi ad vitam.

¶¶15.23 *Unusquisque.* Ordines exponit, ut de re certa: et tempora quando factum sit, et quando futurum sit, ut resurgant mortui. *Deinde qui sunt.* Alia littera: *Deinde hi qui sunt Christi in adventu ejus*, scilicet resurgent. Itaque qui in Christum credunt, et minus eo digni sunt, resurgent posteriores tempore, et dignitate minores. Et qui sint Christi, exponit subdens: *Qui in adventu ejus crediderunt*, etc.

§§15.24 *Deinde finis.* Hoc ponit ad commendationem resurrectionis, qua impleta finis erit mundi et consummatio omnium. *Cum evacuaverit.* Dum durat mundus, angeli angelis præsent, dæmones dæmonibus, nomines hominibus: ad utilitatem viventium, vel ad deceptionem. Sed hominibus collectis in angelis et hominibus omnis prælatio cessabit, non erit inter præsidentes et subditos illa dissensio. Tunc autem notum erit omnibus, nihil horum aliquos terrenos vel cœlestes habuisse ex se, sed ab illo, ex quo sunt omnia.

* 15.25 *Oportet autem illum regnare.* Sensus est: Oportet regnum ejus interim manifestari, donec omnes inimici eum regnare fateantur: dicendo *donec* excludit majorem manifestationem, non ampliorem regni permanentiam. Unde alibi: *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur*, etc. Non ut tunc avertantur, sed ut nihil amplius requirant.

nia enim subjecit pedibus ejus. Cum autem dicat:† 27 Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia.‡ 28 Cum autem subjecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.¶ 29 Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid et baptizantur pro illis?§ 30 ut quid et nos periclitamur omni hora? 31 Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.** 32 Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus, et bibamus, cras enim moriemur.†† 33 Nolite seduci: corrumpunt mores bonos colloquia mala.‡‡ 34 Evigilate justī, et nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor.¶¶

†15.26 **Novissima autem.** Inter alia constat quod et potestatem suscitandi habet Christus cum subdit: **Novissime autem inimica destruetur mors.** Modo Christus regnat, et tunc regnabit: sed novissime, id est post omnia destruetur mors, quia amplius non dissolventur homines sicut hæretici arbitrantur. **Novissime.** Quia non erit aliquid quod destruat; postquam hoc mortale induat immortalitatem. **Inimica.** Cui inimicamur: vel ipsa nobis. Iterum commendatio resurrectionis.

‡15.27 **Præter eum qui subjecit ei omnia.** Qui sicut ex nullo est, ita nulla ratione potest alicui esse subjectus: Ipse enim principium est omnium. **Ut sit Deus omnia.** Quia cum dicit omnis creatura Christum esse suum caput, Christi autem caput, Deum, non tantum in omnibus, id est in confessione omnium, unus erit Deus, sed et omnis creatura fatebitur ipsum esse ex quo sunt omnia.

¶15.28 **Ut sit Deus.** Ipse est finis quem supra toties concludens posuit: post membratim explicat quæ sit consummatio futura. **Omnia.** Quæ desiderari possunt. **In omnibus,** membris suis: quia præmium virtutis erit ipse qui dedit virtutem, quia Deus erit unde satientur.

§15.29 **Pro mortuis.** Id est pro peccatis delendis. Vel, pro se mortuis faciendis ad similitudinem mortis Christi, quid facient cum non sint vitam habituri? **Si omnino,** etc. Ita ut nec Christus surrexerit? ut quid baptizantur cum peccata non dimittantur, si Christus non resurrexerit?

15.31 **Propter vestram. Vel: **Per vestram gloriam.** Ecce Apostolus jurat ut sciamus quia verum jurare non est peccatum, sed non ideo in dubiis jurandum est; et tutius est non jurare quam consuetudine jurandi pejorare. Falsum vero jurare, gravissimum est peccatum. Contra præceptum non est juratio: quæ non est a malo jurantis, sed increduli vel infirmi, qui aliter non credit.

††15.32 **Si secundum hominem.** Id est agens rationabiliter quia hominis est credere, non mori hominem ut bestiam, **pugnavi,** id est disputavi. **Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.** Hoc propter eos qui quasi nihil futurum sit post mortem, ventri tantum student ut pecora, dicentes: Quis inde venit? Non audivi vocem cujusquam inde venientis. Quibus dicitur: Stulte, si pater tuus surgeret, crederes? Dominus omnium surrexit, et non credis. Qui voluit mori et surgere, ut omnes uni crederemus, ne a multis deciperemur. Crederes patri iterum morituro, et non credis jam immortalis, qui denique testimonium habet in caelo, testimonium in terra, testimonium ab angelis, testimonium ab inferis.

‡‡15.33 **Nolite seduci,** etc., a pseudo; qui de medicina quærent vulnus et de Scripturis conantur torquere vinculum, unde laqueum mortis injiciant. **Corrumpunt bonos mores,** etc. THEODOR. Bonos hic leves vocavit qui facile decipiuntur.

¶¶15.34 **Evigilate.** Hoc nolite, sed **evigilate** a corpore; et sic eritis **justi;** et post: **Nolite peccare** illis consentiendo, quia ignorant Deum.

³⁵ Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient?^{§§} ³⁶ Insuper, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur.* ³⁷ et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus ceterorum. ³⁸ Deus autem dat illi corpus sicut vult: ut unicuique seminum proprium corpus.† ³⁹ Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.‡ ⁴⁰ Et corpora caelestia, et corpora terrestria: sed alia quidem caelestium gloria, alia autem terrestrium.¶ ⁴¹ Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate:§ ⁴² sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.** ⁴³ Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: ⁴⁴ seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est et spirituale, sicut scriptum est:†† ⁴⁵ Factus est primus homo Adam in animam viven-

§§15.35 *Sed dicet aliquis.* Hactenus per rationes probavit resurrectionem mortuorum, modo per ipsam rerum naturam posse fieri ostendit; quasi dicat per hæc probatur: sed tamen aliquis depravatus sic loqui posset, quasi mortuorum resurrectio per naturam fieri non possit: *Et si resurgent: qualive corpore,* quasi dicat: Non poterit aliud esse quam modo, id est passibile et mortale. Respondet Apostolus: *Insuper,* id est qui non attendis quod quotidie vides in grano.

*15.36 *Insuper tu: quod seminas.* Ita mortuus poterit vivere, et meliori corpore: ut quod seminas, melius surgit.

†15.38 *Deus autem dat.* Sicut ergo nudum granum seminatur, et Dei nutu quodammodo vestitum resurgit multa secum habens incrementa, ita mortuus Dei virtute poterit vivere, et meliori corpore resurgere. *Unicuique seminum.* Ita et nobis reformabit corpora nostra antiqua, ut Job ait: *Quem visurus sum ego ipse, et non alius.* Sed erit differentia in gloria et dignitate, quamvis de eadem sint natura. Sicut non omnis caro est ejusdem dignitatis, licet de eisdem elementis, et hoc est quod ait:

‡15.39 *Et eadem caro.* Omnis caro corpus, sed non e converso: ut lignum.

¶15.40 *Cælestia.* Resurgentium corpora sunt caelestia; terrestria antequam moriantur, quia ex Adam. Et quia Christus caelestis est, ex eo corpora caelestia dicuntur, et non jam caro dicuntur. Ex Adam vero, quia terrestris est, terrestria corpora denominantur.

§15.41 *Stella enim a stella differt,* etc. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt,* etsi idem denarius, id est vita æterna omnibus. Una est enim beatitudo, quam justiperficiunt; sed dispar retributionis qualitas. Cum sint autem resurgentes impari claritatis, tamen Deus est omnia in omnibus, quia Deus charitas est, et per charitatem fiet; ut quod habent singuli, communiter sit omnium.

**15.42 *Seminatur.* Id est, quamvis homo ex quo concipitur usque ad dissolutionem sit in corruptione et post verbis scateat, tamen surget in incorruptione.

††15.44 *Corpus animale.* Id est quod nihil habet ab anima, nisi quod sensificetur per eam, sicut animalia. *Surget spirituale.* Transiens in naturam spiritus, id est habens quædam spiritualia, quia agile, leve, cibus non indigens. Cum dixit corpus transiturum ad incorruptionem, corruptionis mentionem facit, ut ostendatur major dignitas resurrectionis. *Si est corpus.* Vere surget corpus spirituale, quia *si* modo est, *animale est,* id est constat esse; quandoque *erit spirituale.* Sicut enim animales sumus quia pater noster carnalis factus est in animam viventem: sic erimus in resurrectione spirituales: quia Pater noster spiritualis factus est in sua resurrectione in spiritum vivificantem.

tem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.‡ 46 Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale. 47 Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis.¶ 48 Qualis terrenus, tales et terreni: et qualis cælestis, tales et cælestes. 49 Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis. 50 Hoc autem dico, fratres: quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit.§§ 51 Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* 52 In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti: et nos immutabimur.† 53 Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: et mortale hoc induere immortalitatem. 54 Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria.‡ 55 Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?¶ 56 Stimulus autem mortis peccatum est: virtus vero peccati lex. 57 Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nos-

‡15.45 **Homo.** Totum genus humanum sunt quodammodo illi duo homines, primus et secundus: ex illo nati, ex hoc renati. Christus dicitur Adam, quia de eadem materia; novissimus, quia post eum non succedit homo alius, qui sit caput vel auctor humani corporis. **Sed non.** Dixit corpora nostra futura spiritualia; sed ne quis dubitet an animale possit fieri spirituale, probat per similitudinem Christi; quasi dicat, factus est in spiritum vivificantem. **Sed non prius** fuit in eo illud **quod est spirituale, sed quod est animale, deinde spirituale.** Sic et de nobis poterit fieri.

¶15.47 **Primus homo.** Vere primus est in animam viventem; quia de pulvere terræ formatus est animalis et passibilis ex natura. **Secundus homo,** quia **de cælo,** id est quia divina natura fuit humanæ unita, ideo **cælestis,** id est spiritualis in resurrectione; et quia primus pater fuit terrenus, tales sunt omnes. **Cælestis.** Dicitur esse Christus, quia non humano ritu, sed divino nutu conceptus est et natus.

§§15.50 **Hoc autem dico.** Judæi credebant futuram resurrectionem, sed more hujus vitæ, ut nuberent et generarent: unde sadducæis quidam non poterant respondere de septemvira muliere, de resurrectione enim erant hi carnaliter cogitantes: sed hoc Apostolus removet, dicens: **Quia caro.** Per carnem et sanguinem, ventrem et libidinem, id est opera carnis (quæ ibi non erunt) significat. **Neque corruptio incorruptelam possidebit.** Ne putares secundum substantiam carnis hoc dici, aperuit. Ideo dixit quod caro non possidebit regnum Dei: quia corruptio mortalitatis, quæ nomine carnis hic ostenditur, non possidebit incorruptibilitatem.

*15.51 **Omnes quidem.** Vel (secundum Hieronymum qui vivos repertos non morituros asserit, ad Marcellam scribens) omnes mortui resurgent, et non omnes vivi reperti immutabuntur, sed soli sancti.

†15.52 **In novissimo.** Id est in novissimo signo, quod dabitur, ut ista impleantur. Hæc tuba est clamor de quo dicitur: **Media nocte clamor factus est: ecce sponsus venit.** Tubæ nomine aliquod evidens et præclarum signum dicitur, quod vox archangeli et tuba Dei alibi dicitur, et in Evangelio appellatur vox quam audient mortui qui in monumentis sunt et procedent, etc. **Immutabimur.** Exponit quomodo hoc fiat, vel qualis sit immutatio.

‡15.54 **Absorpta est.** Id est destructa in victoria Christi; vel in hoc quod modum vincendi excessit, Christum invadendo; vel mors est peccati delectatio cum consensu, quæ victa est in hoc quod servi Dei vincent concupiscentias carnis suæ.

¶15.55 **Ubi est, mors, victoria tua?** Hæc sunt verba prophetæ, vel Apostoli lætantis et morti insultantis in persona resurgentium, ut certior sit resurrectio: quasi dicat: Vicisti in morientibus, victa es in resurgentibus. Victoria tua qua absorbueras corpora morientium, temporalis fuit: qua in corporibus resurgentium absorpta es; æterna constabit.

trum Jesum Christum. ⁵⁸Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.

16 De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite.[§] ² Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non, cum venero, tunc collectæ fiant.^{**} ³ Cum autem præsens fuero, quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. ⁴ Quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum ibunt. ⁵ Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo. ⁶ Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo: ut vos me deducatis quocumque iero.^{††} ⁷ Nolo enim vos modo in transitu videre, spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. ⁸ Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. ⁹ Ostium enim mihi apertum est magnum, et evidens: et adversarii multi. ¹⁰ Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut et ego. ¹¹ Ne quis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace, ut veniat ad me: exspecto enim illum cum fratribus. ¹² De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus: et utique non fuit voluntas ut nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit. ¹³ Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini. ¹⁴ Omnia vestra in caritate fiant. ¹⁵ Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanæ, et Fortunati, et Achaici: quoniam sunt primitiæ Achaïæ, et in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos:^{‡‡} ¹⁶ ut et vos subditi sitis ejusmodi, et omni cooperanti, et laboranti. ¹⁷ Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, et Fortunati, et Achaici: quoniam id, quod vobis deerat, ipsi suppleverunt: ¹⁸ refecerunt enim et meum spiritum, et vestrum. Cognoscite ergo qui hujusmodi sunt.^{¶¶} ¹⁹ Salutant vos ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum, Aquila et Priscilla cum domestica sua ecclesia: apud quos et hospitor. ²⁰ Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto. ²¹ Salutatio, mea manu Pauli. ²² Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran Atha. ²³ Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. ²⁴ Caritas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.

§16.1 *De collectis.* Post alia, de collectis faciendis in sanctos qui erant in Hierosolymis brevitè monet. Quod non est contra illud: **Nolite cogitare de crastino.** Non est enim cogitare de crastino, si quis humano more ista cogitet: sed si quis propter ista Deo militet, ut in operibus suis non regnum Dei, sed istorum acquisitionem intueatur. **Ita et vos.** AMBROS. Præcipit Apostolus omnem plebem die Dominico convenire, etc., usque ad nec grave est, et multum invenitur.

**16.2 *Per,* etc. Id est Dominica die. Quia una dies sabbati vel una sabbatorum, vel prima sabbati vocatur apud Judæos dies iste, quem Christiani Dominicum appellamus.

††16.6 *Manebo vel etiam hiemabo,* etc. Ibi tanquam medicus, moram habuit, ubi multi ægrotabant.

‡‡16.15 *Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ et Fortunati,* etc. Ordo hujus litteræ respicit et pendet usque illuc, **ut et vos subditi sitis.**

¶¶16.18 *Spiritum meum et vestrum,* etc. Meum, lætitia: vestrum, charitate.

INCIPIT AD CORINTHIOS II

1 Paulus, Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater, ecclesiae Dei, quæ est Corinthi cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia.^{§§} ² Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.* ³ Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, ⁴ qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo.† ⁵ Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra. ⁶ Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas et nos patimur: ⁷ ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. ⁸ Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. ⁹ Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitavit mortuos:‡ ¹⁰ qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit: in quem speramus quoniam et adhuc eripiet,¶ ¹¹ adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis: ut ex multorum personis, ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. ¹² Nam gloria nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gra-

§§1.1 **Argumentum** Post actam a Corinthiis poenitentiam, consolatoriam scribit eis Epistolam Apostolus a Troade per Titum; et collaudans eos hortatur ad meliora, contristatos quidem eos, sed emendatos ostendens. **Paulus apostolus.** Salutationem primo more solito præmittit. Inde de bonis per gratiam collatis gratias Deo agit loquens perfectis: post ad passionis tolerantiam sui exemplo invitat; postea pseudoapostolos deprimendo redarguit detegens versutias eorum. Et se multis modis commendat. Tandem moralis admonitio cum iteratione benedictionis subditur. Salutationem igitur præmittens, contra pseudosuperbiam, **Paulum;** et contra cordis præsumptionem, **apostolum** se nominat dicens: **Paulus,** etc.

*1.2 **Benedictus.** Primum perfectis loquitur de tribulatione, proponens se exemplum patientiæ et consolationis a Deo acceptæ, ducens laudi quod alii ignominia. **Deus.** Creator omnium. **Pater Domini.** Per quem est et nobis. **Pater misericordiarum.** Paternæ dans veniam peccatorum, et bona opera, et in tribulatione constantiam. **Et Deus.** Dator **totius** perfectæ **consolationis:** quantum decet dare Deum his, qui pro Christo patiuntur. Quod Deus sit consolationis, ex hoc patet quod consolatur.

†1.4 **Qua exhortamur.** Id est, quam Deus ad hoc dedit, non solum ut consolaretur, sed etiam exhortaretur: et ita nostra consolatio valet etiam ad alios exhortari, ut vere possimus consolari.

‡1.9 **Ipsi.** Non solum alii de nobis, sed et **in nobis,** etc., quia natura nostra nil nisi mortem promittebat vel defectum. Tantam insolentiam impiorum significat insurrexisse contra fidei prædicatores, ut mortem coram oculis haberent. Sic enim afflicti fuerant, ut desperarent de præsentis vita. Sed quia Deus præsidia sua non negat in desperatione positus, maxime suis, eripuit illos desperantes de semetipsis, fidentes autem de Deo. Nimia enim pressura deficere se profitebantur nisi adesset Deus.

¶1.10 **Et eruit.** Deus præsidia sua non negat suis in necessitate positus

tia Dei, conversati sumus in hoc mundo: abundantius autem ad vos.[§] 13 Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legistis, et cognovistis. Spero autem quod usque in finem cognoscetis,** 14 sicut et cognovistis nos ex parte, quod gloria vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Domini nostri Jesu Christi.†† 15 Et hac confidentia volui prius venire ad vos, ut secundum gratiam haberetis:‡‡ 16 et per vos transire in Macedoniam, et iterum a Macedonia venire ad vos, et a vobis deduci in Judæam. 17 Cum ergo hoc voluissem, numquid levitate usus sum? aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est et Non?¶¶ 18 Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est et Non. §§ 19 Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, et Silvanum, et Timotheum, non fuit Est et Non, sed Est in illo fuit. 20 Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est: ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.* 21 Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus:† 22 qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 23 Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens

§1.12 **Nam gloria nostra.** Ideo et vos et alii debetis orare pro nobis Vel ideo orationes vestræ poterunt nos juvare: quia hoc unde gloriamur tam honestum est, scilicet: **Testimonium.** Sunt bona opera, quæ testantur exterius quid sit in conscientia, **Testimonium,** id est conscientia non remordens, sed testificans, quod in simplicitate, etc. **Sinceritate Dei.** Sicut impiis est magna pœna conscientia, ita piis gaudium. Non quasi inde superbe gloriantibus, sed Deo totum dantibus; ideo recte non ait: Gloria nostra est testimonium alienæ malitiæ vel minoris gratiæ, sed conscientiæ nostræ. Quæ quia occulta, non est subjecta alieno iudicio, et ideo nullus præsumat contra eam vel cogitare, vel proferre sententiam. **Non in carnali sapientia.** Carnalis sapientiæ est voluptates diligere, labores vitare, vel secundum naturas rerum et non contra, prædicare, ut pseudo faciebant quorum fucatam prædicationem arguit

1.13 **Spero autem. Proficere illos sperat, quia cœperant meliores effici cognito Apostoli affectu circa se, et gloriabantur in eo.

††1.14 **Quia gloria vestra sumus.** Cognoscetis quia gloria, id est per nos consequi gloriam æternam debetis, et nos per vos bene instructos, quod non esset, si offendicula a vobis acciperemus.

‡‡1.15 **Hac confidentia.** Quia vita quorundam munda vel emendata erat, voluit videre quos ante indignum erat videre. Si ergo non ivit, voluit intelligi esse aliquos inter eos propter quos voluntatem suam non implevit Apostolus, qui operam adhibere debent ut modo se purgent. **Volui prius venire ad vos, ut secundam gratiam,** etc. **Prius,** quia in priori Epistola promiserat se venturum, et non venerat: et ideo mendax et levis videbatur, quod modo excusat. Non enim fecit hoc, nisi pro eorum culpa. Non est iudicandus mendax, qui dicit falsum quod putat verum: quia quantum in se est non fallit ipse, sed fallitur. Econtra mentitur ille, qui dicit verum quod putat falsum, nec est liber a mendacio; qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem non esse verum, voluntate mentitur.

¶¶1.17 **Ut sit apud me, est et non.** Id est, ut præponam voluntatem utilitati; quasi dicat: Non sic, quia utilitas præponenda est voluntati, et sic feci.

§§1.18 **Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos non est,** etc. Quasi dicat: In hoc non sum mentiri credendus, quia in nullo alio sum vobis mentitus. Et hoc credi potest, quia Deus est fidelis, qui promisit doctores veritatis.

*1.20 **Ad gloriam nostram.** Quia per hoc probamur vera prædicare. Nostram dico, non enim tantum nobis tribuo, sed Deo, quia qui confirmat est Deus.

†1.21 **Vobiscum in Christo.** Tunc si vos estis firmi in Christo, magis constat de nobis, per quos vos confirmati estis.

vobis, non veni ultra Corinthum: non quia dominamur fidei vestæ, sed adjutores sumus gaudii vestri: nam fide statis.[‡]

2 Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos.[¶] ² Si enim ego contristo vos: et quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?[§] ³ Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cum venero, tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium vestrum est. ⁴ Nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrimas: non ut contristemini, sed ut sciatis, quam caritatem habeam abundantius in vobis. ^{**} ⁵ Si quis autem contristavit, non me contristavit: sed ex parte, ut non onerem omnes vos. ^{††} ⁶ Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus:^{‡‡} ⁷ ita ut e contrario magis donetis, et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est. ^{¶¶} ⁸ Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum caritatem. ⁹ Ideo enim et scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obediens sitis. ^{§§} ¹⁰ Cui autem aliquid donastis, et ego: nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, ¹¹ ut non circumveniamur a Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus. ^{*} ¹² Cum venissem autem Troadem

[‡]1.23 *Ego autem*, etc. Quasi dicat: Pro levitate vel terreno commodo non dimisi, sed parcens. Spiritualis tunc dispositum non implet, quando providentius aliquid ad salutem meditatur. *Non quia dominamur*. Ne indignarentur quasi de dominio, eo quod dixerat, *parcens vobis non veni, subdit: Non quia dominamur*, etc.

[¶]2.1 *Statui autem*. Parcens non veni, *sed statui hoc idem*: quod promisi, cum primam misi epistolam, scilicet *ne iterum venirem*: vel iterum esset tristitia sicut fuit, auditis eorum peccatis.

[§]2.2 *Si enim ego contristo*. Corrigendo, increpando quocunque modo, vel per epistolam vel præsentiam.

^{**}2.4 *Non ut contristemini*. Ad hoc enim corripiebat Apostolus, ut ostenderet quo amore illos diligeret, de quorum peccatis plus illis dolebat, qui non hoc affectu corripit, contristat. Insultat enim, qui non condolet fratri.

^{††}2.5 *Si quis autem contristavit*. Præcipit fornicatorem illum, quem prius Satanæ tradendum indicaverat, recipi, quia correctus erat. *Sed ex parte, ut non onerem*, etc. Non omnibus onus tristitiæ impono, propter illos qui de peccatis doluerunt.

^{‡‡}2.6 *Objurgatio hæc, quæ fit a pluribus ita ut e contrario magis*. Quæ etsi pro temporis quantitate vel alio modo non satis digna pœna videtur, in hoc tamen non est parva æstimanda, quod fit a pluribus quibus congregatis Satanæ traditus est. Magnum utique dolorem patitur, qui delictum suum plures videt horrere. Et ita sufficit, quod a pluribus objurgetur.

^{¶¶}2.7 *Donetis et consolemini*. Recte homini pro peccato afflicto ignoscere et subvenire per consolationes præcipit. Si enim correctus in animo dolet, mox habet fructum. Hæc est enim vera pœnitentia, cessare a peccato.

^{§§}2.9 *Ideo enim et scripsi*. Cum propter eum recipiendum scripserim, propter hoc etiam scripsi, ut quos expertus sum mihi obediens in ejectione, cognoscam an in omnibus obediens sint futuri.

^{*}2.11 *Ut non circumveniamur*. Ideo debemus condonare, ne decipiamur a Satana, per nimiam asperitatem. Sæpe enim propter asperiores animadversiones in desperationem infirmus præcipitatur.

propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino,[†] 13 non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.[‡] 14 Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco:[¶] 15 quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt:[§] 16 aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus?^{**} 17 non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.^{††}

3 Incipimus iterum nosmetipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis?^{‡‡} 2 Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur, et legitur ab omnibus hominibus: 3 manifestati quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.^{¶¶} 4 Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum:^{§§} 5 non quod sufficientes simus cog-

[†]2.12 *Cum venissem autem Troadem*, etc. Post interpositionem de recipiendo fornicatore, redit ad ipsos, ostendens quod sicut culpa eorum fuit, quod non venit Corinthum, sic quod non profecit in Troade, dum apud eos impeditus moratur Titus, sine quo non poterat ibi proficere, quia forsans lingua eorum Titus expressius uti poterat.

[‡]2.13 *Eo quod non*. Quia solus non poterat fideles instruere, et simul perstreptibus incredulis repugnare.

[¶]2.14 *Odorem notitiæ*, etc. Id est Christum, qui velut odor procedens a Patre notificat eum invisibilem: sicut aliqua res quæ non videtur, per odorem cognoscitur, et in quo loco sit, intelligitur. Vel miracula vel doctrinæ verba quibus ad notitiam ejus venit nomine odoris intelligere.

[§]2.15 *Bonus odor*. Scilicet ut olim hostia legalis, ita modo prædicatio vera, et sincera fama apostolorum. Dei Patris odor, Christus: odor Christi sunt apostoli in quorum vita et prædicatione Christus ostenditur, non blasphematur. Sicut de malis dicitur: *Nomen Domini per vos blasphematur inter gentes*.

^{**}2.16 *Odor mortis*. Ut de nostra prædicatione procedat mors, inde ruentibus in æternam damnationem.

^{††}2.17 *Sicut plurimi*. Hic pseudoapostolos tangit, qui corrupta doctrina veritatem violabant, de quibus Isaias ait: *Caupones tui vino aquam miscent*.

^{‡‡}3.1 *Incipimus iterum*. Quia sciebat eos sinistre accipere suam commendationem, sicut et in prima Epistola, quasi suam gloriam quæreret; incipit contra eorum opinionem ostendere se non suam gloriam, sed Dei quærare.

^{¶¶}3.3 *Scripta non*. Estis repræsentatio Christi et mea, hoc autem est firmiter scriptum in cordibus nostris, non debilibiter, ut quod atramento scribitur: vel non tetris notis hæreticæ pravitatis qui hæreses interserunt. *Non in tabulis*. Lapis non signat nisi durissimam voluntatem, et adversus Deum inflexibilem. *Carnalibus*. Id est, sensum habentibus, non lapideis sine sensu.

^{§§}3.4 *Fiduciam*. Dixit se non egere epistolis, modo dicit, quod non se commendat, sed Christum; quasi dicat: Epistola Christi, et nostra estis, sed fiduciam dicendi talia non ad vos, sed ad Deum referimus.

itare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est: *⁶ qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti: non littera, sed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat. †⁷ Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: ⁸ quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? ⁹ Nam si ministratio damnationis gloria est: multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria. †¹⁰ Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. †¹¹ Si enim quod evacuatur, per gloriam est: multo magis quod manet, in gloria est. ¹² Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur: ¹³ et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israël in faciem ejus, quod evacuatur, ¹⁴ sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem, id ipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur), **¹⁵ sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. ††¹⁶ Cum autem conversus fuerit ad

*3.5 **Non quod sufficientes.** AUG., lib. 2, contra duasepist. Pelag., c. 8. Quis non videat prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid nisi prius cogitaverit esse credendum. Quanquam et ipsum credere nihil est aliud, quam cum assensione cogitare. Si ergo cogitare bonum non est ex nobis, nec credere. **Sed sufficientia.** Attendant hic et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, et ex Deo ejus supplementum. Commendat enim gratiam, quæ non datur secundum aliqua merita, sed efficit omnia bona merita.

†3.6 **Qui et idoneos.** Hic commendat se per dignitatem officii, scilicet Evangelii, præferens se non solum pseudoapostolis qui carnales observantias prædicant, sed et ipsi Moysi ministro legis.

†3.9 **Multo magis abundat.** Id est in laude quam vetus: quia magis gloria Dei est in salute quam in morte. Quamvis enim juste damnet quod agebatur sub lege, tamen magis ad laudem proficit si indulget, ut possit se reus corrigere; quod per gratiam in Novo Testamento præstatatur.

†3.10 **Nam nec.** Vere abundat, adeo quod ad ejus comparisonem illa nec dicenda est gloria. **Quod claruit.** Scilicet Moyses in *hac* prædicta *parte*, id est facie. Vel non est gloriosum in hac parte, id est respectu hujus nostræ partis. Illa enim tanta fuit, quanta servo credi debuit. Hæc vero tanta quanta est genitoris Christi: quia Christus in gloria est Dei Patris, ut tantum intersit inter gloriam Moysi et Christi, quantum inter imaginem et veritatem.

§3.12 **Habentes.** Id est ostensa dignitate Novi et Veteris Testamenti ostendit usum utriusque. **Multa fiducia.** Usu exercemus nos in bonis operibus unde crescit nobis fiducia. Tantum enim videbimus quantum credimus, et quia aperta est gloria, non celamus sensum nostrum, sicut Moyses, sed aperte dicimus.

3.14 **Id ipsum. Quia non aliter modo intelligunt quam ante adventum Christi. **Quod in Christo evacuatur.** Unde in passione Christi velum templi scissum est, ut significetur per Christi passionem revelari sacramenta legis et prophetiæ. Velamen enim dicit ad comparisonem prophetiæ ut non intelligeretur.

††3.15 **Sed usque,** etc. His qui sunt in Christo evacuatur: **sed super cor eorum est velamen,** id est cæcitas deprimens rationem eorum: **cum,** id est quamvis, **legitur,** id est exponitur, eis **Moyses.** Et ita duo obsunt, cur non intelligant, et velamen, id est obscuritas est in lectione, et cæcitas super corda, et hoc usque in hodiernum tempus.

Dominum, auferetur velamen.^{‡‡} 17 Dominus autem Spiritus est: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.^{¶¶} 18 Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.^{§§}

4 Ideo habentes administrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, neque adulerantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.* 3 Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum: 4 in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.[†] 5 Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Jesum:[‡] 6 quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.[¶] 7 Habemus autem thesaurum

^{‡‡}3.16 *Cum autem conversus fuerit.* Id est cum eorum animus deposita cordis durtia et propria cæcitate fuerit conversus credendo. *Auferetur velamen.* Ut in aqua latere vinum intelligatur, omnis enim prophetia non intellecto Christo insipidum et fatuum quiddam est.

^{¶¶}3.17 *Dominus autem spiritus est.* Ordo verborum est: Spiritus sanctus est Dominus, id est potest operari quod vult, et ideo quod vult, illuminat; et quod vult, in tenebris deserit. *Ubicunque autem est spiritus Domini,* id est Filii, per quem datur Spiritus sanctus, *ibi libertas:* et ideo Judæi qui non habent spiritum, non possunt libere intelligere ut nos. Vel, Dominus ad quem convertuntur est spiritus, id est spiritualis essentia, et ita facit spiritualiter intelligere.

^{§§}3.18 *Nos revelata facie.* In qua Judæis est velamen. In speculo non nisi imago cernitur. Hoc ergo conamur ut per hanc imaginem, id est rationem quod nos sumus videamus utcunque illum a quo facti sumus, tanquam per speculum. *In eandem imaginem.* Quia eadem imago Dei est gloria Dei, sicut supra: *Vir quidem imago Dei est, et gloria Dei*

*4.2 *Commendantes.* Ut luceat lux vestra coram hominibus. *Coram Deo.* Non ut videantur ab hominibus.

†4.4 *In quibus.* Talis potest esse ordo verborum: In quibus pereuntibus Deus verus et justus excæcavit mentes infidelium hujus sæculi. *Deus hujus sæculi.* Id est Deus qui non solum bonos regit, sed et malos pro merito præcipitat, dans eis quod volunt, id est ut non credant: quod non facit malitia, sed justitia. Vel, Deus sæculi, superbia vel ingluvies, vel diabolus princeps mundi, qui sæcularibus principatur.

‡4.5 *Non enim.* Quasi dicat: Bene dico gloriæ Christi, vel: Commendavimus nos coram Deo in manifestatione veritatis, et cætera talia facimus; et hoc propter Christum.

¶4.6 *Lucem splendescere.* Quod fuit in separatione elementorum. Cœperunt enim tenebræ, ex quo confusa moles cœli et terræ cœpit esse: post accedente luce quod factum est; melius redditur. In quo proficientis hominis affectio significatur, unde *fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* Ephes. 5.. *In faciem Jesu.* Hunc habet sensum: Quoniam divina natura sub aspectum non cadit, per sumptam humanitatem divina luce resplendentem, et fulgura emittentem aspicitur, ut licet. Hinc autem etiam manifestum est, quod Deus incredulitatem non immisit, qui intelligentis lucis splendorem omnibus abunde præbuit: sed ipsi quidem dilexerunt incredulitatem, ipse autem eis cum nollent aspicere radium non præbuit. *Scientiæ claritatis.* Scientia gloriæ Dei est qua scimus lumen esse quo tenebræ nostræ illuminantur.

istum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.^{§ 8} In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: ⁹ persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus: ¹⁰ semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.^{**} ¹¹ Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. ¹² Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.^{††} ¹³ Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: et nos credimus, propter quod et loquimur: ¹⁴ scientes quoniam qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum.^{‡‡} ¹⁵ Omnia enim propter vos: ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. ¹⁶ Propter quod non deficimus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. ¹⁷ Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, ¹⁸ non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.

5 Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.^{¶¶} ² Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, su-

§4.7 *Habemus.* Hactenus de altitudine scientiæ egit: hic de fragilitate carnis, quæ est ad gloriam, etsi contra videatur. *Thesaurum.* Sacramentum Dei, quod fidelibus erogatur, perfidis absconditur; esse thesaurum affirmat.

**4.10 *Semper mortificationem,* etc. Dubium non est, quia in martyribus Christus occiditur, et in his qui pro fide patiuntur, aut exitus, aut vincula, aut verbera Christi passiones sunt, ut et vita ejus in corpore eorum palam fiat. Passiones enim sunt quæ ostendunt meritum ad futuram vitam, quam promisit Christus, unde alio loco dicit: *Cum infirmor, tunc potens sum,* et iterum: *Per tribulationes,* etc. *Manifestetur.* Quidam enim de resurrectione dubitabant.

††4.12 *Ergo mors,* etc. Quia per mortem vitam Jesu consequimur: ergo mors non est inutilis, sed operatur magnum quid in nobis. Sed vita qua delectamini in terrenis, operatur in vobis mortem æternam. Vel passive ergo, id est propter spem vitæ Jesu mors operatur, id est a prædictis passionibus efficitur in nobis, id est permittimus effici: sed per hoc vita efficitur in vobis, id est fides plantatur.

‡‡4.14 *Vobiscum.* Non vos nobiscum, ut inferiores, sed pares nobis sitis, si volueritis. Et bene de vobis assero quia omnia ista facimus propter vos instruendos nostro exemplo. Ita omnia ad vos spectant: ut gratia Dei abundans in nobis abundet in vobis, et per vos in aliis, et per vos multos abundet gratiarum actione, ut vos et illi Deo gratias agatis. In gloriam Dei, id est ad ostendendum Deum gloriosum.

¶¶5.1 *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur quod ædificationem,* etc. Id est corpus immortale habebimus, si corpus per tribulationes dissolvatur, et ideo, quoniam sic dissolvetur, ut conditio et causa sit præmissa. *Non manufactam, sed æternam.* Id est non hominum complexione factam, scilicet, non humanæ generationis ope productam nec humanis fomentis auctam, sed a Deo ineffabiliter compactam. *Æternam.* Quia in ea sine manebitur.

perindui cupientes:§§³ si tamen vestiti, non nudi inveniamur.*⁴ Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est, a vita.†⁵ Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus.⁶ Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino:‡⁷ (per fidem enim ambulamus, et non per speciem):⁸ audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentem esse ad Dominum.⁹ Et ideo contendimus, sive absentes, sive præsentem, placere illi.¹⁰ Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.¶¹¹ Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse.§¹² Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, et non in corde.¹³ Sive enim mente excedimus Deo: sive

§§5.2 **Nam.** Non solum pro præsentem inhabitatione, sed etiam, *in hoc*, id est in consideratione hujus tantæ gloriæ, *ingemiscimus*. Ex dilatione desiderii: quod non faceremus, nisi essemus certi. In cujus rei figura Axa filia Caleb petiit irriguum superius et irriguum inferius, ut nos lacrymas effundamus, non solum pro præsentem incolatus miseria, sed pro dilatione supernæ gloriæ. Ingemiscimus, quia cupimus super invocationem animæ, quam jam accepimus. *De caelo*. Id est, optamus habere immortale et impassibile corpus, ad similitudinem celestium. *Nam et qui*, etc. Quasi dicat: Nos perfectiores pro dilatione gemimus, quia etiam minus perfecti, qui carnem fovent. Inter hos autem se Apostolus connumerat ne illi de se minus sentiant.

‡5.3 *Si tamen vestiti* gloria promissionis; *non nudi*. Hoc desiderant sancti, ne resurgentes recepto corpore, nudi, id est alieni a promissa gloria inveniantur. Hoc enim opus est: ut induti corpore, superinduantur gloria, quæ est immutatio in claritate. *Gravati eo* corpore: quo tamen nolumus mortem nobis tolli, sed superindui, id est a Deo vestiri stola immortalitatis quæ destruat mortalitatem, non ut superveniat.

†5.4 *Qui sumus in tabernaculo*. Qui habitationem hujus corporis diligimus, de quo non est curandum, cum non sit tabernaculum nisi ad tempus, *ingemiscimus* desiderio celestis. Nos dico gravati, quasi dicat: Non mirum, si ingemiscimus: quia a beatitudine sumus remoti. Nam etiam de hoc minori gemimus, quia hoc corpore exuimur. *Eo*. Id est, ideo gemimus. *Quod nolumus expoliari*, si hoc posset fieri. Vel, ingemiscimus, desiderio celestis. *Deus autem hoc effecit*. Vel, nolumus expoliari: *Deus tamen effecit* ut immortalitatem desideremus. *Ut absorbeatur*, etc. Ita ut nusquam sit mortalitas. Non infra, non supra, non intra, non extra. Absorpta est enim mors in victoria.

‡5.6 *Audentes*. Deus facit nos velle immortalitatem, facit et certos per spiritum, et ideo audentes sumus. *Peregrinamur a Domino*. Quomodo? cum alibi scriptum sit: *In ipso vivimus, movemur et sumus?* Act. 17. Quia etsi ubique Deus, non tamen hic videtur sicut in cœlis. Peregrinamur ergo non fide, sed specie.

¶5.10 *Ut referat unusquisque*. Etiam pueri, qui, si non per se, per alios gesserunt, dum per eos crediderunt vel non crediderunt, secundum quod judicantur, non secundum quod gesturi erant, si diu viverent. Dicit enim: *prout gessit in corpore*, non ut gesturus erat si viveret, frustra ergo homo post hoc corpus sibi promittit, quod hic in corpore comparare neglexit. *Suademus*. Suadent apostoli ut reliqui bene viventes credant et provideant sibi, quia quorundam praviloquio dies Domini in dubium venit

§5.11 *Deo autem manifesti sumus*, quia hoc prædicamus quod jubet Deus.

sobrii sumus, vobis.*¹⁴ Caritas enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt:^{††}¹⁵ et pro omnibus mortuus est Christus: ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.^{‡‡}¹⁶ Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.^{¶¶}¹⁷ Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova.^{§§}¹⁸ Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum: et dedit nobis ministerium reconciliationis,¹⁹ quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis.*²⁰ Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro

^{**}5.13 *Sive enim mente.* Quasi dicat: De nobis utique gloriari potestis, quia quidquid agimus, vel est honor Dei, vel utilitas proximi. *Sive excedimus,* id est, si nos commendamus (in quo putamur insensati), Deo est, id est ad honorem Dei, qui sic nos exaltavit. *Sive sobrii:* ut non alta de nobis dicamus, ad vestram est hoc utilitatem. *Sive enim mente excedimus.* Loquitur Apostolus de quadam ineffabili contemplatione et raptu, ubi audivit quod non licet homini loqui. *Deo est:* non vobis, qui non potestis capere. *Sive enim sobrii sumus.* Condescendendo. *Vobis.* Quia sic loquimur, ut capere possitis. Isti sunt angeli de quibus Dominus ait in Evangelio: Videbitis cælum apertum, et angelos ascendentes et descendentes super Filium hominis; hos eosdem angelos vidit Jacob in scalis ascendentes et descendentes.

^{††}5.14 *Charitas enim Christi,* etc. Quia Christus charitate pro nobis mortuus est, constat omnes mortuos fuisse in Adam; pro quibus mortuus est Christus, ut eos a morte liberaret. Quæ gratia ne inutilis sit hominibus, apostoli, ut eos illiciant, necessario se laudant; per gloriam enim et meritum apostolorum agnoscitur gratia et beneficium Christi. *Si unus pro omnibus.* Id est, si Christus pro omnibus quantum ad se, etsi non omnibus profuit, ergo et omnes homines debent mori pro honore illius.

^{‡‡}5.15 *Qui vivunt in corpore, non sibi vivant, sed voluntati Dei.* Quod quidem debent: quia etsi Christus usque ad mortem fuit infirmus, injuriatus, jam tamen post resurrectionem non est, sed apparet quod esse videbatur. Unde: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum* Joan. 8.. Vicem ergo ei reddant quasi Deo, non homini solum pro eis passo.

^{¶¶}5.16 *Neminem novimus.* Id est, laudamus. *Secundum carnem.* Id est, sua quærentem, non quæ Christi: temporalia, non æterna. Nec hoc debet facere aliquis, quia etsi Christus fuit mortalitatis sicut ego, per quod eum putavi hominem esse tantum, dum eram infidelis: tamen jam est immortalis, et ita securi sumus de præmio. Si quis ergo in Christo est renatus novus, illi jam spe transiit mortalitas, et transibit, et dabitur nova immortalitas. Vel, si quis novus, vetus lex transiit illi, et novam habet. *Neminem non secundum carnem.* Vitam futuram ita certa spe tenet, quasi jam sit præsens: quæ in Christo surgente impleta est, quæ non est secundum carnem: non quin in eadem carnis substantia resurrexerit, sed quod non in eadem qualitate corruptionis, quæ nomine carnis signatur. *Et si cognovimus secundum carnem.* Quia quamvis dum infidelis intellexit Christum in lege promissum esse secundum carnem, ut legalia observaret et servari præciperet: sed tamen non jam post conversionem nunc ita esse credit, sed umbra penitus cessat.

^{§§}5.17 *Vetera.* Omnino Vetus Testamentum et omnia ad veterem hominem pertinentia, ut sic. *Nova.* Venerunt Novum Testamentum, et omnia novi hominis. *Vetera.* Ut error idololatriæ, cui cognitio unius veri Dei successit.

^{*}5.19 *Deus erat.* Per hoc intelligitur Pater esse in Filio, et Filius in Patre, quia una est eorum substantia. Ibi est unitas, ubi nulla diversitas: et ideo alter in altero est, quia et imago et similitudo eorum una est.

Christo, reconciliamini Deo.^{† 21} Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.[‡]

6 Adjuvantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.^{¶ 2} Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.^{§ 3} Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.^{** 4} sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis,^{†† 5} in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, ⁶ in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta,^{‡‡ 7} in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris et a sinistris,^{¶¶ 8} per gloriam, et ignobilitatem, per infamiam, et bonam famam: ut seductores, et veraces, sicut qui ignoti, et cogniti:^{§§ 9} quasi morientes, et ecce vivimus: ut cas-

[†]5.20 **Reconciliamini.** Reconciliamur confitendo peccata, et pœnitendo ei qui nos sibi reconciliat.

[‡]5.21 **Pro nobis peccatum fecit.** Usus est Veteris Testamenti peccata dici sacrificia pro peccatis, vel, peccatum dicitur similitudo carnis peccati. Unde dicitur: **De peccato delevit vel damnavit peccatum,** id est de similitudine carnis peccati: **quia misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.** Ita etiam maledictum pro morte accipitur, quæ de maledicto Dei venit, ut vere dictum in lege intelligatur: **Maledictus omnis qui pendet in ligno** Deut. 21.. Quid est quod ait, maledictus? id est, **terra es, in terram ibis** Gen. 3.. Quid est quod dicit, omnis? quia Christus, qui pependit in ligno, cum esset vera vita, mortuus est vera morte non ficta.

[¶]6.1 **Ne in vacuum.** Gratia Dei est remissio peccatorum, quam in vanum recipit, qui non vult se exercere in operibus bonis, vel qui in legalibus confidit.

[§]6.2 **Nunc tempus.** Quod non in lege veteri, vel nunc, non cras, non post annum: quia statim in obitu fidelis: salus datur.

^{**}6.3 **Ut non vituperetur.** Quod utique fieret, si, quod verbo doceremus, operis exemplo non exhiberemus.

^{††}6.4 **Sicut Dei ministros.** Hi non adulantur, ut pseudo studentes lucro. **In multa patientia, in tribulationibus.** In tot duris, leve est onus Christi et requies, intus Spiritu sancto vivificante, et spe futuri omnia mitigante, omnia enim sæva et immania, facilia et prope nulla facit amor. Et secundum hoc intellige quod dicitur: **Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos** Matth. 11.. Et iterum: **Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est** Ibid., etc.

^{‡‡}6.6 **In castitate** habita, **in scientia,** ut caste omnes agere sciant, nihil adulterinæ opinionis admisceant. **In suavitate,** habita, **in Spiritu sancto:** ut scilicet, secundum Deum suaves et affabiles, non ut illi qui per dulces sermones seducunt corda innocentium. **In charitate non ficta.** Ficta est, quæ deserit in adversitate.

^{¶¶}6.7 **In virtute Dei.** Non speremus in homine vel in bonis; si quid boni est, Deo attribuamus. Vel hoc dicit, quia qui prædicta habet, miracula facit ad conversionem infidelium.

^{§§}6.8 **Per gloriam et ignobilitatem.** Exhibeamus nos ut ministri Dei. **Per gloriam.** Si gloriosi sumus apud homines, vel ignobiles et contempti, nec inde inflemur, nec inde succumbamus vel doleamus. Eodem modo si infamamur de aliquo scelere vel bonam famam habeamus de aliquo opere. Item exhibeamus nos Deo habiti **ut seductores** apud quosdam, quod falsum est. Et non dicit simpliciter, **habiti seductores,** sed addit: **ut,** et inde est infamia. Et apud alios habiti ut **veraces.** Quasi dicat: hoc verum est, attamen nec bona æstimatione superbiamus, nec mala doleamus. Item habiti apud alios, **ut castigati,** etc.

tigati, et non mortificati: ¹⁰quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, et omnia possidentes. * ¹¹Os nostrum patet ad vos, o Corinthii; cor nostrum dilatatum est. † ¹²Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris: ¹³eandem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini et vos. ¹⁴Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? ‡ ¹⁵quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidei cum infideli? ¶ ¹⁶qui autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: [Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. § ¹⁷Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis: ¹⁸et ego recipiam vos: et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens.]

7 Has ergo habentes promissiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. ** ²Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. ³Non ad condemnationem vestram dico: prædiximus enim quod in cordibus nostris estis ad commoriendum et ad convivendum. †† ⁴Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis: repletus sum consolatione; superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. ‡‡ ⁵Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit

*6.10 *Quasi tristes.* Inimici putabant apostolos non evadere minas iniquorum. Ipsi ope Dei tuti sunt a morte præsentis et futura. *Omnia possidentes.* Tales sunt qui, terrenas divitias abjicientes, coelestes per fidem jam tenent. Quasi nihil habentes omnia possident, qui, terrenis in usum vel opus misericordiæ retentis, coelestes divitias se quandoque habituros sperant. Gloria apostolorum fuit, nihil omnino possidere, sine sollicitudine esse: et tam res quam dominos earum possidere, quia omnia ad pedes eorum ponebantur.

†6.11 *Os nostrum.* Quasi dicat: Multa dixi de vobis, sed hæc omnia ample et diffuse dicta, ad vos corrigendos spectant, o Corinthii, et non ad meam superbiam; itaque stulti estis qui me dimisistis.

‡6.14 *Nolite jugum,* etc. Ratio est, quia vos justis, illi iniquis: et ideo in nullo debetis eis communicare.

¶6.15 *Quæ autem conventio Christi.* Ut Christus et Belial non conveniunt, sic Christianus et quilibet infidelis. Item nihil habet templum Dei cum idolis; et quia vos estis templum Dei, ideo non debetis communicare cum his qui sunt templum diaboli.

§6.16 *Cum idolis?* Idola prohibet coli, quia ab uno Deo separant. His omnibus modis ostendit communitatem pseudo esse vitandam. *Quoniam inhabitabo.* Potest hoc intelligi de corporali conversatione quam Christus inter homines egit. Et dicit Christus: *Habitabo inter illos et ambulabo* Baruch 3., id est, corporaliter inter illos conversabor. Unde alibi: *Terris visus est, et cum hominibus conversatus est;* et *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* Joan. 1.. Et hic Christus Deus noster est, et Ecclesia est populus ejus: et ideo Apostolus vult eos separari ab omni contaminatione.

**7.1 *Ab omni iniquitate.* Scilicet mentis: quod tunc fit, si timorem Dei sequimur, quia qui sine Deo hæc agit, sanctus mundi est, non Dei. *Ab omni inquinamento carnis.* Id est carnalis observantiæ, et perficientes sanctificationem quæ est tantum Spiritus sancti.

††7.3 *Ad commoriendum.* Vel ut mecum patiamini, vel ut mecum coronemini.

‡‡7.4 *Repletus sum consolatione.* Per jam correctos, invitat alios ad correctionem. *Superabundo,* etc. Hoc contingit Apostolo dum videt eos proficere pro quibus patitur.

caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnae, intus timores.^{¶¶}
⁶ Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. ⁷ Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem.^{§§} ⁸ Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet: etsi pœniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit,^{*} ⁹ nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis ad Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.[†] ¹⁰ Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.[‡] ¹¹ Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam: in omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio.[¶] ¹² Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est: sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis[§] ¹³ coram Deo: ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia reffectus est spiritus ejus ab omnibus vobis:^{**} ¹⁴ et si quid apud illum de vobis gloriatus sum,

^{¶¶}7.5 *Caro nostra.* Dicit *caro*, quia in adversis anima quæ est in corpore quod patitur, spe futuri quiescit. *Foris.* Hoc intelligitur de apertis inimicis, *intus* de falsis fratribus, qui difficilius tolerantur. Vel ab his qui foris sunt, est tribulatio: de his, scilicet fidelibus qui intus, id est in Ecclesia; timores, ne moveantur. Vel de his qui sunt intus, id est in Ecclesia, corpore, non mente: nomine, non homine, id est de falsis fratribus, ut prius.

^{§§}7.7 *Qua consolatus est in vobis.* Quia vidi Titum consolatum in vobis, et ego consolatus sum.

^{*}7.8 *Et si prius pœniteret.* Hoc dicit ne videatur inhumanus, qui de aliorum tristitia gauderet. *Videns.* Quasi dicat, non me pœnitet, sed gaudeo. *Videns quod,* id est quamvis videam quod Epistola contristavit; unde primum dolui, et me pœnituit.

[†]7.9 *Contristati estis.* Non cum ira quæ pejores efficit, sed cum pudore qui corrigit.

[‡]7.10 *Pœnitentiam in salutem.* Satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere. *Sæculi autem,* etc. Dum dolet peccator se detectum.

[¶]7.11 *Ecce enim.* Tristitia secundum Deum facit pœnitere in salutem: quia quæ ducunt ad salutem, sollicitudinem operantur. *Quantam in vobis.* Qui pœnitet sollicitus est ne denuo peccet, et non se excusat, sed confitetur: quod est se defendere a gehenna: et desiderat reformari, qui scit se per peccatum deformem, et habet zelum bonorum operum, et vindicat in se quod deliquit. *Exhibuistis,* etc. Id est, ostendistis puniendo illum qui incestum admiserat, *vos esse incontaminatos, a negotio,* id est gravi peccato illius qui uxorem patris habuit, cui consentiendo inquinati eratis.

[§]7.12 *Qui fecit injuriam.* Ut ille qui incestum fecit. Vel illos tangit quos superius in prima Epistola injurias et fraudes fratribus fecisse dixit. Et ostendit non magis causa eorum qui peccaverunt scripsisse remitti eis, quam causa Ecclesiæ quæ omni contumeliam aut fraudem patienti compatitur et indignatur. Et hoc est quod ait: *Igitur etsi scripsi vobis, non tantum propter eum qui fecit injuriam,* id est fraudem proximo suo, *nec propter eum qui passus est fraudem, sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam,* etc. Totius populi sollicitudinem se habere ostendit, ut scilicet injusti emendantur et polluti sanctificentur, et Ecclesiæ reconcilientur.

^{**}7.13 *Abundantius magis.* Quasi dicat de utroque, id est de correctione vestra et de gaudio Titi. Sed magis abundantius de gaudio Titi sumus gavisi, quia se gaudebat Apostolus non solum de correctis, sed etiam de aliis quos sperabat corrigendos.

non sum confusus: sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita et gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est,^{†† 15} et viscera ejus abundantius in vobis sunt, reminiscens omnium vestrum obedientiam: quomodo cum timore et tremore excepistis illum.¹⁶ Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.

8 Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in ecclesiis Macedoniae:^{‡‡ 2} quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit, et altissima paupertas eorum, abundavit in divitiis simplicitatis eorum:^{¶¶ 3} quia secundum virtutem testimonium illis reddo, et supra virtutem voluntarii fuerunt,⁴ cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, et communicationem ministerii, quod fit in sanctos.⁵ Et non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei,^{§§ 6} ita ut rogaemus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita et perficiat in vobis etiam gratiam istam.⁷ Sed sicut in omnibus abundatis fide, et sermone, et scientia, et omni sollicitudine, insuper et caritate vestra in nos, ut et in hac gratia abundetis.⁸ Non quasi imperans dico: sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestræ caritatis ingenium bonum comprobans.*⁹ Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.^{† 10} Et consilium in hoc do: hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed et velle cœpistis ab anno priore:^{‡ 11} nunc vero et facto perficite: ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo quod habetis.¹² Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.¹³ Non enim ut aliis sit remissio, vobis

^{††}7.14 *Sed sicut*, etc. In corrigendo veritas arguentis apparet, dum qui arguuntur se emendant. Dum enim correcti emendantur, testimonium perhibent arguenti. Verum ergo ostendens Apostolus prædicationem suam, per efficaciam illorum ait: *Sed sicut omnia in veritate*, etc. *Et viscera ejus*, etc. Sancti affectus in omni bono est.

^{‡‡}8.1 *Notam autem vobis*. Hic (ubi de correctis agitur) mentio fit de collectis: quia ab aliis non quærit, quibus suadere non potest. Vel, ut alii codices habent, quibus sua dare non prodest.

^{¶¶}8.2 *Quod in multo experimento*. Abundantissima gratia eorum fuit in multo experimento tribulationis. Quia pro tribulatione Pauli et Sylæ ibi facta, non sunt scandalizati: sed cum gaudio acceperunt verbum, probati passionibus eorum. *Et altissima*. Tenuis in substantia, divites in dando: quia pura conscientia operati sunt.

^{§§}8.5 *Primum Domino* se emendant, deinde fratribus sua offerentes. Aliter non erat accipiendum, quia munera excæcant oculos, et jura auctoritatis inclinant. Qui vero dant ne arguantur, fructum dandi non habent.

*8.8 *Non quasi imperans*, etc. Non solum rogavi Titum, sed ego ipse dico ut abundetis, *non quasi imperans*. Id est non quasi pœnitentiam injungendo, quia sic quasi ex voto tenerentur Corinthii.

[†]8.9 *Egenus factus est*. Non ait, pauper factus est, cum dives fuisset: sed, *cum dives esset*. Paupertatem enim assumpsit, et divitias non amisit: intus dives, foris pauper; latens Deus in divitiis, apparens homo in paupertate. *Ut inopia illi*. Per illius enim paupertatem abjicimus pannos iniquitatis, ut induamur stola immortalitatis. Omnes ergo divites facti sunt, in pauperem Christum credentes. Nemo ergo se contemnat pauper in cella, dives in conscientia. Securior dormit in terra, quam auro dives in purpura. Non ergo expavescas cum-tua mendicitate ad illum accedere qui indutus nostra paupertate, ubi se pauperavit, nos ditavit.

[‡]8.10 *Sed et velle*. Quasi dicat: Vestrorum quidam voluerant, quidam autem cœperant: nunc vero utrique perficiant.

autem tribulatio, sed ex æqualitate.^{¶ 14} In præsentī tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est:^{§ 15} Qui multum, non abundavit: et qui modicum, non minoravit.^{** 16} Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi,¹⁷ quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos.¹⁸ Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Evangelio per omnes ecclesias:^{†† 19} non solum autem, sed et ordinatus est ab ecclesiis comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam, et destinatam voluntatem nostram:^{‡‡ 20} devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis.^{¶¶ 21} Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.^{§§ 22} Misimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse: nunc autem multo sollicitiorem, confidentia multa in vos,^{*} 23 sive pro Tito, qui est socius meus, et in vos adiutor, sive fratres nostri, Apostoli ecclesiarum, gloria Christi.^{† 24} Ostensionem ergo, quæ est caritatis vestræ, et nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite in faciem ecclesiarum.[‡]

[¶]8.13 *Sed ex æqualitate.* Dividat quisque quantum habet cum sanctis, quia non plus exigitur quam retinere sibi debet: sic Zachæus dimidium bonorum suorum dedit pauperibus.

[§]8.14 *Ut fiat æqualitas.* Non quin differant in claritate: sed quia omnibus idem, et omnibus erit sufficientia. *Sicut scriptum.* De manna in signo hujus rei.

^{**}8.15 *Qui multum non abundavit.* Plus habent sancti in spe futuri, minus hi qui in tempore divites, et tamen ibi æquabuntur. Ut sicut hic inopiam sanctorum sustentant, ita ibi ab eis sustententur, et divites fient in æterno bono. *Qui multum non abundavit.* Sic qui multum dat dives, et qui parum pauper, si æqua sit utriusque voluntas, æqualem habent mercedem.

^{††}8.18 *Misimus autem.* Duos fratres Apostolus misit cum Tito, sed eos non nominat, forte enim ignorabant eos Corinthii, nec de ipsis adhuc periculum fecerant. Quoniam autem pecuniarum collectarum multitudo sufficit malis dare fuscionem, securitatem exhibet; propterea, inquit, tales misimus, et non unum solum, sed et duos et tres. Commendat vero eos non ab Evangelio, neque ab electione solum, sed etiam quod probati sint, et propterea electi, ita ut nihil suspicentur.

^{‡‡}8.19 *In hanc gratiam.* Id est prædicationem gentium cui destinatus sum, et volo.

^{¶¶}8.20 *Devitantes hoc.* Circa curam sanctorum negligentius agere non vult videri Apostolus, et ideo præmonet ut sollicitudo ejus providentia appareat. *In hac parte.* Doctrinæ et miraculorum, ut dicatur, Bene prædicat, sed non est memor sanctorum, sicut alii apostoli, et sicut sibi præceptum est.

^{§§}8.21 *Coram Deo.* Propter nos conscientia nostra sufficit nobis: propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Duæ res sunt, conscientia et fama: conscientia tibi, fama proximo: qui conscientia fidens negligit famam, crudelis est.

^{*}8.22 *Confidentia.* Quasi dicat: pro confidentia vestri ivit? et pro Tito et Luca cum quibus ibenter ibat.

[†]8.23 *Sive.* Vel sive per patres vestros apostolos Ecclesiarum ad gloriam Dei, id est quod ipsi sunt apostoli Ecclesiarum, hoc est gloriæ Dei Christi, id est ad gloriam Christi: quia in eis non hominum, sed Christi gloria est.

[‡]8.24 *Ostensionem.* Id est charitatem vestram quam ostendistis aliis et gloriam nostram quam similiter ostendistis esse veram, nunc ostendite, bene istos recipiendo, et hoc in faciem Ecclesiarum, ut alii a vobis accipiant exemplum.

9 Nam de ministerio, quod fit in sanctos ex abundanti est mihi scribere vobis. ² Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam et Achaia parata est ab anno præterito, et vestra æmulatio provocavit plurimos. ³ Misi autem fratres: ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati sitis: ⁴ ne cum venerint Macedones mecum, et invenerint vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicamus vos) in hac substantia. ⁵ Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, et præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse sic, quasi benedictionem, non tamquam avaritiam. ⁶ Hoc autem dico: qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. ⁷ Unusquisque, prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. ⁸ Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, ⁹ sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. ¹⁰ Qui autem administrat semen seminanti: et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ: ¹¹ ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. ¹² Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, ¹³ per probationem ministerii hujus, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ, in Evangelium Christi, et simplicitate communicationis in illos, et in omnes, ¹⁴ et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. ¹⁵ Gratias Deo super inenarrabili dono ejus. †

^{9.2} **Et vestra æmulatio.** Æmulatione Corinthiorum aliæ Ecclesiæ (dum audiunt illos prius erroribus implicatos, postea bonæ voluntatis fuisse effectos) incitatae sunt ad bonum opus.

^{9.4} **Erubescamus.** Si enim non fuerit hoc inventum, quod Apostolus testificatus est de his, et ipse erubescet et ipsi amplius confundentur.

^{9.6} **Qui parce seminat.** Non parce seminat qui parum habens parum largitur, si animus promptus sit plus dare, si plus haberet.

^{9.7} **Non ex tristitia.** Qui invitatus dat propter præsentem pudorem, non habet mercedem. **Hilarem enim datorem,** qui dat ut careat tædio interpellantis, non ut reficiat viscera indigentis, et meritum et rem perdit. Large dat qui affectum largiendi habet, etiamsi nihil habeat quod largiri possit.

^{9.8} **Abundare,** etc. Licet enim exiguum sit quod parum habens tribuit, abundat tamen, quia recto iudicio fit: quia non quæritur de quanto, sed quo animo detur.

^{9.9} **Justitia enim.** Justus est qui bona mundi fine æterni præmii communia reputat.

^{9.10} **Incrementa frugum.** Justitia est sanctitas, et bona vita: et inde fruges, id est, æterna remuneratio. Incrementa eleemosynæ: pro quibus et hic virtutes, et in futuro gloria augebitur.

^{9.11} **Quæ operatur.** Id est, ipsa largitio est causa quare gratiæ agantur Deo, cujus largitionis nos sumus ministri.

^{9.15} **Gratias Deo.** De alterna indigentia, et de alterno supplemento indigentia provincialium Christi et militum Christi gratias Deo agit. Egit hic de rebus carnalibus in illos, et postquam egit de spiritualibus in istos, tanquam plenus gaudiis exclamat: **Gratias ago,** etc.

10 Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vos.[‡]
²Rogo autem vos ne præsens audeam per eam confidentiam, qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus.³ In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus.[¶]⁴ Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes,[§]⁵ et omnem altitudinem extollemem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi,⁶ et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia.^{**}⁷ Quæ secundum faciem sunt, videte. Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se: quia sicut ipse Christi est, ita et nos.^{††}⁸ Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam.^{‡‡}⁹ Ut autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas:^{¶¶}¹⁰ quoniam quidem epistolæ, inquit, graves sunt et fortes: præsentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis:¹¹ hoc cogitet qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales et præsentem in facto.^{§§}¹² Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant:

[‡]10.1 *Ipse autem ego Paulus.* Incipit agere de incorrectis qui pseudo sequebantur, et Apostolum ferocem putabant, quasi diceret: Correctos ad eleemosynas invito: **Paulus** vere *humilis*, non superbus ipse qui alios ad eleemosynas moneo, idem vobis qui illis, obsecro, dico, etc.

[¶]10.3 *Non secundum carnem militamus.* Non enim militiam a Deo nobis datam exercemus secundum carnem, id est, pro terreno commodo.

[§]10.4 *Ad destructionem munitionum.* Ut destruantur consilia diversis calliditatibus hominum seu dæmonum munita. **Munitiones**, etc. Munitiones sunt corda infidelium, quæ diabolus obtinet, et munit diversis erroribus, ne verbum Dei possit intrare per fidem, vel per similitudinem munitionum. Et ad hæc devincendum valeant arma militiæ Apostoli, et ostendit munitionis illius partes, scilicet, consilia.

^{**}10.6 *Et in promptu habentes.* Quia nihil nos remordet quo minus audeamus. **Ulcisci**, etc. Tunc aliquis vindicat inobedientiam, cum illam condemnat per obedientiam. Tunc illam destruit quando illos qui resistunt, perducit ad fidem. Et hæc est digna ultio, ut perfidia ab his quibus defendebatur, damnetur.

^{††}10.7 *Quæ secundum faciem.* Multa dixi quibus ostendi vobis potius debere nos sequi quam pseudo, quasi diceret: Si vobis non sufficiunt quæ dixi, quare me potius quam pseudo sequamini? Videte hæc quæ secundum faciem, id est, ita evidentiæ sunt, sicut ea quæ sunt subjecta oculis.

^{‡‡}10.8 *Non erubescam.* Quia et verum est, et non ad gloriam meam, sed hoc dicitur ad utilitatem vestram.

^{¶¶}10.9 *Ut autem non existimer.* Hic dicit se cum præsens fuerit, opere implere quod absens verbo minatur. Hoc autem dicit occasione illius sententiæ: **parati ulcisci omnem inobedientiam**: ut, inquit, non existimer a vobis tantum terrere verbis, et opere (quod minor verbis) non implere, sciatis quod minor verbis impleturus sum factis.

^{§§}10.11 *Hoc cogitet*, etc. **HIER.** Ne quis putet me illa comminari, etc., usque ad et peccantibus per severitatem fortis existo. **Tales.** Quia si vitia vestra palparemus, tunc non ædificaremus, sed destrueremus.

sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, et comparantes nosmetipsos nobis.* ¹³Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos.[†] ¹⁴Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos: usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi. ¹⁵Non in immensum gloriantes in alienis laboribus: spem autem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam,[‡] ¹⁶etiam in illa, quæ ultra vos sunt, evangelizare, non in aliena regula in iis quæ præparata sunt gloriari. ¹⁷Qui autem gloriatur, in Domino gloriatur.[¶] ¹⁸Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat.[§]

11 Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed et supportare me:^{**} ²æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.^{††} ³Timeo autem ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo.^{‡‡}

*10.12 *Non enim audemus*, etc. Tales erimus facti, quia non sumus similes pseudo, qui usurpant sibi potestatem, et vitia palpant. Et hoc est: Non inserimus nos quibusdam, id est, pseudo qui commendant, id est, usurpant potestatem. Quod est, non ponimus nos in numero illorum, ut potestatem usurpemus, sed a Deo accepimus. Aut non comparamus nos illis ut, sicut illi, adulemur vobis et vitia vestra palpemus: quod posset etiam habens potestatem.

†10.13 *Nos autem*, etc. Sicut illi qui usurpando gloriantur ultra mensuram. *Sed secundum mensuram*. Dei enim nutu Corinthiis evangelizare monitus est. Partitum erat unicuique ad quos in prædicatione dirigeretur, ut singuli aliquos populos haberent proprios, de quorum fide gloriarentur. Ad regulam autem Apostoli illi omnes pertinebant, quos in fide fundaverat: qui ad omnes missus erat a Deo.

‡10.15 *Non in alienis laboribus*. Hoc facere esset ultra mensuram gloriari; sed spem habentes in vobis: id est, per vos magnificari apud alios, et evangelizare secundum regulam nostram, id est, secundum quod a Deo injunctum est, non habentes spem gloriari in aliena regula.

¶10.17 *Qui autem gloriatur*. Ego non gloriabor in aliena regula. Similiter autem qui gloriatur, id est vult potestatem exercere, in Domino, id est, in mensura a Deo data gloriatur.

§10.18 *Sed quem Deus*. Illum Deus commendat et probatus est, quem dignum habet, ac mittit ut prædicet donum ejus: quem non mittit, non commendat, quia non missus prædicat.

**11.1 *Utinam sustineretis*, etc. Quasi: Glorior de regimine (quod videtur insipientia). sed *utinam sustineretis*, etc. Insipientiam dicit gloriationem secundum carnem, ne in eo illis videatur inferior quam ipse quidem non curat, sed prodest Corinthiis de ea agere. *Insipientiæ*. Quia dictum est: Non te laudent labia tua, sed proximi tui. *Supportate*. Quasi dicat: Et si gravem, vos tamen patienter ferte.

††11.2 *Æmulor*. Æmulatio est propter alienum statum motus mentis, vel in bonum vel in malum. Hic amoris est, non livoris, quia diligit eos æmulatione Dei, id est quam Deus spiritu suo inspirat, per hoc ostendit ea quæ dicet, amore eorum se dicturum, non ut ad laudem ejus proficiant, sed ad horum profectum. *Vos uni*. A plurali ad singulare descendit, volens intelligi totam Ecclesiam virginem esse, et in omnibus veris membris virginitate mentis (etsi non corporis) servare. Virginitas carnis, corpus est intactum: hæc virginitas paucorum est. Virginitas cordis fides est incorrupta: hæc est omnium fidelium.

‡‡11.3 *Timeo autem*. HIER. Serpens Evam de Deo mentiendo seduxit, etc., usque ad penitus non esse, aut æternam non esse affirmat contra auctoritatem omnium Scripturarum.

⁴Nam si is qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicavimus, aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis: aut aliud Evangelium, quod non recepistis: recte pateremini. ¶[¶] ⁵Existimo enim nihil me minus fecisse a magnis Apostolis. §[§] ⁶Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia, in omnibus autem manifestati sumus vobis. * ⁷Aut numquid peccatum feci, meipsum humilians, ut vos exaltemini? quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis? † ⁸Alias ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. ⁹Et cum essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia: et in omnibus sine onere me vobis servavi, et servabo. ¹⁰Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaïæ. ‡ ¹¹Quare? quia non diligo vos? Deus scit. ¹²Quod autem facio, et faciam: ut amputem occasionem eorum qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos. ¹³Nam ejusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. ¶ ¹⁴Et non mirum: ipse enim Satanas transfiguratur se in angelum lucis. ¹⁵Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ: quorum finis erit secundum opera ipsorum. § ¹⁶Iterum dico (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, ut et ego modicum quid glorier), ¹⁷quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ. ** ¹⁸Quoniam multi gloriantur secundum carnem: et ego gloriabor. ¹⁹Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. ²⁰Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis

¶[¶]11.4 *Nam si is qui venit.* Non missus. *Recte pateremini.* Si aliquid majus vobis sit per eos quam per nos, tunc recte pateremini. Galatis anathema dicit, si aliud recipient, quod non utique majus esset, sed contrarium.

§[§]11.5 *Existimo.* Supra egit de pseudoapostolis, nunc de veris, quibus Paulus inferior videbatur; quia non fuerat cum Jesu conversatus.

* 11.6 *Nam etsi imperitus.* Hoc non ad apostolos pertinet, quia non erant eloquentes, sed ad pseudo, qui componebant verba. Imperitus ergo sermone non est reus apud Deum, sed qui non habet scientiam Dei, quæ pertinet ad salutem.

† 11.7 *Quoniam gratis Evangelium.* Minus non feci, sed plus: quia gratis, unde mihi irascimini, et alios mihi præponitis: cum hoc non sit peccati, sed gloriæ.

‡ 11.10 *Est veritas.* HIER. Sicut Christus semel statuit, nec negavit, necesse est ut etiam ego non mentitus ita faciam. *Ut in quo gloriantur.* Gloriantur in accipiendo, sed me non accipiente, non accipient. *Nam ejusmodi,* etc. *Inveniantur sicut et nos.* Id est, similes nobis. *In quo,* id est, in hoc quod gloriantur se esse similes nobis.

¶ 11.13 *Transfigurantes se.* Ad tentandum eos quos ita erudire opus est. Vel ad decipiendum prout justum est. Ad hoc magna Dei misericordia necessaria est, ne quisquam cum angelos bonos amicos se habere putat, habeat malos dæmones, fictos amicos; eosque tanto nocentiores, quanto astutiores ac fallaciores patitur inimicos.

§ 11.15 *Quorum finis.* Id est, retributio data in fine vitæ *erit secundum opera ipsorum,* quia sicut pseudo peritura appetiverunt, ita et ipsi peribunt, et sicut ministri justitiæ æternæ, ita et ipsi erunt æterni.

** 11.17 *Quod loquor.* In hac substantia gloriæ, id est, in gloria carnis quam putant substantiam, id est, ita amant ac si per eam credant se subsistere. *Sed quasi in insipientia.* Quia hæc ad carnis tumorem pertinere videntur, ubi insipientia est. Insipientia enim est aliquem laudare se. Sed quia Apostolus non propter se facit, sed propter Deum, ideo ait, *quasi in insipientia.*

in faciem vos cædit.†† 21 Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audeat (in insipientia dico) audeo et ego: 22 Hebræi sunt, et ego: Israëlita sunt, et ego: semen Abrahæ sunt, et ego.‡‡ 23 Ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico), plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.¶¶ 24 A Judæis quinquies, quadragenas, una minus, accepi.§§ 25 Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum: ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui, 26 in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.* 27 in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate,† 28 præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum.‡ 29 Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?¶ 30 Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. 31 Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior.§ 32 Damasci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum ut me comprehenderet: 33 et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus.

12 Si gloriari oportet (non expedit quidem), veniam autem ad visiones et revelationes Domini. 2 Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad

††11.20 *Cædit*. Id est, decipit. In faciem cæditur is, in cuius os injuria irrogatur. Hoc faciebant quidam Judæi qui eo quod essent de genere Abrahæ, detrahebant illis, eo quod essent incircumcisi et se præferebant, nobilitatem carnis sibi vindicantes: quos Corinthii tolerabant, et Apostolo præferebant.

‡‡11.22 *Hebræi*. Hebræi dicuntur ab Heber, qui in confusione linguarum solus retinuit linguam naturalem. Et quia multi sunt Hebræi, qui non sunt Israëlita, sicut proselyti, addit: *Israëlita sunt, et ego*.

¶¶11.23 *Ut minus sapiens*. AMBR. Ostendit se coactum in laudem suam prorupisse. *In laboribus*. Occasione inventa etiam veros apostolos tangit, quibus plus laboravit, ne in se videatur minor gratia.

§§11.24 *A Judæis quinquies*. Judæis mos erat in synagoga contra legem agentes verberare correctionis causa. Unde Paulum legem impugnantem quinquies verberaverunt, et in unaquaque correctione triginta novem ictus ei dederunt, quadagesimum pro misericordia condonantes. *Una minus*. In ultima vice corrigia subtracta. Vel, in unaquaque percussione una minus.

*11.26 *Periculis latronum*, etc. Quos diabolus (cum in civitate occidere non posset) ei excitabat in via, cum tamen nihil ferret, quod latrones cuperent.

†11.27 *In fame*. Ubi ergo promissio Dei: *Primum quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis?* Luc. 12. Sed novit medicus, cui nos semel commisimus, hæc adjutoria quando apponat, quando subtrahat.

‡11.28 *Sollicitudo*. Quanto major charitas, tanto majores plagæ de peccatis alienis. Unde: *Qui apponit scientiam, apponit et dolorem*.

¶11.29 *Non uror?* Urunt omnes tribulationes, sed non ad consumptionem, imo ad purificationem. Iste affectus purgat: quia de charitate venit. Omnes qui scandalum patiuntur frivorium sunt habentium charitatem, id est ossium quæ ferunt carnes, id est perfectorum qui portant et regunt carnales; unde: *Et ossa mea in frivorio confixa sunt*.

§11.31 *Non mentior*. Quia fert mihi testimonium per signa et prodigia.

tertium cælum. **³ Et scio hujusmodi hominem sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit: ⁴ quoniam raptus est in paradysum: et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. ††⁵ Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis. ⁶ Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. ‡‡⁷ Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. ¶¶⁸ Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me: ⁹ et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. §§¹⁰ Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum. ¹¹ Factus sum insipiens, vos me coëgistis. Ego enim a vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum: *¹² signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus. †¹³ Quid est enim, quod minus habuistis præ ceteris ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? donate mihi hanc injuriam. ¹⁴ Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos: et non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ

**12.2 *Scio hominem.* Quasi de alio, et res dicitur, et jactantia vitatur. *Sive in corpore, sive,* etc. Hoc ignoravit Apostolus, utrum quando raptus est, in corpore fuerit anima, an omnino de corpore exierit, adeo ut mortuum corpus jaceret, an secundum modum alium quemdam viventis corporis ubi anima fuerit, mens ejus ad videnda vel audienda ineffabilia illius visionis accepta sit. Et quia hoc incertum erat, ideo forsitan dixit, *sive in corpore, sive extra. Raptum.* Contra naturam elevatum. *Usque ad tertium cælum.* Id est, ad cognitionem Deitatis. Primum cælum est æreum; secundum, firmamentum; tertium spirituale, ubi angeli et sanctæ animæ Dei fruuntur contemplatione.

††12.4 *Raptus est.* THEOPH. Ipsius vide summam demissionem et humilitatem, quomodo tanquam de alio hæc recenseat: de hoc enim, inquit, gloriabor. At cujus gratia (si alius raptus est) gloriaris? Itaque hæc de seipso dicit. *Arcana verba.* Intimationem de secreta Dei essentia, quasi per verba.

‡‡12.6 *Supra id quod,* etc. Si enim magna referrem et plura, forte aliqui putarent me non esse infirmum, sed hominem immortalem, vel angelum, etc.; ideoque parce de me loquor.

¶¶12.7 *Et ne magnitudo.* Parco multum gloriari, ne alter puter. Et ideo datus est stimulus pungens carnem. Quis? angelus malignus missus a Satana, ut colaphizet, id est reprimat omnem motum superbix incutiendo tribulationes, vel tentando (ut quidam aiunt) per libidinem. Tentatio autem cui non consentitur, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis.

§§12.9 *Dixit mihi.* Per inspirationem, vel per angelum. *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Perfectio virtutum est, quæ habet infirmitatem contrariam, cum qua legitime certet: et ideo gloriabor in infirmitatibus, non invitus, sed libens.

*12.11 *Factus sum insipiens.* In his omnibus commendationibus videor insipiens, sed vestra culpa qui debuistis me contra pseudo commendare.

†12.12 *In omni patientia.* Patientiam primam memorat, quæ ad mores pertinet: quia diu illos portavit, quasi impatientes ægros, ut adhibita potestate signorum, quasi medicina curaret vulnera eorum. *Et virtutibus.* Virtus est genus signorum et prodigiorum, id est omne miraculum. Signum, quod in quocunque tempore aliquid significat, et est prodigii genus. Prodigium quod in futuro. Vel signum et prodigium in his quæ contra naturam, virtus in his quæ non contra naturam, ut per impositionem manus et orationem a morbo liberare.

vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.[‡] ¹⁵Ego autem libentissime impendam, et super impendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar.[¶] ¹⁶Sed esto: ego vos non gravavi: sed cum essem astutus, dolo vos cepi. ¹⁷Numquid per aliquem eorum, quod misi ad vos, circumveni vos? ¹⁸Rogavi Titum, et misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis? ¹⁹Olim putatis quod excusemus nos apud vos? coram Deo in Christo loquimur: omnia autem, carissimi, propter ædificationem vestram.[§] ²⁰Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos: et ego inveniar a vobis, qualem non vultis: ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurraciones, inflationes, seditiones sint inter vos: ²¹ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia, quam gesserunt.^{**}

13 Ecce tertio hoc venio ad vos: in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. ²Prædixi, et prædico, ut præsens, et nunc absens iis qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam.^{††} ³An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?^{‡‡} ⁴Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed vivit ex virtute Dei. Nam et nos infirmi sumus in illo: sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.^{¶¶} ⁵Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. ⁶Spero autem quod

[‡]12.14 *Nec enim debent*, etc. Carnales patres filiis congregant, sed spirituales dignum est ut a filiis sumptus accipiant. Hic autem in tantum probat se nolle accipere, ut transferat causam carnalis patris ad spiritualem: et dicit non solum se pro salute eorum impendere, sed et mori paratum.

[¶]12.15 *Et superimpendar*, etc. Perfecta quidem charitas hæc est, ut quidem paratus sit etiam pro fratribus mori. Sed nunquid mox ut nascitur? Cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur: cum ad perfectionem venerit, dicit: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*.

[§]12.19 *Olim putatis*. Quasi dicat: Jamdudum forsitan putatis: quod causa excusationis quasi reus dicam, quod non gravavi, sed dico (teste Deo qui scit) quod non circumveni vos, et non superbe, sed in Christo amplificando in vobis.

^{**}12.21 *Ne iterum cum venero*, etc. CHRYS. Gloria est punire, impropere, pœnas exigere, etc., usque ad sed propter illius præceptum. *Et non egerunt*. Non sufficit mores in melius commutare et a malis recedere, nisi de his quæ facta sunt, satisfiat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.

^{††}13.2 *Non parcam*. Post tot correctiones, si qui se non emendant, non debet eis parci.

^{‡‡}13.3 *An experimentum*. Moris est divinæ Scripturæ personæ Dei tribuere quod in nobis facit, sicut Apostolus locutionem ipsam illi tribuit cujus munere loquebatur, id est Christo. *Qui in vobis non infirmatur*, sed potens apparuit cum dona dedit. Quod experti, non dubitent se ab eo posse puniri.

^{¶¶}13.4 *Nam et nos infirmi*. Vivit Christus qui prius fuerat infirmus. *Nam et nos* multo minores, licet *infirmi in illo*, id est licet ad imitationem ejus multa patimur a perfidis, *tamen vivemus*, id est potestatem habebimus per eum in vobis judicandis. Vel, *vivemus cum eo*, id est in simili beatitudine cum eo: et hoc ex *virtute Dei*; quod tale est *in vobis*, id est in conscientiis vestris: *In vobis*. Erga vos. Mors illata a perfidis vita est erga credentes, quia virtute Dei resurgentes vivent cum Christo.

cognoscetis, quia nos non sumus reprobī. ⁷Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis: nos autem ut reprobī simus.^{§§} ⁸Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. ⁹Gaudemus enim, quoniam nos infirmī sumus, vos autem potentes estis. Hoc et oramus, vestram consummationem. * ¹⁰Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem.† ¹¹De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.‡ ¹²Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. ¹³Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.¶

§§13.7 *Oramus autem*, etc. Hoc orat Apostolus, ut his bene agentibus in eis corripienda non inveniatur, et sic reprobī appareant: probati enim videntur, dum iudicant peccatores. Sic ergo si non sint quos iudicet, cessante auctoritate quasi reprobī videntur. *Reprobī simus*, id est appareamus reprobī, non habentes quod vindicemus vel dijudicemus.

*13.9 *Gaudemus enim*, etc. HIER. Gaudemus si non sit necesse ut nostra virtus appareat, sicut Petri apparuit in Saphyra et Anania.

†13.10 *Secundum potestatem*. Iterum ostendit quod non cupit potestate in illis abuti, adjiciens non in destructionem sed in ædificationem se eam accepisse, unde subdit: *Non in destructionem*. Non destruuntur autem qui corriguntur, sed correcti ædificantur.

‡13.11 *Gaudete, fratres*. Id est bene operamini ut verum gaudium habere possitis. *Et Deus pacis erit vobiscum*. Hinc vobis erit pax a dilectione illius, hinc malorum omnium sublatio. Ista pax orbem servavit, diuturnum bellum solvit, cœlo terram conjunxit, ista homines angelos fecit. Istam ego imitetur. Innumerabilium enim bonorum mater est dilectio, per istam salvati sumus, per istam ineffabilia bona omnia assequimur.

¶13.13 *Gratia*. Totam Trinitatem optat benedicere eos. Sua tribuit congrua cuique. Gratiam, id est remissionem Filio, charitatem Patri qui ex dilectione misit Filium, communicationem Spiritui, per quem fit unio. *Et caritas Dei*. Dilectio Dei misit Christum, cujus gratia salvat. Et ut possideamus hanc gratiam salutis, communicatio facti Spiritus sancti, vel ipse Spiritus ita sit vobiscum, ut communicet et conferat vobis et gratiam Christi et charitatem Dei. Quasi: Tota sit vobiscum Trinitas, dans gratiam de commissis et charitatem per Spiritum.

INCIPIIT AD GALATAS

1 Paulus, Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis:^{§ 2} et qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiæ.^{** 3} Gratia vobis, et pax a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo,^{†† 4} qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsentis sæculo nequam, secundum voluntatem Dei et Patris nostri,^{‡‡ 5} cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.^{¶¶ 6} Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud Evangelium:^{§§ 7} quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi.⁸ Sed licet nos aut angelus

§1.1 **Argumentum** Galatæ sunt Græci. Hi verbum veritatis primum ab Apostolo acceperunt. Sed post discessum ejus tentati sunt a falsis apostolis, ut in legem et circumcisionem verterentur. Hos Apostolus revocat ad fidem veritatis, scribens eis ab Epheso. **Paulus, apostolus.** Nomine officii terrorem incutit. **Non ab hominibus.** Subaudi apostolis, ut quidam electi et missi a Judæis pseudoapostoli. **Neque per hominem.** Sed per Jesum jam suscitatum. Qui non ut homo homines paulatim, sed totum simul per spiritum docuit: ut per hoc sit major, per quod videbatur minor. Cæteri enim apostoli videbantur esse majores: quia priores. Iste minimus, quia novissimus. Sed inde apparet dignior: quia priores constituti sunt per Christum adhuc ex parte hominem, id est mortalem. Novissimus vero Paulus per Christum jam totum Deum, id est ex omni parte immortalem.

1.2 **Qui mecum. Dolentes fratres Christiani sunt de vestra seductione, testes veritatis meæ, quibus vos oportet credere, et non paucos, sed omnes.

††1.3 **Et Domino Jesu Christo.** Quem injuriose æquatis legi, dum ipsum non sine lege ad salutem sufficere asseritis: sicut legem sine eo: sed ab ipso sine lege gratia est et pax.

‡‡1.4 **Qui dedit.** Id est, sponte obtulit: quia non est alius qui potuit aperire librum, nisi leo de tribu Juda. **Semetipsum.** Quia non erat hostia alia digna pro peccatis nostris delendis, quod est initium salvationis. Quem ergo locum habet lex? Quasi: Nullum penitus. **De sæculo.** Id est de conformitate mundi, qui nos allicit. **Præsenti sæculo nequam.** Tanto plus capit, cum æterna non videantur. **Sæculo nequam.** Hoc dicit non quod mundus iste creatus a Deo sit malus, sed quia in eo fiunt mala. Et hoc sensu dicitur: **Dies mali sunt. Mundus in maligno positus. Tempora periculosa.** Saltus, qui pleni sunt latronibus, et gladius, quo cruor effunditur, et calix, in quo venenum temperatur, mala dicuntur: quia non solum tempora, sed etiam loca et instrumenta malorum traxerunt infamiam quæ in eis fiunt.

¶¶1.5 **Cui est gloria.** Quasi: Hæc testantur præsentis boni, et futuri testabuntur. In hac **salvatione** prælibavit et commendationem sui, et quid possit gratia Dei, et quod lex nihil confert.

§§1.6 **Miror.** De destructione legis consequenter agit Apostolus. Et de levitate eos reprehendit, quod ab Evangelio indiscrete transierunt ad legem. Et quia Galata, **translatio** dicitur, congrue ex ipso nomine reprehensionis occasionem sumit. Et cum hæc prædicta bona sunt ex Christo, miror quod bene instructi prius, sic, tam vehementer et tam brevi tempore, transferimini, etc.

de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*
 9 Sicut prædiximus, et nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.† 10 Modo enim hominibus suadeo, an Deo? an quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.‡ 11 Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: 12 neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. 13 Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo: quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, 14 et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abun-

*1.8 *Sed licet nos*, etc. Bonus angelus potest intelligi, non quod hoc contingat, sed adeo certus est de veritate Evangelii sui, quod si etiam angelus aliud nuntiaret, non crederet, sed anathematizaret. *Præterquam quod*. AUG. Attende. Non ait: Plus quam accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi præjudicaret, qui cupiebat venire ad quosdam, quibus ipse scribebat: sicut ad Thessalonicenses, ut suppleret quæ illorum fidei deerant. Sed qui supplet, quod minus erat addit; non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur fidei regulam, non accedit in via, sed recedit a via. *Anathema sit*. Quare hoc? Quia aliud evangelizans, de privato vult fluere, non de medio. Et cum hoc homo carnali nebula præpeditus, et a fonte communi ad propriam suam falsitatem reductus possit facere, nunquid et angelus? Vere si angelus de proprio fluens in paradiso non esset auditus, non præcipitaremur in mortem. Media aqua posita erat omnibus præceptum Dei. Aqua quodammodo publica erat, et sine fraude, sine labe, sine cœno fluebat. Sed venit angelus de cœlo lapsus serpens factus, quia insidiose jam venenum spargere cupiebat, et emisit venenum. De proprio locutus est, de suo: *Gustate, et eritis sicut dii* Gen. 3.. Et illi appetentes quod non erant, amiserunt quod acceperunt. *Anathema*. Hoc verbum pro maledicto ponitur, et vulgo dicitur devotio. Nam devotare se quemque nemo fere dicit, nisi se maledicens. Unde illud: *Et anathematizavit eum et civitates ejus, et vocatum est nomen loci illius Anathema* Num. 21.. Hinc tractum est ut anathema detestabile aliquid et abominabile videatur, ut nihil inde victor in usus suos auferret, sed totum in pœnam luendam votavit: hoc erat anathematizare, quod vulgo dicitur devotare. Origo autem hujus verbi est in Græca lingua ab his rebus quæ votæ et persolutæ, id est promissæ et redditæ sursum ponebantur in templis: et est dictum: id est sursum ponere.

†1.9 *Sicut prædiximus*. A majore infert. Quandoquidem nos vel angelum excommunicarem magis pseudo excommunicandi sunt.

‡1.10 *Modo*. Dicit modo quia olim dum dixit hominem ex lege justificari, hominis gloriam inutilem, gratiam Dei prædicavit. Innuit hic etiam hoc facere illos seductores, ut laudarentur a Judæis, quos non timet offendere Paulus pro gloria Christi, qua veniente cessat lex. *Si adhuc*. Hinc quidam putant sufficere conscientiam, ut parum quid de eis existimet alius, curent; sed conscientia coram Deo est necessaria conversatio coram proximo; quæ si negligentius agitur, lædit exemplo. Unde alibi: *Placete omnibus per omnia, sicut et ego omnibus placeo* II Cor. 10.. Item: *Sine offensione estote Judæis et Græcis Ecclesiæ Dei* II Cor. 8.. Item: *Providemus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* Matth. 5.. Item: *Luceant opera vestra coram hominibus*, etc. Ergo contra temerarios judices, detractores, susurrone, murmuratores, quærentes suspicari quod non vident, quærentes etiam jactare quod non suspicantur, sufficit conscientia. Nec in aliis quibus placere volumus quæramus nostram gloriam, sed eorum salutem, ut non nos, sed Deum laudent, qui tales fecit; unde: *Nolite facere justitiam vestram coram hominibus*, ubi illos arguit qui ita ventilant opera sua, ut finem operum suorum laudem hominum ponant, eamdemque laudem quasi pro mercede operum suorum computent.

dantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.[¶] 15 Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam,[§] 16 ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus: continuo non acquievi carni et sanguini,¹⁷ neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum: 18 deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim: 19 alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. 20 Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. 21 Deinde veni in partes Syriæ, et Ciliciæ. 22 Eram autem ignotus facie ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo: 23 tantum autem auditum habebant quoniam qui persequeretur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat: 24 et in me clarificabant Deum.

2 Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito.^{**} 2 Ascendi autem secundum revelationem: et contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse: ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.^{††} 3 Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi: 4 sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent.^{‡‡} 5 Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos:^{¶¶} 6 ab iis autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest: Deus personam hominis non

[¶]1.14 *Et proficiebam in Judaismo.* Quasi dicat: Qui prius in illis legalibus tantum valui, jam illa reliqui, ideoque vos meo exemplo ab his recedite.

[§]1.15 *Cum autem placuit.* Quasi dicat: Tunc apparet me non didicisse, sed nec post. *Segregavit ex utero matris.* Unde de Jeremia legitur: *Priusquam te formarem in utero, novi te* Jerem. 1.. Qui ergo præscit futuros antequam sint, quoscumque vult nasci, facit ut sint, et jam natos quos vult per gratiam vocat ut justi sint, sicut Paulum vocavit per gratiam, ut annuntiaret Christum. *Ex utero.* Mater, Synagoga; uterus ejus et secretarii ejus sunt Pharisæi, de numero quorum separatus est.

^{**}2.1 *Deinde post annos quatuordecim.* A passione Domini, quando conversus fuerat ad fidem, venit, sicut Beda super Actus apostolorum scribens demonstrat.

^{††}2.2 *Et contuli cum illis.* Ostendit se non habuisse securitatem Evangelii, nisi esset auctoritate Petri et aliorum roboratum. *Seorsum,* etc. Separatim contuli cum his non publice, ne fidelibus ex Judæa (qui putabant legem esse servandam) fidei scandalum nasceretur. Eo tempore cum venisset Petrus Antiochiam (licet hoc in Actibus apostolorum non legatur) in faciem ei restitit Paulus.

^{‡‡}2.4 *Subintroductos.* A Judæis. Quod enim infideles per se non poterant, per falsos fratres moliebantur, quos sub specie religionis immiserant, ut explorarent quæ libertas est nobis in fide Christi, non ut eam tenerent, sed ut aliqua contentione ab ea in servitutem legis redigerent. Quod si esset veritas Evangelii apud gentes, non remanerent, sed omnes judaizarent. Et ideo hic iis quibus assertionem prædicationis suæ conferebat, nullatenus voluit cedere. Alibi vero ubi non obfuit, pro scandalo Judæorum, circumcidit Timotheum. In his omnibus et se commendat, et legem non tenendam comprobatur.

^{¶¶}2.5 *Neque ad horam.* Nec ad horam cessit, qui nunquam cessit. Quod si aliquando cessit, quomodo nec ad horam? Cur etiam propter falsos fratres, si per se facturus erat? Cessit ergo propter illos: quod per se non faceret: humilians se legi, circumciso Timotheo ut dolus et scandalum Judæorum cessaret, qui parati erant commovere tumultum et seditionem, si illum filium Judææ incircumcisum susciperet, et episcopum ordinaret.

accipit): mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.^{§§ 7} Sed e contra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis ⁸(qui enim operatus est Petro in apostolatam circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes): ⁹ et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, et Barnabæ societatis: ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.* ¹⁰ tantum ut pauperum memores essemus, quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. ¹¹ Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.† ¹² Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat, et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant.‡ ¹³ Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. ¹⁴ Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, et non judaice: quomodo gentes cogis judaizare?¶ ¹⁵ Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores.§ ¹⁶ Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis

§§2.6 **Quales aliquando.** Ad priora non recurro, quia ea quæ modo sunt, sufficiunt; sed qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. In quo apparet quod non inferior sit illis. Deus autem probatur non accipere personam, quia si ita esset, ego Paulus ante impius cui tales nihil conferrent non fuisset. Vel illud, *nihil interest*, sed nihil mihi tulerunt. **Qui videbantur aliquid esse.** Id est, alicujus auctoritatis: quia cum Domino ambulaverant, et transfigurationi ejus interfuerant. Videbantur dico **ab his**, id est, falsis fratribus. Quia qui videbantur esse aliquid, carnalibus duntaxat hominibus videbantur esse; nam ipsi non sunt aliquid. Etsi aliqui boni ministri Dei sunt, Christus in illis est aliquid, non ipsi per se. Nam si ipsi essent aliquid per se, semper fuissent aliquid.

‡2.9 **Columnæ.** Ecclesia firmamentum dicitur veritatis: quam etiam sapientia ædificavit, id est, constituit in septem columnis, quo numero vel universitas prædicatorum (quia solet poni pro universo) vel septenaria operatio Spiritus sancti insinatur. **Dextras dederunt.** Unde contulit cum illis, et dextras accepit? Quia idem cum eis verbum habuit. Ipsa collatio unitatem doctrinæ monstravit, aliter non crederet Ecclesia ei qui non fuerat cum Domino. **Ut nos ingentes.** Ut essem primus in prædicatione gentium, sicut Petrus in circumcisione. Et sicut apostoli Petro, ita Barnabas sibi sociaretur.

†2.11 **Restiti.** Hoc Paulus non auferet, nisi se non impari sentiret.

‡2.12 **Prius enim quam venirent,** etc. Qui dam æmulatores legis, qui æquo jure Christum et legem venerabantur, quos timens non miscebatur gentibus. Quod si solum esset, non esset reprehensibile. Sicut et ipse Paulus pro scandalo aliquando cessit. Sed in hoc erratum est, quod gentes cogebat judaizare.

¶2.14 **Quomodo gentes cogis.** Non docentis imperio, sed conversationis exemplo.

§2.15 **Nos.** Commendata auctoritate sua, jam rationibus incipit agere quod carnales observantiæ post Christum non sunt observandæ. Quasi: Gentes non debent judaizare, quia nos, qui valuimus in lege, scimus eam non justificare: et ideo, ea dimissa, ad Christum confugimus.

caro.** 17 Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? Absit.†† 18 Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico: prævaricatorem me constituo. 19 Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci.‡‡ 20 Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.¶¶ 21 Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.

3 O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus?§§ 2 Hoc solum a vobis volo discere: ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? * 3 sic stulti estis, ut cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? 4 tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.† 5 Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis:

**2.16 *Nisi per fidem*, etc. Non ideo dicit ex fide, quod opera bona frustrentur, cum Deus reddat unicuique secundum opera sua: sed quia bona opera sunt ex gratia, non autem ex operibus gratia: quia fides per dilectionem operans nihil operaretur, nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in nobis per Spiritum sanctum; nec ipsa fides esset in nobis, nisi Deus eam daret.

††2.17 *Quod si quærentes*. Si nos revera cognovimus non posse justificari nos, nisi transeuntes ad Christum, nunquid patitur Christus relabi nos ad id quod eramus? Quod si pateretur, profecto minister nobis esset peccati, id est, prioris status nostri, sicut fuisse transeuntibus ad se minister justitiæ.

‡‡2.19 *Ego enim per legem*. Spiritualiter intellectam. *Mortuus sum*. Ne carnaliter vivam. *Ut Deo vivam*. Non mihi, sed quod Deo jam possum? quia cum Christo sum. *Confixus*. Id est, crux Christi exstinxit in me ardorem peccati ut jam ultra ad id non extendar, quasi: clavis habens manus affixas.

¶¶2.20 *Vivo*. In virtutibus vigorem bene operandi habeo. *Jam non ego*. Ille peccator, qui prius eram. *Vivit vero in me Christus*. Id est, novitas Christi apparet in me. Ad quid ergo lex?

§§3.1 *O insensati*. AMBR. Verba irascentis. Erant autem insensati Galatæ qui nec se circumventos a pseudo agnoscebant. *Fascinavit*. Fascinus est quando magicis delusionibus aliter quædam oculis hominum ostenduntur quam sunt. Dicitur etiam fascinus vulgo qui nocet infantibus. Dicuntur enim quorum dam oculi visu urentes, dum et hic eorum actus fascinatio dicitur: et potest fieri ut huic peccato inserviant dæmones. Similiter invidia tanquam fascinus urit. Invidus enim non modo sibi nocet, sed et his in quibus aliqua bona esse incipiunt; unde Salomon, *Fascinatio malignitatis obscurat bona* Sap. 4.. Sic factum est, ut invidi tanquam fascinantes nocerent Galatis, nuper in Christo renatis, ut iidem Galatæ fidei stomacho nauseante cibum spiritus evomerent. *Ante quorum oculos*. Vere fascinati, quia ante oculos, id est, in vestra præsentia ille tantus qui est. *Jesus Christus proscriptus est*. Id est, exhæredatus: et hoc *in vobis*, in aliis non deberetis pati ut regnum et hæreditatem suam amitteret, nedum in vobis.

*3.2 *Hoc solum a vobis*. Commonitis per increpationem, probat quod lex non est observanda, quia non ex ea, sed ex fide veniunt omnia necessaria, spiritus, justitia, benedictio. Quasi: Quamvis fascinati et stulti, tamen *hoc volo a vobis discere*, quia hoc adeo evidens est, ut et stulti docere queant. Si nihil aliud esset, hoc solum ad probandum sufficeret, cum constet quia spiritum accepistis; sed an ex operibus in quibus laborem nunquam accepistis, an ex fide quæ auditus facilitate venit?

†3.4 *Sine causa*. Ideo dicit: Quia multa jam pro fide toleraverant, et in ipsis passionibus, charitate timorem vicerant. Sine causa ergo tanta passi erant, qui a charitate, quæ in eis tanta sustinuerat, ad legem labi volebant.

ex operibus legis, an ex auditu fidei?[‡] ⁶ Sicut scriptum est: Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam:[¶] ⁷ cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ. ⁸ Providens autem Scriptura quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes gentes.[§] ⁹ Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. ¹⁰ Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea.^{**} ¹¹ Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est: quia justus ex fide vivit.^{††} ¹² Lex autem non est ex fide, sed: Qui fecerit ea, vivet in illis.^{‡‡} ¹³ Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno:^{¶¶} ¹⁴ ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. ¹⁵ Fratres (secundum hominem dico) tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. ¹⁶ Abrahæ dictæ

[‡]3.5 **Qui ergo tribuit.** Quia vos non ex operibus quæ nunquam habuistis accepistis spiritum, sed ex fide; ergo potestis videre quod ego qui habui opera legis, non per ea, sed per fidem accepti potestatem dandi spiritum et operandi miracula. De eo quod sub lege fuerat, poterat dubitari: sed per similitudinem istorum totum liquet.

[¶]3.6 **Ad justitiam.** Justitiam vocat hic peccatorum remissionem et bonæ vitæ observantiam.

[§]3.8 **Providens.** Non solum justitia ex fide, sed et benedictio, quia Scriptura dicit: **In te benedicentur**, id est, in tuæ fidei conformitate. **Quia ex fide.** Non ex operibus, etc. **Prænuntiavit**, id est, ostendit. Vel, **prænuntiavit**, id est, ostendit prænuntiatum esse, quod **benedicentur** in æterna beatitudine. **In te.** In tuæ fidei imitatione, etc.

^{**}3.10 **Quicumque enim,** etc. Hoc intelligendum est, non de operibus quæ ad mores pertinent, sed quæ in observationibus illis fiebant. Prodest lex in tabulis scripta: cætera onus sunt, quod probat auctoritate Scripturæ, dicens: **Scriptum est.** Qui ex operibus legis sunt, maledicti sunt, quia sicut scriptum est a Moyse in Deuteronomio Deut. 21.: **Maledictus omnis homo**, etc. Quasi: Multa præcepi quæ omnia nullus implere poterit: sed in onus data sunt, et ideo omnes maledicti. In quo innuit desiderandum esse Salvatorem, qui finem ponat his, et liberet non solum ab aliis peccatis, sed a maledicto legis. Cur ergo Galatæ transeunt a gratia ad maledictum?

^{††}3.11 **Justificatur apud Deum.** Qui eum gratis colit, scilicet, non cupiditate appetendi aliquid ab ipso præter ipsum, vel timore amittendi. In ipso enim solo vera nostra beatitudo est, et perfecta est.

^{‡‡}3.12 **Lex autem,** etc. Ex fide est justitia et vita: sed lex non est ex fide. Posset quidem videri, quia opera legis ex fide fierent, ut pro eis sperarentur æterna: sed id non est, quoniam Judæi ex timore poenæ illa servabant. **Vivet in illis.** Non ait: Qui fecerit eam, vivet in ea, cum præmisset: **lex non est ex fide;** ut intelligas legem in hoc loco positam pro ipsis operibus quæ in illis observationibus fiebant. Qui autem vivebant in his operibus, timebant utique (si non ea fecissent) lapidationem, vel crucem, vel aliud hujusmodi pati. **Qui ergo fecerit ea, vivet in illis:** non apud Deum, id est, habebit præmium, ne ista morte puniatur. Qui autem ex fide vivit, cum hinc exierit, tunc magis habebit præsentissimum præmium. Non igitur ex fide vivit, quisquis præsentia quæ videntur, vel cupit vel timet: quia fides Dei ad invisibilia pertinet.

^{¶¶}3.13 **Factus pro nobis,** id est, reputatus non solum maledictus, sed etiam maledictum. Vel, Factus est rei veritate **maledictus**, id est, mortalis. **Maledictus qui pendet.** Quasi: Satis ad poenam sit quod suspensus moritur reus: et quod illic est usque ad vesperam, ut tunc deponatur et sepeliatur, ne si ibi sit diutius, majus sit opprobrium: et macula generi ejus. **Omnis homo.** Etiam Christus, ne futuri hæretici negent ejus veram mortem.

sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus. ¹⁷ Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo: quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem. ^{§§ 18} Nam si ex lege hæreditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus. ¹⁹ Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. ^{*} ²⁰ Mediator autem unius non est: Deus autem unus est. [†] ²¹ Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia. [‡] ²² Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. ²³ Prius autem quam veniret

§§3.17 *Hoc autem dico.* Hoc promisit Deus Abrahæ, *hoc autem testamentum confirmatum* per juramenta *dico* et affirmo, quod *lex non facit irritum*, de qua non esset hoc putandum: quia data est tantum ad tempus: quia post multum tempus a promissione facta Abrahæ, lex data est: de qua si esset benedictio, homines illius temporis Abraham, Isaac et Jacob non eam habuissent. *Lex non facit irritum.* Id est, falsum: quod faceret, si per eam daretur benedictio. Promissio enim illa non dixit, quod per legem, sed per semen. Quod si per legem benedictio, ergo frustra semini promisit, et frustra semen ipsum venit. Lex non facit irritum quasi jam valeret ad evacuandam promissionem: quia esset falsa, et Deus mendax.

^{*}3.19 *Propter transgressionem.* Posita est in medio, inter promissionem et semen: cui facta est promissio, id est, inter Abraham et Christum, ut populum Dei erudiret sub timore Dei: ut dignus fieret excipere promissionem quæ est Christus. *Ordinata per angelos.* Lex dico ordinata per angelos, id est Moysen, et alios ministros Dei, vel ministerio angelorum hominibus data, in quibus angelis erat utique Pater et Filius et Spiritus sanctus. Aliquando sine ulla distinctione personæ, Deus per illos figurabatur. Et nota quod non ait data, sed, *ordinata*: quasi ordinabiliter data inter tempus naturalis legis (de qua convicti sunt quod juvare non potuit) et tempus gratiæ antequam de lege convincendi erant: qui ergo nunc eam reducit, contra ordinem angelorum facit. *In manu.* Id est, in potestate Christi, ut staret lex dum vellet, cessaret cum vellet. Ergo contra eum facitis qui eam destruxit. Mediator est inter duo extrema, et ob hoc videretur vel quod Christus non esset Deus, vel quod duo dii essent. Ad quod respondet, etsi mediator non est unius sed duarum extremitatum, tamen est Deus unus cum Deo Patre per divinam naturam, cui mediat per humanam.

[†]3.20 *Mediator.* Lex quam habet mediator, unius populi tantum est: sed tamen ipse mediator, non est tantum unius populi, id est, Judæorum qui legem habuerunt sed et gentilium, et ideo non quærat legem, ut habeatis mediatorem. Mediator non est unius, sed tamen est unus: sufficiens ad omnes reconciliandos Deo, quia Deus, et ideo aliud non adjungatis ei.

^{*}3.21 *Lex ergo,* etc. Quandoquidem lex est propter transgressionem, ergo est ita contra promissa, ut per eam impleatur aliter quam promissum est: non quia ex lege non est vita, id est, æterna beatitudo: quia si inde esset vita, tunc et justitia: sed non est ea ex justitia, sed potius condemnat, et sub peccato concludit. Et hoc est quod dicitur: *Sed concludit Scriptura.* Judæos omnino clausit sub peccati dominio lex ipsa, et ostendit omnes homines clausos sub peccato, ut dicitur etiam ad Romanos: *Conclusit Deus omnia in justitia, ut omnium misereatur.* Notis peccatis per legem conclusi sunt, ut se excusare non possint, sed quærant misericordiam.

fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat.[¶] 24 Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.[§] 25 At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. 26 Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.^{**} 27 Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.^{††} 28 Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. 29 Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.^{‡‡}

4 Dico autem: quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium.[¶] 2 sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre: 3 ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.^{§§} 4 At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex

[¶]3.23 *Priusquam.* Ante fidei adventum utilis erat lex Judæis. *Veniret fides.* Spontanea est fides quam nullum meritum advocavit. *Custodiebamur.* Non liberi, sed servi. *Conclusi.* Ut sic assueti duceremur. *In eam.* Id est, tam bonam fidem. *Quæ.* Tempore Christi erat. *Revelanda.* Tempore Christi multa aperta sunt, quæ prius obscura. Ecce honor legis: quia custodivit ut pædagogus: sed hoc non magnum est, quia hoc puerorum est, non adultorum.

[§]3.24 *Pædagogus noster fuit in Christo Jesu.* Institutione Christi: qui ideo instituit, ut sic venientes ad fidem, quasi pueri ad perfectionem justificemur. Vel *in Christo*, id est, in exsequendis præceptis Christi.

^{**}3.26 *Omnes filii Dei estis per fidem.* Nos Judæi tempore fidei pædagogum deseruimus: quia omnes vos gentiles, qui non habuistis legem, estis filii. Quod ergo vestro exemplo deseruimus, vos accipitis? Quasi diceret: Non debetis hoc facere. *In Christo Jesu.* In institutione Christi, et ad similitudinem mortis ejus.

^{††}3.27 *Induistis.* Id est conformes ei facti estis, quod est vobis honor et contra ætus protectio. Quod autem Christus indumentum sit, alibi Apostolus aperit dicens: *Induite vos Dominum nostrum Jesum Christum.* Induunt autem homines Christum: aliquando usque ad perceptionem sacramenti: aliquando etiam usque ad vitæ sanctificationem. Et illud primum bonis et malis est commune. Hoc alterum vero proprium est bonorum.

^{‡‡}3.29 *Ergo Abrahæ semen estis.* Semen Abrahæ dictus est Christus: ubi legitur quod promissiones dictæ sunt Abrahæ, et semini ejus. Hic autem semen Abrahæ dicti sunt filii Christi, id est, omnes credentes. Verum quoties Christus nominatur semen Abrahæ, corporaliter sentiendum est: quod scilicet ex ejus stirpe generetur. Quoties autem nos qui credimus in eum dicimur semen Abrahæ, tunc spiritualiter semen fidei accipere debemus.

^{¶¶}4.1 *Dico autem,* etc. Modo vos gentiles et nos Judæi sumus Christi, et semen Abrahæ et hæredes. Sed olim nos Judæi sub lege eramus dum parvuli fuimus sicut hæres futurus, et a patre substitutus.

^{§§}4.3 *Sub elementis.* In elementis neomenias, id est lunares dies, et sabbatum significat, non quod in elementis sperarent ut pagani, sed quod in his Deum venerarentur. *Mundi.* Quia lex non cœlestia sed terrena promittebat: vel transitoria, ut est mundus.

muliere, factum sub lege, *⁵ ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. ⁶ Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater. †⁷ Itaque jam non est servus, sed filius: quod si filius, et hæres per Deum. ⁸ Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dii, serviebatis. ⁹ Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo: quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vul-

*4.4 *Venit plenitudo temporis.* Id est postquam totum spatium illud fuit adimpletum, quo lex durare debuit, tunc misit Deus, etc. *Plenitudo temporis.* Sciebat quando venire deberet, vel etiam pati, etc. Non est enim hora ejus vel nostra, nisi voluntas ejus. Ante tamen longa series præconum præmittenda erat. *Misit Deus Filium.* Unde, *Ego a Patre exivi, et veni in hunc mundum* Joan. 16.. Et tamen de illo dicit Evangelista Joannes: *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit* Ibid. 1.. Deinde conjungit: *In propria venit.* Illuc ergo missus est, ubi erat. Unde et illud Propheta dicit: *Cælum et terram ego impleo* Jer. 23.. Quærendum est ergo quomodo intelligatur ista missio. Si ergo sobrie de Dei Filio quæ digna sunt opinemur, ideo missum intelligere debemus, quia ex illo incomprehensibili inenarrabilique secreto majestatis profundæ dedit se comprehendendum mentibus nostris Dei Verbum, non solum cum se exinaniret, sed etiam cum habitaret in nobis. *Ex muliere.* Usus Hebrææ locutionis mulieres dicit non corruptas, sed feminas. *Factum sub lege.* Ut appareat circumcisis quasi filius Abrahæ signum habens ejus cui promissus fuerat; in quo impleta est circumcisio: itaque signum jam cesset. Credidit enim Abraham se habiturum filium, in quo benedicerentur omnes gentes: quod jam factum credimus. *Ut adoptionem.* Id est, ut participes essemus divinæ gloriæ. Sicut enim ipse natura participat, ita ad ipsam videndam nos adoptat. Hinc enim adoptionem recipimus, quod ille unicus Dei Filius non dedignatus est participationem nostræ naturæ, factus ex muliere, ut non solum unigenitus esset, sed etiam primogenitus in multis fratribus fieret. Adoptionem autem dicit, ut distincte intelligamus unicum Dei Filium.

†4.6 *Misit Deus.* Ut enim probaremur adoptati esse a Deo in filios, Spiritum suum dedit nobis qui signum Patris ostendat in filios, ut quia nos hoc non auderemus dicere infirmitate et indignitate nostra, suggerat ut audeamus dicere. *Spiritum Filii.* Nota Spiritum etiam esse Filii. Et nota etiam hic trinitatem. AUG. Si forsitan aliquis quærat utrum a Filio procedat Spiritus, etc., usque ad ab illo habet, ut et de illo procedat Spiritus sanctus. *Clamantem.* Notandum quod clamor in Scripturis non magnæ vocis emissio, sed scientiæ intelligatur, et dogmatum magnitudo. *Abba pater.* Eleganter duo verba idem significantia posuit, propter universum populum qui de Judæis et gentibus in unitatem fidei vocatus est, ut Hebræorum verbum ad Hebræos, Græcum ad gentes pertineat. Utriusque autem verbi eadem significatio ad ejusdem fidei spiritusque unitatem pertinet. *Qui natura non sunt,* etc. Unam Dei veri esse naturam ostendit, scilicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quid autem est natura Deum esse, nisi verum Deum esse? Unde alibi Apostolus: *Conversi estis servire Deo vivo et vero* I Petr. 2..

tis?[‡] 10 Dies observatis, et menses, et tempora, et annos.[¶] 11 Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis.[§] 12 Estote sicut ego, quia et ego sicut vos: fratres, obsecro vos. Nihil me læsistis.^{**} 13 Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem: et tentationem vestram in carne mea^{††} 14 non sprevestis, neque respuistis: sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum.^{‡‡} 15 Ubi est ergo beatitudo vestra? testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi.^{¶¶} 16 Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?^{§§} 17 Æmulantur vos non bene: sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini.* 18 Bonum autem æmulamini in bono semper: et non tantum cum præsens sum apud

[‡]4.9 *Imo cogniti estis.* Hoc genere locutionis frequenter utitur Scriptura; unde: *Sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam* Psal. 62., id est, vidisti me, ut viderem te. Cognoscit nos Deus, id est, cognitionem sui nobis præstat. Non enim a nobis est, quod novimus eum, ab æterno quidem novit: sed tunc cognoscere dicitur, quando ut ea cognoscantur, facit. *Infirma.* Vere lex est egenum elementum: quia perfecte non justificat. *Egena.* Quia quantum juvat, non per se, sed respectu gratiæ facit. *Egena elementa* dicuntur quæ sui invicem egent ad regendum mundum.

[¶]4.10 *Dies.* Dies observant qui dicunt: Hodie non est aliquid incipiendum. *Menses.* Qui cursus lunæ perscrutantes dicunt: Tali luna non est aliquid inchoandum: ii menses observant et colunt. *Tempora.* Ut cum dicunt: Modo est initium veris. *Et annos.* Cum dicunt: Novus annus est. Sed nulla debet suspicio esse harum rerum, quia prospere potest cedere quidquid simpliciter sub Dei devotione fit.

[§]4.11 *Timeo vos, ne forte,* etc. Hoc observant qui certis diebus, mensibus vel annis volunt vel nolunt inchoare: quasi fausta, vel infausta sint tempora.

^{**}4.12 *Estote sicut ego.* Et ego qui legem habui, sum modo sine lege sicut vos debetis esse sine illa. Ego, inquam, qui cum Judæus natus sim, jam ista carnalia spirituali dijudicatione contemno. *Quia,* etc., *sicut vos,* etc. Homo sum qui de errore correctus sum et ita vos potestis corrigi. *Fratres, obsecro.* Aspere correctos recreat per bene gesta. *Nihil me.* Excusat se, quia pseudo dixerant Paulum Galatis inimicum nec voluisse eos docere, quæ in aliis ecclesiis prædicabat.

^{††}4.13 *Tentationem vestram.* Tentati enim sunt (cum tribulationem secundum carnem pateretur Apostolus), utrum timore desererent eum, an charitate amplecterentur.

^{‡‡}4.14 *Sed sicut angelum Dei,* etc. Hoc dicit quia Deus loquitur in sanctis suis, et Paulus non seipsum, sed Deum in seipso diligi volebat; ideoque perhibet testimonium quibusdam, quod sicut angelum Dei et sicut Christum Jesum eum exceperant. In omnibus ergo sanctis suis ipse est amandus qui ait: *Esurivi, et dedistis mihi manducare* Matth. 25.. Tanta est charitas capitæ erga corpus suum.

^{¶¶}4.15 *Ubi est ergo,* etc. Admirans opus eorum spirituale, commendat ut, hoc intuentes, in timorem carnalem non decident. Et quia mutati erant in deterius, increpat eos. Etsi enim receperint eum sicut angelum, non ideo tamen parci secare et urere, quia non quærit sua, sed quæ Christi. Non quærit lac et lanam de ovibus, idem commodum supplendæ necessitatis et favorem honoris, sed salutem omnium. Si *fieri posset.* Nonne illud fieri potuisset, quod ait Apostolus? Non potest fieri quod juste non fit. Non posse se dixit, quod sine dubio poterat per potentiam, sed non poterat per justitiam.

^{§§}4.16 *Verum dicens vobis.* Quia nemo vult se argui errantem, et omnis reprehendens videtur inimicus.

*4.17 *Æmulantur.* Ego non sum inimicus, sed illi æmulantur, etc. Æmulantur autem non bene ii qui non tam cupiunt eos esse meliores, quam ipsos volunt facere pejores et retrorsum trahere æmulatione perversa.

vos. ¹⁹ Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis: [†] ²⁰ vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis. [‡] ²¹ Dicite mihi qui sub lege vultis esse: legem non legistis? [¶] ²² Scriptum est enim: Quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, et unum de libera. [§] ²³ Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: ²⁴ quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitute generans, quæ est Agar: ^{**} ²⁵ Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. ^{††} ²⁶ Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. ^{‡‡} ²⁷ Scriptum est enim: [Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis: quia multi

[†]4.19 *Donec Christus.* Quem deformatis formosus sit in vobis. Vel, ut formosus aliis per vos appareat. Gravius dictum, quam si diceret eos formari in Christo.

[‡]4.20 *Vellem autem.* Sciens Apostolus habere majorem vim sermonem qui ad præsentem fit, cupit apostolicam vocem litteris comprehensam in præsentiam commutare. Scriptura enim divina ædificat lecta, sed multo plus prodest si de litteris mutatur in vocem. Magnam si quidem vim habet vox viva, vox de auctoris sui ore resonans, quæ ea pronuntiatione profertur, et distinguitur, quia in hominis corde generata est.

[¶]4.21 *Dicite,* etc. Respondete. Usque huc enim pendet sententia. Et interponitur illud: *quos iterum parturis,* etc. *Legem non legistis.* Quidquid eligant, probantur stulti. Si non legerunt, non debent recipere quod ignorant. Si legerunt, ipsa probat se dimittendam. Quod si non intelligunt, stulti sunt.

[§]4.22 *Scriptum est,* etc. Complures habuit, sed de duobus tantum Scriptura specialiter singula exsequitur, innuens aliquid egregium in his præfigurari. *Unum de ancilla et unum,* etc. Nec hoc frustra distinxit: uterque quidem natus est de Abraham, sed de diversa operatione. Quia qui de ancilla secundum carnis naturam, qua juvenula de sene solet concipere. Qui de libera, non secundum vim carnis, ut vetula sterilis de vetulo, sed per operationem Dei, qui promisit. Illum ergo genuit, demonstrans consuetudo naturam. Illum vero dedit promissio, significans gratiam. Ibi humanus usus ostenditur, hic divinum beneficium commendatur.

^{**}4.24 *Per allegoriam.* Dicitur id per allegoriam, quando aliquid aliud videtur sonare in verbis, et aliud intellectu significare, sicut hic per Abraham, Deus Pater: ipse est enim pater multarum gentium. *Abba* enim, pater; *am,* multarum. Et subauditur, *gentium. In monte Sina.* Talis loci mentione Apostolus significat quod Judæi contra gentes essent superbi de mandato, vel ipsi essent superbi et tumidi contra ipsum mandatum, quod est Agar, id est, significatur per Agar. Agar enim alienatio, quia alienat ab hæreditate.

^{††}4.25 *Mons.* Per omnia est *conjunctus,* et similis ei Hierusalem, id est Judaico populo, qui nunc est, id est qui temporaliter servit. Totus populus mater, singuli sunt filii, vel proselyti, qui omnes timore poenæ serviunt. Per hæc omnia patet quod vetus lex non est tenenda, sed nova quæ sursum, quæ libera. *Arabia,* etc. Humilitas, vel afflictio, quia affligebantur sub carnalibus observantiis.

^{‡‡}4.26 *Quæ sursum est.* Superna est sanctorum civitas, licet in quisbusdam quos hic parit, adhuc peregrinetur. Sara sterilis significat quod natura humani generis peccato vitata, et ideo damnata nihil veræ felicitatis in posterum merebatur. Isaac per repromissionem natus signat filios gratiæ: et quia hoc non per regenerationem, sed per generationem futurum erat, ideo tunc imperata est circumcisio, quando Saræ promissus est filius. Circumcisio enim significat naturam exuta vetustate novatam. Quod omnes filios et servos circumcidi jubet; ad omnes istam gratiam pertinere testatur. *Quæ est mater.* Quia singuli verbo et exemplo ejus instructi ex charitate serviunt.

filiis desertæ, magis quam ejus quæ habet virum.]][¶] 28 Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus.^{§§} 29 Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequabatur eum qui secundum spiritum: ita et nunc.* 30 Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, et filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. 31 Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ: quia libertate Christus nos liberavit.†

5 State, et nolite iterum jugo servitutis contineri. 2 Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.‡ 3 Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.¶ 4 Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini: a gratia excidistis.§ 5 Nos enim

[¶]4.27 *Scriptum est.* Quod libera sit et mater auctoritate Isaïæ probat subdens: **Lætare.** Lætari, erumpere, clamare, pertinent ad libertatem. **Non paris.** Hoc dicit quia illo tempore quasi nullos genuit. **Non parturis,** quia necdum conatum habuit. **Lætare,** in corde. **Erumpere.** Lætitiâ mentis extra ostende. **Clama.** Gaudium tuum aliis prædica. **Quia multi filii.** Hoc pertinet ad matrem. Isaïas aspiciens tempore Christi Ecclesiam gentium ante sterilem, tunc fetosam eam alloquitur, dicens: O Ecclesia sterilis, quæ tempore legis nec virtute miraculi paris, etc. **Desertæ.** Plures filii sunt Ecclesiæ olim desertæ, quam Synagogæ generantis interim. Hoc superflue de antiqua Sara diceret Isaïas, de Ecclesia ergo dicere intelligendus est. Sterilis autem erat in omnibus gentilibus Ecclesia, antequam iste fetus, quem cernimus oriretur. Synagoga ergo est quæ habet virum, id est legem. Deserta vero, et vaga et sine ulla potestate viri vivens, gentium multitudo est, quæ et sterilis erat, nullius legitimi verbi proferens germen. Parit quidem cives terrenæ civitatis peccato vitata natura, cœlestis vero civitatis cives parit a peccato naturam liberans gratia. **Quæ habet virum.** Synagoga quippe virum habuit, id est legem, et fetosa quondam fuit in liberis. Sterilis vero Ecclesia sine viro Christo, sine ullo sponsi alloquio diu jacuit in deserto. Sed postquam illa librum repudii accepit, et omne ornamentum viri ad idoli convertit ornamentum, tunc maritus, priore putrescente cingulo, alium lumbis suis balteum, aliud de gentibus lumbare contexit, quæ statim ut viro conjuncta est concepit et peperit. Unde Isaïas exclamat: **Dilata locum tabernaculi tui, et protende funiculos tuos** Isa. 54..

^{§§}4.28 *Isaac.* Risus, id est qui in lætitia serviunt, non ex tristitia, vel necessitate.

*4.29 *Persequabatur.* Non puto nos de facili invenire posse ubi Ismaël persecutus fuerit Isaac, sed tantum illud, quod cum filius Ægyptiæ luderet cum Isaac, indignata sit Sara.

†4.31 *Qua libertate.* Libertas qua liberati sumus a Christo, est peccatorum remissio, et fidei per dilectionem operantis justificatio.

‡5.2 *Si circumcidamini.* Circumcisio et cætera legalia ita natis et institutis non sunt noxia, licet non necessaria, magis noxium erat prohibere quasi noxia. Gentiles vero ad talia non sunt cogendi. Sed si nolunt eis congruere, ut Timotheus, non sunt prohibendi, sed si in his confidunt, sunt perditii; licet his ergo illa tenere ne videantur improbata potius quam terminata. Gentibus vero non sunt imponenda, ne videantur aut non causa promittenti Christi, instituta, aut adhuc promittere, sed cessando jam patent signa futuri fuisse, quæ cum honore paulatim deserendo erant sepelienda, non ut sacrilegia gentium fugienda.

¶5.3 *Debitor est.* Hoc ideo ait, ut terrore tam innumerabilium observationum quæ in lege scriptæ sunt, ne omnes implere cogentur, quod nec ipsi Judæi, nec patres eorum implere potuerunt, sicut Petrus ait, abstinere ab his quibus eos aliqui subjicere cupiebant.

§5.4 *A gratia excidistis.* Quæ ad hoc venit, ut cessante onere justificet; quod qui reducit, hanc perdit.

spiritu ex fide, spem justitiæ exspectamus. ** 6 Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per caritatem operatur. †† 7 Currebatis bene: quis vos impedivit veritati non obedire? †† 8 persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos. 9 Modicum fermentum totam massam corrumpit. 10 Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis: qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque est ille. ¶ 11 Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico: quid adhuc persecutionem patior? ergo evacuatum est scandalum crucis. §§ 12 Utinam et abscindantur qui vos conturbant. * 13 Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem Spiritus servite invicem. † 14 Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum

5.5 **Nos enim. Qui in lege confidit, amittit gratiam, quod ex contrario potest videri, quia ex fide justitia, et spes, id est, externa beatitudo: et hoc facimus per spiritum, qui non potest falli aut fallere. **Spem justitiæ.** Id est, quam sperat justitia, scilicet vitam æternam, vel, quæ speratur ipsa justitia. Fides enim esuriens et sitiens justitiam sperat in ea renovari et proficere. Vel, spes justitiæ est Christus, ex quo speratur justitia ipsa.

††5.6 **Nam in Christo.** His vero qui in Christo Jesu volunt pie vivere, virtutes appendæ sunt, et vitia fugienda. Media vero quæ inter virtutes et vitia sunt, nec appenda sunt, nec fugienda, ut circumcisio et præputium, quæ nihil valent in Christo **Sed fides.** Sine dilectione fides inanis est. Fides cum dilectione Christiani est. Alia est dæmonis. **Nam et dæmones credunt et contremiscunt** Jac. 2.. Qui qui autem non credunt, tardiores sunt et peiores quam dæmones. Sed multum interest, utrum quis credat ipsum esse Christum, an credat in Christum. Nam ipsum Christum esse dæmones crediderunt, nec tamen in Christum crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui sperat in Christum, et diligit Christum.

††5.7 **Currebatis.** Hic laudat Galatas, et eos per quos inducti sunt ut judaizare vel-
lent, vituperat; et ne illis consentiant, monet.

¶5.10 **Confido.** Ideo confidere de his se dicit, quia non sponte sed circumventi errabant. Et ideo ostensa modo vera via facile credit eos reversuros. **Conturbat.** Ut scilicet mutato ordine de spiritualibus sitis carnales. **Quicumque.** Occulte, inquit, Petrum lacerat, cui supra in faciem se restitisse scripsit quod non recto pede incesserit ad Evangelii veritatem: sed nec Paulus tam procaci maledicto de Ecclesiæ principe loqueretur, nec Petrus dignus, ut portaret iudicium Ecclesiæ. Quocirca arbitrandum est hæc de alio quodam dici, qui vel cum apostolis fuerat, vel de Judæa venerat, vel ex Pharisæis crediderat, vel aliquis magnus sic apud Galatas æstimatus, ut portet iudicium Ecclesiæ perturbatæ.

§§5.11 **Ego autem.** Imponebatur a pseudo, quod Paulus alibi circumcisionem prædicaret, sed non eis facile sententiam suam aperire vellet. **Quid adhuc persecutionem.** HIER. Persecutiones enim creberrimas sustinuit a Judæis, eo quod doceret eos, qui de gentibus crediderant in Christo, non debere circumcidi. **Scandalum crucis.** Scandalum erat Judæis prædicatio crucis, quia sabbatum et circumcisionem evacuabat. Si vero admitteret circumcisionem, non esset eis scandalum, et pacifici essent.

*5.12 **Utinam abscindantur.** Ipsi vos conturbant, sed utinam abscindantur, non carnaliter, sed vim generandi perdant in vobis, vel in aliis nihil proficiant non solum circumcisi sed abscissi, ut nullam omnino generandi potentiam habeant, et merito hoc opto ne vos redigant in servitutem legis: **Vos enim vocati estis a Deo in libertatem.**

†5.13 **Ne libertatem.** Sensus est: Cavete ne audito nomine libertatis, impune vobis peccandum esse arbitremini. **Sed per charitatem Spiritus.** Non per affectum carnis charitas habenda est, sed per spiritum.

tuum sicut teipsum.[‡] 15 Quod si invicem mordetis, et comeditis: videte ne ab invicem consumamini.[†] 16 Dico autem: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.[§] 17 Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.^{**} 18 Quod si Spiritu ducimini, non estis sub lege.^{††} 19 Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,²⁰ idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ,²¹ invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur.^{‡‡} 22 Fructus autem Spiritus est car-

[‡]5.14 *Omnis enim lex.* Nam et illa quæ ad bonos mores pertinent, et illa quæ in sacramentis sunt (cum bene a liberis intelligantur, nec carnaliter observantur a servis) ad charitatem referantur necesse est. *Diligens proximum.* Hoc scriptum est in Levitico Levit. 19., in quo recte dicit impleri legem universam, cum tamen duo sint præcepta charitatis in quibus tota lex pendet et prophetæ, quia dilectio Dei in dilectione proximi continetur; et ideo in hoc præcepto perfectio salutis est, quia sine proximo non diligitur Deus: *Qui enim non diligit proximum suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* I Joan. 4. Cum igitur utrumque præceptum ita sit, ut neutrum sine altero possit teneri, unum eorum sufficit commemorare. *Sicut teipsum.* Non potest proximum diligere, qui non diligit se. Se autem non diligit qui digit iniquitatem. *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam* Psal. 10..

[†]5.15 *Comeditis.* Vel *criminamini*, id est, crimina vobis invicem imponentes. *Ne abinvicem consumamini.* Per schisma Christianæ religionis, per vanam gloriam vanamque victoriam mutata occasione charitatis hoc eorum vitium tetigit, quia dissensio inimica est dilectionis. Hoc enim maxime vitio contentionis et invidiæ et perniciose inter eos jurgia nutriebantur, quibus consumitur societas et vita.

[§]5.16 *Dico autem in Christo,* etc. Ostendit quam sufficiens sit fides Christi sine lege, quia per eam carnis vincunt et ejus opera, et sequuntur spiritum; quasi dicat: Ne detis libertatem in occasionem carnis, sed per charitatem spiritus servite. Hoc autem dico posse esse vobis in Christo, et nunquam aliter. *Non perficietis,* etc. Non ait non feceritis vel non habueritis quia ea non habere non poterant, sed non perficietis, id est non opera eorum consensu voluntatis implebitis.

^{**}5.17 *Caro enim concupiscit,* etc. Caro dicta est concupiscere, quia hoc secundum ipsam agit anima, sicut auris dicitur audire, et oculus videre, cum potius anima et per aurem audiat, et per oculum videat. Caro enim nihil, nisi per animam concupiscit, sed concupiscere dicitur, cum anima car nali concupiscentia spiritui reluctatur. Ipsius enim carnalis concupiscentiæ causa non est in anima, ex utroque enim fit, quia sine utroque delectatio nulla sentitur.

^{††}5.18 *Quod si Spiritu ducimini,* etc. Ex quo apparet eum Spiritum sanctum non habere qui sub lege est, non dispensative, sed vere. *Non estis sub lege.* Hoc commodum jam habetis, ideo hæc pars eligenda. Hos damnabiliter dicit esse sub lege, quos reos facit lex, non implentes legem dum nescientes gratiam de se præsumunt. Porro sub lege est, qui timore, non amore, abstinet a malo, reus in voluntate. Hæc lex timorem incutit, non amorem.

^{‡‡}5.21 *Regnum non Dei consequuntur.* Nullus medius locus est, ut non sit in supplicio, qui non erit in regno.

itas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,^{¶ 23} mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex.²⁴ Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.^{§§ 25} Si Spiritu vivimus, Spiritu et ambulemus.*²⁶ Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.†

6 Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu teneris.^{‡ 2} Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.^{¶ 3} Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.^{§ 4} Opus autem suum pro-

[¶]5.22 **Charitas.** Caput præmisit, unde membra sequuntur. Non enim bene aliquis gaudet, qui non diligit bonum unde gaudet. Non habet pacem veram cum aliquo, nisi eum diligit. Non est longanimis perseveranter exspectando nisi ferveat diligendo. Non est benignus, nisi diligit cui opitulatur. Non est bonus, nisi diligendo. Non fidelis salubriter, nisi ea fide quæ per dilectionem operatur. Non est mansuetus qui dilectione non moderatur. Non continet se quis ab eo unde turpatur, nisi diligit unde honestatur. Merito ergo charitatem sic sæpe commendat, quasi sola sit præcipienda, quæ non potest haberi sine cæteris, quibus homo efficitur bonus. **Gaudium.** Puritas conscientiæ. Unde: **Non est impiis gaudere, dicit Dominus** Isa. 48..

^{§§}5.24 **Qui autem.** Quasi dicat: Contra malos posita est lex; bonis autem posita est crux. Quod ita ait: **Qui autem, etc., carnem suam crucifixerunt,** etc. Congruit nostræ devotioni ut qui Domini crucifixi passionem celebramus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis faciamus. In hac quidem cruce semper in hac vita debet pendere Christianus, ut sit fixus clavis et præceptis justitiæ, ut Christus in cruce clavis confixus fuit.

^{*}5.25 **Si spiritu vivimus.** Quod communiter supra dixit, ad istos quibus scribit retorquet, et se eis connumerat, per hoc ostendens, se non dicere eis quod ipse non velit servare. Quasi dicat: Non dico vobis aliquid quod et facere ipse nolim.

[†]5.26 **Inanis gloriæ.** Inanis gloriatio est velle vincere ubi præmium non est. **Invidentes.** Sciendum quia, cum per omne vitium antiqui hostis virus humano cordi infundatur, in zelo invidiæ tota sua viscera serpens concutit, et in hac imprimenda malitia quasi postem movit. Zelus iste modum non habet permanens jugiter sine fine, cum alia scelera finiantur. Quantoque ille cui invidetur successu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit. Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, tremor in labiis, stridor in dentibus, verba rabida, et effrenata convicia, et manus ad violentiam prompta; et si gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis est armata.

[‡]6.1 **Fratres, et si.** Hactenus toti Ecclesiæ locutus est improbando legem, et commendando gratiam, modo se convertit ad prælatos qualiter tractent subditos, scilicet leniter, quia etiam fratres sunt, etsi superiores. **In aliquo delicto.** Delictum est declinare a bono, peccatum est facere malum; vel delictum quod ignoranter fit, peccatum quod a sciente. Tamen indifferenter ponuntur. Præoccupatio est, dum vel ad horam non videtur quid faciendum sit, vel qui viderit vincitur ut malum fiat cum latet veritas, vel compellit infirmitas. **Lenitatis.** Ne si aliter feceritis, non patiatu se argui, sed defendere se incipiat, ne turpis videatur. **Considerans teipsum.** Nihil ad misericordiam sic inclinatur quam proprii periculi cogitatio.

[¶]6.2 **Et sic adimplebitis legem Christi.** Id est charitatem; ex charitate enim Christus peccata nostra tulit, qui etiam præcepit ut nos invicem diligamus.

[§]6.3 **Nihil.** Comparatione spiritualis, qui totum dat gratiæ.

bet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero.**
⁵ Unusquisque enim onus suum portabit.^{††} ⁶ Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.^{‡‡} ⁷ Nolite errare: Deus non irridetur.^{¶¶}
⁸ Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.^{§§} ⁹ Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.* ¹⁰ Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime

**6.4 *Probet.* Diligenter inspiciat. *Opus autem suum.* Non peccatum alterius, ut pharisæus qui dixit: *Non sum sicut cæteri hominum* Luc. 18., qui non re, sed fallaciter erat justus. *In semetipso* Id est intus in conscientia sua pura. *Gloriam habebit.* Id est gloriabitur et gaudebit. *Et non in altero.* Id est in alterius laude, scilicet cum alter eum laudat. Qui enim conscientiam boni operis habet, non debet de hoc apud alium gloriari, et laudem suam foras fundere, sed in semetipso humiliter gloriari. Vel ita: *Et sic,* id est si actus suos consideret, sciens neminem debere gloriari se habere mundum cor, *in semetipso,* etc. *Et sic in se.* Id est, si actus nostros consideremus, nulli nos anteponeamus, nec quemquam judicabimus. Vere justus alterum sibi præponit, quia plus sua mala scit quam alterius, quorum cognitio sibi gloria est. Gaudet enim, dum cognoscit morbum suum, quem sanare desiderat.

††6.5 *Unusquisque enim.* Non inquinatur quis alieno peccato. *Onus.* Alia sunt opera participandæ infirmitatis, de quibus supra: *Alter alterius onera portate;* alia reddendæ Deo rationis, de quibus hic. Contra eos qui putant hominem alienis inquinari peccatis, dicit: *Unusquisque enim,* etc. Contra negligentes qui nullum curant corrigere, securi quod alienis non contaminentur peccatis, dicit: *Invicem onera portate.* Onera infirmitatis invicem portamus, dum lenitate iram alterius sustinemus, et dum ei qui læsit, si petit, indulgemus. Vel per onus, intelligitur bonum et malum opus. In Scripturis enim onus et in bonam et in malam partem accipitur; et sic: *Unusquisque,* bonus vel malus, *portabit onus suum,* id est mercedem operum suorum referet.

‡‡6.6 *Communicet.* Bona sua faciat ei communia, et ne excuset, quia Deus non potest falli. Usitatum præceptum est, ut prædicatori verbi Dei præbeat necessaria ille cui prædicatur, quæ boni appellatione recte signavit. Sicut et Dominus in Evangelio cum discipulis loquens ait: *Cum mali sitis, nostis bona dare filiis vestris;* prævidens autem quosdam obtendere paupertatem, et præceptum velle eludere, addidit:

¶¶6.7 *Nolite errare.* Quasi dicat: Nemo se vane excuset, quia Deus non potest falli. Scit enim corda vestra, non ignorat facultates. Excusatio verisimilis hominem potest placare, Deum non potest fallere.

§§6.8 *Qui seminat in carne* addit *sua.* Cum vero dicit, *in spiritu,* non addit *suo,* quia semen carnale ex homine est, semen vero spirituale ex Spiritu Dei est. Messis vero hic in fine promittitur. Ideoque in seminando perseverantia opus est. *In carne, in spiritu.* AMBROS. Homo Christianus spiritus constat et carne. Homo enim ad comparisonem sancti Spiritus caro est. *Qui autem seminat.* Id est, qui spiritui dat offensum ex fide, cum charitate serviendo justitiæ, et legem spiritualiter intelligendo, de spiritu metet, etc.

*6.9 *Non deficiamus.* Si homo non imposuerit finem operi, nec Deus imponit remunerationi. Quantum seminaverimus in operibus, tantum metemus in fructibus. Et quantum aviditas inquiringis se dilataverit, tantum se aperiet ad præmium manus retribuents, quia sic recipiet quisque quomodo facit; quia qui fortis erit ad seminandum, fortis erit ad metendum. *Tempore enim.* Non statim Deus facit quidquid ad salutem oratur; nec ideo negat, quia differt, sed tempore suo, id est congruo præstat.

autem ad domesticos fidei.[†] ¹¹ Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu.[‡]
¹² Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur.[¶] ¹³ Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. ¹⁴ Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.[§] ¹⁵ In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. ¹⁶ Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israël Dei. ¹⁷ De cetero, nemo mihi molestus

[†]6.10 *Dum tempus.* Tempus seminandi est præsens vita qua currimus. In hac licet nobis quod volumus seminare. Cum vero transierit, tempus operandi aufertur; unde: **Operamini dum dies est: veniet nox quando jam nullus poterit operari** Joan. 9.. **Ad omnes.** Omnibus impendenda est misericordia. In quo præponendi sunt justi qui sunt ex fide. Quod et omnibus inimicis nostris qui scelerati sunt, persequentes Ecclesiam, testis est Dominus: **Benefacite his qui oderunt vos. Diligite inimicos vestros** Luc. 6.; quia et ipsi sunt homines: quibus in hoc Dominus pluit, et solem dat.

^{*}6.11 *Videte autem.* Postquam ad moralia opera exhortatus est, redit ad illud unde prius agebatur: ne scilicet legales observantiæ teneantur. Ne quis autem sub nomine ejus fallat incautos, cavet finem epistolæ manus suæ annotatione complens. Ab hoc enim loco sua usque ad finem descripsit.

[¶]6.12 *Hi cogunt.* Isti erant pseudo, qui sic Christum prædicabant ut et legem servandam docerent. Crucem prædicabant, ut a fidelibus quæstum haberent; legem, ut Judæis placerent. **Ut crucis Christi persecutionem,** etc. Forte hoc ideo dicit, quia Romani imperatores Caius Cæsar, et Octavianus, et Augustus, leges promulgaverunt ut Judæi, ubicunque essent, proprio ritu viverent, et patriiis cæremoniis deservirent. Quicumque enim circumciscus erat, licet in Christum crederet, quasi Judæus habebatur in gentibus; qui vero incircumciscus se non esse Judæum præputio præferebat, persecutionibus tam gentilium quam Judæorum fiebat obnoxius. Has igitur persecutiones, qui Galatas depravaverant, declinare cupientes, circumcisionem pro defensione discipulis persuadebant. Nam nec Judæi persequi eos poterant, nec gentiles quos videbant, et proselytos circumcidere, et ipsos legalia servare.

[§]6.14 *Mihi mundus crucifixus est.* Contigit plerumque, ut homo mundum mente non teneat, sed tamen mundus eum in suis occupationibus astringit et mortuus est homo mundo, et mundus quasi vivus eum conspicit, dum alio intentum in suis actibus rapere contendit; sed nec Paulus mundum cupit, nec mundus eum: ut in duobus mortui neutrum videt. Quia igitur nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec a mundi gloria ipse quærebat, ideo et se mundo et mundum sibi crucifixum gloriatur. **Et ego mundo.** Nec ego in mundo aliquid cupio, nec ipse suum aliquid in me cognoscit. Sicut Dominus ait: **Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam** Joan. 14..

sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. ** 18 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen. ††

** 6.17 *De cætero.* Non vult per turbulentas contentiones tædium sibi fieri de re quantum satis erat exposita. Vel sicut in Græco legitur: De cætero nemo mihi laborem exhibeat vel præstet, scilicet ut rursus in vobis necessitatem habeam laborandi. Laborem enim præstat magistro, qui aliter sentit quam docuit. *Stigmata.* Stigma est punctum vel nota aliquo ferro acta. Stigmata ergo appellat quasi notas pœnarum de persecutionibus quas patiebatur. Et est sensus: Ideo non debet mihi fieri molestia, quia ego habeo alios conflictus et certamina, quæ in persecutionibus quas patior mecum decertant.

†† 6.18 *Gratia Domini nostri Jesu Christi.* Conclusio epistolæ et quasi subscriptio, qua et in nonnullis aliis epistolis utitur: quasi diceret: Ut prædicta teneatis: gratia non dissensio, non legis servitus, non rixa, non jurgium, etc.

INCIPIT AD EPHESIOS

1 Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu.‡² Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. ³ Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo,¶⁴ sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate.§§⁵ Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum: secundum propositum voluntatis suæ,*⁶ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.†⁷ In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus,‡⁸ quæ superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia:¶⁹ ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo,¹⁰ in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis

‡1.1 **Argumentum** Ephesii sunt Asiani. Hi, accepto verbo veritatis, perstiterunt in fide: hos collaudat Apostolus, scribens eis ab urbe Roma de carcere per Tychicum diaconem. **Paulus Apostolus.** More suo salutationem præmittit. Deinde gratias agit Deo, exponens prius beneficia humano generi præstita, post ipsis apostolis specialiter indulta; deinde et Ephesiis ipsis, ostendens a quo et ad quid vocati sint. Deinde Christi dignitatem et prælationem ostendit; postea ad patientiam et charitatem eos invitat, unitatem fidei et Ecclesiæ commendans, et dona gratiæ enumerans. Tandem ad certamen exhortans contra principes tenebrarum, militiæ Christianiæ armaturam describit. **Sanctis omnibus.** Perfectis, et non solum eis, etc. **Fidelibus.** Qui si non sancti, vel in fide sani. **Sanctis,** exercitio virtutum. **Et fidelibus,** fide recta quæ in Christo Jesu. Recte illa duo posuit, tunc enim prodest ac creditur bona vita, si fides est in Christo Jesu. Tunc vere sancti sunt si fideles sunt in Christo. Vel: distingue inter sanctos et fideles, ut sanctos intelligas majores et perfectiores, fideles minus perfectos.

¶1.3 **Benedictus.** Præmissa salutatione, incipit ab actione gratiarum, innuens omnia esse ex Deo. **Benedixit.** Unum quidem benedictionis verbum, sed per congruentia personæ varie debet intelligi. Benedicatur ab homine Deus, cum laudibus dignis extollitur. Homo autem a Deo, cum Deus ei gratiæ suæ dona impartitur, non meritis illius, sed misericordia sua.

§§1.4 **Sicut elegit,** etc. Ne quis ergo putet animas cum Deo æternas, et tunc aliquid meruisse juxta errorem illorum, qui ante hæc visibilia dicunt quasdam fuisse animas sanctas, et ideo tunc fuisse electas.

*1.5 **Qui prædestinavit.** Posita prædestinatione, quæ pertinet ad justitiam et sanctitatem vitæ præsentis, ponitur hic alia pertinens ad vitam æternam, cujus effectum supra notavit.

†1.6 **In laudem gloriæ gratiæ suæ,** etc. Quasi dicat: Gloria gratiarum est æterna adoptio. **In qua gratificavit.** Effectus primæ præordinationis ad justitiam. **In dilecto Filio.** Diligens Deus Pater unigenitum suum, illis quos diligit, et quibus vult, Filius divina largitur.

‡1.7 **In quo habemus,** etc. Duplicem gratiam ostendit, quia et redemit, et peccata nostra non imputavit.

¶1.8 **Quæ superabundavit.** Hactenus de his quæ toti humano generi: modo de his quæ singulariter apostolis dedit, loquitur.

et quæ in terra sunt, in ipso;[§] ¹¹ in quo etiam et nos sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ:^{**} ¹² ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo; ¹³ in quo et vos, cum audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis vestræ, in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto,^{††} ¹⁴ qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. ¹⁵ Propterea et ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Jesu, et dilectionem in omnes sanctos,^{‡‡} ¹⁶ non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: ¹⁷ ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione ejus,^{¶¶} ¹⁸ illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis,^{§§} ¹⁹ et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus,^{*} ²⁰ quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis,

§1.10 *In dispensatione.* Id est in plenitudine temporis dispensati a Deo, id est in hoc tempore gratiæ, quo implere quæ cæteris temporibus promissa vel præfigurata sunt, divina providentia rationabiliter dispensavit. Si enim penitus ignari essent homines non prædocti, non reciperent Christum, et nisi prius de naturali et doctrinali essent lege convicti superbi, parvi penderent Christi adventum. *Instaurare.* AUG. Instaurantur autem quæ in cælis sunt, etc., usque ad a corruptionis vetustate renovantur. *Omnia, quæ in cælis.* Id est, angelos; vel: *instaurare*, id est, supplere. *Quæ in terra.* Id est homines, qui peccato depravati erant. *In ipso.* Id est per Christum.

**1.11 *In quo et nos.* Ne apostoli, in quibus superabundat gratia, viderentur meruisse melius aliis, ostendit eos ita gratis vocatos, non meritis, sicut fuerunt et alii. *Sorte.* Sors dicitur gratia, quia non est hominis electio, sed voluntatis Dei. Unde tunica Domini desuper texta, quæ charitatem significat, sorte provenit. *Omnia operatur.* Etiam vellem bonum, et ut credere incipiamus, ut exemplo nostro nemo gloriatur in homine. Verum est enim: *Non vos me elegistis, sed ego vos,* etc. Laus autem gloriæ Dei est cum multi acquiruntur ad fidem, sicut gloria medici cum multis curat.

††1.13 *In quo vos.* Modo venit ad ea quæ dedit Ephesiis. *Cum audissetis.* *Cum* causam notat hic, et tempus.

‡‡1.15 *Propterea.* Enumeratis beneficiis humano generi, vel apostolis vel Ephesiis collatis, quid de eorum beneficiis sentiat Apostolus subdit, scilicet quod gratias agit, et rogat superaddi, ne illi superbiant, sed ultra tendant.

¶¶1.17 *Ut Deus,* etc. Quasi diceret: Ad impetrandum non obtendo merita, sed quod Deus et Pater Christi, etc.

§§1.18 *Oculos cordis.* In imagine ergo sua cognosce auctorem ejus, qui corporali sensu non attingitur. Ne ergo putetis corporeo sensu Deum attingi, sed oculis mentis, ipsum audite. In corpore, ubi diversa membra sunt, alibi audis, alibi vides. In corde autem tuo, ubi diversa membra non inveniuntur, ibi audis ubi vides. Ad hoc autem illuminet oculos. *Ut sciatis,* etc. Hoc dicit ut propensiores sint: quia cum plene scierint qui fructus est credentium, propensiores fient circa excolendam religionem. Vel ita: ut spes proprie accipiatur. Et sensus est: Ut sciatis quæ sit, scilicet voluntas ejus, id est quantum valet spes vitæ æternæ ad quam vocat. Et sciatis quæ sit adimpletio ejus spei. Quod ita ait: *Et quæ divitiæ.* Hic quid nomine spei intellexerit aperit: spem enim accipit rem speratam.

*1.19 *Quæ sit supereminens.* Quoddam incrementum gloriæ habebunt summi doctores, ultra illud quod communiter omnes habebunt. Habebunt enim omnes eundem denarium. *Sed differt stella a stella in claritate* I Cor. 15.. *Et erunt diversæ mansiones in domo Patris* Joan. 14..

et constituens ad dexteram suam in cælestibus:[†] 21 supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.[‡] 22 Et omnia subjecit sub pedibus ejus: et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam,[¶] 23 quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.[§]

2 Et vos, cum essetis mortui delictis et peccatis vestris,^{**} 2 in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aëris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiae,^{††} 3 in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et ceteri:^{‡‡} 4 Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, 5 et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati),^{¶¶} 6 et

[†]1.20 *Suscitans illum*, etc. Exemplum autem gloriæ sanctorum consistit in resurrectione Salvatoris, ut in ea cognoscant fideles quod eis promissum est. *Ad dexteram suam*. Dexteræ est beatitudo æterna, quæ sanctis datur: sinistra est miseria, quæ impiis. Nulla enim forma corporis Deus finitur et concluditur.

[‡]1.21 *Supra omnem*, etc. Hoc dicit propter incarnationem Filii Dei, ut etiam homo factus super omnes cœlos esse dicatur, et super omnem creaturam, habens nomen ejus per naturam, non per adoptionem.

[¶]1.22 *Sub pedibus ejus*, etc. Per pedes plena subjectio notatur, et omnia merito sunt ei subjecta, quia per eum facta; vel, pedes significant humanitatem, quia sicut pes est inferior pars corporis, ita in Christo inferior natura est humanitas quam etiam angeli adorant. *Et ipsum*, etc. Postquam commemoravit dignitatem Christi, ad nos redit, ostendens ejus dignitatem ad nos pertinere; quasi dicat: Ita exaltavit Deus Christum, ut hæc exaltatio ejus ad nos pertineat: quia ipse est caput, et nos corpus, ut ei participemus. *Caput*. Secundum deitatem: quia omnes ab ipse facti, et etiam secundum humanitatem, qua ei conjungitur Ecclesia, natura et gratia. *Nam de plenitudine ejus omnes accepimus* Joan. 10..

[§]1.23 *Plenitudo ejus*. Quia adimpletur per eos, tamen ens omnia in omnibus hic et in futuro. Item. Cum ingressi ad confessionem flectunt genu Christo, adimpletur, quia recedentes videntur evacuare eum. *Omnia in omnibus*. Quia membra nihil ei conferunt, sed ipse omnia membris: quia ejus virtute sunt quod sunt.

^{**}2.1 *Et vos, cum essetis*, etc. Commemorat priora, ut in bonis humilientur, et certum sit quod si inimicis hæc data sunt, magis amicis dabuntur, quæ apostolus optat; quasi dicat: Caput est omnis Ecclesiæ et vestrum, quia vos convivificavit: cum, id est, quamvis essetis mortui. Vel nos qui credidimus, habemus spem hæreditatis, et vos, scilicet credidistis. Deus autem convivificavit, vel Jesum suscitavit, etc.

^{††}2.2 *Principem*. Scilicet Beelzebub, qui est princeps malignorum spirituum, vel, intransitive principem spirituum. Principem erroris dicit spiritum aëris, in quo dominatur. *Æris*. Caliginosus ær infernus est dæmonum. *Spiritus*. Id est, spirituum: ponitur enim genitivus singularis pro plurali. *Operatur in filios diffidentiae*. Quid? nisi opera sua mala: et in primis maxime, quia ipsam diffidentiam et infidelitatem qua sint inimici fidei, per quem scit eos posse mundari?

^{‡‡}2.3 *Et eramus natura*, etc. Quasi: Cum hæc prædicta fuerunt in nobis, non desperet gentilis quin par Judæis fiat. *Filii iræ*. Cum ira Dei nascuntur mortales, quia, peccante Adam, vitium pro natura inolevit. Tenebatur enim justa damnatione genus humanum, et erant omnes natura filii iræ.

^{¶¶}2.5 *Convivificavit nos*. Vel nos Judæos similiter et vos gentiles, et hoc est: cujus gratia vos gentes estis salvatæ. Et utrosque conresuscitavit.

conresuscitavit, et consedere fecit in cælestibus in Christo Jesu:^{§§ 7} ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitiæ gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Jesu.*⁸ Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est:^{† 9} non ex operibus, ut ne quis gloriatur.^{‡ 10} Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.[†]
¹¹ Propter quod memores estote quod aliquando vos gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta:^{§ 12} quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israël, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.**¹³ Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.
¹⁴ Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua,^{†† 15} legem mandatorum decretis evacuans, ut duos

§§2.6 *Consedere fecit*, etc. Non inaniter, sed fideliter jam computat factum quod futurum esse non dubitat. Certe enim in cœlestibus Christus jam sedet, nondum autem nos; sed spe certa tenemus.

*2.7 *Supervenientibus abundantes*, etc. In futuro enim sæculo, apparebit donum Dei, in remuneratione credentium; quod oculus non vidit, nec auris audivit. Et hæc sunt abundantes divitiæ, ut tantum detur quantum mens investigare non potest.

†2.8 *Et hoc non ex vobis*, etc. Ne forte dicas: Promerui, ideo accepi. Non putes te promerendo accepisse. Gratia præcessit meritum tuum: non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratia ex merito, emisti, non gratis accepisti. Omnia merita præcedit gratia, ut dona Dei consequantur merita mea.

‡2.9 *Ne quis gloriatur*. Non hoc ideo dicit, quia opera bona pia cogitatione facta frustrentur, cum Deus reddat cuique secundum opera ejus, sitque gloria Dei operanti bonum, sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia. Bonum igitur est homini, ut de viribus arbitrii sui non præsumat; quia ille qui putavit sine ejus adjutorio se posse custodire quod dedit, profectus in longinqua, et vivens prodige cuncta consumpsit: et miseria attritus, et in se reversus dixit: *Surgam, et ibo ad patrem meum* Luc. 15.. Quam cogitationem bonam non haberet, nisi et ipsam illi in occulto Pater misericordissimus inspirasset.

†2.10 *Ipsius enim*, etc. Nemo debet gloriari, quia nos creati in fide et in operibus sumus factura, id est opus ejus, vel sumus creati per facturam, id est operationem ejus: et ita nec de operibus per fidem gloriandum est, cum fides et omnia ex gratia sint.

§2.11 *Propter quod*. Ut sciatis omnia esse a gratia Dei. Contulerat Judæos et gentes, quod utrique sub peccato fuissent, nunc ostendit gentes fuisse indigniores et impropria Judæorum perpassas, ut modo æquales Judæis, magis sint obnoxii gratiæ Dei. *Aliquando vos*. In quibusdam codicibus reperitur scriptum esse: *qui*, ibi: *vos qui gentes eratis*, et secundum hoc suspensive legitur usque ibi: *Nunc autem in Christo*, etc.; eodem tamen manente sensu.

**2.12 *Hospites*. Hospes quasi ostii pes, eo quod cum suscipiebatur in domum, ponebat dominus domus, et qui suscipiebatur, pedem super ostium, et datis dextris jurabat quod pacificus esset ingressus.

††2.14 *Qui fecit utraque unum*. Ipse enim est lapis angularis, in quo duo populi tanquam parietes de diverso angulo venientes sibimet, quasi in pacis osculo copulantur. *Parietem*. Id est, obstaculum hinc ex lege, inde ex idololatria.

condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem:‡‡¹⁶ et reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.¹⁷ Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope.^{¶¶}¹⁸ Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.¹⁹ Ergo jam non estis hospites, et advenæ: sed estis cives sanctorum, et domestici Dei,^{§§}²⁰ superædificati super fundamentum apostolorum, et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu:^{*}²¹ in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino,[†]²² in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

3 Hujus rei gratia, ego Paulus vincus Christi Jesu, pro vobis gentibus,[‡]² si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis.[¶]³ quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi,[§]⁴ prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi:⁵ quod aliis generationibus non est agnitus filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis apostolis ejus et prophetis in Spiritu,^{**}⁶ gentes esse cohæredes, et corporales, et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium:^{††}⁷ cujus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum op-

‡‡2.15 *Faciens pacem*, etc. Facit pacem inter ipsos, ut ambos conciliet Deo Patri. *In semetipso*. Non aliter quam per crucem, id est mortem, interfecit inimicitiam quæ inter Deum et homines, id est peccata dimisit. Omnibus enim profecit mors Salvatoris.

¶¶2.17 *Longe fuistis*, etc. Si affectu amas Deum, prope es: si odisti, longe es. Non enim regionibus longe est quisquam a Deo, sed affectibus.

§§2.19 *Non estis hospites*. Id est indigniores in fide, sicut olim recepti in lege. *Et advenæ*. Id est extranei a Deo. *Sed estis cives*. Id est, ejusdem juris et dignitatis in domo Dei. *Sanctorum*. Non carnalis Israël. *Et domestici*. Id est familiares. *Dei*. Quibus arcana revelat.

*2.20 *Ipsa summo angulari*, etc. AUG., in Psal. 86. Ne Apostoli vel prophetæ (in quibus fundata est civitas) se tenerent, in se secutus ait: *Ipsa summo angulari lapide Christo Jesu*; etenim in Christo totum innititur ædificium velut in primo fundamento: quod fundamentum in summo est, non in imo, ut in corporali fabrica.

†2.21 *Crescit in templum sanctum in Domino*. Nemo tam perfectus qui non possit crescere.

‡3.1 *Hujus rei*, etc. Ostendo quod per Christum facta est pax et reconciliatio, hic ponit per quem ipsi sunt coædificati, quia Deus revelavit salutem ad gentes pertinere, et misit eis prædicare, et facit pati pro eis, ut magis sint Deo grati.

¶3.2 *Si tamen audistis*. Id est, si intellexistis gratiam, id est apostolatam dispensatam a Deo, qui scit quare me ad hoc officium elegit? Vel apostolatam, per quem diversis diversa pensamus. Per hoc vult eos scire, quia Dei judicio a Christo missus est prædicare gentibus mysterium gratiæ Dei.

§3.3 *Sicut supra scripsi*, etc. Scilicet, ibi *ipse est pax nostra*. Ibi namque mysteriorum sibi revelatorum summam pro modico sermone perstrinxit, non tam totum quod noverat proferens, quam ostendens ex modico.

**3.5 *Et prophetis*. Prophetæ quidem priores præscierunt olim hoc de gentibus, quod vocandæ essent, et futuræ participes doni Dei, sed hoc latuit, quod sine lege salus eis esset per fidem Christi.

††3.6 *Per Evangelium*, etc. Per prædicationem cognitum est donum Dei, quod Deus dat gentibus juxta operationem virtutis suæ: qua suscitavit Christum, in quo omnes sunt salvi sine operibus legis.

erationem virtutis ejus.†⁸ Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi,[¶]⁹ et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit:^{§§}¹⁰ ut innotescat principatibus et potestatibus in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei,^{*}¹¹ secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro:[†]¹² in quo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem ejus.¹³ Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra.¹⁴ Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi,[‡]¹⁵ ex quo omnis paternitas in cælis et in terra nominatur,[¶]¹⁶ ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorum hominem,¹⁷ Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in caritate radicati,

‡3.7 **Minister.** Non enim est meum sed Dei, et ita nullæ mihi gratiæ reddendæ, sed Deo.

¶3.8 **Investigabiles.** Per naturam scilicet, sed per gratiam et revelationem sancti Spiritus investigabiles sunt fidelibus.

§§3.9 **Absconditi a sæculis.** In mundo absconditæ sunt causæ rationabiles omnium rerum, quæ naturaliter fiunt, sicut absconditus fuit Levi in lumbis Abrahæ, quando decimatus est. In Deo autem absconditæ sunt causæ eorum quæ per gratiam fiunt, sive eorum quæ ad hoc significandum mirabiliter et non naturaliter fiunt, quæ ministrantibus angelis facta sunt. **In Deo.** Habet enim Deus in seipso absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet, non illo opere providentiæ, quo naturas substituit ut sint, sed eo quo illas administrat ut voluerit, quas, ut voluit, condidit. Ibi est et gratia per quam salvi fiunt peccatores. Non enim per naturam vitio depravatam, sed per Dei gratiam homo restauratur.

*3.10 **Ut innotescat.** Datum est mihi evangelizare et illuminare. Videte quantum est hoc, quia per hoc accrevit aliquid angelis, qui multa secreta in his didicerunt. **In cælestibus.** Quia ibi primitus Ecclesia fuit, quo post resurrectionem et ista Ecclesia congreganda est, ut simus æquales angelis Dei.

†3.11 **Secundum præfinitionem.** Quæ enim sapientia in sui natura simplex est, secundum ea quæ aguntur in sæculo, quæ Deus præfinivit, id est præordinavit, est multiformis, cum variatur multiformiter. Et ne videantur sibi contradicere in prædictis sententiis sacræ paginæ doctores, ita potest determinari quod dictum est: ut illis, qui majoris dignitatis sunt, et per quorum ministerium illa nuntiata sunt, cognita fuerint ex parte, ut puta familiaribus et nuntiis illis; iis autem qui minoris dignitatis sunt, incognita essent.

*3.14 **Hujus rei gratia.** Vos peto, et Deo supplico, ut gratia cooperetur vobis. Et hoc est quod addit: **Hujus rei gratia.** In quo ostendit eos habere propriæ voluntatis arbitrium. Sed ne illud sufficere putent, addit: **Flecto genua mea ad Patrem.** Tantum in Græco habetur; quod autem in Latinis codicibus additum est: **Domini nostri Jesu Christi,** bene convenit, quod orabat, ut merito ejus obtineamus cui proprie et naturaliter est pater, non autem adoptive.

¶3.15 **Paternitas,** etc. Nec angelus, nec homo vere est pater ut Deus qui est pater omnium, creatione, et fidelium recreatione, quos adoptavit in filios. Vel **nominatur,** id est nominabilis est. Ab illo enim qui est pater omnium, et angeli in cælo, et homines in terra acceperunt ut patres alios vocarent. Et nota quod Christus Dei unigenitus per naturam, adoptionis beneficio patrem se esse significat dicens, **Fili, dimittuntur tibi peccata tua** Matth. 2.. Similiter et Spiritus sanctus, per quem justi adoptantur in filios. Homo autem dicitur pater vel natura, vel auctoritate exempli, vel ratione beneficii.

et fundati,^{§ 18} ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum:^{** 19} scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.^{†† 20} Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis:^{‡‡ 21} ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

4 Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis,^{¶¶ 2} cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate,^{§§ 3} solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.*

§3.17 *In charitate.* Oro etiam ut *radicati*, id est firmiter plantati, a similitudine arboris, quæ quanto plus terræ figitur, tanto plus crescit, et uberiorem fructum reddit.

**3.18 *Cum omnibus sanctis.* Hæc est communio cœlestis reipublicæ. Hi non sua quærunt, sed quæ Christi sunt, id est, commoda privata non sectantur, sed in comunione ubi salus omnium est consulunt. *Quæ sit latitudo.* Charitatis, quæ usque ad inimicos extendi debet, et cum hilaritate bene operari, quia qui tristis dat, perdit quod dat. Opus ergo est latitudine charitatis, ne pereat quidquid boni facis. Sed quia abundante iniquitate refrigescit charitas multorum, opus est etiam longitudine. *Et sublimitas.* Charitatis. Hæc est quod sursum cor dirigatur, ut Deus in præmium exspectetur. Nam si bene operaris etiam usque ad inimicos, et hilariter tribuis, habes latitudinem; et si in his usque in finem perseveras, habes longitudinem. Sed si omnia hæc non propter mercedem supernam facias, altitudinem non habet: et ita jam nec latitudo erit, nec longitudo. Nam habere altitudinem est cogitare Deum, amare Deum, et gratis amare ipsum adiutorem, ipsum coronatorem, postremo ipsum præmium deputare non aliud ab ipso, quam ipsum exspectare. Si amas, gratis ama. Si vere amas, ipse sit merces quem amas. *Et profundum.* Charitatis, id est possitis intelligere occultum Dei iudicium; quare isti dat, non vero illi. De profundo enim iudiciorum Dei, quæ scrutari et contemplari nequimus, procedit omne quod possumus. Quod possum, video; unde possum, non video; nisi quia novi esse a Deo. Quare autem illi det, isti non det, multum est a me, abyssus est et profundum. Nunc ergo ipsa charitas in bonis operibus exercetur ad subveniendum aliis, et usque ad inimicos porrigitur; et hæc latitudo est. Nunc longanimitate adversa tolerat, et in eo quod veraciter tenuit, perseverat; et hæc longitudo est. Hoc autem totum propter adipiscendam patriam æternam facit, quæ illi promittitur in eum; et hoc altitudo est. Existit vero ex occulto illa charitas, et hæc est profundum.

††3.19 *Ut impleamini.* Quia tunc nihil deest Christiano, cum Patrem et Filium sic cognoscit. Aliter non est integra professio deitatis, quia fides nec in solo Patre integra est, nec in Filio solo perfecta. *In omnem plenitudinem Dei.* Non ut sint (plenus Deus) sicut quidam errantes voluerunt, sed ut perfecte sint pleni Deo; vel sic: ut confessione et gratiarum actione sicut Patri, ita et Filio honorificentia reservetur, et omnia quæ a Deo Patre sunt, per Filium facta et restaurata credantur, ut sit plena professio divinitatis in credentibus.

‡‡3.20 *Potens est omnia facere,* etc. In hac sunt quædam quæ nemo alioqui peteret vel intelligeret, ut quod Deus homo pro hominibus moreretur et hujusmodi alia.

¶¶4.1 *Obsecro.* Hactenus ostendit omnia gratiæ attribuenda, hinc de moribus monet, prius omnes communiter, post per singulos ordines.

§§4.2 *In charitate.* AUG. Ipsa est enim actio recti itineris, quæ oculos semper habet ad Deum. Talis actio nec frangitur negotio, nec turbulenta est, nec mancida, nec audax, nec fugax, nec præceps, nec jacens

*4.3 *In vinculo pacis.* Id est pacem servantes. Hæc autem pax est, si peccata quæ sine damno tritici aut cum spe salutis corrigendorum eradicari non possunt, usque ad messem ultimam toleramus.

⁴Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. ⁵Unus Dominus, una fides, unum baptisma.† ⁶Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. ⁷Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. ⁸Propter quod dicit: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.‡ ⁹Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? ¹⁰Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia. ¹¹Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores,¶ ¹²ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi:§ ¹³donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi:** ¹⁴ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. ¹⁵Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus:†† ¹⁶ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate. ¹⁷Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut

†4.5 **Unus Dominus.** Debetis servare unitatem, quia nobis est unus Dominus, non tres pro quorum diversis voluntatibus vos oporteat discordare. Et idem jubemini credere, et eodem modo operari. Et vobis est unus Deus creator omnium et pater procurando: et ideo nemo potest se alteri præferre. **Qui Deus, est super omnes,** id est præcellit omnibus creaturis, cujus dignitas vos invitet, **et per omnia** diffusus, quia ubique, et ideo timendus; cum nusquam possit evitari. **Et in omnibus nobis,** per gratiam, qui unitatem servamus. Et sic non singulariter de una persona, sed communiter de omnibus, id est de Trinitate hoc accipitur. **Una fides.** Non numero, sed genere, quia similis in omnibus.

‡4.8 **Captivam duxit captivitatem.** Id est eos quos diabolus captivaverat a paradiso, et proprios mundi et inferni fecerat, iterum captivos fecit Christus, dum ad cælum reducuntur.

¶4.11 **Prophetas** AMBR. In Novo Testamento, prophetæ dicuntur explanatores Scripturarum, tamen fuerunt quidam in primordio fidei futura prædicentes, sicut Agabus, septemque filiæ Philippi. **Evangelistas.** Qui et diaconi, quia etsi non sacerdotes, tamen evangelizare possunt.

§4.12 **In opus ministerii.** Hos autem dedit in opus ministerii, ut quisque plene possit facere opus ministrationis sibi creditæ. Si enim unus haberet omnia, non perfecte ageret singula. **Ad consummationem.** Id est, ut eos consummaret qui jam sancti sunt. **Et in ædificationem.** Id est, ut eos ædificent in corpus Christi, qui adhuc sunt alieni.

4.13 **Donec. Id est in *die* iudicii. **Omnes.** Qui sumus in una et non discrepanti fide: et in una et non differenti unitate **agnitionis Filii Dei;** vel in virtutibus quibus agnoscitur Filius Dei in nobis; vel quibus agnoscemus eum in futuro. **Occurramus.** Nobis invicem de diversis mundi partibus, vel ipsi Christo, quasi desiderio currentes ad gaudium. **In virum perfectum.** Ut unusquisque sit vir perfectus et habens eandem ætatem, quæ est mensura et meta ætatis, ultra quam non accrescit aliquid naturaliter homini: in qua ætate Christus habuit plenitudinem annorum et corporis, in qua de hoc mundo transivit. Omnes enim in eadem resurgent, in qua Christus mortuus est et resurrexit, cujuscunque ætatis mortui fuerint.

††4.15 **Christus.** Unctus dicitur. Et in Veteri Testamento reges ungebantur.

jam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui,^{‡‡} 18 tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum,[¶] 19 qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitia, in operationem immunditiæ omnis in avaritiam.^{§§} 20 Vos autem non ita didicistis Christum, 21 si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu, 22 deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.† 23 Renovamini autem spiritu mentis vestra,‡ 24 et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.¶ 25 Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.‡ 26 Irascimini, et nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram.** 27 Nolite locum dare di-

^{‡‡}4.17 **Hoc igitur.** Admonet ut caveant a consuetudine antiquæ gentilitatis; quasi diceret: Quia Deus tot auxilia ad custodiam dedit unitatis, et quia crescere potestis et ei occurretis, ego dico, non obsecro ut prius.

[¶]4.18 **Obscuratum.** Non parum: et ideo minus mirum est si in vanitate ambulant potius quam vos qui estis illuminati, et spem habetis vitæ. **A vita Dei.** Duæ sunt vitæ: una corporis, altera animæ; et sicut vita corporis est anima, sic animæ vita est Deus: et quomodo si anima deserat, moritur corpus, sic anima moritur, si deserat Deus. Anima recedens a luce justitiæ, quanto magis quærit quod inveniatur contra justitiam, tanto plus repellitur a lumine veritatis, et in tenebrosis demergitur.

^{§§}4.19 **Desperantes.** Vel indolorii, quod ex Græco trahitur, id est de peccato non dolentes.

* 4.21 **Sicut veritas.** Hoc ideo dicit: quia sunt quidam in Ecclesia qui sub nomine Christi non sequuntur veritatem quam Christus docuit.

† 4.22 **Deponite.** Non jubet ut corpus deponatur, sed ut vita in melius mutetur. **Veterem.** Nonnulli putant quod vetus homo corpus sit, et novus anima; sed corpus exterior homo est, anima interior: et in interiori agitur hæc vetustas et novitas

‡ 4.23 **Spiritu mentis.** Non ibi duas res intelligi voluit Apostolus quasi aliud sit mens, aliud spiritus mentis, sed quia mens spiritus est. Simile dictum est: **In exspoliatione corporis carnis,** id est carnis quæ corpus est. Mens ergo, vel ratio, vel intelligentia, imago Dei est, qua præest homo cæteris: qui creatus in agnitione Dei, postquam peccato desipuit, in eadem renovatur, ut incipiat illa imago ab illo reformari, a quo formata est.

¶ 4.24 **Qui secundum Deum creatus est.** Conceptus est enim in utero virginali, opere Spiritus sancti de semine mulieris sine semine viri. Hoc novum fuit; unde Jeremias: **Novum faciet Dominus super terram: Mulier circumdabit virum in gremio uteri sui** Jer. 31..

§ 4.25 **Propter quod.** Exsequitur partes veteris et novi hominis. **Cum proximo.** Etiam gentili: quia omnis homo proximus conditione primæ nativitatis, vel spe conversionis omnis debet putari proximus.

** 4.26 **Irascimini,** id est indignamini vobis ipsis tanta vehementia ut peccare desistatis, quia super hanc iram non occidit sol justitiæ, sed potius illi irradiat. Ira est naturalis motus animi contra peccantes; sed ne modum excedendo peccetis asperius arguendo. Unde Salomon: **Noli esse nimis justus qui perit justitia sua** Eccl. 7.. Temperanda est ergo justitia, unde et Deus suffert iniquos, ut aliqui ex eis corrigantur. **Sol non occidat.** Vult ut ira non duret, quia si durat, datur occasio diabolo. Iratus enim male cogitat, et sic se diabolus inserit ut mala peragat. **Sol non occidat.** Christus mentem non deserat, qui cum ira nunquam habitat.

abolo:†† 28 qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. 29 Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei ut det gratiam audientibus.‡‡ 30 Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis.¶¶ 31 Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia.§§ 32 Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut et Deus in Christo donavit vobis.

5 Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi, 2 et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis, oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* 3 Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: 4 aut turpitudino, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. 5 Hoc enim scitote intelligentes: quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.† 6 Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentia.‡ 7 Nolite ergo effici participes eorum. 8 Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate: 9 fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate:¶ 10 probantes quid sit beneplacitum Deo: 11 et nolite communicare operibus

††4.27 **Nolite**, etc. Duæ sunt portæ quibus diabolus intrat: cupiditas et timor de terrenis. Eisdem in contrarium versis Deus intrat. Illi sunt claudendæ, isti aperiendæ.

‡‡4.29 **Omnis sermo**, etc. In Dei servo omnia bona debent videri, nec ex aliqua parte puritas ejus debet maculari.

¶¶4.30 **Et nolite contristare**. Per inobedientiam, **Spiritum sanctum**, id est prædicatorem veritatis, quod est Spiritum sanctum contristare quantum ad vos. Quod non debetis in quo vos quasi cera signati estis ejus imagine vobis relicta; vel estis signati, id est discreti a malis.

§§4.31 **Omnis amaritudo**. Hæc etiamsi fiant accedentibus causis, tamen temperanda sunt. **Blasphemia**. Blasphemia est per quam de ipso Deo falsa dicuntur. Et ideo pejus est blasphemare quam pejerare, quia pejerando falsæ rei adhibetur testis Deus; blasphemando autem de ipso Deo falsa dicuntur.

*5.2 **In odorem suavitatis**. Si Christi mors Deo fuit suavis odor, ergo mortem ejus libenter accepit. Non ergo peccaverunt qui illum crucifixerunt? Sed non est ita, quia injuste justum occiderunt: qui Patris et sua voluntate oblati est. Sicut et Judas, quid habet nisi peccatum in tradendo Christum? nisi tamen se traderet Christus, non eum traderet Judas. Tradidit Judas Christum, tradidit se Christus. Sed ille agebat negotium suæ venditionis, iste nostræ redemptionis. Ideo ille impie deliquit, hic misericorditer egit.

†5.5 **Avarus**. Avaritiam idololatriæ æquat, quia illum avarum significat cujus Deus nummus est, vel quia res Dei quas Deus vult servire indigentibus usurpat sibi et recondit, et Deo præfert sicut idololatria Dei honorificentiam.

‡5.6 **Inanibus verbis**. Omnes eorum rationes sunt inania verba, fructu vacua, ad supplicia trahentia.

¶5.9 **Fructus enim**, etc. Hujusmodi autem opera sunt fructus et opus lucis. **Et justitia**, etc. Justitia et veritas sunt partes bonitatis. Et est sensus: **In omni bonitate et justitia et veritate**. Id est, justa et vera convenienter loquamini.

infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.^{§ 12} Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere.¹³ Omnia autem, quæ arguuntur, a lumine manifestantur: omne enim, quod manifestatur, lumen est.^{** 14} Propter quod dicit: Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.^{†† 15} Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes,¹⁶ sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.^{‡‡ 17} Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.¹⁸ Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu Sancto,¹⁹ loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino,²⁰ gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo et Patri,²¹ subjecti invicem in timore Christi.^{¶¶ 22} Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino:^{§§ 23} quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse, salvator corporis ejus.²⁴ Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.²⁵ Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea,²⁶ ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ,²⁷ ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi,

§5.11 **Redarguite.** Animo leni, ut alibi ait Apostolus. Hoc videlicet agite, ut foris terribiliter, personet increpatio, et intus lenitatis teneatur dilectio. Duo conjungit, ut, scilicet, non communicent consentiendo et redarguant. His enim duobus modis non te maculat malus, si non consentis, et si redarguis. Utrumque autem complexus est Apostolus, dicens: **Nolite communicare,** etc., id est nolite consentire, laudare et approbare. Et quia parum est non consentire, addit: **Magis autem redarguite,** id est reprehendite, corripite, coercete. Et est sensus: Non sitis consentientes malis approbando ea, neque negligentes arguendo, neque superbientes insultanter arguendo.

5.13 **Omnia autem. Quasi: Etsi turpe sit dicere ea quæ ipsi faciunt, tamen redarguenda sunt, quia sic manifestantur sæpe per confessionem et poenitentiam: et ideo arguendum est, quia quod sic manifestatur, vertitur in lumen; vel illi mali manifestantur sibiipsis quod mali sunt, et ideo arguendi, quia sic incipiunt esse lumen. **Omne enim quod manifestantur.** Id est malus, cum sibi innotescit esse malus, fit lumen. **Lumen est.** Id est per poenitentiam incipit converti in bonum.

††5.14 **Surge.** Per confessionem. **Et exsurge.** Per satisfactionem.

‡‡5.16 **Redimentes tempus.** Id est, quod minus fecistis in uno tempore, restituite in alio, dimidiantes dies quos impii non dimidiant. Alii enim dimidiant, alii implent dies, alii nec incipiunt; id est, alii moriuntur in Ægypto, alii in deserto, alii in terra sancta. Nec mirum si minus fecistis, quoniam dies mali sunt, nec possunt omnia agi pro libitu.

¶¶5.21 **Subjecti invicem.** Non solum auditores prælatis, sed etiam prælati subditis, in charitate eis serviendo et humiliter curam gerendo. Nam etsi dignitas majorum est, administratoria tamen est; unde Apostolus: **Omnium me servum feci** I Cor. 9.. Est ergo majorum (salva tamen dignitate) servire, sicut minorum est humiliter obedire; hæc autem tam majorum quam minorum ordinata subjectio, debet esse in casto timore Christi, qui humilitatem mandavit.

§§5.22 **Mulieres.** Hucusque communiter de moribus egit, nunc quædam singulis ordinibus suadet.

sed ut sit sancta et immaculata.*²⁸ Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.²⁹ Nemo enim umquam carnem suam odio habuit: sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam:†³⁰ quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus.³¹ Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.³² Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia:‡³³ Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligit: uxor autem timeat virum suum.

6 Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est.² Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione:¶³ ut bene sit tibi, et sis longævus super terram.⁴ Et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina et correptione Domini.⁵ Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo:§⁶ non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi,

*5.27 *Non habentem maculam*, etc. Quia per actionem bonam munda est a macula, et per spem tensa ad superna: proinde vestis ejus in monte tanquam nix dealbata effulsit, quæ significabat. Ecclesiam omni macula peccati mundatam, quæ per Christi in ligno crucis extensionem extensa est a ruga, et desiderio ad cœlestia. *Non habentem nunc maculam, aut rugam, sed ut sit sancta*, hic per bona opera, *et immaculata*, in abstinentia mali. Vel hoc erit in futuro, erit enim tunc Ecclesia sancta per gloriam, immaculata per corruptionis remotionem. Sicut Christus fudit sanguinem, ut lavaret maculam Ecclesiæ, et extendit se in cruce, ut tolleretur rugam, sic et viri, si opus est, debent mori pro salvandis uxoribus, et verbo vitæ eas instruere, ut exhibeant cas Deo.

†5.29 *Nemo enim unquam*. Qui ergo mavult esse sine corpore, non corpus, sed corruptiones et pondus ejus odit. *Sicut et Christus Ecclesiam*. Ita faciat vir de uxore, quæ est caro ejus: quia sic et Christus nutrit Ecclesiam cibo corporis sui, et fovet spiritualibus indumentis præceptorum, virtutum et bonorum operum.

‡5.32 *Sacramentum hoc magnum*. Ne aliquis putaret in viro esse et uxore, secundum utriusque naturalis sexus copulationem, corporalemque mixtionem, addit: *Ego dico in Christo*, etc., secundum hoc ergo quod in Christo et Ecclesia, accipitur quod dictum est: Non jam duo, sed una caro sunt, et quomodo sponsus et sponsa dicuntur, sic caput et corpus. Sive ergo dicatur caput et corpus, sive sponsus et sponsa, unum intelligite. Fit enim ex duobus quasi una quædam persona, scilicet ex capite et corpore, ex sponso et sponsa: quam unitatem miram et excellentem commendat Isaias, in quo Christus loquens, ait: Sicut sponso alligavit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento. Hujus spiritualis unitatis sacramentum fuit illud quod in Genesi de unione conjugii ad litteram dicitur

¶6.2 *Primum*. Scilicet inter mandata quæ sunt ad hominem in secunda tabula. Ad duo namque præcepta charitatis Dei et proximi pertinet Decalogus. Ad primum præceptum Dei tres chordæ pertinent, id est, tria mandata, quia Deus Trinitas est. Ad alterum vero præceptum, scilicet proximi, septem chordæ, id est septem mandata. Et illa tria ad Deum pertinentia sunt in prima tabula. Et alia septem ad proximum, in secunda tabula scripta erant. Inter quæ hoc merito primum est, quia, sicut Deus principaliter principium est hominis, sic pater secundario. Cujus mandati additur promissio quod non in aliis est.

§6.5 *Servi, obedite*. Servitus cœpit ex peccato; prima enim servitutis causa peccatum est, ut nomo homini conditionis vinculo subderetur, quod non fuit nisi Deo judicante, apud quem non est iniquitas, et novit diversas pœnas meritis distribuere delinquentium. *In simplicitate*. Liberam facit servitutem; non timore subdolo, sed fidei dilectione, donec transeat iniquitas, et omnis evacuetur potestas.

facientes voluntatem Dei ex animo, ⁷ cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus: ⁸ scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. ⁹ Et vos domini, eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia et illorum et vester Dominus est in cælis: et personarum acceptio non est apud eum. ¹⁰ De cetero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. ^{** 11} Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: ¹² quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in cælestibus. ^{†† 13} Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. ¹⁴ State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti lorica[m] justitiæ, ^{‡‡ 15} et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, ^{¶¶ 16} in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: ^{§§ 17} et galeam salutis assumite, et gladium

^{**}6.10 *De cætero.* Post specialia præcepta quibus admonuit singulos ordines, in communi nunc admonet omnes; quasi: Huc usque vos juvi verbo et opere; deinceps, in futuro, in reliquo tempore, fide et dilectione.

^{††}6.12 *Mundi rectores.* Non ideo sic appellantur, quia regunt mundum, qui constat ex cælo et terra; sed mundum peccatores dicit, de quo Joannes: *Et mundus eum non cognovit* Joan. 1.. Talem mundum illi regunt, contra quos habemus perpetuas inimicitias: quia et quod patimur homines importunos, illi faciunt. Instigant enim et inflammant illos et tanquam vasa sua movent, et velut organa tangunt. Contra illos habemus occultam luctam, ad quam nos armat Apostolus. *Tenebrarum.* Ne putentur dæmones hunc visibilem mundum regere, subdit quid nomine mundi intellexerit: *Tenebrarum harum,* id est peccatorum; quasi: Non dominantur dæmones mundo qui constat cælo et terra, sed peccatoribus. *Contra spiritualia.* Quasi: Timendi hostes quia spirituales et invisibiles, et quia nequam: et non pro parva re, sed pro cœlesti hæreditate tollenda pugnant. Ut cœlestia dicit virtutes, in quibus pugnam dæmonum patimur, vel spiritus nequam sunt in cœlestibus, id est in hoc inferiori ære. Ipsi enim quasi equites pugnant in equis hominibus. Equites ergo occidamus, equos possideamus.

^{‡‡}6.14 *Succincti lumbos vestros,* etc. Id est carnales concupiscentias cingulo castitatis frenantes non simulatorie, sed in veritate, vel per charitatem. *Induti lorica[m] justitiæ.* Recte lorica justitiæ comparatur, quia, sicut lorica multis circulis contextitur, ita justitia multis virtutibus constat. Aliter: Justitia loricae potest comparari quia, sicut lorica pectus munit, ventrem stringit, femora protegit, ita justitia superfluas cogitationes quæ in pectore versari solent, repellit: ingluviem ventris stringit, luxuriam quoque opprimit.

^{¶¶}6.15 *Calceati.* Marcus dicit apostolos calceatos sandaliis, vel soleis, ut neque pes sit rectus, nec nudus ad terram, id est nec occultetur Evangelium, nec terrenis commodis innitatur. *Pedes.* Id est affectiones sint munitæ virtutibus ne a vitiis pungantur, ut ita sint parati ad prædicandum Evangelium quod nuntiat pacem inter Deum et hominem; vel ut sint parati complere præcepta Evangelii.

^{§§}6.16 *Scutum fidei.* Fides est scutum, sub quo tuta est justitia, sicut sub munimine omnium virtutum, quod protenditur ante omnia arma et quod primo omnium impugnat diabolus.

spiritus (quod est verbum Dei),^{*} 18 per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis:[†] 19 et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii:[‡] 20 pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me loqui. 21 Ut autem et vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater, et fidelis minister in Domino: 22 quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, et consoletur corda vestra. 23 Pax fratribus, et caritas cum fide a Deo Patre et Domino Jesu Christo.[¶] 24 Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. Amen.

^{*}6.17 *Et galeam.* Galea est salus æterna, cujus memoria mentem obvolvitur ne deficiat. *Et gladium spiritus.* Verbum Dei est gladius bis acutus, docens de temporalibus et æternis. Illorum consolationem in Veteri, istorum perfectionem in Novo Testamento promittens. Quod enim temporaliter nobis promissum est, ad unam partem gladii: quod vero in sempiternum ad aliam partem gladii pertinet. Nam et ideo duo Testamenta dicuntur, quia Vetus terrena promittit, Novum æterna. De hoc gladio Dominus ait: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium* Matth. 10.. Iste gladius vere acutus est, quia eum quem fecit a mundo dividit.

[†]6.18 *In spiritu.* Orat in spiritu, qui munda conscientia et integra fide orat. In carne orat, qui polluta mente iterum peccat, non casu, sed de proposito.

[‡]6.19 *In apertionem,* etc. Id est ut aperte possim reserare mysterium Evangelii, id est secreta incarnationis et passionis. Quasi: Ne pressura tribulationis ipsa formidine acumen doctrinæ obtundat.

[¶]6.23 *Pax fratribus.* Pacem optat eis, quæ est janua dilectionis.

INCIPIT AD PHILIPPENSES

1 Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus.^{§ 2} Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.³ Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri,^{** 4} semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens,⁵ super communicatione vestra in Evangelio Christi a prima die usque nunc.^{†† 6} Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu:^{‡‡ 7} sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis, et in defensione, et confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse.^{¶¶ 8} Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.^{§§ 9} Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu:¹⁰ ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi,^{* 11} repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei.^{† 12} Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profec-

§1.1 **Argumentum** Philippenses sunt Macedones. Hi, accepto verbo veritatis, perstiterunt in fide, nec receperunt falsos apostolos. Hoc collaudat scribens eis a Roma de carcere per Epaphroditum. **Paulus.** More solito salutationem præmittit; deinde gratias Deo agit pro eis, implorans eis majora bona, ut et in virtutibus crescentes ad perfectionem perveniant. Deinde patientiam in tribulationibus monet exemplo sui et Christi, postea ut caveant a versutiis pseudoapostolorum; tandem admonitionem moralem interserit, et prope finem de gratia, quam sibi Romam per Epaphroditum miserant, gaudere se dicit. **Timotheus.** Hunc apponit, quia eum missurus erat ad illos: propter hoc eum quodammodo commendans, ut eadem quæ scribit ab eo recipiant. **Servi.** Servos dixit, ut et ipsi pro Domino ferant dura. **Christi.** Ut contra pseudo stent.

1.3 **Gratias ago Deo meo. Quasi dicat: Agite quæ agitis, quia talia sunt, unde Deum laudo.

††1.5 **Communicatione.** Per quam vestra communia fecistis, in Evangelio exaltando.

‡‡1.6 **Confidens.** Quasi: Deprecor ut stetis, et confido hoc ipsum fieri a vobis quod precor, non autem aliud; sed videte ne frustra confidam. **Perficiet.** Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.

¶¶1.7 **Sicut est mihi.** Ita gratias ago, deprecor et confido, **sicut justum est sentire**, id est ita velle. Et exponit causam, **eo quod habeam vos in corde**, bonum vobis desidero, sive sim vinctus, sciens vos quoque vinctos, sive defendens Evangelium, quod et vos facitis.

§§1.8 **Cupiam omnes vos**, etc. Id est intimo amore Christi, ut ab eo perfecte diligamini, vel eo affectu diligatis Deum et proximos, quo Christus qui animam posuit. Vel hoc refertur ad id quod supra dixit, se desiderare eos esse socios gaudii sui. Et determinat quomodo, scilicet amore Christi, non humano, ut participes habeat in Deo.

*1.10 **Ut probetis potiora.** Id est, ut crescat charitas vestra in scientia, ut probare et discernere sciatis non solum quæ sunt mala et bona, sed etiam inter bona quæ sint potiora, ut post probationem **sitis sinceri** in vobis, sine operibus corruptionis, et quantum ad proximum, **sine offensione.**

†1.11 **Repleti fructu**, etc. Id est mercede justitiæ, adeo ut sitis gloria et laus Dei, ut pro vobis dicatur. **Mirabilis Deus in sanctis suis** Psal. 67..

tum venerunt Evangelii:[‡] 13 ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætório, et in ceteris omnibus,[¶] 14 et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.[§] 15 Quidam quidem et propter invidiam et contentionem: quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant: 16 quidam ex caritate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum. 17 Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.^{**} 18 Quid enim? Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur: et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.^{††} 19 Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem, et subministrationem Spiritus Jesu Christi, 20 secundum expectationem et spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fiducia sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. 21 Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.^{‡‡} 22 Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro.^{¶¶} 23 Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius: 24 permanere autem in carne, necessarium propter vos.^{§§} 25 Et hoc confidens scio quia manebo, et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, et gaudium fidei:^{*} 26 ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos. 27 Tantum digne Evangelio Christi conversamini: ut sive cum venero, et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii: 28 et in nullo terreamini ab adversariis: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis,

[‡]1.12 **Scire autem volo**, etc. Hactenus communiter locutus est, inde ponit specialiter quæ tolerantiam suadeant, scilicet, **Pro vobis gratias ago: Confido. Vos autem volo scire**, etc., quasi dicat: Cum ita sitis perfecti, perseverate et cavete, ne tribulationes instantes hanc vestram diminuunt perfectionem, sed exemplum mei respicite.

[¶]1.13 **Ut vincula**, etc. Quia namque patienter quælibet mala sustineo, patet non esse scelus falsitatis quam in me justa vindicta percellat, sed quamdam veritatis virtutem quam sustinendi fortitudo magnificat.

[§]1.14 **Auderent**, etc. Constantia enim ejus multos ita animavit, ut non timerent evangelizare.

^{**}1.17 **Quidam autem**, etc. Convicti in contentione a me, prædicant secundum quod eos convici debere prædicare. **Ex contentione**. Ex privato odio, quod aliquando mecum contulerunt, et confutati sunt. Et ne viderentur correcti, addit: **Non puro animo**.

^{††}1.18 **Quid enim?** Non prohibet mercenarios, sed permittit, quia et ipsi utiles sunt ad aliqua. **Sed et gaudebo**. Ideo gaudeo de malis meis, vel de profectu Evangelii, quia inde mihi salus.

^{‡‡}1.21 **Mihi autem vivere Christus est**, etc. Quasi diceret: Merito Christum magifico sive vita, sive morte, quia **Christus mihi vivere**, id est mihi vita hic per fidem et spem, et in futuro per speciem. Pro hac vita mortale corpus tradidit, ut ipsum immortale in æternum recipiat, unde et subdit et mori lucrum.

^{¶¶}1.22 **Quod si vivere**, etc. Christus est mihi vivere, ut eum magnificem. Quod si est, tunc nescio quid eligam, mori, an vivere. Quasi: Nisi hic fructus esset, non dubium quin mori eligerem ut Christum haberem præmium: et ideo, ne dubitetis mori pro Christo.

^{§§}1.24 **Permanere autem**, etc. Ecce quod non sibi melius, sed quod multis expedit, eligit, propter charitatem, quæ præ omnibus eligenda est.

^{*}1.25 **Et gaudium fidei**, etc. Id est: Ut de fide vestra gaudeamus, vel ut vos de fide gaudeatis in ea proficientes. Quod non est nisi ubi est munda conscientia.

et hoc a Deo:† 29 quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini:‡ 30 idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me.¶

2 Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis:§ 2 implete gaudium meum ut idem sapiatis, eadem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, 3 nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitantes,** 4 non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.†† 5 Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu:‡‡ 6 qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo:¶¶ 7 sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.§§ 8 Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* 9 Propter quod et Deus

†1.28 *Et hoc a Deo*, etc. Etiam quod patimini non a vobis est, sed a Deo: quia pro merito Christi qui Patri obedivit, hæc inter alias gratias data est vobis.

‡1.29 *Non solum*, etc. Utrumque ergo ad Dei gratiam pertinet, et fides credentium, et tolerantia patientium, quia utrumque dixit esse donatum.

¶1.30 *Quale et vidistis in me*. Quando nudus verberatus sum pro muliere pythonissa a qua spiritum malignum exclusi, quæ magnum quæstum præstabat dominis suis.

§2.1 *Si qua consolatio*, etc. Si vultis habere consolationem in rebus Christi, id est in remissione peccatorum et in aliis donis; vel: si consolari me vultis, *si quod solatium caritatis* est vobis, id est si vultis ut charitas ecclesiarum quæ orant et bona agunt pro fratribus, sit vobis solatium et confortatio in adversitatibus vestris. *Si qua societas spiritus*. Propter hanc societatem illi in quos primitus venit Spiritus sanctus, linguis omnium gentium sunt locuti. *Si qua viscera*. Id est si affectum pietatis habetis erga me. Non dico ipsam miserationem, id est exhibitionem misericordiæ. Si ista, inquam, vultis vobis prodesse, *implete gaudium meum*, id est estote humiles, *unanimes*, quod eritis si habueritis idem sapere, etc.

**2.3 *Nihil per contentionem*. Nota contentiones fuisse inter eos. *Superiores*, etc. Vere hoc existimandum, quia potest esse in alio aliquid occultum, quo superior sit, etiam si bonum nostrum, quo videmur superiores esse, non sit occultum.

††2.4 *Non quæ sua sunt*. Hic docet quomodo vitent contentionem et inanem gloriam, et quomodo arbitrentur alios superiores, scilicet si consideraverint non sua bona, sed aliorum.

‡‡2.5 *Hoc enim sentite*, etc. Quasi dicat: Unusquisque non quærat suum commodum, sed aliorum, sicut Christus. Ad patientiam et humilitatem vos invito. Hoc enim debetis in vobis sentire quod in Christo fuit. Sicut Christus non quæsivit sua, sed nostra, ita nos invicem onera nostra portemus.

¶¶2.6 *Qui cum in forma*. Præmittit alta de Christo, ut hi in quibus est locus abjectionis non dedignentur humiliari. *Non rapinam*. Usurpando quod suum non esset, ut diabolus et primus homo. Vel, non est arbitratus se æqualem Deo esse secundum humanitatem, quod esset rapinam facere, id est, non suum præsumere. *Sed semetipsum*. Ostensa altitudine, subdit de humilitate. Aug., Ench. c. 35 et 36. Exinanivit autem se formam servi accipiens, etc., usque ad factum est ut homo Christus nullum posset habere peccatum. *Formam servi*. Non formam Dei amittens: forma servi accessit, non forma Dei abscessit: *Exinanivit*. Exinanire est ab invisibilitatis suæ magnitudine se visibilem demonstrare.

§§2.7 *Factus*. Secundum formam servi, qui erat infectus secundum formam Dei et etiam suo *Habitu*. Id est conversatione.

*2.8 *Humiliavit*, etc. CHRYS. Sponte Filius Patri obedivit, non quasi in servilem, etc., usque ad quod omnium maxime Patrem honoravit.

exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen:[†] 10 ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum,[‡] 11 et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.[¶] 12 Itaque carissimi mei (sicut semper obedistis), non ut in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini. 13 Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.[§] 14 Omnia autem facite sine murmurationibus et haesitationibus:^{**} 15 ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo,^{††} 16 verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi. 17 Sed et si immolor supra sacrificium, et obsequium fidei vestræ, gaudeo, et congratulor omnibus vobis. 18 Idipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi. 19 Spero autem in Domino Jesu, Timotheum me cito mittere ad vos: ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt. 20 Neminem enim habeo tam unanimum, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit.^{‡‡} 21 Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.^{¶¶} 22 Experimentum autem ejus cognoscite, quia sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio. 23 Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me sunt. 24 Confido autem in Domino quoniam et ipse veniam ad vos cito. 25 Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem, et cooperatorem, et comilitonem meum, vestrum autem apostolum, et ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos: 26 quoniam quidem omnes vos desiderabat: et mæstus erat, propterea quod

[†]2.9 **Propter quod.** Ostensa humilitate Christi quæ maxime in passione apparuit; nunc de claritate ejus, et quod et quantum humilitas mereatur ostendit.

[‡]2.10 **Ut in nomine.** Hic aperit cui datum sit nomen Dei, cui omnis creatura flectit genu, id est Deo. Sed forte diceretur, quod homo adoptione Deus esset, et sic Christus ex parte verus Deus, quod ex parte adoptivus erit. Adoptivo autem Deo non flectit genu creatura, sed vero. Constat autem Christum verum Deum esse, cui flectitur genu, non adoptivum.

[¶]2.11 **Quia Dominus,** etc. Quod hic quidam negant, dicentes: Quomodo potest fieri, ut homo sit in gloria Dei Patris? sed si adoptivus sit, homo Deus in gloria Dei Patris esse non potest.

[§]2.13 **Deus enim.** Nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solum dat adiutorium quale primo homini dedit: sine quo non possunt perseverare si velint, sed in eis etiam operatur et velle, ut quoniam non perseverabunt nisi et possint et velint, perseverandi eis et possibilitas et voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint quia sic volunt: ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint.

^{**}2.14 **Omnia autem.** Adjungit patientiam humilitati.

^{††}2.15 **Nationis pravæ,** etc. Id est malorum, qui rectum ordinem depravant et pervertunt. Qui dicuntur natio, quia non sunt renati ex aqua et Spiritu sancto. **Sicut luminaria.** Bene sanctos luminariibus comparat. Sicut enim stellas cœli non exstinguit nox, sic mentes fidelium adhærentes cœlo sacræ Scripturæ non obscurat mundana iniquitas.

^{‡‡}2.20 **Neminem enim,** etc. Hoc tempore multi cum Apostolo mercenarii, filii vero vel pastores nulli nisi Timotheus.

^{¶¶}2.21 **Omnes,** etc. Hi sunt mercenarii, qui sunt tolerandi, quia eadem habent in ore, quæ et pastores, qui utique sunt diligendi. Fures vero qui falsa prædicant, et latrones qui occidunt, sunt cavendi.

audieratis illum infirmatum. ²⁷ Nam et infirmatus est usque ad mortem: sed Deus miseratus est ejus: non solum autem ejus, verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. ²⁸ Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, et ego sine tristitia sim. ²⁹ Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi cum honore habetote; ³⁰ quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

3 De cetero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.^{§§} ² Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. ³ Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes,^{*} ⁴ quamquam ego habeam confidentiam et in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis,[†] ⁵ circumcisus octavo die, ex genere Israël, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem pharisæus,[‡] ⁶ secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela. ⁷ Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.[¶] ⁸ Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrificam,[§] ⁹ et inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam,

§§3.1 *De cætero.* Quasi: Huc usque instruxi vos quomodo debeatis stare in bello contra tribulationes, de cætero pseudoapostolos, ne legalia ab eis recipiatis moneo, sed fidem Christi solam sufficere credatis. De sinceritate fidei incipit. *Scribere.* Ut diutius maneat scriptura quam prolatio.

*3.3 *Nos enim,* etc. Id est: Nos habemus circumcisionem: hoc voluit dicere Apostolus: Nos sumus justitia. Circumcisio enim justitia est. Magis autem commendat dicendo nos esse circumcisionem, id est justitiam, quam dicendo nos esse circumcisos, id est justos: sic tamen ut cum justitiam dicit esse, justos intelligamus. *Qui Spiritu Dei,* vel, *Deo,* etc. Notat Spiritum Domini cui latria exhibetur, sed ea servitus soli Creatori exhibenda. Alia est servitus, qua per charitatem jubemur servire invicem, quæ Græce dicitur *dulia*. *Et non in carne fiduciam.* Carne servit qui de rebus carnalibus sperat se placere Deo. Cum vero et ipsa caro per bona opera spiritui subditur, spiritu servimus Deo, qui carnem domamus, ut spiritus obtemperet Deo.

†3.4 *Quamquam et ego,* etc. Ne videatur Apostolus contemnere in aliis quod non habet, et non posse fidere in carne, subdit: *Quamquam,* etc.

‡3.5 *De tribu Benjamin.* Tribus Benjamin adhæsit Judæ, non recedens a templo, quando facta est separatio in servo Salomonis. Tunc enim tribus Juda quæ erat regia, et tribus Benjamin, et tribus Levi quæ erat sacerdotalis, remanserunt simul, non recedentes a Jerusalem et a templo.

¶3.7 *Propter Christum.* Ne adventum Christi ostenderem, vel nondum factum, vel esse superfluum. Inania enim erant hæc omnia impedimenta, ne accederetur ad gratiam.

§3.8 *Verumtamen existimo.* Non solum propter Christum habendum ita arbitratus sum, sed etiamsi ipsum non possem assequi. *Propter* hoc solum, scilicet propter scientiam quam de Jesu habemus, *præminentem,* cæteris scientiis. *Ut stercora.* Quasi: Non tantum detrimenta bonorum, sed quæ inquinant jam observantem: et hoc ideo, ut in futuro Christum habeant præmium: et hic sim in illo membrum: quod aliter nequit fieri nisi illa æstimem ut stercora.

quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justitia in fide, ** 10 ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum illius: configuratus morti ejus:†† 11 si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis:‡‡ 12 non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. 13 Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora, extendens meipsum,¶¶ 14 ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.§§ 15 Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sen-

3.9 *Meam justitiam*, etc. Si ex lege est justitia, quomodo tua? Nunquid tu tibi imposuisti legem? Deus legem dedit et imposuit. Deus te legi suæ obtemperare præcepit. Sed et tua est, quia de lege præsumis tua voluntate te legem posse implere æstimans. CHRYS. Recte dixit: **Non habens meam justitiam, etc., usque ad quæ ex nostro studio profecta sunt. **Sed illam**, etc. AUG. Quæ impetrat a Deo, quæ tollit timorem, etc., usque ad omnino tollenda est secundum umbram legalium figurarum. **Justitia in fide**. Justitia scilicet est ens in fide, et sicut ex fide nata est, ita existere non habet nisi in fide.

††3.10 *Ad cognoscendum*. Subdit commendationem fidei, per multa quæ facit. Facit enim et in alia vita cognoscere Deum perfecte, qui hic creditur. Et habere resurrectionem, quæ nostra resurrectio est virtus et efficacia resurrectionis Christi Et in hac vita habere societatem in patiendo: nisi enim per fidem, nemo tanta pateretur; et configurationem mortis, id est ut moriamur, sicut ipse, si opus est.

‡‡3.11 *Occurram*. Deo tribuens quæ mihi tribuit, per hoc venturus ad resurrectionem. Vel, occurram Christo in judicio quod sanctorum est tantum, veniens prius ad resurrectionem veram et gloriosam, quæ non est inter mortuos, sed longe ex mortuis: quia licet omnes resurgant in die judicii, soli tamen justi gloriose immutabuntur, et occurrent Domino in æra deportati ab angelis. Impii vero manebunt in terra quousque percipiant terribilem sententiam judicis. **Non quod jam acceperim**. Hoc dicit de se, ne illi quos laudat, ut homines extollantur, sed laborem adderent, ut ipse facit qui tantus est. **Sequor autem**, etc. Non passibus corporis, sed mentis affectibus et vitæ moribus, ut possim esse perfectus justitiæ possessor: qui recto itinere de die in diem spirituali renovatione proficiens, jam perfectus sum ejusdem justitiæ viator. Perfectus enim erat viator, sed nondum ipsius itineris perfectione perventor. **Si quo modo comprehendam**. Hoc dicit quia difficile est. Et ne videatur superfluum tot pati, cum fidem et alia bona habeat, subdit: Merito pro illa gloria tantum laboro, quia **Non** dico quod **jam acceperim** aliquid: quia si quid gloriæ accepi, nihil est ad comparisonem futuræ. **Aut** si quid accepi, ut de cognitione Christi, non dico quod in illa **perfectus sim**. Et si ita de me. quid me qui de aliis?

¶¶3.13 *Quæ quidem retro*. Priora acta non quia mala, sed parva ad meritum, sed ad potiora extensus, ut semper proficiat in melius.

§§3.14 *Persequor*. Eo usque donec veniam ad destinatum bonum. **Supernæ vocationis**. Id est æternæ vitæ, ad quam vocat Deus, et ideo digna res est, etc.

tiamus: et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit.* ¹⁶ Verumtamen ad quod pervenimus ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula. ¹⁷ Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. ¹⁸ Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi:† ¹⁹ quorum finis interitus: quorum Deus venter est: et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.‡ ²⁰ Nostra autem conversatio in cælis est: unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum,¶ ²¹ qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia.

4 Itaque fratres mei carissimi, et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea: sic state in Domino, carissimi.§ ² Evodiam rogo, et Syntychen deprecor, id ipsum sapere in Domino.** ³ Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, et ceteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.†† ⁴ Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete.‡‡ ⁵ Mod-

*3.15 *Perfecti sumus.* Sciendum quod justitia qua justus ex fide vivit vera justitia est, quæ licet non immerito in aliquibus justis pro hujus vitæ capacitate perfecta dicatur, parva tamen est ad illam magnam, quam cepit æqualitas angelorum: quam qui nondum habebat, et propter illam quæ jam inerat, perfectum, et propter istam quæ adhuc deerat imperfectum se esse dicebat. At minor ista justitia facit meritum, major illa præmium. Ideo qui istam non sequitur, illam non assequitur. *Et si quid aliter sapitis.* Id est, si quid melius ad cultum Dei excogitaveritis, etiam hoc donum Dei esse sciatis, quia hoc revelabit vobis. Sed ne qua inde præsumptio oriretur, subdit: ad quod pervenimus ut idem sapiamus: hoc est non extra regulam disciplinæ sapere, sed quod commune sit et modestum in veritate evangelica. *Verumtamen ad.* Modo imperfecti sumus, modo aliter sapimus, sed tamen necesse est, ut omnes idem de illo sapiamus, *ad quod pervenimus* fide et scientia, *et in eadem permaneamus regula.* Id est, opere compleamus.

†3.18 *Inimicos crucis.* Qui carnis observantias inducunt, crucem superfluum asserunt.

‡3.19 *Quorum deus venter est.* Quasi in esca salus, ut deus sit venter, et gloriantur in pudendis circumcicis, quod est terrena sapere, et quidquid faciunt, pro ventre faciunt. Vel escas quæ ventris sunt, faciunt deum: dum eas justificare homines dicunt, et gloria eorum in talibus est, unde confundi et erubescere possunt, dum per temporalia se justificari dicunt. Itaque gloria eorum temporalis perducet eos ad confusionem æternam.

¶3.20 *Nostra conversatio.* Id est vivendo et intelligendo simus similes angelis. Unde etiam, id est, præter commoda quæ jam habemus, *etiam Dominum exspectamus.*

§4.1 *Gaudium, et consolatio.* Id est per quos in præsentī lætificor et in futuro coronabor. Discipulis enim in agone victoribus, dignus erit corona magister.

**4.2 *Evodiam rogo,* etc. Omnes moneo, sed specialiter Evodiam et Syntychen: quia hæ mulieres religiosæ prædicatores suscipere solebant.

††4.3 *Nomina.* Qui discreti sunt meritis diversas mansiones habebunt in æterna domo. Unde: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* Joan. 14.. *Libro vitæ.* Prædestinatio in qua omnes salvandi prædestinati sunt. Quasi: Nolite, o Philippenses, graviter ferre quod omnes vos in epistola mea sigillatim non nominavi, quia etsi in ea non estis scripti, in libro tamen vitæ continemini.

‡‡4.4 *Gaudete,* etc. Lætatus in fide eorum et operibus, Apostolus ut alacriores sint, optat in hoc studio proficientes gaudere in Domino, et id iterat, ut se in eis vere gaudere ostendat.

estia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est.^{¶¶} ⁶ Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.^{§§} ⁷ Et pax Dei, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu.* ⁸ De cetero fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, siqua virtus, siqua laus disciplinae, haec cogitate.[†] ⁹ Quae et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, haec agite: et Deus pacis erit vobiscum. ¹⁰ Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando reflorulistis pro me sentire, sicut et sentiebatis: occupati autem eratis.[‡] ¹¹ Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.[¶] ¹² Scio et humiliari, scio et abundare (ubique et in omnibus institutus sum):

^{¶¶}4.5 **Modestia.** Id est rectus modus, ut in Domino sit omne gaudium, et hoc per vos addiscant alii. Vel **modestia nota sit omnibus** fidelibus et infidelibus, ut imitentur ne possint reprehendere. **Dominus prope est,** id est paratus dare quicquid opus est in spiritualibus vel temporalibus. De nulla re sitis solliciti et timidi. Sed petitiones de his quae vultis impetrare.

^{§§}4.6 **Sed in omni oratione.** Oratio et obsecratio, communiter pro se vel aliis, de quibuslibet, at petitio de rebus nominatim necessariis fit. **Innotescant.** Haec notitia assiduitate fit, et vigilantia orationis. Tunc demum pax custodit corda in Christo. Hoc ideo dicit, quia qui cum Deo habet pacem, non timet mentem adversam. **Apud Deum.** Vel angelis, qui Deo eas offerunt. Unde: Cum oraretis, orationem vestram obtuli apud Deum. Vel nobis innotescant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per jactantiam.

*4.7 **Et pax Dei,** id est Deus qui est pax summa, quae nec cogitari potest, et ideo extra eum nullo opus est. **Exsuperat omnem sensum.** Nostrum, non eorum qui semper vident faciem Patris. Vel pax qua ipse Deus pacatus est, **superat omnem sensum:** praeter suum, quia nec nos sic possumus nosse, nec ulli angeli.

†4.8 **De caetero, fratres,** etc. Hactenus contra persecutores et contra pseudoprædicatores monuit. De caetero autem in conclusione, quae ad perfectionem sunt exponit. **Quaecumque justa.** Istud ad proximum. **Sancta,** in propria vita; et ut minus dicatur, **quaecumque sunt amabilia,** id est, amari digna, ut modestus incessus, humilis sermo et hujusmodi. **Bonae famae.** AUG. Nobis vita nostra, aliis bona fama necessaria est. Proinde quisquis a flagitiorum criminibus vitam suam custodit, sibi benefacit; quisquis autem famam, etiam in alios misericors est.

‡4.10 **Gavisus,** etc. Hic commemorat, quod sibi saepe necessaria miserant, unde alacritatem suam propensiolem factam ostendit quia in quo negligentes facti fuerant, adhibita solertia iterarunt, ut memores facti apostoli sui fructus emitterent in horreo caelesti condendos. **Aliquando,** etc. Aliquo tempore, quia non omni potuerunt. **Reflorulistis.** Ministrando mihi necessaria. Quae ministratio dicitur flos, quia inde fructus vitae aeternae provenit. **Pro me.** Quia mihi prodest vestra compassio. Ne autem viderentur aliqua mala causa intermisisse addit: **modo reflorulistis,** sed ante eratis occupati et impediti aliquibus adversis.

¶4.11 **Non quasi.** Non propter se, sed profectum eorum gaudet.

et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati.[§] 13 Omnia possum in eo qui me confortat. 14 Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ. 15 Scitis autem et vos Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli: 16 quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis. 17 Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. ** 18 Habeo autem omnia, et abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. †† 19 Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum secundum divitias suas in gloria in Christo Jesu. †† 20 Deo autem et Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen. 21 Salutate omnem sanctum in Christo Jesu. 22 Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. 23 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

§4.12 **Scio et humiliari.** Qui penuria non frangitur, a gratiarum actione non retrahitur. Qui rerum temporalium desiderio non accenditur, scit humiliari, id est inopiam pati. **Abundare.** Qui acceptis rebus non extollitur, qui eas ad usum vanæ gloriæ non intorquet, qui solus non possidet quod accepit, sed cum indigentibus misericorditer dividit, scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris, nec plus carni tribuit quam necessitas petit, scit satiari. Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus agit aliquid, unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire.

** 4.17 **Non quia quæro.** Datum est res ipsa quæ datur, ut munus, cibus, potus et hujusmodi. Fructus autem opera bona, et recta voluntas datoris. Unde Dominus in Evangelio non ait simpliciter: **Qui recipit justum vel prophetam,** sed addidit: **in nomine justi vel prophetæ.** Suscipere enim prophetam vel justum, datum est. In nomine justis vel prophetæ hoc facere, fructus est. Eliam pavisisse leguntur corvus et vidua. Sed per corvum qui non nomine justis, dato pascebatur, per viduam, fructu, quia sciebat quod hominem Dei pasceret. **Sed fructum.** Id est bonam et rectam voluntatem bonæ operationi adjunctam. Non enim tam gaudet subventum esse suæ necessitati, quam illorum congratulatur fecunditati.

†† 4.18 **In odorem.** Quæ missa sunt a vobis placent Deo ut odor suavissimus. Comparantur etiam orationi quæ est incensum Dei. Unde dicitur: **Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis** Luc. 11..

†† 4.19 **Impleat omne desiderium vestrum.** Non in terrenis, sed in gloria. Vel gloria Christi implentur desideria sanctorum, ut ipse Christus inde sit gloriosus.

INCIPIT AD COLOSSENES

1 Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater:^{¶1 2} eis, qui sunt Colossis, sanctis, et fidelibus fratribus in Christo Jesu. ³ Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias agimus Deo, et Patri Domini nostri Jesu Christi semper pro vobis orantes:^{§§ 4} audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in sanctos omnes ⁵ propter spem, quæ reposita est vobis in cælis: quam audistis in verbo veritatis Evangelii: ⁶ quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit sicut in vobis, ex ea die, qua audistis, et cognovistis gratiam Dei in veritate,^{*} ⁷ sicut didicistis ab Epaphra carissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu,[†] ⁸ qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu.[‡] ⁹ Ideo et nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spiritali:^{¶ 10} ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei:^{§ 11} in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia et longanimitate cum gaudio,^{** 12} gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit

^{¶1.1} **Argumentum** Colossenses, sicut et Laodicenses, sunt Asiani, et ipsi præventi erant a pseudoapostolis, nec ad hos accessit ipse Apostolus, sed eos per epistolam corrigit. Audierant enim verbum ab Archippo, qui et ministerium in eos accepit. Ergo Apostolus jam ligatus scribit eis ab Epheso per Tichicum diaconem, et Onesimum acolythum. **Paulus.** Solito more salutationem præmittit. Qua præmissa de bonis eorum gratias agit, et fidem et dilectionem commendans orat, ut perficiantur in Christo, cujus beneficia et primatum secundum utramque naturam commendat; deinde sui ministerii dignitatem commemorans monet ne per prophetiam vel legis cæremonias seducti a Christo recedant; tandem omnes simul secundum sexus et ætates et condiciones moraliter instruit, et in fine Archippum commonet sollicitum fore suscepti ministerii. **Apostolus,** etc. Nota omnibus dignitate recte hic apostolum se nominat, quia et his apostolus erat, quibus per discipulos suos prædicaverat.

^{§§1.3} **Gratias agimus.** Ostendit bona quæ receperunt, dum pro his gratias agit.

^{*1.6} **Sicut,** etc. Id est, ita pure et vere, sicut per me et alios venit in universum mundum, et adhuc manet in eo, quasi dicat: Non minus vobis factum est, quam in aliis ecclesiis. Cum sit in mundo Evangelium, fructificat ibi per bona opera, et crescit augmento scientiæ, et numero fidelium. Non per hoc ii plus habent quam vos, sed ita hoc facit Deus, sicut est in vobis, et ideo nil debetis superaddere.

^{†1.7} **Pro vobis,** etc. Quorum salutem desiderans, cœpit Archippum adjuvare.

^{‡1.8} **In Spiritu.** Quia pro spiritualibus, non pro carnalibus diligitis.

^{¶1.9} **Impleamini in omni.** Magnum est plene scire quid Deus velit, in omnibus rebus activæ vitæ et contemplativæ.

^{§1.10} **In scientia.** Ut non ignorent fidei suæ speciem, id est rem speratam, unde firmi erunt.

^{**1.11} **In omni virtute.** Vos dico confortati a Deo in omni virtute, castitate scilicet et cæteris. Quod bene potest ille qui est claritas Patris, id est Filius. Vel secundum quod claram cognitionem vobis dedit.

in partem sortis sanctorum in lumine:^{††} 13 qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ,^{‡‡} 14 in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum:^{¶¶} 15 qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ:^{§§} 16 quoniam in ipso condita sunt universa in cælis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt: 17 et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. 18 Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens:^{*} 19 quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare:[†] 20 et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.[‡] 21 Et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis:[†] 22 nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanc-

^{††}1.12 **Gratias agentes.** Jam incipit dicere quod lex non prodest, sed nocet, et Christus ad omnia bona sufficit: quod inde potest sciri, cum ipse et alii apostoli (qui in legalibus fuerant) eis dimissis ad Christum confugerunt: Quasi dicat: Pro vobis oramus nos, gratias agentes Deo, ideo quia nos dignos facit, quod nunquam lex potuit. **Dignos nos fecit.** Non in lege, sed **in lumine**, id est per Deum qui est lumen de lumine, cujus gratia illuminamur. Vel **in lumine**, id est in clara cognitione, a quo devians cadit in tenebras. **Sortis.** Voluntas Dei, in humano genere sors est apud quem non est iniquitas, sed omnia facit per justitiam, etsi occultam.

^{‡‡}1.13 **Eripuit nos de potestate.** Id est de inferno, in quo tenebamur a diabolo: tam ex proprio quam ex delicto Adæ. **Et transtulit**, etc. Quando attollens nos de imo tartari, induxit in cælum cum unico Filio suo. Jam enim credentes, qui fixa mente devoti sunt, exeuntes de sæculo duce dexteræ Patris angelo inducuntur in cælum. **Regnum Filii.** De quo ipse dicit: **Regnum meum non est de hoc mundo**; non ait: Non est hic, sed, **non est hinc**, quia peregrinatur quidem in mundo, sed non est de mundo. Regno enim suo dicit, **De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo.** Erant de mundo, quando ad mundi principem pertinebant.

^{¶¶}1.14 **Redemptionem.** Destructa potestate diaboli facultas libertatis nobis data est fuso illius sanguine, qui nullum habuit peccatum. Ut quia diabolus illos merito tenebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito pœna mortis affecit.

^{§§}1.15 **Qui est imago.** Aliter imago regis est in nummo, aliter in filio. Nos sumus nummus, in quibus imago Dei Christus Filius. Nulla imago Dei debet coli, nisi illa quæ, hoc est quod ipse, nec ipsa pro illo, sed cum illo.

^{*}1.18 **Caput corporis Ecclesiæ.** Quia ita se habet ad Ecclesiam, sicut caput ad corpus. Et cum Ecclesia ab Abel cœpit, quomodo caput eorum? Bene, quia est principium Ecclesiæ, id est fundator. **Qui est principium.** Ecclesiæ secundum divinitatem, id est fundator Ecclesiæ, quia omnes justos, qui ab Abel usque ad ultimum justum generantur virtute divinitatis et misericordiæ suæ dono illuminavit. Secundum humanitatem etiam potest dici principium Ecclesiæ, quia super fidem humanitatis ejus fundata est. Et bene ipse est caput et principium, et rector, et fundator, quia ipse est primogenitus, etc. **Primogenitus**, etc. Sicut natus est ante omnia de Deo, ut omnia crearet, sic homo primus resurgit, ut restauret, ut semper sit primus et princeps.

[†]1.19 **Plenitudinem.** Quia omnia potest ex se; unde: **Sicut Pater habet vitam in se, sic et Filius qui suscitavit et vivificavit quos vult**, sic ostenditur perfectus Deus esse.

[‡]1.20 **Per eum reconciliare.** Deo placuit per eum reconciliare, et ipse pacificavit non gratis, sed per sanguinem cœlestia et terrestria, unde patet homini introitus in cælum. **Omnia** per eum facta, in ipso auctore vivunt.

[†]1.21 **Alienati et inimici** consilio ejus, quod idem valet, quia non receperunt quæ per Moysen mandavit Deus utpote devoti idolis suis.

tos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso:[§] 23 si tamen permanetis in fide fundati, et stabiles, et immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cælo est, cujus factus sum ego Paulus minister.**

²⁴ Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionem Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia:^{††} 25 cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei:^{‡‡} 26 mysterium, quod absconditum fuit a sæculis, et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus, 27 quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, 28 quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu:^{¶¶} 29 in quo et laboro, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute.

2 Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro iis qui sunt Laodicæ, et quicumque non viderunt faciem meam in carne:^{§§} 2 ut consolentur corda ipsorum, instructi in caritate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu:^{*} 3 in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. 4 Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.[†] 5 Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum: gaudens, et

§1.22 **Reconciliavit in corpore.** Si mortalis et mortuus potuit reconciliare, jam immortalis potest omnia facere.

1.23 **Si tamen permanetis. Ideo tot et tanta dixerat de Christo, ut ipsi ponant spem in eo solo, in quo omnia sunt; non alicui elementorum vel angelorum se subjiciendos putent: hic solus colendus est, et ad hunc non æstimandus est quisquam. **In universa.** Quæ nova creatura modo est sub cælo, adhuc tamen est peregrina, sed tamen veniet ad gloriam.

††1.24 **Adimpleo.** Ea passionum quæ Christus sustinuit, vel quæ modo sustinere præcepit, quæ adhuc desunt adimpleo, id est paratus sum pati.

‡‡1.25 **Factus sum ego.** Ministerium Evangelii a Deo per Christum se factum dicit, ut ministerium a Deo coeptum, per idoneum servum impleatur, quod ignotum fuit a sæculis. **Data est mihi.** Ut impleam quod Deus præordinavit de vobis, vos scilicet per incarnationem salvari. Hoc dicit, ne videatur salus non esse promissa gentibus. Vel, **mihi data est in vobis,** tantum est enim quod a meis quæritur, quantum si a meipso.

¶¶1.28 **Corripientes.** Contradicentes corripimus et vincimus, et obedientes docemus. **In omni sapientia.** Vera sapientia est, cum Christus agnoscitur. **Ut exhibeamus,** etc. **In quo.** Quasi dicat: Labori meo adjungit Deus miracula ad confirmationem.

§§2.1 **Volo,** etc. Sequitur: **Pro vobis.** Non enim minus pro his quos non vidit, quam pro his quos vidit sollicitus fuit Apostolus.

*2.2 **Instructi in caritate.** Quam Deus ad nos habuit, qui pro nobis Filium tradidit. **In omnes divitias.** Id est copias intellectus pleni, ubi perfecte de humanis et divinis habeant intellectum, velut de anima et de supernis spiritibus. Aliter enim nemo ad cognitionem Dei ascendit. **Dei Patris,** etc. Ut sciatis quod alia persona sit Pater a Filio, quamvis idem in substantia cum eo. Ad cognitionem si tenditis, ad Christum tantum recurrit, quia in eo sunt omnes copiæ, sed absconditæ, et ideo ne miremini si in Christo estis, et eas nondum invenistis, quia non omnibus patent, sed his qui petunt et pulsant.

†2.4 **Hoc autem.** Non solum dico ut ad ea tendatis quæ nondum habetis, sed ut nemo decipiat, et ratione mundanarum rerum abstrahat a spe quæ est in Christo.

videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ.[‡]
⁶Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, ⁷radicati, et superædificati in ipso, et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione.[¶] ⁸Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.[§] ⁹quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:^{**}
¹⁰et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis: ¹¹in quo et circumcisi estis circumcissione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcissione Christi: ¹²consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.^{††} ¹³Et vos cum mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: ¹⁴delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci:^{‡‡} ¹⁵et expolians principatus, et potes-

[‡]2.5 *Sed et spiritu.* Sanctis datum est in spiritu videre remota. Caveant ergo sibi quorum actus magistrum non latent. *Gaudens.* Per hoc promptiores facit circa Evangelium, quia gaudere se dicit in dispositione conversationis eorum et fidei stabilitate, ut scientes unde placeant Deo in eo fierent firmiores.

[¶]2.7 *Radicati.* Minores in activa vita. *Super* alios *ædificati in ipso.* Id est vos majores qui in contemplatione estis.

[§]2.8 *Fallaciam.* Quod de lege pseudoprædicatores dicunt. *Et inanem.* Quia in hac falsitate nulla utilitas, quod solet aliquando esse in falsis. *Secundum elementa.* Illos tangit qui prudentius idola exponunt dicentes, Juno est ær, Neptunus mare; ideo cum diceret *secundum philosophiam et inanem,* addit, *secundum elementa mundi:* quasi admonens ne qualescunque adoratores simulacrorum, sed et quasi doctores et interpretores signorum cavendos esse.

^{**}2.9 *Corporaliter.* Non quia corporeus sit Deus, sed verbo translato usus est, quia in templo manufacto, non corporaliter, sed umbratiliter habitavit, id est præfigurantibus signis. *Corporaliter,* quia in Christi corpore quod sumpsit de virgine tanquam in templo habitat Deus, sed non ita in sanctis, quia ille caput in quo omnes sensus, insistit; quasi solus tactus, quibus datus est spiritus ad mensuram, de quibus non potest dici: *Verbum caro factum est* Joan. 1., nec quisquam illorum dicitur unigenitus Dei.

^{††}2.12 *Consepulti ei.* Id est ad similitudinem sepulturæ ejus baptizati. *Per fidem operationis.* Id est credendo opera Dei. Exponit unum de operibus Dei, quod præcipue necesse est credere volentibus resurgere, scilicet quod Christum suscitavit Deus, et quod exemplo Christi suscitabit illos unde subdit: *Qui suscitavit,* etc.

^{‡‡}2.14 *Delens.* Non solum vobis gentibus Deus donavit, sed et nobis Judæis prævaricationes, quæ sunt ex lege, dimisit. Et hoc, *Delens. Chirographum.* Dicit peccatum Adæ, quod tulit et fixit cruci, non autem solum alia: quia nisi hoc et alia tolleret, non liberaremur a morte et inferno. Dum innocens occiditur, peccatum crucifigitur. *Decretum,* est sententia in cunctis hominibus adversa, qua dictum est: *Morte moriemini,* etc. *Affigens illud.* Ut jam cesset, cum omnia sacrificia in oblatione veri agni sint adimpleta.

tates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.^{¶16} Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum:¹⁷ quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.^{§§18} Nemo vos seducat, volens in humilitate, et religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ,^{*} ¹⁹ et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, et conjunctiones subministratum, et constructum crescit in augmentum Dei.^{†20} Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi: quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?^{‡21} Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis:²² quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta et doctrinas hominum.^{¶23} quæ

[¶]2.15 *Exspolians principatus et potestates.* Auferendo Abraham, Isaac et cæteros justos. *Traduxit,* longe ab hoc regno ad cælum duxit. *Confidenter.* Id est cum spe victoriae. *Triumphans,* id est expugnans illos in cruce, quod non est in abscondito, sed *palam.* Si quis enim perfectionem Ecclesiæ respicit, aperte videtur victus antiquus hostis. Vel, *principatus et potestates traduxit,* id est ab Ecclesia exterminavit. *Triumphans illos in semetipso.* Morte sua. Uno quippe verissimo sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat (unde nos principatus et potestates ad luenda supplicia vitæ detinebant), exstinxit: unde ergo accepit diabolus exterius potestatem Dominicæ carnis occidendæ, inde interior quæ nos tenebat potestas ejus occisa est.

^{§§}2.17 *Quæ sunt umbra,* etc. Tunc fuerunt hujusmodi præcepta, quæ non servare peccatum erat, nunc testimonia et confirmatio veritatis. Ego Scriptura quæ tunc fuit exactrix operum significantium, nunc testis est rerum significantiarum: et quæ tunc observabatur ad prænuntiationem, nunc recitatur ad confirmationem. *Corpus autem.* Id est, veritas hujus umbræ est *Christi,* id est, ad Christum pertinet. Vel illa omnia sunt corpus Christi, id est significant corpus Christi, vel quod sumpsit de virgine, vel quod est Ecclesia.

^{*}2.18 *Volens.* Id est amans ea quæ non vidit. Vel, *volens* scilicet suadere *quæ non vidit,* scilicet legis cæremonias quarum rationem ignorat. *Inflatus.* Non aliud intelligit inflatus quam sensualitas capit.

[†]2.19 *Constructum,* etc. In unum per conjunctionem, quia idem credunt, et eadem operantur. Et *subministratum* in subserviando. *Per nexus.* Id est per charitatem, sine qua membra non cohærent, nec invicem serviunt, nec vivunt. *In augmentum Dei.* Augetur Deus redeuntibus, sicut comminuitur deserentibus.

[‡]2.20 *Si ergo mortui.* Hactenus monuit stantes ne seducerentur, nunc eos aggreditur, qui jam aliqua de lege servabant; quasi dicat: Vos videte ne seducamini, sed vos aliis dicite quare legem servatis? Elementa dicit creaturas hujus mundi. Si, inquit, cum fidem Christi accepistis, estis separati a peccato, et ab elementis mundi, id est ab abstinentia, et ab omni superstitione creaturarum mundi. *Quid adhuc,* etc. Potest accipi *cum Christo* ac *sicut Christus.*

[¶]2.22 *Quæ omnia ipso usu,* etc. Si quis utitur eis Judaico ritu, ut ab his abstineat, illis utatur, credens inde justificari, ducunt in mortem. Ista dico jam existentia *secundum præcepta et doctrinas hominum,* etc., non Dei: postquam enim veritas venit, jam non hæc Deus præcipit, sed Pharisei et auctoritate hæc præcipiunt, et rationibus docent.

sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.[§]

3 Igitur, si consurrexistis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens:^{** 2} quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.^{†† 3} Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.^{‡‡ 4} Cum Christus apparuerit, vita vestra: tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.⁵ Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus:^{¶ 6} propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis:⁷ in quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis.^{§§ 8} Nunc autem deponite et vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.^{* 9} Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis,¹⁰ et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit illum:^{† 11} ubi non est

§2.23 *In humilitate*, etc. Non intelligitur hic illa humilitas quæ est virtus, sed sicut ex Græco intelligitur, ea qua mens sentit humilia, id est utilia et terrena, id est dejectione animæ, et sunt: **Non ad parcendum corpori**. Quia in illis observantiis multus labor est, qui est inanis, et non sunt: **In honore** Dei, cujus consilium, irritum dicitur, nec sanctorum, quorum fides destruitur et non sunt: **Ad saturitatem carnis**, quia multa subtrahunt. *In superstitione*, etc. Simulata est religio ut videantur vera quæ falsa sunt, quæ mentes in terra humiliat, ne erigantur ad superna; et obest corpori, cujus caput Christus: non in honore quia truncati capite Christo explentes sensum carnis. Sagina enim carnalis est sensus traditio humana, quia hoc dicit sufficere quod carnis tradit prudentia.

**3.1 *Quæ sursum sunt*. Non loco, sed merito excellentiæ.

††3.2 *Quæ sursum*. Spiritualia, quæ significabantur per carnales observantias, hæc sunt, gloria æterna et quæ ad eam ducunt.

‡‡3.3 *Vita vestra abscondita*. Hoc est, tempus vestrum nondum advenit, quia nondum venit ætas, id est Christi adventus, ubi discernentur arbores fructuosæ a sterilibus; sed tempus terrena amantium semper est paratum. Cum autem Christus apparuerit, hoc est tempus nostrum.

¶3.5 *Mortificate*, etc. Post rationes de plenitudine Christi, generalis exhortatio ad omnes de moribus subditur, ne ad priorem consuetudinem redeant. **Membra vestra**. Id est partes veteris hominis, vel membrorum concupiscentias. **Fornicationem**, etc. Describit delicta quæ membra appellat, ut post acceptam veritatis rationem bonæ vitæ operam darent. Multum obest scire rationem veri, et non eam factis exsequi. **Qui enim scit voluntatem Domini, et non facit, plagis vapulabit multis** Luc. 12.. **Et avaritiam**. Sub uno nomine duo pessima prohibet, idololatriam et avaritiam, quæ non est dispar malitia, quia radix omnium malorum, et pene uno explentur opere: quia sicut idololatria uni Deo auferre nititur gloriam, ne solus nomen deitatis habeat, ita avarus in Dei res se extendit, ut solus usurpet quæ Deus omnibus fecit: utraque Deo inimica, quia negant Deo quæ ejus sunt.

§§3.7 *In quibus et vos ambulastis*. Hoc me morat ut se evasisse gaudeant et de cætero caveant.

*3.8 *Nunc autem*. Supra vetuit graviora, nunc minora, ne hæc putentur non periculosa. Sunt qui non habent consuetudinem ebrietatis, qui aliquando inebriantur: sicut etiam sunt qui non habent consuetudinem mentiendi, et tamen aliquando mentiuntur, sic et in aliis fit. Prohibet ergo aliquando mentiri, et præcipue assidue mentiri.

†3.10 *Qui renovatur*. Renovatio mentis dicitur secundum Deum, ut in epistola ad Ephesios legitur, vel **secundum imaginem Dei**, ut hic legitur. Sed ideo secundum Deum ne secundum aliam creaturam fieri putetur.

gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber: sed omnia, et in omnibus Christus. ¹²Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: ¹³supportantes invicem, et donantes vobismetipsis si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. ¹⁴Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis: ¹⁵et pax Christi exsulet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote. ¹⁶Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, et commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. ¹⁷Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. ¹⁸Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. ¹⁹Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. ²⁰Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. ²¹Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. ²²Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. ²³Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus: ²⁴scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite. ²⁵Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique gessit: et non est personarum acceptio apud Deum.

4 Domini, quod justum est et æquum, servis præstate: scientes quod et vos Dominum habetis in cælo. ²Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione: ³orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum), ⁴ut manifestem illud ita ut oportet me loqui. ⁵In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt: tempus

³3.14 *Charitatem*. Ipsa est enim eminentior via quæ supereminet scientiæ et omnibus præceptis. Hæc est vestis Domini inconsutilis desuper contexta. Inconsutilis ne aliquando dissutilis, quæ ad unum pervenit, quia charitas in unum omnes colligit.

⁴3.15 *Pax*. Hæc est necessaria ad unitatem corporis, quam ipsa fecit. *Pax Dei*. Potest pax dici quæ non habet charitatem; charitas vero semper secum habet pacem.

⁵3.16 *Docentes et commonentes*. Hoc dicit, ut doctrina fiat illis qui nesciunt, et commonitio illis qui sciunt.

^{**}3.17 *Omne quodcumque*. Quia præcepit supra Deum laudari in corde, nunc et in verbis et in factis nomen Dei laudari, et exaltari hortatur: ut sic verba nostra et opera careant reprehensione, ut magnificetur Dominus, cujus magisterio invituperabiles sunt discipuli. *Omnia*. Non solum quæ facitis in verbo vel opere, sed omnia, etiam cogitationes, et si qua sunt alia. Vel quidquid facitis, facite omne, id est perfectum, Deo attribuendo, et hoc est, facientes in nomine. *Gratias agentes*. Tunc vere agimus gratias Deo per Christum, si modum præceptorum ejus custodiamus.

^{††}3.21 *Patres*. Modestos præcipit patres esse filii, ne coarctati ab illis, delinquant in illos, et Deum offendant. Ira enim inconsiderata res est, ita ut aliquando nec sibi parcat qui irascitur.

^{‡‡}3.23 *Ex animo operamini sicut Domino*. Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu poenæ fit innocens, sed amore justitiæ: nam qui timore non peccat, quamvis non noceat aliis, sibi tamen plurimum nocet. Simulata æquitas non est æquitas, sed duplicatum peccatum. In quo est iniquitas et simulatio.

^{¶¶}4.3 *Ostium*. Id est os meum faciat apertum: quod ad hoc datum est, ut inde prodeat verbum. Apertum est, quando multa et magna dicit.

redimentes.^{§§} ⁶Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere. ⁷Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater, et fidelis minister, et conservus in Domino: ⁸quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, et consoletur corda vestra, ^{*} ⁹cum Onesimo carissimo, et fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quæ hic aguntur, nota facient vobis. ¹⁰Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinius Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum:† ¹¹et Jesus, qui dicitur Justus: qui sunt ex circumcissione: hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. ¹²Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, et pleni in omni voluntate Dei. ¹³Testimonium enim illi perhibeo quod habet multum laborem pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiciæ, et qui Hierapoli. ¹⁴Salutat vos Lucas, medicus carissimus, et Demas. ¹⁵Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, et Nympham, et quæ in domo ejus est, ecclesiam. ¹⁶Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur: et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.‡ ¹⁷Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas. ¹⁸Salutatio, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.¶

§§4.5 *Tempus redimentes.* Id est opportunitatem prædicandi eis, aliquibus modis, præparantes.

*4.8 *Ut cognoscat quæ circa vos sunt et consoletur corda vestra,* etc. Magis cavet qui se videt cognosci, quam qui se videt ignorari.

†4.10 *Accepistis,* quod rediit ad me, et ideo si venerit.

‡4.16 *Facite ut et in,* etc. Ex hoc loco intelligimus, quod generales sunt instructiones Apostoli, et ad omnium hominum profectum scriptæ sunt epistolæ.

¶4.18 *Memores estote,* etc. Antequam salutationem ponat, præmittit exhortationem dicens: *Memores,* etc.

INCIPIT AD THESSALONICENSES I

1 Paulus, et Silvanus, et Timotheus ecclesiae Thessalonicensium in Deo Patre, et Domino Jesu Christo.^{§ 2} Gratia vobis, et pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione,^{**} ³ memores operis fidei vestrae, et laboris, et caritatis, et sustinentiae spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum:^{†† 4} scientes, fratres dilecti a Deo, electionem vestram: ⁵ quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos.^{‡‡ 6} Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus Sancti: ⁷ ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, et in Achaia. ⁸ A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia, et in Achaia, sed et in omni loco fides vestra, quae est ad Deum, profecta est ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui. ⁹ Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos: et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo, et vero, ¹⁰ et expectare Filium ejus de caelis (quem suscitavit a mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

2 Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit:^{¶¶ 2} sed ante passi, et contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine.^{§§ 3} Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo, ^{*} ⁴ sed sicut probati sumus a Deo ut crederetur nobis Evangelium: ita loquimur non quasi hominibus placentes,

§1.1 **Argumentum** Thessalonicenses sunt Macedones. Hi in Christo Jesu accepto verbo veritatis perstiterunt in fide, etiam in persecutione civium suorum. Præterea, nec receperunt falsos apostolos, nec ea quae a falsis apostolis dicebantur. Hos colaudat Apostolus, scribens eis ab Athenis, per Tichicum diaconem, et Onesimum acolythum. **Silvanus et Timotheus.** Nominibus illorum praescribitur salutatio, sed sensus et verba hujus epistolae solius apostoli sunt.

1.2 **Gratia vobis et pax. De more suo salutationem praemittit, qua praemissa de bonis eorum gratias agit, commemorans non solum fidem et opera, sed etiam conversionis modum et malorum sustinentiam.

††1.3 **Ante Deum.** Inde ita certi ac si jam videatis, et ita eos animat.

‡‡1.5 **In Spiritu sancto.** Quia per me recepistis dona Spiritus, non parce, sed in plenitudine. **Quales fuerimus,** etc. Per hoc etiam quod nos passi sumus in exemplum vobis, patet quod Deus vos dilexit et elegit.

¶¶2.1 **Quia non.** Hoc de illo scitis, quia non fuit in prosperitate saeculari, quae inanis, sed in multa sollicitudine pro adversis: et propterea habuimus fiduciam non in nobis qui fragiles, sed in Domino.

§§2.2 **In Philippis.** Pressuram quam hic commemorat, passus est propter spiritum pythonem, quem a puella eiecerat.

^2.3 **Exhortatio.** Hic contra pseudoapostolos videtur incipere commemorans de Evangelii veritate, deinde sua inter nos prudenti conversatione. **In dolo.** Etiam veritas est in dolo quando non pro amore veritatis et utilitate auditorum praedicatur, sed ut gloria vel aliud lucrum acquiratur.

sed Deo, qui probat corda nostra.† 5 Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione avaritiæ: Deus testis est:‡ 6 nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. 7 Cum possemus vobis oneri esse ut Christi apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutritrix foveat filios suos.¶ 8 Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam carissimi nobis facti estis. 9 Memores enim estis, fratres, laboris nostri, et fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei. 10 Vos testes estis, et Deus, quam sancte, et iuste, et sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus: 11 sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum (sicut pater filios suos) 12 deprecantes vos, et consolantes, testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam.§ 13 Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis:** 14 vos enim imitatores facti estis, fratres, ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa in Christo Jesu: quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis:†† 15 qui et Dominum occiderunt Jesum, et prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur, 16 prohibentes nos gentibus loqui ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper: pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.‡‡ 17 Nos autem fratres desolati a vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio: 18 quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, et semel, et iterum: sed im-

†2.4 **Non quasi hominibus placentes.** Hoc nisi ipse operetur in nobis, vitare nequimus. Quas enim vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor non sentit, nisi qui ei bellum indixerit: quia si cuiquam facile est laudem non cupere, dum negatur, difficile est tamen ea non delectari cum offertur.

‡2.5 **Neque.** In hoc tangit pseudoapostolos, qui se potius quam Dei doctrinam commendari volebant. Apostolus autem, qui gloriam non ad præsens, sed in futuro quærebat, se humilem faciebat, ut Dei prædicatio exaltaretur. **In occasione.** Non dico in avaritiam, sed nec feci vel dixi, in quo esset occasio avaritiæ. Inde est. **Deus testis,** qui novit cor: hoc enim non ita patet hominibus.

¶2.7 **Possemus vobis,** etc. Intantum gravat pseudoapostolorum causam ut se abnuere dicat, cum liceret illi subsidia requirere ad comprimendum illos quibus nec facultas erat, nec pudor poscendi. Apostolicæ autem potestatis debitum vocat **onus,** propter pseudoapostolos, qui illud indebite usurpantes importune a plebibus exigebant. **Filios suos.** Alienos filios quandoque nutrit mulier pro mercede, non ex amore: proprios vero, ex dilectione.

§2.12 **Vocavit,** vocatione quæ est secundum propositum.

2.13 **Ideo. Quia vos vocavit, gratias agimus. **Vocavit** dico, quod inde apparet, quia vos cito et firmiter recepistis verbum etc. **Auditus Dei.** Id est, quod audivimus a Deo, vel in quo auditur Deus. **Sicut est verbum Dei.** Tanta enim devotione receperunt verbum, ut probarent se intellexisse Dei esse doctrinam.

††2.14 **Vos enim imitatores,** etc. Multa dixit contra pseudo: jam ne pro sua vel apostolorum tribulatione moveantur, hortatur.

‡‡2.16 **Pervenit.** Ideo semper implent peccata, quia ira Dei pervenit ut excæcentur. **Usque in finem.** Quia in fine sæculi convertentur Judæi nonnulli. **Ore, aspectu,** etc. Os et aspectus cessabant, quia coram alloqui non poterat Apostolus; sed cor et sollicitudo non quiescit.

pedivit nos Satanas.^{¶¶} 19 Quæ est enim nostra spes aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus?^{§§} 20 vos enim estis gloria nostra et gaudium.

3 Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis: 2 et misimus Timotheum fratrem nostrum, et ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confirmandos vos, et exhortandos pro fide vestra: 3 ut nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. 4 Nam et cum apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut et factum est, et scitis. 5 Propterea et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat labor noster. 6 Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, et annuntiante nobis fidem et caritatem vestram, et quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut et nos quoque vos: 7 ideo consolati sumus, fratres, in vobis in omni necessitate et tribulatione nostra, per fidem vestram, 8 quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino. 9 Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, 10 nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, et compleamus ea quæ desunt fidei vestræ? 11 Ipse autem Deus, et Pater noster, et Dominus noster Jesus Christus, dirigat viam nostram ad vos. 12 Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat caritatem vestram in invicem, et in omnes, quemadmodum et nos in vobis: 13 ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate, ante Deum et Patrem nostrum, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus. Amen.[¶]

4 De cetero ergo, fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis ut abundetis magis. 2 Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per

^{¶¶}2.18 *Sed impeditiv.* Quod Deus impediri permiserit, ad majorem coronam istorum est, quia steterunt eo absente.

^{§§}2.19 *Quæ est,* etc. CHRYS. Quanti est hoc ardoris? Nunquam pater et mater si simul essent congressi, et suum miscuissent desiderium, potuissent ostendere suum desiderium ex æquo respondens Paulo. Magis, inquit, exsulco propter vos quam propter coronam. Cogita ergo quantum sit integram adesse Ecclesiam quæ a Paulo fuit plantata, et egit radices. *Aut corona gloriæ.* Si modo gloria, quid apud verum judicem?

^{*}3.2 *Ad confirmandos vos.* Propter hoc ipse venire desideraverat.

[†]3.6 *Sicut nos quoque vos: ideo.* Quia hæc annuntiavit, non pro ejus præsentia, consolati sumus.

[‡]3.9 *Quam enim gratiarum,* etc. Nihil est enim tam dignum, quod sufficere possit ad compensationem acquisitæ salutis gentium.

[¶]3.13 *Sine querela.* Ne vos de malis conqueramini, vel ita sitis innocentes, ne quis de vobis possit conqueri, et ut sitis etiam. *In sanctitate.* Id est, virtutum consumptione per hoc existentes ante Deum, non ad aspectus hominum.

[§]4.1 *De cætero.* Hactenus patientiam perfectis in sua vel in illorum tribulatione suasit, nunc minoribus de munditia suadet, exhortans eos ad continentiam. *Quemadmodum.* Audiendo et intelligendo *a nobis,* id est a me et Silvano. *Quomodo vos oporteat ambulare,* etc., *sic et ambuletis,* recte conversando. *Et placere Deo.* Ille placet Deo, qui fidem rectam quam habet, executione virtutum et perfectæ operationis decorat. *Sic et ambuletis.* Est ordo: rogamus ut ambuletis quemadmodum accepistis. *Ut abundetis magis.* Hoc non mutatur in ordinatione litteræ.

Dominum Jesum.** ³ Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos a fornicatione, ⁴ ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, et honore:†† ⁵ non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum: ⁶ et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, et testificati sumus. ⁷ Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. ⁸ Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis.‡‡ ⁹ De caritate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invicem. ¹⁰ Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, ¹¹ et opera detis ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis:¶¶ ¹² et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt: et nullius aliquid desideretis.§§ ¹³ Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent.* ¹⁴ Si enim credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit: ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.† ¹⁵ Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui

** 4.2 *Scitis enim quæ præcepta.* HIER. Sanctificatio ab omni incontinentia revocat Christianum, cui incontinenti non expedit sanctum Christi corpus attingere, maxime cum Moyses Judæos sanctificare volens, populum totum ab omni femina se continere præcepit, ut Dei potiri præsentia mererentur.

†† 4.4 *Vas suum.* Id est uxorem, possideat dominando ei, et hoc, *In sanctificatione*, abstinendo in festis a coitu, *Honore.* Non turpiter abutendo ea.

‡‡ 4.8 *Qui etiam dedit,* etc. Ad hæc peragenda dedit vobis spiritum, ne ergo tantum adiutorem spernatis, qui in corpore subdito peccatis non habitat. Vel nobis apostolis, ut major esset auctoritas prædicandi et arguendi. *Rogamus autem vos fratres,* etc. Non est prædictis legibus contraria exhortatio. Etenim accidebat, ut alii quidem liberaliter suppeditarent egentibus, alii vero propter eorum munificentiam, operari negligerent. Jure ergo et illos laudavit, et his dedit utile consilium.

¶¶ 4.11 *Operam detis.* Quasi dicat: Difficile est dimittere consuetudinem, sed cogite vos. *Et operemini manibus.* Opus agendum est, non otium: quia et honestum est, et quasi lux ad infideles, et non de iderabitur rem alterius, nedum rogetis vel tollatis.

§§ 4.12 *Nolumus autem.* Post exhortationem de continentia, et post correctionem a curiositate, mortuos resurrecturos confirmat, et per Christi resurrectionem, et sua auctoritate.

* 4.13 *Per Jesum adducet cum eo.* Semper euntes, eum sequendo venerunt ad somnum mortis, unde et in alia scribitur Epistola: *Nos qui vivimus.*

† 4.14 *Eos.* Non solum eos qui vivi inveniuntur, sed et mortuos, de quibus dubitatis. *Qui dormierunt.* Christum dicit mortuum, fideles dormientes, ut magis credant resurrectionem: Christum mortuum appellat, ut dum audivimus illum mortuum fuisse et resurrexisse, nos quoque speremus resurrecturos per virtutem divinitatis ejus.

residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt.[‡] ¹⁶ Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de caelo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.[¶] ¹⁷ Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus. ¹⁸ Itaque consolamini invicem in verbis istis.

5 De temporibus autem, et momentis, fratres, non indigetis ut scribamus vobis.[§] ² Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet:^{**} ³ cum enim dixerint: Pax et securitas: tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient.^{††} ⁴ Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat: ⁵ omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.^{‡‡} ⁶ Igitur non dormiamus sicut et ceteri, sed vigilemus, et sobrii simus. ⁷ Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. ⁸ Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, induti lorica[m] fidei et caritatis, et galeam spem salutis: ⁹ quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, ¹⁰ qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. ¹¹ Propter quod consolamini invicem, et ædificate alterutrum, sicut et facitis. ¹² Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsent vobis in Domino, et mo-

[‡]4.15 **Quoniam ipse Dominus.** In propria persona. **In tuba Dei.** ANSELM. Hæc tuba omnes excitabit et inimicos terrebit, suos ad bellum invitabit, ut expugnet adversarios, et effugiant a facie Domini atque mittantur in gehennam. Et iterum sicut tuba quondam in festis convocabat populum Hebræorum: sic hæc tuba convocabit ad solemnitatem æternæ lætitiæ populum sanctorum Deo, inquit, jubente et voce archangeli atque tuba Dei sonante. **Descendet.** Non humilis ut prius, sed jubens voce, vel sui ipsius vel archangeli, vel angelorum qua faciet resurgere mortuos quæ dicitur tuba, quia manifesta, vel quasi ad bellum, quæ erit Dei et Christi, cui Deus dabit efficaciam.

[¶]4.16 **In nubibus.** Quia nubes suscipiet eos, ut Christum in ascensione suscepit, unde alius interpres dicit: **Bajulis nubibus.**

[§]5.1 **De temporibus.** Id est an æstate, an hieme, an die vel nocte. **Et momentis.** Scilicet qua hora dici vel noctis venturus sit Christus.

^{**}5.2 **Dies Domini.** Hic dies est hominum pro libitu suo, sed tunc erit dies Domini. **Sicut fur.** Ita improvisus veniet malis tunc, quod et in obitu cujusque fit. Sicut fur, non dico die sed nocte, cum latentius venit, et homines dormiunt, tunc omnia subripit: ut qui divitem se putabat, evigilans nihil inveniat. Ita multi hic bene securi, nihil boni se habere tunc invenient. Propter hoc incœpit de temporibus ut moneret eos cavere sibi, ne ita deprehendantur.

^{††}5.3 **Cum enim dixerint.** Nam sicut in verbis Danielis invenitur: Regnabit Antichristus et ministri ejus tribus annis et dimidio, et interficientur ab illo Elias et Enoch, sicut et in Apocalypsi habetur: Et tunc erit talis tribulatio, qualis ante non fuit, nec post erit. Postea interficietur a Michæle cum maxima parte suorum.

^{‡‡}5.5 **Filii lucis.** Fides est lux quæ facit diem, id est habitum virtutum; e contra tenebræ sunt infidelitas, nox habitus vitiorum. **Non sumus noctis neque tenebrarum,** etc. Id est, in præsentibus non torpeamus, sed vigilet mens attendens hæc caduca, et sobrie his utamur, non quasi bonis nostris sed ad sustentationem datis. Vere nos qui non sumus noctis non debemus dormire. Nam qui dormit, propter noctem dormit, id est vitia et peccata sua traxerunt eos ad hoc, ut obliti vitæ æternæ in istis requiescant, et qui ebrii sunt, his immoderate utendo; ex nocte vitiorum hoc habent. **Induti lorica[m],** etc. Sicut lorica munit vitalia, ita fides et charitas nos contra appetitum terrenorum.

nent vos, ¹³ ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum: pacem habete cum eis. [¶] ¹⁴ Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. ¹⁵ Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. ^{§§} ¹⁶ Semper gaudete. ¹⁷ Sine intermissione orate. ¹⁸ In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. ^{*} ¹⁹ Spiritum nolite extinguere. ²⁰ Prophetias nolite spernere. ²¹ Omnia autem probate: quod bonum est tenete. ²² Ab omni specie mala abstinete vos. ²³ Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. [†] ²⁴ Fidelis est, qui vocavit vos: qui etiam faciet. [‡] ²⁵ Fratres, orate pro nobis. ²⁶ Salutate fratres omnes in osculo sancto. ²⁷ Adjuro vos per Dominum ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. ²⁸ Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.

[¶]5.13 *Ut habeatis illos.* Necessaria eis ministrando, et reverentiam dignitati exhibendo. Quid enim prodest honorem sine fructu habere? Sicut divitiæ negligentiam pariunt salutis, ita egestas dum satutari quærit, a justitia declinat. Ideo in alia epistola præcipit presbyteros duplici honore esse honorandos.

^{§§}5.15 *Malum pro malo.* Tunc malum pro malo redditur, si corripiendus non corripitur, sed prava dissimulatione negligitur. *In omnes,* etc. Generaliter ad omnes. *Sine intermissione.* Id est, semper juste vivite et æterna desiderate. Justus nunquam desinit orare, nisi desinat justus esse. Semper orat qui semper bene agit. Ipsum enim desiderium bonum, oratio est; et si continuum est desiderium, continua est oratio.

^{*}5.18 *In Christo.* Est ostensa voluntas Dei, quia hæc fuerunt in Christo, in quo nihil Deo displicuit. *Spiritum nolite.* Quia voluntas Dei est facere hæc omnia, vos majores qui habetis per Spiritum sanctum, donum intelligentiæ, nolite illud abscondere, quo merito et vos perderetis. Vos subditi prophetias illorum nolite spernere, tamen non omnia indiscrete accipiatis, sed *probate,* id est ratione discutite, et quod bonum invenitur tenete. *Spiritum nolite extinguere,* id est: Si cui Spiritus sanctus ad aurem quid revelat, noli prohibere loqui quod sentit. Spiritum sanctum qui datus est nobis, non quantum in se, sed in nobis, exstinguimus, dum peccando fugamus.

[†]5.23 *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia,* etc. Id est, ego ita prælatos et subditos moneo, ipse autem Deus est qui potest. *Spiritus vester.* Ratio servetur integra, non consentiendo carni. *Et Anima.* Id est, sensualitas servetur integra, serviendo rationi. *Et corpus.* Ut nihil agatis ejus ministerio. Unde aliquis conqueratur. Aliquando inquinatur anima per cogitationem malam et est mundum tamen corpus. Ideoque spiritum integrum in homine dicit esse debere. Si autem mala vita, vel cogitatio intercedat, non erit spiritus. Spiritus et anima et corpus quibus homo constat, scilicet illud quo intelligimus, et illud quo vivimus et illud quo visibiles et contrectabiles sumus, quæ rursus duo dicuntur, quia sæpe anima cum spiritu nominatur. *Sine querela.* Aliud est esse sine peccato, quod de solo in hac vita Unigenito dictum est. Aliud est esse sine querela, quod de multis justis etiam in hac vita dici potuit. Quia est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista conversatione, justa querela esse non possit. *In adventu.* Hoc est usque ad finem vitæ.

[‡]5.24 *Fidelis.* Quasi dicat: Oro ut sanctificet, ut sanctificatos servet, nec inde dubitandum est, quia verus est in promissis, qui vocavit vos ad hoc ut sancti essetis.

INCIPIT AD THESSALONICENSES II

1 Paulus, et Sylvanus, et Timotheus, ecclesiae Thessalonicensium in Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.[¶] ² Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. ³ Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat caritas uniuscujusque vestrum in invicem:[§] ⁴ ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesiis Dei, pro patientia vestra, et fide, et in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus, quas sustinetis ⁵ in exemplum justii iudicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini.^{**} ⁶ Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant: ⁷ et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de caelo cum angelis virtutis ejus,^{††} ⁸ in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi,^{‡‡} ⁹ qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus:^{¶¶} ¹⁰ cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo.^{§§} ¹¹ In quo etiam oramus semper pro vobis: ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis,

[¶]1.1 **Argumentum** Ad Thessalonicenses secundam scribit Epistolam Apostolus, et notum facit eis de temporibus novissimis, et de adversarii dejectione. Scribit hanc Epistolam ab Athenis per Titum diaconem et Onesimum acolythum.

[§]1.3 **Gratias agere,** etc. Hic gratias agit Deo de bonis eorum, ne forte de tanto bono quod ex Deo habebant, extollantur, tanquam a seipsis habentes. **In invicem.** Ut scilicet, qui diligitur diligit alios, et mutuis obsequiis charitatem ostendat.

^{**}1.5 **In exemplum justii,** etc. Si enim tam severe punit peccata in poenitentibus, quid faciet induratis? Hoc dicit, ut intelligatur quod non parcat impiis qui non parcat justis. **Justi: si tamen justum est,** quod constat esse. Non enim ponitur hic, **si tamen,** pro dubitatione, sed pro affirmatione, unde alius interpretes ait: **Siquidem justus est,** etc.

^{††}1.7 **In revelationem.** Incipit ostendere quam horribilis tribulatio illis, et quam jucunda requies istis futura est.

^{‡‡}1.8 **Domini Jesu.** Venientis **in flamma ignis** non quod sit flamma circumdatus, sed per effectum, quia inimicos exuret. **His qui non noverunt Deum.** Nam alii sunt qui nesciunt legem.

^{¶¶}1.9 **Qui poenas dabunt.** Id est sustinebunt. Dare enim aliquando ponitur pro sustinere, ita et hic. Et congrue, qui enim patitur, dat ei quem offendit, poenas quasi gratas. **In interitu aeternas.** Quasi dicat: Semper sentient poenas, non tamen semper deficient. **Cum venerit glorificari,** etc. Ipse enim clarus et mirabilis videbitur in credentibus, severus autem apparebit in incredulos, cum eos poenis aeternis coarctabit. Et est horum verborum brevis sensus: Veniet punire malos, et glorificare bonos.

^{§§}1.10 **Quia testimonium.** Ideo vobis tribulatis dat requiem nobiscum, quia testimonium, id est quidquid diximus de illo die iudicii, credidistis de gloria bonorum et poena malorum.

et opus fidei in virtute,^{*} ¹² ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo secundum gratiam Dei nostri, et Domini Jesu Christi.

2 Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum:[†] ² ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini.[‡] ³ Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati filius perditionis,⁴ qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.[¶] ⁵ Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?[§] ⁶ et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore.^{**} ⁷ Nam mysterium jam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc,

^{*}1.11 *In quo.* Ordo verborum talis est: *In quo die oramus, ut dignetur*, id est dignos iudicet: *Semper oramus.* Vel *in quo*, id est pro quo, vel cujus diei periculo vitando, semper orandum est. *Opus fidei.* Id est, confessionem quæ proprie est opus fidei in virtute, ut a confessione nullo modo flecti possint. Vel, opus fidei, omne bonum quod fides exigit: et sine quibus fides mortua est. *In virtute* perseverantiæ, ut scilicet det vobis perseverantiam usque ad finem.

[†]2.1 *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi,* etc. Hucusque dixit se eis gratias agere et orare, hic determinat de die iudicii, obsecrans eos ne leviter et facile de adventu Domini quasi de prope imminente opinionem recipiant vel terreantur.

[‡]2.2 *Non cito moveamini.* Quasi dicat: Si moveamini; cito est, nihil enim vobis infertur quod diu duret. *Neque per spiritum.* Id est, si malignus spiritus, quasi angelus lucis apparens in visione hoc vobis persuadeat. Vel, si quis dicat per Spiritum sanctum revelantem hoc se cognovisse quod dies iudicii immineat, nolite credere. *Neque per Epistolam.* Solent enim tergiversatores, ut fallant, sub nomine clari alicujus viri epistolam fingere, ut auctoritas nominis possit commendare quod per seipsum recipi non posset. *Quasi instet dies Domini.* Non hoc ita dicit quin velit, ut habeant succinctos lumbos et lucernas ardentis in manibus, expectantes quando revertatur Dominus a nuptiis.

[¶]2.4 *In templo.* Vel, *templum.* Nonnulli non ipsum principem tantum, sed universum corpus ejus, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem simul cum ipso principe hoc loco intelligi volunt: rectiusque dici putant, sicut in Græco est, non *in templo*, sed *in templum Dei sedeat*, quasi ipse cum suis sit templum Dei, quod est Ecclesia. Sicut dicitur: Sedet in amicum, id est ut amicus.

[§]2.5 *Quoniam nisi venerit.* Occulte loquitur de destructione imperii Romani, ne irritaret eos ad persecutionem Ecclesiæ. Vel hoc dicit de spirituali imperio Romanæ Ecclesiæ, vel discessione a fide. *Nisi venerit refuga primum.* Sic aliqui codices habent. Quod nulli dubium est de Antichristo eum dixisse, quem refugam vocat: utique a Domino Deo. Si enim hoc de omnibus impiis merito dici potest, quanto magis de isto! *Filius perditionis.* Antichristus, non per naturam, sed per imitationem.

^{**}2.6 *Scitis.* Eos scire dicit quid detineat, nec aperte exponit, et ideo nos nescimus, nisi quod quidam suspicantur de Romano imperio dictum fuisse, donec tollatur, vel de medio fiat. Et ideo Apostolum non id aperte scribere voluisse, ne calumniam scilicet incurreret, quod Romano imperio male optaverit, cum speraretur æternum. *Suo tempore.* Completa accessione ad Romanum imperium, et ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam, aderit discessio ab utroque imperio: qua impleta aderit ille iniquus, impleto tempore misericordiæ quo plenitudo gentium intrat ad fidem: revelabitur discessio, et sic instabit dies Domini.

teneat, donec de medio fiat.^{†† 8} Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum:^{‡‡ 9} *cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus,^{¶¶ 10} et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt: eo quod caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent.* ¹¹ Ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ¹² ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. ¹³ Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus, et in fide veritatis:^{§§ 14} *in qua et vocavit vos per Evangelium nostrum in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi.** ¹⁵ Itaque fratres, state: et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. ¹⁶ Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia,^{† 17} exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.

3 De cetero fratres, orate pro nobis ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos:^{‡ 2} et ut liberemur ab importunis, et malis hominibus: non enim om-

^{††}2.7 *Nam mysterium,* etc. Jam in ipsis initiis accessionis invenitur iniquitas, sed mystica, id est pietatis nomine palliata, ut velint haberi ministri Christi cum sint pseudo. Diabolus occulte per Neronem et alios occidebat martyres, sicut per illum tunc aperte facturus est, occidendo Eliam et Enoch aliosque plurimos: et sunt Nero et alii umbra futuri Antichristi, sicut David et Abel Christi. *Donec de medio fiat.* Id est, tollatur illa potestas Romani imperii de medio mundi: quia omnes undique Romam quasi ad caput confluebant. Vel, qui fidem tenet, teneat, donec ipsa refrigescat. Vel, qui detinet illum, id est accessio ad fidem, detineat, donec ipsa tollatur de medio. Vel, donec iniquitas, quæ modo est mystica, fiat de medio, id est quasi de communibus, ut non erubescat homo adulterari vel furari, sicut nec ambulare vel loqui. *De medio fiat.* Scilicet discessio, id est manifeste appareat: et tunc jam revelata discessione a Deo vero, jam refrigerata charitate ex abundantia iniquitatis revelabitur, etc.

^{‡‡}2.8 *Spiritu oris sui.* Id est virtute Spiritus sancti, qui dicitur spiritus oris, quia ab eo procedit.

^{¶¶}2.9 *Mendacibus et in omni seductione.* Signa illa vocantur mendacia, vel quia non vera ut videntur, sed phantastica erunt. Vel si vera, Dei permissione ad mendacium trahent. *Ideo mittet illis Deus.* AUG., lib. 20, de Civit. Dei, c. 19. Deus diabolium ista facere permittit, etc., usque ad alias injustissime judicatum.

^{§§}2.13 *Primitias in salutem.* Ut scilicet non in illo periculoso tempore ultimo, sed in primitiva Ecclesia crederemus in Christum, atque fidem confiteremur. Vel, nos apostolos primitias omnium credentium, quia apostoli primi crediderunt, et hoc in salutem omnium gentium.

^{*}2.14 *In acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi.* Vel, ut sitis acquisitio, in qua Deus glorificetur.

[†]2.16 *Et dedit consolationem.* Promittendo cœlorum regnum. *In gratia.* Id est per gratiam quam dedit, speramus æterna. Vel hæc omnia dedit non merito nostro, sed in gratia sua.

[‡]3.1 *De cætero, fratres, orate.* Orandum esse hortatur, ut dignetur Deus doctrinam suam infatigabili cursu dirigere et transfundere per ora apostolorum in aures audientium, et ab auribus in corda, ut compescantur malorum seditiones.

nium est fides.[¶] ³Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo. ⁴Confidimus autem de vobis, in Domino, quoniam quæ præcepimus, et facitis, et facietis. ⁵Dominus autem dirigat corda vestra in caritate Dei, et patientia Christi. ⁶Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis.[§] ⁷Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos:^{**} ⁸neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, et in fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus. ⁹Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.^{††} ¹⁰Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet.^{‡‡} ¹¹Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes.^{¶¶} ¹²Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiemus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducet. ¹³Vos autem, fratres, nolite deficere beneficientes.^{§§} ¹⁴Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo ut confundatur: ¹⁵et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. ¹⁶Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis. ¹⁷Salutatio, mea manu Pauli: quod

[¶]3.2 *Ut liberemur.* A pseudo, ne nostros seducant, vel nobis insidias tendant. Vel, liberemur ab importunis, id est infidelibus qui resistunt verbo Dei, nec stant in portu quietis. *Et malis*, qui persequuntur infideles. Ideo dico *liberemur*, quia nondum acceperunt omnes fidem per me qui accepturi sunt. *Non enim omnium est fides.* Id est, nec vobis orantibus omnes sunt credituri, sed tantum præordinati in adoptionem filiorum.

§3.6 *Denuntiamus.* De curiosis incipit et otiosis, monens bonos ut eos corripiant.

**3.7 *Scitis quomodo oporteat nos imitari.* Et cum illi hæc non faciant, debetis vitare. Vel, non ambulantes secundum traditionem. Scitis enim quomodo me habui, quod in illis non videtis, quasi dicat: Non est opus ut exponam vobis eam traditionem quia eam scitis, quod non inquieti fuerimus, ut ii qui aliena negotia curant, vagantes hac illac.

††3.9 *Sed ut nosmetipsos.* Notandum quia Apostolus non solum verbis docebat, sed hortabatur et factis. Idonei enim magistri est quæ docet verbis, operibus explere.

‡‡3.10 *Quoniam si quis non vult operari.* Dicunt quidam de operibus spiritualibus hoc Apostolum præcepisse, alioquin si de opere corporali hoc diceret, in quo vel agricolæ vel opifices laborant, videretur sentire adversus Dominum, qui dicit in Evangelio: *Nolite solliciti esse, quid manducetis* Matth. 6., etc. Sed superflue conantur et sibi et cæteris caliginem obducere, ut quod utiliter charitas monet, non solum facere velint, sed nec intelligere, cum multis aliis locis epistolarum quid hic sentiat Apostolus apertissime doceat. Vult enim servos Dei corporaliter operari unde vivant ut non compellantur egestate necessaria petere. Nec est contra illud quod prædictum est: *Nolite solliciti esse quid manducetis*, etc. Non enim hoc ideo dictum est, ut non procurent quantum necessitati sat est, unde honeste potuerunt, sed non ut ista intueantur, nec propter ista faciant quidquid Evangelii præconio facere jubentur.

¶¶3.11 *Curiose agentes.* Hoc factum abhorret disciplina Dominica, eorum enim deus venter est, qui fœda cura necessaria sibi provident.

§§3.13 *Nolite deficere.* Quia etsi operentur, possunt tamen nonnullis indigere. Et ideo monet, ne illi qui habebant unde servis Dei necessaria præberent, hac occasione pigrescerent. Non enim in reprehensionem venit qui humanus est in largiendo, sed hic qui, cum possit laborem ferre, otiose vult vitam agere.

est signum in omni epistola, ita scribo. ¹⁸ Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

INCIPIT AD TIMOTHEUM I

1 Paulus Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostræ, * ² Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia, et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro. † ³ Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent, ‡ ⁴ neque intenderent fabulis, et genealogiis interminatis: quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide. ¶ ⁵ Finis autem præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. § ⁶ A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, ** ⁷ volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. ⁸ Scimus autem quia bona est lex si quis ea le-

*1.1 **Argumentum** Timotheum instruit et docet de ordinatione episcopatus, et diaconii, et omnis ecclesiasticæ disciplinæ, scribens ei a Laodicea per Tychichum diaconem.

†1.2 **Gratia, et misericordia, et pax a Deo Patre.** In hac salutatione tria ponit, quæ exoptat, cum in aliis tantum duo posuerit. **Misericordia** hic accipitur pro eo quod in aliis epistolis gratia dicitur, id est remissio peccatorum. **Pax** est tranquillitas animi, prælibatio æternæ pacis. Hæc communiter omnibus optari solet. **Gratia** vero quam hic addit, episcopis optatur, id est donatio Spiritus sancti, qua ministri Dei armantur.

‡1.3 **Sicut rogavi.** Post salutationem prius de pseudo repellendis: incipit hic legem adhuc tenendam docentibus. **Rogavi.** AMBR. Dicit **rogavi**, ut affectum charitatis, et formam humilitatis ostenderet. **Fabulis et genealogiis.** AUG., lib. II contra adversarios legis et Proph., c. 1. Hæreticus quidam inimicus legis et prophetarum, existimat Apostolum hoc loco divina eloquia fabulas appellasse, etc., usque ad quod nusquam sacra pagina narrat.

¶1.4 **Genealogiis.** Genealogiæ erant quibus quidam Judæi narrabant se esse de genere Abraham et David: quasi inde eis deberetur, vel quibus narrabant Christum non esse ex David oriundum.

§1.5 **Finis autem.** In fide est ædificatio Dei, quia ex fide est spes, et inde caritas, quæ est adimpletio legis. Vel sic construe: Quidam docent et intendunt fabulis et genealogiis, sed finis et impletio legis est caritas, quare non est opus aliis. **Præcepti.** Dicitur **præcepti**, pro præceptorum, quorum impletio est dilectio Dei et proximi. Unde: **In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ** Matth. 22.. AUG., in psal. 31. Finis dicitur terminus, etc., usque ad cupiditas ergo refrenetur, caritas excitetur. **Conscientia bona.** Conscientia pro spe. Ille enim ad id quod diligit se perventurum desperat, cui malæ conscientiæ serupulus inest. **Et fide non ficta.** Vel, non fictili et fragili, vel, in qua non quisque sibi quodlibet fingit, sed catholica duntaxat.

1.6 **A quibus. Improbat hic adversarios, qui legalia tradebant. **Non intelligentes,** etc. Si quando enim de prava et falsa opinione sua reprehendi et convinci cœperint, ad defendendum id quod levissima temeritate et apertissima falsitate dixerunt, de sanctis libris multa verba pronuntiant, volentes esse legis doctores, cum tamen non intelligant quæ loquuntur, vel de quibus.

gitime utatur:†† 9 sciens hoc quia lex justo non est posita, sed injustis, et non subditis, impiis, et peccatoribus, sceleratis, et contaminatis, parricidis, et matricidis, homicidis, 10 fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, et perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, 11 quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi. 12 Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio:‡‡ 13 qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.¶¶ 14 Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide, et dilectione, quæ est in Christo Jesu. §§ 15 Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* 16 Sed ideo misericordiam consecutus sum: ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam.† 17 Regi autem sæculorum immortalis, in-

††1.8 *Scimus autem.* Ne videretur legem incusare, addit: *Scimus autem*, etc. Sed ne iterum videatur eam inducere, subjungit: *Scientes hoc, quia justo non est lex posita:* quia non ex ea est justus, sed ex fide. Ad quid igitur ei necessaria est lex? Ideo data est, ut vel reum puniret, vel peccare volentem coerceret. Justus tamen, et si ea non eget, utitur, ut sic esset in auctoritate aliis, et futura attestaretur factis. *Legitime utatur.* Qui scit ad tempus datam esse legem et sub Christo deserit. Jam justis per remissionem non est opus lege, a qua liberi sunt per Christum. Lege autem legitime utendi multiplex est modus, ut secundum aliud justus, et secundum aliud injustus recte dicatur legitime uti lege. Injustus enim ea legitime utitur, quando intelligens quare data sit, ejus comminatione tanquam pædagogo perducitur ad gratiam, per quam justus fiat. Justus vero et illa legitime utitur, cum eam tenendo injustis imponit, ut cum injustis cœperit inolitæ concupiscentiæ morbus incentivo prohibitionis, et cumulo prævaricationis augeri, confugiant ad justificantem gratiam, et per eam suavitate justitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant.

‡‡1.12 *Gratias ago ei qui,* etc. Hic ostendit mala sibi fuisse in lege. Bona vero ea; dimissa, quod fidelis est, et positus in ministerio, unde et fortis: per quæ ostendit legem post Evangelium inutiliter duci.

¶¶1.13 *Sed misericordiam Dei.* Consequuntur misericordiam et qui scienter peccant, ut David, et qui ignoranter, quod facilius ignoscitur. *Misericordiam consecutus sum,* ex eo quod ignorans feci. Vel ignorantia ponitur causa misericordiæ non tamen proprie, cum mala fuerit ignorantia, misericordia vero gratuita.

§§1.14 *Superabundavit.* Super majora bona quam olim mala. Quia non solum peccata dimisit, sed fidem et dilectionem dedit. De quibus nulli est ambigendum: *Quia Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Et iste *sermo est fidelis*, id est verus et acceptabilis, quia utilis.

*1.15 *Omni acceptione,* quia corpus et animam salvat. Vel, humanus est sermo iste. Alia littera: *Ut non dicam divinum,* quia si homo qui hospitio suscipit hominem, humanus dicitur, quanto magis humanus est qui in seipso suscipit hominem. *Quia Christus Jesus.* Nulla causa veniendi fuit Christo, nisi quod peccatores salvos faceret. *Primus.* Id est pejor, quia persecutor, quo prior non erat: Nemo enim acrior inter persecutores, ergo nemo prior inter peccatores, primus ergo erat non ordine temporis, sed magnitudine iniquitatis.

†1.16 *Sed idcirco misericordiam,* etc. Cæterum idcirco misericordiam se fuisse consecutum judicat, ut nemo jam peccator quibuslibet sceleribus pressus, de se desperet, imo eandem se consecuturum veniam hoc exemplo præsumat: magnum valde ac revera ingens est donum. *In me.* Quem idoneum Deus gentibus prædicatorem constituit, in quo tantum exemplum misericordiæ suæ exhibuit.

visibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.‡¹⁸ Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam,[¶]¹⁹ habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt:[§]²⁰ ex quibus est Hymenæus, et Alexander: quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.**

2 Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus:††² pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate, et casti-

‡1.17 *Invisibili.* Quia cæteri dii sunt visibiles. Non dicitur *soli invisibili*, quia sunt et creaturæ quædam invisibiles, ut anima, quæ tamen sensu capi possunt: quia omnes vires ejus possunt cognosci, sed ea non est nobis Deus. Invisibilis est ergo ab hominibus Deus in natura, secundum illud: *Deum nemo vidit unquam*. Videtur autem cum vult et sicut vult, non sicut est, sed quasi specie vult apparere. In futuro vero videbunt eum filii sicut est. *Soli Deo.* Qui solus Deus est natura, id est, solus creat, quod de ipsa Trinitate intelligitur, non de solo Patre, ut quidam volunt: quia non ait, soli Patri, sed soli Deo. Unus enim et solus Deus a nobis prædicatur ipsa Trinitas. Et unigenitus, secundum quod est Deus apud Deum, et Spiritus sanctus in sua natura est immortalis et invisibilis.

¶1.18 *Hoc præceptum.* Postquam commemoravit quæ et quanta sint beneficia Patris et Christi erga peccatores, quomodo populum imbuat disciplina ecclesiastica ostendit.

§1.19 *Conscientiam.* Vocat cogitationes, in quibus summopere humilitas servanda est, qua spreta in magnos quidam devenerunt errores, sicut in principio ad Romanos ostensum est.

**1.20 *Quos tradidi.* Utrumque Apostolus excommunicavit, ut hoc modo excludatur a Satana regnum Satanæ. Nulla enim creatura est, sive quæ in veritate manet dans Deo gloriam, sive quæ in charitate non stetit quærens gloriam suam quæ, velit nolit, divinæ providentiæ non serviat. Sed volens facit cum illa quod bonum est. De illa vero quæ hoc non vult, fit quod justum est. Non ei tamen rependitur quod de ipsa juste fit, sed quo animo ipsa facit, quia neque liberam voluntatem rationabili creaturæ Deus negavit, sed potestatem qua injustos juste ordinat sibi retinuit. *Tradidi.* Non tamen ita ut pereant, quia nihil potest Satanæ, nisi permissus, qui vexat sibi datos, unde: *Jam noli peccare, ne deterius tibi contingat* Joan. 5.. Itaque Satana ad correptionem hominum utebatur ipsa potestas apostolica. Prævaricatores enim angeli cum principe suo diabolo recte dicuntur procuratores, vel actores divinæ providentiæ, et diabolus magistratus hujus mundi dicitur, sed magistratus sub Deo imperatore non facit nisi quantum illi permittitur, et procuratores actoresque hujus mundi nihil faciunt nisi quantum Dominus sinit.

††2.1 *Obsecro.* Hactenus de pseudo-apostolis, hic de orationibus. *Primo omnium.* Id est, ante omnia fieri obsecrationes. Ordo missæ hic ostenditur quod est speciale genus orationis. *Obsecrationes.* Sive precationem illam quæ fit juxta vel ante consecrationem. *Orationes.* Id est ipsa consecratione. *Postulationes.* Vel interpellationes, quasi ex debito ut quod hic geritur, in æterna vita perficiatur, ut cum populus ab episcopo benedicatur. *Gratiarum actiones.* De factis, quæ totum concludunt quasi totum sit a Deo: ut benedicamus Domino. *Pro omnibus.* Ut sequamur clementiam Dei, quia Deus vult omnes homines salvos fieri, etsi secundum justitiam quosdam reprobet. *Ut quietam* a persecutione.

tate: ³ hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, ⁴ qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. ⁵ Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus: ⁶ qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis: ⁷ in quo positus sum ego prædicator, et Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor gentium in fide, et veritate. ⁸ Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. ⁹ Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: ¹⁰ sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. ¹¹ Mulier in silentio discat cum omni subjectione. ¹² Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: sed esse in silentio. ¹³ Adam enim primus formatus est: deinde Heva: ¹⁴ et Adam non est seductus: mulier autem seducta in prævaricatione fuit. ¹⁵ Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate.**

³2.3 *Hoc enim.* Ne quis putaret hæc non esse facienda pro his quos patitur Ecclesia addit: *Hoc enim bonum est.* Et ne quis putaret cultu unius Dei et vita bona salutem esse posse sine participatione corporis Christi, id est sine fide Ecclesiæ. *Unus,* inquit, *Deus, unus et mediator,* ut omnes homines salvari nunquam fiat nisi per mediatorem Deum Verbum quod semper erat, secundum tamen carnem, factum est.

⁴2.4 *Mediator Dei,* etc. Hic est arbiter ille, quem Job desiderat, dicens: *Utinam esset nobis arbiter.* AUG., lib. IX de Civit. Dei, c. 15. Mediator inter Deum et homines, oportebat ut aliquid haberet simile Deo, etc., usque ad alius bonus, qui reconciliat inimicos, Jesus Christus.

⁸2.7 *Et veritate* Futura veritas est res et merces fidei. Quæris, mercedem? fides præcedat. Credimus enim ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? fides ergo est, quod non vides credere. Veritas, quæ credidisti videre.

^{*}2.8 *Volo ergo viros,* etc. AUG., serm. 93 de Tempore. Levavit Christus pro nobis manus suas in cruce, etc., usque ad ut veniant tibi in mentem opera tua. *Ira,* ad proximum; *disceptatione,* ad Deum.

[†]2.9 *Non in tortis,* etc. Ne his omnibus ultra personæ suæ modum et mores occasioni movendæ concupiscentiæ studeant, sed potius per omnia bona opera sint promittentes et indicantes extra pietatem animi.

[‡]2.11 *Mulier in silentio.* Orandi officium dixit convenire omnibus, et qualiter, et pro quibus, et quare, et quod ubique orandum sit. Nunc dicit, quod docendi officium solis viris conveniat, et quales ad illud debeant ordinari, determinat.

[¶]2.12 *Docere,* etc. Ecce non solum habitum humilem et honestum habere mulierem docuit, verum etiam auctoritatem docendi ei negavit, et subjiciendam viro præcepit, ut tam habitu quam obsequiis, sub potestate sit viri ex quo trahit originem.

[§]2.14 *Adam non est.* AUG., lib. II de Gen. ad litteram, c. ult. Cum enim prævaricatorem dicat Apostolus in similitudine prævaricationis Adæ, etc., usque ad nullo modo illum arbitror potuisse seduci.

^{**}2.15 *Salvabitur.* Etsi mulier fuit causa peccati, tamen salvabitur non solum virgo et continens, sed etiam nupta, etsi nunquam ab opere nuptiarum cessans, si *per generationem filiorum,* incedens, ab hoc mundo exierit. *Si permanserit in fide et dilectione et sanctificatione,* ut præter proprium virum alterum non cognoscat. *Cum sobrietate.* Id est temperantia, ut proprio etiam viro temperate utatur.

3 Fidelis sermo: si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.^{††} ²Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitem, doctorem,^{‡‡} ³non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed^{¶¶} ⁴suæ domui bene præpositum: filios habentem subditos cum omni castitate. ⁵Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit? ⁶Non neophytum: ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli.^{§§} ⁷Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli. ⁸Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: ⁹habentes mysterium fidei in conscientia pura. ¹⁰Et hi autem probentur primum: et sic ministrent, nullum crimen habentes. ^{*} ¹¹Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. ¹²Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsent, et suis domibus. ¹³Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt, et multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu. ¹⁴Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito: ¹⁵si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.[†] ¹⁶Et manifeste magnum est pietatis sacramen-

^{††}3.1 *Bonum opus desiderat.* Opus, non dignitatem, laborem, non delicias, non crescere fastigio, sed humilitate decrescere, ut fiat servus et minister hominum propter Christum, ut etiam intermissa Rachele decora facie, sed non relictâ, cum Jacob intret ad Liam oculis lippam, et de monte cum Moyse descendat ad campos, de otio contemplationis ad laborem actionis.

^{‡‡}3.2 *Irreprehensibilem.* Idem quod ad Titum, *sine crimine.* Res pene contra naturam, ut *sine peccato:* sed eligatur, cujus comparatio cæteri grex dicantur. *Unius uxoris virum,* etc. Id est monogamum post baptismum. Si enim et ante conjugem habuit quæ obierit, non ei imputatur, cui prorsus novo, nec stupra, nec alia quæ ante fuerunt jam obsunt. *Sobrium,* etc. Ministri templi prohibentur vinum et siceram bibere, ne ebrietate graventur corda eorum, et ut sensus vigeat, semper tenuis sit.

^{¶¶}3.3 *Non cupidum.* Nihil præter victum et vestitum quærentem.

^{§§}3.6 *Ne in superbiam.* Nescit momentaneus sacerdos humilitatem, modos personarum, vel se contemnere non jejunavit, non flevit, non se correxit, non pauperibus erogavit. In arrogantiam, quæ est ruina diaboli, incidunt qui puncto horæ necdum discipuli, fiunt magistri. *Oportet autem,* etc. Hæc clausula congruit principio, quod irreprehensibilis sit non solum a domesticis, sed ab alienis, Judæis, gentibus, hæreticis, ut qui religioni detrahunt, juri ejus detrahere non audeant.

^{*}3.10 *Nullum,* etc. Crimen est peccatum grave, accusatione et damnatione dignissimum.

[†]3.15 *Ecclesia.* Multorum convocatio ad unius Dei cultum. *Columna veritatis.* In se bene sustinens veritatem ne corruat, licet tribuletur.

tum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.‡

4 Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum,[†] ² in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam,[§] ³ prohibentium nubere, abstinere a cibis, quod Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem.** ⁴ Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: ⁵ sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem.†† ⁶ Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu enutritus verbis fidei, et bonæ doctrinæ, quam assecutus es. ⁷ Ineptas autem, et aniles fabulas devita: exerce autem te ipsum ad pietatem. ⁸ Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.‡‡ ⁹ Fidelis sermo, et omni acceptione dignus. ¹⁰ In hoc enim laboramus, et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium. ¹¹ Præcipe hæc, et doce.¶¶ ¹² Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. ¹³ Dum venio, attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ. ¹⁴ Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. §§ ¹⁵ Hæc meditare, in his esto: ut profectus

‡3.16 **Apparuit angelis.** Non in Deo tantum innotescit angelis quod absconditum est, sed et hic apparet eis, cum efficitur atque propalatur; ideo dicitur apparuisse angelis non jam in forma humilitatis sed in potestate; qui ergo prius visus humilis, devicta morte, in majestate apparuit, ut agnoscentes angeli mysterium quod prius latuit, declaratum in carne, genu illi flectentes quasi Deo gratias agant, quia didicerant veritatem. **In mundo.** Ut perfidia mundi veniam erroris mereri non possit. Sicut Dominus dicit de Judæis: *Si non venissem, et locutus eis fuisset, peccatum non haberent*, etc. Joan. 15..

†4.1 **Spiritus autem manifeste dicit.** Quæ sibi futura Spiritus sanctus revelaverit ad instructionem et cautelam Ecclesiæ; non tacet dicens futuros pestiferæ doctrinæ viros, ut præmonita Ecclesia sit sollicita, ne ab hujusmodi hominibus circumveniantur, quasi dicat: Ita est digna domus Dei, sed **Spiritus manifeste dicit.** Et ideo pro ejus sublimitate ne curam deponas.

§4.2 **Cauteriatam.** Cauterium est ferrum a cavendo dictum.

4.3 **Quos Deus creavit. Hæc doctrina sanctorum, illa dæmoniorum.

††4.5 **Sanctificatur.** Sanctus fit cibus et salubris, non noxius animæ vel corpori, verbum sanctificat, oratio impetrat, diabolus vero per cibum tentat.

‡‡4.8 **Nam corporalis.** Datur hic intelligi quod vigiliis, jejuniis, orationibus et bonis operibus se exercebat Timotheus, non adeo intentus operibus misericordiæ. **Pietas,** quæ operatur bona fratribus et valet ad promerendum Deum.

¶¶4.11 **Præcipe hæc.** Monet eum, ut profectus ejus per omnia exemplum esset aliis, ut in adolescente mirabilis videretur, et gravis disciplina, ut actus ejus excusarent - et non quasi juvenis sed quasi senior habeatur, et erubescerent majores natu, si non exhiberent se juxta formam hujus, conversatione et moribus graves.

§§4.14 **Prophetiam.** Vocavit prophetiam inspirationem sancti Spiritus, per quam præciebat quid de hoc et de cæteris esset acturus. Ideo ait: *Quæ data est tibi per prophetiam:* quia Spiritu revelante cognovit Apostolus Timotheum esse dignum episcopali honore. **Presbyteri.** Pro **presbyterorum,** quia minus tribus esse non possunt. Et vocat presbyterum, episcopum; vel quia unus manus imponit cæteris assentientibus.

tuus manifestus sit omnibus. ¹⁶ Attende tibi, et doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

5 Seniore[m] ne increpaveris, sed obsecra ut patrem: juvenes, ut fratres: ^{*} ² anus, ut matres: juvenculas, ut sorores in omni castitate: [†] ³ viduas honora, quæ vere viduæ sunt. [‡] ⁴ Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. [¶] ⁵ Quæ autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus, et orationibus nocte ac die. [§] ⁶ Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. ^{**} ⁷ Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. ⁸ Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. ^{††} ⁹ Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, ¹⁰ in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. ^{‡‡} ¹¹ Adolescentiores autem viduas devita: cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: ^{¶¶} ¹² habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; ^{§§} ¹³ simul autem et otiosæ discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet. ¹⁴ Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. ¹⁵ Jam

^{*}5.1 *Seniorem ne increpaveris.* Ne, indigne ferens se a minore correctum, magis exasperetur quam proficiat.

[†]5.2 *Ut sorores.* Ut videntes se amoris causa commoneri, facilius se corrigant. *In omni castitate.* In alloquio juvenularum recte juvenis de castitate admonetur.

[‡]5.3 *Viduas honora quæ vere viduæ sunt.* Hoc est, quæ omnium suorum auxilio destitutæ sunt, et quæ manibus laborare non possunt, quas paupertas debilitat, ætasque conficit: quibus Deus spes est, et omne opus, oratio.

[¶]5.4 *Parentibus.* Parentes sunt iidem, qui superius filii et nepotes. Unde et in mundana lege parens parenti jubetur per gradum succedere. Quibus mutuam vicem reddimus, cum a patribus educati sumus, et alios pari lege nutrimus.

[§]5.5 *Desolata, speret.* Videns ex nulla parte se habere suffragium, toto animo est devota Deo, de quo solo sperat auxilium vitæ et salutis

^{**}5.6 *Quæ in deliciis.* Genus est imposturæ honorem viduæ habere velle, et non obsequi Deo et aliud agere, aliud profiteri, cum profiteatur religionem

^{††}5.8 *Curam non habet.* Cura impendenda parentibus, ut Jesus matrem Joanni commendavit.

^{‡‡}5.10 *Pedes.* AUG., in Tract. 58 in Joan. Faciamus hæc invicem humiles, quod humiliter fecit excelsus, etc., usque ad confirmatur humilitatis effectus. *Sanctorum.* Quorum obsecro? Eorum, qui in tribulatione sunt, non sanctorum simpliciter: possunt enim esse sancti, summoque obsequio ab omnibus foveri. Noli hos prosequi copia rerum affluentibus, sed afflictos, et qui a multis ignorantur. Noli præsulī Ecclesiæ ista tribuere partienda, ipse potius ministra, nesolius impendii, verum obsequii præmium percipias: propriis eroga manibus, tu sulcum sere pietatis.

^{¶¶}5.11 *Devita.* Id est, vota castitatis earum non usque adeo cures, ut eas Ecclesiæ alimoniis sustentandas suscipias.

^{§§}5.12 *Habentes.* AUG., de Bono viduitatis, cap. 8, 9, 10. In conjugali vinculo si pudicitia conservetur, damnatio non timetur, etc., usque ad omnis hujusmodi similis est uxori Loth, quæ retro aspexit. *Irritam fecerunt.* Etsi non nubendo, tamen volendo: non quia nuptiæ damnantur, sed fraus propositi, et fracta fides voti damnatur et voluntas, quæ a proposito recedit damnabilis est, sive nuptiæ sequantur, sive non.

enim quædam conversæ sunt retro Satanam.* ¹⁶ Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur ecclesia: ut iis quæ vere viduæ sunt, sufficiat. ¹⁷ Qui bene præsumt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina.† ¹⁸ Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua. ¹⁹ Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.‡ ²⁰ Peccantes coram omnibus argue: ut et ceteri timorem habeant.¶ ²¹ Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis angelis, ut hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.§ ²² Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. ²³ Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates.** ²⁴ Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: quosdam autem et subsequuntur.†† ²⁵ Similiter et facta bona, manifesta sunt: et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

6 Quicumque sunt sub iugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur.‡‡ ² Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Hæc doce, et exhortare. ³ Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ: ⁴ superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, et pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidia, contentiones, blasphemias, suspi-

*5.15 *Conversæ sunt retro Satanam.* Ab excellenti illo vidualis vel castitatis virginalis proposito in posteriora respiciendo ceciderunt et interierunt.

†5.17 *Qui bene.* De honore presbyterorum hic agit, quasi dicat: Illud quod dixi de viduis observa: et hoc etiam præcipe de presbyteris, ut presbyteri, qui bene præsumt vita et doctrina, digni habeantur.

‡5.19 *Adversus presbyterum accusationem noli recipere,* etc. Solet qui corripit non amari, et ideo habita occasione facile accusatur. Contra hoc monet, non esse recipiendam de facili accusationem adversus presbyterum.

¶5.20 *Coram omnibus,* etc. AUG., serm. 16 de Verb. Dom. Aliquando debes corripere peccantem inter te et ipsum solum, etc., usque ad quando autem palam peccatur, palam arguendum est.

§5.21 *Testor coram Deo.* Id est, Deus sit mihi testis, quod animam meam salvavi tibi, cave.

**5.23 *Noli adhuc aquam,* etc. Quia castitatem admonuit, hac occasione immoderatam abstinenciam prohibet, quam ipse inierat.

††5.24 *Quorundam hominum peccata,* etc. Quia dixerat sine præiudicio nihil faciendum, determinat ubi præiudicium sit necessarium, et ubi non, dividens bona et mala, in manifesta et occulta, quasi dicat: ideo opus est examinatione, quia sicut quædam sunt manifesta, quæ non oportet examinari, ita quædam sunt occulta, de quibus sine præexaminatione non potest fieri præiudicium. *Manifestata.* Hoc dicit de iis, de quibus clarum est quo animo fiant, hæc præcedunt ad iudicium, quia si ista sequitur iudicium, non est temerarium. *Subsequuntur.* Sicut quæ occulta sunt mala ipsa non latebunt tempore suo quando Christi tempus advenerit, quo manifestentur: sic et de bonis. De his ergo iudicemus: illa Dei iudicio relinquuntur.

‡‡6.1 *Quicumque.* Sciendum est quosdam prædicasse communem omnibus in Christo libertatem. Quod de spirituali libertate utique verum est, non de carnali, ut illi intelligebant: ideo contra eos hic loquitur Apostolus, jubens servos dominis suis esse subditos. Ne exigant servi quod de Hebræis dicitur, ut sex annis serviant, et gratis dimittantur liberi, quod mysticum est.

ciones malæ,[¶] 5 conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. 6 Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. 7 Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. 8 Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. 9 Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. 10 Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.* 11 Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: sectare vero justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem.† 12 Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. 13 Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem,‡ 14 ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi, 15 quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium:¶ 16 qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibleem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor, et imperium sempiternum. Amen.§ 17 Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo

¶6.4 *Superbus*. Superbia quippe, non eum ratio ducit, cum ad favorem quærendum in conflictum prorumpat, quod a mansuetis et bonis vitatur. *Languens*. Non enim recusando fidem penitus moritur, nec ad veritatis scientiam convalescit, sed quasi repetitis accessionibus languet circa quæstiones et pugnas verborum. *Questiones*. Quæstio erat an servus esset, cum omnes ex eisdem patribus orti, et Christus omnes redemerit.

§§6.9 *Nam qui volunt*. Hoc dicitur his qui volunt et non sunt, ne desiderent. Jam divitibus aliud dicitur, scilicet non superbe sapere, sed dare pauperibus. *Incidunt in tentationem et laqueum diaboli, quia radix omnium malorum*, etc. Non est genus mali quod non ex cupiditate aliquando proveniat, quia radix omnium malorum est cupiditas.

*6.10 *Cupiditas*. In Græco habetur, Si ergo avaritia habetur quæ proprie est pecuniæ amor, pro genere quod est cupiditas, ponitur species. *Doloribus multis*. Avari enim tanto plus sollicitudinem cruciatus sustinent, quo amplius desiderant quæ vel habita transeunt, vel quæ habere non possunt.

†6.11 *Tu autem, homo*, etc. Non dicit quod hoc timeat de isto, sed sciebat hoc venturum in manus ecclesiarum. *Hæc fuge*. Nihil enim tam asperum tamque perniciosum quam si vir ecclesiasticus maxime qui sublimem tenet locum, divitiis hujus sæculi studeat: quia non solum sibi ipsi sed et cæteris obest, quibus contrariam dat formam. *Pietatem*. Pietas est ut egenti condescendamus, quod non facit cupidus. *Fidem*. Qui veram fidem habet de Deo, non cupit in miseriis fieri dives, nec pluris est ei mundus, quam Deus.

‡6.13 *Præcipio tibi*. In Timotheo omnibus successoribus loquitur Apostolus. *Et Christo Jesu*. Exemplo Christi hortatur.

¶6.15 *Beatus et solus*, etc. Hoc non de Patre tantum dicit, sed de Deo qui est ipsa Trinitas.

§6.16 *Qui solus habet immortalitatem* Habet per naturam, alii ab eo per gratiam. *Inaccessibilem quem nullus hominum*. Quia nullus ad eam ex se accedit sed cui datur, dono ejus datur, quod intelligebat Propheta dicens: *Accedite ad eum, et illuminamini* Psal. 33., etc.

vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum)** 18 bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, 19 thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.†† 20 O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ,‡‡ 21 quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.¶¶

** 6.17 *Divitibus hujus sæculi.* Supra egit de his qui divites volunt fieri, dicens eos incidere in tentationem et laqueum diaboli, hic agit de his qui divites sunt, monens eos non sperare in divitiis. Et quia dixit mala venire ex cupiditate, et contra suasit, ne viderentur divites abjecti, determinat. **Non sublime.** Non expavit Apostolus divitias, sed morbum earum, id est superbiam, quæ est vermis divitum. Grandis animus est, qui inter divitias isto morbo non tentatur. Magnus est qui non se ideo magnum putat, quia dives est. Qui autem ideo se magnum putat, superbus est, egenus est, in carne turget, crepat in corde, mendicat, inflatus est, non plenus. **Ad fruendum.** Temporalia enim in hac vita dat Deus ad utendum, æterna ad fruendum: illa, unde bona faciamus; ista unde boni efficiamur.

†† 6.19 *Thesaurizare.* Ad hoc præmittuntur divitiæ non perituræ.

‡‡ 6.20 *O Timothee.* Timotheus, pretiosus Deo. pretiosus, Deus. **Profanas.** Ut est, **hypostasis,** quæ vox se habet ad personam et ad substantiam. Unde et hæretici sub hujus nominis multiplicatione inducere volebant tres esse substantias. Profanas voces intellige quæ sunt contra religionem, aliæ non sunt vitandæ

¶¶ 6.21 *Promittentes, circa fidem exciderunt,* etc. Nihil enim sic amant isti, quam scientiam promittere, et fidem rerum verarum (quas credere parvuli præcipiuntur) velut imperitiam deridere.

INCIPIT AD TIMOTHEUM II

1 Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu,^{§§} ²Timotheo carissimo filio: gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro. ³Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus in conscientia pura, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die* ⁴desiderans te videre, memor lacrimarum tuarum, ut gaudio implear, ⁵recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta, quæ et habitavit primum in avia tua Loide, et matre tua Eunice, certus sum autem quod et in te. ⁶Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.† ⁷Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris: sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.‡ ⁸Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus: sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei:¶ ⁹qui nos liberavit, et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia.§ ¹⁰Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, et

§§1.1 **Argumentum** Item Timotheo scribit de exhortatione martyrii, et de omni regula veritatis, et quid futurum sit temporibus novissimis, et de sua passione, scribens ei ab urbe Roma. **Paulus apostolus.** Primo Apostolus salutatur, deinde gratias agit de bono quod habet, ubi suum videndi eum desiderium ostendit. Postea monet ad prædicandum, et ad patientiam martyrii, suo exemplo et aliis modis. Inde dicit quales futuri sunt in novissimis diebus: tandem de tempore resolutionis suæ instanti. **Per voluntatem Dei.** Non meis meritis, quasi dicat: Similiter et tu gratis missus es, et ideo prædicandæ gratiæ magis obnoxius.

*1.3 **Gratias ago.** Agit gratias de bono ejus, commendans fidei gratiam quæ in Christo est. **Memoriam.** Flevit enim Timotheus a Paulo dimissus, paratus cum eo ire ad omnia pericula. Quod ergo præsens habuit, absens teneat, **accipiens etiam recordationem fidei** quæ te commoneat, cum etiam in feminis fuerit firma.

†1.6 **Propter quam.** Commendata fide illius, ad eam sine timore et erubescencia prædicandam exhortatur. **Per impositionem manuum.** Hoc est, gratiam Spiritus sancti, quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, ad perpetranda miracula, ad omne religionis obsequium.

‡1.7 **Timoris.** Timore turbatus Petrus negavit Christum. Unde: **Nolite timere eos qui occidunt corpus** Matth. 26. Hujus timoris non accepimus spiritum, sed illius de quo Dominus ait: **Eum timete qui potest corpus et animam perdere in gehennam.** Spiritus enim sanctus dat timorem non mundi, sed Dei, qui potest perdere in gehennam ignis.

¶1.8 **Noli itaque.** Constantiam habendam docet nec erubescendum esse in professione: non est enim ut erubescatur in ea: quia sicut homo visus est Christus, gestis tamen apparuit Deus etsi crucifixus est, resurrexit tamen a mortuis, et multis videntibus suscipiente eum nube, in cælum ascendit. Ubi ergo putatur infirmitas, ibi apparet potentia.

§1.9 **Qui nos liberavit.** Vicem reddere liberanti convenit: Cujus cum beneficiis digne respondere non valemus, saltem legationem ejus fideliter et instanter agamus.

in corruptionem per Evangelium.*¹¹ in quo positus sum ego prædicator, et Apostolus, et magister gentium.^{††} ¹² Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim qui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.^{‡‡} ¹³ Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu.^{¶¶} ¹⁴ Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis. ¹⁵ Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus, et Hermogenes. ¹⁶ Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia sæpe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit: ¹⁷ sed cum Romam venisset, sollicitè me quæsivit, et invenit. ¹⁸ Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti.

2 Tu ergo fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu: ² et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erant et alios docere. ³ Labora sicut bonus miles Christi Jesu. ⁴ Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus: ut ei placeat, cui se probavit.^{§§} ⁵ Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit. ⁶ Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* ⁷ Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. ⁸ Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum,[†] ⁹ in quo laboro usque ad vincula, quasi male

^{**}1.10 **Qui destruxit.** Mors utpote victa, non est timenda pro fide Christi. **Illuminavit autem.** Quo hæc spectent, ibi aperit: **Formam habens. Per Evangelium.** Ostendit Deus vitam incorruptibilem, quæ prius ignota erat, ostendit, inquam, per prædicationem Evangelii cujus prædicator est Paulus.

^{††}1.11 **In quo positus sum.** Hic suo exemplo hortatur. **Prædicator, et apostolus, et magister,** etc. Quænam vero ratio est, cum seipsum jugiter gentium magistrum vocet? persuadere quippe vult, gentes quoque in hæreditatem Dei vocatas esse, atque ideo a consortio fidei non repellendas.

^{‡‡}1.12 **Scio enim.** Quasi dicat: Ideo **non confundor**, id est deficio, vel non frustra patior, quia promisit et verax est et potens: et ideo credidi illum ipsum, qui mihi reddet. **Quia potens est.** Spe et magnificentia Salvatoris securus est, quia quod commendat illi, in tuto est. Illi autem commendat salutem suam, ut hic pro illo patiens, salutem inveniat penes illum cum cœperit judicare, ut puniens infideles, istum dignum æterna vita pronuntiet.

^{¶¶}1.13 **Formam habens.** Hic ostendit quo de se prædicta spectent. Quasi dicat: Ita laboro in isto officio mihi credito: similiter ergo et tu formam habens, etc. **Ex quibus est Phigellus et Hermogenes.** Simulate hi cum Apostolo fuerunt, ut calumniam invenirent: sed postquam viderunt se manifestatos, recesserunt ab eo.

^{§§}2.4 **Nemo militans.** Quasi dicat: Si bonus miles esse vis, non implices te sæcularibus negotiis, quia nemo, etc. **Negotiis.** Negotia sæcularia sunt cum animus occupatur colligendæ cura pecuniæ sine labore corporis, ut negotiatores et hujusmodi: quod ne iste faceret, quia infirmus laborare non poterat, prohibet.

^{*}2.6 **Laborantem agricolam.** Quasi Timotheus quæreret: Unde ergo vivam cum fodere non possim, mendicare confundar? subdit **laborantem agricolam.** Quasi dicat, etsi non implices te negotiis sæcularibus, est tamen unde vivere possis: **Quia oportet,** etc. **Primum percipere.** Id est sumere. **De fructibus.** Id est necessaria ab auditoribus, quia dignus est operarius mercede sua; ut agricola vel vinitor primos fructus laboris sui degustat, ita Apostolus prius jubet eum sumere qui primus est, et sic, cæteris distribuere. Primo enim debet ille suam necessitatem implere ex his qui accepit, et post, aliis de his quæ supersunt ministrare.

[†]2.8 **Memor esto.** Labora sicut ego, et hoc spe vitæ æternæ. Hæc autem non propter Timotheum memorat, sed propter hæreticos quos prævidit futuros et ista negaturos.

operans: sed verbum Dei non est alligatum.‡¹⁰ Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cælesti.¶¹¹ Fidelis sermo: nam si commortui sumus, et convivemus:§¹² si sustinebimus, et conregnabimus: si negaverimus, et ille negabit nos: ¹³ si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. ¹⁴ Hæc commune, testificans coram Domino. Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.**¹⁵ Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. ¹⁶ Profana autem et vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem: ¹⁷ et sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus et Philetus,††¹⁸ qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorundam fidem.‡‡¹⁹ Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.¶¶²⁰ In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia: et quædam quidem in honorem, quædam

‡2.9 *Quasi male operans.* Hic contumeliam notat quæ ei ingerebatur. *Sed verbum Dei non est alligatum.* Quasi dicat: Licet ergo sim alligatus corpore, tamen verbum Dei non est alligatum: qui et sermone præsentis, et litteris absentes docere non cesso.

¶2.10 *Salutem,* etc., *cum gloria,* etc. Quasi dicat: Justificati estis ut hic consequamini salutem, et, post hanc vitam, gloriam cœlestem.

§2.11 *Fidelis sermo.* Est iste, quod consequentur salutem et gloriam, nam sumus mortui mundo, sicut Christus veteri hominī, et sustinentes, id est martyres.

**2.14 *Hæc commune.* Hæc prædicta ut patiaris, commoneo te. Vel, hæc commune tuos. *Ad nihil enim utile est.* Contentio minus stabilis sæpe generat scrupulum. Solent enim in contentione talia opponi elimato malevolentia argumentum, ut moveant animos insipientium fratrum. Nec potest esse, quin contentio extorqueat aliquid quod dicatur contra conscientiam, ut intus in animo perdat, et foris victor accedat. Nemo enim patitur se vinci, licet sciat vera esse quæ audit. Collatio ergo inter Dei servos esse debet, non altercatio.

††2.17 *Ex quibus est Hymenæus et Philetus.* Horum prodidit nomina, ut ab his spiritualiter caveat, quos et profanos et impios designat et errantes a veritate.

‡‡2.18 *Dicentes resurrectionem jam factam.* Duæ sunt resurrectiones. Prima est quæ fit in anima per fidem, quando qui mortuus erat in infidelitate et aliis peccatis, per fidem et baptismum vivificatur. Altera, quæ erit corporum, quæ erit in die iudicii. De illa resurrectione quæ fit in anima per fidem loquitur hic Apostolus, cum ait: *Dicentes resurrectionem,* mentium scilicet *esse factam* in baptismo, et in fide nullam resurrectionem corporum futuram. Omnes sectæ quæ religionem promittunt, concedunt resurrectionem mentium in fide. Aliter enim non viderentur audiendi. Volentes ergo credi sibi omnes etiam qui instituerunt alicujus falsæ religionis sectam, negare istam resurrectionem mentium non potuerunt, omnes de illa consenserunt. Sed corporum resurrectionem multi negaverunt, sicut isti quos nominat Apostolus.

¶¶2.19 *Cognovit Dominus qui sunt ejus,* etc. Id est, amat et defendit præscitos suos. In hoc notatur præscientia, qua quos præscivit futuros esse conformes imaginis Filii sui, id est prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit.

autem in contumeliam.^{§§ 21} Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino ad omne opus bonum paratum.²² Juvenilia autem desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, spem, caritatem, et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro.²³ Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita: sciens quia generant lites.*²⁴ Servum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem,[†]²⁵ cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem,[‡]²⁶ et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

3 Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa:² erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obediētes, ingrati, scelesti,[¶]³ sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate,⁴ proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei:⁵ habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita:[§]⁶ ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis:^{**}⁷ semper discentes,

§§2.20 *Vasa aurea et argentea.* Sicut enim vasa lignea et fictilia valent ut purgentur aurea et argentea, sic mali prosunt ad profectum bonorum. Magna ergo domus, Ecclesia, in qua sunt vasa aurea et argentea, id est, boni et fideles et sancti Dei servi ubique dispersi et spirituali unitate devincti, in eadem communionē sacramentorum degentes. Et vasa lignea et fictilia, id est illi qui sunt in domo, ut non sint in compage domus, nec in societate pacifica, et tamen adhuc corpore simul cum bonis.

*2.23 *Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita.* Non omnes quæstiones vitandæ, sed nutes et sine disciplina.

†2.24 *Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* Satis obstrepunt contradicentes. Ne ergo servus Dei sibi obstrepat studio altercandi. Non deesse voluit nos fratrum correptioni, nec studere certamini. Multi enim homines cum a somno excitantur, litigare volunt, aurursus dormire, cum litigare prohibentur.

‡2.25 *Nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem.* Non prodest correptio, nisi supernus medicus respiciat, id est nisi faciat, ut peccati sui quemque pœniteat. Quæ pœnitentia pudore et timore displicendi aliis interdum impeditur, dum plus delectat hominem aliorum existimatio; quam justitia, qua se quisque humiliat pœnitendo. Ideoque non solum cum agitur pœnitentia, verum etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est. Ut enim Petrus amare fletet, respexit eum Dominus. Et ideo Apostolus hic dicit: *Det illis Deus pœnitentiam* Matth. 26..

¶3.2 *Seipsos amantes.* Non Dominum, ut Petrus, qui ter interrogatus a Domino, ter professus est se eum diligere dicens: *Tu scis quia amo te.* Unde et Dominus ei oves pascendas credidit: quia in pascendis ovibus vera monstratur dilectio, si quis ibi non quærit sua, sed quæ Christi sunt. Ex eo autem quod seipsos, non Deum amant, quasi ex radice hæc quæ sequuntur mala oriuntur. *Ingrati.* Illi sunt ingrati qui corrigentibus mala pro bonis reddunt.

§3.5 *Habentes speciem.* Quia habent eadem sacramenta cum piis. *Virtutem autem.* Virtus est, charitas de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta.

**3.6 *Qui penetrant.* Ingredebantur enim domos mulierum, et decipiebant eas.

et numquam ad scientiam veritatis pervenientes.^{††} ⁸ Quemadmodum autem Jannes et Mambres restiterunt Moysi: ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem;^{‡‡} ⁹ sed ultra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit. ¹⁰ Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, ¹¹ persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, et Lystris: quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus. ¹² Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. ¹³ Mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes.^{¶¶} ¹⁴ Tu vero permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi: sciens a quo didiceris: ¹⁵ et quia ab infanzia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu.^{§§} ¹⁶ Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, et erudiendum in justitia: ¹⁷ ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

4 Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui iudicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus: ² prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina.* ³ Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi

^{††}3.7 *Semper discentes et nunquam ad scientiam*, etc. Nos autem semper ambulemus in via donec eo veniamus quo ducit via, nusquam in illa remaneamus, donec perducatur ubi maneamus. Atque ita et quærendo tendimus, et inveniendo, ad aliquid pervenimus.

^{‡‡}3.8 *Quemadmodum autem Jannes*, etc. Quasi dicat: Tales seducunt: veritati autem semper resistunt. Et hoc est quod ait: *Quemadmodum autem Jannes*, etc. Jannes et Mambres, duo fratres, fuerunt magi Pharaonis. Horum nomina non invenit Apostolus in divinis libris, sed in apocryphis, de quibus hoc sumitur. Hi autem restiterunt Moysi usque ad tertium signum, in quo defecerunt dicentes: *Digitus Dei est hic*. Et sicut illi restiterunt Moysi, ita hi scilicet hæretici mihi resistunt.

^{¶¶}3.13 *Mali autem homines*, etc. Tales sunt qui timent hos lædere coram quibus loquuntur qui non præparant ad tentationes, sed promittunt felicitatem hujus sæculi, quam Deus ipse sæculo nos promisit. Ille prædicit labores usque in finem venturos sæculo: tu prospera. Ille ad confortandum cor tuum, venit pati, mori, sputis illiniri, spinis coronari, opprobria ferre, fel et acetum bibere, ligno configi. Omnia hæc ille tulit pro te. Ille confortans infirmum, ut cum crediderit, non speret prospera hujus sæculi; unde: *Fili, accedens ad servitum Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationes*.

^{§§}3.15 *Sacras litteras nosti quæ te*, etc. Multum signat prodesse Veteris Testamenti habere notitiam, ubi Christi persona et incarnatio insinuat quæ ad salutem hominum valet.

*4.2 *Importune*. Tu opportune agis, sed importunus esse videris ei qui non libenter audit, quod tamen ei aliquando prodest. Tu tamen sciens hoc illi esse opportunum, quod ei videtur importunum, dilectionem curamque sanitatis ejus, animo teneas mansueto et modesto. *Increpa in omnibus*. Timotheo acriorem suadet patientiam. Tito nimis patienti, imperium persuadet.

magistros, prurientes auribus,[†] ⁴ et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. ⁵ Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto.[‡] ⁶ Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat.[¶] ⁷ Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.[§] ⁸ In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus. Festina ad me venire cito.^{**} ⁹ Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, et abiit Thesaloniam: ¹⁰ Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. ¹¹ Lucas est mecum solus. Marcum assume, et adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium. ¹² Tychicum autem misi Ephesum. ¹³ Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas.^{††} ¹⁴ Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundum opera ejus.^{‡‡} ¹⁵ quem et tu devita: valde enim restitit verbis nostris. ¹⁶ In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes

[†]4.3 *Coacervabunt sibi magistros.* Id est, qui ea doceant quæ volunt. Prophetia est sancti apostoli, qui præscius futurorum, in doctrina præcipit esse instandum, ut contra hoc quod futurum erat, præparetur Ecclesia. Tales enim dicit futuros, qui pro desideriis suis doceri volunt ut a magistris scilicet constantibus et veracibus ad eos convertantur qui hæc illos doceant quæ libenter audiant, quia veritas illis aspera videbitur, ut relicta vera doctrina fabulis vacent.

[‡]4.5 *Opus fac evangelistæ.* Testando opere quod ore prædicans, ut retorqueatur os turturis ad ascellas, et sint mala punica et tintinnabula in extremis oris hyacinthinæ tunicæ.

[¶]4.6 *Delibor.* Libare dicimus, degustare, fundere et immolare. Inde delibare, quod tamen hic pro ipsa immolatione ponitur, passionem enim suam delibationem appellat. Deo enim immolatur qui pro justitia patitur.

[§]4.7 *Fidem,* quæ est caput Christianæ religionis, *servavi,* quæ non potest haberi nisi Deo miserante, quia donum Dei est; unde alibi ait: *Misericordiam consecutus sum,* non quia fidelis eram, sed *ut fidelis essem.* Apostolum enim invenimus sine ullis bonis meritis, imo cum multis vitiis Dei gratiam consecutum, reddentibus bona pro malis. Qui sua jam propinquante passione bona merita sua commemorat, post quæ consequetur coronam, qui post mala merita consecutus est gratiam: quæ nisi prius gratuita donaretur, corona non redderetur. Non ergo merita ipsius tanquam ipsius sunt, id est ex ipso ei comparata, sed dona Dei sunt.

^{**}4.8 *Reddet.* Si enim fides gratia est, et vita æterna quasi merces est fidei; videtur quidem Deus vitam æternam tanquam debitum reddere cui debet fidei, quia promeruit illam per fidem; sed quia fides gratia est, et vita æterna est gratia, per gratiam ergo reddet. *Justus iudex.* Utique justus retribuendo bona pro bonis, quia tamen prius misericors est retribuendo bona pro malis; ipsa justitia qua retribuuntur bona pro bonis non est sine misericordia.

^{††}4.13 *Penulam.* CHRYS. Pallium hic penulam dicit, etc., usque ad ne ab aliis hanc accipere opus sit.

^{‡‡}4.14 *Alexander.* Iste est quem supra dixit reversum ad apostasiam, qui fabricabat ædes Dianæ apud Athenas, et omnes contra Apostolum commovit. *Multa mihi mala ostendit.* CHRYS. Qui a magno aliquo premitur, etc., usque ad ut infirmiores quoque etiam ex hac parte solatium capiant.

me dereliquerunt: non illis imputetur.^{¶¶} 17 Dominus autem mihi astitit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes: et liberatus sum de ore leonis.^{§§} 18 Liberavit me Dominus ab omni opere malo: et salvum faciet in regnum suum cæleste, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. 19 Saluta Priscam, et Aquilam, et Onesiphori domum. 20 Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. 21 Festina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et fratres omnes. 22 Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

^{¶¶}4.16 *Defensione.* Pressuram et tribulationem sibi illatam defensionem appellat: tribulatio defensio est Christianis, quia defendit eos in die iudicii. **Non illis imputetur.** Non orat pro Alexandro, qui invidentia fraternitatem oppugnando peccaverat, sed pro his qui abruperant amorem, sed timore succubuerunt; orat ut eis ignoscatur. Multum enim interest inter eos qui hoc modo et eos qui illo modo peccant.

^{§§}4.17 *De ore leonis.* Neronis, de cuius manibus liberatus est a Domino, quando venit Romam adductus ab his qui præerant Judææ, ob hoc quod Cæsarem appellasset. Nam cum venisset Romam duobus annis mansit in libera custodia, post etiam transivit ad alias nationes quæ erant in circuitu Romæ.

INCIPIT AD TITUM

1 Paulus servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum Dei, et agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est* 2 in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora sæcularia:† 3 manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei:‡ 4 Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia, et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Salvatore nostro.¶ 5 Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi,§ 6 si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.** 7 Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum:†† 8 sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, 9 amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui

*1.1 *Argumentum* Titum commonefacit et instruit de constitutione presbyterii et de spirituali conversatione, et hæreticis vitandis, qui in traditionibus Judaicis credunt, scribens ei a Nicopoli. *Paulus servus*, etc. Conditione non tamen peccati misera servitute. sed *Dei*. Quidam nobilitate, qualiter Moyses et David servi sunt appellati, et Maria ancilla. *Secundum fidem electi*. Id est quam tenent vel qua salvantur electi Dei, et ideo per ea magis laborandum.

†1.2 *In spem vitæ æternæ*. Hæc res. hic fructus apostolici officii. Per hoc commendat officium apostolicum non tepidius agendum. *Ante tempora*, etc. Non recens promissio, sed ante tempora omnium sæculorum.

‡1.3 *Manifestavit*. Congruis hoc factum est temporibus, scilicet Verbum, id est Filius: *Hæc est vita æterna*.

¶1.4 *Filio secundum communem fidem*. Id est catholicam non privatam alicujus. Catholicon Græce, commune vel universale dicitur Latine. *Hujus rei gratia*. Primo dicit quid agere debeat et quales ordinare presbyteros, incipiens ita, *hujus rei gratia*. Dum hæc recolit, sicut ei disposuerat monet exsequi.

§1.5 *Presbyteros*. Pluraliter dicit presbyteros, non autem singulariter, ut scilicet pastoralis curæ onus facilius sustineatur, per multos divisum.

**1.6 *Sine crimine*. Si dixisset, sine peccato, nullus in Ecclesia recte posset ordinari minister. Multi enim baptizati fideles sunt sine crimine, sine peccato vero in hac vita neminem dixerim; non quia peccati aliquid remaneat quod in baptismo non dimittatur, sed quia in nobis in hujus vitæ infirmitate manentibus quotidie fieri non quiescunt, quæ fideliter orantibus quotidie remittantur. Quamlibet valde justum discutias in hac vita, non est tamen sine peccato. *Unius uxoris virum*. (HIERON. *Epist. ad Oceanum*.) Post baptismum, etc., usque ad quia est ab uno Deo apostatate, et in alterius superstitionem ire. *Filios habens fideles*. Id est, nec saltem de luxuria accusatos, vel sibi non subditos. Alioquin nec spes in illo est corrigendi alios, nec frontem habet ad alios talium cohabitator.

††1.7 *Oportet enim*. Talis debet constitui: necesse est enim ad tractationem officii eum *esse sine crimine*, id est irreprehensibilem episcopum. Hic aperte ostendit presbyterorum nomine episcopos supra fuisse designatos.

contradicunt, arguere.^{‡‡} ¹⁰ Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores: maxime qui de circumcissione sunt: ¹¹ quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. ¹² Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestię, ventres pigri.^{¶¶} ¹³ Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, ¹⁴ non intendentes judaicis fabulis, et mandatis hominum, aversantium se a veritate.^{§§} ¹⁵ Omnia munda mundis: coinquinatis autem et infidelibus, nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.* ¹⁶ Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.[†]

2 Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam:[‡] ² senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia:[¶] ³ anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes:[§] ⁴ ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant,^{**} ⁵ prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blas-

^{‡‡}1.9 *Eos qui contradicunt, arguere.* Contradicentes non uno modo intelligendi sunt, paucissimi quippe nobis contradicunt loquendo, sed multi male vivendo. Quis enim audet apertissime loquendo contradicere veritati. Non contradicunt multi lingua, sed vita: quos redarguere bonum opus est, grandis sarcina, clivus arduus.

^{¶¶}1.12 *Dixit quidam ex illis.* AUG., lib. II contra adversarium leg. et prophet. Iste fuit Epimenides Cretensis, in cujus libris hoc invenitur, etc., usque ad ad ministerium domus Dei assumendum est.

^{§§}1.14 *Mandatis.* Quia mandata legis post manifestam veritatem, jam hominum, non Dei mandata sunt.

^{*}1.15 *Omnia munda mundis.* Hoc ipsi negant ideo, quia in lege quædam Moyses prohibuit, et ab immundis munda discevit. Hoc autem non secundum naturas quas Deus creavit, intelligi voluit, sed secundum significationes: Omnia ergo munda sunt mundis secundum naturam; unde in Genesi: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Secundum significationes quædam immunda sunt Judæis: nec nobis omnia apta sunt, vel propter salutem corporum, vel propter consuetudinem humanæ societatis.

[†]1.16 *Factis autem.* Si negatio non tantum lingua fit, sed etiam factis, certe multos invenimus Antichristos, qui ore confitentur Christum, et moribus dissentiunt ab eo. Quisquis factis negat Christum Antichristus est. Tales sunt omnes mali catholici, qui non verbis, sed factis negant. Nolite ergo esse tanquam de fide securi, adjungite fidei rectæ vitam rectam, ut Christum confiteamini, et verbis vera docendo, et factis bene vivendo. Nam si confitemini verbis et non factis, fides tantum meorum proprie fides est dæmoniorum.

[‡]2.1 *Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam.* Hæc sunt quæ ad bonos mores pertinent.

[¶]2.2 *Senes ut sobrii sint.* CHRYS. Habet senectus vitia quædam propria, et morbos quibus juvenus caret. Et ipsa quoque senectus morbus est, inest illi tamen præterea segnitie quædam ac tarditas, oblivio profunda, obtusio sensuum et iracundia. Sunt enim plurima quæ in hujusmodi ætate vix fieri patiantur.

[§]2.3 *In habitu sancto.* Ut scilicet earum incessus, motus, vultus, sermo præferant sanctitatem. *Non vino multo.* Solent enim esse quædam, quæ corporis frigescente luxuria, vino se pro libidine dederunt.

^{**}2.4 *Ut viros suos.* Quos naturali affectu naturaliter diligunt, ament etiam pudica dilectione, ut scilicet cum pudore viris debitum potius reddant, quam exigant.

phemetur verbum Dei.^{††} ⁶ Juvenes similiter hortare ut sobrii sint. ⁷ In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate,^{‡‡} ⁸ verbum sanum, irreprehensibile: ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. ⁹ Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, ¹⁰ non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes: ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.^{¶¶} ¹¹ Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus,^{§§} ¹² erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, ¹³ exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.* ¹⁴ qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. ¹⁵ Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.[†]

3 Admone illos principibus, et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse:[‡] ² neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. ³ Eramus enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis, et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem.[¶] ⁴ Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei,[§] ⁵ non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, ⁶ quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum: ⁷ ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. ⁸ Fidelis sermo est: et de his volo te confirmare: ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona, et utilia hominibus. ⁹ Stultas

^{††}2.5 *Ut non blasphemetur.* Hoc ad senes et ad omnia superiora potest referri, quasi dicat: Hortare senes, et anus, et adolescentulas, ut ita se habeant ut dixi, quod ideo facere debent ut non blasphemetur, etc.

^{‡‡}2.7 *In omnibus,* etc. Omnis enim qui male vivit in conspectu eorum quibus præpositus est, quantum in ipso est occidit eos; etiamsi illi vivunt, de misericordia Dei vivunt.

^{¶¶}2.10 *Ut doctrinam Salvatoris.* Hoc refertur ad omnia prædicta, scilicet ad senes, et anus, et servos, quasi dicat: Hortare omnes prædictos, ut ita se habeant sicut præscriptum est, ut ita ornent in actibus suis doctrinam Salvatoris, etc. *Ornent.* Ornamentum doctoris est honesta vita discipuli.

^{§§}2.11 *Apparuit enim.* Quasi dicat: Omnes monendi sunt, quia omnibus natus est Christus, nullum exclusit. Vel, *Gratia,* id est Christus qui est gratia Dei. Vel, *gratia Dei et Salvatoris,* etc., id est Deus et Salvator noster, scilicet Dei Filius, etsi invisibilis sit in forma Dei, tamen per gratiam apparuit in forma servi.

*2.13 *Et adventum gloriæ magni Dei,* etc. Qui non in infirmitate ut prius, sed in gloria et potestate veniet præmia daturus secundum merita, qui in primo adventu adeo humilis fuit, quod non solum erudit, sed etiam dedit semetipsum. *Sectatorem bonorum operum,* etc. Quia ad hoc redemit nos Christus, ut puram vitam sectantes et repleti operibus bonis, Dei hæredes esse possimus.

[†]2.15 *Argue cum omni,* etc. Ut non aspere accipiatur, cum pro salute fieri scitur.

[‡]3.1 *Ad omne opus,* etc. Quasi dicat: Admone, ut ad malum tardi sint, sed ad bonum parati, scientes quod singulis persolvi oporteat, quia singulis paratur.

[¶]3.3 *Eramus enim et nos aliquando.* Etsi philosophi essent quidam nostrum, vera tamen sapientia carebant.

[§]3.4 *Benignitas,* etc. Per quam dona nobis spiritualia abunde tribuit.

autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita: sunt enim inutiles, et vanæ. ¹⁰ Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita: ^{** 11} sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. ^{†† 12} Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim: ibi enim statui hiemare. ¹³ Zenam legisperitum et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit. ^{‡‡ 14} Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios: ut non sint infructuosi. ¹⁵ Salutant te qui mecum sunt omnes: saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

^{**}3.10 *Hæreticum hominem.* Hæreticus est qui per verba legis legem impugnat: proprium enim sensum astruit ex verbis legis, ut pravitatem mentis suæ legis auctoritate confirmet, qui vitandi sunt: quia frequentius correcti exercitatiores essent ad malum.

^{††}3.11 *Proprio judicio.* Se damnat qui errorem laudat, et veritatem vituperat.

^{‡‡}3.13 *Zenam legisperitum.* Hoc dicit, non quia peritior sit Apollo, sed quia hujus professionis erat in Synagoga. *Apollo.* Episcopus fuit Corinthiorum, qui propter seditionem concitatam adversum se a pseudo-apostolis discesserat cum Zena socio suo ad Titum Cretensem episcopum. Sed Corinthiis jam sedatis per epistolas Pauli mandat Tito, ut priusquam veniat Nicopolim, præmittat eos ita solite, ut nihil in viatico illis desit. *Ut nihil,* etc. Ideo jubet sumptus illis necessarios dari, quia dignum erat, ut qui spiritualia tradebant, non illis deessent carnalia.

INCIPIT AD PHILEMONEM

1 Paulus vinctus Christi Jesu, et Timotheus frater, Philemoni dilecto, et adjutori nostro,^{¶1 2} et Appiæ sorori carissimæ, et Archippo commilitoni nostro, et ecclesiæ, quæ in domo tua est. ³ Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. ⁴ Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, ⁵ audiens caritatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos:^{§§ 6} ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu. ^{*} ⁷ Gaudium enim magnum habui, et consolationem in caritate tua: quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater. [†] ⁸ Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet: ⁹ propter caritatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi: ¹⁰ obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo,^{‡ 11} qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis,^{¶ 12} quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe:^{§ 13} quem ego volueram mecum detinere, ut pro te

^{¶1.1} **Argumentum** Philemoni familiares litteras facit pro Onesimo servo ejus, scribens ei ab urbe Roma de carcere per suprascriptum Onesimum. **Paulus vinctus.** Non dicit, **Apostolus:** quod est nomen dignitatis, sed **vinctus**, quod est nomen humilitatis: quia non imperat, sed orat. Est enim hic intercessio pro Onesimo: ideo quæ humilitatis sunt commemorat incipiens ab injuria sua, ut dignitatem Epistolæ suæ faceret. Sicut enim peccati causa vinciri opprobrium est, sic econtra pro Christo custodiæ vincula sustinere, maxima gloria est. Eo ergo tempore in custodia erat. Ideo ait se vinctum.

^{§§1.5} **Quam habes.** Quia enim in Christum credebat et eum diligebat; sanctis credebat et eos diligebat, et ita per opera fidei et charitatis Christo serviebat et sanctis.

^{*1.6} **Ut communicatio.** Quasi dicat: Fidem habes et caritatem in Christo et in sanctis, ita ut **communicatio fidei tuæ evidens fiat**, id est, ut fides tua communicans fidei nostræ; vel, quod aliis ex fide tua communicas evidens sit. Et hoc, **In agnitione omnis.** Id est, ita evidens sit, hoc merito cognoscatur omne bonum esse in te per Christum, id est omnium bonorum sufficientia. Ut ita: Memor sum tui, et gratias ago in orationibus habitis de hoc, ut **communicatio fidei tuæ**, id est operatio fidei qua servas Christo et sanctis, **evidens fiat in agnitione quæ est. In Christo Jesu.** Id est, cum cognitione boni æterni, ut illud exspectetur in præmium. Hoc enim orat Apostolus, ut operatio ejus cum cognitione fiat bonitatis, id est, ut tali mente operetur, ut in futurum inde exspectet præmium Jesum Christum, non autem retributionem temporalium.

^{†1.7} **Viscera sanctorum.** Id est filii sanctorum charissimi, vel, erga te propensus sanctorum affectus quævit in te, scilicet consolante, et refrigeratus est, quia bonum te per omnia invenerunt.

^{‡1.10} **Obsecro te.** Magnum est non de humili, sed de sublimi, si se inclinatur et obsecrat. **Senex.** Seni magis ætatis similitudine debet obsequi.

^{¶1.11} **Qui tibi aliquando,** etc. CHRYS. Vide quam prudenter ipsius, scilicet Onesimi, delictum confitetur, ut eo ipso exstinguat iracundiam Domini, non ait: Nunc tibi utilis erit, ne ille non crederet, sed personam quoque introduxit suam, ut ex hoc ille dignius sperare meliora potuisset. Si enim Paulo futurus est utilis, qui tantam virtutis et perfectionis diligentiam exigit, quanto amplius Domino.

^{§1.12} **Ut mea viscera,** etc. Onesimum profugum recurrentem ad divinum auxilium cum esset in custodia Apostolus baptizavit, videns in illo utilitatis spem: quem sic commendat, ut suum animum in illo significet recipi.

mihi ministraret in vinculis Evangelii: ¹⁴ sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. ¹⁵ Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes: ^{**} ¹⁶ jam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem, maxime mihi: quanto autem magis tibi et in carne, et in Domino? ^{††} ¹⁷ Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me: ¹⁸ si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. ^{‡‡} ¹⁹ Ego Paulus scripsi mea manu: ego red-dam, ut non dicam tibi, quod et te ipsum mihi debes: ²⁰ ita, frater. Ego te fruar in Domino: refice viscera mea in Domino. ²¹ Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam et super id, quod dico, facies. ²² Simul autem et para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis. ^{¶¶} ²³ Salutat te Epaphras concap-tivus meus in Christo Jesu, ²⁴ Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas, adjutores mei. ²⁵ Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

^{**}1.15 *Forsitan enim.* Ideo dicit *forsitan*, quia humana sunt dubia, et potuit alia esse causa, quare sic Deus disposuerit.

^{††}1.16 *Maxime mihi.* Mihi magistro tuo: frater Onesimus, offenso proprio domino, confugit ad Apostolum ad hoc ut, oblitteratis peccatis, utilis reverteretur, in tantum, ut non solum domino suo æqualis fieret meritis, sed ipsi magistro frater. Et ne Phile-mon (quia dominus) contra servum inflaretur, humiliat eum dicens: *Fratrem et in carne*, quia ex uno Adam omnes, et *in Domino* per fidem.

^{‡‡}1.18 *Hoc mihi imputa.* Nunc excusationem omnem convellit, cum sibi imputan-dum esse dicit, si vel læsit, vel debet aliquid. *Ita frater ego te fruar in Domino.* Id est, gaudebo de te in regno Dei, si feceris quod rogo. Et quid sit illud, subdit: *Refice viscera*, etc. *Confidens in obedientia.* Provocat eum sic blandiendo, ut non am- plius faciat, quam postulatur ab eo. Solet enim fieri, ut qui de se videt bene sentiri, meliorem se præbeat.

^{¶¶}1.22 *Simul autem.* Ut sollicitiorem eum faciat, et ad obediendum promptiorem, venturum se ad illum significat: quia vel hoc potest eum movere ad veniam. Solent enim absentes contemni.

INCIPIIT AD HEBRÆOS

1 Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis:^{§§ 2} novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula:^{*} ³ qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis:[†] ⁴ tanto melior angelis effectus, quanto differ-

§§1.1 **Argumentum** In primis videndum est cur apostolus Paulus in hac epistola scribenda non servaverit morem suum, ut vel vocabulum nominis sui, vel ordinis describeret dignitatem. Hæc causa est: quod ad eos scribens qui ex circumcissione crediderant, quasi gentium apostolus et non Hebræorum, sciens quoque eorum superbiam, suamque humilitatem ipse demonstrans, meritum officii sui noluit anteferre. Simili etiam modo Joannes apostolus propter humilitatem, in epistola sua nomen suum eadem ratione non prætulit. Hanc autem epistolam ad Hebræos conscriptam, Hebraica lingua fertur Apostolus misisse: cujus sensum et ordinem retinens Lucas evangelista, post excessum beati apostoli Pauli Græco sermone composuit. **Olim.** Non est novum. **Deus,** qui est invariabilis tunc et nunc. **Loquens.** Dicit: **loquens,** in præsentia, quia quod tunc etiam nunc. **Patribus.** Id est iis qui carne et cultu Dei patres nobis sunt. **In prophetis.** Non enim ipsi, sed Deus in eis. **Multifarie.** Id est multotiens Abrahæ, Isaac, Jacob et cæteris, ac eisdem sæpe. **Multisque modis.** Quia modo per somnia, ut Danieli: modo aperta voce, ut Moysi: modo interiori inspiratione, ut David.

*1.2 **In Filio,** qui prophetis est major. Est enim Dominus prophetarum impletor et sanctificator. Sic ergo propheta est, quod et Dominus prophetarum. Sic et angelus Christus est, ut et Dominus angelorum. **Constituit** immutabiliter. **Hæredem universorum,** id est possessorem omni creaturæ. Non enim jam portio Domini est Jacob, et pars ejus Israël: sed omnes prorsus nationes mundi.

†1.3 **Qui cum sit splendor gloriæ,** etc. Hic secundum divinam naturam commendat Christum, ostendens eum coæternum et coæqualem Patri, ejusdemque cum eo substantiæ, sed alterum in persona. **Figura substantiæ.** Ecce aliter personaliter, ut figura ab eo cujus est figura. Sed æqualis, quia non dissimilis, sicut ipse ait: **Pater in me est;** et: **Qui videt me, videt et Patrem meum** Joan. 14.. Attende quod hæc nomina, scilicet lumen, gloria, quandoque ad naturam divinam referuntur, quandoque ad personam. Et quando ad personam referuntur; modo ad Patrem, modo ad Filium referuntur. Dicimus enim: Pater est lumen, et Filius est lumen. Similiter Pater est gloria, Filius gloria, et hi duo una gloria et unum lumen, non duo. Et dicitur Filius gloria de gloria, sicut lumen de lumine, et principium de principio, et Deus de Deo, non tamen duo dii, sed unus, non duo principia, sed unum. Splendor autem et figura, sicut et imago proprie ad personam Filii referuntur et relative dicuntur. **Portansque omnia,** etc. Supra dictum est, quia per ipsum fecit omnia. Hic ei nunc summam auctoritatis attribuit, ex eo quod cum auctoritate cuncta gubernat et continet. Sicut enim ab eo creata sunt omnia, ita per eum immutabilem conservantur. Creatoris enim omnipotentia causa est subsistendi omni creaturæ, quæ virtus si ab eis quæ condidit regendis aliquando cessaret, simul omnium rerum species et natura concideret. **Purgationem.** Postquam ostendit ejus excellentiam quo cuncta creavit et gubernat, hic humilitatis ejus benignitatem commendat. Commonet enim nos crucis et resurrectionis et ascensionis, ubi ait: **Sedet,** etc. **In excelsis.** Dicens hoc, non loco concludit Deum: sed ostendit hominem Christum omnibus altiozem, et omnibus eminentiozem. Sic et per dexteram, non Deum deformavit, sed similitudinem honoris demonstravit. Confessus enim nihil demonstrat aliud nisi honoris æqualitatem.

entius præ illis nomen hæreditavit.‡⁵ Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium?¶⁶ Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.§⁷ Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.**⁸ Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui.††⁹ Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus

‡1.4 **Tanto melior.** In psalmo tamen ait: *Paulo minus minoratus est ab angelis* Psal. 8.. Hic eisdem melior dicitur. Et sicut illud secundum humanam naturam, ita et hoc secundum divinam dictum esse posset intelligi, nisi adderetur *effectus*, per quod aperitur, quod hic loquitur de eo secundum carnem. Nam secundum hoc quod Patris substantiæ consubstantialis agnoscitur, non est factus, sed natus: de eo ergo sermo versatur secundum humanam naturam, secundum quam et minor fuit angelis passione, et major et melior etiam gratiæ plenitudine, de qua et ipsi angeli ad mensuram accipiunt. **Differentius nomen.** Dum fuit mortalis, differens nomen habuit, quia angeli ministrabant ei. Postquam immortalis, magis differens. Et quia hoc habere posset, et non pro illis, addit *præ illis*, id est, valde differens a nomine angelorum, hoc est nomen quod est super omne nomen, scilicet Deus, sive Filius, quod revera dignius est illo quo illi dicuntur angeli, id est nuntii. Filii enim nomen proprietatem ostendit, non adoptionem, quia nisi esset proprius Filius, non posset ex hoc Apostolus amplitudinem honoris asserere. Proprius autem Filius est de ipso Patre genitus. Si autem adoptionis gratia esset Filius, non solum Patre, sed etiam angelis minor esset.

¶1.5 **Hodie.** Ne præterita generatio videretur, dixit hodie. Quanquam enim possit etiam ille dies intelligi, quo Christus secundum hominem natus est, tamen quia *hodie* præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum est quidquam quasi esse desiderit, nec futurum quasi nondum sit, sed præsens tantum: quia quidquid æternum est, semper est: divinius accipitur de sempiterna generatione sapientiæ Dei, quam fides sincerissima et catholica prædicat. **Ego ero illi.** Id est, honorem illius, vel illi homini de virgine nascituro. Potest tamen et secundum carnem hoc accipi dictum, etenim caro communicat altioribus, sicut et divinitas humilibus.

§1.6 **Iterum introducit,** visibilem carne assumpta qui ante invisibilis in mundo erat, quæ assumptio dicitur exitus a Patre: introductio ad hæreditatem, ubi iubetur adorari. **Et adorent.** Et iterum dicit Pater de eodem Filio: **Cum introducit.** Id est, cum ostendit **intro**, usque ad corda hominum, **ducendum**, per fidem; quid dicit? **Et adorent.** Adorant angeli, quia jussioni ejus obtemperant et reverentur.

1.7 **Angelos. Spiritus, naturæ nomen est; angelus, officii. Quos enim Deus spiritus condidit, mittendo nuntios, angelos facit. Et omnibus utitur ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ, sive bonis per gratiam ejus, sive malis per propriam voluntatem. Ac per hoc voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium specierum atque motionum. Nihil enim visibiliter fit, quod non de interiori invisibili atque intelligibili aula summi imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam. Vel illi spiritus dicuntur angeli quando levia nuntiare mittuntur: quando autem ad vindictam, ut in Sodoma, dicuntur ignis ardens. Sic et ministri Ecclesiæ, ignis sunt dum vitia nostra uruntur, angeli autem, dum verbum Dei nuntiant.

††1.8 **Ad Filium.** Hic per dignitatem simul et potestatem commendat Christum. **In sæculum.** Quia semper regnabit, et novissimum iudicium semper stabit; unde: **Ibunt hi in ignem æternum, et illi in vitam æternam** Matth. 25..

tuis.^{††} ¹⁰ Et: Tu in principio, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt cæli.^{¶¶} ¹¹ Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent:^{§§} ¹² et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* ¹³ Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?[†] ¹⁴ Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem sapientie capient salutis?[‡]

2 Propterea abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte perefluamus.[¶] ² Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio, et inobedientia accepit justam mercedis retributionem.[§] ³ quomodo

^{††}1.9 **Unxit te.** Secundum hominem, quia Deitas nullo indiguit. Unctus significat regem vel sacerdotem. **Deus** repetitur ex magna dilectione. Vel secundum Augustinum: Alter casus est vocativus, alter nominativus, ut sic: O tu Deus Fili, unxit te Deus tuus, scilicet, Pater. In Latino putatur idem casus, sed in Græco evidentissima distinctio est: qua aliter nominativus, aliter vocativus intelligitur.

^{¶¶}1.10 **Et tu.** Post humanitatis excellentiam, iterum redit ad æternitatem Filii. **In principio.** Quia Creator ante creata existit sine ullo initio. **Manuum.** Virtus jussio- nis, id est, potentia voluntatis vocatur manus, quia ut voluit facta sunt omnia.

^{§§}1.11 **Peribunt.** Ab eo quod sunt, dum immutabuntur in melius creaturæ. **Tu autem permanebis.** Ut sicut æternus ante omnia, sic quia permanet, idem erit post mutata omnia. **Veterascent.** Veterascere dicitur quod more vestis consumitur, sicut caro humana, quæ tamen in melius mutabitur.

^{*}1.12 **Et velut amictum.** Significat mutationem cæli. Unde: **Vidi cælum novum et terram novam** Apoc. 21.. **Mutabis eos,** etc. Quia facta Dei sub æternitate stabunt, ne ad corruptionem revertantur. **Tu autem,** ex toto immutabilis.

[†]1.13 **Ad quem angelorum.** Agere instituit de gloria humanitatis. **Sede.** Victori Filio confessus offertur a Patre. **Pedum.** Per pedes stabilitas æterna signatur, id est, in æternitatem, ubi vestigiis quasi positus virtute omnipotentiae consistit.

[‡]1.14 **Nonne sunt omnes,** etc. Quasi dicat: Utique. Intellige igitur quantum honor nobis existit, ut ad nos sicut ad amicos ministros angelos suos destinet Deus. Quamvis enim multum intersit inter angelos et homines, propinquos tamen eos nobiscum fecit, quia nostræ saluti student, propter nos discurrunt, pro nobis suo funguntur officio, hoc est opus angelicum, angelicæ functionis officium, ut omnia fiant pro salute proximorum. Magis autem hoc est opus Christi, quia angelis nobis superioribus præcepit ad nostram salutem suum exhibere ministerium.

[¶]2.1 **Propterea.** Postquam locutus est de Filio Dei multa quæ ad ejus commendationem valent, hortatur eos quibus scribit, ut diligenter animadvertant et custodiant ea quæ per illum annuntiata sunt eis. Et ad hoc tendunt omnia præmissa quibus probavit quod esset Christus major prophetis et angelis. **Abundantius,** quam quæ de lege, vel prophetis, vel angelis dicta sunt. Nomen legis obtulit Apostolus, quia in astruente sua quam in posterioribus facit etiam hoc manifestum facit. **Perefluimus.** Fluumus per pœnas mortalitatis naturæ, effluimus, peccata addendo, perefluimus in æterna damnatione. Hinc suadet audienda esse verba Christi per pœnam quæ erit negligentibus.

[§]2.2 **Et omnis prævaricatio.** Dicit *omnis*, ut pro singulis peccatis sit pœna; non enim solum omnis prævaricator qui multorum reus est, pœnam luet. **Justam mercedem.** Ita loquitur ne putetur perire justitia per misericordiam. Quod vero ait, **retributionem,** hoc ad pœnæ quantitatem refertur, quæ æqualis peccato erit: quia secundum quod majus vel minus est peccatum, major vel minor erit pœna. Quod vero ait: **mercedis,** hoc ad qualitatem pœnæ refertur, ut qui libidinis igne perierit, igne æterni incendii crucietur.

nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, ⁴ contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem. ^{** 5} Non enim angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. ⁶ Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum? ^{†† 7} Minuisti eum paulo minus ab angelis: gloria et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuarum. ^{‡‡ 8} Omnia subiecasti sub pedibus ejus. In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. ^{¶¶ 9} Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum: ut, gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem. ^{§§ 10} Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui mul-

^{**}2.4 *Et Spiritus distributionibus.* Per hoc affluentiam designat gratiarum, quæ non erat apud antiquos, neque tanta signa, neque tam diversa prodigia per quod ostendit, quia non simpliciter est eis creditum, sed per ligna et prodigia. Ideoque cum credimus, non illis, sed Deo nos credere declaratur.

^{††}2.6 *Quid est homo.* Potest hoc legi admirative, ut per hominem et Filium hominis intelligatur Christus homo. Cujus fuit memor Deus in conceptione, dando immunitatem a peccato. Et visitavit in resurrectione, dando gloriam immortalitatis. Potest etiam hoc legi, cum despectu, pro terreno: Adam enim homo fuit, sed non filius hominis, sicut homines dicuntur qui portant ejus imaginem. Qui autem portavit imaginem Christi dicuntur filii hominum potius. Et ille, vetus homo dicitur; iste, novus. Homo igitur hoc loco terrenus est; Filius autem hominis, celestis. Et ille longe sejunctus est Deo, hic autem præsens est. Et ideo illius est memor tanquam in longinquo positi. Hunc visitat quem vultu suo, id est, gratiæ suæ præsentia illustrat. *Visitas eum:* hominem per Filium hominis, quasi per medicum infirmum, visitavit Pater.

^{‡‡}2.7 *Gloria.* Claritate immortalitatis *honore*, eo quod sic flectitur omne genu. *Super opera manuum*, digniora, scilicet, angelos et homines, quæ per excellentiam dicuntur opera manuum.

^{¶¶}2.8 *In eo autem.* Exponit sensum David. Ait David Psal. 8.: *Omnia subiecasti: In eo autem quod Scriptura subiecit*, id est, subjecta ostendit *omnia, nihil dimisit*, id est, nihil exceperit de omnibus.

^{§§}2.9 *Eum autem*, etc. Majores angeli homine dici possunt, quia majores sunt hominis corpore. Majores sunt et animo, sed in eo tantum quod peccati originalis merito corpus aggravat ipsum animum, sed hoc non in Christo. Quod autem tibi videtur nihil magnum de Deo Patre dici, si forma servi major est, qua majores videntur et angeli; non recte cogitas, nec attendis quem habeat locum in rebus humana natura, quæ condita est ad imaginem Dei: cui tamen injuria facta non est, cum Christus dicebat: *Pater major me est* Joan. 14.; qui non carni suæ solum, sed etiam menti quam gerebat humanæ Deum patrem præferebat, quæ sine dubio forma agnoscitur servi, quoniam servit tota creatura Creatori. *Propter passionem.* Hic jam incipit ostendere non pro potentia tantum, vel ultione verba Christi audienda esse, sed pro dilectione qua dilexit nos, ut pro nobis moreretur.

tos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.*
¹¹ Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: ¹² Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te. ¹³ Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego, et pueri mei, quos dedit mihi Deus. ¹⁴ Quia ergo pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum:† ¹⁵ et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. ¹⁶ Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.‡ ¹⁷ Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.¶ ¹⁸ In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari.§

*2.10 **Auctorem.** Christum. **Salutis eorum,** id est filiorum. Ipse enim est filius per naturam, cujus hæredes erimus qui sumus adoptione filii. Vide quantus est in medio nostrum: Et ille filius, et nos filii sumus. Sed distat, quod ille salvat, nos salvamur. Ille sanctificat, nos sanctificamur. Modo conjungit nos Scriptura, modo disjungit. **Multos,** inquit, **filios,** hic conjunxit: **auctorem salutis eorum,** hic discrevit. **Per passionem.** Quia nisi Christus moreretur, homo non redimeretur, et non redemptus periret. Quod si esset, frustra omnia facta essent. Cætera enim homini serviunt, homo Deo. Nec in aliquibus Deus glorificaretur cum ad hoc omnia facta sint. Falsa quoque esset prædestinatio de adducendis filiis. **Consummare.** Hoc in resurrectione incepit, quando immortalitatis gloria sublimatus est. Et auctum in ascensione, quando ascendit ad dexteram Patris. Et perficietur in iudicio, **quando ei omnia subiciuntur, et erit omnia in omnibus** I Cor. 15.. **Qui enim,** etc. AUG. Probat, quod pro nostra liberatione Christum pati decuerit, etc., usque ad cum et utramque naturam per se constat scivisse. **Ex uno omnes.** Sed ille ut proprius Filius, nos adoptivi. Cum dicit: **non erubescit fratres vocare,** ostendit quod non ei naturæ est fraternitas nostra, sed misericordiæ. Quod probat per prophetam, ne putetur novum.

†2.14 **Quia ergo.** Quasi: Cum essent ex uno omnes, et, quia pueri qui sanctificandi erant communicaverant carni, id est erant homines ex anima et corpore, quæ per sanguinem accipitur, corruptibiles; ideo **et ipse,** Christus. **Participavit eisdem** pueris, vel **eisdem,** id est carne et sanguine, et hoc similiter, id est, passibilis et mortalis, ut posset mori, et sic destrueret diabolum, et per mortem, legem evacuet, et Judæos liberos faceret per gratiam qui timore pœnarum servi erant legis. **Per mortem.** Mirum quid? Mors erat arma per quæ vincebat diabolus, et per eam victus est a Christo diabolus.

‡2.16 **Nusquam.** Participavit eisdem ut homines sanctificaret. Et recte hæc causa apponitur, quia si non esset eos liberaturus, non eis participaret. Quod in angelis apparet, quia nusquam, id est, nulla scriptura legitur apprehendisse angelos. **Apprehendit.** Apostolus dixit: **apprehendit,** non autem **assumpsit,** quasi: Longe fugientem assecutus est. In quo humanæ naturæ dignitas intelligi potest, et misericordia et gratia qua hoc fecit, et cura quam de nobis habuit. Fugientem quippe ante humanam naturam, et longe fugientem (longe enim eramus); insectus apprehendit, non angelicæ, sed humanæ naturæ data est hæc dignitas, ut Deus ei in unam personam jungeretur.

¶2.17 **Per omnia.** Quia natus, educatus, crevit; passus, mortuus. Qui supra dictus est figura paternæ substantiæ.

§2.18 **In eo enim.** Id est, in carne quam suscepit multa sæva passus est. Novitque quid est ista tribulatio patientium per experimentum. **Qui tentantur.** Tentat Deus ut probet, diabolus ut decipiat, homo ut sciat quod nescit.

3 Unde, fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate Apostolum, et pontificem confessionis nostræ Jesum: ** 2 qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut et Moyses in omni domo ejus. †† 3 Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam. †† 4 Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est. ¶¶ 5 Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant: §§ 6 Christus vero tamquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiducia, et gloriæ spei usque ad finem, firmam retineamus. 7 Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis, * 8 nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, † 9 ubi tentaverunt me patres vestri: probaverunt, et viderunt opera mea † 10 quadraginta annis: propter quod infensus fui generationi huic, et dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas, ¶ 11 sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam. § 12 Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo: ** 13 sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognomi-

**3.1 *Unde fratres.* Ex omnibus superioribus infert; quasi: Quia potens, quia passus pro nobis, et potest auxiliari.

††3.2 *Qui fidelis.* Incipit Christum comparare Moysi, sicut supra prophetis et angelis, ita ut sit præ Moyse fidelis, quia non suam, sed Patris gloriam quæsit, nec ejus mandata abscondit. Qui Christus fidelis est Patri (sicut Moyses) in omni domo Judæorum et gentium.

††3.3 *Amplioris.* Quasi: Quod fidelis fuerit, ipse effectus indicat: quia dignus est gloria, ut Moyses: et quidem ampliore præ Moyse, id est, quam Moyses, vel præ Moyse existens in merendo.

¶¶3.4 *Omnis namque domus,* etc. Fabricavit dico, per se enim non potest fieri, sed ab aliquo. An ideo a Christo? Vere, quia Deus est qui facit domum, et omnia. *Qui autem omnia creavit,* et domum. *Deus est.* Utriusque enim domus tam ejus quam rexit Moyses, quam ejus quam erexit Christus, factor est Deus.

§§3.5 *Et Moyses.* Ostendit Christum dignum ampliori gloria quam Moysen, quia Christus fabricator est domus, non autem Moyses. Hic aliam rationem etiam ostendit, quia scilicet Christus filius, Moyses famulus est, qui et carnalia carnalibus tradebat, Christus vero spiritualia.

*3.7 *Quapropter.* Cum supra præ angelis et prophetis Christum commendasset in multis, subintulit nos oportere observare quæ ab illo audivimus; ita et nunc commendato ipso præ Moyse, incipit eos terrere, ne sint increduli Christo, per patrum similitudinem; et ne amittant requiem, blanditur, per opportunitatem temporis. *Hodie.* Modo, per se loquitur, qui prius per præcones: si tunc duri modo estote molles.

†3.8 *Nolite obdurare corda vestra;* id est, nolite Deo rebelles et contumaces esse, sed obsequentes.

‡3.9 *Probaverunt;* id est, curiositatis causa exquisierunt.

¶3.10 *Offensus.* Valde et implacabiliter iratus. *Infensus.* Vel *proximus* adhibendo correctionis flagella.

§3.11 *In ira mea.* Irasci dicitur Deus per figuram anthropopathos. *Si introibunt in requiem meam.* Aposiopesis est, id est non introibunt.

**3.12 *Cor malum incredulitatis.* Ut putetis Christum non sufficere sine lege, quod est malum, quia sic ruit homo in multa peccata. Nec hoc leve, quia hoc est cor discedendi a Deo vivo.

natur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.^{††} ¹⁴ Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus.^{‡‡} ¹⁵ Dum dicitur: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione. ¹⁶ Quidam enim audientes exacerbaverunt: sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen.^{¶¶} ¹⁷ Quibus autem infensus est quadraginta annis? nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto? ¹⁸ Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? ¹⁹ Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

4 Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse. ² Etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodum et illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis quæ audierunt.^{§§} ³ Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam: et quidem operibus ab institutione mundi perfectis.* ⁴ Dixit enim in quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis.[†] ⁵ Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam.[‡] ⁶ Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, et ii, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem: ⁷ iterum terminat diem quemdam, Hodie, in David dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est: Hodie si vo-

^{††}3.13 *Donec hodie;* id est, tempus gratiæ, et de quo aiebat propheta superius in psalmis, quia non minus modo præstatur credentibus gratia ad salutem, quam ipso Christo præsentem corporaliter. *Fallacia peccati,* id est diaboli, qui est causa peccati.

^{‡‡}3.14 *Participes enim Christi.* Debetis hortari, et non esse duri, quia quod non eramus, facti sumus per gratiam, habentes partem cum Christo in hæreditate: hac tamen conditione, *si initium substantiæ,* id est fidei, quæ est initium bonorum, per quam Deus existit, in nobis, et per quam deificamur, et divini substantiæ participamus, *usque ad finem, firmum retineamus.*

^{¶¶}3.16 *Quidam enim audientes.* Hoc ideo dicit, ne quis putet satis esse audire de requie, quia et illi omnes audierunt, sed non omnes audierunt, sed non omnes pervenerunt.

^{§§}4.2 *Non profuit,* etc. Egressi enim de Ægypto, cum multam viam perambulassent, et multa indicia virtutis Dei accepissent in Ægypto, in mari Rubro, in eremo, consilium fecerunt mittere speculatores qui deberent inspicere naturam terræ. *Quæ audierunt.* Exploratoribus; qui mala retulerunt, non crediderunt; vel ita distingue, *fidei sumptæ ex his quæ audierunt.*

^{*}4.3 *Et quidem.* De prima requie quod significet, hic agit. *Operibus.* Quia dixerat nuntiatum esse de requie, dicit quando: videlicet, ante legem, post perfectionem operum septem dierum per requiem sabbati; et sub lege, quando per terram promissionis designabatur; et tempore, gratiæ Spiritu sancto dicente in David: *hodie,* etc., quasi, nuntiatum est de requie illa et sic *quidem* quando nondum completio istius veræ requiei erat significata, quia requie nullus adhuc potitus fuerat. *Perfectis.* Quod fuit factum homine, pro quo facta sunt omnia, et ipse ad Deum glorificandum factus est.

[†]4.4 *Et requievit die septima.* Sex diebus fecit omnia, ut post nihil fieret nisi de materia tunc facta, et ad similitudinem factorum. Septima die quievit, quæ ideo significat requiem. Sic et sexta ætate homo Christus natus est mundo ad laborem, sexta die et sexta diei hora passus, septima quievit. Sic et nos dum sub operibus sex dierum vivimus, operamur; inde exeuntes, quiescimus: si tamen opera nostra valde bona inveniantur.

[‡]4.5 *Et in isto.* De secunda requie, quæ significatur per figuram requiei terræ promissionis.

cem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.^{¶ 8} Nam si eis Jesus requiem præstitisset, numquam de alia loqueretur, posthac, die.^{§ 9} Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.^{** 10} Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus.¹¹ Festinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.^{†† 12} Vivus est enim sermo Dei, et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus: compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.^{** 13} Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia

^{¶ 4.7} **Diem quemdam hodie.** De tertia significata, et quando datur, quamvis obscure, quæ per Christum credentibus promissa est. **Post tantum temporis.** In hoc autem patet quod hæc est alia requies de qua David dicit **hodie**, quam illa ad quam Josue duxit. Nam si illa esset, non loqueretur de alia David; ergo certum est esse aliam ad quam Christus ducit, quæ per illam Palæstina signabatur.

^{§ 4.8} **Eis**, filiis Israël, quibus prius nuntiatum est de requie per signum, id est terram promissionis; **requiem præstitisset nunquam**, id est nullo tempore; **posthac**, id est in sequenti tempore; **loqueretur de alia die**, id est tempore gratiæ, quo deberet dari. Vel, nunquam post loqueretur de alia, scilicet requie, præter terram promissionis. Dicendo, hac die idem vult esse, quod dixerat supra, **hodie**, etc.

^{** 4.9} **Sabbatismus**; id est, vera requies significata per sabbatum (id est, plenæ quietis feriata jucunditas) quo Dominus requievit et in lege observabatur. Tunc enim perfecte vacabimus, gratia majore refecti, et Deo pleni. Et sciemus perfecte, quia ipse est Deus. Ibi vacabimus, videbimus, et amabimus. Amabimus et laudabimus: ecce quid erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cujus non est finis?

^{†† 4.11} **In idipsum exemplum.** Vel, in poenam qualem illi per incredulitatem habuerunt; **exemplum** dicit ut mentem nostram habeamus illic, ne similiter excidamus.

^{** 4.12} **Sermo Dei.** Qui a regalibus sedibus venit. **Vivus.** Quem infideles mortuum putant. **Pertingens.** Tota consideratione perveniens ad separationem animæ, id est sensualitatis, et spiritus, id est rationis. **Divisionem animæ.** Anima vivimus cum bestiis, spiritu intelligimus cum angelis. Ideoque per animam intelliguntur carnalia peccata, id est quæ actu corporis fiunt, ut luxuria. Per spiritum vero spiritualia, id est quæ sunt mentis, ut superbia. Discernit autem sermo Dei inter carnalia peccata et spiritualia: quis, quid, quo animo agat. **Ac spiritus.** Pertingit sermo Dei cognitione inseparabili, quia cognoscit quomodo dividatur sensualitas a ratione, et ipsa a se, dum plus dedita infimis rebus, inferior est, vel ab his revocata dignior. Sic etiam videt quomodo spiritus a seipso dividatur, vel dum in Deum inhiat de divina visione cogitans, vel dum inferius cœlestia considerat, vel inferius in terra de mundanis recte agendis pertractat, vel quomodo spiritus, id est ratio, a sensualitate secernitur, dum quod in se inferius est, superat quod in illa altius est. **Compagum quoque.** Compages dicitur junctura ipsius sensualitatis et rationis, quam videt Filius Dei; scilicet quomodo et inter se cohæreant in aliquo, vel hoc et illa, id est ratio et sensualitas, quomodo in suis differentiis inter se conveniant, dum superior differentia sensualitatis consentiendo convenit cum differentiis rationis. Vel inferior differentia rationis, pressa et captiva, aliquando consentit inferiori differentiæ sensualitatis. **Medullarum.** Medulla quæ interior est, dicitur hic quidquid interius et subtilius est in anima vel spiritu, quod etiam videt Filius Dei. Discernit enim cogitationes, id est quæ diversa diversi cogitent. Discernit et intentiones earum cogitationum, quo singulæ tendant ad bonum vel malum. Et, ut plus dicam, nulla creatura terrena vel cœlestis est ei invisibilis, sed omnia sunt nuda et discooperta, quia ex omni parte plene visa. Item compages dicit conjunctiones cogitationum: medullas intentiones earum.

autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. ¹⁴ Habentes ergo pontificem magnum qui penetravit cælos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. ^{¶¶} ¹⁵ Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. ^{§§} ¹⁶ Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

5 Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis: [†] ² qui condolare possit iis qui ignorant et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: [‡] ³ et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. ⁴ Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. [¶] ⁵ Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. [§] ⁶ Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. ^{**} ⁷ Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte cum clamore valido, et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reveren-

^{¶¶}4.14 *Habentes ergo*. Hic incipit dicere de pontifice Christo, quomodo sufficiens, et quomodo dignior veteri sacerdote. Quem etiam immutat, et legem, quæ sub illo est, per meliorem legem suam, et quomodo necessarius nobis ad justitiam et salutem.

^{§§}4.15 *Non enim habemus*, etc. Quasi: Teneamus et tenere debemus, quia, cum sit potens, est etiam misericors, nostram utpote expertus infirmitatem. *Qui non possit*, etc. Impossibile est scire afflictiones afflictorum, homini qui experimentum afflictionis non habuit et sensibiliter omnia non sustinuit. Christus vero scit non solum per hoc quod Deus, secundum quod omnia novit, sed per hoc quod homo et similia sustinuit.

*4.16 *In auxilio opportuno*. Nunc tempus est auxilii, nunc est tempus donorum, cum post baptismum peccantes per gratiam invenire pœnitentiam possunt. Cum autem thalamus fuerit clausus, cum intraverit rex videre discumbentes, ut ad sinum patriarchæ venerint qui eo fuerint digni, tunc malis erit desperationis tempus. Nunc autem cum adhuc agôn permanet et palma pendet, non est desperandum, sed cum fiducia, id est sine dubitatione accedendum, ut per gratiam accedatur, inveniatur auxilium opportunum. Est enim tempus quod non congruit.

[†]5.1 *Omnis namque pontifex*. Quia spiritualia non sic introducunt infirmos: ut corporalia; de his incipit, volens ostendere Novum Testamentum esse melius Veteri. Quædam autem Christo communia cum sacerdotibus ponit, quædam altiora pertinentia ad solum Christum. Quædam porro humiliora, illis tantum sacerdotibus convenientia.

[‡]5.2 *Quoniam et ipse*. Aufer hic occasionem extollendi se supra alios.

[¶]5.4 *Nec quisquam*, etc. Percutit cupidos, qui non vocantur, sed ingerunt se.

[§]5.5 *Non seipsum clarificavit*. Clarificatus est Filius a Patre, cum dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* Matth. 3.. Quæ clarificatio longe ante per Prophetam prædicta est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* Psal. 2..

^{**}5.6 *Tu es sacerdos*. Sacerdos autem Christus est, non secundum id quod natus est de Patre Deus apud Deum coæternus gignenti: sed propter carnem assumptam, propter victimam, quam obtulit pro nobis. *Secundum ordinem Melchisedech*, qui non temporalis fuit, Scriptura subtrahente initium et finem ejus vitæ, in figura Christi qui caret initio et fine. Et sicut ille obtulit in pane et vino et semel, sic et Christus sub specie panis et vini corpus et sanguinem suum discipulis dedit.

tia.^{††} ⁸ Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam:^{‡‡} ⁹ et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ,^{¶¶} ¹⁰ appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech. ¹¹ De quo nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.^{§§} ¹² Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei: et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.* ¹³ Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ: parvulus enim est.[†] ¹⁴ Perfectorum autem est solidus cibus: eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

6 Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacentes fundamentum penitentiæ ab operibus mortuis, et

^{††}5.7 *Preces supplicationesque.* Christi dicit actionem et vitam cujus omnis actio fidelium est institutio, et ad Deum oratio. Quidquid egit Christus, preces et supplicationes fuerant pro omnibus. Sanguinis effusio fuit clamor validus, in quo auditus, pro reverentia ejusdem passionis. Reverentia est, quod sine peccato passus pro sola charitate. *Exauditus est.* Per hoc patet, quod per eum possumus consequi misericordiam cum jam ad dexteram sit Patris.

^{‡‡}5.8 *Didicit,* etc. Id est voluntarie suscepit obedientiam usque ad mortem.

^{¶¶}5.9 *Omnibus obtemperantibus.* Tantum valet passio, ut omnibus sufficiat ad salutem, quæ salus bene potest esse per eum, quia ipse *est appellatus,* etc. *Factus est causa salutis,* non cujuslibet, sed æternæ; nec paucis, sed omnibus; hac tamen conditione, ut obtemperent ei. Non enim aliter salutem consequi poterunt. Et bene potest ipse causa salutis esse cæteris, quoniam *appellatus est a Deo pontifex,* sicut et ipse suis operibus realiter ostendit se talem esse. Nam quia pontificis officium implevit, atque Patri fuit in omnibus obediens, et in seipso pervenit ad tantum bonorum omnium consummationem, ut sufficeret etiam ad aliorum salutem, idcirco *appellatus a Deo est pontifex,* et hoc, *juxta ordinem Melchisedech,* scilicet, ut omnis ordo divinitatis in eo consideretur, qui considerari potuit in Melchisedech.

^{§§}5.11 *Ininterpretabilis.* Sermo de incarnato Filio difficilis est ad interpretandum, quia debiles sensu estis ad intelligendum profunda mysteria.

[†]5.12 *Etenim cum deberetis.* Interserit increpationem de infirmitate, ut alta de Christo laborent intelligere. *Quæ sunt elementa exordii.* Exordium sermonum est simplex doctrina. Elementa ejus, materia de qua agit, ut nativitas, passio.

[†]5.13 *Omnis enim,* etc. Qui non capit hoc: *Verbum caro factum est,* quomodo capiet: *In principio erat Verbum?* Omnis de hac re sermo, quo agitur, ut non solum credatur, verum etiam intelligatur, sciaturque quod dicitur, onerosus est: facilius illos premit quam pascit. Ex quo fit, ut spirituales, ista carnalibus non omnino taceant, propter catholicam fidem, quæ omnibus prædicanda est. Nec tamen sic deserant, ut volentes ea perducere ad intelligentiam non capacem, facilius fastidiri faciant in veritate sermonem quam in sermone percipi veritatem.

fidei ad Deum,[‡] ² baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, et iudicii æterni. ³ Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus. ⁴ Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti,[¶] ⁵ gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, ⁶ et prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.[§] ⁷ Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, ⁸ et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo:^{**} ⁸ proferens autem spinas ac tribulos, reprobata est, et maledictio proxima: cujus consummatio in combustionem. ⁹ Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, et viciniora salutis: tametsi ita loquimur.^{††} ¹⁰ Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis.^{‡‡} ¹¹ Cupimus autem unumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad exple-

[‡]6.1 **Quapropter.** Duriter eis increpatis et culpatis, eo quod velint semper eadem ipsa discere, iterum blanditur illis se eis connumerando, hortans eos ad perfectionem. **Inchoationis Christi sermonem,** quo rudes sunt catechizandi, ut est Symbolum fidei et Dominica oratio. **Non rursus,** id est non olim, ut sicut prius ceciderunt, iterum cadant. Vel, **non rursus jacentes,** ita modo jaciamus, ut amplius jacere non sit opus. **Fundamentum.** Quod prius dixit sermonem inchoationis, hic appellat fundamentum, eo quod ad Christianam religionem venientibus prius proponitur, ut super hoc, quod perfectionis est ædificetur. Hoc fundamentum dividitur in sex, quæ sunt: inchoatio seu pœnitentia, fides, baptismatum doctrina, impositio manuum, resurrectio, atque iudicium. Quicumque aliquos ad fidem convertit, prius facit pœnitere, in Deum credere, baptizari in remissionem, confirmari per impositionem, resurrectionem et diem iudicii præstolari.

[¶]6.4 **Impossibile.** Ne quis vero existimet secundum vel tertium baptisma post peccata posse fieri, subdit: **Impossibile,** non tantum difficile, ne quis in hoc confideret. **Eos qui,** id est, etiam eos qui hæc bona habuerunt. Nedum penitus malos.

[§]6.6 **Renovari,** per baptismum, cujus virtus in cruce Christi constat, unde subditur: **Rursus crucifigentes.** Quia in baptismo sumus conformes morti ejus et sepulturæ. Qui putat secundo baptizari, secundo Christum (quantum ad se est) crucifigit, quod est eum habere ostentui et derisioni ut semel mortuus est; ita nos in baptismo semel morimur peccatis, non secundo vel tertio.

^{**}6.7 **Sæpe venientem.** Dicit **sæpe venientem,** quia si rara, non sufficit: si assidua, vilescit. **Imbrem.** Doctrinam sanctam, rorem cœlorum, quem sitiendi terræ pluunt cœli, id est prædicatores verbi veritatis. **Generans herbam.** Significat eos sæpe bibisse per legem et prophetas verbum cœlestis doctrinæ, qui nec sic prompti fuerunt germina fidei proferre. **A quibus colitur.** Cultores terræ sunt qui vomere spirituali arbusta conscindunt, et falce verbi Dei noxia præcidunt. Vel illi a quibus colitur. sunt illi iidem qui se colunt in bonis operibus, imitati scilicet majores, secundum illud: **Et fecerunt fructum nativitatis,** quia patres suos, qui eos in fide genu erunt, imitantur.

^{††}6.9 **Confidimus.** Quia de præsentis non habet Apostolus unde eos laudet; de spe futurorum attollit, ad quæ per præterita allicit, et recreat animos eorum et confortat, antiqua eis in mentem revocans, et facit eos existimare Deum non oblitum bonorum quæ fecerunt. Sicut enim priora bona per sequentia mala mortua fuerant et irrita facta, ita ipsa eadem per pœnitentiam et alia bona sequentia reviviscunt.

^{‡‡}6.10 **Operis.** Magna illis testificatus est. Tria autem bona commendat in eis, scilicet quod omnia sua fecerunt communia sanctis. Ecce opus, et hoc ex dilectione, quæ informat actiones; ecce alacritas, et hoc ad gloriam Dei; ecce pura et recta intentio.

tionem spei usque in finem:[¶] 12 ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide, et patientia hæreditabunt promissiones. 13 Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum,^{§§} 14 dicens: Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te. * 15 Et sic longanimitè ferens, adeptus est repromissionem. 16 Homines enim per majorem sui jurant: et omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum. 17 In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus, immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum:[†] 18 ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem,[‡] 19 quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis,[¶] 20 ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.[§]

7 Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum, et benedixit ei:^{**} 2 cui et decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur rex justitiæ: deinde autem et rex Salem, quod est, rex pacis,³ sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.^{††} 4 Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha.^{‡‡} 5 Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatam habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis: quamquam et ipsi

[¶]6.11 *Cupimus*. Multam dilectionem erga illos ostendit, et eandem circa singulos curam demonstrat, et tum majorum, tum minorum similiter curam gerit, et omnes diligit.

^{§§}6.13 *Abrahæ namque*, etc. Tria dicit: quod promissio facta; et per juramentum firmata; et in Abraham jam impleta.

*6.14 *Nisi benedicens*, etc. Aposiopesis est hic, id est defectio. Quasi: Si hoc non fecero, non mihi credatur de aliquo.

[†]6.17 *In quo abundantius volens*. Quasi diceret: Si autem homini, qui mendax est, per juramentum creditur, quanto magis Deo credendum est, qui mentiri non potest?

[‡]6.18 *Confugimus*. Fugit ad spem qui spe beatitudinis tribulationes spernit.

[¶]6.19 *Quam sicut*. Sicut anchora navem, sic spes animam tenet, ne mergatur in salo hujus mundi, consentiendo iniquitati; *ac firmam*, ne saltem titubet. AUG. *Jacta in Deum curam tuam*, etc., usque ad si ad tempus fluctuat, anchora spes ejus est.

[§]6.20 *Præcursor*. Ad hoc Christus præcurrit, ut nos sequamur. Qui bene dicitur cursor, quia nulla culpa eum impedivit, secundum illud: *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* Psal. 18.. Et alibi: *In via peccatorum non stetit* Ibid. 1.. Et præcursor, quia ante nos, et pro nobis currit.

^{**}7.1 *Sacerdos Dei summi*. CHRYS., hom. 35, in Gen. Sacerdos autem erat forte a semetipso ordinatus, sic enim tunc erant sacerdotes. Vel quia ætate provector erat, a suis colebatur. Vel quod et ipse sacrificare studuit, sicut et Nœ, Abel Abraham, quando sacrificia obtulerunt.

^{††}7.3 *Neque initium*, etc., *neque finem vitæ habens*. Christus omnino non habuit initium neque finem. *In perpetuum*. Hoc ita dicit quia Scriptura obticet, quod aliquis ei successisset. Vel mystice loquitur de sacerdotio Christi.

^{‡‡}7.4 *Intuemini autem*, etc. Immoratur in commendanda dignitate. Melchisedech et excellentia sacerdotii ejus; præferens eum ipsi Abrahæ patri omnium et omnibus Levitis.

exierint de lumbis Abrahæ.^{¶¶} ⁶ Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, et hunc, qui habebat repromissiones, benedixit. ⁷ Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicatur. ⁸ Et hic quidem, decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur, quia vivit.^{§§} ⁹ Et (ut ita dictum sit) per Abraham, et Levi, qui decimas accepit, decimatus est: ¹⁰ adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech. ¹¹ Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech, alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? ¹² Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat.[†] ¹³ In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit. ¹⁴ Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.[‡] ¹⁵ Et amplius adhuc manifestum est: si secundum similitudinem Melchisedech exsurgat alius sacerdos, ¹⁶ qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis.[¶] ¹⁷ Contestatur enim: Quoniam tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. ¹⁸ Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem: ¹⁹ nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. ²⁰ Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt, ²¹ hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum: Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: tu es sacerdos

^{¶¶}7.5 *Et quidem de filiis Levi*, etc. Quasi: Et ex hoc intuemini quantus sit, quia aliqui quidem de filiis Levi per hoc quod accipiunt sacrificium, (aliter enim non auderent) habent mandatum in lege, sine cujus auctoritate nunquam præsumerent sumere decimas.

^{§§}7.8 *Contestatur*. Ut ego, vel, idem in multis locis. *Vivit*. Gerebat enim typum pontificis nostri, cujus excellentia potestatis per illius similitudinem ostenditur. Per Melchisedech enim, in quo figura præcessit, discernitur sacerdotium Christi a sacerdotio Levi; in Christi autem figura dicitur quod Melchisedech vivit. Unde dicitur sacerdos in æternum, qui seipsum obtulit, non ex aliqua necessitate, sed ex voluntate propriæ potestatis.

^{*}7.11 *Sub ipso*. Quia in manu sacerdotis lex, et per eum impletur lex quæ dicitur consummare. Hæc translatio præfigurata fuit in Samuele, qui de tribu Ephraim electus est sacerdos a Domino, reprobatis filiis Eli, Domino dicente: Qui honoraverit me, honorabo eum; et qui inhonoraverit, etc.

[†]7.12 *Translato enim*, etc. Quod alius surgat, subsequenter probat et per tribum et per ritum. Per tribum ibi: *In quo enim hæc*, etc. Per ritum ibi: *Et amplius*, etc. *Translato enim sacerdotio*. Quia ergo similiter et ab eodem et sub eadem sponcione data sunt lex et sacerdotium, quod de uno dicitur, necesse est ut et de altero intelligatur.

[‡]7.14 *Manifestum est enim*, etc. De tribu ad tribum translatum est sacerdotium, de sacerdotali ad regalem, ut eadem sit sacerdotalis et regalis. Et intuere mysterium: primum fuit regalis, postea facta est sacerdotalis. Sic Christus rex erat semper; sacerdos autem factus est quando carnem suscepit, quando sacrificium obtulit.

[¶]7.16 *Non secundum legem*. Id est secundum carnalem intellectum legis, ut faceret secundum carnales observantias; sed secundum virtutem ipsius legis, id est spirituales intellectum, quem exsequentes, vitam habent æternam. Distat inter sacerdotium, et sacerdotium. Illud carnale, hoc spirituale. Illud temporale, hoc æternum.

in æternum):²² in tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus.^{§ 23} Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere:²⁴ hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.^{** 25} Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis.^{†† 26} Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus:^{‡‡ 27} qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.^{¶¶ 28} Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.^{§§}

8 Capitulum autem super ea quæ dicuntur: Talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis,^{*} 2 sanctorum minister, et tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo.[†] 3 Omnis enim pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur: unde necesse est et hunc habere aliquid, quod offerat.[‡] 4 Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cum essent qui offerent

§7.22 *In tantum.* Ex laude sacerdotis infert commendationem legis. **Melioris.** Quia meliora, id est æterna promittit; Vetus autem Testamentum, temporalia.

**7.24 *Hic autem,* etc. Sicut Christus per manet, ita et lex quam attulit, in qua vera remissio peccatorum, et perpetua gratia, quod quia vetus lex non potuit, exclusa est. Quod autem permaneat in æternum ostendit ex pontifice, qui unus est, quod non esset, nisi esset immortalis, sicut in lege fuerunt multi, quia mortales.

††7.25 *Unde et salvare.* Ostenso quod per sacerdotium Christi vetus sacerdotium et lex destruatur, commendat actum ipsius deprimendo, per contrarium, operationem veteris sacerdotii.

‡‡7.26 *Sanctus,* interius. *Innocens,* manibus. *Impollutus,* corpore. *Segregatus a peccatoribus,* id est ab omni peccato immunis.

¶¶7.27 *Qui non habet,* etc. Cum sit talis, non habet necessitatem quotidie offerre. Non hoc dixit Apostolus quasi Christus eo aliquando egeat, sed ut ab eo removeat quod aliis convenit. **Hoc enim fecit semel seipsum offerendo.** Adeo magnum est sacrificium, quod licet unum et semel oblatum sit, sufficit tamen ad æternitatem.

§§7.28 *Lex enim homines constituit,* etc. Illi habent necessitatem quotidie offerre, quia infirmi; hic semel seipsum offerens, omnibus sufficit, quia perfectus est.

*8.1 *Capitulum.* CHRYS. Commiscet humilia cum excelsis apostolus Paulus, semper Magistrum suum sequens, etc., usque ad cui oportet fungi munere sacerdotis. **Talem habemus.** Hic incipit capitulum; et finit ibi: **Deus et non homo. In cælis.** Vel super materiales cælos. Vel, super thronos et dominationes.

†8.2 *Sanctorum minister.* Quia sanctis augmentum virtutum, et vitam æternam ministrat. Vel, in cælis ministrat gloriam per sancta sanctorum significatam. **Minister tabernaculi veri.** Id est veritatis, quam tabernaculum vetus præfigurabat; scilicet justitiam in præsentī Ecclesia, gloriam in futura. **Quod,** verum tabernaculum, **fixit Deus,** ut in æternum permaneat; umbratile vero erat non fixum, sed portatile; **et non homo:** hoc addit quia et vetus posuit Deus, sed per ministrum hominem.

‡8.3 *Quod offerat.* Et cum necesse sit eum habere aliquid ad offerendum; vel illud erit super terram, vel cœleste: sed non super terram, quia si hoc esset jam non esset sacerdos; ergo cœleste est quod offert.

secundum legem munera,[¶] ⁵ qui exemplari, et umbræ deserviunt cælestium. Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: Vide (inquit) omnia factito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.[§] ⁶ Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.^{**} ⁷ Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur.^{††} ⁸ Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: et consummabo super domum Israël, et super domum Juda, testamentum novum, ⁹ non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum ut educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo: et ego neglexi eos, dicit Dominus.^{‡‡} ¹⁰ Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas: et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum:^{¶¶} ¹¹ et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me

[¶]8.4 *Cum esset*, etc. *Si ergo esset*, etc. Quia omnis qui offert, si esset terrenus aliquis qui posset mundare genus humanum, non esset sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quia satis essent qui offerrent legalia; sed quia illi erant mortales et peccatores, et ideo humanum genus mundare non valentes, venit Christus qui sufficeret. Nunc autem, id est in novissima ætate, melius ministerium sacerdotii sortitus est Christus tanto quanto melior est lex ejus. Jam a sacerdotio et sacrificio transit ad differentiam Testamentorum.

[§]8.5 *Responsum est*, etc. Non cum inciperet, quia jam multa figuris expresserat, sed cum per se non posset consummare, consulit Dominum, qui de figuris, sicut et de veritate eum docuit.

^{**}8.6 *Et melioris Testamenti*, etc. Jam a sacrificio et sacerdotio transit ad differentiam Testamentorum, Veteri præferens Novum; eo quod Novum in melioribus repromissionibus sancitum.

^{††}8.7 *Nam si illud prius*. Probat quod Testamentum Christi melius est Veteri: nam illud non vacat culpa, hoc vacat. Si enim vacasset culpa, non daretur secundum, sed datur. Et ita apparet illud fuisse imperfectum, hoc perfectum. *Culpa vacasset, non utique*. Ita hoc dicit, quasi ipsum culpam habeat. Quod videtur, dum præcipit sine gratia, et prævaricatores facit. *Inquireretur*, a Domino, qui prius paulatim instruxit et educavit, ut post perfectum daret.

^{‡‡}8.9 *Quod feci patribus eorum*. Et quia quibusdam speciale fecerat, determinat. *Quod feci in die*, id est tempore legis, quæ post exitum de Ægypto data est. Quod ergo ante legem Abrahamæ dixit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* Gen. 22., postmodum complevit in Evangelio. Illa enim promissio fuit spiritualis et specialiter pertinens ad gratiam. *Non permanserunt in Testamento*. Vitio eorum deputat quod non permanserunt in Testamento, ne lex quam tunc acceperunt culpanda videatur. Ipsa enim est quam non venit Christus solvere, sed implere. Non tamen justificat sine gratia, pro veteris hominis noxa, quæ quia per litteram jubentem et minantem non sanatur, dicitur illud, Vetus; hoc, Novum: propter novitatem spiritus qui sanat a vitio vetustatis, quod evidenter aperit dicens: *Hoc est Testamentum*, etc.

^{¶¶}8.10 *Dando leges meas in mentes*. Non in tabulis lapideis, non atramento, sed Spiritu, quo præsentem (qui est digitus Dei) diffunditur charitas in cordibus, quæ est plenitudo legis. Siquidem justus non extra terrentur, sed intus diligunt justitiam. *Dando leges*: Ecce Testamentum. *Superscribam*. Quasi: Quæ debent superesse eisque dominari. *Et ero illis in Deum*. Id est vivent ex me et mihi, et in futuro me videbunt, quod est perfectio, ut alter alterum non doceat. Hæc est distantia Veteris et Novi, quod illud in lapide, hoc in corde; ibi merces, terra; hic visio Dei.

a minore usque ad majorem eorum:^{§§ 12} quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum jam non memorabor. ¹³ Dicendo autem novum: veteravit prius. Quod autem antiquatur, et senescit, prope interitum est.

9 Habuit quidem et prius justificationes culturæ, et Sanctum sæculare. * ² Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur Sancta. † ³ Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum: ⁴ aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ fronderat, et tabulæ testamenti, ⁵ superque eam erant cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorum: de quibus non est modo dicendum per singula. ‡ ⁶ His vero ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: ⁷ in secundo autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine, quem offert pro sua et populi ignorantia:¶ ⁸ hoc significante Spiritu Sancto, nondum propalatum esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum:§ ⁹ quæ parabola est temporis instantis: juxta quam munera, et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibus, et in potibus,** ¹⁰ et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus

§§8.11 **Non docebit.** Quod latebat in littera, et discebat populus per traditiones magistrorum, hoc Spiritus adveniens docuit apostolos, et hoc est quod Propheta dicit: **Non docebit unusquisque proximum, quia omnes scient** Jer. 31.; sicut in Evangelio dicitur: **Tunc aperuit eis sensum** Luc. 24., etc. **Majorem.** Majores intellige vel tempore: ut priores qui nos posteriores exspectaverunt in denario accipiendo; vel scientia, vel virtute digniores, qui scilicet intelligere valuerunt lumen incorporeum atque incommutabile, quantum in hac vita potest: quod minores tamen credere potuerunt. Cum ergo venerit quod perfectum est, et evacuatum fuerit quod ex parte est, tunc qui assumpta carne carni apparuit, ostendet seipsum dilectoribus suis. Tunc omnes scient eum a minore usque ad majorem, quia etiam minimus tunc perfecte sciet, cum per se, non a majore instructus erit.

*9.1 **Habuit.** Hucusque differentiam Testamentorum ostendit, et quod Veteri Novum supereminet, et illud immutat. Nunc idem ostendit ex ipsius tabernaculi schemate. **Sanctum,** non spiritale, sed: **Sæculare.** Quia putabatur ab hominibus sanctum. Et vere habuit sanctum sæculare, quia tabernaculum primum et secundum.

†9.2 **Tabernaculum enim sanctum.** Primum tabernaculum intus habuit altare incensi; ante fores sub dio, altare holocaustorum: vel quod foris est significat Vetus Testamentum, et est figura figuræ; intus significat Novum

‡9.5 **Cherubim.** Per Cherubim significatur plenitudo scientiæ; per propitiatorium super arcam, Christus, quia ipsi Christo a Deo Patre specialiter datum est, ut esset propitiatio pro peccatis nostris.

¶9.7 **In anno.** Quod singulis annis intrabatur, significabatur non venisse adhuc perfectionem. **Pro sua et populi ignorantia.** Christus pro populo suo obtulit, pro se vero non, nisi in membris suis. Unde ipse ait: **Verba delictorum meorum** Psal. 21.. Delicta enim nostra sua dicit, quia ea suscepit, non ad habendum, sed ad delendum.

§9.8 **Nondum propalatum.** Cælum adhuc inaccessible est mortalibus secundum corporis conditionem, ante vero etiam secundum animas. Sed patienter exspectanda est resurrectio, in qua et corporibus per Christum patebit in cælum accessus. **Sanctorum viam.** Via sanctorum est Christus, vel spiritualis intelligentia legis per quam ascenditur in interiora cœli.

9.9 **Quæ parabola. Quod autem hæc de sacrificiis consummandis vel in primo vel in secundo tabernaculo secundum significationem dicta sint, aperit, subdens: **quæ parabola est,** etc.

correctionis impositis.^{††} ¹¹ Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non hujus creationis:^{‡‡} ¹² neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.^{¶¶} ¹³ Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis:^{§§} ¹⁴ quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?^{*} ¹⁵ Et ideo novi testamenti mediator est: ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repermissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis.[†] ¹⁶ Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.[‡] ¹⁷ Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. ¹⁸ Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. ¹⁹ Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit,[¶] ²⁰ dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. ²¹ Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. ²² Et omnia pene in sanguine se-

^{††}9.10 *Usque ad tempus correctionis*; id est usque ad tempus gratiæ, quo in melius corrigendi erant ii qui hucusque sub pædagogo erant, quos lex non poterat perfectos facere, non tamen eo tempore debebat cessare.

^{‡‡}9.11 *Per amplius*. Christus introivit tabernaculum, id est, cælum. Nomine signi, id est tabernaculi, designat Apostolus signatum, id est cælum, quod bene dicitur, *per amplius*, quia plures capit quam terrenum illud, et *perfectius*, quia ibi perfecta beatitudo.

^{¶¶}9.12 *In sancta*. Exponit quod dixerat: *Tabernaculum non manufactum, sancta sanctorum*, id est coelestia.

^{§§}9.13 *Si enim sanguis*. Quod per Christum potuerit esse redemptio, a minori probat, quia per illa legalia fiebat mundatio corporalis. *Hircorum*. Hircus Christum significat, per similitudinem carnis peccati. Taurus dicitur Christus, quia duorum Testamentorum cornibus ventilat inimicos. *Ad emundationem carnis*, id est, ut caro emundata sit propter legis præceptum; sed in Christo est perfectio.

^{*}9.14 *Obtulit semetipsum*. Christus, medius inter Deum et homines, dator est Novi Testamenti: quasi pontifex nobis est dator legis novæ. *Immaculatum*. Illius sanguis est immaculatus. *Ac operibus mortuis*; id est peccatis, quæ qui tangit inquinatur, sicut qui tangebatur mortuum coinquinabatur; nec intrat in cælum, sicut nec ille in templum. *Viventi*. Christi tamen mors erat necessaria in redemptione non modo gentilium, sed et earum prævaricationum quas lex ostendebat, non solvebat. Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus nisi Unigenitus Dei pro nobis moreretur, debitoribus mortis; sed sic fecit nos dignos Testamenti et promissæ hæreditatis, et ita Testamentum factum est firmum.

[†]9.15 *Intercedente*. Inter Vetus Testamentum et Novum (in quibus non solum sacramenta divisa sunt, sed et promissa) distinctio est passio Christi, in cujus morte constat terrena non promitti, sed æterna. In morte enim Unigeniti necesse est magna sperari.

[‡]9.16 *Ubi enim*. Christus est dator Novi Testamenti, morte intercedente, nunc vero in confirmationem Testamenti, poterat Christus mori ut probat consuetudine humanæ legis.

[¶]9.19 *Lana*. Caritas Christi est nobis lana, de qua vestem faciamus.

cundum legem mundantur: et sine sanguinis effusione non fit remissio.^{§ 23} Necessè est ergo exemplaria quidem cælestium his mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostiis quam istis.^{** 24} Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis: ²⁵ neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno.^{†† 26} alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.^{‡‡ 27} Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium:^{¶¶ 28} sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundo sine peccato apparebit exspectantibus se, in salutem.^{§§}

10 Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: per singulos annos, eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere:^{* 2} alioquin cessassent offerri: ideo quod nullam

§9.22 *Et sine sanguinis effusione*, etc. Hæc determinatio ideo apponitur, quia per aquam aspersionis quæ fiebat de cinere vitulæ rufæ, fiebat remissio peccatorum aliquando, quando non effundebatur sanguis, sed tamen effusus erat in immolatione vitulæ. In illis autem sacrificiis quamvis magis ea perverso populo fuerint congruenter imposita, quam Deo desideranti oblata, figura tamen veritatis fuerunt quæ Christus est, cujus sanguine redempti et mundati sumus, quia nostra emundatio et Dei propitiatio nobis sine sanguine nulla est.

**9.23 *Ipsa autem cælestia*. Christus, qui in quibusdam significatus est, non indiguit mundari, sed omnes sui indigent; attamen signa ejus quæ in tabernaculo usum ministrationis præstabant, sanguine mundata sunt.

††9.25 *Neque ut sæpe*, etc. Probavit, quod Christus per hostiam suam cælestia mundavit; modo probat quod melioribus hostiis, id est, quod ejus hostia fuit dignior et efficacior omnibus aliis: quia illæ sæpe iteratæ sine consummatione, hæc semel oblata ad patriam reducit.

‡‡9.26 *Alioquin*, etc. Si semel oblatus non sufficeret omnium in se credentium peccata exhaurire, oportuisset eum pati sæpius ab origine mundi; quod, ne fieret, semel passus est in consummatione sæculorum. *In consummatione*. Id est, in ultima ætate in qua sunt omnia adimpleta quæ ante imperfecta, et ideo non opus fuit, ut inciperet pati ab origine mundi.

¶¶9.27 *Et quemadmodum*. Lex naturalis id ostendit, quod per inconueniens probatum est. *Semel mori*. Non est intelligendum quod aliqua peccati sui, necessitate Christus oblatus sit, etiam semel, imo sola voluntate. Verum ut homo semel mortuus necessitate et jure naturæ amplius non moritur, sic et Christus eodem jure semel oblatus non potest amplius mori. *Post hoc autem*. Post semel mori, restat iudicium, in quo omnes accipiant secundum quod meruerunt; non restat autem ut iterum surgant, et denuo moriantur.

§§9.28 *Sine peccato apparebit*. Ita quod tunc non erit hostia pro peccato, sed justitia in remunerando, vel damnando. Quod si nec in die iræ hostia erit, multo minus in aliis temporibus. Vel *sine peccato*, id est similitudine carnis peccati, sed potius in carne gloriosa.

*10.1 *Umbram enim*. Probavit quod Christus fuerit semel mortuus; sed quare? vel semel? Quia lex non poterat perfectos facere, ideo agnus sine macula erat offerendus. *Non ipsam imaginem*. Id est veritatem, ut in pictura usquequo ponat quis colores, quædam est substratio. Vel substratio est umbra quædam, et non imago; cum vero flores ipsos quis colorum intinxerit, tunc imago efficitur. *Accedentes*. Licet pontifices per singulos annos in sancta sanctorum cum eisdem hostiis indesinenter offerrent, nunquam tamen suis hostiis potuerunt perfici.

haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati:† 3 sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.‡ 4 Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. 5 Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi:¶ 6 holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt.§ 7 Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.** 8 Superius dicens: Quia hostias, et oblationes, et holocaustomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur,†† 9 tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuatur. 10 In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.‡‡ 11 Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata:¶¶ 12 hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei,§§ 13 de cetero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum

†10.2 *Cultores semel*, etc. Una hostia Christi perfectos facit; et si millia peccant non indigent alia, quia sufficit ad omnia, et omnem conscientiam a peccatis lavat; quod non vetus, si enim hoc faceret, non esset opus iterari. Sicut medicamentum si fuerit forte, et salutis efficacax, et valens cunctam valetudinem repellere, semel impositum, totum operatur; si vero semper imponitur, manifestum indicium est non contulisse salutem; ideoque quia illis sacrificiis nemo curabatur, frequenter offerebantur.

‡10.3 *Commemoratio*, non absolutio; infirmitatis accusatio, non virtutis ostensio; propter infirmitatem ergo ostendendam, et ut memoria peccatorum fieret, imperavit Deus illa semper offerri.

¶10.5 *Noluisti*. A tempore passionis, in quo est consummatio omnium hostiarum, coeperunt illa displicere. Nunquam ea ante destruxit, sed illis subditus fuit, dum in templo cum hostiis præsentatus fuit. *Corpus autem aptasti mihi*. Ablata sunt signa, quia exhibita est veritas, tunc tempus fuit ut illa auferrentur, et veritas veniret. Nec unquam in odoribus illis delectatus est Dominus, nisi in fide, et desiderio offerentis. Præcepit tamen hæc sibi offerri, potius quam offerrentur idolis; imposuitque in servitutem, non in justificationem, et ut figura essent futuri.

§10.6 *Non placuerunt*. In figuris illis veritas prænuntiabatur. Celebrant figuras, figuræ rem multi scientes, sed plures ignorantes quæ cessare debent re exhibita.

**10.7 *Tunc*. Quando vidi omnia illa displicere, et corpus idoneum ad hoc mihi datum. *Dixi: Ecce venio*, ad me offerendum, ut faciam et compleam voluntatem tuam, quia tu es meus Deus. Ideo venio ad implendam tuam voluntatem tuam, quia ita scriptum est, et præfiguratum de me in consilio Deitatis, quæ est caput mei, qui sum liber humani generis secundum quod homo, in quo legant homines omnia sibi necessaria, et ideo non est opus lege.

††10.8 *Superius dicens*. Quasi diceret: Non solum notat hæc auctoritas veteres hostias non fecisse perfectos, sed solam hostiam Christi; verum etiam ablationem Veteris Testamenti, et constitutionem Novi, si diligenter notentur verba; quia superius dicens, *illa noluisti*, addit: *Tunc dixi*. Ecce enim aufert primum sacrificium et cum eo Vetus Testamentum, et statuit ut stabile novum sacrificium et cum eo Novum Testamentum.

‡‡10.10 *Sanctificati*, etc. Facta peccatorum purgatione, reconciliati sumus Deo.

¶¶10.11 *Et omnis*, etc. Ne videretur sanguis per pontifices semel in anno oblatus minus profuisse et sacrificia quotidie per sacerdotes facta perfectos facere, hoc addit, quasi dicat: Pontifex per singulos annos offerens, non pervenit ad consummationem, sic etiam omnis sacerdos semper offert, et tamen per ea nunquam consummatur.

§§10.12 *Sedet in dextera*. Bene potest consummare qui sic meruit exaltari.

ejus.* 14 Una enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos. 15 Contestatur autem nos et Spiritus Sanctus. Postquam enim dixit:† 16 Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas:‡ 17 et peccatorum, et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. 18 Ubi autem horum remissio: jam non est oblatio pro peccato.¶ 19 Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, 20 quam initiavi nobis viam novam, et viventem per velamen, id est, carnem suam,§ 21 et sacerdotem magnum super domum Dei: 22 accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda,** 23 teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est qui repromisit),†† 24 et consideremus invicem in provocationem caritatis, et honorum operum:‡‡ 25 non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.¶¶ 26 Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam

*10.13 *De cætero*. Id est de eo quod restat, scilicet gloria bonorum et poena malorum. *Scabellum*. Quia etiam si modo repugnent ei, et non videantur subjici, tunc omnibus apparebunt ei subditi per cujus imperium suberunt poenis.

†10.15 *Contestatur autem nos*, etc. Spiritus sanctus testificatur quod consummavit in æternum sanctificatos, et quod in Novo Testamento non recordabitur Deus peccatorum. *Postquam*. Quasi dicat: Postquam illud dixit quod non valet ad probationem nostram, adjecit alia quæ corroborant utrumque quod dicimus: scilicet *dando leges*, quod pertinet ad summationem; *et peccatorum et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius*, quod pertinet ad sanctificationem.

‡10.16 *Superscribam*. Non dicit *scribam*, sed *superscribam*, quia leges illæ super vires hominum sunt, in quarum completionem nullus sufficet, nisi ope gratiæ. In his verbis dicitur quod consummat virtutibus, deinde subdit de sanctificatione.

¶10.18 *Ubi autem*, etc. Non solum ex hac auctoritate videri potest quod Jesus sanctificat et consummat, sed quod oblatio jam post tempus gratiæ non est facienda pro peccatis, quando facta est remissio.

§10.20 *Per velamen*. Fides nostra est vetata, quia fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

**10.22 *In plenitudine fidei*. Perfecta est nostra fides, quoniam nihil horum jam est visibile, nec sacerdos, nec hostia. *Aspersi corde*. Per hoc ostenditur, quod non fides sola, sed vita cum virtute quæritur. *Abluti aqua*, id est baptismo.

††10.23 *Fidelis enim*. Sicut Deus fidelis in promissis, ita nos sibi fideles vult esse in promissis nostris. Fidem ergo et confessionem habeamus quantum ad nos.

‡‡10.24 *Et consideremus*, etc. Perfectus alios hortando, minor perfectum imitando. Inde hortatur Apostolus ad ea quæ conveniunt fidei.

¶¶10.25 *Sicut consuetudinis*. Culpat scindentes unitatem caritatis, quasi inter alios non possent habitare causa sanctitatis suæ; qui potius suo exemplo debuerunt consolari eos. *Sed consolantes*. Consolatur laborantem, qui pariter in labore persistit, quia sublevatio laboris est nisus seu nisio collaborantis, ut in itinere fit.

non relinquitur pro peccatis hostia,^{§§ 27} terribilis autem quædam exspectatio iudicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.²⁸ Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur:^{* 29} quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?^{† 30} Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, et ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum suum.^{‡ 31} Horrendum est incidere in manus Dei viventis.^{¶ 32} Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum:³³ et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socii taliter conversantium effecti.^{§ 34} Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam.³⁵ Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.³⁶ Patientia enim vobis necessaria est: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.³⁷ Adhuc enim modicum

^{§§}10.26 **Voluntarie enim peccantibus.** Id est, nobis in voluntate peccandi manentibus non prodest Christus, qui est hostia pro peccatis, jam in hoc præsentis. Per quod constat quod nec in futuro. **Post acceptam notitiam veritatis,** id est, quam venissemus ad fidem, pro qua quidam securi sunt, quasi nunquam perituri. Non ait, volentibus, sed **voluntarie,** quia voluntarius est qui in aliquo assiduus est; volens, qui ad tempus. Vel etiam, si voluntate, nedum actu peccemus. **Jam non relinquitur pro peccatis hostia;** sicut in veteri lege datum est sæpius offerri hostias pro peccato. Non enim Christus iterum immolandus est pro peccatis, quod semel factum est, et secundo non est opus. Sed magis opus est manere in fide et veritate. Quod si non facit iudicium, te exspectat, nisi per pœnitentiam renoveris.

^{*}10.28 **Duobus vel tribus testibus.** Convictus. Quid ergo illi contra quos perhibent testimonium angeli, et sancti, et propria conscientia?

[†]10.29 **Conculcaverit,** etc. Conculcat Christum qui libere peccat absque timore, et pœnitentia; et qui indigne participat, sanguinem pollutum ducit, si ab eo mundatus ad vomitum redit et pœnitere negligit. Spiritui injurius est, qui ejus beneficium grate non suscipit. **Pollutum duxerit.** Talis est qui per carnales observantias credit peccata dimitti, a quibus retrahit nos sanguis Christi, et ita pollutus est et nos polluit, si ab eo, unde est remissio, nos retrahit. **Et spiritui gratiæ.** Id est Spiritui sancto gratis dato; vel, qui dat gratiam, contumeliam facit; qui remissionem, quam ipse Spiritus facit, ascribit carnalibus observantiis, vel, qui eum male vivendo a se abjicit.

[‡]10.30 **Mihi vindicta,** etc. De inimicis hoc dictum est, qui male faciunt, non autem de his qui male patiuntur. Hic autem et consolatur eos, dicens quod permanet in sempiternum Deus, et vivit. Proinde etiamsi nunc tyranni non recipiunt quod eis promissum est; tamen postea recepturi sunt, itaque illos oportet congemiscere, non vero nos. Nos enim in illorum incidimus manus, illi autem in manus Dei. Neque enim qui patitur, aliquid malum patitur, sed qui facit; neque beneficium percipit qui juvatur, sed qui beneficium præstat. Hæc igitur scientes, patientes efficiamur ad sufferenda mala, et prompti ad bene faciendum.

[¶]10.31 **Rememoramini.** Invitat eos per antefacta CHRYS. Sicut optimi medicorum cum alios securint, etc., usque ad ut autem nos incidatis in manus Dei, **rememoramini,** etc. **Pristinos,** etc. Si rudes sustinuerunt, turpe est si modo deficiunt. **Magnum certamen,** etc. Passiones erant eis, tum ex propriis doloribus, tum ex doloribus aliorum, quibus compatiebantur.

[§]10.33 **Et in altero quidem,** etc. Quasi: Certamen passionum sustinetis, et in propriis passionibus, et in compassionibus aliorum, et hæc sunt duæ partes certantium contra nos passionum. **Spectaculum.** Grave est opprobrium, gravius est cum spectaculum hominibus fit et non secreto exprobratur.

aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit.³⁸ Justus autem meus ex fide vivit: quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.^{**} ³⁹Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.^{††}

11 Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.^{**} ²In hac enim testimonium consecuti sunt senes. ³Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei: ut ex invisibilibus visibilia fierent.^{¶¶} ⁴Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, et per illam defunctus adhuc loquitur.^{§§} ⁵Fide Henoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. ⁶Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.^{*} ⁷Fide Noë responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum: et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.[†] ⁸Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem:

^{**}10.38 *Vivit.* AUG. Justi, recti, exsultate in Domino, quia vos decet, etc., usque ad et deficientem sublevat, et vincentem coronat.

^{††}10.39 *Nos autem,* etc. Id est, non sumus filii paganorum, sed prophetarum fidelium.

^{**}11.1 *Est autem fides.* Hic est laus et commendatio fidei, cujus descriptionem ponit. In qua tria notat, scilicet: quid efficiat in nobis, quod fundamentum est omnium bonorum, et quod et de non apparentibus est. De qua in Epistola ad Romanos plenius dictum est: *Fides est substantia sperandarum rerum*, id est, causa quæ res sperandas faciet quandoque subsistere in nobis; quod est dicere: faciet nos consequi futura bona. Et proprie dicitur fides *substantia*, quia sperandis substat, et facit ea esse in credentibus in alia vita. Et est fundamentum omnium bonorum quod nemo mutare potest, et sine quo non est bona ædificatio; vel, speranda jam facit esse in corde credentis. *Argumentum*, id est certitudo rerum quæ non apparent, et si quis de ea dubitet, probatio, ubi adhuc probatur futura resurrectio; quia ita crediderunt patriarchæ, apostoli, alii sancti. Fides est causa sperandorum, quia causa justitiæ per quam sunt speranda. Et hoc est: *In hac testimonium*, justitiæ, quod propter fidem Deus testatus est justos eos esse. *Senes*: Hoc dicit, non quod ætate senes, sed antecessores horum, et sic constat fidem non esse novam, sed tenendam, cum antiqui eam tenuerint.

^{¶¶}11.3 *Fide intelligimus.* Exemplis utitur ad commendationem fidei, ad ostendendum quod de non apparentibus sit fides.

^{§§}11.4 *Fide plurimam.* Quod patres antiqui per fidem sint consecuti testimonium justitiæ ostendit, ponens aliud exemplum ad commendationem justitiæ. *Defunctus adhuc loquitur.* Id est, materia est nobis loquendi, ut de ejus fide exemplum demus. Non enim mors exstinxit famam fidei. Ex fide et patientia præcedentium consolatur istos. Abel adhuc loquitur, quia alios suo exemplo admonet ut justi sint. Interemit eum quidem mors, sed non cum eo interemit gloriam ejus et memoriam. AUG. Neque Henoch et Elias per tam longam ætatem senectute maruerunt, nec tamen, etc., usque ad priusquam propter peccatum inde exire meruisset.

^{*}11.6 *Quia est.* Esse proprie Deo convenit: quia immutabiliter est.

[†]11.7 *Fide Noë,* etc. *Et justitiæ,* etc. Id est, fuit justus ex fide, sicut patres sui, nisi enim justus esset, hoc ei Deus non præcepisset.

et exiit, nesciens quo iret.[‡] ⁹ Fide demoratus est in terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem. ¹⁰ Expectabat enim fundamenta habentem civitatem: cujus artifex et conditor Deus. ¹¹ Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat.[†] ¹² Propter quod et ab uno orti sunt (et hoc emortuo) tamquam sidera cæli in multitudinem, et sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis.[§] ¹³ Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram.^{**} ¹⁴ Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. ¹⁵ Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: ¹⁶ nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem. ¹⁷ Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones:^{††} ¹⁸ ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen: ¹⁹ arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus: unde eum et in

[‡]11.8 *Fide qui vivit.* Hic ad patres Judæorum descendit et ostendit in eis, sicut in prioribus, omnem justitiam ex fide habuisse originem. Et ponit exemplum de Abraham. *Obedivit*, Deo dicenti sibi: «Exi de terra tua, et de cognatione tua.» Hoc jam fecerat. Hoc enim dictum est jam egresso de terra Chaldæorum, et jam constituto in Mesopotamia. Non ergo Dominus corpus, sed animum a terra sua avertit, ne velit reverti. Non enim exierat inde animo, sed redeundi tenebatur desiderio; quod desiderium Deo jubente ac juvante, et illo obediente fuerat amputandum.

[†]11.11 *Quoniam fidelem.* Prius risit, etsi ex gaudio, non tamen plena fide: sed post, verbis angeli, in fide solidata est. Riserat etiam Abraham, quando ei promissus est filius, sed risus ille admirationis fuit et gaudii, non dubitationis.

[§]11.12 *Ab uno.* Utero, vel Abraham emortuo. Emortuum dicit ad opus concipiendi Saræ uterum, quantum ad virum seniore; vel dicit ipsum Abraham ad opus generandi emortuum, quantum scilicet ad seniore[m] feminam. *Tanquam sidera.* Hoc dicit quantum ad bonos, id est qui luce virtutum et multitudine comparantur sideribus. *Et sicut arena.* Hoc dicit quantum ad malos, id est qui instabilitate et numero comparantur arenæ. Mare est ipsa gentilitas: ora, ritus ejus; cui propinqui facti sunt aliqui Judæi, non tamen in gentilitate.

^{**}11.13 *Et salutantes.* Utitur verbo translato a navigantibus, qui longe prospiciunt desideratas civitates, quas antequam ingrediantur, salutatione præveniunt. Ex metaphora ergo navigantium dicit, *Et salutantes*; id est gaudentes et desiderantes eas, sicut faciunt nautæ longe visis civitatibus. Et ideo confitebantur quod essent ipsi peregrini, qui in aliena patria nihil habent. *Hospites.* Hi de patria non sunt, et isti confitebantur se non esse de mundo, neque aliquid se habere in mundo, ideoque hoc confitebantur. Qui autem hoc dicunt, dant intelligi quod aliam patriam quærunt, quod ipsi significare volebant. Et ne putaret quis quod illam appeterent de qua exierant, subditur: *Et si quidem*, etc.

^{††}11.17 *Cum tentaretur.* Non tentavit Deus Abraham quasi qui fidem ejus ignoraret, sed ut ipse Abraham et mundus fidei ejus veritatem et firmitatem cognosceret.

parabolam accepit.‡‡ 20 Fide et de futuris benedixit Isaac Jacob et Esau.¶¶ 21 Fide Jacob, moriens, singulos filiorum Joseph benedixit: et adoravit fastigium virgæ ejus.‡‡ 22 Fide Joseph, moriens, de profectioe filiorum Israël memoratus est, et de ossibus suis mandavit.* 23 Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum. 24 Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, 25 magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, 26 majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improprium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.† 27 Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis: invisibilem enim tamquam videns sustinuit.‡ 28 Fide celebravit Pascha, et sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiva, tangeret eos.¶ 29 Fide transierunt mare Rubrum tamquam per aridam terram: quod experti Ægyptii, devorati sunt.§ 30 Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem.** 31 Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.†† 32 Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tem-

‡‡11.19 *Et in parabolam.* Fide obtulit Abraham non solum in re, sed etiam in significatione. Intellexit enim Christum significari, cujus deitas non moritur; sed aries hærens cornibus inter vepres, id est caro laborans inter Judæos in cornibus crucis, potuit Deo offerri spinis Judaicis ante coronata.

¶¶11.20 *Isaac.* Fidem hic habuit, non solum quod benedictus esset melior, sed etiam credidit quod Christianus populus supplantaret benedictionem Judæis factam et promissam.

‡‡11.21 *Adoravit fastigium,* etc. Forte tulerat a filio virgam, quando ei fidem filius jurabat et dum eum teneret, post verba jurantis, mox adoravit Deum. Non enim padebat eum ferre tantisper insigne potestatis filii sui, ubi figura magnæ rei futuræ præsignabatur, et regni Christi futuri in gentibus.

*11.22 *De ossibus suis mandavit.* Adjurans filios Israël, ut asportarent ea in terram promissionis, et reconderent ea in sepulcro patrum suorum, scilicet in spelunca duplici, in qua sepulti sunt Abraham, et Isaac, et Jacob, et cæteri et patres, ubi et Adam et Eva quiescebant. Quod ideo voluerunt, quia in ea terra præviderunt nasciturum Christum, ut cum eo resurgerent.

†11.26 *Improprium Christi.* Hoc dixit, vel quod Moyses pateretur pro Christo, vel quod significabat improperia Christi futura: vel, quod Moyses sustinuit a fratribus suis quos liberare volebat, sicut Christus a suis quos redimere venerat. Illi dixerunt Christo: *Dæmonium habes* Joan 7.. Et isti Moysi: *Vis nos interficere, sicut interfecisti Ægyptium* Exod. 2. Quod tamen patienter sustinuit, sicut et Christus.

‡11.27 *Non veritus.* Quod prius fugerat in terram Madian, non fuit metus, sed fides; eo quod credebat a Deo liberari. Noluit ibi manere, ne esset causa jactantiæ, si in apertum periculum se præcipitaret, et tentaret Deum, quod diabolicum est. Sancti enim, quandiu habent quid faciant, non debent tentare Deum, ut et Dominus locum dedit Judæis, qui et suis præcepit: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* Matth. 10..

¶11.28 *Fide celebravit Pascha.* Hac utique quia sic credidit populum salvandum: illos quidem a Pharaone, nos a diabolo.

§11.29 *Transierunt mare Rubrum,* etc. Sic per baptismum fideles transeunt, remissis peccatis; tanquam Ægyptiis cum diabolo principe tenebrarum submersis.

**11.30 *Circuitu dierum septem* completo a Levitis arcam Dei portantibus, et æneis tubis clangentibus.

††11.31 *Excipiens exploratores cum pace,* etc. Quasi: Ita et vos debetis duo Testamenta per apostolos tanquam exploratores a Christo missos credendo excipere, et ita cum infidelibus non peribitis.

pus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephthe, David, Samuel, et prophetis:^{‡‡}
³³ qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones,
 obturaverunt ora leonum,[¶] ³⁴ extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii,
 convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exteriorum:
³⁵ acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos: alii autem distenti sunt non
 suscipientes redemptionem ut meliorem invenirent resurrectionem.^{§§} ³⁶ Alii vero
 ludibria, et verbera experti, insuper et vincula, et carceres: ³⁷ lapidati sunt, secti
 sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus
 caprinis, egentes, angustiati, afflicti: ³⁸ quibus dignus non erat mundus: in solitu-
 dinibus errantes, in montibus, in speluncis, et in cavernis terræ.* ³⁹ Et hi omnes
 testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, ⁴⁰ Deo pro nobis melius
 aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.†

12 Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne
 pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad proposi-
 tum nobis certamen:[‡] ² aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum,
 qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera
 sedis Dei sedet.¶ ³ Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum

^{‡‡}11.32 *De Gedeon.* Ipse, accepto signo velleris a Domino, ivit contra Madianitas cum trecentis viris, eosque noctu expugnavit. *Samson.* Hic, ut legitur in libro Iudicum, afflixit vehementer Philisthæos. *Jephthe.* Hic, cum iret ad pugnam contra hostes, vovit Domino quod, si triumphum de hostibus assequeretur, rediens, quod primo occurreret, offerret Deo: occurritque ei filia, quam immolavit.

¶11.33 *Qui per fidem.* Etsi recusat dicere quæ fecerint singuli, dicit tamen quæ quidam operati sunt fide. *Repromissiones.* Dicit Apostolus *repromissiones* et non promissiones, quia promissiones multæ sunt factæ David, ut Abrahæ. Sapienter historiarum commemorationem vitat, ne sermonem suum protelet, breviter quædam tangens. Nec enim omnino tacuit, nec dicens molestus effectus est, fugit densitatem et longitudinem, ne fatiget auditorem.

§§11.35 *Alii autem distenti,* etc. In illis Patribus Veteris Testamenti, quamvis rara, fuerunt tamen exempla patientiæ, a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, quorum sanguinem dicit Dominus ab eis exigendum, qui in patrum suorum (a quibus illi occisi sunt) iniquitate persistenter. Et in Novo Testamento, non defuerunt temporalis felicitate pollentes, in quo misericordiam Dei experimur.

*11.38 *Quibus dignus non erat mundus.* Id est, quorum conversatione *non erat mundus dignus,* ideoque ne viles habeantur pro toleratis tribulationibus: vel, adeo viles erant hominibus, ut putarentur non esse digni stare vel habitare inter eos. Et tam illi quam priores, non acceperunt statim promissam vitam usque ad Christum. Cur non subditur:

†11.40 *Deo pro nobis melius aliquid providente.* Prout naturam nostram assumeret, et gloriosius nobiscum exsultaret. Si illi tenuerunt fidem, qui nos tandiu exspectaverunt requiem, multo magis teneamus, qui statim a morte accipimus.

‡12.1 *Ideoque et nos.* Post fidei commendationem, ad illud quod incœperat redit, exhortans ad patientiam pluribus modis, et præcipue ipsius Christi exemplo. *Nubem.* Id est multitudinem sanctorum, qui testes sunt fidei, qui ut nubes exemplo sui in æstu tribulationum nos refrigerant, et doctrinis compluunt.

¶12.2 *Qui proposito sibi gaudio,* etc. Sic nos proposito nobis æterno gaudio, posthabita confusione, debemus currere; vel, proposito sibi gaudio temporalis regni, quando voluerunt eum turbæ rapere ut facerent regem, et noluit, quia erat via humilitatis.

semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.^{§ 4} Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes: ⁵ et oblitus estis consolationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. ⁶ Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. ^{** 7} In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? ⁸ quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri, et non filii estis. ^{†† 9} Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, et reverebamur eos, non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus? ^{** 10} Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus. ^{¶¶ 11} Omnis autem disciplina in præsentem quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiæ. ^{§§ 12} Propter quod remissas manus, et soluta genua erigite, ^{* 13} et gressus rectos facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. ^{† 14} Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: ^{‡ 15} contemplantes nequis desit gratiæ

§12.3 *Deficientes.* Deficere est timore tribulationis fidem negare. Itaque non debetis deficere, neque enim estis oblitus vos consolationis, nec debetis oblivisci.

** 12.6 *Omnem filium.* Etiam unicum qui fuit sine peccato. Si ergo exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero filiorum. Unicus ille de Patris substantia natus æqualis Patri in forma Dei, Verbum quo facta sunt omnia, non habebat ubi flagellaretur. Ad hoc autem carne indutus est, ut sine flagello non esset. Qui flagellat unicum sine peccato, relinquit adoptatum qui est cum peccato? Unicus sine peccato, non tamen sine flagello, exemplum nobis proposuit in passionibus suis. Non ergo turbari debemus, cum aliquis sanctus gravia et indigna perpetitur, si oblitus non sumus quæ pertulerit Justus justorum, Sanctusque sanctorum. Et attende hic justitiam et misericordiam Dei. Justitia est in eo quod flagellat. Misericordia vero in eo quod recipit.

†† 12.8 *Ergo adulteri.* Nota non jure vocari patrem, qui ex adulterio genuerit, quia ab eo geniti, non dicuntur filii legitimi.

** 12.9 *Reverebamur.* Revereri est cum timore honorem impendere.

¶¶ 12.10 *Et illi quidem.* Hic alia ratio ostenditur, quare obtemperandum sit Deo. *Ad id quod utile est, scilicet, in recipiendo sanctificationem ejus.*

§§ 12.11 *Disciplina.* Hæc græce dicitur, id est, eruditio per molestias, quando pro peccatis suis mala quis patitur, ut corrigatur prout hic intelligitur. Est et disciplina quæ scientia dicitur, et a discendo nomen accepit, et Græce dicitur.

* 12.12 *Manus.* Id est affectum charitatis, quo Deum complectebamini olim, iterum erigite sursum ad Deum; et *genua,* id est fortitudinem, quæ soluta est refrigerata charitate.

† 12.13 *Gressus.* Ut vestra fides recte incedat, confitendo quod credit, etsi opus est patiando. Fides recte dicitur pes, quia totum portat. Ita gressus rectos, ut non aliquis deviet a vera via fidei, sicut ille qui carnales observantias recipit, nam hoc est errare. Et non claudicet, sicut qui timore passionis titubat, *sed sanctur,* si erravit vel timuit; vel recti gressus, sunt recta intentio in operibus.

‡ 12.14 *Sanctimoniam.* Id est castitatem mentis et corporis; unde: *Beati mundo corde, quoniam* Matth. 5., etc. *Sine qua nemo videbit Deum.* Ecce quomodo exterius amator boni, id est, visionis Dei. Non dixit, in ignem mittetur; vel, in fatigabilibus tortoribus dabitur (quæ tamen vera sunt); sed volens te amatorem boni esse, id est, visionis Dei, non formidatorem mali, ait: *sine qua nemo,* etc. Ex eo ipso quod desideras, te terret.

Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur, et per illam inquinentur multi.[¶] 16 Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua:[§] 17 scitote enim quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrimis inquisisset eam. 18 Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam,^{**} 19 et tubæ sonum, et vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum.^{††} 20 Non enim portabant quod dicebatur: Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur.^{‡‡} 21 Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum, et tremebundus. 22 Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, et multorum millium angelorum frequentiam,^{¶¶} 23 et ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, et

[¶]12.15 *Contemplantes*, etc. Ne dubitetis posse esse tam patientes, quia gratia Dei præsto est; sed ne desitis ei, hoc modo potestis retinere gratiam. *Ne qua radix*, etc. Delectatio peccati vere dicitur amaritudo, et ideo vitanda. *Radix amaritudinis*, mala cogitatio, quæ non dulces fructus, id est opera, sed amaros generat, quibus impeditur iter ad cælum.

[§]12.16 *Ne quis fornicator*, etc. Hic quomodo contemplari debeant, ne qua radix amaritudinis germinet, ostendit per partes in quibus aliquos de illis notat. *Primitiva*. Vel primogenita sua. Primitiva hic appellat honorem et dignitatem sacerdotii, quia ante sacerdotium Aaron, omnes primogeniti erant sacerdotes, sicut fuit Sem: et hæc erat magna dignitas, quia et de substantia et de hæreditate paterna majorem portionem sumebat. Vestiumque ornatu locupletior resplendebat, eique benedictio dabatur. Ecce quam procul a religione fuit Esau, qui pro ventre dedit benedictionem. Cujus factum ideo commemorat, ut dehortetur ab illius similitudine.

^{**}12.18 *Non enim accessistis*. Dixerat, ne quis desit gratiæ his modis quos subdidit, parata enim est gratia, et hoc est: *Non enim accessistis* ad asperitatem legis, quam describit, ut e contra intelligatur suavitas gratiæ, non ad ignem, sed ad Spiritum sanctum, qui est ignis consumens peccata, ad quem non motu corporis, sed spiritu itur. *Turbinem*. Turbo est vis ventorum cum grandine et pluvia, et significat impetum vitiorum quæ per legem magis damnata sunt. Sed modo venit ad serenitatem per gratiam Spiritus. *Caliginem*. Hoc ponit quia obscura lex fuit, modo clara intelligentia. *Procellam*, quæ est major quam turbo, et est tempestas quæ quocunque impellit. Hæc est servitus peccati secundum operationem quæ per legem trahebat homines: modo autem est requies a vitiis imperfectis.

^{††}12.19 *Tubæ sonum*. Tuba est signum motionis ad bellum, et est motus delectationis qui non per legem, sed per gratiam exstinguitur. *Vocem verborum*. Hujusmodi vox est legis præceptio et comminatio, quam populus gravem putavit et intolerabilem, quia sola præceptio erat, sine gratia adjuvante.

^{‡‡}12.20 *Non enim portabant*. Quia sine gratia insufficientes erant ad observanda præcepta. *Et si bestia*, etc. Mons est divinitas; bestia, defectus rationis, quod est quando verbum blasphemiam profertur in Deum. Tangere est offendere. Tangit ergo montem bestia, qui offendit Deum blasphemiam, quem præcipit lex sine misericordia lapidari; sed in Ecclesia, si vult reverti, misericorditer suscipitur.

^{¶¶}12.22 *Sed accessistis*. Ex superioribus ista pendent, ubi dicit ad quæ accesserint post remotionem illorum, et non ponit contraria eorum quæ ex opposito intelliguntur, sicut supra assignatum est, sed primum quod ex eis sequitur, ut per hoc magis suadeat tenendam esse gratiam. *Ad Sion*. Id est, ad eos qui in alto speculantur Deum, quod speculari est magnum præmium. *Et civitatem Dei*. Hoc dicit, quia Deus in eis habitat quando eos justificat.

judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum,^{§§ 24} et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.²⁵ Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur: multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis avertimus.²⁶ Cujus vox movit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed et cælum.*²⁷ Quod autem, Adhuc semel, dicit: declarat mobilitatem translationem tamquam factorum, ut maneant ea quæ sunt immobilia.^{† 28} Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia.^{‡ 29} Etenim Deus noster ignis consumens est.[¶]

13 Caritas fraternitatis maneat in vobis,^{§ 2} et hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis.³ Mementote vincitorum, tamquam simul vincti: et laborantium, tamquam et ipsi in corpore morantes.**⁴ Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim, et adulteros judicabit Deus.⁵ Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus: ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam:^{†† 6} ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.^{‡‡ 7} Mementote præpositorum

^{§§}12.23 *Qui conscripti sunt.* Quasi dicat: Ne dubitetis ad angelos pervenire, quia vestri antecessores pervenerunt, et hoc est: *Qui conscripti sunt*, id est, cum eis qui in cælis sunt, scripti sunt, id est in eorum ordine sunt.

*12.26 *Adhuc semel*, etc. Quasi dicat: Jam fuerunt mota, sed adhuc movebo: per *semel* notat quod ulterius non sunt movenda. *Sed etiam cælum*, quod inferius est, scilicet æreum: unde dicuntur aves cæli. Totus autem pene ær iste ventosus, quem cælum vel cælos Scriptura vocat: istos utique imos, non illos supremos (ubi sol et luna et sidera constituta sunt) dicit hic Scriptura movendos, et alibi, perituros, propter magnam sui quamdam commutationem.

†12.27 *Quæ sunt immobilia.* Quasi dicat: Id profecto sunt, quia quidquid erunt vel in principalibus essentiis, vel in formis extrinsecus sumptis, secundum id immobilia erunt.

‡12.28 *Itaque regnum immobile.* Quia Deus cælum et terram immobilem promittit, patet quod habemus gratiam, sine qua non possemus ad illud promissum pervenire, sed per eam suscipimus illud regnum immobile, ut ideo nullus desit gratiæ. *Habeamus gratiam.* Id est, fidem, spem et charitatem in sancta operatione; vel: *Habeamus gratiam*, id est, gratias agamus de omnibus, non murmurantes in aliquo, quia sic bene servitur Deo.

¶12.29 *Deus noster ignis.* Id est Spiritus sanctus, qui est donum et gratia illa, quia nobis gratis datus.

§13.1 *Charitas.* Ab hoc loco moraliter instruit Apostolus, quasi diceret: Quia charitas est habenda, ipsa maneat in vobis, et *hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim quidam latuerunt*, ut Loth nesciens esse angelos, sciens tamen quis in eis esset.

**13.3 *Tanquam simul vincti*, id est, sicut vobis vinctis velletis subveniri, vel laborantibus.

††13.5 *Sint mores.* Postquam sua Hebræi perdidierant, volebant iterum congregare: quod Apostolus prohibet. Sed ne dicerent: Quid si necessaria defecerint? subdit consolationem. *Sine avaritia.* Avarus est qui tenax est in largiendo, cupidus in accipiendo. *Non te deseram.* Hoc Deus dicit omni speranti in se, sicut Josue, ita est nobiscum, *ut confidenter dicamus*, etc. *Neque derelinquam.* Derelinqueretur qui fame periret: sed quia hoc non est, ne sit homo cupidus.

‡‡13.6 *Non timebo*, etc. Homo omnis adversarius, etiam diabolus, qui homo ab officio, eo scilicet quod hominem decipiat.

vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.[¶] ⁸ Jesus Christus heri, et hodie: ipse et in sæcula.^{§§} ⁹ Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulanti in eis. ¹⁰ Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* ¹¹ Quorum enim animalium inferitur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra.[†] ¹² Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.[‡] ¹³ Exeamus igitur ad eum extra castra, impropriè ejus portantes. ¹⁴ Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. ¹⁵ Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum laborum confitentium nomini ejus.[¶] ¹⁶ Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.[§] ¹⁷ Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis.** ¹⁸ Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes

[¶]13.7 **Mementote**, etc. Quia longum est de singulis dicere, monet sequi magistros.

^{§§}13.8 **Jesus Christus**, etc. Hoc pertinet ad superiorem sententiam, ubi testatus est Deum dixisse: **Non te deseram, neque derelinquam**. Poterat enim illis videri, quod hæc promissio ad Josue tantum pertineret, ad quod respondet, quod et nos juvabit sicut juvit illum. Quasi: Non est dubitandum, quia qui heri, id est in præterito, adjuvit Josue, hodie, id est in præsentem, adjuvat, et adjuvabit futuros per omnia sæcula.

*13.10 **Habemus altare**, etc. Non studendum escis, quia habemus altare, id est corpus Christi, in fide cujus oblatae preces et operationes sunt acceptae Deo, **de quo edere non habent**, etc. **Tabernaculo**, etc. Id est, observantiis legis, ut qui cibos discernunt et alia hujusmodi legalia servant, quæ nomine tabernaculi signat, quia ad tempus sunt imposita; vel, nostrum corpus recte dicitur tabernaculum, quia ad tempus in eo manendum est, et ideo non est ei serviendum in desideriiis.

†13.11 **Quorum enim**, etc. Per duplicem allegoriam, quarum una est Veteris, et altera Novi Testamenti, probat corpus Christi non esse edendum ab his qui tabernaculo deserviunt. Ad hoc enim corpora animalium extra castra cremantur, et propterea Christus extra portam passus est, ut nos, qui corpore et sanguine ejus a peccatis mundari volumus, impropria et angustias passuri, tabernaculi delicias deseramus. **Animalium**. Christus per illa animalia significabatur.

‡13.12 **Portam**. Porta civitatis est sensus corporis, in quorum nullo Christus peccavit: et ideo extra passus. Et nos ostio sensuum vitiiis clauso, extra patiamur.

¶13.15 **Per ipsum ergo**. Qui est nobis via, a quo sumimus exemplum, ad martyrium curramus. **Confitentium**. AUG. Ergo qui timetis Dominum, laudate eum, etc., usque ad cujus invisibilis sacrificii illud visibile sacrum signum erat.

§13.16 **Beneficentiæ**. Evacuata sententia pravorum de gula, redit ad mores. **Beneficentiæ**, id est, largitatis in alios. Et si vestra substantia sit ablata, tamen ex his quæ habetis elemosynas date. Hoc supra dixerat: **Non deserentes collectionem**.

13.17 **Ut cum gaudio. Faciamus utique ista cum gaudio, quando videmus homines proficere in verbis Dei. Tunc enim cum gaudio laborat operarius in agris, quando attendit arbores, et fructum videt; quando attendit segetem, et videt ubertatem. Tunc intelligit quod non sine causa laboravit, non sine causa dorsum curvavit, non sine causa manus attrivit, non sine causa frigus æstusque toleravit. **Non expedit vobis**. Non dico: non expedit illis, quia etiam illis prodest tritari de vobis. Nam illi præpositi, quando contristantur de malis vestris, expedit illis ipsa tristitia, sed non vobis. Similiter ergo in Dominico agro bonum operemur prælati et subditi, ut similiter de mercede gaudeamus.

conversari.^{††} ¹⁹ Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis. ²⁰ Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, ²¹ appet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum: cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.^{‡‡} ²² Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis.^{¶¶} ²³ Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celerius venerit) videbo vos. ²⁴ Salutate omnes præpositos vestros, et omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres. ²⁵ Gratia cum omnibus vobis. Amen.

^{††}13.18 *Orate pro nobis.* Superbiam elationemque mentis quorundam pontificum percutit, qui dedignantur precari subjectos, quatenus pro eis orationes fundant. *Bonam conscientiam habemus,* id est, conscientia nos non accusat, nec nobis consci sumus quod vobis insidias fecerimus, nihil cum fictione protulimus, nihil negotiationis gratia fecimus. Ne ergo sinistre quid arbitremini. *In omnibus.* Accusabatur Apostolus quod suam gentem negligeret, sed ostendit se habere affectum ad omnes Judæos et gentiles, de quorum præteritis bonis gaudet, eisque in futuro meliora optat.

^{‡‡}13.21 *Faciens, in vobis,* etc. Nihil enim boni habere potestis, nisi illo præveniente et subsequente.

^{¶¶}13.22 *Etenim perpaucis,* etc. Quasi: Non potest quisquam longitudinem sermonis abnuere, hoc quippe erat quod adversarii faciebant, et ideo latenter hoc tangit. *Salutate omnes præpositos vestros.* Sicut generaliter omnibus scribit, ita generaliter omnibus prælatis et subditis salutem optat. Salutare enim est salutem optare.

INCIPIIT EPISTULA IACOBI

1 Iacobus, Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.^{§§} ²Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: ³scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur.[†] ⁴Patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes. ⁵Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non impropere: et dabitur ei. ⁶Postulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur:[‡] ⁷non ergo hæstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. ⁸Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis. ⁹Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua: ¹⁰dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit;[¶] ¹¹exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit: ita et dives in itineribus suis marcescet.[§] ¹²Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus

^{§§}1.1 **Argumentum** Iacobus apostolus sanctum instituit clerum de cultura cœlestium præceptorum, et regula catholicæ observantiæ, et de invictæ patientiæ majestate, et de revelatione plurimorum, et de mandatione magistrorum. **Iacobus.** Iste ecclesiæ Hierosolymitanæ, post apostolos ad prædicandum missos, curam et regimen suscepit. **Duodecim tribubus.** Præcipuam sollicitudinem de istis habere ad duodecim pertinebat apostolos, qui legatione pro Domino in circumcissione fungebantur. Unde et Paulus dicit: **Iacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteræ dederunt,** etc. Idcirco eis scribit præcipue, et quia ipse a cæteris apostolis super eos ordinatus erat episcopus.

^{*}1.2 **Omne gaudium.** Ne indignemini si mali in mundo florent, si vos patimini, quia non est Christianæ veritatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nihil habent in cœlo, vos nihil in mundo. Spe illius boni ad quod tenditis, quidquid in via contingat, gaudere debetis. **Cum in tentationes.** A perfectioribus incipit de extrinsecis tentationibus.

[†]1.3 **Probatio fidei,** etc. BED. Eadem sententia, sed converso ordine in Paulo legitur, etc., usque ad per quod fides perfecta probatur.

^{*}1.6 **Qui autem hæsitat.** Qui conscientia peccati pressus dubitat de præmiis cœlestibus, superveniente vento tentationum, facile deserit fidei statum, et secundum tentantis voluntatem, ad flatum venti per diversos vitiorum raptatur errores.

[¶]1.10 **Dives autem.** Divitem vocat eum qui totam spem in divitiis ponit; non nocet habere divitias, sed amare. **Dives autem gloriatur.** Ironice. Quasi: Non debet gloriari in sua gloria qua superbit et alios opprimit, quia finienda est et humilianda in inferno. Vel, **Glorietur in humilitate sua,** id est, non in superbia, sed humiliet se subserviando aliis de divitiis. **Quoniam sicut flos feni.** Justus ut palma floret, injustus ut fenum: quia ille manet, hic cito transit. Flos justi spes quæ fructum exspectat, radix justi charitas quæ immobilis manet; mali radix cupiditas, flos delectatio temporalium.

[§]1.11 **Dives in itineribus.** Viæ divitis temporalia sunt, quibus beatificari quærit, quæ cito destruentur. Ardor solis, adventus severi Judicis: vel in morte cujusque improvisus, vel in iudicio communiter. In quo justus ut arbor fructifera manebit.

diligentibus se.** 13 Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.†† 14 Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus.‡‡ 15 Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. 16 Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi. 17 Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.¶¶ 18 Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.§§ 19 Scitis, fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram.* 20 Ira enim viri justitiam Dei non operatur. 21 Propter quod abjicientes omnem immunditiam, et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.† 22 Estote autem factores verbi, et non auditores tantum: fallentes vosmetipsos. 23 Quia si quis auditor est verbi, et non fac-

**1.12 *Beatus vir.* Quia difficile est hortari ad contemptum mundi, subdit de magnitudine præmii: *Beatus vir*, etc. Non solum verbera et carceres debetis pati, sed et amissionem rerum temporalium, quæ sunt viles et transitoriæ, et amatores earum puniendi.

††1.13 *Nemo, cum tentatur.* BED. Hactenus de tentationibus exterioribus, nunc, etc., usque ad et hominem quasi ex necessitate peccare. *Quoniam a Deo tentatur.* Exteriorem tentationem immittit Deus ad probationem suorum, interiorem vero, qua sæpe concipitur furtum, adulterium, homicidium, non immittit Deus.

‡‡1.14 *Unusquisque tentatur.* Duo sunt genera tentationum: unum quod probat, secundum quod tentavit Deus Abraham. Aliud quod decipit, secundum quod Deus neminem tentat. Cum super fundamentum, lignum, fenum, stipulam ædificamus, diabolus superponit incendium. Ædificemus aurum, argentum, lapides pretiosos: et tentare non audebit; nec tamen omnino desistit, sed sedet in occultis ut interficiat innocentem. *Generat mortem.* Sicut qui tentatus superat, præmia vitæ; ita qui concupiscentiis illectus superatur, merito ruinam mortis incurrit.

¶¶1.17 *Omne datum,* etc. BED. Postquam docuit quod vitia non a Deo nobis, sed a nobis sunt, etc., usque ad donum perfectum potest intelligi. *Nec vicissitudinis.* Lumen ejus aliqua umbra non interdicit, ut aliqua mala immittat. Semper bona lucis sunt in Deo, sed ejus dona in nobis aliquando sunt quæ supervenientia obumbrant peccata.

§§1.18 *Voluntarie.* Omne bonum est a Deo, et non meritis vestris ad hoc accessistis, sed sola gratia divinæ voluntatis. *Ut simus initium,* etc. Per hanc genituram non putemus nos esse id quod ipse est, sed quemdam principatum in creaturis, adoptione nobis concessit. Unde alius translator: *Ut simus primitiæ creaturarum ejus.*

*1.19 *Tardus ad iram.* Non temere, et sine causa aliquis irascatur, vel contra subditos peccantes, vel contra quoslibet fratres, vel contra felicitatem malorum, quia maturitas sapientiæ non nisi tranquilla mente percipitur. Et qui iratus judicat, etiamsi justitiam judicat, tamen divini examinis justitiam, in qua perturbatio non cadit, non potest imitari.

†1.21 *Propter quod abjicientes,* etc. Monuit ad inquirendam doctrinam, ad quam suscipiendam, et ut in ea possint proficere, hortatur nunc ad munditiam corporis et animæ. Qui enim non declinat a malo, non potest bonum facere. *Insitum verbum.* Quod vestris cordibus prædicando imponimus, vel verbum quod insitum et seminatum est in die redemptionis, quando vos genuit Deus; nunc perfectius suscipite, et operibus implete, quid in mysterio tenetis.

tor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo:[‡] 24 consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. 25 Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliuioſus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. 26 Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.[¶] 27 Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.[§]

2 Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriae.^{**} 2 Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu,³ et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei: Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: Tu sta illic; aut sede sub scabello pedum meorum:⁴ nonne iudicatis apud vosmetipsos, et facti estis iudices cogitationum iniquarum?⁵ Audite, fratres mei dilectissimi: nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?^{††} 6 vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad iudicia?^{‡‡} 7 nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos?^{¶¶} 8 Si

[‡]1.23 *Consideranti vultum.* Qui proponit in animo suo considerare in Scripturis quasi in speculo vultum nativitatis, qualiter homo sit natus, quam fragilis, vel quid futurus, quam brevis ævi, in quantis miseriis positus, compunctionem magnam et voluntatem poenitendi contraxit; sed statim, aliqua tentatione seductus, obliviscitur compunctionis, et ad peccata redit. Hujus inconstantiae comparat eum qui libenter verbum audit, et implere negligit. Et est similitudo inter illum qui sponte sua, sine doctore se ad Scripturas applicuit, et illum qui ab alio Scripturas audit, cum neuter impleverit. Puer cum nascitur vagit, per quod indicatur dolor animæ, et quod in vita intrat ad miserias carnis, quem dolorem postea obliviscitur, consueta illecebris carnis anima.

[¶]1.26 *Non refrenans linguam suam,* etc. AUG., Serm. 3 ad fratres in eremo. Verboſitas quid aliud est? etc., usque ad et tu diligenter attendas: *Qui non refrenat linguam suam, hujus vana est religio,* etc.

[§]1.27 *Et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Per sæculum intelligit mundum, seu omnia quæ sunt in mundo, ut sunt concupiscentia carnis, et oculorum, et superbia vitæ.

^{**}2.1 *Nolite. Quasi dicat:* Dominus non divites invitat ad fidem et pauperes despicit, sed pauperes elegit in hoc mundo, et eos fide donavit. Mundus pauperem abjicit, divitem colit; fides Christi econtra docet quia omnis gloria divitum tanquam flos feni, misericordia in pauperes floret in æternum. *Domini gloriae.* Dominum gloriae nominat, ut ejus jussis obediatur, qui sempiterna gloria remunerat id quod pro ejus amore pauperibus datur.

^{††}2.5 *Audite.* BED. Diligentius attendite, quia non qui ditiores in sæculo, etc., usque ad sed hos tamen exspectatione futuri regni præclaros reddidit et nobiles. *Nonne Deus.* BED. Pauperes elegit Deus qui alibi ait: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Pauperes etiam parentes quorum nutritur officio elegit.

^{‡‡}2.6 *Nonne divites.* Apertius ostendit quos divites superius dixerit, scilicet illos qui divitias Christo præferunt, et ipsi alieni a fide, eos qui credunt per potentiam opprimunt, et ad iudicia potentiorum trahunt. Et est alia causa quare non sunt eligendi, quia mala inferunt fidelibus.

^{¶¶}2.7 *Blasphemant.* Hæc apostolorum temporibus plures gentilium et Judæorum, maxime ditiores fecisse inveniuntur.

tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas: Diliges proximum tuum sicut teipsum: bene facitis:^{§§} ⁹ si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores. ¹⁰ Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* ¹¹ Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit et: Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis. ¹² Sic loquimini, et sic facite sicut per legem libertatis incipientes judicari.† ¹³ Judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam: superexaltat autem misericordia iudicium.‡ ¹⁴ Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?¶ ¹⁵ Si autem frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, ¹⁶ dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini et saturamini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? ¹⁷ Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. ¹⁸ Sed dicit quis: Tu fidem habes, et ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sine operibus: et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.§ ¹⁹ Tu credis quoniam unus

§§2.8 *Si tamen legem.* Quia aspere et de contemptu divitum locutus erat, et quodammodo contrarius legi divinæ, quæ omnes diligi præcipit, ne omnino contemnendi divites putentur, subdit: quasi dicat propter prædictas causas non sunt eligendi, sed si perficitis hanc legem quæ dicit: *Diliges proximum* Matth. 22., benefacitis; quia, etsi divites propter divitias non sunt eligendi, non tamen propter Deum minus sunt diligendi. *Regalem.* Id est excellentem, vel quia communis est omnibus, et omnes complectitur. Vel quæ dicit: *Non confundas personam pauperis, nec honores vultum potentis* Levit. 19., et alibi: *Nulla erit distantia personarum: ita parvum ut magnum audietis, quia iudicium Dei est* Deut. 1..

*2.10 *Quicumque autem.* Ne putarent contemptibile esse peccatum in hac una re legem transgredi, addit: *Quicumque autem, etc. Offendat autem in uno factus est omnium reus.* Vere qui in uno offendit est transgressor totius legis, quia qui peccat, contra auctorem legis facit, quem in sua lege negligit, et contra charitatem, quæ est causa et mater totius legis. Hanc sententiam ex simili videamus: Si quis me offenderet, omnes fratres et amicos meos in me offenderet, et quodammodo contra omnes peccaret. Sic qui unum mandatum negligit, cætera, quæ completa videbantur adjuvare, sibi inutilia reddit.

†2.12 *Sic loquimini.* BED. Quandoquidem malum est divitem propter divitias eligi, etc., usque ad quæ spontaneos vocat ad pœnitentiam et peccata dimittit. Quasi diceret: Bene loquimini, et bene facite: quia si negligitis, gravius damnabimini quam qui fuerint in tempore Moysi, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Quo plus majorem quis misericordiam a Domino consequitur, eo injustius indigenti proximo misericordiam negat, et justius luit pœnas impietatis.

‡2.13 *Superexaltat autem.* BED. Sicut in iudicio dolebit ille qui non fecit misericordiam, ita qui fecit, remuneratus exsultabit atque gaudebit.

¶2.14 *Quid proderit, etc.* ID. Hic latius disputat de operibus misericordiæ, ut quos præcedente sententia terruerat, consoletur, docendo quibus remediis expientur quotidiana peccata, sine quibus non agitur vita. Ne illi qui non in uno tantum, sed in multis offendunt, in iudicio inveniantur rei omnium.

§2.18 *Sed dicit quis.* Non solum propter prædictas rationes debetis ad bene operandum incitari, sed etiam propter hoc ne improprium ab aliis patiamini, quia aliquis assumpta fiducia de suis operibus ut ostendat solam fidem non valere, improprie dicit: *Tu fidem, etc.*

est Deus: bene facis: et dæmones credunt, et contremiscunt.** 20 Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?†† 21 Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?‡‡ 22 Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: et ex operibus fides consummata est?¶¶ 23 Et suppleta est Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam, et amicus Dei appellatus est. 24 Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum? 25 Similiter et Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, et alia via ejiciens? 26 Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

3 Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam majus iudicium sumitis.§§ 2 In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: potest etiam freno circumducere totum corpus.* 3 Si autem equis frena

**2.19 *Tu credis*, etc. Probavit eos qui opera non habent veram fidem non habere; nunc cujusmodi fidem habeant, patefacit, ne illam talem fidem magnifaciant. *Et dæmones credunt, et contremiscunt*. BED. Scriptum est, etc., usque ad dæmonibus tardiores et proterviores sunt existimandi.

††2.20 *Vis autem scire, o homo inanis?* BED. Probato, quod fides sine operibus mortua est, etc., usque ad imitentur in tentatione et in operatione.

‡‡2.21 *Abraham pater noster*, etc. ID. Quod Abraham per fidem sine operibus justificatus dicitur, etc., usque ad de utroque in exemplum proponitur. *Offerens filium suum Isaac super altare?* Magna tentatio, cum filium jubebatur occidere; magna fides, cum etiam de mortuo credebat se posse semen accipere; magnum opus, cum dilectissimum non dubitaret offerre.

¶¶2.22 *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus*, etc. Quia obtulit illum, in quo acceperat promissionem, apparet magna virtus fidei: quia, etsi eum offerret, credebat promissionem implendam, quia potentem credebat Deum etiam suscitare mortuum. *Similiter et Raab meretrix*. BED. Ne causarentur opera tanti patris se imitari non posse, etc., usque ad et annumerata in generationibus Salvatoris.

§§3.1 *Nolite*. Sicut monui vos ad opera facienda, sic moneo ad vitanda stulta magisteria. *Nolite plures*. Multi fuere temporibus apostolorum, qui descendentes de Judæa Antiochiam, non bene eruditi in lege fidei, docebant, credentes ex gentibus debere circumcidi, et alios errores inducebant, quæ veris prædicatoribus non parvum laborem quæstionis contulerunt. Hos ergo ab officio verbi removet, ne impediant veros prædicatores. *Majus*. BED. Qui inductus officium docendi usurpat, et Christum non sinceriter nuntiat, majorem damnationem meretur quam si solus suo scelere periret; sicut contra, qui bene ministrat, gradum sibi bonum acquirit.

*3.2 *In multis*. Vere periculosum est reliquis præesse velle, quia non tantum vos minus eruditi, sed nos omnes prædicatores, etiam majores in multis offendimus, alii male docendo, et aliis male vivendo, et aliis modis. Se illis beatus Apostolus connumerat, ut liberius arguat. Aliter justus, aliter malus offendit; justus carnis fragilitate, nec justus esse desinit, unde Salomon: *Septies in die cadet justus et resurget*; sicut quotidiana est offensio, ita quotidiana est medela orationum, et bonorum operum, sed impii corruunt in malum. *Si quis*. Vult ostendere inevitabilem verbi offensionem, ut imperitos deterreat, ne cupiant prælationem: quia eum qui cupit præesse, oportet aliis perfectiorem esse, ne offendant dum debet prodesse; sed imperiti non possunt in prædicando non offendere. *In verbo non offendit*. BED. Illo videlicet, cujus offensionem humana potest vitare fragilitas. Ut verbum doli, detractionis, superbiam, jactantiam, sed et otiosam et superflam locutionis, *hic perfectus est vir*.

in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus.[†]
⁴ Ecce et naves, cum magnæ sint, et a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit. ⁵ Ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit![‡] ⁶ Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ inflammata a gehenna.[¶] ⁷ Omnis enim natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et ceterorum domantur, et domita sunt a natura humana:[§] ⁸ linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero. ⁹ In ipsa benedicimus Deum et Patrem: et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. ¹⁰ Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.^{**} ¹¹ Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam?^{††}
¹² Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa

[†]3.3 *Si autem frenos equis in ora mittimus.* BED. In ora nostra multo magis debemus mittere. Quidam libri habent: *Sicut autem frenos equis,* et conjungitur sic ad sequentia: *Sicut autem frenos equis in ora mittimus, ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat.*

[‡]3.5 *Et magna exaltat.* ID. Præmia, si impetus dirigentis bene eam gubernat; si male, sibi suisque magnam perditionem exaltat, unde Salomon: *Mors et vita in manibus linguæ* Prov. 18.. Vitam exaltat, si bene docet Ecclesiam; mortem si male. Agitur namque contra illos qui, et vita et scientia destituti, docere præsumebant. Magna ergo exaltat lingua quæ cæterorum verba et sensus despiciens, singulariter se sapientem jactat et facundam. Contra quod: *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes. Ecce quantus ignis.* Sic et lingua incontinens magnam materiam bonorum operum perire facit, itaque, cum fere sit impossibile vitari peccatum linguæ etiam a perfectis, non quivis debet appetere magisterium.

[¶]3.6 *Universitas iniquitatis.* Universitatem dicit, quia per eam cuncta fere facinora, aut concinantur, ut latrocinia, stupra: aut patrantur, ut perjuria, falsa testimonia: aut defenduntur, ut cum quilibet impurus excusando scelus quod admisit, simulat bonum quod non fecit. *Quæ maculat totum corpus.* Et quia talis est lingua totum corpus maculat, et immundum facit reputari in conspectu Dei, et ideo grave est subire magisterium: quia *constituitur in membris nostris,* una est de membris nostris, nimis propinqua nobis. *Inflammat rotam,* etc. BED. Contaminat totum procursum vitæ temporalis, etc., usque ad per cætera membra ad effectum perducere cogit.

[§]3.7 *Omnis enim natura bestiarum,* etc. ID. Legimus in Plinio immanissimam aspidem in Ægypto a quodam patrefamilias domitam, quotidie de caverna sua egressam et a mensa ejus annonam percipere solitam. Legimus in Marcellino, tigridem mansuetam factam ab India Anastasio principi missam.

^{**}3.10 *Ex ipso ore procedit.* Alii videntes quod agimus exemplo nostro inducuntur, ut similiter benedicant et maledicant. *Non oportet.* Vere non oportet ut eodem ore benedicamus de capite, et maledicamus de membris, quia amaritudine maledictionis consumitur dulcedo benedictionis.

^{††}3.11 *Nunquid fons.* Oportet prædicatorem aliquando amara prædicatione uti, abstrahendo, increpando. Quod satis difficile est, ut diversis verbis ad idem tendentibus utrumque facere possit.

dulcem potest facere aquam.^{‡‡} ¹³ Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiae.^{¶¶} ¹⁴ Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem:^{§§} ¹⁵ non est enim ista sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica. ¹⁶ Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. ¹⁷ Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonus consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.* ¹⁸ Fructus autem iustitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem.[†]

4 Unde bella et lites in vobis? nonne hinc: ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?[‡] ² concupiscitis, et non habetis: occiditis, et zelatis: et non potestis adipisci: litigatis, et belligeratis, et non habetis, propter quod non postulatis.[¶] ³ Petitis, et non accipitis: eo quod male petatis: ut in concupiscentiis vestris insumatis. ⁴ Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? quicumque

^{‡‡}3.12 **Nunquid potest, fratres.** Non potest fieri ut doctor sit ficus dulcedine beatitudinis ad quam monet, et dulcibus utatur verbis, et ut sit vitis, faciens oblivisci omnium temporalium, ad quod oportet asperis uti: hoc ergo difficile est. **Sic neque salsa dulcem potest facere aquam,** id est, aliquis prædicator acriter mordens mores aliorum, in eadem doctrina non potest esse dulcis eisdem.

^{¶¶}3.13 **Quis sapiens et disciplinatus inter vos?** Confutatis illis qui nec vitæ sanctitatem, nec linguæ continentiam habent, monet illos qui sibi sapientes videbantur, vel etiam erant, ut sapientiam magis ostendant discipline vivendo, quam alios docendo, quia qui proclivior est ad docendum quam faciendum, aliquando jactantiam, vel contentionem incurrit, vel invidiam contra alios doctores, et alia multa mala.

^{§§}3.14 **Et mendaces esse adversus veritatem.** Nolite mentiri Deo, cui in baptismo promisistis abrenunciare pompis diaboli, quod non facitis cum de bonis superbire vultis.

*3.17 **Quæ autem.** Hæc est mansuetudo quam superius habendam esse præcepit, zelo amaritudinis et contentionibus adversa. **Primum quidem pudica est.** Nisi primum pudicitia sedeat in mente, nulla perfectio sequetur in opere. **Suadibilis, bonis consentiens.** Si quid minus agit, vel propter ignorantiam, vel propter negligentiam, bonorum suasioni assensum præbet.

[†]3.18 **Fructus autem.** Postquam sapientiam per singulas virtutes distinxit; ut facilius invitet ad hanc, fructum ejus subjungit: **In pace seminatur.** Non postulat videri doctior vel sanctior quam est: non lacerat proximum ad commendationem sui, quod contentiosa facit sapientia. Non solum propter prædicta debet hujusmodi sapientiam appetere, sed etiam ideo; quia a facientibus pacem quasi jacentibus hoc semen seminatur, et præparatur in pace æternæ beatitudinis fructus, id est merces justitiæ, quæ pro justis operibus retribuitur. Qui igitur hic studet paci, et terram cordis sui operibus pacis quasi semente aspergit, justum est ut habeat æternam pacem, quasi fructum hujus seminis.

[‡]4.1 **Unde bella,** etc. BED. Prohibuerat zelum et contentionem, unde etiam latius disputat, addens alia vitia quæ inde sequuntur: ex contentione concupiscentia, ex concupiscentiis bella et lites. Qui enim cupit præferri, vel temporalibus abundare, odit, invidet, occidit.

[¶]4.2 **Propter quod.** Propter hæc, scilicet quod Deum digne postulatis; si enim illum pia intercessione postularetis etiam temporalia ad usum necessaria, et non solum sempiterna daret.

ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.^{§ 5} An putatis quia inaniter Scriptura dicat: Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis?^{**} ⁶ majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.^{††} ⁷ Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet a vobis. ⁸ Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: et purificate corda, duplices animo. ⁹ Miseri estote, et lugete, et plorate: risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem. ¹⁰ Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. ¹¹ Nolite detrahare alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex.^{‡‡} ¹² Unus est legislator et judex, qui potest perdere et liberare. ¹³ Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus.^{¶¶} ¹⁴ qui ignoratis quid erit in crastino. ¹⁵ Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur; pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit. Et: Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.^{§§} ¹⁶ Nunc autem exsultatis in superbis vestris. Omnis exsultatio talis, maligna est. ¹⁷ Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.

5 Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis.* ² Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. ³ Au-

§4.4 **Adulteri, nescitis,** etc. BED. Dixerat supra de apertis inimicis Dei, etc., usque ad et per hoc inimici Dei constituimini.

4.5 **An putatis? etc. Non debetis litigare: nam spiritus, qui in vobis est, non concupiscit ad invidiam, sed potius facit concordēs, et hoc dicit Scriptura: **Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis.** Vel: **spiritus concupiscit ad,** id est **contra invidiam,** id est hoc desiderat, ut invidia tollatur; vel, cupit ut invideatis mundo, nec ametis eum; vel, spiritus cujuslibet hominis cupit temporalia ad invidiam, quia invidet aliis quod non habet.

††4.6 **Majorem autem dat gratiam.** Spiritus gratiæ non facit invidere, imo dat gratiam, id est gratuita dona, majora quam sunt divitiæ sæculi. Propter quod, id est ut sciamus, dat, et quibus non det, dicit Scriptura: **Superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,** etc. Malos omnes punit Deus, sed superbis specialiter resistere dicitur, quia majori poena plectuntur, qui Deo subdi pœnitendo negligunt Sed humilibus dat gratiam, qui in suorum plagis vitiorum manibus veri medici se subdunt.

‡‡4.11 **Detrahit legi, judicat legem.** Quæ detractionem prohibuit. Quasi dicat, lex non fecit. Vel, qui detrahit fratri legem facienti, detrahit et judicat legem quare talia jussa dederit, quæ injurias fratrum jubet oblivisci.

¶¶4.13 **Tu autem.** Non solum ideo debes vitare detractionem, ne ut transgressor a Deo judiceris, sed ideo etiam quia fortasse in nullo præcellis illos quos vituperas. **Ecce nunc, qui dicitis.** Post increpationem detractionis, arguit illorum temeritatem qui, non habentes certitudinem vitæ, cupiditate temporalium vitam et lucrum promittunt sibi in futurum. **Faciemus ibi quidem annum, et mercabimur,** etc. Multimodam stultitiam notat eorum qui et de lucrorum augmento agunt, et se multo tempore victuros arbitrantur, et suæ potestatis æstimant, ut annum faciant, et in his omnibus superni judicis examen ad mentem revocare contemnunt.

§§4.15 **Quæ est enim vita vestra?** etc. Non consentit illis qui dicunt post mortem nihil esse, et mortem ipsam nihil esse. Sed ita loquitur ut doceat quod vita pravorum brevis est in præsentī: quam tamen in futuro mors æterna sequetur.

*5.1 **Agite nunc.** Tempore accepto et in die salutis, futuras pœnas fletibus et eleemosynis redimite.

rum et argentum vestrum æruginavit: et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.[†] ⁴ Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat: et clamor eorum in aures Domini sabbaoth introivit.[‡] ⁵ Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis.[¶] ⁶ Adixistis, et occidistis justum, et non resistit vobis. ⁷ Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum.[§] ⁸ Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit. ⁹ Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini. Ecce iudex ante januam assistit. ¹⁰ Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, et patientiæ, prophetas qui locuti sunt in nomine Domini.^{**} ¹¹ Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator.^{††} ¹² Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non: ut non sub iudicio decidatis. ¹³ Tristatur aliquis vestrum? oret. Æquo animo est? psallat.^{‡‡} ¹⁴ Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: ¹⁵ et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.^{¶¶} ¹⁶ Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua. ¹⁷ Elias homo erat similis nobis passibilis: et ora-

[†]5.3 *Et ærugo.* BED. Non solum immisericordes divites visibilis genennæ ignis cruciabit, etc., usque ad et propterea gravius punietur. *In testimonium.* Id est ad augmentum pœnarum, id est ut hanc visibiliter intuendo, majores cruciatus sustineatis. *Manducabit carnes.* Id est corpora vel carnales concupiscentias, quia luxuriosas animas, et exterius sæviens flamma cruciabit, et interius pungens dolor suæ tenaciæ accusabit. *Sicut ignis,* qui consumit metalla et cæteras res, sic ærugo vestras carnes.

[‡]5.4 *Ecce merces.* BED. Magna est hominum iniquitas, qui pauperes nolunt suscipere; sed major est quando mercenariis, et famulis debitam laboris mercedem nolunt reddere. Unde Job: *Si adversum me terra mea clamat et sulci ejus deflent? si fructus ejus comedi absque pecunia?*

[¶]5.5 *Epulati.* ID. Nec tantum peccastis superflue congregando, etc., usque ad et cæterorum scelerum quæ fecerant Judæi.

[§]5.7 *Patientes* ID. Increpatis superbis et incredulis, etc., usque ad unde Apostolus: *Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam* Rom. 6..

^{**}5.10 *Prophetas.* ID. Prophetæ, qui tam sancti erant ut Dei Spiritus per eos sua mysteria loqueretur, etc., usque ad de Domino quantum ad exitum mortis.

^{††}5.11 *Sufferentiam Job.* Non dicit: *finem Job,* cui temporalia sunt restituta, sed *sufferentiam Job. Et finem Domini,* quia ad patiendum exemplo Job invitatur, et tamen non ut temporalia recipiant, sicut Job vetus homo, sed æterna sicut Christus novus homo. *Et finem Domini.* BED. Audistis lectione, vidistis oculis in cruce longaminiter patientem, sed et gloriam resurrectionis et ascensionis Evangelica prædicatione didicistis.

^{‡‡}5.13 *Oret.* Ne murmuret, nec iudicia Dei vituperet, sed ad Ecclesiam currat flexis genibus, ut Deus consolationem mittat.

^{¶¶}5.15 *Et si in peccatis.* BED. Multi propter peccata etiam corporis plectuntur morte, etc., usque ad unde recte subditur: *Confitemini,* etc.

tione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex.^{§§}
¹⁸ Et rursus oravit: et cælum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. ¹⁹ Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum: ^{*} ²⁰ scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.†

§§5.17 *Oratione oravit.* Astruit exemplo quantum valeat justī deprecatio assidua cum Elias tantum una oratione orando tam longo tempore continuerit cœlos, terris imbres averterit, fructus mortalibus negaverit. *Et rursus.* BED. Ubi Elias tempus perspexit, etc., usque ad quid ergo multi fideles multis orationibus?

*5.19 *Si quis ex vobis.* Ostensa efficacia orationis, ostendit quanti sit meriti pro fratribus orare, et ad sospitatem revocare, ut qui in superiori parte a lingua nostra malignam et otiosam locutionem removit, in fine Epistolæ quid loqui debeamus, ostenderet. Oremus, et psallamus, quoties adversis pulsamur, peccata confiteamur, pro invicem oremus ut salvemur: pro salute proximorum non solum temporali, sed potius æterna. Si enim magnæ mercedis est a morte eripere corpus quandoque moriturum, quanti meriti est a morte animam liberare in cœlesti patria sine fine victuram?

†5.20 *Salvabit.* Quidam codices habent: *Salvabit animam suam a morte.* Et vere qui errantem corrigit, per hoc ampliora gaudia vitæ cœlestis sibi conquirat.

INCIPIT EPISTULA PETRI I

1 Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Asiæ, et Bithyniæ,[‡] ² secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi. Gratia vobis, et pax multiplicetur.[¶] ³ Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis,[§] ⁴ in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cælis in vobis, ^{**} ⁵ qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.^{††} ⁶ In quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus:^{‡‡} ⁷ ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi:^{¶¶} ⁸ quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exsultabitis lætitia

[‡]1.1 **Argumentum** Discipulos Salvatoris invicti, toto orbe diffusos et peregrinos in hoc sæculo monstrat, et præteritæ vitæ poenitere suadet et in novam vitam proficere, tota cum sollicitudine exhortatur Simon Petrus, filius Jonæ, provinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ apostoli. **Advenis.** Bed. Advenæ Latine, Græce proselyti, etc., usque ad habentes: **Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos.** **Dispersionis.** Anno ascensionis mortuus est Stephanus, et multi timore dispersi. **Ponti.** Omnes hæ provinciæ Græcorum sunt in Asia, sed est et alia Bithynia in Europa: de qua illi qui in Asia sunt Bithynii originem habuerunt. Illa autem quæ in Asia est Bithynia, major Phrygia vocatur, quæ Hiera flumine a Galatia disterminatur.

[¶]1.2 **Gratia.** Sine gratia Christi, ad pacem reconciliationis ejus nunquam venit, nihil pacificum nisi per gratiam ejus habere valemus. **Et pax multiplicetur.** Id est nulla adversitas retrahat vos a laudibus Dei, omnis tribulatio invitet vos ad laudem, quia omnia ad felicitatem multiplicantur: ut quod bene cœpistis, perfecte compleatis.

[§]1.3 **Regeneravit.** Bed. Cum nostris meritis generati essemus ad mortem, etc., usque ad ut per munditiam situs cœli et sedes Dei.

^{**}1.4 **Incorruptibilem.** Naturaliter non est anima incorruptibilis, sed gratia Dei per fidem et justitiam ad intellectum perficitur incorruptibilis. **In vobis.** Qui dedit vobis credentibus potestatem filios Dei fieri, posuit in vobis illam perseverantiam, per quam hæreditatem in cœlis accipiatis, quia qui non servaverit disciplinam Patris non meretur hæreditatem ejus.

^{††}1.5 **In virtute.** Nullus suæ libertatis potentia custodiri valet in bonis, nisi ille perficiat a quo initium bonæ actionis habetis. Laborate de fide per fidem, venturi in salutem æternam, quæ etiamsi modo non apparet, tamen parata est revelari, si nos fuerimus parati.

^{‡‡}1.6 **Nunc, si oportet.** Si, id est quamvis oporteat. Vel, **si oportet contristari,** non deficiamus.

^{¶¶}1.7 **Ut probatio,** etc., **in laudem.** Cum judex laudans vestram fidem, dicit: **Et dedistis mihi manducare,** etc Matth. 25.. **Pretiosior auro.** Bed. Patientia sanctorum auro comparatur, etc., usque ad unde et subjungit: **Inveniatur,** etc. **In laudem.** Ut laudabiles et gloriosi sitis per constantiam **in revelatione,** id est in die judicii, quando revelabitur quam magnæ potentiæ sit Deus. **Et honorem,** ut dicatur vobis: **Venite, benedicti Patris mei** Matth. 25..

inenarrabili, et glorificata: ⁹reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum. ^{§§}
¹⁰De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt: ^{*}¹¹scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: praenuntians eas quae in Christo sunt passiones, et posteriores glorias: [†]¹²quibus revelatum est quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quae nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto misso de caelo, in quem desiderant angeli prospicere: [‡]¹³Propter quod succincti lumbos mentis vestrae, sobrii, perfecte sperate in eam, quae offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi: [¶]¹⁴quasi filii obedientiae, non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis: [§]¹⁵sed secundum eum qui vocavit vos, Sanctum: et ipsi in omni conversatione sancti sitis: ^{**}¹⁶quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. ¹⁷Et si patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini. ^{††}
¹⁸Scientes quod non corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis: ¹⁹sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati: ^{‡‡}²⁰praecogniti quidem ante mundi constitutionem, man-

§§1.9 *Salutem animarum.* Hæc salus multum est amanda, quia de hac salute multum exquisierunt, quando vel quo ordine salus æterna mundo adveniret; unde dicitur: *Multi prophetae et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* Matth. 13..

*1.10 *Prophetaverunt.* Palam hominibus loquendo et exponendo ea quae in occulto internae contemplationis ipsi cognoverant.

†1.11 *In quod vel,* etc. Quod tempus, id est quo anno, vel sub quo principe. Quale, bellicosum vel pacificum, vel quo ordine, per partum virginis, vel quo alio modo. *Spiritus Christi.* Archangelos et propinquos, vocat spiritus, per quos operatur Dominus, quia Christo sunt subjecti. *Posteriores glorias.* Duæ sunt glorificationes Domini secundum suscepti hominis formam. Una qua resurrexit a mortuis, et alia qua ascendit in caelum ante oculos apostolorum. Restat tertia, et ipsa erit in conspectu hominum, cum in majestate venerit ut reddat cuique secundum opera sua.

‡1.12 *Vobis autem ministrabant.* Hoc ideo dicit ut moneat illos curam gerere salutis oblatae, quam sic amaverunt priores sancti. *Spiritu sancto.* BEDA. Spiritus in prophetis, spiritus in apostolis, ita apparet, quod prophetæ et apostoli eandem salutem nuntiant. Illi venturam, isti impletam. Una itaque Ecclesia, cujus pars praecessit adventum Christi, pars sequitur.

¶1.13 *Propter quod.* Quia tanta gratia vobis est promissa, ut revelate videatis illam quam nunc vident angeli, tanto amplius digni esse curate, ut eam percipere valeatis. *Sperate.* Securi exspectate mente, et corpore casti. Nam qui Domino se placere non novit, merito spe bonorum carens, ne citius adveniat, metuit.

§1.14 *Filii.* Et secure possitis exspectare, sitis filii obedientes Patri corripienti.

**1.15 *Sanctum.* Id est sanctificatum et sanctificantem vos ut in omni conversatione sitis sancti: unde: *Estote et vos perfecti,* etc.

††1.17 *In timore,* etc. HIER. Ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus operior cum tremore reddere novissimum quadrantem. Et tempus quo mihi dicatur, Hieronymus, veni foras. *Incolatus vestri.* Ut possitis esse sancti, habete conversationem vestram in timore, tempore vestri incolatus quandiu in hujus mundi exsilio estis. *Beatus enim qui semper est pavidus,* hoc dico si Deum invocatis, quasi dicat: Non vere Deum invocatis, nisi solliciti et timidi sitis.

‡‡1.19 *Sed pretioso sanguine.* Ordo litteræ est: sed pretioso sanguine Christi, quasi agni incontaminati et immaculati. Hic tangit leviticas et sacerdotales celebrationes. Significat autem animam mundam per justitiam quae offertur Deo.

ifestati autem novissimis temporibus propter vos, ²¹ qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo: ²² animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius: ²³ renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, et permanentis in æternum: ²⁴ quia omnis caro ut fœnum: et omnis gloria ejus tamquam flos fœni: exaruit fœnum, et flos ejus decidit. ²⁵ Verbum autem Domini manet in æternum: hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.

2 Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractioes,[¶] ² sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite: ut in eo crescatis in salutem:^{§§} ³ si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.* ⁴ Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honorificatum: ⁵ et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.† ⁶ Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: et qui crediderit in eum, non confundetur.‡ ⁷ Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes: hic factus est in caput anguli,[¶] ⁸ et lapis offensionis, et petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi

[¶]2.1 *Deponentes igitur omnem malitiam.* Quid est malitia? nisi nocendi amor? Quid dolo? nisi aliud agere, aliud simulare? Quid adulatio? nisi fallaci laude, seductio? Quid invidia? nisi odium felicitatis alienæ? Quid detractio? nisi mordacior quam veracior reprehensio? Malitia malo delectatur alieno. Dolus duplicat cor. Adulatio linguam. Detractio vulnerat famam.

^{§§}2.2 *Sicut modo geniti.* BEDA. Quia sic renati estis, et filii æterni facti, tales estote per studium bonæ conversationis, quales sunt infantes recenter nati per naturam ætatis. *Rationabile.* Estote infantes per malitiam remotam, rationabiles tamen per sapientiam: nec ratio aliqua ad versutias sæculi vos trahat, sed sine dolo sitis; unde: *Estote prudentes sicut serpentes* Matth. 10., etc. *Lac concupiscite.* BEDA. Tangit illos qui ad audiendas sacras lectiones fastidiosi adveniunt, ignari illius sitis et esurie, de qua Dominus ait: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* Matth. 5.. Ideoque tardius ad perfecta salutis incrementa perveniunt, quo possint solido cibo verbi refici, id est, arcana cognoscere divina, vel majora facere bona. *Ut in eo crescatis.* Ut etiam bene discendo, per sacra Dominicæ incarnationis perveniatis ad contemplationem divinæ majestatis.

*2.3 *Si tamen gustastis.* ID. Hoc pacto purgata cordis malitia, vitalem Christi alimoniam concupiscite, si, quanta sit divina dulcedo, sapitis. Nam qui nihil de ejus dulcedine gustat, non est mirum si hunc terrestribus desideriis sordidare non evitat.

†2.5 *Tanquam lapides viri.* Per infidelitatem quidem duri et insensibiles, sed per discretionem eruditi vivificantur et apti sunt, ut in Dei ædificio charitate compingantur. *Ædificamini.* Ad offerendum bona opera, eleemosynas, preces et vos ipsos. *Per Jesum Christum.* Hoc ad omnia refertur, ædificamini, sacerdotes estis, offertis, et hoc totum, per Jesum Christum, cujus gratia omnia habetis.

‡2.6 *Propter quod* confirmandum, quod Dominus propter firmitatem suam jure sit lapis vocatus, etc.

¶2.7 *Vobis igitur credentibus est honor non credentibus,* etc., *quem reprobaverunt ædificantes.* Ita reprobatus ab istis sicut ab illis, et ille lapis hic, id est credentibus, *est factus in caput anguli,* et infidelibus factus est *lapis offensionis et petra scandali.*

sunt.^{§ 9} Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.^{** 10} Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.^{†† 11} Carissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam,^{‡‡ 12} conversationem vestram inter gentes habentes bonam: ut in eo quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.^{¶¶ 13} Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi quasi præcellenti:^{§§ 14} sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum:^{* 15} quia sic est vol-

§2.8 *Et lapis offensionis.* Cum Christus sit lapis in quo sustententur et tuti quiescant boni, incredulis erit causa offensionis in præsentī non credentibus in eum et ideo cadentes sunt de vitio in vitium. Est in futuro petra scandali, quia ad illum lapidem Christum quem tanquam humilem conculcaverunt, collidentur gressus eorum, et cadent in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus. *Offendunt verbo.* Offendit verbo qui nos quod verbum audivit; offendit animo, sum quod audivit, non credit, cujus stultitiam exaggerat. *Nec credunt in quo positi sunt:* per naturam ad hoc sunt facti homines, ut credant Deo et voluntati ejus obtemperent.

**2.9 *Vos autem genus electum.* Hoc testimonium laudis quondam antiquo populo per Moysen datum Gentibus dat Apostolus, qui in Christum credunt: qui veluti lapis angularis in eam quam in se Isræl salutem habuerat, gentes adunavit. *Regale sacerdotium.* Summi sacerdotis corpori uniti, qui regnum sperare, et hostias immaculatæ conversationis Deo offerre debebant. *Acquisitionis,* in sanguine redemptionis ejus sicut erat quondam populus Isræl redemptus sanguine agni de Ægypto. Unde et in sequenti versu mystice recordatur veteris historiæ, et hanc specialiter in uno populo impletam docet. *Annuntietis.* BEDA. Sicut liberati de Ægypto, triumphale carmen Domino cantaverunt, ita nos post tenebras dissolutas, post acceptam remissionem per Christum qui nos ducit ad patriam supernæ claritatis debemus Deo rependere gratias dignas cœlestibus beneficiis.

††2.10 *Qui aliquando.* ID. Hinc probatur quod hanc epistolam scribit his qui de gentibus ad fidem venerant. Assumuntur hi versus de prophetia Oseæ in qua agitur de vocatione Gentium.

‡‡2.11 *Charissimi.* ID. Hucusque generaliter instruxit Ecclesiam, etc., usque ad libertas vitæ remissioris majora illecebrarum titillantium tolerare pericula. *Tanquam advenas.* Eo minus animum terrenis rebus supponite, quo vos patriam in cœlis habere meministis. Reprobi hic habent patriam, cujus desideriis inhiant, ideo relegabuntur in perpetuum exsilium, carentes voluptatibus.

¶¶2.12 *Ex bonis operibus considerantes.* ID. Plerumque contigit, ut pagani qui vituperabant fidem Christianorum, postea considerantes bonam eorum conversationem, Christum laudare inciperent.

§§2.13 *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi,* etc. Et ut conversatio vestra omnibus placeat, non resistatis alicui dignitati hominum, alicui personæ, alicui principatui cui Deus vos subdi voluit, quia non est potestas nisi a Deo, et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et creaturam per partes exponit *dicens, sive Regi,* etc.

*2.14 *Tanquam ab eo missis.* Multoties Deus aliquem malum tyrannidem exercere permittit, ut et mali confundantur, et boni magis probentur. *Ad vindictam.* BEDA. Hoc dicit, non tamen ita quod semper fiat, sed quæ esse debeat actio ducis, simpliciter narrat, qui etiamsi bonos damnat; non minus ad laudem eorum pertinet quod agit, si patienter improbitatem ejus tolerant boni, et sapienter ejus astutiæ resistunt.

untas Dei, ut beneficientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam:† 16 quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.‡ 17 Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: regem honorificate.¶ 18 Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.§ 19 Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste.** 20 Quæ enim est gloria, si peccantes, et colaphizati suffertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. 21 In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus:†† 22 qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: 23 qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se injuste:‡‡ 24 qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sa-

†2.15 *Laudem vero bonorum. Quia sic est.* Vere pii, quidquid duces agant, laudem consequuntur: quia hoc vult Deus, qui etiam malis utitur in bonum, unde et vos utamini etiam illis in bonum, sive boni sive mali sint, **facientes obmutescere imprudentium hominum ignorantium.** Ut quoquo modo eis in bonum utamini, et per eos laudem mereamini, nec ipsi inveniant quid in vobis vituperent, dum etiam ipsos honoratis et patimini, quamvis sint immundi.

‡2.16 *Non quasi velamen.* BEDA. Non habentes libertatem vestram in velamen malitiæ, etc., usque ad unde addit: **Sed sicut servi Dei.**

¶2.17 *Fraternitatem diligite.* ID. Et inter omnia, etiam illos qui conditione temporali subjecti sunt vobis, ut fratres in Christo diligite.

§2.18 *Servi subjecti.* Hucusque exhortatus est liberos ad subjectionem, nunc servis loquitur, ut et ipsi subjecti sint dominis. **Non tantum bonis.** Alia translatio: **Non tantum bonis et modestis: sed etiam difficilioribus. Dyscolis.** Id est indisciplinatis. Schola Græce, Latine locus, in quo ad audiendos magistros liberalium artium conveniebant, unde schola vacatio interpretatur, quia ibi vacabant studiis. Scholastici igitur sunt eruditi. Dyscoli indocti et agrestes. Ecce quomodo supra monebat subdi humanæ creaturæ propter Deum.

2.19 *Si propter conscientiam Dei.* Si propter Deum scientem bonam intentionem aliquis patiens a Domino verberatur injuste, cum ei bene serviat, et sustineat, id est leves reputet tristitias, hæc est gratia, et per hoc efficitur gratus Deo, et hoc exigit gratia fidei. **Patiens injuste. Si injuste patimini, gratiam Dei acquiritis. Nam si vos suffertis patienter pœnas illatas a dominis, vos dico peccantes nolendo obedire eis et colaphizati ab ipsis dominis, id est sæpe correcti ab illis, ut per colaphos ad obediendum inducamim, quæ gratia erit vobis inde? Nihil, propter hoc accipietis a Deo.

††2.21 *In hoc enim vocati.* Multum glorificat conditionem servorum, quos beneficientes et absque culpa vapulantes a dominis crudelibus, et improbis affirmat imitatores esse Dominicæ passionis. **Quia et Christus.** BEDA. Cum supra specialiter servos, nunc totam Ecclesiam instruit ut etiam dominis in memoriam revocet, quid pro eorum salute vel liberatione suus auctor pertulerit.

‡‡2.23 *Tradebat autem iudicanti se injuste.* Illis iudicantibus secundum injustam legem, utpote justus existens. Sive, tradebat Deo Patri injuste iudicantes, id est eos qui eum nequissime condemnabant, et neci ejus instabant, ut supplicia sumentes erudiantur. Tangit evangelicam parabolam, ubi dicitur quod pius pastor, relictis nonaginta novem ovibus in deserto, venerit visitare unam quæ perierat.

nati estis. ²⁵ Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem, et episcopum animarum vestrarum.[¶]

3 Similiter et mulieres subditæ sint viris suis: ut etsi qui non credunt verbo, per mulierem conversationem sine verbo lucrifiant: ² considerantes in timore castam conversationem vestram. ³ Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus:^{§§} ⁴ sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. ⁵ Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris. ⁶ Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cuius estis filiæ benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem. ⁷ Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam et cohæredibus gratiæ vitæ: ut non impediatur orationes vestræ.* ⁸ In fine autem omnes unanimes, compatiens fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles: ⁹ non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.[†] ¹⁰ Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coërceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. ¹¹ Declinet a malo, et faciat bonum: inquiret pacem, et sequatur eam: ¹² quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala. ¹³ Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?[‡] ¹⁴ Sed et si quid patimini propter justi-

[¶]2.25 *Et episcopum.* Vel visitatorem, quod idem est. Episcopus enim, id est superintendens, quia *oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.* Et, *Visitavit nos oriens ex alto.*

^{§§}3.3 *Quarum non sit.* Ordo verborum est iste: quarum cultus non sit capillatura, aut aurum circumdans, aut non sit cultus vestimentorum indumenti, id est, non sint festiva vestimenta quibus induantur. Sed sit vobis ornatus homo cordis interior soli Deo notus, incorruptibilitate spiritus: spiritus dico quieti ab impugnatione vitiorum et modesti, ne superbiat, qui talis spiritus, etsi hominibus non patet, tamen in conspectu Dei est dives.

*3.7 *Viri.* Quasi dicat: sicut præcepi uxoribus, ut per sanctam conversationem suam lucrifaciant maritos, et serviant illis, similiter præcipio vobis, o viri, ut per vestram conversationem lucrifaciant mulieres, et custodite eas, vos dico cum illis, reddendo debitum, cohabitantes. Et hoc secundum conscientiam, non in passionibus desiderii, sed sicut Deum intelligimus velle, scilicet ut generetis filios in cultum unius Dei, vos dico impertientes honorem vasculo muliebri, quasi infirmiori, et in vestibus, et in aliis necessariis eis providentes: et si aliquando placet illis a coitu cessare, impendite honorem, quia infirmiores sunt. Impendite etiam tanquam cohæredibus gratiæ in præsentī datæ a Deo, et vitæ dandæ in futuro, vel vitæ pro gratia dandæ.

[†]3.9 *Non reddentes.* Non solum cessetis reddere malum pro malo, sed etiam pro maledicto date benedictionem. *Quia in hoc.* BEDA. Quia prohibuerat malum pro malo reddere, etc., usque ad nos quoque pro ipsorum salute (quam precabamur) coronam accepturos. *Ut benedictionem.* Dicente iudice: *Venite, benedicti Patris mei, possidere regnum* Matth. 25.. Vel intelligitur benedictio, qua sancti in futura vita benedicent Deum. Quod ergo quisque in futuro venire desiderat, hoc in præsentī meditari et agere satagat, conditorem et fratrem benedicat, et se dignum fraterna benedictione reddat.

[‡]3.13 *Et quis est.* BEDA. Ideo debitis a malo declinare et facere bonum, quia nemo potest vos retrahere a bono, nec a corona, si persistere volueritis, imo prosunt dum nocere volunt.

tiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini.[¶] 15 Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.[§] 16 Sed cum modestia, et timore, conscientiam habentes bonam: ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.^{**} 17 Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes.^{††} 18 Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.^{‡‡} 19 In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit.^{¶¶} 20 qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est octo animæ, salvæ factæ sunt per aquam.^{§§} 21 Quod et vos nunc similis formæ salvos fecit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ

[¶]3.14 **Timorem autem.** In futuro eritis beati, in præsentem autem *ne timueritis timorem eorum*, id est illa quæ in eis possunt videri timenda, ut est regia potestas, et hujusmodi.

[§]3.15 **Dominum autem.** Sanctitatem Christi; quam sit incomprehensibilis gloria, intimo cordis affectu intuemini, et sic ipsum Christum sanctificate in vobis, ut non a memoria, non ab amore recedat. Qui hanc sanctitatem non considerat, deficit ad insidias hostis. **Omni poscenti.** Volenti mutuo accipere rationabiles pecunias, non negemus. Unde Paulus: *In sapientia ambulate propter eos qui foris sunt, scientes quomodo oporteat singulis responderi.* Foris enim exsistentes, id est nondum fideles volunt aliquid cognoscere de spe quæ in vobis est. Qui ergo ecclesiastico præst magisterio, doceat patientes, obstruat resultantes.

^{**}3.16 **Sed cum modestiæ.** In ipsa doctrinæ scientia qualitatem docendi monet observari, ut humilitas et vivendo et loquendo monstretur.

^{††}3.17 **Melius est.** BEDA. Ita debetis calumniatores pati et confundere, etc., usque ad removetur et æternæ ultioni præparatur.

^{‡‡}3.18 **Offerret Deo.** ID. Quia etiam tunc si qui ad prædicationem Domini (quam per vitam fidelium prætendebant) credere voluissent, ipsos offerre Deo Patri gaudebat. Si qui autem detrahebant de bonis quasi de malefactoribus, imminente diluvio confundebantur.

^{¶¶}3.19 **In carcere.** ID. Qui habent sensum obscuratum tenebris, merito etiam in hac vita dicuntur carcere inclusi, et in hoc interiori carcere mentis operibus injustis gravantur, donec carne soluti in exteriores tenebras projiciantur æternæ damnationis. Habent et justi hic carcerem, sed tribulationum, reprobis vero vitiorum.

^{§§}3.20 **Quando exspectabant Dei patientiam.** Cum patientia Dei invitaret illos ad poenitentiam, parcens illis per centum annos quibus Noë ædificabat arcam, per quam ostendebatur quid futurum esset in mundo. Ipsi ergo non utebantur patientia Dei ad poenitentiam, sed exspectabant eam quasi esset duratura semper. **Noë.** Noë interpretatur requies, et significat Christum qui dat suis fidelibus requiem animarum. **Cum fabricaretur arca.** BEDA. Sicut arca fabricata est de lignis levigatis, sic Ecclesia de collectione fidelium animarum: et sicut pereunte mundo pauci salvi facti sunt per aquam: sic ad comparationem pereuntium parvus est electorum numerus, quia angusta est via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.

interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.* 22 Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cælum subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.†

4 Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit a peccatis:‡ 2 ut jam non desiderii hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. 3 Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam his qui ambulaverunt in luxuriis, desiderii, vinolentiis, comessionibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus. 4 In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes.¶ 5 Qui reddent rationem ei qui paratus est judicare vivos et mortuos. 6 Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est: ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu.§ 7 Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus.** 8 Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes: quia caritas operit multitudinem peccatorum.†† 9 Hospitales invicem sine murmuratione. 10 Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 11 Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur

*3.21 *Quod et vos similis formæ.* Baptisma facit salvos, baptisma dico *similis formæ*, id est per omnia assimilatum illi arcæ, quia quidquid ibi carnaliter, hic spiritualiter geritur. *Non carnis depositio*, etc. Non dico illum baptisma salvare, ubi tantum est *depositio sordium carnis*, id est ubi caro tantum abluitur exterius (quod hæretici habuerunt), sed ubi est *interrogatio puræ conscientiæ*, id est, ubi interrogatur et exigitur a baptista bona conscientia baptizandi: quia tale baptisma salvat, aliud occidit; interrogatio facta est tendens in Deum, ut per bonam conscientiam unum efficiatur cum Deo.

†3.22 *Deglutiens mortem.* BEDA. Quod deglutimus, agimus ut in corporibus nostris assumptum nusquam pareat: Dominus sic mortem funditus consumpsit, ut nihil contra se valeret, et manente specie veri corporis, abesset labes priscae fragilitatis. Quod etiam nobis promittitur, unde addit, *ut et nos vitæ æternæ hæredes efficeremur. Subjectis sibi angelis.* Semper angelos subjectos fuisse Filio Dei non dubitamus, sed hic ideo subjectionis meminit, ut assumptam humanitatem ita in resurrectione sublimatam monstraret, quod omni angelicæ dignitatis potentiæ præferatur. Unde, *omnia subjecisti sub pedibus ejus* Psal. 8.

‡4.1 *Quia qui passus.* BEDA.. Qui timore judiciorum cœlestium carnales in mente concupiscentias exstinguit, jam similis Christo crucifixo, quasi mortuus existens peccatis. Dei tantum servitio vivit.

¶4.4 *Blasphemantes.* ID. Et si blasphemant vos segregatos a perfidia sua, tamen in conversatione vestra opera justitiæ et pietatis videntes mirantur, et fidem quodammodo venerantur.

§4.6 *Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est.* BEDA. Tanta cura est Deo nos mortificari carne, etc., usque ad ut ratio ipsorum damnet mala in impiis.

**4.7 *Omnium.* Quia dixerat in iudicio judicandos vivos et mortuos, ne quis blandiretur sibi de longinquitate futuri iudicii, consulte admonet, quia etsi incertus adventus est extremi discriminis, tamen certum est omnibus quod in hac vita diu subsistere nequimus. *Vigilate in orationibus.* BEDA. Ne animus aliquid cogitet præter id solum quod precatur. Cum ad orandum stamus, omnis carnalis cogitatio absistat, intentio cordis sincera Deum non sono vocis, sed sensu animi oret.

††4.8 *Charitatem continuam habentes.* ID. Qui per charitatem proximum monet, increpat, etc., usque ad quamvis in publicum non semper ostendi, potest.

Deus per Jesum Christum: cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.‡

¹² Carissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat: ¶¹³ sed communicantes Christi passionibus gaudeate, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exsultantes. ¹⁴ Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. §¹⁵ Nemo autem vestrum patiatutur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. ¹⁶ Si autem ut christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine: ¹⁷ quoniam tempus est ut incipiat iudicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? * ¹⁸ et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? † ¹⁹ Itaque et hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis. ‡

‡4.11 **Si quis loquitur.** Si quis habet scientiam loquendi, non sibi, sed Deo imputet: timeat ne præter voluntatem Dei, vel auctoritatem sanctarum Scripturarum, vel præter utilitatem, fratrem doceat, nec quod dicendum est, taceat. **Si quis ministrat.** BEDA. Cum omnia bene et secundum voluntatem ejus feceritis, non vestris meritis, sed gratiæ ejus attribuat, ut alii videntes vestra bona opera, glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

¶4.12 **Charissimi, nolite.** Si patimini fervorem tribulationum quæ contra rationem inferuntur ad vestram probationem et gloriam, non ideo putetis vos esse exsules a membris Christi, et nolite mirari de illatis malis, ut per illa tentet vos Deus et probet, quia antiquum et frequens est electos Dei pro æterna salute in præsentia adversa pati.

§§4.14 **Beati eritis,** etc. Qui patitur pro nomine Christi, beatus; non enim debetis credere quod sine remuneratione patiamini, sicut illi qui pro suis sceleribus patiuntur, et inviti puniuntur. **Spiritus ejus super vos requiescit.** Quia requiescent super vos patientes, et in præsentia ex parte ad bene operandum, et in futuro perfecte ad remunerandum.

*4.17 **Quoniam tempus,** etc. BEDA. Ideo patiendum est pro nomine Christi, etc., usque ad reprobi vero nunc **ducunt in bonis suis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt** Job. 21..

†4.18 **Et si justus,** etc. ID. De Proverbiis hoc sumptum est juxta veterem editionem. In nostra quæ secundum Hebraicam veritatem, ita est: **Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator?** id est, si tanta est fragilitas moralis vitæ, ut nec justus quidem (qui in cœlo coronandi sunt) hanc sine tribulationibus propter innumerabilem vitiatæ naturæ labem transeant: quanto magis hi qui cœlestis gloriæ sunt exsortes, certum damnationis suæ perpetuæ exitium spectant! AUG. Quæritis causam quare justus vix in Dei iudicio salvus esse possit, et quare? nisi quia Dei justitiam tantam esse certum est, ut interdum quæ videntur in hominibus nostro iudicio esse justa, iudicio Dei inveniuntur injusta, secundum illud: **Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor** I Reg. 16.. BEDA. Non est laboriosum Deo liberare justum; sed ut ostendatur quod merito fuerit damnata tota humana natura, non vult facile de tanto malo ipse Deus liberare: propter quod et peccata proclivia sunt et laboriosa justitia, nisi amantibus: sed charitas quæ homines amantes facit, ex Deo est.

‡4.19 **Commendent animas suas,** etc. Et quia incipit iudicium a domo Domini, et per multas tribulationes oportet ingredi in regnum Dei, itaque hoc restat illis passuris: ut quando patiuntur secundum quod Deus vult, id est propter justitiam, commendent animas suas Deo, nil de se præsumentes, ut et hic, secundum quod vult, purget, et in futuro beatificet, quia fidelis est bona reddendo illis quos creavit. Patiuntur dico **in benefactis,** non propter peccata.

5 Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum: qui et ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator:¶ ² pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie:§ ³ neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. ⁴ Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. ⁵ Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.** ⁶ Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis:†† ⁷ omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. ⁸ Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret:‡‡ ⁹ cui resistite fortes in fide: scientes eandem passionem ei quæ in mundo est vestræ fraternitati fieri.¶¶ ¹⁰ Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passus ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. ¹¹ Ipsi gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen. ¹² Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi: obsecrans et contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.§§ ¹³ Salutatur vos ecclesia quæ est in Babylone coelecta, et Marcus filius meus.* ¹⁴ Salute invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus qui estis in Christo Jesu. Amen.

¶5.1 *Seniores.* Cum supra distincte monuisset liberos et servos, viros et ipsas mulieres, post interpositam communem exhortationem, sic alloquitur senes et juvenes.

§5.2 *Non coacte.* Nolite prædicare Evangelium, ut de Evangelio vivere possitis, *sed spontanee secundum Deum*, id est tantum intuitu supernæ mercedis.

**5.5 *Similiter adolescentes.* BEDA. Postquam seniores, quomodo præessent, etc., usque ad continuo generaliter admonendo subdit: *Omnes autem invicem humilitatem insinuate*, senes quidem docendo, juvenes autem subsequendo.

††5.6 *Humiliamini.* BEDA. Quæ sit gratia quam Deus confert humilibus, etc., usque ad sequitur congrua merces exaltationis.

‡‡5.8 *Tanquam leo rugiens*, etc. Sicut rugitus leonis impedit aures, ne alium sonum excipiant, sic diabolus fidelium mentes terrendo, et illicita suggerendo, a via veritatis, ne vocem Christi audiant, avertit.

¶¶5.9 *Scientes.* BEDA. Tanto majorem habete fiduciam, etc., usque ad pudeat vos solos præ omnibus non posse pati.

§§5.12 *Scripsi.* Vobis, inquit, *scripsi* non ut imperans, sed obsecrans et contestans auctoritate Scripturarum hanc esse veram gratiam quam scribendo prædico, quia non est in alio aliquo salus, in quo oportet vos salvos fieri. Vel, obsecrans vos, ut hanc gratiam in qua statis, et qua imbuti estis, esse faciatis veram gratiam vestram et teneatis ut proficientem vobis. Qui gratiam spernit non gratiam minuit, sed hanc non suam, id est non sibi utilem reddit.

*5.13 *In Babylone.* BED. Romam vocat Babylonem propter confusionem multiplicis idololatriæ, etc., usque ad pressura diaboli non potest esse immunis.

INCIPIT EPISTULA PETRI II

1 Simon Petrus, servus et apostolus Jesu Christi, iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri, et Salvatoris Jesu Christi.[†] ² Gratia vobis, et pax adimpleatur in cognitione Dei, et Christi Jesu Domini nostri.[‡] ³ Quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria, et virtute,[¶] ⁴ per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.[§] ⁵ Vos autem curam omnem subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam,^{**} ⁶ in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem,^{††} ⁷ in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem.^{‡‡} ⁸ Hæc enim si vobiscum adsint, et superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione.^{¶¶} ⁹ Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delic-

[†]1.1 **Argumentum** Simon Petrus per fidem huic mundo sapientes mortuos esse declarat, eisdemque pietatis quanta sit magnitudo luce ipsa clarius manifestat. **Simon.** BEDA. Istam eisdem quibus et primam scribit epistolam, etc., usque ad non cesserunt, hæreticis non cedant. **Servus et Apostolus.** Commendatur persona scribentis. **Coæqualem.** BEDA. Coæquales sibi cognoscit, non pro circumcissione, sed quia eadem quam ipsi acceperant Christi gratiam et fidem et hanc per opera exercebant. **In justitia.** Hanc justitiam non humana prudentia reperit, nec legis institutio docuit, sed noster Salvator in Evangelio ostendit: **Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum** Matth. 5..

[‡]1.2 **Gratia vobis.** BEDA. In prima Epistola scripsit **multiplicetur**; in hac, **adimpleatur**: quia illam incipientibus, hanc perfectioribus scribit. Multiplicatur gratia bene proficientibus in hac vita per fidem, adimplebitur pervenientibus in alia vita per speciem. Unde addit, **in cognitione Dei**, id est ut noscatis unum verum Deum, et quem misit Jesum Christum.

[¶]1.3 **Quomodo omnia.** ID. Ita adimpleatur gratia Christi, etc., usque ad sed infirmos et inglorios sua virtute reparavit et gloria.

[§]1.4 **Maxima et pretiosa nobis promissa donavit.** Id est vitam æternam quam per ejus cognitionem consequamur. Vel quæ promisit nobis, de conversione aliorum per nos, vel de adventu Spiritus sancti, vel de potentia miraculorum donavit.

^{**}1.5 **Ministrate in fide.** BEDA. Non solum fugiatis concupiscentiam mundi, etc., usque ad ne sitis molles et dissoluti.

^{††}1.6 **In scientia autem abstinentiam.** ID. Cum bona facere didiceritis, spe vitæ æternæ mox a malis abstinete, et in cogitatione et in opere, ne in vacuum scientia cœlestium cedat, si se ab illecebris sæculi aliquis non cœrceat.

^{‡‡}1.7 **In pietate autem.** ID. Non alterius rei intuitu pietatis opera adversariis vestris impendatis, nisi fraternæ dilectionis, ut pro eis oretis ut convertantur, qui doctrina vestra vel increpationibus nolunt converti.

^{¶¶}1.8 **Hæc enim si vobiscum,** etc. Ideo hæc tenete et aliis ministrare, quia hæc omnia si adsint vobis in affectu cordis, et etiam superent, id est adversum vitiorum bella prævaluerint, non vos vacuos virtutibus constituent in hoc sæculo, vel sine fructu in futuro.

torum.^{§§ 10} Quapropter fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.*

^{††} Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi.[†] ¹² Propter quod incipiam vos semper commonere de his: et quidem scientes et confirmatos vos in præsentī veritate.[‡] ¹³ Justum autem arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione.[¶] ¹⁴ certus quod velox est depositio tabernaculi mei secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.[§] ¹⁵ Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.^{**} ¹⁶ Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis.^{††} ¹⁷ Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo

^{§§}1.9 *Cæcus est et manu tentans.* BEDA. Oculus scientiam, manus operationem designat, etc., usque ad præscire nequibat, incidit. *Oblivionem accipiens.* Quando homo de peccato in peccatum cadit, videtur oblitus pacti quod in baptismo cum Deo iniit.

*1.10 *Non peccabitis aliquando.* Id est, ad vitam æternam attingetis, ubi amplius non peccabitis. Vel criminalia vitabitis, quæ qui egerit, non habebit hæreditatem in regno Christi, a quibus immunis juvante Domino permanet, qui supradictis virtutibus se mancipaverit. Sine venialibus vero nullus esse potest.

[†]1.11 *Sic enim.* BEDA. Ezechiel loquens de ædificio in monte constituto, etc., *usque ad, et videbitur Deus deorum in Sion* Psal. 83..

[‡]1.12 *Vos incipiam semper commonere de his.* Ut sit vobis introitus patens ad Sancta sanctorum, iterum et iterum monebo vos, et semper ero in inceptioe, quia nunquam erit finis monitionis. Quod ergo non est mihi pigrum sæpius iterare, vobis non sit onerosum sæpius audire. *Et quidem scientes.* BEDA. Quare vult monere illos qui sciunt, et confirmati sunt? Ideo scilicet ut scientiam quam habent, operibus exerceant, et veritatem cujus præsentia confirmati sunt, fixa mente custodiant, ne quando per magistros erroris excidant a simplicitate et castitate fidei.

[¶]1.13 *Justum autem,* etc. Ideo monebu, quia justum arbitror, per hoc quod Dominus benigne vocavit me, et confirmavit, et alios confirmare monuit, dicens: *Confirma fratres tuos,* suscitare vos quasi dormientes ad hæc prædicta, semper existens in commonendo sollicitus.

[§]1.14 *Depositio tabernaculi mei.* BEDA. Pulchre non mortem, sed depositionem vocat, quia sic est famulis Dei carnis retinacula eruere, sicut viatoribus confecto itinere domum propriam pro habitatione tabernaculi adire, sicut positus in expeditione prostrato hoste ad patriam redire.

**1.15 *Dabo autem operam.* Quia cito sum transiturus, ideo interim dum vivo, dabo operam ut vos frequenter, scilicet quoties instabunt pseudo et volent vos abstrahere, habeatis hæc in memoria post obitum meum, quando me præsentem non habebitis doctorem, non quolibet modo habere, sed ita ut horum memoriam faciatis opere adimplendo, et alios docendo. *Post obitum,* etc. Obitus dicitur sanctorum quando exeunt obviam sponso.

^{††}1.16 *Non enim indoctas fabulas,* etc. BEDA. Hic et paganos tangit et hæreticos. Pagani, quidquid eos delectabat, deos appellare non timuerunt. Hæretici, acceptis Dei veri mysteriis, de cætero non divinis Scripturis attendere, sed potius ad sensum erroneum has male interpretando transferre studuerunt. *Sed speculatores facti,* etc. Transfiguratio Domini et claritas ejus signum erat resurrectionis suæ et nostræ. Per Eliam qui cum eo apparuit, intelligitur resurrectio eorum qui fuerunt ante legem. Per Moysen, eorum qui sub lege; per Petrum, et Jacobum, et Joannem, eorum qui sub gratia. Vel, per Moysen mortuum mortuorum, per vivos vivorum.

mihi complacui, ipsum audite. ¹⁸ Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. ¹⁹ Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris: ²⁰ hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. ²¹ Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. ^{§§}

2 Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis: et eum qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. ^{*} ² Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur: [†] ³ et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus iudicium jam olim non cessat: et perditio eorum non dormitat. ⁴ Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari. [‡] ⁵ Et originali mundo non pepercit, sed octavum Noë iustitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens. [¶] ⁶ Et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens,

^{‡‡}1.19 *Et habemus firmiorem.* Quod dixi vobis, non est fabulosum, sed certum, et non tantum his signis declaratum, sed etiam ad confirmationem nostræ prædicationis habemus propheticum sermonem David: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu* Psal. 2., etc., firmiorem inter alios prophetas, quia clarius aliis de Christo prophetavit. *Cui benefacitis attendentes.* BEDA. Ut lucem possitis habere scientiæ, etc., usque ad ad comparationem futuræ vitæ lucerna indigemus.

^{¶¶}1.20 *Hoc primum intelligentes.* Attendite prophetico sermone, nam a Deo est. Quod potest probari per hoc, quod prophetia non est talibus verbis et tali modo locutionis scripta, quali utuntur homines in locutione sua, et quali sæculares scripturæ sunt compositæ et interpretatæ. Et vere non est locutio prophetarum secundum suam, vel audientium voluntatem, sed secundum voluntatem Spiritus sancti qui loquebatur in illis.

^{§§}1.21 *Non enim voluntate humana.* BEDA. Sicut in potestate prophetarum non erat semper habere spiritum, semper futura prædicere: ita non erat potestatis eorum ut quæcunque vellent, docerent, sed ea sola dicebant quæ a spiritu didicerant. Hæc ideo dicuntur, ne quis ad libitum suum Scripturas exponat.

^{*}2.1 *Perditionem.* Merito perditionem sibi inducunt, qui Redemptorem suum negant, vel non qualem veritas ostendit, sed qualem sibi ipsi fingunt, prædicant. Et propterea alieni a Redemptore, nil certius quam foveam expectant.

[†]2.2 *Via veritatis blasphemabitur.* BEDA. Per hæreticos non solum in eis quos suæ hæresi seductos associat, sed in eis quoque quos per impurissima facta sua et sacrificia vel mysteria execranda quæ faciunt, in odium Christiani nominis concitant, existimantibus imperitis omnes Christianos hujusmodi flagitiis mancipatos, via veritatis blasphemari solet.

[‡]2.4 *Si enim Deus angelis.* ID. Si Deus apostatas angelos traditos pœnis inferni, etc., usque ad in abyssi profunda sunt rapti.

[¶]2.5 *Or ginali mundo.* ID. Idem mundus est post diluvium qui et ante, etc., usque ad justi gloriam viræ accipient.

eversione damnavit: exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens:§ 7 et justum Lot oppressum a nefandorum injuria, ac luxuriosa conversatione eripuit:** 8 aspectu enim, et auditu justus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. 9 Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos.†† 10 Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes: 11 ubi angeli fortitudine, et virtute cum sint majores, non portant adversum se execrabile judicium.‡‡ 12 Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, et in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt, 13 percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias: coinquinationes, et maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum,¶¶ 14 oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti. Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii: 15 derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit: 16 correptionem vero habuit suæ vesaniæ: subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. 17 Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reservatur.§§ 18 Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis

§2.6 *Et civitates.* Hæ civitates dupliciter in ignem sunt redactæ, quia et primo eas per incendium cum adjacentibus terris in cinerem redegit, et cum loca incendii postmodum Mortui maris undis contexerit, servare adhuc voluit circumpositam regionem priscaæ speciem pœnæ. Nascuntur enim poma pulcherrima, quæ et edendi cupiditatem spectantibus generent. Si carpas, fatiscunt et resolvuntur in cinerem, fumumque excitant quasi adhuc ardeant. *In cinerem.* Ignis qui Sodomitas semel punivit, significat quod impii sine fine sunt passuri. Quod terra fumigabunda, quod fructus pulcherrimi cinerem intus habent et fetorem, innuit quia dilectio carnalis, etsi stultis arridet, nil tamen in invisibilibus nisi incendium sibi reservant, vel ut fumus tormentorum eis in sæcula sæculorum ascendat.

**2.7 *Loth oppressum.* BEDA. Cruciabant justum iniqua proximorum facta et dicta, quæ cernens, corrigere non valebat, ipse autem in bonis actibus se reservabat. Nec visis, vel auditis flagitiis se fuscabat. Dicitur item visu, vel auditu justus; quia nihil in illo videbant, nihil de eo audiebant, nisi quod pertinebat ad justitiam.

††2.9 *Iniquos.* Pseudo et eorum sequaces, et ideo nolite eos sequi. *In diem judicii.* BEDA. Et ante diem judicii soluti corpore pœnas luunt, et in judicio graviora exspectant, quando corpore et anima cruciabantur.

‡‡2.11 *Ubi angeli.* Ibi cruciabantur iniqui, ubi angeli mali, qui prius contra Deum superbierant, et inde puniti sunt, jam non portant, sed potius abjiciunt judicium superbiendi contra Deum: quod est execrabile adversus seipsos, quia pro illo graviter puniuntur, et territi magnitudine pœnarum, jam ab illo judicio præsumptioni desistunt: sed isti iniqui nondum desistunt. Vel torquebuntur ibi, id est apud Deum: ubi angeli non boni, non sustinent, sed vindicant si quid execrabile contra illos dicitur.

¶¶2.13 *Mercedem injustitiæ.* BEDA. Id est pœnam pro malis operibus, et maxime illi qui cum corruptioni carnis serviant, et vesanis teneantur erroribus, conversationem justorum blasphemant, et eis qui sanum sapiunt, detrahere non cessant.

§§2.17 *Hi sunt.* Non sunt imitandi pseudoapostoli, quia licet videantur utiles, nihil tamen in eis est nisi vanitas et immunditia.

carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur: *¹⁹ libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionem: a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. ²⁰ Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. †²¹ Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. ²² Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum: et, Sus lota in volutabro luti. ‡

3 Hanc ecce vobis, carissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem: ¶¹ ut memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum, a sanctis prophetis et apostolorum vestrorum, præceptorum Domini et Salvatoris. §³ Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, ¶⁴ dicentes: Ubi est promissio, aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. ¶⁵ Latet enim eos hoc volentes, quod cæli erant prius, et terra de aqua, et per aquam consistens Dei verbo: ** ¶⁶ per quæ, ille tunc mundus aqua inundatus, periit. ¶⁷ Cæli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum. ¶⁸ Unum vero hoc non lateat vos, carissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut

*2.18 *Superba*. Superbe dicentes se esse justos, quamvis sit vanum, carnaliter desiderantes et luxuriose viventes pellicunt eos qui paululum refugerint a peccatis; qui cum similes eis sunt, tamen aliquatenus declinant eorum societatem, et a peccatis aliquatenus abstinere. *In desideriis carnis*, etc. Immundus est omnis qui exaltat cor suum, ut qui paululum refugerint a peccatis, ad suum revertantur errorem et studeant in luxuria.

†2.20 *Si enim*, etc., *cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi*, etc. Si fugientes coinquinationem et animæ et corporis quam mundus immittit; rursus implicati (sicut ante baptismum) superantur ab illis coinquinationibus, apparet quod facta sunt posteriora eorum deteriora prioribus: quia magis offendunt Deum quam ante baptismum, et majores pœnas patientur, quia mendaces sunt promissiones factæ in baptismo.

‡2.22 *Contigit enim illis*. BEDA. In Proverbiis cum expositione positum est, etc., usque ad ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit.

¶3.1 *Hanc ecce vobis*. Quasi dicat: Jam aliam Epistolam scripsi ad repellendos pseudo; et ut meam magnam sollicitudinem vobis ostendam, ecce pro eadem causa hanc etiam secundam scribo Epistolam.

§3.2 *Ut memores*. Id est ut per illas Epistolas sitis memores eorum verborum quæ ego ipse præsens prædixi vobis. *Verborum*, dico acceptorum, *a sanctis prophetis* quæ auctoritate sanctorum prophetarum confirmantur, et sitis memores præceptorum sanctorum *apostolorum*: ne præcepta quæ sancti apostoli dederunt vobis, dimittatis pro prædicatione illorum pseudo, et quæ *præcepta* sunt etiam *Domini et Salvatoris* quia ipse Dominus, qui venit salvare nos, hæc præcepta instituit et servare præcepit.

**3.5 *Latet*. BEDA. Ideo dicunt omnia eodem modo perseverare, etc., usque ad diem judicii et perditionis impiorum hominum.

dies unus.^{†† 9} Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.^{‡‡ 10} Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cæli magno impetu transiunt, elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera, exurentur.^{¶¶ 11} Cum igitur hæc omnia dissolvenda sunt, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, et pietatibus, ¹² exspectantes, et properantes in adventum diei Domini, per quem cæli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? ¹³ Novos vero cælos, et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus iustitia habitat.^{§§ 14} Propter quod, carissimi, hæc exspectantes, satagite immaculati, et inviolati ei inveniri in pace:^{*} ¹⁵ et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini: sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis,^{† 16} sicut et omnibus epistolis, loquens in eis de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.^{‡ 17} Vos igitur fratres, præscientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate: ¹⁸ crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc, et in diem æternitatis. Amen.

^{††}3.8 **Unum vero hoc.** Probato quod iudicium vere erit, ostendit quam efficax futurem sit. Si dicitur vobis a pseudo: Quod vultis potestis facere, quia tantum tempus restat usque ad diem iudicii, quod ex longinquitate temporis iudex scire multa non poterit; non credatis eis, quia quidquid potest fieri mille annis, ita videt, sicut illud quod fit una die. Si dicunt: Mille annis, poenitendo non assequemini veniam delictorum; non credatis: quia unus dies veræ poenitiæ tantum valet ad salutem, quantum mille anni, sicut latroni. **Sicut mille anni.** BEDA. In agnitione divinæ virtutis, etc., usque ad unde et recte subjungitur:

^{‡‡}3.9 **Non tardat Dominus.** Et quia omnia videt, potestis credere quod Dominus non tardat promissis implendis, quia nondum est tempus quo implenda implebit. Sed ideo differt, ut electorum summam, quam prævidit, prius adimpleat, unde in Apocalypsi: **Et dictum est illis, ut requiescerent adhuc modicum tempus, donec compleantur conservi eorum** Apoc. 6..

^{¶¶}3.10 **Cæli magno. Cæli,** id est sancti; si quid ergo in eis purgandum est, per ignem purgabitur. **Elementa.** BEDA. Quantor, quibus mundus consistit, etc., usque ad et per temporale supplicium, solventur in melius.

^{§§}3.13 **Novos vero cælos.** ID. Non ait, **alios,** sed veteres et antiquos in melius commutandos, etc., usque ad habemus et in prophetis: **Lux lucernæ non lucebit ibi amplius** Isa. 65..

^{*}3.14 **Satagite immaculati et inviolati.** Hæ sunt vigiliæ de quibus dicitur: **Beati servi illi quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.** Vigilat qui se a sordibus immunem custodit, qui quantum in se est, cum omnibus hominibus pacem habet, qui omnes illecebras carnis spiritus regimini subdit, in seipso pace felicissima utens.

[†]3.15 **Frater noster.** BEDA. Paulum illis scripsisse dicit, in quo ostendit, etc., usque ad et per has se ad profectum excitent.

[‡]3.16 **Difficilia.** In Epistolis Pauli quæ depravantur ab hæreticis, etc., usque ad quidam luxuriæ frena laxantes, et alia multa, etc. **Depravant.** BEDA. Nullus Veteris vel Novi Testamenti liber est in quo hæretici aliquid non perverterint, vel demendo, vel addendo, vel mutando. Unicum remedium indoctis, humili stabilitate verba doctorum auditum præbere, quam stabilitatem quia hæretici non habent, vento superbiæ quasi palea levis de Ecclesia tolluntur, ad suam ipsorum perditionem.

INCIPIIT EPISTULA IOHANNIS I

1 Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ:[¶] ² et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis:[§] ³ quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo. ⁴ Et hæc scribimus vobis ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum. ⁵ Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis: quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.^{**} ⁶ Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus.^{††} ⁷ Si autem in luce ambulamus sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.^{‡‡} ⁸ Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.^{¶¶} ⁹ Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nos-

[¶]1.1 **Argumentum** Rationem verbi, et quod Deus ipse sit charitas, manifestat, et susurrones fratrum nec Deum scire, nec pios fieri posse eousque dissertat, ut esse comprobet homicidas, eo quod odium sit interfectionis occasio. **Quod fuit ab initio.** In natura, seu vero esse Deitatis, **quod audivimus**, per legem et prophetas, **quod vidimus**, sensibilibiter hominem venientem, **quod perspeximus**, Divinitatem advertentes in homine, **et manus contrectaverunt, de Verbo vitæ:** non fortuito consentientes ei qui in carne visus, sed cum multa contrectatione Scripturas perhibentes testimonium de ipso Verbo. Quod vidit aliquis nuntiari potest aliis, quod perfecte conspexerit aliquando, non potest explicare verbis.

[§]1.2 **Vidimus** et testes sumus. Vidimus et incredulis annuntiantes martyres effecti sumus. **Annuntiamus vobis.** Sic per eos audivimus nos, sed non vidimus, non minus tamen felices quam illi, quia scriptum est: **Beati qui non viderunt et crediderunt** Luc. 24..

^{**}1.5 **Et hæc est annuntiatio.** Quare Verbum caro factum? quid novi attulit mundo? Cur venit pati? Non frustra fuit, vide quid voluit docere, **quia Deus lux est.** Hac sententia divinæ puritatis excellentiam monstrat, quam imitari jubemur. Hinc Manichæi confutantur qui Dei naturam a principe tenebrarum dicunt bello victam et vitiatam. **Annuntiamus**, etc. Applicuimus nos: ad lucem lux nobis irradiavit. Tenebræ eramus, modo per lucem lux sumus, et alios illuminamus, dum peccata dimitti et tenebras expelli nuntiamus.

^{††}1.6 **Si dixerimus.** Hactenus commendatio epistolæ; hic ostendit qualiter charitas sit habenda. **Et in tenebris**, etc. Persistentes in peccatis, et alios obscurantes non computantur in membris ejus; unde: **Quæ conventio Christi ad Belial? quæ societas lucis ad tenebras?** II Cor. 6.

^{‡‡}1.7 **Si autem in luce.** Sumus mundi, si ambulamus in luce, sed tamen non debemus putare nos, quandiu vivimus, omnino posse a peccatis mundari. **Sicut et ipse**, etc. Deus in luce esse dicitur, quia summa bonitas ubi proficere valeat non invenit, homo in luce ambulat, quia virtutum operibus ad meliora proficit.

^{¶¶}1.8 **Si dixerimus**, etc. Illi etiam non habent charitatem qui de meritis superbientes se dicunt esse mundos. **Habemus.** Non ait, **habuimus:** ne forte de præteritis dictum videretur.

tra, et emundet nos ab omni iniquitate.^{§§ 10} Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.*

2 Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum:^{† 2} et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.³ Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus.^{‡ 4} Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est.^{¶ 5} Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta est: et in hoc scimus quoniam in ipso sumus.⁶ Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.⁷ Carissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Mandatum vetus est verbum, quod audistis.^{§ 8} Iterum mandatum novum scribo vobis, quod verum est et in ipso, et in vobis: quia tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet.^{** 9} Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.^{†† 10} Qui diligit fratrem suum, in lumine manet,

§§1.9 *Remittat nobis peccata.* Ea quæ in nobis sunt graviora, vocat peccata, at minorâ, appellat iniquitatem.

*1.10 *Mendacem.* Solus Deus ex se verax: homo ex Deo verax, ex se mendax. Impossibile est quemlibet sanctum aliquando non cadere in minimis peccatis. Nec justî esse desistunt, quia ocius opitulante Deo resurgunt.

†2.1 *Filioli mei, hæc scribo,* etc. Ne malam securitatem assumatis, audientes vos a Deo mundari, sed utilem timorem habeatis. *Si quis peccaverit.* Si ex humana fragilitate non potestis omnia vitia cavere, date operam ut saltem majora et apertiora caveatis, ut non apprehendat vos tentatio nisi humana. Quod si quis etiam post admonitionem meam ceciderit, non desperet. *Advocatum.* Non est advocatus nisi eum vocantibus. Displiceant peccata tibi, clama: et ipse audit et liberat. *Justum.* Justus advocatus injustas causas non suscipit, qui tamen justos nos defendet in judicio, si nos nunc accusamus injustos.

‡2.3 *Et in hoc scimus.* Scire vel cognoscere, non semper propter notitiam dicitur, sed propter experimentum et unionem alterius rei. Cognoscimus Deum quando unimur ei. Qui sic noscit, mandata ejus servat. *Si mandata ejus observamus.* Debemus fragilitatem nostram attendere, debemus in peccatis advocatum quærere, quod ut impetremus, de custodiendis mandatis laboremus, per quæ ad cognitionem ipsius venitur.

¶2.4 *Qui dicit se nosse,* etc. Non est magnum unum Deum nosse, cum et dæmones credant et contremiscant.

§2.7 *Non mandatum novum.* Eadem charitas mandatum vetus est, quia ab initio commendata. Eadem est novum mandatum, quia tenebris, ejectis desiderium novæ lucis infundit.

**2.8 *Quod verum est.* Secundum quod promisit per observationem mandatorum Dei ad ipsius cognitionem et dilectionem perveniri. *Et in ipso.* Christo impletum, quia obedivit Patri usque ad mortem: et ideo glorificatus est. *Et in vobis.* Quorum quidam jam per hoc cum Deo gloriantur, et vere est novum *quia tenebræ jam transierunt.* Tenebræ ad veterem hominem pertinent, lux vero ad novum hominem.

††2.9 *Qui dicit,* etc. Determinat quod mandatum accipiat, id est charitatem, et qualiter charitas ipsa habenda sit, scilicet dilectio Dei et proximi.

et scandalum in eo non est.‡¹¹ Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat: quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.¹² Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.[¶]¹³ Scribo vobis, patres, quoniam cognovistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum.^{§§}¹⁴ Scribo vobis, infantes, quoniam cognovistis patrem. Scribo vobis juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum.*¹⁵ Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo:†¹⁶ quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.‡¹⁷ Et mundus transit, et concupiscentia ejus: qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum.[¶]¹⁸ Filioli, novissima hora est: et sicut audistis quia antichristus venit, et nunc antichristi multi facti sunt; unde scimus, quia

‡2.10 *Qui diligit fratrem suum*, est in lumine scientiæ et operationis; sed *qui odit est in tenebris* ignorantiæ, et per ipsam ignorantiam ambulat de vitio in vitium, *et nescit*, id est non providet, *quo eat*; *et* ad quam pœnam recipendus sit. Vel, *nescit quo eat*, id est ignorat viam qua convertatur ad melius, et hoc non ideo, quasi via aperta non sit, sed *quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus*, qui a lumine Christi recedens peccatis et carnali voluptate ita præpeditur, ut etiamsi bonum videat, non tamen exsequatur.

¶2.12 *Scribo vobis*, etc. Præponit causam quæ posset eos abstrahere ab amore mundi, quia baptizatis in nomine Christi et invocantibus nomen Christi, dimittuntur peccata, ergo Christo magis adhærendum est quam mundo. *Filioli*. Patres, adolescentes, juvenes. Ideo filii: quia remittuntur peccata. Ideo patres, quia cognovistis antiqua. Ideo juvenes, quia fortes, quia vicistis.

§§2.13 *Adolescentes*. Adolescentiæ tempus propter incentiva carnis lubricum; sed propter robur ætatis habile certamini, et hi tentamenta voluptatum verbi Dei amore vicerunt, et persecutiones contempserunt.

*2.14 *Et vicistis*. Trahebantur tunc temporis juvenes consuetudine ad lupanar, sed isti viriliter resistendo vincebant.

†2.15 *Nolite diligere mundum*. Utimini mundo ad necessitatem, sed non diligite ad superfluitatem. Et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Nolite diligere mundum*. Unum cor duos sibi adversarios amores non capit. Radicati in charitate, super hanc radicem nihil ædificetis, nisi quod convenit charitati, quia non potestis duobus dominis servire. Sicut dilectio Dei fons omnium virtutum, ita dilectio mundi omnium vitiorum.

‡2.16 *Omne quod est in mundo*. BEDA. Id est: Omnes dilectores mundi, nihil habent nisi hæc tria, quibus, etc., usque ad noluit extolli super regna mundi.

¶2.17 *Qui autem facit voluntatem*, etc. Hoc etiam modo potest haberi charitas, si nimirum nullo instinctu hæc eticorum dejecti estis a fide et cæteris quæ sunt Dei. Et ut eam teneatis, permaneant in vobis quæ audistis ab initio.

novissima hora est.[§] 19 Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis.** 20 Sed vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia.†† 21 Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam: et quoniam omne mendacium ex veritate non est.‡‡ 22 Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus? Hic est antichristus, qui negat Patrem, et Filium.¶¶ 23 Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, et Patrem habet. 24 Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat: si in vobis permanserit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis.§§ 25 Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam.* 26 Hæc scripsi vobis de his, qui seducant vos.

§2.18 *Filioli, novissima hora est.* Et propterea debetis persistere, quia multi sunt Antichristi qui vos volunt seducere. *Sicut audistis quia Antichristus venit.* Cum quanto enim impetu et terrore audistis venturum Antichristum, cum tanta violentia et isti veniunt. In undecima hora sumus, venit Salvator in carne, et secutura est pestis Antichristi, qui præconia salutis impugnet, qui vineam quam Christus excolit extirpet, et hujus nequissimi capitis jam multa membra præmissa sunt, a quibus cavendum est, quia jam imminet finis sæculi; vel *novissima hora*, id est similis novissimæ, similis est hæc persecutio illi futuræ. *Nunc Antichristi multi.* Antichristi sunt omnes hæretici, omnes qui fidem quam confitentur verbis destruunt actibus; omnes Christo contrarii, qui venturo suo capiti testimonium reddunt, quia mysterium iniquitatis jam operatur in illis.

**2.19 *Ex nobis prodierunt,* etc. Licet sint multi Antichristi, non tamen vos terreat si ad judaismum vel paganismum redierunt, non ideo putetis Ecclesiam ex hoc pati aliquod damnum; quia si ex nobis exierunt, tamen non erant ex nobis veraciter. Non potuissent egredi nisi essent Christo contrarii. Qui non est Christo contrarius, in corpore Christi manet. Sic sunt ficti in Ecclesia quomodo humores mali in corpore; quando evomuntur, relevatur corpus; sic quando exeunt mali, relevatur Ecclesia. *Sed ut manifesti.* Multi qui non sunt ex nobis accipiunt nobiscum sacramenta Christi, sed tenatio probat quia non sunt ex nobis. Quando illis tentatio venerit, quasi occasione venti volant foras, quia grana non erant. Omnes tunc volabunt, cum area Dominica cœperit ventilari in die iudicii. Ideo, permittente Deo, quidam ante ultimam dissensionem exeunt de Ecclesia, ostendentes se non fuisse de corpore Christi, ut per hoc manifeste clarescat, quoniam non sunt omnes ex nobis qui nobiscum intra positi sacramenta Christi recipiunt, et ideo non debet vos gravare eorum separatio.

††2.20 *Sed vos unctionem habetis.* Cum de hæreticis loqueretur, repente ad suos conversus, dicit eos habere unctionem a Sancto, ut econtrario ostendat quod hæretici et omnes Antichristi, sint gratiæ spiritualis munere privati, nec pertineant ad eum qui Sanctus vocatur a prophetis. *Nostis omnia.* Nostis veritatem fidei et vitæ, docti per unctionem Spiritus, nec opus habetis doceri, nisi ut persistatis in eo quod cœpistis.

‡‡2.21 *Et quoniam omne mendacium.* BEDA. Dixerat omne mendacium non esse ex veritate, etc., usque ad omnium qui Christi mandatis obtemperare contemnunt.

¶¶2.22 *Hic est Antichristus,* etc. Ecce admoniti sumus quomodo cognoscamus Antichristum, scilicet, *quicumque negat Christum,* etc. *Qui negat Patrem.* Frustra confitetur Deum Patrem qui negat Filium, qui ex Deo procedit.

§§2.24 *Quod audistis,* etc. Si quis dixerit: *Ecce hic Christus, ecce illic, ne credideritis, sed hoc quod ab apostolis audistis, tenete. Et vos in Filio et Patre.* Ita eritis membra Patris et Filii, ut a memoria et protectione Patris et Filii non excidatis, et hoc debetis appetere, ut sitis in Patre et Filio, quia inde mercedem consequemini.

*2.25 *Hæc est repromissio.* Memoria promissæ mercedis perseverantem te faciat in opere.

²⁷ Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos: manete in eo.[†] ²⁸ Et nunc, filioli, manete in eo: ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus.[‡] ²⁹ Si scitis quoniam justus est, scitote quoniam et omnis, qui facit justitiam, ex ipso natus est.[¶]

3 Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum.[§] ² Carissimi, nunc filii Dei sumus: et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.^{**} ³ Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est.^{††} ⁴ Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit: et peccatum est iniquitas.^{‡‡} ⁵ Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret: et peccatum in eo non est.^{¶¶} ⁶ Omnis qui in eo manet, non peccat: et om-

[†]2.27 *Sed sicut unctio ejus.* Id est Spiritus sanctus, cujus sacramentum est in unctione visibili; vel intelligitur unctio charitatis quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; quæ ad observanda Dei mandata cor quod implet inflammat.

[‡]2.28 *Et nunc, filioli., manete.* Creora iteratione inculcat, ut mentibus arctius infingat. *Manete in eo.* Et si quid boni habetis, illi totum et non vobis imputate; mala vobis et diabolo imputate.

[¶]2.29 *Omnis,* etc. BEDA. Justitia perfecta vix est in angelis, etc., usque ad quando non erit lucta cum carne, sed triumphus de hoste. *Ex ipso.* Jam si nati sumus ex justo, justitiam justis Patris sequi oportet.

[§]3.1 *Videte,* etc. Advertite diligenter quantis et qualibus donis ostenderit Deus erga nos paternam charitatem. Dedit enim ut in hoc sæculo nomine et actu nominaremur filii Dei, et in futuro simus, possidendo hæreditariam beatitudinem. *Dedit.* Ad hoc Deus dedit charitatem ut eum amare noverimus et possimus, non tamen ut dominum servi, sed ut patrem filii. Unde dicitur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* Joan. 1..

^{**}3.2 *Filii Dei sumus.* Quasi dicat: Esse et dici filios Dei, quæ dignitas est? respondet: *Charissimi, nunc filii Dei sumus.* Nunc per miracula quæ facimus et per puritatem vitæ apparet quod sumus filii Dei, sed quidquid est in præsentis, parum est ad respectum futuri. *Similes ei erimus.* Cum enim immutabilis æternæque Divinitatis contemplatione perfruemur, nos quoque immortales et æterni in illo erimus: non quidem idem quod ipse, sed similes, quia creatura et ad similitudinem ejus facti sumus. *Quoniam videbimus.* Secundum quod Verbum caro factum est, viderunt mali, et in judicio sunt visuri: sed quomodo Verbum in principio erat apud Patrem, videbunt soli justis: tolletur impius ne videat gloriam Dei.

^{††}3.3 *Sanctificat se.* BEDA. Non aufert liberum arbitrium, dum dicit, etc., usque ad dicentes Deo: *Adjutor meus es tu, ne derelinquas me* Psal. 26..

^{‡‡}3.4 *Et peccatum,* etc. ID. Quod Latin appellant legem, Græci, etc., usque ad qui innocentiam naturalis legis corrumpunt, prævaricationis rei sunt.

^{¶¶}3.5 *Et scitis.* Ne nos (qui peccatis et iniquitatibus quitatibus carere non possumus) de salute desperemus, subdit quod per Christum a peccatis solvimur. Non solum ergo per gratiam facti sumus filii Dei, et speramus quod ei similes erimus, sed etiam ab iniquitate liberamur: quia ideo *apparuit, ut peccata tolleret,* de qua iniquitate nemo se excuset.

nis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.^{§§} ⁷ Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, justus est, sicut et ille justus est.* ⁸ Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.[†] ⁹ Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.[‡] ¹⁰ In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum: ¹¹ quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. ¹² Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus, justa.[¶] ¹³ Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. ¹⁴ Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.[§] ¹⁵ omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.*^{**} ¹⁶ In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus

^{§§}3.6 *Qui peccat non vidit eum.* Et qui manet in eo, non peccat. Et in hoc *nemo vos seducat*, dicendo quod, vel justitia sit ex homine, vel quod cum peccato possit aliquis in Deo manere, quia et omnis justitia ex Deo, et omne peccatum ex diabolo est.

^{*}3.7 *Qui facit iustitiam.* Id est: qui habet actum justitiæ et intentionem, justus quidem est, sed non ex se: sed sicut ille est, ab eadem radice procedit. Justitia in illo principaliter, in isto secundarie, in illo naturaliter, in isto per adoptionem. Hoc ipsum quod qui justus est ab illo justus est.

[†]3.8 *Ex diabolo est.* BEDA. Non carnis originem ducendo, sicut Manichæus voluit, etc., usque ad natus est Christus homo, ut solvat peccata hominum, ut reducat ad vitam.

[‡]3.9 *Peccatum non facit.* Non de omni peccato dicit: *Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*, sed de violatione charitatis, quam qui semen Dei, id est verbum Dei quo renatus est, in se habet, committere non potest. *Quoniam semen ipsius est.* Verus Filius Patris non potest legem dimittere. Lex Patris est: Diligite invicem.

[¶]3.12 *Quoniam opera ejus maligna erant.* Ubi est invidia, non est fraternus amor. Opera Cain mala non dicit, nisi invidiam et odium fratris. Opera Abel justa non dicit, nisi charitatem. Hinc discernuntur homines. Nemo attendat linguas, sed facta. Cor si non beneficiat pro fratribus suis, ostendit quid in se habeat. Cain recte offerebat, creatura Creatori, sed non bene dividebat, quando credebatur placere munera quæ offerebat cum odio fratris. Abel cum dilectione obtulit, et placuit.

[§]3.14 *Nos scimus*, etc. Nemo de virtutibus se falso extollat, nemo suarum virium paupertatem ultra modum metuat. Qui fratrem diligit, apertum dat iudicium, quia ad sortem justorum pertineat. *Manet in morte.* Vita carnis anima, vita animæ Deus; corporis mors amittere spiritum; animæ mors amittere Deum. Qui ergo per odium fratris amittit Deum, amittit vitam.

^{**}3.15 *Qui odit fratrem.* Qui ex odio insequitur fratrem provocat ad iram et discordiam, et sic quantum ad se occidit eum in anima. Si quis contemnat odium fratris, non contemnet in corde suo homicidium? Non movet manus ad occidendum, et homicida jam tenetur: vivit ille, et iste interfector judicatur. *Non habet vitam æternam.* In perpetuum, cum Cain damnabitur qui hoc genere homicidii tenetur, ut discordet a fratribus.

animas ponere.^{††} 17 Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo?^{‡‡} 18 Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.^{¶¶} 19 in hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus: et in conspectu ejus suadebimus corda nostra.^{§§} 20 Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum: major est Deus corde nostro, et novit omnia.* 21 Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: 22 et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.† 23 Et hoc est mandatum ejus: ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi: et diligamus alterutrum, sicut

^{††}3.16 *In hoc cognoscimus*, etc. Præpositis multis rationibus de habenda charitate, tandem supponit de charitatis perfectione, sub exemplo passionis Dominicæ. Hanc Petrus monetur habere, cum Domino interroganti profiteretur se amare, cui dicitur: *Cum autem senueris, extends manus tuas, et aliud te cinget, et ducet quo tu non vis* Joan. 21.. In quibus verbis, ut animam pro ovibus poneret, docebatur. *Majorem enim charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* Ibid. 15..

^{‡‡}3.17 *Qui habuerit*, etc. Si vel ex temporis opportunitate, vel ex humana infirmitate non contigerit animas ponere, debemus saltem res nostras pro fratribus deponere, et hoc est nutrimentum charitatis. Qui didicit rem suam dare, quandoque poterit seipsam deponere.

^{¶¶}3.18 *Filioli, non diligamus*, etc. Quia non est perfecta charitas in illo; qui non ponit animam pro fratribus, vel qui saltem non dat pecuniam. Ergo ut perfectam charitatem habeatis, *filioli* ejusdem patris. *Non diligamus verbo, neque lingua*. In verbo pura locutio, non opus; in lingua multiplex oratio intelligitur, sicut quidam sæpe repetitis sermonibus affectum suum volunt commendare. *Sed opere*. Quia etiamsi fallimur in dilectione ex humana infirmitate, non fallimur in mercede, quia Deus major est corde nostro, et novit quo zelo fiant omnia. *Et veritate*. Si simplici intentione beneficia præstemus, non propter jactantiam, vel propter aliquod temporale commodum, sed respectu solius Dei.

^{§§}3.19 *In hoc cognoscimus*, etc. In hoc quod veritatem diligimus, scimus quod ex veritate sumus, id est scimus nos ex Deo (qui est veritas) hanc veram dilectionem habere, et ex hac dilectione scimus nos esse in conspectu, id est promereri ejus conspectum, et in hac etiam suademus corda nostra, ad meliora opera excogitanda. *Et in conspectu*, etc. Id est, tales cogitationes corda nostra habere suademus, quæ divinis sint dignæ conspectibus. Omnes enim qui aliquid facere disponunt, ad idem factum meditandum corda sua se convertere suadent. Sed qui mala cogitat, si posset, Deo occultaret: qui vero bona, hi facillime cordibus suadent, ut conspectui Dei patefieret, quod est indicium magnæ perfectionis, cum sua operatio vel cogitatus a Deo gaudet videri.

*3.20 *Quoniam si reprehenderit*. Et hoc magnum est quod per dilectionem ita mundas habemus cogitationes, quod Deo eas volumus ostendere: quia etiamsi conscientia accusaret nos intus et vellet latere Deum, quia non bono animo bona nostra faceremus, tamen Deo occultare non possemus, quia major est corde nostro, et novit omnia: valet ergo dilectio quæ nos commendat illi quem latere non possumus.

†3.22 *Et quidquid petierimus*. Magna promissio et desiderabilis fidelibus. Sed *si quis* est adeo perversus, ut cœlestibus promissis non delectetur, saltem timeat quod e contrario sapientia terribiliter intonat: *Qui avertit aurem suam ut non audiat legem, oratio ejus erit execrabilis* Prov. 28..

dedit mandatum nobis.[‡] 24 Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo: et in hoc scimus quoniam manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis.

4 Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.[¶] 2 In hoc cognoscitur Spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: 3 et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est.[§] 4 Vos ex Deo estis filioli, et vicistis eum, quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo. 5 Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit.^{**} 6 Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, et spiritum erroris. 7 Carissimi, diligamus nos invicem: quia caritas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum.^{††} 8 Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus caritas est.^{‡‡} 9 In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.^{¶¶} 10 In hoc est caritas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.^{§§} 11 Carissimi, si sic Deus

[‡]3.23 *Et hoc est mandatum.* Mandatum singulari numero praeponebat, et duo subjungit, quia haec nequeunt separari.

[¶]4.1 *Quoniam multi.* Multi haeretici, multi schismatici confitentur Jesum in carne venisse, sed factis negant, non habendo charitatem. Charitate Verbum caro factum est; qui non habet charitatem, negat eum venisse in carne, et hic convincitur spiritum ex Deo non habere. Spiritus Dei non sono linguae, sed amando et faciendo dicit Jesum in carne venisse. Jesus venit ut colligat, haereticus spargit: hic non habet spiritum Dei.

[§]4.3 *Omnis spiritus,* etc. Multi haeretici, qui unitatem Ecclesiae separare pravo dogmate volebant, hunc versiculum ex epistola raserunt, ne per eum erroris convincerentur. *Solvit.* Qui Deum ab homine distinguit, qui membra a Deo dividit, qui verba Dei male interpretatur, qui a Deo male vivendo recedit, hic solvit Jesum.

^{**}4.5 *Ipsi de mundo.* Hi spiritus qui sunt de mundo non sunt diligendi, non sunt audiendi. Quia etsi Christi nomen invocant, et signo Christi se notant, tamen sunt de illorum numero qui mundana cupiunt, qui caelestia ignorant. *Ideo de mundo loquuntur.* Ratione mundanae sapientiae probantes Deum non posse suscitare hominem mortuum, hominem mortalem in caelis habere mansionem, et alia hujusmodi.

^{††}4.7 *Charissimi, diligamus nos.* Commendavit charitatem multis modis, jam ad ejus singularem laudem accedit in quo eum maxime debemus audire, scilicet: *Qui diligit, ex Deo natus est et Deum novit, quia Deus caritas est.* Dixerat: *Charitas ex Deo est;* hic superaddidit: *Deus caritas est.*

^{‡‡}4.8 *Quoniam Deus caritas.* Non differt caritas in Deo, cum justus et justitia dicatur, ut diligens et dilectio quia non transnominative a justitia dicitur justus vel diligens dilectione, quasi justitiam vel dilectionem a se distinctam habeat, sed quia est justitia et dilectio sua.

^{¶¶}4.9 *In hoc apparuit.* Probando quod Deus caritas est et quod nos diligit, voluit inducere nos suo exemplo, ut invicem diligeremus et ad notitiam ejus veniremus. Sicut Deus non exspectavit ut eum diligeremus, sic nos non exspectemus ut alii nos diligant, sed priores diligamus. Dilectio Patris probata est, quia misit Filium: dilectio Filii in hoc apparuit, quod pro nobis quos praedilexit mortuus est.

^{§§}4.10 *Non quasi nos.* Non prius dileximus, ut quasi merito nostrae dilectionis ipse diligeret nos, sed ipse prior dilexit nos, ut praeeunte gratia ejus nos eum diligamus.

dilexit nos: et nos debemus alterutrum diligere.* ¹² Deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas ejus in nobis perfecta est.† ¹³ In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis.‡ ¹⁴ Et nos vidimus, et testificamur quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi. ¹⁵ Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. ¹⁶ Et nos cognovimus, et credidimus caritati, quam habet Deus in nobis. Deus caritas est: et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.¶ ¹⁷ In hoc perfecta est caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii: quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. ¹⁸ Timor non est in caritate: sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in caritate.§ ¹⁹ Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. ²⁰ Si quis dixerit: Quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem vidit, Deum, quem non vidit, quomodo potest diligere? ²¹ Et hoc mandatum habemus a Deo: ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

5 Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo.** ² In hoc cognoscimus quoniam diligamus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata ejus faciamus. ³ Hæc est enim caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus: et mandata ejus gravia non sunt.†† ⁴ Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.‡‡ ⁵ Quis est, qui vincit mundum, nisi qui

*4.11 *Et nos debemus alterutrum diligere.* Dilige, et quod vis fac. Sive taceas, dilectione tace: sive clames, dilectione clama. De hac radice non potest nisi bonum exire.

†4.12 *Deum nemo vidit unquam.* BEDA. Sicut videntur ista visibilia corporis sensibus nota, sic non videtur Deus, etc., usque ad dum adhuc peregrinamur in corpore, diligamus invicem, etc.

‡4.13 *In hoc cognoscimus.* Unde sciemus si habeamus spiritum Dei? Interroga viscera tua: si sint plena caritate, habes spiritum Dei. *Quoniam in eo manemus.* Deus in nobis manet, et nos in eo, ideoque nemo de salute desperet, quia etsi morbi scelerum nos deprimunt, omnipotens est medicus qui salvet. Gaudeamus in spe ut veniamus ad rem.

¶4.16 *Et nos cognovimus.* Nos vidimus et testamur quod Deus misit Filium suum, et cognovimus qua causa hoc fecit: non quia indigeret, non quia aliquid deberet, sed sola caritate. Cum haberet unicum noluit illum esse unum, sed ut fratres haberet, et adoptavit illi eos qui cum illo possiderent vitam æternam.

§4.18 *Timor non est in caritate.* In ea nimirum caritate quæ ad imitationem divinæ bonitatis etiam inimicis benefacit, non est timor.

**5.1 *Omnis qui credit.* Credit, qui sic vivit quomodo Christus præcepit, aliter et dæmones credunt. Opera autem præter fidem, vel nulla, vel, etiamsi bona videantur, sunt inania, quia sunt præter viam, quæ Christus est. Vere qui diligit Deum, diligit fratrem. Nam qui diligit Deum Patrem, diligit Deum Filium, a Patre genitum, et qui diligit Deum Filium, diligit etiam Dei filios, membra illius capitis.

††5.3 *Gravia non sunt.* BEDA. Non trahunt deorsum, ut talentum plumbi, etc., usque ad ne quis sua virtute confidat se posse vincere mundum, subdit de fide:

‡‡5.4 *Et hæc est victoria,* etc. Illa nimirum fides, quæ per dilectionem operatur, quæ Dei auxilium flagitat.

credit quoniam Jesus est Filius Dei?^{¶¶} ⁶ Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et Spiritus est, qui testificatur quoniam Christus est veritas.^{§§} ⁷ Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt. ^{*} ⁸ Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, et aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt. ⁹ Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo. ¹⁰ Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.[†] ¹¹ Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus: et hæc vita in Filio ejus est.[‡] ¹² Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet. ¹³ Hæc scribo vobis ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei. ¹⁴ Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petier-

^{¶¶}5.5 *Quis est autem?* etc. Determinat quæ fides vincit, scilicet fides Christi. Quasi: Vere per fidem vincit mundum, quia per aliud non vincitur. **Fides nostra.** Ecce quæ fides vincit, quæ credit verum hominem et verum Deum.

^{§§}5.6 *Hic est,* etc. Quia sola fides et confessio divinitatis non sufficit ad salutem et ad viuendum mundum, addit et de humanitate: propterea expressit sanguinem. **Spiritus.** Id est, humana anima quam emisit in passione; **aqua et sanguis,** quæ fluxerunt de latere. Hoc fieri non posset, si veram carnis naturam non haberet. Sed et ante passionem, sudor qui factus est sicut guttæ sanguinis ostendit veritatem carnis. Hoc autem quod de latere jam mortui contra naturam aqua sanguis vivaciter fluxit, testabatur quod corpus Domini post mortem melius esset victurum, et mors ejus vitam nobis daret. Quod vero sudor sanguis in terram fluebat, signabat quod suo sanguine Ecclesiam toto orbe lavaret.

^{*}5.7 *Quoniam tres sunt.* Per hoc apparet, quod Jesus est veritas, verus Deus, verus homo. Et de utroque habemus certum testimonium, de Deitate quidem per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum: de humanitate per animam, aquam, et sanguinem. Pater dedit testimonium Deitatis quando dixit: **Hic est Filius meus dilectus.** Ipse Filius dedit, quando in monte transfiguratus est, et potentiam Divinitatis et spem æternæ beatitudinis ostendit. Spiritus sanctus dedit, quando super baptizatum in specie columbæ requievit, vel quando ad vocationem nominis Christi corda credentium implevit.

[†]5.10 *Qui credit in Filium Dei.* Is intelligit Patrem veracem in testimonio Filii. Qui non credit, dicit Patrem esse mentitum. Frustra igitur dicunt Judæi se credere in Patrem, quandiu contemnunt Christum. **In Filium.** Quia Pater testatur de Filio, credamus in Filium. Quia qui ita credit in Filium, ut bene optando tendat in ipsum habet testimonium Dei in se, quasi dicat: De eo etiam testatur Deus, quod ipse sic credens erit in numero filiorum Dei, ipso Filio suis ita pollicente: **Si quis mihi ministraverit, honorificabit illum Pater meus** Joan. 12.. Si ergo Deum testem tuæ fidei habueris, quid te hominum infamia vel persecutio lædit? **Si Deus pro nobis, quis contra nos?** Rom. 8.

[‡]5.11 *Et hoc est testimonium.* De Filio testatus est, et etiam de nobis filiis adoptivis, quod per Filium suum unicum etiam nobis jam in spe, quandoque autem in re vitam æternam daret. **Et hæc est vita.** BEDA. In fide et confessione nominis, in perceptione sacramentorum, etc., usque ad qui dat suis vitam æternam.

imus, secundum voluntatem ejus, audit nos.[¶] 15 Et scimus quia audit nos quidquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.[§] 16 Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.^{**} 17 Omnis iniquitas, peccatum est: et est peccatum ad mortem.^{††} 18 Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum.^{‡‡} 19 Scimus quoniam ex Deo sumus: et mundus totus in maligno positus est.^{¶¶} 20 Et scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna.^{§§} 21 Filioli, custodite vos a simulacris. Amen.*

[¶]5.14 *Et hæc est fiducia.* Multipliciter eadem quæ supra promiserat inculcat, ut nos ad orandum vivacius excitet. *Secundum voluntatem ejus.* Qua vult ut quod velit rogemus, vel quales nos esse desiderat ad rogandum veniamus. Si volumus nostram salutem et proximorum non discordamus a voluntate Dei. Si voluntas nostra per ignorantiam a voluntate Dei recedit, bona voluntas Dei nostram stultam corrigit, ut apostolo Paulo contigit.

[§]5.15 *Scimus quoniam,* etc. Quia scimus quod habemus ab eo petitiones quas petimus, nihil petamus quod ei sit adversum, nihil nisi quod nos docuit, quod nobis inspiravit, petamus: et si in aliquo erramus, statim corrigimur.

^{**}5.16 *Qui scit fratrem.* BEDA. Loquitur de quotidianis et levibus peccatis, etc., usque ad et ad illorum examen castiga te. *Est peccatum ad mortem.* Hoc peccatum separat a Deo, sicut mors separat animam a corpore.

^{††}5.17 *Omnis iniquitas peccatum.* Quasi: Vere orandum est pro peccantibus non ad mortem, quia multis peccatis occupantur omnes, et nemo potest esse sine peccato, quia omnis iniquitas est peccatum. Sed supra alia est peccatum ad mortem, quod non humana fragilitate committitur, et ideo oratione justorum non purgatur: quoniam cui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

^{‡‡}5.18 *Omnis qui natus est,* etc. Qui natus est ex Deo non peccat ad mortem: qui non est natus, peccat; sed nos sumus de illis qui nati sunt ex Deo: ideo non peccabimus, non tangemur ab hoste, sed mundi amatores sunt subjecti maligno hosti. *Non peccat.* David graviter peccavit, sed quia ex Deo natus ad societatem filiorum Dei pertinebat, non peccavit, ad mortem, sed veniam pœnitendo meruit. *Sed generatio Dei,* etc. Qui in generatione Dei perseverant, peccare non possunt, neque a maligno contingi. Quomodo dies et nox misceri nequeunt, sic justitia et iniquitas malignus et generatio Dei. Tangit ergo aliquos malignus lædens et affligens, sed non ad malum eorum.

^{¶¶}5.19 *Et mundus totus.* Non solum mundi amatores, sed etiam nuper nati, qui non habent discretionem boni et mali, propter primam prævaricationem pertinent ad regnum diaboli, nisi gratia Dei eruantur a tenebris.

^{§§}5.20 *Et scimus,* etc. Nemo sine divina cognitione ad vitam æternam pervenire, nemo cognoscere sine gratia Dei potest, quia nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare et Patrem et Filium. Utrumque enim Filius revelat, qui carne visibilis apparens, Divinitatis arcana per Evangelium mundo patefecit.

^{*}5.21 *Filioli.* Et quia verum Deum et verum hominem cognoscitis, et vitam æternam expectatis, custodite vos a doctrinis hæreticorum, qui speciem sanctitatis sibi assumunt, qui pravis dogmatibus gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilium rerum mutant. Avaritia enim est simulacrorum servitus; qui ergo mundum Deo præponunt, idololatræ sunt. *Custodite.* Cum testimonium perfectionis in multis perhibuerit illis, poterat tamen adhuc timeri, ne aliquis nuper conversus reliquias superstitionis mente retineret, ideoque ab idolorum cultu fugiendum esse demonstrat.

INCIPIT EPISTULA IOHANNIS II

1 Senior Electæ dominæ, et natis ejus, quos ego diligo in veritate, et non ego solus, sed et omnes qui cognoverunt veritatem,[†] ² propter veritatem, quæ permanet in nobis, et nobiscum erit in æternum. ³ Sit vobiscum gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et a Christo Jesu Filio Patris in veritate, et caritate. ⁴ Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a Patre.[‡] ⁵ Et nunc rogo te domina, non tamquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum. ⁶ Et hæc est caritas, ut ambulemus secundum mandata ejus. Hoc est enim mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis. ⁷ Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, et antichristus. ⁸ Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis: sed ut mercedem plenam accipiatis.[¶] ⁹ Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet.[§] ¹⁰ Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis.** ¹¹ Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis. ¹² Plura habens vobis

[†]1.1 *Argumentum* Usque adeo ad sanctam feminam scribit, ut eamdem dominam non dubitet litteris appellare, ejusdemque filiis testimonium, quod ambulent in veritate, perhibet. **Non ego.** Scripturus contra hæreticos qui a veritate exciderunt, dicit omnium qui veritatem noverunt, unam esse dilectionem in sanctos ut similitudine catholicorum ab hæreticorum deterreat societate. Omnes enim fideles in una veritate consentiunt, hæretici in erroribus se invicem impugnant.

[‡]1.4 *Gavisus sum valde.* Quasi dicat: Quod tenetis, tenete. Nihil aliud ab hæreticis recipite, quia in his quæ habetis gaudeo; nihil aliud ad salutem vobis superaddi expeto. Cum ergo gaudeam de vestro bono principio, ne me faciatis dolere defectu vestro, quia ut sollicitus custos, omnia quæ circa vos fiunt cognosco. **Ambulantes in veritate.** Positus est Adam in paradiso, ut operaretur et custodiret illud. Operatio, effectus provectionem: custodia, perfectionis ipsius statum atque constantiam designat.

[¶]1.8 *Videte vos,* etc. Istis talibus ne consentiatis, sed potius attendite qualiter sitis perfecte instructi ad fidem et constantiam. **Sed ut mercedem plenam accipiatis,** id est verum Deum plena cum jucunditate capiatis, perseverando in doctrina vobis tradita, et non consentiendo eorum errori.

[§]1.9 *Et non permanet.* Si quis separat se a divina doctrina, ut extra rectam fidem conversationemque mandatorum Dei sit, separat se a Deo ne habeat Deum. Per actualem et contemplativam vitam fit alicujus Deus ei manifestando qui est Creator omnium. **Qui permanet.** Manet in evangelica doctrina, qui secundum eam sapit et agit; separat se ab illa is qui aliter sapit et agit.

**1.10 *Nec Ave ei dixeritis.* Quia signum videtur consensus erroris, hoc enim dicimus amicis quorum opera nobis placent, et vos si forte decepti non essetis, alii tamen per talem vestram familiaritatem possent decipi, qui crederent illos placere vobis, et sic crederent illis.

scribere, nolui per cartam et atramentum: spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui: ut gaudium vestrum plenum sit.^{††} ¹³Salutant te filii sororis tuæ Electæ.^{‡‡}

^{††}1.12 **Plura habens.** Intelligite hanc admonitionem vobis fore perutilem, quia ad confirmationem illius, decrevi etiam venire ad vos, nec tamen ex toto interim potui silere.

^{‡‡}1.13 **Salutant te.** Sicut adversariis veritatis prohibet dicere: Ave, ita econtra electos ex persona electorum salutatur.

INCIPIT EPISTULA IOHANNIS III

1 Senior Gajo carissimo, quem ego diligo in veritate.[¶] ²Carissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi, et valere sicut prospere agit anima tua.^{§§} ³Gavisus sum valde venientibus fratribus, et testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas. ⁴Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* ⁵Carissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos,[†] ⁶qui testimonium reddiderunt caritati tuæ in conspectu ecclesiæ: quos, benefaciens, deduces digne Deo. ⁷Pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes a gentibus.[‡] ⁸Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis. ⁹Scripsissem forsitan ecclesiæ: sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrophes, non recipit nos:[¶] ¹⁰propter hoc si venero, commonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos: et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres: et eos qui suscipiunt, prohibet, et de ecclesia ejicit.[§] ¹¹Carissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est: qui malefacit, non vidit Deum. ¹²Demetrio testimonium redditur ab omnibus, et ab ipsa veritate, sed et nos testimonium perhibemus: et nosti quoniam testimo-

[¶]1.1 **Argumentum** Gaium pietatis causa extollit, atque ut in ipsa pietate maneat exhortatur: Diotrephen impietatis et superbiæ causa objurgat. Demetrio autem bonum testimonium perhibet cum fratribus universis.

^{§§}1.2 **De omnibus orationem**, etc. Sicut nunc intentio recta abundat tibi, et perseverat bona voluntas largiendi indigentibus, et facultas opum; ita semper virtutibus plenam, Domino adjuvante, vitam ducere possis.

*1.4 **Majorem horum**. Ideo gavisus sum, quia horum fratrum venientium non habeo majorem gratiam, id est: quando fratres veniunt ad me, in nullo facto vel verbo eorum magis gaudeo quam quando annuntiant filios meos (quos prædicando vel baptizando genui) veritatem rectæ fidei et operationis observare.

†1.5 **Charissime, fideliter**, etc. Ideo non debes deficere ab hospitalitate et eleemosynis. Quidquid enim operaris in fratres fideliter, id est sicut fidelis, id est sicut decet fidelem facis, non pro vana gloria, sed fidem tuam operibus ostendis.

‡1.7 **Pro nomine enim ejus**, etc. Quasi: Vere sunt honorandi, non enim pro suis sceleribus expulsi sunt a patria, sed sponte profecti sunt pro nomine Christi ampliando, et pro nomine ejus patiando.

¶1.9 **Scripsissem forsitan**, etc. Perseverare debes in eleemosyna, quia utilitatem tantam in ea intelligo, quod non solum tibi, sed etiam toti Ecclesiæ scripsissem de commendatione eleemosynæ, sed hac necessitate dimisi, quia Diotrophes non curat nostram auctoritatem. Diotrophes hæresiarcha illius temporis nova docendo principatum sibi usurpabat. Diotrophes interpretatur **speciose insulsus**, sive **decor insaniens**, ut perfidiam cordis etiam nomine signet. **Ecclesiæ**. Illi Ecclesiæ, **quæ forsitan**, id est dubitative est Ecclesia, et ut per observationem eleemosynæ mereret perfecta fieri Ecclesia, scripsissem.

§1.10 **Commonebo**. Id est, in omnium notitiam manifestius arguendo producam; quorum exemplar nusquam habet; sed **facit** ea, et nova invenit, **garriens**, falsis rationibus utens **in nos** confutandos et sic ad vos a fide retrahendos. Sicut linguas detrahentium nostro vitio non debemus excitare, ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut meritum nobis crescat, aliquando compescere, ne dum de nobis disseminant, eorum qui audire bona poterant, corda corrumpant.

nium nostrum verum est.^{**} ¹³Multa habui tibi scribere: sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi. ¹⁴Spero autem protinus te videre, et os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.^{††}

^{**}1.12 *Demetrio testimonium.* Quod illum velit imitari bonum, aperit ut imitetur Demetrium, ut simili laude omnium possit et ipse dignus existere.

^{††}1.14 *Pax tibi.* Amicis gratiam pacis et salutis mandat, ut veritatis inimicos a salute monstret extraneos esse.

INCIPIT EPISTULA IUDÆ

1 Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, et Christo Jesu conservatis, et vocatis.^{‡‡} ² Misericordia vobis, et pax, et caritas adimpleatur.[¶] ³ Carissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercercari semel traditæ sanctis fidei.^{§§} ⁴ Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem, et Dominum nostrum Jesum Christum negantes.* ⁵ Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit:[†] ⁶ angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.[‡] ⁷ Sicut Sodoma, et Gomorha, et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram,

^{‡‡}1.1 *Argumentum* Judas apostolus fratres de corruptoribus viæ veritatis ita informat, ut illicitum esse dissertet de sub jugo semel erutos servitutis denuo operam suam officiis navare servilibus. *Consolatis et vocatis*. Vocat, conservat, diligit filios, et membra Dei facit Jesus Dominus noster.

[¶]1.2 *Misericordia vobis*. Si Deus cœpit misereri vobis condonando delicta, impleat misericordiam, per ampla bona ducendo ad æterna. Si est reconciliatus inimicis, æternam pacem det factis amicis, in qua in nullo ab eo dissentiat.

^{§§}1.3 *Charissimi*. Ego qui vestræ saluti volo providere, *habui necesse*, propter pseudo qui vobis se ingerunt, *scribendi vobis* admonitiones *de vestra salute communi*, id est de fide quæ est tam mea salus quam vestra et omnium fidelium, scilicet fides quæ per dilectionem operatur. Ego dico *faciens omnem sollicitudinem scribendi vobis*, id est omnia quæ pertinent ad sollicitum. Oro pro vobis, disputo contra seductores vestros, et ut vobis me sciatis providere, scribo vobis de illis: Detego nequitas eorum: ostendo vobis qualiter fidem et dilectionem debeatis tenere: et cum sim ita sollicitus pro vobis, admonitionem meam recipere debetis.

[†]1.4 *Gratiam transferentes*. Duritiam et districcionem legis: quæ dicit oculum pro oculo, dentem pro dente, temperat gratia Evangelii, in quo purgantur scelera commissa per poenitentiam, et eleemosynæ fructus. Sed hanc gratiam transferunt impii in luxuriam qui nunc tanto licentius peccant, quanto minus vident se asperitate legis de facinoribus examinari.

[†]1.5 *Omnia*. Arcana fidei, et non habetis opus, recentia quasi sanctiora a novis audire magistris, id est: Perfecte scitis omnia quæ scienda sunt de fide, et ideo non est opus ut audiatis illos. *Quoniam Jesus*. Confutatis hæreticis, deinde ut revocat eos qui crediderant malignis et impiis, ostendit quanta sit magnitudo Domini quem negant, ostendens quod ipse est qui eduxit populum Israël ex Ægypto.

[‡]1.6 *Angelos vero*. Et vere non sunt imitandi qui Jesum non verum Deum, sed hominem de utroque sexu genitum mentiuntur. Si enim angelis peccantibus non pepercit, nec hominibus superbientibus parcat. *Non servaverunt suum principatum*. Sic homines, qui non servant principatum quo per gratiam adoptionis filii Dei sunt effecti. Sed relinquunt domicilium, id est unitatem Ecclesiæ, in qua renati sunt, vel sedes regni cœlestis quas accepturi erant, si fidem servarent, et ante iudicium graviter et gravius in universali iudicio damnabit. *Vinculis æternis*. Id est superbia et corde impœnitenti. Vel sententia divina quæ eos in perpetuum coarctabit Vel vinculum est cupiditas infimarum rerum, qua vincti ad superiora reverti non possunt.

factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.^{¶ 8} Similiter et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant.[§]
⁹ Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiam: sed dixit: Imperet tibi Dominus.^{** 10} Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.¹¹ Væ illis, quia in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt!^{†† 12} Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferentur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ,^{‡‡ 13} fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum.^{¶¶ 14} Prophetavit autem et

[¶]1.7 *Sicut Sodoma.* Dederat exemplum damnationis eorum qui solum dominatorem negant: commemorato interitu infidelis populi vel angelorum erigentium se contra Deum, dat etiam exemplum pœnæ illorum qui Domini gratiam transferunt in luxuriam, commemorans incendium Sodomorum.

[§]1.8 *Dominationem autem spernunt.* In minoribus peccatis, majestatem blasphemantes: in criminalibus, nolendo humiliter confiteri et pœnitere: nullum habentes timorem, nec fidem venturi iudicis.

^{**}1.9 *Cum Michael,* etc. Id est cum Moyses, qui ut Deus erat constitutus Pharaoni, et qui erat princeps et nuntius, quantum ad alios, *disputans* cum Pharaone, *altercatur*, id est signa faceret alterna contra signa magorum, *de corpore Moysi*, id est populo Israël, ut permitteret illos sacrificare Deo suo, *non est ausus inferre pœnam blasphemiam* hujus sæculi, *sed dixit: Imperet tibi Dominus.* Vel aliter: Cum Dominus Jesus altercetur cum Pilato, de corpore Moysi, id est de Ecclesia, noluit aliquam blasphemiam inferre, sed tanquam ovis ad occisionem ductus.

^{††}1.11 *Væ illis,* etc. Quia per omnia hæretici monstrati sunt a verbo veritatis cecidisse, ostendit eos diversis malis subjectos. BEDA. In viam Cain abeunt, qui propter invidiam, etc., usque ad veritatem quam noverunt impugnant.

^{‡‡}1.12 *Maculæ.* Non solum in comessionibus et ebrietatibus carnalibus pereunt et maculantur, sed etiam sunt maculæ illorum, et alios secum perdunt, Domini gratiam in luxuriam transferentes. *Nubes.* Comparat se prædicatoribus pluentibus justitiam, coruscantibus per miracula, sed hæretici sunt nubes obscurantes solem, ponentes in cœlum os suum, perversa superbe docendo, sine aqua sapientiæ. *Arbores autem.* Impii et pseudoapostoli comparant se arboribus bonum fructum ferentibus, sed sunt arbores autumnales: tarde enim ferunt bonum fructum sicut arbor in autumnno plantata, vel quia tunc folia cadunt et fructus, vel si supercrescit fructus, adulterinus est et inutilis. Si quid enim faciunt impii quod bonum videatur, non bona intentione id agunt, sed ut bona quæ sunt in aliis extirpent. *Bis mortuæ.* BEDA. Semel moritur quæ non facit fructum, etc., usque ad in qua sancti dicuntur radicati.

^{¶¶}1.13 *Sidera.* In hoc apostatas significat, quia in similitudinem diaboli, de sedibus angelorum ceciderunt, quibus propter apostasiam tenebræ reservantur. *Sidera.* Lucem veritatis promittunt in hoc mari vitiorum, sed nunquam in eodem statu docendi vel vitæ perdurant, et aliis causa naufragii sunt, et ipsis pro tenebris quas in Ecclesia Dei inducebant, tenebræ inferni parantur, et qui pacem fidei mundana tempestate turbabant, procella tormentorum percillantur.

de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis^{§§}
¹⁵ facere iudicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus
 impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quæ locuti sunt con-
 tra Deum peccatores impii. ¹⁶ Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria
 sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa.*
¹⁷ Vos autem carissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab apostolis
 Domini nostri Jesu Christi, ¹⁸ qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore
 venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. ¹⁹ Hi sunt,
 qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.† ²⁰ Vos autem carissimi
 superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu Sancto orantes,‡
²¹ vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nos-
 tri Jesu Christi in vitam æternam. ²² Et hos quidem arguite iudicatos: ²³ illos vero
 salvate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore: odientes et eam, quæ
 carnalis est, maculatam tunicam.¶ ²⁴ Ei autem qui potens est vos conservare sine
 peccato et constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in
 adventu Domini nostri Jesu Christi, ²⁵ soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Chris-
 tum Dominum nostrum, gloria et magnificentia, imperium et potestas ante omne
 sæculum, et nunc, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

§§1.14 **Prophetavit.** Non solum, inquit, mea auctoritate probo quod puniendi sunt, sed etiam auctoritate Enoch, quod jam olim præscripti sunt in tale iudicium impii homines, qui nostris temporibus subintroierunt ad subvertendam fidem piorum. **Enoch.** In stirpe Cain, Enoch, qui **dedicatio** interpretatur, primus nascitur; in electorum vero progenie, Enoch, septimus memoratur, qui reprobi in hac vita, quæ ante est, seipsos ædificando dedicant: electi vero ædificationis suæ dedicationem in fine temporis, id est in septimo expectant. **Ecce venit Dominus.** BEDA. Vera sententia quod Dominus arguet impios, et de operibus, etc., usque ad licet enim etiam de apocryphis testimonium veritatis sumere.

*1.16 **Hi sunt.** Si fratribus aliquid boni contigit, murmurant et conqueruntur, quasi sua felicitas in illorum prosperitate minuatur. Avari enim (quibus nihil sufficit) etiam ab aliis invident.

†1.19 **Spiritum non habentes.** Quia Spiritum sanctum (quo congregatur Ecclesia spiritualis efficitur) non habent, ideo animales, inscii, non providentes, ideo defluunt, quia coagulum charitatis non habent.

‡1.20 **Superædificantes vosmetipsos,** etc. Ædificantes vos ipsos in bonis operibus super fundamentum fidei, ut lapides vivi ponamini in domo Dei. **In Spiritu sancto orantes.** Ut de vestris viribus non præsumatis, sed divinæ tuitionis adiutorio speretis, non per vos salvari putantes, sed adventum Spiritus sancti in vos petite, quo inspirati ardentius oretis ne cum his qui Spiritum non habent, ab Ecclesia segregemini.

¶1.23 **Illos vero salvate.** Eos qui non sunt damnati apud Deum, sed etiam prope cadunt in ignem, docete ut seipsos liberent. **In timore.** BEDA. Hoc ad priora illa omnia adjungendum est. Nam, etc., usque ad ne forte plus justo vel severus existat, vel pius. **Odientes eam.** Non corpus nostrum odisse debemus, sed maculatum esse, ut immaculatum reddamus, ut de carnali spirituale efficiatur. Quod non nostri arbitrii potestate, sed Dei gratia perficiendum est.

INCIPIIT APOCALYPSIS IOHANNIS APOSTOLI

1 Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito: et significavit, mittens per angelum suum servo suo Joanni,[§] ² qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit.** ³ Beatus qui legit, et audit verba prophetiæ hujus, et servat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est.^{††} ⁴ Joannes septem ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis, et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est: et a septem

§1.1 **Incipit** Joannes apostolus et evangelista, a Christo electus atque dilectus, in tanto amore dilectionis uberius habitus est, ut in cœna super pectus ejus recumberet, et ad crucem astanti soli matrem propriam commendasset, ut quem nubere volentem ad amplexum virginitatis asciverat, ipsi etiam custodiendam virginem tradidisset. Hic itaque cum propter verbum Dei et testimonium Jesu Christi in Pathmos insulam sortiretur exilium, illic ab eodem Apocalypsis præostensa describitur, ut sicut in principio canonis, id est libri Geneseos, incorruptibile principium prænotatur, ita etiam incorruptibilis finis per virginem in Apocalypsi redderetur, dicens: Ego sum Alpha et Omega, initium et finis. Hic est Joannes, qui sciens supervenisse sibi diem egressionis de corpore, convocatis in Epheso discipulis, descendit in defossum sepulturæ suæ locum, orationeque completa, reddidit spiritum tam a dolore mortis factus extraneus, quam a corruptione carnis noscitur alienus. Cujus tamen Scripturæ dispositio, vel libri ordinatio, ideo a nobis per singula non exponitur, ut nescientibus inquirendi desiderium collocetur et quærentibus laboris fructus, et Deo magisterii doctrina servetur. **Argumentum** Incipit Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta quot verba. Parum dixi, et pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. **Apocalypsis Jesu Christi.** Præparat auditores, redditque eos benevolos et attentos, sicut et ibi: **Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia. Quam dedit.** Secundum humanitatem Christus accipit eam a Patre et Verbo sibi conjuncto hypostatice, et a Spiritu sancto. **Quæ oportet fieri.** Quasi dicat: Inevitabile est quin fiant, et utile est ut fiant. Oportet ut servi patiantur tribulationes cito. **Cito.** Dicit **cito**, ut seipsos parent, ne sit grave pati. Cito finiendi sunt labores, et præmia danda. Brevis labor, festinata gloria.

1.2 **Qui testimonium perhibuit. Qui testatur esse vera verba ipsius Christi habita tam de Verbo, id est Divinitate, quam de humanitate Jesu Christi. **Verbo Dei.** Filius vocatur Verbum Dei, quia per eum manifestatus est in mundo Pater. **In his quæ vidit.** In his quæ corporaliter vidit, ut passum et mortuum, sola mente, ut fuisse cum Patre ante omnia.

††1.3 **Beatus.** Christus dedit hæc mihi, beatus autem quia me acceperit. **Beatus**, quia hæc Apocalypsis est Jesu Christi, etc. **Qui legit.** Id est, narrat aliis quæ audivit: quia plures ab uno legente possunt audire; vel, **audient**, et in hoc notat auditores, quia plures. Illi soli beati qui audiunt ut mente recondant; et mente recondunt, ut opere compleant; et opere implent, ut vitam æternam possideant. **Servat ea.** Non enim auditores legis, sed factores justi sunt. Servat ea, qui fidem Christi et Ecclesiæ non violat, et timet minata, et quærit promissa. Vere beatus est iste, quia nec longa mora laboris, et præmia vicina.

spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt:^{‡‡ 5} et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ, qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo,^{¶¶ 6} et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo: ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.^{§§ 7} Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ. Etiam: amen.*⁸ Ego sum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus: qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens.†⁹ Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu: fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, et testimonium

^{‡‡}1.4 *Septem ecclesiis.* Principaliter illis scribit ecclesiis Asiæ, quibus magister erat constitutus, et per simile aliis. Deus dedit Christo, Christo Joanni, Joannes autem ecclesiis, vel per septem, universæ Ecclesiæ. Quia *septem* universitatem significant, vel quia septiformi spiritu illustrantur. *In Asia.* Asia est elatio, Ecclesia ergo nunc est in elatione virtutum, vel olim vitiorum. Asia ista non est magna illa tertia pars mundi, sed quædam provincia ubi erant septem civitates, et septem ecclesiæ cum septem episcopis. *Gratia vobis.* Præparat auditores in salutatione, et reddit eos benevolos et attentos, sicut et in prologo. *Qui est et qui erat.* Æternaliter. Quamvis autem sit natus ex tempore, jam immutabilis est per humanitatem qui olim fuerat corruptibilis. Talis venturus est, etiamsi mundo non apparet talis. *Et a septem spiritibus, qui in conspectu. Spiritus.* Idem sonat quod charitas. Unde attribuitur Spiritui remissio peccatorum, et alia dona quæ sunt dona totius Trinitatis, ut intelligamus Trinitatem ex sola dilectione operari. Personam Patris tacet, quia de Deo Creatore nemo mala intellexerat, ponit personam Filii et Spiritus sancti de quibus omnes nascuntur in ecclesiis hæreses. *Throni.* Throni Dei sunt angeli ejus et sancti homines in quibus nunc sedet Deus et judicat, ne in futuro judicet.

^{¶¶}1.5 *Testis fidelis.* Dicit hoc propter desperantes de morte Christi ut illi qui dixerunt: *Nos putabamus quod ipse esset redempturus Israël* Luc. 24.. *Primogenitus mortuorum.* Quasi dicat: Vos non terreat, quia surrexit, et est impassibilis. Vel est primus mortificantium se, quia peccatum non fecit. *Princeps regum terræ.* Princeps terrenarum potestatum, potens eas remove, et ad utilitatem suorum vel sanctorum permittens impios servire.

^{§§}1.6 *Et fecit nos Deo nostro regnum.* Id est potentes vitii resistere, *et sacerdotes,* id est pro nobis et pro fratribus nosmetipsos Deo offerentes.

*1.7 *Ecce venit,* etc. Et vere debetis eum glorificare, quia ipse est qui venturus est ad remunerandum. *Cum nubibus,* id est cum sanctis: quia nubes fuerunt compluendo aliis doctrinam, et miracula faciendo; vel, sicut in nube ascendit, ita in nube veniet, per quam Dei clementiam intelligimus, qua bonis est refrigerium et illuminatio, malis vero terror et excæcatio. Quod et significatum est per nubem qua educti sunt filii Israël de Ægypto. *Et videbit eum.* Alia translatio habet: *Videbit omnis terra talem.* Quasi dicat: Talem videbunt qualem impii venturum esse non credebant. *Omnis oculus.* Boni ut lætentur, mali ut confundantur, videbunt. *Plangent.* Seu collident super eum impotentes ejus imperio resistere, ad similitudinem lapidis et fictilium. Vel *plangent se,* id est dolebunt respicientes eos qui fundati sunt super eum, quia non tantum dolebunt de ipso tormento, quam quod repellentur a tali consortio.

†1.8 *Ego sum.* Vere veniet, quia ipse promittit se venturum. Vel præmissa salutatione reddit attentos, quasi dicat: Ne a me hoc dictum, sed ab ipso Christo credatis. *Alpha, principium.* Ante quem nullus, vel e quo omnia cœperunt. *Omega, finis.* Post quem nullus, vel in quo omnia terminabuntur.

Jesu:‡¹⁰ fui in spiritu in dominica die, et audivi post me vocem magnam tamquam tubæ,†¹¹ dicentis: Quod vides, scribe in libro: et mitte septem ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, et Smyrnæ, et Pergamo, et Thyatiræ, et Sardis, et Philadelphîæ, et Laodicîæ.§¹² Et conversus sum ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum: et conversus vidi septem candelabra aurea:**¹³ et in medio septem candelabrorum aureorum, similem Filio hominis vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea:††¹⁴ caput autem ejus, et capilli erant candidi tamquam lana alba, et tamquam nix, et oculi ejus tamquam flamma ignis:‡‡¹⁵ et pedes ejus similes auricalco, sicut

‡1.9 *Ego Joannes.* Finita salutatione, progreditur ad narrationem, imponendo quatuor, personam, locum, causam ipsius loci, tempus, quæ valent ad commendationem ipsius revelationis. *Ego Joannes.* Quasi dicat: Scio quia tribulamini, sed exemplo Christi patienter sufferatis, ut sitis participes regni ipsius. *Frater vester,* etc., *in Christo.* In fidei unitate, et propter illam fidem tribulatus fui, sicut et alii, per quod ad regnum pervenire patienter sustinui, habendo Christum in omnibus exemplum. *Pathmos.* Id est fretum, scilicet tribulatio, in qua magis cœlestia a fidelibus aperiuntur. Ecclesia comparatur insulæ, quia sicut insula marinis procellis illiditur, ita Ecclesia persecutionibus marinorum, id est mundanorum, affligitur. *Propter verbum Dei.* Id est, propter testimonium divinitati et humanitati exhibitum.

†1.10 *In Dominica die.* Solet rerum qualitas ex tempore notari, ut Abraham in fervorem fidei, angelum in meridie vidit; Loth in perditionem Sodomæ vespere; Adam post meridiem audivit vocem Domini; Salomon, non reservaturus, sapientiam nocte suscepit. *Audivi post me vocem.* Post se audivit, quia dum de præsentibus eductus in anteriora veræ contemplationis se extenderet, etiam alios respicere admonitus est; vel: post se audit, quia a lege et prophetis prædictum est hoc, id enim intelligit.

§1.11 *Quod vides, scribe.* Communis admonitio fit Joanni, quæ monuit communiter mittere ecclesiæ Asiæ, per quas intelligendæ sunt omnes aliæ Ecclesiæ. Hæc communis admonitio fit usque ibi: *Et Angelo Ephesi,* etc. Sive simul et uno intuitu, sive per tempora diversa hanc visionem vidit Joannes, angelus utrumlibet ei conferre potuit. *Epheso.* Ephesas *voluntas mea* interpretatur, vel *lapsus profundus,* vel *consilium.*

**1.12 *Et conversus sum.* Et quia audivi vocem, conversus sum, etc. *Septem candelabra.* Id est septem ecclesias ardentes et illuminatas sapientia divini Verbi. *Aurea.* Sicut aurum per ignem probatum, percussionebus extensum candelabrum efficitur, sic Ecclesia tribulationibus purgata, tentationum ictibus in longanimitatem extensa consummatur, et hæc si habeat vocem in ore, et non in opere, candelabrum quidem est, sed non aureum.

††1.13 *Similem Filio hominis.* Id est angelum in persona Christi, qui jam non dicitur Filius hominis, sed similis, quia jam non moritur. Vel Filio hominis similis, quia non cum peccato, sed in similitudine carnis peccati, apparuit Christus, in quo sunt omnia necessaria ad regimen Ecclesiæ. *Podere.* Id est sacerdotali veste, id est carne in qua se obtulit, et quotidie offert, repræsentans se Deo Patri. Vel, poderis est Ecclesia, qua vestitur Deus ut tunica, quæ dicitur talaris, quia usque ad finem mundi duratura est Ecclesia. *Præcinctum ad mamillas.* Daniel cinctum renes vidit in Veteri Testamento, quia ibi carnalia constringuntur; hic legimus præcinctum *ad mamillas,* quia in Novo Testamento, etiam cogitationes judicantur.

‡‡1.14 *Capilli erant candidi.* Id est sancti extenuati, et adhærentes ipsi capiti. Vel cogitationes ejus. *Tanquam lana.* Sicut lana alba apta est ad quoscunque colores accipiendos, sic sancti ad tribulationes sufferendas. *Nix.* Nix candor est immortalitatis, quia candidior omni creatura. *Oculi.* Id est dona Spiritus sancti: hæc sunt Christi velut habentis et dantis, sicut Ecclesiæ accipientis; hæc illuminant et faciunt ardere. Vel oculi sunt ipsi spirituales in Ecclesia, vel divina præcepta.

in camino ardenti, et vox illius tamquam vox aquarum multarum:¶[¶] 16 et habebat in dextera sua stellas septem: et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat: et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.¶[¶] 17 Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me, dicens: Noli timere: ego sum primus, et novissimus,* 18 et vivus, et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum: et habeo claves mortis, et inferni.† 19 Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc.‡ 20 Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea: septem stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum: et candelabra septem, septem ecclesiæ sunt.¶

2 Angelo Ephesi ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum:§ 2 Scio opera tua, et la-

¶1.15 *Et pedes.* Id est ultimi fideles, qui multis concussionibus non retinebunt priorem naturam, sicut aurichalcum, quod sæpe incenditur, et meliorem accipit colorem. *In camino ardenti.* In alia translatione habetur: aurichalco Libani, per quod ostenditur quod in illa regione ubi Dominus crucifixus est, maxime illa tribulatio est valitura. *Et vox illius tanquam vox aquarum multarum.* Id est, prædicatio ejus obtinet vim aquæ, quia mundat. Vel, quia hanc vocem receperunt jam multi populi (qui comparantur aquæ propter fluxum) tanto magis vos constare debetis. Vel vox datrix multarum aquarum, id est gratiarum, unde mox sequitur:

¶1.16 *Stellas.* Stellæ sunt episcopi, qui debent aliis lucere verbo et exemplo vitæ, qui etsi peccaverint, stellæ vocantur, secundum quod instituti sunt: quos habet in dextera, id est in potioribus donis, quæ per dexteram significantur. *Et ex ore.* Id est Dei inspiratione exivit prædicatio, quæ utrumque secat, in Veteri quidem Testamento carnalia opera, in Novo autem concupiscentias; unde de hoc gladio, qui est verbum Dei, scriptum est: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Sicut sol lucet in virtute.* Id est in meridie sine nubibus. Vel, sicut ipse Christus in resurrectione; vel, quando fixus erit in æternum.

*1.17 *Cecidi.* Id est, projecit curam humanitatis ad similitudinem ultimorum fidelium. *Tanquam mortuus.* Mortuus mundo, vivus Deo, et nil terrenitatis cupiens. *Dexteram suam.* Scilicet sanctum Spiritum confortantem, id est auxilium suum. *Noli timere.* Pati pro me tribulationes et mortem, quia *ego* qui non indigebam propter me, cum sim *primus et novissimus, fui mortuus et vivus.*

†1.18 *Sum vivens.* Et ideo non terreamini, quia manifeste surrexi, nec amplius moriar. *Et habeo.* Et ideo non patiar vos tentari supra quam potestis ferre, quia habeo potestatem super diabolum et super membra ejus. *Mortis et inferni.* Diabolus est mors, quia causa est peccati, id est mortis; ministri ejus sunt infernus, in quibus habet locum.

‡1.19 *Quæ oportet fieri post hæc.* In ultimis fidelibus, per quorum exemplum isti multum debent animari.

¶1.20 *Sacramentum.* Scilicet mysterium, ubi aliud videtur, et aliud intelligitur. Hæc prima visio est de correptione Ecclesiarum. Angelus allegoriam in parte aperit, ut doceat ubique debere requiri.

§2.1 *Et angelo.* Id est episcopo scribit, de manu cujus peccata subditorum requirit, et sine cujus consensu subditos judicare non præsumit ipse Joannes. *Ephesi Ecclesiæ.* Ephesus secundum bene persistentium partem *voluntas* interpretatur, quorum operibus Deus delectatur, de quibus proponit, ut per horum exemplum (qui lapsi fuerant) corrigantur. Item Ephesus interpretatur *consilium*, id est indigens consilio, sive lapsus profundus, vel voluntas mea. *Septem.* Incipit singulares admonitiones, quæ singulæ et universales esse possunt secundum diversa membra cujuslibet ecclesiæ. *Non potes sustinere.* Vi humanitatis. Vel, *non potes sustinere* quin emendes vel expellas.

borem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos: et tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse, et non sunt: et invenisti eos mendaces:**³ et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti.††⁴ Sed habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti.‡‡⁵ Memor esto itaque unde excideris: et age pœnitentiam, et prima opera fac: sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.¶¶⁶ Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi.§§⁷ Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.*⁸ Et angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus, et novissimus, qui fuit mortuus, et vivit.†⁹ Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam, sed dives es: et blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ.¹⁰ Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini: et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.‡¹¹ Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis: Qui vicerit, non lædetur a morte secunda.¶¹² Et angelo Pergami ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet rhomphæam utraque parte acutam:§¹³ Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ: et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas

**2.2 *Tentasti eos qui se.* Non tentantur nisi qui intus sunt in Ecclesia.

††2.3 *Sustinuisti propter nomen meum.* Hoc non fecisti pro humana laude, sed propter nomen meum glorificandum. *Et non defecisti.* Notat causam humani defectus fuisse nisi auxilium prævenisset.

‡‡2.4 *Sed habeo adversum te quod charitatem.* Vel episcopus in persona sua, affectus tædio vitiorum reprehenditur in subditis, vel subditi amore terrenorum delinquere inveniuntur. Heli sacerdos fuit bonus, et tamen damnatus est quia filios corrigere nolebat.

¶¶2.5 *Movebo candelabrum.* Auferam virtutes et dona Spiritus sancti, per quæ sunt constituta candelabra.

§§2.6 *Sed hoc habes bonum.* Quamvis hoc est adversum te, tamen non desperes, quia habes bonum. *Facta Nicolaitarum.* Id est, communem usum mulierum, et comestionem idolorum.

*2.7 *Qui habet aurem.* Cur audiendum? quia perseveranti Christus est lignum vitæ, quia umbraculum et robur et dans fructum, id est corpus et sanguinem et hic et maxime in futuro.

†2.8 *Smyrnæ.* Smyrna *canticum* interpretatur, vel *quasi myrrha*: etiam canticum in quibus delectatur, myrrha sic est amara ut etiam corpora a putredine servet. *Hæc dicit primus.* Talem describit Christum quod valeat ad consolationem eorum quibus tribulationes ingeruntur. *Hæc dicit primus.* Quasi dicat: Ne deficiatis vos, quia ego tantus propter vos passus sum mortem, de qua resurrexi. Hoc idem expectetis et vos.

‡2.10 *Aliquos ex vobis.* Hic patet quod non de uno solo, sed de pluribus intelligatur. *Ut tentemini.* Id est, ut probemini, vel despecti habeamini a diabolo et membris ejus. *Diebus decem.* Id est tempore illius belli. Deus enim suos ad bella mittens, Decalogo armat. Vel decem diebus, id est, toto hoc tempore in quo per septem dies contra tria principalia vitia pugnatur, avaritiam, cupiditatem, vanam gloriam.

¶2.11 *A morte secunda.* Prima mors animæ est in peccatis, secunda in pœnis: prima mors corporis, quando dissolvitur; secunda, quando damnabitur in iudicio.

§2.12 *Rhomphæam.* Exigit ut isti hunc gladium habeant in electione bonorum et reprobatione malorum.

testis meus fidelis, qui occisus est apud vos ubi Satanas habitat. ** 14 Sed habeo adversus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere, et fornicari: †† 15 ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. ‡‡ 16 Similiter poenitentiam age: si quominus veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. 17 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis: Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum: et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. ¶¶ 18 Et angelo Thyatiræ ecclesiæ scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, et pedes ejus similes auricalco: 19 Novi opera tua, et fidem, et caritatem tuam, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua novissima plura prioribus. §§ 20 Sed habeo adversus te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere, et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis. * 21 Et dedi illi tempus ut poenitentiam ageret: et non vult poenitere a fornicatione sua. 22 Ecce mittam eam in lectum: et qui moechantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi poenitentiam ab operibus suis egerint. 23 Et filios ejus interficiam in morte, et scient omnes ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, et corda: et dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Vobis autem dico, 24 et ceteris qui Thyatiræ estis: quicumque non habent doctrinam hanc, et qui non cognoverunt altitudines Satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus: † 25 tamen id quod habetis, tenete donec veniam. 26 Et qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, 27 et reget eas in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringentur, 28 sicut et ego accepi a Patre meo: et dabo illi stellam matutinam. 29 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.

**2.13 *Non negasti fidem meam.* Tribulatio justis illuminatio est, contumacibus correptio, obstinatis excæcatio.

††2.14 *Balaam.* Per Balaam intelligendi sunt hæretici qui docent terrenos principes qualiter subvertant cultores veri Dei. Vel Balaam, id est dæmones, qui docent carnem decipere animas videntes Deum.

‡‡2.15 *Doctrinam Nicolaitarum.* Ideo repetit de Nicolaitis, ut ad poenitentiam invitet, quod non fecit.

¶¶2.17 *Manna.* Per manna intellige æternam gloriam de qua omnes dicent. Quid est hoc? *Quoniam nec oculus vidit, nec auris audivit* I Cor. 2., etc. *Et dabo ei.* In Daniele scriptum est: *Abscisus est lapis sine manibus* Dan. 1.. In Proverbiis: *Gemma gravissima exspectatio præstolantis* Prov. 17.. Idem corpus solidum per ipsum lucidum, candidum virtutibus et spe immortalitatis. *Et in calculo.* Vel super baptismum adde martyrium, cujus vim non intelligit hypocrita qui pro laude hominum patitur. *Scriptum.* Quinque litteris, scilicet quinque vulneribus cum quibus ostensum fuit corpus ejus in cruce, quod martyr fuit.

§§2.19 *Novi opera tua,* etc. Filius dona Spiritus sancti habet, id est, dat cui vult, vel aufert. Ideo videant isti qui jam receperunt illa dona, ne per consensum malorum perdant ea. Vel intellige caritatem et fidem, ut sit ordo retrogradus; non enim prius est charitas quam fides. Prius fides, ex fide caritas, ex charitate bona opera.

*2.20 *Fornicari.* Fornicatio dicitur quadriformis in animo, *Si videris mulierem ad concupiscendam eam* Matth. 5., etc. In actu ipso, in amore terrenorum, in cultu idolorum.

†2.24 *Non mittam.* Quidam pseudo terrebant eos dicendo quod adhuc missurus erat Dominus majores tribulationes quam passi essent: contra hoc dicit, quod non mittet.

3 Et angelo ecclesiae Sardis scribe: Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei, et septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es.[‡]
² Esto vigilans, et confirma cetera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.[¶] ³ In mente ergo habe qualiter acceperis, et audieris, et serva, et pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur et nescies qua hora veniam ad te.[§] ⁴ Sed habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua: et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.^{**} ⁵ Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus.^{††} ⁶ Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis. ⁷ Et angelo Philadelphiae ecclesiae scribe: Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David: qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit.^{‡‡} ⁸ Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum.^{¶¶} ⁹ Ecce dabo de synagoga Satanæ, qui dicunt se Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur: ecce faciam illos ut veniant, et adorent ante pedes tuos: et

[‡]3.1 *Et angelo Ecclesiae Sardis.* Sardis *principium pulchritudinis* interpretatur, et per hoc is significatur qui primum nihil vel parum virtutis habet, deinde fit turpis per vitia; vel intelliguntur hypocritæ qui extra pulchri, intus deformes. **Scio opera tua.** Et scio quod in omnibus operibus tuis quæris humanam laudem.

[¶]3.2 *Esto vigilans.* Ideo vigila, quia licet sis mente immotus, vel in mente laudabilis, non es tamen perfectus, nisi cæteros excites, et non est satis Christum confiteri, nisi etiam opera feceris. **Non enim invenio opera tua plena.** Dum es sine charitate, vel pro laude, vel quia committis criminale.

[§]3.3 *In mente ergo habe.* Id est, recordare qualiter fidem Christi in baptisate perceperis: ubi promisisti renuntiaturum te diabolo et omnibus pompis ejus. Recordare etiam quod a doctoribus fidei Christianæ qualiter te vivere oportet audivisti: et serva quod audisti, et pœnitentiam age, eo quod a bonis operibus tandiu torpuisti. **Audieris a sanctis Patribus, quia, qui in uno offendit, omnium reus est;** unde, **charitatem autem non habeam, nihil sum** Jac. 2..

^{**}3.4 *Non inquinaverunt vestimenta sua.* Vestes immortalitatis et innocentiae, quas acceperunt in baptismo, vel, sua bona opera.

^{††}3.5 *Non delebo.* Delet reprobos, secundum illud: **Induravit Dominus cor Pharaonis** Exod. 10.. **De libro vitæ.** Liber vitæ præscientia Dei est, in qua omnia continentur. **Confitebor nomen ejus,** dicens: **Venite, benedicti Patris mei** Matth. 25.. Vel hic, **Dedistis mihi manducare et bibere.**

^{‡‡}3.7 *Hæc dicit.* Quasi dicat: Labora de conversione fratrum sicut cœpisti: quia in eo quod promisi, **quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis** Joan. 14., sum verax in promissis, unde scire potestis quod multos congregabo vobis sicut desideratis. **Claudit.** Ut quæramus, **aperit,** ut inveniamus, ut inquisitor fructum accipiat sudoris sui, et largitor gratias suæ bonitatis habeat.

^{¶¶}3.8 *Ecce dedi coram te.* Merito dedi, quia aperte non poteris habere per te, quia modicam habes virtutem. **Ostium.** Per ostium, quod dicitur ab obstando, intelliguntur corda hominum prius dura. Vel intelligere potes Scripturas obscuras. Vel Christum, qui est verum ostium ad vitam, unde discipuli prohibiti loqui et cæsi dixerunt: **Non possumus quæ vidimus non loqui** Act. 4..

scient quia ego dilexi te,^{§§ 10} quoniam servasti verbum patientiæ meæ, et ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra.*¹¹ Ecce venio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.^{† 12} Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius: et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cælo a Deo meo, et nomen meum novum.^{‡ 13} Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.¹⁴ Et angelo Laodicæ ecclesiæ scribe: Hæc dicit: Amen, testis fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei.^{¶ 15} Scio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus:^{§ 16} sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo:^{** 17} quia dicis: Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo: et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.^{†† 18} Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat

§§3.9 *Judæos.* Hoc nomen perdiderunt dum de Christo dixerunt: **Hunc nescimus** Joan. 9.. **Mentiuntur.** Nituntur comprobare verbis et quibusdam simulationibus. **Ecce faciam illos ut veniant.** Parati imitari opera tua per similitudinem humilitatis tuæ. **Scient.** Extra positi non crediderunt Deum diligere Ecclesiam quam permittebat affligi, sed nunc faciet fidem dilectionis, id est certitudinem, ne succumbatis, quia venio ad remunerandum.

*3.10 *Servasti verbum patientiæ meæ.* Præceptum de patientia quod in me ostendi, orans pro persecutoribus. **Ab hora tentationis,** vel generalis persecutionis in Christianos statim post Neronem futuræ, vel ultimo tempore Antichristi. **Tentare habitantes in terra.** Sicut in sequentibus sexto sæpius ordine, sic et hic in sexto angelo novissima designatur persecutio, in qua quidam Judæorum sunt decipiendi: quidam Eliæ monitis legem spiritualiter impleturi, hostem credunt victuri.

†3.11 *Ecce venio cito.* Quasi dicat: Tentatio vero veniet, sed ne succumbatis, quia venio ad remunerandum.

‡3.12 *Columnam in templo.* Firmum in se et sustentantem alios verbo et exemplo. **Non egredietur.** Cum sit Deo certus numerus suorum, si quis labitur, alius misericordia ejus subinducitur, sicut per superbiam Judæorum gentilitas subintravit. Filius junior, id est gentiliū populus, exierat, sed morte vituli saginati, id est cruore Christi, reconciliatus non exhibit amplius. **Novæ.** Ubi nihil vetustatis, sed plena visio pacis. **De cælo.** De conformitate cœlestium creaturarum.

¶3.14 *Testis,* eorum quæ audivit a Patre intrepidus. Vel, cui fides est adhibenda in omnibus. Vel, testis operum nostrorum apud Patrem. **Et verus.** Veritas est, quia per eum promissa Patris complentur.

§3.15 *Neque frigidus es, neque calidus,* quia neque omnino fidem ignoras, neque aperte negas acceptam. **Utinam frigidus.** Non optat eum frigidum simpliciter, sed talem de quo major spes habeatur.

3.16 *Incipiam te evomere.* Rem mirabilem dicturus, quod tepidi excommunicandi essent, quia ab hominibus boni credebantur, dicit se veracem in omnibus, ut in hoc sibi credatur, et si illi resipiscere voluerint, promittit conservationem, quia dedit primam fidem. **Ex ore meo. De ore evomitur qui in deteriora præcipitatur vel qui impenitens moritur.

††3.17 *Dives sum,* scientiæ divinæ, vel sæcularis.

confusio nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos ut videas.^{‡‡} 19 Ego quos amo, arguo, et castigo. Æmulare ergo, et pœnitentiam age. 20 Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.^{¶¶} 21 Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.^{§§} 22 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.

4 Post hæc vidi: et ecce ostium apertum in cœlo, et vox prima, quam audivi tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.* 2 Et statim fui in spiritu: et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens.† 3 Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis, et sardinis: et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ.‡ 4 Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circum-

^{‡‡}3.18 *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum.* Quia talia opera non perducent ad salutem. **Non appareat confusio.** Melius est hic erubescere coram paucis, quam in futuro coram omnibus. **Collyrio.** Oculi, ut videamus, inunguntur, cum ad cognoscendum veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis adjuvamus. **Præceptum Domini illuminans oculos** Psal. 18.. Vel inunge dono Spiritus sancti mentem quam terrena concluderant.

^{¶¶}3.20 *Ecce ego sto ad ostium et pulso. Si quis audierit,* etc. Exspecto, vel inspiro, vel per prædicatores voco.

^{§§}3.21 *Sedere mecum in throno meo.* Judicare in illis in quibus sedeo et judico. Hæc de prælatis, et, per prælatos, de subditis. **Sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus.** Hoc ita dicit, quia victoria et sessio Christi est causa victoriæ et sessionis Christianorum.

* 4.1 *Post hæc vidi.* In hac secunda visione agit de sedente in throno, et de ornatu ejus, et de agno aperiente librum, id est divinam dispositionem de reparatione humani generis, et de solvente septem sigilla, id est obscuritates, ut cum viderimus Deum tantam intelligentiam Scripturarum impendisse hominibus, grati ei simus, nec pro eo pati formidemus. **In cœlo.** Id est in Scriptura, quæ est via ad vitam, vel Christus est ostium, cujus mysteria, ante clausa, modo sunt aperta his qui fide et opere sunt cœlum. **Tamquam tubæ loquentis mecum.** Non dissentientis a rationalitate mea, dando rationes has. **Ostendam tibi.** Dictis iis quæ jam præterierunt, dicit etiam ea quæ adhuc oportet fieri, utpote in eodem statu quo cœperint, permansura. Vel, post correctionem oportet videre secreta per quæ animentur in prælia. Vel, **quæ oportet fieri cito post hæc,** id est in ultimis fidelibus. Vel, **post hæc fui in spiritu.**

† 4.2 *Statim fui.* Non repugnavi, sed abjeci curam totius terrenitatis. **Et ecce sedes.** In quibus sedet Deus et judicat, et etiam subditos quorum quidam ita sunt apti, ut compententer Deus sedeat et requiescat in eis. **Sedens.** Christus supra dicebatur inter candelabra ambulans, nunc sedens, id est judicans merita singulorum, de quo digne facit hic memoriam, quos hortatus est ad pugnam.

‡ 4.3 *Qui sedebat.* Ubi tantum boni sunt, non est opus judicare, id est discernere; ubi boni et mali, ibi discretionem opus est. **Similis erat aspectui.** Prius incognitus per carnem mundo apparuit, confringens inimicos, robur suis tribuens. **Jaspidis et sardinis.** Per colorem duorum lapidum, notat Deum et hominem. **Smaragdinæ.** Per colorem viridem smaragdi, qui color est aquaticus, baptismus intelligitur. Per ruborem ejusdem, dona Spiritus sancti in baptismo accepta, per quæ comburuntur peccata.

amicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ.^{¶ 5} Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua: et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.^{§ 6} Et in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo: et in medio sedis, et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis et retro.^{** 7} Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti.^{†† 8} Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas: et in circuitu, et intus plena sunt oculis: et requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.^{‡‡ 9} Et cum darent illa animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum,^{¶¶ 10} procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas

[¶]4.4 **Viginti quatuor seniores.** Duodecim prophetæ, duodecim apostoli, quamvis plures utriusque ordinis. **Circumamicti stolis albis.** Peccata justorum teguntur, et ipsi albert virtutibus. **Coronæ.** Id est victoria per sapientiam et charitatem etiam ad inimicos.

[§]4.5 **De throno.** Id est Ecclesia, id est aqua pluit fulgura, id est miracula quæ terrent, et illuminant. **Septem spiritus.** Lampades sunt dona Spiritus sancti, quæ accendunt et illuminant, parata omnibus illis qui sunt sedes Dei.

^{**}4.6 **In conspectu.** Quia intelligunt sacramentum et rem sacramenti, nec recipiunt nisi quos idoneos viderint et cognoverint. **Mare vitreum.** Baptismus sinceritate fidei lucidus post quem tribulationis igne electa ducuntur ad firmitatem bonorum operum, sicut ex aqua durescit chrySTALLUS. **In medio.** Planitiem quamdam apparuisse describit ad similitudinem magni iudicis, qui habet plateam latam et spatiosam, ubi sedet et iudicat iudicia. **Sedis.** Nomine sedis intelligitur Jerusalem, vel sustentatores, ut homo, ut vitulus, ut leo, ut aquila. **Quatuor.** Propter officium quadrifariæ prædicationis. **Animalia.** Hæc bene repræsentant Christum, qui natus est, passus, resurgens, ascendens. Fideles quoque rationales et mansueti sunt, ut homo. Sine terrore terentes adversa; ut leo; sese mortificantes, ut vitulus; cœlestia petentes, ut aquila. **Plena oculis.** Memores prædicatorum peccatorum, et caventes sibi in futurum, vel habentes cognitionem de his quæ Deus fecit vel facturus est in fine mundi, vel placent Deo et hominibus.

^{††}4.7 **Leoni.** Leo mortuus nascitur, die tertia voce Patris vivificatur. Sic et Christus die tertia resurrexit, et resurgere oportuit, quia mortuus fuit, et mori oportuit, quia homo, et mortuus resurgere voluit ac potuit, quia aquila, id est Deus.

^{‡‡}4.8 **Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas,** ad hoc ut ista de Christo prædicarent in quibus bene instructi erant. **Alas senas.** Prima ala, lex naturalis; secunda, lex Moysi; tertia, prophetæ; quarta, Evangelium; quinta, institutiones apostolorum; sexta, quorumcunque decreta, ut Augusti, Gregorii, Ambrosii, per quos Ecclesia alta petit: et a quibus prædicatores accipiunt totius prædicationis fundamentum. Vel sex alæ cognitio operum Dei factorum sex diebus, quorum notitiam in altum sublevant qui in eis bene operantur. **In circuitu et intus.** Per litteram, simplices; per allegoriam, perfectiores ea animalia instruunt, et in medio et in finibus terræ illuminant. **Plena sunt oculis.** Quia se mundos servanti et alios exemplo informant. Vel, **plena sunt oculis intus,** id est conscientia mundi: **et in circuitu,** id est in conspectu hominum irreprehensibiles. **Qui venturus est.** Filius corporaliter apparebit, tota Deitas fidelibus se suo modo manifestabit.

^{¶¶}4.9 **Et benedictionem,** supernæ remunerationis, vel in exaltatione, **ut ei omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum** Philip. 2..

suas ante thronum, dicentes:^{§§ 11} Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem: quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.*

5 Et vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem.^{† 2} Et vidi angelum fortem, prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus?*: ³ Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. ⁴ Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum.^{† 5} Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus.^{§ 6} Et vidi: et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum, Agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem: qui sunt septem spiritus Dei,

^{§§}4.10 *Et adorabant.* Quod a se non habebant, ab illo requirebant voce et opere. *Dicentes.* In secreto cordis attribuentes Deo victoriam vitiorum et tribulationum.

*4.11 *Creasti omnia.* Ideo omnia ad te referenda, quia omnia a te habent initium. Invisibilia etiam vel angelos et animas, ut spirituales esse dicit, cum de impiis facit pios spiritualiter creatos. *Propter voluntatem tuam.* Et non de subito. *Et quod factum est, in ipso vita erat* Joan. 1.. *Erant.* In mente, priusquam formarentur in opere. *Creata sunt.* Visibiliter existendo. Omnia ergo fuerunt ab æterno secundum quod erant in mente divina, sed esse incœperunt in tempore per creationem.

[†]5.1 *Et vidi in dextera sedentis.* Per dexteram intelligo Filium, per quem omnia fecit Deus Pater, ad quem totius libri intentio dirigitur. *Librum.* Id est duo Testamenta quæ sunt idem liber. *Foris.* Significans Vetus quod forinseca promittit. *Intus,* Novum significans quod evidenter sæpe promittit beatitudinem. *Signatum.* Factæ sunt scripturæ prophetarum clausæ, et obscuræ, sed per Christum postea sunt apertæ. *Sigillis.* Id est universis obscuritatibus, vel clausus septiformi spiritu, per quem fides aperitur. *Septem.* Dicit, quia (ut sequentibus determinabit) illa sunt septem sigilla, scilicet album esse equum et rufum et nigrum, etc.: quæ aperta et nota fuerunt in exordio Ecclesiæ, quæ fuit albus equus supra quem sedit Christus, et doctrina et exemplo munivit, quam rufus equus impugnavit.

[§]5.2 *Angelum.* Sancti et antiqui Veteris Testamenti patres intellexerunt aliquando a Deo dispositam reparationem Jerusalem: et quando fieret, videre exoptabant, sed quomodo fieret ignorabant, donec scilicet revelavit quibusdam antequam fieret. *Prædicantem.* Inquirentem, et aliis annuntiantem et præ nimio desiderio, tandiu differri conquerentem. *Aperire librum.* Divinam dispositionem, et universas obscuritates Scripturarum tollere.

[†]5.4 *Flebam multum.* Hoc dicitur in persona priorum et antiquorum patrum, eo quod non intelligebant, vel dilatam reparationem dolebant, unde: *Multi reges et prophetæ voluerunt videre* Luc. 10., etc.

[§]5.5 *Et unus de senioribus.* Quilibet propheta Christi adventum annuntiando consolatur alios. *Vicit leo.* Leo dum fugatur, per montes fugit, et nodo quem habet in cauda vestigia delet, ne inveniatur: ita Christus fugit per montes, id est, divinitas Judæos latuit, assumpta carne divinitatem textit, ne posset agnosci. Leo dormit apertis oculis, ita Christus exspiravit divinitate vivente.

missi in omnem terram.**⁷ Et venit: et accepit de dextera sedentis in throno librum.
⁸ Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum:††⁹ et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus: quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione:‡‡¹⁰ et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes: et regnabimus super terram.¹¹ Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum: et erat numerus eorum millia millium,¶¶¹² dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.§§¹³ Et omnem creaturam, quæ in cælo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo: omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et Agno, benedictio et honor, et gloria, et potes-

**5.6 *Et ecce in medio throni.* Ecclesia, quæ a Christo tanquam thronus possidetur, tanquam animalia pascitur, tanquam seniores in iudicio potestatis honoratur, ipsa super Christum ædificata in septem cornibus fortitudinis, regno exaltatur, in septem oculis, signis et virtutibus illuminatur. *Tanquam occisum.* Quia etsi fuerit mortuus, ex virtute tamen Dei vivit. Vel inter suos tanquam occisus est, in quibus quotidie mortificatur. *Cornua septem,* etc. Quia dat regnum, quod in cornibus notatur. Oculos, quia illuminat. Vel cornua sunt eminentiores sancti, in capite Christo fundati, carnem excedentes.

††5.8 *Ceciderunt coram agno.* Humilia de se senserunt, quod ipsum imitantur, unde sequitur. *Habentes singuli citharas.* Mortificationes vitiorum et concupiscentiarum. In cithara lignum et chordæ: per lignum crux Christi, per chordas caro sanctorum, quæ tenditur in ligno, dum diversis tormentis eundem sonum reddentes crucem Christi imitantur.

‡‡5.9 *Cantabant canticum.* Cum exultatione Novum Testamentum Ecclesia opere profitetur, dum in morte ejus baptizat. *Tribu.* Dicitur a tribus ordinibus, in quibus duo et septuaginta linguæ in singulis, quarum multi populi, in populo nationes. Tres ordines salvandorum, Noë, Daniel, Job. Vel tres ordines gentium, Græci, Hæbræi, Christiani.

¶¶5.11 *Vidi.* Non solum animalia et seniores ex officio suo idem attestantes, sed etiam *audivi, Vocem angelorum.* Id est supernorum spirituum qui Ecclesiam muniunt et custodiunt, qui de reparato sanctorum consortio gratulantur, qui testimonium perhibent Christo, et in nativitate, quando apparuerunt pastoribus et in passione, et in resurrectione et ascensione testati sunt iudicem venturum. Vel angeli sunt minores subditi in Ecclesia, angelicam vitam ducentes, qui circumdant et honorant suos prædicatores et suos iudices testimonio eorum consentientes et se conformantes. *Multorum in circuitu throni et animalium et seniorum,* etc. Quanto plures, tanto major attestatio, et majus gaudium. *Millia millium.* Hunc numerum posuit, quia finitum est apud Deum quod hominibus infinitum.

§§5.12 *Sapientiam, et fortitudinem,* etc. Cognitionem omnium rerum, sicut habet Verbum sibi unitum.

tas in sæcula sæculorum.*¹⁴ Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas: et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.†

6 Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis, et audivi unum de quatuor animalibus, dicens tamquam vocem tonitruui: Veni, et vide.‡² Et vidi: et ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.¶³ Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens: Veni, et vide.§⁴ Et exivit alius equus rufus: et qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant, et datus est ei gladius magnus.**⁵ Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens: Veni, et vide. Et ecce equus niger: et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua.††⁶ Et audivi tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium:

*5.13 *Benedictio*. Id est augmentatio quam habemus in bonis operibus, *et honor* qui inde sequitur, *et gloria* de virtutibus quas in baptismo accipimus, *et potestas* qua concupiscentiis resistimus, non nobis, sed tibi attribuitur.

†5.14 *Et quatuor animalia*. Omnes seniores et animalia testimonio angelorum assensum præbent. *Ceciderunt in facies*, etc. Non superbiunt quod alios iudicant, sed humiliant se.

‡6.1 *Et vidi*. Postquam Agnus quæ de se prædicta erant implevit et Ecclesiam suam testimonio prophetarum et angelorum in fide solidavit, aperuit eis sensum ut intelligant Scripturas, et per prædicatores exterius denuntiat, quod pro hac fide pati deceat, et quæ auxilia, vel quas coronas suis præferat, quia facta memoria de reparatione, si de tribulationibus taceret, jam possent deficere, si de improvise tribulatio insurgeret. *Quod aperuisset*. Signatus erat iste liber, quia omnia Christus vel in se, vel in suis aperuit. Ipse enim suis aperuit sensus, ut hæc sigilla in Scripturis intelligerent. In primo sigillo aperto, unde egressus est equus albus, intelligitur Ecclesiæ dealbatio per baptismum. In secundo equo rufo insinuat aperta persecutio fundentium sanguinem, unde baptizatis insurgunt tribulationes. In tertio nigro, hæreticorum persecutio occulta. In quarto pallido, falsorum reatum aperta et occulta persecutio. *Veni et vide*. A mysterio transi, et completam vide veritatem vel iustitiam.

¶6.2 *Ecce equus albus*. Ecclesia in baptismo dealbata, vel maximi prædicatores, qui ubique Deum ferunt. *Arcum*. Christus habet Scripturam qua illuminat suos, et occidit inimicos.

§6.3 *Et cum aperuisset sigillum secundum*. Videns diabolus Ecclesiam institui ad locum supplendum, unde ipse ceciderat, eam subvertere nititur prius aperte. *Equus rufus*. Superiori contrarius, scilicet aperti persecutores et sanguinolenti.

**6.4 *Sumeret pacem de terra, et ut indicem*, etc. Id est concessum est a Deo, ut auferret omnem quietem animi ab his qui sunt terrenis dediti. *Et datus est ei gladius magnus*. Magna potestas interficiendi, quia non solum in minores, sed etiam in majores, ut in Petrum, sævire ausus est.

††6.5 *Et ecce equus niger*. Videns diabolus se per apertas persecutiones non proficisse. immittit hæreticos, qui falsis rationibus contendunt ut facilius decipiant. *Stateram*. Quia dicunt se habere veram discretionem in Scripturis.

Bilibris tritici denario et tres bilibres hordei denario, et vinum, et oleum ne læseris.^{‡‡}
⁷ Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis: Veni, et vide.⁸ Et ecce equus pallidus: et qui sedebat super eum, nomen illi Mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terræ.^{¶¶}⁹ Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtile altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant:^{§§}¹⁰ et clamabant voce magna, dicentes: Usquequo Domine (sanctus et verus), non iudicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? *¹¹ Et datae sunt illis singulæ stolæ albæ: et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi.[†]¹² Et vidi cum aperuisset sigillum sextum: et ecce terræmotus magnus factus est, et sol factus est niger tamquam saccus cilicinus: et luna tota facta est sicut sanguis:[‡]¹³ et stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus

^{‡‡}6.6 *Et audivi tanquam.* Quia hic in pugna hæreticorum, ubi est majus periculum, prærenditur auxilium. *Bilibris.* Quasi dicat: O fideles, ne timeatis eos qui antea vos poterant lædere; et vos diaboli, ne lædatis istos, quia non proficietis, *quia bilibris tritici*, etc. *Tritici.* Per triticum intelliguntur perfectiores, qui per tribulationem attriti igne decocti sunt, Deo cibus suavis. Hordeum sunt minores in eodem genere. Vinum, prælo quidem attriti, sed non ita excocti, acres tantum in se, et alios ad bene operandum inebriantes: oleum sunt non alios inebriantes, sed prius orationibus ungentes. *Et vivum et oleum ne læseritis.* Id est istos qui sunt refecti vino, id est sanguine meo, et oleo, id est Spiritu sancto uncti. Vinum similiter emitur denario uno.

^{¶¶}6.8 *Ecce equus pallidus.* Videns diabolus nec per apertas tribulationes, nec per apertas hæreses posse proficere, præmittit falsos fratres: qui sub habitu religionis obtinent naturam rufi equi et nigri, pervertendo fidem. *Nomen illi mors.* Quia per eum mors accessit, vel ad litteram quia occidit quosdam in carne, quosdam in anima. *Et infernus.* Id est insatiabiles terrenis eum imitantur, et in inferno apponuntur. *Super quatuor.* Id est super omnes malos ubique morantes, vel super Judæos et gentiles, hæreticos et falsos Christianos.

^{§§}6.9 *Et cum.* Ostensis tribulationibus quæ in præsentem imminent fidelibus, ne deficiant, aliquatenus certificans de propinqua corona patientes consolatur. *Vidi subtile altare.* Id est capiti suo humiliantes se, vel, *sub*, in absconso, quia nemo in hac vita percipit quomodo ibi sint. *Altare.* Christus super quem se omnes sancti offerunt, et quem habent munimentum. Vel ipsæ animæ altare sunt de quibus fumus procedit Deo delectabilis, et quia fuerunt sanguine liniti, modo sunt existentes subtile, id est in minori dignitate quam sint futuræ, quia nondum nisi unam stolam acceperunt. *Interfectorum propter verbum.* Vel aperto martyrio, vel aliquibus anxietatibus

*6.10 *Usquequo.* Desiderant sancti majus gaudium et consortium sanctorum, et justitiæ Dei consentiunt in damnatione impiorum. *Judicas et non vindicas sanguinem.* Faciendo discretionem bonorum et malorum.

†6.11 *Conservi eorum.* Servi dicuntur causa ipsius Domini, fratres ex dilectione debent expectare.

‡6.12 *Sol factus est niger.* Id est illi in quibus lucet reputabuntur rei et peccatores claritatem suam se retinentes, vel quia quidam ad tenebras decident. Vel Christus sol verus, et modo clarus, Antichristi tempore erit obscurus, id est nullis miraculis coruscans. *Tanquam saccus.* Lux in sacco posita extra non lucet, fideles lucem prædicationis non effundent in isto magnæ tribulationis die.

emittit grossos suos cum a vento magno movetur:[¶] 14 et cælum recessit sicut liber involutus: et omnis mons, et insulæ de locis suis motæ sunt:[§] 15 et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus, et liber absconderunt se in speluncis, et in petris montium:^{**} 16 et dicunt montibus, et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni:^{††} 17 quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: et quis poterit stare?

7 Post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.^{‡‡} 2 Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi: et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari,[¶] 3 dicens: Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. 4 Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israël.^{§§} 5 Ex tribu Juda duodecim millia signati: ex tribu Ruben duodecim millia signati: ex tribu Gad

[¶]6.13 **Grossos suos.** Id est inanes fructus, nullum enim permittit Deus cadere, qui ei servit vero amore.

[§]6.14 **Cælum.** Id est Ecclesia recedet a malis, fide et opere. Unde: *Exite de Babylone, populus meus, et immundum ne tetigeritis.*

^{**}6.15 **Reges terræ.** Secundum diversos honores sæculi quos nolentes perdere, delectant fidem. **Divites.** Quidquid mali volunt implentes. **Fortes.** In subvertendis aliis. Servus peccati, liber justitiæ. Hi desperantes a sanctis, auxilia dæmonum quærunt, ut se illi liberent in quibus confidebant.

^{††}6.16 **Et dicunt montibus.** Petant suffragia angelorum, qui sunt montes eminentiores, et petræ firmitate: ut eorum precibus misericordiam iudicis impetrent.

^{‡‡}7.1 **Post hæc,** etc. Multiplici Ecclesiæ bello descripto, subjicit tempore hujus belli diabolum nocere paratum, sed a Deo refrenatum, ne sui aliquatenus torpeant vel desperent. **Quatuor angelos.** Pro quatuor partibus mundi in quibus nocent. **Angelos.** Diabolus angelus dicitur, id est missus a Deo ad probationem bonorum, et permissus ad deceptionem malorum et a principe diabolo ad subversionem cunctorum missus. **Tenentes.** In tempore tribulationis nihil magis est necessarium quam prædicatio, et ideo nititur diabolus detinere eam omni loco. **Ventos.** Ventus nubes excitat, terram rigans fructiferam facit, faciem ejus hilarem reddit, sic prædicatio mentes hominum. **Super mare.** Habitantibus in insulis vel diversis vitiis affluentibus.

^{¶¶}7.2 **Et vidi alterum.** Hic angelus est ille lapis sine manibus præcisus, qui statuum quatuor metallis constantem confregit, hic quatuor ventos solvit. **Ascendentem.** Ex quo Christus exspiravit ascendit, dum diabolum ligavit, et per prædicatores mundum illuminavit fide, sicut sol lumine. Vel ascendit ab ortu, id est a Patre, proficiens sapientia et ætate. Vel a se descendit, quia non per concubitum viri carnem assumpsit, sed ipse creavit qui est ortus solis, id est Patris. **Signum.** Id est crucem qua suos signaret, vel potentiam Patri æqualem, vel immunitatem a peccato per quam Deus apparet, quia omnis homo peccator. Hoc signum etsi non re, fide tamen antiqui patres prætulerunt. Signum geritur in fronte ne celetur in tribulatione, nam signatio pectoris, confessio est cordis. Cum catechizatur infans, inungitur in pectore, ut fidem cordis habeat: in fronte ne erubescat, sed confiteatur: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* Rom. 10.. In scapulis, ut onus Christi portet. In vertice, ut rationem conservet, quæ est vertex et caput hominis interioris.

^{§§}7.4 **Centum quadraginta.** Finitum ponit, quia Deus sibi sub certo numero omnes comprehendit. **Ex omni tribu.** Id est ex omnibus fidem Jacob imitantibus.

duodecim millia signati: *⁶ ex tribu Aser duodecim millia signati: ex tribu Nephthali duodecim millia signati: ex tribu Manasse duodecim millia signati: ⁷ ex tribu Simeon duodecim millia signati: ex tribu Levi duodecim millia signati: ex tribu Issachar duodecim millia signati: †⁸ ex tribu Zabulon duodecim millia signati: ex tribu Joseph duodecim millia signati: ex tribu Benjamin duodecim millia signati. ‡⁹ Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis: stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum: ¶¹⁰ et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. §¹¹ Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium: et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum, **¹² dicentes: Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. ††¹³ Et respondit unus de senioribus et dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venerunt? ‡‡¹⁴ Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. ¶¶¹⁵ Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus: et qui sedet in throno, habitabit super illos: ¹⁶ non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: §§¹⁷ quoniam

*7.5 **Duodecim.** Per duodecim habemus eos qui fide Trinitatis in quatuor mundi partibus sunt signati, et ut hos perfectos ostendamus, duodecim per quatuor multiplicamus, et fiunt quadraginta octo; ut vero ad Trinitatem hæc perfectio referatur, quadraginta octo multiplicamus, et sic fiunt centum sexaginta quatuor.

†7.7 **Simeon.** Tristitiæ sive mœroris exauditio, id est de præteritis peccatis dolens et ad virtutis conversationem aspirans. **Levi.** Id est additus, id est etiam non injuncta sibi faciens. **Issachar.** Id est merces, id est ad remunerationem tendens, ut: **Cupio dissolvi, et esse cum Christo.**

‡7.8 **Zabulon.** Id est habitaculum fortitudinis, id est laborem non recusantes, sed aliquando pro necessitate fratrum de Maria ad Martham descendentes. **Joseph.** Id est augmentum, id est Ecclesiam numero sanctorum locupletantes. **Benjamin.** Id est filius dexteræ, id est a propitiatione Dei omnia, et nihil a se reputantes.

¶7.9 **Post hæc.** Cum secundum figuram designandos sub certo numero vidisset, et tantummodo de filiis Israël, nunc aperte docet quod per illum numerum, universi fideles, et per duodecim tribus accipiendæ sunt omnes gentes. **Stantes.** Scilicet parati Deo obedire judici, vel etiam suis prælati. Hoc in præsentia.

§7.10 **Salus Deo nostro qui sedet.** Non per nos, sed per agnum habemus salutem, id est remissionem peccatorum, et bonam operationem, et æternam gloriam.

7.11 **Et omnes. Per supradictos angelos, intelligi possunt majores prælati; per istos, minores prælati, vel subditi tantum, sicut sunt angeli et archangeli, et tamen omnes angeli, id est nuntii. Sed et modo sunt majores et minores prælati, id est archiepiscopi et episcopi.

††7.12 **Amen.** Quasi dicat: Si attribuitis Deo, benefacitis. Vel **amen**, ad sequentia legetur: **Amen**, id est veritas in præmissis, et **benedictio**, id est exaltatio quam habet super omnem creaturam, vel nostra exaltatio in virtutibus: et **claritas**, id est impassibilitas, vel vestra in operibus.

‡‡7.13 **Et respondit unus.** Visa turba in tanta dignitate, movetur attendere qua via potuit illuc ascendere, ut idem alios doceat inspicere.

¶¶7.14 **Stolas suas,** etc. Innocentiam in baptismo acceptam, vel corpora sua.

§§7.16 **Non esurient, neque sitient,** etc. Qui dedit cognitionem angelis, dabit etiam eandem illis cognitionem.

Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum.*

8 Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo, quasi media hora.†² Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei: et datæ sunt illis septem tubæ.‡³ Et alius angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum: et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.¶⁴ Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo.§⁵ Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram: et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terræmotus magnus.¶⁶ Et septem angeli, qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tuba canerent.**⁷ Et primus angelus tuba cecinit, et facta est grando, et ignis, mista in sanguine, et missum est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum concremata est, et omne fœnum viride combustum est.††⁸ Et secundus angelus tuba cecinit: et tamquam mons magnus igne ardens missus est in mare, et

*7.17 *Deducet eos ad vitæ*, etc. Et per hoc in futuro deducet ad omnimodam refec-tionem. *Absterget Deus omnem lacrymam*. Omnem dolorem sive pro delictis suis, sive pro adversis, vel exsilio, vel cæteris hujusmodi.

†8.1 *Et cum aperuisset*. In hac vita tertia visione sunt septem angeli canentes tubis ad destructionem inimicorum, ad similitudinem illorum qui canentes tubis destruxerunt moenia Jericho. Quasi dicat: Cum intellexissem salvationem justorum, ex alia parte intellexi damnationem impiorum per officium prædicationis bonis injunctum.

‡8.2 *Septem angelos*. Universos, vel septiformi Spiritu imbutos. *Et datæ sunt*. Quia non displicet Deo damnatio impiorum.

¶8.3 *Et alius angelus*. Stetit angelus ante altare paratus immolare, ad similitudinem sacerdotis, vel Christus est altare qui se obtulit, et super quem Ecclesia offert Deo preces. *Stetit ante altare*, id est ante seipsum, quia non habet mediatorem per quem placeat. *Habens*. Dicturus ex prædicatione justorum eventuram damnationem impiorum, præmittit quasi excusationem, ne eis culpa de damnatione impiorum imputetur, quia quantum ad ipsos prædicatione eorum bona, et a bono doctore injuncta. *Thuribulum*. Id est apostolos, qui sunt vasa ignis, id est Spiritus sancti, et de quibus exeunt orationes quæ eleuantur coram Deo. *De orationibus*. Dixit *de orationibus*, et non *orationes*, quia non omnes orationes repræsentat Patri, sed eas exaudit quæ ad salutem pertinent. *De orationibus*, quia illi aliquando petunt quod petendum non esset, ut Paulus. *Super aureum altare*. Id est illi qui est supra se secundum humanitatem, secundum quam est altare Trinitatis.

§8.4 *Fumus*. Compunctio procreata orationis studio, igne visionis Dei interius accensa.

**8.6 *Præparaverunt*. Id est, prius impleverunt opere quæ dicturi erant ore. Vel, *præparaverunt*, id est præviderunt quid conveniret unicuique personæ. *Et primus angelus*. Ordine narrationis, vel quia hæc cæcitas Judæorum prius contigit prædicantibus apostolis.

††8.7 *Et facta est grando*. Id est prædicatio aliis suavis, visa est eis condensa et gravis. *In terram*. Judæi sunt tanquam terra exculti per legem et prophetas. *Arborum*. Per arbores intelliguntur majores Judæi; qui in lege sine querela conversabantur.

facta est tertia pars maris sanguis,^{‡‡ 9} et mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, et tertia pars navium interiit.^{¶¶ 10} Et tertius angelus tuba cecinit: et cecidit de cælo stella magna, ardens tamquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum:^{§§ 11} et nomen stellæ dicitur Absinthium, et facta est tertia pars aquarum in absinthium; et multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt. ¹² Et quartus angelus tuba cecinit: et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et diei non luceret pars tertia, et noctis similiter. ^{*} ¹³ Et vidi, et audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cæli dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terra de ceteris vocibus trium angelorum, qui erant tuba canituri.†

9 Et quintus angelus tuba cecinit: et vidi stellam de cælo cecidisse in terram, et data est ei clavis putei abyssi.^{‡ 2} Et aperuit puteum abyssi: et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ: et obscuratus est sol, et aër de fumo putei:^{¶ 3} et de fumo putei exierunt locustæ in terram, et data est illis potestas, sicut habent potes-

^{‡‡}8.8 *Et secundus angelus*, secundum ordinem narrationis, et secundum quod impletum fuit. Judæis enim excæcatis, apostoli sunt ad gentes conversi. *In mare*. Gentiles sunt mare, id est fluentes in multa vitia; in quibus cum ante esset diabolus, vere tamen missus dicitur, quia quibusdam recedentibus alios retinere nititur.

^{¶¶}8.9 *Mortua est tertia*. Duæ partes, id est boni omnes crediderunt: tertia, id est omnes reprobi dati sunt in reprobum sensum. *Quæ habebant animas*, etc. Id est illorum gentilium qui ab aliis digniores reputabantur pro quibusdam bonis operibus.

^{§§}8.10 *Et tertius angelus*, ordine narrationis et quia istud post illa duo contigit. Postquam enim diabolus omnes Judæos et gentiles excæcare non potuit, immisit eis hæreticos, et quosdam subvertit. *Fontes*. Dicuntur illi esse fontes, in quibus summa et quasi totius fidei origo comprehenditur, sicut est Evangelium. Flumina, quæ inde trahuntur, sicut expositiones eorum sunt, in quibus sunt duo sensus fidelium, historialis et allegoricus. Tertius est hæreticorum, cum hæreses suas confirmant pravis expositionibus Scripturarum.

^{*}8.12 *Et quartus angelus*. Quartus dicitur ordine narrationis, et ordine rei. Cum enim diabolus quosdam de Judæis et gentilibus excæcasset, tandem ipsos filios Ecclesiæ expugnare egressus est, et quosdam rapuit, tam majores quam minores. Has quatuor damnationes ut præteritas narravit, ut pote quæ quotidie videntur in ecclesiis. Tres vero futuras prænuntiari facit, ut doceat in novissimis temporibus, etiam graviores præteritis imminere, quod etiam ad consolationem præsentium potest redigi.

[†]8.13 *Unius aquilæ*. Aquila omnes prædicatores, qui mente longinqua conspiciunt, et Ecclesiam circumeuntes, prædicando futura, muniunt: hic omnes unus, quia ad idem tendunt.

[‡]9.1 *Et quintus angelus*. Ordine narrationis et ordine temporis hic angelus dicitur esse quartus. Hic est enim damnatio eorum quos diabolus immittit ad præparandas vias ante faciem Antichristi. *Et vidi stellam*. Id est flammam hæreticorum de qua pauca dixerat, et quo fomite creverit, exponit. *Stellam*. Id est diabolus cadentem, et ne quis in locum ejus, id est in paradysum eat, laborantem. *Et data est*. Abyssus, id est tenebrosi. Puteus, id est profundiores hæretici, quia alios mergunt pravis sententiis. In hos clavem, id est potestatem accipere dicitur, quia tunc non sicut modo a Deo refrenabitur. Vel clavis illa sunt ipsi principes per quos hæretici operantur.

[¶]9.2 *Aperuit puteum abyssi*. Hæreses quæ latebant in cordibus eorum proferri fecit. *Fumus fornacis*. Doctrina Antichristi recte dicitur fumus quoniam ipse Antichristus est fornax purgans bonos, et in cinerem redigens malos. *Obscuratus est sol et ær*. Et per hoc percussi sunt quidam illuminantes alios, et quidam illuminati ab eis.

tatem scorpiones terræ:^{§ 4} et præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis:^{** 5} et datum est illis ne occiderent eos: sed ut cruciarent mensibus quinque: et cruciatus eorum, ut cruciatus scorpii cum percutit hominem.^{†† 6} Et in diebus illis quærent homines mortem, et non inveniunt eam: et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis.^{‡‡ 7} Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium: et super capita earum tamquam coronæ similes auro: et facies earum tamquam facies hominum.^{¶¶ 8} Et habebant capillos sicut capillos mulierum. Et dentes earum, sicut dentes leonum erant:^{§§ 9} et habebant loricas sicut loricas ferreas, et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.^{* 10} et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum: et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque:^{† 11} et habebant super se regem angelum abyssi cui nomen hebraice Abaddon, græce autem Apollyon, latine habens nomen Exter-

§9.3 **Exierunt locustæ.** Discipuli hæreticorum locustis comparantur, quia neque volant in altum; sive, contemplationem per cognitionem, nec firmiter gradiuntur per bonam operationem: sed superbia saliunt, et in pejus recidunt, et sunt corrosores bonorum. **Sicut habent scorpiones.** Scorpius blandus facie cauda pungit occulte; vel scorpioni comparat, quia sicut scorpius cauda, sic hæretici decipiunt per temporalia, quæ debent post esse, sicut cauda posterior pars in animali. Vel ideo comparat quia quando scorpius pungit, non sentitur, postea diffundit venenum, sic decepti ab hæreticis non sentiunt, tandem perimuntur.

9.4 **Præceptum est illis ne læderent, etc. Quia dolos istorum refrenat Deus, licet ipsi non intelligant.

††9.5 **Ne occiderent.** Cum per dolos nequeunt hæretici in aliqua subvertere volunt, contra quos a Deo ordinatum est, ut etsi corpora occidant, animas tamen non decipiant. **Mensibus quinque.** Alia littera dicit **mensibus sex,** propter sex ætates quibus hæc vita distinguitur. **Ut cruciatus scorpii.** Cum data sit potestas cruciandi, non aperte tormentant, sed apud sæculi principes accusant.

‡‡9.6 **Et fugiet mors ab eis.** Quia cura gregis eos astringit labori.

¶¶9.7 **Similitudines locustarum,** etc. Cum ostendisset qualiter nocerent, et per dolos et per occultam impugnationem, et in utroque Dei refrenationem, nunc ostendit quales ipsi sint per quos operari possunt. **Similes equis.** Quia sunt veloces ad discurrendum, feroces ad impugnandum, et non provident quos incurrant, sive in vicinos, sive in hostes. **Tamquam coronæ.** Id est victoriæ de præcipitatis et subversis acquisitæ, non per veram sapientiam.

§§9.8 **Et habebant capillos.** Id est mores lascivos et effeminatos, qui eis adhærent, et ab eis ad deceptionem aliorum dependent. Vel capilli sunt homines minores, quos adherentes sibi decipiunt. **Dentes leonum.** Laniatum habent et fetorem.

*9.9 **Loricas.** Id est corda obstinata, quæ sagita veritatis non penetrat. Vel sententias deceptionibus munitas, quas infringit veritas. **Sicut vox curruum,** etc. Diversi currus diversis viis et a diversis equis ad idem bellum rapiuntur, sic isti diversis hæresibus unanimiter Ecclesiam impugnant.

†9.10 **Et habebant caudas.** Postquam non valet ratio vel tumultus eorum, quærent auxilium principum, qui caudæ dicuntur, quia ut astringant, terrent et blandiuntur. Vel caudæ sunt dolosæ sententiæ, quibus coram blandiuntur et latenter pungunt.

minans.[‡] 12 Væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ post hæc.[¶] 13 Et sextus angelus tuba cecinit: et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei,[§] 14 dicentem sexto angelo, qui habebat tubam: Solve quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.^{**} 15 Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam, et diem, et mensem, et annum, ut occiderent tertiam partem hominum.^{††} 16 Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum.^{‡‡} 17 Et ita vidi equos in visione: et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, et hyacinthinas, et sulphureas, et capita equorum erant tamquam capita leonum: et de ore eorum procedit ignis, et fumus, et sulphur.^{¶¶} 18 Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum de igne, et de fumo, et sulphure,

[‡]9.11 **Et habebant super se regem.** Ostenso quales in se sint, monstrat per quem hæc possunt. **Cui nomen Hebraice Abaddon.** Quasi dicat: Ad hoc cavete vobis, Hebræi, Græci et Latini, id est omnis Ecclesia. Posuit autem tres linguas, quia Christi Evangelium aliqua harum trium linguarum est scriptum et receptum.

[¶]9.12 **Væ unum abiit.** Id est primum ordine narrationis et ordine temporis. Hæc est enim declaratio et damnatio malorum quæ erit tempore Antichristi.

[§]9.13 **Ex quatuor cornibus.** Per quatuor cornua intellige illa quatuor quæ de Christo prædicantur, quæ sunt nativitas, passio, resurrectio, et ascensio: circa quæ alia sunt. **Altaris aurei.** Altare Christus, cornua altaris sunt prædicatores Christum sublevantes, et pro eo mori parati, sicut sanguis ponebatur in cornibus altaris. Vel altare est Ecclesia, in qua sunt cornua, id est defensores aliorum, qui omnes ad idem tendunt. Vel per quatuor cornua intelligere possumus dogmata evangelica quæ docent detegi fraudes Antichristi. **Vocem unam.** Præcones præteriti temporis præmonent illos qui erunt tempore Antichristi.

^{**}9.14 **Solve quatuor.** Pro quatuor partibus mundi, vel quia quatuor de Christo prædicata impugnant. **Qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.** Euphrates fluvius circumiens Babylonem, id est principes mundani per quos diabolus, cum in ipsis esset, occulte operabatur. Dicens autem **solve**, hos jubet excommunicari, ut qui in eis erat quasi ligatus, per eos sibi traditos apertius operetur. Vel quatuor angeli sunt omnes immundi spiritus in quatuor partibus mundi regnantes, qui fuerunt refrenati in passione Christi.

^{††}9.15 **Soluti sunt**, etc. Soluti diabolo multi præcipitantur, qui ad alios excæcandos moliantur, **In horam et diem.** Per **horam** accipe medietatem anni; per **diem**, unum annum; per **mensem**, alium annum; et per **annum**, tertium: nam per tres annos et dimidium durabit persecutio Antichristi.

^{‡‡}9.16 **Vicies millies.** Sancti decem præceptis legis perfecti, contra quos duplex numerus ponitur malorum, quia mali plures sunt bonis. **Et audivi**, etc. Quasi dicat: Bene pono sub certo numero, quia **audivi**, id est intellexi, quod plures essent mali quam boni.

^{¶¶}9.17 **Et ita vidi.** Id est sicut intellexeram quod ad destructionem aliorum equitabant, sic intellexit, quod per diabolum hoc faciebant, quem sicut equi portabant, vel equi intelligi possunt diaboli, super quos mali fundantur. **Habebant loricas igneas.** Id est muniebant eos sententiis de quibus sequitur æterna pœna, ubi est ignis et fetor et fumus. **Vel habebant loricas igneas**, id est æternam pœnam, quæ nunquam dimittit quos accipit. **Tanquam capita leonum.** Superius in plaga locustarum vidit facies hominum, hic leonum: quia hæretici aliquid humanitatis ostendunt, ministri autem Antechristi, quod docebunt dictis et signis hoc etiam pœnis cogent confiteri. **Procedebat ignis.** Causa æternæ pœnæ. **Vel ignis**, id est cupiditas; **fumus**, id est superbia; **sulphur**, id est fetor malorum operum. **Fumus et sulphur.** Cæci sunt et in tenebris positi, propter fetorem vitiorum et malorum operum.

quæ procedebant de ore ipsorum.^{§§ 19} Potestas enim equorum in ore eorum est, et in caudis eorum, nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita: et in his nocent.*²⁰ Et ceteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia, et simulacra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare,²¹ et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis.

10 Et vidi alium angelum fortem descendentem de cælo amictum nube, et iris in capite ejus, et facies ejus erat ut sol, et pedes ejus tamquam columnæ ignis:[†] ² et habebat in manu sua libellum apertum: et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram:[‡] ³ et clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.[¶] ⁴ Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram: et audivi vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua: et noli ea scribere.[§] ⁵ Et angelus, quem vidi stantem super mare et super terram, levavit manum suam ad cælum:^{**} ⁶ et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cælum, et ea quæ in eo sunt: et terram, et ea quæ in ea sunt: et mare, et ea quæ in eo sunt: Quia tempus non erit amplius:^{††} ⁷ sed in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere,

§§9.18 *Occisa est tertia pars.* Id est, omnes reprobi de Ecclesia, et similiter omnes Judæi vel pagani, qui nunquam fuerunt baptizati, nec ab Ecclesia separati.

*9.19 *Similes serpentibus.* Qui blandiuntur facie, et occulte immittunt venenum.

†10.1 *Et vidi alium angelum fortem.* Quia fortis armatus fortem diabolum exsuperavit. *De cælo.* Id est cognitione angelorum. *Amictum nube.* Id est, se humiliantem assumptione carnis, vel quia cognoscibilem fecit. Latentem in carne, quæ est nobis refrigerium contra vitia. *Et iris in capite.* Qui veram de Deo habet cognitionem, reputat eum Deum esse. *Tanquam columna ignis.* Illi in quibus vere lucet imago Dei, ut in contemplativis, vel prædicatio.

‡10.2 *Et habebat in manu sua libellum apertum.* Id est omnes Scripturas operatione sua completas, partim prædicando, partim quæ de se dicta erant, complendo: tandem suis sensum aperiendo. *Pedem suum.* Id est portatores firmos in fide et sustentantes alios. *Sinistrum autem super terram.* Id est super eos, qui quoquo modo sustentabant etsi non credebant. Hoc est: posuit majores et firmiores prædicatores super majores peccatores, minores super minores.

¶10.3 *Quemadmodum cum leo rugit.* Vox leonis ostendit ejus virtutem et infert terrorem. Cum leo cauda circa silvam sulcum fecerit et rugit, nulla ferarum audet exire: ita Christus suos in fide concludens, rugit ne aliquis exeat.

§10.4 *Scripturus eram.* Hic fert personam eorum qui Antichristi tempore volent prædicare ex præcedentium imitatione. *Signa quæ locuta:* inspirationem divinam, vel angelicam admonitionem.

**10.5 *Levavit manum suam ad cælum.* Cum tanta desolatio erit in Ecclesia, quod etiam prædicatio erit ablata; ne fideles desperent, audiunt pro sua consolatione, non ad detrimentum suæ salutis prædicationem subtrahi.

††10.6 *Juravit,* etc. Et per hoc firmiter statuit, quia Deus erat: *Nam si Christus resurrexit, et nos resurgemus* I Cor. 15.. *Et ea quæ in illo.* Cum dicis: *Creavit ea quæ in eo sunt,* hæresim quorundam destruxit, qui astruunt res quasdam non creatas a Deo, sed a dæmone ut bufonem. *Tempus amplius non erit.* Id est nulla varietas, sed æterna stabilitas, animarum immortalitas. Hoc illi ultimi considerantes, patientur libenter.

consummabitur mysterium Dei sicut evangelizavit per servos prophetas.† 8 Et audivi vocem de cælo iterum loquentem mecum, et dicentem: Vade, et accipe librum apertum de manu angeli stantis super mare, et super terram.¶ 9 Et abii ad angelum, dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, et devora illum: et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel. §§ 10 Et accipi librum de manu angeli, et devoravi illum: et erat in ore meo tamquam mel dulce, et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus: * 11 et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis. †

11 Et datus est mihi calamus similis virgæ, et dictum est mihi: Surge, et metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo: ‡ 2 atrium autem, quod est foris templum, ejice foras, et ne metiaris illud: quoniam datum est gentibus, et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus: ¶ 3 et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. § 4 Hi sunt duæ olivæ

‡10.7 *Consummabitur mysterium.* Tempore Antichristi, tanta erit persecutio quod prohibebitur illis qui erunt tempore ipsius prædicatio, quamvis prædicare velint, etiamsi ex antecessoribus suis habituri sint officium prædicandi; alii autem idem prædicaverunt, quia a Christo ad hoc instituti fuerunt. Christus vero eos instituit, quia tunc tempus prædicandi erat, et ipse ad hoc venerat, sed modo vide destructionem temporis Antichristi contrariam destructioni quam Christus fecit, et per hoc perpende prædicationem merito subtrahi. *Mysterium Dei.* Id est remuneratio sanctorum, quod est secretum, quod *nec oculus vidit, nec auris audivit* I Cor. 2..

¶10.8 *Sicut evangelizavit.* Intentio prophetarum prima fuit de adventu Domini, et de consummatione sæculi.

§§10.9 *Et audivi.* Quasi dicat: Ostensa destructione quæ erit tempore Antichristi, et inde etiam prædicatione subtracta, et ob hoc fidelibus consolatione adhibita, moneatur quæ vidit interim prædicare, quasi dicatur aperte sibi: Ecce revelavi tibi omnia, modo vade et prædica, nec quia sunt aspera, devita: nec terrearis pro tribulatione aliqua, quia non tanta patieris quanta patientur qui perseverabunt tempore Antichristi. Hoc ad consolationem præsentis Ecclesiæ hic apponitur, ubi major tribulatio pronuntiatur. *Vade.* Quod bene sciebat, intelligere monetur, ut per admonitionem alii prædicaturi informentur. *Stantis super mare.* Hoc dicit, quia implere grave est humanitati, quæ est mollis et fragilis.

*10.10 *Et abii.* Hoc dicit, quia Deus si quem paratum videt, quod necessarium est sponte offert. *Ad angelum.* Id est ad Scripturam a Deo completam, a fidelibus intimatam.

†10.11 *Et dixit mihi: Oportet,* etc. Cum ego librum reciperem, licet amara intelligerem, monuit ut nec pro morte dimitterem.

‡11.1 *Metire.* Id est ita secundum uniuscujusque capacitatem prædica, ut constituas Ecclesiam et in ea altare, etc.

¶11.2 *Atrium.* Id est falsos Christianos, qui se Ecclesiam simulant, sed factis abnegant. *Civitatem sanctam.* Id est Ecclesiam ad juste vivendum congregatam, et virtutibus imbutam persequentur mensibus quadraginta duo, id est tribus annis et dimidio, quibus regnabit Antichristus; quasi dicat: Sciatis omnes persecutiones quæ sunt in præsentī, et quæ fuerunt in præterito ab Antichristo procedere, sicut illas quæ erunt in tempore suo.

§11.3 *Et dabo duobus.* Quasi dicat: Cum minor est tribulatio, non debetis cessare, quia tempore quo gravior fuerit, faciam illos prædicare. *Duobus testibus.* De Elia et Enoch agitur, per quos prædicatores alii intelliguntur. *Diebus mille.* Nota quod hi dies non perficiunt tres annos et dimidium, sicut et Christus non complevit dimidium annum prædicationis suæ supra triennium.

et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. ⁵ Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum: et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. ⁶ Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluatur diebus prophetiæ ipsorum: et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint. ^{** 7} Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abyssu, faciet adversum eos bellum, et vincet illos, et occidet eos. ⁸ Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. ^{†† 9} Et videbunt de tribubus, et populis, et linguis, et gentibus corpora eorum per tres dies et dimidium: et corpora eorum non sinent poni in monumentis: ¹⁰ et inhabitantes terram gaudebunt super illos, et jucundabuntur: et munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant super terram. ^{‡‡ 11} Et post dies tres et dimidium, spiritus vitæ a Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos. ^{¶¶ 12} Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cælum in nube: et viderunt illos inimici eorum. ^{§§ 13} Et in illa hora factus est terræmotus magnus, et decima pars civitatis cecidit: et occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia: et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cæli. ^{* 14} Væ secundum abiit: et ecce væ tertium veniet cito. ¹⁵ Et septimus angelus tuba cecinit: et factæ sunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum. Amen. ^{† 16} Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et

^{** 11.6} *Super aquas.* Id est super doctrinas, quæ sunt fidelibus aquæ irrigantes. *In sanguinem,* etc. In peccatum, vel cum audita negligitur, vel cum audiri etiam contemnitur.

^{†† 11.8} *Ægyptus.* Id est tenebrosa sine cognitione Dei.

^{‡‡ 11.10} *Et munera mittent.* Id est dona, litteraliter: vel congratulationes et confabulationes ad invicem de eis loquentes.

^{¶¶ 11.11} *Et post dies.* Ostensa tribulatione eorum, per quorum exemplum angelus Joannem invitabat ad prædicandum, etsi necesse fuerit ad compatiendum: ostendit tamen et ipsorum coronas, ut similiter istum Joannem, vel quemlibet alium de corona sua pro modo suo certum faciat. *Super pedes.* Id est super seipsos qui prius fuerunt indigentes aliquo quo nitantur, sed erunt tunc firmi.

^{§§ 11.12} *Vocem magnam.* Quæ illos refrigeret, et inimicos terreat.

^{* 11.13} *Terræmotus magnus.* Id est terreni moti sunt, ut puniantur in inferno; vel ad destructionem Ecclesiæ occisis magistris. *Et decima pars.* Id est homo, qui ad hoc constitutus videtur, ut decimus ordo restauretur. *Occisa sunt in terræmotu.* Omnino destructa in inferno, vel postea non resipuerunt. *Gloriam Deo.* Id est laudes Deo de justorum salvatione et malorum damnatione.

^{† 11.15} *Et septimus angelus,* etc. Sex tubæ priores, sæculi præsentis ætatibus comparatæ, varios bellorum Ecclesiæ denuntiavere concursus; septima vero sabbati æterni nuntia, victoriam tantum et imperium veri Regis indicat. *Factum.* Qui prius vilis erat et abjectus jam regnat, coronans bonos, et malos condemnans. *Et regnabit.* Id est permanebit regnum ipsius in sempiternum, non ut quidam hæretici putant sanctos post definitum tempus in mundi vitam redituros.

adoraverunt Deum, dicentes:[‡] 17 Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti. 18 Et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua et tempus mortuorum judicari, et reddere mercedem servis tuis prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum pusillis et magnis, et exterminandi eos qui corruerunt terram.[¶] 19 Et apertum est templum Dei in cælo: et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, et facta sunt fulgura, et voces, et terræmotus, et grandio magna.[§]

12 Et signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.^{**} 2 et in utero habens, clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat.^{††} 3 Et visum est aliud signum in cælo: et ecce draco magnus rufus habens capita septem, et cornua decem: et in capitibus ejus diademata septem,^{‡‡} 4 et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, et misit eas in terram: et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret.^{¶¶} 5 Et peperit filium masculum, qui rectorus erat omnes gentes in virga ferrea: et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus,^{§§} 6 et mulier fugit in solitudinem ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam

[‡]11.16 *Et viginti quatuor seniores.* Non tantum minores ita glorificant Deum, sed etiam majores. *Ceciderunt in facies.* In faciem cadit qui in hac vita culpam agnoscit, eamque pœnitendo deflet. Retro cadit qui in hac vita repente decidit, et ad quæ supplicia ducatur nescit.

[¶]11.18 *Qui corruerunt terram.* Id est seipsos per malam operationem, et alios per malum exemplum.

[§]11.19 *Et apertum est.* In hac quarta visione habes materiam bene ornatam et bona auxilia habentem, scilicet de pugna Ecclesiæ quæ a diabolo impugnatur et aperte et occulte, et in omnibus his ostendit Joannes eam superare per quod maxime armat fideles ne deficiant in aliqua tribulatione. De pugna ergo Ecclesiæ pendet cognitio ex tertia visione, quæ est de injuncto officio prædicandi. Apertum est templum Dei, id est, datus est Spiritus sanctus, per quem mysteria Ecclesiæ, quæ per secundum tabernaculum figurabantur, revelata sunt fidelibus. *Arca.* Christus est arca in quo omnes thesauri sapientiæ absconditi, qui complevit Vetus Testamentum et instituit Novum. *Et grandio magna.* Id est quibusdam visa est prædicatio intolerabilis.

^{**}12.1 *Et signum.* Et ex his vidi istud procedere, scilicet fidei gratiam, id est quiddam magnum significantem. Hic facit mentionem de revelatione mysteriorum quæ fuerunt in secunda visione, et de injuncto officio prædicationis, quod habuimus in tertia, ut istam quartam quæ de pugna Ecclesiæ et diaboli est, ex his duabus, id est secunda et tertia, ostendat pendere. *Luna sub pedibus.* Licet mundanis sustentetur Ecclesia, ea tamen non affectat. *Et in capite ejus corona,* etc. Id est duodecim apostoli, quibus mundus creditit, vel in quibus mundum vicit Ecclesia.

^{††}12.2 *Cruciatur ut pariat.* Prædicando, adversa patitur. Vel cruciatur a seipsa, id est carnem suam macerat, ut prædicatio sit idonea.

^{‡‡}12.3 *Draco magnus.* Non de magno effectu, sed de potentia et superbia draconis loquitur. *Et cornua decem,* etc. Id est regna et divitias quibus principes decalogum legis impugnant.

^{¶¶}12.4 *Et cauda.* Id est deceptiones, quibus celant vitia, ut cauda celantur turpia. *Stellarum.* Id est illorum qui illuminant Ecclesiam doctrina, non vita. *Stetit ante mulierem.* Quæ patiebatur dolorem, per quod credebat cito cesseram. Per passionem credebat diabolus Ecclesiam subjugatam. *Devoraret.* Paratus erat draco ad devorandum; sed non potuit, quia natus est qui prohibuit.

^{§§}12.5 *Et peperit.* Carnali generatione, Christus de Abraham et David præcessit; vel peperit Ecclesia filium, id est fidem Christi in cordibus auditorum.

diebus mille ducentis sexaginta.* ⁷ Et factum est praelium magnum in caelo: Michael et angeli ejus praeliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus:† ⁸ et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in caelo.‡ ⁹ Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et Satanas, qui seducit universum orbem: et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. ¹⁰ Et audivi vocem magnam in caelo dicentem: Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrorum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.¶ ¹¹ Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. ¹² Propterea laetamini caeli, et qui habitatis in eis. Vae terrae, et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.§ ¹³ Et postquam vidit draco quod projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quae peperit masculum: ¹⁴ et datae sunt mulieri alae duae aquilae magnae ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus et tempora, et dimidium temporis a facie serpentis.** ¹⁵ Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tamquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine. ¹⁶ Et adjuvit terra mulierem, et aperuit terra os suum, et absorbit flumen, quod misit draco de ore suo.†† ¹⁷ Et iratus est draco in mulierem: et abiit facere praelium cum reliquis

*12.6 *Diebus mille.* Id est toto tempore quo subsistit Ecclesia praedicatione Christi tribus annis et dimidio facta.

†12.7 *Michael et angeli ejus praeliabantur.* Ecclesiam sustentantes orando, auxilium ferendo.

‡12.8 *Non valuerunt.* Remove re auxilia angelorum, quia non poterunt Ecclesiam ducere in peccatum.

¶12.10 *Et audivi vocem.* Cum ostendisset diabolus in hoc certamine occulto ab Ecclesia victum auxilium filii et angelorum, subjungit exultationes angelorum ipsorum, vel sanctorum animarum de victoria fratrum, ut laborent vincere qui de victoria sua angelos vel sanctas animas audiunt exultare. *Accusabat illos.* Officium diaboli est accusare, id est per peccatum accusabiles reddere. *Die ac nocte.* In prosperis delectando, in adversis contristando.

§12.12 *Descendit diabolus.* De caelo: vel de minoribus sanctis, in quibus jam non habet locum tentatio. *Sciens quod modicum tempus habet.* Quia videt multos sibi subtrahi, et in locum suum substitui. *Et postquam vidit.* Cum vidit diabolus se per occultam fraudem non posse proficere, aperta tribulatione aggreditur expugnare. *Et datae sunt mulieri,* etc. Quae etiam contra apertam tribulationem habet auxilium ab eodem filio a quo habebat contra occultam impugnationem.

**12.14 *Aquilae.* Illi dicuntur aquilae, qui per conversationem vitae caelum petunt, et ideo in Deo fixum habent intuitum. *Per tempus, et tempora,* etc. Si accipitur illius Ecclesiae status quae erit tempore Antichristi, dicitur aliter *per tempus et tempora et dimidium,* etc., pro praedicatione Heliae et Enoch; si generalis Ecclesiae tempus accipitur, dicitur *per tempus, et tempora, et dimidium,* etc., aliter pro praedicatione Christi facta tribus annis et dimidio, quia Christi praedicatione pascitur Ecclesia quotidie.

††12.16 *Et adjuvit terra mulierem.* Id est Christus Ecclesiae suae dedit vires patiendi. *Et aperuit,* id est praeparavit, et idoneam se fecit, ut reciperet quidquid sibi inferrent, ad similitudinem os aperientis. Hoc Christus in passione sua fecit, in quo suis exemplum patiendi se proposuit. *Absorbuit,* id est, omnes poenas in se destruxit, factus immortalis et impassibilis, quod idem facit in suis.

de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu Christi.‡‡

¹⁸ Et stetit supra arenam maris.¶¶

13 Et vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem, et cornua decem, et super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomina blasphemiarum.‡‡ ² Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, et pedes ejus sicut pedes ursi, et os ejus sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, et potestatem magnam. ³ Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem: et plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam.* ⁴ Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiae: et adoraverunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiae? et quis poterit pugnare cum ea? ⁵ Et datum est ei os loquens magna et blasphemias: et data est ei potestas facere menses quadraginta duos. ⁶ Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos qui in caelo habitant.† ⁷ Et est datum illi bellum facere cum sanctis, et vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem, ⁸ et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina in libro vitae Agni, qui occisus est ab origine mundi.‡ ⁹ Si quis habet aurem, audiat. ¹⁰ Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia, et fides sanctorum.¶ ¹¹ Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia Agni, et loquebatur sicut draco.‡ ¹² Et potestatem prioris bestiae

‡‡12.17 *Iratus est draco in mulierem.* Quia licet non possit eam devincere, non tamen desistit invidere, et locum invadendi quaerere.

¶¶12.18 *Et stetit.* Non tamen omnes illos vicit minores, sed tantum super arenam, id est, in fructuosos moram fecit, in quibus apparent signa vestigii.

‡‡13.1 *Et vidi,* etc. Bestia hæc spiritualiter est Antichristus, vel generaliter tota collectio malorum. *Capita septem et cornua decem.* Ad hoc ut bene posset istos vincere, talem familiam sibi instituit. *Nomina blasphemiarum.* Variis hæresibus erat bestia plena, vel variis simulationibus occultans vitia.

*13.3 *Quasi occisum.* Simulabit se Antichristus mortuum, et per triduum latens post apparebit, dicens se suscitatum. *Et plaga mortis ejus curata est.* Arte magica ascendet in æra, ferentibus eum dæmonibus, et sic curabitur *plaga mortis ejus*, quia prius mortuus credebatur, post vivens reputabitur.

†13.6 *Et aperuit os suum.* In tantam fiduciam prorupit, ut quod occulte ante, jam tunc publice audeat blasphemare. *Et tabernaculum.* Id est omnem institutionem ejus, per quam laudabilis apparet.

‡13.8 *Occisus est ab origine mundi,* in suis, ut in Abel. Vel quia ante omnia dispositum est, quod in fine temporum occideretur. Vel occisus est in agno mystice quem Abel obtulit, vel in ipso Abel a fratre occiso præfiguratus est.

¶13.10 *Qui in captivitatem.* Qui captivat homines nunc a fide, tandem a salute, scilicet Antichristus, vel ipse diabolus. *Qui in gladio occiderit.* Antichristus et sui occident gladio materiali et persuasionis, et peribunt gladio æterni judicii. *Hic est,* etc. Id est, patientiam et fidem sancti tenebunt, quia, illo destructo, sciunt se remunerandos. Respiciendo pœnam malorum et remunerationem bonorum, patientes fiunt et fidem tenent.

‡13.11 *Et vidi.* Descripta tribulatione quæ erit per Antichristum, et suos participes, subjungit aliam quæ fiet per suos apostolos quos ipse per totum mundum sparget. *Cornua.* Quia simulabunt se habere innocentiam, et puram vitam, et veram doctrinam, et miracula, quæ Christus habuit et suis dedit; vel, duo Testamenta sibi usurpabunt. *Et loquebatur sicut draco.* Id est pseudoapostoli ita loquentur, sicut diabolus in Antichristo erat locutus.

omnem faciebat in conspectu ejus: et fecit terram, et habitantes in ea, adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis.**¹³ Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum.††¹⁴ Et seduxit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestię, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestię, quæ habet plagam gladii, et vixit.¹⁵ Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestię, et ut loquatur imago bestię: et faciat ut quicumque non adoraverint imaginem bestię, occidantur.‡‡¹⁶ Et faciet omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis:¶¶¹⁷ et nequis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestię, aut numerum nominis ejus.§§¹⁸ Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestię. Numerus enim hominis est: et numerus ejus sexcenti sexaginta sex.*

14 Et vidi: et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in

**13.12 *Et potestatem*, etc. Quia in omnibus caput suum sibi præponebant Antichristum. *Terram*. Id est terrenos, et in amore terræ perseverantes; vel: *terram* secundum corpus, *habitantes in ea* secundum animam. *Adorare*. Quia et hi, simulata resurrectione, prædicationis suæ faciunt tumentum, sicut et apostoli Christi fecerunt.

††13.13 *Ignem*, id est malignum spiritum super suos faciet descendere, ut loquantur variis linguis. Ut apostolis datus est Spiritus sanctus in specie ignis, et sic illi dabunt spiritum malignum in specie ignis. *In conspectu*. Ut omnes videre possint cum apostoli Spiritum sanctum in conclavi acceperint.

‡‡13.15 *Ut loquatur imago*. Hic magica arte faciet statuum loqui et futura prædicere.

¶¶13.16 *Habere characterem*, etc. In manu et in fronte ponent signa, ut omnes confiteantur suum esse Deum verbo et opere.

§§13.17 *Numerum*. Id est qui exspectant ab eo remunerationem eo minorem, vel mediocrem, vel maximam.

*13.18 *Qui habet*. Cum liber præsens Græce sit editus, secundum Græcos numerus est quærendus apud quos omnes litteræ numerum significant. Nomen ejus *Antemos* quod ei competit, qui Christo contrarius dicitur: *A*, unum; *N*, quinquaginta; *T*, CCCC; *E*, quinque; *M*, quadraginta; *O*, septuaginta; *S*, CC. Vel *Arnoyme*, id est nego, qui Christum negat Deum, in quo idem numerus: *A*, unum; *R*, CC; *N*, quinquaginta; *O*, LXX; *Y*, CCCC; *M*, XL; *E*, quinque. Vel *Teian*, id est sol gigas, quod vero Christo, usurpative convenit Antichristo: *T*, CCC; *E*, quinque; *I*, X; iterum *T*, CCC; *A*, unum; *N*, *L*. Vel Latinis litteris: *Di-clux*, quia ipse se lucem esse dicet: *D*, quingenti; *I*, unum; *C*, centum; *L*, quinquaginta; *V*, quinque; *X*, decem; et sic eadem summa. Sex primus perfectus numerus est, et significat illos minus perfectos qui conjugati sunt, et pro modo suo decem præcepta servant. Sexaginta significat mediocriter perfectos, qui, dimissis legalibus conjugis in castitate permanent, et iterum decem præcepta pro modo suo complent. Centum significat perfectissimos qui mentis et corporis integritatem non violant et decem præcepta perfectissime servant. *Hi reddunt fructum, alii tricesimum, alii sexagesimum, alii centecimum*. Et discipuli Antichristi tunc dicent neminem posse salvari, nisi Antichristo obtulerint aliquem de fructibus illis.

frontibus suis.[†] ²Et audivi vocem de cælo, tamquam vocem aquarum multarum, et tamquam vocem tonitruum magni: et vocem, quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis.[‡] ³Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores: et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.[¶] ⁴Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, et Agno:[§] ⁵et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei. ⁶Et vidi alterum angelum volantem per medium cæli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum:^{**} ⁷dicens magna voce: Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora iudicii ejus: et adorete eum, qui fecit cælum, et terram, mare, et fontes aquarum.^{††} ⁸Et alius angelus secutus est dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna: quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes.^{‡‡} ⁹Et tertius angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adoraverit bestiam, et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua:^{¶¶} ¹⁰et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, et cruciabitur igne, et sulphure in conspectu angelorum

[†]14.1 *Et vidi: et ecce Agnus stabat.* Ostensa gravissima persecutione, quam patietur Ecclesia ab Antichristo et ejus apostolis, nunc ostendit qualem habeat adiutorem, et qualem ipse habeat familiam, ut magis electos afflictos consoletur. *Centum quadraginta*, etc. Id est in virginitate perfectissimos, in fide trinitatis ex quatuor mundi partibus collectos.

[‡]14.2 *Tonitruum.* Quia terret eos qui ad consortium suum venire suffugiunt. *Citharædorum.* Quia ipsi ad hoc se instituerunt, ut extenderent sua corda devota super lignum crucis. *Citharizantium.* Quod ex officio habebant, opere implebant.

[¶]14.3 *Et cantabant.* Id est de integritate animæ et corporis exsultabunt: quod gaudium nunquam eis veterascet, sed semper est eis ut novum.

[§]14.4 *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt.* Id est quos ad hoc ut essent virgines sanguis Christi elevavit. *Ex hominibus primitiæ*, etc. Ut ex grege optimus equus, vel ex fructibus primitiæ.

^{**}14.6 *Et vidi.* Descripta impugnatione facta per duas bestias, suppositoque auxilio Agni et dignitate familiæ ejus ostensa, subjungitur admonitio, ut ad hanc familiam accedant, et comminatio, ut ab alia declinent. *Alterum angelum.* Id est prædicatores qui sunt alteri a Christo, id est vicem ejus exsequentes. *Per medium cæli.* Per catholicam Ecclesiam, quam verbis et exemplis secum trahunt. *Evangelium æternum.* Id est prædicationem æternam promittentem, et sui observatores ad æternitatem ducentem.

^{††}14.7 *Timete Dominum*, etc. Bene operando, et bene de eo annuntiando, ut per vos gloriosus appareat. *Quia venit.* Quasi dicat: Non deficiatis, quia non longo tempore patiemini.

^{‡‡}14.8 *Et alius angelus secutus est eum.* Hoc dicit, quia prædicatores sibi invicem succedunt. *Cecidit.* Bis positum vocabulum *cecidit*, infinitatem significat, in quo omnimoda destructio intelligitur. *Vino iræ fornicationis.* Id est vitii, et præcipue idololatria, quæ est dulcis potus peccantibus, quibus ipsi alios inquinant, et, ne recto tramite gradientur, inebriant; unde debetur eis ira Dei. Purum vinum bibitur, dum flagellat Deus hic ad emendationem: turbidum, dum infertur æterna damnatio.

^{¶¶}14.9 *Et angelus tertius.* Tres ponit pro fide Trinitatis, cum tria hæc in eadem persona possint considerari.

sanctorum, et ante conspectum Agni:^{§§ 11} et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam, et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus.*¹² Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu.^{† 13} Et audivi vocem de cælo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.^{‡ 14} Et vidi: et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam.^{¶ 15} Et alius angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam, et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ.^{§ 16} Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, et demessa est terra.¹⁷ Et alius angelus exivit de templo, quod est in cælo, habens et ipse falcem acutam.¹⁸ Et alius angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem: et clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ sunt uvæ ejus.**¹⁹ Et misit angelus falcem suam acutam in terram, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ

^{§§}14.10 **Quod mistum.** Quasi dicat: Qui non corrigitur vindicta ejus ad correctionem data, punietur æterna pœna. **In calice.** Calix est vindicta Dei, ubi desuper merum quod ad correctionem hic vindicat, subtus est fæx, id est damnatio in ultimis. Bibent impii de vino, id est de fæce: quod vinum quia vult ad comparisonem meri ostendere turbidum, addit quod mistum est.

^{*}14.11 **Et fumus tormentorum.** Quod quædam de damnatione malorum numerat, non dicit pro damnatione describenda: sed tantum pro terrore inferendo illis quos deterret ab eorum consortio. **Ascendet in sæcula.** Cum dicit: **ascendet in sæcula**, notat æternam pœnam continuari. **Nec habent requiem.** Quasi: Non mirum si illi qui Antichristum adoraverunt tempore ipsius punientur, quia sui etiam præcedentes ministri eamdem pœnam habebunt.

[†]14.12 **Hic patientia,** etc. Id est hic debent patienter pati sancti, ne veniant ad æternam pœnam.

[‡]14.13 **Opera.** Id est mercedes operum quæ sequuntur. Quasi: Dum in mundo erant, majores tribulationes ad majorem coronam ingruebant: unde adeo abjecti reputabantur, sed jam nihil patientur.

[¶]14.14 **Et vidi.** Ostensa remuneratione bonorum, per quod invitabat ad consortium eorum, supponit damnationem impiorum, ut per terrorem ducat ad idem propositum. **Similem Filio hominis.** Quia non jam vere erat Filius hominis, qui immortalis.

[§]14.15 **Angelus.** Id est sancti, qui usque huc fuerant in fidelibus occulti, in claritate apparebunt judicaturi, orantes cum desiderio, ut Deus separationem faciat bonorum et malorum. **Exivit de templo.** Exire dicuntur sancti de templo, cum jam apparent non quales olim fuerant, sed quales in æternum mansuri. **Quia venit hora,** etc. Quia jam est opportunitum, cum completus sit numerus tuorum.

^{**}14.18 **Et alius angelus,** etc. Cum sanctus Joannes ostendisset Deum potestatem judicandi habentem a sanctis implorari, et sic iudicium fieri, ostendit eamdem potestatem sanctos habere, et Christum ut iudicent imperare, et illos imperio obedire. **Alius angelus,** id est Christus, qui occultus et vilis fuerat, in fidelibus clarus apparuit, et veniens est altari, id est de loco secretiori, quod nunquam alii sancti, solus enim Christus est cognitus ab omnibus Deo consubstantialis. **Mitte falcem.** Per messem terræ et uvas vineæ, eorumdem malorum damnatio intelligitur; sed tamen per vineam illos determinatius habemus qui majori studio mala operabantur, sicut vineæ, ut fructificet major cura quam terræ adhibetur.

Dei magnum:†† 20 et calcatus est lacus extra civitatem, et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.‡‡

15 Et vidi aliud signum in cælo magnum et mirabile, angelos septem, habentes plagas septem novissimas: quoniam in illis consummata est ira Dei.¶¶ 2 Et vidi tamquam mare vitreum mistum igne, et eos, qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei:§§ 3 et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, dicentes: Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.* 4 Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es: quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.† 5 Et post hæc vidi: et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cælo,‡ 6 et exierunt septem angeli habentes septem plagas de templo,

††14.19 *Et misit in lacum,* etc. Unde Propheta: Lacus ubi non erat aqua, id est refrigerium.

‡‡14.20 *Et exivit sanguis.* Æterna pœna pro peccato sanguinis, non autem vinum quod est in cellario Dei ponitur. *Usque ad frenos equorum,* id est usque ad ipsos rectores iniquorum puniendos, scilicet diabolos. *Per stadia.* Omnes intellige ludis mundi, id est vitii detentos, qui vel simpliciter in hoc sunt perfecti, quod per sex habemus; vel perfectiores, quod per centum; vel perfectissimi, quod per mille.

¶¶15.1 *Et vidi,* etc. In his tribus visionibus supradictis, id est revelatione mysteriorum, datione tubarum, et in pugna mulieris contra diabolum, a principio redemptionis prosecutus est ordinem usque ad diem judicii: in his vero tribus sequentibus, circa ultima tempora immoratur, quia de his præcedentibus in aliis divinis Scripturis dictum enucleatius, de illis vero parum et occultius. In hac ergo quinta visione, materia sunt septem angeli tenentes phialas, in quibus continentur plagæ, id est destructiones iniquorum qui tempore Antichristi erunt, quæ destructio maxime hortatur præsentis ad patiendum. In sequentibus ponit visiones tres, cum quatuor sint supradictæ. Sed omissa prima, quæ fuit de correctione ecclesiarum, de aliis tribus dicit, consideratione tamen. *Et mirabile.* Mirum est hominem habere tantam potestatem, ut alios possit damnare. *Plagas septem,* id est omnes, excæcationem et destructionem illorum qui tempore Antichristi erunt. *Quoniam in illis.* Vere *plagas* habebunt, quia iram Dei super iniquos exercebunt, et vere *novissimas,* quia in mundo post eas non inferet Deus alias.

§§15.2 *Tanquam mare vitreum mistum igne.* Id est baptismum, ubi fidei puritas exigitur, et homines a vitiiis mundantur. *Habentes citharas,* id est mortificantes carnem, quod Deus eis injunxit, vel quod prior ipse fecit.

*15.3 *Canticum Moysi.* Id est veterem legem, et est exsultatio bene intelligentibus, id est spiritualiter. *Viæ,* id est institutiones Dei, per quas nos ad Deum, vel ipse ad nos venit, sunt *justæ,* quia unicuique pro merito reddunt; et *veræ,* quia perducunt quo promittunt.

†15.4 *Judicia tua,* etc. Quod quosdam eligis, quosdam reprobas, ut cognoscant fideles esse ex justitia.

‡15.5 *Et post hæc.* Cum ostendissent illos angelos habere potestatem plagandi, dicitur quas plagas illi sunt illaturi, prius proponit causam qua ostendit illos dignos esse qui plagas sunt passuri, scilicet quia omnia mysteria Ecclesiæ sunt revelata omnibus volentibus intrare, quæ isti malo merito suo non possunt intelligere. *Apertum est templum,* id est revelata sunt mysteria Ecclesiæ, in qua Deus habitat, et ad honorem Dei militat.

vestiti lino mundo et candido, et præincti circa pectora zonis aureis.[¶] ⁷ Et unum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum.[§] ⁸ Et impletum est templum fumo a maiestate Dei, et de virtute ejus: et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem angelorum.**

16 Et audivi vocem magnam de templo, dicentem septem angelis: Ite, et effundite septem phialas iræ Dei in terram. ² Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram, et factum est vulnus sævum et pessimum in homines, qui habebant caracterem bestię, et in eos qui adoraverunt imaginem ejus.^{††} ³ Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tamquam mortui: et omnis anima vivens mortua est in mari.^{‡‡} ⁴ Et tertius effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis.^{¶¶} ⁵ Et audivi angelum aquarum dicentem: Justus es, Domine, qui es, et qui eras sanctus, qui hæc judicasti:^{§§} ⁶ quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.^{*} ⁷ Et audivi alterum ab altari dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua.[†] ⁸ Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu affligere homines, et igni: ⁹ et æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt poenitentiam ut darent illi gloriam.[‡] ¹⁰ Et quintus angelus effudit phialam suam super

[¶]15.6 *Et exierunt.* Et quia ita aperta erant, exhibunt prædicatores et reprehendent male operantes.

[§]15.7 *Et unum.* Quia quod illi prædicabunt ex institutione priorum patrum habebunt, qui omnes unus dicuntur, quia unum docent. *Iracundiæ*, id est iræ: quia corrigunt, corripunt, iram Dei peccantibus minantur, aliquando etiam excommunicant.

** 15.8 *Fumo a maiestate*, etc. Quamvis tunc omnia erunt ita aperta fidelibus, tamen ipsa erunt clausa obscura infidelibus. *Introire*, id est intelligere illud occultum Dei iudicium, quare alios elegit, alios reprobat, donec in fine mundi aperte cognoscent sancti. Vel, introire interim in Ecclesiam, donec completa sit omnimoda damnatio malorum in iudicio, quia postea constat non intraturos.

^{††}16.2 *Vulnus.* Inobedientia est causa quare vulnus illud fiat.

^{‡‡}16.3 *Et factus est sanguis.* Id est damnatio ejus illata est pro sanguine quem effuderunt. *Sanguis*, id est, damnatio illa erit *tanquam mortui*, id est irrevocabilis; sicut enim mortuus non redit ad vitam, sic illa sententia damnationis non revocabitur. *Omnis anima vivens.* Omnes consentientes, qui vivere videntur, non quia aperte sequuntur, sed propter consensum damnabuntur.

^{¶¶}16.4 *Super flumina*, etc. Quia similiter isti damnabuntur pro sanguine quem fuderunt, vel corporaliter, vel spiritualiter.

^{§§}16.5 *Audivi.* Id est intellexi ipsos prædicatores qui hanc vindictam facient, non sibi sed Domino attribuentes et juste fieri confirmantes. *Qui es et qui eras.* Venturum non ponit, quia in proximo venturum intellexit.

^{*}16.6 *Et sanguinem eis dedisti bibere.* Id est, æternam poenam pro effusione sanguinis, in qua promerenda sunt delectati.

[†]16.7 *Et audivi.* Quod magistri dicunt, discipuli confirmant. *Etiam, Domine Deus omnipotens*, etc. Ex magna affectione convertunt sermonem ad Deum. *Justa.* Justum enim est ut qui sanguinem fudit bibat vindictam sanguinis.

[‡]16.9 *Et æstuaverunt.* Vel afflicti afficient tortores æstu iracundiæ, dum invenientur inseparabiles, et sic æstuaverunt invidia et ira. *Neque egerunt.* Interius poenitentes dolebant, extra confiteri non audebant.

sedem bestiae: et factum est regnum ejus tenebrosum, et manducaverunt linguas suas prae dolore:[¶] 11 et blasphemaverunt Deum caeli prae doloribus, et vulneribus suis, et non egerunt poenitentiam ex operibus suis. 12 Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten: et siccavit aquam ejus, ut praeberetur via regibus ab ortu solis.[§] 13 Et vidi de ore draconis, et de ore bestiae, et de ore pseudoprophetae spiritus tres immundos in modum ranarum.^{**} 14 Sunt enim spiritus daemoniorum facientes signa, et procedunt ad reges totius terrae congregare illos in praedium ad diem magnum omnipotentis Dei.^{††} 15 Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus. 16 Et congregabit illos in locum qui vocatur hebraice Armagedon.^{‡‡} 17 Et septimus angelus effudit phialam suam in aërem, et exivit vox magna de templo a throno, dicens: Factum est.^{¶¶} 18 Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terræmotus factus est magnus, qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt super terram: talis terræmotus, sic magnus.^{§§} 19 Et facta est civitas magna in tres partes: et civitates gentium ceciderunt. Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini

[¶]16.10 *Super sedem bestiae.* Hoc dicit, quia ii sunt tantum corpora, et non spiritus: super quos sedebit, quia corporalia et non spiritualia dabit, *Commanducaverunt*, etc. Mutua detractio se omnes reficientes.

[§]16.12 *Præberetur via.* Quia, finito mundo, erit resurrectio fidelium, qui venient ab ortu solis, id est a Christo, quando inceperit lucere, id est se manifestare.

^{**}16.13 *Vidi.* Effusionem phialae super istos, et ipsos non corrigi, sed in majorem excæcationem præcipitari. *Exire spiritus.* Id est omnes impios qui pro nimia malitia dicendi sunt spiritus immundi; vel, ipsos daemones, quos in cordibus aliorum generant. Sicut enim fideles sua doctrina generant fidem Christi in cordibus aliorum, sic isti malitia diabolum. *Ranarum.* Ranæ in luto morantur, et garrulae sunt, et alii quietem auferunt: sic et isti.

^{††}16.14 *Procedunt,* etc. Procedunt daemones, et congregabit diabolum, quia omnes unus.

^{‡‡}16.16 *Et congregabit.* Id est, facient illos habere fiduciam in Antichristo, qui est refugium omnibus volentibus furari sanctis fidem suam; vel ad quem gloriabuntur omnes mali diversarum sectarum.

^{¶¶}16.17 *Et septimus angelus.* Ostenso super quos angeli phialas suas effundant, supponit quid contingit ipsis malis per effusionem istam, scilicet quia hic quantum poterunt, repugnabunt, quasi ab ipsa infusione acceperint incrementum, sed tandem detrudentur in infernum.

^{§§}16.18 *Et facta est civitas.* Propter istam damnationem et propter peccata quae ipsi addunt, damnata est ipsa civitas, et divisa est poena unicuique pro merito, Judæis scilicet et gentibus, et falsis Christianis. *Civitates gentium ceciderunt,* id est, omnes collectiones malorum in generatione prima manentium damnabuntur: carnali, non in secunda regeneratione spirituali.

indignationis iræ ejus.* ²⁰ Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi.† ²¹ Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines: et blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta est vehementer.‡

17 Et venit unus de septem angelis, qui habebant septem phialas, et locutus est mecum, dicens: Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas,¶ ² cum qua fornicati sunt reges terræ, et inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus.§ ³ Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiarum, habentem capita septem, et cornua decem.** ⁴ Et mulier erat circumdata purpura, et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, et immunditia fornicationis

*16.19 *Venit in memoriam.* Id est, recordatus est Deus singula peccata eorum quorum prius videbatur oblitus. *Dare ei calicem.* Ad hoc ut ipse Deus daret illis pœnam mensuratam pro delectationibus quas habuerunt. Retribuit Deus malis pro meritis, id est quod meruerunt, sed non quantum meruerunt, ut in ipsa retributione ubi patet justitia, sit etiam misericordia. *Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas.* Bonis etiam dat pro meritis et plus quam meruerunt, ut misericordia ibi justitiæ prævaleat.

†16.20 *Et omnis insula fugit.* Et vidit quod omnes qui pro Deo afflicti in mundo et virtutibus eminentes respectu harum pœnarum, in vita sua vitaverunt consortia impiorum, et ideo non sunt inventi in pœnis eorum.

‡16.21 *Talentum.* Talenti genera sunt tria: magnum, centum et viginti librarum; medium, septuaginta duarum, minus quinquaginta. De medio hic dicit, quia peccatores in septuaginta duabus linguis non effugient hanc vindictam. *Et blasphemaverunt.* Id est, in inferno positi, quamvis sciant se pro merito puniri, dolebunt tamen quod Deus tantam potentiam habet quod plagas eis inferat, et est blasphemia.

¶17.1 *Et venit unus,* etc. Cum descripsisset plagas quas inferent prædicatores tempore Antichristi, et damnationem æternam quam iidem patientur impii, monet attendere causas ipsius damnationis. Quasi: Ostendi vobis quid in illo futuro fiet, modo cavete vobis vos potentes, quia idem diabolus, qui tunc ita aperte decipiet, occulte decipit quotidie, et ad eundem interitum vos ducet, quo et illos. *Angelis.* Angelus hic habet personam docentis, Joannes discantis personam tenet. *Ostendam tibi damnationem,* id est causam damnationis malorum, qui, relicto Creatore, fornicantur cum dæmone, idola colendo, terrena amando, immunditiæ serviendo. *Meretricis.* Meretrix ista magna est Antichristus, et mali qui tempore ejus erunt; quæ jam sedet super aquas, id est jam regnat super malos potentes, quorum omnium ipse est caput. *Quæ sedet super aquas multas,* id est, quæ regnat super multos populos quos attrahit ad se luxuria. Unde Dominus ad Job: *Virtus ejus* Job. 40., scilicet diaboli, *in lumbis,* quando viros (quorum seminarium in lumbis est) decipit: *in umbilico,* cum mulieres (quarum semen est umbilico) decipit. Unde Propheta Ezech. 16., ad Jerusalem quasi ad meretricem: *In die ortus sui,* id est hoc tempore sæculi, *non est præcisus umbilicus tuus,* id est, non refrenasti luxuriam.

§17.2 *Inebriati sunt,* etc. Sicut ebrius nihil timet, sic terrenis inhærentes intantum excæcabuntur amore terræ, ut nec Deum diligant, nec pœnas timeant.

**17.3 *Mulierem sedentem.* Id est, illos molles qui Evæ (a qua peccatum incoepit) conformantur; qui habent diabololum fundamentum, qui est sanguineus et in se et in suis; vel quia sanguinem sanctorum fundunt, eloquia Dei male intelligunt. *Capita septem.* Quinque sensus corporis, et postea errorem, et tandem Antichristum, per quæ septem diabolus ducit homines ad peccatum. *Cornua decem.* Id est decem regna quæ erunt tempore Antichristi, per quæ alia intelliguntur.

ejus.^{††} ⁵Et in fronte ejus nomen scriptum: *Mysterium: Babylon magna, mater fornicationum, et abominationum terræ.*^{‡‡} ⁶Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu. Et miratus sum cum vidissem illam admiratione magna.^{¶¶} ⁷Et dixit mihi angelus: Quare miraris? ego dicam tibi sacramentum mulieris, et bestiae, quae portat eam, quae habet capita septem, et cornua decem.^{§§} ⁸Bestia, quam vidisti, fuit, et non est, et ascensura est de abyssonibus, et in interitum ibit: et mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitae a constitutione mundi) videntes bestiam, quae erat, et non est.^{*} ⁹Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt. ¹⁰Quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit: et cum venerit, oportet illum breve tempus manere.[†] ¹¹Et bestia, quae erat, et non est: et ipsa octava est: et de septem est, et in interitum vadit.[‡] ¹²Et decem cornua, quae vidisti, decem reges sunt: qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tamquam reges una hora accipient post bestiam. ¹³Hi unum consilium habent, et virtutem, et potestatem suam bestiae tradent. ¹⁴Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos:

^{††}17.4 *Circumdata purpura.* Id est regali veste: dicent se reges ut decipiant. *Auro.* Quia videbuntur divina sapientia illuminati. *Poculum aureum,* id est divinam Scripturam, qua potantur fideles ad salutem. *Abominatione.* Id est quae, secundum illas expositiones, debent abjici ab hominibus, quia immunditiam carnis docent et fornicari a Deo.

^{‡‡}17.5 *Et in fronte.* Quamvis sit ita habilis ad decipiendum, tamen, o fideles, ne desperetis, quia habet *in fronte,* id est in manifesto, signum quod rudibus est mysterium istud quo dat exemplum faciendi peccata, pro quibus terreni a salute fidelium repellentur.

^{¶¶}17.6 *Ebriam.* Id est depressam vindicta pro effusione sanguinis: ut praeter doloribus nimis nesciat ubi sit. *Et miratus sum.* Hic habet Joannes personam illorum qui, cum vident malos in mundo exaltatos, mirantur cum audiunt poenas quae ipsis malis promittuntur, et cum ita sint puniendi, quare Deus permittit illos exaltari. Sed docentur intelligere illam exaltationem datam ad majorem excacationem, et tandem juste inferri aeternam damnationem.

^{§§}17.7 *Ego tibi dicam.* Id est quare puniantur isti mali, id est diabolus qui eos peccare fecit: quod est incognitum, nisi doctis.

^{*}17.8 *Bestiae quae portat eam.* Bestia, id est diabolus, portat, id est regit, mulierem, id est omnes malos effeminatos. Qui enim alios regit, quasi onus regiminis portare dicitur. *Fuit.* Ante adventum Christi, habuit diabolus maximam potestatem, sed post licet non penitus amisit, tamen non modice debilitatam habet. *Ascensura est.* Quia tempore Antichristi potestatem recipiet, per illos enim qui in peccati profundis sunt ascendet in elationem. *Et in interitum ibit.* Quia, mortuo Antichristo, amplius non habebit tentandi locum. *Mirabuntur.* Cum viderint mali potestatem suam ita annihilatam, dolebunt: non quasi poenitentes, sed tantum admirantes. *Septem capita.* Per haec septem, erigit diabolus homines in superbiam, et in iis innituntur infideles.

[†]17.10 *Quinque ceciderunt.* Adam, si in obedientia perseverasset, sensus corporis ad nullam voluptatem verterentur, malam scilicet; sed per peccatum ita corrupti sunt, ut jam naturale sit lenia tactu, sapida gustu, nare odorifera, visu pulchra quaerere. Hi sunt quinque reges per quos diabolus in pueritia regit, quia ipse fuit causa quare corrumperentur. Hi sunt quinque viri Samaritanæ. In iuventa succedit error, nam postquam discretionem habet, et si peccat, jam non sensibus, sed errori imputatur: de quo Dominus: *Quem nunc habes non est tuus vir* Joan. 4..

[‡]17.11 *De septem est.* Quia similiter peccat, et similiter punietur: *et ipsa octava,* quia omnes transcendit, et in nequitia et in poena.

quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt, vocati, electi, et fideles. ¹⁵ Et dixit mihi: Aquæ, quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguæ.[¶] ¹⁶ Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, et desolatam facient illam, et nudam, et carnes ejus manducabunt, et ipsam igni concremabunt.[§] ¹⁷ Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum est illi: ut dent regnum suum bestię donec consummentur verba Dei.^{**} ¹⁸ Et mulier, quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

18 Et post hæc vidi alium angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam: et terra illuminata est a gloria ejus.^{††} ² Et exclamavit in fortitudine, dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna: et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ, et odibilis:^{‡‡} ³ quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes: et reges terræ cum illa fornicati sunt: et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.^{¶¶} ⁴ Et audivi aliam vocem de cælo, dicentem: Exite de illa populus meus: ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis.^{§§} ⁵ Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cælum, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus.^{*} ⁶ Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis: et duplicate duplicia secundum opera ejus: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.[†] ⁷ Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo regina: et vidua

[¶]17.15 *Populi sunt*, etc., id est præsentis mali, ex omni diversitate hominum collecti.

[§]17.16 *Desolatam facient*. Solatium diaboli est perditio malorum, quos perdet completo numero impiorum. *Et nudam*. Diabolus habet potestatem faciendi signa ad decipiendum, hanc perdet completo numero bonorum, quia postea tentatio non habebit locum. *Carnes*. Carnes fornicariæ manducare dicuntur, quia inferendis pœnis delectabuntur. *Ignem concremabunt*. Id est, tormentabuntur pro delectationibus ejus quas secuti sunt.

^{**}17.17 *Donec consummentur verba*. De promissione præmiorum vel pœnarum.

^{††}18.1 *Et post hæc vidi*. In hac sexta visione, agit de ultimis pœnis quas patientur impii in inferno pro singulis peccatis; et primum de Babylone ostendit; postea de bestia et pseudopropheta; tandem de ipso diabolo in quo finis patet, in quo damnato erit finis. Istam damnationem prosecuturus est, et a Christo prædicatam esse dicit, ut major ei fides habeatur.

^{‡‡}18.2 *Cecidit, cecidit*. Bis pro duplici damnatione animæ et corporis, vel quia æternaliter punietur. *Custodia omnis spiritus immundi*. Dæmones in pravis cordibus pro carnis illecebris sunt immundi, per mentis elationem volucres, vel quia per hunc ærem discurrunt.

^{¶¶}18.3 *De virtute*. Id est de peccatis per quæ acquiruntur divitiæ, quia omnis dives, vel iniquus, vel hæres iniqui.

^{§§}18.4 *Et audivi*. Dicens futuram illam damnationem ad præsentis, supponit admonitionem. *Exite*, quia modicum tempus superest, quo pro merito accipient mercedem.

^{*}18.5 *Quoniam pervenerunt peccata*, etc. Peccata perveniunt usque ad contemptum Dei per impœnitentiam.

[†]18.6 *Reddite illi*. Sicut vindictam meam de vobis, qui purgamini, exercuit, sic vos injuriam meam vindicate in illis. *Duplicate duplicia*, id est animæ et corpori majores pœnas inferte quam ipsi vobis.

non sum, et luctum non videbo.[‡] ⁸ Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, et igne comburetur: quia fortis est Deus, qui judicabit illam.[¶] ⁹ Et flebunt, et plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus:[§] ¹⁰ longe stantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes: Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis: quoniam una hora venit iudicium tuum. ¹¹ Et negotiatores terræ flebunt, et lugebunt super illam: quoniam merces eorum nemo emet amplius:^{**} ¹² merces auri, et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritæ, et byssi, et purpuræ, et serici, et cocci (et omne lignum thyinum, et omnia vasa eboris, et omnia vasa de lapide pretioso, et æramento, et ferro, et marmore,^{††} ¹³ et cinnamomum) et odoramentorum, et unguenti, et thuris, et vini, et olei, et similæ, et tritici, et jumentorum, et ovium, et equorum, et rhedarum, et mancipiorum, et animarum hominum.^{‡‡} ¹⁴ Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt a te, et omnia pingua et præclara perierunt a te, et amplius illa jam non invenient. ¹⁵ Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes, ac lugentes, ¹⁶ et dicentes: Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, et purpura, et cocco, et deaurata erat auro, et lapide pretioso, et margaritis: ¹⁷ quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ, et omnis gubernator, et omnis qui in lacum navigat, et nautæ, et qui in mari operantur, longe steterunt, ¹⁸ et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes: Quæ similis civitati huic magnæ? ¹⁹ et miserunt pulverem super capita sua, et clamaverunt flentes, et lugentes, dicentes: Væ, væ civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari de pretiis ejus: quoniam una hora desolata est. ²⁰ Exsulta super eam cælum, et sancti apostoli, et prophetæ: quoniam judicavit Deus

[‡]18.7 *Quantum glorificavit se*, etc. Hoc recte dicitur, quia recipiunt alii plus, alii minus. Causa discretionis hujus repetit quod dixerat superius. *Et vidua non sum*. Quia habeo consolationem in temporalibus.

[¶]18.8 *Mors*. Absentia vitæ, id est Dei, quia præsentia ejus vita est.

[§]18.9 *Et flebunt*. Alii autem gaudium perpetuum habebunt. *Reges terræ*. Etiam illi qui bene rexerunt terrenitatem suam; sed aliquando fornicati sunt cum ista, dolebunt, quod nunquam similes illis fuerint. *Cum viderint fumum incendii ejus*, id est, cum defecerint divitiæ, quod est signum æterni incendii iudicii; vel cum viderint poenam exaltatam ultra modum.

^{**}18.11 *Et negotiatores terræ flebunt*. Quia illa perire dolebunt, in quibus suam deputabant prosperitatem.

^{††}18.12 *Auri et argenti*, etc. Per aurum sapientia, argentum divina eloquia. Christus in lapide pretioso significatur; apostoli in margaritis: in bysso candido sanctorum justificationes; in purpura martyrium; in serico virginitas; in cocco rubeo charitas; in ligno thyino imputribili constantia indeficiens; in ebore virtutum pulchritudo; in ære fortitudo et longanimitas; in ferro sublimitatis acumen; in marmore invicta humilitas.

^{‡‡}18.13 *Cinnamomum*. In cinnamomo, odor virtutum quas simulant intelligi debet. *Similæ et tritici*, id est carne Christi, qua fideles vere satiantur, reprobis irritantur. *Mancipiorum et animarum*. Distinguit: quia quidam fiunt servi tantum corpore, ut Joseph; quidam etiam animo, ut si Ægyptius venditus Judæo, ritu eorum circumcitur, vel paganorum idola colat.

judicium vestrum de illa.[¶] 21 Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur.^{§§} 22 Et vox citharædorum, et musicorum, et tibia canentium, et tuba non audietur in te amplius: et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius: et vox molæ non audietur in te amplius: 23 et lux lucernæ non lucebit in te amplius: et vox sponsi et sponsæ non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes. 24 Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est: et omnium qui interfecti sunt in terra.

19 Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluja: salus, et gloria, et virtus Deo nostro est: * 2 quia vera et justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus. 3 Et iterum dixerunt: Alleluja. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. 4 Et ceciderunt seniores viginti quatuor, et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen: alleluja. † 5 Et vox de throno exivit, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus: et qui timetis eum pusilli et magni. ‡ 6 Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluja: quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. ¶ 7 Gaudeamus, et exultemus: et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. § 8 Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum

[¶]18.20 *Exsultate super eam.* Postquam prædixit hanc damnationem futuram impiis, monet bonos exsultare, ut concordent divino judicio; vel quia, his damnatis, sequitur eorum remuneratio.

^{§§}18.21 *Et sustulit.* Elevat Deus malos, ut gravius puniat vel corrumpat. *Lapidem quasi molarem.* Ad litteram etiam omnia ista visa sunt. *Hoc impetu.* Postquam descriptæ sunt singulæ poenæ, ostenditur sibi modus damnationis, quasi diceret: Quod vidi prædictum, vidi etiam jam impletum, sicut vides in hac figura; vel: quanto plus exaltati sunt, tanto gravius cadent.

^{*}19.1 *Post hæc audivi.* Id est, damnationem malorum vidi completam, sicut a Christo audieram complendam. Modo subjungit quod de ista damnatione sancti exsultant sicut moniti erant ad exsultandum in versu illo: *Exsultate super eam, cæli,* per quod multo gravior intelligitur poena malorum. *Alleluia,* etc. Ideo dicimus alleluia, quia laus est Deo nostro, et quia talia nobis fecit, antonomastice eum laudare debemus.

[†]19.4 *Et ceciderunt seniores,* etc. Non minores sancti solummodo de hac damnatione laudaverunt Deum, sed etiam illi majores qui in Ecclesia fuerunt iudices et doctores aliorum. *Amen.* Specialiter Deus laudandus est de hoc, quod inimicos nostros ita punit.

[‡]19.5 *Et vox,* etc. Dicta damnatione malorum et exsultatione sanctorum, supponit admonitionem ad præsentem, quasi dicat: Vidistis exsultationem, modo vos providete vobis ad vestram salutem. *Pusilli.* Qui nequeunt altiora penetrare mysteria, nec Dei possunt implere consilium: *Vende omnia, et sequere me,* intelliguntur nomine pusillorum.

[¶]19.6 *Et audivi quasi vocem,* etc. Ostensa lætitia quam habebant sancti de perditione malorum, supponit aliam lætitiā ipsorum quam de salvatione sua (quam dicturus est) habebunt.

[§]19.7 *Et uxor ejus,* etc. Et conveniens est ut jungatur Ecclesia Christo, quia ipsa Ecclesia fecit se idoneam ut recipetur.

enim justificationes sunt sanctorum. ⁹Et dixit mihi: Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt; et dixit mihi: Hæc verba Dei vera sunt. ¹⁰Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris: conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ. ^{** 11}Et vidi cælum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, et Verax, et cum justitia judicat et pugnat. ^{†† 12}Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. ^{‡‡ 13}Et vestitus erat veste aspersa sanguine: et vocatur nomen ejus: Verbum Dei. ^{¶¶ 14}Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo. ^{§§ 15}Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea: et ipse calcatur torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. ^{* 16}Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium. ^{† 17}Et vidi unum angelum stantem in sole, et clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cæli: Venite, et congregamini ad cœnam magnam Dei: ^{‡ 18}ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes equorum, et sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum, et servorum, et pusillo-

^{** 19.10} *Et cecidi*, etc. Quia eum majorem me intellexi, et obedire paratus fui, sic et vos obedite mihi. *Vide ne feceris*. In veteri lege non prohibuit se adorari; sed post ascensionem, videns super se exaltatum hominem, ab homine timuit adorari. *Testimonium enim*, etc. Quidquid prophetæ dixerunt, perhibet Christo testimonium.

^{†† 19.11} *Et vidi cælum apertum*. Dicta damnatione Babylonis, et exultatione quam inde habebunt sancti, supponit damnationem ipsius Antichristi et apostolorum ejus, quod est ibi: *Et apprehensa est bestia*. Et isti, quare damnabuntur? quia pugnaverunt contra Christum quantum potuerunt, et tamen Christus bene poterit vincere, qui tantam habet potestatem secundum divinitatem et humanitatem, quod nullus possit resistere ei, et ideo debemus eum imitari. Unde et ipse admonitionem interponit: *Et vidi unum angelum*. Vidi vocatos ad nuptias, vidi etiam et qui possunt venire: nam bonum adiutorem et bonos habent admonitores. *Equus albus*, id est caro Christi portans Verbum Dei ad bellum contra diabolium.

^{‡‡ 19.12} *Sicut flamma lignis*. Quia comburit vitia, et accendit, et illuminat. Hæc omnia sine respectu alicujus dicta sunt, ut tantum notemus qualis sit et quanta possit.

^{¶¶ 19.13} *Verbum Dei*. Id est: *Ipse dixit, et facta sunt* Psal. 32.: per quem omnia Pater fecit, et per quem Pater mundo se annuntiavit.

^{§§ 19.14} *Vestiti byssino albo et mundo*. Id est, in corporibus mundis, qui ab illicitis refrenantur, et stimulo charitatis ad bona incitantur, id est ad justitiam.

^{* 19.15} *Gladius ex utraque parte acutus*. Id est, divina sententia, incidens pravæ cogitationes mentis et illicitos motus corporis; vel Vetus et Novum Testamentum. *Reget eas*. Sanctos de virtute in virtutem promovendo, malos de vitio in vitium labi sinendo.

^{† 19.16} *Et habet in vestimento*. Vel in cordibus fidelium qui sunt vestimentum Filii, scriptum est: *Rex regum*.

^{‡ 19.17} *Et vidi unum angelum*. Ostensa dignitate Christi, per quam diabolium expugnare poterit, subdit admonitionem de præsentibus, quasi diceret: Ipsi tali adhærere debetis. *Omnibus avibus*. Omnibus fidelibus qui agiles et leves sunt in promotione bonorum operum. *Venite*, etc. Bene operando, in eadem fide, non diversas hæreses sequentes sicut mali; vel: de partibus mundi diversis ad me venite. *Et congregamini*. Quasi: Multum debetis esse solliciti, ut ad hanc cœnam venire possitis, quia nisi bene pugnaveritis, diabolo succumbetis; quia multum paratus est nocere vobis, eum tamen auxilio Dei superare poteritis.

rum et magnorum. ¹⁹ Et vidi bestiam, et reges terræ, et exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus. ²⁰ Et apprehensa est bestia, et cum ea pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestię, et qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure: [¶] ²¹ et ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius: et omnes aves saturatę sunt carnibus eorum. [§]

20 Et vidi angelum descendentem de cęlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. ^{**} ² Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, et Satanas, et ligavit eum per annos mille: ^{††} ³ et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: et post hæc oportet illum solvi modico tempore. ^{‡‡} ⁴ Et vidi sedes, et sederunt super eas, et iudicium datum est illis: et animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus suis, et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis. ^{¶¶} ⁵ Ceteri mortuorum non

[¶]19.20 *Vivi missi sunt hi duo.* Videlicet Antichristus et sui apostoli majores pęnas patientur quam alii, ad similitudinem illius qui vivus comburitur.

[§]19.21 *Et cęteri occisi sunt.* Id est, sequaces eorum minori pęna punientur, vel illi qui erunt cęteri, sive ad eum conversi, occisi mundo, vivent Deo. *Et omnes aves,* id est omnes sancti, delectati sunt de pęna illorum, et de profectu fratrum.

^{**}20.1 *Et vidi angelum.* Dicta damnatione Babylonis et Antichristi et pseudo apostolorum, supponit damnationem ipsius diaboli, et præponit causam quare et tempus quo damnabitur: et quis illum poterit vincere, scilicet ille qui in humili adventu potuit illum ligare quantum voluit, glorificatus eundem omnino destruere poterit. *Abyssi.* Abyssus tenebrosa vocantur corda impiorum; vel ipse diabolus, quos Dominus sævire permittit et refrenat quando vult.

^{††}20.2 *Apprehendit.* Id est, peccasse ostendit dum se immunem a peccato ille diabolus occidit. *Ligavit eum.* Sciendum quod similiter in Abraham et aliis fidelibus diabolus fuit ligatus sicut in istis præsentibus; sed in illis ligavit spes futuri Christi, in istis ipse Christus adveniens ligavit.

^{‡‡}20.3 *Et misit eum,* etc. Quia ejectus a fidelibus, in malis cępit dominari atrocius: sic legitur in Evangelio, quod intravit in porcos. *Signavit super illum,* etc. Id est sigillum posuit, scilicet signum crucis, quod eum sic superat, ut a fidelibus repellat. *Et post hæc oportet,* etc., ut recipiat potestatem quam habuit ante adventum Christi.

^{¶¶}20.4 *Et vide sedes.* Ligato diabolo, vidi solutos fideles, et minores prælatis suis obedire paratos, et prælatos iudicare subditos. Vidi in tempore ligationis Ecclesiam ad bene operandum ita solutam, et hoc eodem tempore, illos qui pro Christo moriuntur vidi statim in gloriam intrare, nunquam ad inferos descendere, sicut Abraham et cęteri prophetę descenderunt, quamvis justi fuerunt. *Et animas decollatorum.* Et vidi similiter animas eorum qui non adoraverunt. *Et vixerunt.* Et non dico vivent et regnabunt in futuro, sed etiam in hoc præsentī, scilicet ex quo interfecti sunt vixerunt et regnaverunt cum Christo.

vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.^{§§ 6} Beatus, et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis.⁷ Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exhibit, et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris.^{* 8} Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam.⁹ Et descendit ignis a Deo de cælo, et devoravit eos: et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, et sulphuris, ubi et bestia¹⁰ et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.^{† 11} Et vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum, a cuius spectu fugit terra, et cælum, et locus non est inventus eis.^{‡ 12} Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt: et alius liber apertus est, qui est vitæ: et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum:^{¶ 13} et dedit mare mortuos, qui in eo erant: et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.^{§ 14} Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.^{** 15} Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

§§20.5 *Cæteri vero mortuorum non vixerunt*, id est, æternas patientur pœnas, et in hoc præsentī, quia statim moriuntur. *Hæc est resurrectio*. Quod diabolus ita ligatus est, et quod a peccatis resurgunt homines, et quod ipsis mortuis statim animæ fruuntur æterna requie, est prima resurrectio et potissima. *Prima*. Ad differentiam illius quæ erit simul in anima et corpore, hæc dicitur prima. *Qui habet partem*. Si omnes perfecti esse non possunt, nec in eadem claritate futuri sunt. *Secunda mors*, id est, damnatio æterna, quæ erit in corpore et in anima reproborum, non apprehendet electos, qui in nullo unquam augmentur. *Sed erunt sacerdotes*, id est æternas laudes offerentes Divinitati et humanitati.

*20.7 *De carcere*. Id est, de cordibus reproborum, in quibus modo ligatus est, ne pro velle sæviat. *Magog*. Id est detectos, id est omnes persecutores diabolum in se tegentes, et tandem ad apertam persecutionem procedentes. Vel ad litteram has duas gentes prius seducet, et per eas ad alios procedet. *Et circumierunt castra sanctorum*, id est eosdem sanctos in virtutibus munitos et unanimes in hoc bello.

†20.10 *Die ac nocte*. Hoc dicit, respectu gloriæ sanctorum, quæ est dies, et pœnarum suarum, quæ est nox.

‡20.11 *Et vidi thronum*. Dicta destructione diaboli et suorum membrorum, supponit destructionem mundi, ad maiorem pœnam impiorum. Competit enim ut destructis malis mundus destruat, secundum quod ab eis fuerat corruptus. Sæpe locutus de glorificatione sanctorum et de pœnis impiorum, non fecerat mentionem corporum, si deberent glorificari vel puniri; ideo hic aperte ostendit ea.

¶20.12 *Et libri aperti sunt*. Libri, id est, divina præcepta quæ qui dimiserunt, scient se pro merito puniri; vel libri sunt conscientie singulorum, quæ apertæ omnibus erunt. *Alius liber*. Id est, Christus, qui tunc omnibus apparebit potens et suis dabit vitam. Vel, liber est præscientia Dei, quia tunc aperte scient mali se non prædestinatos ad vitam quam in mundo existentes sibi promittebant. *Ex his quæ scripta erant*. Per comparisonem sanctorum impii damnabuntur: legent enim ipsi impii in ipsis sanctis quæ agere noluerunt.

§20.13 *Et dedit mare mortuos*. Vult aperte ostendere corpora mortuorum quantumcunque fuerint dissecta, in illo iudicio vivificari, quod quidam non credunt.

**20.14 *Hæc est mors secunda*. Quasi dicat: Cavete vobis a morte prima, quia ex illa prima sequitur hæc secunda.

21 Et vidi cælum novum et terram novam. Primum enim cælum, et prima terra abiit, et mare jam non est.††² Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cælo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.‡‡³ Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus:¶¶⁴ et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.§§⁵ Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, et vera.*⁶ Et dixit mihi: Factum est: ego sum alpha et omega, initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis.†⁷ Qui vicerit, possidebit hæc: et ero illi Deus, et ille erit mihi filius.‡⁸ Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idolatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure: quod est mors secunda.¶⁹ Et venit unus de septem angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, et locutus est mecum, dicens: Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni.§¹⁰ Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cælo a Deo,**¹¹ habentem claritatem

††21.1 *Et vidi.* In hac septima visione agit de innovatione elementorum, glorificatione sanctorum, describens merita per quæ sancti ita glorificati sunt. **Cælum novum et terram novam.** Immutatio æris et terræ, dubitabilis non est quin per ignem fiat. Sed de aqua dubitatur, nam purgationem in seipsa habere creditur.

‡‡21.2 *Sicut sponsam ornatam.* Sicut sponsus præmittit munera sponsæ antequam eam ducat, sic Christus Ecclesiæ fidem et virtutes et bona opera antequam eam suscipiat in gloria.

¶¶21.3 *Vocem magnam de throno.* Cum dixisset se vidisse innovationem elementorum et glorificationem sanctorum, incognitum id erat, et, ne incredibile videretur, apponit auctoritatem sanctorum Patrum, qui hoc prædixerunt. **Ecce tabernaculum.** Id est in evidenti est, quod in eadem gloria erit humanitas Christi in qua militavit, et homines eum imitati et ea sunt bene usi. **Et ipsi populus ejus.** Id est, in nullo offendentes, quod non esse potest dum sunt in carne mortali.

§§21.4 *Et mors.* Vere non erunt ibi lacrymæ, quia non erit causa lacrymarum.

*21.5 *Et dixit.* Quasi dicat: Scribe quidquid ostensum est tibi de hac innovatione. Hoc pro utilitate præsentium factum est, quibus hæc scribere jussus sum. **Scribe: quia hæc,** etc. Jubens scribere, et aliis nuntiare, supponit exhortationem, ut omnes ad hanc innovationem laborent pertinere.

†21.6 *Et dixit mihi.* Posita auctoritate sanctorum de hac innovatione, ponit auctoritatem ipsius Dei. **Factum est.** Ne quæreret aliquis: Quid post illam innovationem futurum est, dicitur sibi nihil restare faciendum. **Alpha et omega.** Quasi dicat: Hanc innovationem facere potero, quia ego omnia creavi, et in me omnia consummabuntur. **Sitienti.** Non dabo sitienti ad horam, sed perseveranti.

‡21.7 *Possidebit hæc.* Id est, meipsum, qui sum principium omnis beatitudinis.

¶21.8 *Timidis.* Id est: illis qui timore poenarum fidem accipere fugiunt, vel acceptam relinquunt, erit æterna damnatio.

§21.9 *Veni et ostendam.* Descripta gloria quam habituri sunt sancti, dicit quo merito, vel quo auxilio sint accepturi.

21.10 *In montem magnum.* Christus est **mons, quia munimentum suorum magnum est, quia totum mundum replet, **altus**, quia insuperabilis. **Ostendit mihi civitatem.** Et super illum montem ostendit Ecclesiæ fundamentum.

Dei: et lumen ejus simile lapidi pretioso tamquam lapidi jaspidis, sicut crystallum.^{††}
¹²Et habebat murum magnum, et altum, habentem portas duodecim: et in portis angelos duodecim, et nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israël:^{‡‡} ¹³ab oriente portæ tres, et ab aquilone portæ tres, et ab austro portæ tres, et ab occasu portæ tres.^{¶¶} ¹⁴Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni.^{§§} ¹⁵Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, et portas ejus, et murum.* ¹⁶Et civitas in quadro posita est, et longitudo ejus tanta est quanta et latitudo: et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia: et longitudo, et altitudo, et latitudo ejus æqualia sunt. ¹⁷Et mensus est murum ejus

^{††}21.11 **Lumen.** Ipsa Jerusalem cœlestis lucens pro modo suo, est similis Christo, qui fuit in proposito firmus, et lucens in virtutibus. **Jaspidis.** Durus est lapis hic, et viridis: sic Ecclesia nitet fide, et in ea firmata est.

^{‡‡}21.12 **Murum.** Id est Christum defensorem, qui magnus in Sion, altus cum Patre. Vel intellige defensores aliorum, qui sunt magni in vincendo alios. Alii ne vincantur, id est, apostolos vel prophetas, vel angelos veritatis nuntios. **Portas duodecim.** Id est, patriarchas, per quorum exemplum alii ad fidem introducuntur. Vel portæ, apostoli, qui alios introducunt in Ecclesiam. Angeli, id est, subditi qui perfecte instructi in loco angelorum sunt substituti. Numerus portarum duodecim, quæ per quatuor mundi partes sub ternario comprehenduntur, ad mysterium pertinet duodecim apostolorum, per quos fides Trinitatis diffunditur per orbem quadripartitum. **Nomina inscripta,** etc. Id est, memoria sanctorum Patrum veteris legis est in apostolis, quia quod illi prædixerunt futurum, hi docent completum. Vel omnes gentes in fide apostolorum et dilectione eorum sunt positæ. Unde: **Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris** II Cor. 3..

^{¶¶}21.13 **Ab oriente portæ tres.** Oriens, Judæi: a quibus sol justitiæ ortus est, et in his portæ tres, quia in his primum fides Trinitatis, nuntiata ab apostolis et a prophetis. Aquilo, frigidæ gentes: quæ post Judæos crediderunt. Ab austro, id est a claritate fidei, quæ est ab adventu Christi. Ab occasu, id est ab ultima ætate mundi quæ per Eliam et Enoch fidem Trinitatis recipiet.

^{§§}21.14 **Murus.** Id est, fides Christi qua munivit ipsam civitatem, habet duodecim patriarchas, per quos fundatur, quia illi primi hanc fidem tenuerunt, et in illis innuntur quicumque ad fidem accedunt. **Et in ipsis duodecim.** Quam fidem isti tenent, illi venturam intellexerunt, et prænuntiaverunt.

*21.15 **Et qui loquebatur mecum.** Vidi civitatem istam ita munitam et ornatam, et non omnes ibi vidi æquales inter se: sed unumquemque perfectum pro modo suo. **Mensuram arundineam auream.** Id est, divinam Scripturam Dei sapientia compositam, quæ tangit et illustrat corda fidelium. **Ut metiretur civitatem et portas ejus.** Id est, secundum mensuram daret etiam minoribus intelligentiam ipsarum Scripturarum. **In quadro posita est.** Quatuor latera, fides, spes, charitas, operatio, quæ sunt æqualia, quia quantum quis credit, tantum sperat: quantum sperat, tantum diligit: quantum diligit, tantum operatur. In quadro ergo, quia robusta fide, longanimis spe, ampla charitate, efficax opere. Vel quatuor latera sunt quatuor principales virtutes, quarum una non debet aliam excedere. In homine ergo est prudentia appetendi boni et vitandi mali, quam sequitur temperantia, ut a voluptatibus homo se retrahat: post hæc est fortitudo, ut quod intelligit, operetur: dehinc justitia, ut sic suos actus temperet, ne nimis justus vel sapiens sibi videatur. **Per stadia.** Stadium est locus et cursus et mensura, et octo faciunt milliare, notat autem tendentes ad bravium. **Duodecim millia.** Hi perfecti sunt in fide Trinitatis ex quatuor mundi partibus.

centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est angeli. †¹⁸ Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide: ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo. ‡¹⁹ Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, jaspis: secundum, sapphirus: tertium, calcedonius: quartum, smaragdus: ¶²⁰ quintum, sardonyx: sextum, sardius: septimum, chrysolithus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysoprasus: undecimum, hyacinthus: duodecimum,

†21.17 **Mensura hominis.** Juxta litteram sanctus Joannes ostendit angelum apparuisse sibi in specie hominis, ut aperte denotet eum qui significabatur verum angelum, id est Filium Dei, et verum hominem fuisse.

‡21.18 **Et erat.** Dixerat in hac civitate esse muros et portas et fundamenta, et ipsos inter se, alios majores, alios minores, hic exsequitur qualis sit murus et qualis ipsa civitas et fundamenta et portæ. **Structura muri ejus ex lapide jaspide.** Id est, si aliquis sit ad hoc instructus ut sit defensor aliorum, hoc habet ex fide quam firmiter tenet et prædicat, quam Jaspis viridis significat, ut sit defensor aliorum. **Aurum.** Sapientiam denotat aurum; vitrum autem fidei puritatem, qua ore promittit quod corde credit.

¶21.19 **Jaspis.** Viridis est hic lapis, et ideo virorem fidei immarcescentem significat. Vel **jaspis** est sanctorum fides non marcescens, sed semper in operis virore perseverans. **Sapphirus.** Similis est sereno cælo, qui percussus radiis solis ardentem emittit fulgorem; significat autem altitudinem spei sanctorum quorum conversatio in cælis est, qui et a vero sole innovati ardentius æterna quærunt, et alios quærere docent, dicentes: **Nostra conversatio in cælis est** Phil. 3.. **Chalcedoni,** BED. Colorem pal-lentis lucernæ hic lapis habet: fulget, etc., usque ad peccatores et fragiles ad se trahunt sibi que conjungunt. **Smaragdus.** ID. Quartus nimie viriditatis super omnes herbas et frondes, adeo ut etiam, etc., usque ad quarta dicitur fides propter quatuor Evangelia.

amethystus.^{§ 21} Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, per singulas: et singulæ portæ erant ex singulis margaritis: et platea civitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum.^{** 22} Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus.²³ Et civitas non eget sole neque luna ut luceant in

§21.20 **Sardonyx.** ID. Quintus tricolor, niger in imo, candidus, etc., usque ad quod quinque sensibus agitur, quinta dicitur. **Sardius.** Sextus sanguinei coloris unicolor, martyrii gloriam significat. Sextus quia sexta feria crucifixus est Christus. Vel Sardius rubeæ terræ habens speciem, significat sanctos qui licet cum mentis sublimes intellectu, tamen fragilitatis suæ recordantur attendentes se filios Adæ, qui rubra terra dicitur, qui sexta die factus est, unde et sardius sextus inducitur. **Beryllus.** BED. Octavus est prædicantium operatio. Lucet beryllus, etc., usque ad cura terrenæ administrationis ad pallorem activæ vitæ redeuntes. **Topazius.** Nonus ponitur hic lapis, quia rarior et pretiosior, et habet duos colores ex auro et ætherea claritate, maxime lucens cum splendore solis tangitur, superans omnium gemmarum claritates, in aspectum suum singulariter provocans aspicientes, quem si plus polis, obscuras: si naturæ relinquis, clarior est: et nihil est charius regibus inter divitias. Contemplativam vitam significat, quam sancti reges omnibus operum divitiis et gemmis virtutum præferunt et in eam maxime aspectus suos dirigunt, et tanto amplius, quanto frequentius divina illustrantur gratia. Ex interna charitate color aureus, ex dulcedine contemplationis æthereus, quæ ex attritu sæculi semper obscurascit, vix enim potest quis simul doloribus attingi, et tranquilla mente cœli gaudia intueri. Vel si polis, quod si dignitatibus sæculi honoras eos, et ornas, obscuras: quia contemplationi minus vacant, vel minori meritis fiunt. Et sicut in octavo est activa vita, sic in nono contemplativa quæ est angelorum, quorum sunt novem ordines. Dicunt quidam quod omnium lapidum colores habet, unde et nomen habet, quia pan, id est omne. Et invenitur in insula Ægypti, quæ dicitur Topazon, significat sanctos omnibus coloribus virtutum fulgidos. **Chrysoprasus.** In India nascitur viridis aureæque mixturæ. Quidam etiam purpureus cum guttis aureis, significat eos qui virorem æternæ patriæ charitate merentur, et aliam purpuream martyrii ostendunt, et quia exemplum Domini sequuntur, in India, id est, prope ortum solis sunt, et cum Christo regnare expectant. In denario numero sunt, decalogus impletur per dilectionem, quæ non finitur. Igitur in chrysopraso opus martyrii signatur et præmium. Chryson, aurum: prasos, porrum dicitur. **Hyacinthus.** Undecimus est hic lapis, cum ære mutatur in sereno perspicuus, in nubilo obscurus, significat discretissimos doctores omnibus qualitatibus, moribus, ætatibus, intellectibus se contemperantes. **Amethystus.** Duodecimus lapis est purpureus, misto colore violæ et rosæ quasdam flammulas de se effundens. Purpureus color, significat cœlestis regni habitus, angelicæ societatis principatum ad quem venturi sunt sancti. Viola humilem sanctorum verecundiam cum odore bonæ operationis. Rosa pretiosam mortem martyrum, qui non modo inter se, sed etiam ad inimicos et persecutores flammam charitatis emittunt. Significat igitur amethystus cœlestis regni semper memoriam in cordibus humilium, et illam egregiam virtutem, ut etiam pro inimicis orent, et de salute eorum curent, quæ est virtus virtutum. Colorum varietas virtutum multiplicitas.

^{**}21.21 **Et duodecim portæ.** Quasi dicat: Dixi esse duodecim portas, et cum ita sint duodecim illæ portæ, id est prophetæ introducentes ad fidem Trinitatis ex quatuor mundi partibus. **Per singulas,** id est, per instructionem singulorum; **sunt margarite,** id est, imitatores eorum, qui de quacunque parte mundi ad fidem Trinitatis vocentur, sunt splendidi virtutibus. **Singulæ portæ,** etc. Quasi dicat: Ad hoc ut essent portæ, oportuit esse margaritas. **Plateæ civitatis aurum.** Id est sapientia, vel claritate pleni, mundi a criminali macula. **Vitrum per lucidum.** Id est nullas sordes in se celantes. Vel quia possunt mali in operibus nequitiam suam, velut in speculo, cognoscere.

ea, nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.^{††} ²⁴ Et ambulabunt gentes in lumine ejus: et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam.^{‡‡} ²⁵ Et portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic.^{¶¶} ²⁶ Et afferent gloriam et honorem gentium in illam.^{§§} ²⁷ Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.*

22 Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.[†] ² In medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis, lignum vitæ, afferens fructus duodecim per menses singulos, reddens fructum suum et folia ligni ad sanitatem gentium.[‡] ³ Et omne maledictum non erit amplius: sed sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi. ⁴ Et videbunt faciem ejus: et nomen ejus in frontibus eorum. ⁵ Et nox ultra non erit: et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum. ⁶ Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima sunt, et vera. Et Dominus Deus spirituum prophetarum misit angelum suum ostendere servis suis quæ oportet

^{††}21.23 *Non eget sole.* Hic sancti egent ad servitium sole et luna, ibi non: Deus enim plene illuminabit eos. Vel, *non eget sole, neque luna*, id est majoribus vel minoribus prædicatoribus.

^{‡‡}21.24 *Et ambulabunt.* Tanta erit lux in futuro, quod usque ad finem mundi, *ambulabunt gentes*, id est promovebuntur de bono in melius. *In lumine.* In spe hujus luminis, vel per lumen, vel per lucem, vel per radios cognitionis ejus. *Reges terræ.* Id est illi majores qui regunt terrenitatem suam et aliorum.

^{¶¶}21.25 *Et portæ.* In præsentī aliquando subtrahitur prædicatio, ne fures intrent et conculcent dum nox est, id est locus insidiarum: sed quia ibi dies perpetua, omnis timor auferetur.

^{§§}21.26 *Afferent.* Ad similitudinem victorum qui spolia in suas urbes ferunt.

*21.27 *Non intrabit in eam.* Dicta honestate civitatis, ne quisquam falsus frater ad aliquem horum graduum pertingere præsumeret, determinat qui sunt intraturi, qui non.

[†]22.1 *Et ostendit.* Postquam situm civitatis, dignitatem ejus, et muros et fundamenta ostendit, describit refectionem quam Deus civitati præbuit, et in præsentī, maxime in futuro. In præsentia Deitatis vel imitatione vitæ Agni, qui proposuit nobis in se exemplum. *Fluvium.* Id est aquam fluentem, id est æternam beatitudinem. In specie aquæ notatur ablutio baptismi, qua ad istam beatitudinem pervenitur. *De sede Dei.* Id est de illis in quibus principaliter sedebit Deus, quia in illis maxime est, et per instructionem eorum minores coronabuntur.

[‡]22.2 *Et ex utraque.* Circa flumen, id est, in hac vita habemus *lignum vitæ*, id est corpus et sanguinem Christi, in quibus reficimur ultra flumen, id est, in futuro habebimus ipsum præsentem. Vel per circa flumen, accipiamus tempus ante baptismum, per ultra, illud quod fuit post baptismum, ut denotemus fideles et in veteri et in nova lege salvatos per Christum, quod significavit Moyses qui duxit filios Israël usque ad flumen Jordanis, et Jesus filius Nave, qui de flumine Jordanis duxit eos in terram promissionis. *Lignum vitæ.* Quasi dicat: Ipse refectionem dat, ipse etiam dat eis qui pararent eos quibus ipse reddat. *Fructus.* Id est prophetas et apostolos in fidem Trinitatis per quatuor mundi partes fructificantes. *Et folia ligni.* Quasi dicat: Et quod Christus reddet fructum, hoc erit sic, quod apostoli, et post eos alii etiam spargent folia ipsius Christi.

fieri cito.[¶] 7 Et ecce venio velociter. Beatus, qui custodit verba prophetiæ libri hujus. 8 Et ego Joannes, qui audivi, et vidi hæc. Et postquam audissem, et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc ostendebat:[§] 9 et dixit mihi: Vide ne feceris: conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum, et eorum qui servant verba prophetiæ libri hujus: Deum adora.^{**} 10 Et dicit mihi: Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus: tempus enim prope est. 11 Qui nocet, noceat adhuc: et qui in sordibus est, sordescat adhuc: et qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus, sanctificetur adhuc.^{††} 12 Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. 13 Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis. 14 Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni: ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem.^{‡‡} 15 Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. 16 Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc in ecclesiis. Ego sum radix, et genus David, stella splendida et matutina.^{¶¶} 17 Et spiritus, et sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, veniat: et qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis.^{§§} 18 Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus: si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.^{*} 19 Et si quis diminuerit

[¶]22.6 *Et dixit mihi.* Sicut in principio posuit commendationem visionis, sic etiam jam ad ultimum ponit. *Dominus.* Et bene debes credere, quia ille qui in potestate habet dona Spiritus sancti, per quem locuti sunt omnia propheta quæ dixerunt. *Angelum suum,* etc. Sicut angelus Joanni, sic Joannes commendat discipulis suis: quasi dicat: Non propter me facta est hæc annuntiatio mihi, sed ut vos mihi credatis.

[§]22.8 *Et postquam audissem, et vidissem.* Hic dat nobis intelligere, quod pro his in veneratione debemus eum habere, nec tantum eum, sed Deum adorare, et per observantiam verborum libri, purificationem angelorum consequi.

^{**}22.9 *Et fratrum tuorum,* etc. Non sunt a munere prophetiæ alieni putandi, qui habent gratiam interpretandi: ut Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, etc.

^{††}22.11 *Qui nocet, noceat adhuc.* Quia posset objici quod malum esset prophetare malis, cum gravius essent inde puniendi, dictum est sibi, ne ideo cesset, quia justum est.

^{‡‡}22.14 *Beati qui lavant,* etc. Quia dixerat: Nocens noceat, sordens sordescat, ne aliquis malus diceret: Cum sim malus, quare me pœniteret? dicit. Non solum beati sunt qui majorem respuunt persecutionem, sed etiam illi qui contaminaverunt stolas suas quas in baptismo acceperunt, si deinde laverint eas, et eos peccasse pœniteat.

^{¶¶}22.16 *Ego Jesus.* Commendavit Joannes librum, per angelum, per sui dignitatem, modo etiam per auctoritatem ipsius Christi. Quasi dicat: Omnes audientes sciant *quod ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc. Stella splendida.* Clara stella, id est, magna charitas annuntians diem, id est futuram beatitudinem, per meam resurrectionem in mane factam

^{§§}22.17 *Et spiritus,* id est Trinitas, quæ pro puritatis excellentia spiritus dicitur: *Et spiritus et sponsa dicunt,* etc. Hic etiam subdit testimonium Trinitatis et fidelium, quasi: Ideo debetis recipere, quia spiritus et sponsa, etc. *Et qui sitit, veniat.* Non tamen quilibet, sed ille tantum veniat, qui sitit: id est credere desiderat. *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Et non est labor, quia sola voluntas sufficit.

^{*}22.18 *Contestor enim,* etc. Postquam commendationem posuit per se, per angelum, per Christum, per Trinitatem, per fideles; qui quosdam sciebat esse in Asia qui pro suis erroribus fovendis aliquid adderent vel demerent, supponit excommunicationem.

de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto: ²⁰ dicit qui testimonium perhibet istorum. Etiam venio cito: amen. Veni, Domine Jesu. ²¹ Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.†

†22.21 *Gratia Domini nostri Jesu Christi.* Consummatio apostoli in verbo Christi.